
Digitized by Google

NAZIONALE
8
19 F
24
ROMA
CENTRALE V. E.

Digitized by Google

Digitized by Google



ANNALES ECCLESIASTICI EX XII. TOMIS CÆSARIS BARONII

S.R.E. PRESBYT. CARD. BIBliothecarii Apoſtolici, in Epitomen redacti,

OPERA

HENRICI SPONDANI MAVLEONENSIS, PRESbyteri Romani,

&

EIVSDEM ILLVSTRISSIMI CARdinalis auctoritate editi.

Accedit hac poſtrema editione Appendix ex Bzouio.

Cùm Priuilegio Cæſar. Maieſt.

MOGVNTIÆ. *Impenſis* ANTONII HIERATI *bibliopol. Colonienſis*

M DC. X VIII.

8 13 F. 24

Digitized by Google

REVERENDISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IOANNI SVICCARDO Archiepiſcopo Moguntino, S.R.I. per vniuerſam Germaniam Archicancellario atque Primati, Domino ſuo Clementiſſimo.

NON immerito, Reuerendiſſime atque Illuſtriſſime S. R. Imperii Septemuir, Domine Clementiſſime, natura nihil magis, quam ingratum animum, odio proſequitur, & ob id etiam beſtiis grati animi ſenſum & beneficii memoriam quamdam indidit. Tradunt enim (vt ex infinitis vnicum dumtaxat exemplum commemorem) rerum naturalium indagatores, Accipitrem, alitem licet natura rapaciſſimum, rigenti brumæ tempore, calidioris temperamenti paſſerculum vnguibus implicitum noctu ſibi pectori ſolitum admouere, eoque ſeſe à frigore tueri, mane vero illum beneficii memorem, paſſerculum iſtum illæſum intactumque rurſum dimittere: Recte itaque & eleganter Sophoclea iſta gratum animum commendant, & vice verſa, ingratum animum abominantur:

Decet, *aiunt*, bonum, meminiſſe grato pectore,
Si quid beneficii adeptus eſt à quopiam:
Nam gratiam quiſquis benefactori ſuam
Studet probare, bene ad merendum hunc prouocat.
Quem vero obliuio capit affectum bonis,
Indignus ille nomen eſt viri boni.

Ne iccirco & ego, Reuerendiſſime Præſul Domine Clementiſſime, boni viri nomen heic amittam, nolui nec etiam potui, quin præſentes hoſce C ÆS. BARONII, *(cuius fama vtrumque polum pulſat, nec humili meo præconio indiget)* ANNALES *(typis ac ſumptibus meis præſenti forma adornatos) tamquam Romano-Catholicæ Religionis fulcra ſiue fundamenta, legitimam ſucceſſionem Romanorum Pontificum & ordinariam hiſtoriarum continuationem, complectentia, Reuerendiſſimæ V. C. debitæ obedientiæ loco humilime obferrem: Cum enim in flore iuuentutis meæ, Moguntiæ (quæ dulciſſima atque exoptatiſſima patria mihi exiſtit) Mineruæ ſacra facerem: non ſum neſcius quanto ardore C. V. tum omnium diſciplinarum, tum hiſtoriarum Eccleſiaſticarum Scriptores, proſecuta ſit: adeo vt in nupera, Sacrorum Bibliorum dedicatione largiſſimo munere à C. V. donatus abierim: quod ſane heroicum C. V. erga ſacrarum Muſarum ſtudia, adfectum ſatis ſuperque oſtendit. Stimulum inſuper & calcar quaſi mihi*

addidit, immenſa iſta C. V. ſinceritas atque ſumma diſcretio, quæ in componendis turbis perturbatæ (nunc per Dei gratiam & C. V. interpoſita auctoritate Clementiſsima reſtitutæ) noſtræ Reipub. nuperrime ſingulari & innata maxima grauitate emicuit, quæ ſane tanta fuit, vt non ſolum ego, verum etiam omnes Romano-Catholicæ Religioni addicti homines, ſummam iſtam C. V. erga Religionem Catholicam beneuolentiam, ſummis laudibus, humilima gratiarum actione coniuncta, ambabus vt aiunt manibus in cœlum vſque extollamus. Accipiat igitur Reuerendiſsima C. V. ſacros hoſce BARONII ANNALES, Celſitudini Veſtræ iam dudum deſtinatos, hilari ac ſerena fronte: illoſque non ſolum aduerſus Zoilorum ronchos ac venenatos magni liuoris dentes ſtrenue defendat, verum etiam conatus & ſtudia mea in iuuãda Republica literaria, ſibi quam commendatiſsima habeat. Quod ſi ſenſero (de quo tamen nullus dubito) plures certe præſtantes auctores, ad Eccleſiæ Catholicæ augmentationem meis ſumptibus producam, atque meo ab officio, in adiuuandis bonarum literarum ſtudiis, vt hactenus, ſic & indies quoque, minime deſiſtam. DEVS TER OPT. MAX. Reuerendiſsimam atque Illuſtriſsimam Veſtram Celſitudinem ad nominis ſui gloriam atque conſeruationem Eccleſiæ Romano-Catholicæ florentem ac incolumem quam diutiſsime conſeruet, cui vt nouus in Magnificentiſsimam & à V. C. ſplendidiſsime exſtructam arcem, ingreſſus, ſit & permanſurus feliciſsimus optem, idq; ex intimis cordis mei ſuſpiriis: Dabantur Francofurti ad Mœnum, ipſa die ingreſsionis, in arcem, 17. Febr. 1614. qui in perpetuam memoriam. V. C. ſit & eſt fauſtiſsimus.

Reuerendiſſimæ atque Illuſtriſſimæ
Veſtræ Celſitud.

Subiectiſſimus Cliens

IOANNES-THEOBALDVS SCHÖNWETTERVS, patria Moguntinus, ciuis ac Bibliopola Mœno-Francofurtenſis.

SAN-

SANCTISSIMÆ, ET CHRISTIANISSIMÆ ECCLESIÆ GALLICANÆ, EIVSQVE ILLVSTRISSIMIS ET REVErendiſſimis Antiſtitibus, ac cæteris Venerandis ſacri Cleri Ordinibus,

HENR. SPONDANVS *Æternam felicitatem.*

CVm olim in priora volumina præclariſſimi Annalium Eccleſiaſticorum Conditoris, CÆSARIS BARONII, incidens, ingenti cum animi delectatione percurriſſem, & dum alia aliis adderentur, illud ipſum ſtudium eadem voluptate perſequerer; ac demum ſentiens, quæ mihi principio facilem rerum perceptionem exhibebat, memoriam, paulatim earum copia grauatam, vt magis vberem, ſic minus depoſitam ſe præbere; huicque diſpendio meo prouidere quærens, cœpiſſem eadem volumina in priuatum compendium redigere, & diuino auxilio cœptum peregiſſem: Inde proprio exemplo edoctus, quam ſit eorum operoſa lectio, quamque ſui multitudine & magnitudine, non ſolum faſtidioſiores, ſed & maxime cupidos, deterrere poſſet: ac re cum iis, quorum præcipue vel intererat, vel erat de iis iudicare, communicata; iuſſioni ipſiuſmet eorũ Conditoris, & hortationib. aliorũ ſiue cedẽs, ſiue confidens, propoſuiſſem Opus ab aliis quoq; antehac tentatum, à nemine perfectum, ex priuato publicum facere: Iam cui ſatis digne vel accommodate dedicarem, (quandoquidem hanc omni tempore receptiſſimam conſuetudinem prætermittere, vel faſtus eſſe cenſeri poſſet, vel puſillanimitatis) aliquantiſper hæſi. Equidem cum illud elaborarem Romæ, cogitaueram offerre Romano Pontifici; non ſolum quod apud eum partus creſceret, eiuſque munificentia foueretur, dum honeſtiſſimæ Librorum occupationi in eius Bibliotheca Vaticana incumberem; & quod Romanus ego fide & ordinatione ſacerdos, S. R. Eccleſiæ Cardinalis ſcripta tractarem: ſed potiſſimum quod etiam ſi in diffitiſſimis locis fieret, tamẽ cum de rebus & ſcriptis Eccleſiaſticis ageretur, inſiderent in memoria, quę pridem Africanæ Synodi ad Theodorum Papam ſcribentes aſſeruiſſent [a]; nempe, *Ab antiquis regulis ſancitum eſſe, vt quicquid quamuis in remotis, vel in longinquis ageretur prouinciis, non prius tractandum vel accipiendum eſſet, niſi ad notitiam almæ Sedis Apoſtolicæ fuiſſet deductum, vt eius auctoritate iuſta quæ fuiſſet pronuntiatio firmaretur, indeque ſumerent ceteræ Eccleſiæ, velut de natali ſuo fonte prædicationis*

a Extant Synod. epiſt. in Later. Conc. ſub. Mart. Secret. 2.

exordium, & per diuerſas totius mundi regiones puritatis incorruptæ manerent fidei ſacramenta ſalutis, & quæ propius ad rem noſtram Gotifridus, Pantheon ſuum, ſeu Hiſtoriam vniuerſalem, Vrbano PP. III. offerens, præmonuiſſet,[b] *Nullum ſcripturarum elogium noſci eſſe authenticum, niſi à ſacroſanctæ Matris noſtræ Romanæ Eccleſiæ ſapientiæ fluminibus, ſitientibus propinetur: & ideo ſi quod Hiſtoriarum opus noua per aliquem inſtitutione conficitur, rationem ſuggerere, vt antequam in publicum deueniat, Apoſtolico eius examini præſentetur: quatenus ſi acceptione dignum eſſe perpenditur, eius mandato & iudicio approbetur; & ab eo vires auctoritatemque recipiat, cui terrena & cœleſtia diuinitus ſunt commiſſa.* His itaq; de cauſis, cum iſtæc offerenda cogitaſſem Summo & Vniuerſali Chriſtianorum Pontifici; re tamen poſtmodum accuratius conſiderata, vt quæ illi elaborata eſſent, Tibi potius Christianissima Eccleſia, perſoluerentur, ratio viſa eſt poſtulare; non tantum quod apud Te edantur, & Tuis beneficiis promoueantur, dum quę omnibus munifica eſſe conſueſti, mei quoque patrocinium liberaliter ſuſcepiſti; & quod Gallus ego origine & ortu, amantiſſimi Galliarum ſcriptoris volumina euoluam: ſed præcipue quod integrum Opus iam Summo Pontifici ab Auctore primario dicatum fuerit; nec vlla ſit Eccleſia, poſt omnium matricem Romanam, quæ proximius ei ab ipſo initio inhæſerit fide, doctrina, vnitate, dignitate. Tu enim aut prima, aut inter primas, Euangelium ab eo ſuſcepiſti. Et cum reliquæ fere omnes deformiſſima pepererint, fouerintve monſtra hæreſum, quorum ſeruili iugo ceruices ſubmiſerunt, Tu[c] eiuſmodi portenta non habuiſti, ſed viris ſemper fortiſſimis & eloquentiſſimis abundaſti. Cumque ceteræ regiones procliues ad Schiſmata fuerint, Tu[d] numquam aliqua factione fœdata es, nec fabricata es in Eccleſia idolum, aut venerata in Petri Cathedra monſtrum, ſed veris legitimiſque Pontificibus iugiter inhæſiſti. Quippe ſemper Te[e] Deus & agnitione veritatis illuſtrauit, & pedes Tuos à iuſtitiæ tramite nullatenus aberrare permiſit: ſed ſicut omnes, quos ad oppreſſionem Romanæ Eccleſiæ rabida tyrannici furoris prouexit inuidia, virtus altiſſimi manifeſta defecit: ſic omnibus quos deuotio Gallicana ſuſcepit, victoriam ſemper contulit & triumphum. Tu rurſum fide, eadem es hodieq; illa, cuius olim vnus[f] quidem ex Tuis ſanctis Rectoribus, inſignibus prçconiis extulit glorioſæ conſcientiæ incōcuſſam ſtabilitatem, firmam fidelis petrę fundamine domum, intemeratæ voluntatis illæſam imperturbatamq; conſtantiā, innocentem inuiolatamq; religionem, ſanctam & inde mutabilem perſeuerantiam. Et de qua ſanctiſſimus vniuerſalis Rector[g] Eccleſiæ magnifice teſtatus eſt, Sicut magnæ lampadis ſplendor in terræ noctis obſcuritate luminis ſui claritate fulgeſcit, itá fidei Tuæ claritatem inter aliarum gentium obſcuram perfidiam rutilare ac coruſcare. Tu denique vnione cum vero Capite, eadem es illa, de qua Imperator ille Germanus[h] qui nominis ſui fama Orbem perculerat, & fere ſubegerat regna vicina, atq; etiam Imperium Græcorum terrore concuſſerat, vt magis deditionem quam fœderationem legationibus miſsis videretur offerre, qui ſolo verbo pacem gentibus ad arbitrium indicebat & bella, & tam vicinos quam remotiſ-

b Gotifr. Viterb. præf. ad Vrb. PP.

c Hier. aduerſ. Vigil.

d Bern. Bonaual. in Vita S. Bern. Clareual. lib. 2. c. 4.

e Arnulph. Lexouienſ. ad Epiſcopos Angl.

f Hilar. de Synodis.

g Greg. Mag. 5. ep. 6. ad Brunichild. Regin.

h Fridericus Ænobarbus ſunt autem hæc verba epiſt. 139. lib. 1. ep. Io. Saresber. inter epiſt. S. Thomæ Cantuar.

ſimos

ſimos ſolo nutu terrebat: hic, inquam, talis, tantuſque, dolenter conqueri conſueuerat, quod ex eo tempore quo Regem Francorum, & GALLICANAM Eccleſiam ſeparare conatus eſſet à fide, & in ſuam hæreſim peruertere, vt adorarent idolum [i] ſuum, ſucceſſus ſui relapſi eſſent, & qua antea extulerat, in depreſſionem ſuam cœpiſſet fortuna fluctuare. Dum igitur hæc Tibi dedicantur, vtrique ſimul fit abunde ſatis, ac meum votum duplici emolumento compenſatur, quod quaſi Tu vna facta ſis cum Romana Eccleſia, cui adeo inconcuſſa fide & communione adhæſiſti communique Patri, tempeſtatibus hæreticorum vel ſchiſmaticorum agitato, tutiſſimus ſemper portus extitiſti, ac diu Sedem cum ea participaſti. Denique non ea minima ſuppetit facti mei ratio, quod nulla ſit penitus Eccleſia, poſt illam omnium Primam, cuius præclaris geſtis, pugniſque cum inimicis Chriſti, victoriis, atque trophæis, magis illuſtrentur Annales, quam Tuis; nec in qua ita viguerit, florueritve, diuinorum dogmatum puritas, diſciplinæ obſeruantia, morum cenſura, cuſtodia canonum, nitor ſacrorum rituum, peritia ſanctarum artium & ſcientiarum. Hæc enim continet, conſeruatque volumen iſtud, inſtar vberrimi promptuarij, in quo quid ceteræ in te mirentur, imitenturque, copioſiſſime intueantur. Nec Te fœtidæ harpyæ nuper obortæ, quibus triſtius vmquam monſtrum, nec ſæuior peſtis, ab vſque Orbe condito ſeſe Stygijs extulit impuriſſimis vndis, obſcurare vel inquinare potuerunt, quin ſemper appareas candidior [k] niue, nitidior lacte, rubicundior ebore antiquo, ſapphiro pulchrior, ſpecioſior forma præ cunctis gentibus, & multo florentior in Lilijs Tuis, [l] quam Salomon in omni gloria ſua, quamdiu quo hactenus proceſſiſti pede perrexeris, firmiter innixa ſolidę Petræ Petri, eiuſque doctrina fulſeris, vt Sole Luna. Reſtat, vt ſicut Illuſtriſſimus Annalium conditor, more maiorum, Tomos ſuos Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſeueriſſimæ cenſuræ ſubijcere, eoſdemq; probatos, Apoſtolica benedictione veluti diuino quodam ſigillo conſignatos offerre conſueuerat: ita & Tu, CHRISTIANISSIMA Eccleſia, per ſacros Doctores approbatam hanc meam ex latiſſimis eorumdem Tomorum campis collectam in vnum faſcem ſegetem, benedictione Tua confirmes: vt gratum præbeat eſurientibus paſtum, & ſic duplici munimento ſecura, nullis vmquam pateat malignorum morſibus. Quicumque enim hęc ita comprobata maculare voluerit, ſe imperitum, vel maleuolum, [m] vel etiam non Catholicum, non me temerarium, aut fallacem comprobabit.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO D. D. IACOBO DAVY, S. R. E. PRESBYTERO CARdinali Perronio, Archiepiſcopo Senonenſi, Galliarum & Germaniarum Primati, Magno Franciæ Eleemoſynario,

HENR. SPONDANVS perpetuam felicitatem.

OBLATA iam optimo iure vniuerſæ Eccleſiæ Gallicanæ, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Epitome, modo vt Te vnum è cunctis eius Antiſtitibus eligam, cuius ſpeciatim nominis fulgore iſtud qualecumque Opus meum illuſtretur; tum monet ratio inſtituti compendiarij, cum Tu cunctorum os & manus à cunctis exiſtimeris; tum etiam eius conſuetudo, cuius late diffuſos labores vna tabula proponendos ſuſcepi; qui in ſingulis Annalium ſuorum Tomis, priuſquam ipſum purpura ceteris Cardinalibus, quos vel præſtantiſsimos meritis æquabat, æqualem dignitate feciſſet, in more habuit, poſt Summum Pontificem epiſtola nuncupare aliquem ex eis, cuius peculiari patrocinio Tomus ille ſecurior in lucem prodiret. Suadet præterea, quod cum vniuerſa Hiſtoriæ ſeges à Romano Cardinale collecta, S. R. Eccleſiæ primo oblata, à Gallo ſacerdote in vnum manipulum colligata, nobiliſsimæ poſt Primam Eccleſiæ Gallicanæ dedicata fuerit; Tu & dignitate Cardinalis Romanus, & ſede Primas ſis Galliarum. Aliaque plurima, ad hæc eadem ſpectantia, tam priuata, quam publica, prorſus compellunt: nimirum, Arctiſsima Tui cum Illuſtriſsimo BARONIO amicitiæ coniunctio: Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ad miraculum cognitio; qui eius penetralia ſolertiſſime perſcrutatus, quibuſcumque ipſius labyrinthorum ambagibus hæſitantes longe feliciori facilitate expedire conſueuiſti, quam olim filo ſuo Theſeum Dædalicis Ariadna: Ingenij prodigioſum acumen, nō in ijs ſolum elucidandis, quæ licet difficilia, ab alijs tamen eruditiſſimis viris apprehendi poſſunt, ſed in difficillimis quibuſque ac deſperatiſsimis ſacræ Theologiæ, & diuinæ humanæque philoſophiæ quæſtionibus enodandis: Memoria plane diuina, quæ non ad eum vſum modo ſufficiat, ſed in ſtuporem vſque procedat: dum quæ ſemel legeris, vel audieris, quæcumque ea fuerint, vel quantacunque, quouis poſtea tempore legentis modo repræſentas: Verborum, ſententiarumque, vehementiſsima cum iucunda grauitate penetratio, ſiue cominus cum hoſtibus Eccleſiæ decertes, ſiue eminus pugnes: vt non tam verba dicere, quam verbera inferre, non ſtylum exercere, ſed lethalia tela iacere videaris: ſitque omnino neceſſe, aduerſarios præſentes vel obſtupefactos obmuteſcere, vel tremebundos turpiter aufugere, abſentes formidine nominis Tui in tenebris conticeſcere. Sed quis enarrare ſufficiat, qui Tibi ab vniuerſo terrarum Orbe omnium laudum concentus, quæ omnis gloriæ concordia debeatur, de ijs quæ deploratiſſimis hiſce infauſtarum hæreſum & innouationum temporibus, maximo Dei beneficio operatus es in quamplurimorum ſalutem, dum alios in fide auita firmiſsime ſtabiliſti, alios ad eam potentiſſime conuertiſti? An non enim Tu Principem ter illum Maximum, errantem in inuio, in viam rectam reduxiſti, & vna cum eo Patriam tuam ab interitu præſeruaſti, Vrbem gaudio repleſti, Orbi pacem peperiſti? An non Tu Publicos Magiſtra-

*tus, è ſaucibus diaboli abſtractos, Deo obtuliſti; Priuatos homines, atra fallaciarum caligine demerſos, in candidiſſimam veritatis lucem eduxiſti? An non Tu (fidenter dicam) Fidem ipſam Catholicam, non ſolum contra patentes eius hoſtes, ſed & aduerſus eos, qui velut ſinuoſi colubri latenter humi repentes, obliquis eam hæreſibus, & tortuoſis ſchiſmatibus fraudulenter oppugnare ſategerunt, ſartam tectam glorioſiſſime conſeruaſti? Nota loquor: nec verenda orationi quæſitæ aſſentationis ſuſpicio, ſi ex tot nobiliſſimis victorijs, opimiſque ſpolijs, omnium antiquorum trophæorum, triumphorumque excedentibus merita, Tibi iuſtiſſime competere dixero, vt inauditis hactenus omnibus ſæculis titulis, vnus ipſe à cunctis prædiceris Pater Patriæ, Principis, Publicorum, Priuatorum; & longe anguſtiori decore nomineris Clypeus & Gladius Eccleſiæ, Fideique Romanæ, quam olim ſeu Fabius Maximus, ſeu Marcellus, Reipublicæ. Poſſent & his pleraque addi de Tua in rebus agendis, & domi foriſque, & intus extraque regnum, induſtria, ſolertia, vigilantia, quæ nomen tuum apud Pontifices & Principes, in Conſiſtorijs, & Conſilijs, ac Conuentibus, tam Eccleſiaſticis quam ſæcularibus, in Scholis, inter omnes denique nobiles & plebeios, celeberrimum reddiderunt. Sed cohibenda eſt oratio, ne grauitas epiſtolaris in panegyrim diffluat, reddaturque auribus Tuis ipſa moleſtior, quæ iam huiuſcemodi præconijs audiendis ad faſtidium vſque iugiter aſſueuerunt. Haud tamen temperare fas eſt, quin in tot generalium beneficiorum enumeratione, priuatam etiam gratiam omnibus teſtatam faciam; dum & primo frater meus chariſſimus, non infirmi inter literatos nominis, J*OANNES* S*PONDANVS*, *atque inde ipſe Ego, Tua maxime opera diuinitus illuſtrati, ab innata mihi, intincta ei cum infantia, hæretica deceptione, Catholicæ fidei ſinceritati poſtliminio reſtituti ſumus. Vt nemo adeo ſit impius, aut ingratus, qui non me Tibi, quod olim Paulinus Auguſtino, acclamare permittat;* O vere ſal terræ, quo præcordia noſtra, ne poſſint ſæculi errore vaneſcere, condiuntur! O lucerna digne ſuper Eccleſiæ candelabrum poſita, quæ late Catholicis de ſeptiformi lychno paſtum oleo lætitiæ lumen effundens, denſas licet hæreticorum caligines diſcutis, & lucem veritatis è confuſione tenebrarum, ſplendore clarifici luminis enubilas. *At quia omni laude ſuperiora ſunt hæc beneficia, & ſic Tu in ceteris omnibus enites, vt ſi explicare ſingula vellem, vix ad finem poſſet oratio peruenire; ſatis ſit mihi demonſtraſſe, quam non tantum conuenienter, ſed quaſi neceſſario, hoc à me laboratum Opus Tibi dicandum fuerit, & Tuo peracri iudicio ſubijciendum. Quod iterum à veteri cliente in fidem & tutelam Tuam commendatur, vt tanto patrocinio ſecurus, ſeſe aliorum oculis præſentare non erubeſcat. Deumque Opt. Max. oro atque obteſtor, vt qui tot ac tantis animi dotibus Te donauit, largiatur etiam firmam corporis valetudinem, qua facilius quod agis agere poſſis, feliciuſque laboribus inſtes, ac ſemper de Eccleſia, de Republica, de ſacris ſtudijs, de viris pijs & eruditis, optime merearis.*

Apud Au. ep. 32.

Appro-

Approbatio Doctorum.

NOs ſubſignati ſacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis Doctores, legimus & examinauimus hanc Annalium Eccleſiaſticorum Illuſtriſſimi Cardinalis BARONII Epitomen, auctore clariſſimo viro HENRICO SPONDANO: teſtamurque non modo nihil continere, quod aduerſetur fidei Eccleſiæ Catholicæ Apoſtolicæ & Romanæ; eſſeque vtiliſſimam tum ad omnes hæreſes confutandas, & Orthodoxam doctrinam ſtabiliendam, tum ad mores auitæ pietatis exemplo probe informandos: verum etiam, quam ſibi laudem propriam vendicat, quæcumq; ad rerum in Eccleſia geſtarum notitiam ſpectant, ita breuiter ſimul, dilucide, & accurate complecti, vt omnibus hiſtoriæ ſtudioſis vice Magni Operis eſſe poſſit: proindeq; dignam iudicauimus, quæ in communem omnium vtilitatem euulgetur. Datum Lutetiæ Pariſiorum die 8. Ianuarii, anno Chriſti 1613.

A. DV VAL. CL. BERTIN.



DE ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO CARDINALE BARONIO ANNALIVM ECCLESIASTICORVM CONDITORE.

CVM Imaginem celeberrimi viri CÆS. BARONII, quam è regione conſpicis, ad viuam ſimilitudinem effigiari curaſſem, quo in ipſo præſentis ædificii veſtibulo primarius eius architectus dignoſceretur; fuerat etiam animus, aliquod Vitæ, Laudumque elogium, vel alias addere ſiue ſcriptiones in eius honorem dum adhuc in viuis eſſet editas, ſiue laudationes funebres poſt obitum habitas. Sed vt à priori deſiſterem, fecit quod cum vulgo acceptum ſit, eam veram eſſe laudem quæ fit à viris laudatis, haud ego mihimet ipſi tanti ſim, vi digne aliquid de tanto viro dicere poſſe præſumam; nec ſatis fuerit rerum cognitionis, vt perfecte Vitam deſcripſiſſe aſſeuerarem: quam & audio, gaudeoque, à viris antiqua ſocietate fratribus, continua familiaritate intimis, parari: nec enim paruæ molis eſt eam pro dignitate condere. A poſteriori, quod & iis nimium inſit verborum, vt Epitomæ præponantur, & non ſatis conuenientis diſpoſitionis, vt affatim inſtituto meo ſatisfaciant. Vno verbo ſufficeret dicere, BARONIVS EST. Hoc prolato nomine, prædicaſſem ſatis. Sicut enim de Demoſthene locuturus aliquando Valerius [a] Maximus, quantus is fuiſſet breuiter demonſtraturus; *Cuius* (inquit) *commemorato nomine, maximæ eloquentiæ conſummatio audientis animo oboritur*: ita audito BARONII nomine, Hiſtoriæ Patrem, conſummatiſſimum Annalium conditorem, mox ſibi quiſque repræſentauerit. Quis enim vel hæc vocabula norit & Baronium non norit? At qui Hiſtoriam, & Annales dixit, omnia dixit, cum omnia in Hiſtoria vel Annali conſiſtant & comprehendantur.

Sed ſi iſta externa, cunctis patentia, ſuffecerint ad immortalem viri laudem; quid ſi virtutes addantur internæ, quæ ipſum immarceſſiblis gloriæ feliciſſimum poſſeſſorem reddiderunt? Prolixa laudatio eſt, quæ non quæritur, ſed tenetur. Certe quod homines ipſum nouerunt, tot fuerint præcones eius immenſæ pietatis in Deum, piæ venerationis in Sanctos, ac præcipue in Sanctorum Reginam, & Principes Apoſtolorum; ardentis charitatis in proximos, humilis reuerentiæ in ſuperiores, ſinceræ amicitiæ in æquales, beneuolæ humanitatis in inferiores, modeſtæ hilaritatis in rebus ſecundis, fortis patientiæ in aduerſis, firmæ in omnibus cæleſtis præſidii fiduciæ, & ſtabilis cum Dei voluntate conſenſus; perfecti denique contemptus ſui, mundi, diuitiarum, honorum, dignitatum; ignitique deſiderii rerum æternarum, ac iugis earum meditationis, & continuorum ad eas vel violenter rapiendas certaminum, vigiliarum, ieiuniorum, eleemoſynarum, orationum, ciliciorum, diſciplinarum; eo quidem difficiliorum, quo ſecretiorum: quippe laborum mercedem non quærebat auram humanam, ſed gratiam diuinam; non gloriam terrenam morabatur, qui citiſſimo gradu ad cœleſtem properabat.

Siquis autem Annalium lectioni aſſueuerit, an non gratias ei ſummas egerit de Apoſtolicis Traditionibus, & Ritibus Eccleſiaſticis dilucide explicatis; ſacris Synodis egregie illuſtratis, SS. Martyrum, Confeſſorum, Pontificum, Eccleſiarum, Doctorum, &c. rebus geſtis apte diſpoſitis, quamplurimis optime notæ, venerandæ antiquitatis additis monumentis in lucem editis, hæreſibus confutatis, Eccleſiæ Catholicæ doctrina & auctoritate ſtabilita? eiuſdemque in his exequendis extulerit peritiam diuinæ & humanæ ſcientiæ, elegantiam dictionis, fidem narrationis, iudicium ſelectionis, modeſtiam in reprehendendis aliorum Scriptorum erroribus, prudentiam in ſua confirmanda ſententia, æquanimitatem in hæreticis refellendis & ſchiſmaticis inſectandis, ingenuitatem in Catholicorum vitijs nec contegendis nec excuſandis? Et iſta non in vno duntaxat vel altero volumine, ſed in cunctis Duodecim illis prægrandibus Tomis vbique ſpirare perſpicias: quos vere dixeris tot Lapides [b] de abyſſis anti-

a Val. Max. lib. 8. c. 7.

b Ioſue 4.

quitatis extractos poſt tranſmiſſos magno miraculo cum ſacra ſarcina ſicco veſtigio turgentes eius vortices; eoſdemque ad memoriam ſempiternæ eius gloriæ, in caſtris Eccleſiæ ſublimes collocatos.

Dixerit hæc quidem aliquis de eo: at quamuis magna illa quibuſdam videri poſſint, parua tamen fuerint præ merito viri. Eiuſque virtutibus, & laboribus commendandis, non me ſolum, ſed quemuis eloquentiſſimum ſemper fore imparem, ſat magnum ſit argumentum, quod non tantum amici, ſed & ipſi inimici, niſi quibus eſt cor ferreum, & lingua viperea, ſe cum ſuſpicere, & ducem ſequi profiteantur, nec niſi cum laude & honore nominare conſueuerint. Quis autem vnus eum digne laudare præſumpſerit, cuius laudatio in ore omnium eſt, nec ſatis laudari omnes excuſent? Sed quod his exiſtimem Lectores potius allici ad res eius penitius cognoſcendas, quam dictorum ſatietate faſtidiri: vt eorum appetitioni aliquo modo ſatis fiat, interim dum eius integra Vita à peritioribus pictoribus ſuis omnibus coloribus exornatur, leui quædam ego manu lineamenta breui tabella adumbrabo; ſiue ea ex ipſiuſmet, vel aliorum [c] de eo ſcriptis deprompta, ſiue ex iis quæ vidi ipſe Romæ, vel certa relatione à viris fide dignis percepi.

c Oratio funebr. Mich. Ang. Bacery Congreg. Oratory presb.

Natus eſt BARONIVS Soræ in Campania anno Chriſti M. D. XXXVIII. tertio Calendar. Nouembris, familia honeſta quidem illa, & mediocris fortunæ, ſed non tam ſæculi nobilitate, quam antiqua pietate commendanda; quippe cuius ipſemet [d] monumenta donationum ante trecentos & quadringentos annos monaſterio Caſæmarii, ſeptimo milliario Sora diſtanti factarum à Leonardo & Gregorio de Barono, recenſet: monetque familiam ſuam ita vſque ad ſuam ætatem de Barono dictam, primo ſe deriuaſſe in Baronium more Romano. At quot ſunt huius ſæculi, non ſolum nobiliſſimi viri, ſed illuſtriſſimæ familiæ, quæ ingenti pretio redimere talem proſapiæ ſuæ antiquitatem oſtentare poſſe, eamdemque eiuſmodi pietatis inſignibus nobilitatam? Sed abſit vt præterquam in Domino [e] gloriatus ſit Baronius, in ipſa vera nobilitate quam per adoptionem in filiorum Dei familiam cooptatus, feliciter eſt conſecutus.

d Annal. To. XI. an. 1010. nom. XI.

e Epheſ. 2.

Adoleſcens, poſtquam optimis inſtructus artibus & diſciplinis, relictis patria & parentibus Romam venit, diuinoque impellente numine B. Philippo Nerio, Congregationis Oratorii fundatori, ſe tradidit ſanctis inſtitutionibus informandum; eiuſdem eximiarum virtutum præclara exempla, quæ admirari ſatis non poterat, imitari pro viribus ingenti cum fructu conatus eſt. Et exinde totos tres annos aſſiduis precibus à Deo flagitare non ceſſans, quam vitæ rationem amplecti ſe vellet, oſtenderet; vt primum à Philippo diuinitus illuſtrato, certo cognouit, eam eſſe Dei voluntatem, vt Eccleſiaſticam vitam in ſæculo amplecteretur, continuo ſacris Ordinibus initiatus, eiuſdem tunc enaſcentis Congregationis alumnus effectus eſt. Et ne animus vllo vmquam propriæ voluntatis vento ad extranea quæcumque circunferri valeret, amantiſſimo Patri in omnibus obedire, perpetui voti ſponſione firmauit: & quod promiſit, adeo impleuit, vt nihil aggrederetur, in quo Philippum & ſuæ conſcium voluntatis, & ductorem operis non haberet; eius autem exequendis mandatis tam paratus eſſet, vt obtemperare prius ipſe, quam Philippus imperare videretur.

Tanta fuit erga ſe in iis quæ ad corpus pertinent ſeueritate, vt vel grauiſſimis defeſſus laboribus nunquam ad ſatietatem, vix ad neceſſitatem, ſomnum caperet; & quatuor tantum, aut quinque ad ſummum contentus horis, reliquam noctem orationibus ac ſtudiis impenderet. Perpetuam ſeruauit in cibo potuque parſimoniam, ne iis grauatum corpus curſui perficiendo præpeditius eſſet. Vrbis Xenodochia mane ac veſpere adeundi conſuetudinem, per nouem continuos annos adeo ſine vlla intermiſſione ſeruauit, vt nec febre quidem laborans ab ea vmquam deſtiterit; in qua illi non raro diuinitus accidit, vt deinde domum bene valens reuerteretur. In audiendis confeſſionibus & ſermonibus ad populum ter in hebdomada quaterue habendis, per triginta & amplius annos, diligentiſſima aſsiduitate laborauit. Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium ſumma religione quotidie celebrauit. Baſilicam Principum Apoſtolorum ſingulis diebus tam conſtanti perſeuerantia per multa annorum curricula viſitauit, vt ab eo pietatis officio, nec æſtatis ardoribus, nec hiemis frigoribus, nec ventorum aſperitate, nec pluuiarum exundantia retraheretur. Ad quæ tanta fortiter exequenda, non male quadrabat ſtatura & compoſitio corporis, quæ ei diuinitus nec gracilis nimis, nec obeſa, ceteroqui longa & robuſta obtigerat.

Quod autem ad lucubrationes attinet, teſtatur ipſe in gratiarum [f] actione ad B. Philippum, quam Annalium tomo VIII. præpoſuit, ſe eiuſdem Philippi iteratis ſæpe iuſsionibus eas aggreſſum eſſe, inuitum licet ac renitentem, propriis diffiſum viribus; ſuſcepiſſe tamen, tamquam diuino obſequentem imperio, quo quidem Philippus exæſtuans zelo Eccleſiæ laborantis, vbi mente prophetico afflata ſpiritu, vidit è portis inferi in Eccleſiæ detrimentum progreſſas eſſe CENTVRIAS ſatanæ, ex aduerſo conſurgens pro domo Iſrael præliaturus prælia Domini, non maiori, vel pari ſaltem numero militum, decernendum putauit, ſed ipſum elegit BARONIVM, quem vnum tot obiiceret hoſtibus; Et cum ex conſuetudine [g] eius Congregationis, ſingulis diebus, pomeridianis horis, ſermones quidam haberi ſoleant, quibus non illo ſublimi dicendi genere, quod in ſacris concionibus adhiberi ſolet, ſed aliquando ſubmiſſiore, ac magis ad permouendos audientium animos accommodato, res cominus quaſi ex æquo loco cum vnoquoque agi videatur; illud Philippus ſymbolum à Baronio exegit, vt res geſtas Eccleſiæ in medium afferret; adeoque adſtitit operi, vrſit præſentia, inſtitit verbis, & durus quaſi diurni

f Annal. To. VIII. in præfat.

g Epi. nuncup. ad Sixt. V. PP. To. I. Annal.

penſi

penſi extitit exactor, vt quamuis ei adhuc alij ad ſuſceptum munus negotiorum faſces imponerentur, cura videlicet animarum, publicum de ſuggeſtu miniſterium Verbi Dei, præfectura domeſtica, præter alia quamplurima, quæ inopinate & importune moleſtiores quotidie ingererent interuentores: tamen nemine penitus collaborante, ſex luſtris ipſa integra Eccleſiaſtica Hiſtoria fuerit ab eo ſepties ordine temporum in Oratorio repetita. Indeque primo proceſſerunt NOTATIONES illæ ad Romanum Martyrologium, tamquam velites inſtructiſſimæ ANNALIVM aciei: quæ lentiori, ſed fortiori gradu ſubſequens, in oppoſitos hoſtium cuneos tanto impetu irrupit, vt facilius eos, quam aranearum telas diſiecerit ac diſſipauerit.

Sed quænam ille ex his victoriis trophæa, quoſue triumphos aucupabatur? quanam ferebatur præceps gloriæ & honoris cupidine? Audi. Confeſtim vt ſacerdos factus eſt, antequam ad vllum dignitatis gradum proueheretur, votis nuncupatis, & iteratis, (teſtem ipſemet appellat Deum, hæc ſcribens [h] ac Clementem PP. VIII.) ſæpe firmauit, in priuato illo ſimplicique vitæ genere optime inſtituto, bene præcinctum mundi contemptu & expeditum, vſque ad obitum permanere. Itaque licet ab eodem Pontifice, Protonotarius Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, ex primo ordine eorum qui Numerarii dicuntur, creatus, eam dignitatem, inſtituto quidem Congregationis non plane alienam, at voluntati incongruam, quibus potuit modis à ſe repellere laborauerit: tamen cum inde ſe ad ſplendidiſſimum Cardinalatus fulgorem vocari ſenſit, non ſolum tunc precibus, obteſtationibus, lacrymis, eo illuſtrari conſtantiſſime recuſauit; ſed & publicis poſtea querelis [i] apud eumdem expoſtulauit, quod cum à præcedentibus Pontificibus, qui ſe à priuatæ vitæ tutiſſimo portu abſtrahere non ſemel voluiſſent, quam deprecatus eſſet, obtinuiſſet honorum immunitatem, iam ipſum Clementem, quo amantiorem, eo violentiorem expertus eſſet, cum per eius cubicularios ſeorſum abreptus, clauſuſque, ac vix tandem vt audiretur admiſſus ad conſpectum Pontificis, poſt ſuam defenſionem, ab eo reſponſum illud vnum accepit, quo robuſta voce diram anathematis protulit ſententiam, ſi amplius reſiſteret, & niſi penitus acquieſceret. Nimirum ſciebat Clemens, mereri Baronium negando, quod eſſe nolebat; eoque digniorem eſſe, quo ſe profitebatur indignum, quippe quem etiam, ob probatiſſimam vitæ integritatem, eximiamque Theologiæ peritiam, & Caſuum conſcientiæ (vt vocant) practicam cognitionem, delegerat, cui ſecreta conſcientiæ ſuæ Sacramentali confeſſione aperiret, ac patrem ſuum ipſe Pater Patrum conſtituerat. Eius autem territus erumpente è cœlo tonitru Baronius, pugnantibus in eius animo in inuicem propoſitæ vitæ humilitate & obedientiæ ſublimitate: vicit tandem iſta, nec potuit ipſe non manus dare, qui ſe proſtratum cernebat timore fulminis æternæ damnationis, qui ſi licuiſſet, retraxiſſet eas, ſicuti Zara [k] olim, dum è materno vtero progreſſurus, vbi ſe altera manu vinctum coccino ſenſit, eam retrahens vterum repetiit, malle ſe non naſci ſignificans, quam vinctum purpura progredi. Nec tunc temporis dumtaxat, ſed & frequenter poſtea ab ipſo Pontifice enixis precibus flagitare non ceſſauit, vt ſibi liceret ad priſtinum priuatæ vitæ ſtatum regredi. Creatus eſt autem S. R. E. Cardinalis, anno ætatis ſuæ LVIII. Chriſti M.D.XCVI. Nonis Iunij.

[h] [illegible]
[i] Ibid.
[k] Gen. 38.

In ea dignitate, nihil de priſtinis ſtudijs, ac priuatis laboribus remittens alijs quoque grauiſſimis ſuperimpoſitis pro honoris onere vacare coactus eſt: non ſolum à Pontifice in omnium fere præcipuorum negotiorum conſilium ac participationem vocatus, ſed & in diuerſas Illuſtriſſimorum Cardinalium ſacras Congregationes cooptatus, ac præcipue Eccleſiaſticorum Rituum, quorum ipſe ſcientiſſimus eſſet, ac Typographiæ Vaticanæ, edendis SS. Patribus erectæ, cuius ad ipſum potiſſime cura ſpectaret, ob nobiliſsimum munus Bibliothecarii Apoſtolici, à Clemente PP. ei concreditum, quod nonniſi Cardinali eruditiſsimo & ſapientiſſimo tribui ſolet. Interim vero nihil ipſe ſibi aut ſuppellectili elegantiori, aut menſa lautiori, aut vita delicatiori indulgens, ſed in antiqua perdurans ſimplicitate, & in ſeipſum ſeueritate: gratia, qua pollebat apud Pontificem, vtebatur ad aliorum vtilitatem: & quod ab eius liberalitate percipiebat in ſumptus alimentorum, non tam in familiæ ſuæ (modicæ quidem, ſed modeſtiſſimæ) ſuſtentationem impendebat, quam in ſubleuandis exterorum neceſsitatibus, aut piis erogandis ſeu publicis ſeu priuatis eleemoſynis largiebatur: in quibus eo liberaliorem in ceteros ſe præſtitit, quo ſe frugaliorem ſibi ſuiſque exhibuit. Hanc enim effuſa largitate, non ſolum obuiis quibuſcumque miſericordiam impertiuit, verecundis ſecreto ſuccurrit, plurimos certis menſtruis ſtipendiis fouit, Virginibus Deo dicandis ſacras dotes conſtituit, Religioſorum cœnobiis victum ſuppeditauit, peregrinos humaniter hoſpitio excepit: Puerorum, quos Literatos vocant, & Puellarum, quæ Diſperſæ nuncupantur, patrocinium ſuſcepit: ſed & SS. Martyrum Nerei & Achillei Eccleſiam, quæ ipſi in Titulum vna cum dignitate Cardinalatus tributa fuerat, penitus collapſam reſtituit: S. Gregorii Magni baſilicam, cuius in Vrbe exiſtens Abbatia ei collata à Clemente paulo ante obitum fuit, inſigniter exornauit: S. Siluiæ, eiuſdem Gregorii matris, Memoriam primitus erexit: religioſis Franciſcanæ familiæ Fratribus, quos vocant Capuccinos, Soræ in ſolo patrio monaſterium extruxit: aliaque eiuſmodi quamplurima variis locis præſtitit, quibus alterius cuiuſuis longe locupletioris facultates ſufficere poſſe, haud facile aliquis ſibi perſuadere valeat.

Quænam igitur merces tot nouis laboribus, quod præmium recentibus iſtis operibus debebatur? At vt qui in pauca [l] inuentus eſſet fidelis & prudens, ſupra multa conſtitueretur, & qui iam cumulatiſsimus eſſet, non in Vrbe tantum, ſed etiam in vniuerſo Orbe, honore, gloria,

[l] Matth. 24.

 bene-

Digitized by Google

benedictione; demum in ſupremo & Vrbis & Orbis throno collocaretur, ac ſuper omnia bona
Domini, vniuerſamque eius familiam conſtitutus, diuideret ſingulis cibum in tempore? An hæc
forte ipſe expectabat, & in huius ſpem meſſis ſementem ſuam ſeuerat? Immo contra, adeo vel iſtud
vmquam ſomniare exhorruit, vt etſi in dignitatibus in ipſum breui tempore coaceruatis, nihil pe-
nitus agnoſceret, quod humana ſibi vendicare poſſet induſtria, ſed totum tribuendum eſſet diui-
næ prouidentiæ; tamen cum ex præteritis futura conſiderans, ſibi timere inciperet; ne & aliquan-
do ad ſummum culminis Pontificii gradum, cui iam ſe vno proximum cerneret, inuitiſſimus licet
raperetur: plurimis cernens exemplis, iſtiuſmodi faſce omnes ſanctiſſimos viros nimium prægra-
m Iob. 9. uatos, & curuatos eſſe pondere [m], quo portant Orbem: vt ſaltem quantum in ſe eſſet, huic ſatis
probabiliter imminenti periculo occurreret, totumq; quod forte contingere poſſet, eidem diui-
næ relinqueret prouidentiæ, cui ſe in omnibus concrediderat: ſubito Cardinalis factus, voto ſe
Deo obſtrinxit, nihil vmquam facturum, quo viam ſibi ad illud culmen patefaceret. Illudque po-
ſtea adeo ſeruauit, vt potius quiduis egerit quo ſe illa intercludi poſſe exiſtimauit: ac præcipue
dum non ſolum non Regum ac Principum, nedum aliorum, ſibi gratiam conciliare ſtuduit, ſed
potius in Eccleſiæ Rom. diuina ac legitima auctoritate, iuribuſque, aduerſus quoſcumq; plurimo-
rum conatus defendendis, nihil vmquam tacuit aut diſſimulauit, quin & verbis & ſcriptis inui-
ctum ſe ſemper inani timori, & vanæ ſpei exhibuerit. Et ſciunt qui vel rebus geſtis interfuerunt,
vel auditu perceperunt, (vt nihil iam aliud apertius dicam) quantum hic eius veritatis amor ob-
fuerit eiuſmodi ipſius promotioni; cum poſt Clementis ad Deum tranſitum, congregatis in v-
num ex more ſacri Collegij Patribus, vt digniſſimo Pontifici dignum ſucceſſorem ſubſtituerent,
omniumque ferme in vnum BARONIVM votis intentis, paratiſque; impedita eſt quorundam ſub-
reptitijs conatibus, quæ tam glorioſa electoribus, tam grata vniuerſo Orbi fuiſſet tanti viri de-
lectio. Cum & alioqui per viginti continuos dies, maxima parte in eiuſdem nominatione, inuſi-
tata prorſus, dixerim, animi obſtinatione, immobiliter perſtante, nullis vmquam ipſe, quam-
tumuis inſtantiſſimis vrgentium amicorum ſe publicis ſeu priuatis rationibus aut perſuaſioni-
bus, induci potuerit, vt aſſentiretur huic illorum de ſe iudicio. Quinimmo qui non ipſe ſecre-
to egit, vt eum conſenſum diſſolueret? Quod autem eius gaudium, quanto ſe ab eo periculo,
quod omnium maxime formidabat, diuino auxilio liberatum vidit? Quæ ipſius iubilatio, & cum
amicis congratulatio, poſtquam ab eo ergaſtulo erutus, aperta luce potuit cum iis confabu-
lari.

Sed quid accidit? Nondum elapſus menſis, cum præmaturo Leonis XI. obitu interuenIente,
decidit hic noſter in Scyllam, qui adeo lætabatur de vitata Charybdi. At hæc nō aliis, quam ipſius-
met verbis referenda: quæ cum publice, & ad ipſiſſimos illos, inter quos, & à quibus res geſta eſt,
in ipſo vitæ ſuæ limine conteſtatus ſit, non ſolum nulli poſſunt mendacii ſuſpicioni ſubiacere, ſed
& longe ampliora de viro candidiſſimo & modeſtiſſimo ſentiendi anſam præbebunt. Sic enim lo-
n Annal. To. XII. in f. quitur [n]: *Abſolutus eſt præſens Tomus* (nempe Duodecimus) *cum Pontifex Romanus creatus eſt Paulus*
PP. V. cui ipſe dedicandus, pro tanto munere Deo immortali perennes gratiarum contineat actiones, quæ acceſſio-
nem accipiant tamquam ex inundante torrente maiorem, quod in his à Deo ingentia ſim valde beneficia conſecu-
tus, ereptus è ſummis periculis imminentibus. Nam è profundo maris abyſſo horribili tempeſtate iactati, cum iam
o Act. 27. *incidiſſemus* [o] *in dithalaſſum, ipſa adhuc naufraga ſpe; Dei ope adoptatum littus, vna cum Paulo, in ſalutem Vrbis*
& Orbis euecto, ſalui tandem emerſimus. Quamobrem partus hic ipſe noſter, præſens Annalium Tomus, qui ob
p Gen. 35. *multiplices parientis ærumnas pene interitu pereuntis,* [p] *Benoni, filius doloris mei, fuerat nuncupandus: ſubita re-*
rum mutatione in contrarium facta, mutato quoque nomine, ſicut & rebus, erit Beniamin, dexteræ filius nomi-
q Pſal. 105. *nandus; Paulo noſtro tam in dextera collocato. Quis loquetur* [q] *potentias Domini? auditas faciet omnes laudes e-*
r Pſal. 92. *ius? Mirabiles* [r] *vidimus elationes maris: mirabilis apparuit in altis Dominus. Qualis tunc rerum facies? quam*
terra horrida, & formidabilis? Qui tunc æſtus mei, cum adeo violenter, licet amicis flatibus abreptus, ferrer in Syr-
s Pſal. 68. *tes, è quibus haud facilis eſſet emergendi facultas? Laborauit* [s] *clamans, raucæ re ipſa tunc factæ ſunt fauces meæ,*
t Pſal. 143. *exclamans ad Omnipotentem, Dauidicum illud* [t]*, Mitte manum tuam de alto, libera me de aquis multis. Cun-*
ctiſque euadendi remediis deſtitutus, tædio vitæ grauatus ſupra modum, vltra vires, in illa ærumnoſa cum Iere-
u Ierem. 15. *mia erupi ſæpe lamenta* [u]*; Væ mihi mater mea, quare me genuiſti virum rixæ, virum diſcordiæ in vniuerſa terra.*
Cum vero his tenerer vallatus anguſtiis, & à Deo tantum, qui eſt ſolus omnipotens, præſtolarer auxilium: ecce ſta-
tim ex inſperata cataſtrophe, facta eſt rerum repentina, ſicut & admiranda mutatio. Excitatus namque tamquam
x Matt. 8. *dormiens Dominus clamore ſuorum, qui laborantes erant in remigando, feſtinus exurgens, imperauit* [x] *vento &*
mari, & facta eſt tranquillitas magna: atque dicto citius miro conſenſu omnium, ecce prouehitur Paulus, tam-
quam è maris ereptus tempeſtate ſaluus, in Cathedram Petri. Hæc, & alia nonnulla de ea conflictatione Ba-
ronius: ex quibus abunde intelligitur, & quam ipſe horreret tantum thronum, Angelis ipſis
reuerendum, conſcendere, & quam ardentiſſimo cuperet deſiderio, vt digniſſimus in eo ſederet
loco Petri. Quod certe nemini conuenientius potuit accidere, quam Paulo, qui hodieque felici-
ter Eccleſiam regit, detque ei Deus videre dies Petri.

Nimirum quod dicebamus optari Baronio ab omnibus, vt qui in pauca fuiſſet prudens &
fidelis, conſtitueretur ſuper vniuerſam familiam, optauit hoc ipſe aliis relinquere, quos ad ci-
bum diuidendum ſe aptiores exiſtimauit, ſibique partem illam benedictionis Domini citius
y Matt. 24. 25. impertiri concupiuit [y] *Intra in gaudium Domini tui*: quam & alij poſtea ſuis temporibus con-
ſequerentur. Etenim qui certum obitus ſui tempus tredecim ante annis, ſingulari Dei bene-
ficio, prænouerat, (cum videlicet ipſi in deſperato morbo conſtituto, bis terue in ſomnis a-

pertiſſime oſtenſus eſt numerus L X I X. & in oratione de eius ſignificatione adipiſcenda, firma infuſa eſt diuina inſpiratio, cum eſſe numerum annorum ſuorum : quem & ideo in multis ſuis libris, aliiſque ſchedulis, notatum reliquit, & aliquando nonnullis amica ſibi familiaritate coniunctioribus ſecreto declarauit :) qui igitur huic reuelationi adeo confidebat, vt etiam in principio ac fine Tomi ſui Duodecimi, qui necdum cum ipſe obiit plene editus erat, deficiente adhuc Indice, diſertiſſimis verbis, exitus ſui imminere diem publice prædixerit : quamquam & abſque illa, ſic ab ineunte ætate, ex optima diſciplina Chriſtiana, laborioſiſſime ab ipſo culta, diſpoſitus eſſet, vt extremum illum diem ſemper meditari conſueuiſſet, ita vt non in mente ſolum, ſed etiam in ſigillo quo literas obſignabat, mortis imaginem retineret impreſſam, & quicquid audiret, quicquid loqueretur, quicquid ageret, perenni mortis, iudiciique meditatione condiret : Tamen vbi tempus reuelationis appropinquare conſpexit, vt ad mortem nonniſi paratiſſimus accederet, poſtquam ingreſſus eſt annum ætatis L X I X. ſingulis diebus ſpiritum ſuum Deo Optim. Maxim. quaſi quotidie moriturus commendare cœpit, & ſacroſancto Miſſæ ſacrificio ſanctiſſimam Euchariſtiam tamquam pro viatico ſuſcipere, timens ne ſubito forte caſu præriperetur Accedente vero tandem expectatiſſima die, cum corporis viribus ob diuturnos labores, & inediam, penitus exhauſtis, iaceret in lectulo perpetuam illam cogitans æternitatem, audito cum ingenti reuerentia ſacro, ſacramentiſque omnibus more Chriſtiano & Catholico pie ſuſceptis, intentis in cœlum oculis, & dulciſſimum nomen I E S V identidem repetens, poſt diem feſtum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ſub eorum patrocinio, quos impenſiſſimo ſemper ſtudio coluerat, integerrimis ſenſibus, placidiſſimoque vultu, adeo vt vix tranſitus à circumſtantibus perceptus fuerit, obdormiuit in Domino, prid. Calend. Iulii, anno Redemptoris M. DC. VII. ætatis ſuæ LXIX. nondum expleto.

Exenteratus (quamquam contra ipſius prohibitionem) interiora omnia ſana præbuit & integra, præter ſtomachum qui adeo tenuis inuentus eſt, vt etiam quibuſdam locis findi inciperet : vnde orta ei inappetentia illa, & faſtidium cibi, quo laborauit ferme per annum. Decreuerat autem olim ſepeliri in Titulo ſuo SS. martyrum Nerei & Achillei, vbi putam ac ſimplicem tumbam ſibi parauerat : ſed poſtea perſuaſus à Patribus Congregationis Oratorii, conſenſit tumulari in eorum eccleſia S. Mariæ & S. Gregorii de Vallicella, in qua & dulciſſimi in Chriſto parentis, B. Philippi ſacræ reliquiæ conditæ eſſent : ibique corpus eius honorificentiſſime conditum eſt à chariſſimis fratribus, incluſum primo capſæ cedrinæ, hacque intra plumbeam, & iſta demum intra ligneam communem recondita; quippe cum talis mors eius fuerit, quæ bene anteactæ vitæ cumulate reſponderit, haud dubitarent eum in cœlis præmium recepiſſe, quod eius optimis virtutum meritis debebatur, futurumque vt corpus eius in terris ſit venerationi, cuius anima in beatiſsima illa cæleſtium animorum patria requieſcit. Honeſtiſsimo funere elatus eſt, adſtante toto fere ſacro Cardinalium Collegio & aliorum plurimorum Antiſtitum venerando cœtu ; accurrenteque infinita populi multitudine, vt quem viuentem adeo ſuſpexiſſent, mortuum etiam honorarent, immo & certatim quicumque appropinquare corpori poſſent, auido tactu demonſtrarent, qualem de eius ſanctitate opinionem concepiſſent. Appoſitum denique eſt eius ſepulchro Epitaphium, commune ei cum Illuſtriſsimo Cardinale Taruſio, eiuſdem olim Congregationis presbytero, qui poſt eum obiit, ætate licet multo prouectior ; vt quorum animi adeo in vita coniuncti fuiſſent, vt ipſum Baronius in Gratiarum [a] actione de vtriuſque eadem die Cardinalitia creatione, ad Clementem Papam, alterum ſe, ſuumque vnanimem vocauerit, (quem & de virtutibus Apoſtolicis, formaque antiquæ probitatis laudat) æque poſt obitum idem tumulus vtriuſque corpora contineret. In quem ſenſum compoſitum Epitaphium, ſic ſe habet ; *D. O. M. Franciſco Mariæ Taruſio Politiano, & Cæſari Baronio Sorano, ex Congregatione Oratorii S. R. E. Presbyteris Cardinalibus, ne corpore disiungerentur in morte, quorum animi diuinis virtutibus inſignes, in vita coniunctiſſimi fuerant, eadem Congregatio vnum vtrique monumentum poſuit. Taruſius vixit annos L X X X I I. menſes I X. dies X I V. obiit I I I. Idus Iunii M. V I. C. V I I I. Baronius vixit annos L X V I I I. menſes V I I I. obiit prid. Calend. Iulii M. V I. C. V I I.*

a Epiſt. nuncup. To. VII. Annal.

Poſſent prædictis multa alia adtexi, ſiue in laudationem tanti viri, ſiue in defenſionem à quibuſdam eius obtrectatoribus. Sed dum ex ſuperioribus, cum ſint omnibus notiſsima, etiam me tacente digniſsimus appareat qui ab omnibus laudetur, maledicos illos hic non moror, qui nihil aliud ſciunt quam cornicari, cum & inferius [a] ſit mihi cum illis opportunior colluctatio. Sat modo ſit, neminem vnquam extitiſſe adeo ſanctum, adeo prudentem, adeo doctum, qui non multa eiuſmodi exceperit ſpicula à ſimilibus Momis, Nocte matre & Somno patre progenitis ; cum nec Chriſtus Dominus, nec Deus ipſe Trinus & Vnus, ab iis immunes fuerint, ſint, futurive ſint. Verum, ſicut ait Rex ille magnus, Propheta maximus, qui iis ſufferendis & contemnendis diutius aſſueuerat, *Sagittæ* [b] *paruulorum factæ ſunt plagæ eorum, & infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum.* Itaque finem huic ſcriptioni apponam, ſi prius extrema iungendo primis, hoc vnum dixero, B A R O N I V M prudentiſsimum Hiſtoriæ tractatorem, etiam omnium maximam inde vtilitatem conſecutum eſſe, quam Iornandes Gothorum Epiſcopus, & rerum geſtarum ſcriptor, in fine commentarii de Regnorum ac temporum ſucceſsione, perbelle admonet, ex hiſtoriarum lectione percipi debere, nimirum vt mundi huius prauitates & ærumnæ, quibus indeſinenter voluitur & inuoluitur, eum nos contemnere penitus

a In præfat. ad Lector.

b Pſal. 63.

debere, & odio proſequi perſuadeant : tantumque ex iis profeciſſe, vt contemptu terræ lucratus ſit cœlum : ideoque omni omnium hominum laudatione ſuperiorem eſſe, cum iam depoſitis Fide & Spe, videat ac fruatur iis, quæ [c] oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, ſola ardens Charitate, quæ non ſolum numquam excidit, ſed etiam viſione ac fruitione immenſum augetur. Vnde & firma nobis fiducia accedat, quod cum alios omnes, vniuerſamque Eccleſiam, tum peculiari fauore eos, qui ſibi familiariter in hoc mundo noti fuerunt (inter quos & indigniſſimum me fuiſſe, æternum gloriabor) apud Deum precibus protegat ac defendat, ac tandem ab exilio hoc miſerrimo ad feliciſſimam patriam pertrahat. Amen.

c 1. Cor. 2. & 13.

PRÆFA-

PRÆFATIO AD PIVM ET CATHOLICVM LECTOREM, DE ANNALIBVS BARONII, ET EORVM PRÆSENTI EPITOME.

OPERÆPRETIVM forte videri poſſet, vt qui Epitomen edimus, rem multis ingratam, ab alijs iniurioſam æſtimatam, quædam de eiuſmodi ſcriptionum genere præloqueremur. Sed quamquam haud adeo difficile eſſet de iis agere: non tamen eſt animus, vel eos recenſere, etiam nominatiſſimos viros, tam antiquiores, quam recentiores, qui ſimilibus ſtudiis operam ſuam honeſtiſſime locarunt; vel fructus multiplices, qui magna copia inde exorti ſunt, dinumerare; cum hæc potius relinquenda ſint iis, qui rem quampiam ſuapte ſponte abſque auctoritate proferunt; aut eam obtrudunt, cuius adhuc dubia ſit vtilitas. At noſtro his defectibus immuni Opere, vt quid in re non neceſſaria verba terenda, cum ſit inſtituti breuitatem colere? Nam quod in primis ad auctoritatem attinet, en in limine, ipſiſſimi illius, cuius maxime interfuit, Epiſtola Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Cardinalis BARONII, poſt noſtrum ab Vrbe receſſum in Gallias, his verbis ad nos conſcripta:

Cæſar Tituli SS. Martyrum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Baronius, Henrico Spondano. Quod de Annalium noſtrorum Epitome, opera & ſtudio tuo elaborata ſignificaſti non gratum mihi acceptumq. eſſe non potuit. Etſi enim reuera totum hoc breuiandi genus probare vix ſolemus, rarumq. ſit, vt ex animi ſententia lectoribus procedat; ea tamen de prudentia, fide, ac diligentia tua, noſtra eſt fiducia, vt quod abs te profectum ſit, id omnib. placere poſſe arbitremur. Quare quod ad Epitomes tuæ editionem ſpectat, ne mora ſit Sedis Apoſtolicæ decretum, quo cautum eſt, ne quid eiuſmodi niſi permiſſu noſtro exeat in lucem, plenam tibi liberamque poteſtatem damus; eiuſque indices, ac teſtes, has literas eſſe volumus. Vale Romæ pridie Cal. Sept. 1606. Subſcriptio ſic habet; *Vti frater amantiſſimus, Cæſ. Card. Baron.* Superinſcriptio vero; *Admodum Reuerendo Domino, D. Henrico Spondano.* Quam quidem permiſſionem eo cariorem habuimus, quod tranſmiſſa ad nos fuerit per clariſſimum Societatis IESV profeſſorem, *Iacobum Sirmondum*, & ſuis ipſius lucubrationibus & frequentibus Cardinalis elogiis, notiſſimum; adeoq; intimæ amicitiæ nexu ei coniunctum, vt ipſe moriens cariſſimum illi eius pignus reliquerit, grandem Imaginem æneam affabre factam Sanctiſſimi Crucifixi, ad quam & orare conſueuerat intra cubiculum, & ſcriptiones ſuas extare.

Quod ad vtilitatem Epitomes ſpectat; iam ſatis illa vſu, reque ipſa probata eſt, dum quæ antehac prodierunt ab aliis concinnatæ, auide exceptæ ſunt. Etenim legere amplos illos Duodecim Tomos haud mediocris laboris videri poterat eſſe negotium; eoſdem vero accuratius & ſolertius perſcrutari, opus eſſe arduum, & quod deterreat magis quam alliciat, ac præcipue aliis rebus occupatos, nemo non intelligit. Vt igitur ego, poſt aliorum laborum laudem, quam prædico, eidem operi incumberem, ſuaſit eadem ipſa eorum approbatio. Cum enim tres omnino viderim, qui id tentarint: nempe Reuerendiſſimum Franc. Panigarolam epiſcopum Aſtenſem, qui primum Tomum compendioſa tranſlatione ſuis Italis lingua vernacula dedit; Reuerendiſſimum Ioan. Franc. Bordinum Archiepiſcopum Auenionenſem, qui ex Annalibus deprompſit Summorum Pontificum Geſta & ſucceſſionem, vſque ad annum Domini D.XVIII. & R. P. Ioan. Gabr. Biſciolam Mutinenſem Societatis IESV, qui Epitomen decem Tomorum edidit duabus ſeparatim partibus: (Si quid præterea, vel alij, vel ijdem ipſi, ea in re præſtiterint, nec vidi ego, nec audiui.) Primus libauit ipſe tantummodo, & guſtum alijs dedit; ſuiſque tantum gentilibus, non etiam peregrinis; Secundus partem dumtaxat attigit; & quamuis nobiliorem, non tamen integram, præreptus morte, repræſentauit; Tertius vniuerſa complexus, prius tamen ſuſcepti mercedem laboris abijt percepturus, quam ad finem perducere potuiſſet. Etenim XI. ac XII. Tomos penitus intactos reliquit, & quæ in ceteris continerentur, non ſic cuncta diſpoſuit, aut correxit, vel auxit, vt Auctor ipſe Baronius diſponenda, aut corrigenda, vel augenda monuit, cum ſingulis Tomis Appendices addere conſueuiſſet de ijs, quæ in præcedentibus ad eum modum concinnanda eſſent; atque inſuper ſic cum Annalibus egit, vt priori parte nimium eos contraxiſſe, poſteriori in multis fere de

Google

ſcripſiſſe cenſeatur. Ita ipſi tunc opportunius viſum. Qui tamen ſi opus peregiſſet, qualecumque ſit illud, proculdubio & me, & alios quoſcumque, labore leuaſſet aliud compingendi. Cum autem imperfectum reliquerit, non eſt iam qui me inuidiæ accuſare, aut vanæ gloriæ poſſit, ſi quæ tum ei, tum alijs deeſſent, ſuppleuerim ego, & rem vtilem exiſtimatam, vtiliorem reddiderim, atq; in vtilitatem publicam promulgauerim. Nam & cum illam, ante aliorum editiones cœptam, iis viſis penitus deſeruiſſem: nihilominus conſilio cum Illuſtriſſimo Cardinale Romæ communicato, ipſe hortatus eſt animum non deſpondere, ſed opus inchoatum ad vmbilicum perducere. Cumque aliquando obiicerem, fore tandem vt ſi quod ederetur Compendium guſtui Lectorum gratum, Annalium Tomi faſtidirentur: reſpondit optimus Cardinalis, ſe non propriam gloriam quærere, ſed commodum publicum ſibi curę eſſe: nec tamē ipſis Annalibus adeo timendum eſſe, quod in Bibliothecis conſeruandi forent, quamuis omnium manibus non tererentur. O virum bono publico natum! O ineffabilem ſanctiſſimi viri candorem!

Ceterum hæc tardius prompſi, quam cogitaueram, quod varijs ſolicitudinibus & peregrinationibus abreptus, vix tandem certo loco potui conſiſtere quo id curarem. Quid autem iſta ibi cura mea præſtiterit, iudicabis tu ipſe, Lector, cum perlegeris, vel vna cum Baronij Tomis (ſi vacauerit) contuleris. Sed quid præſtare voluerim, paucis aperiam: Volui tibi Annales Baronij ita exhibere, vt vno volumine haberes, quæ Duodecim illis continerentur: atque ita haberes, vt nihil tibi ſcrupuli relinqueretur: quo diffuſiorem narrationem deſiderares. Non tamen vt quæcumque Baronius attigit, continuo retulerim & ipſe: ſed vt nihil fere intactum relinquens, inhæſerim præcipue iis rebus, quæ pertinent ad Vniuerſalis eccleſiæ doctrinam, ritus, œconomiam, ac diſciplinam, vel eis neceſſaria connexione iunguntur, ſiue eæ ſacræ fuerint, ſiue profanæ. Nam
a An. 51. num. LIV. an. 69. num. XLV. an. 71. num. V. & ipſe BARONIVS in ſuis ſæpe Annalibus profitetur [a], ſui non eſſe inſtituti, priuatarum eccleſiarum, niſi interdum Patriarchalium, geſta proſequi, vel martyres omnes recenſere, &c. Cum autem de aliquo dogmate, aut controuerſia, varijs locis & annis agit, ego (quantum potui) vno tantum vel altero: nec facile quæ ſemel dixi, alibi repeto: niſi cum alicuius rei hiſtoria in plures annos producta, vel diuerſis temporibus tractata eſt: tunc enim ſingulis quibuſque annis ſuas res geſtas reſeruaui. Itaque ſi quando occurrerit, te non inuenire in Tomis Annalium, quæ eo anno in Epitome dicuntur: vel contra in Epitome deeſſe, quæ Tomi habent: ne ideo exiſtimes, me penitus prætermiſiſſe; ſed ſi è re tua ſit, conſule copioſiſſimum Indicem, qui tibi locum demonſtrabit, & meo periculo videbis ea non incongrue alibi narrari. Et tamen cum prolixiorem aliquam, vel maioris momenti tractationem, aut è diuerſis locis in vnum reduxi, aut alio loco poſui: notaui in margine loca, vt ea quiſque confeſtim reperire poſſit, factique mei rationem percipere. In leuioribus autem id omiſi præſtare. Quandocumque vero BARONIVS Lectorem remiſit ad Notationes ſuas in Roman. Martyrologium, eas ego per vidi, & quæ ad rem facerent, in Epitomen tranſtuli. Et aliquoties nonnulla alia appoſui, ad dilucidiorem rerum explicationem. Notæ vero pauculæ marginales, ſatis perſpiciet vnuſquiſque, quam neceſſariæ, aut certe vtiliſſimæ ſint, vt non iam aliquid amplius de iis dicam. Plures apponendas quidam cenſebunt; ſed Epitomen agere inſtitui, non commentaria. Satiſque exiſtimaui, quæ BARONIVS in Appendicibus, vel alibi, emendanda, ſeu addenda, aliterve diſponenda iuſſit; ea fideliter repræſentare. Omnia vero confeci ad editiones Romanas, omnium proculdubio ſinceriſſimas, cum ad earum exemplaria ceteras cudi oportuerit. Cum autem in margine reperies, *Recitat Baronius*, vel *Habet Baron.* aut quid ſimile: ſcito ea quæ notantur, numquam antea cuſa vel edita fuiſſe, ſed primo Baronium publica feciſſe: aut certe emendatiora, vel locupletiora edidiſſe, quam olim viſa fuerint.

In ipſa vero narrationis ſerie, Baronium loqui intelligas, non me: niſi forte ſeſe importune obtruſerit mentio Epitomæ, aut quid eiuſmodi, quo clara luce ab eo diſcernar. Stylus autem non vnius Baronij eſt, ſed plerumque eorum auctorum, ex quibus res geſtæ deſumuntur. Id enim attendi, quantum commode potui, vt quemque ſuis verbis loquentem inducerem, quia latentem habent energiam ad concipienda eorum ſenſa, quæ vix alienis verbis exprimuntur. Ideoque non eſt vt quis ſtyli varietatem, vel etiam inelegantiam, maxime cum à prioribus illis ſeculis receditur, arguat. Quod ſi delicatioribus & politioribus, quibus nonniſi mella guſtui, & gemmæ ornatui
b Exod. 4. ſunt, ſiue illa, ſiue mea diſpliceant; equidem de me ingenue cum Moſe [b] profitebor *non eſſe me eloquentem ab heri & nudius tertius*: & cum Paulo [c], *imperitum ſermone* me agnoſcam; pro aliis vero re-
c Aug. contr. Creſcon. l. 2. ſpondebo, quod optime annotauit Iuſtinus [d] Martyr, *non in dictis, ſed in factis, res noſtra religionis conſiſtere*; & quod Auguſtinus [e] in ſimili ſui ipſius contra grammatiſtam defenſione dixit, *Si Demoſthenes clariſſimus oratorum quibus tanta verborum fuit cura, quanta rerum auctoribus noſtris, cum tamen ei nonnullam locutionis inſolentiam obieciſſet Aeſchines, negauit ille in eo poſitas eſſe fortunas Græciæ, illone, an illo verbo vſus fuerit: quanto minus nos laborare debemus de regulis deriuandorum nominum, quando ſiue hoc, ſiue illud dicamus, intelligitur ſine ambiguitate quod dicimus; quorum non in expoſitione ſermonis, ſed in demonſtratione veritatis eſt maior intentio?*

Denique non ægre accidit, vt in opere cuius dictio vulgaris eſt, plurima viciſſim emineant, argumentum, methodus, rerum ſententiarumque varietas, temperata breuitate prolixitas, & prolixitate moderata breuitas. Quæ ſi in iſto meo reperiantur, abunde cuiuis modeſto ſatisfa-
f Ambr. 6. ep. 40. ad Sabin. ctum putabo; ſi vero quid eorum minus feliciter fuerim conſecutus, eſt vt beneuole moneant; quibus ego gratias habens, emendare ſtudebo. Scio enim *vnumquemque* [f] *fallere ſua ſcripta, &*

auctorem

auctorem præterire: atque vt filii etiam deformes delectant, ſic etiam ſcriptorem indecores ſermones ſuos palpare.

Ceterum moroſos illos, quibus id tantummodo ſapit quod ipſi condiunt, nihil moror. Habeant ſibi res ſuas, immo ſi Baronium adeo male habere conati ſunt; proculdubio inſeliciter mihi accidere conquererer, ſi mitius mecum agerent, qui velut parua cymba Prætoriæ illi naui adhæreſco. Non vero hæc dixerim in Catholicos ſcriptores. Quamuis enim ſint & inter illos, quibus non omnia Baroniana vſquequaque arrideant; tamen monendi dumtaxat ij mihi ſunt, vt Catholica modeſtia, Catholicæ antiquitatis inſtauratorem laborioſiſſimum, ea veneratione ſuſcipiant, ſuſpiciantque, quæ deceat religionem quam profitentur; exiſtimationem quam de ſe à viris bonis concipi cupiunt, & pietatem, doctrinam, zelum, candorem, dignitatem viri de quo acturi ſunt. Eſto, non omnia peruiderit Baronius; an tamen ei continuo inſultandum? Quis demum iſte modus vel legendi, vel ſcribendi? quotuſquiſque ex iiſdem ipſis eiuſmodi criticis, qui trium foliorum libellulum ediderit, & vnicam tantummodo materiolam tractauerit; audeat profiteri, ſe rem acu tetigiſſe, & cunctis placitura ſcripſiſſe? immo non mox alios cenſores rigidos patiatur? Quid vero ſi Duodecim prægrandes Tomos, aliaque non pauca, de omnibus quæ vmquam in Eccleſia occurrerunt quæſtionibus, deque rebus ex antiquitatum profundiſſimis abyſſis, & abſtruſiſſimis receſſibus eruendis, & per infinita variarum difficultatum ſpineta deducendis laborarit?

De hæreticis autem quid dicam? qui vſque adeo proruperunt in doctiſſimum & ſinceriſſimum ſcriptorem, vt & obtuſæ ignorantiæ, & affectatæ fallaciæ incuſarint: eumdemque conuitijs proſciderint, & dicteriis inceſſerint? Nimirum, hoc eſt hæreticos agere. Qui quidem, ſicut nonnullis canibus innatum eſt, vt per conſuetudinem latrent, ita ipſi cum maledicunt, agunt quod didicerunt, aliter enim neſciunt loqui. Et ſicut *non* [g] *poteſt Æthiops mutare pellem ſuam & pardus varietates ſuas: ſic nec ipſi poſſunt benefacere, cum didicerint mala.* At vero nullam habet auctoritatem ſententia, vbi qui damnandus eſt damnat. Et ſapientis vnius laudationi plus tribuendum eſt, quam ſexcentorum ſtultorum ludibrijs. Ait egregie Seneca [h] *Si de me vir bonus ſentit, eodem loco ſum, quo ſi omnes boni idem ſentirent. Omnes enim ſi me cognouerint, idem ſentient. Par illis idemque iudicium eſt: æque vero ſentitur ab his qui diſſidere non poſſunt. Apud malos diſſimilium iudicia ſunt diſſimiles affectus. Apud eos falſi ſunt, quibus aſſentiuntur. Numquam autem falſis conſtantia eſt. Variantur & diſſident.* Ita prorſus accidit de iſtis Baronij obtrectatoribus: quorum alius chronologiam, alius hiſtoriam ipſam, alius diplomata Pontificum ſeu Imperatorum, verba alius, alius inductiones, & quid non? impugnant. Eſſent vero inter ſe concordes; poſſet eis fides aliqua adhiberi. Cum autem alteri ita alter contraria ſcribat, vt quod vnus extruit alius deſtruat, quis ædificatores iſtos Babylonicos audiat? Nempe quod ex Seneca diximus; *numquam falſis conſtantia eſt, variantur, & diſſident.*

g Ierem. 13.

h Senec. ep. 102.

Ceterum Baronii diligentiam, fidem, & iudicium, non Catholicis tantum, ſed etiam plurimis hæreticis, quibus magis cor ſapit, placuiſſe, publica ipſorummet teſtimonia comprobant; atque etiamnum placere ſcimus: æternum autem placitura piis omnibus, nulla eſt dubitatio. Indeque accidit, vt neceſſe fuerit, variis ſæpe locis atque prouinciis, Annalium editiones, quamuis ingentis molis, & ſumptus, recudere: & non ſolum Epitomas, quarum meminimus, occupatis ingerere; ſed & Latinam linguam neſcientibus, translationes, ipſo adhuc ſuperſtite Baronio, conficere, cum cuperent omnes nationes ſua ipſarum lingua auctorem cunctis celeberrimum loqui. Nec id quidem ab hominibus de triuio præſtitum; ſed plane à magnis dignitate, eloquentia, & ſcientia viris: nempe Franc. illo Panigarola, Epiſcopo & Comite Aſtanſe, Italis: M. Fuggero Barone, & Cæſareæ Maieſtatis Conſiliario, Germanis; Stanislao Carncouio, Archiepiſcopo Gneſnenſe, Poloniæ Primate, Primoque Principe, Polonis: quorum epiſtolæ excuſæ habentur in principio Tomi Primi Annalium, vna cum multis præclaris elogiis BARONII; quibus abunde cognoſcatur, quam cupidiſſime iidem eius ANNALES à cunctis mox ab ipſo ortu excepti fuerint, quantique ab omnibus habendi ſint. Nec ſum neſcius, idem beneficium à Gallis Doctoribus ſuæ genti paratum iam olim eſſe: minimeque dubito, quin illud ipſum alij ſuis nationibus impertiantur. Denique nihil vmquam tam in Baronii operibus à cordatis viris deſiderabitur, quam quod præmaturo auctoris tranſitu opus relictum fuerit imperfectum, quod adeo felici progreſſu ad conceptum terminum perductum ferme fuerat.

Quare effundant licet inuidi & maledici virus ſuum in eum, certe numquam efficient vt eius memoria bonis & literatis excidat, deſinatque aliquando in benedictione & ſanctificatione perſeuerare in eccleſia Dei. *In* [i] *memoria æterna erit iuſtus, ab auditione mala non timebit.* Nec magis gloriam eius denigrabunt atræ liuidorum nubes, quam fumus Solem. Sicut enim deficit [k] fumus à facie Solis, ſic illi deficient; & ſicut fluit cera à facie ignis, ita peribunt: & tamquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ, ſic diſparebunt. Etenim

Exegit [l] *monimentum ære perennius,*
Regalique ſitu pyramidum altius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotens,
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum.

i Pſ. 111.

k Pſal. 67. & 1.

l Horat l. 3. carm. oda 30.

Contra vero ſingulis aduerſis libris titulus iſte apposite affigetur.

[m Idem l.1. epiſt. de his ſuis.] ----*Tincas*[m] *paſces taciturnus inertes,*
Aut fugies Vticam, aut vinctus mitteris Ilerdam,

Vnum inter omnes memorabo, immemorandi nominis homuncionem: qui famam ſibi ex celeberrimi viri gloria acquirere aſtute cogitans, in B A R O N I V M inſultare poſt eius obitum auſus eſt, qui in viuentem, niſi amiſſa fronte, obtutum intendere auſus non eſſet. Et qui ratione ſe expertem noſſet, fucum faciens ſpecioſi tituli, *Rationale* Lectoribus obtruſit; ſed tot irrationabilibus deliri cerebri confartum mendacijs, conuicijs, & maledicentijs, quot nec ipſe nequam ſpiritus quo agitabatur, excogitari ab vllo poſſe conſideret. Sed vt ab eius impudentiſſimo ore retundendo ceteri omnes deſiſterent, ſuaſit nobiliſſima illa *Apologia* fortiſſimi athletæ I A C O B I G R E T S E R I, Theologi Societatis I E S V, (cuius, cum ſe neceſſitas obtulit, ſuis locis mentionem habui in oris [n Vide an. 774. num. III. in marg.] [n] Epitomes) eiuſdemque *contra Replicatorem Defenſio*. Itaque cum proſtratæ iam eſſe viderentur hoſtium acies, à triarijs eas reſtitui audio, & nouum prælium parari in Baronium, & eccleſiam Romanam. Sed me ſponſore, ceſſet panicum omne terriculamentum: mox vbi conatus iſti noui apparebunt, euaneſcent, adſtante ex aduerſo tali antagoniſta, qui eadem facilitate diſiiciet eos, qua ceteros diſpulit. Macte igitur noua virtute, ô præclare, & tanto alacrius exurge pro domo Iſrael, quanto audacius in eam incurritur; nec ſinito aliquem tibi accedere competitorem triumphalis eiuſmodi coronæ.

Atque interim te quoque felicem, ô B A R O N I, ad quem non poteſt accedi, niſi per medios eccleſiæ cuneos; immo cuius tranſuerberandum prius ſit pectus, quam ad eccleſiam penetrari poſſit: cum te inſtructiſſimum eius Defenſorem neceſſe ſit ab omnibus impeti, quicumque in eam iacula intorquent. Sed confide: Sicut enim qui contra hunc inexpugnabilem murum præſumpſerunt aliquando arietare, confracti ſunt: ita & qui in te collimabunt, iacula in ſe ipſos retorta [o Pſal. 7.] ſentient. *Incident*[o] *in foueas quas faciunt: conuertuntur dolores eorum in capita eorum*. Ringantur illi, ridebit eos eccleſia; & ſtabit inconcuſſa, terra cœloque firmior, Petra illa firmiſſima, ſecura diuino [p Matt. 16.] promiſſo, vt non aduerſus[p] eam portæ inferi ſint vmquam præualituræ. Petra, inquam, illa Romana, ſuper quam ædificata eſt vniuerſa eccleſia Catholica. Aboleri enim non poſſunt, quæ viuunt in radice ſua: ſed qui præciduntur ex eis rami areſcent. Obniſi ſunt in eam ab vſque eius fundatione non ſolum hæreſes, & ſchiſmata, ſectæque innumeræ admodum inter ſe diſſectæ: ſed etiam Imperatores, Reges, Reſpublicæ, Patriarchæ, Primates, epiſcopi, Synodi aſſertæ Oecumenicum, Generales, prouinciales: ſed contra iſtam Petram colliſæ, nihil niſi ſpumam eliſerunt. Nec potuit certius eius veritas probari, quam cum in ſignum poſitam vidimus, cui vndique contradictum ſit, & in quam ingruerint procellæ, altiſſimique fluctus motu prauorum ſpirituum excitati. Quamuis enim obruenda aliquando viſa ſit eorum impetu: vicit tamen plane ea tandem: & velut Arca [q Gen. 7.] [q] illa Noe, quo magis creuerunt aquæ, eo magis eleuata eſt in ſublime; dum in tempore adueniens vltio diuina, impiorum & æmulorum molimina ad nihilum redegit, ipſoſque perpetua reſperſit confuſione & ignominia.

Et hæc quidem euidentiſſime manifeſtant iſti, quos elaborauit Baronius, Annales: vt non [r Iob. 24.] ſint qui ea non videant, niſi qui facti rebelles lumini[r], videre nolint. Quot enim annis, tot veluti tumulis eleuatam, quotquot ſæculis tot montibus exaltatam, & ſuper omnem altitudinem collocatam, omnes filij lucis ſemper contemplari habebunt, eandemque ſuperni Solis radijs illuſtra- [s Pſal. 75.] tam; quam filij tenebrarum tantummodo non aſpiciant: de quibus dictum eſt[s]; *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis: turbati ſunt omnes inſipientes corde.* iidem videlicet, de quibus appoſite Sapien- [t Sap. 17.] tia[t]; *Dum perſuaſum habent iniqui, poſſe dominari nationi ſanctæ, vinculis tenebrarum, & longæ noctis, compediti iacent*, adeo vt (quod ſubdit) *ignis nulla vis poſſit illis lumen præbere, nec ſiderum limpidæ flammæ illuminare illam noctem horrendam; cum & aerem, quem nulla ratione quis poſſit effugere, negent ſe videre.* Quorum cum ſit miſerrima & deplorata conditio, nonniſi vnum ſupereſt eis remedium exhibendum; nempe vt pro ipſis illuminandis immenſa Dei miſericordia iugiter imploretur, quo in antiquam maiorum fidem poſtliminio reſtituantur; agnoſcantque paſtores ſuos, & in eis Summum omnium Paſtorem, cui Dominus in perſona Petri curam ouium ſuarum & agnorum commiſit. Quod ſi non illis Baronij in ſcribendo aſſidui labores ſint profuturi; iis tamen quorum cognoſcendæ veritatis exæſtuat deſiderium, ingentem proculdubio vtilitatem, ſimul cum animi iucunditate, numquam manare ceſſabunt.

Quid autem iis contineatur, vt ex ipſa eius ad Lectorem præpoſita Primo Tomo præfatione, ſummatim perſtringamus; in primis quod ad titulum ſpectat, *Annales* potius quam *Hiſtoriam* [u Gel. lib. 5. cap. 18. Iſid. Orig. lib. 1. in fi.] nuncupauit, quod Hiſtoria[u] proprie res ſuorum temporum geſtas, quas auctor vel vidit, vel potuit videre, pertractet: Annalium vero ſcriptor res antiquas vt plurimum, quas ſua non nouit ætas, eaſdemque per annos ſingulos monumentis commendet. Quare ab ipſo Chriſti Redemptoris noſtri aduentu ſumpto narrationis exordio, res geſtas cuiuſque anni, exacta in omnibus habita (quoad eius fieri potuit) temporis ratione, retulit: ſinguloſque annos, more maiorum, per Conſulatus (quamdiu ii perdurarunt) ſic diligenter perduxit, vt eiſdem Romanorum Pontificum & Imperatorum iunxerit annos: addideritque ſuo tempore Indictiones. Hanc enim eſſe regiam viam, Patres docuerunt, cum eccleſiaſtica geſta eodem temporum ordine conſignarunt. Vna cum naſcentis eccleſiæ primordijs, ipſa Chriſtianæ Religionis fundamenta primitus iacta, diuinas leges; pias functiones, ſacra Concilia, editos Canones (vt inſtituti ratio poſtulauit) ſigillatim recenſuit. Catholicæ eccleſiæ viſibilem Monarchiam à Chriſto Domino inſtitutam, ſuper

Petrum fundatam, ac per eius legitimos, veroſque ſucceſſores, Romanos nimirum Pontifices, inuiolate conſeruatam, religioſe cuſtoditam; neque vmquam interruptam, vel intermiſſam, ſed perpetuo continuatam; ſemperque huius myſtici corporis Chriſti, quod eſt eccleſia, vnum Caput viſibile cui pareant cetera membra, eſſe cognitum & obſeruatum, per ſingula tempora demonſtrauit. Quibus incrementis Chriſtiana Religio per totum ſe orbem terrarum diffuderit, ac ſucceſſione temporum longe lateque in vnius viſibilis Capitis coniunctione coagmentata, atque in vno Spiritu fuerit propagata, aperuit. Bellaque ſiue externa, ſiue ciuilia, quæ à tyrannis, alijſque hoſtibus, quæue ab hæreticis vel ſchiſmaticis, aduerſus Catholicam eccleſiam ſunt conflata, eademque Chriſti veritate quomodo profligata & extincta fuerint, adiecit. Res geſtas Imperatorum, ac ceterorum Principum, quæ tamen ad eccleſiæ ſtatum ſpectare viſæ ſunt, annis intexuit. Clades diuinitus immiſſas àd eos puniendos, qui contra Dei eccleſiam ſuperbire, & in eam quid temere moliri auſi ſunt, quibus diuinum quoddam conſilium ac prouidentia in eccleſia gubernanda ac protegenda, admirabili quodam modo declaratur, ſuo quoque ordine retulit. Qui cunctis ſæculis viri ſanctitate conſpicui atque eruditione ſublimes claruerint, quandove ex hac vita deceſſerint, ſubinde adnotauit. Obſcuras eccleſiaſticas voces & gloſſemata, ac loca perplexa, quæ in antiquorum auctorum ſcriptis inter legendum occurrerunt, elucidauit. Hæcque omnia, & alia complura, quæ breui ſumma declarari vix poſſunt, ſic pertractauit, vt nihil dixerit leuiter aut inconſiderate, nihil quod non cum eruditis viris contulerit, ſiue conſulens, ſiue diſſerens; quod non probatiſſimis teſtibus fulſerit, ratione demonſtrauerit, coniecturis probauerit, ac denique, quantum licuit, perſpicua ſolidaque veritate firmauerit.

Ea autem tractatione cum videas quam nihil eſſe poſſit excellentius, vtilius, iucundius: eamdem ipſam Ego tibi eadem methodo, ijſdemque probationibus, compendioſiori ſermone ſuggerere volui. Si quod omni ſtudio ſecutus ſum, minime aſſecutus fuero; conatum tamen boni conſulas. Si vero ex iſto qualicumque tandem labore, aliquid adiumenti percepiſſe exiſtimaueris; primum quidem Deo gratias habeto, qui quod dedit velle, dedit & perficere: deinde ipſi Cardinali BARONIO, qui iuſſit: ac demum alijs quamplurimis tum Antiſtitibus, tum ceterorum Ordinum eccleſiaſticis viris, qui impulerunt. De omnibus autem, & in omnibus, ſit ſacroſanctæ & indiuiduæ Trinitati, perfecta laus, virtus & gloria, in ſæcula ſæculorum; Deique Genitrici, & omnibus Sanctis, honor ſempiternus.

Amen.

S. GREGORII NAZIANZENI AD NICOBVLVM DE HISTORIA LEGENDA ELOGIVM.

PRæclarum eſt, mentem Hiſtoriarum cõgnitione inſtructam ac refertam habere. Hiſtoria enim conglobata quædam & coaceruata ſapientia eſt, hominumque multorum mens in vnum collecta.

LANFRANCI, CELEBERRIMI SCRIPTORIS, SENTENTIA DE HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ EFFICACIA,

Ex Comment. de Euchar. contr. Berengar.

ECcleſiaſticæ Hiſtoriæ, & Sanctorum Patrum Geſta, tametſi illam excellentiſſimam auctoritatis arcem non obtinent, qua donatæ ſunt Scripturę, quas Propheticas, ſeu Apoſtolicas nuncupamus: hoc tamen probare ſufficiunt, quod hanc fidem, quam nunc habemus, omnes Fideles qui nos præceſſerunt, à priſcis temporibus habuerunt.

INDEX

ANNALIVM ECCLESIASTICORVM: IN QVO PRIMVS ANNVM CHRISTI, SECVNDVS NVMERVM MARGINALEM denotat.

AEon dictus Chriſtus, ex ſententia quorumdam Valentinianorum. 175. IX.
Aaron Rex Saracenorum in Oriente, licet infenſiſſimus Chriſtianis, Carolum Magnum veneratur, & muneribus frequentat. 784. III. Nicephoro Imp. Orient. tributum exigit. 805. I. Dat pœnas temerarii conatus in Reliquias S. Nicolai. 807. I. Moritur. 808. II.
Abagarus, ſiue Abgarus, Edeſſenorum in Syria Rex, ſcribit ad Chriſtum, & recipit ab eo litteras, & Imaginem eius. 31. XXII 20. Sanatur a Thaddæo Chriſti Diſcipulo. 43. V.
Abgarus alius ſub Antonino Pio, vir ſanctiſſimus. 175. V.
Alius ſub Caracalla; à quo male habitus, [illegible] 218. I.
Eo nomine dicti omnes eius prouinciæ Reges. 175. V.
Abaiardus, vide *Petrus Abail.*
Abbati monaſterii S. Columbani, ordine inuſitato ſubiecti illius prouinciæ Epiſcopi. [illegible] I.
Abbati data à Gregorio Magno teſtandi facultas, de bonis quæ ante ſuſceptum monaſticum habitum habuiſſet. 631. VI.
Abbates Cardinales in Eccleſia Rom. & quot eſſent in Vrbe Abbatiæ. 1057. III.
Abbatiſſæ ſubſunt viri religioſi & feminæ in Ordine Fontis Ebraldi. 1117. VI.
Abbo Floriacenſis Abbas in Synodo Rhemenſi ſtat fortiter pro Sede Apoſtoli ruſſumque ſcribit aduerſus eius obtrectatores 992. II. III. Robertum Regem ad meliorem frugem reducit. 993. I. in fi. Moritur martyr, & claret miraculis. 1005. V.
Abdiæ Babylonii nomine ſcriptæ Vitæ Apoſtolorum, apocryphæ. 44. XXIV.
Abecedarius pſalmus, ſcriptus ab Auguſtino aduerſus Donatiſtas. 392. VI.
Abercius Hierapolitanus Epiſcopus accerſitus Romam a Marco Imp. ad filiam Lucillam a dæmone liberandam. 163. V. Ter mille modiis frumenti donatur quotannis in Eccleſiæ ſuæ vtilitatem. ibid. Perſeuerat ea donatio vſque ad Iulianum Apoſtatam, qui eam aufert ibid. & 362. LVI.
Abila ciuitas Decapoleos; vnde Abilina Tetrarchia apud Lucam. 31. III.
Ablauius Præf. Præt. inter Conſtantini Magni aulicos princeps, per viſum à S. Nicolao deterretur à nece trium innocentium Tribunorum. 325. XVI. I. Eius inexplebilis auaritia perſtricta à Conſtantino ibidem XIX. Necatur à Conſtantio: dictus ob immenſum eius caſum, Pila fortunæ. 337. X.
Abominatio deſolationis à Domino prædicta, quæ intelligenda. 68. XVI.
Abortiuum cur ſe Paulus Apoſtolus nominet 44. XXXII.
Abraſio capitis, ſignum mœrentis hominis; præterquam apud Romanos, qui in luctu capillos promittebant 58. LIV. Ea apud omnes fere gentes, ignominiæ nota. ibid. LI.
In Clericos auctoritate Apoſtolica delapſa: & quid in ipſis myſtice denotet. ibid. L. LII. Olim prohibita Sacerdotibus Hebræis: Gentilium vero proſſus diuerſa à Chriſtianorum tonſura. ibid. Vide etiam *Tonſura, Capilli, Barba*
Abrincenſe in Gallia Concilium, de diſciplina Eccleſ. 1172. II in fi.
Abſagi populi ſub Iuſtiniano Imperatore Chriſtiani facti, vetantur ab eo amplius caſtrari: quod olim frequentabant, cum plerumque ex iis Eunuchi Imperatorum ſumerentur. 527. VI
Abſimarus à militibus euehitur in Imperium, nominaturque Tiberius 696. II. Leontium Imp. præciſis naribus relegat in monaſterium ibi. Inſultat Rom Pontifici per Italiæ Exarchum. 701. IV. Capitur à Iuſtiniano Imperium recuperante, & publice illuditur, ac necatur [illegible] I.
Abſolutio grauiorum delictorum, Rom. Pontifici reſeruata. 867. XII. 812. VI.
Abſolutio ab hæreſi. Vid. *Hæretici & Rom. Pont.*
Abſtinentia ciborum quæ damnata à Paulo Apoſtolo. 57 LIV. Quam damnet pariter Eccleſia, & quam probet, ibid. LV. Vide plura in *Cibi Animata. Carnes.*
Abſtinentia Apoſtolorum, & veterum Chriſtianorum qualis. 57. LVI.
Abſtinentiæ nullum eſſe meritum, dixit Iouinianus hæreſiarcha. 382. VII.
Abſtinentes dicti hæretici Hieracitæ, & quare. 287. IV.
Abundius Comenſis Epiſcopus mittitur cum aliis a Leone Papa in Orientem ad erigendam collapſam Eccleſiam. 450 II. Celebrat Conſtantinopoli Concilium, contra Neſtorianos & Eutychianos. ibi. VI. Curat Mediolani aliud celebrari, pro ſubſcriptione epiſtolæ Leonis PP. de Incarnatione Verbi. 451. II.
Abyſſini dicti Æthiopes ſubditi Preteiani, obtinent Romæ Eccleſiam. 1177. X.
Acacius Amidæ Epiſcopus beneficentiſſ. in captiuos Perſas, admirationi eſt illorum Regi, licet Chriſtianorum perſecutori. 420 IV.
Acacius Berœenſis Epiſcopus, magni vir nominis, inhæret Theophilo Alexandrino aduerſus Chryſoſtomum, in gratiam Eudoxiæ Aug. 403. IV. Excommunicatus ab Innocentio PP. ea de cauſa, certis poſtea conditionibus reſtituitur. 408. XI. Centum & decem annos natus, agit pro Neſtorio apud Theodoſium Imp. aduerſus Synodum Oecumen. Epheſinam. 431. XVII. Poſtea agit pro reducendis Neſtorii fautoribus ad concordiam cum Catholicis. 432. IV
Acacius Cæſarienſis in Palæſt. Epiſcopus eligitur in locum Euſebii Pamphili, Arianus in locum Ariani. 340. XIII. Venit cum ſuis collegis fraudulento animo ad Concilium Sardic. pariterque recedit. 347. VI. Damnatur ibi à Patribus. ibid. VII
Signifer Arianorum aduerſus Semiarianos. 358. IV. In Concilio Seleuc. horrendas profert in Filium Dei blaſphemias, & damnatur a Semiarianis. [illegible] XVIII. XIX. Fauore Conſtantii Imp. ipſe cum ſuis Conſtantinopoli abdicat Semiarianos. ib. XXI. Arrium quoque Impium, vt ea ratione ipſe videatur pius, damnat, licet ei doctrina conueniebat. [illegible]
Sub Iouiano Imp. Catholico, ſimulat fidem Orthodoxam in Concilio Antioch. 363. XX. Moritur. 366. V.
Acacius Conſtantinop. Epiſcopus creatur ex præfecto collegii orphanorum. [illegible] I. Conatur promouere primatum Eccleſiæ Conſtantinop. poſt Romanam, ſed reſiſtit ei Simplicius Papa 472. I. [illegible] eodem Pont. litteris excitatus, viriliter agit contra Baſiliſcum Imp. Eutychianum. 476. III. VI. VII. Ob rem bene geſtam, vices ei ſuas delegat Simplicius Papa. 47[illegible]. II Inuidioſe agit aduerſus Epiſcopum Antioch. 482. I. Itemque aduerſus Alexandrinum. ibid. II. Demum aperte cum Zenone Imp. fauet hæreticis. ibid. Eius impulſu Zeno promulgat Henoticon ſuum. ibid. III. Citatus à Felice Papa, cauſam dicturus de obiectionibus Ioannis Alexandrini. 483. III Petrum Fullonem; Triſagion fictum corrumpentem, Concilio celebrato damnat. ſcriptiſque aduerſus eum a Rom Pont. ibid IV
Cogit Legatos Apoſt. Sedis præuaricari; & ſæpe monitus vt vitaret communionem hæreticorum, nec obediens excommunicatur in Concilio Rom. à Felice Papa, cuiuſque damnatio promulgatur in Oriente. 484. II. IV. Dire ſæuit in Orthodoxos; nomenque Felicis PP. aufert è Diptychis. ibidem V. Moritur in anathemate. 488. I. Nomen eius diu à ſucceſſoribus in Diptychis retentum (obnitentibus licet Rom. Pontificibus) tandem eraditur ignominioſe. ibidem. & 519 III.
Quanta fuerit eius cauſa deſolatio Eccleſiæ Orientalis 512. II.

Index Annalium

Academici Philoſophi iactantes, Chriſtianos à Platone accepiſſe de fide ſententias, refelluntur à Sancto Ambroſio. 384. V.

Eorum ſectæ adhæſit ad tempus Auguſtinus ante baptiſmum. ibid

Acclamationes vanas populorum non audiendas, ſanciuerunt Diocler. & Maxim. Impp. 301. V. Et tamen iidem ad eas perſecutionem in Chriſtianos excitarunt. 301. IV.

Accuſationum libellos ab Epiſcopis in alterutrum ſibi oblatos, Conſtantinus Mag igni tradit. 235. XII.

Accuſator ſui (ſiue vere, ſiue falſo) clericus, omnino credendus, ex Concilio Valentino 374. V. & Tolet. Decimo. 656. IV.

Accuſationes populi in paſtores, non recipiendæ niſi in cauſa fidei, ex Concilio Rom. ſub Symmacho. 503 II. Quanto populorum periculo exſtant. 587. III.

Acephali hæretici, vnde ſic dicti, & quando orti. 432. VII. IV. Dicti etiam Hæſitantes, quod Concilium Chalcedon. falſis prætextibus recipere recuſarent. 492. IV. Eorum caput factus Seuerus, impiiſſ. Antiochen. Epiſcopus. 513. II. Vide *Seuerus*. Eorumdem capita facta multa, & variæ ortæ ſectæ. 535. XI. Eorum Eccleſiæ reconciliandorum prætextu, orta quæſtio de damnatione Trium Capitul. Synodi Chalcedon. Sed accidit vt damnatis Capitulis, confuſio in Eccleſia aucta fuerit 538. VII 546. III. 553. XIII. XIV.

Acephali clerici, commorantes in curiis procerum ſæcularium, damnantur in Concilio Melfit. ſub Vrb. PP. II. 1090. II.

Acetius Nouatianorum Epiſcopus reſiſtit in Concilio Nicæno vnioni Eccleſiæ. 325. XXXVIII.

Acetum ad quid in Cruce Chriſto propinatum. 34 XXXII. Aceti natura. ibid.

Achillas creatur Epiſc. Alexandr. 310. V. Arguitur nim æ facilitatis, quod Arium ſuſceperit, & presbyterum creat. ibid. Moritur. 311. VIII.

Acholius Theſſalonicenſis Epiſcopus, Gothorum reprimit inſultus, coſq; peſte immiſſa vexat. 378. VIII. Baptizat Theodoſium Mag. Imp. 380 I. Intereſt Oecumenico Concilio Conſtantinop. 381. II. itemque Romano ſub Damaſo, celebrato ob turbas Antiochenas. 382. I.

Acilii Glabrionis Exconſul illuſtre pro fide certamen ſub Domitiano Imp. 94 I.

Acœmetarum monachorum, die nocteque iuges Deo laudes offerentium, inſtitutio Conſtantinopoli 459 III. Iidem etiam dicti Studitæ. ibidem. Vide *Studitæ*.

Eorum monaſterium, fulminibus ab Imagine Crucifixi procedentibus, ſeruatur ab inuaſione ſacrilegorum. 466. II. Fortiter agunt pro Sede Apoſt. aduerſus Acacium Epiſc. Conſtantinop. 484. IV. Neſtorianam ſectantes opinionem eijciuntur ab Imp. Iuſtiniano, aguntque apud Roman. Pontif. 533. III. Excommunicantur à Ioanne Papa. 534. II.

Acolythorum, ſiue Ceroferariorum, Ordo ab initio Eccleſiæ, & quod eſſet eorum munus. 44. XXXIV. 53. XXXVI.

Ἀκρίδες quibus veſcebatur in deſerto Ioannes Baptiſta, quid eſſent. 31. VI.

Acta Pilati de Chriſto Romam miſſa, & quid de iis Tiberius & Senatus. 34. LXII.

Alia eiuſdem Pilati nomine poſtea conficta. ibid. & 311. VI.

Acta Apoſtolorum à Luca conſcripta, qualem hiſtoriam contineant. 34 LXV.

Acta alia plurima ab hæreticis conficta ſub nomine tum omnium ſimul Apoſtolorum, tum eorundem ſingulorum, necnon & aliorum veterum Diſcipulorum. 44. XXIV. & ſeqq.

Ad Acta martyrum conſcribenda, inſtituti Romæ à Clemente PP. Primo Notarii ſeptem Regionarii. 98. III. Iis poſtea Fabianus ſeptem præfecit Subdiaconos. 238. I. facta martyrum vbiq; magna diligentia collecta. ibi. II. Acta Proconſularia quæ dicerentur. 238. II. 285. I. Acta martyrum quam plurima deperdita inuidia Diocletiani, qui Chriſtianorum ſcripta aboleri iuſſit. 67. I. 69. XVII. 94. I. & alibi ſæpiſſime.

Acta Martyrum ſingulorum, aliorumq; Sanctorum, necnon Conciliorum, &c. vide ſub propriis eorum nominibus.

Adalbertus creatur Epiſc. Pragenſis. 980. I. Boemos expertus nimis refractarios, Romam pergens includit ſe monaſterio. 989. I. Requiſitus ab iis, cogitur Eccleſiam repetere: ſed ob eorũ duritiem, pergit ad conuerſionem Hungarorum, & inde redit Romam ad monaſterium. ibid. A Moguntino Metropolitano interpellatus de reſidentia, rurſum à Summo Pontif. iubetur ad eam pergere. 996. VI. Repulſus à Boemiæ Duce, pergit ad prædicandum Pruſſiis, aliiſque finitimis populis; vbi martyrio coronatur. 997. I. Corpus æquo auri pondere redemptum, immenſis claret miraculis. ibid. Sepulchrum eius viſitans Otto Imp. defert manus Romam, eccleſiamq; in earum honorem erigit. 1000. I.

Adalbertus Epiſcopus Hamburg. ſeu Bremenſis, vitiis ſuis accelerat perditionem Eccleſiæ Saluonicæ 1065. IV. Henricum quoque Regem perdens, cogitur à populis rebellantibus longe pelli. 1066. IX Auctus legatione Apoſtolica, impigre curat Eccleſias Boreales. 1067. II. ib.

Adalbertus Mogunt. Vide *Albertus*.

Adam primus homo ſepultus in Golgotha, vbi Chriſtus crucifixus 34. XXXIII.

Alius Adam è genere gigantum, ſepultus in Hebron. ibid. Adam & ſi non peccaſſet, moriturum eſſe; eiuſque peccatum, ipſum ſolum læſiſſe, & non genus humanum; docuit Pelagius. 415 IV.

Adamitarum impuriſſima ſecta auctore Prodico, inter Gnoſticos adnumerata. 120. XVII. Eorum impia dogmata. ibi.

Adam canonicus Bremenſis egregio candore ſcripſit hiſtoriam Eccleſiaſticam prouinciarum Borealium: & quouſque eam perduxerit. 1076. II.

Adefonſus, ſiue Adelfonſus. Vide *Alfonſus*.

Adelais coniux Ottonis Magni Imp. ritu ſolemni inter SS. refertur. 973. I.

Adelais vxor Henrici III. Imp. inauditas paſſa ab eo turpitudines, & mala, confugit ad Mathildem Comitiſſam. & Vrbanum PP. & fit Abbatiſſa. 1093. II. In Conciliis Conſtantienſi, & Placentino. querelas aduerſus Henricum ingeminans, declaratur innocens, quod inuita eas ſpurcitias paſſa eſſet. 1094. I. 1094. I.

Adeodatus creatur Rom. Pont. 669. II. Moritur 676 I.

Ado Viennenſis Epiſc. quouſque perduxerit Chronicon ſuum. 878 VI. Auxit etiam Martyrologium ibid. Adoleſcens quomodo dictus Paulus à Luca. 35. V.

Adoptione, non natura, corpus geſtaſſe Filium Dei, aſſeruerunt Apollinariſtæ. 373. II. itemque Bonifaci. 551. II. Neſtoriani. 791. II.

Adoptat ſibi filium Rom. Pontifex Ioannes VIII. & qua ratione 878. IV. itemq; Steph Sextus. 885. III.

Adiumetinum Concilium in Africa. 394. VIII.

de Aduentu Domini prolegomena. Vide in Apparatu.

Aduentus integrum tempus continuato ieiunio tranſigere quidam ſoliti, & vnde caſſ exerit conſuetudo. 581. VI.

Adulter habitus Epiſcopus, aut presbyter, qui coniugatis ordinatus, poſt ordinationem commiſceretur vxori. 58. VIII.

Adulterium ſeueriſſime punit Domitianus. 85. II. Valentinianus. 367. VII. Wamba Rex Hiſp. 674. I. Kiouenſes. 1018. I. Adulterii actio denegata adulteris maritis lege Antonini Pii, ipſique ſubiecti legi Iuliæ. 163. II. Ob adulterium Conſtantini Imperat. filii Irenes, quantæ excitatæ turbæ in Eccleſia Orient. 795. I. I. 608. II. 890. I. itemque ob aliud Lotharii Franc. Regis in Gallia. 862. IV. 863. ibid. III. 868 IV. Adulterarum pœna quædam aſſerta à Socrate. 389 IX.

Ædes Dianæ, quæ dicantur à Luca. 57. LI.

de Ædificiis conſtruendis, ne incendiis pateant, conſtitutiones Impp. 465 II.

Æditha Regina, vxor Ottonis Magni, ſanctitate & miraculis clara. 94 III.

Ædituus idolorum per S. Gregoriũ Thaumaturgum inſigniter conuerſus. 253. XXI. Æditum fani Fortunæ Valentinianus poſtea Imp. pugnis coram Iuliano Apoſtata cædit, quod aquæ luſtralis guttam læuæ ſuæ aſperſiſſet. 362. VII.

Ægrotantium curæ deſtinatum Alexandriæ Corpus 600. clericorum minoris ordinis. 415. IX. Vide *Parabolani*.

Ægyptus multa bona ſuſcipit ex aduentu Domini. 1. X.

Ægypti præfectura Auguſtalis, Equitibus Rom. tributa ab Auguſto Imperatore, Senatoribus à Seuero. 204. II. Redigitur ſub tributo à Saracenis. 634 I.

Ægyptii rerum nouarum cupidi. 204. II. Vide *Alexandria*.

Ægyptius, idem quod magus. 324. VIII.

Ægypti ſic dicti hæretici, qui Concilium Chalcedon. reiiciebant. 452. IV. Iidem aliis quoque nominibus dicti, à diuerſis auctoribus. 535. X.

Ægypti Eccleſia diriſſime vexatur in perſecutione Decii. 253. XV. Sub Conſtantio, ab Arianis. 356. III. Sub Iuliano, ab Arianis ſimul & Gentilibus. 362. I. Sub Valente, ab Arianis. 372. V. Vide *Alexandrina Eccleſia*. Schiſmate diuiditur, ob expulſionem Dioſcori Epiſcopi Alexandr. hæretici. 452. IV. Grauiſſ. patitur perſecutionem ab Eutychianis. 457 IV.

Ælia dicta Hieruſalem, in honorem Ælii Hadriani, qui eam rurſum inhabitari iuſſit. 130. III. 137. I. Reliqua vide in *Hieroſolyma*.

Æmilianus creatus Imp. aduerſus Gallum & Voluſianum, paulo poſt necatur. 257. IV.

Alius inuadens in Ægypto Imperium ſub Gallieno, ſtrangulatur in carcere. 263. II.

Æonas ſuos quomodo diſtinxerit Valentinus hæreſiarcha 145. I. Quid de iis delirarint alii eius diſcipuli. 175. VII.

Æræ numerandæ ratio, peculiaris Eccleſiæ Hiſpan. 325. I. Frequens ſatio eius notis menda. 567. V.

Aerem Iudæorum cenſere voluit Peſcennius Niger. 199 II.

Aerius hæreſiarcha Epiſcopum & Presbyterum nulla re differre aſſeruit. 58. III.

Æſculapius ſerpens Vide *Serpens*.

Ætas longæua multorum in cenſu facto ſub Veſpaſ. Imp. 76. I. Itemque multorum ex Diſcipulis Domini, & Apoſtolorum, ad vtilitatem Eccleſiæ. ibid.

Æthiopum Antiqua religio. 35. XV. Prædicat illis Euangelium Eunuchus Reginæ Candaces. ibid Feminæ ibi regnare ſolitæ, dicique Candaces. ibi. Eorum poſtea Reges, Preteianni dicti. 1177. X. Vide *Pretegiannus*.

Aetius Atheus, ſiue Impius cognominatus, ex aurifice fit Philoſophus; & ob perplexitates argutiarum, ab Arianis (quib. inhæſerat) pellitur 356. XVII Impia eius dogmata. ibi. & XVIII. Inſolentiſſime ſe ſupra Prophetas & Apoſtolos extulit. Ibid. Aduerſus eum paratur à Conſtantio Imp Concilium 358 I. Damnatur

in Concilio Conſtantinopolitano ab Acacianis, licet inuitis, & ab Imperatore relegatur in Phrygiam. 359. XXI. Primus poſt Arium, palam aſſerere auſus eſt, Chriſtum ex nihilo ortum, & Patri per ſuas D ſſimilem: indeque eius ſectatores dicti *Anomæi & Exucontii* 360. XI. Reuocatur ab exilio per Iulianum Apoſtatam. 361. XIV.

Aetiani hæretici, ab eo dicti; qui & Eunomiani, ab eius diſcipulo Eunomio; ſiue Eudoxiani, ab Eudoxio impietatis collega. 356. XVIII.

Iidem exagitantur à Theodoſio Mag. Imp. 381. XI.

Aetius Hunnorum dux cum Romanis confligit; rebuſque compoſitis, augetur dignitate Comitatus. 425. III. Certamine à Bonifacio Comite, æmulo ſuo, victus, rurſum ad Hunnos in Pannoniam fugit; ſed mortuo Bonifacio, reſtituitur. 431. XVIII. Iunctus Gothis & Francis, ingenti prælio vincit in Gallia Attilam. 451. VIII. Conſulatum gerens, occiditur à Valentiniano Imp. ob falſam ſuſpicionem tyrannidis: & vna cum eo cadit Imperium Occidentale. 454. I. Ab eius amicis occiditur Valentinianus. 455. I.

Affectiones Chriſto Arius aſſignauit. 318. IX.

Affectus omnes vitiorum, poſſe in homine penitus conuelli, docuit Pelagius. 411. VIII.

Affectus quales fuerint in Chriſto. 563. I.

Africa Wandalis meruit tradi, ob impudicitias, aliaque ingentia crimina, quibus in profundum impietatis perueniſſet. 428. I. 439. VI. Euertuntur in ea funditus à Wandalis reliquiæ idololatriæ. 439. VI. ibid. Recuperatur à Iuſtiniano Imp. per Beliſarium; & quæ ad eius reſtituendum ſtatum præſtiterit. 534. IV. V. Rurſum turbatur factione Arianorum rebellantium, ſed ſedatur à ducibus Iuſtiniani. 536. XV.

Rurſum deſolatur à tyrannis. 545. IV.

Saracenis fit tributaria. 647. I. Occupatur penitus ab iiſdem. 696. II.

Africanum Concil. ſub Cypriano, in cauſa presbyteri tutoris conſtituti. 257. VI.

Aliud, in cauſa Baſilidis & Martialis Epiſcopp. Hiſp. 258. II. ibid.

Plura alia celebrata poſt reditum Epiſcoporum exulum è Sardinia, pro reſtituenda Eccleſ. diſciplina. 522. III.

Quæ celebrata ſunt certis Africæ locis, vide ſub ſingulis earum vrbium nominibus.

Africana Concilia aduerſus hæreſim Monothelitarum. 640. I. 646. I.

Africana Eccleſia vnde, & à quibus Euangelium ſuſceperit. 44. XX. Quæ damna paſſa ſit à Lapſis in perſecutione Decii. 251. V. Quæ à Donatiſtis. Vide *Donatiſtæ Circumcelliones.* Monachiſmum recipit ex Italia per S. Auguſtinum. 328. IV. 391. III. eumque introducit in clerum eccleſiaſticum. 398. XV. Nulla fuit eius ſciſſio ab Eccleſia Rom. in cauſa Appellationum, ſed tantum de earum modo controuerſia. 419. XIV. Vide *Appellatio.*

Diram patitur à Wandalis perſecutionem. 437. I. 439. V. 456. IV. 483. V. 484. VI. & ſeqq. 504. II. Corruptiſſima moribus, meruit ſubiici iugo Saracenorum. 696. II. Deſolatiſſimus eius poſterioribus temporib. ſtatus 1053. VI.

Africani Epiſcopi conſulunt Rom. Sedem, de quibuſdam dubiis in baptiſmo infantium 397. XIX. Minime olim geſtare conſueuerant prolixam barbam. 398. XV. Petunt ſacros miniſtros à Romano Pontifice & Antiſtite Mediol. 401. II. Vide etiam *Carthag. & Mileuit.* Concilia. Qua de re controuerterint cum Apoſtol. Sede in cauſa Appellationum. 419. VIII. Quantum ei detulerint in definiendo canone Scripturarum. ibidem. XV. & aliis rebus. 525. III. 646. I. Ex immenſo numero in quantam paucitatem redacti fuerint ex perſecutione Wandalorum. 456. IV. Fuerunt tamen nonnulli illuſtres Scriptores aduerſus impiiſſ. Arianos ibid. V. Immenſus eorum, clericorumq; numerus, in exilium deportatur. 483. V. Omnes rurſum Epiſcopi relegantur in Sardiniam. 504. II. Reſtituuntur ab Hilderico, & Concilia celebrant ad reſtituendam diſciplinam. 522. III. Commiſcentur vxoribus, & Saracenis merentur ſubdi. 696. II. Sub Leone PP. IX. fuerunt tantum in vniuerſa Africa quinque. 1053. VI.

Agapes, conuiuia publica exhiberi ſolita in Eccleſia. 57. XXXIX. Earum varia genera, vſus, abuſus, & reformatio. ibid. & XL. 377. V. 384. VI. 397. XVIII.

Agapetæ virgines quænam dicerentur. 398. XIX. Earum prauum vſum redarguit Hieronymus: ſtaliiſque Conſtantinopoli Chryſoſtomus. ibid.

Aliæ item eiuſmodi, reprimuntur in Concilio Lateran. ſub Innocentio Secundo. 1139. II.

Agapetus diaconus, qui Epiſtolam paræneticam ad Iuſtinianum Imperat. ſcripſit, quis fuerit. 527. II.

Agapetus Roman. Pontifex creatur. 535. III in fi. Rogatus à Iuſtiniano Imperat. Legatos mittit in Orientem ad res Eccleſ. ordinandas. ibidem. V. Scholas Theologiæ primus omnium Romæ erigere ſtagit. ibid. XV. Clotario Franc. Regi comminatur interdictionem regni, niſi ſatisfaciat de nece Gualteri de Yuetot, intra eccleſiam facta. ibi XVIII. ibidem. Cogitur à Theodato Rege, legationem obire ad Iuſtinianum Imp. pro pace. 536. II. Miracula in itinere edit. ibid. III. Adoratur à Iuſtiniano. V. Anthimum Epiſc. Conſtantinop. hæreticum Eutychianum deponit, & excommunicat, vna cum Seuero Acephalorum capite, aliiſque hæreticis, licet à Theodora Auguſt. impenſum fauerentur. V. VI. In locum Anthimi, ordinat Mennam. VII. Moritur Conſtantinopoli, & corpus transfertur Romam. VIII. Eius egregiæ laudes. ibid.

Agapetus alius, confictus à quibuſdam ſucceſſor Marini. 891. I. Itemque alius, ſucceſſor Gregorii Quinti. 999. III.

Agapetus II. ſedet 940. I. Vocat in Italiam Ottonem, Germaniæ Regem, aduerſus Berengarium tyrannum 950. I. Moritur. 955. I.

Agareni Arabes, rebellantes aduerſus Traianum Imp. prodigiis adiuuantur. 114. II. Vide *Arabes Saraceni.*

Agathæ virginis Siculæ inſigne martyriũ ſub Decio. 254. I. offenſa ab Epiſcopo & populo Catanenſi, dire vlciſcitur in eos. 1169. VII.

Agathenſe Concilium in Gallia Narbon. pro reſtitutione diſciplinæ Eccleſiaſt. 506. I.

Agatho creatur Roman. Pontif. 678. II. Celebrat Concilium Romæ contra Monothelitas, & Legationem inde mittit ad Synodum Sextam Occumen. 680. I. Eius definitionem Synodus ſequi profeſſa eſt. 681. X. Petiuit ab eodem confirmatio. ibid. XI. Concilium celebrat pro ea. 682. I.

Moritur. ibid.

Agaunenſes martyres ſub Maximiano Herculeo, idem qui Thebæi dicti 297. I. II. Frequens ad eos Fidelium peregrinatio. ibidem. II. Ibi Sigiſmundus Rex Burgund. erigit monaſterium: vbi & ipſe poſt mortem ſepultus miraculis claret, augetque frequentiam peregrinationis. 523. X.

Ager figuli, emptus ex 30. argenteis venditionis Domini, qualis. 34. VII.

Aggregationes ad merita Ordinum, in vſu antiquitatus. 1213. XIII.

Agilulphus creatur Rex Longobard. in Italia. 591. X. Conuertitur ad fidem Cathol. cum tota gente, opera Theodelindæ vxoris ibidem. Exarchatum Rauennæ, & agrum Rom. vaſtat. 595. I. Epiſcopum Mediolani eligere tentans, impeditur à Gregorio Papa 600. IV. Moritur. 615. I.

Agnetis Roman. virg. illuſtre martyrium ſub Diocletian. 303. V. Eadem ad proſtibulum damnata, diuinitus liberatur. ib. Eius fides & caſtitas in Eccleſia celeberrima. ibid.

Agnetis Imperatricis quæ culpa, vt ab ea auferretur cuſtodia Henrici filii pueri. 1062. II. Recipit ſe Romam pœnitentiæ cauſa; & quam piè ibi egerit. ibid. IV. Viſitat monaſterium Caſſinenſe, & dona offert. 1073. X. Mittitur à Gregor. VII. ad Henricum filium, vt eum reducat ad meliorem frugem. 1074. I. ibid. Immobiliter ſemper adhæret Gregorio aduerſus filium. 1075. IV.

Agnoitæ hæretici, Chriſtum ignorationis diei Iudicii accuſantes. 535. X. 563. I.

Agnus-Dei, h. e. Ceræ ſacræ vſus ad tollendam ſuperſtitionem Gentilium introductus, & miraculis confirmatus. 58. XXX.

Agobardus Lugdun. Archiepiſcop. ſcribit aduerſus laicos bona Eccleſiaſt. ſibi vſurpantes. 823. II. Errauit in doctrina cultus Imaginum. 825. V. Reſtituit Antiphonarium nimia ſcrupuloſitate. 831. II. Damnatur in Concilio Villæ Theodoſ. ob coniurationem in Ludouicum Imperatorem. 835. I.

Agon Capitolinus quatuor annorum, conſtitutus à Domitiano Imper. ad numerandos annos 88. In quo differret ab Olympiadibus. ibid. II. Agon, ſiue certamen triplex ab eodem inſtitutum in honorem Iouis. ibid.

Agon Solis ab Aureliano Imp. inſtitutus. 275. III.

Agriculturam damnauit Manes. 277. X.

Agrippa cognomento Herodes, Ariſtobuli filius, Herodis Idumæi nepos, pro ferrea catena, qua vinctus fuerat à Tiberio, donatur aurea eiuſdem ponderis à Caio, & Rex conſtituitur Tetrarchiæ Philippi 39. II. Illuditur ab Alexandrinis. 40. I. Augetur à Caio Tetrarchia Herodis Antipæ. ibid. II. & à Claudio, Iudæa & Samaria. 43. II. Iacobum Zebedæi Apoſtolum, in gratiam Iudæorum capite truncari iubet. 44. I. ac Petrum carceri mancipari, necandum poſt dies Azymorum. ibidem. V. Ob non reiectam blaſphemam adulationem, repente plaga ab Angelo percuſſus, à vermibus corroditur. 46. II. Conuiciis poſt mortem agitatus eſt, & filiarum eius ſtatuæ in lupanaria delatæ. ibid.

Agrippa filius prædicti Agrippæ, donatur à Claudio Imperat. regno Chalcidis 50. I. & à Nerone quatuor aliis ciuitatibus. 56. XIII. In bello Iudaico adhæret Romanis, & recipit ſe Romam, fuitque vltimus Iudææ Rex. 73. II.

Agrippina mater Neronis, Claudium virum ſuum veneno occidit. 56. XIII. Et ipſa à filio Nerone occiditur. 61. III.

Agrippinenſe Concilium aduerſus Euphratem eius vrbis Epiſcopum, cuius ſit fidei 346. III. Reliqua vide in *Colonienſ.*

Agrippinus Epiſcop. Carthag. in Concilio declarat baptiſmum hæreticorum eſſe nullum, & anabaptiſmum inducit. 217. I. Quo tempore vixerit. ibid. & 250. I.

Agulphi monachi Floriacenſis illuſtre martyrium. 674. IV. Virum tranſtulerit in Gallias corpus S. Benedicti è monaſterio Caſſinenſi. ibid.

Aiſtulphus adipiſcitur regnũ Longobard. in Italia. 750. I. Rom. & Imperatoris ditionem deuaſtat. 752. V.

Rogatus à Stephano PP. aduerſus eum Pipinus Franc. Rex, eumdem vincit, obſideſque accipit. 754. IV. Iterum Aiſtulphus Rom. ditionem infeſtat, ipſamque Vrbem obſidet. 755. I. Rurſumque vincitur à Pipino, & cuncta reſtituere compellitur. ibid. II. In venatione diuinitus occiditur. 756. I.

Alamundarus Rex Saracenorum incurſans Palæſtinam, moleſtiam infert monachis. 509. II. Ex miraculis viſis, fit Chriſtianus. ibid. & 513. IV. Tentatus à Seuero hæreſiarcha, egregie illudit eius legatis. 513. IV. Ibid.

Alani inuadunt Gallias, vna cum Wandalis, Sueuis, aliiſque barbaris 407. II. Occupant cum iiſdem Hiſpanias, eaſq; inter ſe partiuntur. 409 V. itemque Africam. 428. I.

Alaricus Rex Gothorum vocatur à Ruffino in deſolationem Orientalis Imperii. 395. VII. VIII. Italiam inuadens, vincitur à Stilicone, ſed proditorie ſinitur abire liber. 403. IX. Vincit paulopoſt Rom. exercitum, ſub duce Ethnico militantem. ibid. Vtitur eo Stilico ad transferendum Imperium in filium ſuum, & immenſum aurum ei dari procurat. 408. III. Occiſo Stilicone ab Honorio, obſidet Vrbem; ſed rurſum immenſo accepto auro, recedit. 409. I. II. Mox eamdem iterum obſidet, impellente numine ob Gentilium impietatem. ibid. III. IV. Attalum Arianum creat Imp. eumdemque ad libitum deponit, ac reponit. 410. I. III. Tertio rediens ad obſidionem Vrbis, eam capit, & triduana dumtaxat expilatione tentat, confugentibus ad eccleſias illæſis ſeruatis, vaſiſque eccleſiaſt. intactis. ibid. IV. & ſeqq. In Siciliam traiicere tentans, moritur apud Conſentiam, & in medio amne cum ſuis opibus ſepelitur. 411. I.

Alaricus alius, fili* Euarici, regnat in Gallia. 484. XI. Codicem Theodoſianum, contractum & aliis auctum, per Anianum Cancellarium promulgat. 506. II. Preces pro eo, licet Ariano, fuſæ à Catholicis Epiſcopis in Cõcilio Agathenſi ibid. I. Exilium irrogat quibuſdam Epiſcopis, & mox bello impetitur, occiditurque à Clodoueo Rege. 507. I.

Albertus Henrici Imp. Cancellarius, ex auctore ſchiſmatis in Sedem Apoſtol. creatus Epiſcopus Mogunt. fit acerrimus Eccleſiæ defenſor. 1112. V. Carceri mancipatus ab Imperatore, extrema quæque patitur. ibid. Liberatus à Moguntinis, Henricum in Concilio excommunicat. 1115. II. Adeo eumdem exagitat, vt cogat dare firmam pacem Eccleſiæ. 1121. II. Mortuo Henrico, promouet in regnum, Lotharium Saxoniæ Ducem. 1125. III.

Albienſes hæretici innoteſcunt, ex Manichæis emergentes. 1176. I. Praua eorum dogmata. ibid. II. Conueniuntur publica diſputatione, & conuicti damnatur. ibid. III. Rurſum conueniuntur ſolemni Legatione Romani Pontificis, & Regum Franc. & Angl. & conuicti partim conuertuntur, partim excommunicantur, & pelluntur. 1178. II. Denuo damnantur in Concilio Generali Lateran. ſub Alex Tertio. 1179. III.

Albinus Clodius exercitus Dux in Britannia, arripit Imperium. 195. II. Paciſcitur cum Seuero. & ab eo creatur Cæſar. ibidem. III. Rebellans occiditur in prælio. 199. I.

Albinus, qui & Alcuinus, publice profitetur Eboraci, ſumma laude. 778. III. Vtrum fuerit magiſter Caroli Magni ibidem. IV Libros de Diuinis Officiis, & vulgatæ Scripturæ editionis emendationem, eius hortatu promulgat. V Naſcentem in Scotia aduerſus Confeſſionem peccatorum hæreſim extinguit. VI. Fit Abbas Turonenſis. ibid. Eius obitus quo tempore, & qua ipſius ætate contigerit. 804. III. 835. V. 843. III.

Alboinus Longobardorum Rex, magna potentia, multiſq; aliis diuerſorum populorum auxiliaribus copiis, inuadit Italiam. 568. I. Mediolanum capit, & multas alias ciuitates. 570. II. Ticinum poſt trium annorum obſidionem capit. 571. I. Necatur fraude coniugis. ibid.

Alcimus Auitus. Vide *Auitus Vien.*

Alcuinus. Vide *Albinus.*

Aldebertus impoſtor Gallus, quas hæreſes introduxerit. 743. II. Damnatur variis Synodis. ibid. & 745. I. II.

Alemanni populi vincuntur à Criſpo Cæſ. 320. I. Inuadunt Gallias ſub Gallieno Imp. 263. III. Eaſdemque occupant poſt necem Aureliani: ſed à Probo pelluntur. 280. III.

Inuadunt rurſum eas ſub Iuliano Imp. 364. V. Vincuntur à Valẽtiniano Seniore per Iouinum Magiſtrum equitum. 365. II. Itemque à Gratiano. 378. V.

Alexander Alexandrinus Epiſcopus creatur. 3111. VIII. Athanaſium ſibi ſcribam ſumit. ibid. Arium exuit presbyteratu, & Eccleſia eiicit. 315. XI. Scribit aduerſus eum, eiuſque hæreſes confutat. 318. IX. X. Certiorem de omnibus reddit Rom. Pontificem. ibid. XI. Intereſt Magno Concilio Nicæno. 325. VIII. Moritur, & Athanaſium ſibi ſubrogandum ſignificat. 326. I.

Alexander Antiochenus Epiſcopus creatur. 408. X. Extinguit ſchiſma quo eius Eccleſiæ Orthodoxi per 68. annos inter ſe diuiſi fuerant. ibid. Primus omniũ Orientalium, nomen S. Chryſoſtomi in ſacra Diptycha refert. ibid. Præſtitit iſta, auctore Roman. Pontif. ibid. XI. Moritur. 411. XIV.

Alexander Conſtantinopolitanus Epiſcopus creatur. 317. III. Philoſophum Gentilem aduerſus Religionem diſputantem, ore obſtructo mutum reddit. 325. XIII. Iuſſus à Conſtantino Imperator introducere Arium in eccleſiam, precibus à Deo impetrat infamem Arii extinctionem. 336. VIII. Moritur ſancte. 340. V.

Alexander nobilis ſub Seuero confeſſor, ordinatur Epiſcopus Hieroſolym. 199. III. 213. III. Accuſatur de ordinatione Origenis, & excuſatur. 230. II. III. Martyrio coronatur ſub Decio. 253. XX. Nobilem collegit Hieroſolymis Bibliothecam. ibid.

Alexander ex philoſopho Gentili Chriſtianus carbonarius, diuinitus detectus, à Gregorio Thaumaturgo ordinatur Epiſcopus Comanus. 275. X. Subit martyrium ſub Decio. ibid.

Alexander Papa creatur. 121. II. Latet in Catacumbis Perſecutionis cauſa. 122. III. Ob multos nobiles ad Rom. fidem conuerſos, martyrium conſequitur ſub Hadriano. 132. I. De quibuſdam Eccleſiaſticis eiuſdem decretis, & Epiſtolis. ibidem. II. III.

Alexander II. creatur canonice ex Lucenſi Epiſcopo; ſed quod abſque conſenſu Henrici Regis German. inde ingentes ortæ turbæ, & ſchiſma. 1061. III. Fugit ab Vrbe. ibidem. IV. in fi. Eius electio confirmatur in Concilio Germanico, cui Rex interfuit. 1052. III. Corripit Regem Noruegiæ de exceſſibus. ibid. V. Cenſum exigit à Rege Daniæ. ibid. VI. Celebrat Concil. Lateran. contra ſimoniacos & fornicarios clericos, &c. 1065. V. Rurſum eius electio confirmatur in Cõcilio Mantuano, coram Legatis Regis. 1064. II. Curat res Daniæ, & aliarum Borealiũ prouinciarum. 1067. II. 1068. I. II. Regem Henricum interminatione excommunicationis prohibet repudiare coniugem. 1069. I. Cognoſcit de ſimonia præcipuorum Germ. Epiſcop. 1070. I. Retinet ſemper titulum prioris Eccleſiæ Lucenſis, eiuſque encænia celebrat. 1070. V. ibid. Dedicat omnium celeberrime eccleſiam Caſſinenſem. 1071. II. Apocryſarium mittit Conſtantinopolim. ibidem. VII. Citat Henricum Regem Romam, cauſam dicturum de accuſationibus in ipſum delatis ad Sedem Apoſtol. 1073. I. Eius obitus & miracula. ibid. IV.

Alexander III. creatur inuitus, quamuis præcedentibus prophetiis. 1159. IV. Erecto aduerſus eum Octauiano, ipſe cuſtodiæ includitur; ſed ereptus à populo, conſecratur extra vrbem ſolemni cœtu & ritu. ibidem. VI. Excommunicat Octauianum, eiuſque ſequaces, ipſeque parem ab eo accipit ſententiam. VII. ibidem. Reſiſtit Friderico Imp. præſumenti ſine conſenſu Sedis Apoſt. indicere Concilium. IX. ibidem. In Conciliab. Papienſi damnatur, & Octauianus approbatur. 1160. II. Excommunicat Fridericum, vna cum ſuo Antipapa, eorumque ſequaces. ibidem. VI. Recipitur ab omnibus vbiq; Regibus, vniuerſaque Eccleſia tam Orientali quam Occidentali, præterquam à Friderico. ibid. VII. VIII.

Schiſmaticorum agitatus armis, proficiſcitur in Galliam. 1161. IV. 1162. I. Honoratur etiam legatione Principis Saracenorum. 1162. I

Dolo Friderici, coniicitur in maximum diſcrimen cum Rege Franc. ſed liberatur diuinitus. ibidem. II. III. Reges Franc. & Angl. exhibent ei ſimul obſequium ſtratoris. ibidem. IV. Celebrat Concilium Turone, & ſedem fixam eligit Senonis. 1163. I. II. Sollicitatus à Rege Angl. de conſuetudinibus regiis aduerſus Thomam Cantuar. recuſat damnare Thomam. 1164. II. V Examinatis conſuetudinibus, quaſdam tolerat, plurimas in perpetuum proſcribit. ibidem. IV. VII. VIII. Thomam ſe abdicantem reſtituit. IX. Mortuo Octauiano Antipapa, rogatus à Romanis redit in vrbem, non ſine continuo periculo inſidiarum Friderici. XIII. 1043. & 1165. II.

Aduerſus eum ſtabilitur à Friderico, cum iuramento, Guido Cremenſis ſubrogatus Octauiano. 1166. I. Reſiſtit Regi Angliæ, pro Thoma Cantuar. ibid. III. Preſſus à Friderico, legationem ſuſcipit ab Imperator. Conſtantinopol. pro vnione Eccleſiæ, & repetitione Imperii Occident. mittitque ipſe legatos Conſtantinopolim ibidem. IV. IX. Obſeſſus Romæ à Friderico, clam aufugit Beneuentum habitu peregrini. 1167. I. Circumuenitur dolis Regis Angliæ in cauſa Thomæ, ſed confeſtim medetur in ſcandalo inde aborto. 1167. VI. 1168. II. III. IV. Fridericum Imp. excommunicat, & Imperio deponit. 1168. VII. De eius nomine vocatur Alexandria ciuitas, tunc fundata & ædificata à Longobardis, ibidem. IX. Rurſum multa agit pro Thoma Cantuarienſi. 1169. I. ibidem. & ſeqq. Rogatur à Soldano Iconii de mittendo ad ipſum inſtructore fidei. ibidem. VI. Regem Angliæ adeo terret de excommunicatione & interdicto, vt tandem pacem dare Thomæ coegerit, 1170. III. IV.

Satagit de reductione Armenorum ab hæreſ. 1170. XII. Legatos mittit ad inquirendum de nece Thomæ Cantuar. & pœnitentiam Regi Angliæ Imponendam. 1171. I. ibidem. 1172. I. ibid. Eumdem Thomam ſolemni ritu refert in numerum Sanctorum Martyrum. 1173. I. Præſto eſt Henrico Angl. Regi, aduerſus eius hoſtes. ibidem. III. Rogatur de pace à Friderico. 1176. IV. De pace inter eos inita, duplex narratio, & vera verior. 1177. II. 1085. III.

Venetiis ſolemni ritu abſoluit eum. ibi

V.VI. Refellitur impoſtura de eius faſtu in calcando collo Friderici. ibidem. VIII.

Scribit ad Preteiannum, Regem Æthiopiæ, cum prius ab eo literas accepiſſet. ibid. X. Regreditur in Vrbem 1178. I. Ioannem Antipapam pœnitentem benigne ſuſcipit. ibid. Celebrat Romæ Concilium Generale. 1179. I. Duci Protugalliæ confert titulum Regium. ibid. VII. Probat ſpiritum cuiuſdam prophetiſſæ. 1180. I ibidem Regem Scotiæ excommunicat ob contumaciam, & regnum interdicto ſubiicit. ibidem. II. Nouam expeditionem in Terram Sanctam promouet contra Saladinum. ibid. IV. Moritur. 1181. I. ibidem. De eius Epiſtolis, & Decretis, ibid. I.II.

Alexander Mamææ filius, adoptatur à conſobrino Elegabalo Auguſt. & cunctas ampliſſimas Imperii dignitates vno die conſequitur. 223. I. Eo necato, ipſe omnium conſenſu imperat. 224. I. ibid. Chriſti Imaginem in ſuo larario habuit. eique templum erigere cogitauit, & Chriſtianorum inſtituta imitatus eſt. 224. II. ibidem Locum inter Chriſtianos & popinarios controuerſum, Chriſtianis ad Deum colendum adiudicat. ibid. III. Iudæos quoque bene habet. ib. IV. Præſtantiſſimos ICtos ſibi adhibet conſiliarios & præfectos conſtituit: ſed quod ii infeſtiſſimi eſſent Chriſtianis, inde plures ſub eo facti ſunt martyres, ipſo inſcio. 225. I. II. Mathematicos & Genethliacos publice profiteri voluit, deditus ipſe iis artibus. 227. I. Perſas innumerabili pollentes exercitu debellat, triumphat. 236. II. Occiditur vna cum matre à Maximino Thrace, occaſione auaritiæ matris, vel ob nimiam ſui ipſius in animaduerſionibus ſeueritatem, aut potius in pœnam relegati in exilium Pontiani PP. 237. I. Refertur inter diuos à Senatu. ibid.

Alexander filius Baſilii Maced. Imperat. creatur à patre Cæſar. 870. VIII. Imperat poſt fratrem Leonem Sapientem. 911. III. Miſere perit, diuinitus ob blaſphemias percuſſus. 112. II.

Alexandri, Valentini hæreſiarchæ diſcipuli, blaſphemia de carne Chriſti. 175. X.

Alexander magus in Aſia ſub Antonino Pio, exponit ſerpentem adorandum ſub nomine Æſculapii, & oracula ab eo fingit. 145. VI. Romanum exercitum, falſis reſponſis deluſum, bis internecioni ſubiicit. 163. IV. 171. II. Vermibus exeſus perit. 145. VI.

pſeudo-Alexander quidam, Herodis ſe filium mentiens, in ordinem remigum redigitur ab Auguſto Imperat. 8. II.

Alexandriæ vrbis Ægypti excellentia. 45. XVI. Diripitur à Caracalla Imperat. ob dicteria in eum iactata. 217. II.

Alexandrini ciues natura inuidi. 40. I. Item rixoſi, qui ob leuiſſimas cauſas ſæpe ingentes tumultus ciuerunt. 263. II. Seditionem mouent ob expulſionem Dioſcori Epiſcopi Eutychiani. 451. IV. A dæmonibus verberati, latrant more canum, in vltionem damnationis Concilii Chalcedon. 515. IV.

Alexandrina Eccleſia fundata à Marco Euangeliſta, nomine Sancti Petri Apoſtoli. 45. XVI. 381. IV. Cur primum poſt Romanam locum obtinuerit, & Antiochenæ prælata fuerit. ibid & 419. IX. De eius priuilegiis quid ſtatutum ſit in Magno Concilio Niceno. 325. XXXII. & ſeqq. Perſecutionem patitur ſub Philippo Imperat. à mago quodam excitatam. 252. II Itemque alias immaniſſimas ſub Conſtantio Imperat. à Gregorio Cappadoce intruſo ab Arianis in locum Athanaſii, expulſi. 342. I. & a Georgio, intruſo poſt Gregorium. 356 I.III. Sub Iuliano, ab Arianis ſimul & Gentilibus atque Iudæis. 362. L. Sub Valente, à Lucio intruſo ab Arianis in locum Athanaſii defuncti. 372. V. Sub Arcadio, à Iudæis, qui ea de cauſa, opera Cyrilli Epiſcopi, omnes vrbe penitus ſunt pulſi. 415. VIII. Schiſmate diuiditur ob expulſionem Dioſcori Epiſcopi hæretici. 452. IV. Grauiſſimam patitur perſecutionem à Timotheo Æluro ſedis inuaſore Eutychiano. 457. 545. IV. Eius miſerandus ſtatus, cum eo confugerent hæretici aliunde expulſi. 519. XI. Rurſum turbatur factionibus contrariis Epiſcoporum hæreticorum. 535. VIII.

Alexandrino Epiſcopo cura Paſchalis Cycli quotannis conficiendi, à Concilio Niceno data: & quamdiu is mos perdurarit. 325. XXX. Alexandrini Epiſcopi contendebant, ad ſe ſpectare eius conſtituendi Epiſcopos Chriſtianopolitan. 381. VIII. 397. XX. Quæſtionem etiam mouent Antiochenis vt illos ſibi ſubiiciant. ſed cauſa. 439. IX. Eorum ſumma Alexandriæ auctoritas, in rebus etiam ſæcularibus. 412. IX. An fuerit iis à Cæleſtino Papa conceſſus titulus Iudicis Vniuerſalis. 430. III. Alexandrini Epiſcopi ſoliti à Roman. Pontif. iudicari, confirmari, excommunicari, & deponi. 163. V. 340. II. 377. I. 404. VI. 407. VII. 451. XV. 487. II. 482. II. 483. I. 558. III. 484. IV. Itemque ab iiſdem Vicariam poteſtatem accipere in rebus ad hæreſes, & vniuerſalis Eccleſiæ negotia pertinentibus accipere. 430. II. III. Non alibi quam Alexandriæ, nec niſi ab Ægypti Epiſcopis & Clero Alexandr. ordinari conſueuerunt. 516. IX. Infregit eam conſuetudinem Anaſtaſius Imperator. ibid. Quo ritu ſuccedere legitime cenſerentur. 535. IV. Eorum ſucceſſio interrupta per hæreticos. ibid.

Alexandria ciuitas conſtituitur in Longobardia, & offertur Sanct. Petro & Eccleſiæ Roman. 1168. IX. Obſeſſa à Friderico Imperat. ſchiſmatico, liberatur diuinitus a S. Petro 1175. II. Augetur Epiſcopatu ab Alexandro PP. Tertio. ibid. III.

Alexandrinum Concilium centum Epiſcoporum ſub Alexandro aduerſus Arium. 315. XI. Aliud Generale ab Oſio Cordub. celebratum aduerſus eumdem Arium, aliaſque in Ægypto vigentes hæreſes. 319. III. Aliud pro electione Athanaſii. 325. I. Poſt reſtitutum Athanaſium per Conſtantinum Iuniorem 338. II. Poſt eiuſdem latebras, pro reſtitutione Eccleſiæ Orientalis, laceratæ ab hæreticis ſub Conſtantio Imperat. 361. XXXIX. Eius geſta confirmantur a Liberio Roman. Pontif. cuius etiam auctoritate celebratum fuerat. ibid. XLIV. Aliud ſub eodem Athanaſio, è quo miſſus libellus fidei Orthodox. ad Iouianum Imperat. eum expetentem. 363. XIX. Sub Theophilo, aduerſus Origeniſtas. 399. VII. Sub Cyrillo, aduerſus Neſtorium. 430. V. Sub Proterio, aduerſus Eutychianos. 453. IV. Pro electione Ioannis Talaidæ Orthodoxi, contra eoſdem hæreticos. 482. II. Conciliabulum Cyri, quo via aperta eſt hæreſi Monothelitarum. 633. II.

Alexius Comnenus, detruſo in monaſterium Nicephoro Botoniata, imperat in Oriente. 1080. XVII. Ingenti prælio ſuperatur à Roberto Duce Northmannorum. 1081. V. Promulgat bullam auream de ornamentis eccleſ. non auferendis, pœnitens de eiuſmodi à ſe facta expilatione. 1081. IV. Petit auxilium à Latinis, aduerſus Saracenos. 1095. I. 969. IV. Impedimento eis eſt in Oriente, ex inuidia, & magis fauet Saracenis. 1098. IV. 1101. III 1118. XIII Quærit à Romano Pontifice coronam Imperii Occident. aduerſus Henricum ſchiſmaticum. 1112. VI. Moritur. 1118. XI. Quæ eius laudanda. vel reprehendenda. ibid. & XII. XIII.

Alexius alius Comnenus, filius Manuelis, adhuc puer ſuccedit patri defuncto. 1180. V. Strangulatur ab Andronico Duce. 1183. V.

Alexius alius quidam falſo aſſertus, Imperium noua arte inuadens, cito dat pœnas ſacrilegiorum. 1193. VII.

Alexius Angelus inuadens Imperium, Iſaacium in ordinem redigit. 1195. IV. Minas accipiens ab Henrico. V. Imp. Occident promittit ei graue tributum annuum: eaque de cauſa inuadit res ſacras & bona eccleſ. 1197. I.

Alfonſus cognomento Catholicus, Hiſp. Rex, multas ciuitates eripit e manibus Saracenorum. 738. II. Moritur glorioſus victoriis, & in cœlū fertur. 757. III

Alfonſus, cognomento dicitur Caſtus, quod cum vxore, ſorore Caroli Magni, continenter vixerit. 783. I. Pellitur regno à patruo, ibidem. Reſtituitur; eiuſque pietas miraculis confirmatur. 790. II. Vincit multis præliis Saracenos. 793. I. Obſequiis & muneribus frequentat Carolum Magnum. ibid. & 798. II. An fecerit ipſe cladem exercitus Caroli in ſaltibus Pyrenæis. 812. IV

Alfonſus, cognomento Magnus, initio regni ſuos theſauros diſtribuit pauperibus & Eccleſiis. 861. VII. Illuſtratur victoriis aduerſus Saracenos. 905. IV. 908. IV. Curat encænia Eccleſiæ Compoſtel. 900. V. Ob longum eius regnum, tædio affectus filius in eum inſurgit, ipſe vero ei cedit. 908. IV. Militans ſub filio vt dux exercitus, præclaram de Saracenis adipiſcitur victoriam. 912. V. Moritur. ibid.

Alfonſus, cognomento Monachus, creatur Rex Hiſpan. 924. III. Sponte ſe abdicans, fit monachus; & rurſum tumultuans, excæcatur. 932. III.

Alfonſus V. Curat optimam diſpoſitionem Eccleſ. & Regni Hiſpan. 1012. IV. Necatur in prælio aduerſus Saracenos, magno Reipubl. damno. 1017. V.

Alfonſus VI. à fratre Sancio carceri mancipatus, liberatur ope S. Petri Apoſtoli, per preces Hugonis Cluniac. 1074. VIII. Munera accipit à Gregorio PP. VII. mittitque. 1079. VI. ibidem. 1080. XII. Correptus ab eodem de non recepto Ordine Rom. aliiſque exceſſibus; obedientem ſe præſtat. 1080. XI. XII. Toletum recuperat à Saracenis. ibidem Sæpius eos vincit. 1093. IV. Studioſiſſimus Cluniacenſium, eccleſiam ædificat; & cœpit fieri monachus, ſed impeditur ab Abbate. ibid.

Alfonſus Primus Dux Portugalliæ, offert Ducatum ſuum S. Petro & Eccleſiæ Romanæ ſub cēſu annuo. 1144. II. Augetur ab Alex. PP. III. titulo regio, ipſe que pariter cenſum auget. 1179. VII.

Alienatio bonorum Eccleſiæ prohibita ab Odoacre Rege Italiæ. 483. I. Eius conſtitutionem, licet bonam non tamen legitime factam, irritat Symmachus Papa: ipſamque alienationem prohibet ipſe auctoritate Eccleſiaſtica. 502. V. VI. Edicit quoque aduerſus eam Iuſtinianus Imp. 535. I. Nulla quantumuis pia occaſione aliquando licere, declarauit etiam Agapetus Papa ibidem. XVII. Prohibeturque id ipſum Epiſcopis ſub anathemate in Concilio Florent. ſub Victore Secundo. 1055. I.

Alipius Auguſtini ſocius, baptizatur cum eo à S. Ambroſio. 388. IX. Quam ſanctam vitam cum eodem Auguſt. egerit in Africa. 389 I. Peregrinatur Hieroſolymam, & ami citiam conciliat inter SS. Auguſt. & Hieronymum. 394. IX. Creatur Epiſcopus Tagaſtenſis. 394. IX. Vnus eſt ex ſeptem præcipuis delectis ad diſputandū in Collatione aduerſus Donatiſtas. 411. III. Mittitur Legatus ad Honorium Imperatorem aduerſus Pelagianos. 419. VI.

Alleluia vocis antiquus in Romana, aliiſq; Eccleſiis vſus. 384. IV. Eadem voce olim monales ad Synaxim vocari ſolitæ. 58. XLI. Eam non niſi in Paſchate canendam, dixit Vigilantius. 406. VII. In Quadrageſima etiam cecinerunt Græci ſchiſmatici. 1053. V.

Alluuiones Tiberis portentoſæ. Vide *Tiberis*.

Alluuione Veronæ ingens miraculum in eccleſia S. Zenonis. 589. IV. Alluuiones maris. Vide *Mare*.

Almachius qui & Telemachus, Gladiatorum pugnas impedire nitens, fit martyr. 404. II.

Alogi hæretici, Chriſti diuinitatem negarunt, &c. 196. III.

Altaria plura etiam olim in vna eccleſia. 57. XXXII. 596. II. De Altaris euerſione fit quæſtio aduerſus Aſclepam Epiſcopum Gazenſem. 347. VIII. Altaria Catholicorum raduntur à Donatiſtis, aut lauantur aqua ſalſa, in deteſtationem communionis eorum. 262. LV. Altarium denudatione, vindicta experiri à Sanctis ſolita de Eccleſiarum expilatoribus, quod tamen poſtea verſum ob abuſus. 683. V. Altaria à Schiſmaticis erecta, diruuntur iuſſu Alexand. PP. Tertii. 1177. IX.

Altiuenſis Synodus ſub Paulino Aquileienſi, ob cæſum Patriarcham Gradenſem. 802. III.

Amalarius Fortunatus componit libros de Eccleſ. Officiis, eorumque cauſa mittitur à Ludouico Pio Imp. ad Gregorium. IV. Papam. 831. II. Amalaſuentha filia Theodorici, poſt eius obitum, regnum Italiæ pro Athalarico paruulo filio prudentiſſime adminiſtrat. 526. VIII. Iuſtinianum Imp. aſſiduis officiis demeret. 527. III. A Theodato Rege ingratiſſimo relegatur, & obtruncatur. 534. VI. In eius vltionem Iuſtinianus bellum parat in Gothos. ibid.

Amandus Traiectenſis Epiſcopus ob reprehenſum Dagobertũ Regem de inceſto connubio, pulſus ab eo prædicat Euangelium diuerſis populis. 652. II. Reuocatur ab eodem, & flexis genibus rogatur de venia. 659. VI. Flãdrorum Apoſtolus dictus. 661. I. Moritur. ibid.

Amatus Olorenſis Epiſcopus Legatus Apoſtol. Sedis, male habetur ab Epiſcopo Pictauienſi. 1075. III. Mittitur à Gregorio PP. VII. Legatus in Hiſpaniã pro iuribus Rom. Eccleſiæ. 1077. IX. Itemq; in Minorem Britanniam, ad Concilium celebrandum contra falſas pœnitentias. 1079. VI. Ambroſius miſſus ad gubernãdam Inſubriam, Liguriam, & Æmiliam, prophetice à Probo P. P. iubetur eas adminiſtrare vt Epiſcopus. 369. V. Auxentio Mediolanenſi defuncto, ipſe diuinitus renunciatur Epiſcopus, & licet diu reluctans, fugienſque ordinatur. 374. I. II. Eius electio, quamuis adhuc catechumeni, probata Occidentalibus & Orientalibus. ibidem III. Accipit à Damaſo PP. adiutorem Simplicianũ presb. Rom. ibidem. Vitam monaſticam iungit cum muneribus clericalibus. ibid. Egregia eius vitæ inſtitutio, & vigilãtia in Epiſcopatu. ibid. IV. A tribus rebus perpetuo abſtinuit. 374. IV. Componit clerum, & corrigit multos prauos vſus. 377. V. Reſiſtit Iuſtinæ Aug. Arianæ, in electione Epiſcopi Sirmienſis, & præualet. 380. IV. Obſtat item apud Gratianũ Imp. ne Synodus Oecumenica Arianis concederetur. ib. Manus in eum iniiciens Ariana virgo, miſere perit. ib. Reiicit Priſcillianum hæreſiarcham ad ſe venientem. 381. XIV. Poſt Gratiani necem miſſus Legatus in Gallias ad Maximum tyrannum, cohibet eum ne in Italiam irrumpat. 383. V. Pœnam interdictionis comminatur Valentiniano Imp. ſi concedat Symmacho reſtitutionem cultus deorum. 384. I. Reſiſtit Iuſtinæ Aug. Eccleſiam Arianis tradere conanti. 386. IV. Renuit diſputare de fide in Conſiſtorio Imperatoris. ibid. V. Ad aures eius viſus loqui Angelus. ibid. Variis iterum modis vexatur, & necari tentatur à Iuſtina, ſed conſtantiſſime reſiſtit, & diuinitus vincit. 387. I. & ſeqq. Conſortatur viſione Sanct. Pauli, & inuẽtione corporum SS. martyrum Geruaſii & Protaſii. ibid. IV. Ab ipſo dæmones ſe torqueri, coguntur fateri. ibid. Rogatus à Iuſtina iterum adire Maximũ, haud adeo felici legatione fungitur. 387. V. Noluit communicare cum Maximo, eiuſque Epiſcopis Ithacianis. ib. Ingraſſatione Maximi in Italiam ad redimẽdos captiuos, & ſubleuandos egenos, vaſa ſacra confringit. ib. VII. Baptizat S. Auguſtinum. 388. IX. Theodoſium Imp. ob cædem Theſſalonicenſem, Eccleſia pellit, & poſt actam pœnitentiam reſtituit. 390. I. Ad famam eius, ſapiẽtiſſimi Perſarum veniunt exploraturi eius ſapientiã. ib. IV. In Concilio Mediolanenſi, auctoritate Siricii PP. damnat Iouinianum hæreſiarcham. 390. VII. Cogit Theodoſium retractare legem de bonis viduarum non relinquendis Eccleſiis. ibi. IX. Iterum reſiſtit Symmacho, repetenti à Valentiniano Gentilia ſacra. 392. I. Eugenium tyrannum arguit de reddita Gentilibus Rom. Ara Victoriæ. 392. IV. Commendat ei Theodoſius moriens filios ſuos. 395. III. Rogatus à Regina Marcomannorum, mittit ad eum, epiſtolã catecheticam. 396. II. Moritur & multis diuinis viſionibus, aliiſq; ſignis, in obitu, & poſtea honoratur. 397. VII. VIII. IX. Eius ætas. ibid. X. Scripta tam vera quam ſpuria. ibid. XI. Apparet multis, diuerſiſque locis, poſt obitum, & dæmones torquet. ibid. IX. An mortuus ante S. Martinum. ib. VII. Apparet minax Conrado Imp. 1037. I.

Ambroſius hæreticus, ab Origene conuerſus, ei omnia neceſſaria ſuppeditat ad Scripturæ interpretationem. 217. III.

Ambroſius Aurelianus in Britannia purpuram ſumens, eam inſulam ab ingruentibus barbaris liberat, & Eccleſiaſticam diſciplinam reſtituit. 477. VI.

Amiras, nomen Principatus Arabum Mahometanorum, ſiue Saracenorum 633. I.

Ammianus hiſtoricus Ethnicus, teſtis ſupremæ Rom. Pont. auctoritatis in Eccleſia. 355. VII. Carpit regium ſplendorem eiuſdem. 367. IV. Præ aliis auctoribus Ethnicis, moderator in laudibus Iuliani Apoſt. 363. XVI. Eius calumniæ in Iouianum Imp. refelluntur. 363. XVIII. ibid. In Chriſtianos Principes parum æquus. 383. IV. & alibi ſæpe arguitur de ea re, deque mendaciis in rebus Chriſtianorum.

Ammonius Alexand. Philoſophus Chriſt. contexuit Harmoniam Euangelicam. 31. II. Confuſum id eius opus cum Diateſſaro Tatiani hæreſiarchæ. 174. III. Publice profeſſus eſt Philoſophiam Alexandriæ, habuitque inter alios Ethnicos, auditorem Plotinum. 234. II. Calumniam paſſus à Porphyrio, quod deſciuerit ad Ethniciſmum. ibid.

Amphilochius Iconii Epiſc. exigit à S. Baſilio commentarium de Spiritu Sancto. 317. V. Falſo ei adſcribitur Vita Baſilii quæ extat ſcatens mendis. 363. XIII. II. Intereſt Concilio Conſtant. in Encæniis. 394. VII. Scripſit multa ibid.

Amphitheatri Fidenatis caſu, quinquaginta millia hominum obtrita. 29. II.

Ampulla Chriſmatis à Donatiſtis proiecta, ab Angelis illæſa ſeruata. 362. IV. Alia cœlitus miſſa ad vnctionem Clodouei primi Francorum Regis Chriſtiani, & ſucceſſorum eius. 499. V.

Amuletum veterum Chriſtianorum, Euangelii geſtatio. 232. III. 604. I.

Amuleta portentoſa Baſilidianorũ. 120. VII.

Amuleta morborum prohibita à Caracalla. 218. II. Ea ſumi ex crucibus ſolita. ib

Amuleta ſuperſtitioſa ad morbos, proſcripſit Conſtantius Imp. 358. VI. Itemq; S. Auguſtinus in Africa. 418. VI.

Amuleta ſacra mittit Gregorius Magn. ad infantulum regium Longobard. 604. I.

Anabaptiſm⁹ introductus à Marcione 146. VII. itemque ab Agrippino Carthag. 217. I. Reliqua vide in *Rebaptizatio*.

Anabaptiſtæ vltimo ſupplicio damnati à Theodoſio Iuniori. 413. VI. Anachoretarum monachorum princeps Paulus Thebæ⁹, ſeu potius auctor Io. Baptiſta, vel etiã Elias Propheta. 328. VI. 340. III.

Anachoreticam vitã agit Narciſſus Epiſc. Hieroſol. ſub Seuero Imp 199. III. Fuerunt etiam eiuſmodi monachi in Occidente tempore perſecutionum. 340. III.

Anachoretæ genuerunt cœnobitas, & vice verſa ſæpe ex cœnobitis facti anachoretæ ib. Eam vitam reſtituit, & mire propagat Romualdus Reuennas. 974. II.

Anacletus Papa, confuſus à nõnullis cum Cleto. 69. XV. Sedet poſt Clementem. 103. II. Erigit Romæ in Vaticano eccleſiam in honorem S. Petri. 106. II. Martyrio coronatur ſub Traiano. 112. II.

Anacletus II. dictus Petrus Leonis Antipapa, intruſus aduerſus Innocentium II. 1130. I. Vide *Petrus Leonis*.

Ananiæ & Saphiræ duplex peccatum in retinenda parte pretii agri venditi. 34. LXXVI. Quale ſuppliciũ inde luerint. ib.

Ananias Diſcipulus Domini colligit Eccleſiam Damaſci. 35. I. Baptizat Paulum Apoſtolum. ibid. II.

Ananus Summus Iudæorũ Pontifex, quinque filios habuit qui eamdem dignitatem conſecuti ſunt, ideoq; exiſtimatus omnium hominum feliciſſimus. 62. I.

Ananus, idem qui Anna Vide in *Anna*.

Anaſtaſia dicta eccleſia Conſtantinopoli à Gregorio Naz. erecta aduerſus Arianos. 378. XIV. Maioribus ſpatiis dilatatur à Marciano Oeconomo, & ſolemniter dedicatur in conuentu Epiſcoporũ. 459. II. In prodigioſo incendio vrbis, diuinitus ſeruatur illæſa. 465. I.

Anaſtaſiæ feminæ Senatoriæ diuturnum martyrium in perſecutione Diocletiani. 303. XIII. Roborata à Chryſogono martyre ibid. Epiſtolæ vltro citroque ab iis ſcriptæ ib. Anaſtaſia alia nobiliſſ. vidua, in monte Oliueti viuit monacha. 419. V.

Anaſtaſius I. creatur Rom. Pont. 398. I. Damnat Origenis errores, vna cum ipſo auctore. 400. V. itemq; Ruffinũ, eorumdem errorum diſſeminatorem. 401. I. Prouidet Eccleſiæ Africanæ, aduerſus Donatiſtas. 401. IV. V. Moritur. 402. XI. De eius Epiſtolis Decretalibus. ib. XIII.

Anaſtaſius II. creatur. 496. VII. Legatos mittit in Orientem pro pace Eccleſiæ. 497. I. ibid. Defenditur a calumniis de communicatione cum Acacianis. ibi. II. Moritur, iterumque defenditur de genere mortis. 498. I. ibid.

Anaſt. III. ſedet. 910. I. Inſignia confert priuilegia Eccleſiæ Tricimenſi. ibid. Moritur. 912. I. Anaſt. IV. creatur ex Epiſcopo Sabinenſi. 1153. II. Nimiæ facilitatis in Fridericum Imp. Arguitur. 1154. I. Cito moritur. ibid. II.

Anaſtaſius Cardinalis tit. S. Marcelli presbyter excommunicatur & deponitur in Concilio Rom. ob deſertã per plures annos parochiam. 853. IV. Factione Ludouici Imp. intrudit ſe in ſedem Pontificiã in electione Benedicti, ſed reſiſtentibus Clero & populo expellitur. 855. V.

Anaſtaſius Imp. creatur ab Ariadna Aug. ex Silentiario nondum Senatore. 491. II. Extorquet ab eo Euphemius Epiſc. profeſſionem fidei Cathol. Comminatione redigendi eum in ordinem monachorum. ibid. Eius initia probat aufertque tributum Chryſargyrum. ibid. III.

Mox

Mox in prauum mutatus, capaciſſimum ſe & impiiſſimum exhibet ibid. IV. Prohibet de Concilio Chalcedon. diſputare, & ſectatur hæreſim Acephalorum, vel etiam Manichæorum 4[illegible] IV. Eius ſtatuæ, & coniugis, ſeditione plebis trahuntur funibus per vrbem. 493. VI. Perſequitur Catholicos. 499. III. Pacem auro redimit à Bulgaris. ibid. Dicteriis a populo Conſtantinop. & contumeliis vt hæreticus iactatus in ſpectaculis immittit in eos milites. 501. II. Excommunicatur ob hæreſim à Symmacho Papa. 502. V. Exagitat Macedonium Epiſcopum Cõſtantinop. aliosque Orthodoxos. 505. II. 506. IV. ibi. 510. II. Ob profanas ab eo pictas imagines, tumultus excitatur. 506. IV. Offert Conſulatum Clodoueo Francorum Regi, qui eum reſpuit. 508. I. Macedonium [illegible] relegat, populum Conſtantinop. diuexat; & Acta Concilii Chalcedon. comburit. 511. I. Vbique perſequitur ſanctiſſ. viros. ibid. II. Inſurgit in eum populus Conſtantinop. pro defenſione fidei, & aliquamdiu quieſcere facit. 512. I. Impiiſſimum Seuerum in ſedem Antioch. intrudit. 513. I. Inſurgente aduerſus eum Vitaliano, ſimulat pœnitentiam, & conuocationem Synodi Oecumenicæ, cui Romanus Pontifex intereſſet. 514. VIII. Deludit Legatos Hormiſdæ Papæ. 515. II. ipſumque etiam Hormiſdam. 516. I. ibid. Alios eiuſdem Pont. Legatos peſſime habet, ipſumque Pontif. litteris contumacibus impetit, & perſecutionem in Orthodoxos auget 517. II. III. Terretur inſomniis, quorum vno ſignificatum ei eſt, 14. annos vitæ eius deleri ob hæreſim. 518. I. Oraculo edoctus, ſibi pereundum igne, tandem fulmine extinguitur ibid. Ad iudicium coram Deo adductus cum euocantur Epiſcopi Antioc. & Hieroſ. ab eo fidei cauſa exules facti. ib. II. Eius nomen è Diptychis abraditur. ibi. & 519. III.

Anaſtaſius II. antea dictus Artemius, ex miniſtro à Secretis Imperatoris, euehitur in Imperium. 712. II. Deponitur à Theodoſio IV. & monaſterio includitur. 715 II.

Anaſtaſius Bibliothecarius S. R. E. auctor libri de Rom. Pont. qui fertur ſub nomine Damaſi. 45. XIII. 69. XIV. Idem admodum corruptus in notis temporum. ib. XIV. Scripſit etiam librum de Munificentia Conſtantini. 324. XXI Vertit è Græco in Latinum Hiſtoriam Miſcellam dictam, quæ vulgo tribuitur Paulo Diacono. 396. III. 408. I. quid in ea verſione præſtiterit. 813 III. Quo vſque perduxerit Vitas Rom. Pontiff. 867. XV. Miſſus à Ludouico Imp. ad Baſilium Aug. pro fœdere nuptiarum, intereſt Octauæ Synodo Oecumen. 869. VIII. Eius Acta in Latinum vertit, defertque Romam. ib. XIV. XV. Mittit ad Carolum Caluum Imp. Vitam S. Dionyſii Areopag. 876. V.

Anaſtaſius creatur Hieroſ. Epiſcopus, præcedentibus prophetiis. 458. VI Calumniam patitur à Zacharia Rhetore, de abrogatione concilii Chalcedon. 476. V. Moritur. 477. V.

Anaſtaſius Iconoclaſta intruditur Epiſcopus Conſtantinop. in locum S. Germani expulſi. 730 I. Reiicitur cum ſua Synodica à Greg. Papa, & excommunicatur ibid. Pandit horrendam blaſphemiam Copronymi Imp 742. II. Ab eodem publice cæditur, & deluditur, ac nihilominus in thronum reſtituitur, quod non eſſet ei par alius impietate. 743. V. Moritur corpore & anima. 753 II.

Anaſtaſius Sinaita, ex monacho eius montis creatur Epiſcopus Antiochenus. 561. I. Reſiſtit Iuſtiniano Imp promulganti hæreſim Incorruptibilium. 563. II Damnatus ab eo in exilium, haud pellitur, interueniente Imperatoris morte. 565. I. Calumniis impetitus apud Iuſtinum Aug. in exilium pellitur. 572. IV. Reſtituitur poſt 23. annos. 594. IV. Moritur 599. III. Fuit clarus inter Scriptores. Eccleſ. ibid.

Anaſtaſius Iunior ei ſuccedit in Epiſcopatu. 599. III. Moritur martyr à Iudæis. 609. I.

Anaſtaſius Perſa magus, tranſit ad Chriſtianos, & baptizatur Hieroſolymis, monaſticumq; ſuſcipit inſtitutum. 621. III. Perſas magos, de præſtigiis arguens, capitur, & multis tormentis afficitur. 626. III. Miſſus ad Coſrhoem Regem, eius iuſſu aqua ſubmerſus martyrium conſummat. 627. I. Corpus Cæſare. in Palæſtinæ, Caput Romam cum Imagine defertur, vbique miraculis coruſcans. ibid. & 713. I.

Anathema; dicta etiam excommunicatio. 57. VI. Vide *Excommunicatio*. Ea vox quid ſignificet. 57. XLVIII. Quo ſenſu accipiatur a Paulo Apoſtolo. ib.

Anatolius Dioſcori Alexand. Apocriſarius, creatur ab eo Conſtantinop. Epiſcopus in pſeudoſynodo Epheſ. in locum S. Flauiani deiecti. 449. XI. Petitur eius confirmatio à Leone Papa. 450. II. Offert Legatis Apoſt. Sedis profeſſionem fidei. ib. VI. In Synodo Chalcedonenſi elicit decretum de prærogatiua Eccleſię Conſtantinop. poſt Romanum, reſiſtentibus Legatis Apoſtol. Sedis 451 XXXI Redargutus ea de re à Leone PP. calumnias in eum ſpargit multas, aliaque addit ſcelera. 453. I Faſtum deponit, & mandatis Leonis obſequitur. 454 III. Accepta a Leone Vicaria poteſtate ad recipiendos hæreticos, non recte ea vtitur. 458. II. Moritur. ibid. V.

Anatolii cuiuſdam occaſione, idolis ſecreto immolantis, ingentes editæ turbæ Antiochiæ, & Conſtantinopoli, quibus ipſe tandem beſtiis & viuus & mortuus deuorandus traditus eſt. 581. II.

Anaunenſes martyres, ſub Honorio à Gentilibus ruſticis interfecti. 400. I. Eorum apud antiquos illuſtris memoria: Memoriæque in ipſorum honorem erectæ, à Fidelibus frequentari ſolitæ. ibid.

Ancilia Chriſtiana Iberos conuertit ad fidem. 327. V. Ancillas Chriſt. tradi lenonibus, prohibuit Conſtantinus. 315. IV.

Ancyra metropolis Galatiæ, monſtrorum hæreſium ferax, & altrix 347. XI 373. VI.

Ancyranum Concil. Cathol. quo tempore & qua occaſione celebratum. 314. IX. X. Aliud Semiarianorum, aduerſus perfidam Arianorum formulam Sirmienſem. 357. VI.

Andegauenſe Conc. pro diſciplina Eccleſ. 453. VIII

Andragathius Dux Maximi tyranni, occidit Gratianum Imp. 383. IV. Victo Maximo a Theodoſio, ipſe præcipitem ſe dat in fluctus. 388. VII.

Andreas Apoſtolus fuit cælebs, & maior natu Petro, & prius à Chriſto vocatus. 31. X. Quas prouincias peragrarit poſt diuiſionem Apoſtolorum. 44. XIV. Eius nomine Acta & Scripta ab hæreticis conficta. 44. XXIV. XXV. Acta paſſionis eius corrupta à Manichæis. 69. XIII. Cruce martyrium in Achaia ſubit. ibid. Eius Reliquiæ tranſlatæ Conſtantinopolim. 336. XIII. Inde Brachium Romã à Gregorio Magno defertur. 584. III.

Andreæ Calabyræ, ſiue in Chryſi dicti, inſignis monachi, nobile ſub Copronymo martyrium pro defenſione ſacrarum Imag. 761. I.

Andreas Græcus homo, falſarius & impoſtor, damnatur à Gregorio Papa in Synodo Rom. 601. VI.

Andronicus Præſ. Pentapolis, ob enormia ſcelera excommunicatur a Synodo Ptolemaid. 411 XI. Pœnitens veniam rogans, deponitur ab Epiſcopis ſuo tribunali. ibi. XII.

Andronicus Patricius, ſtrangulato Alexio Imp. puero, occupat imperium Orien. 1183. V. Horrende graſſatur Conſtantinopoli in Latinos. ibid. Horrendam & ipſe vltionem patitur ſuarum crudelitatum. 1185. V. Aliqua eius laudanda qui & [illegible] ibid VI

Anemmius creatur Epiſcop. Sirmienſis à Ambroſio, inuita Iuſtina Aug. 380. I Intereſt Concilio Aquil. aduerſus Arianos. 381. XII. ibid. Itemque Romano ſub Damaſo de turbis Antioch. 382. I

Angelos negabant Sadducæi. Appar. VI. Angelus ſuſcepit in deſerto curam Ioan. Baptiſtæ infantuli derelicti. 1. XIII Angeli præſides templi Hieroſol in Paſſione Domini; & ante defectionem Iudæorum a Romanis, deſerunt templum 34. XXXVIII. 68. XIII.

de Angelorum creatione, & malo mundi per eos moderamine, quid fabularetur Simon Magus. 35. XII. Itemque Baſilides, qui etiam 365. eorum ordines, aliaque plane delira de iis confinxit. 120. V VI. Itemque Saturninus. 120. XI & Carpocras. ibid. XII. Ab iis mundum creatum eſſe, dicebat idem Simon 35. XII. itemque Carpocras, Cherinthus, & alii eiuſdem Simonis diſcipuli. 60. VII. VIII & Borgomili. 1118. XII. Angelum eſſe Deum Hebræorum, eumdemque malum dixit Cherinthus. 60. VIII 97. VII itemque Baſilides. 120. VI. & Saturninus ib. XI. Angelos ſuper Chriſtum extollebat Cherinthus. 60. VIII. Eorum barbara nomina, ad inducendam admirationem, confinxit Baſilides. 120 V. itemque Nicolaitæ. 68. V. & alii impoſtores. [illegible] II. Angelos præfectos eſſe peccatis perficiendis, & oppreſſores bonorum hominum, dicebant Caiani. 145. VIII. De eorum propter homines pugnis, & ipſorum cum hominibus permixtionibus, quid delirarent Sethiani hæretici. ib. IX. Angelorum religionem qualem damnet Paulus Apoſtolus ad Coloſſ. 60. VI & ſeqq. Eos eſſe aſtra, & inde aſtra ſimul & Angelos colendos eſſe, fuit error Iudæorum. 60. VI. ibid. Eorum religioſus cultus in antiqua Eccleſia probatiſſimus ib. IX. X. Qualis eorumdem cultus damnatus in Concilio Laodicenſi. ib XI. Angeli vocari ſoliti ſacerdotes. 5[illegible] XVI. Angeli aſpectu factus d[illegible]gnus Valerianus ſponſus S. Cæciliæ virginis, eius precibus 232. III. Alius ter quotannis ſuffitum facere ſolitus ad Crucem à Conſtantino Mag. erectam Conſtantinopoli. 330. III

Alii noctu flagris cedentes Natalium hæreticum, eum reſipiſcere faciunt 217 I. Angelus liberat Petrum è carcere Regis Herodis. 44. V. Subuenit Gallicano duci pugnanti contra Scythas 330 XI Illæſam ſeruat ampullam chriſmatis à Donatiſtis proiectam. 362. I. V. Loqui viſus ad aures Ambroſii concionantis. 386. V. Corripit Martinum de communicatione cum Ithacianis. 386. VI. ibid. Iubet Chryſoſtomum ordinari presbyterum. ibid. XIII. Vide etiam *Michael Archang.*

Angelos eſſe creatores animarum, aſſeruerunt Hermias & Seleucus hæreſiarchæ. 170. V.

Angeli cuſtodes vrbis Conſtantinop. ſeruant eam ab incendio Gainæ Gothi. 400. VII.

Angeli viſi ſæpe à Chryſoſtomo deſcendere ad adorationem ſacratiſſimæ Euchariſtiæ. 407. VI.

Angelorum adminiſtratione Ardaburius vincit Perſas, pro Theodoſio Iun. Imp. 420. III. in fi.

Angeli ductu Ioannes tyrannus capitur Rauennæ. 42[illegible] I.

Angeli monitu Tiberius Imp. redditur ſecurus de tyrannis. 579. I. Alius in maxima lue Romæ viſus ad proceſſiones

ſacras nudatum gladium in vaginam recondere. 590. IV. In pugna ciuili Regum Fräcorum, euaginatum tenere gladium. 601. VIII. In peſtilentia Italiæ, notare domos eorum qui morituri eſſent. 680. VII. Angelorum ductu victi Saraceni in Hiſpania. 938. I. 998. II.
Hoſtes Poloniæ à Rege Caſimiro. 1041. III. in fin. Pons Auenionenſis à puero confectus. 1177. XV.
Angelorum viſio oblata Leoni PP. IX. de pace Eccleſiæ. 1049. III.
Angelus ponit crucem ſuper ſepulchrũ Sultanæ mortuæ Chriſtianæ. 1169. VI.

Angelica Annuntiatio facta Beatiſſimæ Virgini Appar. XXIII. Qua occaſione accepe it additamentum, *S. Maria mater Dei, ora pro nob.* &c. 431. XXIII. Eius celebrationis tempus, varie ſtatutum aliquando in Hiſpania. 656. III. & in Gallia. 1004. I. Stabilitur vbique eo ipſo die quo fieri contigit. ibid.

Angelici hæretici obſcuri, cito defecerunt. 260 VII.

Angelitæ alii, ſecta Seuerianorum, ſiue Acephalorum. 535. XIV.

Anglia dicta, quæ olim Britannia. Vide *Britannia*.
Facta tributaria Sedi Apoſtolicæ. 740. III. 775. III. 847. VIII. 1155. IV. 1172. II. Miſere deuaſtatur à Danis Ethnicis. 870. IV. 874. III. Liberatur à Rege Ælfredo Magno. 878. XI. Iterum diriſſime ab iiſdem afflicta, liberatur omnibus vna condicta die vbique occiſis. 1011. III. IV. Rurſum occupatur ab iis. 1016 II. Liberatur ab Eduardo Rege. 1041. I. Rurſum eis tributum pendit. 1050. IV. Obtinetur à Northmannis 1066. III. IV.

Angli Britanniam occupant. 595. IX. Conuertuntur ad fidem, opera Gregorii Papæ, per Auguſtinum Abbatem & Epiſcopum. ibid. & 596. II. 597. III. ibid. Conſueuerunt mittere filias ſuas ad monaſteria Galliarum, ſponſo cœleſti copulandas. 640. V. Eorum regnum ex ſacrilegio & iniuſtitia decidit. 684. VI. Frequentes eorum, ſiue Regum, ſiue aliorum quorumcumque, ad Limina Apoſt. Romam peregrinatio. 689 I. 699. II. 704. II. 717. V. 726. XI. itemque Compoſtellam. 1123. I. Multi eorũ Reges facti monachi. Vide *Monachi ſponte*.

Anglicanæ Eccleſiæ cunabula, a Gregorio Papa per Auguſtinum primum illius gẽtis Epiſcopum, optime inſtituta 601. V. Perſecutionem patitur ab Edualdo Rege Pagano. 613. III. Propagatur in ea fides. 625. III. 266. IV. 634. II. 635. II. 640. V. 644. I. 653. V. 655. II. 68. XVI. Floret admodum ſub Theodoſio Tarſenſi, Archiepiſcopo Cantuarienſi. 668. III. 676. IV. Recipit cantum Eccleſ. Romanum. 679. I. Propagatur in ea monachiſmus. opera S. Benedicti eorum Abbatis. 703. II. Diriſſime vexatur à Danis. 870. IV. 1011. III. De Legationibus Sedis Apoſtol. ad eam mittendis, orta controuerſia. 1117. IV. 1119. III. De regiis conſuetudinibus altercationes. Vide *Conſuetudines* Itemque de aliis diſſenſionibus inter Reges, & Epiſcopos, de libertate Eccleſiæ, vide præcipue in *Anſelmus, Lanfrancus. Thomas Cantuar.* Monachos introducit in Eccleſias, loco clericorum incontinentium. 970. I. IV. 979. II.

Anglicana duo Concilia ſub Auguſtino eorum Apoſtolo, de Britannorum ſchiſmate Paſchatis. 604. VIII. Aliud ſub Theodoro Tarſ. de Eccl. diſciplina. 672. II. Aliud ſub eodem Theodoro, aduerſus Monothelitas. 679. I. Sub Eduardo Rege, pro reſtitutione Eccleſiæ, diſſipatæ a Danis. 894. II. Sub. S. Dunſtano Archiep. contra continentiam clericorum. 970. II.

Aniani Epiſc. Aurel. precibus, Attila victus, & fugatus è Gallia. 451. VIII.

Anicetus creatur Rom. Pontifex. 167. III. Quid ei cum Polycarpo de celebratione Paſchatis. ib. IV. Martyrio coronatur ſub Marco Imp. 175. I.

Anicienſe Concil. in Gallia, pro Innocentio. II. aduerſus Petrum Leonis Antipapam. 1130. VIII.

Aniciorum familia Romæ illuſtriſſima: ad cuius potentiam cognoſcendam, potẽtiſſimi Perſarum acceſſerunt. 390. IV 395. I. Ex ea Probi, & Olybri. 395. I. ibid.

Animarũ tranſmigrationis aſſertores Phariſæi Appar. VI. Earum iudicia ſub terra fieri dicebant. ib. Eas vna cum corporib extingui aſſerebant Sadducæi. ibi. VII. Animas prius peccaſſe in alia vita, hic autem pati ſupplicium, dicebant Baſilidiani. 120. IX. & Origeniſtæ. 415. VII. Earumdem quoq; tranſcorporationem poſt mortem Baſilidiani docuerũt 120. IX. ſicut & Carpocratiani. ibid. XII. & Manichæi. 277. IX. Animas de igne & Spiritu eſſe, eaſque creari ab Angelis, dixerunt Seleucus & Hermias. 170. V. Eas eſſe corporeas, coloratas, & anthropomorphitas, docuit pſeudopropheriſſa Montani. 173. VII. Earum hic ſtatum per traducem propagari, peſſimas autẽ poſt mortem conuerti in dæmones fuit error Tertulliani. 216. III. Animabus ſolis promiſſam eſſe ſalutem, non etiam corporibus, aſſerebant Baſilidiani. 110. IX. itemq; alii qui reſurrectionem carnis negarent, de quibus vide in *Reſurrectio*. Animas cum corporibus extingui, & rurſum in reſurrectione vitam recuperaturas, aſſeruerunt quidam hæretici in Arabia. 149. IV. Anima Chriſtum caruiſſe, ſed pro anima deitatem habuiſſe, docuit Arius. 318. IX. itemq; Apollinaris. 373. III. Animas ex traduce generari, & inſtar corporum ex corporibus, animas ex animabus propagari; dixerunt cum Tertullianiſtis Apollinariſtæ. 373. III. ibid. Eas vero carnis eſſe ſubſtantiam & pariter ex traduce generari, docuerunt Luciferiani. 362. XLVI. De earumdem origine & creatione, male quoq; ſenſerunt Eunomiani. 360. VII. Ea quæſtio difficillima viſa SS. Patribus, & quid tãdem de ea ſentiendum. 415. VII. Animas ſubſtantiæ eſſe diuinæ, docuerunt Manichæi. 277. IX. Priſcillianiſtæ. 381. XVI. Vincentius Victor. 420 II. Animas duas eſſe in homine, aſſeruerunt Manichæi, & Maſſaliani, & quædam abſurda de iis delirarent. 277. IX. 361. IX. Eſſe corporeas, aſſeruit Fauſtus Regienſis. 520. VI. Animæ immortalitas probata ex viſionibus. 411. XII. De earumdem poſt tranſitum ſtatu, multiplices viſiones. Vide *Viſio*. Animas duas ineſſe ſingulis hominibus, aſſeruit Photius Conſtantinop. 863. II. 869 IX.

Animæ nonnullorum ſanctorum hominũ, viſæ in cœlum ferri: Fructuoſi Epiſcopi Tarracon. & ſociorum. 261. VII. Marcellini Presb. Rom. & Petri exorciſtæ. 302. XVIII. Ambroſii Med. 397. IX. Aliæ prauorum hominum viſæ ferri in infernum: Theodorici Regis. 526. VI. Ebroini Maioris domus Franciæ. 685. IV. Pandulphi Principis Capuani. 1038. II. Aliæ per Sanctos viſæ eripi à dæmonibus. Daguberti Regis. 647. II. Hẽrici II. Imp. 1056. I. De Animabus herbarum & plantarum, quid grauiter Manichæi. 277. X.

Animales homines dicebant Valentiniani, medios inter Spirituales & Carnales; & quænam de iis delirarent. 145. II. Ita quoque vocabant Montaniſtæ & Cataphryges, eos omnes qui non ſuſciperent Paracletum, Montani. 201. IV. Eodem nomine appellabant Origeniſtæ Catholicos, & quare. 593. II.

Animata non comedebant Doſithæi. Appar. VIII. neque Nazaræi. ib. IX. Ab iiſdem abſtinuerunt, in odiũ carnis. Marcionitæ, 146. VII. & Tatiani. 174. II. Valeſii quoq;, ſiue Eunuchi, ante abſciſſionem 230. III. Eadem reiecerunt, tanquam immunda, Ebionæi. 74. IV. Saturniniani vero, vt ea virtutis ſpecie plures ſeducerent. 120. XI. Vide etiam *Abſtinentia. Cibi. Carnes.*

Annæ matris Dei-genitricis genus. Appar. XIX. XX. Ea fuit vidua, & vnipara. ib.

Annas princeps Sacerdotum qua ratione dictus ſit à Luca 31. V. Interrogat Chriſtum, eumdemque mittit ad Caipham. 34. XXII. An male ſicut Caiphas, perierit. 57 I. 26. I. Vide *Ananus*.

Anno Colon. Epiſcopus abſtrahit à matre Henricum Regem puerum, & quare. 1062. II. Demãdatur ei a Comitiis Germaniæ, regni adminiſtratio, & Regis educatio. ib. Mittitur à Rege ad Alexandrum PP. pro iuribus regiis in eligendo Ro. Pont. & pro extinguendo Schiſmate Cadaloico. 1064. I. Rurſum petit ipſe Romã pro neceſſitatibus Eccleſiæ ſuæ & ſacras Reliquias inde trãsfert in Germaniam. 1070. II. Abdicat ſe à cura regni quod omnia in Henrico deplorata videret. 1073. II. Moritur, & miraculis illuſtratur. 1075. I.

Annuntiatio. Vide *Angelica Annunt.*

Annuli arrhæ nomine ab antiquis dari ſoliti. 57. XVII. Sponſales quales eſſe ſolerent. ib. Signatoriis vti olim ſoliti Epiſcopi. 142. IX.

Annus certus Natiuitatis Chriſti. Appar. XXX. vſque XXXVII. itemque eius ætatis & Paſſionis. 34. XLIII. &c.

Annorum Mundi diuerſæ ſupputationes. Appar. XXXVI.

Annus Placabilis & Acceptabilis, Prædicationis Chriſti. 31. I. XXIX.

Anni Prædicationis Chriſti quomodo diſtinguantur. ibid.

Annos auctor auſpicatur à Calẽdis Ianuarii. An. nu. VI. & an. 34. nu. LXXXVIII. 562. II. Vide etiam *Chronologia*.

Annorum. 15 periodo, quæ olim abſoluerentur. 312. XVI. Cur totidem annis numerentur Indictiones. ibid.

Annorum numerandorũ ratio per Agones Capitolinos; inſtituta à Domitiano. 88. I. Ab Imperio Diocletiani numerari, uſ ſit ipſe. 284. II. Impp. optime per Tribunitias poteſtates recẽſentur. 150. II. 171. I

Annus milleſimus Vrbis celebratus ſub Philippo Imp. 249. I.

Anni numerari ab Incarnatione Domini primum cœpti à Dionyſio Exiguo, & quando id contigerit. 527. VIII. A martyrum ſub Diocletiano paſſorum tempore numerare ſoliti Ægyptii. ib. Alii, ab Ædificatione Ro. Eccl. 536. IX. Galli, ab obitu S. Martini. 351. VII. Græcorum ſupputatio diuerſa à Latinis. 610. III.

Annos per Imperatoris, Indictionis, & Cõſulum nomina, conſignari voluit Iuſtinianus. 557. III. 541. I

Anni Impp Occid. poſt tranſlationem Imperii, cœpti tantummodo numerari à tempore coronationis per Rom. Põtifices. 881. II 888 III. 983. II. in fin. 1002. I.

Anomiani, ſiue Anomæi hæretici, (qui & Aetiani, & Eunomiani) ita dicti quod Filium Patri Diſſimilem aſſererẽt. 360. XI. Damnantur in Concilio Conſtantinop. Oecumenico. 381. IV. Anſegiſus Abbas Lobienſis, Caroli & Ludouici Regum Franc. & Impp. Capitula in vnũ colligit. 779. VI 845. VI. Anſegiſus Senonis Epiſc. creatur à Ioan. PP. XIII. Primas vniuerſarũ Gall & German. ſed reclamant ceteri Metropolit. 876. II.

Anſelmus Epiſcopus Lucenſis, creatur Papa Alexander Secundus. Vide *Alex. II.*

Anſelmus alius Lucenſis item Epiſcopus electus, inueſtituram per anulum & baculum accipiens à Rege, pœnitet, & fit monachus Cluniacenſis. 1073. XIV. Reuocat' à Gregorio VII. legitime pro-

moueτur

mouetur ab illo. ibid Eius pietas, & aliæ virtutes. ibid. Datur in patrem ſpiritualem Mathildi Comitiſſæ à Gregorio. 1074. IV. Pellitur ab Eccleſia ſua a diſcolis clericis. ibid. VI. Scribit fortiter pro Gregorio aduerſus Guibert. Antipapã. 1080. VI. Legatione Apoſtol. fungitur ad abſoluendos ſchiſmaticos pœnitentes. 1084. VI Moritur, & miraculis illuſtratur. 1086. III. Eius ſcripta. ibid.

Alia ad ea poſt eius obitum appoſita. 1099. VI.

Anſelmus ex Abbate Beccenſi creatur Archiep. Cantuarienſis. 1093. V. E Curia Regis pellitur, ob denegatam pecuniam pro ſua promotione. ibid. Mittit ad Rom. Pont. ſcriptum ſuum de Incarn. Verbi aduerſus quemdam hæreticum Sabellianum. 1094. III. Perſecutionem à Rege, & aliis Epiſcopis; paſſus ob defenſionem Vrbani Papæ: reconciliatur: ſed rurſum exagitatus, proficiſcitur ad eundem Vrbanum. 1095. VII. In Concilio Barenſi confutat Græcos. 1097. XLVI. Maxime honoratur ab Vrbano, aliiſque omnibus. ibid. & 1098. II. Mira eius obedientiæ humilitas. 1098. II. Recedens ab Italia, habitat Lugduni. ibid. Poſt mortem Guill. Regis, reuocatur ab Henrico; ſed mox contendunt in cauſa inueſtiturarum laicarum. 1100. VIII. Conſulto Paſchale Papa, in Concilio Londin. damnat eas. 1101. I. II. 1102. II. Romam à Rege miſſus pro eadem controuerſia, cum nihil mutaſſet de ſententia, in reditu iuſſus abſtinere ab Anglia, ſe iterum Lugdunum recipit. 1103. I. Reuocatur à Rege, iam inueſtituris renuntiante. 1107 II. Moritur. 1109. II.

Anſgarius monachus Corbeienſis nominatus Apoſtolus Danorum, ob eam gentem ad fidem conuerſam. 826. V. Creatur primus Archiepiſcopus Hamburgenſis, & omnium illarum regionum Aquilonarium, & Vicarius Apoſt. Sedis in eis conſtituitur. 832. III.

Anterus creatur Rom. Pontifex. 237. VI. Martyrio coronatur ſub Maximino Thrace. 238. I.

Anthemius mittitur à Leone Thrace Imperator Occidentis. 467. I. Secum ducens Macedonianos hæreticos, iuramento publico adſtringitur ab Hilaro PP. de iis compeſcendis. ibi. Inſidus impetitur Ricimeris Gothi generi ſui, ſed rurſum pax componitur inter eos. 471. IV. Paulo poſt occiditur eiuſdem proditione. 672. II.

Anthimus Epiſcop. Nicomed. martyr ſub Diocletiano. 302. V.

Anthimus Epiſc. Tyanenſis diſſidet cum Baſilio Magn. de limitibus diœceſeon. 371. VI.

Anthimus ex Trapezunte Conſtantinopolim translatus Epiſcopus à Theodora Aug. in excidium Eccleſiæ Orientalis. 535. VII. Nefandus licet hæreticus, tamen profitetur ſe in omnibus aſſenſurum Apoſt. Sedis ſententiæ. ibid. XIV. Hæreticus Eutychianus detectus, deponitur ab Agapeto Papa, & reſipiſcere à Seuero impiiſſimo impeditus, excommunicatur. 536. V. VI. Rurſum damnatur in Concilio Conſtantinop. ſub Menna. ibid. X. Relegatur à Iuſtiniano Imp. in ſolitudinem, eiuſque ſcripta comburuntur. ib. XI.

Anthropomorphitæ hæretici, ab Audæo hæreſiarcha orti, Deum humana eſſe forma dicebant. 341. XII. Idemque aſſeruerunt Bogomili. 118. XII. Ea hæreſis falſo ab Origeniſtis tributa Catholicis. 393. II. 400. IX. Anthropomorphitam eſſe animam, aſſeruerunt quidam Montaniſtæ. 173. VII.

Anthuſa filia impiiſſimi Conſtantini Copron. Imp. monaſticum induit habitum & ſancte quieſcit. 775. III.

Antichriſti tempora aduenisse exiſtimata à Patribus, quandocumque noua emergeret hæreſis, aut ingrueret perſecutio. 57. LIV. 204. I. 255. V. 259. II. 1106. IV. De eius aduentu poſt annum Chriſti milleſimum, vana eius tẽporis aſſertio. 1001. I. 889. aliaque item ſub Paſchale PP. Secundo. 1105. IV. Antichriſtus fuiſſe Nero creditus à nonnullis, ab aliis venturus Antichriſtus. 70. II. De Antichriſto ſcripſit priſcis temporibus Hippolytus Epiſcopus & martyr. 229. II. Antichriſti imaginem ſumpſiſſe Conſtantium Imp. de rebus Eccleſ. iudicare præſumentem, Athanaſius ſcripſit. 355. III.

Antidicomarianitæ hæretici perpetuam B. Mariæ Virginitatem infamabant. 48. IV. 373. V.

Antinous puer ab Hadriano Imp. cui erat in deliciis relatus inter deos magno Gentilitatis dedecore. 131. V.

Antiochia Syriæ, totius Orientis metropolis. 39. VI. Diriſſimo terræmotu concutitur ſub Traiano Imp. in vltionem necis S. Ignatii Epiſcopi. 117. III. itemque per annum quatitur ſub Conſtantio, ob frequentes Arianorum conuentus aduerſus Orthodoxos ibi habitos. 340. X. Aliis inſuper horrendis terræmotibus ſæpe quaſſatur. 458. IV. 525. III. 528. II. Diuino remedio ſeruata ab vno eiuſmodi tremore, nomen accepit vt diceretur Theopolis. 528 II. ib. Capitur à Coſrhoe Perſarum Rege, & incenditur. ib. & 540. VIII. Ob corruptos mores, & doctrinæ deprauationem, meruit tot atteri cladibus. ibid. Reſtituitur à Iuſtiniano Imp. 542. II. Iterum concutitur, & tota Daphne concidit ſub Tiberio Aug. 581. II. Alio rurſum motu, ſexaginta millia hominum pereunt, in vltionem rebellionis populi aduerſus Epiſcopũ. 587. III. Capitur à Saracenis Mahometanis. 637. I. Recuperatur à Chriſtianis Latinis. 1098. IV.

Antiocheni ciues Principum ſæpe iram in ſe concitarunt dicteriis ſuis; puta Hadriani. 130. II. & Iuliani. 362. XXI. Ea de cauſa habet ad eos Iulianus orationem ſuam Miſopogonem. ibid Ob tributum à Theodoſio iniunctum, euertunt ipſius & coniugis ſtatuas; indeque extremam deſolationem expectantes, obtinent veniam interceſſione Flauiani Epiſcopi ſui. 388. I. & ſeqq Iidem abſque labe idololatriæ vtuntur cibis immolatitiis à Iuliano expoſitis. 362. XXVI. Dire ab eo vexantur ob flagrationem templi Daphnitici. ibid. XXV. XXX.

Antiochenam Eccleſiam fundat Petrus Apoſtolus, & in ea ſeptem annis ſedet Epiſcopus. 39. III. & ſeqq. Eius Cathedræ antiqua ſolemnitas. ibid. VI. In ea primum nominati Chriſtiani. 43. III. Et Petrus cedit, & alium in ea ſibi ſubrogat ſucceſſorem. 45. IV. Cur Alexandrinæ poſtpoſita fuerit. ibid. XVI. 439. IX. Ea turbata ob Euſtachii electionem, & quando id contigerit. 324. XXXII. Schiſmate diuiditur inter Euſtathianos & Meletianos, omnes Cathol. eos. 360. IX. Illud ſchiſma componitur certo modo, in Concilio Antioch. 378. X. Sed mortuo Meletio augetur. 381. VII. eiuſque occaſione celebratur Concilium Capuæ. 389. XI. Tollitur tandem omnino ab Alexandro Epiſc. opera Innocentii Papæ: & quamdiu durauerit. 408. X. Eiuſdem Eccleſiæ prærogatiua poſt Ro. & Alex. aſſeritur in Concilio Rom. ſub Damaſo. 382. IV. & in alia ſub Gelaſio. 494. III. Eam ab omni æuo à Romana dirigi & iudicari conſuetam, aſſertum eſt in Concilio Oecumen. Epheſ. 431. XIV. Idque aliis plurimis exemplis confirmatum. 389. XI. 451. XXVII. 453. V. 479. II. 482. I. 483. III. 484. IV. 1136. V. Eam ſibi ſubiicere conati ſunt Alexandrini Epiſcopi, ſed cauſa ceciderũt. 439. IX. Earum limites diſtincti in Magno Concilio Nicæno. 325. XXXII. & c. 435. IX. Eiuſdem cum Hieroſolymitana altercatio, ſopita in Concilio Chalced. & limites vtriuſque conſtituti. 451. XXVI. Agit apud Ro. Pont. pro conſeruatione dignitatis ſuæ aduerſus Conſtantinopolitanam. 453. V. Turbatur ab Eutychianis 479. I. 512. II. Eius Epiſcopus Steph. Iunior, ordinatur præter conſuetudinem Conſtantinopoli, ob turbas vrbis Antiochenæ: ſed ne id amplius fieret, prohibuit penitus Rom. Pont. 479. II. 519. VI. Poſt recuperatam vrbem de manu Saracenorum, rurſum altercatur cum Hieroſolymitana, de limitibus: & quomodo ea controuerſia ſit definita 1108. III. Rebellans Rudolphus Patriarcha aduerſus Sedem Apoſt. compeſcitur. 1136. V.

Antiochenum aſſertum Concilium Apoſtolorum. 58. XLVIII. Antioch. Concilium aduerſus Schiſma Nouatianorum tempore Cornelii PP. 255. I. Primum contra Paulum Samoſ. 266. I. Secundum contra eumdem Paulum. 272. I. Aliud in Encæniis ſub Conſtantio Imp. in quo ſeorſum Euſebiani conuenientes Athanaſium abdicarunt. & quatuor inter ſe diuerſas fidei formulas ediderunt 341. III. Canones ibi ſanciti, haud recepti à poſterioribus Patribus, licet ab aliquibus collectoribus admiſſi. ibi X. 404. V. Aliud ab iiſdem Euſebianis celebrati in quo Fidem μακρόστιχον promulgarunt 344. I. Itemque aliud ad expellendum Meletium Orthod. Epiſcopum. & intro ducẽdũ Euzoiũ hæreticũ. 360. XI. In eo omnium deterrima Fides condita. ibid Sub Iouiano Imp Cath. habitum à Meletio Orthod. in quo Acacius cum ſuis ſubſcribit fidem Catholicam. 363 XX. Ad reſtaurandam Eccleſiam Orientalem perſecutione Valentis Imp. Ariani proſtratam. 378. X. In eo compoſitum ſchiſma eius Eccleſiæ inter Euſtathianos & Meletianos, & legationes ſummis viris iniunctæ ad viſitandas alias Eccleſias. ib X. XI. Sub Theodoſio Magn. aduerſus Maſſalianos. 383. IX. Sub Theodoſio Imp. in cauſa librorum Theodori Mopſueſt. & Diodori Tarſ. 435. II. In cauſa Ibæ Epiſcopi Edeſſeni. 448. VII. In electione Calendionis Epiſcopi, ex quo directa Legatio ad Rom Pont. pro confirmatione. 482. I. Poſt vindicatam ciuitatem à Saracenis, celebratur Concilium aduerſus Rudolphum Patriarcham, ſe extollentem cõtra Sedem Apoſt. 1136. V.

Antiochus Epiſcopus Ptolemaidis, æmulus Ioannis Chryſoſt. dictus & ipſe ob eloquentiam Chryſoſtomus. 400. XV Inhæret Eudoxiæ Aug. & Theophilo Alex. aduerſus eũdẽ Ioannẽ. 403. I. 404. V.

Antiochi inſignes anachoretæ, ſub Mauritio & Heraclio Impp. 597. IV. Alterius Antiochi Abbatis Lauræ Sabæ, inſignes homiliæ de clade Hieroſolymitana ſub Coſrhoe, & captiuitate S. Crucis. 614. IX.

Antipapa. Vide *Rom. Eccleſ. Schiſma.*

Antipas cognomento Herodes. Vide *Herodes Antipas*

Antipas illuſtris martyr ſub Domitiano, cuius meminit Ioannes in Apocalypſi. 93. III.

Antiſiodorenſe Cõcil. diœceſanum, de Eccleſ. diſciplina. 590. XIV. Aliud ab Eugenio PP. celebratũ, de rebus Eccl. 1147. V.

Antitactæ hæretici; ſecta Gnoſticorum. 120. XVIII.

Antoninus Pius adoptatur ab Hadriano Imp. 139. I. Vnde cognomen Pii ſortitus ſit. ibid. III. & 140. III. Mortuo Hadriano, ſuſcipit Imperium. 140 III. Eius manſuetudo laudata. ibid. Vxorem Fauſtinam inter deos refert. 142. II. ibid. Reſcribit pro ceſſatione à perſecutione Chriſtianorum. 154. III. Moritur, & refertur inter diuos. 163. I

Eius æquitate permoti populi quidam barbari, ſe ei ſubdunt. ibid. II. Æquiſſima eiuſdem lex de adulteris. ibid.

Antonini cognomen, commune multis Impp. poſt Pium. 199. I. Voluit Seuerus efficere, vt eſſet deinceps commune omnibus, quemadmodum Augusti. ib.

Antoninus Caracallus, Seueri Imp. filius lacte Chriſti educatur. 195. III. Creatur à Patre Cæſar, & Antoninus dicitur, qui antea Baſſianus. 199. I. Ex SC. creatur à patre Auguſtus. 201. I. Socerum ſuum Plautianum, cum liberis eius necat. 206. I. Patrem diſtricto gladio occidere tentat. 212. III. Patre defuncto, ſuſcipit Imperium vna cum fratre Geta. 213. II. Cur dictus ſit Caracallus. ibid. Getam fratrem in gremio matris occidit: Papinianum IC. & alios quoſcumque patri olim vel fratri charos, obtruncat; & in imum ſcelerum delabitur. 214. I. ibid. Agit neſciens vindictam de ſanguine Chriſt. ſub patre effuſo; nihil ipſe Chriſtianis mali inferens. ibid. II. Veſtales quatuor virgines viuas infodit, quarum vnam ipſe violauerat. 214. II. ib. Parthos dolo ſubigit, & Abagarum Oſthoenorum Regem Chriſt. male habet. 218. I. Per inuocationem dæmonum quærit eludere præſagia ſuæ mortis; qui & magiæ deditiſſimus extitit. ibid. II. Necatur Macrini opera, & refertur inter diuos. 219. I. ibid.

Antoninus Elagabalus, ſiue Heliogobalus, à Solis Sacerdotio dictus Caracalli filius, adoleſcentulus acclamatur à militibus Imperator aduerſus Macrinum. 220. II. Ob turpiſſimas impuritates dictus etiam Sardanapalus. ibid. Cunctas vbique religiones in vnius Dei ſui Elagabali cultum transferre meditatur, reliquis omnibus extinctis. 221. II. Quatuor elephantorum quadrigas agitat in Vaticano. ibid. Alexandrum Mamææ, conſobrinum ſuum, in filium adoptat, & Cæſarem creat. 223. I. ibid. Cunctis redditus execrabilis necatur, & cadauer trahitur in Tiberim, vnde Tractitius & Tiberinus dictus. 224. I.

Antonii Magni primordia, vitæ inſtitutio, & monaſteriorum propagatio. 310. VI. Præſto eſt Confeſſoribus & Martyribus, tempore perſecutionis. ibid. Ipſius immenſum deſiderium martyrii. ibid. Ab Athanaſio viſitatur in eremo, & duo pallia accipit. 328. II. Imperatores ad eum ſcribunt, & viſitatur à quamplurimis toto orbe Chriſtianis, necnon à philoſophis Gentilibus. ibid. Auctor, vel reſtitutor cœnobiticæ vitæ. 328. III. Fuit anachoreta & cœnobita. ibid. VI. Eius vita, vna cum monaſticæ diſciplinæ inſtitutione, defertur ab Athanaſio Romam. 340. III. Viſitat Paulum Anachoretarum principem, & multa in itinere, & congreſſu videt mirabilia. 343. I. Sepelit eum. ibid. Alexandriam venit, vt confundat Arianos mentientes ipſum ab eis ſtare. ib. II. Migrat in cœlum anno 105. ætatis. 358. V. Eius teſtamentum quale. ibi. Præcipit ſepeliri incognito loco, ne corpus eius venerationi eſſet, ſicut aliorum Sanctorum. ibid. Elementa eum lugent. ibid. De eius ſcriptis, & vitæ ipſius ſcriptoribus. ibid. Corpus eius inuentum in eremo, transfertur Alexandriam. 531. IV. 601. & inde in Gallias. 1089. VIII. Tacti igne ſacro, ſanantur ad eius Reliquias; peccantes vero in eum, eo igne corripiuntur. 1089. VII. ibid. Eius hoſpitalium miniſtrorum Ordo inſtituitur. 1095. VIII. ib. Peregrinatio frequens ad eius corpus in prouinciam Viennenſem. 1120. I.

Antoni⁹ cognomẽto Cauleos, Patriarcha Conſtãtinop. ſanctitate clarus. 890. III.

Apelles diſcipulus Marcionis, poſt lapſum carnis ab eo diuiſus eſt. 146. IX. Quæ ipſe dogmatizarit. ibid. Philumenem fœminam impudicam auctricem hæreſis ſectatus eſt. ibid.

Aphraatis monachi miraculis clari inſigne dictum apud Valentem Imp. Catholicos perſequentem, & exprobrantem quod extra cellam vagaretur. 370. XI.

Aphthartodocitæ hæretici, qui & Incorruptibiles, quænam docerent. 565. I. Vide *Incorruptibil.*

Apion grammaticus Alexand. legationem init aduerſus Iudæos ad Caium Imp. & ſcribit calumnioſiſſime contra eoſdem; quem egregie refellit Ioſephus. 42. III. Eius faſtus, & miſera mors. ibid.

Apis vitulus, Deus Ægyptiorum, qualis. 123. I. Eius inuentionis cauſa ſub Hadriano Imp. altercantur Ægyptii. ibid. Eum Hebræi, dum vitulum in deſerto conflarunt, repræſentare voluerunt. ib.

Apocalypſis Iohannis Apoſtoli, ſcripta ab eo in exilio inſulæ Patmos. 97. II. Ea falſo alteri Ioanni, vel etiam Cherintho hæreſiarchæ tributa. ib. V. VI. Impugnata ab hæreticis, & à nonnullis Catholicis in dubium adducta ibid. III

Apocalypſes aliæ, tam ipſius Ioannis, quam aliorum nomine confictæ ab hæreticis. 44. XXV. XXVI 97. VI. Vide etiam. *Reuelationes.*

Apocrypha. Vide *Scripta*

Apollinaris, primus Rauennatum Epiſcopus à S. Petro datus, qua ratione martyrium ſuſceperit in pace Eccleſiæ. 75. III.

Apollinaris Hierapol. Epiſcopus ſcribit Apologiam pro Chriſt. ſub Marco Imp. 172. I.

Apollinaris Alexandr. creatur Epiſcopus. 551. II. I. Intereſt Synodo Quintæ Oecumen. 553. V. Moritur, & laudatur de immenſa erga pauperes miſericordia. 570. I.

Apollinares, pater & filius olim in Eccleſia nobiliſſimi, cur ab ea receſſerint. 350. V. VI. Iunior hæreſim docuit, qua Chriſtum pro anima deitatem habuiſſe aſſereret. ibid. VI. Ea damnata in Concilio Alexandr. ſub Athanaſio. 362. XLII. Antequam ipſe damnaretur a Rom. Pont. nequaquam vt hæreticus vitabatur 371. III. Damnatur cum omnibus ſuis erroribus in Rom. Synodo ſub Damaſo. 373. I. Quinam fuerint eius errores ibid. II. III. Eius ſcripta qualia, & quantus ipſe fuerit olim. ibid. IV. Varia eius ſcripta falſo à Neſtorianis tributa diuerſis Sanctis Patribus. 352 II. Quid Iulianus Aug. de eius ſcripto aduerſus Gentiles, ipſumq; Iulianum. 362. LVIII. Ex eo diuerſæ aliæ ortæ hæreſes. 373. V.

Apollonia virgo Alexan. ſe in rogum conicit, ipſi præparatum ob confeſſionem fidei Chriſt. 251. II.

Apollonii antiqui Theologi ſententia de manſione duodennali Apoſtolorum Hieroſolymis, refellitur. 39. V. 44. VII. Quando vixerit, & quæ ſcripſerit. 189. I.

Apollonius Senator Rom. de fide Chriſt. delatus, poſt inſignem Apologiam coram Senatu habitam, martyrio coronatur ſub Commodo. 189. I. Confuſus à Nicephoro cum Apollonio Scriptore Eccleſ. ibi. De eius nece dira vindicta diuina. ibid. IV.

Apollonius Tyanæus philoſ. Pythagor. & magus, petit Romã. 68. XI. Eius præſtigiæ, & apud oẽs æſtimatio, adeo vt tamquam deus à pluribus coleretur. ib. VII. Quantum nocuerit religioni Chriſt. ib. Veſpaſiano Imp. charus, auctor putatur miraculorum eidem Veſpaſiano adſcriptorum. 71. V. Reus vocatus Romam à Domitiano, ludibrio habetur: ſed cum inuitus retineretur, euaneſcit ab oculis Imperatoris. 91. II. Eiuſdem Imp. necem eo ipſo momento quo fieret, vidit & nuntiauit Epheſi. 98. V. Moritur malo fine. 99. VI. Ab Antonino Caracallo longe poſtea colitur. 218. II.

Apologiæ pro Chriſtianis; Quadrati Athenienſis Epiſcopi, & Ariſtidis philoſophi, oblatæ Hadriano Imp. 128. I. Iuſtini philoſ. & martyris, Antonino Pio 150. I. Eiuſdem Iuſtini, Marco & Lucio Imp. & Senatui Rom. 164. IV. Melitonis Sardenſis Epiſcopi, Marco Aurelio. 172. I. Apollinaris Hieropolitani Epiſcopi, & Miltiadis Theologi, M. Aurelio. 172. II. ibid. Bardeſanis Syri, ſub eodem Marco. 157. V. Athenagoræ Athen. philoſ. ad eumdem Imp. 179. III. Apollonii Senatoris, ſub Commodo Aug. coram Senatu recitata. 189. I. Tertulliani ſub Seuero ad magiſtratus Rom. 201. VIII. 203. II. Minutii Felicis, ſub eodem Seuero. 209 II. Cypriani, aduerſus Demetrianum Proconſ. 256. II. Eulogii Cordubenſis, aduerſus detractores martyrii, a Saracenis fidelibus eius Eccleſiæ illati. 857. I. Apologiæ multiplices pro Origene, & quales. 256. IV. Pro Baſilio, de quibuſdam eiuſdem dictis. 371. III. IV.

Apoſtata Exconſul ſub Commodo Imp. 189. II.

Apoſtata Iulianus. Vide *Iulianus.*

Apoſtatæ deſcriptio ex ſacra Script. quam optime ei conuenirent. 363. XVI.

Apoſtatæ in perſecutionibus. Vide *Lapſi.*

Apoſtatæ exagitantur à Theodoſio Magno. 381. XI. 382. XIII. 391. I. Quorumdam horrendi caſus. 362. XXIV. 363. XIV. 614. IX. Apoſtatantes ad Iudaiſmũ, Conſtantinus igni tradi iuſſit. 315. XVI.

Apoſtoli 12. eliguntur à Domino. 32. III. Eius vocis ſignificatio, & muneris functio apud Iudæos ibid. & 399. XII. Ordo a Domino inter Apoſtolos conſtitutus, ita vt Petrus ipſorum eſſet caput. 32. IV. Eorumdem genus & patria. ibid. De Primatu quæſtionem mouent aduerſus Iacobum & Ioannem, ſed non in Petrum 34. XIII. Omnes poſt ſuam electionem. cælibes vixerunt. 33. XVII. Sacerdotes a Domino facti. 34. XV. Miſſionem & Spiritum S. ab eodem accipiunt. ibid. LVII. Quæ omnibus communia, & quæ Petro peculiaria, ibid. LIX. Recipiũt Sp. S. in Pentecoſte. ib. LXVIII. Flagellat Hieroſolymis ob Chriſti prædicationem. 34. LXXVIII. Appetiti ab Agrippa Rege, diuiduntur per orbem terrarum. 44. VII. Quo modo, & quo conſilio condiderint Symbolum, dictum Apoſtolorum. ibid. VIII. In quas prouincias ſinguli profecti ſint ibid. X. & ſeqq. Eorum nomine multa Acta & Scripta conficta. 44. XXIV. & ſeqq. Eorum Canones, & Conſtitutiones, Clementis PP. nomine vulgatæ, cuius ſint fidei & auctoritatis. 102. IV. V. Iidem omnes ad Tranſitionem B. Virginis ex diuerſis Orbis partibus eodem tẽpore delati. 48. V. Quinam interfuerint Concilio Hieroſolymitano. 51. II. Quot habita ab iis Concilia. 58. XLVIII. Opus manuũ exercuerunt. 52. V. Abſtinuerunt à carne & vino. 57. LVI. Dicti etiam Epiſcopi, & Presbyteri, & qua ratione 58. II. IV. Eorum loco ſucceſſerunt Epiſcopi. 57. XV. 58. III. Apoſtoli qui alii dici poſſint. 1029. III. Apoſtolis ſe eſſe ſapientiores, iactabant Valentiniani. 145. IV. Marcitæ. 175. VIII. Aetius impius. 356. XVII. Eos non accepiſſe Spiritum S. quemodo intelligeret Montanus. 173. IV. V. Apoſtolorum oſtiarii appellati a Chryſoſtomo Imperatores, qui ſepeliri conſueuiſſent extra veſtibulum eccleſiæ Apoſtolorum 356. XIII. Apoſtolos quoque ſuos voluit habere diabolus. 35. XIV. 68. XII.

Apoſtolatus nõ debet eſſe ſpontaneus. 44.

XXXII. Vide etiam *Prædicatio*. Apoſtolatus Iudæorum & Gentium inter Petrum & Paulum diſtinctio quomodo intelligenda, & quis dignior. 51. VI.

Apoſtolica Eccleſia vna toto orbe. 45. II.

Apoſtolicæ dici poſſunt oës Eccleſiæ ab Apoſtolis fundatæ. vel ab eis ꝓpagatæ. ib.

Apoſtolicæ cathedræ principatus viguit ſemper in Eccleſia Rom. 306. XII.

Apoſtolicæ Literæ Romanorum Pontiff. earumque diuerſa genera. 142. IX.

Apoſtolica Sedes. Vide *Rom. Eccleſia. Rom. Pontifex. Prima Sedes.*

Apoſtolici hæretici, ſic dicti, quænam docuerint. 260. VIII. Alii, dicti pariter

Apoſtolici, longe poſtea ex Manichæis deriuati. 1147. XI. Quænam alia docerent. ibid. XII.

Apotactici, hæretici à renunciatione ſic dicti in quo errarent. 260. VIII. Exagitantur a Theodoſio Magno. 381. XI.

Apparitiones multiplices Domini poſt Reſurrectionem. 34. LIII. vſque LX. Alia eiuſdem, facta S. Petro fugiēti è carcere Romano. 69. III. Ambroſio Mediol. morienti. 397. VIII. Super montem Oliueti, ſub Theodoſio Iuniori. 419. XVI. Marciano Imp. in ſomnis, oſtendentis ei Attilæ arcum fractum. 454. V. Sancto Remigio, & Clodoueo Regi. 499. V. Baſilio Imp. 867. XI. Benedictio puero, pro conſtructione pontis Aueniomenſis. 1177. XV. Richardo Archiep. Cantuar. & lapidatori bonorum Eccleſiæ. 1184. I. S. Crucis, facta è Cælo Cōſtantino Magno progredienti aduerſus Maxentium. 312. IV. In aere in monte Golgotha, quo tempore Conſtantius maxime impugnabat Chriſti diuinitatem. 353. IX. X. In extis ſacrificii Iuliani 362. IV. In veſtimentis militum Iuliani è rore delapſa in ipſo principio eius Apoſtaſiæ. 361. III. In cœlo, quando Iudæi ſub eodē Iuliano reædificare conarentur templum Hieroſolymitanum: ac pariter veſtes eorum, aliorumque cuiuſcumque religionis hominum, eodem ſigno cælitus ſignantur. 363. III. In veſtimentis militum Arcadii, coeuntium in prælium aduerſus Perſas pro defenſione Chriſtianorum. 395. XI. In tunicis baptizatorum, poſt apparitionem Chriſti Domini in monte Oliueti, ſub Theodoſio Iuniori. 419. XVI. In veſtimētis ſectorum pelle Boloniis, ſub Conſtātino Copronymo. 746. I. Alioque tempore, pariter in veſtibus hominum. 954. VII.

Itemque ſub Ottone in partibus Boreal. tempore peſtis. 956. III. In aere, dum Reges Franc. in Angl. deliberarent de expeditione in Terram Sāctam. 1188. II.

Mariæ Virginis, Auguſto Imp. Appar. XIII. in fin. Gregorio Thaumaturgo. 233. IX.

Baſilio Magno. 363. XIII. Cyriaco monacho, aduerſus Neſtorii ſcripta. 429. IV. in fi.

Antiochiæ, & Cōſtātinopoli, aduerſus Anatolium impium idololatram. 581. II. Ildefenſo Epiſcopo Toletano. 657. III. Ioanni Damaſce. reſtituentis ei manum amputatam. 728. I. Fulberto Carnotenſi cui ſugenda aperuit ſacra vbera. 1028. II. Mulieri in Gallia, quam conſtituit prophetiſſam. 1180. I. Michaelis Archangeli multiplices. 60. IX.

Conſtantinopoli. 330. III.

in monte Gargano, Romæ, & pluribus aliis locis. 493. V.

Angelorum. Vide in *Angelus.*

Petri & Pauli Apoſtolorum. Conſtantino Magno. 324. XXII.

Attilæ. 452. VIII.

Stephano III Papæ. 754. II.

Petri tantum, Laurentio Archiep. Cantuar. 614. II. Saracenis. 846. I.

Bardæ Cæſari. 867. V.

Alexandro Imp. 912. II.

Sancio Hiſp. Regi. 1074. VIII.

Friderico Imp. 1175. II.

Ioannis & Philippi Apoſtolorum. Theodoſio Magno. 394. II.

Nicolai Myrenſis. Conſtantino. 326. XVIII.

Aliorum plurimorum SS. vide ſub propriis nominibus. Vide etiam *Viſio*, & *Reuelatio*.

Appellationes ad Sedem Apoſtol. Rom. ex traditione Apoſtolica, & auctoritate à Chriſto collata Petro. 325. XLIII. Ex confirmatæ in Synodo Oecumenica Sardicenſi. 345. XII. Vndique ad eam fieri ſolitæ in antiqua Eccleſia. 493. III. Patriarchæ etiam ipſi Orientales, de iniuriis ſibi illatis ad eam appellarunt: puta,

Alexandrinus Ioannes, pulſus à Zenone Imp. 483. I. & vide *Alexandrini Epiſcopi.*

Antiochenus Macarius, damnatus in Sexta Synodo. 681. X. Vide *Antioch. Epiſc.*

Conſtantinopolitanus Iohannes Chryſoſtomus, damnatus ab Epiſcopis. 404. VI. Eutyches, æque damnatus in Synodo. 448. V. Flauianus, depoſitus in Synodo Epheſ. 449. XI. Ignatius, iniurias & expulſionem paſſus a Photio 861. V. Vide *Conſtantinop. Epiſc.*

Hieroſolymitanus Daibertus, pulſus à Rege. 1104. III. Arnulphus, depoſitus in Synodo. 1105. IV. Vide *Hier. Epiſc.*

Appellari etiam conſueuit ex Africa 419. IX. XI. 602. III. 1053. VI. Qua de re fuerit controuerſia in cauſa Appellationum inter Apoſtol. Sedem & Eccleſiam Afric. 419. VIII. XII. Vide *Afric. Epiſc.*

Ex Gallia. 432. IX 535. XVII. 170. VI. 819. II. 863. VIII. 870. II. 871. IV. &c. Quæ de eis controuerſia Epiſcoporum Galliæ cum Nicolao Papa. 865. II. IV. Vide *Gallic. Eccl.*

Ex Hiſpania. 258. II. Et aliis quibuſcumque prouinciis, tam Occidentalis Eccleſiæ, quam Orientalis. 592. II. 593. I. 595. III. V. 601. III. 667. II. 678. V. 854. II. &c. Vide *Orient. Eccl.*

Itemque ex Synodis ipſis Oecumenicis. 449. XI. XIV. 681. X. Vide *Concilia.*

Denique ipſi Reges & Impp à factis ſibi, aut præcentis iniuriis, appellare conſueuerūt ad Rom. Pontiff 862. VI. 1073. III. 1092. II. 1106. II. 1167. V. 1168 IV. 1193. II. III.

Appellationes ad Sedem Apoſtol. impedit tyrannice Henricus Rex Germaniæ, auctorque eſt eiuſmodi nefandæ hæreſis, Henricianæ dictæ. 1073. II. Eas item conatur abolere Henricus Rex Angliæ. 1164. VII. X. & tamen ipſemet paulo poſt pro ſuo capite cogitur ad appellationis remedium confugere. 1167. V. 68. IV. Non poſſunt vllo tempore a quoquam præſcribi, nec quidem conceſſione ipſorum Rom. Pontiff. 1097. XV. XLIII. XLIV 1156. I.

Appellandi ab Epiſcopis ad Imperatores, primus omnium viam aperuit Paulus Samoſatenus hæreſiarcha 272. III. 313. IX. Eum imitati ſunt Donatiſtæ. 313. IV. IX. 314. IV. VIII. Photinus. 357. II. Origeniſtæ monachi. 400. X. 402. I. Pelagiani. 419. XI. Edeſſeni clerici, calumniatores Ibæ Epiſcopi ſui. 448. VII. Seuerus Aquileienſis ſchiſmaticus. 590. X. Appellantem Epiſcopum ad ſæculare tribunal, Valentinianus Imp. mulctat. 369. VI.

Apulia, propria Rom. Eccleſiæ, conceditur in feudum, cum homagio & tributo, Northmannis. 1059. VIII. 1080. VII.

Apulum Concil. ſub Paſchale II. contra Burdinum Archiep. Bracarenſem. 1117. III. Alia Cōcilia certis Apuliæ locis celebrata, vide ſub propriis eorū nominibus.

Aqua mutatur in vinum à Chriſto. 31. XIII. Idem annuis miraculis poſtea pluribus locis fieri conſuetum. ibid.

Aqua baptiſmi ſolita primo benedictione ſanctificari. 132. II. Eadem miraculis luſtratur. 417. VI. Aqua diuinitus repleri ſoliti pluribus locis Fontes baptiſmales 417. VI. ib. 548. III. 573. III. Eiuſmodi miraculū Rex incredulus curioſius diſquirere ſatagens, pœnas luit 548 III. in ...

Aqua, baptizate Epiſcopo Nouatiano euaneſcit. 419. XVI

Aquæ Benedictæ antiquus vſus in ingreſſu eccleſiarum 58 XXXIII. Ea iam antea in domibus priuatis haberi ſolita. 132 II. Eius inſtitutio Apoſtolica, decreto Alexandri PP. Primi cōfirmatur. ib. Quam plurima per eam edita miracula, fugat que dæmones. ibid. & 362. XXXII. 38... XVII. 598. VI. Locuſtæ extinctæ. 885. Ignei globi repulſi. 944. ...

Aquæ calidæ & frigidæ probationes. 87... IV. Improbantur à Stephano PP. Sexto 890. I.

Aqua ablutionis manuum quorumdam ſanctorum virorum, ſanationes factæ 1033. IV. 1070. V. 1073. IV.

Aqua miſcenda vino in calice Euchar. ex traditione Dominica. 57. XL...

Aquariorum hæreſis. 174. II. Vnde etiam ortus. 257. V. Aqua ſola in calice Euchariſtiæ vtebantur Ebionæi. 74. IV. Marcionitæ 146. VII. Tatiani. 174. II Encratitæ. 25... V. Aquam non miſcebant Armeni. 68... II. 863. V. De ea alia orta quæſtio, vtrum tranſſubſtantietur cum vino in ſanguinem Chriſti. 1188 IV

Miraculum ea de re editum. ibid.

Aquila Ponticus præfectus ab Hadriano Imp. extructioni Æliæ ciuitatis. 137. V Conuerſus ad fidem, mox ob ſtudium aſtronomiæ iudiciariæ pulſus Eccleſia, fit Iudæus ibid. Scripturam ſacram malo animo in Græcum transfert, aduerſatur editioni Septuaginta. ibid.

Aquileia & expugnatur & diruitur ab Attila. 452. VIII. itemq; à Longobar. 590. X

Aquileienſe Concilium ſub Gratiano Imp. inſignium plane Epiſcoporum aduerſus Arianos, vnica Actione confectum. 381. XII

Aliud ſub Iuſtiniano Imp. aduerſus Quintam Synodum, pro Tribus Capitulis. 553. XIV. Aliud tempore Sergii PP de V. Synodo. 698. II

Aquileienſis Eccleſia fundata à S. Marco Euang. illuc à Petro miſſo. 45. XIII Manet diutius in ſchiſmate de Tribus Capitulis. 553. XIV. 556. I. 570. III. 584. IV 586. II. 602. II. Reſipiſcit tandem. 698 I... Patriarchatus dignitatem vnde habuerit. 570. III

Incenſa Aquileia à Longobardis, tranſit in Gradenſem Eccleſiam. 602. II. Poſtea iterum diuiduntur, & ſibi aduerſantur, fauentibus Longobardis Aquileienſi, Rom. Pontificibus Gradenſi. 605. II. 630. V. 729. II.

Dictus etiam reperitur Patriarcha Forojulienſis, & quare. 605. II. 729. II.

Quæ fuerit facta iſtarum duarum diſtinctio deceſſion. 10... II.

Aquiſgranēſe Concil. ſub Carolo Magno de Proceſſione Spiritus Sancti, & canendo Symbolo cum additamento, *Filioque* 809. IV.

Sub Ludouico Pio, pro reformatione monachorum, & confirmanda donatione bonorum Rom. Eccleſiæ. 817. II. aliudque pro ſtatu Eccleſiæ optime diſponendo, 819. I. item & aliud pro Eccleſia, & Regno recte adminiſtrādis. 836. II.

Sub Ottone I. pro ipſius in Regem vnctione. 937 II.

Aquitanica Concilia pro Eccleſiæ & morum reformatione. 1034. I. Quæ certis Aquitaniæ locis celebrata ſunt, vide ſub propriis eorum nominibus.

Ara Cæli, templum Romæ vnde ita dictum Appar. XIII. Ara primogeniti Dei, cur erecta Romæ ab Auguſto Imp. ib. Ignot. Dei, Burdigalæ conſecrata in honorem Stephani Protomartyris. 34. XC. 52. II.

Ignotorum deorum, qua ratione eſſent Athenis. 52. III.

Ara Victoriæ Romæ Vide *Victoria Ara* ex Arabia venerunt Magi ad Chriſtum adorandum. 1. IV.

Arabes domiti à Traiano. 108. II. Poſt Mahometis eorum Principis obitum inuadunt Imperium Rom. ingentibuſque cladibus afficiunt. 631. I. 632. I. 684. I. ibid. Reliqua vide in *Saraceni.*

Arabicum Concilium aduerſus Beryllum Epiſcopum hæreticum. 229. I. Aliud aduerſus quoſdam hæreticos, aſſerentes animæ mortalitatem, & reuiuificationem. 249. IV.

Aragonia feudataria Sedis Apoſtol. 1097. XXX.

Aragonenſe Concil. de rebus eius Eccleſię. 1062. VII. Quæ certis Aragoniæ locis celebrata ſunt, vide ſub propriis eorum nominibus.

Aranearum telæ cadunt in Sexta Synodo, in ſignum ſordium hæreſis Monothelit. expulſarum. 681. II.

Arator R. E. ſubdiaconus, ſub Iuſtiniano Imp. heroico carmine canit Acta Apoſt. à S. Luca conſcripta. 544. I.

Arauſicanum Concil. I. in Gallia Narbon. pro Eccleſ. diſciplina. 441. II. Secundum in Encæniis contra Pelagianos. 529 II.

Arbitrium Liberum. Vide *Liberum Arb.*

Arbogaſtes Comes, natione Francus, Victorem Maximi Imp. filium, adhuc puerulum, proditorie necat. 388. VII. Valentinianum Imp. Iuniorem occidit. 392. II.
Qualis eſſet, vt à S. Ambroſio diligeretur. ib. Eugenio, cui adhærebat, à Theodoſio Mag. victo, ipſe ſibi manus infert. 394. III.

Arcadius Theodoſii Magni filius, ſexennis à patre renuntiatur Auguſtus. 383. VI. Præceptorem ſuum ſedentem iubetur ipſe detecto capite adire. ibid.
A præceptore aliquando verberatus, mortem ei meditatur. ibid.
Mortuo patre, ſuccedit in Imperium Orientale ſub cura Ruffini ducis. 395. V. Vxorem ducit Eudoxiam Liceniam. ib. Hæreticos, Gentiles, Iudæos coercet, hacque pietate vitat inſidias Ruffini. ibid. VII.
Bellum gerit contra Perſas pro defenſione Chriſtianorum, ad ſe ab eis confugientium. 395. XI.
Eius pietate ciuitas Conſtant. conſeruata ab incendio cœleſti. 396. III.
Capitale ſupplicium ſtatuit in receptores & occultatores hæreticorum. 398. XVIII.
Suaſu Eutropii eunuchi, reſcribit aduerſus immunitatem eccleſiarum. ib. XX.
Compeſcit etiam clericos & monachos qui ab apparitoribus raperent reos ibid. XXI.
Bello appetitus à Gaina, cogitur ei dare Eutropium, reuocarique legem contra Immunitatem eccleſ. latam. 399 III IV.
Proſcribit turpe ſpectaculum Maiumæ. ibid. V.
Idolorum templa in pagis dirui iubet, in vrbibus Chriſtiano ritu conſecrari. ibid. IX. 401 VIII. Multa indigna à Gaina paſſus, tandem eum hoſtem Reip. declaratum, per ſuos duces ſuperat, & interimit. 405. VI. VII. VIII. Cunctos hæreticos vrbe Conſtantinop. pellit. ib. XVII.
Augetur filio Theodoſio. 401. VI. Chryſoſtomum iniuſtus pellit. 404. V. VII. Monetur, à fratre Honorio de pacificanda Eccleſia Orient. ibid. XIII. Recuſantes communicare Arſacio intruſo in locum Chryſoſtomi, dire exagitat ib. X. Excommunicatur ab Innocentio PP. poſt mortem Chryſoſtomi in exilio; & ſe excuſans, reſtituitur. 407. VII. Aduerſus eam eadem de cauſa, bellum gerere cogitauit Honorius eius frater. ib. VII. Moritur & timens filiolo ſuo Theodoſio à fratre Honorio, commendat eum Regi Perſarum 408. I. Quot, & quos qualeſque liberos reliquerit. ib. & 415. X. Quatuor eius filiæ virginitatem Deo dicatunt. 415. X. ibid.

Arcadius Epiſcopus Legatus Cæleſt. PP. in Oecumenica Eph. Synodo. 431. III.

Arcadius, & ſociorum nobilium Hiſp. illuſtre pro fide Catholica ſub Genſerico Wandalorum Rege Ariano martyrium in Africa. 347. I.

Archelaus filius Herodis Idumæi, Ethnarcha Iudææ cõſtituitur ab Auguſto Imp. 8. II. Ob nimiam in ſubditos crudelitatem iudicio poſtulatus, relegatus Viennam Galliæ ciuitatem. 16. I.

Archelai Caſcharorum Epiſcopi publicæ diſputationes cum Manete hæreſiarcha. 277. VI.

Archõtici hæretici, quænã docerẽt. 175. X.

Arcus triumphalis Seuero Imp. Romæ erectus. 205. II. Alius in honorem Conſtantini Magni factus. 312. IX.

Ardaburius dux Theodoſii Iunioris, diuinitus vincit Perſas, Chriſtianis perſecutionem inferentes. 420. III.
Miſſus contra Ioannem tyrannum in Italiam, vi tempeſtatis in eius manus incidit. 424. II. Liberatur diuinitus ab Aſpare filio. 425. I. ib. Meruit hæc cœlitus bona ob Theodoſii pietatem, cum alioqui tam ipſe quam filius eſſent Ariani. ib. Vide *Aſpar.*

Ardaleo mimus, ioco fingens Chriſtianum, ſerio factus martyr. 303. VI.

Aredius Lemouicenſis ſanctitate floret. 591. XI.

Arelatenſe Concilium Primum numeroſiſſimum, ſub Conſtantino Mag. in cauſa Cæciliani Epiſcopi Carthag. & Donatiſtarum. 314. V. Præfuit ei Silueſter PP per legatos, adfuitque ipſe Conſtantinus. ib. Eius Acta deprauata à Donatiſtis. ib. VII. miſſa ad Silueſtrum, vt ab eo confirmarentur. ib. VIII. Aliud in cauſa hæreſis Prædeſtinatorum. 520. IV. Tertium pro Eccleſ. diſciplina. 524. III. Aliud ſub Carolo Magno, pro optimo Eccl. regimine. 813. VI.

Arelat. Conciliabulum Arianorum, præſente Conſtantio Imp. aduerſus Athanaſium. 353 VII.

Arelatenſis Eccleſiæ controuerſia de primatu cum Vienneñ. temperata in Concilio Taurinenſi. 397. XIII. Eius priuilegia vnde orta & quænam in eius prærogatiuam ſtatuerit Zoſimus Papa. 417. IV. Quid poſtea ab eodem & aliis ſeqq. Pontiff. de earumdem Eccleſiarum controuerſia ſtatutum fuerit. ibid. V. & 445. IV.

Areopagus, qui locus Athenis. 52. II.

Areopagitæ Iudices quales, & quanta eorum apud omnes æſtimatio. ibid.
Apud eos cauſam agit Paulus Apoſt. & vnum ex eis, nempe Dionyſium conuertit. ibid. III. IV.

Areopagitica Hilduini Abbatis, de rebus geſtis S. Dionyſii Areopag. 834. II.

Argentei 30. quibus venditus eſt Chriſtus, quam ſummam efficiant. 34. VII 29. Eius vocis varia acceptio in Script. variumque pretium. ibid.

Ariadna Leonis Imp. filia, inhians Imperio fratrem infantulum de medio aufert 461. VI. Deſponſata fide Patricio Cæſari, eo à Zenone necato, datur coniux ipſi Zenoni. 469. I. 490. I. ibid. Vide in *Zeno.* Eum viuum ſepultum, non permittit educi. 491. I.
Anaſtaſium nondum Senatorem, ex turpi commixtione euchit in Imperium. ibid. II.

Ariamitus Sueuorum Rex in Hiſp. ſanatur beneficio S. Martini. 560. II. 572. VII.

Arialdi diaconi Mediol. inſigne martyrium à Nicolaitis & Simoniacis. 1066. VI.

Arius diaconus Alexand. ob ſchiſma Meletianum excommunicatur à Petro Epiſcopo. 310. II. Viſio diuina de eo oſtenſa eidem Petro. ibid. Pœnitentiam ſimulans, creatur ab Achilla presbyter. ib. V. Quo tempore detectus fuerit hæreſiarcha, & vnde acciderit lapſus eius. 315. X. De promulgatione eius hæreſis diuerſa tempora conſideranda. ibid. XI. Ab Alexandro Epiſcopo exuitur presbyteratu, & ab Eccleſia eiicitur. ibid. Euſebium Nicomed. alioſque plurimos Epiſcopos Orientales, allicit ad dogmatis ſui propugnationem. 318. VIII.
Eius impia dogmata. ibid. IX.
Contemnit Conſtantinum Imp. & ab eo publicis literis acriter exagitatur. 319. II.
Eius ſcriptorum lectionem Patres Concilii Nicæni exhorruerunt 325. XXI
Ea damnata, & comburi iuſſa. ibid. XXVIII.
Ipſe quoque anathemate percuſſus, pœnitentiam ſimulat, & ſubſcribit Regulæ Fidei. ibid. XXVI.
De eius damnatione, reſtitutione, & mortis tempore, perplexa hiſtoria elucidatur. 327 II. 335. X. 336. X. Vocatus à Conſtantino Magno, & oblata fidei confeſſione fraudulenta, recipitur ab Euſebianis in conciliabulo Hieroſol. 335. X. XI.
Reſtitutus Alexandriam, nouas ibi ciet turbas. 336. IV.
Reuocatus Conſtantinopolim à Conſtantino, fidei Nicænæ doloſe ſubſcribit: & introducendus ab Euſebianis in eccleſiam, in itinere diuertens ad latrinas, ibi medius crepat ib. VIII. IX.

Arianæ hæreſis cauſa conuocatur Magnum Concilium Nicænum. 325. IV.
Ea execrationi Patribus habita. ib. XXI.
Filium Dei abnegans, præſidium quærit ab eunuchis ad gignendum inhabilibus. 357. XVI.
Damnatur in Concilio Rom. ſub Iulio Papa. ibid. XVII.
Eius multiplices rami. 360. XI.

Ariani Epiſcopi eo conſilio veniunt ad Concilium Nicænum, vt criminentur apud Conſtantinum Orthodoxos. 325. XI. Iidem in Synodo confutati. ibid XIV. XXI. XXII.
Quomodo in ſubſcriptione Synodi ſe geſſerint. ib. XXV. XXVI.

Arianos Conſtantinus appellari iubet *Porphyrianos*, & quare. 325. XXVIII. Iidem viuente Conſtantino, nihil auſi ſunt mutire contra Nicænam Synodum. 329. II. 336. VI. Quid vero interea egerint, vide in *Euſebius Nicomed.* & *Euſebiani.*

Arianorum calumniæ in Athanaſium, alioſque Orthod. Antiſtites, ipſamque fidem Catholicam, vide ſub ſingulis eorumdem Antiſtitum nominibus, & in *Catholicis.* Eorumdem latibula in ſuis aſſertionibus de fide. 340. XI. 341. VII. Mentiri ſoliti, præſtantiſſimos quoque viros ſuæ hæreſis aſſertores extitiſſe. 256. V. 263. V. 311. III. 343. II.

Ariani Epiſcopi quo animo Sardicam ad Concilium Oecumenicum acceſſerint, & qualem fugam capeſſierint. 347. VI. Damnantur tum à Patribus. ib. VII. Philippopoli conuenientes fidei formulam Sardicenſis Concilii nomine promulgant, & Rom. Pont. excommunicare primi omnium præſumunt ib. XV. XVI. Inſidiantur Orthodoxis poſt Synodum Oecum. Sardic. multoſque ex eis perdunt. 348. I.
Poſtulant à Liberio PP. communionem, ſed patiuntur repulſam. 352. III.
Conuenientes Arelate præſente Conſtantio Imp. damnant eos qui recuſarent ſubſcribere in Athanaſium, eoſdemque in exilium pelli curant. 353. VIII. idque abundantius peragunt in Conciliabulo Mediol. 355. II & ſeqq.

Liberio

Digitized by Google

Liberio Papa eadem de cauſa pulſo, Felicem in eius locum ſubrogandum curant. ib. X. Affectantes videri Catholici, Sirmienſe Concilium celebrant aduerſus Photinum hæreſiarcham. Vide *Sirmienſe Concil.*
Eorum impietas ibidem Sirmii palam detecta, dum voces Conſubſtantialitatis, & Similitudinis, prorſus ablegarunt. 357. III.
Diuiduntur ibidem inter ſe, Ariani & Semiariani dicti. ibid. VI. & quæ inter eos differentia. 358 IV. Vide *Semiariani.*
Conſtantium Imper. adulatori Æternum vocant, qui Filium Dei æternum negarent. 353. V. 359. IV. Damnantur in Concilio Arimin. 359. ibi.
Conueniunt fraudulenter Nicææ in Thracia. Vide *Nic. Concil. in Thracia.*
Quibus lapſibus à fide Cathol. ſemel decidentes, tandem prolapſi ſint ad imum perfidiæ. ibid. VII. & XIX.
In Concilio Seleucienſi altercãtur cum Semiarianis, & ſe inuicem damnant. 359. XVI. & ſeqq. Vide *Seleuc. Concil. & Acacius:* Sed de ceteris rebus ad eos ſpectantibus, vide ſub nominibus præcipuorum earumdem ſectarum patronorum, necnon Orthodoxorum qui aduerſus eos egerunt. Ariani vbique ſuſcipiunt hæreſim Macedonianam de creatione Spiritus Sancti. 360. V.
E ſacris codicibus delere ſoliti teſtimonia de deitate eiuſdem Spiritus Sancti. ibid.
Coercentur à Gratiano Imp. 378. IX. Theodoſio Magno 380. II. ibid. 381. I. XI. 383. VII. 384. VII. 388. VI.
Compeſcuntur Conſtantinopoli ab Arcadio, ob contentiones ipſorum aduerſus Catholicos de hymnorum cantu. 400. XVI.
Præualent ſub Gothis, & Wandalis, aliiſque populis barbaris, ea contagione infectis: de quibus vide ſub ſingulis eorum nominibus, vel Regum ipſorum; atque etiam verb. *Orbis, & Perſecutio.*
Arimini iubentur à Conſtantio Imp. Occidentales Epiſcopi conuenire, eodem tempore quo Orientales Seleuciæ, & quo conſilio id contigerit. 358. I. II.
Quot & quales Epiſcopi conuenerint. 359. II.
Fides Nicæna comprobatur, & formulę Arianorum repudiantur, ipſique damnantur: ſicque finitur Synodus. ibid. V.
Sed multis poſtea menſibus ibi detenti Epiſcopi, tandem minis & dolis illecti ſunt ſubſcribere fraudulentiæ fidei formulæ. ibid. VIII
Qua in re tũc Patres deliquerint, & quo ſenſu dixerit Hieronymus, tunc Orbem miratum eſſe ſe eſſe Arianum. ib. IX. X.
Qua ratione Arimini Synodus ab aliis exploſa ſit vt impia, ab aliis probata vt Orthodoxa. ib. XI.
Arimin. formula damnata à Liberio PP. & aliis quampluribus Epiſcopis Occidentalibus, qui & ideo pulſi ſunt ſedibus ſuis 359. XII & ſ. Eadem quoque diuino iudicio reprobata, vindictam ſumente numine de iis qui ei ſubſcripſiſſent. ib. XV.
de Ariminenſi Concilio libellus Hilarii nomine vulgatus, in multis deprauatiſſimus. 352 IV. 357. XIV.
Armenię Maioris Epiſcopus ordinari olim debuit à Cæſarienſi Cappadociæ Archiepiſcopo. 311. IV.
Eius Eccleſia optime conſtituitur à Gregorio Epiſcopo. ib. Eius Rex Tyridates fidem Chriſti recipit. ibi.
Armeniacum Concilium in cauſa librorum Diodori Tarſ. & Theodori Mopſ ueſt. 435. II.
Deuaſtatur à Saracenis, in pœnam hæreſis Manich. ibi reuiuiſcentis. 653. VII.
Armeni Chriſtiani pro defenſione religionis bellum ſuſcipiunt contra Maximinum Galerium Imp. eumdemque ſuperant. 312. I. A Perſis ob fidem afflicti, ſe dant Romanis. 572. V.
Multos cõtrahunt errores in religione. 685. II. 863. V. 1080. XIV.
Conuertuntur à S. Nicone. 961. III. Iterum labuntur, ſatagitque de eorumdem reductione Gregorius PP. Septim. 1074. VII. 1080. XIV. & Alexander Tertius, 1170. XII. Eorum maximus Pontifex, Catholicus dictus, & quam late ſe diffunderet eius auctoritas. 1136. V. in fin. 1145. IV. Subiicit ſe Romano Pontif. 1145. IV. ib. 1197. IV.
Armeni hæretici, iidem & Iacobitæ dicti. 535. XIII. Vide *Iacobus Syrus.*
Armeniæ Princeps, poſterioribus temporibus dictus Generalis. 1170. XII. Conſequitur regium titulum à Sede Apoſtolica. 1197. IV.
Armorici ſedibus pulſi à Maximo tyranno. 383 II.
Ea regio dicta Britannia minor, à Britannis in eam miſſis ab eodem Maximo. ibid.
Liberatur per S. Germanum Antiſiod. ab inuaſione Alemannorum, & ab ira Valentiniani Imp. 435. III. Vide *Britan. minor.*
Arnaldi de Brixia hæreſiarchæ errores damnantur in Concilio Lateran. ſub Innoc. II. ipſeque ex Italia pellitur. 1139. III.
Fuit diſcipulus Petri Abailardi. ibid. & 1140. I.
Seditionem Romæ mouet aduerſus Põtifices & Cardinales. 1141. I. ibid. 1145. III. 1148. XI. 1155. I. Pulſus Roma recipitur à Friderico Rege; ſed petitus ab Hadriano PP. ei redditur, & ſuſpendio necatur, ac comburitur. 1155. II.
Arnobius Rhetor fit Chriſtianus. 302. IX. Scribit contra Gentiles. ibid. Vnde acciderint næui in eius ſcriptis. ibid.
Arnulphus Metenſis Epiſc. vitæ moribus & miraculis clarus, à Rege Clotario inſtituendum ſuſcipit Dagobertum eius filium. 614. VI.
Dagoberto in regnum euecto, diuinitus inſpiratus, petit eremum. 631. III.
Arnulphus filius Lotharii Regis Archiepiſcopus Rhemenſis, accuſatus ab Hugone Rege de proditione deponitur in pſeudoſynodo Rhem. 990. II. 991. I. 992. II. ibid.
Reſtituitur honorifice iuſſu Ioannis PP. 995. II.
Arnulphi ex monaſterio S. Medardi diuinitus facta electio in Epiſcopum Sueſſionenſem. 1080 XVI Claret miraculis, ſpiritu prophetiæ, & mirabili trãſitu ib.
Arnulphus Carolomanni filius, augetur regno Carol. Craſſi Imp. iudicio Conuentus Tribunenſis. 888. I.
Romam capit, & violenter inuadit coronam Imp. 896. I. Verum dictus, aut dicendus vnquam fuerit Imperator. 888. III. 843. 896
Moritur morbo pediculari, multis criminibus & ſacrilegiis infamatus. 899. I.
Arnulphus Lexouienſis in Gallia Epiſc. viriliter agit pro receptione Alexãdri PP. III. aduerſus ſchiſmaticos. 1160. VIII. IX. Vices accipit eiuſdem Alexandri. ib.
Aroſtanes, inſignis Epiſcopus Superioris Armenię intereſt Magno Concilio Nic. 325. IX.
Arſaces Armeniæ Rex Chriſtianus iubetur à Iuliano Apoſtata cum blaſphemia, ſibi præſto eſſe ad bellum Perſicum. 363. VI.
Deſeritur à Romanis poſt extinctum Iulianum. ibid. XVIII.
Proditione tenetur à Sapore Rege Perſarum, & necatur. 369. IX.
Arſacii monachi Perſæ incluſi mirandus obitus in clade terræmotus Nicomedienſis. 358. III.
Arſacius in locum Chryſoſtomi expulſi, eligitur Epiſcopus Conſtantinop. longe ei diſſimilis. 404. IX.
Ei communicare recuſantes, diriſſime habiti. ibid. X.
Non recipitur ab Innoc. PP. ibid. XIII.
Moritur. 405. III.
Poſt mortem exauctoratur ab Innocentio. 407. VII.
Arſenius à Meletio ſchiſmatico ordinatur Epiſcopus Hypſelitanus. 326. III.
Fingitur ab Arianis occiſus per Athanaſium. 331. I. Stropham ipſe detegit, & Cathol. communioni ſe iungit. 332. III. 206. Quæritur ad necem ab Arianis, & in Conc. Tyrio eorum calumnias aperit 335. V.
Arſenius R. E. diaconus, à Damaſo PP. mittitur præceptor Arcadii Imp. inuenculi. 383. VI.
Iubetur à Theodoſio ſedens docere Arcadium detecto capite ſtantem. ibidem.
Ob verbera Arcadio inflicta, periculum vitæ fugiens, diuino monitu petit eremum Ægypti, & fit ſanctitate toto orbe conſpicuus. ibid.
Artabaſdus arripit Imperium aduerſus Conſtantinum Copronymum. 714. I.
Male pugnat contra eum. 742. I. Captus ab eodem, excæcatur, & ludibrio habetur. 743. V.
Artaldus vir inſignis, ex monacho fit Archiep. Rhemenſis, aduerſus Hugonem puerum electum. 933. I.
In Concilio Sueſſion. iubetur cedere Hugon. 941. I. Ruſum ſedem accipi, à Rege, & Synodis. 947. I. II. ibi.
Moritur 961. II.
Artemia filia Diocletiani Imp. aſſerta martyr; ſed fides dubia. 298. III.
Artemius inſignis Dux ſenio confectus, exprobrans Iuliano apoſtaſiam, egregium conſequitur martyrium. 362. XXV. Necem creditus intuliſſe ex litus eidem Iuliano. 363. XIII.
Artemius erectus in Sicilia Imp. aduerſus Leonem Iſaurum, viuus comburitur. 718. II.
Attemon hæreſiarcha negauit Chriſti diuinitatem. 196. IV.
Attotyritæ hæretici, ita dicti quod in ſuis myſteriis apponerent panem & caſeum: 173. XI.
Atuetnenſis in Gallia ciuitatis virtus, & nobilitas antiqua. 475. V.
Eius ciues caſtitatis cultores. ibid.
Sæpe fruſtra tentata à Gothis, tandem eis pro redemptione pacis vicinorum populorum traditur. 466. III. 475. III. V.
Atuernenſe Concilium pro diſciplina Eccleſ. 541. VII. Aliud pro limitibus quarumdam diœceſeon. 587. VII.
Aruſpicinam Romæ viileſcentẽ Claudius Imperator reſtituendam curat. 49. I.
Pro eadem reſcribit Conſtantinus Magnus. 321. VIII. ſed poſtea proſcripſit: 324. VI. Eamdem Conſtantius vetuit. 356. I. 358. VI. permiſit Gentilibus Valentinianus Senior. 371. X.
Aruſpices dire exagitauit Valens Imperator 370. XVI. Vide etiam *Diuinatio.*
Aſcenſionis Domini inſignia monumenta in monte Oliueti. 34. LXIV. In eius honorem concelebrata ſolemnitas Ægyptiorum, dicta Accenſio lucernarum. 58. XXVIII. Eius feſtum inſtitutum ab Apoſtolis. ibid. XXXVI.
Aſcenſionis Iſaiæ liber confictus ab hæreticis. 44. XXVI.
Aſcetæ, & Aſceteria in Eccleſia antiquiſſima. 301. VII. Vide *Monachi & Monaſteria.*
Aſclepas Gazæ Epiſc. pulſus ab Arianis, reſtituitur à Iulio Papa. 342. VIII. Eius cauſa iterum cognita in Concilio Sardic. æque abſoluitur & reſtituitur. 347. VIII.
Aſcodrogitæ hæretici, qui inſtar bacchantium furentes agebantur. 173. XI.
Aſcroditæ hæretici, quænam docerent: 175. X.
Aſiæ Minoris prouinciæ, à quibus Apoſto-

In Su-

Euangelium acceperint. 44. XI. Illæ Ecc eiæ omnes excommunicantur à Victore PP. ob errorem de die Paſchatis. 198. I.
Aſinus alligatus ad præſepe, in Natiuitate Domini. Annal. nu. 1.
Aſini caput adorari à Iudæis & Chriſtianis, calumniabantur Gentiles. 42. III. 201. VII.
Aſininı hominis formam habere Dominum Sabaoth, blaſphemabant Gnoſtici 201. VII
Eiuſmodi pictura Dei Chriſtianorum, publicata Romæ à Gentilibus ſub Seuero Imp. ibid.
Aſpar dux Theodoſii Iunioris, Angeli ductu Rauennam ingreditur, & Iohannem tyrannum capit. 425. I. Vide *Ardaburius* Miſſus aduerſus Wandalos in Africam, vincitur ab eis. 431. XVIII. Copias Leonis Marcellis proditione tradit iiſdem Wandalis 468. II. Eius filius fictè creatus à Leone Cæſar, ipſeque demum vna cum filiis occiditur. 469. I. 470. I. ibidem.
Aſpebetus dux Perſa, ex miraculo factus Chriſtianus, dictuſque Petrus, poſtea ordinatur Epiſcopus Saracenorum. 420. IV. Intereſt Concilio Epheſino Oecumen. 431 V.
Aſſamonæi fuerunt ex tribu Leui, ſed fœdere nuptiarum coniuncti familiæ Dauid. Appar. II. In eis coniunctum ſimul ſacerdotium & regnum. ibid In eiſdem defecit regnum de domo Dauid ibid. & III.
Aſſumptio B. Mariæ Virginis quando contigerit. 48. II. & ſeqq. Ea vere anima & corpore facta. ib. VI VII.
De eadem ſcripta quædam falſo tributa Hieronymo & Auguſtino ibid. Solemnitas eius in Eccleſia antiquiſſima. ibid. VIII. dicta à nonnullis, Dies Dominæ. ibid. 1002. IV. 890. Eius Octaua ſolemniter celebrari cœpta Romæ ſub Leone Quarto. 855. IV.
Aſtati, ſecta Manichæorum. 810 I.
Aſterius Senator propriis humeris ſublatum ſepelit martyrem. 203. III.
Aſterius veternoſus ſophiſta, & Epiſcopus Arianus, Iuliani monachi ex ſuffla tione ſublatus. 170. XI.
Recenſetur inter Scriptores Eccleſiaſticos. ibid
Aſtra eſſe animata, eademque Angelos eſſe, & ideo colenda, fuit error Iudæorum 60. VI.
Aſtrologi ſub Auguſto Roma pulſi. 56. XII.
Aſtronomiæ dediti Phariſæi Appar. VI.
Aſtronomia Iudiciaria damnata ab Eccleſia. 56. XII.
Ob eius ſtudium Aquila Ponticus eiectus Eccleſia 137. V.
Euſebius Emeſenus pulſus à ciuibus illius vrbis. 341. III
Aſturicenſe Concil. pro diſciplina Eccleſ. 947. II.
Athalaricus octo annorum puer, ſuccedit in regnum Italiæ Theodorico auo, ſub prudenti adminiſtratione Amalaſuenthæ matris. 526. VIII. Eius educatio qualis. ibi.
Reſcribit pro immunitate clericorum a iudiciis ſæcularium. 527. VII. itemque aduerſus ſæculares ſimoniacos. 533. VI.
Summam pecuniæ imponit Epiſcopis electis, tam Rom. Pontif. quam aliis, pro confirmatione ipſorum. ibid.
Moritur. 534. VI
Athanacenſes martyres in Gallia ſub Marco Imp. 179. II. Eorundem cinerum inuentio. ibid
Athanaticus Rex Gothorum Ethnicus, pecunia pacem redimit à Valente Imp. 369. IX.
Perſequitur Chriſtianos apud ſe agentes 370. XVI
Pulſus à ſuis ob pacem cum Theodoſio Aug. initam, excipitur ab eo honorificentiſſime Conſtantinopoli: ibique moriens ambitioſis exequiis ſepelitur. 381. I
Athanaſius puer ludens cum aliis æqualibus; Epiſcopum prophetice agit. 311. VIII.
Sumitur in ſcribam ab Alexandro Epiſc. Alexandr. ibid.
Profectus in eremum adhæret Magno Antonio. ibi.
In Concilio Nicæno viriliter agit contra Arianos, diaconus adhuc exiſtens 325 XIV. XXIII.
Diſputationes quæ feruntur inter ipſum & Arium habitæ; videntur potius ſcriptæ ab alio auctore. ib.
Creatur Epiſcopus Alexand. diuino ſuffragio. 326. I.
Eius electionem calumniantur apud Conſtantinum Imp. Ariani, defendit Synodus generalis Ægypti. ibid. Eius pro fide labores quanti. ibi II.
Recuſat Arium recipere Alexandriæ, ideoque Arianorum immenſum in ſe odium concitat. 327. I. III. Viſitat diœceſim. 328. I. Viſitat quoque Antonium, & duo ei pallia donat. ibid. II. Monachorum inſtituta transfert in clerum ciuitatis; & ex monachis creat Epiſcopos. ibid.
A Meletianis & Arianis falſo accuſatus de grauibus criminibus apud Conſtantinum, ipſe calumnias diluit. 329. I. Iterum ab iiſdem accuſatus de fracto in Eccleſia calice, & necato Arſenio Epiſcopo. 331. I. Purgatur coram Delmatio Cenſore. 332 I. ibid.
Rurſum aliis calumniis oneratus. 334 III. ibid. cauſam dicit in Conciliab. Tyrio, & damnatur ab Euſebianis. 335. III. & ſeqq.
Sed & accuſatus denuo de impedienda vectione frumenti Conſtantinopolim, relegatur Treueros à Conſtantino. 336. II.
Diuinum iudicium aduerſus eum comminatur. ib.
Honorifice excipitur Treueris. ibid. IV.
Reſtituitur à Conſtantino Iuniori Alexandriam. 338 III.
Iterum accuſatur ab Euſebianis apud Iulium Papam, & Imperatores Occidentis 339. I. Citatur à Iulio, & venit Romam. 340. II. Romæ diuulgat Vitam Antonii Magni, & primus in Vrbem inuehit monachiſmum cœnobiticum. ib. III. Symbolum Athanaſii dictum, tunc Romæ Latino ſermone compoſuit. ibid. IV. Abſens deponitur ab Euſebianis in Conc. Antioch in Encæniis. 34.. III Abſoluitur à Iulio Papa, & redit Alexandriam. ibid. XIII. Quæſitus ad necem à Gregorio eius ſedis inuaſore, clam elabitur, & rurſum petit Romam. 342. II. VI. Synopſin totius Scripturæ in gratiam Conſtantis Imp. conficit. ibid. Abſoluitur in Synodo Sardic. à calumniis Arianorum, & ſedi ſuæ reſtituitur. 347. VII. Vocatus à Conſtantio opera Conſtantis, bene ab eo habetur. 348. III. 349. I. Egregie eludit petitionem ipſius de concedenda Arianis vna eccleſia in vrbe Alexand. 349. III. ibid. Excipitur vbique ſumma cum lætitia. 350. IV. VII. Congreditur Laodiceæ cum Apollinare. ibi V. Rurſum accuſatur ab Arianis de amicitia cum Magnentio tyranno. 350. VIII. Eius nomine confictæ ab eis epiſtolæ. 352. IV. In ipſum & eius fautores, ſæuiſſima excitatur à Conſtantio perſecutio. 355. VI 356 II. & ſeqq. Subrogato aduerſus eum Gregorio, & miſſo exercitu, ægre euadit necem. 356 II. Iubetur à Conſtantio toto Orbe perquiri. ibid
Quas abſtruſas latebras habuerit, & quæ in eis ſcripta pro ſua defenſione ediderit. ibid. IV. VII. VIII. Scribit pro eo aduerſus Conſtantium Lucifer Calaritanus Epiſcopus. ibid. V. Ei Antonius Magn. moriens legat melotem & pallium. 358. V. Primus omnium hæreſim Macedonianam, adhuc in latebris exiſtens confutat. 360. V. Necato Gregorio inuaſore, è latebris emergens redit Alexandriam ſub Iuliano Aug. & celeberrimo totius Ægypti concurſu excipitur. 362. XXXVIII.
Concilium Alexandriæ celebrat, in cauſa Lapſorum ſub Conſtantio. ibidem. XXXIX.
Rurſum Arianorum ſimul & Gentilium factione, iubetur à Iuliano Imp. ſolum vertere. 362 I. Quæſitus ad necem, offerens ſe ipſum perſequentibus ſe, egregie eos eludit, & Alexandriam rediens, ibi latitat vſque ad necem Iuliani. ibi.
Reſtituitur à Ioniano Imp. & ab eo petitum fidei Orthod. libellum mittit ex Concilio Alexandr. 363. XIX. Calumniis apud eundem Imper. appetitur ab Arianis, eas ad ipſum accedens facile diluit. ibid. XXI. Scribit ex Synodo ad Damaſum PP. pro damnatione Auxentii Mediol. Epiſcop. Ariani. 368. IV. Pelli iuſſus à Valente Imp. mox reuocatur. 370. II. Præfectum Libyæ moribus incorrigibilem excommunicat. ibi. XIII Scribit ad Rom. Pont. pro Eccleſia Orientali. 371. I. Baſilio viſitationem Eccleſiarum committit. ibid. II. Migrat in cœlum, poſt 46. ſedis annos: cuius præconiis & laboribus recenſendis non eſt qui ſpar. 372 IV. Eius ſcripta quanti habita. ibid.
Athanaſius patriarcha Iacobitarum hæreticorum oblatam ob Heraclio Imp. Antioch. Eccleſiam vt adipiſcatur, fidem Cathol. ſimulat, eidemque hæreſim Monothelitarum propinat. 629. I. II
Athanaſius Epiſc. Neapolit. poſt diu à nepote tolerata, moritur miraculis clarus 872. III.
Athanaſ. alius, prædicti nepos, eiuſdemque ciuitatis Epiſcopus, proprium fratrem tyrannum excæcat; & inde laudatur à Iohanne Papa 877. II. Excommunicatur ab eodem, ob fœdus cum Saracenis initum. 881 I.
Athaulphus Alarici affinis, ei ſuccedit in Italia. 411. I. Sumit vxorem, Placidiam ſororem Honorii Imp. ibid. Romanum Imperium voluit facere Gothorum, & Gothiam dicere quæ eſſet Romania, & vt dicerentur Athaulphi qui dicebantur Cæſares Auguſti. ibid. Poſtea decreuit pro Imperio, & Honorio fideliter militare. ibid. Inuadit Gallias. 412. VII. Eiectus inde à Conſtantio duce Honorii, dum pacem quærit, occiditur à ſuis apud Barcinonem, vna cum ſex filiis ſuis. 414 I.
Athenienſes Gentiles proni erga diuinum cultum. 52 III.
Habebant aras dedicatas Ignotis diis. ibid. Paulus Apoſtol. eis prædicat. ibid. Eccleſia ibi erecta exagitatur ab Hadriano Imp. 125. II. Scholæ ibidem florentiſſ. ſub Conſtantio Imp. 354. V.
Athenodorus diſcipulus Origenis, frater Gregorii Thaumaturgi, Epiſcopus in Ponto. 233. VII.
Intereſt Concilio Antioch. contra Paulum Samoſat. 266. I. Martyrium adipiſcitur ſub Aureliano. 266. V.
Atingani dicti Manichæi poſterioribus temporibus. 810. I.
Attalus Arianus, Vrbis Præf. creatur Imp. ab Alarico. 410. I. Eius vanæ iactantiæ. ib. Dedignatur habere Honorium Imperii conſortem ibid. II. Deponitur ab eodem Alarico. ibid. III Iterum reſumens Imperium opera Gothorum, ab iiſdem rurſum derelictus, capitur & in triumpho ducitur ab Honorio; manuque truncata relegatur. 414. I.
Atticus creatur Epiſcopus Conſtantinop. viuente adhuc Chryſoſtomo exule. 405. III. in fin. Quæ fuerint eius primordia 406. III. Excommunicatur ab Innocentio Papa, ob male habitos ſuos legatos. ib. V

Nec

Nec poſt mortem Chryſoſtomi, valuit vmquam adipiſci communionem Sedis Apoſtol. donec retulit in ſacra Diptycha nomen illius. 407. IX. 412. IX. Vſurpare conatur auctoritatem in Eccleſ. Illyr. contra Romanam. 421. II. Moritur, laudaturque de inſigni Orthodoxia, & in pauperes munificentia. 425 IV.

Attila Hunnorum Rex Ethnicus, Imperium deuaſtat. 441. II. Ei Theodoſius Imp. tributum ſoluere cogitur. ibid. & 446. V. in fin.

Recedit ab Oriente in Occidentem. 450. VII.

Eius mores, effigies, ſumma potentia, & numeroſiſſimus exercitus. 451. V. Ex prædictione dictus Flagellum Dei. ibi Gallias miſereri ne vaſtat. ibid VI. ſed ingenti prælio vincitur à Rom. Gothis, Francis, vna iunctis. ibid. VIII.

Irrumpens in Italiam, coercetur a Leone Papa, aſſiſtentibus ei SS. Petro & Paulo. 452. VIII. IX.

Mulieris noue à ſe amatæ, ſiue manu, ſiue occaſione, extinguitur. 454. V.

Eius filii de ſucceſſione inter ſe decertant. ibid. VII. in fi.

Denſices vnus ex iis occiditur à duce Leonis Imp. caputq; defertur Conſtantinopolim. 468. III.

Attiniacus Conuentus, pro pœnitentia Ludouici Pii Imp. de rigore in ſuos, licet meritos, exhibito. 822. I.

Alius aduerſus Hincmarum Laudun. 871. IV.

Auares annuam pecuniam à Iuſtiniano Imp. exigunt, ne incurſiones facerent in Imperium. 566. II.

Eam Iuſtinus denegat, & bellum minatur. ibid.

Deuaſtant Syriam. 574. I.

Itemque Thraciam ſub Chaiano Rege. 593. X. Vide *Chaianus*. Iidem dicti Hunni. 788. II. Vide *Hunni*.

Auaritia Clericorum. Vide *Clerici*.

Auari cuiuſdam terribilis caſus Conſtantinopoli. 553. XX. Itemq; cuiuſdam Epiſcopi in Germania. 1066. VII. Alius in Gallia diuinitus monitus, non reſipiſcens damnatur ad inferos. 1180. I.

Audeus nimio zelo corripiens prauos mores miniſtrorum Eccleſiæ, fit ſchiſmaticus, & tandem hæreticus. 341. XI. Eius errores damnati in Synodo Antioch. in Encæniis ibidem XII. Sectatores dicti quoque Anthropomorphitæ, & quare ibi I.

Audas Epiſcopus templum Ignis Perſarum diruens, nec reædificare volens, necem ſibi, & Chriſtianis Perſis diram perſecutionem cauſatur. 426. III.

Audoenus ex miniſtro a ſecretis Dagoberti Regis, creatur Epiſcopus Rothomagenſis. 647. II.

Præcipue auctoritatis apud Clodoueũ Dagoberti filium. 650. IV.

Scripſit Vitam S. Eligii Nouiomenſis, arctiſſima ſibi amicitia coniuncti. ibid. & 665 II.

Peregrinatur ad Limina Apoſtolorum, & ibi voce cœleſti honoratur; ac Reliquias SS. ſecum in Gallias reportat. 672. I. Moritur, & miraculis claret. 677. II.

Audomari Taruanenſium Apoſtoli, Morinorum Epiſcopi, tranſitus ad Dominum 695 II.

Auenionenſe Concil. in quo creatus eſt Epiſc. S. Hugo Gratianopolit. 1080. XVI.

Auenionenſis pontis mirabilis ſtructura diuinitus facta. 1177. XV.

Auguſtalis Præfectus, dictus Ægypti rector, & qualis eſſe ſoleret. 102. II.

Auguſtanum in Germania Concilium ſub Ottone Rege. de reb. Eccleſiaſt. 951. I.

Auguſtini primordia, & lapſus in Manichæiſmum. 377. III. Romam petit, & priuatim docet Rhetoricam, incipiens abhorrere hæreſim. 383. X.

Mittitur Mediolanum ad docendam publice Rhetoricam. 384. V.

A Manichæis ad Academicos tranſit. ibid.

Conuentus à matre, & ſolutus vinculo concubinæ, incipit videre lumen fidei. ibid. VI.

Orationem panegyricam habet coram Valentiniano Imp. 385. I. Victorini Oratoris cognita conuerſione, & Magni Antonii Vita, ad Chriſtum conuertitur, & diuinitus monitus, ex lectione Pauli Apoſtol. diſcit quid ſibi agendum eſſet. 385. I.

Baptizatur à S. Ambroſio anno ætatis 34. vna cum Adeodato filio naturali. & Alypio amico: Romamque redit in Africam reuerſurus. 388. IX.

Matre Oſtiæ defuncta, ipſe cum ſociis redit in Africam; & per triennium ibi vacat ieiuniis, orationibus, & libris conſcribendis. 389. I.

Per vim raptus à populo Hipponenſi, ordinatur Presbyter à Valerio Epiſcopo 391. III.

Primus ex Presbyteris, contra morem Eccleſ. Afric. Euangelium præſente Epiſcopo annuntiat populo. ibid.

Monachiſmum in Africam, ipſe monachus intulit ex Italia. ibid.

Publica diſputatione confundit Fortunatum Manichæum. 392. VI.

Altercationes eius cum S. Hieronymo, de quibus rebus fuerint, & quam pacifice agitatæ. 394. IX. & ſeqq.

Ingenti omnium deſiderio cogitur ordinari Epiſcopus Hipponenſis ſed quod adhuc viueret Valerius Epiſcopus, excuſauit poſtea ſe tunc neſciſſe id eſſe vetitum. 395. XIII.

Init cõſuetudinem literarum cum Paulino Nolano. ibid. XIV.

Dire exagitatus vna cum aliis Catholicis, à Donatiſtis, cenſet hæreticos per magiſtratus cogi, & puniri debere. 398. VI. 405. IV.

Haud geſtauit prolixam barbam. ibid. XV. Pro audientium diuerſa fide, ſolitus aptare ſermones ſuos ad populum. ibi XVI. Publica diſputatione confundit Felicem Manichæum, qui conuertitur ad Eccleſiam. 404 XVIII.

Occaſione obtrectationum Gentilium in Chriſtianos, de direptione Vrbis per Alaricum, ſcripſit libros de ciuitate Dei. 410. VIII.

Procurat Collationem publicam cum Donatiſtis. ibid. XI.

Confutat hæreſim Pelagii, antequam ipſe ſe palam proderet. 411 IX. ac poſtea ſæpe. 415. IV. VI.

Mitius à Præfectis agi petit cum Donatiſtis, licet in Catholicos furerent. 412. I.

Auctor eſt Demetriadi nobiliſſ. virg. Rom. renunciandi ſponſo & ſæculo, eademq; præſeruat à veneno Pelagii. 413. III. IV.

Quomodo obſtinatiſſ. hæreticis agendum cenſuerit. 398. VI. 405. IV 414. III.

Multas emergentes nouas hæreſes ex Origenis ſcriptis confutat. 414. IV. V.

Conſulitur ab Hiſpanis per Oroſium, de iiſdem erroribus. ibid. Eumdem pro quæſtione de origine animarum remittit ad Hieronymum, & quid ipſe de ea ſenſerit. 451. VII.

A Conciliis Carthag. & Mileuit. prouinciam ſuſcipit ſcribendi aduerſus Pelagiana dogmata. 416. II.

A Iuliano Pelagiano accuſatus præuaricationis eius hæreſis, rurſum plura aduerſus eam, illumque ſcribit. 418. III. 419. IV. V.

Confutat quoque contrariam hæreſim, qua totum tribueretur Gratiæ, Libero rumque to lleretur arbitrium. 418. IV.

Legatione fungens Zozimi Papæ, Cæſareæ Mauritan. multa praua corrigit, & alias in Africa pleroſque abuſus ſuſtulit. ibid. VI. Se inſcribit *Chriſti ſeruorum ſeruum*. 419. VI. Duos hæreſiarchas, Vincentium Victorem, & Leporium, reducit ad ſanam mentem. 420. II. Eius praxis in agendo cum hæreticis ib. Epiſtolæ eius nomine ſcriptæ ad Bonifacium Comitem, cuius fuit fidei. 422. I.

Excommunicat eum ob violatam Eccleſiæ immunitatem, & pœnitentem reſtituit. ibid.

Ab Arianis, diſputationibus laceſſitus, eos confutat. ibid. III.

Coadiutorem ſibi, ac ſucceſſorem in Epiſcopatu, deligit Eradium, annum ipſe agens 72. 426. II.

Retractat ſua ſcripta. ibid. IV. Vocatur à Theodoſio Iuniori ad Concilium Oecumenicum Epheſinum; ſed qui ad eum deducendum acceſſerunt, inuenerunt eum iam defunctum. 430. VIII.

Moritur tertio menſe obſidionis ſuæ ciuitatis per VVandalos. ibid. IX.

Ægrotans ipſe ſanitatem reſtituit ægroto. ib. Sancta eius per pœnitentiam præparatio ad obitum. ibid.

Conſanguineos ſuos quomodo tractauerit in vita & morte. ibid. X. Eius ſcripta in conflagratione ciuitatis diuinitus ſeruata. impugnata à diuerſis, defenduntur a SS. Hilario Arel. a Proſpero Aquit. Cæleſtino PP. 431. XI.

Eius corpus transfertur in Sardiniam, in relegatione Epiſcoporum Afrorum ſub Traſamundo VVandalo. 504. III Inde vero transfertur Ticinum, magno pretio redemptum à Saracenis, per Luitprandum Regem Longobard. multiſq; miraculis claret. 725. I.

Brachium eius, centum talentis comparatum, Canutus Rex mittit in Angliam. 1027. II.

Auguſtinus Abbas mittitur à S. Gregorio ad conuerſionem Anglorum 596. II. Ordinatur in Gallia Epiſcopus & appellens in Angliam, ſignis & miraculis coruſcans, conuertit Regem cum aliis quampluribus. 597. II.

Eam Eccleſiam optime ordinat. 601. V.

Duobus celebratis Conciliis, fruſtra conatur Britannos Epiſcopos reducere à ſchiſmate de Paſchatis celebratione. 604. VIII. Moritur. ibid.

Auguſti Imp. quoto anno natus Chriſtus. Appar. XXXII. XXXIII. Eius Imperii annorum diuerſæ ſupputationes vide ortæ ibid. Eidem tributa multa quæ de Chriſto venturo dicta eſſent. ibid. XIII. XIV.

Qua occaſione erexerit Aram primogeniti Dei. ib. d XIII. Dominum ſe dici vetuit Annal. num. IV. Poſt Chriſtum natum fauet Iudæis, quos antea oderat. ib VI. Vera carmina Sibyllina à ſpuriis ſeligit an. 19. num II. Moritur, & quot annis regnarit. 16. II.

Auguſti nomen proprium Imperatoribus, Athaulphus Gothorum Rex, in Athaulphi appellationem commutare cogitauit. 411. I.

Auguſtulus ab Oreſte patre euehitur in Imperium Occident. aduerſus Nepotem. 457. I. Ab Oduacre Erulorum Rege relegatur in Lucullanum Campaniæ, & in eo penitus defecit Imperium Occidentale, tranſitque ad Reges barbaros 476. I.

Auitus, patria Aruernus, aduitentibus Gothis, inuitus erigitur in Imperium. 455 VI. Deponit illud paulopoſt, & quare. 456 I.

Auitus Viennenſis Epiſc. in Gallia, laboribus & ſcriptis aduerſus hæreticos inſignis, conuertit Sigiſmundum, Burgund. Regem Arianum. 509 III. Præeſt Concilio Epaunenſi. [illegible]

Auiti duo Hiſpani, Origenis hæreſim in Hiſpaniam induxerunt. 414. [illegible]

Aurei Numeri origo ad inueniendum Paſcha, a Concilio Nicæno. 325 [illegible]

Aurelianus creatur Imp. 271. II. Eius ſeueritas in milites. ibid. Reſcribit pro expulſione Pauli Samoſateni è domo Epiſcopali Antioch. 271. III.
Agnoſcit primatum Romani Pont. ibid.
Eius propenſum ſtudium in cultum deorum. ibid. IV.
Herculem ſibi allegit conſortem Imperii. ibid.
Sæuit in Senatores. 273. I. Diuinitus correptus in ſubſcriptione perſecutionis in Chriſtianos, nihilominus eam indicit. 273. II. ibid.
Vincit Zenobiam dominatricem Orientis, & in triumphum ducit. 274. I. ibi.
Primum Solis agonem inſtituit. 275. III.
Ampliat muros Vrbis vſque ad 50. paſſuum millia. ibid. Quantum temporis regnarit. 276. I. Necatur à ſuis. 278. I
Aurelianus creatur Arelatenſis Epiſcopus, & Vicarius conſtituitur in Galliis a Vigilo Papa. 546. VII. Petente Totila ipſius filiam in vxorem ſibi, ea occaſione cum auertit à ruina Vrbis Romæ. 550. II. Intereſt Concilio Aurelianēſi Quinto. 552 VI.
Aurelianenſe Concil. I. ſub Clodoueo Rege, pro reformatione Eccleſiæ. 507. II.
Secundum ſub Childeberto, pro diſciplina Eccleſ. 536. XIV.
Tertium ſub eodem Childeberto, æque pro optima conſtitutione Eccleſiæ. 540. V.
Quartum. 545. III.
Quintum, in cauſa Trium Capitulorum. 552. VI.
Aliud, pro damnatione cuiuſdam hæretici. 650. IV.
Ea ciuitas, vna cum Eccleſiis, igne crematur ſub Arnulpho eius Epiſcopo viro inſigni. 888. VI.
Aurelius creatur Epiſcopus Carthag. 391. III. Ipſe, an Genedius, prior ſederit. 397. XV. Sub eo celebrata quamplurima Concilia in Africa. 397. XIV. 398. VII. XIV. 399. XIII. 401. II. IV. 402. XVI. 403. VIII. 404. XVII. 405. IV. 407. III. 408. VII. 410. X. 412. IV. 416. I. VII.
Primum obtinet locum inter electos ad diſputandum contra Donatiſtas, in Collatione Carthag. 411 III.
Aurelius Caſſiodorus. Vide *Caſſiodorus.*
Auſonius rhetor, & poeta Gallus magiſter Gratiani Imp creatur ab eo Conſul. 379. I. Fuit Chriſtianus. ibid.
Auſtregiſilus Epiſcopus Bituricenſis floret, & inſurgit magno animo aduerſus inuaſores rerum Eccleſ. & tributorum indebitorum exactores. 611. II
Auxentius Cappadox Arianus, intruditur à Conſtantio Imp. Mediolanum in locum Dionyſii Orthodoxi expulſi. 355. VI. Sub Catholico nomine latens, impetitur à S. Hilario, ſed fruſtra 368. II.
Fauore Valentiniani Imp. eius ſimulatione decepti, inſultat Catholicis Epiſcopis. ibid. IV.
Damnatur Romæ in Concilio à Damaſo PP. & ab aliis per Orbem Synodis. ib. Moritur. 374 I
Auxentius Iunior Mediol. pſeudo epiſcopus diſtinctus a Seniore. 385. IV.
Prouocat Ambroſium ad diſputationem ſub Iudicibus Gentilibus & Imperatore, ſed recuſat Ambroſius. ibid. V.
Auxentius inſignis anachoreta ſtrenue agit pro Concilio Chalcedon. aduerſus Eutychianos. 451. XXXIV.
Auximitæ populi Æthiopiæ, conuertuntur ad fidem. 541 V.
Aymo Halberſtat. ſcriptor clarus moritur. 853. IX.
Azades chariſſimus Regis Perſ. eunuchus, martyrium ſubit pro fide Chriſti. 343. IV.
in azymis confecta à Domino Euchariſtia: demque eo mos perſeuerauit in Eccleſia. 34. XVII.
Azymorum diebus nefas Iudæis in aliquem animaduertere. ib. XXV.
Azymitæ vocati à Græcis ſchiſmaticis Latini, eo quod Euchariſtiam in azymis conficerent. 1045. III.

B.

Baanitæ, ſecta Manichæorum. 810. I.
Babylas creatur Epiſc. Antioch. 241 I. Inſignis eius confeſſio, & martyrium ſub Decio. 253 XX.
Tranſlatione eius corporis facta in Daphnem à Gallo Cæſ. obmuteſcit idolum Apollinis ibi antea reſponſa dare ſolitum. 351. II. 362. XXIII. Itaque illud poſtea Iulianus Apoſt. inde auferre iuſſit, quod in vrbem à Chriſtianis magno triumpho relatum eſt. 362. XXIII.
Eiuſdem martyris precibus Daphne cælitus conflagrat. ibi. XXIV.
Babylon quo ſenſu dicta Roma à Petro, & Hieronymo. 45. VI.
Babylonis variæ ſignificationes in Script. ibid.
Babylones duæ, Aſſyriorum, & Ægyptiorum. ibid
Baculo S. Petri Martialis ſuſcitat mortuum, qui hodieque baculus aſſeruatur Burdegalæ. 74. VII.
Baculo & ſuperhumerali Senuphii anachoretæ, Theodoſius Mag. vincit hoſtes. 388. V.
Baculus paſtoralis S. Auguſtini vna cum eius corpore, transfertur in Sardiniam. 504. III.
Bacurius Iberorum Rex cum ſua gente, miraculis ancillæ Chriſtianæ ad fidem conuertitur. 327. V. Creatur à Conſtantino Magno Domeſticorum Comes. ibid.
Bagaienſe Concil. Donatiſtarum 310. Epiſcoporum, in cauſa ſchiſmatis inter ipſos conflati. 394. VIII.
Bagaudarum ruſticanorum factio in Gallia, compreſſa à Maximiano Imp. 297. I.
Baioarii. Vide *Bauari.*
Balationes & ſaltationes ante baſilicas Sanctorum, ſuſtulit in Africa Auguſtinus. 418. VI.
Balbinus à Senatu creatus Imp. vna cum Puppieno aduerſus Maximinum Thracem. 238. IV. Occiduntur ambo à militibus. 240. II. ibid.
Balnea Antiochena paſſa dæmonum infeſtationem ob reliquias virginū Chriſt. 118. I.
Balſami liquor accendi aliquando ſolitus in eccleſiis in honorem Dei vel Sanctorum. 58. XXVII.
Balſami arbor delata in Triumpho Romæ a Pompeio & Tito. 71. I.
Bambergenſe Conc. in Encæniis. 1011. I. Ea ciuitas tradita Eccleſiæ Rom. & eius loco poſtea Beneuentum. 1019 I. 1053. I.
Baptiſmus Chriſti, quo eius anno contigerit. 31. VII.
Baptiſmum quotidianum, ſiue ablutionem, neceſſariam ad ſalutem putarunt Hemerobaptiſtæ. Appar. IX. itemque Ebionæi 74. IV.
Baptizati Apoſtoli, & Diſcipuli Domini, à quibus fuerint. 31. XVII.
Baptiſmus Conſtantini Mag. qua occaſione, quoue loco, modo, & tempore contigerit. 314. VI.
Baptiſmi aqua Vide *Aqua bapt.*
Baptiſmum reiecerunt, aut corruperunt Manichæi. 277. XI. Eum prorſus abiecerunt Aſcodrytæ & Archontici, & quare 175. IX Eum pariter Ariani tollebant, negantes Filii Conſubſtantialitatem. 325. XXVIII. Itemque Pelagiani, negantes Peccatum Originale. 411. IX. 415. IV. 417. II. Sed & Berengariani. 1035. II. 909. Eiuſdem trinam immerſionem damnarunt Eunomiani, in odium SS. Trinitatis. 360. V. I. Ridicula cautela ab ipſis in baptiſmo conferendo obſeruata. ibid
Baptiſmo non deleri, ſed oratione, peccatum originale, dixerunt Maſſaliani. 361. IX.
Baptiſmum ſanguine victimarum delere conatus Iulianus Apoſtata. 361. XII.
Baptiſmum ab hæreticis vel ſchiſmaticis collatum, eſſe nullum, decreuit contra Eccleſiæ doctrinam Agrippinus Carthag. Epiſc. 217. I. itemque Tertullianus. ibi. Ea quæſtio vbique agitata tempore Cypriani, occaſione Nouatianorum. 258. IV.
Quinam baptiſmum hæreticorum damnarint. 258. V. VI. XI. damnati à Stephano PP. ibid. V. Idem error renouatus ab Hilario E. R. diacono. ſecta Luciferiana. 362. XLVII.
Baptiſmus ſchiſm. & hæret. quinam ſuſcipiendus, quiue reiiciendus. 258. X. Plurimorum hæreticorum baptiſmus reiectus ab Eccleſia. 314. XII. Vide etiam *Rebaptizatio.* Non iterandus ob falſam Latinitatem miniſtri. 744. II. Eum paruulis ante octauum diem, & mulieribus in menſtruo vel partu, denegabant Græci ſchiſmatici. 1054 III.
Eius neceſſitatem in infantibus ſuſtulit Pelagius. 411. IX. 417. II. Eamdemque omnino negauit Sampion presb. Scotus. 748. I. Nihil prodeſſe ante intelligibilem ætatem, aſſeruerunt Petrobruſiani 1126. VI. Henriciani 1147. VIII. Apoſtolici ibi. XII. Albienſes. 1176. II.
Baptiſmum Eccleſiæ, eſſe baptiſmum Ioannis, dixerunt Bongomili. 1118. XII.
Per baptiſmum renatos, à diabolo non poſſe ſubuerti, Iouinianus dixit. 382. VII & Pelagius. 411. VIII. Itemque Iouinianus, omnium qui Baptiſma ſeruarent, eſſe vnam in cœlis remunerationem. 382. VII. Nullum baptizari, niſi ſaluandum, Gilbertus Porret. 1174. V.
Baptizarunt multi hæretici viuentes, pro defunctis abſque baptiſmo. 57. XLVII.
Alia baptizatos in Eccleſia rebaptizarunt. Vide *Rebaptizatio.*
Baptiſmus ſecundus, fuit Nouitianis loco pœnitentiæ. 258. VI.
Baptiſmos tres introduxit Marcion. 146. VII.
Baptizati in lecto, Clinici dicti, fueruntq; ii olim incapaces ſacrorum Ordinum. 245. I.
Baptizari in nomine ſuo, Menander neceſſe eſſe dicebat ad ſalutem. 74. VI.
Baptiſmus a pueris collatus ritu Eccleſiæ, validus: ſupplenda tamen quæ a ſacerdotibus mos eſt. 311. VIII.
Baptiſmi tempore omnes amiciri ſoliti veſtibus candidis 57. XXIX.
Baptizandi primo ad Occidentem, mox ad Orientem conuerti ſoliti, & quare. 58. XLIII.
Baptiſmi ſolemne tempus. 447. IV
Baptizatus arena, defectu aquæ. 181. I.
per Baptiſmum Conſtātinus ſanatur quoque lepra corporali. 324 X. XI. Iudæus curatur à paralyſi. 408 I. X. Alius Iudæus ſæpius baptizatus, denuo rebaptizari ſatagens, euaneſcente aqua, vere conuertitur. 419. XVII. Innatus populorum fœtor, baptiſmo tollitur. 1145. IV. V.
Baptiſmus Agarenorum ſumptus ad corporalem tantum medicinam, non animo fidem amplectendi, declaratus nullus a Patriarcha Conſtantinop. ibid.
Baptizari cur dicantur campanæ. 668. IV.
Barbæ cultus, qualis apud antiquos Chriſtianos 57. XXVIII.
Barbæ raſio qualis prohibita in antiqua lege. 58. LVI.
Qualis item improbata à SS. Hieronymo, Epiphanio, vel aliis. ibi. LV. & ſeq.
Diuerſa Eccleſiarum ea in re conſuetudo, tam in clericis, quam monachis, ſecundum morem gentium inter quas habitarent. ibid. LVII. LVIII.
Barbæ raſuram primus obiecit Photius ſchiſmaticus glaber, Eccleſiæ Latinæ.

ibid. LVIII. Ea diu in Occidente perſeuerauit. ibid. Eſt ſignum doloris, & ideo optime conuenit monachorum inſtituto. ibid. LVII. Eius tonſio præſcripta Clericis in Concilio Carthag. Quarto. 398. XV.

Barba S. Petri Apoſt. tranſlata in territorium Pariſienſe, ingentibus claret miraculis. 922. II.

Barbararum Gentium conuerſiones. Vide *Fidei Chriſt. propagatio.*

Barbarorum per vniuerſum orbem eodem tempore incurſiones in Rom. Imperiū ſub Valeriano Imp. 263. III. item initio Valentiniani Senioris. 364. V. Aliorum graſſationes in Oriente ſub Valente. 376. II. 377. II. Aliorum ſub Arcadio, ex proditione Ruffini. 395. VIII. Aliorum in Occidente ſub Honorio, ex proditione Stiliconis 407. II. Totus ferme tunc mundus barbaricis afflictus cladibus. 410. X.

Inuaſores Galliarum & Hiſpan. offerunt Honorio Imp. inter ſe digladiari pro ſecuritate Imperii. 414. II.

Barbaricini populi in Sardinia, à Gentiliſmo conuerſi opera Gregorii Magni. 594. I.

Barbelitæ hæretici, ſecta Gnoſticorum. 120. XVIII.

Barchochebas dux Iudæorum ſub Hadriano Imp. diuinitus ſe miſſum mentiens, multas clades infert cum Romanis, tum etiam Chriſtianis. 130. IV.

Barcinonenſe Concil. de diſciplina Eccleſ. 603. IV. Aliud ſub Legato Sedis Apoſt. de Gothicis legibus. 1064. III.

Bardanes Philippicus. Vide *Philip. Bard.*

Bardanes cognomento Turcus, inuitus aduerſus Nicephorum euectus in Imperium, mox illud deponit, & fit monachus. 803. I. Priuatur luminibus à Nicephoro. ibid.

Bardas frater Theodoræ Aug. Michaelis Imp. fit auctor corruptiſſimæ ſimul & impiiſſimæ vitæ. 854. III. Eiecta ſorore, rerum ſummam ad ſpiſcitur. 855. VII. Excommunicatus ab Ignatio Patriarcha, ob coniugem legitimam eiectam, & pellicem cognatam ſuam ſubintroductam, eum throno pellit, & Photium intrudit. 858. IV. Reſtituit Scholas Conſtantinopoli. 859. VII. Acerrimas iniurias accipit in viſione à Petro Apoſt. ob rebellionem Photii in Sedem Apoſt. 867. V. Necatur iuſſu Michaelis, & Euſtatii conciditur. ibid. VI.

Bardas Scelerus, Præf. Orientis, in defenſionem ſui arripit Imperatoris nomen ſub Baſil. & Conſtant. Augg. & magna diu afficit calamitate Imperium. 976. I.

Bardeſanes Syrus aliquando inſigniter militauit in Eccleſia Cathol. poſtea in Valentini hæreſim lapſus. 185. V. Alia de ſuo adiecit, ſed quædam ei tributa, quæ potius eius ſectatoribus adſcribenda. ibid. VI. Habuit filium Harmonium. ibid.

Barenſe in Apulia Concilium ſub Vrbano PP. pro vnione Græcorum cum Rom. Eccleſia. 1097. XLV.

Barlaham ruſtici Chriſtiani mira pro fide conſtantia in adultione manus. 304. XIII.

Barnabæ primordia. 34. LXXV. Latifundium vendidit, & pretium ad pedes Apoſtolorum poſuit. ibid.

Prædicat cum ingenti fructu Euangelium Antiochiæ 43. III. Eius nomine ſuppoſitum ab hæreticis Euangelium. 44. XXV.

Initiatur Apoſtolatu vna cum Paulo. 44. XXXII.

Peregrinationes eius cum eodem Paulo. 46. III. 47. I. ib. 48. I. 49. I. Mittuntur ab Eccleſia Antioch. Hieroſolymam, ad conſultandum de circumciſione, & interſunt Concilio ibi celebrato. 51. III. Iiſdem ibi conceditur Apoſtolatus Gentium, & quomodo id intelligendum. ibid. VI.

Separantur ab inuicem, occaſione Marci conſobrini Barnabæ, ſed abſq; ſciſſione charitatis. ibid. XII.

Reliquæ eius peregrinationes, & quæ de iis conficta. 51. XIII.

Scripſit Epiſtolam; eaque perperam à nonnullis credita, quæ Pauli eſt ad Hebræos. ibid. XIV. & 60. XX.

Eius corporis inuentio in Cypro ſub Zenone Imp. & cum eo Euangelii S. Matthæi. 485. I.

Baronianæ familiæ egregia antiqua monumenta. 1030. III.

Barſaniani hæretici, ſecta Acephalorum. 535. XI.

Barſanuphii anachoretæ incluſi admiranda vita. 548. V.

Bartholomæus Apoſt. in quibus regionibus prædicarit fidem. 44. XVII. Detulit ſecum Euangelium Matthæi. ibidem & 41.

Eius quoque nomine ſuppoſitum ab hæreticis Euangelium. 44. XXV.

Reliquias eius reprobans Anaſtaſius Imp. male conſulit cuſtodiæ ciuitatis. 507. IV.

Eædem à Paganis, & Saracenis disiectæ, colliguntur a Fidelibus, & transferuntur tandem Beneuentum. 831. III.

Deferūtur Romam ab Ottone III. Imp. ſed pellis remanet Beneuenti. 1000. I.

Baſilicæ dictæ olim Eccleſiæ ampliores, & quare. 57. XXXVIII. Vide *Eccleſia.*

Baſileenſe Conciliabulum Simoniacorum & Nicolaitarum, pro confirmatione ſuarum turpitudinum. 1061. II.

Baſilides Alexandr. ſectator Simonis magi, & Menandri. 35. XIII. 47. VI. 120. V. Et ipſe hæreſiarcha, quas impietates introduxerit. 120. V. Vſus quoque incantationibus ibid. VII. Scripſit ſuo nomine Euangelium. ibid. IX. Habuit filium Iſidorum æque impium. ibid. Quinam eius errores confutarint. ibid.

Baſilides Epiſcopus Hiſp. ob varia crimina damnatus, appellat Rom. Pontificem. 258. II.

Baſilina mater Iuliani Apoſtatæ. 337. XII.

Baſiliſcus hæreticus Eutychianus, frater Verinæ Aug. coniugis Leonis Thracis, miſſus cum ingentibus copiis aduerſus VVandalos, inertia & proditione rem perdit. 468. II. Reus ab omnibus conclamatus, confugit ad eccleſiam, & liberatur à ſorore ibid. Zenonem Imp. fugat, ipſeque Auguſtus nominatur. 476. IV. Dire perſequitur Catholicos, & publica lege proſcribit Concilium Chalcedon. ibidem. V. Reſiſtentibus ei ſanctis Epiſcopis, monachis, & populo, contrarium promulgare cogitur edictum. ibidem. VII. Redeunte Zenone, fugit ad eccleſiam, ſed inde abſtractus pellitur in exilium, & miſere perit. 477. I.

Baſiliſcus ſerpens lethifer Romæ extinguitur precibus Leonis PP. Quarti. 847. V.

Baſilius, ſiue Baſileus, celeberrimus Epiſc. Amaſenus, in carcere conſtitutus, fidem Cathol. egregie profitetur aduerſus Arium. 315. X. Martyrium conſequitur in perſecutione Liciniana. 316. II.

Baſilii Cappadocis parentum fuga in perſecutione Galerii Imper. ad deſerta loca. 304. XII. Feræ beſtiæ ſe illis ſponte offerunt in cibum. ibid. Poſt ceſſatam perſecutionem, conceſſerunt Cæſaream Cappadociæ, qui olim habitarant Neocæſareæ, in Ponto. ibid.

Baſilius proficiſcitur Athenas, conſummandus ſcientiis; & intimam inijt ibi cum Gregorio Nazianzeno amicitiam. 354. V.

Vocantur ambo in aulam à Iuliano Apoſt. ſed recuſantes. 362. II.

Creantur presbyteri, & facti monachi ſecedunt in eremum Ponticam. 362. XIV. 365. XV.

Qualem vitam ibi egerint. ibidem. XVI. XVII. Baſilius ſcribit tunc Regulas monaſticas. 362. XVII. Non fuit auctor Vitæ Cœnobicæ, ſed imitator. 328. III. Accuſatur à Sabellianis apud Neocæſarienſes de ambitione & fidei deſertione, ſcribit pro ſe ad eos apologiam. 362. XVIII. Et per viſum oſtenditur à B. Virgine cædes Iuliani. 363. XIII. Eius Vita Ampilochio tributa, mendaciis ſcatet.

Reuocatur ex eremo aduerſus hæreticos, & Cæſarienſis Eccleſiæ curam gerit ſub Euſebio Epiſcopo. 366. IV. Patrimonium ſuum tempore ſæuiſſ. famis in pauperes erogat. 367. VIII.

Creatur Epiſcopus Cæſar. admodum inuitus. 369. VII.

Quæ ei cum Valente Imp. Ariano conflatio, & quæ tunc prodigia in eius fauorem contigerint. 370. VII. VIII. Principem coquorum egregio dicto confutat. ibid. VIII. in fi.

Aliud eius certamen cum auunculo Imperatricis. ibid. IX.

Præfectum Libiæ ab Athanaſio excommunicatum, ipſe etiam talem declarat. 370. XIII. Agit apud Athanaſium, alioſque præcipuos Orientis Antiſtites, vt legio mitteretur in Occidentem, ad impetrandum auxilium Eccleſiæ ab Arianis proſtratæ. 371. I. Eo Athanaſius vſus in viſitatione Eccleſiarum. ibid. 2. Calumnias patitur de colluſione cum Euſtathio Sebaſteno, & Apollinare deque aſſertione trium deorum, & negatione diuinitatis Spiritus Sancti: ſed ipſe tam à ſeipſo, quam ab aliis defenditur. 371. II. & ſeqq. Diſſidet cum Anthimo Tyanenſi, de finibus diœceſeon ibid. VI. Plures Epiſcopatus erigit, & Gregorium Naz. Epiſcopum creat Saſimorum. ibi. Iteratas legationes mittit ad PP. Damaſum, & alios Occidentales, vt ſuccurreretur Eccleſiæ Orientali. 372. II. Amaruſcule de iis ſcribit, ſed mox pœnitet. ibid. III. Fuit ei conſuetudo literarum cum S. Ambroſio Mediolanenſi. 374. III.

Migrat in cælum, & inſigni funere effertur. 378. I. Et aliquando concionanti Spiritus S. in forma columbæ ſermonem ſuggerere viſus eſt. ibid. Ex duro viuendi genere frequenter ægrotauit. ibi. Eius ſcripta & effigies. ibid. II. Longe poſtea templum eius expilatur à Turcis, at ſepulchrum permanet ſaluum. 1067. III.

Baſilii Epiſcopi plures tempore Chryſoſtomi, & quis ille, ad quem ipſe ſcripſit de Sacerdotio. 382. IX.

Baſilius Ancyranus Epiſcopus, Semiarianorum ſignifer. 357. VI. VII. 359. IV. In Concilio Seleu. damnat Acacium, & alios Arianos. 359. XVIII. Ipſe vero in Concil. Conſtantinop. patrocinante Conſtantio Imp. abdicatur cum ſuis ab eodem Acacio, ſpecie quorundam criminum. ibid. XXI. 358. Adhæret hæreſi Macedonianæ. 360. IV. ibid. Sub Iouiano Imp. Catholico, Nicænæ fidei ſubſcribit. 362. XIX.

Baſilius alius Ancyræ presbyter, martyr ſub Iuliano. 362. XIX.

Baſilius auctor hæreſis Bogomilorum comburitur ab Alexio Imp. 1118. XII.

Baſilius, confictus à quibuſdam Roman. Pontifex. 891. I.

Baſilius Macedo, ex Præfecto cubiculi Michaelis Aug. ob Bardam Cæſ. occiſum, creatur ab eodem Mich. Imperator. 867. VI. Eum à nefaria vita abducere tentans inſidiis ab eo appetitur; quas ipſe præueniens, ei necem procurat. ibi. VIII. Photium impium eiicit, Ignatium legitimum Patriarcham reſtituit, & legatos ad Rom. Pont. mittit. 867. IX. XI. In Concilio Octauo Oecumen. egregias habet ad Epiſcopos admonitiones. 869. V. IX. in fin. Non acquieſcit primo loco ſubſcribere, ſed tantum poſt

Legatos cunctarum Sedium Patriarch. ibi. X. Eius ingratitudo in Rom. Eccleſiam. ibid. XV. Tres filios promouet in Imperiũ, quartum mancipat diuinis officiis: quatuor vero eius filiæ, virginitatem Deo conſecrantes viuunt in monaſterio. 868. I. 870. VIII. Altercatur de nomine Imperatoris cum Ludouico Imp. Occidentis. 869. XII. 871. III. Vane deceptus à Photio, reuocat eum Conſtantinopolim, & mortuo Ignatio, reſtituit ſedi, ingenti Eccleſiæ, ſuoque damno. 878. VII. IX. Subſcribit impiæ pſeudoſynodo Photianæ, cum damnatione Octauæ legitimæ. 879. VII. Traducitur præſtigiis Santabareni. ib. IX. Inuehitur in Romanos Pontiff. quod nollet recipere Photium. 882. IV. 884. I. Retunditur à Stephano PP. 885. II. ibid. Moritur ex diarrhœa. 886. I. Multa eius laudanda facta, ſcriptaque nonnulla. ib. II. III.

Baſilius & Conſtantinus fratres, filii, Romani Iunioris, imperant. 975. III. Conatur obtinere à Rom. Pontifice nomen Oecumenici pro Patriarcha Conſtantinopol. in ſuo orbe; ſed repellitur 1024. III. Moritur. 1025. III.

Bauari conuertuntur ad fidem à Ruperto Epiſcopo Vangionenſi. 580 IV. Excoluntur à S. Corbiniano. 724 II.

Baugenciacenſe in Gallia Concilium, pro diuortio Ludouici Regis Franc. 1151 .II.

Beda vocatur Romam à Sergio Papa, & vtrum eo acceſſerit. 701. II. Itemque à Gregorio Secundo. 731. IV. in fi. Quouſque perduxerit librum de Sex ætatibus. 726. I. itemque Hiſtoriam Anglorum. 731. III. De eius ætate, & tempore obitus. ibid. De cognomine Venerabilis ei indito. ibid. IV.

Beliſarius dux mittitur à Iuſtiniano Imper. aduerſus Perſas, eoſque ſæpe, diuina ope vincit. 527. V. Miſſus contra Wandalos in Africam, eos ſuperat, Carthaginem occupat, & vniuerſam Africam recuperat, Regem capit, & triumphat Conſtantinopoli. 533. VII. 534 IV. Siciliam recuperat & triumphat Syracuſis. 535. XVI. Neapolim Italiæ capit, & ſacra profanaque diripit; vnde poſtea cogitur à Silucrio PP. pœnitentiam agere. 537. I. Recuperat Romam. ibid. II. Obſidetur à Vitige, & qui cum eo conflictus. 538. I. ibid. Iuſſu Theodoræ Aug. falſis proditionis prætextibus, Silucrium Papam in exilium pellit, & Vigilium intrudit. ibidem. II. Vitigem Regem capit: & Conſtantinopolim reuocatur, inuidioſe accuſatus affectatæ tyrannidis. 540. VII. 541. II. ibid. Iterum mittitur in Italiam aduerſus Totilam. 544. II. Vrbem à Totila captam, iterum recuperat, & munit. 547. II. Redit Conſtantinopolim inglorius. 549. I. Iam ſenectute confectus, Hunnos repellit ab inuaſione Conſtantinopolis. 558 II. In ſuſpicionem coniurationis in Iuſtinianum adductus, redigitur in ordinem; & quis tandem eius finis. 561 II. Diuina in eum iuſtitia, ob expulſum olim Silucrium Papam. ibid. III

Bellum, etiam iuſtum, Manes damnauit. 277. X. Bellum pro Religione ſuſceptum. Vide *Religio*.

Bella ſingula, vide ſub nominibus Principum, aut Ducum, qui ea geſſerunt, vel populorum deuictorum. Vide etiam *Milites* Bellicæ cædis expiatio, qualis olim apud Ethnicos, Iudæos, & Chriſtianos. 394 IV. Vide *Cædes*. Bellica etiam tractat Gregorius Papa Primus aduerſus E. R. hoſtes. 598. II. 603 III. Itemque Greg. Secundus. 715. III. Leo Nonus: 1053. II. III. Gregorius Sept. 1074. V. Honorius Secundus. 1127 I 1006. Innoc. Secundus: 1137. I. 1139. IV. Hadrianus Quartus. 1255. VI. Idque legitime fieri poſſe, defenditur contra Petrum Damiani: ſed non licet per ſe armis vti. 1053. III. Bellum ſacrum pro recuperatione Terræ Sanctæ primus conclamauit Silueſter II. Papa. 1003. I. Suſcipitur hortatu Vrbani PP. in Concilio Claromont. 1095. IV. Vide *Terra Sancta*.

Bellatores Epiſcopi. Vide *Epiſcopi*.

Bellouacenſe Concil. ſub Carolo Caluo. in quo creatus Hincmarus Archiepiſc. Rhemenſis. 845. III. Sub Henrico Rege, in cauſa Apoſtolatus S. Martialis, & aduerſus prædones. 1034. III. Sub Canone Sedis Apoſtol. Legato aduerſus Inueſtituras laicorum. 1114. III. Sub Ludouico VII. Rege, pro receptione Alexandri Papæ Tertii. 1161. I.

Benedicendi ritus apud Hebræ. 34. LXI. Benedictiones in ſecundis menſis conſuetæ. ibid. XIV. Benedictiones aquæ, olei, aliarumque eiuſmodi rerum, ex traditione Apoſt. 132. II. Itemque frugum. 283. V. Decretum de his Eutychiani Papæ. ibid.

Benedictionem Apoſtolicam primus Rom. Pontiff. literis ſuis impertiri cœpit Cletus PP. tertius à Petro Apoſt. 93. I. Denegat eam Gregorius VII. Regi ſchiſmatico, & impertit Saraceno. 1076 I XI.

Benedictus Nurſinus eremum quo anno petierit. 494. V. Fit notus virtute miraculorum & monachos cõgregans, duodecim erigit monaſteria. ibidem. Multi falſo aſſerti eius diſcipuli. ibid. VI. 502. VIII. 581. V. Petit Caſſinũ & monaſteriũ ibi erigit. 529. VII. Quo anno defunctus ſit. 542. IV. Eius Regula confirmata in Concilio Rom. ſub Gregorio Magn. 595. VI. Vtrum, & quando eius corpus tranſlatum fuerit in Gallias. 664. IV. 1088. II. 1107. I. Vide etiam *Caſſinenſe Monaſt.*

Inſurgit vindex aduerſus Saracenos. 846. I. & Northmannos. 1045. III.

Benedictus Abbas in Anglia, monachiſmum ibi mirifice propagat, & ſancte quieſcit. 703. III.

Benedictus I. creatur Rom. Pont. 573. I. A Græcis nominatur à cognomento Bonoſus. ibid. Moritur. 577. I.

Bened. II. creatur. 684. I. De eius epiſtolis in Hiſpaniam miſſis. ibid. II. 688 I. Redditur ei à Conſtantino Imp. ius confirmationis Rom. Pont. à prædeceſſoribus vſurpatum. ibidem. I. itemque dantur ei ab eodem Imp. filii ſui in filios, per miſſionem capillorum eorum ib. IV. Moritur, & colitur inter Sanctos. 685. III.

Bened. III. inuitiſſimus creatur, & licet factioſis reſiſtentibus coronatur. 855. V. Moritur. 858. I.

Bened. IV. ſedet. 905 III. Moritur. 906. I.

Bened. V. eligitur à Romanis, & paulo poſt eiicitur iniuſte ab Ottone Imp. 964. III. Ducitur in Germaniam, atque ibi moritur martyr; oſſa vero referuntur Romam. 965. I.

Bened. VI. creatur. 972. I. A Bonifacio inuaſore in carcerem detruditur, ibique ſtrangulatur. 974. I.

Bened. VII. ex Sutrino Epiſc. creatur Rom. Pontifex, poſt expulſum ab eo Bonifacium inuaſorem. 975. I. Moritur. 984. I.

Bened VIII. eligitur ex Portuenſi Epiſcop. 1012. I. Pulſus à Gregorio ſchiſmatico, confugit ad Henricum German. Regem. ibidem Reſtituitur ab eo, ipſeque eum coronat Imperatorẽ. 1013. II. 1014. I. ib. Saracenos debellat. 1016. I. Iudæos, Chriſti Imaginem deludentes, decollat. 1017. II. Conuenit Imperatorem in Germaniam, & quæ cauſa eius itineris. 1019. I. Moritur & liberatur à pugnatorio precibus S. Odilonis. 1024. I.

Bened. IX. adhuc adoleſcentulus intruditur in Sedem Apoſt. & tamen agnoſcitur ab vniuerſa Eccleſia. 1033. II. Diſpenſat cum Caſimiro regni Poloniæ herede, monacho & diacono, ſub conditione cenſus regni, & aliis. 1041. II. Ob turpiſſ. vitam eiicitur, & reductus iterum pellitur. 1044. II. Ruſum inuadit, & deturpat Sedem. 1047. IV. 1048. I. Moritur & damnatur ad inferos. 1054. VI.

Bened. alius intruditur, Mincius antea dictus. 1058. II. Excommunicatus à Nicolao. II. ſe abdicat; & veniam petens, ſacerdotio deponitur. 1059. I. ibid.

Benedictus puer 12. annorum, mirabiliter conſtruit pontem Aucnionenſem. 1177. XV. Aliumque Lugduni cum Xenodochio. ib. Sancto fine quieſcit. ibid.

Beneficiorum Eccleſ. origo. 502. VI. Ea à Regibus accipere, vetitum legibus Eccleſ. 541. VIII. Vide etiam *Epiſcopatus & Inueſtitura*.

Pallium occupata à laicis. 1007. III. Vide *Bona Eccleſ.*

Conclamat aduerſus prauum illum vſum Fulbertus Carnotenſis. 1007. III. ib. Emi poſſe, fuit quorumdam hæreſis; quam primus omnium confutauit Petrus Damiani, damnauit Alexander II. Papa 1065. III.

Beneuentum peruenit ad Sedem Apoſtol. ex permutatione cum Bamberga. 1019. I. 1053. I.

Concilium ibi celebratur à Victore PP. III. aduerſus ſchiſmaticos. 1087. III. & aliud ab Vrbano Secundo. 1091 I. Ac Paſchale II. contra Inueſtituras laicas. 1108. I. & de quæſtionibus prouincialibus. 1113. I.

Beneuolus Magiſter memoriæ Valentiniani, eligit gradum deponere, quam decreta pro Arianis dictare. 386. III.

Bennonis pſeudocardinalis impoſtura de magia Silueſtri Secundi, aliorumque Pontificum. 999. II. De ſimonia Gregorii Sexti. 1044 II. in fi. Calumniæ in cunctos viros probos, & laudes improborum. 1048. I. Scripſit ſatyrice Vitam Gregorii PP. Septimi. 1073. V. VII. Eius in illum calumniæ inſuliæ de hæreſi Berengarii. 1079. II.

Benno Miſnenſis Epiſcopus, viuus & mortuus fortiter pugnat aduerſus Impp. ſchiſmaticos. 1117. II.

Berchachen. Conuentus in Germania, inter Catholicos & ſchiſmaticos, in cauſa Regis Henrici. 1085. I.

Berengarius Dux Foroiul. regnum Italiæ occupat. 888. II. 900. VI. Extorquet etiam violenter à Rom. Pontifice coronam Imperii; ſed Abrogatur in Synodo. 904. I. Vincitur ab Hungaris. 901. II. ibid. Ludouicum Imper. oculis ſimul & Imperio priuat. 904. I. ibid. Coronatur ruſum pacifice à Ioanne Decimo. 915. II. A ſuis occiditur, dans pœnas de fœdere cum Hungaris inito in deuaſtationem Italiæ. 924. I.

Berengar. Eporregiæ Marchio Italiam inuadit. 944. II. 945. I. Legationem accipit à Conſtantino Imp. Orient. aliamque ad eum mittit. 946. II. Expilat eccleſias. 949. III. ibid. Fugatus ab Ottone Rege, et ſe ſubdit, recipitque vt ſubditus regendam Italiam. 951. I. 952. I. Ruſum tyrannidem exercens, tandem omnino expellitur ab Ottone. 952 I. 958. I. 960. I 961. I. ibid. Captus relegatur in Baioariam. 964. VI.

Berengarii hæreſiarchæ ingenium leue ſub optima diſciplina Fulberti Carnotenſis 1004. III. Eius de ſacroſancta Euchariſtia hæreſis, primo omnium confutata a Roberto Franc. Rege, in Leutherico Senon. Archiepiſc ibidem. Reiicitur a Fulberto, cum eum moriturum vna cum aliis viſitaret 1028. II. Quæ eſſent eius errores. 1035. II. Coercetur ab Henrico Rege, & Durando Epiſcopo Leodienſi. ibid. Damnatur à Leone PP. IX. in Conciliis Rom. & Vercel. 1050. I

In Concilio Turón. damnat ipſe ſuos errores, ſed paulo poſt eoſdem repetit 1055. IV. In Romano ſub Nicolao II. rurſus deteſta . . . hæreſim, & mox eamdem propugnat ſcriptis ſuis. 1059. III. IV. Confutatur contrariis magnorum multorumque virorum commentariis. ibid. itemque miraculis in Euchariſtia factis. ibid. V. Rurſum in Concilio Rom. ſub Gregor. VII. abiurat hæreſim. 1079. I. Moritur; & qualis eius exitus. 1088. V.

Bernardus vna cum 30. ſociis renuncians ſæculo, fit monachus Ciſtercienſis. 1113. III. Abbas Clarauallenſis creatus, vocatur ad Concilium Trecenſe, vt formam viuendi præſcribat Milit. Templariis. 1127. II. Fortiter agit per Galliam, pro receptione Innocentii II. aduerſus Petrum Leonis. 1130. X. XI. Compeſcit Lotharium German. Regem, depoſcentem reſtitutione Inueſtiturarũ. 1131. II. Guillelmum Comitem Pictauienſem terribiliter cõuertit à prauitatibus ſuis. 1135. I. De conceptione B. Mariæ, quid ſenſerit. 1136. III. Rogerium Siciliæ Regem in partes Innocentii trahere fruſtra laborat. 1137. II. Mortuo Petro Leonis, procurat ſpontaneam abdicationem Victoris in locum eius ſuffecti: ſicque pax Eccleſiæ conciliatur. 1138. II. Diſputatione publica confutat Abailardum hæreſiarcham. 1146. I. Suſcipit ab Eugenio PP. auctoritatem prædicandi pro noua expeditione in Terram Sanctam. 1145. VI. In generali Conuentu Carnotenſi, eligitur dux belli. 1146. I. Scribit aduerſus incentorem necis Iudæorum. ibidem. II. Henrici Petrobruſiani hæreſes, ſcriptis, & miraculis confutat. 1147. VI. IX. itemque Apoſtolicos, ſic dictos hæreticos. ibid. XI. XII. necnon errores Gilberti Porretani. 1147. IV. ibid. 1148. V. Oblocutiones in eum, ob infelicem exitum ſacræ expeditionis. 1149. II. Scribit de Conſideratione ad Eugenium PP. 1152. I. Moritur. 1153. III.

Berno Augiæ Abbas, clarus inter Scriptores Eccleſ. quando vixerit. 912. VI.

Berno ex Comite monachus, fundatur monaſterii Cluniacenſis. 912. VI. ibid.

Bertholdus, auctor Chronici, quis fuerit. 1090. II. Quouſque perduxerit illud. 1100. IX.

Bernardi Hildenheimenſis Epiſcopi, ſolemnis canonizatio per Cæleſtinum PP. 1194. II.

Beryllus Epiſc. Boſtrenus, ex ſcriptore Catholico factus hæreſiarcha, reducitur ab Origene. 229. I.

Berytenſe Concilium, ſiue Iudicium, in cauſa Ibæ Edeſſeni Epiſcopi, quale. 448. VIII.

Beſtiis tradi, & damnari ad Beſtias, diuerſa ſupplicia. 55. I. Cum Beſtiis quomodo Paulus Apoſt. pugnauerit. ibid.

Bethleem ciuitatis Iuda ſitus. Annal. num. I. Celebris ob natiuitatem Domini, etiam Gentilib. 137. IV. Erigitur in Sedem Epiſcopalem à Paſchale PP. II. & dotatur à Balduino Hieroſol. Rege. 1110. II.

Bibliothecas extruxit Romæ Traianus. 106. II. Bibliotheca Capitolii igne cœleſti ſub Commodo conflagrat. 189. IV. Conſtantinopolitana extructa à Conſtantino Magno, & ab aliis poſtea Imp. immenſum aucta. 330. IV. Curatur à Valente. 372. XIV. Conflagrat ſub Baſiliſco tyranno, continens tunc librorum millia centena vicena. 476. VI. Rurſum comburitur a Leone Iſauro, vna cum ipſis Bibliothecariis, in odium ſacrarum Imaginum, tunc complectens tricena & tria millia voluminum. 726. V. Quanta eſſet Bibliothecariorum auctoritas. ibid. Hieroſolymis nobilem collegit Alexander Epiſcopus. 253. XX. Georgii Epiſcopi Alexandr. copioſam petit Iulianus Apoſt. 362. XXXVII.

Biclarenſis Abbas Vide *Ioan. Biclar.*

Bigamos ordinari vetuit Apoſtolus, & quare: eiuſdemque rei perpetua vniuerſalis Eccleſiæ praxis. 58. XII. XIII.

A Iudæis quoque, & Gentilibus, excluſi à ſacerdotio bigami. ibid.

Bigamis pœnitentiam eſſe imponendam, ſtatuerunt Concilia Neocæſar. & Laudic. 314. XIII. De iis non ordinandis actum etiam in Concilio Nicæno. 325. XLIII.

Eorum cum cauſa ordinationem defendit Theodoretus. 448. I. Noluit cum eis diſpenſari Leo Papa, etiam in ſumma miniſtrorum Eccleſ. penuria. 456. V.

Bigamia conſtituitur etiam ex coniugio ante baptiſmum inito. 400. IV.

Bigamia laicorum permiſſa ab Apoſtolis, improbatur à pſeudoparacleto Montani. 173. V. 216. I. Vide etiam *Monogamia, & Polygamia.*

Bimatus Infanticidii apud Math. quomodo intelligendus. I. VI. VII.

Biothanati dicti à Gentilibus Chriſtiani, quod morti violentę obnoxii eſſent. 138. III.

Biſſextili anno Chriſtus natus. Appar. XXXIV.

Biturenſe Conciliabul. Arianorum, ex quo Hilarius & Rhodanius mittuntur in exilium. 356. XIII.

Bituricenſis homo arreptitius, inſignis impoſtor Chriſtum ſe iactans; & quis tandem eius exitus. 595. XI.

Bituricenſe Concilium in cauſa Apoſtolatus S. Martialis, &c. 1029. III. 1034. III.

Blaſtus R. E. presbyter, Valentini diſcipulus, in tempore Paſchatis Iudaizans, ſchiſma facit. 180. III. 198. III. Confutatur à S. Irenæo 180. II.

Blemyes populi conuertuntur ad fidem ſub Ioliano Imp. 527. VI.

Boamundus Comes Apuliæ proficiſcitur cum expeditione in Terram Sanctam. 1096. II. Creatur Princeps Antiochiæ Syriæ. 1099. VIII. Nauigat in Gallias, pro nuptiis. 1104. III. Moritur in Apulia. 1111. VIII.

Boemi præualent pugna aduerſus Francos, opera diaboli. 850. IV. Miſere deuaſtant regnum, & Eccleſiam Poloniæ. 114. VII. Fiunt vectigales Eccleſiæ Rom. 1075. XIII.

Boetius nobiliſſ. & doctiſſ. Rom. Ariſtotelem Latinis exhibet, & illuſtrat. 510. I. Theologiam etiam apprime callet. ibid. Sæpius creatur Conſul. 522. I. Falſo accuſatus apud Theodoricum Regem, necatur ab eo. 526. III. Ingens miraculum auulſi eius capitis. ibid. VI.

Boloarii. Vide *Banari.*

Bona in principio Eccleſiæ fuere inter Fideles communia. 34. LXXV. Nec tamen eorum renuntiatio, vel tunc, vel poſtea, fuit abſolute neceſſaria ad ſalutem. ibid. LXXVI. Eorum renunciationem neceſſariam ad ſalutem, docuerunt Apotactici hæretici. 260. VIII. Eam quoque præſetulerunt Archontici. 175. X. Damnauit Vigilantius. 406. VII.

Bona immobilia ab initio poſſedit Eccleſia. 57. XXIV. Eaque fuerunt libera à tributis, niſi ſub quibuſdam malis Principibus, ibidem. & 1188. II. Adempta reſtitui edicit Conſtantinus. 312. XI. Reſcribit pro eorum immunitate Honorius. 412. VI.

Præſcriptionem centum annorum tribuit eis Iuſtinianus Imp. 535. II. Firmiſſimis eadem munit conſtitutionibus Emmanuel. 1148. XII.

Bona & diuitias Eccleſiaſticorum damnans Audæus, euadit hæreſiarcha. 341. XI.

Damnat quoque ea Arnaldus de Brizia, æque hæreſiarcha. 1139. III. Bona ſua Eccleſiis teſtamento relinquere, Conſtantinus Mag. quibuſcumque permittit. 321. VII.

Vetat Theodoſius viduis, ſed reuocare cogit Ambroſius. 390. IX. Reſcribit etiam pro eiuſmodi conceſſione Marcianus Imp. 455. VII.

Bonorum Eccleſiæ quadripartita diuiſio facta in Concilio Roman. ſub Silueſtro. 324. XXX. itemque à Simplicio Papa. 475. IX. Vide etiam *Oblationes.*

Ea non alienanda. Vide *Alienatio.*

Bona Eccleſiæ occupantes, excommunicati. 504. I. 570. V. 1007. III. Obſtinate retinentes, pro hæreticis habendi. 504. I. 794. VI.

A Regibus obtinentes, iiſdem pœnis ſubiecti. 504. I. 541. VIII. 559. III. 570. V. Quanto ſuo damno, eadem Principes, aliiue, vſurpent. 536. XIV. 556. III. 570. V. 572. II. 741. VIII. 756. I. 760. II. 845. VI. 846. II. 850. III. 969. II. 978. III. II. 1055. II. 1057. IV. 1148. XII.

Pœna æterna puniendi laici, qui ea ſibi vſurpant. 823. II. 1055. I.

Damnatur variis Conciliis. 823. II. 845. VI. 846. II. VI. 805. II. ibid. 892. II. 935. I. 983. III. 1119. III. Vide etiam *Beneficia.*

Ex eorum defenſione acquiritur etiam verum martyrium. 1174. I.

Bonorum publicationis ſententiæ, differendæ vſque ad 30. dies, ex lege Theodoſii Magni. 390. II. Eam legem poſtea abrogauit Nicephorus Boton. ibid. V.

Bougomilorum hæreſis, quando, & quo auctore orta, quæue docuerit. 1118. XII.

Bonifacius I. eligitur Rom. Pontif. & in ſchiſmate aduerſus eum Eulalius. 418. IX.

Omnium conſenſu præualet contra Eulalium, ope Honorii Imp. 419. I. II. ibid. Vindicatur à calumniis Nouatorum. ibid. III.

Patrocli Arelatenſis Eccleſ. inuaſoris temeritatem coercet. 422. I.

Quid ei cum Epiſcopis Afris, in cauſa Appellationum ad Sedem Apoſt. 419. VIII. & ſeqq. Moritur. 423. III.

Bonifacius II. eligitur, & in ſchiſmate aduerſus eum Dioſcorus diaconus, qui cito moritur. 530. I. Deligit ſibi ſucceſſorem Vigilium diaconum, ſed mox illud prauum factum irritat. 531. I. Moritur. ibid.

Bonif. III. adhuc diaconus, mittitur à S. Gregorio Apocriſarius ad Phocam Imp. 603. I. Creatur Pontifex. 606. I. Obtinet à Phoca definitionem controuerſiæ nominis Oecumenici, aduerſus Epiſcopum Conſtantinop. ibid. II. Decretum in Synodo promulgat contra ambientes Epiſcopatus viuentibus adhuc Epiſcopis. ibid. IV. Moritur. ibid.

Bonif. IV. creatur. 607. I. Pantheon templum Deo dicat. ibidem. II. Moritur. 614. I.

Bonif. V. creatur. 617. I. Moritur. 625. IV.

Bonif. quidam poſt Formoſum inuadit Sedem, ſed poſt dies 15. pellitur à Steph. Septimo. 897. I.

Bonifatius alius, dictus VII. ſtrangulato Benedicto VI. occupat Sedem. 974. I. Pellitur à Bened. VII. & ſpoliata baſilica Vaticana nauigat Conſtantinopolim. 975. I. ibid. Mortuo Benedicto redit, & Ioannem XIV. in carcere mori cogit. 985. I. Repentina morte perit, & mortuus trahitur. ibid. Non debet numerari inter Pontiff. ibid.

Bonifacius Ottonis Imp. conſanguineus, monachus factus, deſiderio martyrii incenſus, Apoſtolatum accipit à Rom. Pont. in Ruſſiam. 997. II. Poſt conuerſum Regem, ab eius fratre coronatur martyrio: illuſtraturque viuus & mortuus miraculis. 1008. II.

Bonifacius Anglus presbyt. & monachus Romam petens, Apoſtolatum accipit in Germaniam à Gregorio Papa 719. I. Digne officio fungitur in conuerſione populorum. ibid. & 722. II. Reuocatus Romam, conſecratur Epiſcopus, & remittitur in Germaniam. 723. I. ib. Quãtis laboribus, & doloribus, opus Euangelicum prouexerit. 724. I. ib. 725. III. Conſulit de rebus dubiis Apoſtol. Sedem. 726. XII. Nouam hæreſim extinguit. 733. III. Peregrinatur iterum Romam. 738. I. Celebrat varias Synodos Germanicas, pro diſciplina Eccleſ. 740. II. 742. II. 743. I. ibid. 745. I. Duos nouos hæreticos impoſtores damnat in Concilio Liptinenſi, auctoritate Apoſtol. 743. II. Monetur à Zacharia PP. de non iterando baptiſmo ob falſam Latinitatem miniſtri. 744. II. Creatur Archiepiſcopus Moguntinus. 745. I. Auctor eſt Carolomanno Principi, monaſticum habitum induendi. 747. I. ib. Pipinum Regem vngit auctoritate Zachariæ PP. 752. I. Progreſſus ad prædicandum Friſiis, martyrium ab iis ſubit. 755. III.

Bonifac. procurator Aglaidis, miſſus ad emenda martyrum corpora, ipſe martyr effectus redimitur a ſuis. 305. II.

Bonifac. Comes, Caſtini ducis ſuperbiam deuitans, in Africam ſe recepit. 422. II. Inſinuat ſe in amicitiam Auguſtini: & tamen ab eo excommunicatur ob violatam eccleſ. immunitatem, ſed pœnitens reſtituitur ibid. Prædictum Caſtinum ad ſe confugientem ſuſcipit: & Ioannis tyranni exercitum repellit. 424. I. Affectatæ tyrannidis accuſatus, publico bello appetitur; indeque furore percitus, Wandalos ex Hiſpania in Africam euocat. 427. I. Valentiniano Imp. reconciliatus, eoſdem impellere nititur, ſed vincitur ab illis. 428. II. ibid. Iterum ab eiſdem victus vna cum Aſpare, recipit ſe Romam. 431. XVIII. Iniuſto cum Ætio duce, aduerſario ſuo, certamine, moritur. ibid.

Bonizonis Sutrienſis Epiſcopi, paſſiones, & martyrium, pro defenſione Eccl. Ro. aduerſus Schiſmaticos. 1089. VI.

Bonoſus Epiſcopus Macedoniæ hæreticus, negans Dei genitricis virginitatem poſt partum, damnatur in Synodo Capuenſi. 389. XII. Photini quoq; hæreſim ſectatus eſt. ib. Ab eo dicti Bonoſiani hæretici, vna cum Photinianis damnati. ibid.

Bonoſiaci hæretici, Chriſtum adoptiuum, & non proprium aſſerebant. 531. II.

Borboritæ hæretici, ſecta Nicolaitarum, ſiue Gnoſticorum. 68. V. 120. XVIII.

Bos alligatus ad præſepe, in natiuitate Domini. Annal. num. 1. Bouis ſymbolum cur tributum Lucæ Euangel. 58. XVI.

Bracarenſe Concil. ſub Lucretio Antiſtite, aduerſus Priſcillianiſtas, & pro diſcipl. Eccleſ. 563. III. Secundum ſub Martino, pro diſcipl. Eccl. 572. III. Tertium, de moribus & diſciplina. 675. III.

Brandea, vela admoueri ſolita ſepulchris Sanctorum miraculis comprobata. 55. III. 461. II. 594. II.

Brennacenſe Concilium, in cauſa Gregorii Turonenſis. 583. V.

Breues literæ Rom. Pontificum, aliæque diuerſorum generum. 142. IX.

Brigidæ clariſſ. virginis Scotæ obitus quãdo contigerit. 521. V.

Britannia a Romanis ſubiugata ſub Claudio Imp. 46. I. Ad eam penetraſſe Petrum Apoſt. nonnulli ſcripſerunt. ibid. Eorum Rex Lucius petit ab Eleuthero PP. ſacros miniſtros. 183. I. Status eius inſulæ eo tempore ſub Romanis. ibid. II. Muri ingentes in ea facti aduerſus barbaros, ab Hadriano & Seuero Imp. 123. I. 211. II. Liberatur a Pelagianis per S. Germanum Antiſiodor. eo miſſum a Cæleſtino Papa. 429. I. II. 435. III. Inuaditur à Pictis & Scotis. 446. I. Liberatur à barbaris per Ambroſium Aurelianum, qui & Eccleſiaſticam in ea reſtituit diſciplinam. 467. VI. Occupatur ab Anglis. 595. IX. Vide *Anglia*.

Britanni ſchiſmate diuiſi ab Eccleſia, ob diẽ Paſchatis non ſuo tempore celebratum, & Tonſuram clericalem. 604. VIII. 694. II. Reſipiſcunt tandem. 699. III. 716. III.

Britannia Minor, prouincia Galliæ, vnde ſic dicta, quæ olim Armorica. 383. II. Vide *Armorici*.

Fit vectigalis Rom. Eccleſ. 869. XVII. De eius primatu altercatio inter Epiſcopos Dolenſem. & Turonenſem. ibidem. & 859. VI.

Concilium in ea celebratur ſub Legato Sedis Apoſtol. contra falſas pœnitentias. 1079. VI.

Biritus Turon. Epiſcopus calumniis appetitus, in probationem ſuæ innocentiæ facit miracula. 432. IX. Pulſus nihilominus à ciuibus, appellat Rom. Pont. & reſtituitur. ibid.

Brixinenſe Conciliabulum Henricianorũ, aduerſus Gregorium PP. Sept. 1080. III.

Brunichildis regia Hiſpania virgo, ducitur in vxorem à Sigeberto Franc. Rege. 567. V. Mortuo Sigeberto, inceſtas contrahit nuptias cum Meroueo filio Chilperici fratris Sigeberti; indeque multæ ortæ turbæ a Chilperico facinus vindicante. 579. IV. Columbano infert exilium. Epiſcopis Viennenſi & Lugdun. necem, aliaque plurima ſcelera perpetrat. 612. II. III. Theodoricum quoque alterum nepotem ſuum, eiuſque liberos, necidat. 613. II. Theodoricum quoque alterum nepotem veneno aufert. 614. III. A Clotario caudæ indomiti equi crinibus alligata, miſerrime animam agit, poſtquam ipſa decem Reges extinxiſſet. ibid. V.

Bruno Ottonis Regis frater, creatur Arch. Colon. accipitque pallium ad vſum quotidianum. 953. II. Moritur, & in cælum recipitur interceſſione S. Pauli Apoſtoli. 965. V.

Brunonis Apoſtoli Pruſſorum, & ſociorũ, martyrium. 1008. I. Iubet in ſomnis patri ſuo, monaſticum ſuſcipere habitum. ibid.

Bruno, ſeu Brunus, in Concilio Rom. ſub Greg. VII. diſputat aduerſus Berengarium hæreſiarcham. 1079. I. Creatur admodum inuitus Signiæ Epiſcopus ib. Fit Caſſini monachus 1104. III. ac poſtea Abbas, 1111. IV. Legatione Apoſtol. fungens in Galliis Concilium celebrat. 1104. III. Arguens Paſchalem PP. de priuilegio Inueſtiturarum conceſſo Hẽrico Imper. vetatur ſimul Abbas eſſe & Epiſcopus 1111. IV. Moritur, & miraculis illuſtratur. ibid.

Bruno Carthuſianorum Ordinis inſtitutor quando cœperit incolere Carthuſiã ſolitudinem. 1086. IV. Vocatur ab Vrbano PP. inſeruiturus Conciliis celebrandis. 1092. II. Poſt triennium receditin Calabriam, & ſuum ibi propagat inſtitutum. 1095. VI. Sancte moritur, & miraculis illuſtratur. 1101.

Buccella intincta, quam Dominus Iudæ tradidit, quid fuerit. 34. XVIII. Buccellarum cur frequens mentio in Scriptura. 58. XXIV. Buccellæ à nonnullis antiquis dictæ particulæ SS. Euchariſtiæ. 57. XLIII. 58. XXIV.

Bulgari inuadunt Thraciam, & Roman. exercitum delent. 499. III. Auro quærit ab eis pacẽ Anaſtaſius Imp. ib. Vincuntur a Theoderico Italiæ Rege. 502. IX. Rurſum irrumpunt in Imperium, & tributum annuum exigunt a Cõſtantino Pogon. 678. III. Eorum armis reſtitutus Iuſtinianus Iunior, ingratus eoſdem laceſſens, vincitur, & fugatur. 703. I. 706. I. Vincuntur à Conſtantino Copron. 763. I. Eorum Rex Telericus fit Chriſtianus. 777. I. 759. Occidunt Nicephor. Imp. eiuſq; exercitum delent. 811. I. Vincunt Michaelem. 813. I. Occidunt Chriſtianos captiuos, quod fidem negare nollent. 811. II. 813. I.

Conuertuntur ad fidem, opera captiui cuiuſdam. 845. I. Recipiunt miniſtros ſacros à Nicolao Papa. 866. I. 867. I. Eorum diœceſis perperam adiudicata Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, poſt Octauam Synodum 869. XIII. Agunt in contrarium Roman. Pontifices. 871. I. 878. I. Occaſione belli eorum cum Leone Imper. rurſum ſponte ſubiiciuntur Eccleſiæ Rom. 893. II. Regnum eorum extinguitur à Ioanne Zemiſce Imp. 971. IV. Iterum emergunt aduerſus Imperium. 981. I. Sed demum compeſcuntur, & obedientes permanent ſub eius iugo. 1071. VI. Laceſſuntur à Seruis, ſeu Crouatis. 1073. XVIII.

Burchardus creatur Epiſcopus Wormatienſis. 999. IV. Conradum Principem à ſe inſtitutum, prouehit in Regem Germaniæ, & in Imperatorem 1024. V. Pius eius obitus, & egregia ſcripta. 1026. I.

Burdegal. ſiue Burdigalenſe Concilium contra Priſcillianum. 385. V. Eius vrbis zelus aduerſus illos hæreticos. ibid.

Burdinus Lemouicis ducitur in Hiſpaniã à Bernardo Toletano Archiep. & primo in Conimbricenſem, inde in Bracarenſem Epiſcopum euehitur 1096. III. Paſchali PP. pecuniam offerens vt introduceretur in Eccleſiam Toletanam, reiectus adhæret Henrico Germ. Regi. 1109. I. Coronat in eccleſia S. Petri Romæ, Henricum Imp. 1117. I. Excommunicatur à Paſchale. ibid. III. Creatur Antipapa ab Henrico, aduerſus Gelaſium Secundum. 1118. IV. Fugit a facie Calliſti PP. 1120. II. Capitur ab eo, & à militibus, multis ludibriis irriſus, relegatur in perpetuum carcerem. 1121. I.

Burgundiones occupant partem Galliarum. 413. V. Quando facti fuerint Chriſtiani. ibid. Vincuntur ab Aetio, paxque inter eos firmatur. 435. III. Eorum Galliarum portionem partiuntur inter ſe Franci & Gothi. 508. V. Mortuo Theodorico Gothorum Rege, eorumdem Burgund. regionem Franci occupant. 526. IX.

Byrini Epiſcopi, gradientis ſuper mare, ingens in Anglia miraculum, ex quo plurimi conuertuntur ad fidem. 635. II.

Byzacenum Concil. in Africa, pro reſtituenda Eccleſ. diſciplina. 522. III. Aliud de priuilegiis Eccleſiarum; & Eccleſ. diſciplina, confirmatum à Iuſtiniano Im. 541. III. Aliud aduerſus hæreſim Monothelitarum. 646. I.

Byzantii in Thracia quis Apoſtolorum erexerit Eccleſiam. 44. XIV. Eius Epiſcoporum exordium, & ſucceſſio. 314. XV. 536. IX.

A Seuero Imp poſt triennii obſidionem captum, in vicum redigitur. 197. I. Diuinitus eligitur à Conſtantino ad nouam ſedem Imperii. 324. XXXI. Reliqua vide in *Conſtantinopolis*.

C.

Cabades Perſ. Rex dire perſequitur Chriſtianos ſibi ſubditos. 514. V. Ob caſtrum à dæmonibus obſeſſum, per Epiſcopum liberum redditum, pacem eidẽ reſtituit. ib. Ob Lazos a Iuſtino Imp. ſuſceptos, bellum gerit aduerſus eum. 522. IV. Manichæorum multa millia occidit. 523. II. ibi. Aduerſus eum bellum gerit Iuſtinianus Imp. per Beliſarium. 527. V. Moritur. ibid.

Cabilonenſe Concil. I. in cauſa Salonii & Sagittarii, fratrum Epiſcoporum, perditiſſ. hominum. 582. I. Aliud de diſciplina Eccleſ. 662. II. Sub Carolo Magno, item pro diſciplina. 813. VI.

Sub Ludouico Pio, pro rebus Eccleſ. & politicis. 839. I.

Cadalous pſeudo-epiſcopus Parmenſis, vir perditiſſimus, creatur Antipapa contra Alexandrum Secundum, ſub nomine Honorii Secundi 1061. IV. Ab eius impuritate, qui olim Nicolaitæ, dicti ſunt Cadaloitæ. ibidem. Aggreſſus cum exercitu Vrbem, fugatur à Godefredo Tuſciæ Duce. 1062. I. Damnatur eius promotio in Concilio Germanico, præſente Rege. ibid. III. rurſumque in Mantuano. 1064. II. Furens adhuc Eccleſiam Rom. ignominioſe cogitur elabi: & quis tandem infelix eius exitus. ibid. IV.

Cadauera. Vide *Corpora*.

Cæciliæ virginis Rom. illuſtre martyrium ſub Alexandro Imp. eiuſque ſponſi, & cognati 232. III. Euangelium conſueuerat geſtare in pectore amuleti loco. ibi. Earundem corpora diuerſis vicibus reperta Romæ. 821. I.

Cæcilianus Archidiaconus Carthagin. reprehendit Lucillam potentiſſ. feminam, ob illegitimum cultum aſſerti cuiuſdã martyris, 302. XXI. Calumniis oneratur à Donatiſtis. 303. IV. ibid. Eligitur Epiſcopus Carthag. 306. VI. Schiſma conflatur in eum ibid. Accuſatur Traditionis librorum ſacrorum, & damnatur à Donatiſtis. ibid. XII. Ab iiſdem exagitatur apud Conſtantinum Imp. 313. IV. Cauſam agit apud Melchiadem PP. & pronuntiatur innocens. ibid. V. VII. Rurſum exagitur à Donat. & abſoluitur in Concilio Arelat. 314. IV. VII. Iterumque ac ſæpius exagitatus, atque innocẽs ab Epiſcopis declaratus; demum re ab ipſo Conſtantino cognita, ea in eius iuſtificationem definita eſt. 316. VII. Intereſt Magno Concilio Nicæno. 325. X.

Cæcilius, qui apud Minutium interloquitur cum Octauio, creditur fuiſſe ille inſignis Afer, Cypriani magiſter, à quo ipſe Cæcilii nomen accepit. 209. II.

Cæcus Didymus. Vide *Didymus*.

Cæcus Ioannes Ægyptius. Vide *Ioann. Ægypt.*

Cæcitatem ſimulans in ſtropham miraculi Arianorum, vere cæcus redditur, ſed rurſum illuminatur à Catholicis. 484. VII.

Cæci apud Iudæos non poterant fungi ſacerdotio in templo 1. IX. Cæcus Epiſcopus permittitur à Roman. Pont. Miſſam celebrare. 878. IV.

Cædis bellicæ expiatio, qualis olim apud Iudæos, Ethnicos, & Chriſtianos 394. IV. 610. II. Cæſos in bello milites, haberi martyres, conatus eſt Phocas Imp. ſed reſtiterunt Epiſcopi. 394. IV. 610. II.

Cæleſtinus I. creatur Rom. Pontifex. 423. III. Mittit Palladium, & Germanum, diuerſis legationibus, in Britanniam, aduerſus Pelagianos. 420. I. & ſeqq. Quid ei cum Africanis Epiſcopis, in cauſa appellationum 419. X & ſeqq. Recipit aduerſa ſcripta Neſtorii Conſtantinop. & Cyrilli Alex. celebrataque Synodo damnat blaſphemias Neſtorii, ſuaſque vices in eo negotio legat Cyrillo. 430. I. II. Eius de damnatione Neſtorii epiſtolæ, quanti habitæ in Oriente ibi. II. 431. XIII. Concilium Oecumenicum Epheſinum celebrandum curat, eiuſque formam præſcribit 430. VIII. Agit pro ſcriptis S. Auguſtini, quæ nonnulli Pelagiani impugnarent. ibidem. X. Mittit Legatos ad Synodum Epheſ. cum mandatis confirmandi damnationem cruditum Neſtorii, non autem eius cauſam iterum ventilandi. 431. IV. Eius opera profligatæ hæreſes Pelagianorum & Neſtorianorum. ibidem. XXII. Ei congratulatur Imperator, & Orientales Epiſcopi legatione miſſa; ipſaque Acta Synodi confirmat. ibid. & 432. I. Vindicatur ab inicta calumnia Laur. Vallæ, de profeſſione [illegible] Neſtorii. 432. I. ibid. Moritur. ib. II. Statuitur, vt pſal. 150. canerentur ante ſacrificium. ibid.

Cæleſtinus II. creatur. 1143. I. Moritur ſexto menſe. 1144. I.

Cæleſtinus III. eligitur. 1191. I. Coronat Henricum V. in Imperatorem nouo facto oſtendens ſummã Romani Pont. ea in re auctoritatem. ibi. II. Agit cenſuris in Principes, detentores, & perſecutores Regis Angliæ. 1193. II. Duos ſanctos Epiſcopos ſolemni ritu canonizat. 1192. I. 1194. II. Excõmunicat ducem Auſtriæ. ob cauſam Regis Angliæ. 1195. I. itemque Henricum Imp. eodem. II. Non promouet expeditionem in Terram Sãctam ibi. III. Regnum Siciliæ confert Friderico Hẽrici filio, ſub tributo. 1197. II. Principem Armeniæ creat Regem per Legatos. ibid. IV. Inique carpitur à Matthæo Paris hiſtorico Anglo. ibid. V. Proximus morti, tractat, de ſucceſſore ſuo, ſed renuunt Cardinales. 1198. I. Moritur. ibid.

Cæleſtis idoli Carthag. cultus antiquiſſimus, & famoſiſſimus. 399. X. Eius ampliſſimum templum, mutatum in eccleſiam cathedralem eius ciuitas. ibid. Inane eius vaticinium promulgatum ſub Conſtantio Aug. Honorii cognato. 410. I.

Cæleſtius primarius Pelagii diſcipulus, damnatus Carthagine iudicio Epiſcopali, appellat Innocentium Rom. Pont. nec tamen appellationem proſequitur. 412. IV. Damnatur vna cum Pelagio in Conciliis Carthag. & Milevit. 416. I. Appellãs Sedem Apoſtol. ſubdolis verbis hæreſim tegens, quam caute ſuſceptus fuerit à Zozimo Papa. 417. III. Damnatur rurſum vna cum Pelagio in alio Concilio Carthag. moxque à Zoſimo PP. vniuerſali decreto, ac demum ab Honorio Imp. proſcribitur cum omnibus ſectatoribus. 418. I. II. Rurſum in Vrbem ſe inferens, pellitur iterum à Conſtantio Imp. 420. I.

Cælibatum Apoſtol. poſt ſuam electionem obſeruarunt. 33. XVII. Cælibatus Pauli Apoſt. defenditur. 57. XIX. Cælibatũ non extollit Eccleſia, vt Nuptias deprimat. 57. LV. Eum laudat Paulus. 58. VII. Leges aduerſus eum latas, Conſtantinus Magnus abrogat. 320. II. Eo fœcundatum ampliori hominum prole Rom. Imperium ibid. Impugnarũt eum Heluidius, & Iouinianus. 382. VI. VII. Itemque Vigilantius. 406. VII. Vide etiam *Virginitas. Continentia*.

Cælibatus clericorum, traditione Apoſtolica, legibus Eccleſiaſticis, & perpetua vniuerſalis Eccleſiæ praxi comprobatur; & obiectiones in contrarium refelluntur. 58. VIII. & ſeqq. Firmatur in Conciliis Ancyrano, & Neocæſar. 314. X. Nicæno Oecumenico 325. XXXIX. XL. Carthag. Quinto. 398. VII. Alio Carthagin. generali. 401. V. Vide *Continentia clericorum*.

Cælicolæ dicti Iudæi, quod Aſtra colerent. 60. VI. Cælicolæ hæretici, ſeu verius apoſtatæ, quinam fuerint. 408. VIII. Exagitantur ab Honorio Im. ibid.

Cælos 365. à totidem Angelorum ordinibus creatos finxerunt Baſilidiani. 120. VI.

Cælum eſſe ab æterno, dixerunt Manichæi in Gallia. 1017. I.

Cæſares dici cœpti ſub Hadriano, quieſſent deſignati Imperii hæredes. 139. I. Ob Cæſarem creatum Arianum hominem, acriter tumultuatum à Conſtantinopolitanis aduerſus Imp. Catholicum. 469. I.

Cæſarauguſtę ciuitas Hiſpan. martyribus [illegible] 303. X. Obſeſſa à Francis, liberatur traditione Tunicę S. Vincentii martyris. 542. III. Vindicatur à Carolo Mag. è manibus Saracenorum. 778. I. Rurſum ab eis capta, iterum recuperatur per Alfonſum Regem 1118. VII. Antiquus [illegible] S. Mariæ de Pilari reſtituitur. ibid.

Cæſarauguſt. Concil. aduerſus Priſcillianiſtas. 381. XIV. Secundum, pro diſciplina Eccleſ. 596. IV. Tertium, pro eadem. 691. I.

Cæſarea, Cappadociæ metropolis, dure vexata à Iuliano Apoſtata ob delubra idolorum euerſa. 362. XII. Diſſenſio in ea ob electionem Euſebii Epiſcopi. ibid. XIII. Baſilius Magnus creatur eius Epiſcopus. 369. VII. Diſſentit cum Tyana, Cappadociæ Secundæ metropoli, de limitibus diœceſeon. 371. VI.

Cæſarea Palæſtinæ, poſt excidium Hieroſolym. facta à Veſpaſiano Imp. Colonia Rom. & metropolis Palæſtinæ. 73. II. Ei Eccleſiæ ſubiecta Hieroſolymitana 39. VI. 325. XXXVIII. 392. IX. Sed tandem eius primatus tranſlatus in Hieroſolymitanam. 451. XXVI. Vide *Hieroſolym. Eccleſ.* Eam remuneratur Iuſtinianus [illegible] 555. XVIII.

Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus ex monacho Lerinenſi, ſanctitate & doctrina clariſſimus. 502. VII. Non fuit monachus S. Benedicti. ibidem. VIII. Præeſt Concilio Agathenſi 506. I. Mittitur in exilium ab Alarico Rege, ſed mox reuocatur, Alaricus vero perit. 507. I. Rurſum accuſatus de proditione, mittitur ad Theodoricum Regem Italiæ, & cognita eius ſanctitate, tum à Rege tum Romæ à Pontifice, aliiſque honoratur, miraculaque edit. 508. IV. Celebrat Cõcilia Arauſic. & Vaſione. 529. II. Moritur. 544. IV.

Cæſarius Gregorii Naz. frater, inſignis philoſ. Chriſt. nobili Præfectura à Iuliano Apoſt. donatus, eum publica de fide diſputatione ſuperat, & in patriam ſe recipit. 362. II. Agit Quæſtorem Valentis Imp. 368. I. Sancte quieſcit. ibid. Eius ſcripta. ibid.

Caiphas Summus Sacerdos Iudæorum, quo ordo, & quamdiu eam dignitatem exercuerit. 31. IV. V. Sententiam mortis intulit in Concilio Iudæorum aduerſus Chriſtum. 34. II. & XXIII. Sciudit veſtes ſuas contra legem. ibid. XXIII. Mortem ſibi conſciuit. 37. I.

Caiani hæretici, ſecta Gnoſticorum, Cain, Iudam Iſcariothem, aliorque eiuſmodi nefandos laudabant. & peccata ac turpitudines neceſſarias ad ſalutem aſſerebant. 145. VIII. Scripta ab ipſis confiſcta. ibid.

Caianus Rex Auarum. Vide *Chaianus*.

Caius Caligula euehitur in Imperium à Tiberio. 15. XVI. Succedit eidem. 39. I. Qualis fuerit. ibid. Deus vult coli & ſimulacrum ſuum ad adorationem vbique locari. 40. I. 41. VI. Necatur, vna cum vxore, & filia paruula. 43. I. Eius ſimulacra, & imagines abolitæ à Claudio. 45. XVII.

Caius Rom. Pontifex eligitur. 283. V. Eius proſapia ex genere Diocletiani Imper. 249. IV. Martyrio coronatur, occaſione Suſannæ neptis ſuæ auerſantis nuptias Maximiani Cæſ. 296. I.

Caius Theologus coram Zephyrino PP. diſputat aduerſus Proclum Montani diſcipulum, eumque confundit. 215. I.

Calatrauæ Ordo ſacer militum in Hiſpania. 198. II

Calceis non vtebantur plerique antiqui Chriſtiani. 57. XXVIII.

Calendæ Ianuariæ. Vide *Ianuariæ Calendæ*.

Calendion creatur Epiſcop. Antiochen. & paulo poſt relegatur in Oaſim opera impii Acacii Conſtantinopolitan. 482. I.

Calix in quo Chriſtus Euchariſtiam conſecrauit

teſtatur, conſeruatus ad poſteros, & qualis fuerit. 34. XVIII. De Calice ſacro in eccleſia fracto, ſæua accuſatio ſtruitur in Athanaſium à Meletianis ſchiſmaticis. 331. I. 335. VII.
Callinicus creatur Episc. Conſtantinopol. 691. III. Auctor eſt celebrationis Synodi Quiniſextæ. 692. V. in fi. A Iuſtiniano Iuniori, qui eum elegerat, oculis orbatur, & Romam mittitur. 703. I.
Calliſtus I. creatur Roman. Pontifex. 221. I. 198. Erigit eccleſiam S. Mariæ Tranſtiberim. 224. III. Martyrio coronatur ſub Alexandro Imp. 226. I. Eius nomine inſigne Romæ Cœmeterium. ibid. III.
Calliſtus II. creatur inuitiſſimus ex Archiepiſcopo Viennenſi. 1119. Eius quædam anteriora vide in *Guido Vien. Archiep.* Concilio Rhemis habito, excommunicat Henricum Imp. ob inueſtituras ab eo præſumptas. 1119. III. Romæ magno gaudio excipitur. 1120. II. Armis Romanorum & Northmannorum, Burdinum Antipapam capit, relegatque, & tyrannos perduelles damnat. 1121. I. ibid. Henricum Inueſtituris penitus renunciantem, per Legatos abſoluit. 1122. II. Concilium Lateran. celebrat pro componenda Eccl. ibidem I. Scribit de miraculis S. Iacobi Compoſtellani, eamque peregrinationem valde commendat. 1123. I. ibid. Moritur in ſumma pace Eccleſiæ. 1124. II.
Calliſtus Antipapa. Vide *Ioan. Abbas Strum.*
Calnenſe Concil. in Anglia, de cauſa clericorum & monachorum inter ſe contendentium. 979. II.
Caluariæ locus, vbi Chriſtus eſt crucifixus, cur ſic dict⁹. 34. XXXIII. Quomodo dicatur in medio terræ ſitus. ibi. XXXIV. Profanatur ab Hadriano Imp. ſimulacro Veneris. 137. IV. Expurgatur à Conſtant. Mag. & Helena eius matre. ibid. & 326. VI. In eo monte Crucis lignum prodigioſum apparet, quo tempore Conſtantius Imp. maxime impugnaret Chriſti diuinitatem. 353. IX. X.
Calumnias illatas Iudaicæ religioni, etiam in Chriſtianam deriuare Gentiles conſueuerunt, quod hi ab illis progeniti eſſent. 42. III. 66. III. 201. VII. Calumnias Gentilium in Chriſtianos, vide in *Chriſtiani & Gentiles.* Hæreticorum in Catholicos, vide in *Catholicus & Hæretici.*
Calumniatores diuinitus puniti. 759. I. 673. I.
Cameli ſimilitudo, per foramen acus deducenda, quomodo intelligenda in Euangelio. 35. XVI.
Campanæ nomine cur dicta tintinnabula. 58. XLI. Earum in Eccleſia vſus. ibid. & 614. VI. Quando vſui eſſe cœperint Græcis. 865. VII. Benedici ſolitæ, & nomine impoſito Deo conſecrari; quod vulgus Baptizari vocat. 968. IV.
Campitæ cur appellati Donatiſtæ. 321. III.
Candaces appellari conſuetæ Reginæ Æthiopum. 35. XV.
Candelabrum templi Hieroſol. cum aliis vaſis ſacris, delatum in triumpho à Tito. 73. I. Candelabrum mirificum 1370. candelarum capax, ab Hadriano PP. in eccleſia S. Petri collocatum. 795. III.
Candia inſula, vnde ſic dicta. 822. III. Vide *Creta.*
Candidianus Comes miſſus à Theodoſio Iun. Imp. ad Synodum Epheſinam, vt tranquillitatem curaret; fauens ipſe Neſtorio, proinde omnia agit aduerſus Orthodoxos, & falſis relationibus Imperatorem decipit. 431. VI. IX. X. Detecta fraude, exauctoratur ad Imp. ibi. XXIV.
Canitæ hæretici, ex Simone mago. 35. XIII.
Canones Apoſtolorum nomine editi, cuius ſint fidei & auctoritatis. 102. V. & ſeqq.
Canon ſextus Nicæni Concilii de Primatu Rom. Sedis elucidatur. 325. XXXIII. & ſeqq. Concilii Laodic. de cultu Angelorum explicatur. 60. IX. &c. De reliquis canonibus, vide ſub ſingulis Conciliis, vel ſub rebus de quibus in iis tractatur.
Canonum ſcientia requiſita in ordinandis Epiſcopis. 395. XIII. Canones præualent legibus Impp. 451. XXI. Vide *Leges.*
Canonum collectores, qui primi fuerint, & quo ordine proceſſerint. 527. IX. 865. II. III.
Canonicorum librorum verum fuerit in Nic. Syn. ſtabilitus numerus. 325. XLIII. Fuit definitus in Concilio Carthag. Tertio. 397. XVI. 419. XV. itemque in Romano ſub Gelaſio. 494. III.
Canonici clerici. Vide in *Clerici.*
Canonizatio ſolemni ritu prima reperta celebrata S. Svviberti, à Leone PP. Tertio. 804. II. Canonizationis alius minus ſolemnis modus. 1027. IV.
Cantabra, militaria Rom. ſigna, vnde ſic dicta. 312. V. In quo differrent à Labaro. ibid.
Canticis Eccleſ. irrideri Deum, dixerunt Henriciani hæretici. 1147. VIII. Vide *Hymnus. Pſalmus.*
Cantorum officium in antiqua Eccleſia. 44. XXXIV. 60. XIII.
Cantus alterni in Eccleſia vſus ex traditione Apoſtolica, idemque vniuerſim frequentatiſſimus. 60. XII. 111. Olim laicis etiam communis, ſed poſtea ob eorum inconcinnitatem, ſolis clericis reſeruatus. ibi. XIII. Mulieres quoque in eccleſia cantare voluit Pelagius. 415. V.
Cantus modus qualis probatus, & improbatus; & probati quanta ſit vis. 60. XIII. 111. Diuerſarum Eccleſiarum diuerſi in eo modi. ibid. XIV. Cantus Romanus qualis. ibid. Eum accipit Eccleſia Gallicana. 754. III. 787. X.
Cantus Eccleſiaſtici corruptores hæretici quinam fuerint. 60. XV.
Canutus. V. de *Kanutus.*
Capharnaum dicta ciuitas Chriſti. 31. XXI. Cur eius habitationem elegerit. ibid.
Capilli deponi ſoliti in voto Nazaræorum, & Deo offerri. 53. V. 58. XLIV. Capillos quoque deponere, & numini offerre conſueuerant Gentiles. 58. L. Cur eos deponant ſacræ virgines. 57. XXVII. Diuerſi ea in re antiquatum Eccleſiarum ritus. ibid.
Capillorum amputatio varie accepta apud antiquos. 57. XXVII. Eos muliebriter producebant Maſſaliani hæretici. 361. X. Vide etiam *Abraſio. Barba. Tonſura.*
Capillos nutrire, inter Francos ſolis Principibus conceſſum. 514. VI. Per Capillorum exhibitionem, ſignificata olim filiatio adoptionis. 684. IV.
Capitolium Rom. bello Vitelliano, cum templo Iouis incenditur. 71. IV. Reſtituitur ſumptuoſiſſime à Veſpaſiano, eodem ferme tempore quo templum Hieroſol. incenditur à Tito. 72. IV. In illud deferri iuſſum tributum, quod Iudæi pendere ſolebant templo. ibidem. VIII. Rurſum comburitur igne cæleſti ſub Tito. 82. I. & reſtituitur à Domitiano. 86. I. Denuo ſub Commodo fulmine inflammatur. 189. IV.
Capitolino Ioui Quinquennale triplex certamen inſtitutum à Domitiano. 88. II. Capitolino Iouis loco erecta poſtea eccleſia S. Mariæ, dicta Ara cæli, & quare. Appar. XIII. Capitolini Agones. Vide *Agon.*
Capitula, ſiue Anathematiſmi Cyrilli Alexandr. aduerſus Neſtorium. 430. VI. Impugnantur à Theodoreto, aliiſque, tanquam Apollinari fauentia; ſed defenduntur ab ipſo. ibid. VII. Diſputatur de iis coram Theodoſio Imp. ſed vincuntur Neſtoriani. 431. XX.
Capitula Eccleſ. à Carolo Magno & Ludouico Pio conſtituta auctoritate Sedis Apoſtol. à quibus collecta, & quando promulgata. 775. VI. 845. VI.
Capitula Tria Synodi Chalcedon. quæ fuerint, & qua occaſione de iis controuerſia cœpta ſit. 538. VII. VIII. Ea quæſtio fuit inter ſolos Catholicos, non inter Catholicos & hæreticos. ibidem. VIII. Aduerſus ea promulgat edictum Iuſtinianus Imp. 546. II.
Eorum cauſa quæ fuerit, & cur aliquando Apoſt. Sedes damnationi eorum reſtiterit, poſtea vero conſenſerit. ibidem III. & 547. IV.
Agebatur in ea tantum de perſonis, non de fide. ibidem. Ob eorum damnationem, ſchiſma conflatur aduerſus Vigilium Papam 548. II. Eorumdem cauſa celebratur Quinta Synodus Oecumenica; & quomodo licet cauſa ibi definita fuerit contra ſententiam Roman. Pontif. tamen eorum damnatio poſtea recepta ſit ab vniuerſa Eccleſia, & eius defenſores declarati ſchiſmatici. 553. III. 625. XIII. XV. 627. XVI. Fœdus error Pauli Diaconi, in eius ſchiſmatis hiſtoria. 584. IV. 586. II.
Captiuorum Chriſtianorum opera, multi populi barbari ad fidem conuerſi. 263. III. 327. IV. V. 845. I. Vide etiam *Carcer.*
Captiuorum vincula ſoluta virtute ſacrificii Miſſæ. 679. II.
Capuenſe Concil. in cauſa diſſidii Euagrii & Flauiani Epiſcoporum Antioch. 389. XI.
In eo etiam damnatus Bonoſus hæreſiarcha. ibid. XII.
Caput Apoſtolorum agnitus & vocatus Petrus ab antiquis Patribus. 31. X. Vide *Petrus.*
Capiti aſini adoratio. Vide *Aſinus.*
Caput tondere. Vide *Tondere & Abraſio.*
Capite detecto viros, tecto Feminas in eccleſia orare, inſtituit Apoſtolus. 57. XXV. 58. XLIV. Tecto vero orabant viri Gentiles. 58. XLIV. ibid. Caput S. Pauli poſt decollationem tribus ſaltibus tres erumpere fecit fontes. 69. V. Caput ſuum poſt abſciſſionem, Dionyſius Areop. propriis manibus ad duo milliaria portauit. 109. XVII. De capite Ioannis Bapt. aliorumque nonnullorum SS. vide ſub propriis eorum nominibus.
Caput Vniuerſalis Eccleſiæ, Rom. Eccleſia, ſeu Pontifex. vide *Rom. Eccl.*
Capitis Boetii auulſi ingens miraculum. 526. VI.
Caput Capræ à Longobardis, aliiſque, coli ſolitum. 579. II.
Caracallus Imperat. Vide *Antoninus Caracal.*
Carceres teterrimi antiqui. 58. XVIII. Carcere ob fidem detenti Chriſtiani, quanta ſollicitudine curarentur olim ab aliis. 75. V. VI. Tanti fiebant ab ipſis etiam Epiſcopis, vt quos illi commendaſſent lapſos, iis indulgentiam impertirent. 253. X. XII. Ii Martyres & Confeſſores dicti. ibid. XI.
Carceratis quid præſtari iuſſerit Honorius Imp. 409. IV. De iiſdem liberandis, quid conceſſerint Clodouei filii quibuſdam Epiſcopis. 514. VI.
Carcerem humilem reliquit Conſtantinus Mag. in ampliatione vrbis Conſtantinopol. 330. V. Is ſub Phoca ampliatus, quod non ſufficeret eius crudelitati. 609. II.
E Carcere ad Imperium ſublimatus Iuſtinus Senior. 518. III.
Leontius. 694. I. Michael Balbus. 820. II.
Cardinales Diaconi Septem in Eccleſia Rom. inſtituti ab Euariſto PP. 112. V. Cardinalatus S. Hieronymi reiicitur. 378. XVI. Presbyteri Cardinales Rom. Eccleſiæ, iam olim nonnumquam prælati E-

lati E-

lati Epiſcopis. 431. XIII. 505. XIX. Cardinalis presb. deponitur, ob deſertam parochiam. 853. IV. Ex Cardinalibus eligendum eſſe Pontificem, decernitur in Concilio Rom. ſub Stephano Quarto. 769. I. De Cardinalibus ſeptuaginta Seniorum Moſis vicem gerentibus, conſtituto Ioannis PP. Octaui. 881. III. Cardinales Epiſcopi ſeptem, primum memorantur ſub Stephano PP. Quarto. 769. II. Quod eſſet eorum munus in Vrbe. 1057. III. Cardinalium item Præsbyterorum, Diaconorum, & Abbatum, in eadem Eccleſia munus. ibid. Cardinales S. R. E. quæ laudabilia inter ſe ſtatuant pro rebus deploratis Terræ Sanctæ. 1187. IV. Cardinalatus dignitas non poteſt licite emi. 1055. III. Cardinales aurum à Regibus accipientes ſuggillantur. 1167. IX.

Carinus Cari Imper. filius creatur à patre cæſar. 283. II. Fauet Chriſtianis. ibid. VI. Poſt mortem patris, ſumit Imperium. 284. I. ibid. Eius vitia ibidem. III. Vincit Sabinum tyrannum. ibid. Sed vincitur ipſe à Diocletiano, & occiditur a ſuis. 286. I.

Caſſiac. Conuentus ſub Carolo Caluo, pro reformatione Eccleſiæ, & Regni. 856. III.

Carmelitani monachi falſo aſſerti Ioannes Hieroſol. & Cyrillus Alexandr. 444. V. Quando ille mons coli cœperit a monachis. 1181. III.

Carnales vocabant Valentiniani cæteros homines, ſeipſos vero ſpirituales. 145. II. Itemque Maſſaliani. 361. VIII.

Carnium eſum abhorrebant, tamquam immundarum, Ebionæi. 74. IV. aliique quos ſugillat Paulus. 57. LIV. itemque Manichæi, qui eas a mali principio eſſe dicebant; indeque alias nefandas turpitudines & impietates deducebant. 277. VIII. X. Priſcillianiſtæ, qui carnis omne opificium malignis Angelis tribuebant. 381. XV. Euſtath ani. 319. IX. Marcionitæ, qui odio carnis etiam ſe neci obiiciebant. 146. VII. Vide *Animata. & Ciborum delectus.* Odio item carnis, quod eam a diabolo factam aſſererent, Patriciani ſibi necem inferebant. 103. IV. Carnis reſurrectionem qui hæretici negarint, vide in *Reſurrectio.* Carnem Chriſti qui negarent, vide in *Chriſtus.* Carnem Chriſti ſui ortu infectam peccato fuiſſe, dixit Alexander Valentini diſcipulus. 175. X. Carnis & Verbi confuſionem, commixtionemque, factam eſſe, docuerunt Polemiani. 373. V. Carnium humanarum eſum impingebant Gentiles Chriſtianis, & vnde ea calumnia. 120. XV. Carnes comedere, aut ſaltem olera cocta cum carnibus, iubentur in Synodo Bracar. clerici, ad amputandam ſuſpicionem Priſcil. hæreſis. 563. III.

Carnotenſis Synodus, pro expeditione in Ter. Sanctam. 1146.

Carolomannus, Caroli Martelli primogenitus, patri ſuccedit in Principatu. 741. IX. Synodos curat celebrandas pro optima diſpoſitione Eccleſiæ. ibid. & 742. II. 743. I. ibid. Amplectitur vitam monaſticam, & quanta humilitate in ea vixerit. 747. I. Coactus ab Aiſtulpho Longob. Rege, Pipinum Regem fratrem ſuum adire pro impedienda eius expeditione, ſancte moritur in Gallia, eiuſque corpus loculo aureo Caſſinum remittitur. 754. IV.

Carolomannus alius, Pipini filius, vna cum fratre Carolo Magno ſuccedit patri. 768. II. Ducit vxorem filiam Deſiderii Longobard. Regis 770. II. Moritur, eiuſque liberi priuantur ſucceſſione. 771. IV.

Carolus, Martellus cognomento, natus ex pellice Pipini Ducis, heres à patre conſtituitur, præteritis duobus filiis legitimis. 714. III. Franc. regnum pro arbitrio moderatur, æmuloſque ſuperat. 720. II. Ingenti prælio vincit Saracenos, necatis eorum 375 millibus. 732. II. Eius auxilium petit Gregorius PP. II. aduerſus inſultus Leonis Iſauri Imper. cum oblatione Romani Conſulatus. 726. X. Iterum vincit Saracenos, Gallias inuadentes. 731. V. 732. II. Eius pariter auxilium petit Gregorius PP. II. aduerſus Longobardos. 739. I. 740. I. Moritur miſerrime, in vltionem inuaſorum ab eo bonorum Eccleſiæ: & virum damnatis ſit ad inferos. 741. VII. VIII.

Carolus Magnus, filius Pipini Regis, patri ſuccedit vna cum fratre Carolomanno. 768. III. Agente matre, ducit vxorem Bertam filiam Deſiderii Longob. Regis, contra prohibitionem Stephani PP. 770. II. Repudiat illam, & quare. 771. II. III. Mortuo fratre, ſuccedit in eius partem, iudicio Epiſcoporum & Procerum, excluſis fratris liberis. ibid. IV. Concilia plurima celebrari curat de rebus Eccleſ. & politicis. 770. III. III. 775. VI. 776. II. ibid. III. 779. I. 780. V. 781. II. 785. III. 794. II. 806. III. 813. V. VI. Sede ea cum aſſenſu Rom. Pontificum. 770. III. Eaque ſemper permittere conſueuit, antequam ad bellum aliquod progrederetur. 775. VI. Saxones rebellantes ſæpe, iteratis præliis vincit. 772. III. 775. VI. 776. II. 778. II. 779. I. 782. II. & quis tandem eius belli finis. 782. II. ibid. Deſiderium Longobard. Regem, Rom. Eccleſiam infeſtantem, bello vincit, capitumque abducit in Gallias. 773. II. 774. II. ibid. Subiugat Auares, & Sclauos populos. 788. II. 803. II. itemque Dalmatiam, & circumpoſitas regiones. 810. II. Nauarram quoque, & partem Hiſpaniæ, a Saracenis vindicat. 778. I. De aſſerta ipſius clade ad Rocidam vallem, quid ſentiendum. 812. IV. V. Romam veniens, honorificentiſſime excipitur ab Hadriano Papa, & confirmat donationem Eccleſiæ Rom. a Pipino patre factam. 774. I. Verum ei datum ſit ab Hadriano ius eligendi Summum Pont. & Epiſcopos per inueſtituram creare. ibid. III. Electiones Epiſcoporum liberas facit. 813. VII. Quoties Romam, & quibus occaſionibus, acceſſerit. 774. III. 781. I. 787. X. 800. I. Coronatur Imperator a Leone PP. & iuramentum præſtat de Eccleſiæ Rom. defenſione. 800. III. ibid. Fuit eximius cultor S. Petri. 780. V. Et Saxoniam obtulit, & Gallias vectigales fecit. 782. III. Filium ſe & Defenſorem S. Eccleſiæ indigetat. 794. II. Quantum detulerit Eccleſiæ Rom. & Foro Eccleſiaſtico. 801. III. Eam filiis impenſum commendat. 806. II. Ab Aaron Saracenorum Rege multum colitur, recipitque dono ab eo Sanctum Domini ſepulchrum 784. III. Errant qui id armis factum volunt. 800. V. Claues & Vexilla, Roma & Hieroſolymis ad eum miſſa, honoris cauſa. 796. I. 800. V. Accipit, mittitque Legatos ad Impp. Orientales, pro pace fœderibuſque nuptiarum. 781. II. 797. II. 802. I. II. 812. III. Fuit ſcientiis excultiſſimus, & præcipue Theologia. 778. IV. Eiuſdem ſollicitudo de Officiis & Ritibus Eccleſ. optime componendis, & à diuerſis deſcribendis. ibid. V. De eius aſſerto libro contra Sept. Synodum Oecumen. in cauſa Imaginum. 794. III. IV. Promulgat Leges ſuas, colligique iubet Canones Eccleſ. 801. II. 773. III. Bonas literas reſtituit. 802. IV. Euangelica cum Græcis & Syris collata emendat. 813. V. Regnum inter filios teſtamento patris partitur, Imperium arbitrio Rom. Pontif. diſponendum relinquit. 806. III. Alterius Teſtamentum de bonis ſuis mobilibus, quorum maximam partem Eccleſiis & pauperibus relinquit. 811. V. Quam & alias munificus fuerit, eleemoſynis toto orbe diffundendis. 79[illegible] IV. 800. V. Ludouicum filium creat Imp. 813. V. Moritur, & vt Sanctus colitur. 814. V. Ingentes eius virtutes, & pœnitentia de mulieroſitate. ib. Plangitur à Fidelibus, pariter & Infidelibus quaſi pater Orbis. ib. VI.

Carolus, cognomento Caluus, Filius Ludouici Pii, ſuccedit patri in parte regni 840. II. Bello appetitus à fratre Lothario Imp cum vicerit, & regnum eius adipiſcitur iudicio Epiſcoporum Gallorum. 841 III. ibid. I. Northmannos in partem regni accipere cogitur, qui monita Epiſcoporum de bonis Eccleſ. non vſurpandis audire noluit. 846. II. 850. III. Turbatur rebellionibus ſubditorum 856. Fratrem Ludouicum patitur infeſtum, ob miſerrimum regni ſui ſtatum 858. II. Vſurpat ſibi regnum nepotis, inde diras comminationes accipit ab Hadriano PP. 869. XVI. 870. I. Quæ rurſum amaritudines inter ipſum, & Hadrianum, in cauſa Hincmari Laudunenſis. 871. V. Coronatur Imp. à Ioanne Papa. 875. II. Confirmaturque in aliis Conuentibus eadem auctoritate Apoſtol. 876. I. II. 877. III. Vincitur diuinitus à Ludouico nepote, cuius regnum inuadebat. 876. IV. Benemeretur de bonis literis. ibi. V. Profectus in Italiam pro defenſione Rom. Eccleſiæ, moritur. 877. V. VI.

Carolus Craſſus Italiam vi occupans, Romæ coronatur a Ioanne Papa. 881. II. Pugnaturus aduerſus Northmannos Galliam deuaſtantes, prodigiis impeditur, & pacem cum eis init. 882. VI. Ob repudium coniugis, repudiatur à ſuis, eiuſque regnum alteri traditur: & ad ima depreſſus, moritur. 888. I.

Carolus Simplex Rex Franc. periclitatur ab Odone Comite Pariſienſi, inſurgente aduerſus ipſum. 888. II. Fouetur à Fulcone Archiep. Rhem. 892. IV. 844. & à Formoſo PP. 894. I. Metu excommunicationis, & deſertionis, ei intentatæ ab eodem Fulcone, reuocatur a fœdere Northmannorum ethnicorum. 898. I. Communi omnium conſenſu recipitur in Regem, poſt mortem Oddonis. ibid. Repellitur, ob ſpretos Principes præ Hagatone ignobili viro, & Rex aduerſus eum creatur Robertus. 922. II. Occidit in prælio Robertum; ipſe vero à Roberti filio victus, & doloſe ab Aquitaniæ Comite captus, detruditur in carcerem. 923. II. ibid. Educitur, & iterum reducitur. 927. I. Moritur. 929. I.

Carpentorenſe Concil. in Gallia, de rebus Eccleſ. 529. IV.

Carpocras Alexandrinus, diſcipulus Simonis magi 35. XIII. Et ipſe impuriſſimus hæreſiarcha, quas ſordes impudicitiæ & impietatis docuerit. 60. VII. 120. XII. XVI. Eius ſectatores Gnoſtici. ibid. XIII. Habuit filium, Epiphanem, paternæ impietatis heredem ibid. XVI. Ex eo pariter Prodicus, auctor Adamitarum. ibid. XVII.

Carthago capitur à Genſerico Wandalorum Rege, & diripitur 439. V. Vnde tantam meruerit cladem ibid. VI. Recuperatur a Beliſario Iuſtiniani duce. 533 VII. Capitur à Coſroë Perſarum Rege 616. II. Occupatur à Saracenis cum reliqua Africa. 696. II.

Carthaginenſis Eccleſia fidem accepit à Romana. 51. II. Schiſma in ea conflatur à Feliciſſimo & Nouato aduerſus Cyprianū. 254. III. IV.

& Donatiſtis Traditorib. in Cæcilium. 305. XI. XII. Diriſſimam perſecutionem patitur ſub Wandalis. 439. V. Cunctis diſperſis ſacris miniſtris, eccleſiæ claudantur eiuſdem vi perſecutionis. 456. IV. Poſt 24. annos vacationis Sedis, Epiſcopum accipit Eugeniũ duriſſimis conditionib. 480. I. Rurſum diriſſime vexatur 483. V. 484. VI. Eius licet deſertæ, priuilegia integra vult eſſe Leo PP. IX. aduerſus Gummitanum Epiſcopum, eam ſibi ſubiicere conantem 1053 VI.

Carthag. Concilium ſub Agrippino Epiſcopo, de rebaptizandis hæreticis. 217. I.

Alia ſub Cypriano, in cauſa Lapſorum. 254. XI 255. II. Aliaque ſub eodem, de baptiſmo hæreticorum. 258. VII. VIII.

Donatiſtarum. 70. Epiſcoporum aduerſus Cæcilianum. 306. XII. Itemque aliud eorumdem. 270. Epiſcoporum, in quo ſocietatem ineunt cum Traditoribus. 308. V.

Carthag Concilium, dictum Primum, celebratum pro gratiarum actione de reductione Donatiſtarum, opera Pauli & Macarii legatorum Conſtantis Imp. 348. VI. Cur dictum ſit Primum ibid. VIII. 397. XIV. Secundum (dictum Tertium) pro diſciplina Eccleſ. 397. XIV. Tertium (dictum Quintum) de eadem re. 398. VII. Quartum. 214. Epiſcoporum; in quo ſanciti canones, qui veluti Eccleſiaſticæ promptuarium ſunt diſciplinæ ibid. XIV.

Aliud, ex quo legatio ad Honorium Imp. pro confirmanda Eccleſ. immunitate. 399. XIII. Aliud, ex quo legatio ad Rom. Pont. pro petendis ſacris miniſtris. 401. II. Aliud generale totius Africæ, aduerſus Donatiſtas, ibid. IV. Aliud item generale, pro ratione conueniendi Donatiſtas, eoſque ad Eccleſiam cum honoribus alliciendi. 403. VIII. Aliud, ex quo miſſa Legatio ad Honorium aduerſus Donatiſtas vexantes Catholicos. 404. XVII. Aliud, ex quo pariter decreta legatio ad eumdem Imper. pro gratiarum actione de cohibitis ab eo iiſdem Donatiſtis. 405. IV. Aliud ex quo Legatio ad Honor. pro defenſione rerum Eccleſ. aduerſus Donatiſtas & Paganos. 407. I. I. Aliud, ex quo ſimilis ad eumdem legatio, poſt necem Stiliconis. 408. VII.

Aliud, ex quo ad eumdem legatio aduerſus Donatiſtas, poſt Attali tyrannidem. 410. X.

Aliud contra Pelagium & Cæleſtium. 416. I. Itemque aliud 217. Epiſcoporum contra eoſdem; cuius decreta perlata ſunt ad Rom. Pontiff. 418. I. Aliud. Sextum dictum, in cauſa Appellationum ad Sedem Apoſtol. 419. VII. Aliud poſt recuperatam à Iuſtiniano Imp. Africam, pro reſtituenda Eccleſ. diſciplina, ex quo miſſa Legatio ad Ioannem Papam. 535. III.

Carthuſiæ ſolitudo, quando, & à quibus cœperit habitari. 1086. IV. Inde dicti monachi Carthuſiani. Vide etiam *Bruno Carthuſ.*

B. MARIAM in patronam ſuſcipiunt. 1095. VI. Eius ordinis commendatio à magnis viris. 1101. IV.

Carus eligitur Imp. 283. II. Carinum & Numerianum filios ſuos creat Cæſſ. ibidem. Moritur in expeditione Perſica. 284. I.

Caſeum cum pane apponebant Artotyritæ hæretici in ſuis myſteriis. 173. XI.

Caſimirus regni Poloniæ heres, poſt obitum patris pulſus à Principibus, fit monachus Cluniaci. 1034. VII. Requiſitus à ſuis, ex monacho profeſſo, & diacono, permittitur à Papa regnum adminiſtrare, & vxorem ducere, certis adhibitis conditionibus. 1041. III. Debellat hoſtes Angelico ductu. ibid. in ſi Regnum facit vectigale Sedi Apoſtol. 1045. I Moritur. 1058. IV.

Caſſelenſe Concil. in Hibernia, pro optima conſtitutione œconomiæ Eccleſ. 1171. II.

Caſſianus. Vide *Ioan Caſſian.*

Caſſinenſe monaſterium conditur à S. Benedicto. 529. VII. Falſo aſſertum priuilegium ei collatum à Iuſtiniano Imp. 541. VI. Deſtruitur à Longobardis, & monachis datur Romæ monaſterium apud baſilicam Lateranenſem. 581. V. Aliæ ad ipſos literæ de bonis Siciliæ, ſuſpectæ. 669. IV. Reſtauratur à Petronace Brixiano. 716. I. Fuit ſeminarium Summorum Pontiff. aliorumque ſacrorum Antiſtitum. ibid. Eximitur a Zacharia PP. ab omni Epiſcoporum ditione, præterquã Rom. Pontificis. 748. II. Expilatur a Duce Beneuentano. 843 IV. Comburitur à Saracenis 884. II. Eius eccleſiæ celeberrima omnium dedicatio ab Alexandro PP. facta 1071. II. Congregationis ſocietas inita cum Cluniacenſi. 1083. III.

Caſſinenſis Abbatis voluptuoſi digna pœna. 995. III. Aliorum inter ſe digladiantium cauſa à Rom. Pontifice cognita, & definita. 1123. II.

Caſſiodori Senatoris opera vtitur Rex Italiæ Theodoricus, ad regnum optime adminiſtrandum. 493 II. Fit Conſul. 514. I. & Præfectus Prætorio. 534. I.

Secedit in monaſterium à ſe conſtructum; ibi poſt multa elaborata ſcripta, decrepita ætate ſancto fine quieſcit. 562. III.

Caſſius Auidius tyrannus inuadit Imperium ſub M. Aurelio, ſed paulo poſt conficitur. 177. I.

Caſtinus dux ſuperbiſſ. in Hiſpaniam aduerſus Wandalos mittitur. 422. II. Cõſul creatus, calumniis appetitur, cogiturque fugere ad Bonifacium Comitem in Africam, quem ipſe nimis antea deſpexiſſet. 424. I. Eius nomen è Faſtis expunctum. ibid.

Caſtrationem hominum vetuit Domitianus in vniuerſo Imperio 83. II. Vide etiam *Eunuchi.*

Caſtratio ſpontanea irregulares facit lege diuina & Eccleſiaſtica. 250. II. Non etiã coacta, aut neceſſaria. 325. XXXIX

Caſtrati ſpontanei etiam indigni communione laica 250. II. 348. II.

Caſtrari ſoliti, aut vi, aut ſponte, omnes Valeſii hæretici. 250. III. Eorum hæreſim imitati Græci ſchiſmatici. 1054. III.

Caſtrare ſeipſos ſoliti nonnulli pſeudomonachi. 381 XI. Caſtrari populos Abſagos, quod frequentabant, prohibet Iuſtinianus Imperat. 527. VI.

Catabulum quid. 309. III Ad illud damnatus Marcellus Papa, aliique plures Epiſcopi in perſecutione Diocletiani. ib.

Cataphrygarum hæreſis quando orta, & quibus auctoribus. 173. I. Curita dicta. ibid. III. Quæ fuerint eius dogmata ib. IV. & ſeqq. Romæ à Caio Theologo publica diſputatione confutata, & à Zephyrino Papa, & aliis vbiq; Epiſcopis, Synodice damnata. 215. I. Aliæ diuerſæ eius hæreſis ſectæ. 173. X. Vide etiam in *Montanus.*

Cataphrygarum baptiſmus reiectus à Concilio Laodiceno. 314. XII. Eoſque rebaptizãdos cenſuit Synodus Nicæna. 325. XXXVIII. Conuentus interdicti a Conſtant. Mag. 326. IV.

Cata Æſchinem, ſecta Montaniſtarum; & quæ priuata eius dogmata. 173. IV. 175. & X.

Cata Proclum, ſecta Montaniſtarum. 173. X. 201. IV.

Catathema, cenſura proxima Anathemati, quorum eſſet. 57. XLIX.

Catechumeni prohibiti ordinari Epiſcopi. 374. III. Electi tamen nonnulli eiuſmodi, ab omnibus approbati ſunt: puta Ambroſius Mediol. ibid.

Nectarius Conſtantinopol. 381. X.

Catenæ duæ, quibus Petrus Apoſtol. vinctus fuerat ab Herode Hieroſolymis, a Iuuenale Epiſcopo datæ Eudociæ Aug. 439. II. Earum altera Romam miſſa ad Eudoxiam Aug. collocatur in eccleſia, in eius honorem ab ea erecta. ib. Ei diuino miracula coniuncta illa, qua vinctus Romæ Petrus fuerat ibid. Miraculis ex coruſcare ſolitæ. ibid. & 969 III. Et earum limatura cõſueta mitti ad inſigniores perſonas à Roman. Põtiff. munera. 439. II. Vide *Claues S. Petri.*

Catenæ S. Pauli, miraculis coruſcæ. 594. II.

Cateruæ, dicti quidam ludi cruenti in Africa, quos Auguſti. ſuſtulit. 418. VI.

Cathari a munditia dici voluerunt Nouatiani 254 XV. Cathari alii, qui & Albigenſes, damnantur in Cõcilio Generali Lateran. ſub Alexand. Tertio. 1179. III.

Cathariſtæ, cur dici voluerint Manichæi. 277. V.

Cathedram doctrinæ Apoſtoli erexerunt primo Hieroſolymis in Porticu Salomonis. 34. LXXIII

Cathedra lignea Epiſcopalis Iacobi Apoſt. cõſeruatur ad poſteros, & venerationi habita. 34. LXXXIV. Item Petri Apoſt. conſeruata, & miraculis coruſca 45. I. & S. Marci. 820. III Cathedræ Antioch. S. Petri antiqua anniuerſaria celebritas. 39. VI. Itemque Cathedræ Rom. 45. I. II. Vide etiam *Sedes*, & *Petri Cathedra.*

Cathedræ Apoſtolicæ principatus in Rom. Eccleſia. 126. XII. Vide *Rom. Eccleſ.*

Catherinæ nobiliſſ. virg. Alexandr. inſigne certamen pro fide ſub Maximino Cæſare, latebræ in monte Sinai, diſputationes cum philoſophis, martyrium, & Angelica ſepultura. 307. VI. VII.

Catholicæ dictæ Literæ, quæ alio nomine Encyclicæ, ſiue Circulares. 142. VIII.

Catholica Eccleſia, eadem Romana. 254. XII. Vide *Romana Eccleſia.*

Catholica fides quanta ſecum vehat bona. 345. I. 381. I. 418. III. 522. IV. Vide etiam *Religionis defenſio.*

Catholici nominis appellatio, qua ratione inſtituta ab Apoſtolis. 43. III. Id cognomen proprium Eccleſiæ, nec commune hæreticis ibid. Eo nomine dicendi ii ſoli, qui Eccleſiæ Rom. communione iunguntur. 45. III. 254. XI 321. II. 325. XLIV. 368. III. 378. IX.

Catholicorum probandorum ratio inſtituta à Theodoſ. Imper. & Synodo Cõſtantinop. Oecum. 380. I. 381. XI. Catholici calumniis onerati ab hæreticis: puta à Manichæis, quod mutaſſent idola in martyres: 58 XXXVIII. ab Arianis, quod duos ingenitos aſſererent. 318. VIII. 340. VI. & quod eſſent Sabelliani 340 VI. à Iouinianiſtis, quod damnarent nuptias. 390. VIII. ab Origeniſtis, quod eſſent Anthropomorphitæ. 393. II. a Vigilantio, quod reliquias martyrum venerantes, idola colerent. 406. VII. à Pelagianis, quod damnarent nuptias, eſſentque Manichæi; & plurimis aliis calumniis. 419. IV. V. à Neſtorianis, Apollinariſmi. 430. VII. Ab Eutychianis; Neſtorianiſmi. 449. III. XI. 451 XXXIV. 452 VI. & contra à Neſtorianis, Eutychianiſmi. 533. III. A Græcis ſchiſmaticis, Latini Catholici multis falſo infamantur criminationibus. 867. III.

Catholici dicteriis irriſi ab hæreticis: nempe à Valentinianis dici ſoliti Simplices. 145. III. ab iiſdem, & à Montaniſtis, Pſychici, ſeu Animales. 201. IV. à Donatiſtis Macariani. 348. VI. ab Origeniſtis, Philoſiotæ, & Animales.

395 II. 400. IX. à Vigilantio, Cineratii. 460. VII.

Acephalis, Synoditæ 553. III. A Græcis Azymitæ. 1054. III. De perſecutionibus Hæreticorum in Catholicos, vide in *Perſecutio*, & ſub nominibus Principum hæreticorum. Sicut & de calumniis & dicteriis Gentilium in Cathol. vide in *Chriſtiani*. Catholici cognomentum quam iuſto titulo competat Regibus Hiſpan. 638. I. 738. II. Catholicus nuncupatus Maximus Armeniorum Pontifex, & quam late ſe eius auctoritas diffunderet. 1136. V. in fi. 1145. IV. Subiicit ſe Romano Pontifici. 1145. IV. 1197. IV.

Caucobabditæ hæretici, ſecta Seuerianorum, ſiue Acephalorum. 537. XIV.

Cenſuræ Eccleſiaſticæ, quæ. 57. VIII. Vide etiam *Clericorum pœna*.

Cenſus factus à Quirino in Iudæa tempore natiuitatis Chriſti, qualis. Appar. XXVIII. XXIX. Eo cenſu quot numerati ciues Rom. ibi. XXIX. Cenſeri ſoliti omnes ciuiſcumq; ætatis aut ſexus. 1. II. Cenſu ſub Claudio quot numerati ciues Rom 50. I. Cenſu Veſpaſiani permulti admodum longæuæ ætatis reperti viri. 76. I.

Cenſuum Rom. Eccleſ. liber conſcriptus à Cencio Camerario. 1192. III. Vide *Rom. Eccl. Patrimonia*.

Ceperanum Concil. ſub Paſchale PP. II. de rebus Eccleſ. & politicis illius prouinciæ. 1114. I.

Cephas vocatus à Chriſto Petrus. 31. X. Ea vox quid ſignificet, ibid. Quiſnam Cephas reprehenſus a Paulo Apoſt. ob legal a. 51. VIII.

Ceræ virtute ardentis in eccleſiis martyrum, edi ſolita ingentia miracula. 58. XXX. 100. Ceræ ſacræ, quæ Agnus Dei dici ſolet, vſus in Eccleſia introductus ad tollendam Gentilium ſuperſtitioné. 58. XXX. Vide *Agnus Dei*.

Ceræ imagines ad maleficia. 1143. V.

Cerdo hæreſiarcha quæ dogmata introduxerit. 146. II. Petit Romam, & palinodiam recantat; ſed iterum lapſus penitus eiicitur. 155. I.

Cerealis cuſtos Cornelii PP. in carcere, confeſſus ab eo, vna ſubit martyrium. 255 VIII.

Cereorum vſus in Eccleſia clara luce. Vide *Lampades*.

Cerei Paſchalis benedictio, & vſus in Eccleſia antiquus. 481. VII Vt in ſingulis parochiis incenderetur, ſtatuit Zoſimus Papa. ibid.

Cereorum loco, Chriſtianos palis affixos ardere faciebat Nero. 66. I

Ceroferarii. Vide *Acolythi*.

Caianus Rex Auarum Thraciam infeſtat. & poſt varias pugnas pacatur per legatos Mauritii Imp. 593. X. Venetiam prouinciam depopulatur; indeq; e Pannoniam & Thraciam inuadens, ingentem terrorem Conſtantinopoli incutit. 600. I. II.

Ob incenſam Alexandri martyris eccleſiam, eiuſque reliquias iniuriis affectas, magnam exercitus partem amittit, & ſeptem filiis vno die orbatur. ibid. Captiuos viliſſimo pretio redimendos offerens, cum non audiretur à Mauritio Imp. omnes interficit ibi.

Heraclium decipiens, deprædatur ſuburbia Conſtantinopol. 628 I. Fœdus cum eo iniens, poſtea fœdifragus, Perſis inhærens, Conſtantinopolim obſidet; ſed repellitur diuinitus ingenti damno, à S. Deigenitrice. 611. I. 625. II.

Chaiani nomen ſiue Chagani commune omnibus Regibus eius gentis. 825. II.

Chalcedonenſe Concilium Oecumenicum, per Marcianum Imp. à Leone Papa expetitum, celebratur aduerſus Eutychianos & Neſtorianos. 450. V. 451. IV.

Quot, & quales Epiſcopi conuenerint, quiue fuerit conſeſſus ordo. 451. IX. & ſeqq. Fidei definitio de duabus in vna perſona Naturis ibid. XXII. De aſſerto miraculo, in eius confirmationem facto. XXIV.

De canonibus à Græcis ſeorſum ibi conditis. XXX. Aliis clam geſtis pro prærogatiua Eccleſiæ Conſtantinop. poſt Romanam, aduerſantur Legati Apoſt. Sedis XXXI. Confirmationem Actorum Synodi, Patres à Leone Roman. Pont. petunt; eumdem Oecumenicum Epiſcopum & agnoſcentes & nominantes. XXXII. XXXIII. Ea Synodus anniuerſaria celebritate conſecrata, & Sanctorum elogiis & miraculis illuſtrata. XXXIV. Confirmatur edictis Marciani Imp. 452. I. 136. VI.

Eius quoque fidem confirmat Leo Papa, ſed non prærogatiuam Eccleſiæ Conſtantinop. 452. III. 453. I. ibid. Impugnatur vehementiſſime ab Eutychianis, tamquam fuiſſet conuentus Neſtorianorum. 425. IV. VI. Proſcribitur publica lege Baſiliſci Imper. ſed eam mox reuocare cogitur. 476. V. VII. Eius Acta originaria comburit Anaſtaſius Imp. hæreticus. 511. I.

Sub Iuſtino Anaſtaſii ſucceſſore, probatur à 2500. Epiſcopis. 318 VII. Quot ex eius impugnatoribus aliæ hæreſes inter ſeipſas decertantes ortæ. 555. XI. Eius ſectatores dicti Synoditæ, & Melchitæ, & quare. 535 IX. XIII.

De tribus eius Capitulis, ingentes excitatæ turbæ; de quibus vide in *Capitula Tria*.

Charibertus Franc. Rex ob inceſtum connubium excommunicatur à Germano Epiſc. Pariſienſi. 570. V. Mulctat Epiſcopus prouinciæ Burdegal. quod depoſuiſſent Epiſcopum, qui ab eo acceperat Epiſcopatum. 566. IV. Moritur vltione diuina, ob vi ablatam poſſeſſionem quâdam S. Martini. 372 II.

Charitas antiquorum Chriſt. in peregrinos & vinctos. 75. V.

Charitatis Confraternitas, ad ſepulturam Fidelium. 336. XIV.

Chartularii, ſiue Chartophylacis, munus in Eccleſiis Rom. & Conſtantinopol. quale. 593. IX.

Cherinthus diſcipulus Simonis magi. 35. XIII. Et ipſe hæreſiarcha, turbas ciet in Petrum Apoſt. ob Gentiles in Eccleſiam admiſſos. 41. III. Itemque aduerſus Paulum & Barnabam, de circumciſione 551. III

Eius aliæ hæreſes. 57 XLVII. 60. IXVIII. 97. VI. Eiuſdem cum Ebione commixtio; & quid de ambobus S. Ioannes Euang. in balneo. 74. III. Ei falſo à nonnullis tributa Apocalypſis Ioannis. 97. II. VI. Scripſit ipſe ſpeculationes de turpi ſuo Millenario. ibid. VI.

Childebertus, filius Clodouei, Rex Franc. maxime pius ex ſententia Concilii Aurelianen. edictum promulgat aduerſus Iudæos, & immunitatem Clericorum confirmat. 540. V. Vna cum fratre Clotario, partem Hiſpaniæ vendicat à Gothis Arianis; & Reliquiis SS. ditatus redit. 542. III. Solicitus pro fide Catholica, exigit à Pelagio PP. fidei Orthod. profeſſionem, & qua id occaſione. 556. II. Moritur anno regni 49. piis operibus clarus. 562. I.

Childericus Francorum Rex primus omnium firmas ſedes ſtabilit in Gallia, regnans Pariſiis. 456. III. Licet Ethnicus, ſingulari proſequitur veneratione S. Genouefam virginem. ibid. Moritur. 484. XI.

Chilpericus, filius Clotarii, Rex Fran multas habens vxores & concubinas, ceteris aut necatis aut electis, ducit Fredegundem. 567. V. Filium Merouenum, ob inceſtum connubium Brunichildis, presbyterum factum relegat in monaſterium; & inde aufugientem perſequens, tandem mori compellit. 579 IV. 580. I. ibid. Fuit excultus poeticis literis, & Græcis 579. V. ibid. Delatus præceps aduerſus impietatem Arianam, impingit in Pelagianam, ſed erigitur a ſanctis Epiſcopis. 583. IX. Fraude coniugis Fredegundis occiditur. 587. VI. Eius grauiſſ. ſcelera, & damnatio ad inferos. ibid.

Chramnus filius Clotarii Franc. Regis, rebellat aduerſus patrem. 556. III. Vaticinia rerum euenienda um quærit ex fortuita apertione Scripturæ ibidem. Sæpe venia accepta, demum iterum rebellans, captus a patre in prælio, comburitur viuus, vna cum vxore, ac filiabus. 564. II.

Chreſtus à Gentilibus dictus Dominus, & vnde eam vocem deduxerint eo ſenſu Chriſtiani ſcriptores. 43. III. 314. VI. Chreſtus quoq; nomen proprium viri. 314. VI.

Chreſtologi qui dicerentur. 314. VI.

Chriſma baptizatis conferre, ſolis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus Epiſcopis, competit. 35. XI. Cur ita dictum. ibid. Eo confertur Spiritus Sanctus. ibi. Quibus aliis nominibus appelletur, quibuſque ritibus conferatur. ibid. Nouatiani hæretici illud impugnarunt, & quare. ibid.

Chriſmatis ampulla. Vide *Ampulla*.

Chriſma non Balſamo ſed butyro conficiebant Armeni hæretici. 1080. XIV.

Chriſtina virgo in Germania, diuinis reuelationibus illuſtris, gaudet de capta per Saracenos Hieroſolyma, & quare idone. 1187. II.

à CHRISTO, & per CHRISTVM ſalus ab initio mundi. Appar. I. Quæ de eo venturo Rege, prædicta olim fuerant, eadem aliis diuerſis Principibus falſo tributa. ibid. IV. XII. XIII XIV. & 28. 71. num. V. Eius genealogia qua ratione diuerſimode texatur a Matthæo & Luca. ibid. XV.

Chriſtus Rex & Sacerdos ortus ex ſtirpe regia, & genere ſacerdotali. Appar. XV. & ſeqq. Quando conceptus in vtero Virginis ibid. XXVI. Quo anno, menſe, die & hora, natus. ibid. XXX. & ſeq. Vbi natus, Annal. I. Vbi circumciſus. an. 1. num. II. Cenſus eſt ſub Quirino. ibid. Adoratur à Magis. ibid. III. Præſentatur in templo. ibid. IX. Defertur in Ægyptum, & multa bona ei reg on conferit. ibid. X.

Quo tempore inde reductus in Palæſtinam. 8. III. Dictus Nazarenus, ob habitationem ciuitatis Nazareth. 9 II. ibid. patriteque à Galilæa, Galilæus. ibid. Duodennis ſe Hieroſolymis ſubducit à parentibus. 12. I. Exercet in Iuuentute artem fabrilem. ibid. II. De eius infantia conſictus liber ab hæreticis. 44. XXVI. Qua ætate, & quo tempore fuerit baptizatus. 31. VII. Intereſt nuptiis, & primo edito miraculo aquam mutat in vinum. ibid. XVII. Quoſnam ipſe baptizarit. ibidem. XVII Recipit literas ab Abagaro Rege Edeſſæ, & ad illum reſcribit, ſuamque Imaginem non manu factam mittit. ibid. XXII. XXIII. Primus eius Prædicationis annus acceptabilis. ibid. I. & XXIX. De eo occidendo incipiunt cogitare Scribæ & Phariſæi. 32. I. III. Eligit 12. Apoſtolos ibid. III. Ductus in ſupercilium montis præcipitandus, euadit manus Iudæorum. ibid. IX. Cum plebs vellet eum facere Regem, aufugit. 33. III. Petro confert principatum Eccleſiæ. 31. X. 33. VI. & VII. Transfiguratur in monte Tabor. ibid. VIII. Tributum, quamuis liber, ſoluit. ibid. IX. Lazarum reſuſcitat. 34. II.

S. ſententia mortis in eum fertur in Concilio Iudæorum. ibid. Excipitur Hieroſolymis honorifice diu no cum ramis palmarum ibid. III. Tributum iubet reddi Cæſari. ibidem. IV.

Paſcha vltimum vbi, quo die, & quibus ritibus celebrarit. 34. IX. & ſeqq. Eucharistiam instituit, & Apoſtolos ſacerdotes facit. ibid. XV. Orat in horto, & veſtigia relinquit. ibid XX. Capitur, ducitur ad Annam, Caipham, Pilatum, Herodem, ac rurſum ad Pilatum: illuditur, flagellatur, crucifigitur, & cetera quæ ſunt eius Paſſionis, vide ibid. num. XXI. vſque XLII. Veſte alba cur indutus ab Herode ibid. XXVI. In Cruce vinum myrrhatum cur recuſauerit, felle mixtum guſtauerit. ibid. XXXI Crucifixus, vbi Adam ſepultus. ibid. XXXII. Quot clauis confixus. ibidem. XXXV. Quo anno, menſe, die, & hora paſſus. ibid XLIII. & ſeqq.

Quo tempore reſurrexerit, & quantum in ſepulchro manſerit. 34. L. LI. Quibus primo poſt reſurrectionem apparuerit. ibidem. LIII. LIV. & de aliis eius apparitionibus. ibidem. LVI. & ſeqq. & vide etiam *Apparitio* Miſſionem, & Poteſtatem Apoſtolis & Diſcipulis impertit ibid. LVII. Petro vniuerſalis Eccleſiæ curam, pro ipſo & ſucceſſoribus eius, ſolemniter confert. ibid. LIX. Aſcendit in cœlum. ibid. LXI. Eius quædam ſententiæ, extra Euangeliſtarum hiſtorias. 34 LXII. De eo teſtimonia exterorum. ibid. LXIII. Multa de eo conficta. ibidem. LXIII & 44. XXVI Eius nomine promulgatus liber de Magia. 44. XXVI. ibid. ipſeque exiſtimatus magus. 100. II. De eo ſcribit Pilatus ad Tiberium; & Tiberius vult eum inter deos recenſere, ſed Senatus reſiſtit. 34. LXIII. Ei quoque poſtea templa Hadrianus Imp. erigens, cur ab eis ædificandis ſubſtiterit. 124. II. Eius imaginem in ſuo larario habuit Alexander Mamææ, & inter deos recipere voluit. ibidem. De eius Imaginibus, vide in *Imago*.

CHRISTI nomen vnde deriuetur. 43. III. Dicebatur à Gentilibus Chreſtus. Vide in *Chriſtus*. Chriſti nomen quomodo effingi ſolitum in ſignis & armis Chriſtianorum Impp. & aliorum. 312. IV. Vide etiam IESVS Chriſtum à Ieſu ſeparabat Cherintus, & quomodo 60. II. 97. VII. Chriſtum alium eſſe & alium Dei Filium, aſſerebant Apollinariſtæ. 373. II. Chriſtos duos conſtituit Marcion. 146. V. Quomodo item duos conſtituerint, Diodorus Tarſ. Theodorus Mopſueſt. & Neſtorius. 428. VIII. Alia in eum blaſphemia Neſtorij, 12. anathematiſmis Cyrilli comprehenſa. 430. VI. In Chriſto duas perſonas conſtituit Paulus Samoſat. 265. III. ac ceteri, qui duos filios Dei eſſe dicebant; qui & ita Quaternitatem pro Trinitate introducebant. 428. VIII. 435. II.

Chriſtum hominem tantum eſſe, & minorem Angelis, dixit Cherinthus. 60. VIII. Eum quoque Deum eſſe, negarunt Nicolaitæ, ſed in eo Deum habitaſſe. 68 V. Nudum item hominem, ex viri ſemine procreatum aſſeruit Ebion: 74. IV. Theodotus quoque coriarius, ſed ex Spiritu S. & Maria Virg. natum; ſola autem iuſtitiæ auctoritate ceteris præſtantem. 196. III. Item Artemon, ſed Prophetis maiorem. ibid. IV. Theodotus Trapezita inferiorem quam Melchiſedech. ibid. V. Symmachiani etiam hominem tantummodo aſſeruerunt. 203. IV. itemque Paulus Samoſatenus, ſed iuſtitia præditum. 265. II. Photinus item ſolum hominẽ dixit, & alia impiiſſima de eo aſſeruit. 347 XI. 357. II. Acacius putam eſſe creaturam ex nihilo factam; neceſſe Filium Dei. 319. XIX. Elzai creaturam dumtaxat; quem & prodigioſis menſuris deſcribebat. 105. II. In vtero Virginis ſolum fuiſſe hominem, poſt natiuitatem autem, collatam ei eſſe diuinitatem pro merito, Neſtorius dixit. 428. VI. VII.

An dici debeat Homo Dominicus 373. III. Eſſe lapidem de monte abſciſſum apud Danielem, montem vero diabolum, aſſeruit Vigilantius. 406. VII. Adoptiuum, non naturalem, vel proprium fuiſſe dixerunt Apollinariſtæ. 373. III. Neſtoriani. 791. II. & Bonoſiaci. 531. II. Creatum, atque ſeruum Mahometes. 630. II. Purum hominem, natum vt ceteros, primi Iconomachi. 741 II.

Chriſtum eſſe Seth filium Abrahæ, dicebant Sethiani. 145. IX. Factum eſſe ſerpentem, qui decepit Euam, Ophitæ. 145. V. & Manichæi. 277. IX. Ei locuſtam & erucam comparabat, immo præponebat, Aſterius Sophiſta, ex doctrina Euſebij. 336. V.

Chriſtum hominem loco animæ habuiſſe deitatem, docuit Arius. 318 IX. & Apollinariis. 350. VI. Eum ad Angelos male orbem moderantes debellandos veniſſe, dixit Baſilides, 60. VII. 120. VI. & Saturninus. 120. XI. Non reſurrexiſſe dicebat Cherintus, ſed cum aliis reſurrecturum. 57. XL. VII. 97. VII.

Humanam non ſuſcepiſſe naturam, nec eiuſdem eſſe cum patre ſubſtantiæ aſſeruerunt Manichæi. 277 VIII. 232. IX. Carnem è cœlo attuliſſe, & per Mariam velut per canalem tranſiſſe, dixit Valentinus, 145. II. & Eutyches. 448. II. Non vere carnem ſumpſiſſe, ſed per phantaſiam, ideoque nec vere eſſe crucifixum, dixerunt Baſilides, 99. IV. 120. VI. Cerdon & Marcion. 140. II. VI. Tatiani, 174. III. Docitæ, 174. V. ibid. Priſcilianiſtæ, 381. XVII. Iouinianiſtæ. 382. VII. Eiuſque imaginem viſam eſſe pati, ipſum vero ſe ſubtraxiſſe, docuit Simon magus, eiuſque diſcipuli. 60. II. Baſilides. 120. VI. Saturninus. 120. XI. itemque Mahometes. 630. II 682. In deſcenſu a cælis, aeri in ſibi corpus contexuiſſe, & in aſcenſu diſperſum eſſe, dixit Apelles. 146. IX. Eius corpus in Sole eſſe repoſitum, Hermogenes aſſeruit. 170 IV. Manes item, Solem fuiſſe, vel in Sole. 277. IX. Ebion, vnum fuiſſe ex Angelis, ſed ceteris maiorem. 74. IV Carnem quoque de cælo attuliſſe, eamque deitati conſubſtantialem & coæternam, aſſeruerunt Apollinariſtæ. Rurſumque, nunc carnem abieciſſe eum eſſe, & diuinitatem corpore ſpoliatam exiſtere. 373. II.

Chriſtum ipſum eſſe Filium & Patrem, aſſeruerunt Montaniſtæ cata Æſchinem 173. X. Cur dictus A. & Ω. ex ſententia Marci & Colarbaſi. 175. IX. Non habuiſſe propriam ſubſtantiam ante incarnationem, nec propriam diuinitatem, dixit Beryllus. 229. I. Tantæ fuiſſe continentiæ vt cibos quos vere ſumeret, non redderet, Valentinus aſſeruit. 145 III.

Vnum eſſe ex Trinitate, quomodo negarent Diodorus Tarſenſis Theodorus Mopſueſtenus, Neſtorius, &c. 435. II. Vnus de Trinitate crucifixus qua fraude diceretur ab Eutychianis, & quo ſenſu poſſit recte dici. 519. VII. & ſeqq 533. V. 534. II. Duas in eo in confuſione coniunctas naturas poſt adunationem, negauit Eutyches. 448. II. Vnicam habere Voluntatem & Operationem, quo fine aſſererent Monothelitæ. 629. III. 633. II. & ſeqq. 648 I. Eius ſanguinem in Euchariſtia corruptibilem, docuit Paulus Samoſatenus. 265. III. De eiuſdem corporis corruptibilitate, vel incorruptibilitate, deque ignoratione diei Iudicii, hæreſes ortæ Alexandriæ. 519 XII. 535. X. 563. I. Aliæ inſuper deductæ inde hæreſes. 563. I. ibid. Eum non eſſe paſſum pro redemptione omnium hominum, ſed tantum pro iis qui ſaluantur, aſſeruit Gotheſcalcus. 848. III. 803. Ingreſſum eſſe ianuis clauſis ad Diſcipulos negauit Berengarius. 1059. IV. 927 De Chriſto quid ſenſerit Mahometes. 630 II. Vide etiam IESVS. *Filius Dei. Verbum. Carnes Euchariſtia.*

Chriſtum crucifixum Iudæi incendere ſoliti, prætextu incendendi Aman ipſorum olim hoſtem. 408. IX. Vide *Iudæi & Puer*.

Chriſto melius ſe doctrinæ myſteria interpretari, iactabant Valentiniani, 145. IV & Montaniſtæ. 173. V. inſultat Iulianus Apoſt. moriens. 363. XIV.

Eum præſidere Conciliis, qua cæremonia ſignificarent Patres. 325. XVIII. 431. VII. Ab eius Incarnatione, quando, & à quo primum cœpti numerari anni. 527. VIII.

Eius imagine & inſcriptione ſignari nummos aureos, primus omnium Impp. ſtatuit Ioannes Zemiſces. 971. IV.

Chriſtiani appellari poſſunt, qui ante Chriſtum natum ſaluati per ipſum ſunt. Appar. I. Primum ſic vocati Antiochiæ, & quare. 43. III Dicebantur à Gentilibus Chreſtiani, & quid ea vox denotet. ibid. Quibus aliis appellationibus dicti ſint olim in Eccleſia. ibid. IV. & 9. II 64. II.

Iidem dicteriis à Gentilibus irriſi: dictique Sybilliſtæ: Appar. XI Galilæi. an. 9. num. II. 362. LVI. Græci & Impoſtores. 56. III. Sarmentitii, & Semaxii. 253. XV Biothanati. 138. III. Chriſtianorum Dei imago ridicula ab iis depicta Romæ ſub Seuero Imp. 201. VII.

Accuſati ab iiſdem Gentilibus, Impietatis. 66. III. 94. I. 98. I. 100. II. 179. I. Magiæ. 100. II. 302. XVIII Maieſtatis & perduellionis. 200. II. 201. II. 286. IV. 301. V. 302. I. Seditionis. 173. I. Inertiæ. 98 I IV. 201. VIII Infanticidii, & ſus eiuſmodi carnium in ſuis conuentibus. 120. XV. 179 I. 201. VIII. Adorationis capitis aſini. 42. III. 201. VII. Adorationis Solis. 58. XLIII. Adorationis genitalium ſacerdotum. 209. II. Promiſcuitatis vxorum. 43. IV Promiſcuorum concubituum in ſuis Synaxibus. 120. XV. 201. VIII. Pluſium deorum cultus. 203. IV.

Chriſtianorum cauſa omnia mala aduenire dicebant, Gentiles. 86 II. 170. II. 237. III. 256. II. Eorumdem religionem Iudaico nomine conſignare ſolebant, & quare. 42. III. 94. I 98. I. 100. II. atque ideo quæ calumnioſe de Iudæis dicebantur, etiam Chriſtianis impingere conſueuerant. 42. III. 66. III. 201. VII.

Itemque quod hæretici ſuos ſectatores Chriſtianos appellarent; (43. III.) inde quæcumque turpia & nefanda hæretici facerent, Chriſtianis Catholicis tribuebantur à Gentilibus. 66. III. 100. II. 120. XV. 132. V. 201. VII.

Chriſtiani edictis Impp. Gentilium Infames declarati. 304. XV. A Iuliano Apoſt. docere prohibiti. 362. LVII. iure Reip. priuati ibid. LVI. & à profeſſionibus ſuis publicis, ac militia diſcedere iuſſi. ibid. V. Bis vitæ neceſſaria impetrare prohibui Diocletianus; 286. II. IV. & quibuſcumque volentibus eos necare impune permiſit. 303. VII. Chriſtianæ fœminæ lenonibus tradi ſolitæ ad lupanaria. 301. VIII. 303. V. XIII. 304. IX. X. 309. IX.

Sed

Sed de Perſecutionibus in Chriſtianos à Gentilibus excitatis. Vide in *Perſecutio.* & *Martyres*; itemque ſub nominibus Principum qui eas promulgarunt.
Chriſtianorum antiquus cultus veſtitus. 57 XXVIII. Abſtinentia, & ieiunia. 57. LVI. & ſeqq. Charitas erga vinctos, & peregrinos. 75. V. VI. Inſtituta quædam imitatus Alexander Mamææ. 224. II. Ritus & mores Iulianus conatus eſt introducere in Ethniciſmum, ſed fruſtra. 362. LX. Chriſtiani contra Chriſtianos viſi primũ armari in bello Conſtantii Imp. Ariani aduerſus Magnentium tyrannum. 353. II. Chriſtiani præſentiam horrent dæmones ſub Iuliano Apoſt. 362. IV.
Chriſtianitatem abdicat Iulianus ſolemni ritu. 361. XII. Chriſtianos in Iudaiſmum tranſeuntes, igni tradi præcipit Conſtantinus. 315. XVI. Pro Chriſtiana Religione ſuſcepta bella, vide in *Religio.* Sed de multis aliis rebus, tribubſque, & inſtitutis Chriſtianorum, vide ſub ſingulis eorum, idem appellationibus.
Chriſtianiſsimi titulum, Francorum Reges vnde habuerint. 740. I.
Chriſtophorus inuadit Sedem Apoſtol. & poſt ſeptem menſes deturbatur Sergio inuaſore. 907. I. Vitam monaſticam cogitur amplecti. 908. I.
Chromatius V. C. ex perſecutore ſub Diocletiano factus Chriſtianus, multos alios eripit à perſecutione, inque illis Caium Papam. 286. II. Eius filius Tiburtius fit martyr. ib. III.
Chronicon Euſebii vbi terminetur. 325. LIV. Hieronymus Latinum fecit, & auxit. ibi. Eadem corrupta ad nos peruenerunt. ib. Proſperi, vbi terminetur. 445. VII. Marcellini, Caſſiodori, Iſidor, Victoris, & aliorum, vide ſub ſingulis auctorum nominibus.
Chronologia annorum Chriſti ſtabilitur. Appar. XXX. XXXVIII. Annorum Mundi incerta. ibid. XXXVI. Auctoris de annis Chriſti, probatur ex aliorum auctorum ſupputationibus. 117. II. 194. II. in fi. 277. II. 284. II. 398. IV. 536. IX. 562. II. in fi. 566. V. 876. V. 1014. I. Vide etiam *Annus.*
Chrotildis Vide *Clotildis.*
Chryſaphius eunuchus, Theodoſii Iun. cubicul. præf. potentiſſ. Flauiano Epiſcopo Conſtantinop. infenſus, vt eum perdat, Pulcheriam Aug. abſcedere facit. 446. V. Suſcipit defenſionem Eutycheris hæreſiarchæ, non amore hæreſis, ſed odio Flauiani. 448. III. 449. II. & ſeq. Poſt Latrocinium Epheſ. reſipiſcente Theodoſio Imp. Chryſaphius abdicatur, & occiditur. 450. III.
Chryſargyri tributum quale, quibus perſonis, & a quibus principibus impoſitum, aut ſublatum. 330. VII. VIII. 505. 491. III.
Chryſogonus conſolatur Anaſtaſiam in eius ærumnis. 303. XIII. Literæ vltro citroque ab iis datæ. ibid.
Chryſolani Mediolan. Archiep. Legatio ad Alexium Imp. Conſtantinop. & Diſputatio contra Græcos de proceſſione Spiritus S. à Patre Filioque. 1116. II.
Chryſoſtom. Vide *Ioan. Chryſoſt.* & *Antiochenus.*
Chunegundis coniux Henrici Primi, coronatur vna cum eo Imperatrix. 1014. I. Virgo perpetuo manſit cum virgine coniuge, ex mutuo conſenſu 1024. IV. Aliquando ſuſpecta, purgat ſe probatione ignis. ibidem. Poſt obitum viri profitetur vitam monaſticam, & tandem ſancte quieſcit, miraculis coruſca 1025. I. ibid.
Ciborum ſuperſtitioſam abſtinentiam multi hæretici docuerunt, quos ſugillat Paulus. 57. LIV. Inter illos fuerunt Manichæi. 277. X & Hieracitæ. 287. IV.
Vide etiam *Animata. Carnes.*
Ciborum delectum quem damnet Eccleſia, & quem probet. 57. LV. LVI.
Ciborum quemdam delectum & verbis & factis probarunt Apoſtoli & SS. Patres. ibid. V. de etiam *Abſtinentia.*
Cibos, quos vere ſumeret, Chriſtum non reddere, ob eius vim continentiæ, dicebant Valentiniani. 145. III.
Cibos immolatitios, ſiue idolothyta vt Gentes, comedere conſueuerant Nicolaitæ, 68. V. Baſilidiani, 120 V. Valentiniani. 145. III. Adeo eos exhorruit Lucianus martyr, vt maluerit fame enecari. 311. II. Iis ſub Iuliano Apoſt. ciues Conſtantinopolitani veſci noluerunt. Antiocheni vſi ſunt abſque labe idololatriæ. 362. IX. XXVII. & ſeq.
Cibos hæreticorum quantum horruerit Euſebius Vercellenſis. 356. X. & Stephanus Auxentianus. 765. I.
Cibaria nauis in lapides verſa, ex imprecatione pauperis. 605. V.
Circenſia à Chriſtianis exhiberi conſueta, tamquam in honorem Chriſti, redarguuntur à Saluiano. 439. IV. Impenſæ in eis fieri ſolitæ, in pauperum conuerſæ veſtimenta. 496. V. Eorum ritus, & Gentilitia ſacra. 509. I.
Circulares Epiſtolæ, ſiue Encyclicæ dictæ, aut Catholicæ, quæ ad omnes Chriſti Fideles ſcribuntur. 91 II. 142. VIII.
Circumcelliones, peſſima Donatiſtarum progenies, quando orti, & quam nefanda auderent. 321. V. Vi armata reſiſtunt Paulo & Macario Legatis Conſtantis Imper. ſed ſuo damno. 348. VI. Effecerunt ſuis ſceleribus, vt capitale ſupplicium in eos ab Honorio decerneretur. 398. VI. Quamplurimi conuertuntur, poſt collationem Carthag. 411 VI.
Circumciſio Domini in ſpelunca, in qua natus eſt. 1. I. De Circumciſionis neceſſitate ad ſalutem, aſſerta Antiochiæ à Cherintho, celebratur Concilium Hieroſol. Apoſtolorum; vbi eam non eſſe ſeruandam, decretum eſt. 51. III. IV. Ea neceſſaria fuerit in lege veteri. 44. XXIX.
Circumciſionis Euangelium quomodo concreditum Petro, & præputii Paulo. 51. VI. Circumciſionis miniſter dictus Chriſtus. ibid. Circumcidit Paulus Timotheum, Titum circumcidere noluit? & quæ ratio diuerſitatis. 51. XVI.
Circumciſionem cum lege Chriſti retinebant Nazaræi hæretici. 74. II. Vide *Legalia.*
Cirtenſe Concil. Traditorum in Numidia. 303. I. Aliud Catholicorum, poſt Collationem Carthag 412. III.
Ciſtercienſe monaſterium erigitur, & Ordo monachorum inſtituitur à Roberto Abbate Moliſmenſi. 1098. V. Primicerius Abbates, & priuilegia à Rom. Pontiff. conceſſa. ibid. Eximuntur a decimis ſoluendis, per Innocentium PP. Secundum. 1131 III.
Clades luctuoſiſſima Hieroſol. excidii, a plurimis omnis generis auctoribus deſcripta. 72. VII.
Clades Imperio Roman. ob effuſum Chriſt. ſanguinem diuinitus illatæ, ſub Antonino Pio. 154. III. ſub Vero 170. I. ſub Commodo 189. IV. 191. III. ſub Gallo & Voluſiano. 255. VI. 256. II. ſub Gallieno. 263. II. 265. III. ſub Probo. 282. V. ſub Maximino Galerio. 311. I. ſub Iuliano Apoſt. 362. LXII.
Clades ſiue Chriſtianis à Gentibus, ſiue Orthodoxis ab hæreticis illatas, vide in *Perſecutio.*
Clades Imperii ſub Theodoſio Iuniore ob reſtitutum cultum idolorum. 439. IV.
Vide *Hæreſes quanta mala, &c.*
Sub Iuſtiniano, ob expulſum Silverium. Papam. 539. II. 545. IV.
Sub Phoca, ob eius tyrannidem. 602 VI. in fi. omnium luctuoſiſſima Arabum Mahometanorum, cœpta ſub Heraclio, Imper. ob hæreſes vigentes in Oriente 631. I. 632. I.
Sub Conſtante, ob pulſum S. Martinum Papam. 651. II. in fin. In vltionem necis Romani prī Imp. 1034. VI.
Vide etiam *Vltio diuina. Terræmotus. Prodigia. Peſtis. Fames. Orbis.*
Clarendun. Conciliabulum in Anglia, pro Conſuetudinibus regiis. 1164. II.
Claromontenſe Concil. in Gallia ſub Vrbano PP. II. pro indicenda expeditione in Terram Sanctam. 1095. IV. Sub Innocentio II. contra ſchiſma Petri Leonis. 1130. VIII.
Claſſem nauium bis mille habuerunt Gothi aduerſus Claudium Imper. 269. II. Alteram trium millium & ſeptingentarum, Heraclianus tyrannus aduerſus vrbem deducens, fugatus eſt. 413. I. Mille & centum nauium, miſit Leo Imp. aduerſus Wandalos, qui nuncius fuit ob proditionem ducum. 468. II. Bis mille & ſexcentarum nauium, conflauit Conſtantinus Copron. aduerſus Bulgaros, quæ naufragio periit. 766. I.
Claſſes è portu ſoluendæ, benedici ab Epiſcopis conſuetæ. 533. VII.
Claudianus Mamertus Vide *Mamertus.*
Claudius eligitur Imp. 43. II. Quid de Iudæis, Imperii exordio ſtatuerit. ibid. Caii prædeceſſoris ſui ſimulacra & imagines aboleri iubet. 45. XVII. Aut ſpicinam vileſcentem reſtituit. 49. I. Iudæos & Chriſtianos Roma pellit. 51. I. Moritur ex veneno ab vxore Agrippina propinato. 56. XIII.
Claudius Iunior rebellat aduerſus Gallienum, ob eius ſocordiam. 265. II. Occiſo Gallieno, eligitur Imp. 269. II. ibid. Eius genus, & laudes. ibid. Ingentem numerum Gothorum debellat. ibid. Chriſtianis fuit infenſiſſimus. ibid. III. Perſecutionem in eos mouet. 270. I. Moritur ex peſtilentia. 271. I. ibi.
Claudius Epiſcop. Taurin. quando apparuerit hoſtis Imaginum, & a quibus confutatus fuerit. 825. V.
Claudum hominem cur primo ſuo miraculo Petrus ſanarit. 34. LXXIV.
Claues Eccleſiæ negarunt Nouatiani. 254. XV.
Claues Sepulchri Domini, aliorumque locorum ſacrorum, miſſæ ad Carolum Magnum. 800. V. itemque ad Henricum II. Regem Angliæ. 1185. II.
Clauis S. Petri, reperta à milite Longobardo, grande miraculum 585. II. hæ, cum limatura Catenarum eiuſdem S. Apoſtoli, mitti ſolitæ à Rom. Pontiff. pro munere ad Principes, viroſque celebres; quæ & miraculis coruſcabant. 591. III. 595. VIII. 599. V. 726. X. 740. I. 789. I. 1079. VI. Quid de illis à Leone III. ad Carolum Mag. miſſis, inepte argumententur Nouatores. 796. I.
Clauis tribus, aut quatuor, in Cruce Domini confixus. 34. XXXV. I reperti ab Helena Aug. cum Cruce & quid de iis actum. 326. XLIV.
Clauorum ſacrorum multiplicitas vnde. ibid. XII.
Clemens I. Rom. Pont. ordinatus à Petro, locum cedit Lino & Cleto. 69. XV. XVI. Sedet poſt Cletum. 93. I. Scribit inſignem Epiſtolam ad Corinthios ſchiſmate diuiſos, quæ in Eccleſia legi conſueuit. 95. I. Aliæ eiuſdem epiſtolæ quales. ibidem. II. Quæ eius nomine feruntur ſcripta, cuius ſint auctoritatis. 101. III. & ſeq. De eiuſdem Miſſa. ibid. IX. Inſtituit Romæ Notarios ſeptem Regionarios, à Martyrum Acta conſcri-

benda. 98. II. Relegatur à Traiano Cherſonam, & ibi inſigni miraculo incolas conuertit ad fidem. 100. IV. Proiectus in mare, conſummat martyrium, & illuſtre diuinitus paratum conſequitur ſepulchrum, annuis poſtea miraculis illuſtratum. 102. II. Epiſcopi in Gallias ab eo miſſi, ibi. X. Corpus transfertur Romam. 867. XIII.

Clemens II. eligitur à Rege Germ. Henrico; quem ipſe mox coronat Imperatorem. 1046. I. Concilium cebrat contra Simoniacos. 1047. I. ibid. Moritur in Germania, poſt nouem menſes à promotione. ibid. IV.

Clemens dictus, Guibertus Antipapa, vide *Guibertus*.

Clemens III. creatur ex Epiſcopo Praneſtino Rom. Pontifex. 1188. I. Promouet ſollicite ſubſidium Terræ Sanctæ. ibid. Moritur. 1191. I.

Clemens Alexan. Scholæ doctor, quænam, & quando ſcripſerit. 196. I. II. Eius opera cur inter apocrypha à Gelaſio recenſita. ibi. II. Vniuerſam Scripturam explanauit. ibid. Eius diſcipulus Origenes. ibid.

Clemens Friſonum Archiepiſc. Vide *Wilibrordus*.

Clementis impoſtoris Scotii hæreſes, damnantur in Conciliis Germanicis, & Romano. 743. II. 745. I. II.

Clemens patruelis Domitiani Imp. Exconſul, fidei cauſa ab eodem Domitiano perimitur. 98. I. Inertiæ à Suetonio accuſatus, quod cum filios potuiſſet habere Impp. prætulit his omnibus ignominiam Crucis. ibid. Cur eius non fiat mentio in Rom. Martyrologio. ibid. III.

Cleobani hæretici, à Simone mago. 35. XIII.

Clericæ Literæ, quæ dabantur Sede vacante. 142. IX.

Clericorum diſcriminatio à laicis, ex naturali & diuino iure. 44. XXXIII.

Clericorum veſtium color, qualis antiquitus. 57. XXIX.

Clerici Sportulantes, qui dicti à Cypriano. ibid. XXII.

Clericorum immunitas. Vide *Eccleſ. immun.*

Clericorum cælibatus. Vide *Cælibatus* & *Continentia*.

Clericorum monogamia. Vide *Monogamia*.

Clericorum tonſura. Vide *Tonſura*.

Clericorum ordinatio. Vide *Ordinatio*.

Clerici omnes iubentur à Maximino Thrace occidi. 237. III. à Diocletiano in vincula coniici, & pœnis ſubiici. 302. XI. A Wandalis in Africa, clerici. 496. omnis generis, vna ſimul in deſertum pulſi. 483. V.

Clericatum priuilegiorum cauſa ambientes, recipi vetuit Conſtantinus Magnus. 326. XVII.

Clericali vitæ monaſticam iunxit Athanaſius; & in Occidente id primus præſtitit Euſebius Vercellenſis, quem alii confeſtim vbique ſecuti ſunt. 328. IV. In clericis deligendis exacta S. Ambroſii cura. 377. V.

Clericorum, & monachorum auaritia lege Valentiniani cohibita, & à SS. Patribus damnata. 370. XVIII. Ex eorum auaritia Eccleſia aſſiduis maliſatteritur. 475. IX. Eorumdem ſuperfluos ſumptus reſecat Chryſoſtomus Conſtantinopoli. 398. XIX. Eorumque violentia, qua ab appar toribus raperent reos, coercita Arcadii lege; & vnde id procederet. 398. XXI. ibid.

Clericos ordinari curiales, vetuit Valentinianus Tertius. 452. VII.

Clericorum pœnæ, Excommunicatio. 57. VI. Degradatio. ibid. VIII. Depoſitio. ibid Suſpenſio. ibid. Nominis è tabulis Eccleſ. abraſio, vel ſuppreſſio. ibid.

Clericus immorigerus necatur à S. Martyre illius eccleſiæ, aduerſus eum interpellato ab Epiſcopo. 459. I.

Clericos à mulieribus ſeparari per ſæculares magiſtratus, ſancitur in Concilio Hiſpalenſi, quod canonibus Eccleſ. id fruſtra ſtatui viderent. 594. III. Nec permiſſas à Concilio Nicæno, voluit cum eis habitare Theodulphus Epiſc. Aurelian. & quare. 835. II.

Clerici incontinentes in Anglia pelluntur ab Eccleſiis, & in eorum locum introducuntur monachi. 970. I. Reſtitui petentes repelluntur voce Crucifixi palam loquentis. 975. IV. Alioque poſtea miraculo compeſcuntur. 979. II. Vi & dolo reſtituti, iterum pelluntur auctoritate Apoſt. 1197. V. Damnantur vbique pluribus Conciliis 1049. IV. V. VI. 1051. I. 1059. VII. Vide *Nicolaita*.

Clerici Canonici, qui eccleſiis inſeruirent, ab Alexandro II. in Concilio Lateran. iubentur vitam communem, monachorum inſtar, agere. 1063. VI.

Clerici Acephali. Vide *Acephali Clerici*.

Clericis reuerentiam exhiberi à laicis, iubetur in Concilio Matiſcon. II. 588. III. Vide etiam *Sacerdotes* & *Eccleſ. perſona*. Clericorum percuſſores damnantur. 819. III. 1143. II.

Clericus à cuſtodia murorum noluit excuſare Gregorius Magnus, cum periculum vigeret. 598. I.

Clerici bellatores arguuntur. 691. II. Vide *Epiſc.* & *Eccleſ. ſanguin.*

Clericos proprietatem habentes ſaluari non poſſe, aſſeruit Arnaldus de Brixia. 1139. III. Ex Clerico Daniel regnat in Gallia. 715. IV.

Cletus Rom. Vide *Rom. Clerus*.

Cletus Rom. Pont. à multis confuſus cum Anacleto 69. XV. XVI. Sedet poſt Linum, ante Clementem. ibid. & 80. III. Martyrio coronatur ſub Domitiano 93. I. Conſtituit Romæ 25. presbyteros; & prim° vſus eſt in ſuis literis verbis illis, *Salutem & Apoſtolicam benedictionem*. ibid.

Clinici dicti, baptizati in lecto, iique olim irregulares. 254. IX.

Clinicam mulierem, ad gignendum inhabilem, vocat auctor Vitæ Caroli Magni. 771. III.

Clodoueus Franc. Rex in Gallia Childerico patri ſuccedit. 484. in ti. Licet adhuc Gentilis, maxime tamen veneratur SS. Genouefam virg. & Remigium Epiſc. Rhemenſ. ique munera confert. ibid. Ducit vxorem Clotildem, Chriſtianam fœminam, & ob filios ab ea baptizatos nonnihil ei ſuccenſet. 494. IV. In prælio periclitans, votum edit de ſuſcipienda fide, & poſt victo ſam, baptizatur à S. Remigio. 499. IV. In eius inſtructione Chriſtus apparet, & in baptiſmo Ampulla chriſmatis ore columbæ cælitus demittitur. ibid. V. Multa dona Eccleſiis impertitur, & olim ablata reſtituit. ibid. Bellum religionis Cathol. zelo aduerſus Gothos Arianos ſuſcipit, & feliciter conficit, comitantibus miraculis; propriaque manu Regem Alaricum occidit. 507. I. II. Reſpuit Conſulatum ab Anaſtaſio hæretico Imp. oblatum. 508. I. De bello ab eo cum Theodorico Rege Italiæ geſto. ibid. III. V. Sanatur mirabiliter à Seuerino Abbate. ibid. V. Coronam Auream mittit ad Hormiſdam Papam. 514. II. Moritur. ibidem. IV. De eius progenie quid vaticinetur S. Remigius. ibid. V.

Clodoueus II. ſuccedit patri Dagoberto in parte Regni 647. II. Mortuo fratre Sigeberto, ſuccedit in vniuerſum. 657. IV. Irreuerenter agens in ſepulchrum S. Dionyſii, diuinitus punitur. 660. I. Eximit eius monaſterium ab aliorum dominio. 662. I. Moritur, & verum mente captus fuerit. 664. III. 660. I.

Clodoueus III. regnat. 688. II. Moritur. 692. VI.

Clotarius Clodouei Primi filius, victis Thuringis, Berthari Regis defuncti filiam Radegundem, captiuam ducit; & demum in vxorem accipit. 627. X. Ob necem intra eccleſiam factam domini de Yuetot, minaces interdictionis regni literas ab Agapeto Papa accipiens, ſatisfacit. 535. XVIII. Res Eccleſiæ ſibi vindicans, acriter reprehenditur ab Iniurioſo Epiſcop. Turonen. & reſipiſcit. 536. XIV. Rebellantem Chramnum filium, ſæpe in gratiam receptum, recidentemque, tandem in prælio captum comburit vna cum vxore & filiabus. 556. III. 564. II. Defunctis fratribus, & nepotibus ſolus potitur monarchia Galliarum. 562. I. Sanctos viros colit. ibidem. Supponit collum feretro S. Medardi, cum deferretur ad ſepulturam. 564. II. Moritur, & ſepeliri mandat in baſilica prædicti Sanct. Medardi. 565. IV.

Clotarius II. adipiſcitur ſolus monarchiam Galliarum 614. V. Fouet literas, viroſque Sanctos. ibid. & VI. Regni conſortem ſibi allegit Dagobertum filium. 626. V. Moritur. 631. II.

Clotildis ſiue Chrotildis, Chriſtiana femina, nubit Clodoueo Francorum Regi Pagano. 494. IV. Filios baptizat, & ob mortem primi, ſuccenſet ei Clodoueus. ibid. Eum ipſa continue ſollicitat ad fidem & tandem attrahit. 499. IV. Eo mortuo Turonos ſe recipit, & vſque ad obitum eccleſiæ S. Martini deſeruit. 514. VII. Pius eius obitus, & dignæ laudes. 533. XXI. Corpus defertur Pariſios à filiis, ſepeliendum iuxta coniugem. ibid.

Cluniacenſis monaſterii fundatio, quando & à quibus contigerit. 912. VI. Eius nomen, & reformatio breui mirifice propagatur. 936. III. Inita ſocietas cum Caſſinenſi Congregatione 1083. III. Eccleſia conſtruitur à fundamentis, pecunia Alfonſi Hiſpan Regis. 1093. IV. Miſere deuaſtatur à Pontio pſeudoabbate, eaque cauſa delata ad Sedem Apoſtol. terminatur à Papa Honorio Secundo. 1126. III.

Clypiacenſe Concil. prope Pariſios, pro exemptione monaſterii S. Dionyſii. 662. I.

Cnapheus. Vide *Petrus Cnaph.*

Coddiani hæretici, ſecta Gnoſticorum. 120. XVIII.

Codicis Theodoſiani promulgatio, quando, & qualiter facta. 435. IV. Alia eius editio facta ab Alarico Rege Gotho, per Anianum Cancellarium ſuum, approbantibus Epiſcopis. 506. II.

Codicis Iuſtiniani compilatio & editio, quando, & per quales homines facta. 529. VIII. Iterum auctius & emendatus editur. 534. V.

Cœmeteria plurima olim Romæ, & qualia. 226. III. Eadiuerſis aliis nominibus dicta. ibid. Fiebant quoque in eis Synaxes tempore perſecutionum; ideoque prohibita ſunt tunc Chriſtianis, reſtituta vero in pace Eccleſiæ. ibid. & 255. V. 260. II. 261. III.

Eadem etiam poſterioribus temporibus viſitari à Fidelibus ſolita, ob corpora SS. Martyrum & Confeſſorum ibi condita. 226.III.
Inde transfert corpora SS. intra Vrbem Paulus PP. 758.I
Cœmeteriorum diuiſio à Dionyſio PP. facta, quomodo intelligenda. 270 II.
Cœna duplex, vel vnius cœnę duplex menſa, in conuiuiis Paſchalibus Iudæorum 34. XI.
Cœna item duplex, Communis & Sacra, in antiqua Eccleſia; & quis earum vſus, abuſus, & reformatio. ibi. XVII. & LXXX. 57. XXXIX. & XL.
Cœnatoria veſtis in vſu Iudæis in conuiuiis. 34. XII.
Cœnobiticæ vitæ ſemina iacta in communi vita priorum Chriſtianorum. 34. LXXV. LXXVI.
Eius obſeruatores Eſſeni, qui in Ægypto ſub Marco Euangel. floruerunt. 328. III.
Antonius Magnus eius inſtitutor habitus, ſed potius dicendus reſtitutor. ibid. Eius mira mox propagatio per vniuerſum orbem. ibid. III. & IV. Inſtitutio, vna cum vita Antonii, delata Romam ab Athanaſio, & inde per vniuerſum Occidentem propagata. 340.III.
Vide etiam *Monachiſmus*.
Cœnobitæ ex anachoretis, & contra anachoretæ ex cœnobitis, ſæpe facti. 328. VI.
Cognationis gradus. Vide *Gradus*.
Cognationis ſpiritualis cauſa prohibita coniugia. 567. V. 721. I. Vide etiam *Coniug. inceſt.*
Cognitorum Iudicum quænam eſſent partes in Synodis, vel aliis Conuentibus Eccleſ. 411. IV.
Non intererant, cum quid mere eccleſiaſticum ſecundum canones tractandum eſſet. Ibid.
Colarbaſius, qui & Baſſus dictus, diſcipulus Valentini, vna cum impietatis ſocio Marco nouam hæreſim excogitauit ex Græcorum alphabeto. 175. IX.
Colchi dicti populi, qui poſtea Lazi. 522. IV. Vide *Lazi*. Inuaduntur à Coſrhoe Perſarum Rege. 554. II.
Eorum Rege Chriſtiano, à Romani exercitus ducibus doloſe necato, idem exercitus 50. millium militum, fugatur à trib. millibus Perſarum. 555 IV.
Collatio famoſiſſima Carthag. inter Cathol. & Donat. promouetur ab Auguſtino, iubetur ab Honorio Imp. ſub directione Marcellini Tribuni & Notarii. 410. XI.
Quot Epiſcopi ex vtraque parte conuenerint; quis ſeruatus ordo, & quomodo poſt varias tergiuerſationes, Donatiſtæ diſputare compulſi, cauſa ceciderint. 411 II. & ſeq.
Multa populi millia inde conuerſa ſunt, Epiſcopis in ſua duritie permanentibus. ibid. VI.
Alia itidem Carthagine, inter Cathol & Arianos, ſub Hunnerico Wandalo, diſſoluitur malitia Arianorum. 484. VI.
Alia Conſtantinopoli cum Seuerianis, iuſſu Iuſtiniani; ex qua multi ad Eccleſiam redierunt. 532. III. 601.
In Hiſpania cum Arianis, ex qua Reccaredus Rex cum omnibus ſuis ſubditis amplectitur ſidem Cathol. 590 XIII.
In Anglia, cum Scotis de controuerſia diei Paſchalis. 664. II. 702.
Pariſiis, de Imaginibus; & quam ignoranter, ſeu malitioſe, in ea collatores egerint. 825 I. & ſeqq.
In prouincia Toloſana, cum Albienſibus hæreticis, qui conuicti & damnati ſunt. 1176. III Vide etiam *Diſputatio*.
Collectarum vſus in Eccleſia ad vſum pauperum, ex inſtitutione Apoſtolica. 44. XXXI.
Ex nonnunquam veluti iure regio exigi ſolitæ. ibid.
Fieri conſuetæ diebus Dominicis. 58. XXXV.
Collectæ Iudæorum prohibitæ ab Honorio Imperatore, & paulopoſt reſtitutæ. 399. XII.
Eas ſibi vindicat Theodoſius Iunior. ibid.
Quales eæ eſſent. ibid.
Colluthus presbyter Alexan. detegitur hæreſiarcha, ac pro Epiſcop. ſe falſo gerit. 315. XII.
Damnatur ab Oſio in Concilio Alexan. 319. III.
Colluthiani Arianis ſe, atque Meletianis coniunxerunt. 315. XII. 335. I.
Collyridiani hæretici B. Virginem diuinæ, non humanæ naturæ participem eſſe dicebant. Appar. XX. an. 48. num. IV. & 373. V.
Colobium, quod genus veſtis. 283. IV. Eo tegenda corpora Martyrum. ibi.
Colomanni regiæ proſapiæ Scot. viri ſanctiſſ. martyrium. 1012. V.
Coloniæ Ro. quid differrent à Municipiis 58. LIX.
Colonienſe in Germania Concil. ſub Carolo Magno. 782. II.
Sub Ludouico Rege, pro diſciplina Eccleſ. 870. III.
Aliud poſtea, aduerſus raptores bonorum Eccleſ. &c. 887. II.
Sub Victore PP. II. pro ſtabiliendo regno Henrici III. adhuc pueruli. 1056. I.
Sub Legato Sedis Apoſt. contra Henricum IV. Imp. 1115. II. itemque aliud. 1118. VIII. Vide etiam *Agrippinenſe Concilium*.
Color veſtium antiquorum Chriſtianorum, & clericorum, qualis. 57. XXIX.
Color albus vbique baptiſmi tempore. ibidem.
Color niger irrepſit in Clerum cum monachatu. ibid.
Coloſſenſes, ad quos ſcripſit Paulus quinam fuerint. 60. IV.
Coloſſæ dictæ poſtea *Cone*. ibid. X. Terræmotu proſtrantur ſub Nerone. 62 II.
Coloſſus Rhodius, inter ſeptem mundi miracula olim nominatus, terræmotu diſiectus, diſtrahitur à Saracenis. 653. VI.
Columba viſa egredi è templo Hieroſol. tẽpore Paſſionis Domini. 34 XXXVII.
E ſublimi deuolans in caput Fabiani, cum ordinandum Papam deſignat. 238. III.
In ordinatione presbyteratus Chryſoſtomi, repente deuolans, ſtat ſupra caput eius. 386. XII.
Columbæ aureæ in antiqua Eccleſia, ad ſeruandam in baſilicis ſacram Euchariſtiam. 57. XLIV.
Columba viſa deferre Ampullam Chriſmatis ad vnctionem Regis Clodouei. 499. V.
Columbæ viſibili ſigno, repletur Aredius Spiritus S. gratia. 595. XI.
Cur pingitur ad aurem S. Gregorii Papæ. 604. V.
Ligneæ ſuper perticas apponi ſolitæ à Longobardis in ſuis ſepulturis. 673. I.
Columbanus Abbas Hibernus Pictos ad fidem conuertit. 565. VI.
Monaſterium extruit, cuius Abbati ſubiecti eſſent Epiſcopi. ibid.
Luxouienſe conſtruit in Burgundia, è quo pellitur in exilium à Regina Brunichilde, & miraculis vbiq; claret. 611. II.
Erecto in Italia Bobienſi monaſterio ibi ſancteq; quieſcit 614. V.
Eius monaſtica inſtituta carpens Agreſtinus monachus, diuinitus punitur. 617. III.
Columna, cui Dominus flagellandus alligatus fuit, corrigiis circumdari a Chriſtianis ſolita, quibus morbi pellerentur. 34. XXVII.
Columna cochlis, in honorem Traiani olim Romæ erecta, à Sixto PP. V. dicata S. Petro. 106. I
Alia M. Aurelio erecta ob victoriam Marcomannicam, ab eodem Pontif. dicata S. Paulo. 176. III
Columnarii monachi. Vide *Stilitæ*.
Columnæ cæleſtis indicio detectus Gregorius Magnus, cum ſe abſconderet ne ordinaretur Pontifex. 590. VIII
Alia indicatur ſanctitas S. VVlſtani Angli. 849. IV
Comam nutrire, prohibiti clerici in Concil. Carthagin. IV. 398. XV. Vide *Capilli*.
Cometa ſub Heraclio gladii forma menſe die apparens ſignum inualeſcentis Arabum Imperii. 632. I
Alius ſub Conſtantino Pogonato; poſt quem ſecuta eſt triennii ſiccitas, & peſtis ſæuiſſ. 678. I. Duo in Gallia circa ſolem, denuntiantes inuaſionem Saracenorum. 729 III
Sub Ludouico Pio, præſagiens proximum eius obitum. 837. I. Alius conſignatus à Latinis & Græcis. 1066. I
Commodus Imp. ſuccedit patri Marco 182. II. Monſtroſiſſima eius vitia, & ſacrilegia. ibi. Deus dici vult, & vt Herculi ſacra ſibi fieri. ibid. & 192. I. Chriſtiani parcens, in ſuos Gentiles diuinam neſciens agit vindictam, 182. III. Impenſum colit ſacra Iſidis. 189. II Turpiſſ. vitam agit, nihil de Imperio curans. ibid Romam incendere in animo habuit 193. III. Coniuratione quorundam quos ipſe decreuerat neci dare ſtrangulatur ab athleta 194. I. Refertur inter diuos à Seuero. ibid
Commonitoriæ Literæ, quæ Legatis pro inſtructione dabantur. 142. VIII. Commonitorium Gelaſii Papæ, Fauſto datum pro refellendis Græcorum obiectionibus. 493. III
Communicatio cum Rom. Eccleſia. Vide *Rom. Eccl.*
Communicatoriarum Literarum vſus in antiqua Eccleſia. 142. VI. Communicare nulli prorſus volebant quidam antiqui cerebroſi monachi. 361 XI. Communicatione laica tantum impertiendi ſacerdotes lapſi. 255. I. 258. I. 487. I. Communicatio peregrina qualis, & quibus impertitetur. 400 XI. 787. I.
Communionis Euchariſtiæ varii antiqui ritus. 547. XLI. XLII. 89. Ea fieri ſolita ſub vna ſpecie panis. ibid. & 1118. I. Vide *Euchariſtia*.
Communionem intinctam non porrigendam, ſancitum olim à Summis Pontiff. 1118. I
Communis Vita iniungitur canonicis eccleſiarum, ab Alexandro PP. II. in Concilio Lateran. 1063 VI Quas rebelliones ea de cauſa egerint canonici Lucenſes, & quomodo puniti. 1074. VI.
Amplectuntur eam in Germania omnes Catholici, tam Eccleſiaſtici, quam laici vtriuſque ſexus. 1091. III
Compatres Francorum Regum Romani Pontiff. 772. I.
Compendienſis Conuentus ſub Ludouico Pio, ad expianda prodigia & aduerſus laicos bona Eccleſ. vſurpantes. 823. II. Alius aduerſus eundem Imp. à filiis eius habitus, quo & depoſitus eſt Imperio. 833. II.
Compoſtella vrbs decorata Epiſcopatu à Leone PP. Tertio, ob inuentionem corporis S. Iacobi Apoſtoli. 816. III. Frequentatur peregrinatione totius orbis. ibid. & 1121. I. Eius eccleſiæ Encænia. 900. V. Ei vectigalis facta Hiſpania, in honorem S. Iacobi. 844. V. In direptione vrbis per Arabes, eccleſia ſeruatur illæſa à S. Iacobo, ipſique Arabes diuinitus pereunt. 985. IV.
Erigitur in Metropolim à Calliſto PP. S. Iacobi ſtudioſiſſimo. 1123. I.
Compoſtell. Concil. pro diſciplina Eccleſ. 1056. V.

Conceptionis B. Mariæ feſtum, qua occaſione celebrari cœpit. 1136.III.

Conciliabula hæreticorum, vel ſchiſmaticorum, vide ſub ſingulis eorumdem, vel locorum nominibus.

Concilium intellexit Chriſtus, Sanhedrin magnum Iudæorum. 32. V. Vide *Sanhedrin*.

Concilium Iudæorum, quo Chriſtus reus mortis declaratus eſt, an haberet iudicium capitis. 34.XV.

Concilii celebrandi typus à Chriſto expreſſus. 33.V.

Conciliorum varia genera, & appellationes 347.III.

Concilium vniuerſale, abſque auctoritate Romani Pont. colligi nefas. 325. V. 341. II. in fi. 449. VI. 450. V. 451. XV. Ea indicere, & confirmare, atque infirmare, eiſdemque præſidere, ſolius eſt Romani Pont. Vide *Rom. Pont.* Non eſt Imperatoris, ea conuocare, ſine conſenſu Romani Pont. 1159.IX.

Concilio Oecumenico opus non eſt, vbi Rom. Pontifex aliquid definierit. 449.I.

Concilia quatuor priora Oecumenica tanti æſtimanda cenſuit Theodoſius cœnobiarcha, quanti quatuor Euangelia. 511. II. itemque Iuſtinianus Imp. 541. IV. & 616. & Gregor. Magnus Papa. 591. III.

Concilia ſingula, vide ſub ſingulis vrbium vel locorum, aut etiam rerum vel perſonarum, in quibus & de quibus habita ſunt, literis, ac nominibus.

Conciliorum frequentia ad mutandas fidei regulas ſub Conſtantio Imp. vniuerſam ferme perdidit fidem & Eccleſiam 359. XXII. Ea taxata etiam ab Ethnicis. ibid. XXIII.

Concilia particularia cogi ſolita in Occidente, cum in Oriente Oecumenica celebranda eſſent, vt communi nomine mitterentur Legati. 451.III.679.I.

Concilia celebrari ſolita in Secretariis eccleſiarum. 451.X.

Concilia poſtulantibus hæreticis non concedenda in rebus iam definitis, aut alioqui receptiſſimis. 457.VI.476.III.

Concubinatum Conſtantinus Mag. ſuſtulit. 326. XVII. De Concubinis quid ſtatutum in Concil. Tolet. Primo. 400.III. V de *Coniugium*.

Concubitus illegitimos, bonum eſſe, aſſeruerunt Nicolaitæ hæretici. 68.V.

Concubitus promiſcuos in ſuis ſynaxibus Gnoſtici egerunt. 120. XIV. indeque Chriſtiani omnes à Gentilibus eiuſtur pitudinis inſimulati. ibid.XV. Vide *Turpitud. Libidin. Nicolaita*.

Concupiſcentiæ omnes hominem expertem eſſe poſſe vi liberi arbitrii, docuit Pelagius. 415.V

Confeſſionis peccatorum, ſiue publicæ, ſiue ſecretæ, inſtitutio & vſus 56.V. Obiectiones ex antiquis auctoribus diluuntur. ibid. VIII. & ſeqq. Eam non eſſe faciendam hominibus, ſed ſoli Deo, apud Scotos quidam olim prædicarunt: quam hæreſim, in ipſo ortu Acuinus extinxit. 778. VI. Cuilibet homini ri ſeferri poſſe, dixerunt Albicaſes. 1176. II.

Publica à quibuſdam, maioris erubeſcentiæ cauſa, laudabiliter poſterioribus temporibus facta. 10.5.I.1087. VII. 1183. II. 1190 II.

Confeſſores, quinam dicerentur antiquitus. 194.I.253.XI.

Confeſſoriæ Literæ, quæ dabantur a Confeſſoribus in carcere detentis; earumque antiquus vſus. 142.VIII.

Confluent. Concil. pro diſciplina Eccleſ. 912.IV.

Confirmationis Sacramentum. Vide *Chriſma*.

Confirmatio Synodorum Oecumenicarum ſolita peti à Roman. Pontiff. 451. XXXII. Vide in *Conciliis Vniuerſ.*

De Confirmatione item Patriarcharum Orientalium, vide ſub nominibus earum ſedium.

Confraternitas Mortis. Vide *Mortui. & Sodalitium.*

Coniugatorum leges à Paulo expreſſæ. 57. XIII.

Coniugatorum continentia. Vide *Continentia*.

Coniugatis præpoſiti virgines, & vidui. 57. XVIII. Vide *Virginitas*.

Coniugati ſæpe olim ordinati ſoliti, ſed mox vſu coniugii abſtinere, ſuit perpetua ab ipſo initio praxis vniuerſalis Eccleſiæ: ſoluunturque contrariæ obiectiones. 58. VIII. Vide *Cælibatus. Continentia*.

Coniugium damnauit Marcion. & coniugatos ſaluari poſſe negauit. 146.VI.

Eius quoque renunciationem neceſſariam eſſe ad ſalutem, docuerunt Apotactici. 260.VIII.

Illud item damnarunt Saturninus. 120. XI.

Tatianus. 174.II.

Priſcillianiſtæ, qui & coniuges à coniugibus auulſerant. 381.XVI.

Sicut & coniugii ſolutionem docuit Montanus. 173.V. & ad libitum dirimi poſſe, dixerunt Maſſaliani. 361. IX. Vide etiam *Matrimonium & Nuptiæ*.

Coniugium conſobrinarum, & ſororum, apud quos populos olim prohibitum, & permiſſum. 390.X.

Aduerſus coniugia illicita, celebratum Rom. Concil. ſub Gregorio Secundo. 721.I. & ſub Zacharia. 743.IV.

Eadem vetita in Concil. gener. Engelheim. 948.II.

Coniuge viuente legitima, aliam, priori reiecta, duci poſſe, aſſeruerunt Mœchiani hæretici. 809.I.

Ex coniugio illicito Roberti Regis Fran. natum monſtrum. 998.I.

Coniugia inceſtuoſa defenſa à quibuſdam Iuriſconſultis, damnata ab Alexandro PP. in Conciliis Rom. 1065.II.

Punita diuinitus 613. I. 1065. II. 1109.I.

Conon creatur Rom. Pont. 686.I. Eius Legatos Iuſtinianus Imp. prænaricari facit. ibid.II

Moritur. 687.I

Conon ex eremita Cardinalis Epiſcopus Præneſt. Legatione Apoſtol. fungens multa per Orbem Concilia celebrat pro damnatione Inueſtiturarum laicorum, & Henrici Imp. eas ſibi vſurpantis. 1111. VII. 1114. III. 1118. VIII.

Oblatum Pontificatum recuſat. 1119. II.

Conradus Rex Germaniæ creatur à Principibus, & confirmatur à Papa. 1024. V.

Eius prima inſtitutio ſub Burchardo Wormatienſi. ibid.

Retardatur electio ob inceſtuoſum connubium. ibid.

Coronatur Romæ Imp. à Iohanne PP. 1027.I.

Diuinitus retrahitur ab inuaſione Hungariæ. 1030.I.

Ioannem PP. pulſum à Romanis, reſtituit in Sedem. 1033.I.

Burgundiam à ſocero ſibi relictam, armis vindicat. 1034.IV.

Rebelles Mediolanenſes domat; ſed ob pulſos Epiſcopos, patitur diuinam vindictam. 1037.I.

Ducem Beneuentanum tyrannidem exercentem, in ordinem redigit. 1038.I.

Moritur repentino obitu. 1039.I.

Conradus filius Henrici III. Imp. ob inauditas patris turpitudines, rebellat in eum; & captus mirabiliter liberatur: creaturque Rex Italiæ. 1093.II.

Stratoris officium exhibet Vrbano PP. 1095 II Moritur. 1101.IV.

Conradus creatur Romanorum Rex poſt mortem Lotharii Imp. 1139. I. Stat pro Rom. Pont. aduerſus rebelles Romanus. 1145.II.

Crucem ſumit pro expeditione in Terram Sanctam. 1146.I. Proficiſcitur in Orientem, ſed eius exercitus ferme totus perit proditione Manuelis Imp. Conſtantinop. 1147. I. III. Appellit in Palæſtinam, & inglorius redit in Germaniam 1148 I. 1149. I. Fœdus init cum Manuele aduerſus Rogerium Siciliæ Regem. 1149.I. Moritur. 1152.II.

Conradus Vrſperg. Abbas, in Germanos Imp. propenſior. & in Rom. Pontiff. parum æquus. 1105.I.

Conradus Moguntinus, conſanguineus Friderici Imp. fortiter in eum agit pro Alexandro PP. multaque inde patitur. 1163 I.

Conradi Salzburg. Archiepiſcopi conſtantia, & immenſæ paſſiones pro defenſione iurium Eccleſiæ aduerſus Henricum Imp. ſchiſmaticum. 1111. III. Alterius pariter, viri vndequaque præſtantiſſimi genereque nobiliſſimi, contra Fridericum. 1166.II.

Conſecrationes eccleſiarum, & vaſorum miniſterialium, ſolitæ fieri antiquitus ritu ſolemni. 335.IX.

Conſecrationes eccleſiarum feſta celebrata in antiqua eccleſia. ibid. Vide etiam *Dedicatio, & Encænia*.

Conſecrat eccleſiam ſuam Londoniæ ſolitis cæremoniis S. Petrus Apoſtolus. 610.VI.

Conſeſſus ordo Epiſcoporum in Synodis qualis, quoad dexteram vel ſiniſtram attinet. 325. XVII. XVIII. V. 685. Item quo ad prærogatiuam ætatis, vel ſedium. 451. III. 465. IV. 1075. VIII.

Conſobrinarum nuptias, quinam prohibuerint, vel permiſerint. 390 X.

Conſtans filius Conſtantini Magni, creatur à patre Cæſar. 335.I. Succedit patri in Italia & multis aliis prouinciis Imperii. 337. VIII. Excuſatur de bello in fratrem Conſtantinum, eiuſdemque occiſione: cui & ſucceſſit in ſortem Imperii. 340. XIV.

Bene habet Athanaſium, fugientem ab Oriente, & Synopſin vniuerſæ Script. ab eo confici curat. 342. VI. Laborat pro celebratione Concilii Sardicenſis. 346. II. Scribit minaciter ad fratrem ſuum Conſtantium, pro reſtitutione Athanaſii Alexandr. & Pauli Conſtantinop. 348. III. Mittit Legatos in Africam ad expungenda nomina pauperum & alliciendos Donatiſtas ad vnionem. ibid.V. Occiditur in Gallia inſidiis Magnentii ducis. 350.I. Martyr vocatur ab Athanaſio ibid. Defenditur à calumniis Ethnicorum. ibid.

Conſtans filius Conſtantini tyranni. Vide *Conſtant. Britan.* Ex monacho creatus Cæſar, male necem perit. 411.VII.

Conſtans, nepos Heraclii, hæreticus Monothelita imperat, hæreſimque valde propagat. 641. I. 642. II. Promulgat pro ea edictum, Typum dictum 648.I. Martinum Papam, & Maximum Abbatem, ob damnatum Typum, crudeli mulctat exilio. 650. I. 651. II. Manichæos in Armenia comprimit 653. VII. Victus nauali prælio a Saracenis vix mutata veſte elabitur. 654. II. Munera mittit Romam ad S. Petrum, vt appareat Catholicus. 655. I. ibid. Et tributum pendit Saracenorum Rex. 658. II. ſed paulo poſt reſilit. 659. II. Fratrem ſuum, diaconum creatum, occidit, vnde continuis inſomniis exagitatus, ſecedit in Siciliam, & Imperium Syracuſas transferre cogitat. 659. I. Viſitat Limina Apoſtolorum, aufert ærea Vrbis ornamenta, Longobardos fruſtra bello tentat, & rediens in Siciliam, eam expilat. 663. I. II. Necatur in balneo. 668.I.

Conſtantia ſoror Conſtantini Magni nubit Licinio Imp. 313. I. Gignit Lici-

nium Iuniorem Cæſ. 15. II. Agit pro Chriſtianis aduerſus maritum Ethnicum. 316. III. Fauet Euſebio Nicomed. Epiſcopo. 318. VIII. & ab eo defertur in partes Arii hæreſiarchæ. 317. II. Moriens commendat fratri Conſtantino quemdam presbyterum Arianum eiuſque fidem. ibid.

Conſtantia filia Conſt. Magn. vlceroſo morbo ſanata ad ſepulchrum S. Agnetis, virginitatem Deo vouet. 330. XII.

Conſtantia filia Conſtanti Imp. naſcitur poſtuma. 361 IV.

Conſtantia filia Rogerii Regis Siciliæ, nubit Henrico filio Friderici Imp. 1186. IV. An fuerit olim monialis. ibid. & ſeqq. Altercatur de ſucceſſione Siciliæ cum Tancredo. 1189 IV. Coronatur Augusta, vna cum viro, à Cæleſtino PP. 1191. II. Capitur à Salernitanis, & mittitur ad Tancredum. ibid. III. Libera ut ope Cæleſtini Papæ. ibid. Ob crudelitatem viri in Siculos, armat exercitum aduerſus illum. 1196. II. Vtrum vere pepererit Fridericum Secundum. 1197. III.

Conſtantienſe Concil. in Germ. ſub Legato Apoſt. Sedis, contra ſacerdotes ſimoniacos, & incontinentes. 1094. I. Conuentus à Friderico Imp. habitus, pro ſtabilienda pace Longobardiæ. 1183. III.

Conſtantia filia Conſt. Magni, ob crudelitatem dicta noua Megæra. 330. XII. Datur in vxorem Gallo Cæſ. patrueli ſuo 351. I. Moritur paulo ante mariti necem, & Romæ ſepelitur. 354. II. 360. XII.

Conſtantinopolis olim dicta Byzantium. Vide *Byzantium*.

Conſtantinopolim qua occaſione ædificauerit Conſtantinus Mag. & quæ mira tunc diuinitus acciderint. 324. XXXI. Dedicatur ſolemni ritu Deo, in honorem. S. Virg. MARIÆ, cuius & dicta eſt ciuitas. 330. I. II. Dies eius natalis anniuerſaria commemoratione celebrari iuſſus. ibid. I. in fin. Dicta quoque Noua Roma: eamque antiquæ Conſtantius æquare ſategit, ſpoliis eam omnium pene inſignium vrbium ornans; ſed non valuit ibid. IV. Eccleſiæ & Cruces ibi erectæ. ibid. III. Ciuibus annona conſtituta. ibid. V. Mulctatur à Conſtantio dimidia parte annonæ, ob turbas in Macedonii electione excitatas, & Ducem interemptum. 342. VII. Eius ciues Chriſtiani cocto frumento vtuntur ex reuelatione Theodori martyris, ne cibis immolatitiis à Iuliano Apoſt. expoſitis polluerentur. 62. IX. Ingenti errore concutitur ſub Arcadio Imp. ob ignem cæleſtem apparentem ad emendationem populi. 396. III. Seruatur diuinitus ab incendio Gainæ Gothi. 400 VII. Conflagrat prodigioſe, ob expulſionem Io. Chryſoſtomi 404. III itemque poſtea ob fauorem Neſtorio exhibitum. 433. I. Affligitur ob eamdem cauſam fame & peſte 445. II. itemque horrendiſſ. terræmotu, qui tandem ſedatus eſt per reuelationem Triſagii. 446. II Conflagrat prodigioſo incendio ſub Conſule hæretico. 46. I Acriter ciues tumultuantur in Imp. Leonem, ob creatum ab eo Cæſarem Arianum. 446. I. Contumeliis impetunt Anaſtaſium Imper. hæreticum, qui dire in eos ſæuit. 502. II. 511. I 512. I. ibid.

Liberatur grauiſſima peſte immiſſa per Angelos malos, ope Dei-genitricis. 544. III.

Ingenti terrore concutitur, ex diro terræmotu, & falſis proximi Iudicii prædictionibus. 557. I. Itemque ex inuaſione Auarum, adeo vt cogitaretur de fuga in Aſiam. 600. II.

Liberatur iterum ab obſidione eorumdem Auarum, virtute S. Dei-genitricis. 625. II. Itemque ab obſidionibus Saracenorum 672. III. 717. IV. Trecenta hominum millia peſte & fame ibi pereunt. 717. IV. ibid. Pro defenſione ſacrarum Imaginum, fortiſſime agunt aduerſus Impp. earum oppugnatores. 726. III. V.

Direptioni militum exponitur à Copronymo Imp. ob receptum Artabaſdum. 743. V. Pene deſerta redditur à peſte Bubonis 746. I. Concutitur diriſſimo terræmotu. 1011. V. Conceſſum in ea Saracenis Oratorium. 917. III. 1187. II.

Conſtantinopol. Conciliabulum Euſebianorum ſub Conſtantino Mag. aduerſus Marcellum Ancyræ Epiſcopum Orth. 336. V.

Acacianorum ſub Conſtantio, aduerſus Semiarianos: quo inter alias blaſphemias, nomen Hypoſtaſis in Perſonis diuinis abdicatur. 359. XX. Aliud ſub Arcadio, quo Chryſoſtomus pulſus eſt in exilium. 404. V.

Sub Heraclio, pro confirmatione impiæ Ecthesis Monothelitarum. 639. I. Sub Iuſtiniano Iuniori, Erratica Synodus dicta, pro Appēdice ad Synodos Quintam & Sextam Oecumenicas, vnde & Quinisexta quoque dicta eſt 692. I. & ſeqq. Vide *Quiniſexta Synodus*. Sub Philippico Bardane poſt reſtitutionē hæreſis Monothelitarum. 712. I. Sub Conſtantino Copronymo, Septimum Oecumen. ab eis dictum, aduerſus ſacras Imagines, & Sanctos. 754. VI. Damnatur à Stephano Papa, & Patriarchis Orientalibus. ibid. VII. & in Concilio Rom. ſub alio Steph. 769. II. itemque in Septima legitima Nicæna Secunda Synodo. 787. V. Sub Nicephoro, duo Concilia Adulterantiū. 806. II. 808. I. Sub Leone Armeno, aduerſus ſacras Imagines, & pro damnatione Nicænæ VII. Oecumen. Synodi. 814 III. A Photio intruſo pſeudopatriarcha aduerſus Ignatium expulſum: quod Nicolaus PP. vocat Latrocinale Concilium. 861. III. Aliudque aduerſus eumdem Nicolaum. 867. VII.

Huius Acta comburuntur Romæ, & Conſtantinopoli. 868. III. 869. VI Rurſum aliud, Octauum falſo dictum, quo abrogata eſt legitima Octaua Synodus. 879. V. Damnatur à Ioanne Papa. 889. I.

Conſtantinopol. Concilium OECVMENICVM 150. Epiſcoporum, ad confirmandam fidem Nicænam, indictum à Damaſo PP. conuocatum à Theodoſio Imp. 381. II. Damnati in eo Macedoniani, vna cum aliis omnibus hæreticis; & additum Symbolo Nicæno de diuinitate Spiritus Sancti. ibid. IV. Confirmatur à Damaſo in his quæ ſpectant ad fidem Cathol. ibid. VI. Canon eius aſſertus de prærogatiua ſedis Conſtantinop. cuius fidei. ibid. V. 403. IV. 416. II.

Quæ ibi turbæ ob ſucceſſionem Meletii Antioch. contigerint, ob quas etiam Gregorius Naz. ſe abdicauit. ibid. VII. & ſeqq. Aliud ſub eodem Theodoſio, ad quod vocati præcipuarum ſectarum Epiſcopi ſpe concordiæ: ſed fruſtra. 383 VII.

Itemque aliud in Encæniis Eccleſiæ Ruffinianæ. 394. VI. Sub Arcadio, pro electione Ioannis Chryſ. 397. XX. A Chryſoſtomo, in cauſa Epiſcoporum ſimoniacorum. 400. XIII.

A Proclo, in cauſa diſtinctionis diœceſeon Alexandr. & Antio. 439. IX. A Flauiano aduerſus Eutychetem hæreſiarcham. 448. III. aliudque rurſum contra eumdem. 449. II. Sub Legatis Apoſtol. Sedis, aduerſus Neſtorianos & Eutychianos. 450. VI. Sub aliis eiuſdem Sedis Legatis, pro confirmatione Chalcedonenſis aduerſus Eutychianos. 459. I. Sub Acacio, contra Petri Fullonis Theopaſchitarum hæreſim. 483. IV

A Ioanne Epiſcopo Conſtantinop. pro referendis in Diptycha nominibus Orthodoxorum eraſis ſub Anaſtaſio Imp hæretico, & abradendis hæreticorum 518. VI.

Ab Epiphanio, pro mittenda profeſſione fide ad Rom. Pont. 520. X

A Menna, & aliis Apoſt. Sedis Legatis aduerſus Anthimum, Seuerum, aliosque hæreticos. 536. X

A Vigilio Papa, in cauſa Trium Capitulorum. 547 III. 551. II

OECVMENICVM, dictum Quintum, in cauſa Trium Capitul. & errorum Origenis. 553. III. Vide *Quinta Synodus*. Aliud prouinciale in cauſa Gregorii Epiſcopi Antiocheni, ſub Ioanne Ieiunatore. 578. I

OECVMENICVM Sextum, contra Monothelitas. Vide *Sexta Synodus*.

Sub Methodio Patriarcha, pro confirmatione Nicænæ Oecum. VII Synodi & reſtitutiones ſacrarum Imaginum 842. III.

Sub Ignatio, in cauſa Gregorii Syracuſani, quæ ad Rom. Pont. delata eſt 854 II.

OECVMENICVM Octauum, contra Photium, eiuſque ſchiſma. 869. II. Vide *Octaua Synodus*.

In controuerſia de Polygamia. 921. I

Pro conſecratione Theophylacti Epiſcopi. 944. I

Pro depoſitione Baſilii Patriarchæ criminis accuſati. 975. III. Sub Luca Chryſoberge Patriar. 1148. in fin. & 1166. VII.

Conſtantinopol. Eccleſia à quo fundata Vide *Byzantium*.

Turbatur ob electionem Macedonii hæretici in Epiſcopum eius ciuitatis 342. VII.

Diriſſimam perſecutionem patitur ab eodem Macedonio. 351. XII. itemque ab Arianis ſub Valente Imp. 370. VI Ei ſubuenit Damaſus PP. ibid. Reparatur à Gregorio Naz. 378. XIV & Theodoſio Imp. 380. II. Graſſationem ſacrilegam patitur in expulſione Chryſoſtomi. 404. V. itemque incendium cæleſte. ibid. VIII. aliaque diriſſima à perſecutoribus. ibid X

Cædibus polluitur ſub Neſtorio. 431. II Auxilium petit à Rom. Pont. aduerſus Eutychianos. 475. VII. Eius maioris eccleſiæ numerus clericorum, à Iuſtiniano Imp. conſtitutus. 535. I itemque ab Heraclio. 618. I. Turbatur ob ſubintroductam pellicem à Conſtantino filio Irenes. 795. I. 806. II. 809. I. itemque ob quadrigamiam Leonis Sap. Imp. 901. II. 911. I

De eius prærogatiua poſt Romanam, canon aſſertus Concilii Conſtantinop. Oecumenici, cuius fidei. 381. V. 403. IV. 404. V.

Firmatur in Concilio Chalcedon. reſiſtentibus Legatis Apoſtol. Sedis. 451. XXXI. Irritat ea Leo Papa. 452. III. 453. V.

itemque Marcianus Imp. 454. III. & Gelaſius Papa. 494. III.

Renouat Iuſtinianus propria præſumptione 541 IV. Ex quo tempore cœperit in deterius labi, & communicatio cum Eccleſia Rom. frigeſcere. 692. V. Vide etiam *Græci, & Orientalis. Eccl.*

Sedet in ea femina Patriarcha; & inde à ſchiſmaticis calumnia in Rom. Eccleſiam de Papiſſa Ioanna. 853. VI.

Summa eius inuidia in Rom. Eccleſiam 869. XV.

Quando penitus defecerit ab eius communione. 1155. VIII.

Conſtantinopol. Epiſcoporum ſucceſſio

an e Conſtantinum. Vide *Byzantium*. Ii poſtea ſepeliri ſoliti in eccleſia Apoſtolorum, in qua & Imperatores. 337. III. Sibi ſubiicere conantur Eccleſias Illyrici. 421. II. & Bulgariæ. 869. XIII. Oecumenici nomen ſibi vſurpantes, retunduntur à Rom. Pontiff. Vide *Vniuerſalis*. Conſecrari ſoliti ab Epiſcopo Heracleæ. 956. I.

Eorum iudex, confirmator, ac depoſitor, Rom. Pont. 342. VII. VIII. 404. VI. 406. III. 407. VII. 430. II. 434. I. 450. II. 483. III. 484. IV. 494. III. 520. II. 536. V. 551. II. 587. II. 599. IV. 648. II. 730. I. 785. I. 863. I. 867. XI. 878. I.

Conſueuerant ſinguli à Rom. Pont. petere vſum Pallii, quem poſtea eis in perpetuum conceſſit Ioannes XI. tyrannice ad id coactus. 954. I. Iidem ſoliti à Rom. Pontiff. vicariam poteſtatẽ in rebus ad hæreſes, & vniuerſalis Eccleſiæ negotia pertinentibus, accipere: puta, Anatolius. 456. II. Acacius. 477. II. Epiphanius. 521. II. Mennas. 536. X.

Conſtantinus Magnus poſtea dictus, Cõſtantii Chlor. Imp. filius. Romæ detinetur in cuſtodia à Galerio ſpecie religionis. 306. II. Fugit ad patrem in Britanniam. ibidem. Succedit ei in Imperium. ibid. III.

Eius genus paternũ, & maternum. ibidem V. Quo tempore, & ætate ſumpſerit Imperium. ibid. IV. VII. 307. III. Francos & Alemanos vincit. 307. II.

Ducit in vxorem Fauſtam filiam Maximiani Herculii. ibid. III. Habuit priorem vxorem Mineruam, & ex ea filium Criſpum ibid. Herculium fugat, ob inſidias ab eo ſibi ſtructas, & mori compellit. ibid. IV. Quibus cauſis motus ad bellum Maxentio inferendum. 312. III. Crucis ſignum ei apparet. ibid. Labarum cruce, & Chriſti nomine ornatum, fieri curat. ibid. Victoriæ de hoſtibus, & triumphus. ibid. VIII. Agnoſcit ſe virtute S. Crucis Maxentium viciſſe. ibid. X.

Quæ tunc reſcripſerit pro Chriſtianis. ibid. XI. Qua ratione retinuerit poſthac titulũ *Pontificis Maximi*. ib. XII. Sororem ſuam Conſtant à nuptui dat Licinio Imp. 313. I. Vna cũ eo reſcribit pro Chriſtianis. ibid. II. Sæculares ludos celebrare contemnit, magno Gentilium mœrore. ibid. III. Defenditur à calumniis Zoſimi hiſtorici. 306. VI. 313. III. 315. III. IV. 318. II. 330. VI. VII. Iraſcitur Donatiſtis, quod ipſum interpellarent in rebus Eccleſiaſticis, eorumque cauſam aduerſus Cæcilianum committit Epiſcopus. 315. IV. V. Rurſum acriter in eoſdem inuehitur, quod à iudicio Epiſcoporum appellaſſent. ibid. IX. iterumque eorum iudiciũ defert Epiſcopis apud Arelatem. 314. IV. Demum ab eis coactus, ipſemet de cauſa cognoſcit, eamque in fauorem Cæciliani definit. 316. VII. Calumniam ab eis paſſus, quomodo cum eis egerit. ibid. VIII. Donat Melchiadi PP. Palatium ſuum Lateranenſe. 313. VI.

Inſidiis petitus à Maximino Imp. viſione diuina euadit periculum. 314. II. Celebrat Chriſtiano ritu Decennalia Imperii ſui. 315. I.

Creat Cæſares, Criſpum & Conſtantinum filios ſuos, & Licinium Iuniorem filium ſororis ſuæ. ibid. Eius munificentia in omnes, & laudabiles leges ea de re, atque etiam propudicitia ib. III. IV. V. Iudæorum in Chriſtianos procaciam ſeueriſſime punit. ib. VI. Concedit Epiſcopis Cathol. manumittere in eccleſia. 316. IX. Leges aduerſus cælibatum abrogat. 320. II. Diei Dominicæ feriationem, & feriæ ſextæ, omnibus præſcribit. 321. VI.

Permittit omnibus, bona ſua teſtamento relinquere Eccleſiis. ibid. VII. Reſcribit pro clericorum à muneribus immunitate. 319. XI. 330. XIII. & pro ampliſſima Epiſcoporum iudiciali poteſtate. 319. XI. 326. XIX. Bellum infert Licinio pro defenſione religionis Chriſtianæ. 316. II. III. Eum variis prælis, cæleſti auxilio vincit. 317. I. II. 318. I. II. III. ib. ac poſt renouata fœdera, iterum res nouas molientem relegat, & tandem mori cogit. ibid. II. Monarchiam conſequitur vniuerſi imperii Rom. & pacem Eccleſiæ vbique reſtituit. ibid. IV. Vincit Sarmatas. 319. I. In cunctis bellis à Deo protegitur. ibi. Reſcribit aduerſus aruſpices. 319. XI. & contra maleficos & incantatores. 321. VII. Scribit ad Alexandrum Epiſcopum Alexan. & Arium pro concilianda ipſorum diſcordia. 318. XI. XII. Contemptus ab Ario, publicas in eum literas inuectiuas ſcribit. 319. II. Donatiſtas ab exilio reuocat. 321. I. Reſcribens pro Aruſpicina grauiſſima inde patitur. 321. VIII. IX. Criſpum filium, Licinium nepotem, & Fauſtam coniugem necat. 324. I. & ſeqq. Baptizatur in expiationẽ tot ſcelerum, & pariter mundatur à lepra & quo tempore & loco id cõtigerit. ib. VI. vſq. XIX. Poſt baptiſmũ multa pia ſancit pro fide Chriſti, & aduerſus idololatriam: multaſque eccleſias extruit, & dotat. ibid. XIX. & ſeqq. Hortatur omnes ad fidem, ſed neminem cogit. ibid. XX. Abſtinet in Occidente à donariis templorum, ſed non in Oriente. ibid. XXI. Noluit ſuis ædificiis nomen ſuum inſculpi. ibid. XXII. Eius Edictum ne Donatione facta Eccleſ. Roman. expenditur. 324. XXIII. & ſeqq.

Conſilium iniit de noua Vrbe condenda, in quam transferat Imperium, & poſt tentatum Ilium, diuinitus eligit Byzantium. 324. XXXI. Ab eo quomodo dicatur indictum Concilium Nicænum. 325. V. Libellos criminationum ab Epiſcopis ſibi in alterutrum oblatos, nõ lectos comburit ibi. XII. Quantam reuerentiam ſacerdotali dignitati exhibuerit. ibid. Quæ fuerint eius partes in Synodo. ibi. XIV.

Poſt finitam Synodum, muneribus honorat Patres, & frumenti annonam largitur cunctis vbique Eccleſiæ miniſtris, & ſacris virginibus. ibi L.

Celebrat Vicennalia Imperii, & filium Conſtantium Cæſarem creat. 325. L. Reſcribit aduerſus Ludos gladiatorios. ibi. LII. Supplicium Crucis abdicat. ibi. Legationes vndique ab exteris gentibus recipit. ibi. LIII.

Eius Lancea in ſimilitudinem Crucis facta, ad Imp. Germanos tranſlata ibid. LII. Hæreticos omnes à priuilegiis Catholicorum excludit, & diuerſis oneribus obligat, ac conuentus agere prohibet, ſicque plurimas eorum ſectas magna ex parte delet. 326. IV. Nouam ciuitatem Hieroſolymam conſtruit ad ſepulchrum Saluatoris. 326. VI. Quid egerit de parte Crucis, & Clauis Domini, ab Helena matre ei datis. ibid. X. XI. Eccleſias Chriſtianorum ſua in Oriente egerit. ibid. V. VI. Templa idolorum, libidinũ promptuaria demolitur, & impudica ſacra, occultaſque turpitudines, & concubinatum proſcribit. ibi. XV. XVI. XVII.

Conſtantinopolim dedicat, & variè ornat. 330. I. & ſeqq. ſed carcerem, vt erat, humilem relinquit. ibid. V. Fuit amator bonarum literarum, & artium. 330. IV. Ipſeque dicendi peritus, multas orationes conſcripſit. 337. VIII. Nouos Magiſtratus creauit. 330. VI. 304. Defenditur à calumniis de Chryſargyri, & aliis exactionibus. ibid. VII. & ſeqq. Scythas, ſiue Gothos, ſub tributo redigit. ibid. X

Celebrat Tricennalia Imperii, & Conſtantem tertium filium, creat Cæſarem. 335. I.

Creat item Cæſarem Delmatium filium fratris ſui. 336. XII. Legatos ſuſcipit cũ muneribus ex India ibid. XI. Imperium partitur inter filios. ibid. Calumniis Euſebianorum in Athanaſium, fatigatus, tandem relegat eum Treueros. 336. II. Excuſatur de eo facto, deque aliis Orthod. Epiſcopis ſimiliter in exilium pulſis. ib. III. IV. VI. X.

Conſtruit Eccleſiam Apoſtolorum, in qua ſepeliretur, & ſic particeps poſt mortem fieret precationum quæ ibi à Fidelibus offerrentur. 336. XIII.

Reliquias Apoſtolorum eo transfert, & Sepulturæ Fidelium inſigniter prouidet. ibid. XIV.

Vbi, quando, quomodo, & quo ætatis vel Imperii anno, mortuus ſit. 337. I. II. Funus regium, & ſepultura ib. d. III. A Græcis cultus vt Sanctus: & quod ſit quod Eutropius ait, eum inter diuos relatum. ibid. Eius virtutes ab Ethnicis quoque celebratæ: & defenditur ab accuſationibus Victoris, & Iuliani Apoſt. ibi. IV. & ſeqq. Coronam lauream Imp. cur in gemmeam mutarit. ibid. VI. Creditus veneno potatus à fratribus. ib. XI. Ob translatum corpus eius à Macedonio hæretico Epiſcopo, ingens excitatus tumultus Conſtantinopoli. 351. XII. Eiuſdem enſis delatus ad poſteros, peruenit ad Henricum German. Regem. 924. II.

Conſtantinus Iunior, filius Magni, creatur à patre Cæſar. 315. II. Vincit diuina virtute Alemannos, Britannos, & alios barbaros. 337. XVIII. Succedit patri in auita ſorte 336. XI. 337. VIII. Reſtituit Athanaſium exulantem Treueris; in ſuam Eccleſiam Alexandr. 338. I. Bellum mouet fratri Conſtanti, & ab eius militibus occiditur. 340. XIV.

Conſtantinus genere Britannus, vna cum filio Conſtante, Imperator acclamatur aduerſus Honorium Aug. 407. VIII. Immittunt barbaros in Hiſpanias, qui eas occupant. 409. V. Qui filium è monaſterio eduxerat, ipſe ne occideretur compellitur fieri presbyter, & nihilominus vterque mala nece perit. 411. VIII.

Conſtantinus Heraclii Imp. filius, quarto regni anno moritur. 941. I.

Conſtantinus, Pogonatus cognomento à barba dictus, patris interfectoribus tyrannoque Mezentio, occiſis, imperat. 668. II.

Pacem Eccleſiæ reſtituere ſatagens, omnia ei proſpere aduerſus Imperii hoſtes ſuccedunt. 672. III. 676. III. Agit apud Rom. Pont. pro celebratione Concilii in eau à hæreſis Monothelitarum. 678. II. Eligit tributum ſoluere Bulgaris Imperium inuadentibus, vt quies daretur celebrandi Concilii. ibid. III.

Edictum promulgat de fide Catholica, in Sexta Synodo ſtabilita. 681. X. Liberat Eccleſiam Rom. à penſitatione pecuniæ pro ordinatione Pontificis. ibi. XII. itemque à iure confirmationis eiuſdem Pont. tyrannice à prædeceſſoribus vſurpato. 684. I. Redigit in ordinem fratres ſuos, res nouas molientes. 681. IX. Moritur. 685. I.

Conſtantinus Copronymus, filius Leonis Iſauri, naſcitur. 719. III. In bapt iſmo ſtercus egerens, inde Copronymi cognomen habuit, futuræque impietatis augurium dedit. ibid. Infantulus coronatur Imp. 720. I. Ducit vxorem Irenem, filiam Chaiani Regis. 732. I.

Mortuo patre, ſolus Imperat. 742. I. Quam impius, & impuris moribus fue-

rit, & quæ ei inde cognomina indita. ib. & 775. II.
Pellitur Imperio ab Artabaſdo cognato ſuo. 741. I
Reſtituitur 743. V. 743. Donat quædam Eccleſiæ Rom. ibid. VI.
Concilium colligit aduerſus ſacrarum Imaginum, & Sanctorum cultum. 754. VI.
Iuramentum exigit ab omnibus aduerſus imagines, & monachos, quos & diris modis perſequitur. ibid. VIII. Fruſtra tentatur reduci à Rom. Pontificibus 743. VI. 754. VIII. 757. II. Neſtorianum quoque ſe patefacit. 763. III. Fœdera cum dæmonibus occulte ſancit. Triumphat de Bulgaris. 763. I. Ingentem amittit claſſem naufragio. 766. I. Horribilia ſub eo prodigia. 742. I. 746. I. 749. I. 763. III. Eccleſias profanat. SS. interceſſiones edicto prohibet. Reliquiaſque exturbat. 765. I. 766. I. ibi. Legationem cum muneribus mittit ad Pipinum Franc. Regem. 766. II. Brumalia more Gentilium celebrat. 767. III. ibid. Horrendis blaſphemiis impetit S. Dei genitricem. 741. II. 767. IV. Dire rurſum perſequitur monachos 771. I. Moritur in expeditione Bulgarica, deque ſui æterna damnatione, ob blaſphemias in B. Virginem, conqueritur. 775. I. Scripta eius. ibidem. II. Sepultura, & effoſſio. ibid. Inuocatur à ſuis, & miraculum confingitur. 813. I.
Conſtantinus, filius Leonis & Irenes, adhuc puerulus coronatur à patre Imp. 776. I. Succedit patri, ſub regimine matris. 780. III. Vide *Irene*. Contrahit ſponſalia cum filia Caroli Magni, ſed ea dimiſſa, cogitur à matre aliam ducere. 781. II. 788. I. Inſidias matri tendens, ab ea caſtigatur, & incluſus tenetur. 789. I. Imperat ſolus abſque matre. 790. I. ibid. Eius crudelitas in patruos. 79 . ibid. Reiecta legitima vxore, aliam ducit: vnde à multis anathematizatur, ipſe vero in eos perſecutionem mouet. 795. I. Rurſum tentus à matre, excæcatur, & inde moritur. 797. I. Eum ſe poſtea fingens Thomas tyrannus, dat pœnas ſub Michaele Balbo. 821. I.
Conſtantinus filius Baſilii Macedonis, à patre adſciſcitur in collegam Imperii. 868. I. Moritur. 878. IV.
Conſtantinus Porphyrogen. imperat ſub tutoribus. 912. III.
Fatigatus à tyrannis, collegam ſibi aſſumit Romanum Patricium. 919. I.
Redactis in ordinem Romano cum eius filiis, ſolus imperat. 944. IV.
Moritur, veneno potatus à filio, ob diuturnum imperium. 960. III. Eius virtutes & vitia. ibid.
Conſtantinus & Baſilius fratres, filii Romani Iunioris, imperant. 975. III. Mortuo fratre ſolus regnat. 1025. III. Populum tributis vexat. ibid. Moritur 1028 IV.
Conſtantinus Monomachus ab exilio vocatur ad Imperium. 1042 II.
Ob pellicem ſub introductã, periclitatur à populo. ibid. Oſtendit ſe propenſiorem erga Rom. Eccleſiam, aduerſus ſchiſma Græcorum. 1053. V. 1054. III. Moritur. 1054. VII.
Conſtantinus Ducas creatur Imp. 1059. XI.
Pietate debellat diuinitus ſexcenta millia Scytharum. 1065. VI. Moritur. 1067. III.
Conſtantinus Rom. Pont. creatur. 708. I. Acceſſitur à Iuſtiniano Iuniori Imp. ob controuerſiam de canonibus Synodi Quinſextæ, & miro honore in itinere à magiſtratibus, Conſtantinopoli à Clero & Senatu, & Nicomedia ab ipſo Imp. excipitur. 709. I. II. 710. I. Satiſfacit Imperatori, de non recipiendis iiſdem canonibus. ib. II. Reuertitur Romam. 711. II. Agit viriliter cum Clero & populo, aduerſus Philippicum Bardanem Imp. hæreticum. 712. II. Moritur. 1067. III.
Conſtantinus pſeudopapa intruditur à Totone Duce Nepeſino ipſius fratre, poſt obitum Pauli Pont. 767. II.
Pellitur à Chriſtophoro Primicerio, occiſo quoque Totone. 768. I. ibid. Damnatur in Concilio, & monaſterio includitur, indeque à militibus extractus, excæcatur. ibid. & 769. I. ibid.
Conſtantinus Patriarcha Conſt. intruditur propria auctoritate à Copronymo Imp. 754. VI. Intereſt Conciliabulo aduerſus ſacras Imagines. ibid. Compeſcit Imperatorem à promulgãdo Neſtorianiſmo. 763. III. Pellitur ab eo in exilium. 766. I. Impietatem Copronymi propalans, ab eodem reuocatur Conſtantinopolim, & poſt ludibria publica, capite truncatur. 767. IV.
Conſtantius Chlorus eligitur Cæſar. 292. III. Eius genus. ib. Repudiare coactus priorem coniugem Helenam, ducit Theodoram priuignam Maximiani Herculii, & ab eo adoptatur in filium ibid. & IV.
Appellatur Auguſtus poſt abdicationẽ Maximiani. 304. IV. Partitio Imperii inter ipſum & Galerium. ibid. & VI. in fin. & 306. II. Egregium eius factum in tentanda Chriſtianorum in religione conſtantia 304. V. Moritur Eboraci in Britannia, & conſtantinum, poſtea Magnum dictum, filium ſuum Imperii relinquit heredem. 306. III. VII. Eius coniuges, & liberi. ibid.
Conſtantius, filius Conſtantini Magni, creatur à patre Cæſar. 325. I.
Ducit vxorem Euſebiam, magni ingenii feminam, ſed Arianam. 336. XI.
Succedit patri in Imperio Orientali. 337. VIII.
Patruos ſuos, ob ſuſpicionem veneni patri propinati, Delmatium Cæſ. patruelem, aliosque clariſſ. viros necat. ib. IX. & ſeqq. Gallum & Iulianum patrueles, heci aſſinium ereptos, poſtea optimis diſciplinis educandos curat. ib. XIII. XV. Deſciſcit ad Arianos. 337. XVI. Curatur ab ægrote per Spiridonem Epiſc. Orthod. 338. III.
Multos præſtantiſſ. Epiſcopos Cathol. in exilium pellit. 340. V. & ſeqq. 342. VII.
Infeliciter ſemper cum Perſis pugnauit, & aliquando in fuga panis fruſto ab anu precario porrecto vixit. 343. I.
Reſcribit aduerſus idolatriam. 341. XVI.
Patribus Synodi Sardicenſis Oecum. pium ſe mentitur, approbato nomine Subſtantiæ in Filio Dei. 347. XI.
Compellitur à fratre Conſtante reſtituere Athanaſium, & alios Epiſcop. Orthodox. 348. III. 349. I & ſeqq.
Profecturus in Occidentem aduerſus tyrannos, Gallum patruelem Cæſarem creat, & præficit Orienti. 351. I.
Omnes in ſuo exercitu militaturos, baptizari iubet, aut cingulo exui ibid. IV.
Paulum iterum pellit Conſtantinopoli, & Macedonium introducit ibi. X. I. Vetranionem Imperii inuaſorem dolo ſibi ſubiicit. 351. V.
Pia eius expeditio in Magnentium, quẽ & ſuperat. 353. I. III.
A Valente Epiſcopo Ariano quomodo tunc deceptus. ibid. IV
Siluanum in Galliis Imperium accipientẽ, per ſuos duces profligat. ib. III. in fin.
Ex proſperis fit elatior, adeo vt ſe Æternum exinde nominet, ſed & magis obduratur in hæreſi. ibi. IV. V.
Exilium indicit omnibus, qui Athanaſium damnare nollent. ibi. VI.
Callum Cæſ. tyrannidem affectantem, de medio tollit. 354. II.
In conciliabulo Mediolan. accuſatorem ſe profitetur Athanaſii, & eius vbique fautores in exilium pellit, vel aliis diris pœnis ſubiicit. 355. III. & ſeq. Antichriſti imaginem gerit, de rebus Eccl. iudicare præſumens. ibid.
Liberium quoque Rom. Pont. eadem Athanaſii de cauſa pellit, & Felicem in locum eius intrudit. ibid. VII. & ſeqq. Eius oblationes in eccleſia recipi prohibet Liberius. ibid. VIII.
Magnum quoque Oſium aggreditur, ſed vincitur ab eo primis certaminibus. 355. XI.
Edicit ne cauſas clericorum cognoſcant iudices ſæculares. ibi. XV.
Iulianum patruelem creat Cæſarem, & in Gallias aduerſus barbaros mittit. 355. XVI.
Magis, & idolorum cultoribus pœnam capitis conſtituit. 356. I.
Athanaſium vbiq; perquiri iubet. ib II.
A Lucifero Epiſcopo Calaritano grauibus ſcriptis acriter exagitatur. ibid. V.
Triumphum Romę agit de Magnentio. ibid. XIV.
Rogatus à matronis de reſtitutione Liberii PP. eius de duobus ſimul Pontiff. decretum deridetur in Circo. ibi.
Aufert è Capitolio ſimulacrum Victoriæ cum ara. ib. XV.
Trigeſimo die recedit ab Vrbe, ob tumultus bellicos barbarorum. ibi.
Vindicem agit vocis Subſtantiæ. 357. VII.
Liberium & Oſium Sirmii compellit ad lapſum. ibid. V. XI.
Damnatur à Felice Romæ ſedente, quẽ ideo necari præcipit. ibid. XVIII.
Reſcribit aduerſus maleficos, & gladiatorios ludos. ibid XXIII.
Itemq; pro immunitate clericorum, & confirmatione priuilegiorum Rom. Eccleſ. ibid.
Debellat Sarmatas. 358. VI.
Iterum reſcribit contra magos, maleficos, & c odorata. Iuliani eiuſmo i ſtudia. ibid.
ad Controuerſias de fide dirimendas, indicit Concilium, quod Arianorum arte, ſed magna diuina prouidentia, diuiditur in Ariminenſe & Seleucienſe. 358. I.
Quam violenter egerit cum Patribus Ariminenſibus. 359. VI. VIII.
Liberium PP. & alios recuſantes ſubſcribere fidei Arim. ſedibus ſuis pelli mandat. ibid. VIII. XVI.
Fauet Acacio contra Semiarianos, quos abdicat. ibid. XX. XXI.
Duas diuerſas fides vult eodem tempore obſeruari, in Oriente alteram, alterã in Occidente. 359 XXII.
Quam miſere peſſum dederit Eccleſiã. ibid.
Eius inconſtantia in fide, taxata etiam ab Ethnicis. ibid. XXIII.
Mortua Euſebia coniuge, ducit Fauſtinam, ex qua nata filia poſtuma. 361. IV.
In expeditione Perſica audita Iuliani rebellione, aduerſus eum regreditur. ibid. Spectris terretur, & in morbum incidens, moritur Mopſueſtiæ Ciliciæ. ibid. IV. V.
In obitu baptizatur ab Euzoio Ariano, & in impietate expirat. ibid. VI.
Laudes quas ei Gregorius Nazianz. tribuit, quomodo ſint intelligendæ. ibi. VI.
Eius ætas, & tempus Imperii. ibid. VII.
Conſtantii ſtrenui ducis opera, Honorius Imp. multos tyrannos ſuſtulit. 411. VII.
Idem Gothos è Gallia pellit: & Attalũ tyrannũ captum, Honorio mittit 414. I.
Creatur ab eo Cæſar; vxoremque accipit Placidiam eius ſororem, ex quo matrimonio natus Valentinianus Tertius Imp. 418. X.

Nomi-

Nominatur ab eodem Auguſtus. 420. I. Cælestio Pelagii ſocio exilium irrogit. ibid.

Moritur. 421. I.

Conſtitutiones Apoſtolorum, Clementis PP. nomine promulgatæ, cuius ſint fidei & auctoritatis. 102. IV. V.

Conſtitutionibus Impp. etiam Ethnicorum, non dedignata vti Eccleſia in iis quæ contra relig. Chriſt. non eſſent. 435. IV. 529. I. Vide *Leges*.

Conſtitutiones Leonis VIII. PP. nomine aſſertæ in fauorem Ottonis Imp. redarguūtur falſi. 964. IV. V. De aliis vide ſub ſingulis auctorum, ſiue Pontificum, ſiue Principum ſæcularium nominibus.

Conſtitutum ab antiquis dictum, quæ & Decretalis Epiſtola. 404. XIX.

Conſtitutum Vigilii Papæ de Tribus Capitulis ad Quintum Synodum. 553. X. Gregorii Magni, de exemptione monachorum à ſubiectione Epiſcoporum. 601. II. 665. Gregorii II. aduerſus illicita coniugia. 721. I. Gregorii III. contra Iconomachos. 732. II. Leonis IX. de cōtinentia Clericorum. 1051. I.

Conſubſtantialis vox cur aliter accepta à Patribus Concilii Antioch. aduerſus Paulum Samoſat. quam à Nicænis aduerſus Arium. 272. II.

A Patribus Nicænis, ad aſſerendam Filii Dei coæqualem cum Patre diuinitatem feliciter accepta. 325. XXII.

Fuit Arianis ſummæ formidini, quod omne ipſorum venenum internecaret, cunctas ſtrophas eluderet. ibid.

Ideoque eam reiicere, idem Videbatur quod Arianam hæreſim profiteri. 335. XI. 340. XII. Ariani autem perpetuo eā abdicarunt nec vnquam adigi potuerūt ad eam ſuſcipiendam. Vide *Fidei Subſtantia*.

Conſubſtantialitatis aſſertores ab Arianis accuſati Sabellianiſmi. 340. VI. Vide *Catholici*.

Conſuetudines diuerſæ Eccleſiarum, non lædunt fidem. 57. LVIII. Vide *Ritus*.

Conſuetudines regiæ in Anglia tumultum excitant inter Regem Henr. & Thomā Cantuar. 1163. IV. Vide *Thomas Cantuar*.

Quænam ex eſſent, quaſnam que Alexander PP. damnarit, vel tolerauerit. 1164. VII. VIII.

Abolet eas ipſe Rex. 1171. I.

Conſuetudinum quarumdam occaſione, graue diſſidium inter Lucium PP. & Romanos. 1183. I.

Conſulibus quibus, natus Chriſtus Appar. XXX. Conſulum Chronologia in Libro de Rom. Pont. corruptiſſima. 69. XIV. & albi ſæpe. 124. Itemque nonnullis Im. 126. I. & ſæpe.

Conſulum Ordinariorum, & Suffectorum, numerandorum ratio. 74. I. 103. I.

Suffecti quando primum numerati cœpti cum Ordinariis. 105. I.

Conſulum ordo quomodo procederet. ibi. E Faſtis quando, & quare demi cœpti. 309. II. Vide *Nomina*.

Poſt Conſulatum quando notati anni. ibi.

Conſul. appoſita a ſub Commodo. 189. II.

Conſulares martyres. 94. I. 98. I. 126. II. 304. XI. Vide etiam *Senator*.

Conſules fugitiui, a Iuliano in Faſtis notari iuſſi. 361. III.

Conſul vnicus per plures annos, ob turbas Imperii Occident. 478. I. & aliis ſæpe ante & poſt annis. Conſulatus cœpti negligi, inuidia Iuſtiniani Imp. 541. I.

Conſulatum Imperatori vna cum Imperio iugiter inhærere idem voluit. ibid.

Conſultationes ad Sedem Apoſt. vndique frequentes, à magnis viris, Eccleſiis, Synodiſque. 179. II. 253. XIII. 259. XIII. 382. VI. 397. XIX. 404. XIX. 447. I. 452. X. 465. IV. 487. I. 502. VI. 520. III. 535. III. 538. V. 601. V. 604. II. 726. XII. 744. III. 806. IV. 809. IV. 851. II. 864. III. 905. I.

Conſultationum Epiſcoporum mos antiquus. 452. X.

Continentiam perpetuam Eſſeni obſeruarunt apud Iudæos. Appar. VIII.

Continentia inter coniuges ex conſenſu mutuo, in antiqua Eccleſia. 57. XIV. Recentiora perpetuo continentium cōiugum exempla. 475. V. 665. III. 777. II. 783. I. 1024. IV. 1043. I. 1063. I.

Eadem ad tempus ad vacandum orationi, præſcripta coniugibus. 57. XIV.

Præpoſita coniugio. ibid. XVIII. Vide *Coniugium Virginitas*.

Continentia clericorum coniugatorum, ab ipſo Eccleſiæ exordio. Vide *Cœlibatus. Coniugati*. Ab ea quos exemerit Concilium Ancyranum. 314. X. Sed correxit Magna Synodus Nicæna. 325. XI. 58. IX.

Eademque poſtea firmata in Concilio Conſtantinop. ſub Chryſoſtomo. 400. XIII. in Turonenſi Secundo. 570. V. A Gregorio Magno. 591. IV. V. Concilio Toletano. 601. VII. Romano ſub Zacharia. 743. IV. Anglicano. 970. II. Vide etiam *Clerici incontinentes*, & *Nicolaitæ*.

Continentiæ prætextu fœminas debere viros ſuos deſerere, habitumque mutare, docuerunt Euſtathiani. 319. IX.

Conuentus Chriſtianorum, ad ſumendam Euchariſtiam, & Agapes, celebrandas, quales olim. 57. XXXIX. XL.

Alius Eccleſiaſticus à Paulo Corinthiis præſcriptus. ibid. XLVI. cuius veſtigia in Officio Matutino, & in inſtitutione Congregationis Oratorii. ibid. Forenſium & Eccleſiaſticorum, apud Iudæos diſtinctio. ibid. L.

Conuentus Chriſtianorum vetiti à Traiano, eoque nomine dire vexati. 100. III.

Agi ſoliti etiam in maximis perſecutionibus. 303. III.

In baſilicis martyrum fieri ſoliti, damnati ab Euſtathianis. 319. IX.

Hæreticorum, prohibiti à Chriſtianis Impp. 326. IV. 372. XIV. 396. I. 383. VII. 388. VI. & alibi ſæpiſſime. Gnoſticorum, quam turpes. 120. XIV. Vide *Libido & Turpitudo*.

Conuerſio mirabilis ad Chriſtianiſmum, S. Pauli. 35. II.

Eunuchi Reginæ Candacis. 35. XV. Cornelii Centurionis. 41. II. S. Theclæ. 47. III. Dionyſii Areopag. 52. IV. Iuſtini philoſophi & martyris. 130. IV. Æditui idolorum. 253. XXXI. Arnobii Rhetoris. 302. IX. Conſtantini Magni. 312. IV. Auguſtini. 385. I. Reliquorum ſiue hominum, ſiue populorum, vide ſub ſingulis eorum nominibus.

Conuiuiorum Iudæorum, & præcipue Paſchalium, ritus. 34. X. & ſeqq. Quænam de iis obſeruarit Chriſtus. ibid.

Conuiuia publica veterum Chriſt. multiplicis generis. 57. XL. Vide *Agape*.

Conuiuia regia Pont. ff. Romanorum, carpuntur ab Ammiano Ethnico, & defenduntur exemplis Sanctorum. 367. IV. V. Qualia ea eſſe ſolerent. ibid.

Corban dicebantur, qui voto Nazaræorū ſe obligabant. 53. V.

Corbinianus è Germania veniens ad Limina Apoſt. à Gregorio II. creatur Epiſcopus Friſingenſis, & accipit Apoſtolatum ad gentes. 76. II. Petit miſſionem ab onere, nec obtinet. 724. II. Boioariæ Ducem de inceſtu reprehendens, periclitatur à pellice, ſed diuinitus liberatur; peccatores vero relapſi miſere pereunt. ibid.

Corbonæ, dicta gazophylacia ad recondendas oblatas pecunias. 44. XXXI.

Cordubenſis in Hiſpan. Eccleſiæ dira afflictio, & ingens martyrum numerus, ſub Salacenis. 821. III. 850. I. 9. 3. I. 851. II. 352. II. ibid. 859. I. 923. I. 935. I. 975. II.

de Corepiſcopis epiſtola ſpuria Ioannis III. Papæ. 572. I.

Corinthiis Paulus prædicat. 52. V. & ſeqq annis. 74. Itemque Apollo. 54. I. ſed & Petrus. 57. II.

Contendunt de ſuis in fide præceptoribus. 57. III. ibid. Ad eos Paulus ſcribit Epiſtolas. 57. I. ibid. & 58. XVII. itemque Clemens Papa. 95. I. Fuerunt olim admodū libidinoſi. 57. XIII. Facti Chriſtiani, virgines ſuas velare conſueuerūt. ibid. XVIII.

Corinthium Concil. de die Paſchatis, auctoritate Victoris PP. 198. I.

Cornelius Centurio, primus omnium Gētilium admittitur à Petro ad fidem Chriſti. 41. II. Fit poſtea Epiſcopus Cæſarienſis. ibid. III.

Cornelius poſt annuam Sedis Ro. vacationem, creatur inuitus, digno iudicio, Pontifex. 254. IV & aduerſus eū in Schiſmate (quod primum in ea Eccleſia fuit) Nouatianus presbyter. ibid. IX.

Concilia celebrat in cauſa Lapſorum, contra ſchiſmaticos. 254. XI. 255. I. Fuit ei conſuetudo litterarum de rebus Eccleſ. cum Cypriano Carthaginenſi 254. XIII. 255. III. VII. Exul ob fidem mittitur Centumcellas. 255. VII. Martyriū ſubit. ib. Clarus inter Scriptores Eccleſiaſticos. ibid. VIII.

Corona Domini ex ſpinis fuit, non ex iunco marino. 34. XXVII. Ob eius reuerentiam, abſtinebāt antiqui Chriſtiani coronis è floribus. ibid. Eius pars delata in Galliam. 542. III.

Corona aurea, ornamentum capitis antiquorum Pont. ff. omnium religionum 34. XXVII. XXVIII. Triplici ordine ducta, ornamentum capitis Summorum Pontiff. Hebræorum. ibid. XXVII.

Corona Laurea Vide in *Laurea*.

Corona dicta raſura capitis Eccleſiaſticorum, & quare. 58. LIV. In ſcriptis Coronam epiſcoporum, obteſtari ſoliti antiqui Chriſtiani. ibid.

Coronam auream Clodoueus Franc. Rex mittit Hormiſdæ Papæ. 514. II.

Coronari ab Epiſcopis Conſtantinop. iam antiquitus ſoliti Impp. Orientis. 491. II. 519. IV.

Corpora appēſorum in patibulo, apud Iudæos ante occaſum Solis ſepelienda erant. 34. XL. Priuatis ſepulchris ſeparatim collocanda, vna cum inſtrumentis ſupplicii quo quis affectus fuerat. ibid. XLI.

Corpora defunctorum condiendi, ritus Ægyptiorum & Iudæorum. 34. XLVIII. Chriſtianorum etiam, vnguentis delibuta ſepeliri ſolita. ibid. XCII. Vide etiam *Defuncti Funus Sepultura*.

Corpori Dominici meatus, quo ad cælos aſcendit numquam potuit Eccleſia erecta obſtrui. 34. LXIV.

Corporum reſurrectionem, & ſalutem, negabant Baſilidiani, aliique. 129. IV. Vide *Reſurrectio*.

Corpus Stephani Protomart. feris expoſitum, intactum permanſit. 34. XCI. Martyrum, cōburi ſolita, vel in aquas proiici, ne à Chriſtianis colerentur. 109. II. 179. II. 302. V. Effodi quoque ſolita à Gentilibus. 201. VIII. 302. V. atque etiam pretio diſtrahi. 305. II. Vid. *Martyres*.

Corpus Paulophili Epiſc. Ariani, effoſſum a Gentilibus ſub Iuliano Apoſt. 362. XXXIV. Gregorii Alexand. & ſociorum cremata. & cineres in mare proiecti. ibi. XXXVI. Iuliani Apoſtatæ renuit terra ſuſcipere. 363. XV. Conſt. Copronymi Imp. effoſſum poſt mortem à Catholicis. 775. II. Formoſi PP. a Stephano & Sergio. 897. II. Plurimorum aliorum, vide ſub ſingulis eorum nominibus: & adde. 1105. IV. 1106. III. in fin. 1135. II. 139. V.

Corpora

Corpora Sanctorum. Vide *Reliquia*.

Corrupticolarum hæreſis, qua occaſione orta, & quæ doceret. 519. XII 563. I.

Coſmæ & Damiani, aliorumque trium ipſorum fratrum, martyrium ſub Diocletiano. 285. I.

Coſthoes Perſ. Rex bellum infert Iuſtiniano Imp. 539. II. Syriam vaſtat, & Antiochiam incendit; tributumque ei ab Imp. pro pace promittitur. 540. VIII. IX. Alias iterat irruptiones. 543. II. Virtute Imaginis Chriſti, repellitur ab inuaſione Edeſſæ. 545. II. In Colchide delet exercitum Romanorum. 554. II. Multis aliis victoriis obtentis, tandem omnino profligatur à ducibus Tiberii Imp. & præ mœrore moritur miſerabiliter. 581. I. Aſſeritur à nonnullis, in fine baptiſmum ſuſcepiſſe. ibid.

Coſthoes alius, ſuperioris nepos, erectus à ſubditis in patrem Hormiſdam, infeliciſſime eum perire facit. 590. XV. Inde rebellantibus aduerſus eum militibus, confugit ad Mauritium Imp. ibid. Reſtituitur à Romanis in regnum, & ſacra donaria mittit ad eccleſiam S. Sergii martyris: haud tamen conuerti ut ad fidem. 591. III.
Mouet arma in Phocam Imp. in vltionem necis Mauritii. 604. IX. Syriam deuaſtat, nulla obice. 607. III. Alias ingentes infert clades Imperio. 608. I. 612. IV. 611. I. ibid. 613. I. Oblatum pro pace tributum annuum ab Heraclio reſpuit. 613. I. Hieroſolymam capit, loca Sancta comburit, & Crucem Domini captiuam abducit in Perſidem. 614. VIII. Inuadit Ægyptum & Lybiam, capitque Carthaginem. 615. I. 616. II. ibid.
Rurſum petitam ab Heraclio pacem, denegat niſi Imp. cum ſuis Chriſtum abnegarent. 617. III.
Eius exercitus vincuntur ab Heraclio. 621. II. 622. I. ibid. 623. I. 624. I. 625. II. 626. II. Præ rabie eccleſias regni ſui donariis ſpoliat, & Chriſtianos omnes ad Neſtorianiſmum cogit. 624. I.
Anaſtaſium Perſam monachum martyrio coronat. 627. I.
Fugiens Heraclium, à proprio filio Syroe capitur, illuditur, & miſerrime necatur. ibid. II.

Coterelli hæretici & graſſatores, damnantur in Concilio Lateran. ſub Alexan. PP. III. & armis coerceri iubentur. 1179. III.
Eorum nefanda ſcelera 1183. IV. Extirpantur ex Gallia ab exercitu Regis Philippi. ibid.

Coyacenſe Conc. in Hiſpan. de Eccl. & regni diſciplina. 1050. III.

Craticula, in qua Laurentius aſſatus eſt, miraculis coruſcat. 261. II.

Creatorem & creaturas execrabatur Marcion; & quænam in eorum odium egerit. 146. VII. item ut Manes 277. X. Vide etiam *Deus Hebræorum. Carnis Reſurrectio.*

Creaturæ benedictione ſanctificandæ. 132. II. Vide *Benedictio.*

Crede Chriſtianorum præſtantia defenſa à Gregorio Nazianzeno aduerſus Iulianum Apoſt. illud irridentem. 362. LVIII.

Credentes olim vocati Chriſtiani omnes. 43. IV.

Creſcens diſcipulus Pauli, Apoſtolus Galliæ & Galatiæ. 59. VI.
Martyrium ſubit in Gallia ſub Traiano. 110. III.

Cretenſes olim falaciſſimi, poſt excultam Chriſtianitatem caſtiſſimi. 58. VI. Eorum Epiſcopus creatus à Paulo Titus. 57. LXIV.

Creta inſula obtinetur à Saracenis. 822. III. Vnde ea dicta Candia. ibi. Recuperatur à Græcis. & illuſtratur prædicatione & miraculis S. Niconis. 961. III.

Crines. Vide *Capilli.*

Criſpini & Criſpiniani martyrium ſub Diocletiano. 303. IX.

Criſpus filius Conſtantini Magni, ex Mineruina priori coniuge. 307. III. Creatur à patre Cæſar. 315. II. Literis eruditur à Lactantio. ibid. Eius virtus in bello Liciniano. 318. IV. Vincit Alemannos. 320. I. Interficitur à patre calumniis nouercæ. 324. I. Eius virtutes, & religio. ibid. V.

Clotildis Regina. Vide *Clotildis.*

Crucis ſignum fuit apud Iudæos & Ægyptios, ſalutis inſigne. 34. XXIX.

Cruce damnatis quæ ſolita eſſent exhiberi miniſteria à Iudæis. 34. XXX. & ſeqq. ibid.

Crux Dominica virtutem multiplicationis habuit. 34. XLII. Inuenta ab Helena Aug. & miraculo diſtincta à reliquis latronum. 326. VII. & ſeqq. Ea in partes diuiſa, & vna delata Romam, alia Conſtantinopolim. ibid. X.
Quæ vero maxima pars relicta eſt Hieroſolymis, iugi miraculo peregrinis per particulas diſtributa, ſemper tota integra permanſit. ibid. Adoranda proponi ſolita tempore Paſchatis, iſque mos in vniuerſam vbique Eccleſiam propagatus. 397. II.
Eiuſmodi adoratione, Crux Apamex viſa eſt circumdata igne non comburente. 540. IX.
Eius portiuncula, dono data S. Radegundi Reginæ ab Imp. frequentia edi ſolita miracula. 566. VI.
Ex notis eius ſacratiſſ. ligni, liquor odorifer & ſalutifer profluit. 598. IV. 663. I.
Abducitur captiua in Perſidem à Coſthoe Rege, ingentemque eis terrorem incuti, vt nec eam aſpicere auſi ſint. 614. VIII. X.
Captiua debellat Perſas, eorumque Imperium extinguit. 622. II. 628. II.
Extincto Coſthoe, redditur Heraclio à nouo Rege Syroe, & inſigni pompa refertur Hieroſolymam. 627. III. Reſtituitur ab Imperatore in locum Caluariæ, illuſtri edito miraculo, inſtitutumque eſt feſtum Exaltationis eius 628. I. Defertur ab eodem Heraclio Conſtantinopolim, ne pateret incurſionibus Arabum, ſiue Saracenorum. 633. I.
Eius portio inuenta Romæ à Sergio Papa, proponi conſueuit adoranda in die Exaltationis eius. 701. I
Eiuſdem ſanctiſſ. Ligni virtute, ingentes partæ diuinitus victoriæ à Chriſtianis Latinis aduerſus Saracenos 1101. III. 1105. V. 1120. V. 1123. II. 1134. IV. Capitur à Saladino Hieroſolymis, & ignominioſe flagellatur. 1187. III.

Crucis ſigni vſus in ſingulis quibuſque actibus, ex traditione Apoſtol. & potiſſimum ad pellendos dæmones. 60. III.
Illud facere prohibebit Antichriſtus. ibid.

Crucis Chriſti inimici, Simon magus, Cherinthus, Baſilides, & alii qui Chriſtum paſſum negarent. 60. II. 120. VI. ac pariter Mahometes. 630. II. Bongomili. 1118. XII.
Petrus de Bruis. 1126. VI. Henricus. 1147. VIII.

Ex Crucibus ſolita à Gentilibus ſumi amuleta morborum. 218. II.

Crucem horrent dæmones, eaque fugantur. 60. III. 253. XXI. 351. III.

Crucem pro phylacterio, mittit Gregorius Magnus ad infantulum regium. 604. I.

Crucis apparitiones. Vide *Apparitio.*

Crucis ſupplicium ſublatum à Conſtantino. 325. LII.

Crucis ſignum humi inſculpi, ne conculcetur, prohibent Impp. 427. II.

Crucis ſigno eruptio maris cohibita à S. Hilarione. 365. IV.
Peſtis animalium ſanata. 376. III. Immenſus draco extinctus à S. Donato Epiſcopo. 394. XVI. Paralyticus curatus. 420. IV.
Dæmon fugatus à S. Gennadio. 471. I. & à Iuliano Apoſt. 351. III. Cæcus illuminatus ab Eugenio Carthag. 484. VII. Dæmones fugati in Perſide. 515. V. Peſtis Turcarum infidelium ſanata. 591. I. Ingentia miracula edita à Theodoro Siceota. 598. VI. Incendium extinctum à Leone PP. IV. 847. V. Ignei globi repulſi. 944. V. Ægri curati à Roberto Rege. 1033. IV.

Crucis virtute hoſtes vincit Conſtantinus. 312. IX. 313. III. 317. II. 318. III. 330. XI.

Crux contra Crucem viſa primum in bello Conſtantii Imp. Ariani contra Magnentium tyrannum. 353. II.

Crucis victoria vbique prædicata, poſt necem Iuliani Apoſtatæ. 363. XV.

Crucis virtute victus Alaricus apud Pollentiam 403. XI. Apamenſes liberantur à Coſthois inſultu. 540. IX. Impeditur ædificatio templi Saracenorum Hieroſolymis. 643. I.

Cruces ab initio Eccleſiæ, erigi conſuetæ ad venerationem. 57. XXXVI. 88. 60. III.

Crucis titulo ſiue vexillo, mancipari olim ſolitæ eccleſiæ cultui diuino. 112. III.

Cruce panes conſignabant tam Iudæi & Gentiles, quam Chriſtiani. 58. XXIV.

Crux S. Thomæ Apoſtoli ſanguine tincta, miraculis illuſtratur. 57. XXXIV. aliaque à Conſtantino Magno erecta Conſtantinopoli. 330. III. & lignea, à S. Oſualdo Angl. Rege conſtructa aduerſus hoſtes Paganos. 634. II.

Cruce Labarum ornat Conſtantinus. 312. IV. eamque in cunctis ſuis imaginibus iubet apponi. 325. LII.
Olim pariter exprimi ſolita in militaribus ſignis Gentilium Ro. 312. IV. Luciſſimam ponit Angelus ſuper pyramidem ſepulchri Sultanæ mortuæ Chriſtianæ. 1069. VI.

Crucem Iudæi comburere ſoliti, prætextu incendendi Aman, antiqui illorum hoſtis. 408. IX. Vide etiam *Puer.*

Cruces igne comburens Petrus de Bruis hæreſiarcha, igne ipſe comburitur à Fidelibus. 1126. VI.

Crucem deiicere conantes Saraceni, immiſſis cælitus fulguribus pereunt. 1169. VI.

Cruces inter ſe vehementer ſponte conculſæ, portendunt mala euentura. 607. III.

Cruces priuſquam adorarent, baptizabant Armeni. 863. V.

Crux antiquo more ferri ſolita à Subdiaconis Eccl. Rom. ante Pontificem equitantem. 855. IV.
Data pro inſigni Bulgaris recens factis Chriſtianis, à Nicolao Papa. 866. II. Ante Regem Hungariæ Stephanum, ceu Apoſtolatus inſigne deferri; conceſſit Papa. 1000. II. Conſtituta teſſera militaris Sacri Belli ad recuperationem Terræ Sanctæ. 1095. V. Variatus earum color, ad diſtinctionem militum diuerſorum Principum 1188. II. Suſpendi ſolitæ ad collum, poſt finitam peregrinationem Hieroſ. 1191. V.

Cunonis electi Treuirenſis martyrium. 1066. V.

Curbicus ſeruus, qui poſtea dictus Manes hæreſiarcha. 277. V. Vide reliqua in *Manes.*

Curſoris officium in antiqua Eccleſia. 44. XXXIV. 58. XL.

Cyclus Paſchalis. Vide *Paſchal. Cyclus.*

Cyprianus Rhetor & Senator Carthag. ex neophyto, & vxorato, creatur iam ſenex eius vrbis Epiſcopus. 250. I. III.
Nobile ipſius genus, & mira eloquentia. ibid. II. Quæ feruntur de ipſius magia, ſunt alterius Cypriani. ibid. In per-

ſecutione

ſecutione Decii quæſitus ad necem, peculiari Spiritus S. monitu petit latebras nec tamen curam deſerit Eccleſiæ ſuæ. 253. IX. In cauſa Lapſorum, conſulit Clerum Rom. Sede vacante. ibid. XIII. Frequẽtibus diuinis viſionibus confortatur in latebris. ibid XIV.

A tuerſus eum ſchiſma conflat Feliciſſimus presbyter Carthag. qui ab eo excommunicatur 254. III. Concilia celebrat in cauſa Lapſorum, aduerſus ſchiſmaticos. 254. XI. 255. II in cauſa presbyteri tutoris conſtituti. 257. VI. in cauſa Baſilidis, & Martialis Epiſcop. Hiſp. 258. II. in cauſa baptiſmi hæreticorum ibi. VII. VIII. Sæpe agit cum Cornelio PP. de rebus Eccleſ. 255. II. III. VII. Damnans ipſe baptiſmum hæreticorũ, obloquitur in Stephanum PP. eum approbantem. 258. VIII. ſed reſipiſcit. ibid. XI. Scribit aduerſus Gentiles pro Chriſtianis 256. II. Expetitur acclamationibus populi ad leonem. 255. IV. Exulat ob fidem. 260. III. Subit martyrium ſub Valeriano. 261. IV. Eccleſiæ erectæ in eius memoriam ibi. V. Eius opuſcula cur inter apocrypha. ibid. Paſſionis Acta quænam ſincera. 260 III.

Oſſa longe poſtea transferuntur in Gallias. 806. V.

Cyprium Concilium ſub Epiphanio, aduerſus Origenitas, 399. VIII. Aliud contra Monothelitas. 643 III.

Cypri Eccleſia, libera à ſubiectione Antiochenæ, ob corpus S. Barnabæ Apoſtoli ibi quieſcens. 485. II.

Cyprus inſula occupatur à Saracenis. 648. IV.

Recuperatur à Nicephoro Phoca Imp. 964. VII.

Capitur à Richardo Angliæ Rege. 1191. VI.

Cyriacus quidam fingitur à nonnullis datus ſucceſſor Pontiano Papæ. 237. VI.

Cyriacus diaconus verum baptizarit Regem Perſarum. 309. IV.

Cyriacus quidam, ex Iudæo factus Chriſtianus, reuelauit Helenæ Auguſt. locum vbi latebat S. Crux Domini. 326. IX.

Cyriacus eligitur Conſtantinop. Epiſcop. 596. I.

Recepit eum Gregorius PP. in communionem, ſed vetat Apocriſiarium ſuum ei communicare in ſacris, niſi deponat nomen Oecumenici. 597. I.

Reſiſtit Phocæ Imp. pro immunitate eccleſiaſt. 606. II.

Phoca decernente titulum Oecumenici non conuenire Epiſcopo Conſtantinopolitano, mœrore confectus moritur. ibid.

Cyrilla virgo ſacra, filia Tryphoniæ coniugis Decii Imp. martyrium ſubit ſub Claudio Iuniori. 269. III.

Cyrillus Alexand Epiſcopus creatur, poſt obitum Theophili auunculi ſui. 412. IX.

Summa eius auctoritas in rebus politicis illius ciuitatis. ibid.

Diu offenſum animum in Chryſoſtomi memoriam retinens, tandem diuina viſione cogitur eius nomen in ſacra Diptycha referre. ibid.

Iudæos Alexandria pellit, occaſione motæ ab illis ſeditionis. 415. VIII. Carpitur ſæpe à Socrate maleuole, eo quod Nouatianos quoque expulerit. 412. IX. 415. VIII.

Scribit aduerſus hæreſim Neſtorii, à quo ipſe probris vbique infamatur. 429. IV.

Agit aduerſus eum apud Cæleſtinum PP. à quo vices Apoſt. Sedis in hoc negotio accipit, palliumque in ſignum plenæ poteſtatis. 430. IIII.

Concilium Alexandriæ aduerſus Neſtorium celebrat, damnatiſque eius hæreſibus, legatos mittit qui hæc Conſtantinopolim perferant. ibid. V. Accuſatur ipſe à Neſtorio hæreſis Apollinaris. ibid. VII. Eius Capitula. Vide *Capitula*.

Præeſt Concilio Oecum. Epheſ. nomine Cæleſtini Papæ, vna cum aliis Legatis Apoſtol. 431. V. Poſt damnatum in Synodo Neſtorium, ſeorſum conuenientibus eius fautoribus vna cum Ioanne Antiocheno, damnatur ab eis Cyrillus tamquam hæreticus. ibid. X. Purgat ſe in Synodo Oecum. XIV. Falſis relationibus a Neſtorianis ad Imperatorẽ miſſis, ipſe carceri mancipatur XVII. Apologiam ſcribit, & reſtituitur. XIX. XX.

Reconciliatur ei Ioannes, aliique aduerſarii. 432. V. Variæ calumniæ de ea pace inita. ibid. VI. Scripta aduerſus eũ aboleri iuſſa, Imperiali & Synodali decreto ibid. & 448. I. Agit aduerſus ſcripta Diodor Tarſ. & Theod. Mopſueſt. 435. II. Scribit contra Iulian Apoſt. commentarios, occaſione reuiuiſcentis idololatriæ. 439. III Moritur. 444. III. Eius ſcripta. ibid. An fuerit monachus montis Carmeli. ibid. V. Eius heredes & affines, dire a Dioſcoro ipſius ſucceſſore oppreſſi. ibid. VI. 445. I.

Cyrilli Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſcopi, plures ponuntur. 351. IXX. Auctor Catecheſeon, ſæpe Eccleſia pulſus & receptus, ob Arianorum & Semiarianorum inter ſe conflictationes. 351. IX. X. Scribit ad Conſtantium Imp. de ſigno Crucis viſo in Golgotha, hortaturque ad fidem Conſubſtantialis. 353. IX. Abdicatur ab Acacio Cæſarienſi, ob defenſionem Conſubſtantialis, & quod ipſi Acacio quæſtionem mouiſſet de Primatu Palæſtinæ. 359. XXI.

Intereſt Concilio Oecum. Conſtantin. 381. II. Moritur. 386. XIV.

Cyrillus monachus, fideliſſ. ſcriptor rerum geſtarum plurimorum ſanctiſſ. virorum. 491 V.

Cyrini, ſiue Quirini, cenſus, vel deſcriptio Iudææ, tempore Natiuitatis Chriſti appat. XXVIII.

Cyriani hæretici, progenies Arianorum. 360. XI.

Cyrus Panopolita, homo Ethnicus, ducẽ agit exercitus ſub Theodoſio Iuniori Imp. & aliis ampliſſ. gerit honoribus. 439. IV. Ad tantam potentiam peruenit, poeticis facultatib. notus factus Eudociæ Aug. 441. I. Inuidia Theodoſii in ordinem redactus, Chriſtianus fit, & Epiſcopus. ibid.

Cyrus Phaſidis Lazorum Epiſc. Monothelitarum hæreſim inſinuat Heraclio Imp. 629. II. Transfertur ab eo in ſedem Alexandrinam. 630. IV. ibid. Concilio celebrato, prædictæ hæreſi viam aperit. & quibus progreſſibus in apertam impietatem peruenerit, qualiterque egerit cum eo Honorius Papa. 633 II. & ſeqq. Moritur. 640. III. Damnatur eius memoria in Sexta Synodo Oecumen. 681. II.

D ante A

DAci victi à Traiano. 103. III. 105. I. & à Conſtantino Magno. 337. V. Notis frontes ornare ſoliti. 315. V. Conuerſi ad fidem à S. Niceta, qui eorum fuit Epiſcopus. 396. V.

Dæmones perterriti de nato Chriſto, coacti ſunt de eo reſponſa dare Appar. XIII. Annal. num. VI. Vide etiam *Simulacra. Oracula. Idola. Dii. Diabolus.*

Dæmonibus vexandi aliquando traditi, nõ ſolum flagitioſi homines, ſed & innocẽtes pueri, & iuſti viri. 56. IV.

Dæmones eiicere. Vide *Exorciſta*.

Dæmones horrent Crucem, eaque fugari ſoliti. Vide *Crux*; Horrent etiam præſentiam Chriſtiani hominis. 362. IV. Eiicit Gregorius Thaum at. ex templo Gẽtilium, & in eumdem locum remittit ad conuerſionem æditui. 253 XXI. Fugantur aqua benedicta. Vide *Aqua bened.* Torquentur à Sanctis. Vide *reliquiæ*. Per excrementa, ſputa, mucum &c. ab hominibus foras egredi, deliabant Maſſaliani. 361. XI.

Miſſi ad occidendum Ambroſium, cum adire non poſſunt: torquenturque ab eo viuo, & mortuo. 387. IV. 397. IX.

Dæmones familiares ſoliti haberi a magis, ad res abſentes cognoſcendas. 98. V. forma draconis 271. III. Habuit & Iulianus Aug. qui aliquando detentus eſt vno loco decem diebus, precibus cuiuſdam monachi. 363. IX.

Habuit etiam Marcus hæreſiarcha. 175. VIII itemque Carpocratiani hæretici. 120. XII. Eorum illuſionibus mire dementati Maſſaliani. 361. IXX. fœminæque ſortilegæ. 382. Vide *Sortilegia*.

Dæmones in materiam eſſe refundendos, aſſeruit Hermogenes hæreſiarcha. 170. IV. Eſſe ſaluandos, credidit, Origenes. 414. V.

Dæmonem in ſe habitantem habere quemque hominem, eumque ſola oratione fugari, docuerunt Maſſaliani. 361. IX.

Dæmonum, ſiue ſpirituum exercitum in homine habitare, qui ſunt paſſiones, dixit Baſilides. 120. IX.

Dæmones nõ niſi à Chriſtianis fugari poſſunt. 325. V.

Dagobertus filius Clotarii Regis, datur à patre inſtituendus S. Arnulpho Metenſi Epiſcopo. 614 VI. Adſciſcitur a patre in conſortium regni. 626. V. Mortuo patre ſolus potitur monarchia Galliarum 631. II. Colit ſanctos Epiſcopos. ibid. III. Vxore repudiata prætextu ſterilitatis puellam è monaſterio raptam ducit: & obiurgatus ab Epiſcopis, inter alios pellit S. Amandum 631. II. Redditur meliori frugi, & ex legitimo coniugio auctus filio, ad eum baptizandum reuocat Amandum, & flexis genibus veniam exorat. 639. VI. Eccleſias Galliæ patrimonii ſui heredes facit. 644. II. Moritur & poſt mortem eripitur e manibus dæmonum per Sanctos, quorum ipſe præcipue eccleſias ornauerat. 647. II.

Daibertus Archiep. Piſanus, mittitur ab Vrbano PP. Legatus in orientem, ad diſponendas res eccleſ. in expeditione Latinorum. 1098. IV. Creatur Patriarcha Hieroſolymitanus. 1099. VIII. Contendit cum Balduino Rege, pro iuribus illius Eccleſiæ. 1100. VI. Pulſus ab eo, petit Romam pro reſtitutione. 1104. III. In reditu moritur in Sicilia. 1107. IV.

Dalmatiæ & Croatiæ Regnum erigitur à Gregorio PP. VII. & fit vectigale Eccleſiæ Rom. 1076. X.

Dalmatica, quod genus veſtis. 283 IV. Ea tegenda corpora martyrum. ibid. Aliorum autem corpora iis tegi, vel ipſorum Summorum Pontiff. prohibuit Gregorius PP. & quare. ibidem. & 595. VI.

Dalmatius, ſiue Dalmatianus, Epiſcopus Cyzicenus, collegit Acta Concilii Nicæni. 324. XVIII. 325. VII.

Damaris vxor Dionyſii Areopag conuertitur ad fidem vna cum eo, a Paulo Ap. 52. IV.

Damaſus creatur Rom. Pont. & contra eum Vrſicinus multa ciuium cæde. 367. III. 384. VI. Toto tempore ſedis ſuæ exagitatur à ſchiſmaticis, & calumniis impetitur. ibid. Pro vnione Eccleſiæ nuncupat vota Martyribus ibid. Conciliis Romæ celebratis, Auxentium, Valentem & Vrſacium, aliosque Arianos, cum eorum erroribus damnat. 368. IV. Mittit S. Zenobium Conſtantinopolim, ad

ſubuentendum ei Eccleſiæ ab Arianis afflictatæ. 370. VI. Committit Paulino Antiocheno receptionem hæreticorum in Oriente. 373. I. Synodali decreto damnat Apollinarem, cum ſuis erroribus & ſectatoribus. ibi.
Congregandum curat Concilium Oecumen. Conſtantin. 381. II. Confirmat illud in rebus fidei. ibid. VI. Reiicit Priſcillianum, ad ſe Romam venientem. ibi. XIV. Celebrat Romæ Concilium, ob turbas Antiochenas & Conſtantinop. 382. I. Vtitur S. Hieronymo in conſcribendis epiſtolis decretalibus. ibid. VI.
Migrat in cœlum, miraculis, & ſcriptis clarus 384. II. III. De quibuſdam ei tributis inſtitutionibus Eccleſ. ibid. & IV. Ei adſcriptus liber de Rom. Pontif. longe poſtea conſcriptus eſt ab Anaſtaſio Bibliothecario. 45. XIII.
Damaſus II. creatur, & poſt 23. dies moritur. 1048. I.
Damianiſtæ hæretici, ſecta Acephalorum. 535. XIV.
de Damnatorum ad inferos ſaluatione; plurimi exorti errores ex Origenis Periarchon. 414. V. Vide etiam *Inferi. Salus.*
Damnationes quorumdam oſtenſæ ſeruis Dei. Vide *Anima. & Viſiones.*
Damnationis mortis ſententia. Vide *Sententia.*
Dani à quibus conuerſi fuerint ad fidem. 826. V.
Iidem dicti Northmanni. 845. IV. Vide *Northmanni.* Alii adhuc ethnici miſerabiliter Angliam deuaſtant. 870 IV. 874. III. 1011. III. Eorum Eccleſia iterum refloreſcit, opera Henrici Regis, & Vnni Archiep. Hamburg. 930. I. In Anglia omnes vbique vna condicti die necantur. 1012. IV. Ruſſum eam occupant. 1014. VI. 1016. I.
Illud regnum fuit vectigale Rom. Eccleſiæ. 1062. VI. Proprium recipit ab Vrbano II. P. Metropolitam, cum antea ſubiaceret Hamburgenſi. 1092. II.
Daniel Stilita, Simeonis diſcipulus, diuinitus vocatus, eodem die quo Simeon obiit, aliam columnam aſcendit. 460. III.
Eius quoque cucullum ſuſcipit. ibid. Viſitatur à Leone Imp. eumque liberat à periculo; & prolem maſculam ei impetrat. 461. VI.
Variis legationibus à Patriarcha Conſtantinop. accerſitus, & cœleſti voce iuſſus; eo veniens; miraculis & prodigiis compeſcit inſultus Baſiliſci tyranni Eutychiani. 476. VI.
Migrat in cœlum, Angelis comitantibus. 489. II.
Daniel clericus, creatur Franc. Rex, nominaturque Chilpericus. 715. IV.
Daphnes oraculum Apollinis obmuteſcit translatione reliquiarũ S. Babylæ mart. 351. II. 362. XXIII. Poſt eaſdem inde amotas à Iuliano, Daphne conflagrat igne cœleſti. 362. XXV.
Eam conflagrationem lugent Ethnici, luunt innocentes Chriſtiani ibidem & XXVII.
Dauidis ſepulchrum quamdiu perdurarit. 34. LXXI.
Eius familia à Veſpaſiano Imp. deleri iuſſa. 71. V. in fin. 73. IV. A Domitiano quoque inquiri iuſſi qui eſſent ex ea, inuenti, tamquam abiecti liberi dimiſſi ſunt. 85. II. 93. II.
Debitores olim tortoribus tradi, aliiſque crudeliſſ. pœnis ſubiici ſoliti. 33. XI. Ne cruciarentur, Conſtantinus vetuit ibid.
Ad eccleſias confugientes extrahi, aut debita ab Epiſcopis ſolui, iuſſit Theodoſius Magnus. 392. V.
Decalogi præcepta contempſit Manes. 277. X.
Decem Perſecutionum numerum myſticum quidam conſtituerunt, cum fuerint multo plures. 316. VI.
Decentius frater Magnentii tyranni, creatur ab eo Cæſar. 350. II. Victus cum fratre à Conſtantio Imp. impacto ſibi laqueo moritur. 353 III.
Decimæ fructuum quorumcumque, iure naturæ & diuino à laicis debitæ Clericis 57. XXIII. Eaſdem ab Opificibus, & tam ab emptoribus quam venditoribus perſolui, Chryſoſtomus voluit. ibid. in fi.
Decimas & Primitias non ſoluentes, excommunicati in Concilio Rom. ſub Damaſo. 382. V.
Non eſſe ſoluendas Sacerdotibus indignis, aſſeruerunt Albienſes hæretici. 1176. II.
Nulla occaſione debent à Regibus exigi de Eccleſiaſticis. 1183. II.
Decimas & Primitias Iudæi poſt exciſas Hieroſolymas, vbiq; pendebant Patriarchæ ſuo: & quid de eis ſtatuerint Imperatores. 129. X.
Decimæ Saladinæ, pro expeditione in Terram Sanctam. 1188. II.
Decius, viuentibus adhuc Philippis, acclamatur Imperator, & filium ſuum Decium collegam ſibi adſciſcit. 253 II.
Perſecutionem crudeliſſimam mouet in Chriſtianos. ibid. IV. Ea dicta etiam Valeriani, & quare. ibid. XVI. XXII. Malè perit in bello Gothico, proditione Galli poſtea Imperatoris, ſed vltione diuina. 254. VI.
Eius, ſiue filii, vxor inter SS. adſcripta ibid.
Decreta Eccleſiis non ſanciri abſque Rom. Pontificis auctoritate, eſt antiquiſſimus Eccleſiæ canon. 325. V. 286. XLV. 341. II. Vide *Fides. & Rom. Pont.*
Decreta de Fide, non decedit notari tempore quo ea conduntur, ſicut alia. 325. XXIX.
Decretales Epiſtolæ dictæ, quibus Romani Pontiff. aliquid decernebant ſeruandum vitandumve. 142. VIII. Eiuſmodi Epiſtolæ primorum Pontiff. fruſtra impugnatæ à Nouatoribus. 102. III. Legi in Conciliis ſolitæ primo loco. 418. V. Quinam eas in vnum collegerint, & quanti ſint faciendæ. 865. II. III. IV. Quæ fuerit Epiſcoporum Gallor. de iis dubitatio apud Nicolaum Papam. ibid.
Dedicationes eccleſiarum, pertinent ad cultum Latriæ, & ideo fiunt tantum, ſed in memoriam Sanctorum. 330. II. Ad dedicationes magnarum eccleſiarum vocari vndique ſoliti præcipui Epiſcopi. 394. VI. Vide *Encænia. Conſecratio.*
In dedicationibus eccleſiarum, olim exhiberi conſueta publica conuiuia. 57. XL. Quam magna ea fierent impenſa. 591. VII.
Dedicationes eccleſiarum, inconſulto Ro. Pont. non poterant fieri, & quomodo id intelligendum. ibid.
Defenſoris Eccleſiæ Officium, in Eccleſia antiquiſſimum. 44. XXXIV. A Caio PP. collatum S. Sebaſtiano duci & martyri. 286. III. Fuit etiam Africanæ Eccleſiæ conceſſum ab Honorio Imp. 398. VII. Gregorius PP. I. Regionariis adnumerauit. 593. II. Quale eorum eſſet munus, & dignitas. ibid.
Defenſorem S. Eccleſiæ indigitat ſe Carolus Magnus. 794. II.
Defunctorum corporũ curatio, ex Apoſt. traditione. 34. XCI. itemque memoriæ, & ſuffragia, pro iis ab Eccleſia repeti, & exhiberi ſolita. ibid. & ſeq. Curabantur à Laborantib. ſeu Foſſariis. 44. XXXIV. Eorum ſepulturæ inſigniter prouidit Conſtantinus Magn. 336. XIV. Vide etiam *Sepultura. Corpora Mortui.*
Ad eorum ſepulchra deferri quoque epulæ conſueuerant: quod ſuſtulerunt Ambroſ. & Auguſt. 384. VI. 397. XVIII. Vide *Oblationes.*
Pro defunctis offerri ſolitum primis Eccleſiæ temporibus ſacrificium. 257. VI.
Eos precibus viuorum ad iuuari, credidit cum vniuerſa Eccleſia, Conſtantinus Magn. 336. XIV. idque plurimis viſionibus, & reuelationibus certiſſ. confirmatum. 590. V. 851. III. 874. I. 1024. I. Vide etiam *Viſio.*
Iiſdem conceſſa Indulgentia. 872. V. 1113. VII. Cur, & quo auctore eorum commemoratio fiat poſt feſtum Omniũ SS. 1048. III. Sodalitium Romæ inſtitutum pro eorum animabus. 984. II. Vide etiam *Suffragia.*
Degradationis cenſura antiqua in Eccleſia 57. III. Vide etiam *Depoſitio.*
Deiparam, Beatiſſ. Virginem Neſtorius impius dici eandem negauit. 428. VI. X. Sic appellatam eſſe à Patribus, probat aduerſus eum Cyrillus Alexandr. 429. IV. Eaque doctrina confirmatur à Cæleſtino Papa. 430. II. & Oecumenico Concil. Epheſ. 431 III. Illud cognomen poſtea fuit ei viitatiſſimum in vniuerſa Eccleſia. 431. XXIII.
Delatores pellit Anaſtaſius Imp. 491. III.
Delmatius filius alterius Delmatii, Conſtantini Magni fratris, egregiæ indolis adoleſcens, creatur à patruo Cæſar, ſed nomine tenus. 335. XII. Interficitur à Conſtantio patruele. 337. IX. XI.
Delphinus piſcis, corpus Luciani mart. reſtituit litori. 311. II.
Delphinus Epiſcop. Burdigal. Concilium celebrat aduerſus Priſcillianiſtas 385. V. Baptizat Paulin. Nolan. 394. XIII.
Delphinus Epiſc. Lugdun. martyrium conſequitur ab impia Regina Brunichilde. 611. III.
Demetrias virgo Rom. cum matre Iuliana, & auia Proba, in direptione Vrbis per Alaricum, fugit in Africam. 410. VII. Renunciat ſponſo, & ſæculo; ac dote in pauperes diſtributa, monaſticam vitam amplectitur hortatore S. Auguſtin. 413. III. Præſeruatur ab eodem, & aliis ſanctiſſ. viris, à veneno Pelagii, quod ipſi per epiſtolam propinare ſategerat. ibid. IV.
Demetrius ex Proconſule celeberrimus martyr ſub Maximiano. 304. XI. Frequens peregrinatio ad eius ſepulchrum. ibid. Vnguentum medicum ex eo iugiter ſcaturiens. ibid.
Denarius pro tributo à Iudæis pendebatur Romanis. 34. IV.
De Denariis venditionis Chriſti, vide in *Argentei.*
Denarius S. Petri in Anglia quid. 740. III. item in Gallia. 782. III. in Polonia. 1045. I. in Hibernia. 1159. III.
Depoſitum vocatæ à Paulo Traditiones 53. II.
Depoſitionis antiqua cenſura in Eccleſia. 57. VIII.
Depoſitionem Epiſcopi non debere fieri à duobus vel tribus Epiſcopis, ſed Epiſcoporum prouinciæ ſententia, definitum in Synodo Conſtantinop. in Encæniis, 394. VII.
Depoſitum Epiſcopum in Synodo, non poſſe reſtitui, niſi à maiori numero Epiſcoporum, ſtatutũ in Synodo Antioch. in Encæniis. 403. VII. Qualis auctoritatis ille canon 404. V. Rom. Pontif. haud ei ſubiectus. 447. XV.
Depoſitionis Regum, & Imperatorum exempla, vide ſub iis vocibus. Eos autem rite deponi poſſe à Ro. Pontif. vide 800. IV. 1076. VII. 1081. II. Adde etiã *Fidelitas.*
Depoſitionis commínatio in Reges & Antiſtites, apponi ſolita in priuilegiis Ro. Pontificum. 593. VI.
Deſcriptiones variæ Romani Orbis, factæ ſub Auguſto Imp. Appar. XXIX. Vide etiam *Cenſus.*
Deſerta loca, monachis illuſtrata ſub Conſtantino Magno. 318. VI. Ad ea fugere ſoliti Chriſtiani in Perſecutionibus. 253. XVI. 304. XII. X. 311. 754. VIII.
Deſiderius obtinet regnũ Longob. fauore

Romani Pont. 756. I. Romam fraudulenter veniens, Stephanum PP. male habet, & quoſdam clericos necat. 770. I. Filias ſuas nuptui dat Carolo Magno, & Carolomanno, fratribus Francorum Regibus. ibid. II. Ad obſidionem Vrbis properans, reprimitur timore excommunicationis ei ab Hadriano Papa intentatæ. 773. I. Recuſans reddere Eccleſiæ Rom. ablata; bello appetitur a Carolo Magno, prælioque vincitur, eidemque ſe dedere coactus, ducitur in Gallias. 703. II. 774. II.

Deſiderii Abbatis Caſſin. egregia primordia, & nobiles progreſſus. 1063. I. Summa eius prudentia, ſimul & fortitudo, in tractando cum Henrico Rege excommunicato. 1083. III. 1097. XLIII. Eligitur Rom. Pontifex, diciturque Victor Tertius. 1086. I. Reliqua vide in *Vict. III.*

Deogratias Epiſc. Carthag. ſub Wandalis. 452. XI.

Deus ignotus. Vide *Ignotus*.

Deum Hebræorum vnum ex Angelis eſſe, eumdemque malum, dicebant Cherinthus. 60. VIII. 97. VII. Baſilides. 120. VI. Saturninus. 120. XI. Eundemq; omnium creatorem, deteſtabantur Ophitæ. 145. V. Cerdon, & Marcion. 146. II. V. Vide etiam *Dominus Sabaoth*.

Deum quomodo ſe mundo exhibuiſſe ad ſalutem hominum, dixerit Montanus. 173. VIII. Eſſe malorum cauſam, dixit Florinus Valentini diſcipulus. 180. III. Eſſe humana forma, aſſeruerunt Audiani, ii ſemque Anthropomorphitæ dicti. 341. XII. itemque Bongomili. 1118. XI. Non ſemper Patrem fuiſſe, docuit Arius 318. IX.

Deum adeo ſe noſſe iactabant Eunomiani, vt ipſe Deus ſeipſum. 360. VII. Aetius autem ita, vt ne quidem ſe magis noſceret. 356. XVII. Maſſaliani vero dixerunt, ad Dei æqualitatem poſſe humana virtute & ſcientia perueniri. 361. X.

Deitatem pro anima Chriſtum habuiſſe, docuerant Ariani. 318. IX. & Apollinariſtæ 350. VI. 373. I. Circumciſam eſſe, ac cruci affixam, dicebant iidem Apollinariſtæ, aliaque inepta de Deitate Verbi. 373. II. Triplicem eſſe in Trinitate, aſſeruit Gotheſcalcus. 848. III.

Diuinam eſſentiam non eſſe Deum & Diuinam naturam non eſſe incarnatam; dicebat Gilbertus Porretanus; & quid de ea redefinitum. 1147. V. 1148. V. VI.

Diuinitatem propriam non habuiſſe Chriſtum, aſſeruit Beryllus hæreticus. 229. I.

Deus Chriſtianorum Ononychites, confictus a Gentilibus. 201. VII.

De Deo vide etiam, *Pater. Filius. Verbum. Chriſtus. Spiritus S. Theopaſchitæ. Trinitas. Quaternitas.*

Diuini cultus prætextu, liberos debere relinquere parentes, vxores maritos, &c. docuerunt Euſtathiani. 319. IX.

Deos 30. ex Heſiodo Valentinus introduxit, quos Æonas dixit; & quæ alia inſulſa de iis delirarit 145. I. itemque alii eius diſcipuli. 175. VII. Duos introduxit Cerdon vnum bonum, & alterum malum, &c. 146. II. itemque Albienſes. 1176. II. Marcionitæ, vel tres, aut etiam nouem. ibid. V. Plures etiam colebat Manes. 277. X. Plures tres colere ſimulabant Chriſtiani Catholici, quod Trinitatem perſonatum colerent. 263. IV.

Diis immolare hoſtias, vetuit Conſtantinus Magnus. 326. XVI. itemque Conſtantius eius filius. 341. XVI. 346. I. 358. VI. Eorum cultum reſtituit vbique Iulianus Apoſt. 361. XII. Aufert Iouinianus. 363. XXI. Remanſit in pagis, vſque ad Honorii tempora. 351. IV. Vide etiam *Idola. Dæmones. Simulacra. Diabolus.*

In Deos ſuos querelas ingerit Iulianus Apoſt. moriens. 363. XIV.

Deuſdedit creatur Rom. Pont. 614. I. Oſculo ſanat leproſum 615. II. Moritur. 617. I.

Decretum eius de ſpiritali cognatione & baptiſmo. ibid.

Dextera. Vide *Siniſtra & Locus*.

Diabolum à Domino Sabaoth genitum, & ab eo per Euam, Cain & Abel prognatos, dicebant Archontici hæretici 175. X. Eſſe montem, de quo apud Danielem abſciſſus eſt lapis ſine manibus, lapidem vero Chriſtum aſſeruit Vigilantius 406. VII. Fore aliquando ſaluandum, dixit Origenes. 414. V. Eius principatum Deo non eſſe ſubiectum, quomodo dixerint Encratitæ. 174. IV.

Diaboli æmulatio in producendo Simone mago, hæreſiarcharum omnium principe, aduerſus Simonem Petrum Eccleſiæ Chriſti principem. 35. XIV. In mittendis ſuis pſeudoapoſtolis cum variis præſtigiis & illuſionibus, contra Apoſtolorum, ipſiuſque Chriſti Domini miracula. 68. XII.

Conſilium in mittendis impuriſſ. hæreticis, vt ea occaſione omnes Chriſtiani earum impuritatum infamarentur. 120. XV.

In producendis aliis hæreticis cum ſpecie ſanctitudinis. 173. II. In inducendis nonnullis ad negandam fugam in perſecutione. ibid. VII. Vide etiam *Dæmones Dii. Idola.*

Diabolum non poſſe ſubuertere renatos per baptiſmum, docuit Iouinianus. 381. VII. itemque Pelagius. 411. VIII. nec poſſe aliquem eorum, pro cuius redemptione Chriſtus mortem ſubiit, ad ſe rapere, aſſeruit Gotheſcalcus pariter hæreſiarcha. 848. III.

Diaconi ſeptem eliguntur ab Apoſtolis. 34. LXXX. Totidem ab Euariſto Romæ conſtituuntur. 112. V. Quodnam fuerit illorum munus, & myſterium. ibi. Dicti Romæ Regionarii, itemque Cardinales, & quare. ibid. Eorum diſtincta nomina, & officia. 1057. III. Ex bonorum adminiſtratione facti ſuperbi, presbyteris ſe præferre præſumpſerunt; & quæ inde orta inter eos diſſidia quiue de iis canones editi. 401. XII.

Diaconis ordinatis inuitis permiſit Synodus Ancyrana vti coniugibus quas antea habuiſſent; ſed prohibuit confeſtim Magna Nicæna, ex inolita Apoſt. traditione. 58. IX. 314. X. 325. XXXIX. XL.

Diaconis tantum R. E. credi ſolitum munus Apocriſiarii Sedis Apoſtolicæ. 581. V.

Ex Diacono Veremundus regnat in Hiſpania. 790. II.

Diaconiſſæ quales eligendæ. 34. LXXXI. Earum munus in Eccleſia antiqua. ibid. Alia eiuſdem vocis acceptio. ibidem. LXXXII. in fin. De earum ætate ſcribit Theodoſius Imp. 390. IX. Earundem procacia, conuolant um ad alia coniugia, anathemate retunditur in Concilio Rom. ſub Gregorio Secundo. 721. I.

Diadumenianus a patre Macrino allegitur collega Imperii. 219. II. Occiditur vna cum eo 220. I.

Dianæ ædes, quæ dicantur à Luca. 57. LI. Eius templum Epheſinum ex ſeptem miraculis mundi, quanta æſtimationis fuerit. ibid. Comburitur a Scythis ſub Gallieno. ibid. & 263. III.

Didius Iulianus. Vide *Iulianus Didius*.

Didrachmatis tributum pendi a Iudæis ſolitum templo Hieroſol. 33. IX. Exciſo templo, ſolui iuſſum Ioui Capitolino. ibid. & 72. VIII.

Didymus cæcus Alexandrinus, ſcholæ Eccleſiaſticæ doctor, Origenis errores propinat Ruffino & Melaniæ. 372. VII. Eius eximia omnium artium & facultatum peritia, & ſcripta. ibidem. Laudatur a S. Hieronymo, qui eum audiuit Alexandriæ, ſed & ab eodem damnatur ob errores Origenis. 386. IX.

Dies Dominica. Vide *Dominica dies*.

Dies Dominæ, dicta aſſumptio B. Virginis. 48. VIII.

Dies feſti, & dierum obſeruatio. Vide *Feſtiuitates*.

Diebus cur Feriarum nomen inditum. 58. XXXIV.

Quo die natus Chriſtus. Appar. XXXVII.

Quo die paſſus. 34. XLV.

Dies tres & totidem noctes, quomodo fuerit in Sepulchro. ibid. LI.

Diei diuiſio in ſtationes, ſeu horas, apud Rom. & Hebr. 34. XLVI.

Dies à media nocte ſoliti numerare Hebræi; itemque Eccleſia Rom. atque etiam Orientales. ibid. LII.

Digeſtorum Libri quo anno à Iuſtiniano editi. 533. VIII.

Diſſimoriarum literarum antiquus in Eccleſia vſus. 142. VIII.

Dingoluingenſe in Bauaria Concil. de rebus Eccleſ. & politicis. 772. III.

Diocletianus eligitur Imp. à militibus. 284. I. Vincit Carinum. 286. I. Collegam ſibi adiungit Maximianum. ibid. Sumit cognomentum Iouii. ibid. Perſecutionem crudeliſſ. excitat Romæ in Chriſtianos. 286. II. 302. I. Reſcribit aduerſus Manichæos. 287. V. Galerium ſibi adoptat in filium, datque ei nuptui Valeriam filiam. 292. III. IV. Poſt obitum Valeriæ, fruſtra eidem conatur conciliare Suſannam cognatam ſuam. 294. II. V. Multos ex affinibus ſuis occidit ob fidem Chriſtianam. 294. II. Eius coniux Chriſtiana. ibid. III. Triumphat cum Maximiano de Perſis. 301. I. Scripturas omnes Chriſtianorum perquiri, & comburi iubet. ibid. Permittit quibuſque volentibus impune eos occidere. 303. VII. Se, vna cum Maximiano ſponte abdicat Imperio; & quare. 304. LII.

Eorum res geſtæ remanſerunt obſcuræ. ibid. III.

Literas Minaces accipit à Conſtantino Magno. 313. I. Miſere cruciatur, & perit. 316. I. Refertur inter diuos à Licinio.

Diodorus Antioch. presbyter, exulante Meletio Epiſcopo, curat eam Eccleſiam. 370. X. Sub eo Chryſoſtomus excoluit in eremo vitam monaſticam. 382. XI. Fit Epiſcopus Tarſi in Cilicia. ibid. Quamdiu vixit, apparuit Catholicus: ſed poſt mortem detectus eſt ex ſcriptis, fuiſſe auctor hæreſis Neſtorianæ. 428. VIII. IX. Quomodo duas in Chriſto perſonas, & Quaternitatem pro Trinitate, introduceret. ibid. & 435. II. Concilia in eius; & Theodori Mopſueſteni, librorum cauſa. 435. II.

Diœceſeon & prouinciarum limites ſtatuti in Côc. Nicæno. 325. XXXII. XXXIII. XXXVII. Confirmatur in Concilio Conſtantinop. 381. V. Vide *Parochia. Sedes.*

Eos ita diſpoſuit Concilium, vt tamen vbique ſuper omnes ius diceret Apoſtol. Sedes Rom. 422. I.

Diœceſeon Hiſpaniæ diuiſio, quando & qua auctoritate facta. 675. II. Antiochenæ & Hieroſol. diœceſeon controuerſiæ de limitibus. Vide *Antioch. Eccleſia.*

Dionyſius Alexandrinus, Origenis diſcipulus, profitetur Scripturæ interpretationem. 234. I.

Fit eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus. 248. I. Origenem ob errores exagitat. In perſecutione Decii, diuino monitu ſecedit. 253. XV. Agit pro iterando baptiſmo hæreticorum, ſed paulo poſt reſipiſcit. 258. II. Conſulit de eo Sedem Apoſt. 260. IV. Agit ſtrenue contra ſchiſma Nouatianum. 255. I. Exulat in perſecutione Valeriani. 260. II. Accuſatus de errore in Trinitat. ſe defendit apud Ro. Pontificem. 263. V. Scribit contra Sabellianos, Millenarios, & Paulum Samoſat. ibi. & 264. I. 265. IV.

Moritur. 266. III.

Dionyſius Areopagita cõuertitur ad Chriſtum à Paulo Apoſtolo.52. IV. Vidit olim Solis eclipſim, quæ contigit in morte Saluatoris, eamque deſcripſit. ibid.& 34. XXXVI.
Prædicit Ioanni Euangel. liberationem ab exilio. 97. V. Conuenit eum Epheſum, & inde petit Romã à Clemente vero Papa mittitur in Gallias, & regit Eccleſiam Pariſ. 98. VIII. An vnus idemque ſit Dionyſius Areopagita, & Pariſiorum Epiſcopus.109. VIII. & ſeqq. Quo tempore, loco, & ætate martyrium conſummarit. ibid. VII. XII. XVIII. Caput ſuum, poſt decollationem, propriis manibus ad duo milliaria portat. ib. XVII. Eius nomine edita ſcripta, cuius ſint fidei. ibid. XIII. & ſeqq. Ea etiam miraculis probata. ibid. IX. & 814. II. Quinam eius Vitam, tam Græci, quam Latini, conſcripſerint. 109. IX. X 834. II.
Ei Dagobertus Franc. Rex eccleſiam mirificam extruit. 647. II.
Eius monaſterium eximitur à ſubiectione Epiſcopi Pariſienſis. 662. I.
Sanat Stephanum PP. Tertium. 754. II.
De eius corpore aſſerto trãslato in Germaniam, controuerſia excitata, & ſopita. 1052. IV.
Ob eius corporis & ſepulchri violationem, per Clodoueum II Regem factam, & ipſe punitur, & regnum ab eã familia incipit deficere. 660. I. Mira eius virtus in defenſione Regni. 1125. II. Ab eo ſoliti Reges ad bella proceſſuri, ſumere baculum peregrinationis, & vexillum Oriflambe. 1147. III.
Dionyſius Corinthus ſcribit ad Eccleſiam Rom. 175. IV. Eius epiſtolas, ipſo adhuc viuente, hæretici corrumpunt, vt eum ſuæ ſententiæ aſſertorem faciant. ibid.
Dionyſius, Exiguus cognomento meritis Magnus, tranſtulit in Latinum 50. canones Apoſtolorum. 102. VII. Qua occaſione Collectionem & tranſlationem canonum primus omnium elaborarit. 527. IX. Cyclum ſuum à quo tempore exorditus ſit ibid. VIII. Primus item omnium, annos à Chriſti Incarnatione numerare cœpit. ibid. Eius laudes, & inſignis eruditio. ibid.
Dionyſius Mediolan. Epiſcopus, fraudulenter illectus ab Arianis ſubſcribere in Athanaſium, arte Euſebii Vercellenſis liberatur à ſubſcriptione. 355. IV. Pellitur in exilium, quod Arianis communicare noluerit. ibi. Moritur in Cappadocia, corpus poſtea Mediolanum transfertur. 356. XII.
Dionyſius Ro. Pont. creatur. 261. III. Scribit aduerſus Sabellium. 263. VI. & contra Paulum Samoſat. 265. IV.
Dionyſii Alexandr. cauſam cognoſcit. 263. V.
Quid de diuiſione parochiarum ſtatuerit. 270. II.
Moritur ſub Aureliano. 272. V.
Dioſcorus rerum Chriſt. deriſor, fruſtra renitens ſit Chriſtianus. 303. VI.
Dioſcorus Alexandr diaconus, Apocriſarium agens eius Eccleſ. Conſtantinopoli, quæſtionem mouet de ſubiiciendis Alexandrino Epiſcopo omnibus Orientis Eccleſiis; ſed cauſa cadit. 430. IX. Eligitur poſt Cyrillum Epiſcopus, & cõfirmationem petit à Leone Papa. 444. VI.
Eius hypocriſis, hæreſes, & ingentia vitia. ibid.
Opprimit Cyrilli heredes. ibid & 445. I. & clericos ab eo ordinatos deponit. 445. I.
Vocatus à Theodoſio Imp. ad celebrandum Concilium in cauſa Eutychetis hæreſiarchæ, probat dogmata Eutychetis in Latrocinio Epheſ. & Catholicos diriſſime exagitat. 449. IV. XI.
Reuerſus Alexandriam, horrenda præſumptione excommunicat Leonem Papam. ibid. XVIII.
Damnatur in Concilio Conſtantinop. ſub Legatis Apoſtol. Sedis. 450. VI. Itẽque in Chalcedon. Oecumenico. 451. XV. XVII. XXIII.
Relegatur Gangram, ibique infelix moritur. ibid. XXXIV.
Eius cauſa, Alexandrina & Ægypti Eccleſia, ſchiſmate diuiditur idemq; apud eos titulo ſanctitatis vſque in hanc d ẽ perdurauit. 454. V.
Eius ſectatorum graſſationes in Catholicos. 457. IV.
Dioſcorus R. E. diaconus, eligitur in ſchiſmate Pontifex contra Bonifacium Secundum. 530. I.
Paulo poſt moritur, & ſimoniæ infamatus damnatur poſt mortem à Bonifacio, abſoluitur ab Agapeto. ibid.
Dioſpolitanum Conc. in Paleſtina, in cauſa Pelagii hæreſiarchæ: vbi ipſe, ne damnaretur, coactus eſt ſuos damnare errores. 415. III.
Quid Patres de ea Synodo iudicarint. ibid.
Diplomata, literæ Impp. quæ alio nomine Tractoriæ dicebantur. 142. VII. Vide *Tractoria*.
Diptycha ſacra, in quibus deſcribi ſolerent & inter Miſſarum ſolemnia recitari, nomina Epiſcoporum in Cathol. communione defunctorum. 407. VII. 518. V. VI. ac pariter ... peccatorum. Vel ab eis deleri nomina hæreticorum, aut alias indignorum. 57. VIII. 518. V. VI. 519. III. 681. XII. Vide etiam *Nomina*.
Diſciplina Eccleſ. Vide *Eccleſ. diſciplina*.
Diſciplinæ nominis & vſus, pro flagellorum ſpontanea verberatione in Eccleſiã introductio, quando, & qua occaſione contigerit. 1056. III.
Diſcipuli LXX an. LXXII. electi à Domino. 33. XIII Eorum nomina ſingula, inuen u difficillima. ibi. Eorum loco ſucceſſerunt in Eccleſia Presbyteri. 58. IV.
Diſcipulorũ nomenclatura, initio Eccleſiæ communis omnibus in Chriſtum credentibus. 43. III.
Diſcipuli duodecim Manetis, inſtar Apoſtolorum Domini. 277. XI.
Diſpenſare de Synodorum Oecumenicarum decretis, & canonibus Eccleſ. conſueuit ſolum Ro Pontifex. 434. I. 479. 391. III. 901. III. Diſpenſat cum monacho, ad ſuſcipiendum regnum Poloniæ, & vxorem ducendam. 1041. II.
Diſpenſari poſſe de legibus diuinis à quibuſcunque Epiſcopis, aſſeruerunt olim hæretici Mœchiani. 809. III.
Diſperſione Diſcipulorum Chriſti poſt necem Stephani protomart. Eccleſia mirifice propagata. 35. I.
Diſpertio Apoſtolorum, ſiue Diuiſio in prouincias ad prædicandum Euangelium, quo tempore contigerit. 44. VII. Facta Spiritus S. inſtinctu. ib. IX.
Diſperſionis Iudæi, qui dicti à Petro & Iacobo Apoſtolis. 45. VII. ib.
Diſputatio publica coram Zephyrino Papa, Caii inſignis Theologi aduerſus Proclum Montaniſtam. 215. I.
Malchionis presb. in Concilio Antioch. contra Paulum Samoſat. 271. I. Archelai Epiſcopi, contra Manetem hæreſiarcham. 277. VI.
Aſſerta Silueſtri PP. cum Iudæis coram Imp. Conſtantino & Helena eius matre, cuius fidei. 315. VII.
Aſſertæ Athanaſii cum Ario, ſcriptæ putantur à Vigilio Tridentino. 315. XIV.
Auguſtini contra Fortunatum Manichæum. 392. VI. cum Felice item Manichæo. 404 XVIII. cum Fortunio Donatiſta. 412. XIII. & cum Emerito item Donat. 418. V. Cum Arianis 422. III Catholicorum Epiſcoporum cum Donatiſtis in Collatione Cartha 411 II. Vide etiam *Collatio*.
Porphyrii Epiſcopi cum femina Manichæa. 401. VIII.
Cæſarii fratris Gregorii Nazianz. cum Iuliano Apoſtata. 362. II.
Gregorii diaconi, poſtea Rom. Pontificis, contra Eutychium Patriarcham Cõſtantinop. 583. II.
Maximi Abbatis Catholici, cum Pyrrho Conſtantinop. Patriarcha Monothelita, qua Pyrrhus confutatus, conuertitur. 645. I.
Inter Rom. Eccleſiæ Defenſorem, & Regium Aduocatum. 1062. III.
Inter Chryſolanum Mediol. Archiep. & Græcos, de proceſſione Spiritus Sancti. 1116. II.
Inter S. Bernardum & Abailardum hæret. 1140. I.
Diſputare de fide in Conſiſtorio Imperatoris, & coram aliis Iudicibus, quam Eccleſiaſticis, recuſat Ambroſius. 386. V.
Abnuunt & Catholici aduerſus Leonẽ Armenum Imp. 814. I Factum tamen id ab aliis nonnumquam laudabiliter. Vide *Iudices*.
Diſputare de religione, prohibitum hæreticis à Theodoſio Imp. 388. VI. & a Marciano. 451. XXIII. 452. I. & à Iuſtiniano. 526. XI.
Nec debere Principes iis concedendis ſe immiſcere, declarauit idem Marcianus. 451. XX.
Diſputandum cũ hæreticis non eſt de quæſtionibus iam in Conciliis definitis. 458. II. 814. I.
Diſputationes cum hæreticis fugiendæ, vtpote rixarum fomites. 383. VII.
Diſputatione conuinci nequeuntes philoſophi Gentiles, miraculis confutati 325. X. XIII. itemque hæretici. 287 IV. 401. VIII 451. XXIV. 471. II. 514. III. 626. XI.
Diſſenſio prima in Eccleſia, vnde orta, & à quibus. 48. LXXIX. Inter Paulũ & Barnabam Apoſtolos, minime ſcidit charitatem. 51. XII.
Sicut nec inter Auguſtinum & Hieronymum. 394. XI. vel alios ſanctos viros 1131. III.
Diſſimilis. Vide in *Similis*.
Diſtributiones aliquando dictæ Indictiones, & quare. 312. XVI.
Ditmarus Merſebur. Epiſcopus, vbi nec perit, & quo vſq; perduxerit ſuum Chronicon. 964. III. in fin. Quando electus Epiſcopus. 1006. I. & Moritur, & laudatur. 1018. I.
Diuitias Eccleſiaſticorum damnans Audæus, euadit hæreſiarcha 341. XII. Vide etiam *Bona*.
Diuites non poſſe ingredi regnum Dei, niſi omnia ſua vẽdiderint, docuit Pelagius. 411. IX. 415 IV.
Diuinationis dæmonũ tractatum conſcripſerit Auguſt. 389. XIV.
Diuinatores exagitari à Conſtantio Imp. 358. VI A Valentiniano & Valente. 370. XIV. XV. ab Honorio. 409 IV. Vide etiam *Magi. Maleſici. Mathematici. Aruſpicina*.
Diuinationes morientium vnde contingãt 590. V.
Diuortium feminarum à viris, permiſit legelata Iulianus Apoſt 362. LXI. Ex cõſenſu coniugum, conceſſit Iuſtinus Iunior. 566. III.
Docitæ hæretici, ſiue Opinatores, qui docuerunt, ſola viſione & apparitione fuiſſe myſterium Incarnationis. 174. V.
Doctrina vera a falſa quomodo dignoſcẽda. Vide *Catholicus*.
Doctrinæ Apoſtol ex mira conſenſio in omnibus vbique Eccleſiis ad multa tempora. 167. VI.

Dogmata Chriſtianis non bene intellecta Gentiles in calumniam Chriſtianorum conuertetunt. 120. XV.
In falſorum Dogmatum permittenda publicatione conſilium Dei. 44. XXVI.
Dogmata ſua patefacere, prohibuit ſuis Baſilides. 120. VI. IX.
Valentiniani. 145. III.
Priſcillianiſtæ. 381. XVI.
Dolenſis Eccleſię controuerſia cum Turonenſi, de primatu Minoris Britanniæ, diutiſſime agitata, quomodo definita fuerit. 859. VI.
Dominæ dies, nuncupata Aſſumptio Virginis. 48. VIII.
Dominica dies appellata ab Apoſtolis, qua Dominus reſurrexit, eaq; ab iiſdem loco Sabbati Iudæorum celebrari iuſſa. 34. LII. 58. XXXV. Eadem quoque Spiritus S. deſcendit in Diſcipulos. 34. LXVIII. Eius prærogatiuæ, diuerſæ aliç appellationes, & ritus. 58. XXXV. Feriationem tam Gentilibus quam Chriſtianis, Conſtantinus prçſcripſit. 321. VI. Ea celebrãdum eſſe Paſcha, & non alia quacumque die, definitum in Magno Concilio Nicæno. 325. XXIX. Vide *Paſcha*.
Ea quid præſtari carceratis iuſſerit Honorius. 409. IV. Eadem ieiunandum eſſe, docuerunt Euſtathiani hæretici. 319. IX.
Dominicus Homo, an debeat dici Chriſtus 373. III.
Dominicum, dici etiam ſolita eccleſia. 303. III.
Dominicum Aureum, ſic dicta inſignis eccleſia Antiochena, eiuſque ſolemnis dedicatio. 341. I.
Eodem quoque nomine appellari ſolitum, Miſſæ ſacrificium: quod omittere nefas putabãt Chriſtiani, etiam in atrociſſ. perſecutionibus. 303. III.
Dominicale dictum linteamen, quo olim feminæ corpus Domini ſumebant. 57. XLIII.
Dominus Patriarcha Fratrum Prædicatorum, naſcitur ſecundum præcedentem prophetiam. 1170. XI.
Dominium politicum Manes ſuſtulit. 277. X.
ad Dominium rerum duos ordinatos à Deo dicebat Ebion, nempe Chriſtum, & diabolum, &c. 74. IV.
Dominum aliquem agnoſcẽdam, aut nominandum, præter Deum, obſtinatiſſ. animo negabant Iudæi ſecta Galilæi, aduerſus Impp. alioſque Principes. LXVI. 73. III.
Dominum Sabaoth tyrannidem exercere in cœlo, & ab eo genitum diabolum, aſſeruerunt Archontici 175. X.
Eum fuiſſe figuræ hominis, aſini formam habentis, dixerunt Gnoſtici. 101. VII.
Dominum ſe dici, Auguſtus vetuit. Annal. IV. itemque Tiberius. 16. III. Domitianus contra, ſe Dominum ac Deum dici, edicto cauit. 89. I.
Domitianus Veſpaſiani Imp. filius, fratre Tito veneno ſublato Imperat. 83. II. Agit vind. eem pudicitiæ, ipſe impudiciſſimus. ibid. Imani feritate ſæuit in ciues, & Philoſophos exagitat. 85. II. Virgines Veſtales, ob ſtuprum, viuas infodi iubet. 86. I. 94. III. Inſtituit rationem numerandi annos per Agones Capitolinos. 88. itemque Quinquennale certamen triplex, ibid. II. Deum ac Dominum ſe vocari præcipit, & deæ virginis filium dici. 89. I II. Familiam Regis Dauid inquiri iubet: ſed inuentos qui ex ea eſſent, liberos dimittit ob eorum abiectionem. ibid II.
& 93. II. Ioannem Euangel. in exilium relegat. 92. I.
Excitat Secũdam Perſecutionẽ in Chriſtianos. 93. II. Nero ab ipſis Gentilibus vocatus, fuit etiam eo longe crudelior. ibid. Iudæos quoq; nouis exactionibus vexat. 94. II. Frequẽtia Conſulatuũ in eo derſa. 97. I. Ob nimiam ſæuitiam cunctis inuiſus, occiditur in Palatio. 98. IV. Eius nomen, & memoria, ab omnibus monumentis deleta. Cædes eodem momento nuntiatur Epheſi Apollonio. ibid. V.
Domitillæ duæ, Domitiani Imp. propinquæ, fidei cauſa exules. 98. II. Iunior, virgo fuit Deo ſacrata. ibid. & poſt diuerſa exilii loca, martyr ocumbit. ibi. & 100. V.
Domna, maxima ſacerdos Dianæ, fit Chriſtiana. 301. VI. Quęſita ad necem, ſub virili habitu diu latet, & tãdem ſubit martyrium. 302. V
Domnus & Domna, voces, frequentius olim tributa Sanctis, & clariſſimis viris ſeu feminis, Dominus vero, Deo. 416. IV.
Domnus deſertor monaſterii, creatur poſt Ioannẽ auunculum, Epiſcopus Antioch. 440. IV. Deponitur in Latrocinio Epheſino. 449. XI. Iuſte meruit damnari à Leone PP. & tamen prouidetur eius ſubuenitioni in Concilio Chalcedon. 451. XXVII.
Domnus alius creatur Epiſc. eiuſdem Eccleſiæ 546. VIII. Intereſt Quintæ Synodo Oecumenicæ. 553. V. Moritur. 561. I.
Domus Beatiſſ. Virginis ab Angelis tranſlata in agrum Lauretanum. Appar. XXVI.
Domus appellantur in Scriptura, quæcumque animalium habitationes. LVII.
Domus Oratoriæ, dictæ eccleſiæ. 57. XXXVIII. Domus Epiſcopales. Vide *Epiſcopi*.
Donationis Edictum Conſtantino tributum, de bonis Eccleſiæ Rom. cuius ſit fidei & auctoritatis. 324. XXIII.
Donationes alias factas à diuerſis Principibus eidem Rom. Eccleſiæ, vide in *Rom. Eccl. Patrimon.*
Donatus a Caſis nigris in Numidia, primus ſchiſmatis Donatiſtarum auctor. 306. XIII. Damnatur à Melchiade Papa. 313. VII.
Donatus Carthag. pſeudoepiſcopus errauit in doctrina SS. Trinitatis. 321. IV. Eius intolerabilis arrogantia. ibid. V. Ab eo ſe denominati, Donatiſtæ falſo iactabant. 306. XIII. Prohibet ne ſui eleemoſynam capiant à Conſtante Imp. Catholico. 348. VI. Pellitur in exilium. ibid. VII. Scribit librum in fauorem hæreſis Macedonianæ. 360. V. Moritur. 368. I.
Donatiſtarum Schiſmatis origo. 306. XI. XII.
A quo Donato nomen acceperint. ibid. XIII. Concilium 70. Epiſcoporum celebrant aduerſus Cæcilianum Carthag. Epiſc. Catholicum. ibid. XII. alioſque 270. Epiſcoporum iungunt ſe Traditoribus. 308. V. Agunt in Cæcilianum apud Anulinum Afr. ex Proconſulem, & Conſtantinum Im. 313. IV. Damnantur in Synodo Rom. à Melchiade Papa, & aliis delegatis iudicibus. ibid. V. VII. Appellantes ad Conſtantinum, increpantur ab eo, ib. IX. Rurſum damnantur ab aliis Epiſcopis in Africam à Conſtantino miſſis. ib. X. Mendacia eorum de his rebus geſtis, & calumniæ in Melchiadem. ibid. Agentes denuo apud Imp. contra Cæcilianum, damnantur in Concilio Arelat. 314. IV. VII. Ac rurſum appellantes ad Conſtantinum, penitus damnantur ab eo 314. VIII. 316. VII. Calumniãtur illum iniuſtitiæ. 316. VIII. Exilio damnantur ab eo. ibid. Falſum præſumunt martyrium. ibid. Relaxantur ab exilio per eumdem Imp. 321. I.
Conſtituunt ſibi Romæ Epiſcopum, vt ſic gloriarentur ſe Rom. Epiſcopo communicare. 321. II. 411. III. Iidem variis aliis nominib⁹ appellati. 321. III. Ex ſchiſmaticis euadunt hæretici, & quas hæreſes docuerint. ibid. IV. Populus reducitur ad concordiam opera Conſtantis Imp. Epiſcopi obſtinati pellũtur in exilium. 348. VII. Reuocantur ab exilio per Iulianum Apoſt. & dire debacchantur in Catholicos. 362. LIV. LV. Cohibentur à Valentiniano Seniore. 373. VII. & à Gratiano. 377. III.
Scindũtur in Primianiſtas, & Maximianiſtas, & Magno ardore digladiantur. 394. VIII. Decem librarum auri pœna multantur. 398. VI. Compeſcuntur ab Honorio Imp. capitalis ſupplicii comminatione. 398. V. Inuitati cum honoribus redire ad Eccleſiã, renuunt. & male Catholicos habent. 313. VII. 401. V. 403. VIII. Compelluntur ab Honorio ad publicam Collationem. 410. XI. Vide *Collatio*. Pecunia & exilio poſt Collationem mulctati, fiunt deteriores, & clerici malunt ſuis manibus perire, populus vero fere vniuerſus conuertitur. 411. I. 414. III. Vide etiam *Carthag. Concil.* Africa à Wandalis occupata, ſe iis iungũt aduerſus Catholicos, vel ad eosdem Wandalos Arianos deficiunt. 439. VI.
Donus creatur Rom. Pontifex. 678. I. Moritur.
Donus II. creatur, & poſt tres menſes moritur. 972. I
Dormientes ſeptem martyres in perſecutione Decii, & quare ſic dict. 253. XVII.
Dorothea virgo Cæſar. Cappadox & martyr, hieme acceptas ab Angelo roſas, & poma, mittit Aduocato Ethnico ſui irriſori: qui ex miraculo factus Chriſtianus, fit & martyr. 304. XIV.
Dorothea dicta quæ communiori appellatione Catherina, nobiliſſ. virgo martyr Alexandr. 307. V.
Dorotheus Antioch. presbyt. vir eruditiſſ. eunuchus natus. 283. III. Patria fuit Tyrius, ſed non Epiſcopus. ibidem. nec fuit auctor Synopſis. ibidem. Martyrium ſubit ſub Iuliano.
Doſitheani hæretici, à Simone mago. 35. XIII.
Doſitheorum apud Iudæos dogmata, & mores. Apar. VIII.
Dotes Eccleſiæ à Domino collatæ, Operatio Miraculorum. & Intelligentia Scripturarum, nonnũ in Eccleſia Cathol. reperiuntur.
Draco pro numine ab Hadriano Imperat. poſitus in templo Iouis Olympii, à ſe Athenis conſtructo. 145. VII.
Draconis forma viſus dæmon familiaris Plotini. 271. III. Draco peſtifer a Siluestro PP. inclaſus. 315. VIII. Alius à Marcello Pariſ. Epiſcopo ſuperatus ibi. Alius immenſæ magnitudinis, ſigno Crucis extinctus à Donato Epiſcopo Euoreæ. 394. XVI. Alias Tiberis alluuione delatus, corrumpit aerem. 589. III. Vide etiam *Serpens*.
Draconis inteſtinum, pedes. 120. longum, continens Homeri Iliadem & Odyſſ. comburitur vna cum Bibliotheca. Conſtantinop. 476. VI. 726. V.
Dracones, ſic dicta ſigna militaria, Romani mutuati à Dacis quos vicerunt. 321. V.
Duella Vide *Monomachia*.
Duisburg. Concil. in cauſa Bennonis Metenſis Epiſcopi à ciuibus excecati. 927. II.
Duliani hæretici, Arianorum progenies dixerunt Filium Dei eſſe Patris ſeruum. 346. XI.
Dunſtanus vir prudentiſſ. eligitur Conſiliarius à Rege Angliæ Eadmundo. 940. II. Relegatur in exilium ab Eduino Rege, ob abſtractum illum è medio feminarum impudicarum: ſed vindicatur a Deo 955. III.

Reuo-

Reuocatur ab Edgaro & iouitus creatur Epiſcopus Wigolnenſis, prophetice Cantuarienſis Primas. 957. I. Romam petit pro pallio. 960. II. In locum clericorum inconrinentium, introducit in Eccleſias monachos. 970. I. 975 IV. Vaticinatur cladem Angliæ. 979. I. Liberatur mirabiliter ab ingenti periculo. ibid. II Moritur. 988. II.

Durandus Leodien. Epiſc. primus ſcribit contra Berengar. hæreſiarcham. 1035. II.

Duziacenſe Concil. graſſatorium Hincmari Rhem. aduerſus Hincmarum Laudun. 871. IV.

E.

EAdmundus Angliæ Rex martyr. 870. IV. Victor in tyrannum inſurgit. 103. VI.

Ebbæ Abbatiſſæ in Anglia, admirandum factum pro conſeruatione pudicitiæ. 870 IV.

Ebbo Rhem. Archiepiſc auctoritate Sedis Apoſtol. prædicat Euangelium Danis. 823. IV.

Haud tamen meruit titulum Apoſtoli Danorum, & quare. 826. V.

Præcipuus eſt incentor rebellionis in Ludouicum Pium Imperat. 833. II.

Seipſum reum iudicans, abdicat ſe in Concilio Vil Theod. 835. I.

Sæpe tumultuatur aduerſus Hincmarum, electum loco ipſius, ſed cadit cauſa. 847. I.

Moritur, & ex purgatorio poſtulat ſuffragia viuentium. 851. III.

Ordinatorum ab eo occaſione, multæ turbæ concitatæ ab Hincmaro, & quid decis geſtum. 853. I. 866. V 867. II.

Ebionis hæreſiarchæ ortus. 74. III. Turpitudines & impietates. ibidem. Commixtio cum Cerintho, & quid de iis S. Ioannes Euangel. in balneo ibid. Impia dogmata. ibid. IV. V. Mendacia de Petro & Paulo Apoſtolis. 57. XX. 74. IV. Cur dici voluerit Ebio. 74. IV. Quidam aduerſus eius hæreſes ſcripſerint. ibi. V.

Eboracenſe Concil. in Anglia pro componenda Eccleſ. diſciplina. 1194. I.

Eccleſiæ antiquitas. Appar. I. Vna ab initio mundi. ibid Fundata à Chriſto ſuper Petrum Apoſtolum, eiuſque fidem. 33. VI. VII.

Toto orbe vna, eademque Catholica, & Apoſtolica. 45. II 51. Eius cura Petro, ac ſucceſſoribus, ſolemniter collata. 34 LIX. Caput vno certo loco, nempe Romæ, optimo conſilio ſtabilitum. Vide *Rom. Eccleſia.*

Eccleſiæ Dotes; vide *Dotes* Eccleſiæ ritus: vide *Ritus*. Eccleſiæ Claues: vide *Claues.*

Eccleſia Catholica quomodo dignoſcenda ab hæreticorum conuenticulis. 45. III. 62. II. 325. XLIV. 365. III. Eccleſia Catholica, eadem & Romana. 45. II. III. 254. XII. XIII. Vide *Rom. Eccleſia.*

Eccleſia vſque ad Hadriani imperium dicta Virgo, & quomodo id accipiendum. 120. IV. Eius propagatio ſub Commodo 183. I. Floreutiſſima ſub Seuero. 195. IV. & ſub Conſtantino Magno 314. III. 318. V. Vide etiam *Fidei propagatio*, & ſub nominibus propriis populorum conuerſorum. Eiuſdem facies fœdiſſima ſub Conſtantino 359. XXII. Sub Gothis & Wandalis Arianis, vniuerſum orbem inter ſe partientibus. 471. IV. Sub Zenone Imp. 476. II. Vide etiam *Orbis* & *Orientalis Eccleſia.*

Eccleſiæ fores ad omne pene delictum obſerabant Montaniſtæ 173. VIII. Ab Eccleſiæ ingreſſu in perpetuum eiecti hæretici ſæpe relapſi. 427. III.

Eccleſiam ibi eſſe non poſſe, vbi peccatum eſt, fuit hæreſis Donatiſtarum. 321. IV.

Idemque dicebant, eam toto orbe periiſſe, & in Africa tantum apud ipſos ſolos remanſiſſe 368 IV. Idipſum poſtea dixerunt Græci ſchiſmatici de ſua Eccleſia. 1054 III. Eccleſiam conuerſam eſſe in lupanar, quod lapſi Epiſcopi admitterentur cum dignitatibus, dixit Helladius Luciferianus. 362. XLVII.

Eccleſiæ iura violantes Principes, ruinam ſibi pariunt. 423. II. Vide *Principes.* & *Vltio diuina.*

Extra Eccleſiam an reperiatur baptiſma, aut aliud ſacrum. 258. IV. & ſeqq. Eccleſiæ Orientalis, & Occidentalis, apud antiquos, & in his Annalibus diſcriminatio. 347. IV.

Eccleſia Orientalis. Vide *Orient. Eccleſ.* Eccleſia Occidentalis. Vide *Occid. Eccl.*

Eccleſiæ nominis, pro loco in quem Chriſtiani ad Synaxim conueniebant, antiquitas. 57. XXX. Variæ aliæ appellationes. ibid. XXXVIII. & 303. III. Ab exordio Eccleſiæ erectæ 57. XXX. XXXI Situs, ſtructura, & partes, quales olim. ibi. XXXII. XXXIII. XXXVII. Singulæ partes myſticum quid ſignificant. 314. III. Ornatus qualis olim. 57. XXXIV. XXXVI. Ad eas conueniendum eſſe ad orationem, probatur. 34. LXXIII. Eas tamen contemptibiles eſſe, docuerunt Euſtathiani hæretici. 319. IX. ac Vigilantius. 406. VII.

Nec debere eſſe, ſed dirui oportere, dixerunt Petrobruſſiani. 1126. VI. & Albienſes. 1176. II.

Eccleſiæ dedicatio. Vide *Dedicatio.* & *Encænia.*

Eccleſia prima in Gallia dicata à S. Martiale in honorem S. Stephani protomartyris. 74. VII. Romæ erectæ ſub Traiano, in honorem SS. Petri & Pauli Apoſt. 106. II.

Septuaginta variis locis à Clemente Papa in ſuo exilio conſtructæ. 102. II. In Vrbe Roma quot olim eſſent. 57. XXXI. Omnes toto Imperio dirui iuſſæ à Diocletiano. 302. III. Eædem iterum ædificatæ, ruſum à Licinio in Oriente proſtratæ. 316. V.

Eccleſia quædam, vna cum multis millibus Fidelium intus exiſtentium combuſta. 301. VI. In eis ædificandis, ornandis, & dotandis, effuſa Conſtantini Magni munificentia. 324. XLX. 282. XXI. XXII. 326. V. 297. VI. 330. 301. 336. XIII. Omnes vna die in vniuerſa Africa clauſæ ab Hunerico Wandalorum Rege Ariano. 484. VI. Vbique per orbem renouatæ poſt annum Chriſti milleſimum, & vnde id contigerit. 1003 IV. Quadringentæ in vna ciuitate Germaniæ. 1018. I. Intra eccleſiarum cancellos, haud conceſſum olim Imperatoribus, nedum ceteris laicis, ſede cum clericis. 390. III. Ab eccleſiæ ingreſſu ad audiendum Verbum Dei, nulli cuiuſuis fidei homines prohibendi, ex Concilio IV. Carthag. 398. XVI.

Eccleſiarum expilatores diuinitus puniti. 362. XXIV. 431. XXVII. 555. III. 576. I. 600. II. 643. II. 674. I 739. I. 843. IV. 846. I 1011. II. Vide etiam *Bona Eccleſ.* De iis quoque vindicta à Sanctis in iiſdem eccleſiis cultis expeti ſolita, per denudationem altarium, & diuini officii ſubtractionem: ſed id poſtea vetitum in Concil. Tolet. XIII. ob abuſus. 683. V. Eccleſiæ, quantumcumque bello iuſto, non debent ab hoſtibus ſpoliari Reliquiis Sanctorum, aut vaſis ſacris. 1039. II.

De ſacris vaſis & ornamentis eccleſiarum, vide in *Vaſa.*

Eccleſiæ Bona. Vide *Bona Oblationes.*

Eccleſiæ immunitas (quoad ad perſonas) à tributis. 33. X. 57. XXI. A tutelis. 257. VI.

A muneribus publicis. 319. XI. 330. XIII.

A tribunali ſæcularium. 355. XV. 385. VII. 412. VI. 425 III. Nullam eſſe voluit clericis fori exceptionem Valentinianus Tertius, ſed magno ſuo, & Imperii damno. 452. VII. Reſtituit illud priuilegium clericorum, Leo Macelles. 474. I. & Athalaricus. 527. VII. Confirmaturque in Concilio Aurelian. III. annuentibus Francorum Regibus 540. V. itemque in Mariſcon. Secundo. 588. III. Quantum ei detulerit Carolus Magnus. 801. 774. III. Quam illud pelluendatum in Oriente poſterioribus temporibus. 1148. XIII. Altercationes de eo in Anglia inter Reges & Epiſcopos. 1163. III.

Eccleſiaſticæ perſonæ lege Valentiniani repulſæ ab hæreditatibus mulierum. 370. XVIII. itemque Theodoſio: ſed cogit hunc Ambroſius eam legem retractare. 390. IX. Abrogantque cunctas alias ſimiles Marcianus, & Iuſtinianus. 370. XVIII. 455. VII.

Eccleſiæ immunitas, quo ad confugium ad loca ſacra, aufertur ab Arcadio, 398. XX. ſed confeſtim reſtituitur. 399. III.

Eius violationem, crimen maieſtatis eſſe, decernunt Honorius & Theodoſius Impp. 408. IV.

Eiuſdem violator Bonifacius Comes excommunicatur à S. Auguſtino. 422. II.

Eam dilatauit Theodoſius Iunior, & poſt nouis caſibus reſtrinxit. 431. II. Confirmat Leo Macelles ſeueriſſimis ſanctionibus. 466. II. Confirmatur pariter in Concilio Mariſcon. Secundo. 588. III. 650. & in Tolet. XII. dilatatur ad 30. paſſus extra eccleſiam. 681. XV. 644.

Violatores graui diuina vindicta puniti. 396. I. 398. XI. 440. XX. 408. IV. 466. II. 556. III. 588 III. 1032. I.

Ad eccleſiam confugientes debitores, Theodoſius Magnus extrahi, aut debita ab Epiſcopis ſolui iubet. 392. V. ſed eam legem antiquat Leo Thrax. 466. II.

Eccleſia ſanguinem non nouit. 385. VI. Vide *Ithacius.* Eccleſiæ miniſtrorum manſuetudo in reos. ibid. & 412. II.

Eccleſiaſticis cauſis, & negotiis, non ſe debere immiſcere Imperatores, declarant Conſtantinus Magnus. 311. IV. IX. Valentinianus Senior, 364. VI. 374. I Marcianus 451. XX. Theodoricus. 502. III. Quanto ſuo damno, ſe iis immiſceant Principes, vide in *Principes.*

Eccleſiaſticæ diſciplinæ corruptio ex longa pace, meruit vt perſecutio Deciana excitaretur. 253. IV. Eam acrius viſi ſunt curare Patres concilii Eliberini, 305. IV.

Eius ferme promptuarium Concilii Carthag. IV. canones. 398. XIV. Eadem in Galliis corrupta, acciuit barbaros in deuaſtationem illarum. 407. II. itemque Africa. 428. I. 439. VI. & Hiſpania. 713. VI.

Eccleſiaſtica Iudicia non debere tractari à Principibus ſæcularibus, declarauit Conſtantinus Mag. 313. IV. 325. XII. Concilium Chalcedon. 451 IV. 475. 451. XVII. Marcianus Imp 451. XX. Theodoricus Rex. 502. III. Atoualdus Rex. 626. VI. Ea labefactat Iuſtinianus. 541. III.

Quanto cum periculo ſe iis immiſceant 385. VI. Vide etiam *Iudicia* & *Principes.*

Eccleſiaſticæ Leges. Vide *Leges.*

Eccleſiaſticæ Perſonæ. Vide *Clerici. Epiſcopi. Sacerdotes, &c.*

Eccleſiaſtici Scriptores. Vide *Hiſtorici.* & *Scriptores.*

Ecdicius Aruernus, Auiti Imp. filius, diuinitus vincit Gothos Arianos. 466. III. Munificentia in pauperes, ob quam meruit cælitus laudari. 475. VI.

Ecebolus ſophiſta pro Principum religione, fidē mutauit, ſub Conſtantio, Iu-

ſian. & ſeq. entibus Imp. 362. III.

Eclipſis Solis Vide *Sol.*

Ecthesis pro hæreſi Monothelit. componitur a Sergio Patriarcha Conſtantinopol. promulgitur ab Heraclio Imp. 639. I. Damnatur à Seuerino Papa. ibi. item à Ioanne eius ſucceſſore, & ab Africana Eccleſia. 640. I.
  Negat eam eſſe ſuam Heraclius. ib. II.

Edeſſeni conuertuntur ad fidem per Thadæum Chriſti diſcipulum. 43. V. Vide *Abagarus.*
  Eorum ingens deſiderium martyrii, ſub Valente Imp. Ariano. 371. VIII. Eo peregrinari ſoliti Fideles, ad templum S. Thomæ Apoſtoli. ibid. Liberatur ab obſidione Coſrhois Regis Perſ. virtute Imaginis Chriſti non manu factæ. 545. II. Pretium liberationis ab obſidione Saracenorum; dant Conſtantino Porphyrog. Imp. eamdem Imaginem. 944. II.

Edictum Perpetuum Saluianum ſub Hadriano Imper. quo omnes Prætores vti Romæ deberent. 134. II. Conſtantini nomine promulgatum, de Donatione facta Eccleſiæ Rom. cuius ſit auctoritatis. 324. XXV. Iuſtiniani, aduerſus Origen. errores, 538. VI. & contra Tria Capit. 546. II.
  Heraclii, pro hæreſi Monothelitarum, dictum Ecthesis. 639. I. Conſtantis, pro eadem hæreſi. quod Typum nuncupauit. 648. I. Cetera Edicta, Conſtitutiones, Leges vide ſub ſingulis Principibus qui promulgarunt.

Editio Græca Veteris Teſtamenti ex Hebræo, primum facta à 72. illis famoſis Interpretibus. 183. IV. vide *Interp. ſeptu.* An fuerit alia antea concinnata, ſub Alexandro Magno. ibid. IV.
  Secunda Aquilæ Pontici Iudæi, ſub Hadriano Imp. malo animo compoſita aduerſus illam Septuaginta. 137. V.
  Tertia Theodotionis item Iudæi, ſub Commodo. 183. IV. Ea fidelior ceteris hæreticorum Iudaizantium, haud tamen in omnibus recta, quam Origenes emendauit. ibid. VI.
  Quarta Symmachi, item Iudæi, vel Ebionitæ, ſub Seuero; eaque duplex, & qualis. 203 III.
  Quinta reperta in Hierico, ſub Caracalla. 218. III. Sexta. Nicopoli, Alexandro Mammææ. 230. IV. Iſtæ duæ creditæ quoque à Iudæis factæ, ſed piis. 233. III.
  ex his omnibus Editionibus quomodo Tetrapla ſua, Hexapla, & Octopla, Origenes concinnauerit. 233. III.
  Editiones Latinæ Veteris ac Noui Teſtamenti, à quibus editæ, & quid in eis operatus ſit Hieronymus. 233. IV. V. Vulgatæ praſtantia, & nuper ea emendatio ſub Sixto Quinto ibid. VI. Simplicitas ſermonis quam in Editionibus Scripturæ ſit conueniens. ibidem.
  Editio Gothica Wlphilę Epiſcopi. 370. XVII.
  Vide etiam *Scriptura.* & *Canonici libri.*

Eduardus Anglorum Rex inſidiis nouercæ extinctus, claret miraculis. 978. II.

Eduardus alius itidem Rex Angliæ, regnum vindicat à Danis. 1043. I. 912. Vxorem virginem intactam conſeruat. ibid.
  Cogitur rurſum pendere tributum Sueno Regi Daniæ. 1050. IV. Legationem mittit Romam, pro abſolutione a voto 1060. II. Moritur, & miraculis illuſtratus, refertur inter Sanctos. 1066. III.

Eginhardus à Secretis Caroli Magni, illuſtris ſui temporis ſcriptor. 816. II.
  Verum fuerit gener eiuſdem Caroli. ibi. Multas Roma per ſuos in Gallias transferri curat SS. reliquias. ibid.

Elagabalus à Phœnicibus dictus Sol, & inde Elagabalus Imp. qui vulgo Heliogabalus. 220. II. 198. Vide *Anton. Elagab.*

Electio XII. Apoſtolorum. 32. III. Diſcipulorum LXXII. 26. 33. XIII. Matthiæ Apoſt. in locum Iudæ Iſcariothis 34. LXVI. Septem Diaconorum. 34. LXXX.
  Electi Manichæorum qui dicerentur, & quomodo ſubdiuiderentur. 277. XI.
  Electio Epiſcoporum. vide in *Epiſcop. electio.*
  Electio Rom. Pont. vide in *Rom. Pont. elect.* & *Rom. Eccleſ. ſchiſma.*
  Electores Imperii in Germania, conſtituti à Sede Apoſtolica per Gregorium V. PP. & refelluntur obiectiones contrariæ. 996. VII. Eorum numerus qualis olim, & à quonam ſeptenarius ſtabilitus ibidem. XI. & ſeqq. Eorum iudicio non obſtringitur Rom. Pontifex. ibidem. X.

Eleemoſynæ antiquorum Chriſtianorum profuſæ in vinctos, & peregrinos. 75. V. VI. Eleemoſynis execrabantur Manichæi, & quare. 277. VIII. Vide etiam *Collecta. Oblatio. Pauperes.*
  Eleemoſynarum erogatione Conſtans Imp. populum Donatiſtarum reduxit ad concordiam. 348. VI. Eas impedire conati Epiſcopi ſchiſmatici. ibid. Inim eis etiam Eccleſiæ in neceſſitate exhibendæ. 420. IV. 425. IV. Ad loca Sancta mitti ſolitas, damnauit Vigilantius. 406. VII. Damnarunt quoque eas, æque ac Manichæi, Albienſes hæretici in Gallia 1176. II. A Chriſto centupliciter poſt hanc vitam reddi, chirographo ſuo teſtatur poſt mortem Chriſtianus philoſophus. 411. XII. Ob earū erogationem Ecdicius patricius laudatur voce de cælo lapſa. 475. VI. Vide etiam in *Ioann. Eleemoſyn.*

Elementa quatuor, eſſe deos, dixit Prodicus hæret. 120. XVII. De Elementis bonis & malis, deliramenta Manichæorum. 277. IX.

Elephantem per foramen acus, prouerbium Hebræorum de re impoſſibili. 33. XVI.
  Elephantorum quadrigas quatuor agitauit Elagabalus Imp. in Vaticano. 221. III.
  Elephantiæ lues in Italia. 615. II.

Elesbaan Æthiopum Rex Chriſtianus, Homeritarum regionem occupat, pulſo Dunaan Rege apoſtata. 522. V. Rebus optime diſpoſitis, vitam monaſticam amplectitur. ibid.

Eleuſiniis ſacris initiatur Hadrianus imp. Athenis. 125. I. Eiſ ſuis ritibus imitata ſunt Valentinian. hæretici. 145. III.

Eleuſius Cyzicenus Epiſc. vnus ex primipilus Semiarianorum aduerſus Arianos, 358. IV. Abdicatur ab Acacianis in Concilio Conſtantinopol. 359. XXI. Fit princeps hæreſis Macedonianæ. 360. IV. A Iuliano Imp. damnatur reſtituere propriis ſumptibus eccleſiam Nouatianorum, quam diruerat. 361. XIV. Sub eodem Iuliano, ob fana idolorum diruta, carceri mancipatur, & poſtea pellitur. 362. XX. Vocatus ad Concilium Oecumenicum Conſtantinopol. renuens ſubſcribere fidei Cathol damnatur cum ſuis. 381. II. IV. Itemque in alio Concilio ibidem celebrato. 383. VII.

Eleutherus creatur Rom. Pont. 179. IV. Mittit ſacros miniſtros in Britanniam, ad petitionem Lucii Regis. 183. II. Martyrio coronatur ſub Commodo, in pace Eccleſiæ. 194 I.

Elias Hieroſolym. Epiſcop. ab hæreticis damnatur ob fidem Concilii Chalcedon. 512. II. Pellitur in exilium à Seuero hæreſiarcha, fauore Anaſtaſii Imper. 513. I. ibidem. In eius vltionem penuria quinquennis in Palæſtina. ibid. III. Anaſtaſio fulmine extincto, ipſe Elias vocatur à Deo, cauſam ſuam in diuino tribunali aduerſus eum acturus. 518. II.

Eliberinum in Hiſpan. Concilium, quo tempore habitum. 305. IV. Auſterius viſum eſt diſciplinam Eccleſ. curare. ibid.

Eligius ex aurifabro factus Epiſcopus Nouienſis in Gallia, charus Regi Dagoberto. 631. III. Præcipuæ apud Clodoueum eius filium auctoritatis. 650. IV. Flandrorum Apoſtolus nuncupatur. 665. IV. Moritur, miraculiſque nitet ibid. Im. Corripit in viſione Reginam Batehildam. ibid.

Elipandus Tolet. Archiep. Neſtorianiſmū inſtaurans, confutatur in Hiſpania. 783. Itemq; in Concilio Foroiulienſi. 791. II. & Ratiſponenſi. 792. I. ibidem. ac pleniſſime in Francofordienſi, 794. II. ibid.
  Eliſabet mater Ioannis Bapt. fuit ex tribu Leuitica. Appar. XVII.

Eliſæi Prophetæ oſſa, à Gentilibus Samariæ in Palæſt. diſperſa ſub Iuliano Apoſt. 362. XXXIII. Eius ſepulchrum ſummæ venerationi ibidem habitum ibidem. Reliquiæ transferuntur Alexandriam. 463. II.

Elphegus Cantuar. Archiep. captus à Danis Ethnicis, numquam adduci valens vt aliquid pro redemptione daret, aut ab aliis daretur, glorioſiſſimum conſequitur martyrium. 1101. III. Ingratitudo Danorum in eum, & diuina in ipſos vltio. ibid.

Elxai pſeudopropheta Iudæus, princeps ſectæ Oſſenorum, Ebioneis ſe iungit. 74. III. Impia eius dogmata. 105. II. ibid.

Elymas magus excæcatur ad tempus a Paulo Apoſt. 46. III. Scribit contra Pauli prædicationem, & Chriſti fidem. ibid.

Emaus oppidum Iudææ, dictum poſtea Nicopolis, pluribus fontibus irriguum. 34. LVI. Nobile apparitione Domini facta duobus Diſcipulis ibid. Incenſum reſtituitur ſub Elagabalo Imp. 22. I.

Emerita ciuitas Hiſpan. liberatur ab incurſione Gothorum oſtentis Eulaliæ virg. martyris 303. XI.

Emeritenſe Concil. de diſciplina Eccleſ. 669. II.
  Emmelia S. Baſilii mater, vna cum viro, extorres pro fide. 362. XVI. Sequitur filium in eremum Ponticam. ibid.

Emmanuel Imp. Græcorum. Vide *Manuel.*

Emmerammi Ratiſpon. Epiſcopi mira charitas, ſibi adſcribi patientis alienam culpam; vnde & martyrium cōſequitur. 652. IV.

Enac parens gigantum, & ab eo gigantes dicti Enacim. 34. XXXIII

Encænia Vrbis Conſtantinop. 330 I. Eccleſiæ Hieroſol. dictæ Martyrii. 335. IX. Eccl. Antioch. dictæ Dominici Aurel. 341. I. Eccleſiæ Ruffinianæ ſiue Apoſtolorum dictæ, apud Chalcedon. 394. VI. Anaſtaſiæ dictæ, Conſtantinopoli. 459. II. Arauſicanæ. 525. III. SS. Apoſtolorum, Conſtantinopoli. 552. V. Compoſtellanæ S. Iacobi Apoſt. 900. V. Bambergenſis in Germania. 1011 I. Aurelianenſis in Gallia. 1029. I. Rhemenſis. 1049. VI. Lucenſis. 1071. II. ibid. Vide etiam *Dedicatio.*

Encratidis virg. Cæſaraug. inſigne martyrium ſub Diocle. 303. XI.
  Encratitæ hæretici prodierunt à Tatiano. 174. I. IV. Qui continentes dici voluerunt ſeipſa turpes extiterunt. ibidem.
  Alia quædam eorum dogmata, & ſcripta apocrypha. ibidem. Exagitantur è Theodoſio Magno. 381. XI.

Encyclicæ Epiſtolæ. Vide *Ingelheim.*

Engelheim. Vide *Ingelheim.*

Enco-

Euodius Conſulari ortus genere,ex exconſulatore ſit diaconus Ticinenſis. 489.III. Ex iuſſione Synodi Rom. ſub Symmacho, ſcribit contra Laurentianos ſchiſmaticos.503.II. Factus Epiſcopus Ticinenſis, mittitur vna cum aliis ab Hormiſda Papa Legatus ad Anaſtaſium Imp. 515.I.
Alia rurſum legatione miſſus, periclitatur ab eodem Imp. 517.II.
Enthuſiaſtæ dicti Maſſaliani hæretici, ab inſanis eorum deliciis. 361.IX.
Entychitæ dicti Simonis magi ſectatores, à nefandis ſuis operibus. 35.XIII.
Eon hæreſiarcha. Vide *Eudo*.
Epauenſe Concil. in Gallia, ad reformationem Eccleſiæ. 509.IV.
Epheſina Eccleſia, à Paulo,an à Ioanne Apoſt.fundata.44.XI. De eius aſſerto Patriarchatu 467.V.in fi.
Epheſii olim magiæ deditiſſimi, facti Chriſtiani libros vetitarũ artium publice comburunt. 56 XII.
Quæ turbæ in ea ciuitate commotæ aduerſus Paulum.57.I. Ad eos ſcribit Paulus Romæ. 59. VII. Inſignis eorum triumphus de damnato Neſtorio in Synodo Oecumenica 431.IV. Eodem fidei ardore pellunt è ciuitate Pelagianos Epiſcopos. ibid XV.
Epheſiæ Dianæ templum. Vide *Diana*.
Epheſium Epiſcopus Baſſianus deponitur à Leone PP. 447.V.
Epheſinum Concilium Oecumenicum,ex voluntate Cæleſtini PP. conuocatur literis Theodoſii Iun. Imp. aduerſus Neſtorium Epiſc. Conſtantinop. hæreſiarcham.430.VIII.Præfuit ei nomine Cæleſtini Papæ, vna cum aliis Apoſt.Sedis Legatis. Cyrillus Alexandr. 431. III. V. Quinam alii interfuerint, & quot numero.ibid.& VI. Damnatur Neſtorius, cum ſuis hæreſibus. VIII. IX. Turbatur Synodus,Patreſque damnantur,à Ioanne Antioch. & Neſtorio, ſeorſum cum ſuis conuenientibus.ibid. X. XI. Synodus Ioannem cum ſuis damnat. XIV. Preſſuram à miniſtris Imp. paſſi Patres tandem rebus Conſtantinopoli patefactis,mittuntur ab vtraque parte Legati ad Imper. vincitque pars Catholicorum. XIXXX.
Aliud prouinciale, à Ioanne Chryſoſt. celebratum in cauſa Epiſcoporum ſimoniacorum. 400.XIV.449.
Conciliabulum à Ioanne Epiſcopo Antioch. celebratum vna cum Neſtorianis,aduerſus Patres Oecumenicæ Synodi ibi tunc ſedentes.431.X.Reſtituitur in eo Pelagiana hæreſis, ſæpe antea damnata.ibid.XII 548. Eius Acta reſciſſa ab Oecumenica Synodo, & à Theodoſio Imp.aboleri iuſſa. ibidem.XIV. XX.Aliud, Oecumenicum aſſertum, dictum autem Latrocinium.Epheſinum,auctoritate Theod. Iunioris à Dioſcoro Alexandrino celebratum, in fauorem Eutychetis hæreſiarchæ, aduerſus Catholicos.449.IX.Eius Acta reſcinduntur à Leone Papa,ibidem.XVI. & à Concilio Oecumen. Chalcedon. 451.XV.
Ephræm Antioch. Epiſcopus creatur ex Comite Orientis, præcedentibus propheriis 526. XI. Hæreticum Seuerianum Stilitam rationibus non valens conuincere, probata per ignem fide conuertit. ibid.In cauſa Trium Capitulorum, quomodo ſe geſſerit cum Imp. Iuſtiniano. 546.IV.
Moritur. ibid.VIII.
Ephrem Edeſſenus diaconus,Iacobi Niſibeni diſcipulus, Baſilio Magno fit percelebris ex viſione diuina. 370.VIII. An fuerit presbyter ab eo ordinatus.370 III. Simulat furorem,ne fiat Epiſcopus. ibidem.Moritur ibidem. Teſtamentum eius quale, & ſcripta quanti habita. ibidem. Poſtulat orari pro ſe poſt obitum. ibid
Epictetus Centumcellenſis Epiſcopus Arianus, ex ſæuitia in Catholicos chariſſimus Conſtantio Imp. 355.X.
Curru necat Ruffinum Epiſcopum Orthodoxum. 359. XIV.
Epigonius auctor hæreſis Patripaſſianorum. 260 V.
Epiphanes filius Carpocratis hæreſiarchæ, patri impietate non impar. 120. XVI. Fuit auctor & princeps Monadicæ cognitionis.ibid.Poſt mortem coli tus à ſuis vt deus. ibid.
Epiphaniæ feſtum in Eccleſiæ celeberrimum. 1.IX.
Inſtitutum ab Apoſtolis. 58.XXXVI.
Epiphanius ex monacho creauit Conſtantiæ, ſiue Salaminæ, primariæ Cypri vrbis Epiſcopus. 370.III.
Eius primordia, & ætas. ibid. Ab eo abſtinet Valens Imp. Arianus in communi aliorum Epiſc. Cathol. expulſione, ob viri reuerentiam.ibid. II. Scribit Ancoratum.374.VI. Panarium.375.V. Intereſt Romæ concilio celebrato ſub Damaſo ob turbas Antioch.382. I. Altercatur cum Ioanne Hieroſol.occaſione errorum Origenis 392.VIII.IX. Eius nomine ab Iconoclaſtis ſuppoſita ſcripta. ibidem. XI. Monitus à Theophilo Alexandr. Concilium celebrat contra Origeniſtas. 399.VIII. Quid eorum cauſa acciderit ei Cõſtantinopoli cum Chryſoſtomo, & Eudoxia Auguſt. 402.II. Obitus eius, & ſcripta. ibi. VII. Vita eius apud Metaphraſtem, ſcatet mendaciis. ibidem.
Epiphanius Conſtantinopol. Epiſcopus eligitur. 520.II.
Exigit ab eo debitam legationis obſeruantiam Hormiſda Papa; quam ipſe abunde exequitur. ibid.& X. Legat ei vices ſuas Hormiſda ad res Eccleſiæ in Oriente curandas. 521.II. Agi apud eum curat per Iuſtinianum Imp. de quæſtione vnius de Trinitate paſſi. 533.III.
Moritur. 535.VII.
Epiphanius, Caſſiodori familiaris, eius impulſu primus vertit in Latinum hiſtorias Socratis, Sozom. & Theodoreti. 439. VIII.
Epiphanius Ticinenſis Epiſc. creatur, vir ſanctitate & doctrina conſpicuus. 466. V.
Legatione fungens Ricimeris, pacem componit cum Anthemio Imper. 471. IV.
Pacem item conciliat inter Nepotem Imp. & Euaricum Regem Gothorum. 474.IV. Moritur. 496.VIII.
Epiſcopæ, quæ feminæ dictæ apud antiquos. 34. LXXXII.
Epiſcopi & Presbyteri nomina olim communia, functio & poteſtas ſemper diſtincta.58.II. Aerii ea de re confutatur hæreſis, & S. Hieronymi explicatur ſententia. ibid III.
Epiſcopi loco Apoſtolorum ſucceſſerunt.51. XV. 58. III. Vnius vxoris viros eligendos, quomodo intellexerit Paulus. 58. VI. Sæpe electi coniugati, ſed confeſtim abſtinuerunt vſu coniugii. ibid. VIII. Vide *Continentia*. A tribus Epiſcopis ordinandi. 34.LXXXIII.
Peregrini ab aliis inuitari ſoliti ad concionandum, & Euchariſtiam populo impertiendam 46.IV.
Eorum quædam antiqua ornamenta. 34. LXXXIV.
Omnes dicti olim Papæ. 165.V.
Legitima poſtulatio eorum, quomodo fieret à populo.169. VII. in fi. Tertio loco a Mõtaniſtis collocati in ordine hierarchico.173.VIII. Apud Pepuzianos, erant feminæ. ibid.XI.
Apud Manichæos erant. 72. numero. 277.XI.
Epiſcopi Apoſtolorum auctoritatis ſucceſſores, legum in Eccleſia condendarum poteſtatem habent. 51.XV.
Vide *Leges*. Eorum iudiciaria poteſtas, tam in clericos, quam laicos quoſcumque, à Domino inſtituta, à SS Patribus exercita, ab Imperatoribus confirmata. 57. X. XI.319. XI.398 XIII. Vide etiam *Iudicia*.
Epiſcoporum cauſas à Principibus ſæcularibus non poſſe cognoſci, declarauit Conſtantinus Magnus. 325 XII. Idem probat S. Ambroſius, ratione, & exemplis, aduerſus Valentinianum Imp. 384. V. Eæ haud abſq; Rom. Sedis Antiſtite cognoſcendæ. 313.V. eædemq; deferri conſueuerunt, debentque, ad eam Sedem. 428. IV.592.II. 595. 599.I. 602.III 853. II.865 IV. 992. II. 1055. I. Vide *Rom. Pont & Principes*. Eorum quoque cauſas à Iudicibus ſæcularibus cognoſci, vetuit Conſtantius 355. XV. Epiſcopus appellans ad ſæculare iudicium, ob indignum hoc facinus mulctatur à Valentiniano Seniore. 369.VI. Vide etiam *Eccleſ. immunitas*.
Epiſcopis ſubiectos eſſe Præfectos prouinciarum, voluit Conſtantinus Magnus. 324. VIII. Iiſdemque permiſit iniquas Præſidum ſententias reſcindere: quod & ipſi ſæpiſſime præſtiterunt. 319. XI 398 XXI. Vide *Iudicia & Præfecti* Soliti quoque excommunicare Imperatores, & Præfectos, cum cauſa exigeret. 370 XIII. 390. II. 398. XXI 411. XI. 422. II. Vide *Excommunicatio*.
Epiſcopus vnus in Eccleſia Cathol. idemque Romanus Pontifex. 254. XIII. 356. XIV.
Epiſcopus Epiſcoporum antiquiſſimus titulus Romani Pontificis. 216. II. Epiſcopi electi, legationem mittere conſueuerunt ad Rom. Pont. pro obtinenda Cathol. communione. 520 II.
Soliti præſtare iuramentum eidem Pontifici. 723.I. 1102.I.
De his omnibus, deque aliis ad Romani Epiſcopi ſupra alios Epiſcopos, cũctoſque Principes tam ſæculares quam Eccleſiaſticos, auctoritatem pertinentibus vide in *Roman. Pontifex*.
Epiſcopis prędicantibus aſſiſtere diaconus, præcepit Euariſtus Papa. 111.V.
Et vbique eos aſſectari debere presbyteros & diaconos, propter teſtimonium, ſtatuit Lucius PP. 257.III. Lapſi honore priuandi, & laica tantum communione impertiendi. 258.III. Vide *Lapſi* Eorum conſeſſus ordo in Synodis. 325.XVII. Vide *Conſeſſus*. De eorumdem depoſitione, & ſucceſſione, vide in *Depoſitio & Succeſſio*.
Epiſcoporum electionem confirmari à Rege, & pro ordinatione pecuniam ſolui, conſtituit in Italia Athalaricus Arianus. 533. VI. Eorum electionem fieri à Principibus ſæcularibus, prohibitum in Conciliis Vniuerſalibus, Nicæno Secundo. 787. VIII. & Octauo Conſtantinopol. 869. IX. Reddit quoque eam liberam Carolus Magnus. 813. VII. De Principum vſurpatione ea in re, vide in *Inueſtitura*. Poſt abolitas inueſtituras, qualiter fieri permiſſæ electiones in Germania & Imperio. 1122. II. 1152 III.
In Anglia quid de iis præſumerent Reges. 1164.VII
Eorumdem nominationem non ſua auctoritate, ſed Apoſtolicæ Sedis conceſſione, Reges habent. 752.II.
Conceſſa in Regno Francorum Pipino à Zacharia Papa. ibid.
Eamdem Reges Hiſpaniæ ſibi olim vendicarunt: & quid de ea re conſtitutum in Synodo Toletan. Duodecima. 681. XIV.
Epiſcopus exhibere Principibus obſequia indecentia, prohibitum in Concilio Oecumen. Octauo. 869. IX.
Epiſcopus de vili inceſſu, & infrequenti

cum ſtatu, reprehenſus à Gregorio Magno. 601. II. Amus ſæcuları Gothorum habitu incedens, damnatur in Concilio Aquileienſi. 381. XII. Venatores cohibentur in Concilio Matiſcon. Secundo 588. III. In Epiſcopos inſurgentes populi, ſeuere puniuntur à Deo: 587. III. iidemque antiquiſſimis decretis iubentur curiæ in ſeruitutem tradi. 1074. VI Epiſcopos indignos, non eſſe epiſcopos, nec poteſtatem habere ſacramenta adminiſtrandi, nec eis eſſe obediendum, dixerunt Albienſes hæretici. 1176. II.

Epiſcoporum affines, ſiue iuſte ſiue iniuſte ditati, poſt mortem Epiſcoporum exagitari conſueti. 445. I. Epiſcopi bellatores, armati lorica & galea, primum viſi in Gallia. 575. II. Vide *Salonius*. Ne ad bella pergant, decernitur rogatu populorum in Concilio Wormat. 770. III. & in Moguntino prohibentur arma geſtare; ſed tamen permittitur laicis qui apud ipſos eſſent. 813. VI. Nihilominus poſtea vbique frequentatiſſimum fuit, ipſos Epiſcopos armis certare in prælıis: indeque ingentia orta in Eccleſiam mala. 888. II. 842. Immo & in Hiſpania pugnarunt pro Arabibus contra Arabes. 1010. I. 895. Bellica tractare poſſunt, ſed non per ſe armis vti. 1053. III. Vide *Bellica*. Ob deſertam militiam palatinam & caſtrenſem, male habentur a Ludouico Craſſo Franc. Rege. 1127. III

Epiſcopis iuramentum non debet offerri. 449. II. in fi. Epiſcopi Galli transferunt iudicio ſuo regnum à Lothario Imp. ad fratres eius. 842. I.

Epiſcopi pueri quando primum eligi cœpti, & cuius auctoritate Pontificis. 925. II. Vide *Pueri*.

Epiſcopi Cardinales. Vide *Cardinales*.

Epiſcopi Collaterales, & Suffraganei Rom. Pontificis, quot & quales. 1057. III.

Epiſcopi. Vide etiam *Patriarcha. Sacerdotes*.

Epiſcopatus à Regibus accipientes damnati in Concilio Aruernenſi. 541. VIII. itemque in Pariſienſi 559. III. Eaque de cauſa in Santonenſi, depoſitus eſt Emerius eius ciuitatis Epiſcopus. 566. IV. Vide etiam *Inueſtitura*. & *Beneficia*. & ſupra *Epiſcoporum electio*.

Epiſcopatus licite emi poſſe à Principibus, modo conſecratio gratis acciperetur, fuit quorumdam hæreſis, quam Petrus Damiani confutauit, Alexander PP. damnauit. 1065. III. Plures ſimul obtinet in Oriente impius Santabarenus ab impiiſſimo Photio. 879. II. Id mali in Italiam primus inuehit Hugo Rex, in gratiam Manaſſis affinis ſui hominis nefarii. 936. V. Quando primum id conceſſum a Sede Apoſtol. & qua occaſione. 1177. XIV.

Epiſcopales ædes, mortuis Epiſcopis, expilari conſuetæ à plebe. 885. I. Prohibetur in Concilio Rauen. ſub Ioanne PP. Nono. 904. II. & in Sueſſionenſi in Gallia. 909. I. Reſcribit etiam aduerſus eiuſmodi expilatores Ioannes Comnenus Imperator Orientis. 1124. V. Epiſcoporum morientium exuuias rapiens Fridericus Imp. acriter arguitur ab Vrbano Papa. 1186. I.

Epiſtolæ à Chriſto & Abagaro Edeſſæ Rege ad inuicem ſcriptæ cuius ſint fidei. 31. XXII. Transferuntur Conſtantinopolim. 944. II.

Pilati ad Tiberium Imp. de Chriſto. 34. LXIII.

Petri prima, quando, vbi, & ad quos ſcripta. 45. V. Tranſlata ex Hebræo in Græcum à Marco. ibid. VII. Secunda quando exarata. 68. II. Ea quondam in dubium reuocata, ab vniuerſa tandem Eccleſia recepta eſt. ibid.

Pauli prima ad Theſſalonicenſes. 52. VII. Secunda. 53. I. Prima ad Corinth. 57. I. Secunda. 58. XVII. Prima ad Timotheum. 57. LIII. Secunda. 59. III. 108. V. Ad Titum. 58. I. 94. Ad Romanos. 58. XIX. Ad Epheſios. 59. VII. Ad Galatas. 59. VII.

Ad Philippenſes. 60. I. Ad Coloſſenſes. 60. IV. Ad Philemonem. 60. XVII. Ad Hebræos ſcripta, aduerſis tributa diuerſis, tributa diuerſis aliis auctoribus, ſed vere eſſe Pauli probatur. 60. XVIII ibid. & ſeqq. Hebraice à Paulo ſcriptam, Græcam fecit ſiue Clemens, ſiue Lucas. ibid. XIX. Quomodo dixerit Hieronymus, eam non receptam fuiſſe à Latinis ibid. XXI. XXII. Ad Laodicenſes vtrum ſcripſerit Paulus. 60. V. Aliæ quædam eius nomine ab hæreticis ſuppoſitæ. 44. XXV. Pauli & Senecæ ad inuicem ſcriptæ quæ extant, cuius ſint fidei. 66. IV. Epiſtolæ Pauli cum in eccleſia antiquitus legerentur reſpondere Lectoribus conſueuerat *Pax tecum*. 60. XXII. in fi.

Iacobi Apoſtoli, ab aliquibus olim in dubium reuocata, tempore procedente ab vniuerſa Eccleſia recepta. 63. III.

Ioannis tres, qua occaſione, & ad quos ſcriptæ. 99. IV. V. Prima ſemper ab omnibus, vt Ioannis recepta, de ceteris ab aliquibus nonnunquam dubitatum. ibid.

Iudæ, ab vniuerſa Eccleſia recepta. 68. III.

Barnabas quoque vnam ſcripſit; ſed ea perperam a nonnullis credita quæ Pauli eſt ad Hebræos. 51. XIV.

Clementis Papæ ad Corinthios, in eccleſia legi conſueta, perinde ac ipſæ Apoſtolicæ. 95. I. Aliæ eiuſdem quales, ibid. II.

Ignatii Antiocheni, quot numero, & ad quos ſcriptæ. & cuius ſint fidei. 109. III.

Quorumdam Apoſtolicorum virorum, in eccleſia quæ quæ legi ſolitæ: puta Clementis Papæ, 95. I. Polycarpi. 169. IV. Leonis PP. Primi. 449. VII.

Epiſtolæ Synodi Epheſinæ Oecumenicæ, à Patribus intra arundinem per fidum hominem medici habitu miſſæ, ne interciperentur à Neſtorianis. 431. XVI. Alia ſcribitur à Theodoſio Iuniori ad Ioan. Chryſoſtomum longe antea defunctum in exilio vt dignaretur redire Conſtantinopolim. 438. II.

Ibæ Edeſſeni Epiſcopi, olim Neſtorij fautoris, qua ratione in Concilio Chalcedon. probata, & in Quinto Oecumen. improbata. 448. IX. Leonis PP. ad Flauianum Epiſcopum Conſtantinop. de Verbi Incarnatione contra Eutychetem, ab omnibus tam Oriente quam Occident. mirifice prædicata, eademque miraculis comprobata. 449. VII. Ioannis PP. & Iuſtiniani Imp. ad inuicem datæ, impugnatæ a Nouatoribus, probantur genuinæ. 534. II. Vdalrici Epiſcopi Auguſtani, nomine conficta de coniugiis ſacerdotum. 591. IV. S. Petri nomine ſcripta à Stephano PP. III. ad Pipinum Franc. Regem, pro ſubueniendo Eccleſiæ Rom. aduerſus Longobardos. 755. I. Theodori Studitæ, comprobantur miraculis. 816. II. Michaelis Imper. blaſphemia, & iniurioſa ad Nicolaum PP. iubetur à Nicolao igne comburi. 865. VI. Aliorum quamplurimorum, vide ſub ſingulis auctorum nominibus.

Epiſtolæ Decretales Rom. Pontificum Vide *Decretales*, Paſchales quales eſſent vide in *Paſcha*. Synodales Conciliorum Oecumenicorum, debēt ſcribi ad Rom. Pont. 347. XVII. Aliarum Eccleſiaſticarum varia genera. 142. VI. Vide etiam *Litera*. & *Tabellarius*.

Epiſtola ab impoſtore aſſerta per Chriſtum ſcripta, & per Archangelum Michaelem hominibus patefacta. 743. II. Alia pariter à quodam Epiſcopo Gallicano obtruſa, quaſi diuinitus adue delata, pro ieiuniis auſterioribus, & aliis mandatis importabilibus. 1034. I. Alia item falſo aſſerta de cælo lapſa ad Petrum Eremitam pro Bello ſacro promouendo. 1095. IV. Epiſtolaris hiſtoria, omnium certiſſima. 552. II.

Erfordienſe Concilium de obſeruatione feſtorum, & ieiuniorum. 932. I. Aduerſus ſacerdotes coniugatos. 1074. III.

Eruli occupant Italiam. Vide *Odoacer*. Conuertuntur ad fidem ſub Iuſtiniano Imp. 527. VI.

Eſſenorum ſectæ apud Iudæos, dogmata, & mores. Appar. VIII. 64. III Eorumdem antiquitas, & numerus. 64. III. IV. Eſſæorum, ſiue Eſſenorum, nomine Philo deſcripſit Chriſtianos Alexandrinos a S. Marco inſtitutos. 64. II. Eorum vitæ monaſticum inſtitutum, & facta nominis ſignificatio ibidem. Differentia ab Eſſenis Iudæis, ibidem. III. IV.

Ethnici. Vide *Gentiles*.

Euagrius nobilis & diues presbyter Antiochenus, comes peregrinationis S. Hieronymi, neceſſaria, ei in eremo miniſtrat. 372. IX. Creatur Epiſcopus Antioch. 389. X. Eius, & Flauiani æqualis Epiſcopi, inter ſe contendentium, cauſa collecta Synodus Capuana. ibid. XI. Moritur. ibid.

Euagrius electus ab Orthodoxis Conſtantinopolitanus Epiſcopus, pellitur à Valente Imp. Ariano. 370. VI.

Euagrius Ponticus, Origeniſta, ex clerico factus Monachus Nitriæ, multa ſcribit 388. XIV. Falſo ei Gennadius tribuit miracula. ibid. Ab eo fluxere Pelagiani. ibid. Indolentiam Stoicam in Eccleſiam introducere tentans, deriditur ab aliis. ibid.

Euagrius inſignis hiſtoricus, primus ex Græcis eorum qui leguntur, Orthodoxus. 565. II. Vbi terminetur eius hiſtoria. 594. IV.

Euangelicæ hiſtoriæ dignitas. 31. I

Euangelicas Harmonias quinam texuerint. 31. II.

Euangeliſtarum ſcopus in rebus Domini enarrandis. 34. LXII. Euangeliſtæ dicti, non tantum qui Euangelium ſcriberent, ſed etiam qui annuntiarent. 35. IX. 58 XLVI.

Euangelium. Vide etiam *Fidei propagatio*. & *Lex*.

Euangelium Matthæi, quo tempore ſcriptum fuerit. 41. IV.

Immutatum à Nazaræis, & deprauatum ab Ebionæis ibidem. V.

Bartholomæus Apoſt. detulit ad Indos & Barnabas ſemper ſecum habuit. ibid.

Eo ſolo vtebantur Cherinthiani, nec integro. 97. VII

Hebraice ſcriptum reperit Pantænus in India ſub Commodo Imp. 183 III.

Inuentum in Cypro vna cum corpore S. Barnabæ ſub Zenone, defertur Conſtantinopolim, & auro ornatur 485. I. II.

Euangelium Marci, quando, vbi, & qua lingua ſcriptum. 45. X. XIII. 65. Lucæ, quo tempore, & qua occaſione editum. 85. XIV.

Ioannis, quibus loco, tempore, cauſa, & prodigiis conſcriptum. 99. II. III. Scriptum Græce, ſed tranſlatum in Hebræam ibid. Eo ſolo vtebantur Valentiniani hæretici. 145. I. Repertum fuiſſe in ſpecu templi Hieroſol. ſub Iuliano, aſſeritur à Nicephoro. 363 IV.

Euangelia alia pluríma conficta ſub nomine diuerſorum Apoſtolorum: 44. XXV. XXVI. Scripſit & ſuo proprio nomine Baſilides hæreſiarcha. 120. IX. itemque Valentinus. 145. IV.

Euangelium geſtare, amuleti loco, conſuetum ab antiquis Chriſtianis, ab ipſo Apoſtolorum tempore. 232. III. 604. I.

Ad collum decollandi martyris appenſum. 303. XIII. In Synodis, ſuper thronum in medio conſeſſus Epiſcoporum collocari ſolitum, ad repræſentandum Christum. 325. XVIII 431 VII. 451. XIII. 680. V. In Eccleſia populo legere, fuit vbique munus diaconi; ſed in Africa, cleri Lectoris. 251. XIV.

Euariſtus creatur Rom. Pont. 112. IV. 150. Titulos in Vrbe presbyteris diuidit. ib. Diaconos ſeptem inſtituit, qui Epiſcopo prædicanti aſſiſterent. ibid. V. Martyrio coronatur ſub Hadriano Imper. 121 II.

Euarix Gothorum Rex Arianus, dire graſſatur in Gallias & Hiſpanias. 464. I. 547. An ſub eo Gothi Leges ſcriptas habere cœperint. ibidem. Sedem regni conſtituit Toloſæ. 474. IV. Perſequitur Catholicos. 475. III. ibid. Miſere perit, vltione diuina 484. XI.

Euchitæ, ſiue Euchitæ hæretici, & qui Maſſaliani Vide *Maſſaliani*.

Euchariſtiæ Sacramentum à Chriſto inſtitutum. 34. XV. Vide etiam *Miſſa.* & *Sacrificium.*

Ea confecta in azymis. 34. XVII In tempore eius ſumendæ, varii olim ritus. ibid. & 57. XXXIX. Participauit Iudas traditor vna cum aliis Apoſtolis. 34. XVIII. Sumendæ, & miniſtrandæ ritus, ex inſtitutione Apoſtolica. 57. XLI. XLII. Domi ſeruari, & in via deferri, olim ſoliti à primis Chriſtianis ibid. XLIII. Mitti quoque conſueta à Romanis Pontiff. ad Epiſcopos Catholicæ communionis. ibid. & 198. II. In Eccleſia aſſeruandi, antiquus vſus, ritusque. 57. XLIV. 570. IV. Sub vnica ſpecie Panis, etiam olim impertiri conſueta. 57. XLIV. Quam frequenter eam participarent Fideles. ibidem. XLV. Nonnullorum ea in re oſcitantia, à Patribus redarguta. ibid. Indigne ſumentes, terribiliter puniti.

In Euchar. calice, aqua ſola vſi plures hæretici, & alii vino ſolo. Vide *Aqua*.

Euchariſtiæ conficiendæ, execrabilis plane modus Gnoſticorum. 120. XIV. Montaniſtarum quorumdam. 173. IX. Manichæorum. 277. VIII 420. I. Ad eius quoque benedictionem, Ophitæ adhibebant magicis incantationibus ſerpentes. 145. V. Affectabat item in ea miracula Marcus hæreſiarcha præſtigiis ſuis. 175. VII. & pſeudoprophetiſſa ſub Maximino Thrace. 237. XIV. Ad eam conficiendam, Artotyritæ apponebant caſeum cum pane 173. XI.

Ex Euchariſtiæ doctrina Catholica accuſati Chriſtiani à Gentilibus eſus carnis humanæ. 120. XV. 156. Eam Priſcillianiſtæ conuenientes cum Catholicis ſic accipiebant, vt tamen non comederent, & quare. 381. XVII. Ritu Macedonianorum confectata, inter dentes abſumentis mulieris in lapidem conuertitur. 400. XVII. In Euchariſtia Chriſti corpus & ſanguinem tunc tantum eſſe, cum a Fidelibus ſumeretur, aſſeruerunt quidam hæretici, quos refellit Cyrillus Alexandr. 444. III. Eam omnino damnauit Baſilides, eo quod Chriſti carnem negaret. 120. IX. Eſſe ſolam vmbram & figuram corporis Chriſti aſſerit impius Berengarius. 1035. II. (Vide *Berengarius*) Atque etiam Albienſes. 1178. III. Nihil aliud eſſe, quam Dominicam orationem, duxerunt Bogomili. 1118. XII. Eius perceptionem nihil eſſe, vel prodeſſe ad ſalutem, aſſeruerant Tanchelmus, & Petrus de Bruis hæreſiarchæ. 1126. V. VI. In ea cum corpore ſanguine ineſſe panem & vinum fuit error Ruperti. 1111. IX. Nõ deberi vocari imaginem, probatum in Nicæna II. Synodo. 787. V.

Euchariſtia Catholicorum, abiiciunt canibus Donatiſtæ in Africa. ſed mox diuinam ſentiunt ab iiſdem canibus vindictam. 362. LV. Wandali Ariani pedibus conculcant. 456. IV. & Coterelli hæretici in Galliis. 1183. IV.

In eius ſumptione prodigia in lapſos ſub Decio. 253. VI. Ad eius adorationem ſæpe viſi à Chryſoſtomo Angeli aduenire. 407. VI.

Sumens cum Chriſtianis puer Iudæus in ignem conîicitur a patre, ſed ſeruatur illæſus. 423. III. 552. V. Viſa a Gentili Principe, in forma pulchelli pueri. 785. III. Eius ſumptione liberatur virgo arreptitia. 434. III. 512. Alia circa eam miracula aduerſus Seueranos. 513 II. & Berengarianos. 1059. V. Aquarios. 1188. IV.

Purgatio impoſitarum criminationum, per ſumptionem Euchariſtiæ. 868. IV. 941. II. 1049. V. 1077. II. Super Euchariſtiam ſuos cogit iurare Nouatianus Antipapa aduerſus Cornelium Pontif. 254. IX. In ea porrigenda terribilis conteſtatio Hadriani PP. ad Lotharium Franc. Regem. 868. II. Gregorii VII. ad Henricum Germ. Regem. 1077. II. Bernardi ad Guillelmum Aquit Ducem. 1135. I. Illegitimum eius porrigendæ modum redarguit Robertus Franc. Rex. 1004. III.

De Euchariſtia vide etiam in *Communio*, & *Sanguis Chriſti*.

Eucherius ex Senatore monachus Lerinenſis, inde Lugdunenſis factus Epiſcopus. 441. III.

Eius ſunt plurimæ homiliarum, quæ feruntur nomine Euſebii Emiſeni. ibid.

Fuit item alius Eucherius Epiſc. Lugdun. poſt 80. annos. ibidem, IV. & 528. IV.

Eucherius Aureliar. Epiſcopus, redarguit Carolum Martellum de vſurpatione decimarum in ſtipendium militum, & ideo pellitur in exilium. 731. VI. Moritur. ibid.

Eucherius Stiliconis filius, Paganus ambiens Imperium, meditatur euerſionem eccleſiarum. 408. V. Occiſo patre, & ipſe iuſſu Honorii Imper. extinguitur. 409. I.

Eudo, ſiue Eon dictus, inſanus hæreſiarcha, præſtigiis diaboli dementatus, aliosque dementans 1148. II. Quis eius finis, diſcipulorumque. ibid.

Eudocia Attica. Leontii philoſ. filia ſcientia illuſtris, ducitur in vxorem à Theodoſio Iuniori. 421. Peregrinatur ex voto Hieroſolymam, & multa pietatis opera exercet 438. IV. Curatur per Melaniam luxatione pedis à dæmone immiſſa. ibid. Reliquias S. Stephani transfert Conſtantinopolim. 439. I. Catenis quoque S. Petri donata, alteram mittit Romam, alteram Conſtantinopolim collocat. ibid. II. Theodoſium maritum ſuum commouet in Pulcheriam Aug. & in Flauianum Epiſcopum Conſtantinop. 446. V Reſipiſcente Theodoſio ipſa relegatur in Hebdomum. 450. III. Poſt mortem viri, iterum peregrinatur Hieroſolymam. ibid. Rapitur in hæreſim Eutychianam. 552. VI. Diu obſtinata permanens, tandem reſipiſcit, & ſancte fine quieſcit. 455. V.

Eudoxia ducitur in vxorem ab Arcadio Imp. 395. V. Fauet Porphirio Gazenſi aduerſus Gentiles. 401. VIII. Prohibetur à Chryſoſtomo ingreſſu eccleſiæ, ob iniquam auaritiam, & rapinas. ibid. IX. Fuit etiam ei conflictus cum Epiphanio, occaſione eiuſdem Chryſoſtomi. 402. VI. Nouis obortis cauſis exacerbata in Chryſoſt. procurat eius depoſitionem per Theophilum Alexandrinum; ſed mox territa motu terræ, eumdem reuocandum curat. 403. I. VI. Imaginem ſuam ſuperſtitioſe circumferri faciens, rurſum reprehenditur a Chryſoſtomo. 404. III. Ipſaque iterum eius expulſionem procurat. ibid. IV. Miſerrime moritur; & quando id contigerit. ibidem. XV. XVI. 407. VII.

Eius vrna perpetuo motu agitata, donec Chryſoſtomi corpus longe poſt obitum cum honore relatum eſt. 404. XV. 438. II.

Excommunicata ante mortem ab Innocentio Papa, veniam petens reſtituitur. 407. VII.

Eudoxia filia Theodoſii Iun. Imper. nubit Valentin ano Tertio. 437. III. Suſcepta à matre Eudocia, catena S. Petri, erigit Romæ baſilicam in eius honorem. 439. II. Occiſo, ante Maximi Senatoris, Valentiniano, ipſa licet ab eodem Maximo in vxorem ducta, accerſit Wandalos in vindictam; à quibus direpta Vrbe, necatoque Maximo, & ipſa abducitur in Africam. 455. II. IV. IV. Remittitur Conſtantinopolim. ibi Quid de ſtabus eius, Eudocia, & Placidia, actum.

Eudoxius diſcipulus Luciani martyris, in perſecutione Diocletiani ſacrificat idolis, & poſtea adhæret Ario hæreſiarchæ. 311. III. Doloſe inuadit ſedem Antioch. 356. XVI. Ex eo quod martyris eſſet filius, ea abutitur gloria ad hæreſim illuſtrandam, qua Filium Patri ſubſtantia omnino diſſimilem aſſeruit. ibidem. XVIII. Amicitiam init cum Aetio Atheo, ob parem impietatem, & Sybariticam molliciem. ibid. Damnatur à Semiarianis in Concilio Seleucienſi. 359 XVIII.

Transfertur à Conſtantio Imp. Conſtantinopolim. ibidem. XXI. Baptizat Valentem Aug. & exigit ab eo iuramentum de propugnatione hæreſis Arianæ. 366. III. Moritur. 370. VI.

Eugeniæ virginis Cordub. nobile martyrium ſub Saracenis. 392. I.

Eugenia Philippi Auguſtalis Ægypti filia, nuptias fugiens, virili habitu deliteſcit inter monachos. 204. III. Martyrio coronatur ſub Valeriano. 261. VII.

Eugenius olim Rhetor, euehitur in Imperium Occid. ab interfectoribus Valentiniani Iunioris 392. IV. Reſtituit Gentilibus Rom. (licet ipſe Chriſtianum agens) Aram Victoriæ, eaque de re arguitur à S. Ambroſio. ibidem Eius munera, tamquam ſacrilegi tyranni, reiiciuntur ab Eccleſia Mediolan. 394. I. Conſulit exta victimarum de futuro bello contra Theodoſium. 393. VI. Signa deorum habet in ſuo exercitu. 394. I. 430. Vincitur ingenti prælio; capuſque morte afficitur. ibid. II. III.

Eugenii primi Toletani Archiepiſcopi inuentio, & translationes. 1148. VII.

Eugenius vir ſanctiſſ. creatur Epiſcop. Carthag. duriſſimis conditionibus, ab Hunerico Ariano Rege propoſitis. 480. I Cæcos illuminat in confirmationem fidei Cathol. 484. VI. VII. Pellitur in deſertum, dire vexandus. ibidem. VI. In se ſolicitiſſimam agens curam reliquorum Cathol. pellitur in Gallias. ibique moritur clarus miraculis. 495. V.

Eugenius eligitur Vicaria præfectura, in locum Martini Papæ exulis pro fide. 652. II. 624.

Mortuo Martino, confirmatur in Sede Pontificia. 654. I. Moritur. 655. I.

Eugenius II. creatur Roman. Pont. 842. I. Schiſma aduerſus eum, ſedatur, à Lothario Imp. ibid.

Quid egerit in cauſa Imaginum, ex Collatione Pariſienſi. 825. IV.

Recipit Legatos Michaelis Imp. Orient. 824 II Moritur. 827. II.

Eugenius III. creatur ex Abbate Trium Fontium, & diſcipulo S. Bernardi 1145. II.

Vim timens rebellium Rom. conſecratur in monaſterio Farfenſi, & recipit

pit ſe Viterbium. ibid. Suſcipit legatos Catholici Armeniorum, de eius ſubiectione erga Rom. Sedem. IV. Satagit pro noua expeditione in Terram Sanctam, aliiſque aduerſus vniuerſos vbique Chriſtianitatis hoſtes. ibid. VI. & 1146. III.

Compeſcit Romanos, & regreditur in Vrbem. 1145. VII. Rurſum vitans eorum inſultus, confugit in Galliam. 1147. II.

Plura ibi celebrat Concilia. ibi. V. Quid ei cum Cardinalibus, & S. Bernardo, de damnatione errorum Gilberti Porretani. 1148. V. VI. Probat res S. Hildegardis virginis. ib. VIII. Rediens in Italiam, vario euentu confligit cum Romanis. 1149. I.

Eius à muneribus abſtinentia prædicata. 1151. I. Experit à S. Bernardo ſcribi libros de Conſideratione. 1152. I. Pace cum Romanis facta, reuertitur in Vrbem. ibid.

Moritur Tibure, & corpus defertur Romam. 1153. II. Illuſtratur miraculis. ibid.

Eulaliæ Barcinon. virginis martyrium ſub Dioclet. 303. XI.

Eulaliæ alterius, virg. Emerit. celebratiſſimum eadem perſecutione martyrium. ibid. Eius oſtentis fugantur Gothi ab Emerita.

Eulalius Archidiaconus Eccleſiæ Rom. erigitur in ſchiſmate aduerſus Bonifacii Papæ electionem. 418. IX. Synodali, & Imperiali decreto damnatur, & relegatur. 419. II. III. Creatur Nepeſinus Epiſcopus. ibid. III. in fi.

Eulalii duo, Alexandr. & Carthag. conflicti in controuerſia de Appellationibus inter Apoſtol. Sedem & Afric. Eccleſiam. 419. XIV.

Eulogiæ dictæ oblationes Panis benedicti in eccleſiis fieri ſolitæ. 313. XIII. XIV.

Aliarum priuatarum Eulogiarum vſus.

Eulogius diaconus Tarracon. martyr ſub Valeriano. 261. VII.

Eulogius creatur Epiſcopus Alexandrinus. 581. VII.

Scripta ſua aduerſus Agnoitas hæreticos, cognoſcenda mittit ad Gregorium Papam. 600. III. Eius obitus, & laudes. 608. II.

Eulogius Cordub. in Hiſp. presbyter, deſcriptor perſecutionis Saracenorum in eam Eccleſiam, mancipatur & ipſe ob fidem carceri. 851. II. Scribit Memoriale Sanctorum aduerſus detrectatores martyrii. 852. II ibid. itemque Apologeticum, eadem de cauſa. 857. I. Conſequitur martyrium ab iiſdem Saracenis, & diuinitus ei exhibentur ſolemnia funeris. 859. I.

Eunomius diſcipulus Aetii Imperii. 356. XVIII. Ob hæreſim exagitatus, conſilio Eudoxii fugam arripiens, ſcriptis promulgat impia ſua dogmata. 360. VI. Ea quæ fuerint ibid. VII. Sicut in blaſphema doctrina ſectator fuit Aetii; ita & in turpiſſimis moribus. ibid. VIII. Arrogantiſſime aſſerebat, ita ſe Deum noſſe, vt ipſe Deus ſe ipſum. ibidem. VII. Fuit lepra, & morbo regio infectus. ibidem. VIII.

Eius patria, ætas, ſcripta, diſcipuli. & antagoniſtæ. ibid. Vocatus à Theodoſio Magno ad Concilium Conſtantinop. renuens vniri Eccleſiæ, damnatur cum ſuis. 383. VII.

Eius ſectatores dicti quoque Troglodytæ, & Anomiani. 360. VIII. XI. Eorum conuentus prohibentur à Gratiano Imp. 378. IX. & à Theodoſio 381. I. 405. XI. 384. VII.

Iidemque hæretici damnantur in Concilio Oecumen. Conſtantinop. 381. IV.

Seueriſſime exagitantur ab Arcadio, auctore Chryſoſtomo, eorumque receptatoribus capitale ſupplicium decernitur. 398. XVIII.

A Theodoſio Iuniore ſubiiciuntur diuerſis pœnis. 410. XIV.

Eunuchus Reginæ Candacis, proſelytus, baptizatur a Philippo diacono. 35. XV. Prædicat Euangelium Æthiopibus, & multis aliis populis: martyrque occumbit, & miraculis illuſtratur. ibid.

Eunuchorum ſecta, ſic dicta, quod omnes quos reciperet, aut per ſe ipſos, aut per alios caſtrari cogeret. 230. III. Eius auctor Origenes.

Eunuchos homines vetat Conſtantinus Magnus gerere magiſtratus. 315. IV.

Eorum fuit ſumma apud Conſtantium auctoritas; eorumque opera multum proficiunt Ariani. 357. XVI.

Exagitantur vehementer à Iuliano. 361. XIII.

Augentur immenſum ſub Arcadio. 399. II.

Inter Patricios militare, prohibet Theodoſius Iunior. 431. I. Vide etiam *Caſtratio.*

Euodius, an Ignatius, ſubrogatus Petro Apoſtolo in Epiſcopatu Antioch. 45. IV.

Martyrium conſequitur in tumultu quodam aduerſus Iudæos concitato. 71. VII. De eius epiſtola, citata à Nicephoro.

Euodius Vzalenſis Epiſcop. non ſcripſit libros de miraculis S. Stephani, ſed ij ad eum ſcripti ſunt. 416. IV.

Euphemitarum ſecta Gentilium, qualis. 361. VIII.

Iidem dicti Martyriani, & Sataniani, & quare.

Euphemiæ virg. & mart. Chalcedon. reliquiæ iactæ in mare ab Hagiomachis, diuinitus præſeruantur. 766. I. Vnguentum ſaluiferum ex iis fluere conſuetum.

Euphemius creatur Epiſcopus Conſtantinop. 489. I.

Licet Catholicus religione, tamen ob retentum in Diptychis nomen Acacii impii, non ei communicat Rom. Pontifex. ibid. & 492. II. Excommunicat Petrum Mogum, & ab eo viciſſim excommunicatur.

Exigit profeſſionem fidei ab Anaſtaſio Imp. communicatione redigere di eum in ordinem. 491. II.

Agit calumnioſe aduerſus Gelaſium Papam. 493. III.

Iuſto Dei iudicio pellitur in exilium ab Imperatore iniuſto. 495. III.

Eius nomen, tamquam ſchiſmatici, ſublatum poſtea è Diptychis. ibid. & 519. III.

Euphraſia virgo Nicomedienſis, pretio vitæ ſuæ, mira ac plane egregia fictione, pudicitiam conſeruat. 309. IX.

Euphrates auctor hæreſis Ophitarum, eiuſque praua dogmata. 145. V.

Euphrates Agrippin. Epiſ. an vere damnatus ſit in aſſerta Synodo Agrippin. 346. III.

Mittitur ex Concilio Sardicenſi Oecumen. legatus ad Conſtantium Imp. 347. XIX.

Quid paſſus Antiochiæ ab Stephano illius ciuitatis Epiſcopo Ariano. 348. II.

Euplius diaconus, Euangelio ad collum appenſo, decollatur pro fide. 303. XIII.

Euſebia Conſtantii Imp. coniux, ſummæ eruditionis & prudentiæ femina. 356. XI.

Sterilis permanet, aliarumque partui inſidiatur. ibid. Deſciſcit in Arianiſmum. 357. XVI.

Iulianum Apoſtatam à nece liberat. 354. IV. eumdemque creari Cæſarem curat. 355. XVI.

Inſidiatur eius ſoboli. 356. XX. Eius conſilio, & ſententia, cuncta peragebantur in Imperio, & contra fidem Catholicam ibid. Moritur. 361. IV.

Euſebiani (ſic dicti ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo, factionis Arianæ ante ſignano) vna cum Meletianis ſchiſmaticis, in Conciliabulo Tyrio Athanaſium damnant. 335. I.

In Concil. Hieroſol. in Encæniis, probant confeſſionem Arii abſque voce Conſubſtantialis. ibid. XI.

Athanaſium, & alios Epiſcopos Orthodox. calumniis apud Conſtantinum onerantes, efficiunt vt pellantur in exilium. 336. II. IV. V. Quamdiu Ariani detegi noluerint. ibid. VI. 341. II. 344. II. Eorum praui conatus, ad expellendos quoſcumque Orthodoxos. 340. VI. 918. VIII.

Conuenientes quoque Antiochiæ Magnum Euſtathium pellunt. ib. IV.

Rurſum agunt aduerſus Athanaſium, apud Iulium PP. & Concilium generale fraudulenter ab eo petunt. 339. I. 340. I. Vocati Romam, ſubterfugiunt. 340. I. ibid. 341. I.

Faſtuoſe ad eumdem Pont. ſcribunt, ob abſolutum Athanaſium, alioſque Epiſcopos ab eis expulſos. 341. XV. Conſtantem Imp. in ſuas partes allicere conantur. ibid. VIII.

Antiochiæ iterum atque iterum conuenientes, multas inter ſe diuerſas condunt fidei formulas. 341. II. 344. I. II. Mediolani coram Conſtante & Synodo recuſant damnare ſententias Arii. 344. III. ibid. Reliqua. Vide in *Ariani*, & *Semiariani*.

Euſebius Rom. Pont. creatur. 309. VII. Moritur. 311. VII.

Euſebii Roman. presbyteri, & ſociorum, martyrium in perſecutione Valeriani. 259. II.

Euſebius alius Rom. presbyter incluſus carceri à Conſtantianis, ſeptem menſibus oratione perſeuerans, fame necatur. 357. XVI.

Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus in Palæſtina, vnde dictus cognomento Pamphili. 303. III. Contexuit Harmoniam Euangelicam. 31. II.

Nimius Origenis laudator, Apologiam pro eo conſcripſit. 210. II. 256. IV. Quouſque perduxit Hiſtoriam Eccl. & Chronicon. 318. IV. 325. IV. Quid in eius hiſtoria peccatus ſit Ruffinus. 410. XIII.

Eam cur Gelaſius PP. reiecerit inter apocrypha. 439. VIII.

In perſecutione Diocletiani apoſtatat à fide. 302. III. Eius mala fides in recenſendis agonibus Chriſtianorum in eadem perſecutione. ibi. itemque in narratione rerum ad Arium, eiuſque ſectatores pertinentium. 272. II. 302. II. 318. XII. 319. II. ibid. Dolus in deſcriptione baptiſmi Conſtantini Magni. 324. XIV. 326. X. Hypocriſis in recuſanda ſede Antiochena. 324. XXXII.

Propugnat hæreſim Arianam. 318. VIII. In Concilio Nicæno quomodo ſe habuerit. 325. XXVII. Præeſt Conciliabulo Tyrio aduerſus Athanaſium, vbi S. Potamon exprobrat ei apoſtaſiam à fide. 325. II. III.

Aſſiſtit Antiochiæ abdicationi Magni Euſtathii. 340. VI. Moritur in perfidia Ariana. ibid. XII. XIII. Eius memoria poſteritati execrabilis; quamuis inſcite à nonnullis fuerit Sanctus exiſtimatus.

Euſebius Emeſenus creatur Epiſcopus. 341. III.

Eius primordia, & varia ſtudia. ibid. Reiectus ab Emeſenis, quod aſtronomiam iudiciariam exerceret, reſtituitur ab Arianis. ibid. Fuit Arianæ hæreſis ſignifer, quamuis à nonnullis inſcite habitus ſit

pro Sancto. ibid. IV. Eum Conſtantius Imp. ducere ſecum conſueuit in expeditionibus. 345. I. Ei falſo tributæ homiliæ quæ ſunt Eucherii Lugdunenſis aliorumque ſanctorum Antiſtitum Gallorum. 441. III.

Euſebius Laodicenus Epiſcopus, vir eruditiſſimus. 283. III.

Euſebius Luciani martyris diſcipulus, in perſecutione Dioclet. ſacrificauit idolis. 311. III. Fauore Conſtantiæ Aug transfertur à ſede Berytenſi Nicomediam. 318. VIII. Protectionem ſuſcipit Arii hæreſiar. hær. ibid. Eius literæ pro ſententia eiuſdem Arii, lacerantur in Concilio Nicæno. 325. XXI. Renuens ſubſcribere anathemati Arii, deponitur à Patribus, ſed pœnitentiam ſimulans, reſtituitur. ibid. XXVI.

Agit apud Athanaſium, & Conſtantinum Imp. pro reſtitutione Arii Alexandriam. 327. I.

Conſtantiam Aug. allicit ad protegendum Arium. ibid. II. Conſpirat cum Meletianis aduerſus Athanaſium. ibid. III. Pellitur in exilium a Conſtantino, ob calumnias in Athanaſium. 329. II. Reuocatur opera Conſtantii Cæſ. 331. I. Præeſt Conciliabulo Tyrio aduerſus Athanaſium. 335. II.

Transfertur à Conſtantio Imp. in ſedē Conſtantinopolitanam. 340. V. Moritur, cum in Rom. Eccleſiam ſe præſumit erigere. 334. VII. Multa alia de illo, vide ſupra in *Euſebiani*, qui ab eo denominati ſunt: quippe illorum dux, auctor fuit omnium quæ ipſi perpetrarunt.

Euſebius Samoſatenus Epiſc. Orthod ſequeſter factus cōmunis decreti Antiochenorum Cathol. & Arian. de electione Meletii, nullis minis Cōſtantii Imp. induci valuit illud reſtituere; vnde mire ab eo laudatur. 360. X.

Exulare iuſſus à Valente, ſeſe, inuitis ciuibus, deducendum militibus offert. 370. IV.

Militari habitu luſtrans Eccleſias eas curat.

Poſt mortem Valentis, legatione fungens è Concilio Antiocheno ad reſtaurandas Eccleſias à femina Ariana capite tegula percuſſus occiditur. 378. XIII.

Euſebius Vercellenſis Epiſcopus nomen accipit ab Euſebio Papa. 354. I.

Vna cum Lucifero Calaritano, & aliis legatione fungitur Liberii PP. ad Conſtantium Imp. in cauſa Athanaſii. ibi. In Concilio Mediol. recuſat ſubſcribere in Athanaſium, & pia fictione liberat Dionyſium eius ciuitatis Epiſcopum à ſubſcriptione. 355. II. IV.

Pellitur in exilium à Conſtantio. ibid.

Coniectus in carcerem, numquam voluit cibum ſumere ab Arianis. 356. X.

Per ſcalas ſæpe ſupinis pedibus crudeliſſime trahitur. ibid. XI. Locum exilii ſæpe mutare. ibid.

Poſt obitum Conſtantii, creatur à Liberio PP. Vicarius Apoſt. Sedis ad reſtituendas Eccleſias Orientis. 362. XXXIX.

Intereſt Concilio Alexandrino in cauſa Lapſorum. ibi. XLI.

Diſſentit à Lucifero ea in re. ibi. XLV.

Orientem & Occidentem perluſtrat, lapſos reuocādo & reſtituēdo. ibi. XLIX.

Primus in Occidente iungit monaſticam vitam clericali. 328. IV.

Exagitatur ab Auxentio Mediolan. Epiſc. Ariano. 368. IV. Moritur, & titulo Martyris qua ratione celebretur. 371. IX. Miraculis poſt obitum claret. ibi.

Euſeb. eunuchus, præfectus cubiculi Conſtantii Imp ſeductus ab Ariano presbytero, alios ad eandem hæreſim impellit. 327. Eius oblatam ſibi pecuniam Liberius PP. in exilium ducendus, cum exprobratione reſpuit. 355. IX. Pœnæ lethali addicitur a Iuliano, poſt obitum Conſtantii. 361. XIII.

Euſignius miles centum & decem annorum, ob exprobratam Iuliano apoſtaſiā, martyrium conſequitur. 362. XXVIII.

Euſtachius ante baptiſmum Placidus dictus, inſignis Dux, ſub Hadriano Imp. inſignior martyr, vna cum vxore ac filiis. 120. III. Dictus ab antiquis alter Iob, ob miram in tolerandis aduerſis patientiam. ibid.

Euſtathius ex ſede Berœenſi transfertur Antiochiam, ob inſignem Orthodoxiam. 324. XXXII. In Magno Concilio Nicæno primus omnium orationem habet. 325. XVI. Quem locum in eo obtinuerit. ibid. XVII. Falſis criminationibus Euſebianorum deponitur in Concilio Antioch. & à Conſtantio truditur in exilium. 380. VI. VII. Eius obitus ſcripta, & corporis translatio. ibid. VII. & 481. I.

Euſtathiani, ab eo dicti Antiochiæ Orthodoxi, qui eo pulſo ſeorſum conuenire conſueuerunt. 340. IX. Detrectant communicare Meletii ſectatoribus, licet Catholicis, quod is aliquando fuiſſet Arianis. 360. IX. Vide *Meletius Beroœnſis. & Antioch Eccl.*

Euſtathius hæreſiarcha, qui damnatus eſt in Synodo Gangrenſi, quis fuerit. 319. VI. VIII.

Eius impia dogmata. ibid. Ea cito compreſſa, ac penitus cum auctore extincta. ibid. VI. IX.

Euſtathius Sebaſtenus Epiſcopus, alius ab eo qui damnatus eſt in Synodo Gangrenſi. 319. VI.

Non fuit auctor vitæ monaſticæ in Armenia, ac vicinis prouinciis, vt Sozomenus perperam ſcripſit ibid. VII. Stat à Semiarianis contra Arianos. 358. IV.

Abdicatur ab Acacianis. 359. XXI.

Adhæret hæreſi Macedoniæ. 360. IV.

A Semiarianis miſſus ad Liberium Papam, mentitur Cathol. fidem. 365. II.

Conciliis in Sicilia, & Illyrico habitis, fidem Conſubſtantialis iterum profitetur. ibid. III.

Literarum auctoritate Liberii, ſedem Sebaſten. recuperat. ibid.

Eius ſimulatio detegitur, occaſione S. Baſilii. 371. III.

Eutactus hæreſiarcha, de quo Epiphanius, idem forte qui dicitur Euſtathius in Synodo Gangrenſi 319. VIII. Vide ſupra in *Euſtath. hæreſiar.*

Euthymius inſignis virtute & miraculis Abbas, ſtrenue agit pro Concilio Chalcedonen. aduerſus Eutychianos. 451. XXXIV.

itemque pro reductione Eudociæ Aug. ab ea hæreſi. 455. V.

Moritur. 473. V.

Euthymius ex monacho, & Syncello, eligitur diuino calculo Patriarcha Conſtantinop. 901. II.

Pellitur; & inhumaniſſime tractatur a clericis, quorum ſimoniam arguiſſet. 911. III.

Mortui in exilio corpus refertur honorificentiſſime Conſtantinopolim. 920. I.

Euthymius Zigabenus, auctor Panopliæ, quando ſcripſerit. 1118. XI.

Eutropius eunuchus, Arcadii Imp. cubiculi. Præf. auctor ei eſt agendi aduerſus Rufinum. 395. V. 435. XII. Eligendi Chryſoſtomi in Epiſcopum Conſtantinop. 397. XX.

Sanciendi legem aduerſus immunitatem Eccleſ. 395. XX.

Primus omnium ex eunuchis euehitur ad Conſulatum; ſed eius poſtea nomen expunctum eſt è Faſtis. 399. I. II.

Eius ſumma in Imperio potentia, coniuncta cum ſæuitia & impietate. ibi. II.

Ob violatam immunitatem Eccleſiaſt. miſerrime perit; diuino quidem iudicio, ſed inuidia Gainæ Gothi tyrannidem affectantis ibidem. & ſeqq. Fuit etiam Ethnicus. ibid. IV.

Eutyches Archimandrita Conſtantinop. ex inconſiderato odio hæreſis Neſtorii, aliam induxit, qua duas in Chriſto Naturas negauit. 448. II.

Alia eius hæreſes. ibid. Monitus, & obſtinatus perſeuerans, damnatur à Flauiano Epiſcop. Conſtantinopol. in Synodo. ibid. III. IV.

Agit apud Leonem PP. falſis ſuggeſtionibus pro reſciſſione eiuſmodi ſententiæ. ibid. V.

Rurſum damnatur in alia Conſtantinop. Synodo. 449. II.

Abſoluitur in Latrocinio Epheſ. eiuſque dogma probatur ibidem XI. Damnatur in Concilio Conſtantinop. ſub Leg. Apoſtol. Sedis. 450. VI. & in Chalcedonen. Œcumen. 451. XXII. XXIII.

Eutychiani heretici accuſare ſolent Catholicos Neſtorianiſmi. 449. IX. 527. XV.

Subiiciuntur à Marciano Imp. pœnis omnibus in alios hæreticos conſtitutis. 450. V.

Damnatur in Concilio Conſtantinop. à Legatis Apoſtol. Sedis. ibidem & in Chalcedon. Oecumenico. 451. XXII. XXIII.

Itemque reſcriptis Imper. Marciani, & ſcriptis doctorum eius temporis. 452. I. II.

Dira eorum ſcelera, & perſecutio in Catholicos Paleſtinæ. ibi. VI.

Compeſcitur à Marciano. ibid.

Alia eorum graſſatio in Ægypto. 457. IV.

comprimitur à Leone Imperat. 460. I.

Eutychianus Rom Pont. creatur. 275. I. 231. Moritur martyr. 283. IV. Sepeliuit propriis manibus diuerſis locis. 342. martyres. ibid.

Eutychius ex monacho creatur Epiſcopus Conſtantinopolitan. multis viſionibus à Deo deſignatus. 553. I. Intereſt Quintæ Synodo Oecumenicæ. 553. V. Reſiſtens Iuſtiniano Imp. promulganti hæreſim Incorruptibilium pellitur ab eo in exilium. 564. I

Multa edit miracula in confirmationem Cathol. fidei. ibid. Reſtituitur in ſedem poſt duodecim exilii annos, miraculis vbique proficiens. 578. I. Reuocatur ab errore Origeniano de reſurrectione abſque carne palpabili, per Gregorium poſtea Papam. 583. I. Moritur. ibi.

Euzoius diaconatu depoſitus ab Alexandro Epiſcopo Alexandrino, vna cum Ario recipitur in communionem ab Euſebianis in Conciliabulo Hieroſol. 335. XI. Creatur ab Arianis Epiſcopus Antioch. in locum Meletii Orthod. expulſi. 360. IX.

Euzoius alius ſubrogatus ab Arianis in locum demortui Acacii Cæſarienſis. 366. V. Reſtaurare ſatagit bibliothecā Pamphili & Euſebii ibid. Pellitur ſub Theodoſio Imp. ibid.

Exactor regius pecuniarum inſuetarum, miſerrime perit. 611. II.

Exaltationis S. Crucis feſtum, qua occaſione inſtitutum, & quibus diebus celebrari ſolitum. 628. I.

Exarchi ab Imperatoribus in Italiam mitti ſoliti, poſtquam maxima eius pars à barbaris occupata eſt, ad regenda quæ reſidua eſſent Imperii: qui Rauennæ conſidere conſueuerunt. 567. IV. Eorum potentia freti Rauennates quidam Epiſcopi, aduerſus Rom. Pontifices cornua erexerunt. 669. II. Eorum conſenſum in lectione Rom. Pontif. requiri, tyrannice voluerunt Impp. vnde frequentia orta ſunt ſchiſmata. 686. I. Eorum vires admodum minuuntur, ſtante pro Rom. Pont. militia Italica. 701. IV. Vide *Rauenna.*

Excommunicationis vſus apud Iudæos, & Gentiles. 57. V. In Eccleſia qualis. VI. VII. Diuerſa nomina apud antiquos. ib. Formula ex Syneſio. 211. XI.

Excommunicati traduntur ſatanæ. 57. VI.
Aliæ eorum pœnæ. ibid. Excommunicat inceſtuoſum Paulus.ibid.IV. Ob res etiam temporales rite infligi poteſt. 411.VII.
Ab Epiſcopo Catholico inflicta in hæreticum Arianum,diuinitus palam confirmatur. 359.XV.
Excommunicantur à Victore Papa toțius Aſiæ Eccleſiæ, ob errorem de die Paſchatis.198.I. Theodoſius Imp. à S. Ambroſio, ob cædem Theſſalonicenſem. 390.II.
Multi Præfecti prouinciarum, ab aliis antiquis Patribus. 370. XIII. 411. XI. 412.II.
Excommunicantur Reges & Imperatores à Rom. Pontiff. aliiſque Epiſcopis. Vide in *Reges & Imper.* Eos autem ab iis rite excommunicari poſſe, probatur inſuper.800.IV. 771.II. 898 I.1076 VII. 1081 II. 1097.XXVI. iiii. VI.1157.III.
Excommunicati à Rom. Pontiff. Patriarchæ Orientis. Vide ſub ſingulis nominibus Sedium Patriarchalium : & plura de his alia,in *Rom. Pont.*
Excommunicantur etiam mortui. Vide *Mortui.*
Excommunicatorum communicatio quantopere vitanda. 655.IV.
Excommunicationis timore repreſſi aliquando & ipſi tyranni à prauis ſuis conatibus. 773.I.
Eam contemnere, docuit hæreſis Henriciana. 1102.I Infligi non poſſe ſæcularibus ſpoliatis rebus ſuis, fuit hæreſis Wecilonis,damnata in Concilio Quintilneburg. 1085. III. Itemque in regios miniſtros inconſulto non poſſe inconſulto Rege, præſumptum eſt aliquando in Anglia. 1164. VII Excommunicatos abſque reconciliatione recipi poſſe,fuit quoque error eiuſdem Wecilionis.1085. III.
Excrementa quæcumque corporis egerere, peccatum eſſe, delirarunt quidam monachi Ægypti. 361 XI.
Per ea dæmones foras egredi ab hominibus,dixerunt Maſſaliani ibidem. Excrementa duarum fœminarum ex genere Elxai deſcendentium, adhibebant inaniter Eccleſiaſticæ ad ſanandos morbos. 105.II.
Exequiæ. Vide *Funus. Sepultura. Corpora.*
Exoleti auferuntur à Philippo Imp. 246. III.
& à Conſtantino Magno. 315.IV. Vide *Libidines.Turpitudines.*
Exomologeſis, vnde dicta, & quid ſignificet. 56. VI. Reliqua vide in *Confeſſio.*
Exorciſtarum Ordo ab initio Eccleſiæ.44. XXXIII.XXXIV.56.II.
Exorciſmi dæmonum apud Hebræos ex Salomone. 56. I. Eorum in Eccleſia probatus vſus. ibid.II.
Exorciſmi ante baptiſmum. ibid. IV. Quos exorciſtas ſugillet Vlpianus.ibid. III.
Expiationis varia genera apud Gentiles; haud tamen omnium ſcelerum. 324. VII. Expiantur omnia peccata per Baptiſmum. ibid.VI.
Expiationes ob cædem bellicam, quales olim apud Gentiles, Iudæos, Chriſtianoſue. 394.IV.
Expiari ſolita templa,& vaſa,ac vtenſilia hæreticorum. 556.IX.
Extorres qui dicerentur apud antiquos Chriſt. 253.XI.
Extrema Vnctio.Vide *Vnctio.*
Exucontii hæretici, qui & Aetiani, ita dicti quod Filium Dei ex nihilo ortum aſſererent. 360 XI.
Exules pro fide, propagant eam. 456. IV. Vide, *Fides propagatio.*
Exuperius Toloſanus Epiſcopus conſulit Innocentium Papam de rebus Eccleſ. 405.V.
Quis, quantuſque extiterit. ibid. Eius ſumma in pauperes largitas mittitque eleemoſynas in Orientem,ibidem. Scribit ad eum Hieronymus. ibid.

F.

Fabianus, diuino accedente columbæ ſigno,creatur Rom. Pont.238.III. Eccleſias erigit ſuper cœmeteria martyrum 241.II.
Excommunicat Priuatum hæreticum. ibid.III.
Baptizat Philippos Impp.249.III. Philippum Seniorem eccleſia eiicit, & poſt pœnitentiam reſtituit. 246.III. Ad eum mittit Origenes profeſſionem fidei, & poſtea ipſemet accedit. 248.I. Martyrio coronatur ipſo initio Perſecutionis Decianæ. 253 III.
Poſt eum, amplius vno anno vacat Sedes, ob perſecutionis acerbitatem. ibid. VII.
Fabius Epiſc.Antioch. nonnihil inclinatus erga Nouatianum. 254.X. Stabilitur in Cathol. communione à Dionyſio Alexandr.255.IV Moritur ibid.
Fabiolæ clariſſ. feminæ Rom. pœnitentia publica de inito ſecundo matrimonio poſt diuortium cum priori marito. 390. VI.
Facundus Hermanienſis in Africa Epiſcopus, ſcribit pro Tribus Capitulis.547. III.
Carpit etiam leuiter Vigilium Papam. ib. V. Ad pœnas à Iuſtiniano quæſitus ob defenſionem Capitulorum, quærit latebras. 553.XIV.
Fames ingens inuadit vniuerſum Orbem ſub Claudio Imp.44.XXIX.Immaniſſima Hieroſolymis in eius obſidione, vſque ad necem & eſum cariſſimorum liberorum. 72.III.
Alia ſæuiſſima in Oriente ſub Valente. 367.VIII.itemque alia ſub eodem in vltionem. 80. presbyterorum Orthodox. ab eo necatorum. 370. VI. Romæ ſub Valentiniano II. Imp.383.XI. Ibidem poſt obſidionem Alarici, tanta vt peteret populus pretium poni humanæ carni. 410 II.
In vniuerſa Italia ſub Valentiniano III. adeo vt parentes cogerentur vendere liberos ad cibum emendum. 450. VIII.
In Africa, in vltionem perſecutionis Wandalicæ.484.IX.In Palæſtina,ob expulſionem Eliæ Patriarchæ Hieroſolym. 513.III.
In Italia, ob expulſum Siluerium PP. qua & matres natorum comederunt membra. 539.II. In vniuerſo orbe ſub Marciano & Valentiniano III. quæ leuata eſt alimento ex aere, veluti olim manna,de lapſo. 454.VII.
Faſciæ Domini, quibus à B. Virgine inuolutus eſt, venerationi Chriſtianis habitæ. Annal. numer. III. Baſilica erecta. & anniuerſaria celebritate inſtituta,nobilitatæ. ibid.
Faſcias infantiæ, an Faſces ſepulchrales Pulcheria Aug. recondiderit in eccleſia, quam in earum honorem erexit Conſtantinopoli. 453.III.
Fati aſſertores Phariſæi. Appar. VI Manichæi. 277.X.
Priſcillianiſtæ. 581. XVI. Mahometani. 630. II. An illud etiam aſſeruerit Bardeſanes. 175.VI.
Fatuum aliquem appellare, quam graue peccatum aſſertum à Chriſto. 32.V.
Fauſta filia Maximiani Herculi, nubit Conſtantino. 307. I. III In maritum quam in patrem propenſior, inſidias patris detegit.ibidem. Criſpum Cæſ.priuignum ſuum calumniata de eius in ſe conatu, necem ei à patre cauſatur, ipſaque poſtea ab eodem viro ſuo in iudicium occiditur. 324.IV.
Fauſtus Regienſis Epiſcopus ex Abbate Lirinenſi. 520. IV. Multos ſuis ſcriptis immiſcet errores Pelag hæreſis,indeque magnæ, ob famam hominis, oriuntur controuerſiæ tam in Oriente quam Occidente.ib.d. V. Eius ſcripta refelluntur vbique. ibid.V.VI.
Reſipiſcit, & ſancto fine quieſcit. ibid. VII.
Non fuit monachus Ordinis S. Benedicti. ibid.
Feliciſſimus presbyter Carthag. incentor ſchiſmatis Nouati aduerſus Cyprianum, ex quo poſtea orti Nouatiani & Donatiſtæ. 254.III.
Excommunicatur ob varia ſcelera, à Cypriano,& à Concilio Carthag.ibid.& XLM. Iſus à ſuis legatus Romam, repellitur à Cornelio PP. 255. III. Eius errores. 258.I.
Felicitas,vna cum ſeptem filiis ſuis, illuſtre peragit Romæ martyrium ſub Marco Imp. 175.II.
Felicitas alia,vna cum Perpetua,in Africa ſub Seuero capta, quod prægnans eſſet ſeruatur vſque poſt partum, & demum glorioſiſſimum ſubit martyrium. 205.V.
Felix I.creatur Roman.Pontif. 272.V.
Martyrium conſequitur ſub Aureliano Imp. 275.I.
Felix II. olim diaconus Liberii PP. eo in exilium à Conſtantio Imp. pulſo, ſubrogatur ab Arianis in eius locum. 355. X.
Ea de cauſa vitatur à Romanis, licet eſſet fide Catholicus. ibid. Varia de illius exitu aſſerta : certum autem, damnaſſe Conſtantium,& inde martyrium ſubiiſſe. 357. XVII. XVIII. Prodiit ipſe ſub Greg. XIII. ſuam cauſam acturus. ibid. XVIII.
Quando dicendus legitime ſediſſe. ibid. XX.& 355.X.
Felix III creatur. 483.III. Concilio celebrato, damnat Henoticon Zenonis Imp. Petrum Fullonem intruſum Antioch. abdicat; Ioannis Alexandr. appellationem recipit,& Acacium Conſtant. citat ibid. Acacium ſæpe monitum, nec audientem; in Concilio Rom. excommunicat, ſimulq. Petros Fullonem & Mogum hæreticos.484 IV. Eius nomen eraditur è Diptychis ab Acacio. ibid. V. De lapſis Africanis ſub Wandalis Arianis ſeuere ſancit.487.I. Moritur.492 I. Fuit atauus Gregorii Magni. ibid. & 581. IV.
Felix IV.creatur, nominatus à Theodorico Italiæ Rege. 526. II. Celebrandum curat Concilium Arauſicanum.529.III. Moritur. 530.I.
Felix Treuerenſis Epiſcopus ordinatus ab Ithacianis. 386.VII.
Poſtea pœnitens,ſancte quieſcit.ibid.In eius cauſa celebratum Concil. Taurin. 397.XII.
Felix Afric. Epiſcopus, ob non traditos ſacros libros, martyrium ſubit ſub Diocletiano. 302.XX.
In eius martyrio Luna conuertitur in ſanguinem. ibid.
Felix Manichæus publica diſputatione confutatus ab Auguſtino, conuertitur ad fidem Cathol. 404 XVIII.
Felix Gillitanus Abbas, natione Afer, Schiſmatis incentor contra Vigilium Papam, ob Tria Capitula.548.II. Excommunicatur à Vigilio. 550.III.
Felix Vrgelitanus, Neſtorianiſmum innouans, damnatur in Concilio Ratiſpo. & Romam deductus, pœnitens reſtituitur. 792.I.
Reuerſus ad vomitum, iterum damnatur. 794.I.
Femina.Vide *Mulier. Virgo.*
Ferdinandus Magnus, Caſtellæ Rex, occiſo Rege Legionenſi, duo illa regna ſimul-

mul iungit. 1037. III. Multas ciuitates Saracenis adimit, ope S. Iacobi Apoſtoli. ibid. Iubetur à Victore PP. & Concilio Turonenſi, ad inſtantiam Henrici Imperatoris; deponere titulum quem vſurpauerat Imperatoris, & Germaniæ Imperatoris ſubiectum eſſe. 1055. V. Pius eius obitus, poſt reuelationem ipſi facta à S. Iſidoro. 1065. V.

Feriæ nomine cur omnes dies hebdomadę appelati in Eccleſia & à quo id fuerit inſtitutum 58. XXXIV.

Feriæ quartæ, & ſextæ, ieiuniis celebrari conſuetæ in antiqua Eccleſia. 34. XLVII.

Sextæ honorem omnibus præſcribit Conſtantinus, ob reuerentiam Paſſionis Dominicæ. 321. VI.

Feriationem à Iudiciis quatuor dierum ſingularum hebdomadarum, imprudēter ſanciuerunt Gall. Epiſcopi. 1034. II. Vide etiam infra in *Feſti dies.*

Fermentum, vnionis Symbolum. 313. XII. Eius vſus in oblationibus eccleſiæ. ibid. XII. XIII. Conſtitutio Melchiadis PP. de eo elucidatur. ibid. Quibus aliis nominibus appelletur. ib XIV.

Fermentatum omne, animatum, eſſe dicebant cum Manichæis Græci ſchiſmatici. 1054. III.

Ferrandus diaconus Carthag. vir doctiſſ. conſultus ab Anatolio S. R. E. diacono, ſcribit de quæſtione Vnius de Trinitate Chriſti paſſi. 519. VIII. 533. V. Collectionem canonum, ſecundus à Dionyſio Exiguo elaborat. 527. IX.

Ferrariæ primus Epiſcopus datus à Vitaliano Papa. 669. I.

Ferri candentis probatio. 876. IV. Improbatur à Stephano PP. Sexto. 890. I. Eius miraculo conuerſus ad fidem Haraldus Rex Danorum. 949. II. Eadem probatione purgat calumnia in quemdam Comitem, coniux Ottonis Imp. eius accuſatrix damnatur igni. 998. III.

Feſtiuitatum tempora apud Iudæos tranſponebant Sebuæi: Appar. VIII. & Gortheni. ibid. Eas Iudæi à veſpera diei præcedentis inchoabant, & tubæ ſonitu indicebant. 34. XVII. Feſtiuitates Gentilitias abolere, diu multumque Patres laborarunt. r. I. & vtiliter pleraſque tranſtulerunt in veri Dei, eiuſque Sanctorum cultum. 44. XXXVI. 58. XXVIII. XXIX.

Feſtiuitates in Eccleſia, ex inſtitutione Apoſtolica, & qua ratione introductæ. 58. XXXIII. Quæ dierum obſeruatio damnata à Paulo. ibid. Vigilanter intenderunt Patres, ne in eas aliqua irreperet ſuperſtitio. ibid. XXXV. Celebrabantur etiam in carceribus tempore Perſecutionum. ibid. XXXVIII. Eorumdem SS. cur ſæpe diuerſis diebus in variis Eccleſiis fiant. 109. VIII.

Feſtos dies martyrum damnarunt Manichæi. 277. VIII. & omnes in Eccleſia celebrari ſolitos, Aerius. 58. XXXIII. Prauos vſus Eccleſiæ Afric. ſuſtulit Auguſtinus. 418. VI. Feſtos dies bene precari ſibi inuicem antiqui Chriſtiani ſoliti, ſiue præſentes, ſiue abſentes per literas 58. XXXVIII. De diebus feſtis, ſeu feriatis, & iuridicis, atque mixtis, tribunalium conſtitutio Manuelis Imp. 1166. VI. Vide ſupra in *Feria.*

Ficus arbor, fuit, in qua Iudas ſe ſuſpendit. 54. XXIV.

Ficus Romulea, Romanis fatalis, tunc aruit; cum aridum Crucis lignum ibidem Romæ vireſcere cœpit. 60. XXIII.

Ficus areſfactione præmonſtratus interitus ſynagogæ & idololatriæ. ibid.

Fideles dicti olim omnes Chriſtiani, ſicut & hodie in orationibus Eccleſiæ. 43. IV.

Pro fidelibus non eſſe orandum vt perſeuerent, nec pro infidelibus vt conuertantur, quod hoc à ſeipſis habeant, docuerunt Pelagiani. 415. IV. 419. VI.

Fidem negare in perſecutione, ſuos docuit Simon magus. 35. XIII. Elxai. 105. II. Baſilides. 120. V. Vide etiam in *Martyrium.*

Ad fidem noluit Conſtantinus Gentiles cogi. 324. XX. Nec Iudæos Gregorius Papa. 579. V. 594. I. Vide *Iudæi.*

Fidem pro tempore mutantes, Euripo comparati à Themiſtio. 363. XX.

Fidei libertatem reliquit Iouianus Imp. quibuſcumque ſectariis. 363. XXI. ib. Vide etiam *Religio.*

Fidem ſine operibus ſufficere, prædicabat Simon magus; quem refellit Iacob, Apoſt. 63. III. Immo etiamſi in grauiſſ. peccatis vſque ad finem perſeueretur, eam ſolam ſufficere, docuerunt Eunomiani. 360. VII. Eſſe naturalem; dixit Baſilides. 129. IX.

Fidei iudicium non eſſe Imperatorum, probat Ambroſius. 363. V. Vide *Impp.* & *Principes.*

Fide definitiones nullo debent conſignari tempore quo conduntur, & quare. 325. XXIX. 359. IV.

Fides Romana eadem quæ Catholica. 58 XIX. 45. III.

Fidei Regulam Gregorius Thaumat. diuinitus accipit à Sanctiſſ. Virgine & Ioannē Euangel. 233. IX.

Fidei formula in Concil. Nicæno edita. 325. XXIV. in Conſtantinop. 381. IV. Chalcedon. 451. XXII. Quinta Synodo. 553. VIII. Sexta. 681. X. Septima. 787. VI.

Multiplices, atque inter ſe diuerſiſſimæ & contrariæ, editæ diuerſis locis ac temporibus ab Arianis. 335. XI. 341. VI. 344. I. 357. III. 357. VII. 359. VII. 354. VIII. XVII. XX. XXII. 360. XI. Aliæ item à Semiarianis. 347. XV. XVI. 357 VI. 365. I.

Fides duas inter ſe diuerſas Conſtantius Imp. obſeruari voluit, in Oriente alteram, alteram in Occidente. 358. XXII.

Fides quæ eſt ex neceſſitate, non eſt fides. 448. IV.

Fidei cōfirmationem ex miraculis quærere, haud conſuetum in Conciliis Oecumenicis; alias ſæpe priuato diuini Spiritus inſtinctu factum 451. XXIV. Vide *Diſputatio. Miracula.* Fidei periculum factum in Sexta Synodo, ad retundendam inſani presbyteri temeritatem. 681. VIII.

Fidei probatio per Ignem. 886. II. 1008. II. & per Ferrum candens 949. II. Vide *Probatio.*

De fide diſputare, prohibuit Marcianus Imp. poſt Concilium Chalced. 452. I. Vide *Diſputatio.*

Fidei quæſtiones definire, Romanæ eſt Sedis. 35. XIV. 432. V. 430. I. 519. VIII. X. 533. III. 546 IV. V. 620. 646. I. 821. II. 823. III. 1148. VI.

Fidei Chriſti propagatio, ex diſperſione Diſcipulorum Domini poſt necem S. Stephani. 35. I. Ex diuiſione Apoſtolorum per orbem 44. VII. Ex miſſione Epiſcoporum à Petro, & Sede Rom. 46. I. (Vide *Prædicatio*)

Occaſione bellorum contra barbaros, & perſecutionum in Chriſtianos & Catholicos, dum plurimi caperentur vel relegarentur, aut fugerent. 263. III. 327. V. 42. IV. 456. IV. 845. I. Ex nouis filiis à Senatu Rom. quotidie fieri ſolitis. 142. I.

Fidei Chriſt. cultu, barbarorum feri mores in melius formati. 428. III. 527. VI.

Ob fidem non ſeruatam Infidelibus, exercitus Chriſtianorum diuinitus, cæditur. 1156. IV.

Fidelitatis iuramento abſoluti ſubditi à Summis Pontificibus aduerſus Principes hæreticos, & perſecutores. 730. II. 1073. XV. 1076. V. 1079. VII. 1080. II. 1160. VI. 1168. VII. Vide etiā *Depoſitio.*

Fidelitatem Regibus in Gallia negant Epiſcopi. 1106. VII. itemque in Anglia. 1107. II. 1108. II.

Fidicinæ mulieres proſcriptæ à Theodoſio Magno. 383. IX.

Filium Dei Verbum, à Chriſto ſeparabat Paulus Samoſat. 265. III. itemque Diodorus, & Neſtorius. 428. VIII. Alium à Chriſto eſſe, aſſerebant Apollinariſtæ; aliaque impia de Filio Dei. 373 II. Non eſſe Patri coeſſentialem; ſed in tempore factum; & aliud eſſe Dei Verbum, aliud Dei Filium, aliaque de eo blaſphemia; docuit Arius. 318. IX. Patre minorem prædicauit quoque Donatus. 321. IV. Eſſe Patris ſeruum, dixerunt Duliani. 360. XI. Ex nihilo ortum, & omnimode Patri diſſimilem, aſſeruit Conciliab. Antioch. 360. XI. idque Aetius primus poſt Arium effutire auſus eſt. ibidem. Æquiuoce tantum Deum dici perinde ac animal pictum, animal dicimus, dixerunt Eunomiani. 360. VII. Subſtantiæ Patris abſque omni diſſimilitudine imaginem, dixerunt Euſebiani in Concil. Antioch. in Encæniis. 341. VI. Vide *Subſtantia. Similitudo. Verbum. Chriſtus.*

Filium Dei nullo modo eſſe Chriſtum, aſſeruit Acacius in Concil. Seleucienſi. 359. XIX.

Filii Dei diuinitas cum Patre coæqualis, feliciter expreſſa à Patribus Nicænis aduerſus Arianos, per vocem CONSVBSTANTIALIS. 325. XXII. Vide *Conſubſtantialis.* Latibula Arianorum in aſſerenda eius diuinitate. 340. XII.

FILIOQVE vocis additamentum, quando & a quibus primum ſuſceptum in Symbolum. 447. III. Vide *Spiritus Sanct.*

Filios Dei non poſſe vocari, niſi abſque omni quocumque peccato fuerint effecti, aſſerebat Pelagius. 415. IV.

Filiorum diſtractioni, ac filiarum proſtitutioni quomodo prouiderit Conſtantinus Mag. 315. III. IV.

Firmilianus diſcipulus Origenis; Cæſareæ Cappadociæ fit Epiſcopus. 233. VIII. Oppugnat baptiſmum hæreticorum, & inde excommunicatur a Stephano Papa 258. V. Obloquitur in Stephanum: ſed reſipiſcit ibid. V. IX. X. Inter Sanctos colitur, & inter Scriptores Eccleſ. laudatur. ibid X. Intereſt Concilio Antioch. contra Paulum Samoſat. 266. I.

Firmus Epiſcopus Tagaſtenſis tormenta paſſus ob non proditum reum apud ſe latentem, demum ab Imperatore veniam ei impetrat. 372. XV.

Firmus Maurus, tyrannidem in Africa aduerſus Romanos arripiens, vincitur à Theodoſio Seniore auxilio Gildonis fratris ipſius Firmi; & laqueo ſibi vitam adimit. 373. VII. 398. IX.

Flaccilla Aug. Theodoſij Magni coniux, moritur. 385. VIII. Laudatur plurimum à Sanctis Patribus. ibid. Dicenda Flaccilla, non vt vulgo Placilla ibidem. Eius ſtatua contumelioſe deiecta ab Antiochenis occaſione tributi à Theodoſio indicti: & quid inde acciderit. 388. I.

Flagellum Dei, dictus Attila. 451. V. 536.

Flagellari ſeruorum fuit: virgis & fuſtibus cædi liberorum. 34. XXVII

Flagellatus noctu ab Angelis Natalius hæreticus 207. I. A. S. Petro Laurentius Archiepiſc. Cantuarienſis. 614. II. A S. Remigio Pipinus Francorum Rex. 760. II. A S. Petro Alexander Imp 912 II.

Flagellatur ignominioſe à Saladino Crux Dominica. 1187. II.

Flagellorum voluntariorum vſus, vnde, & quando in Eccleſiam introductus 1056. III.

Flauianus, poſt Meletium creatur contra

tuſurpandum, Epiſcopus Antiochen. in ſchiſmate aduerſus Paulinum. 378 X. 381. VII. Eius electio non probatur à Damaſo Papa. 381. XIII. Toleratur tamen, metu ſchiſmatis. 382. III. Veniam ab Imper. Theodoſio impetrat Antiochenis, de ſtatuis eius deiectis. 388. III. Agit aduerſus eum Siricius Papa: idemque venire iuſſus ad Synodum Capuanam, tergiuerſatur: ſed reconciliatur opera Theophili Alexandrini. 389. X. XI. 398. XVIII.

Moritur. 404. X.

Flauianus alius Antioch. ob fidem Concilii Chalcedon. damnatur ab hæreticis, agente Anaſtaſio Imp. & in exilium pellitur. 512. II. Anaſtaſio extincto, vocatur Flauianus à Deo, cauſam ſuam aduerſus eum apud diuinum tribunal proſecuturus. 518. II.

Flauianus creatur Epiſcopus Conſtantinop. ſed mox infeſtum patitur Chryſaphium Imp. cubiculi præf. 446. V. Eutychetem hæreſiarcham exorientem damnat in Synodo, & confirmationem petit a Leone PP. 448. IV. V. 449. I. Accuſatur ab Eutychete de Neſtorianiſmo, ſed purgatur. 449. III. Damnatur in Epheſino Latrocinio: & quod Rom. Pont. appellaret, mittitur in exilium, & moritur martyr. ibid. XI. Eius corpus ſolemni pompa Conſtantinopolim referri curatur à Marciano Imp. 450. V.

Flaui prænomine vſi omnes Longobardorum Reges in Italia. 585. II.

Florentinum Concil. ſub Victore PP. II. de non alienandis prædiis Eccleſ. 1055. I.

Florentius Præf. Præt. tributum à lenonibus Conſtantinopoli pend. ſolitum, ſupplet de ſuo, vt lenocinium tollatur. 439. VII.

Adeſt Impp. Theod. & Marciano in Synodis, pro tuitione fidei Cathol. ibid. & 448. IV. 449. II.

Florentii Epiſcopi Viennenſis martyrium 261. VII.

Floriani hæretici, qui & Carpocratiani, à quo deſcenderint. 180. III.

Florianus occupat Imperium, & paulo poſt occiditur a ſuis. 279 II.

Florianus martyr Romæ mirabiliter ſe prodit, vt corpus eius transferatur in Poloniam. 1184. II.

Florinus, Valentini diſcipulus. Deum dixit cauſam eſſe malorum. 180. III. An ab eo deſcenderint Floriani hæretici. ibid.

Fluuii in vinum conuerti ſoliti ea hora qua Chriſtus ex aqua vinum fecit. 31. XIII.

Fluuius Sabbaticus Palæſtinæ, diebus tantum Sabbatis fluens 33. XII.

Fluuii retro fluere viſi ſub Nerone. 69. X. Vide etiam *Fons*.

Fœdus non eſt cum hæreticis ineundum. 524. I. 593. Vide *Hæretici*.

Ob Fœdus cum infidelibus initum, excommunicatur à Ioanne PP. Epiſcopus Neapolit. 881. I. Regnum cum libertate perdit Carolus Simplex Franc. Rex, qui ſemel communicatione excommunicationis ab eo ineundo deſtiterat. 898. I. 923. II. Hugoni Italiæ Regi cuncta infeliciſſime ſuccedunt: tandemque reiicitur à ſuis. 944. II. 945. I. Berengarius Imp. occiditur à ſuis. 924. I.

Follis tributum quale eſſet, & de quibus exigeretur. 330. IX.

Fons aquæ erumpit in ſpelunca tempore Natiuitatis Domini. Annal. numer. I.

Fons in quo lotus Dominus in Ægypto, venerationi poſtea fuit ipſis Saracenis. 1. X. Alius Emmauntis virtutē ſanandi morbos accipit a pedum ablutione Domini. 34. LVI. Siloe certis tantum apparens diei horis. 31. XII. Sabbaticus, diebus tantum Sabbati fluens. ibid.

Aliquot variis locis conuerti ſoliti in vinum, ea hora qua ex aqua Chriſtus vinum fecit. 31. XIII.

Alius mirabiliter erumpit Romæ in carcere Mamertino, vbi Petrus & Paul. captiui detinebantur, ad baptizandos milites ipſorum cuſtodes. 68. VIII. Tres exorti è trino ſaltu capitis S. Pauli poſt decollationem, quorum prior lactis ſaporem reddit. 69. V.

Alii ſcaturierunt in medio apſidis, ad quam Patres in Concilio Nicæno conſtiterunt. 325 XLIX. Antiocheni, ſorde ſacrificiorum inquinati à Iuliano Apoſtata, ſubito in ſe reſiliendo fugiunt, & exſiccantur. 362. XXVII.

Fontes præ foribus eccleſiarum haberi olim ſoliti, ad abſtergendas ſordes corporis. 57. XXXIII. In eorum poſtea locum ſucceſſit Aqua benedicta. ibidem. Vide *Aqua bened.*

Fontes baptiſmi. Vide *Aqua Bapt.*

Fontis cooperti prope Narbonam Concilium, de finibus diœceſum. 940. III.

Fontis Ebraldi Ordinis inſtitutio, in quo viri religioſi viuunt ſub cura feminæ Abbatiſſæ. 117. VI.

Formatæ Epiſtolæ quæ forma præſcripta in Concilio Nicæno. 325. XLIV. Eius vſus ad probandam fidem & communicationem Catholicam. ibid. Longe antiquior vſus in Eccleſia. 142. VI. Diuerſa alia nomina olim frequentata. ibidem. Quale additamentum forma Nicæna acceperit in Concilio Carthag. 407 III.

Formoſus Portuenſis Epiſcopus mittitur à Nicolao PP. in Bulgariam, eum populum in fide inſtructurus. 866 I. Damnatur a Ioanne VIII. ſed ex calumniis. 876. III. Reſtituitur à Marino Ioannis ſucceſſore. 883. I.

Eligitur Rom. Pont. 891. I. Eius probitas, & ſanctitas optime aſſerta. ib. II. Legatos mittit in Orientem, ad diſpenſandum cum Photianis. ibid. III. Inuidiam in ſe aliorum Principum concitat, ob coronatum Widonem Imper. 892. I. Vexatus à Romanis, vltorem habet Arnulphum Regem, quem & coronat Imp. 896. I. Moritur. ibid II. Immane ſacrilegium in eius cadauer, à Steph. Septimo. 897. II.

Formulæ fidei. Vide in *Fides*.

Formulæ profeſſionum. Vide in *Profeſſio*.

Formula receptionis Pallij. Vide in *Pallium*.

Fortunæ templum Romæ incenſum, & inde ortæ de religione turbæ. 309 VI.

Fortunatus presbyter ſchiſmaticus, creatur pſeudoepiſcopus Carthag. aduerſus Cyprianum. 255. III.

Fortunatus Manichæus publica diſputatione confutatus à S. Auguſtino. 392. VI.

Fortunatus Venantius, Vide *Venantius Fortun.*

Forum Iulij, Venetiæ prouinciæ ciuitas, capitur à Chaiano Auarum Rege. & comburitur. 600 I. Eo aliquando tranſlatus Patriarchatus Aquileienſis. 605. II. Quæ ei prouincia ſubiecta, in altercatione cum Gradenſi. 729. II. & cum Aquileienſi. 1050. II.

Foroiulienſe Concil. ſub Paulino Aquileienſi de proceſſione Spiritus S. & ſanctiſſ. Trinitate. 791. II.

Foſſarii munus in Eccleſia, corpora defunctorum curare. 44. XXXIV.

Franci vniuerſum Imperium Roman. terra marique incurſant ſub Probo Imp. 285. V. Inuadunt Gallias ſub Conſtantio, & ab eo in fœdus & ſocietatem recipiuntur. 340. XI. Opem ferunt Theodoſio Magno aduerſus Maximum tyrannum. 388. VII. Ab Aetio pelluntur parte Galliæ quam occupatant prope Rhenum 428. III. Olim fidifragi habiti, fide Chriſt. poſtmodum ſunt facti, & ſui eorum mores in melius mutati. ibid. III. Poſt multiplices Galliarum inuaſiones, & repulſiones, tandem firmam in ciſ ſtabiliunt ſedem; duce Childreico Rege Pariſiis regnante. 456 III. Quos ante eum Reges habuerint. ibid. Ex cultu Sanctorum, firmatum eorum regnum. ibid. & 484. XII. 514. V. 987. II. 1029. I.

Conuertuntur ad fidem à S. Rhemigio, in ſignis & prodigiis. 499. IV. V. Quid potuerint eorum arma, præuia Cruce. 514. IV.

Ingentia perficere conceſſum in eis diuinitus, ob eorumdem pietatem. ibid. Benedictiones, & maledictiones, impertitæ prophetice eorum Regibus à S. Remigio. ib. V. Egregiæ ipſorum laudes ex Agathia. ib. VI. & 640. VI. De eorum habitu, & corporis ornatu. ib. Solicitantur à Iuſtiniano Imp. aduerſus Gothos Arianos. 535. XVI. E contra Gothi, vt eoſdem ad ſe alliciant, Galliarum portionem à ſe poſſeſſam eis cedunt. 537. II.

Inuadūt Italiam aduerſus Iuſtinianum, quod ipſe ſibi nomen Francici tribueret, tamquam eos debellaſſet, quos ne attigiſſet quidem. 540. VI. Subigunt magnam Hiſpaniæ partem. 542. III. Gallias poſſident ceſſione Gothorum, & Iuſtiniani Imp. 549. II. Primi omnium cudunt aureos cum ſui Regis imagine, non Romani Imp. vt ceteri ſolerent. ibid.

Eorum laudes ex Gregorio Magno. 595. VIII. Ex Willelmo Carnotenſi. 1168. II. Vide etiam *Gallic. Eccl.* Titulum *Chriſtianiſſimi* vnde Reges habuerint. 740. I. Eis debita defenſio Rom. Eccl. 806. III. 838 I. 1168. II.

Eorum auxilium implorat Pelagius Papa aduerſus Longobardos. 580. III. Gregorius II. aduerſus Græcos. 726. X. Greg. III. aduerſus Longobardos. 739. I. 740. I. Stephanus III. contra eoſdem Longob. 753. I. 755. I. Hadrianus contra eoſdem. 772. II. Ioannes Octauus aduerſus Saracenos, & Martinus Chriſt. 876. III. ipſeque in Galliam Roma profugus ſe recipit. 878 II. Gelaſius PP. II. eo confugit à perſecutione Henrici Imp. ſchiſmatici. 1118. V. Innocentius II. pulſus ab Antipapa Anacleto. 1130 III. VIII. Eugenius III. fugiens à Romanis rebellibus. 1147. II. Alex. III. vitans arma Friderici. 1161. IV. Reliquiarum Sanctorum cupidiſſimi. 542. III. 566 V. 632. I. 764 I. 752. 820. 786. 826. II. Ob ſepulchri S. Dionyſii violationem, deficit regnum è familia Clodouei. 660 I. Miracula eiuſdem Sancti virtus in defenſione regni 1125. II. 1147. III. Sub Regibus, aut pueris, aut libidinoſis, regnum adminiſtratur à Maioribus domus. 688. II. 649

Illud ex familia Merouingiorum, transfertur Auctoritate Apoſtol. in Pipinum. 751. I. 752. I. 754. I.

Transfertur deinde à familia Carolinorum ad Hugonem Capetum. 987. II. Vide *Hugo Capet.*

Vna cum Reliquiis tranſlata ab eis ad Saxones maieſtas & felicitas Regni. 830. IV. 920. III.

Eorum fortitudine Europa ſeruata à iugo Saracenorum. 790. III.

Ab eis conterendos Saracenos, antiquum vaticinium. 961. V.

Eorumdem vetuſtiſſima nobilitas agnita ab antiquis Græcorum Imp. 960. III. 1180. IV.

Potentia ſemper ſuſpecta Græcis 788 I. 1148. XIII. 1180. IV. Ius hæreditarium, ſuſcipiendi ac defendendi afflictos. 1168. II.

Regnum vnctio conſecrari fieri Rhemis, poteſt etiam ex cauſa celebrari alibi. 1105. VII.

Franciſci, Ordinis minorum Inſtitutoris, ætas & natiuitas. 1182. IV. Francofordienſe Concil. ſub Carolo Magno. 300.

Epiſc-

Epiſcoporum, aduerſus Neſtorianam reuiuiſcentem hæreſim. 794. II. Quid in eo geſtum de cauſa ſacrarum Imaginum. ibidem. III. V. Aliud ſub Ludouico Rege. 873. II. Sub Henrico Rege, de rebus Eccl. 1006. I.

Franconii conuertuntur ad fidem à S. Kiliano. 686. IV.

Frangere panem, apud SS. Paulum & Lucam ſignificat, Imperiri ſacram Eucharistiam. 34. LXXX. Fractio alia panis communis 58. XXIV.

Fratres, & ſorores, in Scriptura dicti propinqui quique & cognati. Appar. XX. XXIV. Fratres Domini vocati eius conſobrini. ibid. Fratres etiam appellabant Iudæi ſuæ gentis homines. 57. XIX. 84. Fratres, initio Eccleſiæ dicti Chriſtiani omnes, & ipſe Chriſtianorum cœtus, Fraternitas. 43. IV. Calumnia inde illata in eos à Gentilibus, de promiſcuitate fœminarum. ibid.

Fredegundis, perſuaſa Chilperico Francorum Regi S. Galſuinthæ vxoris nece, alteriuſque expulſione, ducitur ab eo in vxorem 567. V. Procurat necem Sigeberti Regis. 579. III. Agit aduerſus Prætextatum Rothomag. Epiſcopum eumdemque tandem necari curat 580. I. 589. II. Procurat item necem Morouei & Clodouei, filiorum Chilperici ex alia coniuge. 580. I. 583. V.

Fenum Conſtantini Magni clauo ſanctiſſimę Crucis decorum ad poſteros tranſlatum, miraculis claret. 326. VI. 574. I.

Friderici Epiſcopi Traiectenſis martyrium. 838. II.

Fridericus, cognomento Ænobarbus, ex Sueuorum Duce fit Rex Germ. & Romanorum. 1152. II. Promittit Eccleſ. Rom. defenſionem. ibid. III. Incipit nimis præſumere in electionibus & tranſlationibus Epiſcoporum. ibid. Ex facultate Anaſtaſii PP. multum ſibi arrogat in negotiis Eccleſ. 1154. I. Aduenit in Italiam cum exercitu. ibid. III. In congreſſu cum Hadriano PP. cum non exhiberet ſtratoris officium, repellitur ab oſculo pacis, donec ſatisfaciat. 1155. IV. Coronatur Imp. ab eodem Pont. ibid. V. Proſpere ei cuncta cedunt, quamdiu de Rom. Eccleſia bene meretur. ibid. Repudiat priorem vxorem, & aliam ducit. 1156. III. Ob reatum in Epiſcopum London. redargutus ab Hadriano, commonituſq; de beneficiis à Sede Apoſt. receptis, ingratiſſime in eum commouetur, & literis circularibus inclamat. 1157. II. III. Vetat clericos & monachos peregrinari Romam. ib. infi. Mitigatur ab eodem Pont. 1158. I. Conuentum habet Roncaliæ de regalibus Imperii. ibidem II. Nouis præſumptionibus offendit Pontificem, & vniuerſam Eccleſiam. 1159. I. Præſumens in Ticinensi Concilium in cauſa Schiſmatis Rom. Eccleſiæ, redarguitur à legitimo Pont. Alex. III. ipſe vero fouet Octauianum Antipapam. 1159. VIII. IX. In Conciliabulo Papienſi damnat Alexandrum abſentem, & ſuſcipit Octauianum præſentem. 1160. II. Excommunicatur ab Alexandro. ibid. VI. Fruſtra conatur alios Principes ſecum in ſchiſmata trahere. ibid. & VIII. Diuino iudicio reprobatur. X. Perſequitur Catholicos. V. VII. Exercitum ducens in Veneros & Longobardos fœdere aduerſus eum iunctos, cogitur abſque pugna aufugere. X. Doloſe circumuenit Regem Francorum aduerſus Alexandrum; ſed diſſipatur diuinitus eius conſilium. 1162. II. III. Confirmat electionem Guidonis Cremenſis, in locum Octauiani demortui. 1164. XII. Inſidiatur Alexandro redeunti Romam. 1165. II. In Conciliab. Herbipol. iuramentum præſtat & ab aliis tum ibi tum vbique exigit, de propugnando ſchiſmate aduerſus Alexandrum, eiuſque ſucceſſores. 1166. I. Exercitum ducit in Italiam, contra eumdem Pont. ib. IV. Munitionem eccleſiæ S. Petri capit, Vrbemque obſidens doloſe agit cum Romanis; ſed ſæuiſſima immiſſa diuinitus in exercitum peſtilentia, cogitur recedere. 1167. I. II. Excommunicatur, & Imperio deponitur ab Alexandro. 1168. VII. Ignominioſe vincitur, fugaturque ex Italia, à Longobard. fœderatis; vixque elabitur in Germaniam mentito habitu. 1167. II. 1168. VIII. Alexandriam, nouam vrbem Longobardiæ, obſidens, ingentibus afficitur cladibus, repelliturque à S. Petro Apoſt. 1175. II. Rurſum victus periculoſiſſimo prælio ſerio petit pacem ab Alexandro. 1176. IV. De pace inita duplex narratio, & quæ verior. 1177. II. III. Accedit Venetias ad Pontificem, & ab eo ſolemni ritu abſoluitur. ibid. V. VI. Rurſum occupat caſtrum Eccleſiæ Rom. ibid. XII. Promulgat conſtitutionem De Pace Conſtantiæ. 1183. III. Altercatur Veronæ cum Lucio PP. de variis rebus. 1185. I. 1067. Conatur Imperii coronam filio ſuo obtinere à Rom. Pontiff. nec obtinet, niſi prius ipſe coronam deponat. ib. & 1186. I. Ob multa illicita redargutus ab Vrbano PP. rurſum agit in Sedem Apoſtol. 1186. I. Reconciliatur Clementi Papæ; & ſumpta Cruce pro expeditione Terræ Sanctæ, ſcribit ad Saladinum minaces literas, accipitque ab eo. 1188. III. Peruenit in Orientem cum expeditione, ſed ingenti labore itineris, ex malignitate Græcorum. 1189. III. Inſignibus potitur victoriis ductu Sanctorum aduerſus Saracenos. 1190. III. Moritur infelici caſu, & lugetur ab amicis & æmulis. ibid.

Fridericus II. vtrum vere fuerit filius Henrici V. & Conſtantiæ eius coniugis. 1197. III.

Fridiburga ſponſa Sigeberti Regis, die nuptiarum ſacrum ſumit velamen. 614. III.

Friſii recipiunt fidem, prædicatione S. Wilfridi Eboracenſis Epiſcopi exulis. 678. V. Ad eos pergunt pariter alii presbyteri Anglo ſaxones. 690. I. Eorum Eccleſia ſanguine martyrum propagatur. 693. III. 695. I. 696. I. & prædicatione SS. Epiſcoporum. 697. I. 700. I. Rurſum Apoſtatantes, reducuntur ex parte à S. Bonifacio Germaniæ Apoſtolo; qui & ibi martyrium ſubit. 755. III. Eorum Apoſtolus dictus S. Ludgerus. 778. III.

Friteſlarenſe Concilium ſub Conone Sedis Apoſtol. Legato, contra Henricum Imperatorem ſchiſmaticum. 1118. VIII.

Fritigildis Regina Marcomannorum, fidem ſuſcipit à S. Ambroſio. 396. II.

Fructuoſi Tarracon. Epiſcopi, ac ſociorum, martyrium. 261. VII. Viſi ſunt coronati cælum conſcendere, & paulo poſt inſultare Præſidi qui eos damnauit. ibid.

Frumentius Tyrius in Indiam inferiorem puer deductus, poſtmodum eius regni gubernacula adeptus, Alexandriam rediens, creatur ab Athanaſio eius gentis Epiſcopus. 327. IV. Miraculis clariſſimus ibi Eccleſiam ſtabilit. ibid.

Fuga Chriſti, ne Rex fieret. 35. III. Petri & Pauli Apoſtolorum e carcere. III. Vide in *Petrus* pariterque aliorum ſanctorum virorum fugam in perſecutione, vide ſub propriis eorum nominibus. Fuga in perſecutione licita, ex doctrina Chriſti, & praxi Eccleſiæ. 205. IV. Negarunt illud nonnulli hæretici. ibid. & 273. VII. Fugientes clerici abſque licentia, à Cypriano puniti. 253. XIV. De fuga Epiſcoporum in perſecutione, quid conſultus Auguſtinus reſponderit. 428. I.

de Fugitiuis reddendis, apponenda tractatus pacis clauſula inter Imp. & Bulgaros, quæſtio orta Conſtantinopoli; & quid decretum. 811. II.

Fulbertus monachus, poſtea Epiſcopus Carnotenſis, doctor inſignis in Academia eius vrbis. 1004. III. Sæpe redarguit Berengarium diſcipulum ſuum, de leuitate. ibid. Eligitur Epiſcopus. 1007. II. Eius inſignes virtutes, & doctrina. ibid. III. Primus eo ſæculo conclamat aduerſus Principes inuadentes beneficia Eccleſ. ibid. Pius eius obitus, ſcripta, & elogia. 1028. II. Quæ ei gratiæ ex propenſiori cultu B. Virginis contigerint. ibid. Moriturus ſugillat Berengarium. ibid.

Fulco Rhemenſis Archiep. eligitur, inſignis vir nobilitatis & virtutis. 882. VI. Scribit ſæpe ad Rom. Pontiff. de variis rebus. 885. III. 892. IV. 894. I. 897. IV. Agit pro Carolo Simplice Rege apud alios Principes, aduerſus Odonem Regis titulum vſurpantem. 892. IV. Eumdem Carolum comminatione excommunicationis reuocat ab ineundo fœdere cum Northmannis Ethnicis. 898. I. Laborat aduerſus Nicolaitas repullulantes 893. I. Necatur ob defenſionem rerum Eccleſ. 900. IV.

Fulgenti Afri genus Senatorium, monaſtica vita, cruciatus pro fide Catholica, & ſanctæ peregrinationes. 490. I. Petit Romam ad viſitanda Limina Apoſtol. indeque redit in Africam. 500. II. Creatur inuitus Epiſcopus Ruſpenſis & vna cum aliis Epiſcopis Afris deportatur in Sardiniam à Traſimundo Rege 504. II. Reuocatur ad quæſtiones Regis diſſoluendas; ſed mox remittitur. ibid. IV. Multa ſcribit ad diuerſos, de variis quæſtionibus fidei. ibid. & 517. V. 518. IV. 529. VI. Reſtituitur cum aliis ab Hilderico Rege. 522. III. Moritur; & quæ eius pia ad tranſitum præparatio, & ſumma in doloribus patientia. 529. VI.

Fullo. Vide *Petrus Cnapheus*.

Funeribus Iudæorum, & Gentilium, adhibiti tibicines. 31. XXXII.

Funerum immenſæ apud Iudæos impenſæ. 34. XCI. Ex moderatæ à Gamaliele. ibid.

Funerum Chriſtianorum ritus. 310. IV. 257. In eis exhiberi ſolita publica conuiuia, & quis in iis modus adhibitus. 57. XI. Cantorum Romæ conſuetum Alleluia. 384. IV.

Funus ampliſſimum Stephani protomartyris. 34. XCI. Conſtantini Magni, quibus ſacris ritibus, & regiis cæremoniis curatum. 337. III. Infauſtum Iuliani Apoſtatæ. 363. XV. Meletii Epiſcop. Antiocheni, curatur inſigni pompa ab vniuerſa Synodo Oecumenica Conſtantinop. 381. VII. Eulogii martyris diuinitus agitur. 459. I. Vide etiam *Sepultura. Defunctus. Corpora.*

Fuſiones, aliquando dictæ Indictiones, & quare. 314. XVI.

G.

GABBARAS vocabant Ægyptii corpora defunctorum aromatibus exiccata. 34. XLVIII.

Gabellæ vox vnde deducta. 31. XXVI

Gabinius frater Caii Papæ, affinis Diocletiani Imp. poſt obitum vxoris fit presbyter. 294. V. Scribit pro Chriſtianis. ibid. Martyrio coronatur. 296. I.

Gaianus eligitur Epiſcopus Alexandr. aduerſus Theodoſium, hæreticus ſectæ Incorruptibilium aduerſus hæreticum factionis Corruptibilium. 535. VIII. Pellitur à Iudicibus. ibi. Ab eo dicti Gaianitæ hæretici, ſecta Acephalorum. ibi. XI.

Gainas Gothus, dux exercitus Arcadii Imp. auctor necis Ruffini proditoris. 395. IX. Inuidia ductus in Eutropium Cubiculi præfectum, Gothos in Imperii deſolationem euocat, ſeq; ipſe perduellem oſtendit. 398. XXII. Arcadium cogit dare Eutropium, quem interficit. 399. II IV. Alia rurſum duriora Imperatori imponit. 400. VI. Arianis ipſe Arianus eccleſiam intra vrbem Conſtantinopolim petens, ieſellitur à Chryſoſtomo Epiſcopo. ibid. VII. Eandem quoque ciuitatem deprædari tentans, repellitur ab Angelis. ibid. Hoſtis Reip. declaratus, poſt multas acceptas clades, tandem perimitur. ibi. VIII.

Galatæ ex Gallis oriundi. 59. VI. Eis præter Petrum & Paulum, prædicat quoque Creſcens. ibid. Ad eos ſcribit Paulus. ibid. VII.

Galba in Hiſpania deficit à Nerone. 69. XVIII.
Acclamatur à militibus Imperator. & venit Romam. 70. III.
Occiditur à militibus, factione Othonis. 71 I.

Galerius Maximianus eligitur Cęſar, & adoptatur in filium à Diocletiano Imp. 292. III. IV.
Repudiare coactus priorem coniugem, ducit Valeriam filiam eiuſdem Dioclet. ibid.
Ob humile genus, dicitur cognomento Armentarius. ibid. & 306. VII.
Poſt mortem Valeriæ, tentat fruſtra nuptias Suſannæ neptis Caii Papæ. 294. II. V.
Vincit Perſas, & Imperium propagat vltra Cteſiphontem. 301 I. Sæuiſſimam in Chriſtianos perſecutionem excitat. ibi VI. Oratio eius de ea re habita, rumpitur fulminibus. ibid.
Poſt abdicationem Diocletiani, appellatur Auguſtus. 304. IV.
Eius cum Galerio Maximino confuſio apud auctores, & diſcriminatio. ibid. Partitio Imperii cum Conſtantio Chloro ibidem. & VI. in fi. Perſecutionem ſæuiſſ. in Chriſtianos nouis edictis inſtaurat. ibid. IX. Cæſares creat Seuerum & Maximinum. 306. II. Conſtantinum ſpecie religionis Romæ habet ſub cuſtodia ibid. Seuerum mittit contra Maxentium tyrannum. 307. I. Seuero occiſo, creat Cæſarem Licinium. ibid. IX. Diuinam ſentiens vltionem de Chriſt. effuſo ſanguine, perſecutionem ceſſare iubet. 311. V. Miſere perit. ibid.

Galerius Maximinus. Vid. *Maximinus.*

Galilæa duplex 9. II. Ab ea Chriſtus dictus Galilæus, & Chriſtiani Galilæi. ibid. & 362. LVI
Debellatur ingenti clade à Veſpaſiano. 69 XIX.
Eorum lingua diuerſa a reliquis Iudæis. 34. LXIX.

Galilæorum ſecta apud Iudæos quando orta & quæ eius dogmata 1. XVI. Poſt excidium Hieroſol. pergentes in Ægyptum, nouas turbas cient, & obſtinatiſſime pereunt. 73. III.

Galla Placidia. Vide *Placidia.*

Gallæa tertius nobiliſſ. viduæ generoſum de continentia propoſitum. 504. IV.

Gallia Epiſcopos recipit à S. Petro, & Eccleſia Rom. 46. I. Dicta a Paulo Apoſt. Galatia, ad quã ipſe Creſcẽtẽ mittit. 59. VI. Accipit quoque Euangelium à Martiale, per Petrum miſſo. 74. VII. à Dionyſio Areop. per Clementem directo. 98. VIII. ab Aſianis per Polycarpum miſſis. 169. IV.

Galli & Aſiani Chriſtiani, charitate coniuncti. ibid. & 179. II.

Galliæ (& Hiſpaniæ) vires Reip. Rom 269. II. Occupatæ à Germanis, recuperantur à Probo Imp. 280. III. Liberantur à barbarorum incurſionibus, per Iulianum Cæſ. 356. XIX. 357. XXIII. itemque per Gratianum Imp. 378. V. 379. III.
Deuaſtantur à Wandalis, & Alanis, aliiſque barbaris. 406. IX. 407. II. itemque à Gothis ſub Athaulpho. 412. VII.
Earum partem obtinent Burgundiones. 413. V.
Deuaſtantur ab Attila, quibuſdam locis mirabiliter ab eius graſſationibus illæſis ſeruatis. 451. VI. Diuiduntur Tetrarchiis, ſub Regibus barbaris. 475. III. De Francis eas occupantibus, vide *Franci.* Quando penitus inde expulſi fuerint Gothi. 713. V. Inuaduntur à Saracenis, ſed defenduntur à Carolo Martello. 725. II. 731. V. Fiunt vectigales S Petro, à Carolo Magno. 782. III. Recurrunt ad eas Rom. Pontifices afflicti. Vide *Franci.*

Gallicana Eccleſia à quibus acceperit Euangelium; vide ſupra in *Gallia.*
Eius ſincera fides, opera Hilarii conſeruata a contagio Arianorum. 362. XLIX. Monachiſmum recipit in Clerum, auctore S. Martino. 328. XIV. in fin. 302. Caruit monſtris hæreſum, vſquedum Vigilantius eius integritatem tentauit 406. VIII. Ob diſciplinæ Eccleſ. corruptionem, meruit barbarorum deuaſtationem. 407. II. 412. VII. Epiſcopi appellare ſoliti ad Rom. Pontif. Vide *Appellatio.*
Perſecutionem patitur ab Euarico Gothorum Rege; cuius occaſione reſtitutæ ſunt Rogationes. 475. III. IV. Eius antiqua fides teſtata contra hæreticos. 502. VII 1160 IX.
Cantum ſacrum accipit à Rom. Eccleſia, opera Caroli Magni. 754. III. 787. X. Eius reuerentia in Sedem Apoſtol. 909. II. Floret Religioſorum Ordinibus. 1131. IV.
Egregium eius præconium ex Arnulpho Lexouienſi. 1160. IX.
Semper ſtetit pro legitimis Pontiff. contra Antipapas. ibid. Vide *Franci.*

Gallicani Epiſcopi iudicio ſuo transferunt regnum Lotharii in fratres eius. 842. I.
Concilia generalia Galliarum, quolibet triennio celebrari iubentur in Synodo Matiſcon. Secunda. 588. III. Bis in anno haberi voluit Pipinus Rex. 756. II.
Ea non niſi aſſenſu Rom. Pontificum habita. 770 III.

Gallicanum Concilium ſub Irenæo, de die Paſchatis, auctoritate Victoris Papæ celebratum. 198. I
Alia tempore Hilarii, ad reuocandos, & reſtituendos Lapſos. 362. XLIX.
Aduerſus Auxentium Mediol. Epiſcopum Arianum, alioſque eiuſdem ſectæ homines. 368. IV.
Aduerſus hæreſim Monothelitarum. 679. I.
Concil. tyrannicum, Ebroini Maioris domus, opera, aduerſus ſanctos Epiſcopos. 685 IV.
Plura celebrata ſub Roberto Rege, de variis Eccleſ. quæſtionibus. 1004. I. & pro reformatione morum. 1034 I. Sub Hildebrando Sedis Apoſtol. Legato, contra Simoniacos. 1055. III.
Sub Hugone Lugdun. Sedis Apoſtol. Legato, aduerſus Schiſmaticos Henricianos, & Philippum Francor. Regem. 1094. II. Sub Conone Legato, contra Inueſtituras laicorum. 1111. VII. Ab Epiſcopis Galliarum, de cæde quorumdam ſanctorum virorum. 1135. III.
Quæ certis locis habita ſunt, vide ſub ſingulis eorumdem locorum nominibus.

Gallicanus, Dux Conſtantini Magni, Scythas debellat ope diuina. 330. XI. Chriſtianitatem in periculoſiſſimo prælio vouens, obtenta victoria, renuntiat Conſulatui, bonis, cõiugio Conſtantiæ filiæ Conſtantini, vt piæ hoſpitalitati vacet. ibid.
Eius bona pauendis prodigiis defenſa a rapacitate miniſtrorum Iuliani Apoſtatæ. 362. LI. Martyrio coronatur ſub eodem Iuliano. ibid.

Gallienus vna cum patre Valeriano imperat 256. III. 257. IV. Cum eſſet ignauiſſimus, præualuit tamen contra plurimos tyrannos, & barbaros, quod pacem conceſſerit Chriſtianis. 262. III.
Ob ſocordiam & turpitudines, necatur cum fratre & filiis Impp. 269. I.

Gallus dux, prodito Decio, Imperium inuadit, ac filium Voluſianum collegam ſibi adſciſcit. 254. VI. Perſecutionem excitant in Chriſtianos. 255. IV. V. Ea cur etiam dicta Decii. 255. VII. ibid. Occiduntur. 256. III. 257. IV.

Gallus, frater maior natu Iuliani Apoſtatę, in pueritia vna cum fratre eripitur neci affinium ſuorum, factæ a Conſtantio Imp. patruele. 337. XII.
Optimis diſciplinis inſtitui curantur ab eodem Conſtantio, & in cleri ordinem cooptantur. ibid. XIII. In ædificatione eccleſię vna cum fratre ſuſcepta, eius donum ſuſcipitur à Deo; Iuliani reiicitur. ibid.
Creatur Cæſar à Conſtantio, & Conſtantinam ſororem eius accipit in vxorem, præficiturque Orientali Imperio. 351. I.
Daphnici Apollinis locum Antiochiæ purgat per illationem corporis S. Babylæ martyris. ibid. I
Comprimit Iudæos rebellantes. 353. XI. Tyrannidem affectans, ſæuit in Magiſtratus ib d. A Conſtantio in ordinem redigitur, & capite truncatur. 354. II.

Gamaliel Legiſperitus Iudæorum, occultus Chriſti diſcipulus, loquitur pro Apoſtolis in Concilio Iudæorum. 34. LXXVIII. Curat Stephani protomart. corpus in villa ſua ſumptuoſe. ibid. XC. Eius corporis inuentio, vna cum Stephani reliquiis, ſub Theodoſio Iuniori Imp. 415. I.

Gandulphi villæ Conuentus, pro reſtitutione patris regni Ludouici Imp. 872. IV

Ganelo Arch ep. Senonenſis, ob proditionem regni Caroli Calui, damnatur in Concilio Tullenſi. 859. IV. Eius nomen infame redditum, communeque factum inſignibus proditoribus. ibid. V.

Gangrenſe Concil. ſub Oſio Corduб. Legato Silueſtri PP. aduerſus errores Euſtathii. 319. V.

Gaſtonus auctor Ordinis miniſtrorum Hoſpitalis S. Antonii. 1095. VIII.

Gaudentius Arimin. Epiſcopus, damnans Arianorum formulam Ariminenſem, martyrium ab eis ſuſcipit. 359. XIV.

Gaudentius Brixianus Epiſc. inſignis nominis, ſuccedit Philaſtrio. 386. III.

Gazenſes obſtinatiſſimi Gentiles, Hilarionem inſignem illum monachum, ſub Iuliano Apoſt. toto Orbe quærunt ad necem, ob quaſdam ipſorum incantationes ab eo diſſolutas. 362. XXXI. XXXII Marnæ eorum doli, victum à Chriſto publico certamine. ibid. Horrende ſæuiunt in presbyteros, & virgines ſacras. ibid. XXXIII.
Numquam deſiſtunt inſultare Chriſtianis, etiam ſub Impp. Chriſt. 400. VII. Compeſcuntur ab Arcadio, opera Porphyrii Epiſcopi; Marnæumque diuinitus deſtruitur. ibi. VIII.

Garophylaciorum antiquus vſus in Eccle-

ſia, ad

cleſia, ad recondendas oblatas pecunias. 44. XXXI.
Gelaſius Cyzic. ſcripſit hiſtoriam Magni Concili Nic. quæ extat. 325. XX.
An ſcripſerit librum de Duabus Naturis aduerſus Eutychetem. 496. II.
Gelaſius I. creatur Rom. Pont. 492. I.
Non recipit Euphemium Conſtantinop. quod nomen Acacii retineret in Diptychis. ibid. II.
Commonitorium dat Fauſto ad refellendas eiuſdem Euphemii obiectiones. 493. III.
Agit etiam aduerſus Pelagianos reuiniſcentes. ibid. IV.
Concilium celebrat, vbi ſtatuitur numerus librorum canonicorum, & prærogatiua Sedium Patriarchalium. 494. III.
Scribit epiſtolam encyclicam ad Dardanos, aduerſus præſumptionem Euphemii. 495. II.
Moritur. 496. I.
An ſcripſerit librum De duabus Naturis, &c. ibid. Fuit iudex ſcriptorum aliorum. ibid. VI. Suſtulit Lupercalia Romæ edicto publico. ibid. IV. Eius nomine conficta ſcripta. ibid. III.
Gelaſius II. eligitur, moxque à factioſis ſchiſmaticis captus, horrende catenatur, ſed liberatur à Catholicis. 1118. II.
Rurſum adueniente Henrico Imperatore ſchiſmatico, idem Pont. ingenti difficultate fugiens, periculum euadit. ibi. III.
Caietam perueniens, ibi conſecratur. ib. Romam rediens, in ſolemniis Miſſæ à perduellibus inuaſus, ſacris ſemi indutus veſtibus, ſolus per campos fugit. V. Recipit ſe in Galliam. VI. Moritur Cluniaci. 1119. I.
Genealogia Chriſti qua ratione diuerſe ab Euangeliſtis texatur. Appar. XV.
Impugnatur à Gentilibus, & Iudæis. ibi. XVIII. Negatur à Tatiano. 174. III. aliiſq; hæreticis, qui eum carnem ſuſcepiſſe negarent; de quibus vide in *Carnes, & Chriſtus.*
Genealogia Ioſeph, cur potius quam Mariæ, deſcripta ab Euangeliſtis. Appar. XVI.
Genedius, an Aurelius, prior ſederit Epiſcopus Carthag. 397. XV.
Generale Concilium quod olim diceretur, vel hodie dicatur. 347. III.
Generalis dictus poſterioribus temporibus Princeps Armenorum. 1170. XII.
Generare à Satana eſſe, dicebat Saturninus hæreſiarcha. 120. XI.
Pariterque generationem prohibebant Gnoſtici. 120. XIV.
Marcionitæ. 146. VI. Manichæi. 277. VIII.
Generi apud Hebræos loco filiorum habiti. Appar. XVIII.
Eadem voce veniunt etiam affines omnes. 389. VI.
Geneſareth lacus in Galilæa, ſiue Tiberiadis dicti, deſcriptio. 31. XXIV. 21. Cur etiam dictus Mare. ibid.
Geneſius mimus coram Diocletiano Imp. myſteriis Chriſt. illudens, ſerio factus Chriſtianus, martyrium conſequitur. 303. VI.
Genethliacos, & Mathematicos, publice profiteri iubet Alexander Imp. 227. I. Vide *Aſtronomia & Maleſici.*
Gennadius Conſtantinop. Epiſcopus creatur, doctrina & ſanctitate conſpicuus. 458. V.
Interpellat S. martyrem aduerſus clericum immorigerum. 459. I. ibid.
Laborat in extirpanda ſimonia ab Eccleſia Conſtant. ibid.
Orans in Eccleſia, à dæmoniaco ſpectro audit, ipſum dæmonem poſt eius obitum, euerſurum Eccleſiam. 471. I.
Sancte moritur. ibid. Clarus inter ſcriptores Eccleſ. ibid.
Gennadius Maſſilienſis presbyter ſecta Pelagianus. 433. II.
Reſipiſcit, & creatur eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus, ſanctoque fine quieſcit. 496. VI.
Genoueſa virgo deſpondetur Chriſto à S. Germano Antiſiodor. futurorum præſcio. 429. II.
Eius precibus ciuitas Pariſ. ſeruatur illæſa à furore Attilæ. 451. VI.
Veneratur eam Childericus Francorum Rex, licet Ethnicus. 456. III. itemq; Clodoueus, qui etiam muneribus eam frequentat. 484. XII.
Eccleſia à Clodoueo in honorem S. Petri erecta Pariſiis, poſtea nuncupatur S. Genoueſæ, quod in ea corpus eius requieſcat. 514. II. 553. XXI. In eam qua occaſione introducti canonici regulares. 1147. II.
Genſericus Wandalorum Rex Arianus Africam occupat, & miſere vaſtat. 428. I. II.
Vincit Aſparem & Bonifacium duces Romanorum. 431. XVIII.
Diram excitat in Catholicos perſecutionem. 437. I
Carthaginem capit, & diripit; & Catholicos tam eccleſiaſticos, quam ſæculares nobiles, eiicit, aut in ſeruitutem redigit. 439. V.
Deuaſtat Siciliam. 440. V.
Accerſitus ab Eudoxia Aug. in vindictam necis Valentiniani Tertii. Romam capit, & diripit. 455. II. III.
Perſecutionem auget in Africa, cunctaſque Rom. Orbis prouincias incurſionibus ſuis infeſtat. 456. IV. Moritur. 476. IX.
Prædicatus omnium Regum feliciſſimus, quod duarum totius orbis potentiſſ. vrbium, Romæ & Carthag. expugnator fuerit. ibid.
Gentiliacum Conc. in Gallia, de cultu Imaginum. 766. II.
Gentilium calumniæ in Chriſtianos. Vide *Calumnia.*
Æmulati ſunt ritus ſacros Fidelium. 44. XXXVI.
Eorum quoque plurimi ritus ad pietatem ab Eccleſia tranſlati. ibidem. Perſequuntur Chriſtianos. Vide *Perſecutio.*
Gentiles vnde dicti qui deos colerent, & quinam apud Romanos dicerentur eo nomine. 351. V.
Vnde, & quando dici cœpti Pagiani. ibi.
Noluit Conſtantinus Magnus, eos ad fidem cogi. 324. XX.
Prohibuit Conſtantius militare in ſuo exercitu. 351. IV.
Eorum ſermones non ſunt audiendi à Fidelibus. 388. III. Vide etiam *Sacrificia. Oracula. Idola. Deorum cultus.*
Genuflexio ad orationem olim prohibita diebus Dominicis, & à Paſcha vſque ad Pentecoſten. 58. XLIV.
Eius vſus in antiqua Eccleſia. 401. VIII.
Georgii martyris ductu, ingentib. præliis victi Saraceni à Friderico Imp. 1190. III.
Georgius Cappadox Arianus, vita & moribus infamis, è duce militum intruditur à Conſtantio in ſedem Alexandrinam, loco Athanaſii expulſi. 356. III. Sæuiſſime graſſatur in eos qui nollent ſibi cõmunicare. ibid.
Eius diſcriminatio à Gregorio, qui ante ipſum eam ſedem occupauerat. 341. V.
Necatur à Gentilibus ſub Iuliano, corpuſque crematur, & cineres proiiciuntur in mare. 362. XXXVI.
Haud dicendus martyr, tum quod ob ſcelera propria, tum quod extra cõmunionem Eccleſiæ Cathol. paſſus. ibid. XXXVII
Eius copioſa bibliotheca à Iuliano Imp. quæritur. ibid.
Georgii Piſidæ diaconi Conſtantinopol. & Chartophylacis, inſignia ſcripta. 608. II. 627. I. IV.
Georgius Conſtantinop. Epiſcopus creatur in locum Theodori Monothelitæ eiecti. 678. III.
Intereſt Synodo Sextæ, & fortiter ſtat pro fide Cath. 681. II. Moritur. 682. II.
Georgius Xyphilinus eligitur Patriarcha Conſtantinopol. 1191. IV. Et offert Theodorus Balſamon ſuum Nomocanonem. ibid V.
Gerardus Abbas Bromienſis, genere, operibus, & virtutibus clarus. 929. II.
Gerardus Chanadienſis in Hungaria Epiſ. libere arguit tyrannum, & prædicit necem. 1041. I. Subit martyrium ab Hungaris apoſtatis. 1047. V.
Gerardus Cardinalis Legatus in Germania. S. Norbertũ præficit Eccleſiæ Magdeburg. 1127. V. Creatur Papa, dictus Lucius 1144. I. Vide *Lucius* II.
Gerardus Engoliſmenſis Epiſc. transfuga ab Innocentio PP. ad Petrum Leonis, Legatione Antipapæ fungens, acriter perſequitur Catholicos 1130. XI. Morte ſubitanea impœnitens extinguitur, & corpus humatum effoditur. 1135. II.
Gerbertus ex monacho Auriacenſi factus inſtitutor Roberti filii Hugonis Capeti Fran. Regis, introducitur in ſedem Rhemenſem aduerſus Arnulphum legitimũ Epiſc. 991. II. 992. III. Depoſitus iuſſu Rom. Pontificis, multa impia blaterat contra Sedem Apoſt. ibid. Conuictus à Legato Sedis Apoſt. dat manus. 995. II.
Creatur ab Ottone Germ. Rege Archiepiſcopus Rauen. 996. I.
Inde transfertur in Rom. Pontificatum, ſub nomine Siluestri Secundi. 999. I. Vide *Siluest. II.*
Gerion dux cohortis Thebææ martyr. 297. II.
Germania excolitur nouis Apoſtolis, & multis in prouinciis fidem recipit. 690. I. 695. I. 697. I. 719. I. 724. I.
Germanicum Primum Concil. ſub Bonifacio Archiep. pro Eccleſ. diſciplina in ſubiectione Rom. Eccleſiæ. 740. II. Alia ſub eodem, de iiſdem rebus. 742. II. 743. I. 745. I.
Sub Henrico II. Imp. contra Simoniacos. 1047. III.
Germ. Conciliabulum aduerſus S. Othmarum Abbatem. 759. I.
Germaniç ſacerdotes tumultuantur pro retinendis coniugiis. 1074. III.
Germanus compar, quid ſit apud Paulum. 57. XIX.
Germanus Antiſiodor. Epiſcopus, vna cum Lupo Trecenſi, miſſus à Cæleſtino Papa & Synodo Gallicana in Britanniam, inſulæ Ethnicos conuertit, & Chriſtianos liberat ab hæreſi Pelagiana. 429. I. II.
Apud Pariſios Genoueſam virginem Chriſto deſpondet. Ibid. II. in fi.
Rurſum Britanniam à Pelagianis liberat. 435. III.
Armoricos liberat ab incurſione Alemannorum, & pro iiſdem agit apud Imperatorem. ibid.
Moritur Rauennæ, miraculis clarus; & corpus Imper. ſumptibus transfertur in Gallias. ibid.
Germanus Capuanus Epiſc. mittitur ab Anaſtaſio Papa Legatus ad Anaſtaſium Imp. pro concilianda pace Eccleſiæ Orientalis. 497. I.
Liberat à pœnis purgatorii Paſchaſium R. E. diaconum. 503. IV. Iterum mittitur ab Hormiſda PP. ad Iuſtinum Imp. pro conciliatione Eccleſiæ Orientalis. 519. II.
Germanus Pariſienſis Epiſcopus creatur ex Abbate, præcedentibus propheticis. 559. III.
Quæ Synodus Pariſ. ſub eo celebrata. ib. Contemptus à Clotario Rege, eidem ea de cauſa in grauiſſ. morbum incidenti ſanitatem reſtituit. 562. I
Peregrinatur in Orientem, ad abducendas inde Reliquias Sanctorum. 542. III.

Charibertum Regem, ob inceſtum connubium, excommunicat. 570.V.
Moritur. 579.V.
Dire vleiſcitur in expilatores monaſterii ſui. 845.IV.
Germanus Conſtantinop. Epiſcopus creatur, eo translatus è ſede Cyzicena, ob egregiam eius ſanctitatem & eruditionem. 715.I.
Ex Copronymi ſtercoris in baptiſmo egeſtione, vaticinatur cladem Eccleſiæ ab eo inferendam. 719.III.
Reſiſtit viriliter Leoni Imp. pro defenſione ſacrarum Imaginum. 726.III.VI. 727.II. Ignominioſe pellitur in exilium 730.I. Eius obitus ſanctus, & pia ſcripta. ibi. III.
Gerontius clericus Mediol. eiectus ab Ambroſio ob magiam, fit Epiſcopus Nicomed. & deponitur ob ſimoniam à Chryſoſtomo. 400.XIV.
Gertrudis virginis ſacræ filiæ Pipini Ducis, ſanctus obitus, itêque eius matris. 664.V
Geruaſius & Protaſius fratres martyres Mediolani ſub Marco Aurelio. 169.II.
Eorum corpora diuinitus inuenta à S. Ambroſio, & ab ea dæmones torti, & plurima alia edita miracula. 387.V.
Gerundenſe Concil. in Hiſpania, pro diſciplina Eccleſ. 517.V.
Geta filius Seueri Imp. quando fuerit à patre creatus Cæſar, & Auguſtus. 197.II. 210.I.
Mortuo patre, regnat vna cum fratre Antonino. 213.II.
Necatur in matris gremio ab eodê fratre ſuo. 214.I.
Gigites ab Enac gigante dicti Enacim. 34. XXXIII.
Gildardus Rothomag. Epiſcopus, frater S. Medardi. 564. III. Vide *Medardus*.
Gildo Maurus aduerſus Firmum tyrãnum fratrem ſuum, adhæret Theodoſio, & creatur Comes. 398.IX.
Fuit Ethnicus, & ſceleratiſſimus. ibid. X. Erumpens ipſe in tyrannum, hoſtis à Senatu declaratur, & aduerſus eũ mittitur Maſcezili ipſius frater, ſed inimicus infenſiſſimus ob necatos ab eo filios Maſcezilis. ibid.
Vincitur diuinitus à fratre, & captus ſtrangulatur. ibid.
Bona eius ampliſſima in fiſcum redacta, dicta Gildoniacum patrimonium. ibid. fuerunt illi vxor, ſoror, filia ſanctiſſ. feminæ. ibid. XII.
Gilberti Porretani Pictauienſis Epiſcopi hæreſes deſumptæ ex libris Ariſtotelis. 1147.IV.V.
Damnantur in Concilio Rhemenſi ſub Eugenio PP. 1148.V.IV.
Acquieſcens ipſe ſententiæ Synodi, libere remittitur ad ſuam Eccleſiam. ibid. VI.
Gilimer Hildericũ Regem in Africa apud Wandalos proditionis accuſans, in eius locum conſtituitur. 530.II. Vincitur à Beliſario, & tandem ſe ci dat. 533.VII. 534.IV.
Ductus in triompho Conſtantinopolim, viſa Iuſtiniani Imp. magnificentia, exclamat, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* 534.IV. Loca in Galatia ad habitandum cum ſuis, ab eodem Imp. accipit. Ib.
Gizidus Saracenorum Princeps, deceptus à Iudæo ſpe longioris vitæ, deturbat omnes ſtatuas, obliterat imagines & picturas, auctorque eſt Iconomachiæ & Iconoclaſtiæ, & paulopoſt moritur. 723. II.III.
Gladiatorum & ferarum ſpectacula, à Nerone Imp. prohibita magiſtratibus in prouinciis. 59.VIII.
Gladiatorum ludi prohibiti à Conſtantino Magno 325. LII. itemque a Conſtantio. 357. XXIII.
Reſtituti à Iuliano, in odium Chriſtianorum, ſed mox ſublati à Valentiniano, 365.V.
Reſtituti Romæ ab Honorio, magno ipſius & Vrbis damno. 404.II.
Gladius S. Petri Apoſt. aſſeruatus Conſtantinopoli, miraculis coruſcat. 439.II.
Conſtantini Magni delatus ad poſteros, peruenit ad Henricum Germ. Regem. 292.II.
Gladius duplex in Eccleſia: & contraria hæreſis confutatur. 1053.III.
Glaucias poſt Marcum Euangeliſtam Interpres S. Petri Apoſt. 45.XII.
Glorificationis hymnus ab Apoſtolis traditus Eccleſiæ. 325.XLVI.
Diuerſus eius vſus in antiqua Eccleſia. ibid.
Additamentum accipit in Concilio Niceno, contra blaſphemias & corruptiones Arianorum ibid. XLVII. Eius occaſione quantæ turbæ in S. Baſilium concitatæ. 371.V.
Glycerius creatur Imperator Occidentis. 473.I.
Deponitur à Iulio Nepote: & in clericum attonſus, fit Epiſcopus. 474.IV.
Gnoſtici hæretici dicti, qui antea Nicolaitæ. 68.V.
Vel etiam qui Carpocratiani, aut Baſilidiani. 120.XIII.
Nefandæ illorum turpitudines. 120. XIV.
Eo etiam nomine dicti Adamitæ æque impuri. ibi. XVII.
Alia plurima eorundem nomina. ibid. XVIII.
Aliique plurimi hæretici eo nomine dicti. 145.II.V.VIII.
Ex eorum omnium turpitudinibus ortæ calumniæ Gentilium in vniuerſos Chriſtianos. 120.XV.
Eorum turpitudines delatæ in Gallias & Hiſpanias, ſuſcipiuntur à Priſcillianiſtis. 381.XIV.
Godefredi Lotharingiæ Ducis, inſignis pœnitentia, ob incenſam eccleſiam Virdunenſem. 1074.VI.
Ex coniugio Beatricis Marchioniſſæ Tuſciæ, fit dominus magnæ partis Italiæ. ibid.
Nicolaum II. Papam introducit in Vrbem, aduerſus Mincium Antipapam. 1059.I.
Fugat alium Antipapam, Cadaloum. 1062.I.
Northmannos Eccleſiam Rom. inuadentes repetitis prœliis repellit 1066.II.
Moritur. 1070.VI.
Godefredi Duces Lotharingiæ & Tuſciæ plures, eorumque diſcriminatio. 1070. VI.
Godefredi Bolionii, Ducis Lotharingiæ, expeditio in Terram Sanctam. 1096.II.
Capit Hieroſolymam, eiuſq. Rex conſtituitur. 1099.VII.VIII.
Moritur, & laudatur de pietate, & fortitudine bellica. 1100 VI.
Godefredi, ex Comite Cappenberg. monachi ſanctitate inſignis, obitus. 1126. VIII.
Godefredi, ſiue Gotifridi Viterbienſis hiſtoria oblata Vrbano Rom. Pontif. 1186. III.
Golauduch femina, inſignis martyr in Perſide. 593.XII.
Golgatha, id eſt, Caluariæ locus. Vide in *Caluaria*.
Gordiani duo, pater & filius, eliguntur Imperatores aduerſus Maximinum Thraceni: ſed confeſtim occiduntur. 238.IV.
Gordianus Tertius, prædicti Iunioris filius, adhuc adoleſcentulus creatur Cæſar à Pupieno & Balbino Impp. 238. IV.
Acclamatur à militibus Auguſtus. 240 II.
Perſas frequentibus prœliis ſuperat. 244.II.
Cogitur Philippum Arabem collegam Imperii adſciſcere. 245. III. ibid. Occiditur iuſſu Philippi, & à Senatu inter diuos refertur. 246.I.
Gordianus Vicarius Romæ ſub Iuliano Apoſtata, ex perſecutione fit martyr. 362. LII.
Gottheni apud Iudæos tranſponebant feſtorum dierum tempora Appar. VIII.
Gottheni hæretici, ex Simone Mago. 35. XIII.
Gothardus Hildeſem. Epiſc. miraculis clarus. 1023.II
Gotheſcalcus pſeudomonachus prodit hæreſiarcha in Galliis: & quæ fuerint eius praui mores, & errores. 848.III. Damnatus in Synodis Mogunt. & Belg. includitur monaſterio. ibid.
Iterum eius errores, & ſectatores damnantur in Concilio Valentino. 855. I. itemque in Tullenſi. 859 III.
Gothi Thraciam infeſtantes, Decios Impp. obuios occidunt. 254.VI.
Rurſum inuadunt Imperium ſub Gallieno. 263. III. Iterumque irrumpentes cum bis mille nauibus, debellantur à Claudio. 269.II.
Rediguntur ſub tributum à Conſtantino Magno, opera Gallicani ducis. 330. XXI.
Denuo inuadunt Thraciam ſub Iuliano. 364.V.
A Valente bello appetuntur, quod ſuppetias tuliſſent Procopio tyranno, & poſt biennium ad pacem coguntur 366 II. 369. IX. Impetrant ab eo Thraciam ad habitandum, moxque Rom. exercitum delent. 376.II. Ipſummet Valentem prœlio vincunt, & viuum in tugurio cremant. 378. VI. Ab obſidione vrbis Conſtantinop. repelluntur per Saracenos. ibid. VIII.
Gothorum Epiſcopus interfuit Magno Concilio Niceno. 325.X.
Chriſtiani perſecutionem patiuntur ab Athanarico Rege Ethnico. 370.XVI.
Quinam, & quando cœperint Ariani eſſe ibid. Verum de Gothis intelligenda ſit prophetia Ezechielis de Gog. 378 IV.
Rurſum vocantur in cladem Imperii a Ruffino proditore, & quam miſere illud depaſti ſint. 395.VII. VIII. Itemque à Gaina, & ipſo Gotho. 398. XXII. Vide *Gainas*. pariterque de Gothis vide alia plurima ſub nominibus Regum vel Ducum ipſorum.
Gothiam Athaulphus Rex facere in animo habuit, quæ eſſet Romania, in Gothorum Imperium quod eſſet Romanorum. 411.I. Quando leges ſcriptas habere cœperint. 464.I.
Nolebant liberos literis, vel ſeniorum inſtructionibus educari, quod aſſererent eos ſic timidos reddi. 526.VIII.
Conuertuntur ad fidem Cathol. in Hiſpania, vna cum ſuo Rege Reccaredo. 590. XIII. 593. VII.
Eorum Imperium penitus deficit in Hiſpania & Gallia. 713.V.
Gotifridus Viterb. Vide *Godefredus*.
Gradus affinitatis in matrimonio, qui olim, & recens prohibiti. 604.II.
De iis exortæ hæreſis Inceſtuoſorum, damnata ab Alexandro II. PP. 1065.II.
De iisdem Conſtitutionem edit Theodoſius Patriarch. Conſtantinop. 1179. VIII.
Gradus inſulæ Eccleſia, decorata Patriarchatu Aquileiæ. 602.II.
Vide *Aquileienſ. Eccleſ.* Quæ ei prouinciæ ſubiectæ. 729.II.
Eius Patriarcha occiſus à Duce Venet. eaque de re celebrata Synodus Altinenſis. 802. III.
Patriarchatus transfertur Venetias. 1010.II.
Græca lingua Romæ viloſcit ſub Tiberio & Claudio Impp. 45. XIII.
Græci primum in Eccleſia diſcordiam excitarunt: & quinam illi fuerint Græci. 34. LXXIX.

Eorum ſcientias haud licuit publice Hieroſolymis docere. ib.LXXXIX. Ex Græcorum alphabeto hæreſim excogitarunt Marcus & Colarbaſius. 175. IX

Græci & Impoſtores vocati ſoliti Chriſtiani à Gentilibus, & quare 56.III. 197. IV.

Græcorum fraudulentia in confingendo edicto Donationis Conſtantini erga Ro. Eccleſiam. 324. XXV. 1193. V. Ex quo tempore in deterius lapſi, ab Eccleſia Rom. paulatim receſſerint. 692.V. Eorum artes, vt ſibi eam ſubiicerent. 705.II. Obiectiones erroneæ, & falſæ criminationes in Latinam Eccleſiam. 867.III.1053.V.1054.III.1193.VI. Renouant ipſi quamplurimas antiquas hæreſes. ibid. Vide etiam *Conſtantinop. Eccl. & Oriental. Eccl.*

Græcorum Impp. & Patriarcharum recentiorum, ſumma in Rom. Eccleſiam, & Latinos omnes inuidia. 869. XII. 968. II. 1193. V. VI. Aduerſantur ſummopere expeditionibus Latinorum in Terram Sanctam. Vide in *Alexius. Iſacius Ang. Manuel.* Horrende graſſantur Conſtantinopoli in Latinos 1183. V. ſed diram patiuntur vltionem à Latinis. ibid. VII. 1186.IV.

Grando inuſitatæ magnitudinis decidit in Oriente ſub Valente Imp. 367. VIII. Itemque Conſtantinopoli, in vltionem expulſionis S. Ioannis Chryſoſtom. 404. XV. ac necis S. Stephani Auxentiani. 767.III. & Romani pii Imp. 1034. VI.

Gratiæ Deo agi conſueuerunt in ſecundis menſis cœnæ, tam apud Gentiles, quam Iudæos. 34. XIV. Exemplo Dominiis mos introductus in Eccleſiam. ibidem. XIX.

Gratiam impertire ſoliti Apoſtoli in ſuis epiſtolis, & quare 45. IX. Eorum exemplo, idem præſtant Romani Pontiff. ibid.

Gratia Chriſti, cur ſic vocetur. 58.XX.

Gratia ſola, abſque operibus, ſaluari homines, dicebat Simon Magus. 35. XII. & Nouatores hodierni. ibid. XIV.

De Gratia Dei, & Libero arbitrio, quam praua ſenſerit Pelagius. 415.IV.VI.

Gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari, &c. idem dicebat. ibid. IV Econtra vero monachi Adrumetini, totum Gratiæ tribuentes, tollebant penitus Liberum arbitrium. 418.IV.

Gratianus cognomento Funarius, pater Valentiniani Senioris Imp. ab ima ſorte ad ſummum Præf. Præt. dignitatem propria virtute euectus. 364.III.

Gratianus filius Valentiniani Senioris, creatur à patre Auguſtus. 367.VII. Poſt obitum patris, imperat vna cum patruo Valente, & fratre Valentiniano Iuniori. 375.II. Vetat conuentus hæreticorum. 376.Lib. Vincit Alemannos Gallias infeſtantes. 378.V. 379.III. Mortuo patruo Valente Ariano, eccleſias reſtituit Catholicis, pulſis Arianis. 378.IX. Religionem liberam omnibus relinquit præterquam nonnullis execrabilioribus hæreticis. ibi. Theodoſium creat Imperatorem Orientis. 379.II. Reſcribit aduerſus omnes hæreſes. ibid. Repulſis primo Priſcillianiſtis poſtea fauens, dat pœnas. 381.XIV.XV. Reiicit nomen Summi Pontificis Gentilitiæ ſuperſtitionis, & cultum deorum Romæ peſſumdat. 383.III. Occiditur ab Andragathio duce tyranni Maximi. ibid.IV. Eius ætas, & virtutes. ibid. Priuatur ſepultura à Maximo. ibid.

Gratianus Decretorum Collector, parum accuratus in multis. 774.IV.964.IV. Quando ea collegerit, & quæ eius patria, & profeſſio. 1151. V.

Gratus Carthagin. Epiſcopus intereſt Concilio Sardicēſi Oecumenico. 347.XVII. Celebrat Concilium Carthag. Primum. 348.VIII.

Gregorius Armeniæ Superioris Epiſcopus ordinatur, & eam Eccleſiam optime componit. 311.IV.

Gregorius Bæticus, Eliberitanus Epiſcopus, quid cum Oſio Sirmii lapſo. 357. VIII.IX. Fuit circa lapſos eius opinionis, quam poſtea Lucifer in ſchiſma vertit: verum tandem reſipuit. ibid. IX. Scribit librum de Trinitate; & ſancto fine quieſcit. 388 XI.

Gregorius Cappadox, excommunicatus, intruditur ab Arianis in ſedem Alexand. loco Athanaſii expulſi. 341.V. Eius diſcriminatio à Georgio Cappadoce. ibid. Vi armata introducitur Alexandriam, & in Catholicos immaniſſime graſſatur 342 I. Necatur ab Alexandrinis. 349.I.

Gregorius pater Gregorii Theologi, baptizatur, & ex vxorato fit Epiſcopus Nazianzenus. 325.IX. Eccleſiam Nazianzi liberat ab incurſu militum Iuliani Apoſtatæ, & in electione Archiepiſcopi Cæſarienſis, reſiſtit eidem Imp. 362.XIII Moritur centenarius; eiuſque coniux pariter centenaria eodem ferme tempore decedit. 372.XII.

Gregorius, vulgo dictus Nazianzenus, & cognomento Theologus, petit Athenas ſcientiis conſummandis. 354.V. Intima eius cum Baſilio inita ibi amicitia: & quæ amborum ſtudia. ibid. Baſilio abſcedente, ipſe ab Athenienſibus retinetur vt oratoriam profiteatur: verum paulo poſt ſe ſubducit. ibi. Ex moribus Iuliani, vaticinatur ingens malum Reipublicæ in eo nutriri. ibid. IV. Vocatur in aulam ab eodem Iuliano, iam facto Imperatore: ſed recuſat accedere & fratrem quoque ſuum Cæſarium inde auellit. 362.II. Fit presbyter, & monachus, Baſiliumq; ſequitur in eremum Ponticam, & qualem cum eo ibi vitam egerit. 362.XIV. Scribit duas orationes in Iulianum Apoſt. 363.XVI. Reuocatur ex eremo, & patri fit adiutor in cura Eccleſiæ. 336.IV. Creatur admodum inuitus à Baſilio Epiſcopus Saſimorum. 371.VI. Noua occaſione eremum repetens, mox à patre reuocatur in auxilium curæ Eccleſiæ Nazianz. ibid. VII. Numquam fuit Epiſcopus Nazianzenus; ſed & Saſimis ceſſit. ibi. Poſt parentum obitum, ſecedit Seleuciam ad memoriam S. Teclæ. 372. XII. Abducitur inde à Meletio Antiocheno. 378.XI. Ex Concilio Antioch. mittitur ad reparandam Eccleſiam Conſtantinop. ab Arianis proſtratam. 378.XIV. Strenue ibi agit. ibi. A quinque orationibus ibi de Theologia habitis, conſecutus eſt cognomen Theologi. ibid. Quanta illic paſſus ab Arianis. ibi. Inuiſitur a S. Hieronymo, ad audiendam explicationem ſacræ Scripturæ. 379.IV. Expetitus à Catholicis, conſtituitur à Petro Alexandrino Epiſcopus Conſtantinop. ſed turbatur à Maximo Cynico. ibid. V. Miſſus ab Arianis ad eum occidendum in loco ſicarius, pœnitens veniam petit, & impetrat. 380.II Confirmatur in ſede Conſtantinopol. à Cōcilio Oecumen. ibi celebrato 381.III Ob turbas poſt finitam Synodum ortas, abdicat ſe Epiſcopatu. ibid. IX E rure paterno Nectarium ipſi datum ſucceſſorem, excitat aduerſus hæreticos. 384.VII. Migrat in cœlum. 389 II. Eius ſanctæ exercit. a in ſenectute. ibid III Elogia ib. IV. Imago in eccleſia collocata miraculis claret, ibid Corpus Romam tranſlatum. ibid. Teſtamentum quale ibi. An duxerit vmquam vxorem. ibid. VI. Calumniam paſſus de conſuetudine literarum cum Theodoro Mopſueſteno. 389. III. Ad eius Imaginem recipit amiſſam loquelam Baſilius filius Leonis Armeni Imp. 813.V.

Gregorius Neocæſarienſis, dictus ab ingentibus editis miraculis Thaumaturgus fuit diſcipulus Origenis. 231. VII. Fugiens creari Epiſcopus, abſens conſecratur à Phædimo Amaſeno, coque in uſibdi fune tractus inuitus, conſecratam in Eccleſia accipit conſecrationem. ib. VIII. Diuinitus accipit à B. Virgine per S. Ioannem Euang. regulam fidei de SS. Trinitate; eamque ipſe exponit. ibid. IX. Alexandrum Carbonarium, diuinitus detectum qualis eſſet; ordinat Epiſcopum Comanum. ibid. X. In perſecutione Deciana ſecedit in ſolitudinem, & multa mirabilia ſigna edit. 253.XXI. Scribit Epiſtolam canonicam de pœnitentia delictorum. 263.IV. Calumniam patitur de hæreſi Sabelliana. ibid. Intereſt Concilio Antioch. contra Paulum Samoſat. 266.I. Moritur, & commune ceteris ſepulchrum optat. ib.IV. Moriens 17. relinquit in ſua diœceſi Gentiles, qui 17. tantum in ea repe erat Chriſtianos. ibid. Eius præconia, ſcripta, & miracula ad reliquias edita. ibi. IV. V. Eccleſia in qua corpus reconditum, ceteris ædificiis ſæpe terræmotu proſtratis, ſemper manſit incolumis. ibid. IV. & 343.V.

Gregorius Nyſſenus Epiſcopus, frater Baſilii Magni, ex coniugato fit Epiſcopus. 369.VIII. Eius nimius cultus rhetoricarum diſciplinarum, reprehenditur à Gregorio Nazianz. ibid. Sede pulſus ab Arianis ſub Valente, Eccleſias luſtrat, & curat. 370.V. Mortuo Valente, in Concilio Antioch. legationem accipit ad viſitandas Eccleſias. 378. XII. Ex diuina reuelatione viſitat S. Macrinam ſororem ſuam morti proximam. ibid. In Concilio Oecum. Conſtantinop. ſcribit Symbolum dictum Conſtantinopolitanum, quod reliqui Patres comprobant. 381.IV Ibidem laudat oratione funebri Meletium Antiochenum tunc defunctum. ibid. VII. Intereſt Concilio Antioch. in Encæniis. 394.VII.

Gregorius presbyter Cæſarienſis ſcripſit orationem de Patribus Niceni Concilii, & citatur ſæpius. 325. IX. XIII. XVI. XIX. &c.

Gregorius I. Rom. Pont. fuit atnepos Felicis Tertii Papæ. 581.IV. Eius vitæ primordia, ſtudia, & magiſtratus ſæculares. ibid. Monaſticam inſtitutionem, à quibus ſuſceperit. ibi. V. Diaconus R. E. creatur à Pelagio Papa, & mittitur Apocriſiarius Conſtantinopolim. ibid. Diſputatione cum Eutychio Epiſc. Conſtantinop. habita, reuocat eum ab errore de reſurrectione abſque carne palpabili. 583.I. Reuocatur Romam, & monaſterio ſuo ſe includens, præeſt ei vt Abbas. 584. III. Scribit nomine Pelagii Papæ, aduerſus Schiſmaticos Trium Capitul. ib. IV Eligitur Rom. Pont. 590. II. Eius multiplices conatus ne ordinaretur, irriti facti diuino iudicio. ibid. III. VIII

Cogitur pendere pecuniam Imperatori pro ſua Confirmatione, ſed abſque vllo ſuo crimine. ibid.

Scribit de Cura paſtorali, & qualia ſint eius ſcripta. ibi.IX.

Synodalem epiſtolam mittit ad Patriarchas Orientales. 591. III. Clericos vetat cum feminis conuerſari, & ſubdiaconis nuptias prohibet. ibid. IV. Refellitur fabula de capitibus infantium ſacerdotum inuentis in eius piſcina. V. VI. Vigilantiſſima ipſius cura in adminiſtranda Eccleſia. VII. 593. IV. 595. I. 594. V.

Corrigit legem Mauritii Imp. de militibus volentibus monaſticam vitam amplecti. 592. IV.

Seceſſum petit ad ſcribendos Dialogos 593. III.

Contemplatione & actione præcipuus. 595. I.

Agit vehementer aduerſus Iohannem Conſtantinop. ob nomen Vniuerſalis Patriarchæ ab eo vſurpatum, & quę fuerit de eo nomine ipſius ſententia. ibi. III. & ſeqq. Eius ingens animus, cum ſumma humilitate. V. VII. Mittit Auguſtinum Abbatem, & alios ad conuerſionem Anglorum. 596. II. Tractat etiam temporalia, & bellica, aduerſus Longobardos 598. I. 603. III. Laborat podagra. 599. V. In Synodo Rom. Conſtitutum promulgat de monachorum exemptione ab Epiſcopis. 601. II. Agit pro extirpanda Simoniaca hæreſi. ib. IV. Eccleſiam nouellam Angliæ quomodo ordinauerit V. Apocriſarium mittit ad Phocam creatum Imp. 603. I. Sancte moritur. 604. IV. Quantæ fuerit apud poſteros æſtimationis. ibid. De eius ſcriptis, quæ vera, vel falſa ferantur. V. Cur columba pingatur ad aures eius. ibi. Quædam de eo aſſertæ fabulæ exploduntur. VI. Eius pars librorum quæſita Romæ ab Hiſpanis, diuinitus reuelatur. 649. VIII. A ſcriptione Dialogorum dictus eſt à Græcis Dialogus. 604. VI. 716. VIII.

Gregorius II. creatur. 714. I. Tractat bellica aduerſus Longobardos inuaſores bonorum Eccleſiæ Rom. 715. III. Curat reſtitutionem monaſterii Caſſinenſis. 716. I. Concilium celebrat aduerſus illicita coniugia. 721. I. & aliud pro cultu ſacrarum Imaginum. 726. VI. A Leone Imp. laceſſitus, ſed & ad necem quæſitus, quam ei bonum pro malo reddiderit. ibid. VII. & ſeqq. Init fœdus cum Francis, pro defenſione Eccleſiæ. ibid. X. Compeſcit Luitprandum Regem Longobard. ab inuaſione Vrbis, eumdemque ſibi obſequentem reddit. 720. I. Leonem Imp. excommunicat ob Iconomachiam. Italoſque ab eius obedientia reuocat. 730. II. Moritur, & inter Sanctos colitur. 731. I.

Greg III. ordinatur. 731. I. Mittit legatos ad Leonem Imp vt reuocet ab Iconoclaſtia: ſed ab eo male ſunt habiti. ibid. II. 732. I. II. 733. I. Concilium celebrat; & tam verbis quam factis, agit pro Imaginum veneratione, & cultu Reliquiarum 732. II. ib.

Petit auxilium Francorum aduerſus Longobardos. 740. I.

Moritur. 741. IV.

Scripſit pro ſacris Imaginibus. ibid. VI.

Greg. IV. creatur admodum inuitus, & latebras quærens. 827. II. Proficiſcitur in Gallias, pro componenda pace inter Ludouicum Imp. & filios, ſed agit fruſtra. 833. I.

Curat vbique celebrari feſtum Omnium SS. quod eatenus non niſi Romæ fiebat. 835. V. Moritur. 843. III.

Gregorius V. creatur. 996. II. 882. Exagitatus à Ioanne inuaſore, defenditur ab Ottone Rege propinquo ſuo ibid. Coronat eumdem Ottonem Imperatorem eius nominis Tertium. V.

In Concilio Rom. conſtituit Electores Imperii. VII. & ſeqq. Moritur 999. I.

Gregorius quidam, erectus in ſchiſmate aduerſus Bened. VIII. eum Vrbe pellit; ipſe vero pellitur ab Henrico Rege. 1012. I.

Gregorius VI. tribus turpiſſ. eiectis Antipontificibus, canonice eligitur Papa. 1044. III. IV.

Simoniæ perperam accuſatur à ſchiſmaticis. ibid. Pacem afflictiſſimæ Eccleſiæ Rom. admonitionibus, cenſuris, & armis reſtituit. ibid. IV. Deponitur iniuſte & impie ab Henrico Rege Germ. ipſeque cedit ob pacem Eccleſiæ. 1046. I. II. Ducitur in Germaniam ab Henrico. 1047. II.

Gregorius VII. creatur, præcedentibus propheciis. 1073. V. VI. Eius anteriora vide in *Hildebrandus*. Electio legitime facta probatur, & approbata à Rege Henrico 1073. VIII. IX. Curat ex Hiſpania reddi Eccleſiæ Rom. cenſum antiquitus debitum. 1073. X. Satagit pro vnione Eccleſiæ Græcæ. ibi. XI. Agit item pro iuribus Eccl. Rom. in Boemia, Italia, & Sardinia. XIII. Minatur auocaturum ſe populos ab obedientia Franc. Regis, ni reſipiſcat à ſceleribus. XV. Cohibet Saxones à commotione in Regem Hen. XVI. Inter tot negotia, excellit contemplatione, & cœleſtibus reuelationibus illuſtratur. XIV. Mittit Legationem ad Henricum, pro eius reductione ad meliorem frugem. 1074. I.

Concilia frequentia ab eo Romæ celebrata pro reformatione Eccleſiæ, & pręcipue contra hæreſes Simoniacorum, & Nicolaitarum. 1074. III. 1075. I. 1076. III. V. 1078. I. III. 1079. I. 1080. II. 1081. I. 1083. II. 1084. III. Calumniæ in eum de conſuetudine cum Mathilde Comitiſſa, non inuenerunt fidem. 1074. IV.

Robertum Guiſcardum Ducem Apuliæ, rebellem Eccleſ. Rom. excommunicat, & collecto exercitu comprimit. ibi. V.

Expeditionem parat in Orientem aduerſus Saracenos; quæ interrumpitur Henrici culpa. 1074. VII. Agit pro iuribus Eccleſiæ Rom. in regnum Hungar. ibid. XI. Miſſam celebrans in eccleſia, abripitur à Cincio Præf. Vrb. ob exceſſus excommunicato, & contumeliis afficitur: ſed mox liberatur à populo. 1075. VII.

Henricum Regem iterum vocans, cauſam in Synodo dicturum, ipſe ab eo in Concilio malignantium indignus Pontificatu declaratur. 1076. I. III. Excommunicat eum, cum omnibus eius ſequacibus, & regno deponit, ſubditoſque à iuramento fidelitatis abſoluit. ibi. III. V. Retorquetur in eum à ſchiſmaticis anathematis ſententia. V. Regem Dalmatarum creat, cenſumque ab eo accipit. X. Henricum Regem, poſt pœnitentiam abſoluit ſub conditione. 1077. I. Canonice ſe purgat de obiectis criminibus: eamdemque purgationem offert Regi, qui eam refugit. ibid. II. Rurſum periclitatur à rebellante Rege. VI. Prodigia de eius innocentia. VIII. Multiplices ab eo decretæ Legationes de rebus Eccleſ. IX. Inueſtituras Beneficiorum de manu Principum laicorum accipientes excommunicat. 1078. III. Nicephorum Imp. Conſtantinop. excommunicat, ob inuaſum iniuſte regnum. ibid. IV. Calumniæ ſchiſmaticorum in eum, de hæreſi Berengariana 1079. II. Reges Daniæ, & Hiſpaniæ, hortatur ad contemptum ſæculi. ibid. VI. Regem Poloniæ, ipſamque Poloniam, regio honore priuat ob necem S. Stanislai Epiſcopi ibid VII.

Rurſum Henricum Regem excommunicat, & deponit, ob nouas & diuturnas eius contumacias; ac Rudolphum à Principibus electum confirmat. 1080. II.

In conciliabulo Brixin. depoſitionis ſententia minime vocatus percellitur, & aduerſus eum erigitur Antipapa Guibertus 1080. IV. V. Agit pro reſtitutione Michaelis Imp. eiecti à Nicephoro tyranno excommunicato ibi. X. Celſitudo eius animi in conſeruanda inter tot anguſtias Eccleſiaſtica diſciplina aduerſus quoſcumque Principes. ibid. XI. & 1081. IV. Vrgetur valde ab Henrico Romam obſidente. 1081. III Exigit Denarium S. Petri, à Carolo magno conſtitutum in Gallia. ibid. IV. Preſſus ab Henrico, liberatur à Roberto Guiſcardo Duce Apuliæ; & primo Caſſinum, inde Salernum ſe recipit. 1084. III. IV.

Res ab eo geſtæ aduerſus Henricum, diuinitus comprobantur. ibid. Impoſtura de eius pœnitentia quod eumdem perſecutus eſſet. ibidem. & 1085. IV. 1098. III.

Moritur, & inter SS. refertur, miraculis poſt obitum clariſſimus. 1085. IV. Corpus eius poſt quingentos annos repertum integrum, & incorruptum. ibid. V.

Gregorius dictus, Burdinus Antipapa. 1118. IV. Vide *Burdinus*.

Gregorius VIII. creatur. 1187. III. Agit pro ſubſidio Terræ Sanctæ, & ieiunium quinquennale ea de cauſa indicit. ibid. Moritur, non expletis duobus ſedis menſibus. ibid. IV.

Gregorii Syracuſani Epiſcopi, damnati ab Ignatio Patriarcha in Concilio Conſtantinop. cauſa defertur ad Leonem PP. 852. II.

Eius depoſitio confirmatur à Bened. Tertio. 856. II. Eiecto à Barda Ignatio, ipſe conſecrat Photium ſedis vſurpatorem. 858. V. Excommunicatur à Nicolao Papa. 863. I.

Gregorius poſtea Turonenſis Epiſcopus, adhuc diaconus morbo grauiſſ. liberatur ad ſepulchrum B. Martini. 166. V. Creatur Epiſcopus, & hauſtu pulueris ſepulchri S Martini ſanatur à deſperata ægritudine. 574. III.

Reprehenditur de imperitia communione apoſtatæ filio Regis Chilperici. 579. IV. Reſiſtit Chilperico pro regulis Eccleſ. 580. I. Accuſatus de calumnia in Fredegundem Reginam, ſe purgat in Synodo Brennacenſi. 583. V. Chilpericum reuocat à Pelagianiſmo. ibid. IX. Quouſque perduxerit hiſtoriam ſuam de rebus Francorum. 595. XI. 661. in fi.

Guibertus Parmenſis, Cancellarius Henrici Germ. Regis, curat eligendum Antipapam Cadaloum. 1061. II. IV. In ordinem redigitur in Comitiis Germaniæ. 1062. II. Eligitur Epiſcopus Rauennæ. 1072. II. Nefandæ eius molitiones in Greg. Sept. 1075. VII. 1075. VI. Excommunicatur in Synodo Rom. 1078. I.

Eligitur Antipapa ſub nomine Clementis, ab Henrico Rege excommunicato & depoſito. 1080. V. Stylo virorum doctorum & ſanctorum mox perſtringitur ibid VI.

Multa mala Romanis infert cum exercitu Henrici. 1028. I. Conſecratur in Eccleſia S. Petri ab Epiſcopis excommunicatis & depoſitis. 1083. I.

Coronat Imperatorem Henricum. 1084. I.

Quales eſſent ipſius Cardinales. ibid. III. Sæpius excommunicatur à legitimis Pontiff. 1081. I. 1084. III. 1087. III. 1089. I. 1091. I. 1095. I.

Pellitur à Romanis, & cogitur iurare non amplius Apoſtolicam Sedem inuaſurum. 1089. III. Permittitur iterum eo reuerti. 1091. I. pulſus à Paſchale PP. à Fidelibus vndique fugitiuus, incertum, abſceſſus moritur. 1100. I. Eius oſſa exhumantur, & in flumen proiiciuntur. 1105. IV.

Guido Aretinus, monachus, nouam addiſcendi muſicam rationem inuenit. 1022. III.
Guido. Vide etiam *Vvido*. 994.
Guido Archiep. Viennenſis in Concilio excommunicat Henricum Imp. inueſtituras beneficiorum ſibi vſurpantem. 1112 III. Eius illuſtre genus, & inſignes virtutes. 1119. II Creatur Summus Pont. ſub nomine Calliſti. ibidem. Vide *Calliſt. II.*
Guido Cremenſis presb. Card. euehit in pſeudopontificem aduerſus Alex. III. Octauianum 1159 IV. Agens cauſam eius apud Reges Franc. & Angl. confunditur ab Wilelmo Papienſi. 1161. II 1037. Eligitur Antipapa in locum Octauiani mortui, ſub nomine Paſchalis. III. & confirmatur a Friderico Imp. cum iuramento. 1164. XII. 1166 I.
Infanabili morbo percuſſus à S. Petro, moritur impœnitens. 1170. X.
Guilelmus Ottonis Regis filius, creatur Archiep. Moguntinus. 954. V. Moritur. 973 I.
Guilelmus Northmanniæ Dux, relictum ſibi a S. Eduardo Angliæ regnum benedictione Sedis Apoſtolicæ ab inuaſione Haroldi tyranni armis vindicat. 1066. III. IV.
Laudatiſſimum inter eius temporis Principes quamquam nec ipſe adeo inſons. 1074. IX. 1079. V. Fratrem ſuum Epiſcopum Baiocenſem carceri mancipat, ob direptiones eius & leuitates. 1084. VI. Eius pœnitentia de eccleſiis combuſtis, & religioſus obitus, mixtus iuſtitia diuina. 1087. VII.
Guil. II. Angliæ Rex, exagitat Anſelmum Cantuarienſem Archiep. ob defenſionem Vrbani PP. 1095. VII. Moritur infelici obitu corporis & animæ. 1100. VII.
Guillelmus Aquitaniæ Dux potentiſſimus ſed vitiis inquinatiſſimus, fauet Petro Leonis Antipapæ contra Innoc. II. Pont. 1130. XI. XII Eius impiæ ſeueritati Petrum in Epiſcopum Pictauienſem, a quo excommunicatus eſt. ibid. XII. Tandem taliter conuertitur à S. Bernardo. 1135. I.
Decessus pio obitu, diuerſæ auctorum aſſertiones. 1136 II.
Guillelmus, cognomento Malus, ſuccedit patri in Siciliæ regno. 1152. IV. Excommunicatur ab Hadriano PP. ob inuaſas terras Eccleſiæ. 1155. II. Obſidet cum Beneuenti, & iniquiſſimas cogit ſubire conditiones, ſed ingenti ſuo ipſius, & totius regni damno. 1156 I. II.
Optime ſibi prouidet, adhærendo Alexandro Papæ contra ſchiſmaticos. 1161. V. 1037. Moritur. 1166. V.
Guil. cognomento Bonus, filius Mali, ſuccedit patri defuncto. 1166. V. Subuenit Alexandro Papæ aduerſus Fridericum Imp. 1167. I. ibid. Quam peruerſus in res & perſonas eccleſ. 1169. VIII.
Pacem per legatos componit cum Friderico. 1177. IV. VI.
Bellum infert Græcis, in vltionem effuſi Conſtantinopoli ſanguinis Latini. 1185. IV Moritur. 1189. IV.
Guillelmus Malesbur. nobilis ſcriptor Anglus, quo tempore vixerit. 924. IV. 971. I. Haud aſſuetus parcere Eccleſiæ Rom. miniſtris. 1125. IV. Quouſque perduxerit hiſtoriam Regum Anglorum. 1130. XII.
Guil. Tyrius colligit hiſtoriam Belli Sacri. 1096. II.
Præfectus Archiepiſcopus Eccleſiæ Tyriæ, Romam venit ad Concilium Generale ſub Alex. PP. III. eiuſque Acta & ſtatuta conſcribit. 1179. I.
Quouſque perduxerit hiſtoriam ſuam. 1185. II.
Legatione fungitur in Galliam pro auxilio contra Saladinum ibidem. Ab eo Crucem accipiunt Reges Franc. & Angl. 1188. II.
Gundabundus ab exilio crudeliſſimo vocatur ad regnum Wandalorum in Africa. 484. X.
Initio parcens Catholicis, poſtea perſecutus eſt. ibid. Moritur. 495. V.
Gundericus primus Rex Wandalorum in Hiſpania. 409. V.
Guntharius Colon. & Theutgandus Treuir. Archiepiſcopi, excommunicati a Nicolao PP. ob eorum ſcelera, quæ diabolica in eum perpetrarunt. 863. III. IV. Quis eorum progreſſus, & finis. ibidem VI. 868. V.
Guntheramnus Francor. Rex maxime pius, ſolicitus de optime conſtituenda diſciplina Eccleſiaſtica & politica. 588. III. Ingentem cladem accipit à Gothis, ob militum ſacrilegia. 589. I. Ad auertendam peſtem, Rogationes, Vigilias & Ieiunia indicit. 590. VI. Miracula ex tactu fimbriæ eius veſtimenti, & ad eiuſdem nominis inuocationem ibid.
Ioaltari à ſicario appetitus, diuinitus ſeruatur. ibi.
Moritur. 598. VIII.
Guntheri inſignis eremitæ ſiluæ Boemiæ, piæ peregrinationes, & ſanctus obitus. 1045 II.

H.

HABACVC Prophetæ corpus inuenitur ex reuelatione, ſub Theodoſio Imp. 406. XI.
Habdallas Saracen. Princeps, Chriſtianos perſequitur. 757. IV. Magorum ſectam in Perſide extinguit. 758. III. Chriſtianos omnes, & Iudæos, manibus inſcribi iubet. 772. IV. Moritur. 775. V.
Hadrianiſtæ hæretici, ex Simone mago. 35. XIII.
Hadrianus Traiani Imp. affinis, & ab eo adoptatus, ſuccedit ei in Imperium. 119. VIII.
Ciuibus Rom. omnia debita remittit. 120. I.
Perſecutionem in Chriſtianos proſequitur. ibi. II. Peregrinationem ſuſcipit per cunctas Orbis Romani prouincias, earum vtilitatibus proſpecturus. 122. II.
Turpia Eleuſinia ſacra Athenis ſuſcipit. 125. I.
Reddit pacem Eccleſiæ. 128. II.
Templa ſibi erigit, & dedicat. 128. I. 129. I. ibid.
Antinoum cinædum deum facit. 132. IV.
Fuit magiæ dediti ſſimus. ibid. & 140. II.
Debellatis rebellantibus Iudæis, Hieroſolymam reſtitutam de ſuo nomine appellat Æliam, & loca ſancta varie profanat 137. I. Tædio incurabilis hydropiſis, mortem quærit, ſed affectatis miraculis retinetur 139 II. Dat pœnas crudelitatis in ſuos, & effuſi ſanguinis Chriſt. ibid III. Moritur inedia voluntaria. 140. I.
Scripſit Vitam ſuam nomine Phlegontis chronographi liberti ſui, aliaque eius ſcripta & ſtudia. ibid. II.
Refertur inter diuos ab Antonino Pio, licet ei eſſet infeſtus Senatus. ibid. III.
In ſingulis ciuitatibus templa erexit, quæ in honorem Chriſti conſecrarentur; & cur ab inſtituto ceſſarit. 224. II.
Serapidis vultu effigiari voluit. 362. VI.
Sub eius Imperio hæreſes cœpiſſe, quomodo intelligendum. 120. IV.
Hadrianus creatur Rom. Pont. 772. II. Legationem mittit ad Carolum Magnum aduerſus Longobardos. ibid.
Eundem Regem honorificentiſſime Romæ excipit. 774. I. Verum ei conceſſerit electionem Rom. Pont. & Inueſtituras Epiſcoporum. ibid. III.
Officia Eccleſ. hortatu Caroli Magni in melius diſponit. 778. V.
Legationem accipit ab Impp. pro confirmatione Epiſcopi Conſtantinop. & celebratione Oecumen. Synodi de cultu Imaginum. 785. I.
Qua occaſione collectionem canonum elaborarit. 786 II.
Calumnia in eum de ſimonia. 787. IX.
Quid egerit cum Carolo Magno, & Synodo Francofordi, de cultu ſacrarum Imaginum. 794. III.
Moritur. 795. III.
Eius Pontificatus felicitas. ibid.
Munificentia in Eccleſias, & pauperes; atque Scripta. ibid.
Decorat eius ſepulchrum regio epitaphio Carolus Magnus, erogatque pro eius anima largas eleemoſynas. ibid. IV.
Hadrianus II. vir laudatiſſ. præcedentibus propheticiis eligitur anno ætatis ſeptuageſimo quinto. 867. XV. In rebus à Nicolao prædeceſſore ſuo cœptis, quomodo ſe geſſerit, & quod fuerit in his aliorum de eo iudicium. 868. II.
Damnat acta Photii intruſi Conſtantinop. ibid. III.
Mittit Legatos in Orientem, pro cogenda Oecumenica Synodo occaſione turbarum Eccleſiæ Conſtantinop. 869. I.
Petitur ab eo confirmatio Octauæ Synodi. ibid. X.
itemque diſpenſatio de quibuſdam eius decretis. 871. I
Comminatur excommunicationem Carolo Caluo, ob vſurpationem regni nepotis ſui. 860. XVI. 870. I.
Quæ rurſum occaſione Hincmari Lauden. amaritudines ei cum eodem Carolo, & Hincmaro Rhem. 871. IV. V. Moritur. 872. V.
Hadr. III. ſedet. 884. I. Quod Photium noluerit recipere, impetitur calumniis Baſilii Imp. ibid. Moritur. 885. I
Hadrianus IV. eligitur. 1154. II.
Eius anteriora laudatiſſima. ibid.
Romam ſupponit interdicto, ob ſeditiones ciuium. 1155. I. Regem Siciliæ excommunicat, ob rebellionem. ibid. II
Fridericum Regem repellit ab oſculo pacis, donec ſatisfacit de officio ſtratoris non exhibito. IV.
Coronat eumdem Imperatorem. V. Siculum bello perſequitur. VI. Legatos mittit Conſtantinopolim; pro vnitate Eccleſiæ VIII. Obſeſſus Beneuenti a Siculo, malas conditiones cogitur ſubire. 1156. I.
Fridericum Imp. commonens de beneficiis a Sede Apoſt. acceptis, infenſiſſimum eum patitur. 1157 II. III.
Mitigare eũ conatur aliis literis. 1158. I.
Rurſum innouantur inter eos aliis occaſionibus diſſidia. 1159. I
Hadrianus moritur anginæ morbo, refelliturque alia cauſa eius obitus. ibid. I.
Hiberniam conceſſit Regi Angliæ ſub cenſu annuo. ibid II.
Matrem ſuam reliquit alendam eleemoſynis Eccleſiæ. ibid
Hæreſes ſub Hadriani Imperio cœpiſſe, quomodo ſit intelligendum. 120 IV.
Nouæ emergentes, Romæ primum cum ipſarum auctoribus, damnari ſolitæ. 35. XIV. 412. V. 430. I. & vide ſub ſingulis hæreſiarcharum nominibus. Vnde oriantur. 428. VII.
Ad eas conuincendas, ſaluberrimum remedium. 434. II. 502. VII. Iis peculiare, habere fœminas auctrices, vel adiutrices. 146. IX. Vide *Mulieres*. Itemque in diuerſas ſectas diſtrahi. 68. V. 120. XVIII. 17. X. XI. 175. VI. 373. V. 535. XI. 810. I.
Vnius plura plerumque nomina 458. VI.
Plurimæ à Conſtantino edictis ſuis ferme ſublatæ. 316. IV
Quanta ſecum vehant Imperii mala 364. V. 359. XXIII. 343. I. 378. VII 406. IX. 445. II. 494. II. 503. VI. 508 II 540 VIII 611. I. 632. I. 624. I. Vide etiam *Iudæi*.
Hæreſiarcha omnium primus, poſt Aſcenſionem Domini, Simon magus 35. XIV.
Hæreſiarchæ ſolis inſepultis, aut impudicam, reaſſectantem, tabulis. 109 I.

Valentinus. 135. I. Tertullianus. 201. III. Symmachus. 203. III. Arius. 315. II. Colluthus. 315. XII. Alii ex opificibus, vt Theodotus Coriarius. 196. I. I. Alter Theodotus trapezita. ibid. V. Ætius aurifex 356. XVII. Non debet in Eccleſiam cum priſtinis honoribus recipi. 327 I. 336. VIII. 362. XLI. 449 VIII. Diu no iudicio male pereunt: veluti Simon magus. 68. VII.
Montanus, cū ſua Maximilla, & Theodoto. 173. III.
Manes. 277. VI. Arius. 336. IX. Neſtorius. 436. I. 513. Timotheus Ælurus. 476. V. 477. III. & alii plures, de quibus vide ſub propriis eorum omnibus.

Hæreſiarcha Imperator Leo Iſaurus. 726 II.

Hæreſiarchæ redeunti ad Eccleſiam, pœnitentia iniungitur reſtituendi quos perdidiſſet. 180. IV.

Hæreſiarchæ, vel alii præcipui hæretici, recantatam palinodiam ad Rom. Pont. accedere coniecerunt, vel libellos mittere. 155. I. 180. IV. 107. I 350. VII. 515. IV. 158. VIII. 645. I. 792. I. ſæpe alibi.

Hæretici æmulati nomina, quib. veri Chriſti diſcipuli nuncuparentur. 43. III. Diſcriminantur egregie nomine Catholico, quod nunquam ſibi ſ̄tio tribuere auſi ſunt ibid. & inſigniter nomine Romano, quod ſemper odio habuerunt. ib. Nouiter emergentes exiſtimati ſunt à Patribus Antichriſti. 58. I. IV. 204. I. Vide *Antichriſtus.* Scripta aliorum nomine confingere ſoliti. Vide *Scripta.* Suas opiniones præſtantiſſimis viris falſo tribuere ſoliti. 74 IV. 175. IV. 196. IIII V. 256. V. 263. V. 311. III. 343. II. 418. III. 432. VI. 681. V.
Negant Scripturam ſacram. Vide *Scriptura.* Mutant pro occaſione dogmata ſua 254 X.
Sæpe relapſi, ab ingreſſu Eccleſiæ in perpetuum eiecti. 417. III.

Hæretici dicendi, quicumque ſe ab Eccleſiæ Rom. communione & doctrina ſeparantur. 45. III. 254. XII. Vide *Rom. Eccleſia.* itemque qui à iudicio Catholicæ religionis deuiant. 379. III. in fi. Eorum impietates, & impuritates, tribuere à Gentilibus vniuerſalitati Chriſtianorum. Vide *Calumnia*, & *Chriſtiani.* Multorum ex eis nefandiſſimas impuritates. vide in *Libido*, & *Turpitudo.* Calumnias in Catholicos, vide in *Catholici.* De eorūdem Baptiſmo, in *Baptiſmus* De Libertate religionis, in *Religio.* Iis aliquando conceſſum, redire ad Eccleſiam cum honoribus: vide *Lapſi.*

Hæretici qui non poſſent diſputatione cōuinci, miraculis confutati. vide *Diſputatio.* Eis nihil contra fas concedendum, prætextu conuerſionis illorū. 553 XIII. Ex venia ſcelerum fiunt deteriores. 451. II.
Cum eis quomodo egerit Hieronymus. 401. IX. 406. VIII. itemque Auguſtinus. 240. II Cum eis non eſt diſputandum de rebus iudicatis, ſed coercendi auctoritate Patrum. 383. VII. Vide etiam *Diſputatio.* Cum eis non eſt fœdus ineundum. Vide *Fœdus.* Magiſtratus quoſcumque gerere prohibiti in Concilio Arelat. Primo, præſente Conſtantino Magno. 314. VII. Eorum templa, & vtenſilia, expiari conſueta antequam iis vterentur Catholici. 536. IX. Eos patefaciendi mos antiquus Eccleſiæ Rom. 444. I.
Eos non animarum, ſed lucri cauſa exagitare, improbatum. 410. XIV.
Aduerſus eos rite imploratur auxilium Principum & Magiſtratuum. 385. VI. 398. VI. 405. IV. 414. III. 556. I. 386 II. 662. II.
Eorum pœnæ: Librorum combuſtio. Vide *Libri hæreticorum.* A quibuſcunque magiſtratibus excludi. 314. VIII. 383. VII. 400. XVII. 523. II. A priuilegiis Cathol. eorum repelli. 326. IV. Nihil ex moribus vel legibus habere commune cum ceteris hominibus. 407. I. Conuētus non agere. 326. IV. 372. XIV. 376. I. 383. VII. 388. VI. & alibi ſæpiſſime. Ædeſque vb. conuentus haberent, dirui, & comburi, aut fiſco addici. 326. IV. 372. XIV. 376. I. 383. IX. Pecunia mulctari. 398. VI. 400. XVII. 412. I. 414. III Succeſſione bonorum priuari. 530 III. Sepultura Chriſtiana excludi. 1179. III. De religione non diſputare. 388. VI. Tamquam de publico crimine accuſari. 407. I. 443. III.
Proſcribi, & in exilium pelli. 384. VII. 411. I. 413. VI 414. III. 418. II. 436. I. 444. I. Ad deſerta loca eiici. 390. VII. in fin. Bonis exui. 407. I. 436. I. Vt ſacrilegi puniti. 443. III.
Capitale ſupplicium. 385. V. 398. V. VI. 413. VI. 523. II. Gladio puniri. 525. II. ib. 812. I. 1000. Comburi. 476. IX. 653. VII. 1000. V. 1017. I. 1118. XI. 1148. II. Publico bello appeti. Vide *Religio*, & *Manichæi.* Ordinatores eorum denis libris auri mulctati. 392. V. 398. VI. Occultatoribus, & receptoribus capitale ſupplicium decretum. 398. XVIII.

Hæſitantes hæretici, qui & Acephali. Vide *Acephali.*

Hāburgenſis Eccl. erigitur in metropolim omnium regionum Aquiloniarium, cū Vicariatu Sedis Apoſtol. 832. III. 793. Vnitur ei Bremenſis, ad ſedandas earum diſſenſiones. ibi I.

Haraldus Danorum Rex conuertitur ad fidem. & pulſus a ſuis, recipitur à Ludouico Pio Imp. 826. V.
Alius item conuertitur, ex miraculo ferri candentis. 949. II. Totum Septemtrionem prædicatoribus & eccleſiis repletes. 980. II. Bello à proprio filio adhuc Pagano appetitus, moritur ex vulnere martyr. ibid.

Harmonias Euangelicas quinam concinnauerint. 31. II.

Harmenius filius Bardeſanis hæreticus filius hæretici, multa ſcripſit. 175. VI. Hymnos Eccleſiaſticos corrupit. 60. XV.

Hebdomas Sācta qua Dominus paſſus eſt, ieiuniis, & carnis afflictionibus, à poſteris celebrata. 34. XLVII.

Hebræa lingua à Romanis æſtimata barbara. 34. XXXV. Vide etiam *Latina lingua.*

Hebrææ voces aliquot, venerando vſu in Eccleſiam illapſæ. 57. XLIX.

Ab Hebræis exortæ ſcientiæ, non à Græcis. 362. LVIII.

Ad Hebræos Epiſtola, vere Pauli eſſe probatur. 60. XVIII.

Hebron ciuitas Iuda, multis monumentis nobiliſſima, ſummæ venerationi cunctis fuit nationibus Appar. XXVII.

Hegeſippus ex Iudæo Chriſtianus factus, ſcriptor eruditiſſimus, Romā venit ſub Aniceto Papa, & diutius ibi manet. 167. VI.

Heleceſaitæ hæretici, ab Elxai deſcēdentes, duas eius fœminas feminas adorabant. 105. II. Eorumdem alia impia dogmata. ibid.

Helena Adiabenorū Regina ſubuenit ciuitati Hieruſalem fame laboranti. 44. XXIX. 60. Ea Chriſtiana, an Iudæa fuerit. ibid.

Helenæ, Conſtantini Magni parentis, patria, & genus. 306. V.
Fuit legitima coniux Conſtantii Imp. non concubina ibid. VI. Cur vocata Stabularia. ibid VII. Inuitata à Iudæis ad ipſos tranſire, confirmatur in fide à Silueſtro Papa 315. VII.
Pietatis ergo Hieroſolymam petit, & multas vbique eccleſias extruit. 326. VI. XII.
S. Crucem Domini inuenit. ibid. VII. itemque Clauos, quibus crucifixus ibi. XI. Epulo virginibus ſacris exhibito, inſeruit habitu famulæ. XIII.

Helenopolim, & Helenopontum, eius nomine vocat Conſtantinus. ibidem Quo tempore, & loco, mortua, & ſepulta; & vbi extet eius corpus. XIV.

Helena Conſtantini Magn. filia, datur à Conſtantio fratre in vxorem Iuliano Apoſt. patrueli. 355. XVI. Eius partubus inſidiatur Euſebia Aug. & venenum abortiuum ei propinat. 356. XX. Moritur. 360 XII.

Helenæ Wiſigothæ canonizatio, per Alexandrum PP. Tertium. 1164. XIV.

Helena Simonis magi. Vide *Selene.*

Heli quomodo fuerit parens Ioſeph, ſpōſi B. Virginis. Appar XVIII.

Heliogabalus Vide *Anton. Elagab.*

Helpidius Præf. Præt. martyr ſub Iuliano Apoſtata. 362 V.

Heluidius hæreſiarcha, hoſtis virginitatis, & perpetuam B. MARIÆ negans, confutatur Romæ à S. Hieronymo. 382. VI.

Hemerobaptiſtarū apud Iudæos dogmata. Appar. IX. & an. 33. IV. Vnde ita dicti. Appar. IX.

Henoticon promulgatur à Zenone Imp. ſub ſpecie vnionis controuerſiarum de fide, reuera aduerſus Concilium Chalced. 482. III. Damnatur à Felice Papa 483. III.

Henriciana hæreſis, quæ & Politicorum, qui ſpiritalia ſubdunt Regibus, ſic dicta ab Henrico III. Imp. 1046. II. 1073. II.
Docuit eadem, Excommunicationem Eccleſiæ contemnere. 1102. I. Vide *Politici.*

Henriciana alia hæreſis ab Henrico, Petri de Bruis diſcipulo 1147. VI. Præcipua eius capita. ibid. VIII Ipſius Henrici praui mores, & enormia ſcelera. ibid. VII.

Henricus Rex Germaniæ quando regnare cœperit. 919. II. Vnctionem præ humilitate recuſanti, quid oſtenſum fuerit à S Petro. ibidem.
Pœnitens de vidua velata ducta, pedibus Romam petit. ibid.
Propagata regnum in vicinas & exteras nationes. 920. II. ibid.
Sacram Lanceam, aliaque eiuſmodi pia arma conquirit, & ſancte vtitur. 929. II.
Reges Daniæ ſibi ſubiiciens, facit eſſe Chriſtianos 930 I. Voto de extirpanda ſimonia facto, ingenti prælio vincit Hūgaros. 933. II.
Moritur. 936. I. Numquam dictus eſt Imperator. 1014. I

Henricus Bauariæ Dux, poſt Ottonem III. creatur Rex Germaniæ ex prædictione Sanctorum. 1002. III.
Coronatur Papiæ Rex Italiæ. 1005. I. Debellat Poloniæ Ducem. ibi. Procurat in Concilio Tremon. reformationem Eccleſiæ. ibid II. In Synodo Francoford. nō niſi humi proſtratus alloquitur Epiſcopos. 1006. I.
Subobſcurum in ſomnis accipit vaticinium de futuro Imperio. 1007. I. Subiicit humeros feretro S. Romualdi Abbatis. ibid
Cultus eius erga Cluniac. monaſteriū. 1013 II.
Coronatur Imperator à Bened. PP. 1014. I.
Dicendus Primus, non Secundus, eius nominis Imperator. ibid. Ordo & cæremoniæ eius coronationis. ibid. II.
Confirmat Donationes, & Priuilegia Rom. Eccleſiæ. IV. Donat ei Bambergā ciuitatem, recēs à ſe ædificatam. 1019. I.

Græcos ex Italia pellit. 1022. I. ibid. Caſſini curatur a S. Benedicto, & cupit fieri monachus. ibid.
Congreſſus eius cum Roberto Franc. Rege, quanta humilitate ſimul & munificentia vtrimque factus. 1023. I.
Moritur, vita in virginitate cum virgine coniuge ex mutuo conſenſu ducta. 1024. IV.
Refertur inter Sanctos, & coruſcat miraculis. ibid.
Henricus (III. Rex. II. Imperator) filius Conradi Imp. ſuccedit patri in regno Germaniæ 1039. I. Veniens in Italiam, Gregorium VI. iniuſte deponit, & Clementem II. ſubrogat, à quo Imperii coronam ſuſcipit. 1049. I. II.
Arguitur eius deteſtanda præſumptio in Sedem Apoſt. ibid.
Agit aduerſus Simoniacos. 1047. I. III.
Vexatur a dæmonibus, ob Epiſcopatum iniuſte collatum; ſed liberatur a S. Laurentio. ibi. III.
Manichæos detectos damnat patibulo. 1052. V.
Multas terras permutat cum Papa Leone. 1053. I. ibid. Exercitu eumdem iuuat contra Northmannos. ibid. Victorem PP. II. Romam deducit conſecrandum 1055. I. Moritur, & eius anima liberatur à dæmonibus per S. Laurentium. 1056. I. Se ipſum olim voluntariis flagellis cæcidit. ibid. III.
Henr. (IV. Rex, III. Imp.) naſcitur infauſto omine. 1051. II. Commendatur à patre moriente Rom. Eccleſiæ, à qua ei ſtabilitur regnum. 1056. I. Quid ei conceſſum à Nicolao II. de electione Rom. Pontificis. 1059. VI. Abſtrahitur à matre per Annonem Epiſc. Colonienſem, eiuſque cura à Principibus eidem Annoni datur 1062. II. Spreto Annone, regimen transfert in Adalbertum peſſimum Bremenſem Epiſcopum: ſed a rebellantibus populis cogitur illum pellere. 1066. IX.
Interminatione excommunicationis cohibetur ab Alexandro Papa, ne repudiet coniugem. 1069. I.
In omnia genera flagitiorum ruit: & vocatus ad Sedem Apoſt. cauſam dicturus, non ſolum contemnit, ſed & aliorum appellationes tyrannice prohibet. 1073. I. 940. II.
Approbat electionem Gregorii. PP VII. & veniam ſcelerum ab eo petit. 1073. IX.
Inſurgunt aduerſus eum Saxones. ibid. XVI. A matre Agnete, & legatis Gregorii conuentus, pœnitentem ſe profitetur, & abſoluitur ab excommunicatione venditarum eccleſiarum. 1074. I. Ob periculum à Saxonibus, ſubiectionem promittit Eccleſiæ Rom. ſed euaſo periculo, reuertitur ad vomitum. 1075. V.
Vocatur iterum Romam, cauſam in Synodo dicturus: aduerſus quæ ipſe conciliam malignantium conuocans, Gregorium indignum Pontificatu declarat, mittitque qui ei denuncient vt ſe abdicet. 1076. I. 947. III.
Excommunicatur ab eo in Synodo Ro. & declaratur regno depoſitus. ibi. III. V. Diuina vltio in eum ac ſuos. VI. VII. Inſurgentibus in eum Principibus, cogitur priuatus agere interim dum eius cauſa definiretur à Summo Pont. VIII. Ingenti difficultate, & penuria, proficiſcitur in Italiam, ad petendam abſolutionem à Greg. IX. Pœnitentia eius aſpera, & abſolutio ſub conditione. 1077. I. Iterum relabitur ad priſtinam contumaciam, & inſidias Gregorio ſtruit. 1077. IV. VI. Abdicatur à Principibus Germaniæ, & aduerſus eum eligitur Rex Rudolphus. ibid. VII.
Excommunicatur denuo, & deponitur à Gregorio. 1080. II.
In conciliabulo Brixin. ſententiam depoſitionis in Gregorium intorquet, & creat Antipapam Guibertum. ibid. IV. V.
Romam obſidet, & Catholicos diriſſime vbique perſequitur. 1081. III. 1082. I.
Capit eccleſiam S. Petri, & in ea conſecrari facit Guibertum per Epiſcopos excommunicatos & depoſitos. 1083. I.
Fingit velle Synodum, & cum indicta eſſet, impedit eam. ibid. II.
Capta Eccleſia Lateranenſi, coronatur Imperator à ſuo Guiberto. 1084. I.
Fugatur Roma in Germaniam à Roberto Duce Apuliæ. III. ibid.
Prælüs diuerſis victus à Catholicis in Germania, vix mutato habitu elabitur. 1086. II. 1089. VI.
Gregorii in eum ſententia, confirmatur à Victore PP. Tertio. 1087. V. & ab Vrbano Secundo. 1089. I. Inaudita eius in vxorem ſcelera, ob quæ rurſum excommunicatur, & proprius filius Conradus in eum rebellat 1093. II. Iterum cum ſua hæreſi anathematizatur in Synodo Rom. ſub Paſchale Papa. 1102. I. A proprio filio Henrico rebellante & Principibus ei inhærentibus, cogitur inſignia Imperii deponere, & Summi Pont. iudicio ſe ſupponere. 1105. II. III. Rurſum literis circularibus declamat in filium, & Romanum Pontif. 1106. I. Appellat Sedem Apoſtol. contra filium. ibi. II. Moritur ingenti omnium gaudio, cum ob ſcelera cunctis eſſet execrationi ibid. Cadauer eius effoditur iuſſu Paſchalis PP. ibid. III. Permittitur poſtea ſepeliri, quod diceretur pœnitens obiiſſe. 1111. III.
Henricus (V. Rex, IV. Imp.) rebellans in patrem ob eius obſtinatum ſchiſma, ſuſcipitur in Regem à Principibus Germaniæ, & Legatis Sedis Apoſtol. 1105. II. III. Subiectionem exhibet Paſchali PP. in Synodo Waſtallenſi. 1106. V. Incipit conteſtari pro Inueſtituris Epiſcoporum 1107. I.
Romam veniens ad coronam Imperii, Paſchalem denegantem illam niſi renuntiaret inueſtituris, captiuum abducit, cogitque eas permittere, ipſumque coronare 1111. I. II. Excommunicatur à diuerſis vbique Conciliis. ibid. VII. 1112. II. III. 1114. III. 1115. II. Rurſum veniens Romam, coronari ſe facit à Burdino Archiep. Bracar. perditiſſimo, cum nemo ex Clero Rom. id exequi voluiſſet abſente Pontifice. 1117. I. Multis territus prodigiis, valde ſatagit pro obtinenda abſolutione, ſed fruſtra. ibid. II.
Gelaſii PP. electionem approbans, confeſtim eum perſequitur, & Burdinum Antipapam creat. 1118. IV.
Fugatur à Northmannis. ibid. In Conuentu Triburienſi reus aſſiſtens, ſatisfactionem promittit. 1119. II. Inueſtituras beneficiorum deponere recuſans, excommunicatur à Calliſto PP. Secundo in Synodo Rhemenſi. ibi. III.
In Germania adeo exagitatur à Catholicis, vt cogatur promittere firmam pacem Eccleſiæ. 1121. II. Renuntiat penitus Inueſtituris, & Electionibus Epiſcoporum, & abſoluitur ab excommunicatione per Legatos Sedis Apoſt. 1122. II.
Aggreditur bello regnum Francorum magno ſuo damno. 1125. III. Moritur: & in eo deficit Imperium à Germanis, transferturque ad Saxones. ibid. III. Eius progenies exagitatur à Lothario Rege, ipſius ſucceſſore. ib.
Henricus (VI. Rex, V. Imp.) viuente adhuc patre Friderico, tentat renouare Inueſtituras laicas beneficiorum. 1186. I. Ducit vxorem Conſtantiam filiam Regis Siciliæ. ibid. IV.
Altercatur cum Tancredo, pro ſucceſſione Siciliæ. 1189. IV.
Poſt obitum patris petit à Rom. Pont. coronam Imperii, accipitque nouo ſubiectionis ritu. 1190. V. 1191. II.
Richardum Angliæ Regem captiuum detinet. & quibus prætentis cauſis. ibid. VII.
Sæuiſſime tractat Siculos, & theſauros immenſos Regum defert in Germaniam. 1193. I. 1194. III. 1196. II. Excommunicatur à Cæleſtino PP. ob cauſam Regis Angliæ. 1195. II. Tributum exigit ab Imp. Conſtantinop. 1197. I. Moritur; & vetatur ei ſacra ſepultura, quouſque ſatisfactum eſſet Regi Angliæ. ibidem. II.
Condidit teſtamentum valde pium ibi. Vtrum Fridericus II. vere fuerit eius filius. ibi. III.
Henricus filius Roberti Franc. Regis, coronatur à patre 1018. I.
Mortuo patre, ſolus regnat, pietate, & fortitudine præſtans. 1033. IV. Coercet Berengarium hæreſiarcham. 1035. II. Philippum filium Regem vngendum curat. 1059. X.
Peccans in Sedem Apoſtol. cito è medio tollitur. ibid.
Henricus Angliæ Rex altercatur cum Anſelmo Cantuarienſi de Inueſtituris laicis beneficiorum. 1100 VIII.
Eius ſtatus in promulganda de eis Paſchalis PP. ſententia. 1101. II. Anſelmum ea de re mittens Romam, in redità iubet exulare. 1103. I.
Reuocat eum; & controuerſiam de inueſtituris componit cum Paſchale. 1107. II. Victoriam de fratre obtinet, & Northmanniam ſibi vendicat. ibid. Innocentio Papæ obſequium exhibet aduerſus Petrum Leonis. 1130. IX.
Moritur. 1135 IV.
Henricus II. Angliæ Rex ex Duce Northmanniæ. 1154. III. Accipit ſub annuo cenſu dominium Hiberniæ à Sede Apoſt. 1159. III. Stat pro Alexandro III. contra Octauianum ſchiſmaticum; quamuis in contrariam partem admodum ſollicitatus à Friderico Imp. 1160. VIII. 1161. I. II. Succurrit Regi Franc. periclitanti ab Imperatore. 1162. III. Obſequium ſtratoris, vna cum eodem Rege, exhibet Alexandro. ibid. IV.
Vnde ortæ diſcordiæ inter ipſum & Thomam Cantuarienſem. 1163. III. Incipit altercari de Conſuetudinum regiarum obſeruatione. ibid. IV. Quam eſſet in iram præceps. ibid. V. Agit acriter in eumdem Thomam, etiam apud Alex Papam; pro iiſdem Conſuetudinibus 1164. II. III. V. ibid. Ob eas damnatas ab Alexandro furibundum promulgat edictum aduerſus ipſum, & Thomam. ibid. X.
Minas excommunicationis & interdicti à Thoma accipiens, appellare Sedem Apoſt. cogitur, qui appellationes ad eam euacuare conatus erat. 1167. V. Nouæ eius molitiones in Thomam, apud Ciſtercienſes monachos, & Alex. PP quem fraudulentiſſime circumuenit. ib. VI. VII. 1168. II.
Rurſum appellat ad Pontificem. 1168. IV. ibid.
Multa iterum tentat, agitque aduerſus Thomam. 1169. I.
Tertius demum vrgentiſſimis Alexandri comminationibus, pacem dat Thomæ, eumdemque in Angliam redire permittit. 1170. IV.
Rurſum accuſationes in eum accipiens, querelis ſuis incauſe parat ei necem ibi. VI. Quibus conditionibus abſolutus ab ea nece fuerit, & quam prompte ſuſceperit pœnitentias iniunctas. 1172. I. II.
Filios ſuos, vna cum coniuge, Regeſque Franc. & Scot. alioſque Principes ſimul confœderatos, patiens hoſtes, recurrit ad ſupremam ſuam dominam Sedem Apoſt. 1173. II. Viſitat ſepulchrum S. Thomæ Cantuar. ingenti ſui ipſius demiſſione, & ibi ab Epiſcopis & monachis flagellare ſe facit. 1174. I.

Ope S. Thomæ confeſtim omes hoſtes aut vincit, aut ſibi conciliat ibid. II. Offeruntur ei per Legato, Vexillũ & Claues Hieroſol. tamquam heredi regni, pro ferendo ſubſidio aduerſus Saladinum. 1185. II.
Accipit Crucem ab Archiepiſcopo Tyrio, vna cum Rege Franc. pro ea expeditione. 1188. II. Moritur 189. I.
Henrici Finlandiæ, Apoſtoli & Epiſcopi martyrium. 1151. IV.
Heracleon Valentini diſcipulus, quænam præter magiſtri dogmata, & ipſe delirarit. 175. VII.
Heracleonas Heraclii Aug. filius. ſexto Imperii menſe rebellante Senatu deponitur, & naſo mutilatur. 641. I.
Heraclianus interfector Stiliconis proditoris, creatur ab Honorio Imp. Præfectus Africæ. 408. VI.
Occidit quoq; Conſtantinum, miſſum ab Attalo tyranno ad occupandam Africam. 410. II.
Euadit & ipſe tyrannus in Africa. ibid. VII. 413. I Cum 3700. nauium claſſe Romam adnauigans, fugatur, & Carthagine occiditur, nomenque eius ab omnibus monumentis expungitur. 413. I.
Heraclius erect' in Imperium aduerſus tyrannidem Phocæ, ipſum obtruncat. 610. I. IV.
Vincit virtute Imaginum Chriſti & Deiparæ. ibi. Tributum annuum offert pro pace Coſihoi. Perſ. Regi Imperium deuaſtanti, qui illud reſpuit. 613. I. Inceſtas nuptias contrahens cum nepte ſua, turpia atque nefanda patitur.
Perſis vniuerſum Imperium deuaſtantibus, ipſe ad liberos ſuos honoribus prouehendos tantũmodo incumbit. 612. I. 616. II.
Rurſum iniquis quibusvis conditionibus pacem quærens, non auditur. 617. III.
Tandem accingens ſe ad bellum, cum pecuniæ deeſſent accipit mutuo ab Eccleſiis & monaſteriis aurum, vaſaque ſacra conflat. 620. I. Pie cœpta eius expeditio, & inſignes victoriæ de Perſis, præuiâ Imagine Chriſti Non manu facta, aſſiſtente auxilio Deigenitricis. 621. I. II. 622. I. 623. I. 624. I. 625. II. 626. II.
Gigantem ſingulari certamine ſuperat Razatem ducem propria manu occidit, ſpoliaque opima colligit ſignaque trecenta Romanorum à Perſis olim capta vindicat, aliaque prorſus egregia præſtat. 624 I. 626. II.
Extincto Coſihoe, pacem cum eius filio componit ampliſſ. conditionibus, & in primis ſanctiſſ. Lignum Crucis repetit. 627. III. IV.
Veniens cum triumpho Hieroſolymam Crucem in proprium Caluariæ locum ſuis humeris portat, illuſtri miraculo ea re commendata. 628. I.
Pro auro ab Eccleſiis ſumpto, conſtituit eis è fiſco annuos redditus. 627. V.
Eius nomine toto terrarum Orbe celeberrimo reddito, legationes vndique cum muneribus ſuſcipit. 628. II.
Fidei conſulere imprudens exiſtimans, imbibit Monothelitarum hæreſim. 629. I. II.
Nullus vmquam maioris in Rempubl. Chriſtian. cauſa cladis extitit, quam ipſe dum non ſe oppoſuit naſcenti Arabum Imperio. 631. I.
Promulgat impiam Ecteſin in fauorem hæreſis Monothel. 639. I.
Cum videret ſe eius cauſa Occidenti execrationi eſſe, alio promulgato edicto negat eam eſſe ſuam, ſed non tamen abolet. 640 II. Moritur infeliciter. 641. I.
Herba nata ad pedes ſtatuæ Chriſti æneæ, vim pellendi morbos ab ipſa ſtatua accipit. 31. XXVII.
Herba parientina cur dictus Traianus à Conſtantino Magno. 324. XXII.
Herbarum animæ. Vide *Anime*.
Herbarum & ſuccorum phylacteria proſcripſit Auguſtinus in Africa. 418. VI.
Hercules ſuſceptus conſors Imperii ab Aureliano. 272. IV.
Herculius Maximianus. Vide *Maxim.*
Herlembaldi ducis martyrium, à ſchiſmaticis acceptum Mediolani. 176. XII.
Hermes frater Pii Rom. Pontificis, librum ſcribit titulo Paſtoris, & qualis fuerit. 159. III.
Alia eiuſdem ſcripta. ibid. IV. Eius nomine Titulus Paſtoris Romæ dictus. ib. Quieſcit ſancte, annos ſaltem 130. natus & 164. V.
Hermias & Seleucus hæreſiarchæ, quænam docuerint. 170. V.
ab Hermia dicti Hermiani, ſiue Hermiotitæ. ibid.
Herminigildus filius Leuigildi Regis Gothorum in Hiſpania, conuertitur ad fidem Cathol. ab Ingunde coniuge, femina Franca. 583. VII Bello appetitus à patre Ariano, auxilium Græcorum quærit.
Proditorie derelictus à ſuis, iuramento fidens patris, ſe dat ei, & paulo poſt ſecuri percuſſus, conſummat martyrium. 588. I.
Hermogenes hæreſiarcha à Chriſtianis ad Stoicos tranſiens, quæ inde inferre conatus ſit in Eccleſiam. 170. IV. Ab aliis quoque turpitudinem morum ſumpſit. ibid. Aliæ ex eo hæreſes. ibid. V.
Hermogenes ex diriſſimo perſecutore fit nobiliſſ. martyr ſub Maximino Cæſ. 307. VIII.
Perperam dicitur Epiſcopus Alexandr. ibid.
Herodes Idumæus, primus extraneorum adipiſcitur regnum Iuda. Appar. III.
Idem à nonnullis aſſertus Chriſtus. ibid. IV. Summum Iudæorum Pontificatũ è domo Leui ad alios transfert, eiuſque ius ſibi arrogat. ibid. V.
Quoto eius anno natus Chriſtus. ibid. XXXV. Cur bimulos Infantes interfici iuſſerit. 1. VI. XI. Occidit quatuor filios ſuos. ibid. XII. alioſque plurimos inſignes viros. 8. I. Horrendis morbis afficitur, & miſerrime moritur. ibi. Poſt mortem colitur à ſuis. Appar. IX.
Herodes Antipas, filius Idumæi, conſtituitur ab Auguſto Tetracha Galilææ. 8. II. 31. III.
Reiecta coniugè legitima, ſubintroducit vxorem fratris ſui viuentis. 31. XIX.
Ea de cauſa reprehenſus à Ioanne Bapt. detrudit eum in carcerem. ibid. XVIII. & decollari iubet. 33. I. Ingens eius ſocordia de Chriſto cognoſcendo. ibid. II.
Chriſtum ad ſe à Pilato miſſum contemnens, induit veſte alba, & remittit ad Pilatum. 34. XXVI. A Caio Impp. mittitur in exilium, & miſere perit. 40. II.
Herodes Rex Chalcidis à Claudio Imp. ius accipit in templum Hieroſol. 46. II. Moritur. 50. I.
Herodes Agrippa. Vide in *Agrippa*.
Herodes quidam confictus à Ioſepho. 31. XIX.
Herodiani aſſeruerũt, Herodẽ Idumæum eſſe Chriſtum. Appar. IV. IX. cuiuſque natalem poſt mortem celebrare conſueuerunt. ibid.
Herodias vxor Philippi Tetrarchæ, relicto viro, tranſit ad fratrem eius Herodem Antipam. 31. XIX.
Ioannem Bapt. decollari procurat, & ſæuit in eius caput. 33. I.
Herode damnato in exilium, eligit eum comitari, quam domi remanere. 40. II.
Cum ea circumuagari noctu, putarunt feminæ à dæmone illuſæ. 382. V.
Heros Arelatenſis Epiſcopus, vna cum Lazaro Epiſcopo, ſcribit in Africam aduerſus Pelagium & Cæleſtiũ hæreſiarchas. 416. I.
Calumniam patiuntur apud Zoſimum PP. ab iiſdem hæreticis ſanctitatem ſimulantibus. 417. III.
Heros pellitur à Patroclo ſedis inuaſore. 422. I.
Hiberni fidem accipiunt à Palladio, & Patricio, miſſis à Cœleſtino Papa. 429 III. in fi. 431. XXVI.
Schiſmatici de Tribus Capitulis acriter inhærent. 553. XIV. ſed reducuntur ad vnitatem per Gregorium Magnum. 592. II.
Iterũ inhærent ſchiſmati de die Paſchatis. 604. VIII. in fi. ſed reſipiſcunt tandem. 716. III.
Fidei Cathol. & rituum antiquorum Eccleſ. tenaciſſimi. pellũt nouatores quoſdam alioqui ſanctiſſimos apparentes. 1053. VII.
Deſolata ibidem Eccleſia reſtituitur per S. Malachiam. 1124. IV.
Quatuor ibi Archiepiſcopi conſtituti ab Eugenio PP. 1151. III.
Conceditur inſula ab Hadriano IV. Regi Angliæ, ſub cenſu annuo. 1159. III.
Occupat eam Rex Henricus cõfirmante Alexandro PP. 1171. II.
Hibernicum Concil. pro receptione Regis Angliæ in dominum inſulæ. 1171. II.
Aliud pro Oeconomia Eccleſ.
Hierarchia Eccleſiaſtica, inſtar cœleſtis cõpoſita. 35. XI. 112. V.
Is ordo in Eccleſia ab initio inſtitutus. 35. XI. 58. V. Inuerſus à Montaniſtis. 173 VIII.
Hierax hæreſiarcha exoritur, & quæ eius praua dogmata, & ſcripta. 287. IV. Eius ſectarii alio nomine dicti Abſtinentes. ibidem.
Vnus ex eis miraculo ſuperatus à monacho Catholico. ibidem.
Hierocles ſcribens in Chriſt. religionem, confutatur ab Euſebio Cæſarienſi. 68. XII. 302. VI.
Hieronymi patria, parentes, ſtudia, baptiſmus, & peregrinationes. 372. VIII. IX.
Audit in Scripturis ſacris Apollinarem, nondum damnatum hæreticum. ibid. IX.
Fit monachus, & petit eremum Chalcidis. ibid
Suſpectæ fidei apud Orientales habitus ob nomen Hypoſtaſis, conſulit Damaſum Papam. ibid X.
Eius ſcripta in eremo, & ætas. ib. XI. Accuſatus Sabellianiſmi, recedit ab eremo ac petit Hieroſolymam, totuſque eſt in rebus Hebraicis. 378. XV.
Conſulitur à Damaſo de variis quæſtionibus Scripturæ. ibid.
Ordinatur a Paulino Antioch. presbyter, ita tamen vt nulli adſcriberetur Eccleſiæ. 378. XVI.
Non fuit vmquam Cardinalis Rom. Eccleſiæ. ibid.
Petit Conſtantinopolim ad audiendum ibi Gregorium Nazianz. in ſacris Script. 379. IV.
Venit Romam ad Damaſum, inſeruitque ei in conſultationibus ad eam ſedẽ miſſis ſolitis. 382. I. VI.
Fouetur totius Vrbis ſtudiis, & frequentatur etiã à nobilibus matronis, & Scripturarum cauſa. ibi. VIII.
Scribit contra Heluidium, Iouinianum, & Luciferianos. ibid VI. VII. VIII.
Poſt obitum Damaſi, deſertus à Siricio, acrem ſentit inuidiam quorumdam clericorum Rom. 385. III.
Commentum de fuga eius ſub muliebri

habitu.

habitu. ibid.
Repetit Hieroſolymam, & peregrinatur Alexandriam, & in Ægyptum; auditque Didymum cæcum, & Barrabanum Iudæum; ac præterea in Palæſtina occupatur in recipiendis peregrinis. 386. IX.
Scribens contra Iouinianum hæreſiarcham; calumniam pariter de deſpectu nuptiarum. 390. VII. VIII.
De Scriptoribus Eccleſ. quo modo & fine ſcripſerit. 392. VII.
Aduerſus Iohannem Hieroſol. alio que Origeniſtas, acriter agit. 393. II.
Eius cum S. Auguſtino altercationes, abſque ſciſſione charitatis. 394. IX. &c.
Accuſatus à Ruffino de Periarcho Origenis, ſe defendit, eiuſque errores propalat. 397. IV. 399. VI. 402. VIII.
Qualis eſſe conſueſceret aduerſus hæreticos. 402. IX. 406. VIII.
Confutat Vigilantium hæreſiarcham. 406. VIII. pariterque hæreſes Pelagii, antequam ipſe ſe palam proderet. 411. VIII. ac poſtea per Dialogum. 415. V.
De origene animarum conſultus per Oroſium à S. Auguſtino, quid reſpondent. ibid. VII.
Moritur in Bethleem. 420. V.
Eius ætas, elogia, & ſcripta. ibid.
Multa ſpuria de rebus eius geſtis. ibid. VI.
Cur leo pingatur cum eo. ibid.
Hieroſolyma ſita in medio, vel Palæſtinæ, vel terræ habitabilis. 34. XXXIV.
Eo ex pluribus locis deferri olim ſolitæ à Fidelib. eleemoſynæ ad egenos Chriſt. 44. XXX.
Eius cladis mirabilia, prædictio per Ieſum Anani filium. 65. I. eiuſdemque præſagia, & prodigia. 68. XIII. XIV.
Obſidetur à Ceſtio Syriæ Præſide, ſed liberato magno Romanorum damno. ibid. XV.
Miſere laceratur factionibus ciuilibus. 69. XX.
Obſidetur à Tito, & muro ingenti, incredibili celeritate vallatur. 72. I. II.
Immenſa vexatur fame, ad eſum vſque cariſſimorum liberorum. ibi. III.
Capitur, inceenditur, & funditus deletur, paucis memoriæ cauſa, relictis. ibi. V. Eius anni à Dauid, Rege, & ab ipſa condita. ibid.
Ea tanta clades à multis omnis generis hiſtoricis deſcripta. ibid. VII. Vide etiam *Iudæi*.
Hieroſolymam adorabant Ebionæi, quaſi eſſet Domus Dei. 74. V. Verſus eam orare vndique docuit Elxai pſeudopropheta. 105. II.
Rurſum inhabitari, ſed ab exteris hominibus, Hadrianus Imp. iubet, & de ſuo nomine Æliam appellat; & quid in locorum ſanctorum profanationem egerit. 130. III. 137. I. Noua extruitur à Conſtantino ad ſepulchrum Saluatoris. 326. VI.
Diripitur à Coſdhoe Perſarum Rege, loca ſancta comburuntur, & Chriſtiani Iudæis venduntur, quorum 90. millia ab eis trucidantur. 614. VIII.
Capitur à Saracenis, & per annos 463. poſſidetur. 636. I.
Eius pars cedit dominio Patriarchæ. 1063. VII. 1100. VI.
Recuperatur per Latinos, duce Godefredo Bolionio 1099. VII.
Iterum capitur à Saladino. 1187. I. Gaudium in cœlis de ea capta, & qua ratione. ibi. II.
Hieroſolymitana Eccleſia ſubdita Cæſarienſi maritimæ, & Antiochenæ. 39. VI. 325. XXXVII. 391. IX. Virgo dicta vſque ad obitum Simeonis Cleophæ eius Epiſcopi, poſt quem errorıs labe ſecreto inſici cœpta à Thebuie. 109. I.
Quando aucta Patriarchatu, & quis eius honor antiquitus. 325. XXXVII. Mater omnium Eccleſiarum, attenta eius origine; dicta. ibi. Agitatur ex conflictationibus Arianorum & Semiarianorum. 351. IX.
De Primatu Palæſtinæ mouet quæſtionem Cyrillus eius Eccleſiæ Antiſtes Acacio Cæſarienſi, & ideo ab illo abdicatur. 359. XXI.
Eumdem quærit Iuuenalis in Concilio Oecumenico Epheſino, ſed repellitur à Cyrillo Alexan. Vicario Cæleſtini Papæ 431. XV.
Obtinuit illum in Concilio Chalcedonenſi. 451. XXVI.
Verum intercedente Rom. Pontif. haud gauiſa eſt pacifice ea Eccleſia eiuſmodi Primatu, vſque ad quintam Synodum, qua penitus eſt firmatus eſt. ibid. & 454. IV. 553. XVIII. Altercatur de limitibus cum Antiochena. Vide *Antioch. Eccleſ.*
Hieroſolym. Epiſcoporum tempus ſedis, per multa luſtra incertum, ob grauem eius Eccl. perſecutionem. 113. I. 157. II. 186. II. Ex genere Iudæo deficiunt ſub Hadriano, & incipiunt ex Gentibus ordinari. 138. I. Modeſtiſſimus eorum veſtitus.
Conſueuerunt à Rom. Pont. iudicari, excommunicari, ac deponi. 520. X. 643. III. 1107. IV. 1115. IV. Vide etiam *Appellatio*. Willelmus refragatur Apoſt. Sedi. 1138. V.
Hieroſolymitanum Concilium Apoſtolorum, de Gentilibus ad circumciſionem non cogendis. 51. III.
Aliud eorundem, de vſu legalium Iudæis credentibus non penitus prohibendo. 58. XLVIII.
Quatuor aſſerta eorum ibidem diuerſis temporibus celebrata Concilia. ibid.
In Encæniis. 335. IX. in quo Euſebiani ſeorſum conuenientes, Arium in communionem recipiunt. ibid. XI.
Hic conuentus, idem habitus cum Tyrio; eundemque Athanaſius vocat *Exordium Synodorum Arianorum*. ibid.
Sub Maximo Patriarcha, ad recipiendum Athanaſium ab exilio redeuntem. 351. IV.
Sub Iuuenale, aduerſus Eutychianos. 454. IV.
Tempore Iuſtini Imp. pro confirmatione fidei Chalcedon. 518. VII.
Sub Petro Patriarcha, pro confirmatione Conſtantinopoli ſub Menna. 536. XI.
Poſt recuperatam de manu Saracenorum Hieroſolymam, pro diſpoſitione eius Eccleſiæ. 1099. VIII.
Sub Legato Sedis Apoſt. pro depoſitione intruſi Patriarchæ. 1107. IV.
Pro damnatione Henrici Imp. vſurpantis inueſtituras beneficiorum. 1111. VII.
Contra Arnulphum intruſum Patriarcham. 1115. IV.
In Encæniis, de neceſſitatibus Eccleſiæ. 1136. V.
Hieroſol. Templum habuit locum, vbi feminæ quæ Deo ſe vouerant, ſeorſum habitabant à viris Appar. XXI.
Itidem feminarum portas, & loca orationis ſeiuncta à viris. 34. LXXXI.
Quot fuerit annis a Zorobabele, & poſtea ab Herode conſtructum. 31. XVI.
Ad illud vbique extra Hieroſolymam, conuerti ſoliti Iudæi quando orarent. 58. XLII.
Deſeritur à Spiritu ſancto, & ab Angelis cuſtodibus, in Paſſione Domini. 34. XXXVII. XXXVIII.
Occupatur, & profanatur per ipſos Iudæos in obſidione Ceſtii; eaque intelligenda Abominatio deſolationis à Domino prædicta. 68. XVIII.
Quæ in eo prodigia ante excidium contigerint. ibid. XIII.
Cædibus profanatur, à Zelotis factioſis, & munitur aduerſus ciues. 69. XX.
Fuit tantæ amplitudinis, vt in eo duo exercitus aduerſarii habitarent. 72. I.
Inceenditur diuino motu à militibus Titi, eo inuito, & penitus exſcindi. 72. IV. V.
Eius excidium lugere ſoliti quotannis Iudæi eo accedentes. ibid. VIII in fin.
Reſtituere curat Iulianus Apoſt. in fauorem Iudæorum, ſed immenſis diuinis prodigiis opus impeditur. 363. II. III. Reſtaurat Haumar Princeps Mahometanorum, in vſum ſuæ ſectæ, ditiſſimeq. dotat. 636. I. 643. I.
Rurſumque illud Saladinus ritu ſuæ legis conſecrat. 1187. II.
Hilarion. 15. annorum adoleſcentulus, viſitat Magnum Antonium, & fit monachus ſanctitate & miraculis toto orbe celeberrimus. 338. V.
Ad ſepulchrum Antonii iam ſenex accedens, anniuerſariam eius dormitionis diem celebrat. ibid.
Sub Iuliano Apoſtata, toto orbe quæritur ad necem; ob diſſolutas Gentilis eiuſdam Gazenſis Circenſium equorum incantationes 362. XXXII.
Signo Crucis eruptionem horrendam maris cohibet Epidauri. 365. IV. Apud Saracenos fidei fundamenta iacit. 372. XIII. Moritur. ibid.
Hilarius Arelat. S. Auguſtini diſcipulus; vna cum Proſpero Aquit. defenſionem ſcriptorum Auguſt. ſuſcipit aduerſus eorum Impugnatores. 426. IV. 430. XI. Ex monacho Lerinenſi, fit Epiſcopus Arelat. 441. II.
Præſidet Concilio Arauſicano. ibid.
Eius præſumptio ſuper Vienenſem prouinciam, retunditur à Leone Papa & Valentiniano Imp. 445. IV. V.
Eius virtutes, & ſanctus obitus. ibid. VI.
Pro reficiendis pauperibus, laborat manibus ſuis. ibid.
Hilarius Pictauienſis conuertitur ad fidem iam ætate prouectus. 355. XIV.
Ex vxorato fit Epiſcopus eius ciuitatis. ibid.
Ceteris Epiſcopis Orthodoxis exulantibus; toleratur aliquamdiu à Conſtantio, ne Gallias à ſe abalienaret. ibid. XV.
Fouetur à Iuliano Cæſ. aduerſus Arianos. ibid. XVI.
Relegatur in Phrygiam ex Synodo Biterrenſi. 356. XIII.
Inde ſcribit ad Gallos librum de Synodis, & quo conſilio. 358. IV.
Iubetur ire ad Concilium Seleucienſe. 359. XVI.
Quamuis & verbis & ſcriptis ibi Arianos, ipſumque Conſtantium Imp. exagitaret; nihilominus diuino miraculo permittitur redire in Gallias. 360. I. II. III.
Ei inhæret S. Martinus. 360. III.
Eius nomine vulgatus libellus de Concilio Arimin. in multis deprauatiſſimus. 352. IV. 357. XIV.
Ei a Centuri. totibus imperitiſſime impingitur error, qui fuit Hilar. R. E. diaconi ſecta Luciferiani. 362. XLVII. Lapſos reuocat & reſtituit, frequentibus celebratis Synodis. ibid. XLIX.
Accuſans apud Imp. Valentinianum, Auxentium Intruſum Arianum Epiſc. Mediolan. non auditur, ſed vt calumniator remittitur. 368. II.
Scribit literas Circulares contra eundem Auxentium. ibid.
Obitus, ſcripta, & falſa quædam de eo iactata. ibid.
Apparet Legato Apoſt. Sedis, aduerſus Philippum Regem Franc. 1100. III.
Hilarius R. E. diaconus, gloria confeſſionis clarus, adhæret ſchiſmati Luciferi, de non recipiendis cum dignitate lapſis. 362. XLVII.
Addit hæreſim de baptiſmo hæreticorum non recipiendo, ſed nullum habuit eius ſectatorem. ib.
Hilarius R. E. diaconus Card. mittitur cum aliis legatus ad Synodum contra Eutychetem celebrandam. 449. VII.

Peſſime habitus in Latrocinio Epheſ. vix elabitur ope S. Ioannis Euangel. ibi. XII. Creatur Rom. Pont. poſt Leonem. 461.V.
Confirmat damnationem Neſtorii, & Eutychetis. ibid.
Cyclum nouum curat per Victorinum. 463.I.
Concilium Romæ celebrat in ſuo natali, de variis conſultationibus Hiſp. Eccl. 465.IV.
Antemium Imp. iurare publice compellit de non permittendis Macedonianorum conuentibus. 467.I. Moritur. ibid.II.
Hildebrandus natione Tuſcus monaſticam excolit vitam Cluniaci. 1047. II. Leoni PP. IX. delecto ab Imp. perſuadet purpuram deponere, quouſque rite eligatur a Romanis. 1049 II.
Miſſus a Romanis ad Imp. pro ſucceſſore Leoni defuncto ſubrogando, creandum curat Victorem Secundum. 1054. V. Miſſus ab eo Legatus in Gallias, celebrat Concilia aduerſus Simoniacos, & Berengarium hæreſiarcham 1055. III. IV
Claret miraculis, & ſpiritu prophetiæ. ibid III.
Quando creatus fuerit Archidiaconus Eccleſiæ Rom. ibid. & 1059. VII. Nicolaum II. promouet ad Pontificatum. 1058 III.
Eius natales, pueritia, & educatio. 1073. VI. VII
Eius Vitam ſatyrice ſcripſit Benno pſeudocardin ibid. V. VII.
Qui tam vere eius res geſtas memoriæ tradiderint. ibid.
Creatur Rom. Pontifex, & nomen accipit Gregorii Septimi. ibid. Reliqua vide in *Gregorius VII.*
Hildegardis Sueua ducitur in vxorem à Carolo Magno. 771. II.
Gemellos ei parit infantes. 778. VII.
Moritur, fuitque pientiſſima fœmina. 786 III.
Hildegardis virginis ſanctitas, & viſiones, approbantur ab Eugenio Papa Tertio. 1148. VIII.
Hildericus Rex Wandal. in Africa. Epiſcopos Orthodoxos exules reſtituit, & eccleſias aperiri iubet, quæ à prædeceſſore fuerant clauſæ. 523. III. Fit captiuus à ſuis, ob ſuſpicionem colluſionis cum Iuſtiniano Imp. necaturque à Gilimere. 530 II. 534 IV.
In eius vltionem Iuſtinianus bellum parat in Wandalos. 530. II
Hilduinus Abbas S. Dionyſii, iuſſu Ludouici Pii Imp. colligit monumenta antiqua de eodem S. Martyre. 834. II.
Hillel. auctor ſectæ Phariſæorum. Appar. VI.
Himeranni populi, olim Iudæi, poſtea Gentiles, conuertuntur ad fidem Chriſti 525. V.
Hincmarus Laudunenſis Epiſc. colligit Epiſtolis Decretales Rom. Pont. 865. III.
Quanta paſſus ſit ab Hincmaro patruo ſuo Rhem. Archiep. ob defenſionem iurium Sedis Apoſt. 871. IV.
Agit pro eo Hadrianus PP. aduerſus patruum, & Carolum Regem. ib. V.
Reſtituitur a Iohanne PP. in Concilio Trecenſi, & licet excæcatus fuiſſet, permittitur Miſſam celebrare. 878. IV.
Hincmarus Rhemenſis Archiep. creatur ex monacho. 845. III.
Strenue agit pro reformatione, in Concilio Meldenſi. ibi VI.
Eius electio turbatur ab Ebbone olim Archiepiſcopo, ſed confirmatur a Sede Apoſt. 847. I. Deponit ordinatos ab Ebbone, ſed in eo damnatur ab eadem S. Sede. 853. I 866 V.
Scriptis ſuis confutat errores Gotheſcalci hæreſiarchæ. 848. III. in fi. 850. III.
Multiplicibus te maculis aſpergit in preſſura Rhotaldi Epiſcopi Sueſſionenſis aduerſus Nicolaum Papam. 863 VII. VIII. Grauiter infamatur de falſatis literis Apoſtolicis. 866. V.
Rogatus à Nicolao, ſcribit aduerſus criminationes Græcorum in Latinam Eccleſiam. 867. IV.
Virulentam ſcribit epiſtolam ad Hadrianum PP. pro Carolo Rege 870 I.
Dire exagitat Hincmarum Laudun. nepotem ſuum, ob defenſa ab eo iura Sedis Apoſt 871. IV. Moritur. 882. VI.
Hippolytus Epiſcopus & martyr, diſcipulus Clementis Alexandrini, quam multa ſcripſerit. 229. II.
Fuit primo Metropolita Arabiæ, deinde Epiſcopus Portuenſis. ibi.
Pluſquam triginta millia Ethnicorum conuertit. ibid.
Martyrium ſub Alexandro Imp. conſequitur. ibid III
Eius ſtatua in cathedra ſedens, non ita pridem inuenta. ib.
Hipponenſe Concil. in Africa, pro reſtituenda Eccleſ. diſciplina. 393. V.
Eius ciuitatis fuit Epiſcopus Magnus Auguſtinus. 395. XIII.
Capitur à Wandalis poſt 14. menſium obſidionem. 430. IX.
Hiſpalenſe Concil. de diſciplina Eccleſ ſub S. Leandro. 594. III.
Aliud ſub S. Iſidoro, de controuerſiis Eccleſ. 619. I.
Eius Eccleſiæ Primatus totius Hiſpaniæ, quando tranſierit ad Toletanam. 636. I. I. in fin. 649. VIII.
Hiſpania à quibus receperit Euangelium 44. III. 61. I. An eo vnquam profectus ſit Iacobus Apoſtolus. 44. II. itemque Paulus. 61. I
Eius Eccleſiæ Primatus vbi conſtiterit, vide in *Hiſpal. & Toletum.* Sedes Epiſcopales, quo tempore quoue numero, & qua auctoritate conſtitutæ. 675. II. Epiſcoporum nominationem vſurparunt ſibi olim Reges, & quid de ea re decretum in Synodo Tolet. 681. XIV. Metropolitani ſubeſſe tantum voluerunt Rom. Pont non alicui Primati. ibid.
Eius Officium. Vide *Officium.*
Hiſpaniæ Concilia aduerſus Arianos. 368. IV.
De iis quæ certis locis habita ſunt, vide ſub ſingulis eorum nominibus. Pſeudoconcilium ſub Saracenis, aduerſus martyrium, & martyres. 852 II.
Hiſpaniæ occupantur à Wandalis, Alanis, & Sueuis, qui eas inter ſe partiuntur. 409. V.
Meruerunt tradi barbaris ob ſcelera & impuritates ſuas. ibid.
Inuadunt quoque tam Gothi, pulſi è Galliis 414. I
Regum antiquum iuramentum, de non permittendo aliquem degere in ſuo regno, qui non eſſet Catholicus 638 I. Regi defuncto ſucceſſorem deligere, in Epiſcoporum & procerum poteſtate eſſe, ſtatuit Concilium Tolet. 653. II. 681. XIII.
Summa Epiſcoporum auctoritas in regni adminiſtratione. 683. IV. Reges vnde habuerint titulum Catholici. 638. I. 738. II.
Sub Witiza Rege impiiſſ. apoſtatat ab Eccleſia Rom. cui ea tradita fuerat, etiam quantum ad ius & proprietatem; & ex ea apoſtaſia, ſimulque defectione diſciplinæ, meruit ſubiici duriſſimo iugo Saracenorum. 701. VII. 713. VI. Recuperatur longe poſt ſub auctoritate & cenſu Eccleſiæ Rom. 1073. X.
Redditur etiam vectigalis S. Iacobo, ob auxilium ab eo ſuſceptum aduerſus Saracenos. 844. V.
Ferdinandus eius Rex iubetur à Victore PP. & Synodo Turonenſi, deponere titulum Imperatoris quem vſurpauerat, & ſubiectus eſt Imperatori German. quod & ipſe exequitur. 1055. V.
Hiſtoriæ lectio quam conferat præcipuam vtilitatem. 550. V.
Hiſtoria Epiſtolaris, omnium certiſſima. 552. II.
Hiſtorici Eccleſiaſtici, Euſebius, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Ruffinus, & alii, quales in ſuis hiſtoriis fuerint, vide ſub ſingulis eorum nominibus.
Homeritæ populi quo tempore conuerſi ad Chriſtum. 552. V.
Dire vexantur ab eorum Rege Dunaan facto Iudæo, ſed liberantur diuinitus ab Elesbaan Æthiopum Rege Chriſt. ibid.
Rurſum Iudæo Regi ſubiecti, ſubiugantur ab Auxumitis. 541. V.
Homo Dominicus, vtrum dici poſſit Chriſtus. 373. III.
Hominum duo genera, ab Angelis facta, conſtituit Saturninus. 120 XI. Tria genera Valentinus 145. II.
Homines duos ab Angelis creatos, nempe Cain & Abel, &c. dicebant Sethiani. 145. IX.
Homines ſuos eſſe ſolos, reliquos autem ſues & canes, dixit Baſilides 120 IX
Homuncioniſtæ hæretici, qui & Photiniani, qui Chriſtum hominem tantum aſſererent. 357 II Vide in *Chriſtus.*
Honoratus fundator cœnobii Lerinenſis. 426. V.
Eius patria, genus, & vitæ inſtitutum. ibid. Creatur Arelat. Epiſcopus. ibi.
Honorius filius Theodoſii Magni naſcitur. 384. VIII.
Creatur à patre Imperator. 393 I. Poſt obitum patris, ſuccedit in Imperium Occidentale ſub cura Stiliconis Ducis 395 V.
Confirmat priuilegia ab Impp. Catholicæ Eccleſiæ collata. ib. VII.
Capitale ſupplicium decernit in facientes iniuriam perſonis & rebus Eccleſ. 398. V.
Reſtituit Epiſcopis, iudicandi inter laicos auctoritatem. ibi. XIII 408. VII
Templa idolorum vbique dirui iubet. 399. IX.
Iudæorum collectas vetat. ib. XII
Manichæos in Africa comprimit & immunitatem Eccleſ. confirmat ibid. XIII
Reſtituit ludos Sæculares, & Gladiatorios, magno ſuo, & Vrbis damno. 404 I. II.
Monet fratrem Arcadium, de pacificanda Eccleſia Orient. commota ob expulſionem Chryſoſtomi. ibi XIII
Agit Apud eum pro celebrando Concilio in eadem cauſa. 405. III
Donatiſtas ſeueris edictis exagitat, magno fructu. ib IV. 414. III. itemque alios hæreticos. 407. I.
Decernit bello agere aduerſus fratrem Arcadium, ob cauſam Chryſoſtomi, ſed impeditur a tyrannis emergentibus. 407. VIII.
Stiliconem ſocerum ſuum, (cuius duas filias, ſingulas vxores habuit, vtraque tamen virgine defuncta) proditorem Imperii detectum, necari iubet. 408. IV. V.
Violationem eccleſ immunitatis, crimen maieſtatis eſſe decernit ibi. IV. Omnes hæreticos iterum reprimit ib. VII. nec non Paganos, & Iudæos 409. IV.
Redigitur in anguſtum ab Alarico. 409. III. ibid 410. II.
Pus ſuis edictis auertit extremam Vrbis deſolationem ſub Alarico, & tyrannos debellat. 409. IV. 410. XI. 411. VII. 414. III. 423. I.
Collationem illam famoſiſſ. inter Cath. & Donatiſtas fieri iubet. 410. XII.
Triumphat de Attalo tyranno. 414. I. Et barbaris inuaſores Imperii, offerunt inter ſe digladiat. pro ſecuritate ipſius. ibi. II
Exilii pœnam irrogat Pelagio hæreſiarchæ, eiuſque ſectatoribus. 418. II. 419. VI.
In ſchiſmate Eulalii aduerſus Bonifa-

cium Papam, quàm piè ſe geſſerit, ac tandem cauſam Bonifacio adiudicarit. 419.I.II. Moritur. 423.I.

Honorius Rom. Pont. creatur. 626.I. Quâ prudenter & ſincerè ſe geſſerit in cauſa hæreſis Monothelitarum: defenditurq; à calumniis eius approbationis. 633.IV. 681.III.683.II. Curat res Anglic.& Scot. Eccl. 633. VIII. IX.
Aufert ſchiſma Iſtrianum de Tribus Capitulis. 638.II. Moritur, per omnia laudatiſſimus. ibid. Nomen eius quomodo inter hæreticos irrepſerit in Acta Sextæ Synodi, & alia antiqua monumenta 681. V.683.II.

Honorius aſſertur II. Antipapa Cadalous. Vide *Cadalous.*

Honorius, legitimus eius nominis Secundus eligitur Ro. Pont. ex Epiſc. Oſtienſi. 1124. III. Quædam minus legitime in eius electione tranſacta, plene purgat. ib. Confirmat electionem Lotharii Germaniæ Regis eiuſque aduerſarios excõmunicat. 1125.III.
Cognoſcit de cauſa duorum præcipuorum Orbis Abbatum, Cluniacenſis, & Caſſinenſis, variorum criminum reorum. 1126.I. ibid.
Rogerium Siciliæ Comitem rebellantem compeſcit vtroque gladio. 1127.I.
Patriarchas Aquile.& Venet. deponitur Legatum. 1128.I. Moritur. 1130.I.

Hora cum diuiſio apud Iudæos, & Romanos. 34. XLVI. Qua hora natus Chriſtus. Appar. XXXVII. & qua paſſus. 34. XLVI.

Horæ Domini operibus, & paſſioni conſecratæ, à poſteris celebratæ ſacris precum officiis. 34. XLVII.

Horarum ſeptem Canonicarum inſtitutio. 34. LXXII. 51. XIX. XX. Vide etiam *Preces.*

Hormiſda creatur Ro. Pont. 514.I. Mittit ad eum Clodoueus Franc. Rex coronam ib. d. II. S. Remigio legat vices ſuas in Gallia ibid. Anaſtaſii Imp. ſubdolis litteris interpellatus de celebratione Synodi Oecumenicæ, Legatos mittit ad explorandum eius animum. 515.I. Deluditur ab eo. 516.I II. ibid. Rurſum aliam legationem mittit, quæ peſſime ab impio Imp. habita eſt ipſeque minaces ab eodem litteras accipit. 517.I.II. Anaſtaſio extincto, rogatus à Iuſtino, & Eccleſia Orientali mittit Legatos ad conciliandam pacem, & lapſos reſtituendos. 518. X. 519. II. Quid ei cum monachis Scythis, Eutychianã hæreſim auctã Theopaſchitarum blaſphemia profitentes. 519 VIII. 520. VIII. IX. Exigit ab Epiphanio Epiſc. Conſtant. debitam legationis in electione obſeruantiam. 520. II. ibid. Id eo præſtante, ipſe eidem vices ſuas legat ad res fidei curandas. 521. II.
Quam fortem ſe paternarum traditionum, & antiquæ fidei cuſtodem præbuerit. ibid. Moritur. 523. I.
Filium habuit Silucrium poſtea Rom. Pontificem, ex coniugio ante ordines. 536. XII.

Hormiſda Perſarum Rex ſuccedit patri Coſrhoi. 581.I.
Eius infeliciſſimus exitus, rebellantibus ſubditis, & proprio filio. 590 XV.

Hoſanna vox quid ſignificet, & quis eius vſus. 34. III.

Hoſpitalitatis effuſum ſtudium apud primos Chriſtianos. 75. V. VI. Numerata inter Cathol ex communionis ſymbola. ibid. Vide etiam *Agapeta virg.*

Hoſpitalium S. Antonii miniſtrorum Ordo inſtitutus. 1095 VIII.
Hoſpitalariorũ Fratrum Hieroſolymis inſtitutio. 1131. IV. Exempti priuilegio Pontificio à decimis, aliiſque iuribus Epiſcopalibus, aduerſarios experiuntur ipſos Epiſcopos. 1155. VII.

Hoſtilianus Perpenna creatur à Senatu Imperator ad perſequendos Chriſtianos. 251. V.
Moritur ex peſtilentia. ibid.

Hubertus Epiſcopus Leodienſis Brabantios conuertit ad fidem, prædicatione & miraculis. 699. I.
Prædicat quoque aliis populis finitimis, & tandem ſancte moritur, longeque poſtea eius corpus integrum reperitur. 728. II.

Hubertus, vnus ex familia S. Thomæ Cãtuarienſis, fit Epiſcopus Mediolanenſis, & poſtea Rom. Pontifex. 1172. III.

Hugonis De Alatro Cardinalis, inſignis pietas erga Gelaſium II. Rom. Pontif. 1118. III.

Hugo Blancus, ſiue Candidus, Cardinalis, ſchiſma facit ab Eccleſia Rom. 1059. I.
Veniam petens recipitur ab Alexandro II. & ab eo miſſus Legatus in Hiſpaniã, celebrat Concilium Barcinon. 1074. III.
Rurſum mittitur eo, Legatus à Gregorio VII. pro iuribus Eccleſiæ Rom. 1073. X.
Iterum abripitur in partes Schiſmaticorum aduerſus Greg. 1075. VII. Calumnias in eum nectens, agit apud Henricum Regẽ vt Pontificatu eiiciatur. 1076. III.
Excommunicatur in Synodo Roman. 1078. I.
Agit pro eligendo Guiberto Antipapa 1080. VI.

Hugo Carthuſianus, factus Epiſcopus Lincolnieñſis in Anglia, reſiſtit Regi exigenti pecunias ab Eccleſiis 1189. II. Dictus Regum Malleus ibid. Exhumulat pellicẽ Regis, in eccleſia ſepultam. 1191. IX.

Hugo Cluniac. Abbas ſuſcipit de fonte ſacro Henricum III. poſtea Imp. 1021. II.
Stephanum PP. morientem tuetur ab inſultibus dæmonum. 1058. I.
Fidem ſuam interponit apud Gregor. PP. VII. pro Henrico Rege. 1077. I. Alfonſum Regem Hiſp. precibus ſuis liberat è carcere. 1074. VIII. Caſſinum pergens, init ſocietatem vtriuſque Congregationis, Caſſin. & Cluniac. 1083. III.
Moritur. 1109. II.

Hugo Dienſis Epiſcop. Legatus Sedis Apoſt. plura celebrat in Galliis Concilia de rebus Eccleſ. 1080 XVI. Transfertur in ſedem Lugdunenſem. ibid. Excommunicatur à Victore PP. III. quod inuidia Sedis Apoſt. ſchiſma fecerit. 1087. III.
Ab Vrbano II. priſtinam Legationem accipiens, celebrato Concilio excommunicat Guibertum Antipapam, Henricum dictum Imp. & Philippum Fran. Regem. 1094. II.
Rurſum ſuſpenditur ab eodem Vrbano quod non acceſſerit ad Concilium Placentium. 1095. I.
Abutitur imperioſe nimis legatione ſua & quæ eius ea de cauſa altercationes cum Iuone Carnotenſi. 1099. I. II.

Hugo Etherianus ſcribit aduerſu Græcos de proceſſione Spiritus Sancti, mittitq; ad Alex. PP. Tertium. 1177. XI.

Hugo Gratianopolit. Epiſcopus creatur. 1080. XVI.
Petit Cluniacum, & inde rediens Gratianopolim, vna cum S. Brunone petit Carthuſiam. 1086. IV.
Agit pro excommunicatione Henrici Im. inueſtituras beneficiorum ſibi vſurpantis. 1112. III.
Itemque pro damnatione Petri Leonis Antipapæ. 1130. VIII.
Moritur & ſolemni ritu canonizatur. 1134. I.

Hugo de S. Victore, doctor Pariſ. ſcribit aduerſus Ioannem Archiep. Hiſpal. apoſtatam. 1136. IV.

Hugo cognomento Capetus, ex repromiſſione Sanctorum eligitur Rex Francorum, reiectis propinquioribus de genere Carolinorum. 987. I. II. Fuit & ipſe ex eo genere. ib. Agit aduerſ. Arnulphum Archiep. Rhem. apud Ro. Pontif. 991. I. 994. I.
Moritur. 998. I.

Humbertus Epiſcop. S. Iuccand. S. R. E. Card. mittitur vna cum aliis, Legatus à Leone PP. Conſtantinopolim, ad pacem inter Latinos & Græcos conciliandam. 1054. I.
Eius ingentes virtutes, & eximia doctrina. ib. Confutat egregiis ſcriptis obiectiones Michaelis Patriar. Conſtantin. aduerſus Latinos; ipſumque obſtinatum in errore, in ſua legatione publice excommunicat. ibid. I. II.
Conſcribit, iuſiurandum, quo Berengarius hæreſiarcha ſuum errorem damnauit. 1059. III.
Iniurioſis ſcriptis laceſſitus à ſid. ſigo Berengario, defenditur à Lanfranco. ib. IV.

Henricus filius Genſerici, Rex Wandalorum regnat in Africa. 476. IX.
Duriſſ. conditionibus Epiſcoporum Eccleſiæ Catth. accipe e permittit. 480. I.
Duriſſime ſæuit in ſuos, firmãdi ſibi cauſa regni, adeo vt & fratrem ſuum peremerit. & Patriarcham ſuæ ſectæ Arianæ cremauerit. 481. II. ibid.
Crudeliſſimã excitat in Cathol. cos perſecutionem, qua 4966. omnis generis clericos in deſertum pellit. 483. V.
Omnes Africæ eccleſias Cathol. vna die claudi iubet, augetq; ſæuiſſime perſecutionem. 484. VI. Miſerrime perit. ibi. IX.

Hungari, olim Hunni dicti Vide *Hunni.*
Galliam Ciſalpinam peſſumdant 901. II.
Saxonum eccleſias deuaſtantes, diuinis prodigiis conſumuntur. 916. I.
Rurſum depopulantur Italiam, & Gallias inuadentes repelluntur. 924. I.
Ingenti prælio vincuntur ab Henrico Rege Germ. 933. II.
alioque omnium maximo, ab Ottone Magno Henrici filio. 955 II.
Conuertuntur ad fidem prædicatione S. Adalberti Pragenſis Epiſcop. 989. I.
Dux eorum Stephanus titulum & coronam regiam obtinet à Roman. Pont. ipſamque Hungariam offert Apoſtol. Sedi. 1000 II. III. Ea Eccleſ. mire floret ſub eodem Stephano Rege. 1021. IV.
Turbatur admodum poſt eius obitum. 1038. III. & dire vexatur ab apoſtatis. 1047. V.
Hungaricum Concil. contra inueſtituras laicorum. 1111. VII.

Hunni populi vnde. 376. II. 441. II.
Necem inferunt S. Vrſulæ, & aliis vndecim mille virginibus. 383. II.
Vocantur à Ruffino proditore Imperii, in cladem Orientis. 395. VIII.
Quando & à quibus acceperint Chriſtianitatem. 396.
Eorum mores feri, per fidei cultum mutati in ſanctos. ibid.
Alii erumpunt ſub duce Attila. Vide *Attila.*
Alii ſub Iuſtiniano diriſſimam inferunt cladem Imperio Orientali, adeo vt coactus ipſe fuerit pecuniam eis annuam polliceri. 539 II.
Rurſumq; alii, Cotriguri dicti, omnia depopulantes, vix ab inuaſione Conſtantinopolis repulſi ſunt per Beliſarium, quibus & annuum promiſſum eſt tributum. 558 II.
Vide etiam *Auares.* Subiugantur tandem penitus à Carolo Magno. 798. II. Vide etiam *Hungari.*

Hydaſpis vaticinio vſus Paulus Apoſtol. aduerſus Gentiles. Appar. XI.

Hydroparaſtæ hæretici, qui & Aquarii, exagitati à Theodoſio Magno. 381. XL Vide *Aquarii.*

Hyginius ex philoſopho creatur Roman.

Pontifex.154.I. Martyrio coronatur ſub Antonino Pio.158.I.ib.Pius. an Anicetus ei ſucceſſerit. ibi.II.

Hymnus quem poſt Cœnam Dominus dixit, qui fuerit. 34. XIX. Confinxerunt quemdam eo titulo Priſcillianiſtæ. 381. XVI.

Hymni à Catholicis poſt Nicæn. Synodum compoſiti ſecundum traditam in ea fidei regulam. 325.XLVI.

Antiquos abdicantes hæretici, ſuos introduxerunt, ad nouos compoſitos muſicos modulos. 60.XV.

Ab Eccleſiaſticis Catholicis auctoribus ſcriptos recipit Eccleſia; & quinam ex antiquis eiuſmodi hymnos conſcripſe. 400.XVI.

Hymnorum vulgarium cantus in eccleſia prohibitus à Concilio Laodiceno. rint. ib.& 314.XIV.

Eiuſmodi cantus cauſa, obortæ Conſtantinopoli contentiones inter Catholicos & Arianos. 400. XVI. Vide etiam *Cantus.* & *Pſalmus.*

Hymnus Glorificationis, & Triſagii, vide ſub iis nominibus Hymnus *Te Deum laud.* quo tempore non cantandus in Eccleſia. 1004.I.

Hypapanti feſtum, ſiue Occurſus, qua occaſione inſtitutum Conſtantinopoli. 544.I. I.Vide *Præſentatio.*

Hypatia virgo Alexandr. celeberrima eius temporis philoſophorum, furore populi necatur ob ſuſpicionem quamdam. 415.VIII.

Hypoſtaſes tres in Trinitate dicendas, ſtatuitur in Concilio Alexandrino ſub Oſio. 319.III.

Id nomen in Perſonis diuinis omnino proſcribunt Acaciani in Conciliabulo Conſtantinopol. 359.XX.

Eius, & Vſiæ differentia; & quæ de his vocibus olim in Eccleſia controuerſia, quaue in re tandem conuenerint Orientales & Occidentales. 362. XLII XLIII. 372.III.378 XV Hypoſtaſeon, ſeu Perſonarum proprietates, confoderunt Apollinariſtæ.373.I.I. Vide etiam *Perſona. Subſiſtentia.*

Hyſſopus ad quid in Cruce Domini, & quæ eius natura. 34.XXXII.

I.

IAcenſe Concil. in Hiſpan. de diſciplina Eccleſ. 1080.I.

Iacobus quomodo fuerit parens Ioſeph. ſponſi B. Virginis Appar. XVIII.

Iacobi tantummodo duo in Euangelio, iidemque Apoſtoli. 34.LXXXIII.

Iacobus Alphæi, cognomento Iuſtus, & Frater Domini dictus, vnus ex XII Apoſtolis, ſindone amictus incedere ſolitus. 34.XXI. 30. LXXXVII. Eius ætas tempore Paſſionis Domini. ibid. Apparens ei Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam panem manducandum offert, & quare. ibid. LIII. Rurſum ei Dominus ante ſuam Aſcenſionem ſeorſum apparet.ibi. LX.

Conſtituitur à Petro omnium primus Hieroſolymorum Epiſcopus LXXXIII. Eius cathedra lignea conſeruata ad poſteros. ibidem. LXXXIV. itemque Stola. ibid LXXXVI. Sanctitatem venerantur ipſi Chriſtianorum hoſtes. 44. XIX.63. II.

Eius nomine ſuppoſitum ab hæreticis Euangelium. 44. XXVI. Intereſt Concilio Apoſtolorum. 51.III. Ab eſu carnium & potu vini abſtinuit. 57 LVI.

Glorioſiſſimum conſequitur martyrium à Iudæis. 63.I. Hieroſolymorum excidium in eius vindictam necis obueniſſe, creditum à multis Iudæorum. 44. II.

De eius Epiſtola Catholica, & Miſſa ibi. III V.

Iacobus Zebedæi, frater Ioannis, vnus ex XII.Apoſtolis, necatur ab Agrippa Rege. 44 I.

Res geſtæ, ab hæreticis confictæ. 44. XX.

Verum profectus vmquam ſit in Hiſpaniam. ibid.II. Corpus eo translatum, diu delituit. ibid. IV. Inuenitur, & frequentiſſima peregrinatione viſitatur, ingentibuſque coruſcat miraculis. 816.III.

Pugnare ſæpius conſpicitur in prælis aduerſus Saracenos. 844. V. 1037. III. & aduerſus Northmannos. 968.V.

Eius Eccleſiæ Compoſtellanæ vectigalis fit Hiſpania. 844.V. Vide etiam *Compoſtella.*

S.Iacobi ſacer. Ordo militum in Hiſpania. 1198.II.

Iacobus Niſibenus Epiſcopus, miraculis clarus, & ſcriptor illuſtris, intereſt Magno Concilio Nicæno. 325.IX. Perſas Niſibin obſidentes precibus ſuis vexat, & remouet. 338. IV. Eius defuncti oſſa, cuſtodia vrbis. ibid. Iis vero inde ſublatis à Iuliano Apoſtata, vrbs confeſtim patuit Perſis. 363. VIII. Vide etiam *Niſibis.*

Iacobus Syrus, à quo Iacobitæ hæretici, reſpuit Concilium Chalcedon. 451.IV.

Eius ſectatores aliis etiam nominibus dicti. 535.X.

Fuit quoque auctor multiplicis Armeniorum ſectæ. ibid.XIII.

Iacobus alius Syrus, inſignis anachoreta, ſtrenue agit pro Concilio Chalced. aduerſus Eutychianos. 458.III. A Perſis ſagittis impetitus, eorum manus, arcuſque immobiles permanent, quibus ipſe rogata Regis priſtinum vſum reddit. 502. X.

Iani fores ſub Auguſto quoties, & quibus temporibus clauſæ. Annal. num. IV. A Veſpaſiano clauduntur poſt confectum bellum Iudaicum. 73.I.

Ianuariæ Calendæ conſecratæ à Domino, a Chriſtianis magno honore celebratæ. 1.I. Gentilitios earum ritus aufert Ambroſius Mediolani. 377. V. Redarguunt eoſdem, a Chriſtianis in vſum receptos, Petrus Chryſoſtom. & Maximus Taurin. 439.IV.

Ianuarii Beneuentani Epiſcopi, ac ſociorum, martyrium in perſecutione Diocletiani. 305 I.

Ingens perenne miraculum de eius ſanguine. Ibid.

Ibas Edeſſenus Epiſcopus, qui aliquando ſenſerat cum Neſtorio, accuſatus a ſuis clericis, probatur Catholicus in Iudiciis Tyrio & Beritenſi, necnon in Concilio Occum. Chalcedon. 448.VII.

Eius epiſtola, de qua controuertebatur qua ratione ab iis probata, & in Quinta poſtea Synodo improbata. ibid. IX. Deponitur in Latrocinio Epheſino ab Eutychianis, & quanta in exilio paſſus fuerit. 449. XI. XII. Reſtituitur in Concilio Chalcedon. 451.XXVI.

Eius Epiſtolæ quæſtio retractatur, fuitque vnum ex tribus Capitulis 538. VII. V. de *Capitula Tria.* Falſa de eo aſſerta reperiuntur in Actis Quintæ Synodi. 553 XI.

Iberi domiti a Traiano. 108. II. Quibus temporibus, & per quos, conuerſi ad fidem Chriſt. 327.V.

Defenduntur à Iuſtino Imp. aduerſus Perſas (ſub quorum erant dominio) ob religionem eos inueſtantes. 523.IV.

Iconienſe Concil. in cauſa baptiſmi hæreticorum. 258.V.

Iconii Soldani mater, ipſeque fiunt Chriſtiani. 1159. VI. Vide *Soldanus* Iconium capitur mirabiliter a Duce Sueuiæ 90 III.

Iconomachorum, & Iconoclaſtarum origo ex Iudæis & Saracenis. 723.II. 731.III. 726.II. 787. V. Iidem facerunt & Hagiomachi 727. I. Itemque purum hominem Chriſtum dixerunt. 741.II.

Dicti quoque Timoleontes, & quare 754 VII.

Damnantur in Concilio Oecumen. Nic II. 787. V. VI. Vide etiam *Imagines.*

Pelluntur in exilium à Michaele III. & Theodora Augg. poſtquam in Oriente præualuiſſent per 120. annos. 842. III IV.

Rurſum damnantur in Octaua Synodo Oecumenica. 869.VI

Suppoſuerunt ſcripta nomine S. Epiphanii. 392.XI.

Ideas Platonicas Valentinus introducere conatus eſt in Eccleſiam. 145.I.

Idololatria decreſcit fundamento Eccleſiæ Romanæ. 45 XVII. Idola frangere diſpendio vitæ ſuę, haud conceſſum Chriſtianis à Concilio Eliberino. 305.II.

Idolorum omnia templa ſpoliauit ipſorum idolorum cultor, Nero 57. LI & Maximinus Thrax. 235 II.

Idolorum templa conuerſa in eccleſias Sanctorum. 44 XXXVI.

Variis locis demolita à Chriſtianis ſub Philippis Impp. 253. IV. Paſſim ſub Conſtantino, & ſeqq. Impp. Chriſtianis. 326. V. XV. 389. XV. XVII. 399. IX. 405. 401. VIII. 420. I. & aliis pluribus locis. Idolorum templum ne reficeret Epiſcopus, qui illud diruerat ſub Iuliano, maluit horrendis tormentis vitam finire. 362. XXXIV.

Itemque alius in Perſide. 420.III.

Eorum reliquiæ funditus euerti iuſſæ à Theodoſio Iuniori. 423 II.

Spoliatio non debebat fieri à Chriſtianis in proprium vſum. 389. VIII.

Idololatria reuiuiſcit ſub Theodoſio Iuniori; ſed ab eo compeſcitur, & ab eruditiſſ. ſcriptoribus Chriſtianis confutatur. 439.III

Idolothyta. Vide in *Cibus immolat.*

Ieiunia Phariſæorum, & Manichæorum. qualia. 34.XLVII.

Itemque Priſcillianiſtarum. 381.XVI.

Ieiunia non commendat Eccleſia, vt cibos abominetur. 57.LV.

Multiplicis generis, ex inſtitutione Apoſtolica. ibi.LVII.

Quædam arbitrio Epiſcoporum ſanciti ſo ita. ib.LXIII.

De ieiuniis, vide etiam in *Feria. Hebdomas. Quadrageſima. Sabbatum. &c.*

Ieiuniorum mirabilis apud antiquos obſeruantia. 57.LVII

Qua hora ſoluerentur. ibid.LIX.

Miraculis comprobantur. ibi.LXIII.

Damnata ſunt a Gnoſticis; 120.XIV.

Euſtathianis; 319.IX.

Maſſilianis; 361.IX.

Vigilantio. 406.VII.

Seruanda ſecundum locorum conſuetudines, monuit Monicam Ambroſius. 384.VI.

Montani qualia, & cur damnata ab Eccleſia. 173.VI.

Monachorum, quam diuerſa ab illis. ibid.

Ieiunantes Chriſtiani Romæ, calumnioſe Manichæi vocati, quod iſti hæretici ſanctitudinem affectarent. 372. XIV.

Ieiunii violatoribus inflicta à Kiouenſibus dentium auulſio. 1018.I.

Eorum ſpatia dilatata in Concilio Salegunſtad. 1022 II.

Auſteriora nimis imprudenter conſtituerunt poſtea Gallicani Epiſcopi, quaſi in ſufficientem remiſſionem omnium peccatorum. 1034.I.

Ieiunii virtute ingens obtenta victoria de Saracenis. 1113.II.

Quinquennale cunctis Fidelibus indicit Greg.PP. VIII. Pro rebus deploratiſſimis Terræ Sanctæ. 1187.III.

Ieſſæi nominati Chriſtiani, à Ieſu, ſiue a Ieſſe, initio Eccleſiæ. 64.II.

IESVS nomen impoſitum Domino. 1.I.

In nomine IESV, Chriſtiani dæmo-

nia eii-

nia eiiciunt. 56. II.
Id ipſum ſuo damno tentant Iudæi exorciſtæ. ibid. I.
Ieſum à Chriſto diuiſit Cerinthus, & Ieſum paſſum eſſe, Chriſtum impaſſibilē remanſiſſe, &c. aſſeruit. 60. II. 97. VII.
Ieſum transformaſſe ſuam ſpeciem in Simonem Cyrenęum huncque eſſe crucifixum, aſſeruit Baſilides. ibidem. & 120. VI.
Ex Ioſeph. natum, vt cęteros homines, dixit Carpocras. 120. XII.
Reliqua videns in CHRISTVS.
Ieſus filius Anani, homo plebeius, mirabiliter prædicat venturam cladem Hieroſolymitanam. 65. I.
Ignatius, an Euodius, ſucceſſerit Petro Apoſtolo in Eccleſia Antiochena. 45. VI.
Sedet ſolus poſt Euodii martyrium 71. VII.
Aſſeritur fuiſſe puer ille, quem Dominus produxit ad commendandam ſimplicitatem. ibid.
Perſecutione agitatur ſub Domitiano Imp. 93. III. Sub Traiano Romam vinctus mittitur, & dentibus leonum in theatro martyrium conſequitur. 309. II. VI. 110. I. Reliquiæ conteſtim à Syris magno triumpho Antiochiam relatæ, continuis miraculis clareſcunt 110. II.
Quando Romam delatæ. 540. IX. 637. I. Epiſtolæ quot, & quales. 109. III.
Ignatius Michaelis Imp. filius, caſtratur à Leone Armeno. 813. IV. Ex monacho creatur Epiſc. Conſtantinopol. 847. X.
Deponit in Concilio Gregorium Epiſc. Syracuſ. petitque confirmationem à Roman. Pontif. 854. II. Excommunicat Bardam Patricium, Imperii rectorem ob eiectam coniugem, & pellicem ſubintroductam, eaque de cauſa ipſe ab eo eiicitur multaque immenſa mala patitur. 858. IV.
Rurſum crudeliſſime tractatur, quod renuntiare nollet ſedi. 859 VIII.
Exauctoratur ſolemniter in Conciliab Conſtantinop. denuoque horribilia patitur. 961. I. IV. Fit terræmotus ingens ob eius perſecutionem, qui tunc tantū quieſcit, cum ipſe pacifice agere permittitur in ſuo monaſterio. ibid. IV. Appellat cum ſuis Roman. Pontificem. ibi. V. Reſtituitur ab eo, Photio excommunicato 863. I. Reſtituitur in ſedem à Baſilio Aug. legatoſque mittit Romam aduerſus Photium. 867. XI.
Confirmatur eius ſedes in Synodo VIII. Oecumen. 869. IX
Perperam ſibi vſurpat diœceſim Bulgarorum, contra Rom. Eccleſiam. ib. XIII. 870. VI.
Arguitur ea de re ab Hadriano Papa. 871. I.
Iubetur ſub excommunicatione à Ioanne VIII. ceſſare ab ea. 878. I. Moritur, & vt Sanctus colitur, miraculis inſignis: excuſaturq; de rebus Bulg. ibi. VIII. Violatur eius ſepulchrum a Photio, ſed non impune. ib. IX.
Ignis eruptiones ex monte Veſuuio. Vide *Veſuuius*.
Ignis inferorum imago ſępe oſtenſa ſeruis Dei per loca illa quæ continuo ardete conſpiciuntur. 81. III. 526. VI. 1038. II.
Ignis diuinitus immiſſus in Iudæos conantes reſtituere templum Hieroſolym. ſub Iuliano. 363. III.
Apparet ſuper vrbem Conſtantinop. ad eius emendationem. 396. III.
Ignita plaga immiſſa in Pariſienſes, ſanatur confugio ad eccleſias Sanctorum. 945. II.
Ignei globi per aerem volitantes, repelluntur crucibus oppoſitis, & aqua benedicta. 944. V.
Ignis ſacri morbus ſanatur ad Reliquias S. Antonii, & peccantes in eum, corripiuntur eo. 1089. VII. Igneum portentum in mari, ortum hæreſis Iconomachorum. 736. IV. Vide etiam *Incendium*.
Igne fides probata aduerſus hæreticos 471. II. 526. XI. & ad controuerſionem Gentilium. 886. II. 1008. II Probatur item Sudarium capitis Chriſti. 678. IV.
eiuſdemque Linteum, quo pedes Diſcipulorum abſterſit. 1014. V. Itemque ſimonia Epiſcopi Florentini. 1063 III.
Sed & igne probari Reliquias, quæ in templis Arianorum reperirentur, decreuit olim Synodus Cæſaraug. 596. IV.
Igne purgatur à calumnia Chunegundis Aug. 1024. IV.
Eiuſmodi purgatio improbata ab Eccleſia. 1107. III. in fin. Vide etiam *Ferrum candens*.
Ignis non comburens circumdat Crucem Apameæ. 540. IX.
Ignis marini inuentio, ad naues comburendas. 672. III.
Ignoti Dei ara Burdigalę conſecrata in honorem S. Stephani Protomartyris. 34. XC. 52. III.
Ignotis diis erectæ aræ Athenis, vnde Paulus occaſionem ſumpſit Chriſtum eis prædicandi. 52. III.
Ignotum Deum introducebant Simon, Baſilides & alii eiuſmodi hæretici. 120. V. VI.
Ildefonſus Abbas intereſt Concilio Tolet. VIII. & quæ eius primordia. 653. IV.
Creatur Epiſcopus Toletanus. 657. III.
Inſigniter honoratur illuſtri apparitione B. Virginis. ib. Moritur. 667. III. Eius ſcripta naufragium paſſa. ibid.
Illyrici Eccleſias Atticus Epiſc. Conſtantinop. ſibi conatur ſubiicere, contra Ro. Eccleſiam. 421. II.
Illyricum Concil. pro defenſione Trium Capitulorum. 553. XIV.
Imaginem ſubſtantiæ Patris, Filium eſſe, dixerunt Euſebiani in Concil. Antioch. 341. VI. Sed poſtea in peius correxerunt Iſauriæ. ibid.
Imaginem ſuam Chriſtus ad Abagarum Edeſſæ Regem mittit. 31. XXIII. Ea dicta Imago Non manu facta, & quare, & ac quanto honore apud antiquos habita. ibi. Eius virtute poſtea ſæpe hoſtes profligati. ib & 545 II. 486. I. 610. I. 621. III. Transfertur Conſtantinopolim, & inde Romam, vbiq; miraculis coruſcat. 944. III.
Imago, ſeu ſtatua, Chriſti, erecta à femina quam ipſe profluuio ſanguinis curauit, virtutē habuit ſanādi morbos. 31. XXVII. eaque perdurauit ad multa tempora. 57. XXXIV. quam Iulianus Apoſt. confregit, ſed non impune, 362. XXXV.
Imago Chriſti impreſſa Sudario, quo Veronica faciem eius abſterſit. 34. XLII.
Corporis eius iacentis in ſepulchro, impreſſa ſindoni qua corpus inuolutum eſt ibid.
Imagines Chriſti Domini, & B. Virg. matris, à S. Luca depictæ. 48. IX. Chriſti, & Apoſtolorum, aliorumque SS. in antiquiſſ. Eccleſia effigiari conſuetæ. 57. XXXIV. Earum cultus conſecratus à Deo in vmbra Petri. 34. LXXVII.
Quomodo ſint vetitæ in Concilio Eliberino. 57. VXXV.
Imaginem Deiparæ à Luca pictam, Hieroſolymis ad ſe miſſam, Pulcheria Aug. Conſtantinopoli ponit in templo à ſe erecto. 435. III.
In velis quoque eædem pingi, & in eccleſiis appendi ſolitæ. 392. XII.
Imago aurea Chriſti erecta Romæ à Senatu adhuc Gentili, in honorem victoriæ Conſtantini de Maxentio 312. X.
Chriſti Crucifixi regio ſchemate picta Nicodemi opera, inuenta Hieroſolymis, defertur Lucam in Italiam, & cur ſic picta. 1099. VII.
Ex imagine Chriſti, à Iudæo icta, ſanguis abundanter oritur. 449. III. ac pariter ex alia. 560. I. itemque ex alia à Iudæis Beriti illuſa & crucifixa, copioſus ſanguis ſimul & aqua exoritur, & per vniuerſum orbem diſtribuitur, vnde ſanarentur morbis: ex miraculo autem Iudæi, conuertuntur. 765. II. Ob aliam æque deluſam Romæ à Iudæis in Paraſceue, ingens orta mortalitas, & immēſa ventorum tempeſtas. 1017. II.
Alia Aurelii per aliquot dies riuos emittit lacrymarum. 888. VI. Alia in Anglia palam loquitur. 975. IV.
Alia caput inclinat S. Ioanni Gualberto oranti. 1063. IV.
Ex alia fulgura aduerſus ſacrilegos emittuntur. 466. II.
Imago Deiparæ Virginis eruta ex cupreſſo, ingentia edit miracula. 446. III.
Alia Antiochiæ abiicit à ſe Anatolium quemdam impium ſibi ſupplicantem 581 II.
Alia circumducta per muros ciuitatis Conſtantiopol. liberat eam ab imminētiſſ. periculo Saracenorum. 717 IV.
Ex alia ingens per biduum ſplendor exoritur. 833. II. Alia incarnata ſuper lignum, effundit oleum ſalutiferum 870. IX. 829 Imaginem eiuſdem Dei genitricis curru triumphali Conſtantinopolim deducit Ioannes Zemiſces Imp. ob Bulgaros eius ope victos. 971. IV. idque ipſum præſtitit Ioan. Comnenus, ob alios victos barbaros. 1123. III.
Imagines Petri & Pauli Apoſtolorum, à Siluestro PP. exhibitę Conſtantino Magno, conſeruatæ hactenus. 324. X. XII.
Gregorii Nazianz. miraculis clara. 389. IV. Simeonis Stilitæ adhuc viuentis, poſitæ in veſtibulis ac porticibus domorū, ad tutelam. 432. IV. Theodori martyris, à Saraceno ſagitta percuſſa, ſanguinem emittit. 509. II. 614. IX.
Niconis Metanoitæ, ſaxo diuinitus impreſſa, cum oraret. 986. II. itemque tabulæ, poſt eius obitum. 998. V.
Pauli Apoſtoli, abunde lacrymat. 1185. IV.
Imagines votiuæ deorum, aliarumque rerum, offerri & appendi olim ſolitæ à Gentilibus in templis. 57. LI. Imagines deorum ſuis miſcuit Iulianus Apoſtata, vt ſic latenter idolatriam reduceret. 362. VI.
Imaginibus, ſeu ſtatuis Imperatorum, abſque ſuperſtitione deferebatur honor. 403. III.
Ex dictæ Laurata. 603. I. Imagines improbatæ, quibus vterentur Baſilidiani, quales eſſent. 120. VII.
Suas quaſdam Carpocratiani Gentilium more colebant. ibid. XVI. Ridicula Dei Chriſtianorum, a Gentilibus publicata Romæ ſub Seuero. 201. VII
Ob profanas imagines ab Anaſtaſio Imp. eiectas, tumultuatur populus Conſtantinopol. 506. III. Imagines nullas penitus Iudæi patiebantur inferri intra vrbē Hieroſolymitanam vel etiam ipſam Iudæam. 28. I. 68. XVII.
Imagines ſacras non eſſe venerandas, primus omnium aſſeruit Xenaias Perſa, fugitiuus ſeruus. 485 III.
In eas graſſantur Samaritæ ſub Iuſtino Iuniore. 574. II.
De earum cultu aſſertum Concilium Londinenſe, cuius fidei. 714. II.
Imagines omnes, atque picturæ, & ſtatuæ quæcumque obliterati, & eiici iuſſæ à Gizido Saracenorum Principe, in gratiam cuiuſdam Iudæi: quæ

fuit origo hæreſis Iconomachorum, & Iconoclaſtarum, 723. II. IV. Aduerſus eas promulgat edictum Leo Iſaurus Imp in gratiam pariter Iudæorum. 726. II.

Earum defenſores diram patiuntur perſecutionem ab eodem Leone. ib. V. 730. I. 731. II. 734. I. 740. IV. itemque a Copronymo eius filio, qui & Concilium aduerſus eas colligit, vbi Idola nuncupandas eſſe decernitur. 754. VI. VIII. 765. I. 766. I. 767. IV. A Leone Copronymi filio 780 II. Leone Armeno. 814. III. 816. I.

Michaele Balbo. 823. VI. Theophilo. 830 I. 832. I. Numquam fœcundior martyribus Orientalis Eccleſia, quam iſta perſecutione. 726. IV. Vere martyres, qui pro iis patiuntur. 816. II. Et qui pro iis agunt, pro Chriſto & Sanctis decertant. ibid.

Celebratur pro earum defenſione Concilium Romæ ſub Gregorio Papa. II. 726. VI.

Exurgit pro eadem re vniuerſa Italia. ib. VII. Celebratur aliud Concilium ſub Gregorio Tertio. 732. II. Stant pro iiſdem Patriarchæ Orientales. 754. VII. 763 IV. 767. II. Confirmatur earum cultus in alia Rom. Synodo ſub Stephano Quarto. 769. II. & pleniſſime in Septima Synodo Oecumen. 787. VI.

Non ſunt colendæ cultu latriæ: & quæ fuerint ea de re, vndique ortæ diſſenſiones. 787. VII

In Concilio Francoford. quid de iis ſtatutum. 794. III Quam periculoſe de iis tractarint Collatores Pariſienſes ſub Ludouico Pio Imp. 825. I.

Poſt 120. annos, quibus ex primum à Leone Imp. proſcriptæ ſunt, reſtituuntur ſub Michaele & Theodora Augg. ingenti honore, penitus extincta aduerſa hæreſi: dieſque reſtitutionis Conſtantinopoli, annua celebritate recoli iubetur 842. III. IV.

In Concilio Octauo Oecumen. confirmatur earum cultus, prohibenturque pingi ab excommunicatis. 869. IX.

Iterum impugnantur a Bongomilis hæreticis. 1118 XII

Imagines, & ſtatuæ Caii Imp. diuino iudicio abolitæ à Claudio. 45. XVII.

Imaginum ſuarum lapidatores, quam manſuete Conſtantinus Magn. habuerit. 325. IV.

Imago Eudoxiæ Aug. ſuperſtitioſe circumducta, magnarum eſt cauſa turbarum. 404. III. Vide etiam *Statua*. Imagines certæ fieri ſolitæ ad maleficia. 1143. V.

Immunitas Eccleſ. Vide *Eccleſ. Immunitas.*

Impaſſibilitatem omnium vitiorum affectuum, eſſe poſſe in homine vi liberi arbitrii, aſſeruit Pelagius. 411. VIII.

Impeccantiam eodem modo eſſe poſſe in homine, idem aſſeruit. ibid. Vide *Peccatum.* 415. V.

Imperatores duo primum viſi ſimul regnare, Marcus Aurelius & Lucius Verus. 163. IV. Tres primi regnant, Seuerus cum duobus filiis. 210. I. Quatuor vnanimes, tempore Diocletiani. 292. III. 300. II.

Imperatores appellari Antoninos, ſicut Auguſtos, in animo habuit Seuerus decernere. 199. I.

Per Imperatorum genios iurare recuſantes Chriſtiani, maieſtatis rei fiebant. 202. II. III. Vide *Iurare.*

Imperatores Chriſtiani, oſtiarii Apoſtolorum dicti à Chryſoſtomo, quod ſepeliri conſueuiſſent in atrio eccleſiæ Apoſtolorum. 336. XIII. Eorum non eſſe, Eccleſiaſticis ſe immiſcere negotiis, aut iudiciis ſacerdotum, vide in *Eccleſ. cauſa. & Iudicia.* Iis haud permiſſum ſedere in eccleſia cum clericis intra cancellos. 390. III. 431. II. Nec item eorum eſt, de fide, aut Epiſcopis iudicare. 386. V. 535. IV. 814. I. 823. III. Vide etiam *Principes, Reges.* Imperatoris nomen cunctis monumentis publicis, vna cum Conſulibus, & Indictione, Iuſtinianus apponi conſtituit. 537. III.

Imperatores excommunicati à Roman. Pontificibus; Philippus à Fabiano. 246. III.

Arcadius ab Innocentio. 407. VII. Anaſtaſius à Symmacho. 502. V. Theodora Aug. vxor Iuſtiniani à Vigilio. 547. V. Leo Iſaurus à Gregorio Secundo. 726. VI.

Nicephorus Boton. à Gregor. Tertio. 1078. IV. Henricus III. ſæpius. 1087. V. 1089. I. 1093. II. 1102. I. Henricus IV. item ſæpe. 1111. VII. 1112. II. 994. III. 1114. III. 1115 II. 1119. III. Fridericus ſæpe. 1160. VI. 1168. VII. Henricus V. à Cæleſtino. 1195. II.

Depoſiti Imperio ab iiſdem: Henricus Tertius. 1076. III. V. 1080. II. 1087. V. 1089. I. Fridericus. 1168. VII. Eoſdem vero excommunicari poſſe ab iis, & dignitate priuari; vide 1076. VII. 1081. II. 1097. XXVI. 1111. VI. 1157. III.

Imperatoribus depoſitionem à dignitate comminati ſæpe ſunt Epiſcopi Conſtantinopolitani: puta Euphemius Anaſtaſio. 491. II.

Michael Cerularius Michaeli Stratonico 1057. IV.

& Iſacio Comneno. 1058. V. Vel renuerunt, licet electos, coronare: vt Polyeuctus Ioannem Zemiſcem. 969. II. & alii ſæpe alios.

Imperatorum Occidentalium, poſt tranſlationem Imperii, anni numerari tantummodo cœpti à tempore coronationis per Rom. Pontificem. 881. I. 888. III. 981. II. 1002. I.

Nec quiſquam iis temporibus vocatus Imperator, niſi quem Pontifex coronaſſet. 1014. I.

Eaque de re editur decretum. 1013. II. ibid.

Nonnulli eorum honeſtati à Pontiff. titulo Conſiliariorum Sedis Apoſtolicæ. 872. III.

Duos ſimul regnare, non ſunt paſſi iidem Pontifices. 1185. I. 1186. I.

Nihil penitus iuris habent in Pontifices; quin potius debent eis obedire. 1159. IX. 1186. III.

Iuramentum eiſdem præſtant. 800. IV.

Imperatoris nomen inuident Græci Latinis. 869. XII. 871. III. 968. II.

Imperator Lazorum creatus à Iuſtino Aug. 522. IV. Imperatoris nomen ſibi vſurpans Rex Hiſpaniæ, iubetur à Rom. Pontifice illud deponere, & obedire Imperatori in Germania electo. 1055. V.

Imperium tranſlatum ab Oriente in Occidentem, auctoritate Romani Pontif. 800. IV.

Vere confertur à Pontifice, & non tantum Impp coronantur. 877. III. 1157. III. 1185. I. 1191 II. Eius Electores pariter inſtituti à Rom Pontif Vide *Electores.* Inſigne, Globus cum Cruce, quid ſignificet. 1013. II.

Alia inſignia, quæ, & quid deſignent. 1191. II.

Imperium cedit Sacerdotio. Vide *Sacerdotium.*

Imperii robur, Religionis defenſio. Vide *Religio.*

Impoſitio manuum. Vide *Manus.*

Impoſtores & Græci, vocari ſoliti Chriſtiani à Gentilibus. 56. III. 197. IV.

Iiſdem contumeliis impetitus Hieronymus Romæ à prauis clericis. 385. III. Vide *Magi Malefici. &c.*

Ina Anglorum Rex tributarium facit regnum ſuum Sedi Apoſtolicæ. 740. III.

Incantatores. Vide *Malefici.*

Incarnationis Verbi doctrinam corrumpebant Eunomiani. 360. VII. Apollinariſtæ. 362. XLII. 373. II. Neſtoriani. 431. VIII. Eutychiani. 499. VII. Armeni. 563. V. & alii plures hæretici, de quibus vide in *Chriſtus. & Caro.* Eam mirifice Leo PP. illuſtrauit aduerſus Eutychetem. 449. V.

Ab Incarnatione Chriſti, quando, & à quo primum cœpti numerari anni. 527. VIII.

Incendium immenſum Vrbis Romæ ſub Nerone, ab ipſomet procuratum, ſed Chriſtianis adſcriptum, vnde ſæuiſſima in eos excitatur perſecutio 66. I. II. Alio diuinitus immiſſo conflagrat eadem Vrbs ſub Tito. 82. I. Capitolium ſub Commodo, ob necem Apollonii Senatoris Chriſtiani. 189. IV. Iterumque Vrbs ſub eodem Commodo, in vltionem necis Iulii Senatoris, aliorumque Fidelium. 191. 185. III. Daphnes, ſub Iuliano; vnde Chriſtiani Antioch. diriſſime torquentur 362. XXV. Conſtantinopolis, ob expulſionem Ioannis Chryſoſt. 404. VIII. & ob fauorem Neſtorio exhibitum. 433. I. itemque ſub Conſule hæretico; quod per malum dæmonium immiſſum, totam ferme vrbem incendit. 465. I. Vide etiam *Ignis.*

Incendium extinctum Crucis Dominicæ virtute. 397. II.

aliudque maximum virtute ceræ è S. Martini templo deſumptæ. 58. XXX. ac pariter aliud iniectione epiſtolæ S. Theodori Studitæ. 816. II.

Inceſtuoſus traditur à Paulo Apoſt. ſatanæ, & excommunicatur. 57. IV. Poſt pœnitentiam, reſtituitur. ibi. IX.

Inceſtuoſorum, hæreſis, defenſa à quibuſdam ICtis damnata ab Alexandro Papa in Conciliis Roman. 1065. II. Vide etiam *Coniugia.*

Incorruptibilium hæreſis, qua occaſione orta Alexandriæ. 519. XII Quænam doceret. 563. I.

Eam Iuſtinianus Imp amplectens, edicto confirmat, & contradicentes perſequitur. 563. II. ib. 564. I.

Indes princeps eunuchorum Imp. Diocletiani, martyrium ſubit Nicomediæ. 301. VI.

Indi populi Euangelium accipiunt à Thoma & Bartholomæo Apoſtolis. 44. XVI. XVII.

Itemque à Pantæno Alexandrino, qui ibi reperit Euangelium Matthæi Hebraicum. 183 III.

Permoti æquitate Antonini Pii Imper. ſe ei ſubdunt 163 II.

In India inferiori Eccleſiam ſtabilit Frumentius ordinatus eius Epiſcopus à S. Athanaſio. 327. IV.

Ex India legationes ad Traianum. 106. I.

Conſtantinum Magnum. 336. XI. Heraclium. 628. II.

Indictionum origo vnde fluxerit, & quo tempore anni per eas numerari cœperint. 312. XIII. Eædem cur etiam dictæ Diſtributiones. & Fuſiones. ibid. XVI.

Eas vna cum Conſulibus, & Imperatorum annis, apponi publicis monumentis, conſtituit Iuſtinianus. 537. III.

Earundem inuocandarum, & numerandarum, modus ex Caſſiodoro. 562. II.

Indulgentiæ vſus in Eccleſia, exemplo Pauli Apoſt. 57. IX.

Indulgentiæ à Martyribus & Confeſſoribus concedi ſolitæ Lapſis in perſecutione Gentilium, quales. 253. X. XII.

Aliquando dabatur etiam non perfecta pœnitentia, cum neceſſitas vrgeret. 255 II.

Indulgentiæ plurimæ conceduntur à Leone Tertio diuerſis Eccleſiis. 804. II.

Itemque à Sergio Secundo. 827. II. 802
A Ioanne VIII. viuis & defunctis. 872. V.
Ab Alexandro II. eccleſiæ Caſſinenſi. 1071. II.
Ab Vrbano II. propoſita pro ſtipendio Belli Sacri ad recuperationem Terræ Sanctæ. 1095. V.
A Paſchal. II. conceſſa viſitantibus Limina Apoſtol. 1116. I
A Gelaſio II. eccleſiæ S. Mariæ de Pilari Cæſaraguſtæ. 1118. VII.
A Calliſto II. Hieroſolymam proficiſcentibus. 1122. I.
Ab Honorio II. pugnantibus contra rebelles Eccleſiæ Rom. 1127. I.
Ab Alex. III. inſecutoribus hæreticorum & graſſatorum. 1179. III.
Indulgentiarum promulgandarum per orbem, antiquus mos. 1118 VII.
Infames declarati Chriſtiani à Gentilibus Lupp. 304. XV.
Infanticidium Herodis, quando contigerit, & quale fuerit. 1. VI. VII. X. Fuit etiã cognitum Gentilibus. ibid. XII. Infantium execranda cædes Gnoſticorum, & Montaniſtarum, ad conficiendam Eucharistiam. 120. XIV. 173. IX. Eiuſmodi cædes & eſus infantium, tributa à Gentilibus omnibus Chriſtianis. 120. XV.
Infantes ſine peccato naſci, atque ideo ſi ante baptiſmum moriantur non poſſe perire merito docuit Pelagius. 411. IX. 415. IV.
Vide etiam *Parri.*
de Inferis locis viſiones. Vide in *Viſiones.*
Ab inferis quinam liberati per Chriſtum 596. I.
Vide etiam *Damnati.* Ab inferis omnes tam fideles quam infideles, liberatos eſſe a Chriſto, dixerunt quidam hæretici. 743. II.
Ab inferis poſſe monachos liberare animas, aſſeruit Theoctiſtus. 823. VII.
Infideles. Vide *Fides.* & *Fœdus.*
Ingelheimenſis Conuentus ſub Ludouico Pio, de rebus Eccleſ. & bellicis. 819. I.
Alius ſub eodem. 826. I. Concilium generale Gal. & Germ. ſub Legato Sedis Apoſtol. de controuerſiis Regum & Archiepp. 948. II.
Alius ſub Ottone Imp. ad componendas res Eccleſ. 972 II.
Ingenita multa, & innata, confinxit Marcion. 146. V.
Ingenitam materiam, ex qua Dominus omnia fecerit ex Stoicis trãsferre in Eccleſiam conatus eſt Hermogenes. 170. IV.
Itemque Seleucus & Hermias. ibid. V.
Ingenita eſſe tenebras, aquam, & ignẽ, aſſeruit Audæus. 341. XII.
Ingenitum Chriſtum aſſerebant Simoniani, & alii eorum conſortes. 120. V.
Ingenita duo aſſerere, accuſabantur Catholici ab Arianis. 318. VIII. 340. XII.
Ingenuus Imperium inuadens, occiditur à Veriano Duce Galliens. 261. IX.
Ingundis regia virgo Franca nubit Hermingildo Principi Hiſpan. 583. VII.
Ditiſſime ob fidem Cathol. tractata ab auia, nihilom. conuertit ab Arianiſmo virum ſuum ibid. Poſt viri martyrium, abducitur a Græcis, ſed moritur in Africa. 588. I.
Iniurioſi Epiſc. Turon. conſtantia, aduerſus Clotarium Regem vſurpantem bona Eccleſ. 556. XIV.
Innocentes Infantes occiſi pro Domino, culti ſemper vt martyres, & feſtiua memoria celebrati. 1. XII. 58. XXXV.
Eorum reliquiæ trãslatæ in Gallias. 542. III. Vide etiam *Infantes.*
Innocentiæ conteſtandæ, varii antiquorum ritus. 34. XXVIII. Vide etiam *Purgatio.*
Innocentius I. creatur Rom. Pontif. 402. XIII.
Appellatur ad eum a Chryſoſtomo, è Concilio Conſtantinop. 404. VI. Legationibus vtriuſque partis auditis, reſcindit damnationem Chryſoſtomi & iudicium in generali Synodo renouari cenſet ibid. & XIII. Scribit Conſtitutum de Eccleſ. diſciplinæ norma, ad Victricium Rothomag. ibid. XIX. Celebrat Concilium in cauſa Chryſoſt. & inde legationem, vna cum Honorio Imper. mittit ad Arcadium pro eo. 405. III.
Conſultus à S. Exuperio, ſcribit ad eum de rebus Eccleſ. ibid. V. Excommunicat Atticum Conſtantinop. & Theophilum Alexan. ob perſecutionem in Chryſoſtomum. 406. V. 407. III.
Eo mortuo in exilio, excommunicat etiam Arcadium Imperat. & Eudoxiam Aug. eoſdemque petentes veniam reſtituit. 407. VII.
Curat diuturnum ſchiſma Eccleſiæ Antioch. 408. XI.
Defenditur à calumnia Zoſimi, de conceſſis Gentilium ſacris ad auertendam Alarici obſidionem Vrbis. 409. II III.
Subtractus eſt ab Vrbis clade diuina prouidentia ibid. Calumniam paſſus eſt de conniuentia cum Pelagio, qui eius ſectę acerrimus fuit inſectator. 416. I.
Migrat in cælum. 417. II.
Baptiſmum infantium confirmauit, & Ieiunium Sabbati. ibid.
Innocentius quidam, conſictus à Nicephoro ſucceſſor Gregorii Magni. 604. VII.
Innocentius II. creatur, & ſchiſmate aduerſus eum Petrus Leonis, Anacletus II. dictus. 1130. I.
Quam potiora eius iura electionis, quãque poſtea numeroſior per Orbem pars ibid. IV. V. Cogitur recedere Roma, & excommunicatur ab Antipapa. III. V. Recipit ſe in Galliam. VIII. Excipitur ſummo honore à Regibus Franc. Anglor. IX. Concilia celebrat apud Claromontem, & Rhemos. 906. VIII. 1131. I.
Suſcipitur pariter ingenti reuerentia à Lothario Germ. Rege: & quid cum eo tranſactum de Inueſtituris beneficiorũ. 1131. II. ibid.
Reuertitur in Italiam. 1132. I. Romæ coronat Lotharium Im. & inde regreditur Piſis, ibique Concilium celebrat aduerſus ſchiſmaticos. 1133. I. III. 1134. I Regreditur Romam, vna cum Lothario. 1137. II.
Mortuo Petro Leonis, & Victore ſe abdicante, pax redditur Eccleſiæ. 1138 II.
Celebrat Romæ Concilium Generale. 1139. II.
Expeditionem ducens aduerſus Rogerium Siciliæ tyrannum, rebellem, capitur proditorie; ſed honorifice habitus, confert ei titulum Regis. ibid. IV. Petrum Abailardum hæreſiarcham, & Arnaldum de Brixia eius diſcipulum, damnat. 1139. III. 1140. I. Rebelles ſentit Romanos, opera eiuſdem Arnaldi. 1104. I.
Regnum Franc. interdicto ſubiicit per Legatum, ob contumaciam Regis Ludouici. 1142. I. Moritur Romæ. 1143. I.
Innoc. III. creatur. 1198. III.
Inſcriptio vana Hiſpanica de Religione Chriſtiana. extincta ſub Nerone. 69. XVII.
Aliæ ſub Diocletiano, de eadem re. 303. XIV.
Romanæ piæ, de victoria Conſtantini aduerſus Maxentium virtute S. Crucis. 312. IX. X.
Inſcriptiones vultuum Romanis ignominioſæ, quibuſdam aliis populis honorabiles. 315. V. Prohibuit eas Romæ Conſtantinus. ibid.
Inſcriptiones 12. iamborũ in frontibus duorum fratrum Confeſſorum. 835. IV.
Inſatiabiles, ſecta Manichæorum. 8: 0. I.
Inſtrumenta Paſſionis Chriſti conſeruata in poſteros, miraculis clariſſima. 34. XLII. Itemque paſſionis Petri & Pauli Apoſtolorum. 69. II.
Inſtrumenta quibus mors damnatis inferebatur, ſepeliebantur apud Iudæos, vna cum cadaueribus. 34. XLI. Inſtrumentis argenteis Iudæi vſi in reædificatione templi ſub Iuliano, ſed tam irrito, quam vano conatu. 363. III. Inſtrumenta muſica. Vide *Muſica. Organa.*
Inſulæ omnes, quæ documenta fidei preceperũt, pertinẽt ad ius Eccleſiæ Rom. 1159. III.
Interdictionis regni comminatio facta Clotario Franc. Regi ab Agapeto Papa, niſi ſatisfaceret de nece domini de Yvetot intra eccleſiam facta. 535. XVIII. Vide *Depoſitio. & Fidelitas.*
Interdicto ſuppoſitum Franc. regnum per Legatum Apoſt. Sedis, ob contumaciam Regis Ludouici Sept. 1142 I.
Regnum Anglorum, ob Stephani Regis contumaciam. 1143. IX. Vrbs Roma, ob vulneratum Cardinalem. 1155. I.
Scotia, ob Regis contumaciam. 1180. II. Gallæcia, ob Regis cõiugium inceſtuoſum. 1191. IV. Auſtria, ob Ducis contumaciam. 1195. I. Northmannia, ab Archiepiſ. Rothomagenſi, ob caſtrum Eccleſiæ occupatum à Rege Angliæ. 1197. VI.
Interpretum munus quod fuerit apud Apoſtolos. 45. XII.
Interpretatio Scripturarum. Vide *Editio. & Scriptura.*
Interpretum Septuaginta Editio, tam à Chriſto & Apoſtolis, quam etiã tũc a Iudæis, frequentiori vſu recepta. 60. XIX 183. V. Ea diuino afflante Spiritu mirabiliter facta. 183. V. Poſtea corrupta, & ſæpius reſtituta. ibid. Quid in ea operatus ſit Origenes. 233. III. Eiuſdem plures verſiones Latinæ; & quæ Vetus quæ Noua, quæue Communis ſeu Vulgata. ibid. IV.
Inuentio S. Crucis, per S. Helenam Aug. 326. VIII. Capitis S. Ioannis Baptiſtæ. 390 II. Corporis S. Stephani protomartyris. 415. I.
Aliorum plurimorum SS. vide ſub propriis eorum nominibus. & in *Reuelatio. & Translatio.*
Inueſtituras Epiſcoporum falſo Sigebertus aſſerit conceſſas ab Hadriano PP. Carolo Magno. 774. III.
Prohibitæ Principibus, in Conciliis Oecumen. Sept. & Octauo. 787. VIII. 869. IX.
Inueſtituras quorumcumq; beneficiorum, de manibus eorumdem Principum laicorum accipientes, excommunicantur à Gregorio PP. VII. in Synodo Ro. 1077. IX. 1078. III. Tam dantes, quam accipientes, excommunicantur à Victore Tertio in Concilio Beneuent. 1087. III.
Earum cauſa in Iuonem Carnotenſem grauiter commouetur Vrban. PP. 1099. II. Altercantur Anſelmus Archiep. Cantuarienſis, & Henricus Rex Angliæ 1100. VIII. Vide *Anſelmus* Rurſum damnantur omnino à Paſchale PP. 1100. VIII. 1101. I. Quomodo de eis compoſuerit cum Rege Angliæ 1107. II. ibid Extorquet priuilegium de eis Henricus IV. Imperat. ab eodem Paſchale. 1111. II.
Sed illud continuo pluribus Conciliis, vna cum ipſo Henrico, damnatur. ibid. IV. VI. VII. 1112. II. III. 1114. III. 1115. II. 1116. I. 1119. III
Inueſtituras laicorum aſſerere fieri debere hæreſis eſt. 1111. VI.
Iis penitus renunciat Henricus. IV. Imp. 1122. II.
Inueſtituram Papatus accipit Octauian.

ſchiſmaticus à Friderico Imperat. 1160. VIII.
Rurſum inueſtituras laicas beneficiorũ damnat Alexander PP. & tam dantes quam accipientes excommunicationi ſubiicit. 1169. III.
Ioachim parentis B. Virginis genus Appar. XX.
Ioachim Abbas de Curacio, prophetiam agens in Sicilia, detegitur impoſtor, damnaturque. 1190. II
Ioannes Apoſtolus numquam duxit vxorem. 31. XII.
In vltima cœna primum locum poſt Chriſtum accipit. 34. XIII.
In captura Domini, amictus ſindone ſuper nudo, aufugit. ibid. XXI
Qua occaſione notus fuerit Caiphæ Pontifici. ibid. XXII. Fuit piſcator, ſed diues. ibid.
Mittitur cum Petro ad Chriſmandos Samaritanos. 35. IX.
Quæ prouinciæ ei obtigerint in Diuiſione Apoſtolorum. 44. XI. XII.
Eius Circuitus, aliaque acta & ſcripta, ab hæreticis conficta. ibid. XXIV. Intereſt Concilio Hieroſol. Apoſtolorum. 51. III.
Diuinitus impellitur ire ad balneum, vt teſtimonium reddat aduerſus Ebionem & Cherinthium hæreſiarchas. 74. III.
Romam impietatis reus à Domitiano vocatus, poſt euaſum feruentis olei certamen, relegatur in inſulam Patmon ad fodienda metalla. 92. I. II. Scribit ibi Apocalypſin. 95 II.
Inditum ei ab antiquis cognomen Theologi. ib. V.
Poſt necem Domitiani reuertitur Epheſum, multaque edit miracula. 98. VII.
Scribit Euangelium præcedentibus prodigiis. 99. II.
Itemque très Epiſtolas. ibid. IV. Vide *Euangelium & Epiſtola.*
Moritur Eph. 101. II. Apparet in viſione Gregorio Thaumaturgo. 233. IX. & Theodoſio Imperatori. 394. II.
Sententias de fide eum accepiſſe à Platone, iactabant Academici. 384. V.
Ioannes Bapt. quando conceptus in vtero matris Appar. XXV. Iuſſus ab Herode occidi cum Innocentibus, ſubtrahitur à patre, & poſt parentum obitum adhuc infantulus curatur ab Angelo. 1. XIII.
Quando prædicationem inchoauit. 31. III.
Eius victus, & veſtitus. ibidem. VI.
Mancipatur carceri ab Herode, & qua de cauſa. ibid. VIII. XIV. Decollatur ab eodem. 33. I.
Corpus delatum à diſcipulis Samariam ad ſepulturam; & de capite quid actum. ibid. Sepulchrum ſummæ venerationi habitum. 362. XXXIII.
Reliquiæ comburuntur & diſperguntur à Gentilibus. 362. XXXIII.
Transferunt Alexandriam. 389. XV.
Capitis variæ factæ diuerſis temporibus inuentiones, & tranſlationes. 390. II. 760. I. 1025. II.
Manus transfertur Conſtantinopolim. 956. II.
Cineres Ianuam. 1102. III. Patronum eum in omnibus actionibus inuocant Longobardi. 616. I. & ex eius cultus deſpectu prouenturam ipſorum ruinam, vaticinatur quidam eremita. 663. II.
Fuit auctor Vitæ Monaſticæ. 31. VI.
Ioannes Ægyptius cæcus, integros Scripturæ libros memoria tenuit. X.
Martyrium ſubit in Palæſtina ſub Maximo Galerio. ibidem.
Ioannes Alexandr. Epiſcopus, cognomento Talarda creatur. 482. II.
Confirmationem petit à Rom. Pontif. ſed pellitur a Zenone Imp. ibid. Appellat Rom. Pont. 483. I. III.
Dempta ſpe eius reſtitutionis, creatur à Felice PP. Epiſcopus Nolanus 484. V.
Ioannes Antiochen. Epiſcopus creatur. ex ſchola Theodori Mopſueſteni. 427. IV.
Monitus à Cæleſtino PP. & Cyrillo Alexandr. de erroribus Neſtorii, monet eum reſipiſcere. 430. II. IV.
Sed mox pro eodem ſtans iubet Theodoretum ſcribere aduerſus Cyrilli anathematiſmos in Neſtorium promulgatos. ibid. VII.
Vocatus ad Cõcilium Oecumen. Epheſ. moras in itinere nectit, ne cogatur damnare Neſtorium. 431. V. Adueniens poſt damnationem Neſtorii, Conciliabulum ipſe aduerſus Oecumenicam Synodum celebrat, in quo damnat Cyrillum, alioſque Patres, & Pelagianam hæreſim reſtituit. ibid. X XI. XII.
Monitus à Synodo Oecumen. nec obaudiens, damnatur cum ſuis. XIV
Rebus tandem apud Imper. diſcuſſis, vincentibuſque Catholicis, mitius cum Ioanne agitur optimo conſilio. XXI.
Varie poſtea ſolicitatus, tandem reconciliatur Rom. Pontifici, & Cyrillo, damnato prius Neſtorio. 432. V.
Calumniæ variæ de ea pace initæ. ibid. VI. Agit aduerſus ſcripta Diodori Tarſ. & Theodori Mopſueſt. licet contrarium dicat Liberatus. 435. II.
Moritur 400. IV.
Ioannes Biclarenſis. Abbas, Epiſcopus Gerundenſis in Hiſpania, conſcripſit hiſtoriam ſui temporis. 590. XII.
Ioannes Caſſianus, diaconus Chryſoſtomi, poſt eius expulſionem legati pro eo fungitur ad Innocentium PP. 404. XI.
Profectus in Ægyptum, monaſticam vitam amplectitur, ſcribitque Collationes Patrum. ibid. Impugnat ſcripta S. Auguſtini aduerſus Pelagianos, ipſe Pelagianus. 430. XI.
Maſſiliæ agens presbyterum, ſcribit monitu Leonis R. E. Archidiaconi, de Incarnatione Verbi aduerſus Neſtorium. 433. II.
Collationes eius, Pelagii erroribus reſertæ a plurimis inſignibus viris emendatæ. ibid
Ioannes Chryſoſt. quo anno, & quibus parentibus natus. 361. XXIX.
Eius vitæ inſtitutio, & monachus 382. X
Scripta in eremo, & in diaconatu. ib. IX. X. Ordinatur presbyter ex reuelatione, & comitantibus ſignis. 386. XII
Concionatur Antiochiæ, & ob inſignem facundiam cognomentum accipit *Chryſoſtomi.* ibid. XIII
Redargutus à pia muliercula de ſublimitate ſtyli, demittit eum. ibid. Qua occaſione habuerit Orationes Andriantas; ſiue de Statuis. 383. II.
Eligitur Epiſcopus Conſtantinop 397. XX. Abducitur Antiochia, inuito populo. 398. XVII.
Agit aduerſus Eunomianos, & Montaniſtas. ibid. XVIII.
Corrigit abuſus cleri, & populi; & inde plerorunque odium in ſe concitat. ibid. XIX.
Eutropio Conſuli, potentiſſimo cubiculi Imp. præfecto, inſultat mira arte vt eum liberet. 399. III.
Declamat aduerſus ſpectacula, & Maiumam proſcribendam curat. ibid. V. & 404. III.
Gainæ Gothi Ariani tyrannum agentis, conatus retundit. 400. VII. VIII.
Suſcipit monachos Origeniſtas, eiectos à Theophilo Alexandr. deceptus eorum falſis ſuggeſtionibus; & quæ de iis adeum Theophilus. 400 XI. 448 XII.
Synodum habet in cauſa Aſianorum Epiſcop. ſimoniacorum, Conſtantinopoli; aliamque Epheſi. ibid. XIII XIV.
Hymnos Eccleſiaſticos componit aduerſus Arianorum cantilenas. ibi. XVI.
Cunctos hæreticos vrbe Conſtantinop pelli curat. ibid. XVII. Strenue agit pro templorum idolorum deuolutione. 401. VI. I.
Eudoxiam Aug. ingreſſu Eccl. prohibet, ob eius rapinas. ibid IX.
Seuerianum Gabalenſem Epiſc. vrbe eiicit, ſed poſtea recipit in amicitiam. ibid. X.
Ob ſuſceptionem monachorum Origeniſtarum, male audit apud Orthodoxos. 402. I. Quæ inde ei diſſidia cum Epiphanio; & quæ amborum ad inuicem prædictiones. ibid. II. III. VI.
Opera Eudoxiæ deponitur in Synodo ad Quercum à Theophilo Alexandr. 403. III.
Mittitur in exilium: ſed adueniente mox terræmotu, & excitata a populo ſeditione, reuocatur cum honore. ibid. VI. VII.
Rurſum in Eudoxiam reprehendens de ipſius imaginis ſuperſtitioſa circumductione, acrius eamdem in ſe excitat. 404. III.
Pellitur in exilium è Conciliabulo Conſtantinop. ibid. V. Appella. Rom. Pontificem. ibid. VI. Deducitur Cucuſum. & qualis in exilio fuerit. ibid. XIV.
Ei communicantes, diriſſima paſſi ſunt. dictique *Ioannitæ.* ibid. X. Quid pro illo actum fuerit à Rom. Pont. Vide in *Innocent.* I. Eius perſecutores male pereunt. ibid. XV.
Mutatur ſæpe exilii loco; & quantum in eo laborarit. 405. II. 406 V. 407. IV.
Agit apud Innocentium PP. pro ſuis perſecutoribus. 406. V.
Monitus à martyre de proximo obitu, parat ſe Chriſt. ritu, & pie quieſcit, ac nobiliſſimo effertur funere. 407. IV.
De eius ſcriptis legitimis, & ſpuriis. ibi. V. Habuit peculiarem doctorem S. Paulum Apoſt. frequentibuſque diuinis viſionibus in ſacris myſteriis honoratus eſt. ibid. VI.
Eius nomen in ſacra Diptycha referri iubet Innocentius, & reluctantes excommunicat. ibid. VII. IX.
Eius Imaginem Theophilus Alexandr cogitur in obitu adorare. 412. VIII.
Nomen ab omnibus vbique in Diptycha refertur. ibid. IX. Memoria ritu ſolemnia anniuerſaria die celebrari incipit. 427. II.
Tranſlatio corporis Conſtãtinopolim facta celeberrima pompa, inſignibus comitantibus miraculis. 438 I. II. Scribit ad eum Theodoſius Imp. vt dignaretur Conſtantinopolim redire: & in throno ſuo collocatus, circumſtanti populo dicit, Pax vobis. ibid. II.
Ioannes cognomento Scholaſticus, ex Apocryſario Eccleſiæ Antioch. intruditur a Iuſtiniano Imp. in thronum Conſtantinopol. in locum S. Eutychii eiecti. 564. I. Moritur. 578. I.
Ioannes, cognomento Ieiunator, inſignis hypocrita, reprobatus à S. Eutychio, datur ei poſt obitum ſucceſſor in ſede Conſtantinopol. 583. II. Celebrato Concilio in cauſa Gregorii Antiocheni; arroganter ſibi nomen Patriarchæ Oecumenici vſurpat; vnde à Pelagiano Papa acriter arguitur. 587. I.
Rurſum eadem de cauſa à S. Gregorio vehementer exagitatur. 595. III.
Moritur, & perperam à ſuis colitur vt ſanctus. 596. I.
Ioannis Damaſceni parentes bene habiti à Saracenis in expugnatione ciuitatis Damaſci. 634. I.
Ipſius primordia & ſcripta pro defenſione ſacrarum Imaginum. 717. II.
Inſidiis Leonis Imp. Iconomachi accuſatus de proditione apud Principem Saracenorum, amputatur ei manus, ſed reſtituitur à B. Virgine. 728 I.
Bonis ſuis pauperibus, & Eccleſiis diſtributis, petit eremum, & vitam monaſticam excolit. ibid. Dicit etiam anathe-

ma In-

ma Imperatori, ob eius impietatem. 340. II.
Fuit ei cognomentum Chryſoroa, & Manzur; & quibus dicteriis irrideretur ab Imp. 730 II. 754. VI.
Reuiuiſcentem Cnaphei hæreſim extinguit. 749. II.
Ioannes Diaconus ſcriptor Vitæ S. Gregorii, in multis hallucinatur. 581. III.
Ioannes Eleemoſynarius cognomento, creatus inuitus Alexandr. Epiſcopus, optime eam Eccleſiam adminiſtrat. 610. V.
Subuenit Chriſtianis fugientibus à deſolatione Hieroſolymæ per Coſrhoem captæ. 614. VIII.
Succurritur ei diuinitus ad ſuas perficiendas eleemoſynas. 615. I. 620 I. II.
Immenſum aurum ab eo erogatum in pauperes. 610. II.
Moritur, & in ſepultura defertur eius corpori honor a duobus Epiſcopis defunctis. ibid.
Ioannes Hieroſol. Epiſcopus ex monacho Macedoniano, Origenis errorum ſe patronum exhibet: eaque de cauſa; ſed aliis prætextibus, acriter contendit aduerſus Epiphanium & Hieronymum. 392. VIII. 399. II. III.
Reſipiſcit. 402. VIII.
Corpus S. Stephani protomart. diuinitus reuelatum, ſolemni pompa transfert Hieroſolymam. 415. I.
Celebrat vna cum Eulogio Cæſarienſi, Concilium Dioſpolit. contra Pelagium. ibid. III.
Monetur ab Auguſtino de fraudibus eiuſdem Pelagii. ibid. VI.
Moritur. 416. VI.
An fuerit monachus montis Carmeli. 444. V.
Ioannes Hieroſol. ex hæretico Eutychiano Catholicus, & inſignis confeſſor; retinetur in ſede a Catholicis contra Anaſtaſium Imp. & Seuerum hæreſiarcham. 513. II.
Ob malam ipſius inſtitutionem ab Eutychianis factam, petitur ab Hormiſda Papa cum eo diſpenſari. 529. X
Ioannes Philadelphiæ Epiſcopus creatur Vicarius Apoſtol. Sedis in Oriente in cauſa hæreſis Monothelit. 649. VII.
Ioannes Gualbertus inſtitutor Ordinis Vallis vmbroſæ, ſignis & virtutibus vbique conſpicuus. 1063. IV.
Moritur. 1073. XVII.
Ioannes Cremenſis Cardinal. Legatus in Anglia, Celebrat Concilium Londoniæ pro reformatione Eccleſiæ. 1125. IV.
Accuſatur à nonnullis auctoribus de turpitudine: & an illæ accuſationes ſubſiſtant. ibid.
Ioannes cognomento Marcus, habuit domum Hieroſolymis, in qua Dominus vltimum Paſcha celebrauit, & Spiritus S. in diſcipulos deſcendit: quæ ædificata eſt in eccleſiam Sion maximam. 34. IX. 28. LXV.
Fuit conſobrinus Barnabæ Apoſtoli. 45. XIV.
Eius cauſa, diſſenſio orta inter Paulum & Barnabam. ibid. Adhæſit poſtea fideliter Paulo. ibid & 51. XII.
Diuerſus à Marco Euangeliſta. 45. XV.
Ioannes Maxentius. Vide *Maxentius*.
Ioannes & Paulus fratres, auctores ſunt Gallicano Genero Conſtantini Magni, Chriſtianitatem amplectendi. 330. XI.
Martyrium conſequuntur ſub Iuliano Apoſtata. 362. LII.
Ioannes Curopalat. nobilis ſcriptor Græcus, vbi cœperit, & quouſque perduxerit hiſtoriam ſuam. 811. IV. 1050. XVII.
Defectus eius in notandis annis. 812. I.
Ioannes Philoponus grammat. Alexandr. Seuerianis hæreticis ſe opponens in Tritheitarum dogma impingit, aliaque plurima impia docet. 535. XII.
Idem Monophyſitarum, & Monothelitarum auctor. ibid.
Ioannæ Papiſſæ fabula confutatur. 853. V.
Vnde Ioannes VIII. potuerit dici femina. 879. III.
Ioannes I. creatur Rom. Pont. 523. I. Subire cogitur à Theodorico Rege legationem ad Iuſtinum Imp. & quibus de cauſis. 524. II. 525. I. II. Miracula edit & humilimis obſequiis excipitur Conſtantinopoli, adoraturque ab Imperatore. 525. I.
Defenditur à calumniis ſuſceptæ legationis pro cauſa Ariana. ibid. II.
In reditu mancipatur carceri à Theodorico apud Rauennam, ibique moritur martyr, corpus vero Romam defertur. ibid. & 526. I.
Decius epiſtolis. ibid.
Ioannes II. creatur. 532. I. Defertur ad eum ab Imp. Iuſtiniano, quæſtio de Vno in Trinitate paſſo; & quid ipſe definierit. 533. III. 543. II.
Mittitur ad eum legatio ab Eccleſia Afric. 535. III.
Moritur. ibid.
Ioannes III. creatur. 559. II.
Moritur. 572. I.
Eius epiſtola ſpuria de Corepiſcopis. ibid.
Ioannes IV. creatur. 639. II. Damnat in Synodo Ecteſin Heraclii Imper. pro hæreſi Monothel. promulgatam. 640. I.
Eius largitas in redimendis captiuis à barbaris. 641. II. Moritur. ibid.
Ioannes V. eligitur. 685. III.
Moritur. 786. I.
Ioannes VI. creatur. 701. IV. Ab inſultatione Exarchi liberatur per militiam Italicam. ibid. Moritur. 705. I.
Ioannes VII. ordinatur. 705. I. Rogatus ab Imperatore, approbare canones Quiniſextæ Synodi, abnuit ibid. II.
Moritur. 707. I.
Ioan. VIII. creatur. 872. V. In Concil. Rom. abſoluit Ludouicum Imp. à iuramento per vim proditoribus præſtito. 873. I.
Mortuo Ludouico, confert Imperium Carolo Caluo, & confirmat variis Synodis. 875. II 876. I. II. 878. III.
Implorat eius auxilium aduerſus Saracenos, & Marchiones Chriſt. 876. III.
Cogitur pendere tributum Saracenis 877. VIII.
Rogatus à Baſilio Imper. mittit Legatos pro pace Eccleſiæ Conſtantinop. 878 I.
Roma à tyrannis inuaſa, ſecedit in Gallias. 878. II.
Concilium celebrat Trecis, & auxilium petit, aliaque plurima agit de rebus Eccleſ. & politicis. ibid. IV.
Boſonem Comitem adoptat in filium, & qua ratione. ibi.
Photium recipit in communionem, eiuſque reſtitutionem approbat, ingenti Eccleſiæ damno, & ſui ipſius dedecore. 879. II. III.
Inde forte orta fama, ipſum fuiſſe feminam. ibi. III.
Haud tamen fuit reus criminum, à falſario Photio ipſi impactorum. IV. V.
Damnat pſeudoſynodum Photianam, ipſumque Photium. 880. I.
Carpitur de prudentia carnis. 882. I.
Moritur. ibid III.
Ioannes IX. ex monacho creatur Pontifex. 901. I.
Celebrat Concilia Rom. & Rauen. de rebus ad Eccleſ. & Imperat. ſpectantibus. 904. I. II. Moritur, laudaturque. 905. I ibid. Eius de diuerſis conſultationibus epiſtolæ. ibid. II.
Ioannes X. intruditur à Theodora, nobili ſcorto, Vrbi imperitante. 912. I. Coronat Berengarium Imp. 915. II.
Legationem ab Orientalibus expetitam, mittit pro ineunda concordia. 917. II.
Mittit quoque legatos Compoſtellam ad S. Iacobum pro precibus. 951. I
Confirmat electionem pueri quinquennis in Archiepiſcopum Rhemenſem. 925. II.
In carcerem detruditur opera Marozia ſcorti, filiæ Theodoræ. 928. I
Suffocatur. 929. I.
Ioan. XI. filius Sergii III. PP. ex ſcorto Marozia, intruditur a matre in Sedem Apoſtolicam adhuc ætate iunior. 931. I
Detruditur in carcerem, vna cum matre. 933. I.
Cogitur tyrannice, concedere Pallium Patriarchis Conſtantinopol. in perpetuum. 934. I
Moritur. 936. III.
Ioan. XII. ex Principe Vrbis inuadit Sedem Apoſtol. 955. I.
Eius ætas iunior. ibid. Primus mutauit ſibi nomen, cum antea diceretur Octauianus. ibid. Approbatur à Clero, metu ſchiſmatis. ibid.
Vocat Ottonem Regem in Italiam, aduerſus tyrannidem Berengarii, & quid inter ipſum & Ottonem, tunc conuentum de iuribus Eccleſiæ & Imperii. 960. I.
Coronat eum Imperatorem. 962. I.
Diſſenſione inter eos orta, ipſe Roma abſcedens deponitur ab Ottone in Conciliabulo, & Leo pſeudopapa intruditur. 963. I. II.
Quam iniuſte, & contra leges ea peracta fuerint. ibid. II. III. Concilium celebrat, in quo ea damnat. 964 II.
Turpis eius aſſertus obitus. ib. III.
Ioan. XIII. eligitur, opera Ottonis Imp & mox in Campaniam relegatur a Romanis. 965. II.
Mittit petitam à Polonis legationem, ad eos in fide inſtruendos. ibid. III. Reſtituitur in Vrbem, opera Ottonis. 966. I
Celebrat Concilium Rauennæ. 967 I.
Mittit Legatos ad Nicephorum Imper. Orient. pro nuptiis filii Ottonis: qui male excipiuntur, ex inuidia Græcorum. 968. I. II. Moritur. 972. I.
Ioan. XIV. ex Epiſcopo Papienſi, & Archicancellario Ottonis Imperat. creatur Pontifex. 984. I. A Bonifacio inuaſore detruditur in carcerem, & fame mori cogitur. 985. I.
Ioan. XV. creatur. 985. III. Interpellatus ab Hugone Francorum Rege aduerſus Archiepiſcopum Rhemen. quomodo in ea re ſe geſſerit. 991. I. II. 992. III.
Depoſito Gerberto intruſo a Rege, reſtituit Arnulphum iniuſte eiectum. 992. III 995. II.
Moritur. 996. I
Ioan. dictus XVI. intruditur violenter in Sedem contra Gregorium V. ſed paulo poſt dira patitur ſupplicia ab Ottone Rege. 996. II. III.
Ioannes dictus XVIII. creatur, & poſt quinque menſes moritur. 1003. III.
Ioan. aſſertus XIX. eligitur. 1003. III.
Moritur. 1009. I.
Fuit cum eo concors Patriarcha Conſtantinopolit. ibid.
Ioannes XX. largitione pecuniæ ex laico repente fit Papa. 1024 II. Rogatus ab Imper. & Epiſcop. Conſtantinop. de conceſſione nominis Vniuerſalis, muneribus excæcatus, voluit annuere, ſed cohibetur ab aliis. ibid. III. Pellitur a factioſis Romanis, ſed reſtituitur à Conrado Imperat. 1033. I.
Moritur. ibid.
Ioannes alius Antipapa turpiſſ. intruditur, & paulopoſt extruditur. 1044. II.
Ioannes Abbas Strumenſis erigitur Antipapa aduerſus Alexandrum Tertium, ſub nomine Calliſti. 1170. X.
Approbatur à Friderico Imp. ſchiſmatico. ibid.
Pace cum Alexandro à Friderico facta, reiicitur ab omnibus. 1177. IX.
Accedens ad Alexandrum, petit veniam,

& hone

& honeſte ſuſcipitur. 1178. I.

Ioannis Cardinalis, Apoſtol. Sedis Legati, martyrium Conſtantinopoli ab impiis & ſacrilegiis Græcis. 1183. VI.

Ioannes, mortuo Honorio, inuadit Imperium. 423. II.

Iura Eccleſiæ tollens, parat ſibi ruinam. ibid. I. Africam ſibi iungere tentans, repellitur à Bonifacio Comite. 424. I.

Ardaburium ducem Theodoſii Imper. capit. ibid. II.

Ipſe vero ab Aſpare Ardaburii filio, diuinitus capitur Rauennæ, & extinguitur. 425. I.

Ioannes Præf. Prat. Iuſtiniani Imper. primus Decemuirorum compilationis Codicis, omnis diſciplinæ, pietatis, & fidei expers. 529. VIII.

Ob ſuſpicionem magiſtratu deiectus, & in exilium miſſus, ad vitam retinendam fit ſacerdos 584. VI.

Rurſum factus necis reus, circumducitur per Ægyptum, & tandem miſerrime perit. ibid.

Ioannes, Saresberienſis, miniſter à ſecretis S. Thomæ Cantuarienſis, eius Vitam deſcripſit, & epiſtolas in eius cauſa conſcriptas in vnum collegit. 1162. VI. Poſt eius martyrium, fit Epiſcopus Carnotenſis. 1172. II.

Ioannes Scotus exagitatur in Galliis, ob quoſdam aſſertos eius errores. 878. XI.

Moritur, & verum martyr. 883. V.

Eius liber de Euchariſtia damnatur in Concil. Vercel. à Leone IX. Papa. 1050. I. & comburitur in Concil. Rom. ſub Nicol. Secundo, ab ipſo Berengario, qui hæreſim ſuam inde hauſiſſe falſus eſt. 1059. III.

Ioannes, Silentiarius ob eximiam ſilentii obſeruantiam dictus, ex Epiſcopo diuino inſtinctu fit monachus. 491. V.

Ioan. Xyphilinus Dionis decurtator, creatur Epiſcop. Conſtantinop. 1066. X.

Deluditur turpiter ab Eudocia Auguſt. 1068. III.

Ioannes Zemiſces necat Nicephorum Phocam Imp. & eius loco imperat. 696. I.

Repellitur à Patriarcha, donec ſatisfaciat. ibid. II. Saracenos, Ruſſos, alioſque barbaros, ingentibus cladibus afficit, regnumque Bulgarorum extinguit, ope SS. martyrum. 970. I. 971. IV.

Triumphum defert B. MARIÆ Virgini. 971. IV. Primus omnium Impp ſolidos aureos Chriſti imagine & inſcriptione ſignari iubet; aliaque plurima pie agit. ibid. Veneno potatur, ingenti Imperii damno. 975. III.

Ioannes Comnenus imperat in Oriente. 1118. XIII.

Communicat cum Eccleſiæ Rom. ibid.

Vincit barbaros ope Dei genitricis, triumphumque ei defert. 1123. III.

Pertentat Antiochiam abripere à Latinis; & monitus ab Innocentio PP. non deſiſtens à ſceleribus, diuina vltione aufertur de medio. 1143 IV.

Ioanbicius ex milite Iconoclaſta, diuinitus admonitus, fit ſanctiſſ. anachoreta. 782. I.

Agit ſtrenue pro defenſione ſacrarum Imaginum. 830. I.

Diuinam accipit reuelationem de pace Eccleſiæ proxime ventura. 814. I.

Moritur anno ætatis 116. in obitu, & poſt, clariſſimus miraculis. 846. III.

Ionas Aurelianenſis Epiſcopus confutat Claudium Taurinenſem Iconomachum; & quid ipſe de Imaginibus ſenſerit. 825. V.

Iordanus, ſiue Iornandes, Epiſcopus Gothus, hiſtoriam ſuorum ſcribens, ſæpe affectu gentis deuiat à veritate. 487. II. 536. V.

Quouſque perduxerit commentarium ſuum de Regnorum & temporum ſucceſſione.

Ioſeph Patriarcha creditus, quem Ægyptii Serapidem deum colerent. 389. XVI.

Ioſeph ſponſus MARIÆ Virginis, fuit ex reg a ſtirpe Dauid. Appar. XVI.

Cur eius potius, quam Mariæ, genealogia deſcripta ab Euangeliſtis. ibid. Virgo & ipſe ſemper fuit ibi. XXIV. Datus eſt maritus Virgini, ad virginitatis eius cuſtodiam. ibid. XXIII.

Fuit opificio faber. ibid. XXII. & 12. II.

Cuius ætatis fuerit, & quando obierit. 12. XIII.

Ioſeph. ſic dicti tres ex Diſcipulis Domini, cognomine, & rebus geſtis diſtincti. 34. LXVI.

Ioſeph ab Arimathæa petit à Pilato corpus IESV ad ſepulturam. 34. XL.

A Iudæis in carcerem coniectus, ab Angelo mirabiliter liberatur. ibidem. LV.

Venit in Gallias, & inde in Britanniam. 35. I.

Ioſephus hiſtoricus Iudæus. ſæpius erroris Arguitur Appar. XXXV. 1. XVII. 16. I. 31. XIX. Teſtimonium eius de Chriſto. 34. LXIII.

Refellit ſcripta, & calumnias Apionis Grammatici contra Iudæos 42. III.

Ducem agens ciuitatis Iotapatæ in bello Iudaico, capitur à Veſpaſiano. 69. XIX.

Eidem Veſpaſiano adulatorie tribuit, quæ dicta eſſent de Chriſto venturo. 71. V.

Multis à Domitiano cumulatur honoribus. 89. II. Eius lucubrationes. 96. I.

Ioſephus, ex Iudæo mirabiliter factus Chriſtianus, & Comes à Conſtantino Imp. creatus, in perſecutione Conſtantii recipit apud ſe Epiſcopos exules. 356 IX.

Ioſephus Oeconomus Eccleſ. Conſtantinop. reſiſtente Patriarcha coronat pellicem Conſtantini Imper. & quantæ inde turbæ exortæ. 795. II.

Deponitur à Patriarcha. 797. I.

Reſtituitur opera Imperatoris, tanquã nihil mali id perpetrando egiſſet; & ingentes inde rurſum turbæ. 806. II. 808. I. 809. I.

Rurſum deponitur, & Eccleſia eiicitur. 811. III.

Iouianus Dux, clarus ſub Iuliano Apoſt. confeſſor. 362. VII.

Electus poſt eum à militibus Imperator, negat ſe velle iis imperare, niſi Chriſtiani eſſent. 363. XVII.

Fœdus init cum Perſis, conditionibus indignis, ſed neceſſariis. ibid. XVIII.

Ab Ethnicis deridetur. ibidem. Verum Dei cultum vbique reſtituit. ibid. XIX.

Petit ab Athanaſio ſinceræ fidei veritatem. ibid.

Liberam relinquit vnicuique ſectæ fidem. ibid. XXI.

Improuiſo caſu nocte in cubiculo exanimatus inuenitur. 364. I.

Vnde meruerit repentinum eiuſmodi obitum. ibid. & 363. XXII.

Iouianus, non Iouinianus, appellandus. 364. II.

Iouinianus hæreſiarcha prodit ex pſeudomonacho Mediolanenſi; & quæ eius praua dogmata. 382. VII.

Damnatur Romæ à Siricio Papa eiuſq; auctoritate à S. Ambroſio & Concilio Mediolan. 390. VII.

Eius ſcripta refelluntur à SS. Hieronymo & Auguſtino. 382. VII. 390. VII. 425. VIII.

Sectatores proſcribuntur à Theodoſio Magno. 390. VII. Relegatur in inſulam ab Honorio, & inter luxurioſas epulas animam eructat. 412. V.

Iouis varia epitheta, ex diuerſis effectibus à Gentilibus ei tributis. 176. III.

Ei cur Marcus Imp. tribuerit victoriam de Marcomannis, quam ſciret precibus Chriſtianorum ſe conſecutum eſſe. ib.

Iouis Capitolini templum. Vide *Capitolium*.

Iouii cognomentum ſibi ſumit Diocletianus Imp 286. I.

Irenæus Lugdunenſis Eccleſiæ presbyter, mittitur ad Eleutherium Roman. Pont. eum conſulturus de quibuſdam dubiis. 179. V.

Eligitur eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus. 180 I.

Fuit auditor diſcipulorum Apoſtolorum. ibid.

Scribit Græce, Græcus ipſe, aduerſus hæreticos. ib. II.

Concilium habet pro celebratione Paſchatis die Dominico. 198. I.

Victorem PP. arguit nimiæ ſeueritatis, ob excommunicatas ea de cauſa Aſianas Eccleſias. ibid. II.

Martyrio coronatur ſub Seuero, cum omnibus ferme ſuæ ciuitatis Chriſtianis. 205. VI.

Eius plurima ſcripta deperdita. ibidem.

Sectatus eſt errorem Millenariorum, ſed antequam damnatus eſſet ab Eccleſia. 118. II. 264. I.

Irenæus Comes; fautor Neſtorii hæreſiarchæ, agit pro eo aduerſus Synodum Oecumen. Epheſ. falſis relationibus apud Theodoſium Imp. 431. XVII.

Detecta fraude exauctoratus ab Imp ibid. XXIV.

Epiſcopus Tyri à Syris ordinatus, rurſum deponitur eiuſdem iuſſu Imp. ibid. & 448. I.

Irene virgo Chriſt. ad proſtibulum damnata, intacta diuinitus ſeruatur martyrio 504. X.

Irene filia Regis Chazari, datur vxor Conſtantino Copronymo Imper t. 732. I.

Irene altera, vxor Leonis filii Copronymi, ob cultum ſacrarum Imaginum pellitur à viro. 780. II.

Mortuo Leone, ſuſcipit habenas Imperii, vna cum filio Conſtantino adhuc paruulo. ibid. III.

Reſtituit pietatem in Eccleſia Orientali. ibid. Cogitur redimere pacem a Saracenis annuo cenſu. 781. III

Scribit ad Hadrianum PP. de congregando Concilio Oecumen. in cauſa Imaginum. 785. I.

Bellum infert ſuo damno, Carolo Magno. 788. I.

Filium Conſtantinum, ob res nouas, ſub cuſtodia tenet. 789. I

Abdicatur à filio. 790. I.

Rediens excæcat filium, & ſola imperat. 797. I.

Remittit tributa Conſtantinopolitanis. 801 V.

Expetit eius nuptias per Legatos Carolus Magnus. 802. I.

Deponitur Nicephoro, & in exilium mittitur. ibid. Moritur. 803. I.

Iſacius Comnenus inuadens Imperium, Michaelem Auguſt. in ordinem redigit. 1057. IV.

Diuinitus punitur de vſurpatis bonis monaſteriorum. ibid.

Michaelem Patriarcham promotorem ſuum, ob nimium eius faſtum, pellit in exilium. 1058. V.

Fulmine percuſſus, ſponte deponit purpuram, & monaſticum aſſumit habitum. 1059. XI.

Iſacius Angelus inuadit Imperium Orient. 1185. IV.

Fœdus init cum Salagino aduerſus Latinos in Terra Sancta. 1187. II.

Quædam pia eius geſta. ibid. V. Ingenti eſt impedimento Friderico Imp. procedenti aduerſus Saladinum. 1189. III.

Redigitur in ordinem ab Alexio Angelo. 1195. IV.

Iſcariotb vnde dictus Iudas proditor. 31. IV.

Iſchyras Mareotes correptus ab Athanaſio, quod cum non eſſet clericus, presbyte-

rum ageret, tranſit ad Meletianos. 328 I.
Calumnias ſtruit in Athanaſium, Meletianorum & Arianorum impulſu; ſed a ſuis reprehenſus, veniam petit. 331.I.
Iterum ſpe polliciti Epiſcopatus eumdem accuſat in conciliabulo Tyrio 335. IV.VIII
Degerdes Perſarum Rex, rogatu Arcadii Imperatoris morientis, ſuſcipit curam Theodoſii eius filii. 480.I.
Fœdus centum annorum ſancit cum Romanis. ibid.II.
Degerdes Senatus grauiſſ. dolore à S. Marutha Epiſcopo, licentiam dat vbique in Perſide fidem prædicandi. ibid.
Occaſione deſtructi ab Auda Epiſcopo templo Ignis, atrociſſimam mouet in Chriſtianos perſecutionem. 420 III.
Iſides dux apud antiquos habitæ. 362. VI.
Iſidis ſacra turpiſſima ſæpe vetita Romæ, poſtea ſub Commodo ingenti honore culta. 189 II.
Iſidorus filius Baſilidis hæreſiarchæ, patri impietate & impuritate non impar. 120. X.
Iſidorus primo monachus Nitriæ, poſtea presbyter Alexandrin. mittitur à Theophilo Patriarcha in Italiam, quando Theodoſius Imper. profectus eſt contra Maximum tyrannum, cum muneribus offerendis victori: ſed techna detecta, refugit Alexandriam. 388.VIII.
Miſſus à Theophilo Hieroſolymam, ad componendas controuerſias inter Ioannem & Epiphanium, ſe detegit Origeniſtam. 391.III.
Vult eum Theophilus (Origeniſtam ignorans) creare Epiſcopum Conſtantinopol. 397.XX.
Origeniſta detectus, pellitur à Theophilo. 400 X.
Iſidorus Aſturicenſis, vita & ſcriptis illuſtris. 675.I.
Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus vbi terminet Chronicon ſuum. 614.VII.
Præeſt Concilio Hiſpalenſi. 619.I.
Itemque Toletano Quarto; cuius etiam iniunctione, elaborat volumina Officiorum Eccleſ. 633.X.XI. Eius obitus, genus, virtutes, & ſcripta. 636.III.
Italia tranſit in dominium Erulorum ſub Odoacre Rege, extincto penitus Imperio in Auguſtulo. 476.I.
Occiſo Odoacre à Theodorico, ea potiuntur Gothi. 493.II.
Recuperata ferme à Beliſario; rurſum proſtratur à barbaris. 549 I.
Erigit eã Narſes, ſed rurſum collabitur aduentu Longobardorũ. 553.II. 567.IV.
Excitatur vniuerſa aduerſus Leonem Imper. pro cultu ſacrarum Imaginum. 726.VII.IX.
Acquirit Francorum dominio quæ in ea eſſent Longobardorum, Carolus Magnus. 774.II
Deuaſtatur diutius à Saracenis. 843.IV. & à variis tyrannis. 888.II. 905.VI. Vide etiam *Exarchi*.
Italica Concilia de variis Eccleſ. quæſtionibus. 1004.I.
Rom. ſub Victore Papa de die Paſchatis. 198.I.
Duo ſub Cornelio, in cauſa Lapſorum. 254.XI. 255.I.
Sub Dionyſio, aduerſus Paulum Samoſatenum. 272.III.
Sub Melchiade, in cauſa Cæciliani Epiſcopi Carthag. & Donatiſtarum. 313.V. VII.
Sub Silueſtro, pro gratiarum actione de baptiſmo Conſtantini. 324.XXVIII. aliudq; pro confirmatione Niceni Oecumenici. 325.LI.
Sub Iulio, pro fide Nicæna contra perfidiam Arianam. 337.XVII.
Aliaque pro reſtitutione Athanaſii, &c. 341. XIII. XIV. & de turbis Alexandriæ ab inuaſore Gregorio Ariano excitatis. 342. V.
Sub Liberio, in quo denegata eſt communio Arianis, eam per legatos petentibus. 352.III.
Sub Damaſo, pro damnatione Auxentii, aliorumque Arianorum. 368 IV. & alia, aduerſus Apollinarem hæreſiarcham, 373.I. ac de rebus Antiochenis inter Flauianum & Paulinum: in quo etiam auctum de prærogatiua Sedium patriarchalium. 382.I.IV.
Sub Siricio, pro reſtituenda Eccleſ. diſciplina in Africa. 386 II
Sub Innocentio, in cauſa Chryſoſtomi Conſtantinopol expulſi. 405.III.
Sub Cæleſtino, in cauſa Neſtorii hæreſiarchæ. 430.II.
Sub Sixto III. in cauſa ipſius Sixti infamati de ſtupro. 433.III.
Sub Leone Magno, aduerſus Manichæos Romæ detectos. 444. I. & aliud, pro abrogatione pſeudoſynodi Epheſinæ. 449. XVI.
Sub Hilaro, de variis conſultationibus Eccleſiæ Hiſpan. 465.IV.
Sub Felice III. quo damnatum eſt Henoticon Zenonis Imp. abdicatus Petrus Fullo Epiſcop. Antioch. recepta appellatio Ioannis Alexandrini, & citatus Acacius Conſtantinopol. 483. III. aliudque, quo excommunicati ſunt tres Patriarchæ Orientales. 484.IV. itemque aliud in cauſa lapſorum Afric. ſub Wandalis Arianis. 487.I.
Sub Gelaſio, pro conſeruanda vnitate fidei; vbi & actum eſt de libris canonicis & apocryphis, ac de prærogatiua Sedium Patriarchalium. 494. III aliudq; in abſolutione Miſeni. 495 IV.
Sub Symmacho, de electione Romani Pontif. 499 I.
Tria alia, ob ſchiſma Laurentianum. 502.I quintum, pro confirmatione præcedentium. 503. II. & ſextum, aduerſus detentores Bonorum Eccleſ. 504.I.
Sub Hormiſda, de rebus Orientalis Eccleſiæ. 518.X.
Sub Bonifacio II. duo; vnum pro electione, alterum pro irritatione ſucceſſoris ab eo ſibi delecti Vigilii. 531.I.
Sub Ioanne II. de quæſtione Vnius in Trinitate paſſi. 534.II.
Sub Pelagio II. ad res Eccleſ. ſtabiliendas. 590.II.
Sub Gregorio Magno, in cauſa duorum presbyt. appellantiũ à Patriarcha Conſtant. 595. VI. & alia, pro exemptione monachorum à ſubiectione Epiſcoporum. 601. II. & aduerſus Andream Græcum hominem falſarium. 601.I. Sub Bonifacio III. contra ambientes Pontificatum & Epiſcopatus. 606.IV.
Sub Bonifacio IV. de rebus Eccleſiæ Anglic. 610.VI.
Sub Ioanne IV. pro damnatione hæreſis Monothelitarum. 640.I.
Sub Theodoro, contra eandem hæreſim. 648. II. Reliqua vide ibidem, & locis ſuis propriis.
Ithacius Hiſpaniæ Epiſcopus acriter agit contra Priſcillianum hereſiarcham, tam in Conciliis, quam apud Iudices ſeculares, necnon ſcriptis ſuis. 381. XIV. 407. XVII.
Demum agit apud Maximum Imp. vt is gladio puniatur. 385.V.
Culpandus, quod ipſe Epiſcopus pœnam ſanguinis exegerit de delinquentibus. ibid.VI.
Ea de cauſa damnatus à ſanioribus Epiſcopis, in Concilio Treuerenſi, agente Maximo abſoluitur. 386.VI.
Sed rurſum mortuo Maximo damnatus, moritur in exilio. ibid.VII.
Quod Ithacianis communicauerit S. Martinus, reprehenditur ab Angelo. 386. VI. Eorum communionem fugit Ambroſius. 387.V.
Aduerſus eos ſcribunt idem Ambroſius. Siricius Papa. ibid.
Concilium Taurinenſe celebratur contra illos. 397.XII.
Iudæa, quando ſic dici cœpta. Appar. II.
Eius variæ clades per Romanos, ante Chriſtum natum. ibid.III.
Quando facta eſt tributaria. ibidem. XXVIII.
Situs eius. 1. IV. Redigitur ab Auguſto in Tetrarchiam. 8.II.
Iungitur ab eodem prouinciæ Syriæ. 16 I.
Fuit omnium totius Orbis prouinciarum populoſiſſima. 34. VII.
Rurſum tribuitur à Claudio Agrippæ Iudæorum Regi. 43 II.
Eoque mortuo, iterum gubernatur à Præſidibus Rom. 46.II.
Pars eius data Agrippæ Iuniori, à Claudio, & Nerone. 50. I. 56. XIII. Poſt excidium gentis, terra omnis iubetur à Veſpaſiano vendi. 73.II.
Ab eo tempore Iudæa non habuit Regem, ſed vniuerſæ dominati ſunt ſoli Romani. ibi.
Iudæorum Sectæ variæ in Aduentu Chriſti. Appar. VI. Ex poſt excidium Hieroſol. extinctæ, vel immutatæ. 74 II.
Iudæi habitabant Romæ Trans Tiberim. 44. XXVIII.
Eis Auguſtus poſt Chriſtum natum fauit, quos antea odiſſet Annal. numer. VI.
Calumniis Seiani pelluntur à Tiberio, reuocantur poſt Seianum extinctum. 31. III.
Dite in Iudæa vexantur à Pilato Præſide. 38.I. 38.I.
Tempore Chriſti, totum ferme orbem impleuerant. 34.LXVIII.
Omnes vbicumque gentium eſſent, didrachma quotannis viritim templo pendebant, & poſt exciſum templum illud in Capitolium Romam ferre iuſſi ſunt. 33.IX. 72. VIII.
Quale tributum Romanis ſoluerent. 34 IV.
Eorum iudicia qualia, & an haberent iudicium capitis. 34.XXV.
De aliis pluribus eorumdem ritibus, vide ſub ſingulis ipſorum rituum nominibus, atque etiam in *Ritus*. De iis vero quæ Iudæi in Chriſtum egerunt, vide in *Chriſtus*.
Perſequuntur acriter Chriſtianos poſt necem Stephani protomart. 35.I II.
Miſere affliguntur Alexandriæ. 40.I.
Calumniis onerantur ab Apione Grammatico. 42.III.
Ingentem cladem patiuntur à Syris ſimul & Græcis. ibi. itemque apud Babylonem. 41.VI.
Pelluntur Roma à Claudio Imp. 52.I.
Reſtituuntur à Nerone. 56.XIII.
Iudæi diſperſionis, qui dicantur à Petro & Iacobo Apoſtolis. 45.VII. Deficientes ad Gentiliſmum, ſibi præputium adducebant. 57.XXI.
Cur dicerentur Recutiti. ibid. Collectis ſuis & exactionibus vniuerſum Orbem depaſcere ſolitos, tam ante quam poſt excidium Hieroſolymitanum, fuit omnium temporum querela. 399. XII.
Iudæorum appellatione, initio Eccleſiæ, ſignificari etiam Chriſtiani à ſcriptoribus Gentilibus. Vide *Chriſtiani*.
Ob reſcriptum à Nerone aduerſus Cæſarienſes datum, incipiunt in Iudæa tumultuari, & graſſari. 58.LXIV.
Seducuntur à magis, & impoſtoribus. ibid.LIX.
Rebellant aduerſus Romanos ſub Nerone, & multa patiuntur, inferuntque mala. 68.XV.
A Veſpaſiano diris cladibus afficiuntur. 69.XIX.

Diuiſi in contrarias factiones, miſerrime peſſumdant Hieroſolymam. ibid. XX.
Adueniente Tito ad obſidionem, foris capti, crucibus, & ventris exciſionibus, intus fame pereunt. 72. I. II. III.
Honeſtam deditionem ſæpius oblatam recuſantes, vi capiuntur. ibid. IV. Immenſus numerus mortuorum, & captiuorum. ibid. V
Qui gladium obſidionis euaſerunt, miſere aliis locis perierunt. 73. III. Vide etiam *Hieroſolyma*.
Iidem perpetua ſeruitute, & vagatione aliiſque multis infamiæ notis diuinitus damnati: adeo vt & nomen redditum fuerit tetrum, ipſique fœtore abominabiles. 72. VIII.
Vnde talia pati meruerint. ibid. VI.
Romæ agentes duriſſimis exactionibus vexantur a Domitiano. 94. II.
Eorum ſordidiſſima mendicitas deriſa à Gentilibus. ibid. Subleuantur à Nerua. 97. VI.
Rebellant ſub Traiano variis locis, & ingenti rabie ſæuiunt in Romanos; ſed comprimuntur, & immenſis vbique cædibus profligantur. 116. I.
Iterum toto Orbe rebellantes ſub Hadriano, poſt multas & ingentes clades, demum penitus conteruntur. 130. III. 135. I. 137. I.
Immenſus numerus eo bello mortuorum. 137. I. ib.
Ex eo tempore vniuerſæ genti omnino interdictum, pedem in agrum Hieroſolymitanum inferre, vel ex edito loco aſpicere. 137. I. II.
Soliti tamen ipſi ad locum videndum, & in eo lugendum, poſtea quotannis accedere, eamque licentiam pretio a militibus redimere. 72. VIII.
Marcum Aurelium infeſtantibus, quid ipſe in eos dixerit. 178. II.
Diriſſime affliguntur à Peſcennio, & Claudio. 199. I.
Rebellantes denuo, comprimuntur a Seuero Imp. qui de iis triumphat. ibidem Iudæi fieri, graui pœna ab eodem Seuero vetiti. ibid. & 204. I.
Ab Alexandro Mammææ in Palæſtina habitare, & Præfectum loco Regis habere permittuntur. 224. IV.
Eorum in Chriſtianos procacia, & rebellio, terribiliter à Conſtantino Magno coercita. 315. VI.
De illorum afferta diſputatione cum Silueſtro PP. ibid. VIII.
De Miraculis ad Imagines ab eis illuſas, deque pueris crucifixis in opprobrium Chriſti, vide in *Imago*, *Puer*. *Crux*. Rebellantes comprimuntur à Gallo Cæſ. 353. XI.
Obtinent à Iuliano Apoſt. reædificationem templi Hieroſolymitani, & qua vanitate, ſimul & infelici exitu, eam ſuſceperint. 363. II. III.
Cohibentur à Theodoſio Magno, in mancipiis Chriſtianis. 384. VII.
Compeſcuntur item ab Honorio, & Theodoſio Iuniori, & vbique magiſtratibus & militia abdicantur. 408. IX. 415. VIII.
Pelluntur Alexandria, opera Cyrilli Epiſcopi. 415. VIII.
Conuertuntur in Minorica inſula, virtute Reliquiarum S. Stephani protomart. 416. V.
In Inſula Creta ſeducti ab impoſtore, in mare ſe præcipitant, & ſaluati a Chriſtianis conuertuntur 431. VII.
Inſurgentes Antiochiæ in Chriſtianos, comprimuntur ab exercitu Phocæ. 609. I.
In Concilio Aurelian. III. prohibentur quatriduo Paſchatis procedere inter Chriſtianos, & quare. 540. V.
Non eſſe vi compellẽdos ad fidem, monuit Gregorius Magnus. 579. V. 591. I. & Toletanum Concilium Quartum. 614. VII.
Vi coguntur ad baptiſmum in Oriente ab Heraclio Imper. eiuſq; ſuaſu Regibus Francorum & Hiſpaniæ, & quare. 614. VII.
Capta à Coſrhoe Perſarum Rege Hieroſolyma, 90.
Chriſtianorum millia cædunt. ibidem. VIII.
Pelluntur inde ab Heraclio, & ad tertium milliarium vetátur appropinquare, 628 II.
Aduerſus eos quantum in Hiſpania laborandum fuerit. 653. III.
Fueruntque tandem ibi, ob frequentes coniurationes, redigendi in ſeruitutem, ex decreto Concilii XVII. Toletani. 694. II.
Sæpiſſime ab impoſtoribus ſeducti ſunt. 721. II.
Fuerunt auctores Iconomachiæ & Iconoclaſtiæ. 723. II. 726. II.
Dirutionem templi Sepulchri Dominici procurantes, diriſſime vbiq; puniuntur à populis Chriſtianis. 1009. III
Romæ Imaginem Chriſti deludentes, decollantur. 1017. II.
A militibus Chriſtianis proficiſcentibus ad expeditionem Terræ Sanctæ, vbique trucidantur, niſi Chriſtum confiteantur. 1096. II. 1146. II.
Scribit aduerſus eiuſmodi cædium incentores S. Bernardus, eamque prauam opinionem damnat. 1146. II. ibid.
Sed nec eis bellum inferendum eſſe, reſpondit Alex. PP. Secundus. 1068. I.
Iudas Galilæus ſeditionem in Iudæa mouet pro libertate contra Romanos. LXVI. Eius ſectatorum in ſuis dogmatibus obſtinatio. ibid.
Iudas Iacobi frater, idemque Thadæus dictus, vnus ex XII. Apoſtolis, quibus populis Euangelium prædicauit. 44. XXI.
Confuſum eius nomen ab aliquibus cũ Simone Cananæo, & Simeone Fratre Domini; itemq; cum Thaddæo, vno ex 72. Diſcipulis. ibid.
Adnumeratur inter eos, qui in Euangelio dicuntur Fratres Domini. ibi.
Eius nomine ſuppoſitum ab hæreticis Euangelium. ibid. XXV.
De eius Epiſtola Catholica. 68. III.
Quando paſſus ſit martyrium. ibid.
Iudas Iſcariothes electus à Domino cum ceteris Apoſtolis, cuias fuerit. 32. IV.
Paciſcitur cum Principibus Iudæorum Chriſtum eis tradere 30. argenteis 34. VI.
Euchariſtiam participauit in Cœna Domini, vna cum aliis Apoſtolis. 34. XVIII.
Tradit Dominum in horto. ibidem. XX.
Stimulis conſcientiæ agitatus, refert Iudæis argenteos, & ſe ſuſpendit. ibid. XXIV.
De eius interitus modo & tempore, diuerſæ ſententiæ. ibid. Eius nomine confictum à Caianis hæreticis Euangelium 44. XXVI.
Fuit magno honore cultus ab iiſdem Caianis. 145. VIII. 165. & à Cerinthianis. 97. VII.
Iudicii dies vtrum à Chriſto ignoratus fuiſſet, qualiter diſputatum olim inter hæreticos. 535. X. 563. I.
Iudicium futurum negarunt Borborita. 120. XVIII.
Symmachus, 203. IV. Manes. 277. X.
Iudicia Hebræorum triplicis generis. 32. V.
Per Iudiciũ, quid intellexerit Chriſtus. ibid.
Iudicia Chriſtianorum à quibus velit Paulus exerceri. 57. X.
Iudiciaria Epiſcoporũ poteſtas, in clericorum & laicorum quorumcumque cauſis definiendis, à Domino inſtituta ab Apoſtolis ſtabilita, à SS. Patribus frequentata, ab Impp. confirmata. 57. X. XI. 319. XI. 398. XIII. 408. VII. 412. VI. Vide *Epiſcopi*.
Ea fluxit quoque ad ceteros minores clericos, atque etiam monachos: ſed reſtringitur in eis ab Arcadio. 398. XXI.
Iudices ſæculares abſtinere à cauſis clericorum, edixit Conſtantinus. 355. XV.
Vide *Eccleſ. iudicia* & *Præfecti*.
Iudices ſæculares impetrat à Conſtantio Photinus hæreſiarcha, damnatus in Synodo Sardicenſi. 357. II.
Petentes Epiſcopi Ariani, reiiciuntur a Gratiano. 381. XII.
Iudicium ſæculare appellans Epiſcopus mulctatur a Valentiniano Seniore. 369. VI.
Iudices alios, quam Eccleſiaſticos, in cauſis de fide, reſpuit Ambroſius. 386. V. Vide *Fides*.
Iudices Ethnici electi in diſputatione publica de religione cum Manete hæreſiarcha. 277. VI.
Iudices Cognitores. Vide *Cognitores*.
Iudiciaria Aſtronomia. Vide *Aſtronomia*.
Iudicium Eccleſiaſticum per iuramentũ ad ſacras Reliquias. 412. VI. Vide *Purgatio*.
Iuliani, poſtea Apoſtatæ, primordia, communia ei cum fratre Gallo, vide in *Gallus*.
Secreto imbuitur magiæ & Gentilitatis ſtudiis; ſed præ metu Conſtantii vitam monaſticam ſimulat. 337. XIV.
Metu perculſus ad apparitionem dæmonum, ſigno Crucis eos fugat. 351. III.
Incurrit periculum in nece Galli fratris, ſed liberatur ab Euſebia Aug. petenſque Athenas, philoſophicum ibid. pallium induit. 354. IV.
Ex eius moribus vaticinatur Gregorius Nazian. mala ab eo Reip. inferenda. ibidem.
Creatur Cæſar à Conſtantio, & coniugem accipit Helenam eius ſororẽ: mittitque Gallias aduerſus barbaros eas inuadentes. 355. XV.
Fauet ibi Catholicis, & aliquam inde ab Arianis contumeliam patitur, cum & interim idola ſecreto coleret. ibid.
Eius ſoboli inſidiatur Euſebia Aug. & marem infantem mox natum primi curat. 356. XX.
Deuictis ſex Alemannorum Regibus Gallias incurſantibus, acclamatur ab exercitu Auguſtus. 357 XXIII.
Oblatum Imperium ſuſcipit, ſed (vt videri voluit) reluctans. 360. XII.
Simulat publice Chriſtianum in Galliis, ad corroborandum Imperium, ſed in Illyricum perueniens, diis palam ſacrificare incipit. 361. I. II.
Mortuo Conſtantio, peruenit Conſtantinopolim, & fauſtis acclamationibus accipitur. ibid. XII.
Vtrum cum Conſtantius in obitu ſucceſſorem ſuum inſtituerit. ibidem. VI.
Deorum cultum reſtituit, & Chriſtianitatem abdicat ritu ſolemni, Summũque Pontificatum aſſumit. 361. XII.
Magiſtratus, & aulicos Conſtantii, iudicio ſubiicit. ib. XIII.
Munificum ſe erga prouincias oſtendit. ibid.
Epiſcopos omnes quarumcumque ſectarum reſtituit, & pacem inter eos conciliare ſatagit. ibi. XIV.

Viros doctiſſ. tam Gentiles, quam Chriſtianos, vndique ad ſe vocat, honoreque proſequitur, & Præfecturis auget; Baſilio vero & Gregorio Nazianzeno recuſantibus accedere, necem meditatur. 362. I.II.III.
Eius aula referta magis meretricibus & cinædis. ibid. IV.
Portenta ei ſacrificanti accidunt. ibid.
Perſecutio in Chriſtianos qualis, & quibus modis, atque prætextibus, in eos, tam Orthodoxos, quam etiam hæreticos, & tam in Oriente, quam Occidente, ſiue per ſe, ſeu per Præſides, ſæuierit; 362. V. & vide totam ferme reliquam partem eius anni, atque ſequentis, vſq; ad obitum Iuliani.
Imagines deorum ſuis admiſcet, vt qui ſuas venerarentur, pariter & diis honorem deferre viderentur. 362. VI.
Seipſum forma Serapidis depingi curat. ibid.
Legatos Regis Perſarum, impie, ac contra ius gentium, ob Chriſtianitatem enecat. ibid XI.
Apoſtaſiæ reprobrationes à plurimis accipit. 362. II. VIII. XXII. XXV. XXVIII. 363. VIII.
Dicteriis ab Antiochenis deriſus, ſcribit in eos orationem Miſopogonem. ibid. XXI.
Dicteriis & ipſe irridet Religionem Chriſtianam. 362. L. ad fi. LI. LVI. LVIII.
Ad euocationem animarum, & diuinationem, multas cædes humanas facit. 362. XXX. 363. VIII. XV.
Eius inſignis ingratitudo in Marcum Arethuſium Epiſcopum 362. XXXIV.
Suam ſtatuam in locum ſtatuæ Chriſti ſubrogat, ſed non impune. ibidem. XXXV.
Donatiſtas ab exilio reuocat aduerſus Catholicos. ib. LIV.
Leges eius in Chriſtianos promulgatæ. ib. LVI. & ſeqq. Cur prohibuerit eos docere publice. ibid. LVIII.
Scriptis laceſſitur ab Apollinare, & quid ipſe dixit. ibid.
Ritus & mores Chriſtianorum conatur in Ethnicismum transferre, ſed fruſtra. 362. LX.
Feminis permittit repudium virorum. ibid. LXI.
Reſtituendum curat templum Hieroſolymitanum in gratiam Iudæorum, ſed infelici conatu. 363 II. III.
Eius expeditio ad bellum Perſicum, qualis. 363. VI.
Habet dæmones familiares, quibus ad nuntia, & alia vtatur. ibid. & IX.
Putauit animam Alexandri Magni in ſe tranſmigraſſe. ibid. VI.
Inania eius vota aduerſus Chriſtianos. IV. VI.
In ea expeditione ſcribit commentarios ſuos, & libros contra Religionem Chriſtianam. VII. Alia eius ſcripta. ibid. Triſtia omina ipſius interitus. 362. LXII. 363. I. VI. VIII. 376. X. XII.
Decipitur vanis magorum & philoſophorum ſuorum pollicitationibus. 363. VI. VIII. X.
Deceptus inſuper à proditore Perſa, in magnas anguſtias coniicitur. ibidem. XI.
Cælitus occiditur in prælio. XII. XIII.
Moriens inſultat Chriſto, & querelas in ſuos deos ingerit. XIV.
Quærit ſecreto in flumen ſe proiicere, vt in cœlos aſcendiſſe crederetur, & vt deus coleretur. ibi.
Eius ætas, & Imperium. XV. Funus ſceleratum. ibid.
Virtutes, & vitia, ex Ammiano Ethnico. XVI. Multi Ethnici ſcripſerunt res, & laudes eius, quæ perierunt; ſuperſunt autem duæ orationes Gregorii Nazianz. in eius deteſtationem ſcriptæ. ibi.
Sepulchrum ornat Iouianus, & inde ſibi interitum parat. 364. I.
Iulianus Didius mercatus Imperium à militibus, occupat 66. diebus. 195. II. Occiditur à militibus Seueri. ibid.
Iulianus Capuanus Epiſcopus, ſectæ Pelag. poſt ipſum Pelagium & Cæleſtium, coryphæus. Zoſimum PP. clerum Rom. & Auguſtinum calumniatur de præuaricatione eius hæreſis; ſed refellitur ab Auguſtino. 418. III.
Scribit aduerſus Auguſtinum, à quo fuerat olim multum amatus; ſed confutatur ab eodem. 419. IV.
Infames eius ac diabolicæ in Catholicos calumniæ, quibus aduerſus damnatores Pelagii excitare conatur Orientales. ibi. V. Hypocriſis in erogandis eleemoſynis, qua multos ad ſe illexit. ibid. in fi. Epiſcopatu pulſus ob hæreſim, variis conatibus apud Theodoſium Imper. & Neſtorium Conſtantinop. agens vt illum recuperet, ſed & multis fallaciis correctionis ſpem apud Sixtum PP. obtendens, nec quidem ad communionem Cathol. recipitur. 439. XI.
Coercetur item à Leone. 444. II.
Iulianus Coenſis Epiſcopus, Legatus Apoſt. Sedis in Concilio Chalcedonenſ. licet homo Græcus, Latine tamen loquitur ob excellentiam Roman. Eccleſiæ Latine loquentis. 451. XI.
Conſtituitur à Leone PP. Vicarius in Oriente, aduerſus hæreſes Neſtor. & Eutych. 453. I.
Iuliani plures in Hiſpania, illuſtres Scriptores Eccleſiaſtici. 686. V.
Iulianus Toletanus Epiſcopus ſcribit aduerſus Iudæos. 686. V.
Licentius inſultat in Benedictum PP. in Concilio Toletano. 688. I.
Iulianus Tingitanus Comes, proditorie immittit Saracenos ad occupandas Hiſpanias, in odium Roderici Regis. 713. IV.
Capite plectitur ab iiſdem Saracenis. 718. III
Iulius Africanus, inſignis ſcriptor Eccleſ. legatione fungitur apud Elagibalum Imp. pro reſtitutione Nicopolis in Palæſtina. 222. I.
Iulius Caſſianus, Valentini diſcipulus, ſectator Tatiani, auctor hæreſis Docitarum. 174. V.
Iulius Mediolan. Epiſc. intereſt Roman. Concilio ſub Iulio Papa. 337. XVIII.
Creditus eſſe Iulius Maternus, qui ſcripſit librum de Myſteriis & erroribus profan. relig. ibid. Alius ab eo qui ſcripſit de Matheſi. ibid.
Iulius Nepos. Vide *Nepos*.
Iulius Roman. Pontif. creatur. 336. XVI.
Celebrat Synodum contra perfidiam Arianam. 337. XVII.
Iudex appellatus ab Euſebianis & Orthodoxis Orientalibus, ſe inuicem accuſantibus, in alia Synodo cognita cauſa, Catholicos ab Euſebianis expulſos reſtituit. 339. I. 340. I. II. 342. XIII. XIV.
Rurſum aliis literis increpat Euſebianos, & vltionem in contumaces comminatur. 342. V. 343. VIII. Procurat, & indicit Concilium Oecumenicum Sardicenſe. 346. II.
Legatos eo mittit. 347. V.
Excommunicatur vna cum aliis Epiſcopis Orthodoxis, à procaciſſimis Arianis ſeorſum Philippopoli conuenientibus. 347. XV.
Suſcipit exomologeſin Vrſacii & Valentis Epiſcoporum Arianorum factioſiſſ. 350. VII.
Moritur. 352. I. Epiſtola ei tributa quæ fuit Apollinaris hæreſiarchæ. ibid. II.
Iulius Rom. Senator, quod noluerit Commodo, Herculem deum agenti, ſacrificare, martyrio coronatur. 192. II. Vltio diuina ob eius necem. ibidem. III.
Iuo Carnotenſis Epiſc. conſecratur ab Vrbano Papa. 1092. I.
Agit contra Regem Philippum, qui reiecta legitima coniuge, pellicem ſubintroduxiſſet, indeque patitur ab eo direptionem bonorum, & carcerem. 1094. II. 1095. II.
In conuentione cum Hugone Lugdun. Sed. Apoſtol. Legato, nimis abiecte de Inueſtituris laicalibus locutus, acriter arguitur ab Vrbano PP. indeque cogitat ſe abdicare. 1099. II. III.
Scribit pro vnctione Regis Ludouici facta Aureliani, contra Rhemenſis Eccl. querelas. 1106. VII
Rurſum cum in cauſa Inueſtiturarum reprehenſus, à Ioanne Lugdun. acquieſcit. 1111. VI. Moritur. 1114. III.
Iurare per genium, aut fortunam Imperatoris, recuſantes Chriſtiani, maieſtatis rei fiebant. 202. II. Iurare per ſalutem Imperatoris, licitum fuit. ibid. III.
Iurare, ac peierare, fas Maſſalianis hæreticis, ex præſcripto ſui dogmatis 361. IX.
Itemque Priſcillianiſtis, ad turpitudines ſuas celandas. 381. XVI
Contra vero iurare numquam permiſſum eſſe, docuit Pelagius. 411. IX. & obſtinatiſſime defenderunt Albienſes. 1176. II. III.
Iuriſiurandi ſeptem teſtes conſtituti ab Elxai. 105. II.
Iuramentum milit. cum Chriſt. ſub Impp. Gentilibus quale. 202. III.
Iuramentum præſtare ſuper ſanctiſſ. Euchariſtiam, ſuos compulit Nouatianus Antipapa, aduerſus Cornelium Pontif. 254. IX.
Iuramenti purgatio. Vide *Purgatio*.
Iuramentum Epiſcopis non debet offerri. 449. II.
Ab eis præſtari ſolitum Rom. Pontifici. 723. I. 1102. I.
A ſchiſmaticis Antiſtitibus redeuntibus ad vnionem Eccleſiæ Roman. quale fieret. 1179. IV.
Vide etiam *Profeſſio*.
Iurare Epiſcopis Præfectos prouinciarum legum cuſtodiam, voluit Iuſtinianus Imp. 535. I.
Iuramentum antiquum Regum Hiſpaniæ, de non permittendis in ſuo regno aliis quam Catholicis. 638. I.
Imperatorum Occidentalium, de Eccleſiæ Romanæ defenſione. 806. III.
Iuramentum fidelitatis. Vide *Fidelitas*.
Ius Scriptum, & non ſcriptum, in vſu omnibus Rebuſpub. ac non ſcriptum antiquius & nobilius. 53. III.
Iuriſconſultos Alexander Imp. ſibi adhibet Conſiliarios, & præfectos conſtituit 225. I.
Ii Chriſtianis infeſtiſſimi, multos inconſulto Principe necant. ibid II.
Iuſtina relicta Magnentii tyranni, ducitur à Valentiniano Seniore. 370. XIX.
Eius opera S. Martinus eiicitur è palatio, cum ad Valentinianum veniſſet 375. V.
Poſt obitum viri, Arianis fauens, turbas Mediolani incipit ciere aduerſus Ambroſium & ceteros Orthodoxos. 380. IV.
Eius ſuaſu Valentinianus Iunior ipſius filius, permittit Arianis conuentus agere. 386. III.
Acriter agit pro tradendis eccleſiis ſuis Arianis, ſed miris modis coercetur. 386. IV. 387. I. Cogitur Ambroſium mittere legatum ad Maximum tyrannum, ſed haud adeo felici exitu. 387. V.
Maximo irrumpente in Italiam, ipſa cum filio fugit Theſſalonicam ad Theodoſium Magnum. ibid. VI. Moritur. 388. VII.
Iuſtinianus, cum auunculo Iuſtino, periclitatur de vita ſub Anaſtaſio Imperat.

ſed cuſtoditur diuinitus. 518. III.
Acerrimum agit Cathol. fidei defenſorem aduerſus Eutychianos. ib. X. 520. X.
Conſul creatus, celeberrima edit munera. 521. I.
Petente Senatu, renuntiatur Imperator à Iuſtino, & confeſtim cuncta ſua bona Eccleſiis donat. 527. I.
Varias à Principibus Occidentis legationes ſuſcipit pro pace ibid. III.
Eiuſdem optima in rebus fidei, pietatis, & politici ſtatus initia. IV. Perſas vincit per Beliſarium. V. Multi ſub eo populi conuertuntur ad fidem. VI. Quam parum conſulte rebus Eccleſiaſticis ordinandis ſe immiſcuerit. 528. I. 541. III. 549. III.
Fuit rudis omnium literarum. ibid.
Codicem Imperialium Conſtitutionum ſuo nomine promulgat, vſus præcipuis architectis nefandiſſ. hominibus. 529. VIII.
Hæreticos exagitat. 530. III. ib.
Periclitatur à coniuratione nepotum Anaſtaſii, ſed eos captos necat. 531. II.
Legationem mittit ad Ioannem Papam, ſuper quæſtione Vnius de Trinitate paſſi, vna cum fidei ſuæ profeſſione. 533. I. & ſequentibus.
Africam à Wandalis per Beliſarium recuperat. 533. VII. 534. IV. Quibus piis operibus tantam victoriam conſecutus ſit, & quæ pro gratiarum actione præſtiterit. 533. VIII. 534. V.
Bellum geſturus aduerſus Gothos, multa edicit in vtilitatem Eccleſiæ. 535. I. II.
Mittit ad Agapetum PP. profeſſionem fidei Catholicæ. ibid. IV. Plurimis vbique ciuitatibus inani vanitate nomen ſuum imponit. 534. V. 535. VI.
Nimis vxori Theodoræ credens, læditur ab ea in fide. 535. VII.
Siciliam per Beliſarium recuperat. ibid. XVI.
Purgat orbem Rom. ab immunditiis lenonum. ibid.
Agapetum Papam à Theodato Rege ad ſe miſſum, adoratione veneratur, & ſtrenue agit aduerſus hæreticos. 539. V. XI.
Italiam, Romamque, per Beliſarium recuperat. 537. II.
Promulgat edictum damnationis Origenis, eiuſque errorum. 538. VI.
Cogitur annuam pecuniam polliceri Hunnis, & Saracenis, Orientem deuaſtantibus. 539. II. itemque Perſis. 540. VIII.
Edictum promulgat aduerſus Tria Capitula. 546. II.
Nimis curioſus dogmatum, & rerum Eccleſiaſticarum, perdit Imperium. 549. III.
Quam dire egerit cum Vigilio Papa: ſed reſipiſcit. 551. II. 552. II. IV.
Conuocat Concilium Quintum Oecumenicum, ex Vigilii ſententia; ſed quanta præcipitatione rem egerit aduerſus Tria Capitula. 553. III. IV.
Sæuiſſime perſequitur eos, qui non reciperent illorum damnationem; ipſumque Vigilium diriſſime habitum in exilium pellit. ibid. XIV. Reuocat illum. 554. I.
Impie ſibi arrogat promotionem Rom. Pontificis. 555. II.
Ingenti magnificentia reſtituit eccleſiam S. Sophiæ. 557. I.
Seueris edictis turpitudines conatur auferre. 558. I.
Totus intendit Circenſibus, & aliis eiuſmodi nugis & vanitatibus. ibid. II.
Tributum iterum cogitur pendere aliis Hunnis. ibid.
Sæpe conualeſcit à morbis, virtute SS. reliquiarum. 560. I.
Labitur in hæreſim Incorruptibilium, eamdemque edicto firmans, contradicentes perſequitur 563. II. 564. I.
Moritur ſubitanea morte. 565. I.
De eius animæ ſtatu, quid exiſtimandum. ibid. & II.
Iuſtinianus Iunior ſuccedit patri ſuo Conſtantino Pogonato. 685. I.
Multas prouincias à Saracenis occupatas recuperat. ibid. Deuiat à fide. 686. II.
Rumpit pacem cum Saracenis, magno Orientis damno, quod pecunia ab ipſis tributi loco pendi ſolita, haud ex more cuſa eſſet ipſius Imperatoris imagine. 690. IV.
Agit violenter cum Sergio Papa, pro confirmatione pſeudoſynodi Quiniſextæ, ſed fruſtra. 692. III.
Inuiſus redditus ob crudelitatem, rerumque ſacrarum contemptum, à Leontio in ipſum erecto naribus truncatur, & in exilium relegatur Cherſonam. 694. I.
A trunco naſo, dicitur Rhinotmitus. ibid.
Mira eius vindictæ cupido. 702. I.
Opera Lazorum & Bulgarorum, recuperat Imperium, & diriſſimam ſumit de aduerſariis vltionem. 703. I.
Ingrate Bulgaros armis inuadens, fugatur ab eis. 706. I.
Rauennates caſtigat de inobedientia in Rom. Pontificem. 708. II.
Accerſit ab Vrbe Conſtantinum Papam, ob controuerſiam de Quiniſexta Synodo, & humilimo obſequio eum recipit. 709. I. 710. I.
Diram vindictam ſumit de Cherſonenſibus rebellantibus. ibid. III. Ob crudelitatem omnibus inuiſus, occiditur vna cum filio Tiberio Imp. à ducibus Philippici, euecti aduerſus eum in Imperium: caputque eius Romam vſque mittitur. 711. III. IV.
Iuſtinus Thrax, è genere humili ad Præfecturam Prætorii, e carcere in Imperium ſublimatur. 518. III.
Confeſtim declarat ſe Concilii Chalcedon. profeſſorem. ibid. IV. Orthodoxos exules reuocat, & hæreticos pellit. ibid. IX.
Petit ab Hormiſda Papa, mitti Legatos in Orientem, qui omnia rite componerent. ibid. X. Alios ad eumdem mittit Legatos, pro pace Eccleſiæ procuranda. 520. X.
Lazorum Regi Chriſtiano facto, titulum & ornamenta tribuit Imperialia. 522. IV.
Iberos Chriſtianos defendit à perſecutione Perſarum. ibid. Hæreticos & infideles quoſcumque ſeuere exagitat. 523. II. 524. I.
Ioannem Papam ad ſe miſſum à Theodorico Rege, humillimis obſequiis excipit, eiuſque manibus coronari appetit. 525. I.
Iuſtinianum ſororis ſuæ filium, petente Senatu, renuntiat Imperatorem, ac quatuor poſt menſe moritur. 527. I.
Iuſtinus Iunior, filius ſororis Iuſtiniani Imp. poſt extinctum auunculum, ſuſcipit Imperium. 565. III.
Exactiones auunculi reſtituit, & vetat in fide aliquid innouari. ibid. Edictum de recta fide conſcribit. 566. II.
Legatos accipit à Turcis aduerſus Auares. ibid.
Auaritia & luxuria ardens, matrimonium ex conſenſu diſſolui poſſe ſancit, & ſacerdotia venalia exponit. ibidem. III.
Sæuit in ſuos. 567. I.
Agit egregie aduerſus potentes, oppreſſores pauperum. 568. II.
Armenos ob fidem ad ſe confugientes, tuetur aduerſus Perſas. 572. V.
Vertigine crebri vexari ſolitus, nouo mœrore cladium ab hoſtibus illatarum incidit in phreneſim, dilucida tantum modiciſſima habens interualla. 574. I.
Tiberium cooptat in Imperium. 575. I.
Moritur. 578. I.
Iuſtinus Iuſtiniani Imper. conſanguineus, pietati intentus vincit inſigni certamine Perſas. 55?. IV.
Aufertur de medio, inuidia & timore Iuſtini Iunioris Imp. 567. I.
Iuſtinus Samaritanus, poſt tentatas omnium philoſophorum ſectas, diuinitus religionem Chriſt. amplectitur. 130. IV.
Apologiam offert Antonino Pio pro Chriſtianis. 150. I.
Aliamque rurſum Marco & Lucio, atque Senatui. 164. IV.
Subit martyrium Romæ. 165. I.
Quæ reliquerit ſcripta. ibid. II. Adhæſit opinioni Papiæ de Millenario. ibidem.
Iuſtus Vrgelitanus in Hiſp. Epiſcopus, & tres alii ipſius fratres æque Epiſcopi, clari inter Scriptores Eccleſiaſt. 531. II.
Iuuenalis creatur Epiſc. Hieroſol. 429. V. in Concilio Epheſ. Oecumen. ſtat pro Sede Apoſt. & Synodo, aduerſus Iohannem Antioch. & Neſtorianos. 431. XIV. XIX.
Tentat ibidem ſibi Primatum Paleſt. aduerſus iura Eccleſiæ Cæſar. arrogare, ſed reprimitur à Cyrillo Alexandr. ibid. XV.
Eudociæ Aug. Hieroſolymam peregrinanti dat inſignes Reliquias ſacras. 439. I. II.
Intereſt pſeudoſynodo Epheſ. aduerſus Flauianum, pro Eutychete. 449. IX.
Et quod impœnitens eſſet, damnatur à Legatis Apoſt. Sedis in Concilio Conſtantinop. 450. VI.
Itemque in Chalcedonenſi Oecumen. 451. XV.
Veniam petens, recipitur in eadem Synodo. ibi. XVIII.
Pellitur Hieroſolymis ab Eutychianis. 452. VI.
Recuperat ſedem. 453. II. 538. Concilium aduerſus eos celebrat, & primatum Palæſtinæ vſurpat. 454. IV.
Moritur. 457. IX.

K.

KAnutus Rex Danorum, regnat etiam in Anglia, diciturq; cognomento Magnus, & micat pietate. 1016. II.
Peregrinatus ad Limina Apoſtolorum, in reditu Papiæ Brachium S. Auguſtini centum talentis comparat. 1027. II. Magnopere laborat occupare Noruegiam. 1028. III.
Kanutus alius, itidem Daniæ Rex, Sedis Apoſt. obſeruantiſſimus. 1079. VI. Martyrium conſequitur à ſuis. 1081. VII.
Kanuti alterius Iunioris canonizatio, per Alexandrum PP. Tertium. 1164. XIV.
Kilianus Hibernus monachus, Epiſcopus à Canone PP. creatus, Franconios ad fidem conuertit, & ſedem Herbipoli conſtituit. 686. IV.
Conſequitur martyrium ob iuſtitiam; eiuſque perſecutores male pereunt. 689. II.
Kiouia ciuitas in Germ. habuit. 400. Eccleſias. 1018. I.
Seueriſſimæ eius leges pro conſeruatione diſciplinæ Eccleſ. & politicæ. ibid.

L.

LABARVM præcipuum militare ſignum Romanorum, qua forma à Conſtantino inſtitutum. 312. IV.
In quo differret à Cantabris, aliiſque militaribus ſignis. ibid. V.
Vnde ſic appellatum; & quinam illud portarent. ibid. VI.
Miraculum in eo exhibitum in bello Liciniano. 317. II.
Reducit in priorem Gentilium formam Iulianus Apoſt. 362. VI.
Laborantium, qui & Foſſarii dicti, Officium in antiqua Eccl. in curandis corporibus Fidelium defunctorum. 44. XXXIV.
Laborantis ſic dicti Cardinalis, Collectio

Canonum, & alia ſcripta. 1182. III.
Lac cum ſanguine è collo S. Pauli Apoſt. 69. V.
Lac B. Virginis delatum cum aliis ſacris Reliquiis in prælio aduerſus Saracenos, vnde ingens orta victoria. 1123. II.
Lactantius Orator Chriſtianus ſcribit aduerſus Gentiles. 302. VIII. 315. X.
Fuit diſcipulus Arnobii. 302. X.
Eius ſcripta digna cenſura. ibid.
Fuit præceptor Criſpi Cæſ. & tamē pauperrimus. 315. II.
Laicorum à Clericis diſcriminatio, ex naturali & diuino iure. 44. XXXIII. 61. Vide *Clerici*.
Laica tantum communione impertiendi ſacerdotes lapſi. 255. I. 258. I. Vide *Lapſi*.
Lambertus eligitur Epiſc. Leodienſis. 658. III.
Ex conuerſione Taxandriæ adeptus eſt cognomentum Apoſtoli eius populi. 698. I.
Conſequitur martyrium à pellice Pipini Ducis, ob eum ſæpius obiurgatum de eiuſmodi adulterio. ibid.
Etiam poſt mortem repellit à ſe pellices. ibid.
Eius imagine ſculptum ſigillū ciuitatis Leodienſis. 699. I.
Lambertus Epiſcopus Oſtiēſis creatur Papa, diciturque Honorius. 1124. III. 1003. Vide *Honor. II.*
Lambertus filius Widonis Imp. coronatur quoque Imp. à Formoſo PP. 893. I.
Eius Imperium confirmatur à Iohanne IX in Synodis Rom. & Rauen. 904. I. II.
Necatur proditorie in venatione. 910. II.
Lambertus Schafnaburg. quouſque perduxerit hiſtoriam ſuam. 1077. V. Laudatur ſæpiſſime.
Lambeſitanum Concil. in Africa, aduerſus Priuatum hæreticum. 242. III.
Lamina aurea, ornamentum capitis Apoſtolorum, & Epiſcoporum. 34. LXXXV.
Lampades accendi ſolitæ, etiam clara luce lætitiæ & religionis cauſa, tam apud Iudæos & Gentiles, quam etiam antiquos Chriſtianos, & quare. 58. XXV. & ſequētibus.
Eum vſum damnauit Vigilantius hæreſiarcha, ſed probauit vniuerſa Eccleſia Catholica, tam Orientalis, quam Occidentalis. ibid. XXVI. XXVII.
Idem quamplurimis diuinis miraculis confirmatus. ibid. XXX. 416. IV. 485. Vide etiam *Lucerna Lumina*.
Lampadum ardentium ad ſepulchra, vel imagines Sanctorum, oleum, & cera cādelabrorum, morbos pellunt, dæmones abigunt, mortuos reſuſcitent. 55. III. 58. XXX. 371. IX. 402. XV. 574. III.
Lampades extinctæ, iubare diuino reaccēdi ſolitæ quotānis diebus Paſſionis Dominicæ in Eccleſia Hieroſol. 326. VI.
Lampadius Præf. Vrbi expenſas munerum transfert in eleemoſynas pauperum, & inde periclitatur à populo. 366. I.
Lampſacenum Conc. Semiarianorum cōtra Arianos. 365. I.
In eo ſtabilita eſt impietas Macedoniana cōtra diuinitatem Spiritus ſancti. ibi.
Legati inde miſſi ſunt ad Liberiū PP. qui palinodiam ſimulantes, communicationem Catholicam obtinuerunt ibid. II.
Lanceæ ſacræ ab Henrico Rege ſuſceptæ, quibus hoſtes fugarentur. 929. II.
Lanceæ ſacræ, qua Chriſti latus perforatū eſt, inuentio, & victoriæ eius opera a Chriſtianis aduerſus Saracenos obtentę 1098. IV. 1123. II.
Lando creatur Papa, & paulo poſt moritur. 432. I.
Lanfrancus Cadomenſis Abbas, accuſatus hæreſis Berengarianæ, ſe purgat. 1050. I.
Scribit contra Berengarium. 1059. IV.
Ordinatur inuitus Archiepiſcopus Cantuarienus. 1070. IV.
Romam pro Pallio petens, honorificentiſſime excipitur ab Alexandro PP. duplexque ab eo pallium accipit. 1071. III.
Augetur ab eodem Legatione Apoſtol. in Anglia. ibid.
Celebrat diuerſa Concilia de rebus Eccleſ. 1071. I. 1075. VIII.
Iubetur à Gregorio PP ad Limina Apoſtol. accedere, pœna ſuſpenſionis intentata. 1081. IV.
Moritur, & quæ reliquerit ſcripta. 1089. IV.
Laodiceæ vrbes plures. 60. IV. 314. XI.
Paulus ad Coloſſ. meminit eius quæ eſt in Phrygia. 60. IV.
An ad eam ſcripſerit. ibid. V.
Terrę motu ſub Nerone proſtratur; ſed quod opulentiſſima eſſe, cito reparatur. 62. II.
Diuitiarum ſuarum occaſione, fide protinus tepuit. ibid.
Laodicenſe Concilium quo tempore celebratum, & in qua Laodicea. 314. XI. & ſeqq. eius canones. ibid. XIV.
Lapides ſciſſi in Paſſione Domini. 34. XXXVIII.
Retinent Chriſti pedum & genuum veſtigia. ibid. XX.
Cedūt locum ad eum occultandum. 32. IX.
Indelebili nota ſanguinis Zachariæ cōſperſi. I. XV.
Paſſionis Stephani, veneratione habiti, & miraculis clari. 34. XC. 416. III.
Lapidea Crux indelebili nota ſaguinis Thomæ Apoſtoli conſperſa. 57. XXXIV.
In Lapidem conuerſa Euchariſtia, ritu Macedonianorum conſecrata. 400. XVII.
Lapides aqua madere prodigioſe viſi. 307. V.
Lapidem abſciſſum ſine manibus de monte apud Danielem, eſſe Chriſtum, montem vero diabolum, dixit Vigilantius. 405. VII.
In Lapides verſa cibaria nauis, ex imprecatione pauperis. 605. IV.
Lapides pretioſi medimnis diuiſi in Sicilia, ex præda Saracenorum. 1040. I.
Lapſorum in perſecutionibus Gentilium, diuerſa genera a Cypriano conſtituta. 253. V.
Horrendæ in aliquos eorum diuinitus inflictæ pœnæ. ibid. VI. Vide *Vltio diuina*. Iis quomodo concederetur Indulgentia à martyribus & cōfeſſoribus. 253. XXII.
Conſultus de iis Clerus Romanus, Sede vacante, à Cypriano, quid ſtatuerit. ibi. XIII.
De eorum receptione in Eccleſiam, cōtrarii errores, ortaque ſchiſmata in Africa aduerſus Cyprianum, & Romæ cōtra Cornelium. 254. III. X. 258. I. Recipiēdos eſſe, ſed non niſi poſt pœnitentiam ſtatutum variis Catholicorum Conciliis. 254. XI. 255. I. IV. 258. I. 305. III.
Sacerdotes vero ad laicam tātum communicationem recipiendos, decretum eſt. 254. XI. 255. I. 258. I. II. De iis canones Petri Alexandrini. 305. III. & Conc. Eliberitini. ibid. IV.
Lapſis in hæreſim vel ſchiſma, aliquando conceſſum pro bono pacis, redire ad Eccleſiam cum priſtinis honoribus. 313. VII. 362. XLI. 401. V. Omnino prohibitum in Concilio Regienſi, vt ſic probarentur qui vere pœniterent. 439. X.
Immo nec facile admittendos eſſe ad communionem Catholicam, docuit Sixtus PP Tertius. ibid. XI.
Hæreſiarchis numquam id indulgendū. Vide *Hæreſiarchæ*.
Lapſis in hæreſim, etiam vi cōpulſis, Epiſcopis & clericis maiorum ordinum, cōceſſa tantum laica communicatio; clericis minoribus, monachis, & laicis, peregrina, in concilio Rom. ſub Felice PP. Tertio. 487. I.
Epiſcopis redeuntibus non quidem honores permittendos ſed, tamen alimenta ex charitate præſtanda, decreuit Agapetus. 535. III. Vide etiam *Luciferiani. Schiſmat.*
Lateranus Conſul. deſignatus, occiditur à Nerone ob coniurationem. 67. III.
Eius domus à Conſtantino donata Melchiadi Papæ. 313. VI.
Lateranenſis Eccleſia ibi ædificata, ſedes Epiſcopalis Romana Summi Pontificis. ibid. & 324. XIX. Eiuſdem eccleſiæ myſtica ruina, ſub Stephano Papa VII. 897. III.
Lateranenſe Patriarchium Pontificium, primo expilatū à miniſtris Heraclii Im. quod Seuerinus PP. nollet approbare impiam eius Ecthesin. 638. III. Poſtea expilari conſuetum à plebe, in obitu Pontificis. 885. I. quod prohibetur in Concilio Rauen. ſub Ioanne Nono. 904. II.
Lateranenſe Concilium ſub Martino PP. pro damnatione hæreſis Monothelitarū, & Typi Conſtantis Imp. 649. II. Eius acta miſſa ad omnes vbique Eccleſias. ibid. VI. Sub Nicolao in cauſa Ioannis Epiſc. Rauenn. rebellis Sedi Apoſtol. 861. VI. Sub Alexandro II. aduerſus clericos ſimoniacos & fornicarios 1063. V.
Sub Paſchale II. contra Inueſtituras laicorum, & Henricum Imp. eas ſibi vſurpantem. 1112. I. aliudque ſub eodem de iiſdem rebus. 1116. I.
Sub Calliſto II. pro Eccleſia componenda. 1122. I.
Sub Innocētio II. circiter mille Epiſcoporum, aduerſus hæreticos, & ſchiſmaticos, & pro reformatione morum & diſciplinæ. 1139. II. III.
Sub Alexandro III. aliud Generale 300. Epiſcoporum, pro ſimilibus Eccleſię neceſſitatib. 1179. I. Vide *Rom. Concil.*
Latina lingua prælata Hebrææ & Grecæ, in titulo Crucis Dominicæ. 34. XXXV.
Ea primum legi ſolitæ epiſtolæ Rom. Pontificum in Synodis Oecumenicis, ob maieſtatē Apoſtolicæ Sedis Latine ſcribentis. 431. XIII.
Itemque Legati eiuſdem Sedis licet Græci, vel inter Græcos agentes, pariter Latine loqui conſueuerunt. 451. XI. Sicut & ob maieſtatē Romani Imperii, Latine orauit Conſtantinus Magnus in Synodo Nicæna, quamuis Græce noſſet. 325. XIX. & Marcianus in Chalcedonenſi, etſi Græcus. 451. XXIII.
Latina Eccleſia calumnias patitur à Græca. & omnes Latini, proditiones & grāſſationes à perfidis Gręcis. Vide *Græci*.
Lauare manus ſolebant Iudęi ad conteſtādam innocentiam ſuam. 34. XXVIII.
Lauare pedes, ſolitum in conuiuiis. ib. V.
Lauabant ſæpius Hemerobaptiſtæ. Appar. IX. 33. IV.
Lauare olim conſuetum ante orationem. 57. XXXIII. Vide etiam *Aqua*, *& Baptiſmus*.
Laudenſe Concillabulum Octāuiani Antipapæ, aduerſus Alexandrum Tertium. 1161. III.
Laudunenſis Conuentus, pro coronatione Ludouici filii Caroli Simplicis. 936. II.
Laudum Matutinarum antiquitas 51. XIX.
Lauream in capite geſtare, licitū olim militibus Chriſtianis. 201. V.
Miles id renuens ſub Seuero, pacem Eccleſiæ turbat, quem tamen laudat Tertullianus. ibid. II. V.
Lauream coronam cur in gemmeam mutarint Impp. Chriſtiani. 337. VI.
Laurata dictę imagines Imperatorū, quibus idem honor qui ipſis Imp. deferebatur. 603. I.
Laurentius Archidiaconus Rom. Eccleſiæ, inſigne ſubit martyr. ſub Valeriano. 261. II.
Fuit Hiſpanus genere. ibid.
Miracula ad eius reliquias, & inſtrumē-

ta paſſionis. ibid. Acta quædam dubia. ibid.
Laurētius Archipresbyter, creatur in ſchiſmate Pontifex aduerſus Symmachum. 498 II.
Iudicio Theodorici Regis cauſa cadit. ibid.
Creatur à Symmacho Epiſcopus Nucerinus. 499. II. in fin.
Iterum à factioſis reducitur in Vrbem, & turbas mouet. ibid VI.
Damnatus in Synodo, in exilium mittitur. 502. II.
Laurentius creatur Epiſcopus Dorouernenſis in Anglia, viuente alio Epiſcopo, ex diſpenſatione Ro. Pont. 604. VIII.
Angliā ob perſecutionem deſerere volens, nocte flagellatur à S. Petro. 614. II.
Laurianus Pannonius, presbyter Mediol. ardore fidei in Cotillam Regem Arianū inuectus, mira ſagacitate ab eo quæſitus, tandem martyrio coronatur. 548. III.
Lazari medici vera hiſtoria à Domino narrata, non parabola. 33. XV.
Lazarus frater Marthæ & Mariæ Magdal. quatriduanus mortu⁹, ſuſcitatur à Chriſto. 34. II.
Migrat in Gallias cum ſororibus. 44. XI.
Lazari monachi pictoris inſigne certamen pro cultu & pictura ſacrarum Imaginum 832. I.
Lazi popul. cōuertuntur ad fidem Chriſti. 522. IV.
Eorum Rex decoratur à Iuſtino, titulo Imperatoris Lazorum, & habitu Imperiali. ibid.
Iidem dicti antiquitus Colchi. ibid.
Eorum cōuerſionis occaſione, Rex Perſarum (ſub cuius dominio eſſent) bellum infert Iuſtino. ibid Vide etiam *Colchi.* & *Lazus.*
Eorum Rex peregrinatur Romam ad Limina Apoſtol. 856. II.
Leander Hiſpalenſis Epiſcopus miſſus Cōſtantinopolim ad obtinēdum auxilium Hermenigildo, notus fit Gregorio Magno, eique auctor eſt operis Moralium. 583. VIII.
Exulat pro fide, in perſecutione Leuigildi. 588. II.
Pro Rom. Pontifice præſidet Concilio Tolet. III. 593. VII.
Celebrat Concilium Hiſpal. 594. III.
Lectorum Clericorum Ordo ab initio Eccleſiæ. 44. XXXIII XXXIV. Iidem in Eccleſia Africana legebant Euangelium populo; quod munus alibi Diaconis cōpetebat. 253. IV.
Legalium vſus licitus Apoſtolis. 51. IX. 58. XXXI.
Difficile ſublatus à Iudæis factis Chriſtianis. ibid.
Magna ex parte ceſſauit ipſorum Apoſt. temporibus. 58. XXXII. ibid. penitus ſub Hadriano Imp. 138. I.
De iis non prohibendis Iudæis credentibus. actum in Conuentu Apoſtolorū. 58. XLVIII.
Eorumdem obſeruationem vna cum Euangelio, retinebant Ebionæi, & Nazaræi. 9. II. 74. V. Cherinthiani 97. VII. Armeni. 861. V. Vide etiam in voce *Lex.*
Legationes à populis extra Rom. Imperium poſitis, ad Traianum Imp. 106. I. itemque ad Conſtantinum Magnum. 325. LIII. 336. XI. & ad Heraclium. 627. II.
Legati Sylueſtri PP. præſunt Concilio Arelatenſi ſub Conſtantino Magno. 314. V. & Nicæno Oecumenico. 325. VII. Iulii Papæ., ad Concilium Oecum. Sardic. 347. V. Liberii, ad Conſtantium Imp. turpiter ſubſcribunt damnationi Athanaſii. 353. VI. VII.
Alii iterum miſſi, à Conſtantio pellūtur in exilium, quod nollēt ſubſcribere. 355. III.
Eiuſdem Liberii, ad Concilium Ariminenſe. 359. II.
Legati Concilii Arimin. à Conſtantio cōpelluntur ſubſcribere perfidiæ Arianæ. 359. VII.
Regreſſis ad Synodum denegatur communio. ibid. VIII.
Regis Perſarum ad Iulianum Apoſtatā, impie ob Chriſtianitatem necantur. 362. XI. Octoginta presbyteri, à Conſtantinop. Catholicis ad Valentem Imp. Arianum miſſi, eius iuſſu nauigio in altum ducti, igne cremantur. 370. VI.
Legatio Orientalium præcipuorū Epiſcoporum ad Damaſum PP. ad implorandum auxilium Eccleſiæ proſtratæ ab Arianis. 371 I.
Alia ad Ro. Concilium ſub eodem Damaſo. 382. II. De plurimis aliis, vide in *Oriens. Eccl.*
Apoſtolicæ Sedis, & Occidentalium, ad Synodum Oecumenicam Epheſinam. 431. III. V. Ad Chalcedonenſem 451. XI.
Legationum ab Occidente ad Synodos Vniuerſales in Oriente celebrandas mittendarum, antiqua conſuetudo qualis. 451 III.
De ſingulis ad eas miſſis, vide ſub nominibus ipſarum Synodorum. Pariterque de quamplurimis aliis Legationibus, vide ſub propriis nominibus Pontificum, aut Conciliorum, & Eccleſiarum, vel Principum, & populorum.
Legati Innocētii PP. & Honorii Imp. miſſi Conſtantinopolim pro Chryſoſtomo exule, inhumaniter habiti ab aduerſariis Chryſoſtomi. 406. IV.
Leonis Papæ, in Latrocinio Epheſino dire item tractati. 449. XII. Felicis III. aduerſus Acacium miſſi, præuaricari coguntur, & re cognita excommunicantur. 484. II. III Hormiſdæ ab Anaſtaſio Imp. hæretico naui fragili cum militibus ad certiſſimum periculum impoſiti. 517. II.
Alii eiuſdem, nefanda paſſi Theſſalonicæ ab hæreticis. 519. X. Nicolai, peſſime habentur à Photio, & præuaricari compelluntur. 860. II. 861. II. Ioannis Octaui, turpiter à Photio ſeducuntur. 879. V.
Legationem Ioannes PP. I. ſubire cogitur à Theodorico Ariano Rege ad Iuſtinum Imp. 525 I. itemq; Agapetus à Theodato ad Iuſtinianum. 536. II.
de Legatis à Latere in Germaniam nō mittendis, orta controuerſia. 1074. II. itemque in Siciliam. 1097. VI 1156. I. & in Angliam 1117. IV 1119. III.
Legio Fulminatrix Chriſtianorum, cuius precibus Marcus Imp. inſignem illam conſecutus eſt de Marcomannis victoriam. 176. III.
Legionenſe in Hiſp. Conciliū, pro optima Eccleſ. & Regni diſpoſitione. 1012 IV.
Legionenſe Reg. cum ſūgitur vna cum Caſtella à Ferdinando Magno. 1037. III.
Lemouicenſia Concilia in cauſa Apoſtolatus S. Martialis. 1029. II III. 1034. III.
Lenonibus tradi a Gentilib. ſolitæ tēpore Perſecutionum Chriſtianæ feminæ illudendæ. 201. VI. I. 301. VIII 303. V 346. XI. I. 304. IX. X. 309. IX. Sed earum pudicitia diuinitus conſeruata eſt. ibid.
Lenonibus tradi ancillas Chriſtianas, prohibuit Conſtantinus Magnus. 315. IV. Releri bant aduerſus lenones Theodoſius Iunior. 439 VII. & Iuſtinianus. 535. XVI. Et vt lenocinium tolleretur, lenonum tributum Conſtantinopoli ærario pendi ſolitum, de ſuo ſupplet Florentius Præf. Præt. 437. VII.
Leones miſit ad Antonio Magno, in ſepultura Pauli primi eremitæ. 343. I.
Leonis effigies cur pingitur cum S. Hieronymo. 420. VI.
Leo, deuorato aſello Zoſimi anachoretæ, in farcinis ferendis ei aſini miniſterium præbet. 525. III.
Alius ſepulchrum effoſſum parat Mariæ Ægyptiacæ. ibid. X.
Leo I. Rom. Pont. creatur abſens, legatione publica acceſſitur. 440. III.
Summa eius humilitas in ſublimi animi celſitudine. ibid.
Manichæos Romæ detectos, iterum in Concilio damnat, & in exilium pelli curat: & vt illi vbique idem præſtent, monet. 443. I. 444. I. 445. III. Agit etiam aduerſus Pelagianos, vſus ea in re opera S. Proſperi Aquit. 444. Scribit ad Turbiū aduerſus Priſcillianiſtas, & Concilia cōtra eos in Hiſp. celebrari curat. 447. I. II.
Deponit Epiſcopum Epheſinum, Primatem Aſiæ. ibid. V.
Eutychetis hæreſiarchæ cauſa ad eum defertur ab Imperatore & Patriarcha. 449. I.
Mittit Legatos ad Synodum Epheſ. in ea cauſa ſub Dioſcoro celebratam: ſcribitque miſſificam de Verbi Incarnatione epiſtolam, ac præſcribit Synodo ſententiam de Eutychete. ibid. VII. VIII.
Appellatur ad eum à Flauiano Epiſcop. Conſtantino, & aliis Catholicis, aduerſus eam pſeudoſynodum. XI XIV.
Cōcilio Romæ celebrato, reſcindit eius nefaria acta. XVI.
Excommunicatur ea de cauſa ab impio Dioſcoro. XVIII.
Mittit alios Legatos ad erigendam collapſam Eccleſiam Orientalem. 450. II.
Rogatur à Marciano & Pulcheria Imp. de cogenda Oecumen. Synodo. ibid. V.
Mittit Legatos ad Synodum Chalced. 451 XI.
Petitur ab eo confirmatio Actorum eius, ipſeque ab ea vocatur Vniuerſalis Epiſcopus. ibid. XXXII. XXXIII.
Irritat geſta in Synodo de prærogatiua Eccleſiæ Conſtantinop. poſt Romanam fidem vero Synodi confirmat. 452. III. 453. I. V.
Calumnias patitur ab Anatolio Epiſc. Conſtantinop. Ibid.
Attilæ impetum, ad ruinam Vrbis properantis, retundit. 452. VIII.
Orto dubio de die Paſchali illius anni, conſulit vbique peritos. 455. VII.
Eius epiſtola de Incarnatione Verbi corrumpitur ab Eutychianis, vt ipſum redderent ſuſpectum Neſtorianiſmi 454. II.
Vrbem Romam ab incendio & cæde liberat in direptione Genſerici. 455. III
Excommunicatur à Timotheo Æluro inuaſore ſedis Alexandr. Eutychiano. 457. IV.
Improbat ipſe eius electionem. ibi. VII.
Mittit Legatos in Orientem ad reparandam Eccleſiam, ea de re à Leone Imp. rogat⁹. 458. II.
Ælurum relegare facit. 460. I.
Sancte moritur. 461. II.
Magnus dictus, ob ingentia eius facta. ibid.
De remiſſione ei conceſſa peccatorum pœna, præterquam impoſitionis manuum. ibid. III.
Miraculum de Brandeo inciſo. ibid. II.
Fabula de præciſione manus. ibid. III.
Nummi cuſi in eius honorem. ob liberatam Vrbem ab Attilæ inuaſione. ibid. IV.
Leo quidam fabuloſe aſſertus in locum Felicis II. ſubrogatus. 357 XXI.
Leo II. creatur. 683. I.
Approbat Acta Sextæ Synodi, & in Latinum vertit. ibi. II.
Suppoſitæ eius nomine epiſtolæ, in quibus nomen Honorii PP. inter hæreticos recenſetur. Ibid.
Moritur, & inter Sanctos colitur. 684. I.
Leo III. ordinatur. 795. V.
Fabula de manu ſibi præciſa reſtitutur. ibid.
Claues & Vexillum mittit ad Carolum

Magnum; & quid inde inferant Nouatores. 796.I.
A perfidis clericis, oculis & lingua priuatus, plagiſque confectus, priſtinum viſus & loquelæ vſum à SS. Apoſtolis recepit. 799.I.
Recurrens ad Carolum Magnum, eius ope reſtituitur in Vrbem. ibid.
Coram Carolo, publice iuramento ſe purgat a quibuſdam ei obiectis criminibus. 800.II.
Eumdem Carolum coronat Imperatorem Romanorum Imperium ab Oriente in Occidentem Apoſtolica auctoritate transferens. ibid. III. IV.
Pergit Mantuam, ad inquirendum de ſanguine lateris Chriſti ibi reperto. 804. I.
Conuenit quoque Carolum Magn. in Germania, ibique ſolemni ritu S. Suitbertum canonizat. ibid. II.
Petit ab eo Carolus confirmationem teſtamenti ſui de regni inter filios diuiſione. 806. III.
Mortuo Carolo, iterum in ipſum conſpiratur à facinoroſis Rom. in quos ipſe lege agit. 815.I.
Compoſtellæ in Gallæcia conſtituit Epiſcopatum, ob inuentionem corporis S. Iacobi Apoſtoli. 816.III.
Miſſas plures vna die celebrare conſueuit. ibid. IV. Moritur. ibi. III.
Leo IV. ordinatur. 847.III.
Reſiſtit Imperatoribus, conantibus ſibi vſurpare ius in electione Pontiſi. & quid inter eos inuicem promiſſum fuerit. ibi.
Immenſi pretii & operis ornamenta confert eccleſiis Vrbis ibi. IV.
Serpentem lethiferum precibus ſuis extinguit, & incendium Vrbis ſigno Crucis. ibid. V.
Munit Vrbem aduerſus incurſiones Saracenorum. 847.I.849.I.
Dedicat ſolemni ritu nouas ciuitates, Leoninam, ac Leopolim. 852.I.
Celebrat Romæ Concilium pro diſciplina Eccleſ. 853. IV. Moritur, & inter Sanctos colitur. 855.IV.
Leo V. creatur, ſed poſt 40. dies detruditur in carcerem a Chriſtophoro inuaſore. 907.I.
Leo. VI. intruditur, & poſt ſex menſes coniectus in carcerem, moritur 828. I. 929. I.
Leo VII. ſedet 936. III. Reſtituit Romæ monaſticam diſciplinam, per S. Odonem Abbat. Cluniac. ibi Moritur. 939. II.
Leo, falſo dictus Octauus, antipapa creatur ab Ottone Imp. aduerſus Ioannem XII. 963.II.
Anathemate damnatur ab eodem Ioanne in Synodo Rom. 964. II.
Eiectus à Romanis, rurſum ab Ottone reſtituitur aduerſus Benedictum Ioannis ſucceſſorem. ib. III.
Eius nomine conſtitutiones ſuppoſitæ in fauorem Ottonis. ib. IV. V. Moritur. 965.II.
Leo IX. ex Epiſcopo Tullenſi deligitur ab Imp. Papa, & opera Hildebrandi, a Romano clero & populo rite eligitur, præcedentibus viſionibus & prophetiis. 1049. II. III. Voluit etiam dici Epiſcopus Tullenſis. ibid. Peregrinatur ad montem Garganum. ibid. Concilia celebrat aduerſus ſimoniacos. & fornicarios IV. V. Claret ſignis, virtutibus, pietate. V. I. VII. In Conciliis Rom. & Vercel. damnat hæreſim Berengarii, vna cum auctore. 1050.I.
Permutat quaſdam terras cum Henrico Imp. 1053.I.
Expeditionem ſuſcepit contra Nordmannos res Eccleſiæ inuadentes, victus ſuis ipſe ab eiſdem in quodam caſtello capitur, & ingenti honore detinetur. ibi. II.
Confutat obiectiones Michaelis Cerularii Patriar. Conſtantinop. in Eccleſiam Latinam. ibid. V.
Legatos mittit Conſtantinopolim, pro concilianda pace vtriuſque Eccleſiæ. 1054. I.
Rediens Romam, ibi moritur, claretque etiam poſt mortem miraculis, & inter SS. refertur. ibid. V.
Leo Acridanus Bulgariæ Metrop. vna cum Michaele Cerulario Patriarcha Conſtantinop. ſcribit contra Eccleſiam Latinam. 1053. V. Confutatur à Leone PP. IX. & Humberto Cardin ibid. & 1054. I. Excommunicatur publice Conſtantinop. a Legatis Apoſtol. Sedis. 1054. II.
Leo Thrax, cognomento Macelles, Imperator eligitur poſt Marcianum. 457. II. Prædictum ei olim Imperium à B. Virgine ob exhibitam cæco miſericordiam, quem & illuminauit. ibid. Subſcriptionem elicit ab omnibus Orient. Epiſcopis, fidei quam tenerent, agitque pro firmitate Synodi Chalcedon. ib III. & 458. III. Legatos mittit in Orientem ad Eccleſiam componendam, petit à Leone Papa, & obtinet. 458. II. Viſitat Danielem Stilitam, & precibus eius prolem maſculam obtinet, quæ tamen cito perit, arte Ariadnæ ſororis. 461. VI.
Ingentes copias aduerſus Wandalos mittit, quæ pereunt inertia & proditione ducum hæreticorum. 468. II. Vlciſcitur in Aſparem, & filios, Arianos, arte eos deludens, cum non poſſet vi aperta punire. 469. I. 470. I Ob eorum necem, dictus eſt Macelles cognomento. ibid. Filiam Ariadnam nuptui dat Zenoni Iſauro ib. Moritur laudandus multis, ſed damnandus quod cum hæreticis mitius egerit. 474. II.
Leo, nepos prædicti Leonis ex filia Ariadna, naſcitur. & Imp. ab auo renuntiatur 473. II. Petit decimo menſe, patris Zenonis arte. 474. II.
Leo Iſauricus Imperium adipiſcitur, ceſſione Theodoſii Quarti. 717. I. Eius imagines recipiuntur Romæ, & ab aliis Principibus Chriſtianis, opera Gregorii PP. Secundi ibid. III. Conſtantinum filium, Copronymum dictum, coronat in ad huc infantulum. 720. I. Inſectatur Iudæos, & Montanos. 722. I.
Promulgat edictum aduerſus ſacras Imagines, in gratiam impoſtorum Iudæorum, qui ipſi prænuntiaſſent Imperium: fitque primus omnium Impp. hæreſiarcha. 726. I. II.
Perſequitur earum defenſores: vnde vero reliqui Principes Chriſtiani renuntiant eius amicitiæ ibid. V. Excommunicatur in Synodo Rom. ibid. VI. Quid ei de his cum Gregorio Papa: qui bonum pro malo reddidit, cum exurgeret vniuerſa Italia aduerſus Leonem. ibid. VII. & ſeq.
Fuit etiam Hagiomachus, SS. interceſſiones, & Reliquiarum cultum negans. 727. I.
Tentat ſibi Romam ſubiicere, ſed fruſtra. 729. I.
Perſeuerans in perſecutione, excommunicatur à Gregorio Papa in Synodo Ro. & Itali ab eius obedientia recedunt. 730. II.
Agit rurſum contra Rom. Eccleſiam, Pontificiſque Legatos male habet. 732. III. 733. I.
Qualis eius perſecutio. 734. I. 740. IV.
Moritur, & damnatur ad inferos. 741. I.
Leo, filius Conſtantini Copronymi, ſuccedit patri in Imperio. 775. III.
Magnificus pius apparere ſtudet. ibid. IV.
Perſequitur cultores ſacrarum Imaginum 780 II
Moritur, diuinitus percuſſus ob ſacrilegium. ibid. III.
Leo Armenus creatur malis artibus Imp. 813. I.
In coronatione, præſagium de futura eius perſecutione. ibid. II
Exagitat defenſores ſacrarum Imaginum. 814. I. III. 816. I.
Mittit in Occidentem ſacras Reliquias, quas ipſe non colebat. ib. d IV.
Necatur iuxta altare, approbante voce cæleſti. 820 I.
Leo VI. cognomento Sapiens, ſiue Philoſophus, creatur a patre Baſilio Imperatore. 870 VIII
Calumnioſe apud patrem accuſatus, carceri mancipatur cum diſcrimine vitæ. 879 IX.
Liberatur poſt ſeptennium, nouo caſu. 886. I.
Mortuo patre, ſolus imperat. ibid IV.
Photium deponit, Santabarenum excæcatum in exilium mittit. ib. d.
Excommunicatur a Patriarcha, ob quartum initum matrimonium contra leges Eccleſ. ſed diſpenſatur cum eo à Rom. Pont. 901. II. III.
In publica proceſſione, capite percutitur ab inſano homine. ibid. IV.
Moritur. 911. I.
Eius Conſtitutiones, & ſcripta. ibid. II.
Leocritia virgo Mahometana, martyrium à ſuis ob fidem Chriſti conſequitur Corduba. 859. I.
Lodegarius Auguſtod. Epiſcopus, à Childerico Rege domui ſuæ præpoſitus, inuidos deuitans, ſe in monaſterium Luxouienſe confert. 668. IV.
Ab Ebroino Maiore domus regiæ cruciatus horrendis modis, martyrium conſummat, multis inſignitus in morte & poſtea miraculis. 685 IV.
Leodienſis Eccl. ſchiſmaticæ Declamatio in Paſchalem Papam. 1102 IV.
Leontius Antioc. presbyter, diſcipulus Luciani martyris, in perſecutione Diocletiani ſacrificat idolis. 311. III.
Seipſum caſtrat, quo libere cum femina iuuencula dormiret: eamque ob rem depoſitus, tranſit ad Arianos 325 XXXIX. Fit ab eis Epiſcopus Antiochenus. 347. II.
Moritur. 356. XVI.
Leontius Burdegalenſis Epiſcopus, ſanctitate inſignis, intereſt Concilio Pariſ. 559. III.
Concilio Santonis celebrato, Emerium Epiſcopum deponit, quod Epiſcopatum à Rege accepiſſet, vnde mulctatur a Rege. 556. IV.
Qualis, quantuſque fuerit. ibid.
Duo Leontii Epiſcopi Burdegalenſes. ib.
Leontius Cæſarienſis in Cappadocia Epiſcopus, intereſt Magno Concilio Nicæno. 325. IX. Eius labores pro fide. ibidem.
Leontius Imp. eligitur aduerſus Iuſtinianum Iuniorem, quem præciſis naribus in exilium pellit. 794. I Et ipſe præciſis naribus ab Abſimaro includitur monaſterio. 696. II 711. Redeunte Iuſtiniano, publice illuditur, & necatur, vna cum Abſimaro 705. I.
Leporius Pelagianus, auctor hæreſis Neſtorianæ, reducitur ad fidem Cathol. à S. Auguſtino. 420 II.
Lepra tactus Conſtantinus Magnus, ſanatur per baptiſmum. 324. X. XI.
Eo morbo ſolent puniri ſuperbientes Reges ibid XI Curatur infantium ſanguine. ibid.
Lerinenſis cœnobii fundator S. Honoratus. 426. V.
Fuit ſeminarium ſanctiſſ. Epiſcoporum Galliæ. 434. IV.
Ceſſit poſtea vſui monachorum S. Benedicti. 1031. VIII. Exſcinditur a piratis 1107. III.
Leucius Manichæus multa confinxit nomine Apoſtolorum. 44. XXIV.
Cenſetur etiam auctor libelli de Natiuitate S. Mariæ. Hieronymo falſo adſcripti. ibid.
Leuiticæ tribui permiſſum nuptias contrahere cum reg a ſtirpe, & ceteris tribubus

Appar. II. XVII. Vna cum Sacerdotio, adepta eſt etiam Regnum in Aſſamonæis. ibid

Leuitici hæretici, ſecta Nicolaitarum, ſiue Gnoſticorum. 68. V.

Leutardus plebeius homo in Gallia, à dæmone dementatus, euadens hæreticus multos ſeducit. 1000. IV.
Diſputatione confutatus, præcipitat ſe in puteum. ibi.

Leutericus Archiep. Senon. primus auctor hæreſis nefandę de Euchariſtia, corripitur à Roberto Rege. 1004. II.

Leuuigildus Rex Gothorum Arianus regnat in Hiſpania. 570. VII. Perſequitur Catholicos, bellumque filio Hermenigildo Catholico facto infert: & eumdem captum, contra fidem datam gladio feriri iubet. 583. VII. 588. I. Perſecutionem auget, & Sueuos ſubiugatos Arianam perfidiam amplecti cogit. 588. II. Moritur, pœnitens perſecutionis, ſed non fide Catholicus. 590. XII. XIII.

Lex admodum deprauata à variis Iudæorum ſectis ante Chriſti aduentum Appar. VI.

Lex Moſis delata in triumpho Veſpaſiani & Titi de domitis Iudæis. 73. I.

Legem præferebant Euangelio Ebion. 74. V.
Eam, tamquam malam, repudiabant Cerdon. & Marcion. 146. II. V. atque etiam Apelles. ibid. IX. Cum Euangelio, ſeruabant Symmachiani. 230. IV. Vide etiam *Legalia*.

Legem ſic mittere ad regnũ, quemadmodum Euãgelium, dixit Pelagius. 415. IV.

Legis auctorem Deum, aduerſarium Euangelii conditoris, aſſeruerunt Marcionitæ, & Tratiani. 146. V. 174. II.

Legem maledictam dicebant Seuetiani, & Græci ſchiſmatici. 1054. III.

Leges Eccleſiaſticæ, à Spiritu Sancto. 51. XV.

Legum diuinarum & humanarum obſeruationem penitus abſtulit Aetius Atheus. 356. XVII.

Legibus Impp. & Iuriſconſultorum reſpõſis, licet Paganorum, non dedignatur vti Eccleſia, in his quæ contra relig. Chriſt. non ſunt. 435. IV. 528. I. 535. IV.

Leges Impp. nihil valere contra Canones Eccleſ. ſtatutum eſt in Concil. Chalcedon. 451. XXI. & declarauit Iuſtiniano Imp. Agapetus Papa. 535. IV.

Legibus Eccleſiaſticis ſanciendis, quanto cum periculo ſe immiſceant Principes. 528. I. 541. III.

Leges ſcriptas quando habere cœperint Gothi. 464. I. itemque Longobardi. 638. IV. 746. II.

Leges Eccleſ. Carolus & Ludouicus, aliiq; eiuſmodi Principes non niſi auctoritate Sedis Apoſt. ſanciuerunt. 819. III.

Leges ſuas promulgat Carolus Magnus, & quales eæ fuerint. 801. III.

Leges diuinas aduerſus Reges nihil poſſe; deque iis diſpenſare poſſe quolibet Epiſcopos, aſſeruerunt Mœchiani hæretici. 809. I.

Libanius inſignis Orator Antioch. à Iuliano Apoſt. Quæſtura donatur. 362. III.
Luget conflagrationem templi Daphnitici. ibid. XXVII.
Scitum quoddam reſponſum ei factum à Chriſtiano ludimagiſtro de Iuliani interitu. 363. VIII.
An aliquando factus fuerit Chriſtianus. ibid. XIII. Quo tempore deceſſerit. 388. III.

Libellatici Lapſi, qui dicantur apud Cyprianum. 253. V. VI.

Libelli à Martyribus & Confeſſoribus concedi ſoliti Lapſis in perſecutione, quales, & quanti vigoris eſſent. 253. X. XII. ibid.

Libellos criminationũ ab Epiſcopis ſibi in alterutrum oblatos, Conſtantinus Magnus Nicææ nõ lectos cõburit. 325. XII.

Liberatus Carthagin. diaconus ſcripſit ſub Iuſtiniano Imper. Breuiarium de cauſa Neſtor. & Eutych. 538. VII.
Caute legendus in narratione de libris Theodori Mopſueſteni. 435. II.

Liberius creatur Rom. Pont. 352. II.
In Cõcilio Rom. negat communionem Arianis per Legatos expetitam. ibid. III.
Legationes eius diuerſæ ad Conſtantium pro Athanaſio. 353. VI. 354. I.
Dire vexatur ea de cauſa ab eodem Imp. & tandem pellitur Berœam Thraciæ. 355. VII.
Prohibet recipi in eccleſia dona eiuſdem hæretici Imp. ibid. VIII.
Reſtitutio petitur per Rom. matronas, & populum. 356. XIV.
Tædio victus exilii, ſubſcribit damnationi Athanaſii, & fidei formulæ, voce Conſubſtantialis defectiuæ. 357. XI. XII.
Oſtenditur minime incidiſſe in hæreſim, licet grauiter ſit lapſus. ibid. XIII. XIV.
Rediens Romam, reſpuitur, & inde perſecutio excitatur in Romanos. ibidem. XVI.
Mortuo Felice, qui in locum eius receptus fuerat, recedens ipſe ab Arianorum communicatione, iterum ſuſcipitur legitimus Pontifex. 357. XXI.
Damnat formulam Ariminenſem, & ideo pellitur ab Arianis; & deliteſcit in cœmeteriis ſuburbanis vſq; ad obitum Conſtantii. 359. XII. XIII.
Sub Iuliano curat Eccleſiam Orientalem per Legatos. 362. XXXIX. XLIV.
Semiarianis, fidem Nicænam ſimulantibus, communicationem impartitur. 365. II. III.
Moritur, eiuſque memoria ſancta eſt apud poſteros. 367. II.

Libero hominis Arbitrio quam nimium tribuerit Pelagius contra Gratiam Dei. 415. IV. V. VI.
Econtra vero monachi Adrumetini totum Gratiæ tribuentes, tollebant penitus Liberum Arbitrium. 418. IV.

Libertas Religionis. Vide *Religio*.

Libertatem quomodocumque viuendi, induxit Simon magus. 35. XII.
Eamdemque amplexi ſunt Nouatores hodierni. ibid. XIV.

Libertatem omnium vitiorum introduxit Aetius Impius. 356. XVII.

Liberos ſe eſſe, nec vlla lege teneri dicebãt Adamitæ. 120. XVII. 156. itemque Marcitæ. 175. VIII.
Ac pariter Valentiniani aſſerebant, ſe nullis bonis operibus teneri obligatos. 145. III.

Libidinibus quibuſcumque frenum laxauit Baſilides, nihil in eis peccati eſſe aſſerens. 120. IX. itemque Aetius Impius 356. XVII.
Eunomius. 360. VIII. & Carpocras, qui eas quoque præcipit. 120. XII. Præmio eſſe dignas, plurimi impudentiſſime aſſeruerunt. 120. XVIII.
Caian. quoque, non niſi per eas ſalutem acquiri poſſe. 145. VIII.
Symmachiani item, iis ſeruiendum eſſe prædicarunt. 203. IV.
Et Mahometes ſuis in hac vita permiſit, & in futura promiſit. 630. II.
Pariterque Manichæi in Gallia, iis non repoſitam eſſe vindictam, dixerunt. 1017. I.
Earum occaſione Hiſpaniæ traditæ Wandalis, ignauis, ſed pudicis. 409. V. Vide etiam *Turpitudines*.

Libra Occidua, quænam eſſet. 302. XIII.

Libra Orientalis, quantum penderet. ibid.

Libri Ciceronis de Natura deorum, & de Diuinatione, comburendi ex ſententia Gentilium. 302. III.
Magiæ & improbatæ lectionis, igni damnati, tam apud Gentiles, quam Chriſtianos. 56. XII. 370. XV. Sibyllini Vide *Sibyl.*

Hæreticorum comburi ſoliti, continua Eccleſiæ praxi. 56. XII. 287. V. 325. XXVIII. 398. XVIII. 431. IX. 435. I. 443. I. 448. I. 452. VI. 454. II. 496. VI. 503. V. 523. I. 536. XI. 593. VII. 868. III 869. VI. 1140. I. Porro de ſingulorum hæreticorum, vel aliorum impiorum libris, vide ſub propriis eorum nominibus. Adde *Scripta*.

Licinius virtute militari præſtans, creatur Cæſar à Galerio Aug. 307. IX. Poſt eius obitum imperat in Oriente. 311. VI.
Ducit vxorem Conſtantiam, ſororem Conſtantini Magni. 313. I.
Vna cum Conſtãtino reſcribit pro Chriſtianis, ipſe licet Ethnicus. ibi. II.
Sæuam mouet perſecutionẽ, & in quos præcipue ea ſe extenderit. 316. II. & ſeqq.
Vincitur à Conſtantino, & mulctatur amiſſione plurimarum prouinciarum. 317. I. II.
Iterum bellum renouans, vincitur terra, marique; & captus relegatur: rurſumq; noua moliens, laqueo vita priuatur. 318. I. II. ibi. Quantis vitiis inquinatus fuerit. ibid.

Licinius Iunior creatur Cęſar ab auunculo ſuo Conſtantino Magno. 315. II. Interficitur eiuſdem iuſſu, & quare. 324. I.

Liemarus Bremenſis, ſiue Hamburg. Archiep. impedit Synodum in Germ. celebrari per Legatos Apoſt. & ideo ſuſpenditur à ſacerdotio. 1074. II.
Vocatus Romam à Greg. VII. cauſam dicturus, contemnit, Regemque Henricum in eum commouet. ibid. Capitur prælio, ab Eggeberto in Henricum inito. 1089. VI.

Lignorum pulſatione, loco tintinabulorum qui & quando apud Chriſtianos conuocari ſolerent. 58. XL. 102. Quamdiu is vſus durauerit. 614. VI.

Limina Apoſtolorum. Vide *Peregrinatio Romam & Petri Eccl. Vatic.*

Lingonienſis in Gallia Synodus, iuſſu Gregorii VII. celebrata aduerſus Inueſtituras laicorum. 1077. IX.

Lingua Hebræa, Græca, Latina. Vide ſub ſingulis iis vocibus.

Linguarum igneatum ſpecie Spiritus S. in Diſcipulos deſcendit. 34. LXVIII.

Linguarum genera quot eſſent in Orbe terrarum. ibi. LXIX.

Linguarum donum qualiter Apoſtoli & Diſcipuli habuerint. ibid. & 45. XII.
Infundebatur eo tempore per impoſitionem manuum. 35. XI.

Linguas nationum haud licuit Hieroſolymis publice docere. 34. LXXXIX.

Lingua præciſa, libere locuti Chriſtiani in perſecutionibus Gentilium. 192. II. 513. V.
Catholici in perſecutionibus hæreticorum. 484. VIII. 657. I. itemque Leodegarius Epiſcopus, martyrium paſſus ab impiis. 685. IV. & Petrus Damaſcenus Epiſcopus, ſub Saracenis. 742. I.

Linguam præcidi Seuero hæreſiarchæ, ob eius blaſphemias, iubet Iuſtinus Senior Aug. 519. XI.

Linteaminibus & velis ornati ſolitæ olim eccleſiæ. 329. I.

Lintei Domini, quo pedes Diſcipulorum abſterſit, pars delata Caſinum, probatur igne. 1014. V.

Linus ſuccedit Petro Apoſtolo in Sede Romana; & nodi ea de re ſoluuntur. 69. XIV. & ſeqq.
Eius nomine vulgata Acta paſſionis Apoſtolorum Petri & Pauli, corrupta ab hæreticis. 68. IX. 69. III. Martyrium conſequitur ſub Veſpaſiano. 80. I. II.

Lippienſe Cõcilium in Saxonia, pro ſtabiliendis eius regionis Eccleſię cunabulis. 780. V. VI.

Lippienſe Concil. in Germania ſub Bonifacio Germ. Apoſtolo, pro Eccleſ. diſciplina & contra duos nouos hæreticos. 743. I. II.

Litaniæ Septiformes à Gregor. Papa celebratę tempore peſtis.590.IV.Vide etiam *Proceſſiones, & Rogationes.* Earum vſu liberatur Sicilia à periculo barbarorum. 601. VI.
Literas docere Chriſtianos, prohibet Iulianus Apoſt. & quare. 362.LVIII.
Diſcere pariter Chriſtianos, vetat Habdalſas Saracenorum Rex. 757.IV.
Diſcere liberos ſuos, nolebant Gothi, & quare. 526.XIII.
Literati cur dicti ſerui. 315.V.
Literarum Eccleſiaſticarum varia genera. 142.VI. & ſeqq. Vide etiam *Epiſtola.*
Literas Ro. Pont. contemnere, quam graue peccatum. 849.III.
Literæ feſtiuæ, quæ. 58.XXXVIII.
Liturgia. Vide *Miſſa.*
Liuoniæ conuerſio ad fidem; & primæ ſedis Epiſcopalis erectio. 1186.II
Liuonienſium ſacer ordo militum, iungitur Teutonicis. 1198.II.
Locus vltimus, habitus apud Romanos honeſtior. 34.XXXV.
Siniſter, in ſacris dignior dextro. 325. XVII.XVIII.
Loca olim in eccleſiis diſtincta, ſecundum diuerſos ſexus, & conditiones perſonarum. 57.XXXVIII.
Locus mulierum. Vide *Mulieres.*
Locus in aere, quo Dominus ad cœlos aſcendit, numquam potuit eccleſiæ ædificio obſtrui. 34.LXIV.
De Locis Sanctis qui olim ſcripſerint. 699. III.
Locum eſſe increatum, & Deo coæternũ, dixit Marcion. 146.V.
Locuſtæ quibus Ioannes Bapt. veſcebatur in deſerto, quid eſſent. 31.VI.
Locuſtæ Romanorum agros infeſtantes, extinguuntur aſperſione aquæ benedictæ per Stephanum PP. Sextum. 885.I.
Lõdinenſis in Anglia Epiſcopatus erigitur 604.VIII.
Eius eccleſia in honorem S. Petri ædificata, ab eodem ipſo Apoſtolo ſolemniter conſecratur. 610.VI.
Londinenſe aſſertum Concil. de cultu ſacrarum Imaginum, cuius fidei. 714.II.
Concilium ſub Lanfranco, de diſciplina Eccleſ. 1075.VII.
Sub Anſelmo, aduerſus inueſtituras laicas. 1102.II.
Aliudq. de compoſitione eiuſmodi controuerſiæ. 1108.II.
Sub Iohanne Cremenſi Cardin. Legato Sedis Apoſt. pro diſciplina Eccleſ. 1125. IV.
Sub Alberico Legato, pro creatione Archiepiſcopi Cantuarienſis. 1138.IV.
Sub alio Legato, pro libertate Eccleſ. 1143.II.
Sub Henrico item Legato, pro electione Thomæ Cancellarii in Archiepiſcopum Cantuar. 1162.VI.
Sub Richardo Archiep. Cantuar. pro reſtituenda diſciplina. 1175.I.
Longinus Centurio conuertitur in Paſſione Domini. 34.XXXIX.
Chriſtum prędicat poſt eius reſurrectionem, eaque de cauſa truncatur capite. ibid. LV.
Longinus Philoſophus necatur ab Aureliano Imp. 274.I.
Longinus Zenonis Imp. frater, homo rapaciſſ. & ſpurciſſimus, impeditur à Pelagio Patricio ne fiat Cæſar. 490.III.
Miſerrime perit ab Anaſt. Imp. 498.III.
Longobardi Pannoniam, & finitimas regiones inuadunt. 549.I.
Influunt in Italiam, duce Alboino ipſorum Rege, & verũ à Narſete vocati fuerint. 567.II.568.I.
Quæ præoſtenſa, de illorum futura Italiæ clade. 567.IV. Vide *Alboinus*, & ſubſequentes ipſorum Reges.
Mortuo Clephe Alboini ſucceſſore, 36. militũ duces partientes inter ſe ciuitates capiunt, miſerrime perfundant Italiam. 573.II.
Eorum graſſatio numerata inter Perſecutiones Eccleſiæ, quod ſiue Gentiles eſſent, ſiue Ariani. ibid.
Inuadentes Gallias, cæduntur. 575.II.
Iterum creant ſibi Regem, pertæſi regiminis ſine capite. 585.II.
Eorum omnes Reges vſi ſunt prænomine Flauii. ibid.
Conuertuntur ad fidem Cathol. ſub Agilulpho Rege, per Theodolindam Reginam. 591.X.
Ioannem Bapt. patronum accipiunt, & inſignem ei baſilicam extruunt. 616.I.
Iterum recidunt in Arianiſmum, ſub Rege intruſo Arioualdo. 626.VI
Quãdo cœperint habere Leges ſcriptas. 638.IV.746.II.
Eorum Rex Grimoaldus fit Catholicus. 663.II.
Ex cultu S. Ioannis Bapt. pendere ipſorum ſtatum, vaticinatus eſt eremita quidam. ibi.
Ob expilationem eccleſiæ S. Petri in Vatic. patiuntur rerum ſuarum detrimentum. 739.I.
Lotharingicum Conc. contra Inueſtituras laicorum. 1111.VII.
Lotharius filius Ludouici Pii, coronatur à patre Imperator. 817.III.
Petit Romam, vt coronetur à Paſchale Papa. 823.I.
Iterumque eo redit, ob ſchiſma in electione Eugenii. 824.I.
Liberat patrem à coniuratione Pipini fratris, aliorumque perduellium. 830.II.
Agit poſtea aduerſus eum, nefandaque committit ſcelera, ſed denuo reconciliantur. 833.I.834.I.
Solus poſt obitum patris imperat. 840. II. in fin.
Bello fratres impetens pro monarchia, vincitur ab iis, & extra regnum pellitur. 841.III.842.I.
Priuatur regno, iudicio Epiſcoporum. 842.I. ibid.
Recuperat eius partem, liberalitate fratrum. 843.II.
Quid de rebus Rom. ipſe & Leo Papa IV. ſibi inuicem promiſerint. 847.III.
Renuntiat ſæculo, & fit monachus, moriturque. 855.VI.
Bene meritus de viris doctis. 859.IV. in fin.
Lotharius Lotharii Imp. filius ſuccedit patri in parte regni Franc. 855.VI.
Dimiſſa legitima coniuge pellicem ſubintroducit, fouetque in regno ſuo alios eiuſmodi ſceleratos. 862.IV.V.
Correptus ab aliis Regibus, appellat Nicolaum Papam. ibid. VI.
Celebrat Metenſe Conciliab. pro confirmatione ſuæ turpitudinis: quod infirmatur à Nicolao. 863.III.
Iterum ſe apud eum excuſat perquam humiliter, ſed fraudulenter. 866.IV.
Ab Hadriano PP. ſuſceptus cum terribili conteſtatione, periurus miſerabiliter perit. 868.IV.
Lotharius Dux Saxonũ creatur Rex Germaniæ. 1125.III.
Petit confirmationem à Ro. Pont. à quo etiam excommunicantur eius aduerſarii. ibid.
Inhæret Innocentio II. aduerſus Petrum Leonis. 1130.IX.
Exhibet ei officium ſtratoris. 1131.II.
Depoſcens ab eo reſtitutionem Inueſtiturarum, retunditur à S. Bernardo. ibidem.
Innocentium reducens Romam coronatur ab eo Imperator, & allodium Comitiſſæ Mathildis accipit in feudum. 1133.I.II.
Comprimit Rogerium Siciliæ Regem, Eccleſiæ Roman. aduerſarium. 1137.I.
Moritur. 1138.III.
Eius pietas commendatiſſima. ibid.
Lucas Euangeliſta qualem hiſtoriam in Actibus Apoſt. texuerit. 34.LXV.
A quo tempore adhæſerit Paulo, & quomodo eius geſta conſcripſerit. 51.XVII.
Eius modeſtia in ſcribendo. 52.VI.
Quibus occaſione, tempore, impulſore, Euangelium euulgarit. 58.XIV.
Cur ei tributum ſymbolum Bouis. ibid. XVI.
Non fuit Domini, ſed tantum Pauli diſcipulus. ibid.
Vocatur etiam à Paulo Lucius. ibidem. XXII.
Ei falſo à quibuſdam tributa epiſtola Pauli ad Hebræos, quam forte in Græcum tranſtulit. 60.XX.
Eidem quoque perperam tributa, quæ dicebatur ſcripta ad Leodicenſes. ibid.
Comitatur Paulum Romam, eique fideliter adhæret. 59.II.
Peregrinationes eius poſt biẽnium carceris Pauli. 61.II.
In extrema ſenectute, martyrio coronatur. ibid.
Vnguentum medicum ex oſſibus eius ſcaturit. ibid.
Reliquiæ transferuntur Conſtantiopolim. 356.XIII. indeque Caput Romam à Gregorio magno. 584.III.
Lucas Siculus ſcripſit hiſtoriam de renaſcente Manichæorum hæreſi, & quãdo vixerit. 653.II.
Lucas Tudenſis antiquus rerum Hiſpanicarum ſcriptor. 701.V.
Lucenſe Concil. in Hiſp. contra Priſcillianiſtas, conflatum in vnum cum Toletanis Primo & Secundo. 447.II.
Aliud de limitibus Eccleſiarum Gallicę. 569.I.704. Aliud de diſcipl. Eccleſ. 572. III.
Lucernariæ Preces, ab ipſo exordio Eccleſiæ. 51.XX.
Lucernæ argenteæ in eccleſiis Chriſtianorum, ab ipſo initio. 57.XXXVI.88. Vide *Lampades.*
Lucere ſolitus mons Oliueti in diebus anniuerſariis Aſcenſionis Domin. 34.LXII.
Lucia virgo Syracuſana, inſigne ſubit martyrium ſub Diocletiano. 303.XIII. Damnata ad proſtibulum, loco moueri non potuit. ibid.
Eius corpus transfertur Conſtantinopolim. 1038.IV.
Luciani Antiocheni presbyteri egregia cõfeſſio, dirus carcer, illuſtre martyrium. 311.LII.
Stratus atq; ſupinus, obtulit ſacrificium incruentum. ibid.
Maluit fame enecari, quam idolothytis veſci. ibid.
Corpus proiectum in mare, delphini obſequio reſtituitur litori. ibid.
Libros ſacros tranſtulit in linguã Græcam. 311.III.
Inuectus in Sabellium, creditus materiam Ario præparaſſe; ſed defenditur. ibid.
Diſcipuli eius degeneres. ibid. Feminæ quoque eius diſcipulæ. ibid.
Luciano alii presbytero facta reuelatio corporũ Stephani protomart. Gamalielis, &c. qui de eorum inuentione ſcripſit libellum. 415.I.
Lucianus Impius, quo tempore vixerit 171.II.
An fuerit vmquam Chriſtianus. ibid.
Interfectus à canibus, quod rabiem ſuam exercuiſſet in Chriſtianam veritatem. ibidem.
Lucifer Calaritanus Epiſcopus, vna cum Euſebio Vercellenſi, & aliis, fungitur legatione Liberii PP. ad Cõſtantium Imp. in cauſa Athanaſii. 354.I.
Pellitur in exilium, ob denegatam ſubſcriptionem in eumdem Athanaſium 355.III.
Acerrime ſcribit in Conſtantiũ. 365.V.
Inuidetur ei martyrium, ſed tamen frequenter mutatur locus exilii. ibid. VI
Poſt obitum Conſtantii, conſtituitur à

Liberio Vicarius Sedis Apoſtol. ad reſtituendas Eclesias Orientis. 361. XXXIX.
Creat Antiochiæ Epiſcopum Paulinum. ibi. XL.
Ob receptos in Concilio Alexandr. lapſos cum dignitate, diſſidet cum Euſebio Vercell. indeque recedit ab Eccleſia, & Schiſma facit. ibi. XLV. XLVI.
Nullius auctor fuit hæreſis. ibid.
Moritur in ſchiſmate: quem temere nimis quidam inter Sanctos collocauit. ibid. XLVIII. Tempus eius obitus. 371. IX.
Luciferiani ſchiſmatici errarunt in doctrina de anima. 362. XLVI.
Quam pertinaci animo negarent recipiendos cum dignitate Epiſcopos lapſos. ibid. XLVII.
Quam perdurarint. ibid. XLVIII.
Confutantur à S Hieronymo 382. VIII.
Deficiunt penitus ſub Theodoſio Magno. 388. XI.
Luciferi aſtri cultum introduxit Mahometes, ex antiqua Saracenorum ſuperſtitione. 630. II. Vide etiam *Aſtra*.
Lucilla potens femina Hiſpania, reprehenditur à Cæciliano Archidiac. Carthag. de illicito cultu allerti cuiuſdam martyris. 302. XXI.
Fuit aduerſus eius Epiſcopatum. 306. XI.
Lucina nobiliſſ. femina Rom. ad fidem conuertitur, vna cum viro ſub Piniano. 302. XIX.
Domus eius in eccleſiam conuertitur à Marcello Papa. 309. III.
Proſcriptione damnatur à Maxentio tyranno. ibid.
Lucina alia pia femina Rom. ſepeliendis martyribus in perſecutione, egregiam nauat operam. 255 VIII.
Lucius vocatus aliquandò à Paulo Apoſtolo, S. Lucas Euangeliſta. 58. XXII. Vide *Lucas Euangel.*
Lucius Alexandrinus pſeudo-epiſcopus creatur ab Arianis aduerſus Athanaſium 362. XXXVII.
Poſt obitum Athanaſii vi intruditur, & pulſo Petro legitimo Athanaſii ſucceſſore, immaniſſime ſæuit in Catholicos. 372. V.
Pellitur ab Alexandrinis, auctoritate Damaſi PP.
Lucius Anneus Moguntinus Epiſcopus, ex Conciliab. Arelatenſi ab Arianis in exilium pellitur, & ſtrangulatur. 353. VIII.
Lucius Britannorum Rex ad fidem conuerſus, ſacros miniſtros petit ab Eleuthero PP. 183. I. 183.
Lucius Hadrianopol. Epiſcopus pulſus ab Arianis, reſtituitur à Iulio Papa. 342 VIII.
Cogitur ab Arianis mori in exilio. 348. I.
Lucius Rom. Pont. creatur. 255. VIII.
Exulat ob fidem. ibid.
Reuocatur. 256. I. ibi.
Martyrio coronatur in perſecutione Galli & Voluiſiani. 257. II.
Eius decreta. ibid. III.
Lucius II. creatur. 1144. I. Dire vexatur à rebellibus Rom. ibi. III. Moritur. 1145. I.
Lucius III. ex Oſtienſi Epiſcopo eligitur. 1181. V.
Exagitatur à Romanis, ob quaſdam cōſuetudines eis denegatas, ſed auxilio Principum compeſcit eos. 1183. I.
Veronæ contendit cum Friderico Imp. de quibuſdam iuribus. 1185. I.
Promouet expeditionem in Terram Sanctam. ibid. II.
Moritur Veronæ. ibid. III.
Lucius Verus, vna cum Marco Aurelio, poſt Antoninum Pium ſuſcipit Imperium. 163. III. Vide in *Marcus*.
Expeditionem mouet in Parthos. ibid. IV.
Ducit vxorem filiam Marci, quæ liberatur à dæmone per Abercium Epiſcopum Hierapolitanum. ibid. V.
Triumphat vna cum Marco de Parthis. 168. I. Moritur ex apoplexia. 171. I. Inter diuos refertur à Marco. ibid.
Ludi Gladiatorum. Vide *Gladiator.*
Cateruales. Vide *Caterua.*
Sæculares. Vide *Sæcul.*
Theatrales. Vide *Theatr.*
Vide etiam *Agon. Spectacula.*
Ludouicus, filius Caroli Magni, cognomento Pius, conſtituitur à patre Rex Aquitaniæ. 806. III.
Reſtituit ibi collapſum Eccleſ. diſciplinam, cupitque fieri monachus. 807. III.
Creatur à patre Imperator, optimiſque monitis inſtruitur. 813. V.
Mortuo patre, ſolus imperat in Occidente. 814 VI.
Coronatur, & vngitur à Stephano PP. Quinto. 816. VI. In Conuentu Aquiſgran. confirmat donationem bonorum Eccleſ. Rom. liberamque relinquit Clero & populo, Pontificis electionem. 817 II. III Lotharium filium coronat Imp. ibid. III.
Rebellantem nepotem Bernardum, luminibus priuari permittit, fratres naturales coniurationis reos in monaſterium detrudit. 817. IV.
Agit publicam ea de re pœnitentiam. 822. I.
Eius ſolicitudo de reformatione Eccleſiæ, & monaſteriorū. 817. II. 819. I. 828. I.
Leges Eccleſ. non niſi auctoritate Apoſt. Sedis ſancit. 819. III.
Recipit Legatos pro pace à Michaele Balbo Imp. Oriēnt. 824. II.
Collationem procurat Pariſiis de Imaginibus, ex permiſſione Eugenii PP. & quomodo ipſe à Collatoribus in diſcrimen adductus fuerit. 825. I. & ſeqq. Init periculum à coniuratione Pipini filii, aliorumque Principum, ob fauorem erga Bernhardum Hiſpanum hominem; ſed liberatur à filio Lothario. 830. II. Inſurgentibus rurſum aduerſus eum tribus filiis, deponitur: ſed rurſum reſtituitur, & reconciliatur illis. 833. I. II. 834. I.
Cometæ apparitione monitus, bonis operibus præparat ſe ad mortem. 837 I.
Regnum inter filios partitur, eiſq; commendat Defenſionem Rom. Eccleſiæ, ceterarumque. 838. I.
Northmannos irrumpentes repellit. Britones & Aquitanos compeſcit. 836. I. 839. I.
Filium Ludouicum rebellantem, ad deditionem compellit. 839. I.
Rurſum rebellantem perſequitur, & in morbum incidens, peſſime moritur, pace tum ei, tum aliis imperita. 704. I. II.
Poſt 33. ab obitu annos, in viſione petit à filio ſuffragia pro ſua liberatione à pœnis Purgatorii. 874. I.
Ludouicus filius Ludouici Pii Imp. conſtituitur à patre Rex Germaniæ. 817. III.
Inſurgit cum fratribus in patrem; ſed poſtea reconciliatur. 833. I 834. I. Rebellat ſæpius, & ſemper veniam obtinet ab indulgentiſſ. patre. 839. I. 840. I. II.
Vna cum Carolo Caluo fratre vincit Lotharium alium fratrem, & regnum eius inter ſe partiuntur iudicio Epiſcoporum Gallorum. 842. I.
Vocatus in Galliam aduerſus fratrem Carolum, mouetur ab Epiſcopis de rebus ſuis curandis; ſed nihilominus multa infert mala regno, & Eccleſiis. 858. II.
Interpellat ſumma humilitate Nicolaū PP. aduerſus Carolum. 860. III. Recipit egregia munera à Baſilio Imp. Orient. 872. I. 830.
Moritur. 876. IV.
Ludouicus II. Imp. mittitur à patre Lothario Romam poſt electionem Sergii Papæ, & ad quid. 844. II.
Quando fuerit coronatus Imp. ibid. III
Eius prauus conatus ad vendicandam ſibi electionem Rom. Pontificis. 855. V.
Mortuo patre, ſolus imperat. ibid. VI.
Nicolao Papæ exhibet muſſtrum ſtratoris. 858. I. Vincit Saracenos. 866. III. 871. III. Pro eius parte regni Franc. a patruis inuaſa, multum ſatagit Hadrianus PP. 869. XVI. 870 I
Altercatur cum Baſilio Imp. Orient. de nomine Imperatoris, quod ei Baſilius inuideret. 869. XII. 871. III. Proditorie capitur à Duce Beneuenti, diuina agente vindicta ob quædam eius ſacrilegia. 872. II. Abſoluitur à Rom. Pont. iuramento per vim proditoribus præſtito. 873. I. Moritur. 875. I.
Ludouicus III. cognomēto Balbus, Franc. Rex, imperat in Occidente. 875. VI.
Moritur. 879. I.
Ludouicus IV. Boſonis filius, Romæ coronatur Imp. à Sum. Pont. 900. VI. Oculis, & Imperio priuatur à Berengario tyranno. 904. I.
Ludouicus, cognomento Craſſus, Francorum Rex vngitur Aureliani. 1106. VII.
Eius inſignis pietas, iuncta bellicæ fortitudini, pro defenſione regni aduerſus hoſtes. 1125. II. Epiſcopus renuntiantes militæ palatinæ & caſtrenſi, male habet; & inde redarguitur à S. Bernardo, & aliis viris ſanctis. 1127. III. Adhæret Innocentio II. contra Petrum Leonis Antipapam, eumdemque honorifice ſuſcipit. 1130. IX.
Filium Ludouicum per eum vngi & coronari facit in Concilio Rhemenſi. 1131
Moritur, vere pœnitentis exemplum edens. 1136. I.
Ludouicus Rex Franc. eius nominis Septimus, vngitur viuente patre ab Innocentio PP. 1131. I. Succedit patri defuncto. 1136. I.
Reſtagatur Innocentio, ob cuiuſdam Epiſcopi conſecrationem, & Eccleſias vexat, ſed paulo poſt reſipiſcit. 1142. I.
Sumit Crucem à S. Bernardo, pro expeditione in Terram Sanctam. 1146. I.
Sumpto à S. Dionyſio vexillo dicto Oriflambe proficiſcitur, & appellit in Palæſtinam. 1147. III. 1148. I.
In reditu captus à Græcis, liberatur à Rogerio Siciliæ Rege. 1149. II.
Coniugem relinquit, iudicio Synodali, ob conſanguinitatem, aliamque ducit. 1151 II.
Adhæret Alexandro Papæ aduerſus Octauianum ſchiſmaticum, quamuis in contrariam partem valde ſolicitatus à Friderico Imp. 1160. VIII. 1161. I. II.
Doloſe circumuentus à Friderico, ſe & Alexandrum coniicit in immenſum periculum, ſed liberantur diuinitus. 1162. II. III.
Officium ſtratoris exhibet Alexandro, vna cum Rege Angliæ. ibid. IV. Thomam Cantuar. expulſum, honeſte excipit, fouetque. 1167. VI. 1168. II.
Eum aliquando deſerens, mox flexis genibus veniam petit; & dignum Rege Chriſtianiſ. reſponſum dat Regi Angliæ, de vtriuſque regni conſuetudinibus. 1168. VI.
Diuino monitu peregrinatur ad ſepulchrum eiuſdem S. Thomæ martyris, pro ſanitate filio ægroto obtinenda. 1179. VI.
Moritur. 1180. IV.
Lugdunenſis & Vien. Eccleſ. literæ ad Eccleſias Aſianas, de perſecutione ſub Marco Imp. 179. II.
Per Irenæum presbyt. conſulit Eleutherum PP. de quibuſdam dubiis. ibid. V.
Valde fluctuat ſub Conrado Imp. 1034. IV.
Eius priuilegium ſuper quatuor Galliarum Archiepiſcopatus, confirmat Gregorius PP. Septimus. 1079. IV.
Lugdunenſe Concil. in cauſa hæreſis Prædeſtinatorum. 520. IV.
Aliud, Primum dictum, aduerſus duos prauos Epiſcopos. 570. VI.
Secundum, pro diſciplina Eccleſ. 58. IV.
Aliud ſub Ludouico Pio, in cauſa Epi-

ſcoporum Lugdun. & Vien. reorum coniurat omnes aduerſus Imp. 835. III. Aliud ſub Legato Sedis Apoſt. quo excommunicatus eſt Rhemenſis Archiep. 1080. XVI.
Luithprandi Regis Longobard. in Italia initium. 712. III.
Confirmat reſtitutionem Alpium Cottiarum Rom. Eccleſiæ. ibi. & 715. III.
Transfert Ticinum è Sardinia corpus S. Auguſtini, magno pretio redemptum a Saracenis. 725. I. Exurgit viriliter aduerſus Leonem Imp. pro defenſione ſacrarum Imaginum. 726. VII.
Icto fœdere cum Imp. tentat Romam, ſed a Gregorio Papa reuocatur a cœpto, eique ſe obſequentem exhibet. 729 I.
Rurſum obſidet Romam, & eccleſiam S Petri diripit magno ſuo damno. 739 I.
Moritur; & quæ eius laudanda, vel vituperanda. 744. IV.
Luithprandus Epiſcopus Cremonenſis hiſtoriæ ſcriptor, mittitur a Berengario Italiæ Rege Legatus ad Conſtantinum Porphyrogen. Imp. 948. II.
Eius hiſtoria aucta appendice ſpuria, in gratiam Otthonis Imp. aduerſus Rom. Pont. 960. I. 964 III
Rurſum mittitur ab Ottone Conſtantinopolim ad Nicephorum Imp. pro nuptiis filii Ottonis, ſed male habetur, ex inuidia Græcorum in Latinos. 968 III
Luminaria in Eccleſiis clara luce 58. XXVII. Vide *Lampades*.
Lumina accenſa olim præferri ſolita Auguſtis. 181. III.
per Lumen, quomodo diuinarum Perſonarum diſtinctionem exponeret Hierax hæreſiarcha. 257. IV.
Lunam eſſe deum, dixit Prodicus hæreſiarcha. 120 XVII
Lunam & Solem, adorabant Manichæi; & quænam alia de iis delirarent 277. IX.
Eius pariter cultum introduxit Mahometes. 630. II.
Luna in ſanguinem conuerſa in martyrio Felicis Epiſcopi Africani. 302. XX.
Lunæ deficientis ſtulta Gentilium reuocatio, ſublata Mediolani ab Ambroſio. 377. V. & in Africa ab Auguſtino. 418 VI.
Lupercalia auferet Romæ Gelaſius Papa. 496. IV. In eorum locum introductum. feſtum Hypapanti. 1. IX. 544. III
Lupus Trecenſis Epiſcopus, ex vxorato olim monachus, miræ vir ſanctitudinis; vna cum S. Germano Antiſiodor. mittitur in Britanniam aduerſus Pelagianos. 429. II. Quid ipſi cum Attila Gallias deuaſtante. 451. VI Moritur, feliciſſimus in diſcipulis, & ſucceſſore. 479. III.
Lupus Senonenſis à Clotario Rege in exilium pulſus, ingenti honore reuocatur. 614. VI.
Lupus Ferrarienſis Abbas conſtituitur à Ludouico Pio. 838. III. Memoratur ſæpe cum laude.
Lupus. ferum animal, Aureliis prodigioſe tintinabulum eccleſiæ intonat. 888. VI.
Luſtratio. Vide *Expiatio*.
Luſtris ſingulis cenſus apud Romanos fieri ſoliti Appa. XXIX.
Luſtrum nouiſſimum habitum ſub Veſpaſiano. 76. I. Vide etiam *Cenſus*.
Luſtrici dies, qui dicti. 1. II.
Lyſanias Abilinæ Tetrarcha, cuius meminit Lucas, qui fuerit. 31. III.

M.

MACARIVS Antioch. Epiſcopus, ſignifer hæreſis Monothelitarum 678. I.
Eius imprudentiſſima procacitas in Synodo Sexta. 680. VI. 681. II.
Damnatur, atque deponitur. 681. II. ibi.
Appellans Rom. Pontificem, mittitur in Vrbem. ibid. X.
Obſtinatus perſiſtens, includitur monaſterio. 683. I. I.
Macarius alius Antiochenus, inſignis vir pietatis, poſt renuntiationem Epiſcopatus, & varias peregrinationes, moritur in Flandria, miraculis vbique clariſſimus. 1012 III
Macarius Hieroſol. Epiſcopus creatur. 312. XVII.
Adeſt ſatur Ario. 318. VIII. Intereſt Magno Concilio Niceno. 325 VIII
Moritur. 331. II.
Macarius II. eiuſdem ſedis Epiſc. creatur, vir laudatiſſ. 546. VII.
Calumniam paſſus de Origenis erroribus, pellitur, ſed iis damnatis, reſtituitur. 548. IV.
Macarius monachus Catholicus miraculo ſuſcitati mortui ſuperat Hieracitam hæreticum, quem diſputatione conuincere non poſſet. 283. IV.
Macarius V. C. à Conſtante Imp. mittitur legatus in Africam, a ſollicitandos Donatiſtas ad concordiam. 348. V. Ab eo Catholici dicti a Donatiſtis Macariani, & tempora Macariana nominata, & quare. ibid IV VI.
Macarii cur dici voluerint Manichæi hæretici. 277. V.
Macedonicum Concil. ex quo legatio ad Innocent PP. 414 VI.
Macedonius, fide Catholicus, creatur Epiſc. Conſtantinop. 495. III.
Agit pro Romana Sede, ſed adue. ſatis non patitur Anaſtaſium Imp 497. I.
Miſſo ad eum occidendum cuidam ab Imperatore, ipſe munera donat 505. II.
Fruſtra tentatur de damnatione Concilii Chalcedon. 506. III.
Calumniis ab Imp. exagitatus ſe purgat. 510. II.
Tandem vi & fraude opprimitur, & in exilium mittitur. 511. ibid.
Licet pro fide, haud tamen in caſtris Eccleſiæ pugnauit, ob retentum Acacii nomen. 512. III
Moritur in exilio. 515. III.
Eius nomen expunctum è Diptychis. ibid. & 519. III.
Macedonius hæreſiarcha, eligitur ab Arianis Epiſcopus Conſtantinop. ſed excitantur turbæ. 342. VII.
Introducitur à Conſtantino Imp. 351. XI.
Diriſſime ſæuit in Catholicos. ibid. XII.
Opium quoque Conſtantii in ſe concitat, ob translationem corporis Conſtantini Magni. & plebis cædem inde ſecutam. ibid.
Stat à parte Semiarianorum, contra Arianos. 358. IV. 359. XVIII.
Abdicatur in Concil. Conſtantinop. ab Acacio, & in eius locum ſubſtituitur Eudoxius. 359 XXI
Nouam hæreſim promulgat, qua Spiritum S. creaturam aſſeruit, ſectatoreſque habet omnes Semiarianos. 360. IV. ac confeſtim cunctos vbique Arianos ibid. V.
Macedoniani hæretici, dicti quoque Marathoniani, à Marathonio eius hæreſis propagatore. 360. IV.
Eorum ciuitas appellata Cyzius, quod eam hæreſim valde auxiſſet Eleuſius Cyzicenus. ibi
Vitæ ſanctitudinem, & monachiſmum præferebant, & ideo grati erant populis. ibid.
In eam hæreſim primus omnium Athanaſius e latebris ſuis iacula intorſit. 360. V.
Damnatur ab eodem, poſt latebras, in Concilio Alexandrino 362 XLII.
Student ſe inſinuare Iouiano Imp. Catholico, ſed reiiciuntur. 363 XX
Vocati a Theodoſio Magno ad Concilium Oecumen. Conſtantinop. ſpe concordiæ, eam renuentes damnantur cum aliis hæreticis. 381. II. IV.
Iterum ab eodem Imp. compeſcuntur. 384 VII.
Pariterque ſub Theodoſio Iuniore exagitantur. 41. XIV.
Macrianus, capto à Perſis Valeriano, inuadit Imperium 262 III.
Macrina auia S. Baſilii, egregiæ pietatis femina. 304. XI.
Macrinæ ſororis eiuſdem Baſilii, ſanctiſſ. & doctiſſ. virginis Deo dicatæ, obitus. 378. XII.
Macrinus Maurus ex ignobili ortu ad Præfecturam Prætorio peruenit, Caracallam occidit, & Imperium arripit, iuncto ſibi filio Diadumeniano. 219 X.
Fuit ſeuiſſimus, & aliis vitiis inquinatiſſimus. ibid.
Necatur poſt annum à militibus, vna cum filio. 220 I
Marcus alius, contra Philippos Imperator acclamatus, cito extinguitur. 253. II.
Magdalena Vide *Maria Magdal.*
Magia à Tiberio Romæ primum repreſſa. 18. I.
De Magia liber confictus nomine Chriſti, qui per eam ſua miracula feciſſe diceretur. 44. XXVI.
Magiæ libri, etiam apud Gentiles igne damnati. 56. XII.
Eos Epheſii facti Chriſtiani comburunt. ibid.
Quæſiti quoque, & combuſti, ſub Valente Imp. 370 XV.
Magiæ tributa à Gentilibus miracula Chriſti, & Apoſtolorum. 68. XII. aliorumque Chriſtianorum. 302. XVIII.
Magi qui venerunt adorare Chriſtum, quinam, ciuitates, quot, & quales fuerunt. 1 III. IV. V.
Magi triplicis generis, apud antiquos. ibid. V.
Quo tempore venerint in Bethleem. ibi. VI. VII.
Eorum aduentus celeberitas ſumma in Eccleſia. ibid. IX.
Baptizantur à Thoma Apoſtolo, & ſocii eius fiunt in prædicatione Euangelii. 44. XVI.
Magos, hoc eſt, Maleficos, vndique ad ſe vocat Nero Imp 68. VI.
Deluſus à Simeone, eos exagitat. ibid. X.
Trahunt eo tempore poſt ſe Iudæos, promiſſione ſignorum & prodigiorum. 58 LIX
A Tiberio exagitantur. 18 I. itemque à Conſtantio 356 I. 358 VI A Valentiniano & Valente. 364. VIII 365. V. 367. VII. 370 XIV. XV.
Magus quidam Ægyptius, ſub Philippo Imp. perſecutionem excitat in Eccleſiam Alexandr. 252 II.
Euiſdemque impulſu Valerianus vbique Chriſtianos exagitari iubet. ibid. & 259. I.
Dicebantur etiam ab antiquis Ægyptii. 324. VIII.
Artem ſuam honeſto philoſophiæ pallio tegebant. 351. III. 362. IV.
Eorum vanis prædictionibus deceptus Iulianus Apoſt. periit. 362. VI. VIII. X. Vide etiam *Malefici*.
Magorum ſectam in Perſide extinguit Habdallus Saracenorum Rex. 758 II.
Magiſtratuum rapinas in prouinciis cohibet Nero. 59. VIII.
In eorum electionibus, Alexander Imp. imitatur Chriſtianos. 224. II.
Iis derogabat Manes. 277. X.
Accuſari à prouincialibus, permiſit Conſtantinus. 325. LII. Eos Epiſcopis idem ſubiecit. Vide *Præfecti*.
Magiſtratus gerere prohibiti hæretici & ſchiſmatici, & in Concilio Arelat. I. præſente Conſtantino. 314 VIII. Prohibiti Chriſtiani & à Iuliano Apoſtata. 362. V.
Magiſtratus nouos creat Conſtantinus. 330. VI. Venales omnes exponit Zeno. 474 III.
Eoſq; nihilominus conſtituit, poſt muneris functionem, quadraginta diebus ratione ex gentibus reddere. 475. VIII
Eorum venditionem aufert Anaſtaſius,

ſed mox reſtituit. 491. III. IV. Eamdemque ſequuti poſtea Impp. conſeruarunt, auctione propoſita. 590. VIII.

Magiſtratus auxilium rite ab Epiſcopis implorari aduerſus hæreticos & ſchiſmaticos. vide in *Heretici*.

Magiſtri XII. Manichæorum, inſtar XII. Apoſtolorum. 277. XI.

Magnentius dux Conſtantis Auguſti, occiſo eo inuadit Imperium Occidentale. 350. I. II.

Simulat Chriſtianum. ibid. III.

Primus Chriſtianorum conſpirauit in Imperatorem. ibid.

Mittit Legatos ad Conſtantium, inſignes Epiſcopos. 350. VIII.

Profligatus à Conſtantio, deſperatione actus, matrem, fratremque, ac ſeipſum necat. 353 III.

Magnum Concilium, quod diceretur. 347. III.

Magodia regio, ex qua forte Magi ad Chriſtum. 1. V.

Mahometis origo, progreſſus, nefanda dogmata, mors, & ſepultura. 630. I & ſeqq. De cultu ei à ſuis exhibito, & peregrinatione ad eius ſepulchrum. ibid. III.

Maiorianus domitor Francorum & Alemannorum, creatur Imperator Occidentis. 457. VIII.

Relaxat omnia tributa nō ſoluta. 458. I.

Necatur fraude Seueri Imperium ambientis, magno Reip. damno. 461. I.

Maiorinus creatur à Traditoribus Epiſcopus Carthagin. contra Cęcilianum. 306. XII.

Damnatur cum ſuis in Synodo Rom. ſub Melchiade. 313. VII.

Maiuma, turpe ſpectaculum, vnde ſic dictum. 399. V.

Lege Arcadii, agente Chryſoſtomo, proſcribitur. ibid.

Malachias creatur Archiepiſc in Hibernia, reſtituitque collapſam eius Eccleſiæ diſciplinam. 1124. IV.

Petit Romam pro pallio, & Apoſtolatu; & quantus ei a ſummo Pont. delatus honor. 1137. III.

Moritur in monaſterio Claraualleuſi. 1148. X.

Malchion Antioch. presbyter diſputatione publica Paulum Samoſat. conuincit. 272. I.

Maledicentes Imperatori pœnæ eximens Theodoſius, eoſdem arctioribus vinculis conſtringit. 393 VII.

Maleficiis & incantationibus vti ſoliti hæretici. Heleeſaitæ. 105. II. Baſilidiani. 120 VII. Carpocratiani. 120. XII. Gnoſtici. 120. XIV. XVI. Ophitæ. 145. V. Montaniſtæ. 173. III. Seueriani. 174. V. Marcitæ. 175. VIII Vide etiam *Preſtigia*.

Malefici & incantatores à Conſtantino Magno cohibiti. 321. VII. itemque à Conſtantio eius filio. 357. XXII. 358. VI. Valentiniano & Valente. 370. XIV. XV. Gratiano & Theodoſio. 382. V. 389. IX. & in Gallia, à Fredegunde Regina. 587. VI. Vide etiam *Magi & Sortilegi*.

Maleficiis & incantationibus vſus Valentinianus III. Imp. ad expugnandam matronarum caſtitatem. 587. VI.

Malos omnes ab inferis eductos eſſe per Chriſtum. iuſtos autem ibi eſſe relictos, aſſeruit Marcion. 146. VI. Vide *Inferi*.

Malum eſſe bonum, & contra bonum eſſe malum, aſſeruerunt Caiani. 145. VIII.

Malum increatum eſſe, & Deo coęternum, dixit Marcion. 146. V.

A Materia prodiiſſe, Hermogenes. 170. IV.

Malorum cauſam eſſe Deum, dixit Florinus. 180. III.

Eorum non eſſe creatorem Deum, Colluthus. 315. XII.

Mamæa Alexandri Imp. mater femina laudatiſſima, Chriſtianis fauet, & Origenem accerſit. 223. I.

Deſciſcens à priore illa inſtitutione vitæ, ob auaritiam necatur vna cum filio Imp. 237. I.

Mamertus Viennenſis in Gallia Epiſcopus, egregius Rogationum ſacrarum reſtitutor. 475. IV.

Ipſius frater eiuſdem nominis presbyter eiuſdem Eccleſiæ, confutat ſcripta hæretica Fauſti Regienſis. 520. VI.

Manaſſes affinis Hugonis Regis Italiæ, homo nefarius, primus plures ſimul Epiſcopatus poſſidet. 936. V. Cupidine potiundi Mediolanenſi, prodit Hugonem. 945. I.

Manes hæreſiarcha quo tempore innotuerit. 277. II.

Fuit genere Perſa, conditione ſeruus, nomine Curbicus. ibid. IV.

Cur dictus Manes, ſiue Manichæus. ibi. Eius primordia, & diſciplina. V. Ob necem filii Regis Perſarum, quem ſanandum ſuſceperat, carceri mancipatur. VI. Fugæ, diſputationes de religione, captura, & excoriatio, aliaque cadaueris ſupplicia. ibid.

Non fuit Chriſtianus, multa tamē hauſit à Chriſtianis. XI. Ex omnibus ſectis aliquid ſumpſit, vt omnes facilius ad ſe alliceret. XII. Apoſtolum ſe Ieſu Chriſti nominauit, hoc eſt Paracletum, quē Chriſtus promiſerat. VII. Impia, ac deliria, eius, ac diſcipulorum dogmata, & nefandæ turpitudines. VIII. & ſeqq. Scripta. VII. XIII. A quibus errores confutati. XIV.

Manichæorum diuerſæ aliç appellationes. 277. V. VI.

Diuiſio in electos, & Auditores. ibid. X. XI. Electorum aliæ ſubdiuiſiones. ibid. XI.

Fuit ea hæreſis, ſentina omnium impietatum & ſcelerum. XII.

Fuerunt potentes ad ſeducendos alios. difficiles conuerti ad Eccleſiam. XIII.

Reprimuntur à Diocletiano & Maximiano Impp. Ethnicis; eorumque libri, & doctores comburi iubentur. 287. V.

Deteguntur Romæ conuentus habere ſub Valentiniano Imp. & ab eo vbique prohibentur. 372. XIV.

Quod ii affectarent ſanctitudinem, inde Chriſtiani ieiunantes Romæ Manichæi vocati. ibid.

Eorum conuentus rurſum prohibentur à Gratiano. 377. III. & à Theodoſio Magno. 381. XI. 382. XIII. poſt vndique pelli iubentur ab eodem Theodoſio. 389. X.

Eorum exectabiles turpitudines, & horrenda myſteria, deteguntur Carthagine. 420. I.

Iterum detecti Romæ à Leone Papa in exilium pelluntur, librique comburuntur; & vt idem vbiq; fiat, ab eodem Pont. curatur. 443 I. 444. I.

Vt ſacrilegi puniuntur à Valentiniano Tertio. 445. III.

Comburuntur ab Hunerico Wandalo in Africa. 476. IX.

Denuo pelluntur Roma à Gelaſio PP. 496. VI. & ab Hormiſda. 523. I. Et in Oriente capite plectuntur, & trucidantur à Iuſtiniano Imp. & Cabade Perſ. Rege. 525. II. ibid.

Reuiuiſcunt in Armenia, ſed ab Impp. Conſtante & Iuſtiniano Iuniore trucidantur & comburuntur. 653. VII. itemque à Leone Iſauro. 722. I. Fauet eis Nicephorus Imp. 810. I.

Eorum iis temporibus variæ aliæ appellationes, & ſectæ. 810. I.

Rurſum gladio necantur à Michaele Curopal. 812 I.

Bello item appetiti à Michaele III. ad centum millia occiduntur, reliqui iungunt ſe Saracenis. 845. II.

Delentur innumera multitudine à Baſilio 886. III. Detecti rurſum in Gallia & Hiſpania, noua quædam docentes, igne comburuntur. 1017. I.

Et in Germania ſuſpendio necantur. 1052. I.

Manlius Conſul fit monachus ex conſenſu coniugis. 505. I.

Manuum impoſitio, propria Apoſtolorū, & Epiſcoporum, ad conferendum Spiritum S. in Sacramento Confirmationis. 35. XI. Vide *Chriſma*.

Manuum impoſitio in ordinandis ſacris miniſtris. 44. XXXV. Vide *Ordinatio*.

Is modus ab Hebræis acceptus. ibid.

Manus impoſitio duplex apud Hebræos. ibid. Æmulati quoque eumdem ritum Gentiles. ibid. XXXVI.

Manuum opus. Vide *Opus*.

Manuum lotione ſoliti Iudæi ſuam conteſtari innocentiam. 34. XXVIII. vel etiam, Manuum ad ſolem ſublatione. ibid.

Manuum extenſione benedictio ab Hebræis impertiri ſolita. 34. LXI.

Manuum cum thure aduſtio, excogitata à Gentilibus in Chriſtianos pœna. 304. XIII.

Manibus inſcribi Chriſtianos & Iudæos, iuſſit Habdallas Saracen. Rex in Syria. 772. IV.

Manus S. Ioannis Bapt. transfertur Conſtantinop. 956. II.

Manus amputata reſtituitur S. Ioanni Damaſceno à B. Virgine, relicta tantummodo linea ad locum exciſionis. 728. I. Eodemque plane modo reſtituitur alio tempore, cuidam homini in Germania. 944. V.

De Manus præciſione, & reſtitutione, Leonis PP. fabula reiicitur. 461. III. 795. V.

Mantuanum Concil. in cauſa Schiſmatis Eccleſiæ Rom. Catholici. 1064. II.

Manuel Comnenus imperat Conſtantinopoli, & ducit vxorem, ſororem coniugis Conradi Rom. Regis. 1143. IV. Eumdem Conradum proficiſcentem cum expeditione in Terram Sanctam omnimodis vexat, & per Turcas eius exercitum delet. 1147. III.

Cur manus inieciſſet in bona Eccleſ. poſtea correxit. & ea aureis conſtitutionibus muniuit. 1148. XII.

Legationes mittit ad Alexandrum PP. pro repetendo Imperio Occidētali, aduerſus Fridericum ſchiſmaticum. 1166. IV. 1170. IX. itemque pro ſecuritate Imperio ſuo procuranda à Francis in Terram Sanctam expeditionem ducentibus. 1180. IV.

Moritur ſumpto pro pœnitentia monaſtico habitu. ibid. V. Laudatur de eleemoſynarum largitate. ibid.

Maranatha vox quid ſignificet, & quare à Paulo Apoſtolo addita Anathemati. 57. XLIX. Eam exhorrent Hiſpani, & quare. 775. IX.

Marathoniani hæretici. qui & Macedoniani, à Marathonio Macedonii ſectatore. 360. IV.

Marcella, nobilitate, ſcientia, & virtutibus prçſtans matrona Rom. omnium prima in Vrbe detegit Origeniſtas. 397. V. Renuntiatis ampliſſ. diuitiis, amplectitur vitam monaſticam. 410. VII. In direptione Vrbis per Alaricum, tenta à Gothis vna cum Principia filia, fuſtibus cæſa cum poſceretur aurum, cognitæ liberæ dimiſſæ ſunt. ibid.

Marcellina femina hæretica ſectę Gnoſticorum, multos Romæ ſeducit. 167. VI.

Marcellina ſoror S. Ambroſii, virgo Deo dicata. Romæ domi ſuæ manens, alias virgines ſecum habet. 377. IV.

Marcellinus Comes, auctor Chronici, vbi illud terminet, & quæ alia ſcripſerit. 534. VII.

Marcellinus, Tribunus & Notarius, mittitur ab Honorio Imp. in Africam, ad dirigendam Collationem inter Cathol. & Donatiſtas. 410. XI. Quæ fuerint eius partes in Collatione. 411. IV. Iudicium profert aduerſus Donatiſtas. ibid. V.

Fuit

Fuit doctrina & pietate inſignis. 413. II. accuſatus falſo a Donatiſtis de proditione, occiditur a Marino duce, & titulo martyrii viget in Eccleſia. ibid.
Marcellinus Rom. Pont. creatur. 296. II.
A Græcis auctoribus confunditur cum Marcello. ibid.
Dubia aſſertio de eius facta idolis immolatione. 302. XII. XIV.
Teſtimonia antiquorū de eius integra religione. ibid. XV.
Eius lapſus, etſi verus eſſet, nihil obeſt Rom. Sedi. ibi. XVII. Martyrio coronatur. 304. VII.
Marcellinus Rom. presbyter martyr ſub Diocletiano, vna cum Petro exorciſta. 302. XVIII. Animæ in cœlum viſæ ferri. ibid.
Reliquiæ transferuntur in Gallias opera Eginhardi. 826. II.
Marcellinus Rom. presbyter ſchiſmaticus, in Damaſum PP. cōtumelioſus. 367. VI. Offert libellum ſuum Theodoſio aduerſus Catholicos, & reſcriptum impetrat, quod paulo poſt reſcinditur. 388. XI. Fides eius ſæpe nutat in enarrandis rebus virorum ſanctiſſimorum. 357. VIII. XVII. & alibi.
Marcellus Ancyranus Epiſcopus, Euſebianorum calumniis deponitur. 336. V. Appellat Rom. Pontificem, & ab eo cauſa cognita reſtituitur. 340. I. 341. XIV. 342. VIII. Eiuſq; reſtitutio confirmatur in Concilio Oecumen. Sardic. 347. VII.
Dubium an fuerit Sabellianus: ſed abſolutio criminum obiectorum, fuit prorſus abſq; culpa vel Pontificis, vel Synodi ibi. XIV. Photini ipſius diſcipuli impietas notam ei grauem attulit. ibi. Iterum eccleſia ſua pellitur a Semiarianis. 351. X.
Marcelliani hæretici damnantur in Concilio Oecumenico Conſtantinop. 381. IV.
Marcellus Apamenſis Epiſcopus martyrium ſubit a Gentilibus ſub Theodoſio Magno, ob dirutum ipſorum templum. 389. XVII.
Marcelli Centurionis, cum XII. filiis, martyrium ſub Dioclet. 298. I.
Marcellus Rom. Pont. creatur. 304. VII. Titulos in Vrbe conſtituit 306. X. Carcer, ærumnæ, & obitus, pro fide Chriſtiana, ſub Maxentio tyranno. 309. III. V.
Epiſtola ad eumdem Maxentium, de mutatis in prauum eius moribus. 309. V. ibi. Eius Acta corrupta. 298. III. 309. IV. ibid.
Marcia concubina amatiſſima Commodi Imp. fauet Chriſtianis. 182. III.
Marcianus præcedentibus prophetiis euehitur in Imperium a Pulcheria Aug. & ab eadem aſſumitur in maritum, ſalua virginitate. 450. III. IV.
Reſcribit aduerſus Eutychianos, & agit cum Leone Papa pro cogendo Concilio Chalced. ibid. V.
Eius in Synodo partes, & religio. 451. XIII. XV. XX. XXIII. XXV.
Publicis reſcriptis confirmat Acta Synodi, & agit aduerſus Eutychianos. 452. I. II. VI.
Extincto Attila, apparet ei Dominus, arcum eius fractum oſtendens. 454. V. Vindicat Clerum in priſtinam libertatē de bonis viduarum ſuſcipiendis. 455. VII.
Eius obitus, & inſignes virtutes. 457. I. Viſitauit ſæpe Simeonem Stilitam priuato habitu. 460. II.
Marcion ex philoſopho Stoico hæreſiarcha, quo tēpore emerſerit. 146. I. A proprio patre, qui erat Epiſcopus, ob hæreſim, & ſtuprum, eccleſia pellitur. ibid. III. Sæpe Romæ recantat palinodiam. IV. Quæ fuerint eius hæreſes. V. &c. Qui ſcripſerint, & qui contra eum. VIII. Vocatur a Polycarpo, primogenitus Satanæ. 167. V.
Catholicum Romæ ſimulans, confert ei Eccleſiæ ducenta ſeſtertia. ibid.
Sæpius eiectus, & receptus, demum ei pœnitentia iniuncta, vt reduceret quos perdidiſſet. 180. IV.
Marcionitarum conuentus prohibet Conſtantinus Magnus. 326. IV.
Decem eorum millia conuertit Theodoretus, cum tamen difficilima res eſſet vel vnum reducere. 423. IV.
Marcomanni inuadunt Imperium Rom. 169. II.
In arctum redigunt Marcum Imp. 171. II.
Diuinitus profligantur precibus Chriſtianorum militum. 176. I.
Iterum acerrimum bellum aduerſus eūdem Marcum excitant. 179. III. ibid.
Fidem ſuſcipiunt per ſuam Reginam a S. Ambroſio. 396. II.
Marcus Euangeliſta fuit Interpres Petri Apoſtoli. 45. VII. XII.
Quibus tempore, loco, occaſione, lingua, ſcripſerit Euangelium. ibi. X. XIII.
Cur ab Auguſtino Breuiator Matthæi appellatus. ibid. X.
Eius nomine confictum ab hæreticis aliud Euangelium Ægyptiorum. 44. XXVI.
An fuerit è numero. 72. Diſcipulorum Domini. 45. XI.
Quo genere natus. ibid.
Fuit diuerſus a Marco conſobrino Barnabæ. XV.
Eccleſiam Alexandrinam erigit nomine S. Petri, & quando eo peruenerit. V. X. XVI.
Quam recte eam inſtituerit. 64. II.
Inſtituit etiam Ægypti monachos. ibid.
De pollice ſibi præciſo, ne fieret Epiſcopus fabula exploditur. 45. XVI.
Glorioſo martyrio migrat in cœlum. 64. I.
Eius Sedes lignea, & Corpus transferūtur Venetias. 820. III.
Poſt longa tempora, ipſomet Euangeliſta reuelante, corpus reperitur, & ſolēni ritu ſub altari reconditur. 1094. IV.
Marcus, prænomine Ioannes. Vide *Ioan. cognomento Marcus.*
Marci Arethuſii Epiſcopi, olim Ariani, poſtea Catholici, horrēda tormenta, & inſigne martyrium, ſub Iuliano Apoſtata. 362. XXXIV.
Marcus Rom. Pont. creatur 336. I.
Eius nomine ſuppoſita epiſtola de Nicænis canonibus. ibid. XV. Moritur. XVI.
Conceſſit Pallium Epiſcopo Oſtienſi. XVII.
Eius nomen perperam appoſitum epiſtolæ Conſtantini ad Melciadem. 313. V.
Marcus Aurelius, & Lucius Verus, adoptātur ab Antonino Pio iuſſu Hadriani. 139. I.
Mortuo Antonino, ſuccedunt in Imperium. 163. III.
Diſcriminatio eorum nominum ab inuicem. ibid.
Dicti Diui Fratres. IV.
Tunc primum viſi ſimul regnare Impp. ibid. Vide *Lucius verus.*
Accerſit Romam Abercium Epiſcop. Hierapol. ad liberandam à dæmone filiam ſuam, eique Eccleſiæ donat quotannis ter mille modios frumenti. 163. V.
Quomodo ſub eo perſecutio irrepſerit in Chriſtianos. 164. II. III.
Sectatus eſt in philoſophia Stoicos. ibi. III.
Solicitius curat ſacra Gentilitia, ob metum belli Marcomannici. 169. II.
Inſignem obtinet victoriam, precibus Chriſtianorum militum. 176. I.
Chriſtianorum accuſationes vetat pœna ignis. ibid. II.
Fauſtinā coniugem defunctā, licet impudicā, inter diuos referri curat. 178. II.
A Iudæis in Palæſtina tædio percitus, quid in eos exclamarit. ibid.
In alia expeditione Marcomannica moritur voluntaria inedia, ob deprauatos mores filii Commodi. 182. I. II.
Mare præbet iter quotannis, Fidelibus viſitantibus ſepulchrum S. Clementis Papæ. 102. II.
Congelat ſub Phoca, adeo vt piſces moriantur. 602. VI.
Fugit terminos ſuos in terræmotu Orientali. 740. IV. Miro gelu riget in Ponto. 753. III.
Maris profundum, in quo fuit Paulus Apoſtolus, carcer Cyzici teterrimus. 58. XVIII.
Maris retractiones & eruptiones horrendæ ſub Valentiniano. 365. IV. Inſigne tunc editum a S. Hilarione Epidauri miraculum. ibid.
Marcus Chalced. Epiſc. olim diſcipulus Luciani martyris, ſub Diocletiano ſacrificat idolis, inde adhæret Ario 311. III. In Concilio Nicæno quomodo ſe geſſerit. 325. XXV. XXVI. Cæcus præſenio redditus, obiicit Iuliano Aug. apoſtaſiam, & ab eo de cæcitate deriſus, reſpondet fortiter. 362. VIII.
Margarita famoſiſſ. meretrix conuertitur à Nonno Epiſcopo, & nominatur Pelagia. 425. XXVI.
Margaritæ Reginæ Scotiæ, diſciplinæ Eccleſ. reſtitutricis, ſanctus obitus. 1097. XI. VII.
MARIA Virgo apparet Romæ Auguſto Imp. Appar. XIII. Alias eius apparitiones, vide in *Apparitio.*
Fuit ex ſtirpe Dauid Regis, & ex genere ſacerdotali Appar. XVI. XVII.
De eius parentibus commenta reiiciuntur, & veritas ſtabilitur. ib. XIX.
Quando, & vbi nata fuerit. XXI.
Triennis oblata eſt in templo, & vndecim illic annis Deo ſeruiit XXI. Anno ætatis 15. deſponſatur Ioſeph. XXII. Salutatur ab Angelo. XXIII. Votū perpetuæ virginitatis quando emiſerit. ib. Viſitat Eliſabeth. XXVII. A perpetua virginitate perpetuum accepit cognomen VIRGINIS. Ann. num. I. De eius obſtetricibus, fabuloſæ narrationes. Appar. XVIII. Annal. I.
Quomodo ſe habuerit in Paſſione Domini 34. XL.
Ei primum omnium apparuit Dominus poſt reſurrectionem. ibid. LIII. Migrat Epheſum, vna cum Ioanne Euangel. 44. XI.
De tempore ipſius Tranſitus diuerſæ admodum ſententiæ, & quæ probatior. 48. II. III.
Quæ item probata, vel improbata de eodem eius Tranſitu ferantur. ibid. IV. & ſeqq.
Vere anima & corpore aſſumpta in cœlum. ib. VI. VII. Vide *Aſſumtio.*
Deſcriptus ab ea, vel ad eam epiſtolis. ib. IX. & 109. V.
Eius Imago a S. Luca depicta. ibid. de eius Imaginibus, & miraculis ad eas factis, Vide *Imago.*
Eius perpetuam virginitatem oppugnarunt Antidicomarianitæ. 48. IV. Heluidiani. 373. V. 382. VI. Iouinianiſtæ. 382. VI. Bonoſiani. 389. XII. Iconomachi. 741. II.
Eam vt Deum coluerunt Collyridiani. Appar. XX. 48. IV. 373. V.
Fuiſſe ante ſæcula, aſſeruit Theoctiſtus hæreſiarcha. 823. VII.
Matrem Ieſu, non Chriſti, aſſerebant Cherinthiani. 60. II. 109. Vide in *Chriſtus.*
Deiparā negauit Neſtorius. 428. VI. X. Vide in *Deipara.*
Poſt Concilium Oecumen. Epheſ. eius cultus vehementer auctus. 431. XXIII.
De eius Officio, vide in *Offic. B. Mariæ.*

Eius

Index Annalium

Eius Veſtis Hieroſolymis Conſtantinop tranſlata, coruſcat miraculis. 474. I. in fi.

Lac quoque in poſteros ſeruatum. 1123. II.

In eam blaſphemi, diuinitus puniuntur. 585. I. 775. I.

Eius auxilio ſæpiſſime Conſtantinopolis liberata ab ingentibus periculis, ob celeberrimum illic eius cultum, & quod ei ciuitas dicata eſſet. 717. IV. Vide *Conſtantinop.*

Eius pariter auxilio, ſuperant hoſtes, Pelagius Rex Aſturic. in Hiſp. 718. III

Ioannes Zemiſces Imp. qui & eius Imaginem curru triumphali Conſtantinopolim deduxit. 971. IV.

Ioannes Comnenus Imp. eodem modo 1123. III.

Andreas Dux Baſilii Imp. 886. II.

Eius interceſſionem, ſimul & aliorum SS. negauit impius Imp. Copronymus, eamque edicto prohibuit. 754. VI. 766. I.

Eius quoque nomen abolere cogitauit, & horrendis vocibus eam blaſphemauit. 741. II. 767. IV.

Eius eccleſia in Vrbe Roma, S. Mariæ Maioris dicta, inſigni miraculo ædificata. 367. II.

S. Maria de Couadouga, ſpelunca in Hiſp. cultu Dei-genitricis famoſa. 718. III.

S. Mariæ de Pilari Cæſarauguſtæ, cultus vbique celebris. 118. VII. Lauretana eius eccleſia. Vide *Domus.*

Eius conceptionis feſtum, qua occaſione celebrari cœptum. 1136. III.

Mariæ Ægyptiacæ à patria dictæ, è perditiſſ. meretrice, auſterrimæ fit pœnitentiæ exemplum. 525.

Poſt ſanctum eius obitum, leo ei parat ſepulchrum. ibid.

Eius Vitæ Acta, ab omnibus probata. ibid.

Maria Magdalenæ, vna, an plures fuerint. 32. VI. VII.

Vnxit pedes & caput Ieſu, fuitque femina opulentiſſ. ibid. & 34. II. V. Quoties ei, & quomodo apparuerit Chriſtus poſt reſurrectionem. 34. I. IV.

A Iudæis pulſa, appellit cum ſociis Maſſiliam. 35. I. 44. XI.

Maria coniux Conſtantini Imp. Irenes filii ab eo repudiatur falſis prætextibus, & monaſterio includitur. 795. I. Sub Leone Armeno exulat pro defenſione ſacrarum Imaginum. 816. I.

Maria Tarſenſis, ex meretrice pœnitens, in monaſterio vitam tranſegit. 525. IV.

Marianus Scotus quo tempore natus ſit, monachatum inierit, & ſcripſerit. 853. V

Aſſertio eius de Ioanna Papiſſa confutatur. ibid.

Marina filii Arcadii Imp. vna cum tribus aliis ſororibus ſuis, virginitatem Deo dicat. 415. X. Moritur. 449. XVII.

Marinus Rom. Eccl. diaconus, mittitur ab Hadriano PP. Conſtantinopolim, ad cogendam Oecumen. VIII. Synodum. 869. I. Itemque à Ioanne VIII. ad damnandum Photium, eiuſque pſeudoſynodum: eaque de cauſa multa patitur à Græcis. 880. I.

Creatur Rom. Pontifex. 882. IV. Agit contra eum Baſil. Imp. Conſtantinop. calumnioſe. ibid. Moritur. 884. I.

Marinus II creatur, inſignis dono prophetiæ 943. I. Dat operam reformationi Eccleſiæ, & paci inter Principes conciliandæ. ibid. Moritur. 946. I.

Marius Victorinus inſignis orator Afer donatur Romæ ſtatua in Foro Traiani. 362. L IX. Conuertitur ad Chriſtum, eiuſque exemplo Auguſtinus ardet deſiderio fidei conſequendæ. ibi. Eius ſcripta Chriſtiana, qualia. ibid.

Marna, idolum Gazenſium famoſiſſimum Vide *Gazenſes.*

Maronitæ populi Syriæ, ex antiqua hæreſi Monothelitarum redeunt ad fidem Eccleſiæ. 1182. II. Vnde ſic dicti ſint. ibid.

Marozia, inſigne ſcortum; ex conſuetudine cum Rom. Pontiff. turpiſſimis, & Principibus Italiç, imperitat Vrbi, & Sedi Apoſtolicæ. 908. III. 982. I.

Ipſius filius ex Sergio PP. fit etiam ab ea Papa. 931. I.

Detruditur in carcerem vna cum eodem Papa, ab alio ipſius filio. 933. I.

Marrano vox vnde deriuetur, & quid ſignificet. 775. IX.

Martha ſoror Mariæ Magdalenæ, vna cum ſorore pulſa à Iudæis, appellit in Gallias. 35. I.

Martialis Apoſtoli Galliarum à Petro miſſi, obitus. 74. VII.

Vtrum fuerit ex 72. Diſcipulis Domini. ibid. Primum in vniuerſa Gallia dicat templum in honorem S. Stephani protomart. ibid. Eius duæ epiſtolæ. ibi. Suſcitat mortuum baculo S. Petri. ibid.

De eius Apoſtolatu, poſterioribus temporibus grauiſſime in Gallia altercatum, & plurima celebrata Concilia, definitioque expetita à Sede Apoſtol. 1029. II. III.

Martina inſignis virgo martyr Romæ ſub Alexandro Imp. 228. I.

Martini patria, militia, & ætas tempore baptiſmi & miſſionis. 351. VI. VII. VIII.

Ab eius obitu ſolita olim apud Francos tempora numerari. ibidem. VII. in fin. 224. Miſſionem honeſtam petens à Iuliano Cæſ. cum de metu inſimularetur, promittit ſe inermem pugnaturum, ſed deditione hoſtium liberatur à periculo 356. XIX.

Multas paſſus ærumnas ab Arianis, redeuntem ab exilio Hilarium in Gallias ſequitur. 360. III.

Creatur Turonenſis Epiſcopus. 375. III.

A Valentiniano Imp. repulſus, paulopoſt Angeli monitu rediens, accedente prodigio honorifice excipitur. ibi.

Monachiſmum introducit in Clerum Eccleſiæ Gallicanæ. 318. in fi.

Obnititur apud maximum Imp ne Priſcillianus neci detur, ſed fruſtra. 385. V.

Communicans ad horam cum Ithacianis ſanguinariis, (licet corpore tantum, non animo, & vt vitam nonnullis impetraret;) corripitur ab Angelo. 386. VI.

Ad Conuiuium à Maximo vocatur, presbyterum ſuum eidem Imp. in propinatione poculi præfert. ibi. VIII.

Vxor Maximi pientiſſ. femina, eidem conuiuium propriis manibus parat, & in modum famulæ miniſtrat, ac reliquias deuote comedit. ibid.

Diruit templa idolorum in Gallia. 389. XVII.

Quo anno, & ætate, mortuus ſit, & vtrum ante S. Ambroſium. 402. XIV. 566. V.

Quinam ſcripſerint eius res geſtas. 402. XV.

Eius Reliquiæ ſolemni pompa transferuntur in Galliciam. 650. II.

Nomen eius inuocari ſuper vinum, vnde mos fluxerit. 580. II.

Eius Quadrageſima, quæ dicta in Galliis. 581. II.

Sepulchrum frequenti peregrinatione viſitatur. 813. VI.

Martinus alius æque Pannonius, vir ſummæ doctrinæ & ſanctitatis, appellit in Galliciam, & Bracarenſis factus Epiſcopus, eam prouinciam optime curat. 560. III.

Celebrat Concilium pro diſciplina Eccleſ. 572. III.

Colligit, & emendat Orientales canones, aliaque plura ſcribit. ibid.

Sancte moritur. 583. VI.

Martinus Rom. Pont. creatur. 649. I. Concilium celebrat aduerſus hæreſim Monothelitarum, & Ecthesin Heraclii, ac Typum Conſtantis Imp. ibid. II. & ſeq.

Diuinitus cuſtoditur ab intentata nece per Exarchum Italiæ. ibid. III.

Scribit ad Imp. & Orientales, Vicarium conſtituit ad res componendas, Ioannem Philadelphiæ Epiſcopum. ibi. VII.

Calumniis ab Imp. appetitus, eius iuſſu vi trahitur in exilium ad inſulam Naxum, & peſſime tractatur. 650 II.

Ducitur Conſtantinopolim, publice illuditur, & miſerrime habetur, demumque Cherſonam, deterrimum locum, relegatur. 651. II. ibid. 652. I.

Moritur martyr, & miraculis viuens & mortuus claret: corpus vero defertur Romam. 654. I.

Martini Iuriſconſulti adulatio erga Fridericum Imp. quomodo compoſita. 1158. III.

Ex eo vocati Martini, qui obſtinate tuentur quamlibet opinionem quamuis erroneam. ibid.

Martyrum Primitiæ dicti, qui Romæ paſſi ſunt ſub Nerone. 66. III.

Martyrum cultus quibus deberetur, diligenter à Patribus diſquiri ſolitum. 55. IV. 302. XXI.

Eo titulo priuati, qui temere ſe offerrent neci. 302. XXI.

& qui dum idola frangerent, necarentur. 305. XI.

Ita vero dicti, qui ſupplicia ſubiiſſent pro fide, licet non mortem. 194. I. 221. I. 253. XI. 313. XI. itemque qui Extones morerentur. 253. XI.

Acquiriturque etiam Martyrium, ex defenſione iurium, & bonorum Eccleſiæ. 1173. I.

Ad martyrium ſe præcipitarunt laudabiliter, multi Chriſtiani vtriuſque ſexus peculiari Spiritus S. impulſu. 252. II. 261. VI. 309. IX.

Martyrio ſe ſponte offerentes, dicebantur Profeſſores. 255. XI.

Damnati vero Marcionitæ, qui ſe ſponte neci offerebant in odium carnis. 146. VII. pariterque Patriciani. 203. IV. ſicut & Donatiſtæ, ac Circumcelliones, qui falſum martyrium, voluntaria, vel alio modo quæſita nece, affectabant. 361. VIII. 48. VIII.

Martyres haberi milites in bello cæſos, conatus eſt Phocas Imp. ſed reſtiterunt Epiſcopi. 394. IV. 610. II. idemque actum cum Nicephoro Phoca. 964. VII.

Martyrum cultum damnauit Cherinthus. 97. VII. itemque Manichæi, & alii hæretici. 58. XXXVIII. 277. VIII. 319. IX. 276. Vide etiam *Reliquiæ.*

Martyrium vitare, ſuos docuit Simon magus. 35. XIII.

Illudque in perſecutione non eſſe ſubeundum pro Chriſto, qua ratione dicerent Baſilides. 99. IV. Gnoſtici 120. XVII Valentiniani. 145. II. 175. VIII.

A Saracenis illatum, quibus rationibus eleuare conarentur falſi fratres. 852. II. 857. I.

Contra vero nulla id occaſione redimere, vel eius tempore fugere licere, docuerunt Montanus. 173. VII. 201. II. & Tertullianus. 205. IV. Vide *Fuga & Redemptio.*

Martyrii ardor Chriſtianorum, & alacritas, in perſecutionibus. 202. II. 204. III. 118. I. 261. VI. 302. III. XI. 310. VI. 371. VIII.

Immenſus eorum numerus ſub Diocletiano. 302. IV.

Corpora flammis aut fluctibus tradi ſolita, ne colerentur à Fidelibus ex more. 102. II. 109. II. 179. II. 302. V. Vide etiam *Corpora.*

Aliquando pretio diſtrahi conſueta. 305. II. Cum dalmatica, aut colobio purpurato, ſepelienda. 283. IV.

Intra vrbem ſepeliri permiſſa à Maxentio. 306. X.

Ad Martyrum Acta conſcribenda, inſtituti Romæ a Clemente PP. Notarii ſeptem

Reg o-

Regionarii. 98. III Iidemque à Fabiano præſe ti ſeptem Subdiaconi. 238.I.

Martyrologiam an ſcripſerit vnquam Hieronymus. 383 XII. Illud, ſiue Hieronymi, ſiue Bedæ, Vſuardus iuſſu Caroli Magni reddidit opulentius. 778.V.

Martyrum Paſſiones in Eccleſia legendi v-ſus, qualis olim probatus, vel improbatus. 401.II.

Martyria, dictæ, etiam olim eccleſiæ. 57. XXXVI. I Eo peculiari nomine dicta inſignis eccleſia Hieroſolymis conſtructa à Conſtantino Magno in memoriam Reſurrectionis Domini 326. VI Eius ſolemnis dedicatio. 335 IX.

Martyrianorum ſecta Gentilium, vnde ſic dicta. 341 VIII.

Martyrius Antioch. creatur Epiſcopus. 459. IV Exagitatus a Petro Fullone, ſedi renuntiat, reſeruata ſibi ſacerdotii dignitate. 471 III. Eiecto Petro à Leone Imp. ipſe reſtituitur; reſtituto vero Petro à Zenone, ipſe iterū eiicitur. 474 III

Martyrius Hieroſol. Epiſc. creatur ex monacho. 477. V. Moritur. 485 IV. Calumniam paſſus eſt de communicatione cum hæreticis. ibi.

Maruthas Meſopotam. Epiſcopus Iſdegerdem Perſ. Regem a morbo, & filium eius à dæmone liberat. 408. II. Fidem Chriſti in Perſide mirifice propagat. ibi.

Masbothei hæretici, ex Simone Mago. 35. XIII.

Maſcezil Maurus, ex Senatuſconſulto decretus dux belli aduerſus Gildonem tyrannum fratrum ſuum, pietate, & precibus ſanctorum monachorum, inſignem obtinet diuinitus ſine ſanguine victoriam. 398 X Elatus inſolentia violat immunitatem eccleſiæ, & proxima morte dat pœnas. ibid. XI.

Maſſa Candida; trecenti martyres apud Carthaginem ſub Valeriano, & cur ita dicti. 261. VI. Alii eiuſdem nominis in Hiſpania ſub Diocletiano. 303. X.

Maſſaliani hæretici, iidemque variis aliis nominibus indigitati, ſub Conſtantio Imp. ex monachis orti in Meſopotamia. 361. VIII.

Spirituales ſe, alios vero homines appellabant Carnales. ibid.

Eorum impia dogmata, & inſana delitia ibi. IX. X.

Dicti quoque Saccophori, quod ſacco conſpicui incederent. ibid. & 383. IX. A pluribus Conciliis, & Theodoſio Mag. Imp. exagitantur. 383 IX. ibid. Concilio celebri ſub Theodoſio Iuniori habito, reiiciuntur penitus ab ingreſſu Eccleſiæ, quam ſæpe teipſi deluſiſſent. 427. III. Damnantur iterum in Concilio Oecum. Epheſ. 431. XV.

Materia ingenitam, ex qua Deus omnia fecerit abſ. hola Stoicorum introducere conatus eſt in Eccleſiam Hermogenes. 170. IV. Itemque à materia prodiiſſe malum; & in eam refundendos eſſe dæmones ibid. Eandem quoque de materia Deo congenita opinionem aſſeruerunt alii hæretici. ib. V Materiam a Mali Principio deducebant Manichæi, aliaque inde impia. 277 VIII.

Materiarii dicti, Hermogenis ſectatores 170. V.

Mathematici Vrbe pulſi ſub Claudio Imp. 54. XII Publice profiteri iubentur ab Alexandro 227. I Tormentis ſupponuntur à Conſtantio 356. I 358. VI. Ex omnibus ciuitatibus pelli iubentur ab Honorio. 409. IV.

Mathildis Henrici Regis German coniux, Othonis Magni Imp. mater, moritur, & inter SS. colitur. 973 I.

Mathildes Duciſſæ Tuſciæ plures, earumque diſcriminatio. 1070. VI.

Mathildis coniux Godefredi Gibberi, facto diuortio virgo permanſit. 1070. VI. Calumniæ de eius commiſtione cum Greg. PP. VII quam fictæ. 1074. IV.

Excellens eius pietas in Deum, & deuotio in Sedem Apoſt. ibid. Agit pro Henrico Rege apud Gregorium. 1077 I. Donat bona ſua Eccleſiæ Rom. ibid. III. Viriliter agit armis in Henricum, licet conſobrinum ſuum, pro eadem Rom. Eccleſ. 1081. III.

Conſentit nubere Welphoni Duci, ob publicum Eccleſiæ bonum, ſed cum ſecuritate ſuæ virginitatis. 1089 V. Iterum confirmat donationem bonorum ſuorum Eccleſiæ Rom. 1102. V. Moritur. 1115 III.

Eius bona conceduntur ab Innocentio PP. Lothario Imp. & Henrico eius genero, ſub cenſu annuo, & poſt eorum obitum reuerſione ad Sedem Apoſt. 1133. II. De iis controuertitur inter Fridericum Imp & Rom. Pont. 1177. VI. 1185. I. 1186. I.

Matiſconenſe Concilium I. pro Eccleſ. diſciplina & aduerſus Iudæos. 581. VI. Secundum, item pro œconomia Eccleſ. 588 III. Aliud in cauſa Agreſtini monachi, inſtituta S. Columbani impugnantis. 677 II.

Matrimonium dictum à Paulo, & antiquis Patribus, Sacramentum. 57. XV. Eius ſacri ritus in veteri Eccleſia ibid. XVI. XVII. Benedictionis, formula Græcorum 808. I. Clandeſtina iam ab initio Eccleſiæ improbata 57. XVI Gradus qui ſeruandi. 604. II. Ex conſenſu diſſolui poſſe, ſanciunt Iuſtinus Iunior. 566. III. Vide *Diuortium*.

Matrimonium damnarunt Saturninus 120. XI. Tatianus 174. II. Origeniſtæ. 256. VI. Apotactici. 260. VIII. Manichæi 277. VIII. Hieracitæ. 287. IV Euſtathiani. 319. VIII. quidam monachi Ægypti, ineptiſſimo prætextu 361. XI. Berengarius. 1035. II. Albienſes. 1176. II. Eius quoque ſolutionem docuit Montanus. 173. V. Æquarunt virginitati Heluidius, & Iouinianus. 382. VI VII. Quomodo Eccleſia Cælibatui poſtponat. 57. LV. Vide etiam *Nuptiæ. Coniugium. Virginitas*.

Martarii dicti hæretici Manichæi, & quare 277. VI.

Matthæus è telonio vocatur à Chriſto ad Apoſtolatum. 31. XXVI.

Quo tempore ſcripſerit Euangelium, & qua occaſione, quaue lingua. 41 IV Prædicat fidem Chriſti in Æthiopia. 44. XVIII. Eius nomine confictus ab hæreticis liber de Infantia Saluatoris. ibid. XXV. De eius Euangelio, vide in *Euangel.* A carnibus abſtinuit. 57 LVI Corporis tranſlatio Salernum 954 II Eiuſdem ibi inuentio ſub Gregorio PP. VII. prouido diuino conſilio facta. 1080. XV.

Matthæus ex monacho Cluniacenſi Cardinalis Epiſcopus Albanenſis, vir prudentia & ſanctitate conſpicuus. 1126. IV. Legatus in Galliam miſſus, Trecis Concilium celebrat, pro confirmatione Ordinis Templariorum. 1127. II. Diuerſa regna peragrat, pro conciliandis eis Innocentio PP. contra Petrum Leonis. 1130. IX.

Matthæus Paris Anglus, quando & qualem ſcripſerit hiſtoriā 996. XIII. 1197. V.

Matthias eligitur Apoſtolus in locum Iudæ traditoris. 34. LXVI.

Quibus populis Euangelium prædicarit. 44. XX. II. Eius nomine multa geſta, & ſcripta. ab hæreticis conficta ibidem. XXIV. XXV.

Matutinarum precum Eccleſ. antiquitas. 31. XIX Vide *Preces*.

Mauri Africæ populi ſuſcipiunt fidem Chriſt. à Catholicis exulibus in perſecutione Wandalorum. 456 IV.

Alii quoque conuerſi ſub Iuſtiniano Imp. 534. V.

Mauritanicum Concil. aduerſus hæreſim Monothelitarum. 646 I

Mauritius Thebææ legionis Tribunus, martyrium ſubit cum ſociis ſuis militibus ſub Maximiano Imp. 297 I. Eius corpus transfertur Magdeburgum ab Ottone Magno. 951 II.

Mauritius alius itidem dux, æque martyrium cum ſuis Apameæ. 297. II.

Iidem ambo a nonnullis vna confuſi ibid.

Mauritius poſtea Imp. militans pro Tiberio Aug. penitus profligat Coſdroem Perſarum Regem, Perſidemque deuaſtat. 581. I.

Creatur à Tiberio Cæſar, & poſtea Imperator, ſoluſque poſt eius obitum regnat. 583. III.

Eius pietas, & virtutes, prædictioneſque Imperii. ib.

Coronationi interfuerunt ipſius pater, materque, & fratres. ibid.

Regem Perſarum Coſdroem à ſuis expulſum, regno reſtituit. 591 I. Iniqua eius lex de militibus volentibus amplecti vitam monaſt. corrigitur a Gregorio PP. 592. IV. Gregorium, ipſamque Sedem Apoſt. minus ſuſcipit, ideoque arguitur ab eodem Pont. 595. II. VII. Ægrotans periculoſe, teſtamentum condit, & Imperium inter filios partitur. 598. V. Impium eius facinus in non redemptis, captiuis à Chaiano Auarum Rege. 600. II.

Eadem pœnitens, petitque à Deo hic potius puniri quam in altera vita; necatur a Phoca, vna cum filiis, vxore, aliiſque propinquis & familiaribus. 602. IV. V. 607. II.

Quæ in eo laudanda, vel damnanda. 602. VI.

Mauritius, qui & Burdinus. Vide in *Burdinus*.

Maurus à S. Benedicto miſſus in Gallias ad propagandam vitam monaſticam, valde colitur a Clotario Rege. 562. I.

Mauuia Saracenorum Regina fit Chriſtiana. 374 XIII.

Imperii limites vaſtans, dat pacem Romanis conditione accipiendi ſuæ genti Epiſcopum Moyſen inſignem monachum. ibid.

Gothos ab obſidione Conſtantinop. per ſuos repellit. 378. VIII.

Maxentius, prænomine Ioannes, monachus Eutychianus ſcribit aduerſus epiſtolam Hormiſdæ Papæ. 520. VIII.

Calumniatur Legatum Apoſt. Sedis de Neſtorianiſmo. ibid. IX

Eius ſcripta hoc tempore nimis incaute edita vt Catholica ibid. VI. I. Vide etiam *Monachi Scythæ*.

Maxentius, gener, non filius, Maximiani Herculii. 306. VIII.

Imperium Romæ occupat, & Conſtantini imagines iniuria afficit. ibid

Chriſtianam fidem ſimulat, vt Chriſtianos ad ſe alliciat. ibid. IX.

Triumphat de Alexandro tyranno Africæ. ibid.

Seuerum Cæſ. miſſum à Galerio, occidi curat. 307. I

Romulum filium ſuum, Cæſarem dicit 309. II

Fidei Chriſt. aperte renuntians, perſecutionem mouet. 309. V.

Marcellum Papam miſere vitam finire cogit. ibid. III. V.

Eius ſæuitia in Senatores & ciues, direptio diuitiarum Vrbis, luxuria in terras caſtas, & magicæ crudelitates. ibid. VIII.

Apparatus eius bellicus aduerſus Conſtantinum. 312. V. I

Vincitur ab eo, & vndis Tiberis abſorbetur. ibid. VIII

Sectum caput in Vrbem, indeque in Africam mittitur. ibi.

Quando contigerit eius interitus. ibid. II. XIII.

Conſulatus eius demonſtratur è Faſtis 306. III.

Maximianus Conſtantinopol. Epiſcopus creatur in locum Neſtorii damnati. 431. XXII.
Agit pro reducendis Neſtorianis ad concordiam. 431. I. 509. Moritur. 434. I.
Maximianus Galerius. Vide *Galerius*.
Maximianorum duorum Impp. diſcrimi natio ab inuicem. 304. IV.
Maximianus Herculius allegitur à Diocletiano in conſortem Imperii. 286. I.
Multa quæ habet communia cum Diocletiano, vide in *Dioclet.*
Priuignam ſuam nuptui dat Conſtantio Chloro, eumdemque adoptat ſibi in filium. 292. III. IV.
Acriter perſequitur Chriſtianos. 297. I. & ſeqq. 301. IV.
Feri eius mores, & ingentia vitia. 297. III.
Se vna cum Diocletiano abdicat Imperio. 304. I.
Iterum conatur illud reſumere, & inſidias ſtruit Conſtantino. 307. I. & ſeqq.
Fauſtam filiam ſuam ei doloſe in vxorem tradit. ibi.
Fugatus à Conſtantino, ſpontaneo laqueo vitam finit. ibid. IV. Refertur inter diuos à Maxentio. ibid.
Maximilla, & Priſcilla, pſeudoprophetiſſæ Montani, eius hæreſim valde propagant. 173. III.
Earum occaſione, quod ipſas à viris abduxiſſet, docuit Montanus nuptiarum ſolutionem. ibid. V. Maximilla laqueo ſibi mortem conſciſcit. ibid. III.
Maximinus Diſcipulus Chriſti, cum Maria Magdalene, & ſociis, venit in Gallias. 35. I.
Maximinus Epiſcopus Treuerenſis recipit honorifice Athanaſium exulem. 336. IV.
Ei ipſe viciſſim miſſus à Magnentio ad Conſtantium, excipitur Alexandriæ ab Athanaſio. 350. VIII. Intereſt Concilio Oecumen. Sardicenſi. 347. V.
Maximinus Thrax, olim paſtor, demum tyronum Tribunus, Alexandrum Aug. necat, Imperiumque primus omnium arripit è corpore militari nondum Senator. 237. I. II.
Immenſa eius ſæuitia in ſuos, alioſque. ibid. V.
Perſecutionem mouet in Chriſtianos clericos. ibid. III. Declaratur à Senatu hoſtis Reipubl. & alii aduerſus eum eliguntur Imperatores. 238. IV.
Occiditur vna cum filio æque Imperatore, in obſidione Aquileiæ; eorumq; corpora proiiciuntur in profluentem, capita tranſmittuntur Romam. 240. II.
Maximinus cognomento Galerius, creatur Cæſar à Galerio Maximiano Imper. & adoptatur, præficiturque Orienti. 306. II.
Vtriuſque ab alterutro diſcriminatio. 304. IV.
Perſecutionem in Chriſtianos renouat. 307. V.
Quam perditus moribus fuerit. ibidem. Perſecutionem coactus ceſſare iubet. 311. V.
Poſt mortem alterius Galerii, eam reſtaurat. ibid. VI. Bellum inferens Armenis ob religionem Chriſtianam, vincitur ab eis. 312. I.
Ob clades diuinitus in Imperium illatas, compeſcit iterum perſecutionem. ibid. Et metu Conſtantini & Licinii Imp. reſcribit pro Chriſtianis. 313. II
Bellum mouens in Licinium, vincitur ab eo. 314. II.
Animaduertit in deorum ſacrificos quorum impulſu bellum ſuſceperat, & pleniſſimum promulgat pro Chriſt. edictum. ibid.
Miſere mortuo, tyrannus declaratur, nomen vndique abraditur, ſtatuæque deiiciuntur. ibid.
Maximus Abbas Conſtantinop. ex commentarienſi regio factus, creſcente Monothelitarum hæreſi, pergit in Occidentem, vbique eius condemnationem ſollicitans. 640. I.
Diſputatione publica cum Pyrrho Epiſc. Conſtantinop. habita, eum confundit, & conuertit. 645. I.
Romam accedens, auctor eſt Martino Papę celebrandi Concilii aduerſus eamdem hæreſin. 649. II.
Calumniis appetitus, trahitur Conſtantinopolim, & poſt dira paſſa pellitur in exilium. 650. III.
Reductus Conſtantinopolim, cum nullis minis vel malis induceretur ad communicandum Monothelitis, iterũ mittitur in aliud deterrimũ exilium. 656. I.
Rurſum reductus, conſtantiorq; repertus, crudeliſſime cæditur, illuditur, & in exilium reportatur. 657. I.
Lingua abſciſſa, libere loquitur. ibid.
Feliciter conſummat martyrium. ibid. II. De eius ſcriptis, & elogio Roman. Eccleſiæ. ibid.
Maximus Alexandrinus, ex philoſopho Cynico Chriſtianus, opera Petri Epiſcopi Alexandrini intruditur in ſedem Conſtantinopol. aduerſus Gregorium Nazianzen. ſed mox à populo pellitur. 379. V.
Repulſus quoque à Theodoſio Imper. Damaſo PP. ipſoque Petro Alexandr. prout in hæreſim Apollinaris. ibid.
Maximus Epheſius, Philoſophus Cynicus, & magus, præceptor impietatis Iuliani Apoſtatæ. 337. XIV.
Ingenti honore ab eo iam Imp. publice excipitur. 362. I.
Diſcriminatio eius ab aliis Maximis philoſophis. ibid. Conſtituitur à Iuliano cenſor ſcriptorum ſuorum. ib. III. in fi.
Falſis ſuis vaticiniis, præcipitem fert eum in ruinam bello Perſico. 363. VI. & ſeqq.
Honoratur quoque à Ioniano Imp. licet Catholico. ibid. XXII.
Dire exagitatur à Valente, & tandem ob magiam plectitur. 364. VIII. 370. XV.
Maximus Antioch. creatur Epiſcopus ab Eutychianis, in locum Domni depoſiti in Latrocinio Epheſ. 449. XI.
Firmatur eius ſubſtitutio à Leone Papa, quod Domnus meruiſſet iuſte deponi. 451. XXVII.
Agit apud eumdem Leonem pro conſeruatione prerogatiuæ Eccleſiæ aduerſus Conſtantinopolitanam. 453. V.
Moritur. 456. VI.
Maximus Hieroſolym. creatur Epiſcopus, Confeſſor egregius, & acerrimus fidei Nicænæ aduerſus Arianos propugnator. 331. II.
In Conciliab. Tyrio renuit ſubſcribere in Athanaſium. 335. VIII.
Refugit intereſſe cum Arianis Antiocheno in Encæniis. 341. II.
Intereſt Sardicenſi Oecumenico. 347. V.
Synodum habet Hieroſolymis, ad recipiendum Athanaſium redeuntem ab exilio 350. IV. Moritur. 351. IX.
Maximus Taurinenſis intereſt Concilio Arauſic. I celebris doctrina vir & ſanctitate. 441. V.
Intereſt quoque Mediolanenſi aduerſus Eutychetem. 451. II. & Rom. ſub Hilaro Papa. 465. IV.
Maximus Toloſanus Epiſcopus creatur cogente populo, ex Palatino, vir egregia viuendi ratione illuſtris. 441. V
Maximus dux exercitus in Britannia, Imperium aduerſus Gratianum inuadit. 383. I.
Armoricorum regionem Galliç, Britannis ſuis incolendam tradit. ib. II
Gentiles Romanos ibi deuincit. III.
Occiſo Gratiano, non permittit eius corpus ſepeliri. IV.
Legatos mittit in Orientem ad Theodoſium Magnum pro pace. V. Ad eum in Gallias mittitur S. Ambroſius, pro pace Italiæ. ibid.
Priſcillianum hæreſiarcham, à Concilio Epiſcoporum ad ſe prouocandum, neci tradit. 385. V.
Probe quidem hæreticos punit, ſed perperam ſibi ſacerdotale iudicium arrogans, ipſe punitur. ibid. VI.
Ambiens in conuiuio à Manu S. Martini pateram bibendam ſumere, ab eo poſtponitur presbytero ibi præſenti. 386. VIII.
Minatur bellum Valentiniano Iuniori, ni ceſſet à perſecutione Catholicorum. 387. III.
Irrumpit fraudolenter in Italiam, eiuſque partem miſere vaſtat. 387. VI. VII.
Omnium captare beneuolentiam ſtudens, propitium ſe Iudæis, Gentilibus, Catholicis exhibet. ibid. VIII.
Vincitur à Theodoſio, & à ſuis ipſius militibus rapitur ad mortem. 388. VII.
Maximus alius, ex ſtirpe illus, iniuriam paſſus à Valentiniano III. in ſtupro vxoris, primo Aetium fortiſſ. ducem de medio tollendum curat. 454. I. deinde ipſo Valentiniano occiſo, Imperium occupat. 455. I.
Euocatis in vindictam ab Eudoxia relicta Valentiniani (quam & ipſe Maximus ſibi deſponderat) Wandalis ex Africa, ipſe à Romanis lapidibus obruitur, membratimque diſcerpitur. ibidem. II.
Egregie de eo philoſophatur Sidonius. ibid.
Medardus Nouiomenſis in Gallia Epiſcopus, moritur, inſignibuſque nitet miraculis. 564. III.
Supponit eius feretro humeros Rex Clotarius. ibid.
De eius, & fratris Gildardi ætate, dubia quædam expenduntur. ibid. VI.
Eiuſdem monaſterium Sueſſione conſtructum Gregorius Papa conſtituit caput omnium monaſteriorum Galliæ, multiſque priuilegiis munit. 593. VI
Mediolanenſis Eccleſia fundata à Barnaba Apoſtolo. 51. XIV.
Eius conſtantia pro fide Nicæna aduerſus Conſtantium Imperat. & Arianos. 355. II.
Itemque pro defenſione Ambroſii Epiſcopi contra Iuſtinam Aug. æque Arianam. 386. IV. 387. III.
Eius Epiſcopo concedit Gregorius Papa deficientibus Regibus Longobardorum, alium eligere quem vellet. 600.
Ea Eccleſia, ob memoriam S. Ambroſii, præſumpſit aliquando non ſubiacere Romanæ; ſed reducitur à Petro Damiani. 1059. VII.
Mediolanenſe Conciliab. præſente Conſtantino Imper. Ariano, aduerſus Athanaſium Alexandr. 355. I.
Concilium Orthodox. auctoritate Siricii Papæ a S. Ambroſio celebratum aduerſus Iouinianum hæreſiarcham. 390. VII.
Aliud ad confirmandam Epiſtolam S. Leonis Papæ, de Incarnatione Verbi contra Eutychetem. 451. II.
Aliud contra Monothelitas. 679. I
Mediolanum exciditur ab Attila. 452. VIII.
Itemque à Gothis, extinctis trecentis ciuium millibus. 539. II.
Capitur a Longobardis. 570. II.
Vincunt ſæpe Fridericum Imperat. 1168. VIII. 1176. IV.
Meinardus Liuoniæ Apoſtolus, & primus Epiſcopus. 1186. II.
Mel ſilueſtre, quo Ioannes Bapt. alebatur in deſerto quid eſſet. 31. VI.
Melania nobiliſſ. matrona Rom. peregrinatur Hieroſolymam, vna cum Ruffino presb. Aquileienſi. 372. VI.
Perueniens in Ægyptum, viſitat Athanaſium; & inſigniter ſuccurrit monachis,

chis, aliiſque Catholicis, exagitatis ab Arianis. ibid.
Hieroſolymis monaſterium extruit; & ibi cum 50. virginibus ad quinque luſtra permanet. ibid.
Alexandriæ infecta eſt à Didymo cæco, erroribus Origenis. 372. VII.
Rediens Romam cum Ruffino, defert illuc eos. 397. III. Damnatis iis ab Anaſtaſio PP. ipſa quoque reſipiſcit. 408. XIII.
Ob Antiquum vaticinium de Vrbis ruina, recedens inde anno antequam ea ab Alarico obſideretur, rurſum peruenit Hieroſolymam, ibique moritur. 408. XII. XIII. In tranſitu viſitat S. Auguſtinũ, & quid tunc ibi ſuis acciderit. ib. XII
Melania iunior, Senioris neptis, vna cum viro Piniano, eademque ſeniore Melania, recedit ab Vrbe anno ante obſidionem Alarici, & moratur in Africa. 408. XII. XIII. Inde nauigat cum matre Hieroſolymam, viſitatque Ægypti eremum, ac regreſſa ad montem Oliueti, clauſa ibi in cella perſeuerat 14. annis ib. XII. Ab auunculo Voluſiano Conſtantinopolim euocata, eumdem adhuc Paganum exiſtentem, incredibili difficultate conuertit ad fidem, multoſque hæreticos reducit, ſuperatis variis dæmonum inſultibus. 434. II. Eudociam Aug. ſanat à luxatione pedis per dæmonem immiſſa. 438. IV. Moritur Hieroſolymis, monaſtica vita egregie perfuncta ibi I.
Melchiſedech Chriſto maiorem eſſe, docuit Theodotus trapezita; cuius ſectatores inde dicti Melchiſedechiani. 196. V. Melchiſedech eſſe Spiritum Sanctum, alii dixerunt; itemque alii, multa alia erronea de eodem. 196. VI. 287. IV.
Melchiades creatur Rom. Pont. 311. VII. Cognoſcit de cauſa Cæciliani Epiſcopi Carthag. & Donatiſtarum. 313. V. Donatur à Conſtantino Imper. ædibus Lateranis ibid. VI. Calumnias patitur à Donatiſtis. X. Moritur, & titulo Martyris ornatur. XI. Eius conſtitutio de Fermenti oblatione. XII.
Meldenſ. Concil. ſub Carolo Caluo, pro reformatione Eccleſiæ, & Regni. 845. VI. Sub Lothario, pro electione Archiepiſc. Rhem. 962. II. Sub Philippo, vbi depoſito Vrſione Epiſcopo Sueſſion. electus eſt S. Arnulphus. 1080. XVI.
Meletius Berœenſis Epiſcopus, transfertur ab Arianis Sebaſtam Armeniæ 359. XXI. Inde communi Orthodoxorum & Arianorum conſenſu, quod vtraque pars ipſum à ſe ſtare exiſtimaret, transfertur Antiochiam. 360. IX. X.
Fidem Conſubſtantialis confeſtim egregie profitetur; ideoque iuſſu Conſtantii Imp. in exilium pellitur. ibi. Eius ſectatoribus, licet Catholicis, recuſant communicare Euſtathiani antiqui Orthodoxi, & quare. ibid. Vide *Euſtathiani Antioch.*
Sub Iouiano Imp. celebrat Concilium Antiochiæ, in quo Acaciani ſimulant fidem Orthodoxam. 363. XX.
Pellitur iterum à Valente, & Præfectum qui ipſum ducebat, liberat ab inuaſione plebis. 370 X.
Conciliatur cum Paulino alterius partis Orthodoxorum Epiſcopo. 378. X.
Legatione fungitur ex Concilio Antiocheno, ad reſtaurandas Eccleſias ab Arianis labefactatas ibid. XIII. Viſitat Simeonem Stilitam & egregio dicto vincula eius ſoluit. ibid. Moritur in Concilio Oecumenico Conſtantinopolitano, celebrique oratione & funere honeſtatur. 381. VII.
Turbæ ibi concitatæ pro eius ſucceſſione. ib. & ſeqq.
Meletius Lycopolis in Ægypto Epiſcopus, Schiſma conflat. 305. XIV.
Eius ſcelera, & abdicatio in Synodo facta. ib. XV. Eius ſchiſmatis occaſione, celebratur ex parte Concilium Nicænum. 325. IV.
Quo modo ibi compoſitum fuerit. ibid. XXXII.
Contra decretum Concilii, ordinat Epiſcopos, & iterum turbat Eccleſias. 326. III.
Eius ſectatores, poſt ipſius obitum, iunguntur Arianis. 326. III.
Calumniatur de multis Athanaſium, & acriter in eum, tum apud Conſtantinum Imp. tum in Synodis agunt. 329. I. 331. I. 335. I.
Melfitanum Concilium ſub Vrbano PP. II. de neceſſitatibus Eccleſ. 1090. I.
Melita inſula, Pauli Apoſtoli gratia accepit diuinitus, vt ſerpentes veneno careant, & terra contra venena præbeat antidotum. 58. LXIII.
Conuertitur ad fidem ab eodem Apoſtolo. ibid.
Melito Sardenſis Epiſcopus falſo aſſertus auctor libelli Apocryphi de Tranſitu B. Virginis. 48. IV. 172. I.
Scribit Apologiam pro Chriſtianis ad Marcum Imp. 172. I
Memoriæ dictæ ab antiquis eccleſiæ. 57. XXXVIII.
Menander hæreſiarcha, Simonis magi diſcipulus primogenitus & ipſe Samaritanus & magus, quænam priuatim delirauerit. 74. VI.
Mendacium, etiam cum periurio, non eſſe peccatum, aſſeruerunt Priſcillianiſtæ. 381. XVI.
Mendicantes validi, cohibiti à Gratiano & Theodoſio Impp. 382. XIII. in fi. Vide etiam *Pauperes.*
Mennas Auguſtalis Præfectus Ægypti, multos ad fidem conuertit, miracula edit, & nobiliſſ. martyrium conſequitur ſub Maximino. 307. VIII.
Mennas Conſtantinop. Epiſc. ordinatus ab Agapeto Papa, in locum Antimi depoſiti. 536. VII.
Accipit ab eo vices Apoſt. Sedis; celebratque Concilium aduerſus hæreticos. ibid. X.
Vna cum Pelagio Apoſt. Sedis Apocriſario, aliiſque Epiſcopis, damnat Origenem, eiuſque errores 538. VI.
In cauſa Trium Capitulorum, reſiſtit Iuſtiniano Imp. ſuſpendens ſententiam ad Rom. Pontificis arbitrium. 546. IV.
Conniuens poſtea Imperatori, ſuſpenditur à Vigilio Papa, & pœnitens reſtituitur. 551. II. 552. IV. Moritur. 552. V. ibid.
Menologium Græcorum, reſtitutum & auctum à Baſilio Imp. 886. III.
Menophantes Epiſcop. Epheſ. Arianus, in Concilio Nicæno ex miraculo conuertitur ad fidem Catholicam. 325. XIII.
Menophyſitæ hæretici, reſpuebant Concilium Chalced. 452. IV.
Menſa duplex Cœnæ Paſchatis apud Iudæos. 34. XI. Secundæ ritus ſacri. ibid. XIV.
Menſa item duplex tempore Apoſtolorum, Communis & Sacra, quibus præfecti ſunt Diaconi. 34. LXXX. De iis vide plura. 34. XVII. 57. XXXIX.
Menſę item dictę Gazophylacia, vbi pecuniæ oblatę reconderentur. 44. XXXI.
Menſe quo nat⁹ Chriſtus, Appar. XXXVII. & quo paſſus. 34. XLV. Menſurius Carthag. Epiſcopus, calumniis oneratur à Donatiſtis. 303. IV.
Eius innocentia omnibus probata. ibid.
Meretrix Athanaſium de ſtupro accuſans in Conciliab. Tyrio, publice detegitur calumnioſe producta ab Arianis. 335. VI.
Alia à Stephano Antioch. Epiſc. Ariano malitioſe immiſſa in cubiculum Euphratis Epiſcopi Legati Synodi Sardic. fraudem palam prodit. 348. II.
Meretricibus pœnitentibus recipiendis, Iuſtinianus Imp. conſtruxit monaſterium. 535. XIII. Vide etiam *Lenones.*
Meretricum famoſiſſimarum conuerſiones, Margaritæ, Mariæ Ægyptiacæ, Mariæ Tarſenſis, &c. vide ſub propriis illarum nominibus.
Merita Operum negauit Simon magus. 35. XII. Vide *Opera.*
Meritum vnum eſſe coniugii, viduitatis & virginitatis, dixit Iouinianus hæreſiarcha. 382. VII.
Secundum merita noſtra dari Gratiam diuinam, &c. aſſeruit Pelagius. 415. IV.
Mereri nullum, præter Chriſtum, dicebat Gilibertus Porret. 1147. V.
Merita Ordinum & Congregationum, communicari etiam aliis ſolita antiquitus. 1118. XIII.
in Metallorum ſeruitio morientes Chriſtiani, martyres habiti. 260. III.
Metaphraſtes quo tempore vixerit, & quid operatus ſit in colligendis Vitis Sanctorum. 859. VII.
Metenſe Concil. in cauſa duarum regiarum monialium diſcolarum. 593. V.
Conciliabulum, Proſtibulum dictum, pro confirmatione pellicis Lotharii Regis: cuius Acta reſciſſa ſunt à Nicolao PP. 863. III.
Aliud item ſpurium pro Carolo Caluo. 869 XVI.
Methodius Conſtantinop. presbyter inſignis Confeſſor, quanta paſſus ſit pro defenſione ſacrarum Imaginum. 834. II. III.
Scribit Vitam S. Dionyſii Areopag. ibid.
Eligitur Patriarcha, & mox Concilio celebrato reſtituit cultum ſacrarum Imaginum. 842. III. IV.
Promulgat canones pœnitentiales, pro variis ſtatu lapſorum. ibi. V.
Stupri accuſatus, oſtenſis pudendis penitus ſiccatis, ſe purgat. 843. I. Moritur ſancte. 847. IX.
Methodius Morauorum Apoſtolus, calumniam paſſus de fide, purgatur apud Ioannem PP. 88. III.
Methodius Tyri Epiſcopus ſcribit aduerſus Porphyrium impium, & reliquos Gentiles. 302. VIII.
Martyrium conſequitur ſub Diocletiano. ibi.
An ſcripſerit Apologiam pro Origene. 402. V.
Metrophanes creatur Epiſcopus Byzantinus. 314 XV.
Senio confectus, Alexandrum ſibi ſubſtituendum curat. 317. III.
Ab eo ſolita à quibuſdam deduci ſeries Epiſcoporum Conſtantinopol 318. IX.
Michææ Prophetæ corporis inuentio ex reuelatione, ſub Theodoſio Imperat. 406. XI.
Michael Archangelus protector Eccleſiæ Catholicæ. 60. IX.
Apparitiones eius frequentiſſimæ, & eccleſiæ in eius honorem antiquitus erectæ, ſolemnitateſque inſtitutæ. 60. IX. X. 330. III 492. V.
Peregrinatio frequens in montem Garganum ad eius celeberrimam Memoriam. 493. V. 1000. I. 1049. III.
Michaelem Archangelum incarnatum eſſe, fuit delirium Bogomilorum. 1118. XII.
Michael Curopal. creatur Imp. & Theophylactum filium allegit ſibi collegam. 811. II.
Studium pacis Eccleſiæ, & munificentia eius in clericos & laicos. ibidem. & III.
Scribit pro eadem pace ad Rom. Pont. ibid. III.
Gladio agit contra Manichæos. 811 I.
Legationem mittit ad Carolum Mag. Imper. & Leonem Papam. 812. III. ibid.
Victus à Bulgaris cedit Imperium Leo-

ne Armenio, ipſeque monaſticum induit habitum. 813.I.II.
Relegatur à Leone; Theophylactus vero caſtratur. ib.IV.
Michael Balbus, in carcere detentus mox viuus comburendus, coniuratione ſuorum occiſo Leone Armeno, eleuatur in thronum, & coronatur Imp. 820.I.II.
Fuit omni ex parte Impiiſſimus; & quæ fuerit eius barbaries, ac nefaria dogmata. ibid. & 823.VI.
Initio tamen permittit reſtitui ſacras Imagines. 821.II.
Perſequitur Catholicos. 823.VI.
Legatos mittit ad Rom. Pont. & Ludouicum Pium Imp. 824.II.
Virginem monialem vxorem ducit. 826. VII.
Moritur dyſenteriæ morbo. 829.II.
Michael III adhuc adoleſcens imperat vna cum matre Theodora, & continuo reſtituit cultum ſacrarum Imaginum. 842.III.
Grandior factus, Neronis vitia æquat, & myſteria Chriſtiana mimice deridet. 854.III.862.I.
Matris reprehenſiones non ferens, detrudit eam in monaſterium. 855.VII.
Suaſu Photii, Legatos mitti in Orientem petit à Nicolao Papa fraudulenter. 859.IX.812. Vide in *Photius*. Literas blaſphemas & iniurioſas ſcribit ad Nicolaum; quæ iubentur à Nicolao comburi. 865.VI.
Bardam ad Cæſ. necat, & Baſilium creat Imp. 867.VI.
Non ferens eiuſdem Baſilii reprehenſiones, cum necare moliens ab eo præuenitur. ibid.VIII.
Michael IV. Paphlagon dictus, ex argentario adulter Zoes Auguſtæ, Romanum Imper. ſtrangulat, & eius loco regnat. 1034.V.
Arreptus à diabolo, miſere torquetur, nec vllis vmquam remediis valet liberari. ibid. VI. Moritur pœnitens. 1041.II.
Michael V. cognomento Calephates, coronatur Imp. & mox ob ingratitudinem in Zoen Aug. eiicitur, & priuatur oculis. 1041.II.1042.II.
Michael VI. cognomento Stratonicus, euehitur in Imperium. 1056.VI. Tyrannidem Theodoſii extinguit. ibid. Cedit ipſe Iſaacio Comneno, promiſſam remunerationem accepturus regni cæleſtis. 1057.IV.
Mich. VII. cognom. Parapinaceus; imperat. 1071.V.
Communicauit cum Eccl. Rom. & morbo ſanatus eſt ab eius Apocryſario. ibid. VII.
Detruditur in monaſterium à Nicephoro Botoniate inuaſore. 1080.X.
Creatus Epiſcopus Epheſinus, confugit in Italiam, auxilium petiturus à Gregorio PP. Septimo. 1080.X.
Michael Bulgarorum Rex conuertitur ad fidem & petit à Nicolao PP. ſacros miniſtros. 866.I.
Legationem mittit ad Octauam Synodum Oecumen. 869.VIII.XIII.
Michael Cerularius Conſtantinop. Patriarch. ſcribens contra Eccleſiam Latinam, refellitur à Leone IX. Papa. 1053. V.
Itemque ab Humberto Cardinale. 1054.I.
Excommunicatur publice Conſtantinopoli à Legatis Apoſtol. Sedis, ob errores, & arrogantiam. 1054.II. Qui fuerint eius errores. ib.III.
Auctor eſt rebellionis aduerſus Michaelem Imp. 1057.IV.
Intolerabilis redditus Iſacio Imp. pellitur in exilium, & ibi moritur. 1058.V.
Mileuitanum Concil. I. generale totius Africæ. 402.XV. Confutium vna cum Secundo. ib. In eo decita controuerſia de Primatu Numidiæ. ib.XVII.
Secundum celebratum aduerſus Pelagium & Cæleſtium. 416.I.II.
Militare non poſſe Chriſtianos ſalua fide, aſſeruit Tertullianus. 201.V. in fi. Vide etiam *Bellum*. Militare monachos cogit Valens Imper. Arianus. 375.V. Vide *Monachi*.
Militari habitu luſtrat Eccleſias Euſebius Epiſcop. Samoſat. exul ob fidem Cathol. 370.IV.
Milites vndecim mille ob fidem Chriſti à Traiano relegati, poſt ea martyrium conſequuntur. 108.III.
Militum Prætorianorum martyrium ſub Claudio Iuniori. 269.III.
Thebææ legationis ſub Maximiano. 297.I.
A militibus cœpta Diocletiani perſecutio, & quare. 267.IV.ibid.
Transfugarum loco habiti, & damnati contra leges ad opera ſeruilia, tam ſub eodem Diocletiano. 298.II.IV. ibid. quam poſtea Licinio. 316.V. Nolentes diis ſacrificare, Iulianus quoque exagitat, & exauctorat. 362.V.VII.
Quadraginta, inſigne admodum ſubeunt martyrium in perſecutione Liciniana. 316.IV.
Militum Chriſt. precibus Marcomanni vincuntur à Marco Imp. 176.I.
Iuramentum ſub Gentilibus Impp. quale. 201.III.
Miles Chriſtianus lauream geſtare ſub Seuero renuens, ſine occaſione turbat pacem Eccleſiæ. 201.II.V.
Militibus in Dacio bello interfectis, Traianus aras conſtitui, & annua parentalia peragi voluit. 103.III.
Milites in bello cæſos, haberi pro martyribus; conatus eſt Phocas Imp. ſed reſtiterunt Epiſcopi. 394.IV.610.II.
Idemque prorſus actum cum Nicephoro Phoca. 964.VII.
Militibus quo tempore & quo modo annona erogari ſoleret. 312.XVI.
Poſt quot ſtipendia, honeſta miſſio concederetur. ibid.
Conſtantinus iubet, Epiſcoporum voluntati inſeruire. 319.XI.
Theodoſius prohibet, aliquid, ab hoſpitibus quocumque nomine exigere. 393. VII.
Militaria ſigna, etiã apud Gentiles Romanos, ſigno Crucis ornati ſolita. 312. IV.
Quomodo ea ornarit Conſtantinus. ib.
Ea olim Romani mutuari ſolita à populis quos ſubiugaſſent. ib.V.
Millenarius Apocalypſis Ioannis, qualis. 97.VII.
Turpis à Cerintho excogitatus, de mille annorum voluptatibus poſt reſurrectionem. ib.VI.
Millenarius inductus à Papia Hieropol Epiſcopo, de regno Chriſti terreno totidem annorum poſt reſurrectionem mortuorum. 118.II. Ei adhæſerunt magni viri: puta Iuſtinus martyr. 165.II. Irenæus. 118.II. 264.I. Nepos. 164.I. ibid. Seuerus Sulpitius. 402.XV. 411.X. Toleratus in Eccleſia, donec ab Apollinare pertinacius propugnatus, damnatus eſt a Damaſo Papa. 118.II. 373.II. Fuit caute aduerſus eos agendum, ne inciderent in contrarium errorem Origeniſtarum. 411.X.
Milleſimus annus ab Vrbe Condita, celebratus ſub Philippo Imp. 249.I.
Mimi ioco res Chriſtianorum deridentes, ſerio facti Chriſtiani, & martyres. 303. VI. 362.XXVIII.
Mimice ſacra myſteria deridet Michael Imp. cum ſuis. 854.III.862.I.
Miltiades inſignis Theologus ſcribit Apologiam pro Chriſtianis, ſub Marco Imp. 172.II.
Miltiades à nonnullis dictus, qui vulgo Melchiades Papa. 311.VII. Vide *Melchiades*.
Minæi dicti, Nazaræi hæretici. 72.II.
Minucius Antipapa Vide poſt *Benedict.* IX.
Mineruina prior vxor Conſtantini Magni, mater Criſpi Cæſ. 307.III.
Minutius Felix, inſignis cauſidicus Romæ ſcribit pro Chriſtianis dialogum Apologeticum. 209.II.
Miraculorum gratia, dos à Domino Eccleſiæ collata. 34.LX.
Negauit ea Eunomius hęreſiarcha. 360. VII.
Itemque Vigilantius, qui dixit eſſe præſtigias dæmonum. 406.VII.
Ob miracula, Chriſtiani à Gentilibus exiſtimati malefici. 301.XVIII.
Miraculum primum Chriſti, de aqua mutata in vinum, quando contigerit. 31. XIII.XIV.
Illud pluribus locis eadem hora annue poſtea repeti conſuetum. ibid.
Primum à Petro factum in ſanando claudo. 34.LXXIV.
Eiuſdem vmbra curat ægros. ibidem. LXXVII.
Ingens annuum; in loco Aſcenſionis Domini. 34.LXII. in eccleſia Reſurrectionis eiuſdem. 326.VI. in ſepulchro Clementis Papæ. 102.II. 1 fontibus Baptiſmi: Vide *Aqua Baptiſmi*.
miracula de SS. *Trinitate*, *Euchariſtia*, *Cruce*, *Reliquiis* Sanctorum, *Sepulchris* eorumdem Sanctorum, *Imaginibus*, *Baptiſmo*, *&c.* vide ſub ſingulis iis vocibus: ſed & de aliis, a Sanctis editis, vide ſub propriis SS. nominibus.
Miracula plurima in confirmationem fidei Catholicæ, aduerſus Arianos in Ægypto 372.V. Africa. 484 VI. & ſeqq. Hiſpania, & Gallia. 583.IX. aduerſus Eutychianos Conſtantinopoli. 451 XXXIV. & alibi Oriente 564.
Seuerianos, itidem, in Oriente. 513.II. & alios hæreticos. 570.I
Henricianos, in Gallia, alioſque. 1147. IX.X.
In combuſtione Scripturæ Sacræ per Gentiles. 302.XX.
Affectum in ſubſcriptione Nicæni Concilii per duos Epiſcopos iam antea defunctos. 325.XLVIII. Vide etiam *Fides*.
Miraculis confutati hæretici, & Gentiles, qui non poſſent diſputatione. Vide *Diſputatio*.
Addit etiam *Prodigia. Præſagia. Probatio. Vltio diuina. &c.*
Miracula Gentilium, ſiue deorum, ſiue hominum, qualia. 71.VI.
Conficta de Veſpaſiano Imperat. 71.V ibid.
Hadriano. 139.II. Æſculapio, & ſerpente pro deo adoratio. 145.VI.VII
Ioue Philio. 311.VI. Vide etiam *Præſtigia*
Hæreticorum item conficta; puta Marci diſcipuli Valentini. 175.VIII.
Cyrolæ Ariani Epiſcopi in Africa. 484 VII.
Aliorum Arianorum. 583.IX. Vide etiam *Maleficia. Præſtigia*
Miſenus, Cumanus Epiſc. vna cum Vitale legatus Apoſt. Sed. præuaricatur. 484 II. Excommunicatur in Synodo Rom ibid. III. Peracta pœnitentia reſtituitur in alia Synodo. 495.IV.
Miſſæ Sacrificium inſtitutum à Domino. 34.XV.XVI.
Id nomen vnde deriuetur, & à quo traditum Eccleſiæ. ibid. XVI. Vide etiam *Sacrificium. Euchariſtia. Dominicum.*
Miſſæ Veſpertinæ, quid. 34.XVII.
Miſſæ Iacobi Apoſtoli; 63.V. & Clementis PP. 102.IX.
In Miſſis plurimis, ritus diuerſi. 63.V.
Miſſæ ritus Romanæ Eccleſiæ ſibi a S. Petro vendicat. 102.IX. Vide etiam *Officium*. Ante Miſſam quæ ſolerent olim in eccleſia recitari. 432.II.in fi. Vide etiam *Præfatio*. Miſſarum abbre-

uiatio, & ſuma illa recitatio, vnde proceſſerit. 418.VI. 446.IV.
Miſſam celebrare, præ nimia humilitate, refugiebant Hieronymus, & Vincentius. 392.X.
In domibus priuatis dici etiam conſueta. 596.II.
Pro defunctis celebrari abuſiue ſolitæ in perniciem viuorum: quod ſuſtulit Concilium Tolet. XVII. 694.III.
Plures vna die tempore tribulationis dicere conſueuerunt ſanctiſſ. viri. 816.IV.
Sexta feria hebdomadæ Sanctæ, nec olim dici ſolitæ. 693.II. Sclauonica lingua celebrare permittitur Morauis nouellis Chriſtianis, 880. III. Denegatur Boemis. 1080.I.
Miſſæ ſacrificio vincula captiuorum ſoluuntur. 679.II.
Miſſas coniugatorum ſacerdotum audire, vetant Roman. Pontifices, & quantum eas horrerent populi. 1074.III. 1094.I.
Miſſionem ſuis Chriſtus impertit. 34.LVII.
Miſſio neceſſaria prædicatoribus Euangelii. 44.XXXII. Vide Prædicatio.
Miſſionem honeſtam milites poſt quot ſtipendia conſequerentur. 312.XVI.
Mitra pretioſa vti ſoliti in ſacris antiqui Epiſcopi. 34.LXXXVI.
Differentia Mitræ Pontiff. Chriſti ab aliis deſtituum religioſorum. ibid.
Mitræ vſus ab Alexandro PP. II. conceſſus Duci Boemiæ. 1068.II.
Modeſtus Abbas ſtrenue curat Eccleſiam Hieroſol. Zacharia Patriarcha abducto captiuo in Perſidem. 616.III.
Eodem Zacharia mortuo, ſuccedit ei. 618.I. Moritur. 633.III.
Mœchiani hæretici, quæ impia docerent. 809.I.
Moguntina Eccleſia conſtituitur à Sede Apoſtolica totius Germaniæ metropolis. 745.I.
Ea ciuitas muris denudatur à Friderico Imp. ob necatum ſuum ipſorum Epiſcopum. 1160.X.
Moguntiacum Concilium ſub Carolo Magno, pro diſciplina Eccleſ. 813.VI.
Primum ſub Rabano, pro iuribus Eccleſ. vendicandis a manu laicorum. 847.VI.
Secundum, contra Gotheſcalcum hæreſiarcham. 848.II.
Tertium, pro abſoluendis quæſtionibus. 852.IV.
Aliud ſub Carolo Rabani ſucceſſore, de iuribus Eccleſ. 857.II.
Sub Arnulpho Rege pro auertendis malis Germaniæ 888. III. Sub Henrico I. Imp. apud Salgunſtad pro œconomia Eccleſ. 1022.II.
Itemque aliud apud ipſam ciuitatem Mogunt. 1023.II.
Sub Leone IX. Papa, de reformatione Eccleſ. 1049.V.
Aliud pro Electione Victoris PP. Tertii 1054.V. Contra Epiſcopum Conſtantienſem ſimoniacum. 1071.I.
Conciliabulum Henrici III. Imp. ſchiſmatici, aduerſus Gregorium PP. Sept. 1085.III. Conuentus Catholicorum, ad uerſus eumdem Henricum. 1105.III.
Monachi materiæ auctor, Ioannes Bapt. 31.VI.
Innumeris miraculis illuſtratur. 328.V.
Per Antonium propagatur, & ſubito mirifice vbique terrarum recipitur. 328.III.
Defertur Romam ab Athanaſio Alexandrino, & inde per quas Occidentis prouincias diffunditur. 328.IV. 340.III.
In clerum Eccleſiaſticum introducit Athanaſius. & primus in Occidente id præſtat Euſebius Vercellenſis, quem alii conteſtim vbique imitantur. 328.IV. 398.XV.
Eum execrabantur Donatiſtæ. 391.III.
Et contra nimium ei detulit Euſtathius. 319.V. Eius aſſertor etiam Ethnicus Eunapius. 389.XIV.
Eiuſdem ſublimitas quanta. 816.VI.
Monaſticas Regulas ſcribit Baſilius: 362.XVII. & alii. 328.VI.
Conuertit eas in Latinum Hieronymus. 404.XX.
Monachi incolunt deſerta. 318.VI. In vnum colligit Antonius 328.III. Ex iis aſſumpti præſtantiſſimi Epiſcopi, ab Athanaſio, & aliis. 328.IV.V. In Ægypto inſtituti à Marco Euangeliſta. 64.II.
Ægyptiorum diuerſa genera, deſcripta ab Hieronymo. 328.VI.
Vide etiam *Anachoreta.* & *Cœnobita.* Fuerunt & in Occidente varia genera, ante Benedictum. 494.VI.
Subiectos in omnib. eſſe Epiſcopis, decreuit Synodus Chalcedonenſis. 451.XXV.
Exemptiones vnde ortæ. 598.III. Conſtitutum de iis promulgat Gregorius PP. 601.II.
Ceſſarunt tamen poſtea Romani Pontif. eas concedere: fueruntque illæ à SS. improbatæ. 676.II.
Monachorum tonſura. Vide *Tonſura.* Monachos fieri curiales, &c. vetuit Valentinianus Tertius Imp. magno ſuo damno. 452.VII. Idem de militibus nondum expleta militia, prohibuit poſt Iulianum Apoſt. Mauritius, ſed correxit Gregorius Magnus, 592.IV.
Dire vexantur à Valente exactione tributi, & coguntur ad militiam 375.V.
Quinque millia in Ægypto ea perſecutione occultantur & paſcuntur a Melania. 372.VI.
A Conſtantino Copronymo ſæuiſſime exagitantur, & dicteriis ſubſannantur, in eoſque iuramentum exigitur à populo; ac nequis monachus efficeretur, edicitur. 754.VIII. 766.I.
Iubentur ab eodem, matrimonio iungi cum monialibus. 770.V.
Sub tributo rediguntur ab Habdalla Rege Saracenorum. 757.IV.
Nongenti martyres à Saracenis in monaſterio S. Vincentii ad Fontes Vulturni 882.VII.
Ex monachis eremi Meſopotamiæ, orti Maſſaliani hæretici. 361.VIII.
Ægyptiorum quorumdam fatui errores de excrementis hominum. ibid. XI. Aliorum alia multiplicia deliria ibid. Origeniſtæ pelluntur ex Ægypto à Theophilo Alexandrino. 399.VII.VIII.
Damnantur etiam ab Epiphanio in Concilio Cyprio, & pelluntur è Palæſtina. 402.IX.X.
Petunt Conſtantinopolim, & impunentes Chryſoſtumo, fouentur ab eo ſpe concordiæ: ibid.XI.
Arcadio Imp. libellos offerunt aduerſus Theophilum: 402.I.
Quæ diſſidia eorum cauſa orta inter Chryſoſtomum & alios Orthodoxos. ibid. & ſeqq.
Adrumetini in Africa hæreſim inferunt contra Liberum arbitrium, quos refellit Auguſtinus. 418.IV.
Eutychiani Palæſtinæ quanta mala intulerint Catholicis: 451.VI.
Reducuntur per Leonem PP. & Marcianum Imp. 453.II.
Eaque vnio poſtea confirmatur prodigiis, & ſorte. 477.V.
Scythæ Eutychiani nouum errorem ſubdolo intellectu introducunt de Vno ex Trinitate Chriſto crucifixo; & qui lis cum Hormiſda Papa, & Epiſcopis Africanis 519. VII. & ſeqq. 520. VIII. IX.
Monachorum, & clericorum auaritia cohibita a Valentiniano Imp. 370.XVIII.
Monachi, & moniales, poſt caſtitatem promiſſam connubia agentes, damnantur in Concilio Barcin. 603.IV.
Monachis omnis conſuetudo cum ſacris virginibus prohibita in Concilio Hiſpal. 619.I.
Poſſeſſiones habentes ſaluari non poſſe, aſſeruit Arnaldus de Brixia hæreſiarcha. 1139.III.
Vnum poſſe à pœnis inferni eruere 150. damnatos, dixit Theoctiſtus eremita. 823.VII.
Monachatum ab infirmis ſuſcipiendi, mos antiquus Hiſpanicæ Eccleſiæ. 680.VIII. 681.XIII.
Monachi, in Anglia in eccleſias introducuntur loco clericorum incontinentium. 970.I.
Confirmantur aduerſus eoſdem clericos, voce Crucifixi palam loquentis. 975.IV.
alioque poſtea miraculo. 979.II.
Carnotenſes in Gallia malunt extorres fieri, quam pati à Principe intruſum ſibi præeſſe Abbatem. 1003.V.
Monachus Caſimirus, regni Poloniæ heres, diſpenſatur à Rom. Pontifice ad coniugium, & regni adminiſtrationem. 1041.III.
Monachorum diuerſos Ordines, & inſtitutiones, vide ſub ſingulis eorum nominibus.
Monachi ſponte facti Reges, Imperatores, ac Principes. Elesbaan Rex Æthiopum. 522.V.
Sigebertus Anglorum Orientalium. 644.I.
Sebbi eorumdem Rex. 672.II.
Wamba Hiſpaniæ. 680.VIII.
Edilredus, & Coenredus, Merciorum in Anglia. 704.II.
Ceadualla in eadem Anglia. 726.XI.
Ceolvvlphus Nordanhumbrorum. 737.I. Ina Occidentalium Saxonum in eadem Anglia. 740.III.
Carolomannus frater primogenitus Pipini Francorum Regis. 747.I.
Rachis Rex Longobardorum 750.I.
Anſelmus frater Aiſtulphi Longob. Regis. 752.V.
Eadbertus Rex Nordhumbrorum. 758.II.
Bardanes Imp. 803.I.
Michael Curopal. Imp. 813.II.
Lotharius Imp. 855.VI.
Alfonſus IV. Hiſp. Rex. 927.III.
Hugo Rex Italiæ. 945.I. Caſimirus heres regni Poloniæ. 1034.VII.
Iſaicus Comnenus Imperat. 1059.XI.
Balduinus Rex Hieroſolym. 1131.V.
Stephanus Hungariæ ibidem. Henricus frater Regis Franc. 1149.III.
Monachum factum, Ducem optimum turbulento tempore, dolet Gregorius Sept. 1079.IV.
Monialium cœnobitum inſtituta recenſita ab antiquis SS Patribus 328.VI.
Vide infra in *Monaſteria. Virgines. Viduæ.*
Monialium duarum regiarum rebellium occaſione, plurimæ excitatæ in Gallia turbæ, & celebrata Concilia. 593.V.
Moniales ter mille Romæ ſub Gregorio Magno. 595.II.
Monaſteria tam virorum, quam feminarum, fuerunt tempore Perſecutionum Gentilium. 321.VII. 328.III. in fi. Vide *Aſceteria.* Ea quoque conſtruxit Auguſtinus in Africa. 391.III.
Intra ciuitatem prima habuit in Occidente Roma. 328.IV.
Non fieri abſque conſenſu Epiſcoporum, decreuit Concilium Chalcedonenſe. 451.XXI.
Monadicæ cognitionis auctor Epiphanes, Carpocratis filius. 120.XII.
Monadem pronuntiationis introduxit Heracleon, ex qua alii Æones deriuarentur. 175.VII.

Monarchia Sicula laiclericalis, falſo aſſerta, penitus diſſipatur. 1097. II. vſque XLIV.

Monarchici hæretici, qui vnam tantum aſſererent Trinitatis perſonam. 196. VII.

Monica S. Auguſtini mater, admodum ſollicita de conuerſione filii ab hæreſi Manichæa, propheticum habet reſponſum de ea. 377. III.
Eum aſſectatur Mediolanum. 384. VI.
Quid ei cum S. Ambroſio. ibidem. Poſt baptizatum filium, rediens cum eo in Africam, moritur Oſtiæ, & in obitu rogat pro ſua anima offerri ſacrificium incruentum. 389. I.

Monogamiam colucrunt apud Iudæos Doſithei. Appar. VIII.
Monogamiæ ſuæ adſtruendæ cauſa, Montaniſtæ corruperunt Scripturam Sacrã. 31. XIX.
De ea ſcribit aduerſus Catholicos Tertullianus. 216. I.
Qualem requirat Paulus in clericis: eiuſque perpetua vniuerſalis Eccleſiæ praxis. 58. VI. VII. XII. XIII. Vide etiam *Bigamia*.

Monomachia lege lata permiſſa à Gundebado Burgund. Rege. 509. III.
Introducitur in Italiam à Longobardis. 619. II.
Offert eam Rex Cunipertus Alachi tyranno, ad euitandam militum occaſionem. 691. II.
Ludouicus Rex Franc. Hugoni Duci, in purgationem innocentiæ ſuæ. 948. II.
Otto Imp. ad probationem ſuæ innocentiæ apud Ioannem PP. 863. I.
Prohibetur ſeueriſſima cenſura in Concilio Valentino. 855. I.

Monophyſitarum hæreſis, ex Philoponi doctrina. 535. XII. in fin.
Propagata à Iacobo Syro. ibid. XIII.

Monothelitarum hæreſis, ex Philoponi grammatici doctrina. 535. XII.
Eadem ex Incorruptibilium hæreſi deducta. 565. I.
Quando, & quibus actoribus, patefacta, quibuſque prætextibus, & quo fine introducta 629. II. III. 633. II. 648. I.
In eius fauorem promulgatur ab Heraclio Imp. edictum, quod dictum eſt Ecthesis. 639. I. Vide *Ecthesis*. Damnatur à Romanis Pontiff. Seuerino, & Ioanne IV. & ab vniuerſa Eccleſia Occidentali. 639. I. 640. I.
Itemque à Synodo Cypria, 643. III. ab Eccleſia Africana. 640. I.
à Theodoro PP. in Synodo Rom. 647. II.
Pro ea Conſtans Imper. promulgat edictum, quod Typum nuncupauit. 648. I.
Vide *Typus*. Cuncta aduerſa rurſum damnantur à Martino Papa in Synodo Lateranenſi. 649. II. & ſeqq. In eadem cauſa Monothelitarum, celebrantur multa alia Concilia in Occidente, iis quibus omnibus ii damnantur. 679. I. 680. I. ac demum Sexta Synodus Oecumenica in qua pleniſſime confutati ſunt, & in perpetuum damnati. 680. VI. 681. II.
Conatur eam hæreſim reſtituere Philippicus Bardanes Imp. 712. I.

Montanus Phryx hæreſiarcha, quando ortus. 173. I.
Magna tentatio in Eccleſia eius hæreſis quod donis prophetiæ, & miraculorum appareret ornata. ibid. II.
Initia, & progreſſus. ibid. III.
Per duas fœminas, à viris abductas, pſeudoprophetiſſas propagatur. ibid.
Quo ſenſu dixerit Montanus, ſe Paracletum eſſe. 173. IV. V. ibi.
Alia praua eius dogmata. ibid. & ſeqq.
Damnantur in pluribus Conciliis. ibid. III. & 215. I.
Eumdem, quem Iudas habuit vitæ finẽ. 173. III.
Multæ ex eo ortæ ſectæ diuerſæ. ibid. X. XI. Vide *Cataphryges*.

Montaniſtæ ſeueriſſime exagitantur ab Arcadio Imp. auctore Chryſoſtomo, & in eorum receptatores capitale ſupplicium decernitur. 398. XVIII.
Itemque à Theodoſio Iuniore diuerſis pœnis coercentur. 410. XIV.

Montani quidam heretici ſub Leone Iſauro exagitati, qui horrebant baptiſmum. 722. I.

Montanus Tolet. Epiſc. doctrina, & ſanctitate, ac miraculis illuſtris. 531. II.
Concilium celebrat pro diſciplina Eccl. ibid.

Montenſes cur dicti Donatiſtæ. 321. III.

Mõtes ſciſſi in Paſſ. Domini. 34. XXXVIII.
34. Montes Armeniæ mutuo conflictu colliſi terræmotu. 340. X.
Alii vniti terræmotu. 742. I.
Mons Adas loco motus aſſeritur. 149. IV.
Montem transfert Gregorius Thaumaturgus. 253. XXI.
Mons de quo abſciſſus eſt in Daniele lapis ſine manibus, quis intelligeretur a Vigilantio. 400. VII.

Mopſueſtenum Concil. in cauſa Theodori eius olim Epiſcopi. 550. IV.

Moralia præcepta. Vide *Præcepta*.
Mores. Vide. *Conſuetudo. Ritus*.
Morum reformatio, in Regibus inchoanda. 845. VI.

Morauis, nouellis Chriſtianis, conceſſum à Ioanne PP. VIII. lingua Sclauonica in ſacris Officiis vti. 880. III.

Mortui resurgunt in Paſſione Domini. 34. XXXVIII.
Mortuorũ reſurrectio. Vide *Reſurrectio*.
Mortuos baptizabant varii hæretici. 57. XLVIII.
Mortuos vngebant Heracleonitæ, vt inuiſibiles fierent ſupernis principatibus, & ſic ab eorum poteſtate liberarentur. 175. VII.
Mortem ſubiturum Adam, etſi non peccaſſet, & per mortem vel præuaricationem eius non omne genus hominum mori, docuit Pelagius. 415. IV.
Mortem non ſubituros diſcipulos ſuos, perſuadebat Menander hæreſiarcha. 74. VI.
Idipſum perſuaſit Tribonianus Iuſtiniano Imper. 529. VII.
Mortui duo Epiſcopi aſſeruntur ſubſcripſiſſe decretis Nicæni Concilii. 325. XLVIII.
Mortuus philoſophus Chriſtian. chirographum agit Syneſio Epiſcopo, &c. 411. XII.
Mortuus ſuſcitatus in fidei Cathol. teſtimonium aduerſus perfidiam hæreticam. 287. IV.
Alii ſuſcitati ex puluere ſepulchrorum Sanctorum. 55. III.
Alius in diſcriminatione veræ Crucis. 326. VIII.
Septem ad Reliquias S. Stephani protomart. 416. III.
Alius poſt viſa diuerſa ſuppliciorum & refrigerii loca ſuſcitatur ope B. Virginis, & S. Martini 934. II.
Mortui excommunicari poſſunt, & condemnari. 257. VI. 400. V. 530. I. 553. IX.
Mortem ſibi alii laudabiliter, alii damnabiliter cõſciuerunt inter Chriſtianos. Vide *Martyres*.
Mortis Confraternitas, ad ſepulturam defunctorum à Conſtantino Magno inſtituta, & ab aliis aucta, ac reſtituta. 336. XIV. Vide etiam *Corpora. Sepultura Defuncti*.
Mortis ſententia. Vide *Sententia*.

Moſomenſe Concil. de controuerſia duorum Archiepp. Rhemenſ. 948. II.
Aliud ſe ſimili duorum aliorum cauſa 995. I.

Moyſen Deum eſſe, putarunt quidam hæretici. 195. I.

Moyſ. inſignis monachus petitur à Saracenis Epiſcopus. 372. XIII.
Non ferens ſe ordinari ab Arianis, conſecratur ab Epiſcopis Catholicis exulibus. ibid.
Sermone, & ſignis eam gentem ad veritatem traducit. ibid.

Mozarabe cur dictum Officium Eccleſ. Hiſp. S. Iſidori. 633. XI.
Orta de eo controuerſia, corrigitur ad formam Rom. Eccleſ. 918. II.

Mulier peccatrix, quæ vnxit pedes Domini fuit Maria Magdalene. 32. VI. Mulieres Deo dicatæ, in templo Hieroſol. ſeorſũ habitabant à viris Appar. XXI. Cunctæque mulieres ad templum accedentes, habebant portas, & loca orationis ſeiũcta à viris. 34. LXXXI.
Mulier ſoror, quæ vocetur à Paulo Apoſtolo. 57. XIX.
Mulierum ſuperfluum ornatum amputare conati Apoſtoli, Apoſtoliciq; viri. 57. XXV.
Ex traditione Apoſtolica velato capite in eccleſiam ingredi debent. 57. XXV. ibi 180. III. Iis prohibitus ab Apoſtolo docendi modus publicus, non priuatus. 58. XXI. Apud Pepuzianos hæreticos, mulieres erant Epiſcopi, & presbyteri. 173. XI. Apud Marcionitas baptizabant. 146. VII. Apud Encratitas, adhibebantur ad ſacra myſteria. 174. IV. Apud Collyridianos, ſacra B. Mariæ Virginis (quam vt Deum colebant) celebrabant. 373. V.
Mulieribus vſi hæretici, ad ſuas hæreſes propagandas: puta Simon magus Helena, ſiue Selene. 35. XII.
Appelles Philumene. 146. IX.
Montanus Priſcilla & Maximilla. 173. III.
Seuerus alia Philumena. 174. V.
Biturenſis impoſtor Maria quadam. 595. XI.
Ariani Conſtantia Aug. 327. II.
Origeniſtæ Melania. 397. III.
Priſcillianiſtæ aliis 381. XVI. & alii aliis, de quibus ſub propriis earum nominibus. Mulieres duas è ſemine Elxai pſeudoprophetæ, adorarunt Helceſaitæ tamquam deas. 105. II.
Mulieres poſſe habitum virilem induere obtentu continentiæ, & viros ſuos deſerere, docuerunt Euſtathiani hæretici. 319. IX.
Fuerunt tamen quæ laudabiliter virili habitu vſæ ſunt: veluti Eugenia. 204. III.
Et Domina. 301. V.
Diuinæ legis ſcientiam habere debere, & in eccleſia cantare, & craſſioribus ſicut monachos veſtibus, voluit Pelagius. 415. V.
Chriſtianas aliis mulieribus, non ab Epiſcopis, aut clericis, erudiri iuſſit Licinius Imper. & contrarium agentes diſnecauit. 316. III. IV.
Mulieres nobiliſſim. Rom. frequentant Hieronymum Scripturarum cauſa. 382. VIII.
Eius ſuaſu, contemptis diuitiis, nauigãt Hieroſolymam ad loca ſancta. 385. IV.
Aliæ agunt apud Conſtantium Imp. pro reſtitutione Liberii PP. 356. IV.
Mulierum Chriſtianarum digna facinora in Perſecutionibus Gentilium, pro conſeruatione pudicitiæ. 309. IX.
Tradi ſolitæ lenonibus. Vide *Lenones*.
Edeſſenæ properantis ad martyrium cum reliquorum Cathol. ſub Valente Imper. Ariano, egregium exemplum. 371. VIII.
Vide etiam *Martyres*. Mulierum prægnantium dilatio ſupplicii vſq; ad partum, apud quos primo viguerit. 205. V.
Mulierum ventres diſſecuit Iulianus, ad ſuas diuinationes. 362. XXX. 363. VIII.
Vide etiam *Virgines*.
Mulieres quas Nicænum Concilium

habitare cum clericis permiſerit. 325. XXXIX. XL.
Nec eas quidem ſuis conceſſit. Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis, & quare. 835. II. Vide *Clerici.*
Mulieres Deo dicatæ. Vide *Moniales. Virgines. Viduæ.*
Mulierum opera ferociſſimæ gentes ad fidem conuerſæ. 591. X.
Captiua Iberos conuertit. 327. V. Vide *Captiui.*
Mulieris ſepties ictæ, nec tamen necatæ inſignis hiſtoria. 367. VII.
Mulieres olim regnare ſolitæ in Æthiopia. 35. XV.
Mulieres putantes ſe noctu ferri ſuper animalia, &c. excommunicatæ in Concilio Roman. ſub Damaſo. 382. V.
Mulieres proſtitutæ, aliud. catæ ancillæ decreto Concil. i Rom. ſub Leone Nono. 1051. I.
Mulier Patriarchæ ſedet in Eccleſia Conſtantinop. & inde à ſchiſmaticis calumnia in Romanam de Ioanna Papiſſa. 853. VI.
Mulinum animal humana voce loquens, erumpit in terremotu Meſopotameno. 749. I.
Mundi Conditi quo anno natus Chriſtus. Appar. XXXVI.
Mundi anni à Patribus numerati ſecundum LXX. Interpretum ſupputationem. ibidem.
Diuerſæ eorumdem ſupputationes. ibidem.
Mundum ab Angelis creatum eſſe dicebat Simon magus. 35. XII. & alii, de quibus vide in *Angelus.*
De Mundi conſtitutione quid deliraret Appelles. 146. IX.
Mundum ſuperiorem eſſe increatum, & Deo coæternum, dixit Marcion. 146. V.
Mundum iſtum, æternum eſſe, aſſeruerunt Seleucus & Hermias. 170. V.
Ex præexiſtente materia creatum, & alia delira, effutiebant Manichæi. 277. IX.
Eſſe diaboli, dicebant Helladius Luciferianus, quod videret Lapſus Epiſcopos reſtitutos eſſe cum dignitatibus. 362. XLVII.
Mundi interitum breui affore, putarunt antiqui Chriſtiani, cum nouam emergentem peſſimam hæreſim, vel ſæuam perſecutionem imminere cernerent. 204. I. Vide etiam *Antichriſtus.*
De pluribus Mundis error damnatur. 748. I.
Mundos cur ſe dicerent Nouatiani. 254. XV. Vide etiam *Cathari.*
Munera, quæ Abraham filiis Ceturæ dedit, quæ fuerint. 1. IV. Eadem à Magis Chriſto oblata ib. Vide etiam *Oblationes.*
Municipia quid differrent à Colonis. 514. LIX
Mures deuorant diuina vltione ſacrilegum. 1011 II.
Murus ingens mira celeritate à Tito circum ciuitatem Hieruſalem conſtructus. 72. II.
Ab Hadriano in Britannia, ad diuidendos barbaros à Romanis. 123.
Itemque per tranſuerſam inſulam à Seuero 211. II.
Vrbis Romæ, ab Aureliano ampliata ad 50. millia paſſuum. 275. III.
Engoliſmæ ciuitatis munitiſſimæ, ſponte corruunt coram Clodoueo Franc. Rege. 507 II.
Ciuitatis Moguntinæ diruuntur, in pœnam necati ab eis ſui ipſorum Epiſcopi. 1160 X.
Muſicum certamen inſtituit Domitianus Imperator. 88. II. Muſica inſtrumenta nonnumquam adhibita ad cantus Eccleſiaſticos, ſed non primis temporibus: cithara autem omnino proſcripta. 60. XVI. Vide *Organa Cantus. Hymnus.*
Muſicam facillime addiſcendi nouam artem docet Guido Aretinus monachus. 1022. III.
Myrrhæ natura. 34. XXXI.
Myrrhatum vinum ad quid traderetur morte damnatis. ibid.
Myſticus, nomen dignitatis primæ poſt Chartophylacem, in Eccl. Conſtantin. 890. III.

N.

NAaſiani hæretici, ſecta Gnoſticorum. 12. XVIII.
Nabathæorum populorum conuerſio ad fidem ſub Iuſtiniano Imper. 527. VI.
Næniæ in funeribus Gentilium & Iudæorum. 31. XXVIII.
Narbonenſe Concil. pro diſciplina Eccleſ. 593. IX.
Narciſſus Hieroſol. Epiſcopus calumniis agitatus, in ſolitudinem ſe recipit. 199. III. Eius calumniatores diuinitus puniti. ibid.
Poſt multum temporis quæſitus à ciuibus reſtituitur, & maior centenario moritur. ibid.
Nardus piſtica, qua inunctus eſt Chriſtus à Magdalena, fuit vnguentum maximi pretii. 32. VIII.
Narſeti Perſarum Regis ſorores, liberique, ducuntur in triumpho à Diocletiano. 301. I.
Narſes inſignis pietate & fortitudine, dux, à Iuſtiniano Imp. mittitur in Italiam aduerſus Gothos. 552. IV.
Occidit Totilam, & Theiam, Reges Gothorum, & Italiam, Romamque recuperat, ope Dei genitricis. 553. II.
Verum laceſſitus à Sophia Aug. vocauerit Longobardos in Italiam, & quis tandem eius finis. 567. II. III.
Rebellat aduerſus Phocam, in vltionem necis Mauritii Imperat. 604. IX.
Redire perſuaſus Phocæ iuramentis, mox viuus comburitur. 605. V. ibidem.
Natale Domini quando contigerit. Appar. XXX. vſque XXXVII. & Annal. num. I.
Eius feſtiuitas ab Apoſtolis inſtituta. 58. XXXVI.
Natiuitatis Domini locus, ipſis etiam Gentilibus celebris. 137 III. Profanatus ab Hadriano Imp. ib. Vide etiam *Bethleem. & Spelunca.*
A Natali plurimi Scriptores inchoant annum Vide etiam *Annus.*
Natalitiis Sanctorum exhiberi olim ſolita publica conuiuia. 57. XL.
Eorum feſtiuitates introductæ in Eccleſiam Apoſtolorum auctoritate. 58. XXXVII. Vide *Feſtiuitas.*
Natalius olim confeſſor, poſtea Theodotianorum hæreticorum Epiſcopus, flagris ab Angelis cæſus, in ſacco & cinere pœnitentiam agit coram Zephyrino Papa. 207. I.
Nathanaelem male quidam eumdem conſtituunt cum Bartholomæo. 31. XI.
Non fuit adſcriptus inter Apoſtolos, quod eſſet Legis doctor. ibid.
Naturas duas in Chriſto inconfuſe coniunctas poſt adunationem, negauit Eutyches. 448. II.
Earum doctrina confirmatur in Concilio Oecumen. Chalcedon. & à Leone Papa. 449. VII. 451. XXII.
Naturam vnam tantum compoſitam poſt vnionem agnouit Philoponus. 535. XII.
Naturam diuinam non eſſe Deum, neque eſſe incarnatam, dicebat Gilbertus Porret. & quid de ea ſit definitum. 1147. V. 1148. V.
Naues. Vide *Claſſis.*
Naues phantaſticæ Manetis. 277. IX.
Ob Nauium conficiendarum artem barbaros edoctam, plurimi ſub Theodoſio Iuniori de vita periclitantur. 419. XVIII.
Naues Vitaliani Scythæ, combuſtæ ſpeculis vſtoriis. 514. IX.
Naufragium Pauli Apoſt. ad Melitam inſulam. 58. LXIII.
Naufragio diſtincti hæretici à Catholicis. 413. VI.
Naufragio duplici pereunt Gothi deprædatores Vrbis Romæ. 414. II.
pariterque naufragio pereunt opes Vrbis direptæ à Waudalis. 455. III. in fi.
Naufragium immenſæ claſſis Conſtantini Copron. 766. I.
Naufragio pereunt Saraceni, expilatores eccleſiarum SS. Petri & Pauli Vrbis Romæ. 846. I.
Itemque alii Vrbem rurſum tentantes. 849. I.
Nazaræorum ſectæ ante Chriſtum apud Iudæos dogmata. Appar. IX.
Nazaræorum hæreticorum duplex differentia; alii ante Chriſtum, alii poſtea; & quæ iſtorum dogmata. 9 II. 74. II.
Iidem Minæi dicti. 74. II. ibid. Multa habuerunt cum Ebione communia ib. III.
Nazaræorum votum explet Paulus, & quale illud eſſet. 53. V. 58. XLIX.
Nazaræi dicti Chriſtiani. Vide infra in *Nazarenus.*
Nazareth ciuitas Galilææ, nobilis Chriſti conceptione, & habitatione. 9. I. II.
Nazarenus dictus Chriſtus, ab eadem ciuitate; & ab eo Fideles, Nazareni, ſiue Nazaræi. ib. II. 43. IV.
Nazarenis ter in die maledicere Iudæi ſoliti. 43. IV.
Nazarenum Concilium, pro receptione Alexandri PP. III. contra Octauianum ſchiſmaticum. 1160. VII.
Neapolis Italiæ ciuitas capitur à Beliſario, & diripitur. 536. I.
Donatur cum circumiacentibus regionibus, Eccl. Romanæ à Ludouico Pio Imp. 817. II.
Eius Eccleſiæ origo, & nobilitas. 872. III.
Neapolitanum in Palæſtina Concilium, de Eccleſ. diſciplina, & correctione morum. 1110. V.
Nectarius adhuc catechumenus, eligitur Epiſc. Conſtantinop. in locum Gregorii Naz. ſeſe abdicantis. 381. X.
In modo agendi cum hæreticis, an conſuluerit Nouatianos. 383. VII VIII.
Ab eodem Greg. Naz. excitatur in hæreticos. 384. VII.
Eius factum de presbytero pœnitentiario, expenditur. 56. IX. 390. IX.
Moritur, & celeberrimum recipit ſucceſſorem Ioannem Chryſoſt. 397. XX
Neocæſarea in Ponto ſubuertitur terræ motu, excepta S. Gregorii Thaumaturgi eccleſia. 343. V.
Peruertitur à Sabellianis, ſed à S. Baſilio reducitur. 362. XVIII.
Neocæſarienſe Concilium quo tempore, quaue occaſione celebratum. 314. IX. X.
Neophyti prohibiti ordinari Epiſcopi. 374. III.
Aliqui tamen laudabiliter ordinati, veluti Cyprianus Carthagin. 250. III.
Nepos Epiſcopus Ægyptius, Millenarii propugnator, refellitur à Dionyſio Alexandr. 264. I.
Nepos, prænomine Iulius, depoſito Glycerio Imperatore, inuadit Imperium Occidentale. 474. IV.
Acclamato ab Aliis Auguſtulo Imperatore, ipſe fugit in Dalmatiam. 475. I.
Ab eius ſectatoribus vocatur in Italiam Odoacer. ibid. II.
Nepotianus, filius ſororis Conſtantini Magni, mortuo Conſtante, aſſumit Imperium; & confeſtim interficitur cum ſuis, à militibus Magnentii tyranni. 350. II.
Nero imperat. 56. XIII. 80. Senecam habuit præceptorem. ibid.
Eius optima initia. ibid. Cuncta deorum templa donis omnibus & ornamen-

tis ſpoliat. 57. I. I. in fi. Coram eo agit cauſam Paulus Apoſtolus, qui eum in ſuis epiſtolis vocat leonem. 59. II.
Gladiatorum, & ferarum ſpectacula in prouinciis interdicit magiſtratibus. 59. VIII. Agrippinam matrem necari curat.
Diriſſimam in Chriſtianos Romæ perſecutionem excitat, occaſione incendii Vrbis, quod ipſemet procurauerat. 66. I. II.
Detecta in ſe coniuratione, Senecam, aliosque plurimos necat. 67. II.
Poppæam quoque Aug ictu calcis occidit. ibid.
Magiæ deditiſſimus, magos vndiq; accerſit. 68. VI.
Proficiſcitur in Achaiam ad Iſthmi foſſionem, ſed abſque effectu. 68. VIII.
Deluſus à Simone mago, volatum promittente, magos & philoſophos exagitat. ibid. X.
Petrum & Paulum Apoſtolos carceri includit. 68. VIII.
Eoſdem necat. 69. I.
Eorum viſione territus, ceſſat à perſecutione Chriſtianorum. 69. XVIII.
Deficiunt ab eo duces exercituum. ibid.
Deſertus ab omnibus, fugiens delitescit, ſibique ipſe manus infert. 70. I.
Creditus à nonnullis, fuiſſe Antichriſtus: ab aliis exiſtimatus neci ſubductus, & venturus Antichriſtus. ibid. II.
Nereus & Achilleus, eunuchi Domitillæ, auctores ei ſunt vouendæ Deo virginitatis. 98. II.
Subeunt vna cum ea martyrium. 100. V.
Nerua in exilium eiectus à Domitiano ob conſuetudinem Apollonii magi, paulo poſt reuocatur. 91. II.
Eligitur poſt eum Imperator. 98. VI.
Exules Chriſtianos reſtituit, & Iudæos bene habet. ibid.
Adoptat Traianum in filium. 98. VII.
Moritur, & refertur inter diuos. 100. I.
Neſtorius ex monacho, & presbytero Eccleſ. Antioch. magni nominis, eligitur Epiſcopus Conſtantinopol. 428. V.
De pellendis hæreticis, egregium ipſius ad Theodoſium Imp. dictum. ibid
Mox hæreſim ſuam euomit, qua negauit Mariam Deiparam. ibid. VI.
Quos errorum magiſtros ſecutus ſit, & in quo ab eis diſcrepaſit. ibid. VII. VII. IX.
Eiuſdem progreſſus impii, & ſcripta vbique promulgata. ibid. X. 429. IV.
Confutatur à Cyrillo Alex. moneturq; ſententiam mutare; ipſe vero Cyrillum vbique probris diffamandum curat. 429. IV.
Eius impia ſcripta, ab ipſa B. Virgine in viſione reprobata. ibi. in fi.
Scribit ad Cæleſtinum Papam; ſed viſis eius blaſphemiis, damnantur ab eodem Pont. errores, ipſeque niſi reſipiſcat intra decem dies. 430. I. II.
Damnantur item à Cyrillo in Concilio Alexandr. ib. V.
Epheſum veniens ad Concilium Oecumenicum, Epiſcopos ſeducere conatur. 431. V.
Legitime citatus, accedere renuens, damnatur, & ſede deponitur, eiuſque ſcripta comburi iubentur. ib. XIII. IX.
Vna cum Ioanne Antioch. omnia turbat, & falſis relationibus Imperatorem ſeducit. ib. X.
Fraudibus detectis, iubetur ab Imperat. recedere Epheſo, aliuſque Conſtantinopoli in eius locum ſubrogatur. ibid. XIX. XXII.
Permiſſus quadriennio manere in monaſterio apud Antiochiam ad pœnitentiam, cum maiori obſtinatione obrigeſceret aliaque impia ſcripta promulgaret, rurſum damnatis igni ſcriptis, ipſe in Oaſenam extremam ſolitudinem deportatur. ibi. XXI. & 435. I. 436. I.
Multa paſſus ob mutata ſæpius exilii loca, tandem lingua vermibus exeſa, & toto computreſcente corpore, miſerrime moritur. 436. I.
Neſtorianis magna fuit affinitas cum Pelagianis. 428. IX. Vide ſupra in *Neſtorius*.
Calumniantur Catholicos Apollinariſtas. 430. VII.
In Conciliab. Epheſ. ſub Ioanne Antiochen. reſtituunt hæreſim Pelagianam. 431. XII.
Conuertuntur ad calumnias in Roman. Pont. alioſque Catholicos, ſcriptaque eorum nomine confingunt. 432. VI. 444. IV.
Eorum libri cremari iuſſi à Theodoſio Imp. 448. I.
Damnatur rurſum in Concil. Conſtant. ſub Legatis Apoſtol. Sedis. 450. VI. & in Chalcedon. Oecumenico. 451. XXIII.
Reſtaurata ea hæreſis in Hiſpania ab Elipando, iterum vbique damnatur. Vide *Elipandus*.
Neuſtrium Concil. vbi auditis querelis Ludouici Imper. minaces literæ ſcriptæ ſunt ad Hugonem Lotharii Regis filium. 877. VII.
Nicæa vrbs Bithyniæ ingentia diuina beneficia conſequitur ex celebratione Magni Concilii. 325. XLIX.
Terræmotu diuina prouidentia quatitur, cum Ariani illic aliud Concilium celebrare quærerent. 358. II.
Iterum ſub Iuliano concutitur. 362. LXII.
& funditus euertitur ſub Valente. 368. I.
Conſecuta ab Impp. Valentiniano & Valente dignitatem metropolis, nihilominus in Concilio Chalcedon. ſubiicitur Nicomediæ. 451. XXIX.
Nicænum Concil. Primum Oecumenicum, quibus Coſſ. quoque anno Chriſti, & Conſtantini Imp. celebratum ſit. 325. I. II.
Sub quo item Pontifice Rom. ibid III.
Cauſæ eius cogendi. IV.
Cuius auctoritate coactum. V.
Quot Epiſcopi, & quales interfuerint, & quinam præſederint. VI. & ſeq.
Eius geſta tam aduerſus Arianos, alioſque hæreticos, quam de diſciplina Eccleſ. XIII vſque XLVIII.
Acta paſſa naufragium, iniuria temporis, & malitia Arianorum. XX.
Fidei Symbolum ibi editum. XXIV.
Quot, & qui, ſtatuti canones. XLII. XLIII.
Petit confirmationem decretorum à Rom Pontifice. XLV.
Subſcripſiſſe cum aliis aſſeruntur duo Epiſcopi, iam antea defuncti. XLVIII.
præconia eius. XLIX.
Patrum reliquiæ, poſt mortem incorruptæ permanent. ibi. in fi.
Confirmatur à Silueſtro PP. in Concilio Rom. LI. Vide etiam *Sardic. Concil.*
Nicænæ fidei aſſertores, peſſime habiti ab Arianis. Vide *Ariani. Euſebiani. Conſtantius. Valens.* & ſub nominibus Impp. vel Regum Arianorum; itemque *Athanaſius. Baſilius.* & ſub aliis nominibus Epiſcoporum Orthodoxorum.
Nicænum Symbolum. Vide *Simbolum Nic.*
Nicæni canones perquiruntur per Legatos Africanæ Eccleſiæ. 419. X.
Confuſi cum Sardicenſibus, & quare. 347. XVIII. 419. XIII.
Nicænum Concil. II. Oecumenicum VII. celebratur aduerſus Iconomachos, pro cultu ſacratum Imaginum, auctoritate Hadriani Papæ. 785. I. 787. I.
Numerus Epiſcoporum. 787. I.
Damnantur iconomachi, & confirmatur Cathol. fides de Imaginum veneratione, non tamen cultu latriæ. ib. IV. & ſeqq.
Canones de diſciplina Eccleſ. ibi. VIII
Quid de eius damnatione actum in Francoford. Synodo ſub Carolo Magno. 794. III. V.
itemque in Collatione Pariſ. ſub Ludouico Pio. 825. I. & ſeq.
Nicænum in Thracia Conciliabulum Arianorum, pendente Ariminenſi Synodo. 359. VII.
Eius fidei formula, per vim & fraudem ſubſcribi curatur à Patribus Ariminenſibus, & inde de iis, ſed iniuſte, triumphatur. ib VIII. IX. X.
Nicatius Dinienſis in Gallia Epiſcopus, intereſt magno Concilio Nicæno. 325. X.
Nicephorus Antiochenus in locum deſertoris ſe ſufficiens, martyrium ſubit in perſecutione Valeriani. 260. II.
Nicephorus Calliſtus quam inſulſe Iuſtinianum excuſet de hæreſi Incorruptibilium. 561. II.
Multa mentitur de rebus Nouatianorum, ipſe Nouatianus, & ritus eorum cum Catholicis confundit. 383. VIII.
Nicephorus Conſtantinop. Epiſc. creatur ex miniſtro à Secretis Imp. 806. I.
Coactus ab Imp. quomodo ſe geſſerit in cauſa adulterii Conſtantini olim Auguſti. ibid II. 809. I. 811. III.
Scribit ad Rom. Pont. pro Cathol. communione obtinenda. 811. III.
Pellitur in exilium à Leone Imp. ob defenſionem cultus Imaginum. 814. II.
Moritur anno 14. exilii. 828. II.
Solemnis eius corporis tranſlatio Conſtantinopolim. ibi.
Nicephorus Logotheta, depoſita Irene Aug inuadit Imperium Orient. 802. I.
Quam fuerit fide impius, & moribus crudelis. ibid. II. & 803. I.
Stauratium filium aſpectu & ſenſu deformem, creat Imperatorem. 803. I.
Tributum annuum pro Imperio, proq; capite ſuo, ac filii, cogitur pendere Saracenis. 805. I.
Eiuſdem aliæ ſæuitiæ, impuritates, & exactiones. 807. II. 809. III.
Manichæorum errores ſectatur; Epiſcopos & monachos ludibriis exponit, & tributis vexat. 810. I. 811. I.
Occiditur à Bulgaris, & caput denudatum argento induitur, vt eſſet poculi loco. 811. I.
Stauratius eius filius ægre relatus Conſtantinopolim, cum nouas cædes moliretur, erecto aduerſus eum Michaele Curopalate, monaſticum induit habitum. ibid. II.
Nicephorus Phocas, ſtrenuiſſ. dux, eligitur Imp. 963. IV.
Eiicitur ab Eccleſia per Patriarcham duplici cauſa, ſed purgans ſe, recipitur. ibidem.
Ingentibus cladibus afficit Saracenos, & tamen cunctis odio habetur, quod in gratiam militum ſuorum, eccleſias & populos expilaret. 946. VII.
Male habet Legatos Ioannis Papæ, & Ottonis Imp. pro nuptiis miſſos, & quare. 968. I. II.
Sub ſpecie nuptiarum, Ottonis exercitum cædit; ſed alia poſtea ab Ottone clade accepta, necatus à ſuis Conſtantinopoli. 969. I.
Periit ob rapinas Eccleſiarum. ibid. II.
Nicephorus Botoniates, detruſo in monaſterium Michaele. VII.
inuadit Imperium Orient. 1078. IV.
Excommunicatur à Gregorio PP. VII. in Synodo Rom. ibid.
Detruditur in monaſterium ab Alexio Comneno. 1080. XVII.
Nicetas Apoſtolus multorum Borealium populorum. 396. VI.
Peregrinatur Romam ad loca ſancta. ibid.
Nicetas, ex Patricio monachus & Abbas exulat ſub Leone Armeno, ob defenſionem ſacratum Imaginum. 814. III.

Deceptus fraude Imperatoris, mox reſipiſcit, & arctiori exilio conſtringitur. 815. II.

Nicetius Treuenſis Epiſcopus Theodobertum Franc. Regem meliori frugi reſtituit. 530. V.
Sæpe excommunicat Clotarium Regem pro iniuſtis operibus, atq; ideo pellitur ab eo in exilium. 565. IV.
Reſtituitur à Sigeberto Clotarii filio. ibid.

Nicolaus Diaconus, vnus de ſeptem primis ab Apoſtolis ordinatis, an fuerit auctor impuriſſ. ſectæ Nicolaitarum. 68. IV.
Fertur ab Apoſtolis factus Epiſcopus Samaritanorum. ibid.

Nicolaitæ hæretici, qua ratione nomen ſuſceperint a Nicolao diacono. 68. IV.
Quæ fuerint eorum impia & impura dogmata. ibid. V.
Dicti quoq; Gnoſtici, & quod diuiſi ſunt in multas ſectas, varia quoq; & alia nomina ſumpſerunt. ibid.
Eorumdem hæreſis in ſacris miniſtris repullulans, rurſum damnatur in Concilio Turonenſi Secundo. 570. V. aliiſque plurimis, diuerſis locis & temporibus celebratis. 1049 IV. V. VI. 1051. I. 1059. VI. 1063 V. 1074. III. 1075. III. 1090. I. 1094. I. 1095. I. 1100. IV. 1119. III. 1125. IV.
Laborat magnopere in eam Petrus Damiani, tam apud Principes Eccl. quam ſæculares. 1065. I. Ob decretum aduerſus eam a Greg. VII. renouatum, tumultuantur ſacerdotes in Germ. recuſantes dimittere coniuges. 1074. III.
Eorum Miſſas audire prohibitum à Rom. Pontiff. & quo conſilio. ibidem. & 1094. I.
Cum eis communicare prohibet Vrbanus PP. in Synodo Rom. 1099. V. Vnius ex eis horribilis punitio diuina. 1100. IV.

Nicolaus Myrenſis Epiſcopus idola ac delubra demolitur. 318. V.
Eius præclara primordia, & illuſtriores progreſſus. ibid.
Dei iuſſu creatur Epiſcopus. ibid.
Intereſt Magno, & Concilio Nicæno. 325. X.
Longiſſime abſens, per viſum Conſtantino Magno, & Ablauio Præf. apparet, deterretque à nece innocentium Tribunorum. 326. XVIII.
Poſt obitum, ab eius oſſibus vnguentũ ſalutiferum ſcaturire non deſinit ibidem.
Corporis eius translatio Barim Apuliæ ciuitatem. 1087. V.
Nicolaus Papa inuitus creatur. 858. I.
Inſeruit ei Ludouicus Imp. miniſterio Stratoris. ibid.
Rogatus à Michaele Imper. Orient. & Photio intruſo Conſtantinop. Legatos mittit Conſtantinopolim, qui male excipiuntur. 860. I. II.
Interpellatur à Regibus Francorum, aduerſus Carolum Caluum Regem. ib. III.
Appellatur ab Ignatio Patriarcha Conſtantinop. aduerſus Photium. 861. V.
Epiſcopum Rauennatem rebellem excommunicat, pœnitentem recipit in Concilio Lateran. ibid. VI.
Theophaſchitarum hæreſim repullulãtem damnat. 862. III.
Excommunicat Photium, & reſtituit Ignatium, 863. I. Reſcindit Acta pſeudoſynodi Metenſis, ſeu Proſtibuli, & eius promotores Archiepp. Colon. & Treuer. excommunicat, ac deponit, à quibus diabolicas patitur calumnias. ibid. III. IV. Pro rebus Gallicis multum laborat aduerſus Hincmarum Rhem. & Carolum Regem. 863. VIII. IX. 865. IV. 866. V. 867. II. ibid. itemque aduerſus Lotharium Regem, ob pellicem ab eo ſubintroductam. 863. III. 865. V. 866. IV.
Suſceptis ab Imp. Michaele literis iniurioſis, reſcribens iubet eas igni tradi. 865. VI.
Obiectiones Græcorum in Latinam Eccleſiam mittit ad Hincmarum, alioſque Epiſcopos Gallos, vt aduerſus eas inſurgerent. 867 III.
Anathematis ſentẽtia percellitur à ſchiſmatico Photio. ib. VII. Miniſtros ſacros mittit in Bulgariam, & reſpondet conſultationibus eius gentis. 866. I. II. ibid. 867. I.
Moritur, & egregiis præconiis extollitur. 867. XIV.
De cuius memoria admodum ſollicita vniuerſa Eccleſia. 868 II.
A Græcis confeſtim cultus eſt vt Sanctus. 869. IV.

Nicol. II. creatur ex Epiſcopo Florentino. 1058. III. 1059. I
Deponit Mincium, ſedis inuaſorem. 1059. I. ibid.
In Concilio Rom Berengarium hæreſiarcham, palinodiam recantantem, recipit. 1059. III.
De electione Rom. Pontificis, quid conceſſerit Henrico Germ. Regi. ibid. VI.
Northmannis concedit in feudum Calabriam, Apul. & Siciliam. 1059. VIII.
Vindicat Vrbem à tyrannis. ibid. IX.
Numquam diem prætermiſit, quin pedes 12. pauperibus ablueret. 1061 I. Moritur. ib. Eius acta contra Simoniacos & Nicolaitas, reſciſſa in conciliabulo Baſileenſi. ibid. II.

Nicodemia dito terræmotu ſubuertitur ſub Conſtantio Imp. 358. I. III.
Eius reliquiæ alio tremore ſub Iuliano proſtratæ. 362. LXII.
Nicomedienſes inſignes martyres ſub Diocletiano. 301 VI. 302. V.

Niconomachus, genere Armenus, a prædicatione continua pœnitentiæ dicitur *Pœnitentiam agite*. 961. III. Armenos conuertit ab hæreſibus, & vniuerſam Græciam miraculis illuſtrat. ibidem.
Bulgaros, & peſtilentiam precibus ſuis propulſat è Peloponneſo. 981. II.
Eius imago, dum oraret, ſaxo diuinitus impreſſa. 986. II.
Alia eius imago, poſt obitum mirabiliter in tabula effigiata. 998. V.
Vnguentum ſalutiferum ex eius oſſibus fluere conſuetum. ibid.

Nilammon monachus, ne fieret Epiſcopus mortem à Deo expetit, & obtinuit. 403. VII. in fin.

Nilus fluuius in vinum conuerti ſolitus, ea hora qua Chriſtus ex aqua vinum fecit. 31. XIIII.

Nilus Calaber, poſt matrimonium factus monachus, fit vbique notiſſimus vitæ ſanctitate, & miraculorum virtute 976. II.
Sectatur vna cum ſuis vitam peregrinantium. ibid.

Niſibis, ciuitas Meſopotamiæ, occupatur à Seuero Imp. in bello Parthico. 197 I.
Defenditur ab inuaſione Perſarum, per Iacobum eius Epiſcopum. 338. IV.
Et quamdiu is vixit, vel eius ſacræ reliquiæ ibi quieuerunt, licet ſæpe tentata, numquam potuit expugnari. ibi.
Iis à Iuliano ſublatis, ſimul etiam vrbs patuit hoſtibus. 363. VIII. Traditur Perſis à Iouiniano. ib. XVIII.

Nobiliſſimatus dignitas, collata a Conſtãtino Magno fratribus ſuis. 336. XII.

Nocturnæ Preces Eccleſiaſticæ. Vide *Preces.*

Noetus præceptor Sabellii, docuit illum hæreſim ſuam. 260. V.
Dixit ſe Moyſem, fratrem autem ſuum Aaron, ſiue Eliam. ibid.
Moreus inſepultus permanſit. ibid.

Noetiani hæretici, iidem cum Sabellianis. 260. VI

Nomadæ populi ad fidem conuerſi, opera Chryſoſtomi. 400 XVII.

Nomina quãdo imponerentur infantibus apud Iudæos, & Romanos. 1. II.

Nominis abraſio ex Eccleſiæ tabulis, antiqua pœna delinquentium clericorum. 57. VIII. Vide etiam *Diptycha.*
Nomina tyrannorum, & perduellium Imperii, vel alias, honore indignorum, monumentis abradi ſolita: veluti Domitiani. 98 IV.
Plautiani ſub Seuero, 206. I. Maxentii tyranni, 309. II. Maximini Imp. 314. II.
Eutropii præfecti cubiculi Arcadii. 399. I.
Stiliconis ducis potentiſſ. Honorii. 408. VI.
Tertulli Conſulis, 410. I. Heracliani tyranni, 413. I. Caſtini Conſulis. 424. I.

Nominis mutatio in aſſumendo Roman. Põtificatu, à quo primum facta, & quare 844 I. 955. I.
Nomen Roman. Pontificis in omnibus monumentis primo loco ſcribi debere, ante nomina Imperat. aliorumq. Principum. 869 XVIII.
Præſumens ſuum præponere Fridericus Imp redarguitur. 1159. I.

Nominatio Epiſcoporum. Vide *Epiſcop. nominatio. & Inueſtitura.*

Nonnus (hoc eſt monachus) etiam dictus Hyppol. Epi. Portuenſis & mart. 229. I.
Nonnus alius Epiſcopus cõuertit Margaritam famoſiſſ. meretricem, quam & Pelagiam nominauit. ibidem. & 451. XXVI.
An fuerit ille Nonnus, qui ſubſtitutus in locum Ibæ Edeſſeni, iterum in Concilio Chalced. iuſſus eſt locum cedere eidem Ibæ. 451. XXVI.

Norbertus inſtituit Ordinem monachorum Præmonſtratenſium. 1120. IV.
Viriliter ſe opponit Tanchelini hæreſiarchæ erroribus. 1126. V.
Præficitur Eccleſiæ Magdeburg Archiepiſcopus, præcedẽtibus propheticis. 1127. V. Moritur. 1134 III.

Northanton. Conciliabulum in Anglia, contra S. Thomam Cantuarienſem, pro Conſuetudinibus regiis. 1164. IV.

Northmanni in Gallias irrumpentes, repelluntur à Ludouico Pio Imp. 836. I.
Sub Carolo Caluo eas miſere deuaſtant nõnullis tamen prodigiis, de ſacrilegiis ſeuere puniti. 845. IV. V.
Rurſum inuadentes regnum Caroli, ab eo accipiunt prouinciam incolendam, dictam ex eorum nomine Normandiã. 850. III.
Inuadunt & depopulantur reliquã partem Galliæ. 853. III 882. VI.
Eorum dux Godefridus fit Chriſtianus, & pacem init cum Carolo Craſſo Rege Franc & Imp. 882. VI. ibid.
Fiunt Chriſtiani, & mitius cum eis agendum, ſuadet Ioannes PP. Nonus. 905. II.
Inuadentes Gallæciam, poſt biennalem cladem perimuntur. 968. V.
Eximia illorum pietas, & frequens Hieroſolymam peregrinatio, ac munerum miſſio. 1001. V.
Quadraginta ex eis Hieroſolyma redeuntes, Salernum à Saracenis obſeſſam magna virtute liberant. ibidem. Alii pugnant in Apulia contra Græcos 1018. II.
Pulſis Græcis, potiuntur ea prouincia. 1041. I.
Diuinitus repelluntur à monaſterio Caſſinenſi. 1045. III.
Occupantes res Eccleſiæ Rom. inuadũtur a Leone PP. IX. ſed ipſi eum capiũt, & honorifice piiſſime detinent. 1053 II. Accipiunt in feudum à Rom. Pontif. Apuliam, Calabriam, & Siciliam, ſub tributo annuo. 1059. VIII.
Quanta diuina prouidentia in Italiam

vocati

vocati fuerunt, pro Eccleſ Rom. defenſione. 1118.IV.
Angliæ quoque obtinent regnum, per Gulielmum Ducem Northmanniæ. 1065.IV.
No thuſenſe Conc lium in Germ. aduerſus Henricum III. Imp. ſchiſmaticum 1105.II.
Notæ Thraciæ. 315.V. 269. Notæ in vultu. Vide *Vultus*.
Notarii VII. Regionarii à Clemente Papa Romæ conſtituti, ad martyrum Acta conſcribenda. 98 I I.
Quidnam eſſet tam ea in re, quam alis officium. 238.II.
Iis à Fabiano PP præfecti VII. Subdiaconi. ibid. I.
Notarii Imperatorum, quales eſſent. 411.IV.
Nouatianus presbyter Rom. primus in ea Eccleſia Antipapa aduerſus Cornelium. 254.IX.
Fuit Clinicus, & ideo irregularis. ibid.
Et quodam facto eſt Epiſcopus, nondum ſacramento Chriſmatis confirmatus eſſet, inde i lud ſacramentum contemp ſerunt eius ſectatores. 35.XI.
Ab eo denominati Nouatiani, ſic dicti ſchiſmatici & hæretici. 254 VIII.
Eius peruſa dogmata ibidem X. XIV. 258.I.
Eadem ex Stoica philoſophia, & ſchola Montani deprompta. 254 XIV. XV.
Eius ſectatorum alia dogmata. ibidem. XV.
In diſpertienda ſanctiſſ. Euchariſtia ſuos cogit iurare adue ſus Cornelium. IX.
Scribit ad diuerſos pro ſua ordinatione. X.
Eius conſilium in reb prizando Catholicos. 258.VI.
Falſo iactatur à ſuis martyr. 261.VIII.
Nouatiani cur ſe Mundos dicerent. 254. XV.
Ecclesia vbique eiiciuntur. 255.I.
Quomodo eis prouiderit Concilium Nicænum. 325. XXXVIII.
Conuentus eorum prohibentur à Conſtantino. 326.IV.
Ad Concilium Conſtantinop. à Theodoſio vocantur, & quid cum iis, vel ab iis ibi geſtum. 383.VII.VIII.
Eorum ſcriptores multa confinxerunt de rebus ſuis. ibid. VIII.
Exagitantur à Chryſoſtomo in Aſia. 400.XV.
Scinduntur ſchiſmate inter ſe, per Sabbatium quemdam. 408 IX.
Tolerati multis locis, ob integram fidem Trinitatis, ab Innocentio PP. pelluntur Roma. ibid.
A Theodoſio Iuniori Imp. proſcriptione, & vltimo ſupplicio puniri iubentur. 413.VI.
Miraculo etiam in naufragio oſtenſi ſunt eſſe reprobi. ibid.
A Cyrillo pelluntur Alexandria. 412. IX.
Nouatores hæretici hodierni, ſectatores Simonis magi. 35. XIV. Manichæorum, 58. XXXVIII. Eunomii. 360. VII. 359. Iuliani Apoſtatæ. 362. LVI. Immo deteriores eodem Iuliano. ibid. LX.
Carpunt cum Ammiano Ethnico, ſplendorem Rom. Pontificum, ſed refelluntur 367.IV.V. Quorumuis infidelium miſerrimi, & obſtinatiſſimi. 416.V.
Redarguuntur de variis aliis impietatibus, & mendaciis. 102. III. 417. VI 4 9. III. VIII 502. VIII. 527. VII. 534. II. 556. II. 587. II. 591. I. 592. V. 606. III. 775. II. 787. VII. 679. I. 819. III 842. I. 996. VII. 1018. I. 1124. I. 1126. V. VI. 1130. III. 1147. VII IX. XII. 1183. IV. Vide etiam *Politici*.
Nouatus Epiſcopus Afer, ſchiſma conflat aduerſus S. Cyprianum pro Lapſis. 254. IV.
Ingeria eius ſcelera, & ſacrilegia. ib. VII.
Romam veniens, Nouatianum creat Antipapam. VIII. IX.
Ab iis dicti Nouatiani ſchiſmatici & hæretici. VI. I. Vide ſupra in *Nouatianus*.
Idem qui in Africa pro Lapſis pugnarat, Romæ aduerſus Lapſos agit, vbique impie. X.
Nouimercati Concilium, pro receptione Alexandri Papæ Tertii. 1161.I.
Nouiomenſe Concil. pro feriando die S. Hunegundis virg. 954.VI.
Nouiſſimum tempus dictum à Chriſto, & Apoſtolis, quod extenditur à Chriſto, ad Iudicium. 57.LIV.
Numerianus Cari Imper. filius, creatur à patre Cæſar. 283.II.
Reſcribit in Chriſtianos. ibi. VI.
Poſt mortem patris ſumit Imperium, & paulo poſt necatur à ſocero. 248.I.
Numerus Aureus. Vide *Aureus num*.
Numerus myſticus Perſecutionum Gentilium, à quibuſdam obſeruatus. 316.VI.
Numerus myſticus Patrum Nicæni Concilii. 325.XLIX.
Numidarum martyrum carnificina, ſub Valeriano. 261.VI.
Numidiæ primatus controuerſia, definita in Concilio Mileuitano Primo. 402. XVII.
Numidicum Concil. Gregorius PP. reſcindit. 593.I
Aliud legitimum, aduerſus hæreſim Monothelitarum. 646.I.
Nomina, ſiue Angelorum, noua nomina excogitata à Nicolaitis, ad incutiendum cum admiratione terrorem. 68.V.
Itemque à Baſilidianis. 120 V.
Nummi tributi, vel cenſus, diuerſi apud Rom. fuerunt pretio & pondere, ab vſualibus. 34.IV. 330.VII.
Nummos aureos Franci primi omnium cuderunt ſub Regis imagine, non Romani Imper. vt ceteri ſolerent. 549.II.
Chriſti imagine, & inſcriptione ſignari, non vt antea Imperatoris, primus omnium ſtatuit Ioannes Zemiſces. 971. IV.
Nuptias Chriſtus præſentia ſua honorauit. 31.XII.
Cuius ex fuerint. ibid.
Nuptias damnarunt plurimi hæretici, qui ſugillantur à Paulo Apoſtolo. 57. LIV. Vide *Matrimonium*.
Secundas damnarunt Nouatiani. 254. XV. Vide etiam *Bigamia* & *Polygamia*.
Nuptias ſacris initiatis concedebant, eaſdemq; defendebant Græci ſchiſmatici, 1054. III. V. de *Coniugium* & *Continentia*.
Nuptiæ etiam dictæ, ſacri velaminis acceptio virginum 57. XXVI. Vide *Virginitas*.
Nuptiæ non olim apud Romanos credita, quas ciuis Rom. cum peregrina contraxiſſet. 306.VI.
Neque item quæ à Præfectis contrahe-rentur in prouinciis, niſi poſt depoſitum officium confirmarentur. ibid.

O.

OBedientia Vide *Fidelitas. Obſequia*.
Obeliſcus omnium maximus, ſub Conſtantio Alexandria Romam delatus, à Sixto PP. V. transfertur in Lateranum. 357.XXIII.
Oblationibus Fidelium ſuſtentati ab initio prædicatores Euangelii, aliique miniſtri ſacri. 57.XXII.
Eas Epiſcopi erogabant clericis. ibi.
Imperatores cohibere conati ſunt. ibid.
Fieri ſolitæ in eccleſia diebus Dominicis. 58.XXXV.
Oblationes erogandas in pauperes à populo ſibi dari voluerunt Euſtathiani hæretici. 319.VIII.
Oblationes pro defunctis, frequentatæ in antiquiſ. Eccleſia. 257.VI.
A Fidelibus præſtari, cogunt Africani Patres pœna excommunicationis. 397. XVIII.
Oblationum Panis benedicti antiquus vſus. 313.XIII
Oblationum, & Munerum, differentia in ſacris. 525.I.
Itemque Oblationum, & Oblatarum. 741.IV.V. Vide etiam *Mun ra*
Oblationes hæreticorum non eſſe in eccleſia admittendas, docuit inſigni exemplo Liberius PP. aduerſus Conſtantium Imp. 355.VIII.
Nec ſacrilegorum, docuit item Clerus Mediolan. contra Eugenium tyrannum. 393.I.
Nec excommunicatorum, oſtendit pariter Gregorius Sept. 1081.IV.
Sacrilegorum Deo inuiſæ. 996.IV.
& quæ ex rapinis proueniunt. 1014.I. 1197.II.
Oblationes minorum eccleſiarum, maior ſibi vſurpare non debet. 458.V.
Ex Oblationibus parochialium eccleſiarum quantum ſibi Epiſcopi vendicare poſſint definitum in Concilio Carpentoratenſi. 529.IV.
Oblationes Eccleſiæ, quadripartito diuidendæ. 475.IX.
Ob eas male ab Epiſcopis diſpenſatas, Eccleſia aſſiduis malis atteritur. ibid.
Vide etiam *Bona*.
Obſequia Imperatorum erga Pontif. Roman. : Iuſtini Senioris. 525.I.
Iuſtiniani item Senioris. 536.V.
Iuſtiniani Iunioris. 710.I.
Ludouici Pii. 816.VI.
Ludouici Secundi. 858.I.
Friderici. 1177.V.
Regum; Luitprandi Longob. 729.I.
Pipini Franc. 753.I.
Henrici Germ. 1111.I.
Ludouici Craſſi Franc. & Henrici I. Anglor. 1130.IX.
Friderici Germ. 1155.IV.
Ludouici. VII.
Franc & Henrici II. Anglor. 1162.IV.
Vide etiam *Strator*.
Obſequia indecentia ab Epiſcopis exhiberi Principibus, prohibitum in Synodo VIII. Oecumenica. 869.IX.
de Obſtetrice B. MARIÆ Virginis narratio fabuloſa. Appar. XVIII. Annal. II.
Occidentem verſus orare conſueuerant Iudæi Hieroſolymis. 58 XLII.
Ad Occidentem, vel Orientem, promiſcue Gentiles. ibid.
Occidentem verſus ſuos orare docuit Elxai Pſeudopropheta. ib. & 105.II.
Ad Occidentem primo conuerti olim ſoliti baptizandi, moxque ad Orientem & quare. 58 XLIII.
Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ, apud antiquos, & in his Annalibus, diſcriminatio. 347.IV.
Occidentales ab Orientalibus accuſati hæreſis, in acceptione nominis Hypoſtaſis: ſed demum conueniunt. 372.III.
Vide etiam *Orientalis Eccleſia*.
Occidentale Imperium. Vide *Rom. Imperium in Occid*.
Occidua libra quæ eſſet. 301.XIII.
Occurſus Domini. Vide *Præſentatio*.
Octaua Synodus Oecumen. celebratur Conſtantinopoli, auctoritate Hadriani II. Papæ. 869 II.
Qui iam ei, & quot Epiſcopi interfuerint. ibid. & X.
Damnantur geſta Photii, ipſeque præſens, eiuſdemque ſcripta comburuntur. V. VI.
Damnantur quoque Iconomachi. VI. IX.
Canones ſanciuntur. IX
Petitur confirmatio à Rom. Pont. X. Vetera dicenda Octaua Oecumenica; & quid de illa in Florentina diſputatum. XI.
Poſt eam abſolutam, quæ fuerint ibidem altercationes de legatione Ludo-

uici

uit Imp. Occid. & diœceſe Bulgarorum a'iiſque, ex mandato Gregorii X. in Latinos XII. & ſeqq. Photius, Græcis ſchiſmaticis ſuppoſita pſeudoſynodus Photiana. 879. VIII.
Octauum Concil. Oecumen. perperam dictum Florentinum. 869. XI.
Octauianus ex clerico Principatum Vrbis Romæ adipiſcitur. 954. I.
Inuadit Apoſt. Sedem, & vocatur Ioan. XII 955 I. Reliqua vide in *Ioan XII.*
Octauianus Cardin. presbyter, creatur ſchiſmaticæ Antipapa contra Alexandrum Tertium. 1159. V. Vix reperit, qui eum conſecret. ibid. VI. Anathema intorquet in Alexandrum. VII Fouetur à Friderico Imp. IX. Suſcipit in Conciliab. Papienſi, inueſtituram Papatus per anulum ab eodem Imperat. 1160. VIII.
Repudiatur ab omnibus vbique Eccleſiis & Principibus, tam in Oriente, quã in Occidente, præterquam à Friderico. ibid. VII. Excommunicatur ſolemni ritu, vna cum ſuo Imp. ab Alexandro. ib. VI. 1161. II.
Moritur impœnitens, & vix ſepultura conſecratur ſuis. 1164. XI.
Odenatus Palmyrenorum Rex, poſt mortem Valeriani, occupat Imperium Orientis. 265 I.
Fortiter agit contra Perſas. ibid.
Vocatur Auguſtus a Gallieno Imperat. ibidem. Eius vxor Zenobia. Vide *Zenobia.*
Odilo ingentis nominis Abbas Cluniacen. recuſat oblatum ſibi à Summo Pont. Sedem Lugdun. 1034. IV.
Primus omnium inſtituit, vt Commemoratio omnium Fidel. defunct. prima die poſt feſtum omnium SS. fieret. 1048. III.
Moritur ſancte, & immenſum laudatur. ib. II.
Odo Cluniacenſis Abbas, quo tempore eius adminiſtrationem monaſterii ſuſceperit. 912. VI.
Vocatur à Leone VII. Romam ad reſtituendam monaſt. diſciplinam, miraculis vbique fulgens 936. III.
Rurſum à Stephano IX. vocatus ad pacem in Vrbe componendam, poſt reditum moritur Turonis. 842. II.
Odo Epiſcopus Baiocenſis, frater Regis Angliæ, deceptus à ſortilegis, ad Pontificatum Rom. obtinendum, multa illicita perpetrat. 1084. VI. A fratre mancipatur carceri, vſque tandem liberatur. ibid.
Odoacer Erulorũ Rex vocatur in Italiam à Nepotis fautoribus, aduerſus Auguſtulum Imp. 475. II.
Relegato Auguſtulo, rerum ſummam in Italia conſequitur. 476. I.
Modeſte vtitur felicitate ſua. ibid.
Quamuis Arianus, multa indulget Catholicis. ibid.
Tentat ſibi vſurpare electionem Rom. Pontificis. 483 II.
Rugios debellat, eorumque Regem capit. 487. II.
Multis prœliis vincitur à Theodorico Gothorum Rege. 489. III. 491 VI.
Inita cum eo concordia, paulo poſt ab eodem proditorie occiditur. 493. I.
Oecumenicum Concilium, quod diceretur 347 III.
Oecumenicus Epiſcopus Vide *Vniuerſalis.*
Officia Eccleſiaſtica, diſtincta ab Ordinibus, & quæ ſint illa. 44 XXXIII. XXXIV.
Officium in Eccleſia recitandum, diſponit Iſidorus in Hiſpania, ex mandato Concilii Tolet. Quarti. 633. XI.
Cur id dictum *Mozarabe*. ibid. Romanum ſubetur accipere Hiſp. Eccleſia, exploſo Gothico. 1074. VI. VIII. 1080. XI
Officia Eccleſ. optime diſponi, & adiunctis deſcribi curat Carolus Magnus. 778 V. & Ludouicus Pius. 831. II.
Lingua Sclauonica peragi, conceſſum Morauis nouellis Chriſtianis 880. III. Denegatum Boemis. 1080. I.
Officium B. Mariæ, quando, & a quibus, in Eccleſiam introductum, tam ad monachorum & clericorum, quam laicorum vtriuſque ſexus, vſum. 1056. II. 1095 VI.
Olaph Regis Noruegiæ, pietate & fortitudine præſtantiſſimi, martyrium, & miracula. 1028. II.
Oleum lampadum. Vide *Lampades.*
Oleum Sanctum Infirmorum. Vide *Vnctio.*
Oleum è taberna memoria Romæ erupit fluxitque toto die ſub Auguſto Imp. in ſignum proximi Chriſti aduentus. Appar XIV.
Eo loco à Caliſto PP. ſub Alexandro Imp. conſtructa eccleſia, in honorem partus ſanctiſſ. Virginis. 224 III.
Oleum ab vno eccleſiæ foramine per integrum diem ſcaturit Romæ ſub Sergio IV. PP. 1010. I.
Oliueti montis quantum diſtet ab Hieroſolymis. 34 I. XII.
Inſignia monumenta retinuit Aſcenſionis Domini. ibid.
Lucere ſolitus in diebus anniuerſariis eiuſdem celebritatis. ibid.
Olorenſis Epiſcopus Amatus Vide *Amatus*
Olybrius creatur Imperator Occidentis, & ſeptimo menſe occiditur. 472. II. 473. I.
Olympiade quota Chriſtus natus. Appar. XXXI.
Olympia dũ ſupputator egregius, Phlegon Hadriani Imp. libertus. 138. IV.
Olympiadis nobiliſſ. viduæ inſigne certamen cum Theodoſio Magno Imperat. pro cuſtodia viduitatis, & præclara victoria. 388. IV.
Fit diaconiſſa Eccleſiæ Conſtantinop. ibid.
Fouet monachos Origeniſtas, pulſos à Theophilo Alexandr. neſciens eos hæreticos. 400. XI.
Dira patitur ob communicationem cũ Chryſoſtomo exule. 404. XXIV.
Multas ab eo ſuſcipit literas, eique ipſa ſubuenit. 405. II.
Olympius Hiſp. Epiſcopus celebris inter Scriptores Eccleſ. ſub Honorio Imper. 400. III.
Olympius inſignis dux Honorii Imperat. vindex proditionis Stiliconis, fortiter aduerſus eum agit. 408. III. V. Creatur ab Honorio Magiſter Officiorum eique S. Auguſt. gratulatur. ibidem. VI. VII.
Ex inuidia redigitur in ordinem. 409. IV.
Omina triſtia. Vide *Præſagia.*
Omiouſion vox ablegata ab Arianis in Conciliab. Sirmienſi. 357. II. Reliqua vide in *Similitudo.*
Omouſion vox à Patribus Nicænis, ad enecandã Arianam hæreſim, feliciter vſurpata; nec tamen tunc primum inuenta. 325 XXII. Reliqua vide in *Conſubſtantialis.*
Oneſimus Philemonis ſeruus, Pauli Apoſtoli opera libertatem conſequitur. 60. XVII.
Creatur poſt Timotheum Epheſinus Epiſcopus. ib. & 110 III.
Romam perductus in perſecutione Traiani, lapidibus obruitur, corpus Epheſum refertur. 110 III. ibid.
Operum bonorum merita negauit Simon magus. 35 XII. & Aetius Impius. 356. XVII
Item, monachi Adrumetini negarunt, ſecundum opera Deum daturum præmia. 428 IV. Vide *Merita Libertas.*
Operationem vnam tãtummodo Patris & Filii & Spiritus S. aſſeruit Photinus. 357. II.
Operationem dumtaxat vnam in Chriſto fuiſſe & vnam Voluntatem; aſſeruerunt Monothelitæ, & quomodo hæc quæſtio tractata fuerit. 633. II. vſque VII.
Opificium aliquod manuum addiſcebant apud Iudæos ſtudioſi ſacrarum literarum. 52. V.
Opus manuum exercuerunt Apoſtoli, Sacerdotes Monachi. 52. V.
Orationis prætextu Maſſaliani pſeudomonachi omnino renuerunt. 361. IX.
Præſcriptum clericis, in Conc. IV. Carthag. 398. XV.
Opifices facti hæreſiarchæ. Vide *Hæreſiarcha.*
Opus pietatis & iuſtitiæ, laborem eſſe ſuperfluum, dixerunt Manichæi in Gallia. 1017. I
Optatus Mileuit. Epiſcopus ſcribit aduerſus Parmenianum Donatiſtam 368. II.
Qua ratione eum vocet Fratrem. ibid.
Definit eos tantum eſſe Catholicos, qui cum Rom Eccleſia communicant. ibid. III.
Eius magnum nomen apud poſteros. ibid
Scripta deprauata a Donatiſtis 314. VII.
Optatus Donatiſtarum in Africa Epiſcopus inhærens Gildoni tyranno, læuiſſime agit in Catholicos. 398. IX.
Ophitæ Gnoſticorum ſecta, & dicta a cultu ſerpentis; & qualiter eum celebrarent. 145. V.
Opinatores hæretici. Vide *Docetæ.*
Optimus, titulus amplius dignit. 58. XV
Opus. vide ſupra in *Opera, & Opificium.*
Oracula de Chriſto Rege venturo, perperam aliis tributa. Appar. IV. XII. XIII. XIV.
Dæmonum reddita muta ad Chriſti aduentum. ibid. XIII.
Daphnes obmuteſcit tranſlatione Reliquiarum S. Babylæ mart. 135. II. 362. XXIII.
Cõficta à Gentilibus de futura Chriſtianæ religionis extinctione. 3.3. III. 398. IV. Vide etiam *Vaticinium.*
Oratio ſine intermiſſione facta ab Eccleſia pro Petro vincto. 44. V.
Orandi ritus. Vide in *Preces. Oriens. & Occidens.*
Orandum non eſſe, dicebant Adamitæ. 120. XVII.
Orandum non eſſe pro Infidelibus vt conuertantur, nec pro Fidelibus vt perſeuerent, quoniam id ex ſe ipſis habent, aſſeruerunt Pelagiani. 415. IV. 419. VI.
Orationem quantum extollerent Maſſiliani, & quæ abſurda inde deducerent. 361 IX.
Ad orationem faciendam, quidam monachi ſibi vincula adhibebant. 361 XI.
Orationes defunctorum negabat Vigilantius. 406. VII.
Orare cum Eccleſia interdixit clerus Mediolan. Eugenio Imperat. ſacrilego. 394. I.
Oratoria, præter Synagogas, extra ciuitates Iudæi habere conſueuerant. 51. XVIII.
Oratoriæ domus, dictæ eccleſiæ. 57. XXXVIII.
Orationem Dominicam eſſe Euchariſtiam, aſſeruerunt Bongomili hæretici 1118 XII.
Præter eam, alias omnes orationes vaniloquia eſſe, iidem dixerunt. ibid.
Orbis vniuerſus obſcuratus in Paſſione Domini. 34. XXXVI
Cladibus diuerſis affligitur. Vide *Barbari. Terræmotus Fames. Peſtis. Clades* Laborat ſuperſtitione Gentilitatis ſub Chriſtianis Impp. 430. III. IV.
Ingemiſcit totus ſub Principibus hære

ticis,

r c ſ a it mideli vus conſtitutus.471.IV 476.II. Vide *Eccleſia deſolatio.*
Cæleſti ſigno t tretur. 671.II.
Ordinatio quid ſit in Eccleſia.44.XXXII.
Dicta ab antiquis Sacramentum. ibid. XXXV.
Eius celebrandæ ſe i ritus. ibid.
Confertur à ſolis Epiſcopis.58.III. Vide etiam *Manuum impoſitio.*
Ordinationes clericorum ante prædicari olim ſolitæ. 224 II
Non poſſunt fieri, niſi à propriis Epiſcopis, aut de eorum licentia. 230.II.III
De facta in aliena diœceſi, mota accuſatio in S Ep phanium. 392.VIII.
Quotidie fieri conſuetæ Alexandriæ, abſque præcedente ieiu io: quod e rexit Leo Papa. 444.VI.
Altarum p auarum cauſa, conflatum in Hiſp nia chiſma. 400.IV.
Ordinari ſo iti Epiſcopi à Rom. Pontif. in vniuerſum orbem. 80.III.
Ordinati nonnunquam viri illuſtres vi coacti à populis.391.III.394.XII 408. XII. 441. V. Ordinatores hæreticorum, & ordinati, denis libris auri mulctati à Theodoſio Magno. 392.V.
Reco dat ones. Vide ſub ea voce.
Ordines quid ſint in Eccleſia, quot numero & qui. 44.XXXIII XXXIV.
Ordin bus ſacris initiati, ſiue coniugati aſſumerentur, ſiue cælibes continentiam obſeruare neceſſe omnino habuerunt. 58 & ſeqq. & v. de *Clerici. Coniugium. Continentia.*
De Ordinibus Eccleſ. decretum Caii Papæ. 296.I.
Or o Hierarch cus. Vide *Hierarchia.*
Ordinum Mona horum inſtitutiones vide ſub ſingulis eo um n minibus.
OrdoR manus. Vid. *Offi ium.*
Ordo Conſulum, quomodo p ocederet. 205.I Vide *Conſul.*
Epiſcoporum in conſeſſibus Synodalibus. Vid. *Conſeſſus & Locus.*
Oreſtes Magiſter militiæ Nepotis Imper. aduerſus eum eu hit in Imperium, filium ſuum Auguſtulum. 475.I
Occiditur. 476.I.
Organa inſtrumenta poſterioribus temporibus pie introd cta in cantus Eccleſ. 60.XVI. Vide *Muſica.*
Primum viſum in Occidente, quod Copronym' Imp. miſit ad Pipinum Franc. Regem. 766.I.
Orientem verſus orecandi Chr ſtianorum ritus, vnde ſumptus. 34.LXIV.40.tu ſi. Vius ille ab Apoſtolis traditus. & à Fidelibus inuiolabiliter obſeruatus. 58. XLIII.
Superſtitiones irrumpentes mox ſublatæ. ibid.
Et quod id Manichæi quoque facerent, Solem adorantes, prohibuit Leo PP. Catholicis Romæ id amplius agere. 443.I.
Ad Orientem ſpectantes conſtrui olim ſolitæ eccleſiæ Chriſtianorum. 57. XXXII.
Eoque etiam ſpectabat Templum Hieroſol. ibid & 58 XLII.
Gentilium, promiſcue ad Orientem vel Occidentem.58. XLII. Vide etiam *Occidens.*
Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ, apud antiquos, & in his Annalium diſcrimi natio. 347.IV.
Orientalem præſtare Occidentali, friuolis argumentis contendunt factioſi Epiſcopi poſt Concilium Oecumen. Conſtantinopol. 381.VII.
Iidem Orientales à Damaſo vocati Romam ad Concilium, aſtutum ſubterfugium captant. 382.II.
E us ſtatus deploratiſſimus ſub Valente Imp. Ariano. 373.VI.
Sub Anaſtaſio. 511.II.
Vigente hæreſi Monothelitarum, & impietate Mahometis. 642.II.
Hæreticiſ nus, & martyr is fœcundiſſimus ſub perſecutione Impp Iconomachorum. 726.IV.
Conſueuit à Romana, & Occidentali Eccleſia, auxilium petere in ſuis tribulationibus: & a Romanis Pontif. ad eam erigendam ſo iti dirigi Legati. 378.I. 450.II. 458.II. 512.III. 528.X 535.V.643. III.809.I.817.VI.859.IX.869.I.877. IX.
Quouſque retenta fuerit eius communicatio cum Occidentali.1155.VIII.1193. VI. Vide etiam *Græci.* & ſub ſingulis nominibus Patriarchalium Sedium Orientalium.
Oriflambe, vexillum S. Dionyſii, à Regibus Franc ad eius ſepulchrum ſumi conſuetum, cum ad bella procederent.1147. III.
Origenes Alexandrinus patrem ſuum, aliosque plurimos hortatur ad martyrium fortiter ſuſtinendum. 204.205. VIII.
Ingens ipſius deſiderium eius adipiſcendi. ibi.
Egenus à patre relictus, qua ratione ſtudiis ſuis prouiderit. 205.III.
Anno ætatis 18. ſacræ Scripturæ interpretationem p ofiteri incipit ſumma felicitate. 205.III.
Quæſitus ad necem à Gentilibus, latebras ſubinde mutat. ibid.
Seipſum caſtrat, & quare. 208.I.
Petit Romam ſub Zephyrino Papa. 217. III.
Rediens Alexand iam, multos hæreticos conuertit, inque eis Ambroſium quendam, qui auctor ei eſt interpretationis S. ripturæ.
Aliæ eius peregrinationes. ib .IV.
Reducit ad fid m Beryllum hæreſiarcham. 229.I.
Presbyter ordinatur Cæſareæ Palæſtinæ ab Alexandro Hieroſol. Ep ſcopo. & inde indignatio orta Demetrii Alexandrini, quod ſponte abſceſſus, & in alia diœceſi ordinatus eſſet. 230.I. & ſeq
Auctor ſectæ Eunuchorum, ſiue Valeſiorum dictæ. ibi.III.
Excommunicatur à Demetrio, ob errores e us ſcriptis contentos. 231.II. Vide *Pierius.*
Con petit Tetrapla, Hexapla. & Octopla, egregia opera. 233 III.
Cæſaræ Scripturas docet, habetque infinitos vndique diſcipulos. 233.VII.
Publicam fidem ſuæ profeſſionem promulgat, Romamque rurſum petit ad purgandum ſe coram Fabiano Papa. 248.I.
Rectæ fidei reſtituit hæreticos aſſerentes mortalitatem animæ. 294.IV.
Inſigniter certat pro fide, & ingentia tolerat tormenta in perſecutione Deciana. 253.XVIII.
E us lapſus aſſertio reproba ur. ibid. & XIX Moritur.256.IV. Multæ pro eo ſcriptæ Apologiæ. ibi . & 401.V.
Duo putati Origenes à nonnullis, cum vnus fuerit Adamantius. 256.VI.
Eius auctoritate abuſi Ariani. ibidem. V.
Scriptorum lectio an fuerit prohibita ab Epiphanio, vel aliis. 402.IV.V.
Quænam ea ſuſcipienda. 256. IV. 401.V.
Errorum occaſione magnæ ortæ in Eccleſia tu bæ, quæ diutius perdurarunt. 391.VIII.393.II.III. Vide infra in *Origeniſtæ. & Pierius.*
Damnatur & ipſe vna cum ſuis ſcriptis, ac den intiatur hæreticus. 400 V. 538. VI.553.XVII.
Viſio de eius damnatione ad inferos. 532.II.
Origeniſtæ hæretici dicti Turpes, quod Gnoſticorum ſordibus ſeſe inquinarint. 256.VI.
Origeniſtarum calumniæ & dicteria in Catholicos. 391.II 400.X.
Romæ deteguntur à S. Marcella nobili matrona. 397.V.
Alexandriæ damnantur in Concil o, à Theophilo, & pellu tur ex Ægypto. 399.II.
Damnantur quoque ab Anaſtaſio Papa, & per Orbem vniuerſum frequentibus Synodis 400.V. Vide etiam *Monachi Origeniſtæ.*
Rurſum emergunt ſub Iuſtiniano, fictione quorundam pſeudomonachorum. 532 II.
Damnantur vna cum auctore in Synodo Quinta Oecumenica. 553.XVII.
Ornamenta eccleſiarum. Vide ſub voce *Vaſa.*
Ornatus eccleſiarum, quam gratus ſit Deo. 647.II.
Oroſius presb. Hiſp. mittitur ad Auguſtinum in Africam, ad conſulendum de erroribus Origeniſtarum & Priſcil. 414 IV.
Eiuſdem hortatu, hiſtoriam ſcribit aduerſus Paganos. ibid.
Pro quæſtione de origine animarum, remittitur ab eo ad Hieronymum. 415. VII.
Rediens in Africam, curat Pelag um & Cæleſtium damnari in Conciliis Carthag & M leuit. 416.I.
Primus omnium Reliquias S. Stephani protomart. defert in Occidentem. ibid. III.
Orthodoxus. vide *Catholicus.*
Oſborienſe Concilium in Germania, in Schiſmatis Eccleſiæ Roman. inter Alexandrum II. & Cadaloum. 1062.III
Oſcenſe Concil. in Hiſpania de continentia clericorum. 589.VII.
Oſculi ſalutatio qualis in Eccleſia antiqua. 45.VIII.
Diuerſa ab oſculatione Gentilium. ibidem.
Mutata aliquibus locis in oſculationem pia tabellæ. ibid.
Oſculatio pedum. Vide in *Pedes.*
Oſii Epiſcopi Cordubenſis, illuſtris confeſſio in perſecutione Diocletiani. 303. XII.
Cur martyrium haud tunc conſummarit. ibid.
Legationem accipit à Silueſtro Papa in Orientem, ad Componendas turbas per Arium, aliosque hæreticos excitatas.318. XI.319.IV.
Concilium Alexandriæ aduerſus eos celebrat. 319.III.
Agit etiam pro componendis diſſidiis de die celebrationis Paſchatis. ibidem. IV.
Aliud celebrat concilium Gangris, contra errores Euſta hii. ibi V.
Auctor eſt baptiſmi Conſtant. Magni. 324.VIII.
Præeſt Concilio Nicæno, nomine Silueſtri PP. 325.VII.
Fuit præcipuus architectus Symboli ibi conditi. ibi.XXIV.
In Concilio Sardicenſi agit patronum Synodi 347.V.
Vocatus à Conſtantino, ſollicitatur ſubſcribere in Athanaſium, ſed reſiſtit, & redire ad ſuam Eccleſiam permittitur. 355.XI.
Rurſum vocatus Sirmium, vi coactus ſubſcribit impiæ fidei formulæ, non eam ſcribit. 357.IV.V.
Quantus fuerit eius lapſus. ibid.V.
De eius fine conficta multa, & probe Catholicus ſancte quieuiſſe probatur, maior centenario. ibi.VIII. & ſeq.
Scripſit librum de laude Virginitatis. ibid.X
Oſroenum Concil. de die Paſchatis, auctoritate Victoris PP. celebratum. 198.I.
Oſſ. effoſſa. Vide *Corpora.*
Oſſenorum ſecta apud Iudæos. Appar. IX.
Poſt excidium Hieroſolymorum, con-

funcli

Digitized by Google

iuncti ſunt Ebionæis hæreticis. 74. III. Vide etiam in *Elxai*.

Oſtiariorum Ordo, ab initio in Eccleſia. 44. XXXIII. XXXIV.

Oſtienſis Epiſcopi fuit ab antiquis temporibus, conſecrare Rom. Pontificem. 261. III. 336. XVII. Et ad illud miniſterium conceſſit Pallium Marcus Papa. 336. XVII. ibid.

Othmarus Abbas S. Galli, falſo luxuriæ accuſatus, ignominioſe damnatur in Conciliab. Germanico. 759. I.

Otto, occiſo Galba, Imperium occupat. 71. II. Poſt tres menſes victus à Vitellianis, ſibi ipſe manus infert. ib.

Otto, filius Henrici Regis Germ. coronatur & vngitur in eius ſucceſſorem. 937. II. Debellat pietate rebelles. 938 II. 939. I. Valde propagat regnum ſuum in exteras nationes. 949. II. Vocatus in Italiam, fugat tyrannos. 950. I. 951. I. Abbatiam donatis vxoris ſuæ matri, diuinam ſentit vindictam. 953. I. Rebellat aduerſus eum filius, ſed paulo poſt componitur pax. ibid. & 954. III. Ingentem adipiſcitur pietate victoriam de Hungaris. 955. II. Sanatur à peſte, interceſſione S. Viti mart. 956. III. Reges Hungarorum, & Turcarum, prælio captos, patibulo ſuſpendit. 955. II. 958. II.
Vocatur in Italiam à Ioanne PP. XII. aduerſus Berengarium tyrannum; & quid inter ipſum & Pontif. tunc conuentum fuerit de iuribus Eccleſiæ & Imperii 960. I. Fugat Berengarium, & regnum Italiæ conſequitur. 961. I. Coronatur Imper. à Ioanne PP. confirmatque & auget donationes Rom. Eccleſiæ; & quid de electione Pontificis ſtatuerit. 962. I. Orta inter eos diſſenſione, Conciliabulum aduerſus Ioannem celebrat, quo & illum deponit, & alium intrudit. 963. I. II. Benedictum quoque in Ioannis demortui locum electum, eiicit: & ob hæc illicita, diuinam patitur vindictam. 964. III.
De electione Pontificis ei conceſſa, & redditis Eccleſ. Rom. bonis, conſtitutiones Leonis falſæ demonſtrantur. ibi. IV. V.
Rurſum redit Romam pro reſtitutione Ioannis XIII expulſi à Romanis. 966. I.
Ottonem filium coronari curat. 967 II.
Res eius geſtæ aduerſus Græcos in Apulia, & cum Nicephoro Imp. per legationem Luitprandi. 968. I. II.
Circumuentus à Nicephoro, poſtea ei ruinam cauſatur. 969. I.
Moritur, & laudatur. 973. I. Vtrum fuerit excommunicatus a filio ſuo Archiep. Mogunt. ibi.

Otto II. dictus, coronatur Romæ Imperator opera patris 967. II.
Ducit vxorem Theophaniam Græcam. 969. I.
Imperat ſolus poſt mortem patris. 973. I.
Peccans in S. Laurentium in extinctione Epiſcopatus Merſburgenſis, vincitur ingenti prælio naual: à Græcis & Saracenis. 983. I.
Natando nitens euadere, capitur à nautis, ſed haud cognitus, redimitur à coniuge. ibid. II. Moritur ex mœrore. ibid.

Otto III. ſuccedit patri in regno, non in Imperio. 983 II.
Romam petens pro defenſione Gregorii V. Pont. propinqui ſui, duram exercet vindictam in Ioannem intruſum ſchiſmaticum, & Creſcentium tyrannum. 996. II.
De periurio ſeueram accipit pœnitentiam à Sancto Romualdo, cum quo humilibus pietatis exercitiis dat operam in monaſterio. ibid.
Coronatur Imperator à Gregorio PP. 996. V.
Auctor ei eſt creandi Electores Imperii, non autem ipſe eos creat. ibidem. VII. & ſeq. Nouo caſu vxorem ſuam cogitur igni damnare. 998. III.
Pix eius latebræ Romæ, & viſiones diuinæ. 999. IV. Peregrinatio ad ſepulchrum S. Adalberti mart. ib. itemque ad S. Michaelem in monte Gargano. 1000. I. Reliquias S. Bartholomæi, aliorumque SS. Romam defert. ibid. Sollicitatus à Romualdo de renuntiatione ſæculi, quam olim promiſiſſet, adhuc differt. 1001. V.
Moritur ex veneno; & in eo extinguitur Ottonum ſtemma, ob vſurpatam ab eis electionem Rom. Pontiff. 1002. I. III.

Otto monachus Cluniacenſis, Epiſcopus Oſtienſis, creatur Papa, nuncupaturque Vrbanus Secundus. 1088. I. Vide *Vrb. II.*

Ottonis Cancellarii Imp. Henrici, facti Epiſcopi Bambergenſis, mirabilis conuerſio ex ſchiſmatico in acerrimum Apoſtol. Sedis propugnatorem. 1102. III.
Prædicat Pomeranis, & titulum obtinet eorum Apoſtoli. 1124. I.
Quindecim erigit propriis ſumptibus monaſteria. ibid.
In vita, & poſt obitum, inſignibus illuſtratur miraculis. ib.

Ouetenſe in Hiſp. Concilium, de rebus Eccleſiæ & Regni. 901. V.
Ea Eccleſia erigitur in Archiepiſcopatum. ibid.

P.

PAchomius inſignis Abbas claret in Thebaide ſub Conſtantino Magno. 318. VI.
Eius monaſterium viſitat Athanaſius. 328. II.
Eiuſdemque inſtituta defert Romam. 340. III.

Paderburnenſe Concil. in Saxonia, ſub Carolo Magno, pro ſtabilienda ibi fide Chriſt. 777. III. Itemque aliud. 785. III.

Pagani qui dicerentur. 351. IV.
Vnde, & quando eo nomine dici cœperint Ethnici. ibid. IV. V. Vide *Gentiles*.

Palæſtina diuiditur ab Auguſto in Tetrarchias. 8. II.
Fuit omnium totius orbis prouinciarum populoſiſſima. 34. VII.
Eius fines, qui fuerint. ibid.
Dicta Terra Sancta. 68. XVI. De eadem vide etiam in *Terra Sancta*. & de eius primatu Eccleſ. vide in *Cæſarea & Hieroſol.*

Palæſtinum Concilium, de die Paſchatis, auctoritate Victoris Papæ celebratum. 198. I

Palemon inſignis Abbas in Thebaide. tempore Conſtantini Magni. 318. VI.

Palentinum Concil. in Hiſp. de diſciplina Eccleſ. 351. II.
Eam ciuitatem, occaſione cuiuſdam miraculi, reſtituit Sancius Rex Nauarr. & Caſtel. 1032. I.

Paladius Galata, ex iis quæ in eremo vidit vel audiuit, commentarium ſcripſit ad Lauſum [illegible] 388. XIII.
Ab Euagrio Pontico Origenis errores imbibit. & detegitur in Palæſtina. ibi.
In Bithyniam recedens, Catholicumque ſimulans, fit Epiſcop. Helenopol ib.
Ob Iohannis Chryſoſt. defenſionem, multa patitur. ibid.
Scripſit dialogum de Vita eiuſdem Chryſoſt. in quo multa admiſcuit falſa de rebus Origeniſtarum 400. X. 401. I.
Romam cum aliis Epiſcopis profugit a perſecutione contra Chryſoſtomi fautores in Oriente excitata. 404. XI.
Fuit propugnator Pelagii hæreſiarchæ. 419. III.

Palladius S. R. E. diaconus, ſcriptor Eccleſiaſticus, mittitur a Cæleſtino Papa in Britanniam aduerſus Pelagianos. 429. I. III.
Factus primus Scotorum Epiſcopus, dictus eſt etiam eorum Apoſtolus, quod eos qui adhuc Gentiles eſſent ad Chriſtum conuerterit. ibid. & 431. XXV.
Hibernis quoque prædicauit, ſed cito eo mortuo S. Patricius id opus abſoluit. ibid.

Pallii vſus apud antiquos Chriſtianos; & quale illud eſſet. 57. XXVIII.
Non fuit omnium Chriſtianorum, ſed eorum tantum qui ſe arctiori vitæ obſtringerent. 197. III. IV.

Pallii nomine in rebus ſacris omne operimentum ſignificatur. 336. XVII.

Pallium Epiſcopale, quid ſit, & quale. quid deſignet, & quibus ſit vſui. 336. XVII.
Illud Marcus Papa, primus conceſſiſſe reperitur Epiſcopo Oſtienſi. 336. XVII.
Conceſſit quoque Cæleſtinus Papa Cyrillo Alex. cum ei ſuas vices delegauit ibid. Vide *Phrygium*.
Archiepiſcopis dare, ſolius eſt Rom. Pontificis non Regum aut Imperatorum. 431. X.
Nec illud vni conceſſum, tranſit ad poſteros, abſque noua conceſſione. ibidem.
Non datur niſi enixe petentibus. 597. II.
Pro eius vſu nihil ſoluendum. 684. I. 743. III.
Conceſſit in perpetuum Epiſcopis Conſtantin. Ioannes Papa XI. ſed vi coactus. 934. I.
Indeque omnes Epiſcopi Græci illud ſibi vſurpare conſueuerunt. ibid.
Ad vſum quotidianum conceditur ab Agapeto Papa Brunoni Archiep. Colon. fratri Regis Ottonis. 953. II. Qua formula tradi ſoleret. 1179. IV.

Palma arbor, ex qua Iudæi ramos exciderunt vt obuiarent Chriſto, diuinitus intacta ad multa ſæcula manſit. 34. III

Palmæ benedictæ mitti ſolitæ à Rom. Pontiff. ad Principes 877. I. 882. I. Dari ſolitæ ab iiſdem, poſt finitam peregrinationem Hieroſol. 1191. V.

Palmaris Synodus Romæ ſub Symmacho Papa. 501. I.

Palmariæ inſulæ Conuentus Siluerii Papæ exulis aduerſus Vigilium Apoſtol. Sedis inuaſorem. 539. I.

Pammachius V. C. mortua coniuge Paulina. bona ſua erogat in pauperes, & fit monachus. 398. II.

Pamphili Cæſarienſis presb. carcer pro fide Cathol. 306. I.
Conſummatum martyrium. 308. I
Claruit inter Scriptores Eccleſ. 308. III.
Ab eo Euſebius dici voluit cognomento Pamphili. ibid.

Pamphilonix ciuitatis Nauarræ ædificatio à Reg: Bamba. 674. I. in fin.

Pamphilon. Concilium, de electione & ſede Epiſcopi. 1032. I.

Panniculi tuus nuntiatur tempore Paſſionis Chriſti. 34. XXXVIII.

Panes olim Cruce ſignati coluti apud Iudæos, Gentiles, & Chriſtianos. 58. XXIV.

Panis dies, dicta Dominica. 58. XXXV.

Panis benedicti vſus, in Eccleſia antiquiſſimus. 313. XIII. XIV.
Variæ eius appellationes. ibi. Vide etiam *Fermentum*.

Panes à S. Bernardo benedicti, ſanant tam eos qui fide opitulante guſtarent, quam qui nullam fidem afferrent. 1147. X.

Pantænus philoſophus Chriſtianus, Eccleſiaſt. eius doctor Alexandrinus, Euangelium prædicat Indis, & Euangelium S. Matthæi Hebraicum ibi reperit. 183. III.
Eius diſcipulus Clemens Alexandrinus ibid.

Pantheon conflagrat Romæ, igne cœleſti ſub Tito. 82. I. itemque ſub Traiano 112. VI.

Pantheon Agrippæ, conſecratur diuino cultui in honorem S. Mariæ & omnium Martyrum. 607. I.

Pantheon, ſic dicta hiſtoria Gotifridi Viterbienſis, oblata Vrbano Papæ Tertio. 1186. III.

Papæ nomen vnde dicatur. 165. IV.
Commune quondam omnibus clericis, poſtea peculiare Epiſcopis, demum ſoli Romano Pontifici reſeruatum. ibid. V.
Fuit etiam nomen proprium viri ibid. III.

Papa Romanus. Vide *Romanus Pontifex*.

Papiſſæ Ioannæ fabula confutatur. 853. V. & ſeqq.
Vnde Ioannes Papa VIII. ei locum dare potuerit. 879. III.

Paphnutius Epiſcopus Thebaidis, inſignis Confeſſor, intereſt Concilio Nicæno, fuitque Conſtantino chariſſimus. 325. VIII.
Verum interceſſerit decreto Synodi de continentia clericorum coniugatorum. ibid. XL.
In Conciliab. Tyrio reſiſtit damnationi Athanaſii. 335. VIII.
Intereſt etiam Concilio Oecumenico Sardicenſi. 347 V.

Papia lex à diuerſis Impp. paulatim abrogata. 320. III.
Eius caput contra cælibatum, amputat Conſtantinus. ibid.

Papia vrbs. Vide *Ticinum*.

Papias Hierapolitanus Epiſcopus, auctor errorις Millenariorum. 118. II. Sancto fine quieſcit. ib.

Papinianus Iuriſconſultus à Caracallo obtruncatur, quod noluiſſet eius fratricidium in Senatu excuſare. 214. I.

Parabolani dicti, qui omnis generis ægrotantium etiam peſte tactorum, fideliter curam ſuſciperent. 415 IX.
Eorum corpus Alexandriæ compoſitum ex 600. miniſtris ordinis clerici. ibi. Reprimuntur à Theodoſio Iuniore. ibid.

Paracletus Montani, qualis ab ipſo intelligeretur. 173 IV. V.
Eius aſſertores excommunicati a Zephyrino Papa, & aliis vbique Epiſcopis. 215 I. Vide *Montanus*, & *Cataphryges*.

Paracletum quoque ſe Manes iactabat. 277. VI

Paradiſum viſibilem ex Platone Seleucus & Hermanias docuerunt. 170. V.
Hieracitæ negabant eſſe ſenſibilem. 289. IV.

Pariſim Hebræa vox quid ſignificet, & cur ita dicti publicani. 31 XXVI.

Pariſienſis Eccleſia regitur à Dionyſio Areopag. 93. VIII.

Pariſienſia Concilia I. & II. quo tempore habita, quinque iis interfuerunt Epiſcopi. 559. III.
Aliud pro ſedando bello ciuili, conflato inter Reges fratres. 576. I.
In cauſa Prætextati Rothomag. Epiſcopi. 580 I.
Sub Ludouico Pio, pro recta diſciplina 829 IV.
Sub Carolo Caluo, aduerſus detentores bonorum Eccleſ. 846. II.
Aliud in cauſa Hincmari & Ebonis Archiepp. Rhem. 847. I.
Sub Henrico Rege, pro vnctione Philippi ipſius filii 1059. X.
Aliud ab Eugenio Papa celebratum de negotiis Eccleſ. 1147. V.
Collatio de Imaginibus infauſta. 825. I. & ſeqq.

Pariſiis inſtitutæ à Carolo Magno Scholæ publicæ. 802. IV.
Ea ciuitas expilatur à Northmannis. 845. IV.
Rurſum ab iiſdem obſeſſa, liberatur ope Sanctorum 887 I. Dicata Dei-genitrici ibid.

Parmenas, vnus ex VII. primis Diaconis, martyrium ſubit ſub Traiano. 109. VI.

Parmenianus eligitur à Donatiſtis pſeudoepiſcopus Carthagin. in locum Donati. 368 II

Scribit aduerſus Catholicos, ſed refellitur ab Optato. ibid. necnon ab Auguſtino, atque etiam à Ticonio Donatiſta. ibid. IV.

Parricidarum pœna in Chriſtianos à Gentilibus vſurpata. 304. IX.

de Parochiarum diuiſione, quid ſtatuerit Dionyſius Papa. 270. II. Vide etiam *Diœceſes*.

Parthenius Lampſacenus Epiſcopus templa deorum demolitur ſub Conſtantino Magno. 326. XV.

Paſchata quinque Chriſti, male à quibuſdam conſtituta. 32. II.

Paſcha vltimum, vbi & quo die celebrarit. 34 IX. X.
Quo tempore celebrari conſueſceret à Iudæis. ib. X.
Eius conuiuii, diuerſi eorumdem ritus. ibid XI. XIII. XIV.

Paſchatis feſtum è Synagoga piè translatũ ab Apoſtolis in Eccleſia. 58. XXXIII.
Celebrandum eſſe die Dominico, fuit eorumdem traditio. 159. I.
Eam decreto firmat Pius Papa, acceditque diuinum ſuffragium. ibi. I. II.
Vt 14. luna celebraretur, tolerauit Ioannes Apoſtolus in Aſia. 159. II.
Eius diuerſitatis cauſa, venit Polycarpus Romam, & quid ei cum Aniceto Papa. 167. IV.
Iudaizans in eo Blaſtus, ſchiſma facit. 180. III.
Sub Victore Papa plurimis vbique celebratis Conciliis ſtatuitur, celebrandum eſſe vno eodemque die Dominico, & Aſianæ Eccleſiæ reluctantes, excommunicantur ab eodem Victore. 198. I. III.
Victoris decretum confirmatur in Concilio Arelatenſi Primo 314. VIII. & Nicæno Magno. 325. XXIX. Vide etiam *Quartadecimani*.

Paſchatis diei quotannis ſignificandi, antiquus Eccleſiæ ritus. 325. XXX. 453. VII. 345. III. De vinctis eo die relaxandis, vide in *Reus*.
Ob Paſchatis diei contemptum, victus ab Alarico Romanus exercitus. 403. IX.
Errores in ſupputatione dierum, diuinitus detecti. 417. VI. 573. III. Alius error ex edicto Iuſtiniani Imp. 545. III.
Dubium ortum ſub Leone Papa Primo. 455. VII.

Paſchalis Cereus. Vide *Cereus*.

Paſchalis Cycli conficiendi cura, à Nicæno Concilio data Epiſcopo Alexandrino 325. XXX.
Cyclum ſuum centum annorum, à quo tempore inchoarit Theophilus Alexandr. 382 [illegible]
Alium per Victorinum Aquitanum, curat conficiendum Hilarus Papa. 463 I.
Alium 95. annorum conficit Dionyſ. Exiguus, in quo annos à Chriſti Incarnatione primus omnium numerare cœpit. 527. VIII.
Alium facit Victor Capuanus, ad confutandum illum Victorini. 545 III.

De Paſchali Computo, ſcripſit Caſſiodorus. 562. II.

Paſchales Epiſtolæ, quales eſſent, & quando, ac per quos euulgandæ. 325. XXX. 455. VII.

Paſchalis Papa creatur. 817. I. Suſcepta legatione ab Oriente de perſecutione Iconomachorum, mittit & ipſe Legatos ſuos ad eos damnandos, & Catholicos conſolandos. ibid. VI. & 818 I.
Coronat Lotharium Imp. 823. I. In ſuſpicionem cædis adductus, ſe purgat. ibi.
Moritur. 824. I.

Paſchalis II ordinatur inuitiſſimus, quamuis præcedentibus propheriis. 1099. IX.
Guibertum Antipapam longe pellit, & tyrannos, ſeu perduelles Romanos domat. 1100. III.
Conſultus de Inueſtituris laicis ab Anglis, omnino proſcribit eas. 1100. VIII.
1101. II. In Concilio Rom. excommunicat Henricum Imp. eiuſque damnat hæreſim. 1102. I.
Fortis eius conſtantia in denegandis Regi Angliæ inueſtituris. 1103. IX
Quomodo de eis cum eo compoſuerit. 1107. II.
Waſtallæ Concilium celebrat pro reformatione Eccleſiæ poſt obitum Henrici Imp. 1106. V.
Proficiſcitur in Gallias, inde Germaniæ conſulturus. ibi. VI. in fin.
Concilio Trecis celebrato, regreditur Romam. 1107. I.
Henricum Iuniorem honorifice ſuſcipiens, denegat coronam Imperii ei dare, niſi renuntiet Inueſtituris. 1111. I. Captiuus ab eo abducitur & poſt longum carcerem, & ingentia mala, tam ſui, quam reliqui Cleri, tandem flectitur ad dandum priuilegium de inueſtituris, & coronandum eum Imp. ibi. II.
Diſſidia à Catholicis ea de cauſa in eum orta, quod numquam induci potuerit ad damnandum Henricum; quamuis factum ſuum damnauerit, & Inueſtituras generaliter prohibuerit. ibid. IV. V. 1112. II. III. IV. 1116 I.
In Concilio Rom. ſe abdicat, ſed non permittitur à Patribus. 1112. II.
Negat Henrico abſolutionem excommunicationis ab aliis inflictæ. 1117. II.
Excommunicat Burdinum Bracatenſem. ibi. III.
Moritur. 1118 I.

Paſchalis Antipapa. Vide *Guido Cremenſis*.

Paſſalorincitæ hæretici, ſecta Montaniſtarum, vnde ita dicti. 173. X.

Paſſionis Domini certum tempus. 34. XLIII. & ſeqq.
Inſtrumenta conſeruata ad poſteros. ibi. XLII.

Paſſiones, & Propaſſiones, in Chriſto quomodo fuerint. 563. I.

Paſtores, qui venerunt adorare natum Chriſtum, vbi habitarent Annal. nu. VI.

Paſtor inſcriptus liber Hermæ, cuius apud antiquos fidei. 159. III. IV.

Paſtoris Titulus Romæ antiquiſſimus. ibi. IV.

In Paſtores inſurgentes oues ſeuere puniuntur à Deo 587. II. Vide *Epiſcopi*.

Paſtorales Epiſtolæ, quæ pro inſtructione darentur ab Epiſcopis. 142 VIII.

Pataríni hæretici, qui & Albienſes. 1179. III.

Pater, vide *Filius*. Non ſemper fuiſſe Patrem, Arius docuit. 318. IX.
Dei Patris inanes generationibus, quas finxerint Baſilidiani. 120 VI.
Deum Patrem eſſe Ieſum Chriſtum, eumdemque crucifixum, &c docuit Praxeas. 196. VI Vide *Patripaſſiani*.

Pater Patrum, antiquiſſ. Titulus & Romani Pont. 165. IV.

Patrum antiquorum veſtigiis inſiſtendum vt non aberremus à fide. 256. V.
Eorum ſententiis coerceri hæretici. 383. VII.

Patriarchæ nomen, Iudæis, & Gentilibus viſitatum, feliciter in Eccleſiam tranſiit. 111. III.
Habuerunt quoque Montaniſtæ. 173. VIII.
Frequens reddita ea appellatio in Occidente, & vnde. 570. III.

Patriarchas veteris Legis, variis criminibus infamabant Marcitæ. 177. X.

Patriarchis Iudæorum pendebatur ab omnibus vbique Iudæis, aurum decimarum ac primitiarum nomine, & quid de eare ſtatuerint Imperatores. 399 X.

Patriarchales Sedes Petri auctoritate quomodo inſtitutæ. 35. V.
Ita ſubiectæ Romanæ Sedi, vt vicem eius in ſuis prouinciis repræſentarent. 321. XXXIV.

Deca-

De earumdem prærogatiua, epiſtola Anacleti Papæ. 112. III. & canones Conciliorum Rom. ſub Damaſo. 382. IV. & ſub Gelaſio. 494. III. Omnes ſemper fuerunt ſubiectæ Romanæ. 493. III. 494. III. 495. II. 587. II. & vide *Appellatio*, *Primatus*, *Romanus Pont.* & ſub nominibus ſingularum.

Patriarchales quinque Eccleſiæ Romæ, & quale earum regimen. 1057. III.

Patriarchatus recentius erecti in Occidente, Aquileienſis, Foroiulienſis, Gradenſis, Venetus. Vide ſub ſingulis iis vocibus.

Patricius cœptam in Hibernia à Palladio, Gentilium conuerſionem abſoluit. 429. III. in fin. 431. XXV.
Fuit filius ſororis S. Martini, & Apoſtolatum accepit à Cæleſtino Papa. 431. XXV. ibid. Moritur anno ætatis 132. 491. VII.

Patricius auctor Patricianorum hæreticorum, quæ docuerit. 203. IV.

Patricii dignitas, omnium ſuprema a Conſtantino Magno inſtituta. 337. IX.

Patroclus inuaſor Eccleſiæ Arelat. coercetur à Bonifacio Papa. 422. I.
Occiditur iuſſu Felicis Magiſtri militum. 426. V.

Patropaſſiani hæretici, qui Patrem æque paſſum dicerent. 196. VII. 260. V. Vide etiam in *Trinitas*.

Paulianiſtarum hæreticorum, à Paulo Samoſat. dictorum, baptiſmus reiectus a Concilio Nicæno. 314. XII. iique ea conditione à Patribus recepti, vt rebaptizarentur in forma Eccleſiæ Cathol. 925. XXXVIII.
Eorundem conuentus penitus interdicti a Conſtantino Magno. 326. IV.

Paulicianí hæretici qui & Manichæi, propagantur in Thracia. 755. IV. 810. I. Vide *Manichæi*.

Paulinianus frater S. Hieronymi, quam inuitus paſſus ſit ordinari presbyter. 392. X.
Eius ordinationis cauſa, factæ ab Epiphanio in aliena diœceſi, magnæ ortæ diſſenſiones. ib. VIII.

Paulinus Antioch. Epiſcopus creatur. 319. X.
Moritur. 324. XXXII.

Paulinus alius, Antioch. Epiſcopus creatur à Lucifero Calaritano, cui parent Euſtathiani, non Meletiani. 362. XI.
Accuſatus Sabellianiſmi, purgatur coram Athanaſio. 363. XXI.
Ab eo abſtinet Valen. in communi aliorum Orthodox expulſione, ob viri reuerentiam. 370. II.
Ei Damaſus Papa committit receptionem hæreticorum in Oriente. 373. I.
Conciliatur cum Meletio, in Concilio Antioch. 378. X.
Aduerſus eum fit tumultus Conſtantinopoli, occaſione ſubrogandi ſucceſſoris Meletio, defuncto. 381. VII.
Petit Romam ea de cauſa, fauetur que ei à Rom. Pont. 382. I. III.
Moritur. 389. X.

Paulinus Aquileienſis, ob doctrinam charus Carolo Magno. 801. IV.
Celebrat Synodos de rebus Eccleſ. & aduerſus hæreſes. 791. II. 802. III.
Moritur, & miraculis claret. 802. III. ibidem.

Paulini Nolani Epiſcopi, patria, dignitates, facultates, ſtudia, baptiſmus, presbyteratus, ac renunciatio ſæculi, vna cum vxore Theraſia. 394. XII. XIII
Ex Hiſpania, & Gallia, Romam rediens, inuidiam patitur ob ingentes ei exhibitos honores. ib. XIV.
Secedit in agrum Nolanum, ad obſequium Felicis martyris; & vitam monaſticam agit, ipſaque Theraſia ſeorſum. ibid.
Init conſuetudinem literarum cum S. Auguſtino, & viſitatur legatione Epiſcoporum Africanorum. 395. XIV.
Donatur à Iohanne Hieroſol. per Melaniam particula S. Crucis. 397. II.
Peregrinatur Romam ad Limina Apoſt. & honorifice excipitur ab Anaſtaſio Papa. 398 III.
An is ſcripſerit Vitam Ambroſii. 397. VIII. vel Martini 402. XV. Tentus à Gothis in direptione Nolæ per Alaricum nihil mali tunc pertulit. 410. IX.
Vicarium ſe dans Wandalis pro redemptione filii viduæ, ducitur in Africam, & demum remeat Nolam. 431. XXVII.
Moritur, viſitatus in morbo à Sanctis antea defunctus. ib. XXVI.
Eius elogia. & ſcripta. ibid.
Corpus transfertur Romam ab Ottone III. Imp. 1000. I.

Paulinus alius Conſularis, patria Vaſatenſis, auctor carminis Euchariſtici, ex ditiſſimo factus pauperrimus incurſionibus barbarorum. 412. VII.
Adhæſit Attalo tyranno, & Priſcillianiſtis hæreticis: ſed vtrumque crimen diluit. ibi.

Paulinus Treuer. Epiſc. pellitur in exilium è Conciliab. Arelat. ob recuſatam ſubſcriptionem damnationis Athanaſii. 353. VIII. Moritur martyr ab Arianis. 356. XII.

Paulinus ſcriptor Vitæ S. Ambroſii, diuerſus à Nolano. 397. VIII.
Mittitur à Venerio Epiſc. Mediol. in Africam & rogatu S. Auguſtini, ſcribit Vitam S. Ambroſii. 401. III.
Primus omnium publice aduerſus Pelagianam hæreſim diſputat Carthagine contra Cæleſtium. ibi. & 412. IV.

Paulinus alius Vitam S. Martini ſcripſit carmine heroico, in gratiarum actionem receptæ ab eo ſanitatis. 402. XV.

Paulitæ hæretici ſectatores Pauli Acephali. 535. XIV.

Paulus, dictus antea Saulus, necem Stephani procurat, & contra Stephanus conuerſionē eius impetrat. 34. LXXXIX
Perſequitur interim Eccleſiam. 35. II.
Conuertitur ad Dominum, & baptizatur Damaſci. ibi.
Quo Domini anno id contigerit, & qua ipſius ætate. III. IV. V.
Patria eius. VI.
Viſio quando contigerit. VII.
Vnde, & quando dici cœperit Paulus. VIII.
Peregrinatur in Arabiam. 36. I.
Damaſci quæſitus ad mortem, in ſporta per murum demittitur. 38. II.
Proficiſcitur Hieroſolymam, ad videndum Petrum Apoſtolorum Principem. ibid.
Eius nomine conficta ab hæreticis multa acta, & ſcripta. 44. XXIV. XXV. Initiatur Apoſtolatu, vna cum Barnaba. 44. XXXII.
Abortiuum cur ipſe ſe nominet. ibi. Rapitur ad tertium cælum. ibid. XXXVII.
Peregrinationes eius cum Barnaba. 46. III. IV. 47. I. 48. I. 49. I. De rebus eius geſtis cum S. Thecla. 47. II. III.
Mittitur cum Barnaba Hieroſolymam, ad conſulendum de Legalibus, & intereſt Concilio ibi celebrato. 51. III.
Iiſdem ibi concreditur Apoſtolatus Gentium; & quo modo id intelligendum. ibi. VI.
Qua de cauſa reſtiterit Petro; & quomodo id accipiendum. VII. & ſeqq.
Diſſentit à Barnaba, ſed abſque læſione charitatis. XII.
Peregrinatur in diuerſas prouincias. ibi. XV. & annis ſeqq.
Timotheum cur circumciderit, & Titum circumcidere noluerit. 51. XVI.
Athenis quid cum Areopagi is egerit. 52. I & ſeqq.
Operatur arte ſcenofactoria, & qua ratione eam didiciſſet. ibi. V.
Obligatus voto Nazaræorum, tondet caput, & alia eius ritus explet. 53. V. 58. XLIX.
Quomodo pugnauerit cum beſtiis. 55. I.
Sudaria, & Semicinctia, ab eius corpore vim accipiunt pellendi morbos, & dæmonia. 55. II ibid.
Fuit ſemper cælebs. 57. XIX. XX.
Fuit etiam abſtemius. 58. XLIX.
Profundum maris, in quo fuit die ac nocte, quid intelligendum. 58. XVIII.
Quoſnam vocet cognatos ſuos. ibidem. XXII.
Raptus Hieroſolymis à Iudæis, & à Tribuno flagellandus, periculo eripitur, clamans ſe ciuem Rom. 58. LIX.
Cauſam agit in magno Concilio Sanhedrin. LX.
Perducitur Cæſaream, & auditur coram Felice Præſide, & poſtea à Feſto: ac Cæſarem appellans, ad eum perducendus traditur Centurioni. LXI. LXII.
Quæ miracula in inſula Melita ediderit. LXIII.
Romam accedens, obuios habet Chriſtianos Rom. 59. I.
Cauſam agit coram Nerone; & nonnullos ex eius familia conuertit. ibid. II.
Poſt biennium liber abire permiſſus, proficiſcitur in Hiſpaniam, ac redit in Orientem. 61. I.
In prædicatione, & ſcriptione, qualis. 57. III. De eius Epiſtolis, vide in *Epiſtola*. Redit rurſum Romam, vna cum Petro. 68. I.
Coniicitur cum eo in carcerem à Nerone, ob caſum Simonis magi, & conuerſam ad fidem Neronis pellicem. ibidem. VIII. IX.
Multa, quæ ei cum Petro fuere communia in carcere & paſſione; &c. Vide in *Petrus*.
In decollatione lac cum ſanguine emittit, & è trino capitis ſaltu tres fonticuli erumpunt. 69. V.
Corpus ſepelitur à Lucina Senatoria femina. ibid. Effigies, & ſtatura. ibi. VI.
Apparet S. Ambroſio, in anguſtiis conſtituto ab Imperatrice Ariana, confortans eum. 387. II.
Viſus eſt ſæpe docere Chryſoſtomum. 407. VI. Vide etiam *Apparitio*.

Paulus Anachoretarum princeps, in perſecutione Deciana ſecedit in eremum, & diuinitus paſcitur miniſterio corui. 253. XVI.
Viſitatur ab Antonio Cœnobitarum principe, & in eorum congreſſu multa mirabilia contingunt. 343. I.
Probat fidem Athanaſii. ibid. II.
Migrat in cælum, anno ætatis 113. & ab Antonio ſepelitur miniſterio leonum, ritu Chriſtiano. ib. I.

Paulus Conſtantinopol. Epiſcopus eligitur ab Orthodoxis, ſed mox pellitur à Conſtantio Imp. 340. V.
Poſt obitum Euſebii intruſi, reuocatus à Catholicis, iterum pellitur à Conſtantio: & petens Romam, à Iulio Papa reſtitui iubetur. 342. VII. VIII. reſtituitur opera Conſtantis Aug. 348. III. Iterum eiicitur à Conſtantio, & in exilio ſtrangulatur. 351. XI.
Corpus refertur Conſtantinopolim ſub Theodoſio Magno. ibid.

Paulus alius eiuſdem ciuitatis Epiſc. hæreticus Monothelita. 641. I.
Monetur à Theodoro Papa, & vniuerſa Eccleſia Afric. 646. I. II.
Auctor eſt Conſtantii Imp. promulgandi Typum. 648. I.
Excommunicatur à Theodoro Papa. ibid. II.
Graſſatur in Apocriſiarios Apoſtol. & in ceteros Orthodoxos. ibi. III.
Moritur in peccatis ſuis. 651. II.
Damnatur in VI. Synodo. 681. II.

Paulus Diaconus non eſt auctor Hiſtoriæ Miſcellæ, ſed Theophane, Græcus. 396.

III.408 I. Suorum Longobardorum hiſtoriam texens, nimium eis fauit. 573. II:
Eius fœdus error in hiſtoria de Tribus Capit. 586.II.
Captiuus abducitur in Gallias à Carolo Magno vna cum Deſiderio Longobard. Rege. 774.V.
Relegatur in inſulam, indeq; Beneuentum aufugiens, tandem fit monachus Caſſinenſis, ibique in pace quieſcit. ibid.
Eius ſcripta, quæ, & qualia. ibid.
Paulus Proconſul conuertitur ad fidem à Paulo & Barnaba. 46 III. Ab eo dictus ex Saulo Paulus Apoſtolus. 35. VIII.
Paulus Neocæſar Euphrateſiæ Epiſcopus, inſignis Confeſſor in perſecutione Licinii. 316. IV. Intereſt Concilio Nicæno. 325. X.
Paulus Rom. Pont. creatur. 757.I.
Laborat vt Copronymum Imp. reducat ab hæreſi. ibid. II.
Sanctorum corpora è Cœmeteriis intra Vrbem transfert. 758. I.
Pipini Francorum Regis auxilio nititur aduerſus Græcos & Longobardos. 767. I Moritur. ibid.
Paulus Samoſat. quando creatus Epiſcop. Antioch. 262. IV. 265. II. In quo cum Sabellio ſenſerit, vel diſſenſerit. 265.II. Eius impia dogmata. ibid. Damnatur in Concilio Antioch. ſed mitius tunc cum illo agitur, & quare. 266. II. In alio eiuſdem ciuitatis Concilio, diſputatione confunditur à Melchione presbytero, damnatur a Patribus, & ſede pellitur. 272. I.
Eiuſdem ſcelera, & impietas deſcribuntur. ibid. Recurrens ad Aurelianum Imp. eiuſdem iuſſu pellitur è domo Epiſcopali. ibid. III. Primus omnium viam aperuit appellandi ab Epiſcopis ad Imperatorem. ibid. & 313. IX. De Paulianiſtis ab eo dictis hæreticis, vide ſupra
Paupertatis voluntariæ formam vnde ſumpſerint Religioſi. 34. LXXVI. Eam affectabant Manichæi, qui in ſuis Auditoribus erant ditiſſimi. 277.X.
Pauperum locus olim in Eccl. 57. XXXVII. 88. Iis haud permiſſum in ea ſitu tare, ad mendicandam eleemoſynam. ibi.
Pauperum inopiæ quomodo prouiderit Conſtantinus. 315.III.
Aliquid eis dandum eſſe, negabant Maſſaliani; ſed ſibi, qui vere pauperes ſpiritu eſſent. 361. IX.
Eis ſufficientia alimenta à ſingulis ciuitatibus dari, nec permitti alio vagari, ſtatutum in Conciliis Turon. II. & Lugdun. II. 587.IV.
Eorum maledictiones timendæ. 605.IV.
Pauperes liberi homines Roma pulſi in magna penuria ſub Valentiniano Secundo contra quam factum olim fuerat ſub Auguſto. 383.XI.
Eorum oppreſſores ſed puniti à Iuſtino Iuniori. 568.II.
De Pauperibus Chriſtianis contemptim habitis, ſcita exprobratio facta Carolo Magno a Rege Gentili. 782. II. Vide etiam *Mendicantes & Eleemoſyna.*
Pax tecum, reſpondere olim ſolitum Lectoribus, dum in Eccleſia legerent Epiſtolas Pauli. 60. XXII. in fin.
Ea formula, ſymbolum Catholicæ communionis. ibi.
Pacis ſalutatio, in vſu apud Hebræos, & primos Chriſtianos. 45.VIII.IX.
Pacis Æternæ templum, Romæ quando conſtructum, & quando collapſum. Annalium. V.77 I. 193 III.
Pazzinacatum populorum conuerſio ad fidem. 1049. VIII.
Peccata dimittendi & retinēdi poteſtatem, Dominus Apoſtolis ſuis tradit, quæ propagata eſt ad ſucceſſores. 34. LVII.
Peccatorum confeſſio. Vide *Confeſſio Pœnitentia.*
Peccata tantummodo inuoluntaria, quæ per ignorantiam committuntur, dimitti à Deo, dicebant Baſilidiani. 120. IX.
Eorum pœnas non eſſe alias, niſi transcorporationem animarum, iidem aſſeruerunt. ibi.
Peccata apud Carpocratianos, non ſolum non vetita, ſed & imperata. 120. XII.
Nonniſi per ea ſalutem acquiri poſſe, dicebant Caiani. 145.VIII.
Eſſe quoque præmio digna, Antitactæ effutierunt. 120. XVIII.
Idem de libidinibus, aſſeruerunt plurimi alii. ibid. V. de *Libidines.*
Peccatorum nullam eſſe differentiam, docuit Nouatianus. 254.VIV.
Ea dimitti ſola confeſſione, abſque pœnitentia, aſſeruit Audæus. 341. XII.
Non ſacramentis, ſed oratione laxari, docuerunt Maſſaliani. 361. IX.
Eorum remiſſionem negarunt Nouatiani. 254.XV.
Quæcumque grauiſſima perſeuerantes commiſſa, nihil obeſſe Fidelibus, dixerunt Eunomiani. 360. VIII.
Nullum eſſe in quibuſcumque libidinibus, Aetius aſſeruit. 356. XVII. & Eunomius. 360. VII.
Eſſe ex natura, Manichæi, & Apollinariſtæ. 373. II.
Peccato Eccleſiam aboleri, fuit hęreſis Donatiſtarum. 321. IV. & Apoſtolicorum. 1147. XII.
Peccare ſe non poſſe, ne cognitione quidem, vel ignorantia, cum ad perfectionem perueniſſent, docuerunt Maſſaliani. 361.X
Peccati omnem radicem, ac fomitem, poſſe in homine penitus conuelli per ſolum Liberum arbitrium, aſſeruit Pelagius. 411. VIII IX. 415.IV.V.
Sine peccato fuiſſe homines ante Chriſti aduentum, idem dixit. 415.IV. ibid. itemq; Peccatum Adæ, ipſum ſolum læſiſſe, non genus humanum, itemque, Peccati pœnam, non fuiſſe mortem ibi.
Peccatum Originale remanere poſt baptiſmum, ſed oratione euelli, dixerunt Maſſaliani. 361.IX.
Ipſum vero, ac peccati traducem, negauit Pelagius. 411. IX. 412. IV. 415. IV. & ante eum Ruffinus. 410. XII.
Pectoris tunſiones in oratione, probatæ in Script. 58. XLIV.
Pedes vngere (quod iterum fecit erga Chriſtum Maria Magdal.) quibus vſitatum. 34.V.
Pedes Apoſtolorum lauit Chriſtus in vltima cœna. ibid. XI.
Pedum lotiones in conuiuiis. ibid.
Pedum Domini veſtigia, in valle Cedron lapides retinuerunt impreſſa. 34. XX. eademque mirabiliter remanſerunt in loco vnde ad cœlos aſcendit. ibi. LXIV.
Pedibus nudis incedere ſoliti pleríque antiqui Chriſtiani. 57. XXVIII Idem actitabant ex vana ſuperſtitione Helceſaitæ hæretici. 105. II.
Pedum oſculatio, aliaque obſequia, Romanis Pontiff. exhibita a Regibus & Impp. Vide in *Obſequia, & Strator.* Debita etiam ab Archiepiſcopis. 1071. III.
Pelagia Antioch. virgo, cum matre & ſororibus, laudabiliter manus ſibi inferunt pro conſeruatione pudicitiæ. 309. IX. Fuit diſcipula Luciani martyris. 311. III.
Pelagia alia virgo, in candente æreo boue martyrium conſummat ſub Diocletiano. 305. II.
Pelagia meretrix famoſiſſ. antea dicta Margarita, conuerſa à Nonno Epiſcopo. 129. II. 451. XXVI.
Pelagius Laodicenus Epiſcopus, olim vxoratus, prima nocte nuptiarum perſuaſit, continentiam coniugi. 370 V.
Pellitur a Valente ob fidem Catholicam ibid.
Pelagius Patricius, poeta inſignis, & hiſtoricus, iniuſte occiditur a Zenone Imp. ob nefandorum ipſius facinorum liberam reprehenſionem. 490. III.
Pelagius hæreſiarcha innoteſcit in Oriente. 405. II.
Fuit oriundus ex Scotia, & monachus voluptuoſus. 410. XII.
Ex quibus fontibus ſuas hauſerit hæreſes. ibid. & 411. VIII
Confutantur à SS. Hieronymo & Auguſtino, dum nondum ipſe aperte eas promulgaret, ſed clanculo quæſtionum velamentis obtenderet. 411. VIII. IV. ibi.
Quænam eſſent eius dogmata. ibid. & 413. IV. 415. IV. V.
Eius hæreſis primo damnata Romæ in Iouiniano. 412. V. poſtea Carthagine in Cęleſtino. ibid. V.
Clandeſtina propinans venena Demetriadi virgini, confutatur a plurimis ſanctiſſ. viris. 413. IV.
In Concilio Dioſpolit. damnat ſuas hæreſes, ſed doloſe ne ipſe damnaretur. 415. III.
Eaſdem poſtea prædicare non ceſſauit. ibi. VI.
Quænam ex eſſent. ibid. IV.V.VI.
Confutantur à SS. Hieronymo & Auguſtino. ibid. & 416. II.
Damnatur ipſe, vna cum Cæleſtino in Conciliis Carthag. & Mileuit. 416. I.
Calumniatus eſt Innocentium Papam ſecum ſentire. ibid.
Doloſe conatur apud illum ſe purgare de hæreſi. 417. I.
Quam caute ſuſceptus fuerit à Zoſimo Innocentii ſucceſſore. ibid. III.
Iterum damnatur in alio Concilio Carthag. moxque à Zoſimo Papa decreto vniuerſali; demumque proſcribitur, vna cum ſuis, ab Honorio Imp. 418. I. II.
Pelagiani vbique damnati, ad calumnias ſe conuertunt, & Catholicos Antiſtites præuaricationis accuſant. 418. III. ibid.
Eorum hæreſis ſæpe damnata, reſtituitur in Conciliab. Epheſ. ſub Ioanne Antioch. & Neſtorio. 431. XII. ſed mox iterum damnatur à Synodo Oecumenica eiuſque fautores à populo pelluntur Epheſio. ibid XV.
Supponunt ſcripta nomine Sixti Papæ Tertii. 440. III.
Exciduntur à Leone Papa & Proſpero Aquit. 444. II.
Pelagius Rom. Eccleſiæ diaconus, agit Apocriſiarium Apoſtolicæ Sedis Conſtantinopoli. 536. XI. in fin.
In Côuentu Gazenſi in Palæſt. vna cum aliis Epiſcopis iudicibus, deponit Paulum Alexandr. 537. III.
Auctor eſt Conſtantinopoli damnationis Origenis, eiuſque errorum 538. VI.
Eius cum Theodoro Cæſar. ſimultatis occaſione, orta controuerſia de Tribus Capitulis Synodi Chalcedon. ibid. VII.
Redit Romam. 546. II.
Vrbem a Totila captam, à cædibus iam & violatione feminarum præſeruat. 547. II.
Miſſus à Totila ad Iuſtinianum Imp. pro pace, nihil agit. ibid.
Creatur Rom. Pont. 555. II.
Accuſatus de morte procurata Vigilii Papæ, publice ſe purgat. ibid.
Agit aduerſus ſchiſmaticos defenſores Trium Capitul. indeque in ſuſpicionem ductus deſertionis fidei, monetur à Rege Francorum, & ab unde ſatisfacit. 556 I. II.
Moritur 559. I. 631. Eius nomine ſuppoſita epiſtola. ibid.
Pelagius II. creatur. 577. I Agit ſcriptis per Gregorium diaconum, poſtea Papam, aduerſus ſchiſmaticos Trium Capit. 584. IV.
Et cum ſcripta non proficerent, Exarchum Italiæ mouet contra eoſdem. 586. I. I.
Moritur ex peſtilentia. 590. I.
Pelagius Aſturienſis creatur Rex aduerſus Saracenos Hiſpaniam occupantes, quos

& in-

&ingenti vincit prælio, ope Dei genitricis. 718 III.

Pelagius puer 13. annorum, inſigne ſubit in Hiſpania ſub Saracenis, caſtitatis & fidei martyrium. 925. I.

Pellices à ſe poſt mortem reiicit S. Lambertus, qui vehementi odio eas viuens inſectatus eſt. 698. I.

Pentadia femina Conſularis, ad eccleſiam confugit poſt mortem mariti. 398. XX.
Diaconiſſa Eccleſiæ Conſtantinop. facta, dira patitur ob communicationem cum Chryſoſtomo exule 404 X.

Pentecoſtes feſtum è Synagoga tranſlatum ab Apoſtolis in Eccleſiam, & qua ratione. 58. XXXIII.

Penula, quod genus veſtis apud Romanos. 59. III.
Eſt etiam veſtis ſacra, quæ alio nomine dicitur Planeta. ibid.
Paulus ad Timotheum, intellexit Volumen Legis. ibid.

Pepuziani hæretici, ſecta Montaniſtarum, vnde ſic dicti, & quæ docerent. 173. XI.

Peregrinatio frequens Seleucam, ad ſepulchrum S. Theclæ protomartyris. 47. V. 372. XII.
Romam, ad Memorias Apoſtolorum Petri & Pauli, dicta ad Limina Apoſtolorum. 69. IX. 229. II. 269 I. 270. I. ibid. 398. III. 449 XVI. 663. I. 701. & alibi ſæpiſſime.
Eaque annue vndique fieri ſolita. 1081. IV.
Hieroſolymam, ad loca Sancta. 199. III. 318. V. 386. IX 401. VII. 438. IV. 491. V. & alibi ſæpiſſime.
Celeberrima inſtituta à quibuſdam Antiſtitibus cũ ſeptem millibus virorum, ſed imprudentia oſtenſionis diuitiarum ſuarum, haud adeo felix. 1064. V.

Peregrinationi Hieroſolymit. ſolutionis antiquus ritus. 1191. V. Vide etiam *Terra Sancta*.
Agaunum in Gallia, ad memoriam martyrum Thebæorum. 297. II.
Theſſalonicam, ad ſepulchrum Demetrii, ex Proconſule facti martyris. 304. XI.
Edeſſam, ad eccleſiam S. Thomæ Apoſtoli. 371. VIII.
Iidemque in Indiam, ad ſepulchrum eiuſdem Apoſt. 883. II.
Ad Anaunenſes martyres. 400. I. in fin.
Ad memoriam S. Sergii martyris in Araphas. 471. II.
In montem Garganum, ad memoriam S. Michaelis Archangeli. 493. V. 1000. I. 1049. III.
Turonos, ad ſepulchrum S. Martini. 813. VI.
Compoſtellam, ad ſepulchrum S. Iacobi. 816. III. 1123. I.
Ad corpus S. Antonii, in prouinciam Viennenſem. 1120. I.
Sueſſionem ad memoriam B. Virginis, &c. 1167. V.
Cantuariam, ad ſepulchrum S. Thomæ, eius ciuitatis Epiſcopi & martyris. 1174. I. 1197. VI.
Mahometanorum, ad ſepulchrum ſui pſeudoprophetæ, frequentiſſima, quamuis periculoſiſſima. 630 III.

Peregrinationes primus damnauit Vigilantius hæreſiarcha. 386. X. in fi.
De iis locus Gregorii Nicæni vindicatur à calumniis Nouatorum. ibid.
Abuſus earum aufertur in Concilio Cabillonenſi ſub Carolo Magno. 813. VI.

Peregrinorum fidem probandi, antiquus vſus. 517. V.
Erga illos effuſa primorum Chriſtianorum liberalitas. 75. V. VI.

Peregrina communicatio, qualis, & quibus impertiretur. 400. XI.

Peregrini ſic dicti philoſophi, inſignis ſtropha in ſimulanda fide Chriſt. ad corradendas pecunias: & quis tandem dignus homine finis. 75. V.

Perennis P.P. ſub Commodo Imp. ſumma potentia, crudelitas in Chriſtianos, & miſerandus caſus. 189. IV.

Perfectionem hominis, in rerum diuinarum cognitione, non in operatione virtutum, conſtituit Aetius. 356. XVII. Ad perfectionem poſſe humana virtute perueniri, dixerunt Maſſaliani. 361. X.
Ad eius culmen ſta im euehere poſſe homines, iactabant Euagrius Ponticus 388. XIV.

Perfectos ſe vocabant Marcitæ, cùm tamen impuriſſimi eſſent. 175. VIII.

Periarchon Origenis, grauiſſimis refertiſſimum erroribus. 232. II.
Ruffinus illud à ſe perperam tranſlatum, Romam defert, & multos eo corrumpit. 397. IV.
Hieronymus fideliter vertit, & errores aperit. 399. VI.
Damnatur ab Anaſtaſio Papa & frequẽtibus per Orbem Synodis vna cum ipſius auctore Origene. 400. V. 402. V.
Ex eo plurimi alii orti errores. 414. V. Vide *Origenes & Origeniſtæ*.

Periurus Rex Lotharius, diuinitus punitur cum ſuis. 868. IV. itemque alius periurus Angles. 924. IV.

Periurii vltor S. Antonius Magnus, igne ſacro percutiens eius criminis reos. 1089. VII Vide etiam *Iurare*.

Perpetuæ, vna cum Felicitate inſigne martyrium in Africa, ſub Seuero Imp. 205. V.
Viſio ſcalæ paradiſi, ei ante oblata. ibid.
Mente extra ſe diuinitus rapta, non ſenſit vaccæ impetum, quo vitam perdidit. ibid.

Perſæ à Traiano domantur. 108. II. Ingenti numero ab Alexandro Imp. ſuperantur: tuncque primum viſi Perſæ ſerui apud Romanos, mox ab eorum Rege redimuntur. 236. II.
Vincuntur frequentibus prœliis a Gordiano 244 II. & à Galerio Maximiano; triumphanturque de iis Diocletianus & Maximianus Herculius. 302. I. Vincunt Iulianum Apoſt. 363. XII. Quam amplis conditionibus fœdus cum Iouiano inierint. ibi. XVIII.
Ineunt pacem cum Theodoſio Magno. 381. I.

Perſæ Chriſtiani perſecutionem patiuntur à Sapore ipſorum Rege. 343. III. IV.
Eorum Eccleſia propagatur ſub Iſdegerde. 408. II.
Perſecutionem patitur ab eodem Iſdegerde, ſeu Vararane. 420. III.
Pro eorum defenſione, bellum ſuſcepit, feliciterque conficit Theodoſius Iunior Imp. ibid. Vide etiam *Sapores Iſdegerdes. Coſrhoes*. & ſub aliis nominibus Regum Perſarum.

Perſarum ſapientiſſimi accedunt Mediolanum, exploratum ſapientiam S. Ambroſii, indeque petunt Romam, ad cognoſcendam potentiam Anicii Probi. 390. IV.

Perſarum regnum penitus collapſum poſtquam præſumpſerunt captiuam abducere S. Crucem Domini, transfertur ad Arabes. 622. II. 628. II. 639. V.

Perſea arbor, Ægyptiis ſacra, Chriſtum adorat, & vim pellendi morbos accipit. 1. X.

Perſecutio ingens in Eccleſiam excitata à Iudæis, poſt necem S. Stephani protomartyris. 35. I. II.
Ab Agrippa Rege in Apoſtolos. 44. I. V. VII.
Diriſſima Neronis Imp. quæ prima numerata eſt Perſecutionum Gentilium. 66. I. & ſeqq. 67. I. 69. XVII. Secunda Domitiani. 93. II. Tertia, Traiani, quibus prætextibus inita, & qualis fuerit 100 II. III. 104 II. Ceſſare iubetur, quod pares nõ eſſent magiſtratus Chriſtianis occidendis. 118. I. Quarta Hadriani. 120. II. Quinta, Marci Aurelii. 164. II.
Sedatur poſt victoriam Marcomannicam. 176. II. Rurſum acrius ſæuit ex popularibus tumultibus. 179 I. ibid.
Sexta, ab aliis Quinta dicta, Seueri, poſt longam pacem admodum Chriſtianos perturbat. 204. I. Septima, dicta Sexta, Maximini Thracis, in ſolos Præſules & clericos. 237. III. Octaua, dicta Septima, omnium præteritarum crudeliſſima, Decii. 253. IV.
Fuit neceſſaria ad corrigendos deprauatos longa pace Chriſtianorum mores. ibid.
Dicta eſt etiam Valeriani, & quare. ibid. XVI. XXII. itemque Galli & Voluſiani, 255. V. VII. Vide ſub nominibus illorum Impp.
Crudeliſſima à Diocletiano & Maximiano excitata Romæ, quæ inde propagata eſt in vniuerſum orbem. 286. II. IV. 301. II.
Quam immenſus Chriſtianorum numerus in ea martyrium conſecuti ſint. 302. IV.
Eius acerbitas. 303. VII. XIV.

Perſeuerauit nomine Diocletiani, etiam poſt eius abdicationem. 304. IX. Citius quieſcit in Occidente. 306. IX.
Renouatur acrius Maximino Galerio in Oriente. 307. V.
Quieſcit omnino anno decimo eius inchoatæ, & qua occaſione. 312. V.
Ab eodem Maximino iterum reſtituitur, ſed non proceſſit ad ſanguinem. 311. VI. ibid.
Cito quieſcit, ob clades in Gentiles illatas. 312. I.
Rurſum à Licinio acerbiſſima renouatur. 316. II. & ſeqq. 270. Vide in *Licinius*.
Iuliani Apoſtatæ, qualis fuerit. 362. V 364. LVI.

Perſecutiones Eccleſiæ ab Imperatoribus Gentilibus, quot fuerint numero. 316. VI.

Perſecutores male pereunt. 254. VI. 257. IV. 262. II. III. 275. II. 278. I. 302. XIX. 303. IX. 304. II. 307 IV. 308. I. 311. V. 314. II. & vide ſub nominibus Principum, qui eas indixerunt. Adde etiam *Martyrium*. Et de Perſecutionibus Perſarum, Gothorum, Wandalorum, Saracenorum, itemque Arianorum, Donatiſtarum, Iconomachorum, aliorumque ſiue Gentilium, ſiue hæreticorum; ſed & paſſiones ſingularum Eccleſiarum, de iis omnibus, vide ſub propriis nominibus.

Perſecutores hæretici Catholicorum, male pereunt. 378. VI. 477. I. 484. IX. XI. 507. I. 522. II. 775. I. 780 III.

Perſecutionis tempore, licite fugam capi, & martyrium redimi. 205. IV. Vide *Fuga & Martyrium*.

Perſecutiones Eccleſiæ Rom. à tyrannis Vrbis, & Impp. Germanus, vide in *Rom. Eccl.* & ſub propriis nominibus Imperatorum.

Perſonam vnam Trinitatis, aſſeruerunt nonnulli ex Simeonis magi diſcipulis. 120. V. pariterque Perſonarum diſtinctionem negarunt, Noetus. 260. VI. Sabellius. ibid. & 263. IV. Paulus Samoſatenus. 265 II. Photinus. 357. II.
Eas quoque confudit Apollinaris. 373. III. Vide etiam *Trinitas*.

Perſonas tres in Trinitate eſſe tres ſubſtantias, quomodo Græci & Latini olim dicerent. 362. XLIII.

De Perſonis quid item aſſereret Gilibertus Porretanus, & quid definitum fuerit. 1147. V. 1148. V.

Perſonas duas in Chriſto conſtituit Paulus Samoſat. 265. III.
Neſtorius, & alii. 428. VIII. 431. I.

Perſonarum ſucceſſione vſi antiqui Patres, ad debellandos emergentes hæreticos. 146. X.

Pertinax creatur Imperator, ſed tribus poſt menſibus à militibus occiditur, quod

depravatos corũ mores corrigeret. 195. I.
Refertur inter divos à Severo. ibid. II.
Chreſtologus dictus, & quare. 314. VI.
Peſcennius Niger dux exercitus in Syria, deficiens à Didio Iuliano, arripit Imperium. 195. II. Occiditur à Severo. 167. I.
Peſtilentia graviſſ. in Oriente exorta, totũ complet orbem ſub Veris Imperat. in ultionem effuſi ſanguinis Chriſtiani. 170. I.
Romæ ſub Commodo ob necatum Apollonium Senatorem Chriſti. 189. IV.
Alia orta ſub Gallo & Voluſ. univerſum depaſcitur Imperium per decennium, immiſſa in ultionem ſcelerum Gentilium. 255. VI. Eadem per Angelos malos immittitur in Neocæſarienſes. ibidem.
Sæviſſima in Oriente, ſub Marciano Imp. 454. VII. In Africa, in vindictam perſecutionis Wandalorum Arianorum in Catholicos. 484. IX. Sub Iuſtiniano immiſſa per Angelos malos; quæ per. 51. annos, totum depaſta eſt orbem. 544. III.
Alia, Inguinaria dicta, pavendiſſima, ex Liguria orta. 565. V.
Aliaque item Inguinaria Romæ cælitus immiſſa ex ira divina. 590. I.
Alia item Romæ, & in Italia, qua viſi ſũt Angeli, & bonus & malus, eam immittere. 680. VII.
Ea ceſſat cultu S. Sebaſtiani martyris. ibid.
Alia horrenda, Bubonis dicta, & prodigioſa. 746. I.
Faucium dicta Romæ, ſub Benedicto PP. Tertio. 856. I.
Sæviſſima divinitus immittitur in exercitum Friderici Imp. ſchiſmatici, obſidentis Urbem Romam. 1167. II.
Peſtis tempore, qualiter ſe gerere debeant Epiſcopi. 599. V.
Peſtis animalium curata ſigno Crucis. 176. III. Itemq; peſtis Turcarum infidelium 591. I.
Petra. vide *Lapis.*
Petra fidei, qua ratione dicti Petrus à Patribus. 31. X. 33. VI.
Petritæ hæretici, à Petro Acephalorum ſectatore. 535. XIV.
Petronax Brixianus, hortatu Gregorii Papæ II. reſtaurat monaſterium Caſſinenſe. 716. I.
Petronilla, an vere filia Petri Apoſtoli. 69. XII. Virgo permanſit uſque ad obitum. ibid.
PETRUS Apoſtolus vocatur à Chriſto, & mutatur ei nomen. 31. X.
Petri vox quid ſignificet, & cur ſic appellatus. ibid.
Baptizatur ſolus à Chriſto, & ipſe alios baptizat. ibi. XVII.
Non fuiſſe baptizatum, quidam hæreticus Novatianus aſſeruit. 254. XV.
Eius primatus deſignatur in piſcatione. 31. XXIV.
Primus Apoſtolorum cõſtituitur à Domino. 32. IV.
Ambulans ſi per aquas titubat, & eripitur à Domino ſubmerſioni. 33. III.
Inſignis eius confeſſio de Chriſti divinitate, unde & principatum Eccleſiæ adipiſcitur. 33. V. VI.
Quomodo ſit fundamentum Eccleſiæ. V. VIII.
Quo ſenſu vocatus ſit à Domino ſatanas. VII.
Primatus eius declaratur etiam in ſolutione tributi. X.
In pedum ablutione ceteris à Chriſto præfertur. 34. XIII.
In Captura Domini, aurem Malcho amputat. ibid. XXI.
Ter Dominum negat in atrio Caiphæ, ſed mox pœnitet. XXII.
Ei prius quam ulli Apoſtolorum, apparet Chriſtus poſt reſurrectionem. LIII.
Univerſalis Eccleſiæ præfecturam, pro ſe, ac ſuis ſucceſſoribus, à Domino ſolemniter accipit. LIX.
Primus Apoſtolorum prædicationem verbi exorditur. 34. LXX.
Primum miraculũ cur in homine claudo operatus ſit. LXXIV.
Penetrat in corda Ananiæ & Saphiræ. LXXVI.
Eius umbra ſanat ægrotos. LXXVII.
Prærogativa in miraculis. ibid.
Mittitur cum Ioanne ad confirmandos Samaritanos, & in ea miſſione elucet eius primatus. 35. IX. X.
Profligat ibi Simonem magum. XIV.
Fundat Eccleſiam Antiochenam, & in ea ſeptem annis ſedet Epiſcopus. 39. III. & ſeqq.
Viſitat alias Eccleſias, prædicans, & miracula faciens. ibid. III. 40. III.
Primus omnium, Gentiles ad fidem recipit. 41. II.
Carceri mancipatur ab Agrippa Herode, ſed liberatur ab Angelo, orante pro illo univerſa Eccleſia ſine intermiſſione. 44. V.
Eius vincula venerationi habita. Vide *Catena.*
Perluſtrat multas regiones Orientales. 44. VI. ibid.
Petit Romam, ut Simonem magum confundat. 44. X. 57. XXVII.
Cathedram Pontificiam ibi erigit ſibi. ibid. X. 45. I. Vide *Romana Eccleſia.*
Cedit Antiochenæ, & alium ſibi in ea Epiſcopum ſubrogat. 45. IV.
Eius nomine multa facta, & ſcripta, cõficta ab hæreticis. 44. XXIV. XXV. De eius epiſtolis, vide in *Epiſtola.*
Mittit Marcum Evangeliſtam, ad fundandam nomine ſuo eccleſiam Alexãdrinam. 45. XVI.
Mittit alios diſcipulos in univerſum Occidentem, pluresque earum provinciarum ipſe viſitat. 46. I.
Pellitur una cum Iudæis Roma edicto Claudii imper. reditque Hieroſolymam. 51. II. In Concilio Hieroſ. rem definit. ibid. IV.
Eius prærogativa in Apoſtolatu Iudæorum ſibi peculiariter ſuſcepto. VI.
Reprehenſio, quam habuit Antiochiæ à Paulo, quomodo ſit accipienda. VII. & ſeqq.
Eius primatus agnitus à Corinthiis, & ipſo Paulo. 57. II. Lupinis fame ſe pellebat. ibid. LVI.
Redit Romam cum Paulo, ut eam Eccleſiam perſecutione Neronis afflictatam recrearent. 68. I.
Simonem magum volare præſumentẽ, precibus ſuis in terram deiicit. VII. Eã ob cauſam coniicitur in carcerem, una cum Paulo, à Nerone Imp. VIII. Precibus Chriſtianorum flexi ad fugam è carcere: apparitione Domini revocãtur ad martyrium. 69. III. Virgis cæduntur. IV.
Petri martyrii, & ſepulturæ locus. VII.
Crucifigi voluit inverſo capite, & quare. ibid.
Corpus curatum à Marcello presbytero. ibid.
Eius effigies. VIII.
Quantum temporis tenuerit Sedem Romanam. ibid.
De eius Apparitionibus, vide in *Apparitio.*
Petri & Pauli Imagines, ipſis viventibus effigiatæ, eædemque una cũ Chriſti Imagine pingi conſuetæ. 69. VI.
Acta paſſionis eorum Lino tributa, corrupta à Manichæis. 68. IX. 69. III. XIII.
Sepulchra ſemper celeberrima, & ab omnibus undique etiam in perſecutionibus viſitata. 69. IX. Vide *Peregrinatio.*
Inſtrumenta quoque martyrii, ſummæ venerationi habita. ib. XI.
Corpora Orientales ſurripere conati, prodigiis coguntur deſerere. IX.
His calumniis Imperium Rom. fultum ne corrueret, & Eccleſia mire illuſtrata. X.
Terrentes in viſione Neronem, perſecutionem ceſſare faciunt. XVIII.
In eorum honorem erectæ eccleſiæ Romæ ſub Traiano. 106. II.
Petri uxor ante ipſum martyrio coronata. 69. XII.
Utrum Petronilla vere fuerit eius filia. ibid.
Ei quis ſucceſſerit in Eccleſia Rom. ibid. XIV.
De *Gladio*, & *Barba*, vide ſub iis vocib.
De Clavibus, in *Clavis.*
Divinitus ſolitis cæremoniis conſecrat eccleſiam ſuam Londoniæ. 610. VI. Eius nomine ſcriptæ literæ à Stephano Papa III. ad Pipinum Francorum Regem, pro ſubveniendo Eccleſię Ro. adverſus Longobardos. 755. I.
S. Petri Eccleſia in Vaticano, primo erecta ab Anacleto Papa. 106. II.
Magnificentius conſtruitur à Conſtantino Magno, qui in ea fundanda, 12. cophinos terræ propriis humeris apportavit. 324. XIX.
Dotatur locupletiſſime ab eodem, & ingentibus ſacrariis ornatur. ib. XXI.
Eius vaſa in direptione Urbis per Alaricum, ſolemni pompa in locum ſuum intacta reportantur. 410. VI. & in direptione Genſerici, illæſa cuſtodiuntur precibus Leonis Papæ. 455. III. pariterque in obſidione Vitigis Regis præſervantur. 538. I.
De Vaſis, & ornamentis eccleſiarum Urbis, vide in *Vaſa.*
Multa, & ingentia, ei offerri, vel mitti ſolita munera, & oblationes, à Principibus undique. 504. II. 523. I. 533. I. 545. I. 599. V. 665. I. 729. I. 780. V. 796. I. 824. II. 856. II. XVII. 1054. V. 1080. XII.
Quãta in ea fuerit copia lampadum ardentium. 604. III.
De peregrinatione ad eam, vide in *Peregrinatio Romam.*
Diripitur a Luithprando Longobard. Rege, ſed magno ipſius damno. 739. I.
Itemque a Saracenis, pariter ingenii eorum damno. 846. à Petro Leonis Antipapa. 1130. II. 1007. III.
Petrus Alexandrinus Epiſcop. creatur. 300. III.
Regulas ſcribit de pœnitentia Lapſorũ 305. III.
Exagitatur à Meletio Epiſcopo ſchiſmatico. 306. XV.
Quando martyrium ſubierit. 310. I. Viſio ei oſtenſa de Ario. ibid. II.
Ipſe ſe inimicis exhibet ad martyrium. III.
Corpus, abſciſſo capite, innixum genibus immobile permanet. VI.
Ornatum veſtibus ſacerdotalibus, in ſede Epiſcopali collocatur, quod vivens Petrus ab ea abſtineret, ob divinam virtutem in ea apparere ſolitam. ibid. Eius ſcripta. ibid.
Petrus eius Alexandr. Epiſcopus eligitur poſt Athanaſium. 372. V.
Exagitatus ab Arianis, confugit Romam. ibid.
Intereſt damnationi hæreſim Apollinaris, factæ in Synodo à Damaſo Papa. 373. I.
Reſtituitur Alexandriam, auctoritate literarum Damaſi. 377. I.
Gregorium Nazianzenum conſtituit per literas Epiſcopum Conſtantinopolitanum, ſed mox adverſus eum immittit Maximum Cynicum. 379. V.
Moritur. 380. III.
Petrus Altinas datur à Theodorico Rege, contra fas, Viſitator Symmacho Papæ. 499. VI.

Damnatur in Synodo, quod iudicium ſibi Rom. Pontificis arrogare præſumpſiſſet. 502.II.

Petrus Acephalorum ſectator, auctor hæreſis Petritarum. 535.XIV.

Petrus Chryſologus, ex diuino monitu, datur à Sixto Papa Epiſcopus Rauennatibus. 432.X.

Petrus Exorciſta martyr. Vide *Marcellin. Rom. presb.*

Petrus Damiani, inſignis eremita, vocatur Romam à Clemente II. Papa. 1047.I.
Scribit ex eremo aduerſus nefandas carnis ſpurcitias. 1049.IV.
Confutat hæreſim de reordinandis ordinatis à ſimoniacis. 1051.II.
Redarguitur de negato ſacerdotibus gladio materiali. 1053.III.
Auctor eſt, vt Officium B. Virginis in monaſterio ſuo reciteturur. 1056.II
Propagator pœnitentiæ Diſciplinalis per voluntariam flagella. ib. III. aliorum que ſacrorum rituum. ibid.IV.
Creatur à Stephano Papa X. Epiſcopus Cardin. Oſtienſis. 1057.II
Miſſionem petit à Nicol. II. nec obtinet 1059.II.
Eccleſiam Mediolan. reducit ad obedientiam Romanæ, & purgat à Simoniacorum & Nicolaitarum hæreſibus. 1059.VII.
Repetit ſolitudinem, & quam ibi operoſus fuerit. 1061.V.
Scribit ad Concilium Osborienſe, hiſtoriam Schiſmatis Cadaloici. 1062.III.
Caſſinum vocatus, auſteriorem ingerit monachis diſciplinam. 1063.I.
Florentiam miſſus ad ſedandum ſchiſma ſimoniacum, accuſatur & ipſe de eo crimine, ſed purgat ſe. ib II.
Laborat aduerſus hæreſes Nicolaitarum, Inceſtuoſorum, & Emptionis Epiſcopatuum. 1065.I.II.III.
Miſſus in Germaniam Legatus interminatione excommunicationis prohibet Henricum Regem repudiare vxorem. 1069.I.
Moritur, & miraculis illuſtratur. 1072. II.III.

Petrus cognomento Cnapheus, & à prima arte Fullo, monachus Eutychianus, ope Zenonis Comitis inuadit Sedem Antioch. 471.III.
Exilio damnatus à Leone Imp. fuga ſibi conſulit. ibid.
Mortuo Leone, reſtituitur Antiochiam. 474.III.476.V.
Rurſum pellitur à Zenone, poſt reſtitutionem in Imperium. 477.II.
Iterum turbat vehementer eam Eccleſiam, & Stephanum Epiſcopum necandum curat. 479.II.
Tandem reſtituitur in eam ſedem. 482.I
Palam propalat hæreſes ſuas, corrumpens ſacrum Triſagion profano additamento. ib d.IV.
Damnatur Romæ & Conſtantinopoli. ibid.III.V.
Confirmatus ab Acacio, rurſum damnatur Romæ. 484.IV.
Xenaiam auctorem Iconoclaſtarum promouet. 485.III.
Moritur. 486.I.

Petrus Mogus intruditur ab Eutychianis in ſedem Alexandr. ſed mox eiicitur Zenonis Imp. iuſſu. 477.IV.
Reſtituitur ab eodem iam palam fauente hæreticis. 482.II.
Eius ſuggeſtione, Imperator promulgat Henoticon ſuum. ibid.III.
Eiuſdem fraudulentas artes non ferentes multi ex ſuis, ſeorſum conuenientes, Acephali ſunt dicti. ibi.VI.
Damnatur à Felice Papa. 483.III. 484. IV. Moritur in anathemate. 490.II.

Petrus Palæſtinus pſeudoanachoreta, præceptor Eutactii hæreſiarchæ. 319.VIII.

Petrus Damaſcenus, aliuſque Petrus Manimenus inſignes ſub Saracenis martyres. 742.I.

Petrus Saracen. Epiſcopus. Vide *Aſpebetus.*

Petrus Vrſeolus Dux Venet. pœnitens de nece ſui prædeceſſoris, petit eremum vna cum S. Romualdo, & aliis, & ſancte quieſcit. 977.III.

Petrus Venerabilis Abbas Cluniacenſis, moribus & doctrina eximius. 1126.III.
Quanta paſſus ab inuaſione Pontii pſeudoabbatis. ibi.
Confutat hæreſes Petri de Bruis. ibid. VI.
Diſſentit in quibuſdam à S. Bernardo, ſed abſque læſione charitatis. 1131.III.

Petrum Abailardum hæreſiarcham conuertit ad rectam fidem. 1140.II.
De Iudæis puniendis, quid ſenſerit. 1146. II.
Confutat hæreſim Henrici Petrobruſiani. 1147.IX

Petrus Abaliardus hæreſiarcha, damnatur cum ſuis ſcriptis à Legato Sedis Apoſtol. 1140.I.
Rurſum prouocans ad publicam diſputationem S. Bernardum, obmuteſcens in Concilio ea de re conuocato, tantum Sedem Apoſtol. appellat. ibi.
Damnatur & ibi & Romæ. ibid.
Cluniaci detentus ab Abbate, pœnitet, fitque monachus, & ſancto fine quieſcit ibid. I.

Petrus Anagninus Epiſc. mittitur Legatus Conſtantinopolim ab Alexandro Papa. 1071.VII.
Eius inſignes virtutes, & ſanctitas, atque miracula. ibid.

Petrus de Bruis hæreſiarcha innoteſcit. 1126.VI.
Eius impia dogmata, & ſacrilegia, ac combuſtio. ibi.

Petrus Bleſenſis, inſignis vir, datur magiſter Willelmo Bono Regi Siciliæ. 1169. VII.
Æmulos paſſus, & pertæſus ſcelera Regis, populique, ſecedit. ibi.
Fit ſecretarius Regis Angliæ, & Archidiaconus Bathonienſis. 1173.III.

Petrus Eremita, diuinitus afflatus, promouet Bellum Sacrum, ad recuperationem Terræ Sanctæ. 1095.IV.
Reuertitur in Orientem cum expeditione 1096.II.

Petrus, cognomento Igneus, monachus Valliſumbroſæ, per ignis examen inſigniter probat ſimoniam Epiſcopi Florentini. 1063.III.
Poſt alias inter monachos præfecturas, fit Cardinalis Epiſc. Alban. ibid.
Mittitur à Gregorio Papa VII. Legatus in Germaniam in cauſa Henrici & Rudolphi Regum. 1079.III.

Petrus Leonis Card. eligitur Antip. pa aduerſus Innocentium Secundum. 1130.I.
Eccleſias Vrbis deprædatur, vt vaſis & donariis ſibi Romanos conciliet. ibi.II. III.
Innocentium inde recedere cogit, eumdemque excommunicat. II.V.
Reges ad partes ſuas ſollicitat, ſed cum fruſtra, facetet Rogerium Siciliæ Ducem nundinatione regii tituli ſibi conciliat. V.VI.
Auctor eſt impiæ Monarchiæ Siculæ. VII.
Excommunicatur in diuerſis Conciliis. VII. & 1131. I. 1134. I. Moritur impœnitens. 1138.I.

Petri Lombardi obitus, ſcripta, & errores. 1164.XV.1179.V.

Petri Pictauien. Epiſcopi martyrium à Guillelmo Aquit. Duce. 1130.XII.

Petrus Tarentaſienſis Archiep. viriliter reſiſtit Friderico Imp. pro Alexandro Papa & nihilominus ab eo colitur. 1160. V.
Legatione fungens Alexandri, pacem componit inter Reges Franc. & Angl. ingentiaque operatur miracula. 1161.I.

Phantaſiaſtæ hæretici, qui & Incorruptibiles dicti. 519. XII. 563. I. Vide *Incorrupt.*

Phariſæorum ſecta apud Iudæos, quando orta. Appar. VI.
Dogmata, & mores, atque apud populum auctoritas. ibid.
Vnde ita dicti. ibid.
Appellantur à Iohanne Bapt. *Progenies viperarum.* Appar. VII.
Contradicunt, & inſidiantur ſæpiſſime Chriſto, & alia plurima in eum agunt, quæ narrantur ab Euangeliſtis.

Phibionitæ, ſecta Nicolaitarum, ſiue Gnoſticorum. 68.V.120.XVIII.

Philæas Epiſcopus Thmuit. clarus inter Scriptores Eccleſ. 302.XI.
Martyrium obtinet ſub Diocletiano ibid.

Philaſtrius Brixianus Epiſc. verbera patitur ob defenſionem fidei contra Arianos. 368.IV.
Intereſt Concilio Aquileienſi, aduerſus eoſdem hæreticos. 381. XII.

Philemon rogatus pro alio ſacrificare idolis, fit inſignis martyr. 310. VII.

Philippenſes Epiſcopum ſuum Epaphroditum mittunt cum muneribus Romam ad Paulum vinctum. 60. I. Ad eos reſcribit Paulus. ibid.

Philippopoli in Thracia conuenientes Ariani, illud ſuum conuenticulum pro œcumenica Sardic. Synodo venditarunt, & Iulium Papam vna cum aliis Epiſcop. Orthod. excommunicare præſumpſerunt. 347.XV.

Philippicus, inſignis dux Mauritii Imp. eiuſdemque cognatus, vincit Perſas virtute Imaginis Chriſti non manufactæ 586.I.
Rebellans ab eo exercitus, reducitur à Gregorio Epiſcopo Antioch. 588. V.
Necato per Phocam Mauritio, ſacerdotio initiatur. 602.V.

Philippicus Bardanes euehitur in Imperium, aduerſus Iuſtinianum Iuniorem, quem & necat. 711 III.IV.
Conciliabulum celebrat, pro damnatione Sextæ Synodi, & reſtitutione hæreſis Monothelitarum. 712.I.
Execrationi habetur Romæ, & in Italia. ibid II.
A ſuis tentus, excæcatur, & in exilium pellitur. 713.I.

Philippus Apoſtolus, quis fuerit. 31. XI.
Quas prouincias prædicando peragrarit. 44.XV.
Eius nomine ſuppoſita ab hæreticis falſa geſta, & ſcripta. 44.XXIV.XXV.
Martyrium ſubit Hieropoli in Aſia. 54. II.
Ei tributa nonnulla, quæ ſunt Philippi diaconi. 58.XLVI.
An habuerit filias. ibid.
Apparet vna cum Iohanne Apoſtolo, Theodoſio Imp. pro redintegrando prælio contra Eugenium tyrannum. 394.II.

Philippus Diaconus, vnus è ſeptem primis, conuertit Samaritanos ad Chriſtum, & Simonem magum baptizat. 35. IX. Dictus inde eſt Euangeliſta. ibid. in fin. Baptizat Eunuchum Candacis Reginæ. ibid. XV. Eius quatuor filiæ virginitatem Deo conſecrarunt. 57. XVIII. 58. XLVI.

Philippus Conſtantinop. presbyter, Chryſoſtomi diſcipulus, hiſtoriam ſcripſit, multis nominibus improbatam. 426. II.

Philippus filius Herodis Idumæi, conſtituitur ab Auguſto Tetrarcha Ituræ & Trachonitidis. 8 II. 31. III.
Eius vxor Herodias, ipſo relicto, tranſit ad fratrem eius Herodem. 31. XIX.

Philippus Auguſtalis Ægypti, martyr ſub Seuero. 204.III.
Perperam à nonnullis exiſtimatus Epiſcopus, ab aliis Imperator. ibid. in fin.

Philippus Arabs malis artibus fit collega Gordiani in Imperio. 445. III.
Eumdem imp e iubet occidi. 246. I.
Quando factus fuerit Chriſtianus. ibid II. & 249. II.
A Fabiano Papa eiectus Eccleſia, publica facta pœnitentia reſtituitur. ibi. III.
Exoletos aufert, & poetarum linguam compeſcit. ibid.
Celebrat annum Milleſimum Vrbis Romæ. 249. I. ibid
Petulantioris cachinni redarguitur à Philippo filio, æque Imperatore, ſed ἀγελάστῳ. ibi.
Eius res geſtæ obſcuræ remanſerunt inuidia Gentilium. ibid. III.
Ambo occiduntur factione Deciorum. 253. II.
Referuntur inter diuos à Gentilibus. ibid.
Philippus Rex Franc. vngitur viuente patre 1059. X.
Ob venundationem eccleſiarum, aliaque facinora, comminationem accipit à Gregorio VII. auocationis populorum ab eius obedientia. 1073. XV. 1074. X.
In Concilio Gallicano ſub Legato Sedis Apoſt. excommunicatur ob reiectam legitimam cõiugem, & pellicem ſubintroductam. 1094. II.
Eamdem de cauſa rurſum excommunicatur ab Vrbano Papa in Concilio Claramont. 1095. III.
Pœnitens abſoluitur ab eodem Pontifice. 1096. I.
Ad vomitum rediens, rurſum excommunicatur in Concil. Pictauienſi. 1100. III.
Iterum pœnitens abſoluitur ſolemni ritu. 1104. II. Moritur. 1106. VII.
Philippus alius Rex Franc. vngitur viuente patre. 1179. VI.
Solus poſt eius obitum regnat. 1180. IV.
Coterellos hæreticos extirpat. 1183. IV.
Accipit Crucem ab Archiepiſcopo Tyrio, pro expeditione Terræ Sanctę. 1188. II.
Decimas Saladinas exigit ea de cauſa, ſed reprehenditur à Petro Bleſenſi ibid.
Legatum Sedis Apoſt. minantem regno interdictum, ob bellum cum Anglo, repellit. 1189. I.
Proficiſcens in Palæſtinam, appellit in Siciliam, ibiq; rurſum altercatur, & paciſcitur cum Anglis. 1190. I.
Peruenit in Palæſtinam, ſed ob iurgia Anglorum, expugnata tantummodo Accone, regreditur Romam, & inde in Gallias. 1191. V.
Ducit filiam Regis Daniæ, & cognitam repudiat prætextu conſanguinitatis, & inde minas accipit à Cæleſtino Papa. 1193. III.
Philo Iudæus legationem init ad Caium Imp. pro Iudæis Alexandrinis. 42. II. Aliamque ad Claudium pro iiſdem. ibid. & 45. V.
An fuerit vmquam Chriſtianus. 42. II.
Habuit Romæ conſuetudinem cum Petro Apoſtolo, & Marcum Euan. reduxit ſecum Alexandriam. 45. V.
Qualem fecerit deſcriptionem Chriſtianorũ Alexandrinorum. 64. II. & ſeq.
Philogonius creatur Epiſcopus Antiochenus. 314. X.
Aduerſatur Ario. 318. VIII. 278. Moritur. 314. X.
Philoſophos Vrbe pellit Nero, quod prætextu Philoſophiæ magiam exercerent. 68. X. itemque Veſpaſianus, ob nimiam eorum procaciam. 75. II.
Domitianus quoque, Vrbe, & Italia. 85. II.
Tempore Apoſtolorum, eorumque ſucceſſorum, circumeũt prouincias, vt populos in auita ſuperſtitione retineant: verum & ipſorum plurimi conuertũtur. 75. IV.
Deplorata eorum conditio, in propagãdis ſuis dogmatibus. 264. III.
Ex Philoſophorum officina prodierunt pleræque hæreſes. 120. XVI. 145. I. 1147. IV.
Chriſtiani publice profitentes, valde profuerunt cõuerſione Gentilium. 234. V.
Sicut & philoſophia multum conducit ad cognoſcendum Chriſtum. ibid. & 411. XII.
Philoſophi Gentiles accedunt ad Magnum Concilium Nicænum, ibique confutantur, & nonnulli conuertuntur. 325. XIII. Vide etiam *Diſputatio*.
Plurimi philoſophiæ pallio magicas artes contegebant. 68. X. 351. III. 362. IV. Vide etiam *Magi*.
Iis cum ſub Iuliano Apoſtata omnia potuiſſent, plerique ſub Iouiano pallium deponunt, & ludibrio ſunt Chriſtianis. 363. XV. XXII.
Inquirentes de ſucceſſore Valentis, diriſſime ab eo iubentur toto Imperio exagitari, & necari. 370. XIV. XV.
Philoſtratus ſcriptor Vitæ Apollonii Tyanæi, quantum mendaciis ſuis nocuerit religioni Chriſtianæ. 68. XII.
Philoxenus auctor Iconomachorum. Vide *Xenaias*.
Philumene femina præſtigiatrix & impudica, auctrix hæreſis Appellis. 146. IX.
Philumena alia, pariter præſtigiatrix, adiutrix Seueri hæreſiarchæ. 174. V.
Phlegon Hadriani Imp. libertus, inſignis Olympiadum ſupputator, ab auctoribus Chriſtianis ſæpe citatus. 138. IV.
Sub eius nomine, Hadrianus Vitæ ſuæ hiſtoriam edidit. ibid.
Phocas Centurio miſſus ab exercitu ad Mauritium Imp. à quodam Patricio iniuria affectus, noua molitur. 600. II.
Euehitur in Imperium à rebellante exercitu. 602. V.
Mauritium, cum vniuerſa progenie, miſerabiliter extinguit. ibidem. & 607. II.
Terribilis eius aſpectus, & feri mores, temporaque ſub eo infeliciſſima. 602. VI.
Accipit literas à Gregorio Papa, redditque. 603. I.
Decernit, nomen Vniuerſalis Epiſcopi decere, tantum Rom. Pontificem. 606. I.
Carnificinam Conſtantinopoli agit, ob coniurationem in ſe detectam. 607. II.
Sanatur à grauiſſ. morbo per S. Theodorum Siceotam. ibid. III.
Perſeuerat in ſæuitia. 608. I. 609. II.
Obtruncatur ab Heraclio. 610. I.
Inter martyres haberi optauit necatos in bello, ſed reſtiterunt Epiſcopi. ibid. II.
Photinus Sirmienſis Epiſcopus hæreſiarcha, damnatur in Synodo Oecum. Sardicenſi. 347. XI. itemque ab Arianis in Sirmiana. 357. II.
A ſimilitudine doctrinæ, dictus ſæpe ab Hilario Ebion, quamquam fuerit deterior Photinus. ibid.
Alia eius impia dogmata, & ſcripta. ib.
Eius ſectatores, dicti quoque Homuncioniſtæ, quod Chriſtum ſolum hominem aſſererent. 357. II.
Eorum conuentus prohibentur à Gratiano Im. 378. IX. & à Theodoſio Magno. 381. I.
Ipſique damnantur in Concilio Oecum. Conſtantinop. 381. IV. Eorum baptiſmus ab Eccleſia ſemper reiectus. 314. XII.
Photius intruditur, ex miniſtro à Secretis Im. Epiſcopus Conſtantino. in locum Ignatii iniuſte expulſi. 858. IV.
Eius nobile genus, & inſignis literatura. ibid. V.
Conſecratur à Gregorio Syracuſ. excommunicato & depoſito. ibi.
Dire exagitat Ignatium, & que communicantes. 859. VIII.
Legatos mittit ad Nicolaum Papam pro communione obtinenda. ibid. IX.
Concilio numeroſiſſ. celebrato, Ignatium ſolemniter exauctorat, Legatos Apoſt. Sedis vi cogit ſibi adhærere, & literas Nicolai Papæ falſat. 861. I. II.
Rurſum inauditis cruciatibus Ignatium vexat, vt extorqueat cõfeſſionem legitimæ ſuæ depoſitionis. ibid. IV.
excommunicatur à Nicolao Papa ipſeque anathema retorquet in eum, & dire perſequitur omnes auerſantes communionem ſuam. 863. I. 865. II. 867. VII.
Futiles eius criminationes in Eccleſiam Latinam. 867. III.
Eiicitur à Baſilio Imp. legatoſque mittit ad Rom. Pont. aduerſus Ignatium reſtitutum. ibid. IX. XI.
Eius acta damnantur Romæ, & ſcripta cõburuntur. 868. III. itemq; Conſtantinopoli in VIII. Oecumen. Synodo. vbi & ipſe pręſens anathematizatus eſt. 869. V. VI.
Mittitur in exilium. 870. VII.
Mira eius impoſtura, qua poſt decennium exilii, reuocatur ab Imperatore. 878. V. I.
Mortuo Ignatio, reſtituitur ſedi, moxq; diram exercet in omnes Catholicos tyrannidem. ibid. IX.
Obtinet confirmationem ſuę ſedis à Ioanne Papa VIII. ſed eius literas in multis diabolice falſat. 879. II. IV.
Legatos eius ſeducit, & pſeudoſynodum celebrat, falſo dictam Octauam. ibid. V.
Damnatur rurſum, vna cum ſua pſeudoſynodo ab eodem Ioanne. 880. I.
Scribit aduerſus Latinam Eccleſ. de proceſſione Spiritus S. à ſolo Patre & quam inepte. 883. III.
Deponitur à Leone Imp. & relegatur in monaſterium. 886. IV.
Schiſmatici fruſtra laborant pro eius fama. ibid. VI.
Phrygium, id eſt, pallium, plenitudinis poteſtatis index, miſit Cæleſtinus Papa ad Cyrillum Alexandr. cum ei vices ſuas delegauit aduerſus Neſtorium. 336. XVII. 430. III. Vide *Pallium Epiſcop.*
Phylacteria Vide *Amuleta*.
Pictauienſia Concilia in cauſa duarum regiarum monialium diſcolarum. 593. V.
In cauſa Apoſtolatus S. Martialis. 1029. III.
In cauſa Philippi Regis, qui ibi excommunicatur. 1100. III.
Picti inuadunt Britanniam, & extremam eius partem occupantes habitant. 446. I.
Conuertuntur ad fidem per S. Columbanum. 565. VI.
Pictori cuidam Conſtantinopol. Chriſtum Iouis forma pingenti, manus exareſcit pœnitẽs ſanatur a Gennadio Patriarcha. 462. I.
Picturas omnes, & Imagines delet primus auctor Iconomachorum Gazidus. 723. II. Vide *Imagines*.
Pietas in Deum quantum valeant in recte adminiſtrando Imperio. 415. X. Vide etiam *Religio*. itemque ad debellandos hoſtes. 1065. VI. Vide *Victoria diuinitus*.
Pilatus Iudææ Præſes vexat Iudæos. 28. I. 33. I.
Cognoſcit de cauſa Chriſti. 34. XXVI.
Quærit eum dimittere, nec permittitur à Iudæis. ibid. XXVII. XXVIII.
Lotione manuum ſe excuſans, eũ morti addicit. XXVIII.
Peccauit in leges Rom. eum crucifigendo XXIX.
Scribit de illo ad Tiberium Imp. LXIII.
A Vitellio Præſide Syriæ redigitur in ordine, & Romam mittitur. 38. I.
A Caio Imper. in exilium pellitur Viennam Galliæ, & poſt biennium propria

manu ſibi necem infert. ibid.
Eius, & Saluatoris, Acta confictis ſub Maximino Galerio. 311.VI.
Piloſiotæ dicti Catholici ab Origeniſtis, & quare. 393.II.400.IX.
Pinianus vir Conſularis, conuerſus ad fidem, fit Romæ perfugium Chriſtianorum. 392.XIX.
Pinianus Melaniæ Iunioris coniux, vna cum ea ante Vrbis per Alaricum excidium in Africam. 408.XII.
Viſitans Auguſtinum, vim patitur à plebe vt fiat presbyter, quod ille eludit certis promiſſionibus. ibid.
Poſt aliquot annos, nauigat Hieroſolymam vna cum vxore, indeque eremum Ægypti viſitat; & regreſſus Hieroſolymam, vitam monaſticam excolit ſeorſum ab vxore. ibi.XIII.
Scribit ad illum Auguſtinus aduerſus Pelagium. 418.III.
Pionius Smyrnenſis presbyter, inſignis martyr ſub Decio. 254.I.
Pipinorum Auſtraliæ Principum ſtemma 631.II.
Pipini Primi, Maioris Domum Regum Clotarii, & Dagoberti, virtutes, bellica fortitudo, & pietas ibid.
Eius vxoris Ittæ, & filiæ Gertrudis virginis Deo dicatæ, ſanctus obitus. 664.V.
Pipinus Iunior, Senioris nepos 631.II.
Agit pro fidei propagatione in Germania. 690.I.696.I.
Sæpe reprehenſus à S. Lamberto de pellice, haud tamen eam deſerit, quod ex ea ſuſcepiſſet Carolum Martellum. 698.I.
Moritur, relicto hærede Martello, quamuis duos alios haberet filios legitimos. 714.III.
Laudes eius, & vituperia. ibid.
Pipinus Caroli Martelli filius, ſuccedit patri in officio Maioris Domus Regum Franc. 74[illegible].IX.
Conſulit Zachariam Papam de rebus Eccleſ. 744.III.
Ex voto nuncupato S. Suuiberto, vincit diuinitus Saxones. 749.III.
Transfertur in eum, Francorum regnū à familia Merouingiorum, auctoritate Zachariæ, & Stephani III. Rom. Pontificum. 715.I.752.I.754.I.
Accipit ab eodem Zacharia facultatem nominandi Epiſcopos ſui regni. 752.II.
Stephano Papa officium exhibet ſtratoris. 753.
Coronatur ab eodem. 754.I.
Progreſſus aduerſus Aſtulphum Longobard. Regem pro defenſione Eccleſiæ Rom. eum prælio vincit, & obſides accipit. ibid.IV.
Iterum interpellatus aduerſus eumdem fœdifragum, vincit eum, & cuncta adempta Rom. Eccleſiæ reſtituere cogit. 755.II.
Donatio eius facta Rom. Eccleſiæ. ibid.
Bello agit contra Ducem Aquitaniæ, res Eccleſiæ inuadentem eumdemq; obtinet: cum ipſemet paulo ante, ſimili de cauſa noctu acriter flagellatus fuiſſet à S. Remigio. 960.II.
Accipit legationem cum muneribus à Conſtantino Copron. Imp. 766.II.
Moritur, & laudatur. 768.III.
Pipinus Caroli Magni filius, conſtituitur à patre Rex Italiæ. 806.III.
Moritur. 811.VI.
Pipinus Ludouici Pii filius, conſtituitur à patre Rex Aquitaniæ. 817.II.
Rebellat in patrem. 830.II.
Priuatur regno Aquitaniæ; vnde acrius oritur bellum. 832.II.833.I.
Denuo reconciliatur. 834.I.
Moritur. 838.I.
Piſarum Reip. antiqua potentia, & deuotio in Sedem Apoſtol. 1133.III.
Concilium ibi celebratum ab Innocentio Papa II. aduerſus ſchiſma Petri Leonis. 1134.I.
Piſo inuadit Imperium ſub Gallieno. 262.III.
Pius creatur Rom. Pont. 158.II. Edit decretum de Paſchate celebrando die Dominico, ex traditione Apoſtolica. 159.I.
Martyrio coronatur ſub Marco Aurelio 167.II.
Eius epiſtolæ, & decreta. ibid.III.
Placentinum Concil. ſub Vrbano II. numeroſiſſimum, aduerſus hæreticos ſchiſmaticos, &c. 1095.I.
Sub Innocentio II de ſchiſmate Petri Leonis. 1132.I.
Placidia Honorii Imp. ſoror, detinetur obſes apud Alaricum. 410.III.
Ducitur in vxorem ab Athaulpho Alarici ſucceſſore, magno Imperii Rom. bono. 411.I.
Poſt necem Athalphi, remittitur ad Honorium ab VValliа Rege. 414.II.
Datur in vxorem Conſtantio, inſigni Honorii duci, creato ab ipſo Cæſari. 418.X.
Parit Placidium Valentinianum. ibid.
Poſt viri mortem, ab Honorio fratre pellitur ob ſuſpicionem proditionis. 423.II.
Mortuo Honorio, & tyrannis extinctis, regnat pacifice vna cum filio paruulo. 425.III.
Peregrinatur Romam ad Limina Apoſtol. 449.XVI. Moritur, & laudatur. ibid. XVII.
Placidius Valentinianus. Vide *Valentin. III.*
Placidus, qui & Euſtachius. Vide in *Euſtachius.*
Placidus filius Tertulli Rom. diſcipulus S. Benedicti, martyrium conſequitur à piratis. 541.VI.
Eius Acta, multis corrupta mendaciis. ibid.
Planctus magnus, apud Lucam in funere Stephani, ſignificat magnificentiam funeris. 34.XCI.
Platonem philoſophum Chriſtianis ſuppeditaſſe ſententias de fide, iactabant Academici, quos Ambroſius refellit. 348.V.
Plato monachus Olympi montis, recuſat accipere à Leone Imp. Epiſcopatum Nicomedienſem. 775.IV.
Reſiſtit acriter Conſtantino Imper. nouam coniugem legitima reiecta, ſubintroducenti, vnde & in carcerem conicitur. 795.I.
Reſtituitur poſt mortem Imperatoris. 797.I.
Iterum ſub Nicephoro eadem de cauſa grauiter exagitatur. 808.I.809.I.
Eo mortuo, reſtituitur cum honore. 811.III.
Plautiani Afri, ſub Seuero Imp. ſumma potentia, cum truce ſæuitia, & arroganti faſtu. 201.VI.
Dire perſequitur Chriſtianos. ibid.VIII. 203.II.
Diuina vltione, miſerrime trucidatur à proprio genero Antonino Aug. Seueri filio, eiuſque memoria ab omnibus monumentis deletur. 206.I.
Plenarium Concilium, quod diceretur. 347.III.
Plotinus Ægyptius, philoſophus Gentilis auditor Alexandriæ Ammonii philoſophi Chriſtiani. 234.II.
Romæ profitetur publice philoſophiā, magiamque exercet. 247.I.
Tentat vrbem quamdam Platonis legibus imbuere. 264.III.
Mors eius horrenda. 271.III.
Habuit familiarem dæmonem, qui viſus eſt forma draconis. ibid.
Poſt mortem colitur vt Deus. ibi.
Pneumatomachi hæretici, qui & Macedoniani, damnantur in Concilio Oecumen. Conſtantinop. 381. Vide *Macedoniani*
Pœnæ antiquæ debitorum. 33.XI.
Eccleſiaſticæ multiplices, in delinquentes clericos. 75.VIII.
Hæreticorum, vide *Hæretici.*
Pœnæ ſanguinis non ſe immiſcere debent perſonæ Eccleſiaſticæ. 385.VI. Vide *Ithacius.*
Pœnitentia dicta Exomologeſis. 56.VI.
Pœnitentiariorum presbyterorum ad audiendas peccatorum confeſſiones in antiqua Eccleſia vſus. 59.VIII. ibid. & ſeq. 255.II.
Pœnitentiæ hoſtes Nouatiani, & alii hæretici. 56.IX.254.XIV.XV.
Fuit eis locus pœnitentiæ, ſecundum baptiſma. 258.VI.
Eam ad dimiſſionem peccatorum non eſſe neceſſariam, dixerunt Audiani. 341.XII. & Albienſes. 1176.II.
Pœnitentes publicos recipiendi ritus antiquus Romæ. 216.II.
Pœnitentia publica Natalii hæretici, reuertentis ad Eccleſiam ſub Zephyrino Papa. 207.I.
Philippi Imp. ſub Fabiano. 246.III.
Theodoſii Aug. 390.II.III. Fabiolæ clariſ. feminæ Rom. ib.VI. Ludouici Pii Imper. & quomodo ea tunc fieri ſoleret. 822.I. Ducis Lotharingiæ. 1047.VI. Henrici IV. Germ. Regis. 1077.I. Suenonis Regis Daniæ. 1077.X. Guilielmi Primi Angliæ Regis 1087.VII. Henric. II. Angliæ Regis. 1172.II.1174.I. Occiſorum S. Thomæ Cantuar. 1172.IV. Petri Murani, principis hæreticorum Albienſium. 1178.III. Henrici Iunioris Regis Angliæ. 1190.II.
Pœnitentiam non eſſe differendam, inuſtis ſæpe horrendis exemplis demonſtratum 704.III.
Pœnitentia Monachiſmi in Hiſp. Eccleſia antiqua. 680.VIII.681.XIII.
Pœnitentiæ canonicæ redemptio, qualis, quando, & qua ratione introducta in Eccleſiam. 1055.II.1056.III.
Pœnitentiæ falſæ proſcribuntur diuerſis Conciliis. 1079.VI.
Præter pœnitentiam, non aliam eſſe reſurrectionem, dixerunt Bongomili hæretici. 1118.XII.
Poetarum mordax lingua coercita à Philippo Imp. 246.III.
Dictis poetarum per omnia eſſe credendum, delirauit Vilgardus hæreticus 1000.V.
Polemiani hæretici, ex Apollinare deducti. 373.V.
Politici hæretici, omnia tribuentes Principibus etiam in Eccleſias, redarguuntur. 871.V.898.I.990.II.1045.II.1100.VIII.
Iidem dicti Henriciani ab Henrico III. Imp. 1046.II. vide *Henriciani.*
Eorum Patriarcha, Arnaldus de Brixia hæreſiarcha. 1141.I.1144.III. Vide *Arnaldus.*
Politicum dominium Manes ſuſtulit. 277.X.
Poloni, qui olim Sarmatæ, conuertuntur ad fidem, & doctores petunt à Roman. Pont. 965.III.
Petunt & coronam regiam, quæ potius datur Hungariæ Duci 1000.II. A quo eam ipſi poſtea acceperint, à Rom. Pont. an ab Imp. ibid.III. Ab initio ſuæ conuerſionis, conſtituerunt cenſum Rom. Eccleſiæ. 1013.I.
Miſere deuaſtatur eorum regnum & Eccleſia à Boemis. 1034.VII.
Caſimirum regni heredem, monachum effectum, ſibi Regem expetentes, obtinent à Rom. Pont. cum eo diſpenſari, ſub cenſu regni, & aliis conditionibus. 1041.III.
Quam proficua eis fuerit hæc tributi ſolutio. 1045.I.
Regio honore priuatur ea prouincia à Gregorio VII. Papa ob necem S. Staniſlai Epiſcopi. 1079.VII.
Polycarpus Smyrnenſis Epiſcopus, diſci-

pulus S. Ioannis Euangel. petit Romam ob diſſidia de tempore celebrandi Paſchatis, & quid ei cum Aniceto Papa. 167. IV.
Conuertit Romæ multos hæreticos. & Marcionem repellit. ibid. V.
Subit glorioſum martyrium Smirnę, voce diuina ad id confortatus. 169. III.
Miſit olim diſcipulos in Gallias. ibid. IV.
Eius epiſtolæ in Eccleſia legi conſuetæ. ibid.
Polyeuctus ex monacho creatur Patriarcha Conſtantinop. 956. I.
Sacerdotali libertate reſiſtit Impp. Conſtantino Porphyrogen. ibi.
Nicephoro Phocæ. 963. IV.
Ioanni Zemiſci. 969. II.
Moritur. 970. I.
Polygamia plurium ſimul vxorum, Iudæis permiſſa, Gentilibus inuſitata, Chriſtianis prohibita. 58. VII. 370. XIX.
Eam Ebion ſuis permiſit. 74. V.
Falſo eius permiſſio tributa Valentiniano Seniori. 370. XIX.
Plurium ſucceſſiue vxorum, prohibita in Oriente Eccleſiaſticis legibus, & politicis. 901. II.
Diſpenſatur ſuper ea cum Leone Imp. à Rom. Pont. ibid III.
Edictum de ea promulgatum in Synodo Conſtantinop. & quis eius in Orientali & Occidentali Eccleſia vſus. 921. I.
Poma, & roſæ, diuinitus miſſæ hiberno tempore Dorotheæ virgini. 304. XIV.
Pomeranorum populorum conuerſio ad fidem Chriſti. 1124. I.
Pomponia Græcina, rea facta Romę externæ religionis, permiſſa priſco more iudicio mariti, inſons pronuntiatur. 59. VII.
Fuit forte Chriſtiana. ibid.
Pontianus Rom. Pont. creatur. 232. I.
Relegatur in Sardiniam ab Alexandro Imp. 237. I.
Martyrio coronatur ſub Maximino Thrace. ibid. VI.
Et à nonnullis fingitur datus ſucceſſor quidam Cyriacus ſubrogatus eſt autem Anterus. ibid.
Ponticum Concil. de die Paſchatis, auctoritate Victoris Papæ celebratum. 198. I.
Pontifex Summus Iudæorum. Vide *Sacerdos Summus.*
Pontifex Romanus. Vide *Rom. Pont.*
Pontifex Maximus, titulus antiquiſſimus Rom. Pontificis. 216. II.
Pontificis Maximi titulum, qua ratione, quoue ritu Chriſtiani Impp. retinerent. 312. XII.
Eum reiiciens Gratianus, deridetur à Gentilibus. 383. III.
Pontifices Summi Rom. Gentilium, non poterant in alia quam publica domo habitare. 313. VI.
Pontigonenſe Concil. in Gallia, pro confirmatione Imperii Caroli Calui. 876. II.
Pontius Præf. Philippos Augg. inducit ad fidem Chriſti ſuſcipiendam. 249. III.
Martyrio coronatur ſub Valerian. 261. VII.
Pontius diaconus, exilii Cypriani comes. 260. III.
Scribit vitam eius. 261. IV.
Sancto fine quieſcit. ibid VII.
Pontius Cluniacenſis Abbas, ex modeſto improbus, inde pœnitens, Abbatiæ renuntiat, & peregrinatur Hieroſolymam 1126. III.
Sanctitatis fucum adeptus, reuerſus in Gallias, Cluniacum inuadit, ac miſere deuaſtat. ibid.
Eiuſdem arrogantia in Sedem Apoſtolicam, damnatio à Summo Pontifice, & mors in impœnitentia. ibid.
Poppæa Sabina, concubina Neronis amantiſſima, fauet Iudæis. 59. II.
Creditur ſalutata à Paulo Apoſtolo. ibi.
Necatur ictu calcis ab ipſo Nerone. 67. II.
Porcorum nomen nefandum apud Hebræos, & viſu execrandi porci. 31. XXV. 137. III.
Ad quid apud eos eſſe permitterentur. 31. XXV.
In eos permiſſi à Chriſto intrare dæmones. ibid.
Porci imaginem cur Hadrianus Imp. poſuerit ſuper portam Hieruſalem. 137. III.
Porcis deuorandæ obiectæ carnes presbyterorum, & virginum ſacratum, à Gentilibus Palæſtinæ ſub Iuliano Apoſt. 362. XXXIII.
Porphyrius perditiſſ. moribus homo, inuadit Eccleſiam Antioch. ſub Arcadio Imperatore. 404. X.
Noluit ei communicare Rom. Pontifex. ibid.
Moritur. 408. X.
Porphyrius Gazenſis Epiſc. diuinitus ordinatus, multos Gentiles miraculis ad fidem conuertit. 401. VII.
Petens Conſtantinopolim, agit apud Arcadium Imp. pro demolitione Marnæi templi, aliorumque delubrorum Gazenſium. ibi. VIII.
Feminam Manichæam, ſecum auſam de religione diſputare, verbo extinguit. ibid.
Porphyrius mimus, coram Iuliano Apoſtata baptiſmo per iocum initiatus, ſerio fit martyr. 362. XXVIII.
Porphyrius philoſophus Platonicus, non niſi vnus fama celeberrimus. 302. VII.
Romam petit. 264. II.
Eius patria, & primordia. ibid.
Vnde id nominis acceperit. ibid.
Fuit olim Chriſtianus, ſed deſertor factus eſt. ibid.
Scribit aduerſus religionem Chriſt. 302. VII.
A quibus confutatus fuerit. ibi. VIII.
Eius libri conquiri, & comburi iuſſi. ibi. & 448. I.
Porphyrianos cur appellari voluerit Conſtantinus Arianos. 325. XXVII.
Portugalliæ Ducatus factus vectigalis Eccleſiæ Romanæ ab Alfonſo Duce. 1144. II.
Augetur ab Alexandro Papa titulo regio, ſub augmento cenſus. 1179. VII.
Poſſeſſor Epiſcopus Afer, pro fide extorris, Conſtantinopoli ſtrenue agit aduerſus Eutychianos hæreticos. 517. I.
Conſuluit Hormiſdam Papam de doctrina liberi arbitrii, & ſcriptis Fauſti Regienſis. 520. III.
Poſſidius Calamenſis in Africa Epiſcopus, quanta paſſus ſit à Donatiſtis. 403. VIII.
Fuit S. Auguſtini perneceſſarius, Vitamque eius deſcripſit. 430. IX.
Confecit etiam Indiculum ſcriptorum eius. ibid. XI.
Poſthumus inuadit Imperium ſub Gallieno. 261. III.
Potamenæ virginis Alexand. mira conſtantia in martyrio ſubeundo ſub Maximino Galerio. 310. VII.
Potamiænæ virg. Alexandr. inſigne martyrium & poſt necem apparitiones quibus alios ad fidem & martyrium allexit, ſub Seuero. 205. V.
Potamon Heracleæ in Ægypto Epiſcopus, oculum amiſit pro cauſa fidei in perſecutione Diocletiani. 302. II
Intereſt Concilio Nicæno. 325. VIII.
In Conciliabulo Tyrio ſtat pro Athanaſio, & Euſebio Cæſarienſi exprobrat apoſtaſiam ſub Diocletiano. 335. III
Martyr occumbit in clade Eccleſiæ Alexandrinæ à Gregorio inuaſore. 342. III.
Alius à Potamio Ariano. 357. IV.
Poteſtas à Domino Apoſtolis & Diſcipulis collata, propagata ad poſteros. 34. LVII.
Petro data, tranſiit etiam ad eius ſucceſſores. ibi. LIX.
Præcepta moralia Hebræorum, Apoſtoli in Eccleſiam transfuderunt. 34. LXXII.
Præcepta Decalogi contempſit Manes. 77. X.
Præcepta diuina, ſine diuina gratia, vi Liberi arbitrii, ab hominibus impleri poſſe dixit Pelagius. 415. VI.
Prædeſtinatianorum hæreſis, ex ſcriptis S. Auguſtini male intellectis orta in Gallia. 510. IV.
Eamdem longe poſtea itidem in Galliis renouat Gotheſcalcus. 848. I. II.
Prædicationem verbi, poſt Aſcenſionem Chriſti, primus omnium exorditur Petrus Apoſtolus. 34. LXX.
Eam nemo abſque miſſione ſuſcipere debet. 44. XXXII.
Eius auctoritas conſueta peti à Romanis Pont. per eos qui prædicaturi eſſent Gentibus. 686. IV. 691. I. 996. VI. 997. II. 1008. III. 1124. I. 1137. III. & alibi ſæpiſſime. Vide etiam *Apoſtolatus.*
Prædicatoribus verbi victus debitus. 52. V. 57. XXII.
Prædicare verbum populo coram Epiſcopis, haud permiſſum presbyteris in Africa, ante Auguſtinum. 391. III.
in Præfationibus Miſſæ, natalitiis Sanctorum, recitari olim ſolitæ res geſtæ illorum ſummatim collectæ. 109. X.
Præfationes nouem Eccleſiæ Rom. tenendas præcipit Pelagius Papa Epiſcopis Germaniæ & Galliæ. 590. II.
De decem obſeruandis, & aliis non addendis, decretum edit Alexander Papa III. quod confirmatur in Concilio Angl. 1175. I.
Præfectos & Præſides Prouinciarum, ſubiectos eſſe Epiſcopis, decretum in Concilio Arelatenſi, aſſenſu Conſtantini Magni. 314. VIII.
Eorum ſententia præualere Epiſcoporum iudicia; hoſque illorum iniquas ſententias reſcindere poſſe; conceſſit idem Conſtantinus. 319. XI. Vide *Epiſcopi & Iudicia.*
Præfectis imperabant Epiſcopi. 411. I.
Iiſdem præpoſitos eſſe Epiſcopos, ne quid ab illis contra iuſtitiæ ordinem committeretur, voluit Iuſtinianus. 527. IV. 535. I.
itemque eoſdem voluit iurare Epiſcopis legum obſeruationem. ibid.
Super eos pariter inuigilare Epiſcopos decreuerunt Concilia antiqua Galliarum & Hiſpaniæ. 593. VIII.
Eoſdemque Epiſcopis obedientes eſſe, iuſſerunt Concilia Mogunt. & Cabilon. ſub Carolo Magno. 813. VI.
Cum Præfectis concordes eſſe Epiſcopos, magnopere conducere, monuit Gregorius Magnus. 596. II.
Præmonſtratenſis Ordinis inſtitutio per S. Norbertum. 1120. IV.
Dilatatur etiam in Oriente. 1131. IV.
Præputium ſibi adducebant Iudæi, deficientes ad Gentes. 57. XXI.
Prærogatiua Sedium Patriarchalium. Vide *Patriarcha.* Romanæ Sedis, vel Conſtantinopolitanæ, &c. vide ſub propriis ſingularum nominibus.
Præſagia de futura clade Hieroſol. 65. I.
Quæ de eadem clade, & ſecundo Domini aduentu, ipſe Dominus prænuntiauit, quomodo ſint accipienda. 68. XIV. 72. VI.
Præſagium triſte de interitu Conſtantii Imp. 361. IV.
Multa, interitus Iuliani Apoſtatæ. 362. LXII. 363. I. VIII. X. XII.
Futuræ Perſecutionis Valentis. 365. IV.
Interitus eiuſdem Valentis. 378. VII.
Obitus Theodoſii Magni. 394. V.
& Caroli Magni. 811. VI. Vide etiam *Vaticinia. Prodigia. Cometa.*
Præſcriptionis centum annorum priuilegium concedit Iuſtinianus Imp. prædiis

Eccle-

Eccleſiæ. 535. II.
Reſtituitur poſtea ad annos quadraginta. 541. IV.
Præſentationis Chriſti, ſiue Occurſus dicti, vel Purificationis B. Mariæ, ſolemnitas, Romæ ab abolenda Lupercalia introducta. LIX. In eam quoque conuerſi cerei, accendi ſoliti in Saturnalib. 58. XXVIII.
Præſepe Domini, quale. Annal. nu. I. & III. Magno honori habitum. ibi.
Præſides. Vide *Præfecti.*
Præſtigiæ Simonis Magi. 68. VII. Apollonii Tyanæi 68 XII. Alexandri, diſcipuli eiuſdem Tyanæi. 145. VI. Philumenes, ſcorti Apellis hæreſiarchæ. 146 IX. Marci, diſcipuli Valentini 175. VIII. Pſeudoprophetiſſæ cuiuſdam, ſub Maximino Thrace. 237. IV. Bonis Britonis. 1143. II. Vide etiam *Magia.*
Præ exteris Ethnic. nobiliſſimi dictum, de Romanorum Pontiff. Chriſtianorum regio ſplendore. 367. IV.
Prætextatus Rothomagenſis Epiſcopus, calumniis impetitus apud Regem Chilpericum, eo agente damnatur in Concilio Pariſienſi, & flagellatus pellitur in exilium. 580. I.
Diu multumq; afflictatus ab impia Fredegunde, demum necatur intra Eccleſiam ſuam ad altare preces agens, & colitur vt martyr. 589. II.
Praxeas primo Catholicus, Montani hæreſi monet Romanum Pontificem. 173. II.
Poſtea lapſus & ipſe in hæreſim, damnatur Romæ, & denuo recantans palinodiam, iterum relabitur. 196. VII. Ab eo Manichæi, & Patropaſſiani hæretici. ibid.
Praxedis virginis nobiliſſ. Rom. pia officia erga Chriſtianos in perſecutione & ſanctus obitus. 164. V.
Praxedes coniux Henrici III. Imp. alio nomine dicta Adelais. Vide in *Adelais.*
Precum agendarum varii antiquorum Chriſt. ritus. 58. XI. & ſeqq. 102. itemq; Gentilium, & Iudæorum. ibid XLII. Proprius locus, eccleſia. 34. LXXIII 51 XX. Horariarum inſtitutio. 34. LXXII. 51. XIX. XX
Nocturnæ, Matutinæ, Lucernariæ, Veſpertinæ. ibid.
Precandi ad Orientem ritum, vnde Chriſtiani ſumpſerint. 34. LXIV. in fin. Vide *Oriens.*
Precum formula à Conſtantino Magno militibus præſcripta 321. V.
Preces pro Regibus hæreticis, & infidelibus, ag. conſuetæ ab Epiſcopis ſub eorum domi. iis exiſtentibus. 506. I.
Precatores dicti hæretici Maſſaliani, quod ſemper orandum dicerent. 361. VIII. Vide etiam *Oratio.*
Presbyteræ, quæ feminæ dictæ apud antiquos. 34. LXXXII.
Harum procacia in coniungendo ſe aliis viris, anathemate reſecta in Synodo Ro. 721. I.
Presbyteri, & Epiſcopi nomina olim communia, functio & poteſtas ſemper diſtincta. 58. II. & ſeqq. Vide *Epiſcopi & Sacerdotes.*
Presbyteri, qui & Seniores, ſucceſſerunt loco 72. Diſcipulorum Domini. 58. IV.
Viginti quinque ordinati Romæ & Cleto Papa, ex præcepto S. Petri. 93. I. His Euariſtus diuiſit Titulos, hoc eſt eccleſias. 112. III
Vnius vxoris viros eligendos eſſe quomodo intellexerit Paulus. 58. VI. & ſeqq. Sæpe variis occaſionibus ordinati coniugati, ſed mox abſtinuerunt vſu coniugii ibid. VIII. &c.
Apud Pepuzianos, erant feminæ. 173. XI.
Pœnitentiarius, quando in Eccleſia inſtituti. 255. II. Vide *Pœnitentia.*
Presbyteri 80. legati ab Orthodoxis Conſtantinop. ad Valentem Imp. Arianum, eius iuſſu nauigio in altum ducti, igne cremantur. 370. VI.
Presbyteri cuiuſdam aliud ſimile ſupplicium ſub eodem Imp. ibi.
Alius quidam Sirmienſis, à Valentiniano necari iuſſus, quod reum apud ſe latitantem prodere noluiſſet. 372. XV.
Presbyter à S. Martino prælatus Imperatori. 386. VIII.
Iis in Eccleſia Alexandr. poſt lapſum Arii, haud conceſſum docere populum, ſed tantum Epiſcopis. 315. XI
In Africa ante Auguſtinũ, haud permiſſum populo prædicare coram Epiſcopis. 391. III.
Eorum diſſidia cum diaconis de vtriuſq; auctoritate, quouſque olim proceſſerant, & qui de iis canones editi. 402. XII.
Prete-Iannus, ſiue vulgo dictus Rex Æthiopum, petit ab Alexandro Papa III. plane inſtrui de fide & ritibus Eccleſiæ Rom. 1177. X.
Prima Sedes omnes iudicat, & à nemine iudicatur 302. XVII. 224. XXX 493 III. 499. VI. 502. V. 800. II. 772. 963. III. 968. 965. I 869. 1076. V. 1159. IX. Vide etiam *Romana Eccleſia. Romanus Pontifex.*
Primaſius inſignis Epiſcopus Africanus, ſcribit in Apocalypſim Ioannis. 504. II. in fin.
Exulat cum aliis in Sardinia. ibid.
Quo tempore vixerit, & an interfuerit Quintæ Synodo Occumenicæ. 553 VII.
Primatus qua occaſione, & quo tempore, collatus Petro a Domino. 31. X. 33. VI. 34. LIX.
Is temper ab vniuerſa Eccleſia agnitus. ibid. Vide in *Petrus.*
De Primatu ſemper orta quæſtio inter Apoſtolos, cum viderent alium quempiam prærogatiuis augeri, præter Petrum. 34. XIII.
Primatus ei collatus, tranſit ad eius ſucceſſores. 54 LIX.
De Primatu Romani Pontificis quid ſtatutum in Concilio Nicæno. 325. XXXIII. & ſeqq.
Firmatur à Iulio Papa, contra Arianos. 342. V. VIII. & ſæpe à Gelaſio 493. III. 494 LIII. 455. II. & a Pelagio, aduerſus præſumptionem Iohannis Conſtantinop. 587. II Agnoſcitur etiam a Iuſtiniano Imp. 533. III. 534. II. Vide *Romanus Pontifex & Vniuerſalis.*
Primatus Eccleſiaſticus non ſequitur regias & Imperatoris vrbes 495. II.
Primogeniti Dei ara, erecta Romæ ab Augusto Imp. Appar. XIII.
Primogenitus Satanæ dictus Simon magus ab Ignatio. 35. XIII. & Marcion à Polycarpo. 167. V.
Princeps Epiſcoporum, titulus Romani Pontif. 165. IV.
Principes ſacerdotum plures apud Iudæos, ſed vnus Summus Sacerdos. 31. V. Apud Chriſtianos ſic dicti Epiſcopi Metropolitani. 397. XVII. Vide *Sacerdos Summus.*
Principes luunt peccata magiſtratuum. 381. XV.
Fruſtra ſanciunt leges aduerſus mala occurrentia, niſi fontes malorum exſecent. 439. IV.
Quanto periculo laceſſant Eccleſias & Sacerdotes. 385. V. ſe immiſceant iudiciis Eccleſiaſticis. ibidem. VI (Vide *Iudicia Eccleſ.*) & legibus Eccleſiaſticis ſanciendis. 528. I. 541. III. (vide *Eccleſ. cauſa.*) Sibi vſurpent bona Eccleſiaſtica. 536. XIV. (vide *Bona.*) Se immiſceant rebus ſacris. 545. III. 549. III. 629. I. 660. I. 836. II. 1002. III. Tollant, vel minuant iura Eccleſ. 701. VII. 1100. VI. VII. 1148. XIII. 1155. II. Sunt in Eccleſiis, vt eius auctoritas aduerſus refractarios ſarta tecta cuſtodiatur. 445. V. 528. I 787. III. 825. III. Vide etiam *Reges & Imperatores.*
Principibus ſæcularibus ſubdunt ſpiritalia, Politici, Henriciani hæretici. Vide *Politici. & Henriciani.*
Pro Principibus hæreticis, & infidelibus, preces fuſæ ab Epiſcopis Catholicis, ſub eorum dominio exiſtentibus. 507. II.
Eorum tamen iugum, cum licitum fuit, excutere quæſierunt. 558. IX.
A Principum hæreticorum, & perſecutorum obedientia, reuocati ſubditi per Romanos Pontiff. 730. II. Vide *Fidelitas.*
Principum, & magiſtratuum ſæcularium auxilium rite imploratum aduerſus hæreticos. 385 VII.
Principum Tituli Vide *Tituli.*
Principia duo vnum bonum, alterum malum, conſtituit Cerdon. 146. II.
Duo item, vel tria, aut etiam nouem, Marcion. ibid. V.
Eadem quoque duo æterna, ex Pythagorica doctrina Scythianus hauſit. 277. III.
Terebinthus auxit. ibid. IV. & Manes, ac Manichæi, vbique propagant, & acriter propugnant. ibi. VIII.
Priſcilla, & Maximilla, pſeudoprophetiſſæ Montani. Vide *Maximilla.*
A Priſcilla dicti Priſcilliani hæretici, diuerſi a Priſcillianiſtis. 173. XI.
Priſcillianus hæreſiarcha, & magus, corrumpit Hiſpanias. 381. XIV.
Eius mores, & hæreſes. ibid & XVI
Damnatur in Synodo Cæſarauguſtana. XIV.
Epiſcopus Abilenſis creatus, edicto Gratiani Imp. eiicitur ex Hiſpania. ibid.
Petens Italiam, reiicitur à Damaſo Papa, & Ambroſio Mediolanenſi: ſed ſubrepto ab Imperatore edicto, reſtituitur Eccleſiæ. ibid.
Mortuo Gratiano, damnatus in Synodo Burdegal. prouocat ad Maximum Imp ſed perſequentibus eum Catholicis, iuſſu Maximi pœnas capite luit. 385. V.
Mortuus colitur à ſuis martyr. ibid.
Priſcillianiſtæ hæretici, Gnoſticorum & Manichæorum dogmata maxime ſecuti, reliquorum etiam omnium ſordibus inquinati fuerunt. 381. XVI.
Praua eorum dogmata. ib. & XVII. Vide ſupra in *Priſcillianus.*
Exagitantur diuerſis pœnis à Theodoſio Iuniori. 410. XIV. & ſcriptis Leonis Papæ, ac Conciliis in Hiſpania aduerſus eos celebratis. 447. I & I.
Priuatus hæreticus damnatur in Concilio Lambeſitano Africæ, & à Fabiano PP. excommunicatur. 242. III.
Aduerſus S. Cyprianum creat pſeudoepiſcopum Carth. Fortunatum ſchiſmaticum. 255. III.
Legationem mittit ad Cornelium PP. quæ ab eo reiicitur. ibid.
Priuatus Gabalitanus in Gallia Epiſcopus, martyr ſub Valeriano. 261. VII.
Priuilegia Eccleſiæ Rom. Vide *Romana Eccleſia.*
Priuilegiis à Roman. Pontiff. Eccleſiis, vel monaſteriis, aut Xenodochiis conceſſis, ſolita appoſi comminatio excommunicationis, & priuationis dignitatis, in Antiſtites, & Reges ea violantes 593. VI.
Conceſſa ab Apoſtolica Sede, non debent ipſi præiudicare. 1070. XLIV.
Proba Faltonia, inſignis pietate & poeticis facultatibus femina, Conſulum filia, vxor, mater, a ſanctiſſ. viris plurimum laudata. 395. II.
Falſo ei impacta Vrbis proditio, in obſidione Alarici. 410 IV.
Fugiens tunc in Africam vna cum nuru & nepte, Sale habitæ ſunt ab Heraclia

no tyranno. ibi. VII.
Probus Anicius. Vide *Anicius*.
Probus Imp. eligitur. 279. II.
Gallias à Germanis vindicat. 280. III. ibid
Aliæ eius victoriæ de diuerſis barbaris. ibid. & ſeqq.
Necatur à ſuis. 283. I. ibid.
De annis eius Imperii. ibid.
Proceſſionum vſus in antiqua Eccleſia. 58. XLV. 188. X. 401. VIII.
Eædem dictæ Litaniæ, & Rogationes. ibid. & vide etiam ſub his nominibus.
Interdictæ ab Arcadio Imp. Arianis. 58. XLV. 400. XVI.
Prochori Diſcipuli Domini nomine, ſuppoſiti Actus Iohannis Euangeliſtæ. 44. XXIV.
Proclus Conſtantinop. Eccleſiæ presbyter, Chryſoſtomi diſcipulus, ordinatus Cyziceni Epiſcopus, non recipitur ab eo populo. 426. II.
Eligitur Conſtantinopol. Epiſcopus ex diſpenſatione Romani Pontific. 434. I.
Agit aduerſus ſcripta Diodori Tarſ. & Theodori Mopſueſt. 435. II
Transferendum curat corpus S. Ioannis Chryſ. ab exilii loco Conſtantinopolim. 438. I.
Sub eodem facta inuentio Reliq. SS. XL. mart. ibid. III.
Sub eo pariter celebratum Concil. de diœceſeon Alexandr. & Antioch. diſtinctione. 439. IX.
Sancte moritur. 446. IV.
Proclus philoſophus, & hariolus, ſcribit contra Chriſtianos, ſub Anaſtaſio Imp. 541. IX.
Inuenit ſpecula ærea vſtoria, ad comburendas naues Vitaliani. ibid.
Proclus Montani diſcipulus, confutatur Romæ publica diſputatione à Caio Theologo, coram Zepherino Papa. 215. I.
Ex eo dicta ſecta Montaniſtarum, Kata Proclum. 173. X.
Proconſularia Acta, quæ dicerentur. 258. I.
Proconſulare in Africa Concilium, aduerſus hæreſim Monothelitarum. 646. I.
Procopius Iuliani Apoſt. propinquus, ab eo induitur ſecreto ad aras purpura. 363. VIII.
Iuliano extincto, inuadit Imperium, & valde conſtringit Valentem. 365. VII.
Derelictus tandem à ſuis capitur, & capite truncatur, quod à Valente miſſum eſt Parſios vſque ad fratrem Valentinianum. 366. II.
Procopius hiſtoricus, datur à Iuſtiniano conſiliarius Beliſario in bellis gerendis. & quæ videt ſcribit. 527. V. 533. VII.
Vbi terminet hiſtoriam Belli Wandalici. 545. IV.
Et Gothici. 553. II.
Scripſit etiã librum, de Iuſtiniani, eiuſque coniugis Theodoræ, deque Beliſarii vituperationibus. 561. III.
Prodicus auctor impuriſſimæ ſectæ Adamitarum. 120. XVIII.
Alia eius praua dogmata. ibid.
Verum fuerit ex Valentini diſcipulis. XI.
Prodigia apud Gentiles de Chriſti aduentu Appar. XIII. XIV.
Alia perperam tributa Chriſti natiuitati. Annal num. IV. V.
Ingentia in Paſſione Domini. 34. XXXVII. XXXVIII.
In monte Oliueti, in memoriam eius Aſcenſionis. 34. LXIV.
De futuro excidio Hieroſol. 65. I. 68. XIII. XIV.
Sub Nerone, de religione in melius mutanda. 99. X.
Ante ſcriptionem Euangelii Ioannis. 99. II.
Aduerſus Traianum in bello Agarenico 114. II.
Sub eodem, de vaſis conflatis ex cineribus quinque virginum martyrum. 118. I.
In perſecutione Decii, contra Lapſos. 253. VI.
In Aurelianum Imperatorem in ſubſcriptione perſecutionis aduerſus Chriſtianos. 273. II.
In Galerium, perorantem contra religionem Chriſt. 301. VI.
Pro cuſtodia pudicitiæ virginum Chriſtianarum, tempore perſecutionum. 301. VIII.
Lapidum aqua madentium in ſumma ſerenitate. 307. V.
De futura Conſtantini victoria aduerſus Licinium. 317. II. 318. III.
Aduerſus Arianos. 340. X.
In ingreſſu Imperii Iuliani Apoſt. 361. III.
In ædificatione templi Hieroſolymitani, à Iudæis ſub Iuliano ſuſcepta. 363. III.
In Valentem Imp. in ſubſcriptione exilii Baſilii Magni. 370. VIII.
In expulſione Ioannis Chryſoſtomi. 403. VI. 404. VIII.
De futura per Longobardos Italiæ clade. 567. IV.
Sub Phoca, de malis obuenturis. 607. III.
Sub Heraclio, de inualituro Arabum Imperio. 631. I.
Sub Leone Iſauro, ad ortum hæreſis Iconomachorum. 726. IV. 740. IV.
Sub Copronymo, pariter Iconoclaſta. 742. I. 746. I. 749. I. 763. III.
Crebra in Oriente, & Occidente, ſub Michaele Balbo, & Ludouico Pio. 833. II.
In Germania aduerſus ſchiſmaticos Henricianos. 1117. II. 1120. IV.
Et alia ſæpe alibi. Ac vide etiam *Præſagia. Vaticinia. Viſio diuina. Miracula. Crux Apparitio. Clades. &c.*
Profeſſio Schiſmaticorum Trium Capitul. redeuntium ad Eccleſiam. 602. II.
Schiſmaticorum, ſequacium pſeudopontificum Rom. reuertentium ad obedientiam legitimi Papæ. 1179. IV.
Profeſſores dicebantur, qui ſe ſponte martyrio offerebant. 253. XI. Vide *Martyres*
Profeſſores artium liberalium Chriſtiani, à docendo interdicti per Iulianum. 362. LVIII.
A Valentiniano & Valente reſtituti. 364. VIII.
Eorum certum numerum Conſtantinopoli definit Theodoſius Iunior; & qui 20. ann. docuiſſent, Comitum dignitate honeſtari voluit. 425. Vide etiam *Schola*.
Promiſcuitatis vxorũ, falſo accuſati Chriſtiani a Gentilibus. 43. IV.
Pronuntiationis primam omnium monadem, introduxit Heracleon hæreſiarcha. 175. VII.
Propagatio fidei. Vide in *Fides*.
Prophetas repudiarunt apud Iudæos Samaritæ, & Doſithei. Appar. VIII.
Inter Chriſtianos hæreticos, Simon magus. 35. XII.
Cerdon, & Marcion. 146. II. V.
Apelles. ibid. IX.
Manichæi 277. X. & alii plurimi hæretici.
Prophetias, alias ab Angelis, à Satana alias eſſe reuelatas, dixit Saturninus. 120. XI.
Prophetas nouos, ad errorem ſuum nobilitandum, excogitauit Baſilides. 120. V. itemque Archontici. 175. X.
Prophetam ſe Mahometis mentitur. 630. I
Prophetia antiquiſſima de Chriſto venturo, reperta ſub Conſtantino & Irene Impp. 780. IV. Vide etiam *Vaticinium. Oraculum.*
Propheteſſa mulier Galla innoteſcit, & probatur ab Alex. III. P. Tertio. 1180. I.
Pſeudoprophetia Montani, quando orta. 173. I.
Pſeudopropheteſſa ſub Maximino Thrace, multos præſtigiis decipit, ſed impoſtura ab exorciſta detegitur. 237. IV. Alia punitur in Concilio Moguntino I. ſub Rabano. 847. VII. Vide etiam *Præſtigia*.
Proſper Aquit. vna cum Hilario Arelat. defenſionem ſuſcipit ſcriptorum S. Auguſtini 426. IV. V. Vide *Hilar. Arelat.*
Reuiuiſcenti in Occidente hæreſi Pelagianæ ſe validis ſcriptis opponit. 433. II.
Vocatur à Leone Papa aduerſus eiuſdem hæreſis ſectatores, retineturque ab eo ad reſponſiones conſultationum. 444. II.
Eius Chronici terminus. 445. VII.
Moritur. 466. IV.
Proterius creatur Epiſcopus Alexandr. in locum Dioſcori Eutychiani expulſi. 451. IV.
Mittit Romam profeſſionem fidei, & Alexandriæ celebrat Concilium pro reducendis Eutychianis. 455. IV.
Crudeliſſime occiditur ab illis in eccleſia. 457. IV.
Protopaſchitæ, iidem & Sabbatiani dicti: Vide in *Sabbatius*.
Prudentia carnis, maxime damnoſa Eccleſiæ Dei. 877. IV. 882. I. 1168. IV.
Pſalmiſtæ, ſiue Cantoris officium, in antiqua Eccleſia. 44. XXXIII. XXXIV.
Pſalmodia diurna, nocturnaque, ab ipſo exordio viguit in Eccleſia. 384. III. Vide *Cantus. Hymnus.*
Pſalmus Abecedarius ab Auguſtino compoſitus aduerſus Donatiſtas. 392. VI.
Alius rhytmicus à Iuſtiniano Imp. editus contra Eutychianos. 534. III.
Pſalterium 70. Interpp. ab Hieronymo emendatum, à Damaſo Papa canendum traditum Eccleſiæ Occidentali. 348. III.
Integrum cantari ante ſacrificium, ſtatuit Cæleſtinus Papa. 432. II.
Pſaltriæ mulieres, & fidicinæ, ſublatæ a Theodoſio Mag. 385. IX.
Pſatyriani hæretici, Arianorum progenies, dixerunt idem eſſe in Deo, Gignere atque Creare. 360. XI.
Pſellus vir doctiſſ. quo tempore floruerit. 859. VII.
Pſeudoprophetæ. Vide in *Propheta*.
Pſeudoſynodi: in *Conciliabulum*. & alia eiuſmodi compoſita, vide in ſuis ſimplicibus.
Pſychici. Vide *Animales*.
Ptolemæi, Valentini diſcipuli, deliria de Æonibus. 175. VII.
Ptolemaidenſe Concil. ſub Syneſio Epiſcopo, aduerſus Andronicum Præfectum Pentapolis, qui ibi excommunicatus eſt. 411. XI.
Publiæ matronæ, inſignis ſub Iuliano Apoſt. confeſſio. 362. XXIX. Verum ea fuerit mater Ioannis Chryſoſtomi. ibi.
Publicani apud Iudæos & Græcos, peſſimæ exiſtimationis, apud Romanos honeſtæ. 31. XXVI.
De illorum munere, & variis nuncupationibus. ibid.
Publicani hæretici, qui & Albienſes. 1179. III.
Pudens Senator Rom. conuertitur ad fidem, & S. Petrum in domum ſuam recipit. 44. XXVIII.
Ea domus conuerſa poſtea in eccleſiam, dictam Titulum Paſtoris ibid.
Vniuerſa eius familia, poſt multa pietatis officia reliquis Chriſtianis in perſecutione exhibita, ſancto fine quieſcit. 164. V.
Pudicitiæ conſeruationi quomodo prouiderit Conſtantinus. 315. IV. Vide *Virginitas. Continentia.*
Puerorum ludus de myſteriis Chriſt. quo illi ab Athanaſio & ipſo tunc puero baptizati ſunt. 315. VIII.
Pueros à ſalute reiiciebant Hieracitæ. 289. IV.

Pue-

Puerorum publicas libidines ſuſtulit Conſtant. Mag. 315 IV.
Puer ſeptennis diuinitus docet modum deſtruendi Marnæum Gazenſium 401. VIII.
Alius apud Antiochiam crucifigitur à Iudæis. 415. VIII.
Alius Iudæus, à patre ob Chriſtianitatem in rogum iniectus, diuinitus manet illæſus. 523. III 522. V.
Alterius Aſri egregia confeſſio ſub Genſerico Wandalorum Rege. 437. I.
Puer Conſtantinop. mirabili planè modo diuinitus diſcit hymnum Triſagii, docetque alios. 446. II.
Filius Dagoberti Franc. Regis. 40. tantummodo dierum, in baptiſmo reſpondet Amen. 719. VI.
Puer nouem dierum, clara voce Sergium Papam purgat ab accuſatione inceſtus. 699. II.
Puer nondum quinquennis, electus Archiep. Rhem. tuncque primum introducta puerorum electio. 925. II.
Introducitur etiam in Eccleſiam Conſtantinop. 933. III. & in Sed. Apoſt. 1033. II.
Puer patrem numquam viſum agnoſcens, liberat matrem à ſuſpicione adulterii. 1001. IV.
Alius in Anglia crucifigitur à Iudæis. 1146. II.
Alius 12. annorum, diuinitus conſtruit pontem Auenionenſem. 1177. XV.
Pulcheria filia Arcadii Imp. virgo Deo dicata, anno ætatis 16. fit à fratre Theodoſio conſors imperii. 415. X.
Habuit tres alias ſorores, æque Deo dicatas. ibi. Quam bene Theodoſium inſtituerit, quamq. felix ſub tali regimine Imperiũ. ib. Agit apud fratrem pro Catholicis Epiſcopis, a Neſtorianis Epheſi preſſuras patientibus. 431. XIX.
Ideoque ab iiſdem Neſtor. patitur calumniam inceſtus cum fratre. ibidem. XXIV.
Erigit templum in Blachernis, in honorem B. Virginis, vindicatę à blaſphemiis Neſtorii. ib. XXI I. Fit ei reuelatio diuinitus. Reliquiarum SS. XL. mart. 438. III.
Calũniis apud Theodoſium impetita à Chryſaphio eunucho, ſecedit ab adminiſtratione, magno Imperii damno. 446. V.
Reſumit habenas, & Theodoſium reducit à fauore Eutychetis hæreſiarchæ. 450. I.
Poſt obitum Theodoſii, Marcianum euehit in Imperiũ, titulo coniugii, ſalua virginitate. ibid. IV. Tentatur fruſtra ab Eutychianis. 452. VI.
Sanctè moritur, omniaq; ſua bona pauperibus legat. 453 III.
Puluerem ſpargere, vel excutere, ſoliti Iudæi in maledicendo, vel vindictam petendo 46 IV 58 LIX.
Puluis ſepulchrorum SS. pellit morbos, & ſuſcitat mortuos. 55. III. 416. VI. 574. III.
Pupienus Imper. vna cum Balbino. Vide *Balbinus.*
Purgationis per ignem, Ferrũ candens, Aquam calidam, & frigidam, Euchariſtiæ ſumptionem, Monomachiam, vide ſub ſingulis iis nominibus.
Per Iuramentum ad ſacras Martyrum reliquias. 412. VI. 592. II. 595. VII.
Purgationes diuerſæ Rom. Pontiff. de variis impoſitis iis criminibus earumque ritus. 443. III. 502. II. 555. II. 800. II. 823 I. 1054. II. 1077. II Canonicæ diuerſi generis aliorum Epiſcoporum, & ſacerdotum 583. V. 592. II. 595. VII. 772. III. 843. I. 491. II. 1049. V.
Purgatorii doctrina, ex traditione Apoſtoli. 254. XCIII
Eadem miraculis, diuinis reuelationibus & continua Eccleſiæ approbatione confirmata. ibid
Error quorumdam antiquorum, de eius numia virtute. ibid.
In Purgatio conſtitutus Paſchaſius diaconus, miracula edit. 505 IV. Negarunt illud Apoſtol. ci hæretici. 1147. XIII. Vide *Defunctis Suffragia.*
Puſices Præfectus artificum Regis Perſarũm, martyrium ſubit, vna cum filio, pro fide Chriſt. 343 III.
Pyrrhus monachus Monothelita, eligitur Epiſcopus Conſtantinop. 639. IV.
In ſuſpicionem adductus conſpirationis in Imper. recedit in Africam. 642 I.
Diſputatione publica cum Maximo Abbate habita conuincitur; & conuerſus, Romam petit, libellumque pœnitentiæ offert, recipiturque cum titulo Patriarchatus. 645. I. ibid.
In errorem relapſus, excommunicatur à Theodoro PP. diriſſimo anathemate, de ſanguine Chriſti in atramentum diſtillato. 648. II.
Reſtituitur in ſedem Conſtantin. & paulo poſt moritur. 652. III.
Damnatur eius memoria in Sexta Syn. 681. II.

Q.

QVadrageſimę Ieiunium, ex inſtitutione Euangelica, & Apoſtol. 57. LVII.
Quam exacta eius apud antiquos obſeruantia. Diuerſus diuerſarum Eccleſ. vſus in numero dierum. ibid. LVIII Eius inſtitutio qua ratione tributa Teleſphoro Papæ. 136. I. Corrumpebant eam Armeni. 685. II. 863. V.
Quadrageſimas tres in anno fecille Montanum; quomodo dixerit Hieronymus 173. VI.
Quadrageſimæ tempore fieri ſupplicia, vetuit Theodoſius Magnus. 389. XIII.
Quadrageſima S. Martini, quæ dicta in Galliis. 581. VI.
Quadraginta Militum Minori Armenia inſigne ſub Licinio martyrium 316. IV.
Eorum reliquiarum facta diuinitus reuelatio Pulcheriæ Aug. & translatio Conſtantinopolim. 438 III.
Quadraginta Virginum Macedonia illuſtre ſub Licino martyrium. 316. IV.
Quadraginta ruſticorum martyrium ſub Longobardis. 579. II.
Quadraginta captiuorum ſub iiſdem aliud martyrium ibid.
Quadratus diſcipulus Apoſtolorum, Athenienſis Epiſcopus, Apologiam offert Hadriano Imp. pro Chriſtianis, & perſecutionis ceſſationem impetrat. 128. I.
Quadradecimani Aſiani, Paſcha celebrantes 14. luna more Iudaico, tolerantur aliquamdiu in Eccleſia. 159. I. II. Re in ſchiſma & hæreſim tranſeunte, iidem excommunicantur à Victore Papa. 198. I. III.
Qua in re ab eis diſſerent Montaniſtæ, eadem pariter die Paſcha celebrãtes ib. III. ac poſtea Scoti. 633 IX.
Eorum error fuit ex parte cauſa celebrationis Concilii Nicæni. 325. IV.
Is ibi proſcriptus à Patribus. ibidem. XXIX. Perdurat tamen adhuc in multis prouinciis. 198 IV.
Reſtituit Audæus hæreſiarcha, damnatus ea de cauſa in Concilio Antiochen. in Encæniis. 341. X. XII.
Iidem exagitantur in Aſia à Io. Chryſoſtomo. 400. XV.
Quaſi, vxor, quo ſenſu accipiatur in Scriptura 51. VIII.
Quaternitatem perſonarum in Deo, introducebant Theodorus Mopſueſtenus, Diodorus Tarſenſis, Neſtorius, & alii qui duos Dei Filios conſtituebant. 435. II.
Vide *Filius Dei* & *Theopaſchitæ*. Eam in eccleſia cantari iubens Anaſtaſius Imp. ingentem concitat in ſe populi Conſtãtinop. ſeditionem. 511. I.
Quatuor Coronatorum martyrium inuẽtio ſub Iuſtiniano Imp. qui eorum virtute ſanatus eſt a grauiſſ. morbo. 560 I.
Quatuor germani, martyres ſub Iuliano in Galliis. 362 LIII.
Quatuor Imp. vnanimiter regnant, tempore Diocletian. 292 III 301 II.
Quatuor Fratres Epiſcopi in Hiſpania, ſanctitate & ſcientia conſpicui. 531. II.
Quatuor Temporum ieiunium ex inſtitutione Apoſtolica. 57. LXII.
ad Quercum Synodus, aduerſus Chryſoſtomum. 403. III.
Quindecim annorum peracta periodo, milites ſub Conſtantino honeſtam miſſionem conſequebantur. 312 XVI. Cur totidem annis numerentur Indictiones. ibid
Quinquennale certamen Capitolinũ triplex, inſtitutum a Domit. Imper. 88. II.
Quinta Synodus Oecumenica colligitur Conſtantinopol. à Iuſtiniano Impe. ac. ex Vigilii Papæ ſententia, aduerſus Tria Capitula, & Origenis errores. 553 III.
Quam præpropere res geſta fuerit ab Imper. ib. IV.
Qui & quot Epiſcopi interfuerint. V.
Noluit ei Vigilius intereſſe, licet ſæpe honorificentiſſime inuitatus. VI. VII.
Qualis ea Synodus, & quomodo quæ contra ſententiam Pontificis, item de Tribus Capit. definiuit, poſtea nomen meruit Oecumenicæ. XIII. XV. Eius Acta corrupta, aucta & mutilata ab hæreticis. X XI. XVII. XVIII. XIX. Non fuit in ea actũ de fide, ſed de perſonis; ideoque a pleriſque non eſt connumerata inter alias, XV. Eius occaſione auctæ diſſenſiones in Eccleſia: XIII. XIV. In ea quoque damnatus Origenes, cum ſuis erroribus XVII. Ad eius prætenſum ſupplementum poſt 140. annos celebratur Conſtantinopoli Concilium dictum Quinisextum. 692 II. & ſeq.
Quiniſexta dictá Synodus erratica, ad ſupplementum Quintæ & Sextæ Oecumenicarum. 692. I. Reſpuitur à Ro. Pontiff. & Patriarchis Orientis. ibidem. III. IV. 705. II. Eius canones quales, & quomodo iis aliquando vti Orthodoxi. 692. II. IV.
Vocatus ea de cauſa Conſtantinus PP. à Iuſtiniano Imperat. in Orientem, ſatiſfacit ei de iis nõ recipiendis. 710. II.
Quintilineburg. Concil. in Germania, contra errores Wecilonis pſeudoepiſcop. Moguntini. 1085. II.
Quintiliani hæretici, ſecta Montaniſtarũ, a Quintilla pſeudoprophetiſſa. 173. XI.
Quintillus, poſt fratrem Claudium, Imperium ſumit, & ob ſeueritatem, 170 die à ſuis occiditur. 171. I
Quirinus Epiſcopus Sciſcianus, illuſtre conſummat in flumine martyrium, ſub Maximino. 308. IV.
Quirinus, ſiue Cyrini, cenſus. Vide *Cyrinus.*

R.

RAbanus Fuldenſis Abbas abdicat ſe quietis amore. 838. III.
Creatur Moguntinus Epiſcopus. 847. VI.
Plura celebrat Concilia, pro reformatione Eccleſ. 847. VI. 848. II. 852. IV. Moritur, & laudatus. 856. IV.
Racha, ſiue Richa, vox contumeliæ apud Hebræos. 32 V.
Radbodus Friſonum Rex, Chriſtianæ fidei infenſiſſimus, prædicatores Euangelii necat. 695. I.
Libertatem religionis concedit. 700. I. Baptiſmum ſuſcipere perſuaſus, impia mente reſilit, moriturque abſque eo. 719. II.

Radegundis filia Bertharii Regis Thuringiæ, captiua adhuc paruula abducta a Clotario Franc. Rege, nobilis facta, ab eo ducitur in vxorem. 527. X. Eius ſancta educatio, & præſagia eminentiſſimæ perfectionis. ibidem. Vidua relicta, monaſticam vitam amplectitur Pictauis. 566. VI. Sæpe mittit in Orientem, ad perquirendas ſacras Reliquias. ibid. Moritur, & corpus eius miraculis claret. 590. VII.

Radulphus intruſus Patriarcha Antioch. erigens ſe contra Sedem Apoſtol. poſt damnationem, & varias iactationes, demum infeliciter perit. 1136. V.

Radulphus eremita, prædicator necis Iudæorum, compeſcitur à S. Bernardo. 1146. II.

Rami arborum à Iudæis deferri conſueti in ſolemniis diuinis. 34. III.

Ratherius Veronenſis Epiſc. nobilis ſcriptor, pulſus à ſuis, præficitur Eccleſiæ Leodienſi, indeque eiectus reſtituitur Veronam, ac rurſum pellitur. 954. VII. Moritur in monaſterio ſuo. ibid.

Ratiſponenſe Concil. contra Felicem, & Elipandum, Epiſc. Hiſp. Neſtorianiſmũ inſtaurantes. 792. I.

Rauennatibus datus à Petro Apoſt. primus Epiſcopus, Apollinaris poſtea martyr. 75. III. Habuerunt Antiſtites Pallium, & alia priuilegia, a Rom. Sede, non ab Impp. 432. X.

Minatur ea auferre Simplicius Papa, ob prauam adminiſtrationem Ioannis Epiſcopi. 482. V.

Confirmat ea Gregorius Mag. in gratiam Mariniani. 595 X.

Eiuſdem Eccl. Epiſcopus Maurus, ob contumaciam excommunicatus a Vitaliano Papa, eamdem in Vitalianum ſententiam, fretus potentia Exarchi, reciprocat: vnde ab Italiæ Epiſcopis iunctis Vitaliano, deponitur. 669. II. Eiuſdem, & ſucceſſorum aliquot Epiſcoporum, refractaria in Sedem Apoſt. malitia, ex potentia Exarchorum ibi reſidentium. ib. & 708 II.

Seuere ea de rebellione puniti Rauennates ab Imperat. inde Epiſcopi ſe obedientes Roman. Eccleſiæ exhibuerunt. 708. II. ibid.

Rurſum rebellant, & ideo priuantur iuriſdictione Æmiliæ totius cum ſuis ciuitatibus. 1160. V. Reſipiſcentes reſtituuntur. 1118. V.

Rauennæ Exarchatum, Longobardis ereptum, Pipinus Francorum Rex donat Eccleſiæ Ro. 755. II. Vide *Rom. Eccl. patrimon.*

Rauen. Concilium ſub Ioanne PP. IX. de rebus Eccleſiæ, & Imperii 90. II. Sub Ioan. XIII. de iiſdem. 967. I. Sub Petro Card. Legato, pro depoſitione Patriarcharũ Aquilei. & Venet. 1128. I.

Rebaptizabant baptizatos in Eccleſia, hæretici Cataphrygæ, & Nouatiani. 254. XV. 258. IV. itemque Montaniſtæ. 258. VI. ibid. Donatiſtæ, 321. IV. 348. VIII. Eunomiani. 360. VII Ariani, & Græci ſchiſmatici. 1054 III.

Rebaptizandos eſſe baptizatos ab hæreticis, cenſuerunt multi Africani, & Orientales. 217. I. 258 IV. & ſeqq. Ii a Sede Apoſtol. damnati, ibid. & 389. XII.

Quinam hæretici rebaptizandi eſſent. 258. X 525. XXXVIII.

Reccaredus Gothorum in Hiſpan. Rex quando cœperit regnare. 590 XII. Ab Arianiſmo conuertitur ad fidem Cathol. & omnes ſuos ſubditos ſecum trahit. ibid. XIII. & 593. VII.

Mittit Legatos cum muneribus Romam ad Limina Apoſtol. aliaque ipſe munera ſacra recipit à Gregorio Papa. 599. V.

Recognitiones Clementis Papæ, variis aliis nominibus appellatæ, ab hæreticis deprauatæ ſunt. 44. XXIV. 102. VIII.

Redditus Eccleſiæ. Vide *Bona Eccleſiæ.* & *Oblationes.*

Redemptio à Lege ſtatuta de natis voto promiſſis, fuit libera. Appar. XXI.

Redemptio martyrii licita, & frequentata, & quinam eam negarint. 173. VII. 205. IV. 253. VI.

Redemptionem ſalutis, in cognitione conſtituebant Aſcodritæ, & Archontici. 175. X.

Redemptio Pœnitentiæ canonicæ quæ, quando, & qua occaſione in Eccleſia introducta. 1055. II.

Regalia Epiſcopos ab Impp. accipere, permiſſum à Rom. Pontiff. non autem inueſtituram. 1122. II.

Regalia Epiſcopos habere non poſſe, dogmatizauit Arnaldus de Brixia hæreſiarcha. 1139. III.

De Regalibus Imperii, Conuentus Roncal. ſub Friderico Imperat. 1158. II.

Ob exacta illa de Epiſcopis, queritur Hadrianus PP. 1159 I.

Reges dicti in Scriptura, cuiuſque oppidi domini 1. V. Subſunt ſacerdotibus, in directione ſalutis. 57. XLXII.

Regale ſacerdotium inſtitutũ à Domino in Eccleſia. 34. LXXXV. 57. XL. Vide *Sacerdotium.*

Regibus, priuilegia ab Apoſtolica Sede conceſſa violantibus, priuatio dignitatis vna cum excommunicatione intentata. 593. VI.

a Regibus incipienda correctio, in reformatione morum. 845. VI.

Reges facti Monachi. Vide in *Monachi.*

Regem Longobardorum eligere, concedit Gregorius PP. Mediolanenſi Epiſcopo. 600. IV.

Regis Hiſpaniæ ſucceſſorem deligere, in Epiſcoporum & Procerum poteſtate eſſe, ſtatuit Concilium Toletanum. 653. II.

Reges excommunicati à Romanis Pontiff. 1076. V. 1095. III. 1148. IX. 1180. II. 1191. IV. & à propriis Epiſcopis. 565. IV. 570. V. 998. I. 1079. VII. Depoſiti a Roman. Pontiff. 1076. V. 1080. II. 1079. VII.

Comminatio aliis facta. 1073. XV. 1109. I.

Excommunicari poſſe, & dignitate priuari. 800 IV. 875. II. 898. I 1076. VII. 1081. II. 1111. VI. Vide etiam *Depoſitio. Fidelitas. Interdictio.* Et de iis quæ ad Reges æque ſpectant, vide in *Imperatores.* & *Principes.*

Regio honore priuat Poloniam Gregorius PP. VII. ob necem Stanislai Epiſcopi. 1079. VII. Vide infra in *Regnum.*

Regienſe Concil. in Gallia, in quo inter alia ſpes data lapſis Epiſcopis, ex ſchiſmate vel hæreſi redeuntibus, ſedes recipiendi. 439. X.

Regino creatus Abbas Brunienſis, eiicitur inuidorum perſecutione. 892. III. Quouſque perduxerit hiſtorias ſuas. ibid.

Regionarii Diaconi, Subdiaconi, Notarii. vide ſub iis vocibus Regionariorum dignitas, qualis eſſet in eccleſia Rom. 598. II.

Eorumdem numerus, munus, & officium. 1057. III.

Regnum, & Sacerdotium, vna iuncta apud Iudæos in Aſſamonæis: Appar. II.

Regna erecta à Romanis Pontiff. veluti Hungariæ, 1000. II. III. Poloniæ; ibid. Dalmatiæ & Croatiæ. 1096. X. Siciliæ & Apuliæ. 1130. VI. 1139. IV. Portugalliæ. 1179. VII. Armeniæ. 1197. IV.

Regnum transfertur ab Epiſcopis Galliæ a fratre ad fratrem. 842. I. De tranſlatione Regni Francorum, auctoritate Apoſtolica, vide in *Franci.*

Regio honore priuati multi à Sede Apoſtolica. Vide ſupra in *Reges.*

Regulæ Monaſticæ. Vide *Monaſtica Regula.*

Religiones externas Romæ vetat Tiberius Imp. 21 II.

Peregrinæ, ac nouæ, vetitæ antiquis Romanorum legibus. 100. II.

Omnes abolere, & vnicam Dei ſui Elagabali ſtabilire, ſtuduit Elagabalus Im. 221 II.

Religionis libertatem, omnibus edicto permittit Nerua. 98. VI. Valentinianus, omnibus ſectis 364. VIII. & Gratianus, præterquam aliquibus deteſtabilioribus, 378. IX. Vide etiam *Fides.*

Religionis Chriſtianæ extinctio, vane prædicata à Gentilibus in perſecutione Neronis. 69. XVII & Diocletiani. 303. XIV.

De eiuſdem futura extinctione, oracula ab iiſdem conficta. 315. III.

Pro religionis Chriſt. defenſione, bella ſuſcepta aduerſus Gentiles, 312. I. 316 II. III. 395. XI. 420. III. 522. IV. V. 1001. IV.

Pro fidei Cathol. ſeu propagatione, ſeu defenſione aduerſus hæreticos. 507. I. 514. VIII. 583. VIII. 845. II. Vide etiam in *Hæreticorum pœna.*

Religionis Catholicæ defenſio, robur Imperii, & regni. 411. VII. 415. X. 423 I. 428. V. 445. II. 450. VII. 551. I. 552. IV. 553. II. 631. I. 672. III. 676. II. 850. III. 895. I.

Religionis cauſa facta, etiam aliqui ludicra, habita ſunt apud omnes ſacroſancta. 57. XXVII. 58. LII.

Reliquiarum Sanctorum veneratio, ex Scriptura. 55. II.

Probata antiquis Patribus. ibid. Confirmata infinitis miraculis. ibidem. III. & vbique paſſim. Adde vero etiam *Sepulchra. Sancti. Martyres.*

Diuidi ſolitæ, quia eadem virtus in exigua parte, quæ in toto corpore. 55. III. 664 IV.

Diligenter probari ſolitæ, ne qua fraus irreperet. 55. IV.

Igne probandas, quæ inuentæ eſſent in eccleſiis hæreticorum, decreuit Synodus Cæſarauguſt. 596. IV.

Earum venerationis aſſertor Eunapius Ethnicus. 389. IV.

Impetratores, nonnulli hæretici 55. II. 277. VIII. 360. VII. 406. VII. 727. I. & Gentiles, qui eas paſſim deiicere ſolebant, 362. XXXIII. & alibi. Vide in *Martyres*

Obiectat etiam earum cultum Iulianus Apoſt. Chriſtianis. 362. LVI.

In ipſo perſecutionum ardore, a Chriſtianis ſeruatas. 102. II 110. II.

De ſingulorum SS. reliquiis, vide ſub propriis eorum nominibus.

Eas diſtrahi vetuit Theodoſius Magnus occaſione quorumdam nebulonũ, qui conſueuiſſent eas venditando circumire. 386. XI.

Falſarum impii nundinatores, ſuis quibuſque temporibus detecti. 1027. III.

Quanto periculo Roma olim auferrentur. 594. II.

Iniuriam iis inferentes, aliquando diriſſime puniti. 600. II.

Cultus earum mire viguit in Galliis. vide *Franci.* Vna cum illis, tranſlata à Francis in Saxones maieſtas & gloria Regni. 836. IV. 920. III. Ad illas accendi ſemper ſolita luminaria, & quare. 58. XXVI. Vide *Lampades.* Iurari quoque ſolitum, ad res dubias probandas. 412. VI. 592. II. 595. VII. Vide etiam *Inuentio. Reuelatio. Tranſlatio.*

Rembertus Danorum Apoſtolus, miraculis clariſſimus, moritur. 888. IV.

Remigius anno ætatis 22. diuino ſuffragio

cogi-

Digitized by Google

cogitur fieri Epiſcopus Rhemenſis. 471. VI.
Valde colitur à Clodoueo Rege adhuc Gentili, & muneribus frequentatur. 484. XII.
Inſtruit eum; & baptizat, ingentibus comitantibus ſignis & prodigiis. 499. IV. V.
Dicitur Francorum Apoſtolus, ob eius gentis conuerſionem. ibid. Creatur ab Horiſda Papa, Vicarius Rom. Pont. in regno Francorum. 514. II.
Concilium celebrat Rhemis, pro reformatione Eccleſiæ; vbi & Epiſcopum Arianum inſultantem, vmbra ſua mutum reddit. ibid. III. Benedictiones, & maledictiones, ab eo impertitæ futuris Franc. Regibus ibid. V. Quo anno, & ætate deceſſerit. 541. VII.
Remoboth, monachi Ægyptii quales. 328. VI.
Renuntiationem bonorum, & coniugii, neceſſariam eſſe ad ſalutem, aſſeruerunt nonnulli hæretici. 260. VIII. 319. VIII. Vide *Bona* & *Coniugium*.
Reordinationes prohibitę in Concilio Capuano ſub Siricio Papa. 389. XII.
Frequentiſſimæ ſub Romanis Pontiff. intruſis. 908. II.
Reordinandos eſſe ordinatos à Simoniacis, fuit quorumdam hæreſis, damnata à Leone PP. Nono. 1052. II. III.
Repudium virorum permiſit Iulianus mulieribus. 362. LXII. Vide *Diuortium*.
Reſurrectionis Dominicæ tempus. 34. L. In eius honorem, magnificentiſſimum extructum à Conſtantino templum ad ſepulchrum Saluatoris; quod pereuni nobilitatum eſt miraculo. 326. VI. De eius certitudine grande miraculum. 1111. IX. Per reſurrectionem Chriſti, non omne genus humanum reſurgere, dicebat Pelagius. 425. IV.
Reſurrexiſſe vero Chriſtum negabat Cherinthus, ſed in die Iudicii cum aliis reſurrecturum dixit. 57. XLVII. 97. VII.
Reſurrectionem mortuorum negarunt Sadducæi, Appar. VII. Samaritæ, ibid. VIII. Hemerobaptiſtæ. ibid. IX. Eamdem irriſerunt Areopagitæ. 52. IV. Prædicat Paulus Apoſt. aduerſus hæreticos. 57. XLVII.
Quibus, & quomodo concederent Valentiniani, 145. II. & Marcionitæ. 146. VI.
Item reſurrectionem carnis negarunt Baſilidiani. 57. XLVII. 120. IX. Saturniani. 120. XI. Carpocratiani. ib. XII. Valentiniani, 145. II. & alii Valentini ſectatores. 175. VI. X. Cerdon, & Marcion, 146. II. VI. Apelles. 146. IX. ibid. Seueriani, 174. V. Manichæi, 277. VIII. Hieracitæ. 287. IV.
Reſurrectura corpora cum ſuis membris, negabant Origeniſtæ. 393. II. 400. IX.
Reſurrectionem non aliam eſſe, quam quæ fit quotidie in liberorum procreatione, aſſeruerunt Seleucus & Hermias Hæreſiarchæ. 170. V.
Reſurrectionem corporum negans Philoponus, aſſerebat animas nouis ex nihilo creatis corporibus induendas. 535. XII.
Eadem docuit Eutychius Conſtantinopol. confutatus à Gregorio Magno. ibi. & 583. I.
Reſurrectionem non aliam eſſe, quam pœnitentiam, & vitam Euangelicam, dixerunt Bongomili hæretici. 1118. XII.
Reuelationes variæ, ſuppoſitæ ab hæreticis ſub nomine diuerſorum Apoſtolorum. 44. XXV. Itemque aliæ ſub nomine Stephani protomartyris. ib. XXVI. Suas impius Elxai venditabat. 105. II. Zoroaſtris, conſcriptæ à Gnoſticis. 120. XVI.
Alias confinxerunt Archontici. 175. X. Vide etiam *Apocalypſis. Apparitio. Viſio.*
Reuelatione reliquiarum SS. vſus ſæpe Deus, ad expugnandos & confundendos hæreticos, aliosque impios. 387. IV. 415. II. 416. V. 485. I. 1080. XI.
De ſingulorum vero SS. reuellatione, & inuentione, vide ſub eorum nominibus & in *Inuentio*.
Reus vnus in Paſchali ſolemnitate Hieroſolymis adoptionem populi, à Præſidibus Roman. dimitti conſueuerat. 34. XXVII.
Reus (exceptis grauiorum criminum) relaxandos eſſe in Paſchate, reſ. ribunt Impp. 367. I. 385. IX.
Rex Vide in *Reges*.
Rhadagayſus Scytha, Paganus, cum ingenti exercitu Italiam inuadens, diuinitus vincitur, & captus perimitur. 406. I. II.
Rhemenſe Concil. ſub Remigio, pro reformatione Eccleſ. 514. II. Sub Carolo Magno, pro diſcipl. Eccleſ. 813. VI. Sub Fulcone Archiep. pro confirmatione regni Caroli Simplicis. 892. IV.
Sub Artaldo, aduerſus inuaſores rerum Eccleſ. 935. I.
Pſeudoſynodus ſub Hugone Rege contra Arnulphum Archiep. Rhem. 992. I. Caſſantur eius Acta à Ioanne PP. XV. & in alia poſtea ibidem habita Synodo ſub Legato Sedis Apoſtol. ibid. III. & 991. II. Sub Leone IX. Papa de reformatione Eccleſiæ. 1049. VI.
Sub Conone Sedis Apoſtol. Legato contra Inueſtituras laicorum. 1114. III.
Sub Calliſto II. pro pace Eccleſiæ. 1119. III.
Sub Innocentio II. de ſchiſmate Petri Leonis. 1131. I.
Ab Epiſcopis Gallis, in cauſa Abailardi hæreſiarchæ. 1140. I.
Ab Eugenio Papa Tertio, de variis negotiis Eccleſ. & contra nouas hæreſes. 1148. II.
Eius Eccleſiæ querelæ, de vnctione Regis facta in alia ciuitate contra priuilegium Apoſtolicum. 1106. VII.
Rheticius Auguſtodun. Epiſcopus, commiſſus iudex a Conſtantino, in cauſa Cæciliani & Donatiſtarum. 313. IV.
Bis petit Romam, pro eadem cauſa. ibi. VIII. Laudatur inter Scriptores Eccleſ. ibid.
Rhodanius, Tholoſanus Epiſcopus exulat pro fide è Concilio Biterrenſi, & in exilio moritur. 356. XIII.
Richardus conſecratur Rex Angliæ. 1189. II.
Aurum ab Eccleſiis exigens, retunditur ab Hugone Lincolnienſi Epiſcopo. ibi.
Publica eius pœnitentia, in expeditione ad Terram Sanctam. 1190. II. Res eius geſtæ in ea expeditione. 1191. VI.
In reditu capitur à Duce Auſtrię, & mittitur ad Henricum Imp. & quare. ibid. VII. Liberatur pacta redemptione. 1193. II.
Ricimer Gothus Arianus, magno Reipub. damno creatur à Maioriano Magiſter militiæ. 461. I.
Euehit in Imperium Seuerum. ib.
Eumdem necandum curat. 465. III.
Anthemium Imperat. ſuſcipiens, ducit in vxorem eius filiam. 467. I.
Molitur ei inſidias, ſed iis detectis, recipit ſe Mediolanum, & per internuntium S. Epiphanium Ticin. pacem componit. 471. IV.
Paulo poſt eumdem Anthemium necat, & Olybrium euehit in Imperium. 472. II.
Ipſe quoque moritur. ibid. Eius immenſa in Occidente potentia. ibid.
Rictionarius Præfectus Galliæ, dat pœnas crudelitatis in Chriſtianos. 301. IX.
Ritus externi, Romæ à Tiberio Imp. vetiti. 21. III.
Ritus ſacros Fidelium, in ſuperſtitionis cultum diabolus ad Gentiles tranſtulit. 44. XXXVI.
Et contra ritus aliqui Gentilium vtiliter ab Eccleſia ad pietatem tranſlati. ibidem. & 58. XXVIII. XXIX. 601. V.
Plurimosque ex Synagoga Apoſtoli in Eccleſiam tranſtulerunt. 58. XII. XVIII. XXXIII. L. De ritibus ſingulis Eccleſ. vide ſub nominibus eorum.
Ritus diuerſi Eccleſiarum, non lædunt fidem; 57. I. VIII. nec ſcindunt Eccleſiam 1155. VIII.
Ritus Chriſt imitatus in quibuſdam rebus Alexander Imperat. 224. II.
Eos quoque Iulianus conatus eſt introducere in Ethniciſmum, ſed fruſtra. 362. I. X.
Ritus permultos Gentilitios prauos Ambroſius corrigit. 377. V.
Robertus Franc. Rex excommunicatur ab Epiſcopis ob illicitum coniugium; & à propriis ſeruis deſeritur. 998. I.
Monſtrum natum ex eo coniugio. ibid.
Ea repudiata; aliam ducit legitimam coniugem. ibid.
Eius reuerentia erga Epiſcopos. 1004. II.
Primus omnium confutat hæreſim Berengarii de Euchariſtia, in Leutherico Senonenſi Archiep. ibid. III. Detectos Aurelius Manichæos igne comburit. 1017. I.
Congreſſus eius cum Henrico Imperat. quanta ſummiſſione, ſimul & munificentia vtrimque actus. 1023. I.
Diſſidet cum vxore de ſucceſſione filiorum; vnde multæ oriuntur turbæ. 1028. I.
Alia plura eius inſignis pietatis monumenta. 1029. I. 1033. IV. Rebelles filios perſequitur armis, & ad pacem redeuntes ſuſcipit. 1031. I. Pius eius obitus, miracula, & elogia. 1033. IV.
Robertus Guiſcardus Northmannorum in Italia Dux, accipit in feudum à Nicolao PP. cum onere tributi, Apuliam, Calabriam, & Siciliam. 1059. VIII.
Rebellans excommunicatur à Gregor. VII. & armis compeſcitur. 1074. V.
Reſipiſcens petit abſolutionem, & iurat fidelitatem eidem Gregorio 1080. VII.
Ingenti prælio vincit Alexium Imperat. Conſtantinop. 1081. V.
Gregorium PP. liberat ab inuaſione Henrici Regis, ipſumque Henricum fugat. 1084. III.
Rediens in Orientem; claſſem Alexii deuincit. ibid. V.
Moritur, & laudatur de multis ſacris oblationibus. 1085. VII.
Robertus Moliſmenſis Abbas, primus inſtitutor monaſterii, & Ordinis Ciſtercienſis. 1098. V.
Robertus de Abruſcellis, auctor monaſterii, & Ordinis Fontis Ebraldi. 1117. VI.
Rodericus regnat in Hiſpania, moribus nefariis, & fæx eius regni. 710. IV.
Pulſis ab eo Witizæ prædeceſſoris Regis filiis cum dedecore, inducuntur ab iis Saraceni in Hiſpanias: aduerſus quos ipſe diu valide pugnans, tandem necatur. 713. IV. V.
Rodoaldus Portuenſis Epiſc. & Zacharias Anagninus, Legati miſſi à Nicolao PP. Conſtantinopolim, male excipiuntur à Photio. 860. III.
Præuaricatores vi fiunt mandatorum Apoſtolicorum. 861. II.
Damnantur à Nicolao in Concil. Rom. 863. I. 864. I.
Rogationum antiquus vſus, reſtitutus in Gallia à Mamerto Epiſc. Viennenſi, & inde ab vniuerſa Eccleſia ſuſceptus. 475. IV.
Earum tempus, ritus, & obſeruatio

ibidem. Vide etiam *Proceſſiones.* & *Litaniæ.*
Indictæ à Gontheramno Rege Franc. ad auertendam peſtem. 590.VI.
Rogerius Siciliæ Comes, frater Rob. Guiſcardi, contra Paganos pugnaturus, petit à Gregorio VII. abſolutionem peccatorum, & benedictionem Apoſtol. 1076. XI.
Liberatur per Brunonem inſtitutorem Ordinis Carthuſiani ab inſidiis Græcorum, indeque multa iis monachis bona largitur. 1095.VI.
Quale priuilegium ei Vrbanus PP. conceſſerit. 1097.II.& ſeq.
Rogerius alius, prædicti filius, rebellans aduerſus Sedem Apoſtol. compeſcitur. ab Honorio PP. & hominum facere cogitur, obtento tamen titulo Ducis. 1127.I.
Creatur Rex ab Anacleto pſeudopapa, vt eius partes ſectetur. 1130.VI.
Tyrannidem exercet in ſubditos, & Catholicos. 1132.II.
Comprimitur à Lothario Imp. ſed mox ſæuior ſacrilegus reſurgit. 1137.I.II.
Extincto licet ſchiſmate per mortem vnius Antipapæ, & ſpontaneam abdicationem alterius, ipſe ſine capite permanet in obſtinatione. 1138.II.
Excommunicatur in Concilio Generali Lateran. 1139.II.
Innocentium proditorie capiens, humiliat ſe ei, & titulum regium ab eo obtinet. ibi.IV.
Bellum infert Græcis, & ſuburbana Conſtantinop. deprædatur. 1149.II.
Regem Franc. ab iis captum liberat. ibidem.
Corinthum deprædatur, Corcyramque capit. 1150.I. Moritur. 1152.IV.
Rolandus Dux necatur à Vaſconibus in expeditione Hiſp. Caroli Magni. 778.I.
Fabulæ ei hiſtoriæ attextæ exploduntur. 812.IV.V.
Rolandus S. R. E. Cancellarius eligitur in Summum Pont. Alex. Tertium. 1159.IV. Vide *Alex. III.*
Romæ Conditæ quoto anno Chriſtus natus. Appar. XXXIV. De eius interitu, futuro anno fundationis 900. vana oracula. 19.II.
Annus eius Milleſimus celebratus ſub Philippo Imp. 249.I.
Muri vſque ad 20. millia paſſuum ampliantur ab Aureliano. 275.III.
Dicta à Petro Babylon, & quare. 45.VI.
Quo ſenſu in eam inuehatur S. Bernardus. 1130.III.
Munitur ſepulchris Apoſtolorum Petri & Pauli. 69.IX.
Immenſus in ea numerus martyrum, & quare. 104.IV.109.II.
Cultum idolorum in ea Gratianus Imperator peſſumdat. 383.III.
Reſtituit Maximius tyrannus. 387.VIII.
Abolet penitus Theodoſius Magnus. 389.VIII.
Iterum reſtituit Eugenius tyrannus. 392 IV. Vide etiam *Victoria Ara. & Idola.*
Traditur Gothis, vt expurgaretur penitus à deorum ſimulacris. 389.VIII.
Obſidetur ab Alarico Gothorum Rege, ſed auro liberatur. 409.I.II.
Iterum ab eodem obſidetur, impellente eum numine aduerſus Gentilium impietas. ibid. III IV. Vexatur diriſſima fame, & peſte. 410.II.
Demum capitur, & triduana dumtaxat expilatione tentatur, non conteritur. ibid.IV. & ſeqq.
Eius deſolationem Gentiles Chriſtianis obiecerunt, quæ haud dubiú ipſis Gentilibus tribuenda fuit. ibid.VI.VIII.
Capitur, & diripitur à Genſerico Wandalorum Rege. 455.III.
Tranſit cum vniuerſa Italia in dominium Odoacris Erulorum Regis. 467.I. & eo occiſo, ad Gothos. 493.II.
Recuperatur à Beliſario Iuſtiniani duce. 537.II. Rurſum obſidetur à Vitige per annum, ſed defenditur à Beliſario. 538.I.
Capitur proditione Iſaurorum, à Totila, quo tempore vix quingenti homines e plebe reſidui fuerunt: eodemque anno recuperatur à Beliſario. 547.I.II.
Iterum capitur à Totila, proditione Iſaurorum. 550.II.
Recuperatur à Narſete. 553.II.
Sepe tentata à Longobardis, numquam potuit capi, & quibus præſidiis defenſa fuerit. 570.III. in fi. 577.I.585.II. 595.II.
Eam tentantes Saraceni, male pereunt. 849.I.
Eius deprædatores, ſemper Dei vindicta haud ſera, dederunt pœnas. 414.II. 849.I.
Gemuit diutius ſub diuerſis tyrannis, & contrariis factionibus, ſcortiſque. 897. III. 900 I. 908.III. 933.I. Vide etiam infra in *Romani*, &c.
Vltimis Orientalium Impp. temporibus, gubernari ſolita per Duces, indeque Romæ Ducatus dici conſuetus. 712.II.
Romæ inundationes Tiberis. Vide *Tiberis.* & de incendiis Vrbis, vide in *Incendium*, & de peſtilentiis, in *Peſtilent.*
Roma noua, ſiue ſecunda, dicta Conſtantinopolis. 330.IV. Vide *Conſtantinopolis.*
Romanis quando. vnde, & qua occaſione, ſcripſerit Paulus Apoſtolus, & quibus eos laudibus celebret. 58.XIX XX.
Procedunt obuiam ei venienti in Vrbem, ad 30. & 50. milliaria. 59.I.
De iis vide ſupra in *Roma.*
Auctore Arnaldo de Brixia, hæreſiarcha, rebellantes aduerſus Innocentium PP. antiquam ſatagunt reſtituere Rempublicam. 1141.I.
Reſtituunt Senatum. 1144.I.
Vexant Lucium PP. ibid.III.
& Eugenium. 1145.II.
Graſſantur in Cardinales, alioſque Eccleſiaſticos. ibi.III.
Reprimuntur ab Eugenio. & pacem petere coguntur. ib.VII.1152.I.
Ob nouas ſeditiones, Vrbs ſupponitur interdicto ab Hadriano. 1155.I.
Ob quaſdam antiquas conſuetudines, à Lucio III. eis denegatas, graues inter eos ortæ diſcordiæ. 1183.I.
De vario ſtatu Romanorum, & Vrbis vide etiam ſub nominibus Imperatorum. & Pontiff. qui fuerunt a tempore translationis Imperii in Occidentem.
Romana, ſic dicta nobiliſſ. virgo Romana, baptizata à S. Silueſtro, in antris & ſpeluncis viuit, & miraculis claret. 335.XII. in fine.
Romanus, ſic dictus, intruſus à factioſis in Sedem Apoſtol. cito perit. 900.III.
Romanus, ſic dictus Patricius, adſciſcitur in collegam Imperii à Conſtantino Porphyrogen. 919.I.
Poſtponens in edictis nomen Conſtantini, exitium ſibi parat. 921.II
Duos filios creat Impp. tertium clericum facit. 927.II.
Redigitur in monachum à proprio filio, ipſique eius filii deportantur in inſulam a Conſtantino. 944.IV.
Romanus, filius Conſtantini Porphyrogen. patrem veneno aufert tædio diuturnæ eius dominationis: regnatque pro eo. 960.III.
Moritur. 963 IV.
Romanus alius imperat. 1028. IV. Eius optima principia, & laudabiles progreſſus. ibi. Alia pia eius opera. 1031.II.
Moritur, veneno potatus, & ſtrangulatus, opera coniugis adulteræ. 1034.V.
Quamplurimæ illatæ clades, in vindictam eius necis. ibi.VI.
Romanus Diogenes imperat. 1068.III.
Prælio capitur à Turcis, & bene habetur, pace perpetua confecta. 1071.IV.
Electo alio Imp. Conſtantinopoli, Romanus cogitur ab eo miſerrime vitam finire, ſed egregia patientia. ibi.V.
Romanorum nomen, idem quod Catholicum, & Romana fides, eadem quæ Catholica. 45.III 58. XIX.
Romanam fidem annuntiari per vniuerſum mundum, quid ſit apud Paulum. 58. XIX. ibid.
Rom. Clerus, Sede vacante, Capitis munera in multis explet. 325. VIII.
Apud eum ſe excuſat Cyprianus de fuga ſua in perſecutione. ibid.IX. Eumdem conſulit idem Cyprianus de cauſa Lapſorum, & quid de iis, decreuerit. ibidem. XIII.
Sede Seuerini vacante, reſpondet conſultationibus Scotorum. 639.III.
Conſulendus à Pontifice in rebus agendis. 686.III.
Eius prudentia in nonnullis approbandis turpibus, & violenter intruſis Pontiff. 897.I.
Rom. ſub Victore Papa de die Paſchatis. 198.I.
Duo ſub Cornelio, in cauſa Lapſorum. 254.XI.255.I.
Sub Dionyſio, aduerſus Paulum Samoſatenum. 272.III.
Sub Melchiade, in cauſa Cæciliani Epiſcopi Carthag. & Donatiſtarum. 313.V. VII.
Sub Silueſtro, pro gratiarum actione de baptiſmo Conſtantini. 324.XXVIII. aliudq; pro confirmatione Niceni Oecumenici. 325.LI.
Sub Iulio, pro fide Nicæna contra perfidiam Arianam. 337.XVII.
Aliaque pro reſtitutione Athanaſii, &c. 341. XIII. XIV. & de turbis Alexandriæ ab inuaſore Gregorio Ariano excitatis. 342. V.
Sub Liberio, in quo denegata eſt communio Arianis, eam per legatos petentibus. 325.III.
Sub Damaſo, pro damnatione Auxentii, aliorumque Arianorum. 368. IV. & alia, aduerſus Apollinarem hæreſiarcham, 373.I. ac de rebus Antiochenis inter Flauianum & Paulinum: in quo etiam auctum de prærogatiua Sedium patriarchalium. 382.I.IV.
Sub Siricio, pro reſtituenda Eccleſ. diſciplina in Africa. 386.II.
Sub Innocentio, in cauſa Chryſoſtomi Conſtantinopol. expulſi. 405.III
Sub Cæleſtino, in cauſa Neſtorii hæreſiarchæ. 430.II.
Sub Sixto III. in cauſa ipſius Sixti infamati de ſtupro. 433.III.
Sub Leone Magno, aduerſus Manichæos Romæ detectos. 444.I. & aliud. pro abrogatione pſeudoſynodi Epheſinæ. 449.XVI.
Sub Hilaro, de variis conſultationibus Eccleſiæ Hiſpan. 465.IV.
Sub Felice III. quo damnatum eſt Henoticon Zenonis Imp. abdicatus Petrus Fullo Epiſcop. Antioch. recepta appellatio Ioannis Alexandrini, & citatus Acacius Conſtantinopol. 483. III. aliudque, quo excommunicati ſunt tres Patriarchæ Orientales. 484.IV. itemque aliud in cauſa lapſorum Afric. ſub Wandalis Arianis. 487.I.
Sub Gelaſio, pro conſeruanda vnitate fidei, vbi & actum eſt de libris canonicis & apocryphis, ac de prærogatiua Sedium Patriarchalium. 494. III. aliudq; in abſolutione Miſeni. 495.IV.
Sub Symmacho, de electione Romani Pontif. 499.I.
Tria alia, ob ſchiſma Laurentianum. 502.I quintum, pro confirmatione præcedentium. 503. II & ſextum, aduerſus detentores Bonorum Eccleſ. 504.I.

Sub Hormiſda, de rebus Orientalis Eccleſiæ. 518.X.

Sub Bonifacio II. duo; vnum pro electioné, alterum pro irritatione ſucceſſoris ab eo ſibi delecti Vigilii. 531.I.

Sub Ioanne II. de quæſtione Vnius in Trinitate paſſi. 534.II.

Sub Pelagio II. ad res Eccleſ. ſtabiliendas. 590.II.

Sub Gregorio Magno, in cauſa duorum presbyt. appellant. á à Patriarcha Conſtant. 595. VI. & alia, pro exemptione monachorum à ſubiectione Epiſcoporum. 601. II. & aduerſus Andream Græcum hominem falſarium. 601. I. Sub Bonifacio III. contra ambientes Pontificatum & Epiſcopatus. 606.IV.

Sub Bonifacio IV. de rebus Eccleſiæ Angliæ. 610.VI.

Sub Ioanne IV. pro damnatione hæreſis Monothelitarum. 640.I.

Sub Theodoro, contra eandem hæreſim. 648 II. Sub Martino. Vide in *Lateranenſe Concil.* vbi & alia quædam ſub aliis Pontiff. in ea eccleſia celebrata recenſentur.

Sub Vitaliano, in cauſa Epiſcopi Cretenſis appellantis Sedem Apoſtol. 667. II.

Sub Agathone, contra Monothelitas. & admittendam Legationem ad Synodum VI. Oecumen. 680. I. aliudque pro confirmatione eiuſdem Sextæ Synodi 682 I Sub Ioanne VII. contra canones Quiniſextæ pſeudoſynodi. 705. II.

Sub Gregorio II. aduerſus illicita coniugia. 721. I. & alia, pro defenſione cultus ſacrarum Imaginum, quibus & Leo Imp. excommunicatur. 726. VI. 730. II.

Sub Gregorio III. item pro Imaginibus. 732. II.

Sub Zacharia, de diſciplina Eccleſ 742. III. aliudque, de eadem. 743. IV. itemque aliud, contra nouos hæreticos. 745. II.

Sub Stephano IV. contra pſeudoſynodum Conſtantinopol. de damnatione Imaginum, & ad irritanda Conſtantini pſeudopapæ geſta. 769. I. II.

Sub Hadriano falſo aſſertum à Sigeberto, de conceſſa Carolo Magno electione Romani Pontif. & Inueſtituris Epiſcoporum. 674. III.

Sub Eugenio II. de diſciplina Eccleſ. 826. IV.

Sub Leone IV. de eadem re. 853. IV.

Sub Nicolao, contra Theopaſchitarum repullulantem hæreſim. 862 III. aliaque, de rebus Orientalibus, aduerſus Photium. &c. 862. III. ib. 863. I. ib. & pro damnatione Rodoaldi Legati præuaricatoris, 864. I. & pro rebus Gallicis. 863. III. VIII. 865. I.

Sub Ioanne VIII in cauſa iuramenti, per vim à Ludouico Imp. proditoribus præſtiti. 873. I. aliaque, pro confirmatione Imperii Caroli Calui, 877. III. aduerſus Athanaſium Epiſcop. Neapolitan. fœdus cum Saracenis ineuntem. 881. I.

Sub Ioanne IX. in cauſa Imperii defendendi. 904. I.

Sub Agapeto II. pro confirmatione Synodorum Gallic. 949. I.

Sub Ioan. XII. Conciliabulum ab Ottone Imp. celebratum contra ipſum Ioannem. 963. II.

Sub eodem legitimum Concilium, pro damnatione prædicti conciliabuli. 964. II.

Sub Leone pſeudopapa, improbatum. 964. III.

Sub Ioanne XIII. de rebus Eccleſ. 971. I.

Sub Ioan. XV. de rebus Pragenſis Eccleſiæ. 989. I.

Sub Clemente II. aduerſus ſimoniacos. 1047. I.

Sub Leone IX. aduerſus eoſdem. 1049. IV. Contra Berengarii hæreſin. 1050 I. Contra Clericos fornicarios, & ſimoniacos. 1051 I.

Sub Nicolao II. in Berengarium. 1059. III

Sub Alexandro II. contra hæreſim Inceſtuoſorum. 1065. II.

Sub Gregorio VII. plurima pro reformatione Eccleſiæ, & contra ſchiſmaticos. 1074. I. 1075. I. 1076. III. V. 1078. I. III. 1079. I. 1080. II. 1081. I. 1083. II. 1084. III.

Sub Vrbano II. pro iiſdem rebus. 1089. I. 1098. I. 1099. V. Conciliabulum Guibertinorum, contra Catholicos. 1098. III.

Sub Paſchale II. legitimum, contra Henricum Imp. eiſque hæreſim 1102. I. aliaque contra Inueſtituras laicales. 1112. I. 1116. I.

Sub Calliſto II. pro componenda Eccleſia. 122. I.

Pſeudoconcilium ſub Anacleto Antipapa, contra Innocentium Secundum. 1130 V.

De quibuſdam aliis legitimis Synodis Romanis, Vide in *Lateranen. Concilium.*

Conciliorum annuorũ, & aliorum frequentiorum, Romæ antiqua conſuetudo. 1074. III.

Rom. Eccleſia à Petro conſtituitur omnium totius Orbis princeps, ſedemque ipſe ſibi, & ſucceſſoribus, in ea ſtabilit 45. I.

Ab eius Ædificatione numerari ſoliti à quibuſdam anni. 536 IX. Eius fundatione idololatria decreſcit. 45. XVII.

Rom. Eccleſia, eadem & Catholica, & Apoſtolica. 45 II. III. 354. XII. XIII. Mater, & radix omnium Eccleſiarum. 45. III.

Itemque caput omnium. 451. XV. 519. IX. 520. III 553. III. 555. II. 587. II. 800. II. Ab ea diffuſum Euangelium in vniuerſum Occidentem, &c. 46. I.

Quibus laudibus celebretur à Paulo Apoſtolo. 58. XIX.

Cum ea non communicantes, hæretici iudicandi. 45. III. 254. XI. XIII. 321. II. 325 XLIV. 368. III 378. IX. 592. VI. 1059. IV.

Eius communionem ſemper conati ſuffurari hæretici, vt ſic Catholici viderentur; puta Montanus. 173. II. Ruffinus. 307. V. & alii, de quibus vide ſub eorum, aut ſectarum nominibus.

Eam nullis vnquam inquinatam hæreſum ſordibus, teſtati ſunt ſuis quibuſque ſæculis antiqui Patres, aliis quoque eamdẽ egregiis celebrantes elogiis. 155. I. 165 III. 167. VI. 180 II. 306. XII. 449. XIV. 519. IX. I 657. II. 809. I. 817. VI. 1186. III. In dubiis conſulenda 821. II. 823. III. & de conſultationibus ab ipſo initio ad eam vndique miſſis, vide in *Conſultatio.* In ea impolluta ſeruanda ab hæreſibus, earumque communicatione, aliiſque erroribus, prouida diuina cura. 173. II. 397. VI. 487. II. 538. IV. 540. III. 705. II. 897. III. 908. III. 1112. IV.

Eius priuilegia à Chriſto, confirmata à Principibus, & à Conciliis. 324. XXIV. XXVII. 284. 325. XXXV.

Nihil ei contulit Nicænum Concilium. 325. XXXV. ibid. nec vllæ aliæ Synodi. 381 IV. Vide etiam *Prima Sedes. Primatus* & infra in *Romanus Pontif.* Eius auctoritatis vindex Deus aduerſus contumaces. 342. VII.

De obedientia ab Impp. & Regibus ei exhibenda, digna Caroli Magni ſententia. 801. III.

In eam nihil iuris habent Imp. 865. VI.

Eius iura non poſſunt à quoquam violari, nec ipſorummet Pontificum auctoritate minui. 1097. XLIII. Vide in *Rom. Pontifex.* plurima alia, ad huius Eccleſiæ auctoritatem ſpectantia. Eius forma qualis poſterioribus temporibus. 1057. III. Vide etiam *Sede vacante.* & *Rom. Clerus.*

Diram adeo perſecutionem paſſa eſt ſub Decio, vt necato Fabiano Papa, per annum nõ potuerit ei ſubrogari ſucceſſor. 253. VII.

Vexatur etiam ab Arianis ſub Conſtantio. 355 X. 357. XVI 359. XIII.

Sed & in aliis cunctis perſecutionibus Gentilium, eam præ ceteris Eccleſiis agitatã eſſe reperies. Dire vexata à Saracenis, tributum eis annuum pendere cogitur. 877. VIII.

Sæuiſſimam item patitur perſecutionem à Comitibus & Marchionibus Chriſtianis, turpiterque diffamatur intruſis per vim Pontificibus. 877 VIII. 878. II. 897. I. III. 908. II. III. & ſæpe annis ſeqq. itẽque. 1033. II.

Reuerenter nihilominus illam iiſdem temporibus vniuerſi fines terræ. ibidem. vbique Eius defenſio debita Francis. Vide *Franci.*

Diuitiis abundauit ab ipſo ferme initio, & quam bene iis vſa in ſubleuandis aliis 175 III.

Vaſa ſacra, aurea & argentea habuit. 235. II. Vide *Vaſa.*

Non ex diuitiis, ſed ex Apoſtolica auctoritate, eius maieſtas. 536. III.

Quo iure poſſideat bona temporalia, quæ habet. 314 XXIII. XXIV.

Patrimonia olim habuit locupletiſſima etiam extra Italiam vbique terrarum. 591. VIII. 595. VIII.

Eius proprietarium factum regnum Hiſpaniæ. 701. VIII. 1073. V. Alpes Cottiæ reſtituuntur ei ab Ariperto Longobardo. Rege. 704 I. & confirmantur à Luitprando. 712. III. 715. III.

Exarchatus Rauennæ, & alia plurima in Italia & inſulis circumiacentibus, donantur eidem à Pipino Francorum Rege. 755. II. & confirmantur à Carolo Magno. 774 I. atque etiam augentur à Ludouico Pio. 817. II. & ab Ottone Magno. 962. I 967. I.

De reſtitutione earumdem rerum à Leone PP. eidem Ottoni facta, refellitur impoſtura 964. V. Confirmantur eadẽ, ac pariter augentur ab Henrico Primo. 1014. IV.

Angliæ regnum factum feudatarium, ab eiuſdem gentis Regibus. 740. III. 775. VII. 847. VIII. 1155. IV. 1172. II. Saxonia, à Carolo Magno ei oblata. 782. III. Galliæ, ab eodem vectigales factæ. ibi. Britannia Minor, à Salomone ipſius Rege. 869 XVII.

Hungaria à Stephano Rege. 1000. III. Polonia, iam ab initio conuerſionis. 1013. I. & poſtea ſolemnius ex conditione diſpenſationis cum ipſorum Rege factæ de monachatu. 1041. III. 1045. I. 1074. XI.

Bamberga ab Henrico I. Imper. & eius poſtea loco Beneuentum ei datum. 1019. I. 1053. I.

Apulia, Calabria, Sicilia, & Capua, propriæ Romanæ Eccleſiæ, conceduntur in feudum Northmannis. 1059. VIII. 1080. VII. & poſtea Germanis. 1197. II. ac demum Francis. & Hiſpanis. 1097. XXVIII. & ſeqq. Eidem quoque Eccleſia oblata Dania. 1062. VI. Boemia 1073. XIII. Sardinia. ibid. Ruſſia. 1075. VI. Dalmatia, & Croatia. 1076. X. Liguria, & Tuſcia vniuerſaque bona Comitiſſæ Mathildis. 1077. III. 1133. II. Corſica. 1077. IX. Prouincia, in Gallia. 1081. VI.

Tarraconenſis ciuitas. 1091. III Aragonia. 1097. XXX.

Portugallia. 1144. II. 1179. VII. Hibernia. 1159. III. Inſulæ omnes, quæ documēta fidei Chriſt. cepiſſent, pertinent ad ius Eccleſiæ Roman. 1159. III. ibidem.
Alexandria, ciuitas Longobardiæ. 1168. IX. Armenia. 1197. IV. Vnde contigerit tot Regna offerri Eccleſ. Roman. 1075. VI. Vide etiam *Denarius S. Petri.*
Rom. Eccleſiæ primum de Pontificatu Schiſma, Nouatiani aduerſus Cornelium. 254. IX.
Aliud admodum cruentum, Vrſicini cōtra Damaſum. 367 III.
Eulalii contra Bonifacium. 418. IX.
Laurentii aduerſus Symmachum. 498. II.
Dioſcori aduerſus Bonifacium Secundum. 530. I.
Inter Theodorum & Petrum presbyteros: in quorum locum communi conſenſu creatur Canon. 686. I.
Inter Theodorum & Paſchalem, in quorum locum eligitur Sergius. 687. II.
In electione Eugenii Secundi. 824. I. & Formoſi. 891. I. Ioannis dicti XVI. aduerſus Gregorium Quintum. 996. II.
Gregorii contra Benedictum Octauum. 1012. I.
Trium ſimul turpiſſimorum antipontificum; qui eiecti ſunt à Gregorio Sexto. 1044. II.
Mincii aduerſus Nicolaum Secundum. 1059 I
Cadaloi contra Alexand. Secundum. 1061. IV.
Guiberti contra Gregorium Sept. 1080. V.
Alberti, Theodorici, & Maginulphi cōtra Paſchalem Secundum. 1100. II.
Itemque Abbatis cuiuſdam, dicti Silueſtri, contra eumdem Paſchalem. 1106. I.
Burdini contra Gelaſium Secundum. 1118. IV.
Petri Leonis, contra Innoc. Secundum. 1130. I. & Victoris ſuffecti in locum Petri demortui; qui mox ſe ipſum abdicat, & Innocentio ſe ſubiicit. 1138. II.
Octauiani, Guidonis Cremenſis, & Ioannis Strumenſis, ſucceſſiue, aduerſus Alexandrum Tertiū. 1159. IV. 1164. XII. 1170. X.
Rom. Imperatores. Vide *Imperatores.*
Rom. Imperium multa bona diuinitus accipit ex aduentu Petri in Vrbem. 44. XXVII.
Adumbratum in Scriptura per Babylonem. 45. VI.
Ab excidio antea prædicto liberatur martyrio Petri & Pauli. 69. X.
Gubernatur à pluribus ſimul Imperatoribus. Vide in *Imperatores.* De cladibus in illud diuinitus illatis ob effuſū Chriſtianum ſanguinem, vide in *Clades. Barbari. Vitio diuina.* Primum omnium pendit tributum Scythis ſub Gallo & Voluſiano. 256. II. Vide *Tributum.* Propagatur ſub Diocletiano vltra Cteſiphontem. 301 I.
Sedem eius Conſtantinus transfert Cōſtantinopolim. 324. XXXI.
In Occidente cecidit vna cum Aetio Duce Valentiniani Tertii. 454. II. ac penitus defecit in Auguſto, quod cœperat in Auguſto: deuoluiturq; ad Reges barbaros. 475. I. 476. I. A Beliſario ex parte reſtauratum, rurſum penitus collabitur diuino iudicio. 549. I. ac demum in aduentu Longobardorum in Italiam. 567. IV. Transfertur ab Oriente in Occidentem, auctoritate Romani Pontif. & primo conceditur Carolo Magno. 800. IV. Vide in *Imperium.* & *Imperator Occidentis.*
Rom. Pontifex ſucceſſit auctoritati, quæ à Chriſto collata eſt Petro in Eccleſiam vniuerſalem. 34. LIX. 587. II.
Eius eſt, hæreſes Apoſtolica auctoritate damnare. 35. XIV. 412. V. 430. I. 449. I. & vide ſub nominibus præcipuarum hæreſum. Ad eum accedere ſoliti præcipui hæretici recantaturi palinodiam. 155. I. 180. IV. 407. I. 350. VII. 478. Vide *Hæretici.*
Abſque eius auctoritate Synodum Vniuerſalem colligi, & Eccleſiis decreta ſanciri nefas. 325. V. 286. XLV.
Eiuſque eſt eis præſidere. 449. V. 587. II. (Vide ſingula Concilia Oecumenica) eademque confirmare. 451. XXXII. 587. II. (Vide ibidem.) atque etiam, cum opus eſt, infirmare. 599. II.
Et abſque eo celebrata, auctoritatem non habent. 787. V. 809. I. Cum aliquid ipſe definit, Concilio Oecumenico opus non eſt. 449. I. 823. III.
Nec requiritur aliorum Patriarcharum præſentia, vbi ipſe per ſe, vel per Legatos intereſt. 787. III.
Extra Vrbem iis intereſſe, niſi per Legatos, non conſueuit. 449. IX.
Cōcilia per vniuerſum Orbem indicendi poteſtatem ab ipſo initio habuit. 198. I. Vide etiam *Concilia.*
Eius ſuprema in vniuerſa Eccleſia auctoritas. agnita etiam ab Aureliano Im. Ethnico. 272. III. & teſtata alia occaſione ab Ammiano ſcriptore Gentili. 355. VIII.
Agnita etiam à maioribus Sedibus, & ab ipſis etiam hæreticis, atque ab vniuerſo denique Orbe Chriſtiano 258 II. III. 263. VI. 272. III. 404. VI. 449. I. 495. III. 495. II. 518. VI. 519. III. VII. 520. V. 533. II III. 535. XIV. 538. IV. V. 587. II. 592. II. & alibi ſæpiſſime: & vide *Appellatio. Primatus.* & nominibus ſingulatum Sedium Patriarchalium. Eique in omnibus obtemperari cunctas vbique Eccleſias, ſanciunt etiam Imp. 445. V.
De eius Primatu quid ſtatutum in Concilio Nicæno. 325. XXXIII. & ſeqq. 422. I. Vide etiam ſupra in *Roman. Eccleſia.*
Ad eum appellare licitū vndique, eiuſque ſequendam ſententiam, declarauit Synodus Oecumenica Sardicenſis: 347. XII.
Itemque ei licitum eſſe, cauſas appellātium, vel aliis Epiſcopis delegare, vel è ſuo latere legatos in prouincias mittere, ibidem. V. Vide *Appellatio.* Ad eum deferri ſolitæ vndique, Epiſcoporum, aliæque maioris momenti cauſę. 418. IV. 578. II. 865. IV & vide in *Epiſcop. cauſa.* Cauſas ad ſe delatas, delegare conſueuit aliis Epiſcopis ſiue Conciliis. 602. III. Vices eius ſuſcipere ſoliti aliarum Sedium Patriarchalium Antiſtites. Vide ſub earum nominibus. Ipſe Iudex omnium, à nemine poteſt iudicari. vide ſub iiſdem nominibus, & in *Prima Sedes.*
Eius ab ipſo initio fuit, Epiſcopus, & Eccleſias vbiuis poſitas, præceptis ſuis non obtemperantes, à communione Catholica ſecludere. 195. I.
Fuit etiam eius conſuetudinis, mittere Legatos ad erigendam collapſam Orientalem Eccleſiam. 450. II. Vide *Orient. Eccleſia.*
Multas Orientalis Imperii prouincias, vt ſuas peculiares, per vicarios regere conſueuit. 860. II 869. XIII.
Eius ſolitus fuit, Epiſcopos in Synodis depoſitos, abſque maiori numero reſtituere. 449. XV. Vide *Depoſitio.*
Diſpenſauit etiam olim de canonibus Eccleſiaſticis, & decretis Synodorum Oecumenicarum. Vide *Diſpenſatio.*
Potuitque etiam abſoluere damnatos à Synodis, & abſque vllo Synodali conuentu damnare noxios. 495. II. 536. V. 869. III.
Eius erat, diem Paſchalem vniuerſæ Eccleſiæ indicere, & quo ritu id fieret. 325. XXX.
Ad eum examinanda mitti ſolita ſcripta de fide. 496. VI. 619. III. 600. III. 1094. III. 1177. XI. 1168 III.
Ad eum mos fuit ab Epiſcopis electis legationem mitti ad petendam Cathol. communionem. 520. II.
Etiam olim ſua auctoritate prouidebat aliis Eccleſiis Epiſcopos, 80. III. & Beneficia curam animarum habentia conferebat in alienis diœceſibus. 591. III.
Ei ab Epiſcopis præſtari ſolitum iuramentum. 723. I.
Eidemque ab illis promitti cum iuramento obedientiam, ſtatuit in Synodo Rom. ſub Paſchale Secundo. 1102. I.
Eorum Literas cōtemnere, quam graue peccatum exiſtimatum. 849. III.
Eius auctoritas in Reges & Impp. 800. IV. 1186. III. Vide etiam in *Reges & Imperatores.*
Iidem exhibere ei ſoliti officium Stratoris, aliaque humillima obſequia. Vide in *Strator. Pedum oſculatio. Obſequium.*
Eius nomen primo loco ante nomina Imperatorum, aliorumque Principum in omnibus monumentis ſcribi debet. 869. XVII. 1159. I.
Vere confert Imperium, non tantum coronat Imperatores. 877. III.
Conſtituitq; Electores Imperii, & quomodo. 996. VII. & ſeq. Vide *Imperium.* & *Electores.*
Regna poteſt eripere, & regium honorem auferre. Vide in *Regnum & Reges.* Bellica etiam nonnulli ſanctiſſimi tractarunt. Vide *Bellica & Gladius.* Regius eorum ſplendor antiquiſſimus defenditur aduerſus Ammianum Ethnicum, & hodiernos Nouatores. 367. IV. V.
De eorum patrimonio, Vide ſupra in *Rom. Eccl. patrim.*
Cōſecratur ab antiquis temporibus per Oſtienſem Epiſcopum. 261. III. 336. XVII
Conſecrationis, & coronationis cæremoniæ. 1190. I. Vide etiam *Corona.*
Quiſnam primus in aſſumendo Pontificatu nomen ſibi mutauit, & quare. 844. I.
In eorum electione ſchiſmatica, quomodo agendum exiſtimauerit Honorius Imp. 419. III.
Non debent ipſi ſibi eligere ſucceſſores. Vide *Succeſſores.*
Aduerſus eos qui viuente Pontifice, de eligendo qui ei ſuccederet tractarant; anathema inflictum in Concilio Rom. ſub Bonifacio. III. 606. IV.
De electionis eius modo ſancitum in Concilio Rom. ſub Symmacho. 499. II.
Eius Electionem ſibi vſurpare tentat Odoacer Erulus Rex Italiæ Arianus. 438. II.
In ea non ſe debere immiſcere Principes ſæculares, confirmatum in Synodo Ro. ſub Symmacho. 502. V.
Eam nihilominus ſibi penitus arrogat Theodoricus Gothus Rex Italiæ Arianus. 526 II.
Eaque præſumptio tranſiit ad ſucceſſores Reges Italiæ Gothos, iiſque expulſis ad Imperatores Orientis, ſed ea moderatione, vt Clerus eligeret, Princeps cōfirmaret. ibid & 555. II.
Pro confirmatione, impoſita pecuniæ ſumma. 533. VI. 555. II. 590. III. VIII.
Talia præſumentes Principes, nomine regio indigni iudicati à Gregorio Magno. 590 III. ibid.
Eam vero coactus conditionem adimplentes Pontiff. haud fuere in crimen

vocan

vocandi. ibid. VIII. Liberatur eo iugo Rom. Eccleſia per Conſtantinum Pogonatum Imperat. 681.XII.684.I.
Quomodo adminiſtraretur interim Eccleſia, dum expectaretur confirmatio Imperatoris. 639.III.
Exarchis ius eadem tyrannide datum ab Impp. vt nonniſi eorum requiſito conſenſu ſederet Pontifex. 686.I.
Eligendus ex Cardinalibus, decernitur in Synodo Roman. ſub Stephano Quarto. 769.I.
Electionem eius falſo aſſeritur Hadrianus Papa conceſſiſſe Carolo Magno. 744.III.813.VII.
Relinquitur libera à Ludouico Pio; vult tamen electum, vbi eſſet conſecratus, Legatos ad Imp. mittere de ſua ordinatione. 817 III.
Relinquitur item liber à Lothario Imp. 824.I.
Quid de ea tranſactum inter ipſum & Leonem Quartum. 847.III.
Eam ſibi arrogant Etruriæ Principes, & Comites Tuſculani, aliique Roman. proceres, ingenti eius Eccleſiæ damno & dedecore. 897.III.900.I.
Quid de ea ſtatuerit Otto Magnus. 962.I.
vel quid in ipſius fauorem ſtatutum fuerit. 963.I.ibid.964.IV. Ob eam ab Ottonibus vſurpatam, cito petit eorum ſtemma. 1002.III.
Relinquitur libera ab Henrico Primo. 1014.IV.
Vſurpatur ab Henrico Secundo. 1046. II.
Quid ei, vel Henrico ipſius filio, de ea conceſſum ſit à Nicolao PP. Secundo. 1059.VI.
Qualis eſſe deberet, vt legitima cenſeretur, ex conſtitutione eiuſdem Nicolai. ibid.& 1160.II.
Vt non haberetur legitimus, qui non à tertia parte Cardinalium electus eſſet, ſtatuitur in Concilio Lateranenſi ſub Alexandro Secundo. 1179.III.
Romanorum Pontiff. intruſorum, alii ſpurii, alii legitimi habiti; & vnde ea differentia. 897.I.
Romani Pontiff. ſegnius cauſam fidei agentes, citius è vita ſubtracti; puta Siricius. 397.VI.
Anaſtaſius Secundus. 497.II. Anaſtaſius Quartus. 1154.II.
Rom. Epiſcopum ſibi conſtituerunt Donatiſtæ, vt Rom. Eccleſiæ communicare viderentur. 321.II.411.III.
In Rom. Pontifices præſumpſerunt quidam hæretici & ſchiſmatici ſententiam anathematis dicere: veluti Ariani in Iulium. 347.XV.
Dioſcorus, & Timotheus Ælurus, in Leonem; 449.XVIII.457.IV.
Acacius in Felicem; 484.V.
Maurus in Vitalianum; 669.II.
Photius in Nicolaum, 863.II.
Henriciani in Gregorium Septimum. 1076.V.
Non poſſunt ab aliquo excommunicari, vel vllo modo damnari. 1076. V.ibid. Vide *Prima Sedes*.
Romani Pontificis nomina antiqua, ſeu tituli à Patribus ei tribui conſueti: Vniuerſalis ſeu Catholicæ Apoſtolicæ Eccleſiæ Epiſcopus. 142.V. 254 XIII. Papa: 165.IV.V. Pater Patrum. ibidem. & 643. III.646.I. Princeps Epiſcoporum. 165. IV.
Pontifex Maximus. 216. II. Epiſcopus Epiſcoporum. ibid. Apoſtolicus Papa. 451.XV. Vniuerſalis Papa. 643. III. 678. II. Vniuerſalis princeps paſtorum: 681. X. Primæ Sedis Antiſtes Vniuerſalis Eccleſiæ. ibid.XI.
Vniuerſalis Archiepiſcopus, & Patriarcha. 451.XVII. Vide *Vniuerſalis*.
Vniuerſi orbis terræ Patriarcha. 517. III.
Summus omnium Præſulum Pontifex. 646.I.
Omnium Capitum Caput, & Summus Pater Patrum. 809.I.
Alios etiam vide 519. IV. 817. VI. 867. XI.
Romilda Longobard. Ducis vxor, Forum Iulii prodit Auaribus, & mox ab iiſdem paulo infigitur. 600.I. Eius filiarum inſigne facinus ad conſeruandam virginitatem. ibid.
Romualdus Rauennas, genere illuſtris, fit Monachus, & inde anachoreticam amplectens vitam, eam mire propagat. 974.II.
Secedit in Gallias, vna cum aliis, rurſumque reuertitur in Italiam. 977.I.II.
Præficitur ab Ottone Rege Claſſenſi monaſterio; eidemque Regi pœnitentiam imponit de periurio. 996.II.
Martyrii cupidiſſimus, Apoſtolatum à Rom. Pont. accipit ad Gentes; ſed non permittitur à Deo progredi. 1008. III.
Moritur, & canonizatur ritu eius temporis. 1027.IV. De eius ætate. ibi.
Romualdus Salernitanus Archiep. legatus Regis Siciliæ ad pacem cum Friderico Imp. conficiendam. 1177.IV.
Scripſit Chronicon ab orbe condito ad ſuum tempus. ibid VII.
Romulus Cæſar, filius Maxentii. 309.II.
Roncaliæ Conuentus ſub Friderico Imp. de regalibus Imperii. 1158.II.
Roſæ & poma diuinitus miſſa hiberno tempore Dorotheæ virg. 304.XIV.
Roſæ aureæ benedicendæ à Summo Pontificis antiquus. 1177.IV.
Roſcelinus renouans in Gallia hæreſim Sabell. damnatur. 1094.III.
Rothingehenſe in Anglia Conciliabulum; pro Guiberto Antipapa contra Vrbanum legitimum Pontificem. 1095. VII.
Rothamagenſis Eccleſiæ nobilitas ſub Victricio inſigni Epiſcopo. 396 IV.
Rothomagenſe Concilium, de rebus Eccleſiaſticis. 682.III.
Rothomagus capitur à Northmannis. 845.IV.
Rudolphus Dux Sueuiæ, creatur à Principibus Germaniæ Rex aduerſus Henricum IV. Regem, rebellem Eccleſiæ Roman. 1077.VII.
Confirmatur à Gregorio Sept. PP. 1080. II. Occiditur in prælio. ibi.IX.
Ruffinus Aquileienſis monachus & presbyter, peregrinatur in Ægyptum, & Hieroſolymam, vna cum Melania nobiliſſ. matrona Rom. 372.VI. Alexandriæ inficitur erroribus Origenis à Didymo cæco. ibid. VII. Scribit Apologiam pro eodem Origene. 256.IV 397.IV. Calumniis exagitat S. Hieronymum. 393. IV. 394.XI.
Romam defert Origenis hæreſes. 397. IV. Impetrat ſubdole à Siricio PP. communicatorias literas, & Aquileiam ſe recipit. ibid. VI. Scribit aduerſus Hieronymum. 401.I
Vocatus ab Anaſtaſio Papa ad dicendam cauſam, ſubterfugia quærens, damnatur publico iudicio. ibidem. Quibus nominibus, dicteriiſque fuerit ab Hieronymo exagitatus. 401.IX.
Labitur in deterius. ibid. X. In direptione ſuæ ciuitatis ab Alarico, fugit in Siciliam, ibique moritur in perfidia ſua. 410. XII.
Fuit præcurſor Pelagii, & auctor eius hæreſis. ibid. Librum Sixti philoſophi Pythagorici Ethnici, publicauit ſub nomine Sixti Papæ & martyris. ibid. XIII. Alia eius ſcripta qualia. ib.
Ruffinus, natione Gallus, dux Theodoſii Magni potentiſſimus, nobiliſſima celebrari curat Encænia Eccleſiæ à ſe conſtructæ prope Chalcedonem. 394. VI.
Ei Theodoſius Arcadium filium, & Orietale Imperiũ cõmendat. 395. V. Mortuo Theodoſio, Imperium affectat. ibid.
Genus eius humile, & vita flagitioſa. VI.
Gothos & Hunnos in cladem Imperii vocat. ib.& VII.
Cum omnia paraſſet ad ſummendum Imperium, in ipſo momento occiditur à militibus. X.XI.
Eius propinqui, & amici, variis pœnis afficiuntur. XII.
Rugiani, populi Slauiæ, conuertuntur ad fidem. 875.I.
Peccant in ſuperſtitioſo cultu S. Viti martyris. ibid.
Rumoldus, genere Hibernus, Machlinienſium Apoſtolus, martyrio coronatur. 775.VIII.
Rupertus Epiſcopus Vangionenſis, à loci Comite ſolum vertere coactus, Borealibus populis Euangelium annuntiat; & Boioarios conuertens ad fidem, eorum Apoſtoli nomen obtinet. 580 IV.
Rupertus Tuitienſis Abbas quo tempore ſcripſerit. 1111. IX. Eius error de Euchariſtia. ibid.
Rupitani cur dicti Donatiſtæ. 321.III.
Rutli conuertuntur ad fidem. 867.X.
Alii adhuc Ethnici dire perſequuntur Chriſtianos; ipſique nauali prælio profligantur ab Imp. 941.III.
Ficte profitentur Chriſtianitatem. 959. I. Ingenti clade afficiuntur à Ioanne Zemiſce Imp. 970.I.
Ruſum excoluntur in fide, prædicatione & miraculis S. Bonifacii. eorum dicti Apoſtoli. 997. II. eiuſque fuſo pro fide ſanguine irrigantur. 1008 II.
Illius Eccleſiæ alia primordia, ibid.IV. Illuſtratur ab eorum Duce Ioraſdiſlao. 1034.VII.
Offertur regnum S. Petro & Eccleſiæ Rom. à Demetrio Rege. 1075.VI.
Ruſticus & Sebaſtianus, Roman. diaconi, ſchiſma conflant aduerſus Vigilium Papam, ob damnationem Trium Capitul: 547.IV.548.II.ibid.
Excommunicantur ab eo. 550 III.
Ruſtici Barlaham mira in aduſtione manus conſtantia. 304 XIII.
Ruſtici Bagaudæ. Vide in *Bagaud.*
Ruſticorum XL. martyrium ſub Longobardis. 579.II.
Rutilius poeta Ethnicus natione Gallus, occaſione fugæ ſuæ à barbarorum incurſionibus, ſcripſit Itinerarium. 407. II.

S.

SAbæ Abbatis inſtitutio ſub S. Euthymio. 457.IX.
Ordinatur presbyter à Salluſtio Epiſcop. Hieroſol. & à calumniis purgatur. 485. IV.
Triſagion apud Armenos non niſi Græce cantari, & quare. 492.III.
In maxima penuria Palæſtinæ, Deus mirabiliter eius prouidet monaſteriis. 513. III.
Regnante Iuſtino, vbique prædicat reſtitutionem fidei Cathol. 518.IX.
Agit apud Iuſtinianum Imper. aduerſus Samaritas hæreticos. 530. III. Moritur ætatis anno 92. ibi.
Sabbati ſuperſtitioſiſſimi cultores Doſithei. Appar. VIII.
Iis diebus fieri à Chriſto ſanationes, Phariſæi improbabant. 32.II.III.
Sabbatum ſecundo primum, quod ſit intelligendum apud Lucam. 32.II.
Sabbaticus fluuius Palæſtinæ, diebus tantum Sabbati fluens. 35 XII.
Sabbati iter, quod eſſet. 34. LXII.
Sabbati Iudæorum obſeruatio, mutata ab Apoſtolis in diem Dominicam. 58. XXXV.
Eius obſeruationem reducentes quidam tempore Gregorii Papæ, vocantur ab eo Antichriſti præcurſores, & quare. 603.II.

Sabbato cur Romæ, & in Occidente ieiunaretur, in Oriente id feſtiue celebraretur. 57.LX.LXI.

Sabbatius ex Iudæis oriundus, factus Nouatianus hæreticus, ſchiſma inter ſuos conflat, cuius ſectatores dicti Sabbatiani. 408.IX.

Ii proſcriptione & exilio damnati à Theodoſio Iuniori. 415.VI.

Dicti ſunt etiam Protopaſchitæ. ibid.

Sabellius ab Hermogene, & Noeto, ſuas accepit hæreſes. 170.V.260.VI.

Quænam eæ fuerint. ibid.

Damnantur iterum in Concilio Alexandrino ſub Oſio Cordub. 319.III.

Sabellianiſmi inſimulabant Ariani Catholicos, quod Filii cum Patre Conſubſtantialitatem aſſererent. 340.VI.

Sabinianus R. E. diaconus, mittitur à Gregorio Magno Apocriſiarius Conſtantinopolim. 593.I.

Reuocatur Romam. 597.I.

Creatur poſt Gregorium, Rom. Pontifex. 604.VII.

Moritur, percuſſus in ſomnis ab eodem Gregorio, ob ipſius auaritiam, funereq; effertur ignobili. 605.III.

Sabinus tyrannus occiditur à Carino Imp. 284.III.

Sabinus Spolet. Epiſc. martyr ſub Diocletiano. 301.IV.

Sablonarias villæ Concilium, in cauſa Lotharii Franc. Regis adulteri, & adulterorum fauoris. 862.V.

Saccophori hæretici, qui & Maſſaliani, ita dicti quod ſacco conſpicui incedere ſolerent. 361.X. Vide *Maſſaliani*.

Sacerdos Summus Iudæorum, vnicus ſemper extitit, ſed plures principes ſacerdotum. 31.IV.V.

Eius ſumma apud omnes auctoritas. 35.II.

Sorte electus factione Zelotarum ſub Nerone; obtigitque ſors homini ruſticano ineptiſſimo. 69.XX.

Ea dignitas è domo Leui tranſlata ad alios per Herodem Idumæum. Appar. V.

Eandem pro libito Herodes, & Romani, quibuſuis deferre ſoliti. Appar.V.& 46.II.

Sacerdotes in Lege prohibiti ſcindere veſtimenta ſua. 34.XXIII.

Illi tribui permiſſum nuptias inire cum regia ſtirpe, ceteriſque tribubus. Appar. II.XVII.

Sacerdotes honoris cauſa à Græcis dicebantur *Sancti*. 43.IV.

Eorum ſumma poteſtas apud omnes gentes. 57.XII.

Vocari ſoliti Angeli. ibid.XVI.

Sacerdotes Apoſtoli facti à Domino. 34.XV. Vide etiam *Epiſcopi & Presbyteri*.

Sacerdotium, & Regnum, vna iuncta apud Iudæos in Aſſa monæis. Appar. II.

Sacerdotium regale inſtitutum à Domino in Eccleſia. 34.LXXXV.57.XI.

Præſtat Regno, & Imperio. 57.XI.ibid. 337.III.727.III.

Eius eminentia demonſtrata à Gelaſio PP. aduerſus Anaſtaſium Imp. 494.I. & à Gregorio Magno, aduerſus Mauritium. 595.II.

Subdi Regibus, quomodo dixerit idem Gregorius. 592.V.

Sacerdotii regalis ſplendor in Romanis Pontiff. defenditur à criminationibus Ammiani Ethnici, & Nouatorum. 367.IV.V.

Sacerdotes Imperatorũ iudices agnoſcuntur à Conſtantino. 325.XII. Vide etiam *Iudicia Eccleſ.* Sacerdotalis poteſtatis in Reges vſus. 57.XI.

Sacerdotes lapſi, laica tantum communicatione impertiendi. 255.I.258.I. Vide *Lapſi*.

Sacerdotii onus quantum horruerint nonnulli ſanctiſſimi viri. 592.X.

De Sacerdotum filiis inuentis in piſcina Gregorii Papæ, fabula refellitur. 591.V.VI.

Sacerdotes ſummi: dici ſoliti olim omnes Epiſcopi. 397.XVI.

Sacerdotum extrema in Galliis aliquando miſeria, ex laicorum inuaſione bonorum Eccleſ. 787.XI.

Sacerdotibus, licet indignis honor debetur. 1084.VI.

Quanta eis reuerentia debita. 1100.VIII.

Sacerdotum indignos, non eſſe ſacerdotes, nec poteſtatem habere ſacramenta adminiſtrandi, aut eis obediendum eſſe, dixerunt Albienſes hæretici. 1176.II.

Sacerdotum ſanctiſſimus, titulus Preteianni Regis Æthiopum. 1177.X.

Sacramenta omnia abiiciebant Aſcodrytę, & Archontici, & quare. 175.X.

Itemque Maſſaliani. 361.IX.

& Tanchelinus. 1126.V.

De ſingulis ſeptem Sacramentis Eccleſiæ, vide ſub eorum nominibus.

Ea non poſſe confici, nec adminiſtrari, per miniſtros indignos, aſſeruerunt Albienſes. 1176.II.

Sacramentarii hæretici. Vide in *Eucharistia*.

Sacrificium incruentum Miſſæ, ordinatum à Domino. 34.XV.XVI.

Offertur pro viuis, atque defunctis. ibidem.XCII.57.XLI.257.VI. Vide etiam *Miſſa*, & *Eucharistia*.

Sacrificia idolorum prohibent Conſtantinus. 326.XVI. & Conſtantius. 341.XVI.358.VI.

Nocturna etiam ſacra, Valentinianus & Valens. 364.VIII.

Sed rurſum priſtina ſacrificia permittit idem Valentinianus. 371.X.

Prohibent Gratianus, & Theodoſius Magnus. 382.XIII.392.V.

In eis quantus fuerit Iulianus Apoſt. 363.XVI. Vide etiam *Daemonicultus*.

Sacrificium horrendiſſimum Pergamenſium. 717.II.

Saddoc ſacerdos, auctor ſectæ Sadducæorum. Appar.VII.

Sadducæi apud Iudæos dignitate præcipui. Appar.VII.

Eorum impia dogmata, & feri mores. ibid.

Dicti à S. Ioanne Bapt. progenies viperarum. ibid.

Sæculares Ludi Romæ quales eſſent. 206.II.

Celebrati ſub Seuero Imp. ibid.

Itemque ſub Philippo, anno V.C milleſimo. 249.II.

Zoſimi de iis mendacia. ibid.III.

Contemnuntur à Conſtantino Imp. magno Gentilium mœrore, quod fatales Vrbi exiſtimarentur. 313.III.

Contemptus felicitatem, reſtitutio (quę facta eſt ſub Honorio) calamitatem attulit Vrbi, & Imperio. ibid.& 494.III.

Saladini Babyloniæ Regis Saracen. tremenda expeditio in Terram Sanctam. 1180.IV.

Res Chriſtianorum in arctum redigit. 1185.II.

Capit Hieroſolymam, & S. Crucem ignominioſe flagellat. 1187.III.

Acceptis à Friderico Imp. literis, reſcribit ferociter. 1188.III.

Quæ ipſi conflictationes, & conuentiones cum Richardo Rege Angliæ. 1191.VI.

Moritur, & filii eius diſcordant inter ſe. 1195.III.

Saladinæ Decimæ, impoſitæ pro expeditione aduerſus illum. 1188.II. Vide *Decimæ*.

Salegunſtad. Concilium prope Moguntiam, de Oeconomia Eccleſ. 1022.II.

Salome filia Herodiadis. 31.XIX. Petit caput Ioannis Bapt. 33.I.

Miſero fine perit. ibid.

Salonius & Sagittarius fratres, perditiſſ. Epiſcopi Galli, deponuntur in Concilio Lugdun. 570.VI. Sedem Apoſt. appellantes, falſis ſuggeſtionibus reſtitutionem obtinent. ibid. Armati lorica & galea, primi omnium Epiſcoporum, viſi ſunt præliari in bello aduerſus Longobardos. 575.II.

Multorum criminum rei, deponuntur in Concilio Cabilonenſi. 582.I.

Saluianus Maſſilienſis Epiſcopus, ſui temporis Hieremias, luget clades à barbaris illatas in Gallias, ob diſciplinæ corruptionem. 407.II.412.VII.

Itemque Hiſpaniarum à Wandalis occupationem, ob turpiſſimas libidines ibi regnantes. 409.V. pariterque Africæ ob eadem ſcelera. 428.I.439.VI.

Saluina Gildonis tyranni filia, poſt obitum viri ſui Nebridii, Imperatorum conſobrini, adoleſcentior viduata electa, miniſtrat munere diaconiſſæ Eccleſiæ Conſtantinop. 398.XII.

Saluius Engoliſm. Epiſc. Valentianas prædicationis cauſa profectus, martyrio coronatur. 801.VI.

Mirabilis eius corporis inuentio, & ſepultura. ibid.

Salus ab vſque initio mundi non fuit niſi per Chriſtum. Appar.I. Non eſſe corporum, ſed tantum animarum, qui hæretici dixerint. Vide in *Reſurrectio*. Nonniſi per omnium turpitudinum, & peccatorum conſummationem acquiri, dixerunt Caiani. 145.VIII.

Eam conſequi non alios homines velle Deum, quam eos qui ſaluantur, aſſeruit Gotheſcalcus. 848.III.

De Salute damnatorum varii exorti errores ex Origenis ſcriptis. 414.V.

Saluandos quoque dæmones, credidit idem Origenes. ibid.

Salutem, & Apoſt. bened. quis primus Romanorum Pontif. ſuis literis impertiri cœperit. 93.I.

Salutatio Oſculi, Pacis, & Gratiæ. vide ſub iis vocibus.

Samaritanæ feminæ cum Chriſto colloquium. 31.XX.

Samaritani non contebantur cum Iudæis, ob differentiam religionis. 31.XX.35.IX.

Multi eorum recipiunt fidem, ad prædicationem Chriſti. 31.XX.

Plurimi alii ad prædicationem Philippi diaconi baptizantur, & ab Apoſtolis confirmantur. 35.IX.XI.

Samaritarum apud Iudæos in aduentu Chriſti, ſectæ diuerſæ. Appar. VIII.

Eorum dogmata, & mores. ib. Peruenerunt ad tempora Iuſtiniani Imp. ſub quo ſibi creato Rege, Palæſtinæ, Eccleſiam dire vexant; compeſcuntur autem ab eo 74.II.530.III.

Ficta eorum conuerſio ſub eodem Imp. 541.V.

Sacras Imagines exturbant, & licet à Iuſtino Imper. cohibiti, non quieſcunt. 574.II.

Sammai, auctor ſectæ Phariſæorum. Appar.VI.

par.VI.

Samoſateni ciues quantopere horrerent Arianos. 370.IV.

Sampſæi dicti, qui & Helceſaitæ hæretici. 105.II.

Sampſon presbyt. Scotus, negans baptiſmi neceſſitatem, damnatur a Zacharia Papa. 748.I.

Samuelis Prophetæ Reliquiæ ex Palæſtina tranſlatæ Conſtantinopolim ſub Arcadio Imp. 406.XI.

Sancti initio Eccleſiæ vocati omnes Chriſto credentes. 43.IV.64.II.

Ea appellatio poſtea remanſit eminentioris ſanctitudinis viris. ibi. Sic à Græcis, honoris cauſa, dicti Sacerdotes. 43.IV. Atq; ita etiam nominati aliquando à piis viris, Principes Ethnici, vel hæretici, nõ ex meritis eorum, ſed ex com-

muníbus titulis, eis alioqui tribui conſuetis. 502. IV.
Ad Sanctorum Reliquias, & ſepulchra, vel alias res adiacentes, ingentia edi ſolita miracula. 55. III. Vide *Reliquia. Sepulchra. Martyres* & de SS. cultu, vide etiam ſub iiſdem vocibus, & in *Feſta. a. Natalitia.*
Sanctorum eorumdem celebritates cur ſæpe diuerſis diebus in variis Eccleſiis agantur. 109. VIII.
Iuxta eorum corpora ſepeliri, Fidelibus ſemper optatiſſimum. 226. IV.
Eorum Memorias execrabiles eſſe, dixerunt. Euſtathiani hæretici. 319. IX.
Ex eorum cultu firmatum in Gallia regnum Francorum. 456. III. 484. XII. Vide in *Franci.*
Eorum interceſſiones negarunt quoque Iconomachi. 727. I. 754. VI.
Eaſque edicto vetuit Copronymus. 766. I.
Sed & Sanctos, aliquos defunctos nominari, prohibitum eſt ab iiſdem Iconomachis in Conciliabulo Conſtantinop. ſub eodem Copronymo. 754. VI.
Eorum item cultum negarunt Manichæi. 1017. I.
De Sanctis non colendis abſque auctoritate Sedis Apoſtolicæ decretum Alexandri. PP. III. explicatur. 1181. II. Sanctorum Omnium feſtum, quando celebrari cœptum. 835. V.
Sanctuaria, vela admoueri ſolita ſepulchris SS. ad ſanandos morbos. 55. III.
Item loca in eccleſiis, vbi deponerentur ſacra vaſa ad miniſterium. 451. X.
Sanhedrin magnum LXXII. virorum, à Moſe inſtitutum, iudicabat de Lege, & Rege, &c. 31. V. 32. V.
Sublatum aliquando ab Herode. 31. V.
Valde depreſſa eius auctoritas 58. LX.
Sanhedrin paruum XXIII. virorum, iudicabat de cauſis capitalibus. 32. V.
Sanguis Zachariæ, patris Ioannis Bapt. indelebiliter inhæret ſaxis templi. 1. XV.
Thomæ Apoſtoli, Cruci lapideæ. 57. XXXIV.
Sanguinis, & ſuffocati. abſtinentia, qua ratione præcepta Apoſtolis, & quis eius rei vſus in antiqua Eccleſ. 51. V.
Sanguinis pœna. Vide *Pœna ſanguinis.*
Sanguinem Chriſti in Euchariſtia corruptibilem prædicauit Paulus Samoſatenus. 265. III.
Aſſeruari in Eccleſia ſolitus, Conſtantinopoli effunditur à ſacrilegis in expulſione Ioannis Chryſoſtomi. 404. V. & à Wandalis in perſecutione Eccleſiæ Afric. 456. IV.
De Chriſti latere exortus, reperitur Mantuæ ſub Carolo Magno. 804. I.
De ſacro calice mixtus atramento in quibuſdam diriſſimis conſcribendis anathematibus, 648. II. 869. V.
Sanguis ex Imaginibus Chriſti, & Sanctorum, ictis à perfidis. 446. III. 560. I. 765. II. 509. II. 614. IX.
Ex brandeo inciſo. 461. II. Ex ſpicis meſſorum, laborantium die feſto. 954. VI. Sanguinis pluuia, in Aquitania. 1017. III.
Santonenſe Concil. pro depoſitione Epiſcopi, intruſi auctoritate regia. 566. IV.
Sapientiam aliam, quam Chriſtum in Deo conſtituebat Aſterius ſophiſta, eo doctrina Euſebii. 336. V
Saponarias Villæ Concilium generale Galliarum in cauſa Wenilonis Archiepiſc. Senonen. proditoris regni Caroli Calui. 859. III.
Sapores Rex Perſ. capit Antiochiam. 245. I.
Vincitur multis prælis à Gordiano Imp. 244. II. ibid.
Capto Valeriano Auguſto, vtitur eius collo. ſuppedanei loco, ad equum conſcendendum. 262. II.
De eius baptiſmo aſſertio reiicitur. 309. IV.
Sapores alius, prædicti nepos, ad 70. annos regnum propagat. 309. IV.
Legationem mittit ad Conſtantinum Mag. 325. LIII.
Obſidet Niſibin, ſed precibus Iacobi eius ciuitatis Epiſcopi vexatur, & repellitur. 338. IV.
Perſecutionem excitat aduerſus Chriſtianos ſibi ſubiectos. 343. III. IV.
Semper contra Conſtantium proſpere pugnauit. 345. I.
Virgines ſacras Chriſtianas, in præſidiis Romanorum à ſe captis, permittit ſolito ritu Deo ſeruire. 359. XXIII. in fi. Eius Legati ad Iulianum miſſi, a Iuliano contra ius gentium necantur ob Chriſtianitatem. 362. XI.
Vincit Iulianum, & res componit amplis conditionibus cum Iouiniano. 363. XII. XVIII.
Proditorie retinet, & necat Arſacem Regem Armeniæ Chriſtianum. 369. IX.
Sapricius Antioch. presbyt. martyrii candidatus, odio alterius Chriſtiani deficit à fide. 260 II.
Sarabaitæ, monachi Ægypti, quales. 328 VI.
Saraceni primordia religionis Chriſt. recipiunt ab Hilarione inſigni illo Abbate 372. XIII.
Incrementum à Moyſe æque illuſtri monacho, facto illorum Epiſcopo. ibid.
Repellunt Gothos ab obſidione vrbis Conſtantinop. poſt necem Valentis Imp. 378. VIII.
Habitantes in Palæſtina conuertuntur, & Epiſcopum accipiunt Petrum, inſignem olim Perſarum ducem. 420 IV.
Incurſant Palæſtinam duce Alamundaro. 590. II. 578. Vide *Alamund.* Eis Iuſtinianus Imper. cogitur pendere tributum annuum. 539. II.
Eorum Princeps Naaman conuertitur ad fidem cum ſuis. 591. II.
Poſt obitum Mahometis Principis, vna cum reliquis Arabibus inuadentes Imperium, ingentibus cladibus illud afficiunt 631. I. 632. I. 633. I. ibid.
Ægyptum ſub tributum redigunt, & Alexandriam occupant. Syriam cum ciuitatibus Hieroſolyma & Antiochia capiunt. 634. I. 635. I. 636. I. ib. I.
Potiuntur regno Perſarum 639. V.
Subigunt Africam. 647. I. Occupant Cyprum. 648. IV.
Armeniam deuaſtat. 653. VII.
Eorum Rex Mahuuias, ſuorum ſeditione agitatus, tributum pro pace pendit, Imp. Conſtanti. 658. II.
Sed paulo poſt compoſitis rebus ſuis, iterum Imperium inuadit. 659. II.
Obſident Conſtantinopolim, ſed diuinitus repelluntur, & alio ingenti prælio ſuperantur. 672. III.
Vincuntur quoque nauali prælio in Hiſpania. 675. IV.
Inuaſi ipſi Maronitis, pacem ab Imperatore tributo redimunt. 676. III.
Rupta pace à Iuſtiniano Iuniori, Armeniam capiunt. 692. V. in fi.
Africam inuadunt, obtinentq; 696. II.
Ducenta eorum millia occiduntur in Syria à Rom. exercitu. 698. III.
Quam ea gens numeroſa fuerit. ibid.
Occupant Hiſpanias. 713. IV. V. 716. IV.
Obſident Conſtantinopolim, ſed virtute Deigenitricis ingentibus cladibus afficiuntur. 717. IV. Itemque in Hiſpania, ope eiuſdem Deiparæ vincuntur à Pelagio. 718. III.
Sunt auctores Iconomachiæ & Iconoclaſtiæ. 723. II. Sardiniam obtinent. 725. I.
Gallias inuadentes ingenti omnium prælio ſuperantur à Carolo Martello. occiſis. 375. eorum millibus. 735. II.
Rurſumque eas inuadentes, ab eodem debellantur. 31. V. 733. II.
Eorum perſecutiones in Chriſtianos Orientis. 718. I. 741. III. 757. IV. 760. I. 784. III. 812. II. in fin. & in Hiſpania. 821. III. 850. I. 851. II. 852. II. Eis tributum pendere cogitur Irene Aug. 681 III.
Itemque Nicephorus Imp. 805. I.
Occupant Cretam. 822. III. & Siciliam ac partem Italiæ. 827. I.
Deuaſtant per multos annos Italiam. 843. IV.
Eccleſias SS. Apoſtolorum expilantes, Vrbemque tentantes, repetito naufragio pereunt. 846. I. 849. I.
Eis tributum pendere cogitur Ioannes Papa Octauus. 877 VIII.
Tributum virginum eis penditur in Hiſpania. Vide *Virgines.* Mirabili victoria ſuperantur à Ramiro Rege Hiſp. ope S. Iacobi Apoſtoli, viſi in acie pugnare. 844. V.
Itemque ab alio Ramiro, ductu Angelorum. 938. I.
A Nicephoro Imper. multis cladibus in Oriente afficiuntur. 964. VII.
Itemque à Ioanne Zemiſce. 970. I.
Aliæ eorumdem clades. 998. II.
Eos penitus conterendos à Francis, antiquiſſ. vaticinium. 963 V.
Obtinent ſuis Oratorium intra vrbem Conſtantinop. 917. III.
Ingenti clade afficiuntur in Africa ab exercitu aduerſus eos immiſſo à Victore PP. 1087. II. Vide etiam *Terra Sancta.*
Sardicenſe Concilium Oecumenicum procuratur, & indicitur à Iulio Papa. 346. II.
Quo tempore celebratum ſit. 347. I.
Quot, qui, & quales Epiſcopi interfuerint. ibid. II V. VI. Fuit vere Oecumenicum. III. Ariani Epiſcopi quo animo eo acceſſerint, & inde receſſerint. VI. Acta, & canones Synodi. VI. vſque XIII. Nulla ibi fidei regula facta, ſed tantum Nicæna ſtabilita. IX. Canones qua ratione fuerint cum Nicænis confuſi. XVIII. 419. XIII.
Acta edita Græce & Latine. 347. XIII.
Legatio Patrum ad Conſtantium Imp. ibid. XIX.
Paſſus eſt calumniam ab Arianis, ob Marcelli Ancyrani abſolutionem, qui Sabellianiſmi inſimulabatur. 347. XIV.
Male item audiuit apud multos Catholicos, quod Ariani Philippopoli conuenientes, hoc ſuum conuenticulum pro Synodo Sardicenſi venditarint. ibi. XV. & ſeqq. Legitima Sardicenſis ignota Auguſtino. ibid. XVII.
Sardiniæ dominium, Eccleſiæ Rom. 1073. XIII.
Sarmatæ populi notis frontes ornabant. 315. V. Debellantur à Conſtantino Magno. 319. I. A propriis ſeruis expulſi, ad eumdem Conſtant. ſe recipiunt. ibid. Vincuntur a Conſtantio. 358. VI. & à Theodoſio. 373. VII. Dicti poſtea Poloni. Vide in *Poloni.*
Sarmentitii dicti Chriſtiani à Gentilibus, quod frequenter igne cremarentur. 253. XV.
Sarona regio Palæſtinæ, quam Petrus ad fidem conuertit. 40. III.
Satanas qua ſignificatione vocatus à Chriſto Petrus. 33. VII.
Satanæ tradi excommunicati cur dicantur. 57. IV. VI.
Satanæ traditus ab Ambroſio quidam, mox à dæmonio miſere diſcerpitur. 396. I.
Satanianorum ſecta, qui cultum exhibebant ſatanæ, ne ab eo læderentur. 361. VIII.
Saturninus Antiochenus, hæreſiarcha, diſcipulus Simonis magi. & Menandri. 35. XIII. 74. VI. Quos errores introduxerit. 120. XI.

Saturninus Arelatẽſis Epiſcopus Arianus, Concilio Biterris habito, multos ſeducit, Hilarium & Rhodanium in exilium pellit. 356. XIII. Poſt obitum Conſtantii, ipſos à Catholicis pellitur. 362. XLIX.

Saturninus Proconſul Africę lumina amittit, ob perſecutionem in Chriſtianos. 202. I.

Saturnini presbyteri Afric. & ſociorum martyrium ſub Diocletiano. 303. III. Eorum Acta appendice falſata. ibidem. IV.

Satyrus frater S. Ambroſii, eiuſque in rebus agendis conſultor & moderator. 374. IV.

Saulus. Vide *Paulus*

Saxones opem ferunt Theodoſio Magno aduerſus Maximum tyrannum. 388. VII. Viſitantur à duodecim presbyteris Angloſaxonibus, vt ad fidem Chriſt. perducantur. 690. I. Irrigantur ſanguine martyrum. 695. III. 695. I. ibid. Fundatur Eccleſia à S. Svviberto. 711. I. Vincuntur diuinitus à Pipino. 749. III. Sæpe rebellantes à Francis, & à fide Chriſt. apoſtatantes, toties debellantur a Carolo Magno, & fidem profiteri coguntur. 772. III. 775. VI. 776. II. 778. II. 779. I. Demum quieſcunt, & plene conuertuntur. 780. VI. 782. II. Eius Eccleſiæ cunabula. 780. VI. Offertur ea prouincia S. Petro, à Carolo. 782. III.

Patronum ſuſcipientes S. Vitum martyrem, è Gallia ad ſe translatum, omnem pariter Francorum felicitatem & gloriam ſibi a iſciſcunt. 836. IV. Itemque Reliquias ſuſcipientes Dionyſii Areop. 920. III.

In ſchiſmate Henriciano, ſtant viriliter pro Sede Apoſtolica. 1076. IV. 948. VIII. 1077. VII. 1080. II. 1085. I.

In remunerationem, accipiunt diuinitùs Imperium ab eadem Sede. 1125. III.

Saxonicum Concil. contra Inueſtituras laicorum. 1111. VII.

Schematici hæretici, qui Synodum Chalced. reiicerent. 451. IV.

Scenici (h. e. ſerui theatrales) iniuſte prohibiti a Valentiano Imp. baptizari, niſi in articulo mortis. 371. X.

Scenici eſſe prohibebantur Chriſtiani, ibid.

Schiſma Antiochenum, Carthagineuſe, Luciferianum, Meletianum, Nouatianum, Quartadecimanorum, Semiarianorum, Romanum. &c. Vide ſub ſingulis vel auctorum ſchiſmatum, vel Eccleſiarum ſciſſarum, vel rerum, de quib. orta ſchiſmata, nominibus.

Schiſmatici vel hæretici, dicendi, quicumque diuiduntur ab Eccleſia Rom. 254. XII. XIII. Vide *Romana Eccleſia*. Eorum baptiſmum qui damnarint; & quorum ſuſcipiendus, aut reiiciendus. 258. V. VI. X. Vide *Baptiſmus*.

A quibuſcumque magiſtratibus excluſi decreto Concilii Arelatenſis, & aſſenſu Conſtantini Magni. 314. VIII.

Vide etiam *Hæretici*. & in nominibus ſingularum ſectarum ſchiſmaticarum.

Scholæ Conſtantinop. inſtitutæ à Conſtãtino Mag. 330. IV.

A Theodoſio Iuniori in meliorem formam reductæ. 425. V.

Vide etiam *Profeſſores*. Reſtituuntur à Barda Cæſ. 859. VII.

Athenienſes florentiſſimę ſub Conſtantio. 350. V.

Romanæ, lege Valentiniani Primi optime inſtitutæ. 370. XXI.

Scholas Theologiæ Romæ primus omnium Agapetus Papa aperire ſatagit. 535. VV,

Pariſienſis inſtitutæ à Carolo Magno. 802. IV.

De iiſdem per vniuerſam Galliam inſtituendis, agitur in Conciliis Valent. & Tullienſi. 859. IV.

Scientiæ prodierunt ex Hebræis, non à Græcis. 362. LVIII.

Scillitani martyres in Africa ſub Seuero, maieſtatis prætextu necati. 202. I. II.

Sclaui, ſiue Sclauini populi, Illyricum inuadunt. 548. 550. II.

Romanos vincunt, & Conſtantinopolim appropinquantes, vix repulſi ſunt. 551. I.

Iterum inuadunt Thraciam ſub Chagano Rege Auarum. 593. X. 600. I.

Scitum eorum Regis dictum ad Legatum Dagoberti Franc. Regis. 640. IV.

Subiugantur à Carolo Magno. 788. II.

Scoti ſub Victore Papa & mart. Euangelium ex parte acceperunt. 429. III.

Reliqui conuerſi ſunt à Palladio Cæleſtini PP. Archidiacono, qui primus eorum creatus eſt Epiſcopus, dictuſque Apoſtolus. ibid. & 431. XXV.

Inuadunt Britanniam. 446. I.

Schiſmate diuiduntur ab Eccleſia, ob diem Paſchæ non ſuo tempore celebratum. 604. VIII.

Quale illud ſchiſma, & quamdiu in eo perdurarint. 633. IX.

Collatione de ea re habita cum Catholicis, vincuntur, non tamen omnino cedunt. 664. II.

Corriguntur. 699. III. 716. III.

Alia ſchiſmate inter ſe diuiduntur, ob electionem primarii Epiſcopi S. Andreæ. 1180. II.

iidemque poſt multas conteſtationes, demum vniuntur. 1182. I.

Scoticæ Eccleſiæ priuilegia, & libertates, conceſſæ & confirmatæ à Summis Pontiff. 1192. II.

Scribæ dicti apud Iudęos, Legis Doctores. Appar. VI.

Scripta multa ab hæreticis, & Gentilibus ſuppoſita, Apoſtolorum, ipſiuſq; Chriſti nomine. 44. XXV. XXVI.

Alia ab iiſdem de eorum rebus geſtis conficta. ibid. XXIV.

Alia eorundem apocrypha. 145. IV. VIII. IX.

& alibi frequenter Dei conſilium in cõrum eiuſmodi ſuppoſitionibus permittendis. 44. XXVI.

Apocryphis non innititur Eccleſia. 102. III.

Diſtinxit ea ab aliis Gelaſius PP. in Concilio Rom. 494. III.

Scripta hæreticorum, aliaque improbatæ lectionis, comburi ſolita. Vide in *Libri* & ſub nominibus ſingulatum ſectarum hæreticorum. Scripta omnia Chriſtianorum comburi iuſſa a Diocletiano. 302. I.

Scripta ſuorum, vel aliorum impiorum hæretici tribuere ſoliti viris Orthodoxis, eorumque nomine alia confingere. 142. V. 230. II. 351. II. 392. XI. 432. VI. 440. II. 444. IV. 553. X. XIX. 683. II.

Scripta Catholicorum iidem corrumpere conſueti. 68. IX. 74. IV. 102. IV. VIII. 175. IV. 196. II. 553. X. XVII. XIX.

Sua tamquam de cælo delapſa obtruſit Elxai, eorumdemque interpretationem prohibuit. 105. II. itemque Mahometes. 630. I. II.

Scripta de fide, examinanda mitti ſolita ad Rom. Pont. 496. VI. 529. III. 600. III. 1094. III. 1177. XI. 186. III.

Eorum ſibi cognitionem perperam arrogant Reges, ipſorumue miniſtri. 1186. III.

Scriptores Eccleſ. ab Hieronymo quo fine, quoue modo collecti, nec tamen omnes recenſiti. 109. XV. 392. VII. Vide etiam *Hiſtor. Eccleſ.*

Scriptoribus hæreticis, & ſchiſmaticis non credendum in narrationibus rerum ſuarum ſectarum. 56. IX. 367. VI. 283. VIII.

Scripturam Sanctam, præter libros Moſis, reiiciebant Samaritæ apud Iudæos Appar. VIII.

Scripturarum intelligentiæ donum, à Domino collatum Eccleſiæ. 34. LX.

Scriptura firmamentum accipit à Traditione. 53. IV.

Scripturas negare, vel ab eis demere ſoliti hæretici, quæ contra ipſorum eſſent hæreſes: puta Ebionæi, 74. V.

Cherinthiani, 97. VII.

Helceſaitæ. 105. II.

Valentiniani. 145. I.

Cerdon, & Marcionitæ, 146. II. VI.

Tatianus. 174. III.

Seueriani. 174. V.

Theodoriani. 199. V.

Manichæi, 277. XI.

Ariani, 360. V.

Iconomachi, 787. V.

Armeni, 863. V.

Bongomili, 1118. XII.

Albienſes, 1176. II.

& alii plurimi. Vniuerſas Priſcillianiſtæ recipientes, eas in ſuos ſenſus allegorizarunt. 381. XVI.

Scripturam Vniuerſam commentariis illuſtrarunt, Clemens Alexandrinus. 196. II.

Baſilius, 378. II.

Chryſoſtomus, 407. V.

Cyrillus Alexandr. 444. III.

Rabanus, 856. IV.

Eius Synopſin confecit Athanaſius, in gratiam Conſtantis Imp. 342. VI.

Vniuerſam memoria tenui Ioannes cæcus martyr. Ægyptius. 309. X.

De eius multiplicibus verſionibus, & editionibus, vide in *Editio. & Interpret.*

Scripturæ vbique conquiri, & comburi iuſſæ à Diocletiano. 302. I.

Ob non eas exhibitas, ingens martyrum numerus; qui vero eas magiſtratibus exhibuerunt, Traditores dicti. 302. III. XV.

Vide *Traditores*. Alicubi miraculo ſeruatæ à combuſtione. 302. XX.

E Scripturæ fortuita apertione, quæſita vaticinia rerum eueniendarum, vel agendarum. 507. II. 556. III. 579. IV. 612. I.

Sculptores Chriſtiani elegerunt mori, quã idola facere. 312. IX.

Ea ars tempore Conſtantini Magni Romæ fere defecerat. ibid.

Scythæ primi omnium Romanos ſibi tributarios fecerant ſub Impp. Gallo, & Voluſiano. 236. II.

Deuaſtant Aſiam, & incendunt templum Dianæ Epheſiæ, ſub Gallieno. 263. III.

Superantur à Conſtantino Magno. 319. I. Rediguntur ab eodem ſub tributo, opera Gallicani ducis. 330. XI.

Vincitur ingenti clade in Italia Rhadagayſus Scytha Paganus. 406. I.

Ex Scythia adfuit Epiſcopus Magno Concilio Nicæno. 325. X.

Eorundem Epiſc. Bretannio exagitatur à Valente Imp ob fidem Cathol. 371. VIII.

Eis prædicauit Euangelium S. Nicetas. 396. V.

Cælitus vincuntur in Thracia, precibus Theodoſii Iun. 425. II.

Scythæ monachi, vide *Monachi Scythæ*.

Sythianus magus, primus auctor Manichæiſmi. 277. III.

Eius genus, vita, diſciplina, & ſcripta. ibid.

Sebaſtianus dux à Caio PP. conſtituitur Defenſor Eccleſiæ. 286. III.

Eius inſignis confeſſio, & martyrium ſub Diocletiano Imp. ib. Eiuſdem cultu ceſſat Romæ ſæua peſtilentia. 680. VII.

Pars reliquiarum transfertur in Gallias. 826. III.

Sebaſtianus Bonifacii Comitis gener, in

ſuſpi-

ſuſpicionem perduellionis adductus, tranſit in Africam ad Wandalos, & poſt confeſſionem fidei Cathol. aduerſus Arianos, alia ob ficta occaſione occiditur. 440.V.
Sebuæi apud Iudæos tranſponebant tempora ſolemnium feſtiuitatum. Appar. VIII.
Secundus Valentini diſcipulus, quæ & ipſe delirarit circa Aeonas, aliaque dogmata. 175. VII.
Sedes Prima. Vide *Prima Sedes, & Rom. Eccleſia.*
Sedes Patriarchales. Vide *Patriarch.*
Sedes Eccleſiarum inſtitutæ ſecundum prouinciarum diuiſionem, & prærogatiuas ciuitatum à Romanis antea ſtabilitas. 59. VI. Vide etiam *Diœceſis*
Sedium Epiſcoporum anniuer ſariæ dies celebrari ſolitæ. 45.I. Vide etiam in *Cathedra.*
Sede vacante Clerus Rom. capitis munera in multis explet. 253.VIII. Vide *Ro. Clerus.*
Sedium vacantium in Anglia Rex ſibi redditus vſurpans damnatur. 1164. VII.
Sedes ligneæ Apoſtolorum conſeruatæ ad poſteros, & venerationi habitæ. 34. LXXXIV. 820.III.
Quales eſſe ſolerent eiuſmodi ſedes Epiſcopales. ibid.
Sculptorum leonum tergis imponi ſolitæ, & quare. 399.X.
Sede geſtatoria vehi, prohibitum Epiſcopis in Concilio Bracar. III.
Fuitque id tantum Romani Pontificis. 645.III.
Seguinus Archiepiſcop. Senonenſis, in Synodo Rhem. agit fortiter pro Sede Apoſtol. 992.III.
Seianus calumniis onerat Iudæos. 21.III. Ad omne malum impellit Tiberium Imp. ibid. IV. Immenſa eius potentia & memorandus caſus. 31.XVIII.
Eius filia virgo necanda, prius à carnifice iubetur conſtuprari. ibid.
Selene, mater omnium à Simone mago prædicata. 35.XII.
Quæ alia delira idem de ipſa doceret. ibidem. Dea habetur ab eius ſectatoribus, & à Romanis, eiuſque ſimulacrum erigitur.
Seleuciæ Iſauriæ celebris memoria S. Theclæ, & ad eam frequens peregrinatio Fidelium. 47.V.
In ea ciuitate iubentur à Conſtantio Imperat. conuenire Orientales Epiſcopi, eodem tempore quo Occidentales Arimini, & quo conſilio id contigerit. 358.III.
Quot, & quales Epiſcopi conuenerint. 359.XVI.
Sæua diſſidia inter Arianos & Semiarianos, & quæ partes ibi Catholicorum. ibid.
Seleucus & Hermias Hæreſiarchæ. Vide *Hermias.* Ab eo nominati Seleuciani hæretici. 107.V.
Semiariani hæretici qui dicerentur. 347. XVI.
Habiti Catholici, reſpectu Arianorum. 357.XIII.358.IV.363.I.
Eorum formula fidei, quo conſilio interpretatus ſit Hilarius. 358.IV.
Celebrant Concilium Ancyræ aduerſus Sirmianam Arianorum perfidiam. 357. VI.
Quomodo inter eos tunc tranſactum de voce Subſtantiæ. ibi.VII.
Dire altercantur Seleuciæ, & Conſtantinopoli, cum Arianis, & ſe inuicem damnant. 359.XVI.XXI.XXII.
Adhærent hæreſi Macedonianæ. 360. IV.
& ab ea exinde dicuntur Macedoniani. 363.XX.
Concilium celebrant Lampſaci aduerſus Arianos: vbi & ſubſcribunt hæreſi Macedonianæ de Spiritu Sancto. 365.I.
Vide *Macedoniani.*
Semidalitæ hæretici, ſecta Acephalorum. 535.XI.
Senator Exconſul, ſub Commodo apoſtata à fide, inter ſacerdotes Iſidis profitetur. 189.II.
Qualis eſſet tunc Chriſtianorum Senatorum cauſa. ibid.III.
Alii Senatores martyres. 189.I.191.II. 226.II.273.I. Vide etiam *Conſul.*
Senator Aſterius propriis humeris ſublatum ſepelit Marinum martyrem. 262. III.
Senatus Rom. reſtitit Tiberio, ne Chriſtus reciperetur inter deos. 34.LXIII.35. XVI.
Senatuſconſultum Tiberianum, de morte damnatis ad decem dies ſeruandis. 23.I.
Seneca præceptor Neronis Imperator. 56. XIII.
Eius epiſtolæ ad Paulum Apoſtolum aſſertæ, cuius ſint fidei. 66.IV.
Detecta in Neronem coniuratione, eius iuſſu mortem ſibi conſciſcit. 67.II.
Sententiæ quædam, ſeu dicta Chriſti, extra Euangeliſtarum hiſtorias. 34.LXII.
Sententia mortis non exequenda, niſi poſt decem dies, ex Senatuſconſulto Tiberiano. 23.I.
Poſt 30. dies, ex lege Theodoſii Magni. 390.II.
Eam legem Theodoſii abrogauit Nicephorus Boton. ibid.V.
Vide etiam in *Præfecti & Iudicia.*
Sepeliri prohibitus à Iudæis Simeon ſenex, ob Chriſtum in templo annuntiatum. 1.IX.
Sepeliebantur peregrini Hieroſolymis ſeorſum ab incolis. 34.VII.
Sepeliri prohibebantur damnatorum corpora cum ceteris, & quomodo ea ſepelirentur. 34.XL.XLI.
Sepeliri prohibiti à Gentilibus martyres. 302.V.304.VII. Vide *Martyres.*
Sepultura priuati Catholici ab Arianis. 356.III.372.V.
Denegatur Gratiano Imp. à Maximo tyranno. 383.IV.
Ea indigni impii. 364.I. & hæretici. 1179. III.
Denegata eſt Noeto hæreſiarchæ. 260. V. Vide etiam *Funus. Corpora. Mortui.*
Sepulchra aperta in Paſſione Domini 34.XXXVIII.
Sepulchrum Chriſti quo modo munitum à Iudæis, ne poſſet aperiri. ibidem. XLI.
Eius ſitus, & deſcriptio. ibid. LIV.
Profanatur a Gentilibus, ſimulacris idolorum. 137.IV.
Expurgatur à Conſtantino, & nobiliſſimo inſignitur templo. 326.VI.
Eius factus legitimus dominus Carolus Magnus, dono Aaronis Regis Saracenorum. 784.III.
Claues ad eundem Carolum miſſæ à Patriarcha. 800.V.
Illud templum, agentibus Iudæis, diruitur à Principe Saracenorum, ſed paulo poſt reſtauratur; dira vero de Iudæis vbique vindicta ſumitur a Chriſtianis. 1009.III. Vide etiam *Hieroſol.*
Sepulchrum Dauidis, ſiue Salomonis dicti, quamdiu perdurarit. 34.LXXI.
Sepulturæ Fidelium curam habebant Laborantes, ſeu Foſſarii dicti. 44. XXXIV.
Eius curatores à Conſtantino inſigniter inſtituti, & à ſequent. Impp. aucti. 336.XIV.
In Sepulchris Gentilium, non debent ſepeliri Fideles. 259.II.
Sepulturæ Chriſtianorum ritus. 310.IV.
Sepeliendi martyres cum colobio, aut dalmatica. 382.IV.
Qui ritus ad miniſtros etiam Eccleſiæ extenſus, cohibitus eſt a Gregorio Papa. ibid.
Sepeliuit propriis manibus Eurychianus PP. diuerſis locis 342. martyres. 282. IV.
Sepelire martyres intra Vrbem, conceſſum à Maxentio. 306.X.
Sepeliendi mortuos, mos Longobardorum. 673.I.
Sepeliri iuxta Sanctorum corpora, ſemper Fidelibus optatiſſimum. 226.IV. 365.IV.
Ex ſepulchris Sanctorum vel puluere, aliiſque rebus ei adiacentibus, ſiue admotis, atque etiam ex oleo lampadum, vel cera candelabrorum ad ea ardere ſolitis, ingentia edita miracula. 55.III.58. XXX.415.IV 461.II.574.III.
De ſepulchris Clementis Papæ, Gregorii Thaumaturgi, Pauli primi eremitæ, Mariæ Ægyptiacæ, aliorumque plurimorum Sanctorum, mira quædam, vide ſub eorum nominibus. Et adde *Peregrinatio.*
Sepeliri Impp. Chriſtiani Conſtantinopoli conſueuerunt extra veſtibulum Eccleſiæ Apoſtolorum. 336 XIII.
Ob ſepulchrum Conſtantini Magni apertum, ingentes turbæ. 351.XII.
Sepulchri violator diuinitus corripitur. 654.III.
Sepulchra Gentilium parentum ſuorum contererentes Chriſtiani, cohibentur legibus Imperatorum. 340.XV. 363.V.
Sepulchrum Mahometis, quale. 630.III.
Septem Dormientes. Vide *Dormientes.*
Septima Synodus Oecumen. Vide *Nicænum Concilium II*
Septuaginta Interpretes. Vide *Interp.*
Septuaginta Diſcipuli Domini. Vide *Diſcip.*
Septuaginta Seniorum Concilium Iudæorum. Vide *Sanhedrin.*
Sepulchrum. Vide in *Sepelire.*
Serantapicus Iudæus, auctor Gizido Saracenorum Principi, Iconomachiæ & Iconoclaſtiæ. 723.II.
Turpiſſima morte afficitur à ſucceſſore Gizidi. ibid.III.
Serapion Antioch. Epiſcopus, celebris inter ſcriptores Eccleſ. 191.II.
Moritur. 213.II.
Serapion Thmueos Epiſcopus, inſignis confeſſor, intereſt Concilio Sardicenſi Oecumenico. 347.V.
Ei Antonius Magnus moriens legat melotem vnam. 358.V.
Monet Athanaſium, in eremo latentem, de ortu hæreſis Macedonianæ, & ab eo litteras accipit contra illam. 360.V.
Serapion Archidiaconus Eccleſiæ Conſtantinop. ſub Chryſoſtomo, monet eum de conatibus Seueriani Gabalenſis. 400 XV.
Eundem Seuerianum falſo accuſans, magna diſſidia inter eos conciiat. 401.X.
Serapis deus Aegyptiorum, vnde ſic dictus. 389. XVI.
Creditus Ioſeph Patriarcha. ibid.
Eius ſacra ſæpe Romæ vetita, ſub Commodo in honore habentur. 189.II.
Eius ſimulacrum quanta curioſitate compoſitum. 389.XV.
Eiuſdem forma Iulianus Apoſt. effigiari voluit, & longe ante Hadrianus. 362. VI.
Cubitus eius, Alexandriæ in eccleſiam Chriſtianorum à Conſtantino tranſlatus, magna Gentilium murmuratione. 326.XV.
Templum famoſiſſimum diruitur iuſſu Theodoſii Magni. 390.389.XIV.XV.
Flagitioſa in eo peragi ſolita myſteria. ibid.
Serena Aug. vxor Diocletiani, Chriſtiana facta, ſancto fine quieſcit. 294.III.
Serena Honorii, fratris Theodoſii Magni filia, datur vxor Stiliconi celeberrimo duci. 395.V.

Conſor.

Conſors conſpirationis mariti in Honorium Imp. ex Senatuſconſulto ſtrangulatur. 409.I.
Sergius Conſtantinopol. eligitur Epiſcopus, magnæ tunc æſtimationis iuuenis. 608.II.
Detegitur poſtea hæreticus Monothelita, ſeducitque Heraclium Imp. 629.II.
Quomodo in his ſe geſſerit cum Cyro Alexandr. Sophronio Hieroſol. & Honorio Rom. Pont. 633.III. & ſeq.
Componit impiam Ecthesin, quam Heraclius ſuo nomine promulgauit. 639.I.
Moritur ibid. IV. Damnatur eius memoria in Sexta Synodo. 681 II.
Sergius Manichæus, Paraclitum ſe mentiens, multos ſeducit in Oriente: à quo dicta ſecta *Sergiatarum*. 810.I.
Necatur. 811.I.
Sergius I. creatur Rom. Pont. 687.II.
Reiicit canones Quiniſextæ pſeudoſynodi: & vi agente aduerſus eum Protoſpatario Imperatoris, ab Italica militia defenditur. 681. III. Curat Aquileienſem Eccleſiam à ſchiſmate Trium Capitulorum. 697.II. Liberatur à calumnia inceſtus, voce pueri nouem tantummodo dies nati. 699.II.
Multa paſſus eſt ab inuaſore Sedis. 701.I.
Vocat Romam ex Anglia Bedam. ibi. II.
Moritur, & inter ſanctos colitur. ibidem. I.
Sergius II. ordinatur, eiecto Ioanne inuaſore. 844.I.
Num fuerit primus, qui mutarit nomen in aſſumendo Pontificatu. ibid.
Quid ei paulopoſt cum Ludouico filio Lotharii Impp. miſſo à patre in Vrbem. ibid. II.II. Moritur. 847.II.
Serg. III. inuadit Sedem. 907.I.908.I.
Sæuit in cadauer Formoſi PP. & in clericos ab eo ordinatos. 897.II.908.II.
Eius vitæ turpitudo. 908.III.
Moritur. 910.I.
Eius filius ex ſcorto natus, fit etiam Papa. 931.I.
Sergius IV. creatur ex Epiſcopo Albanenſi. 1009.I.
Moritur 1012.I.
Sermones ad Fratres de Eremo, falſo tributi Auguſtino, multa delitia continent. 385.III.
Serpentes in Melita inſula, poſtquam Apoſtolus Paulus ibi fuit, carent veneno. 58. LXIII. Vide etiam *Baſiliſcus Draco*.
Serpentem Adæ fuiſſe Chriſtum, dicebant Ophitæ, atque ideo ſerpentem colebant, & ſuis myſteriis adhibebant. 145. V.
Eumdem quoq; ſerpentem fuiſſe Chriſtum, dixit Manes. 277.IX.
Serpens, tamquam Aeſculapius eſſet, adorandus palam expoſitus ſub Antonino Pio, & oracula eius nomine conficta. 145.VI.
Romam delatus ad peſtem auertendam 315.IX.
Eius longæuitas, & fœcunditas. ibid.
Necatus à Siluestro Papa. ibidem VIII. IX.
Alius ligneus eius loco effictus, cui puellæ virgines immolabantur, quouſque detecta eſt impoſtura. ibi. IX. & 399 XI.
Vide etiam *Draco*.
Seruatius Tungrenſis Epiſc. intereſt Concilio Sardicenſi. 347.V.
Petit Romam. 346.III.
Mittitur à Magnentio tyranno legatus ad Conſtantium; & Alexandriæ viſitat Athanaſium. 350.VIII.
Serui Stigmatici, vel Literati, aut Inuſti dicti, ex inſcriptionibus vulnuum. 315.V.
Sethiani hæretici, qui Chriſtum dicebant eſſe Seth filium Abrahæ, aliaque delira effutiebant. 145.IX.
Libros magnorum virorum nomine confinxerunt. ibid.
Seuerianus Gabalenſis in Syria Epiſcopus, commiſſus à Chryſoſtomo curæ Eccleſię Conſtantinop. in ſui abſentia, res nouas in eum molitur. 400.XV.
Accuſatus de blaſphemia, eiicitur à Chryſoſtomo, ſed opera Eudoxiæ Aug. reſtituitur. 401.X.
Inhæret Eudoxiæ, aduerſus eumdem Chryſoſtomum. 403.I.456.I.404.V.
Seuerinus Noricorū Apoſtolus, (non Epiſcopus) ſanctitate, prophetia, & miraculis clarus innoteſcit. 454.VI.
Valde colitur ab Odoacre Italiæ Rege, quod ei regnum prædixiſſet. 476.I.
Moritur, eiuſq; corpus Neapolim tranſfertur. 482.VII.
Seuerinus Abbas Agaunenſis, mirabiliter ſanat Clodoueum Regem. 508.V
In eius defuncti memoriam, Childebertus nobilem eccleſiam erigit. ibi.
Seuerinus Papa eligitur; & quod noluerit approbare Ecthesin Heraclii Imperatoris, haud ab eo confirmatus, ordinatur 638. VIII.
Ob damnationem Ecthesis, exagitatus à miniſtris Imp. moritur. 639 III.
Seuerus Aquileienſis Epiſcopus ſchiſmaticorum Trium Capitul. caput, agitatur à. Pelagio Papa per Exarchum Italiæ 586.I.
Vocatus à Gregorio Magno Romam ad Synodum, confugit ad Imperatorem. 590.X.
Aquileia à Longobardis incenſa, profugus ſtipem mendicare cogitur. ibid.
Sedem collocat in Gradenſi Eccleſia. 602.II.
Perſequitur Catholicos, & Gregorius aduerſus eum implorat auxilium Exarchi. ibid. Moritur. 605.I.
Seuerus, ſectator Traiani (à quo dicti Seueriani hæretici) quæ impia dogmatizarit. 174.V.
Seuerus Sulpitius nobiliſſ. ciuis Rom. renuntiat ſæculo, & adhærens S. Martino, Vitam eius ſcribit. 394.XV.
Eius Dialogi non eodem plauſu accepit. 402.XV.
Sectatus eſt errorem Millenariorum. ibidem.
In ſenectute à Pelagianis deceptus, poſtea reſipiſcit, & perpetui ſilentii pœnitentiam ſibi ipſe imponit. 430.XII.
Alius fuit à Seuero Epiſcopo Bituricenſi. ibid.
Seuerus ex Ethnico magno factus monachus Eutychianus, pactione damnationis Concilii Chalcedon. intruditur ab Anaſtaſio Imp. in ſedem Antiochenam. 513.I.
Catholicos ſibi reſiſtentes dire perſequitur. ibid.
Ab eo dicti hæretici Seueriani, eumdemque Acephali pro capite habuerunt. ibidem II.
Eius impietas ingentib. confutata miraculis. ibid.
Iuſtino regnante, mox damnatur Vbiq; in Synodis. 518.VI.VII.
Ab eodem Imp. iubetur linguæ præciſione puniri, ſed fuga pœnam vitat. 519. XI.
Alexandriæ fit auctor Corrupticolarum ibid. XII.
Quod ex eo hæreſes ortæ, inter ſeipſas prorſus contrariæ. 535. XI. 607. XI. XIV.
Perſuadet Anthimio Epiſcopo Conſtantinop. eadem ſecum ſentienti Epiſcopatum potius quam hæreſim deſerere. ibid. XIV. & 536.VI.
Excommunicatur ab Agapeto Papa. 536. VI.
Relegatus à Iuſtiniano Imp. in ſolitudine moritur, & ad inferos detruditur ibid. XI.
Libri eius, & ſcripta comburuntur. ibi.
Seuerus Dux exercitus in Pannon a, natione Afer, deficiens à Dido Iuliano, arripit Imperium, & confirmatur à Senatu. 193.II.
Aduerſus Peſcennium progreſſurus, paciſcitur cum Albino, eum creans Cæſarem. ibid. III.
Initio bene Chriſtianos habet, quod aliquando per vnum eorum oleo curatus eſſet. ibid.
Peſcennium occidit, & multos populos barbaros debellat, deque iis triumphat. 197. I.
Baſſianum filium, Cæſarem creat, & Antoninum vicit. 199.I.
Albinum rebellantem occidit. ibid.
Iudæos rebellantes debellat, deque iis triumphat. ibid. II.
Sæuit in ſuos, vnde & dicitur Sylla Punicus. 200.I.
Antoninum filium creat ex Senatuſconſulto Imperatorem. 201.I.
Parthos debellat, & de iis triumphat. 204.I. 205.II.
Perſecutione in Chriſtianos edicto indicit. 204.I.
Getam, alterum filium creat Auguſtum 210.I.
Coercet Britannos. 211.II.
Ab Antonino filio appetitur gladio, ſed abſque effectu. 212.III.
Moritur ex mœrore ſcelerum filii. 213.I
Diuina in eum vindicta de effuſo Chriſtiano ſanguine. ibi. Refertur inter diuos à Senatu. ibid. II.
Seuerus alius creatur Cæſar à Galerio Imp. & præficitur Italiæ. 306. II.
Necatur in expeditione aduerſus Maxentium tyrannum. 307.I.
Seuerus alius, occiſo Maioriano Imp. tyrannice inuadit Imperium Occidentale, ope Ricimeris Gothi. 461.I.
Necatur dolo eiuſdem Ricimeris. 465. III.
Sexta Synodus Oecumenica celebratur Conſtantinopoli, auctoritate Agathonis Papæ, & Conſtantini Pogonati Imperat. 678.II.680.II.
Legatio duplex Occidentalium ad eam. 680. II.
Præſcribit Agatho, quæ in ea gerenda eſſent. ibid
Numerus Patrum & conſeſſus, locuſque Synodi. IV.V.
Geſta eius. VI. & 681.I. vſque XII.
Damnatur hæreſis Monothelitarum, cum ſuis ſectatoribus viuis & defunctis. 681.II.
An etiam Honorius PP. inter alios damnatus fuerit. ibid. III & ſeqq.
Eius Acta corrupta ab hæreticis. 608.II. 681.IV. ibid 681.II.
Periculum fidei publice factum, ad retundendam inſani presbyteri temeritatem. 681.VIII.
In definitione fidei ſequitur ſententiam Agathonis Papæ. X. Eiuſdem petit confirmationem. XI.
Ad eius prætenſum ſupplementum poſt decennium celebratur Conciliab. Quiniſextum. 692. I. Vid *Quiniſexta Syn.*
Sibyllæ vnde ſic dictæ. Appar. XI.
Appellatæ à Patribus, Propheteſſæ Gentilium. ibid.
Earum oraculis frequenter iidem vſi ad conuincendos errores Gentilium, eamqueob cauſam dicti ab iis Sibylliſtæ & earum lectione prohibiti pœna mortis. ibi. & 142.IV.
Iis quoque vſus Paulus Apoſtolus. Appar. XI.
Quæ vaticinatæ ſint de Chriſto venturo. ibid. XII.
Carmina vera ſelecta à ſpuriis per Auguſtum & Tiberium Impp. 19.II.
Sibyllini libri cremati à Stilicone ſub Honorio Imp. 389 VIII. in fi.
Sicilia deuaſtatur à Genſerico Wandalorum Rege. 439.V.440.V.
Eripitur à Beliſario iiſdem Wandalis. 535.XVI.
Donatur à Ludouico Pio Imp. Eccleſiæ

Rom. 817.II.
Occupatur à Saracenis. 827.I.
Recuperanda à Northmannis, conceditur in eis feudum ſub tributo annuo à Rom. Pontiff. appellatione Ducatus. 1059 VIII.1080. VII.
Erigitur in Regnum à pſeudopontifice Anacleto, ſed poſtea confirmatur is titulus à legitimo Pont. Innoc. Secundo 1130.VI.1139 IV.
Ingens eius clades ex terræmotu, ob peccata Regum, Antiſtitum, & populorum. 1169. VII.
Immenſas patitur calamitates, ob altercationes de ſucceſſione. 1189.IV.1193.I. 1194.III.1196 II.
Reddita Eccleſiæ Rom. traditur à Cæleſtino PP. Friderico Secundo, ſub tributo annuo. 1197.II.
Sicula Monarchia laiclericalis, aſſerta conceſſa Regib. à Rom. Pont. plane deſtruitur. 1097. II. 1078. vſq; XLIV.
Siculum Concilium, in quo Euſtathius Sebaſtenus fidem Conſubſtantialis fingit profiteri. 365.III.
Sidæ Concil. aduerſus Maſſalianos hæreticos. 383.IX.
Sidonenſe Conciliab. Eutychianorum, aduerſus defenſores Synodi Chalcedon. 512.II.
Sidonius Apollinaris Aruernus, inſignis orator & poeta, donatur Romæ ſtatua & coronis. 458.I.
Habuit vxorem, Papianillam filiam Auiti Imp. 466.III.
Sanatur morbo ad limina Apoſtolorum 467.III.
Creatur Præfectus ab Anthemio Imp. 468.I.ibid.
Ordinatur Epiſcopus Aruernenſis, viuente adhuc vxore. 472.III.
Eius egregiæ laudes. ibid.
Rogationum vſum in ſuam Eccleſiam introducit aduerſus inuaſiones Gothorum. 475.III.
Moritur, paulo ante dire vexatus à ſuis presbyteris. 486.II.
Sigebertus Gemblacenſis monach⁹, ſchiſmaticus, falſus aſſertor priuilegii conceſſi Carolo Magno, de electionibus Summorum Pont. & Inueſtituris Epiſcop. 774.III.
itemque magiæ Silueſtri II. Papæ. 999. III.
Sigebertus Francorum Rex, ſuccedit in parte regni Clotario patri. 565.IV.
Nicetium Treuerenſem Epiſcopum ſanctitate celebrem, à patre exulem factum reuocat. ibid.
Ducit in vxorem Brunichildem regiam Hiſpanam virginem. 567.V.
Succedit in regnum fratris ſui Chariberti defuncti. 572.II.
Chilpericum alium fratrem, fruſtra diſſuadente S. Germano Pariſienſi, ad necem perſequens, ipſe occiditur dolo Fregedundis Reginæ. 579.III.
Sigeberti alterius Regis Franc. pietas ob quam poſt obitum relatus eſt inter Sanctos. 657.IV.
Signa militaria. Vide *Milit. ſigna.*
Sigiſmundus Burgund. Rex ex Ariano fit Catholicus. 509.III.
Curat celebrandum Concilium Epaunenſe. ibid.IV.
Occiſo ex falſis ſuggeſtionibus filio Sigerico, pœnitens expoſcit à Deo in hoc ſæculo puniri. 526.X.
Occiditur à Clodomero Francorum Rege, & poſt mortem miraculis claret. ibid.
Silas comes peregrinationis Pauli, poſt Barnabam. 51.XII.XVII.
Silentium quinquennale Pythagoricum ſuis indicebat Baſilides hæreſiarcha, 120 V.
Silentium quoque obſeruabant Valentiniani. 145.III.
Ei⁹ ſuperſtitioſiſſimi obſeruatores Patalorinchitæ. 173.X.
Silentio 40. dierum, Gregorius Nazianzenus domuit linguam loquacem. 389 III.
Silentii perpetui pœnitentiam ſibi impoſuit Seuerus Sulpitius, quod Pelagianis adhæſiſſet loquacitate ſua. 430. XII.
Silentiarias, ob incorporabilem ſilentii obſeruantiam, dictus Ioannes ex Epiſcopo factus monachus. 491.V.
Silentiarii qui dicerentur in Palatio Imp. 491 II.
Siloe fons in Hieruſalem, certis tantum diei horis ebulliens. 33 XII.
Silua Candida dicta in memoriam martyrum, quæ antea Silua Nigra. 302. XVIII.
Siluanectenſe Concil. ſub Carolo Caluo, opera Hincmari Rhem. collectum, infirmatur à Nicolao Papa. 836.VII. VIII.
Aliud ſub Hugone Capeto, in cauſa inuaſionis ciuitatis Rhem. 990.II.
Siluanus quidam Imperium in Galliis vſurpans, poſt paucos dies extinguitur à ducibus Conſtantii Imp. 353.III.
Silueriuș Roman. Pont. per vim creatur à Theodato Rege, ſed confirmatur à Clero Rom. 536 XII.
Fuit filius Hormiſdæ Papæ, ex coniugio ante ordines. ibid.
Rogatus à Theodora Aug. reſtituere Anthimium Epiſcopum Conſtantinop. hæreticum nec audiens, falſis proditionis cum Gothis prætextibus, pellitur in exilium per Beliſarium. 538.II.III.
In Vigilium Sedis emptorem & inuaſorem, anathematis ſententiam profert. 539. I.
Arctiori cuſtodiæ traditus, cogitur mori inedia. ibid. & 540 II.
Eius memoria culta Martyris titulo & miracula ad eius ſepulchrum fieri ſolita 540.II.
Ob eius perſecutionem, quantæ clades illatæ in Imperium. 539.II.546.I.
Silueſter creatur Rom. Pont. 314.I.
Præeſt per Legatos Concilio Arelatenſi Primo, confirmatque eius ſtatuta. ibid. V.VIII.
Diſputat cum Iudæis de religione coram Conſtantino Magno. 315.VII.
Draconem peſtiferum perpetuo ergaſtulo mancipat. ibid. VIII.
Cur pingatur cum dracone ad pedes eius vincto. idid.IX.
Oſium Cordubenſem Epiſc. committit ad componendas in Oriente turbas per Arium excitatas. 318.XI.
Eius latebræ ſub Conſtantino probantur. 323.III.324.VIII.
Reuocatur Romam, & baptizat Conſtantinum, mundatque à lepra. 324.X. ibid. & ſeq.
Eius Acta corrupta, & quæ in eis legitima. 315.VII.324.XXV.
Sub eo, eiuſque auctoritate celebratum Concilium Nicænum Primum. 325. III. IV.
Legatos committit, qui præfuerunt. ibid. VII.
Confirmat eius Acta. ibid.XLV.
De Conciliis ab eo celebratis, vide in *Rom. Concil ſub Sylueſtro.*
Moritur. 335.XII.
Sylueſter II. creatur ex Archiepiſcopo Rauen. 999.I.
Eius anteriora vide in *Gerbertus.*
De eius magia, fabula Bennonis refellitur. 999.II.III.
Ducem Hungariæ in Regem promouet 1000. II.
Moritur. 1003 I.
Eius ſcripta qualia. ibid.
Sylueſter III. dictus, Antipapa turpiſſ. creatur pecunia, & paulo poſt eiicitur. 1044. II.
Sylueſter alius Antipapa erigitur aduerſus Paſchalem II. & paulo poſt eiicitur. 1106. I.
Siluia virgo ſacra. Ruffini Præfecti, proditoris Imperii, ſoror, ſanctitate & eruditione conſpicua. 395 XII.
Similem per omnia Patri Filium, Conſtantius Imp. aſſeri vult in Concil. Sirmienſi. 357. VII.
ſimilis tantum, aſſeritur Nicææ Thraciæ. 359.VII.
ſimilis, non ſubſtantia, ſed voluntate Seleuciæ. ibid.XVII
ſimilitudinis vox prorſus ablegatur Sirmii. 357. III. & Seleuciæ 359. XIX.
Diſſimilis omnino aſſeritur ab Eudoxio & Aetio. 356.XVIII.
itemque à Photino. 357.II.
Diſſimilis non ſolum ſubſtantia, ſed & voluntate, in Concil. Antioch. contra Meletium celebrato. 360.XI.
Diſſimilis quoque vocem ipſam, damnant horrendo ſenſu Acaciani Seleuciæ. 359. XIX.
Simon Bar-iona, mutato nomine appellatur à Chriſto Petrus. 31.X. Vide in PETRVS.
Simon Cananæus, poſtea Apoſtolus, Zelotes dictus, is creditus, cuius nuptiis interfuit Chriſtus. 31.XII.
Quibus populis, poſt Diuiſionem Apoſtolorum, Euangelium prædicarit. 44. XX.
Confuſus ab aliquibus cum Symeone Fratre Domini, & cum Iuda Iacobi. 44. XXI. XXII.
Quando ſubierit martyrium. 68. III.
Simon Cyrenæus cogitur Chriſti Crucem ex altera parte portare. 34.XXX.
Simon Magus baptizatur à Philippo Diacono. 35.IX.
Offert pecuniam Apoſtolis Petro & Ioanni, vt acciperet poteſtatem conferendi ſpiritum Sanctum. ibi.X.
Repulſus, reſilit à fide. XII. Mentitur ſe eſſe Deum, & Chriſtum, & alia plurima impia, impura, & inepta docet. XII.XIII Appellatur ab Irenæo Primogenitus ſatanæ. XIII. Scribit contra fidem Chriſti. ibid. Primus omnium, qui poſt Chriſtum fuerunt, hæreſiarcha. XIV. Deus à ſuis, itemque à Romanis habetur, eiuſq; ſimulacrum erigitur, vna cum Selenes ſuæ. XII.
Eius diſcipuli, & ſectatores. XIII.XIV.
Petit Romam. 44.XXVII.
Neroni factus chariſſimus, volatum promittit, ſed ad preces S. Petri cadit, & miſere perit. 68.VI.VII.
Quibus præſtigiis conſueſceret illudere hominibus. ibid. VII.
Simonia in Simone mago, à S. Petro damnatur. 35.XII.
Simoniacorum quorumdam Epiſcop. cauſa acta in Conciliis Conſtantinopol. & Epheſ. à Chryſoſtomo. 400 XIII XIV.
Vigentem in Eccleſia Conſtantinop. laborat ſanctus Gennadius extirpare. 459.I.
Reſcribit aduerſus eam Leo Marcelles Imp. 469.II.
itemque Rex Athalaricus, rogante Ioanne Papa. 533.VI.
Viget vbique tempore Gregorii Papæ, qui aduerſus eam laborat. 601.IV.
Damnatur etiam in Concilio Barcinon. 603. IV. Extirpare nititur eam Alexandriæ, Ioannes Eleemoſyn. 610 V.
& Conſtantinopoli, Taraſius. 787.IX.
in Gallia & Germania, Concilium Engelheim. 948.II.
Celebrantur aduerſus eam vbiq; vigentem, & in ordinatores, vel ordinatos ſimon. plurima alia Concilia: Romæ à Clemente II. 1047.I
in Germania. ibid.III
Romæ à Leone Nono, itemque Papiæ, Rhemis & Moguntiæ 1049. IV. V. & aliis locis ab aliis. 1055.III.1056.V.1059. VII.1063.V.1071.I.1075.III.1090.I. 1094.I.1095.I.1100.IV.1119.III.1125.IV.

Simoniace ordinatos reordinandos eſſe, fuit quorumdam hæreſis. 1052. III.
Simoniacus Epiſcopus arguitur miraculo. 1055. III.
itemque alius probatione ignis. 1063. III.
Simplicianus presbyter Rom. mittitur Mediolanum à Damaſo PP. adiutor Ambroſii in cura Epiſcopali. 374. III.
Creatur poſt Ambroſium, eius Eccleſiæ Epiſcopus. 397. VII.
Simplicius creatur Rom. Pont. 467. II.
Rogatus à Catholicis Orientalibus, agit apud Zenonem Imper. aduerſus Aelurum Eccleſ. Alexandr. inuaſorem, Eutychianum. 475. VII. 476. III.
Baſiliſci quoque tyranni, pariter Eutychiani, conatus infringi curat. 476. VII.
Poſt reſtitutionem Zenonis, recipit ab eo profeſſionem fidei. 477. II.
Acacio Epiſc. Conſtantinop. vices ſuas committit ad recipiendos hæreticos. ibid.
Rogatur ab iiſdem de diſpenſatione electionis Epiſcopi Antioch. factæ præter decretum Nicæni Concilii. 479. II.
Ab Epiſcopo etiam Alexandro rogatur de venia cuiuſdam delicti. 478 II.
Agit aduerſus Petrum Mogum. ibid. & 482 II.
Moritur. 483. I.
Simulacra dæmonum ad Chriſti aduentum in Ægypto corruunt. 1. X.
A Cherſonenſibus, per Clementem Papam conuerſis, confringitur. 102. II.
Spoliata & conflata Romæ, ad ſoluendam obſidionem Alarici. 409. II.
Præſtantioris artificii, relicta à Theodoſio ad ornatum Vrbis, ad quæ penitus euellenda, forte data Vrbs Gothis. 389. VIII. Vide etiam *Idola*.
Sindon, veſtis ſenatoria. 34. XII.
Sindone amictus adoleſcens in captura Domini, quis fuerit. 34. XXI.
Sindone amictus, Iacobus Apoſtolus incedere ſolitus. ib. XXI. LXXXVII.
Sindon, qua Chriſti corpus in ſepulchro inuolutum fuit, Imaginem eius retinuit, & conſeruata eſt ad poſteros. 34. XLII.
Siniſtra in ſacris, dignior dextera. 325. XVII. Vide etiam *Locus*.
Sinueſſanum aſſertum Concilium in cauſa lapſus Marcellini Papæ, cuius auctoritatis. 302. XII. XIV. 303 II.
Siricius creatur Rom. Pont. 385. II.
Celebrat Romæ Concilium, pro reſtituenda in Africa diſciplina Eccleſiaſtica. 386. II.
Laborat aduerſus Manichæos. 389. X.
Celebrat Synodum Capuanam, in cauſa diſſidii Eccleſiæ Antiochenæ. 389. XI.
Damnat Iouinianum hæreſiarcham. 390. III.
Parum æquus in Paulinum Nolanum. 394. XIV.
Ob non damnatum Ruffinum Origeniſtam, citius è vita ſubtrahitur. 397. VI.
Moritur. 398. I.
Sirmienſe Concil. Arianorum, præſente Conſtantio Imper. in quo duæ fidei formulæ conſcriptæ ſunt, quarum priori Photinus hereſiarcha damnatus eſt, poſteriori tā Homouſion quam Homiouſion abdicata. 357. I. II. III.
Poſteriori ſubſcribit vi coactus Oſius, non eam ſcripſit. ibid. XIV. XV.
Ea mox damnata à conuentu Ancyrano Semiarianorum, & à Conſtantio publico edicto proſcripta. VI. VII.
Quomodo fuerit de ea tranſactum inter Arianos & Semiarianos. VII.
Ibidem Sirmii Liberius Papa ſubſcribit damnationi Athanaſii, & primæ illi formulæ contra Photinum. XI. XII.
Siſenandus Hiſp. Rex. in Tolet. IV. Synodo procumbit humi coram Epiſcopis. 633. X.
Siſinii diaconi & Maximi presbyteri Rom. martyrium ſub Diocl. 302. XIX.
Siſinius Conſtantinop. Epiſc. ordinatur, vir laudatiſſimus. 426. I.
Maſſalianos hæreticos in Conc. damnat. 427. III.
Moritur. ibid. II.
Siſinnius Rom. Pont. creatur; & vigeſimo die repentina morte decedit. 708. I.
Sixtus I. creatur Rom. Pont. 132. III.
Martyrio coronatur ſub Antonino Pio 142 III.
Inſcripſit ſe in ſuis epiſtolis, Vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopum. ibid. V.
Eius nomine falſo vulgatus liber Sixti Pythagorici Ethnici, à Ruffino Aqui. ibid. & 410. XIII.
Sixtus. II. ordinatur. 260. II.
Martyrium ſubit in perſecutione Valeriani. 291.
Sixtus III. adhuc presbyter calumniam à Pelagianis paſſus de conniuentia cum ipſis, validiſſime aduerſus eos ſcriptis ſuis agit. 418. III. Creatur Rom. Pont. 432. XI.
Quærit curare Neſtorium iam damnatum, eiuſque fautores reducere. ibid.
Patitur calumniam de fauore in eum, à qua ſe purgat. ibi. VI.
Aliam paſſus calumniam de ſtupro illato ſacræ virgini, purgatur in Concilio Rom. 433. III.
Eius Acta cum Polychronio, dubiæ fidei. ibid.
Iulianum Pelagianum, pœnitentiam ſimulantem, non recipit. 439. XI.
Multa ingentia vaſa & ornamenta eccleſiis Romæ confert. 440. I.
Sancte quieſcit. ibi.
Eius nomine ſuppoſita à Pelagianis ſcripta. ibid. II.
Sixtus Senenſis haud excuſandus in defenſione Origenis. 256. IV.
Slaui conuertuntur ad fidem. 875. I. Eorum propago, Poloni, Wandali, & alii, de quibus vide ſub propriis eorum nominibus.
Vniuerſa regio conuertitur opera Ottonis Imp. cuiuſq; metropolis conſtituitur Magdeburg. 971. III.
Rurſum deficientes à fide, reducuntur ab Vnuano Hamburg. Archiep. 1012. II.
Floreſcit apud eos Eccleſia, opera Godeſcali Principis. 1062. VI.
Rurſum labuntur in Paganiſmum, occiſo prædicto Godeſcalco, aliiſque qui firmi perſtarent in fide. 1065. IV.
Socrates hiſtoricus Eccleſ. ſecta Nouatianus. 56. IX.
Eius & Sozomeni, aſſertio de presbyteris pœnitentiariis expenditur. ibid. VIII. & ſeqq
Eorumdem alia aſſertio de permiſſo vſu coniugum clericis in Concilio Nicæno. refellitur. 325. XL.
Idem multa de rebus ſuis mentiti ſunt, & ritus Catholicorum cum ſuis confuderunt. 383. VIII.
Socrates fuit etiam Origeniſta. 402. V.
Vbi ambo terminarint hiſtorias ſuas, & quæ iis fides habenda. 439. VIII.
Eas, cum Theodoreto, primus in Latinum vertit Epiphanius Caſſiodori familiaris; ex quibus ipſe Caſſiodorus Tripartitam compoſuit. ib. in fi.
Sodalitia, & collegia vetita à Traiano Imp. eoq; nomine Chriſtiani exagitati. 100. III.
Sodalitium Sacerdotum inſtitutum Romę pro animabus defunctorum. 984. II. Vide etiam *Confraternitas*.
Sœbadius Aginnēſis Epiſc. ſcriptor Eccleſ. ſub Conſtantio Imp. 357. IV.
Sol penitus obſcuratus in Paſſione Domini. 34. XXXVI.
Eiuſdem portentoſus defectus ſub Seuero. 203. I. Sub Theodoſio Magno. 393. I.
Poſt necem Conſtantini filii Irenes. 797. I. Sub Ioanne Papa XX. 1033. I. Vide etiam *Tenebræ*.
Solis templum ab Aureliano Imp. erectum. & Solis agon ab eodem inſtitutus. 275. III.
Solis ingens ſimulacrum, Coloſſus Rhodius. Vide *Coloſſus*.
Solem eſſe Chriſtum, quinam hæretici dicerent, vide in *Chriſtus*.
Solem adorari à Chriſtianis dicebant Gētiles, quod ad Orientem orarent. 58. XLIII. Vide *Oriens, & Occidens*.
Solem & Lunam adorabant Manichæi, & quid de iis delirarent. 277. IX.
Solem quoq; Orientem adorabant Priſcillianiſtæ. 58. XLIII.
Solemque eſſe deum, Prodicus hæreſiarcha dixit. 120. XVII.
Soldanus Iconii. matris feminæ Chriſtianæ ſuaſu, miraculorumque confirmatione, conuertitur, & inſtructorem petit ab Alexandro Papa. 1169. VI.
Alius Saracenus ingentibus præliis vincitur diuinitus à Friderico Imp. 1190. III.
de Somnio facta ſeu quæſtio S. Maximo Abbati ab Imp. 650. III.
Sophiæ templum nobiliſſ. Cōſtantinopoli incenditur ex tumulto plebeio. 491. IV.
Reædificatur ingenti magnificentia à Iuſtiniano Imp. 557. I.
Mirabilis eius ſacra menſa. ibid Incendio conflagrat ſub Michaele Tertio. 862. I.
Sophronia matrona Rom. ne violaretur à Maxentio tyranno, manus ſibi intulit. 309. IX.
Sophronius Hieroſol. Epiſcopus ſtrenue agit aduerſus exorientē Monothelitarum hæreſim, & quibus viis proceſſerit. 633. III. Hieroſolyma cum vniuerſa Palæſtina occupata à Saracenis, obtinet Chriſtianis vt ſecure liceret ſua ſacra peragere. 636. I. Moritur ex mœrore. ibid. Scripta eius paſſa naufragium. ibi. II.
Sorores vocabant etiam Iudæi, ſuæ gentis feminas. 57. XIX.
Sorores B. Virginis, dictæ eius conſobrinæ. Appar. XIX.
Per Sororem mulierem, quid Paulus intellexerit. 57. XIX. ibid.
Sorores proprias corrumpere ſoliti Valentiniani hæretici. 145. III.
Sororum coniugium quibus populis olim vſitatum. 390. X.
Sors qua vſi Apoſtoli in electione Matthiæ Apoſtoli, quænam fuerit. 34. LXVII.
Eius vſus, & abuſus qui olim extiterint. ibid. Ea non vſi Apoſtoli poſt acceptum Spiritum ſanctum. 44. IX.
Sortes Apoſtolorum, ſic dictus liber confictus ab hæreticis. 44. XXVI.
Sorore electus Summus Pontifex Iudæorum factione Zelotarum ſub Nerone. 69. XX
Sorte mirabiliter confirmata vnio ſchiſmaticorum Palæſtinæ monachorum cum Eccleſia. 477. V.
Vide etiam *Vaticinia rerum euenienda-rum*.
Sortilegiis vacantes, excommunicati in Concilio Rom. ſub Damaſo. 382. V.
Sortilegæ feminæ à dæmonibus illuſæ. ibi.
Sortilegorum, & diuinatorū inquiſitiones ſuccifæ ab Auguſtino in Africa. 418. VI. Vide etiam *Maleſici*.
Soter creatur Rom. Pont. 175. I. In perſecutione, literis conſolatur Eccleſias, & pecuniis ſubleuat. ibid. III. Martyrio coronatur ſub Marco Imp. 179. IV.
Soteris nobiliſſ. virg. egregium martyrium in perſecutione Dioclet. 304. VIII.
Sozomenus hiſtoricus Eccleſ. ſecta Nouatianus. 56. IX. Multa quæ fuerunt ei cum Socrate communia, vide in *Socrates*.
Eius alii errores reprehenduntur. 319. VI. VII. Fuit longe accuratior Socrate. 402. III. Eiuſque hiſtoria maioris apud Photium æſtimationis. 439. VIII.
Redarguitur a Gregorio Papa de laudi-

bus Theodori Mopſueſteni. 427. IV. 439. VIII. Multa ex hac eius hiſtoriæ deperdita. 415. XI. 427. IV. 439. VIII.
Eius maiores ſub Iuliano Apoſt. è Gaza Palæſtinæ facti errores ob Chriſtianitatem. 362. XXXII.

Spadones. Vide *Caſtratus. Eunuchus.*

Spectacula adire nefas olim Chriſtianis. 206. II.
Iis renuntiare ſoliti in baptiſmo. ibi.
Eadem ſub renuntiatione pomparum diaboli comprehenſa. ibid.
Diuinæ vltiones in eorum ſpectatores Chriſtianos. ibid.
Inſectatur ea Chriſoſtomus. 399. V.
Permittit Honorius, ſed quæ abſque Gentilitia ſuperſtitione fierent. 399. IX.
Prohibentur à Leone Macelle diebus feſtis. 469. II. Vide etiam *Ludi.*

Specula vſtoria inuenta à Proclo philoſopho, ad comburendas naues. 514. IX.

Speluncæ, in qua natus eſt Chriſtus, deſcriptio. Annal. num. I.
Ea ſummæ venerationi omnibus gentibus. ibid. III.

Spiridion Epiſcop. Trimithuntis, inſignis Confeſſor, intereſt Concilio Nicæno. 325. X.
Philoſophum Gentilem, inſultantem Chriſtianæ religioni, compeſcit, & conuertit. ibid.
Dono prophetiæ, & miraculorum illuſtris, etiam in Epiſcopatu paſcit oues. ibid.
Sanat Conſtantium Imperatorem ab vlcere incurabili. 338. III.
Intereſt Concilio Oecumenico Sardicenſi. 347. V.

Spiritus negabant Sadducæi. Appar. VII.

Spiritus nequam inhabitare in homine, qui eum ad omne malum impellerent, dicebat Valentinianus. 145. III.

Spirituales ſe Valentiniani, reliquos vero homines carnales appellabant. 145. II. itemque Maſſaliani. 361. VIII.

Spiritum Sanctum negabant Samaritæ apud Iudæos. Appar. VIII. 35. X.
Per inſufflationem impertitur à Domino Apoſtolis & Diſcipulis ſuis. 34. LVII.
Deſcendit in Diſcipulos in ſpecie Linguarum ignearum. 34. LXVIII.
Confertur per impoſitionem manuum Apoſtolorum, & Epiſcoporum. 35. X. XI. Vide *Chriſma.*
Quomodo eum ſe accepiſſe diceret Montanus. 173. IV. V. Vide etiam *Paracletus.*
Viſibili ſigno ſuper ſe apparere in ſacramentis, putabant Maſſaliani. 361. X.
In forma columbæ viſus. Vide in *Columba.*

Spiritum S. negabant Simoniani, & alii eorum conſortes. 110. V.
Sororem eſſe Chriſti femineo ſexu, &c. delirabat Elxai. 105. II.
Eſſe Melchiſedech, dicebat Hierax. 187. IV.
Creaturam eſſe, & vnum ex miniſtris ſpiritibus, gradu tantum à ceteris Angelis diſtantem, aſſeruit Macedonius, cum omnibus Semiarianis. 360. IV. 365. I. Vide *Macedoniani.*
Eius quoq; diuinitatem negauit Aetius Impius. 356. XVII.
Filio minorem aſſeruit Donatus. 321. IV. & Armeni. 863. V.
De eo male ſentire accuſatus Baſilius qua occaſione fuerit. 371. IV. V. Vide etiam *Trinitas. Perſona.*
Eius diuinitas plenius aſſerta in Concilio Oecumen. Conſtantinop. 381. VI.

Spiritus Sanctus à Patre Filioque proceſſio, aſſerta à S. Leone P. pa aſſumitur in Symbolum fidei ab Eccleſiis Hiſpan. & Gallic. 447. III.
Aſſerta quoq; in Concilio Tolet. Quarto. 633. X.
In Anglicano, contra Monothelitas celebrato. 679. I.
In Romano ab Agathone; ſed in eius Actis vocem Filii eraſere Græci. 680. II.
In Gentiliaco. 766. III.
In Nicæno II. Oecumenico. 787. VI.
Quando primum à Græcis fuerit de eo mota quæſtio Latinis. 766. III. 867. IV.
Ea de cauſa celebratur Synodus Forojulienſis. 791. II.
Scribit de eo Photius aduerſus Latinos, & quam inepte. 883. III. Vide etiam *Symbolum Athanaſii, & Symbolum Nicæn.*

Spiritus S. peculiari impulſu facta, non debent temere ab aliis vſurpari. 302. XXI. 303. XI. 309. IX.

Spiritalia Principibus ſubdunt Politici. Vide *Politici.*

Spoliatus ſuis rebus homo ſæcularis, excommunicari poteſt pro ſuis exceſſibus. 1085. I.

Spongiæ natura, eiuſque vſus in Cruce Domini. 34. XXXII.

Sponſalia apud Hebræos nō minoris momenti, quam ipſæ nuptiæ. Appar. XXII.

Sportulantes clerici, qui dicti à Cypriano. 57. XXII.

Stampenſe Concil. in Gallia, pro receptione Innocentii II. contra Petrum Leonis. 1130. IX.

Stanislai Epiſcopi Craconienſis martyrium, dum miſſam celebraret, & quæ inde vindictæ ſecutæ. 1079. VII.

Statuæ Caii Imp. deiectæ à Claudio. 45. XVII.
Filiarum Agrippæ Regis Iudæorum, delatæ ad lupanaria, & turpibus modis illuſæ. 46. II.
Domitiani poſt eius necem abolitæ. 98. IV.
Maximini quoque Galerii deiectæ. 314. II. itemque Eutropii eunuchi, & Conſulis potentiſſimi. 399. III.
Theodoſii Magni, eiuſque coniugis, ab Antiochenis occaſione tributi deiectæ, & quid inde acciderit. 388. I. & ſeqq.
Anaſtaſii Imp. hæretici, eiuſque coniugis. Conſtantinopoli funibus per vrbem tractæ à populo, zelo fidei Catholicæ. 493. VI. 512. I.
Iuliani Apoſt. in locum ſtatuæ Chriſti poſita, cælitus comburitur. 362. XXXV.

Statuæ ſacræ diſiectæ. Vide in *Imagines.*
Et de omnis generis ſtatuis; vide etiam in *Simulacra. Idola. Imagines.*

Stauratius Imper. Vide in *Nicephorus Logoth.*

Stella, quæ apparuit Magis in Chriſti natiuitate, quando orta fuerit. VI. VII. Qualis ea fuerit. ibid. VIII.

Stellis fatalibus homines eſſe colligatos, aliaque eiuſmodi delira, aſſeruerunt Priſcillianiſtæ. 381. XVI.

Stephanus eligitur ab Apoſtolis primus ſeptem primorum Diaconorū. 34. LXXX.
Miniſtrat in eo munere Iacobo Apoſt. Hieroſol. Epiſcopo. ibid. LXXXIII.
Lapidatio eius quo tempore, & a quibus, procurata fuerit. LXXXVII. & ſeqq.
Eius partus, S. Paulus. LXXXIX.
Inſignes memoriæ eius paſſionis. XC.
Corpus proiectum inſepultum, à Chriſtianis ampliſſimo funere conditur. XCI.
Eius nomine ſuppoſitæ ab hæreticis Reuelationes. 44. XXVI.
In eius honorem primum in vniuerſa Gallia dicatum templum S. Martiale. 74. VII.
Eius corporis inuentio diuina reuelatione facta ſub Theodoſio iuniore; translatioq; Hieroſolymam, concomitantibus innumeris ſignis & miraculis. 415. I.
Reliquiæ primum ab Oroſio delatæ in Occidentem, innumeris pariter & plane ingentibus coruſcarunt vbique miraculis, & hominum ac populorum conuerſionibus. 416. III. IV. V.
Plurimæ in eius honorem vbique erectæ eccleſiæ. ibid.
Ex vno lapidum quibus martyrium conſummauit, multa oriri ſolita apud Anconam miracula. ibid. III.
Reliquiæ Hieroſolymis tranſlatæ Conſtantinopolim ab Eudocia Aug. 439. I.

Stephanus Antiochenus Epiſc. Arianus, accedit cum ſuis collegis perfido animo ad Concilium Sardic. pariterque recedit. 347. VI.
Damnatur ibi à Patribus. VII.
Conuenit cum ſuis Philippopoli. XV. XVI.
Abdicatur à Conſtantio Imp. ob turpiſſimum eius facinus. 348. II.

Stephanus alius Orthodoxus, Antioch. creatur Epiſcopus. 477. IV.
Synaxim ſolemniter celebrans, diriſſime occiditur ab Eutychianis, corpuſq; in amnem proiicitur. 479. I.

Stephanus Iunior, prædicti martyris ſucceſſor eligitur Conſtantinopoli, ob turbas vrbis Antioch. 479. II. Moritur Antiochiæ. 482. I.

Stephanus alius, ex monacho creatur eiuſdem Eccleſiæ Patriarcha, poſt 40. annos vacationis ſub Saracenis. 742. I. Moritur. 744. I.

Stephanus filius Baſilii Imp. frater Leonis Sapientis, creatur Patriarcha Conſtantinop. 886. IV.
Diſpenſatur cum eo à Rom. Pontifice. ibid. V.
Moritur, & inter Sanctos refertur. 888. V.

Stephanus Dorenſis Epiſc. miſſus à Palæſtinis ad Theodorum Papam aduerſus Monothelitas, creatur ab eo Sedis Apoſtol. Vicarius in illis partibus. 643. III.
Deponit pſeudopatriarcham Hieroſolymitanum, alioſque hæreticos. ibid.

Stephanus Grandimontenſis Ordinis inſtitutor, ſanctitate illuſtris. 1126. VII.

Stephanus Rom. Pont. creatur. 257. III.
Excommunicat omnes reiterantes bapriſmum hæreticorum. 258. V.
Ea de cauſa obloquuntur in eum aduerſarii. ibid. V. VIII.
Eius laus ob defenſam ea de re antiquã Eccleſiæ traditionem. ibid. XII. Martyrium patitur ſub Valeriano. 260. I.

Stephanus II. creatur & tertio die moritur 752. IV.

Stephanus III. ordinatur. ibid.
Implorat aduerſus Longobardos auxilium Pipini Francorum Regis, & ab eius Legatis deducitur in Gallias, ingentiq; honore recipitur. 753. I.
Vngit & coronat Pipinum, eiuſq; filios 754. I.
Sanatur grauiſſ. morbo à S. Dionyſio. ibid. II.
Eius Reliquias Romam defert, & in eius honorem monaſterium conſtruit. ibid. V.
Pſeudoſynodum, Septimam dictam, contra ſacras Imagines celebratam, damnat. 754. VII.
Iterum vrget Pipinum aduerſus Longobardos, & ab eodem eximium exilium, & reſtitutionem bonorum Eccl. Rom. aliaq; recipit. 755. I. II. ib. Moritur. 757. I.

Stephanus IV. creatur. 768. I. In Concilio irritat acta Conſtantini pſeudopapæ, & pſeudoſynodi Conſtantinop. aduerſus ſacras Imagines. 769. I. II. Male tractatur à Deſiderio Longob. Rege. 770. I.
Prohibet ſub excommunicatione nuptias Caroli Magni cum filia Deſiderii. ibid. II. Moritur. 772. I.

Steph. V. ordinatur. 816. VI. Proficiſcitur in Gallias, & coronat Ludouicum Pium Imp. ibid. Illuſtratur miraculis, & moritur. 817. I.
Fallo ei tributum; de conſecratione Ro.

Pontificis non ſacienda, in præſentia Legatorum Imp. ibid. III.
Steph. VI. eligitur inuitiſſimus, miraculiſque claret. 885. I.
Scribit ad Baſilium Imp. Conſtant. pro defenſione ſuorum prædeceſſorum, aduerſus. Photium. ibid. II.
Adoptat ſibi filium, Widonem, poſtea Imp. ibi. III.
Diſpenſat cum Stephano electo Patriarcha Conſtantinop. de acceptis ordinibus à Photio excommunicato. 886. V.
Transfert ſacras Reliquias in Vrbem. ib. VIII. Moritur. 890. I.
Steph. VII. pulſo Bonifacio inuaſore, occupat per vim Sedem, ſed timore ſchiſmatis, approbatur à Rom. Clero 897. I.
Horrendum eius ſacrilegium in Formoſi PP. cadauer. ibid. II.
Detruſus in carcerem, ibi ſtrangulatur. 900. II.
Eius acta reſciſſa à Ioanne Papa Nono. 904. II.
Steph. VIII ſedet. 929. I. Moritur 93[illegible]. I.
Steph. IX creatur. 939. II. Crebris ictibus facie deformatur a ſacrilegis. 940. I.
Agit pro Ludouico Franc. Rege, aduerſus rebelles 942. I. Moritur. 943. I.
Steph. X. ex Abbate Caſſin. creatur Pontifex. 1057. I.
Voluit etiam eſſe ſemper Abbas Caſſin. ibid.
Petrum Damiani creat Epiſcopum Oſtienſem. ibid. II.
Legationem decernit in Orientem pro vnione Eccleſiæ conciliandâ. 1058. I.
Moritur, & miraculis illuſtratur. ibid.
Stephanus Auxentianus monachus, miraculis & religione præſtantiſſimus, variis calumniis appetitur a Conſtantino Copron. Imp. 761. I.
In exilium relegatus, columnam ſibi extruit, & ædicula ſe includit. 763. II.
Reducitur Conſtantinopolim, & poſt frequentes cultus ſacrarum Imaginum defenſiones, carceri publico mancipatur. 765. I.
Numquam induci potuit capere cibum ab Iconomachis. ibid.
Nobiliſſimum conſummat martyrium, diriſſime & viuus & mortuus tortus, furentis Imp. iuſſu. 767. III.
Miraculis poſt obitum claret, & prodigia cælitus fiunt in vltionem eius necis. ibid.
Stephanus Hungariæ poſtea Rex, natus ex repromiſſione S. Stephani protomart. 989. I.
Succedit patri, & ortum religionis cauſa bellum, auſpiciis Sanctorum feliciter conficit. 997. III.
Legatos mittit Romam pro obtinenda corona regia, quæ diuino monitu ei traditur, cum præparata eſſet Duci Polonorum. 1000. I.
Hungariam offert Apoſt. Sedi. ibid. III. in fin.
Ob propagatam mirifice, & excultam religionem, meretur ſuæ ditionis dici Apoſtolus. 1002. IV.
Militia quoque præſtantiſſimus, hoſtes debellat, & imperium ſuum propagat. ibid.
A ſanct. B. Dei genitrice protegitur ab inuaſione Conradi Imperatoris 1030. I. & a coniuratione ſuorum. ibid. II
Pie moritur, & vt Sanctus colitur. 1038. III.
Sternutantibus ſalutem impertiri, quando inuentum. 590. V.
Stigmata. Britonum inſignia. 315. V.
Stigmata ſibi appponebant Syri. ibid.
Stigmatici ſerui. ibid.
Stilico genere VVandalus, inſignis dux Theodoſii Imp. templa deorum Romæ ſpoliat, & libros Sibyllinos comburit. 389. VIII.
Ei Theodoſius dat coniugem, fratris ſui filiam, ac moriens filios & Imperium commendat. 395. V.
Violata Eccleſ. immunitate ſatisfacit Ambroſio. 396. I.
Eius duæ filiæ, ſingulæ Honorii Imp. vxores fuerunt, ſed vtraque virgo defuncta. 408. V.
Cupiens Imperium transferre in filium ſuum Eucherium, barbaros euocat. 407. II.
Alarico immenſum aurum dari curat, quo vtebatur ad proditionem. 408. III.
Perduellis detectus, confugit ad eccleſiæ aſylum. ibid.
Dolo paſſus inde abduci, capite truncatur. ibid. IV.
Eius monumenta vbique diruta, nomenque abraſum. ibid. VI.
Stilitarum monachorum, qui columnas incolerent, inſtitutio auctore Symeone Stilita dicto. 432. IV. 460. III. 647. I. Idē inſtitutum æmulati hæretici. 526. XI.
Stola Pontificia Iudæorum, cuſtodita ab Herode Idumæo, & poſtea à Romanis, & quare. Appar. V. Reddita Sacerdotibus à Vitellio Præſide. 37. I.
Stola S. Iacobi Apoſtoli conſeruata ad poſteros. 34. LXXXVII.
Stolam Summi Pontificatus Romanorum, induebant etiam Imperatores Chriſtiani, & quare. 312. XII.
Stratoris obſequium exhibet Pipinus Franc. Rex Stephano III. Papæ. 753. I.
Ludouicus Secundus Imp. Nicolao. 858. I.
Conradus Rex Italiæ Vrbano Secundo. 1095. II. Willielmus Dux Apuliæ Calliſto Secundo. 1120. III. Lotharius Rex German. Innocentio Secundo. 1131. II.
Negans illud Fridericus Hadriano IV. cogitur iudicio Principum reddere. 1155. IV. Exhibent ſimul Alexandro III. Ludouicus VII Rex Franc. & Henricus II. Angliæ. 1162. IV Fridericus Imper. eidem Alexandro. 1177. V. Vide etiam *Obſequia*.
Stratiotici hæretici, ſecta Nicolaitarum, ſiue Gnoſticorum. 68. V. 120. XVIII.
Striges accuſatæ de nece infantium, qualiter iudicatæ Conſtantinopoli. 736. II.
Studitæ monachi, a Studio viro Conſul, ſic dicti, qui & Acœmetæ, Conſtantinopoli inſtituuntur. 455. III. Vide etiam *Acœmetæ*.
Subdiaconorum ordo ab initio Eccleſiæ. 44. XXXIII. Prohibitæ eis vxores ex traditione Apoſtolica. 58. IX. Confirmarunt id decretis ſuis Pelagius & Gregorius Rom. Pontiff. 591. IV.
Subdiaconi ſeptem a Fabiano PP. præfecti ſeptem Notariis inſtitutis ad ſcribenda martyrum Acta. 238. I. Dicti Regionarii, & quare. 598. II. Eorum numerus, diſtincta nomina, & munera, in Eccleſia Rom. 1057. III.
Subſiſtentias tres in Trinitate, Marcelli diſcipuli confiteri noluerunt. 347. XIV.
Subſiſtentiæ nomen in Perſonis diuinis, damnatur in Conciliabulo Acacianorum Conſtantinop. 359 XX. Vide etiam *Hypoſtaſis*.
Subſtantiam propriam non habuiſſe Chriſtum ante incarnationem, dixit Beryllus. 229. I.
Subſtantiæ Patris imaginem eſſe Filium, dixerunt Euſebiani in Concil. Antioch. in Encæniis. 341. VI. ſed id paulo poſt Ilauttæ ademerunt. ibid.
Subſtantiæ nomine dolos ſuos tegebant Ariani. 356. XIII. 357 XIII. Ea vox ab iiſdē omnino abdicatur variis conciliabulis. 357. III. 359 VII. XVII. XIX XX.
Eius vindices Semiariani, aduerſus Arianos. 357. VI. Vide etiam *Conſubſtantialis & Filius*.
Subſtantiæ vox in perſonis Trinitatis quomodo olim acciperetur, tam a Græcis, quam Latinis. 362. XLIII.
Succeſſione perſonarum vſi antiqui Patres ad debellandos hæreticos. 146. X.
Succeſſores ſibi nonnulli ſancti Epiſcopi laudabiliter deſignarunt, ſed proſcripta poſtea ea conſuetudo legibus Eccleſ. & maxime in Sede Romana. 426. III. 499. II. 531. I. 604. VIII. Improbata quoque diuino calculo. 971. II.
Aliquando tamen cum decedēte Pont. de ſucceſſore agere mos fuit, ſed abſque præiudicio liberæ electionis Cleri. 499. II. 1085. VI. 1087. IV. 1119. II. 1198. I.
De ſucceſſione agere viuente Epiſcopo, prohibitum ſub anathemate in Concilio Rom. ſub Boniſ. Tertio. 606. IV.
Sudarium, quo caput Domini eſt inuolutum in ſepulchro, conſeruatum ad poſteros 34. XLII.
Inuentum ſub Mahuuia Saracenorum Rege, igne ab eo probatur. 678. IV.
Sudarium aliud, diuerſum ab eo quod à Veronica faciei Domini admotum, eam impreſſam retinuit pariter tranſlatum ad hæc tempora. 34. XLII.
Sudarium, quo Paulus Apoſt. gladio feriendus oculos obduxit, conſeruatum magno honore ad poſteros. 69. XI.
Sudaria, & ſemicinctia, ex corpore Pauli virtutem accipiebant pellendi morbos, & dæmones. 55. II.
Suen filius Haraldi Regis Danorum, Paganus, Chriſtianum patrem bello appetit, & necat. 980. II.
Perſecutione in Chriſtianos excitata, diuina eum perſequente vindicta, ſæpe captus bello, pulſuſque regno, tandem conuertitur & regnum recuperat, augeturque Noruegia, & Anglia. ibi.
Tyrannice Angliam vaſtans, & ſacra diripiens, à S. Eadmundo olim Rege & martyre interficitur. 1014. VI.
Suen alius, cognomento Magnus, Rex Danorum & Sueonum, Angliam ſibi tributariam facit. 1050. IV.
Punitur a Deo propter luxuriam. ibid.
Egregium edit publicæ pœnitentiæ exemplum, de homicidio in eccleſia perpetrato. 1077. X.
Moritur. ibid
Sueſſionenſe in Gallia Concilium in cauſa ordinatorum ab Ebbone Rhem. Epiſcop. 853. I.
Irritatur à Nicolao Papa ibid. & 856. V.
Aliud pro reſtitutione eorundem ordinatorum. 866. V. ibid.
Aliud in loco, Troſleio dicto. Vide *Troſleienſe Concil.*
Aliud in cauſa contentionis de Archiepiſcopatu Rhemenſi. 941. I.
Aduerſus Roſcelinum hæreticum. 1094. III.
Contra inueſtituras laicorum. 1114. III.
Sueſſione inſignis memoriæ B. Virginis. frequenſque ad eam peregrinatio Fidelium. 1167. V.
Sueui inuadunt Gallias vna cum Wandalis & Alanis, aliiſque barbaris. 407. II.
Occupant Hiſpanias cum iiſdem, eaſq. inter ſe partiuntur. 409. V.
Ex Arianis fiunt Catholici, rurſumque adhærentes Arianis, iterum redeunt ad Eccleſiam. 448. XI.
Vincuntur à Theodorico Gothorum Rege Hiſpanias inuadente. 456. II.
Eorum Rex Theodomirus conuertitur ad fidem Cathol. occaſione reſtitutæ ſalutis Ariamiro ipſius filio, beneficio S. Martini Turon. 560. II.
Eorum regnum deletur à Leuuigildo, & transfertur in Gothos, ipſique iterum coguntur Arianam amplecti perfidiam; ſed rurſum à Reccaredo reducuntur ad fidem. 588. II.
Suffocati, & Sanguinis abſtinentia, qua ratione præcepta ab Apoſtolis, & quis eius rei vſus in antiqua Eccleſia. 51. V.
Eorum vſum obiecerunt Græci ſchiſmatici Eccleſiæ Latinæ. 1053. V.
Suffragia pro defunctis ex Apoſtolica traditione. 34. XCII. Vide *Defuncti*.
Expetuntur a defunctis ex Purgatorio 851. III.

Nihil eis prodeſſe, d xerunt Petrobruſiani.1126.VI. Henricianí.1147.VIII. Apoſtolici. 1147. XII.ibid.
Sugerius Abbas S.Dionyſii, vir laudatiſſimus SS.virorum : logiis. 1136.I.
Frequentibus fungitur legationibus pro Regibus Francor.ad Summos Pon.1118. VI.1120.III.1121.I.
Scribit Vitam Ludouici Craſſ. Franc. Regis. 1136.I.
Sulpitius Seuerus. Vide in *Seuerus Sulp.*
Summus Pontifex. Vide *Pontifex.*
Supheranum Concil. in Africa, pro reſtituenda Eccleſ. diſciplina, poſt reditum Epiſcoporum ab exilio Sardiniæ. 522. III.
Supellex pretioſa antiquarum eccleſiarum. 57.XXXVI. Vide in *Vaſa.*
Superhumerali Senuphii anachoretæ capiti ſuo impoſito, Theodoſius Magnus vincit hoſtes. 388.V.
Suſanna, filia Gabinii fratris Caii Papæ, affinis Diocletiani, ob recuſatas nuptias Galerii Maximiani Cæſaris, martyrium conſequitur. 294.II.
Suſpenſionis antiqua cenſura in Eccleſ. 57 VII.
Sutrienſe Côciliab. Henrici II.Imp.aduerſus Greg.VI.Papam. 1046.I.
Concilium à Nicolao II. habitum, aduerſus M. ncium Sedis Apoſtol.inuaſorem. 1059.I.
Suuibertus Anglus conſecratur Epiſcopus & prædicat Saxonibus, aliiſque populis Germaniæ, multis comitantibus ſignis. 69 .I.
Sedem conſtituit Werdæ in Saxonia. 711.I.
Ex voto ei nuncupato Pipinus debellat hoſtes. 749.III.
Refertur à Leone Papa ſolemni ritu in SS.numerum. 804.II.
Symboli vox quid ſignificet. 44.VIII.
Symbolum Apoſtolorum, qua occaſione, quoue modo, atque conſilio, ab iis conditum. ibid.
Athanaſii dictum, ab ipſo Romæ compoſitum Latino ſermone. 340.III.
Mutilatum à Græcis, in proceſſione Spiritus S. à Filio. ibid.
Nicænum, quibus verbis conſcriptum. 325.XXIV.
In Concilio Conſtantinopol.recipit augmentum de diuinitate Spiritus Sancti. 381.IV.
Addita ea poſtea aſſertio de proceſſione Spiritus S. à Filio & quando, & vbi, id primum contigerit. 447.III.
Quando ita auctum Symbolum, in eccleſia cani cœperit, cum in aliis Eccleſiis, tum Romæ.809.IV.883.IV. III.Vide etiam *Fidei formula.*
Symeon Cleophæ Frater Domini dictus, confuſus cum aliquibus cum Simone Cananæo, & Iuda Iacobi, Apoſtolis.44. XXI.XXII.
Creatur Hieroſol. Epiſcopus, poſt Iacobi Apoſtoli martyrium. 63.II.
Nobiliſſimum & ipſe martyrium conſequitur ſub Traiano, anno ætatis. 120. 109.I.
Symeon Armenus anachoreta, peragrato diuino monitu Occidente, vbique miraculis coruſcans, ſanctè quieſcit Mantuæ. 1016.III.
Alius eiuſdem nominis, incluſus apud Treuiros, piè moritur, & rite canonizatur.1037.II.
Symeon Perſa, Cteſiphontis Epiſcopus martyr in perſecutione Saporis Regis. 343.III.
Symeon Salus ſtultitiam ſimulans, ingentium patrator miraculorum. 548. V.
Symeon Senex annuntiat Chriſtũ in templo Hieroſol. 1.IX.
Ideo priuatur à Iudæis poſt mortem ſepultura. ibid.
Fabula de eius cæcitate reiicitur. ib.
Fuit ſacerdos & Propheta. ibid.
Symeon Stilita habitationem ſibi ſuper columnam ſtatuit. 378.XIII.
Vincula, quibus ſe conſtrinxiſſet, Meletius, egregio dicto ſoluit. ibid.
Eius primordia, & mirabiles progreſſus. 432.IV.
Toto orbe fama, & ad eum vndique peregrinationes. ibid.
Eius imagines in domibus ad tutelam adhibitæ. ibid.
Ex columna curam agit omnium Eccleſiarum. ibid.
Agit pro reconciliandis Neſtorii fautoribus cum Catholicis. ibid. itemque pro Concilio Chalced. aduerſus Eutychianos.451 XXXIV. & reductione Eudociæ Aug. ab ea hæreſi. 455.V.
Scribit pro confirmatione prædictæ Synodi.458.III.
Migrat in cœlũ, maior centenario.460. II.
Eius corpus transfertur Conſtãtinopolim à Leone Imp. ibid.
Eiuſdem cucullum ab eo ad ſe miſſum, idem Leo ad Danielem æque Stilitam remiſit. ibid.III.
Symeon Stilita Iunior magnis claret miraculis. 574.II.
Scribit ad Iuſtinum Iuniorem aduerſus Samaritas hæreticos, graſſantes in ſacras Imagines. ibid.
Symmachus ex Samarita Iudæus aut ex Chriſtiano Ebionita, nouam Scripturæ interpretationem edit ſub Seuero. 203. III.
Symmachiani hæretici, ab eo Symmacho, an ab alio Patricii hæreſiar. hæ diſcipulo, orti, quæ dogmatizarent. 203 IV.
Symmachus Gentilitiæ ſuperſtitionis Romæ Pontifex. 371.X.
Præfecturam Vrbis gerens, agit apud Valentinianum Imper. pro reſtitutione cultus deorum, ſed obſtat Ambroſius. 384.I.
Petens à Theodoſio reſtitutionem Aræ Victoriæ, relegatur: ſed paulo poſt reuocatur, & Conſul deſignatur. 389.VII.
Rurſum agit apud Valentinianum pro recuperandis veteribus ſacris, ſed iterũ obnitente Ambroſio patitur repulſam. 391.I.
Symmachus Patricius & Exconſul, falſo apud Theodoricum Regem accuſatus, ab eo necatur vna cum genero Boetio. 526.III.
Eius excellens in omni ſcientiæ genere doctrina. ibid.IV.
Eiuſdem viſione territus Theodoricus, prodigioſe moritur. ibid.
Symmachus creatur Rom.Pont. 598.II.
Erigitur poſtea aduerſus eum Laurentius.ibid.
Celebrat Concilium de electiõe Rom. Pont. 499.I.
Calumniis oneratus à Laurentianis. Viſitator ei datur contra fas à Theodorico Rege.ibid.VI. Purgatur in Synodo Ro. 502.II.
Anaſtaſium Imp. hæreticum excommunicat. 502.V.
Aliud Conciliũ celebrat aduerſus ſchiſmaticos Laurentianos. 503.II.
Defenditur à calumniis Anaſtaſii Imp. de Manichæiſmo. ibid V.
Conſtitutum in Synodo edit aduerſus detentores bonorum Eccleſ. 504.I.
Scribit pro vnione Eccleſiæ Orientis. 512.III.
Moritur. 514.I.
Synagoga. Vide in *Ritus.*
Synagoga Iudæorum incenſa à Chriſtianis iubetur à Theodoſio Imp. reſtitui ab eius loci Epiſcopo, ſed obſtat Ambroſius. 388.X.
Synaxes quibus diebus ordinatæ ab Apoſtolis. 57.XLV.
Quibus locis, tempore Pacis, & Perſecutionis, fierent. ibid. XXX. XXXI. 58. XL.
Tempore perſecutionis, etiam in carceribus, celebrabantur. 58. XXXVIII. ibid.
Quomodo ad eas conuocarentur Fideles vtroque tempore. ibid. XL. XLI. Vide etiam *Dominicum.*
Syneſius celeberrimus philoſophus, fit Chriſtianus, & ex vxorato Epiſcopus Ptolemaidis Pentapolis. 410.XV.
Eius variæ & miræ artes, ne ordinaretur Epiſcopus. ibid.
In Synodo Ptolemaid. excommunicat Andronicum prouinciæ Præfectum, ob enormia ipſius facinora.411XI. Eius ſcripta. ibid.XII.
Elegans hiſtoria de promiſſione ab eo facta cuidam philoſopho à ſe conuerſo remunerationis poſt hanc vitam eleemoſynarum. ibid. XIII. Habuit in Epiſcopatu ſucceſſorem, Euoptium fratrẽ ſuum. ibid.in fin.
Συνέδριον. Vide in *Sanhedrin.*
Synodus. Vide *Concilium.*
Synodicæ literæ, quæ à Synodis ſcribebantur. 142.VIII.
Conciliorum Oecumenicorum, debent ſcribi ad Romanum Pontif. 547. XVII.
Synoditæ dicti Catholici ab Acephalis hæreticis, quod tuerentur Synodum Chalcedonenſem. 535.III.

T.

T Litera notabantur olim fures. 44. XXIX.
Fuit etiam ſalutis ſignum. ibid. Eam ſibi pro inſigni ſumunt Miniſtri hoſpitaliũ S. Antonii. 1095.VIII.
Tabellarii Epiſcoporum quinam eſſent. 44.XXXVI. 60.IV.
Tabellarii munere functus canis in obſidione cuiuſdam caſtri. 1118.IV. in fin.
Tabor, mons in quo Dominus transfiguratus eſt. 33. VIII.
Taborenſes monachi Cluniacenſes, martyres à Turcis. 1113.II.
Tacitus hiſtoricus calumniator Chriſtianorum. 66.II.III.101.VI.
Vocatur à Tertulliano, mendaciorũ loquaciſſimus. 71.VII.
Tacitus Senator, poſt ſeptem menſes interregni Imperii, eligitur à Senatu Imperator producta admodum ætate. 278 II.
Pacem reddit Eccleſiæ. ibid. Poſt ſex Imperii menſes, moritur in expeditione Mæotica. 279.I.
Tanchelinus hæreſiarcha innoteſcit, prætextu ſacramentariorum. 1126.V.
Eius ſumma impudentia, & luxuria. ib.
Confutatur à S.Norberto. ibid.
Taraſius, ex miniſtro à Secretis Impp. cogitur ordinari Epiſcopus Conſtantinop. 784 II.
Petit confirmationem ab Hadriano PP. obtinetque ſub conditione reſtituendi cultus Imaginum. 785. I. II.
Stat in Côcilio Nicæno Oecumen. pro iis firmandis. 787. Calumniam patitur de Simonia, aduerſus quam ipſe viriliter agit. ibid IX. In certamine de ſubintroducta à Conſtantino Imp. illegitima coniuge, quomodo ſe geſſerit. 795. II. 797.I. Moritur, miraculis poſt obitum illuſtris. 806.I.
Taraconenſe Concil. pro diſciplina Eccl. 516.V.
Ea ciuitas recuperatur è manibus Saracenorum, & donatur Eccl. Rom. 1091. III.
Tarſus Ciliciæ, patria Pauli Apoſt. 35. VI.
Erat municipium Romanorum. 58. LIX.
Tarſenſes hæretici, qui & Semiariani, ſic dicti à Siluano Epiſcopo Tarſenſi. 370. XLI.
Traianus ex philoſopho Platonico factus Chriſtianus, & diſcipulus Iuſtini martyris inſigniter agit contra Gentil. 174.I.

Elatus ſuperbia fit hæreſiarcha, auctor Encratitarum. ibidem. Quæ hæreſes docuerit. ibid.II.
Contexuit Harmoniam Euangelicam, Diateſſaron dictam, ſed mala fide. ibid. III.
Taurinenſe Concil. in cauſa Ithacianorũ, & Priſcillianiſtarum. 397.XII.
Actum quoque de Metropol. Galliarum Narbon & Viennenſ.ibid.XIII.ſed iſtud irritauit poſtea Zoſimus Papa. 417. IV.
Telemachus. Vide *Almachius*.
Teleptenſe Concil. in Africa. 418.V.
Teleſphorus creatur Rom. Pont. ex anachoreta. 142.III.
Martyrio coronatur ſub Antonino Pio. 154.I.
Quadrageſimalis ieiunii inſtitutio, quomodo ei tribuatur. 316.I.
Templariorum Militum Ordinis reſtitutio, & vnde ita dicti. 1118.IX.
Confirmatur à Sede Apoſtol. in Concilio Trecenſi, & forma viuendi eis præſcribitur à S. Bernardo. 1127.II.
Templum Hieroſol. Vide *Hieroſol. Templum*. Chriſtianorum: Vide *Eccleſia*. Gentilium: Vide *Idolorum templa*. Et de ſingulis, vide ſub propriis nominibus.
Templa quæ olim dicerentur, & qua ratione nonnulli Patres dixerint, Chriſtianos ea nõ habuiſſe. 57.XXXI. In ſingulis ciuitatibus ab Hadriano Im. iuſſa, quæ Chriſto conſecraret, & cur à cœpto deſtiterit. 224.II.
In Templis quibuſque ſuis, non in aliis, ſinguli dii Gentilium colebantur. 302. XIV.
Tempus definitionis nõ debet apponi decretis de fide, & quare. 325.XXIX.
Tenebræ in Paſſione Domini quales. 34. XXXVI.
Caliginoſæ in Oriente per duos ferme menſes, ſub Copronymo. 746.I. Vide etiam in *Sol*.
Tentationis omnis peccati hominem expertem eſſe vi Liberi arbitrii, docuit Pelagius. 415.V.
Terebinthus magnus, anteceſſor Manetis in hæreſi. 277.IV.
Ne cognoſceretur ex nomine, Buddam ſe nominauit. ibid. Dum inuocaret dæmones, diuinitus percuſſus periit. ibid.
Terentianus PP. ſub Iuliano Apoſt. necem ob Chriſtianitatẽ infert Ioanni & Paulo; & poſtea conuerſus ex miraculis ad eorum reliquias edi ſolitis, eorumdem martyrium ipſe conſcribit 362. LII.
Tergemini fratres, martyres in Galliis ſub Marco Imp. 179.II.
Terra Sepulchri Domini, vim accipit, dæmones, & morbos pellendi. 34.XLII.
Inſulæ Melitæ, Pauli Apoſt. gratia accipit vim contra venena. 58.LXIII.
Terra ſponte fructus maturos affert ſub Marciano Imp. in maxima penuria & peſte. 454.VII.
Terram ab æterno eſſe, dixerunt Manichæi in Gallia. 1017.I.
Terra per ſeptem dies Romæ mugitum dat ſub Honorio 408.III. & ſub Michaele III. Conſtantinopoli vocem inarticulatam. 862.I
Terræ chaſmate abſorbetur caſtellum maledictum ab Eugenio PP. 1150.II
Terra Sancta appellata Palæſtina. 68.XVI.
Ad ea recuperandam è manu Saracenorum, conclamatur primo à Silueſtro PP. Secundo. 1003.I
Indicitur expeditio ab Vrbano II. in Concilio Claromontano. 1095.IV.
Qui duces, & exercitus, eo primum perrexerint. 1096.II.
Felices eorum progreſſus. 1098.IV. 1099. VII. 1100.V.
Alia expeditio: cuius progreſſus maxime impeditus eſt ab Alexio Imper. Conſtantinop. 1101.III
Sunt tamen ex ea quædam inſignes ſecutæ victoriæ. ibid. Alii repelluntur diuinitus ab obſidione Damaſci, quod nimis confiderent nouis acceptis viribus. 1130.XIII.
Noua paratũ numeroſiſſima expeditio, ſub ductu, ſiue hortatu, S. Bernardi. 1146.I.
Quam ea infelix fuerit, & quæ inde oblocutiones in Bernardum. 1148.III. 1149. I.
Rebus in arctum redactis per Saladinum, alia ſollicitatur, & paratur expeditio in Occidente. 1185.II.
Poſt captam Hieroſolymam à Saladino, accurrunt Imperator, & Reges, lætis principiis, ſed triſti fine. 1189. III. 1190.I. III. 1191.V.VI.
Mortuo Saladino, & filiis eius inter ſe decertantibus, alia rurſum promouetur expeditio à Cæleſtino PP. 1195. III. quæ & ipſa infeliciter agit. 1197. IV.
Terræ motus, qui contigit in Paſſione Domini, mirabiles effectus. 34. XXXVIII.
Romæ, & in Aſia, prænuncii futuræ cladis Hieroſolymitanæ. 68.XIV.
Antiocheni ditiſſimi, & Conſtantinopolitani. Vide ſub nominibus earum vrbium
Horrendi ſub Gordiano Imper. 243.I.
Sub Conſtantio in Oriente, ob expulſos ab Arianis Epiſcopos Orthodoxos. 340. X. aliique ſub eodem. 358. I. III.
Sub Iuliano, in reædificatione templi Iudæorum. 363.III. Sub Valentiniano & Valente, & per vniuerſum Orbem. 365.IV.
In Aſia, ſub eodem Valente. 368.I. Toto fere orbe, ante obitum Theodoſii Magni. 394.V.
Alii ob Chryſoſtomi expulſionem. 403. VI.
Horrendiſſimus ſub Theodoſio Iuniori, qui tandem quieuit per diuinam reuelationem facti Triſagii. 446. II. Sub Leone Thrace. 457.IV.
Sub Iuſtiniano, præſagium malorum quæ ſubſecuta ſunt Quintam Synodum 553.XX. Horribilis 12. menſium ſub Leone Iſaurico in Oriente, ob Iconomachiã 740.IV.
Sub Copronymo eius filio. 742.I. 746. I. 749.I.
In Italia, ſub Carolo Magno. 801.I. Duorum annorum, in Bithynia, & Thracia, ſub Conſtantino Duca. 1064.VI. Alii digioſi in Italia. 1117.V.
Tertulliani Afri genus, & eruditio. 197.V.
Quando, & cur induerit pallium. ibid. II. & ſeqq. Cur & quando deſciuerit in dogmata Montani, quæ antea valde confutauerat. 201.III.
Durum eius ingenium, & tamen decipi facile. ibid.IV.
Furit in Catholicos, & quæ eius priuata dogmata. ib. IV.V. & 216.I.III. Scribit pro Chriſtianis Apologiam ad Magiſtratus Romanos 201. VIII. & Inuectiuam ad Scapulam. 203.II.
Multa item ſcribit contra alios hæreticos, Iudæos & reliquos infideles. 209.I.
Excommunicatur à Zephyrino Papa, ob Paracletum Montani. 215.I.
Scribit multa in Catholicos. 216.I. ibid.
Diuiſus à reliquis Montaniſtis, ſuos habuit ſectatores, *Tertullianiſtas* dictos. ibid.II.
Eius ſcripta relata inter apocrypha. ibi.
Eorum lectione vehementer delectatus Cyprianus. ibid.
Tertullianus, an Agrippinus, auctor Anabaptiſmi in Africa. 217.I.
Teruanenſium Apoſtolus. S. Audomarus. 695.II.
Eius Eccleſiæ cauſa tragica, delata ad Sedem Apoſtolicam. 1082.II.
Teſtandi facultatem Abbati de bonis ante monachatum, dare Gregorius Magnus, niſi ex Synodo noluit. 601.VI.
De Teſtamentis Epiſcoporum, quid ſanciuerit. ib. Teſtamẽta Antonii, Ephræm, Gregorii Naziãzeni, Caroli Magni, &c. vide ſub propriis ſingulorum nominibus.
Teſtamentum Vetus, & Nouum. vide in *Scriptura. Editio. Propheta. &c.*
Tetraditæ hæretici, ſecta Acephalorum. 535.XIV.
Tetradius V. C. ex faſtuoſiſſimo Ethnico fit humillimus Chriſtianus, ex miraculo S. Martini. 394.XV.
Tetrarchiæ vocis ſignificatio. 8.II.
In Tetrarchias diuiſa Palæſtina 8. II. & aliquando Gallia ſub Regibus barbaris. 475.III.
Tetricus tyrannus ſub Gallieno & Claudio Impp. 269.II.
Teutonicorum ſacer Ordo militum, confirmatur à Cæleſtino PP. Tertio. 1198. II.
Augetur Liuonienſibus. ibidem.
Thaddæus Apoſtolus, ab aliquib. confuſus cum Thaddæo Diſcipulo Domini. 44. XXII. Reliqua de eo, vide in *Iudas Iacobi*.
Thaddæus vnus ex 72. Chriſti Diſcipulis, Edeſſam ab Apoſtolis miſſus, ſanat Agbarum Regem, & populum eius conuertit. 43.V.
Thalaſſus Præf. Præt. inſignis vir pietatis, creatur inuitus à Proclo Epiſcopus Cæſar. 439.VII.
Thalia, impuriſſimum Arii ſcriptum, igni damnatum. 325.XXVIII.
Thalmud Babylonici diuerſæ collectiones 476.VIII.
Theatrum Hieroſolymis ad necem Chriſtianorum parari iubet Iulianus Apoſt. 363.IV.
Theatrales eſſe, vetitum olim Chriſtianis. 371.X. Vide *Scenici*.
Thebæorum militum legio, miſſa in Gallias aduerſus Bagaudas ruſticanos 297.I.
Ob Chriſti fidem decimationem paſſa à Maximiano Im. omnes tandem milites martyrium patiuntur 297.I.II. ibid. Miracula, & peregrinatio ad eorum ſepulchrum. ibid.
Thebulis quidam, ob repulſam Epiſcopatus Hieroſolymitani, cœpit eam Eccleſiam erroribus inficere, quæ antea Virgo dicebatur. 109.I.
Theclę nomine geſta conficta ab hæreticis 44.XXIV. 47.III.
Alia vera ipſius Acta, confirmata à Patribus. 47.III.
Eiuſdem conuerſio, carceres, certamina, pro fide. ibi.
Dicta Protomartyr inter feminas. ib. V.
Eius nomen inſigne apud omnes Patres. ibid.
Peregrinatio frequens Seleuciã ad eius ſepulchrum. ibid. & 372.XII.
Ei nobiliſſimum ibi erigit templum Zeno Imp. ob recuperatum eius beneficio Imperium. 477.I.
Themiſtius philoſophus Ethnicus à Iuliano Apoſt. Præfectus creatur vrbis Conſtantinop. 362.III.
Hæreticos fidem pro tempore mutantes, puram & co etc. & Euripo ſimiles eſſe dixit. 363.XX.
Valentem Imp. Arianum lenire conatus eſt erga Catholicos, quibus ipſe ſauebat. 375.IV.
Fuit etiam Theodoſio Magno charus. 394.III.
Themiſtiã hæretici, à Themiſtio diacono Alexandr. Chriſtum ignorationis, & ignauiæ accuſante 519.XII. 535.X.
Dicti etiam Agnoitæ. 535.X. 606.
Théoctiſtes Lesbiæ vita admiranda. 902.I.
Theoctiſtus hæreſiarcha, multa praua docens, redarguitur à Theodoro Studita 813. VII.

à *Theod.* incipientia nomina, in crimen adducta ſub Valente Imp. 370.XIV.

Theodardus Epiſc Leodienſis ſubit martyrium pro defenſione bonorum Eccleſiæ. 658.III.

Theodas Iudæus pſeudopropheta multos ſed-cit, & tandem necatur à Romanis. 1.XVII.

Theodatus magis literis quam armis excultus, euehitur ab Amalaſuntha in regnum Italiæ. 534.VI.

Continuo eandem ingratiſſime relegat, & obtruncandam curat. ibid.

Miſſo aduerſus eum à Iuſtiniano exercitu, ipſe Agapetum Papam cogit legationem ad Imp. obire pro pace. 536.II.

Mortuo Agapeto, Silucrium in Sedem Rom. violenter introducit. ibid.XII.

Perimitur à Gothis, ob ſocordiam in rebus bellicis. 537.II.

Theodolinda Bauara, vxor Autharitis Longobardorum Regis in Italia, poſt eius obitum nubens Agilulpho, cum cum tota gente ab Ethniciſmo, ſiue Arianiſmo, conuertit ad fidem Catholicam. 591.X. Abripitur ad tempus in ſchiſma Trium Capitul. 593.II.

Mortuo viro Agilulpho, regnum optime moderatur pro filio Adaluualdo, & eccleſiis proſpicit. 616.I.

Theodonouillana Synodus ſub Carolo Magno, pro diuiſione regni inter filios. 806.III.

Sub Ludouico Pio, occaſione necis Ioannis Epiſcopi. 819.II.

Sub eodem Ludouico, in cauſa Epiſcoporum, qui coniurauerant contra ipſum 835.I.

Theodora priuigna Maximiani Herculei Imp. nubit Conſtantio Chloro Cæſ. 292.III.

Theodora Aug. vxor Iuſtiniani Imp. femina Eutychiana, ipſum in ruinam ſecum trahit. 535.VII.

Paciſcitur cum Vigilio R.E. diacono, de conferendo ei Pontificatu, ut ipſe reſtitueret Anthimum, & Seuerum, damnatos ab Agapeto Papa. 536.XIII.

Curat per Beliſarium, Silucrium pelli, & Vigilium intrudi. 538.II.

Suggerit Iuſtiniano damnationem Trium Capitulorum Synodi Chalcedon. ibid.VII.

Solicitans Vigilium de reſtitutione Anthimi, excommunicatur ab eo. 547.V.

Moritur. 548.VI.

Theodora coniux Theophili Imp. Iconomachi, periclitatur ob cultum ſecretum ſacrarum Imaginum. 831.I.

Precibus ſuis ſubuenit animæ coniugis. 842.II.

Imperat vna cum filio Michaele, & mox ſacrarum Imaginum cultum vbique reſtituit, & Iconomachos pellit. 842.III.

Manichæos bello expugnat. 845.II.

Filii ſcelera reprehendens, detruditur ab eo in monaſterium. 855.VII.

Moritur, & à Græcis colitur inter Sanctos. 866.I.

Theodora Porphyrogenita, ex monaſterio vocatur ad Imperium. 1041.II.1054.VII.

Animaduertit in aliquos affectantes Imperium. 1054.VII.

Moritur, creato prius Imp. Michaele Stratonico. 1056.VI.

Theodora, inſigne Rom. Pontiff. & Italiæ Principum ſcortum, imperitat Vrbi, & Eccleſiæ Rom. 908.III.912.I.

Theodoretus ex monacho inuitus creatur Cyri Epiſcopus. 423.IV.

Fuit ante conceptionem à genitoribus Deo votus. ibi.

Retinetur Antiochiæ, ad populum pro concione docendum. ibid.

Eius immenſi labores in Eccleſia ſua aduerſus hæreticos, Iudæos, Paganos; diuinumque ei aſſiſtens auxilium. ibid. V.

Hiſtoriam ſuam infamauit laudibus Theodori Mopſueſteni. 427.IV.

Totius ipſius vitæ periodus. ibid.

Iuſſu Ioannis Antioch. ſcribit aduerſus Capitula Cyrilli Alexan. promulgata in Neſtorium. 430.VII.

Intereſt Conciliabulo Epheſ. contra legitimum Oecumenicum. 431.XI.

Excommunicatur vna cum aliis, à Patribus Synodi Oecumenicæ. ibid. XIV.

Acriter agit apud Imp. aduerſus Cyrillum, ſed nihil proficit. ibi.XX.

Tandem pœnitet, & Neſtorium deſerit, ac reconciliatur Cyrillo. 432.VI.

Scribit aduerſus Gentiles reuiuiſcentes 439.III.

Calumnias patitur de Neſtorianiſmo. 442.II.

Depoſitus ab Eutychianis, tamquam Neſtorianus, in Latrocinio Epheſ. appellat Leonem Papam. 449.XIV.

Dira alia patitur ob fidem Cathol. ab iiſdem Eutych. ibid.XV.

Reſtituitur à Leone. ibid. & à Synodo Chalcedon. 451.XXVI.

Præconiis laudatur à Leone. 453.V.

Moritur. ib.VI Imago à Neſtorianis delata cum triumpho, tamquam ipſe eis fauiſſet. 520.XII

Eius aduerſus Cyrillum ſcriptorum cauſa retractatur, fuitque vnum ex Tribus Capitulis Synod. Chalcedon. 536.VII. Vide *Capitula tria*.

Eius nomine falſo aſſerta reperitur epiſtola in actis Quintæ Synodi. 444.IV. 553.IX.X.

Theodoretus alius, qui pariter ſcripſit hiſtoriam Eccleſiaſticam. 453.VI.

Theodoricus Amalus Gothorum Rex. pugnans pro Zenone debellat perduelles imperii; indeque multis ab eo augetur honoribus, & in filium adoptatur. 484.I.

Ingratus beneficiorum, Orientale tentat Imperium, ſed ſpe fruſtratus, conuertitur in Italiam. 487.II. Multis prœliis vincit Odoacrem. 489.III.491.VI. Inito cum eo fœdere, paulo poſt eumdem proditorie occidit; ſicque vniuerſa potitur Italia. 493.I. Regnum optime adminiſtrat, opera præcipue Caſſiodori; & Catholicos bene habet, ipſe licet Arianus. ibid.II. Catholicum, ipſius gratia in Arianiſmum tranſeuntem, necat. ibidem.

Venit in Vrbem, ob Schiſma Laurentianum. 500.I. Apoſtolicæ Sedis protectorem ſe exhibet, & cuncta Eccleſiaſtice vult peragi. 501.I.502.III.

Vincit Bulgaros, & Pannoniam iungit Italiæ. 505. IX. De bello inter eum & Clodoueum Francorum Regem geſto. 508.III.V.

Ioannem Papam cogit legationem ſuſcipere ad Iuſtinum Imp. & qua de cauſa. 524.II.525.I.II. In reditu eum carceri mancipat, & ibi mori compellit. ibid. 525.II.526.I. Arrogat ſibi electionem Rom. Pontif. præficiendo in locum Ioannis Felicem. 526.II.ibid.

Boetium quoque & Symmachum, inſignes Senatores, iniuſte necat. ibid.III.

Moritur prodigioſe, & detruditur ad inferos ibid.V.VI. In quibus laudandus, & vituperandus fuerit. ib.VII.

Theodori militis Pontici celebratiſſimum martyrium in perſecutione Diocletiani. 304.XII.

Theodorus quidam vir inſignis Ethnicus, igne crematur à Valente Imp. ob ſuſpicionem affectati Imperii. 370.XIV.

Theodorus, diſcipulus Origenis, dictus poſtea Gregorius Thaumaturgus. 233. VII. Vide *Greg. Neocaſ.*

Theodorus Balſamon Chartularius Eccleſiæ Conſtantinop. 1179.VIII.

Creatus Patriarcha Græcorum Antiochenus, ſpe ſedis Conſtantinop. turpiter deluditur ab Imperatore. 1193.IV.

Scribit Nomocanonem, amaro in Eccleſiam Rom. omneſque Latinos animo ibid. V. eodemque liuore, primus omnium Græcorum, Donationem fabuloſam Conſtantini, ſub nomine Euſebii Cæſar. promulgat. ibi. & 324.XXV. Alia eius ſcripta maligna. ib.VI.

Theodorus Cæſar. in Cappadocia Epiſc. ſecretus Acephalorum & Origenis defenſor, in vltionem damnati opera Pelagii Apoſt. Sedis Apocriſarii, Origenis, perſuadet Iuſtiniano Imper. damnationem Trium Capit. Synodi Chalcedon. 538.VII.

Conficit Scriptum aduerſus ea, quod Iuſtinianus ſuo nomine promulgat. 546.II.

Excommunicatur à Vigilio Papa, & pœnitus reſtituitur. 551.II.552.IV.

Rurſum auctor eſt Iuſtiniano, promulgandi hæreſim Incorruptibilium. 563. II.

Theodorus Lector Conſtantinop. qualem ſcripſerit hiſtoriam. 485.III.

Theodorus Monothelita impudentiſſ. eligitur Epiſcopus Conſtantinop. 666.I.

Nomina Rom. Pontiff. delet è Diptychis. 677.I.

Pellitur è Sede à Conſtantino Imp. 678. III.

Damnatur in Sexta Synodo Oecumen. 681.V.

Simulans Catholicum, reſtituitur in ſedem; & fraudulenter corrumpit Acta Synodi. 682.II.

Moritur. 684.V.

Theodorus Mopſueſtenus Epiſcopus, & hæreſiarcha, fuit olim collega Chryſoſtomi in monaſtica exercitatione ſub Diodoro Tarſenſi. 381.XI.

Reuocatur à lapſu per eumdem Chryſ. ſed iterum recedit. ibid.

Intereſt Concilio Conſtantinop. in Encæniis, adhuc Catholicus apparens. 394.VII.

Erumpit tandem hæreſiarcha, & Quaternitatem in diuinis inducit. 427.IV. Eius libri promulgantur à Neſtorianis, celebranturque varia Concilia in eorum cauſa. 435.II.

De iiſdem caute legendus Liberatus. ibid.

Quod olim ſcripſiſſet aduerſus Origenem, procuratur ipſius damnatio à Theodoro Cæſarienſi, in odium Synodi Chalcedonenſis: fuitque ea cauſa, vnum ex tribus Capitulis. 538. VII. Vide *Capitula Tria.*

Eius occaſione celebratum Concilium Mopſueſtenum. 550.IV.

Damnatur in Quinta Synodo Oecum. 553.IX.XII.

Theodorus Pharanita Epiſcopus, princeps hæreſis Monothelitarum, damnatur à Martino Papa. 649.IV.V. & Sexta Synodo. 681.II.

Theodorus Rom. Pont. creatur. 641.II.

Legatione ab Oriente ſuſcepta aduerſus Monothelitas, Vicarium in illis partibus creat Stephanum Dorenſem. 643. III.

Recipit Pyrrhum Conſtantinop. Epiſc. pœnitentem. 645.I.ibid.

Solicitatus quoque ab Eccleſia Africana, mittit Apocriſarios aduerſus Paulum intruſum Conſtantinop. æque Monothelitam. 646.III.

Eumdem fruſtra monitum excommunicat, atque etiam Pyrrhum in errorem relapſum. 648.II.

Moritur. 648.I.

Theodorus alius creatus in ſchiſmate, & poſtea habitus legitimus. 687.II. Alius ſedet tantum diebus viginti. 901.I.

Theodorus & Theophanes fratres monachi, mittuntur à Patriarcha Hieroſol. Conſtantinopolim, ad impugnandam hæreſim Iconomachorum. 817.VII.

Inſignia eorum certamina pro defenſione Imaginum, inter quæ, & frontibus

inſcribuntur. 835.IV

Reſtituti poſt mortem Theophili Imperatoris, Theophanes euehitur in Archiepiſcopatū Nicææ Bithyniæ. 842.III.

Theodorus, cognomento Santabarenus, mittitur à Photio legatus ad Iohannem PP. pro obtinenda ſedis confirmatione. 879.II.

Eius ſcelera, & fraudes. ib.

Magia, & præſtigiis, fit charus Baſilio Imp. ibi.IX.

Leonem Aug. filium Baſilii, calumniis ſuis adducit in diſcrimen vitæ. ibi.

Mortuo Baſilio, excæcatur à Leone, & in exilium pellitur. 886.IV.

Theodorus Siceota, ex monacho factus Epiſcopus, rurſum dimiſſo Epiſcopatu, priſtinam vitam reſumit. 598.VI.

Ingentibus claret miraculis. ibid. Sanat Phocam Imp. à grauiſſ. doloribus. 607.III.

Prædicat diuini cultus, & Imperii interitum. ibid

Theodorus Studita, inſignis Abbas, Conſtantino Imp. anathema dicit, ob illegitimum coniugium; & inde pellitur in exilium: laudatur vero à Rom. Pont. 795.I.

Reſtituitur poſt mortem Imperatoris. 797.I.

Vnde ei cognomen Studitæ. 798.I. ibid.

Eius multiplicia ſcripta. ibid.

Iterum exagitatur occaſione prædicti adulterii, & ſchiſmatis apud Rom. Pont. accuſatus, ſe defendit, & Sedis Rom. auxilium implorat. 808.I.809.I.

Eius inſignis toto Oriente doctrina. 809.II.

Mortuo Nicephoro Imp. reſtituitur cùm honore. 811.III.

Viriliter reſiſtit Leoni Armeno, pro cultu ſacratum Imaginum, eaque de cauſa iterum exulat. 814.I.III.

Virgis minutatim cædi iuſſus, mira eius charitate qui eas infligere iuſſus eſſet, eripitur ab eo tormento. 815.V.

Sed mox alius longe durioribus mancipatur. 816.I.

Ingentes eius in hac perſecutione labores, aduerſus Iconomachos. ib.II.

Epiſtolæ miraculo comprobatæ. ibid.

Auxilium Rom. Pontiſ. implorans, eximiis eam Sedem præconiis extollit. 809.I.817.VI.

Aliæ eiuſdem immenſæ paſſiones. 819.V.

Mortuo Leone, reſtituitur, & ſtrenue agit pro erectione Imaginum. 821 II.

Rurſum à Michaele Balbo, eadem de cauſa eiicitur. 823.V.

Reducit Theoctiſtum hæreſiarcham. 823.VII.

Moritur, & egregium aduerſus hæreticos condit Teſtamentum. 826.VI.

Solemnis eius tranſlatio Conſtantinopolim. ibid.

Theodorus Tarſenſis, vir ſanctiſſ. & doctiſſ. mittitur à Vitaliano Papa in Angliam, Archiepiſcopus Cantuarienſis. 668.III.

Florentiſſima ſub eo Eccleſia Anglicana. ibi.

Synodum celebrat pro Eccleſ. vnitate, & diſciplina. 672.II.

Moritur. 690.II.

Theodoſiæ virg. martyrium ſub Galerio. 306.I.

Theodoſius dux, parens Theodoſii Magni, Firmum tyrannum in Africa debellat. 373.VII.

Ingrate iuſſus ab Imperatore necari, ſuſcepto baptiſmo iugulum vltro percuſſori præbet. ibid.

Theodoſius Magnus, adhuc iuuenis ſub patre in Africa militans, diuinitus eripitur neci paternæ. 373.VII.

Factus dux Mœſiæ, Sarmatas multis prælijs profligat. ibid. Eius genus, & patria. 379.II.

A Gratiano Aug. creatur Imperator Orientis, præcedentibus prophetiis. 379.II.III.

Ægrotans Theſſalonicæ, baptizatur ab Acholio ſanctiſſ. eius ciuitatis Epiſcopo 380.I.

Edicit omnes tenere religionem Eccleſiæ Rom. ibid.

Eccleſias vrbis Conſtantinop. ablatis Arianis, reſtituit Catholicis. ibidem. II.

Reſcribit aduerſus omnes hæreticos. 381.XI.

Legati ad eum vndique mittuntur pro pace, & colitur aut timetur à remotiſſimis quibuſcumque barbaris. 381.I. ibidem.

Conuocat Concilium Oecumen. Conſtantinop. auctoritate Damaſi PP. 381.II.

Arcadium filium ſexennem creat Imperatorem. 383.VI.

Dans ei præceptorem, iubet Arcadium detecto capite ipſum ſedentem audire. ibidem.

Ad aliud Concilium vocatis præcipuarum ſectarum Epiſcopis, pacem Eccleſiæ fruſtra procurat. ibid.VII.

Reſcribit aduerſus omnes hæreticos. ib. & IX. 384.VII. Iudæos. 384.VII.

Idololatras, & pſaltrias, ac fidicinas mulieres. 385. IX. & pro immunitate clericorum à iudiciis ſæcularibus. 385.VII.

Excipit Theſſalonicæ Valentinianum Iun. Imp. vna cum matre, fugientes ab inuaſione Maximi. 387.VI.

Mortua coniuge Flacilla, ducit Gallam eiuſdem Valentiniani ſororem. ibidem.

Seuere vlciſci parans in Antiochenos, ob contumelias illatas ſuis & coniugis imaginibus; tandem veniam benigne concedit. 388.II.III.

Olympiadem clariſſ. viduam adigere tentans ad nuptias cognati ſui, egregie vincitur ab ea. ibid.IV.

Profecturus contrà Maximum tyrannum, conſulit de bello ſanctos anachoretas, & quæ arma ab eis acceperit. 388.V.

Reſcribit quoque aduerſus omnes hæreticos. ibi.VI.

Maximum feliciter debellat, adiutus eo bello à Francis, & Saxonibus. ibidem. VII.

Imperium Occident. Valentiniano, ipſumque fidei Cathol. reſtituit, triumphatque vna cum illo Romæ. ibi. & 389.VII.

Abolet penitus cultum idolorum Romæ, idola confringit, & templa ſpoliat: purgat Vrbem aliis flagitiis; & reſcribit in maleficos, & Manichæos. 389. VIII. IX.X.

Prohibet diebus Quadrageſimæ ſupplicia fieri. ibid.XIII.

Iubet deſtrui Alexandriæ templum Serapidis, aliaque deorum delubra. ibid. XIV.XV.

Ob cladem Theſſalonicenſem, pellitur Eccleſia ab Ambroſio, & poſt amaram pœnitentiam reſtituitur. 390.I.

Sancit de ſententiis mortis differendis ad 30. dies. ibid.II.

Reſcriptum de bonis viduarum non legandis Eccleſiis, cogitur ab Ambroſio retractare. 390.IX.

Vetat coniugium conſobrinarum. ibid. X.

Reſcribit aduerſus Ethnicos, apoſtatas, & hæreticos. 391.I.

Repetit Conſtantinopolim, & transfert Caput S. Ioannis Bapt. in Hebdomum. ibid.II.

Sacrificia Gentilium omnimoda prohibet; & hæreticorum ordinatores, ordinatoſque, denis libris auri mulctat. 392.V.

Honorium alterum filium creat Imp. 393.I.

Sanctiſſimi eius apparatus ad bellum contra Eugenium tyrannum in Occidente. 393.VI.VII.

Maledicentes Imperatori pœnæ eximens, mira prudentia eos arctius conſtringit. ibid.VII.

Difficillimo prælio diuinitus obtinet Eugenium. 394.II.

Eius clementia in hoſtes, ab omnibus prædicata. ibid.III.

Abſtinet aliquandiu à Sacramentis, in expiationem cædis bellicæ. ibidem. IV.

Moritur Mediolani, corpus transfertur Conſtantinopolim. 395.III.

Laudatur immenſum ab omnibus tam Chriſtianis quam Ethnicis, excepto maledico Zoſimo, qui in nonnullis carpit. ibid.IV.

Theodoſius Iunior, filius Arcadii, naſcitur & mox à patre Auguſtus renuntiatur. 401.VI.

A patre moriente commendatur adhuc puerulus Regi Perſarum, qui ei cem curatorem miſit Antiochum. 408.I.

Reconciliatur Honorio patruo, olim commodo in Arcadium. ibid.

Hæreticos diuerſis pœnis ſubiicit. 410. XIV. atque etiam Iudæos. 415. VIII.

Pulcheriam ſororem in Imperii conſortium allegit. ibid X.

Quam felix Imperium ſub tali regimine ibid. Vide *Pulcheria*.

Bellum aduerſus Perſas pro defenſione religionis ſuſceptum, feliciter per Ardaburium conficit. 420.III.

Vxorem ducit Eudociam. 421.I Expeditionem aduerſus Ioannem tyrannum parans, reliquias Gentilitatis funditus tollit, omneſque hæreticos exagitat. 425.II.

Pietate vincit vbique hoſtes. 425. I. II.

Egregium ipſius manſuetudinis exemplum. ibid.II.

Agit cum Cæleſtino PP. de celebrando Concilio Oecumenico Epheſino in cauſa Neſtorii, illudque ſuis literis conuocat. 430.VIII.

Eius modeſtia intra eccleſiam. 431.II.

Variis Neſtorianorum & Orthodoxorum relationibus de rebus Synodi Oecumenicæ acceptis, quomodo in eis ſe geſſerit. 431.XVI.XVII.

De electis fraudibus hæreticorum, ſtrenue agit pro Catholicis. XIX. & ſeqq. ideoque calumnias a Neſtorianis patitur de turpi conſuetudine cum ſorore Pulcheria. XXIV.

Agit feliciter pro pace Orientalis Eccleſiæ inter Catholicos & Neſtorii fautores. 432.IV.

Promulgat Codicem, de ſuo nomine Theodoſianum dictum. 435.IV.

Celeberrima pompa transfert corpus S. Ioannis Chryſ. à loco exilii Conſtantinopolim; ſcripta prius ad eum tamquam viuentem epiſtola vt dignaretur venire. 438.II.

Reſcribitur aduerſus idololatras reuiuiſcentes. 439.III.

Cogitur tributum ſoluere Attilæ Hunnorum Regi. 442.II.

Reſcribit pro receptione Triſagii diuinitus reuelati. 446.II.

Suggeſtionib. Chryſaphii cubiculi præf. cogitat de abdicanda Pulcheria ſorore; quæ recedit ab adminiſtratione Imperii magno eius damno. 446.V.

Scripta Porphyrii, & Neſtorianorum, cremari iubet. 448.I.

Fauet Eutycheti hæreſiarchæ, in odium Flauiani Conſtantinop. Epiſcopi. 449 II.

Indicit Synodum Oecumen. Epheſi in

cauſ

cauſa eiuſdem Eutychetis, eique abunde præficit Dioſcorum Alexandr. ibid. IV.V.
Vocat etiam Leonem Papam, ſed fraudulenter. VI.
Edicto publico confirmat pſeudoſynodum Epheſ. ibid.XV.
Reducitur à Pulcheria ſorore, & acta pœnitentia, moritur ex lapſu equi in venatione. 450.II.III.
Theodoſius III. filius Mauritii, à patre renuntiatur Imperator. 598.V. Poſt necem patris, & ipſe quoq; necatur à Phoca. 602.V.607.II.
Theodoſius IV. ex tributorum exceptore inuitiſſime creatur Imp. aduerſus Anaſtaſium, quem capit, & monaſterio includit. 715.II.
Cedit locum Leoni Iſauro, ipſeque fit clericus, & ſancto fine quieſcens claret miraculis. 717.I.
Theodoſius pſeudomonachus Eutychianus in Palæſtina, pulſo Iuuenale Hieroſol. Epiſcopo, ſedem inuadit; & ſeducta Eudocia Aug. Catholicos diriſſime exagitat. 425.VI.
Theodoſius hæreticus Acephalus, Incorruptibilium ſectator, eligitur Epiſcopus Alexandr. 535.VIII.
Erecto à contraria factione Corruptibilium, Galano, altercantur inter ſe; ipſeque non ferens odium populi, ſecedit Conſtantinopolim, & honorifice ſuſcipitur à Theodora Aug. pariter hæretica. ibid.
Rurſum ibi altercatur cum Agnoitis. ibid.X.
Ab eo dicti hæretici Theodoſiani. ibid. & 452.IV.
Relegatur in exilium à Iuſtiniano Imp. 536.XI.
Theodoſius Cœnobiarcha magno animo propugnat fidem Concilii Chalcedon. ideoque exagitatur ab Anaſtaſio Imp. hæretico. 511.II.
Sub Iuſtino rediens ab exilio, vbique reſtituere ſatagit fidem. 518.IX.
Theodotion ex hæretico factus proſelytus Iudæorum, Sacram Script. in Græcum vertit, & Syriacum. 183.IV.VI. Vide in Editis.
Theodotus primus pſeudoprophetiæ Montani procurator, à dæmone in ſublime abreptus, & præcipitatus, male perit. 173.III.
Theodotus Byzantius Coriarius, tempore perſecutionis fidem negans, vt ſe defenderet, aſſeruit Chriſtum eſſe tantummodo hominem. 195.III. Eccleſia pellitur à Victore Papa. ibid.
Theodotus Caſſitera, Iconomachus, intruditur à Leone Armeno Epiſcopus Conſtantinop. 814.III.
Legatos mittens Romam ad obtinendam Cathol. communionem, reiicitur. 817.VI. Moritur in impietate. 835.III.
Theodotus Trapezita, auctor Melchiſedechianorum. 196.V.
Theodulphus Abbas Floriacenſis carceri mancipatus ob coniurationem in Ludouicum Pium, liberatur ob elegantiam carminum ſuorum. 835.II.
Creatur Epiſcopus Aurelian. ac diſciplinam Eccleſ. diligentiſſime curat. ibid.
Eius egregia ſcripta. ibid.
Theognis Nicænus Epiſc. olim diſcipulus Luciani martyris, in perſecutione Diocletiani ſacrificat idolis, & poſtea adhæret Ario. 311.III.
In Concilio Nic. quomodo ſe geſſerit. 325.XXV.XXVI.
A Conſtantino pellitur in exilium, ob calumnias in Athanaſium. 329.II.
Reuocatur opera Conſtantii Cæſ. 331.I.
Theopaſchitarum hæreſis promulgator a Petro Fullone, ſed mox damnatur in Conciliis Romæ & Conſtantinopoli. 483.IV. (Vide etiam *Deus Trinitas, Quaternitas.*) Eamdem validare ſtudent monachi Scythæ Eutychiani, & quæ inde turbæ ortæ. 519.VII.533.II. Iterum pullulans, damnatur à Nicolao Papa in Concilio Rom. 862.III.
Theophanes & Theodorus fratres. Vide ſupra in *Theodorus & Theophanes.*
Theophanis Iſaacii, nobiliſſ. Ciuis Conſtantinopol. inſigne certamen cum ſocero, & Imperatore, pro conſeruatione perpetuæ cum coniuge continentiæ. 777.II.
Theophanes monachus Græcus, auctor Hiſtoriæ Miſcellæ, quæ vulgo tribuitur Paulo diacono. 396.III.408.I.
Quouſque eam perduxerit. 813.III.
Exulat ob defenſionem ſacrarum Imaginum, & quid ei admirandum contigerit cum Nicephoro Patriarcha, eadem de cauſa extorre. 814.II.
Theophania vxor Leonis Sapientis Imper. miraculis clara, colitur inter Sanctos. 901.III.
Theophania alia Græca ducitur ab Ottone Iuniore Imp. Occident. 969.I. Eius pietas, & optima filiarum educatio. 984.III.
Theophila virgo Chriſt. diuinitus liberatur à proſtibulo. 301.VIII.
Theophilus, ad quem Lucas ſcripſit Actus & Euangelium, quis fuerit. 58.XXV.
Theophilus Antioch. Epiſcopus contexuit Harmoniam SS. Euangeliorum. 31.II.
Scripſit etiam ad Autolycum pro religione Chriſt. aduerſus Gentilium ſuperſtitionem, & alia plura. 170.III.
Quo tempore, & quamdiu ſederit. ibid. & 182.IV.
Theophilus Alex. Epiſcopus à quo tempore inchoarit Paſchalem ſuum Cyclum centum annorum. 380.III.
Quando creatus ſit Epiſcopus. 385.VII.
Theodoſio Mag. in Italiam procedente contra Maximum tyrannum, callide mittit legatum cum muneribus victori offerendis: ſed techna detecta eſt. 398.VIII.
Sequeſtrem agit inter Ioannem Hieroſol. & Epiphanium, &c. ſed factus certior de fide-gi. fauet Catholicis aduerſus Origeniſtas. 393.III.
Obuerſatur electioni Ioannis Chryſ. in Epiſcopum Conſtantinop. ſed metu obiectorum criminum cedit. 397.XX.
Synodo Alexandriæ habita, Origenis errores, ſectatoreſque damnat, & Ægypto pellit: ſcribitque ad omnes Eccleſias aduerſus eos. 399.VII.
Accuſatur ab eis calumnioſe apud Chryſoſtomum, & quæ ipſe tunc, de iis ad Chryſoſtomum. 400.IX. Accuſatus item apud Arcadium Imper. accerſitur Conſtantinopolim. 402.I.
Venit eo triumphans, & Eudoxiæ Aug. aliiſque inimicis Chryſoſtomi adhærens, Synodo collecta eum iniuſtiſſime deponit. 403.I.
Reſtituto Chryſoſt. ipſe ſibi metuens, redit Alexandriam. ibid.VII.
Iterum ſollicitatus ab Eudoxia, mittit Epiſcopos, qui Chryſoſtomum eiiciant. 404.IV.
Excuſat ſe apud Innocentium Papam. ibid.VI.
Excommunicatur ab eo. 406.V.407.VII.
Permanet in obſtinatione in memoriam Chryſoſtomi defuncti, quouſque in obitu mirabiliter cogitur eam venerari. 407.IX.412.VII. Eius ſcripta, & memoria in Eccleſia egregia. 412.VIII.
Theophilus Gothorum Epiſcopus interfuit Magno Concilio Nicæno. 325.X.
de Theophilo Indo, mendacia Suidæ & Nicephori. 354.III.
Theophilus Epiſcopus Nacoliæ in Phrygia, primus omnium Epiſcoporum aduerſus ſacras Imagines pugnauit, vna cum Leone Iſauro Imperatore. 726.II.
Theophilus imperat in Oriente poſt patrem Michaelem Balbum. 829.II.
Eximius iuſtitiæ cultor in rebus politicis. ibid.
In fide hæreticus Iconoclaſta, perſequitur diriſſime cultores ſacrarum Imaginum. 830.I.832.I.
Per fatidicam mulierem futura inquirit 841.II. Moritur, & in obitu pœnitet; & precibus vxoris pientiſſ. feminæ, aliorumque ſanctorum virorum, miſericordiam conſequitur. 842.II.
Theophylactus Bulgarorum inſignis Epiſcopus, quo tempore vixerit. 1071.VI.
Eius ſcripta quæ & qualia. ibid. Ægro animo tulit Bulgariæ incolatum, & ipſe patria Conſtantinopolitanus. ibid.
Theophylactus alius longe ante illum, æque Bulgarorum Epiſcopus. 870.VI.
Theophylactus filius Romani Imp. adhuc puer creatur Conſtantinop. Epiſcopus, adminiſtratione Patriarchatus interim alteri commiſſa. 933.III. Conſecratur Epiſcopus. 994.I. Inſanus eius amor equorum, aliique ingentia vitia. 956.I. Moritur. ibid.
Theophylactus cognomento Simocatus, Græce ſcripſit hiſtoriam Mauritii Imp. 583.IV.594.IV.
Theophylactus Imp. Vide *Michael Curopal.*
Theotecnus Curator Antioch. præſtigiis & calumniis auctor eſt Maximino Galerio perſecutionis in Chriſt. renouandæ. 311.VI.
Theotimus Valentini hæreſiarchæ diſcipulus, circa imagines legis operatus eſt. 175.X.
Theotinus Scytha Hunnis prædicat Euangelium. 396.V.
Dictus ab eis Romanorum Deus, ob diuinas eius virtutes. ibid.
Theotocos, Virgo Maria. Vide *Deipara.*
Thermæ Diocletiani Romæ, & Maximiani Carthagine, extructæ ſeruitio militum in Chriſt. in perſecutione. 298.II.
Theſſalonicenſibus qua occaſione ſcripſerit Paulus Apoſtolus. 52.VII.53.I.
Theſſalonicenſium cædis occaſione, Theodoſius Magnus pulſus Eccleſia à S. Ambroſio. 390.I.
Theutgaudus Treuir. Archiep. Vide in *Guntherum.*
Thiemonis Archiep. Salisburg. paſſiones immenſæ, & diuturnæ pro defenſione Eccl. Rom. aduerſus Schiſmaticos; & demum martyrium. 1090.III.
Thomas Apoſtolus titubans, confirmatur a Domino. 34.LVII.
In quibus regionibus Euangelium prædicauerit. 44.XVI.
Eius nomine acta & ſcripta ab hæreticis conficta. ibid.XXIV.XXV.
Martyrium conſummat Malipure in India. 57.XXXIV.
Sanguis indebiliter inhæret Cruci lapideæ. ibid.
Quæ de eo ferantur geſta in Aſſumptione B. Virginis. 48.V.
Eius corporis partis translatio ab India Edeſſam ſub Alexandro Imp. 236.III.
Frequens ad eum peregrinatio Fidelium, tum Edeſſam, tum in Indiam. 371.VIII.883.II.
Thomas Prior S. Victoris Pariſ. martyrium ſubit ob defenſionem iuſtitiæ. 1135.III.
Thomas ex Cancellario Regis Angliæ, ordinatur inuitiſſimus Archiepiſcopus Cantuarienſis. 1162.VI.
Acta & Epiſtolæ eius. ibid.
Ordinatus Archiep. induit etiam habitum monaſticum, & quare. ibidem in fin. Pergens Turonos ad Alexandrum Papam honorificentiſſime excipitur. 1163.I.
Vnde orta diſſidia inter ipſum, & Regem Henricum. ibid.II.
Incipiunt etiam altercari de obſeruatio-

ne Conſuetudinum regiarum. ibid. IV.
Promittit earum obſeruationem: ſed mox reſiliens, valde Regem in ſe commouet. 1164.II.III.
Damnatus in Conciliabulo Epiſcoporum Regi fauentium, appellat Sedem Apoſt. & pergit in Galliam ad Alexandrum. ibid.IV.V.
Redarguitur ab eo de conſenſu aliquando præſtito impiis conſuetudinibus. VI.
Abdicat ſe Archiepiſcopatu, quem acceperat de manu regia, ſed mox reſtituitur à Summo Pont. IX.
Commendatus Abbati Pontiniacenſi, monaſtice viuit inter monachos. ibid,
Omnes ei cognatione vel familiaritate coniuncti, pelluntur ex Anglia. X.
Creatus ab Alexandro Legatus Apoſtolicus ad res Anglicas diſponendas, damnat Conſuetudines, & Epiſcopos, Regemque monet reſipiſcere, comminatione excommunicationis. 1167.III IV.
Pontiniaco eiectus molitionibus Regis, excipitur à Rege Francorum. ibid. VI.
Henrici Angli dolis apud Alexandrum Papam & Legati à Papa miſſi iniquitate, deprimitur, ſed rurſum erigitur. ibid. VII.& 1168.II.III.IV.
In congreſſu cum Regibus Franc. & Angl. conuiciis agitatur. 1168.V.
Repulſus etiam à Rege Franc. mox eundem pœnitentem ad pedes ſuos prouolutum videt. ib.VI.
Rurſum varie agitatur eius cauſa. 1169.I.
Demum recipitur à Rege, & ad eccleſiam ſuam reuertitur. 1170.IV.V.
Excuſatus denuo à ceteris Epiſcopis apud Regem, à quatuor nobilibus, gratum ſe facturos Regi exiſtimantibus, necatur intra eccleſiam ſuam. ibid. VI. VII.
Poſt mortem leuata manu benedictionem ſuis impartitur. ibid. VII.
De eius nece Legationes contrariæ ad Alexandrum. 1171.I.
Quam de ea pœnitentiam ſubierit Rex Angliæ. 1172.I.
Eius occiſorum punitio diuina, pœnitentia, & finis. ibid.IV.
Quam celebres habuerit viros, ærumnarum ſuarum participes. ibi.III.
Perſpectis clariſſimis ipſius miraculis, refertur ab Alexandro ſolemni ritu in numerum SS. Martyrum. 1173.I.
Viſitatur eius ſepulchrum à Rege olim eius perſecutore, ingenti pœnitentia, eiuſque ope Rex eripitur ab immenſis ærumnis. 1174.I.II.
Rex quoque Franc. peregrinatur ad eius ſepulchrum, pro ſanitate filio ægroto obtinenda. 1177.VI.
Thomas ex famulo Senatoris factus apoſtata ad Saracenos, poſtea mentiens ſe Conſtantinum Imp. timendus tyrannus euadit, ſed dat pœnas ſub Michaele Balbo. 822.II.
Tiberis fluuii ingentes Romæ inundationes. 589.III.717. V. 791. V.856.I. 860. IV.
Tiberius imperat poſt mortem Auguſti. 16.III.
Eius optima initia. ibid. Magos exagitat. 18.I.
Carmina Sibyllina vera à ſpuriis ſeligit. 19.II.
Externas cæremonias Romæ compeſcit 21.III.
Iudæos Vrbe pellit, & poſtea reſtituit. ibid.
In ſcelera omnia ruit. ib.IV.
Hiſtriones Vrbe pellit. 23.I.
Statuit ne morte damnati intra decimum diem ducantur. ibid.
Seianum potentiſſ. toto orbe hominem, necari iubet, cum liberis, & amicis. 33. XVIII.
Eius crudelitas in Senatores, & alios. 35. XVI.
Voluit Chriſtum inter deos recenſere, ſed Senatus reſtitit. 34.LXIII.35.XVI.
Quo conſilio euexerit Caligulam in Imperium. ib.XVI.
Moritur. 39.I.
Tiberius genere Thrax, vir laudatiſſ. cooptatur in Imperium à Iuſtino Iuniore. 575.I.
Defuncto Iuſtino ſolus regnat, & roboratur Angelica viſione. 579.I.
Per ſuos duces penitus profligat Perſas. 581.I.
Mauritium creat Cæſarem, & proxime morituro Imperium ei tradit. 583.II.
Tiberius Abſimarus. Vide *Abſimarus*.
Tibicines adhiberi ſoliti in funeribus Gentilium, & Iudæorum, non autem Chriſtianorum. 31.XXVIII.
Ticinum expugnatur, & diluitur ab Attila. 452.VIII.
Capitur à Longobardis, poſt trium annorum obſidionem. 571.I.
Succenditur ab Hungaris, & ingenti deſolatione profligatur. 924.I.
Eius Epiſcopus recuſat ſubiici Mediolanenſi, quod ab æuo non niſi Apoſtol. eæ Sedi ſubiaceret. 711.V.
Ticin. Concil. pro diſciplina. 850.V.
Pro libertate Eccleſ. 855.II.
Pro confirmatione Imperii Caroli Calui. 876 I.
Sub Henrico Secundo Imp. 1046.I.
Sub Leone Papa IX. contra Simoniacos 1049.IV.
Ticinenſe Conciliabulum ſchiſmaticorum Henricianorum aduerſus Gregor. Sept. PP. 1076.V.
Aliud Friderici Imp. ſchiſmatici, contra Alexandrum Tertium. 1160 I.
Ea Eccleſia priuilegium accipit à Ioanne Papa VIII. Archiepiſcopos Mediol. & Rauen. cum ſuffraganeis ad Synodum vocare. 878. V. itemque alia inſignia ab Anaſtaſio Papa Tertio. 910 I.
Priuatur Pallio & Cruce ab Alexandro III. quod ſtudioſe inhæſerit ſchiſmaticis aduerſus Sedem Apoſtol. 1175.III.
Ticonius Donatiſta Parmenianum confutat de Eccleſiæ defectu, nec tamen fit Catholicus. 368.I.
Multa alia ſcribit. ibid.
Timoleontes dicti hæretici Leonomachi, & quare. 754. VII.
Timotheus Pauli Apoſtoli diſcipulus circumciditur ab eo, & quare. 51.XVI. Eius genus. ibid.
Creatur à Paulo Epheſinus Epiſcopus. 57.LII.
Ad eum bis ſcribit Paulus. 57.LIII. 59. III.
Fuit abſtemius. 57.LVI.
Eius reliquiæ tranſlatæ Conſtantinopolim. 356.XIII.
Timotheus Petri Alexandrini frater eligitur poſt eum Epiſcopus. 380.III.
Conſtantinopolim accedens poſt finitum Concilium Oecumenicum, multas mouet turbas. 381.VIII.
Ammonem monachum, qui ſibi auriculam præciderat ne fieret Epiſcopus, nihilominus ordinat. 385. VII. Moritur. ibid.
Timotheus Ælurus, Alexandr. pſeudoepiſcopus intruditur ab Eutychianis. 457. IV.
Crudeliſſime ſæuit in Catholicos, infertque anathema in Leonem Papam ceteroſque Patriarchas. ibid.
Damnatur ipſe ab omnibus vbique Epiſcopis. ibid.VII.
Pellitur in exilium à Leone Imp. 460. I.
Mortuo Leone, reſtituitur à Zenone. 474. III. Conſtantinopoli quoque turbas mouet. 475.VII.
Cum, agente Baſiliſco tyranno, magna pompa duceretur ad Eccleſiam Eutychianis conceſſam, in itinere cadens è iumento frangit ſibi crus. 476.V.
Auctor eſt Baſiliſco, conſtitutionem promulgandi contra Concil. Chalcedon. ibid.
Eiecto ab Imperio Baſiliſco, ipſe ſibi mortem conſciſcit. 477.III.
Ab eo dicti hæretici Timotheani. ibidem.
Timotheus Solofaciolus, Alex. Epiſc. Catholicus eligitur in locum Æluri Eutychiani, & approbatur à Leone Papa. 460.I.
Pellitur ab Æluro, per Zenonem Imp. reſtituto. 475.VII.
Reſtituitur ab eodem Zenone, poſt eius reſtitutionem in Imperium. 477.IV.
A Simplicio Papa veniam petit de recitato in ſacris nomine impii Dioſcori. 478.II.
Moritur. 482.II.
Tintinnabulorum vſus apud Gentiles, & in Eccleſia. 58. XLI. Vide etiam *Campana*.
Eorum ſonitu derideri ſolitæ nuptiæ viduarum. 389.IX.
Tiridates Rex maioris Armeniæ, perſequitur Chriſtianos. 311.IV
Percuſſus à Deo, conuertitur ad fidem. ibid.
Titulus Crucis Dominicæ trilinguis, quo ordine ſcriptus. 34 XXXV
Tituli dictæ Eccleſiæ. 57. XXXVIII. Sumpta ea nomenclatura à rebus fiſcalibus. 112.III.
Tituli Eccleſiaſtici diuerſi à Fiſcalibus. ibidem.
Tituli & Veli differentia. ibi.
Titulos, hoc eſt, eccleſias, Vrbis, Euariſtus PP. diuidit presbyteris. 112.III.
Vigintiquinque conſtituti à Marcello. 306.X.
Tituli præclari, Principibus etiam peſſimis, à ſanctis viris, non ex meritis, ſed ex communi vſu, dari ſoliti. 58. XV. 502. IV.
Titus, diſcipulus & interpres S. Pauli Apoſtoli. 45.XII.
Creatur ab eo Cretenſis Epiſcopus. 57. LXIV. Ad eum ſcribit Paulus. 58.I.
Titum eumdem ſe mentiens Manichæus quidam ſub Iuſtiniano Iuniori, multos ſeducit, & tandem cum ſuis comburitur. 653.VII.
Titus Veſpaſiani Imp. filius obſidet Hieroſolymam, capitque, incendit, & funditus euertit. 72.I.
Modeſtia eius in recuſanda corona, à finitimis gentibus ob victoriam oblata ibid.IX.
Triumphat Romæ cum patre, & vaſa ſacra templi oſtentat. 73.I
Generoſitas eius in dimittenda Berenice, quam habebat in deliciis. ibi.II.
Succedit patri in Imperio. 81.II.
Eius effuſa munificentia, & manſuetudo. ib.
Pontificatum Maximum accipit, vt puras ſeruaret manus à quacumque cæde. 80.II.
Dictus Amor & Deliciæ generis humani. 83.I.
Moritur, veneno potatus à fratre Domitiano. ibi.
Toletum capitur à Saracenis, & exciditur. 716.IV.
Recuperatur ab Alfonſo Sexto. 1080. XII.
Eius Eccleſię Epiſcopus, Primatum Hiſpaniæ accepit à Rom. Pontifice, & quando id contigerit 610. VII. 636. III. in 649. VIII.
Recuſant ei in quibuſdam ſubeſſe reliqui Metropolitani. 681.XIV.
Confirmatur eius primatus à Ro. Pont. poſt eiuſdem vrbis recuperationem à Saracenis. 1088.III.1101.IV.
Toletanum Concil. I. aduerſus Priſcillianiſtas. 400.III.
Confuſum à nonnullis cum alio paulo poſt celebrato de prauis ordinationibus. ibi.IV.
Aliud rurſum contra eoſdem Priſcillian.

confuſum cum illo primo, & Lucenſi. 447.II.
Secundum dictum, de diſciplina Eccleſ. 531 II.
Tertium, poſt conuerſionem Reccaredi Regis & Gothorum ab Arianiſmo. 593. VII.
Aliud de caſtitate clericorum. 602.VII.
Aliud, de primatu illius Eccleſiæ. 610. VII.
Quartum nuncupatum, generale totius Hiſpaniæ. de rebus Eccleſ. 633.X. Quintum, pro regni ſtabilitate. 636.III.
Sextum generale, pro fide & diſciplina. 638.I.
Septimum, de diſciplina Eccleſ. 646. III.
Octauum, de Eccleſia & Regno. 653. II
Nonum, de rebus & perſonis Eccleſ. 655 III.
Decimum, de iiſdem. 656.III IV.
Vndecimum, de moribus & diſciplina Eccleſ. 675.I.
Aliud generale, de diuiſione ſedium Epiſcopalium in Hiſpania. ibid.II.
Duodecimum nuncupatum, pro confirmatione Regis Eruigii. 681.XIII.
Decimumtertium, de rebus Eccleſ. & politicis. 683.IV.
Decimumquartum, pro confirmatione Sextæ Synodi Oecumen. 684.III.
Decimumquintum, de rebus Eccleſ. & politicis. 688.I.
Decimumſextum, in cauſa proditionis Archiepiſcopi Toletani aduerſus Regem. 693.I.
Decimumſeptimum, aduerſus Iudæos, conſpirantes in regnum, & vniuerſos Chriſtianos. 694.II.
Decimumoctauum, cuius Acta perierunt, & quare. 702.VI.
Tolosanum Concil. aduerſus Simoniacos. 1056.V. Aliud ſub Legatis Vrbani PP. de rebus Eccleſ. 1090.I.
Toloſani, ſiue Albienſes dicti hæretici. 1178.II. Vide *Albienſes*.
Tondere caput ſoliti, qui voto Nazaræorum obligabantur. 53.V.58.XLIX.
Tonſura Clericorum, Apoſtolica traditione in Eccleſiam introducta. 58.L.LII.
Quæ eius origo, & ſignificatio. ibid.
Vſus probatiſſimus LIII. Varia genera. ibid. Monachalis diſtincta à Clericali. LIV. Quæ improbata Hieronymo, & Epiphanio. LV. LVI. De ea error ſchiſmaticus Britannorum, qui tandem corrigitur. 664.II.699.II. 716. III. Vide etiam *Abraſio Barba. Capilli.*
Totilas Gothorum Rex in Italia creatus, parua ſuorum manu vincit exercitum Græcorum. 542.I. Multum proficit monitis S. Benedicti. 543. I. Reſumit ferociam, & dire agit in Epiſcopos Catholicos. 546.I.
Romam proditione capit, ſed iterum perdit, & varie cum Beliſario pugnat. 547.I.II.
Rurſum eamdem proditione capit. 550. II.
Vincitur & occiditur à Narſete Iuſtiniani duce. 553.II.
Tractatoriæ Literæ, quæ eſſent. 142.VII.
Tractoriæ ab iis diuerſæ, Literæ Imperiales, & Eccleſiaſticæ, quales eſſent. ibid.
Traditiones commendatæ ab Apoſtolis. & SS. Patribus. 53.II.IV.
Antiquiores Scriptura, eiuſdemque cum illa auctoritatis. ibid. Iis etiam vſi Hebræi. III. Quæ ſint improbatæ à Domino & Apoſtolis. ibid.
Iis potentiſſime confractæ quæcumque hæreſes. IV. & 146. X. Multæ Apoſtolicæ tribuuntur inſtitutioni Pontificum Ro. quod ipſi eas decretis ſuis firmarint. 132. III. 136.I. Iis inſiſtendum, vt non aberremus à fide. 256.V.
Earum vis. 258.XII.
Traditores dicti in Africa, qui in perſecutione Diocletiani, libros Chriſt. magiſtratibus exhibuerunt 302.III.
Concilium celebrant Cirtæ in Numidia. 305. I. Calumniis onerant Catholicos. ibid.IV.
Schiſma conflant aduerſus Cæcilianum Carthag. Epiſc. 306.XII. Iunguntur Donatiſtis. 308.V.
Traianus adoptatur à Nerua Imp. in filium 99. VII. Eo mortuo ſuſcipit Imperium. 100.I.
Eius patria. ibid. Exordium Imperii æquum Gentilibus, Chriſtianis iniquiſſimum. ibi.II.
Perſecutio in Chriſt. qualis ibid. III. & 104.II. Dacos inſigniter vincit. 103. III. 105.I. Multos alios populos debellat, & varia ex iis cognomina ſortitur. ibid. & 107. I. II. Luſtrans exercitum, vndecim millia Chriſtianorum relegat 107. III.
Eius felicitas in contrarium mutatur. 114 I.
Iudæos rebellantes coercet. 116.I. Eripitur mirabiliter è terræmotu Antiocheno. 117.III.
Perſecutionem Chriſtianorum ceſſare iubet, quod pars non eſſent magiſtratus iis occidendis. 118.I. Moritur in Cilicia oſſa Romam transferuntur, ipſeque refertur inter diuos 119. I. Fabula de eius anima precibus Gregorii liberata, refellitur, ipſeque vita ſceleſtiſſimus fuiſſe monſtratur. ibid. II. Dictus à Conſtantino, Herba parietina, & quare. 324. XXII.
Traiectenſis Eccleſia fundatur à S. Wilbrordo, opera Pipini Ducis. 696.I. Concilium ibi celebratur ab eodem Wilbrordo, ad res nouellæ Eccleſiæ optime diſponendas. 697.I.
Translationes Epiſcoporum, aliorumque clericorum, ab vna Eccleſia in aliam, vetitæ niſi magna ex cauſa. 324. XXXIII. 389.XII.
Translatio Regni Franc à familia Morouingiorum in Pipinum, auctoritate Apoſtolica. 751.I.752.I.754.I.
Translatio Imperii ab Oriente in Occidentem, facta eadē auctoritate. 800.IV.
Translatio Reliquiarum Iacobi Apoſtoli in Hiſpaniam. 44.IV.
Ignatii, Roma Antiochiam. 110.II. Thomæ Apoſtoli Edeſſam. 236.III.
Diuerſæ Capitis Ioannis Bapt. 390.II. & aliorum quamplurimorum, vide ſub propriis nominibus Sanctorum: & vide etiam in *Reliquia & Inuentio*.
Frequentes ab Oriente in Occidentem, cum Oriens occupatus eſt à Saracenis. 637.I.
Translatio Scripturæ. Vide *Editio. & Interpret.*
Traſamundus Wandalorum Rex in Africa, ſapientia & magnitudine animi prædeceſſores antecellit. 495.VI.
Præmiis, non pœnis, Catholicos ad Arianiſmum inuitat. ibid.
Epiſcopos 220. in Sardiniam deportat. 504.II.
Miſere moritur. 522.II.
Traſcodrugitæ hæretici, ſecta Montaniſtarum, vnde ita dicti. 173.X.
Trecenſe Concil. auctoritate Nicolai Papæ in cauſa clericorum Rhemenſium. 867.II.
Aliud ſub Ioanne Papa Octauo, de multiplicibus rebus. 878.IV.
Sub Legato Sedis Apoſtol. contra Simoniacos. 1104.II.
Sub Paſchale Papa II. contra inueſtituras laicas. 1107.I.
Sub Matthæo Legato, pro confirmatione Ordinis Templariorum. 1127.II.
Tremonienſe Concil. in Germ. pro reformatione Eccleſiæ. 1005.II.
Treuerenſe Concil. Ithacianorum. 386.VI.
Aliud in cauſa Rege. Franc. 948.III.
Tribonianus Iuſtiniani Quæſtor, homo Gentilis, pro immenſa auaritia leges condere & vendere ſolitus 529. VIII.
Conatus euadere Iuſtiniano, eum non moriturum, ſed cum carne in cœlum aſſumptum iri. ibid.
Tribunitiæ Poteſtatis ratio optima ad numerandos Impp. annos. 150.II.171.I.
Tributienſis Conuentus, quo regnum Caroli Craſſi Imp. translatum eſt in Arnulphum. 887.I.
Aliud Concilium ſub eodem Arnulpho; pro reſtituenda Eccleſ. diſciplina. 895.I.
Aliud ſub Conrado Imp. 1035.I.
Conuentus Principum Germ. aduerſus Henricum IV. Regem, pro Gregorio PP. Sept. 1076.VIII.
Contra Henricum VI. Imperatorem. 1119.II.
Tribuum non miſcendarum præceptum diuinum, non tangebat Tribum Sacerdotalem Appar. XVII.
Tributum quale ſoluerit Dominus. 33 IX.
Quale à Iudæis penderetur Templo, & quale Romanis. 34.IV.
Quod Templo ſoluebatur, poſt excidium eius, iuſſum eſt pendi Ioui Capitolino. 72.VIII.
A Tributo immunes Clerici 33. X. 57. XXI.
Tributum æri Iudæorum impoſuit Peſcennius Niger. 199.II.
Auri, & argenti diſtincta penſitatio 310. VIII.
Chryſargyri, & Follis, qualia; & à quibus impoſita. 330.VII.
A Romanis primum omnium penſum Scythis ſub Impp. Gallo & Voluſiano. 256.II.
Poſtea id ſæpe ab Impp. factum erga diuerſos barbaros populos, Imperium inuadentes. Vide *Scythæ. Hunni. Auares. Saraceni. Iuſtinianus. Heraclius &c.*
Pendit etiam Saracenis Romanus Pont. Ioannes Octauus. 877.VIII.
Tributum Virginum iiſdem penſum in Hiſpania. Vide *Virgines*.
Monachis imponit Valens Imp. Arianus 375.V.
Eccleſiis Catholicorum, Iuſtina Auguſtaque Ariana. 387.III.
Tributorum exactioni quomodo prouiderit Conſtantinus 315 III.
Occaſione iniuncti Antiochenis à Theodoſio, ingentes ibi turbæ excitatæ 388 I.II.
Triginta tyranni ſub Gallieno Imp. 262. III.
Trinitatis vnicam eſſe perſonam, aſſeruerunt nonnulli ex Simonis diſcipulis. 120.V. itemque Montaniſtæ. 173.IV.
Monarchici 196. VII. Sabelliani 260. VI.
Paulianiſtæ. 265. II. Petrus Fullo. 483. IV
Iidemque paſſionem Trinitati tribuebant 483.IV. 749.II. Vide etiam *Perſona. Theopaſchitæ. Quaternitas. Subſiſtentia. Hypoſtaſis.*
In Trinitatis doctrina errarunt etiam Donatus. 321 IV. Photinus. 357.II. Apollinaris. 373 III. Eius hoſtis infenſiſſimus Eunomius. 360.VII. Eam corporeis oculis ſe videre, iactabant Maſſaliani. 361. IX. Ex maximo, maiore, & magno, conſtare, dixerunt Apollinariſtæ cum Arianis. 373. II. Eamdem quoque negarunt Manichæi. 1017. I. & Bongomili. 1118. XII.
Et paſſam eſſe, aſſeruerunt Armeni. 863. V. Eius triplicem eſſe Deitatem, dixit Gotheſcalcus. 848.III.
Vnum de Trinitate eſſe crucifixum, qua fraude dicerent Eutychiani, & quo ſenſu poſſit recte dici. 519. VII. 533. IV. V. 534.II.
De SS. Trinitate ſententia aſſerta Serapidis, videtur eſſe Ioſeph Patriarchæ. 389.XVI.
In confirmationem Trinitatis aduerſus Arianos, miraculum ingens Vafatis. 451.VII.

Et in eiuſdem blaſphematores, pariter Arianos, diuina vltio 453. VI.
Triſagion hymnus diuinitus reuelatus & vbique receptus. 446. II.
Corrumpitur à Petrone Fullone, impio additamento. 483. IV.
Cur Græce tantum, etiam apud Latinos in Paraſceue cantetur. 492. IV.
Tritheitarum hæreſim propagauit Ioann. Philoponus. 553. XII.
Triumphus Veſpaſiani & Titi, de Iudæis. 73 I. Marci & Lucii, de Parthis. 168. I. Seueri, de Peſcennio, & barbaris. 197. I. de Iudæis. 199. II. & Parthis. 205. II. Alexandri, de Perſis. 236. II. Aureliani, de Zenobia, & Oriente. 474. II.
Diocletiani & Maximiani, de Perſis. 301. I.
Conſtantini, de Maxentio. 312. VIII. IX.
Conſtantii, de Magnentio. 356. XIV.
Theodoſii & Valentiniani, de Maximo. 389. VII. Beliſarii, de Wandalis. 534. IV.
Beatiſſimæ Virginis Matris, per Impp. Ioannes Zemiſcen. & Comnenum. 971. IV. 1123. III.
Troglodytæ hæretici, qui & Eunomiani, vnde ita dicti. 360. VIII.
Troianum Concil. in Apulia, ſub Vrbano PP. Secundo. 1089. IV. itemque aliud, ſub eodem, pro diuerſis Eccleſ. neceſſitatibus. 1093. I.
Sub Paſchale II. de negotiis prouincialibus. 1115. I.
Trosleienſe Concil. apud Sueſſionem, pro diſciplina Eccleſ. 909. I.
In cauſa Iſaacii Comitis ſacrilegi. 924. I.
In cauſa Herluini Comitis adulteri. 927. I.
Trudonis, Hasbaniorum Apoſtoli, ſanctus obitus. 701. III.
Trullus, locus in quo celebrata eſt Sexta Synodus; & quid ea vox ſignificat. 680. IV.
Triphonia Debii Imp. coniux inter SS. adſcripta. 254. VI.
Tubæ ſonitu indicebant Iudæi feſtos dies. 34. XVII.
Tullenſe Concilium. Vide *Saponarias*
Tunica Chriſti inconſultis, qualis eſſet. 34. XXXV.
Conſeruata ad poſteros. ibid. XLII.
De eius inuentione, & tranſlatione Hieroſolymam. 593. XI.
S. Ioannis Euangel. delata Romam ſub Gregorio Magno, coruſcat miraculis. 592. III.
S. Vincentii martyris, miraculis clara, traditur Francis in redemptionem obſidionis Cæſarauguſtæ, & defertur Pariſios. 542. III.
Turcæ quas incolerent primitus regiones. 566. II.
Mittunt legatos ad Iuſtinum Imp. aduerſus Auares. ibid.
Signo crucis in fronte impreſſo, liberantur à graui peſtilentia, etſi Pagani. 591. I.
Eorumdem egreſſio è portis Caſpiis, & irruptiones in Armeniam, ſub Copronymo Imp. Iconomacho, & Hagiomacho. 763. III. Propagatur in eis fides. 958. II.
Ad ſtipendia inuitati à Rege Perſarum Saraceno ab eodẽ male habiti, in ipſum arma conuertunt, & potiuntur Perſide. 1043. IV.
Cappadociam depopulantur. 1067. III.
Capiunt Romanum Imp. & pacem cum eo ſtabiliunt. 1071. IV.
Scitum eorum Sultani dictum ad eumdem Imp. ibid.
Turonenſe Concil. in Tranſlatione S. Martini, de Eccleſ. diſciplina. 482. VI.
Secundum, pro diſciplina Eccleſ. 570. IV.
Aliud ſub Carolo Magno, eadem de cauſa. 813. VI.
Sub Carolo Caluo, aduerſus Nomenoium Ducem Britonum, contemptorem Sedis Apoſtolicæ. 849. III.
Sub Hildebrando Sedis Apoſtol. Legato, aduerſus Berengarium hæreſiarcham. 1055. IV.
Sub Vrbano PP. pro confirmatione ſuorum decretorum. 1096. I.
Sub Alexandro III. aduerſus hæreticos & ſchiſmat. &c. 1163. I. II.
Eius Eccleſię controuerſia cum Dolenſi, de primatu Minoris Britanniæ, diutiſſime agitata, quomodo definita fuerit. 859. V.
Turpini nomine ſcriptæ fabulę explodantur. 812. V.
Quo tempore earum auctor ſcripſerit. 859. V.
Turpitudines horrendæ, & impudicitiæ, ſacerdotum Simonis magi. 35. XII.
Nicolaitarum. 68. V.
Gnoſticorum. 120. IV.
Adamitarum. 120. XVII.
Valentinianorum. 145. III.
Hermogenianorum. 170. IV.
Origeniſtarum, qui & inde *Turpes* cognominati ſunt. 256. VI.
Manichæorum. 277. VIII. Vide etiam *Libidines*.
Turpitudines, & impudicitiæ, Domitiani Imp. 83. II.
Traiani. 119. II.
Commodi. 182. II. 189. IV.
Caracallæ. 214. II.
Elagabali. 220. II. Aliorum vide ſub propriis nominibus.
Tuſciæ Marchiones Rom. Eccleſiam ſub iugum omnium turpiſſimum & crudeliſſimum ducunt. 897. III. 900. I.
Tuſculiani Comites Rom. Eccleſiam ſub iugum turpiſſ. ducunt. 897. III. 900. I. 1033. II.
à Tutelis immunes clerici. 257. VI. Qui non ab iis excuſarentur apud Romanos ibid.
Tutorem relinquere presbyterum, contra canones, etiam poſt mortem punitum. ibid.
Tyana metropolis Cappadociæ Secundæ. 372. VI. De eius iuribus altercatum inter Baſilium Cæſarienſem, & Anthimum Tyanenſem. ibid
Tyanenſe Concilium Orthodoxorum 362. III.
Typus, ſic nuncupatum edictum de hæreſi Monothelitarum, promulgatur à Conſtante Imp. 648. I. Damnatur à Martino Papa in Synodo Lateran. 649. III.
Tyrium Conciliab. Euſebianorum & Meletianorum, contra Athanaſium. 335. I.
Tyrium Concilium, ſeu Iudicium in cauſa Ibæ Epiſcopi Edeſſeni. 448. VII. VIII.
Pro confirmatione Chalcedonenſis. 518. VII.
Tyriæ Eccleſiæ iura imminuta à Marciano Imp. reſtituta à Patribus Concilii Chalcedon. 451. XXI.
Tyrius. Vide *Guil. Tyrius*.
Tzani populi à Iuſtiniano Imp. deuicti, conuertuntur ad fidem, & conſueta latrocinia deponunt. 527. VI.

V.

VAcatio. Vide *Sede Vacante. & Epiſcopatus*.
Valens Murſi Epiſc. Arianus, qua arte ſibi deuinxerit Conſtantium Imp. 353. IV.
Vna cum Vrſacio Sigidon. venit fraudulento animo Sardicam ad Concilium, receditque. 347. VI.
Damnantur ambo ibi à Patribus. ibi. VII.
Literas amicas ad Athanaſium ſcribunt, & Romam petentes, libellum pœnitentiæ Iulio Papæ offerunt. 350. VII.
Iterum relabuntur in partes Arianorum. 351. VI.
Eorum violentia aduerſus Orthodoxos in Conciliab. Arelat. ibid. VIII. & in Mediolanenſi. 355. II.
Præcipui auctores perfidiæ Sirmianæ. 357. VII.
Stant aduerſus Semiarianos pro Arianis. 358. IV.
Damnatur cum ſuis in Concilio Arimin. 359. V.
Sed conuenientes Nicææ in Thracia, nouam fidei formulam cudunt, quam fraudulenter Catholicis ingerunt. ibid. VI. vſque XI.
Auctoritas Conſtantii Imp. pellunt Liberium Papam alioſque Orthodoxos, ſedibus ſuis. ibid. XIII.
Damnatur à Damaſo Papa & aliis per Orbem Synodis. 368. IV.
Valens inuadit Imperium ſub Gallieno. 262. III.
Valens alius, inuaſor Imperii Orient. aduerſus Galerium Maximianum, necatur à Licinio Cæſ. 307. IX.
Valens dux, vna cum fratre Valentiniano, confeſſor ſub Iuliano Apoſtata. 362. VII
Ab eodem fratre ſuo, creato Imperatore, aſſumitur in collegam, & præficitur Orienti. 364. IV. V
A Procopio tyranno in arctiſſimas redigitur anguſtias. ibid. VII.
Vincit eum, per Lupicinum Magiſtrum equitum. 366. II.
Marcellum quoque, tyrannidem poſt Procopium arripientem, capit, & necat ibid.
Bellum gerit aduerſus Gothos, quod auxilia præſtitiſſent Procopio. ibid.
Suaſu vxoris, baptizatur ab impio Eudoxio, & labitur in hæreſim Arianam, eique iureiurando ſe obſtringit. 366. III.
Quando cœperit Catholicos perſequi. ibid. & 370. I.
Epiſcopos Orthodox. ſedibus ſuis pellit. 370. II.
Quid ei prodigii cum Baſilio Cæſareæ in Cappadocia contigerit. VII. VIII.
Quid Antiochiæ cum Meletio Epiſcopo, & Aphraate monacho. X. XI.
Dire exagitat philoſophos, & magos occaſione quæſiti à nonnullis, nominis ſui ſucceſſoris. XIV. XV.
Quieſcit ad breue tempus à perſecutione, oratione lenitus Themiſtii philoſophi. 375. IV.
Monachos adigit ad militiam. ibid. V.
Accepta ingenti clade à Gothis, reuocat Epiſcopos Catholicos ab exilio. 377. I.
Coactus à populo egredi in Gothos, incaute pugnans fugatur, & ſauciatus in agrelli caſa viuus comburitur. 378. VI.
Periit ob hæreſim, ab iis quos ipſe in hæreſim abduxerat. ibid. & VII.
Valentinianus dux, clarus ſub Iuliano Apoſt. confeſſor. 362. VII.
Eligitur Imper. & Valentem fratrem ſibi collegam adſciſcit. 364. III. IV.
Eo relicto in Oriente, ipſe in Occidentem ſe recipit. ibid. V.
Epiſcopis liberum relinquit, quando & vbi vellent, conuenire ad tractandum de fide. VI.
Liberam quoque religionem omnibus permittit. VIII.
Multas pias leges promulgat. 365. V. 370. XXI.
Infamator vxoris & fratris, perfidia Ariana, quamuis ipſe Catholicus ſemper perſtiterit. 366. VI.
Fauet Damaſo Papæ, aduerſus Vrſicinum ſchiſmaticum. 367. VI.
Reſcribit pro ſoluendis vindictis die Paſchatis. ibid. I.
Gratianum filium ſuum creat Imperatorem. ibid. VIII
Fuit nimium ſeuerus in puniendis delictis. ibid.
Epiſcopum appellantem ad ſæculare tribunal ob indignum facinus pecunia mulctat. 369. VI.
Clericos, & monachos repellit ab hæreditatibus & legatis mulierum. 370. XVI. I.

Falſo

Iulio accuſatur à Socrate de duabus vxoribus eodem tempore habitis & lege de ea relata. ibid.XIX.
Fuit caſtitatis amantiſſimus, eiuſque violatæ acerrimus vindex. ibid.
Egregie conſulit ſcholaſticorum moribus & ſtudiis. ibid.XX.
Eiuſdem nonnullæ iniquæ ſanctiones. 371.X.
Sacrificia Gentilibus permittit. ibid.
Manichæorum conuentus prohibet. 372 XIV.
In quem mandat occidi presbyterum, qui rerum apud ſe occultatam prodere nollet. ibid XV.
Donatiſtas in Africa rebaptizantes coercet. 373 VII.
Repentino vomitu ſanguinis extinguitur, & corpus defertur Conſtantinopolim. 375 II.
Valentinianus Iunior, filius Senioris, naſcitur. 366.VI.
Creatur poſt obitum patris Auguſtus, approbante Gratiano fratre. 375.II.
Reſcribit pro liberandis vinctis tempore Paſchali. 385 IX.
Suaſu matris Arianæ, conuentus permittit Arianis. 386 III.
Irrumpente Maximo tyranno in Italiam, fugit cum matre ad Theodoſium Imp. Theſſalonicam. 387.VI.
Reſtituitur à Theodoſio Imperio Occidentali & Catholicæ fidei. 388.VII.
Triumphat Romæ, vna cum eo, de Maximo debellato. 389.VII.
Denegat Gentilibus Rom. vetera ſacra. 392.I
Occiditur proditione Arbogaſtis Comitis, nondum quidem baptizatus, ſed expectans baptizari à S. Ambroſio, à quo & laudatur oratione funebri 392. II. III.
Valentinianus Tertius naſcitur ex Conſtantio Cæſ. & Placida ſorore Honorii. 418 X.
Poſt mortem Honorii, extinctumque tyrannum Ioannem, renuntiatur Imperator Occidentis à Theodoſio conſobrino. 425.III.
Priuilegia Eccleſiarum, à tyranno ſublata, reſtituit. ibid.
Conſtantinopolim ad Theodoſium pergens, filiam eius Eudoxiam vxorem ducit. 437.III.
Manichæos, vt ſacrilegos puniri iubet. 445.III.
Reſcribit pro pleniſſ. auctoritate Romani Pont. ſuper omnes vbique Eccleſias. ibid.V.
Scribit ad Theodoſium Imp. pro reſciſſione actorum pſeudoſynodi Epheſ. 449.XVI.
Peregrinatur Romam ad Limina Apoſtol. ibid.
Forum Eccleſiaſticum valde imminuit, magno ſuo, & Imperii damno. 452. VII. 455 VI.
Adeo flagrat libidine, vt incantamentis nitatur ad matronarum caſtitatem expugnandam. 454.I.
Aetium Magiſtrum militiæ, Imperii Occidentalis columen, necat ex falſis ſuggeſtionibus Maximi Senatoris. ibidem.
Occiditur in Campo Martio ab amicis Aetii, arte eiuſdem Maximi. 455.I.
Valentinum Concilium Galliæ Narbon. de Ordinationibus legitimis, & lapſorum pœnitentia. 374.V.
De Oeconomia Eccleſ. 529 I.
Contra hæreticos, & de diſciplina Eccl. 855.I.
Valentinus Roman. Pont. creatur inuitus, & quadrageſimo die moritur. 827.II.
Valentinus ex philoſopho hæreſiarcha ſub Antonino Pio. 145 I.
Eius deliria dogmata, impuræ libidines, & inanea ſcripta. ibid. & ſeqq.
Aliæ hæreſes ex eo ortæ. ibidem. V.VII. VIII
Romam petit, & palinodiam recantat; ſed iterum lapſus, penitus eiicitur. 155.I.
Eius diſcipuli, & ipſi hæreſiarchæ. 175. VI.180.III.
Quamdiu Romæ degerit. 180.IV.ibid.
Eius ſectatores, dicti quoque Gnoſtici. 145.II III.
Eorum procacia in aſſerendis ſuis dogmatibus. ibi. IV.
Quinam aduerſus eos ſcripſerint. ibid.
Conuentus eorum proſcribuntur à Conſtantino Magno. 326 IV.
Valeria filia Diocletiani Imp. nubit Galerio Maximiano. 292.III.
Cito moritur. 294 IV.
Eius nomine dicta pars Pannoniæ, & vrbis ad ripam Danubii. ibid.
Valerianus à Decio Imper. Cenſuram accipit ampliſſima poteſtate. 253 XXII.
Imperat vna cum filio Gallieno. 256.III. 257. IV.
Principio fauet Chriſtianis. 257.IV. ibid.
Sed poſtea crudeliter eos perſequitur. 259.I.
Eius perſecutio cur confuſa cum Deciana, & Voluſiana. 253. XVI. XXII. 255. VII. 257.II.
Capitur à Perſis, eiuſque collo Sapores Rex vtitur ſuppedanei loco ad equum conſcendendum. 262.II.
Excoriatur, ſaleque conditur. ibid.
Valerianus Iunior, frater Gallieni, vocatur Auguſtus. 267. I. Necatur cum Gallieno. 269.I.
Valerianus alius, filius Gallieni, æque Auguſtus. 267.I. Necatur cum patre. 269 I. ibid.
Valerius Cæſarauguſt. Epiſcop. egregius Confeſſor in perſecutione Diocletiani. 303.XII.
Cur martyrium non conſummarit. ibid.
Valerius Hippon. Ep. ſc. Auguſtinum ordinat presbyterum. 391. III. Omnium primus in Africa, presbyterum iubet coram Epiſcopo prædicare verbum populo. ibid. Auguſtinum ſibi facit conſecrari Coepiſcopum. 395 XIII.
Valeſiorum ſecta, quæ & Eunuchorum dicta. Vide in *Eunuchi*.
Vallis vmbroſæ monachorum Ordinis inſtitutio per S. Ioan. Gualbertum. 1063. IV.
Variana clades ſub Auguſto. 12.IV.
Vaſa balnearia, conflata ex cineribus quinque virginum martyrum ſub Traiano, prodigia produnt. 118. I.
Vaſa ſacra, aurea & argentea, iam ab initio in eccleſiis Chriſtianorum. 57. XXXVI. 58. XXVII. 213. II. 312 XXIV.
Solita conſecrari ritu ſolemni. 335. IX.
Confregit Ambroſius, ad ſubleuandos egenos, & redimendos captiuos. 387. VII. Laudauit eum ea de re Auguſtinus, & imitatus eſt ibidem. Idemque præſtitit Exuperius Toloſanus Epiſcopus. 405. V. & Acacius Amidæ. 420. III. Conflat Heraclius Imperat. ad bellum Perſicum, pro recuperatione S. Crucis. 620. I. De iis non auferendis quacumque neceſſitate, Bulla Aurea Alexii Imp. 1082. IV. Vide etiam *Eccleſ. Expilatores*.
Vaſa ſacra templi Hieroſol. ducta in triumphum à Tito. 73 I. Combuſta ex parte ſub Commodo, in conflagratione templi Pacis. 193. III. Reliqua direpta à Genſerico Wandalo, & per Beliſarium recuperata, transferuntur Conſtantinopolim. 455.III.
Vaſa ſacra eccleſiæ S. Petri Romæ, in direptione Alarici, ſolemni pompa referuntur intacta. 410. VI. Multa ingentis pretii, conferuntur à diuerſis eccleſiis Vrbis. 440. I. 467. II. 795. III. 800. IV. 801.I 812.V.
Valentiæ Concil. Primum. 325. XLVII. Secundum, & Tertium. 442. III. Eorumdem trium canones in vnum conflati. ibid. & 529.V.
Vaticinia Gentilium de Chriſto venturo. Appar. XI. XII. XIII. Mirabile de ventura clade Hieroſol. 65. I. Gregorii Nazianz. de Iuliano Apoſtata. 354. IV. Anus cæcæ, de eiuſdem Iuliani futura apoſtaſia. 355 XVI.
Ludi magiſtri Antiocheni, de eiuſdem interitu. 363. VIII. Contraria, de felici & infelici exitu belli Perſici, ab eo ſuſcepti. ibid. I. VI. VIII. X. Vetuſtiſſimum de ruina Vrbis, & Orbis, diuulgatum à Melania ante obſidionem Vrbis per Alaricum 408 XII. Inane Paganorũ ſub Honorio, de renouatione ſacrorum Gentilium. 410.I. De Saracenis vincendis per Francos. 963.V.
Vide etiam in *Oracula. Præſagia. Prophetia*.
Vaticinia rerum eueniendarum, vel agendarum, quæſita ex fortuitis S. Scripturæ textibus. 507.II. 556.III. 579.IV. 622.I.
Vbaldi Eugubini Epiſcopi ſolemnis canonizatio. 1191.I.
Vdalrici Auguſtani Epiſcopi nomine, confictа epiſtola de ſacerdotum coniugio, refellitur. 591.V.VI.
Quando ſedere cœperit. 924.II.
Conciliat pacem inter Ottonem Regem eiuſque filium rebellem. 954.III.
Succeſſorem ſibi quærens nepotem ſuum, licet alioqui dignum, diuinitus arguitur 971.II. Moritur, & inter SS. refertur, miraculis clarus. 973 II.
Velum virginitatis inſigne. 57.XVIII.
Virginum Deo dicatarum, quale olim eſſet ibidem. XXVI. & 161.LV.
Velatæ incedebant cunctarum ferè gentium mulieres. 57. XXV. Idque ipſum Chriſtianæ ex mandato Pauli vbique factitarunt. ibid.
Velis & linteaminibus ornari olim eccleſiæ ſolitæ. 329. I. Vide etiam *Ornatus*.
Vela admota Sepulchris Sanctorum, virtutem accipiunt pellendi morbos, & ſuſcitandi mortuos. 35.III.
Vela Imaginibus picta, antiquitus appendi conſueta in eccleſiis. 392. XII. Diuinitus approbata. ibid. Obiectio ex Epiphanio ſoluitur. ibid.
Velorum, & Titulorum fiſcalium, differentia. 112. III.
Velum duplex in Templo Hieroſolym. 34. XXXVII. Quod ſciſſum eſt in Paſſione Domini, quale eſſet ibid.
Venantius Fortunatus curatus oculis à S. Martino, ſcribit eius Vitam carmine heroico. 402. XV. Qua occaſione ſcripſerit hymnos S. Crucis. 530.VI.
Fuit natione Italus, ſed Epiſcopus Pictauienſis in Gallia. 574.III.
Venationes ſuſtulit Anaſtaſius Imperat. 491.III.
Venatores Epiſcopi cohibiti in Concilio Matiſcon. Secundo. 588.III.
Venator Epiſcopus Moguntinus deponitur. 745.I.
Venetiarum ciuitatis origo, ex incurſione Attilæ in Italiam. 452. VIII. Subditur Francorum dominio. 553 XIV.
A Rom. Eccleſia plurimum hauſit adiumenti, dictaque eſt ab Honorio PP. Reſpub. Chriſtianiſſima. 630.V.
Donatur Eccleſiæ Romanæ à Pipino Francorum Rege. 755 II. Fuit poſtea aliquamdiu poſſeſſa ab Impp. Orientis. 810. II. Bene merita de Terra Sancta. 1123.II.
Veneti Epiſcopi obſtinate aliquamdiu inhærent Schiſmati de Tribus Capitulis. 553 XIV. 556.I. 586.II.
Veneti ſtudioſiſſimi S. Marci Euangel. auferunt ſibi ex ciuitate Alexandr. eius corpus. 820 III.
Venetias transfertur Patriarchatus Gradenſis, auctoritate Rom. Pontificis. 1050.II.
Veneticum Concil. ſub Vrſo Patriar-

cha, de diſciplina Eccleſ. 1040. II. Sub Alex. PP. III. de pace inter ipſum & Frider. Imper. & contra ſchiſmaticos 1177. VI.

Veneticum Concil. in Armoricis. 453. VIII.

Venuſtianus Præf. ex perſecutore fit martyr. 301. V.

Verbum Dei à Chriſto ſeparabat Paulus Samoſat. 265. III Photinus. 347. XIV & alii. 420. VII. VIII.

Non ab æterno fuiſſe, ſed ex nihilo ortum, & aliud eſſe Dei Filium, aliud Dei Verbum, aliaque de Verbo blaſphema, docuit Arius. 318. IX. Non ſecundum ſubſtantiam, ſed tantum ſecundum virtutes, humano corpori vnitum eſſe, dicebant Eunomiani. 360. VII. Corpus abſque anima ſumpſiſſe, itemque in carnem tranſmutatum eſſe, dicebant Apollinariſtæ, & alia impia. 373. II.

Verbi & carnis commixtionem & confuſionem, docuerunt Polemiani. ibid. V.

Verbum Dei ſe concipere, & parere, ſicut B. Virgo peperit, dixerunt Bongomili. 1118 XII.

Vercellenſe Concil. contra Berengarii hæreſim. 1050. I.

Veritatis, & Rationis pollicitatione, decipiebant alios Manichæi. 277. XIII.

Vernenſe Concil. in Gallia ſub Pipino Rege, pro diſciplina & iuribus Eccleſ. 756. II.

Veronica ſudario faciem Domini abſtergit, quæ in eo impreſſa remanet. 34. XLII.

Veſpaſianus à Nerone miſſus aduerſus Iudæos rebellantes, eos diris cladibus afficit, & vniuerſam ferme Iudæam ſubigit. 69. XIX. 71. III. cogitur à militibus Imperium ſuſcipere contra Vitellium; quod ei firmatur SCto 71. III. IV. Ei falſo tributa miracula. ibid. V.

Eidem adſcripta, quæ erant Chriſti. Appar. IV. XII. 71. V 77. I. Templum Pacis primus Romæ erigit & qua ratione. Appar. V. I. Capitolium bellis ciuilib combuſtum, ſumptuoſiſſime reſtituit, & ſuo collo quædam effert. 72. IV. 324. XIX. Vna cum Tito filio, triumphat dè Iudæa. 73. I. Inquirit ad necem eos qui eſſent de familia Dauid. 71. V. 73. IV.

Pellit Vrbe philoſophos, ob nimiam eorum procaciam. 75. II.

Moritur ex profluuio ventris. 81. II.

Veſperæ Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbati, quid ſit apud Matthæum. 34. XLIX. Veſperæ tempus, quomodo accipiatur in Scriptura. ibid.

Veſpertinarum precum Eccleſ. antiquitas, & variæ appellationes. 51. XX.

Veſtales virgines quatuor, ob ſtuprum viuæ defoſſæ à Domitiano Imper. 86. I. 94. III Totidemque à Caracalla, qui vnam violauit. 214. II. Eis olim conceſſum, in prærogatiuam virginitatis, teſtamentum facere anno ætatis ſexto. 320. II.

Veſtigia pedum & genuum Domini, impreſſa lapidibus: 34. XX. & terræ, è qua ad cælum aſcendit. ibid LXIV.

Veſtis cœnatoria in vſu Iudæis in conuiuiis & qualis eſſet. 34. XII.

Veſtes ſcindere ſoliti Iudæi, cum aliquid fieret contra honorem Dei. 34. XXIII.

Id tamen vetitum de veſte ſacerdotali. ibid.

Quali veſte indutus Chriſtus ab Herode. 34. XXVI. Inconſutilis eiuſdem, qualis eſſet. ibid. XXXV.

Veſtitus & cultus ſacrarum Virginum & Viduarum, qualis in antiqua Eccleſia. 57. XXVI. XXVII. Itemque reliquorum Chriſtianorum. ibid. XXVIII. cuiuſque coloris. ibid. XXIX. Veſtium nitorem, Deo eſſe contrarium, aſſeruit Pelagius. 415. V.

Veſtitus clericorum haud facile mutandus 428. IV. Sanctiorem affectarunt Euſthatiani hæretici. 319. VIII

Mutare poſſe feminas ſpecie continentiæ, iidem dixerunt. ibid. IX.

Veſtis B. Virginis Hieroſolymis Conſtantinopolim delata, coruſcat miraculis. 474. I.

Veſuuii montis ingentes ignis & cinerum eruptiones. 81. III. 471. V. 993. I. Solitæ etiam fieri, quando in iis partibus præcipuus aliquis impœnitens moreretur. 1038. II.

Veteranorum priuilegia Conſtantinus auxit. 312. XVI. Vide etiam *Miſſio*.

Vetranio in Pannonia exercitus dux, Imperium arripit. 350. II. A Conſtantio doloſe in ordinem redigitur. 352. V.

Vexilla Roma & Hieroſolymis ad Carolum Magnum miſſa, quid deſignent 796. I. 800. V.

Vexillum S. Mauritii, delatum ad poſteros, pertinet ad Henricum Germ. Regem. 927. II.

Vexillum regium Hieroſolymitanum, miſſum ad Regem Angliç, & quare. 1185. II.

De Vexillis, vide etiam in *Militaria Signa*.

Vicarius Summo Pontifici Iudæorum, neceſſitate cogente aliquando datus. 31. IV. Vicarii Romani Pont. conſtitui ſoliti Orientis Patriarchæ. Vide ſub ſingulis nominibus Sedium Patriarchalium.

Victor creatur Rom. Pont. 194. I. Eccleſia pellit Theodorum Coriarium hæreſiarcham 196. III. Concilium Romæ habet, & alia vbique conuocari iubet, die Paſchate die Dominico celebrando: & totius Aſiæ Eccleſias obtemperare recuſantes excommunicat. 198. I.

Nimiæ ſeueritatis ob id arguitur ab Irenæo, ſed oſtenditur neceſſitas facti. ibid. II. III. Vide in *Paſcha* Martyrio coronatur ſub Seuero Imp. 203. I.

Victor II. creatur ex Epiſcopo Aiſtetenſi. 1055. I. Retinuit quoque ſemper eum Epiſcopatum. 1057. I.

Celebrat Concil. Florentiæ. 1055. I.

Liberatur diuinitus à ſumptione calicis Euchariſtici veneno infecti. ibid VI Intereſt obitui Henrici II. Imp & filio eius puerulo regnum ſtabilit. 1056. I.

Moritur. 1057. I.

Victor III. eligitur inuitiſſimus ex Abbate Caſſinenſi. 1086. I. Poſt quatuor dies Roma fugiens, deponit inſignia Pontificatus. ibid. Quædam eius anteriora, vide in *Deſiderius* Poſt annum reſumptis inſignibus conſecratur. 1087. I.

Exercitum immittit in Saracenos Africæ, qui ingenti clade afficiuntur ab eo. ibid. I Concilium Beneuenti celebrat contra ſchiſmaticos. III. Moritur in monaſterio Caſſinenſi. IV. Scripſit Dialogorum libros. ibid.

Victor pſeudopapa electus contra Innoc. II. mox ſe abdicat. 1138 II.

Victor alius Antipapa contra Alexandrum III. Vide *Octauianus*.

Victor Capuanus Epiſc. ſanctitate celebris, Cyclum Paſchalem componit ad refutandum Victorinum Aquitanum. 545. III.

Victor dux cohortis legionis Thebææ, martyr ſub Maximiano. 297. II.

Victoris alterius, militis eiuſdem legionis, & martyris, inuentio, & miracula, apud Genabum. 608. III.

Victor Garbienſis, creatus à Donatiſtis Epiſcopus Rom. 321. II.

Victor Maximi filius, vocatus à patre Auguſtus, eo extincto necatur adhuc puerulus ab Arbogaſte Comite. 388. VII.

Victor Tunnenſis quouſque Chronicon perduxerit. 566. VII.

Victor Vticenſis in Africa Epiſcopus qualem Wandalicæ perſecutionis hiſtoriam conſcripſerit. 457. II. 459. V. 484. VII. Clarus iugi confeſſione, ſancte quieſcit. 484. IX.

Victoriæ Aram, & ſimulacrum, primo Conſtans Imp. & poſtea Conſtantius è Capitolio ſuſtulit. 356. XV. Eam ibi ſtare permiſerunt Magnentius tyrannus, ibidem & Valentinianus Senior. 371. X. 393. Rurſum abſtulit Gratianus, ſed reſtituit Maximus tyrannus. 383. III. 387. VIII.

Denuo aufertur à Theodoſio Magno. 388. X. Ob eius reſtitutionem petitam Vrbe pellitur Symmachus. 389. VII. Reſtituit eamdem Eugenius tyrannus. 392. IV.

Victori Actiaca Auguſti, quando contigerit. Appar. XXXIII. Victoria de Marcomannis diuinitus parta à Marco Imp. precibus militum Chriſt. 176. II. Egregium eius rei monumentum Romæ in columna cochlide Antoniana ibid. III. Victorias Conſtantini, & aliorum, virtute Crucis partas, vide in *Crucis virtute hoſtes victi*.

Victoria diuinitus parta à Gallicano genero Conſtantini Magni, aduerſus Scythas. 330. XI à Theodoſio Magno aduerſus Maximum tyrannum, ob quam Romani quolibet poſtea anno feſtum agere conſueuerunt. 388. VII. Ab eodem in Eugenium tyrannum. 394. II. III. 4. Malcezile aduerſus fratrem Gildonenſem annum Africæ. 398. X. à Romanis contra Rhadagayſum Scytham. 406. I. II. ab Ardaburio duce Theodoſii Iunioris, aduerſus Perſas perſequentes Chriſtianos. 420. III. Eiuſdem Theodoſii piiſſ. Principis, contra Ioannem Tyrannum, & Scythas 425. I. II. Beliſarii contra VVandalos in Africa. 535. VIII. Narſetis contra Totilam in Italia. 553. II. Heraclii Imp. contra Perſas. 625. II. Pipini Franc. Ducis contra Saxones. 749. III. Ramiri Hiſp. Regis aduerſus Saracenos. 884 V. Vide *S. Iacobus Apoſt.* Ludouici Regis German. contra Carolum Caluum Imper. 876. IV. Andreæ Ducis Baſilii Imp. aduerſus Saracenos. 886. II. Alani Britann. Ducis, contra Northmannos. 890. II

Ramiri H ſp. Regis, aduerſus Saracenos. 938. I Otonis Magni Germ. Regis, contra Hungaros. 955. II. Caracalli Præt. Sicil. in Saracenos. 1040. I. Monachorum Caſſinenſium aduerſus Northmannos. 1045 III.

Conſtantini Ducç Imp. contra Scythas. 1065. VI. Chriſtianorum Latinorum in Terra Sancta aduerſus Saracenos. Vide in *Terra Sancta* & in *Crux*.

Victorinus Epiſcopus damnatur in Concilio Rom. ſub Silueſtro, ob redargutos quos Eccleſia ſuſciperet Paſchales cyclos. 303. VIII. 324. XIX.

Falſo is creditus Victorinus Pictauienſis martyr. ibid.

Victorinus alius Aquitanus, iuſſu Hilari PP. ſcribit Paſchalem cyclum. 324. XXIX. 463. I. Refutatur à Victore Capuano. 545. III.

Victorinus Pictauenſis Epiſcopus ſubit martyrium ſub Diocletiano. 303. VIII. Clarus inter Scriptores Eccl ſed tamen opuſcula eius, inter apocrypha ſunt recenſita, & quare, ibid. Alius à Victorino qui damnatus eſt in Concilio Rom. ſub Silueſtro. ib. & 324. XXIX.

Victorinus Marius. Vide *Marius Victorinus*.

Victricius, poſtea Rothomagenſis Epiſcopus, militans in Galliis ſub Imperio Iuliani, multa patitur pro fide Chriſt. 362 LV. Factus Epiſcopus, multos populos ad fidem conuertit. 396. IV. Conſulit Innocentium Papam de Eccleſiaſtica diſciplina. 404. XIX.

Viduarum in Eccleſia miniſterium quotidianum, cuius meminit Lucas, quale eſſet. 34. LXXIX. LXXX. Quales eligendas præcipiat Paulus ibidem LXXXI. Eædem Diaconiſſæ dictæ. Vide in *Diaconiſſæ*.

Viduitas præponēda cōiugio.57.XVIII. Æquauit virginitati Iouinianus. 382. VII.

Viduarum Deo dicatarum veſtitus & cultus, qualis in antiqua Eccleſia. 57. XXVI.XXVII. Fuerunt earum monaſteria iam à tempore Apoſtolorum. ibid. XVIII.

Viduas Eccleſiis, vel earum miniſtris, bona ſua relinquere, prohibuit Theodoſius Imp. ſed retractare cogitur ab Ambroſio. 390.IX.

Vidua Regis Franc. reprehenſa in viſione à S. Eligio, quod regis veſtimentis vteretur, monaſterium ingreditur. 665. II.

Viduæ Regum Hiſp. vetitæ à Concilio Tolet. XIII. ad ſecunda vota tranſire, & à Cæſaraugaſt. III. iuſſæ monaſterium ingredi, & quare. 691.I.

Viennenſis & Lugdun. Eccleſ. literæ ad Eccleſias Aſiæ de perſecutione ſub Marco Imp. 179.II.

Vien. Eccleſiæ altercatio cum Arelat. de primatu. Vide in *Arelaten. Eccleſ.* Contulit ei Calliſtus II. primatum ſuper ſeptem prouincias. 1120.I.

Viennenſe Concil. aduerſus inuaſores rerum Eccleſ. &c. 892.II. Contra Inueſtituras laicorum 1112.III. Sub Gelaſio II. Papa, de neceſſitatibus Eccleſiæ. 1119.I.

Vigilantius nondum detectus hæreſiarcha, terræ motu Hieroſol. omniū oculis nudum ſe præbet. 394. V. Detegitur hæreſiarcha, & confutatur ab Hieronymo, in quem ipſe vbique oblatrat. 406. VI. Quas hæreſes docuerit. ibid VII. Fuere protinus illæ extinctæ, tum Hieronymi confutatione, tum barbarorum in eas partes graſſatione. ibid. IX.

Vigiliarum vſus in Eccleſia antiquiſſimus. 51. XX. 401. VIII. Primus eas impugnauit Vigilantius hæreſiarcha, qui nonniſi ſolemnes Paſchatis admiſit. 51.XX.406. VII. Temporibus Ambroſii & Auguſtini, auctæ, non ſublatæ. 51.XX. Indicuntur à Guntheramno Francorum Rege, ad auertendam peſtem. 590. VI. Quænam fuerint prohibitæ in Synodo Autiſiodor diœceſana. 590. XIV. Inhibent Chriſtianis Saraceni. 757. IV. Itemque proſcribunt Iconomachi. 767. IV.

Vigiliæ diei Dominicæ. 58. XXXV. 590. XIV.

Vigilius R. E. diaconus, ambit renuntiari à Bonifacio Papa eius ſucceſſor. 531. I. Paſciſcitur cum Theodora Aug. de reſtitutione Anthimi Epiſc. Conſtantinop. depoſiti ab Agapeto PP. modo ipſe eius opera fieret Pontifex 536.XIII. Intruditur per Beliſarium, pulſo in exilium Silverio. 538. II. Vtrum reuera literis ſuis confirmauerit hæreſim. ibid. III. Eius lapſus nihil obeſt integritati Ro. Sedis. ibi. IV. Excommunicatur à Silverio exule, tamquam inuaſor, & Sedis emptor. 539.I.

Mortuo Silverio, ipſe Vigilius eligitur à Clero Rom. ad vitandum ſchiſma Eccleſiæ 540.III. Diuinitus roboratus, fidem Cathol. confirmat, & Anthimum rurſum anathemati ſubiicit. ibid. IV. Vocatur à Iuſtiniano Conſtantinopolim, ad definiendam cauſam Trium Capitulorum. 546. V. Qua ratione in ea ſe geſſerit, & adductus fuerit ad damnanda Capitula. 547. III. A Theodora Aug. ſollicitatus de reſtitutione Anthimi, ipſam excommunicat, vna cum aliis hereticis. ibid. V.

Schiſma aduerſus eum, ob damnationem Capitulorum conflatur, multique in eum ſcribunt. 547. IV. V. 548. II. Se defendit, & auctores ſchiſmatis excommunicat. 550. I. III. Theodorum Cæſarienſem, omnium malorum auctorem excommunicat, & Mennam Conſtantinop. ſuſpendit, eoſdemque pœnitentes reſtituit. 551. II. 552. IV. Quanta Iuſtiniano Imp. paſſus ſit; qui tamen & ipſe reſipiſcit. 551. II. 552. II. IV. Conſentit cōuocari Cōcilium Quintum Oecumenicum, ſed quam contra ipſius animum res in eo geſtæ fuerint; qui ideo, licet ſæpe rogatus, numquam eo voluit accedere. 553. III. Examinat aliorum ſcripta, & quid ipſe ſentiret, Conſtituto ſuo notum fecit vniuerſo Orbi ibid. IV. X. Atrociſſime habitus à Iuſtiniano, mittitur in exilium XIV. Cur poſtea roborarit decretum Synodi; & quæ cauſæ variarū de ea re ipſius ſententiarum. XVI. Relaxatur ab exilio. 554. I. Moritur Syracuſis calculi morbo, & corpus defertur Romam. 555. I. Iudicium Dei in eo. ibid.

Vigilius Trident. Epiſc. ſubit martyrium à ruſticis Gentibus, ſub Honorio. 400. II. Longe alius ab eo qui ſcripſit poſt centum annos contra Eutychen. ibid. Auctor putatur Diſputationum, quæ feruntur inter Athanaſium & Arianum habitæ. 325.XIV.

Vilgardus grammaticus Rauenn. exurgit hæreſiarcha, ſed cito comprimitur. 1000.V.

Vincentius Cæſaraug. diaconus, nobiliſſimum ſub Diocletiano ſubit martyrium. 303.X. Eius Tunicæ ſacra per muros circumductione, ciuitas à Francorum inuaſione liberatur. 542.III.

Datur iiſdem Francis in redemptionem obſidionis, & ab iis defertur Pariſios. ib. Ex eius cultu creſcit animus Hiſpanis aduerſus Saracenos. 761.II.

Vincentius, Lerinēſis cœnobii monachus, ſcribit contra hæreſes luculentiſſimum commentarium. 434. IV. Quiſnam is olim fuerit. ibid.

Vincentius R. E. presbyter, Silueſtri PP. Legatus in Magno Concilio Nicæno. 325. VII. Epiſcop. factus Capuanus, mittitur à Concilio Sardic. legatus ad Cōſtantium Imp. 347. XIX. A Liberio Papa & Synodo Roman. miſſus ad eumdem Imperat. pro Athanaſio, precibus & minis inducitur ad ſubſcribendum eius damnationi. 353. VI. VII. Reſipiſcens, iterum mittitur à Liberio legatus ad Concilium Arimin. 359. II. Stat ibi intrepidus aduerſus Arianos, ceteris maxima ex parte deficientibus. ibidem. XII.

Vincentius Victor Afer, olim Donatiſta, hæreſim excogitat, qua diceret animas ex diuina creatas eſſe ſubſtantia. 420 II. Reducitur ad fidem per S. Auguſtinum. ibid.

Vincula Vide *Catenæ. Carcer. Captiui.*

Vincula ſibi quidam celebres monachi adhibebant dum orare vellent. 361. XI.

Vinum ex aqua factum à Chriſto. 31. XIII. Eaque hora plures poſtea fontes vinum fluere ſoliti. ibid.

Myrrhatum, quale, & qua ratione propinatum Domino in Cruce. 34. XXXI. Aqua mixtum offerendum in Euchariſtia, ex inſtitutione Domini. 57 XLI. Vide *Aqua.*

Superſtitioſam eius abſtinentiam præceperūt Tatiani, & Seueriani. 174 II. V. Heracitæ. 287. IV. Saraceni Mahometani. 718. I. Vini benedicti miracula. 507. II. 580. II.

Virdunenſe Concil. de controuerſia Archiep. Rhem. 947.I.

Virgis cædi liberorum fuit flagellari, ſeruorum. 34. XXVII.

Virgilius vir Apoſtolicus, falſo accuſatus de hæreſi plurium Mundorum. 748. I. Epiſcopatu auctus, prædicat Gentilib. ib. Eius corporis inuentio, quod plurimis claruit miraculis. 1118.IV.

Virginitatis ad præſcriptum tempus obſeruatores Phariſæi. Appar. VI. Eſſeni in perpetuum. ibid. VIII. & nonnulli ex Doſi theis. ibid. Eius merito, diuinatio conceſſa Sibyllis ibid XI. & quædam indulta Veſtalibus, 120. II. Fuit ſemper in pretio. 58. XLVI. Chriſtianæ Famſœ. vnda. 320.III.

Virginitatis votum emiſſum à ſanctiſſ. Deipara. Appar. XXIII. Primitiæ poſt Chriſti Crucem conſecratæ in quatuor filiabus Philippi diaconi. 57. XVIII. 58 XLVI. Præpoſita coniugio, non tamen vt ideo damnetur coniugium. 57. XVIII. 84. LV. 390. VIII. Eius acerrimi hoſtes, Ebion; 74. IV. Elxai; 105. II. Heluidius, & Iouinianus, 382. VI. VII. atque Vigilantius. 406. VII. Eam colere quomodo docuerit Manes. 277. XI. De eius laude, ac defenſione, multi Patres ſcripterunt. 95. II. 357. X. 382. VI. Eius conſeruandæ cauſa, egregia quarumdam feminarum exempla. 309. IX. 600. I. 870. IV.

Virginum monaſteria iam à tempore Apoſtolorum. 57. XVIII. Vide etiam in *Monaſteria.* Virgines ſacræ ſponſæ Chriſti 57. XXVI. Earū cultus, & veſtitus, qualis in antiqua Eccleſia. ibid. Damnarunt eas Manichæi. 277. XI. Vide ſupra in *Virginitas.* Dire ſæuitum in eas à Galerio Maximiano. 301. VIII. & horrende à Gentilibus Palæſtinæ ſub Iuliano. 362. XXXIII.

Conſtantinus multa eis indulget. 320 II. A Rege Perſ. Ethnico, in præſidiis Romanorum à ſe captis, permittuntur ſolito ritu Chriſtiano, ſeruire Deo. 359. XXIII. A Donatiſtis, cineribus, & ſalſa aqua profanantur, vt ſuæ facerent communionis. 362. LV. Duplex earum genus in Eccleſia antiqua, quarum aliæ in monaſteriis, aliæ in domibus paternis agebant. 377. IV. Quædā deiectæ in nuptias ab impuro Iouiniano. 382. VII.

Virginum quinque martyrium ſub Traiano, ingens prodigium Antiochiæ. 118. I. Quadraginta inſigne ſub Licinio martyrium. 316. IV. Multæ in Perſecutionibus ac proſtibula damnatæ, diuinitus intactæ conſeruatæ. 301. VIII. 303. V. 256. XIII. 304. X. Aliæ ſub virili habitu latuerunt. 302. V. Quædam à dæmone per 82. dies impedita nequid cibi deglutiret, liberatur communione Corporis Domini. 434. III. Alia vnius ferme anni ſpatium ſine cibo tranſegit. 823. II.

Virginū Chriſt. tributum annuum penditur in Hiſpania Saracenis 770 IV. 783. I. Ob illud denegatum à Ramiro Rege ad bellum venitur, & Saraceni diuinitus vincuntur. 844. V. Virgo filia Seiani necanda ex SCto. prius à carnifice conſtuprari iubetur. 33. XVIII. Romæ à Gentilibus immolari conſuetæ draconi efficto. 315 IX.

Virtutem Dei magnam, quæ Angelis dominaretur, ſe eſſe, iactabat, Simon magus, 35 XII. 68. VI. Eiuſmodi Virtutem qualem tam ipſe, quam diſcipuli eius conſtituerent. 60. VIII. Baſilides quid de ea, aliiſque ab ea deſcendentibus Virtutibus deliraret: 120. VIII. Itemque Sethiani, 145. IX. & Appelliani. 146. IX.

Super omnem virtutem ſe eſſe, iactabant Marcitæ heretici. 173. VIII.

Viſionis Pauli tempus. 35. VII. Funeſta oblata Conſtantio Imp. paulo ante obitum: 360. IV. Itemque Iuliano; 363. XII. & Theodorico Regi. 526. V. Aliæ de interitu eiuſdem Iuliani. 363. XIII XIV.

Multas plurimorum SS. vide ſub eorumdem SS nominibus. & adde *Apparitio.* & *Reuelatio*

Scalæ paradiſi oſtenſa S. Perpetuæ ante martyrium. 205 V.

Aliæ plurimæ ad martyrium oſtenſæ diuinitus Fidelibus in perſecutionibus

vel ante eas. 255. II. 261. VI. 481. II.
De locis inferis, & nonnullorum damnatione ad illa. 526. VI. 532. II. 536. XI. 587. VI. 741. VII. 932. II. 1038. II. 1055. I. De ſtatu animarum poſt mortem corporum, tam bonarum quam malarum, & quæ in Purgatorio. 590. V. 681. XVI. 715. III. 842. II. 874. I. 888. I. 934. II. 1024. I. 1054. VI. Vide etiam *Anima*.
Viſiones S. Hildegardis virg. approbantur ab Eugenio Papa. 1148. VIII.
Viſitator datus à Theodorico Rege Symmacho Papæ contra eũ. 499. VI Damnatur in Synodo. 502. II.
Mitti ſolitus à Regibus, qui Epiſcoporũ electionibus, intereſſet, ad dirimendas turbas 813. VII.
Vita Communis. Vide *Communis vita*.
Vitalianus Rom. Pont. creatur. 655. I. Suſcipit Romæ honorifice Conſtantem Imp. 663. I. Celebrat Synodum in cauſa Epiſcopi Cretenſis, appellantis Sedem Apoſtolicam. 667. II Præſto eſt Conſtantino Pogonato Imp. aduerſus tyrannos. 668. II. Mittit in Angliam miniſtros ſacros. ibid. III. Excommunicans Rauennatem Epiſcopum, & ipſe ab eo excommunicatur: qua propter depoſitionis ſententiam in Synodo aduerſus eum infert. 669. II. Moritur ſancte. ibid. I. Eius nomine literæ de bonis monachorum S. Benedicti in Sicilia, ſuſpectæ. ibi. IV.
Vitalianus Scytha inſurgit aduerſus Anaſtaſium Imp. pro fide Cathol. ſed deluſus ab eo quieſcit. 514. VIII. Ab eodem deponitur Præfectura. 516. III. Detegitur animo regnandi, non fidem propagandi, in eum inſurrexiſſe. ibid. Occiditur Conſulatum gerens, ob nouam coniurationem in Iuſtinianũ Aug. 520. I.
Vitalis Antioch. Epiſc. creatur. 312. XVII. Præeſt Concilijs Ancyr. & Neocæſar. 314. X. Moritur. ibid.
Vitalis Antioch. presbyter partis Meletianæ, turbas ciet aduerſus Euſtathianos, & ab Eccleſia recedens, fit Epiſcopus Antioch. Appollinariſtarum. 365. XXI. Romam pergens ad dicendam cauſam, fraudulentam exhibet formulam fidei ſed detecta fraude, damnatur vna cum Appollinare. 373. I. Vitaliani hæretici ab codicti. 738. III.
Vitalis Picenus Epiſcop. vna cum Miſeno Conſtantinopolim miſſus à Felice Papa aduerſus Acacium&c prævaricator exiſtit. 484. II. Damnatur in Synodo Rom. ibi. III. Moritur in anathemate. 495. IV.
Vitellius creatur à militibus in Germania Imp. & vincit Otthonem. 71. II. Ob crudelitatem, & turpitudinem, ideo habitus poſt varias pugnas occiditur à militibus Veſpaſiani. ib. III. IV.
Vitiges creatur Rex Gothorum in Italia. 530. II. Cum ingenti exercitu obſidet Romam, & qui eius cum Beliſario conflictus 538. I. Soluta obſidione Mediolanum ſolo æquat. 539. II. Deditur Beliſario. 540. VIII.
Vitus martyr tranſlatus è Gallia in Saxoniam, omnem pariter regni Francorum gloriam ſecum ad Saxones tranſfert 836. IV. 920 III
Colitur à Rugianis vt Deus. 875. I.
Vitus Rom. presbyter, Legatus Silueſtri PP. in Magno Concilio Nicæno. 325. VII.
Viuæ defoſſæ virgines Veſtales. Vide in *Veſtales* Viui defoſſi Romæ ſub Domitiano, duo Galli, totidemque Græci innoxij, ad auertenda mala publica. 86. I. Ii forte Chriſtiani. ibid.
Vlpianus I. Ctus. 134. primum locum apud Alexandrum Imp. tenens, Chriſtianos dire vexat. 225. II. Dat pœnas, occiſus à militibus Prætorianis. ibid.
Vlpianus martyr ſub Diocletiano, inſutus culeo more parricidarum, in mare demergitur. 304. IX.
Vltio diuina. Vide *Clades. Fames. Incendium. Ignis. Peſtis. Perſecutores. Prodigia. Terræmotus.* itemque *Bona Eccleſ. Eccleſiarum expilatores. Eccleſ. immunitas. Periurus. Calumnia.*
In Antiochenos, ob necem S. Ignatii ipſorum Epiſcopi. 117. IV. In Perennem Præfectum, ob necem Chriſtianorum 189. IV. In calumniatores Narciſſi Hieroſ. Epiſcopi. 199. III. In Plautianũ, ob perſecutionem Chriſt. 206. I. In Magiſtratus Seueri, & Romanos, ob eamdem cauſam. 214. II. Itemque in Saturninum Proconſulem Africæ. 202. I. & in Alexandrinos; 217. II. & Vlpianum I. Ctum. 2. II. In necatores Gordiani Imp. 246. I. In Heliopolitanos, ob deguſtatum iecur diaconi Chriſtiani. 362. XXXIII. In Iulianum Apoſt. 363. XIII.
In Arium hæreſiarcham. 336. VIII.
In Philippum Præf. ob pulſum Paulum Epiſc. Conſtantinop. Orthodoxum. 351 IX. In Arianos Epiſcopos, perſecutores Catholicorum ob fidem Arimin. 59. XV. In Donatiſtas, qui S. Euchariſtiam canibus ſuderant. 362. LV. In cubicularium Valentis Imp. minas iactantem in ſanctum monachum. 370. XI. In Macedonium Magiſtrum Officiorum Gratiani ob repulſum Ambroſium à prætorio. 381. XV. In Maximum Imper. ob ſibi arrogatum Iudicium ſacerdotale. 385. VI. In Iuſtinam Aug. ob perſecutionem in Catholicos. 387. VI. In Rufinum ducem, ob effuſum ſanguinem innocentem. 395. XI. In blaſphematore SS. Trinitatis. 453. VI. In Alexandrinos, ob damnationem Concilii Chalcedon. 515. IV. In Beliſarium, ob expulſum Siluerium Papam. 561. III. In blaſphematores S. Deiparæ. 585. I. In Antiochenos, rebelles Epiſcopo ſuo. 587. III. In Nomenoium tyrannum Britonum, contemptorem Sedis Apoſtolicæ. 849. III. In Ludouicum II. Imp. ob ſimilem contemptum. 872. II. In Alexandrum Imper. ob blaſphemas voces. 912. II. In Ottonem I. ob expulſos Summos Pontiff 964. III. In ſchiſmaticos Henricianos. 1076. VI. VII. & Fridericianos. 116. X. 1169. V. In Regem Poloniæ, ob necem. S. Staniſlai. 1079. VII. In Reges Angliæ, ob eccleſias in ſaltum conuerſas. 1087. VIII. In occiſores Thomæ Cantuarienſis. 1172. IV. Et de plurimis alijs, agitur ſuo proprijs nominibus.
Vmbra Petri ſanat ægrotos. 34. LXXVII. Ex vmbræ imaginibus ducta origo picturæ. ibid. Vmbra S. Remigii mutum reddit Epiſcopum Arianum ferocientem. 514. III.
Vnctio in Baptiſmo adhiberi ſolita, diuerſa ab Vnctione Chriſmatis. 35. XI.
Vnctionis ad curandos infirmos duplex genus; alterum Sacramentum eſt, alterum non 63. IV. 416. IV. Sacramentalis cur dicta ſit Extrema Vnctio. ibidem.
Vnctio mortuorum delira Heracleonitarum, & Archonticorum hæreticorum. 175. VII. X.
Vnctio Regum quam iis neceſſaria ſit, declaratur viſione S. Petri. 919. II.
Vndecim mille militum relegatio, & martyriũ, ſub Traiano, ſiue Hadriano. 108. III Totidem virginum martyrium à piratis Gentilibus. 383 II.
Vnguentum medicum ex oſſibus S. Lucæ Euangeliſtæ; 61. II.
S. Glyceriæ martyris; 175. II. Demetrii Proconſulis & martyris; 304. XI.
Nicolai Myrenſis. 326 XVIII. Euphemiæ martyris Chalcedon. 766. I. Niconis monachi. 998. V. Ex nodis Ligni S. Crucis. 598. IV. Ex Imagine B. Virginis, incarnata ſuper lignum. 870. IX.
Vniuerſale Concilium, quod diceretur olim, & quod hodie. 347. III. Vide *Concilium Vniuerſale*.
Vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopus, inſcribi ſolitus ab ipſo initio Romanus Pontifex. 145. V. An is titulus ei abrogatus in Concilio Carthag. Tertio. 397. XVII. In Chalcedon. Oecumenico tribuitur Leoni Papæ 145. XVII. XXXIII. Vide etiã in *Rom. Pont. tituli*. Eodem vſi plurimi Romani Pontiff. & qua ratione Gregorius id neget. 451. XXXIII.
Quando eum ſibi Epiſcopi Conſtantinopolitani præſumpſerint. 518. V. 587. II.
Redarguuntur de eo, à Pelagio & Gregorio Pontif. 587. II. 595. III. Quo ſenſu blaſphemium ſit hoc nomen, & quo iuſte competat Romanis Pontif. quæque fuerit S. Gregorii de eo ſententia. 595. III.
Confirmat Phocas illud non conuenire Epiſcopis Conſtantinopol. ſed tantum Romanis Pontiff. & quid de his garriant Nouatores. 606. II. III. Rurſum conatur illud muneribus ſuffurari pro ſuo orbe Græci à Rom. Pontif. ſed repelluntur. 1024. III. Vniuerſalis Pontifex Armeniorum vide in *Catholicus*.
Vna toto Orbe Eccleſia 45. II. Vnus in Eccleſia Epiſcopus. 254. XIII. 326. XIV.
Vnus de Trinitate paſſus, qua fraude diceretur ab hæreticis Eutychianis, & quo ſenſu legitime dicatur a Catholicis. 519 VII. 533. IV. V. 534. II.
Vnni Archiep. Hamburg. vir ſanctiſſ. excolit Danorum Eccleſiam. 930. I. Moritur. 936. VI.
Volatus, & caſus Simonis magi, coram Nerone Imp. 68. VI. Volare olim plurimi ſoliti per magiam ibid. Volatum tentãtes Perſæ magi, miſere pereunt. 758. III.
Voluntatẽ vnicam & operationem in Chriſto aſſeruerunt Monothelitæ: & quomodo hæc quæſtio tractata fuerit. 629. II. 633. II. Sine voluntate & operatione penitus extitiſſe Chriſtum in vtraque ſua natura, efficere iidem voluerunt cum Manichæis. 648. I.
Voluptatem, finem ac beatitudinem conſtituerunt Nicolaitæ. 68. V. Vide in *Libidines*.
Voluſianus à patre Gallo adſciſcitur in collegam Imperii. 254. VI. Necatur cum eodem. 256. III. 257. IV. Cetera vide in *Gallus Imp.*
Voluſianus Vrbis Præf. fruſtra à matre ſua, & S. Auguſt. ſollicitatus de ſuſcipienda Chriſtianitate, tandem ingenti difficultate conuertitur opera Melaniæ neptis ſuæ, & pie quieſcit. 434 II.
Votum Virginitatis emiſit MARIA Virgo. Appar. XXIII. Nazaræorum, quale. 53. V.
Votiuæ imagines à Gentilibus appendi ſolitæ deorum templis. 57. LI. Vide in *Imago*.
Votorũ nuncupationes pro ſalute Principum, quo tempore gererent, & quo ritu. 316. I.
Vota in periculoſiſſ. prælijs emiſſa, vide in *Clodoueus, Gallicanus, Pipinus*, &c. Inania Iuliani Apoſt. aduerſus Chriſtianos. 363. IV. VI. Alachis Longobard. tyranni, contumelioſum in clericos. 591 II.
Vota Martyribus nuncupat Damaſus PP. pro vnione Eccleſiæ Rom. 367. VI.
Ad fontes & arbores ſuperſtitioſa aufert in Africa Auguſtinus. 418. VI.
Vrbanus creatur Roman. Pontiff. 226. I.

Martyrio coronatur ſub Alexandro Imp. 233. I. Vaſa omnia ſacra fecit argentea. ibid. II.
Vrbanus II. creatur ex Epiſcopo Oſtienſi. 1088. I. Caſſini ægrotans, ſanatur à S. Benedicto: & verum aliquid deſinierit de præſenti in corporis eludem Sanctum eo monaſterio. ibid. II. Confirmat ſententiam Gregorij VII. aduerſus Guibertum & Henricum ſchiſmaticos. 1089. I. Varia celebrat diuerſis locis Concilia, aduerſus hæreticos & ſchiſmaticos, & de aliis Eccleſiæ neceſſitatibus. 1089. I. IV. 1090. I. 1091. I. 1093. I. 1095. I. III. 1096. I. 1097. XLV. 1098. I. 1069. V.
Rurſum Henricum excommunicat, ob noua in vxorem ſcelera. 1093. II. Proficiſcitur in Gallias. 1095. II.
In Concilio Claromontenſi excommunicat Philippum Franc. Regem. ob pellicem ſubintroductam. ibid. III. Indicit quoque expeditionem in Terram Sanctam, & Officium Dei-genitricis clericis iniungit. ibid. V. VI. Philippum Regem pœnitentiam abſoluit, & regreditur Romam. 1096. I.
Vtrum aliquod conceſſerit priuilegium Rogerio Siciliæ Duci, & quale illud fuerit. 1097. II. vſque XLIV. Moritur in ſumma pace. 1099. V.
Vrbanus III. creatur ex Epiſcopo Mediolanenſi. 1085. III. Contendit cum Friderico Imp. de iuribus Eccleſiæ. 1186. I. Moritur. 1187. III
Vrbis Conditę quoto anno Chriſtus natus Appar. XXXIV. in fi. Reliqua de Vrbe, vide in *Roma*.
Vrbs quædam Phrygiæ integra, cum vniuerſis incolis incenditur ob fidem Chriſti in perſecutione Diocletiani. 309. X.
Vrbicariæ, & Suburbicariæ prouinciæ ſiue Eccleſiæ, quæ eſſent. 325. XXXVI.
Vrbicus Potentinus, diſcipulus Eunomii hæreſiarchæ. 360. VIII.
Vrſacius Singidonis Miſię Epiſcopus Arianus Vide in *Valens Murſi*.
Vrſicinus diaconus eligitur à factioſis Romanus Pont. multa cæde, aduerſus Damaſum. 367. III.
Pellitur in exilium à Valentiniano Imp. ibid. VI.
Eius ſectatores variæ exagitantur ab eodem: ibid. & demum iunguntur Luciferianis. 382. VIII.
Vrſulæ, & vndecim mille Virginum, hiſtoria, & martyrium. 383. II.
Vrſus, fera beſtia, fugiens à venatione Caroli Magni ad Monaſterium S. Gudilæ, ab eo tempore ſanctimonialium ſe mancipat obſequiis. 805. II.
Vſiæ & Hypoſtaſis differentia, & quæ de his vocibus antiquæ in Eccleſia controuerſiæ. 362. XLII. XLIII.
Vſthazanes princeps eunuchorum Saporis Regis, martyrium patitur pro fide Chriſti. 343. III.
Vſuardus monachus, iuſſu Caroli Magni, Martyrologium reddit opulentius. 778. V.
Waldemarus Daniæ Rex, Canuti Regis martyris filius, fidem propagat in vicinis regionibus. 1161. VI. Circumuentus à Friderico Imp. ad eius obſequium pertrahitur. 1162. V. Colitur immenſum à Germanis. ibid.
Wamba, inuitus creatur Hiſpan. Rex, & inſigni miraculo in vnctione decoratur. 672. IV. Tyrannos in ſe inſurgentes, diuinitus debellat. 674. I. Saracenos Hiſpaniam inuadentes, maritimo prælio ſuperat. 675. IV. Potione quadam extra ſenſum poſitus, monaſtico induitur habitu; & ſenſui redditus, propinatorem veneni Regem pronunciat, ipſeque in monaſterio reliquum vitæ peragit. 680. VIII.
Wandali ſe in Gallias, cum pluribus aliis barbaris populis, infundunt. 407. II. Immittuntur in Hiſpanias à Conſtantino tyranno, eaſque partiuntur cum Alanis & Sueuis. 409 V. Ipſi Ariani exiſtentes Catholicos crudeliſſime habuerunt. 427. I. Bonifacio Comite in Africam deducti, miſere eam deuaſtant. ibid. & 428. I. II. Eorumdem progreſſus à primo è patria exitu. 824. I. ibidem. Immiſſi diuinitus ad punienda earum nationum flagitia. ib. Rurſum diriſſime perſequuntur Catholicos. 437. I. vide *Genſericus*, & alia nomina ſeqq. Regum. Euertunt funditus in Africa reliquias idololatriæ. 439. VI. Debellantur penitus à Beliſario duce Iuſtiniani Imp. 533. VII 534 IV.
Alii è propria patria petunt inſtructores fidei a Rom. Pontifice, & accipiunt. 965. IV. Apud eos mirifice propagatur cultus religionis, opera Waldemari Regis. 1161. VI Eorum Apoſtolus dictus VVicelinus Epiſc. Aldemburgenſis. 1154. IV.
VVaſteilenſe Concil. ſub Paſchale PP. II. pro reformatione Eccleſię, poſt obitum Henrici Imp. ſchiſmat. 1106 V.
VVecilo ex clerico anathematizato & fugitiuo, intruditur ab Henrico Rege ſchiſmatico in ſedem Moguntinam. 1085. I. In Concilio Quintilineburg. declaratur hæreſiarcha; & qui eius errores. ibid. II
VVenceslaus Princeps Boemiæ ſubit martyrium ab inuaſoribus Principatus. 938 II.
Wenilo Archiep. Senonenſis. Vide *Ganelo*.
Wentanum Concil. in Anglia, de primatu Eccleſiæ Cantuar. 1072. I.
Weſtmonaſter. Concil. in Anglia, pro reſtituenda diſciplina. 1175. I.
Wicelinus Olſatiæ & Wandaliæ Apoſtolus, miraculis clarus. 1154. IV.
Wido Dux, adoptatur in filium a Steph. PP. Sexto. 885. III. Imperatoris nomen aſſumit. 888. II. Quando vere imperare cœperit. ibid. III. & 891. I. Moritur. 899. II.
Wido. Vide etiam *Guido*.
Wilfridus Eboracenſis in Anglis Epiſcop. à Rege eiectus, appellat Rom. Pontificem. 678. V. Intereſt Synodo Rom. ſub Agathone 680. I. ibid. Conuertit ad fidem Chriſti Friſios. 678. V. & in Britannia Saxones Auſtrales. 681. XVI. Rurſum reus accedens Romam, æque abſoluitur; & reſtitutus cum honore ſedis ſuæ pacifice quieſcit. 705. III.
Wilebrordus Anglus, cum aliis 12. ſociis, petit Germaniam, vt prædicaret iis gentibus Euangelium 690. I. Accipit Apoſtolatum à Sergio PP. & Epiſcopus ab eo ordinatur, diuina prærea admonitione; nomenque Clementis accipit. 696. I. Sedem conſtituit Traiecti in Friſia. ibid. Celebrat Concilium ad Eccleſiam diſponendam. 697. I.
Willelmus. Vide *Guilielmus*.
Windeshorrenſe Concil. in Anglia, pro depoſitione quorumdam Epiſcopp. 1070. III.
Wintonenſe in Anglia Concil. in cauſa clericorum & monachorum; vbi Imago Crucifixi palam locuta, rem definit. 975. IV. Pro depoſitione Stigandi Archiep. Cantuar. 1070. III. Pro reſtitutione diſciplinæ Eccleſ. 1127. IV. 1076.
Wirceburgenſis Conuentus in German. quo Henricus Imperat. pacem Eccleſiæ promittere cogitur. 1121. II. Alius impius ſub Frider. Imper. pro confirmatione ſchiſmatis contra Alexandr. PP. 1166. I.
Witiza regnat in Hiſpania. 701. V. Eius initia optima, progreſſus nefandiſſimi, quibus & regnum, & religionem penitus perdidit, & viam aperuit ingreſſui Saracenorum ad Hiſpanias occupandas. ibid. V. VI. Cur defecerit ab Eccleſia Rom. ibid. VII. Moritur. 710. IV. Ab eius filiis proditur Hiſpania Saracenis. 713. IV. Iidem capite ab iis plectuntur. 718. III.
Wlframnus Senonenſis Archiepiſc. prædicat Euangelium Friſonibus, comitantibus ſignis. 700. I.
Wlphilas Gothorum Epiſcopus, literas Gothicas inuenit, & Scripturam ſacram in eam linguam vertit. 370. XVII. Deceptus ab Eudoxio, communicat Arianis, & ſuos Gothos in eamdem communicationem perducit. ib.
Vultuum inſcriptiones reorum abſtulit Conſtantinus. 315. V. Eaſ ignominia notati Chriſtiani in Perſecutionibus. ibid. & 815. IV. Nonnulli populi id honori habuerunt. 315. V. Vide etiam in *Inſcriptiones. & Stigmata*.
Wormatienſe Concil. Primum, ſub Carolo Magno, de rebus Eccleſ. 770. III. Secundum. 772. III. Tertium 776. II Conciliabulum ſub Henrico IV. Rege, Gregorium Sept. 1076. II. III. Concilium ſub Legatis Apoſtol. Sedis quo Henricus IV. Imp. penitus renunciat Inueſtituris beneficiorum, & abſoluitur ab excommunicatione. 1122. II.
Vxoris vnius viros eligendos clericos, quo modo intellexerit Paulus Apoſtolus. 58. VI VII. XII. XIII. Vide *Monogami, Bigamia. Polygamia*.
Vxorem ducere vnumquemque cogi, voluit Ebion, etiamque impuberes, liberum relinquens quot quiſque vellet habere. 74. V. Eas communes habuerunt Gnoſtici. 120. XIV.
Duas Deo tribuit Ptolemæus hæreſiarcha, Intelligentiam, & voluntatem, ex quibus alios generaret deos. 175. VII.
Vxoribus Iulianus Apoſtata permiſit repudium maritorum. 362. LXI.
Vzecenſe Concil. in Africa. pro reſtitutione Eccleſ. diſciplinæ poſt reditum Epiſcop. ab exilio Sardiniæ. 522. III.
Vzi Scythiæ populi ad ſexcenta millia armatorum Imperium inuadentes, pietate Conſtantini Ducæ Aug. diuinitus debellantur. 1065. VI.

X.

XEnaias Perſa ſeruus fugitiuus, necdum baptizatus, à Petro Fullone creatur Epiſcopus Hierapol. nominaturque Philoxenus. 485 II. Primus omnium auſus eſt impugnare venerationem ſacrarum Imaginum. ibid.
Xyphilinus. Vide *Ioan. Xyphil. & Georg. Xyphil.*
Xyſtus. Vide *Syxtus*.

Y.

YVetot regni erectio in Gallia, qua occaſione facta. 535. XVIII.

Z.

ZAcchæi hæretici, ſecta Gnoſticorum. 120. XVIII.
Zachariæ Prophetæ corpus, ipſo reuelante, inuentum ſub Theodoſio Iun. omnino integrum. 415. XI.
Zacharias pater Ioannis Bapt. non fuit Summus Sacerdos. Appar. XXV. Necatur ab Herode, ob ſubtractum neci filium. 1. XII. Fuit ille Zacharias Barachiæ, de quo poſtea locutus Dominus. ibid. XIV. Sanguis eius indelebiliter inhæſit ſaxis templi. ibi LXV.
Zacharias Rhetor, hæreticus Eutychianus, multa pro ſuæ ſectæ valliſatione commentus eſt, & Catholicis calumnioſus extitit. 476. V. 477. III. 485. IV. 518. IV.
Zacharias creatur Hieroſol. Epiſcopus. 609. III.

Abripitur in Perſidem à Coſthoe Rege captiuus, vnà cum S. Cruce Domini. 614. VIII.
Extincto Coſthoe, reſtituitur vna cum eadem Cruce. 627. II. 628. I.
Zacharias Rom. Pont. ordinatur. 741. VI.
Componit pacem cum Longobardis. ibid.
Celebrat Concilia de rebus diuerſis. 742. III. 743. IV. 745. II.
Sollicitat Conſtantinum Copronymum Imp. ab hæreſi reſipiſcere 743. VI.
Conſulitur à Principibus & Antiſtitibus Galliæ, de rebus Eccleſ. 744. III.
Nouos hæreticos damnat. 745. II. 748. I.
Auctor eſt Rachiſi LongoB. Regi, monaſticum habitum induendi. 750. I.
Reg. Franc. ab Hilderico Stupido vltimo Merouingiorum, transfert in Pipinum. 751. I.
Moritur, & inter Sanctos refertur. 752. II.
Tranſtulit in linguam Græcam Dialogos S. Gregorii Magni. ibid.
Conceſſit Pipino Regi nominationem Epiſcoporum ſui regni. ibid.
Zacharias Anagninus Epiſc. vna cum Rodoaldo Legatus mittitur Conſtantinopolim. Vide in *Rodoaldum*.
Zambdas creatur Epiſcopus Hieroſolym. III.
Moritur. 298. V.
Zatus Lazorum Rex conuertitur ad fidem Chriſti, & à Iuſtino Imp. titulo Lazorum Imperatoris decoratur. 522. IV.
Zelotæ, factioſi Iudæi, occupantes templum, cædibus implent Hieroſolymam, & miſere deuaſtant. 69. XX.
Interficiuntur omnes ad vnum intra templum. 72. I.
Zemiſces. Vide *Ioannes Zemiſces*.
Zeno Tribunus, vna cum 10203. militibus martyrium patitur ſub Diocletiano. 298. IV.
Zeno diaconus Ticinenſis, armis pugnans licet contra Tyrannum, miſere interficitur. 691. II.
Zeno Iſaurus, in præmium necis Aſparis, & filiorum eius, proditorum Imperii accipit à Leone Imp. filiam eius Ariadnam in vxorem. 470. I.
Augetur filio, qui decimo menſe perit, forte prius arte, vt eius loco imperaret. 437. II.
Mortuo Leone ſocero, filioque, Imperium adipiſcitur. 474. I.
Eius luxus, rapinæ, & promotio hæreticorum. ibid. III.
Pellitur cum vxore à Baſiliſco; & quæſitus ad necem, latet in deſerto; & interdum deficiente pane, herba veſcitur. 476. IV.
Reuerſus cum exercitu, Baſiliſcum pellit, & miſere mori cogit. 477. I.
Multa pie & Catholice agit aduerſus hæreticos, & reconciliatur Rom. Pontifici. ibi. II.
Rurſum fauet hæreticis, & Henoticon promulgat, aliaſque fraudes admiſcet. 482. II. III.
Acriter redarguitur à Felice Papa. 485. III.
Plures tyrannos debellat per Theodoricum Gothorum Regem; quem ideo chariſſimum habet. 484. I.
Verinam ſocrum, piam feminam, in exilio mori cogit. ibid.
Ex morbo ſubitaneo pro mortuo habitus, viuus ſepelitur; & ſpiritum reſumens non permittitur ab Ariadna coniuge educi. 491. I.
Nomen eius eraditur ignominioſe è ſacris Diptychis. 519. III.
Zenobia Odenati Regis Palmyrenorum vxor femina laudatiſſima. 265. I.
Præceptorem habuit in ſcientiis, Longinum Philoſophum; in rebus Chriſt. Paulum Samoſatenum. ibid.
Fuit Iudæa. ibid.
Poſt viri obitum, Orientem poſſedit. 269. II.
Victa ab Aureliano Imp. ducitur in triumphum. 274. I.
Viuit Tibure, more Romanæ matronæ, & fit Chriſtiana. ibid.
Zenobius Epiſcopus in Cilicia, martyr ſub Diocletiano. 285. I.
Zenobius Florent. Epiſc. miſſus à Damaſo PP. Conſtantinopolim, miraculis coercet Arianos. 370. VI.
Intercedit ei familiaritatis vſus cum S. Ambroſio. 392. IV.
Zephyrinus Rom. Pont. creatur. 203. I.
Recipit Natalium hæreticum pœnitentem. 207. I.
Excommunicat Tertullianum, alioſq; pſeudoparacleti Montani aſſertores. 213. I.
Martyrio coronatur ſub Elagabalo in pace Eccleſiæ. 221. I.
Zeta, & Zetarii, quid. 286. II.
Zocomus Rex barbarus cum ſua gente conuertitur ad Chriſtum, occaſione ſobolis maſculæ ei impetratæ à quodam monacho. 372. XIII.
Zonæ circumductæ columnæ, cui Dominus flagellandus alligatus fuit, morbos pellunt. 34. X XII.
Albæ benedictæ à Theodoro Siceota feminis ſterilibus proſunt ad conceptum. 598. VI.
Zorobabel fuit ex tribu Iuda, & ſtirpe Dauid. Appar. II.
Zoſimus hiſtoricus Ethnicus, Chriſtianis infenſiſſimus, in eorum inuidiam multa mentitur, & Imp. Chriſtianos calumniis proſcindit. 249. III. 306. VI. 313. III. 315. III. 318. II. 330. VII. 395. IV. & alibi ſæpiſſime.
Contumelioſus etiam in PP. Innocentium. 409. II.
Quo conſilio hiſtoriam ſuam ſcripſerit. 313. III.
Zoſimus Rom. Pont. creatur. 417. III.
Pelagium & Cæleſtium in Africa damnatos, & Sedem Apoſtol. appellantes, quam caute ſuſceperit. ibid.
Confirmans iudicium Patrum Afric. aduerſus eoſdem, damnat eos decreto vniuerſali. 418. II.
Calumniam à Iuliano, eius ſectæ poſt prædictos corypheo, patitur præuaricationis, ſed defenditur ab Auguſtino. ibi. III.
De Cereo Paſchali quid ſtatuerit. ibid. VII.
Mittit Legatos in Africam pro Appellationum proſecutione. ibid. VIII.
Moritur. ibid. VII.
Cur in prædicta Appellationum cauſa citauerit canonem Nicænum pro Sardicenſi. 419. XIII.
Zoſimi plures, ſanctiſſimi monachi. 525. III. IV.
Zotici Epiſcopi Otreni labores aduerſus Montani ſectatores, & martyrium ſub Seuero. 205. VI.

F I N I S.

S ICVT ſeruus [a] deſiderat vmbram, cum ſub æſtuantis Solis radiis labore fractus, calore diſſoluitur: ita & ego portans pondus diei & æſtus, exoptaui vt tandem faſce ſolutus, ſub vmbra illius [b] requieſcerem, quem ſemper concupiuit anima mea. Et ſicut mercenarius [c] præſtolatur finem operis ſui, expectaui & ego, vt inclinata ad veſperam die mercedem acciperem à Patrefamilias denarium diurnum, eius imagine cuſum, & pretio auctum illius, qui dixit Abrahæ [d] patri credentium, Ego ero merces tua magna nimis. *Ab hora namque prima conductus, eius auxilio, indefeſſo ſtudio laboraui, vt puteos [e] illos, quos antiquiores Patres noſtri fodere, impii vero Palæſtini obſtruxere, exhaurirem, purgaremque ab immenſa ſuper iniecta mendaciorum congerie, ipſoſque puriſſimos interceptos latices reuocarem ad vſum priſtinum ouium atque paſtorum. Quod iam vero ſit diei hora nouiſſima, pulſante oſtium morte, ſumpta fiducia immenſæ Dei miſericordiæ, accurro ad Patrem filius, ſed prodigo [f] illi ſimilis, miſericordiam petens, Tu vero, Pater, ne occurſum neges, amplexum nec ſubtrahas, neque oſculo priues immeritum: ſed, vt pater illi, mihi exhibe ſtolam primam, porrige annulum, & cetera illi exhibita vſque ad calceamenta pedum, amoris ſigna, honoris inſignia; & quod præſtat omnibus, vt nomen filii conſecutus, tuus heres, Chriſti coheres [g] effici dignus inueniar. Sed quod ſpem tantam timor imminuat, dubitatio vero intercipiat, frangat autem magis male ſibi conſcia conſcientia: exemplo Iacob [h], qui æque formidans ne ab offenſo patre maledictionem loco benedictionis eliceret; conſilio atque ope prouidæ matris, à patre exoptatam primogeniti accepit benedictionem: Ecce ſupplex interpello te matrem noſtram, Dei genitricem MARIAM, vt per te ipſam à Patre luminum benedictionem illam conſequi dignus efficiar, qua ſublimis illius regni cæleſtis, æternæ ſcilicet particeps efficiar hæreditatis, gratia & miſericordia ipſius Chriſti IESV Domini Noſtri, cui vna cum Patre, & Spiritu Sancto, honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.*

PERORATIO AVCTORIS

a Iob. 7.
b Cant. 2.
c Iob. 7.
d Gen. 15.
e Gen. 20
f Luc. 15.
g Gal. 4.
h Gen. 27.

T E vero, Chriſtiane Lector, quicumque cum Romana Catholica Eccleſia communicas, in vitæ huius limine conſtitutus, oro atque obteſtor, ſi quem vmquam ex his Annalibus noſtris ad tuam, aliorumue ædificationem fructum ceperis, primum vt Deo Opt. Max. bonorum omnium largitori acceptum feras: deinde hanc mihi vigiliarum, lucubrationumque, quas tua cauſa tot annos libens pertuli, gratiam reponas, vt animæ meæ cum ex hac vita exceſſero, bene precari, ac opem ferre ne graueris, tum ceteris ſuffragiis quæ defunctis impertiri in Eccleſia mos eſt, tum maxime ſacroſancti & ſalutaris MISSAE Sacrificii oblatione. Hanc à te, inquam, vicem peto. Tibi vero tribuat Deus, vt pie ſemper viuas, & ſupernis benedictionibus repleare.

AVCTORIS AD LECTOREM SVPREMA CONTESTATIO.

Ita namq; Illuſtriſſimus Cardinalis ad To. XII. Annaliū, cum à multo tempore præuiſum obitum, iam inſtare perſentiſceret. Nec fefellit vaticinium. Necdum enim excuſus erat Index eiuſdem To. XII. cum ipſe ad Deum migrauit anno & die, qui dicti ſupra in eius elogio. Vtinam & idem mihi contingat pari ſancto fine. Quod autem ipſe à te petiit, hoc & ego, Catholice Lector, tanto inſtantius flagito, quanto magis indigeo.

Digitized by Google



APPARATVS AD ANNALES ECCLESIASTICOS.

DE ADVENTV FILII DEI.

I.
DE ECCLESIÆ ANTIQVITATE.
a Ioan 1.
b Gal 4.
c S. Leo epiſt. 80.
d Apoc.13.
e Apoc.1.22
f Sap. 8.
g Iob 38 Iſa. 28 Eph. 2. 1. Pet.2.
h Hebr. 13.
i Inſtin orat. ad Ant. Orig. lo 2 commen in Ioan & lib. 2 cont. Celſ. Euſeb. de prap Euang. & 1 hiſt 3. Greg Naz orat de Machab. Aug. 10 conf 41 & ad Deog. ep 49 q.2. in fi & ep. 89 cont Pelag. & ad Opt.de orig. anim. epiſt. 157. de catec. rud. c. 19. de patient c 21. de ciuit Dei lib. 10 c.25 & lib.18 cap. 43. & li 3 cont. ep. Pelag. cap. 4.
k Iuſtin.ib.
l Aug. d. ep 89.
m Baruch 3.

ECCLESIAM, cuius geſta narraturi ſumus; eſſe omnium plane antiquiſſimam, adeo verum eſt, vt ſine fidei iactura in dubium reuocari non liceat. Eius namq; fundamentum primarium, cui cetera omnia cohæreant & innitantur, non eſt aliud niſi Chriſtus IESVS Dei filius, non in tempore creatus, ſed à Patre ante omnia tempora genitus, eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ, ſine quo [a] nihil factum eſt, & per quem omnia facta ſunt. Cum autem venit [b] plenitudo temporis, miſit Deus ipſum filium ſuum, factum ex muliere; qui diuinæ naturæ aſſociauit humanam, tantoque fœdere vtramque naturam hypoſtatica vnione coniunxit, vt nec [c] inferiorem conſumeret glorificatio, nec ſuperiorem minueret aſſumptio. Quocirca hic eſt Agnus [d] ab origine mundi occiſus, qui ſui ſanguinis effuſione, & qui ante fuerant homines, & qui poſt futuri erant, ablueret, ſecumq; perduceret in gloriam cœleſtem: Principium [e] & Finis: Æterna Sapientia, quæ attingit [f] à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter: Lapis [g] angularis, qui cœleſtia pariter atque terrena, præterita, præſentia, & futura, vna eademque ſuimet ipſius compagine conglutinata ſolidaret: Vt merito Apoſtolus [h] dicat, *Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſæcula:* & in confeſſo ſit apud omnes Patres, [i] quotquot vmquam fuerint ab exordio mundi homines, non niſi à Chriſto, & per Chriſtum ſalutem eſſe conſecutos: qui & ideo Chriſtiani [k] nominari poſſunt, licet aduentum Chriſti præceſſerint; quoniam non niſi per eamdem fidem liberati [l] ſunt, per quam liberamur & nos; fide ſcilicet Incarnationis Chriſti, quæ illis prænunciabatur, ſicut à nobis facta annunciatur. Nos autem, quamuis vna ſit ab initio mundi Chriſti Eccleſia, tamen ſuperiora illa, & antiquiſſima relinquentes, ſcriptis noſtris ea tantummodo complectemur, quæ contigerunt ex quo Chriſtus è cœlo in terras eſt dilapſus, & poſt hæc viſus eſt, & cum hominibus [m] conuerſatus.

II.
n Gen. 49.
o Ap. Cyril. Alex cont. Iulian. l. 18.

Opportunum ſane tempus, Defecerat enim (quod erat in ſacris [n] oraculis (de tribu Iuda & domo Dauid regium ſceptrum. atque ducatus; non in Sedechia (quod Iulianus [o] dicebat) ſed in Aſſamonæis, poſtquam rerum ſumma apud Hebræos redacta eſt ad Herodem. Tribus enim Iuda in Babylonem, quod ſciunt omnes, in ſeruitutem cum ſanguine regio adducta, poſt annos ſeptuaginta, in Palæſtinam poſtliminio eſt reſtituta: cum primum, Ioſepho [p] teſte, eadem prouincia dici Iudæa cœpit, & Iudæi appellari, qui prius Hebræi, vel Iſraelitæ nominabantur. Zorobabel enim, qui poſt eum Iudæos gubernarunt vſque ad Herodem Idumæum, omnes ex tribu Iudæ, & ſtirpe Dauid extitiſſe, aſſerit aduerſus eumdem Iulianum Cyrillus; teſtaturque iterum Hieronymus, [q] licet aliter aliquando dixerit. Et quidem Zorobabel, ac complures ſucceſſores eius, ex ſtirpe Dauid fuiſſe progenitos, docet ſæpe Scriptura [r] ſacra: Aſſamonæos vero conſtat fuiſſe ex genere ſacerdotali, tribu Leuitica, ex filiis (vt habet liber primus [s] Machabæorum) Ioiarib: ſic enim legendū eſt, loco Ioarim; non Ioſephus [t] Aſſamonæum dicit ſacerdotē fuiſſe ex vice Ioiarib, quæ inter viginti quatuor vices ſacerdotales principem locum [u] tenuit. Quod autem iidem Aſſamonæi, qui erant ex tribu Leuitica, fœdere nuptiarū (id namque licitum fuiſſe, teſtatur [x] Philo) tribui Iudæ, ipſique familiæ Dauid coniuncti eſſent; inde factum eſt, vt horum coniunctione ſacerdotium ſimul & regnum pariter iungerentur; perſeueraritque ſceptrum Iudæ in Aſſamonæis in linea feminina vſque ad Herodem. Aſſamonæos enim ex materno genere fuiſſe ex tribu Iuda, nulla eſt dubitatio, Rabbinis etiam id teſtantibus: neque vllo alio iure tribui Leuiticæ licitum fuiſſet vna cum ſacerdotio, abſq; tyrannidis labe, adſciſcere ſibi regnum.

p Ioſeph. 11. antiq. 5.
HEBRÆI QVANDO VOCATI IVDÆI.
q Hier. in Sophon. cap. 1. & in Ezech. cap. 21
r 1. Paral. 3. & lib. 1. Eſdr. cap 5. Mat. 1. Luc. 3.
s 1. Mach. 2.
t Ioſ. 12. ant. 8.
u 1. Par. 24.
x Phil. de Monarch. l. 2.
TRANSLATVM REGNVM AD ASSAMONÆOS.

III.
DE HERODIS REGNI EXORDIO.
y Ioſ 17 an. 1. & 1. de bel. 18.
z Id. 14. ant. 8. & ſeqq.
a Id. 15. ant. 1
b Dio hiſt Rom. lib. 49.

Sed ceſſaſſe viſum eſt penitus ſceptrum Iudæ, cum Herodes Idumæus Gentilis homo, poſtea proſelytus, Iudæorum regnum capeſſiuit, quod tranſmiſit ad Archelaum, ac deinde ad Herodem Antipam, qui ex alienigena femina [y] Malthace Samaritide geniti ſunt. Conſtat [z] enim poſt Iudæam à Pompeio Magno debellatam, & ex parte in formam prouinciæ redactam, ac per Scaurum primum, deinde Gabinium adminiſtratam, poſt etiam expilatum templum à Craſſo, cladem que maximam à Caſſio inuectam, & à C. Cæſare rurſus imperatum tributum, atque aliam à Caſſio depopulationem miſerrime factam; poſt denique M. Antonii adminiſtrationem, digladiantibus inter ſe odio pertinaciſſimo Aſſamonæis, ad extremum Olympiade centeſima octogeſima quarta, Domitio, Caluino iterum & Aſinio Pollione Coſſ. eumdem Herodem Antipatri filium Idumæum proſelytum, Romæ ex S C. regnum Iudæorum accepiſſe. Quando poſt hæc Antonius in Antigonum Aſſamonæum bello victum (qui fauore Parthorum eiecto Hyrcano, vltimus Rex Iudæorum Principatum inuaſerat) vt ſcribit Ioſephus, [a], ſecuri animaduerti iuſſit, (& vt auctor eſt Dio [b]) eidem cruci alligato, ac fuſtibus cæſo, caput truncari mandauit: in

quo

quo & deſiit Iudæorum Principatus. Nam licet adhuc, qui fuerat pulſus, in humanis eſſet Hyrcanus; tamen & ipſe Herodis dolo ſublatus eſt. Quocirca cum fuiſſet penitus ereptum tribui Iudæ regium ſceptrum, nihil ſupererat niſi vt is mitteretur, ex antiquorum prædictionibus qui cœlitus dilapſus in Iſraël regnaret, Gentes regeret, regnumque Iudaicum, quod acto in crucem Antigono fuerat extinctum, per Crucem reſtitueret, & amplioribus ſpatiis propagaret.

IV.

Cum hæc autem apud Iudæos omnes æque eſſent in confeſſo, defeciſſe nimirum ſceptrum de tribu Iuda, quo ſublato Chriſtus venturus eſſet; complures adulandi ſtudio, ipſum Herodem Chriſtum eſſe dixere (quod teſtantur antiqui c auctores) conflatumque mox eſt nomen ex ſecta, vt iidem Herodiani dicerentur. vnde quoq; accidit vt poſteri Iudæorum, quod poſt Herodem Idumæum, Archelaum, Herodem Antipam, nulla ex parte Iudæ tribui inhærentes, regnaſſe viderent Agrippam Ariſtobuli filium, qui ab Herode genitus erat ex Mariamne Hyrcani Aſſamonæi Pontificis nepte, ex eademque ſtirpe Reges ad Veſpaſianum Imperatorem vſque perſeueraſſe: quaſi ad illud etiam tempus permanſiſſet ſceptrum Iudæ occaſione ſobolis Mariamnes, ipſi eidem Veſpaſiano (vt ſuo loco dicetur) quæ de Chriſto prænunciata fuerant tribuerent, cum & alii Pſeudoprophetæ ſe Chriſtũ eſſe dicerent.

c Epiph. l. panar. 20. Tertul. de præſcr. cap. 45. Hieron. cont. Lucif.

V. PONTIFICATVS E DOMO LEVI SVBLATVS.

Ceterum non modo regnum, ſed & legitima ſummi Sacerdotii inſtitutio per hæc tempora defecerat dum illud è familia Aſſamonæorum Herodes Idumæus ad alios transtulit, pro libito dimouens d atque promouens qui plus minuſue pecunia vel gratia apud ipſum pollerent. Et vt inſuper ſibi ius omne & ornamentum Summi Sacerdotii prorſus arrogaret, inſigne e Pontificium nobiliſſimum, Stolam ſcilicet ſacerdotalem, in turri munitiſſima cuſtodiri iuſſit: quod & poſtea Romani, Iudæa in prouinciam redacta, factitarunt, eam ſtatutis duntaxat diebus ieiuniorum exhibentes Pontificibus; quibus & ipſi Summi Sacerdotii dignitatem pro arbitrio ferre & auferre conſueuerunt. Regno itaque ac ſacerdotio Iudæorum collapſo, & funditus euerſo; quid aliud reſtabat niſi vt Sanctus f Sanctorum vngeretur?

d Vide Ioſ. 15. Ant. 1. & 9. & lib. 20. cap. 8. Euſe. 1. hiſt. 6. Hieron. in Dan. 9. & aliis.
e Ioſ. 18. ant. 6.
f Dan. 9.

VI. DISSECTIS IVDÆORVM.

Poſtremo ipſa rectorum dogmatum ſincera doctrina plurimis erroribus fere penitus erat obſcurata; vigentibus apud Hebræos, (vt author eſt g Ioſephus) tribus præcipuis ſectis maxime inter ſe diſſidentibus, *Phariſæorum, Sadducæorum*, & *Eſſenorum*: quibus & duæ aliæ acceſſerunt *Galilæorum*, atque *Herodianorum*. Et quidem PHARISÆOS Hieronymus h teſtatur non multo ante aduentum Chriſti exortos in Iudæa, auctoribus Sammai & Hillel; ex quibus *Scribæ* & *Phariſæi*. Nam qui Legi interpretandæ nauabant operam, SCRIBÆ dicebantur; ceteri communi nomine Phariſæi: quos omnes vitioſa interpretatione Legem corrupiſſe, Chriſtus Dominus ſæpe arguit. Erant autem eorum hæc dogmata; vt Fato i cuncta tribuerent: animarum iudicia ſub terra fieri affirmarent: tranſanimationem Pythagoræam hoc temperamento aſtruerent, vt ſolas bonorum tranſire in alia corpora, malorum autem animas interminato ſupplicio cruciandas aſſererent: denique in aſtronomiæ cultu, Græcorum vanitates ſectarentur. Ceterum nundinaria quadam ſanctitate, atque rigida virginitatis ad præſcriptum tempus obſeruatione, victuſque aſperitate, ſic animos omnium ſibi conciliabant, vt etiam (quod ait Ioſephus k, & ipſe gentilis eorum atque Phariſæus ſecta) ſi Regibus aduerſarentur, aut Pontificibus, fidem tamen vulgus eis haberet. Dicti Phariſæi l, eo quod ſeparati eſſent ab aliis propter ſpontaneam ſuperfluam religionum ab ipſis receptam.

g Ioſ. 18. ant. 2. & 2. de bel. Iud. 7.
h Hier. Iſ. 8. DE PHARISÆIS.
i Ioſ. 18. ant. 2. & 2. de bel. 7. Epip. in Panar. lib 1. cap. 16.
k Ioſ. 13. ant. 18. & li. 17. cap 1
l Epiph ibi.

VII. DE SADDVCÆIS.

SADDVCÆI longe deteriora dogmata ſectantes, dicebant m non eſſe reſurrectionem mortuorum, neque Angelum, neque Spiritum; cum alioqui Phariſæi hæc faterentur. Sed & animas vna cum corporibus ſimul & eodem tempore extingui putabant: In reliquis vero cum Samaritis ſentiebant, niſi quod Hieroſolymis agentes vna cum Iudæis ſacrificarent: à Saddoc ſacerdote appellationem mutuati, quamuis ab eius diſciplina defecerint. Adhæc inter ſe feris morib. diſcrepantes, erga exteros quoque illiberales & inhumani fuere: ideoque & minus populo grati, & numero pauci, ſed fere dignitate præcipui. Iſta de iis Ioſephus n, atque Epiphanius o. Eos vero æque ac Phariſæos, ſanctiſſimus Ioannes p Baptiſta *progenies viperarum* appellauit: & ab eorum fermento cauere, ipſe Dominus q diſcipulos ſuos monuit.

m Act. 23.
n Ioſ. 18 ant. 2. & 2. de bel. 7.
o Epiph. 1. Panar. 14.
p Matt. 3.
q Matt. 16.

VIII. DE ESSENIS.

ESSENI à reliquis omnib. ſchiſmate diuiſi, non ſacrificabant r in templo, quod (vt dicebant) ſanctioribus vterentur cæremoniis. Ceterum vitæ moribus fuiſſe conſpicuos, & perpetuam continentiam obſeruaſſe, omnes vno ore fatentur: quod vero ad dogmata, Epiphanius ſ eos inter Samaritas adnumerat. Porro quinam eſſent SAMARITÆ, Scriptura docet: qui diuiſi à Iudæis, non templum, non ſacrificia, vel cæremonias communes cum illis habebant & quinque tantum Moſis libros accipientes, Prophetas ac cetera diuinæ Scripturæ volumina reiiciebant: non credentes reſurrectionem mortuorum, negantes & Spiritum Sanctum. Hæc & alia de iis Epiphanius t. Præterea eorum (quod in quatuor ſectas eſſent diſtincti) alios tradit fuiſſe ESSENOS quos diximus: alios SEBVÆOS u, qui hoc vno ab illis diſſentiebant, quod tranſpoſuiſſent tempora ſolemnium feſtiuitatum. Quibus aduerſantes GORTHENI, diuerſamque ab illis dierum feſtorum rationem habentes, Eſſenis potius in hoc adhæſerunt. Quartum genus erat DOSITHEORVM x: qui rurſum à dictis omnibus differentes, reſurrectionem mortuorum profitebantur: ſuperſtitioſa tamen nonnulla ad nouum vitæ genus inſtituendum accommodantes, ab animatis abſtinebant; & (quod ſcribit y Origines) adeo ſuperſtitioſe colebant ſabbatum, vt quo quiſque eorum habitu, loco, ſitu, die ſabbati inuentus fuiſſet, ſiue ſtans, ſedenſue, intus vel foris, eo loco eademque poſitione, ea die vſque ad veſperam permaneret: quos & præ ceteris repudiaſſe Prophetas, Tertullianus z refert: monogamoſque fuiſſe, ac nonnullos ex eis virginitatem ſeruaſſe, Epiphanius tradit.

r Ioſ. [illegible]
ſ Epiph. Panar. [illegible]
SAMARITANORVM SECTÆ DIVERSÆ.
t Epiph. Panar. [illegible]
x [illegible] DOSITHEORVM [illegible]
y Orig. [illegible]
z Tert. de præſcr. Hieron. cont. Lucif.

IX. DE HEMEROBAPTISTIS.

Nec prætereundum genus hominum illud, qui ſimul cum Phariſæis cetera ſentientes, cum Sadducæis mortuorum reſurrectionem negabant: illud que præcipuum habebant, vt vere, autumno, hyeme, & æſtate, quotidie baptizarentur; rati hominem non poſſe viuere niſi ſingulis diebus in aqua mergeretur, atque eiuſmodi ablutione ſanctificaretur: quos eam ob cauſam HEMEROBAPTISTAS eſſe appellatos, Epiphanius a docet. De quorum hæreſi fit etiam mentio apud Marcum b Euangeliſtam. His addit Epiphanius NAZARÆOS, qui nec ſacrificia, nec libros Moſis cum ceteris haberent communia, abſtinerentque ab animatis velut immundis. Hiſque proximos dicit c eſſe OSSENOS: ac nouiſſimo loco ponit HERODIANOS, qui (vt diximus) Herodem dicebant eſſe Chriſtum: quorum gregales fuerunt, qui vna cum Phariſæis d conſpirarunt contra Chriſtum, & cauilloſam de tributo perſoluẽdo Cæſari e, propoſuerunt quæſtionem. Sicut autem illi in gratiam ipſius Herodis viui ea iactarunt; ſic & illorum poſteros eiuſdem mortui memoriam adhuc ſub Nerone coluiſſe, & quotannis eius natalem ſolemniter celebrare conſueuiſſe; putauit antiquus Scholiaſtes Perſii, dum exponens illud huius poetæ:

At cum Herodis venere dies, vnctaq; feneſtra
Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ,
Portantes violas? ——

ait ea intelligi de Herode, qui apud Iudæos regnauit tempore Augusti; eiuſque diem natalem Herodianos obſeruaſſe, vt Sabbata: licet ſint qui hæc ad alium Herodem referant. De ſecta vero GALILÆORVM, quæ tempore cenſus eſt exorta, ſuo loco opportunius dicendum.

a Epiph. Panar. [illegible]
b Marc. [illegible]
c Epiph. cap. [illegible]
DE HERODIANIS.
d Marc. 3.
e Matt. 22. Marc. 12.

X.

Sic igitur è loco motis, atque collapſis funditus columnis diuina operatione in populo Iudaico ſtatutis, Regno, Sacerdotio, atque Lege; ſtatus Iudæorum illis ſubnixus, ingenti eſt fragore proſtratus. Remanentibus tantummodo, velut poſt excuſſam oleam in ſummitate rami oliuis, paucis quibuſdam iuſtis, qui redemptionem Iſrael expectantes in veritate perſtarent, & auidius illum cupe-

De ſtatu gentilium.

rent, qui collapſum Regnum, Sacerdotium, atque Legem ipſe Rex, & Sacerdos, atque Legifer Emmanuel reſtitueret. Quod ſi ipſa Iudæa, in qua notus erat Deus, tanta erat obuoluta caligine; quid putandū de Gētibus, quæ Deum ignorantes in idolis prauos colebāt dæmones? Iam & collapſæ erant, quæ apud eos fuerant optimis legib. inſtitutæ Reſpublicæ: & ipſa Romanorum, quæ egregiis animi virtutibus ſibi ſubegerat Orbem, relicta illa antiqua rectè viuendi conſuetudine, plus ceteris f omnium vitiorum genera ſectabatur. Quid vero memorem ceteras nationes? multipliciumq; deorū in vnaquaq; prouincia ſuperſtitioſiſſimum cultum, ferales Gentium ritus, portentoſas populorum inſolitas vbique conſuetudines, turpiſſimos hominum mores ipſa etiam naturæ iura violantes? Vt nemo non videat, peropportuno tempore à Deo conſultum eſſe, Vnigenitum Filium, per quem cuncta creauerat, in mundum mittere, vt omnia reſtauraret; ipſeq; Via, Veritas, & Vita, à recto tramite deuios, fidei religione, ac morum compoſitione reuocaret ad viam, cunctoſque per veritatem errores auferens, iter aperiret ad vitam.

f Aug. 2. de ciuit. 19.

XI. Filii Dei aduentus Iudæis et Gentilibus prænunciatus. De Sibyllis.

Quo vero vtriuſque populi, Iudæi atque Gentilis, reciperetur conſenſu, conſilium Dei fuit vt longe antea rei tantæ ſacramentum Iudæis innoteſceret per figurarū adumbrationes, & Prophetarum prædictiones; Gentilibus à per ſuos ipſos vates, quales fuere *Mercurius Triſmegiſtus*, *Hydaſpes*, atq; Sibyllæ, ſic dictæ à Dei conſiliis denunciandis; quibus ob virginitatis inſigne meritū, diuinationem eſſe conceſſam Hieronymus g exiſtimauit: eamq; ob cauſam eas appellare Patres h conſueuerunt *Propheti[ſſ]as Gentilium*: immo & tantū eis tribuit Heraclitus i, vt non humanitus, ſed diuinitus apparuiſſe putarit. Earum vero oraculis adeo crebro vſi ſunt Patres ad conuincendos errores Gentilium, vt eam ob rem Gentiles ipſi (q; teſtatur k Origenes) Chriſtianos vocarent *Sibylliſtas*, eoſq; pœna mortis (vt ſcribit l Iuſtinus) ab eorum lectione abſterrere legibus oportuerit. Memoriaq; ſane dignum, quod Paulum Apoſtolum Clemens m Alexandrinus antiquus Theologus, ipſa propria eius verba recitans (forte ex aliqua illius concione ad populum habita, quæ per traditionem in poſteros fluxerit) inducit Sibyllarum oracula, Hydaſpiſq; vaticinia commēdantem, ad probandam veritatē de Chriſto.

g Hier. cont. Iouin. lib. 1. h Theoph. Antioch. ad Autol. lib. 2. i Ap. Clem. Alex. Strom. k Orig. cont. Celſ. lib. 5. l Iuſt. orat. ad Antonin. Pium. m Clemens Alex. Strom. lib. 6.

XII. Vaticinia de Chriſto venturo.

Et quod ad ipſum Domini Aduentum attinet; recitat etiam Cicero n de Rege venturo Sibyllinum vaticinium, eiuſq; interpretationem, q; aliter homines ſalui eſſe non poſſent niſi eundem Regem exciperēt. Ac licet ipſe Reipublicæ ſtudioſiſſimus, illud vt humanum inuentum ad inuadendam Rempub. deteſtetur: tamē ipſa adeſſe tempora ex iiſdem carminibus ore multorum iactari ſolitum, manifeſtum facit. Siquidem Lentulus o ex iiſdem Sibyllinis carminib. regnum ſibi adſciſcere conatus, Catilinæ ſe iunxit: eodemq; prætextu p M. Antonius in Lupercalib. Cæſari coronam Regis impoſuit. Et æque myſteriorum neſcius Maro, q quæ de Chriſto ex Virgine naſcituro iiſdem carminibus prædicta erant, tribuit magna adulatione Salonino filio Pollionis. Et quod de Chriſto antiquitus prænunciatum fuerat, ex Iudæa venturum Regem qui vniuerſo dominaretur Orbi; rerum ignari ſcriptores r Veſpaſiano Auguſto tribuerunt, quod Iudæos domuiſſet, & ex Iudæa in Vrbem triumphans vna cum Tito veniſſet.

n Cic. lib. 2. de diuin. o Luc. Flor. lib. 4. cap. 1. p Cic. Phil. 2. q Virg. ecl. 4. r Ioſ. 7. de bel. 12. Tac. hiſt. lib. 5. Suet. in Veſpaſ. c. 4.

XIII. Oracula male tributa Imperatoribus.

Ad quæ etiam de Rege naſcituro ſpectant ea quæ recitat Suetonius, s ante paucos menſes quā naſceretur Octauianus Auguſtus, prodigiū Romæ factū publice, quo denunciabatur Regem populo Romano Naturam parturire; Senatumq; exterritum cenſuiſſe, ne quis illo anno genitus educaretur. Quodnam vero fuerit illud prodigium, ſeu prodigia, Dio t narrat anno ab Vrbe Condita ſexcenteſimo nonageſimo; nimirū in Capitolio multas ſtatuas de cælo tactas liquefactaſq; fluxiſſe; deiectaq; tum alia ſimulacra, tum Iouis; atq; imaginem Lupæ cum Remo ac Romulo conſecratam cecidiſſe: literaſq; in columnis, in quibus leges ſcribebantur, confuſas atq; obliteratas fuiſſe. Porro hæc, & alia eiuſmodi, Gētiles, quod neſcirent diuinæ diſpenſationis myſterium, Chriſtū Regem venturum qui idololatriam peſſumdaret, ac nouas leges præſcriberet; in alium quemuis ſenſum trahentes interpretabantur. Quamuis & ipſi Auguſto dæmon ille, qui apud Delphos oracula reddere conſueuerat; iam mutus redditus, fateri (vt u aiunt) coactus fuerit, ſibi impoſitum eſſe ſilentium à puero Hebræo, qui Deus exiſtens cuncta pro arbitrio diſponeret. Adduntq; Auguſtum Romam reuerſum, aram in Capitolio erexiſſe hac inſcriptione, Ara Primogeniti Dei; qui putatur eſſe locus in Capitolio, vbi nobiliſſimum templum antiquitus erat Iouis Capitolini; eo verò proſtrato, ſucceſſit baſilica Dei Genitricis Mariæ, dicta ea de cauſa Ara cœli; vel quod alii aiunt, Dei Genitricem Mariam infantem in vlnis habentem ſublimem in aere ab eodem Auguſto illic eſſe conſpectam.

s Suet. in Octauio cap. 94. t Dio 37.

u Suid. verb. Auguſtus: Cedren. in Comp. Niceph. lib. 1. cap. 17.

XIV. Signa viſa de Chriſti aduentu.

Sunt & alia complura, quæ Auguſti temporibus cum accidiſſent, eiuſdē Imperatoris cauſa eſſe facta, Romanarum rerum ſcriptores exiſtimarūt: quæ tamen rerum noſtrarum nobilis hiſtoricus Paulus Oroſius, x fuiſſe aduentus Chriſti præſagia, ac futurorum bonorū prænūcia atteſtatur: Puta cum eodem Auguſto poſt necem C. Cæſaris auunculi ſui Vrbem primum ingrediente, ſub Conſulatu Antonii an. ab V. C. 710. hora circiter tertia, repēte liquido ac puro ſereno circulus y ad ſpeciem cœleſtis arcus orbem Solis ambiit. Itemq; cum ſequenti anno z, Hircio & Panſa Coſſ. viſus eſt Sol intra tres circulos effulgere, quorum vnum corona ſpicarum ignita circumdaret. Deinde cū ipſo primo anno Triumuiratus, Lepido & Plāco Coſſ. tres a Soles viſi ſunt: vel cum anno tertio Romæ è taberna meritoria trans Tiberim b oleum è terra erupit, fluxitque toto die ſine intermiſſione. Addit Oroſius alia id genus multa, quæ ab Auguſto facta, ad ea quæ per Chriſtum eſſent facienda deducit: Vt de tabulis c debitorum ærarii exuſtis, de Iano d clauſo, deque *Auguſti* nomine eidem ipſi indito octauo Idus Ianuarias, quo die Chriſtus à Magis cultus eſt Rex Iudęorum, vel à Patre & Spiritu Sancto accepit in Iordane de diuinitate teſtimonium. Sed in his non immoramur. Ex iis tamen quæ de tempore diximus, corrigendi ſunt illi, qui inconſulte nimis ea accidiſſe putarunt ipſo Chriſti Domini natali die.

x Oroſ. 6. c. 18. 20. & ſeqq. y Suet. in Octau. c. 95. Senec. 1. Natural. quæſt. 2. Plin. 2. hiſt. 28. z Dio lib. 45. a Dio. ibid. a Dio li. 47. Plin. lib. 2. cap. 31. b Euſeb. in Chron. Oroſ. lib. 6. cap. 20. c Suet. in Octa. cap. 32. d Ibid. c. 22.

XV. De Chriſti genealogia.

Venturus itaq; in mundum Dei filius, Verbum Patris, cuius generatio e inenarrabilis; ex genere Abrahæ, ex tribu Iuda, & ſtirpe Dauid (vt ex diſpoſitione diuini conſilii fuerat ordinatū, & ſæpius promiſſum) delegit humanam carnem aſſumere. Cuius genealogiam ſummatim f potius quam gradatim per cōtinuatam ſucceſſionum ſeriem deſcripſerunt Euangeliſtæ Matthæus g & Lucas h, ſed diuerſo ordine; quoniam i vterq; ſub diuerſa Chriſti perſona diuerſam texit genealogiam; Matthęus quidem ex Regib. Iudæorum, quod regiam in Chriſto perſonam inſtitueret inſinuare: Lucas vero ex adoptionib. Chriſti, quod ſacerdotalem in eo perſonam oſtendere vellet. Ideoque Matthæus per Salomonem, Lucas per Nathan filium Dauid, genealogiam deſcripſit; quo vtriuſque vnctionis myſterium, regni ſcilicet ac ſacerdotii, in vna eademque perſona Chriſti, qui regnum acciperet & ſacerdotium, ac regale ſacerdotium inſtitueret, ſimul iungeretur.

e Iſa. 53. f Epiph. in compend. g Matth. 1. h Luc. 3. i Aug. de conſenſ. Euangel. lib. 2. cap. 3. & 4. Alii Hilar. can. 1. in Matt. Iulian. Tolet. cont. Iuda. li. 3. & alii.

XVI. Chriſtus ex ſtirpe Dauidica.

Quod autē pertinet ad Dauidicam ſtirpem; ex ea progenitam eſſe Sancti ſimam Dei Genetricem Mariam, apud omnes Catholicos in confeſſo eſt, id Prophetis k, Angelis l, Euangeliſtis m teſtantibus, dum Chriſtū ſecundum carnē eſſe filium Dauid, ipſumque ex beatiſſima Virgine humanam carnem ſumpſiſſe tradunt. Quod ipſum iidem Euangeliſtæ hac etiam ratione ſtabiliunt, dum Ioſeph virum Mariæ è regia Dauidis ſtirpe originem ducere demonſtrant: cum certum exploratumq; habeatur n, nec feminæ alterius tribus virum, nec viro alterius tribus feminam ſibi matrimonio iungere licuiſſe. Sed cur non potius Marię quam Ioſeph genealogias deſcripſerint, ea ſuppetit ab omnibus aſſerta certa ratio, quod cum genealogiæ deſcriberentur in publicis chartis, virorum & non mulierum series texeretur.

k Iſa. 9. Hierem. 33. Pſal. 86. 131. l Matth. 1. Luc. 1. m Matth. 1. & 22. Mar. 11. Luc. 1. & 3. n Numer. vlt.

XVII. Ex genere etiam ſacerdotali Chriſtus.

Eamdem vero ſanctiſſimam Dei Genetricē Mariam ſacerdotali genere natam eſſe, communis eſt Sanctorum Patrum cōſenſus. Sed & cognatione tunc temporis coniunctam fuiſſe generi ſacerdotali, Lucæ o teſtificatione li-

o Luc. 1.

quet, dum Elizabeth cognatam Mariæ, dicit fuiſſe de filiabus Aaron; quam vere fuiſſe ex tribu Leuitica, teſtatur ſæpe, & aduerſus hæreticos validius inculcat Auguſtin.[p] aſſeruitq; reliqui omnes Latini pariter ac Græci Doctores, vno excepto Ambroſius[q]. Nec eſt quod quis obiiciat de tribubus non miſcendis diuinæ legis præceptum. Nam peculiariter ſacerdotali tribui eſſe conceſſum, vt cum regia ſtirpe poſſet inire nuptias, conſentiunt[r] Patres omnes, qui de his agunt, in exemplum adducentes Aaronem[s], qui Elizabeth filiam Aminadab de tribu Iuda, & Ioiadam[t] Pontificem, qui filiam Ioram Regis Iudæ duxit in vxorem. Sed & eidem ſacerdotali tribui, excepto ſummo Pontifice, cui ineundem eſſet coniugium cum ſtirpe ſua, licuiſſe vxorem ducere ex ceteris tribubus, auctor eſt Philo[u] Iudæus, qui Chriſti ſæculo vixit, & res Iudaicas præ ceteris calluit.

p Aug. in Iudic. quæſt. 77. lib. 1. de conſ. Euan. c. 3. & 2. 10. quæſt. q. 61. q Ambr. in Luc. 3. r Epiph. hær. 78. & alii eum ſecuti. s Exod. 6. t 2. Par. 22. u Phil. li. 2. de Monarc.

XVIII. De nomine Heli dubitatio.

Quod autem in Chriſti genealogia per Euangeliſtas conſignata, quem Matthæus nominat *Iacob* parentem Ioſeph, Lucas eundem appellat *Heli*; vetus eſt iſta dubitatio: quam Africanus Theologorum antiquiſſimus atq; diſertiſſimus ita definiuit[x], vt aſſeruerit Heli & Iacob vterinos fratres extitiſſe, illum natū ex Melchi de genere Nathan, Iacob vero genitū ex Mathan de ſtirpe Salomonis; Heliq; abſq; prole decedente, Iacob illi ſemē ſuſcitaſſe, & genuiſſe Ioſeph qui natura filius eius erat, lege vero Heli. Cui ſententiæ Hieronymus[y], ac ceteri antiquorum Patrum mira cōſenſione aſtipulati ſunt: quibus & nos magis tribuimus, quam recentioribus[z] quibuſdam qui Heli eundem putant eſſe & Ioachim dictum, ac patrem Virginis Mariæ, ſocerum Ioſeph, patremq; eius, quod generi (vt auctor eſt[a] Philo) loco filiorum haberentur. Porro ex his dictis refellūtur quæ impius Iulianus[b] Apoſtata in Chriſtum effutiit ipſum non eſſe ex tribu Iuda progenitum, & quæ eiuſdem impietatis farinæ Fauſtus Manichæus[c] delirans dixit, Dei Genetricem MARIAM ex tribu Leui originem duxiſſe. Sed & Iudæos, rebus Chriſtianorum infenſiſſimos, de Chriſti genealogia multa ſolitos eſſe garrire, conſtat ex Hieronymo[d]: quæ tamen parua erunt, ſi cum ceteris cōferantur, quę Theodoſius Iudæorum princeps temporibus Iuſtiniani Imperatoris de ſacerdotum genealogia, & Chriſti ſacerdotio, deque obſtetrice Deiparæ virginitatis exploratrice, effinxit, & nimis temere Suidas[e] comprobauit.

x Apud Euſ. l. 1. c. 7. y Hier. in Matth. 1. & alii. z Lucid. de emend. temp. & alii poſt eum. a Phil. li. 2. de Monarc. b Ap. Cyr. lib. 1. cont. Iul.

Mendacia de Chriſti genealogia.

c Ap. Aug. 22. cont. Fauſt. 9. d Hier. in ep. ad Tit. l. 1. cap. 1. e Suid. verb. Iesvs.

XIX. De S. Mariæ parentibus.

Quod autem ad Beatæ Virginis parentes attinet; reiectio in primis Gnoſticorū ea de re figmentis impiis, quorū meminit Epiphanius[f]; itemq; Seleuci Manichæi deliramentis, quæ ab incerto auctore apud Hieronymū[g] perſtringuntur; necnon quæ ab aliis[h] ex Rabbino Hæceados proferuntur; vel quæ ex pſeudoeuangelio Iacobi leguntur: his, inquam, aliiſq; eiuſmodi procul reiectis, certiora ſunt quæ de Sancta ANNA Dei-Genetricis matre, eiuſque ſororibus, & illarum ſobole, Hippolytus[i] martyr ſcribit: Nempe tres fuiſſe ſorores Bethleemiticas filias Matham ſacerdotis & Mariæ coniugis eius, quarum primæ Mariæ, ſecundæ Sobæ, tertiæ Annæ nomen eſſet, nupſiſſeq. primam in Bethleem, & peperiſſe Salomē; ſecundam quoq; ibidem nuptā genuiſſe Elizabeth: Ex Anna vero nuptam in Galilæa natam eſſe MARIAM Dei-Genetricem. Nec audienda illorum ſententia, qui dixerunt Sanctam Annam tertio nuptam, & ſingulas ex ſingulis viris genuiſſe filias, vel eorum qui conati ſunt aſſerere, ex viro Ioachim tres peperiſſe filias, nulla alia adducti ratione, quam quod in Euangelio mentio habeatur de eiuſdem Dei-Genetricis ſorore Maria Cleophæ: cum mille exemplis conſtet, fratrum & ſororum nomine in diuinis Scripturis cognatos & propinquos intelligi.

f Epiph. hær. 26. g Lib. de Natiu. S. Mar. ap. Hier. to. 9. h Gelas. de treud. arcan. i ap. Niceph. lib. 2. cap. 3.

XX. De S. Anna.

Vniuiram vero fuiſſe Annam, nec poſt obduratam ſterilitatem, ex voto conceptam, repromiſſione obtentam, ſuſceptamq; in ſenectute filiam, alios nouiſſe partus, tam veteres, quam recentiores Orthodoxi Patres[k] ſunt profeſſi: & inter alios Epiphanius Iudaicarum rerum antiquarum accuratiſſimus inueſtigator, probatuſq; aſſertor, tum aduerſus Collyridianos hæreticos, qui Dei-Genetricem MARIAM humanæ naturæ prorſus expertem, ac diuinæ tantum participem fuiſſe dicebant; tum in luculenta oratione[l] illa, quam habuit de laudibus Mariæ Virginis. De eiuſdem vero Annæ ſtirpe, hæc Germanus[m] Epiſcopus Conſtantinopolitanus ſummatim colligens, eam natam eſſe dicit ex genere ſacerdotali, tribu Aaronica, radice prophetica & regia Dauid & Salomonis, & eorum qui deinceps fuere. De ipſius a. marito Ioachim, Ioannes[n] Damaſcenus ait, ex ſtirpe Dauid Leui genuiſſe Melchi & Pantheren; Pantheren a. genuiſſe Barpantheren; hūc vero genuiſſe IOACHIM parētem ſanctiſſimæ Dei-genitricis. At Epiphanius[o] Iacob cognominatum fuiſſe Pantheren, genitum patre Panthere, & ex prædicto Iacob vult Ioſeph eſſe genitum. Sed de genere Ioſeph ſatis dictum ſuperius.

k Epiph. hær. 79. Greg. Niſ. orat. in Natiuit. Domini. Ioan. Damaſc. 4. de fid. Orth. 15. And. Cret. ſerm. de S. Deip. Ger. l Epiſ. Conſt. ſer. de p. ſent. & ante ... m Germ. ſerm. de pr. ſent. n Dam. 4. fid. Orth. o Epip. hær. 78. aduerſ. Antidicomar.

XXI. Quando nata Maria Virgo.

Quo vero potiſſimum S. Dei-genitrix nata ſit anno, ſi fidem adhibendam eſſe putamus Nicephoro[p], dum ex quadam Euodii Epiſcopi Antiocheni Apoſtolorum ſucceſſoris epiſtola fragmentum recitat, quo aſſeritur eam anno decimoquinto ſuæ ætatis Chriſtum Dominum peperiſſe; dicendum erit eiuſdem natalem diem incidiſſe ſub Conſulatu Furii Nepotis & Iunii Silani, an. ab V. C. 737.[q] Auguſti Imperatoris à Triumuiratu vigeſimoſexto, Olymp.[r] 190. anno tertio. Nam Chriſtum natum eſſe ſub Conſulatu Lentuli & Meſſalini demonſtrabitur ſuo loco. Ac ſubinde refelluntur[s], qui poſt ſequentem annum ſub Conſulatu Liuii & Piſonis eam ortam eſſe tradunt. Vt enim à Nicephori ſententia non recedamus, tum aliorum auctoritas, tum ea ratio perſuadet, quod neminē adhuc veterem inuenimus, qui aliam de ætate Virginis, cum peperit Chriſtum, ſententiam ſit affirmare conatus. Conſtatque viguiſſe tunc eam apud Iudæos cōſuetudinem, cum filiæ ipſorum adultæ eſſent eas nuptui tradere: verſumque ignominiæ (quod & Apoſtolus[t] indicat) ſiqui expectarent vt eſſent ſuperadultæ. Natam autem ferunt in ciuitate Nazareth; eandemque trimulam (quod parentes vouerant) in templum allatam ac Deo oblatam, vndecim illic egiſſe annos, teſtantur Euodius[u], Gregorius Nyſſenus, Ioannes Damaſcenus, Germanus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, Andreas Cretenſis, Georgius[x] Epiſcopus Nicomediæ, & alii[y]; à quibus nullum Orthodoxorum diſſenſiſſe hactenus, ſed Nouatoribus tantum noſtri temporis, omnia antiqua faſtidientibus, diſplicuiſſe cognouimus. Scimus quidem lege[z] diuina, tam de maſculis quam feminis Deo dicatis, votoque promiſſis, ſtatutam eſſe redemptionem. Verum eam fuiſſe liberam, & ex arbitrio vouentis, ſi vellet potius in templo ſeruire Deo, ſatis Samuelis exemplum demonſtrat, qui a tenerrima ætate miniſtrauit in templo, nullo à parentibus perſoluto pretio redemptionis. Et fuiſſe in templo locum vbi feminæ quæ ſe Deo vouerant, ſeorſum à viris, abſque aliqua nota ſuſpicionis ſimul agerent; indicant non pauca Scripturæ[a] ſacræ teſtimonia.

p Niceph. 2. hiſt. 3. q Secund. ſucces. Dion. r Secund. ſupput. Euſeb. ſed aucto... s Marian. Scot. in Chr. & alii eum ſecuti.

In templo præſentata.

t 1. Cor. 7. u ap. Niceph. & alii vt ſupra. x Serm. de præſent. y Cedren. in Compend. & alii recentiores hiſtorici. z Leuit. 27.

Redemptio libera.

a Exod. 38. ... Machab. ... Luc. 2. 37. Vide Canis. lib. 1. de Maria Deip. cap. 12.

Cum autem MARIA Virgo attigiſſet annum ætatis decimumquintum, de maritando[b] eam inter Sacerdotes initur conſilium, quorum eſſet officium de his quæ ſemel Deo eſſent oblata diſponere. Nam & illos qui Deo depoſiti erant homines, nupſiſſe ſtatuto tempore probat eiuſdem Samuelis exemplum, quem certum eſt[c] vxorem ac liberos habuiſſe. Deligitur autem in maritum Virginis vir iuſtus IOSEPH eius contribulis, ex ſtirpe Dauid oriundus, ſed opificio faber: Neque enim ad pecuniam, vel ad honores inſpicere, ſed ad genus per antiquam lineam ductum atque probatum, in contrahendis nuptiis penes Iudæos fuiſſe conſuetudinem, teſtatur Ioſephus[d]. Sic vero deſponſata Virgo parentibus reddita eſt, qui eam domum reducerent, & quæ ad futuras nuptias eſſent neceſſaria præpararent. Fuiſſe porro eiuſmodi ſponſalia apud Hebræos non minoris momenti quam ipſas nuptias, auctor eſt Philo.[e] Siquidem in ſolemni amicorum conuentu, mariti vxoriſque nomina ſcribebantur in tabulis; & ſiquid ſponſa in domo paterna manens deliquiſſet, æque plectebatur ac nupta, vt lapidibus obrueretur ſi adultera inuenta eſſet.

XXII. b Rom. greg. ... Greg. Niſ. ... c ... 1. Reg. 8.

Maria deſponſatur.

d Ioſ. cont. Appion. lib. 1. e Phil. ... de ... leg.

Cum autem deſponſata maneret in domo paterna in Nazareth ciuitate Galilææ, facta eſt ei ab Angelo Gabriele ANNVNCIATIO de Cōceptione & Natiuitate Chri-

XXIII. Annunciatio S. Mariæ.

f Luc. 1.

DE VOTO VIRGINITATIS AB EA NVNCVPATO.

ſti Domini, quam deſcribit Lucas [f] Euangeliſta. Sed quod illa excepit de ſui corporis integritate, dicens: *Quomodo fiet iſtud; quoniam virũ non cognoſco?* eam de perpetua virginitate ſeruanda votum ante nuncupaſſe, fateri omnino neceſſe eſt: alioquin quę fuiſſet admirandi vel ſciſcitandi de futura prole leuis ſaltem occaſio? Deniq; in hanc ſententiam illud ipſius reſpõſum, omnes qui de ea re egerunt, tam Latini, quam Græci Patres [g] acceperunt: à quibus ſcio neminem diſſentire, niſi ſtolidiſſimorum hæreticorum factionem, qui ad impugnanda ſacræ vota virginitatis & continentiæ egregiam diabolo nauant operam. Quonam vero potiſſimum tempore eiuſmodi votum emiſerit, ex iis quę de voto puellæ, antequam fuerit deſpõſata, vel poſtea, lex [h] diuina ſanciuerat, aſſeri poſſe videtur, id eam viuis adhuc parentibus, iiſdemq; ſcientibus nec diſſentientibus pręſtitiſſe, antequam eſſet deſponſata Ioſeph. Eoq; reſpexerunt Gregorius [i] Nyſſenus, atq; Epiphanius [k], dum ſcribunt ex ſacerdotum conſilio, diuino confirmante aſſenſu, datum Ioſeph ſponſum Virgini, non ad opus coniugii, ſed potiſſimum ob virginitatis cuſtodiam. Et vt ait S. Auguſtinus [l], deſponſata eſt viro iuſto, non violenter ablaturo, ſed potius contra violentos cuſtodituro quod illa iam vouerat. Fuit tamen de Virginis voto aliorum [m] ſententia; nempe eam poſtquam eſt deſponſata, votum virginitatis quod animo diu conceperat, ſponſo aſſentiente, verbis expreſſiſſe. Perfacile vero fuit id ſuaderi homini iuſto, ab illa præſertim quæ & Deum ipſum (ſi ita licet dicere) in ſuum traxit obſequium. Et quid ni præſtaret hoc iuſtus, quod Phariſæos ad præſcriptum tempus, & Eſſenos in perpetuum illa ætate obſeruaſſe vidimus?

g Vid. Aug. de Sanct. Virg. cap. 4. Greg. Nyſ. orat. de Chr. Natiuit. & alios in commen. in hunc locum ([illegible])

h Num. 30.

i Greg. Nyſ. orat. de Chr. Natiu.

k Epiph. hær. 78. & in Ancor.

l Aug. de ſanct. Virg. cap. 4.

m S. Tho. 3. par. q. 28. art. 4. & alii tam ſecuti.

XXIV. DE S. IOSEPH STATV.

Quod autẽ ad ipſum S. Ioſeph attinet; antiqua eſt quęſtio, quæ & vtriuſq; partis grauiſſimos habuit aſſertores, *Viduuſne fuerit* an cælibem vitam vſq; ad Virginis deſponſationem duxerit, ſicq; ſemper virgo permanſerit. Et quidem illos, quos Euangeliſtę fratres Domini vocant, ex Ioſeph & prima eius vxore ſuſceptos eſſe, fuit plurimorum Græcorum, & aliquorum etiam Latinorum opinio. Sed quod eam ex cœnoſo fonte pſeudoeuangeliorũ, quę Petri atq; Iacobi nomine circumferebãtur, aliorumq; eiuſmodi apocryphorum, hauſtam primo fuiſſe, ex ipſo Origene [n] qui eidem fauit, atque ex Hieronymo [o] exploratum reddatur; conſtetq; ſexcentis Scripturæ exemplis, conſobrinos dici etiam fratres; deniq; illos qui dicũtur in Euangelio fratres Domini, alterius prorſus filios fuiſſe, ex eodem ipſo Euangelio liquido probetur [p]: fuit aliorũ magis probabilis ac recepta ſententia, Ioſeph nullum ante Sanctiſſimam Virginem iniiſſe cõiugium, puta Hieronymi [q], Auguſtini [r], & cæterorum omnium [s] qui poſtea vixerunt Latini Orthodoxi Scriptores; adeo vt Petrus [t] Damiani, ſuorum temporũ ſcriptor nobiliſſimus, dicat magna fiducia, Eccleſiæ fidem in eo eſſe, vt nõ modo Deipara, verum etiam putatiuus pater atq; nutritius virgo habeatur. Et certe quomodo non homini virgini Deus virginem, ex qua carnem ſuſcepturus erat, tradidiſſet, ſi factus homo, ex hoc mundo migraturus ad Patrem, eandem iam ſeneſcentem non niſi virgini commendauit?

n Orig. in Matth. 13.

o Hier. in Matth. 12. in fin.

p Probat hoc fuſe Baron. to. Appar.

q Hier. cont. Heluid.

r Aug. ſerm. 14. in Nati. Domini.

s Bed. Albe. Bern. Anſ. Ruper. Tho. Gerſ. & cæteri omnes recentiores, & Lyran. Victorinus in ſchol.

t Pet. Dam. ep. 11. c. 4. ad Nic. PP. [illegible]

XXV. IOANNIS BAPTISTÆ CONCEPTIONIS TEMPVS.

Sed vt redeamus ad ſalutationẽ Angelicam; quod Sanctus Gabriel vt aſſenſum Virginis eliceret, recens de Elizabeth eius cognata exemplum, ad confirmandum tanti ſacramenti veritatẽ adducens, ait ipſam cõcepiſſe filium; & hunc iam menſem eſſe ſextum illi: ex iis ſecundum initam à nobis inferius rationẽ, exploratum redditur, Ioannem Baptiſtam eſſe in vtero materno cõceptum anno ab V.C. 710. Coſſ. Sabino & Rufo, Olympiadis 194. anno primo, Auguſti Imperatoris à Triumuiratu anno 39. 8. Cal. Octob. poſt ęquinoctiũ, ſolemnis [u] ieiunii tempore, cum eius pater Zacharias in templo adolẽs incenſum, de ea re diuinum accepit ab Angelo oraculum. Qui quidem Zacharias non Summus fuit Sacerdos (ꝙ à pluribus ſummæ auctoritatis Doctorib. [x] affirmatum miramur) ſed, vt diſertis verbis ipſe Lucas Euangeliſta ſcribit, *Sacerdos de vice Abiæ, cui in ordine vicis ſuæ ſorte tunc contigerat vt incenſum adoleret in tẽplo:* quę nequaquã conueniunt Summo Pontifici; q nec ſorte eligebatur, neq; eius functio, cum eſſet vnicus ſorti erat ſubiecta: quem & alioqui idem Sanctus Lucas non ſacerdotẽ ſimpliciter, ſed *Principem Sacerdotum* nominare [y] conſueuit. Adde quod nec idẽ Zacharias adſcriptus repetiatur inter Summos Pontifices, quorum Catalogus integer, & nulla ex parte corruptus, hactenus extat apud Ioſephum [z]: habitaque cuiuſque ſucceſſionis ratione, anno quo hæc contigerunt Zachariæ, Matthias Theophili Pontificatum geſſiſſe reperitur, qui Simoni ſucceſſit.

u Chryſoſt. in Luc. 1.

x Aug. in Ioan. tract. 49. Ambr. Bed. Euthym. in Luc. 1.

DE SACERDOTIO ZACHARIÆ.

y Luc. 22. Act. 23.

z Ioſeph. 20. ant. 8. & de bel. lib. 1. & ſeq. ſparſim. Colligit etiam Niceph. l. 1. cap. 3. 4. & alter Nat. in Chro.

XXVI. DE VERBI INCARNATIONE.

Porro cum Angelus Gabriel omnia non humanitus, ſed diuinitus eſſe perficienda, Sanctiſſimam Virginẽ monuiſſet, illaq; haud cunctata mira animi ſubmiſſione aſſenſum præbuiſſet; eodẽ momento ſic dilapſum eſt Verbum in vterum eius, vt ex ea carnem aſſumens, ꝙ ſemper fuiſſet, eſſe non deſineret; vnitaq; ſibi indiuiſe & inconfuſe humanæ naturæ ſubſtantia, in vna eademq; perſona ex duabus naturis vnus Chriſtus, idemq; perfectus Deus atque perfectus homo in vtero virgineo formaretur. Contigerunt aut. iſta Coſſ. Cornelio Lentulo & Valerio Meſſalino, Auguſti Imperatoris anno ab inito Triumuiratu quadrageſimo, 8. Cal. April. eadem die qua primus homo formatus eſt Adam. Ceterum domus illa, in qua de Verbi Incarnatione Sanctiſſima Virgo cœleſtem accepit nuncium, adhuc magno miraculo non tãtum integra perſeuerat, ſed Angelorum miniſterio ab infidelium manib. vindicata, in Dalmatiam primum, inde in Italiam tranſlata eſt in agrum Lauretanum Piceni prouinciæ: quod perinſigne ac nobiliſſimum vetuſtatis monumentum totus Chriſtianus Catholicus Orbis veneratur ac colit. Rem geſtam (Deo fauente) enarrabimus ſuo tempore, quo facta ſcribitur: Interim tu iis fruere, quæ de illa Petrus Caniſius [a] non minus pie, quam erudite conſcripſit.

LAVRETANA DOMVS TRANSLATA AB ANGELIS.

a Caniſ. de S. Mar. lib. 5. cap. 25.

XXVII. DE CIVITATE IVDA IN MONTANIS.

Poſt receſſum Angeli, Sanctiſſima Virgo abiit in ciuitatem Iuda in qua morãbatur Zacharias, vt viſitaret Elizabeth cognatam ſuam: tuncque ibi geſta ſunt inter eas illa quæ Sanctus Lucas [b] deſcribit. Ciuitas aut. illa Zachariæ, fuit Hebron, ſiue Chebron, aliter dicta Cariatharbe, ciuitas ſacerdotalis [c] in monte ſita, diſtans ab Hieroſolymis viginti duobus milliaribus; & nobiliſſima tum ob ſui antiquitatem, tum ob egregia rerum geſtarum monumẽta: quandoquidem ibi habitauit Abraham, vnctus eſt Dauid, & celeberrima erant ſepulchra Patriarcharũ: de qua paſſim in Scriptura; & deſcribitur à Ioſepho [d], Hieronymo [e], & aliis [f]. Sed & quod ibi fuiſſet Quercus Mambre, vbi tres Angeli viſi ſunt Abrahæ, qui vnũ adorauit; ſumma veneratione à Chriſtianis, Iudæis, pariterq; Gentilib. habitam eſſe, ſcribit Sozomenus [g]. Certum eſt aut. errare illos, qui per ciuitatem Iuda in montanis poſitam, putant Hieroſolymã eſſe intelligẽdam: quæ nec eſt adnumerata inter ciuitates ſacerdotales apud Ioſue; & poti⁹ regia erat ciuitas, quo ſacerdotes tempore vicis ſuæ accedere cõſueuerant.

b Luc. 1.

c Ioſue 21.

d Ioſ. 5. ant. 1. & 7.

e Hier. ep. 27. & de loc. Hebr.

f Ap. Bed. de loc. ſanct. cap. 9.

g Sozom. 2. hiſt. 3.

XXVIII. DE FACTA DESCRIPTIONE A QVIRINO.

His enarratis, mox ſubdit Euangeliſta, [h] *exiiſſe in diebus illis edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus Orbis; eamq; deſcriptionem primam factam eſſe à Præſide Syriæ Cyrino: & cum irent omnes vt profiterentur ſinguli in ſuam ciuitatem, aſcendiſſe pariter & Ioſeph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam, in ciuitatem Dauid quæ erat Bethleem, eo quod eſſet de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria deſponſata ſibi vxore prægnante.* Hæc Lucas. Qui quod hãc deſcriptionem primã factam dicit, nemo prudẽs intelliget tunc primum cenſos fuiſſe Iudæos, factoſq; Populo Romano vectigales. (Neq; n. aliud erat ipſa profeſſio, q̃ cenſus ſolutio, vt docet [i] Iuriſconſultus) Siquidem longe antea ſub Conſulatu Ciceronis & Antonii, Pompeius iis domitis tributũ [k] imperauit: idq; ipſum poſtea non ſolum Gabinius, ſed & Caſſius, & ceteri factitarunt qui poſt ſucceſſerunt Præſides Syriæ: ac viginti nouem annis Iudæos Romanis tributa pependiſſe antequam Antipater Herodis pater Iudææ procurator à Romanis inſtitueretur, nec poſtea vnquam ceſſaſſe, teſtatur Epiphanius. [m] Ac licet ea prouincia à Romanis Herodi, ac ceteris Regibus conceſſa eſſet; ſemper tamen Imperatori Romano cenſum perſoluiſſe, Euangelii [n] auctoritate compertum eſt: atque perſeueraſſe vſq; ad Veſpaſiani tempora, omnes [o] æque affirmant. Hanc igitur deſcriptionem à Quirino, eodemque dicto

h Luc. 2.

IVDÆI SÆPE CENSI.

i L. 1. & ſeq. D. de cenſib.

k Cic. orat. pro Flac. Ioſ. ant. 8. Ammian. lib. 14. Auguſt. 18. de ciuit. 41. Hieron. in Dan. 9.

l Dio. lib. 37.

m Epiph. in Panar. hær. 51.

n Matt. 22. Luc. 20.

o Ioſeph. lib. Ioſ. ant. & de bel. & alii.

Digitized by Google

Cyrino, factam primam Euangeliſta dixerit reſpectu ſecundæ ſub eodem Præſide factæ, more Romano quolibet luſtro cenſendo populum: vel potius quando relegato Archelao Herodis filio, [p] idem Quirinus eius bona in fiſcum redegit, & Iudæam prouinciæ Syriæ attribuit.

p Ioſeph. lib. 18. cap. 3.

XXIX. QVALIS CENSVS, SVB QVO CHRISTVS DESCRIPTVS.

q Caſſiod. 3. Var. 52.

Sic autem hunc cẽſum, cuius hic meminit Euangeliſta, accipiẽdum eſſe proponimus, vt cum ſingulis luſtris mos eſſet cenſere populum, hoc anno Auguſti edicto auctus fuerit cenſus, magnumq; acceperit incrementum. Sæpe namque cenſus deſcriptionis mutatam eſſe formam, qui Liuium & Dionyſium legerit, facile intelliget. Huius a. Caſſiodorus [q] eam affert cauſam, quod cum ob bella ciuilia immenſis cladibus vniuerſus Orbis afflictatus eſſet, ipſaq; rerum dominia haberentur incerta atq; cõfuſa; his proſpicere curans Auguſtus, Romanum Orbem agris diuiſit, cenſumq; deſcribi voluit, vt poſſeſſio ſua nulli haberetur incerta, quam pro tributorum ſuſceperat quantitate ſoluẽda. Suidas [r] vero ait, Auguſtum viros viginti probatiſſimæ vitæ delectos in omnes prouincias miſiſſe, p quos & homines & opes deſcripſit, vt iuſtam inde in ærarium partem inferrent, cum qui eum anteceſſiſſent, prouinciarum bona expilari conſueuiſſent. Quod vero pertinet ad numerum eorum qui cenſi ſunt; idem alibi [s] teſtatur, repertos eſſe quadrageſies centũ & decem millia, ac ſeptẽdecim Romanos ciues: ſed in Euſebii Chronico aliquid amplius, dum numerantur 4164000. Porro alia quoque redditur [t] huius cenſus ratio; quod cum Auguſtus vectigalia omnia prouinciarum ſubtuliſſet, tributa ordinaria inſtituit, alia in agros, alia in capita; itaq; cenſum indixit, vt capitum fortunarumq; ſummam quæ in imperio eſſet, cognoſceret. Verum præter luſtralem Cenſum, ob exhauſtum nimis ciuilib. bellis ærarium, alias ſæpius idem Auguſtus tributa, & quidem grauia imperauit; vt ex Dione, aliiſq; patet. Nec prætermimus aliam ab his diuerſam Orbis deſcriptionẽ Geometricam, ad Romani Imperii cenſendas prouincias, loca, & perſonas; quæ ſub Iulio Cæſare ex SC. inchoata, ſub Auguſto ita eſt abſoluta, vt vniuerſus Romanus Orbis intra annos triginta duos à dimenſoribus peragratus fuerit: quod pluribus deſcripſit Æthicus.

r Suid. verb. ἀπογραφή.

s Suid. verb. Auguſtus.

t Sigon. de ant. Ital. lib. 1 cap. 21.

PLVRES CENSVS EXACTI AB AVGVSTO

XXX. DE ANNO QVO NATVS EST CHRISTVS

Ceterum quod pendente adhuc cenſus deſcriptione ſub Quirino, IESVM Chriſtum Dominum noſtrum eſſe natum, circumciſum, atque deſcriptum, Patres omnes pari conſenſione cõfirmare videãtur; quo id potiſſimum tempore contigerit, ſtudioſe inueſtigandum eſt. Hæcque baſis quædam ac fundamentum Annalium eſto. Perſpecto etenim vero, quo Chriſtus natus eſt ANNO, ceteri qui ab eo dinumerantur, veri certique ſupputabuntur: ſiquis autem in eo errauerit, in ſingulis aliis errare cogetur.

QVIBVS COSS. NATVS CHRISTVS.

u Epiph. in Panar. hær. 51.

x Caſſiod. in Chron.

y Seuer. hiſt. lib. 2.

Vt autem à Coſs. Romanorum incipiamus; tres, eædemq; diuerſæ reperiuntur fuiſſe antiquorum ſententiæ: quarum primæ auctor eſt Epiphanius, [u] aſſerens natum eſſe Dominum Auguſto decimumtertiũ & Siluano Coſſ. Secundæ Caſſiodorus, [x] qui præcedenti anno ponit, nempe ſub Cornelii Lentuli & Valerii Meſſalæ ſeu Meſſalini Conſulatu: Tertiæ Seuerus, [y] qui alium annũ anticipans, natum Chriſtum dicit Sabino & Ruffino Coſſ. Scimus in his deſudaſſe diſertorum virorum ingenia: nos a. harum extremis reiectis, quaſi regiam viam gradientes, mediam ſequimur Caſſiodori ſententiam: à qua nec re vera diſſenſiſſe videtur Epiphanius, niſi quod, dum ipſe de die natalis Chriſti eſt ſecutus Ægyptios, qui ſexta Ianuarii Chriſtum natum eſſe dicebant, [z] non oportuit ſub dictis Coſſ. Lentulo & Meſſalino, ſed ſub dictis ſequentis anni Coſſ. Auguſto & Syluano natalem Domini conſtituere. Illud inſuper vt Caſſiodorum ſequamur maxime perſuadet, quod homo Romanus, literarum omni genere excultiſſimus, & in his apprime verſatus (vt qui non tantum Conſulares Faſtos, ſed & de computo Paſchali librum cõſcripſit) magna adhibita conſideratione, nec aliter quam Romana profiteretur Eccleſia, ſub dictis Coſſ. Chriſti natalem poſuiſſe videatur. Secutus eſt Caſſiodori ſententiam Marianus Scotus, qui ante quingentos annos claruit Chronographus nobiliſſimus; & nouiſſime Cuſpinianus in ſuis ad Caſſiodorum commentariis.

z Vid. Chryſoſt. homil. in Luc. c. 2. in Natiu. Dom. & Caſſian. Collat. 10. cap. 2.

XXXI. QVA OLYMPIADE NATVS CHRISTVS.

Porro eam veram certamque eſſe, ex ipſa etiam ſupputatione Olympiadum certius demõſtratur. Natum enim eſſe Dominum OLYMP. centeſimę nonageſimę quartæ anno ſecundo, ſentit Euſebius, dum in Chronico deſcriptionẽ factam à Quirino ſub eo anno ponit; licet errore factum ſit librariorum, vt natalis Domini ſequenti anno poſitus habeatur; cũ toto cœlo appareat, tam deſcriptionem à Quirino factam, quam natalem Domini vno eodemq; anno recenſenda fuiſſe. Hancq; extitiſſe eius ſententiam, ſatis ipſe demonſtrat, dum alibi [a] ſcribit annum decimum quintum Tiberii Imperatoris incidiſſe in annum quartum Olympiadis ducenteſimæ primæ, cumque annum fuiſſe [b] ætatis Chriſti trigeſimum: à quo tempore ſuperiores Olympiadas numerans, proculdubio inuenies natum Dominum dicta Olympiade centeſima nonageſima quarta anno ſecundo, quo Conſules à Caſſiodoro poſiti Conſulatum iniiſſe reperiuntur.

a Euſ. lib. de præpar. 3. & in Chron.

b Id in Chr. & lib. 1. c. 14.

XXXII. QVOTO ANNO AVGVSTI IMP. NATVS CHRISTVS.

Quo inſuper anno Imperii AVGVSTI id contigerit, cum alii ab aliis diuerſam inierint rationem in annis eius ſupputandis, diuerſarum etiã ſententiarum auctores fuere; dum id alii anno quadrageſimo ſecundo tribuere, alii vero quadrageſimo primo, rurſumq; alii vigeſimo octauo Porro qui natum dixere Chriſtum anno Auguſti quadrageſimo ſecundo, eos conſtat cœpiſſe numerare à nece C. Iulii Cæſaris (quod etiam antiquiores [c] Ethnicos, alioſq; ceteris auctoritate præſtantes Scriptores feciſſe, reperire eſt) à quo tempore deducendo annos quadraginta duos, natalis Chriſti in Olympiadem cẽteſimam nonageſimam quartam, & annum ipſius ſecundum (vt diximus) incidiſſe dicendus eſt; qui eſt pariter annus Lentulo & Meſſalino Coſſ. in Faſtis adſcriptus. Itaque ex noſtris ſenſerunt Euſebius [d], Epiphanius [e], Chryſoſtomus [f], Oroſius [g], Beda [h], & alii [i]: idque ipſum Sancta Romana Eccleſia in ſuo Martyrologio [k] profitetur. In quo illud aduertendũ, quod licet idem Euſebius in Chronico, eodem anno quo occiſus eſt Cæſar, Auguſti ponat ingreſſum, idque anno primo Olympiadis centeſimæ octogeſimæ quartæ; tamẽ errore librariorum factum eſſe vt primus annus Auguſti poſitus habeatur anno ſecundo dictæ Olympiadis.

c Horat. lib. 4. ode 14. Tac. dial. de Orat. lib. 18. ann. 1.

d Euſ. l. 1. 5.

e Epiph. hær. 1.

f Chryſ. homil. de nat. Chriſti.

g Oroſ. lib. 1. cap. 1. & 7.

h Bed. de ſex æt.

i Alii Flor. de duab. ſe.

k Mart. Rom. 25. Dec.

XXXIII.

Rurſus vero qui numerant Auguſti tempus ab anno ſequenti à nece Cæſaris, quo Hircio & Panſa Coſſ. in bello deſideratis, ipſe Conſulatũ inuaſit decimo quarto Calendas Septembris, & ante quintum Calẽdas Decembris cum Lepido & Antonio [l] Triumuiratum inſtituit; hi natum dixerunt Chriſtum anno quadrageſimo primo eiuſdem Imperatoris; puta Irenæus [m], Tertullianus [n], (licet hic memoria lapſus a morte Cleopatrę annos Auguſti deducat) Hieronymus [o], & alii recentiores; qui & ipſi ſecundum aſſertam nuper rationem, Chriſtum natum eſſe ſub præfatis Coſſ. Lentulo & Meſſalino, nobiſcum ęque conſentiunt. Qui vero dixerũt natum Dominum anno vigeſimo octauo Imperii Auguſti, nempe Clemens [p] Alexandrinus, & Euſebius [q]; putarunt tot intercedere annos ab Actiaca pugna vſque ad natalem Domini: nam Euſebius in Chronico debellatos ab Auguſto Antonium & Cleopatram ponit Olympiade centeſima octogeſima ſeptima anno tertio; à quo numerare incipiens dictos annos viginti octo, æque confirmat natum Dominum Olympiade centeſima nonageſima quarta anno ſecundo, dictis Coſſ. Lentulo & Meſſalino: Cum tamen auctore Dione, & aliis reperiatur contigiſſe ea victoria anno ab V. C. ſeptingenteſimo vigeſimo tertio 4. Non. Sept. Auguſto tertium & Meſſala Coſſ. dictæ Olympiadis anno ſecundo.

l Vid. Taur. lib. 2. Faſt.

m Iren. lib. 3. cap. 25.

n Tert. cont. Iud.

o Hier. in Iſa. cap. 2. in Dan. cap. 9.

p Clem. Alex. Strom. lib. 1.

q Euſ. l. hiſt. 5.

XXXIV. ANNVS NATALIS CHRISTI DEDVCTVS A TEMPORE BAPTISMI

r Luc. 3.

Sic igitur Caſſiodori ſententia omnium auctorum atteſtatione firmata atque ſtabilita habeatur: quæ potiſſimum Lucæ [r] Euangeliſtæ teſtimonio ſolidatur, dum baptiſmum Chriſti, (quem inferius eodem auctore videbimus contigiſſe anno Domini trigeſimo expleto) factum aſſerit anno decimo quinto Tiberii Imperatoris; à quo tempore ſi ceteros Chriſti annos ad ſuum principium reducas, plane inuenies ipſum natum eſſe ſub ſæpe dictis Coſſ. Lentulo & Meſſalino. Quibus etiam incidit vndecimum Biſſextum ex emendatione temporis facta à Iulio Cæſare, & ad noſtram ætatem obſeruata: licet re vera intercalaris

s Sol. Polyhiſt. cap. 3. t Macr. Saturn. lib. 1. cap. 14. u Plin. lib. 18. cap. 25. Sueton. in Octaui. 31.

ANNI AB VRBE CONDITA.

tercalatum eo anno non fuerit, quod is quintus eſſet ex duodecim, quos Auguſtus ad corrigendum ſacerdotum quemdam errorē in Iulianam emendationem inductum, ſine intercalatione tranſigi iuſſerat; vt Solinus[s], Macrobius,[t] & ceteri[u] teſtantur. Fuit autem is annus Vrbis Cōditæ ſeptingenteſimus quinquageſimus primus, ſecundum Varronianam ab antiquis magis probatam atque receptam ſupputationem.

XXXV. QVOTO ANNO REGIS HERODIS CHRISTVS NATVS.

x Ioſ. 14. antiq. 26. y Dio lib. 49.

Quo vero potiſſimum HERODIS anno id contigerit, perquirendum eſt, etiam ex conſuetudine ſanctorū Prophetarum, qui ex Chronologia Regum Iuda ſoliti ſunt tempora ſignare. Collatum Herodi regnum Romæ ex SC.to Domitio Caluino & Aſinio Pollione Coſſ. Olympiade centeſima octogeſima quarta, Ioſephus ſcribit[x], cōſentitq; Dio[y]. Verum Antigono Iudæorū regnum inuadente, Herodes non eſt eo potitus niſi illo debellato, quando M. Antonii ope per Soſium Syriæ Præſidē reſtitutus eſt M. Agrippa & Caninio Gallo Coſſ. Olympiade centeſima octogeſima quinta, vt idem Ioſephus affirmat[z]: qui colligens Herodis regni annos numerat ab inſtitutione facta ex SC.to vſq; ad eius obitum annos triginta ſeptē, à reſtitutione vero per Antoniū annos triginta quatuor. Si igitur dictos annos triginta ſeptem Herodis regni numeres per Conſules & Olympiadas ſubſequentes, proculdubio Herodem ante Redemptoris noſtri natalem ex humanis deſiiſſe certiſſimum erit. Verum cum idem auctor[a] dicat, Herodem eo tempore quo Iulius Cæſar confecto bello Alexādrino tradidit Antipatro ipſius patri Iudeę adminiſtrationem, natū fuiſſe annos quindecim; rurſuſq; affirmet[b] ipſum vixiſſe vſq; ad annum ætatis ferme ſeptuageſimum: hac ratione numerando ceteros Herodis annos à Conſulatu Caleni & Vatinii, quo à Cæſare tributa eſt Iudæa Antipatro, omnino dicēdum eſt, ipſum vixiſſe vſq; ad annum nouum ætatis Chriſti. Sed in eo errorē lapſus[bb] eſt, quod annos Herodis cœpit numerare à Cōſulatu Domitii & Pollionis. cuius erroris inde fluxit occaſio, quod cum in confeſſo eſſet apud omnes, Herodis regni annos triginta ſeptē eſſe adnumeratos; rurſumq; certum eſſet, ipſum ex SC.to regnum accepiſſe: factum eſt, vt ipſe Ioſephus ad primam inſtitutionē Romæ ſub dictis Coſſ. factam verterit oculos: cum tñ anni regni Herodis longo poſt tēpore publicis cœperint monumentis adſcribi. Siquidem cum ipſe in bello ciuili contra Auguſtum Antonio fauiſſet, idemq; Auguſtus ex SC.to reſcidiſſet, quæcumque ab Antonio geſta eſſent; idē Herodes ſupplex ad veniam impetrandam Rhodum ad Auguſtum victorem ſe contulit, depoſitoq; diademate precibus ab eodem regnū promeruit, quod & decreto Senatus fuit eidē ſtabilitum. Narrat hæc omnia plurib. ipſe Ioſephus[c]: quę quidem facta ſunt eo ipſo anno quo Auguſtus nauali bello Antoniū debellauit, eodem Auguſto tertiū & Meſſala Coſſ. Olympiade centeſima octogeſima ſeptima anno ſecundo. His vero ſic exiſtentibus, duplici ratione dicimus ab hoc tempore numerandos eſſe triginta ſeptē illos Herodis annos; tum vt dictum ſeptuaginta annorum illius ætatis tempus impleatur, tum etiam ob nouam regni eius ab Auguſto ex SC.to reſtitutionē tam inſigniter factam. Eaq; ratione aſſerimus Chriſtum natū eſſe anno regni Herodis vigeſimo nono inchoato. Quam autem Euſebius[d] in numerando Herodis annos ab Olympiade centeſima octogeſima ſexta anno tertio, vel Cyrillus[e] Hieroſolymitanus anno quarto eiuſdem, itemq; Epiphanius[f] in affirmando Chriſtum natum eſſe anno trigeſimo tertio Herodis: inierint rationem, & quos ſectati ſint auctores, nos certe præterit.

z Ioſ. 14. antiq. 28. a Id. 14. antiq. 17. b Id. 7. antiq. 1. & 1. de bel. 21. bb. Scimus Ioſephum à multis defendi in annis Herodis, aliſque nonnullis narrationibus, aduerſus accuſationes Baronii: ſed nec pſi Ioſephi defenſores inter ſe conueniunt, & nobis non eſtan mus mutare ſenſa Baronii, cuius Annalium epitomem agimus, non Criticem exercemus. c Id. 15. antiq. 10. d Euſeb. in Chron. e Cyril. catech. 12. f Epiph. hær. 51. & 58.

XXXVI. QVOTO ANNO AB ORIGINE MVNDI CHRISTVS NATVS.

g Per. commen. in Dan. lib. 11. q. 5.

Reliquum iam illud tantum eſſet, vt dictum tēpus Natiuitatis Chriſti, more maiorum, HEBRAICIS CHRONOLOGIIS etiam conſignaremus. Sed quoniam ſcimus tam antiquiorum quam recētiorum ingenia in veterrima hac quæſtione deſudaſſe, & quot ſunt capita totidem reperiri ſententias; cuius ſint potiora iura diſquirere, non eſt præſentis otii, nec noſtrarum virium tantum opus. Nouiſſime vero eruditus noſter Pererius[g] adnotauit, Chriſtū natum eſſe anno quater milleſimo vigeſimo ſecundo ab origine mundi. Illud autem non prætermittendum, cunctos ferme antiquos Patres cōſueuiſſe ſupputare annos mundi non ſecundum Hebraicam editionem, ſed ſecundum Septuaginta Interpretes; licet ob diuerſitatem Græcorum exemplarium, & interpretatione, aliaſq; innumeras difficultates, non ęque de numero inter ſe conſenſerint: puta Theophilum Antiochenum, Hippolytū[h], Iulium,[i] Africanum, Clementē[k] Alexandrinum, Origenem[l], Cyprianum[m], Euſebium[n], Lactantium[o], Epiphanium[p], Hieronymum[q], Philaſtrium[r], Oroſium[s], Auguſtinum[t], Iulianum[u] Toletanum, duos Anaſtaſios, Sinaitam[x] & Nicænum[y], Suidam[z], Nicephorum[a], & alios recētiores complures; nec non ipſa Synodica Acta, quemadmodum in Concilio Sexto Oecumenico, à mundi origine vſq; ad illud tempus anni numerantur ſex mille centum nonaginta nouem. Deniq; ipſam Sanctam Dei Eccleſiam antiquitus conſueuiſſe ſecundum eoſdem Septuaginta computare, teſtatur Auguſtinus[b]. & de Romana nominatim Eccleſia refert idem Anaſtaſius Sinaita, & eadem ipſa profitetur in ſuo Martyrologio.

Poſt obitū vero Card. Baronii prodierunt in lucem Annales Sacri ab Orbe Condito ad ipſum Chriſti Paſſione reparatum, auctore Auguſtino Torniello Clerico Regulari Congregationis Sancti Pauli: in quibus Natiuitas Chriſti ſtabilitur anno Mundi 4051. h Hip. in can. temp. i Afric. ad Ariſt. k Clem. Strom. li. 1. l Orig. in Matth. tr. 29 m Cyp. præfat. lib. de exhort. mart. n Euſeb. in Chron. & in fragm. ad Marin. o Lact. lib. 7. cap. 15. p Epiph. hær. 66. q Hier. in ep. ad Tit. c. 1. r Phil. de hæreſ. cap. 112. s Oroſ. lib. 1. cap. 1. t Aug. 12. de ciuit. 12. u Iul. con. Iudæ lib. 3. x Anaſt. Sin. in Hexa. lib. 7 y Anaſt. Nic. quæſt. 92. z Suid. verb. Adam a Niceph. in Chron. b Aug. 15. de ciuit. 11.

XXXVII. QVO MENSE ET DIE, ET HORA, CHRISTVS NATVS.

c Ap. Clem. Alex. Stro. lib. 1. d Epiph. hær. 51. e Hier. in Ezech. c. 1. f Caſſian. Collat. 10. c. 2. ex præf. epiſt. Theoph. Epiſ. Alex. g 5. Conſt. 13. h Aug. tra. in Pſal. 132. propeſ. & 4. de Trin. 4. Oroſ. lib. 7. cap. 2. i quæſt. 93. k 1. Cor. 15. l Serm. de Nat. Dom. m Hexam. lib. 7. n quæſt. 93 o Can. 8. p Luc. 2. 9. & 9. q Ab. Flac. de diuin. Offic. cap. 1. & alii. r Sap. 18.

Porro his quæ ad annum Natalis Domini pertinent ſtabilitis; vt MENSEM pariter, ac DIEM ſtatuamus, primo reiicimus quorundam veterum hæreticorum[c] errores, qui eum vigeſima vel vigeſima prima menſis Aprilis, aut etiam decima quinta Maii natum dicerent; nec non Ægyptiorum, eorumdemq; Orthodoxorum, quibus conſtanter adhæſit Epiphanius[d], opinionem iam ab Hieronymo[e] confutatam, qua id ſexta die Ianuarii, qua Epiphaniam Domini Eccleſia celebrare cōſueuit, contigiſſe exiſtimarunt[f]: tam Latinorum, quam Græcorum Eccleſiæ, pari conſenſione in eam conueniunt ſententiam, vt Redemptor noſter ſit natus vigeſima quinta menſis Decembris. Nam præter ea quæ habentur apud Clementem[g] Romanum, Auguſtinus[h] ex traditione Eccleſiæ id ipſum affirmat, ac ceteri Latinorum: nec aliter Græcos ſentire, Anaſtaſius[i] Nicænus Epiſcopus, Græcorumq; Menologium, & alia antiqua ipſorum monumenta fidem faciunt. Porro de hebdomadis die, atque hora, fuit nōnullorum ſententia vt eadem die, ipſaque hora qua primus homo creatus eſt, eadem omnino & ſecundus homo (ſic enim Chriſtum appellat Apoſtolus[k]) fuerit natus. Hincq; ait Heſychius[l], natum eſſe die ſexta, hora tertia diei; Anaſtaſius[m] vero Sinaita eadem die, ſed ad veſperam; Anaſtaſius item Nicænus[n] eadē, ſed hora diei ſeptima. Verum quod ad diem ſpectat; die Dominico natum eſſe Dominū in ſexta[o] Synodo Græci profitentur. Nocte autem id accidiſſe, ſatis indicat Lucas[p] Euangeliſta, idq; ipſum profitentur Interpretes; vetuſq; traditio Eccleſiaſtica perſuadet, atque ſacræ noctis illius anniuerſariis functionibus[q] docet. Rurſumq; id de ea parte noctis, quæ de media nocte dicta ad ſequentem pertinet diem, multi interpretati ſunt, ſecundum quod prophetice dictum[r] fuerat: *Dum quietum ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus exiliens è cælo, è regalibus ſedibus venit.*

Sed his omiſſis, vt omnia quæ dicta ſunt contrahamus in vnum, dicimus Redemptorem noſtrum natum eſſe vigeſima quinta Decēbris, C. Cor. Lentulo & M. Val. Meſſalino Coſſ. anno Biſſextili, ab V. C. ſeptingenteſimo quinquageſimo primo, Auguſti imperatoris ab initio Triumuiratu quadrageſimo primo, à nece Cæſaris quadrageſimo ſecundo, Herodis Regis vigeſimo nono inchoato, Olympiadis centenſimæ nonageſimæ quartæ anno ſecundo. Cui Chronographiæ documēta publica adſtipulari omnia, nimirum Acta Conciliorum, Decretales Romanorum Pontificum, Conſtitutiones Principum, & (vt vno verbo dicam) quæque vetera ſiue recentia, ſiue publica, ſiue priuata monumenta, ſiue inſcripta chartis aut inciſa lapidibus, in quibus inſit aliqua temporis nota, eamdem recipere, comprobare, atque confirmare, inferius demonſtrare ſæpius continget. Quæ autem in Natali Domini contigerint, iam aggredimur enarrare: quibus ad immenſum Annalium pelagus ſuperandum pandentibus vela, Sancta Dei Genitrix, cuius diuinum puerperium ipſo ingreſſu enarrandum occurrit, diuini numinis conciliatrix ſemper aſſiſtat.

ANNALES ECCLESIASTICI.

I. NATIVITAS CHRISTI.

CVM edicto cogente (quod ante diximus) è Nazareth Galilææ in Bethleem Iuda, Ioſeph atque beatiſſima Virgo MARIA, vt profiterentur aſcendiſſent, *Impleti ſunt dies*, (inquit Lucas [a]) *vt pareret, & peperit Filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diuerſorio.* Quod autem in primis attinet ad locum, vbi Chriſtus eſt natus; ſpeluncam fuiſſe in ſuburbiis Bethleemiticis, Origenes [b], Iuſtinus [c], Euſebius [d], Epiphanius [e], aliique [f] auctores Græci, & omnibus locupletius inter Latinos Hieronymus [g] qui ætatem illic tranſegit, teſtatur. Erat namque Bethleem ſita ſupra collem in longum porrectum; in cuius extremitate Orientem verſus ſub rupe quadam, exiſtente tunc temporis iuxta muros ciuitatis, erat [h] ſtabulum ac præſepe Domini exciſum in rupe, vbi natus eſt Chriſtus. Sed qui loca illa ignorarunt, nihil de ſpelunca dixerunt, quod putarint in alicuius ruſticæ domunculæ ſtabulo Chriſtum natum. Nec vero dumtaxat fuiſſe illic Præſepe, ſed & Bouem & Aſinum ad illud alligatos (quod olim Propheta [i] cecinerat) teſtantur Gregorii Nazianzenus [k] atque Nyſſenus [l], Cyrillus [m], Hieronymus [n], Paulinus [o], Prudentius [p], & alii [q], ferturque [r] tunc in eodem puerperio accidiſſe miraculum, vt in eadem ſpelunca ad ea quæ vſus quotidianus expoſcebat è petra fluxerit aqua, quæ numquam potuit exhauriri, ſed manſit diutius diuinæ virtutis egregiũ monumẽtum.

[Margin:] a Luc. 2. — DE SPELVNCA BETHLEEMITICA. — b Orig. cont. Celſ. lib. 1. c Iuſt. dial. cum Tryph. d Euſ. 7. demonſt. 5. e Epiph. lib. 1. in fin. f Athan. ſer. de nat. Chriſti ap. Lipom. to. 8. Damaſc. car. de Nat. Chr. g Hier. ep. 18. ad Marcellam. h Borch. in deſcript. Ter. S. par. 1. c. 7. num. 59. i Habac. c. 3. ſecundum 70. interp. k Naz. orat. de Chr. nat. l Nyſſ. de Chr. generat. m Cyr. catech. 12. n Hier. ep. 27. ad Euſt. o Paul. ep. 11. ad Sever. p Prud. in cath. die 8. Cal. Ianu. q Io. Damaſc. carm. de natiuit. Chr. r Bed. de loc. S. cap. 8.

II. MARIÆ VIRGINITATIS INTEGRITAS.

Ceterum cum Naturæ Dominus gigneretur, naturæ legibus non tenebatur; atque ideo quæ conceperat ſine viro peperit ſine dolore; & quæ virgo ſemper fuerat ante partum, æque permanſit in partu, ac proinde eadem perſeuerauit poſt partum. Et quantumuis Dei mater eſſet, quo excellentior nullus eſt titulus; tamen in Eccleſia Dei à perpetua virginitate conſecuta eſt cognomentum, vt numquam à maioribus nominari conſueuerit [ſ] ſine ſuperaddito cognomine VIRGINIS. Quapropter & quæ Virgo ſemper extitit, eque ſine vlla moleſtia parturiit, nec aliquo indiguit obſtetricantis obſequio; ſed ipſa genitrix, [t] & obſtetrix, non [u] permiſit quemquam impuris manibus attrectare partum ab omni labe purum. Quod enim S. Zeno [x] Epiſcopus Veronenſis de obſtetricis obſequio habet, deque pœna eiuſdem incredulitatis, & ſoſpitate eidem reſtituta; haud dubium ex apocryphis eſt mutuatus.

[Margin:] ſ Vid. Epiph. hær. 78. t Ap. Cypr. de oper. Car. in nat. Chr. u Athan. ſer. de nat. Chr. ap. Lipom. to. 8. x Zeno ſer. 6. de Nat.

III. CVLTVS BETHLEEM.

Quod autem pertinet ad *Speluncam* illam, in qua Chriſtus natus eſt; vix credi poteſt, in quanta veneratione & cultu ea ſemper fuerit habita; vt quantumlibet Hadrianus Imperator ad abolendam tantæ rei memoriam, Veneris & Adonidis templum deſuper erexiſſet, nihilominus percelebris etiam apud Gentiles [y] eſſet loci illius memoria: qui reddita pace Eccleſiæ, mirifico eſt opere exornatus, ipſumque *Præſepe* honoris cauſa tectum [z] argento. Porro Chriſti natalis nobiliſſimum monumentum ex ligno confectum, nullaque argenti vel aſtri cælatura contectum, poſt multa tempora inde tranſlatum Roma poſſidet; eoque multo felicius illuſtratur, quam tugurio Romuli, quod intextum ex ſtipula, eorum [a] maiores ad multa ſæcula de induſtria conſeruarunt. Et in honorem ſacratiſſimorum Pannorum, ſeu *Faſciarum*, quibus dicit Euangeliſta Chriſtum à matre fuiſſe inuolutum, quæ & futuris temporibus ſeruatæ ſunt nobiliſſima erecta eſt baſilica, & anniuerſaria feſta dies à Chriſtiano populo celebrata; vt ſignificat Patrum [b] encomia ea die in Eccleſia dici ſolita.

[Margin:] y Orig. cont. Celſ. lib. 1. z Chryſ. in Luc. 2. — a Dionyſ. Halic. lib. 1. — SACRÆ FASCIÆ. — b Germ. & Euthym. or. de faſc. Domini, ap. Lipom. to. 6. die 31. Aug.

IV. QVATIEBANTVR NASCENTE CHRISTO.

De Prodigiis vero, quæ eadem die qua natus eſt Dominus, accidiſſe cõplures ex Oroſio, qui ea recenſet, ſcripſerunt, certè nec ipſe Oroſius ea illo tempore contigiſſe dicit, & nos multo prius accidiſſe ſatis ſuperius demõſtrauimus in Apparatu [c]. Sed & quod apud eundem [d] auctorem legitur de templo Iani ab Auguſto ter clauſo ob pacem vniuerſo Orbi Romano partam, quam & iſtud longe antea acciderit, ex Dione, qui res Romanorum per ſingulos annos & Conſulatus deſcripſit, facile intelligitur. cuius auctoritate cõſtat [e] primo ante annos viginti ſeptem, ac iterum ante annos viginti tres quam Dominus naſceretur, Iani fores occluſas eſſe; demum ante annos decẽ de iiſdem claudẽdis fuiſſe decretũ. Ad hæc quod idem Oroſius Auguſti Imp. modeſtiam commendat, qua ne *Dominus* diceretur edicto vetuit, id vero accidiſſe ſub Conſulatu Ælii Cati & Sentii Saturnini, anno ſexto à Chriſto nato, ex eodẽ Dione [f] colligi poteſt. Porro hæc & alia eiuſmodi, diuina quadam diſpenſatione eſſe facta, omniaque cœleſtis Regis aduentui inſeruiſſe, nemo ſapiens vmquam negare poterit.

[Margin:] c Num. 14. d Oroſ. lib. 6. cap. 22. — e Dio lib. 53. 53. 54. — f 14. lib. 55.

V. DE PACIS TEMPLO.

At ſicut veris innitimur, & veriſimilibus non contradicimus, ita quæ ſunt à veritate prorſus aliena, procul abiicimus: cuiuſmodi ſunt ea, quæ *de Templo Pacis*, eodemq; dicto *Æterno*, quod prædictum fuiſſet duraturũ donec Virgo pareret, Romæ collapſo ea nocte qua natus eſt Chriſtus, à multis vt vera certaque ſcribuntur: quæ inuenimus primum narrata in homilia quadam incerti auctoris, titulo tamẽ Petri [g] Damiani prænotata: ſed cum ille diem obierit annis circiter quinquaginta antequam S. Bernardus, quem citat, ea conſcriberet, facile tantus Pater falſi tituli calumnia liberatur. Quomodo vero iſta à recentioribus auctoribus inuenta non facillime erroris arguantur, cum certo conſtet templum Pacis nondum Chriſti tempore Romæ eſſe erectum, quod omnes antiqui hiſtorici [h] tradunt, domitis Iudæis per Titum, à Veſpaſiano Imp. fuiſſe conſtructum? nec fuiſſe Romæ ante Veſpaſiani tempora aliquod tantæ molis tẽplum Pacis, vllus vmquam rerum Romanarum tractator antiquus meminerit? Templum autem Pacis à Veſpaſiano erectum, ſub Commodo Imp. incendio cõflagraſſe, Herodianus eſt auctor. quod tamen nõ penitus fuiſſe abſumptum credimus, cum narret Ammianus [i] Cõſtantium Imp. Romam venientem, inter cetera Vrbis ædificia ipſum templum Pacis in admiratione habuiſſe: cuius & hactenus ruinæ ſpectantur. Sed de his ſatis. Eadem porro ratione habenda putamus alia nonnulla id genus, quæ nullo vel incerto auctore feruntur. Iam cetera hiſtoriæ Euangelicæ perſequamur.

[Margin:] g ap. Lipom. to. 8. & Sur. to. 6. — h Ioſeph. 7. de bel. 24. Suet. in Veſp. cap. 9. Plin. lib. 36. cap. 15. & alii plures. — i Am. lib. 16.

VI. PASTORES AD PRÆSEPE.

Addit poſt hæc Lucas [k] de *Paſtoribus*, qui ab Angelo moniti de Chriſti natiuitate, venerunt ad præſepe vt eum adorarent. Erat locus ipſe vbi paſtores greges ſuos paſcebant, Turris [l] Ader, id eſt, gregis, iuxta quam Iacob pauit greges ſuos mille paſſus [m] à ciuitate Bethleem ſegregata; vbi poſtea erecta eſt eccleſia, trium Paſtorum diuinæ natiuitatis conſciorum monumenta cõtinens. Præterea ſicut Chriſti natali lætati ſunt Angeli, & ſacrum hymnum, quem recitat Euangeliſta, cecinerunt: Ita & mali dæmones perterriti, de nato puero Hebræo, qui ſuas ipſorũ vires contereret, licet inuiti reſpõſa dedere: quæ cum innotuiſſent Auguſto, qui & ex Sibyllinis verſibus de eodem complura perceperat, ea quæ in Apparatu [n] diximus, debitæ religionis perſoluit obſequia. Sane quidem admiratione digna eſt in tanto homine repentina mutatio, vt qui antea Iudæorũ cultui adeo infenſus eſſet, vt Caium [o] nepotem laudaret quod Iudæam præteruehens, apud Hieroſoly-

[Margin:] k Luc. 2. l Hier. ep. 27. m Bed. de loc. S. cap. 8. — AVGVSTVS FAVET IVDÆIS. — n Num. 12. — o Suet. in Octau. c. 93.

roſolymam non ſupplicaſſet, poſthàc Iudæorum religionem in pretio habuerit; Iudæiſq; tum Romæ, tum vbiq; terrarum fauerit, atque etiam donariis frequentauerit. Sed his de Natali Domini pertractatis, ad eius modò infantiam tranſeuntes; primum ipſius annum (cum nonniſi huius, quo natus eſt, ſuperſint ſex dies) ab ipſis Calendis Ianuariis numerare, more maiorum, feliciter auſpicemur.

IESV CHRISTI ANNVS 1.

I. CIRCVMCISIO CHRISTI.

CALENDÆ IANVARIÆ EXPIATÆ.

REdemptor humani generis Chriſtus Dominus, poſtquam in Bethleem natus eſt (quoniam vt ait, Apoſtolus, miſſus eſt à Patre in ſimilitudinem carnis peccati) octauo die, ipſis Calendis Ianuariis, Auguſto decimumtertium, & Plautio Siluano Coſſ. circumciſus, nomen accepit IESVS, quod ab Angelo fuerat præmonſtratum, vt Euangeliſta teſtatur. Et qui in hunc mũdum ad hoc venerat vt diſſolueret opera diaboli, ipſas *Calendas Ianuarias*, præ ceteris anni diebus Gentilium ſuperſtitionib. pollutas, fuſo ſanguine conſecrauit. Vnde & illam diem poſtea Chriſtiani ſumma ſanctitate ac puritate, additis ieiuniis & litaniis, tranſigere ſtuduerunt, vt (quemadmodum ait Auguſtinus[u]) quando Gentiles lætabantur in ſuis fœditatibus & impietatibus, Chriſtiani pro ipſis gemerent. Vixq; credi poteſt, quantum laboris inſumpſerint Sancti Patres, tam pro concione[x], q̃ in ſacris Conciliis[y], vt eiuſmodi Gentilitias feſtiuitates è cordibus Chriſtianorum radicitus euellerent. Donec ſuperſtitione demum abolita, de ea veluti triumphans Sancta Dei Eccleſia coronam[z] pro cinere, oleum gaudii pro luctu, & pallium laudis pro ſpiritu mœroris accepit.

II. CHRISTVS DESCRIPTVS SVB QVIRINO.

Porro in eadem ipſa ſpelunca, qua natus eſt, circumciſum eſſe Dominum, Epiphanius[a] teſtatur: neque enim aliqua aſtringebantur lege Iudæi vt circumcidendum infantem deferrent in templum. Cumque in circumciſione nomen accepiſſet, cenſu Cæſaris ſub Quirino (de quo ſupra in Apparatu[b] diximus) deſcriptus eſt; id teſtantibus Iuſtino[c] Martyre, Oroſio[d], atq; ipſo Iuliano[e] Apoſtata apud Cyrillum, aliiſque omnibus. Conſtat enim, iure antiquo Romanorum[f] omnes cuiuſq; ætatis & ſexus, quantumlibet infantes, cẽſeri ſolitos. Sed quod in tabulis cenſus, cuiuſq; profitentis nomen ſcribi deberet; impoſſibile erat id fieri apud Iudæos ante octauum diem, quo nomen indebatur infanti; quemadmodum nec apud Gẽtiles, qui feminæ die octauo, maſculo die nono (qui dicebantur luſtrici[g] dies) nomen imponere cõſueuerant. Ceterum poſtea conceſſa eſt immunitas[h] prouinciæ Syriæ, ſub qua & Iudæa cenſebatur, vt nonniſi præſentes adſcriberentur in tabulis cenſuum. Sed ad hiſtoriã Euangelicam redeamus.

III. MAGORVM ADVENTVS. QVINAM II FVERINT.

In qua primo ſe offert MAGORVM ab Oriente, præeunte Stella, ad Chriſtum adorandum aduentus, & facta cum Herode Hieroſolymis collocutio; quæ Matthæus[i] Euangeliſta exacte deſcribit. Quinam vero hi MAGI fuerint, diuerſę reperiũtur ſcriptę ſententiæ; dicentibus aliis, eos malis artibus, magiciſq; excantationibus atq; præſtigiis, ſibi dæmones cõciliare ſolitos, cognita per ſtellæ apparitionem Chriſti natiuitate, ab illis ad rerum Dominum venientes defeciſſe. Fuitque iſta ſententia Ignatii,[k] atque Iuſtini[l] Martyris, necnon Origenis[m]: qui & amplius habet, eoſdẽ Magos edoctos per prophetias Balaam, à quo Magorum genus & inſtitutio in partibus Orientis vigeret, per ortum inuſitatæ ſtellæ agnouiſſe aduentum Chriſti. His quoque de excantationibus dæmonum ab iiſdem Magis fieri ſolitis, aſſentiuntur Baſilius[mm], Hieronymus[n], & alii, qui eos fuiſſe Chaldæos, atq; ab Erythræa Sibylla de Chriſto venturo edoctos teſtantur. Alii vero exiſtimarunt, eoſdem Magos fuiſſe Sapientes Perſarum, quorum ſententia eius gentis Principes cuncta facere conſueuiſſent: hocque ſenſerunt Clemens[o] Alexandrinus, Ioannes[p] Chryſoſtomus, Cyrillus[q] Alexandrinus, Theodoretus[r], Leo[s] Papa, & alii: quorum aliquos, qui dixerunt eoſdem Magos fuiſſe Reges Perſarum, erraſſe certum, eſt; quandoquidem longe ante Chriſti aduentum Magos regnaſſe in Perſide ex Herodoto[t], aliiſque conſtat.

IV. MAGI ARABES.

Ceterum non è terra Chaldæorum, nec è Perſide, ſed ex Arabia Magos veniſſe, alii complures aſſirmant; vt Iuſtinus[v] Martyr, Tertullianus,[x] Auctor[y] qui ſcripſit de Operibus Cardinalibus, Epiphanius[z], & alii: ſecũdum id quod ſcriptũ eſt,[a] *Reges Arabum & Saba dona adducent*: quæ de Meſſia eſſe intelligenda, tam noſtri Interpretes, quam etiam Rabbini complures æque aſſentiuntur: ſicut & illa[b], *Dromedarii Madian & Epha: omnes de Saba venient aurum & thus deferentes, &c.* Cui vltimæ ſententiæ & nos libentius adhæremus. Cõſtat enim ex diuina Scriptura[c], Abraham ex Cætura multos genuiſſe filios, & inter alios Iexan & Madian, ex Iexan vero ortũ eſſe Saba, & ex Madian Epha; qui omnes Arabiam incoluerunt, atq; ex ipſorum nominibus loca ipſa ſortita ſunt nomina, ac populi denominati Sabæi & Madianitæ. Rurſus etiam Balaam[d], qui de ſtella prædixerat vaticinium, licet ipſe Meſopotamenus eſſet Haran incolens; tamen in Arabia conſtat ea eſſe vaticinatum. Nam Moab, cuius Rex erat Balac qui eum mercede conduxit, erat (vt tradit Hieronymus[e]) ciuitas atq; prouincia eius nominis in Arabia. Sicque ſiue ſcripturam, ſiue traditionẽ de ſtella & Rege futuro, penes Arabes quibus prænunciata fuerat) perpetua memoria viguiſſe, par eſt credere: quibus admoniti illi Magi, & nouæ ſtellæ viſu excitati, ſimulque directi, quæſitum Regem Iudæorum in Iudæam venerũt. Quod inſuper obſeruatione dignum eſt; Abraham cum ex Cætura & Agar filios genuiſſet, nequaquam illos cum Iſaac heredes inſtituit; ſed dimittens illos in plagam Orientalem, largitus eſt illis munera, vt teſtatur Scriptura[f]. Sed quæ fuerint illa munera, Epiphanius[g] ex Hebraicis traditionum fontibus declarat fuiſſe aurum, argentum, ac veſtitus, & inſuper in myſterio concluſiſſe in peris eorum thus, & myrrham, & aurum Regum Sodomorum & Gomorrhæ quos idem Abraham[h] deuicerat; quæ poſtea Magi qui ex ſucceſſione filiorum illorum Abrahæ deſcenderunt, Chriſto obtulerunt. Eadem prorſus ratione, qua olim Regina[i] Saba, ex iiſdem & ipſa Cæturæ filiis originem ducens, venit Regem Iſrael Salomonem exploratum, eadem quæ Magi munera deferens, nempe aurum & aromata. Denique qui Iudææ ſitum deſcripſere[k], eam ex Orientali parte ſpectare dixerunt Arabiam: quod eo verius eſt, ſi hyemalis ſolſtitii ratio habeatur, ſecundum quod creditur locutus Euangeliſta cum Chriſtus ſit natus media hyeme.

V. MAGI REGES.

Quod autem iidem Magi fuerint Reges, Tertullianus[l] aſſentiri videtur, aſſeritque Theophylactus[m], idemq; fidelium pia traditio tenet: ſicut & eoſdem tres numero fuiſſe, ſecundũ tria munerum genera; q & S. Leo[n] ſæpe teſtatur. Reges a. fuiſſe diximus, vſitato more diuinæ Scripturæ, quæ & cuiuſq; oppidi dominũ Regem appellare conſueuit. Quod vero eoſdem Matthæus *Magos* appellet; cum penes antiquos triplicis generis Magos fuiſſe tradat Euſebius[o], quorum alii eſſent doctiſſimi atque abſtinentiſſimi, alii ſacerdotes, alii deniq; inuocationib. malorum dæmonũ intendentes; nos in eam ſententiam procliuiores ſumus, vt exiſtimemus hos illius Magiæ fuiſſe ſtudioſos, quæ ex rerum naturalium cognitione percipitur quod & ſenſiſſe videtur Chalcidius Platonicus ſuis in Timæum Platonis commentariis, ratus tamen eos fuiſſe Chaldæos. Cum autem[p] Epiphanius ſcribat, dictos Cęturæ filios Magorum progenitores, habitaſſe in partibus Arabicis Magodię regionis; haud inepte quis dixerit, Magos non à magica facultate, ſed ab eadem Magodia regione eſſe denominatos.

VI. MAGI QVANDO VENERVNT.

De tempore vero quo Bethleem venerint, æque inter ſe diſſentiunt antiqui Scriptores; putantibus aliis[q] id poſt biennium à Chriſto nato contigiſſe, earum minimum ratione adductis, quod Herodes (vt teſtatur Euangeliſta[r]) omnes pueros occidi iuſſit *à bimatu & infra, ſecundum tempus quod exquiſierat à Magis*: aliis[s] vero eadem ratione exiſtimantibus, Magos quidem decimo tertio à natiuitate Domini die aduenilſe, verum biennio ante Chriſtum natum illis ſtellam apparuiſſe. Sed vt ab iis omnibus diſſentiamus, multa perſuadent. Aprioribus quidem, quia nulla excogitari poteſt cauſa, cur Magi tãdiu iter ſuum diſtulerint, niſi velimus eos ignauiæ & oſcitantię accuſare: Immo eos ſta-

tiin

tim vt ſtellam conſpexerunt eſſe profectos, Euangeliſta non obſcure inſinuat: porro nō dico ſi è Perſide, vel Chaldęa, ſed & ſi ab extremis Indiis Orientalibus profecti fuiſſent, etiam ſex menſibus totum illud itineris ſpacium conficere potuiſſent. Inſuper ſi poſt biennium aduenerunt, quomodo (vt refert Matthæus) eum in Bethleem adhuc inuenerūt, quē teſtatur Lucas poſt quadraginta dies delatum eſſe Hieruſalem vt ſiſteretur Domino, hiſq; impletis officiis Ioſeph & Mariam vna cum infantulo reuerſos eſſe in Galilæam atq; Nazareth habitaſſe? Quod autem ad illos pertinet, qui ſtellam ante biennium apparuiſſe putarunt; etſi ſatis eſſe poſſent, quæ de tam longo tēporis ſpatio in itinere inſumpto dicta ſunt; tamen quia & iidem ea nituntur ratione, quod dicat Euāgeliſta Herodem iuſſiſſe occidi infantes *à bimatu, & infra, ſecundum tempus quod exquiſierat à Magis*: ad hæc primum inferimus id quod Ioannes[t] Chryſoſtomus iiſdem reſpondens, ait Herodem pro abundantia cautionis maius tempus incluſiſſe, ne quis vel proximę ætatis effugeret: Verum videlicet ne fortaſſis antea natus eſſet Chriſtus, quā Magi ſtellam vidiſſent: ſicut cum nulla ſubeſſet ratio, vt qui extra Bethleem nati eſſent, occiderentur, eo quod ex diuina Scriptura per Principes Sacerdotum & Scribas certior factus eſſet, quod Chriſtus in Bethleem naſceretur, tamen omnes qui in omnibus finibus eſſent necari præcepit.

ARGVITVR ERROR DE MORA BIENNII.

t Chryſ. hom. 7. in Matth.

VII.

Porro quod ait Euangeliſta, *A bimatu & infra, ſecundum tempus quo exquiſierat à Magis*; dici poſſe videtur, illud *ſecundum tēpus*, non eſſe referendum ad id quod dixerat, *à bimatu*, ſed ad illud potius, *& infra*: ſicq; Euangeliſtā ſignificare voluiſſe eo cędis edicto non incluſos eos qui geniti eſſent poſt Chriſtum natum, & ſtellam viſam à Magis, quorum nulla poſſet eſſe ſuſpicio; ſed cædēdorum puerorū terminum fuiſſe à biennio ante aduentum Magorum (quo ſcilicet homo formidoloſus cautius ſibi ſuiſq; cōſuleret) vſq; ad tēpus, quo de Chriſto nato didicerat à Magis. Quapropter ea potius nobis probatur ſententia, quæ Catholicæ Eccleſiæ conſuetudine magis recepta eſſe videtur; nempe Magos tūc cum natus eſt Chriſtus, ſtatim vidiſſe ſtellam; eoſdēq; mox Iudæam verſus iter ſuſcepiſſe, atq; intra tredecim dierum terminum Bethleem perueniſſe, eodē die quo Sancta Dei Eccleſia tantam ſolemnitatem anniuerſaria memoria celebrare cōſueuit. Quod quidem haud mirum videri debet, ſi ex Arabia Iudææ adiacēte eoſdem aduenisse dixerimus, & (vt prædixerat Propheta[u]) ad celeritatem itineris dromedariis vſos fuiſſe, quos velociores eſſe equis Nyſſæis Ariſtoteles[x] tradit. Conſtans inſuper eſt Sanctorum Patrum[y] ſententia, Magos Bethleem aduenientes, in præſepe, vbi natus eſt, Chriſtū Dominum repeſiſſe. Vnde ſummo iure redarguuntur qui aliter ſenſerūt, ea leui ratione permoti, quod Matthæus nulla de præſepe mētione habita, dixerit eos intraſſe domum: quaſi vero non ſit diuinæ Scripturæ ſatis frequens phraſis, locum quemlibet, ad habitādum tamen accommodatum, quantumlibet exiguum, domum appellare; cum & nidum auium, domum quoque nominet[z].

u Iſa. 60.

x Ariſt. hiſt. animal. lib. 9. & vlt. y Chryſ. in Matth. 2. hom. 6. & 7. Aug. ſer. 2. de Epiph. Hieron. ep. 14. 17. 18. 27. Fulg. ſer. de Epiph. & alij recens. z Pſal. 83. & 103.

VIII. DE STELLA.

Quod vero pertinet ad STELLAM quæ iiſdē Magis apparuit, iam penes omnes antiquos Patres[a] in cōfeſſo eſt, nequaquā ex illis fuiſſe quibus cœlos videmus ornatos, nec etiam ex illis quę ex vaporib. coagmētatis accenſæ in aere, cometę ſunt dictę. Cū a. diuino miraculo cœlitus apparuerit, naturę ſuperans facultatem; cuius ſubſtātię fuerit non eſt facile definire: vnde in eo cōſentiunt omnes[b], diuinā quamdam fuiſſe virtutē, quę non aſpicientium tm̄ oculos ſui fulgoris radiis illuſtraret, ſed quæ & mentes diuina luce perfunderet, atq; ad Chriſtū perquirendum excitaret. Porro eius ſplendorem Solem ipſum exuperaſſe, Ignatius[c] ſcripſit cecinitq; Prudentius: Gregorius vero Nyſſenus[d] exiſtimauit eſſe Angelū, q ea figura apparuerit. Ex qbuſdam a. apocryphis Seth nomine ſcriptis libris, multa de Magis feruntur[e], deque ſtella, quod formam pueri Crucem geſtantis exprimere: quæ vt inania prætermittimus.

a Greg. lib. 1. cont. Celſ. Baſil. de hum. Chr. gener. Chryſoſt. hom. 6. in Matth. 2. & alij. b Chryſ. ib. Leo ſerm. 4. in Epiph. Fulg. ſerm. de Epiph. & alij c Ign. ep. ad Epheſ. d Nyſ. dial. de anim. e ap. Epiph. hær. 26. 39.

IX. FESTVM

Ceterum hic Magorū ad Chriſtum aduentus, quod ex eo vocatio Gētium expreſſa fuerit, adeo ſolemni anniuerſario cultu conſueuit in Eccleſia celebrari; vt de Iuliano Apoſtata Ammianus ſcribat, q. licet clam dæmonibus immolaret, tñ ne talis detegeretur, voluerit ſuam præſentiā exhibere his feriis, *quas* (inquit) *Chriſtiani celebrantes menſe Ianuario, Epiphania nomine nuncupant*. Eadē de Valente Imp. Ariano teſtatur Gregorius[g] Nazianzenus. Et Theodoſius[h] Imp. ſic huius diei celebritatem coli iuſſit, vt ſeptē diebus, qui præcedūnt, ac totidem qui ſubſequuntur iudicialem ſtrepitum conticeſcere voluerit. At iam de his ſatis.

EPIPHANIA. f Amm. lib. 21.

g Orat. in funer. Baſ. h l. 2. Cod. de fer.

Sequitur poſthæc apud Euangeliſtam[i] narratio de *Præſentatione* Chriſti Hieroſolymis in tēplo, & facta de publica annunciatione à Simeone iuſto & Anna propheteſſa. Porro & ipſe Simeon annumeratur inter Prophetas: quē Epiphanius[k] aſſerit poſt mortem à ſacerdotib. priuatū ſepultura. Cur a. id acciderit, nullā affert cauſam: ſed ea putatur, quod palam Chriſti aduentum annuncians, ceterorum in ſe ſacerdotū inuidiam & odium concitarit. At cōmentum illud[l] quod cæcus fuerit, ſed cum IESVM accepit in vlnas viſum receperit; procul reiicimus, tum q nullus antiquorum Patrum eius rei meminerit, tum maxime q diuinę Scripturæ aduerſetur, qua cęcus prohibeatur[m] fungi in templo munere ſacerdotis: functionem autem illam ſacerdotalem fuiſſe, & Lucas inſinuat, & Patres ferme omnes agnoſcunt, ipſaque Eccleſia in ſacris Imaginib. profitetur. Quomodo vero PRÆSENTATIONIS Chriſti ſolemnitas, quam & *Purificationem*, ſiue *Occurſum* maiores nuncupauere, ad abolenda Lupercalia, Romæ cœpta ſit celebrari, ſuo loco dicturi ſumus inferius.

i Luc. 2. IESVS OBLATVS IN TEMPLO. k Epiph. de vit. Proph. c. 24.

l [illegible] m Leu. 21.

X.

Cum autem iſta publice in templo peracta, iam ſpargerentur in vulgus, & in Herodis aures illaberentur: qui nuper de nato Rege Iudæorum ex relatione Magorum magnum timorem conceperat, his denuo in furorem actus, vt ſe eo metu liberaret, necem meditatur infantis. quãdo per Angelum monitus Ioſeph (quod Matthæus[n] ſcribit) cum IESV & MARIA fugit in Ægyptum. Narrat vero Sozomenus[o], in aduentu Chriſti Hermopolim, quod eſt oppidum Thebaidos, maximam, quæ illic erat, arborem Perſeam dictam, quam incolæ venerabantur, ſua ſponte ad ſolum vſque ſe inflexiſſe, & Chriſtum adoraſſe; eiuſq; poſtea fructus, & folia, aut etiam particulas corticis ægris admotas, morbos pellere conſueuiſſe. Porro Iſidi conſecratam fuiſſe Perſeam arborē, Plutarchus[p] ait; ea de cauſa, quod eius fructus cordis, folium linguæ ſpeciem referret. Addit vero Sozomenus, adueniente Chriſto in Ægyptum, omnia dæmonū ſimulacra, iuxta prophetiam Iſaiæ[q] cōcuſſa eſſe atque collapſa: q & longe ante ipſum teſtati ſunt Origenes[r], Euſebius[s], Athanaſius[t], & alii cōplures ſanctorū Patrum. Verum iſta ſic accipienda putamus, non vt cūcta quæ tunc erant in Ægypto corruerint ſimulacra, ſed de his aliqua; nec tam in ſignum quod Chriſtus illuc aduenisset, quam q idololatriam eſſet penitus euerſurus. Porro non modo Ægyptū Domini præſentia illuſtratam, ſed & ipſam per quam tranſiuit ſolitudinem, ex eiuſdem Iſaiæ[v] prophetia eſſe nobilitatam tradunt: quæ tunc quodammodo ſemen benedictionis ſuſcipiens, poſtea ſuo tēpore tot ſanctorū Monachorum produxit ſacra germina. Sed & locum in quo habitaſſe ferebatur Sanctiſſima Deipara, & fontem illic hortū balſami irrigantem, in quo IESVM pluries lauiſſe, panniculoſq; eiuſdem mūdaſſe, fama erat; ab ipſis etiā Saracenis magna veneratione haberi tradūt[x]. Suntq; alia multa de iis, quę tum in itinere, tum etiā cū maneret in Ægypto, contigiſſe dicuntur, quæ quoniam firma carent auctoritate, & accepta putamus ab apocrypho illo *De Infantia Saluatoris* inſcripto libello, q legib. Eccleſiaſticis[y] eſt interdictus ea liberius ſilentio prætermittimus.

n Matth. 2.

o Soz. lib. 5. c. 21. Niceph. lib. 10. c. 31. IESVS DVCITVR IN ÆGYPTVM.

p Plutarch. de Iſid.

q Iſa. 19. r Orig. [illegible] s Euſ. demonſt. t Ath. de [illegible]

v Iſa. 35. [illegible] IN ÆGYPTO.

x Burch. [illegible] y [illegible]

XI.

Cum vero Chriſtus ex Iudæa receſſiſſet, tunc mittens Herodes (inq: Matthæus[z]) *Occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omnib. finibus eius, à bimatu, & infra, &c.* Quos curū bimatu, & infra, occidi iuſſerit, ſatis ſuperius dictum eſt. Sed q nonnulli ſcripſerūt, ideo bimulos iuſſos occidi, quod tunc temporis Herodes Romam abierit accuſatus à filiis, neq; vſq; ad biennium in Palæſtinam redierit: hoc ex Ioſepho falſum conuincitur cuius teſtimonia[a] exploratum habetur, cum Herodes tempore regni ſui bis Romam conceſſerit, id longe aliis temporibus accidiſſe.

z Matth. 2. HERODIS INFANTICIDIVM.

a Ioſ. 16. [illegible]

Ceterum

XII. HERODIS SÆVITIA IN SVOS.

Ceterum necatis miſerando modo infantibus, *vox in Rama audita eſt*, vt ait Euangeliſta ex Hieremia Prophetam mirum ſiue (quod habet Hebraica lectio) immenſum de tam miſerabili infantium ſtrage lamentum auditum eſt in excelſo; ſiue in Rama, ciuitate in ſorte Beniamin contra Hieruſalem, cuius eſt frequens mentio in Scriptura; ſiue in Rama quæ erat in Arabia (vt Iuſtinus [b] intelligendum putat) longe lateque fama percrebuit. Eademq; non tantum Ramam, ſed & Romam perlata eſt, & peruenit ad aures Auguſti Imperatoris, qui (inquit Ethnicus auctor Macrobius [c]) *Cum audiſſet inter eos, quos in Syria Herodes Rex Iudæorum inter bimatum iuſſit interfici, filium quoque eius occiſum, ait, Melius eſt Herodis porcum eſſe, quam filium*; quod ſcilicet qui filios occideret, abſtineret a nece porcorum, vtpote Iudæus, quibus porci abominationi erant. His autem videas, eo inſaniæ atque furoris proceſſiſſe cœcã Herodis dominandi cupidinem, vt cum omnes homines ſic regnare velint, vt cupiant regnum ipſum in filios propagare, ipſimet modo amauerit parẽtem in filios ne regnẽt. Non enim vnum tantum, quem Macrobius tradit, occidit Herodes filium ſed tres alios, licet aliis temporibus, aliisq; de cauſis, vt docet Ioſephus. [d] Verum quis iſte paruulus fuerit, de quo Macrobius agit, nec apud Ioſephum inuenies, nec nomen quidem eius ſciri poteſt: facile enim accidit, vt nulla ratio haberetur infantis, qui e veſtigio de vtero translatus eſſet ad tumulum: ne tu putes Macrobiũ erroris eſſe redarguendum ex ſilẽtio Ioſephi quem multa quidem memoria digna prætermiſſe conſtat. Quod autem pertinet ad necatos infantes: quod illi pro Chriſto innocentes occiſi ſint, immo & in ſingulis Chriſtus videatur occiſus, merito magno honore eos ſemper Eccleſia [e] affecit, & vt Martyres coluit, atque anniuerſaria memoria celebrare conſueuit.

b Iuſt. dial. cum Tryph.
c Macr. 2. Satur. 4.
d Ioſ. lib. 16. antiq. 16. & lib. 17. c. 9.
INFANTES MARTYRES.
e Orig. hom. 3 diuer. Aug. ſermo de Inn. & alii.

XIII.

Ad hæc etiam ſpectat quod ſcribit Petrus [f] Epiſcopus Alexandrinus & martyr in ſuis Regulis Eccleſiaſticis, quas recepit atque probauit Sexta [g] Synodus; occaſione huius infanticidii, Zachariam Sacerdotem Ioannis Baptiſtæ patrem, quod ad necem quæſitum filium ſubtraxiſſet, ab eodem Herode inter templum & altare occidi iuſſum. Non quidem quod edicto Herodis de occidendis infantibus includeretur Ioannes, qui nec in Bethleem, nec in finibus eius, ſed in domo paterna in mõtanis Iudææ alebatur. ſed quod Herodes ea ſuſpicione nati Regis Iudæorum vehementer exagitatus, cum audiſſet admiranda illa quæ in cõceptione & natiuitate Ioannis contigiſſent, cum Chriſtũ eſſe ſuſpicatus (ſicut & Iudæi poſtea eodem errore lapſi ſunt) ipſum ſpeciali mandato necari iuſſit. De cauſa vero necis Zachariæ, aſſentiuntur etiam Petro Nicephorus [h], atque Cedrenus [i], additque iſte, Elizabeth Ioannis matrẽ poſt dies quadraginta in ſpelunca, ad quam cum puerulo aufugerat, diem obiiſſe; Ioannis vero curam ab Angelo eſſe ſuſceptam. Sed licet hæc tam antiqua ab eo ſine certo auctore ferantur; tamen quod ait de ſuſcepta cura ab Angelo, haud adeo impoſſibile videri debet, ſiquis mẽte recolat Iſmaeli [k] a patre proiecto Angelum aſtitiſſe.

f can. 3.
g c. 1. ap. Theo. Balſam.
DE NECE ZACHARIÆ.
h Nic. 1. hiſt. 14.
i Cedr. in comp.
k Gen. 21.

XIV.

Ceterum non tãtum Petrus, quem diximus, ſed & Cyrillus [l] Alexandrinus, Epiphanius [m], Gregorius [n] Nyſſenus, Baſilius [o], & alii poſt eos, atque ante omnes Origines [p], Zachariam Ioannis patrem inter templum & altare interfectum volunt, licet de cauſa necis non æque conueniant. Haud tamẽ eſt dubium de iis intellexiſſe Hieronymum [q], dum ait eos qui ita ſenſerunt, ex quibuſdam apocryphorũ ſomniis ea deſumpſiſſe. Nempe in eam ſententiam ipſe magis inclinãs, vt Zacharias ille filius Barachiæ, quem Dominus exprobrans Iudæis, interfectum dicit [r] inter templum & altare, non fuerit pater Ioannis, de quo agimus, ſed ille potius qui à Ioas Rege occiſus habetur in Regum [ſ] hiſtoria. Certe ſi fides præſtanda eſt Hippolyto martyri auctori grauiſſimo; eius teſtimonio [t] exploratum habetur, Zachariam Ioannis parentem filium fuiſſe Barachiæ ſacerdotis. Sed & de patre Ioannis Chriſtum Dominum eſſe locutum, illa ratio perſuadet, quod dicẽs, *Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel iuſti vſque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ*; videatur voluiſſe primum & nouiſſimum iuſtum occiſum ſignificare, omneſque ſimul his duobus extremis includere. Nam ſi de Zacharia filio Ioiadæ, qui à Ioas Rege occiſus eſt, intelligere voluiſſet, nulla ſubeſt valida ratio diuerſitatis, vt ſanguis iuſtus qui poſt illum vſq; ad Chriſti tempora effuſus eſt, non eſſet (quod minatur) ſuper illos venturus.

l Cyril. aduer. Anthropomorph.
m Epiph. de vit. & inter. Propheta 23.
n Nyſ. de Chr. natiuit.
o Baſil. hom. de hum. Chr. gener.
p Orig. in Matth. tract. 26.
q Hier. in Matth. 23. lib. 4.
r Matt. 23.
ſ 2. Par. 24.
t ap. Niceph. 2. hiſt. 3.

XV. DE SANGVINE ZACHARIÆ.

Quod autem ad effuſum ſanguinem Zachariæ ſpectat; idem Hieronymus ſimplicitati credẽtium potius tribuit, quam hiſtoriæ veritati, quod dicebatur de ſaxis templi indelibili nota eo ſanguine cõſperſis. Sed certe non erat de ea re vulgi recens rumor, quandoquidem Tertullianus [u], qui tot ſæculis præceſſit Hieronymum, id pro conſtanti aſſeuerat. Memini que me aliquãdo incidiſſe in antiquum codicem ſcriptum Bibliothecæ Vaticanæ, *de peregrinatione ad loca Sancta*, in quo illud ipſum certa fide conſignatum erat. Sed de his modo ſatis.

u Tert. in Scorp. cap. 8.

XVI. IVDÆ GALILÆI SEDITIO.

Hoc ipſo anno, quo Chriſtus eſt natus, atque deſcriptus cenſu Quirini; eiuſdem deſcriptionis occaſione IVDAS GALILAEVS, indignum ratus, & contra leges patrias, Iudæos alienigenis tributum pendere, populum ad defectionem ſollicitauit. Cauſam autem erroris in Ioſepho [x], qui hæc poſt Archelaum Herodis ſucceſſorem è regno exactum recenſet, iam ſuperius aperuimus, dum de annis ipſius Herodis egimus. Meminit porro huius defectionis Gamaliel [y] in eo Iudæorum conuentu, in quo cauſam dicere iuſſi ſunt Apoſtoli; quam & eiuſdem Cenſus profeſſionis tempore accidiſſe teſtatur. Habet autem Ioſephus [z] iſtius Iudæ ſectatores cetera cum Phariſæis conſentiſſe, niſi quod conſtantiſſimo libertatis amore dicerent ſolum Deum Dominum habẽdum ac Principem; facilius vel exquiſitiſſima pœnarum genera laturi, quam mortalem aliquem appellaturi Dominum. Licetq; Gamaliel teſtetur, & hæreſis auctorem periiſſe, & omnes quotquot ei conſenſerunt; videtur tamen eadem hæreſis dimanaſſe ad poſteros: ſiquidem Iudæ [a] filii Iacobus & Simeon ſub Claudio Imp. crucis ſupplicium ſubire, eadem, vt putatur, ex cauſa. Inualuiſſeque eamdem GALILÆORVM ſectam in Ægypto apud Iudæos, idem Ioſephus [b] eſt auctor. Sed & ex ea fuiſſe illos, quorũ ſanguinem Lucas [c] ait mixtum à Pilato cum ſacrificiis eorum, tradunt Græci auctores Oecumenius, [d] & Anaſtaſius [e] Nicænus: qui addit, etiam hos ſtatuiſſe non eſſe pro Romano Imperatore, vel aliis Ethnicis offerendum Deo ſacrificium. Vnde cum hæc omnia reliqui Iudæi facerent, Galilæi templo abſtinebant; ſeorſumque conuentus faciebant, & ſacrificia offerebant. Huius vero hæreſis occaſione accidit, vt quoniam tam ipſe Chriſtus, quam Apoſtoli natione Galilæi eſſent, in ſuſpicionem adducti ſint, ne eadem ſentirent cum Galilæis hæreticis: quamobrem (vt obſeruat Hieronymus [f]) Phariſæi tentauerint Dominum, vtrum liceret cenſum dare Cæſari; & Paulus [g] ſæpe aduerſus eiuſmodi dogma iaculatur ſententias.

x Ioſ. 18. antiq. 1.
y Act. 5.
z Ioſ. 18. antiq. 2. in fin.
GALILÆORVM SECTA.
a Ioſ. 20. antiq. 3.
b Id. 7. de bel. 29.
c Luc. 13.
d Oecu. in Act. 6.
e An. ſ. quæſt. 67.
f Hier. in ep. ad Tit. cap. 3.
g Rom. 13.

XVII. DE THEODA.

Ceterum ante hunc Iudam Galilæum, multos pariter Iudæorum ſeductos fuiſſe à THEODA quodam, teſtis eſt eodem loco [h] Gamaliel: ex quo Ioſephum [i] emendes, qui primum extitiſſe Iudam, inde poſt lõgum tempus, immo etiam longo poſt dictum Concilium Iudæorum vbi Gamaliel ea dixit, Theodam ſeduxiſſe populum tradit; nimirum ſub Cuſpio Fado Iudææ Procuratore, quem eiuſdem teſtificatione conſtat anno quarto Claudii Imperatoris vna cum Lõgino Syriæ Præſide eidem prouinciæ legatum eſſe; cum præfatum Concilium (vt videbitur) ſub Tiberio Imperatore coactum fuerit. Porro Theodam iſtum Ioſephus ait præſtigiatorem fuiſſe, & Prophetam ſe dicentem perſuaſiſſe magnæ vulgi multitudini vt abſumptis ſuis facultatibus ſequerentur ſe ad Iordanem fluuium, quem ſe verbo ſciſſurum pollicebatur, & facilem præbiturũ tranſitum; ſed immiſſis à Fado in eum turmis equitum, omnes aut necatos eſſe, aut diſſipatos, ipſiuſque Theodæ abſciſſum caput Hieroſolymam reportatum. Qui autẽ verba Domini apud Ioannem [k] *Omnes quotquot venerunt, fures ſunt & latrones*, interpretati ſunt, de iiſdem Theoda & Iuda Galilæo dicta eſſe, pari conſenſione [l] confirmant.

h Act. 5.
i Ioſ. 20. antiq. 2.
k Ioan. 10.
l Chryſ. in Ioan. hom. 59. Cyril. Alex. 7. in Ioan. 3. Iſid. Peluſ. 3. ep. 119. & alii eo ſecuti.

AVGVST. IMP. ANN. 43.

IESV CHRISTI AN. 2.

I.

a Dio lib. 55.

IVDAEI IVRANT HERODI.

ANNO Chriſti ſecundo, Coſſ. Corn. Lentulo & L. Calpurnio Piſone, cum Herodes [a] in regno ageret annum trigeſimum primum, Iudæos iuramento adegit ſibi ac poſteris ſubditos ac fideles fore. Hoc autem procuratum ab eo credimus, tum metu nuper nati Chriſti Iudæorum Regis, tum ob Galilæorum hæreſim eque anno præterito exortam. Porro ad ſex millia Phariſæorum noluiſſe iurare Herodi, nec Cæſari, atque ea de cauſa ab eodem Herode male exceptos eſſe ſcribit Ioſephus [b].

b Ioſ. 17. antiq. 3.

AVGVSTI IMP. AN. 44.45.46.47.48.

IESV CHRISTI AN. 3.4.5.6.7.

I.

ANNO Chriſti tertio Faſti Conſulares Onuphrii Coſſ. habent C. Cæſarem & L. Æmilium Paulum. At vero Dio hoc anno non Caium, ſed Auguſtum ipſum Imperatorem decimumquartum ponit vna cum eodem Paulo Æmilio collega.

II.

Sequenti autem anno Vinucius Nepos & Aſinius Varus cum magiſtratum geſſerunt: & poſt eos Ælius Lamia & M. Seruilius Geminus: deinde Sextus Ælius Catus & C. Sentius Saturninus. His vero ſucceſſerunt Lucius Valerius Meſſala, & Cornelius Cinna. Quibus omnibus licet nihil dignum reperiatur, quod Eccleſiaſticis inſeratur Annalibus: tamen vt in ſerie temporis cuiuſque anni ratio habeatur, neceſſario prout in Faſtis adſcripti habentur, per ſingulos annos deſcribendos eſſe putauimus.

AVGVSTI IMP. AN. 49.

IESV CHRISTI AN. 8.

I.

HERODIS HORRENDVS MORBVS ET EXITVS.

ANNO Chriſti octauo, M. Æmilio Lepido & L. Arruntio Nepote Coſſ. Herodes Rex Iudæorum, pœnam impietatis eius exigente numine, inſanabili morbo affectus (lento enim calore interiori toſtus vehementi laborabat voracitate, vexabaturque inteſtinorum exulceratione, ac colicis paſſionibus, necnon aqua intercute, pedumq; tumore & inguinum: atque ipſa verenda putrefacta ſcatebant vermiculis accedente fœda tentigine, cum fœtore grauiſſimo, additaque neruorum contractione, & difficultate anhelitus) ac præ deſperatione mortem ſibi inferre molitus; tandem quinta die poſt necem filii ſui Antipatri, qui patrem veneno auferre parauerat, & ipſe miſere vitam finiuit prope tempus Paſchale, fere ſeptuagenarius, anno regni ſui trigeſimo ſeptimo inchoato: iuſſit necari ſtatim poſt mortem ſuam cunctis primoribus Iudæorum, quos minaci edicto vndique euocatos in circo incluſerat, vt ipſius obitus publico nec ficto luctu honoraretur: qui tamen poſtea liberi dimiſſi ſunt. Quomodo autem hęc omnia ſe habuerint, Ioſephus [a] deſcribit fuſius: male tamen atrocis Herodis morbi mortiſq; cauſam ſoli adſcribens crudelitati, quã idem paulo ante exercuiſſet in quoſdam inſignes viros, qui zelo patriæ legis exturbarant aquilam auream, ab eodem Herode ſupra maiorem portam templi dedicatam: cum alioqui omnium auctorum Eccleſiaſticorũ ſit conſtans ſentẽtia, Herodis plagas diuinitus inflictas, nõ in alterius criminis quam Chriſti perſecutionis & Infanticidii culpam eſſe reiiciendas.

a Ioſ. 17. antiq. 8. & ſeq.

II.

ARCHELAI REGNVM.

Porro qui ab eo poſterioribus teſtamenti tabulis regni hæres fuiſſet inſtitutus, Archelaus ipſius filius, quod non tam à patris, quam ab Auguſti Imperatoris arbitrio id pendere intelligeret, pro firmando patris teſtamento Romam nauigans, aduerſarios habuit, tum fratrem ſuum Antipam, ſibi ex prioribus tabulis debitum regnum vendicantem, tum ipſorum Iudæorum legatos petẽtes vt eis liceret ſuis legibus viuere, nec amplius eſſe ſub Regibus, ſed tantummodo Romanis ſubditi aggregarẽtur prouinciæ Syrię. Quibus omnibus auditis, Auguſtus Archelaum nõ Regem declarauit, ſed dimidia parte ditionis quæ Herodis fuerat, ei cõceſſa, *Tetrarcham*, (ſiue, vt alii dicere malunt, *Toparcham*, vel *Ethnarcham*) cõſtituit Iudææ, Idumææ & Samariæ: regium quoque nomen pollicitus, cum primum ſe tali honore dignum redderet: Alterum autẽ dimidium titulo Tetrarchiæ partitus eſt inter alios duos filios Herodis, Philippum, & Antipam æque Herodem dictum. Cum vero poſt hæc quidam vultu ſimillimus Alexandro eiuſdem Senioris Herodis filio, qui vna cum Ariſtobulo fratre ex ſententia patris ac Præſidum multos ante annos fuerat morte mulctatus; ſe à nece clam ſubtractum ſimulans, paternum regnũ ab Auguſto petere non dubitaret: impoſtura detecta, ſententia eiuſdem Imperatoris in ordinem remigum eſt redactus. Narrat hæc omnia pluribus Ioſephus [b]; admiſcens & quaſdam alias ſeditiones ac punitiones Iudæorum rebellantium. Quod autem pertinet ad vocem *Tetrarchiæ*, de qua egimus; in ea potius vſus loquendi, quam proprietas attendi debet; cum auctore Plinio [c] certum ſit, non quartã regni vel prouinciæ partem eſſe eo nomine intelligẽdam, ſed potius Principis cuiuſque dominium, etiamſi vnius tantummodo fuerit ciuitatis.

PALAESTINAE DIVISIO IN TETRARCHIAS.

b Ioſ. 17. antiq. 12. & ſeq.

TETRARCHIAE VOCIS SIGNIFICATIO.

c Plin. lib. 5. cap. 18.

III.

IESVS REDVCITVR IN PALAESTINAM.

d Matt. 2.

Ceterum defuncto Herode, Chriſtum Dominum vna cum Beata Virgine Angeli monitu à Ioſeph fuiſſe in Palęſtinam reductum, Matthæus [d] Euangeliſta ſcribit. Sed de eiuſmodi reditus tempore diuerſæ admodum reperiuntur ſententiæ, prout variarunt ſcriptores in ſupputatione annorum regni Herodis; quandoquidem ſtatim poſt Herodis obitum, Ioſeph de reuerſione fuiſſe admonitũ Euangelii authoritate omnes æque conſentiunt. Itaque Epiphanius [e] Chriſtum in Ægypto biennio tantum manſiſſe teſtatur: Nicephorus [f] vero triennio, quinquennio alii [g], vel ſexennio; nonnulli [h] vix anno vno. Verum eos omnes decipi ex eo certum redditur, quod vſque ad octauum Chriſti annum Herodem ſuperuixiſſe, iam ſatis ſuperius demonſtratum ſit, cum actum eſt de tẽpore Natalis Domini. Quamuis autem hoc anno Herodes obierit, & Angelus de reditu Ioſeph admonuerit; tamen quoniam tum Martyrologium Romanum, tum cetera [i] teſtantur Chriſti reditum ex Ægypto contigiſſe die ſeptima Ianuarii; reliquum eſt dicamus id nequaquam factum hoc anno, ſed ſequentis initio: quandoquidem prope Paſchatis celębritatem hoc anno Herodem efflaſſe animam, Ioſephus eſt auctor.

e Epiph. Tom. 2. ... hær. 51.

f Niceph. lib. 1. cap. 14.

g Cor. Ianſ. concord. cap. 11. & alii.

h Tom. ...

i Bed. ... & alii 7. Ianuarii.

AVGVSTI IMP. AN. 50.

IESV CHRISTI AN. 9.

I.

IESVS NAZARETH DVCITVR.

ANNO Chriſti nono, A. Licinio Nerua Siliano & Q. Cæcilio Metello Silano Coſſ. idem Chriſtus Dominus (vt dictum eſt anno ſuperiori) die ſeptima Ianuarii ex Ægypto in Palæſtinam reductus eſt, & habitauit in Nazareth oppido Galilææ, vbi & conceptus fuerat.

II.

a Matt. 2.

Ex eo autem quod eius ciuitatis fuit incola, iuxta ſermonem Propheticum [a] *Nazarenus* eſt appellatus; eaq; vox ignominiæ cauſa inſcripta eſt titulo Crucis. Sed Angeli [b], & Apoſtoli honoris cauſa IESVM NAZARENVM dicere conſueuerunt. Quinetiam ipſo principio naſcentis Eccleſiæ, à IESV Nazareno omnes item Chriſtiani NAZARÆI dicebãtur, & ipſa Chriſtiana Religio, *Secta* [c] *Nazarenorum*. Perſeuerauitq; eiuſmodi nomenclatura, quouſque omnes æque cœperunt dici *Chriſtiani* tunc etenim NAZARÆORVM nomen remanſit hæreticis: quorum duplex extitit differentia; alii namque fuerunt ante Chriſtum, nec Chriſtum nouerunt; alii vero ſic in Chriſtum crediderunt, vt tamen in obſeruatione legalium Iudæi eſſe non deſinerent, de quibus agit pluribus Epiphanius [d]. Sed & quod Dominus in Galilæa habitaſſet, ab impiis Porphyrio, Iuliano Apoſtata, aliiſque his ſimilibus nominatus eſt *Galilæus*, & Chriſtiani GALILÆI. Sunt autem duæ Galilææ in Palæſtina, altera confinis Iudææ, altera Phœnicibus. (Sic eas deſcribit Cyrillus [e], quas Ioſephus [f] ſuperiorem & inferiorem nominat.) Prior poſita in tribu Nephtalim, quæ & Galilæa Gentium dicta eſt: poſterior in tribu Zabulon circa Tiberiadem & ſtagnum Genezareth [g] in qua eſt Nazareth vbi Chriſtus habitauit.

b Marc. 1. Act. 2. ... 26.

IESVS NAZARENVS.

c Act. 24.

d Epiph. hær. 29.

CHRISTIANI VOCATI GALILAEI.

e Cyril. in Iul. 8.

f Ioſ. 3. de bel. 2.

g Hier. de loc. Hebr.

AVGVSTI IMP. AN. 51. 52.

IESV CHRISTI AN. 10. 11.

I.

a Fasti ...

b Dio lib. 56.

ANNVS Chriſti decimus Coſſ. habuit [a] Furium Camillum & Sext. Nonium Quintilianum: Vndecimus vero Q. [b] Sulpitium Camerinum & C. Poppæum Sabinum. Quibus nihil geſtum reperitur ad inſtitutum noſtrum pertinens.

Digitized by Google

AVGVSTI IMP. AN. 53.

IESV CHRISTI AN. 12.

I. IESVS HIEROSOLYMAM DVCTVS, SVBDVXIT SE A PARENTIBVS.

a Luc. 2.

AT vero Anno Domini duodecimo, Coſſ. P. Cornelio Dolabella & C. Iunio Silano, cum idem Dominus à parentibus duceretur ex more Hieroſolymã ad diem feſtum Paſchatis; neſcientib. eis remãſit illic, & triduo quæſitus inuentus eſt diſſerens in templo cum Doctoribus: quam rem geſtam pluribus deſcribit Lucas [a] Euangeliſta. Sed quænam fuerit cauſa vt à ſanctiſſimorum parentum oculis, qui in alendo puero vigilãtiſſimum ſemper ſtudiũ adhibuerint, tam inopinate ſeſe Ieſus ſubduxerit, cum diuerſæ ab Interpretibus afferantur, multæq; aliæ accidere potuerint, hanc nos veriorem eſſe putamus; nimirum ꝙ illi Hieroſolymis receſſuri vna cum cognatis & notis ac reliquo comitatu, ceteris præcedentibus, improuiſa aliqua, ſed Dei prouidentia oborta occaſione detenti, mox velociter conſecuturi præmiſerint (quod Euangeliſta inſinuat) cum cognatis & notis puerum Ieſum; qui paululum cum illis progreſſus, non autem ciuitate egreſſus, veluti parentum cupidus, vel loco ſteterit illos expectaturus, vel ad illos rediturus hoſpitium verſus tendens iter alio flexerit.

II. IESV IN IVVENTVTE EXERCITIA.

Inuentus autem à parentibus (inquit Lucas) *deſcendit cum eis Nazareth, & erat ſubditus illis*; his duobus verbis totam Chriſti adoleſcentiam ac iuuentutem perſtringens, vt nihil præterea de eo ſcripſerit vel ipſe, vel ex ceteris Euangeliſtis aliquis alius. Cetera enim quæ ex libro *de Infantia Saluatoris*, vel ex aliis eiuſmodi apocryphis ſunt accepta, non probat, quinimmo repudiat Dei Eccleſia: qualia ridicula quædã commentos eſſe Valentinianos hęreticos, teſtis eſt etiam Irenæus [b]. Porro inſeruiſſe Chriſtum adultum nutricio Ioſeph, eidemq; fabro, in fabrili exercitatione, teſtimonio Iudæorum vocantiũ illum *Fabrum* exploratum habetur apud Marcum [c] Euangeliſtam: & his conſentiens Iuſtinus [d] Martyr ait, ipſum fabrilia opera, aratraque, & iuga confeciſſe. Vnde & forte (quod tractant fabrilia fabri) ſub iugi & aratri ſymbolicis verbis Euangelium propoſuit, cum dixit [e], *Tollite iugum meum ſuper vos*. Et, *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.*

b Iren. lib. 1. cap. 17.

IESVS FABER.

c Mar. 6.

d Iuſt. dial. cum Tryph.

e Matt. 11. Luc. 9.

III. DE ÆTATE IOSEPH.

f Epiph. hær. 78.

Sane quidem, quod ad Ioſeph ſpectat; ſi tam grandæuæ ætatis erat, nempe (vt ait Epiphanius [f]) fortaſſis octogenarius cum Maria Virgo illi eſt deſpõſata, iam in Chriſti adoleſcentia decrepitę fuiſſe ætatis, & ad ſubeundos labores fabrilis artis minus idoneus exiſtimari poſſe videtur: adeo vt lignariæ officinæ labores omnes refunderentur in Ieſum. atq; adeo magis ſi eidẽ auctori acquieſcimus dicenti Ioſeph poſt repertũ Ieſum in templo, haud multo poſt ex hac vita migraſſe, & propterea in Euangelica ſcriptura nullá amplius de eo haberi mentionem. Scimus tamen eſſe, qui velint Ioſeph hoc tempore adhuc fuiſſe iuniorẽ ad ſubeundos peregrinationis labores, quaſi videlicet non potuerit eſſe ſenex robuſtarũ virium, nec infractũ robur à Deo promereri valuerit. Certe quidẽ nec nos affirmamus eum fuiſſe octogenariũ cum deſponſata eſt illi Beatiſſima Virgo (ꝙ nec ipſe Epiphan. niſi dubitanter aſſeruit;) verumtamen libentius illorũ inhæremus ſcientiæ, qui traditione quadã per ſingulas ætates ad poſteros deducta, affirmant illũ maturioris fuiſſe ætatis cum Sanctiſſimam Virginem, etſi in coniugem, tamen in cuſtodiã fidiſſimam ſuſcepit: ſicut & illis magis aſſentimur, qui vna cum Epiphan. eum dicto tempore diem obiiſſe aſſeruerunt, quam ceteris qui poſt reſurrectionem Domini adhuc fuiſſe ſuperſtitem tradiderunt [g]. Certe ſi Chriſti paſſionis tempore Ioſeph ſuperſtes fuiſſet, hauddubium non Ioanni matrem Dominus commendaſſet, cui ſupereſſet fidiſſimus ac probatiſſimus cuſtos Virginitatis.

OBITVS IOSEPH.

g auctor de oper. Card. ap. Cypr. & Aug. ſer. de temp. 8.

IIII. CLADES VARIANA.

Quod ad res attinet Romanas: his iiſdem Conſulibus contigit memorabilis illa *Variana Clades* in Germania, cum Romanus exercitus ſub Varo (qui anno ſuperiori è Syria auocatus, & ad adminiſtrandam Germaniam mandatus, dum aſpere nimis barbaram illlam gentem tractaret, ad defectionem impulit) eſt penitus profligatus; qua accepta idem Varus ſibiipſi intulit manus, dans meritas pœnas de expilata à ſe Syria; quam (vt ait Velleius) diuitem ipſe pauper ingreſſus, diues egrediens pauperem reliquit. Proſecuti ſunt hæc pluribus idem Velleius [h], Suetonius [i], ac Dio [k]: quibus videas, quam inſigniter Oroſius [l] lapſus ſit, dum Cladem Varianam ante Chriſtum natum accidiſſe commemorat.

h Vel. in Rom.

i Suet. in Caligula.

k Dio li.

l Oroſ. li. cap. 21.

AVGVSTI IMP. AN. 54.55.56.

IESV CHRISTI AN. 13.14.15.

I.

a Dio li.

ANNO Chriſti decimo tertio Conſulatum inierunt [a] M. Æmilius Lepidus & T. Statilius Taurus: ſequenti vero T. Iulius Germanicus & Fonteius Capito: & decimo quinto C. Silius Nepos & L. Munatius Plancus: quib. nihil dignum reperitur ad inſtitutum noſtrum pertinens.

AVGVSTI IMP. AN. 57.

IESV CHRISTI AN. 16.

I. ARCHELAVS EXTERMINATVS EXILIO.

ANNO Chriſti decimo ſexto, duobus Sextis, iiſdemq; Nepotibus, Pompeio & Apuleio Coſſ. Archelaus Ethnarcha nono principatus ſui anno, Romæ à Legatis Samaritanorum ac Iudæorum de nimia crudelitate ac tyrannide iudicio poſtulatus, & ab Auguſto accerſitus, Viennam Galliæ ciuitatem in exilium mittitur, pecunia eius fiſco adiudicata, & ditione vniuerſa Syriæ iuncta: ad quam gubernandã miſſus eſt Procurator Coponius Eques Romanus. Hæc plurib. Ioſephus [a]; qui tamen ſibi parum cõſtans alibi [b] dicit id accidiſſe anno regni Archelai decimo; longeq; ante hęc tempora collocat, ſecundũ initum ſemel errorẽ annorum Herodis patris Archelai: ſicut & perperam [c] Dio relegationem Archelai, quem nominat Herodem, ponit ſub Conſulatu M. Æmilii Lepidi, & L. Aruntii, anno ab V. C. ſeptingenteſimo quinquageſimo nono. Ceterum aſſentitur noſtræ huic Chronologiæ Euſebius [d] quem ſcimus ea quæ huius ſunt temporis eſſe mutuatum à Phlegonte Chronographo omnium antiquiſſimo ac famoſiſſimo. Euſebium vero ſecutus eſt Beda, & alii nobiliores Chronographi. Porro ex damnatione Archelai certior cauſa redditur, cur Ioſeph [e] reuerſus ab Ægypto noluerit in Iudæam venire, audito quod illic regnaret Archelaus. Non enim extimuit ſucceſſores Herodis, cum & in Galilæa quo receſſit, itidẽ filius Herodis regnaret Antipas, ſed timuit Archelai tyrannidem iam omnib. notam.

a Ioſ. 2. de bel. 6. & 7.

b Id. 17. antiq. 15.

c Dio li. 55.

d Euſ. in Chron.

e Matt. 2.

II. AVGVSTI IMP. OBITVS.

Iiſdem Coſſ. decimo quarto Calendas Septemb. (qua die quondam primum Conſulatum inierat) AVGVSTVS Imperator diem obiit Arellæ in Campania, vt eſt in Euſebii Chronico, & apud Eutropiũ; vel, vt plures volunt, Nolæ in eadẽ Campania: idq; cum vixiſſet annos ſeptuaginta quinque, menſes decem, & dies viginti ſex; imperaſſet ſolus à victoria Actiaca annos quadraginta quatuor, demptis diebus tredecim, vt Tacitus & Dio teſtantur. Qui autem numerant annos eius Imperii à Triumuiratu inchoato regnaſſe colligunt annos quinquaginta ſex, & menſes ſex: qui vero à nece Iulii Cæſaris, quinquaginta ſeptem annos, menſes ſex, & duos dies: qua etiam ratione auctor [f] libri de Oratoribus annos numerat quinquaginta octo, quod ſc. eius vltimi anni dimidium & amplius regnaſſet.

f ap. Tacit.

III. TIBERIVS IMPERAT.

Poſt eius vero mortem ipſa die decimaquarta ante Calendas Septemb. TIBERIVS NERO, Liuiæ, ſiue Iuliæ Auguſtæ filius, capeſſiuit Imperium, annum agens quinquageſimum quintum. Qui primis ſuæ adminiſtrationis annis, adeo optimi Principis, & ab omni faſtu alieniſſimi ſpecimen dedit, vt non tantum [g] ſe Dominum dici prohibuerit (quaſi Deo ſic admonente, verum Orbis Dominũ, nempe Chriſtum Ieſum, adueniſſe.) ſed neq; [h] vllum ſibi templum extrui, aut ſe in alio coli, ſibiq; ſtatuas erigi paſſus fuerit. Deniq; ingeſtum [i] à populo ſæpius nomen *Patris patriæ* repudiauit, vetuitq; in acta ſua iurare, etſi Senatus id cenſuiſſet: dictitare ſolitus, cuncta mortalium incerta, quantoque plus aliquis adeptus foret, tanto magis eſſe expoſitum ludibrio.

g Suet. in Tiber. cap. 27.

h Dio li. 57.

i Tac. lib. 1 Annal. Suet. in Tib. ca. 26. 27.

TIBERII IMP. AN. 1.2.3.4.5.

IESV CHRISTI AN. 17.18.19.20.21.

I.

a Tac. lib. 2 Annal. Dio lib. 57.

ANNO Chriſti decimoſeptimo Coſſ. fuerunt Druſus Cæſar & Caius Norbanus Flaccus. Hos vero ſecuti ſunt Satilius Taurus & Lucius Libo: Quibus [a] Tiberius Imp. Magos, & quoslibet diuinationes exercentes, ſeue-

TIBERIVS MAGOS EXAGITAT.

riſſimis edictis, ſuppliciiſque exagitauit. Sicq; Magiæ crimen, quod per multos annos (vt ait Tacitus) Romanam Vrbem exedit, hoc anno primum repreſſum eſt. Vt plane conſideratione dignũ ſit, adueniente Chriſto in mundũ, qui dæmonum vires infracturus eſſet, Magos ex Oriente venientes ipſum Dominum agnouiſſe, dæmones in Ægypto perterrefactos eſſe, & ab Italiã magos expulſos.

II.

Anno vero Domini decimonono, quo creati ſunt Coſſ. C. Cœlius Ruſus & L. Põponius Flaccus, cũ vana quædam oracula, tamq̃ Sibyllina, de Vrbis interitu anno nongenteſimo ab eius origine obuenturo ferrentur; idem Tiberius Imperator tãquam falſa redarguit, eaq; occaſione omnes fatidicos libros inſpiciens, legitimos ab ſpuriis ſelegit. Quod &tiam olim ante Chriſti aduentum iuſſu Auguſti de iiſdem Carminibus Sibyllinis toto Orbe conquiſitis factitatum, auctores [b] teſtãtur. Nec eſt dubium, quin iſta magna Dei prouidentia contigerint, vt quæ aduerſus Gentiles Chriſtiani ex iiſdem libris de aduẽtu Chriſti citarent, nulla impoſturæ ſuſpicione accuſari iure poſſent.

b Tac. lib. 5. Suet. in Octau. cap. 31. Dio lib. 54.

III. c Tac. lib. 2.

Porro anno Chriſti vigeſimo, Coſſ. [c] Tiberio Auguſto tertium & Germanico ſecundum, nihil geſtum reperitur quod ſpectet ad res Eccleſiaſticas.

d Suet. in Tiber. ca. 36. IVDÆI ROMA VEXATI.

At vero anno ſequenti, quo Conſulatum adepti ſunt Iunius Silanus & Norbanus Flaccus, idem Auguſtus externas cæremonias (inquit Suetonius [d]) Ægyptios, Iudaicoſque ritus compeſcuit; Iudæorumque iuuentutem per ſpeciem ſacramẽti in prouincias grauioris cœli diſtribuit; & reliquos gentis eiuſdẽ, vel ſimilia ſectantes, Vrbe ſubmouit, ſub pœna ꝑpetuæ ſeruitutis, niſi obtemperaſſent. Hæc autem cum Tacitus [e] qui per annos ſingulos res tũc Romæ geſtas digeſſit, dictis huius anni Coſſ. facta teſtetur; ex eo Ioſephum [f] redarguas qui ea poſt Chriſti ſupplicium collocat. Ceterum manſerunt ita exules Iudæi vſque ad necem Seiani, cuius calumniis (vt ſcribit Philo [g]) tam dire exagitati ſunt. Poſt eius vero necem Tiberius res illorum in feliciorem ſtatum reſtituit, rituſque permiſit, ac multa in eoſdem beneficia contulit.

e Tac. lib. 2. f Ioſ. 18. antiq. 4. & 5. g Phil. de legat. ad Caiũ.

IV. GERMANICI OBITVS. h Dio li. 57.

Iiſdem Silano & Flacco Coſſ. Germanico Cæſare Orientis Præfecto, iuuene laudatiſſimo (quem Tiberius ex Druſo germanico fratre ſuo genitum, in filium adoptauerat) arte Piſonis Syriæ Præſidis extincto; idem Tiberius vt auctor eſt Dio [h]) cum ante hac plurima egregie feciſſet, iam in contraria omnia mutatus eſt, impulſore & adminiſtro Ælio Seiano Seii Strabonis filio. Qui vero portentoſa Tiberij facinora noſſe voluerit, habet Suetonium Tacitum, Dionem, & alios, qui ea prolixe deſcripſere.

TIBERII IMP. AN. 6.7.8.9.10.11.

IESV CHRISTI AN. 22.23. 24.25.26.27.

I. a Tac. lib. 3. b Dio li. 57. c Dio ibid. Suet. in Tiber. ca. 75. d L. ſi vindicare. C. de pæn. Ruffin. lib. 2. ca. 18. Sozom. li. 7. cap. 24.

ANNO Chriſti vigeſimo ſecundo Valerius [a] Meſſala & Aurelius Cotta Conſulatum geſſerunt. Eoſque ſecuti ſunt Tiberius Auguſtus quartum & Druſus ſecũdum: ſub quibus (vt vult Dio [b]) idem Tiberius hiſtriones Vrbe pepulit; quamuis id poſt biennium Tacitus factum aſſerat. Eodemque anno [c] idem Auguſtus ex SCto ſtatuit, ne ſentẽtia mortis damnatus intra decimum diem diſſeretur: quod quidẽ edictum latioribus ſpatiis Theodoſius [d] Imperator Chriſtianus ad triginta dies extendit.

II. e Tac. lib. 4.

Ceterum anno Chriſti vigeſimo quarto C. Sulpitius [e] & D. Haterius geſſerunt Conſulatum: Ac poſt eos C. Aſinius & C. Antiſtius. Iſtos vero ſecuti ſunt Cornelius Cethegus & Viſellius Varro: hoſq; Coſſus Cornelius & Aſinius Agrippa. Quibus omnibus nihil adeo memoria dignum, quod ad res noſtras pertineat, geſtum noſcitur.

TIBERII IMP. AN. 12.13.14.

IESV CHRISTI AN. 28.29.30.

I. PILATVS IVDÆA PRÆSES VEXAT IVDÆOS.

ANNO Chriſti vigeſimo octauo, Cn. Lentulo Getulico & C. Caluiſio Sabino Coſſ. miſſus ad Iudæam adminiſtrandã Pontius Pilatus, nocte intempeſta opertas Hieroſolymam intulit imagines Cæſaris: ſed quod ea res ingentem inter Iudæos ſuſcitaſſet tumultum, flexus miſerandis eorũ ſupplicationibus, eas auferri iuſſit. Hæc pluribus Ioſephus [a]: Sed Philo [b] & ipſe Iudæus, & longe integrioris fidei, qui his ipſis viuebat temporibus, ait Pilatum auratos duntaxat clypeos Hieroſolymis in honorem Tiberii dedicaſſe in Herodis regia, nulla inſignes imagine, nec habentes quicquam vetitum: Verumtamen populum veritum ne per eiuſmodi nouitatem inciperent violari ritus patrii, primum apud ipſum Pilatum expoſtulaſſe vt iidem clypei auferrentur; ſed cum nihil proficeret, Romam ad Tiberium ſcripſiſſe, ac poſtulatum obtinuiſſe. Præter hæc autem multis aliis iniuriis, rapinis ac crudelitatibus, Iudæos à Pilato vexatos eſſe toto decennio quo eis præfuit, teſtes ſunt iidem auctores.

a Ioſ. 18. antiq. 3. & 2. de bel. 8. b Phil. de leg. ad Caium.

II. c Tac. 4. Annal.

Ceterum anno Chriſti vigeſimonono Conſulatum geſſerunt M. Licinius & Lucius Calphurnius; quo [c] Romæ totus mons Cœlius conflagrauit; & apud Fidenas collapſo amphitheatro, quinquaginta millia hominum obtrita vel debilitata ſunt.

Sequenti vero anno, quo Iunius Silanus & Silius Nerua Coſſ. fuerunt, nihil Annalibus noſtris dignum geſtum reperimus. Prætermittimus enim ea narrare, quæ magis polliciti ſunt ſtatus, quam hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.

TIBER. IMP. AN. 15.

IESV CHRISTI ANN. 31.

I. a Tac. lib. 5. b Iſa. [illegible] c Iſa. [illegible] EVANGELICÆ HISTORIÆ DIGNITAS.

ANNVS Chriſti trigeſimus primus, qui Coſſ. [a] habuit Rubellium atq; Fuſium ambos geminos, fuitque decimus quintus Tiberii Cæſaris, ab Iſaia [b] *Placabilis* per antonomaſiam dictus eſt, & *Acceptabilis* [c]; quo nimirum Orbi terrarum profundis obuoluto tenebris, Redemptor humani generis Chriſtus Deus noſter; lux vera, lumine prædicationis cœpit affulgere. Eius vero rei præclariſſime geſtæ hiſtoria, non à quibuſcumque, ſed à Deo tantum præordinatis teſtibus, ipſis ſanctiſſimis quatuor Euangeliſtis, monumentis meruit diuinitus conſignari: quorum admirabilem excellẽtiam Ezechiel [d] Propheta ſub quatuor animalium ſymbolicis ſpeciebus, in diuina illa cœlitus oſtenſa viſione gloriæ Domini præcognouit atque deſcripſit. Iidemque licet variis locis, temporibus, atq; occaſionibus in eodem argumenti genere ſinguli verſati ſint, diuina tamen inſpiratione quod ſimul omnes hoc ſinguli quique conſenſu quodam harmonico præſtitiſſe videntur. Vt merito iuxta propheticum illud ænigma, ſic propria à ceteris diſtincta eſſet facies ſingulorum vt tamen eædem quatuor facies ſingulis coniunctæ eſſent.

d Ezech. 1.

II. CONCORDIA EVANGELICA. e Hier. de [illegible] f Hier. præf. in quat. Euang. ad Damaſum. g Euſeb. [illegible]

Porro fuit antiquorum Scriptorum ſtudium, vt quatuor Sancta Euangelia coniungentes, ex iiſdem vnum intexerent. Id enim præſtitiſſe ſcimus primum omnium Theophilum [e] Antiochenæ Eccleſiæ ſeptimum poſt B. Petrum Epiſcopum: idipſum Tatianum, ac tertio loco Ammonium Alexandrinum, quem ſecutus [f] Euſebius Cæſarienſis. Hi quidem de conuenientia ipſorum Euangeliſtarum Canones quoſdam ſcripſerunt, quos Hieronymus Latinitate donauit; eorumque meminit Victor Epiſcopus Capuanus in præfatione Harmoniæ [g] Tatiani. Cum vero in eadem re complurium recentiorum enituerit ſtudium, eorum præcipuum ſibi locum vendicare videtur eruditus æque ac pius Cornelius Ianſenius Epiſcopus Gandauenſis? cuius ſic nobis proponimus ſequenda veſtigia, vt tamen liberi interdum eſſe velimus, per aliam viam quæ rectior videatur incedere.

III. IOANNIS PRÆDICATIONIS TEMPVS. h Luc. 3.

Ipſam igitur Hiſtoriam, Lucas [h] Euangeliſta egregia certitudine tẽporum teſtatam exordiẽs, *Anno* inquit, *decimo quinto Imperii Tiberij Cæſaris, procurãte Pontio Pilato Iudæã, Tetrarcha aũt Galilææ Herode, Philippo autẽ fratre eius Tetrarcha Ituraæ & Trachonitidis regionis, & Lyſania Abilinæ Tetrarcha, ſub Principibus Sacerdotum, Anna & Caipha factũ eſt verbũ Domini ſuper Ioãnem Zachariæ filium in deſerto, &c.* Ad quæ elucidanda, quantum ad hiſtoricam veritatem pertinet, præter ea q̃ de Tiberii, Pilati, Herodis Antipæ, & Philippi ingreſſu deq; ipſa voce Tetrarchię, ſuperius dicta ſunt: de Lyſania, ſicut errare certũ eſt qui dixerũt [i] Herodis Idumæi fuiſſe filium, & Herodis Antipæ atq; Philippi fratrem; ita etiam errore labi eos [k] cõſtat, qui hos corrigentes eũ exiſtimarunt fuiſſe filium Ptolemæi Mennæi, cuius Ioſephus

DE LYSANIA. i Euſeb. in Chron. an. Domini [illegible] k Cor. Ianſ. Concord. Euang. & alii com. ſi. [illegible]

menti-

l Ioſ. 14. antiq. 23. inf. lib. 15. ant. 9. 4.

l meminit: nam eiuſdem auctoris m teſtimonio expreſſum habetur, hunc Lyſaniam Mennæi longe ante hæc tempora Cleopatræ arte fuiſſe necatum, vt eius potiretur ditione, quæ erat apud Libanum poſita. Porro Cleopatra ſublata de medio, ea Tetrarchia videtur fuiſſe ab Auguſto tributa Lyſaniæ alteri, quem hic intelligit Euangeliſta, meminitque eius poſtea Ioſephus. Erat autem *Abila*, (ex qua dicta erat Tetrarchia Abilina) ciuitas vna, vt ait Plinius n, in prouincia Decapoleos.

n Plin. 5. hiſt. 18.

IV. FVNCTIO SACERDOTALIS IVDÆORVM.

o Ioſ. 18. antiq. 4.

Quod autem S. Lucas prædicationem Ioannis, non dictorum tantummodo Tetrarcharum, ſed Principum Sacerdotum Annæ & Caiphæ temporibus inchoatā tradit: res videtur maiori obuoluta difficultate, tum quod non duos ſimul, ſed vnum tantummodo, & ante & poſt hæc tempora Summum Sacerdotem penes Iudęos fuiſſe certum habeatur, tum etiam quod ex Ioſepho o conſtet, non Annam, ſed Caipham hoc tempore eo munere functum. Scimus & Vicariam eiuſdem ſacerdotij præfecturam nemini ſolere concedi, niſi vrgente neceſſitate, & ad modicum ſpatium: ſicut idem auctor p teſtatur Matthiæ Summo Sacerdoti, quod inter dormiendū pollutus eſſet, rem diuinam facere lege vetito, in vnum tantum diem vicarium adiutorem eſſe datum Ioſephum Ellemi filiū. Nec inſuper conſtare poſſe videtur quod nonnulli dicunt, tam Annam quam Caipham Summos Sacerdotes fuiſſe, ſed alternis duntaxat annis functionem obtinuiſſe. Nam nonniſi alterius illorum tempore potuit Ioannes prædicationem exordiri, cum quo tempore alter eſſet Summus Sacerdos alterum ceſſaſſe neceſſe ſit. Nec demum verum eſt quod ſcribit Euſebius q, delectos à Præſidibus Romanis Summos Sacerdotes vno tantum anno eo miniſterio perfungi ſolitos. Nam etſi auctor ſit Ioſephus r, tribus primis annis Valerii Grati Præſidis, qui à Tiberio illuc primo ſui Imperii anno miſſus eſt, totidem mutatos fuiſſe Summos Sacerdotes, tamen qui vltimo loco anno tertio Tiberii creatus eſt Caiphas, abſque alio ſucceſſore non ad præſentem tantum annum, ſed (quod teſtantur Euangeliſtæ) vſque ad Redemptoris Crucem, immo & poſt Reſurrectione ſ in eadē functione pſeuerauit: cui veritati & idē Ioſephus t adſtipulatur, dum nullum eius ſucceſſorem agnoſcit vſq; ad tēpora Vitellii Pręſidis qui Pilato ſucceſſit.

p lib. 17. ant. 3.

q Euſ. 1. hiſt. 10.

r Ioſ. 18. antiq. 3.

ſ Act. 4.

t Ioſ. 18. antiq. 6.

V.

Alia igitur peruestigata verborū Euangeliſtæ ratione, primū dicimus, quod etſi vnicus Summus Pontifex apud Iudæos eſſet, tamen certum eſt cōplures alios dictos eſſe Principes ſacerdotum, quorum frequens eſt mētio in diuinis Scripturis, eoſq; fuiſſe viginti quatuor numero, ſicut & totidem erant vices ſacerdotales, quibus ijdem pręerant, vt ex libris Paralipomenon u facile intelligitur. At nō dicimus Annam hac tantum ratione dictum eſſe Principē ſacerdotum, ſed & alia prorſus diuerſa. Erat quippe apud Iudæos à Deo per Moyſen x inſtitutū ex ſeptuaginta duobus ſenioribus atq; magiſtris collegiū, quod ab illis ſemigræce *Sanhedrin*, à Græcis συνέδριον appellatū eſt. Erat autē illorum tanta auctoritas, vt & de lege cognoſcerent, & de Propheta atque doctrina, ac ſimul de Regibus iudicarent: quorum aliquando iudicio poſtulatus Herodes Rex, eoſdem vno excepto Samæa, omnes neci tradidit, ſublatiſq; de medio quotquot erant ex tribu Iuda, proſelytos ſuffecit, vt auctor eſt Ioſephus y. Qui igitur horum ſeptuaginta duorum Seniorū primus haberetur, idem Princeps Sacerdotum dicebatur, cum alioqui Summus Sacerdos primum omnium locū teneret, cunctiſque præeſſet Principibus Sacerdotum: ſeq; habebat amborū perfunctio inſtar præfecturæ Moſis & Aaron, quorum ſimilitudinem quamdam exprimebant. Vnde Anna cum eſſet eiuſmodi Collegii Princeps, merito ſicut & Caiphas, Princeps Sacerdotū dicebatur, licet vtriuſq; functio eſſet omnino diſtincta. Nā & videas in Euāgelio z, cū Chriſti cauſa agere tur, ac ſubinde de vero Propheta quęſtio eſſet, eumdē primo ad Annā eſſe perductū, tamq̄ ad Principem Sacerdotū illius Collegii, cuius muneris eſſet de Propheta iudicare, ac demum ad Caipham, ſine cuius aſſenſu ſententia ferenda non eſſet. Et in Actis a Apoſtolorum, cum de lege eſſet iudicium, nimirum de fide Chriſti quam prædicabant Apoſtoli, in eo conſeſſu primo loco nominatum Annam, inde Caipham, poſtea vero iuxta cōſeſſus ordinē ceteros.

u 1. Par. 24.

x Num. 11. CONCILIVM LXXII.

y Ioſ. 14. antiq. 17. & lib. 1. bel. 1.

z Ioan. 18.

a Act. 4.

VI.

Prædictorum itaque Principum tempore, IOANNES Zachariæ filius, qui ea occaſione quam ſuperius recenſuimus, ductus fuerat adhuc infantulus in deſertum, afflatus diuino ſpiritu, *inde* b *venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptiſmū pœnitentia, indutus veſtimēto* c *ex pilis camelorum, zona cinctus* (vt Elias) *pellicea, & cibans ſe locuſtis* d *ac melle ſilueſtri*. Hæc enim de illo teſtantur Euangeliſtæ, eumdemq; pane & vino caruiſſe, Saluator e ipſe teſtatur: & q nec baccis, ſeminibus, vel oleribus vſus ſit, Clemens f Alexandrinus certo credidit. Vt non mireris, ſi quod adeo aſperum vitæ genus elegiſſet, cum alias Saluator g dixerit nec māducaſſe nec bibiſſe. Ceterum *Locuſtas* in Palæſtina genus fuiſſe animaliū ad cibi vſum, diuina h Scriptura plane demōſtrat. Pariterq; Strabo i auctor eſt genus quoddam Æthiopū locuſtas in cibū habere: eadēq; de Parthis Plinius k, de Orientalibus & Libycis Hieronymus l tradit. Illis vero vſum eſſe Ioannē, ſcribunt Auguſtinus m & Beda n: & Euthymius exiccari fumo ſolitas ait, habereq; malū odorem, & grauē guſtum. Verū his omnibus aduerſatur Ioannes o Peluſiota (qui & ipſe monaſticā vitam cū diutius excoluerit, ea quæ ſcribit, potuit à Palæſtinæ monachis didiciſſe) omnino negans locuſtas, quibus Ioānes alebatur, animantia fuiſſe, & mel ſilueſtre herbas; ſed locuſtas ait intelligi debere herbarum ac plantarū ſummitates, mel vero ſilueſtre, quod ab agreſtibus apibus conficitur, ſummeq; amarum eſt. Sed de *ſilueſtri melle* cū alii alia ſcripſerint, idē Beda ex relatione ſancti Epiſcopi Archulphi, qui ad ea loca pegrinatus erat, ait fuiſſe in deſerto Palæſtinæ arbores, folia lata & rotunda habentes, lactei coloris, & melliti ſaporis, quæ natura fragilia, manibus cōfricantur & edūtur, hocq; eſſe mel ſilueſtre. At vero quid de his ſentiendū ſit, totum relinquimus lectoris arbitrio: nam conſtat Græcā dictionem ἀκρίδες, qua vſus eſt Euangeliſta, & *Locuſta* inſecti genus infirmas habens alas ad volandū, & *ſummitates herbarum* ſignificare. Eiuſmodi porro vitæ genere Ioannē ieciſſe VITÆ MONASTICÆ fundamenta, non ipſe tantum Iſidorus, ſed & Catholici omnes fatentur: eaque de cauſa Chryſoſtomus p & Hieronymus q eumdē vocant monachorū principē. Sed his inuidentes Nouatores eo deuenerunt dementię, vel potius iniquitatis, vt malint corrūpere verbum Dei, & Ioannē vitæ otioſæ & delicioſæ infamare: ſibilis potius & riſu, quam ampliori confutatione r digni.

b Luc. 3.

c Matth. 3. d Mar. 1.

e Luc. 7.

f 2. Pædag.

IOANNIS VICTVS ET VESTITVS.

g Matt. 11.

h Leuit. 11.

i Strab. li. 16.

k Plin. 11. hiſt. 29.

l Hier. ad uerſ. Iouin. lib. 2. & in Ioel. 4.

m Aug. 1. Conſ. 31.

n Bed. de loc. 14.

o Peluſ. l. ep. 3. & 13.

p Chryſ. in Mat. hom. 1. & hom. Ioann. Bap.

q Hier. ep. 22. ad Euſtoch.

IOANNES AVCTOR VITÆ MONAST.

r Vide, qui ſibi hac de re aduerſatus eſt ſcrip. Si Pet. Caniſ. in lib. de Io. Bapt.

VII.

ſ Matt. 3. Mar. 1. Luc. 3. Ioan. 1.

DE CHRISTI AETATE, TEMPORE BAPTISMI.

Ceterum cum plurimos ad ſe venientes Ioannes ſ exciperet, ad pietatē inſtitueret, baptizaret, & Chriſti aduētū annunciaret, venit quoq; Ieſus, & ab ipſo eſt baptizatus: cū eſſet (inquit Lucas) *incipiens quaſi annorū triginta*. Quorū verborū cum multiplex ſenſus à Patribus afferatur, ea ſic Epiphanius t accepit, vt exactis viginti nouē annis ac menſibus decem, duobus menſibus minor fuerit Chriſtus annorum triginta: Et ante illum Irenæus u ſic ea intellexit, vt tunc Chriſtus nōdum triginta annos impleſſet, ſed prope eſſet vt impleret. Verum cōmunior illa videtur opinio, aſſerentium Chriſtum eo tēpore cœpiſſe agere annū trigeſimum: quæ fuit Origenis x, Hieronymi y, & aliorum, cui & omnes adſtipulati ſunt, qui Chriſtū paſſum exiſtimarunt ipſo ætatis ſuæ anno trigeſimo, vt Tertullianus z, Africanus a, Lactantius b, & alii, ſed primum auctorē Sanctum Ignatium perperam (vt mox videbimus) cōſtituētes. Deniq; fuit alia ſententia affirmātium Chriſtum baptizatum eſſe trigeſimo ætatis ſuæ anno expleto & trigeſimo primo inchoato, quaſi tunc re vera dici poſſet triginta annorum cum illos expleſſet. Eius vero primus aſſertor habetur Ioannes Chryſoſtomus c, quē ſequitur Euthymius d, ſed & alios cōplures Græcorum idē ſenſiſſe, argumēto eſt Canō ab illis ſtatutus e, *Vt ſi quis triginta ætatis annos non impleuerit, presbyter non ordinetur, quia & ipſe Dominus trigeſimo anno baptizatus eſt*. Rurſumq; Beda f, Bernardus g, & alii h plurimi recentiores eamdem interpretationem ſunt ſecuti.

t Epiph. hær. 51.

u Iren. lib. 2. cap. 39.

x Orig. hom. 1. in Ezech.

y Hier. in Ezech. 1.

z Tert. cont. Iud.

a Ap. Hier. in Dan. 9.

b Lact. lib. 4. cap. 10.

c Chry. hom. 10. in Matt.

d Euthym. in Matt. 3.

e Mart. Bracar. can. Græc. 20.

f Bed. de rat. temp. cap. 45.

g Bern. ſer. 1. de Epiph.

h Lir. in Luc. 3. & roteſſ. Scal. de emend. temp. l. 6.

VIII.

i Hier. de

Eorum vero rationes non morabor ſingulas recenſere, cum vnus inſtar ſit omnium Ignatius, qui cū vixerit Chriſti tēpore, eumq; in carne viderit (vt teſtatur Hieronymus i) quo potiſſimum ætatis anno baptizatus fuerit ignoraſſe

nó potuit. Porro cũ is in epiſtola ad Trallianos ſic dicat: ϗ τρεῖς δεκάδας ἐτῶν πολιτευσάμενος ἐβαπτίσθη ὑπὸ Ἰωάννου: hoc eſt, *Et expletis tribus annorũ decatibus baptizatus eſt à Ioanne*; quis aduerſus tam patẽs apertumq; teſtimonium mutire vel refragari audeat? Certe mirati ſumus vehementer, prędicta ipſius verba ab omnibus qui eam quæſtioné fuſi⁹ diſputarunt, vitioſa tranſlatione eſſe citata: atq; in alium ſenſum allegata. Ceterum eamdem ſententiã Sancta Romana Eccleſia profeſſa eſt in antiquo Rituali, ꝙ Ordinem Romanum appellant; vbi cum agitur de Epiphania, aſſeritur k Christum expletis quaſi triginta annorum curriculis baptizatum eſſe. Quod enim hęc dictio, *quaſi*, non diminutionem numeri ſemper importet, nec dubitatiue vbiq; ponatur, ſed & ſæpe aſſertiue, plurib⁹ Scripturæ l teſtimoniis demonſtrari poteſt. Quod autem Græcii in Styria nuper edita ſit prolixa valde diſputatio, qua Chriſt⁹ affirmatur baptizat⁹ anno ei⁹ ætatis trigeſimo ſecundo inchoato; ea noſtra cõfutatione nó indiget, quod piorum aures nec audire ſaltem patienter admittant temere præſumptam contra ipſius Lucæ Euangeliſtæ verba nouitatem.

Sed quod ad Menſem & Diem attinet, quibus baptizatus eſt Chriſtus; id factum eſſe ſexta Ianuarij, tenuit sẽper Eccleſia Occidẽtalis: idemq; ex cõmuni & antiqua traditione teſtatur Euſebius m confirmatque Hieronymus n, ac deniq; omnes ſcriptores Eccleſiaſtici, vno duntaxat excepto Epiphanio o. Sed ſicut iſte audiendus nó eſt, dum ait Chriſtum natum ſexta Ianuarii; ita nec cũ dicit baptizatũ eſſe ſexto Idus Nouembris; cum & eidem contradicant Ægyptii ſui, qui alioqui de die Natali Domini æq; ipſi cõſentiunt; vt dictũ eſt ſuperius. Porro locũ ipſum fluminis, quo Dominus voluit baptizari, remãſiſſe poſteris egregiis monumẽtis celebrem, & virtute miraculorum conſpicuũ, ex fideli relatione eorum qui illuc peregrinati eſſent, ſcribunt Gregorius p Turonenſis, & Beda q.

Poſt baptiſmum Chriſti ſubdunt Euãgeliſtæ tentationem r ipſius à diabolo, deinde legationem ſ Iudæorum ad Ioannem Baptiſtã, vt ſcirẽt an ipſe eſſet Chriſtus: ac poſtea vocationem Andreæ & Simonis fratrum. Hic vero cum primordia fuerint Eccleſiæ erigẽdæ, (quæ ædificatio t Dei eſt) Chriſtus Dominus tantæ molis excitandæ ſapientiſſimus architectus, de primario lapide in fundamento locãdo ſtatim cogitans, Simoni mox vt eum intuit⁹ eſt, mutationẽ nominis promiſit, vt appellaretur CEPHAS, hoc eſt Petrus, quod poſtea ei ſimul cum Primatu cõtulit. Narrat hoc Ioannes Euangeliſta: qui cum aſſirmet vocationẽ Andreæ præceſſiſſe illam Petri, & ex Epiphanio u certum ſit eumdẽ Andreã maiorẽ natu fuiſſe Petro, ac denique aſſertione Sophronij x Hierſolymitani conſtet Andream cœlibem vitam duxiſſe, Petrum autem negotiis intendiſſe & vxori ac familiæ ſuæ: ex his omnibus apparet, nõ vocationis, vel ætatis, aut perfectioris vitæ prærogatiua (quibus omnibus vincebatur ab Andrea fratre) primatũ Petro collatum, vt hæretici contendunt: ſed, vt ex iis quæ poſtea acciderunt exploratum redditur, quod in ſummæ fidei profeſſione tum ipſi Andreæ, tũ ceteris omnibus Apoſtolis antecelluerit. Ceterum vox Syriaca y *Cephas*, Latine interpretata, idem quod Petra ſignificat, ex Græca autem lingua dicitur Petr⁹, apud quos ὁ πέτρος idẽ eſt quod ἡ πέτρα, ſed interpres Latinus mutans nomẽ femininum in maſculinum, *Petrus*, non *Petra* dixit, ꝙ ea terminatio viro magis conueniens eſſet. At vero eiuſmodi amphibologia nullo modo cadit in vocẽ Syriacã Cephas, qua vſu eſt Domin⁹, quæ omnino ſignificat Petram, nec quamlibet Petrã, ſed quæ ſit omnium duriſſima, nẽpe Cautem. Ea porro appellatione, potius quam alterius cuiuſdam materiæ ſolidiſſimæ Dominum appellare voluiſſe Simonem æque Patres z cõſentiunt, quod & ipſe Chriſtus Petra dictus a ſit, vt quẽ ſui gregis conſtitueret vicarium ſucceſſorem, eumdẽ proprio ſuo nomine inſigniret. Sed & quod Optatus b Mileuitanus nomen Cephas non à Syra lingua, ſed à Græca, ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, Caput interpretatur (cuiuſmodi interpretandi modum & ab aliis Patribus, immo & ab ipſis Septuaginta interpretibus ſæpius vſurpatum c ſcimus, dum Hebraicas voces in Græcam ſignificationẽ tranſire fecerunt) diuina quadam diſpenſatione factum videtur, vt vna eademque voce duabus linguis Petri principatus exprimeretur: quem & iiſdem appellationibus omnes antiqui ac recentiores Patres ſemper agnouerunt, dum eumdem *Petram fidei, & Caput Apoſtolorum* nominarunt. Sed de his plura Controuerſiarum ſcriptores Catholici, aduerſus hæreticos apertam veritatem impugnantes.

Poſt hæc Euangeliſta d hiſtoriam ſubinſert de vocatione Philippi, & acceſſu Nathanaelis ad Chriſtum. Philippum autẽ eum eſſe, cui dixit Dominus e *Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*, tãquã rem minime dubiã teſtatur Clemens f Alexandrin. Sed quod Nathanaelem putarunt aliqui g eumdẽ eſſe cum Bartholomæo, haud illorum coniecturis aſſentimur, ſed Auguſtino h tutius inhæremus, dum ait idcirco Nathanaelem non fuiſſe à Domino electum inter Apoſtolos, quod eſſet Legis Doctor.

Subdit poſt hæc Euangeliſta i narrationem de Nuptiis factis in Cana Galilææ, & de primo omnium à Chriſto edito miraculo, cum ad eaſdem nuptias vna cum matre vocatus, deficiente vino aquam mutauit in vinum. Proditum eſt à nonnullis has fuiſſe nuptias Ioannis Euangeliſtæ, qui cum duxiſſet vxorem, viſo illo miraculo eam dimiſerit, ac Chriſtum ſecutus fuerit. Verum ſunt hæc nuper excogitata, cum penes antiquos nulla prorſ⁹ extet de iis mẽtio. Nã quod Auguſtinus præfatione in Ioannem ait, ipſum à Domino de fluctiuaga nuptiarum tempeſtate vocatum eſſe, non eo ſenſu dictum eſt, quod cum vxorem duxiſſet eam reliquerit, ſed quod eam prorſus non acceperit, prout idẽ ipſe Auguſtinus k in fine eiuſdem operis aperte teſtatur, cum ait ea de cauſa Ioannẽ à Chriſto plus ceteris amatum, ꝙ neque vxorẽ duxerit, & ab ineunte pueritia caſtiſſimus vixerit. Nec aliud Auguſtinum ſenſiſſe, inde exploratiſſimum redditur, quod dictum Euãgelium de nuptiis explicans, nullam prorſus mentionem de Ioanne habuit. Cum & alioqui de cælibatu Ioannis, quod numquam contraxerit nuptias, tum Hieronym. l aduerſus Iouinianum, tum antiquiſſimus Ignatius m, qui eodem quo Ioannes tempore vixit, grauiſſimus ſit aſſertor. Idque ipſum non de Ioanne tantum, ſed & de Iacobo illius germano, Epiphanius n teſtatur. Itaque hac in re potius Nicephoro o aſſentiendum eſſet, affirmanti fuiſſe eiuſmodi nuptias Simonis Cananæi, qui vnus ex duodecim Apoſtolis Zelotes eſt dictus. Ceterum & Nathanael erat è Cana, oppido (vt tradit Hieronymus p) Galilææ Gentium.

Quod vero ſpectat ad perinſigne miraculum de aqua mutata in vinum, quod ob ſui excellentiam longe ante præmonſtratum fuerat Iſaiæ q Prophetæ, Epiphanius r id factum ſcribit vndecima menſis Tybi, hoc eſt ſexta Ianuarii, qua etiam die Eccleſia Catholica recolit anniuerſaria ſolemnitate tantæ rei celebritatem: eamque annuis miraculis in pluribus Orbis locis illuſtrari conſueuiſſe, idem auctor de re viſa & alias probe cognita teſtatur, agens de fonte Cibyres vrbis Cariæ, alioque Geraſæ in Arabia, ac de Nilo fluuio Ægypti in vinum cõuerti ſolitis ea hora qua Chriſtus miraculũ fecit. Enimuero & Plinius ſ, vnius tamen diei ſpatio diſcrepans, in Andro inſula fontẽ Nonis Ianuarij vini ſapore fluere, auctoritate Muſiani Coſſ. aſſerit. Cuiuſmodi fontiũ cum nullus ante Chriſtum (quantum memini) aſſertor fuerit; plane intelligas, ea cũa virtute Chriſti miraculi facta eſſe. Nã ꝙ de fonte Naxi inſulæ, ex quo nonnumquã vinum ſuauiſſimum flueret, Cteſias refert in ſuis Indicis (ꝙ quidem longe ante Chriſti aduentum accidiſſe dicendum eſſet) haud adeo fide t dignũ eſt; cum Lucianus u, & alii complures auctores veteres, eumdẽ ipſius cõmentarium vt plane fabuloſum reiiciant.

Ceterum de miraculo Chriſti minime aſſentimur eis, qui illud in ſequentem annum reiiciunt, confirmantque auctoritate Eccleſiæ, quæ eadẽ die, qua Magorum aduentum, & Chriſti baptiſmum, idem quoque miraculum recolit. Sane cum eadẽ hæc tria ad oſtẽſionẽ Chriſti virtutis facta dicãtur, nõ vna eademque die ſingulis quibuſq; annis eſſe peracta, ſed ipſorum tantum memoriam eadem die ab Eccleſia recenſeri ſolitam teſtantur Sancti Patres, Auguſtinus x, Maximus y, Paulinus z, Eucherius, falſo Euſebius

Scrípt. Eccl. cap. 16.
S. IGNATII SENTENTIA IRREFRAGABILIS.
k Habet eamdem Alb. Flac de Offic. eccl. c. 6.
l Ioan. 1. v. 14. 2. Cor. 5. verſ. 18.

IX.
DE DIE BAPTISMI CHRISTI.
m Euſ. ep. ad Marin. Habentur eius fragmenta inedit. Chriſtoph. poſt hiſtor. Euag.
n Hier. in Ezech. 1.
o Epiph. hær. 51.
p Gre. Tur. de glor. mar. ca. 87.
q Bed. de loc. Sanct. cap. 13.

X.
r Matt. 4.
ſ Ioan. 1.
t 1. Cor. 3. Epheſ. 2.
PETRI VOCATIO, ET PRAROGATIVA.
u Epip. hær. 51.
x Sophr. de cert. SS. Pet. & Pau.
y Hier. in Gal. 2. & alii.
PETRVS PETRA. CVR DICTVS CEPHAS.
z Tert. 4. cont. Marcion. c. 13. Baſil. li. 20. de pæn. Hier. in Iſa. ... anniuerſ. aſſump. ſua. & alii
a 1. Cor. 10.
b Opt. lib. 2. cont. Parm.

c V. d. Aug. ep. ad ... Tertul. aduerſ. Marcion. 4. & alios.

XI.
d Ioan. 1.
e Matth. 8.
f Strom. l. 3.
g Rupert. Abb. & alii ...
h Aug. tra. 17. in Ioan.

XII.
i Ioan. 2.
IESVS AD NVPTIAS.
k ... in Ioan.
IOANNES EVANGELISTA CÆLEBS.
l Hier. ad verſ. Iouin. lib. 1.
m Ign. ep. ad Philadel.
n Epiph. hær. 58.
o Niceph. l. 1. c. 30.
p Hier. de loc. Hebr.

XIII.
q Iſa. 9. ...
r Epiph. hær. 51.
AQVA IN VINVM MVTATA.
ſ Plin. l. 2. c. 103. & l. 31. c. 2.
t Aſſerit tamen id ... auctoritate Heraclidis Suidas verb. ...
u Lucian. quom. hiſt. ſit ſcrib.

XIV.
DE TEMPORE MIRACVLI.
x Aug. ſer. 27. de temp.
y Max. ſer. de Epiph.
z Paulin. nat. 9. S. Felic.

a Iſid. de Offic. Eccl. cap. 22.
b Aug. ſer. 134. de temp.

ſebius Emiſſenus dictus) atque Iſidorus dictus [a], qui omnes ambigui fuere quænam potiſſimum ex tribus illis rebus ea die acciderit. Quod vero Dei Eccleſia in ea celebritate canit, *Hodie vinum ex aqua factum eſt ad nuptias*, idem eſt, ac ſi diceret vſitata ei phraſi, Hodie eius rei memoria agitur. Deniq; irrefragabili plane id monſtratur ratione, q alibi idem S. Auguſtinus [b] Baptiſmum Chriſti, & miraculum vini ſic facta eſſe vno die teſtetur, vt contigerint vna eademq; die, nẽpe Dominica. Si ergo tam Chriſti baptiſmus, quam miraculum die Dominica contigerit, manifeſte probatur nequaquam illud eadem die poſt annum interlapſum accidiſſe, ſed prorſus diuerſa: nã ſi præſenti anno feſtum Epiphaniæ in diem Dominicã incidat, ſequenti in alteram incurrat neceſſe eſt. Quod autẽ ad locum miraculi ſpectat; auctor eſt Nicephorus, [c] S. Helenã Conſtantini Imp. matrem ibi erecta Eccleſia eum illuſtraſſe.

c Nic. lib. 8. cap. ...

d Ioan. 2.

Poſt nuptias celebratas, ait Ioannes [d] Ieſum deſcendiſſe Capharnaum cum matre, fratribus, & diſcipulis, ibique manſiſſe non multis diebus. Ipſam vero Sanctiſſimã Deiparam poſtea rediiſſe Nazareth ad propria, & illic habitaſſe, certum eſt ex Nazarenorum apud Matt. [e] ſermone.

e Matt. 13. ...

XVI.

Appropinquante vero Paſcha, aſcendit Ieſus Hieroſolymam, & facto quaſi flagello de funiculis eiecit ementes & vendentes in templo. Cumque plurima operaretur miracula, multi ea videntes crediderunt. Rem geſtam narrat pluribus Ioannes [f]. Sed illud conſiderandum, quod cum Iudæis ſignum in eius auctoritatis probationem petentibus Chriſtus dixiſſet; *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, reſponderunt illi, *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt, & tu in tribus diebus excitabis?* Cum enim pari cõſenſione omnes Interpretes in eam abierint ſententiã, vt de templo quod ſub Zorobabel [g] reædificatum eſt, Iudæi intellexerint, quod licet aliquo interpoſito ſpatio, tamen tot annorum numero & paulo maiori conſtat [h] abſolutum: his tamen aduerſari videntur quæ Ioſephus [i] teſtatur, Herodem illud à fundamentis demolitum eſſe & nouum deſuper ædificaſſe ſpatio octo annorum. Cũ igitur nulla fuerit cauſa, vt Iudæi ab ædificatione ſub Zorobabel facta deducere voluerint argumentum, cum ea amplius nõ extaret; nos verius exiſtimamus eos de tẽplo ab Herode reſtituto eſſe locutos; fuiſſeque veram illorum ſententiam hoc ſenſu, vt tempus reſpexerint quo ab Herode cœptũ eſt ædificari, ac inde vſq; ad præſentem annum numerauerint annos quadraginta ſex. Cum & alioq quantumlibet Ioſephus affirmet ipſum templum octo annis cum dimidio fuiſſe ab Herode abſolutũ; tamen eiuſdem alibi [k] aſſertione certiſſimũ ſit, perſeueraſſe illius ſtructuram vſq; ad tempus Neronis operantib in ea circiter octodecim millibus opificũ. Quod qdem intelligendũ videtur de abſoluta vſquequaq; fabrica, & q̃o ad ornatum tam interiorem q̃ exteriorẽ: cum tamen iam hoc tempore opus ad eam perfectionis formam redactum eſſet, vt in eo poſſent ſacrificia offerri, & cætera quæcunque legalia præſtari.

f Ioan. 2.
De ædificatione templi Hieroſolymitani.
g lib. 1 Eſd.
h Euſeb. in Chron. Ioſeph. 15 ant. 14.
i Ioſ. 15. antiq. 14.
k Id. 20 antiq. 8.

XVII.
l Ioan. 3.

Poſt hæc in templo geſta, Nicodemus Iudæorum nobiliſſimus (quem Ioannes [l] Principem Iudæorum appellat) nocte acceſſit ad Ieſum, & ab eo edoctus eſt myſteria fidei Inde vero, vt idem Ioannes ſcribit, venit Ieſus cum diſcipulis ſuis in Iudæam, & illic demorans baptizabat. Porro ab ipſo Chriſto Petrum ſolum baptizatum eſſe, ab hoc autem Andream & filios Zebedæi, & ab iſtis reliquos Apoſtolos; expreſſis verbis teſtantur Euodius [m] ipſius Petri in regimine Eccleſiæ Antiochenæ ſucceſſor, & Clemens [n] Stromatæus. Rurſumque ſeptuaginta Diſcipulos à Petro & Ioanne baptizatos eſſe, ex eodem Euodio traditur. De baptiſmo vero Apoſtolorum pluribus agunt Tertullianus [o] & Auguſtinus, [p] aduerſus eos qui negabant illos fuiſſe baptizatos, ſed ipſos baptizaſſe alios tunc temporis cum Chriſtus baptizaſſe dicitur. Nam baptizandi opus à ſe inchoatum per ſuos eum perfeciſſe, omnes æque affirmant, ex ſententia Ioannis [q], dicentis quod Ieſus non baptizaret, ſed diſcipuli eius.

Baptizati a Chriſto.
m Ap. Niceph. li. 2 c. 3.
n Clem. li. 5. hypotyp. ap. Prat. ſpir. cap. 76.
o Tert. lib. de bapt.
p Aug. ep. 108.
q Ioan. 4.

XVIII.

Cæterum permanſiſſe Ieſum in Iudæa ſaltem vſque ad menſem Nouembris, ea ratione neceſſario concludendum videtur, quod non inde receſſerit niſi quatuor menſibus (vt ipſemet [r] ſignificauit) ante meſſem: certum autem ſit [s] iam tempore Paſchæ offerri ſolere manipulum ſpicarum. Vt autem inde recederet, & in Galilæam rediret, duæ in Euangelio cauſæ redduntur; altera vt cederet inuidiæ Phariſæorum, qui cum magis Ioannem obſeruarent quam Chriſtum, iniquo ferebant animo plures accedere ad baptiſmum Chriſti quam Ioannis; altera, quod audiuiſſet Ioannem ab Herode Tetrarcha Galilææ eſſe detruſum in carcerem. Itaque eo ſibi veniendum putauit Chriſtus, vt vbi cœperat prædicatio veritatis, ibi magis ac magis coaleſceret; & vbi defierat Ioannes, inde ipſe Chriſtus exordiretur prædicare pœnitentiam.

r Ioan. 4.
s Leuit. 23

XIX.
t Matt. 14. Mar. 6. Luc. 3.
De Ioannis Bap. carcere.
u Ioſ. 18. ant. 7.
De Herodiade.
x Ioſ. 17 an. & 10.13.

Quæ autem cauſa præceſſerit vinculorum Ioannis, ea deſcribitur ab Euangeliſtis [t], quod Herodem reprehenderet de Herodiade vxore fratris ſui Philippi, quam ipſe Herodes ſibi abduxerat. Deſcribit eandem hiſtoriam de amoribus Herodis cum Herodiade, & carcere ac nece Ioannis, Ioſephus [u]; ſed multa more ſuo perperã miſcens, quæ manifeſti ab aliis mendacii coarguũtur. Veluti, q Herodiadẽ dicat vxorẽ fuiſſe, nõ Philippi, ſed Herodis neſcio cuius; quem cum perpetuo alibi tacuerit dũ maxima fuit occaſio eum recenſendi [x], modo finxit veteris Herodis filiũ ex Mariamne Simonis Põtificis filia. Porro eiuſdẽ Herodiadis filiam, Salomen dictã, ex eodẽ incognito Herode genitam, nuptui vult traditam Philippo Tetrarchæ: cum tamen eiuſdem Philippi ipſam Herodiadem vxorẽ fuiſſe, tum Euangeliſtæ, tum alii teſtentur hiſtorici [y]. Herodiadẽ autem filiã fuiſſe Ariſtobuli filii veteris Herodis, & fratris ipſorum Herodis Antipæ atq; Philippi, teſtatur idem Ioſephus [z], aliiq; cõſentiunt. Cuius item auctoritate cõſtat, illam quę antea eidem Herodi nupſerat, quamq; ille eiecit vt Herodiadem ſubintroduceret, filiam extitiſſe Aretæ Regis Arabiæ Petreæ; atq; ea de cauſa bello inter eos cõflato, exercitum Herodis deletũ eſſe. Quod autem Herodis in Ioannem commotionis eã adfert cauſam, quod vereretur ne ſumma hominis apud populũ auctoritas defectionem aliquã pareret; refellitur ab Euangeliſtis, dũ ipſi (vt vidimus) id cõtigiſſe dicũt quod à Ioanne Herodes de inceſtu Herodiadis redargueretur. At de nece Ioannis dicetur inferius ſuo loco. Nunc vero nõ prętermittamus dicere, locum iſtum Euãgeliſtarum à Montaniſtis fuiſſe deprauatum: qui ad ſtruẽdam hæreſim de monogamia, quod viduæ non liceret alterius virum ducere, adiecerunt vt perperam legerent, Herodem duxiſſe fratris ſui defuncti vxorem: prout etiam Tertullianus [a]; qui eumdem cum illis defendebat errorem, aliquando legit.

y Hegeſip. de exc. Hieroſ. lib. 2. cap. 4.
z Ioſ. 18. ant. 7.
a Tert. ad verſ. Marcion. l. 4. cap. 34.

XX.
Ieſus venit Samariam.

Venturus autẽ Ieſus in Galilæam; tranſiens per Samariam habuit ad fontem Iacob ſermonem cum muliere Samaritana, eamdemque primum auerſantem ipſius tamquam hominis Iudæi colloquium, paulatim ad veritatis cognitionem & ad meliorem frugem, plurimoſq; inſuper Samaritanorum ad fidem perduxit. Rem geſtã fuſius deſcribit Euangeliſta [b]. De ſeparatione vero ab inuicem Iudæorum & Samaritanorum, quæ ob diuerſitatẽ religionis interceſſit, cum Samaritani profanum ſuum in monte Garizim ædificatum tẽplum Hieroſolymitano anteponerẽt; pluribus agitatur tum in ſacris [c] libris, tum apud Ioſephũ [d]. Ad puteum autem Iacob, qui & fons dictus eſt in memoriam præſentiæ Domini atq; ſeſſionis, poſtea erectam eſſe Eccleſiam, teſtes ſunt Hieronymus [e] & Beda [f].

b Ioan. 4.
c 4. Reg. 17. & 18.
d Ioſ. 11. ant. 7. & l. 13. ca 6.
e Hier. de loc. Hebr. in Sich.
f Bed. de loc. Sanct. c. 5

XXI
g Ioan. 4.
h Matth. 4 Marc. 1. Luc. 4.
i Matth. 9.

Poſt hæc Ieſus iterum veniens [g] in Cana Galilææ, ſanauit filium Reguli cuiuſdam abſentem. Ac deinde [h] relicta Nazareth, habitauit in ciuitate Capharnaum maritima, quam ideo Matthæus [i] appellat ciuitatem ipſius. Quod autẽ illic potius quam in aliis Galilææ ciuitatibus diutius egerit, ea ratio afferri ſolet, quod frequentior illuc eſſet acceſſus vndiq; hominum mercaturæ cauſa. Vnde & factum eſt (quod ſubdit Matthæus [k]) vt cum circuiret totam Galilæam prædicans Euangelium, & ſanans omnes infirmitates, abierit fama eius in omnem Syriam.

k Matt. 4.

XXII.
Abgarus ſcribit ad Ieſum.

Hac vero fama permotum Abgarum, ſiue Abagarum, Regem Edeſſæ ciuitatis Syriæ, ſcripſiſſe ad eum perhibent epiſtolam, qua illum Edeſſam inuitaret, tum ad fugiendos inſultus Iudæorum, tum vt ipſum Abgarum à morbo quo

torquebatur liberaret; reſcripſiſſe vero Dominū, & laudaſſe eum de fide, ſe vero excuſaſſe, q̀ iis ad quæ miſſus eſſet occupatus, à Iudæa recedere non poſſet: ceterum miſſurum ſe poſt ſuam aſſumptionem vnum ex diſcipulis ſuis, qui ei ſanitatem reſtitueret, & vitam impertiret. Quas quidem epiſtolas è tabulis publicis Edeſſenæ ciuitatis deſcriptas, atque è Syriaca lingua in Græcam tranſlatis, hiſtoriæ ſuæ Euſebius [l] intexuit: ſed quod eæ non reperiantur ab Euangeliſtis conſcriptæ idcirco Gelaſius [m] Papa inter ſcripta apocrypha adnumerauit; nō tamē vt eas omnino proſcribat, ſicut ne complures alios libros, quo proxime recenſuit: fuiſſe vero abſq; aliqua dubitatione ab antiquioribus receptas, euidēter teſtatur epiſtola Darii [n] Comitis ad S. Auguſtinum; & ante Auguſtini tempora egregiā de illis habuit mētionē S. Ephræm ipſiuſmet ciuitatis Edeſſæ diaconus, in eo opuſculo cui⁹ eſt titulus *Teſtamētū Ephram*: agitq; de iiſdem Theodorus Studita in epiſt. ad Paſchalem Papam: ſed & eamdem ipſam quæ ſcripta eſt à Domino ad Abgarum, adhuc temporibus Michaelis Paphlagonis, qui imperium auſpicatus eſt anno Domini milleſimo trigeſimo quarto, extitiſſe integram, & in honore habitā, Cedenus [o] eſt auctor. Attamen nō hæc à nobis ita ſint recitata, vt apocrypha transferri velimus; ſed ne ea quis omnino cōtemnenda exiſtimet, quæ maiores complures venerati eſſe noſcuntur. Quemadmodū nec ſic ea modo recenſuimus, quaſi hoc anno cōtigerint (cum potius earum contextus epiſtolarum, arguat eas non longe ante Domini paſſionem ſcriptas) ſed ea occaſione quod dicatur ab Euangeliſta, in omnem Syriam Chriſti famam fuiſſe peruulgatam.

De fide harum epiſtolarum. l Euſ. 1. hiſt. 13. m Gelaſ. decret. de lib. apocry. n Ap. Aug. ep. 263. o Cedr. in comp.

XXIII. Porro & ab ipſo Chriſto ſui imaginem nō manufactam ad eumdem Abgarum miſſam eſſe poſt datam epiſtolam, à cōpluribus grauiſſimis auctoribus ſcriptum reperimus. Id enim teſtatur Euagrius [p] Scholaſticus, non tamquam primus rei auctor, ſed occaſione inſignium miraculorum inde proditorum quæ recenſet: quæ vero ab ipſo ſcripta ſunt à Patribus Oecumenici Concilii nicæni Secundi vt omni fide digna cōprobata fuere. Qualiter autem illa imago *non manufacta* diceretur, Ioannes [q] Damaſcenus ita accidiſſe ſcribit, quod cum Abgarus pictorē miſiſſet, vt Domini imaginem exprimeret, neque id pictor ob ſplendorē ab eius vultu manantē conſequi poſſet; Dominus in faciei ſuæ pallium admouens, imaginē ſuam ei impreſſerit, & ad Abgarum miſerit vt pio eius deſiderio ſatisfaceret. Scribit his ſimilia Nicephorus [r]: ac præterea extat [ſ] de eadē imagine luculenta oratio Conſtantini Porphyrogeniti Imperatoris; & cumulata habetur mētio in actis [t] Sanctorū Samonis & Guriæ. Sed & Græci anniuerſariā de ea celebrāt, ſolemnitatē decimo ſeptimo Calēdas Septembris, vt conſtat ex eorum Menologio. Et quod ad Latinos pertinet, teſtimonio Hadriani Papæ ſcribētis [u] ad Carolum Magnū Imperatorem, certum redditur eamdē de eiuſmodi Imagine hiſtoriam cognitam & receptam eſſe à Stephano Papa in concilio Romano. Deniq; præſidio eiuſdem ſanctæ Imaginis hoſtium ſæpe copias eſſe profligatas, probatorum auctorum teſtimonio dicetur inferius ſuis locis: nunc ad Euangelicam hiſtoriam reuertamur.

p Euagr. 4. hiſt. 26. De imagine Chriſti non manufacta. q Damaſ. 4. de fid. Orth. c. 17. r Nic. 2. hiſt. 7. ſ Ap. Metaphr. 10. Aug. t Ap. Metaphr. 15. Nou. & in vita S. Alexii. u To. 3. Concil.

XXIV. Cum ob ſigna quæ IESVS in Galilæa ederet, ſequerentur [x] eum turbæ multæ, ipſe ſtans [y] ſecus lacum Geneſareth, vidit duas nauiculas piſcatorum, & aſcendit in vnam quæ erat Petri, & prædicauit ex ea turbis: & poſtquam ceſſauit loqui, iuſſit in altum ducere, & laxare retia in capturam; tantaque concluſa eſt multitudo piſcium, vt rumperetur rete, & impletæ ſint ambæ nauiculæ, ita vt pene mergerentur. Hæc pluribus Lucas Euāgeliſta: quæ nemo non videat quā vertant in prærogatiuam futuri primatus Petri; his ſcilicet tamquam quibuſdam lineamentis adumbrante Domino quæ poſtmodum in Eccleſia futura erant. Quod vero pertinet ad lacum *Geneſareth*, cuius eſt in Euangelio frequens mentio; deſcribens illū Ioſephus [z], ait quadraginta ſtadiis patere in latitudine, centum in longitudine, mediumque fluuio Iordane ſecari: aquam habere dulcem, atque potabilem, variaque piſcium genera ab aliorum locorum piſcibus ſapore & ſpecie diſcreta: ceterum regionem ipſam Geneſar dictam, naturæ ſimul & arte pulcherrimam & vberrimam extitiſſe. Quod autem præter alia oppida, eſſet in eius ripa Tiberias ciuitas in honorem [a] Tiberii Imp. ab Herode Tetrarcha ædificata; ab ea factum eſt vt lacus ipſe appellatus ſit Tiberiadis: quem & aliquando Euangeliſtæ mare vocant, ſiue ob amplitudinem, ſiue quod penes Hebræos quælibet aquarum congregatio mare dici conſueuit.

x Matt. 4. Mar. 3. y Luc 5. De piſcatione Petri. De lacu Geneſareth. z Antiq. 18. 3. de bel. 18. a Id. 18. ca. 3.

XXV. Subdunt poſt hæc Euangeliſtæ [b] multas res geſtas à Ieſu in Galilæa, multaſq; ſanationes diuerſorum morborū; quas per ſe quiſq; legere poterit: nos iis tantum immorabimur quæ aliquam requirēt exactiorem elucidationem: idipſum & in reliqua hiſtoria Euangelica, puta omnibus nota, obſeruaturi: cum & alioqui multa ſint, quæ magis ad interpretes, quam ad hiſtoricos pertinere noſcantur. Porro cum in regione Geraſenorum liberaſſet Ieſus duos dæmoniacos ſæuos nimis, & de monumentis exeuntes; permiſit dæmones in porcos ſe immittere, qui eos dederunt in mare præcipites. Quod autem populi illi eſſent Iudæi, illicite ſuariam artem exercuiſſe putantur; quibus vel ipſa porcorum nuncupatio nefanda [c] erat. Verum ad ſuppeditandam annonam Romanis militibus certum eſt, ſicut in aliis prouinciis, in Palæſtina ſues ali conſueuiſſe: ea nāq; de cauſa multa leguntur ſuariis conceſſa priuilegia. [d]

b Matt. 8. Mar. 5. Luc. 8. Dæmones in porcos. c Ioſeph. de bel. d C. Theod. de ſuar.

XXVI. Rediens poſtea in capharnaum Ieſus, Matthæū Publicanum ſedentem ad teloniū ſe ſequi iuſſit; & in conuiuio ab illo præparato, Phariſæorum ſoluit obiectionem de eo quod tam ipſe quā eius diſcipuli cum Publicanis manducarent. Sane quidem tam ex iſto, q̄ aliis pleriſque Euangelii locis conſtat, penes Iudæos, publicanos fuiſſe malæ exiſtimationis homines. Tertullian⁹ [e] putauit eos omnes fuiſſe Gentiles: quem ſanctus Hieronymus [f] redarguit exemplo ipſius Matthæi, aliorumq; qui ex circūciſione fuerunt. Iuriſconſulti q Romanorum leges ſunt interpretati, illos dixere [g] eſſe Publicanos, qui vectigalia à fiſco conducunt; quorum munus [h] erat, non tantum vectigalia à ſubditis, ſed & profeſſionem exigere. Eorum autem functionem fuiſſe apud Romanos honeſtiſſimam, quæ nec niſi Equeſtri ordini cōferri ſoleret, patet ex variis locis Ciceronis [i], & maxime ex epiſtola ad Quintum fratrem de regimine Præfecturæ Aſianæ; vbi plura habet de dignitate & vtilitate Publicanorum: quamuis & addat, nomen eorū non Iudæis tantum, ſed & Græcis fuiſſe infenſiſſimum ac plane inuidioſum. Mittebantur porro in prouincias ad vectigalia exigēda, iidemque rurſum ex ipſis prouinciis homines ſibi eligebant [k], quos eidem muneri adſcriberent, qui item Publicani dicebantur; cuius ordinis Matthæus erat, & Zacchæus dictus princeps Publicanorū, qui dicebatur Hebraice *Gabbe*, ceteri vero Publicani *Gabbaim*; vnde fortaſſe deductū nomen *Gabella*. Verū in Hebraico textu Euangelij ſancti Matthæi q̀ peruetuſtum habetur, Publicanos *Pariſim* inuenimus nominatos, q̀ eſt ꝓpriū nomen illorum latronū qui maceriam vel ſepes diſſipant ad furādū, ſicut & eadē voce vſus eſt aliquādo Hieremias [l], ꝓ latronib. Hac porro appellatione Publicanos Iudæi nuncupabant, quod libertatis aſylum viderentur effringere, atq; ad ſeruitutem aditum aperire; cum ipſi genus Abraham ex libera liberos ſe eſſe profiterentur, nec quicquam aliis debere; niſi decimas Deo; legeque ſtatutum eſſet, ne quis filiorum Iſrael vectigal penderet. Vnde quātumlibet inuiti ad vectigal & tributum ſoluendum adigerentur, execrandum tamen exiſtimabant è contribulibus ſuis id exigi, & illos qui ei muneri vacabant, ſicut & ceteras turpes perſonas, à magiſtratibus publicis arcebant. Scribit quoque Suidas ex Iamblico, ob duras acerbaſque exactiones nomen Publicanorum fuiſſe inuiſum; eorumque vitam apertam dicit eſſe violentiam, impunitam rapinam, negotiationem nulla ratione conſtantem, inuerecundam mercaturam. Sed de his hactenus.

XXVI. De vo[…] e Tertull. de pudic. f Hier. ep. 146. h […] k L. 1. D. de publican. l Hiere. 7. verſ. 11.

XXVII. Recenſetur poſt hæc ab Euangeliſtis [m] hiſtoria mulieris, quæ annis duodecim paſſa fluxum ſanguinis, ſanata eſt tactu fimbriarum veſtimenti IESV. Hanc vero ne tanti beneficii aliquando memoria excideret, rem geſtam æneis ſtatuis tam IESV quam ſui effigiem referētibus,

m Matt. 9. Mar. 5. Luc. 8.

n Euſ.7. hiſt.14. MVLIER CVRATA A FLVXV SANGVINIS, ERIGIT STATVAM CHRISTO.

bus, poſteris commendaſſe Euſebius [n] eſt auctor. Vnde arguuntur qui exiſtimarunt eam fuiſſe Martham Mariæ & Lazari ſororem, cum non liceret vllo pacto Iudæis ſimulachrum cuiuſuis quauis occaſione formare: ceterum eā Cæſarea Philippi oriundam fuiſſe, ſed Gentilem, Euſebius ſcribit; qui & ipſas ab ea erectas ſtatuas teſtatur ſe vidiſſe in eadem ciuitate præ foribus domus eiuſdem feminæ; & ad pedes imaginis Christi in ipſa baſi inuſitatam quamdam herbæ ſpeciem enaſci ſolitam, quæ vbi ad ænei veſtitus fimbriam excreuiſſet, morbi cuiuſcumque medicandi vim haberet.

XXVIII. *o Matth.9. Mar.5. Luc.8. p Ioſ.3. de bel.15. q Senec. in lud. Claud. Plutarch. de conſol. Val. Max. lib.2.ca.5. nu.4. & alii complures. r Lucian. lib. de luct. ſ Luc.7. t 1.Theſſ.4.*

Curata à ſanguinis fluxu muliere, Chriſtus ſuſcitauit [o] à mortuis filiam Archiſynagogi, ad cuius funus iam tibicines venerant vt lugubre canerent. Nam morē fuiſſe Iudæorum ad luctum tibicines adhibere, ex Ioſepho [p] etiam cognoſci poteſt. Verum id quidem non ex diuinæ Legis præcepto, ſed potius more Gentilium [q] tam Latinorum, quā Græcorum; apud quos non tantum funebre carmen, quod dicebatur Nęnia (vt auctor eſt Feſtus) canebatur ad tibiam, ſed vt ſcribit Lucianus [r] ipſæ in luctu iterati ſolitæ pectoris tunſiones, attemperabantur ad modos tibiæ. Quod igitur in Iudæa etiam frequens eſſet eius rei vſus, inde prouerbium apud Lucam [ſ]: *Cantauimus vobis tibiis, & non ſaltaſtis; lamentauimus* (iiſdem nempe tibiis) *& non ploraſtis.* At vero cum Paulus [t] moneat ne contriſtemur de dormientibus, tibicines nequaquam adhiberi ſoliti ſunt in funeribus Chriſtianorum.

XXIX. *u Matt.9.* IVDÆI INCIPIVNT ADVERSARI CHRISTO.

Subdit his Matthæus [u] de duobus cæcis, & dæmoniaco muto, curatis à Domino, per breuem hiſtoriam: quando cœperunt Phariſæi ipſum calumniari quod malis artibus dæmones eiiceret, nimirum non virtute Dei, ſed principis dæmoniorum. Hicq; merito finem imponimus præſenti anno primo prædicationis Chriſti; neq; illum Coſſ. modo metimur, quippe qui ſciamus maiorem partem rerum quas in Galilæa geſtas diximꝰ, cōtigiſſe initio anni ſequentis. Sed cum non ſit certū quid quo die vel menſe factum ſit, eam inimus rationem in annis Chriſti prædicationis recenſendis, vt ſecundum Paſchatis feſtiuitates eos diſtinguentes, primum annum (quem propterea acceptabilem prædixit Iſaias [x], quod prædicatio tempore illo facta ab omnibus acciperetur) concludamus termino Paſchatis, & pacifico ſtatu Euangelicæ prædicationis. Quāuis enim aliqua leuis interceſſerit contentio Phariſæorum cum Chriſto hoc ipſo anno fuit tamen eius generis, vt quærerent eum perdere, ſicut poſtea fecerunt.

x Iſa.61. Adde Epip. 1. Panar.1. adſ. & hær.51.

TIBERII IMP.16.

IESV CHRISTI AN. 32.

I. *a Suet. in Tiber. c.65.* *b Ioan.5.*

ANNO Chriſti trigeſimo ſecundo, Longino & Quartino [a] Coſſ. cum adeſſet dies feſtus Iudæorum, venit Ieſus Hieroſolymam, & languentem hominē annis triginta octo excubantem in probatica piſcina ſanauit. Rem geſtā enarrat Ioannes [b]; qui idcirco acta ſuperioris anni maiori ex parte prætermiſiſſe viſus eſt, quod cum nouiſſimus omnium ſcriberet Euāgelium, quæ ab aliis tribus Euāgeliſtis eſſent abunde narrata repetere non curauit; quę vero prætermiſſa vidiſſet ipſe ſuppleuit. Eo enim cōſilio in ſcribēdo Euāgelio vſum eſſe, teſtatur S. Hieronymus [c]. Porro quod multi [d] dictum diem feſtum, fuiſſe Pentecoſten anni ſuperioris ſunt interpretati, nullo ſane pacto ſubſiſtere poſſe, cognoſcet qui exactam habuerit rationem eorum quæ eodem relata ſunt anno: ſed & de feſto Paſchatis Ioannam intellexiſſe, omniū antiquiſſimus Irenæus [e] diſerte teſtatur. Curato autem ægro, tumultuantes in Ieſum Phariſæi [f] quod Sabbato, quo illū ſanaſſet, grabatum tollere iuſſiſſet, & patrem ſuum Deum dixiſſet; de eo interficiendo cogitare cœperunt, atque eo magis quod paulo poſt ipſo ſabbato ſecundo-primo (vt vocat Lucas [g]) eodem Domino tranſeunte per ſata, eſurientes eius diſcipuli ſpicas vellentes ac manibus confricantes, triticum ex illis purgatum comediſſent.

c Hier. de ſcript. Eccl. ca.9. d Chryſ. & Cyril. Alex. atque alii eos ſecuti. SECVNDVM PASCHA. *e Iren. li.2. cap.10. f Ioan.5. g Luc.6.*

II. SABBATVM SECVNDO-PRIMVM.

Quod autem ſegetes tūnc fuiſſe maturas inſinuet Euāgeliſta, fuiſſe etiam tempus Paſchæ plerique omnes Interpretes affirmant: licet qui dies vocetur SABBATVM SECVNDO-PRIMVM, quo non liceret ſpicas vellere, minus inter ſe conſentiant: eſtque vetus quæſtio, de qua obiter Hieronymus [h] rogans Gregorium Nazianzenum, lepida ab eo tergiuerſatione eluſus eſt. Nobis vero, aliis prætermiſſis, magis placet ſententia Iſidori [i] Peluſiotæ, dicentis illam fuiſſe diem, quæ poſt primam Azymorum mox ſequitur, quæ & inſuper incidiſſet in Sabbatum hebdomarium, quo nec quæ ſpectarent ad victum [k] parare liceret. Sed & quod pariter facta hæc eſſe Paſchali tempore, quo ſegetes in Iudæa matureſcere inciperent ad meſſem, alii pro certo haberent; inde putarunt [l] hac auctoritate, quaſi nouo Paſchate adinuento, quinque eſſe Paſchata numeranda ab illo primo poſt nuptias celebrato, eaque ratione dicendum eſſe Chriſtum crucifixum anno ætatis ſuæ trigeſimo quinto per tres menſes inchoato. Sed hæc repugnare multis, cum agetur de Paſſione demonſtrabitur.

h Hier. ep. ad Nepot. i Peluſ. 3. 110. ad Iſidor. k Exod. 12 l Epiph. hæ. 30. & 51. Chryſoſtom. 40. in Mat.

III. *m Matt.12. Mar.3. Luc.6.*

Reuerſo [m] poſt hæc Ieſu in Galilæam, rurſum occaſione redditæ ſanitatis die ſabbati homini habenti manum aridam, Scribæ & Phariſæi cum Herodianis inierunt conſilium quomodo eum perderent. Cum vero indies frequentior eſſet ad eum cōcurſus, nō è Galilæa tantum, ſed etiā è vicinis regionibus vt ab eo ſanarētur, ne cōprimeretur à turba nauiculam ſibi parari iuſſit. Aſcendens [n] vero aliquādo in montem, pernoctauit in oratione; & cum dies factus eſſet, elegit duodecim ex diſcipulis vt mitteret eos ad prædicandum, quos etiam APOSTOLOS nominauit, dans eis poteſtatē curandi morbos, & eiiciendi dæmonia. Porro Apoſtolos apud Hebræos, eos dici ſolitos qui aſſidue verſarētur cum Summo Sacerdote conſulendi gratia, & ad ipſum referrent ea quæ ſunt in lege, qui & ab ipſo legari cōſueuiſſent ad componendos mores ſacerdotum, ſynagogas inſpiciendas, & prauos miniſtros in ordinem redigendos; colligitur ex iis quæ Epiphanius [o] ſcribit de Ioſepho apud Iudæos Apoſtolo. Et in quodā reſcripto [p] Arcadij & Honorii Impp. habetur de iiſdem mentio, quod mitterentur certo tempore ab eorum Patriarcha ad exigēdam pecuniam à ſingulis Synagogis. At vero Chriſtus ea de cauſa ſuos elegit Apoſtolos, vt verbi prædicatione Orbi caligine offuſo lumen veritatis impertirent.

n Matt.10. Mar.3. Luc.6. APOSTOLI DVODECIM ELIGVNTVR. *o Epip. hær. 30. p l.14. C. Theodoſ. de Iudæis.*

IV. *q Matt.10. Mar.3. Luc.6.* PETRVS PRIN. EP. APOSTOLORVM.

Quinam autem ii fuerint, Euangeliſtæ [q] recēſent, & omnibus notum eſt. Fuiſſe vero ordinem inter eos, vt ſcilicet vnus tamquam caput aliis præſtaret, illumque ipſum fuiſſe PETRVM; quotquot ab exordio naſcentis Eccleſiæ (nē ſingulos commemorem) Orthodoxi fuere Scriptores abſque aliqua ſunt ambiguitate profeſſi: iidemq; ipſi Euāgeliſtæ vel in iis nominandis ſatis indicant, dum vbicumq; eos recenſent, ſiue omnes, ſiue aliquos eorum, Petrum ſēper primum ponunt; quem & hic Matthæus expreſſe *Primum* appellat, cum alioqui nec vocatione, nec ætate primꝰ eſſet, vt vidimus ſuperius. Quod autem ad genus eorum ſpectat; omnes fuiſſe Galilæos, Angelorum [r], hominumq; [ſ] teſtimonia ſuffragātur. Stirpe vero, ipſorum aliqui ex tribu Iuda (nempe qui dicti ſunt fratres Domini) ceteri ex tribubus Zabulon & Nepthalim fuiſſe [t] putantur; ſecundum quod prædictum erat in pſalmo [u], *Principes Iuda duces eorum; principes Zabulon, principes Nepthali.* Exiſtimauit tamē aliquando Sanctus Hieronymus [x], Iudam Iſcariothē fuiſſe ex tribu Ephraim, eſſeq; *Iſcarioth* vicum eiuſdem tribꝰ: aliquando vero [y] putauit, fuiſſe ſic appellatum à tribu Iſſachar. Verum magis placet dictum fuiſſe ex duobus verbis, *Is*, quod interpretatur vir, & *Carioth*, quod eſt oppidum in tribu Iuda, de quo eſt mentio in diuinis [z] Scripturis: ſicq; Iſcarioth idem ſit quod vir Cariothenſis. Quod vero & aliqui ex Apoſtolis dicantur fuiſſe ex tribu Iuda, non impedit quin iidem nominari potuiſſent Galilæi. Nam & Dominus noſter, licet eſſet ex tribu Iuda, & natus in terra Iuda, nihilominus quod habitauit Nazareth, Nazarenus, idem Galilæus eſt appellatus.

GENVS APOSTOLORVM. *r Act.1. ſ Act.2. t Hieron. in Iſa.9. Theodor. in pſ. 67. & alii complures. u Pſal.67. x Hier. in c. 15. & in Matth.10. y Id. de nomin. Hebr. z Ioſue 15. Hieremi.48. Amos 2.*

V. *a Matt.5. Luc.6.*

Deſcendens [a] poſt hæc Dominus cum illis de monte, multos infirmos & dæmoniacos curauit, longioremque ſermonē de beatitudine & infelicitate, deq; abſolutiſſima Chriſtianæ legis perfectione ad diſcipulos habuit. In quo dum inter alia inquit: *Ego dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit Iudicio; qui autē dixerit ei Racha, reus erit Con-*

IVDICIA HEBRÆORVM.

cilio;qui vero fatue, reus erit gehennæ ignis: conſtat eum locutum eſſe ſecundum tria Iudiciorum tribunalia Hebræorum; quorum primum dicebatur *Domus iudicii trium virorum*, qui minores iudicabant cauſas; ſecundũ, *Domus iudicii viginti trium virorũ*, vel συνέδριον paruum, in quo maiores cauſæ, nempe capitales cognoſcebantur; tertium, *Septuaginta duorum virorum*, quod συνέδριον magnum dicebatur, in quo grauiſſimæ agebantur cauſæ quæ ad ſummam Reipublicæ pertinerent, vt de Tribu, Lege, Rege, Propheta, ac Summo deniq; Sacerdote: quæ quidem curia tantummodo erat Hieroſolymis, ceteræ autem ſparſæ in ſingulis tribubus. Ad hos itaque iudiciorum ordines reſpectum Domin⁹ habens, per *Iudicium* intellexit paruum συνέδριον viginti trium virorum; per *Concilium*, magnum συνέδριον ſeptuaginta duorum virorum. Quod ſi quis fratrem ſuum vocauerit *fatuũ*, tale ait eſſe delictum, quod nullius tribunalis ſententia poſſit digne puniri, ſed pœnas gehẽnæ mereatur æternas. At de his plura Thalmudici: ex quibus etiam nonnulli produnt, *Racha* genus fuiſſe contumeliæ familiaris, cum ſuperior quiſpiam inferiorem corrigere verbis ſoleret; eſſeq; vocem Syriacam, pro qua Hebræi Richa dicerent. Sed Richa, ſeu Racha, idem eſſe quod contemptus cauſa alicui pauperem dicere, ex Hebraica voce egregie deducit Cornelius [b] Ianſenius. At hæc magis Interpretum eſſe ſolent.

b *Ianſ. Concord. cap. 40.*

VI.

c *Matth. 8. Luc. 7.*

DE MVLIERE PECCATRICE.

Narrant poſt hæc Euangeliſtæ [c] multa alia ſigna, quæ à Chriſto Domino ſunt edita in variis locis Galilææ; ſubditque Lucas de Muliere peccatrice, quæ eodẽ apud Simonem Phariſæum diſcumbente, tulit alabaſtrum vnguenti, & lacrymis cœpit pedes eius rigare, ac capillis ſuis tergere, eoſdem oſculari & vnguẽto vngere. Qua de re dubitatio vetus illa fuit inter ſcriptores Eccleſiaſticos, An mulier, cuius hic Lucas meminit, illa, ipſa ſit quæ ſoror Lazari & Marthæ fuit & in Bethania [d] vnxit pedes Ieſu: Rurſumq;, an vna eadẽq; ſit cum illa quæ in domo Simonis Leproſi [e] fracto alabaſtro effudit vnguentum ſuper caput eius: Inſuper num & ipſa ſit, quæ Maria Magdalene dicta, Chriſti paſſioni præſens [f] fuit, & vna cũ ceteris ad Domini ſepulchrum vnguẽtum attulit. Ne vero ſingulorũ recenſendis diuerſis opinionibus immoremur; in primis dicimus, atteſtatione Ioannis [g] Euangeliſtæ, immo ipſius Domini, apertiſſime conſtare, vnam eandemq; fuiſſe Mariã Lazari & Marthæ ſororem, cum Maria Magdalena. Nam cum in Bethania eadem ſoror Lazari vnxiſſet pedes Ieſu, ac Iudas ob eam cauſam eſſet infenſus, ipſe Dominus audaciã eius reprimens, dixit; *Sinite illã, vt in diẽ ſepulturæ meæ ſeruet illud.* Illã vero quæ cum Maria Iacobi & Salome ad vngendum corpus Ieſu paratum vnguentum ad ſepulchrum attulit, fuiſſe Mariam Magdalenam Marcus [h] affirmat: nec alia apud eum, vel ceteros Euangeliſtas, habetur mentio de Maria ſorore Lazari ad illud munus præſtandum à Domino præmonſtrata: vnde cognoſci perfacile poteſt, vnam eamdemq; fuiſſe Mariam, quæ vtramque obierit functionem. Quod autem peccatrix mulier, quæ in Galilæa pedes Domini vnxit, eadem Magdalena fuerit, ſatis indicant Euangeliſtæ [i], dum aiunt Magdalenam vnã ex illis mulieribus fuiſſe, quæ è Galilæa ſecutæ ſunt Dominum miniſtrãtes ei: eamdemque fuiſſe Mariam ſororem Lazari & Marthæ; abſque vlla ambiguitate teſtatur Ioannes [k].

d *Ioan. 11.*

e *Matt. 26. Mar. 14.*

f *Matt. 27. & Mar. 15 & Luc. 24. Ioan. 19. 20*

g *Ioan. 12.*

VNA AN PLVRES MARIÆ MAGDALENÆ.

h *Mar. 16.*

i *Matt. 27. Mar. 15. Luc. 8. 23.*

k *Ioan. 11. in princ.*

VII.

l *Orig. in Matt. tract. 35.*

Quod vero ſpectat ad Scriptores Eccleſiaſticos; Origenes [l] teſtatur complures qui ante ſe vixerunt, profeſſos eſſe vnam tantum eandemq; fuiſſe mulierem quæ ſæpius Ieſum vnxit; nec aliquem extitiſſe qui de pluribus ſententiam aſtruere auſus eſſet. Et quamuis ipſe plures fuiſſe aliquando aſſeruerit, tamen ſanioris poſtea iudicii effectus, eam firmauit [m] ſententiam, vt vna eademque fuerit mulier, quæ in domo Simonis Phariſæi vnxit pedes Ieſu, cum Maria ſorore Marthæ, & cum Magdalena quæ ad ſepulchrum cum vnguento acceſſit. Deniq; cum multi poſtea contrarites fuerint non defuerunt, tamen qui ſemper crediderunt (quod & ipſa Eccleſia Catholica vſu probaſſe videtur) vnicam extitiſſe Magdalenam, eamdemq; ſororem Marthæ & Lazari, & aliquando peccatricem, à qua Dominus ſeptem dæmonia eiecit; quæ & primo vnxit pedes Domini in Galilæa in domo Simonis [n] Phariſæi, deinde in Bethania ante ſex dies Paſchæ [o] vnxit pariter pedes in domo Lazari; tertio denique in eadem Bethania biduo [p] ante Paſcha vnxit caput apud Simonem cognomento Leproſum.

m *Id. homil. de Magdal.*

n *Luc. 7.*

o *Ioan. 12.*

p *Mar. 14.*

VIII.

DE ALABASTRO VNGVENTI.

q *Herod. Thalia.*

r *Plin. lib. 36 c. 8 & lib. 13 c. 1.*

s *Epiph. de menſur.*

Ceterum ALABASTRVM VNGVENTI Mariæ Magdalenæ magni pretii munus fuiſſe, ex eo facile poſſumus intelligere, dum ſcribit Herodotus [q], Cambyſem Regem Perſarum omnium potẽtiſſimum dono miſiſſe Regi Æthiopum inter alia munera Alabaſtrum vnguẽti. Docetq; Plinius [r], Alabaſtritem lapidẽ ad vaſa vnguentaria excauari ſolere, quod quæ intus ponuntur incorrupta cõſeruari ſoleant: cui magis aſſentimur, quam Epiphanio [s] ſcribenti Alabaſtrum eſſe vaſculum vitreum, ita appellatum propter fragilitatem. Porro inter varia vnguentorum genera quæ in deliciis eſſent illud quod dicitur *Nardus*, maximi fuiſſe pretii ſcribit Clemẽs [t] Alexandrinus. Illud autem quo vſa eſt Magdalena, fuiſſe *piſticum*, hoc eſt non adulteratum, teſtantur Euangeliſtæ: cuius excellentiæ meminit & Plinius [u]. Quibus omnibus facile intelligere quiſque poſſit, eamdem Magdalenam opulentiſſimam fuiſſe, quæ ſæpe tanti pretii ad vnctionem Domini vnguentum pie liberaliterq; profuderit; nec adeo mirũ eſſe ſi primo Iudas [x], deinde ceteri diſcipuli [y] indignati ſint de tanta adeoque inſolita profuſione. Scribit vero Suidas [z], vrceum vnguenti quo Chriſtus inunctus fuit, depoſitum eſſe vna cum multis aliis Reliquiis à Conſtantino Magno in Foro Conſtantinopolitano, ſed à Theodoſio Magno inde ſublatum, & honeſtiori loco reconditum.

t *Clem. l. 2 Pæd. c. 8.*

u *Plin. l. 13 c. 1.*

x *Ioan. 12.*

y *Matt. 26. Mar. 14.*

z *Suidas in voce*

IX.

a *Matt. 13. Mar. 6. Luc. 4.*

b *Nic. l. 1 c. 30.*

Referunt poſt hæc Euangeliſtæ [a] multa quæ Ieſus vſq; ad proximum Paſcha operatus, ac concionatus eſt in Galilæa, necnon quæ tam à ſuis exiſtimantibus eum in furorem verſum eſſe, quã præcipue ab Scribis & Phariſæis paſſus eſt, cum inter alia ductus ab iis in ſupercilium montis præcipitandus, per medium illorum illæſus abiens receſſit. Addunt aliqui [b], tamquam ex Beda, Dominum manus prædictorum violentas euadere volentem, ſub rupe latuiſſe, ſaxumque tunc eidem ceſſiſſe, ac latebris locum præbuiſſe, in quo corporis Domini remanſerint impreſſa ſigna, pedumq; veſtigia: ſed nihil huiuſmodi apud Bedam.

IESV CHRISTI ANN. 33.

TIBERII IMP. XX.

I.

a *Tacit. lib. 4 Dio lib. 58*

b *Matt. 14. Mar. 6.*

DE NECE IOANNIS BAPT.

c *Matt. 14. Mar. 6.*

d *Hier. ad Rufin.*

e *Idem ep. 27.*

ANNO Chriſti trigeſimo tertio, Tiberio [a] Auguſto quintum & Ælio Seiano Coſſ. prope [b] Paſchalẽ celebritatẽ Herodes Antipas Tetrarcha Galilææ in ipſo cõuiuio Natalis ſui, Herodiadis concubinæ arte deceptus, vt eius filiæ ſaltatrici ſatisfaceret, Ioannem Baptiſtam, quẽ diutius in cuſtodia (vt vidimus) tenuerat, capite truncari iuſſit. Rẽ omnibus notam Euangeliſtæ [c] pluribus deſcribunt. Inſultaſſe vero Herodiadem præciſo capiti, & acu diſcriminali ſanctiſſimam illam linguã perforaſſe, Hieronymus [d] teſtatur. Idẽq; eſt auctor [e], corpus Ioannis ſublatum ab eius diſcipulis ſepultum fuiſſe Sebaſte, quæ eſt Samaria; caput vero nequaquam conceſſum ad ſepeliendum. De quo Nicephorus [f] ait, ꝙ Herodias illud rurſus cõiungere reliquo corpori timens, apud ſe, remotis arbitris, in abſtruſiore Regiæ loco ſepelierit. Quod autem Ioannis corpus Samariam vſque diſcipuli detulerint, ea ratio afferri poſſe videtur, quod ea prouincia non eſſet ſub Herodis Antipæ ditione, ſed poſt Archelaum Regem in ordinem redactum, cum Iudæa & Idumæa per Romanos Præſides adminiſtrari ſoleret: ideoque ne rurſus Herodias de trunco negotium faceſſeret, illum Samariam detulerunt: ſed eo potius quã alio extra ditionem Herodis, quod Samaritæ (vt ſuperius diximus) hoſtes eſſent Iudæorum, ac pro rebus patriis pugnaciſſimi. Ceterum ſcribit Nicephorus [g], miſeram iſtam ſaltatricem impiæ Herodiadis filiam, ſuperſtite adhuc matre cum aliquando fluuium glacie conſtrictum pedes tranſiret, glacie rupta dimerſam fuiſſe capite tenus; ſicque inferiore corporis parte in vndis laſciuiente, caput glaciei cruſtis reſectum in ipſa glacie lethalem ſaltationem exhibuiſſe, & eiuſmodi ſpectaculo in memoriam ea quæ fecerat adſtantibus reuocaſſe.

f *Niceph. lib. 1 c. 19.*

IOANNIS CORPVS DELATVM SAMARIAM.

g *Niceph. l. 1 c. 20.*

POENA FILIÆ HERODIADIS.

caſſe. At quoniam huiuſmodi hiſtoriæ haud conſtans habetur veritas, eſto fides apud auctorem.

II. Opinio Herodis de Christo.

Porro quantumuis omnibus nota eſſet nec Ioannis Baptiſtæ, tantæ tamen fuit exiſtimationis, vt putaretur à quibuſdam reſurrexiſſe, & ipſe Chriſtus eſſe Ioannes: hoc enim & ipſum inter alios Herodem exiſtimaſſe, cum audiret ſigna quæ Ieſus faceret, tradunt Euangeliſtæ [h]. Rem plane admiratione dignam, quomodo iſtud Herodes de Chriſto exiſtimare potuerit, qui iam biennio, vbi ipſe regnabat, viuente adhuc Ioanne peragraſſet Galilæam, famaq; miraculorum eius omnem etiam Syriam peruaſiſſet. Putamus nihilominus fuiſſe in cauſa quo minus Herodes ea ſciuerit, quod dictis temporib. abſens fuiſſet tum Romæ, quo ante detruſum Ioannem in carcerem veniſſe, auctor eſt Ioſephus [i], tum in expeditione Arabica aduerſus Aretam Regem, quam mox poſt reditum Roma, & abductam Herodiadem, inchoaſſet idē auctor enarrat. His adde, & incredibilē fuiſſe in homine de Chriſto cognoſcendo ſocordiam: nam cum dicat hic Marcus [k], quod Herodes ex hoc tempore quærebat Chriſtum videre, tamen neglexit, nec per annum integrū quo poſtmodum Chriſtus egit in Galilæa, vmquam vidit, ſed tantum Hieroſolymis tempore paſſionis.

h Matt. 14. Mar. 6. Luc. 9.
i Ioſ. 18 ant. cap. 7.
k Mar. 6.

III. Matt. 14. Mar. 6. Luc. 9 Ioan. 6. Miraculum in panibus.

Cum autem Ieſus nuncium accepiſſet de nece Ioannis, ſeceſſit inde in locum deſertum; vbi turbas eum ſequentes [l], primum prædicationis verbo, deinde quinque panibus & duobus piſcibus admirando modo multiplicatis, abunde pauit; adeo vt quinque millib. virorum, præter mulieres & paruulos, ſaturatis, ſuperfuerint duodecim cophini fragmentorum. Vnde magna creſcente apud Iudæos opinione, ꝙ Ieſus vere ille eſſet Propheta magnus, qui prædictus erat in mundum venturus; cogitarunt eum facere Regem: Sed hoc ipſe fugiens, iuſſis diſcipulis præcedere trans fretum Bethſaidam, donec ipſe dimitteret turbas, nocte proxima ambulans ad eos ſupra mare, maximā ortam tempeſtatem ſedauit, quando & Petrum ingenti primum fiducia ambulantem ſuper aquas, ſed mox valido vento perterritum, ſubmerſioni eripuit. Altera vero die cum longiori ſermone de manducanda ſua carne diſſeruiſſet, plurimi Iudæorum, ac nonnulli etiam diſcipulorum, quod minime ea percipere poſſent, offenſionem paſſi ab eo receſſerunt: quorum vnum fuiſſe Marcum, qui poſtea Euangelium ſcripſit, ſed per Petrum ad Dominum reuocatum, tradit Epiphanius [m].

m Epiph. hær. 51.

IV. n Matt. 15. Mar. 7.

Sub idem tempus peragrauit [n] Ieſus Galilæam, à Iudæa declinans, quod Iudæi quærerent illum interficere. Eidēque Phariſæi de Diſcipulis ipſius, quod non lauarent manus, cum manducarent, negotium fecerunt; quippe qui (vt habet Euangeliſta [o]) ſæpius die lauari ſoliti eſſent atque baptizari: huiuſmodi namque ſectam fuiſſe apud eos *Hemerobaptiſtarum*, diximus in Apparatu [p]. Seceſſit poſt hæc Dominus [q] in partes Tyri & Sidonis quando Gentilis femina Syrophœniſſa ex ſtirpe Chanaan, indeque *Chananæa* nominata, habitans in Phœnicia maritima regione Syriæ, conueniens Dominum pro filia ſua quæ à dæmonio torquebatur, eius liberationem impetrauit. Reuerſus vero in Galilæam Dominus, multos infirmos curauit: & ſeptem panibus ac paucis piſciculis quatuor millia virorum, exceptis mulieribus atq; paruulis pauit, reſiduis adhuc ſeptem ſportis fragmētorum. Paulo vero poſt Diſcipulos ſuos [r] de pane ſollicitos redarguit, monuitque cauere fermentū Phariſæorū, Sadducæorū, & Herodianorum; hæreſes eorū ſignās, de quib. dictum eſt ſuperius.

o Mar. 7.
p Num. 9.
q Matt. 15. Mar. 7.
Chananææ filia sanatur.
r Matt. 16. Mar. 8.

V. s Matt. 16. Mar. 8. Luc. 9. Petri confeſſio de Chriſto.

Venit poſt hæc in partes Cæſareæ Philippi [s], & cū ſolus aliquando oraret cū ſuis Diſcipulis, interrogauit eos quē dicerent homines ipſum eſſe; cumq; ii reſpondiſſent, alios dicere Ioannem Baptiſtam, alios Heliam, alios Hieremiam, vel quēdam alium ex antiquis Prophetis; interrogāte iterū Domino, quē ipſi Diſcipuli eum eſſe dicerent; tunc reſpondens Petrus, Tv es, inquit, Christvs Filivs Dei vivi; quem ea de cauſa Dominus beatū prædicās addidit, Ego dico tibi, qvia tv es Petrvs, et svper hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; et portæ inferi non prævalebvnt adversvs eam: &c. Porro hæc tanti ponderis & auctoritatis actio Chriſti, typum quēdam expreſſit celebrandi Concilii: Cū miſſis ceteris, ſolus cum Diſcipulis, poſt preces Deo oblátas, de ſumma rerū quæſtionem proponit, & admirabili quodā ordine, vt prius deſtruātur errores, ac ſubinde ſolida firmitate veritas ſtabilita locetur, in primis interrogat, quæ ſit illorum qui foris ſunt opinio de filio hominis: ſed cum deliramenta ab illis dicta ferrētur, quid demum ipſi de ea re ſentirēt rogat ſētentias omnium. Petrvs dignitate primus (vt iā ſuperius vidimus) talem fert ſententiam vt cauſam ipſe definiat, & quid ab omnibus ſentiendum eſſet decernat, ac fidei canonem perpetuo permanſurum conſtituat. Idcirco etiā ſatis fuit Chriſto Petrum eſſe locutum, nec aliorum Apoſtolorum opus fuit rogare ſententias: Quin & laudauit ſententiam eius eamque non habendam vt vulgarem, aut ex ſenſib. humanis depromptā, ſed diuinitus à Deo Patre illi per Spiritum Sāctum infuſā, ceteris audientib. patefecit. Sed & quoniā diuina illa Sapiētia præuidebat, fore vt in Eccleſia ſæpius eiuſmodi de fide orirētur controuerſiæ; iure conſuluit vt à quo quid quolibet tempore decernēdum foret, in cōperto eſſe. Et quod lege diuina apud Hebræos, & iure naturali apud gentes ferme omnes, ſancte pieq; mutua velut quadā conſenſione obſeruari reperiſſet; Ieſus, qui non legem ſcriptam veniſſet abrogare, iuſue naturale à Deo menti cuiuſq; inſitum labefactare, ſed numeris omnibus omnia abſolutiſſima reddere; inſtituto iam in Eccleſia collegio Apoſtolorum, ex illis vnum omnium maximum ac principem, qui ceteris præcellet, elegit.

Concilii celebrandi typus.

VI. Petri principatus.

Fuit hic Simon Bar-iona, hoc eſt filius Ioannis, ſiue dixerimus Ionæ (eſt enim idē Ioannes quod Ionas abbreuiate apud Hebræos) qui cum tam prompto & alacri animo, quod diuinitus acceperat de Chriſti diuinitate, palā confeſſus eſſet; ab eo gratiam rependente, ſponſionem illam iam olim factam, ꝙ Cephas vocādus eſſet in præſentiarum eſt feliciter conſecutus, dicente ei Domino, *Tu es Cephas* (ſic enim vocem hanc, vt à Domino eſt Syriace prolata, deſcribimus) *& ſuper hanc Cepham* (quod ſignificat duriſſimam petram) *ædificabo Eccleſiam meam*: Latine ſic dicenda ſententia, *Tu es Petra, & ſuper hanc Petram, &c.* vt ſatis eſt ſuperius explicatum, cum de Cephæ nomine diſſeruimus. Eoque ſenſu (vt nimirum ipſe Petrus conſtitutus fuerit à Domino fundamentum, ſuper quod Eccleſia ædificaretur) hæc Domini verba Origenes [t], Tertullianus [u], Cyprianus [x], Hilariꝰ [y], Epiphaniꝰ [z], Hieronymus [a], Ambroſius [b], Cyrillus [c], Baſilius [d], Gregorius [e] Nazianzenus Chryſoſtom. [f], Auguſtinꝰ [g], & vt vno verbo dicā, quotquot poſt recēſitos extiterint Eccleſiaſtici ſcriptores Orthodoxi, quotquot etiam in Spiritu S. legitime congregatæ ſunt Synodi, id ipſum omnes æq; conſtanter ingenueque profeſſæ ſunt. Quod vero ſuper fidem Petri nonnulli dixerunt fundatā eſſe Eccleſiam; non ita locuti ſunt quod illam ſepararent à perſona Petri, ſed ne vno extincto Petro, etiam fides Chriſti, ipſaque Eccleſia corruiſſe videretur; cum & Dominus ſit eidem Petro pollicitus, fidem ipſius nullo vnquam tempore defituram.

t Orig. in ep. ad Rom. cap. 6. & in Matth. de can. ... Tract.
u Tert. de præſcript. cap. 22. & de monog.
x Cyp. ep. 55. 59. & alibi ſæpe.
y Hil. in Matt. 16.
z Epiph. in Ancor.
a Hier. ep. 17. 54. & in Iſa. 2. & in Matth. 16.
b Ambr. de fide. cap. 4. 5. & ſerm. de ... Petr.
c Cyril. 2. in Ioan. cap. 12.
d Baſil. hom. 29. de pœnit.
e Naz. orat. de moder.
f Chryſ. hom. 55. in Matth.
g Auguſt. in pſal. cont. part. Don. ... 16. 29. de ſanct. lib. 1 Retract. c. 21.

VII. Supra Petrum quomodo Eccleſia fundata.

Sic autem Eccleſiā dicimus ſupra Petrum eſſe à Chriſto fundatam, vt tamen ipſe Chriſtus baſis quædam ſit, ac totius ſtructuræ fundamentum; de quo Paulus ait [h], *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus*: atq; adeo, quoniam ſicut caput eſt Eccleſiæ Chriſtus, ita & caput [i] Chriſti Deus eſt; merito affirmandum ſit, tantam molem ædificii potiſſimum ſupra Deum inniti, in quo omnis ædificatio [k] conſtructa creſcit in tēplum ſanctum in Domino. Deniq; quēadmodum Deus omnipotēs, licet ipſe totū hoc ꝙ oculis cernitur admirabili quadā ſapientia ac prouidentia moderetur; nihilominus tam in cælo quā in terra conſtituit principatus, quibus qui ſunt ſubditi pareant; ita quāuis ipſe ſit auctor Eccleſiæ, protector, ac moderator; tamen principatū quemdam in ea eſſe voluit, ac monarchiam, quam Petro contulit, ac in eius ſucceſſores propagauit; vt frequētius ſuis locis inferius declarabitur. Adeoque ſicut nemo poteſt fundamentum aliud ponere præter id ꝙ poſitum eſt, quod eſt Chriſtus: ita nemo reuellerē aut conuellere vnquā

poterit

Digitized by Google

poterit Eccleſiæ fundamentum à Chriſto poſitum atque firmatum, quod eſt Petrus, & qui ei legitime ſuccedunt. Quod autem ſtatim poſt hæc ſignificans Dominus [l] diſcipulis quid paſſurus Hieroſolymis eſſet, increpanti eum de ea re Petro dixerit, *Vade poſt me, Satana, ſcandalum es mihi, &c.* hinc certe videmus (inquit Chryſoſtomus [m]) Petrũ non ex ſeipſo, ſed ex reuelatione priora illa dixiſſe, quia in his quæ nondum ei reuelata fuerant de myſterio Crucis, turbatur ac percellitur. Porro Petrum appellat Chriſtus *Satanã*, non quod afflatus eſſet ſpiritu Satanę; ſed quod (vt ſubdit) ſapiens quę ſunt hominum, cruci ipſius aduerſaretur. Vox enim σατανᾶς proprie aduerſarium ſignificat. quẽ & ideo ſibi eſſe ſcandalo dicit, quaſi impedimento ſiue offendiculo in via; dum obſiſtit Domino ne pateretur. Eo vero velut terræ motu etſi concuſſus eſt Petrus, non tamẽ concuſſa eſt ipſa Petra verbis Domini ſtabilita, quam immobilem fore permanſuram promiſit.

l Matth. 16. Mar. 8. Luc. 9.
m Chryſoſt. hom. 55. in Matth.
PETRVS QVOMODO VOCATVS SATANAS
VIII.

Poſt hæc [n] ſecum aſſumens IESVS Petrum, Iacobum, & Ioannem, duxit eos in montem excelſum ſeorſum, & dum oraret Transfiguratus eſt ante eos: viſique ſunt cum eo Moiſes & Elias. Quid vero tunc Petrus dixerit, ac cetera quæ ſunt ſecuta, Euangeliſtæ fuſius proſequuntur. Mõtem autem illum fuiſſe *Tabor* in Galilæa, in Scripturis diuinis celeberrimum, apud omnes eſt in confeſſo: quẽ Ioſephus, [o] (qui *Itabyrion* nominat) atq; Hieronymus [p] deſcribunt. Auctorq; eſt Beda [q], in memoriã tã glorioſi myſterii, tres illic in montis vertice eſſe ædificatas Eccleſias, ſecundum quod dixerat Petrus, *Faciamus hic tria tabernacula*; ſed & grãde inſuper apud eas conſtructũ eſſe monaſteriũ.

n Matth. 17 Mar. 9. Luc. 9.
TRANSFIGVRATIO DOMINI.
o Ioſ. 4. de bel. 2.
p Hieron. de loc. Hebr.
q Bed. de loc. ſanct. c. 17.

IX

Cum autem poſt alia quędam geſta Chriſtus Galilæam peragrans aduenisſet Capharnaum, exactor [r] tributi de didrachmate perſoluendo à Domino, Petrum interpellat. Ieſus vero quamuis ſe ab eo tributo eſſe liberum demonſtraret; tamen ne offenderẽtur homines, iuſſit Petrũ piſcari, & de ſtatere inuento in ore piſcis perſolui tributũ pro ſe & eodem Petro. Quod quidem tributum cum DIDRACHMA ſit dictum, non aliud eſſe videtur, quam illud quod à Deo eſt imperatum [s] filiis Iſrael; nimirum vt viri omnes à vigeſimo anno & ſupra pro redemptione & propitiatione ſua darent in vſum tabernaculi dimidium ſicli, quod eſt didrachma: duo autem didrachmata vnum faciunt ſtaterem, duo vero ſtateres vnã vnciã, prout Epiphanius [t], Hieronymus [u], & alii docent. Eſtque auctor Ioſephus [x], vſq; ad Veſpaſiani tempora perſeueraſſe eiuſmodi tributi ſolutionem, ſed templo deſtructo, illud ipſum didrachma ab omnibus Iudæis vbique gentium habitantib. in Capitolium ferri iuſſum: ſicut antea, vbicunq; gentium agerent ſinguli eorum eiuſmodi didrachma templo [y] pendere ſolebant. Ceterum putarunt nõnulli, eo quod interrogauerit Dominus Petrum, *Reges terræ à quibus accipiunt tributum? à filiis ſuis, an ab alienis?* dictũ didrachma tributum eſſe, quod tunc Iudæi Romanis perſoluerent. Verum ea de Regibus gentium, exempli tantummodo cauſa à Domino fuiſſe inducta, nulli dubium eſſe poteſt: nam quo modo ad Chriſtum inferatur quod dicitur de Regib. gentium? Num ex Regibus gentium erat ipſe progenitus, vt immunis eſſet à penſione tributi? Sed optime illud infertur: ſicut Reges gentium à filiis tributum non exigunt; eadem ratione Dei filium immunem eſſe à tributo quod Deo penditur ad vſum templi. De tributo vero quod Romanis perſoluebatur, dicetur inferius proprio loco.

r Matth. 17
DE PERSOLVENDO DIDRACHMATE.
s Exod. 30
t Epiph. de menſur.
u Hier. in Ezech. 4.
x Ioſeph. 3. antiq. 9. & lib. 7. de bel. 26 in fin.
y Ioſeph. 1. Antiq. 12.
QVALE TRIBVTVM DIDRACHMA.

X.

Porro quod præ ceteris Petrus interpellatur pro tributo, idemq; pro Domino ac pro ſe iubetur ſoluere, quid aliud niſi Petri primatum inſinuat? Quantumlibet n. Dominus antea ſæpius eum demonſtraſſet, tamen quod ſuborta [z] fuiſſet in itinere contẽtio inter Apoſtolos, quis eorum videretur eſſe maior, eam ipſe factis potius quã verbis voluit definire: licet haud poſtea prætermiſerit de humilitate ſectanda egregiam inſtituere orationem. Cũ autem hinc clare pateat, declaraſſe Dominum, nec ſe, nec ſuos tributi lege teneri, videas quam perperam ex his Nouatores nouam inferant ſententiam, Sacerdotes ac Clericos non eſſe immunes à vectigalib. Adde quod etiã ſi ſoluerit, non tamen ſubẽſt amplius aliqua ratio vitandi ſcandali, qua pro ſe Petro voluit Ieſus ſtateram pendi: nã tunc venerat implere legem, & necdum à Patre acceperat gentes hereditatem ſuam. At cum ille Rex Regum mundo innotuit, & regale inſtituit ſacerdotium; quænam ſubeſt ratio vitandi ſcandali, ſi tributum non ſoluatur à ſuis ſacerdotibus? Quapropter egregie Hieronymus [a] hoc in loco, *Nos*, inquit, *pro illius honore tributa non reddimus, & quaſi filii Regis à vectigalib. immunes ſumus*. Sed hæc alii locupleti[b].

PETRI PRIMATVS ITERVM DECLARATVR.
z Mar. 9. Luc. 9.
CLERICI IMMVNES A VECTIGALIBVS
a In Matth. 17
b Vid. ...

XI

Poſt hæc longiori oratione Dominus [c] diſcipulos ſuos commonuit de beneficiis præſtandis, & offenſionibus remittendis. Vbi quod ait de ingrato debitore iuſſo primũ cum vxore & liberis venumdari, deinde tortoribus tradi; ſatis indicat id apud Iudæos agi conſueuiſſe. Tortoribus quidem iure antiquo Romanorum tradi debitores, habes apud Liuium [d] ſæpe teſtatum; nimirum debitores qui ſoluendo non eſſent, dari in ſeruitium creditoribus, ab illis in ergaſtulum trudi, ac verberib. flagellari: quinimo & ipſos debitorum filios debitoribus tradi ſolitos, Dionyſius [e] auctor eſt. Et longe crudelior lex [f] duodecim Tabularum, necis etiam poteſtatem creditoribus in debitores dedit; & ſi plures eſſent creditores, debitorem per partes ſecari permiſit. Denique quantumuis mitiores Romani redditi, à nece debitorum & ſectione abſtinuiſſe viſi ſint, tamen vſque ad Conſtantini tempora debitores, eorum legibus, plumbatis cædi conſueuiſſe conſtat; à quibus eos primus idem Impeſatc c [g] exemit.

DEBITORES IVRE ANTIQVO ...

XII.

Venit poſt hæc Dominus Hieroſolymam ad feſtum diem, qui *Scenopegia*, dicebatur, hoc eſt Tabernaculorum; vbi frementibus licet Phariſæis, & lapidare eum quærentibus, multa docuit ac fecit, quæ fuſe deſcribit Ioannes [h]. Quod vero ſpectat ad *Natatoriam Siloe*, ad quam miſit hominem cæcum à natiuitate, vt viſum reciperet; teſtis eſt Hieronymus [i], fuiſſe Siloam fontem ad radices montis Sion, qui non iugibus aquis, ſed certis horis diei ebulliret, & per terrarum concaua ad antra ſaxi duriſſimi cum magno ſonitu veniret. Illum vero precib. Iſaiæ Prophetæ primum erupiſſe, vt obſeſſis ſub Ezechia Rege Iudæis ſuccurreretur, & quotieſcunque ijdem aquatum venirẽt vndam præbuiſſe, hoſtibus vero aduenientib. latere conſueuiſſe, Epiphanius [k] ſcribit. Cui quidem haud valde diſſimilis videtur fons ille ſeu fluuius, item in Palæſtina, Sabbaticus dictus, quod die tantum Sabbati flueret, ceteris diebus alueo ſicco non apparens; vt teſtatur Ioſephus [l]: ex quo erroris arguas Plinium [m], qui eumdem amnem ſemper fluere, ſed Sabbatis omnibus ſiccari ſcripſit.

XIII.

Poſt inde deſignauit [n] Dominus & alios Septuaginta duos, & miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem locum quo erat ipſe venturus. Sed quod de numero DISCIPVLORVM textus Euangelij reperiantur diuerſi, dum alii codices habent ſeptuaginta duo, alii ſeptuaginta tantummodo; inde in ore omnium verſatur diſputatio, num ſeptuaginta tantum vel ſeptuaginta duo re vera Diſcipuli fuerint. Si auctoritate antiquorũ res agitur, ſeptuaginta duo reperiuntur. Tatianus [o] enim & Ammonius [p] legunt ſeptuaginta duos, itidemque Epiphanius [q], Auguſtinus [r], Beda, & alii recentiores quamplurimi: nec prætermittimus Clementem in Conſtitutionibus [s] Apoſtolorum, licet hic liber à quibuſdam rejciatur inter apocryphos. Sed & Hieron. quãuis ad Fabiolam [t] ſcribens, ſeptuaginta dũtaxat numeret; tamen cum perpurgatũ Euangelium Lucę vna cũ alijs [illegible] ad Damaſum [u] mittit, ex emendatiorib. codicibus reſtituit numerum ſeptuaginta duorum. Ceterum haud mirandum ſi penes aliquos ſeptuaginta tãtum nominatos quis inueniat. Id n. perinde accidit, ac cum breuitatis cauſa citati reperiuntur Septuaginta Interpretes quos abſque vlla dubitatione conſtat fuiſſe ſeptuaginta duos, ſex ex ſingulis duodecim tribubus: ſicut & olim apud Romanos Collegium Centumuirum dicebatur, cum re vera centum & quinque eſſent, tres ex ſingulis triginta quinque tribubus. Quod ſi & dicere voluerimus, eo numero Dominum reſpexiſſe ad illos ſeniores, quos Moſes [x] iuſſu Dei elegit ſibi adiutores in adminiſtratione populi; plane conſtat eos fuiſſe ſeptuaginta duos, eoque exemplo perſeueraſſe ipſo Chriſti tempore

n Luc. 10.
DE LXXII. DISCIPVLIS.
o Tatian. in harm. Euang.
p Ammon. in Concord. Euang.
q Epiph. lib. 1. har. ...
x Numer. 11

apud

Digitized by Google

apud Iudæos, Concilium ſeptuaginta duorum, quod Synedrin appellabant, de quo dictum eſt ſuperius.

XIV. De nominibus diſcipulorum.

Nomina autē Diſcipulorum qui à Domino fuerūnt electi, dū ſingula exprimere conati ſunt aliqui; omnes fere, quorum inuenerunt in Epiſtolis Pauli fieri mentionē, nullo iudicio ſimul confarcinantes, inter Diſcipulos Domini adnumerarunt. Cuius rei primus poſt Hippolytum (ꝙ inuenerimus) auctor fuit Dorotheus falſo cognominatus Tyri Epiſcopus & martyr. Cæterum magna certe cautela adhibita Lucas in Actis y, dum de Iaſone Domini diſcipulo mentionem fecit, quo à recentioribus Apoſtolorum diſcipulis diſtingueret, antiquum diſcipulum nominauit. Ex illis aliquot recenſet Papias z & Epiphanius a. At Euſebius b, cum in ijs hinc inde perquirēdis, & quos inuenit recenſendis, haud parum laboris videatur inſumpſiſſe, aperte fatetur nuſpiam inueniri eorum catalogum. Putarem ego & illis adnumerandum Ananiam; necnon Andronicum & Iuniam, quos alibi c Paulus vocat nobiles in Apoſtolis.

y Act. 21. z Ap. Euſeb. hiſt. 23. a Epiph. Panar. li. 1. to. in fine. b Euſ. h. 1. c. 12. c Rom. 16.

XV.

Multa poſthæc Ieſus egit, docuitque, tum in Galilæa, tum alibi, quæ narrantur diffuſe à S. Luca cc. Hyeme vero adueniente, Hieroſolymam rediit ad feſtum diem Encæniorum, qui agebatur d vigēſima quinta die menſis Caſleu (hic eſt nonus menſis) vſque ad diem octauā: vbi cum in templo doceret populum, obortis cōtentionibus quæſierunt eum Iudæi lapidare. Quapropter abiens trans Iordanem, turbam ſequentem multa docuit e; atque inter alia de diuite epulone damnato ad inferos, & mendico Lazaro recepto in ſinum Abrahæ, narrationē intexuit. Quæ quidem parabola ne eſſet, an rei geſtæ vera hiſtoria, cum plurium fuerit dubitatio; nos illis potius adſtipulamur, qui putarunt f eſſe hiſtoriam. Sed & Euthymius g ex traditione Hebræorum rem vere geſtam fuiſſe affirmās, addit diuitem illum nominatum eſſe Nynenſem. Denique hæc ſententia iā rata firmaq; haberi debet, ꝙ multis in locis in memoriā eiuſdem Lazari Eccleſiæ erectæ habeantur, deque eo in eiuſdē anniuerſaria celebritas peragi cōſueuerit.

cc Luc. 10. & ſeqq. d 1 Machab. 4. e Luc. 15. 16. Hiſtoria de Lazaro mendico. f Tertull. de reſurrect. carn. cap. 17. g Euthym. in Luc. 16.

XVI. De camelo et acu.

De ſimilitudine vero Cameli per foramen acus deducendi, qua poſt hæc monſtrauit Dominus, quam difficile eſſet diuitem intrare in regnum Dei h; placet quod nonnulli ſcribunt, inter cetera Iudæorum adagia fuiſſe illud frequenti vſu receptum, ad deſignandam rem quamlibet factu impoſſibilem, vt dicerent: *Elephantem per foramen acus*; ſed pro Elephante camelum dixiſſe Dominum, quod magis notum eſſet animal audientibus. Nam de rudēte, quē volunt κάμηλον dictum à Græcis, nec non de acus foramine, quo nomine dictam aliqui volunt portam Hieroſolymorum paruam, commentum eſſe putatur.

h Matth. 19. Marc. 10. Luc. 18.

XVII.

Ceterum reſpondens poſt hæc Dominus i ad interrogationem Petri, quid ipſi Apoſtoli habituri eſſent, qui vt eum ſequerentur omnia reliquiſſent; ait ſeſſuros ipſos in regeneratione cum filio hominis, & iudicaturos duodecim tribus Iſrael: *Sed & omnes qui reliquerint domū, aut patrē, aut matrē, aut vxorē, &c. propter Chriſtum, cētuplū accepturos, & vitam æternam poſſeſſuros*. Ex quibus ſane verbis Hieronym. k optime infert, Apoſtolos, ex quo à Domino electi ipſum ſecuti ſunt, vxoribus relictis qui coniugati erant, à carnali copula abſtinuiſſe. Sed hic ſit terminus huius anni: quæ enim ſecuta ſunt, ad ſequens Paſcha certum eſt pertinere.

i Matth. 10. Marc 10. Luc 18. k Hier ep 34. ad Iulian & adu. Iouin. lib. 1. Apoſtoli cœlibatum amplexi.

XVIII. Seianus cæſus.

Quod verò pertinet ad res Romanas; hoc eodem anno periit Seianus Conſul, toto Orbe celeberrimus: qui cum nō ſolum ampliſſimas occupaſſet & aſſecutus eſſet dignitates & adminiſtrationes, ſed & diutius abſente Tiberio Imperatore, & apud Capream inſulam otiante, ſeipsū pro Imperatore, Tiberium pro Inſulæ rectore habuiſſet; eoque exiſtimationis prouectus eſſet, vt ipſi tamquam deorum alicui res ſacræ fieri ſoleret: eſſetque hoc anno delatus Conſulatus cum prorogatione quinquennij: inſuper & in litteris publicis a Senatu, ſicut Tiberii, ita & Seiani nomen inſcriberetur, & ſicut Imperator aureo curru in theatrum aduceheretur, iurarentque omnes per fortunam eius: Hic inquam, talis tantuſque, conuocato Senatu vt recitarentur literæ Imperatoris, quib. collata ei poteſtas Tribunitia credebatur (audi rerū humanarum inconſtantiæ admirandum exemplum) iiſdem ipſis literis plecti iuſſus (quippe cœperat iā antea Tiberius ſibi ab eo timere) ſtatim infelix in vincula coniectus eſt, & capite mulctatus; ac deinceps in Gemonias vnco tractus, per triduum à populo ludibrio habitus tandē in Tiberim immiſſus eſt. Liberi quoque ex S. C.to necati, ante vero filia virgine, quā pater pact' fuerat Claudii filio, iuſſa (ô rem inauditā!) à carnifice cōſtuprari: ac deniq; iudicia crudeliter exerceri iuſſa ſunt in eius amicos. Hæc pluribus Dio l Caſſius: qui cum æq; ac Tacitus m ſub huius anni Coſſ. ea facta ſcribat; hinc vides erraſſe Euſebiū n & Oroſiū o, dū poſt aliquot annos Seianum adhuc ſuperſtitē volunt. Decepti ipſi ex eo quod Ioſephus p de eius interitu agat vltimo temporē Tiberii: cū tamen non id iſte temporis ratione fecerit, ſed quod multas eiuſdem Imperatoris res geſtas diuerſis temporibus factas, vna eademque narratione perſtrinxerit.

l Dio lib. 58. m Tac. Annal. lib. 5. n Euſeb. in Chron. o Oroſ. l. 6. c. 4. p Ioſeph. 18. Antiq. 8.

IESV CHRISTI Ann. 34.

Tiberii Imp. An. 18.

I. An. Chriſti paſſionis.

ANno Chriſti trigeſimo quarto, Cn. Domitio Ænobarbo & Vitellio Nepote, vel (vt à Cornelio Tacito ponitur) Camillo Scriboniano Coſſ. idem Dominus noſter Ieſus Chriſtus pro redemptione humani generis volens libenſque ſubiit Crucis ſupplicium. Sed quæ tantum facinus præceſſerint videamus.

II. Lazarus reſuſcitatus.

Iam igitur proxime aduentante Paſchali tempore, cum Ieſus in Galilæa ageret, Marthæ & Mariæ ſororum nuncio accerſitus eſt in caſtellum Bethaniā, vbi habitabant, quindecim ſtadiis Hieroſolymis diſtās, vt Lazaro fratri morbo languenti opem ferret: ſed conſulto moras nectens, cum eo tādem acceſſiſſet, iam quatriduo defunctum atque ſepultum, à mortuis excitauit. Rem geſtam pluribus narrat Ioannes a Euangeliſta: Auctor vero eſt Hieronymus b, in eius memoriam erectam fuiſſe nobilem Eccleſiam Bethaniæ ſuper ipſam Lazari tumbam. Ceterum cum tanto miraculo Iudæi perculſi coegiſſent Concilium, vt quid de Ieſu ſtatuendum eſſet conſultarent (erat illud magnum Sanhedrin ſeptuaginta duorū Seniorum, de cuius inſtitutione ac munere ſuperius actum eſt) præſidens ei Summus Sacerdos Caiphas, Chriſtum morti addicēdum eſſe ſententiam tulit. Sed ſubtraxit ſe Chriſtus, donec tempus Paſchatis propius eſſet. Tunc autē aſſumens ſecum duodecim Apoſtolos, c iter aggreſſus Hieroſolymā verſus, ante ſex dies Paſchæ (vt inquit Ioan.) d peruenit Bethaniā: vbi dum cœnaret, Lazarus fuit vnus ex diſcumbentibus Martha miniſtrabit, & Maria ſoror eius pedes Ieſu vnxit. Diuertiſſe vero apud Lazarum, & apud ipſum cœnaſſe, etſi Euangeliſta id taceat, par eſt credere: cum & alias illac trāſeuntem apud eoſdem manſiſſe, & Martham id ipſum miniſterium exhibuiſſe, auctor ſit Lucas e. Haud. n. aſſentimur ijs qui hanc cœnam confundunt cum ea, quæ ibid. Bethaniæ facta eſt in Domo Simonis Leproſi: diuerſas n. diuerſiſque diebus factas eſſe, ſatis inde conuincitur, ꝙ Ioannes hanc ſex diebus ante Paſcha, illam vero apud Simonem, Marcus f biduo tantum ante idem Paſcha factam aſſerit: itemque quod in priori pedes, in poſteriori caput Domini vnctum fuiſſe dicitur: ac denique in priori Iudas, in poſteriori ceteri quoque diſcipuli indignati ſunt.

a Ioan. 11. b Hieron. de locis Hebr. Concilium aduerſus Ieſum coactum. c Matt. 20. Mar. 10 Luc 19 d Ioan. 12. e Luc. 10. f Marc 14.

III

Sequēti die, qui numeratur quintus ante feſtū Paſchæ, *turba multa* (inquit Ioannes g) *quæ venerat ad diem feſtum, cū audiſſent quia venit Ieſus Hieroſolymam; acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obuiam ei clamantes Hoſanna, benedictus qui venit in nomine Domini*. Narrantur hæc fuſius à ceteris tribus Euangeliſtis h Porro de voce Hosanna, ſcimus complures eſſe veterum ſententias, quas prætermittemus recenſere. Cōueniunt plures, vt ſit idē quod Latine dicimus, *Salua quæſo*: vox vſitata in feſto Tabernaculorū, quando Deum deprecantib' Sacerdotibus populus reſpōdere cōſueuerat (vt nos in Litaniis facimus) *Hoſanna*, Libera, ſeu Salua quæſo. Certe quidem neq; in diuinis Scripturis neq; apud profanos auctores qui res Iudæorum ſunt proſecuti, vllū plane huic ſimile exēplū legimus, vt ingredientibus Regibus Hieroſolymam quis occurrerit cum ramis arborum. In honorem autē Dei, etiā extra feſtum Taber-

g Ioan. 12. h Matt. 21. Marc. 11. Luc. 19. De voce Hoſanna.

naculorum

Digitized by Google

naculorum, bis factum reperitur in libris Machabæorum [i]: & in Paraphraſi Chaldaica in Eſther dicitur, quod die feſto de quo illic agitur, Iudæi præcidebant ramos, & faciebant ſibi ipſis *Hoſciabnna*. Ex quibus plane apparet, ramos arborũ, quos in ea ſolemnitate geſtabant, dicere cõſueuiſſe *Hoſciabnna*: idq; vt opinor, quod ſic illi circumeũtes altare, & exultantes canerẽt illud pſalmi centeſimi decimi ſeptimi, *ô Domine, ſaluum me fac: ô Domine bene proſperare*: vt aperte teſtantur libri Rituales Hebræorũ, qui extant: inter quæ verba, expreſſa habetur vox *Hoſciabnna*, quæ repetitur in ſingulis verſibus hymnorũ qui ſeptimo die canũtur: quam quoties illi concinerent, ramũ illum extollebant, dicentes *Hoſciabnna*, vnde nomen inditũ vt & ipſe ramus diceretur *Hoſciabnna*. Quod igitur ea quæ in Dei cultũ exhiberi tantummodo conſueuerant, Iudæi viderẽt exhibita Chriſto; hinc illa eorum moleſtia in ipſum facta compellatio; *Audis quid iſti dicunt?* arguentes nimirũ quod qui Dei ſolius eſſet, collatum à plebe ſibi honorem ſumpſiſſet. Ceterum palmam illam ex qua Iudæi ramos acceperũt vt obuiarẽt IESV, quaſi egregium Chriſti triumphi monumentum, quãtumlibet arbores omnes tempore obſidionis ſub Tito exciſæ fuiſſent, diuina quadam prouidentia intactam ad multa ſæcula perdurаſſe, teſtis eſt Cyrillus [k] Hieroſolymitanus Epiſcopus.

i 1. Machab. 13. & 2. Machab. 10. HOSIANNA RAMI ARBORVM. *k Cyril. catech. 10.*

III Cum poſt hæc eadem die multa IESVS feciſſet quę narrantur ab Euangeliſtis, ſequenti (quæ fuit quarta ante feſtũ Paſchæ) multas ei fraudulentas quæſtiones [l] à Phariſæis, Sadducæis, & Herodianis in templo propoſitas mirabiliter eluſit: ac illam præcipue de tributo Cæſari pendendo; cum oſtendi ſibi iuſſo numiſmate cenſus in quo erat Cæſaris imago & ſuperſcriptio, reſpondit reddenda eſſe Cæſari quæ eſſent Cæſaris; nimirum vt quæ eſſent a Cæſare profecta numiſmata, ad ipſum redirent. Moris enim Romani fuit, vt pro ratione tributi vel cenſus ab Imperatoribus numiſmata cuderentur; quæ ſic à ceteris vſualis pecuniæ nummis differrent, quod iſtorum pretium ſemper idem eſſet; illa vero cum mutaretur tributi qualitas, recens ab Imperatore formarentur grauioris vel leuioris ponderis, ſecundum rationem tributi vel cenſus: vt huius rei locuples eſt teſtis Ælius Lampridius in Alexandro, dũ agit de vectigalibus publicis ab eodẽ Imperatore cõtractis. Quãti vero eſſet pretii numiſma quod Iudæi pro tributo penderent, dicere aliud non poſſumus, niſi quod Marcus & Lucas pro *Numiſmate* dixerũt *Denarium*; modeſtum plane tributum. Nõ enim niſi poſt excidium templi, ipſos didrachma Imperatori ſoluere cœpiſſe, vidimus ſuperius.

l Matt. 22. Mar. 12. Luc. 20. TRIBVTI NVMISMA QVALE.

V. His peractis, Hieroſolymis egreſſo Domino, multiſq; ſermonibus [m] in monte Oliueti de iis quæ ventura eſſent ad diſcipulos habitis: ante biduum Paſchæ Bethaniam veniens, cum in domo Simonis Leproſi cœnaret, [n] acceſſit ad eum mulier habẽs alabaſtrum vnguẽti pretioſi, & effudit ſuper caput eius. Hãc vero mulierem fuiſſe *Mariã Magdalenam*, ſororẽ Lazari, quæ & ante hac ſemel atq; iterum vnxerat pedes Domini, iam ſuperius eſt demonſtratum aduerſus eos qui plures Magdalenas inducere conati ſunt. Cur autem eadem modo caput, nõ, vt prius, pedes vngat; nobis certe (vt interim myſteria prætermittamus) nulla magis probatur ratio, quam illa quod cum Iudã in nupera vnctione indignatum & oblatrantẽ audiſſet, exiſtimauerit inde ipſum offenſam paſſum quod pedes vnxiſſet. Erat enim res plane inuſitata vt pedes vnguento vngerentur; nec niſi Athenis apud aliquos qui deliciis dediti eſſent, fuiſſe in vſu, & à virginibus, reperitur apud Athenæum [o]. Sed de Iudæis nullum exemplum extat; immo nec de Romanis, apud quos omne genus deliciarum affluere potiſſimum illis temporibus conſueuerat. Nam quaſi pro miraculo recitat Plinius [p] de Othone, qui hoc primum Neronem docuit. Ne igitur in re inuſitata vlterius hæc mulier offenſionis eamdem occaſionem præberet; quod ceteri frequentius in conuiuiis factitare conſueuiſſent, ipſa ſibi abſque aliquo ſcandalo caput Domini vngere conceſſum putauit. At nihilominus non Iudas tantum, ſed alii diſcipuli indignati ſunt ob nimiam profuſionem tam pretioſi vnguenti: quos Dominus compeſcens, non ſolum mulieris opus laudauit, ſed & in poſterum in vniuerſo mundo ipſum celebrandum fore prædixit.

m Matt. 24. 25. Mar. 13. Luc 17. 18. 21. *n Matt. 26. Mar. 14.* MAGDALENA VNGIT CAPVT DOMINI. *o Athen. 12. Dipnoſoph. 0.* *p Plin. 13. cap. 3.*

VI Tunc vero (vt aiunt Euangeliſtæ [q]) abiit Iudas Iſcariothes vnus de duodecim, ad Principes Sacerdotum, & cum eis pactus eſt triginta argenteis Ieſum ipſis tradere. Eadẽ etenim die congregati erant Principes Sacerdotum & ſeniores populi in atrium Caiphæ Principis Sacerdotum, & conſilium inierunt eum interficiendi. Non interfuit tum quidem Iudas; nullus enim Euangeliſtarum id dicit: Sed tamen nihil impedit, quo minus ipſe qui reperitur Bethaniæ in domo Simonis cum ceteris accubuiſſe Apoſtolis, idem eadem die Hieroſolymis eſſe potuerit; diſtantibus à Bethania quindecim [r] tantummodo ſtadiis: cum potiſſimum nulla interpoſita mora poſt defenſionem ab Ieſu factam de vnguenti effuſione, eum è conuiuio receſſiſſe, & ad Principes Sacerdotum acceſſiſſe, Matthęus [ſ] aperte declaret. Quę quiden dixiſſe voluimus aduerſus eos, qui hac leuiſſima obiectione probare conati ſunt, vnam eandemque eſſe cœnam quã ex Ioanne vidimus factam Bethaniæ ante ſex dies Paſchæ, cum iſta quam dicit Marcus factam biduo ante Paſcha, quæ fuit quarta feria hebdomatis.

q Matt. 26. Mar. 14. IVDAS PRODITIONEM PARAT. *r Ioan. 11.* *ſ Matt. 26.*

VII Sed quod attinet ad triginta ARGENTEOS quos Iudas cum principibus Sacerdotum pactus eſt ſibi dari vt Chriſtũ proderet; quanti fuerit pretii iſtiuſmudi ſumma, diuerſæ reperiuntur ſententiæ, quas recitat confutatque diſerte Cornelius [t] Ianſenius, licet & ipſe aliã ſequatur haud probabiliorem. Et quidem viſuntur Romæ, atq; Pariſiis, vel aliis locis, nummi quidam argentei, impreſſam habentes hominis faciem, & à tergo floſculum; qui putantur ex illis eſſe, quos Principes Sacerdotum dederunt Iudæ. Verum nos ſic affirmamus eos ex illis eſſe, vt tamẽ nõ triginta tãtũ fuerint numerati ſed quod illius monetæ argẽti ſignati certam ſummam Iudas acceperit. Vt autem longe maiorẽ quam alii dixerint eam fuiſſe opinemur, multa cogũt; atque in primis illa conſideratio, quod tradit Matthæus, cũ Iudas retuliſſet triginta argenteos Principibus Sacerdotũ, eos conſilio inito emiſſe ex illis agrum figuli in ſepulturã peregrinorum: quem & Lucas, [u] dum ait, *Poſſedit agrum de mercede iniquitatis*, plane inſinuat nulla alia addita pecunia emptũ eſſe. Porro agros prouincię Iudeę magni fuiſſe pretii, facile intelligere poterit, qui immenſam populi multitudinem in adeo anguſta Syriæ parte habitaſſe conſiderauerit, cum totius Palæſtinę fines à Plinio [x] ponãtur nõ amplius quam centum octoginta millia paſſuum à confinio Arabiæ vſque ad Phœnicem: adeo vt nulla in Orbe terrarum reperta vnquã fuerit regio, quæ tantã caperet hominum multitudinem, quantam in ea fuiſſe tam ſacra quam profana hiſtoria teſtatur. At vero id amplius habuit iſte Ager figuli, quod ceteris ſuburbanis propinquior ipſis Hieroſolymis eſſet, vt qui inhæreret [y] monti Sion; quodq; dictus haberetur ager figuli, nempe nominatus ager, ac proinde non ignobilis: quem ſi velimus argillam ſuppeditaſſe ad vaſa fingenda, maioris adhuc fuiſſe pretii certum eſt. Itẽq; quod non, vt ceteri [z] Iudæorum agri, vſq; ad annum Iubilæi vẽderẽtur, ſed in perpetuum fuerit eius trãſlatum dominiũ, quippe qui vſui ſepulturæ peregrinorũ ſemel adſcriptus, ſic ſẽper eſſet permãſurus. Quę cum ita ſint, quis rogo mẽte cõcipere poterit, vt ager prouinciæ Iudææ, ſuburbanus & Hieroſolym. propinquior, nominatus figuli, perpetua dominii tranſlatione venderetur (vt Ianſenius voluit) ſeptem vel quindecim florenis argenteis, vel trecentis (vt alii dixerũt) denariis: cum præſertim illum cãpum fuiſſe latiorẽ exiſtimare liceat, vbi omnium cadauera peregrinorum (quibus ea ciuitas ſemper erat refertiſſima) infoderentur?

t Ianſen. in concord. Euang. cap. 131. DE VI ARGENTEIS TRIGINTA. *u Act. 1.* *x Plin. lib. 5. cap. 12.* AGRI FIGVLI PRETIVM. *y Hieron. de loc. Hebr. in Acel. dam.* *z Leuit. 25.*

VIII Aliam ergo indagantes rationem illorum triginta argẽteorum, veriorem putamus illam quę colligitur ex ſcriptis Eliæ Leuitæ Iudæi in libro cuius eſt titulus *Tiſebi*, vbi ex maiorum diligẽti obſeruatione docet, vocem ARGENTEVS, ſi poſita reperiatur in Pentateucho, ſignificare *Selagh* hoc eſt ſiclũ vnum; ſi in Prophetis, *Litrin*, hoc eſt, librã; ſi in hagiographis, *Canterim*, id eſt talentum: quam eamdẽ diſtinctionẽ ex Rabbinis aliis recitat Arias Montanus in Dictionario Syrochaldaico in verbo *Cheſeph*. Hacq; ratione dicimus, Matthæum [a] Euangeliſtam, dũ de triginta argenteis

AVCTORIS SENTENTIA DE ARGENTEIS. *a Matt. 27.*

agens,

Digitized by Google

agens, Propheticam de ea re prædictionem affert; plane eius pretii argenteos expreſſiſſe quod à Prophetis accipi conſueuit, nimirum pro triginta libris argent. A qua ſupputatione non multum diſſentit Epiphanius, [b] cum docet Argenteum continere centum & quatuor denarios Romanos.

b Epiph. de menſura & pondere.

IX.

Illuxit in craſtinum prima dies Azymorum, in qua neceſſe erat manducare Paſcha; quando [c] miſit IESVS diſcipulos Hieroſolymam vt ipſum pararent. Locum vero vbi paratum eſt, Nicephorus, [d] & alij tradiderunt fuiſſe domum Ioannis Euangeliſtæ. Sed dubium id valde redditur, quod Lucas ſcribat ipſummet Ioannem cum Petro miſſum ad perquirendum vbi Paſcha manducandum foret iuſſoſque eſſe ſequi hominem lagenam aquæ portantem. Quapropter Alexander [e] Monachus, qui res geſtas S. Barnabæ proſecutus eſt affirmat celebratum eſſe à Domino Paſcha in domo alterius Ioannis qui cognominatus eſt Marcus, cuius meminere Lucas [f] & Paulus: [g] nã eius domum Hieroſolymis fuiſſe, atque Apoſtolis patuiſſe, eiuſdem Lucæ [h] teſtimonio conſtat.

c Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 13. d Niceph. lib. 2. Cedr. in ... & alij. e Ap. Metap. & Sur. 11. Iunij. LOCVS VBI PARATA FVERIT PASCHA. f Act. 12. g Coloſ. 4. h Act. 12.

X.

De die vero, quo Dominus celebrauit, periculoſius controuerſum eſt. Quamuis enim ſtatuto à lege [i] die, ipſa decima-quarta luna primi menſis ad veſperam, quando & ceteri Iudæi illud agebant, Dominum quoque celebraſſe Matthæus, [k] Marcus, [l] & Lucas [m] Euangeliſtæ abſque vlla dubitatione affirmare videantur; de Ioanne tamen, quaſi à cæteris diſcreparet, ſuborta controuerſia, eo etiam dementiæ progreſſi ſunt nouantes quidam Græculi, vt non erubuerint affirmare, eundem Ioannem, qui vltimus omnium ſcripſit ceteros Euangeliſtas temporis errore lapſos voluiſſe corrigere. Fuit vero aliorum [n] Græcorum, ſed plane antiquorum, ea opinio, vt Dominus non ſicut Iudæi ceteri decima-quarta luna ad veſperam, ſed diem anticipando luna decima-tertia Paſcha celebrauit. E contra vero nonnulli Latini putarunt Dominum celebraſſe legitimum, nempe luna decima-quarta ad veſperam; ſed Iudæos illud diſtuliſſe in diem Sabbati; huiuſque rurſum dilationis varias [o] afferunt cauſas. Ac denique alii tradunt, interea tum fuiſſe Paſcha, & alia die comeſtionem agni, alia vero feſtum ipſum celebratum. Sed non patitur ratio Euangelicam veritatem per tot diuerſos anfractus circumduci, nouaſque inuehi in Eccleſiam Dei opiniones. Ipſum vero Ioannem ceteris Euãgeliſtis eſſe conſentientem, vel illud ſatis oſtendit, quod idẽ ipſe expreſſe teſtatur, eadem ipſa ſexta die qua paſſus eſt Chriſtus, fuiſſe Paſcha commune tam Chriſto quam Iudæis; dum verba Pilati reddens, ait [p], *Eſt cõſuetudo vobis vt vnum dimittam vobis in Paſcha.* Et vſque adeo firmiter atq; conſtanter mandauit Deus ſeruari, [q] ne alia die quam decima-quarta luna ad veſperam ſacrũ Paſcha celebraretur, vt ſiqui q; immundi eſſent, ea illud celebrare non poſſent, non in ſequẽtem, tertium, quartumue diem id facere permiſerit, ſed præceperit expectare eamdẽ decimamquartam Lunam menſis ſecundi. Qua ratione videmus tempore Ezechiæ, Regis, cum legitima ex cauſa, nempe ob raritatem ſacerdotum, Paſcha in aliam diem transferendum eſſet, non niſi ex Legis inſtituto in decimamquartam Lunam ſecundi menſis eſſe dilatum. Congruit denique hiſtoriæ veritas ſacro myſterio, vt ille ipſe Agnus, qui venit culpas omnium, licet ipſe innocentiſſimus, ſibi aſſumere, ipſo communi omnium Paſchatis die pro ſalute omnium immolaretur in Cruce.

DE DIE PASCHATIS. i Exod. 12. Leuit. 23. Numer. 28. k Matt. 26. l Mar. 14. m Luc. 22. n Epiph. hær. ... Matt. 11. o Vid. Paul. ... FIRMA SENTENTIA DE DIE PASCHATIS. p Ioan. 18. q Numer. 9. 2. Paralip. 30.

XI.

Veſpere igitur facto, Paſcha celebraturus Dominus; diſcubuit cum duodecim Apoſtolis, agnum comedit, pedes eorum lauit, ac demum auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit. Porro primum omnium, etiã ante eſum agni, factam eſſe *ablutionem pedum*, nonnulli exiſtimarunt. Verum eam poſtea factam eſſe, Ioannes [r] expreſſe teſtatur, dum ait Ieſum ſurgentem à cœna accepiſſe linteum, & lauiſſe pedes Apoſtolorum. Scimus quidem, tum apud Romanos, tũ etiam apud Iudæos, ipſo ingreſſu domus ſolitos eſſe conuiuarum pedes lauari: Sed in Paſchali conuiuio conſueuiſſe Iudæos pedes ac manus iterum lauare, conſtat ex libro Rituali Hebræorum; eiuſq; rei iſta habetur expreſſa ratio, quod illius conuiuii duplex eſſet cœna cõiuncta, vel ſi dicere velimus, vnius cœnæ duplex mẽſa; in cuius priori eſus agni, in poſteriori agebatur cæremonia Azymorum. Et licet in aliis quoq; maximis Iudæorum feſtis, puta Pentecoſte & Scenophegia, duplices eiuſmodi cœnæ exhiberi conſueuiſſent; ea tamen erat differentia, quod in aliis tantũ ſemel pedes lauarent, in Paſchatis cœna iterum, primũ ſcilicet ante eſum agni, poſtea vero ante cæremoniã Azymorum. Ceterũ ex verbis Domini, dicẽtis Petro, *Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet*; niſi ea ad myſteriũ baptiſmi referamus, opus eſt affirmare diſcipulos in prima menſa in omnibus lotos accubuiſſe.

f Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22. Ioan. 13. DE LOTIONE PEDVM. r Ioan. 13.

XII.

Quod vero dicatur [u] Dominus, cum diſcipulorum pedes lauit, poſuiſſe non veſtimentum, ſed veſtimenta ſua; par eſt credere, eum in *Veſte cœnatoria* remanſiſſe: abſque eiuſmodi veſte Iudæos accumbere, religio erat; vt plane ipſe Dominus [x] demonſtrauit in parabola de nuptiis filii Regis, in qua male mulctatus legitur ille qui ſine veſte cœnatoria (quam ob nuptias, nuptialem appellat) diſcumbere præſumpſiſſet. Sed & Apoſtolos eadem indutos veſte accubuiſſe, credendum. Sindon enim eſſe ſolebat [y], eademque prolixa. Quare cum dicat Euangeliſta, poſt ablutionem pedum IESVM recepiſſe veſtimenta ſua; ſatis ſignificat cœnatoriam tunc veſtem exuiſſe, ac propriam induiſſe. Aliud enim, longeque à priori diuerſum, cum ipſe ſuis in ſecunda menſa exhibiturus eſſet conuiuium, diuerſo etiam à ſolito cœnandi habitu, decentiori cultu (vt tantum myſterium expoſcere videbatur) illud ſibi inſtituendum putauit.

u Ioan. 13. DE VESTE COENATORIA. x Matt. 22. y Vid. Polid. Vergil. in Append. ad opus de Triclin. Petri Ciac.

XIII.

Quod autem Euangeliſta [z] teſtatur ipſum dilectum Chriſti diſcipulum in ſinu eius in cœna recubuiſſe, ſatis oſtendit Iudæos in menſa more Romano [a] accumbere conſueuiſſe, & quos charos haberent, infra ſe, hoc eſt in ſinu ſuo collocaſſe. Nec obſtat quod lege [b] ſtatutũ eſſet, vt agnus Paſchalis à ſtantibus, non vero recumbentibus comederetur. Nam qui antiquum illum commentarium Hebræorum legerint, quem Ritualem librum, ſeu Cæremonialem appellant; plane intelligent fuiſſe vſum illum intermiſſum & antiquatum à tempore exilii Babylonici. Ceterum ratione eiuſmodi accubitus Ioannis, qui primum locum poſt Chriſtum in ea cœna obtinuit, ſuborta eſſe videtur eodem tempore illa inter Apoſtolos contentionis occaſio, quis [c] eorum videretur eſſe maior. Eſtque obſeruatione dignum, numquam illos æquanimiter tolerare potuiſſe, Ioannem vel Iacobum fratres apud Chriſtũ primos haberi, ſed cum viderent eos prærogatiuis aliquibus auctos, ſemper ea de re quæſtionem mouiſſe; vt hic, & cum mater [d] ipſorum pro iis Dominum rogauit, & cũ eos Dominus [e] in montem Tabor duxit: Quantumlibet autem vidiſſent in omnibus Petrum cunctis prælatum, nunquam tamen id infenſo animo tuliſſe. Sed & nunc quamuis Ioannes primum locum poſt Chriſtum accepiſſet in menſa, tamen in pedum ablutione ceteris Petrũ eſſe præpoſitum, S. Auguſtinus [f] teſtatur & multis etiam rationibus [g] demonſtratur. Porro quod nonnulli dicunt, poſt ablutos diſcipulorum pedes, iterum recumbentem IESVM cum ſuis, quod reliquum erat cœnę agni abſumpſiſſe (volunt enim Dominum inter cœnandum à menſa receſſiſſe) tum ex ſuperius dictis arguũtur ſatis, tum ex eo quod lege diuina [h] agnus comedendus eſſet feſtinanter; quo præcepto omnes eiuſmodi moræ atq; intermedia penitus excluduntur. Vnde quod dicit Matthæus [i], *Cœnantibus autem eis accepit* IESVS *panem &c.* & Marcus, [k], *Manducantibus illis accepit &c.* idem eſt ac ſi dixiſſent, Recumbentibus illis: teſtante Luca [l], & Paulo, [m] confirmante, Euchariſtiam inſtitutam eſſe poſt cœnam.

z Ioan. 13. a De his vide Pet. Ciac. de Triclin. b Exod. 12. DISCVBITVS IN MENSA. c Luc. 22. CONTENTIO DE PRIMATV INTER APOSTOLOS. d Mar. 10. e Luc. 9. Mar. 9. f Aug. in Ioan. 13. g Ierſ. concord. cap. 130. h Exod. 12. i Matt. 26. k Mar. 14. l Luc. 22. m 1. Cor. 11.

XIV.

Vt autem quæ ſcripta ſunt ab Euangeliſtis de ſacratiſſimæ Euchariſtiæ inſtitutione facilius intelligantur, ſciendum eſt ex antiquo Hebræorum libro Rituali, vbi ipſorum cæremoniæ habentur deſcriptæ: in ſecunda menſa conuiuii Paſchalis, non vt in aliis dierum feſtorum ſecundis cœnarum menſis bellaria apponi ſolita, ſed tantũ à lege ſtatutum cibum, nimirum primo loco embamma ex intybis & lactucis agreſtibus factum, aliiſque reb. con-

RITVS INSTITVTIONIS EVCHARISTIAE.

ditum, in quod primus paterfamilias intingebat offam azymam, mox ceteri, ſicque conſumebatur: deinde vero eumdem patrem familias tortam azymam (ſeu, vt alii textus habent, dimidiam) hactenus ſub mappa ſeruatam, in tot partes diuidere ſolitum, quot eſſent in cœna diſcumbentes: ſicque diuiſam ſingulis porrigere: tum poculum à ſe primo deguſtatum tradere proximo. hunc ſecundo, illum tertio, donec per totum conuiuium circumferretur: Inſuper, quoniã ſecundæ illæ menſæ erant ob accepta beneficia ad gratias Deo agẽdas potiſſimum comparatæ; cũ in ceteris ſecundis menſis eſſet vſitata quædã communis benedictionis formula, in Paſchali ſecunda menſa poſt illam benedictam, cum diſtribueretur torta azyma, itemq; cum poculum traderetur, eumdem patremfam. propria & peculiari vti ſolitum benedictionis formula. Hæc ex Rituali Hebræorum. Ceterum (quod eſt notatu digniſſimum) non tantum apud Iudæos vetus illa erat conſuetudo, vt in ſecundis menſis ſic libantes gratias Deo agerent; ſed & gentiles [n] ipſi in iiſdem ſecundis menſis merum libarent diis, & alia ſacra facerent.

n Athen. lib. 1. cap. 9. & alii.

XV. INSTITVTIO EVCHARISTIÆ.

Eo igitur ſeruato antiquo Iudæorum ritu, illud Dominus effecit, vt nouis benedictionibus additis nouum inſtitueret Sacramentum; & quæ in memoriam veterum beneficiorum fuerant inſtituta, in commemorationem omnium præſtantiſſimi nouiter accepti beneficii mutarentur. In qua videlicet ſecunda cœna, Sacramentum illud ineffabile ſanctiſſimæ Euchariſtiæ conſtitutum eſt; quo rei veritate, non per figuram, vel ſimilitudinem alluſionemue, aut quouis alio modo fictitio, Panis & Vinum tranſubſtantiantur in veram Carnem & verum Sanguinem, in ipſum verum ac viuificum Corpus Chriſti, ſub vtraque ſpecie integrum; quod natum de Sanctiſſima Virgine in ara Crucis oblatum eſt. Quo etiam tempore Apoſtoli, cum ipſis Dominus id Facere præcepit in ſui memoriam, Sacerdotes ſunt creati; atque ipſum Incruentum ſacrificium (iam olim mille fere modis per veterem Legem diuinitus præmonſtratum atque prædictum, inſigniter autem per oblationem panis & vini Regis & Sacerdotis Melchiſedech [o] præfiguratum) quod & ab illis offerretur, & in poſteros vſque ad finem ſæculi propagaretur, eſt ordinatum. Hæc enim Apoſtoli ipſi, hæc Patres omnes, hæc Traditio Eccleſiaſtica, atque ipſa Catholica fides ab ipſo exordio naſcentis Eccleſiæ prædicauit, & hactenus profiteri non deſinit: vt per quam facile eſſet demonſtrare. Sed cum ſciamus complures doctiſſimos & integerrimos viros, eo argumento commentarios fere innumeros omni doctrina ac fide ſincera conſcripſiſſe; ſuperuacaneum exiſtimamus eadem hic repetere, vel aliqua iis velle addere.

APOSTOLI SACERDOTES FACTI.

o Geneſ. 14.

XVI MISSÆ NOMEN.

Illud vero non prætermittimus dicere, quod cum multa reperiantur tam ipſius Euchariſtiæ, quam Sacrificii quod in eo myſterio peragitur, nomina; illud tamẽ (quantum ad Sacrificium attinet) antiquiſſimum eſt, & apud Latinos vſitatiſſimum, vt appelletur Miſſa: quod quidem (ſicut & Chriſtiana fides profitetur) ex Hebraica vel Chaldaica nomenclatura acceptum eſſe videtur. Quod enim in noſtra Vulgata legitur [p] *Spontanea oblatio*, Hebraice & Chaldaice dicitur *Miſſah*, quam offerebant Deo in gratiarum actionem de fructibus terræ, qua & veſcebantur in templo cum recordatione præteritæ ſeruitutis, & ab eadem liberationis. Quæ omnia cum optime conueniant prædicto à Chriſto inſtituto Sacrificio; eo potius maiores noſtri vſi ſunt nomine, quam cuiuſpiam alterius ſacrificii, quod ſpontanea recolatur prima illa ſui ipſius à Domino noſtro Ieſu Chriſto facta oblatio; de qua Iſaias, [q] *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*. Sane quidem creditur eiuſmodi nomen ab ipſis Apoſtolis Petro & Paulo, ex Hebraicis fontibus traditum eſſe Romanis; quod & Iacobus Hieroſolymorum Epiſcopus, idemque Apoſtolus & frater Domini tradidit ſuis in ſua, quam poſteris reliquit, Miſſa. Certe ea voce vſam eſſe ſuo ipſius exordio Romanã Eccleſiam, probatur ex eo quod proximus Apoſtolis Pius [r] Papa idem ſacrificium Miſſam vocauit, idque ipſum Cornelius [ſ], & ceteri Romani Pontifices præſtiterunt: ſicut

p Deut. 16.

q Iſa. 53.

r Pius ep. ad Iuſt. Vien. tom. 1 Bibl. SS. Pat.

ſ Cor. ep. ad Lupicin. Vien. Epiſ.

& Concilium Romanum [t] ſub Syluestro, Carthaginenſe [u] Secundum, Agathenſe [x], & alia: itemque Ambroſius [y], Auguſtinus [z], Victor [a] Vticenſis, ac denique cæteri; & ipſos, recentiores omnes.

t Conc. Rom. 1. ſub Sylu.
u Conc. Carth. 2. c. 3.
x Agath. can. 47.
y Amb. ep. 33. ad Marc.
z Aug. ſerm. 91. de tem.
a Vict. de perſec. Vand. lib. 1.

Ceterum quod ſpectat ad tempus Inſtitutionis tanti Sacramenti; ſciendũ eſt ex diuinæ legis [b] præcepto, ſolemnitatem Paſchalem eſſe diuerſam ab ea quæ dicitur Azymorum, quippe quæ ex duplici beneficio à Deo accepto originem duxiſſent; eas tamen celebrari conſueuiſſe vna eademque die, vt & de hoc ipſo tempore Chriſti teſtatur qui tunc viuebat Philo [c]. Nam licet dicat Scriptura: *Decimaquarta die ad veſperum Phaſe Domini eſt. & decimaquinta die ſolemnitas Azymorum*: tamen veſpere decimæ quartæ diei reputatur initium diei ſequentis; ſolitis Iudæis (vt ſcribit etiam Ioſephus) ante veſperum, videlicet hora nona diei præcedentis, auſpicari dies feſtos, eoſque populo è turri excelſa tubæ ſonitu indicere. Cum igitur ipſa prima die Azymorum ad veſperam, cum Paſcha ageretur, poſt eſũ agni ſacra Euchariſtia fuerit à Domino inſtituta; nulla eſt dubitatio eam eſſe *confectam in Azymis*, & non in fermentato: eumdemque ritum ſeruatum in Eccleſia ſemper, Epiphanius teſtatur. Sed & quod Dominus hora veſpertina id fecerit, remanſit ea conſuetudo apud nonnullas Eccleſias, vt etiam veſpere, ſed à ieiunis idem ſacrificium offerretur. Viguiſſe namque eum vſum olim in Eccleſia Africana, auctor eſt Cyprianus [d]: idque ipſum, ſed poſt ſumptum cibum, de Alexandrina teſtatur Sozomenus. [e] Auguſtinus [f] autẽ id ſemel in anno in Cœna Domini, & non niſi à ieiunis fieri ſolitũ aſſerit. Et [g] *Veſpertinarum Miſſarum* habetur mentio in Concilio Agathenſi. Sed quoniam diuerſa erat aliquarum Eccleſiarum conſuetudo, paſſimque poſt cœnam ſacrificium offerebatur; eam ſuſtulit in Africa Concilium Carthaginenſe [h] Tertium, ſtatuens vt à ieiunis ſemper, excepta ipſa die anniuerſaria Cœnæ Domini, offerretur. Fueruntque demum alia omnia contrariis legibus [i] penitus antiquata, ob eam potiſſimum cauſam, quod Vniuerſalis Eccleſiæ veteri conſuetudine; tam apud Latinos [k], quam Græcos [l], obſeruatum videretur, *vt non niſi à ieiunis ſacra Euchariſtia ſumeretur*.

b Exo. 12. Leu. 23. Num. 28. & alibi.
c Philo de vita Moſ. lib. 3.

XVII. EVCHARISTIA CONFECTA IN AZYMIS.

d Cypr. lib. 2. ep. 3. ad Cæcil.
e Sozom. lib. 7. cap. 19.
f Aug. ep. 118. ad Ian.
g Agath. can. 13.
h Conc. Carth. 3. can. 29.
i Conc. Conſt. in Trull. c. 29.
k Aug. ep. 118.
l Chryſ. ep. ad Cyriac.

Confecta igitur à Domino ſacratiſſima Euchariſtia, diſtribuit, eam Apoſtolis, adeoque ipſi Iudæ traditori, qui eam cum ceteris participauit, vt aſſerunt Auguſtinus [m], Chryſoſtomus [n], Cyrillus [o], & alii complures. Sed quod putarunt aliqui, buccellam [p] illam intinctam, quam Iudæ tradidit Dominus ad eius proditionem detegendam, fuiſſe Euchariſtiam; nos minime illis aſſentimur, ſed potius exiſtimamus buccellam illã fuiſſe panem, quem (vt dictũ eſt ex libro Rituali Iudæorum) initio ſecundæ menſæ intingebant in pultẽ, ſeu embãma ex lactucis agreſtib. confectum; ſicque intinctio illa, ex more, Euchariſtiam præceſſerit. Quod vero Ioannes ait, Iudam accepta buccella continuo exiiſſe; id quidem non ita accipiendũ putamus, vt nulla interpoſita mora abierit, ſed quod velut furore quodam percitus, non expectauerit mirificum illum poſt cœnam habitum à Domino ſermonem: nam S. Lucas aperte teſtatur, Iudam cum ceteris permanſiſſe vſque ad finem communicationis Euchariſtiæ. Sed de his ſatis. Non tamen prætermittimus dicere, quod Calix ille in quo Chriſtus Euchariſtiam conſecrauit, vt egregium tantæ rei monumentum à communi vſu ſelectus ac ſumma induſtria aſſeruatus, adhuc Bedæ [q] temporibus Hieroſolymis videbatur; eratque argenteus, hinc inde duas habens anſulas, & ſextarii Gallici menſuram capiens.

XVIII. AN IVDAS ACCEPERIT EVCHARISTIAM.

m Aug. in Ioan. tract. 62.
n Chryſ. hom. 83. in Matth.
o Cyril. in Ioan. lib. 9.
p Ioan. 13.

CALIX EVCHARISTIÆ CONSERVATVS.

q Bed. de loc. ſanct. cap. 3.

Peracta cœna [r] Iudas receſſit, & Dominus obortã cõtentionẽ inter diſcipulos de primatu ſedauit ac Petro ſui negationem prædixit: nouiſſimumq; illum admirabilem ſermonem habuit, quẽ Ioannes [ſ] diligentiori cura cõſcripſit: eoq; poſtmodum abſoluto, & hymno dicto, abiit in montem Oliuarum. Quiſnam vero fuerit *Hymnus* ille quẽ poſt cœnã dixit Dominus; haud certe compertũ habetur. Detexit Auguſtinus [t] impoſturã cuiuſdam eiuſmodi hymni, qui circumferri conſueuiſſet quaſi ipſe cecinerit. Nos autem ex prædicto libro Rituali Hebræorũ dicimus moris fuiſſe apud illos in ſingulorũ ſolemnium cœnis recita-

XIX.
r Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.
ſ Ioan. 13. 14. 15. 16. 17.

DE HYMNO POST CŒNAM DICTO.

t Aug. ep. 253. ad Ceret.

re Pſalmos ad myſterium eius diei accommodatos: in Paſchali vero conſueuiſſe dici Pſalmum centeſimum decimum tertium, qui incipit, *In exitu Iſrael de Ægypto*, & alios perbreues. Cęterum exemplo Domini laudabilis ille mos in Eccleſia coaluit, vt in menſa gratiarum actiones ab omnibus dicerentur: quæ quales eſſent apud Orientales docet Ioannes [u] Chryſoſtomus; cæteras vero antiqui Eccleſiæ libri Rituales exhibent.

u *Chryſ. hom. 57. ad Antioch.*

XX. DE LOCO VBI CHRISTVS ORAVIT.

x *Matt. 26. Mar. 14. Lu. 22. Ioan. 18.*

Cum acceſſiſſet [x] Ieſus in montem Oliueti, & ingreſſus in villam quæ dicebatur Gethſemane, vbi erat hortus, aſſumptis ſecum Petro, Ioanne, & Iacobo ſeorſum à cæteris, pauore ac mœrore affici cœpiſſet (eas enim communes cæteris animi paſſiones volens ſuſcepit) auulſus ab illis iactu lapidis, iterum ac tertio Patrem rogauit, vt ſi poſſibile eſſet, à ſe calicem Paſſionis transferret; quando & Angelus confortatus eſt eum, & factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terrã. Porro locus ille vbi hæc contigerunt, ad radices montis Oliueti poſitus, præclara poſtmodũ deſuper erecta Eccleſia (vt tradit Hieronymus [y]) eſt mirifice illuſtratus. Additque Beda [z], petrã ipſam ſuper quam Dominus orans flexis genibus innixus eſt, quaſi mollem ceram ceſſiſſe, & genuum eius in ſe veſtigia recepiſſe; ipſumque lapidem intra Eccleſiam translatum, & parieti affixum eſſe. Sed & accepimus ab his qui hæc viderunt, etiam in imo vallis quam torrens Cedron præterfluit, in lapidibus ipſis eiuſdem Chriſti Domini veſtigia pedũ impreſſa remanſiſſe, hactenuſque ſeruata eſſe.

y *Hier. de loc. Hebr.*
z *Bed. de loc. ſanct. cap. 6.*

XXI. IESVS CAPITVR.

Veniens interim Iudas cum militum cohorte, ne hi tenebris noctis decepti in alium quempiam manus iniicerent, oſculo Dominum ipſis deſignauit: Petrus vero amãs cupiduſque ſalutis Chriſti magno animo aduerſus vniuerſam cohortem exerens gladium, Malcho aurem amputauit. Sed Dominus eam ei reſtituens, & Petrum ceſſare iubens, ſeipſum volens libenſque à militib. teneri permiſit, eo modo quem pluribus Euangeliſtæ [a] deſcribunt. Diſcipulis dehinc omnibus aufugientibus, ille etiam qui ſequebatur eum adoleſcens amictus ſindone ſuper nudo, cum teneretur, ea relicta nudus aufugit: qui creditus eſt ab antiquis [b] fuiſſe Ioannes Apoſtolus cænatoria adhuc veſte indutus; qui cum in cœna proditionem Iudæ cæteris manifeſtius cognouiſſet, vehementi quodam mœrore oppreſſus, nihil de ſumendis ſuis veſtibus cogitauerit; & cum nox eſſet quando de cænaculo receſſerunt, perfacile id ipſum & alios præteriſſe potuerit. Sed quod nonnulli opinari ſunt hunc fuiſſe Iacobum fratrem Domini, ea præcipua adducti ratione quod dicatur [c] amictus ſindone incedere conſueuiſſe: tantum abeſt vt Iacobus his temporibus adoleſcens ætate fuerit, vt potius ſenex dicendus eſſet; quippe quem teſtatur Epiphanius [d] fuiſſe ætatis annorum nonaginta ſex quando martyrium conſummauit, qui fuit annus Domini ſexageſimus tertius: eaque ratione dicendum eſſet, ipſum hoc tempore Dominicæ paſſionis annos natum fuiſſe ſexaginta ſeptem.

a *Matt. 26. Mar. 14. Lu. 22. Ioan. 18.*
IOANNES IN SINDONE.
b *Ambro. in Pſalm. 36. Greg. 14. moral. 13. Bed. in Mar. 14. & alii complures.*
c *Ap. Euſeb. 2. hiſt. 22.*
d *Epip. hær. 78.*

XXII. IESVS DVCTVS AD ANNAM ET CAIPHAM.

e *Ioan. 18.*

Dominus igitur à militibus prenſus, ductus [e] eſt primo ad Annam, præfectum (vt diximus ſuperius) magno Concilio Sanhedrin, & ab eo ex officio interrogatus de diſcipulis ſuis atque doctrina, & ab vno ex miniſtris alapa percuſſus. At quoniam non erat Annæ liberum abſque magno illo Concilio ferre ſententiam, miſit ipſe Ieſum ligatum ad Caipham, Summum Sacerdotem, apud quem comitia haberentur. Interim Petrus [f] introductus in atrium ab alio diſcipulo (hic Ioannes putatur) qui erat notus Põtifici, ter Chriſtum negauit, ſed cantu galli monitus, facti pœnitens egreſſus foras, cœpit flere. Porro hæc contigiſſe in atrio Caiphæ, libentius aſſentimur. Nam quod ex verbis Ioannis in domo Annæ facta eſſe videantur, id accidit quod cum de Petro ſemel Ioannes dicere cœpiſſet ipſum & alterum diſcipulũ ſecutos eſſe Ieſum, cætera quæ Petro contigerunt, poſtea eidem orationi ſimul adnexuit. Qua aũt occaſione Ioannes notus eſſet Caiphæ, Hieronymus [g] tradit fuiſſe, ꝓpter ipſius nobilitatẽ generis: Nicephor[9] [h] aũt, & alii, ꝙ Ioannes Caiphæ vendidiſſet poſſeſſionem q̃ in Galilæa non paruam habuerat. Quicquid ſit, Matthæi [i] teſtimonio conſtat ipſum fuiſſe piſcatorem: ditiorẽ tamen cæteris Apoſtolis piſcatoribus extitiſſe, ea eſt coniectura quod mercenarios [k] ad piſcationem conductos haberet.

f *Ioan. 18. Marc. 15. Matth. 26. Luc. 22.*
PETRI NEGATIO.
g *Hie. ep. 16.*
h *Nic. 1. hiſt. 28.*
i *Matth. 4.*
k *Mar. 1.*

XXIII.

Cæterum poſt multa apud Caipham aduerſus Chriſtũ diſceptata, prolataque falſa teſtimonia, & plurimas illatas contumelias; cum tandem adiuratus à Caipha, ſe filium Dei aſſeruiſſet, &c. tunc Caiphas quaſi Blaſphemiam audiſſet, ſciſſis veſtibus ſuis rogata aliorum ſententia, Chriſtum reum mortis iudicauit. Hæc pluribus Euangeliſtæ [l]. Sed quod dicunt ſcidiſſe Caipham veſtimenta ſua; ſcire debemus, apud Hebræos cum quid contra diuinum honorem factum dictumue eſſet, qui hęc viderent audirentue, ſua veſtimenta ſcindere conſueuiſſe; ſicut feciſſe conſtat Ezechiam [m] Regem cum Rabſacis blaſphemias audiſſet: & Ioakim [n] ac Herodi [o] Regibus datum eſt crimini, quod ille videns, hic audiens blaſphema, non ſcidiſſent veſtimenta ſua. Verum quoniam id Sacerdotibus lege [p] diuina vetitum erat, peccauit in eum Caiphas; & furore in Chriſtum ductus, quo cæterorum pariter animos concitaret, eamdem primus omnium prætergreſſus eſt. Nam ſi Ionathas Summus Sacerdos in libro primo [q] Machabæorum dicatur ſcidiſſe veſtimenta ſua; non tamen veſtem Sacerdotalẽ cõſcidit, de qua in lege agitur; ſed militarẽ, cũ eſſet non in procinctu tantum, ſed etiam in ipſo conflictu.

l *Matt. 26. Mar. 14.*
CAIPHAS SCIDIT VESTES SVAS.
m *Iſa. 37. & 4. Reg. 19.*
n *Ierem. 36.*
o *Act. 12.*
p *Leuit. 10. & 21.*
q *1. Macha. 11.*

XXIV. DE IVDÆ INTERITV.

r *Matt. 27.*

Cum autem ſic à Iudæis damnatus Dominus ductus eſſet ad Pontium Pilatum Præſidem; tunc Iudas [r] qui eum tradiderat, deteſtans quod patrarat grande ſcelus, retulit Principibus Sacerdotum triginta argenteos quos pro ipſius proditione perceperat; & in deſperationem actus, laqueo ſe ſuſpendit, crepuitque [s] medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera eius. Hæc cumulatius Euãgeliſtæ. Scribit vero Auguſtinus [t], eum non ſtatim ac retulit triginta argenteos, ſed poſt mortem Saluatoris ſibi manus intuliſſe: Gręci autem auctores [u] ex Papia, vt aiunt, Iudam ſuſpendio ſuperuixiſſe volunt: deiectum enim eſſe priuſquam ſuffocaretur, & ad magnum impietatis exemplum in mundo permanſiſſe, ſed ſanie & vermibus conſumptum, adeoq; capite & toto corpore inflatum, vt nec videre nec progredi poſſet: donec tandem poſt multa tormenta, à curru leui curſu pertranſeunte in ſuo prædio compreſſus, effudit inteſtina, tantumq; fœtorem edidit, vt ad multa ſæcula prædium deſertum reddiderit. Sed vtrum his ſit fides adhibenda, relinquimus prudentis lectoris arbitrio; cum præſertim plurium auctoritate Patrum teſtatum habeatur, Iudam ante Chriſti obitum laqueo ſibi impacto vitam finiſſe: quo enim impetu, ſtimulo grauis culpę adactus eſt reddere nummos, eodem pariter videri poteſt ad necem impulſus. Cęterum maiorum traditione acceptum eſt, arborem illam in qua Iudas laqueo ſe ſuſpendit, fuiſſe Ficum; eamdemq; adhuc Bedæ [x] temporibus fuiſſe ſuperſtitem, ipſe teſtatur.

s *Act. 1.*
t *Aug. quæſt. 94. n Nou. Teſt.*
u *Oecum. in Act. 1. Euthym. in Matth. 27. Cedren. in comp.*
x *Bed. de loc. Sanct. ca. 4.*

XXV. IESVS AD PILATVM.

y *Matt. 27. Mar. 15. Lu. 23. Ioan. 18.*
z *Mar. 14.*

Cum ergo Principes [y] Sacerdotum obtuliſſent Ieſum Pilato; hic vero poſt multas interrogationes nullam in eo cauſam inueniens, refundere in eos iudicium cuperet; negarunt ii licere ipſis interficere quenquam. Sed hoc minime putandum eos intellexiſſe de ferenda ſententia capitis, quippe qui iam ante (vt ait Marcus [z]) condemnauerant eum eſſe reum mortis: verum de executione ipſius ſibi interdicta per ſeptem dies illos Azymorum: ſicut & poſtea iiſdem ipſis diebus Petrus [a] ab Herode Agrippa eſt detentus in carcere, quo illis tranſactis morti traderetur. Iſta enim hoc eſſe accipienda ſenſu, Auguſtinus [b], Chryſoſtomus [c], atque Cyrillus [d] perſuadent.

a *Act. 12.*
b *Aug. trac. 114. in Ioan.*
c *Chryſ. ho. 82. in Ioan.*
d *Cyr. 12. in Ioan. 6.*

XXVI. IESVS MISSVS AD HERODEM.

Porro nouis poſt hęc ingeſtis aduerſus Chriſtũ accuſationib. cum anceps Pilatus quid eſſet acturus, audiſſet illum eſſe Galilæum; eumdem amandauit ad Herodẽ Antipam Galilææ Tetrarcham, qui opportune Hieroſolymis aderat: qui cũ multa curioſe eũ rogaret, nec Chriſtus quicquam reſponderet, quaſi fatuum quendam ac motionem illudens, veſte alba indutum ad Pilatũ remiſit. Sed de hac veſte obſeruandum eſt, Græcam dictionem non proprie quam dicimus *albam* ſignificare, ſed potius ſplendidam, quam magis proprie *candidam* dicere conſueuimus: non enim λευκὴν ſed λαμπρὰν Euangeliſta dixit. Quæ eadẽ vox cũ reperiatur apud Iacobũ [e] Apoſtolũ deſcriptione nobi-

DE VESTE ALBA, QVA DELVSVS EST.
e *Iacob. 2. v. 2.*

liſſimi cuiuſdam viri; inde nonnulli deduxerunt, veſtem illam qua ab Herode Saluator indutus eſt, fuiſſe Regium Iudæorum indumentum. Sed in hoc minime eis aſſentimur, cum auctore Ioſepho [f] conſtet, regium indumentum fuiſſe purpurã: cum alioquin haud dubitemus, veſtem illam qua ludibrii cauſa Herodes induit Redemptorem, nobiliſſimam fuiſſe. Sed & magnum plane & admirandum in eo apparuit diuinum conſilium, quod cum etiam apud Iudæos [g] ea vigeret conſuetudo, vt alicuius criminis reus iudicio poſtulatus atratum ſe ſiſteret, Ieſus contra, vt innocentiſſimus, iuſſus eſt candidatus incedere, & Pilati iterum iudicio ſiſti.

XXVII. BARABBAS PRÆLATVS CHRISTO.

Cum autem ſolennitate Paſchali [h] vinctus vnus reus mortis, ad optionem populi eſſet ex conſuetudine dimittendus: Pilatus, quo ea occaſione ſibi liberum eſſet, quod maxime cupiebat, Chriſtum dimittere; Barabbam inſignẽ latronem & homicidam, Ieſum ſæpius à ſe innocentem declaratum, in optionem populo dedit; ſed ſuadentibus Principibus Sacerdotum clamantes ſimul omnes, Barabbam liberari, Chriſtum vero crucifigi petierunt, Quando Pilatus monitus inter hæc ab vxore ne quid in Ieſum cõmitteret, aliam rurſum eum dimittendi rationem tentans, quo Iudæis aliqua ſaltem ex parte ſatisfaceret, propoſuit eundem flagellis ſubiicere, ac poſtea dimittere. Qua quidem in re obſeruatione dignum eſt, etiam in hoc ipſo voluiſſe Dominum (quod ait Paulus [i]) ſeruilem formam induiſſe, dum permiſit ſe flagellis cædi: ſeruorũ enim id fuiſſe, liberorum autẽ virgis ac fuſtibus affici, antiqui Romanorũ Iuriſconſulti [k] tradiderunt. Porro cum Dominus flagellandus eſſet, cum ad columnam fuiſſe ligatum auctor eſt Hieronymus: eandemq; ſolitos Chriſtianos corrigiis textilibus circumdare, quibus poſtea varios morbos pellerent, teſtatur Gregor. [l] Turonenſis. Sic igitur flagellatũ Dominum [m] milites in atrium Prætorii ducunt, exuunt, ac chlamyde coccinea (erat ea veſtis militaris) ſuperinduũt & vt omni ex parte quaſi in ſcena Regẽ ex ludibrio repræſentarent, coronam ſpineam in capite, & ſceptrum arundineum in manu eius dextera ponunt; ac ſpeciem adorationis genu flexi præſe ferentes, loco tributi ſputa alapaſq; pendunt. Auctor autem eſt Clemẽs [n] Alexandrinus, Chriſtianos ad reuerentiam ſpineæ coronæ Domini noſtri, coronis intextis floribus tempora ornare, Gentilium more, exhorruiſſe. Eademq; Tertullianus [o] pluribus tractans, vulgatam ait fuiſſe diſciplinam Chriſtianorum, vt coronis abſtinerent. Cæterum nullatenus audiendos puto, qui ex iunco marino coronam Domino contextam fuiſſe dixere: cum certum ſit Lucæ & Ioanni, Euangeliſtarum aſſertione, ex ſpinis eſſe compactam; & quæ hactenus aſſeruatæ reperiuntur ex eadem corona ſpinæ, vere ex ſentibus eſſe decerptæ noſcantur: proculque abeſt vt aliqua ex parte cum iunco marino communicent, cui nec alioquin vllæ vel in fuſte vel in ramis ſpinæ inhæreant, ſed tantum acumina in ſpinas deſinant.

IESVS FLAGELLATVS. CORONA CHRISTI.

XXVIII.

Sic itaque male affectum Ieſum cum Pilatus cunctis aſpiciendum propoſuiſſet, & occaſionem adhuc quæſiſſet eum dimittẽdi; rurſum conclamantib. importunis Iudæis vt crucifigeretur, & inculcantib. non poſſe abſq; crimine læſæ maieſt. Imperatoris dimitti, ꝙ ſe Regem eſſe dixiſſet, tandem Pilatus conteſtans ſe rem aggredi iniquiſſimam, aqua manus corã populo lauit, ſuam eo facto profeſſus innocentiã, & ſanguinem iuſti in Iudæos refundens, qui ſe illum in capita ſua & filiorũ ſuorũ accipere reſponderunt. quod autẽ Pilatus manum lauit in ſignũ innocentiæ, haud ex Romana conſuetudine, alique Gentiliũ ritu; ſed potius ex cæremoniis Iudæorũ videtur mutuatus exemplum. Lege n. Moſis [p] iuſſum erat, vt quo ſe quis innocentẽ à nece hominis demõſtraret, manus ſuas lauaret ſuper cæſam vitulã. Ad quæ videtur alluſiſſe Propheta [q]; dũ ait, *Lætabitur iuſtus cum viderit vindictã: manus ſuas lauabit in ſanguine peccatorũ:* nimirum vt ſic lauando manus, ſuã conteſtaretur innocentiã; vt Hilar. & Theodor. interpretantur, & alii quã quã ſciam [r] alios prouinciarum iudices aliis ritib. conſueuiſſe immunes ſe à cæde viri quẽ legib. iudicarẽt declarare; puta manuũ [r] ad Solem ſublatione, & aliis [s] eiuſmodi.

PILATVS LOTIONE MANVVM EXSECVSAT.

XXIX. PILATI INIQVITAS.

Porro Pilatum in ipſas etiam leges Romanas grauiter deliquiſſe, tradendo Chriſtum crucifigendũ, nec ablutione manuũ facinus expiaſſe, vel ex eo facile demonſtratur, quod quantumlibet Iudæi in ſuo ipſorum concilio de nece Chriſti æquam tuliſſent ſententiam, quã fuiſſe iniquiſſimam certum eſt; nihilomin9 eius ſententiæ executio ad decem ſaltem dies propagãda fuiſſet ex S C^to Tiberiano, ante 12. annos (vt diximus) ab ipſo Imperatore Tiberio promulgato. Quænam vero cauſa fuit, vt idẽ Pilatus Chriſtum à Iudæis vt blaſphemum damnatum, in crucem adigendum ſtatueret: Nam ſi eorum lege [t] res ageretur lapidationi erat ſubiiciendus, ſi iure Romanorum, famoſis latronibus eiuſmodi ſupplicium debebatur. T. enim litera, quod crucis figurã exprimat, notari conſueuiſſe fures, apud Lucianum [u] teſtatum habetur. Et apud ipſos Iudæos, crucis pœnam homicidarum fuiſſe Philo [x] tradit. Sed diuina quadam diſpenſatione factum eſt, vt ſupplicium ꝙ Barabbæ duplici ex cauſa debebatur, tum vt latroni, tum vt homicidæ, cõuerteretur in Chriſtum, cuius nulla eſſet mortis cauſa; vt Dei filius pro redemptione totius humani generis crucem ſubiret, quæ tam apud Iudæos, quam etiam Gentiles inſigne ſalutis eſſet. Signandos namque eſſe ſigno T H A V, qui liberandi eſſent ab ira Dei, Ezechieli [y] Prophetæ fuit diuinitus demonſtratum: & apud Ægyptios iſtud ipſum ſignum crucis in ſacris eorum litteris ſignificaſſe vitam, Ruffinus [z], Socrates [a], Sozomenus, & alij teſtantur. Sed myſteria CRVCIS, à S. Patrib. toties decantata, hic prætermittimus enarrare, quæ alii [b] collegerunt.

Cum autem Pilati ſententia dimiſſo Barabba, traditus eſſet Iudæis Ieſus ad crucifigendum; ducendus [c] Redemptor noſter, exutus eſt chlamyde, & propriis indutus veſtimentis; ac Cruce, cui affigendus erat, ſuper humeros ei9 impoſita, coactus eſt Simon Cyrenæ9 altera ex parte eandem portare poſt Ieſum, qui ſic perductus eſt in montem Golgatha. Illic autem, antequam Cruci affigeretur, propinatum ei fuiſſe vinum mirrhatum tradit Marcus; ſed & vinum felle admixtũ eidem tributum, ſcribit Matthæus: ac deniq; auctor eſt Ioannes, vas illic fuiſſe aceto plenum, crucifixorum vſui. Sane quidem Hebræos conſueuiſſe damnatis ſolatium aliquod impendere, & vinum illis propinare optimum ipſa etiam Scriptura [d] docet. Vnde cum Dominus cruci damnatus eſſet, quemadmodum ex odio quo in eum Iudæi flagrabant, conditum eſt vinum felle; ſic quod permulti (vt Lucas declarat) ipſius vicem dolerent, cõmiſerationis ergo allatum eſt vinum myrrhatũ: acetum vero ad aliũ vſum fuiſſe paratum, inferius dicetur.

XXX.

XXXI. DE VINO MYRRHATO.

Porro Vinum MYRRHATVM nequaquam (vt multi explicant) amarum fuiſſe & inſuaue, ſed perquam iucundũ & gratum, ex Martiale [e] conſtat, ac maxime ex Plinio [f] nimirum ſic appellatum, ꝙ in vaſis myrrhinis calidum poneretur ad ſaporem odoremq; quærendum: dulcedinem vero, etſi non ex myrrha, ex aliis tamen admixtis ſpeciebus contrahebat. Errant pariter, qui tradiderunt vinum myrrhatum fuiſſe potionem ſoporiferã quæ à mente alienaret, ſolitamq; paſſuris ꝓpinari, quo mortis dolores minus attenderent. Nam econtra eius naturæ eſſe ab ebrietate bibentes præſeruare, ſurgenteſq; vapores digerere, eſt inſignis locus Athenæi [g] ex Ariſtot. acceptus, quo etiam declaratur quibus aromatib. eiuſmodi vinum myrrhatum condiri conſueuiſſet. Iiſdemq; conſentiunt quæ item ex Ariſt. Plutarch ait in lib. de Iſide, nempe myrrham ab Ægyptiis *Bal* nominatam eſſe, quæ vox delirii ſignificaret amolitionem. Cum tamen non negemus quod ait Galenus [h], myrrham, ſi largius bibatur, aut demẽtare, aut mortem afferre. nam hoc & vinum ipſum abſq; myrrha abundantius ſumptum præſtare ſolet. Deinde ſi (ꝙ obiicitur) ex antiquo Iudæorum [i] more, quo omnibus licet viliſſimis cruciariis vinum myrrhatum propinari conſueuerat, & ipſum Domino oblatũ volumus; illud pariter & latronibus æquale cum ipſo ſupplicium ſubituris traditum fuiſſe dicendum eſt. At cum ex Euangeliſtis conſtet latrones in cruce poſitos mentis fuiſſe compotes, eaq; locutos quæ ſibi conſtãtes eſſe ſignificarent; plane declaratur, haud ex-

f Ioſ. 14. Antiq. 17.
g Ioſeph. 14. Antiq. 17. & lib. 16. c. 14.
h Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23. Io. 18.
i Philip. 2.
k L. 4. D. de incend. l. le... de accuſ. l. in ſeruorum, & l. capital. de pœn.
l Turon. de glor. mart. c. 7.
m Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23. Io. 18. 19.
n Clem. Pædag. l. 2.
o Tertul. de coron. mil. c. 1.
p Deut. 21.
q Pſal. 57.
r Vid. Clem. ... Conſt. ...
s Vid. Baſil. ep. ...
u Lucian. dial. iud. vocal.
x Philo. de ſpecial. leg.
y Ezech. 9.
a Socr. 5. c. 17.
b ... Gretſerus ... de Cruce ...
c Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23. Io. 19.
d Prou. 31.
e Mart. ...
f Plin. 14. cap. 13.
g Athen. ... cap. ...
h Gal. ... med. ... cap. 39.
i Thalmud. ...

titiſſe eam naturam vini myrrhati vt bibentes dementaret, ſed quod exhilararet potius. Qua etiam ratione in Actis [k] SS. martyrum Fructuoſi Epiſcopi Tarraconenſis ac ſociorum, quę nouerunt & probarunt Auguſtinus [l] atque Prudentius [m], legitur, ipſis dum ad locũ ſupplicii ducerentur, ex fraterna charitate ab aliis Chriſtianis oblatum eſſe cõdimentum, vti permixtum poculum ſumerent. Denique Fulgentius [n] agens de natura Myrrhæ, citat Petronium Arbitrium, qui ad libidinis concitamentum myrrhinum ſe poculum bibiſſe refert, & Subrium veterem comicum, iſtud ipſum per Glyceram aſſerentem: Vt plane appareat non ſoporis inducendi cauſa, ſed ad remiſſas vires reuocandas roborandaſque, in vſu fuiſſe ex myrrha conditum apud antiquos. His autem omnibus ſic explicatis, magna conſideratione dignum eſt quod ſcribit Marcus [o] Euangeliſta, Dominum myrrhatum vinum non accepiſſe, nimirum quod qui prudens volenſque omnes ærumnas ſponte ſuſceperat, quamlibet quauis occaſione oblatam conſolationem admittere recuſauit, cum econtra vinum felle mixtum ſaltem guſtaſſe, & oblatum calamo acetum accepiſſe alii tradant Euangeliſtæ [p].

k Ap. Sur. 21 Ianuar.
l Aug. ſerm. 19. de diuerſ.
m Prud. hy. 4 Periſt.
n Fulg. li. Mythol. 3.
o Mar. 15.
p Ioan. 19. Mat. 27.

XXXII. DE SPONGIA, ET ACETO PROPINATO CHRISTO.

Sed quod ſpectat ad *propinationem Aceti*, quæ facta eſt poſt alia omnia Crucis myſteria conſummata, ex illis quæ dicturi ſumus facile apparebit, tum nullam inter ſanctos Euangeliſtas eſſe diſcrepantiam, quantumlibet Ioannes dicat ſpongiam aceto plenam hyſſopo circumpoſitam Chriſti ori admotam eſſe, Matthæus vero & Marcus eam arundini ſeu calamo tradant impoſitam, tum commentũ eſſe quod aliqui dixerunt, ad accelerandam reorum mortem cõſueuiſſe Iudæos cruci affixis propinare acetũ. Primum enim virtutem à natura inſitã eſſe aceto ſiſtendi ſanguinẽ, eamdemq; hyſſopo & ſpongiæ inhærere, pluribus in locis teſtatur Plinius, cuius eſt in primis locus egregius, & ad rem de qua agimus valde accõmodatus cum ait [q] acetum faſciculo hyſſopi conditum, ſiſtendi ſanguinis vim habere, ſiue ſpõgiæ ſuperponatur, ſiue ad potandum detur. Et pariter Dioſcorides [r] eandem tribuit aceto potato virtutem. Verum non potu tantum ſed applicatione eaſdem res idipſum operari ſolitas, ſiue ſeparatim, ſiue mixtim vulneribus apponitur, idẽ Plin. [ſ] eſt auctor. Vt ita manifeſtum ſit, ex induſtria omnia potiora medicamenta quę ſanguinem ſiſterent, à Iudæis conſueuiſſe parari cum quis affigeretur cruci: ſimulq; elucidatum eſt quod ait Ioannes Euangeliſta, ſpongiã plenã aceto hyſſopo circumpoſitam oblatam eſſe ori Chriſti. In quo & magis conſentaneũ veritati eſſe videtur, quod ex Græco textu, & ex Theophylacti huius loci interpretatione colligitur acetũ illud hyſſopo fuiſſe permixtum atque conditum ſicque ex aceto & hyſſopo ſpõgiam fuiſſe imbutam, atq; arundini affixam ad potum Domino propinandum. Cæterum medicamentum illud ita compoſitum, non potus cauſa fuiſſe præcipue inſtitutum putamus, ſed magis vt eo ſic infuſa ſpongia vulneribus admota ſanguinem ſiſteret. Cuius rei non leuis eſt coniectura, quod ſpongia qua potatus eſt Dominus, quę vſque hodie ſummo honore aſſeruatur Romæ in baſilica Lateranenſi, quaſi aliquando ſanguine tincta fuiſſet, ruborem quendam adhuc retinet quem ſemel imbibiſſet: ſicq; putamus madidã prius ſanguine ſpongiã atq; preſſam, aceto poſtea & hyſſopo ſuperinfuſam ſacratiſſimo Domini ori propinatam. Quod autem cum accepiſſet continuo tradidit ſpiritum, id non idcirco euenit quod eiuſmodi potus ſui natura accelerandæ mortis vim haberet, ſed potius Deo ſic diſpenſante, ne longiore vita reſeruaretur ad crurifragium, quod de eo Prophetice ſcriptum eſſet [t], *Os non comminuetis ex eo.* Quamobrem quod maxima omnium pœna crurifragium eſſe ſoleret, haud putamus humanitatis intuitu his ad ſiſtendum ſanguinem eos conſueuiſſe vti remediis, ſed potius ferali ſæuitia, vt ſic diutius pœnis detenti durare poſſent vſque ad veſperum, quo ante Solis occaſum mos erat oſſium fractura mortem inferre. Sed de his hactenus, nunc reliqua proſequamur.

q Plin. li. 33. c. 1.
r Dioſc. li. 5. c. 14.
ſ Plin. li. 3. c. 11.
VSVS SPONGIÆ.
t Exod. 12.
DE CRVRIFRAGIO.

XXXIII. DE GOLGOTHA.

Quod in primis ad Golgotha ſpectat, ſiue Caluariæ locum, quo ad ſupplicium ductus eſt Ieſus; complures antiquiorum Patrũ ex maiorum traditione teſtantur, hunc eundem eſſe montem in quo Abraham iuſſus eſt immolare filium ſuum Iſaac. Cur vero dictus ſit Caluariæ locus, ex ſimili firma traditione veteres omnes accepẽrũt, quod ibi primus homo Adam ſepultus eſſet. Id enim ex Græcis teſtantur Origenes [v], Athanaſius [x], Baſilius [y], Epiphanius [z], Chryſoſtomus [a], atq; alij recẽtiores: Et ex Latinis Tertullianus [b], Cyprianus, ſiue illi ferme æqualis auctor qui ſcripſit de Operibus Cardinalibus; Ambroſius [c], Auguſtinus [d], atq; etiã Hieronymus [e], licet iſte aliquando [f] huic ſententiæ contradixerit, quod (vt ait) in libro Ioſue ſcriptum ſit Adam ſepultum eſſe iuxta Hebron & Arbee; ideoq; ipſe malit Caluariã ſignificare locum decollatorum. Verũ nihil repugnat vt locus ille vbi primus homo ſepultus dicitur, poſtmodum electus fuerit (quod in edito loco ſitus eſſet, & Hieroſolymis proximus) ad ſupplicia damnatorum. Nec illud adeo probatur, à capitibus decollatorum ita dictum eſſe, cum eiuſmodi ſupplicium apud Hebræos nec lege ſancitum, nec conſuetudine inuenerimus approbatum: apud Romanos enim erat in vſu, quos haud multo ante hæc tẽpora cõſtat cœpiſſe dominari Iudæis. Quod vero pertinet ad alium *Adam*, qui in libro Ioſue [g] ſepultus in Hebron dicitur ipſum diuerſum prorſus fuiſſe à primo parente idẽ ipſe Scripturæ locus ſatis declarat, dum vocat eum *maximum inter Enacim*. Enac.n. fuiſſe gigantem & parentem gigantum, eandemque ipſam ciuitatem Hebron inhabitaſſe habet liber Numeri [h]: & ab Enac ipſos gigãtes eadem diuina [i] Scriptura nominare conſueuit *ſtirpem Enacim*. Sicq; quod de Adam maximo inter filios Enacim legitur, non de alio dictum exiſtimamus, quam de vno ex gigantum numero qui cæterorum maximus haberetur, idemque Adam eſſet appellatus. Nam & Ioſephus [k] teſtatur adhuc temporibus ſuis monſtrari ſolita oſſa gigantum qui in Hebron ſepulti erant, adeo magna, qualia, inquit, vix credant qui non viderunt ipſi.

v Orig. tract. 35. in Matt.
x Athan. de paſſ. & cruce.
y Baſil. in Leuit. 5.
z Epiph. hær. 46.
a Chryſ. ho. 84. in Ioan.
b Tert. li. 2. carm. cont. Marcion.
c Ambr. 5. ep. 9.
d Aug. ſer. 71 de temp. & q. in Gen. 161.
e Hier. ep. 17. ad Paul. & Euſt. ch.
f Hieron. in Matth. 27. & in Epheſ. 5.
g Ioſue 14.
ADAM IN GOLGOTHA SEPVLTVS.
h Num. 13.
i Deut. 12. Ioſ. 11.
k Ioſ. 5. antiq. 2.

XXXIV.

Quod autem idem Caluarię locus *in medio ſit terræ ſitus*, ac ſecundum Propheticum [l] ſermonem Deus operatus fuerit ſalutẽ in medio terræ, Tertullianus [m] & Victorinus Pictauienſis aſſerunt; ſed & Hierony. [n] Hieruſalẽ in medio mundi ſitam eſſe ſcribit. At Ioſephus [o] aliam iniens rationem, ait Hieroſolymam ſitam eſſe in medio Iudææ. Beda [p] quoq; tradit, in monte Caluariæ columnam Celſam exiſtere, quæ æſtiuo ſolſtitio vmbram non faceret, vnde & putaretur ibi mediam eſſe terram. Sed ſi hoc ita eſſet, neceſſe omnino foret Hieroſolymam ponere intra zonam torridam, & tropico ſaltem cancri ſubiicere: at ab illo longius abeſſe, omnes qui terras deſcribunt apertiſſime tradunt, & certiſſimis experimentis nunc cognoſci poteſt. Sed illud non male, vel Hieroſolymam ſitam eſſe in medio terræ habitabilis, vel in medio Palæſtinæ.

l Pſal. 73.
m Tert. li. 2. carm. cont. Marcion.
n Hier. in Ezech. 5.
o Ioſ. 3. de bel. 2.
p Beda de loc. ſanct.
HIERVSALEM IN MEDIO TERRÆ.

XXXV.

Exuerunt [q] poſt hæc milites Ieſum ſuis veſtibus, eaſq; in quatuor diuiſerunt ſibi partes, ſuper tunicam vero miſerunt ſortẽ, quod quę inconſutilis eſſet, haud facile ſciſſuram pateretur, quin tota pariter retexeretur. Contextam illam fuiſſe à Sanctiſſima Virgine, par eſt credere: nam in Oriẽte hominum veſtes à fœminis confici ſolitas, ipſa etiam Scriptura [r] indicat. Errare vero illos exiſtimo, [ſ] qui putarunt Chriſti veſtem inconſutilem, fuiſſe pretioſam: haud enim credendum eſt, eius generis veſtibus Dominum eſſe vſum. Porro ſic ſpoliatum Cruci affixerunt medium inter duos latrones, tribus, vel (vt tradit [t] Gregorius Turonenſis) quatuor clauis. Sane quatuor antiquiores Imagines repræſentant, nempe ſingulos ſeorſum ſingulis pedibus manibuſque, idque ſecundum antiquum crucifigẽdi ritum, licet interdũ martyres pluribus etiã clauis in Cruce confixos legerimus. Verum ſententiã de tribus tãtummodo clauis recentior probauit vſus. Cauſæ deinde titulus ſcriptus eſt à Pilato, nempe IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM, & ſuper Crucem affixus eo ordine quo deſcribitur à Ioanne, nempe Hebraice, Græce, & Latine, vt etiam adhuc apparet in parte Tituli lignei quæ Romæ extat, ita tamen vt nobilior locus ille ſit viſus qui Chriſto vicinior eſſet, ſicque Latina prior, nouiſſima vero Hebraica (vt quæ Græca inferior, & barbara à Romanis haberetur) poſita eſſet inſcriptio: ſicut & Nicolaus [u] Papa ſcribens ad

q Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 19.
DE VESTE INCONSVTILI.
r Prouer. 31.
ſ Eſdr. 4.
t Greg. Tur. de glo. mar. ca. 6.
QVOT CLAVIS CHRISTVS CONFIXVS.
t Plaut. in Moſtel.
TITVLVS CRVCIS.
u Nicol. ep.

Michaelem Imperatorem in Latinam linguam inſultantem, egregie teſtatus eſt Nam apud Romanos in theatro locus infimus Senatorum, ſummus vero plebis[x]; & in triumpho poſtremus Imperatoris, ac denique in triclinio nouiſſimus Conſulis[y] erat: adeo vt ſedendo, procedendo, & recumbendo locus vltimus primus eſſet.

[Margin: ... in 3. epiſt. Rom. Pont.] LOCVS HONESTIOR APVD ROMANOS. *x Sigon. de iur. ant. Rom. lib. 1. y Plutar. 2. Sympoſ. 3.*

XXXVI. *z Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23.* DE SOLIS DEFECTV. *a Orig. tract. 35. in Matt. b Id. lib. 2. cont. Celſ. c Tert. in Apolog. d In Act. ſui mart. e Hiero. in loc. 2. f Aug. q. 105. No. Teſt. & ep. 80. g Dionyſ. ep. ad Polycar. & ep. ad Apollophan.*

Dum Chriſtus eſſet in Cruce, poſt multas in eum illatas blaſphemias & contumelias, ac poſt inſignẽ de illo cõfeſſionem factam ab vno ex latronibus qui cum eo crucifixi erant, aliaque geſta quæ fuſe narrant Euangeliſtæ; *hora ſexta* (inquiunt[z] iidem) *facta ſunt tenebræ ſuper vniuerſam terram vſque ad horam nonam.* Cum vero Lucas addat, & *Solem eſſe obſcuratum*, ſatis perſpicue declaratur, non ipſam tantummodo Iudæam (quod aliquãdo Origenes[a] dixit) ſed vniuerſum plane terrarum Orbem offuſum fuiſſe tenebris, vt & ipſe alibi Origenes[b] contra Gentiles, & Euſebius in Chronico aſſerunt ex teſtimonio Phlegontis Hadriani Imperatoris liberti inſignis Chronographi; atq; ex eorundem Gentilium Archiuis & Annalibus confirmant Tertullianus[c] & Lucianus[d] martyr. Agunt pariter de eodem admirãdo Solis defectu Hieronymus[e], Auguſtinus[f], & alii, teſtantes omnes eum fuiſſe præter omnem naturæ ordinem: eundem vero cæteris plenius deſcripſit omnium antiquiſſimus Dionyſius[g] Areopagita, oculatus eius teſtis, cũ eo tẽpore Heliopoli in Ægypto exiſtens annum ætatis (vt ait) quintum fere & vigeſimum exolueret.

XXXVII. *h Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19. i 2. Paral. 3. k 6. de bel. 6.* VELVM TEMPLI QVALE.

Poſt hæc[h] circa horam nonam exclamans Ieſus voce magna, reddidit ſpiritum, & velum templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo vſque deorſum. De quo VELO, præter illa quæ in diuina[i] ſcriptura legũtur, Ioſephus[k] qui vidit, teſtatur fuiſſe velũ Babylonium, admirabili opere factum, & hyacintho, byſſo, cocco, & purpura variatum, altum quinquaginta quinque cubitis, latum ſexdecim: ſecundum proportionem portarum (ad quas appenſum erat) primi tabernaculi, vbi erat candelabrum menſę, atq; thuribulum. Additq; fuiſſe alterũ Velum quo intima pars templi quæ dicebatur Sancta Sanctorum operiebatur. Ex quibus erroris arguuntur, qui exiſtimarunt vnum tantum fuiſſe velum in templo. Porro hoc tempore conſciſſum fuiſſe velum exterius poſitum, quod erat cunctis perſpicuum, & populum ſegregabat à ſacerdotib. iure Hieronymus[l] affirmat. Quid autem portenderit tantum prodigium, relinquimus Interpretibus explicandum. Addit vero ad hæc S.[m] Ephræm Syrus, tunc cum velum templi ſciſſum eſt, columbam etiam à templo egredi viſam eſſe.

l Hier. ep. 150 quæſt. 8. m Ephr. ſer. de paſſio. Domini.

XXXVIII. TERRAE MOTVS TEMPORE PASSIONIS. *mm Orig. l. 2. cont. Celſ. n in Chron. o Cyril. catech. 13.* SCISSI MONTES ET LAPIDES. *p Hier. ep. 150 q. 8. q Ioſ. 6. de bel. 31.*

Tunc quoque magnum factum eſſe *Terræmotum*, Euãgeliſtę tradunt: de quo pariter ex Phlegonte teſtimonium proferunt Origenes[mm] & Euſebius.[n] Sed præterea illa concuſſione ſciſſas eſſe petras, iidem Euangeliſtæ teſtantur: quarum ſuo adhuc tempore in monte Golgotha monumenta extare, ſcribit Cyrillus[o] Hieroſolymitanus Epiſcopus. Nec vero Hieroſolymis tantum, ſed & in pleriſque aliis Orbis terrarum partibus ſciſſos montes eodem terræmotu, incolæ firma traditione teſtantur: puta in Hetruria montem Aluerniæ dictum, & prope litus Campanum Caietæ promontorium. Traditq; inſuper Hieronymus[p] ex Euangelio Nazaræorum, eodem terræmotu tẽpli ſuperliminare collapſum eſſe, & Angelos præſides tẽpli auditos eſſe dicentes *Tranſeamus ex his ſedibus*, quod & Euſebius tẽpore Chriſti paſſionis accidiſſe teſtatur; quantumlibet Ioſephus[q] ad tempus Pentecoſtes, & templi excidium referat. Deniq; eodem terræmotu monumenta ſepulchrorum aperta eſſe, & multa corpora ſanctorum à mortuis ſurrexiſſe, Hieroſolymamq; poſt Domini reſurrectionẽ veniſſe (nam ſepulchra foris erant) ac multis apparuiſſe, Euangelica[r] docet hiſtoria. Et quoniam de prodigiis agimus, non prętermittimus meminiſſe eorum quę Plutarchus[s] his Tiberii tẽporib. accidiſſe ſcribit; nimirũ, cũ quidã in Italiã nauigarẽt, nocte à Paxis inſula, q̃ vna eſt Echinadarũ, vocẽ magna nunciatũ eſſe, PANA *magnum eſſe mortuũ*; cumq; illud nauigantes ex præſcripto eiuſdẽ vocis iuxta paludẽ quamdam ſimiliter è naui proclamaſſent, magnũ ſubito innumerabilium gemitũ auditum eſſe. Recitat eadẽ ex Plutarcho Euſebius[t], ſed fides eſt penes auctorẽ. Ea vero ab aliquib. in eum ſunt accepta ſenſum, vt Pan Chriſtus Dominus vniuerſorũ intelligeretur, eiuſq; mortẽ vt ſuã ipſorũ cladẽ lugerent dæmones, vtpote qui adhuc ipſo viuente ſæpius fuiſſent lamentati ſe ab ipſo torqueri.

r Matt. 27. s Plut. li. de defect. orac. DE INTERITV PANIS. *t Euſeb. 5. de præp. Eu. 9.*

XXXIX. *u Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23.* DE LONGINO CENTVRIONE. *x Ext. ap. Metaph. 16. Oct.*

Cum igitur tot tantaq; diuina operatione prodigia facta eſſent; inter alios admiſſi facinoris pœnitentes, Cẽturio[u] hæc videns publica cõfeſſione teſtatus eſt IESVM, vere filiũ Dei fuiſſe. Porro hunc LONGINVM nomine appellatum eſſe, Chriſtiq; fidem ſecutum ad martyrii palmam perueniſſe, teſtantur qui eius res geſtas[x] ſcripſerunt. Ex quibus redarguuntur qui ex apocryphis quibuſdam ſcriptis tradiderunt, Longinum nomine, eundemque cæcum fuiſſe militem illum qui lancea latus Domini aperuit.

XL. *y Ioan. 19. z Deut. 21. a Philo de ſpecial. leg.*

Cum vero appropinquaſſet initium diei Sabbati, quẽ poſt horam nonã Iudæos auſpicari conſueuiſſe ſuperius demonſtrauimus, ne[y] remanerẽt in Cruce corpora Sabbato (cum & alioquin lege diuina[z] ſtatutum eſſet vt appenſi in patibulo, eadẽ die, & vt addit[a] Philo, ante occaſum Solis ſepelirentur) milites duorum latronum adhuc ſuperſtitum crura fregerunt, à IESV vero abſtinuerunt q̄ iam defunctus eſſet: eius tamẽ latus miles lancea aperuit, ex quo fluxit cõtinuo ſanguis & aqua. Porro Dei-genetricem, quæ cũ cæteris fœminis Chriſtũ comitari ſolitis aderat magna cum reuerentia collegiſſe quãtum licuit illum ſanguinem & aquam, ex antiquiorib. monumentis recitat Metaphraſtes[b]: atque inſuper addit, eam ab initio vſq; ad finem ſe conſtanter geſſiſſe; factis oſtendentem ſe eſſe matrem, ſed matrem illius qui motũ animi certis finibus continuit: quin etiam in eo de Cruce deponendo maternis manibus inſeruiſſe, & clauos qui extrahebãtur in ſinu ſuo accepiſſe, ac lacrymis plagas emundaſſe: eius denique hortatu Ioſephũ ab Arimathæa, occultum Domini diſcipulũ, audacter introiſſe ad Pilatum (quod etiam tradit[c] Euãgeliſta) & corpus IESV ad ſepulturam petiiſſe. Scimus alios animi affectus in Sanctiſſima Deipara expreſſos inueniri in tragœdia inſcripta *Chriſtus Patiens*, quæ Apollinaris Laodiceni potius quam Gregorij Nazianzeni eſſe opus merito exiſtimatur. Scimuſq; prętera, cõplura à S. Anſelmo, & alijs nonnullis pijs viris de Chriſti paſſione ferri, quę ex deuota contẽplatione potius q̃ ex hiſtorica narratione fluxiſſe noſcantur. Deniq; ſiquid alicui ſancto viro diuinitus reuelatũ fuerit, nõ reijcimus: ſed his non ea miſcemus, q̄ non Apocalypſim, ſed hiſtoriam conſcribamus.

[Margin:] QVALEM SE DEI GENITRIX OSTENDERIT IN PASSIONE. *b Die ... Auguſti. c Marc. 15.*

XLI. *d Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 19.* CVR IN NOVVM SEPVLCHRVM POSITVS IESVS.

Ioſephus igitur accepto corpore IESV, ſepulturã[d] eius vna cum Nicodemo diligenter curauit more Iudæorum, nẽpe mixtura myrrhæ & aloës; ac ſindone inuolutum poſuit in monumento ſuo nouo. Siquidem damnatorũ cadauera (vt conſtat ex compendio Thalmud, quod dicitur Alphesi, & Rabbinis Iacob Turim & Moſe Ægyptio) vetita erant inferri in ſepulchra cæteris cõmunia, ſed in priuata ſeorſum ab aliis erant ponenda: pariterq; ſeparatim ſepelienda inſtrumenta illa quib. mors illata fuiſſet nẽpe cruces, clauos, enſes, lapides, pro mortis genere quo quis affectus eſſet: eaq; ratione vetitum pariter fuiſſe tradunt, aliquem ſuffigi arbori, ſed ex ligno exciſo iuberi componi crucem. Poſt hæc tradũt Euangeliſtæ, Principes Sacerdotum annuente Pilato ſepulchrum Chriſti ſigillis munijſſe, militeſque ad cuſtodiam poſuiſſe, ne diſcipuli eius corpus auferrent, & reſurrexiſſe falſo iactitarent. Addit vero Nicephorus[e] ex antiquorum traditione adhibita inſuper ſepulchro fuiſſe quædam ferramenta, quibus adeo ſepulchri operculum lapideum inferiori petræ (in petra enim exciſum fuiſſe, etiam Euangeliſtæ teſtantur) connecteretur, vt nullo modo niſi magna vi & arte adhibita remoueri poſſet. Quibus conſentientia ſcribens Beda,[f] teſtatur etiam ſuis temporib. illum ſuperpoſitum lapidem monſtraſſe veſtigia ferreorum vinculorum.

DE CVSTODIA ET MVNITIONE SEPVLCHRI. *e Nice. l. 1. 32. f Bed. de loc. Sanct. c. 2.*

XLII. INSTRVMENTA PASSIONIS, CONSERVATA.

Cæterum remanſerunt omnia illa Paſſionis Chriſti atque Sepulchri inſtrumenta, ipſaq; loca vbi hæc facta ſunt, tantæ rei digna memoria conſecrata, velut quędã trophęa victoriæ, eademq; facta toto Orbi conſpicua atq; proficua, ex quibus velut è perennibus quibuſdam fontibus fluenta gratiarum atq; miraculorum erupérint. Ipſas enim *Spinas* Coronæ IESV, *Columnam* ad quam alligatus eſt

cum

cum flagellis cæderetur, *Arundinem*, atque *Spongiam* qua fuit aceto potatus: magna fuiſſe diligentia aſſeruata, tradunt Gregorius g Turonenſis & Beda h. *Tunicam* item inconſutilem à Chriſtianis redemptã, & conſeruatã, auctor eſt idẽ Gregorius i. Et *Sudarium*, quo caput Domini eſt inuolutum in ſepulchro, diuina virtute ab incendio illæſum conſeruatum, translatum eſſe ad poſteros, Beda k teſtatur. Porro ab hoc diuerſum *Sudarium* illud exiſtimatur, quod à Berenice faciei Domini ſanguine & ſudore aſperſæ admotum, ejuſdem Dominici vultus effigiem in ſe retinuit, ſicut habet Chriſtiana traditio, & teſtatur libellus manuſcriptus de translatione eius Romam facta, qui aſſeruatur in Vaticana Bibliotheca: de qua etiã Berenice, quæ & *Veronica* dicta habetur, deq; eadẽ Chriſti Imagine velo excepta, meminit Methodius l Epiſcopus antiquus Chronographus. Permanſit pariter hactenus integra Sanctiſſima *Sindon* illa, quæ corporis Domini delibuta vnguento, in ſepulchro poſita fuit veluti operimentum & ſtratum: quæ & in ſe Imaginem in ſepulchro Domini iacentis expreſſit, aſſeruaturque ſummo honore in Eccleſia Taurinenſi. Sed quid de ipſa Sanctiſſima Cruce dicam? quæ (vt ait Sanctus m Paulinus) in materia inſenſata vim viuam tenens, ita innumeris pene quotidie hominum votis lignum ſuum cõmodat, vt detrimenta non ſentiat, & quaſi intacta permaneat, quotidie diuidua ſumentibus & ſemper tota venerantibus. Ex qua diuinitus ei impartita multiplicatione factum eſt (quod iã olim mirabatur Cyrillus n Hieroſolymitanus Epiſcopus) vt eius ligno vniuerſus terrarum Orbis per partes repletus ſit. *Terram* denique ipſam quæ ſepulchro adiacet, diuinam quandam ex Dominico corpore virtutem hauſiſſe, & Fideles illuc peregrinantes auide cõſueuiſſe accipere, eademq; ad morbos curandos, ac dæmones profugandos vti, teſtis eſt locuples S. Auguſtinus o, necnon Gregorius p Turonenſis. At de his modo ſatis.

g Greg. Tu. de glo. mar. cap. 2.
h Bed. de loc. Sanct. cap. 20.
i cap. 8.
k cap. 5.
l ap. Marca. Sco. in Chr. an. Do. 39.
m Paul. ep. 11. ad Seuer.
DE CRVCE, ET TERRA SEPVLCHRI.
n Cyril. catec. 4. 10. 13.
o Au. 12. de ciuit. 8.
p Tur. de gl. mar. c. 7.

XLIII. DE ANNO CHRISTI PASSIONIS.

Iam reliquum eſt, vt quod de anno ætatis quo paſſus eſt Dominus, & ipſo tempore Paſſionis, diuerſæ admodum reperiantur ſententiæ, de iis breuiter perquiramus. Ac primum de eo quidam agentes, exorbitarunt abſurde nimis cum putarunt Dominum quadraginta ſex annorũ ætate paſſum eſſe, ea tantum ratione quia dictum eſt à Iudæis q, per totidem annos ędificatum eſſe templum, quod Dominici corporis habebat imaginem. Recitat hanc opinionem, refellitque Auguſtinus r. Alii vero, quod Iudæi Domino dixerint ſ, *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti?* eum poſt annum quinquageſimum paſſum eſſe voluerunt. Quod quidẽ licet ita ſcriptum inueniatur apud Irenæum t, quod tamen ab eo ſit creditum negamus omnino, cum ipſe eodem capitulo ſuperius dicat Dominũ baptizatum eſſe cum eſſet annorũ triginta, ac ſubinde numeret tria Paſchata; quorũ tertio paſſũ affirmat. Fuit præterea Tertulliani u opinio, Chriſtũ obijſſe anno ætatis trigeſimo, Coſſ. Rubellio & Fuſio Geminis, qui reperiuntur iniiſſe Conſulatum anno decimo quinto Tiberii Imperatoris; quamuis huius ſententiæ nõ Tertullianus, ſed prim⁹ aſſertor videatur fuiſſe Valentinus hæreſiarcha x. Complures autem antiquorum legentes apud Tertullianum, his Coſſ. conſignatum eſſe annum Paſſionis Chriſti, aperta in hunc modum ſemel erroris viã, & ipſi in eundem lapidem offenderunt nobiles alioquin ſcriptores, & ſpectatiſſimi in Eccleſia Dei, nimirum Iulius y Africanus, Lactantius z, Hieronym. a, Aug. b Seuerus c. Clemens d autẽ Alexandrinus, trigeſimo impleto anno Chriſtum paſſum tradit: itemque Philaſtrius e, vixiſſe vno & triginta annis: Et Gaudentius f Brixianus, anno tantum poſt baptiſmum docuiſſe; quod & Gnoſtici g olim affirmarunt: Apollinaris h veræ Laodicenus biennio: quẽ ſecuti videntur Cyrillus i Alexandrinus, & Caſſiodorus k. Hiſque proximus accedens Oroſius, l dum anno decimo ſeptimo Tiberii Chriſtum paſſum affirmat, ſuæ ſententiæ ſectatores habuit nõnullos ex recentioribus. At vero Epiphanius, m & alii plerique, id accidiſſe volunt anno ætatis Chriſti trigeſimo tertio per tres menſes inchoato. Sed cum eo potiſſimum innitantur fundamento, quod Dominus fuerit baptizatus ipſo trigeſimi anni exordio; cum in hoc errent, in cæteris quoq; deducendis annis errare non mirum eſt; cum alioquin & ipſi fateantur, quatuor Paſchata ab Euangeliſtis eſſe recenſita poſt baptiſmum Chriſti vſque ad ipſius Crucem. Denique cum nonniſi expleto anno ſuæ ætatis trigeſimo, & trigeſimo primo inchoato Chriſtum eſſe baptizatum ſatis ſuperius ſit demonſtratum, ſicque conſtet primum Paſcha incidiſſe in annum Domini trigeſimum primum, concludendum neceſſario erit vltimum, quo paſſus eſt, incurriſſe *in annum eius ætatis trigeſimum quartum inchoatum*; vt iam non amplius immorandum ſit in refellendis aliorum de ea re ſententiis.

q Ioan. 2.
r Aug. 2. de doctr. Chr. 28.
ſ Ioan. 8.
t Iren. lib. 2. cap. 39.
u Tert. aduerſ. Iu. c. 8.
x ap. Epiph. hær. 51.
y l. 5. de tem. ap. Hier. in Dan. 9.
z lib. 4. c. 10.
a in Dan. 9. & ep. 22.
b 18. de ciu. 54. & ep. 80. ad Heſych.
c lib. 2. hiſt.
d l. 1. Strom.
e de hæreſ. cap. 107.
f Tract. 3. de prima Domin. Paſch.
g ap. Ire. l. 2. cap. 28.
h ap. Hier. in Dan. 9.
i in Iſa. 3.
k in Chr. 8.
l lib. 7. c. 4.
m hær. 51.

XLVI. VERA SENTENTIA DE ANNIS CHRISTI.

Noſtræ vero nequaquam (prout multi exiſtimant) fuit Beda primus aſſertor, qui potius ſectator acceſſit, cum ei⁹ fuiſſe auctorem conſtet Ignatium, qui ipſum Chriſtum vidit in carne, dum ad Trallianos ſcribens aſſerit Dominum baptizatum eſſe expleto trigeſimo ætatis anno, & triennio prædicationis euoluto crucifixum. Quinimmo & hanc non tantum ſententiam, ſed fidem eſſe Eccleſiæ Catholicæ, eamdemque ſemper tenuiſſe Romanam & Apoſtolicam Eccleſiam (quod cæteris omnibus pręſtare debet auctoribus) idem ipſe Beda n diſerte teſtatur. Nec ab his diſcrepat (vt multi putant) quod idem alibi dicit o Chriſtum natum quadrageſimo ſecundo Auguſti anno, & decimo octauo Tiberij paſſum: nam numerando annos Auguſti à nece Cæſaris, & inchoando annorũ Chriſti numerum à Coſſ. Lentulo & Meſſalino (vt ſuo loco pluribus dictum eſt) æque inter ſe conſentiunt, Chriſtum paſſum anno ſuo ætatis trigeſimo tertio expleto & amplius trib. menſibus idque accidiſſe anno decimo octauo Tiberii Imperatoris. Denique vt rem paucis abſoluamus, quotquot dixerunt Chriſtum natum quadrageſimo ſecũdo Auguſti anno, ac paſſum decimo octauo Tiberij (quorum eſt ingens numerus) huic noſtræ ſententiæ æque conſentiunt: cui pariter aſſentiuntur Marianus Scotus, qui ante quingentos annos vixit nobilis Chronographus, atq; Victorinus; nec non ex Græcis p, Chryſoſtomus, q Nicetas, Cedrenus, & alii. Videas & perbelle his reſpondere ab Hieronymo r aſſertam Chronographiam, dum ait à Paſſione Domini vſque ad ſecundum Neronis Imperat. annum, quo Paulus Romã miſſus eſt, annos excurriſſe viginti quinque: ruſumq; numerat ab eadem Paſſione Domini vſq; ad eiuſdem Neronis annum decimum quartum annos triginta ſeptem. Quamuis & hanc Chronographiam Romanæ potius Eccleſiæ, quam ipſius Hieronymi eſſe dixerimus ſ; quandoquidem ipſe, vt vidimus, Dominum paſſum dixerit anno trigeſimo Romanæ autem Eccleſiæ tradita eſt haud dubium ab Apoſtolorum Principibus, quorum eam S. Irenæus vocat locuples depoſitorium, in quod illi omnia quæ ſunt doctrinæ & traditionum intulerint. Ex his etiam apprime redarguas auctorem prolixæ illius diſputationis editæ nuper Græcii in Styria; qua præſumpta nunc temere poſt tot ſæcula nouitate, aſſeruit Chriſtum paſſum eſſe anno ætatis trigeſimo ſexto; reuocare conatus ſententiam Theophili Cæſarienſis & collegarum Epiſcoporũ, ſi quæ forte aliquando eiuſmodi fuit? quandoquidem Synodalia illa Acta deprauata etiam in aliquo eſſe, eius quoque aſſertione monſtrantur: cum & alioqui nec Victor Papa (cuius ipſe vult auctoritate niti) aliquid ex ea Synodo firmaſſe reperiatur, præter quod ſtatutum eſt de Paſcha non ritu Iudaico celebrando; & Catholica ipſa Sancta Eccleſia ſententiam eiuſmodi ſemper reiecerit.

n Bed. de temp. c. 45.
o Id. de ſex ætat.
p Euſeb. in Chron.
q Ser. de Io. Bapt.
r Hier. de Script. Eccl. c. 5. in Paul.
ſ Tert. in Paſc.

XLV. QVO MENSE ET DIE CHRISTVS SIT PASSVS.

De Menſe vero quo paſſus eſt Chriſtus, fere omnium fuit ſententia eſſe menſem Martij, pauciſſimorum mẽſem Aprilis. Sed quota potiſſimum die menſis Martij? Quãuis antiquorum nonnulli vigeſimam quintam dixerint, tamen cum tabulæ aſtronomicæ non his æque conſentiant, eædemq; admodum inter ſe diuerſæ tradantur; viri harum facultatum conſultiſſimi, deſperatione penitus ſuperati rem inabſolutam reliquere. Si vero conſulatur antiquitas, reperimus in Concilio Cæſarienſi t ſub Theophilo eius ciuitatis Epiſcopo tempore Victoris Romani Pontificis, paſſum Dominum ab vndecimo Calendas Aprilis, qua nocte à Iudæis traditus eſt, & ſeptimo Calendas reſurrexiſſe qua ratione dicendus eſſet paſſus nono

t Ext. ap. Bed. in fin. l. de æquin. vernal.

Calendas Aprilis. De die vero hebdomadis, exploratum eſt omnibus, & Euangelii auctoritate firmatum, fuiſſe eam quam Iudæi Sextam Sabbati, Gentiles diem Veneris, Chriſtiani Græci Paraſceuen, Latini Sextam Feriam dicere conſueuere.

XLVI. De hora passionis.

Sed & de Hora, Euangeliſtarum [u] teſtimonio certum habetur, Dominum fuiſſe crucifixũ ante horam ſextam: nam poſtquam affixus eſt, ab hora ſexta vſque ad horam nonam factæ ſunt tenebræ. Quod autem Marcus ait, crucifixum Chriſtum hora tertia, Ioannes vero ſcribit fuiſſe horam quaſi ſextam cum in eum Pilatus eſſet laturus ſententiam; complures tam antiquorum quam recentiorum in his conciliandis deſudaſſe cognouimus. Sed vt quænam magis nobis ſententia probetur, aperiamus; in primis dicimus, ſicut noctem in quatuor vigilias, ita diem in quatuor Horas, vel partes, ſeu ſtationes æquales, tam apud Romanos [x], quam Iudæos diuidi conſueuiſſe. **Diviſio diei ſecundum Iudæos.** Verum quia & iſtud diuerſam recipit interpretationem, dum alii diuidunt in hunc modum, vt à diluculo vſq; ad horam diei tertiam incluſiue, diceretur *hora Prima*; à tertia vſq; ad horam diei ſextam, diceretur *Tertia*, eo quod à tertia initium ſumpſiſſet; pariterque à ſexta vſque ad nonam, *Sexta*; & à nona vſque ad Solis occaſum, *Nona* ſeu *Veſpera* alij vero non à principio, ſed à fine eaſdem nomen accepiſſe volunt, ita vt prima pars diei à mane vſque ad horam tertiam producta, Tertia appellaretur; ſecunda ad ſextam diei horam perueniens, Sexta nominaretur; tertia ad horam nonam deducta, Nona diceretur; ac demum quarta vſque ad noctem durans, Veſpera nuncuparetur: Nos huic poſteriori ſententiæ vt veriori inhærentes, eamdem & Petri [z] Apoſtoli auctoritate firmamus, dum excuſat diſcipulos Chriſti non eſſe ebrios, eo quod eſſet hora diei Tertia. Sane quidem ſi (vt illi alij volunt) hora Tertia produceba tur vſque ad Sextam; quid adeo inuſitatum ſignificaſſet Petrus, illos non eſſe ebrios eo quod eſſet hora diei Tertia, cum iam pranſos eſſe ea hora potuiſſe, non ſit dubium: Quod igitur Ioannes ait, fuiſſe horam quaſi ſextam, cum Pilatus in Chriſtum ſententiam dicturus eſſet; ſic accipiendum eſt, vt vltima hora primæ partis diei, quæ Tertia dicta eſt, iam cœpta eſſet, & proxime inchoanda foret ſecunda pars diei, quæ ſexta eſt nominata. Cum vero paulo poſt ſententiam Pilati Dominus cruci affixus fuerit, non eſt abſurdum ſi quod horæ Tertiæ proximum erat, Marcus tribuerit ipſi horæ Tertiæ: itemque ſi quod idem Marcus ait tenebras factas eſſe hora Sexta, Lucas dixerit accidiſſe fere hora Sexta, cum id loquendi vſus obtinuerit. Nec quis, puto, dixerit ſcrupuloſa quadam circumſcriptione per ſingulos ſuos punctos enumeratas horas Euangeliſtas diſtinguere voluiſſe; ſed potius communi quadam loquendi conſuetudine, prout ſæpe alias in deſcriptione temporum feciſſe videntur. Qua etiam ratione Ignatius [a], qui eodem vixit tempore, ait Chriſtum hora Tertia ſententiam à Pilato accepiſſe, Sexta crucifixum eſſe, Nona expiraſſe, ante Solis occaſum ſepultum eſſe.

XLVII. De ieiuniis ob Chriſti paſſionem ſuſceptis.

Porro dictæ Horæ egregiis Domini operibus conſecratæ, ab Apoſtolis obſeruatæ, ad poſteros ſacris precum officiis tranſmiſſæ noſcuntur; vt dicetur alias fuſius. Et quod inſuper ad ritus Chriſtianæ religionis pertinet; conſtat quidem Sanctam ipſam totam Hebdomadam (quam *Maiorem* ob grandia in ea operata myſteria, ſiue *Pœnoſam* ob Chriſti dolores in ea perlatos, maiores noſtri dicere conſueuerunt) magna cum abſtinentia & carnis afflictione, eoſdem maiores noſtros ex traditione Apoſtolica tranſigere ſolitos eſſe: ſicut & feriam quartam & ſextam cuiuſque hebdomadæ totius anni, quod in illa de morte Chriſti ſit initum concilium, in iſta fuerit affixus Cruci: vt horum omnium locupletiſſimus eſt inter alios teſtis Epiphanius [b]: In tantum vt de eodem ieiunio Maioris hebdomadæ aſſerat Dionyſius [c] Epiſcopus Alexandrinus, nonnullos Fideles totos ipſos ſex hebdomadæ dies, alios vero duos, alios tres, alios quatuor, ieiunos tranſigere ſolitos. De *quarta* vero & *ſexta feria* cuiuſque hebdomadæ, præter Apoſtolicum [d] canonem, & Clementis [e] Romani nomine editam Conſtitutionem, habentur etiam expreſſa teſtimonia Ignatii [f], Clementis [g] Alexandrini, Origenis [h], Tertulliani [i], Auguſtini [k], Petri [l] atque Cyrilli [m] Alexandrinorum, & quem diximus Epiphanii, aliorumque. **Ritus condendi corpora.** Quod autem ieiunabant etiã Phariſæi bis in Sabbato, ſiue in hebdomada; illi alia ratione, aliiſque diebus, nimirum [n] ſecunda & quinta id obſeruabant: quemadmodum & Manichæi [o] die quem dicunt Solis, & qui ſequitur Lunæ. Sed ad hiſtoriam Euangelicam redeamus.

XLVIII.

Cum tranſiſſet Sabbatum, tres Mariæ [p], Magdalene, Iacobi, & Salome, aliæque [q] mulieres quæ cum Chriſto venerant de Galilæa, & ſolitæ erant [r] miniſtrare ei de facultatibus ſuis; emerunt aromata, & venerunt omnes ſimul, (non, vt aliqui putarunt, diuerſæ diuerſis temporibus) ad monumentum, vt iterum Ieſum vngerent. Quod enim condire aromatibus corpora defunctorum, ab Ægyptijs Iudæi eſſent mutuati, illique per quadraginta dies eiuſmodi vnctiones iterare conſueuiſſent, (qua arte ita ſiccabant cadauera, vt quaſi ænea redderentur, quæ & ſingula ſua *Gabaras* [u] appellabant) hinc non ſatis fuit his fœminis Hebræis, vnctum ſemel fuiſſe corpus Ieſu; quin & vt iterum vngerent ad ſepulchrum properarunt: ſed cum eo perueniſſent, terræ motus factus eſt magnus, quod Angelus deſcendiſſet de cœlo, & reuoluiſſet lapidem ſepulchri Domini. Hæc pluribus Matthæus [x] & Marcus [y] Lucas: [z] vero duos tradit apparuiſſe Angelos: ſed non ob id quod quæ alii tacuerunt vnus expreſſerit, contrarij inter ſe fuiſſe dicendi ſunt.

XLIX. Qua hora mulieres venerint ad ſepulchrum.

At vero multum ijdem tum inter ſe, tum etiam cum Ioanne [a] pugnare videntur, dum Matthæus ait dictas mulieres veniſſe ad monumentum *Veſpere Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbati*; Marcus, *Valde mane orto iam ſole*; Lucas, *Valde diluculo*; Ioannes, *Mane cum adhuc eſſent tenebræ*. **Quid ſit apud Mat. Veſpere Sabbati.** Cæterum verba Matthæi, quæ plus habent difficultatis, variam à variis accepere interpretationem. Plurimos autem Eccleſiaſticos Scriptores in ea ſententia fuiſſe reperimus, vt per VESPERAM SABBATI nox ipſa intelligeretur. Sic enim Dionyſius [b] Alexandrinus, Gregorius [c] Nyſſenus, Auguſtinus [d], Cyrillus [e] Alexandrinus, Sexta [f] Synodus, Euthymius, Theophylactus, & alij recẽtiores intellexerunt: eamdemque interpretationem probat [g] Ambroſius ac nos amplectimur. [h] Nec enim dubium eſt, quin idem Matthæus quod cæteri Euangeliſtæ dicere voluerit: Cæteri vero, nulla de Veſpere facta mentione, mulieres mane ad monumentum veniſſe dicunt. Quare cum Veſperam Sabbati Matthæus vocat, non veſpertinum tempus quod inter diem & noctem eſt, ſed totam noctem intelligit, in cuius extrema parte, hoc eſt mane iam luceſcente, mulieres ad ſepulchrum veniſſe dicit. Solẽt enim Hebræi (quo idiomate Matthæus ſcripſit) nõ ſolum Veſpertinum tempus, ſed totam etiam noctem, *Veſperam* appellare; cuius rei primum Geneſis caput multa exempla ſuppeditabit. Sed & ſimilem huic dicendi vſum ſæpe diuinam Scripturam vſurpare, vt Veſperam accipiat non pro vltima diei parte, ſed pro eo quod nouiſſimum tempus dicimus; Hieronymus [i], eodem modo hunc Matthæi locum interpretatus, demonſtrat. Porro cæterorum inter ſe Euangeliſtarum apparens repugnantia, ita facile conciliatur; vt mulieres ſummo diluculo iter arripuerint, orto vero iam Sole ad monumentum peruenerint; quemadmodum idem qui ſupra Dionyſius Alexandrinus interpretatur: aut, vt orto, id eſt oriente iam Sole ad ſepulchrum peruenerint. Oriri enim Sol dicitur, non ſolum cum ſolare corpus ſupra terram apparet, ſed etiam cum eius radiis noctis tenebras diſpulerunt, vt Auguſtinus [k], Euthymius, Beda, Theophylactus, & Lyranus exponunt.

L. De reſurrectionis tempore.

Cæterum cum iidem omnes Euangeliſtæ teſtentur ea nocte Dominum reſurrexiſſe, tamen id ante noctis dimidium accidiſſe aſſerere velle, temerarium admodum antiquiores Patres exiſtimarunt. Media vero nocte contigiſſe, & prædictus Dionyſius Alexandrinus ſignificat, & in hoc conſenſiſſe cæteros Græcorum auctores teſtatur Euthymius [l], idque ipſum Hieronymus [m] diſputando affirmat.

firmat. Sed quod idem Dionyſius agens de ieiunio Sabbati, quod ſoluere non licebat olim niſi tranſacto mœroris tempore quo Dominus reſurrexiſſe crederetur, addit Romanam Eccleſiam ea in re gallicinium expectare; id non ſic accipiendum eſt, vt ea potiſſimum hora Dominum ſurrexiſſe Romana Eccleſia profeſſa ſit ſed quod à media nocte dies ſit ſolita numerare; prout & Orientales facere conſueuiſſe canon Sextæ [n] Synodi indicat, & in eum Theodorus. Namque ipſa Romana Eccleſia in ſacro hymno Eccleſiaſticis officiis Paſchali tempore cantari ſolito, qui incipit, *Aurora lucis rutilat*, & in antiquo Rituali, qui *Ordo Romanus* inſcribitur, abſque aliqua ambiguitate profiteri videtur Dominum ſurrexiſſe diluculo: idque ipſum Marcus [o] Euangeliſta expreſſè teſtari videtur, cũ ait; *Surgens autem* IESVS *mane prima Sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ*: licet qui de media nocte id firmare conati ſunt, diuerſa interpunctione legi voluerint, *Surgens autem, mane prima Sabbati apparuit*, &c. Verum germanam eſſe priorem lectionem Sanctus Ignatius [p] qui eodem vixit tempore, omnino perſuadet, dum ait, illuceſcente Dominico die Chriſtum ſurrexiſſe è mortuis, idemque Auguſtinus [q] profitetur, & alii quamplurimi.

n can. 90. Sext. Syn.
o Mar. 16.
p Ign. ep. ad Tral.
q Aug. in pſal. 58. ad fin. & li. 4. de Trin.

LI. r Matt. 12. DE TRIBVS DIEBVS SEPVLCHRI DOMINI.

Quomodo vero ſecundum Domini [r] ſententiam, ſicut Ionas in ventre ceti, ita ipſe Dominus *tribus diebus & tribus noctibus fuerit in ſepulchro*, quæritur. Et quidem de tribus diebus ſolutam habes ab eodem Ignatio quæſtionem; nimirum quod veſpere feriæ ſextæ, toto Sabbato, & parte diei Dominici illic manſerit: quod & apud omnes tam antiquos quam recentiores Eccleſiaſticos ſcriptores eſt in confeſſo. Sed quod ad tres noctes ſpectat; cum plures de ea re ſcripſerint, & alii alias diuerſaſque rationes, nonnulli etiam valde inſulſas inierint; inter antiquos Iſidorus Peluſiota S. Ioannis Chryſoſtomi diſcipulus, clariſſimuſque ſuorum temporum ſcriptor, de eadem quæſtione iterum conſultus ac copioſius diſſerens [s], in primis declarat, loquendi vſu frequenter accidere, vt quod vel extrema alicuius diei hora contigerit, id ea die factum deſcribatur: hacque ratione ſic ſtabilita, vult Dominum ex tribus diebus medium tam die quam nocte integrum abſoluiſſe, ex duobus vero extremis tam diem quam noctem participaſſe. Qua quidem in re nulla erit difficultas, ſi ſecundum Hebræorum communem vſum, qui à media nocte diem auſpicabantur & in ſequentem mediam noctem producebant, diem accipiamus: ſiquidem mediæ diei noctem integram, extremorum autem dierum ſingulorum noctem mediam numerabimus; dierum vero, primæ dimidium, ſecundæ integrum, tertiæ diluculum quo Dominum ſurrexiſſe diximus. Deinde idem Iſidorus, ad tollendam de tribus diebus expletis obiectionem, tertia vtique die, non poſt tres dies ſe fore reſurrecturum, Dominum prædixiſſe docet teſtimonio Matthæi [t], Lucæ, & Ioannis; licet Marcus [u] vſitato loquendi more, quod faciendum eſſet tertia die id poſt tres dies, nimirum inchoatos, agendum dixerit. Sed hæc ſatis ad inſtitutum.

s Iſid. Peluſ. l. ep. 114. & 212.
t Matth. 16. Luc. 9. Ioan. 2.
u Marc. 8.

LII. DE DIE DOMINICA.

Porro in Reſurrectionis Dominicæ memoriã, ac gratiarum actionem, ipſa dies qua id accidit, DOMINICA eſt appellata, non ab aliis quam ab ipſis Apoſtolis: Nam & Ioannes [x] Euangeliſta de eadem die ſic dicta meminit, itemque Ignatius [y], & alii temporibus Apoſtolorum proximi; eamdemque celebrandam ſtatuerunt, non anniuerſario reuoluto tantum menſium orbe, ſed cuiuslibet hedomadis eadem prima recurrente die. At de ea rurſum inferius: nunc hiſtoriam proſequamur.

x Apocal. 1.
y Ign. ep. ad Magneſ.

LIII. z Mar. 16. CHRISTVS PRIVS PETRO QVAM CÆTERIS APOSTOLIS APPARVIT.

Cum igitur reſurrexiſſet Dominus, & ea de re Angelus admonuiſſet mulieres quæ venerãt ad ſepulchrum, inſuper addidit [z] vt irent & renunciarent diſcipulis eius, & Petro. Porro PETRVM præcipue nominaſſe exiſtimatur, tũ ob primatum quem inter cæteros fuerat à Domino conſecutus, tum vero vt eum mœrore proſtratum erigeret. Quantumlibet enim Chriſtum Petrus negaſſet, non tamen ob eam cauſam à primatu excidiſſe, tum multis poſtea aliis modis, tum in ipſa reſurrectione Chriſtus demonſtrauit, quod prius ipſi quam cuipiam Apoſtolorum apparuerit, vt teſtimonio Pauli [a] Apoſtoli affirmari poſſe videtur, & pro conſtanti Ambroſius [b] habuit. Cæterum quãuis non omnia quæ à Chriſto ſunt geſta Euangeliſtæ ſcripſerint; tamen vetus traditio per manus maiorum ad poſteros dilapſa teſtatur, eumdem Dominum noſtrum apparuiſſe primum omnium Sanctiſſimæ ſuæ Genitrici MARIÆ: quod nemo pius negarit. Sed & eodem fere tempore apparuiſſe Iacobo Apoſtolo cognomento *Iuſto*, qui frater ipſius dictus eſt; & quod idem iuraſſet ſe non comeſturum ab illa hora qua in vltima cœna biberat calicem Domini, donec videret eum reſurrexiſſe, panem ei ad manducandum obtuliſſe; ex Euangelio Matthæi quo Nazaræi vtebantur, tradit Hieronymus [c].

a 1. Cor. 15.
b Ambr. 10. in Luc. cap. 24.
CHRISTI PRIMVS OMNIVM MATRI SVÆ.
c Hier. de ſcrip. Eccl. in Iacob.

LIV. d Ioan. 20. PETRVS ET IOANNES AD MONVMENTVM.

Addit poſt hæc Ioannes [d] Euangeliſta narrationem de acceſſu ipſius Ioannis vna cum Petro ad monumentum, deque apparitione facta à Domino Mariæ Magdalenæ in forma hortulani. Quam quidem apparitionem, cum ex eiuſdem relatione Ioannis conſtet factam eſſe, in monumento; primumque omnium Magdalenæ Dominum apparuiſſe, teſtetur Marcus [e]: plane certum redditur, hanc apparitionem fuiſſe diſtinctam ab ea, quam Matthæus [f] ſcribit factam eidem Magdalenæ cum aliis mulieribus; & ex eadem ſatis liquet, illas iam ſecundo ad ſepulchrum rediiſſe. Porro ad elucidationem rerum geſtarum in monumento, ſciendum eſt [g] fuiſſe in parte Occidentali Caluariæ montis peramplam ſpeluncam in petra exciſam in modum veſtibuli quæ aliam intus contineret ſpecum, rurſumque intra eum exciſum fuiſſe ſepulchrum Domini.

e Mar. 16.
f Matt. 28.
g Vid. Cyr. Hieroſ. catec. 14. Bed. de loc. San. ca. 2. Burc. de loc. Sanct.
SITVS SEPVLCHRI DOMINI.

Quod ergo Ioannes de ſeipſo dicit, primum veniſſe ad monumentum ſed non introiſſe; verum cum ſe inclinaſſet, vidiſſe linteamina; ſic accipias, ipſum in ſpeluncam primam ingreſſum ad ſecundam perueniſſe, ſed in eam non introiſſe, verum ex oſtio illius inſpexiſſe, & ſepulchrum Domini deorſum poſitum, quod tribus tantum palmis à pauimento altius exciſum erat, inclinatum intuitum eſſe. Ex his inſuper facile quis accipiet quid ſit quod dicunt Euangeliſtæ, mulieres ingreſſas eſſe in monumentum, & ab Angelo ductas eſſe in locum vbi poſitus fuerat Dominus: Quid ſit inſuper quod addit Ioannes, Mariam ſteriſſe ad monumentum foris plorantem & dum fleret proſpexiſſe in monumentum.

LV. h Matth. 28.

Subiicit poſt hæc Matthæus [h] de militibus quibus concredita fuerat cuſtodia ſepulchri, quod à Principibus Sacerdotum pecunia corrupti, vocem in populo ſparſerint Chriſtum minime reſurrexiſſe, ſed à diſcipulis ſuis furtim ſublatum fuiſſe. Hæc vero deſcribit vberius ex vetuſtioribus monumentis Mataphraſtes [i] in Rebus geſtis Sancti Longini Centurionis, quem vidimus conuerſum in morte Chriſti: aitque, cum eidem Centurioni rurſum à Pilato demandata eſſet cuſtodia ſepulchri, ipſum viſis miraculis quæ in Reſurrectione Domini facta eſſent, non vt cæteros milites pecunia corrumpi paſſum eſſe, ſed libere quæ geſta eſſent prædicaſſe; ac frementibus ea de cauſa aduerſus eum Principibus Sacerdotum, ipſoque Pilato, eumdem depoſito militiæ cingulo veniſſe in Cappadociam; & cum vbiq; Chriſtum prædicaret, agentibus apud Tiberium Iudæis, iuſſum à Pilato teneri, capite truncatum eſſe vna cum duobus militibus eiuſdem cum ipſo fidei. Hæc pluribus Metaphraſtes. Refert præterea [k] Turonenſis (ex Actis, vt ait, Pilati ad Tiberium Romam tranſmiſſis) de Ioſeph ab Arimathia, quod à Iudæis in carcerem coniectus ob pia officia Chriſto exhibita, eadem nocte qua Dominus reſurrexit, & ipſe ab Angelo liberatus ſit, muris carceris in ſublime ſuſpenſis, & cum ipſe exiiſſet rurſum in locum ſuum reſtitutis. Sed horum fides ſit penes auctores.

i Metaphr. & Sur. die 15. Mar.
DE LONGINO CENTVRIONE.
k Greg. Tur. l. hiſt. 21.
DE IOSEPH AB ARIMATHIA.

LVI. l Mar. 16. Luc. 24. DE DVOBVS DISCIPVLIS EVNTIBVS EMAVNTEM.

Rurſus eadem ſuæ Reſurrectionis die Dominus [l] duobus diſcipulis euntibus Emauntem apparuit vultu diuerſo, ſed ab eis agnitus eſt in fractione panis. Cæterum Caſtellum Emauntẽ nobile fuiſſe olim oppidum conſtat, ſed ob cæſos illic Romanos milites, haud multo ante à Varo Syriæ Præſide crematum [m] eſſe: quæ poſtea Nicopolis appellata, nobilis extitit ciuitas Palæſtinæ. Meminit

m Ioſeph. 17 ant. 12.

vero Sozomen.[n] de fonte apud Emauntem, qui è Chriſti pedibus in eo quondam ablutis virtutem medicam eſt cõſecutus. Et quamquam Ioſephus[o] id naturali aquarum virtuti, potius quam miraculo tribuere videatur; tamen cum Plinius[p] teſtetur Emauntem pluribus fontibus fuiſſe irriguum, in aliquo ipſorum ab alus diuerſo, quod Scribit Sozomenus facile contingere potuit.

n Sozom. 5. c. 9. 20. — DE FONTE EMAVNTIS. — o Ioſ. 4. de bel. — p Plin. 5. hiſt. 14

LVII. ALIA DOMINI MANIFESTATIO.

Porro cum duo illi diſcipuli eadem hora Emaunte regreſſi Hieroſ. lymam, quod Dominum vidiſſent Apoſtolis nunciarent, hique viciſſim certiores eoſdem redderent apparuiſſe Dominum Petro; dum de his inter ſe loquerẽtur, aſtitit Ieſus in medio eorum, & cõterritos ac dubitantes tactu corporis ſui firmauit. Narrat hæc pluribus Lucas[q]. Eamdem vero eſſe iſtam manifeſtationem cum illa, quã Ioannes[r] accidiſſe ait cum fores eſſent clauſæ, ſatis colligitur ex vtriuſque textus collatione. Sed quod ſubdit Lucas de Domino, quod appoſitum ſibi cibum manducauit, & quæ verba Domini refert; ea in nouiſſima omnium manifeſtatione contigiſſe, ex eo facile intelligitur, quo tunc à Domino admoniti ſunt ne recederent Hieroſolymis, ſed illic expectarent promiſſum Spiritum ſanctum, hac vero prima die, ab Angelo[s] per mulieres iuſſi ſunt in Galilæam proficiſci; ſicque poſt ipſorum reditum ex Galilæa Hieroſolymam, ea facta eſſe neceſſe eſt affirmare. Cæterum auctor eſt Ioannes[t], in iſta priori, quam narrare incepimus, manifeſtatione Apoſtolis ſimul ac diſcipulis facta, Dominum iiſdem MISSIONEM impertiiſſe; & per inſufflationis viſibile ſignum, Spiritum Sanctum largitum eſſe, vna cum poteſtate dimittendi & retinendi peccata. Quod vero Thomam vnum ex Apoſtolis haud tunc cum aliis fuiſſe Ioannes ait; collatæ tamen à Chriſto gratiæ æque factum eſſe participem nemo dubitauerit, qui recogitet quod olim factum eſt[u] in Heldad & Medad; qui licet cum cæteris ſeptuaginta præſentes non eſſent quando eos Deus imbuit ſpiritu prophetandi, tamen quod ſemel ſcripto fuiſſent inter alios recenſiti, eiuſdem gratiæ participes ſunt facti. Cum & alioquin eidem quoque Thomæ vna cum cæteris diſcipulis poſt dies octo Dominum apparuiſſe, ac titubantem confirmaſſe, teſtis ſit idem Ioannes. Quod autem ſpectat ad inuiſibilem illam gratiam, viſibili ſigno à Domino Apoſtolis atque Diſcipulis collatam; eamdem vniuerſis etiam qui iiſdem legitima ordinatione in poſterum ſucceſſuri eſſent vſque ad conſummationem ſæculi, æque eſſe tributam, docent abunde omnes Orthodoxi Patres tam Græci quam Latini: nulluſque eſt qui id negare poſſit, niſi qui vna cum Apoſtolis atque Diſcipulis extinctis, funditus Eccleſiam periiſſe, inſane nimis atque impie dicere auſus fuerit.

q Luc. 24. — r Ioan. 20. — s Matt. 28. — t Ioan. 20. — SPIRITVM S. IESVS SVIS IMPARTITVR. — u Num. 11. — POTESTAS PROPAGATA AD POSTEROS.

LVIII. APOSTOLI IN GALILÆAM.

Poſt hæc Apoſtoli, vt admoniti per mulieres ab Angelo fuerant, abierunt in Galilæam; non tamen confeſtim in illum montem, quem (vt ait Matthæus[x],) conſtituerat illis Ieſus. Nam cum Pauli[y] teſtimonio conſtet, illuc conueniſſe pluſquam quingentos fratres, haud facile fuit tot per Iudæam & Galilæam diſperſos Fideles admonere vt ad certam diem omnes vno loco ſiſterentur. Sed & ex iis, quæ Ioannes[z] ſcribit colligi poteſt Petrum, ac cæteros quos recenſet Apoſtolos, in Galilæam ad propria remeaſſe, donec omnes credentes colligerentur in vnum; tunc etiam (quod idem narrat Euangeliſta) ipſis piſcantibus ad mare Tiberiadis Dominum apparuiſſe; quam cum tertiam ordine apparitionem fuiſſe dicat, haud dubium ante illam in monte factam accidiſſe oportuit. Rem geſtam exacte admodum deſcribit idem Ioannes, poſtquam præcedenti capitulo finem impoſuiſſe videretur Euangelicæ ſcriptioni: vt appareat hæc eo conſilio addidiſſe, quod ea videret à cæteris prætermiſſa; magnique eſſet ponderis, non inuolendum ſilentio nobiliſſimam Chriſti actionem, qua Petro totius Vniuerſalis Eccleſiæ contulit præfecturam.

x Matt. 28. — y 1 Cor. 15. — z Ioan. 21.

LIX. PETRI PISCATIO.

Et quidem iam ipſa ea piſcatione typus quidam ac figura Petri primatus fuerat præſignata, dum ipſe primus piſcandi init conſilium, & piſcationem aggreditur: ac licet alii rete ſimul iactarent in mare, & ad littus traherent; educere tamen ex aquis in terram, Petri ſolius fuit opus. Verum apertius Dominus alia metaphora gregis atq; paſtoris, eumdem Vniuerſalẽ totius Eccleſiæ conſtituit eſſe paſtorem, dum agnos ſuos, & oues ei paſcendas commiſit. Sicut enim quæ cæteris Apoſtolis æque ac Petro contulit, & communia omnibus eſſe voluit, euidenter expreſſit, nimirum cum Sacerdotes[a] eos creauit, aut cum verbi prædicationem[b] & baptiſmi adminiſtrationem commiſit ſoluendique[c] atque ligandi, & dimittendi[d] atque retinendi peccata, poteſtatem contulit; ſiue cum dedit[e] illis intelligentiam Scripturarum: ita etiam quæ peculiaria voluit eſſe Petri, aperte ſignificauit; ſiue cum dixit, [f] *Tu vocaberis Cephas*; vel, [g] *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*; aut cum ſubdit, *Ego tibi dabo claues regni cœlorum*; ac denique cum eadem modo felicius adimplens, ait[h], *Paſce agnos meos, Paſce oues meas.* Vt non mireris; ſi eadem adhibita diſtinctione Patres aliquando dixerint, omnes Apoſtolos pari fuiſſe poteſtate, aliquando vero Petrum cæterorum caput & Principem: prout inter alios egregię interpretati ſunt Cyprianus[i], Optatus[k], atque Hieronymus[l]. Porro quemadmodum eſt Chriſti ouile vnum, eiuſdemque paſtor vnus; ſic ne extinctam eſſe cum Petro Chriſti Eccleſiam ac ſubinde gregem ſine paſtore, corpus ſine capite, ſine fundamento ſtructuram penitus remanſiſſe, ſtulte nimis æque ac impie dicere cum Ethnicis, cæteriſq; Chriſtianæ fidei hoſtibus compellamur; fateri neceſſe eſt eamdem ipſam collatam à Domino in Petrum ſummam omnium poteſtatem, in poſteros eius Cathedræ ſucceſſores eſſe deriuatam. Iſtud enim iam olim teſtati ſunt; non tantum iidem Cyprianus[m], Optatus[n], Hieronymus[o], ſed & ſæpiſſime Auguſtinus[p], ac ne in ſingulis commemorandis immoremur, id ipſum de Petro ac de Romanæ Eccleſiæ Pontificibus profeſſi ſunt, quotquot ab ipſo exordio naſcentis Eccleſiæ extiterunt noſtratum rerum Catholici tractatores; & quotquot etiam fuerunt vnquam ſacra Concilia in Spiritu Sancto legitime congregata, omnes denique Sancti, quorum vita eſt illuſtrata miraculis: prout tam alii quam plurimi aduerſus huius temporis hæreticos egregiis commentariis demonſtrarunt, tum in horum Annalium ſingulis fere annis recenſendis lector inueniet vbique teſtatum.

a Luc. 22. — b Marc. 16. — g Matt. 16. — h Ioan. 21. — PETRI PRIMATVS. — PATRI... PASTORALIS SVCCESSIO.

LX.

Poſt hæc ſequitur rerum ac temporum ordine celeberrima omnium manifeſtatio Domini, quam Matthæus[q] ait factam in Galilæa in monte, qui Thabor fuiſſe ab omnibus exiſtimatur: Eaque ipſa eſt cui Paulus[r] ait interfuiſſe pluſquam quingentos fratres. Quod autem idem addit, apparuiſſe poſt hæc Dominum Iacobo; nulla penitus ea de re apud Euangeliſtas habetur mentio: Eam vero, quam ex Euangelio Nazaræorum ſuperius diximus eidem Iacobo factam, contigiſſe volunt prima die Reſurrectionis Domini. Denique quod poſt hanc in monte Tabor manifeſtationem, apparuiſſe adhuc Dominum omnibus Apoſtolis, idem Paulus affirmat, proculdubio illam eſſe credimus omnium nouiſſimam, quæ à Marco[s] ac Luca[t] recenſetur facta cum Apoſtoli vna recumberent; licet ab aliis alio loco ponatur. Contigiſſe enim poſt reditum Apoſtolorum è Galilæa Hieroſolymam, ex Luca iam ſuperius oſtendimus. Porro hac ſua nouiſſima manifeſtatione, præter alia dona quæ Chriſtus ſuæ Eccleſiæ liberaliter contulit, duo ſuperaddidiſſe videtur; vnum a Marco poſitum *De operatione Miraculorum*; quæ communis omnibus in ipſum credentibus eſſe poſſet; alterum à Luca, *De diuinarum Scripturarum intelligentia* Apoſtolis tantum peculiariter data. Quæ quidem dona eo quod non niſi in Eccleſia Catholica reperiri, nec ab vllis qui foris ſunt vſurpari poſſint, merito DOTES Eccleſiæ ſunt à Patribus appellata; licet non ſingulis Fidelibus, aut Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus, vel ſemper ſint conceſſa.

q Matt. 28. — r 1 Cor. 15. — s Marc. 16. — t Luc. 24. — DOTES ECCLESIÆ.

LXI. ASCENSIO DOMINI.

Demum vero Dominus eductis (vt ſcribit Lucas[u]) Diſcipulis foras in Betaniam, eleuatis manibus benedixit eis, & aſcendit in cœlum. Hoc quippe ſignum,

vt Ele-

x Leuit. 9. RITVS BENEDICENDI. y Exod. 8.

vt Eleuatis manibus Benedictio traderetur, apud Hebræos in vſu fuiſſe apparet. Nam & Aaron legitur [x] extendens manum benedixiſſe populo. Diuini vero numinis imprecationem eo actu ſignificari ſolere, ſatis expreſſum habetur in Exodo [y], dum extenſione manus ea ſigna à Moyſe & Aaron fiebant. Sicut & apud Chriſtianos, haud aliunde quam ex Apoſtolorum traditione, vſu receptum eſt, vt benedicendo manum extendant, ac inſuper Crucis ſignum eadem manu deducant. Sed de eiuſmodi ſigno Crucis, opportuniori loco dicetur inferius.

LXII. ITER SABBATI.

z Act. 1. a ap. Hier. ep. 151. ad Algaſ. q. 10. b Suid. ver. σαββάτου ὁδός. c Ioſ. 6. de bel. 3. d Luc. 24. in fin.

Poſt eleuationem Domini ab oculis Diſcipulorum, intuentibus adhuc illis in cœlum, adſtiterunt duo Angeli qui eos de ſecundo ipſius aduentu monuerunt; tuncque ijdem reuerſi ſunt Hieroſolymam à monte Oliueti, qui eſt iuxta ciuitatem Sabbati habens iter. Ita Lucas [z]. Porro *Sabbati iter*, Phariſæi [a] dicebant eſſe duorum millium pedum: Suidas [b] autem duorum millium cubitorum. Sed quod mons Oliueti non amplius mille paſſibus, (vt Beda & alij tradunt qui ſcripſerunt de Locis ſanctis) vel etiam ſex tantum ſtadiis (vt auctor eſt Ioſephus [c]) ab Hieroſolymis diſtet; quantum iter Sabbati eſſet, ex eo facile metiri licet. Quod vero addit Lucas [d], Apoſtolos poſt hæc fuiſſe ſemper in templo laudantes Deum; iunxiſſe prædictis quæ poſtea facta ſunt, certum eſt: ſicut & cum de Aſcenſione locutus eſſet Marcus [e], mox ſubdit eoſdem profectos prædicaſſe vbique; cum alioqui de Apoſtolis & Diſcipulis conſtet, decem illis diebus, qui medii ſunt ab Aſcenſione Domini vſque ad Pentecoſten, non alibi quam in domo vna manſiſſe. Cæterum multa alia Chriſti facta, præter ea quæ ab Euangeliſtis conſcripta ſunt, obuoluta ſilentio remanſiſſe, teſtatur Ioannes [f] qui nouiſſimus omnium ſcripſit, & quæ ab aliis eo argumento literis commendata eſſent probe nouit. Ex cuius etiam verbis agnoſcas, eam iniiſſe rationem Euangeliſtas, vt non ſingulas res geſtas ſuſciperent enarrandas, ſed quantum ſatis eſſet ad fidem aſtruendam quod Ieſus eſſet Chriſtus filius Dei viui. Sicut autem nec cuncta Chriſti facta, ita multo minus omnia dicta Euangeliſtæ ſunt proſecuti. Citat enim Paulus [g] Apoſtolus eius ſententiam ab illis prætermiſſam, *Beatius eſt magis dare, quam accipere*: aliamq; Hieronymus [h] & Caſſianus, *Eſtote probati nummularij*: ſicut & illam, *Vbi te inuenero, ibi te iudicabo*: & ſi quæ alia huiuſmodi ſit inuenire.

e Mar. 16. in fin. f Ioan. 20. & 21. in fi.

CHRISTI SENTENTIA EXTRA EVANGELIA. g Act. 20. h Hier. ep. 152.

LXIII. IOSEPHI TESTIMONIVM DE CHRISTO. i Ioſ. 18. ant. 4. & ap. Euſeb. 1. hiſt. 11. & ap. Hier. de Script. Eccl. in Ioſeph. k Hegeſ. de excid. Hieroſ. lib. 3. ca. 5.

Poſt Sanctos Euangeliſtas annis quinquaginta, Ioſephus Iudæus Græco ſermone hiſtoriam Iudæorum proſecutus, res etiam geſtas Chriſti paucis quidem, ſed perquam honorificis verbis perſtrinxit [i]: Et Hegeſippus Iudaicarum pariter rerum ſcriptor (non ille, vt falſo multi exiſtimarunt, qui proximus fuit temporibus Apoſtolorum, ſed vt ex eius ſcriptis [k] probatur, qui ſcripſiſſe noſcitur poſt tempora Conſtantini) in ſua Anacephalæoſi de morte & reſurrectione Chriſti, recitat Pilati Præſidis epiſtolam ad Claudium Imperatorem datam de miraculis & reſurrectione Chriſti, deque falſis Iudæorum in eum accuſationibus: quæ quidem an ea ſit, quam à Pilato tunc temporis ſcriptam eſſe conſtat, haud aſſeruerim: in titulo certe manifeſtus videtur error, dum Claudium Imperatorem loco Tiberii poſitum habet; quamquam ante Imperium & ipſe Tiberius diceretur Claudius. Porro Pilatum ea nunciaſſe Tiberio, ac ſubinde Tiberium retuliſſe ad Senatum, ſed hunc ea reſpuiſſe quod non ad ſe prius quam ad Imperatorem relatum eſſet, teſtantur Tertullianus [l], Euſebius [m], Oroſius [n], & Gregorius [o] Turonenſis. Inſuperque de iis quæ in cauſa Chriſti geſta eſſent, publica Acta Hieroſolymis ſub Pilato à Notario exceptore cōſcripta eſſe, Romamque miſſa, & inter Geſta publica aſſeruata, teſtis eſt Iuſtinus Martyr in Apologia ad Antoninum Pium. At vero fuerunt & poſt dicta vera certaque *Pilati Acta*, alia rurſus ab iis longe diuerſa duplici genere conficta, quorum alteris vtebantur [p] Quartodecimani hæretici; altera vero à Maximino [q] tyranno Chriſtianis infenſiſſimo fuere excogitata. Denique nonnulla apocrypha quæ legimus de legatione Voluſiani cuiuſdā à Pilato ad Tiberium miſſi, quod nulla antiquorū fide probentur, hic intexere prætermittemus: ſicut & fabuloſa illa quę ſcripta ſunt à [r] Suida de Nerone, quod iuſſerit Annam, Caipham, & Pilatum, ad dicendam cauſam de Chriſti morte iudicio Romæ ſiſti; & alia multa quæ addit. Nam longe ante Neronis Imperium Pilatum ex humanis deſiiſſe, inferius ſuo loco dicemus.

DE RELATIONE PILATI AD TIBERIVM. l Tertul. Apolog. cap. 5. & 21. m Euſeb. 2. hiſt. 2. n Oroſ. lib. 7. cap. 4. o Turon. hiſt. lib. 1. cap. 24. ACTA PILATI. p Epip. hær. 50. q Euſ. 1. hiſt. 9. & lib. 9. cap. 4. r Suid. ver. Nερ.

LXIV. DE VESTIGIIS CHRISTI.

Cæterum egregium plane monumentum ſuæ ad cœlos Aſcenſionis Dominus non modo ſuis Apoſtolis, ſed poſteris quoque ſpectandum reliquit; nimirum *Sacrorum pedum ſuorum impreſſa terræ veſtigia* eo loco quo è monte Oliueti eleuatus eſt in cœlum: In tantum vt cum ea terra quotidie à Fidelibus deuotionis ergo hauriretur, nihilominus eadem veſtigia priſtinum ſtatum continuo reciperent: Deniq; cum Eccleſia eo loco conderetur, ſummum tantum cacumen propter Dominici corporis meatum nullo modo contegi potuit, ſed tranſitus eius à terra ad cœlum vſque patuit ſemper apertus: & locus veſtigiorum continuari pauimento cum reliqua ſtratorum parte non potuit: ſiquidem quæcumque applicabantur inſolens humana ſuſcipere terra reſpueret, excuſſis in ora operantium ſæpe marmoribus. Habentur quidem hæc egregie teſtata apud Hieronymum [s], Paulinum [t], & Sulpitium [u] Seuerum; atque eodem ſtatu perſeueraſſe tempore Bedę [x] poſt ſeptingentos ferme annos à morte Chriſti, ipſe eſt teſtis; additque, anniuerſario die Aſcenſionis Dominicæ Miſſa peracta validi flaminis procellam deſurſum venire cōſueuiſſe, & omnes qui eſſent terræ proſternere: ſed & illa tota nocte lucernas ardere, vt non illuſtrari tantum, ſed & ardere mons & ſuppoſita loca viderentur. Meminit etiam de iiſdem Chriſti veſtigiis [y] Optatus Mileuitanus. De quibus olim Zacharias [z] propheta ſſe videtur, cum dixit, *Stabunt pedes eius in die illa ſupra montem Oliuarum, qui eſt contra Hieruſalem ad Orientem.* Secundum cuiuſmodi ſitus rationem, eam conſuetudinem ad poſteros eſſe dilapſam, vt Chriſtiani ad Orientem conuerſi precarentur, Athanaſius [a] eſt auctor. Sed de his hactenus.

s Hier. de loc. Hebr. Act. 1. t Paul. ep. 11. ad Seuer. u Seu. hiſt. lib. 2. x B d. de loc. Sanct. cap. 7. y Opt. li. 6. cont. Parm. z Zach. 14. a Athan. li. quæſt. q. 14.

LXV.

Supereſt nobis, vt qui de Chriſto quanta potuimus breuitate, vt in re cunctis propemodum nota tractauimus; deinceps Actorum quoq; Apoſtolorum ſacram hiſtoriam à Sancto Luca Euangeliſta deſcriptam proſequamur. Cui tamen commentario ſic nomen inditum eſt (inquit Chryſoſtomus [b]) non quod acta omnia, neque omnium, ſed vnius tantum vel alterius Apoſtoli, eademque facilia numeratu contineat, cum alioqui multa quæ eſſent maximi ponderis de ipſis etiam Petro & Paulo, in quorum rebus geſtis deſcribendis præcipue immoratus eſt, ab eo fuiſſe prætermiſſa certiſſimis teſtibus probabitur inferius. Sed vt rem ipſam aggrediamur; cum reuerſi eſſent è monte Oliueti Apoſtoli & alij Hieroſolymam *aſcenderunt* (inquit Lucas [c]) *in cœnaculum*, vbi ſimul manebant Apoſtoli, aliique omnes fere centum viginti, *perſeuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & MARIA matre IESV, & fratribus eius.* Creditur hæc eadem domus eſſe illa, quam idem Lucas [d] inferius ait fuiſſe Mariæ matris Ioannis qui cognominatus eſt Marcus, quo Petrus è carcere liberatus acceſſit, vbi & ceteros ad precum officium congregatos inuenit diſcipulos. Conſentiuntq; his acta [e] Barnabæ vbi etiam dicitur, in eadem illa domo Paſcha Dominum celebraſſe & Thomæ Apoſtolo apparuiſſe; ſed & ibidem Spiritum Sanctum ad diſcipulos in die Pentecoſtes deſcendiſſe, ac denique ædificatam eſſe magnam & ſanctiſſimam Sion omnium Eccleſiarum maximam. Meminit eiuſdem Eccleſiæ in Sion poſitæ S. Hieronymus [f]: eādēq; dictā eſſe Eccleſiā Apoſtolorū, docēt Cyrill⁹ Hieroſolymorū Epiſcop⁹, & alii qui de locis Sanctis ſcripſerunt.

b Chry. cont. Gentil. c Act. 1. d Act. 12. e Alex. Monach. de Sur. 11. Iunii. f ep. 2.

LXVI. DE ELECTIONE MATTHIÆ. g Chry. hom. in Act. ſecun. in Act. 2. h Act. 1.

Cum igitur illic congregati eſſent cum ceteris Apoſtoli PETRVS *eius chori* (inquit Chryſoſtomus [g]) *Princeps, auctoritate ſibi à Chriſto tradita qua omnes habebat in manu*, crediti ſibi gregis curam ſuſcipiens, de ſubſtituēdo aliquo ex Diſcipulis in locū Iudæ proditoris concionē habuit. Itaq; ſtatuerūt [h] duos, Ioſeph, & Matthiā, & cū oraſſēt dederūt eis ſortes & cecidit ſors ſup Matthiā, qui annumerat⁹ eſt cū reliquis vndecim Apoſtolis. Porro ābos fuiſſe ex numero ſeptuaginta duorū Diſcipulorū, ſatis indicat Lucas, affirmat

vero

vero Clemens [i] Alexandrinus. At IOSEPH, idemq; dictus *Barſabas*, & cognominatus *Iuſtus*, plane diuerſus eſt ab alio Ioſeph [k], qui cognominatus eſt *Barnabas*, itemque ab illo qui cognominatus eſt, *Iudas* [l]: hi tres enim in actis Apoſtolorum non ſolum cognomine, ſed & rebus geſtis inter ſe diſtinguuntur.

i ap. Bed. in retract. in Act. k Act. 4. l Act. 15.

LXVII. QVA NAM SORS APOSTOLORVM.

Quod autem pertinet ad SORTEM qua vſi ſunt Apoſtoli, cum ab aliis diuerſa dicantur, Dionyſius [m] ait ita à Scriptura appellatum eſſe diuini quiddã & præcipui muneris, per quod Apoſtolis inſinuaretur qui eſſet diuina electione declaratus. Circũferebatur olim liber titulo prænotatus, *Sortes Apoſtolorum*, ſed cẽſura Gelaſij [n] eſt reiectus inter apocrypha. Et cum eadẽ occaſione, quod Apoſtoli quẽ eligerent ſortiti eſſent, irrepſiſſet aliquando in Chriſtianos genus quoddam ſortilegii, quod honeſto nomine diceretur *Sortes ſanctorum*; illud à ſanctis Patrib. Eccleſiaſticis [o] ſanctionibus ab Eccleſia Dei procul eſt reiectus. Ceterum eam licentiam nonniſi ante aduentum Spiritus Sancti Apoſtoli vſurpaſſe inuenientur, nec id tentaſſe niſi præuia oratione: cum alioqui apud Hebræos, ſacros ſortiti miniſtros ad ſolitam functionem obeundã, tam ex Lucæ [p] Euangelio, quam ex Philone [q] atque Ioſepho manifeſtum reddatur. Vt vero ſorte quis eligeretur in Summum Pontificem, nunquam prius [r] tentatum eſt quam paulo ante Hieroſolymorum excidium, idq; à Zelotis factioſis hominib. vi publica agentib. Et apud Gentiles vetitum fuiſſe ne Sacerdotes deligerentur ſorte, ſicut nec pretio, auctor eſt Dionyſius [t] Halicarnaſſæus.

m Dion. de Eccl. hier. [illegible] n in Concil. Rom. [illegible] de lib. apocry. o Con. Vin. c. 16. Con. Aurel. c. 32. p Luc. 1. q Phil. de ſacerd. hon. r Ioſ. cont. Apion lib. 2. ſ Ioſ. 4. de bel. 5. t Halic. hiſt. Rom. lib. 2.

LXVIII. ADVENTVS SPIRITVS S. IN DISCIPVLOS.

Elapſis itaque ab Aſcenſione Domini decem diebus, *Dũ complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco; & factus eſt repente de cælo ſonus tamquam aduenientis ſpiritus vehementis & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum, & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto*, Hæc Lucas [u]; quæ quidem facta eſſe die Dominico, SS. Patrum [x] aſſertio Sacrorum Conciliorum [y] canones, Eccleſiaſtica traditio firmant; ac ipſa denique ratio monſtrat. Etenim cum ex legis [z] præſcripto dies Pentecoſtes numerandi eſſent ab altero die Paſchæ, quo manipulus offerendus erat; & præſenti anno die ſequenti Paſchatis eſſet Sabbatum, quo falcem mittere in meſſem vetitum [a] erat: manipulum hoc anno conſtat [b] oblatum fuiſſe ipſo die Dominico quo Dominus reſurrexit, cuius ipſe eleuatus manipulus figurã exprimebat. A quo tempore, quinquaginta dies numerando vſque ad diem Pentecoſtes, Spiritum Sanctum datum eſſe ipſo die Dominico certũ eſt. Eo vero accepto *Cœperunt loqui* (inquit Lucas) *variis linguis, audientibus Iudæis qui tunc agebant Hieroſolymis ex omni natione quæ ſub cælo eſt*. Quæ licet videatur hyperbole; tamen auctore Philone [c], qui his vixit temporibus, exploratiſſimum eſt Iudæos non in Palæſtina tantum, ſed in Aſia, Africa, Europa, magno numero habitaſſe.

u Act. 2. x Clem. Ro. 5. Conſt. [illegible] Aug. ſer. 154. de temp. Leo ep. 81. ad Dioſ. Iſid. de offic. eccleſ. c. 24. Alb. [illegible] y Sext. Syn. z Leuit. 23. Ex. 15. Ioſeph. 3. antiq. 10. a Exod. 34. b Epiph. har. 51. & alii.

EX TOTO ORBE HIEROSOLYMAM.

c Philo. lib. cont. Flac. & lib. de leg. ad Caium.

LXIX. QVOMODO APOSTOLI LOQVERENTVR LINGVIS.

Cæterum ex omnibus nationibus quindecim tantum numerans Lucas, cum inter eas æque Iudæos recenſeat eſſe admiratos, quod ipſorum lingua Apoſtoli loquerentur, plane ſignificat Galilæos diuerſã à Iudæis vti lingua cõſueuiſſe: vnde & ancillam oſtiariam merito apparet dixiſſe olim Petro [d], *Galilæus es: nam & loquela tua manifeſtum te facit*. Fuit autem ſententia Chryſoſtomi [e], tot linguarũ locutiones impartitas fuiſſe Apoſtolis, quot erant Hieroſolymis externæ nationes quæ eos loquentes audirent: & ſi plures fuiſſent, plures etiam accepturos fuiſſe; ac deniq; cum diſperſi ſunt per Orbem terrarum lingua omnium gentium ad quas profecti fuiſſent eſſe locutos. Sed quod ſpectat ad linguarum genera, quæ eſſent in Orbe terrarũ; Clemens [f] Alexandrinus recitat teſtimonium Scriptorũ Gentilium, qui non aliunde quam ex Iudæorum libris (nempe ex eo quod Moyſes ait, omnes animas ex Iacob quæ deſcenderant in Ægyptum, fuiſſe ſeptuaginta quinque) linguas ſeptuaginta quinque fuiſſe teſtantur. At vero alia ratione inita Auguſtinus [g] quod ex tribus Noe filiis ſeptuaginta duæ gentes per terras eſſe cœperunt; totidem linguas eſſe putauit. Eademque ratione Epiphanius [h], ſeptuaginta duos turris Babel ædificatores, totidem conſtituiſſe varias linguas ſcripſit. Sed Pacianus [i] cum numerat centum viginti linguas, reſpectum habuiſſe videtur ad numerum eorum qui ſimul in vna domo [k] fuerant congregati, ſuper quos omnes putatur deſcendiſſe Spiritus ſanctus; quaſi velit non omnes illos omnia aſſecutos eſſe linguarum genera, ſed ſingulos ſingulas. Verum hæc communi Interpretum ſententia reiiciuntur. Sic enim linguarum donum accepiſſe conſtat Apoſtolos, vt quiuis eorum linguis omnibus loqueretur; non autem (vt aliqui exiſtimarunt) vt vno ex illis vna lingua loquente, omnes qui audirent, licet eſſent diuerſarum linguarum, intelligerent. Hoc enim modo eorum potius qui audirent, quam qui verba facerent, miraculum fuiſſet; prout egregie inter alios interpretatus eſt Gregorius Nazianzenus.

d Matt. 26. e Hæc citat etiam Oec. in Actus. f Clem. lib. 1 Strom. g Aug. 16. de ciuit. c. 6. & 11. h Epiph. de menſ. & pond. i Paci. ep. 2. ad Symp. k Act. 1. l Naz. orat. in dic Pent.

LXX.

Cum autem qui eos audirent, rei cauſam ignorantes, alii admirarentur, alii ebrios eſſe dicerent; Petrus, qui nõ ſolum primus [m], ſed & os omnium erat, verbi prædicationem primus omnium exorſus eſt, & egregia concione [n] non tantum pro ſuis Apologiam dixit, ſed de Chriſti paſſione, reſurrectione, & aſcenſione ac de Spiritus ſancti miſſione diſſeruit. Sed quod excepit, ſuos non potuiſſe eſſe ebrios, *cum eſſet hora diei Tertia*; quid tam inſolens videri debet, ſi ſecundum partitionem diei apud Hebræos quam ſuperius expoſuimus, ea hora illi pranſi fuiſſent, homines præſertim peregrini & piſcatores? Sed perfacilis erit huiuſmodi ſolutio, ſi nouerimus Hebræorum illam fuiſſe conſuetudinem [o], vt non liceret diebus feſtis cuiquam ante Sextam horam prandere. Ceterum eo ſermone Petri tria hominum millia ad Chriſti fidem perducta eſſe, & baptizata, Lucas tradit; additque omnes qui credebant habuiſſe omnia communia: multa quoque ab Apoſtolis ſolita fieri miracula; & ſic ab eis diſtributa eſſe officia, vt quotidie in templo perſeuerarent, (nimirum orantes, vel Dei verbum annuntiantes) & in domibus panem frangerent, ſacram videlicet Euchariſtiam miniſtrantes.

m Chryſ. ho. 3. ad Antioch. & ho. 4. in Act. Apoſ. n Act. 2. DE HORA DIEI TERTIA. o Ideſi. de vita ſua. PETRI PRÆDICATIONIS EFFECTVS.

LXXI. DE SEPVLCHRO DAVID.

Quod vero eadem Oratione Petrus de SEPVLCHRO DAVIDIS meminit, atque illud in eam diem apud eos fuiſſe; obſeruatione quidem dignum eſt, Sepulchrum illud (quod & SALOMONIS dictum eſt, quia & ipſe illic conditus erat) remanſiſſe etiam integrum in excidio Hieroſolymorum poſt hæc per Titum facto, ſicque perduraſſe vſq; ad nouiſſimam Iudæorum cladem per Hadrianum illatã: tunc enim, antequam illa contingerent, quaſi in prodigium futuri vltimi Iudæorum exterminii, ſponte corruiſſe auctor eſt Dio in Hadriani Vita. Meminit ſæpe de illo Ioſephus [oo]; quod & auguſtis ædificiis Salomonis opera extructis ornatum tradit, & ingentib. theſauris nobilitatum: quæ perquirens quondam Herodes, flamma ex adytis erumpente repulſus eſt. Quod autem diximus illud ſub Hadriano corruiſſe; id quidem haud ſic accipiendum eſt, vt ſolo adæquatum, ſed tantum aliqua ex parte collapſum fuerit: ſiquidem Hieronymus [p] relegens loca ſancta ſui temporis; ac ſi ipſum integrum remaneret, in Mauſoleo Dauidis precari ſolitum tradit.

oo Ioſeph. antiq. [illegible] p Hier. ep. ad Marcel.

LXXII.

Quod ſubditur apud Lucam [pp], Petrum & Ioannem aſcendiſſe in templum ad horam orationis Nonam; ſatis indicat (quod præclare inter alios explicat Sanctus Leo [q]) quæ ſcripta in Lege, vel conſuetudine laudabili introducta eſſent apud Hebræos pͤcepta moralia, ea non modo Apoſtolos non ſpreuiſſe, ſed etiam in Eccleſiam transfundere voluiſſe. Et quod ſpectat ad antiquum certis horis orandi ritum, agit in primis Tertullianus [r] de tribus inſignioribus (vt vocat) ab Apoſtolis ex Iudæorum fontibus in Eccleſiam deductis, nempe *Tertia, Sexta, Nona*. Quib. & alias duas ſuperadditas docens Cyprianus [ſ], nimirum *Matutinam* & *Veſpertinam*, earumdem omnium quinq; originẽ ſimul ac myſteria deſcribit. Denique Athanaſius [t], præter iſtas quinque; duarum item aliarum mentionem faciens eius videlicet quæ *Oriente* fit *Sole*, & quæ *Media nocte*, cunctarum ſeptem diuina myſteria explicat. De ſeptem item orandi Horis, quatuor diurnis, & tribus nocturnis, agit ſæpe Ioannes Chryſoſtomus [u], & ante ipſum Baſilius [x]; licet & hic alicubi Octauam videatur addidiſſe: ſed

pp Act. 3. q Leo ſer. 7. de ieiun. ſept. menſ. r Tert. adu. Pſych. c. 10. DE HORIS CANONICIS. ſ Cypr. de orat. Dom. t Athan. de virg. u Chryſoſt. homil. 19. ad Antioch. ho. de laud. mon. ho. 14. in Tit. & in Pſal. 111.

quam

x Baſil. in Regul. interrog. 37.

quam ponit poſt mediam noctem ante diluculum, iungere ſimul conſueuit Eccleſia, eaſdemque pro vna numerare hora, quam *Matutinum Officium* nominat Hieronymus y; qui & ipſe de iiſdem ſeptem horis, varijs z locis meminit: ſicut & Caſſianus a, Iſidorus b, & alij fere innumeri. Quæ quidem ex antiqua inſtitutione, & maxime Dauidis c dicentis, *Septies in die laudem tibi dixi*, per Apoſtolos ſemel in Eccleſiam tranſlata, feliciter perſeuerant. Quod vero pertinet ad nocturnas preces, ipſas ſacras Vigilias, accommodatius de ijs agemus inferius.

y Hier. ep. 22. ad Euſtoch. z Hieron. in Dan. 7. & ep. 7. & 22. 37. a Caſſian. collat. 7. b Iſid. de eccleſ. offic. cap. 19. c Pſal. 118.

LXXIII. LOCVS ORATIONIS.

Ex iiſdem quoque Lucæ verbis, non certas tantum diei horas precibus conſecratas didicimus, ſed & locum quo ad preces Deo fundendas conuenire debeant Fideles. Quantumlibet enim priuatas quis orationes domi agere intra cubiculum ſuum (vt Dominus docuit debeat eſſe ſollicitus, tamen exemplo Apoſtolorum, templum ad orationem adeuntium, admonentur Chriſtiani, ad publicas preces in vnum locū, ipſam ſcilicet Eccleſiam, conuenire. Quod quidem faciendum eſſe, S. Ignatius, qui iiſdem vixit temporibus, ſcribens ad Magneſianos inculcat. Sicut & exemplo ipſius Domini, qui cum Hieroſolymis eſſet, docebat in templo, iidem etiam Apoſtoli illic doctrinæ Cathedram erexerunt; prout inferius docet Lucas d, dum ait eos omnes fuiſſe vnanimiter in porticu Salomonis. Ad quod alludens Tertullianus e, ait inſtitutionem Chriſtianorum de porticu Salomonis eſſe, quod equidem maximum opus Templi Salomonis, poſt iteratas reliqui Templi deſtructiones atque reſtaurationes, hactenus integrum permanſiſſe, tam idem Lucas ee, quam Ioannes, atque etiam Ioſephus, docent. Sed de his modo ſatis.

d Act. 5. e Tert. de præſcript. ee Act. 3. & 5. Ioan. 10. Ioſeph 20. antiq. 8.

LXXIV. f Act. 3. PETRVS CLAVDVM SANAT. g Act. 4.

Narrat poſt hæc Lucas f hiſtoriam ſanati à Petro claudi à natiuitate ad portam templi; & quomodo ad rei nouitatem concurrentibus populis, ea Chriſtum annunciandi arrepta occaſione, concionem habuerit, qua quinque millia hominum ad fidem perduxit. Quando ſuperuenientes g Sacerdotes atque Sadducæi, eumdem Petrum, & qui eum comitabatur Ioannem Apoſtolum in carcerem detruſerunt; ac die ſequenti in magnum concilium ſeptuaginta duorum Seniorum (cuius Principem fuiſſe Annam, cum Caiphas eſſet Summus Sacerdos, ſuperius explicatum eſt) introductos, atque interrogatos, liberos dimiſerunt propter populum, qui magnificabat quæ geſta fuerant; facta duntaxat ijs prohibitione ne amplius in nomine IESV docerent. Hæc fuſius Lucas. Quale vero myſterium miraculo Petri contineretur, egregie Ambroſius h enarrat, dum ait Petrum, quia petra eſſet ſuper quam ædificaretur Eccleſia, recte primum ſignum mirabilium ſuorum feciſſe claudo pedum reſtituendo veſtigia, vt ſicut ipſe in Eccleſia fidei fundamentum continebat, ita & in homine membrorum fundamenta confirmaret. Vt non mireris, ſi Lucas, quamtumlibet prodigia ac ſigna ab Apoſtolis antehac facta eſſe teſtatus i eſſet; tamen ab eo quod tam inſigniter eſt editum ab Apoſtolorum Principe, cæteris prætermiſſis, narrationem inſtituerit.

h Ambr. ſer. 3. in natal. Apoſt. MYSTERIVM EX MIRACVLO. i Act. 2.

LXXV. k Act. 4.

Reuertente poſt carcerem Petro vna cum Ioanne ad ſuos; cum vniuerſa k quæ tum congregata in vnum erat multitudo, de ijs quæ geſta eſſent Deum laudaſſet, oranſque petiiſſet vt Euangelij prædicatio magis magiſque ſignis atque prodigijs illuſtraretur; factus eſt terræmotus; omneſque Spiritu Sancto deſuper veniente repleti ſunt; & erat omnium ſicut vna voluntas idemque animus, ita temporalium bonorum vſus communis. Quotquot enim (inquit Lucas) poſſeſſores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Quod vero Ioſeph qui cognominatus eſt BARNABAS, præ cæteris qui id præſtiterunt nominetur ab Euangeliſta; id in cauſa fuiſſe putatur, quod cum ditiſſimus eſſet, non agellum quempiam, latifundium vendiderit. Hæc enim qui eius res geſtas ſcriptis mandauit Alexander l teſtatur: addens eumdem origine Cyprium Hieroſolymis habitaſſe, & à Gamaliele vna cum Stephano ac Saulo ſacris literis imbutum fuiſſe, ac demum ad Chriſtum veniſſe vna cum eius conſobrino Ioanne Mariæ filio, apud quem (vt vidimus) Chriſti noua Eccleſia coaleſcere cœpit. Sane Euſebius m & Epiphanius n inter antiquos Chriſti Diſcipulos ipſum adnumerant.

DE BARNABA. l ap. Metaph. & Sur. 11. Iunij. m Euſeb. 2. hiſt. 1. n Epiph. hær. 1. cap. 21.

LXXVI. o Act. 5. DE ANANIÆ ET SAPHIRÆ INTERITV.

Poſt hæc Sanctus Lucas o *Ananiæ Saphiræ* ſacrilegij pauendam recenſet pœnam. Vendiderant agrum cuius pretij quod delaturi erãt ad pedes Apoſtolorum doloſa fraude partem ſibi retinuerunt. Penetrat in eorum corda Petrus omnium Iudex, & de perpetrato peccato conuictis diuinam vindictam prophetico Spiritu annunciat; quæ mox ſecuta eoſdem interemit, vt pœna duorum eſſet doctrina multorum. Quorum quidem duplex fuit ea in re peccatum: alterum quod ingerit Petrus, de mendacio in Spiritum Sanctum; alterum vero quod intulerunt Hieronymus p, Athanaſius q, Maximus r, Gregorius s, & alij, nempe quod quæ ſemel Deo vouerant non præſtitiſſent, partemque ſibi iam alienæ ſubſtantiæ reſeruaſſent. Cæterum hanc pœnam non ad ſupplicium æternum, ſed ad expiationem peccati, vt ſic ſalui eſſe poſſent in futuro ſæculo, à Deo eſſe illatam, Origenes t, Auguſtinus v, & alij exiſtimarunt. Quod autem ad dictam in communem vſum bonorum collationem pertinet; nō ea quidem eiuſmodi fuit, vt quicumque Chriſtianus eſſe vellet, non aliter id conſequi poſſet, vel vt eadem viuendi norma ceteris omnibus qui credituri eſſent præſcriberetur. Nam de Paulo x Apoſtolo conſtat, Corinthios per epiſtolam monuiſſe, ſic indigentibus eleemoſynas impartiri, ne eſſet nimis profuſa largitio. Sed hæc facta ſunt ipſo exordio naſcentis Eccleſiæ, priuato quodam Spiritus ſancti impulſu, tum vt, quod excitanda eſſet in fideles vehemens perſecutio, renunciationis Fidei periculum, eiuſmodi rerum temporalium lucroſa iactura redimerent; tum maxime vt excultioris vitæ quoddam poſteris imitandum formaretur exemplum. Inde enim quotquot religioſiorem vitam ſunt amplexati, *Voluntariæ Paupertatis* formam ſumpſiſſe, conſtat ex Baſilio y, Auguſtino z, aliiſque omnibus qui Monachis ſelectas viuendi Regulas præſcripſerunt.

p Hier. ep. 8. ad Demetriad. q Ath. ſer. de paſſ. & cru. r Max. ap. Ambr. ſer. 9. & Aug. de verb. Apoſt. ſer. 25. s Greg. l. ep. 31. Ind. 9. t Orig. tract. 8. in Matth. v Aug. 3. con. Parm. 1. DE RENVNCIATIONE BONORVM. x 2. Cor. 8. y 2. Baſil. de reg. monach. z Aug. ſer. 30. de diuerſ.

LXXVII. a Act. 5. PETRI IN MIRACVLIS PRÆROGATIVA.

Narratis iam his quæ in Ananiam & Saphiram ſunt diuinitus acta, ſubdit Lucas a adeo miraculis & prædicationibus Apoſtolorum augeri ſolitam in dies credentium in Domino multitudinem, vt etiam infirmos omnes & vexatos à ſpiritibus immundis, non ciuitatis tantum Hieruſalem, ſed & vicinarum omnium, in plateis exhiberent, vt tranſeuntis Petri vmbra liberarentur ab infirmitatibus ſuis. Fuit nimirum iſta prærogatiua Petri, vt ſicut in omnes Apoſtolos primatu eſt auctus, ita etiam inſigniora ederet miracula. Quid vero *Vmbra Petri*, niſi imago expreſſa corporis eius? Certe quidem non aliunde, quam ex eiuſmodi imaginibus vmbra formatis, picturam duxiſſe originem ferunt. b Vt ex his videas, IMAGINVM pium cultum in vmbra Petri à Deo primitus in primori illa Eccleſia tot tantiſque miraculis eſſe diuinitus conſecratum. Rurſus vero cum eamdem vmbræ Petri virtutem inditam videmus, quam & ipſi corpori Petri; illud certe typice expreſſum eſſe videtur, tantam à Deo Principi Apoſtolorum gratiarum copiam eſſe collatam, vt eamdem in ipſius ſucceſſoribus feliciter propagari voluerit: nimirum vt quamuis non omnes æque ſancti ac Petrus, tamen quia eius gererent perſonam, eamdem etiam retinerent à Deo illi traditam poteſtatem: ſcirentque omnes, reſpectu Petri in honore habendos eſſe, qui vmbram ſaltem Petri hac ex parte referrent.

b Clem. Alexand. Gent. SACRARVM IMAGINVM CVLTVS IN VMBRA PETRI.

LXXVIII. APOSTOLI CONIICIVNTVR IN CARCEREM, ET FLAGELLANTVR.

Ceterum tantam Chriſti gloriam, in Petro ac ceteris Apoſtolis diuinitus illuſtratam, inuidentes Principes Sacerdotum; eos in carcerem detruſerunt. At ab Angelo noctu liberati, iuſſique intrepide Euangelium prædicare, diluculo templum ingreſſi, cœperunt confluentem docere populum: vnde rurſus ad Concilium Seniorum producti, cum de nece illis inferenda iniretur conſilium, oratione Gamalielis Legiſperiti (qua exemplis Theodæ, & Iudæ Galilæi, de quibus dictū eſt ſuperius c, docuit, ſi doctrina Apoſtolorum ex hominibus eſſet, facile ſponte dilapſuram; ſi vero ex Deo, fruſtra ei homines repugnaturos) dimiſſi ſunt, poſtquam virgis cæſi eſſent, & IESVM annun-

c An. 1.

vero Clemens [i] Alexandrinus. At IOSEPH, idemq; dictus *Barſabas*, & cognominatus *Iuſtus*, plane diuerſus eſt ab alio Ioſeph [k], qui cognominatus eſt *Barnabas*, itemque ab illo qui cognominatus eſt, *Iudas* [l]: hi tres enim in actis Apoſtolorum non ſolum cognomine, ſed & rebus geſtis inter ſe diſtinguuntur.

i ap. Bed. in retract. in Act. k Act. 4. l Act. 15.

LXVII. QVÆNAM SORS APOSTOLORVM.

Quod autem pertinet ad SORTEM qua vſi ſunt Apoſtoli, cum ab aliis diuerſa dicantur, Dionyſius [m] ait ita à Scriptura appellatum eſſe diuini quiddã & præcipui muneris, per quod Apoſtolis inſinuaretur qui eſſet diuina electione declaratus. Circũferebatur olim liber titulo prænotatus, *Sortes Apoſtolorum*, ſed cẽſura Gelaſij [n] eſt reiectus inter apocrypha. Et cum eadẽ occaſione, quod Apoſtoli quẽ eligerent ſortiti eſſent, irrepſiſſet aliquando in Chriſtianos genus quoddam ſortilegii, quod honeſto nomine diceretur *Sortes ſanctorum*; illud à ſanctis Patrib. Eccleſiaſticis [o] ſanctionibus ab Eccleſia Dei procul eſt reiectus. Ceterum eam licentiam nonniſi ante aduentum Spiritus Sancti Apoſtoli vſurpaſſe inuenientur, nec id tentaſſe niſi præuia oratione: cum alioqui apud Hebræos, ſacros ſortiri miniſtros ad ſolitam functionem obeundã, tam ex Lucæ [p] Euangelio, quam ex Philone [q] atque Ioſepho [r] maniſeſtum reddatur. Vt vero ſorte quis eligeretur in Summum Pontificem, nunquam prius [ſ] tentatum eſt quam paulo ante Hieroſolymorum excidium, idq; à Zeloris factioſis hominib. vi publica agentib. Et apud Gentiles vetitum fuiſſe ne Sacerdotes deligerentur ſorte, ſicut nec pretio, auctor eſt Dionyſius [t] Halicarnaſſæus.

m in Dion. de Eccl. hier. per. 1 ca. 5. n in Concil. Rom. ca. de lib. apocry. o Conc. Vit. c. 16. Con. Aurel. c. 32. p Luc. 1. q Phil. de ſacerd. hon. r. r Ioſ. contr. Apion. lib. 2. ſ Ioſ. 4. de bel. 5. t Halic. hiſt. Rom. lib. 2.

LXVIII. ADVENTVS SPIRITVS S. IN DISCIPVLOS.

Elapſis iam ab Aſcenſione Domini decem diebus, *Dũ complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco; & factus eſt repente de cælo ſonus tamquam aduenientis ſpiritus vehementis & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum, & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto*, Hæc Lucas [u]; quæ quidem facta eſſe die Dominico, SS. Patrum [x] aſſertio Sacrorum Conciliorum [y] canones, Eccleſiaſtica traditio firmant; ac ipſa denique ratio monſtrat. Etenim cum ex legis [z] præcepto dies Pentecoſtes numerandi eſſent ab altero die Paſchæ, quo manipulus offerendus erat; & præſenti anno die ſequenti Paſchatis eſſet Sabbatum, quo falcem mittere in meſſem vetitum [a] erat: manipulum hoc anno conſtat [b] oblatum fuiſſe ipſo die Dominico quo Dominus reſurrexit, cuius ipſe eleuatus manipulus figurã exprimebat. A quo tempore, quinquaginta dies numerando vſque ad diem Pentecoſtes, Spiritum Sanctum datum eſſe ipſo die Dominico certũ eſt. Eo vero accepto *Cœperunt loqui* (inquit Lucas) *variis linguis, audientibus Iudæis qui tunc agebant Hieroſolymis ex omni natione quæ ſub cælo eſt*. Quæ licet videatur hyperbole; tamen auctore Philone [c], qui his vixit temporibus, exploratiſſimum eſt Iudæos non in Palæſtina tantum, ſed in Aſia, Africa, Europa, magno numero habitaſſe.

u Act. 2. x Clem. Ro. 5. Conſt. 2. li. Au. ſer. 154. de temp. Leo ep. 81. ad Dioſc. Iſid. de off. eccleſ. c. 24. Alb. eius de diuin. offic. y Sext. Syn. c. z Leuit. 23. Ex. 16. Ioſep. 3. antiq. 10. a Exod. 34. b Epiph. hær. 51 & alii. EX TOTO ORBE HIEROSOLYMAM. c Philo lib. cont. Flac. & li. de leg. ad Caium.

LXIX. QVOMODO APOSTOLI LOQVERENTVR LINGVIS.

Cæterum ex omnibus nationibus quindecim tantum numerans Lucas, cum inter eas æque Iudæos recenſeat eſſe admiratos, quod ipſorum lingua Apoſtoli loquerentur; plane ſignificat Galilæos diuerſa à Iudæis vti lingua cõſueuiſſe: vnde & ancillam oſtiariam merito apparet dixiſſe olim Petro [d], *Galilæus es: nam & loquela tua manifeſtum te facit*. Fuit autem ſententia Chryſoſtomi [e], tot linguarũ locutiones impartitas fuiſſe Apoſtolis, quot erant Hieroſolymis externæ nationes quæ eos loquentes audirent: & ſi plures fuiſſent, plures etiam accepturos fuiſſe; ac deniq; cum diſperſi ſunt per Orbem terrarum lingua omnium gentium ad quas profecti fuiſſent eſſe locutos. Sed quod ſpectat ad linguarum genera, quæ eſſent in Orbe terrarũ; Clemens [f] Alexandrinus recitat teſtimonium Scriptorũ Gentilium, qui non aliunde quam ex Iudæorum libris (nempe ex eo quod Moyſes ait, omnes animas ex Iacob quæ deſcenderant in Ægyptum, fuiſſe ſeptuaginta quinque) linguas ſeptuaginta quinque fuiſſe teſtantur. At vero alia ratione inita Auguſtinus [g] quod ex tribus Noe filiis ſeptuaginta duæ gentes per terras eſſe cœperunt; totidem linguas eſſe putauit. Eademque ratione Epiphanius [h], ſeptuaginta duos turris Babel ædificatores, totidem conſtituiſſe varias linguas ſcripſit. Sed Pacianus [i] cum numerat centum viginti linguas, reſpectum habuiſſe videtur ad numerum eorum qui ſimul in vna domo [k] fuerant congregati, ſuper quos omnes putatur deſcendiſſe Spiritus ſanctus; quaſi velit non omnes illos omnia aſſecutos eſſe linguarum genera, ſed ſingulos ſingulas. Verum hæc communi Interpretum ſententia reiiciuntur. Sic enim linguarum donum accepiſſe conſtat Apoſtolos, vt quiuis eorum linguis omnibus loqueretur; non autem (vt aliqui exiſtimarunt) vt vno ex illis vna lingua loquente, omnes qui audirent, licet eſſent diuerſarum linguarum, intelligerent. Hoc enim modo eorum potius qui audirent, quam qui verba facerent, miraculum fuiſſet; prout egregie inter alios interpretatus eſt Gregorius [l] Nazianzenus.

d Matt. 26. e Hæc euat etiam Olec. in Annal. f Clem. lib. 1 Strom. g Aug. 16. de ciuit. c. 6. & 11. h Epiph. de menſ. & pond. i Pac. ep. 2. ad Sympr. k Act. 2. l Naz. orat. in die Pent.

LXX.

Cum autem qui eos audirent, rei cauſam ignorantes, alii admirarentur, alii ebrios eſſe dicerent; Petrus, qui nõ ſolum primus [m], ſed & os omnium erat, verbi prędicationem primus omnium exorſus eſt, & egregia concione [n] non tantum pro ſuis Apologiam dixit, ſed de Chriſti paſſione, reſurrectione, & aſcenſione ac de Spiritus ſancti miſſione diſſeruit. Sed quod excepit, ſuos non potuiſſe eſſe ebrios, *cum eſſet hora diei Tertia*; quid tam inſolens videri debet, ſi ſecundum partitionem diei apud Hebræos quam ſuperius expoſuimus, ea hora illi pranſi fuiſſent, homines præſertim peregrini & piſcatores? Sed perfacilis erit huiuſmodi ſolutio, ſi nouerimus Hebræorum illam fuiſſe conſuetudinem [o], vt non liceret diebus feſtis cuiquam ante Sextam horam prandere. Ceterum eo ſermone Petri tria hominum millia ad Chriſti fidem perducta eſſe, & baptizata, Lucas tradit; additque omnes qui credebant habuiſſe omnia communia: multa quoque ab Apoſtolis ſolita fieri miracula; & ſic ab eis diſtributa eſſe officia, vt quotidie in templo perſeuerarent, (nimirum orantes, vel Dei verbum annunciantes) & in domibus panem frangerent, ſacram videlicet Euchariſtiam miniſtrantes.

m Chryſ. ho. 3. ad Antioch. & hõ. 4. in Act. Apoſ. n Act. 2. DE HORA DIEI TERTIA. o Ioſeph. de vita ſua. PETRI PRÆDICATIONIS EFFECTVS.

LXXI. DE SEPVLCHRO DAVID.

Quod vero eadem Oratione Petrus de SEPVLCHRO DAVIDIS meminit, atque illud in eam diem apud eos fuiſſe; obſeruatione quidem dignum eſt, Sepulchrum illud (quod & SALOMONIS dictum eſt, quia & ipſe illic conditus erat) remanſiſſe etiam integrum in excidio Hieroſolymorum poſt hæc per Titum facto, ſicque perduraſſe vſq; ad nouiſſimam Iudæorum cladem per Hadrianum illatã: tunc enim, antequam illa contingerent, quaſi in prodigium futuri vltimi Iudæorum exterminii, ſponte corruiſſe auctor eſt Dio in Hadriani Vita. Meminit ſæpe de illo Ioſephus [oo]; quod & auguſtis ædificiis Salomonis opera extructis ornatum tradit, & ingentib. theſauris nobilitatum: quæ perquirens quondam Herodes, flamma ex adytis erumpente repulſus eſt. Quod autem diximus illud ſub Hadriano corruiſſe; id quidem haud ſic accipiendum eſt, vt ſolo adæquatum, ſed tantum aliqua ex parte collapſum fuerit: ſiquidem Hieronymus [p] relegens loca ſancta ſui temporis; ac ſi ipſum integrum remaneret, in Mauſoleo Dauidis precari ſolitum tradit.

oo Ioſ. 7. antiq. vlt. & lib. 16. ca. 15. p Hie. ep. 27. ad Marcel.

LXXII.

Quod ſubditur apud Lucam [pp], Petrum & Ioannem aſcendiſſe in templum ad horam orationis Nonam; ſatis indicat (quod præclare inter alios explicat Sanctus Leo [q]) quæ ſcripta in Lege, vel conſuetudine laudabili introducta eſſent apud Hebræos pcepta moralia, ea non modo Apoſtolos non ſpreuiſſe, ſed etiam in Eccleſiam transfundere voluiſſe. Et quod ſpectat ad antiquum certis horis orandi ritum, agit in primis Tertullianus [r] de tribus inſignioribus (vt vocat) ab Apoſtolis ex Iudæorum fontibus in Eccleſiam deductis, nempe *Tertia, Sexta, Nona*. Quib. & alias duas ſuperadditas docens Cyprianus [ſ], nimirum *Matutinam* & *Veſpertinam*, earumdem omnium quinq; originẽ ſimul ac myſteria deſcribit. Denique Athanaſius [t], præter iſtas quinque; duarum item aliarum mentionem faciens eius videlicet quæ *Oriente* fit *Sole*, & quæ *Media nocte*, cunctarum ſeptem diuina myſteria explicat. De ſeptem item orandi Horis, quatuor diurnis, & tribus nocturnis, agit ſæpe Ioannes Chryſoſtomus [u], & ante ipſum Baſilius [x]; licet & hic alicubi Octauam videatur addidiſſe: ſed

pp Act. 3. q Leo ſer. 7. de ieiun. ſept. menſ. r Tert. adu. Pſych. c. 10. DE HORIS CANONICIS. ſ Cypr. de orat. Dom. t Athan. de virg. u Chryſoſt. homil. 29. ad Antioch. ho. de laud. mon. ho. 14. in Ti. 1. & in Pſal. 118.

quam

x Baſil. in Regul. interrog. 37.

quam ponit poſt mediam noctem ante diluculum, iungere ſimul conſueuit Eccleſia, eaſdemque pro vna numerare hora, quam *Matutinum Officium* nominat Hieronymus [y]; qui & ipſe de ijſdem ſeptem horis, variis [z] locis meminit: ſicut & Caſſianus [a], Iſidorus [b], & alij fere innumeri. Quæ quidem ex antiqua inſtitutione, & maxime Dauidis [c] dicentis, *Septies in die laudem tibi dixi*, per Apoſtolos ſemel in Eccleſiam tranſlata, feliciter perſeuerant. Quod vero pertinet ad nocturnas preces, ipſas ſacras Vigilias, accommodatius de ijs agemus inferius.

y Hier. ep. 22. ad Euſtoch. z Hieron. in Dan. 7. & ep. 7. 8. 22. 37. a Caſſian. collat. 7. b Iſid. de eccle. offic. cap. 19. c Pſal. 118.

LXXIII. LOCVS ORATIONIS.

Ex ijſdem quoque Lucæ verbis, non certas tantum diei horas precibus conſecratas didicimus, ſed & locum quo ad preces Deo fundendas conuenire debeant Fideles. Quantumlibet enim priuatas quis orationes domi agere intra cubiculum ſuum (vt Dominus docuit debeat eſſe ſollicitus; tamen exemplo Apoſtolorum, templum ad orationem adeuntium, admonentur Chriſtiani, ad publicas preces in vnum locū, ipſam ſcilicet Eccleſiam, conuenire. Quod quidem faciendum eſſe, S. Ignatius, qui ijſdem vixit temporibus, ſcribens ad Magneſianos inculcat. Sicut & exemplo ipſius Domini, qui cum Hieroſolymis eſſet, docebat in templo, ijdem etiam Apoſtoli illic doctrinæ Cathedram erexerunt; prout inferius docet Lucas [d], dum ait eos omnes fuiſſe vnanimiter in porticu Salomonis. Ad quod alludens Tertullianus [e], ait inſtitutionem Chriſtianorum de porticu Salomonis eſſe, quod equidem maximum opus Templi Salomonis, poſt iteratas reliqui Templi deſtructiones atque reſtaurationes, hactenus integrum permanſiſſe, tam idem Lucas [ee], quam Ioannes, atque etiam Ioſephus, docent. Sed de his modo ſatis.

d Act. 5. e Tert. de præſcript. ee Act. 3. & 5. Ioan. 10. Ioſeph. 20. antiq. 8.

LXXIV. *f Act. 3.* PETRVS CLAVDVM SANAT. *g Act. 4.*

Narrat poſt hæc Lucas [f] hiſtoriam ſanati à Petro claudi à natiuitate ad portam templi; & quomodo ad rei nouitatem concurrentibus populis, ea Chriſtum annunciandi arrepta occaſione, concionem habuerit, qua quinque millia hominum ad fidem perduxit. Quando ſuperuenientes [g] Sacerdotes atque Sadducæi, eumdem Petrum, & qui eum comitabatur Ioannem Apoſtolum in carcerem detruſerunt; ac die ſequenti in magnum concilium ſeptuaginta duorum Seniorum (cuius Principem fuiſſe Annam, cum Caiphas eſſet Summus Sacerdos, ſuperius explicatum eſt) introductos, atque interrogatos, liberos dimiſerunt propter populum qui magnificabat quæ geſta fuerant; facta duntaxat ijs prohibitione ne amplius in nomine IESV docerent. Hæc fuſius Lucas. Quale vero myſterium miraculo Petri contineretur, egregie Ambroſius [h] enarrat, dum ait Petrum, quia petra eſſet ſuper quam ædificaretur Eccleſia, recte primum ſignum mirabilium ſuorum feciſſe claudo pedum reſtituendo veſtigia, vt ſicut ipſe in Eccleſia fidei fundamentum continebat, ita & in homine membrorum fundamenta confirmaret. Vt non mireris, ſi Lucas, quamtumlibet prodigia ac ſigna ab Apoſtolis antehac facta eſſe teſtatus [i] eſſet; tamen ab eo quod tam inſigniter eſt editum ab Apoſtolorum Principe, cæteris prætermiſſis, narrationem inſtituerit.

h Ambr. ſer. 3 in natal. Apoſt. MYSTERIVM EX MIRACVLO. *i Act. 2.*

LXXV. *k Act. 4.*

Reuertente poſt carcerem Petro vna cum Ioanne ad ſuos; cum vniuerſa [k] quæ tum congregata in vnum erat multitudo, de ijs quæ geſta eſſent Deum laudaſſet, oranſque petiiſſet vt Euangelij prædicatio magis magiſque ſignis atque prodigijs illuſtraretur; factus eſt terræmotus; omneſque Spiritu Sancto deſuper veniente repleti ſunt; & erat omnium ſicut vna voluntas idemque animus, ita temporalium bonorum vſus communis. Quotquot enim (inquit Lucas) poſſeſſores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Quod vero Ioſeph qui cognominatus eſt BARNABAS, præ cæteris qui id præſtiterunt nominetur ab Euangeliſta; id in cauſa fuiſſe putatur, quod cum ditiſſimus eſſet, non agellum quempiam, latifundium vendiderit. Hæc enim qui eius res geſtas ſcriptis mandauit Alexander [l] teſtatur: addens eumdem origine Cyprium Hieroſolymis habitaſſe, & à Gamaliele vna cum Stephano ac Saulo ſacris literis imbutum fuiſſe, ac demum ad Chriſtum veniſſe vna cum eius conſobrino Ioanne Mariæ filio, apud quem (vt vidimus) Chriſti noua Eccleſia coaleſcere cœpit. Sane Euſebius [m] & Epiphanius [n] inter antiquos Chriſti Diſcipulos ipſum adnumerant.

DE BARNABA. *l ap. Metaph. & Sur. 11. Iunij. m Euſeb. 2. hiſt. 1. n Epiph. libr. 1. cap. 21.*

LXXVI. *o Act. 5.* DE ANANIÆ ET SAPHIRÆ INTERITV.

Poſt hæc Sanctus Lucas [o] *Ananiæ Saphiræ* ſacrilegij pauendam recenſet pœnam. Vendiderant agrum cuius pretij quod delaturi erāt ad pedes Apoſtolorum doloſa fraude partem ſibi retinuerunt. Penetrat in eorum corda Petrus omnium Iudex, & de perpetrato peccato conuictis diuinam vindictam prophetico Spiritu annunciat; quæ mox ſecuta eoſdem interemit, vt pœna duorum eſſet doctrina multorum. Quorum quidem duplex fuit ea in re peccatum: alterum quod ingerit Petrus, de mendacio in Spiritum Sanctum; alterum vero quod intulerunt Hieronymus [p], Athanaſius [q], Maximus [r], Gregorius [s], & alij, nempe quod quæ ſemel Deo vouerant non præſtitiſſent, partemque ſibi iam alienæ ſubſtantiæ reſeruaſſent. Cæterum hanc pœnam non ad ſupplicium æternum, ſed ad expiationem peccati, vt ſic ſalui eſſe poſſent in futuro ſæculo, à Deo eſſe illatam, Origenes [t], Auguſtinus [v], & alij exiſtimarunt. Quod autem ad dictam in communem vſum bonorum collationem pertinet; nō ea quidem eiuſmodi fuit, vt quicumque Chriſtianus eſſe vellet, non aliter id conſequi poſſet, vel vt eadem viuendi norma ceteris omnibus qui credituri eſſent præſcriberetur. Nam de Paulo [x] Apoſtolo conſtat, Corinthios per epiſtolam monuiſſe, ſic indigentibus eleemoſynas impartiri, ne eſſet nimis profuſa largitio. Sed hæc facta ſunt ipſo exordio naſcentis Eccleſiæ, priuato quodam Spiritus ſancti impulſu, tum vt, quod excitanda eſſet in fideles vehemens perſecutio, renunciationis Fidei periculum, eiuſmodi rerum temporalium lucroſa iactura redimerent; tum maxime vt excultioris vitæ quoddam poſteris imitandum formaretur exemplum. Inde enim quotquot religioſorem vitam ſunt amplexati, *Voluntariæ Paupertatis* formam ſumpſiſſe, conſtat ex Baſilio [y], Auguſtino [z], alijſque omnibus qui Monachis ſelectas viuendi Regulas præſcripſerunt.

p Hier. ep. 8. ad Demetriad. q Ath. ſer. de paſſ. & cru. r Max. ap. Ambr. ſer. 9. & Aug. de verb. Apoſt. ſer. 25. s Greg. 1. ep. 33. Ind. 9. t Orig. tract. 8. in Matth. v Aug. 3. con. Parm. 1. DE RENVNCIATIONE BONORVM. *x 2. Cor. 8. y 2. Baſil. de reg. monach. z Aug. ſer. 50. de diuerſ.*

LXXVII. *a Act. 5.* PETRI IN MIRACVLIS PRÆROGATIVA.

Narratis iam his quæ in Ananiam & Saphiram ſunt diuinitus acta, ſubdit Lucas [a] adeo miraculis & prædicationibus Apoſtolorum augeri ſolitam in dies credentium in Domino multitudinem, vt etiam infirmos omnes & vexatos à ſpiritibus immundis, non ciuitatis tantum Hieruſalem, ſed & vicinarum omnium, in plateis exhiberent, vt tranſeuntis Petri vmbra liberarentur ab infirmitatibus ſuis. Fuit nimirum iſta prærogatiua Petri, vt ſicut in omnes Apoſtolos primatu eſt auctus, ita etiam inſigniora ederet miracula. Quid vero *Vmbra Petri*, niſi imago expreſſa corporis eius? Certe quidem non aliunde, quam ex eiuſmodi imaginibus vmbra formatis, picturam duxiſſe originem ferunt. [b] Vt ex his videas, IMAGINVM pium cultum in vmbra Petri à Deo primitus in primori illa Eccleſia tot tantiſque miraculis eſſe diuinitus conſecratum. Rurſus vero cum eamdem vmbræ Petri virtutem inditam videmus, quam & ipſi corpori Petri; illud certe typice expreſſum eſſe videtur, tantam à Deo Principi Apoſtolorum gratiarum copiam eſſe collatam, vt eamdem in ipſius ſucceſſoribus feliciter propagari voluerit: nimirum vt quamuis non omnes æque ſancti ac Petrus, tamen quia eius gererent perſonam, eamdem etiam retinerent à Deo illi traditam poteſtatem: ſcirentque omnes, reſpectu Petri in honore habendos eſſe, qui vmbram ſaltem Petri hac ex parte referrent.

b Clem. Alex. adu. Gent. SACRARVM IMAGINVM CVLTVS IN VMBRA PETRI.

LXXVIII. APOSTOLI CONIICIVNTVR IN CARCEREM, ET FLAGELLANTVR.

Ceterum tantam Chriſti gloriam, in Petro ac ceteris Apoſtolis diuinitus illuſtratam, inuidentes Principes Sacerdotum; eos in carcerem detruſerunt. At ab Angelo noctu liberati, iuſſique intrepide Euangelium prædicare, diluculo templum ingreſſi, cœperunt confluentem docere populum: vnde rurſus ad Concilium Seniorum producti, cum de nece illis inferenda iniretur conſilium, oratione Gamalielis Legiſperiti (qua exemplis Theodæ, & Iudæ Galilæi, de quibus dictū eſt ſuperius [c], docuit, ſi doctrina Apoſtolorum ex hominibus eſſet, facile ſponte dilapſuram; ſi vero ex Deo, fruſtra ei homines repugnaturos) dimiſſi ſunt, poſtquam virgis cæſi eſſent, & IESVM annunciare

c Ann. 1.

ciare prohibiti: quia tamen eo magis eumdem quotidie in templo prædicare non deſtiterunt. Hæc pluribus Lúcas [d] Porro Gamalielem fuiſſe Chriſtianum, ſed conſilio Apoſtolorum ſic occultum inter Seniores permanſiſſe, vt ea ratione melius conſulere Eccleſiæ poſſet, traditur in libris Recognitionum [e] Clementis quos licet apocryphos citat Beda [f] & hæc eadem de Gamaliele recitat. Sane illum adhæſiſſe Chriſtianis, & inter Chriſtianos eſſe profeſſum, certum plane illud eſt indicium, quod Stephanus protomartyr in ipſius ſepulchto, & ipſe apud eumdem Stephanum a Chriſtianis ſepultus eſt; vt dicetur inferius ſuis locis.

d Act. 5. GAMALIEL CHRISTIANVS. e Recog. lib. 1. c. 9 & 10. f Bed. Retract. in Act. 5.

LXXIX. PRIMA DISCORDIA IN ECCLESIA.

His iam externis hoſtibus fortiter ab Apoſtolis ſuperatis; per eos qui intus in Eccleſia erant, veritatis hoſtis diabolus longe periculoſius in eos certamẽ aggreditur. Creſcente enim numero Fidelium *factum eſt*, inquit Lucas [g], *murmur Græcorũ aduerſus Hebræos, eo quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum*. Porro nõ ſic hoc loco accipiendi ſunt *Græci*, quaſi Gentiles, ad diſtinctionẽ Hebræorum; nam nondum Gentilibus Chriſti Eccleſiæ patebat oſtium: ſed quod (vt ſuperius Philone auctore diximus) ſicut in ceteris Orbis partibus, ita etiam in Græcorum regionibus Iudæi agerẽt: cum alioqui etiam Lacedæmones [h] nobiles in Græcia populi, ab Abraham ſe originem ducere gloriarentur; & in Ionia [i] item Græcorum prouincia quamplurimi habitarent Iudæi. *Græci* igitur dicebantur à Iudæis, qui in Græcia Hebræi agerent; Palæſtinæ vero indigenas, proprio nomine appellabãt *Hebræos*; vt hic etiam Lucas feciſſe cognoſcitur. Quodnam vero fuerit huiuſmodi miniſteriũ, à quo Græcorum viduæ videbantur excluſæ, duplex reperitur ſententia: Altera eorum, qui putarunt certas Hebræorum viduas menſarum ſeruitio fuiſſe præfectas: (nam & mulieres Domino miniſtraſſe vero teſtantur [k] Euangeliſtæ) altera, eorum qui eiuſmodi miniſterium quotidianum interpretati ſunt ipſam eleemoſynarum quotidie fieri [l] ſolitam in ſingulos diſtributionem. Porro ſecundum priorem ſententiam eſſe potius iudicandum, facile perſuadent ea quæ ſubdit Lucas de electione ſeptem Diaconorum qui menſis miniſtrarent.

g Act. 6. IVDAEI GRAECI. h 1. Machab. 12. Ioſeph 12. Ant. 5. & lib. 14. cap. 9. i Ioſ. 16. ant. 4. MINISTERIVM VIDVARVM. k Matt. 27. Mar. 15. Act. 4.

LXXX. DVPLEX MENSA.

MENSAS autem illas quibus præfecti ſunt Diaconi, fuiſſe ſacras æque ac communes, demonſtrat ſatis hiſtoria naſcentis illius Eccleſiæ; qua cognoſcitur quod ſicut Dominus in vltima cœna vtramque menſam vna coniunxit, communem in qua agnum comedit, & ſacram in qua ſacratiſſimum ſuum Corpus & Sanguinem propinauit: ità etiam temporibus Apoſtolorum eadem in Eccleſia conſuetudo eſt conſeruata, vt ſimul vtraq; menſa coniungeretur. Eſſe enim de ea re perſpicuũ Pauli teſtimonium in priori ad [m] Corinthios, omnes illic notant Interpretes. Quapropter *Miniſterium quotidianũ* nihil aliud fuit, quam eiuſmodi menſis inſeruire, quæ quotidie parabantur ſicut & ait Lucas [n] Fideles perſeueraſſe quotidie in communicatione fractionis panis. Verum non communem tantum cibum per fractionem panis debere intelligi, Paulus [o] docet cum ait, *Panis quem frangimus, nonne participatio eſt Corporis Domini?* Faceſſat ergo ſententia aſſirmãtium Diaconos menſis tantum communibus, non etiam miniſterio altaris fuiſſe præfectos. Quid enim ad cibaria paranda talibus opus fuit miniſtris, tanta ſollicitudine delectis, tam ſacris ritibus initiatis? quos quidem Lucas [p] narrat conquiſitos fuiſſe qui eſſent boni teſtimonij, & Spiritu ſancto ac ſapientia pleni; ijſdemq; Apoſtolos orantes manus impoſuiſſe. Deniq; ne in re tam clara diutius immoremur, cum plura in hãc ſententiam coaceruati poſſent SS. Patrum teſtimonia, vnus ſit inſtar omnium Ignatius: qui cum Diaconorum miniſterium quodnam hoc tempore eſſet oculis ſpectauerit, non ſemel [q] aſſerit eos non ciborum & potus miniſtros eſſe, ſed Eccleſię Dei & myſteriorum Chriſti adminiſtratores, qui purum & inculpatum miniſterium Sacerdotibus exhiberent. Itaque quod dictum eſt, ſeptem Diaconos menſis etiam communibus fuiſſe præfectos, non ſic accipienda res eſt, vt ceteris accumbentibus ipſi quæ ad cibum potumque petinerent illuc inferrẽt; ſed quod ea, eleemoſynas egenis diuidendo, curarent; quippe qui non ſolum miniſterio Sacramentorum, ſed etiam diſpenſationi Eccleſiaſticæ ſubſtantiæ, & eleemoſynarum largitionibus præpoſiti eſſent: ſicut & hoc ipſum vſu poſtea retentum eſſe, Hieronymus [r], Ambroſius [s], Leo [t], Proſper [u], & alij teſtantur: extatque apud Gregorium [x] Papam ipſa ſcripti formula, cum alicui committeretur diaconia. Quod vero Lucas recenſendo ſingulorum ſeptem diaconorum nomina primum ordine ponit Stephanum, S. Auguſtinus [y] ex eo accidiſſe putauit, quod primatum ageret inter Diaconos, ſicut inter Apoſtolos Petrus; vnde & *Primicerius* [z] *Diaconorum*, & *Archidiaconus* [a], tam à Græcis quam Latinis appellatus habetur.

m 1. Cor. 11. n Act. 2. o 1. Cor. 10. DE ELECTIONE, ET MVNERE DIACONORVM. p Act. 6. q Ignat. ep. ad Tral. & ep. ad Heron. r Hier. in Ezech. 48. s Amb. offic. cap. vlt. t Leo ſer. de S. Laurent. u Proſp. in Chron. an. 429. x Greg. epiſt. 14. Indict. 4. y Aug. ſerm. 94. de diu. STEPHANVS ARCHIDIACONVS. z Aug. ſer. 1. de Sanct. a Lucian. ep. de inuent.

LXXXI.

Quod autem ſpectat ad VIDVAS illas, quæ præerant miniſterio quotidiano; conſtat quidem eas poſt Diaconorum electionem ab eo ceſſaſſe, verum alijs functionibus mãcipatas: de quarum electione agens Paulus [b], non minus quam ſexaginta annorum viduam eligẽdam, eamque moribus probatam præcepit: quæ communi appellatione DIACONISSÆ ſunt dictæ; eſtq; frequentiſſima earum mẽtio apud Eccleſiaſticarum rerum Scriptores. Fuit vero illarum muneris, vt ſicut foribus qua ingrederentur viri, Ianitores (qui & Oſtiarij dicti ſunt) præfecti erant; ita ipſe portis mulieribus tantum patentibus præeſſent: vnde ab Ignatio [c] dicuntur ſacrorum veſtibulorum cuſtodes. Sicut enim in templo Hieroſolymitano [d] erant fœminarum portæ, & loca orationis à viris ſeiuncta; ſic etiam laudabilem illum morem in Chriſtianorum Eccleſias fuiſſe trãſlatum, dicetur inferius [e] aptiori loco. Inſeruiſſe inſuper Diaconiſſas ad mulierum fidelium miniſteria, puta lauacri, aut viſitationis, vel laboris, & ſimilia quæ à viris ſine aliqua improborum ſuſpicione obiri non poſſent; expreſſum habetur apud Clementem [f] & Epiphanium [g]: cum tamen non eſſent eiuſmodi, vt ſicut Diaconi, manus impoſitionem acciperent, vel aliquo Sacramento initiatæ eſſent: Nam Sacroſancta Nicæna [h] Synodus ea ex cauſã eaſdem inter laicas adnumerat.

b 1. Tim. 5. DE DIACONISSIS. c Ign. ep. ad Antioch. d Ioſ. 6. de bel. 4. e an. 57. num. 17. f Clem. 3. Conſt. c. 15. g Epiphan. hær. 79. h can. 19.

LXXXII. PRESBYTERAE ET EPISCOPAE.

Ruſum vero (ex quo in hæc incidimus) ſicut Diaconiſſarum frequens eſt mentio apud Eccleſiaſticarum rerum Scriptores; ita etiam in ijſdem ſępe nomen PRESBYTERÆ, & aliquando etiam EPISCOPAE reperitur: at non ab aliquo Eccleſiaſtico miniſterio, vel quod Diaconiſſis præeſſent ſed vel quod ob ætatem viduæ ſeniores dicerentur Presbyteræ, vt in Concilio Laodiceno [i], & apud Athanaſium [k], vel quod ita nuncuparentur à virorum ſuorum ordine, cum iſtis in Presbyteros electis, ipſæ interim vitam cœlibem agerent; vt in Concilijs Turonenſi [l] Secundo & Antiſiodorenſi [m], atq; apud Baſilium [n] & Gregorium [o] Papam: notatque Photius [p] ex Synodis Nicæna, Laodicenſi, & Chalcedonenſi, prorſus diuerſum fuiſſe Presbyteram à Diaconiſſa. Sicut autem presbyteræ, ita & Epiſcopæ [q] appellatæ reperiuntur, quarum viri fuiſſent in Epiſcopos poſtea conſecrati, ipſæque ab illis diuiſæ vitam pariter cœlibem agerent: Eademque denominatione interdum quæ vxor fuiſſet viri ad diaconatum promoti, Diaconiſſa nominabatur [r]; & Subdiaconiſſa coniux viri illius qui ad Subdiaconatus ordinem aſcitus eſſet. Sed de his ſatis: de reliquis autem virorum Ordinibus ſacris, & Officijs Eccleſiaſticis dicetur alias [s].

i Conc. Laod. c. vlt. k Athan. ad Virg. l Conc. Tur. 2. c. 20. m Antiſ. can. 21. n Baſil. ep. ad Peregor. presb. o Gregor. 4. dial. 11. p Phot. in Nomoc. tit. 1. c. 37. q Conc. Tur. II. c. 13. 14. r Conc. Tur. II. c. 20. s Con. 44.

LXXXIII. IACOBVS APOSTOLVS CREATVS HIEROSOLYMORVM EPISCOPVS.

Hoc item anno, quo Dominus noſter IESVS Chri.ſtus conſummato Redemptionis humanæ myſterio cœ os aſcendit, cum credentium in eum numerus in dies magis augeretur; inter cetera quæ ad coagmentandam naſcentem Eccleſiam ſunt ab Apoſtolis ſa ubriter inſtituta, Iacobus Alphæi, cognomento iuſtus, idemque frater Domini dictus, à Petro *totius Orbis Magiſtro* (inquit Chryſoſtomus [t]) *prepoſitus eſt omnium primus* EPISCOPVS HIEROSOLYMORVM ECCLESIAE: ipſiuſque ordinationis myſterium, quod vſitatiori vocabulo Conſecrationem dicere conſueuimus, ab eodem Petro vna cum Ioanne & Iacobo fratribus conſummatum eſt, vt docet epiſtola quæ dicitur Anacleti [u]: qua etiam traditur, datam à Petro formam eſſe, vt non minus quam à tribus Epiſcopis electus Antiſtes conſecraretur. Ceterum iſtud

t Chryſ. hom. 87. in Ioan. u Anacl. ep. ad Epiſ. Ital. tom. 1 epiſt. Rom. Pont. & to. 1. Con.

de Iacobi

x *Euſeb. in Chron. & 2. hiſt. 1.*

de Iacobi creatione hoc anno contigiſſe cum teſtatur Euſebius [x], æque ab iiſdem tribus Apoſtolis eumdem ordinatum ex Clemente Alexandrino refert. Aduerſus illos autem qui dicunt tres fuiſſe Iacobos; & Alphæi dictum, diuerſum eſſe à Iacobo Iuſto, quem etiam audent extra duodenarium Apoſtolorum numerum conſtituere (quod quidem ex peruulgato Clementis Romani nomine Recognitionum libro apocrypho eos liquet eſſet mutuatos) pluribus diſputat S. Hieronymus [y], oſtendens duos fuiſſe tantum Iacobos, alterum Zebedæi, fratrem Ioannis, Alphæi alterum, eumdemque dictum Iuſtum, & fratrem Domini, hoc eſt conſobrinum: quos & Maiorem & Minorem dictos, aliiſque differentiis inter ſe diſtinctos affirmat ac probat. Sicut & idem Euſebius [z] item ex Clemente Alexandrino, non niſi duos Iacobos agnoſcit Deniq; an non plus ſatis Paulus [a] Apoſtolus monſtrat Iacobū fratrem Domini, vnum ex Duodecim fuiſſe, cum ait *ſe alium Apoſtolorum vidiſſe neminem, niſi Iacobum fratrem Domini?* Cui quidem in officio Diaconi miniſtraſſe S. Stephanum, quem nuper electum vidimus, teſtatur S. Ignatius.

y *Hier. in Iſa. 17. & aduerſ. Heluid.*
z *Euſ. 2. hiſt. 1.*
a *Gal. 1.*

LXXXIV. IACOBI CATHEDRA.

Porro inſignia quædam Epiſcopatus Iacobi non tantum memoria, ſed & vſu ad poſteros eſſe delapſa, veterum Scriptorum auctoritate exploratum habetur. Ipſam enim eius *Cathedram ligneam*, Euſebius [b] ad ſua vſque tempora ſeruatam, & permagni habitam tradit. Conſueuerunt enim maiores tanti memores beneficii, quod Apoſtolica prædicatione è tenebris in lucem educti eſſent, etiam ipſas Sedes ligneas quibus illi inſediſſent, ſumma diligentia cuſtoditas veneratione proſequi: Sicut & de cathedris Petri Romæ, & Marci Alexandriæ, factum eſſe ſuis locis dicemus. Sedes porro illæ Epiſcopales, ſublimiores fieri ſolebant, quas *Apſides gradatas* appellat S. [c] Auguſtinus: ſicut etiam quod velis ornari conſueuerant, *Velatas* nominat; Pacianus autem *Linteatas*: qua de re eſt egregium exemplum apud Pontium in martyrio S. Cypriani.

b *Euſeb. 7 hiſt. 14.*
c *Aug. ep. 203.*

LXXXV. ORNAMENTVM CAPITIS EPISCOPORVM.

Inſuper ad Epiſcopalis dignitatis ornamentum, eumdem Iacobum geſtare in capite conſueuiſſe *Laminam*, ſeu bracteam auream, ex Clemente Alexandrino & eodem Euſebio Epiphanius [d] teſtatur; idemque aſſerunt Hieronymus [e], ac ceteri pene omnes Eccleſiaſtici Scriptores. Illud autem ornamentum, in ſignum Regalis Sacerdotii (vt ipſum vocat Petrus [f]) geſtari conſueuiſſe à Chriſtianæ Legis Pontificibus, ſatis idem declarat Epiphanius, dum eius rei hanc affert rationem, quod Chriſtus Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, & Rex ex ſemine Dauid, ipſam regiam dignitatem vna cum Pontificia, in Eccleſiam ſuam ac eius Pontifices, in æternum permanſuram tranſtulerit. Non enim Iacobo tantum eiuſmodi regiæ dignitatis inſigne peculiare fuiſſe, ſed & ceteris Apoſtolis commune; par eſt crēdere, cum eodem æque vſum eſſe Ioannem Euangeliſtam, ex epiſtola Polycratis Epheſiorum Epiſcopi ad Victorem Romanum Pontificem tradant Euſebius [g] ac Hieronymus. [h] Porro eius origo ex antiqua [i] lege deducta eſt; in qua cum ceteris Sacerdotibus vti cydari ſeu mitra conceſſum eſſet. Laminam tamen auream ſuperaddere ſolius erat Summi Pontificis. Vocatur eadem in diuina Scriptura [k] CORONA: & Ioſephus [l] ornamentum capitis Summi Sacerdotis deſcribens, monſtrat non tantum lamina, ſed & corona aurea triplici ordine dicta mitram ornatam fuiſſe. Eo vero ornatu ſignificari diadema regium, inſigne poteſtatis mirificæ, Philo [m] declarat. Nec prætermittimus dicere de Brachmanis Sacerdotibus, quos teſtatur Philoſtratus [n] vti conſueuiſſe mitra gemmis ornata. Sicut & Summum Sacerdotem Deæ Syriæ, auream tiaram geſtare ſolitum Lucianus ſcribit: & Pontificis Maximi Romanæ antiquæ ſuperſtitionis ornamentum, fuiſſe coronam auream, Prudentius affirmat in Romano Martyre. Sunt & alia plura de his exempla, ſed hæc ſatis.

d *Epiph. an. hær. 29. & 78.*
e *Hier. de ſcript. Eccleſ. in Iacob & in Gal. 1.*
f *1. Pet. 2.*
DE LAMINA AVREA.
g *Euſeb. 5. hiſt. 23*
h *Hier. de ſcript. Eccleſ. in Polycr.*
i *Exod. 28. 39 39. Leuit. 8.*
k *Eccleſ. 45.*
l *Ioſ. 3 antiq. 8.*
m *Phil. de profug.*
n *Philoſtr. Vit. Apollon. lib. 2. & 3.*

LXXXVI.

Vt vero de noſtris agamus, inprimis Hieronymus [o] de indumentis Sacerdotii legis Moſaicæ ſcribens, docet omnia in Chriſto eſſe perfectius conſummata. Et ex inſtitutione, immo & vſu (vt vidimus) Apoſtolorum manaſſe certum eſt, vt Epiſcopi Chriſtianæ Eccleſiæ, quod regali fungerentur ſacerdotio tamquam Reges & Sacerdotes mitra in ſacris vterentur pretioſa quam quidem fuiſſe maximi pretii, ſatis Amnianus [p] demonſtrat, dum agit de Maſcizel tyranno in Africa; qui à Theodoſio profligatus, vt eum ſibi conciliaret, *militaria* (inquit) *ſigna, & Coronam Sacerdotalem, cum ceteris quo interceperat reſtituit, vt præceptum eſt.* Quemadmodum & de mitra S. Ambroſii gemmis ornata meminit Ennodius in epigrāmate de ipſo ſcripto; & Gregorius [q] Nazianzenus de ſua; aliique de aliis. Licet autem eodem nomine eiuſmodi capitis ornamentum, Mitra, ſeu Cydaris, tam apud Sacerdotes antiquæ legis, quam nouæ appellaretur: tamen fuiſſe diuerſo modo concinnatum; & ſicut priſtina forma quid myſticum præſeferebat, ita & nouam alia myſteria repræſentare, docent qui agunt de Eccleſiaſticis Officiis ac Ritibus; quos conſulat qui ea cupit.

o *Hier. ep. 128. ad Fabiol.*
CHRISTIANORVM PONTIFICVM CORONA.
p *Am. lib. 29.*
q *Nazianz. Apolog. 1.*

LXXXVII.

Quod autem rurſum ad Iacobi indumenta pertinet; quod ipſe ſindone tantum ſimplici vteretur, inde factum eſt vt ad eius imitationem, atque etiam in ipſius Domini Hieroſolymis crucifixi memoriam, ſucceſſores Hieroſolymitani Epiſcopi haud circumſpecte induti incederent, ſed ſimplici candida veſte licet eiuſdem Eccleſiæ clerici ſericis etiam atque ſplendidis vterentur: ſicut inter alia teſtimonia, conſtat ex narratione Cyrilli [r] in rebus geſtis S. Euthymii, vbi agit de Anaſtaſio eius Eccleſiæ Epiſcopo. Ac denique Poderem, & Superhumerale, ſeu Pontificalem *Stolam* eiuſdem S. Apoſtoli diutiſſime conſeruatam eſſe; eaque in ſacris miniſteriis vti ſolitos ipſius ſucceſſores Epiſcopos, docet epiſtola [s] Theodoſii eiuſdem ciuitatis Hieroſolymitanæ Antiſtitis, ſcripta poſt multa ſæcula tempore Octauæ Oecumenicæ Synodi ad S. Ignatium Patriarcham Conſtantinopolitanum, qua profitetur ſe eamdem ipſam ei dono cum aliis ſacris muneribus mittere.

r *ap. Sur. 20 Ianuar.*
STOLA S. IACOBI.
s *in Act. Oct. Syn. Act. 1.*

LXXXVIII.

Poſt electionem ſeptem Diaconorum, mox Lucas [t] narrationem inſtituit de Stephani martyrio. Vnde fuit quorundam opinio, illud haud multo poſtquam eſt electus Diaconus, contigiſſe tertio Nonas Auguſti. Contra vero fertur [v] Hippolyti Thebani nomine ab his procul abhorrens ſententia, quā & Nicephorus [x] adſcribit Euodio, vt nex Stephani contigerit anno ſeptimo ab eius electione; eodemque tempore & Paulus à Chriſto vocatus fuerit Sed cum his quamplurima repugnēt, quæ inferius ſuis locis dicentur; libentius cum SS. Patribus dicimus, S. Stephanum paſſum eſſe die vigeſima ſexta mēſis Decembris, ſed huius anni Coſſ. Domitio Ænobarbo & Camillo Scriboniano, anno Domini trigeſimoquinto per vnum diem inchoato. Verum cum (vt pręfati ſumus) annos Domini vna cum Coſſ. more maiorum à Calendis Ianuariis auſpicemur: haud mirum videatur, ſi ſub notato numero annorum Chriſti trigintaquatuor à nobis id geſtum recenſeatur. Porro dictam diem vigeſimamſextam Decembris, quæ ſubſequitur Natalem Domini, qua in hunc mundum venit ſubiturus ærumnas hominum, natalem pariter fuiſſe S. STEPHANI Protomartyris, qua ex hac ærumnoſa vita migrauit ad Dominum; & profitetur Eccleſia [y] Catholica, & ſenſerunt Gregorius [z] Nyſſenus, Auguſtinus [a], Fulgentius [b], & alii tam Græci quam Latini. Nec eſt quod quis dicat, ea die non ob Martyriū, ſed ob Tranſlationem eius Reliquiarum tunc factam (vt teſtatur epiſtola Luciani) agi ſolemnitatem ipſius: nam longe ante inuentionem & tranſlationem, natalem eius celebrari ea die conſueuiſſe, apparet ex ſermone prædicti Gregorii Nyſſeni, quē haud dubium eſt claruiſſe ante illa tempora.

t *Act. 6.*
v *ap. Glic. Annal par. 3.*
x *Niceph. 2. hiſt. 3.*
DE TEMPORE MARTYRII S. STEPHANI.
y *Martyrol. Rom. & alia.*
z *Nyſſ. ſerm. de S. Steph.*
a *Aug. ſerm. 98. & 115. de diuerſ.*
b *Fulgent. homil. de S. Steph.*

LXXXIX.

Porro rem geſtam, nobile eius certamen, ac triumphū egregium, S Lucas [c] exacte conſcripſit: docens obortam inde fuiſſe eius necis occaſionem, quod cum ageret ſigna & prodigia magna in populo, concitauit in ſe odium Iudæorum diuerſarum regionum, quarum collegia Hieroſolymis omnium Iudæorū metropoli conſtituta erant vt diuinam legem addiſcerēt: Græcorum enim ſcientias, vel nationum linguas, haud licuiſſe publice tradi, Ioſephus

c *Act. 6. & 7.*
OCCASIO NECIS STEPHANI.

Digitized by Google

[d] teſtatur. Erat Stephanus vnus ex illis, eodem cum illis vſus [e] legis magiſtro Gamaliele: cumque fidem Chriſti miraculis conſignaret, tum ſodalium omnium, tum maxime Sauli Tarſenſis collegij eorum qui erant è Cilicia facile principis, in ſe impetum mouit. Incentor enim omnium eſſe viſus eſt Saulus, quod ipſe in Iudaiſmo [f] profeciſſet præ cæteris coætaneis ſuis, paternarum traditionum abundantius æmulator exiſtens; qui nec à cœpto deſtitit, donec eumdem lapidibus obrutum vidiſſet. Ipſum enim non ſolum conſenſiſſe neci eius, ſed & veſtium cum lapidantium cuſtodem ſe præbuiſſe, cum Lucas [g] affirmat, tũ ipſe Paulus [h] ex Saulo conuerſus, lugens fatetur: Vnde egregie Auguſtinus [i] ait, Saulum vt eſſet in omnium lapidantium manibus, omnium veſtimenta ſeruaſſe; magiſq; ſæuiſſe omnes adiuuando, quam ſuis manibus lapidando.

STEPHANI PARTVS PAVLVS.

At vero Stephanus Domini IESV memor exempli, qui pro tranſgreſſoribus preces in Cruce ad Deum fudit, & ipſe poſitis genibus (inquit Lucas) pro ſe lapidantibus Deum deprecatus eſt. Quantæ vero efficaciæ fuerint ipſius preces, quantaque ex eius martyrio facta ſit noſtris rebus acceſſio, vel ex eo ſaltem quis conſiderare facile poterit, quod idem Auguſtinus [k] ſæpe teſtatur, precibus Stephani expugnatam eſſe perfidiam Sauli; & quod ſi Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet. Sed de conuerſione Pauli dicetur anno ſequenti.

XC. MEMORIA STEPHANI.

Lapidatus eſt autem Stephanus extra portam Ephraim, quæ poſtea nomine S. Stephani appellata reperitur [l]. Locus vero ipſe neque integro ſtadio diſtabat Hieroſolymis; quem Eudoxia [m] Auguſta, nobiliſſima Eccleſia ædificata egregie illuſtrauit. Lapis autem, ſuper quem poſitus ſuſcepit lapidum imbres, in Eccleſiam Apoſtolorum ad montem Sion poſitam tranſlatus, magna veneratione [n] eſt habitus. Et vnum ex lapidibus quo percuſſus eſt, à Chriſtiano quodam collectum, & poſtmodum Anconam Italiæ ciuitatem tranſlatum fuiſſe, ibique ea de cauſa in honorem protomartyris conſtructam Eccleſiam, in qua plurima peragi conſueſcerent miracula; præter antiqua Martyrologia, teſtis eſt irrefragabilis S. Auguſtinus [o]. Et ne quid prætermittamus, legitur apud Clementem [p] Romanum, inter Chriſtianorum ferias adnumerari natalem diem protomartyris Stephani. Atque in epiſtola Martialis Apoſtolorum diſcipuli nomine prænotata ad Burdigalenſes (qualiſcunque ea ſit) mentio habetur Aræ Ignoti Dei: quæ in aliarum dæmonum deſtructione, reſeruata eſt in ea ciuitate ad conſecrationem, & in nomine Dei Iſrael atque ipſius teſtis Stephani dedicata.

XCI. DE FVNERE STEPHANI AMPLISSIMO.

Ceterum funus Stephani curatum eſſe cum planctu magno à viris timoratis, Lucas [q] tradit: ſed appoſite antequam de eo ageret, præmiſit de perſecutione magna, quæ poſt eius necem facta eſt Hieroſolymis aduerſus Chriſtianos: vnde accidit vt non ea die qua necatus, ſepulturæ traditus ſit. Corpus enim eius proiectum à Iudæis, die ac nocte iacuiſſe vt à feris conſumeretur, ſed intactum omnino permanſiſſe, narrat ex relatione Gamalielis Lucianus in Epiſtola de Inuentione corporis eius: quod (vt ait) Gamalielis opera deductum eſt in ipſius villam diſtantem viginti millibus à ciuitate: eodemque omnia ad planctum neceſſaria ſubminiſtrante, poſt ſeptuaginta dies ſepultum in monumento nouo eiuſdem ipſius Gamalielis. Nec aliter quidem Sanctus Hieronymus [r] *Planctum magnum*, quem factum narrat Lucas in funere Stephani, niſi magnificentiam funeris intelligendum eſſe, docet ex pluribus Scripturæ locis. Teſtaturque Rabbi Iacob in Turim ſ Iore Degha, tantum olim excreuiſſe apud Hebræos impenſam funerum, vt interdum eius magnitudine cognati perterriti [s] qui impares eſſent eiuſmodi profuſionibus, relicto cadauere ſe ad tempus ſubducerent: verum hæc moderata fuiſſe à Seniore Gamaliele, cuius tum in Sacerdotibus quã populo potiſſima erat auctoritas, eiuſque ſententia & exemplo factum, vt non niſi lineis linteaminibus corpora defunctorum cuiuſuis ordinis & dignitatis obuoluerentur. Sed de ſacris Cæremonijs, quas ab ipſis Apoſtolis per manus ſucceſſorum acceptas Eccleſia Catholica laudabiliter hactenus in curandis defunctorum corporibus obſeruare conſueuit, dictum eſt alias [t] vberius.

XCII. REPETITA MEMORIA PRO DEFVNCTIS.

Quod vero Stephani funus non vna die, ſed pluribus vſque ad ſeptuagenarium numerum curatum eſt; eadem Apoſtolica traditione in Eccleſia conſuetudo probata videtur, vt item non vna die tantum, ſed pluribus pia Fidelium defunctis perſoluerentur obſequia. Vnguentis enim primum delibuta corpora remanere duorum vel trium dierum ſpatio inſepulta conſueuerant: quo tempore apud ipſa excubantes Fideles ſacras hymnodias cantabant, & ſacrificium offerebant; vt inter alios quamplurimos, locupletiſſimi ſunt teſtes Sanctus Hieronymus [v] & Sanctus Auguſtinus [x]. Ruſumque octaua, vigeſima, trigeſima, quadrageſima, ac ſexageſima die agi conſueuiſſe memoriam defunctorum, antiqui libri Rituales teſtantur; ac præterea de anniuerſaria die multa ſunt veterum Patrum [y] certiſſima teſtimonia. Quæ autem his coniuncta eſſe videntur SVFFRAGIA ab Eccleſia *pro defunctis* exhiberi ſolita, ea non recens in Eccleſia inuenta, ſed ex iiſdem Apoſtolicarum traditionum fontibus promanaſſe, Auguſtinus [z] conſtanter affirmat; eſtque videre eiuſdem Apoſtolicæ traditionis antiquiſſima monumenta apud Tertullianum [a], Originem [b], Cyprianum [c], Cyrillum [d] Hieroſolymitanum, Epiphanium [e] Chryſoſtomum [f], & alios [g] quamplurimos tam Græcos quam Latinos, qui vel iiſdem temporibus, vel poſtea vixerunt.

XCIII. PVRGATORII DOCTRINA APOSTOLICA. CONSENSIO PATRVM DE EADEM RE.

Quæ cum ita ſint, æque neceſſario compellimur dicere, eoſdem auctores ex Apoſtolica traditione affirmare, eſſe locum in quo poſt obitum animæ purgantur. Nam ſi viuentium ſuffragijs eas adiuuari ac liberari poſſe, Apoſtolica traditio (vt dictum eſt) docuit, ſane non omnes continuo in cœlum recipi, nec item omnes in infernum mergi (pro eiuſmodi enim nulla ſunt offerenda ſuffragia, cum nec illi opus habeant, nec illis proſint) certum eſt; ſed certum adhuc eſſe locum, quo illæ quæ adhuc venialium peccatorum inquinatæ ſunt ſordibus, & mortalium pœnæ temporariæ ſunt obnoxiæ, detinentur, donec ab omni penitus macula expiatæ, æternæ tandem participes fiant beatitudinis. Ea que ratione ratum eſt, firmumque de PVRGATORIO fidem atque doctrinam ex Apoſtolorum traditione fluxiſſe. Multa ad hæc probanda & confirmanda eſſent ex diuinis Scripturis in medium afferenda teſtimonia: ſed quoniam noſtri inſtituti eſt, doctrinam ex traditione, non traditionem ex doctrina deducere (hoc enim feliciter præſtiterunt in omnibus ac ſingulis Chriſtianæ Religionis articulis, complures noſtri temporis Eccleſiaſtici Scriptores Orthodoxi) his in præſentiarum omiſſis, illud tantummodo dicimus, Apoſtolicam eiuſmodi traditionem, Catholicæ Eccleſiæ continuo vſu receptam eſſe, Patrumque tam Græcorum quam Latinorum vnanimi teſtimonio roboratam: et licet de loco, & modo quo id fiat, alius aliter ſenſerit; quod tamen faciendum ſit, omnes æque conſenſiſſe [h]: neque hactenus repertum eſſe aliquem, qui auſus fuerit contradicere; quin potius eamdem Catholicam veritatem, diuino etiam miraculorum atque ſanctarum reuelationum ſuffragio ſæpiſſime comprobatam, omnes pronis manibus excipientes, pie ſancteque veneratos eſſe, Adeo vt nulla habenda ſit ratio, ſi Nouantes, & Eccleſiaſticæ Oeconomiæ inuerſores ab his aliter ſenſerint. Tantum enim abeſt, vt penes quempiam Orthodoxorum fuerit vnquam de ea re aliqua dubitatio, vt potius laborandum fuerit Patribus aduerſus nonnullos, qui crederent omnia peccata quantumuis capitalia, excepto infidelitatis errore, eodem igne purgari poſſe, quos [i] Auguſtinus & Cæſarius [k] Arelatenſis refellunt. Sed de his hactenus; ſimulque hic tandem claudamus huius anni res geſtas.

IESV CHRISTI AN. 35.

TIBERII IMP. AN. 19.

ANNO Domini trigeſimoquinto, Sulpitio Galba & Cornelio Sulla Coſſ. diſperſis poſt necem Stephani

qui-

I. DISPERSIO DISCIPVLORVM.
a Act. 8.

quicumque erant Hieroſolymis Chriſtianis præter Apoſtolos, per diuerſas terras Eccleſia Dei feliciter propagatur. Non enim tantum (quod hic tradit Lucas[a]) diſperſos eſſe per regiones Iudeæ atque Samariæ; ſed & Palæſtinæ fines egreſſos vſque ad Phœnicen, & Cyprum, & Antiochiam, eiuſdem poſtea[b] auctoris teſtimonio ſatis perſpectum habetur. De qua agens diſperſione Athanaſius[c], eamque ſementi comparans, ait Diſcipulos non imbecillitate diſiectos, ſed fidei gratia diuiſos eſſe, vt vniuerſum Orbem peragrantes, viuificæ doctrinæ virtutes efficaciaſque diſſeminarent. Eadem fere Gregorius[d] Nyſſenus; qui hæc omnia Stephano tribuens, eumdemque athletæ comparans, ait ipſum humi proſtratum, grauiorem aduerſario lapſum ſtruxiſſe. Hac ipſa diſperſione Ananias[e] diſcipulus profectus Damaſcum, collegit Eccleſiam. Eademque tempore (vt colligere poſſumus) Lazarus[f], Maria Magdalena, Martha, & Marcella pediſſequa, in quos Iudæi maiori odio exardeſcebant, non tantum Hieroſolymis pulſi ſunt, ſed vna cum Maximino Chriſti Diſcipulo, naui abſque remigio in certum periculum impoſiti; quos diuina prouidentia Maſſiliam tradunt[g] appuliſſe: comitemque eiuſdem diſcriminis Ioſephum ab Arimathæa nobilem Decurionem, ex Gallia in Britanniam nauigaſſe, illicque poſt prædicatum Euangelium diem obijſſe. Sed quis valeat ſingulorum hic recenſere vias, & fructus numerare ex prædicatione collectos? Licet enim Gentilibus nondum reſeratum eſſet oſtium Euangelij; tamen & tunc contribulibus Iudæis vbique habitantibus, & poſtea cum a Petro admiſſi ſunt ad Fidem Gentiles, ijſdem ipſos Diſcipulos illud annunciaſſe declarat poſtea Lucas[h].

b Act. 11.
c Atnan. ho. de ſemente.
d Nyſſ. ſer. de S. Steph.
e Act. 9.
f Acta Magdal. & ſociorum, ap. Sur. 22. Iul. Sigeb. in Chron. an. 745.
MAGDALENA CVM SOCIIS IN GALLIAS.
g Hiſt. Angl. M. S. quæ habetur in Bib. Vatic.
h Act. 11.

II. PAVLI PERSECVTIO.
i Act. 9.
k Act. 22.
SVMMA PONTIFICVM AVCTORITAS.
l Iuſt. de ver. Chr. relig.

Interim vero Hieroſolymis Saulus deuaſtabat Eccleſiam, per domos intrans; & qui non eſſent egreſſi cum ceteris, ſed latebras in ciuitate quæſiſſent, eoſdem tam viros quam mulieres tradebat in cuſtodiam, & vt necarentur procurabat. Cum vero eodem furore illos qui Iudææ terminos egreſſi eſſent, perdere feſtinans, accepiſſet in eum finem à Principe Sacerdotum literas in Damaſcum; prope eam ciuitatem cœleſti luce perfuſus, & Chriſti voce ipſi in via apparentis perculſus atque proſtratus, ad illum conuerſus eſt; & ab Anania Diſcipulo Domini ibidem Damaſci baptizatus, lumé corporis & animæ percepit. Rei geſtæ ſerié exacte Lucas in actis[i], & ipſe Paulus[k] ſuam cauſam agens diligenti ſtudio eſt iterum proſecutus. Ex his vero inprimis obſerua, qualis quantaque eſſet apud omnes quantumuis exteros, immo & hoſtes, Summi Iudæorũ Pontificis auctoritas; vt etiam quæ ſummi eſſe imperij viderentur ſibi ſumens, daret literas ad Synagogas Damaſci, vt qui reperti eſſent Iudæi Chriſto credentes, vincti Hieroſolymam ducerentur. Vtinam tanta ſaltem, etſi non ampliori (vt par eſſet) apud Chriſtianos Principes Chriſtiana Religio, ſummumque omnium Regale Chriſti Sacerdotium, quod nullam agnoſcit terminorum circumſcriptionem, infeliciſſimis his temporibus auctoritate polleret! Porro non Paulum tantum ad Chriſtianos vexandos eſſe miſſum Damaſcum, ſed alios quoque eximios viros in vniuerſam terram à Principibus Sacerdotum ad vexandam & infamandam Religionem Chriſtianam tamquam impiam, miſſos eſſe, teſtis eſt Iuſtinus[l] Martyr, qui res Iudæorum apprime calluit.

III. DE TEMPORE PAVLI CONVERSIONIS.
m Martyrol. Rom. 25. Ianuar.
n Baronius quidem in prioribus Tomi primi Annalium editionibus maluit Pauli Conuerſionem accidiſſe anno ſequenti. Sed cum poſtea diligentius conſideraſſet quæ aduerſus eam ſententiam obijcerentur; liberũ reliquit, quam quiſque mallet ſententiam ſequi. Itaq; huic nos libentius adhæſimus, ijs rationibus ducti quas appoſuimus & ſecundum illam, quatuor ſequentium annorum de Pauli re-

Ceterum cum Pauli conuerſionem accidiſſe conſtet[m] octauo Calendas Februarij; reiecta procul (vt ſuperius diximus) eorum opinione, qui eam referunt in annum ſeptimum à Domini Paſſione: atque item poſthabitis, qui eamdem anno ſequenti accidiſſe volunt[n] illam vt hoc ipſo anno ponamus, videlicet poſt triginta dies à nece S. Stephani, multa ſunt quæ perſuadent. Atque illud in primis, quod cum idem ipſe Paulus ad Galatas[o] ſcribens, numeret à vocatione ſua vſque ad primum aduentum Hieroſolymã ad videndũ Petrum, tres annos, ac poſtea quatuordecim vſq; ad ſecundum in eandem ciuitatem acceſſum cum Barnaba & Tito vt conferret de Euangelio cum Apoſtolis: cumque hunc poſteriorem aduentum Hieroſolymam, Epiphanius[p], Hieronymus[q], ac denique omnes Eccleſiaſtici tractatores, pro conſtanti habeant illum ipſum eſſe, cuius cauſa celebratum[r] eſt Concilium Hieroſolymis: omniumque pariter ſententia conſtet, illud Apoſtolorum Concilium habitum eſſe anno quinquageſimo primo à Natiuitate Domini, & decimooctauo poſt eius Aſcenſionem: Si ab eo tempore retrocedendo numeres ſeptemdecim illos Pauli annos. (Quod enim quatuordecim poſtremi, non ab ipſius Conuerſione, vt quidam exiſtimarũt numerandi ſint, ſed à triennio cuius antea meminerat, ita vt ſeptemdecim numerentur à conuerſione ad Concilium; non ſolum Hieronymus[s], & alij teſtantur, ſed & ipſa rerum geſtarum ſeries plane conuincit) omnino inuenies eamdem Pauli Conuerſionem incidiſſe in hunc præſentem annum Natiuitatis Domini trigeſimum quintum. Conſentit huic Chronologiæ & Euſebius[t], dum eam factam recenſet anno decimonono Imperij Tiberij Cæſaris, qui eſt hic præſens, cœptus ab anno ſuperiori menſe Auguſti. Conſentit & Chryſoſtomus, dum homilia[u] de Principibus Apoſtolorum (vt quidem habent verba Græca, licet in alium ſenſum Voſius verterit) ait *Paulum ſeruiuiſſe Domino triginta quinque annis*: tot enim prorſus numerantur, ſaltem inchoati, à præſenti anno vſq; ad Domini ſexageſimum nonum, quo Paulum obijſſe conſtat. Præterea quod de his agens Lucas[x], ait Paulum in magno illo perſecutionis ardore adhuc ſpirantem minarum & cædis in Diſcipulos Domini, petijſſe epiſtolas in Damaſcum aduerſus alios Fideles; id apertiſſime referri videtur ad tempus necis Stephani, & diſperſionis Chriſtianorum, cuius proxime meminit. Nec veriſimile eſt, poſt omnium ferme Chriſtianorum fugam, eiuſmodi perſecutionem, aut Pauli furorem, per tredecim menſes continuos Hieroſolymis perduraſſe.

bus geſtis chronologiam contexinus, ſed abſque vlla vel certam ab eodem geſtarum, vel reliquæ hiſtoriæ præiudicio, aut interſione. Gal. 1 & 2.
p Epiph. hær. 28.
q Hieron. in Gal. 2.
r Act. 15.
s Hieron. in Gal. 2.
t Euſeb. in Chron.
u Ext. to. 5. in addit.
x Act. 9.

IV. DILVTIO OBIECTIONIS.
y Act. 8.

Quod autem obijcitur, non potuiſſe tam breui triginta dierum ſpatio, quod à lapidatione Stephani vſque ad Conuerſionem Pauli intercurriſſe diximus, conſummari ea geſta quæ Lucas[y] intermedia ponit: hoc facillime diluetur, ſi dixerimus ea non inſequenter, ſed plura diuerſis locis vno eodemq; tempore geſta eſſe; ita vt quo tempore Philippus erat Samariæ, eodem Paulus iret Damaſcum; maxime cum familiare ſit Scripturæ, quæ poſt acta ſunt ante deſcribere, & contra: vel Lucam, cum non poſſet omnia ſimul narrare, cœpiſſet autem agere de Chriſtianorum diſperſione poſt necé Stephani, maluiſſe vno tractu proſequi ea quæ eiuſdem diſperſionis occaſione geſta eſſent, vt poſtea liberior accederet ad nobiliſſimam Pauli Conuerſionis enarrationem.

V. DE PAVLI ÆTATE.
z Act. 7.
a Chryſ. hom. de Princip. Apoſt.

His igitur de tempore firmatis, vt reliqua de Paulo proſequamur; quod inprimis *ad Ætatem* ſpectat, vbi ipſe apud Lucam[z] in nece Stephani vocatur *adoleſcens*, in Græco codice eſt vox *νεανίας*; cuius quidem ſi vis exprimatur, non tam ætate adoleſcentem, quam audacem vehementiſque animi virum ſignificat, vt notat Budæus, & alij. Ceterum cum dicat Ioannes Chryſoſtomus[a] Paulum ſexaginta octo annos vixiſſe, & ex ijs triginta quinque Deo ſeruiſſe; exploratumque ſit eum martyrio coronatum eſſe anno Chriſti ſexageſimo nono: vtique affirmari poſſe videtur, eius Conuerſionem accidiſſe ineunte anno ipſius ætatis trigeſimo quarto.

VI. DE PAVLI PATRIA.
b Hieron. de ſcript. Eccleſ. cap. 5.
c Rom. 11.
d Ioſ. 4. de bel. 4.
e Ioſ. 14. ant. 8. Euſeb. in Chron.

Quod vero pertinet *ad natale ſolum*; hactenus ea opinio inualuiſſe videtur, vt Giſchale Iudææ oppido natus ſit; iſtud auctore Hieronymo[b] omnibus affirmantibus, dum ait Paulum fuiſſe de tribu Beniamin & oppido Iudææ Giſchalis; eoque à Romanis capto, cum parentibus ſuis Tarſum Ciliciæ commigraſſe. Fuiſſe quidem Paulum de tribu Beniamin, ipſemet[c] de ſe teſtatur: ſed & fuiſſe Giſchalam oppidum Galilææ munitiſſimum, quod Titus non ſine labore expugnauerit, Ioſephus[d] eſt auctor. Verum cum Iudæa à Romanis primum Pompeio duce ſubactam fuiſſe conſtet, Antonio & Cicerone Coſſ. Olympiade[e] centeſima ſeptuageſima nona anno ſecundo, ante annos ab hoc tempore nonaginta quinque; rurſumque Iudæis rebellantibus ſub Nerone, eamdem prouinciam à Veſpaſiano & Tito eſſe perdomitam; cumque neutrum hoc tempus ætati Pauli poſſit aptari, vt Giſchale à Roma-

f Hier. in ep. ad Philem. adf.
g Act. 22.
h Epiph. hær. 30.

nis capto, inde Paulus cum parentibus Tarſum migraſſe dicamus: hæc non res geſta, ſed fabula potius eſſe conuincitur, ſicut & eo nomine ipſe idem Hieronymus f alibi etiam appellat. Immo cum Paulus ipſe apud Lucam g aperte teſtetur, ſe virum eſſe Iudæum, natum in Tarſo Ciliciæ, nutritum autem Hieroſolymis, & ſecus pedes Gamalielis ſacris diſciplinis eruditum; cui magis quã ipſi credendum? Denique Epiphanius h diſputans contra Ebionæos qui Paulum dicebant fuiſſe origine Græcum, factum vero poſtea proſelytum; eundem natum Tarſi, ſed ex Iudæis affirmat; de Giſchala vero ne verbum quidem. Si ergo parentes Pauli Giſchala Tarſum aliquando migrarũt, id voluntaria factum eſt diſceſſione vt de multis alijs contigiſſe noſcitur: vel ſi aliqua belli occaſione euenit, nequaquam ſub Romanis, ſed facile ſub Antiocho Illuſtri accidere potuit, ſicut Epiphanius affirmare videtur. Quod autem ſe Paulus ciuem Romanum natum eſſe, aliquando aſſeruit; de ea re opportunius ſuo loco agetur.

VII. VISIONIS PAVLI TEMPVS.
i Act. 9.
k 2. Cor. 12.

Interim & illos erraſſe certum eſt, qui dixerunt ei tunc temporis cum à Chriſto vocatus, manſit Damaſci tribus diebus (vt ait Lucas i) non videns nec manducans, contigiſſe raptum illum ad tertium cœlum, cuius ipſe meminit ſcribens ad Corinthios k. Nam cum illum contigiſſe dicat ante annos quatuordecim, à tempore quo eam ſcribebat epiſtolam, qui fuit annus Domini quinquageſimus octauus; ſane non hoc quo conuerſus eſt anno, ſed poſt nouem annos accidiſſe neceſſe eſt.

VIII. VNDE DICTVS PAVLVS.
l Amb. ferm. 51. edit. Rom.
m August. tract. 72. ſup. Pſal. & ſer. de Apoſt. Paul.
n Hier. in ep. ad Philem.
o Act. 13.
p Chryſ. hom. de conuerſ. Paul.
q Orig. præf. in ep. ad Rom.

Quod autem ſpectat ad nomen PAVLI; fuit ſententia Ambroſij l, eum quando ab Anania baptizatus eſt, ex Saulo fuiſſe Paulum nominatum; & qui ex perſecutore fieret iuſtus, cum moribus mutaſſe & nomen. Eademque ratione Auguſtinus m ait, eum, quia ex ſuperbo factus eſt humilis, Regis ſuperbi nomine relicto, Pauli (quod idem eſt ac Paruı) appellationem ſumpſiſſe. Hieronymus n autem putauit, ſicut Romanis Ducibus & Imperatoribus mos erat à deuictis populis nomina ſibi ſumere, vt dicerentur Africani, Aſiatici, Cretici, Parthici, &c. ita & Saulum ad prædicationem Gentium miſſum, à primo Eccleſiæ ſpolio Proconſule Sergio Paulo, quem in Inſula Cypro o ad fidem conuertit, victoriæ ſuæ trophæa retuliſſe, erexiſſeque vexillum, vt Paulus diceretur ex Saulo, quod inde infert, quia tunc primum Lucas eum Paulum nominare cœpit, nec amplius Saulum appellauit. E contrario vero Ioannes Chryſoſtomus p exiſtimauit, iſtud ei nomen non ab hominibus, ſed à Deo inditum eſſe, vt olim Patriarchis, ac poſtea nonnullis Apoſtolorum; non tamen ſtatim vt ad fidem conuerſus eſt ſed cum iam ex prædicatione quiſnam eſſet, probe ſatiſque cognitus eſſet. At Origines q pluribus de his agens, in eam procliuior viſus eſt ſententiam, vt ei in circumciſione vtrumque proprium nomen fuerit impoſitum, nempe Sauli vt Iudæo ex tribu Beniamin, & Pauli (quod erat Romanis familiare) vt ciui Romano: cum autem fieret omnibus omnia vt omnes lucrifaceret, dum apud Hebræos verſaretur Saulum maluiſſe appellari: ſuſcepto vero ad Gentes Apoſtolatu, Paulum. Hæc alij. Nos autem poſthabita Ambroſij & Auguſtini ſententia, quod nonniſi à tempore congreſſus cum Sergio Paulo Proconſule, Saulus reperiatur appellatus Paulus, nec poſthac alio nomine ſit dictus: ſed nec admiſſa Hieronymi opinione, tanquam à modeſtia & humilitate S. Pauli abhorrente: ac denique reiecto Origene, quod non ſit exemplum, vere Iudæos (vt taceamus de proſelytis) iungere conſueuiſſe Hebræorum nominibus nomina Romanorum: exiſtimamus, ſicut mos erat Romanorum, vel libertis de ſe optime meritis, vel clientibus, vel hoſpitibus, alijſque ſæpe impartiri familiæ cognomen: ita & Sergium Paulum Proconſulem, amicitiæ gratia, & quo ſibi magis arctiuſque eo vinculo Apoſtolum deuinciret, familiæ ſuæ cognomine nobilitaſſe: Apoſtolum autem eo lubentius acceptaſſe, quod illud cognomẽ à paruitate corporis olim nobiliſſimæ Æmiliorum familiæ Romanæ r adhæſiſſet; ipſe vero Apoſtolus & corpore s paruus & ciuis eſſet Romanus. Sed de Pauli primordijs ſatis.

r Notat Sigon. de nom. Rom.
s 2. Cor. 10.

IX. PHILIPPVS PRÆDICAT SAMARITIS.
DE PETRI ET IOANNIS LEGATIONE.
t Act. 8.

Interea PHILIPPVS Diaconus, qui vna cum ceteris Diſcipulis Hieroſolymis pulſus, ciuitatem Samariam adierat, illic Euangelium maximo cum fructu prædicauit; adeo vt SIMON MAGVS, populi illius ſeductor, quem omnes dicebant eſſe Virtutem Dei magnam, ſignis & miraculis Philippi obniti non valens, & ipſe crediderit, & à Philippo baptizatus ei adhæſerit. Quibus tam grandibus Hieroſolymam perlatis, miſſi ſunt ab Apoſtolis qui ibi erant, Petrus & Ioannes vt Samaritanis conuerſis manus imponerent, & ſic ijdem Spiritum ſanctum acciperent. Hæc pluribus Lucas t. Erat porro Samaritanorum cauſa haud ita facilis, vt alij cuipiam quam Apoſtolorum Principi crederetur: videlicet vt cui potiſſimum Claues eſſent traditæ, ipſe primus Samaritis, ſicut & poſtea fecit Gentibus, Eccleſiæ oſtium reſeraret; quippe de vtriſque præceptum Dominus dederat u, *In viam Gentium ne abirent, & in ciuitates Samaritanorum ne intrarent.* Quod tamen ſic intelligendum eſt, non vt omnino non irent, ſed (quod continuo ſubditur) vt potius, hoc eſt prius, irent ad oues quæ perierant domus Iſrael: ſicut & ſe Dominus ait non fuiſſe miſſum niſi ad eaſdem oues Iſrael, cum tamen & Gentiles receperit, & Samaritas adierit. Porro licet Samaritani non eſſent Gentiles, ſed quod à Iudæis olim circumciſionem & legẽ accepiſſent, ea ex parte Iudæorum nomine cenſerentur; adeo tamen erant reliquis Iudæis infenſi, vt nullam x cum ijs communicationem haberent, aliamque prorſus religionem excolerent: Vt non immerito Philippus, quod primus omnium poſt Aſcenſionem Domini Euangelium eis prædicauerit, ideo dici poſſit conſecutus nomen *Euangeliſtæ*, quod ei in Scriptura y tribuitur. Quamquam eius opus ſic Deus ſignis atque miraculis comprobauit, vt tamen conſummationem, nempe donum Spiritus ſancti, in aduentum Petri, à Petro impartiendum differret.

u Matth. 10.
CAVSA SAMARITANORVM.
x Ioan. 4.
y Act. 21.

X.
z Epiph. hær. 9.

Quanti autem ab ipſis Samaritis, præ ceteris miraculis eiuſmodi donum æſtimaretur, factum Simonis Magi teſtatur; qui non miraculorum virtutem, quam eſſe viderat in Philippo, eſt æmulatus (illa enim etſi non vera magia tamen quoque modo fingere potuiſſet) ſed cum, vt ait Lucas, vidiſſet quia per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus ſanctus, obtulit eis pecuniam vt eamdem ipſe acciperet poteſtatem. Et mea quidem ſententia maiori admiratione digna res erat, in Samaritas deſcẽdere Spiritum ſanctum, quam in Gentiles ipſos, quod hi an eſſet Spiritus ſanctus ignorarent, illi vero non admitterent (vt auctor eſt Epiphanius z) ſed impugnarent. Itaque non mirum ſi diuina prouidentia primum, ac ſubinde Apoſtolorum conſilio, Petrus qui primatum gereret inter Apoſtolos præ ceteris vna cum Ioanne, qui comes ipſius indiuiduus viſus eſt, Samariam miſſus ſit; nempe vt quæ eſſent à Philippo iam acta cognoſceret, & clauibus ſibi traditis cœlum, vnde Spiritus ſanctus in Samaritanos deſcendere, aperiret. Hincque videas quãtopere hallucinentur Nouatores, qui cæco furore in Petrum inſanientes, illius primatui detrahere non erubeſcunt, eo quod à ceteris mittatur Apoſtolis, quaſi inferioris numeri ſit habendus is qui mittitur ab eis qui mittunt. Sapiant ipſi hac ratione, & idem dicant quod Arius, Filium, quod à patre ſit miſſus, eſſe Patre minorem. Ignorare inſuper conuincuntur complura in Scriptura diuina, & innumera quæ ſunt de his in profanis ſcriptis exempla; quibus ſatis ſuperque probatur, ad ea quæ maximi omnium viſa ſunt eſſe momenti, miſſos legatos qui inter ceteros primatum gererent: cum ipſi non ſic quidem mitti dicerentur quaſi à maiore minores, & vt à domino ſubditi; ſed quod rogarentur ob ſalutem omnium eam ſuſcipere functionem, qui ob auctoritatem & principatum quo cunctis præpollerent, omnium deberent gerere curam. Sed & cum idem ſit hodieque & vbique vſus quotidianus, non amplius immoramur in eiuſmodi hominibus refellendis, quos ſua ipſorum refellit inſcitia.

REFELLITVR OBIECTIO NOVATORVM DE PETRI LEGATIONE.

XI. HIERARCHICVS ORDO IN ECCLESIA.

Venientes ergo Samariam Petrus & Ioannes, orauerunt pro his qui baptizati erant, vt per impoſitionem manus acciperent Spiritum ſanctum: Nondum enim (in-

quit

a Act. 8.
DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.
b Ign. ep. ad Heron.
c Cyp. ep. 73. ad Iubaian.
d Hier. cont. Lucifer.
e Cyp. ep. 72. ad Steph. Aug. 2. cont. lit. Petil. 104. & 3. de bapt. 16 & tract. 3. in ep. 1. Ioan.
f Epheſ. 4. Cyp. ep. 73. Clem. Alex. ap. Euſeb. 3. hiſt. 17. Corn. Pap. ap. Euſ. 6. hiſt. 35. Ambroſ. 3. de ſacr. 2.
g Tert. de reſur. car. Cyp. ep. 70. & de vnct. chriſ. Opt. lib. 2. cont. Parm. Aug. 2. cont. lit. Petil. 140. Prudent. in pſych. & in apoth. & cont. Sym. li. 1. Cyril. Hieroſ. catech. 3. & alij plures.
h Theod. li. 3. hær. fabul.
i ap. Euſeb. 6. hiſt. 35.
k Iren. lib. 1. c. 18.
l Baſ. lib. 1. de Spir. S.
m Aug. li. 5. de bapt. cont. Donat. c. 16.
n Ambr. de ſacram. lib. 3. c. 2. lib. 3. c. 7. lib. 5. c. 1. & de his qui init. c. 6.
o Innoc. ep. ad Decent. c. 3.

quit Lucas [a]) in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant. Porro ex his in primis videre eſt, iam tunc in Eccleſia Dei fuiſſe Hierarchicum ordinem inſtitutum, vt non omnia omnibus indiſtinctè licerent; dum ſic Philippus Diaconus credentes baptizauit, vt tamen Apoſtolicum munus, ipſam manus impoſitionem ſolis Apoſtolis conceſſam, nequaquam vſurpet. Eandem vero, ſicut olim tantum Apoſtolis, ſic ſolis qui in eorum locum ſucceſſerunt Epiſcopis eſſe conceſſam; eodemque Apoſtolicæ inſtitutionis exemplo, continuam in Eccleſia conſuetudinem perſeueraſſe, vt baptizati manus impoſitionem, qua confertur Spiritus Sanctus, ab Epiſcopis accipiant (quæ vulgo CONFIRMATIO dicitur) teſtantur antiqui Patres, Ignatius [b], Cyprianus [c], Hieronymus [d], & alij; qui eiuſmodi myſterium non ſolum appellarunt *Sacramentum* [e], ſed & *Signaculum* [f], quod qui eandem manus impoſitionem acciperent, ſigno Crucis ſignarentur; & vſitatiori vocabulo *Sacrum Chriſma*, quod ſacra vnctione conſummari ſolitum eſſet. Soloſq; inter omnia veterum hæreticorum examina, notatos [h] inuenimus Nouatianos, qui baptizatos non inungerent ſacro Chriſmate; ea certe ex cauſa quod eorum auctor Nouatianus à Cornelio [i] Papa notatus eſt, quod in lecto baptizatus, necdum eiuſmodi Sacramentum ab Epiſcopo conſecutus, voluit fieri Epiſcopus, cum nondum Spiritum ſanctum accepiſſet. Ceteros autem ſcimus eadem chariſmata Eccleſiæ eſſe æmulatos; vt inter alios de Valentinianis, licet perditiſſimis hæreticis, tradit Irenæus [k], quod opobalſamo vngerent baptizatum. Sed de his qui foris ſunt, nihil ad nos; qui hæc non aliunde, quam ex antiqua Apoſtolica traditione mutuati ſumus: quam inſuper egregie confirmat Baſilius [l] ad Amphilochium. Conferri autem eo myſterio Spiritum ſanctum (etſi nō eadem chariſmata, nempe Linguarum, infundantur hodie in Eccleſia, æque ac tempore Apoſtolorum) docet inter alios Auguſtinus [m]. Denique non prætermittimus dicere, aliud ab hoc diſtinctum eſſe miniſterium ſacræ Vnctionis, qua Presbyteri recenter baptizatos vngunt in vertice; cuius meminerunt Ambroſius [n], Innocentius [o], & alii complures. Sed de his modo ſatis.

XII.
p Act. 8.
SIMON MAGVS RESILIT.
q Iuſt. mar. orat. ad Anton. Pium. Epiph. hær. 21.
r Iren. lib. 1. cap. 20.
SIMONIS HÆRESES.

Cum autem videns [p] *Simon Magus* quia per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus Sanctus, obtuliſſet eis pecuniam vt eandem poteſtatem acciperet; acriter à Petro redargutus, & vt de tanto ſcelere pœnitentiam ageret monitus; tunc quidem quieuit: ſed poſtquam inde receſſiſſent Apoſtoli eorum aduerſari doctrinæ non deſtitit; & qui iactans ſe eſſe Magnam Dei Virtutem dementarat olim ſuos Samaritas (erat [q] enim & ipſe patria Samaritanus, natus in vico cui nomen Gittoni) Iudæos etiam, quos videbat eſſe infenſos Apoſtolis, iiſdem artibus aggreſſus, ſe eſſe Dei Filium ſuadere conatus eſt: quippe qui (vt ait Irenæus [r]) docuit ſemetipſum eſſe qui inter Iudæos quaſi Filius apparuiſſet, in Samaria quaſi Pater deſcendiſſet, & in reliquis gentibus quaſi Spiritus Sanctus aduentaſſet. Sed & *Selenem* quamdam, ſiue *Helenam* dictam, à Tyro ciuitate Phœnices quæſtuariam redemptam ſecum circumducens, dicebat eam eſſe primam mentis ipſius conceptionem, matrem omnium, per quam initio creaſſet Angelos, à quibus poſtea mundus eſſet effectus: porro Angelos ægre ferentes ſe progeniem alterius cuiuſpiam putari, in ipſam Selenem commotos, eam detinuiſſe in terra ne recurreret ſurſum ad ſuum patrem; vſque adeo vt in corpore humano includeretur, & per ſæcula veluti de vaſe in vas tranſmigraret in altera muliebria corpora; fuiſſeq; & in illa Helena, propter quam Troianum contractum eſt bellum: tranſmigrantem autem de corpore in corpus, & ſemper ab Angelis contumelias patientem, vltimo etiam in fornice proſtituiſſe: & hanc eſſe perditam ouem; quapropter & ipſum veniſſe, vti eam liberaret primam, & per ſuam agnitionē ſalutem hominibus præſtaret. Quod enim male moderarentur Angeli mundum, ad emendationem rerum ipſum veniſſe, & deſcendiſſe aſſimilatum Virtutibus & Poteſtatibus & Angelis, & inter homines hominem apparuiſſe cum non eſſet homo, & paſſum in Iudæa putatum cum non eſſet paſſus. Prophetas autem à mundi fabricatoribus Angelis inſpiratos dixiſſe prophetias; quapropter iis dimiſſis, in ipſum duntaxat & Selenem ſpem habēdam eſſe, ac de cetero licere cuicumq; viuere vt libuerit. Namq; ſecundum ipſius gratiam ſaluari homines, & non ſecundum opera iuſta; neq; enim eſſe naturaliter operatiōnes iuſtas, ſed ex accidenti. Vnde & ipſorum Sacerdotes omne libidinum & ſpurcitiarum genus exercebant, magiis quoq; & incantationibus vtentes; habebantq; ſimulacrū Simonis factum ad figuram Iouis, & aliud Selenes in figuram Mineruæ; quæ & adorabant. Hæc de Simone, & eius prauis dogmatibus Irenæus. Agit de iiſdem Auguſtinus in libro de hæreſibus [s] ad Quoduultdeum: additq; ea Simonis & Helenes ſimulacra Romæ, tanquam deorum, auctoritate publica fuiſſe conſtituta. Sed de his poſtea.

s Aug. 9. de hær. c. 1.

XIII. SIMONIS DISCIPVLI.

Quod vero Irenæus mox ad *Simonis diſcipulos* ſtylū conuertit, Menandrum ſcilicet, Saturninum, Baſilidem, Carpocratem, Cherinthū, Ebionem, Nicolaum, Cerdonem, & Marcionem; non ita hæc accipienda ſunt, vt hi omnes eadem vixerint ætate cum Simone, ſed quod ab eo doctrinam accepiſſent; licet quædam addendo vel mutando, nouarū hæreſum & ipſi videri poſſent, vellentq; auctores. Addit vero iis Theodoretus [t] Doſitheanos, Cleobanos, Gorthenos, Maſbothæos, Hadrianiſtas, Entychitas, Caniſtas, & alia portenta magis quam nomina; quib. motus S. Ignatius [u], iure Simonem appellauit *Primogenitum Satanæ*. Porro illius ſectatores à nefandis ſuis operibus dictos fuiſſe *Entychitas*, auctor eſt Clemens Alexandrinus: tradit enim Epiphanius [x] eoſdem execranda ſacrificia ex mulierum menſtruo & virorū ſemine admiſcere conſueuiſſe. Scribit inſuper de Simone Origenes [y], docuiſſe ſuos vitare martyrium, & in perſecutione fidem palam negare, & ſi opus eſſet etiam idola adorare. Sed & libros ab eo editos eſſe aduerſus Chriſti fidem, eoſdemq; Contradictorios appellatos, teſtatur Dionyſius [z]. Cetera autē, quæ tū ad ipſū, tū ad eius diſcipulos ſpectāt, ſuis locis inferius dicemus; hæc modo q̄ ad praua dogmata facere videbātur.

t Theod. lib. hær. fab. in Sim.
u Ign. ep. ad Trall.
x Epiph. hær. 21.
y Orig. cont. Celſ. lib. 6.
z Dion. de diuin. nom. c. 6.

XIV. ÆMVLATIO DIABOLI.

Ex his autem videas, antiquum hoſtem Chriſti gloriæ inuidum, cum videret florentem Eccleſiam feliciſſime ſurgere, aliam ei ſimilem conflare ſtuduiſſe, cuius caput & Deum & Chriſtum eſſe fingeret, ac miraculorum virtutem magia imitaretur: ac denique quod ſuper Simonem Petrum à Chriſto Eccleſiam firmiter ædificatam vidiſſet, & ipſum ſuo noluiſſe carere SIMONE, ſuper quem impietatis omnis fundamenta iacta conſurgerent. Hic enim hæreticorum omnium, qui poſt Chriſtum fuerunt Primus [a], idemque princeps & auctor habetur, ex quo ſunt ceteræ Hæreſes propagatæ. Nam & eiuſmodi Patriarcha gloriari etiam poſſunt Nouatores hodierni, dum vna cum ipſo dicunt, per gratiam tantum ſaluari homines, & non ſecundum iuſta opera; liberoſq; eſſe ad omnia quæ velint agenda. Non poſſum autem non mirari magnopere diuinum conſilium, quo ſic præ ceteris Apoſtolis Petrum Apoſtolorum Principem miſſum eſſe Samariam certum eſt, vt primū omnium Hæreſiarcham ipſo ortus ſui principio condemnaret; ſicque oſtenderetur Petri eſſe (vt præcipui veritatis cuſtodis) aduerſus Catholicam fidem inſurgentes hoſtes, eorumque errores Apoſtolica auctoritate damnare. Relinquens exemplo doctrinam Dominus conſignatam, quam Catholica recepit & continuo vſu probauit Eccleſia, vt ſicut Petri id fuit miniſterij, ita & Petri ſucceſſorum eſſet. At de his ſæpe inferius. Quod denique ad ipſum Simonem pertinet, haud puto alium ab eo fuiſſe impoſtorem illum, quem Samaritanos ſeducentem Pilatus paulo ante ſuam à magiſtratu diſceſſionē (vt docet Ioſephus [b]) immiſſo milite diſiecit vna cū ſuis.

a Epiph. hær. 21.
SIMON MAGVS PRIMVS OMNIVM HÆRESIARCHA.
PETRI ET SVCCESSORVM MVNVS.
b Ioſ. 18. antiq. 6.

XV.
c Act. 8.
DE EVNVCHO REGINÆ CANDACIS.

Petrus igitur & Ioannes, cum ea quæ dicta ſunt in Samaria operati eſſent, Hieroſolymam reuerſuri, variis Samaritanorum populis Euangelium prædicauerunt [c], Philippus autem Diaconus ab Angelo admonitus, occurrit Eunucho Candacis Reginæ Æthiopum, viro potentiſſimo, Hieroſolymis (quo religionis ergo venerat) redeunti: eoq; inſtructo & baptizato, raptus à Spiritu diuino tranſ-

latus eſt in Azotum. Hæc prolixius S. Lucas. Errat vero Euſebius[d] mea ſententia, dum hunc Eunuchum fuiſſe Gentilem, ac primum ex Gentibus baptizatum tradit. Siquidem ex eodem Luca[e] apparet, tunc nondum Gentibus ad Chriſti Eccleſiam fuiſſe aditum reſeratum, qui primo omnium patuit Cornelio Centurioni. Hunc autem Eunuchum fuiſſe proſelytum ex Gentibus ad Iudæorum religionem adductum, ceteri omnes Eccleſiaſtici Scriptores æque conſentiunt: putaturque[f] ad Paſchalem celebritatem, ad quam cuncti Hebræi conuenire conſueuiſſent, Hieroſolymam ſe contuliſſe. Ceterum Æthiopas antiquitus circumciſionem ab Ægyptiis didiciſſe (ſic Iudæos, quod in Ægypto habitaſſent, appellans) teſtatur Herodotus, quem & Ioſephus[g] Iudæus citat. Auctorq; eſt Strabo[h], eoſdem vnum coluiſſe Deum immortalem, qui eſſet omnium rerum cauſa, ac rurſum alterum mortalem, qui nomine careret, nec eſſet cognitu facilis: vt ex his apparet eos cum Iudæis eadem pene ſenſiſſe, & à Chriſtianis non adeo diſcrepaſſe; ideoque Eunuchum libenter imbibiſſe de Chriſto Deo pariter & homine olim mortali doctrinam, quam etiam tum euidenti Iſaiæ Prophetæ teſtimonio in eius animum Philippus inſtillauit. Eodem inſuper auctore conſtat, ad ſua tempora feminas in Æthiopia regnare conſueuiſſe, eaſdemq; eſſe Candaces appellatas. Iſtum porro Eunuchum, poſtquam rediit in Æthiopiam, Chriſtum palam illic annunciaſſe, Irenæus[i], Euſebius[k], Cyrillus[l], Hieronymus[m], & alii teſtantur. Habet & Dorotheus[n], eum in Arabia Felici, & in inſula Taprobana, inq; vniuerſa Erythra Euangelium prædicaſſe, ac tandem martyrium glorioſe ſubiiſſe, & ad eius ſepulchrum multa miracula fieri conſueuiſſe.

d Euſ. 2. hiſt. 1.
e Act. 10.
f Chryſ. hom. 19. in Act.
DE RELIGIONE ÆTHIOPVM.
g Ioſ. 8. ant. 4.
h Strab. lib. 17.
EVNVCHVS PRÆDICAT EVANGELVM ÆTHIOPIBVS.
i Iren. lib. 3. c. 12.
k Euſ. lib. 2. c. 1.
l Cyr. Catech. 17.
m Hieron. in Iſ. 53. & ep. 103.
n Doroth. in Synopſ.

XVI. Quod ad res ſpectat Romanas (vt eas ſaltem leuiter attingamus) hoc item anno iiſdemq; Coſſ.[o] Tiberii crudelitas Romæ in omne genus hominum maxime ſe exeruit; tantusque Senatorum[p] numerus periit, vt iam qui magiſtratum gererent vix reperirentur; & ſorte ducti prouinciarum Præfecti in plures annos præficerentur, cum non ſuppeterent ſucceſſores. Quæ quidē putat Oroſius[q] in vltionem contempti Chriſti illis obueniſſe: quod (vt vidimus) agenti Tiberio, vt inter deos recenſeretur, Senatus reſtitiſſet. Porro hoc ipſo anno[r] idem Tiberius in Imperium euexit Caium Caligulam nepotem ſuum, Germanici filium; ſiue propter eius egregium erga Tiberium obſequium (vnde de Caligula dictum[s] fuit, *Nec ſeruum meliorem vllum, nec deteriorem Dominum fuiſſe*) ſeu potius eo conſilio, vt creditum eſt, quod ſciret illum peſſime victurum, ſicq; ſua facinora Caii grauioribus flagitiis occultarentur, ac reliqua pars Senatus poſt mortem ſuam interficeretur.

o Tac. Ann. lib. 6.
p Dio. lib. 58. Suet. in Tib. c. 61.
q Oroſ. lib. 7 c. 4.
r Dio. lib. 58.
s Sueto. in Caio c. 10.

IESV CHRISTI ANN. 36.

TIBERII IMP. AN. 20.

I. ANNO Chriſti trigeſimoſexto, Paulo Fabio Perſico & Lucio Vitellio Nepote Coſſ. S. Paulus cum Damaſci primo Euangelium prædicaſſet, in Arabiam profectus, iterum eſt reuerſus Damaſcum. Hæc enim idem ipſe Paulus ſcribens ad Galatas[a] teſtatur. Lucas vero his de Arabia, & aliis triennij tempore, quouſque Hieroſolymam venit, geſtis, quaſi leuioris momenti prætermiſſis, tantummodo inſidias Iudæorum, & clandeſtinum eius Damaſco diſceſſum recenſet[b]. Ceterum Iudæorum in Paulum molitiones, non cum primum receſſit Damaſco iturus in Arabiam, ſed cum illuc reuerſus eſt, contigiſſe, & S. Hieronymo[c] magis probari videtur, & ratio ipſa nullo modo patitur, vt vnde clanculum receſſiſſet, eo manifeſte rurſum accederet.

RES GESTÆ PAVLI POST CONVERSIONEM.
a Gal. 1.
b Act. 9.
c Hieron. in Gal. 1.

IESV CHRISTI ANN. 37.

TIBERII IMP. AN. 21.

I. ANNO Chriſti trigeſimoſeptimo, C. Ceſtio Gallo & Seruilio Rufo Coſſ. Lucius Vitellius cum præteriti anni Conſulatum geſſiſſet, Proconſul in Syriam mittitur: cui cum etiam ſubiaceret Palæſtina, luſtrans ex more prouinciam, Hieroſolymis in ipſa feſtiuitate Paſchatis honorificentiſſime exceptus, vectigal fructuum venalium remiſit ciuibus, & Stolam cum ornatu Pontificio permiſit in templo aſſeruari (ſicut olim conſueuerat) à Sacerdotibus; quam ab Herode Rege & Romanis Præfectis occupatam ſuperius vidimus. Idemque Vitellius in locum Caiphæ Pontificis ſubrogauit Ionatham Anani Pontificis filium. Hæc Ioſephus[a]. Cetera autem de rebus Vitellij geſtis aduerſus Pilatum, quamuis ſuperiori capitulo ab eodem Ioſepho recenſeantur; tamen quia ſequenti anno facta noſcuntur, agemus de iis ſuo loco. Quod vero ad Caipham ſpectat; ſatis ex his perſpicuum eſt, eius Summum Sacerdotium vſque in præſentem annum perduraſſe; & Annam, quem Ananum Ioſephus appellat, alterius functionis dictum eſſe Pontificem, prout ſuperius à nobis eſt demonſtratum. Porro ipſum Caipham vitæ pertæſum, mortem ſibi conſciſſe, apud Clementem[b] legitur. Neq; vero tantum ipſum, ſed & Annam male periiſſe, Nicephorus[c] tradit: ſed de Anna inferius.

VITELLIVS PROCONSVL SYRIÆ MVLTA LARGITVR IVDÆIS.
a Ioſ. 18. ant. 6.
CAIPHAS ET ANNA MALE PEREVNT.
b Clem. 8. Conſt. 1.
c Nic. lib. 1.

IESV CHRISTI ANN. 38.

TIBERII IMP. AN. 22.

I. ANNO Chriſti trigeſimooctauo, Q. Plautio Plautiano & Sex. Papinio Gallieno Coſſ. cum Pilatus Iudææ Procurator, occaſione impoſtoris[a], cuiuſdam qui Samaritanos armauerat, immiſſo milite eos maiori ex parte occidiſſet; à Magiſtratibus Samaritanorum apud Vitellium Syriæ Præſidem patratæ cædis accuſatus, in ordinem reductus eſt, ac Romam miſſus vt ibi coram Imperatore ſuam cauſam ageret; dato interim ei ſucceſſore Marcello. Verum non eius tantum criminis fuiſſe reum Pilatum, ex Philone[b] intelligitur, dum ait eum ſolitum fuiſſe ſententias vendere, cuncta rapere, innocentes cruciare & occidere, aliaque id genus patrare. Sed antequam is Romam perueniſſet, Tiberius ex hac vita ſublatus eſt: à Caio vero Tiberij ſucceſſore in exilium pulſum, & poſt biennium ſumma deſperatione actum, propria manu ſibi necem intuliſſe, omnes[c] æque conſentiunt: idq; Viennæ in Galliis contigiſſe, multi referunt. Quod autem recentiorum Græcorum[d] aliqui dicunt, Pilatum de nece Chriſti à Maria Magdalenæ Romæ iudicio poſtulatum, vt commentum reiicimus.

a Ioſ. 18. ant. 5.
PILATVS REVS MISSVS ROMAM.
b Phil. de leg. ad Caium.
MISSVS IN EXILIVM MALE PERIT.
c Euſeb. in Chr. Oroſ. lib. 7. cap. 5. Caſſiod. in Chron. Ado in Chro. & aly.
d Niceph. lib 2. c. 10. Cedren. in comp.

II. Hic autem annus, qui tertius à Pauli Conuerſione numeratur, ille eſt quo idem Apoſtolus Damaſco Hieroſolymam venit, vt ipſe teſtatur[e]. Damaſco autem receſſiſſe quod quærerent eum Iudæi interficere, & noctu à diſcipulis per murum ciuitatis (quod Iudæi portas cuſtodirent) in ſporta demiſſum eſſe, auctor eſt Lucas[f], meminitque ipſe Paulus[g] ſcribens ad Corinthios. Sed & cur Hieroſolymam contenderit, declarat[h] alibi, nimirum *vt Petrum videret*, quæ quidem eius verba antiqui Patres[i] interpretati ſunt de honore quem Apoſtolorum Principi, minor maiori deferret, cui ſciret delegatam eſſe à Saluatore curam omnium Eccleſiarum. Cum ergo Hieroſolymam perueniſſet, & adhuc memoria eorum quæ aduerſus Eccleſiam geſſiſſet à diſcipulis timeretur; introductus eſt ad Apoſtolos, vt ait Lucas, à Barnaba: nam ipſi olim interceſſiſſe cum eo familiaritatis vſum, quando ambo vna cum Stephano protomartyre erudiebantur à Gamaliele, auctor eſt Alexander Monachus in Rebus geſtis eiuſdem Sancti Barnabæ. Ceterum ipſe Paulus[k] teſtatur, ſe tunc Hieroſolymis nullum alium Apoſtolorum vidiſſe, niſi Petrum, & Iacobum fratrem Domini. Cum vero (quod addit Lucas) loqueretur etiam Gentibus, & diſputaret cum Græcis, hiq; eum occidere quærerent; deduxerunt eum fratres Cæſaream, & dimiſerunt Tarſum, poſtquam (vt ipſe[l] tradit) ſpatio tantum dierum quindecim manſiſſet Hieroſolymis apud Petrum.

e Gal. 1.
f Act. 9.
g 2. Cor. 11.
h Gal. 1.
i Hier. Amb. Theod. Oecum. in Gal. 1.
PAVLVS CVR VENIT VIDERE PETRVM.
k Gal. 1.
l Gal. 1.

IESV CHRISTI ANN. 39.

CAII IMP. AN. 1.

I. ANNO Chriſti trigeſimonono, Cn. Proculo & Pontio Nigrino Coſſ. decimoſeptimo Calendas Aprilis, *Tiberius* Auguſtus anno ſuæ ætatis ſeptuageſimooctauo,

TIBERII OBITVS.

in Cam-

CAIVS IMPER.

a Sueton. in Tib. c. 73. b Tac. Ann. lib. 5. c Dio lib. 58.

in Campania ex hac vita migrauit, cum imperaſſet annis viginti duobus, menſibus ſex, & diebus viginti, relicto Imperij herede CAIO CALIGVLA Germanici filio, ipſiuſque Tiberij ex Druſo fratre nepote. Quomodo autem hæc ſe habuerint, Suetonius [a], Tacitus [b], & alij fuſius narrant: licet ab iis diſcrepans Dio [c] Caſſius dicat Tiberium defunctum ſeptimo Calendas Aprilis, vixiſſeq; annos ſeptuaginta ſeptem, menſes quatuor, dies nouem, & imperaſſe annis viginti duobus, menſibus quinque, diebus tredecim. Ceterum numerando annos eius à die ſequenti obitus Auguſti, affirmare opus eſt imperaſſe annis viginti duobus, & menſibus ſeptem, minus quatuor diebus. Qualis autem Caius fuerit, apprime Seneca [d] declarauit, dicens *illum à rerum natura editũ, vt oſtenderet quid ſumma vitia in ſumma fortuna poſſent*: cuius adulteria & ſtupra, ſæuitiam atque crudelitatem, rapinasq; & prodigalitatem, abunde deſcribunt hiſtorici.

d Sen. de conſol. ad Alb. c. 1.

II. e Ioſ. 18. ant. 8. AGRIPPA REX IVDAEORVM.

Eodem verò tempore [e] Agrippa Iudæus, filius Ariſtobuli, Herodis Senioris nepos (qui aliquamdiu Romæ verſatus in officiis primum Druſi, inde vero Caii, delatione liberti ſui Eutychi, quod mortem Tiberio & Imperium Caio precatus eſſet, ſex ante Tiberij obitum menſibus, vinculis mancipatus fuerat) mortuo Tiberio, pro ferrea catena donatus eſt à Caio aurea eiuſdem ponderis, & Rex conſtitutus Tetrarchiæ, quæ fuerat Philippi nuper ſine liberis defuncti.

III. f Act. 9. g Chryſ. ho. 21. in Act.

Cum autem eſſet inter hæc (vt Lucas [f] teſtatur) Eccleſiæ ſtatus in Palæſtina feliciſſimus, ea opportuna pace vſus optime Petrus, factum eſt (inquit Lucas) vt pertranſiret vniuerſos: videlicet regiones circumpoſitas peragrans; & (vt ait Chryſoſtomus [g]) quemadmodum dux in exercitu obambulans, Eccleſias viſitabat, & conſiderabat quæ pars eſſet coadunata, quæ ornata, quæ ſuo aduentu egeret. Ceterum intentus ipſe Lucas, vt apparet deſcribendis inſignioribus editis à Petro miraculis, reliquas eius res geſtas in hac luſtratione prætermiſit: & inter alias inſtitutionem ECCLESIÆ ANTIOCHENÆ; quam quidem hoc ipſo anno ab eo fuiſſe erectam, atque in eadem ipſum poſtmodum ſeptem annis ſediſſe Epiſcopum, maiorum traditione, Conciliorum auctoritate, & omnis generis Scriptorum teſtificatione, necnon ipſius inſtitutionis anniuerſaria celebritate antiquitus in Eccleſia Catholica fieri ſolita 22. Februarij, demonſtratur [h]. Licet quidam recentiores nullam prorſus horum rationem habentes, affirmare non dubitauerint, aut id omnino geſtum non eſſe, quod Lucas eius non meminerit, aut Antiochenam Eccleſiam poſt Romanam fuiſſe à Petro inſtitutam.

PETRVS ANTIOCHENAM FVNDAT ECCLESIAM.

h Euſeb. in Chr. Aug. Bibl. in Petro. Herre de ſer Eccleſ. in Petro: & in Gal. 2. Chryſ. ho. de tranquil. & Ignat. Leo ſer. 1. Innoc. epiſt. Conc. Ro. ſub Damaſo in c. Act. 6. ſecun. Geleſ. in Conc. Rom. c. 1. Greg. 6. ep. 37 Indict. 15. Beda de ſex at. Ado in Chr. & alij quamplurimi tam Græci quam Latini; quibus adde Martyrol. Rom. & alia 22. Feb.

Sed hos non moramur; cum quod ad primos attinet, non ſit mirum (inquit de hac ipſa quæſtione agens Hieronymus [i]) ſi Lucas hanc rem tacuerit, qui & alia multa quæ ipſe Paulus (cuius maxime geſta deſcribenda ſuſcepit) ſuſtinuiſſe ſe replicat, prætermiſerit: nec ſit contrarium, ſi quod alius ob cauſam dignum putauit relatu, alius inter cetera dereliquit. Quod vero ad alios ſpectat; ſi (quod nec quiſquam hactenus negare viſus eſt) Euodius anno tertio Claudij Imp. (vt ponitur ab Euſebio in Chronico) eſt creatus Epiſcopus Antiochenus, quanam ratione dici poteſt, Petrum poſt erectum Romanam Eccleſiam iterũ Claudij edicti occaſione (quod promulgatum videbimus ipſius Claudij anno nono in Orientem reuerſum, inſtituiſſe Eccleſiam Antiochenam, quæ multo ante iam alium Epiſcopum habebat ordinatum? vel quomodo illic ſedit, vbi alius ſederet Epiſcopus Euodius, quem conſtat eam Eccleſiam gubernaſſe vſque ad annum primum Veſpaſiani? vel denique quo pacto Petrus, qui Romanam ſedem ſemel inſtituens, illic ſediſſe ab omnibus traditur annis viginti quinque vſq; ad obitum; dici poſſet vno eodemq; tempore Romæ ſediſſe & Antiochiæ, ac duas ſummas Sedes in Eccleſia Catholica eſſe voluiſſe? Quod vero dicunt Petrum, antequam Romam migraſſet, haud ſeptem annis Antiochiæ ſedere potuiſſe, ſatis ijdem refelluntur ipſius Euſebij auctoritate, qui dum ponit Eccleſiæ Antiochenæ inſtitutionem anno vltimo Tiberij Imper. Olympiade ducenteſima tertia anno quarto, Petri vero Romam profectionem Olympiade ducenteſima quinta anno ſecundo, ſeptem ſaltem inchoatos habet annos intermedios. Quibus adde, quod cum Petrus ſediſſe dicitur; non ita rude intelligendum eſt vt numquam per illud tempus Antiochia receſſerit, cui videlicet incumbebat Vniuerſæ Eccleſiæ proſpicere; ſed quod donec alia ab eo Sedes, nempe Romana, quam maximam omnium eſſe voluit, eſſet erecta, dictus ſit Epiſcopus Antiochenus, inde vero Epiſcopus Romanus fuerit appellatus.

IV. i in Gal. 2. SOLVTIO OBIECTORVM CONTRA SEDEM PETRI ANTIOCHENAM SEPTEM ANNIS SEDIS ANTIOCH.

V. k ap. Euſeb. 5. hiſt. 17.

Quod deniq; ex Apollonij [k] antiqui Theologi auctoritate obijcitur, Chriſtum Apoſtolis ſuis mandatum dediſſe ne ad duodecim annos Hieroſolymis decederent; indeq; infertur, non licuiſſe Petro proficiſci Antiochiam: ſatis iſta auctoritas à maioris fidei auctoritate refellitur, dum Lucæ Actorum apertiſſimis teſtimoniis demonſtratur, longe ante illud duodennium Petrum & Ioannem Samariam petiiſſe, & ipſum Petrum Syriam Palæſtinam viſitando Eccleſias peragraſſe, eundemque è carcere ab Angelo liberatum è Iudæa exceſſiſſe. Immo etiamſi vera eſſet Apollonij ſententia, non tamen ideo minus diceretur Petrus fundaſſe Eccleſiam Antiochenam, quamuis numquam ipſe petiiſſet Antiochiam. Non enim ſola ipſa præſentia Petri quamlibet Eccleſiam primariam effecit; alioqui tot eſſent numerandæ ſedes Patriarchales, quot à Petro fuerunt Eccleſiæ inſtitutæ, quarum fuiſſe plane immenſum numerum nemo inficias ierit: ſed vt id fieret, eius potiſſimum requiſita eſt auctoritas, quemadmodum de Eccleſia Alexandrina factum videmus; in qua licet aliquãdo fuiſſe Petrum, certa aliqua aſſertione nequaquam monſtrari poſſit, ea tamen ipſius inſtitutione omnium poſt Romanam extitit maxima, vt ſuis locis inferius videbitur. Sic igitur vt dicamus à Petro fundatam ſeu erectam ſedem Antiochenam, non eſt intelligendum, quod ibi Petrus primo prædicauerit Euangelium (id enim factum eſſe ab illis qui poſt necem Stephani pulſi ſunt Hieroſolymis, Lucas [l] docet) ſed quod illi à Petro præcipua dignitas ſit collata, vt Orientalium Sedium maxima diceretur & eſſet.

DE SENTENTIA APOLLONII.

l Act. 11.

VI.

Cum vero eodem auctore Luca conſtet, Petrum viſitaſſe Eccleſias, & per vniuerſos pertranſiſſe; quis dubitet & Antiochiam pertexiſſe, & illic ſibi Sedem erexiſſe, teſtantibus id tot antiquis Patribus atque hiſtoricis, & confirmante maxime in Eccleſia Catholica peragi ſolita antiquitus anniuerſaria celebritate CATHEDRÆ PETRI ANTIOCHENÆ? Et certe ſicut idem Petrus (vt vidimus) ad rem maximi ponderis ab Apoſtolis Samariam miſſus eſt; ita etiam cum auditum eſſet Eccleſiam Antiochiæ eſſe collectam, æquum pariter eſt credere, omnium Apoſtolorum ſententia factum eſſe, vt Petrus Apoſtolorum Princeps, totius Syriæ, atque adeo totius Orientis principi ciuitati atque metropoli, cui & Palæſtina, ipſaq; Hieroſolyma ſubiaceret, peculiaris præficeretur Epiſcopus. Maiores enim in inſtituendis Sedibus Eccleſiarum, non aliam iniiſſe rationem, quam ſecundum prouinciarum diuiſionem, & prærogatiuas à Romanis antea ſtabilitas, plurima ſunt exempla. Ideoque quantumuis Hieroſolymorum Eccleſia & origine temporis, & nobilitate rerum in ea conſummatarum, ceteris præferenda videretur: tamen non Antiochenæ dumtaxat ſubiecta fuit, ſed & ipſi etiam Cæſareæ maritimæ (vt ex Concilio Nicæno [m], & Hieronymo [n] liquet) quod hæc à Romanis effecta eſſet totius Palæſtinæ metropolis.

CATHEDRA ANTIOCHENA.

m Conc. Nic. can. 7. n Hier. ep. 61.

IESV CHRISTI ANN. 40.

CAII IMP. AN. 2

I. a Ioſ. 18. ant. 8. AGRIPPA REX MALE ACCEPTVS ALEXANDRIA.

ANno Chriſti quadrageſimo, M. Aquilio Iuliano & P. Nonio Aſprenate Coſſ. anno Caij Imp. ſecundo [a], Agrippa, qui anno ſuperiori ab eodẽ Auguſto Tetrarchiæ Philippi Rex fuerat ordinatus, Roma recedens rediit in Iudæam: quem Alexandriam in tranſitu appellentem, natiuo inuidiæ vitio excipientes Alexandrini, qui alienam felicitatem ſuum interpretari ſolebant infortunium, conniuente Flacco Ægypti præfecto magno deriſere ludibrio; & ludo iungentes luctum, miſeros Iudæos illic

degen-

IVDÆORVM CALAMITAS.

degentes immenſis affecerunt calamitatibus: quæ omnia deſcripſit prolixe Philo Iudæus qui aderat, tum in commentario aduerſus eumdem Flaccum, tum in Legatione ad Caium Imperatorem; vbi & alia plurima addit mala in eoſdem Iudæos, eorumque ſynagogas illata, quod cum hoc ipſo anno ſecundo Imperij ſui, diſruptis quibus ab impetu ſceleſtioris vitæ retineri videbatur habenis, idem Caius poſt necem Tiberij Druſi filij, Tiberij Auguſti nepotis, & ex teſtamento decreti collegæ Imperij; itemque Macronis, cui acceptum ferebat imperium; ac ſpontaneam mortem M. Silani ſoceri ſui; eo flagitij atque inſaniæ deueniſſet, vt diuinos æmulatus honores, Deus ab omnibus coli voluiſſet (quod præter Philonem, Suetonius[b], Dio[c], ceterique teſtantur) Iudæi id facere renuiſſent, eiuſque imagines in ſuas Synagogas recipere. At ſunt hæc initia dolorum, & diuinæ vltionis in Iudæos præludia, quod Chriſtum Deum crucifixiſſent: quæ quidem in Ægypto hoc anno cœpta, in aliis Orbis terrarum prouinciis in dies magis magiſque aucta, ne ipſa quidem immani Hieroſolymorum exciſione finem acceperunt. Agemus de omnibus ex inſtituto ſuis locis: cum interim maxima ſit conſideratione dignum, Deum Opt. Max. eodem tempore quo in Iudæos gladiū iræ ſuæ cœpit exercere, Gentes ſibi conciliare cœpiſſe, & per baptiſmum eis aditum ad ſalutē reſerare; de quo dicetur anno ſequenti.

b Sueton. in Caio cap. 22.
c Dio lib. 59.

II. HERODES RELEGATVR CVM HERODIADE.

Cum autem Agrippa in regnum veniſſet, Herodis Tetrarchæ cupiditates per inuidiam ſuſcitauit: qui Herodiadis vxoris ſuæ conſilio parens, ſpe regij nominis potiundi, vna cum ipſa ad Caium nauigauit; ſed Agrippæ literis de proditione accuſatus, adempta ei ab Imperatore Tetrarchia, eademque Agrippæ regno iuncta, ipſe in exilium miſſus eſt apud Lugdunum vrbem Galliæ, vna cum Herodiade: quam cum audiſſet Imperator ſororem eſſe Agrippæ, & in iſtius gratiam ſe ei parcere dixiſſet; recuſauit illa, aſſerens *non æquum eſſe, vt cui ſecundæ fortunæ extitiſſet ſocia, cum in aduerſa deſereret.* Hæc omnia Ioſephus[d]: qui tamen parum ſibi conſtans, alibi[e] ait Agrippam ſecutum eſſe Romam Herodem; ipſumq; Herodem vna cum vxore fugiſſe in Hiſpaniam. Hunc vero ſecutus Hegeſippus[f], addit Herodem mœrore animi conſumptum interiiſſe. Porro huius diuinæ plane in Herodem & Herodiadem vltionis cauſam ſi quis altius petat, non in Agrippæ felicitatis inuidentiam eam reiiciet; ſed tum ob Ioannem Baptiſtam immaniter occiſum, tum etiam ob Chriſtum ab eo ſpretum ac male habitum, hæc ipſos paſſos eſſe certo intelliget. Quod vero pertinet ad Regis Agrippæ reditum Romam; ſequenti potius anno, contigiſſe ex Philone[g] colligitur.

d Ioſ. 18. ant. 9.
e Id. 2. de bel. 8.
f Hegeſ. de excid. Hieroſ. lib. 2. c. 5.
g Phil. de leg. ad Caium.

III. PETRVS LYDDÆ ET IOPPE. TABITHA AD VITAM REVOCATA.

Interea hoc anno (quantum ex Lucæ[h] Actis intelligi poteſt, accidit vt Petrus Apoſtolus Eccleſias viſitans, venerit Lyddam ciuitatē[i] ad litus maris Mediterranei (quæ poſtea ab incendio[k] belli Iudaici reſtaurata, appellata eſt Dioſpolis) vbi paralyticum ſanauit, & eo miraculo Lyddæ & Saronæ incolas ad Chriſtum conuertit. Non eſt autem *Sarona* nomen oppidi, ſed[l] regionis Cæſareæ Palæſtinæ vſque ad oppidum Ioppen pertingentis, paſcendis gregibus aptiſſimæ. Lydda vero Ioppen vocatus, Tabitham ſanctiſſimam feminam Chriſtianam nuper defunctam ad vitam reuocauit, ac plurimos ad fidem perduxit. Factumque eſt (inquit Lucas) vt dies multos permanſerit in Ioppe apud Simonem quemdam coriarium. Cum vero Lucæ ſit vſitata locutio, vt cum multos dies dicit, longioris temporis moram ſignificet; ea de cauſa quæ ſubdit de Cornelio Centurione; in ſequentem potius annum reiicimus.

h Act. 9.
i Hieron. de loc. Heb.
k Ioſ. 2. de bel. 23.
l Hieron. ib.

IESV CHRISTI ANN. 41.

CAII IMP. AN. 3.

I. ANnus Chriſti quadrageſimus primus à Dione[a] conſignatur Conſulatu Caij Aug. iterum & L. Appronij Cæſiani; licet, neſcimus quo conſilio, Faſtos Conſulares alij[b] inuertentes, ponant anno ſuperiori horum Conſulatum, & Conſules eius anni in hunc reiiciant. Certe quem in his ſequamur præter Dionem, auctorem vel antiquiorem, vel fideliorem inuenimus neminem.

a Dio lib. 59.
b Panin. in Faſt.

II. PETRVS GENTILES AD FIDEM RECIPIT.

Hoc igitur anno iiſdemque Coſſ. S. Petrus Apoſtolus diuino monitu, primus omnium primum omnium Gentilem CORNELIVM Centurionem, ab eo pariter diuinitus monito Cæſaream vocatus, baptizauit, ceteriſq; Gentilibus aditum ad Eccleſiam reſerauit: quippe cum Petra à Domino fuiſſet cognominatus & conſtitutus, ab eo vterque paries Iudæorum & Gentium in ædificatione Eccleſiæ erat iungendus. Quo autem ordine ea facta ſint, Lucas[c] vt rem maximi ponderis, diligentiori ſtudio ſcriptis mandauit. Cum vero dicit Cornelium fuiſſe Centurionem *cohortis Italicæ*, minime eſt dubium eiuſdem quoque nationis fuiſſe milites ex qua tota cohors eſt denominata, nempe Italos; ipſumq; Centurionem è Romano nomine Romanum etiam genere fuiſſe, coniectura facile perſuadet. Non tamen opus fuit vt Italica cohors (quod multi perperam ſunt opinati) legionis Italicæ eſſet: cum enim tres fuerint Italicæ legiones ſic dictæ, omnes poſt hæc tempora inſtitutæ eſſe noſcuntur[d]; Prima à Nerone, Secunda & Tertia à Marco Aurelio Antonino. Sic etiam nec fuiſſe neceſſe, vt Italicæ Legiones non niſi ex Italicis militibus conſtarent; ſed ex aliis interdum nationibus ſuffici conſueuiſſe, teſtantur inſcriptiones antiquæ, docetque Vegetius[e] cum agit de officio Præfecti Legionis. Porro Dione auctore liquet, Iudæam prouinciam ab Auguſto ad hiberna fuiſſe traditam legioni Ferratæ nūcupatæ, eidemque Sextæ dictæ quod eo ordine ſcripta eſſet: quæ quidem numquam inde receſſiſſe reperitur vſque ad Neronis tempora, quando eſt in Armeniam amandata; iterum vero reddita Syriæ, à Mutiano ducta eſt in Italiam contra Vitellium.

c Act. 10.
DE CORNELIO CENTVRIONE.
d Dio lib. 55.
LEGIONES DICTAE ITALICÆ.
e Veget. li. 2. de re mil.

III. Quæ vero poſt hæc à Cornelio facta eſſe Metaphraſtes[f] deſcribit, cum antiquiori careant auctore, libentius prætermittimus. Factum autem fuiſſe, ſed poſt Zacchæū, Epiſcopum Cæſareenſem, Romanum[g] Martyrologium teſtatur; idemque apud Clementem[h] legitur, licet ſine auctore alibi[i] feratur creatus Epiſcopus Ilij. Domum autem in qua Cæſareæ habitabat, in Eccleſiam fuiſſe conuerſam, docet Hieronymus[k]. Sunt porro & multa alia in apocryphis Recognitionum libris nomine Clementis inſignitis, quæ à Petro Cæſareæ geſta dicuntur: ſed ea, vt mendaciis conferta, indigna exiſtimamus quæ vna cum veris iungantur. Quomodo vero Hieroſolymam reuerſus, diſceptantibus aduerſus illum quibuſdam ex circumciſione quod ad viros præputium habentes introiſſet, rationem eorum quæ geſta eſſent reddiderit; narrat exacte Lucas[l]. Qua in re admiranda plane viſa eſt cunctis antiquis Patribus modeſtia Petri, quod qui poteſtate ſibi tradita vnico tantum verbo omnes illas potuiſſet dirimere controuerſias; perinde tamen ac ſi ex æquo cum ſociis cauſa agenda eſſet, nonniſi rationis auctoritate eorum obiectioni ſatisfaciendum putarit. Ceterum huius in Petrum commotionis, non aliquem Apoſtolorum, ſed qui poſt Simonem Magum primus omnium fuit hæreſiarcha, Cherinthum inuentorem & inſtigatorem extitiſſe, Epiphanius[m] teſtatur.

f Metaphr. 13. Sept.
g Martyrol. Rom. die 2. Febr. Clem. 7. Conſt. 46.
i Orat. de Apoſt. ap. Metaphr. 29. Iuny.
k Hier. ep. 27.
l Act. 11.
PETRI MODESTIA.
m Epiphan. hær. 28.

IV. Hoc eodem anno, Olympiade ducenteſima quarta anno tertio, Sanctus MATTHÆVS Apoſtolus (vt auctor eſt Euſebius[n]) primus omnium Hebraico ſermone EVANGELIVM ſcripſit. Sed quod ad tempus ſpectat, contradicere videtur Irenæus[o], dum id refert ad tempus quo Petrus & Paulus Romæ euangelizarent, & fundarent Eccleſiam. Cuius verba ſi quis putet eo ſenſu accipienda, vt non niſi poſt Petri, ac demum Pauli Romam aduentū, Matthæum ſcripſiſſe dicat; inter alia quæ inde ſequerentur abſurda, duo maxime quæ ſunt in confeſſo apud omnes, ipſumq; etiam Irenæum, negare opus eſſet; nempe Matthæum primum omnium ſcripſiſſe Euangelium, & id peregiſſe antequam Apoſtoli in diuerſas Orbis prouincias ad prædicandum Gentibus diſpergerentur: quandoquidem ante Pauli Romam aduentum (qui nonniſi poſt octodecim abhinc annos contigit) & Marcus ac Lucas ſcripſiſſe reperiantur, & diuiſos fuiſſe per Orbē Apoſtolos

n Euſeb. in Chron.
o Iren. lib. 3. c. 1.
MATTHÆVS EVANGELIVM SCRIBIT.

nulla

nulla ſit dubitatio. Quapropter ſic accipienda putamus Irenæi verba, vt voluerit ſignificare, Matthæum edidiſſe Euangelium ſub initium fundationis Romanæ Eccleſiæ, quam Petrus inſtituit quatuor poſt hæc annis, anno ſecundo Claudij Imperatoris: Paulum autem addiderit communi tum ipſius, tum ceterorum Patrum vſu loquendi, vt cum de Romanæ Eccleſiæ fundatione agunt, ſimul vtrumq; Apoſtolum nominent, quod & Paulus eamdem poſt Petrum docuerit, & ambo eadem die illam ſuo ſanguine conſecrarint. Quod vero Nicephorus [p] Matthæũ ſcripſiſſe tradit decimoquinto poſt Chriſti Aſcenſionem anno, inde erroris occaſionem hauſiſſe noſcitur, quod putauerit Apoſtolos non ante illum annum per Orbem fuiſſe diuiſos, nec ante illorum diuiſionem Matthæum ſcripſiſſe. Verum & eos ante illud tempus fuiſſe diuiſos, inferius videbitur; & Matthæum ante ipſorum diuiſionem Euangelium edidiſſe, vel inde manifeſte probatur, quod Bartholomæum profecturum ad Indos illud deſcriptum ſecum detuliſſe, teſtentur Euſebius [q] atque Hieronymus [r]. Sic igitur de tempore huius ſcriptionis, Euſebio potius quam ceteris aſſentimur.

p Nic. lib. 2. c. 45.
q Euſeb. 3. hiſt. 10.
r Hieron. de Script. Eccl. in Panten. c. 36.

V.
OCCASIO SCRIBENDI EVANGELII.

Tantum vero opus aggreſſum eſſe Matthæum Iudæis qui crediderant expoſcentibus, tradit Iohannes Chryſoſtomus [s]; verum & iniungentibus ei reliquis Apoſtolis, Epiphanius [t] teſtatur: editumque eſſe primo Hieroſolymis, auctor eſt Athanaſius [u]. Porro tum hi, tum alij omnes qui de eo egerunt, æque conſentiunt Matthæum Hebraico ſermone ſcripſiſſe; quod ipſum Hebraicum exemplar ſuo tempore in Cæſarienſi Bibliotheca aſſeruatum eſſe, Hieronymus [x] teſtatur; & apud Nazaræos perfectiſſimum reperiri, Epiphanius [y] ſcribit. Verum Hieronymus [z] Euangelium Matthæi, quo Nazaræi vtebantur (quod & ſe ex Hebraico fonte deſcripſiſſe, & in Græcum tranſtuliſſe aſſerit) in quibuſdam fuiſſe immutatum ait. Et ipſos Ebionæos hæreticos Matthæi vſos eſſe Euangelio, ſed deprauato & mutilato; itemque Cherinthum & Carpocratem illud ipſum deſcripſiſſe, ſed eo plane abuſos, è genealogia Saluatoris ſic Chriſti humanitatem tantummodo didiciſſe, vt diuinitatem negarent, Epiphanius [a] teſtatur. Deniq; Matthæi Euangelium non ſolum Bartholomæus Apoſtolus ad Indos detulit, ſed & Barnabam Apoſtolum ſemper ſecum habuiſſe, eiuſq; refoſſo corpore ſub Zenone Imperatore, vna cum eo repertum eſſe, hiſtoricorum illorum temporum vera aſſertione videbitur inferius. Quod vero Beda [b] Euangelium Matthæi quo Nazaræi vtebantur, non eſſe adnumerandum inter apocrypha exiſtimauit; haud facile aſſentimur, cum Hieronymi (vt diximus) teſtimonio appareat, nonnulla in eo diuerſa ferri ab his quæ reperiuntur in Matthæi Euangelio quo Eccleſia vtitur. Atq; de his hactenus.

s Chryſ. hom. 1. in Matth.
t Epiph. hær. 51.
u Athan. in Synopſi.
x Hieron. de Script. Eccl. in Matth.
y Epiph. hær. 29.
z Hier. ibid. & in Matt. 12.
A QVIBVS MATTH. EVANGELIVM CORRVPTVM.
a Epiphan. hær. 30.
b Bed. in Luc. 1.
EVANGELIVM NAZARAEORVM.

VI.
c Ioſ. 18. antiq. 11.
CAIVS VVLT COLI VT DEVS.
d Suet. in Caio c. 22. Dio lib. 59.

Hoc eodem anno (vt ex Ioſepho [c] colligitur) amoto Vitellio è Syriæ præfectura, Petronius à Caio Imper. ad eam prouinciam adminiſtrandam ſubrogatur: cui ipſe (cum ab omnibus coli vt Deus vellet, ac ne Ioui quidem cederet, quippe qui [d] de inferendo Iouis Olympij ſimulachro Romam, deq; illius effigie in ſuam mutanda conſilium iniiſſet) in mandatis dedit vt ſuam ſtatuam Hieroſolymis in templo locaret ab omnibus colendam, prout toto reliquo Orbe Rom. factum fuerat: quod ipſe in annum ſequentem diſtulit, vt idem auctor teſtatur.

IESV CHRISTI ANN. 42.

CAII IMP. AN. 4.

I.
a Dio lib. 59

ANNO Chriſti quadrageſimo ſecundo, Caius Imper. tertium Conſul Faſtis ſolus adſcribitur, quod (vt teſtatur Dio [a]) ei qui deſignatus ipſi collega fuerat, mortuo, tam breui ſpatio in concione alius ſubrogari non potuerit. Ceterum ab eodem auctore Pomponius ſecundus Conſul eodem anno creatus nominatur: ſuffectusne in locum Caij, qui Conſulatum tenuit tantum (vt Suetonius [b] tradit) vſque ad Idus Ianuarij, an ordinarius fuerit electus in locum demortui deſignati, non liquet.

b Sueton. in Caio c. 17.

II.

Hoc igitur anno, dum ſtatua Coloſſæa Caij pararetur Sidone à Petronio in templum Hieroſolymitanum inferenda; idem Petronius Iudæorum victus miſerandis lamentis, mortem potius eligentium, quam vt eiuſmodi abominatione templum pollueretur; rem varijs prætextibus diſtulit, quouſque tandem Caius Agrippæ Regis flexus precibus, ei donauit ceu maximam gratiam ne fieret Coloſſi dedicatio. Rem totam mira arte atque eloquentia fuſiſſime deſcripſit Philo Iudæus in libello de ſua ad Caium Legatione; quam hoc eodem anno cum quatuor ſociis pro Iudæis Alexandrinis ſuſcepit, cum aduerſus eos ex altera parte ad eundem Imperatorem miſſus eſſet cum aliis Apion Alexandrinus, occaſione tumultuum quos ante biennium Alexandriæ ſuſcitatos vidimus, qui & hactenus perdurarunt. Quod autem iſta aliter à Ioſepho [c] narrantur; haud dubium Philoni potius acquieſcendum cenſemus, vt antiquiori, & qui ea oculis ſpectarit. Ceterum ipſum, Legatum iterum agentem, rurſum veniſſe Romam ſub Claudio, Hieronymus [d] teſtatur; aitq; habuiſſe Petrum Apoſtolum amicum, & de Chriſtianis Alexandrinis ſcripſiſſe ſub nomine Eſſæorum: ſed de hac re dicetur pluribus ſuo loco. Quod vero Photius in Bibliotheca dicit, Philonem ex Chriſtiano factum Iudæum; cum id à nullo antiquorum ſcitum ſit, eadem facilitate reijcitur qua profertur.

PHILO LEGATVS AD IMP.
c Ioſ. 18. ant. 11. & 2. de bell. 9.
d Hieron. de Script. Eccl. in Philo.

III.
e Ioſ. cont. Apion. lib. 2.
DE APIONE GRAM. IVDAEORVM ADVERSARIO.
f Plin. praf. ad hiſt. Flav. Semer.

Porro *Apion* aduerſæ legationis princeps, grammaticus fuit, extrema Ægypti parte quæ Oaſis dicitur, oriundus [e], ſed ciuitate poſtea Alexandrina donatus. Cui cum non ſatis eſſet coram Caio in Iudæos oraſſe, inſuper aduerſus eos commentarium ſcripſit, impudentiſſimis calumniis atque blaſphemiis confertum; quas poſtea Ioſephus duobus libris egregie confutauit, ſimulq; qualis ille fuerit ſuis coloribus pinxit. Narrat quoq; de eo Plinius [f] Secundus, cum à Tiberio Cæſare vocari ſolitum *Cymbalum mundi*, cum tamen (inquit Plinius) publicæ famæ tympanum potius videri poſſet, qui iactabat eos à ſe immortalitate donari ad quos aliqua componeret. Sugillat pariter eius faſtum & arrogantiam A. Gellius [g]. Tandem vero neceſſario circumciſum circa genitalia, iis putrefactis in magnis dolorib. expiraſſe Ioſephus [h] ſcribit. Quæ quidem omnia de eo breuiter recenſuiſſe voluimus, quod impiæ in res Iudaicas ab eo prolatæ calumniæ, in Chriſtianos etiam, quod ex Iudæis progeniti eſſent, fuerint illapſæ; dum inter alia Fideles æque à Gentilibus carperentur [i], quod caput aſini adorarent; cuius aduerſus Iudæos ſtrophæ concinnatorem fuiſſe Apionem, Ioſephus docet. Sed quod pertinet ad reliquas res Iudaicas; admiratione equidem dignum eſt, quantopere Iudæos hoc tempore vltio diuina vexarit, non eos tantum his perturbationibus in Ægypto & Syria exagitans, ſed [k] trans Euphratem apud Babylonem habitantes maxima clade afficiens, & inde Seleuciam fugientes, conſpirantibus ſimul Syris cum Græcis, ſupra quinquaginta millia virorum ex improuiſo delens: ipſis poſtea Hieroſolymitanis grauioribus reſeruatis ſuppliciis, vt qui grauius ceteris in Chriſtum, & eius Diſcipulos peccaſſent.

g Gell. lib. 5. c. 14.
h Ioſ. lib. 2. cont. Apion.
i Tert. Apol. c. 16. & alq.
CLADES IVDAEORVM.
k Ioſ. 18. ant. 12.

IESV CHRISTI ANN. 43.

CLAVDII IMP. AN. 1.

I.
a Dio lib. 59.
CAIVS IMP. OCCIDITVR.

ANNO Domini quadrageſimo tertio, Gaio Aug. [a] quartum & Sentio Saturnino Coſſ. Calendis Februarij, idem Caius Imp. coniuratione Caſſii Chereæ & Cornelii Sabini Tribunorum militum Prætorianorum occiditur, anno ætatis vigeſimonono, Imperij tertio, menſe decimo, & die decimooctauo, numerando à die obitus Tiberij, vt teſtatur Suetonius [b]; licet Dio [c] annis tribus, menſibus nouem & diebus viginti octo ipſum imperaſſe dicat; & longius aberrans Ioſephus [d], tres tantum annos & ſex menſes eidem tribuat. Periit & vna vxor Cæſonia, gladio à Centurione confoſſa, & filia parieti illiſa.

b Sueton. in Caio c. 59.
c Dio lib. 59. in fin.
d Ioſ. 2. de bell. 10.

II.
e Sueton. in Claud. c. 1. & 10.
CLAVDII IMPERIVM.

Poſt eum *Tiberius* CLAVDIVS *Druſus* [e] *Germanicus*, Druſi Neronis & Antoniæ filius, Liuiæ Auguſtæ nepos, annos natus quinquaginta, factione militum Prætorianorum capeſſiuit Imperium. Qui inter alia quæ ipſo Principatus initio geſſit, promulgatis in fauorem Iudæorum edictis, eoſdem metu quem Caius incuſſerat liberauit, & regnum Agrippæ Iudæa ac Samaria, necnon quæ fuerat

Lyſaniæ Tetrarchia auxit, prout plurib narrat Ioſephus [f]. Verum quantumuis iſta indulta fuerint Iudæis, qui tum Alexandriæ, tum etiam in ceteris Romani Imperii prouincijs agerent: iis tamen qui Romæ eſſent, quod frequentiſſimus eſſet populus, non eadem ſunt iura conceſſa; ſed hoc Claudij Imperij exordio primum cohibiti (vt Dio [g] declarat) demum Vrbe ſunt pulſi, vt ſuo loco dicemus.

f Ioſ. 19. ant. 4. & 5.
g Dio lib. 60.

III. CHRISTIANI PRIMVM DICTI ANTIOCHIÆ.

Interea vero (quod ad res pertinet Eccleſiaſticas) reſerato ſemel à Petro Gentibus aditu ad Chriſti fidem, Antiochiæ primum, in ipſa inquam, eiuſdem Principis Apoſtolorum Sede nuper erecta, magna ex ijſdem Gentibus facta eſt acceſſio ad Eccleſiam, opera præcipuè Barnabæ Hieroſolymis illuc ab Apoſtolis miſſi, & Pauli quē idem Barnabas Tarſo eodem deduxit: adeo vt diſcipuli Chriſti primum ibi vocati fuerint CHRISTIANI; quemadmodum Lucas [h] narrat in Actis. Cur autem priſtinum DISCIPVLORVM nomen (quo omnes qui credebant in Chriſtum nominari conſueuerant) ab Apoſtolis ſit mutatū in Chriſtianorū, Sanctus Athanaſius [i] hanc adfert cauſam, quod cum multi iam exiſterent nouorum dogmatum auctores, ijdem pariter ſuos ſectatores vocarent Diſcipulos. Porro deductum eſſe nomen *Chriſtianum* à *Chriſto*, & Chriſti à *chriſmate*, regali nempe vnctione, nemo eſt qui ignoret. Qui vero aduerſus Ethnicos huius originis ignaros, Eccleſiaſtici tractatores egerunt (puta Iuſtinus [k] Martyr, Tertullianus [l], Lactantius & alij) quod ijdem Gentiles Chriſtianos corrupto vocabulo *Chreſtianos*, & Chriſtum *Chreſtum* nominare conſueuiſſent, eiuſdem nominis interpretationem deduxerunt à voce χρηστὸς, quod eſt Bonum & commodum. Et quod ad hæreticos ſpectat; etſi (vt vidimus) ad illorum diſtinctionem Chriſtianum nomen credentibus eſt inditum; tamen haud multo poſt & id ipſum ijdem æmulari, ſuos ſectatores Chriſtianos etiam appellare non ſunt veriti: quod feciſſe primum Carpocratianos, auctor eſt Epiphanius [m]. Vnde rurſum ad diſtinguendos veros Chriſtianos à falſis, CATHOLICVM eſt cognomen inuentum; & id quidem ab ipſis Apoſtolis, quorum auctoritate vera Dei Eccleſia in eorum Symbolo CATHOLICA eſt cognominata, vt ea diſcriminatione ab Hæreticorum conuenticulis cognoſceretur eſſe diſtincta; quemadmodum egregie expoſuit Pacianus [n] Barcinonenſis aduerſus Nouatianos. Hoc autem cognomen adeo ſolam veram Eccleſiam obtinuiſſe, vt cum ſerio res acta eſt, nulli vnquam hæretici vſurpare auſi fuĕrint, idem Pacianus, Auguſtinus [o], & alij teſtantur. Quomodo vero, vt certiori adhuc & plane indubitata nota, Catholici dignoſcerentur ab Hæreticis & Schiſmaticis, ijdem appellati ſint ROMANI; dicetur inferius, cum agetur de Romanæ Eccleſiæ inſtitutione.

h Act. 11.
i Athan. in diſp. cont. Arium.
DE NOMINE CHRISTIANO.
k Iuſt. orat. ad Anton. Pium.
l Tert. Apolog. c. 3.
m Epiph. hær. 27.
DE NOMINE CATHOLICO.
n Pac. ep. ad Sympron.
o Aug. cont. ep. Fund. c. 1.

IV. CHRISTIANORVM VARIÆ APPELLATIONES.

Ceterum licet (vt diximus) peculiare propriumq; nomen Chriſto credentium fuerit olim, vt Chriſtiani appellarentur; tamen alijs quoque nominibus dicti repeiuntur, & frequentiùs FRATRES tum ab ipſo Chriſto Domino, tum ab eius Apoſtolis; perſeuerauitque eadem nomenclatura in Eccleſia, atque ipſe Chriſtianorum cœtus *Fraternitas* dicta. Cuius quidem appellationis (quod eius occaſione Fideles infamarentur à Gentilibus de promiſcuitate vxorum) egregiam Tertullianus [p] rationem reddidit; ipſorum exprobrans ſpurcitiam Gentilium, qui cum cetera cuncta propria haberent, vxoribus communiter vterentur; contra quam Chriſtiani, apud quos omnia indiſcreta eſſent præter vxores. Ijſdem ſimilia habent Athenagaras [q] Philoſophus Chriſtianus, Iuſtinus [r] Martyr, & Minutius [s] Felix, cum eamdem calumniam refellunt. Rurſum vero qui olim Chriſtiani, ijdem nominabantur SANCTI; vt à Paulo [t] ſæpe, ac Luca [u], poſteriſq; Ignatio, Philone, Polycarpo, Tertulliano, & aliis. At demum obtinuit vſus, vt illi tantummodo *Sancti* in Eccleſia dicerentur, qui eminentiori probationiq; fulgerent morum ſanctitudine. Apud Græcos [x] autem *Hoſii*, hoc eſt Sancti, honoris cauſa dicebantur Sacerdotes. Nominabantur inſuper Chriſtiani olim CREDENTES, eiuſq; nomenclaturæ plura ſunt exempla. Item FIDELES [y]; quod etiam nomen ad poſteros eſt dilapſum, & frequentius vſurpatum; præſertim Romæ, vbi (vt auctor eſt Ambroſius [z]) qui baptizati ſunt, Fideles nominari conſueuerunt: videasque in vſitatis eiuſdem Eccleſiæ precibus, Chriſtianos fere ſemper appellari *Fideles*. Vnde & Pontius Diaconus in Vita Cypriani, *Quid*, inquit, *Chriſtiana plebs faceret, cui de Fide nomen eſt*: Iudæi vero ignominiæ cauſa, quod Dominum in titulo Crucis Nazarenum appellatum noſſent, Chriſtianos pariter NAZARENOS nominabant, vt & diximus ſuperius: eaque voce ter in die, quando preces perficerent in Synagogis ſuis, maledixiſſe Chriſtianis, ipſique Chriſto, Hieronymus [a] tradit: licet Epiphanius [b] dicat Iudæos id feciſſe in hæreticos, qui Nazareni vocati Legem vna cum Euangelio ſeruarent. Veruntamen cum ex Apoſtolorum Actis [c] appareat, omnes Chriſtianos à Iudæis æque dictos eſſe Nazarenos; ad ipſos potius quam ab eo nomine dictos hæreticos, eam pertinuiſſe blaſphemiam exiſtimamus. Sed de his modo ſatis.

p Tert. Apol. c. 39.
q Athen. or. pro Chriſt.
r Iuſt. orat. ad Anton.
s Min. in Octau.
t Rom. 1. & 15. 2. Cor. 13. Phil. 4. Act. 26.
u Act. 9.
x Plut. de oracul. defect. inſ.
y Eph. 1. Coloſ. 1. & 1. Tim. 4.
z Amb. de ſacram. lib. 1. c. 1.
a Hier. in Iſ. 49.
b Epiph. hær. 29.
c Act. 24.

V. THADDÆVS SANAT ABGARVM, ET CONVERTIT EDESSENOS.

Hoc eodem anno quadrageſimo tertio à Chriſti natali (vt Euſebius [d] eſt auctor) THADDÆVS vnus ex Septuaginta duobus Diſcipulis, Edeſſam Syriæ ciuitatem ab Apoſtolis miſſus, vt impleret quod per literas Chriſtum Abgato eiuſdem ciuitatis Principi, de mittendo ad eum poſt Aſſumptionem ſuam aliquo ex Diſcipulis ſuis, ſcripſiſſe ſuperius vidimus; eumdem Abgatum morbo afflictatum ſanitati reſtituit, ac poſt multa alia miracula vniuerſum eius populum ad fidem conuertit. Quæ quidem vt facta ſint, pluribus deſcripſit idem Euſebius ex antiquis eiuſdem ciuitatis monumentis è Syriaca lingua in Græcam translatis. Quod autem hunc Thaddæum nonnulli ex duodenario Apoſtolorum numero fuiſſe tradunt, de eo dicetur anno ſequenti.

d Euſ. l. 1. hiſt. 13.

IESV CHRISTI ANN. 44.

CLAVDII IMP. AN. 2.

I. IACOBI APOSTOLI MARTYRIVM.

ANNO Chriſti quadrageſimo quarto, Claudio [a] Aug. ſecundum, & C. Licinio Largo Coſſ. nouus Iudæorum Rex Agrippa, inter alia quæ ijſdem Iudæis primo ſui Hieroſolymam aduentu cōtulit beneficia, vt eorum magis ſibi gratiam conciliaret, Eccleſiam perſequi aggreſſus, IACOBVM Apoſtolum, filium Zebedæi, Ioannis fratrem, capite truncari iuſſit: quod narrat ſummatim Lucas [b], eumdem Agrippam vocans Herodem, quod iſto cognomento eſſet. Ceterum ex Clemente Alexandrino, maiorumq; traditione Euſebius [c] ſcribit, eum qui Iacobum adduxiſſet in iudicium, cum eum tam fortiter Chriſti nomen confiteri cerneret, & ipſum ſe Chriſtianum profeſſum eſſe; cumque ambo ſimul ad ſupplicium ducerentur, hunc à Iacobo veniam poſtulaſſe, Iacobum autem ei pacē cum oſculo dediſſe, & ſic vtrumque ſecuri vitam finiiſſe. Quod vero aliorum relatione Hieronymus [d] recitat, immolatum Iacobum die ſecunda Paſchatis, haud conſtare poſſe videtur; quandoquidem Lucas [e] ſcribit, Herodem cum poſt necem Iacobi Petrum ipſum apprehendiſſet, licet eius necis cupidiſſimum, ab ea tamen abſtinuiſſe vſq; ad dies Azymorum elapſos.

a Dio lib. 60.
b Act. 12.
c Euſeb. 2. hiſt. 8.
d Hier. in Ezech. 43.
e Act. 12.

II. VTRVM IACOBVS PROFECTVS FVERIT IN HISPANIAM.

Denique quod Hiſpaniarum Eccleſiæ [f] profitentur, eumdem Iacobum Apoſtolum antea in Hiſpanias eſſe profectum, & ibi primum omnium prædicaſſe Euangelium; inde non leuis de ea re quamplurimis dubitandi occaſio eſt orta, quod conſtet ipſum Sanctum Iacobum omnium Apoſtolorum primum martyrio ex hac vita migraſſe, atque etiam antequam Apoſtoli in prouincias diuiderentur ad prædicandum Euangelium. Itaq; cum longe poſt iſta tempora aliquando contigiſſet, vt Epiſcopus Eccleſiæ Compoſtellanæ ſumens ſibi maiora conceſſis, erigeret ſe aduerſus Epiſcopum Toletanum; eaque res declamata [g] eſſet in magno illo Concilio Lateranenſi quadringentorum octoginta trium Epiſcoporum ſub Innocentio Tertio, vendicante ſibi Compoſtellano ius non parendi Toletano, eo quod Eccleſia Compoſtellana ſuper omnes Hiſpaniarum Eccleſias duplici ratione eſſet, vt aiebat, tum quod in Hiſpania prædicaſſet Euangelium;

f Breuiar. Tolet. in feſt. S. Iſid.
g Narrat Garſ. Loaiſa in Collect. conc. Hiſp. in decreto Gundemari.
Ceterū quę hic ponuntur de Iacobi in Hiſpaniā profectione.

ille

desumpta ſunt ex To. IX. Annaliũ Baronii ann. 816. vbi retractauit quæ pro ea dixiſſet olim in Notis ad Rom. Martyrol. ad quas remittebat hic Lectorem: qui ſi iſta cupit vberius tractata, adeat ipſum in d. an. 816.

ille aduerſantem ſibi acerrime expertus eſt Rudericum Ximenium Archiepiſcopum Toletanum: qui, quod attinet ad poſteriorem rationem, abſolute negauit eumdem Apoſtolum vmquam ingreſſum eſſe in Hiſpaniam, aſſeruitque id tantum ſe accepiſſe cum iunior eſſet à religioſis quibuſdam fœminis. Quapropter & indignum putans vt in re tanta iis fides adhiberetur, nullam de his mentionem haberi voluit in ea quam conſcripſit hiſtoria. Hic enim ille fuit inſignis Rudericus Toletanus, rerum Hiſpanicarum ſcriptor ore omnium prædicatus: cuius, fateor, perculſus auctoritate, omnino reuocarim in dubium, quæ tum ab aliis, tum à nobis ipſis olim de aduentu Iacobi in Hiſpaniam dicta ſunt; cum præſertim hæc tanta aſſerta ab ipſo fuerint in tanta Synodo, & coram tanto Pontifice Romano ipſius Præſidente, ac denique ſine tanti aduerſarii vel minima redargutione. Qui cum nullum prorſus citauerit ſententię ſuę antiquiorem aſſertorem (quantumlibet bene inſtructus veniſſet, & ardentiori animo, vt ipſa Acta declarant, rem egerit) puto eum ſponte abſtinuiſſe à citatione fabuloſi Turpini (ſi tamen illo tempore commẽtitius ille liber ſcriptus erat) & pſeudo-Iſidori, itemque eorum quæ falſo iactantur nomine Bedæ, vel aliorum quos eius ſententiæ fautores poſtea prodidere. Nam quod ſpectat ad ea quæ nunc de re iſta feruntur Calliſti Papæ Secundi nomine monumenta; tantum abeſt vt ea Compoſtellanus aduerſus Toletanum produxerit, vt contra ipſe Toletanus eiuſdem Calliſti Papæ auctoritate Compoſtellanum refellerit.

III. Vnde Hiſpania recepit Evangelivm.

Ceterum ſi conſulatur antiquitas vnde prouenerit Euangelii prædicatio in Hiſpaniam; duo id ſanctiſſimi atque doctiſſimi Romani Pontifices, Innocentius Primus, & Gregorius Septimus conſcripſerunt: quorum ille [h] omnino negat aliquem vmquam Apoſtolorum docuiſſe in Hiſpania, ſed eos tantum illic prædicaſſe, qui ab Eccleſia Romana in eam prouinciam miſſi eſſent: iſte [i] vero indubitate aſſerit, Roma à Petro & Paulo Apoſtolis ſeptem Epiſcopos directos fuiſſe in Hiſpaniam, nec aliunde eos populos quam ab Eccleſia Romana ſuſcepiſſe exordium religionis. Quis autem ex his non intelligat, ignoratum hactenus omnino fuiſſe, aut certe minime creditum, Iacobi in Hiſpaniam acceſſum? itemque ſeptem illos Epiſcopos non eiuſdem Iacobi (quod recentiores tradiderunt) fuiſſe diſcipulos, ſed principum Apoſtolorum Petri & Pauli?

h Innoc. ep. ad Decent.
i Greg. Sept. 1 ep. 64. ad Reges Hiſp.

IV. De S. Iacobi translatione.

Quod autem ſpectat ad Translationem eius venerãdi corporis Hieroſolymis in Hiſpaniam; citatur epiſtola Leonis Papę tertii, qui poſt ſeptingentos quinquaginta annos ſedere cœpit, qua aſſeritur facta hæc eodem anno quo ipſe paſſus eſt: tunc & fuiſſe ſublatum corpus, quod canibus atque volucribus expoſitum fuerat, & nauigio impoſitum, Iriam Flauiam delatum eſſe, inde vero Compoſtellam; factum autem vt vrgentibus in Chriſtianos perſecutionibus, mortuiſque illis qui tantum theſaurum detulerant & occuluerant, locus penitus remanſerit incognitus, omniſque eius rei memoria perierit, quouſque eiuſdem Leonis Papæ tempore ſub Alphõſo Caſto Gallœciæ Rege in lucem emerſit: de quo dicetur ſuo loco. Fuiſſe autem id eatenus penitus ignoratum; in argumentum deduci poteſt, quod Venantius Fortunatus, qui poſt quingentos quinquaginta ab hinc annos ſcripſit, in carmine de Bodegiſilo Duce, cum relegit cuiuſque Prouinciæ vel ciuitatis celebriores in illis poſitos Sanctos, neſciens eumdem Iacobum Apoſtolum fratrẽ Iohannis Hieroſolymis fuiſſe translatum, ait ipſius corpus adhuc fuiſſe ibidem Hieroſolymis venerationi expoſitum: cum vero ad Hiſpaniam peruenit, qui in ea celebrior haberetur, Vincentium martyrem nominat, nec clariorem in ea prouincia aliquem agnoſcit. Sed de his, deque ipſo Iacobo hactenus.

V. Petrvs in carcerem trvditvr.

Videns autem Agrippa Rex (quem, vt diximus, Lucas Herodem appellat) quod placuiſſet Iudæis in occidendo Iacobo, ipſum quoque Petrum carceri mancipauit, volens poſt dies Azymorum producere eum populo. Rem geſtam narrat Lucas [k]; additque *orationem tunc factam eſſe ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro Petro.* Magno ſiquidem terræmotu Eccleſia Chriſti tunc concuti viſa eſt, dum ipſa petra in fundamento locata tãta agitatione quaſſari conſpiceretur. Ideoque etſi alios complures Apoſtolorum carcere incluſos ſæpe legamus; de nullo tamen ipſorum vniuerſam Dei Eccleſiam adeo ſollicitam fuiſſe reperimus, ſicut de Petro, vtpote communi omnium parente atque paſtore. Audiuit quoque Deus deprecationem eorum, & vinctum ſuum non deſpexit. Nam ipſa nocte præcedente diem quo producturus eum Rex eſſet, cum dormiret inter duos milites duabus catenis vinctus, & à pluribus aliis militibus cuſtodiretur, adſtitit Angelus Domini, qui eum mirabiliter liberauit: ipſe vero poſtquam ſuos inuiſit, mox Hieroſolymis diſcedens abiit in alium locum: Rex autem cum requiſiſſet eum, & non inueniſſet, inquiſitione facta de cuſtodibus, iuſſit eos duci ad ſupplicium. Hæc pluribus Lucas. Porro Petri Vincvla, velut nobiliſſimæ victoriæ glorioſa trophæa, omnium fere Sanctorum Patrum egregiis celebrata præconiis, in Eccleſia ſunt perpetua memoria conſecrata: quæ quidem in manus deueniſſe cuiuſdam ex Agrippæ familiaribus, ſed in Chriſtum credentis, ac per manus fideliter delata fuiſſe per quatuor ſæcula, & tandem patefacta Metaphraſtes [l] ex antiquioribus monumentis memoriæ tradidit: ſed de eorum inuentione agetur ſuo tempore, ſub Theodoſio Iuniore Auguſto.

k Act. 12.

Eccleſia pro eo ſollicita.

De eivs vincvlis.

l Die 1. Aug. ap. Sur. to. 4.

VI. Qvo Petrvs post liberationem.

Quod vero ſubdit Lucas [m], Agrippam poſt hæc deſcendiſſe Cæſaream; & iratum Tyris & Sidoniis, placatum eſſe ab eorum legatis opera Blaſti Præfecti ipſius cubiculi: mirabitur certe aliquis eiuſmodi appendicem ad hiſtoriam de Petro à carcere liberato additam eſſe, qui cauſam iræ Agrippæ in Tyrios & Sidonios ignorarit. quam illam eſſe exiſtimamus, quod cum Petrus ab Angelo liberatus Hieroſolymis receſſiſſet, in eas Palæſtinæ maritimas regiones venit, ac ibi poſitas inuiſit Eccleſias atque compoſuit. Nam & inter alia præclare geſta, vnum ex his qui ipſum ſequebantur Presbyterum Sidoniis dediſſe Epiſcopũ; ex vetuſtioribus chartis idem qui ſupra Metaphraſtes [n] ſcribit, dum varia recenſet itinera quæ Petrus tunc peregit: quem & ait peragrata Syria Antiochiam deueniſſe, atq; inde Cappadociam, Galatiam, Pontum, Paphlagoniam, Bithyniamque perluſtraſſe, & Epiſcopos vbique ordinaſſe. Sed quod addit, poſtea rediſſe Hieroſolymam, nos ab eo in hoc diſſentientes, potius eum Romam verſus iter direxiſſe aſſeueramus; quippe quem hoc ipſo anno ſecundo Claudii illuc adueniſſe, conſentiant omnes: Verum antea Galatiam, Pontum, Cappadociam, Aſiam, & Bithyniam perluſtraſſe, æq; SS. Hieronymus [o], Leo [p], & alii teſtantur.

m Act. 12.
n Metaph. die 29. Iunii ap. Sur. to. 3.
o Hieron. de Script. Eccl. in Petro.
p Leo ſer. 1. in natal. Apoſt.

VII. De divisionis Apostolorvm tempore.

Porro antequam de eius Romam aduentu agamus; de ceterorum quoque Apoſtolorum in diuerſas Orbis Prouincias ad prædicandum Euangelium profectione, paulo accuratius agere operæpretium exiſtimamus. Ac primum quod ad tempus attinet, quem ſecure ſiue ex Græcis ſiue ex Latinis auctoribus ſequeremur, inuenimus neminem. Nam in primis ne aliqua habeatur ratio apocryphi illius ſcripti, quod Melitonis [q] Sardenſis Epiſcopi nomine circumfertur, quo aſſeruntur Apoſtoli anno ſecundo ab Aſcenſione Domini per Orbem diuiſi, in externis prouinciis Euangelium prædicaſſe; Acta ipſa Apoſtolorum à Luca conſcripta perſpicue perhibent. Apollonii [r] vero, quod Euſebius recitat teſtimonium, inhibuiſſe Chriſtum Apoſtolis ne ante annum duodecimum à ſua Aſcenſione (qui incidit in annum quartum Claudii Imperatoris) recederent Hieroſolymis, iam ſuperius falſum eſſe demonſtrauimus; ruſſumque confutari poſſe videtur Marci Euangeliſtæ auctoritate. Hic enim cum Euangelium ſuum poſt diuiſos in Orbem terrarum Apoſtolos ſcripſiſſe ſignificet, dum in fine ait [ſ], *Illi autem prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*; conſtetq; eum illud anno ſequenti ſcriptis conſignaſſe: hac ratione liquido ſatis apparet,

q Ap. Bed. Retr. in Act. c. 8.
r Ap. Euſ. 5. hiſt. 17.
ſ Mar. 16. in fin.

paret, ſaltem biennio ante tempus ab Apollonio definitum, Apoſtolos in Orbis prouincias eſſe profectos. Cum igitur ante ſequentem annum quo Marcus ſcripſit, Apoſtoli iam per mundum diuiſi eſſent, nec ante præſentem annum id contigiſſe, ex iis quæ ſuperius dicta ſunt perſpectum habeatur; omnino fateri cogimur, id hoc ipſo Claudii anno ſecundo factum eſſe. Sicut enim poſt necē Stephani, vniuerſi qui erant Hieroſolymis Diſcipuli diſperſi ſunt (vt ait Lucas [t]) præter Apoſtolos; ita etiam ſecunda hac in Eccleſiam excitata Perſecutione, qua præci, ue ipſi appetiti ſunt Apoſtoli, factam eſſe eorū diſperſionem, ſeu mag s dicere velimus Diuiſionē, par eſt credere. Cum enim quo loco in Iudæa conſiſterent, perſequente illos Agrippa non haberent; à Iudæis ſic pulſi [u], neceſſario ad Gentes profecti ſunt. Licet enim de prædicando Gentibus Euangelio iam tunc Apoſtoli iniiſſent conſilium, cum Diuina præuia reuelatione à Petro eſſet iiſdem Gētibus apertum Eccleſiæ oſtium (nam & ea occaſione Matthæum iam ante triennium ſcripſiſſe Euangelium, quod profecturus eſſet ad Gentes, antiqui [x] tradiderunt) vt tamen id maturarent, Agrippæ perſecutione compulſi fuiſſe videntur. Quod autem ad diem eorūdem Diuiſionis attinet; decimaquinta Iulii in aliquibus Martyrologiis [y] eius rei perpetua memoria conſecrata reperitur.

t Act. 8.
u Chryſ. hom. 70. in Matth. 21.
x Euſ. 3. hiſt. 18. & alii.
y Bed. Vſuar. & alii.

VIII. DE SYMBOLO APOSTOLORVM.

Cum autem profecturi eſſent, ne vlla ex parte aliqua vel apparens inter eos in annūciatione Euangelii diuerſitas eſſet, communi conſilio quoſdam Fidei Canones, quibus vniuerſam Chriſtianam fidem perſtringētes ſtabilirent, conſtituerunt; quos proprio nomine Dei Eccleſia SYMBOLVM APOSTOLORVM dicere conſueuit, vel quod ſinguli ad illud perficiēdum attulerint ſuum ſymbolum (qua ratione, ante necem Iacobi dicendum eſſet confectum) vel quoniam qui vere Chriſtiani eſſent, eo ſymbolo velut teſſera militari, aut indicio dato, ab iis qui falſo Chriſtum prædicarent dignoſcerentur: quam vtrāque Symboli ſignificationem egregie Ruffinus in præfatione ipſius expoſitionis declarauit: inſuper addens, idcirco eoſdem Fidei articulos non ſcribi chartis atq; mēbranis, ſed retineri cordibus Apoſtolos voluiſſe, vt certum eſſet hæc neminem ex lectione, quæ interdum peruenire etiam ad Infideles ſolet, ſed ex Apoſtolorum traditione didiciſſe. Nam & illud ſine ſcripto ab Apoſtolis traditū eſſe, teſtantur etiam Hieronymus [z], Ambroſius [a], Auguſtinus [b], & alii. Itemque Ambroſius [c], æque ac Ruffinus, comparat illud militiæ ſacramento, quo milites in tentoriis, bellatores in prœliis vti conſueuerunt. Et apud Auguſtinum quodam ſermone [d] de tempore legitur, quod Græce *Symbolum* dicitur, Latine *Collationem* nominari; quia collata in vnum totius Catholicæ Legis Fides, Symboli colligitur breuitate. Adduntur & ibidem ſingulorum Apoſtolorum, quas eidem Symbolo contuliſſe creduntur, ſingulæ ſententiæ. Ac licet is ſermo an ſit Auguſtini à quibuſdā reuocetur in dubium; cuius tamen ſit nihil intereſt, cum de iiſdem ſingulis duodecim Apoſtolorum diſtinctis elogiis, ſuppetant etiam aliorum teſtimonia [e] Patrum.

SYMBOLVM TRADITVM ABSQVE SCRIPTO.
z Hier. ep. 61. ad Pamm.
a Ambr. ep. 81. ad Siric.
b Aug. de fid. & oper. ca. 9.
c Ambr. lib. 3 de Virg.
d Aug. ſer. 115.
e Leo ep. 96. ad Pulcher. Venant. Fortun. in præf. expoſ. Symb. Alii Flac. de Off. Eccl. c. 22. Raban. de inſt. cler. lib. 2. ca. 56. & alii.

IX. SPIRITVS S. INSTINCTV FACTA DIVISIO PROVINCIARVM.

His igitur ſic ab Apoſtolis inſtitutis, & ſicut Symbolo, ita etiam aliis abſque ſcripto Traditionibus Eccleſiæ impartitis; diuiſerunt ſibi ad quas ſinguli proficiſcerentur Orbis terræ prouincias. Omittimus hic recenſere quę de ea re in pſeudo-Prochoro commenta leguntur: ex quo fortaſſe acceperunt, qui forte prouincias tradunt [f] eſſe diuiſas. Nec aſſentimur dicentibus, pro ratione imperiti doni Linguarum, cuique illam eſſe tributam prouinciam; quaſi velint Apoſtolos etſi linguarum omniū donum accepiſſent, vnumquemque tamen peculiari alicuius prouinciæ vſum fuiſſe ſermone. Sicut enim non admittunt Patres [g], Apoſtolos poſt acceptum Spiritum Sanctum, qui illos doceret omnia, ac cuncta ſuggereret, res agendas, tanti præſertim ponderis, ſorti commiſiſſe: ita eoſdem omnes omnium hominum linguis æque locutos eſſe conſentiunt. Sed & hæc omnia de diuiſione prouinciarum, Diuina aliqua demonſtratione, & Spiritus Sancti ſpeciali inſtinctu eſſe peracta, nemo dubitare poterit, qui apud Lucam [h] animaduerterit, nihil fere aliquem ipſorum abſque præuia eiuſdem Spiritus admonitione agere præſumpſiſſe.

f Socr. lib. 1. c. 15. & alii eum ſecuti.
g Chryſ. in Act. Bed. Oecum. Gloſſ. & alii.
h Act. 8. 13. 16. &c.

X. PETRVS ROMAM PETIIT.

Sed vt in quas ſinguli ſint profecti prouincias, ex antiquis Scriptoribus breuiter oſtendamus; inprimis PETRVM hoc anno ſecundo Claudii Imper. veniſſe ROMAM, Euſebius [i], Hieronymus [k], & reliqui omnes qui de tempore egerunt, affirmant; vt nulla de eo relicta ſit dubitatio, vel penes eos contradictio. De ipſo vero eiuſdem Petri in Vrbem aduentu, teſtes præterea ſunt Irenæus [l], Tertullianus [m], Hippolytus [n], Cyprianus [o], Arnobius [p], Lactantius [q], Optatus [r], Ambroſius [ſ], Auguſtinus [t], Seuerus [u], Prudentius [x], Philaſtrius [y], Oroſius [z], Proſper [a], Maximus [b], Petrus [c], Chryſologus, Arator [d], ac cæteri Latinorum qui de rebus Eccleſiaſticis commētarios edidere; ex Græcis vero Papias [e], Caius [f], Dionyſius [g] Corinthius, Petrus [h] Alexandrinus, Euſebius [i], Chryſoſtomus [k], Cyrillus [l], Alexandrinus, Theodoretus [m], Sozomenus [n], & cæteri iuniores omnes: idque ipſum SS. Oecumenicæ Synodi ſuis Actis Romani Pontifices ſuis Epiſtolis, Imperatores ſuis Edictis confirmarunt: ac denique (vt vno verbo rem abſoluam) tanta de Petri Romam aduentu, & erecta ſibi illic Cathedra Pontificia, memoria, omni ſcriptionum genere meruit conſecrari, adeo vt nec cuiuſuis perfrictæ frontis hæreticus vel ſchiſmaticus, eorum qui ante noſtrum ſęculum vixerint, auſus fuerit de eo vel leuiter dubitationē mouere. Vnde & grauiſſimus auctor Optatus [o] Mileuitanus aduerſus Parmenianum Donatiſtam agens, *Negare non potes*, inquit, *ſcire te in Vrbe Roma Petro primum Cathedram Epiſcopalem eſſe locatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum Caput Petrus, &c.* Et certe conſentaneum fuit, vt ad primariam Orbis vrbem primus paſtor dirigeretur; & (quod ait præclare S. Leo [p]) Princeps Apoſtolici ordinis ad arcem Romani deſtinaretur Imperii, vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur ſalutē, efficacius ſe ab ipſo capite per totum mundi corpus effunderet; & vbi eſſent omnium nationum homines, ibi confutarentur omnes dæmonum cultus, ac denique ibi omnium ſacrilegiorum impietas deſtrueretur, vbi diligētiſſima ſuperſtitione habebatur collectum quicquid vſquam fuerat vanis erroribus inſtitutum. Quod vero ad rei geſtæ hiſtoriam pertinet; quibus itineribus, quibuſve ſociis comitatus Petrus Romam aduenerit, neminem qui deſcribat inuenimus, præter vnum Metaphraſtem; [q] qui eius iter Antiochia Romam relegens; ordinatas etiam in via Eccleſias ſummatim recenſuit. Sed quod certo auctore ea ſcripta careant, & in multis fide vacillent, libētius hic recenſere omittimus. Porro eſt Neapoli in Cāpania percelebris memoria, vbi idem Princeps Apoſtolorum cum eo delatus nauigio eſſet vna cum ſuis, Miſſam celebrauit. Memorantque inſuper alia loca, per quæ Neapoli Romam veniens pertranſierit: ſed de iis, aliiſque eiuſmodi tam antiquis & incertis rebus, quid potiſſimum affirmare debeamus non ſatis conſtat. De Romana vero Eccleſia ab eo inſtituta, dicetur anno ſequenti. Interea de cæteris agendum Apoſtolis, eo ordine quo à Luca recenſentur in Actis [r].

i Euſeb. in Chron.
k Hier. de Script. Eccl. in Petro.
l Iren. lib. 3. ca. 3.
m Tert. de præſcript.
n ap. Prudēt. in Periſt.
o De vnit. Eccl. & alibi.
p Aduerſ. Gent. & in Pſal. 96.
q Lib. 4 c. 21.
r Lib. 2. cont. Parm.
ſ Ser. in nat. Apoſt. & alibi.
t Ser. 7. in nat. Apoſt. & alibi.
u Libr. 2. hiſt.
x In Periſtep.
y De hær. cap. 50.
z Lib. 7. ca. 6.
a 4 de prædeſt. 11.
b Ser. 1. & 5. in natal. Apoſt.
c Sermo in nat. Apoſt.
d in Act. Apoſt.
e ap. Euſeb. 2. hiſt. 15.
f ap. Euſ. 2. hiſt. 24.
g ap. Euſ. Ac. 4.
h Can. 9.
i 2. hiſt. 13. 14.
k Hom. de Pet. & Pau.
l Cyr. ep. ad Caloſ.
m Theod. lib. 1. hær. fab. in Simon. & ep. ad Leon.
n Sozom. lib. 4 c. 34.
o Opt. lib. 2.
p Leo Ser. 1. in natal. Apoſt.
PETRI ITINERARIVM HAVD CERTÆ FIDEI.
q Metaphr. 29. Iunii.
r Act. 1.

XI. IOANNES VBI PRÆDICAVERIT.

IOANNEM igitur Zebedæi filium, fratrem Iacobi migraſſe in Aſiam (Minorem ſcilicet) teſtes ſunt Origenes [ſ], Euſebius [t], Gregorius [u] Nazianzenus, Ioannes [x] Chryſoſtomus. Vna vero cum Ioanne profectam eſſe Sanctiſſimam Dei Genitricem, & Epheſi apud eum habitaſſe, non obſcure indicant Patres Sacroſancti Concilii [y] Epheſini Epiſtola ad Clerum Conſtantinopolitanū ſcripta; licet iſta opinio haud facile ab Epiphanio [z] admittatur. Magdalenam etiam vna cum Lazaro Epheſi ęgiſſe, nonnulli ex Græcis [a] tradiderunt: ſed Latinis magis aſſentimur, aſſerentibus (quod dictum eſt ſuperius) ipſos in Gallias migraſſe, & ibi quieuiſſe: quod etiam vetus traditio firmat, & quod hodieq; indubitata eorum corpora ibi coluntur. Igitur Ioannes in Aſiam profectus, eas prouincias quibus iam Petrus (vt vidimus) Euangelium

ſ Orig. lib. 3. in Gen.
t Euſ. 3 hiſt. 1.
u Naz. orat. in Arian.
x Chryſ. hom. in 1. Apoſt.
y Epheſ. Conc. Epheſ. extat. Palt. to. 1. c. 26.
z Epiph. hær. 78.
a Cedr. & Zona. in Leo. Philoſ.

annun-

[illegible] ſedes [illegible], & Eccleſias compluris erexerat; [illegible] ea ſua excoluit. A quo & ſeptem illæ in Aſia poſitæ Eccleſiæ, ad quas ipſe ſcripſit in Apocalypſi, fundatæ traduntur. At vero Epheſinam à Paulo fundatam, à Iohanne [illegible] eſſe, auctor eſt Irenæus [b]; & certo probari videtur ex iis quæ de Pauli illic prædicatione, & moratione [illegible]: ſicut & eundem Paulum compluribus alias eiuſdem regionis Eccleſias fundaſſe, ſatis ex eo colligitur, quod Lucas in Actis [illegible] cum diuerſas Aſiæ prouincias prædicando peragraſſet; ipſe vero Paulus [c] alibi teſtetur, ſe minime prædicaſſe vbi iam receptum eſſet Euangelium, ne ſuper alienum fundamentum ædificare videretur. Quapropter neque aſſentimur Epiphanio [d], dicenti Ioannem poſt ætatem ſenectâ miſſu Spiritus ſancti curam geſſiſſe Aſianæ Eccleſiæ: & quod Hieronymus [e] dicit, omnes Eccleſias Aſiæ ab eodem Ioanne eſſe fundatas, ſic intelligimus, vt eas adhuc nouellas verbis atque ſcriptis firmiter ſtabilierit, cum ea in regione complures hæretici agerent, de quibus dicetur ſuis locis.

XII.

Multa inſuper in pſeudo-Prochoro leguntur de eiuſdem Ioannis in Aſia geſtis, ac præſertim Epheſi, ſed prorſus fabuloſa: vt inter alia, quæ habet de templo Dianæ Epheſiæ Ioannis virtute proſtrato, quod conſtat integrum permanſiſſe vſque ad Gallieni Imp. tempora quando (vt auctor eſt Iulius [f] Capitolinus) à Gothis expilatum & concrematum eſt. Res vero [illegible] Phrygia, ac præſertim Hierapoli vſque ad Philippi aduentum, recitat Metaphraſtes [g]. Ad Parthos quoque acceſſiſſe, titulus ſuæ ipſius primæ Epiſtolæ, quæ olim *ad Parthos* inſcripta legebatur, facile monſtrat. Sed & vlteriores Orientis partes penetraſſe, atque Bactriana Chriſtiana fidem imbuiſſe, ex eiuſdem populi à maioribus accepta traditione ſcripſerunt Religioſiſſimi Patres [h] [illegible] noſtris temporibus ad Indos Euangelicæ prædicationis cauſa profecti ſunt.

XIII.

De IACOBO Ioannis germano, qui ſequitur ordine apud Lucam, nihil eſt quod dicamus; quem ante profectionem Apoſtolorum ad Gentes, ab Herode Agrippa necatum vidimus.

XIV. De Andreæ prædicatione.

ANDREAS autem, ad Scythas miſſus traditur ab Origene [i] & Euſebio [k]. In Græciam vero inde deſcendiſſe, & in Epirum veniſſe, teſtantur Gregorius [l] Nazianzenus ac Chryſoſtomus [m]. Sed ex recentioribus Græcis Nicephorus Calliſtus [n], & alius Nicephorus [o] Epiſcopus Conſtantinop. præter alia quæ habent de Andreæ peregrinationibus, tradunt ipſum etiam Byzantii in Thracia Eccleſiam erexiſſe, & Epiſcopum conſtituiſſe; idemque de Nicæa in Bithynia alii [p] ferunt. Sed hæc omnia [illegible] cum [illegible] eas Eccleſias à Petro primum eſſe erectas, [illegible] Epiſcopos egregie profeſſi ſunt; poſtea Agapetus Papa [illegible] Menna à ſe ordinato Epiſcopo Conſtantinop. [illegible] conſcriptis, quæ extant in Quinta Synodo [q] recitata. Scribunt præterea Sophronius [r] & Dorotheus [s] Andream non tantum miſſum ad Scythas (quod teſtatur & cæteri) ſed & ad Sogdianos, Sacos, & Æthiopes.

XV. De Philippo.

PHILIPPVS Aſiam Superiorem Euangelio [illegible] excoluiſſe, & [illegible] partem Scythiæ peragraſſe, [illegible] Barthol[illegible] quo tempore [illegible] Euangelium [illegible]. Quod [illegible] & [illegible] Gallæciam [illegible], [illegible] dubium [illegible], [illegible] ſtatuendum eſſe: nam Galatæ Gallorum [illegible] coloniæ partem Phrygiæ incolere. Sed quod ſpectat ad Theologiam Phrygum, non Martem, nec ſerpentem (vt aliqui fabulantur auctores) colebant, ſed quos Euſebius [t] alibi deos deſcribit.

XVI. De Thoma.

THOMAM ſupremus ad Parthos profectum eſſe, ſcribunt Origenes [k] & Euſebius [l]: Indos quoque penetraſſe, tradit Gregorius [m] Nazianzenus; & in Æthiopiam perrexiſſe, teſtatur Ioannes [n] Chryſoſtomus, cum ait illum dealbaſſe Æthiopas. Eidem inſuper adſcribitur, quod ait Theodoretus [o] Parthos, Perſas, Medos, Brachmanos, Indos aliaſque nationes finitimas Chriſti Euangelium ſuſcepiſſe. Præterea ad Taprobanam inſulam [illegible] iſſe, Nicephorus [p] tradit; nonnulla tamen apocrypha [illegible] de eodem Apoſtolo abire ad longe poſitos populos detrectante, & Domino illi apparente. Sunt & alia incerti auctoris, tamen Ioannis [q] Chryſoſtomi nomine inſignita; quibus fertur, Thomã tres illos Magos qui Chriſti præſepe adiere, baptiſmo initiaſſe, & ſocios in prædicatione Euangelii ſecum duxiſſe: idque ipſum apud Sophronium [r] legitur, & alios. Et qui apud Indos noſtris temporibus reperti ſunt Chriſtiani in regione Narſingẽſium & Chrangannore [s], certa traditione affirmant, eundem Apoſtolum in illis regionibus Eccleſias erexiſſe.

XVII. De Bartholomæo.

BARTHOLOMÆVS in Maiorem Armeniam profectus, Lycaonas populos ad fidẽ conuertit, vt auctor eſt Chryſoſtomus [t]. Idem de Albanis tradit Sophronius [u]: citerioremque Indiam penetraſſe, Origenes teſtatur, atque Socrates, & alii: certamque fecit de his fidem Pantænus [x] Philoſophus Chriſtianus, qui peregrinatus ad Indos, memoriam de Bartholomæi prædicatione viuentem adhuc reperit, & Matthæi Euangelium ab eodem Apoſtolo illuc delatum, ſecum Alexandriam retulit.

XVIII. De Matthæo.

MATTHÆVM ad Æthiopiam miſſum eſſe, Origenes [y], Socrates [z] & alii tradunt. Quæ vero de ipſo ſcribit Nicephorus, vt commentitia prætermittimus.

XIX. De Iacobo Iuſto.

IACOBVS Alphæi, Frater Domini, idemque *Iuſtus* dictus, non legitur in externas profectus eſſe prouincias: ſed qui (vt vidimus) Hieroſolymorum creatus eſſet Epiſcopus, ne Iudæi, quorum cauſa munus illud ſuſceperat, omnino derelicti haberentur, loco conſtitit. Tanta enim eum ſanctitate effulſiſſe tradunt, vt quamuis Iudæorum magiſtratus in cæteros ſæuirent Apoſtolos, ipſi tamen nullum negotium faceſſerent, ſed honore potius proſequerentur: quod non ſolum Hegeſippus [a] temporibus Apoſtolorum proximus, ſed & Ioſephus [b] Iudæus teſtatur, dum ait Hieroſolymorum ſubuerſionem tributam eſſe eius necis Diuinæ vindictæ. Porro qui putarunt Iacobum Alphæi diuerſum eſſe à Fratre Domini; in alias & ipſum, vt cæteros, prouincias amandatum eſſe tradũt: ſed eorum ſententiam ſatis nos ſuperius refellimus, cum egimus de eiuſdem Iacobi Epiſcopatu.

XX. De Simone.

SIMON Cananæus, qui & ZELOTES dictus eſt, in Meſopotamiam profectus, populis illis Euangelium annunciauit. In Perſidem etiam abiiſſe tradunt [c]: adduntque alii [d] Ægyptum, Africam, & Britanniam; vt Nicephorus [e] & Dorotheus [f] quos ſequuti ſunt Græci in ſuorum ipſorum Menologio: ſed hæc abſque aliquo antiquorum teſtimonio. Et quod ſpectat ad Africanam Eccleſiam, aſſeruerunt quidem olim Donatiſtæ, Euangelium illic recepiſſe prædicatum poſt Apoſtolos; ſed repugnant Auguſtinus [g], atque Saluianus [h], conſtanter affirmantes Africanos ab Apoſtolis Euangelium accepiſſe. Metaphraſtes [i] Petrum Apoſtolum poſt Romanam Eccleſiam ordinatam, cæteraſque complures in diuerſis locis erectas, Carthaginem tandem veniſſe tradit: ſed cum multa admiſceat commenta, nullam prorſus in his meretur fidem. Auguſtinus [k] autem, ac Gregorius [l] Magnus videntur profiteri Afros à Romana Eccleſia Euangelium ſuſcepiſſe; & Innocentius Primus [m] non niſi à Petro miſſos eſſe dicit, qui populum illum imbuerint Euangelio. Cæterum de iſto Simone errare illos [n] qui eum confundunt cum alio Simeone, qui Frater Domini dictus eſt, mox demonſtrabitur.

XXI. De Thaddæo.

Poſt SIMONEM ſequitur IVDAS, idemque THADDÆVS dictus, & Frater Iacobi, qui & ipſe in Meſopotamia prædicaſſe aſſeritur [o], multaque geſſiſſe in Arabia & Idumæa, aliiſque adiacentibus regionibus. Sed rurſum quod attinet ad duos iſtos poſteriores Apoſtolos, nempe SIMONEM & IVDAM, cum Lucæ [p] teſtimonio exploratum habeatur, SIMONEM tantum inter Apoſtolos dictum fuiſſe cognomẽto *Zelotem*, quomodo factum eſt vt Hieronymus [q] Iudam quoque *Zelotem* appellet? Equidem dum conſidero, eundem ipſum [r] alibi de ſingulis agentem, SIMONI tantum cognomen *Zelotæ* tribuere, Iudæ vero *Taddæi* & *Lebæi*, omnino exiſtimo nomina cõfudiſſe,

[b] Iren. lib. 3. cap. 3.
[c] Rom. 15.
[d] Epiphan. hær. 51.
[e] Hier. de Script. Eccl. in Ioan.
[f] Capit. in Gallien.
[g] Metaphr. die 25. Sept.
[h] In litter. Script. anno Domini 1563.
[i] Orig. tom. 3 in Gen.
[k] Euſeb. lib. 3. c. 1.
[l] Naz. orat. [illegible]
[n] Niceph. [illegible]
[o] Hier. ad Marcell. epiſt.
[p] Lucæ 6. Act. 1.
[q] Orig. lib. 3. in Gen.
[z] Socr. lib. 1. ca. 15.
[a] Heg. l. 5. c. 23.
[b] Ioſ. 20. Antiq. 8.
[c] Ind. vett. Apoſt. & Martyrol.
[d] Iſid. de vit. & obit. Sanct.
[e] Nic. lib. 2. ca. 40.
[f] Doroth. in Synopſ.
[g] Aug. de vnit. Eccl. cap. 15.
[h] Salu. de prouid. lib. 7.
[i] Die 29. Iunii
[k] Aug. ep. 162.
[l] Greg. l. 1. ep. 72.
[m] Innoc. ep. 1. ad Decent.
[n] Sophron. & aliis. de vit. Sanct.
[o] Sophron. l. 1.
[p] Luc. 6. Act. 1.
[q] Hier. in Gal. 1. & cont. Heluid.
[r] Id. in Matt. 10.
[r] Sophron. [illegible]
[s] Oſor. lib. 3. rer. Indic.
[t] Hom. de 12. Apoſt.
[u] ap. Hier. de Script. Eccl.
[x] ap. Euſeb. 5. hiſt. & Hier. ſcript. Eccl. in Pantæn.
Africana Eccleſia à Petro fundata.

CONFVSA NOMINA SIMONIS ET IVDÆ.

nempe Iudam cum vtroque Simone, Cananæo, & Fratre Domini qui Iacobo ſucceſſit in Epiſcopatu Hieroſolymitano: ſicut & viſus eſt feciſſe Sophronius [s] apud ipſum dum ait Simonem Cananæum cognomento Iudam, fratrem Iacobi Iuſti & in Epiſcopatu ſucceſſorem, crucifixũ eſſe ſub Traiano: quæ eadem apud Iſidorum leguntur, & alios. Et quamuis Dorotheus [t] duos Simones diſtinctos ponat, putat tamen Simonem ſub Traiano paſſum, cognomento dictum eſſe Iudam. Sed Hegeſippus [v] diuerſos plane ponit Simonem & Iudam, quorum priorẽ ſub Traiano paſſum tradit, Iudam vero nec ſub Domitiano fuiſſe ſuperſtitem. Cæterum cum Simonem Zelotem à Iuda Iacobi fuiſſe diſtinctum iterum Lucas [x] manifeſtiſſime declaret; quẽ vero Lucas dixit Iudam Iacobi, Matthæus [y] & Marcus [z] in Apoſtolorum enumeratione Thaddæum nominent; Euangelica prorſus veritate teſtatum habetur, Simonem & Iudam, nõ vnum, ſed duos fuiſſe Apoſtolos; cognomenque *Zelotes* ſolius eſſe Simonis, *Thaddæi* vero Iudæ.

s Ap. Hieron. de Script. Eccleſ. in Simon. t Doroth. in Synop. u Ap. Euſeb. 3. hiſt. 11. & 26. x Luc. 6. Act. 1. y Matth. 10. z Mar. 3.

XXII.

Rurſus quod Iudas dicatur frater Iacobi, qui Frater Domini & Iuſtus cognominatus eſt; ideo & ipſum inter eos qui *Fratres Domini* dicti ſunt ab Euangeliſtis, eſſe adnumerandum Hegeſippus [a] affirmat. Cumq; pariter nouiſſimus ille Simeon qui crucifixus eſt ſub Traiano, & ipſe Frater Domini dictus fuiſſe tradatur; quiidem appellatus ſit Simeon Cleophæ, qui dicitur fuiſſe maritus illius Mariæ quæ à Ioanne [b] nominata eſt Maria Cleophæ, & ſoror Dei-Genitricis dicta: inde accepiſſe putamus, vt cũ tam Simeon quam Iudas dicti fuerint Fratres Domini, vnus idemque fuiſſe ab his creditus ſit: Itemque cum Simonem Zelotem vnum quoque fuiſſe cũ Simone Cleophæ iidem exiſtimarint; hinc etiam factum eſſe, vt hi tres quaſi vnus idemque ſint habiti, dictuſque ſit *Simeon Iudas Zelotes*. Cæterum ſicut aperte monſtratum eſt, diuerſos eſſe inter ſe Simonem & Iudam, itemque Iudam à Simeone ſucceſſore Iacobi; ita etiam patet, Simonem Cananæum diſtinctum fuiſſe à Simeone Cleophæ paſſo ſub Traiano: Idque tam Græci quam Latini pariter profitẽtur, dum illi in Menologio, iſti in Martyrologio, diuerſis diebus diuerſiſq; notis eos diſtinctos ponunt. Quemadmodum & Beda [c], qui eodem fuerat aliquando lapſus errore vt hos duos vnum putaret eſſe Simonem, ſententiã poſtea retractauit. Porro ſicut de Simeonibus, ita etiam de *Thaddæis* duobus videtur facta confuſio: nam quem Edeſſam ad Abgarum Regem miſſum tradit Euſebius [d], illum ex numero Septuaginta duorum Diſcipulorum fuiſſe affirmat: quem tamen fuiſſe Apoſtolum ex numero Duodecim, inter alios arbitrati ſunt Hieronymus [e], & Beda [f]; qui & quod prius dixerat retractauit. Sicut & duos Thaddæos æque ponunt Nicephorus [g] ac Dorotheus [h]. Sed de his ſatis.

a Hegeſ. ap. Euſeb. lib. 3. b Ioan. 19. c Bed. Retr. in Act. d Euſeb. 1. hiſt. 13. e Hier. in Matth. 10. f Bed. Retr. in Actor. 9. g Nic. lib. 2. ca. 40. h Doroth. in Synop.

XXIII. DE MATTHIA.

Vltimum autem Apoſtolorum MATTHIAM, qui in locum Iudæ proditoris eſt ſubrogatus, in Æthiopiam poſt Iudæam Euangelii cauſa profectum eſſe, Sophronius [i], Nicephorus [k], & alii hos ſecuti dixerunt. At de Diuiſione Apoſtolorum ad Gentes hactenus: quæ ſane res eſt perdifficilis inueſtigatu, ac potius breuitate tractanda, quam fabulis exaggeranda.

i ap. Hier. de Script. Eccl. k Niceph. 2. hiſt. 40.

XXIV. ACTA DIVERSORVM APOSTOLORVM CONFICTA.

Sed & quod pertinet ad res ab ipſis geſtas poſtquã ab inuicem ſemel ſeparati ſunt; res æque obſcura eſt, quod eorum nomine tam Acta quam Scripta quamplurima reperiantur eſſe conficta. Nam quod ad Facta ſpectat; inter Apocrypha inprimis adnumerandum eſt *Itinerariũ Petri Apoſtoli*, quod appellatur Clementis, ſiue quod *Recognitionum*, aut alio titulo inſcribi ſolet; de quo dicetur plutibus in Clemente. Rurſus extabant diuerſi Actus nomine Andreæ, & Thomæ, & Philippi, & Pauli ſimul & Theclæ; quos omnes Gelaſii [l] cenſura proſcripſit. Addit Athanaſius [m] *Circuitus Ioannis*. Et Philaſtrius [n] factitatum ab hæreticis ait, vt falſa Acta Apoſtolorum nomine ſcripſerint. Quorum auctores prodens Innocentius [o], tradit ea ſub nomine Matthiæ, ſiue Iacobi Minoris, vel Petri & Ioannis, à quodam Leucio ſcripta eſſe; ſub nomine vero Andreæ à Nexocharide & Leonide Philoſophis. Porro hunc Leucium fuiſſe ſecta Manichæum, & Actus Apoſtolorum ſcripſiſſe, Auguſtinus [p] teſtatur. Sed & ipſis ferme Apoſtolorum temporibus, Encratitas vti ſolitos falſis Andreæ, & Ioannis, & Thomæ Actibus; itemque Ebionæos alia falſa Apoſtolorum Acta edidiſſe, Epiphanius [q] eſt auctor: ac Priſcillianiſtas illud ipſum præſtitiſſe, & *Memoriæ Apoſtolorum* titulo prænotaſſe, Oroſius [r] ſcribit. Feruntur etiam *Abdiæ Babylonii* nomine Vitę quędam Apoſtolorum: itemque ſub *Prochori* nomine Actus Ioannis Euangeliſtæ; necnon incerto auctore *Paſſiones Apoſtolorum*; quo titulo à Seleuco (ſeu potius Leucio Manichæo) fertur eſſe liber conſcriptus, in libello de Natiuitate S. Mariæ qui Hieronymo falſo adſcribitur; vbi etiam additur, ab eodem auctore conficta eſſe trium Apoſtolorum Acta, nimirum Ioannis, Andreæ, & Thomæ. Rurſus quæ Lini nomine ſcripta habetur *Paſſio Petri Apoſtoli*, Manichæiſmo reperitur infecta, vt ſuo loco inferius demonſtrabitur.

l in Concil. Rom. de libr. apocr. m Athan. in Synop. n Phil. de hæreſ. ca. 89. o Innoc. ep. 3. ad Exup. p [illegible] q Epiph. hær. 47. r Oroſ. ad Aug. docter. Præfed.

XXV. SCRIPTA SVPPOSITA APOSTOLORVM NOMINE.

Et hæc quidem de rebus geſtis Apoſtolorum ſunt falſo ſuppoſita. Quod vero ad Scriptiones attinet, quæ ſub ſpecioſo eorumdem nomine ſunt editæ; in primis Petri nomine ferebantur (vt ſcribit Euſebius [s], atque etiam Hieronymus [t]) quinque libri, nempe *Actus*, *Euangelium*, *Prædicationes*, *Apocalypſis*, & *Iudicium*; adeo vt Clemens [u] Alexandrinus & Origenes [x], tam ex Prædicatione quam Apocalypſi fragmenta recitaſſe reperiantur: & in aliquibus Eccleſiis Palæſtinæ, in die Paraſceues quædam recitari ſolita ex eadem Petri nomine edita Apocalypſi, auctor eſt Sozomenus [y]. Euangelio vero primus omnium Serapion [z] Epiſcopus Antiochenus, quod ab hæreticis probaretur conſcriptus, Fidelibus interdixit. Iudicium autem Ruffinus exiſtimauit idem eſſe cum libro Paſtoris, de quo fuſius ſuo loco dicendum. Cuius vero eſt inſcriptio *Doctrina Petri* ab Origine [a] reiicitur. Pauli quoq; nomine ſuppoſita ſunt *Euangelium & Apocalypſis*, quæ damnat Gelaſius [b]: & à Caianis hæreticis confictum fuiſſe librum quem dicebant *Aſcenſum Pauli*, eoq; inſuper vſos Gnoſticos teſtatur Epiphanius [c]. Meminitq; Origenes [d] *Actuum Pauli*, qui tamquam ab eo ſcripti ferebantur. Cuius item nomine *Reuelationes* editæ, rurſus quaſi è terra reuulſæ Theodoſii Imperatoris [e] temporibus apparuerunt: ſed quod fabulas continerent hæreticorum, ſunt iterum obliuione ſepultæ. Deniq; & aliæ vltra Canonicas, additæ fuerunt Epiſtolæ, nempe tertia ad Corinthios, tertia ad Theſſalonicenſes, & rurſus alia ad Laodicenſes; ſed de hac alias. Ioannis quoque nomine editæ [f] ſunt à Cherintho hæreſiarcha aliæ *Reuelationes*, lõge diuerſæ ab his quæ ab Eccleſia recipiuntur. Sicut & libellus *de Tranſitu Virginis*, eiuſdem nomine eſſe vulgatus traditur [g], atque reiicitur. Andreæ quoque, & Bartholomæi, & Thaddæi, & Barnabæ nomine conficta totidem *Euangelia* Gelaſius [h] damnat; necnon aliud nomine Thomæ editũ, vna cum *Apocalypſi* eiuſdem; cuius item *pſeudo-Euangelium* reſpuit Athanaſius [i], & alii. A Dionyſio [k] vero citatur ſententia Bartholomæi; ſed vnde acceperit, ignoramus. Adhuc etiam Philippi Apoſtoli nomine inſcripto Euangelio vſos eſſe Gnoſticos hæreticos, auctor eſt Epiphanius [l]. Ac Matthiæ pariter pſeudo-Euangelii meminerunt Origenes [m], Clemẽs [n] Alexandrinus, & Euſebius [o]; quod æquę Gelaſius damnat. Eidemque Matthiæ tribuuntur Traditiones illæ, quarum pariter meminere Clemens [p] & Euſebius [q].

s Euſ. 3. hiſt. 3. t Hieron. de ſcript. Eccl. in Petro u Clem. lib. 6. Strom. x Orig. in Ioã. 13. & ap. Euſeb. 3. hiſt. 11. y Sozom. 7. hiſt. 19. z Euſeb. 3. hiſt. 10. a Orig. in Periarch. b Gelaſ. decr. de lib. apocry. c Epiph. hær. 38. d Orig. hom. 20. in Ioan. e Sozom. lib. 7. ca. 9. f Caí. in dial. diſp. g Aug. ſer. 15 de Sanct. h Decr. de lib. apocry. i Ath. in Synopſ. k Dionyſ. de myſt. Theol. l Epiph. hær. 25. m Orig. hom. 1. in Luc. n Clem. Strõ. lib. 7. o Euſ. 3. hiſt. 25. p Clẽ. Strom. lib. 2. & 3. q Euſ. lib. 3. ca. 23.

XXVI.

Sed & Matthæi titulo editus erat liber *de Infantia Saluatoris*, qui à Valentinianis [r] hæreticis putatur fuiſſe conſcriptus: quẽ vna cũ eo, quo iidẽ Valẽtiniani [s] necnõ Sabelliani [t] vſi ſunt *pſeudo-Euãgelio* quod dicebatur *Ægyptiorum* (nomine, vt puto, Marci confictum) reiicit idẽ Gelaſius: ſicut & illud quod hactenus ſub falſo nomine Iacobi Alphæi circumfertur: itẽque *Reuelationes* titulo Stephani nobilitatas. Addiderũt & Gnoſtici [u] librum *Stirpis Mariæ*, horrendis confarcinatum mendaciis: & impudentiſſime Caiani [x], nomine Iudæ proditoris, quem laudabant, pſeudo-Euangelium compoſuere. Sed & communi omniũ nomine Apoſtolorũ ſcriptum volumen, cuius

r Iren. lib. 1. c. 17. s Clem. Alex. Strom lib 3. t Epiph. hær. 62. u Epiph. hær. 26. x Epiph. hær. 38. Theodor. lib. 1. hær. fab.

erat

erat titulus *Doctrina Apoſtolorum*, Athanaſius damnat: & Gelaſius libros inſcriptos *Sortes Apoſtolorum*, *& Laus Apoſtolorum*; quos quidem tũ ab aliis hæreticis, tum maxime à Manichæis confictos eſſe conſtat. Meminit & Hieronymus [y] *Aſcẽſionis Iſaiæ, & Apocalypſis Eliæ*, à portẽtoſis hæreticis per Hiſpanias promulgatarum. Denique ipſius etiam Chriſti Redemptoris nomine librum *de Magia*, per quam ipſe miracula ſua feciſſe diceretur, ad Petrũ & Paulum Apoſtolos ſcriptum fuiſſe, quidam (ſiue hæretici, ſiue Gentiles fuerint) horrende plane, ac nefarie mentiti ſunt; quos Auguſtinus [z] turpiſſimi ac patentiſſimi mendacii pluribus arguit. Potiſſimum autem iis qui ex circũciſione prouenerũt hæretici, peculiare fuit [a] nouos velut à Sanctis ſcriptos effingere commentarios, eiſdemque tamquam recens in lucem editis ad ſuos errores confirmandos vti. At vero in omnibus eiuſmodi ſcriptis admirabile plane fuit Dei conſilium; qui tum falſa dogmata, tum etiam commentitia ſcripta ſic in lucem prodi permiſit, vt iiſdem cognitis ab Eccleſia atq; reiectis, quæ vera atque legitima eſſent patentius innoteſcerent, probataque veritas ſolidiori firmitate ſubſiſteret.

y Hier. in Iſa. 64.
CHRISTI NOMINE SCRIPTA CONFICTA.
z Aug. de conſ. Euang. lib. 1. ca. 8. & 9.
a Vid Orig. tract. 23. in Matth.

XXVII.
b Hier. de ſcript. Eccl. in Petro.
DE ADVENTV SIMONIS MAGI IN VRBEM.

Sed vt his omiſſis, vnde digreſſi ſumus, ad Petri ſcilicet Romam aduẽtum reuertamur: Hieronymus [b] ea de cauſa Petrum Romam veniſſe teſtatur, vt Simonem Magum populo ſuis magiis illudentem expugnaret. De acceſſu vero ipſius Simonis in Vrbem, deq; diuino, quem ſibi magicis artibus comparauit, honore, & ſtatua ei ex Senatuſconſulto à Claudio Imperatore erecta in inſula Tiberina cum hac inſcriptione, SIMONI DEO SANCTO, meminere Iuſtinus [c], Irenæus [d], Tertullianus [e], & fuſius poſt eos Euſebius [f]; qui & ipſe, æque ac Hieronymus, aſſerit Petrũ Apoſtolum ad eiuſmodi Simonis Magi peſtiferam corruptelam delendam, à Deo quaſi manu Romam deductum eſſe. Sed & in fauorem eiuſdem Petri aduentus in Vrbem, multa hoc ipſo anno Reipublicæ Romanę diuinitus eſſe bona conceſſa, teſtatur Oroſius [g] illa enumerans: quibus & adiicere potuiſſet (& ea quidem inſignia) quæ iiſdem Coſſ. fauſta Imperio accidiſſe Dio [h] refert. Cæterum quod Euſebius ſtatim poſt Petri aduentum in Vrbem, Simonis profligationem apponit, non hæc eo ſenſu accipienda ſunt (ſicut ex recentiorib. aliquis deceptus eſſe videtur) vt tunc ſub Claudio ex aereo volatu extinctus fuerit; ſed quod qui ſemel de Simonis artib. narrationem inſtituiſſet, eius etiam interitum vno contextu ſubiungere voluerit. Namque ea ſub Nerone, non ſub Claudio contigiſſe, teſtantur Philaſtrius [i], Seuerus [k], Hegeſippus [l], Maximus [m], Proſper [n], Gregorius [o] Turonẽſis, Anaſtaſius [p], Nicephorus [q], & alii recentiores omnes, vno excepto Metaphraſte [r]; quem ſicut in aliis ibi poſitis errare certum eſt, & ita & in his hallucinatum eſſe cõſtat. Res vero geſta ſuo loco narrabitur.

c Iuſt. apol. ad Anton. Pium.
d Iren. lib. 1. c. 20.
e Tert. apol. ca. 13.
f Euſ. 2. hiſt. 12. 13. 14.
g Oroſ. lib. 7. ca. 6.
h Dio. lib. 60.
i Phil. de hær. ca. 3.
k Hiſt. lib. 2.
l Lib. 3. de excid. Hieroſ. ca. 2.
m Serm. in natal. Apoſt.
n De promiſ. ca. 1.
o 1. hiſt. 25.
p De Rom. Pontif. in Petro.
q 2. hiſt. 16.
r Die 29. Iunii.

XXVIII.
ſ Delect. ad Caton.
t Epigr. lib. 1. in Cæcil.
PETRVS ROMAE APVD PVDENTEM SENATOREM.
u 2. Tim. 4.

Cum autem Petrus Romam perueniſſet, antequam Gentilibus Euangelium prædicaret, ad contribules ſuos diuertiſſe Iudæos exiſtimamus: quos quidem incoluiſſe regionem Transtiberinam iam ab Auguſti temporibus, auctor eſt Philo [ſ]; & adſtipulantur Ethnici ſcriptores è quibus Martialis [t] Iudæum hominem, inter alia *Transtiberinum ambulatorem* appellat. Vbi vero Gentilibus Romanis prædicare cœpit, à PVDENTE Senatore patre Nouati & Timothei, atque Praxedis & Pudentianæ virginũ (qui cum vxore Priſcilla clariſſima fœmina, & omni familia ſua Chriſti credidit; cuius & meminit Paulus [u] Epiſtola ſecunda ad Timotheum) in domum ſuam exceptus eſt, quæ erat ad radices mõtis Viminalis poſita prope Exquilinum: quæ & poſtea patuit omnibus Chriſtianis ad agendas Synaxes; conuerſaque demum penitus in Eccleſiam, eadem PASTORIS TITVLVS dicta eſt, de quo rurſum alibi. Quomodo vero Petrus Romanã erexerit Eccleſiam, dicetur anno ſequenti.

XXIX.
DE FAME TOTIVS ORBIS.
x Act. 11.
y Euſeb. in Chron.
z Oroſ. lib. 7. ca. 6.

Interea hoc ipſo anno vniuerſus terrarum Orbis ingenti fame vexatus eſt; illa nimirum, quam prænuntiaſſe apud Antiochenos Chriſtianos Agabum Prophetam, ſcribit Lucas [x]. Scimus Euſebium [y], & qui eum ſecutus eſt, Oroſium [z], ac complures alios eam referre in annum quartum Claudii Imper. ſed de re accurate perſpecta, ſecundo potius eam ponimus, quod Dio [a], qui ex Faſtis Vrbis Romanam Hiſtoriam per ſingulos annos exacte contexuit, nullam aliam ſub Claudii Imperio famem recenſeat, niſi hoc ſecundo ipſius anno, quo egregiam ab Imperatore dicit nauatam operam ne Vrbs fame periret. Intrudunt tamen alii duplicem ſub Claudio vniuerſalẽ famem. In quarum altera Ioſephus [b] ait, ciuitatem Hieroſolymam ſubleuatam eſſe munificentia Helenæ Reginæ Adiabenorum, eiuſque filii Izatis, quos non ita pridẽ ad Iudæorum religionem tranſiiſſe tradit; licet Oroſius [c], & alii eum ſecuti, eos ad Chriſtianam fidem conuerſos eſſe velint. Certe cum altercationes conſidero, quas Ioſephus ait inter illos qui Legem eos docerent interceſſiſſe de circumciſione, neceſſaria eſſet necne; illæ ipſæ mihi viſæ ſunt, quæ inter Apoſtolos diu agitatæ fuerunt vſque ad Concilium Hieroſolymitanum: nec quemquam Iudæorum vmquam reperi, qui abſque circumciſione poſſe ſaluari quempiam affirmaret. Et tamen nec Oroſio auſim omnino conſentire, cum vnde id acceperit non inuenerim: eadem enim recitans Euſebius [d], nihil præter quod à Ioſepho eſt ſcriptum, apponit.

a Dio. lib. 60.
b Ioſ. 20. Antiq. 2.
DE HELENA REGINA ADIABENORVM.
c Oroſ. lib. 7. cap. 6. Ado in Chron. & alii.
d Euſeb. 2. hiſt. 11.

XXX.
e Act. 11.
COLLECTA PRO CHRISTIANIS IN IVDAEA EXISTENTIBVS.
f Hebr. 10.

Ea igitur vrgente fame, qui erãt Antiochiæ Chriſtiani (vt ait Lucas [e]) collectas pecunias ad Chriſtianos in Iudæa exiſtentes per Barnabã & Saulum miſerunt. Tenebantur n. illi maiori inopia adſtricti, quod ea quam poſt necem Stephani paſſi ſunt perſecutione, ſi quæ illis reſidua erãt bona amiſiſſent, vt indicat Paulus ad Hebræos [f] ſcribens: quorum etiam cauſa idem poſtea in Macedonia ab Eccleſiis Collectam item exegit. Perdurauitque ea pia conſuetudo in Eccleſia Catholica, vt Chriſtiani ex plurib. locis ad eos qui Hieroſolymis eſſent egentes mitterent eleemoſynam: quam ad Theodoſii Imp. tempora durantem, nequiſſimus Vigilantius conatus eſt euertere; ardenti zelo ea de re ab Hieronymo redargutus. Cæterũ quod poſt iſta narrata, Lucas de Iacobi martyrio & Petri carcere ſubdit hiſtoriam; non ſic accipiendum quis putet, vt ante aduenerit fames illa: ſed quod meminiſſet de Agabi Prophetia, de ea ab illo prædicta, quæ poſtea ſubſecuta eſt, fame adiunxit narrationem.

XXXI.
VSVS COLLECTARVM IN ECCLESIA.
g 1. Cor. 16.
h Iuſt. orat. ad Anton. Tert. apol. ca. 39. Cypr. de oper. & eleemoſ. & ep. 60. Chryſ. ſerm. de eleemoſ. & collect. Hier. cont. Vigil. Paulin. ep. 32. Aug. ſer. 111. de temp. Leo ſer. 2. 3. 5. de Collect. & alii.
i Cypr. ep. 60. ad Epiſ. Numid.
k Greg. 7. ep. vlt. ad Conſt. Mediol.
l Conc. Tur. 2. ca. 5.

Quæ vero hic primo pro indigentibus Fratribus repetitur in Eccleſia, ex multorum oblatione ad vſum pauperum facta COLLECTA; eadem poſtea ſæpius à Paulo Apoſtolo frequentata reperitur, & modus eius traditus [g]: atq; ex eiuſmodi ſacris Apoſtolicis inſtitutionibus propagatum eſt in Eccleſiam Catholicam, vt in quotidianũ pauperum vſum ſingulis diebus Dominicis Collectæ fierent; ſicut multis cõſtat Patrum [h] teſtimoniis. Meminitq; etiam Chryſoſtomus de *Gazophylaciis*, ex antiquo vſu in Eccleſiis conſtitutis, in quibus oblatæ pecuniæ conderentur: quæ eadem Cyprianus *Corbonas* nũcupat, Paulinus *Menſas*. Si quæ vero noua neceſſitas emergeret, quæ conſuetarum eleemoſynarum collationem excederet; tunc Epiſcopus (vt exemplo docet Cyprianus [i]) nouas inter Fideles Collectas indicebat. Cũ vero poſt hęc Chriſtiana tepeſceret charitas, eaſdem veluti iure regio exigi ſolitas eſt exemplum apud Gregorium [k] Papã. Ad quod ſpectat & illud Concilii [l] Turonenſis decretum, Vt vna quæq; ciuitas pauperes & egenos incolas alimentis congruentibus paſcat ſecundum vires, vt ipſi pauperes per ciuitates alienas non fatigentur. Sed de his ſatis.

XXXII.
DE APOSTOLATV PAVLI ET BARNABAE.
m Act. 12. in fin. & 13.
n 1. Cor. 15.
o Suet. in Octauio c. 35.
APOSTOLATVS NON SPONTANEVS.

Quos autem auctore Luca vidimus Barnabã & Saulum Antiochia miſſos in Iudæam vt collectam deferrẽt, eoſdem illo peracto officio iterum Antiochiam reuerſos eſſe, & iubente Spiritu Sancto, poſt Ieiunium & Orationẽ, per Manus impoſitionem poteſtatem accepiſſe prædicandi vbiq; Euangelii, teſtatur idem Lucas [m]. Eo namque ſacro ritu initiatos eſſe Apoſtolatu, nemo eſt qui dubitet. Quoniam vero ſuper Duodenarium numerũ fuerũt allecti, ea de cauſa Paulus alibi [n] ſe *Abortiuum* nominat, hoc eſt extra numerũ: tradit enim Suetonius [o], Senatores illos appellari ſolitos *abortiuos*, qui ſupra numerum per gratiam in Senatum allegebãtur. Porro iiſdem Apoſtolicis inſtitutis firma à cunctis obſeruanda regula eſt

propoſita (quæ & hactenus in Eccleſia Catholica inuiolabili obſeruatione tenetur, & ea potiſſimum Catholici ab hæreticis diſcriminãtur) vt cuiuſuis meriti atque præſtantiæ vir fuerit, non ſua ſponte prædicationis munus ſuſcipiat, ſed ab Eccleſia ſacris myſteriis ad illud ordinetur: quippe cum videamus illum ipſum Paulum (vt modo de Barnaba taceamus) qui à Deo Patre p, & Chriſto eius Filio, ac denique Spiritu q Sancto, ſicq; operante vniuerſa Sacroſancta Trinitate, ad obeundum munus Apoſtolatus eſſet electus; haud tamen prius eſſe profectũ, quam ſacris ab Eccleſia initiatus eſſet ritibus, & MISSIONEM ad eadem accepiſſet.

p Gal. 1. q Act. 13.

XXXIII. DE ORDINIBVS, ET OFFICIIS ECCLESIASTICIS.

Cæterũ eiuſmodi ſacra functio, qua quis in aliquem Eccleſiaſticum ordinem cooptatur, ORDINATIO à maioribus dici conſueuit, ORDINESQVE gradus illi, quos ſic initiati pro diſtinctione munerum Eccleſiaſticorum aſſequi conſueuerunt: voce ipſa non ſolum ab antiquis Eccleſiaſticis ſcriptoribus, ſed etiã in vtroq; Teſtaméto frequentius vſurpata, & ad diſcriminationẽ CLERICORVM à LAICIS, hoc eſt à communi populo, adhibita. Sicut n. olim non tantum apud Iudæos, ſed & apud Gentiles inter ſacra atque profana, & inter ſacros & non ſacros viros, diſtinctio eſt ſemper adhibita; ita & in Eccleſia Chriſti idem naturali & Diuino iure probatus vſus permãſit, Chriſti Domini inprimis auctoritate ſtabilitus, dum è fideli populo Apoſtolos duodecim & Diſcipulos ſeptuaginta duos electos ſacris functionibus mancipauit; & ab Apoſtolis in vſum receptus, dum ordinarunt Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos. Ac licet in Noui Teſtamenti ſcriptura non niſi de his mentio habeatur; tamen aliorũ quoque Ordinum ab Apoſtolis inſtitutos eſſe miniſtros, nullus certe negare poterit, qui Ignatii (vt taceam modo de Dionyſio Areopagita, & Clemente Romano) ab omnibus receptas Epiſtolas legerit; quarum vna r mentio habetur Presbyterorum, Diaconorum, Hypodiaconorum, Lectorum, Cantorum, Ianitorum, Laborantium, & Exorciſtarum. Cum enim eodem tempore quo Apoſtoli (vt ſæpe dictum eſt) ipſum vixiſſe conſtet; quas recenſet inſtitutiones Eccleſiaſticas, haud ab aliis quam ab ipſis Apoſtolis traditas eſſe nemo iure inficiabitur.

r Ignat. ep. ad Antioch.

XXXIV.

Verum inter illa, non Ordines tantum, ſed & officia quædam numerauit, nempe CANTORVM & LABORANTIVM: quamuis ſicut non omnes recenſuit Ordines, ita nec Officia Eccleſiaſtica. Nam idem ſ alibi agit de eligendo CVRSORE, qui literas Epiſcoporũ perferret ad Eccleſias. Ad eiuſmodi munus non fuiſſe poſtmodũ per ſe diſtinctum, ſed iniunctum Lectoribus, Acolythis, ac Subdiaconis, Cyprianus t demonſtrat. Cum & alioqui eſſet Curſoris munus nominatim Fideles ad Synaxim vocare, dum vrgente perſecutione haud liberum erat tempore & loco ſolito conuenire, vt dicetur alio loco inferius. De laborantib. vero Epiphanius u docet, fuiſſe eorũ officiũ corpora Fidelium defunctorũ obuoluere & cooperire: quos & alio nomine FOSSARIOS dictos eſſe reperimus x. Addit Gelaſius y alia etiam Officia Eccleſiaſtica, nempe NOTARIORVM, AC DEFENSORVM, de quib. ſæpe inferius meminiſſe continget. Porro Ordines Eccleſiaſtici ab officiis diſcreti, ſeptem numero ſtabiliti fuere. iidemq; ſingulis inter ſe diſtincti gradibus & muneribus, minoreſq; ſubiecti maioribus videlicet OSTIARIORVM, LECTORVM, EXORCISTARVM, ACOLYTHORVM, SVBDIACONORVM, DIACONORVM, & PRESBYTERORVM: quorum ſingulorum quænam fuerint munera ſatis conſtare putamus, cum in Eccleſia eadem perſeuerent, plurimiq; de iis ſcripſerint. Eorum autem omnium (vt vidimus) excepto Acolythorum, meminit Ignatius: hunc autem non tantum Gelaſius, quem nuper citauimus, receſet; ſed lõge ante ipſum Cornelius z Papa, & Cyprianus a: Omnes vero ſeptem recenſentur in Romano Cõcilio b ſub Sylueſtro, & Carthaginenſi c Quarto. Sed dum in iſto, vel alibi, *Cantor ſeu Pſalmiſta* adiicitur, Officium potius quam Ordinem agnoſcito, dum eum non ordinari ab Epiſcopo (vt neceſſe eſt in Ordinibus) ſed ſola iuſſione Presbyteri illud poſſe munus obire, eadem Synodus declarauit.

ſ Ignat. ep. ad Polycarp. t Cypr. ep. 24. & 55. u Epiph. in comp. x Ep. ad Ruſt. Narb. ap. Hier. to. 2. y Ep. ad Epiſ. Lucan. c. 3. & diſt. 77. ſi quis de relig. & ſeq. z Ap. Euſ. 6. hiſt. 11. a Cyp. ep. 55. b Con. [illegible] Conc. Rom. c Can. 2. Conc. Carthag. [illegible]

Sacri vero Ordinis inſtitutio, non à recentioribus tãtum, ſed ab antiquioribus *Sacramentum* eſt appellatum, veluti à Tertulliano d, Cypriano e, Auguſtino f, & aliis. Quibus autem ritibus hæc fierent, aliqua ſaltem ex parte adumbrauit Lucas g, dum in ordinatione Pauli & Barnabæ *Ieiunium*, & *Sacrificium* præceſſiſſe demonſtrat. Nam quod habet Latina verſio, *Miniſtrantibus illis*, Græce eſt λειτουργούντων, id eſt *Sacrificantibus*. Et quidem non ſine Sacrificii incruenti miniſterio eiuſmodi ſacras Ordinationes ſolitas celebrari, antiqui omnium Eccleſiarum Rituales libri ſignificant. Subſecutam autem ad conſummationem myſterii, *Manus impoſitionem*, idem Lucas ſcribit; & id ipſum in aliorum ordinatione ſæpius factitatũ, multis Paulus h demonſtrat exemplis. Tradi vero ſolere per Manus impoſitionem Spiritum Sanctum, nec ignorauit Simon Magus, cum eamdẽ (vt vidimus) auctoritatẽ ab Apoſtolis Petro & Ioanne redimere pretio ambiuit. Cæterum ſicut ipſos ſacrorum miniſtrorum Ordines ex veteri teſtamento mutuatos eſſe Apoſtolos, Hieronymus i docet; ita & *Manus imponendi* ſacram de functionem inde deduxiſſe conſtat: nam imponendas eſſe manus ab Aaron & filiis eius ſuper eos qui ſacerdotio Leuitæ initiarentur, Diuina k lege expreſſum habetur. Sed quantũ figuræ veritas præſtat, tanto vberiori gratiarum affluentia in noui Sacerdotii ordine hæc ſunt ab Apoſtolis miniſtrata, & ab Eccleſia Catholica ex Apoſtolica inſtitutione retenta. Quæ vero erat apud Hebræos alia Manus impoſitio (de qua in Thalmudicis agit Rabbi Nathan) cũ quis ad docendos alios promouendus magiſter, à collecto Seniorum Concilio poſt examen manus impoſitionem accipiebat; erat iſtud nudum miniſterium, prorſum diuerſum à Manus impoſitione miniſtrorum Eccleſiæ.

XXXV. ORDINIS SACRAMENTVM. d Tert. de præſcript. cap. 40. & ib. Pamel. e Cypr. de ablut ped. f Aug. 2. cõt. Parm. 13. de bon. coniug. cap. 24. g Act. 13. SACRI RITVS IN ORDINATIONE EXHIBITI. h 1. Tim. 4. & 5. & 2. Tim. 1. i Hier. ep. 85. ad Euagr. ANTIQVVS VSVS IMPONENDI MANVS. k Exod. 29.

Porro quod ritum impoſitionis manus Pontificum etiam apud Gentiles in vſu fuiſſe l conſtat; haud arguit eum à Gentilium ſuperſtitione in Eccleſiam eſſe translatum: nam econtra eumdem illum, ſicut & alios plurimos lege Diuina primitus ſtatutos, à diabolo Dei operũ æmulo in ſuperſtitionis cultum eſſe translatos, iure quæritur Tertullianus m: cum alioqui nullum ſit dubiũ, Eccleſiæ licuiſſe, quæ apud Gentes ſuperſtitioſo cultu impie agerentur, eadem expiata ſacro ritu ad pietatem trãsferre, vt maiori diaboli contumelia quib. ipſe coli voluerit, Chriſtus ab omnibus honoraretur. Sic enim & Gentiliũ Ferias ſuperſtitionibus cumulatas, in Feſta ac celebritates Martyrum laudabiliter eſſe conuerſas, & Idolorum templa in Eccleſias Sanctorum commutatas Theodoretus n docet: Illudque ipſum ſuos docuiſſe Neocæſarięſes Magnum Gregorium Thaumaturgum, teſtatur in eius Vita Gregorius Nyſſenus. Quemadmodum & Paulus o Apoſtolus ſuperſtitionis aram ignoto Deo dicatam Athenis, in veri Dei cultum (quantum licuit eo tempore) mira prudentia tranſtuliſſe legitur: & olim p ex Ægyptiorum auro & argento, Dei iuſſu ſacra vaſa ad Diuinum cultũ fuere conflata. Sed de his modo ſatis.

XXXVI. l Liu. lib. 1. ÆMVLATVS DIABOLVS SACROS RITVS. m Tert. de præſcrip. cap. 40. GENTILICII RITVS IN ECCLESIAM TRANSLATI. n Theod. de cur. Græc. aff. [illegible] Euang. lib. 8. in fin. o Act. 17. p Exod. 25.

Hoc quoque anno, quo Paulus monente Spiritu Sancto prædicandi Euangelii munus ſuſcepit; idem raptus ad tertium cœlum arcana illa, Deo reuelante, cognouit, quæ non fas homini loqui. Cum enim hæc ipſemet ad Corinthios q ſecundo ſcribens, contigiſſe dicat annis quatuordecim antequã illam Epiſtolam ſcriberet; eamque ſcriptam conſtet anno Domini quinquageſimo octauo, Neronis ſecundo: ex his ſatis exploratum habetur, hoc ipſo anno Chriſti quadrageſimo quarto, Claudii ſecundo eumdem Paulum tam mirificis eſſe à Deo auctũ muneribus, quibus eum corroborari voluit antequam tanti ponderis munus obiret.

XXXVII. PAVLVS RAPTVS AD TERTIVM COELVM. q 2. Cor. 12.

IESV CHRISTI AN. 45.

CLAVDII IMP. AN. 3.

PETRI AN. 1.

ANNO Chriſti quadrageſimo quinto, Claudio Auguſto tertium & Lucio Vitellio Coſſ. durante tamẽ

I. ROM. EC.

ad-

ECCLESIA A PETRO INSTITVTA.

adhuc ſecundo eiuſdem Claudii Imperii, anno, decimoquinto Calendas Februarii, à Petro Apoſtolorum Principe, qui Romam (vt vidimus) anno ſuperiori venerat, ROMANA ECCLESIA omnium totius Orbis Princeps inſtituitur, ac Sede Pontificia decoratur. Ea quippe dies in tantæ rei perennem memoriam anniuerſaria celebritate conſueuit ab vniuerſa Eccleſia antiquitus[a] celebrari. Aſſeruaturq; hactenus in Baſilica Vaticana ipſa prima Pontificia ſedes Petri, CATHEDRA in quam lignea, dignum plane tantæ rei monumentum, quamplurimis ſemper illuſtrata miraculis. Porro vniuerſali tam Orientalis quā Occidentalis Eccleſiæ conſuetudine antiquitus præſcriptum extitiſſe, vt eius diei qua quis alicui ſedi præfectus fuiſſet Epiſcopus, anniuerſaria ſolemnitas illic ageretur, plurima ſuppetunt exempla: vt de ipſa Eccleſia Romana, apud Paulinum[b] Epiſcopum Nolanum (extantque eadem re Sermones S. Leonis Papæ ea die habiti, & epiſtola Hilarii Papæ ad Epiſcopos Tarraconenſis prouinciæ) de Felice Epiſcopo Comenſi apud Ambroſium[c], & apud Auguſtinum[d] de Aurelii Carthaginenſis, deque ſua ipſius Auguſtini natali eiuſmodi die: itemque in Menologio Græcorum de Baſilii, Chryſoſtomi, & aliorum ordinatione.

a Bed. Vſuar. Ado & antiq. Rom. Martyrol. Aug. ſerm. 15. & 16. de Sanct. & alii.

CATHEDRA PETRI ROMÆ CONSERVATA.

b Paul. ep. 16. ad Seuer.

c Ambr. 8. ep. 60.

d Aug. ſerm. 22. de verb. Dom. & homil. 24. & 25.

II.

Cæterum qua die vniuerſalis Eccleſiæ Sedes Romæ ſtabilita eſt, eadem ab vniuerſis quoque Eccleſiis particularibus merito in perpetuum celebratur. Quantumlibet enim à cæteris Apoſtolis, quin & ab ipſo Petro complures aliæ fuerint in orbe Chriſtiano inſtitutæ Eccleſiæ; tamen omnes vnam tantum numero efficere, ſæpe antiquiores Patres[e] docuere: eamdemque CATHOLICAM dici debere, ipſi etiam Apoſtoli Symbolo ſuo tradiderūt. Ac rurſum licet omnes ac ſingulæ ab Apoſtolis inſtitutæ Eccleſiæ Apoſtolicæ dictæ ſint, vt Epheſiorum, Corinthiorum, & Theſſalonicenſium, & aliæ fere innumeræ; immo & ceteræ ab his propagatæ, eodem ſenſu etiam Apoſtolicæ dici poſſint ac debeāt, vt egregie Tertullianus[f] docet: tamen & ipſiuſmet, & aliorum Patrum ſententia, quod Eccleſia VNA eſt, vnam etiam APOSTOLICAM eſſe confiteri neceſſe eſt: ſicut & Magna Synodus Nicæna, & aliæ ſubſequentes in ſuis Symbolis confeſſæ ſunt VNAM SANCTAM CATHOLICAM ET APOSTOLICAM ECCLESIAM.

e Ignat. ep. ad Philadel. Iren. libr. 1. cap. 3. Tertul. de præſcript. cap. 20. & alii.

f Tert. de præſcript. cap. 20.

VNA ECCLESIA APOSTOLICA ROMANA.

g Cypr. de vnit. Eccl. ep. 45. ad Cornel. ep. 52. ad Anton.

III.

CATHOLICVS AB HÆRETICO QVOMODO DIGNOSCENDVS.

Quæ cum ſit toto Orbe diffuſa, optime diuino conſilio prouiſum eſt vt alicubi eius Caput certo loco conſiſtat, ne cum de fide, aliiſue rebus ad ſtatum Religionis Chriſtianæ ſpectantibus, oboritur controuerſia, in multas ſcindi quæ vnitatis compagine iuncta Vna erat, neceſſe ſit. Illud autem non alibi quærendum eſſe quam vbi omnium Apoſtolorum Princeps & Caput Petrus Sedem fixit, Cathedramque ſibi cōſtituit, in ipſa inquam ROMANA ECCLESIA, tum ratio ipſa perſuadet, tum inter cæteros Patres frequentiſſime & præſtantiſſime Cyprianus[g] docuit.

Rurſum vero eum debere dici *Catholicum*, qui eidem Romanæ Eccleſiæ communione coniungitur, illum autem haberi *Hæreticum*, qui ab eiuſdem Cathedræ eſt cōmunione diuiſus; tum idē Cyprianus[h], tum Optatus[i], Ambroſius[k], Auguſtinus[l], Hieronymus[m], & alii permulti ſæpe teſtati ſunt. Quippe *ad eam omnium maximam Eccleſiam* (vt loquitur antiquiſſimus Irenæus[n]) *propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt omnes qui ſunt vndique fideles, in qua ſemper conſeruata eſt ea quæ eſt ab Apoſtolis traditio.* Hæcque adeo certa & explorata ſunt habita, vt quemadmodum omnes qui Romano ſubeſſent Imperio, Romanorū appellatione[o] nobilitati eſſent: ſic & omnes quotquot fide Catholica pollerent, ROMANI itidem dicerentur, eo quod & ipſa Fides Catholica *Romana* pariter appellaretur. Id n. antiquo vſu receptum fuiſſe tam apud Catholicos[p] quam ipſos etiam hæreticos[q], quamplurima demōſtrant veterum teſtimonia & exempla: præualente hoc loquendi vſu non ſolum quod cum Romana Eccleſia Petri eſſet peculiaris, idemq; Caput exiſteret totius Eccleſiæ Vniuerſalis, ita ipſa merito diceretur *Mater* & *Radix* (vt eam vocat Cyprianus[r]) omnium Eccleſiarum totius Orbis: ſed etiā quia ex eo quod fundata eſſet ſupra Petram, eumdem & Petrum; portæ inferi, nempe hæreſes, non poſſent præualere aduerſus eam; ſed ea ſemper conſeruatura eſſet fidē integrā & inuiolatam: ſicut egregie inter alios expoſuerunt Irenæus[s], Cyprianus[t], Gregorius[u], Nazianzenus, Hieronymus[x]. Sed de his inferius variis locis. Quantum autem temporis Romanæ Eccleſiæ, quam hoc anno fundauit, Petrus præfuerit, dicetur in eius martyrio.

h Idem ep. 45. 52. 76.

i Opt. cont. Parm. libr. 2.

k Orat. de obit. Satyr.

l Ep. 165. cont. ep. fund. ca. 4. Pſalm. cont. part. Don.

m Ep. 57. ad Damaſ. Apol. aduerſ. Ruff.

n Iren. libr. 3. cap. 3.

o L. in orbe D. de ſtatu hō. ſecund. leſſ. Alciat.

p Ambr. de ob. Sat. Hier. Apol. cont. Ruf. Theodoſ. Iunior. Imp. ep. ad Acat. ap. Syn. Eph. to. 5. cap. 10. edit. Pol.

q Vid. Vict. Vtic. de perſec. Vuandal. libr. 2. Greg. Tur. de glor. mart. ca. 25. 30. 79.

ROMANVM NOMEN IDEM QVOD CATHOLICVM.

r Cypr. ep. 45.

s Iren. l. 3. c. 3.

t Cypr. ep. 55. ad Cornel.

u Naz. carm. de vita ſua.

x Hier. libr. 3. Apol. cont. Ruff.

IV.

In hunc igitur modum Romana Cathedra ſtabilita, ceſſit Petrus Eccleſiæ Antiochenæ, & alium ſibi in ea Epiſcopum ſubrogauit. Quod quidem factum eſſe hoc ipſo tertio Claudii anno, ac Domini quadrageſimo quinto, Euſebius teſtatur in Chronico: cum anno ſuperiori (ſicut à nobis poſitum eſt) Petri Romam aduētum collocaſſet. Qui vero dixerunt[y], Petrum cum diſceſſurus eſſet Antiochia, eidem ciuitati ſucceſſorem Epiſcopum ordinaſſe; eo ſenſu audiendi ſunt, quaſi dicere velint Petrum ſucceſſorem ſibi delegiſſe cum ſedem Antiochenā reliquit. Non enim putandus eſt ſe abdicaſſe; nulla exiſtēte cauſa, niſi poſtquam ſibi Romæ erexit Cathedram. Deniq; ipſum ſedem Antiochenam tenuiſſe ſeptē annis, ſatis probatum eſt ſuperius cum de illius inſtitutione egimus. Sed quem potiſſimum eidem ſedi præfecerit, *Euodium* ne an *Ignatium* res non eſt abſq; controuerſia, quandoquidem Ioannes[z] Chryſoſtomus ciuis Antiochenus & eius Eccleſiæ olim presbyter, aperte profitetur primū omnium à Petro eidem ſedi fuiſſe præfectum S. Ignatiū; aſſeritq; id ipſum Theodoretus[a], necnon Felix Papa in epiſtola ad Zenonem[b] Imperatorem. Verum non Origenes[c] tantum, & Euſebius[d], atq; Hieronymus[e], perſpicue teſtantur poſt Petrum & à Petro inſtitutum primo loco ſediſſe Euodium, atq; Euodio fuiſſe ſubrogatum Ignatium; ſed & idem ipſe Ignatius ſcribens ad Antiochenos, expreſſis verbis ait Euodium primum poſt Apoſtolos eius Eccleſiæ gubernacula ſortitum eſſe. Vnde vero eiuſmodi oborta ſit occaſio controuerſiæ neſcimus; niſi quod legimus apud Clementis[f] Conſtitutiones, Antiochenæ Eccleſiæ à Petro Euodium, à Paulo vero Ignatiū eſſe creatos Epiſcopos; nec ſane vnum poſt alium, vt de cæteris ibi dicitur, ſed ſimul. Quod quidem tunc factum videtur, cum diſſenſio illa inter Fideles qui ex circumciſione, & eos qui ex Gentibus ad fidem venerant, eſſet cōcitata: quocirca quamdiu illa perdurauit, illud remediū fuiſſe adhibitum vt pars vtraq; proprium haberet Epiſcopum, cum vero diſſenſio eſt ſublata, vnū tātum ſediſſe Epiſcopū qui à Petro fuiſſet ordinatus. Sed quod agamus coniectura, nihili æſtimamus. Cęterum cum præfecturā Eccleſiæ Antiochenæ hoc ipſo anno eſſe collatam Euodio Euſebius ſcribat; inde erroris arguitur Suidas[g], & ſiqui alii dixerunt, tunc Diſcipulis eſſe inditum nomē *Chriſtianum*, cum Petrus Euodium creauit Epiſcopum: nam longe ante hæc tempora Chriſtianum nomen eſſe inuentum, ſuperius eſt demonſtratum.

y Chryſoſt. hom. de S. Ignat. Metaph. die 19. Iunii.

EVODIVS, AN IGNATIVS SVBROGATVS PETRO IN SEDE ANTIOCHENA.

z Chryſ. hom. de tranſlat. S. Ignat.

a Theodor. in Immut. dial. 1.

b Ext. in Quint. Syn. Act. 1.

c Orig. hom. 6. in Luc.

d Euſ. in Chron. & 3. Hiſt. 16.

e Hier. de Script. Eccl. in Ignat.

EVODIVS PRIMVS POST PETRVM EPISCOPVS ANTIOCH.

f Clem. 7. Conſt. 46.

g Suid. verb. Nazar.

V.

PRIMA PETRI EPISTOLA.

Sicut autem ſtabilita Sede Romana, Petrus Antiochenæ prouidit; ita & memor Eccleſiarum, quas in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia Minori, & Bithynia erexerat, ſuam PRIMAM ad eas ſcripſit EPISTOLAM: quam quidē hoc ipſo anno, antequam Marcus ab eodem mitteretur Alexandriam, eſſe conſcripta, ex eo facile colligi poteſt quod in ea hæc poſita habeantur in fine, *Salutat vos Eccleſia quæ eſt in Babylone collecta, & Marcus filius meus.* Porro Marcum hoc anno tertio Claudii Alexandriam miſſum, illic collegiſſe Eccleſiam, Euſebius non obſcure demonſtrat in Chronico. Et quod Hieronymus[h] dicat, Philonē Iudæum, qui ſub Caio primum (vt vidimus) pro Iudæis Alexandrinis legatione functurus Romam ſe contulerat, iterum ſub Claudio Romam veniſſe, & ibi cum Petro Apoſtolo conſuetudinem habuiſſe; ex eo coniectura ducimur, redeuntem Alexandriam Philonem ſecū perduxiſſe Marcum ſibi à Petro commendatum. Quod vero ſicut hoc anno, ita etiam Romæ eadem à Petro Epiſtola ſcripta fuerit, Patres omnes qui de ea re egerunt, expreſſe teſtantur[i]: eumdemque per *Babylonem* Romam intellexiſſe, abſque vlla dubitatione confirmant.

MARCVS QVANDO MISSVS ALEXANDRIAM.

h Hier. de ſcript. Eccl. in Phil.

i Euſeb. 2. hiſt. 14. Hier. de ſcript. Eccl. in Marco, & alii.

VI. PETRVS ROMAM APPELLAT BABYLONEM.

Sed ab his diſſentiunt Nouatores, quod permoleſte accipiant, ex ipſis etiam Diuinis Scripturis Petri Romam aduentum reddi teſtatum: qui tamen (& in his mirare ipſorum ſpiritum cõtradictionis) quod in Apocalypſi de Babylone multa nefanda prodantur, eoque nomine Romam ſignificari multi ſenſerint (cum alioqui complures ſint, qui per Babylonem vniuerſum regnum diaboli interpretentur) cunctas illas blaſphemias non Vrbi Romæ, vt ceteri, ſed ipſi tribuunt Eccleſiæ Romanæ nõ valentes miſeri, aut potius non volentes diſtinguere inter Romanam Vrbem, in qua tunc præ cæteris Orbis locis impietatis cultus vigeret; & ipſam Eccleſiam, quæ tantopere laudata reperitur à Paulo[k] Apoſtolo: adeo vt nec per ſomnium quidem quis vmquam inuenire poſſit, Romanam Eccleſiam eſſe Babylonis nomine nuncupatam, ſed ipſam tantummodo ciuitatem. Sicut eadẽ ratione Hieronymus[l] aliquãdo eamdem Vrbem, Babylonem appellat, ſed frequentius Eccleſiam ibi poſitam miris laudib. extollit. Porro alibi quoq; in Diuinis ſcripturis per Babylonem ſæpe ipſum adumbratum eſſe Imperium Romanum, eruditus lector inueniet: nempe quod (vt docet Auguſtinus[m]) condita eſſet Roma velut altera Babylon, & velut prioris filia Babylonis; quippe quę tunc cœpit cũ intercidit regnum Aſſyriorum. Deniq; non potuiſſe Petrum per Babylonem, niſi Romam intellexiſſe, vel inde certũ redditur, quod qui apud Babylonem Aſſyriorum Iudæi eſſent, maxima omnium clade[n] circa hæc eadem tempora affecti, omnes trucidati fuerint aut expulſi. Quæ vero apud Ægyptios Babylon erat, obſcurus plane locus, nõ ciuitatis nec oppidi dignus nomine, Caſtellum à Strabone[o] & aliis nominatur.

k Rom. 1.
VRBS ROMA DIVERSA AB ECCLESIA ROM.
l Hier in præf. de Sp. S. & præf. lib. 2. in ep. ad Gal. ep. ad Marcel. & lib. 2. cont. Iouin.
m Aug 18. de ciuit. 22. Adde Oroſ. lib. 2. c. 2.
n Ioſ. 18. antiq. 12.
o Strab. li. 17.

VII.

Cæterum ſcriptam hanc fuiſſe Epiſtolam ad Iudæos iam redditos Chriſtianos (quos & *aduenas diſperſionis* vocat, quia in diuerſis Orbis partibus, vt vidimus ex Philone, longe à Iudęa quamplurimi Hebręorum habitare ſolerent: qua etiam ratione Iacobus ſuam Epiſtolam inſcribit Duodecim tribubus quæ ſunt in diſperſione) tũ alia multa declarant, tum aperte teſtantur Euſebius[p], Athanaſius[q], Didymus[r], ac denique omnes tam Græci quam Latini ſcriptores qui ea de re conſulto tractarunt. Tranſlata vero ex Hebræo fuiſſe à Marco putatur. Plane enim dum apud Petrum Marcus fuit, functum eſſe munere interpretis, omnes affirmant.

p Euſ. 3. hiſt. 1.
q Athan. in Synopſ.
r Didym. in ep. canon.

VIII. SALVTATIO IN OSCVLO SANCTO.

Quod autem idem Apoſtolus in fine Epiſtolæ, illos ad quos ſcribit admonet vt *ſalutent ſe inuicem in oſculo ſancto*; noſtri inſtituti ratio poſtulat, vt de antiqua ab Apoſtolis inſtituta eiuſmodi ſalutatione nonnulla dicamus. Non enim id Petrus tantum, ſed & Paulus[ſ] ſæpe faciendum præcepit, & idipſum ſuis Epiſtolis Ignatius[t] conſueuit. Cum vero ſalutationem mutuam non *oſculo* tantum, ſed *ſancto* dãdam eſſe praſcripſerint; plane certum eſt diuerſam ab illa fuiſſe, quam Gentiles inter ſe quoties ſibi obuiarent inter ambulandum amici, ſibi inuicem impartire conſueuerant: quam quidem conſuetudinem vt moleſtam nimis, & frequentibus occurſionibus faſtidium afferentem, Tyberius[v] lege ſancita tollendam curauit; licet plus valuiſſe inolitum vſum lege lata, ſatis ex Martiale[x] conſtet, qui vixit temporibus Domitiani. Quod autẽ eſſent eiuſmodi oſcula, pacis & amoris ſymbola, ea non tollenda, ſed moderanda inter Chriſtianos Apoſtoli curarunt. Illaque plane SANCTA OSCVLA dicta eſſe reperiuntur, quæ in Eccleſiis & ſacris conuentibus poſt orationes, in ſignum pacis & reconciliationis animorum, adhiberi conſueuerunt, adiuncta ſalutatione PAX TECVM; ſicut videre eſt apud Iuſtinum[y], Origenem[z], Tertullianum[a], Cyrillũ[b], Chryſoſtomum[c], & Auguſtinũ[d]. Poſt oſculum vero ſequi conſueuiſſe adminiſtrationem Euchariſtiæ, fuſius tradit idem Iuſtinus. Nec tamen quis putet hæc ita promiſcue tunc agi ſolita, vt viri & fœminę ſic indiſtincte ſe mutuo oſcularentur. Nam in Eccleſia ſeorſum viros à mulieribus agere conſueuiſſe, inferius ſuo loco demonſtrabitur. Verum quoniam ea nihilominus adhibita cautela, adhuc inter ſe inuicem oſculantes, ſiue viros, ſiue fœminas, aliqua fraus arte diaboli nonnũquam irrepſiſſe videretur; in pluribus Eccleſiis ſacram oſculari tabellam Cruce aut Imagine decoratam, mutauit vſus, & quidem laudabilis.

ſ Rom. 16. 1. Cor. 16. 2. Cor. 13. 1. Theſ. 5.
t Ignat. ep. ad Antioch. & ep. ad Tarſ.
v Suet. in Tyb. ca. 34.
x Epigr. li. 7. ad Linum & 11. ad Baſſum.
OSCVLVM PACIS IN ECCLESIA.
y Iuſt. orat. ad Anton.
z Orig. in Rom. 16.
a Tert. lib. de orat.
b Cyr. catech. 5.
c Chryſoſt. hom. 30. in Cor. 2.
d Aug. ſerm. 83. de diuerſ.

IX. GRATIA ET PAX IN SALVTATIONE.

Rurſus vero quod idẽ Petrus Apoſtolus in fine eiuſdẽ Epiſtolæ, ſicut & in exordio eius, atq; in ſecunda item ſua Epiſtola GRATIAM impartiẽdo ſalutet; & quod inſuper Paulus eadem ſalutatione in omnibus ſuis Epiſtolis, vt ipſe[e] teſtatur, vti conſueuiſſet; & aliquando Ioannes[f] eamdem vſurpaſſe reperiatur: plane ſignificatur Apoſtolorum exemplo in Eccleſiam introductum, vt Romanus Pontifex in Apoſtolicis Litteris quempiam ſalutando, vna cum Apoſtolica benedictione Gratiam impertiat. Inſtitutio hæc eſt quidem Apoſtolica: nam vſq; ad Chriſti Aſcenſionem PACIS tantum verbo aliquem ſalutare moris fuit; vt in Veteri[g] Teſtamento plura Exempla ſuppetunt, & in Nouo[h] de Chriſto qui eodem modo ſalutare conſueuit Diſcipulos, & vt ipſi alios ſalutarent admonuit[i]. Perſeueraſſe vero eumdem vſum apud Iudæos, vt Pacis nomine ſalutarent, teſtis eſt Tertullianus[k]; ſed (vt ait) ei Apoſtoli & Gratiam addiderunt, immo & præmiſerunt, quod tam ſublimis gratiæ per Chriſtum reſtitutæ generationi humanæ, annunciatores eſſent. Sed hactenus de Petri Epiſtola.

e 2. Theſ. vlt.
f Ioan. ep. 2.
g Gen. 43. Iudic 6. & 19. 1. Reg. 25. 1. Paral. 12. Tob 12.
h Luc. 1. & 24. Ioan. 14. & 20.
i Mat. 10. Luc. 10.
k Tert. 5. ad uerſ. Marc. 5.

X.

Quod vero ſpectat ad MARCVM, cuius in ea mentionem fieri, eumdemque à Petro, quod ab eo vnice diligeretur, *Filium* appellari vidimus (haud enim recipitur. Nicephorus[l], dum eumdem Marcum prognatum dicit ex Petri ſorore) cum, vt pariter diximus, Euſebii cõſtet auctoritate ipſum anno tertio Claudii, Olympiadis ducenteſimæ quintæ anno tertio, Chriſti vero quadrageſimo quinto, Alexandriæ euangelizare cœpiſſe; eiuſdemque auctoris & aliorum teſtimonio liqueat, eumdẽ antequã Roma proficiſceretur conſcripſiſſe EVANGELIVM: plane compellimur dicere, id contigiſſe hoc ipſo anno poſt ſcriptam à Petro eam Epiſtolam. Cui veritati etiam Euthymius[m] adſtipulatur, & alii qui tradiderunt ſcriptum eſſe à Marco Euãgelium poſt annum decimum à paſſione Chriſti. Vnus tantum diſcrepat Irenæus[n], dum ait id factum poſt obitum Petri & Pauli Apoſtolorum: ſed ei ſane omnes merito aduerſantur, potiſſimum cum certũ ſit Marcum longe ante eos Apoſtolos eſſe defunctum, nimirum anno octauo Neronis, vt ſuo loco videbitur. Sicut autem de tempore omnes ab Irenæo diſſentiunt, ita etiam de loco ſcribendi omnes Chryſoſtomo[o] cõtradicunt, aſſerenti Marcum in Ægypto ſcripſiſſe Euangelium: nam & Athanaſius[p] eiuſdem Eccleſiæ Alexandrinæ, quam Marcus erexit & rexit, Epiſcopus, & antiquiores auctores[q] Papias & Clemẽs Alexandrinus, & qui eos ſecuti ſunt Epiphanius[r], Hieronymus[ſ], & alii, teſtantur Marcũ Romæ Euangeliũ ſcripſiſſe, ea (vt tradunt) occaſione, ꝙ cum Petrus ibidem Romæ Euangeliũ Romanis prædicaret, eius auditores à Marco expeterent, vt quę Petrus de Chriſto diceret, ipſe ſcriptis mandatum apud eos relinqueret. Qua ratione Marci nomine editum Euangelium credidiſſe aliquos fuiſſe ipſius Petri, Tertullianus[t] & alii æque teſtantur. Cæterum ꝙ Auguſtinus[u] Marcũ *Breuiatorẽ Matthæi* appellat, non ita accipiendũ eſt vt Euangeliũ Matthæi Marcus redegerit in cõpendium; ſed quod multa quæ à Matthæo eſſent fuſius enarrata, Marcus ſecundum quod à Petro accepiſſet breuiori narratione contracta deſcripſerit; cum alioqui ea quæ à Petro prolixiori ſermone, vt ſuam negationem, prolata audiſſet, vberius quam Matthæus ſcriptis mandauerit.

l Niceph. li. 2. ca. 43.
MARCVS EVANGELIVM SCRIBIT.
m Euthym. præf. in Matt.
n Iren. lib. 3. ca. 1.
o Chryſoſt. hom. 1. in Matth.
p Athan. in Synop.
q Ap. Euſ. 2. hiſt. 14.
r Epiph. hær. 51.
ſ Hier. de ſcript. Eccl. in Marco, & ep. 150. q. 11.
t Tert. lib. 4. cont. Marc.
u Aug. de conſ. Euang. cap. 2.

XI. AN MARCVS E NVMERO LXXII. DISCIP.

Quod autem Epiphanius ait, Marcũ fuiſſe ex numero Septuaginta duorum Diſcipulorum, haud receptum videtur ab aliis, qui à Petro eum tradunt genitum in Euangelio nec vidiſſe Dominum. Id enim Papias[x], id Hieronymus[y] & Theodoretus[z] ſcripſerunt, necnon alii omnes qui locum Epiſtolæ Petri ſunt interpretati, quo Marcum vocauit filium ſuum. Sed & Beda[a] ſcribit Marcum natione Hebræum, genere ſacerdotali fuiſſe progenitum, vnumque ex illis ſacerdotibus extitiſſe qui poſt Chriſti Aſcenſionem crediderunt Domino; de quibus Lucas[b] ait, *Multa turba ſacerdotum obediebat fidei.*

x Ap. Euſ. 3. hiſt. vlt.
y Hier. in Iſa. 65. & de ſcri. Eccl. in Marco.
z Theod. præf. in Ps. Patr.
a Bed. præf. in Marco.
b Act. 6.

XII. c Ap. Euſ. l. hiſt. vlt. d Iren. lib. 3. cap. 1. e Hieron in Marco. f Hier. ep. 150. q. 11. g Clem. Alex. Strom. lib. 7. MVNVS INTERPRETVM.

Sed quod Papias[c], Irenæus[d], Hieronymus[e], ac deniqᷓue recentiores, Marcum dicunt fuiſſe Interpretem Petri: ſicut & apud Paulum eodem functum eſſe munere Titum, idem Hieronymus[f], tradit; & Marco Alexandriam amãdato, eidem rei Glauciam inſeruiſſe apud Petrum, Clemens Alexandrinus[g] eſt auctor: quodnam eſſet iſtud munus quæritur. Et quidem Hieronymus illud ita intellexit, vt quia Petrus vel alij Apoſtoli Diuinorum ſenſuum maieſtatem digno nõ poterant exterarum nationum explicare ſermone, ad eam rem indigerẽt Interpretibus. Verum cum iſtis plane aduerſari videãtur quæ de dono omnium Linguarum ab Spiritu ſancto Apoſtolis imperito Lucas[h] & Paulus[i] habent; eumque reprehendens idem Paulus[k] eos qui oſtẽtationis ergo loquerentur linguis, demonſtrare videatur in eorumdem Apoſtolorum, aliorumque qui einſmodi donum linguarũ percepiſſent, fuiſſe arbitrio collocatũ loqui linguis quãdo & quomodo vellent: idcirco omiſſa eiuſmodi ratione, duabus aliis de cauſis Apoſtolos eguiſſe Interpretibus exiſtimamus. Nempe, vel cum alicui genti ipſis loquentibus; puta Græcis, in auditorio eſſent alii qui Græcum ſermonem penitus ignorarẽt; tunc enim (ſicut & Theodoretus[l] ait) per interpretes iis ſatisfaciendum erat: Vel cum difficilia captu iidem Apoſtoli locuti fuiſſent, tunc erat Interpretum eadem explanare. Poſſumus etiam addere Epiſtolarum interpretationem Apoſtolicarum, cũ quæ ad vnam vel aliam darentur Eccleſiam, opera Interpretum communes omnibus redderentur: prout deipſius Petri Epiſtolis accidit, quæ ex Hebræo à diuerſis Interpretibus in aliam linguam verſæ (vt ſcribit Hieronymus[m]) ſparſæ ſunt in Eccleſiam: & vt dicere poſſumus de Epiſtola Pauli ad Hebræos ſcripta Hebraice, quam Barnabas vel Lucas (vt auctor eſt Clemens[n] Alexandrinus) Græce reddidit.

h Act. 2. i 1. Cor. 12. 13. 14. k 1. Cor. 14. l Theod. in 1. Cor. 14. m Hier. ep. 150. q. 11. n Clem. Alex. in ep. Petri in fin.

XIII. GRÆCE AN LATINE MARCVS SCRIPSERIT. o Hier. ep. 123. ad Damaſ. p Aug. de conſ. Euang. lib. 1. cap. 2. q Ext. to. 1. Concil.

Cæterum cum omnium (vt vidimus) ſententia conſtet Marcum Euangelium ſcripſiſſe Romæ Græce an Latine ſcripſerit dubitatum eſt à pluribus. Hieronymus[o] & Auguſtinus[p] eius potius fuiſſe videntur ſententiæ, vt Græce ſcripſerit, dum aiũt excepto Matthæo reliquos Euangeliſtas Græce ſcripſiſſe. Sed pro Latino Marci ſermone facit vetus Liber[q] de Romanis Pontificibus qui fertur nomine Damaſi, ſed qui reuera poſt octingentos ferme à Chriſto annos conſcriptus eſt ab Anaſtaſio S. R. E. Bibliothecario, de quo pluribus dicetur ſuis locis. Et in eamdem procliuiores fuiſſe ſententiam vidẽtur Græci[r] & Syri; nec aliud voluiſſe Gregorius[s] Nazianzenus, dum Marcum Italis ſcripſiſſe Euangelium teſtatur. Suadet hoc ipſum & ea potiſſimum ratio, quod Marcus cum eſſet Interpres Petri ſi in gratiam Romanorũ (quod habetur exploratiſſimum) Euangelium ſcripſit; quænam ſuberat cauſa vt Græce ſcriberet, cum præſertim Tyberii Imperatoris auctoritate[t] & exemplo Græca lingua Romæ etiam apud optimos fere iam exoleuiſſet; & Claudius, ſub quo Marcus ſcripſit, non tantum non permiſerit Romanis Græco aliquando loqui ſermone, ſed & Græcum[v] hominem ſp[illegible]dum licet & prouinciæ ſuæ principem, quod Latini ſermonis eſſet ignarus, albo Iudicũ eraſerit, & in peregrinitatem redegerit? Denique ſi quis Græcas litteras callẽs Græcum Marci textum exacte diſquirat, reperiet aliquas voces improprias, quas facile agnoſcat ex Latino originali eſſe in Græcum ſemilatine translatas; licet feratur[x] (ſed traditione magis, quam antiquorum certo teſtimonio) ipſummet Marcum Euangelium ſuum, quod Romæ Latine ſcripſerat, cum poſtea Aquileiæ moraretur miſſus illuc à Petro ad eam erigendam Eccleſiam, in Græcum tranſtuliſſe; ipſumque originale diutius Aquileiæ aſſeruatum Venetias demũ translatum eſſe.

r Notat. Genebr. in Chron. ſ Greg. Naz. carm. de quat. Euang. t Suet. in Tib. cap. 71. GRÆCA LINGVA ROMAE VILESCIT. v Suet. in Claud. c. 16. x Petr. Episc. Aquil. in Catal. lib. 4. cap. 86.

XIV. MARCI PLVRES. y Act. 12. z Coloſ. 4.

Sed rurſum de eodem Marco quæritur, num hic qui Euangelium ſcripſit, idem ſit cum eo qui à Luca[y] dicitur filius Mariæ Ioannes nominatus cognomento Marcus, apud quẽ Hieroſolymis Eccleſia colligebatur: itemque num ille Marcus qui à Paulo[z] conſobrinus Barnabæ eſt appellatus, vnus idemq; ſit cum altero eorum ac demũ, an alium præter nominatos ſit reperire Marcum. Primo quidem vnum eundemque fuiſſe Ioannem Marcum & Ioannem cõſobrinum Barnabæ, ſatis Lucas[a] perſuadet, dum poſtquam dixiſſet Ioannem adhæſiſſe Paulo & Barnabæ cum iſti Antiochiæ accepiſſent Apoſtolatum, inferius[b] docet illum fuiſſe cognominatum Marcum, eiuſq; occaſione orta diſſenſione inter eoſdem Apoſtolos, Barnabam relicto Paulo ſecum aſſumpſiſſe Marcum. Hæcq; eadem ex Diuina ſcriptura in hunc modum teſtata, Alexander[c] Græcus auctor qui acta Barnabæ eſt proſecutus confirmat. Ex quibus erroris arguitur Dorotheus[d], dũ inter eos diſtinguens, multa alia ſuperaddidit mendacia. Ex iiſdem etiam compertum habetur, eumdem Ioannẽ cognomento Marcum à Paulo aliquando reiectum, ab eodem fuiſſe iterum ſuſceptum, & vna cum eo in prædicatione Euangelii tum Romæ tũ alibi egregiam nauaſſe operam, id Paulo[e] ipſo ſæpius atteſtante.

a Act. 13. b Act. 15. c Ap. Metaphr. 11. Iun. d Doroth. in Synop. e Coloſ. 4. 2. Tim. 4. ep. ad Philem. in fin.

XV. f Hier. in ep. ad Philem. g Alex. in Act. Barnab. ap. Metaphr. 11. Iunii. h Niceph. l. 2. cap. 15. i Athan. in Synop. k Act. 12. in fin. & 13.

An vero idem Ioannes cognomento Marcus conſobrinus Barnabæ, vnus idemque eſt cum Marco qui Romam Petrum ſecutus Euãgelium ſcripſit? Hieronymus[f] quidem id putauit, necnon Alexander[g], Nicephorus[h], & ſi qui alii recentiores. Verum cum hoc ipſo tempore quo Marcus Euangeliſta Romæ agebat, & inde Alexandriam conceſſit, ac in prædicatione Euãgelii in Ægypto, & (quod ſcribit Athanaſius[i]) Lybia & Pentapoli diutius eſt commoratus; eodem Ioannes ille cognomento Marcus Hieroſolymis & Antiochiæ Paulo & Barnabæ adhęſerit[k], eoſdemque ad prædicationem Euangelii ſecutus fuerit; indeque Barnaba à Paulo diuiſo, Hieroſolymam primo, ac inde Cyprum petierit, ac demum (vt dictum eſt) ad Paulum redierit: cum, inquam, hæc ita ſe habeant, plane conſtat ex temporum, locorum, ac rerum diuerſitate, eoſdem Marcos inter ſe eſſe diſtinctos. Nouerunt hoc ipſum & maiores: Baſilius[l] enim teſtatur, eõ tempore quo Paulus Romæ agebat, & cum eo aderat Marcus conſobrinus Barnabæ, Marcum Euangeliſtam Alexandrinam Eccleſiam excoluiſſe: & apud Iſidorum[m] legimus, diuerſum fuiſſe Marcum Euangeliſtam à Ioanne qui cognominatus eſt Marcus.

l Baſil. aduerſ. Eunom. lib. 5. m Iſid. de ortu & obit. ſanct.

XVI. n An. 64. VRBIS ALEXANDRINAE EXCELLENTIA. o Am. li. 22. p Herod. li. 7. q Auſon. de ord. nob. vrb.

Quod autem ſpectat ad Eccleſiã in Ægypto ab Euangeliſta collectam; de ea pluribus agetur inferius[n]. Illud in præſentiarũ præteriiſſe non liceat; merito (id agente Diuino numine) ſubiiſſe in mentẽ Petri Paſtoris omniũ, vt dilectiſſimum diſcipulum Marcum mitteret Alexandriam, quoniam erat illa velut quoddam Orbis theatrũ ad quod ex Aſia, Africa & Europa vniuerſæ ferme gentes confluerẽt; quam & ideo Ammianus[o] *Verticem omniũ ciuitatum* appellat. Herodianus[p] item primum eidem locum poſt Romam tribuit, niſi quod de ſecunda palma cũ ea tradit certaſſe Carthaginem. Quod vero ab Auſonio[q] poſtponatur etiam Conſtantinopoli, Carthagini, & Antiochiæ; id deinde accidit, quod (vt tradit Ammianus) ſub Aureliano Imp. bellis ciuilibus eſt admodum labefactata. Cum autem hoc tẽpore florentiſſima eſſet, & principem ſibi locum vendicaret, iure Petrus effecit vt ex tot nationib. Eccleſia nobiliſſima ſuo ipſius nomine à Marco Euangeliſta congregata, primũ poſt Romanam locum obtineret. Hanc n. ipſius prærogatiuę cauſam extitiſſe, inter alios Gelaſius[r] Papa tradit cum alioqui ſedem Antiochenam, quam ipſe Petrus aliquando per ſe rexiſſet, multis aliis prærogatiuis præcellere Innocẽtius[ſ] antea demonſtraſſet. Porro illa de Marco ore vulgi potius decantata, quã maiorũ auctoritate aſſerta fabella reiicitur, qua dicitur adeo repugnaſſe ne Epiſcopus fieret vt ea de cauſa pollicem ſibi ipſe pręciderit. Hoc etenim quod à quodam anachoreta factum eſſe conſtat, Marco Euangeliſtæ imprudenter nimis adſcribitur. Sed de eo iam ſatis.

r Gelaſ. decr. de lib. Apocr. ſ Innoc. ep. 18. ad Alex. Epiſc. Antioch. DE MARCO COMMENTVM REFELLITVR.

XVII. t Dio lib. 60. FVNDAMENTA ECCLESIAE ROMANAE.

Quod ad res profanas attinet; conſideratione dignũ eſt, quod hoc ipſo anno quo Romana Eccleſia à Petro eſt erecta, abrogata fuerint (vt Dio[t] teſtatur) à Claudio Imperatore complura Sacrificia & Feſta in venerationẽ Deorũ celebrari ſolita. Quod quidẽ licet ille alia ex cauſa feciſſe noſcatur; videas tamen nõ niſi nutu Diuino quodammodo accidiſſe præſagium, vt cum primũ Chriſtiana

fides

IDOLOLATRIA DECRESCIT. CAII ABOLITAE IMAGINES.

fides Romæ plantata coaleſcere cœpit, Idololatria decreſcere atq; minui inciperet. Rurſuſq; hoc eodem anno illud idem auctor accidiſſe teſtatur, quod cũ antea mandato eiuſdem Claudii omnia Caii ſimulacra fuiſſent ſublata; alio nunc edicto, quæcumque numiſmata viderentur eiuſdem Caii effigie cõſignata, conflari ſunt iuſſa, quorum materiam Meſſalina Auguſta in ſtatuam Mneſthei hiſtrionis transfundi præcepit. Diuinum plane, & æqua lance penſatum iudicium; vt qui ſuam ſtatuam titulo Iouis in templum Dei inferre paraſſet, ipſe in cunctis ſuis imaginibus infame diſpendium pateretur. Quantumlibet n. Iudæi ob necem Chriſto illatam grauiora pati commeruiſſent; tamen quoniam in Dei Hebræorum contumeliam Caius ea parabat, digna ſententia præſumptum eius facinus punitum fuit.

CLAVDII IMP. AN. 4.

IESV CHRISTI ANNO 46.

PETRI ANNO 2.

I. PETRVS MITTIT IN PROVINCIAS DISCIPVLOS.

ANno Chriſti 46. C. Criſpino ſecundum & T. Statilio Tauro Coſſ. ſtabilita iam Sede Romana, Petrus Apoſtolus, cui vniuerſi gregis cura à Domino commiſſa erat, ad ceteras Occidentalis Orbis partes cœpit diſcipulos amandare; qui licet Scriptorum inopia obſcuri pene remanſerint, plurimi tamen in Martyrologio Romano & apud alios probatos auctores recenſiti inueniuntur S. Epiſcopi, ab eodem Petro diuerſis temporibus ad diuerſas inſtituendas Eccleſias miſſi in omnem Italiam, Siciliam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Germaniam: vt non immerito Innocentius I.[a] omnino aſſeruerit, manifeſtũ antiquis fuiſſe in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, & Siciliam, inſulaſq; interiacentes, nullum hominum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos quos Petrus Apoſtolus aut eius ſucceſſores conſtituiſſent ſacerdotes. Imo & in Britãniam eiuſdem ipſius Apoſtoli prædicatione Euangelium penetraſſe, Metaphraſtes [b] & alii ſcribunt: quod haud mirum videri debet, cũ ea inſula anno ſuperiori à Romanis ſubiugata, facilis fuerit ad eam aditus. Deniq; velut à Sol. radii & à fonte riui, ſic à Sede Petri longe lateque fides Chriſtiana diffuſa, vbiq; eſt feliciter propagata: quamquam & ipſum quoque Petrum nonnullas earundem prouinciarum, aliaſq; plures per ſe viſitaſſe ac doctrina Euangelica imbuiſſe, antiqui teſtantur auctores.

a Innoc. ep. 1.
b Metaphr. 29 Iunii.

II. AGRIPPAE REGIS INTERITVS PAVENDVS.

Hoc eodem anno Agrippa Rex Iudæorum Cæſareę Ludos celebrans pro ſalute Imperatoris, cum veſte regia amictus concionem haberet in theatro, & ab adulatoribus Deus conclamatus, impiam illam adulationem non reprimeret, cõfeſtim ab Angelo Domini percuſſus, poſt quinq; dies in ſummis doloribus conſumptus vermibus interiit. Rem geſtam ſummatim Lucas [c] continuo poſt necem Iacobi & carcerem Petri recenſet, vt Dei vindictam aduerſus Agrippam in vltionem admiſſorum facinorum declaret: eandem vero plurib. proſecutus Ioſephus [d], docet contigiſſe anno 7. regni eiuſdem Agrippæ exacto, qui fuit hic ipſe Claudii Imp. IV. inchoatus. Poſt Agrippæ mortem, Cæſarienſes & Samaritani multa in eum conuicia iactauere, ac milites protractas è palatio filiarum eius ſtatuas detulere in lupanaria, & turpibus modis eiſdem illuſere. Imperator autem poſtpoſito Agrippa eiuſdem Agrippæ Regis filio ob iuniorem ſeptemdecim annorum ætatem Præſidem miſit in Iudæam Cuſpium Fadum: Herodi vero Regi Chalcidis, defuncti Agrippæ fratri, ius dedit in templum; qui eo potitus, Summos Pontifices ad libitum depoſuit, ſubſtituitq;. Sed hæc pluribus Ioſephus [e].

c Act. 12.
d Ioſ. 19. antiq. 7.
e Ioſ. 20 ant. 1.

III. Interea vero Paulus & Barnabas, quos vidimus anno ſuperiori ſolenni ritu ad prædicationem Euangelii Apoſtolatum accepiſſe, cum peragrata Seleucia Cyprũ nauigaſſent, Paphum venientes Sergium Paulum Proconſulem ad fidem Chriſti conuerterunt, prius excæcato ad tempus Elyma mago qui eis reſiſtebat. Hæc pluribus Lucas [f] Euangeliſta. Porro tantum abfuit vt idem Elymas aliquando reſipuerit, vt magis ac magis in Euangelicam doctrinã inſaniens (quod teſtatur Dionyſius [g]) librum ediderit aduerſus Pauli prædicationem & Chriſti fidem. Cetera vero quæ de prædicatione Pauli & Barnabæ ſcribit Lucas vſq; ad Concilium Hieroſolymitanũ, quod anno nono Claudii celebratum eſt, cum quo potiſſimum anno ſingula ſint facta certa aſſertione affirmari non poſſit, ea quam cõiectura demonſtrat vtentes ratione, quod ſingulis annis geſtum putamus, quantum fieri eſt ordine temporum proſequemur.

f Act. 13. DE ELYMA MAGO.
g Dionyſ. de diuin. nomin. cap. 8.

IV. PEREGRINI EPISCOPI INVITARI SOLITI AD CONCIONANDVM.

E Cypro [h] igitur nauigantes, Pergem Pamphyliæ venerunt, indeq; Antiochiam Piſidiæ; vbi ingreſſi Synagogam die ſabbati, quo conuentus Iudæorum fieri conſueuit, rogati ſunt ab his qui Synagogæ præerant, exhortatorium ſermonem habere coram populo. Cuiuſmodi cõſuetudo, vt peregrini Epiſcopi ad concionandum inuitarentur ab eius ciuitatis ad quam veniſſent Epiſcopo, diu permanſit in Eccleſia, immo & Canone [i] legitur ſtabilita. Sicq; inuenies obſeruatum apud Ambroſium [k]; ſic Alexandriæ à Cyrillo [l] eius ſedis Antiſtite: & conqueſtus reperitur S. Gregorius [m] Nyſſenus, quod ab Helladio Epiſcopo Cæſarienſi in Cappadocia ad id agendum non fuerit inuitatus. Ex quibus authentica probantur quæ apud Clementem [n] leguntur, vt Epiſcopus peregrinum Epiſcopum roget ſermonem habere ad populum, eique Euchariſtiam offerre, ac benedicere: & inde eſt etiam quod Euſebius [o] habet, Polycarpum Smyrnæ Epiſcopum Romam ſub Aniceto Pontifice venientem, ab eo inuitatum vt ſacrificium Euchariſtiæ offerret. Concionatus ergo Paulus ſemel atque iterũ in Synagoga Antiochena, multos Iudæorum ad fidem Chriſti conuertit: quod vero ipſe & Barnabas Gentiles etiam ſuſciperent, inuidentes Iudæi grauiſſimas in eos turbas concitarunt, & extra fines ſuos expulerunt: Qui exeuntes, ſecundum præceptum [p] Domini excuſſerunt puluerem de pedibus ſuis in teſtimonium contra Iudæos. Cõſueuerant namq; Iudæi, maledictionem aliquando imprecando puluerem ſpargere in aerem, vel è ſe excutere: vt ſunt exempla apud Eſdrã [q], & alibi in ipſis Actis [r] Apoſtolorum. Cur vero id fieret, cum multæ afferantur cauſæ, relinquimus Interpretibus pertractandum.

h Act. 13.
i Conc. Carthag. IV. cap. 36.
k Ambr. ſer. 48. vetereedit.
l Cyr. Alex. hom. 7. & 8.
m Greg. Nyſ. ad Amphil.
n Clem. Rom. Conſt. lib. 2. c. 61.
o Euſ. 5. hiſt. 24.
p Matth. 10. Marc. 6. Luc. 10. PVLVERIS EXCVSSIO PEDVM.
q 2. Eſdr. 5.
r Act. 22.

CLAVDII IMP. AN. 5.

IESV CHRISTI AN. 47.

PETRI AN. 3.

I. QVID PAVLVS PASSVS ICONII.

ANno Chriſti quadrageſimo ſeptimo, M. Vinucio [a] ſecundum & T. Statilio Coruino Coſſ. Paulus & Barnabas pulſi (vt dictum eſt,) Antiochia Piſidiæ veniẽtes Iconium Lycaoniæ, quamplurimos Iudæorũ & Gẽtilium prædicatione & miraculis ad fidem cõuerterunt, multoque illic tempore commorati ſunt: cientibus vero aduerſus eos turbas incredulis Iudæis, diuiſaque in partes ciuitate, cum potentior facta aduerſa lapidare eos quæreret, confugerunt ad alias ciuitates Lycaonię, Lyſtrã & Derben. Hæc breuiter [b] Lucas de rebus à Paulo & Barnaba geſtis Iconii; multis haud dubium prætermiſſis eorum quæ toto illo tempore fieri contigerunt. Meminit ipſe Paulus [c] ſcribens ad Timotheum, de rebus quas paſſus eſt Iconii: & ſi quis ea quæ ad Corinthios [d] ſcribit de paſſionibus ſuis, conferat cum iis quæ in Actis à Luca de ipſo ſunt ſcripta plane intelliget (quod & alibi Hieronymus [e] teſtatur) multa Pauli à Luca fuiſſe prætermiſſa. Cũ enim nondum hoc tempore Paulo inhæſiſſet (quando id acciderit, ſuo loco dicemus) quæ non vidit, generatim tãtum complexus maiori ex parte ſilentio præteriit.

a Dio. lib. 60.
b Act. 14.
c 2. Tim. 3.
d 2. Cor. 11.
e Hier. in Gal. 1.

II. DE ACTIS S. THECLAE.

Quod igitur ſpectat ad res Iconienſes de quib. eſt ſermo, qualis quantaue illic Paulus ſuſtinuerit, res geſtæ S. THECLÆ aliqua ſaltem ex parte declarant: non quidem Acta illa, quæ Theclæ nomine & Pauli ab Aſiano quodã presbytero cõficta fuiſſe, Tertullianus [f] & Hieronymus [g]

f Tert. de bapt. cap. 17.
g Hier. de Script. Eccl. in Luca.

ſcribunt;

h *Gelaſ. de ver. & ſibr. apocry.*

ſcribunt; quæ & Gelaſius [h] inter apocrypha iure recenſuit: ſed Acta illa Paſſionis Theclæ paſſim leguntur; quæ quidẽ vera eſſe atq; germana, inde primum conſtat, quia quæ iidem auctores tradunt ſpuriis illis Actis contineri, puta de Thecla Euangelium prædicante & baptizante, deque baptizato leone; hæc omnia procul abhorrent ab Actis illis, quæ Paſſionis Theclæ nomine inſcripta legũtur: deinde quia quæcumque in his Paſſionis Actis referuntur, eadem antiquorum Patrum certis teſtimoniis confirmantur.

III.

DE CONVERSIONE REBVS GESTIS S. THECLÆ.

i *Greg. Nyſ. hom. 4. in Cant.* k *Epiph. hær. 78.* l *Ambr. libr. 2. de virg.* m *Ap. Aug. 30. cont. Fauſt. 4.* n *Chryſoſt. hom. 25. in Act. & hom. 22. ad pop. Antioch.* o *Ambr. de virg. lib. 2. & ep. 5. ad Eccl. Vercel.* p *Cypr. orat. pro mar.* q *Max. ſer. de S. Agnet.* r *Greg. Naz. exhort. ad virg. & in pro ſept. ad virg.* s *Zen. Veron. ſer. de timor.* t *Ap. Metaphr. 10. April.* u *Ap. Metaphr. 21. Dec.* x *Prat. Spir. cap. 10.* y *Ap. Metaphr. 15. Iun.* z *Hieron. to. 3.*

Nam in primis Theclam Pauli prædicatione Iconii ad fidem conuerſam eſſe, Gregorius [i] Nyſſenus, atque alii omnes qui de ea ſcripſerunt teſtantur. Eadem vero iam viro deſponſatam amore pudicitiæ ſponſo nuncium remiſiſſe, etiam Epiphanius [k] & Ambroſius [l] aſſerunt; necnon Fauſtus apud Auguſtinum [m], ipſo Auguſtino nequaquã contradicente. Præterea illam, vt cuſtodem carceris quo Paulus detinebatur ſibi conciliaret, gemmis ac muliebri mundo diſtractis, pecuniam inde acceptam ei donaſſe vt ad Pauli colloquium ſibi pararet aditum Ioannes [n] Chryſoſtomus pariter profitetur. De ira quoq; ſponſi in eam concitata, quo accuſante & crudeliter vrgente ipſa damnata fuit ad beſtias, ſiue leones, qui mãſueti Diuinitus facti ei blanditi ſunt, Ambroſius [o] egregius eſt teſtis. Inſuperq; ignes Theclam ſubiiſſe, ſed illæſam remanſiſſe; Cypriani [p] & Maximi [q] teſtimoniis cõfirmatur. Ac de beſtiis ſimul & igne, adſtipulatores ſunt Gregorius [r] Nazianzenus ac Zeno [s] Epiſcopus Veronenſis. Nec tantum leonibus in theatro obiectam, ſed & tauris alligatam fuiſſe vt illis in diuerſa actis ſic diſcerperetur, fidem æq; faciunt apud Metaphraſtem preces SS. martyrum [t] Terẽtii & ſociorum, ac S. Iulianæ [u] necnon quæ habentur in Prato [x] Spirituali ac demum quæ ex ritu Eccleſiaſtico dici conſueuerunt, cum quis Fidelis ex hac vita eſt proxime migraturus. Sed & pugnanti Theclæ Diuina virtute aſtitiſſe perſonam (puto Angelum) humana imagine vultũ Pauli præ ſe ferentem, probatum ſimiliter habetur in Actis S. Febroniæ [y]. Deniq; Theclam Apoſtoli cupidã Antiochiam Piſidiæ acceſiſſe, ab eodemque iuſſam ad propria reuerti ne poneret offendiculum Euangelio, etiam Hieronymus, ſiue Sophronius, ad Oceanum [z] ſcribens teſtatur.

IV.

ACTA THECLÆ A BASILIO SCRIPTA.

Quamuis autem is qui habetur præ manibus de Theclæ Paſſione commentariolus, ſine nomine feratur; nullum ob id ipſa hiſtoria ſolitæ auctoritatis diſpẽdium pati debet; quandoquidem quæ eo continentur, tam Græcorum quam Latinorum Patrum quos recenſuimus pari conſenſione firmantur: immo & ſunt in omnibus conſentientia quæ Græce ſcripta habentur à Baſilio Epiſcopo Seleuciæ qui Chalcedonenſi Concilio interfuit, extantque Romæ in Bibliothecis Vaticana & Sortiana, deſcripta vero à Metaphraſte ex antiquioribus monumẽtis. Si vero de rebus tam antiquis recentiores nõ ſpernis, multa de ea teſtata habes ab Aldelmo in libris quos tam metro quam ſoluta oratione de virginitate conſcripſit. Inſuperque Witichindus Saxo monachus Corbeienſis, nobilis ſuorum temporum hiſtoricus (vt tradit Sigebertus [a]) ſcripſit egregio poemate eiuſdem Theclę paſſionẽ.

a *Sigeb. de vir. illuſt. cap. 120.*

V.

THECLA PROTOMARTYR INTER FŒMINAS.

b *Greg. Naz. orat. in Iul.* c *Epiph. hær.* d *Chryſ. orat. in SS. Apoſt.* e *Iſid. Peluſ. 1. ep. 87. & 160.* f *Hier. ep. 22. ad Euſtoch.* g *Sev. in vita S. Mar. lib. 2. ca. 16.* h *Aug. de virg. cap. 44.* i *Ambroſ. de virg. lib. 3.*

Quod autem in iiſdem Theclæ Actis ad finem aſſeritur ipſam Diuinitus liberatam à paratis triplicis generis mortis periculis, in ſolitudinem ſeceſſiſſe, ibique perſeuerantem nonagenariam deceſſiſſe: iſtud quidem ex omnibus illis minime nobis arridet, quod de his penes antiquos verbum nullum, qui omnes de ipſa vt martyre & conſummata martyrio viſi ſunt meminiſſe; veluti Gregorius [b] Nazianzenus, Epiphanius [c], Chryſoſtomus [d], Iſidorus [e] Peluſiota, Hieronymus [f], Seuerus [g], Auguſtinus [h], & alii; quorum plurimi eamdem *Protomartyrem*, appellãt, quod prima omnium fœminarum martyrium ſit paſſa extititq; pariter eiuſdem cultor ſtudioſiſſimus S. Ambroſius [i], cum in ipſius S. Theclæ memoriam primaria Eccleſia Mediolanenſis eſſet erecta. Denique ob immenſas virginis virtutes vſu venit, vt cum quid ſuper excellens de fœmina Patres dictum vellent, eam Theclæ nomine inſignirent [k]. Eius vero tumulum qui erat Seleuciæ multis miraculis illuſtratum, totius Orientis celebri populorum concurſu viſitari ſolitum, tum ipſa Acta; tum etiam ſanctorum Patrum [l] teſtimonia declarant: ad quod pariter Gregorius Nazianzenus peregrinatus [m] diutius manſit. Sed hæc de Thecla ſatis.

k *Greg. Nyſ. in vi. S. Macri. Hier. in Chron. de Melan.* l *Theodor. hiſt. SS. Patr. ca. 29. Euagr. lib. 3. ca. 8. Procop. lib. 5. de ædif. Iuſtin. Prat. ſpir. cap. 180. Nic. Syn. Secun. Act. 5. Niceph. lib. 16. ca. 8. & alii.* m *Greg. Presby. in vita S. Greg. Naz.*

IESV CHRISTI AN. 48.

PETRI AN. 4.

Clavdii Imp. an. 6.

I.

a *Dio. lib. 60.*

PAVLVS ET BARNABAS QVID LYSTRIS.

Anno Chriſti quadrageſimo octauo, Valerio [a] Aſiatico & M. Valerio Meſſala Coſſ. Paulus & Barnabas Lyſtris primo vt dii habiti; ob claudum à natiuitate ſanatum à Paulo, vix auerterũt populum ne ipſis ſacrificaret; mox vero vice verſa, agentibus qui ab Antiochia Piſidiæ & Iconio venerant Iudæis, ab iiſdem Lyſtrenſibus Paulus lapidatus eſt, & pro mortuo derelictus; ſed receptis viribus, profectus cum Barnaba Dorben, inde Lyſtran rurſum, & Iconium, & Antiochiam perluſtrarunt, confirmantes diſcipulos & cõſtituentes per ſingulas Eccleſias Epiſcopos atque Presbyteros. Hæc pluribus Lucas [b]: in quibus cõſummandis non minore, quam anni vnius tẽpore illos opus habuiſſe exſtimamus.

b *Act. 14.*

II.

DE TEMPORE OBITVS DEI-GENETRICIS MARIÆ.

c *Euſeb. in Chron.*

Hoc eodem anno à Chriſto nato quadrageſimo octauo, Olympiadis ducenteſimæ ſextæ anno ſecundo, ſanctiſſimam Dei-genitricem Mariam aſſumptam eſſe in cœlum, Euſebius [c] ex quorundam reuelatione ſcribit. Non poſſumus autem non vehementer mirari, tantæ rei hiſtoriam, vel ſaltem tempus migrationis eius, ſic à Scriptoribus prætermiſſum, vt opus fuerit quid huic vel illi de ea re fuerit reuelatum inueſtigare. Tolerandũm tamẽ eſſet ſi omnes æque in eamdem ſententiam conſpirarẽt, aut ſi vnius vel alterius anni ſpatio diſſiderent: at cum monſtroſa quædam inter eos diſcrepãtia reperiatur quinam potius audiendi erunt? Alii igitur (vt vidimus ex Euſebio) id contigiſſe dixerunt anno à Natiuitate Domini quadrageſimo octauo, à Paſſione vero decimoquarto: rurſum cuipiam probatæ ſanctitatis viro demõſtratum cœleſti viſione traditur [d], poſt annum elapſum à Paſſione, & tot dies quot intercurrunt ab eo tempore vſque ad decimam quintam menſis Auguſti, ſanctiſſimam Virginem ex hac vita migraſſe, ac demum poſt alios quadraginta dies, nono videlicet Calendas Octobris, vna cũ corpore aſſumptam fuiſſe in cœlum: cui reuelationi qui fidem adhibuerunt, non tantum dicta die decimaquinta Auguſti (vt facit Eccleſia) eiuſdem celebrant Aſſumptionem; ſed & aliam, quam ſecundam dicunt Aſſumptionẽ, dicta die nona Calendas Octobris, ad Bedæ Martyrologium addiderunt. Verum hæc ab Eccleſia minime receptà eſſe [e] noſcuntur. Sunt vero alii qui iſthæc de reuelationibus prætermittentes, certorum auctorum teſtimonio certum annum eiuſdem Aſſumptionis adſtruere conati ſunt. Sed cum quæ citãt ſcripta nec nobis nec maioribus cognita fuerint, in eamdem de impoſtura ſuſpicionẽ adducũtur cũ præſertim non ſit eorũ vna eademq; ſentẽtia: ſiquidẽ Nicephorus [f] ex Enodio eã vixiſſe tradit annos quinquaginta nouem: Epiphanius vero Presbyter [g] Hyppolytum quendam Thebanum citat, qui dixit eã deceſſiſſe anno ætatis quinquageſimo ſeptimo: à quo ipſe Epiphanius diſſentiens, eidem tribuit annos ſeptuaginta duos. Cui etiam adſtipulatur Cedrenus [h], aſſerens tamen aliorum fuiſſe ſententiam, eam deceſſiſſe anno ætatis quinquageſimo octauo.

d *S. Anton. par. 1. tit. 15. c. 11. in fin.*

e *Anton. ibid. & Belet. in ra. cap. 147.*

f *Niceph. lib. 2. cap. 3. & 21.* g *Epiph. Presb. ſerm. de Deip.*

h *Ced. in comp. in Tib.*

III.

Porro ſiue Euſebii ſectemur ſententiam; quod S. Dei-Genetrix diem obiit anno ætatis ſuæ ſexageſimo ſecundo, ſiue aliorum qui traditione quadam annum ſexageſimum tertium ponunt, vel etiam cum aliis id tribuamus anno quinquageſimo ſeptimo, quinquageſimo octauo, aut quinquageſimo nono: nulli harum ſententiarũ conuenire poſſunt quæ ſcribit Dionyſius [i] Areopagita, qui præ cæteris auſcultandus eſſet; dum affirmat ſe vna cum

i *Dionyſ. de diuin. nomin. pb. 3. cap. 3.*

Apoſtolis Petro, Paulo, Iacobo, aliiſque ſanctis Fratribus Hieroſolymam conueniſſe ad cõtuendum corpus quod auctorem Vitæ Deumque receperat. Neq; enim Dionyſium ante quinquageſimum ſecundum annum Domini conuerſum eſſe ad fidem, inferius videbimus; neque Paulum poſt conuerſionem Dionyſii Hieroſolymã aduenire potuiſſe ante annum Domini quinquageſimum ſeptimum, quo à Iudæis detẽtus eſt atq; ligatus, ex iis quę de eius itineribus Lucas refert, ſatis demonſtrari poteſt. Huic vero ætati ſi quatuordecim vel quindecim addas annos, quot nata erat ſanctiſſima Virgo cum peperit Saluatorẽ, manifeſte colliges ipſam eo anno quo Paulus nouiſſime Hieroſolymam venit, egiſſe ætatis annũ ſeptuageſimum ſecundum, quo ipſam ex hac vita migraſſe Epiphanius Presbyter & Cedrenus affirmarunt. Quibus ſi conſenſerimus, eiſdem æque aptari poterunt quæ ſcribit Dionyſius, vt de ſacroſancto Dei-Genitricis corpore, eiuſq; funere voluerit intellexiſſe: licet alieno ſenſu, eius verba Hilduinus[k] ad ſepulchrũ Domini transferre conatus ſit: alieniori vero Matthæus[l] Galenus, ad ædes Ioannis Euangeliſtæ in quas Sanctiſſima Virgo recepta eſt: & omnium alieniſſimo Anaſtaſius[m], & ſi qui alii, ad ipsã carnem Chriſti Diuinitatem continentem. Porro Dionyſiũ de ſacroſãcto Dei-Genitricis corpore intellexiſſe, Græci omnes exiſtimarunt, puta Iuuenalis[n] Hieroſolymorum Epiſc. Ioannes[o] Damaſcenus, Andreas[p] Cretẽſis, Epiphanius[q] Presbyter, Metaphraſtes[r], Euthymius[ſ], Maximus[t] Abbas, Nicephorus[u], Glicas[x], & alii.

DIONISII SENTENTIA EXPLORATVR.

k Hild. in Areopag.
l Matt. Gal. praf. ad Areopag.
m Anaſt. praf. ad Car.
n ap. Nicep. li. 15. c. 14.
o Damaſc. ſer. de dorm. S. Deip.
p And. Cret. ſer. de dorm. S. Deip.
q Epiph. Presb. ſerm. de eodem.
r Metaphr. 15. Aug.
ſ Euthymii hiſt. citatur à Damaſc.
t Max. in ſchol. praf.
u Niceph. lib. 15 ca. 14.
x Glic. in Annal.

Cæterum quæ de Tranſitu Dei-Genitricis diuerſi cõſcripſerunt, alia ſunt vt erronea ab Eccleſia Catholica prorſus reiecta, alia vero vt apocrypha atque delira itidẽ improbata, alia rurſus cum multorum ſcriptis tum etiam pia Fidelium traditione recepta. Reiicit S. Eccleſia inprimis Collyridianorum delitia, & Antidicomarianitarum commẽta: quorum illi putarunt eam non humanæ naturæ fuiſſe conſortem, ſed Diuinæ, ſicque vt Deum fuiſſe penitus mortis expertem: quos refutat abundantius Epiphanius[y] in Panario. Idem tamen agens contra Antidicomarianitas[z], qui Sanctiſſimæ Dei-Genitricis virginitatem infamarent, quo magis illorum procaciam retunderet, eo illam excellẽtiæ efferre conatus eſt, vt ſicut Enoch vel Elias olim tranſlati, ſic videatur voluiſſe ipſam abſq; obitu à terrenis ad cœleſtia aſſumptam eſſe, quamuis nihil affirmare auſus rem dubiam reliquerit, vtrum mortua vel non mortua, & an ſepulta aut non ſepulta fuerit. At vero Catholica Eccleſia nullam de eius obitu dubitationem admittẽs, quam nouit humanæ fuiſſe naturæ conſortem, humanam pariter moriendi neceſſitatẽ expertam affirmat. Sicut non recipit quorundã ſententiam qui Simeonis[a] oraculo perſuaſi, quo ei dixerat, *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, eam martyrio vita functam tradiderunt[b]. Decreto quoq; Romani Cõcilii[c] cui Gelaſius præerat, inter apocrypha reiicitur libellus *de Tranſitu Mariæ Virginis*: ſed à quo ille ſcriptus fuerit cum non dicatur, ſine auctoris nomine editum fuiſſe exiſtimamus, cui poſtea otioſus quiſpiam præfixerit honeſtum titulum Melitonis Sardenſis Epiſcopi: miratuſq; ſum vehementer Trithemium inter Melitonis lucubrationes illum adnumeraſſe, quem Hieronymus[d] Melitonis ſcripta recẽſens nullo modo agnouit: cum præſertim quæ in eo ſcripta habentur, tanto viro indigniſſima iudicentur; multaque ſint Apoſtolorum Actis (vt etiam notauit Beda[e]) aperte repugnantia: adeo vt quamuis in edito recenter volumine, aliqua ad cenſuram Bedæ ſint emendata, multa adhuc habeat prorſus inſulſa.

IV.

QVÆ PROBATA, VEL IMPROBATA DE S. MARIÆ OBITV.

y Epiph. hær. 79.
z Idem hær. 78.
a Luc. 2.
b ap. Amb. in Luc. 2. apud. Iſid. de vit. & ob. Sanct. cap. 62. & Bed. in Luc. 2.
c Gelaſ. dec. de lib. apocry.
d Hier. de Script. Eccl. in Melit.
e Bed. in retrac. in Act. cap. 1.

V.

Quæ vero in eodem narrantur de palmæ ramo eidem Dei Genitrici morienti in victorię ſignum allato, deque Apoſtolis eodem momento è diuerſis Orbis regionibus Hieroſolymam ad obitũ eius per aera in ſublime delatis, atque item de miraculo facto in Iudæum qui feretrum quo illa ad ſepulturã ferebatur eſt conatus euertere: hęc, inquã, etſi in eodem pſeudo-Melitonis libello contineantur, haud tamen ſic impugnamus quaſi minime vera eſſe potuerint; quæ eadẽ à Nicephoro[f] ex antiquioribus monumentis teſtimoniũ habent. Sicut nec ob eam cauſam quod eodẽ libello dicatur Dei-Genitrix reſurrexiſſe, & vna cum corpore aſſumpta eſſe in cœlum; id negamus, vel in dubium reuocamus; quæ præſertim Iuuenalis Hieroſolymitanus Epiſcopus non ex ſcripto aliquo commentario, ſed potius ex antiqua & veneranda maiorum traditione ſe accepiſſe teſtatus ſit[g]. Quod autẽ addit Nicephorus[h], occaſione Thomæ abſentis reſeratum fuiſſe ab Apoſtolis Dei Genitricis ſepulchrum; ea quidẽ apud dictum Melitonem non leguntur, verum ex traditione maiorum à Iuuenale eſſe relata teſtatur. Addiderũt alii & de cingulo eidem Thomæ ab eadem Dei Genitrice cœlitus miſſo ſed quam fidem mereantur quæ non tãtum nõ in probatis aliquibus auctoribus, ſed nec in ipſis apocryphis ſcripta leguntur, quiuis facile iudicabit.

f Nicep. li. 2. c. 21 & l. 15. cap. 24.
g ap. Nicep. d. c. 14.
h Niceph. l. 2. cap. 23.

Quod autem pertinet ad alium libellum, ſeu epiſtolã[i] ad Paulam & Euſtochium *de Aſſumptione Beatæ Mariæ*, Hieronymi nomine prænotatam, qua auctor ambigit anima ne tãtum, vel iuncta corpori ſit in cœlum recepta: eam non modo non eſſe Hieronymi, ſed nec Sophronii (vt aliqui exiſtimarũt) cuius idem Hieronymus[k] meminit, vel inde manifeſte apparet, quod autor totus ſit in impugnandis Neſtorii & Eutychis dogmatibus, quæ lõge poſt tempora Sophronii atque Hieronymi in Eccleſiã irruperunt. Vnde minus excuſatione digni ſunt Vſuardus & Ado in ſuis Martyrologiis, qui ex eodem haud dubium ſcripto, quod putarunt Hieronymi eſſe germanũ, rurſumque id eſſe ratum in Eccleſia quod ille ſenſiſſet; quaſi ex ſententia Eccleſiæ eandem Dei Genitricis cum corpore Aſſumptionem in dubium reuocarũt, atq; adeo maluerunt ipſius tranſitum vocare *Dormitionem*: cum alioqui & Ioannes Damaſcenus, & alii Græci qui Dormitionem æque dixerunt, eam tamen vna cum corpore in cœlum eſſe aſſumptam aperte teſtati ſint. Cæterum Romanam Eccleſiam ASSVMPTIONIS voce ſemper vſam eſſe, videre eſt in vetuſtiſſimo ipſius Martyrologio, itemque in Ordine Romano, Sacramentario S. Gregorii, aliiſque antiquis Ritualibus & Miſſalibus libris. Eademq; dũ aliorum omnium recolit Sanctorum obitus celebritatẽ, *Natalem diem* nominare conſueuit, vel *Migrationem*, vel aliquando *Dormitionem*: cum vero agit de obitu Sanctiſſimæ Dei-Genetricis, non Natalitium, non Dormitionẽ, non Migrationem vocat, ſed ASSVMTIONEM; quod Filii gratia à mortuis reſurgens, in cœlum euecta fuerit: quemadmodum cum Chriſti anima vna cum carne cœlos propria virtute conſcendit, peculiari locutione ASCENSIONEM vocat.

VI.

i ap. Hier. to. 9. ep. 10.

DE SCRIPTO HIERONYMI NOMINE.

k Hier. de ſcript. Eccl. cap. 134.

ASSVMPTIO. TRANSITVS VIRGINIS NOMINATVS.

Porro non hi tantum ea Epiſtola commentitia, ſed & alii complures decepti ſunt; vt inter alios auctor ille *Sermonum de Aſſumptione*, qui feruntur nomine S. Auguſtini,[l] ſed quos merito Schola Louanienſis inter eiuſdem Patris ſpuria reiecit: qui quidẽ Hieronymi auctoritate perculſus, nec verbũ proferre de Aſſumptione cũ corpore auſus eſt. Verum enimuero cum Eccleſia in ipſis ſacris precibus, quas die Aſſumptionis publice recitare conſueuit, id affirmaſſe ſępius videatur, Verſibus, Reſponſoriis, Antiphonis, & Lectionibus, nec aliquando cõtrarium profeſſa reperiatur, ſed & cum in eandem ſententiam Patres omnes tam Græci quam Latini qui de his egerunt, æque conſpirent, & Scholaſticorum claſſis pariter conſentiat: nullus remanet de ea re dubitandi locus, cum præſertim quæ Hieronymi aut Sophronii nomine inſcripta eſt Epiſtola, ac proinde Auguſtino ſermones falſo adſcripti, vel quæ id genus ſunt aliæ apocryphorũ quiſquiliæ, aliis adhuc validiſſimis confutari poſſint rationibus[m]. Sed in re tã clara hæc nobis ſufficiant. Illud tamẽ monemus, haud ita nos hoc loco recenſuiſſe Beatiſſimæ Virginis Aſſumptionem, quaſi affirmare velimus eam hoc ipſo anno cõtigiſſe, ſed quod hoc anno ponatur ab Euſebio, nobiſq; quonam anno certo acciderit ſit inexploratum.

VII.

l ap. Aug. ſer. 14. & 15. de Sanct. & to. 9. tra. 2. & to. 10. 51. in Append. edit. Louan.

S. MARIA ANIMA ET CORPORE IN CŒLVM ASSVMPTA.

m De his vide plura, ſi libet, apud ipſum Baro. Annal. to. 1. hoc an.

Porro eiuſmodi ſolemnitatem antiquitus celebrari conſueuiſſe, argumento eſt, quod Nicolaus Papa ſcribẽs ad conſulta Bulgarorum, inter Ieiunia ab æuo ſeruari ſolita ab Eccleſia Romana, recenſet ieiunium ante ſolemnitatem

VIII.

SOLEMNITAS ASSVMPTIONIS ANTIQVA.

nitatem Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis. Eſt quoque Sermo S. Athanaſii nomine, quo præclara quidem & mirifica de Dei-Genitricis Aſſumptione ſcribuntur; ſed quem poſterioris cuiuſdam ſcriptoris eſſe conſtet, quod multus ſit in confutandis Neſtorii & Monothelitarum dogmatibus quæ poſtea emerſerunt. Quod autem ſcribit Nicephorus [n], eiuſmodi ſolemnitatem edicto Mauritii Imperatoris ſtatutam, ſic accipias vt eam antea ab Eccleſia inſtitutam, ipſe in Oriente, ſanctione edita promulgarit. Quemadmodum & S. Bernardus [o] non aliunde quam à Sancta Dei Eccleſia eam ſe accepiſſe teſtatur: quam quidem in Galliis temporibus iam Caroli [p] Magni receptam eſſe conſtat: Extantque plures tam Latinorum quam Græcorum Sermones in ea habiti. Dictam quoque eandem ob eius excellentiam, DIEM DOMINÆ, de Hunnis teſtatur Cartuitius [q].

n Niceph. lib. 17. cap. 28.
o Ber ep. 174. ad Can. Lug.
p Capitul l. 1. cap. 163. & l. 2. c. 35. l. 4. cap. 1. 6.
q Cartuit. in vit S. Steph. Reg.

DE SCRIPTIS S. MARIÆ.

Quod autem rurſum ſpectat ad Sanctiſſimam Dei-Genitricem, feruntur quædam eius ad alios ſcriptæ Epiſtolæ, & aliorum ad ipſam: ſed quod careant antiquorum teſtimoniis, & Eccleſiæ auctoritate, non niſi in apocryphorum claſſem reiicimus. Deſcribitur item eius effigies à Nicephoro [r], ex Epiphanio, vt ait, cum & ſuperius [ſ] Domini IESV deſcripſiſſet pariter effigiem: ſed in his non immoramur, cum ex picturis aliquibus prototypis ea potius deſcripta, quam ex viuentium ipſorum imaginibus eſſe videantur accepta. Ceterum alibi [t] teſtatur, S. Lucam Euangeliſtam Dei-Genitricis pinxiſſe Imaginem: quemadmodum & Saluatoris effigiem ab eodem coloribus eſſe effigiatam, tradit Metaphraſtes. [u]

r Niceph. lib. 2. cap. 23.
ſ Id. l. 1. c. 40.
t Id. lib. 14. c. 2. l. 15. c. 40.
u Metaphr. in Luca. 18. Oct.

CLAVDII IMP. An. 9.

IESV CHRISTI An. 49.

PETRI An. 5.

I.
a Dio li. 60.
b Act. 14.
CLAVDIVS PROSPICIT GENTILITIÆ SVPERSTITIONI.
c Tac. Ann. lib. 11.

ANno Christi quadrageſimo nono, Claudio [a] Aug. quartum & L. Vitellio tertium Coſſ. Paulus & Barnabas peracto peregrinationis ſuę circulo, Antiochiam Syriæ [b] redierunt. Romæ vero, quod externæ ſuperſtitiones valeſcerent, vileſcéretque vetuſtiſſima aruſpicum diſciplina; Claudius Imp. ex SC. hanc reſtituendam curauit, vt refert Tacitus [c]; quem per externas ſuperſtitiones, Chriſtianam quoque religionem in Vrbe iam propagari cœptam ſignificare voluiſſe, nullus iure poterit dubitare.

CLAVDII IMP. An. 1.

IESV CHRISTI An. 50.

PETRI An. 6.

I.
a Ioſ. 20. c. 5. & 2 de bel. 11.

ANno Chriſti quinquageſimo, A. Vitellio & L. Viſpanio Coſſ. Claudii anno octauo (vt ait Ioſephus [a]) Herodes Rex Chalcidis Agrippæ Senioris germanus, vita functus eſt: in cuius regnum Claudius Imp. Agrippam Iuniorem Senioris filium euexit. Reliqua vero Iudæa ſub procuratione Cumani variis tumultib. & cladibus afflicta eſt, quas pluribus idem auctor recenſet. Hocque eodem anno, (vt ſcribit Tacitus [b]) iuſſu eiuſdem Claudii conditum eſt Luſtrum, quo cenſa ſunt ciuium ſexaginta nouem centena & quadraginta quatuor millia, quibus videas in quantæ vaſtitatis pelagus Galilæus piſcator rete prædicationis immiſerit.

b Tac. lib. 11.
LVSTRVM CVM CENSV.

IESV CHRISTI An. 51.

CLAVDII IMP. An. 9.

PETRI An. 7.

I.
a Oroſ. lib. 7. cap. 6.
b Suet. in Claud. ca. 25.
IVDÆI ROMA EXPVLSI, ATQVE CHRISTIANI.

ANno Chriſti quinquageſimo primo, C. Pompeio & Q. Veranio Coſſ. Claudii anno nono (vt ait Oroſius [a] ex Ioſepho) eiuſdem edicto Imperatoris Iudæi Roma pulſi ſunt. Quâ de re Suetonius [b] ab eodem Oroſio æque citatus, *Claudius*, inquit, *Iudæos impulſore Chriſto aſsidue tumultuantes Roma expulit.* Ita ipſe ſubobſcure, vt rerum noſtrarum haud ſatis gnarus. Quoniam vero prædicantes Apoſtoli fidem Chriſti à nullis vehementius, quam à Iudæa gente (vt apparet ex ipſorum Actis à Luca conſcriptis) ſunt impugnati; haud dubium eſt, eoſdem Iudæos Romæ aduerſus Petrum turbas ſæpius concitaſſe; rurſumque alios Chriſtianæ religionis ſtudioſos, eiſdem fortiter reſtitiſſe; ſicque inuicem altercantibus, quod Chriſti fidei occaſione id fieret, Chriſto impulſore factum eſſe Suetonium ſcripſiſſe. Ceterum non tantum Ioſepho & Suetonio auctoribus exploratum habetur Iudæos à Claudio Roma expulſos, ſed & Lucæ [c] Euangeliſtæ teſtimonio id firmiſſime comprobatur; ac certum redditur, Chriſtianos etiam qui ex Iudæis Chriſti fidem ſectati eſſent, ex Vrbe procul abire iuſſos. Quod vero id hoc ipſo anno Claudii nono contigerit, antiquiores [d] omnes Oroſio aſſentiuntur: nec video qua nuper ratione quidam [e], & is quidem primus, aduerſus omnium ſententiam dicere ſit auſus id accidiſſe anno ſexto eiuſdem Imperatoris.

c Act. 18.
d Bed. de 6. at. Ado in Chro. Mar. Scot. lib. 2. & alii.
e Panin. in Faſt.

II.
PETRVS REDIT HIEROSOLYMAM.
f Leo ſer. in nat. Apoſt.

Expulſum autem cum ceteris Iudæis fuiſſe Petrum Apoſtolum (niſi alia occaſio inde eum ante abduxerit) nulla eſt dubitatio: quem hoc ipſo anno Hieroſolymorum interfuiſſe Concilio Lucæ teſtimonio exploratum habetur. Nam quod ait S. Leo [f], Petrum non ceſſiſſe Claudio vel Neroni, non ſic accipiendum eſt, vt edicto cum aliis pulſus ei minime acquieſcendum putarit; ſed quod potius dum Romæ manſit, illis inuitis, Euangelium intrepide prædicarit. Metaphraſtes [g] (ſi qua tamen ei fides adhibenda eſt, ſine maiorum auctoritate loquenti) tradit, Petrum cum Roma receſſiſſet in Africam nauigaſſe, & Carthaginenſem erexiſſe Eccleſiam, ac Creſcentem diſcipulum eidem præfeciſſe; inde Alexandriam conceſſiſſe, erectaque Eccleſia Alexandrina, & Marco ibi inſtituto Epiſcopo, ac Thebis Rufo, Hieroſolymam profectum eſſe. Certe quidem Gregorius [h] Papa ſcribens ad Epiſcopos Numidiæ, eos ab Apoſtolo Petro accepiſſe ordinationum initia teſtatur. Et longe ante Cyprianus [i] Rom. Eccleſiã *Matricem* appellauit, quod non tantum Carthaginenſis Eccleſia ab ea fidẽ accepiſſet, ſed & quæ ſub ipſa continentur Mauritania atque Numidia.

g Met. die 29 Iunii.
h Greg. 1 ep. 75.
i Cyp. ep. 45.

III.
DE CONCILIO HIEROSOLYMITANO APOSTOLORVM.
k Act. 15.

Sed vt iam de ipſo Hieroſolymis congregato CONCILIO agamus, inprimis illud hoc ipſo anno, qui fuit decimus quartus poſt priorem Pauli Hieroſolymam aduentum, decimus ſeptimus poſt eius Conuerſionẽ; & decimus octauus poſt Domini Aſcenſionem, celebratum eſſe; ſatis probatum eſt ſuperius cum egimus de tempore eiuſdem Pauli conuerſionis. Cauſam vero illius celebrationis, Lucas [k] ait fuiſſe, quod quidam è Iudæa Antiochiam venientes prædicarent Gentiles ad Chriſtum accedentes non poſſe ſaluari niſi circumciderentur ſecundum Legem Moyſis; cum vero eis fortiter reſiſterent Paulus & Barnabas, orta diſſenſione non parua, miſſos eſſe ab Eccleſia Antiochena eoſdem Paulum & Barnabam cum aliis quibuſdam ex parte aduerſa Hieroſolymam, vt Apoſtolos & Preſbyteros qui illic eſſent de ea quæſtione conſulerent. Porro eorum qui eiuſmodi cierunt turbas Antiochiæ, anteſignanum fuiſſe CHERINTHVM hæreſiarcham, quem iam vidimus ipſi Petro Apoſtolo in admiſſio-

MOLITIONES CHERINTHI.

ne Gentium aduerſatum eſſe; eundemque, contra Paulum & Barnabam, quaſi legem propugnaturum Hieroſolymam petiiſſe: Epiphanius[l] eſt auctor. Quinam autem Apoſtoli Concilio interfuerint, cum Lucas non niſi Petri, Pauli, Iacobi, & Barnabæ meminerit: ipſe vero Paulus in Epiſtola ad Galatas[m] de eodem Concilio agens (vt quidem Epiphanius, Hieronymus, ac denique omnes Eccleſiaſtici tractatores pro conſtanti habent) his Ioannem tantum addat; facile adducimur vt credamus, nominatos dumtaxat quinque Apoſtolos dicto ſacro Conuentui interfuiſſe. Ac quidem Iacobum, quod eſſet inſtitutus Hieroſolymorum Epiſcopus, illic conſediſſe exploratum habetur. De Ioanne, quem Epheſum migraſſe dictum eſt, inde Hieroſolymas adueniſſe haud magnum negotium fuit. De Petro vero, intelleximus eum neceſſitate ipſa coactum Roma recedere debuiſſe. Cum & alioqui potuerint iidem monente diuino Spiritu ad tantæ quæſtionis definitionem Hieroſolymam proficiſci: quemadmodum & ipſe Paulus[n] ait ſecundum reuelationem ſe illò aſcendiſſe.

l Epiph. hær. 28. m Gal. 2. n Gal. 2.

IV. ACTA SYNODI APOSTOLORVM.

Ipſa porro Synodi Acta Lucas[o] recenſens, primo loco Petri ſententiam recitat, quam ipſe primus vt Princeps Synodi dixit: imo rem ipſam ſui prærogatiua ſuffragii viſus eſt definiſſe. Nam (vt docet Hieronymus[p]) in ſententiam eius Iacobus Apoſtolus, & omnes reliqui tranſierunt: ac non ſeruandam eſſe circumciſionem, neque cetera quæ pertinent ad legem Moyſi, æque omnes ſenſerunt. Præceptum namque abſtinendi à carne cum ſanguine, quod Iacobus addidit, non Iudæis priuatim, ſed gentibus omnibus mox vt Noe ex arca eſt egreſſus, à Deo[q] eſt imperatum. Quod vero ad reliqua immunda ſpectat; cum per ea Gentes[r] ſignificarentur, eædemque ad Eccleſiam Domini voluntate eſſent admiſſæ; nulla amplius habenda erat ratio animalium immundorum, quod iam impleta figura omnino ceſſaſſet. Vnde & apud Midraiſtelim in explicatione illius verſus Pſalmi *Dominus ſoluit compeditos*, futurum eſſe dicitur vt adueniente Meſſia Hebræi cibos omnes abſque delectu comeſturi ſint. Porro finita conſultatione Concilii, Lucas ait ſcriptam eſſe Epiſtolam Synodicam, eamdemque per Iudam cognomento Barſabam & Silam viros primarios Antiochiam miſſam ad Chriſtianos ex Gentibus, vt abſtinentes ab immolatis, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione, in ceteris liberi eſſent. Quod tamen non ſic accipiendum eſt, vt in ceteris omnibus delinquendi liberas laxarint habenas; ſed quod[ſ] cetera crimina ſæculi legibus plecterentur, ſuperfluum viſum eſt ea diuina lege prohibere. Hac autem data Epiſtola Synodum abſolutam fuiſſe, Lucas, qui ad res Antiochenas vertit ſtylum, ſignificare videtur. At enim Paulus ad Galatas[t] ſcribens, addit eiuſdem Concilii decreto ſibi & Barnabæ eſſe iniunctam prædicationem ac patrocinium Gentium; Petro vero, Iacobo, & Ioanni relictam curam illorum qui ex circumciſione fuiſſent.

o Act. 15. p Hier. ep. 89. ad Auguſt. q Gen. 9. r Leuit. 20. Act. 10. ſ Orig. in Rom. 13. l. 9. t Gal. 2.

V. DE PRÆCEPTO SVFFOCATORVM.

Sed quod rurſum ad decreta Synodi ſpectat; quorumdam antiquorum fuit ſententia, præceptum *de ſuffocatis non edendis* fuiſſe poſtmodum ſuperadditum, non vero ab Apoſtolis poſitum: hincque Irenæus[u] eumdem locum bis citans, ſemper ſuffocatum prætermittit; eiuſque loco addit præceptum *de non faciendo alteri quod quis ſibi fieri non vult.* Itemque Tertullianus[x], Cyprianus[y], & Pacianus[z], eumdem locum abſque mentione ſuffocati citant. Ambroſius[a] vero aſſerit, mandatum illud à Sophiſtis Græcorum eſſe additum. Ac denique Gaudentius[b] Brixianus & Auguſtinus[c] affirmare videntur, ea verba adiecta eſſe per interpretationem præcepti de ſanguine. At Græci ſemper eo modo legiſſe reperiuntur, prout etiam nunc habet communis editio Latinorum. Quin etiam vſu receptum fuiſſe olim in Eccleſia, vt Fideles ab eſu ſanguinis abſtinerent, docent Tertullianus[d], Minutius[e], Blandina martyr apud Euſebium[f], & Concilium[g] Gangrenſe. Sed quæ ex cauſa ſint iuſſi Gentiles æque ac Iudæi à ſanguine abſtinere, illa affertur[h] potiſſima, vt aliquo, licet in re leuiſſima, remanente vſu legalium, Iudæi ac Gentiles in vnum Chriſtum, lapidem angularem, facilius compaginarentur. Origenes[i] vero putauit, quoniam penes Gentiles ea opinio inualuerat, ſuffocata cibum eſſe dæmonum qui eius nidore paſcerentur; ideo ab Apoſtolis iure ac merito, vt Idololatriæ quoddam ſymbolum, iiſdem Gentilibus ad Chriſtum venientibus ea fuiſſe vna cum prædictis vetita. Quam mordicus autem Græci eiuſmodi inſtitutionem tenuerint, non tantum complures ipſorum Canones, ſed & ſanctiones Imperatoriæ[k] facile monſtrant: cum illud *Abſtinere à ſanguine*, etiamſi defuiſſent illa verba in textu *Et ſuffocato*, tamen communi omnium conſenſu de eſu ſanguinis animalium eſſe dictum intelligeretur. Apud Latinos vero eſt canon Concilii[l] Aurelianenſis Secundi, Suffocatis veſci prohibens: & ex Concilio Carthaginenſi idem aſſeritur in Synodo,[m] Wormatienſi. Denique primi Chriſtiani quod inſtituiſſent Apoſtoli compaginationis cauſa firmiter retinentes, à Sanguinis eſu & Suffocato laudabiliter omnes abſtinuerunt: ea vero poſtmodum ceſſante cauſa, quidam id præſtare[n] deſtiterunt, quidam vero, Apoſtolici culminis reuerentia illud ipſum aliquandiu retinendum putarunt: quod demum totius Occidentalis Eccleſiæ conſenſu eſt æque laudabiliter antiquatum.

u Iren. lib. 3. cap. 12. x Tert. de pudic. c. 12. y Cypr. ad Quirin. li. 3. in fi. z Pac. de pænit. & confeſſ. a Ambr. in Gal. 2. b Gaud. tra. de Machab. c Aug. 32. con. Fauſt. 13. d Ter. Apol. cap. 9. e Min. in Octa. f ap. Euſ. 5. hiſt. 1. g Conc. Gangr. can. 2. h Aug. 32. cont. Fauſt. 13. i Orig. li. 8. cont. Celſ. k Leo Nouel. conſti. 58. l Conc. Aurel. II. c. 20. m Conc. Wormat. cap. 65. n Vid. Aug. vbi ſupra.

VI. DISTINCTIO APOSTOLATVVM PETRI ET PAVLI.

Sed quod in eodem Concilio Apoſtolorum ſtatutum fuiſſe diximus de cura Gentium Paulo ac Barnabæ mandata, Iudæorum vero Petro & ceteris qui aderant Apoſtolis; nihil quis exiſtimet contra diuinam inſtitutionem eſſe ſancitum, quaſi cura totius gregis à Chriſto (vt vidimus) Petro commiſſa, eius decreto Concilii fuerit limitata; vel ſubtracta prædicatio ad Gentes illi diuinitus impertita, quando cœlitus oſtenſum eſt linteum, quo ſigno (vt in hoc etiã Conuentu ipſe teſtatus eſt) accepit à Deo Apoſtolatum in Gentes. Non enim ea ſic facta eſt diuiſio, vt alter ab alterius abſtineret Apoſtolatu: alioqui & tranſgreſſor Apoſtolicæ ſanctionis Paulus plane habendus eſſet, qui & poſthac (quod Lucas in Actis[o], & ipſe Paulus omnibus ferme ſuis Epiſtolis manifeſtat) vbicumque Iudæos inuenit, eis Euangelium prædicauit: ſed ita inter ipſos tranſactum eſt (prout hanc quæſtionem Hieronymus[p] ſoluit) vt quamuis vtrique liberum remaneret ad alios accedere, tamen Petrus Iudæorum principaliter patrocinium ſuſciperet, Paulus Gentium; & ſic tam qui defenderent legem, quam qui legi Gratiam præferrent, haberent quem conſulerent ac ſequerentur: manente nihilominus ſemper Petro vniuerſi gregis paſtore ac moderatore: quemadmodum Chriſtus Dominus ſic dictus eſt *Miniſter*[q] *circumciſionis*, vt tamen eſſet Paſtor omnium atque Saluator, apud quem non eſſet diſtinctio Iudæi & Græci. Vnde & conſtat hac etiam ex parte Petrum circumciſionis miniſterio velut omniũ honeſtiſſimo eſſe nobilitatũ, quo ipſe Dominus peculiariter eſt functus. At de geſtis Synodi hactenus.

o Act. 15. & ſeqq. p Hier. in Gal. 2. q Rom. 15.

APOSTOLATVS NOBILIOR IVDÆORVM, QVAM GENTIVM.

VII.

Datis autem ab Apoſtolis ex Concilio literis Antiochiam ad Gentiles Chriſtianos per Iudam & Silam, qui vna cum Paulo & Barnaba ad illas perferendas legati ſunt: eo expleto officio Iudas Hieroſolymam rediit, Silas vero Antiochiæ manſit, vbi & Paulus & Barnabas demorati ſunt Euangelium prædicantes. Hæc Lucas[r]: qui cetera quæ ibidem eo tempore facta ſunt (vt verbis vtar Sancti Hieronymi[ſ]) hiſtoriographi licentia prætermiſit: ſicut & alia multa quæ Paulus in ſuis Epiſtolis recitat, ac præſertim de quibus agimus, res Antiochenas. Quas idem Paulus[t] breuiter deſcribens, ait quod cum poſt Synodum prædictam Petrus Antiochiam veniſſet, ac primo cum Gentibus cibum ſumens, poſtea ne quibuſdam Iudæis ſuperuenientibus ſcandalo eſſet, ſe ab eis ſegregaſſet; ipſe Paulus *ei in faciem reſtitit, quia reprehenſibilis erat, cum ſimulationi eius & alii conſentirent.* Hæc Paulus: hicque plane eſt lapis

CALVMNIÆ IN APOSTOLOS.

r Act. 15. ſ Hier. in Gal. 2. t Gal. 2.

offenſionis, in quem noſcuntur impegiſſe complures. Qui enim hiſtoriam captu difficilem, nulla adhibita diligentiori conſideratione ſunt interpretati, eo impudentiæ homines impii progreſſi ſunt, vt vel Paulũ, temeritatis arguant [u], quod in Petrum Apoſtolorum Principem non tam libere quam procaciter ſit inuectus; vel hypocryſis nomine ſugillent [x] Petrum, quod ſimulate ageret; vel vtrumque [y] condemnent, quod non in eamdem fidei regulam conſentirent. Rurſum vero ex Scriptoribus Eccleſiaſticis, Tertullianus [z] & alii inconſtantiæ vitio iure reprehenſum eſſe Petrum dixerunt, quod pro perſonarum varietate victum variaret: & (quod quiſque mirari debet) ipſe S. Auguſtinus [a] Theologorum vertex, dum exemplo Petri Cyprianum errantem excuſat, Petrum in crimen adducit, quod aliter quam veritas poſtularet de circũciſione egerit: rurſumq; alibi, cum in ſuperſtitioſam prauamque ſimulationem lapſum eſſe ſcribit.

u Porphyr. ap. Hier. ep. 89. ad Aug. x Iul. Apoſt. ap. Cyr. li. 9. in fi. y Marcion. & Valent. ap. Tert. li. 4. aduerſ. Mar. cap. 3. & de præſc. cap. 23. z Ter. cont. Marcion. l. 5. cap. 3. a Aug. 2. de bapt. cont. Don. 1. & de agon. Chriſt. cap. 30.

VIII. DIVERSÆ ANTIQVORVM SENTENTIÆ DE REPREHENSIONE PETRI A PAVLO FACTA.

Ceterum complures tam Græcorum quam Latinorum antiqui Patres, Petrum ab omni labe peccati immunem reddunt: horumq; alii ab omni etiam ſuſpicione erroris ea ratione liberant, dum Cepham illum, quem Paulus à ſe reprehenſum ſcribit, non fuiſſe Petrum Apoſtolum, ſed vnum dicunt ex numero Septuaginta duorum Diſcipulorum, citantes Clemẽtem [b] Alexandrinum huius aſſertionis auctorem. Verum hæc nec olim placuere Hieronymo [c] nec nobis hodie: nam cum eodem loco Cepham Paulus recenſeat vna cum Iacobo & Ioanne Apoſtolis, qui (vt ait) videbantur eſſe columnæ: de Petro intellexiſſe nulla eſt dubitatio. Fuit aliorum ſententia, Petrum & Paulum eiuſmodi inter ſe ex compoſito ſimulaſſe diſſidium, quo vtilitati diſcipulorum adhuc Iudaizantiũ ea arte conſulerent; ratos non amplius eos auſuros legalia in cibis ſeruare, ſi Petrum ea de cauſa à Paulo reprehenſum nec contradicentem vidiſſent. Fuerunt huius ſententiæ aſſertores Origenes, Didymus, Apollinaris, Euſebius Emiſſenus, Theodorus Heracleotes, quos omnes Hieronymus [d] citat; itemque Chryſoſtomus [e], Theodoretus [f], Caſſianus [g], Theophylactus, [h], Oecumenius [i], & fortaſſe alii: hac nimirum omnes perſuaſi ratione, quod minime fieri potuerit vt Paulus ſerio reprehenderit in Petro, quod ſæpius ipſe facturus eſſet: vel vt poſtea crebrius factitarit, quod in Petro coram Eccleſia tam acriter reprehendiſſet: ſiquidem poſtea Timotheum [k] patre Gentili natum circumcidit, ipſeque ſibi Nazaræorum [l] more totondit caput in Cenchreis, & Hieroſolymis ſe purificauit [m] cum Iudæis, ac deniq; factus eſt vbique Iudæis [n] Iudæus vt eos lucrifaceret. Porro eiuſmodi ſimulationẽ ex compoſito inter Petrum & Paulum abſque aliquo peccati ſcrupulo intercedere potuiſſe, iidem auctores exemplo Domini comprobarunt, quippe qui vt occultaret quod faceret, ſæpe ea arte laudabiliter vſus eſſe videtur: vt cum dixit ad ſuos, ſe non aſcenſurum ad Feſtum, & tamen aſcendit ſeorſum ab illis; vel cum ſe hortulanum ſimulauit cum Magdalena, & viatorem cum duobus illis Diſcipulis Emauntem euntibus, quando & finxit ſe longius abire. Hanc igitur ſententiam Hieronymus inter Latinos ſectatus, cum eamdẽ roborare conatus eſſet, Auguſtinus ei vehementius reſtitit, vltro citroque multo tempore datis [o] literis: Auguſtino contendente nullam interceſſiſſe ſimulationem, ſed cuncta vere & ſerio eſſe facta.

b ap. Euſeb. 1. hiſt. 12. c Hier. in Gal. 2.

d Hie. ep. 89. ad Auguſt. e Chryſ. in Gal. 2. & de Sacerd. f Theod. in Gal. 2. g Caſſ. Collat. 17. h Theophyl. in Gal. 2. i Oecum. in Gal. 2. k Act. 18. l Act. 18. m Act. 21. n 1. Cor. 9.

o ap. Hier. ep. 86. vſq. 97. & ap. Aug. ep. 8. vſq. 19.

IX PETRVS REDDITVR AB OMNI CVLPA IMMVNIS.

Cum ergo iidem auctores omnes in alterutrã ſententiam conſpirarint: vel ea cuncta eſſe ſimulate peracta, ac ſic nullum fuiſſe Petri peccatum; vel ſerio eſſe geſta ac ſic Petrum erraſſe: nos neutram harum ſequẽtes, dicimus ea nec ex compoſito facta, nec ea faciendo Petrum vel minimum deliquiſſe. Ad quæ inſinuãda illud inprimis ſtatuendum, quod in confeſſo eſt apud omnes, Apoſtolos abſque leuiſſima culpa ſecundum loci & temporis rationem vti potuiſſe legalibus, ſicut & ipſe Paulus ſæpe feciſſe conſpicitur: adeo vt hac ex parte nullum Petro poſſit adſcribi peccatum, ſi cum Iudæis Iudaice aliquando vixiſſet; licentius enim id à Petro quam à Paulo vſurpari potuiſſe, cum ille Iudæorum, Paulus vero Gentium patrocinium ſuſcepiſſet, nemo non videt. Cum igitur ea ex cauſa à Paulo minime reprehendi meruerit: vnum illud reliquum eſt quod in Petro reprehendi poſſet, ſi fortaſſe quod licite facere poterat, minus opportuno loco vel tempore fecerit. Verum ſi vmquam ea licentia illi vtendum fuit, nullo quidem opportuniori loco vel tempore, quam iſto, id fieri potuiſſe, facile intelligemus, ſi exacte rei geſtæ hiſtoriam exquiramus: quæ eſt huiuſmodi: Veniens Petrus Antiochiam, compoſitis iam rebus inter Gentiles & Iudæos, abſque aliqua offenſione cuiuſpiam cum Gentilibus edebat: cum vero quidam à Iacobo Hieroſolymis venirent Antiochiam, ſubtraxit ſe à Gentilibus Chriſtianis, & Iudæis Fidelibus inhærens, ſe Iudaice viuere ſimulauit: cui ſimulationi & ceteri qui Antiochiæ erant conſenſerunt Iudæi, vſque adeo vt etiam Pauli collega Barnabas id fecerit, & Gentiles ad id faciendum eodem exemplo quodammodo cogerentur. Hæc enim omnia ſcripta habentur à Paulo in dicta Epiſtola ad Galatas.

X PETRVS CVR VSVS LEGALIBVS.

Cur autem occaſione Iudæorum qui à Iacobo Hieroſolymis venerant Antiochiam, inſtitutum vitæ Petrus mutauerit, nulla redditur cauſa, niſi quod ait Paulus φοβούμενος τοὺς ἐκ περιτομῆς: quod Latine æque reddi poteſt. *Timens eos*, vel *eis*: ac licet Interpres *eos*, non *eis*, verterit, quod ſecundum proprietatem Latini ſermonis diuerſum habet ſenſum; tamen *eos*, loco *eis* [p], eumdem vſurpaſſe iterum in eadem Epiſtola [q], conſtat, dum vertit *Timeo vos, ne forte ſine cauſa laborauerim in vobis.* Timebat igitur Petrus ſcandalum Iudæis Hieroſolymis aduenientibus inferre; hac nimirum inprimis ex cauſa, quod in Hieroſolymitano Concilio haud proſpectum Iudæis perinde ac Gentilibus fuit, vt eadem lex de legalibus non vtendis fuerit vtriſque ſtatuta: ſed illud tantum (vt vidimus) decretum eſt, ne Gentiles cogerentur ſeruare legalia: quod & ipſum haud facile fuiſſe obtineri, ſatis ipſe Paulus agnouit, cum negotium ei à Iudæis [r] factum eſt occaſione Titi incircumciſi. Si ergo iidem non tantum in Gentiles legalia non propagari, ſed & ipſos Iudæos Gentilitio more viuere; ipſumque adeo Principem Apoſtolorum, penes quem erat ſumma rerum, & qui peculiare Iudæorum ſuſceperat patrocinium, Gentiliter viuentem vidiſſent; quales turbas, quantas diſſenſiones eos fore concitaturos par eſt exiſtimare? His igitur vt occurreret Petrus, ſegregans ſe ad tempus à Gentilibus, Iudaice cum aliis viuere cœpit: eiuſque hoc prudens conſilium adeo & reliqui approbarunt, vt & Gentiles ipſi in quorum præiudicium res agi videretur, immo & Barnabas Apoſtolus, cui æque ac Paulo credita fuerat Gentilium procuratio, ipſum etiam imitati ſint.

p Vid. Chryſ. in Gal. 2. q Gal. 4.

r Gal. 2.

XI. EMERGENS OCCASIO COMMOVIT PAVLVM.

Sed qua igitur in re Petrus reprehenſibilis viſus eſt Paulo? Non quidem in ipſo opere, quod (vt vidimus) permiſſum erat, & Paulus ſæpius facturus eſſet; ſed quod occaſione operis rite ex diſpenſatione patrati, oboriretur res quæ merito reprehendenda eſſet, nimirum quod eius exemplo Gentes ad Iudaizandum impellerentur: à quo quidem cum animus & intentio Petri procul abeſſet (nam hactenus Antiochiæ Gentiliter vixerat, & in ipſa Synodo Hieroſolymitana palam profeſſus fuerat non eſſe onus legalium eis imponendum) nec peccatum ineſſe potuiſſe certiſſimũ eſt. Quod tamen eius ſimulationem, licet rationabili cauſa, & abſque vlla leuioris criminis culpa vſurpatam, in perniciem Gentium conuerti Paulus aſpiceret: ideo coram omnibus illum redarguit, quo & Gentiles in officio retineret, & Iudæos quid agere de cetero deberent, Petri exemplo commonefaceret, ſicque vno remedio vtriuſque populi ſaluti opportune conſuleret. Denique ſic Petrus, qui à culpa prorſus immunis erat, ex dicta aliorum occaſione Paulo re-

prehenſibilis viſus eſt; ſicut & ipſe Paulus etiam aliis reprehenſibilis videri potuiſſet, ſi cum ipſe legalia poſtea ſeruauit, Gentiles Chriſtiani eius exemplo ad id ipſum fuiſſent impulſi: de quibus ſane, idem quod ipſe Paulus de Petrum imitantibus dixit, iure dici potuiſſet, quod non recte ambularent ad veritatem Euangelii. Atque hactenus de antiquiſſimæ ac famoſiſſimæ quæſtionis legitima definitione, & germano hiſtoriæ ſenſu. Quibus & habes quod de Principis Apoſtolorum auctoritate, quanti illa ab omnibus æſtimata fuerit admirari poſſis, cum non ſolum reliqui Fideles, ſed & ipſe Barnabas Apoſtolus, poſthabitis quæ diuino ſuffragio in Concilio Hieroſolymitano ſtatuta fuiſſent, tanti ponderis exemplum Petri eſſe duxerunt, vt eundem Iudaizantem ſequendum eſſe exiſtimarint. Habes inſuper, quod æque de eiuſdem Principis Apoſtolorum humilitate admireris: qui cum vidit ſe reprehendi, non excepit [f] de primatu ſuo aduerſus nouellum & inferiorem, ſed magna animi ſubmiſſione ei obiurganti ceſſit, vt facilius vterque populus Iudæus atq; Gentilis, communis Paſtoris exemplo in officio contineretur.

SVMMA APVD OMNES ÆSTIMATIO PETRI.

f Vide Cypr. ep. 71. ad Quin. Aug. 2. de bapt. cont. Don. 1.

XII.

t Act. 15.

PAVLVS ET BARNABAS SEPARANTVR AB INVICEM.

His Antiochiæ rebus peractis; poſt aliquot dies (inquit Lucas [t]) cum Paulus Barnabam hortaretur, vt nouam ſuſciperent viſitationem Eccleſiarum in quibus olim prædicaſſent, ſed nollet eidem Barnabæ conſentire, vt Ioannes cognomento Marcus cum eis pergeret, quod in prima peregrinatione ipſos deſeruiſſet: facta inter eoſdem Apoſtolos hac de cauſa diſſenſione, diſceſſerunt ab inuicem; & Barnabas quidem aſſumptor Marco nauigauit in Cyprum; Paulus vero, electo Sila, alio profectus eſt. Hæc Lucas. Non fuit autem hæc contentio, quæ mutuam ſcinderet charitatem, cum ambo in vnam eandemque ſententiam conuenirent, nimirum vt quiſque eorum id ageret quod Deum velle exiſtimaret: ſed fuit potius Conſilium Spiritus Sancti [u], vt qui hactenus comites indiuidui extitiſſent, iam ab inuicem ſepararentur, quo tanto maior fructus Eccleſiæ proueniret, quanto plures prouincias ſic diuiſi peragrarent. Sed & in vtilitatem ipſius Marci hæc geſta eſſe probauit euentus, dum qui deſertor militiæ in hunc modum à Paulo eſt reiectus, animoſior inde redditus poſt hæc inter primos ordines militauit, eidem ipſi Paulo iterum adhærens, & fideliſſimus coadiutor exiſtens, vt alia occaſione dictum eſt ſuperius, dum oſtendimus eumdem Ioannem Marcum fuiſſe conſobrinum Barnabæ.

u Chryſ. hom. 34. in Act.

XIII.

FALSA IACTATA DE BARNABA.

Quæ autem à Barnaba poſtquam nauigauit in Cyprum geſta ſint, Lucas Pauli tantum rebus intentus ſilentio obuoluta reliquit: Quæ vero extant Barnabæ Acta, nomine eiuſdem qui ſupra Ioannis Marci, eademque inſerta libro Abdiæ nomine prænotato; & quę de eodem Barnaba leguntur in Recognitionibus Clementis nomine vulgatis: hæc, inquam, nullius ſunt auctoritatis, tum quod eoſdem libros quibus ea continentur, conſtet inter ſpurios ab antiquis eſſe reiectos; tum quod pleraque illa quæ de Barnaba habent, aperte contradicant hiſtoriæ Apoſtolorum à Luca conſcriptę, aliiſque probatorum Patrum teſtimoniis. Quale eſt illud (quod æque ex earundem Recognitionum cœnoſo gurgite Alexander Græcus [x] auctor, qui res Barnabæ proſecutus eſt encomiaſtice potius quam hiſtorice, in ſuam ſcriptionem deduxit: nec non Dorotheus inter ceteras quiſquilias ſuas adlegit) quod aſſerunt Barnabam Romam veniſſe, & primum omnium ibi Chriſtum annunciaſſe: cum in confeſſo ſit apud omnes, Petrum iam anno ſecundo Claudii Imp. Romam aduenıſſe: & Lucas [y] teſtetur, Paulum & Barnabam nonniſi poſt Agrippæ Herodis obitum (qui contigit [z] anno quarto eiuſdem Claudii) Apoſtolatum Antiochiæ accepiſſe. Ceterum poſt hæc tempora cum Barnabas vna cum Marco Cyprum profectus eſt, viſitatis quæ ibi erant Eccleſijs, in Italiam nauigaſſe non ... Nam & in Liguria prædicaſſe Euangelium, nobiliſſimamque *Mediolanenſium Eccleſiam* erexiſſe, ac longe lateque Chriſti fidem feliciter propagaſſe, firmæ traditiones, eiuſdemque Eccleſiæ monumenta complurium Scriptorum teſtimoniis confirmata, fidem indubitatam faciunt, Romam vero conceſſiſſe, illicque prædicaſſe Euangelium, quamdiu Claudius vixit minime conceſſum fuiſſe videtur, prohibente illo Iudæos Romæ agere. Adeo vt ſiquis apocryphorum auctoritate Barnabam velit aliquando veniſſe Romam nonniſi ad Neronis tempora id referri poſſe ex iam dictis appareat. Quando autem in Cyprum reuerſus ſit, quandoue martyrium conſummauerit, nihil inuenimus quod antiquorum Scriptorum teſtimoniis poſſimus aſſerere.

x Ap. Metaphr. 11. Iun. & Sur. to. 3.

y Act. 12. 13.

z Ioſ. 19. ant. 7 & 2. de bel. 10.

BARNA-

XIV.

DE EPISTOLA BARNABÆ.

Porro ſcripſiſſe Barnabam Epiſtolam ad ædificationem Eccleſiæ pertinentem, auctor eſt Hieronymus [a]: eamdemque citatam inuenies ab Origene [b] & Clemente [c] Alexandrino ſæpius. Tertullianus [d] inſuper, & alii [e] eius auctoritate permoti, tribuerunt Barnabæ Epiſtolam Pauli ad Hebræos. Verum cum nonniſi vna nomine Barnabæ olim circumferretur Epiſtola, & quæ ex ea dicti auctores ſunt mutuati, nequaquam in Pauli ad Hebræos epiſtola reperiantur; inde manifeſte conſtat, diuerſam illam eſſe: & manifeſtius ex eo quod Hieronymus, cum omnia nomina Hebraica quæ in diuinis Scripturis leguntur interpretaretur, & inter alia quæ in Epiſtola Pauli ad Hebræos inſerta eſſent: nouiſſime [f] & illa quæ in eadem Epiſtola Barnabæ haberentur expoſuit. Sed de Barnaba hactenus.

a Hier. de ſcript. Eccleſ. in Barnab.
b Orig. Periarch. lib. 3.
c Clem. Alex. l. 2. & 3. Strom.
d Tert. de pudic. cap. 10.
e Hier. de ſcript. Eccl. in Paulo: & ep. 129. ad Dard.
f Hier. de nom. Hebr. in f.

XVI.

g Act. 15 in f.

PAVLI CVM SILA PEREGRINATIO.

De Paulo vero Lucas [g] ait, eum vna cum Sila perambulaſſe Syriam & Ciliciam, *confirmantem Eccleſias, & præcipientem cuſtodire præcepta Apoſtolorum & Seniorum:* nempe quæ decreta eſſent in Synodo Hieroſolymitana, vt idem Lucas [h] inferius declarat. Ex quibus intelligas, hæc ad Gentes duntaxat Paulum dixiſſe: de quibus tantum (vt vidimus) actum eſt in eodem Concilio. Videas inſuper, quanti ponderis habitæ fuerint Eccleſiæ Sanctiones, quippe quarum Paulus & Sila præcones extiterint. Porro Apoſtolorum exemplo ea ad poſteros, qui loco Apoſtolorum ſunt in Eccleſiis eadem auctoritate Epiſcopi ſubrogati, dilapſa eſt conſuetudo, vt cum ratio poſtulat, ad inſtituendam plebem ſibi commiſſam, vel ſinguli in ſuis Eccleſiis, vel cum in ſacris conuentibus ſunt in Spiritu Sancto legitime congregati: tum quæ ad Catholicam fidem, tum quæ ad bonos mores ſpectant, legibus ſacris edicant. Quæ ne, licet ab hominibus lata, humana tantum & non diuina eſſe exiſtimarentur, per quā egregie in iiſdē à ſe ſancitis decretis Apoſtoli hæc appoſuerunt [i]. VISVM EST SPIRITVI SANCTO ET NOBIS: vt ſic admirabilem quandam Spiritus Sancti & Eccleſiæ eſſe coniunctionem & conſenſionem ſignificarent. Sed de Legibus Eccleſiaſticis alias pluribus.

h Act. 15.

LEGES ECCLESIÆ A SPIRITV SANCTO.

i Act. 15.

XVI

PAVLVS CIRCVMCIDIT TIMOTHEVM.

Peruenit poſt hæc Paulus in Derben & Lyſtram: vbi TIMOTHEVM matre Iudæa fideli, ſed patre Gentili natum, ſecum aſſumens, circumcidit propter Iudæos, qui erant in illis locis. Hæc Lucas [k]. Porro Chryſoſtomus [l], ait Timotheum à Paulo circumciſum fuiſſe, quod Iudæi non ferrent audire verbum ab incircumciſo: Auguſtinus [m] vero, vt ſic Paulus Iudæis oſtenderet, non ideo Gentes veteris legis ſacramenta non ſuſcipere, quod mala eſſent & pernicioſe à patribus obſeruata: ſed quod iam ſaluti non neceſſaria poſt aduentum tanti ſacramenti, quod per tam longa tempora tota vetus illa Scriptura Propheticis figurationibus parturiuerat: Sicut econtra Titum circumcidere noluit [n], licet vrgerent Iudæi, quod Iudæi, quod ſubintroducti falſi fratres ideo fieri vellent, vt haberent quod de ipſo Paulo diſſeminarent, tanquam eorum veritati ceſſiſſet qui ſine circumciſione neminem ſaluari poſſe contenderent. Hæc Auguſtinus de Pauli inſtituto. Sed quod de Timotheo idem Apoſtolus [o] ſcribit; fuit ei mater Eunices nomine, & auia Lois, vtraque fidelis & ſpectata virtute. Eundemque fuiſſe

k Act. 16.
l Chryſ. hom. 34. in Act.
m Aug. de mendac. c. 5.

n Gal. 2.

o 2. Tim. 1.

DE TIMOTHEI GENERE, ET ORDINATIONE.

ab ipſo

ab ipſo Paulo ſacris initiatum, idem Apoſtolus eodem loco indicat, dum eum hortatur vt reſuſcitet gratiam Dei, quæ in ipſo eſſet per impoſitionem manuum ſuarum. Quomodo vero præfectus fuerit Eccleſiæ Epheſiorum, dicetur ſuo loco.

XVII. Poſt hæc autem peragratis aliis prouinciis, vetatus Paulus à Spiritu Sancto Euangelium prædicare in Aſia & Bithynia nocte quadam per viſum à viro Macedone rogatus eſt ad eos tranſire: tuncque (inquit Lucas) *quæſiuimus* proficiſci in Macedoniam, & nauigantes Troade *venimus* Samothraciam, & ſequenti die Neapolim, & inde Philippos, quæ eſt prima partis Macedoniæ ciuitas colonia. Hæc Lucas [p]: quem ex hoc tempore, & non antea adhæſiſſe Paulo, mutatus ab ipſo vſus loquendi à tertia perſona in primam pluralis numeri, facile demonſtrat: ſicque & Irenæus [q] non niſi ab hoc tempore cum Paulus veniſſet Troadē (quæ eſt ciuitas maritima Aſiæ, eadem & Antigonia [r] dicta) Lucam ei adhæſiſſe ſignificat. Vnde declarandus eſt Hieronymus [ſ], dum Lucam totius peregrinationis Pauli comitem appellat indiuiduum: cum tamen nonniſi ex hoc tempore hæc de illo dici poſſint; nec ſic quidem vt illi ſemper inhæſerit, ſed aliquando vt occaſio poſtulauit, abfuerit: Videas poſthæc ipſum, vt qui præſens eſſet, res ſingulas diſtincte pleneq; narrare, cum alioqui antea, eiuſdem etiam Hieronymi teſtimonio, grauiſſima prætermiſerit, multaque ſtrictim ſummatimque narrarit. Sed & quod exiſtimauit Hieronymus, de Luca intellexiſſe Paulum cum dixit [t], *Miſimus fratrem, cuius laus eſt in Euangelio per omnes Eccleſias: qui & ordinatus eſt comes peregrinationis noſtræ, &c.* cum nihil eiuſmodi de ipſo Luca legatur in Actis, vel alibi: ea potius Silę conuenire putamus, qui (vt ipſe Lucas docet) electus eſt Antiochiæ Pauli comes in peregrinatione ſuſcepta, multumq; laborauit in opere Euangelico. In quam ſententiam, quod ille ſic à Paulo deſcriptus non fuerit Lucas, Theodoretus [u] acceſſit: qui tamen illum non Silam, ſed Barnabam fuiſſe putauit. Roboratur porro non mediocriter Hieronymi ſententia Ignatii [x] teſtimonio, qui eodem quo Paulus vtens præconio, dum Lucam citat, *Vt teſtatur* (inquit) *Lucas, cuius laus eſt in Euangelio.* Atque ideo quid de his quiſque opinari velit, relinquimus arbitrio legentium: Reliqua vero de Luca dicemus, cum de Euangelio ab eo ſcripto inſtituetur narratio.

LVCAS ADHÆRET PAVLO.

XVIII. Quod autem pertinet ad Pauli res geſtas Philippis (quam ciuitatem, coloniam fuiſſe Romanorum, & Lucas ſcribit, & ſic appellat eam Plinius [y]) die quodā ſabbati egreſſus extra ciuitatem, vbi (inquit Lucas [z]) videbatur oratio eſſe, Lydiam purpurariam ad fidem conuertit: quæ & poſtea ipſum cum ſociis in domum ſuam recepit. Conſueuiſſe vero Hebræos vltra ſynagogas quas intra ciuitates habebāt, loca etiam in ſuburbiis inſtituere quantum ſabbati haberet iter, in quæ deambulantes conuenirent, ac ſimul Deo preces offerrent; Epiphanius [a] docet. Cum autem poſthæc Paulus in eadem ciuitate Pythoniſſam liberaſſet; ab eius dominis vna cum Sila ad tribunal raptus, ambo tanquam ſeditioſi virgis cæſi in carcerem interiorem vincti coniecti ſunt; ſed noctu diuinitus ſoluti, & quod ciues Romani agniti eſſent cum honore à magiſtratibus dimiſſi, Theſſalonicam perrexerunt, & plurimos illic ad fidem conuerterunt: factione vero Iudæorum exagitati, tum inde, tum poſtea Berœa pulſi ſunt, ac tandem Athenas aduenerunt. Narrat hæc omnia pluribus Lucas [b]: ſed eorum quæ Theſſalonicæ geſta ſunt nonnulla prætermiſit, quorum ipſe Paulus ad eoſdem Theſſalonicenſes ſcribens [c] meminit.

QVID PAVLVS PHILIPPIS.

XIX. Ceterum quod Lucas agens de carcere Philippenſi ait [d] Paulum & Silam media nocte orantes laudaſſe Deum: hoc quidem ipſi fecerunt quod ante eos Dauid Rex facere conſueuerat, qui media nocte [e] ſurgebat ad confitendum Domino; & quod Iſaias [f], dū Deum deſideraret in nocte. Quod quidem & à Fidelibus faciendum eſſe; Dei Eccleſia Apoſtolorum tradi... & exemplo conſtituit: idque illa præſertim ratione, quod media nocte Dominum ad iudicandum Orbem terrarum ex improuiſo venturum eſſe crederent; ſecundum quod ipſe dixerat [g], *Media nocte clamor factus eſt, ecce ſponſus venit.* Cui etiam veritati adſtipulari videbantur carmina Sibyllina, quæ Lactantius [h] ad eiuſmodi Chriſtianorum ritum atque ſententiam confirmandam retulit. At quoniam nec ſatis exploratum eſſe voluit Dominus, qua potiſſimum hora venturus eſſet, dicente ipſo [i], *Vigilate: neſcitis enim quando Dominus veniet, ſero, an media nocte, an galli cantu, an mane*: hac de cauſa non media nocte tantum Fideles ad preces Deo fundendas conſurgere conſueuerunt, ſed & aliis diuerſis horis eiuſdem noctis, ſicut declarat Clemens [k] Alexandrinus. Et fortaſſe quatuor illis noctis temporibus expectandi Dominum ab ipſo Domino enumeratis, reſpondent tres illæ Nocturnæ Preces, cum iis accedunt Matutinæ Laudes; quæ tamen omnes ſimul vno compendio hodie abſoluuntur: licet aliam ab his diuerſam rationem iniiſſe viſi ſint, qui trib. vicib. nocte eſſe orandum ſtatuerunt, nimirum ipſo exordio, media nocte, & in fine; prout Baſilius [l] declarat. Agit item ſæpe Hieronymus [m] ne eiſdem tribus orationis horis nocturnis.

DE NOCTVRNIS PRECIBVS. *DE TRIBVS HORIS NOCTVRNIS.*

XX. Et quod (vt idem [n] docet) *Veſpertina oratio* accenſa lucerna fieret, ideo Epiphanius [o] de orationis & ipſe Horis agens, pſalmos qui prima noctis hora cani conſueuerunt, *Lucernales* appellat; Baſilius [p] vero *Lucernariam gratiarum actionem*: eſtque de iiſdem Lucernariis precibus mentio apud Clementem [q], & Caſſianum [r], qui de nocturno orandi modo librum ſcripſit. Chryſoſtomus [ſ] etiam *Lucernarium* illud appellat *Officium*, cum ſeptem enumerans orandi Canonicas Horas (de quibus eſt alibi dictum ſuperius) de tribus Nocturnis pluribus agit: de quibus & alii demum omnes tam Latini quam Græci, qui de Eccleſiaſticis ſacris ritibus commentarios conſcripſerunt. *Nocturnas conuocationes* eas appellat Tertullianus [t]: quod ſcilicet non priuatim in ſuis ædibus à ſingulis agerentur, ſed publice omnes in vnam conuocarentur eccleſiam; ſicut & Ignatius [u] agendum monet. In quem modum perſeuerauit diutius ille vſus, vt non clerici tantū, ſed & populus ſimul in Eccleſia laudes Deo canerent; tamen id mutatum videtur, quod laici perdifficile continerentur in officio, vt in voce rithmum, & in ſtatu corporis decorem ſacris decentem ſeruarent; prout queritur pluribus, cum populum de ea re obiurgat, Ioannes [x] Chryſoſtomus. Porro de antiquo in Eccleſia ſacrarum vſu VIGILIARVM, de quo agimus, non ſolum innumera SS. Patrum ſuppetunt teſtimonia; ſed & ſcriptorum Gentilium, Plinii [y] Iunioris, Luciani [z], & Ammiani [a] Marcellini. Qui vero primus eas impugnauerit, fuiſſe conſtat [b] impuriſſimum hæreſiarcham Vigilantium, qui eas ſic minuere conatus eſt vt nonniſi ſemel in anno, in Paſchali ſolemnitate, eas peragendas eſſe iactaret; vt dicetur ſuo loco. Quod autem imperite nimis quidam tradiderunt, S. Ambroſium perſuaſione S. Monicæ matris S. Auguſtini illatum vſum proſcripſiſſe, quod plurimi Chriſtianorum illud noctis tempus ludendo ac choreas ducendo tranſigerent: tantum abeſt id verum eſſe, vt contra ab illis temporibus maiori obſeruantia celebratas conſtet, & quibuſdam additamentis nobiliter auctas; immo & ex illarum ſacro ac religioſo vſu, ſublatos perditiſſimos illius temporis mores qui antea irrepſiſſent: ſicut de his omnibus extant certiſſima eorumdem ipſorum Ambroſii [c] & Auguſtini [d] teſtimonia: ex quibus agnoſcas cuius fidei ſit ille ſermo, cuius auctoritate earum abrogationem alii probare conati ſunt, qui nomine S. Auguſtini [e] *ad Fratres de eremo* circumfertur: quem merito cum aliis Schola Louanienſis reiecit in angulum.

LVCERNARIÆ PRECES. *VSVS VIGILIARVM.*

CLAVDII IMP. AN. 10.

IESV CHRISTI An. 52.

PETRI An. 8.

I. DE ADVENTV PAVLI ATHENAS

a Tac. lib. 12.

ANno Chriſti quinquageſimo ſecundo, C. Antiſtio[a] & M. Suillio Coſſ. Paulus Athenas veniens, Dionyſium Areopagitam alioſque multos ad fidem conuertit. Etenim ne prius quam hoc anno contigiſſe dicamus, prohibet multitudo ac magnitudo rerum, quas ab eodem Paulo poſt celebratum anno ſuperiori Concilium Hieroſolymitanum, vſque ad ipſius Athenas aduentum geſtas eſſe vidimus: ne vero ſerius, tum ex eo optime colligi poſſe videtur, quod Lucas[b] dicat, Paulum Athenis recedentem, moxque Corinthum petentem inueniſſe illic Aquilam & Priſcillam, qui *nuper* (inquit) *venerant ab Italia* occaſione edicti Claudii: quod vidimus promulgatum fuiſſe anno ſuperiori: tum etiam quod de Dionyſio tradatur, conuerſum fuiſſe ad Chriſtum anno decimonono à Paſſione Domini, qui fuit hic ipſe Natiuitatis eiuſdem quinquageſimus ſecundus. Paulus igitur cum Athenis eſſet, in Synagoga Iudæorum primum, inde in Areopago Euangelium prædicauit.

b Act. 18.

II. DE AREOPAGITIS.

c Aug. 18. de ciuit. 10. Iſid. Peluſ. 2. ep. 91. Suid. & alii.
d Hæc de Areopagitis collegit, magna ex parte Budæus in Pand. lib. vlt. de Sen.

Erat locus ille iuxta mare, Promontorium Martis dictum, à quo & nomen deductum vt Areopagus diceretur, licet de nomine alii[c] aliam aſſerant cauſam. Iudices[d] qui eo conuenire ſolebant ad iudicandas maiores cauſas, nempe ſanguinis, morum, ac religionis, à loco & ipſi nomen accipientes AREOPAGITÆ dicebantur: inter quos nullus allegi poterat, niſi primum in inferiori magiſtratu ſex virorum Theſmothetiæ per annum meruiſſent: nec curſum ad hunc patebat aditus niſi eis qui per anteactæ vitæ publicum examen irreprehenſibiles inuenirentur: iidemque in Areopagitas promouendi, ita demum ſuſcipiebantur, ſi diligenti rurſus perquiſitione probati, adinuenti eſſent fama integerrimi, virtute ſpectatiſſimi, & vſu rerum perſpicaciſſimi. Accedebat & illud, quod qui talis viſus in eum ordinem obrepſiſſet, nec qualem præ ſe ferebat inuentus eſſet: nullis meritis, ſed tantum Genio (vt aiunt[e]) impellente, ab Areopagitarum numero ſponte diſcedere cogeretur. Cum autem cauſam cognituri in Areopagum aſcenderent (quod ter tantum in menſe faciebant, nimirum quarto, tertio, & pridie Calendas) qui erant cauſam dicturi, nullo verborum ornamento, ſed ſimplici rei geſtæ narratione id facere, aut mox præconis voce tacere iubebantur: & ne Iudices reorum miſerando commouerentur aſpectu, ipſa nocte nullis admotis luminibus iudicia exercebant, ſummoque ſilentio tabellarem quiſque dabat ſententiam: vnde in parœmiam illud venit, *Areopagita taciturnior*: adeoque de illorum integritate fama percrebuit, vt cum quis iuſtiſſimum quempiam, & vita innocentiſſimum, omnibus denique partibus abſolutum virum ſignificare voluiſſet, *Areopagitam* [f] cognomine diceret. Antiquiſſimum plane iudicium: quod (vt Euſebius[g] notat) cœptum eſt anno mundi ter milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo quarto: nec vſque ad præſens tempus, quamuis à diuerſis tyrannis oppreſſæ, & à Romanis ſubiugatæ Athenæ fuerint, vllatenus eſt intermiſſum. Quin & Romanos Procoſſ. Aſiæ perdifficiles cauſas eorum iudicio definiendas committere ſolitos, ex Valerio teſtatur Gellius[h]. Et Lucianus in Hermotimo, ſua quoque ætate Areopagitarum iudicio cauſas definiri conſueuiſſe tradit. Ceterum illuceſcente Orbi terrarum Chriſti lege omnium perfectiſſima, iam ceteras ſiluiſſe, & ipſum quoque Areopagum ceſſaſſe, auctor eſt Theodoretus[i]: verum non ſtatim, ſed vt cetera alia, ſuis temporibus.

e Lucian. in Hermotim.
f Cic. ad Attic. lib. 1.
g Euſeb. in Chron.
h Gel. li. 12. cap. 7.
i Theod. de Euang. veritat. 9. de leg.

III. PAVLI CONCIO IN AREOPAGO.

Adductus igitur Paulus in Areopagum, iuſſus cauſam dicere, quoniam iam à multis arguebatur vt nouorum dæmoniorum annunciator, eo quod Chriſtum prædicaret, vt ea culpa careret, nec noui numinis videretur inuentor, ſed, potius antiqui Athenienſium cultus aſſertor ac prædicator, occaſione ſumpta Aræ, quam in foro vidiſſet inſcriptam IGNOTO DEO, atque adeo ex ipſorum Theologia ad inſinuandum verum Dei cultum admirabili quadam prudentia aditum ſibi patefecit. Nam (vt auctor eſt Thucydides) Athenis in foro ſtabant duodecim aræ deorum: quas contemplatus haud dubium Paulus, in eam intendit cuius illa inſcriptio erat. Meminit & Philoſtratus in Tyanæo, Ignotis diis aras fuiſſe erectas Athenis; nec non Laertius in Epimenide, & Pauſanias ad Phalerum. Idque genus aram in Galliis eadem inſcriptione notatam eſſe repertam, & in veri Dei cultum translatam, mentio habetur in epiſtola quæ dicitur Sancti Martialis, ad Burdegalenſes inſcripta. Sed quod ad inſcriptionem Athenienſis aræ ſpectat: Hieronymus[k] ait eam non ita fuiſſe vt Paulus aſſeruit, IGNOTO DEO, ſed ita, DIIS ASIÆ, EVROPÆ, ET LIBYÆ, DIIS IGNOTIS ET PEREGRINIS: verum quia Paulus non pluribus diis indigebat Ignotis, ſingulari verbo vſum eſſe, vt doceret illum ſuum eſſe Deum, quem Athenienſes in aræ titulo prænotaſſent. Oecumenius[l] vero titulum his fuiſſe verbis conceptum ait, *Diis Aſiæ, Europæ, & Libyæ Deo Ignoto & Peregrino.* Ceterum apud Lucianum[m] Gentilis homo ſic iurat, *Per Ignotum Athenis*, & non *Per Ignotos*: ac rurſum ex perſona Triephontis, *Nos, inquit, illum Athenis Ignotum inuentum adorantes, &c.* Quapropter non vnam tantum aram Athenis fuiſſe Ignoto Deo dedicatam, ſed plures exiſtimamus: ac proinde vtrumque verum eſſe potuiſſe, nimirum aram aliquam, de qua Paulus, extitiſſe notatam Ignoti Dei inſcriptione: alias vero aliis, & deorum plurium. Nam & qui his ipſis viuebat temporibus Apollonius [n] Tyanæus, alloquens Timaſium Ægyptium, teſtatur fuiſſe Athenis Ignotorum deorum aras dedicatas. Cum vero eius inſcriptionis varias afferant cauſas Chryſoſtomus[o], Oecumenius, & alii, ea magis placet ſententia, vt quoniam placitis antiquorum philoſophorum, vt Triſmegiſti[p] & aliorum, quinetiam Sibyllinis[q] oraculis receptum erat, vnum Deum eſſe inuiſibilem, imperceptibilem, eumdemque innominatum, & ineffabilem: ne cui numinum diuinus honor deeſſe videretur, aram eo titulo illi erexerint; Fuiſſe namque eos ad diuinum cultum promptos, ipſe Paulus eos aloquens declarauit: ſed & acerrimos ſe deos negantiũ ſemper vindices exhibuiſſe, demonſtrant exempla Anaxagoræ[r] Clazomenii, Diagoræ Melii, Protagoræ, Socratis, & aliorum ab eis ea de cauſa morte damnatorum: confirmantque ſuis aſſertionibus Apollonius[s], Plutarchus[t], & alii.

DE ARA IGNOTI DEI.

k Hier. in Tit. 1.
l Oecum. in Act. 17.
m Lucian. in Philopat.
n ap. Suid. verb. Τιμάσιος.
o Chryſ. in Act. 17. Oecum. ibid.
p ap. Lact. lib. 2. c. 9.
q Ter. Apol. c. 48. Clem. Alex. cont. Gent. Euſe. l. de præpar. 5. & lib. 11. c. 8. 9. & li. 14. cap. 5. 6.
r Ioſ. lib. 2. cont. Apion. Cap. Suid. ver. Timæ.
t Plut. de plac. philoſ. lib. 1. cap. 7. agens de Euripide.

IV. CONVERSIO DIONYSII AREOPAGITÆ.

u Act. 17.

Ceterum cum Paulus perorans in Areopago mentionem habuiſſet de Reſurrectione mortuorum, tunc irriſus ab eis inde receſſit: quidam vero (inquit Lucas[u]) adhærentes ei crediderunt, in quibus & Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Damaris. Hic ille DIONYSIVS qui annos natus viginti quinque Heliopoli (vt vidimus) mirandum illud contra naturam Solis deliquium, quod tempore Paſſionis Domini contigit, vidit, & cauſam ignorans obſtupuit: cuius quidem rei occaſione facilior eſt ei reddita ad Chriſtianam religionem amplexandam via. Sed præter illa quæ de rebus Athenis geſtis à Luca ſunt ſcripta, feruntur & alia quædam, ab Hilduino[x] tempore Ludouici Pii Imp. addita, de colloquio habito inter Paulum & Dionyſium, deque conuerſione eiuſdem Dionyſii & Damaris (quam ipſius vxorem fuiſſe dicit) facta poſt illuminatum à Paulo cæcum natum: quæ quidem licet ipſe Hilduinus accepta profiteatur ab antiquioribus quos recenſet Scriptoribus; haud tamen in omnibus nobis probantur. Quod vero ad *Damarim* fœminam pertinet, plurium ſententia Patrum æque receptum videtur, illam fuiſſe coniugem Dionyſii; id

x Hild. in Areop. ap. Sur. 9. Oct.

DAMARIS VXOR DIONYSII.

inprimis

inprimis teſtante Ambroſio [y], conſentiente Auguſtino [z], & confirmante Chryſoſtomo [a]; quos & cæteri qui de ea re ſcripſerunt, ſectati ſunt.

y Ambr. ep. ad Vercel. z Aug. ſer. de ſanct. a Chryſ. de Sacerd.

V. b Act. 18. PAVLVS CORINTHI OPERATVR MANIBVS.

Poſt hæc egreſſus Paulus Athenis [b] venit Corinthum, ibique recepit ſe apud Aquilam Ponticum opificem ſcenofactoriæ artis (nimirum quæ ex pellibus facienda conſueret tabernacula, quibus milites vterentur in caſtris) quod & ipſe Paulus eiuſdem eſſet artis; quam & tunc cum Aquila exercuiſſe, Lucas ſcribit: & id ipſum ſæpe alibi præſtitiſſe, ac manuum ſuarum artificio victum quæritaſſe, tam idem Lucas, quam ipſe Paulus teſtatur [c]. Sed vnde id acciderit, vt Paulus nobilitate inſignis & eruditione præclarus, opificium didicerit; ex his quæ complures antiqui Rabbini ſcripſerunt, facile intelligemus. Nam inter alios Schemahaia & Althalion tradunt, eis qui vellent ſacras literas profiteri, communem quamdam legem præſcriptam fuiſſe, vt manuale quodpiam opificium addiſcerent quo victum quærerent. Legi enim conſueuerunt eiuſmodi inſtitutiones in prima lectione primæ hebdomadis Azymorum. Et Rabbi Gamaliel in doctrina fratrum, quæ inſcribitur Haod, vehementer commendat vt ſacras literas addiſcentes opus aliquod manuale exercerent; affirmans eos qui facere prætermiſiſſent, procliuiores ad peccandum futuros. Vnde inter alios nobiles antiquos Rabbinos, leguntur Rabbi Iochanna ſutoriam, Rabbi Iuda piſtoriam, & alii alias id genus artes exercuiſſe. Et ex eiuſmodi inſtitutione proueniſſe exiſtimamus, vt Paulus quoque ſacris literis excultiſſimus, opificium didicerit. Ceteros item Apoſtolos opus manuum exercuiſſe dum Euangelium prædicarent, cum locus & tempus id conceſſiſſet aut poſtulaſſet, apud Clementem [d] aſſeritur. Et horum imitatione plures Dei Sacerdotes, omneſque Monachos opera quædam manuum exercere ſolitos, Epiphanius [e] teſtatur: ſcripſitque de his egregium commentariolum Auguſtinus [f], quo acriter inuectus eſt in vagos ac deſides monachos, opera manuum prætermittentes. Qui tamen eius videtur eſſe ſententiæ, vt non ſemper vel vbique Paulus operatus ſit manibus ſuis, ſed cum à prædicatione Verbi daretur otium: cetero autem tempore, non tantum ab offerentibus accepiſſe id expoſcente neceſſitate, ſed etiam literis ſuis id præcepiſſe pro aliis faciendum. Et certe iure ipſi, aliiſque Euangelij prædicatoribus licitum fuiſſe ſumere victum ab iis quibus prædicarent tum idem Paulus alibi docet [g], tum etiam ipſe Dominus [h] id faciendum monuerat.

c Act. 20. 1. Co. 4. 1 Theſ. 2. & 2. Theſ. 3. PROFESSORES OMNES OPIFICES.

APOSTOLI OPIFICES. d Clem. 2. Conſt. 6. e Epiph. hæ. 80. f Aug. de ope monac. ca. 14. 15. 16.

g 1. Cor. 9. 2. Theſ. 3. h Luc. 10.

VI. i Act. 18.

Cetera vero quæ Paulus Corinthi egit, ac paſſus eſt, cum illic ex reuelatione per annum & ſex menſes contigit immorari, paucis verbis Lucas [i] perſtrinxit, vt quem tunc abſentem fuiſſe (alio fortaſſe miſſum à Paulo ad prædicandum Euangelium, aut aliquas viſitandas Eccleſias, ad ipſum iterum rediturum, ſicut & Silæ ac Timotheo hac eadem Pauli peregrinatione, & ceteris eius diſcipulis ſæpe accidere conſueuit) ſatis ex eo intelligi poſſe videatur, quod neque hæc ſcribens dicat ſe vna cum illo fuiſſe, neque in prima pluralis numeri perſona loquatur vt alias facit. Ex quibus & admirabilem agnoſcas in ſcriptore modeſtiam, tum quod quæ præſens non vidit compendio breui perſtrinxerit, ne vel in minimo veritas periclitaretur; tum etiam quod res à ſe geſtas, rebus tantum Pauli narrandis intentus, obuolutas ſilentio præterierit. Porro res Pauli geſtas Corinthi, in omnibus admirandas fuiſſe & excellentes, poſſumus facile coniectari ex iis quæ ipſe Paulus ad eoſdem Corinthios [k] ſcripſit, ſigna ſui Apoſtolatus facta eſſe ſuper eos in omni patientia, in ſignis & prodigiis & virtutibus.

k 2. Cor. 12.

VII. DE PRIMA EPISTOLA AD THESSALONICENSES.

Sed & Corinthi dum eſſet ſcripſiſſe PRIMAM AD THESSALONICENSES EPISTOLAM, ex eo certum redditur, quod Paulus eam non prius ſe ſcripſiſſe teſtetur [l], quam poſt Timothei Theſſalonica ad ſe reditum: conſtet vero auctore Luca [m], reuertentem Timotheum Theſſalonica vna cum Sila, conueniſſe Paulum Corinthum. Ex quibus refellitur tam Athanaſi [n], quam etiam Theodoreti [o], & quorumdam aliorum ſententia, Paulum ſicut Athenis miſiſſe Timotheum Theſſalonicam conſtat, ita etiam dum ibidem moraretur ſcripſiſſe ad eos illam Epiſtolam. Ceterum inſcribitur Epiſtolæ titulus non ſolum Pauli nomine, ſed & Timothei & Siluani, qui cooperatores erant Pauli in Euangelio.

l 1. Theſ. 3. m Act. 18. n Athan. in Synopſ. o Theodor. praef. in Epi. Paul. p 1. Theſſal. 1. 3.

IESV CHRISTI
An. 53.

CLAVDII IMP. AN. II.

PETRI An. 9.

ANno Chriſti quinquageſimo tertio, Claudio Auguſto quintum & Cornelio Scipione Orfito Coſſ. cum Paulus adhuc Corinthi ageret, ſcripſit SECVNDAM EPISTOLAM AD THESSALONICENSES. Haud enim multo poſt primam ſcriptam hanc fuiſſe (quod eamdem cum illa habeat inſcriptionem Pauli, Siluani, & Timothei) Chryſoſtomus [a] & Theodoretus [b] teſtantur: quamuis hic velit Athenis eſſe ſcriptam, ſicut & de Prima exiſtimaſſe diximus: Athanaſius vero (cui neceſſentimur in hoc) Romæ. Porro eius ſcribendæ ea præceſſit occaſio, quod pſeudoapoſtoli quidam ex iis quos alibi idem Apoſtolus [c] ſugillat, *quæſtum pietatem putantes*, cum audiuiſſent Theſſalonicenſes auidius ceteris Euangelium ſuſcepiſſe; quo illos ad ſua largienda redderent promptiores, iam inſtare diem Domini (mundi videlicet finem) tamquam ex reuelatione diuina affirmabant, immo & mentita Pauli nomine Epiſtola id facilius eiſdem ſuadere ſtudebant.

I. DE SECVNDA EPISTOLA AD THESSALONICENSES. a Chryſ. in 2. Theſ. b Theodor. praef. in ep. Paul.

c 1. Tim. 6.

His vero acceptis Paulus feſtinans quanto citius occurrere, non tantum eos per epiſtolam commonitos voluit, ſed in memoriam reuocans quæ per ſermonem, cum apud illos eſſet, tam de his quam aliis rebus ad religionem pertinentibus, eiſdem tradidiſſet, STATE, inquit, [d] ET TENETE TRADITIONES QVAS DIDICISTIS, SIVE PER SERMONEM, SIVE PER EPISTOLAM NOSTRAM. *Vnde* (inquit Chryſoſtomus [e] in hunc locum) *perſpicuum eſt, non omnia Apoſtolos tradiſſe per epiſtolam, ſed multa etiam ſine ſcriptis, & ea quoque eſſe fide digna.* Et ante Chryſoſtomum Baſilius [f] eumdem item locum explicans, dixit, *Apoſtolicum eſſe etiam in non ſcriptis Traditionibus perſeuerare*: Eodemque modo Epiphanius [g] aſſerit, *Oportere Traditione vti, quia non omnia à diuina Scriptura accipi poſſunt, quandoquidem aliqua in Scripturis, aliqua in Traditione S S. Apoſtoli tradiderunt.* Ac denique in eumdem ſenſum eadem verba à pleriſque aliis accepta eſſe noſcuntur: Quamuis non ex recitato tantum Pauli textu hæc accipiantur, ſed & ex multis aliis, quibus Apoſtoli monent Fideles, vt cuſtodiant quæ eis tradita eſſent: nimirum per Traditiones ea ſignificantes, quæ per ſermonem ſine ſcriptura declarata eſſent quæ eadem quod fideliter ſincereque cuſtodienda eſſent, iterum Paulus [h] DEPOSITVM appellauit. Namque Apoſtolicum Depoſitum Traditiones eſſe, Irenæus [i] docet.

II. DE TRADITIONIBVS APOSTOLORVM. d 2. Theſ. 2.

e Chryſ. h. 4. in Theſ.

f Baſil. ad Amphiloch. de Sp. S. c. 29. g Epiph. hær. 61.

h 1. Tim. 6. & 2. Tim. 1. i Iren. lib. 3. cap. 4.

Ex his igitur accidit, vt Chriſtiana religio ab ipſo exordio naſcentis Eccleſiæ iure duplici regeretur, nimirum ſcripto & non ſcripto, Legibus videlicet & Conſuetudine: quod cuique bene inſtitutæ Reipublicæ, & tam Græcis [k] quam Romanis commune fuiſſe, ſed & ipſos Hebræos non tantum legibus diuinitus inſtitutis, verum etiam traditionibus vixiſſe, quas dicunt δευτερώσεις, perſpicuum eſt omnibus. Porro leges non ſcriptas, ſcriptis antiquitate & nobilitate præſtare, nullus eſt qui dubitet: quandoquidem fuerunt illæ à Deo inſita in mente hominum, vt prima-

III. ECCLESIÆ IVS SCRIPTVM ET NON SCRIPTVM. k VLL. 6. D. de iuſt. & iu. IVS NON SCRIPTVM ANTIQVIVS.

ſios allocutus queſtus ſit; & ad Corinthios de iiſdem ſcribens[e], dicat ſe ibidem Epheſi ad beſtias pugnaſſe ſpe reſurrectionis. Hinc autem fuit quorundam[f] ſententia, Paulum Epheſi *damnatum ad beſtias*, ſed Dei gratia ab eorum dentibus liberatum: ipſamque rem geſtam narrat Nicephorus[g] ex quibuſdam Pauli Actis apocryphis, quæ & citat Origenes[h]. At vero Ioannes[i] Chryſoſtomus, & alii eum ſecuti, Paulum non de beſtiis, ſed hominibus ferinos habentibus animos intellexiſſe exiſtimarunt; quibus & nos libenter aſſentimur: ſic enim & Ignatius[k] huic ſimili vſus dicendi genere, ſcribit ſe à Syria Romam vſque terra marique cum beſtiis depugnaſſe, noctu diuque alligatum decem leopardis; quæ erat militaris cuſtodia.

PAVLVS QVOMODO PVGNAVIT CVM BESTIIS.

Et ipſe Paulus[l] Roma ad Timotheum ſcribens, ait ſe liberatum eſſe de ore leonis; hoc eſt Neronis, vt omnes interpretantur. Ruſumque conſiderandum eſt, quod tradat Paulus *ſe pugnaſſe cum beſtiis*, non autem *ſe traditum beſtiis*: diuerſa quippe vtriuſque pœnæ eſt ratio habenda, quod damnari dicebantur ad ludum, qui in theatrum immittebantur armati cum beſtiis pugnaturi: alii vero beſtiis abſque pugna mox deuorandi tradebantur; quemadmodum ſunt plurima vtriuſque ſupplicii exempla. Denique ſi Paulus eiuſmodi ſupplicio affectus eſſet, non putamus ab ipſo omitti debuiſſe; cum in poſteriori Epiſtola ad Corinthios[m] ſuorum certaminum coronas texens, multa his minora enumerauit. Vnde magis placet ſententia Tertulliani[n], Apoſtolum per ea verba ſignificaſſe preſſuras Aſiaticas; & Chryſoſtomi[o], qui eadem ſentire videtur. Nec vero aſſentimur Theophylacto[p], exiſtimanti Paulum ſignificaſſe preſſuras, quas paſſus eſt inſtigatione Demetrii argentarii: nam eo tempore quo ſcripſit Epiſtolam primam ad Corinthios, qua de pugna cum beſtiis meminit, nondum illa de Demetrio contigiſſe ea ratione demonſtrari poſſe videtur, quod Lucas[q] antequam illa recenſeat, dicat Paulum propoſuiſſe tranſita Macedonia & Achaia ire Hieroſolymam: eodemque modo Paulus in dicta Epiſtola ad Corinthios[r] promittit venire ad illos cum Macedoniam pertranſiſſet: permanſurum autem adhuc Epheſi vſque ad Pentecoſten. Adeo vt ex his liqueat, ea quæ poſtea ſubdit Lucas de turbis per Demetrium excitatis, poſt dictam Epiſtolam contigiſſe anno vltimo commorationis Pauli Epheſi.

II.

MIRACVLA EX SVDARIIS PAVLI.

De miraculis autem quæ ibi operatus eſt, Lucas[s] res magnas paucis perſtingens, ait tantas virtutes feciſſe Deum per manus Pauli, vt etiam ſuper languidos deferendo à corpore eius *ſudaria & ſemicinctia*, recederent ab eis languores, & ſpiritus nequam egrederentur. Porro ſic etiam olim ex fimbria veſtis Domini teſtantur Euangeliſtæ[t] multas virtutes oriri ſolitas.

VSVS SACRARVM RELIQVIARVM.

Quibus videas, tam Domini quam Pauli Apoſtoli exemplo & auctoritate, cultum ſacrarum RELIQVIARVM inſtitutum, ac miraculis comprobatum: nec eſſe qui iure calumniam facere poſſit, ſi exemplo eorum qui hoc modo à Chriſto & Apoſtolo ſanabantur, Chriſti, Pauli, ac ceterorum Sanctorum quiſque Fidelium Reliquias petat, vt ex illis hauriat eam gratiam quam illi olim ſunt fide præuia conſequuti. An fortaſſe quæ ſint diuinitus conceſſa orariis & ſemicinctiis, eadem negauerimus Pauli oſſibus attributa? vel hæc omnia Paulo priuatim, & non cæteris Sanctis communicata dixerimus? Appello omnium quotquot fuerunt ab ipſo exordio naſcentis Eccleſiæ Scriptorum Orthodoxorum ſententiam, ſiquid ab his contrarium vmquam ſcripſerint ſenſerintue; immo ſi non omnes ſacrarum cultus Reliquiarum fideles fuerint ac conſtantes aſſertores. Quinetiam ſi Ethnicorum teſtimonia quæras: quantumlibet hæc illi ſubſannarent, reperies tamen apud illos quis de ea re mos Chriſtianorum fuerit: puta cum Eunapius[u] Sardianus Alexandriæ aſſeruari ait condita capita martyrum, quos Chriſtiani vt Sanctos colerent, iiſdemque genua ſubmitterent, ſeque illorum ſepulchris proſternerent, legatoſque precum apud Deum eoſdem habere dicerent. Denique omnibus Catholicis flagrans ſemper deſiderium inhæſiſſe potiundi quibuſcumque Sanctorum Reliquiis, & iam ſuperius demonſtratum eſt cum egimus de inſtrumentis Paſſionis ac Sepulturæ Dominicæ, de Vinculis Petri, & Lapidibus necis Stephani: ac plurimis aliis paſſim inferius demonſtrabitur exemplis: ſicut è contrario oſtendetur, Paganorum ſemper fuiſſe, & ſæpe hæreticorum, eaſdem Sanctorum Reliquias diſiicere & profanare.

IMPVGNATORES SACRARVM RELIQVIARVM.

Qui vero primus omnium in Eccleſia Dei, cultum ſacrarum Reliquiarum auſus eſt impugnare, Eunomius, idem & acerrimus extitit Diuinitatis Spiritus ſancti hoſtis: nec alio certe quam Satanico ſpiritu afflatus in hanc vtramque veritatem debacchatus eſt: quem perditiſſimus Vigilantius, & inde Claudius Taurinenſis, ac demum ceteri hæreticorum ſatellites ſunt conſectati.

III.

DE VELIS ADMOTIS RELIQVIIS SANCTORVM.

Ceterum ex Chriſti fimbriæ, quam diximus, & Pauli Sudariorum exemplis inhæſit pia Fidelibus ac religioſa traditio, vt cum minus liceret ipſa Sanctorum ſepulchris condita corpora tangere, eiſdem ſepulchris deſuper admouerent ſudaria quædam aut vela, quæ dicebantur[x] *Sanctuaria*, ſiue *Prandea*[y]: quæ quantam inde virtutem haurirent, locuples eſt teſtis Gregorius[z] Papa, & alii. Nec ſolum velamina atque panniculos, ſed & veſtimenta languentium ac defunctorum, vel etiam flores, aut alia eiuſmodi iiſdem ſacrarum Reliquiarum loculis admota, virtutem accepiſſe reſtituendi ægros incolumitati, & defunctos ad vitam reuocandi, fideliſſimus eſt teſtis S. Auguſtinus[a]. Immo & ipſum puluerem[b] ac ſitum, quo (vt accidit) Sanctorum ſepulchra aliquando obducerentur, vel etiam circum aſpergerentur; & quod mirabilius eſt oleum[c] quo ex more in Eccleſia antiquitus obſeruato[d], lampades circa ſepulchra martyrum ſolent incendi, eaſdem virtutes operari conſueuiſſe, fidem integram faciunt ſanctiſſimi & antiquiſſimi Patres. Denique Gregorius[e] Nazianzenus aduerſus Iulianum aſſerit, Sanctorum martyrum corpora idem poſſe quod animas, ſiue manibus contrectentur, ſiue honorentur: eorumdemque vel ſolum ſanguinis guttas, atque exigua paſſionis ſigna, idem poſſe quod corpora: Et rurſum[f], fuiſſe adeo frequentem illorum venerationem, vt exiguus puluis, aut reliquiæ veterum oſſium totius ad honorem ſufficerent, & nonnullorum ſolam appellationem reliquiarum omnino expertem, locis certis inditam fuiſſe pro toto Martyre, quæ tamen eamdem vim ſanitatum obtinuiſſent. Ad quæ iure exclamans, *O rem*, inquit, *prodigioſam! ſalutem affert ſola recordatio*. Cum igitur eamdem virtutem in exigua parte Reliquiarum Martyris, quæ in toto ſit corpore, ineſſe experimento probatum eſſet; inde euenit vt corpus vnius Martyris in plures interdum partes diuidi ſoleret, recondique in diuerſis altaribus, quæ ſepulchra ſunt martyrum, vt conſtat diuinæ auctoritate Scripturæ[g]: indeque fortaſſe pariter accidit, vt cum vnius eiuſdemque Martyris diuerſis in locis Reliquiæ conditæ haberentur, & æque ac ſi integrum corpus vbique horum locorum conditum eſſet, eadem miracula ſint operatæ, vnius eiuſdemque martyris corpus diuerſis in locis haberi dicatur.

CVR SINT DIVISÆ RELIQVIÆ.

Tolerabilis error, cui non hominum impoſtura, ſed exuberans diuina largitas præbuit occaſionem. Qua ratione Baſilius[h] ait Quadraginta illos martyres dici eſſe conditos in variis ciuitatibus, quod ipſarum quælibet partem aliquam Reliquiarum poſſideret.

IV.

RELIQVIÆ A MAIORIBVS PROBARI SOLITÆ.

Ceterum magnam eſſe à maioribus adhibitam diligentiam, ne quorumlibet qui fidei cauſa interfecti viderentur, Reliquiæ vt martyrum colerentur, ſed illorum tantum quos probaſſet Eccleſia: egregie expreſſum habetur ab Optato Mileuitano, dum agit de Lucilla famoſiſſima fœmina Donatiſtarum patrona, à Cæciliano Archidiacono reprehenſa, quod ante

Euchariſtiæ

Euchariſtiæ ſumptionem os neſcio cuius hominis mortui, ſi martyris, nondum tamen vindicati, ori admoueret. Qualiter autem inprimis auctoritate Primatis Epiſcopi, ſubtiliſſimaq; inquiſitione adhibita, quibus cultus martyrum exhibendus eſſet diligentiſſime tractaretur, etiam perſecutionis ſæuiente procella, habes apud Auguſtinum [i] de Actis Martyrum delatis ad Menſurium Epiſcopum Carthaginenſem temporibus Diocletiani. A quo eodem Auguſtino [k] notati ſunt pariter circulatores quidam monachi, qui quæſtus cauſa diſtraherent nonnullas Reliquias, quas dicerent eſſe Martyrum. Sed & quam accurate eodem tempore prouiderint Epiſcopi Africani, vt nonniſi certis & exploratis Sanctorum Reliquiis memoriæ conſecrarentur, neue inanibus ſuperſtitionibus & reuelationibus plebs ignara deciperetur, docet Canon Concilii Quinti [l] Carthaginenſis. Quantaque etiam cura fuerit Romanorum Pontificum, ne quid de his, quod inexploratum eſſet, admitteretur, exempla habes de Gregorio [m] Primo reſcribente ad Auguſtinum, & Innocentio [n] tertio in Concilio Lateranenſi. Quod ſi aliquando in eumdem cultum aliquis irrepſiſſet error, non ex traditione maiorum, ſed priuato aliquorum inſtinctu: Deus non permiſit illum diu latere, ſed alicui ſancto viro rem aperire non prætermiſit, vt veritate prodita falſitas appareret: quod & de S. Martino Seuerus [o] ſcribit. Sed de traditione ſacrarum Reliquiarum modo hactenus: de ſingulis enim ſpecialior erit inferius ſuis locis tractatio.

i Aug. Breuiar. collat. di. 2. cap. 13.
k Id. de oper. monach. c. 28.
l Conc. Car. V. can. 14.
m Greg. l. 12 ep. 9.
n Inno. Ter. in Conc. Later. c. 2.
o Seuer. in Vit S. Mar. cap. 8.

CLAVDII IMP. An. 14

IESV CHRISTI
An. 56.

PETRI An. 12.

I. DE FILIIS SCEVÆ EXORCISTIS.

ANno Chriſti quinquageſimo ſexto, M. Aſinio Marcello & M. Acilio Auiola Coſſ. cum Paulus Apoſtolus iam annum ſecundum ageret Epheſi, non tantum eius prædicatione, ſed noua occaſione ſeptem filiorum Sceuæ Principis ſacerdotum (qui exorciſtas agere ſoliti, etiam in nomine Iesv quem Paulus prædicaret, eiicere dæmonia magno ſuo damno tentauerunt) magna facta eſt acceſſio ad Chriſtianam fidem. Rem geſtam Lucas [a] Euangeliſta deſcribit. Porro cum Iudæorum non ignobiles viri, ſed filii Principis ſacerdotum *exorciſtas agerent*: arcanum fuiſſe à maioribus traditum, nec commune omnibus miniſterium dæmones expellendi, facile poteſt intelligi. Qui vero primus eam artem docuit Hebræos, Salomonem fuiſſe Ioſephus [b] affirmat: agitque [c] inſuper de radice quadam, admirabilem virtutem habente pellendi dæmones. Sed & fuiſſe apud illos in confeſſo, per virtutem nominis Tetragrammaton, ſi cui illud ſcire ac fari licuiſſet, quemlibet eam facultatem aduerſus dæmones aſſequi poſſe, teſtatur Epiphanius [d]. Hoc itaque non ignorantes Sceuæ filii, videnteſque tum à Paulo, tum à ceteris Chriſtianis, in nomine Iesv hæc eadem & alia miracula factitari, & ipſi ad dæmones expellendos eodem vtendum ſibi nomine vt diuinitus reuelato exiſtimarunt. Quod vero iidem (vt ſcribit Lucas) per nomen Iesv dæmonibus cum adiuratione præciperent; exiſtimauit Origenes [e] non ex Chriſti Euangelio, ſed potius ex ritu Iudaico à Salomone tradito adiurationes eiuſmodi proueniſſe, quibus Chriſtiani etiam vterentur. Verum hæc cum ipſe deducat ex eo quod ait, *ſicut Chriſtiano homini ex Euangelii præſcripto non licet omnino iurare, ſic nec etiam quempiam adiurare*: ſicut falſa eſt illa propoſitio, ita etiam quæ inde eſt deducta concluſio.

a Act. 19.
DE EXORCISTIS IVDÆORVM.
b Ioſ. 8. ant. 2.
c Id. 7. de bel. 25.
d Epiph. her. 30.
NOMINIS IESV VIRTVS.
e Ori. tract. 35. in Matt.

II. EXORCISMORVM PROBATVS VSVS.
f Mar. 16.
g Iuſt. dial. cum Tryph.

Cum autem inter credentium ſigna illud adnumeretur [f] vt in nomine Iesv Fideles dæmonia eiiciant: iure conſueuiſſe Chriſtianos ſic adiurando dæmones pellere, ipſoſque tunc dæmones flagella & verbera ſentientes, ſuam imbecillitatem, Chriſti vero potentiam fateri; antiqui Patres [g] abunde docent. Immo non adiurationibus tantum, ſed aliquibus maiorum traditione probatis ritibus id fieri conſueuiſſe, iidem oſtendunt. Atque id ipſum legitime fieri poſſe, Domini noſtri inprimis admonemur exemplo: quippe qui cum ſolo nutu, ne dicam verbo, ab obſeſſis corporibus propria virtute dæmones pellere potuiſſet; aliquando tamen ſigna quædam, quæ vim exorciſmi habere viderentur, adhibenda putauit; vt cum ſanauit [h] habentem dæmonium ſurdum & mutum: qui etiam & ad exorciſmum ſpectare ieiunium & orationem diſcipulis ſuis monſtrauit [i]. At licet non diſcipulos tantum, ſed & credentes omnes pellendi dæmones à Domino gratiam conſecutos eſſe, Euangeliſta [k] teſtetur; & exemplo ſæpius monſtratum ſit, laicos homines dæmones eieciſſe (quod & de militibus teſtatur Tertullianus [l]: qui & parentes exorciſare filios ſolitos dicit [m]) tamen fuiſſe peculiare munus Ordinis ad hoc opus in Eccleſia inſtituti, antiquorum eſt Patrum [n] & Conciliorum [o] atteſtatione exploratiſſimum. Inſuperque in Concilio Carthaginenſi Quarto [p] ſtatutum eſt, vt ordinandus Exorciſta de manu Epiſcopi ordinantis libellum acciperet, in quo ſcripti eſſent Exorcismi; ne videlicet aliquid ſuperſtitionis in exorciſmos irreperet.

g Orig. ho. 24. in Ieſue. Tert. ad Scap. c. 2. & Apolog. c. 23. Cyp. ad Demetr. & ad Dona. ep. 1. & de idol. vanit. Minut. in Oct. Prudent. in Apoth. cont. Iuda. & alii.
h Mar. 7.
i Mar. 9.
k Mar. 16.
l Ter. de cor. mil. cap. 11.
m Id. de idolat. cap. 11.
n Ignat. ep. ad Antioc. Ter. de præſcr. cap. 41. Orig. in Ioſ. ho. 24. Cornel. PP. ap. Euſeb. 6 hi. 43. Hieron. in Tit. 3.
o Concil. Ro. ſub Silveſt. c. 5 & 7. Laodic. can. 24. & 26. Carthag. Quart. c. 7.
p Conc. Carthag. IV. c. 7.
q l. 1. D. de var. & ext. traor. cogn.

III. CHRISTIANI GENTILIBVS DICTI IMPOSTORES.

Quod vero Vlpianus [q] agens de quibuſdam impoſtoribus, qui certis incantationibus & imprecationibus exorcizare ſolerent, & ſic morbos ſanare profiterentur, negat eiuſmodi hominibus de eorum mercede ius eſſe dicendum: ex eo certum eſt, de aliis potius quam de Chriſtianis intellexiſſe, qui nonniſi gratis abſque aliqua conuentione ſtipendii illud officium impendere conſueuerunt. Verum quod ait verbum *Exorcizare* proprium eſſe Impoſtorum, haud dubium eſt ſugillare voluiſſe Chriſtianos, quorum erat infenſiſſimus hoſtis. Gentiles enim contumeliæ cauſa Chriſtianos nominare conſueuiſſe *Impoſtores & Græcos*, teſtis eſt Hieronymus [r]. Sed & ipſe Chriſtus Dominus à Iudæis eſt nominatus *impoſtor*: nam quod apud Matthæum [ſ] legitur *Seductor*, Impoſtorem eſſe legendum alii [t] tradiderunt. Cur autem Ethnici Chriſtianos appellarent Græcos, Tertullianus eam affert cauſam, quod qui Chriſtianam confiterentur religionem, abiecta toga pallium, quod erat philoſophorum indumentum, ſuperueſtiebant. Multum vero confert ad dictum Vlpiani reſponſum intelligendum, quod Iuſtinus in oratione ad Gentiles oſtendit, non Chriſtianos tantum, verum & incantatores ac circulatores exorcizare conſueuiſſe: ſed Chriſtianos ceteris omnibus in ea re perficienda virtute præſtitiſſe.

r Hier. ep. 1. ad Fur. ep. 22. ad Marcel.
ſ Matt. 27.
t Buda. in Pan. l. 4. D. de edil. edict.

IV. EXORCISMI ANTE BAPTISMVM.

Ceterum Chriſtianæ religionis Exorciſtarum munus erat, non tantum eos qui patenter, ſed & qui latenter à dæmonibus arriperentur exorcizare. Quod enim omnes homines cum natura naſcantur filii iræ, donec Chriſti baptiſmate in nouam tranſeant creaturam, dæmonis detineantur imperio; idcirco antiquus Eccleſiæ vſus fuit, vt omnes ante baptiſmum expurgarentur Exorciſmis: de quibus agunt Cyprianus [u], Optatus [x], Ambroſius [y], Auguſtinus [z], Cyrillus [a] Hieroſolymitanus, Gregorius [b] Nazianzenus, Baſilius [c], Chryſoſtomus [d], ac ceteri omnes, & præſertim qui ſcripſerunt de diuinis Officiis: eamdemque conſuetudinem in vniuerſo mundo à Sancta Eccleſia ſeruari ſolitam, Gennadius [e] teſtatur. Denique illud non prætermittimus, non Gentiles tantum vexari à dæmonibus conſueuiſſe, ſed & Chriſtianos, cum præſertim poſt baptiſmum in peccatum aliquod capitale incidiſſent; vt Dionyſius [f] & Cyprianus [g] teſtantur, ſuntque innumera ea de re exempla apud alios auctores; quorum à nobis plurima ſuis locis inferius referentur. Cum alioqui & interdum diuino permiſſu

u Cypr. ep. 76. ad Mag.
x Opt. lib. 4. cont. Parm.
y Amb. 1. de Sacram. 5.
z Au. de pec. orig. lib. 2. c. 40 & alibi
a Cyril. catech. 2.
b Gre. Naz. ora. de bap.
c Baſil. ad Amphil.
d Chr. hom. de Adam & Eua
e Gennad. de eccleſ. dogm. c. 30.
f Dionyſ. de eccleſ. hier. c. 3.
g Cypr. ep. 76.
h Hier. ep. 15. ad Pan.

miſſu & occulto iudicio accidere, vt innocentes pueri ac puellæ arripiantur à dæmone, Hieronymus [h], Auguſtinus [i], & Gregorius [k] tradant, & frequens experientia comprobet. Quin & aliquando pios ac iuſtos viros inſcrutabili Dei prouidentia dæmonibus cruciandos permitti; pluribus monſtrat Ioannes Chryſoſtomus [l]. Sed de Exorciſmi traditione hactenus: iam reliqua proſequamur.

h ad Paul. i Aug. cont. Pelag. k Greg. in dialog. l Chryſ. de prouid. Dei.

V.

Non Iudæos tantum, aut Gentiles, noui caſus filiorum Sceuæ timore perculſos, nomen Domini IESV præconiis extuliſſe; ſed & Chriſtianos ipſos magnam inde vtilitatem conſecutos Lucas [m] docet dum ait *multos credentium confeſſos eſſe, & annunciaſſe actus ſuos.* Porro diuerſam plane hanc fuiſſe PECCATORVM CONFESSIONEM ab illa quam ad Ioannis baptiſmum venientes agere conſueuerant [n], certum eſt: nam illa præcedebat baptiſmum, hæc autem erat eorum qui crediſſent ac baptizati eſſent. Cuius quidem non ſolum iam olim Dominus in Eccleſia Chriſtiana fundamenta iecerat, cum Apoſtolis [o] dimittendi peccata tradidit poteſtatem; ſed & eadem ab ipſo rerum omnium principio, cum ab Adam eſt à Deo confeſſio requiſita, videtur quodammodo imperata: extantque eiuſdem poſteà à populo Iudaico exactæ in diuinis Scripturis innumera impreſſa veſtigia. Verum his omiſſis, vt ex inſtituto de vſu dumtaxat Eccleſiæ Chriſtianæ agamus; eius probandæ rei etſi nulla alia ſuppeterent teſtimonia, ipſa neceſſitas eam agnoſcere compelleret. Cum enim non ſit homo qui non peccet, & tradita ſit à Chriſto hominibus poteſtas dimittendi peccata: qui vult ſibi quæ commiſit dimitti, neceſſe eſt vt ea aperiat poteſtatem habentibus abſoluendi. Et quoniam non ſoluendi tantum, ſed & retinendi ſacerdotes facultatem ſunt conſecuti, ea vt vtantur, & intelligat quæ relaxare, quæve debeat retinere, ſingula ſingulorũ opus eſt peccata audiat.

m Act. 19. DE CONFESSIONE PECCATORVM. n Luc. 3. o Ioan. 20. NECESSITAS CONFESSIONIS.

VI.

Hunc vero fuiſſe perpetuum Eccleſiæ vſum, non deſunt plurima Patrum antiquiſſimorum teſtimonia quæ id probent: puta Dionyſii ad Demophilum ſcribentis, & Irenæi [p] de Rhodanenſibus fœminis agentis: qui & de Cerdone hæreſiarcha tradit [q], ſæpe exomologeſin feciſſe, ſed iterum ſua praua dogmata docuiſſe. Feciſſe quoque exomologeſin Romæ coram Zepherino Pontifice Natalium hæreticum; Euſebius [r] ex antiquioribus ſcriptoribus recitat: facturumque eandem Marcionem niſi morte præuentus fuiſſet, Tertullianus [s] aſſerit. Porro nihil aliud eſſe *Exomologeſin facere*, quàm ſua confiteri peccata, monſtratur tum ex eiuſdem vi vocis (nam ἐξ præpoſitio, idem eſt quod *foris*, & ὁμολογία, quod, vt declarat Suidas, *confeſſio*) tum etiam ex antiquo eiuſdem ſignificationis vſu recepto: quandoquidem non Græci tantum, ſed & Latinorum plerique, vt Tertullianus, Cyprianus, & alii, exomologeſin pro confeſſione peccatorum vſurpare conſueuerunt; ſicut & eadem ſignificatione eamdem vocem hic Lucas vſurpauit. Secundum quam Tertullianus [t] *Exomologeſis* (inquit) *eſt petitio veniæ, quia qui petit veniam, delictum confitetur.* Idemque alibi [u] non ſolum ipſam peccatorum *confeſſionem*, ſed etiam *Satisfactionem* & Pœnitentiam quæ confeſſionem ſequitur, nominat Exomologeſin: agens prætereà & de pœnitentia illa quæ præcedere ſolet confeſſionem delictorum, quam *Contritionem* vſitatiori vocabulo appellare conſueuimus. Porro hæc omnia apud Cyprianum [x] planiora reperiuntur, dum docet lapſos non eſſe in Eccleſiam recipiendos, niſi facta Exomologeſi. Et in eamdem cum eo ſententiam conſpiraſſe Romanam Eccleſiam, Clerus [y] Romanus Sede vacante ad illum ſcribens egregie profeſſus eſt: cum & paulo ante præceſſiſſet Fabiani Papæ recens exemplum; quem non prius Philippo Imperatori Chriſtiano communionem Eccleſiaſticam impartiri voluiſſe, quam confeſſionem feciſſet peccatorum ſuorum, Euſebius [z] eſt teſtis.

p Iren. lib. 1. c. 9. q Id. lib. 3 c. 4. r Euſeb. 5. hiſt. 27. s Tert. de præſcript. QVÆ SIT EXOMOLOGESIS. t Tert. de orat. c. 6. u Id. de pænit. c. 8. 9. x Cypr. de lap. & ep. 10. 11. 12. 13. 14. 61. y op. Cypr. ep. 31. z Euſeb. lib. 6. c. 27.

Ne vero hæc cuncta de publica tantummodo peccatorum confeſſione dicta exiſtimes (cum alioqui haud ſit dubium, publicorum delictorum publicam fieri ſolitam fuiſſe exomologeſin) habes inſuper de Confeſſione ſecreta apud Tertullianum [a] & Origenem [b] (vt recentiores taceam) apertiſſima teſtimonia. Sed & vnde quæſo, calumnia illa à Gentilibus in Chriſtianos conflata, cum dicerent (vt tradit Minutius [c] Felix) ipſos adorare ſolitos virilia ſacerdotum, niſi quod illi ad eorum genua procumbentes, ſuaque peccata confitentes, ſummiſſe veniam deprecarentur? Denique de confeſſione peccatorum ſacerdotibus facienda quamplurima alia ſuppetunt SS. Patrum teſtimonia, vt Baſilij [d], Gregorii [e] Nyſſeni, vtriuſque Anaſtaſii, Sinaitæ [f] & Nicæni [g] Nicephori [h] Charthophylacis, Paciani [i], Ambroſii [k], Hieronymi [l], Auguſtini [m], Cæleſtini [n] Papæ qui eodem fuit tempore, ac denique omnium qui poſt vixere Catholicorum tam Græcorum quam Latinorum rerum Eccleſiaſticarum tractatorum. Ex quibus omnibus ſatis exploratum habetur, in Eccleſia Catholica ab ipſis Apoſtolorum temporibus peccatorum confeſſionem coram ſacerdotibus, ſiue priuatim de priuatis ſiue publice de publicis, nunquam eſſe intermiſſam.

VII. CONFESSIO SECRETA IN VSV MAIORIBVS. a Tert. de bapt. c. 20. b Orig. hom. 2. in pſal. 38. c Min. in Oct. d Baſil. reg. breuior. & le ver. & ep. ad virg. ad Amphi. loch. c. 71. e Greg. Nyſſ. ho. 3 in Eccl. f Anaſt. S. n. rat. de ſacr. Syn. g Anaſt. Nic. q. 6. in Script. h Ni. Chart. ep. ad Theo i Pac. ep. 1. ad Sympron. & in paran. de pœnit. k Amb. de pœnit. c. 2. & ſeq. & l. 3. de Sp. S. c. 9. l Hier. in Eccl. 10. & in Matt. 16. m Aug. ho. 49. 50. ſerm. 2 de verb. Dom. c. 2. & ſer. 66. de temp. & tract. 49. in Ioan. n Cæleſtin. diſt. 30. q. 1. c. non debet. & ia. 1 Concil.

Sed quoniam de his eſt quædam difficultas apud Socratem & Sozomenum hiſtoricos Græcos, ex qua hæretici occaſionem captant Catholicam veritatem impugnandi; eam hic explicare non prætermittimus. Et quidem temporibus Decianæ perſecutionis fuiſſe in Eccleſiis *Presbyteros pœnitentiarios*, qui confeſſionem peccatorum particulatim & ſecrete audirent, iidem auctores [o] apertiſſime teſtantur: licet perperam habeat lectio Sozomeni apud Caſſiodorum [p], Antiquis Pontificibus viſum eſſe, vt velut in theatro ſub teſtimonio Eccleſiaſtici populi delicta panderentur. Nam ſi hoc verum eſſet, quid opus erat (vt ſubdit) ad hoc deligi presbyterum ſecreta ſeruantem? Denique ipſe Sozomenus aperte dicit, quod odioſum eſſet coram multitudine delicta pandere, huic operi præfectum fuiſſe ſacerdotem ſecretorum tenacem. Quod vero id temporibus Decii inſtitutum Socrates ait, dicendum eſt potius, tunc exceſcente lapſorum numero, Pœnitentiariorum presbyterorum etiam numerum eſſe auctum, quam officium recenter inſtitutum; quandoquidem (vt vidimus) longe ante Decii tempora frequens fuit vſus exomologeſis in Eccleſia. Quapropter conſultius Sozomenus, nullum certum definiens tempus, ab ipſo inde exordio obſeruatum id fuiſſe tradit. Sed & quod ad numerum ſpectat; non vnum, ſed plures presbyteros Pœnitentiarios in vna Eccleſia, ad ſuſcipiendos pœnitentes & peccatorum confeſſionem audiendam fuiſſe præfectos, demonſtrat Dionyſii [q] Alexandrini epiſtola ad Fabium Antiochenum, dum Serapionem lapſum in extremis laborantem, dixiſſe ait nepoti ſuo, *Aliquem ex presbyteris aduoca ad me.*

VIII. SOCRATIS ET SOZOMENI ASSERTIO DE PRESBYTERIS POENITENTIARIIS. o Socr. lib. 5. c. 19. Sozom. l. 7. c. 16. p Trip. l. 9. cap. 35. q ap. Euſeb. 6. hiſt. 19.

In ceteris vero in quæ ſcribunt iidem Socrates & Sozomenus de presbytero pœnitentiario, adeoque ipſa exomologeſis & pœnitentiæ conſuetudine prorſus abrogata tempore Theodoſii Imperatoris à Nectario Epiſcopo Conſtantinopolitano, occaſione oborti ſcandali quod recenſent; deque libera poteſtate omnibus tunc ab eodem Nectario data vt quiuis ſuæ conſcientiæ arbitrio abſque aliqua exomologeſi ad percipiendam Euchariſtiam accederet; ac quod eſt omnium maximum, quod aiunt illum Nectarii Canonem ab omnibus fere aliarum Eccleſiarum Orthodoxis Præſulibus fuiſſe imitatione comprobatum: in his, inquam, tanta iis auctoribus eſt fides habenda, quanta ceteris hæreticis de ſuis dogmatibus tractantibus; quippe Nouatianos ſecta, ac proinde pœnitentiæ hoſtes cum fuiſſe omnibus ſit notum (vt etiam

IX. DE NECTARII FACTO CONTROVERSIA.

ſuis

ſuis locis demonſtrabitur) quam vere hæc ſcripſerint aduerſus pœnitentiam in Eccleſia adminiſtrari ſolitam, quemlibet puto poſſe facile iudicare. Ceterum ſi velimus ea vera fuiſſe, etiam omnino aſſirmandum erit, ipſum Nectarium, hominem rerum Eccleſiaſticarum prorſus ignarum, à Nouatianis fuiſſe deceptum; quippe qui eiſdem vteretur familiariſſime, eoſdemq; in reb. etiam quæ ſpectarent ad fidem aliquando conſuleret, & illorum opem aduerſus alios hæreticos imploraret: vt de his omnibus ex iiſdem ipſis, aliiſque auctoribus inferius ſuo loco & tempore abunde patebit.

X. Alias vero Eccleſias Nectarii exemplum eſſe ſecutas, apertiſſimum eſſe mendacium certis argumentis detegitur. Nam qui eodem Theodoſii tempore cum Nectario vixit Gregorius Nyſſenus, inter omnes Orientales Epiſcopos inſigni eruditione ornatiſſimus, egregia illa ad Latoium Mitilenes Epiſcopum epiſtola, quæ à Græcis [r] inter Canonicas eſt recenſita, nónullos canones, quos Pœnitentiales appellare conſueuimus, inſtituit; vt confitentium peccatorum examinato pondere, ex eorum præſcripto illis pœnitentia iniungeretur. Et qui ipſi Nectario proxime in Epiſcopatu ſucceſſit S. Ioannes Chryſoſtomus, multus eſt in admonendis [ſ] ſacerdotibus, ne quemquam permittant ad menſam Domini accedere, quem aliqua improbitate aut ſordibus teneri ſciuerint: idemque ſæpe demonſtrat [t] fuiſſe ſuis temporibus in Eccleſia & pœnitentes, & presbyteros qui eis abſolutionem criminum impertirent; ac peccatorum confeſſioné [u] præcedere conſueuiſſe Euchariſtiæ ſumptionem. Quibus ſic ſe habentibus, ſi quando (quod & ſæpius eſt inuenire) idem Chryſoſtomus hortatur vt Deo confiterentur peccata, non hominibus, nec velut in theatro panderent ea; non à ſecreta certe, ſed à publica abſterruit propalatione, quam, licet occultorum alioqui peccatorum, ſacerdotes interdum pœnitentibus iniungere, ſiue ad ceterorum ædificationem, ſiue ad propriam emendationem conſueuerant; cuius occaſione ſcandalum illud obortum fuerat in eadem Eccleſia Conſtantinopolitana. Quod enim recens eius eſſet exemplum, ea ex cauſa ſæpius id ipſum fuit inculcandum: ſiquidem ſecrete confiteri, idem æſtimabatur quod Deo tantum peccata detegere; ſicut econtra palam confiteri, eadem erat hominibus potius quam Deo propalare. Quemadmodum & poſt aliquod tempus S. Leo [x] Papa, grauibus rationibus demonſtrans ſufficere reatus conſcientiam ſolis ſacerdotibus indicari confeſſione ſecreta, publicam illam alicubi adhuc vſu retentam amplius eſſe exercendam prohibuit: quam quidem dum *contra Apoſtolicam Regulam præſumi* ait, plane inſinuat ex Apoſtolica traditione probatam haberi ſecretam, quam ſolam retinendam eſſe iuſſit.

r ep. Theod. Balſin addit.
ſ Chryſoſt. hom. 83. in Matth. & hom. 60. ad pop. Antioche.
t Chryſ. hom 6. ad pop. Antioch. ho. 11 in Matt lib. 2. de Sacerd. & alib.
u Idem ho. 10. in Matth.
ELVCIDATVS LOCVS CHRYSOSTOMI DE CONFESSIONE PECCATORVM.
PVBLICA CONFESSIO DAMNATA.
x Leo ep. 80. ad Epiſ. Camp. c. 2.

XI. Ac certe nequaquam ſecretam (quæ ſui natura eſſe ſolet ſilentii tenaciſſima) ſed publicam fuiſſe eam quam mulier illa tempore Nectarii feciſſe dicitur, vel ex eo ſatis apparet quod non à presbytero propalatum fuiſſe illius peccatum, ſed ab eadem ipſa tantummodo fœmina, Socrates & Sozomenus teſtantur: quod tamen id proculdubio factum fuerit eodem ſacerdote ſuadente, eius rei cauſa ille merito eſt à Nectario officio depoſitus, ipſaque theatralis occultorum peccatorum confeſſio ob ſcandalum inde exortum abrogata. Quo facto Nouatiani (vt mos eſt hæreticorum, quamcumque licet leuem, vt ſinceris dogmatibus detrahant arripere occaſionem) non tantum presbyterum illum pœnitentiarium in ordinem redactum, ſed & pœnitentiam ipſam vna cum eo fuiſſe proſcriptam, calumnioſe admodum conclamarunt: cum tamen non modo non ſecreta confeſſio à Nectario, ſed nec publica illa fuerit abrogata, quæ ex publico ac omnibus manifeſto peccato, prouenit; quæ & hactenus in Eccleſia perſeuerat. Habes vero eius exemplum egregie expreſſum à S. Hieronymo [y], de Fabiola vidua publice Romæ exomologeſin faciente: quam (vt Ambroſius [z] & Auguſtinus [a] ſcribunt) ſemel actam haud facile iterari licebat: ſicut de eadem intelligit Chryſoſtomus [b], dum poſt ſemel impartitam reconciliationem, eam iterum tribui non debere teſtatur. Fuit & in vſu, ſed inter monachos, publica quædam confeſſio, quæ collecta Synaxi fieri conſueuit; de qua inter alios Baſilius [c]. At hæc ſatis de his quæ ex facto Nectarii à pœnitentiæ hoſtibus ſunt ſolita obiici: itemque de traditione Exomologeſis ſiue Confeſſionis. Iam vero cetera proſequamur.

FACTVM NECTARII MALE INTERPRETATI NOVATIANI.
y Hier. ep. 30.
z Ambr. l. 2. de pœnit. c. 10.
a Aug. ep. 54. ad Maced.
b Chryſoſt. hom. 2. in ep. ad Ephes.
c Baſil. de inſtit. monac.

XII. Cum igitur nouo caſu irruentis dæmonis in Sceuæ filios exorciſtas, Chriſtiani etiam timore perculſi ad Paulum veniſſent confitentes peccata ſua; pœnitentia etiam ſatisfacere ſtuduerunt, dum (vt ait Lucas [d]) multi ex iis qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus; ac computatis pretiis illorum, inuenerunt pecuniam denariorum quingentorum millium. Fuiſſe hos magiæ libros, æque omnes [e] conſentiunt: cui quidem peſſimæ arti addictiſſimos extitiſſe Epheſios, teſtatur Hieronymus [f]; nec vllibi carius quam Epheſi Apollonium Tyanæú, qui eodem hoc tempore vixit, magiæ ſuæ merces eſſe nundinatum, Philoſtratus docet in eius Vita. Antiquo autem vſu receptum fuiſſe vt eiuſmodi libri igni traderentur; Conſtat ex Iuriſconſultorum Pauli [g] & Vlpiani [h] reſponſis: ſæpeque datum [i] ſcimus negotium magiſtratibus de iis diligenter inquirendis, vt in eos habentes animaduerterent. Ac pariter Athenis improbatæ lectionis libros igni tradi ſolitos, declarat exemplum [k] de combuſtis Protagoræ voluminibus. Dicto vero Epheſiorum Chriſtianorum exemplo, in Eccleſia itidem obſeruatum eſt, vt non tantum magiæ [l] libri, ſed & ceteri omnes qui ab Hæreticis [m] aduerſus Catholicam fidem ſcripti fuerint, igne conſumantur. Nec minus execranda viſa eſt Chriſtianis illa per Aſtrorum aſpectum ſolita fieri diuinatio, quæ ex Iudiciaria, quam vocant, aſtrologia manare conſueuit. Quamobrem Aquila Ponticus eruditione interpretandi celeberrimus, ab Eccleſia eſt eiectus, quod (vt ſcribit Epiphanius [n]) genituratum inſpectionibus & natiuitatum horoſcopis vacaret. Et apud ipſos Gentiles Auguſti temporibus (vt Dio [o] tradit) Aſtrologi ſicut & præſtigiatores, Vrbe ſunt pulſi: ac de Mathematicis Italia pellendis atrox Senatuſconſultum factum ante biennium, auctor eſt Tacitus [p].

d Act. 19.
LIBRI MAGIÆ IGNE DAMNATI.
e Chryſoſt. hom. Oecum. in Act.
f Hier. præf. ep. ad Epheſ.
g Paul ſent. lib. 5 tit. 23. ad leg. Cornel. de ſic. & venef.
h Vlp. l. 4. tantumdem. D famil. erciſc.
i Leo l. 29.
k Cic. lib. 1. de nat deor.
LIBRI HÆRETICORVM COMBVRENDI.
l Aug. in pſ. 61. impſ.
m l vlt. C. Th de hær. & alibi.
ASTROLOGIA IVDICIARIA DAMNATA.
n Epiph. de pond.
o Dio li. 49.
p Tac Annal lib 12.

XIII. Hoc eodem anno iiſdemque Coſſ. [q] tertio Idus Octobris mortuus eſt *Claudius* Imperator, annum ætatis agens ſexageſimum quartum, Imperii vero decimumtertium ſupra menſes octo, & dies viginti: veneno ſublatus Agrippinæ dolo, quam ipſe Germanici fratris ſui filiam vxorem acceperat. Poſt cuius obitum, *Domitius* NERO *Claudius*, eiuſdem Agrippinæ ex priori marito Cn. Domitio Ænobarbo filius, ab eodem Claudio adoptatus in familiam Claudiam, in Imperium ſucceſſit, annum attingens ætatis decimumoctauum, licet adhuc in viuis eſſet Britannicus Cæſar, eodem Claudio Imp. & Meſſalina natus; quem Nero paulo poſt veneno ſuſtulit [r]. Cum tamen ſic moribus Nero compoſitus eſſet, vſus Seneca præceptore, vt primis Imperii ſui annis multa manſuetudinis & beneficentiæ teſtimonia ediderit. Cuius quidem ea de re egregiam vocem celebrat idem Seneca [ſ], *Vellem neſcire literas*, cum à Burro Præfecto vrgeretur ſubſcribere ſupplicio quorumdam latronum. Viſuſque eſt etiam in Iudæos propenſior, quandoquidem ipſorum Regem Agrippam mox donauit [t] quatuor ciuitatibus in Abilina & Galilæa; reliquam Iudæam Felici, qui à Claudio eam adminiſtrandam acceperat, curandã tradens. Cum vero eſſet pariter vna cũ Claudio extinctũ illud edictum aduerſus Iudæos ne in Vrbe agerét promulgatum; data eſt etiam Chriſtianis qui ex Iudæis crediderant in Vrbem redeundi facultas.

q Senec. lud. de obit. Claud. Tac. lib. 12. Suet. in Claud. c. 45. Dio. l. 60.
NERO IMPERAT.
r Tac. Annal. l. 13.
EIVS OPTIMA PRINCIPIA.
ſ Sen l. 2. de clement.
t Ioſ. 20 ant. 5. & 2 de bel. 12.

IESV

NERONIS IMP. AN. I.

IESV CHRISTI AN. 57.

PETRI ANN. 13.

I. a Tac. l. 13. IVDAEI ROMAM REDEVNT.

ANNO Chriſti quinquageſimo ſeptimo, Claudio[a] Nerone Aug. & L. Antiſtio Coſſ. cum (vt diximus) morte Claudii Imp. Iudæis adeundi Romam poteſtas facta eſſet, & Paulus Apoſtolus tertium iam annum Epheſi ageret; ipſe conſilium iniit, tranſita Macedonia & Achaia Hieroſolymam ire, ac inde Romam ſe conferre. Quapropter præmittens in Macedoniam & Achaiam Timotheū & Eraſtum, ipſe adhuc remanſit ad tempus Epheſi. Tradit hæc Lucas[b]. Quibus ſimilia cum ipſemet ſcribat Paulus in EPISTOLA PRIMA *ad Corinthios*[c], ſatis inde perſpicuum redditur, eum illam ſcripſiſſe, cum adhuc Epheſi moraretur, ſed iam de profectione cogitaret, occaſionem autem eius ſcribendæ hanc in principio[d] declarat, quod cum ipſe Corintho Epheſum veniens ibi moraretur, & interim Apollo Corinthum profectus illic Euangelium prædicaſſet, licet & iſte eandem cum Paulo fidem annunciaſſet, tamen accidiſſet vt quod vana quadam iactantia quiſque Corinthiorum ſuum præceptorem cui magis adhæreret extolleret, & alii ſe Pauli, alii Apollo, alii vero Cephæ, vel Chriſti eſſe gloriarentur, non parua inter eos oborta eſſet contentio.

b Act. 19. c 1. Cor. 4. & 16. DE EPIST. I. AD COR. d 1. Cor. 1.

II. QVOMODO CEPHÆ SE DICERENT CORINTHII.

Quod autem etiam Cephæ (nempe Petri) aut Chriſti ſe eſſe dicerent, non ſic accipiendum eſt, vt Petrus aut Chriſtus Corinthi prædicaſſent; ſed potius quod qui illam contentionem & ſciſſuram Eccleſiæ declinare cuperent, rem ad ſuum principium reducentes (quod ſic falli non poſſent) dicerēt alii ſe eſſe Primi omnium poſt Chriſtum Paſtoris & Eccleſiæ Capitis Petri diſcipulos, alii vero auctoris omnium Chriſti. Nam & ideo ipſe Paulus inferius[e], cum de miniſterio & officio agitur prædicationis, nullam de Cepha habet mentionem, nec de Chriſto, ſed de ſe tantum & Apollo, quorum cauſa oborta fuerat contentio; neque alium præter ipſum & Apollo prædicaſſe eatenus Euangelium Corinthiis, ſatis declarat, dum ait ſe plantaſſe, Apollo rigaſſe, Deum autem incrementum dediſſe: quamuis non negemus veniſſe poſt hæc ipſum etiā Petrum Corinthum, atq; eoſdem ad pietatem inſtituiſſe, cum Dionyſius[f] Corinthiorum Epiſcopus manifeſte tradat, eam Eccleſiam fuiſſe ab vtroq; Apoſtolo ſtabilitam.

e 1. Cor. 3.

f ap. Euſeb. 2. hiſt. 24.

III. g Act. 18.

Cur autem inter diſcipulos Pauli & Apollo ea contentio fuerit concitata, facile eſt conĳcere id accidiſſe quod cum Apollo (vt ait Lucas[g]) vir eloquens eſſet, & potens in ſcripturis, feruentique Spiritu, in eo genere nonnulli ipſum præferrent Paulo, qui (vt ipſemet eadem Epiſtola teſtatur[h]) veniſſet ad ipſos non in ſublimitate ſermonis aut ſapientiæ, ſed in infirmitate & timore: ſicut & in ſecūda ad eoſdem ſcripta profitetur[i] ſe fuiſſe imperitum ſermone, licet non ſcientia. Quod cum Auguſtinus[k] Paulū quaſi concedendo obtrectatoribus, non tamquam vere ita eſſet confitendo, dixiſſe exiſtimauerit, Hieronymus[l] contra putauit nequaquam de humilitate, ſed de conſcientiæ veritate dixiſſe: quippe qui licet vernacula lingua, hoc eſt Hebræa, eſſet diſertiſſimus, Græca tamen frequentes ſolœciſmos faceret, nec facile hyperbata reddere poſſet: cum alioqui idem auctor eundem alibi[m] appellet flumen eloquentiæ Chriſtianæ, ob maximam ipſius ſermonis energiam. Et quod hyperbata ſpectat; Irenæus[n] ſcribit Paulum iis frequenter vſum eſſe ob velocitatem ſermonum ſuorum, & impetum qui in eo Spiritus eſſet. At de his hactenus. Quod autem ſpectat ad Pauli ſcopum in hac priori ad Corinthios Epiſtola; haud quidem ipſe prætendit, vt qui ſe profiterentur Apollo vel Petri eſſe diſcipulos, eos ab illis auerteret, ac ſibi petulanter adſcriberet; ſed potius id curauit, vt diſſenſione ac diuiſione omni reiecta, omnes (vt par erat) in vnum Chriſtum Dominum vniret: totus in eo exiſtens, ne occaſione hominum quorumcumque euacuaretur (quod ait) Crux Chriſti, & ab hominibus potius quam à Chriſto denominari Corinthii deligerent, quod fuit ſemper proprium hæreticorum: ſicut & hunc locum Ambroſius[o], Auguſtinus[p], & alii interpretati ſunt.

h 1. Cor. 2. PAVLVS IN PRÆDICATIONE ET SCRIPTIONE QVALIS. i 2. Cor. 11. k Aug. 4. de doctr. Chri. 7. l Hier. in Eph. 3. & ep. 151. ad Alg. q. 10. m Hier. ep. 16. & 50. ad Pammach. n Iren. l. 3. c. 7. STVDIVM PAVLI ERGA CORINTHIOS.

o Ambr. præf. ep. 1. ad Cor. & inc. 1. p Aug. de vnic. bapt.

IV. q 1. Cor. 5. r Chryſ. ho. 15. in 1. Cor. s Theo. præf. in 1. Cor. INCESTVOSVS CORINTHIVS EXCOMMVNICATVS A PAVLO. t Tert. de pudic. c. 13. 14. Hilar. in pſal. 118. Hier. in Ezech. 17. Ambr. 1. de pœnit. 14. Aug. de fid. & oper. c. 26. ac reliqui Latinorum Græci pariter, vt Orig. ho. 3. in Iud. Chryſ. Theod. & alii Interpp. in hunc locum Pauli. u 1. Tim. 1. x Gal. 1.

Sed quoniam diuiſa ſemel Eccleſia ſchiſmate, ſimul omnia confunduntur, ipſaque morum diſciplina negligitur: multa inſuper, & quidem enormia in Eccleſia Corinthiorum acciderant; quæ Paulus eadem Epiſtola valde laborauit vt emendaret. Ac primo quod inter alia portentoſum quoddam facinus[q] ab vno illorum (non quidem ex vulgo, ſed vt exiſtimarunt Chryſoſtomus[r] & Theodoretus[s], ab aliquo eorum qui ceteros ſapientia antecellere viderentur, quique factioſe Eccleſiam diuiſiſſent) fuiſſet perpetratum: vt videlicet inceſtuoſe haberet vxorem Patris ſui: in eum Paulus Sententiam pronuncians, *tradidit eum Satanæ, in interitum* (vt ait) *carnis, quo ſpiritus ſaluus eſſet in die Domini noſtri* IESV *Chriſti*. Porro hanc pœnam, non modo vt inceſtuoſus ille à dæmone obſeſſus miſerabiliter cruciaretur, eſſe intelligendam, ſed etiam quod à communicatione Fidelium haberetur abſciſſus, Patres[t] omnes conſentiunt: nam & tollendum eum de medio ceterorum antea dixerat; eoſdemque continuo repetita prohibitione monuit ab illo penitus ſeiungi, nec ſe vllo modo ei commiſcere. Ceterum eodem pariter excommunicandi modo per traditionem Satanæ, vſus & alibi[u] reperitur Paulus aduerſus Alexandrum & Hymenæum qui à fide exciderant: nec aliud ſignificare voluit, cum ad Galatas[x] ſcribens anathema pronunciauit aduerſus eos qui nouam doctrinam afferrent.

V. EXCOMMVNICATIO APVD IVDÆOS ET GENTILES. y Ioan. 9. z Ioan. 16. a Ioſ. 2. de bel. 7. b Dionyſ. Italic. l. 2. Ioſ. ſ. c Cæſ. de bel. Gal. l. 6.

Quod autem qui ea cenſura percellitur, ab Eccleſia ciiceretur, non quidem à Paulo eſt primitus inſtitutum; nam & Iudæis in obſeruatione erat, vt cum quis immane aliquod perpetraſſet ſcelus à templo & ſynagogis dimoueretur; vnde eam pœnam comminati ſunt[y] iis qui Ieſum confiterentur eſſe Chriſtum, & inflixerunt in cæcum à Chriſto illuminatum; eademque mulctandos ab eis ipſos Apoſtolos Dominus[z] prædixerat. Et apud Eſſenos ſeueriſſimum excōmunicationis genus in vſu fuiſſe, Ioſephus[a] teſtatur. Denique apud Gentiles & inprimis Romanos, eiuſmodi deuouebantur[b] Diti, ſiue Diris, hoc eſt furiis infernalibus. Et apud Gallos[c] quicumque decretis ſacerdotum, qui Druidæ dicebantur, non paruiſſent, ſacrificiis interdicebantur (quæ pœna erat apud illos grauiſſima) & omnium aditu ac communicatione arcebantur.

VI. EXCOMMVNICATIO QVIBVS NOMINIBVS A MAIORIBVS APPELLATA. d Hier. in Oſee 2. e Tert. Apol. cap. 39. & Scorp. cap. 3. f Cypr. ep. 38 & 62. g Hier. ep. 1. & 53. h Aug. de fid. & oper. c. 26. & alib. i Cypr. de orat. Dom. CVR TRADI SATANÆ DICATVR EXCOMMVNICATVS. k Hilar. in pſal. 118.

Porro exemplo Apoſtoli, & Domini auctoritate, qui non tantum ſoluendi, ſed & ligandi ſuis tradidit poteſtatem in Eccleſia Catholica, vſus Excommunicandi receptus, hactenus perſeuerat, vt grauiorum peccatorum rei, ſicut olim Adam de Paradiſo, ſic modo iſti (ait Hieronymus[d]) de Eccleſia eiiciantur. Quam idcirco animaduerſionem Tertullianus[e] modo nominat *Diuinam Cenſuram*, modo, *Anathema*; & Cyprian.[f] aliquando *Abſtentionē*, aliquando *Gladium ſpiritualem*, quo ſuperbi & contumaces necantur dū de Eccleſia eiiciuntur: ſicut & Hieronymus[g] *ſpiritualem mucronem*, & *Virgam ferream*. Quod autē præ ceteris nominibus, quibus Eccleſiaſtica illa cenſura, tum ab iiſdem auctoribus, tum ab aliis nominatur aut circumſcribitur: eadē frequentiori vſu EXCOMMVNICATIO dici ſoleat[h], ex eo accidit quod qui ea percellerentur, à communicatione ſanctiſſimæ Euchariſtiæ[i], & à quocunque Fidelium conſortio arcerentur. *Satanæ* vero *tradi* dicitur qui ab Eccleſia eiicitur, quod (inquit Hilar.[k]) omnis in quo peccati voluntas eſt, Deo vacuus eſt; & vbi Deus non eſt, illic diaboli locus eſt: qui inſidians atque obſidens vbi adeundi opportunitatem habuerit, tamquā vacuam domum occupat, quæ ei Deo iam diſcedente ſit tradita: & quod qui ab Eccleſiæ corpore reſpuuntur, quæ Chriſti eſt corpus, tamquam alieni à Dei corpore dominatui diaboli traduntur. Enumerat etiam Gregorius Nyſſenus in ea oratione quam habuit aduerſus eos qui ægre ferunt reprehenſiones, mala atque miſerias quas patiatur excommunicatus: ac eiuſmodi ab Eccleſia factam ſegregationem, ait legem eſſe patriam, & veterem Eccleſiæ regulam, quæ cœpit à Lege, & fuit cōfirmata in Gratia.

VII. l Orig. hom. 7. in Hierem.

Quam vero proficua & vtilis ea ſit in Eccleſia demonſtrant Origines[l], & alii complures Eccleſiaſtici tracta-

tores. Qui etiam grauiſſimum omnium cenſuræ pondus conſiderantes, nonniſi, ex grauiſſima, eademque publica cauſa, & in eos dumtaxat qui admonitionibus contumaces ſe exhibuerint, eſſe adhibendam tradiderunt [m]: cum alioqui numquam negarint eam in meritos infligendam eſſe. Nam quæ ſubduriuſcule à Chryſoſto. dicta videntur ea homilia, cui⁹ eſt titulus *De non infligendo Anathemate*; quoniam ex rei geſtæ occaſione verborum ſenſus accipiendus eſt, dicetur de eo inferius [n] ſuo loco. Immo & ob bona temporalia (quæ omnium minima cauſa iudicatur) poſſe pertinaces eiuſdem ſeueritate Cenſuræ percelli, S. Auguſtinus [o] docet. Quibus autem verbis Excommunicationis ſententia antiquitus proferri ſoleret, expreſſam habes eius formulam in Epiſtolis [p] Syneſii magni illius Ptolemaidis Epiſcopi, qui floruit tẽpore Theodoſii Imp. cum illam promulgauit in Andronicum Pentapolitanæ Præfectum prouinciæ. & in Tonantem ibidem magiſtratum gerentem: de quo item dicetur [q] ſuo loco. Permulta inſuper his addi poſſent: ſed ſatis iſta ad Eccleſiaſticas traditiones pro ratione inſtituti inſinuandas ac confirmandas.

VTILIS ANIMADVERSIO, SED HAVD TEMERE INFLIGENDA.
m Greg. Naz. orat. de moder. in diſp. ſeruand. Chryſ. hom. 76. ad pop. Antioch. Ambr. 2. officio. 27. & alibi.
n an 382. num. 9.
o Aug. ep. 54. ad Maced.
p Syneſ. ep. 58.
q an 411.

VIII. DEGRADATIO.
r Vid. Tert. de bapt. c. 17. Cypr. ep. 65. ad Regat. Aug. ep. 235. ad Quint.
SVSPENSIO.
s Cypr. ep. 10. Aug. ep. 137. 236.
t Aug. ep. 136. 137. Cypr. ep. 10. 66.

Id tamen nõ omittimus, fuiſſe (vt nunc eſt) apud maiores [r] Eccleſiaſticam illam cenſuram in obſeruatione, quæ dicitur Degradatio, ſeu *exauctoratio*, vel DEPOSITIO, cũ Eccleſiæ miniſter ob aliquod facinus ex officio & Ordine deiicitur: Itemque illam, quæ dicitur SVSPENSIO [s] cum clericus ne in Ordine ſibi collato miniſtret, ab Epiſcopo vetatur. Erat & illa vſu frequens [t] animaduerſio, vt delinquẽtis clerici nomen deleretur ab Eccleſiæ tabulis, vel ſaltẽ cum aliqua ſuſpicione laboraret, ſupprimeretur, nec ſicut ceterorum publice recitaretur. Suntque inſuper aliæ pœnæ Eccleſiaſticæ, quæ tum in Canonibus qui dicuntur Apoſtolorum, tum etiam in Conciliorum decretis habentur expreſſe. Sed de his hactenus; ad quæ defleximus occaſione inceſtuoſi à Paulo excommunicati.

IX.
u 2. Cor. 2.
DE INDVLGENTIA IN ECCLESIA CONCEDI SOLITA.
x Conc. Nic. c. 11. 12.

Porro eodem poſtea facti pœnitentem, idem Apoſtolus indulgens abſoluit [u]: cuius exemplo, & auctoritate ſibi in Apoſtolis à Chriſto conceſſa, merito ſibi Eccleſia vendicat vt peccantibus interdum largiatur indulgẽtiam: eiuſque rei frequens in veteri Eccleſia reperitur, vſus, cum perſecutionum temporibus lapſi Fideles. poſtea, ad Eccleſiam redeuntes, & exomologeſin facientes, Indulgentiam vel de iniuncto, vel de iniungendo pœnitentiæ tempore, quo extra communionem in afflictione agere deberent, inſtanter deprecabantur. Et in Magno Nicæno Concilio [x] ſtatutum reperitur, vt pro animi ardore, quo quis ſuſceperit iniunctam peragere pœnitentiam, poſſit Epiſcopus indulgentiam illi præſtare. Verum de his alias: nunc cetera Epiſtolæ Pauli proſequamur.

X.
y 1. Cor. 6.
DE IVDICIO ECCLESIASTICO.
z Clem. l. 2. Conſt. 49. & ſeq.
a Epiph. hær. 45. & 70.
b Chryſ. ho. 16. in 1. Cor.
c Theod. 1. Cor. 6.
QVEM PRÆFICIENDVM IVDICIO PAVLVS CENSVERIT.
d Clem. & Chryſ. vbi ſupra.
e Ambr. in 1. Cor. 6. & ep. 49. ad Marc.
f Aug. de op. monach. c. 29. & in pſ. 118. conc. 24.
g ep. Greg. Nyſ. in vit. de vit. Greg. Thaumat.
h Ambr. ep. 49. & ep.
Aug. 6. Confeſ. 3.
Aug. de ſupra, & ep.

De Iudiciis poſthæc Apoſtolus agens [y], Corinthios redarguit acriter, quod lites inter ſe exercerent, nec magis diligerent iniuriam pati, acrius vero, quod ad eas dirimẽdas tribunalia Infidelium adirent, & non potius vel minimos qui eſſent in Eccleſia conſtituerent ad iudicandum. In quam ſententiam, quod pertinet ad Iudiciorum antiquum vſum in Eccleſia ſeruari ſolitum, multa leguntur apud Clementem ex Conſtitutionibus [z] Apoſtolicis: quas cum Epiphanius [a] aliquando citet dubium non eſt illum commentarium eſſe antiquiſſimum. Ex his porro liquet (quod & Chryſoſtomus [b], & Theodoretus [c], ac reliqui Patres affirmant) mentem fuiſſe Pauli, non quemlibet ex Chriſtianis infimi ordinis iudicio præficere, ſed ſapientẽ: idemque ipſe Paulus iudicat, dum Corinthiis exprobrat, quaſi nullus eſſet inter eos ſapiens qui poſſet de ipſorum controuerſiis iudicare. Immo nec quoslibet ex ſapiẽtibus, ſed Sacerdotes & Epiſcopos ex ſententia Pauli, Iudiciis præficiendos eſſe, tum ab iiſdem auctoribus [d] aſſeritur, tũ ab Ambroſio [e], Auguſtino [f], & aliis confirmatur. Eamdẽque re ipſa Epiſcopos exercuiſſe Iudiciariam poteſtatem vt etiam cauſas ſæculares litigantium Chriſtianorum audirent ac definirent vel cum à diſſidentibus inter ſe partibus arbitri eſſent electi, vel vt male à ſæcularibus Magiſtratibus iudicata retractarent; complura ſunt veterum Sanctorum exempla, Gregorius [g] Thaumaturgi, Ambroſii [h], Auguſtini [i], Syneſii [k], & aliorum quamplurimorum.

147. & alibi ſæpe.
k Syneſ. ep. 57.

XI. EPISCOPI IVDICES IN ECCLESIA.
l Heb. 6. & 7.
m 1. Pet. 2.
n Ioan. 5.
o Ioan. 20.
p Pſal. 44.
q Pſal. 121.
r Apocal. 2.
s Pſal. 44.
t 2. Cor. 10.
u 1. Cor. 4.
x Matt. 13.
y Rom. 13. Tit. 3. 1. Pet. 2.
SACERDOTIVM REGNO PRÆSTAT.
z Greg. Naz. orat. ad ciu. Naz.
a Chryſ. ho. 33. in Matt hom. 4. & 5 in verb. Iſa.
b Ambr. de dignit. ſacer. c. 2.
c ab Seuer. in Vit. S. Mart. c. 23.
cc 2. Cor. 10.
d Pſal. 149.
VSVS SACERDOTALIS POTESTATIS.
e Aug. in Pſ. 149.

At vero eiuſmodi *Iudiciariam Epiſcoporum poteſtatem*, nõ tantum ex dicta inſtitutione Apoſtolica proueniſſe, ſed ab ipſo Domino duxiſſe principium & accepiſſe auctoritatẽ, certum eſt: quippe qui rex [l] ſimul exiſtens atq; Sacerdos, conſtituit in Eccleſia in ęternum permanſurum [m] Regale Sacerdotium; & omne Iudicium quod à Patre accepiſſet [n], transfudit in ſuos, cũ eos miſit [o] ſicut miſſus ab illo fuerat: eoſdemque conſtituit Principes [p] ſuper omnem terrã, vt ſederent [q] in Iudicio, & regerent [r] omnes gentes in virga ferrea; quæ eſt virga [s] directionis, tum ad vlciſcendum [t] omnem inobedientiam, tum ad docendum [u] in charitate & manſuetudine. Quæ tamen non ita accipienda ſunt, vt politicum Chriſtus regnum voluerit eſſe ſublatum, quod ecõtrario tum ab ipſo [x], tum ab eius Apoſtolis [y] eſt æque firmiter ſtabilitum ſed ita vt illud ſubiecerit ſpiritualis Eccleſiæ dominio. Cum enim reges, quantumlibet Chriſtiani, nonniſi inter laicos adnumerentur; nullum relinquitur dubium, qui maiorem illis habeant poteſtatem ſacri miniſtri, qui regnum vna cum ſacerdotio iũctum habent: ſicut & SS. Gregorius [z] Naziãzenus, Chryſoſtomus [a], Ambroſius [b], Martinus [c], aliique omnes antiqui Patres, tam verbis, quam factis, pari conſenſione docuerunt. Eoq; reſpicit quod dicebat Apoſtolus [cc], *Arma noſtra non ſunt carnalia ſed Deo potẽtia*; nimirum longe illis præſtantiora *ad faciendam vindictam* (quod habet pſalmus [d]) *in nationibus, & increpationes in populis; ad alligandos Reges eorũ in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant in eis Iudicium cõſcriptũ. Tales enim compedes* (inquit Auguſtinus [e]) *conſolidat vobis Epiſcopi manus*: ſed tum quidem, cum illi quoquo modo in Deum inſurgunt, & à recta viuendi ratione & diſciplina Chriſtiana deſciſcunt: ſicut videbimus ſuis locis Fabianum Papam in Philippum Imperatorem, Ambroſium in Theodoſium Seniorem, Symmachum in Anaſtaſium, & alios innumeros ſacerdotes in alios maximos Principes vigore ſacerdotali fortiter æque ac laudabiliter, cum exegit neceſſitas, inſurrexiſſe.

XII.
SACERDOTVM POTESTAS APVD OMNES GENTES SVMMA.
f Strab. l. 17.
g Æl. 14. var. hiſt. c. 34.
h Euſeb. in Chron.
i Agath. l. 2.
k Ioſ. 14. ant. 16.
l Cæſar l. 6. de bel. Gal.
m Cic. l. 2. de legib.
n Xenoph. l. 4. de fact. & dict. Soc.

Denique ſicut iure naturæ eodemque diuino, ſtatutum eſt vt inferiora ſuperioribus ſubiecta pareant, quo magis perficiantur, & finem ſuum feliciter conſequantur: ita etiam regnum Politicum parere debere Eccleſiaſticæ præfecturæ, vel ad hoc ſaltem vt à Deo promiſſum cœleſte Regnum homines conſequantur, exploratum cuiq; eſſe debet. Sic enim & apud antiquiores Hebræos, penes ſacerdotes ſumma fuit rerum; & cum Reges habere cœperunt, hi ſubiecti fuere Summo Pontifici, qui ſuo arbitrio moderabatur magnum illud Concilium Sanhedrin ſeptuaginta duorum Seniorum, cuius (vt vidimus) erat de Lege, Rege, atq; Propheta iudicare. Et apud Gentiles communi ac naturali conſenſu cuncta Sacerdotum arbitrio regebantur, etiam quæ ad politicum ſpectarent imperium: vt de Æthiopibus teſtatur Strabo [f]; de Ægyptiis Ælianus [g]; de Perſis, eorumque Magis, Euſebius [h] Agathias [i], & alii Antiquiores; de Athenienſibus & Areopagitis, Ioſephus [k]; De Gallis & Druidis, Cæſar [l]; de Romanis & eorum Auguribus, Cicero [m] atque alii. Si igitur (quod Socrates apud Xenophontem [n] dicit) quod ab omnibus gentibus obſeruatum eſt, id nonniſi à Deo ſancitum eſſe dicendum eſt: profecto etiamſi nulla de his in diuinis Scripturis ſcripta lex appareret, tamen Sacerdotum Iudiciaria poteſtas diuino iure conceſſa, ex dictis iam ſatis probata haberetur. Itaque modo ad Epiſtolam Pauli redeamus.

XIII.
o Athan. in Synop. in ep. 1. ad Cor.
p Theod. in 1. Cor. 7.
CONIVGATORVM LEGES CORINTHIIS IMPOSITÆ.

Cum inter alia multa, quæ Corinthiorum Eccleſia ad Paulum ſcripſerat, etiam conſuluiſſet (vt inquiunt Athanaſius [o] & Theodoretus [p]) num recta eſſet illorum ſententia, qui prætextu continentiæ vxorẽ vel dimittere vellent, vel cum ea caſte agere: ad ea reſpondit Apoſtolus, vt propter fornicationem vnuſquiſque ſuam vxorem haberet (hoc eſt, retineret) & vnaquæque ſuum virum; neque fraudarent inuicem; niſi forte ex conſenſu ad tempus vt vacarent orationi, & iterum reuerterẽtur in idipſum propter incontinentiam. Fuiſſe enim Corinthios natura ſalaciſſimos, ac præ ceteris Græcis coluiſſe turpiſſime Vene-

rem,

rem, omnes auctores teſtantur. Ne vero crederetur Apoſtolus hanc veluti legem quamdam de reuertendo in id ipſum, omnibus præſcripſiſſe; mox ſubdidit, ſe id dixiſſe ſecundum indulgentiam) nempe quod eorum continentia adhuc eſſet infirma atq; ſuſpecta) non ſecundum imperium; cum alioqui omnes eſſe continentes optaret.

XIV. CONTINENTIA EX CONSENSV MVTVO.

Ceterũ conſueuiſſe frequenter Chriſtianos coniuges, ex mutuo conſenſu perpetuam ſeruare caſtitatem, etiam de primis Eccleſiæ temporibus docent Tertullianus [q], & apud [r] Cyprianum auctor commentarii de ſingularitate Clericorum; ac de poſterioribus extant plurima ſanctiſſimorum virorum & feminarum exempla, quorum aliqua nos inferius ſuis locis referemus: eamque rem ſibi eſſe gratiſſimam, Deus multis editis miraculis [s] comprobauit: cum verum matrimonium non carnalis copula, ſed animorum conſenſus faciat. Rurſumque ex inſtitutione eiuſdem Pauli, monentis ne fraudarent inuicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus vt vacarent orationi; manifeſtum eſt proceſſiſſe atque perſeueraſſe eam conſuetudinem in Eccleſia, vt coniugati certis diebus ſe temperarent; de qua tum alii [s] meminerunt, tum S. Auguſtinus [t] mirabiliter aſſerit, ſiqui vxores ſuas in profluuiis poſitas agnouerint, aut in die Dominico aut qualibet alia ſolemnitate ſe continere noluerint; qui tunc concepti fuerint, aut leproſos, aut epilepticos, aut etiam forte dæmoniacos naſcituros.

q Tert. ad vxor. l. 1. c. 6. de reſur. carn. c. 8. de vel. virg. c. 11.
r Vid. inter alios Greg. Tur. de glor. Confeſ. c. 32.
s Cyril. can. 4. Greg. 1. dial. 10. alibi.
t Aug. ſerm. 244. de temp.

XV. MATRIMONIVM SACRAMENTVM.

Addit poſthæc Paulus [u] præceptum Domini de inſolubili vinculo veri Matrimonii, & conſilium ſuum de Connubiis Fidelium cum infidelibus. Ac demum agit de MATRIMONII excellentia: dumque illud coniunctioni Chriſti cum Eccleſia comparat, pariter ad Epheſios [x] ſcribens *Sacramentum magnum* appellat, quod ſcilicet repræſentet vinculum quo Chriſtus cum Eccleſia iungitur. Vnde & veteres Pauli interpretes Matrimonium quod inter fideles contrahitur, Sacramentum congrue appellarunt. [y] Et quamuis aliqui [z] vocem Sacramenti ad coniunctionem Chriſti cum Eccleſia retulerint, nihil tamen impedit quo minus & ipſum Matrimonium ſit Sacramentum: ſicut nec impedimento eſt, quo minus Sacramentum aliquod in ſe ſit, & alterius rei myſticam habeat ſignificationem: immo id peculiare eſt omnibus Sacramentis, vt ſit ſacræ rei ſignum.

u 1. Cor. 7.
x Epheſ. 5.
y Clem. Alex. Strom. l. 3. Chryſ. hom. 56. in Gen. Aug. de fid. & oper. c. 7. & de bono coniug. c. 7. 18.
z Feſtus in Lyb. 3.

XVI. SACRI RITVS MATRIMONII.

Sed quod ad RITVS NVPTIARVM ſpectat; primum quidem non aliunde quam ab Apoſtolica traditione, vt non ſine ſacerdotis præſentia matrimonium contrahatur; & Ignatius [a] qui his ipſis viuebat Apoſtolorum temporibus, ſatis demonſtrat, dum illud non aliter debere contrahi docet; & ipſe Apoſtolus non obſcure indicat, dum inferius ait nubendum eſſe in Domino, hoc eſt ſecundum leges, & ritus Eccleſiæ ab ipſis Apoſtolis traditos. Quos ex parte deſcribens Tertullianus, [b], *Vnde* (inquit) *ſufficiam ad enarrandam felicitatem eius Matrimonii, quod Eccleſia conciliat, & confirmat Oblatio, & obſignatum Angeli renunciant, Pater rato habet?* Nam per Eccleſiæ *conciliationem* ſignificat ritum, quo per ſacerdotem iunguntur in vnum contrahentium dextræ: quibus accedit oſculi ſancta libatio, atq; velatio, de quibus idem auctor [c] alibi agit: ac demũ ſubſequitur benedictio, & forma quædam verborum perficiens matrimonium, de quibus agitur in concilio [d] Carthaginenſi Quarto. Porro per *Oblationem* Tertullianus Miſſæ inſinuat ſacrificium, quod (vt antiqui Rituales libri Eccleſiaſtici docent) in matrimonii, confederatione offerri à ſacerdotibus conſueuit: poſt vero eiſdem contrahentibus ſolitam (vt nunc fit) impertiri ſacram Euchariſtiam idem auctor alibi [e] docet. *Per Angelorum* autem *renunciationem*, ſacerdotum intelligit ſolitam fieri in Eccleſia denunciationem matrimonii inter partes antea pacti. Nam per Angelos Tertullianus ſacerdotes intelligere conſueuit: ſicut & Ioannes Apoſtolus in Apocalypſi [f] Epiſcopos vocauit Angelos. Niſi velimus Tertullianum de cœleſtibus Angelis intellexiſſe, ſecundum quod ſubdit *Pater rato habet*, nempe cœleſtis. Occulta certe matrimonia, hoc eſt quæ non prius apud Eccleſiã manifeſtarentur, apud antiquos Chriſtianos haud ſecura fuiſſe docent alio loco idem Tertullianus [g]: vt videas non eſſe nouum quod à ſacroſancto Concilio Tridentino [h] ſancitum eſt, clandeſtinas nuptias abſque præſentia parochi in facie Eccleſiæ minime celebratas, haberi nullas.

a Ignat. ep. ad Polycarp.
b Tert. ad vxor. l. 2. in fi.
c Tert. de vel. virg. c. 11.
d Conc. Carth. Quart. c. 13.
e Tert. de monog. c. 11.
f Apocal. 2. & 3.

MATRIMONIA CLANDESTINA IMPROBATA

g Tert. de pudic. & de monog. c. 11.
h Conc. Trid. ſeſ. 24. de reform. matrim. c. 1.

XVII. DE ANNVLO SPONSALI.

Conſueuiſſe quoque Chriſtianas mulieres Annulos aureos geſtare, teſtatur Clemens [i] Alexandrinus: eos vero dari ſolitos à ſponſis arrhæ nomine, docet vſus; inde fortaſſis ortus, quod non tantum apud Romanos (vt auctor eſt Plinius [k]) in qualibet pactione loco arrhæ tradi ſoleret, ſed etiam apud antiquiſſimos Hebræorum, vt docet exemplum Iudæ dantis [l] Thamar annulum in arrham pretii promiſſi. Cum vero diuerſis ſolerent annuli ſignis inſculpi, apud Chriſtianos antiquus obtinuit vſus vt ſponſales ſigno fidei; quod eſt hieroglyphicum mutui fœderis atque concordiæ ſculperentur: id enim præſeferant [m] coniunctæ ſimul dexteræ; nec apud Chriſtianos tantum, ſed Iudæos, Romanos, aliaſque complures barbaras etiam nationes. At de his modo ſatis: reliqua proſequamur.

i Clem. Alex. l. 3. pæd. 11.
k Plin. l. 33. c. 1.
l Gen. 38.

SIGNA ANNVLORVM QVALIA.

m Vid. Cel. Rhodig. l. 4. c. 3. & Pier. in Hieroglyph.

XVIII. DE VIRGINITATE ET CONTINENTIA, PAVLI CONSILIVM.

Cum igitur Apoſtolis eiuſmodi coniugiorum leges promulgarit, & miro quodam diſcretionis iudicio quædam ſe illis vt neceſſaria imperare; quædam vero vt debilibus indulgere ſe diceret: cum triplicem hominum ſtatũ inter ſe conferret, nempe *Coniugatorum; Virginum*, atque *Viduorum* duos poſteriores abſq; aliqua cõtrouerſia priori anteponendos eſſe iudicauit; ſuamq; de re tantá ſententiam, ſuo ipſius exemplo, diuinique Spiritus teſtimonio ratam obſignatamque, non tantum Corinthiorum, ſed totius Orbis Eccleſiæ Catholicæ tradidit promulgãdam; quam olim Dominus Euangeliſta [n] excipiẽte dictauerat. Quantum vero Corinthii doctrina Pauli profecerint, ſatis poſſumus intelligere ex eo quod Tertullianus [o] ait ipſos virgines ſuas velare ſolitos. Erat enim, vt idem aſſerit, velũ virginitatis inſigne. Sed & quod Paulus Corinthios primum docuit in ceteras Chriſtiani Orbis Eccleſias eſſe feliciter propagatum, tum idem auctor [p] teſtatur, tum etiam Iuſtinus [q] Martyr, Cyprianus [r], & alii quam plurimi. Immo & ipſorum iam Apoſtolorum temporibus, Sanctarum Virginum ac Viduarum collegia, quæ nos *Monaſteria* dicimus, vbique eſſe cœpiſſe; auctores eiuſdem ſæculi, SS. Ignatius [s] Antiochenus & Clemens [t] Romanus teſtes ſunt locupletes. Et S. Hieronymus [u], doctus Iouinianum demonſtrat, in quatuor filiab. Philippi Diaconi, quarum Lucas [x] meminit, poſt Crucem Chriſti conſecratas eſſe primitias Virginitatis. Ac denique quotquot vmquam poſt Apoſtolos extiterunt Catholici tractatores; eiuſdem Virginitatis ſublimem in Eccleſia ſtatũ mirifice prædicarunt: quos prætermittimus recenſere; ſatis putantes hæc ex Apoſtolicis fontibus duxiſſe. Cum & alioqui certum illud atque exploratum habeatur, non tantum in Chriſti Eccleſia poſt Euangelii promulgationẽ, ſed & antea, atque adeo vbiq; gentium (vt pluribus oſtendit idem Hieronymus) Virginitatem in pretio extitiſſe; & apud omnes tam poeticis quam hiſtoricis literarum monumentis ſemper ante omnia commendatam, licet petratus eiuſmodi flos appareret, quo poſt Chriſti aduentum fœcundo germine abundarunt Eccleſiæ campi.

n Matt. 19.
o Tert. de vel. virg. c. 9.
p Tert. de vel. virg. c. 2.
q Iuſt. orat. ad Anton. Pium.
r Cypr. de hab. virg.

COLLEGIA SACRARVM VIRGINVM ET VIDVARVM.

s Ignat. ep. 8. 10. 12. 13.
t ep. Epiph. hæ. 30.
u Hier. contr. Iouin. l. 1.
x Act. 21.

VIRGINITAS ETIAM AB ETHNICIS LAVDATA

XIX.

Ceterum dum eodem loco Paulus [y] Apoſtolus hortatur Virgines & viduas, vt ſic permaneant ſicut & ipſe; ſe plane cælibem agere vitã aperte ſignificauit: eorumq; verborum illũ eſſe germanũ ſenſum, omnes omnino Patres quotquot fuerũt in Eccleſia Catholica Scriptores Eccleſiaſtici intellexerunt; quorum nonnullorum catalogum Hieronymus [z] texuit; nec niſi à corruptoribus, & ad libidinẽ conuerſis aliter poſſe intelligi Epiphanius [a] aſſeruit. Sed enim vnus reperitur Clemens [b] Alexandrinus, qui Paulum coniugatũ fuiſſe deduxit ex eius verbis [c], quibus ait, *Nũquid non habemus poteſtatem, ſororem mulierem circumducendi, &c.* quem etiam in locum Nouatores incõtinentes de vxorẽ intelligunt, abuſi ambiguitate Græcæ vocis γυνὴ quæ tam *vxor* quam *mulier* Latine æque dicitur. At vero ſi vxorem Paulus ſignificare voluiſſet; vtiq; qui Græce ſcripſit, Græci ſermonis regulam ſeruaſſet; nec ſimpliciter γυναῖκα dixiſſet, ſed articulo neceſſario addito, τὴν γυναῖκα. Ideoque non de vxore, ſed de ſorore ſcriptores antiqui,

y 1. Cor. 7.

DE CAELIBATV PAVLI.

z Hier. ep. 22.
a Epiph. hær. 30.
b Clem. Alex. Strom. l. 3. & ep. Euſeb. 3. hiſt. 24. & Nic. l. 2. c. 44.
c 1. Cor. 9.

REFELLVNTVR OBIECTIONES.

Tertullianus [d], Hieronymus [e], Auguſtinus [f], Chryſoſtomus [g], Theodoretus [h], Iſidorus [i], Peluſiota, & alii ea verba interpretati ſunt, nec vllo modo poſſe de vxore accipi docuerunt: ſiue *Sororem* Paulus intellexerit de eiuſmodi mulieribus quę iuxta morem Iudaicum magiſtris de ſua ſubſtantia miniſtrabant, ſicut legimus ipſi quoq; Domino factitatum (conſueuerant enim Iudæi, ſuæ gentis feminas *ſorores* nominare, & viros *fratres*) ſiue de ſua ipſius ſorore, eademq; germana; cum Lucæ [k] teſtimonio conſtet Paulum habuiſſe ſororem, cuius filius ipſum liberauit ab inſidiis Iudæorum. Quod vero & alium admouentes arietẽ qui in Pauli cælibatum inſurgunt, eiuſdem verba in ipſum intorquent, quibus alibi ait: [l] *Rogo te germane compar, &c.* quo loco nouus interpres, euertens potius quam vertens, pro germano germanam eſt interpretatus contra receptum omnibus ſeculis Orthodoxorum ſenſum: equidem non tantum de viro intellexiſſe Chryſoſtomum & Græcos omnes certũ eſt, ſed & nomen proprium cuiuſpiam illud eſſe Oecumenius exiſtimauit: Theodoretus vero etiam ſtultos eos vocat, qui vocem *compar*, quod communis ſit tam maſculo q̃ feminæ, de coniuge Pauli intelligerent.

d Tert. de monog. c. 8.
e Hier. adu. Iouin. l. 1.
f Aug. de oper. monach. c. 4.
g Chryſ. in 1. Cor. 9.
h Theodor. ib. & alii veteres.
i Iſid. Peluſ. ep. ad Iſid. diac.
k Act. 23.
l Philip. 4.

XX. His autem Nouatores minime contendi argumentis, inſuper addiderunt, vt deprauata Ignatii epiſtola ad Philadelphios, inter eos quos ille recenſet fuiſſe coniugio obligatos, poſt Petrum appoſuerint & Paulum atq; alios Apoſtolos. Sed facile detegitur impoſtura, quod antiquiores vel Græci vel Latini Codices, qui Romæ in Bibliothecis Vaticana, Sfortiana, & aliis aſſeruantur, nec non antiquiſſimus ille Bibliothecæ Regis Pannoniarum Matthiæ Coruini, aliique omnes eiſdem tempore æquales, nullo modo Pauli nomen agnoſcunt. Quod ſi recentiores quidam Græci codices habeant, haud dubium ab illis Græcis additium acceperũt, qui quod vxores retineant cum ſacerdotio, Paulum in defenſionem ſuæ ipſorum incõtinentiæ velint habere conſortẽ. Certe enim apud antiquiores ſcriptores, ſiue Orthodoxos qui pro cælibatu inſtituerunt defenſiones, ſiue hereticos qui eumdem impugnarunt, licet Ignatii Epiſtolarum lectioni aſſuetos, nulla vmquam de eiuſmodi ipſius verbis vel minima facta eſt mentio, quibus alioqui nullo negotio valuiſſet de cælibatu Pauli controuerſia dilui. Imo & ipſe Virginitatis hoſtiũ princeps, ipſiq; Paulo infenſiſſimus, Ebion [m] hæreſiarcha, eum cælibem fuiſſe aſſerebat, dum tentaſſe quidem vxorem accipere filiam ſacerdotis Iudæi, ſed quoniã quam cupiebat non accepiſſet, idcirco relictis Iudæis ad Chriſtianos ſe conuertiſſe mentiretur. Haud vero quempiam tantopere inſanire credo, vt velit Paulum cælibem vitam egiſſe dum Iudæus permanſit, ad Chriſtum autem conuerſum, & Orbis vniuerſi peregrinationi ad ingentem Apoſtolatus gentium molem agitandam delectum, elegiſſe inſolubilibus coniugii nexibus, & importunis rerum domeſticarum anxietatibus deuinciri. Sed iam cetera videamus.

Aſſertor iſ cælibatus Pauli.

m ap. Epiph. hær. 30.

XXI. Pergens Paulus Corinthios hortari, vt vnuſquiſque ſicut vocauit Deus, ita ambularet; inter alia monuit [n] vt circumciſi non inducerent præputium, hoc eſt ne Iudæi credentes in Chriſtum idem facerent quod ceteri conſueuerant cum ad Gentes deficerent. Sane enim apud Iudæos à prauis hominibus eam vigniſſe malis artibus excogitatam perfidiam, vt ad libitum, cum vellent à patriis legibus ad Gentiles deficere, præputium ſuper circumciſionem inducerent, ſicque ſe Iudæos negarent, teſtatum etiam habetur in libris [o] Machabæorum, & apud Ioſephum [p]: & qua arte id fieret, Epiphanius docet cum agit de Symmacho Interprete qui ſecundo eſt circumciſus: vbi & ait Iudæos exiſtimare, illud primo ab Eſau fuiſſe inuentum ad abnegationem Dei, & deletionem characteris patrum ipſius. Vnde quod aliquando [q] Martialis & Perſius Iudæos *recutitos* appellant; putarunt ipſorum Interpretes ad eos reſpexiſſe, quibus poſt circumciſionem noua cutis reſtituta eſt: licet alias appellent etiam recutitos, hoc eſt circumciſos.

n 1. Cor. 7.
De Iudæis præputium adducentibus.
o 1. Mach. 1.
p Ioſ. 12. ant. 6.
q Mart. l. 7. in Cælian. Perſ. Sat. 5.
Iudæi recutiti.

XXII. Poſt hæc vero Paulus, cum multa diſſeruiſſet de victu miniſtrando iis qui annunciant Euangelium: tandẽ in ſancitam à Domino legem promulgans [r] ait, *Ita Dominum ordinaſſe iis qui Euangelium annunciarent, vt de Euangelio viuerent.* Certe quidem ipſum Dominum, cum munus prædicationis obiret, ex his quæ dabantur [s] vna cum ſuis victũ cepiſſe; & poſt eius Aſcenſionem Apoſtolos ac ceteros e gentes ex Fidelium [t] oblatis bonis victitaſſe, notum eſt. Fide vero amplioribus ſpatiis propagata, ac proinde ſicut Chriſtianorum, ita etiam iiſdem inſeruientium aucto numero Clericorum; auctus eſt pariter Oblationum prouentus, etiam vſq; ad Gentilium [u] inuidiam & Imperatorum quantumlibet Chriſtianorum odium, qui eas cohibere (arbitrio voluntatis potius, quam recti iudicii ratione) ſæpe conati [x] ſunt: cum tamen Gentilium ſacerdotibus, ſeculi Principes ex ipſis etiam publicis horreis victũ affatim olim ſuppeditaſſe [y] conſtet. Ceterum Epiſcopos ſingulis menſibus Eccleſiæ miniſtris Oblationes erogare conſueuiſſe, prout opus eſſe videbatur, Cyprianus [z] docet; & clericos qui eiuſmodi menſtruam ſportulam acciperent, *Sportulantes* [a] vocat.

r 1. Cor. 9.
s Ioan. 12.
t Act. 2.
Oblationibus ſuſtentati Dei miniſtri.
u Ammian. Marcel. l. 27.
x L. 20. C. Th. de Epiſ. & cler. l. 20. C. Iuſtin.
Hier. ep. 2. ad Nepot.
Amb. adu. Symmach.
y Gen. 47. Strab. lib. 13. Amb. ep. ad Valentin. ſup. ante relat. Sym. & alii.
z Cyp. ep. 34. ad Cle. in ſi.
a Id. ep. 66.

XXIII. Quod autem pertinet ad Decimas; etſi illę iure diuino in lege [b] veteri primitus imperatæ noſcuntur (de quarum ratione, & denario numero, pluribus egit Philo [c] Iudæus) tamen ſicut ante legem ſcriptam illas Abraham [d] de pugna quinque Regum victor, perſoluit Magno Sacerdoti Melchiſedech: ita & Gentiles quodam religionis impulſu ſæpe in bello de manubiis vouiſſe Diis ſuis Decimas, & reddidiſſe, ſcriptorum [e] veterum monumenta teſtantur paſſim. Itaq; licet Chriſti Eccleſia legalibus Hebræorum non adſtringatur (nam ea ex parte Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem Baptiſtam) tamen iure naturæ quo præcepta moralia ſunt ſeruanda, uno & diuino, illę debentur etiam ſacerdotibus Chriſtianis. Quid enim tam naturale, quam vt (quod ait Paulus [f]) qui plantat vineam, de fructu eius edat; qui paſcit gregem, de lacte manducet; qui ſeminat ſpiritualia, ſaltem metat carnalia; & qui militat, ſtipendiũ accipiat. Quin & per Melchiſedech Regem ac Sacerdotẽ Chriſtianæ religionis regale ſacerdotium præfiguratum; ac per Abraham qui ei decimam dedit, laicos omnes eſſe adumbratos (figura ſignante nimirum præſtandas à laicis Chriſti ſacerdotibus decimas) Ioannes [g] Chryſoſtomus aduerſus Iudæos pluribus docet. Et certe niſi Paulus voluiſſet legis etiam antiquæ ea de re præcepta in Chriſtianam religionem transferri, nequaquam inde mutuatus eſſet exemplum & auctoritatem, mandato etiam Domini confirmatam. Vt ita Decimas ad neceſſarium vſum Sacerdotum, Ius Naturæ imprimis præſtandas admoneat, Lex Dei præcipiat, Chriſtus confirmet, ac denique Apoſtolus iure id fieri demonſtret: quibus adde, quod id ipſum & Conciliorum decreta, de quibus agetur ſuis locis, & Patres [h] omnes qui de his meminerunt, faciendum admoneant: adeo vt Chryſoſtomus [i] ab opificibus etiam ipſis, & ab emptoribus ac venditoribus eas perſolui voluerit.

b Leu. vlt. Num. 18.
De Decimis.
c Phil. de congreſ. quær. erud. grat.
d Gen. 14.
e Dionyſ. Halic. Liui. Plut. Xenoph. & alii auct. & Lat.
Decimæ multiplici iure debitæ.
f 1. Cor. 9.
g Chryſ. orat. 4. aduerſ. Iud.
h Clem. 2. Conſt. c. 9. 31. 35. Orig. ho. 11. in Num. Hier. in Malach. 3. Auguſt. ſer. de temp. 215. 219. & hom. 48. de Sanct. & alii.
i Chryſ. hom. 43. in 1. Cor.

XXIV. Porro ſicut nec Leuitis olim, licet decimis ditarentur, interdicta erat Rerum immobilium poſſeſſio (quippe qui ex mandato [k] Dei in ſingulis tribubus vrbes Sacerdotales cum ſuis ſuburbanis haberent, & poſſeſſionib. quas alii Deo vouiſſent ipſi fruerentur) ita nec Chriſtianæ legis ſacerdotibus eiuſmodi bonorum poſſeſſio interdicta probatur. Eccleſias enim Chriſtianorum etiam olim ſub Gentilibus Imperatoribus poſſeſſiones habuiſſe, non tantum Pij [l] Papæ Primi, & Vrbani [m] item Primi, quos alii citant, epiſtolę declarant; ſed ipſa Imperatorum [n] Conſtantini atq; Licinii edicta, quib. eas in perſecutione Diocletiani atq; Maximiani illis ablatas reſtitui mandarunt. Regnantibus autem Principibus Chriſtianis, Eccleſias omnes locupletatas eſſe longe lateque ampliſſimis latifundiis, non eſt qui neſciat. Sicut & ea libera fuiſſe conſtat ab omni penſitatione tributi; niſi quod Apoſtata Iulianus tũ ipſa bona Eccleſiarum, tum earum miniſtros exactionib. vexauit eiuſq; affectatus veſtigia Valens Imp. Arianus tributũ à Clericis ac Monachis exegit: ac deniq; ſub Valentiniano Iuniore, Iuſtina Ariana ipſius matre moderante Imperium, Catholicorum Eccleſiis cenſus indictus eſt ex agris; quem perſoluere S. Ambroſius [o] ſecũdum Chriſtianam

k Ioſ. 21.
Bona immobilia poſſidet Eccleſia.
l Pius ep. 1. m Vrb. ep. ad omnes Epiſ.
n ap. Euſeb. lib. 10. c. 5.
Bona Eccleſiæ libera à tributis.
o Ambr. or. in Auxent. poſt ep. 32.

nam manſuetudinem non recuſauit, dummodo fidei Catholicæ ac ſacris baſilicis, quas Ariani ſibi vendicare conabantur, cautum eſſet. Cum alioqui ex Domini [p] ſententia, ſi non à filijs Reges tributum exigunt, quos ſubditos habent; multo minus ab eis quos ſibi ſuperiores eſſe cognoſcunt, ſub quorum cura Principes omnes intelligunt ſe ſub paſtoribus eſſe oues; longeque impar eſſe à paſtoribus oues lac & lanam exigere, cum potius iſta illæ teneantur paſtoribus exhibere. Quidni enim id Chriſtiani præſtent quod Ægypti ſacerdotibus [q] vbertim Pharao impendit? Quod ſi aliquando neceſſitate ingruentium bellorum preſſi Catholici Principes indiguerint quædam ab Eccleſijs ſubſidia accipere, id ſubmiſſo animo à totius Chriſtianæ religionis Antiſtite Romano Pontifice expetere conſueuerunt: cuius rei innumera ſunt exempla; ſed hæc alij locupletius. Iam cetera de quibus Paulus Corinthios monuit videamus; ſunt enim hæ ſacræ leges, quas non illis ſolum, ſed & Vniuerſali Eccleſiæ ſeruandas edixit.

p Matt. 17.
q Gen. 47.

XXV.
r 1. Cor. 11.
De velandis mulieribus.

Cum igitur eos optimis legibus ad mores ſpectantib. imbuiſſet, decentem quoque corporis habitum ſimul componere ſtudens, illud inprimis ſtatuit [r] vt mulieres velato capite, viri detecto in Eccleſia orarent. Quod vero ad Mulieres velandas pertinet, licet ipſe primus Fideles ad id agendum monuerit, non tamen eius rei primus eſt auctor: ſiquidem & aliarum Gentium feminas, etiam ante Chriſti aduentum, pudoris & honeſtatis cauſa velatas incedere conſueuiſſe, exploratiſſimum eſt; cum de Iudæis fidem faciat Tertullianus [s], de Gentilibus Troianis Clemens [t] Alexandrinus ex Homero; de Romanis Valerius [u], Tacitus [x], & Plutarchus [y]; de Græcis Apuleius [z], de Arabibus Tertullianus [a], de Lacænis Plutarchus [b]. Chriſtianas vero mulieres, virgineſque, non tantum Corinthi, ſed & in ceteris Orbis Eccleſijs mandatum Apoſtoli de velando capite amplexas eſſe, Tertullianus [c] aſſerit. Sed non de velo tantum ſollicitus fuit Paulus; verum & alibi [d] omnem illum à feminis ſuperfluum laſciuumque amputauit ornatum, qui eſſet concupiſcentiæ fomes: Præſtititque id ipſum Petrus [e]; & vix credi poteſt quãtum poſt eos laborauerint Apoſtolici viri [f], vt Chriſtianas feminas in modeſto tam capitis (cum & in ipſis velis multipliciter laſciuirent) quam totius corporis ornatu continerent.

s Tertul. de cor. mil. c. 4. t Cle. Alex. Pædag. li. 3. u Valer. li. 6. ca. 3. parag. 1[illegible]. x Tacit. 14. de Poppæa. y Plutar. q. Rom. 14. z Apul. de aſin. li. 11. a Tert. de vel. virg. c. 17. b Plut. Apophthegm. Lacon. c Tertul. de vel. virg. [illegible] 2. d 1. Tim. 2. e 1. Pet. 3. f Vid. Clem. Alex. 2. Pæd. 10. & l. 3. c. 11. Iuſtin. ad Seré. de vit. chriſt. Tert. de cult. fem. & de veland. virg. atque alios.

XXVI.
De ſacro velo.

Ceterum aliud erat ſacrum Velamen (vt vocat Ambroſius [g]) quo Deo dicatæ Virgines vti ſolerent: quippe quod denſiori tela contextum, nulla erat [h] ex parte perſpicuum; & à ſacerdote certis [i] verbis ac ritibus, nec niſi certis diebus benedici conſueuerat: cum & ad inſtar ſæcularium nuptiarum magna eſſet eiuſmodi ſacræ velationis celebritas, darenturque apophoreta [k] æque ac in ſumptuoſiſſimis conuiuiis Nuptiæ enim hæc ſolemnitas dici cõſueuit quod eæ Virgines ſpiritualiter Chriſto nubant [l]: eaque de cauſa, ſi fuerint præuaricatæ; Cyprianus [m] & alij [n] tam Græci quam Latini Scriptores. Chriſti adulteras eſſe dicunt: eoque progreſſus eſt S. Hieronymus [o], vt matrem Virginis Deo ſacratæ, Dei ſocrum nominauerit. Vnde & factum eſt, vt tot myriades Chriſtianarum Virginum, ne diſpendium paterentur virginitatis Deo ſemel dicatæ, libentius martyrium oppetere delegerint; quam hominis cuiuſpiam iungi conſortio. Adhæc eas non tantum ſacro tegi velamine, ſed & nigra indui veſte, & operiri pallio quaſi philoſophiam in profeſſas, ac laneo adſtringi cingulo, fuit olim in Eccleſia conſuetudo [p].

g Ambr. ad virg. lapſ. h Tert. de vel. virg. c. 15. Ambr. aduerſ. Sym. ep. 12. i Hieron. ep. 8. ad Demetriad. Gela. ep. ad Epiſc. Lucan. c. 14. k Aug. ep. 179 [illegible] l Tert. de vel. virg. c. 16 Opt. l. 6. Innoc. ep. 2. ad Victric. c. 12. & alibi. m Cyp. ep. 62. & de diſcipl. & hab. virg. n Baſil. Gre. Naz. & Nyſ. Hiero. Aug. Amb. &c. o Hie. ep. 27.

Virgines ſacræ, ſponſæ Chriſti.

Sic & in quibuſdam Eccleſiis, præſertim Syriæ & Ægypti, tam Virgo quam Vidua, quæ ſe Deo vouiſſent, Crinem monaſteriorum matribus offerebant deſecandum, iis de cauſis quas Hieronymus [q] recitat: immo & propter myſterium. Cum enim in ſignum ſubiectionis dati ſint illis capilli, Chriſto iam deſponſatæ in libertatem vindicantur, nec aliquid amplius viris debent. Quamque Deo diſpliceat ornatus capillorum, & corporis cultus in Virgine quæ propoſitum virginitatis arripuit, ſatis docet pauendum plane exemplum de Prætextata, quod Hieronymus [r] refert. Itaque & crinem amputare ſolitas Tabennenſiotas ſanctiſſimas virgines, quas S. Pachomius ab Angelo monitus inſtituit, auctor eſt Palladius in Lauſiacis. Neq; n. de his dicit Apoſtolus [s], turpe eſſe mulieri tonderi: ſed de illis q̃ viro ſunt obligatæ. Nec in eaſdẽ pronunciauit anathema Concilium Gangrenſe [t]; ſed, vt ex Sozomeno [u] optime colligitur, aduerſus mulieres hæreticas, q̃ Euſtathij Sebaſteni (contra cuius deliria, dicta Synod⁹ tela intorſit) deceptæ fraudibus, pietatis ſimulatione caput tondebant: quemadmodum & alia eiuſdem Concilij paradoxa ad hiſtoriæ veritatem ſunt referenda, vt eorumdem canonum ſenſus legitimus habeatur. Quamuis non eamus infictas, de tondendis crinib. diuerſas fuiſſe diuerſarũ Eccleſiarum laudabiles cõſuetudines. Legib. etn. Valẽtiniani [x] Imperatoris, in Occidẽtali Eccleſia id vetitũ accepim⁹. Et S. Ambroſius [y] nõniſi lapſam virginem, crinẽ deponere perſuadet in ſignum pœnitentiæ: Sicut & Franci [z] mulieres fornicantes decaluabant: & pariter apud Gentiles [a] id fuiſſe ignominioſiſſimum conſtat. Verum quia tam apud eoſdẽ Gentiles, quam etiam Chriſtianos, probauit vſus, vt quæ opinione hominum viderentur contemptibilia & ludicra, ſi religionis cauſa fierent, non tantum honeſta ac digna, ſed etiam ſacroſancta haberentur, vt idem S. Ambroſius pluribus alibi [b] diſputat: ideo & Gentiles ſuas Veſtales [c] virgines tondere conſueuerũt. & in Eccleſia id ipſum olim plurimi fecerunt, atque omnes vbique hodie faciũt.

p Hier. ep. 8. 12. 23. Conc. Nic. 2. Act. 4. de S. Ephrem.

XXVII.
De amputatione capillorum ſacrarum virg.

q Hie ep. 48. r Hier. ep. 7. ad Lætam. s 1. Cor. 11. t Conc. Gãgr. can. 17. u Sozom. l. 3. cap. 13.

Varii in eo ritus.

x l. 27. C. Th. de Epiſ. & Cler. y Ambr. ad virg. lapſ. c. 8. z Capitul. Frãc. l. 6. c. 2. a Vid. Apul. de aſin. li. 2. Cyp. de idol. vanit. & alios. b Ambr. ep. 30. ad Sabin. c Plin. l. 16. cap. 44.

XXVIII.
d 1. Cor. 11.
De cultu barbæ.

Sed vt de Viris quædam apponamus; quod Apoſtolus [d] monuit ne nutriant comam, eos ab effeminato mulierũ cultu remotos eſſe voluit. Proinde Barbam, quod ſit virorum inſigne, more androgynorum vellere, aut cute tenus radere, minus olim conſueuiſſe Chriſtianos facile perſuademur; cum & id minime faciendum eſſe doceat Chriſtianus [e] pædagogus. Sed quod pertinet ad Barbam tondendam ſecundum antiquum religionis cultum, pluribus agetur inferius cum de tonſura capitis erit ſermo. Sic & multos Chriſtianos, & maxime qui arctioris vitæ diſciplinã profiterentur, abiecta toga vti conſueuiſſe Pallio, Tertullianus [f] & alii docent: nimirum vt qui veræ ſapientiæ ſe eſſe ſectatores profiterentur, etiam ſtudioſorum ſapiẽtiæ habitum, nempe pallium induerent. Sed de ea quoque re pluribus inferius opportuniori loco. Quod vero eiuſmodi pallium quadrangulum fuiſſe, idem ſæpe Tertullianus repetat; quatuorque item angulos habere conſueuiſſet pallium quo vtebantur [g] Iudæi: inde facile adducimur, vt credamus, Chriſtianos ſicut à Iudæis hominibus, nẽpe Apoſtolis, ad pietatem eſſent inſtituti, ita etiam ab ijſdem potius quam à Græcis Philoſophis indumenti formam eſſe mutuatos, illis tamen reiectis quæ ad antiquæ legis cæremonias ſpectare viderentur. Denique conſueuiſſe nõnullos Chriſtianorum ſine calceis vel omnino nudis pedib. vel tantum ſoleis incedere, demonſtrat Clemens [h] Alexandrinus, ſimul docens quam illud pulchre conueniret. Vt non ſine cauſa Lucianus [i], inſtar horum quæ dicta ſunt habitum Chriſtiani cuiuſdam hominis deſcripſerit, Pallium putre, ſine calceis, & tegmine, capite incedens detonſa coma.

e Cle. Alex. 3. pædag. 3. & 11. f Tert. li. de pal.

Pallii vſus.

g Deut. 22.

De calceis.

h Cle. Alex. 2. pædag. 11. i Lucian. in Philop.

XXIX.
De colore veſtium Chriſtianorum.

Ceterum complura exempla legimus, Chriſtianos in communiorem ac frequentiorem vſum recepiſſe Colorem Nigrum, quod modeſtior videretur; dignuſq; ab eo aſſumi qui à moribus vulgi diſcretus altiorem ſectaretur philoſophiam. Nam apud Sozomenum [k] Siſinius Nouatianus Epiſcopus Cõſtantinopoli dicteriis appetitus legitur quod veſte candida aſſidue vteretur, cum Catholici atrati incederent. Et in Actis [l] Sanctorum Martyrum Indes & Domnæ, leguntur impii candidis & magnificis veſtibus procedentes Indes vero atris indutus. Pariterq in aliis Actis [m] Honofrius in Syria legitur, ne detegeretur Chriſtian⁹ alba induiſſe veſtimenta. Ac demum Sancta Euphemia nobiliſſima virgo Chalcedonẽſis, traditur [n] inceſſiſſe pulla veſte & pallio Philoſophiam profitente. Verum nõ videtur eadẽ fuiſſe omnium Eccleſiarũ, temporumue, aut perſonarum obſeruantia. Nam Clemens [o] Alexandrinus Chriſtianus Pædagogus, qui Ægypti optimis moribus imbuere curauit Eccleſiam, magnopere ſuadet vt Fideles candidis veſtimentis vtantur. Ideoque S. Antonius [p] martyrii cupidus, alba induit veſtimenta vt cognoſceretur eſſe Chriſtianus. Et tamen Hieronymus [q] ſcribens ad Nepotianum de vita Clericorũ, monet clericos vt veſtes

k Sozom. li. 8. c. 1. l ap. Metap. 28 Dec. m Act. SS. Valer. & Epiſt. ap. Metaphr. 5. Nouemb. n Conc. Nic. 2. Act. 4. o Clem. Alex. Pædag. l. 2. p ap. Athan. in vit. S. Ant. q Hier. ep. 2.

COLORVESTIVM ANTIQVORVM CLERICORVM.

Pullas & candidas deuitent, Vnde & admoneri videmur, Clericorum dignum tunc habitum fuiſſe *Caſtanei coloris*, atque *violacei*: qui vltimus retentus vſque hodie eſt ab eis qui ſunt familiæ Summi Pontificis, & quibuſdam aliis; vt omittamus Epiſcopos, illis exceptis qui ex clauſtralium ordinibus ad eam promouentur dignitatem. Irrepſiſſe vero color niger (quem monachorum ab initio [r] fuiſſe conſtat) in Clerum videtur, cum & monachiſmus in nonnullis Eccleſiis receptus eſt à clericis & ex monachis Epiſcopi creati ſunt. Ceterum omnes vbiq; Chriſtianos Baptiſmi tempore Candidis amiciri ſolitos veſtimentis, cum innumera Patrũ teſtimonia de his ſuppetunt, tum etiã Rituales antiqui libri apertiſſime docent. Sed ad Apoſtolũ.

r *Hier. aduerſ. Iouin. & ep. 22. ad Marcel.*

XXX. Compoſitis iam his omnibus; quod reliquum videbatur, quid cum in Eccleſiam conuenirent agere deberent, inſtituit [s]. Ex quib. ſatis intelligitur, fuiſſe etiam Apoſtolorum temporibus loca, quæ ECCLESIAS nominarent, in quas Chriſtiani ad ſynaxim conuenirent: quod & plurimis eiuſdem temporis ſcriptoris S. Ignatii [t] expreſſis teſtimoniis confirmatur. Eadem autem loca vt Eccleſiæ dicantur, primitus (vt diximus) ab ipſo Apoſtolo, ſed ex antiquiori diuina [u] Scriptura, deinde vero communi vſu loquendi, vt ait Auguſt. [x], tandem eſt ab omnibus vſurpatũ. Antequam autem eas nouas licuiſſet erigere, priuatas domus, ampliora videlicet earum membra, quæ Cœnacula dicebantur in locis ſuperioribus conſtituta, eiuſmodi miniſterio inſeruiuiſſe, S. Lucas [y] manifeſtat. Et quamuis de erectis olim Eccleſiis nullum aliud ſuppeteret argumentum, vel ratio; ipſa ſaltem Imperatorum Ethnicorum edicta de demoliendis Chriſtianorũ Eccleſiis, quorum Euſebius [z] meminit, plane eas iam ante ædificatas fuiſſe certiſſimam fidem faciunt. Imo & idem auctor teſtatur, iam longe ante Diocletiani tempora, prout in dies maior augeretur Chriſtianorum numerus, antiquitus erectas Eccleſias fuiſſe ab illis ipſis Chriſtianis dirutas, vt eædem ampliores & anguſtiores excitarentur; eaſdemq; ſic reſtitutas, tandem ab ipſo Diocletiano fuiſſe proſtratas. Sed quæ longe ante à Magno illo Gregorio Thaumaturgo erecta fuerat (quod teſtatur Nyſſenus in eius Vita) magno miraculo, & motibus terræ & furori Diocletiani ſuperſtes extitit Gregorii fide ſuffulta.

s *1. Cor. 11.* DE ECCLESIIS CHRISTIANORVM. t *Ign. ep. 6. 11 13.* u *Deut. 23. Iudith. 6. Ier. Thre. 1.* x *Aug. q. in Leuit. lib. 39. citatur a Beda in 1. Cor. 11. 18-20.* y *Act. 1. 12. 20.* ECCLESIÆ AB EXORDIO ERECTÆ. z *Euſe. hiſt. lib. 8.*

XXXI. ECCLESIÆ IN VRBE EXTRICTÆ.

Eadem quoq; *Eccleſia* voce, hac ſignificatione frequenter vſus eſt antiquiſſimus Tertullianus [a]. Et longe ante ipſum conſtat [b] Romę Pudentis Senatoris Petri diſcipuli, & Euprepiæ [c] matronæ domos, in titulos ſeu Eccleſias ad ſacra celebranda eſſe mutatas: ac de Euariſto [d], qui quintus à Petro numeratur Romanus Pontifex, teſtatum habetur Eccleſias diuiſiſſe presbyteris: quos quidem temporibus Cornelii Papæ extitiſſe numero quadraginta ſex, eiuſdem epiſtola [e] ad Fabium Antiochenũ fidem facit; totidemq; fuiſſe Eccleſias Optatus [f] teſtari videtur, dum ait, quadraginta & quod excurrit, in Vrbe fuiſſe ad Chriſtianum vſum baſilicas excitatas. Deniq; apud ipſos Ethnicos celebris eſt eorundem locorum memoria, dum apud Lucianum [g], qui Apoſtolorũ temporib. ac etiam Traiani Imp vixiſſe ex ſuis ſcriptis cognoſcit, deſcribitur domus aurato faſtigio & æreis liminib. inſignis, in qua conuentus Chriſtianorum ageretur. Pariterq; apud Lampridium eſt teſtimonium de loco ab Alexandro Imp. Chriſtianis aduerſus popinarios adiudicato, vbi Deus ab iis coleretur: Et apud Vopiſcum Valerianus Imp. meminit de Eccleſia Chriſtianorum. Vt ex his omnibus tam noſtrorum quam externorum teſtificationibus intelligas, cum ſiue apud Origenem [h], ſiue Minutiũ [i] Felicẽ, aliosue aduerſus Ethnicos diſputantes negatur, Chriſtianos antiquos habuiſſe tẽpla; intellexiſſe de templis ſic à Gentilibus vocatis: à quib. non omnia Deorũ delubra, ſed ea tantum quæ vaſtiſſima eſſent atq; ampliſſima; dici ſolita TEMPLA, demonſtrãt [k] Varro & Arnobius [l]. Certe n. nec nos negamus, caruiſſe priſcos illos Chriſtianos tempore perſecutionum eiuſmodi templis, quæ ſub Chriſtianis Imperatorib. magnificentiſſime extrui cœpta ſunt: & alioqui ſatis cõſtat, ipſos eo tempore nõ publice in ſuis Eccleſiis, ſed clãculũ ſiue in priuatis domib [n], ſiue in cryptis, aliiſue quib. poterãt locis cõueniſſe.

a *Tert. de idol. c. 7. ad uxor. l. 2. c. 4. & de vel. virg. c. 3. & 13 de cor. mil. c. 3.* b *Act. Tudent. & ep. 2. Pij PP. ad Iuſt.* c *epiſt. 2 Pij PP.* d *Anaſt. l. de Ro. Pont.* e *ap. Euſ. 6. hiſt. 35.* f *Opt. l. 2.* g *Lucian. Philop.* SOLVTIO OBIECTORVM. h *Orig. li 8. cont. Celſ.* i *Minut. in Octa.* k *Var. ap. Gel. l. 14. c. 7.* l *Arnob. aduerſ. Gent. l. 6.*

XXXII. DESTRVCTVRA ECCLESIARVM. m *Clem. 2. Conſt. 61.* n *Tert. aduerſ. Valent. c. 2.*

Quod autem ad *Eccleſiarum ſtructuram* pertinet; ſitum illarum ad Orientem ſpectantem diſponi ſolitum, Clemens [m], Tertullianus [n], & Paulinus [o] docent; ſiue ad imitationem templi Salomonis, quod ad Orientem fuiſſe cõuerſum Ariſteas [p] teſtatur; ſiue quod Chriſtiani (vt ſuo loco videbitur) verſus Orientem precari conſueuiſſent. Sic autem erant ſingula earum membra ad diuerſorum ordinum officia accommodata, vt quantum licet in re praua maximam omnium repræſentare, ſimilitudinem quandã Hieroſolymitani templi redderent: quippe quæ continerent *Porticum* vbi eſſent pœnitentes, & alii quib. intra Eccleſiam non pateret acceſſus; *Atrium*, ad recipiendum populum; *Sancta*, vbi ſeorſum ſederẽt ſacerdotes; ac demum *Sancta Sanctorum*, ad oblationẽ incruenti ſacrificii. Hanc enim formam in iis hactenus Romæ intuemur Eccleſiis, quę temporib. Conſtant. Mag. fuerunt à fundamentis extructæ: quas nonniſi ſecundum priſtinam antiquorum illarum formam quæ Diocletiani edicto proſtratæ fuere (cum eædem quæ olim, eſſent in eis functiones obeũdæ) erectas eſſe perfacile eſt vt credamus, cum præſertim candem prorſus formam quam modo deſcripſimus, tam in Oriente q̃ Occidente vbiq; locorum obſeruatam ſciam teſtimonio Euſebii [q] Cæſarienſis, Gregorii [r] Nazianzeni, Paulini [s] Nolani, & aliorum. Erant & *Cubicula* quædam, vt idem Paulinus vocat, quæ *Capellas* dicimus, conſtitui in eis ſolita orationis cauſa: necnon *Paſtophoria* [t], ſeu *Secretaria* [u], apud apſidem poſita; in quorum vno aſſeruarentur ornamenta, & alia ad ſacrum miniſterium Eccleſiæ pertinentia; in altero vero libri ſacri. Nec indecens viſum, in eadem Eccleſia plura conſtitui altaria: nam cum ea eſſent ſepulchra martyrum, vbicumque eſſet martyr conditus, illic altare erigi conſueuerat. Sane de tredecim in Eccleſia vna erectis Gregorius [x] meminit.

o *Paulin. ep. 12. ad Sever.* p *Ariſt. de 72. Interp.* DIVERSA ECCLESIARVM MEMBRA. q *Euſeb. 10. hiſt. 4. & in vit. Conſt. l. 3. c. 14.* r *Gre. Naz. orat. in fun. patr.* s *Paulin. ep. 12. & 31.* t *Clem. 2. Conſt. 61. Hier. in Eze. 42.* u *Paulin. ep. 12.* x *Greg. 5. ep. 50. Ind. 14.*

XXXIII. Denique ſicut ad emundationem poſitum fuit in templo [y] labrum æneum, quo ſacerdotes manus pedeſq; ante ingreſſum lauarent; ita præ Eccleſiarum foribus conſtitui ſolitos *Fontes aquæ communis*, ad purificationem, & ad manus ac facies introeuntium abluendas, ſordeſq; corporis abſtergendas (ſecundum quod etiam monet Apoſtolus [z] *orare puris manibus*) complures [a] antiquorũ teſtantur. Verum quod naturalis quidam inſtinctus docet, nonniſi puros ad Deum accedere debere (inde euenit, vt non ſolum Chriſtiani, ſed & Iudæi [b], atq; ipſi etiam Gentiles [c], ante orationem ſe aqua mundarent. At poſtea eiuſmodi lauacri loco ſucceſſit apud Chriſtianos, vt aqua precibus ſacerdotis benedicta, quæ Fidelibus vſui eſſe conſueuiſſet in domibus priuatis (vt Alexandri Papæ Primi res geſtæ ſignificant) in ipſo ingreſſu Eccleſiæ poneretur, qua ad Leuiorum peccatorum expurgationẽ adeuntes Eccl. ſiã aſpergerentur; de qua dicetur inferius opportuniori loco.

y *Exod 30.* FONS PRÆ FORIBVS ECCLESIÆ. z *1. Timo. 2.* a *Clem. 8. Conſt. 28. Ter. de or. c. 1. Euſeb. 10. hiſt. 4. Paulin. ep. 12. & 31 & in Nata 10. S. Felic. Chry. hom. 72 in Ioan. ho. 52. in Matt. ho. 36. ad pop. Ant. Anaſt. Sin. orat. de ſacr. Syn. & alij.* b *Ariſteas de 72. Interp.* c *Herodo. in Euterp. Ouid. l. 1. de leg. Perſ. Sat. 2. Tibul. l. 1. eleg. 2. & alij.*

XXXIV. Quod autem ſpectat ad Eccleſiarum ornatum: Chriſti Redemptoris IMAGINE decorari ſolitas, vetus Canon ſeptimus Synodi Antiochenæ, Apoſtolorum nuncupatæ, de qua anno ſequenti, fidem facit; qui, ne impoſturam exiſtimes, citatus reperitur à Gregorio Epiſcopo Peſſinuntis in poſteriore Nicena Synodo [d], licet in editione Latina mutilatus [e], ac perperam tranſlatus habeatur. Sed eiuſmodi Eccleſiarum ornatum non mirabitur, qui nouerit ipſo etiam Chriſto viuente eius Imaginem (quod ſuperius dictum eſt) Panneade à muliere aurata à fluxu ſanguinis ære fuſam, ad trecentos & amplius annos, nimirum ad Iuliani Apoſtatæ tempora integram perduraſſe, quantumlibet innumeris Palæſtina fuerit deformata cladibus; & conuenienti veneratione [f] cultam eſſe. Niſi enim pie ſancteque ab ipſis Apoſtolorum temporib. ſacræ Imagines in Eccleſia fuiſſent in vſu, paſſurine fuiſſent Fideles per tot ſæcula illam ſolam ſic intactã ſeruari? Verum qui eam vidit Euſebius [g], alias quoq; ſe vidiſſe teſtatur Petri & Pauli Apoſtolorum, atq; etiam Chriſti Imagines in picturis colorũ varietate antiquitus expreſſas. Et Tertullian. [h] docet Chriſti Domini Imaginem, effigie paſtoris ouem deperditam ſuper humeros geſtãtis, in ſacris calicib. ſculpi conſueuiſſe: quo ſacerdotes admonerentur, imitandum ſibi eſſe diuinũ illum paſtorẽ, qui primus tam eximiũ paſtoralis curæ

ECCLESIARVM ORNATVS, SACRÆ IMAGINIS. d *Conc. Nic. 2. Act. 1.* e *Vid. Turrian. cont. Magd. pro can. Apoſt. cap. 25.* f *Niceph. l. 10. cap. 30.* SACRARVM IMAGINVM ANTIQVVS VSVS. g *Euſeb. 7. hiſt. 14.* h *Tert. de pudic. cap. 6. & 10.* i *an. 112.*

ac cha-

ac charitatis ſpecimen edidiſſet. Et cum quælibet erigeretur Eccleſia, eo in loco primum omnium Crucem poni in titulum ſolitam dicetur inferius [i]. Narratque Hieronymus [k] Oſorius Siluenſis Epiſcopus rerum Indicarum fideliſſimus ſcriptor, in vrbe Malipure à Luſitanis dicta Sãcti Thomæ, inuentam eſſe Eccleſiam in colle ædificatam, vbi affirmarent incolæ Thomam Apoſtolum fuiſſe ab infidelibus interfectum; ac pariter repertam Crucem in lapide inciſam, & ſanguine eiuſdem Apoſtoli tinctam, quæ ſingulis annis octo dies ante celebrationem Natalis Domini, cum Euangelium in officio Miſſæ inchoaretur, in nigrum colorem ac mox in cœruleum verſa, multum ex ſe liquorem ſplendidum eiiceret. Sed & res geſtæ [l] Conſtantini Imp. cum Silueſtro & libellus de eius Munificẽtia, docent complures argenteas ab eo iuſſas conflari Chriſti & Sanctorum ſtatuas. Et apud Lactãtium [m] fit mentio Imaginis Redemptoris cruci affixi. Ac denique ne morer nimis ſingula retexendo, de ſacris Crucibus & Imaginibus in Eccleſiis depingi ſolitis, locupletes ſunt teſtes SS. Paulinus [n], Auguſtinus [o], Baſilius [p], Gregorius [q] Nyſſenus, & alii [r] plurimi antiqui Patres tam Orientalis quam Occidentalis Eccleſiæ.

MIRACVLVM DE CRVCE ECCLESIÆ S. THOMÆ APOST.

XXXV. EXPLICATVR CANON CONCILII ELIBERINI DE IMAGINIBVS. SVSPICIO DE IMPOSTVRA.

Quibus ſic ſtantibus, quid eſt quod Eliberinum, nouemdecim Epiſcoporum Concilium, paulo ante Conſtãtini Imperium in Hiſpania celebratum, ſtatuit [s] *Picturas in Eccleſiarum parietibus eſſe non debere?* Scimus pleroſque eruditos viros ita canonem illum interpretatos eſſe; nimirum ſic pingi imagines in pariete Synodum vetuiſſe, vt tamen eas in tabulis effigiari ſineret, (qui vſus vſque hodie dicitur in Hiſpania retentus) quod quacumq; vrgente perſecutione (namque illam Synodum celebratam eſſe cõſtat, cum nondum vltima perſecutio penitus extincta eſſet) tabulas illas Chriſtiani poſſent ſecum quocumque ferre & occultare; non ſic de parietibus, quorum ſacræ Imagines expoſitæ remanerent iniuriis atque deriſioni Gentilium. Et hæc quidem ſolutio conuenit egregie temporum hiſtoriæ. Sed vt magis aliquid dicamus; non leuis ſubeſt de illius canonis impoſtura ſuſpicio, quòd antiquiſſimi & accuratiſſimi Collectores, Ferdinand. Diaconus, Dionyſ. Exiguus, & Creſconius, nullam eius vel ſaltem nomine tenus mentionem fecere: idemque quod tot Orientalium atq; Occidentalium turmæ, quæ ad impugnandas ſacras Imagines arma vndique compararunt, atque adeo Claudius ipſe Hiſpanus presbyter, inde vero Epiſcopus Taurinenſis, maximus omnium Iconoclaſta; atq; Felicis Vrgelitani diſcipulus, ab eo telo, quod validiſſimum omnium fuiſſet ſi extitiſſet, penitus abſtinuere. Quod enim canõ ille eos omnes præterierit (vt qui nec extaret) ex eo etiam exploratiſſimum redditur, quod cũcti Catholici ſcriptores, qui commenta Iconoclaſtarum diligenter refellerunt, ne per nutum quidem eius meminiſſe reperiantur. Vt non immerito ſuſpicari poſſimus, aliquem ex poſterioribus Iconoclaſtis (quod hæreticorũ eſt proprium, partus ſupponere) extitiſſe talis impoſturæ concinnatorem. Viguiſſe enim & tunc & poſtea in ipſa Hiſpania ſacrarum vſum Imaginum, teſtes ſunt fideliſſimi eiuſdem ſæculi ſcriptores Prudentius [t] & Paulinus ille Hiſpanus, iſte in Hiſpania diu verſatus. Sed de iiſdem ſacris imaginibus pluries agetur inferius: hæc modo ſufficiant occaſione ornatus Eccleſiarum.

XXXVI. PRETIOSA ECCLESIARVM SVPPELLECTILIA.

Ad quem quod rurſus ſpectat, fuiſſe item primis illis temporibus Eccleſias SVPELLECTILIBVS pretioſiſſimis ornatas, licet Chriſtianos vexaret perſecutio, ſatis cõſtat ex eo quod etiam Lucernas habere ſolerent argenteas; vt ex Actis Proconſularibus apud Auguſtinum [u] legitur de temporibus Diocletiani. Et abundaſſe Eccleſias Vaſis aureis & argenteis, [x] Optatus quoque tradit, idemque Auguſtinus [y] ex aliis Proconſularibus Actis. Sicut & in Rebus geſtis Sancti Laurentii, quas Prudentius ſacro hymno cecinit, non argento tantum, ſed & auro offerre Romanos Pontifices incruentum ſacrificium conſueuiſſe narratur. Ac denique qui ante hos omnes extitit Vrbanus [z] Papa, in ea Eccleſia fecit vaſa omnia ſacra argentea: quæ cuncta ſub Principibus Chriſtianis fuere mirum in modum aucta, ſicut videbitur ſuis locis.

XXXVII. DISTINCTA IN ECCLESIA LOCA SECVNDVM DIVERSAS PERSONAS.

Quod denique ad vſum antiquum partium Eccleſiæ ſpectat; ſicut olim in templo Hieroſolymitano [a] Loco diſtincti erant ſacerdotes à populo, viri à mulieribus atque à nuptis virgines; ita eodem ferme ordine & diſpenſatione fuit in Chriſtianorum Eccleſiis obſeruatum. Id enim inprimis Philo [b] teſtatur de Eſſenis Alexandrinis, quos Hieronymus [c] Chriſtianos fuiſſe affirmat: & dilucidius apud Clementem [d] legitur de omnibus Chriſtianis Sic & Gregorius Nazianzenus in ſomnio Anaſtaſiæ, ſupra Eccleſiæ porticus mulierum locum ſeorſum à viris fuiſſe demonſtrat. Et pariter Ambroſius [e] meminit de loco in Eccleſia tabulis ſeparato, vbi virgines à cæteris feminis ſeparatæ orarent. Procopius [f] item duplices porticus fieri ſolitas oſtendit, quarum altera viros, altera feminas caperet. Eumdemque vſum diſtinctionis locorum fuiſſe in Eccleſia Romana, declarant Vitæ Romanorum Pontificum, Symmachi, Gregorij Tertij, atque Sergij necnon antiquiora Eccleſiæ Vaticanæ monumenta: quibus etiam conſtat dexteram baſilicæ partem deſtinatam fuiſſe mulieribus, viris autem ſiniſtram, quippe quam in ſacris fuiſſe digniorem alibi dicetur. De loco autem Pauperum, licet eis æq; ac ceteris pateret Eccleſia precũ cauſa; iidemque [g] ſimul cum Principibus, nulla habita perſonarum acceptione, ad ſacram menſam admitterentur: tamen ſicut olim [h] in templo ad ſtipem mendicandam pro foribus ſtabant; ita etiam in Eccleſiam ad eleemoſynam captandam nefas [i] illis ingredi, ne ſacra agentibus, aut orantibus eſſent moleſti; ſed in exteriori porticu quæ poſt atrium ianuis inhæret Eccleſiæ ſolebant commorari.

XXXVIII. DIVERSIS NOMINIBVS ECCLESIÆ DICTÆ.

Sed iam quod reliquum eſſe videtur; conſtat *Eccleſias*, hoc eſt loca ipſa, in quæ ad ſacros celebrandos conuentus Fideles conuenire ſolerent, diuerſis aliis eſſe nominibus appellata. Puta Titulos, de cuius vocis ratione dicetur [k] opportuniori loco. Domos oratorias, ſecundum quod à Domino [l] dictum eſt, *Domus mea domus orationis vocabitur.* Dominica [m], cuius nomenclaturæ Euſebius [n] rationem reddit. Memorias [o], quod in memoriam SS. martyrum [p] erigi conſueuerent: Vnde etiam dictæ reperiuntur [q] Martyria. Itemque CONCILIA MARTYRVM [r], quod in eis multorum corpora martyrum quieſcerent, quæ videlicet intra Eccleſias ſepeliri ſolerent: Vel etiam CONCILIA [s] SANCTORVM, quod ibi congregaretur Sanctorum Fidelium multitudo. In quem eumdem ſenſum Ambroſius [t] collegium Sanctarum Virginum, appellauit *Concilium Virginitatis.* BASILICÆ [u] quoque ſæpius ea loca ſunt dicta; ſiue quod (vt alii [x] exiſtimarunt) cum Baſilicæ olim vocarentur Regum habitacula, ſic etiam dici meruerint loca in quibus Rex Regum colitur: ſiue (vt magis placet) quod Baſilicæ illæ Gentilium (loca videlicet rerum venalium) [y] Foris coniuncta in quibus hyeme potiſſimum publicæ conciones, & negotiantium conuentus habebantur, atq; etiam aliquando ius [z] reddebatur in Eccleſias [a] Chriſtianorum commutari ſolerent. Obtinuit autem vſus loquendi, vt non quæcumque Eccleſiæ appellentur Baſilicæ, ſed illæ dumtaxat quarum auguſtior ſit amplitudo. Denique Templa frequenter eadem loca nuncupata reperiuntur; nequaquam vero à maioribus *Delubra*, vel *Fana*; licet his vocibus nonnulli recentiores impropriè, ne dicam improbe, vſi ſint, quæ magis templis Gentilium conueniant. Sed de his hactenus; iam ad ceteras inſtitutiones Eccleſiaſticas à Paulo in eadem Epiſtola ad Corinthios ſcripturas redeamus.

XXXIX. DE DVPLICI COENA, SIVE QVÆ VSV. [illegible]

Perſeuerabat adhuc in Eccleſia laudatiſſimæ rei vſus, vt (quod Chriſtus vltima cœna fecerat, ac in ſui memoriam vt facerent, ſuos monuerat) Chriſtiani conuenientes in Eccleſiam, ſimul ſacratiſſimam perciperent Euchariſtiam, atque vna cœnarent: ſed quod id perperam Corinthij obſeruarent, Paulus [b] iure redarguit; quodque (vt ſuo loco dictum eſt) vtraque ſimul cœna iungebatur, *Communis* & *Sacra*, quid in vnaquaque præſtare deberent, admonuit, nimirum vt in Communi modeſtia ſeruaretur, & mutua chari-

tas cuius intuitu eſſent inſtituta; Sacra vero non perfunctorie, ſed magna conſcientiæ diſquiſitione præuia adiretur. Ceterum etſi Chriſtus Communem præmiſit, inde vero Sacram exhibuit, quod ſic ordo rerum ferebat, vt legalia primum conſummarentur, ac deinde quæ nouæ legis eſſent menſę apponerentur: Apoſtolorum tamen tempore, primo ſacrã ſynaxim celebrari ſolitam, inde communi omnes excipi menſa (ad quam diuites quidem alimẽta ſuppeditarent, ſed vocatis pauperibus communiter cum iis veſcentur) Chryſoſtomus [c] tradit. Verum de his diuerſam olim fuiſſe diuerſarum Eccleſiarum conſuetudinem dictum eſt ſuperius. Corinthios autem inter cœnandum miſcentes ſacra communibus (quod correxit Paulus) Euchariſtiam ſumere conſueuiſſe, Auguſtinus [d] affirmat: teſtaturque communi totius Eccleſiæ conſenſu factum eſſe, vt non niſi ieiunio Fideles in Eccleſia ſacram ſumerent Euchariſtiam, quam & ſacerdotes ipſi ieiuni offerrent. Sed enim illud etiam totius Vniuerſalis Eccleſiæ conſenſione factum eſt, vt non amplius ſacris mẽſis communes commiſcerentur; ſed ſicut myſterio, ita aliqua diuerſitate temporis diſtinguerentur: ſicut & poſtea cõmunes deſierũt in Eccleſia fieri, de quo mox dicetur. Quo autem ordine precum, hymnorũ, & ſacrarum ſermocinationum; quaue frugalitate, exdẽ illæ communes, mutuæ charitatis indices atque illices (vnde & AGAPES vſitatiori appellatione dicebantur: nam ἀγάπη ſignificat dilectionem) celebrari cõſueuiſſent, ſuppetunt egregia teſtimonia Tertulliani [e], Minutii [f] Felicis, Clementis [g] Alexandrini & omnium antiquiſſimi Philonis Iudæi, ſi verum ſit quod Hieronymus affirmat, cum ſub Eſſenorum nomine de Chriſtianis Alexandrinæ Eccleſiæ eſſe locutũ; qua de re agetur fuſius ſuo loco. Ceterum deſcriptum ab eo conuiuium ſacris videtur admixtum, quale illud Pauli ad Corinthios: non enim expreſſius licuit externo homini, ſecreta noſtra myſteria proſequi.

c Chryſ. ho. 27. in 1. Cor. 11.
d Au. ep. 118. ad Ianuar.
SEORSVM SACRA MENSA A COMMVNI.
DE AGAPE.
e Tert. Apol. c. 39.
f Minut. in Octa.
g Cle. Alex. 2. pædag. 1.

XL. CONVIVIA PVBLICA TRIPLICI EX CAVSA.

Triplici vero ex cauſa inter Chriſtianos publica ſacra CONVIVIA celebrari ſolita, tradit Gregorius [h] Nazianzenus; nempe in Natalitiis, Funeribus, & Connubiis. Sed de *Connubiali* Agape dictum eſt ſuperius. De illis autem quæ fierent in *Natalitiis* ſanctorum Martyrum, teſtes ſunt etiam, immo & defenſores aduerſus cenſuras calumniantium, Theodoretus [i] & Auguſtinus [k]: ac de *Funeralibus* meminerunt quoque Origines [l], Chryſoſtomus [m], Paulinus [n], & Hieronymus [o]. Denique ſolitas etiam exhiberi Agapes *in Dedicationibus Eccleſiarum*, demonſtrat Gregorius [p] Papa. Qui autem eiuſmodi Conuiuiis, in honorem Dei & ſubleuationem pauperum fieri conſuetis, intereſſe dedignarentur; in eos Synodus [q] Gangrenſis anathema pronunciauit: Laodicena [r] vero prohibuit clericos ad Agapẽ accedentes, partes tollere: & apud Clementem [s] conſtitutum legitur, quot vnicuique ſacrorum miniſtrorum partes in Agapibus reſeruandæ eſſent. Qui igitur antiquus vſus à temporibus Apoſtolorum de Agape Chriſtianorum viguit in Eccleſia, idem quibuſdam in locis in hodiernum laudabiliter perſeuerat, mutatis nonnullis; vt (quod primum diximus) ne illæ ſimul cum ſacroſancto ſacrificio miſcerẽtur: deinde (quod poſtea eſt emendatum) ne in Eccleſia celebrarentur. Ambroſio enim in primis id diſplicuiſſe, Auguſtinus [t] teſtatur; & Paulinus [u] nec ipſe probauit, tolerauit tamen. In Eccleſia vero Orientali prohibuit omnino Concilium [x] Laodicenum; ſicut in Occidentali Carthaginenſe [y] Tertium. Conceſſit autem Gregorius [z] Angelis recens ad fidem conuerſis, vt in tabernaculis iuxta Eccleſias poſitis die dedicationis earumdem Eccleſiarum, vel natalitio SS. Martyrum quorum reliquiæ illic extarent, eiuſmodi conuiuia celebrarent.

h Gre. Naz. de vit. diff. vers.
i Theod. Eu. ang. verit. l. 8.
k Aug. 20. cont. Fauſt. 4. 21.
l Orig. lib. 3. in Iob.
m Chry. ho. 32. in Matt.
n Paul. ep. 31. ad Alet.
o Hieron. ep. 21.
p Gre. l. 9. ep. 54.
q Conc. Gãg. c. 11.
r Conc. Laod. can. 27.
s Clem. 2. Conſt. 32.
QVID POST EA SANCITVM DE AGAPE.
t Aug. 6. Confeſſ. 2.
u Paulin. Natal. 9. S. Felic.
x Conc. Laod. cap. 28.
y Conc. Carthag. Tert. c. 30. Vid. infra an. 39.
z Gre. 9. ep. 71. ad Mellit.

XLI. DE RITIBVS EVCHARISTIÆ EX APOST. INSTITVTIONE.
a 1. Cor. 11. inf.

Ceterum cum Paulus Corinthios de his quæ tam ad communem quam ſacram cœnam pertinerent, quantum liceret per Epiſtolam, monuiſſet: quod res eſſent quæ maiori indigerent examine, in aduentu ſuo ſe cetera diſpoſiturum pollicetur [a]. Quænam vero Apoſtolus circa ſacrũ Euchariſtiæ ritum præſens Corinthios docuerit, licet nec ipſe nec Lucas ſcripſerint: tamen eadem illa fuiſſe quæ ſine ſcriptis ex traditione Apoſtolica vniuerſa in poſterum obſeruauit Eccleſia, tum Auguſtinus [b], tum alii omnes affirmant. Et vt agamus breuiter ex inſtituto de ſingulis; inprimis vt in hoc admirabili ſacrificio *Vinum aqua mixtũ* in calice offeratur, non tam ex traditione Apoſtolica, quã Dominica, Eccleſia Catholica vniuerſo orbe ſeruans (vt Cyprianus [c] teſtatur) eam ſibi vendicat auctoritatem: de qua pariter antiquiſſimus Iuſtinus [d] Martyr ita loquitur, tamquam de re quæ ſemper fuerit ab omnibus obſeruata. Vt item à *ieiunis offeratur atque ſumatur*, ex traditione Apoſtolica & Spiritus Sancti placito in vniuerſo Orbe receptum eſſe, Auguſtinus [e] demonſtrat: eiuſdemque conſuetudinis teſtes ſunt Tertullianus [f], Cyprianus [g], aliique antiquiores atque recentiores quamplurimi. Offerendam vero eſſe *pro viuis, atque etiam defunctis*, itemq; *in azymis* potius quam in fermentato conficiendam, nec niſi poſt exomologeſin eſſe impertiendam Euchariſtiam; hęc omnia ex Apoſtolica traditione prouenire, Patrum aſſertionibus demonſtratum eſt ſuperius.

b Au. ep. 118. ad Ianuar.
c Cyp. ep. 63. ad Cæcil.
d Iuſt. Apol. ad Anton.
e Au. ep. 118.
f Tert. ad vxor. l. 2. c. 5.
g Cyp. ep. 63.

XLII. RITVS ANTIQVVS PARTICIPANDÆ EVCHAR.

Porro Sacerdotem poſt ſacroſanctæ Euchariſtiæ conſecrationem, conſueuiſſe eamdem *in altum extollere*, & populo oſtendere, teſtatur Anaſtaſius [h] Sinaita. Cum autem illam aliis ſumendam traderet, quid daret conteſtabatur, dicens, CORPVS CHRISTI; & qui accipiebat, id ipſum verum eſſe profitens dicebat, AMEN; hoc eſt (vt Ambroſius [i] ea de re agens interpretatur) *Verum*: veteremque plane fuiſſe eiuſmodi verborum traditionem tam in Occidente quam in Oriente, docent Tertullianus [k], Cornelius [l] Papa, Cyrillus [m] Hieroſolymitanus, & alii; ac conſtat etiã ex antiquis Liturgiis. Dabat vero ſacerdos in manus cuiuſq; ſacram Euchariſtiam; quam ſic ille ſumma cum reuerentia ori admouebat; vt ea de re ſuppetunt quãplurima teſtimonia SS. Patrum [n]: eumdemque morem diutius perſeueraſſe in Eccleſia Oriẽtali, conſtat [o] ex canone Sextæ Synodi Oecumenicæ: quo etiam docetur, conſueuiſſe Fideles Euchariſtiam *manibus in Crucis formam figuratis* accipere, ſecundum ea quæ Cyrillus Hieroſolymitanus habet Catecheſi quinta. Viris autem dumtaxat conceſſum nuda manu ſumere, feminis autem non niſi nitido linteamine, habetur apud Auguſtinum [p], itemq; apud Maximum, aduerſus Monothelitas, & in Concilio [q] Antiſiodorenſi, vbi [r] etiam illud linteamen ob eam cauſam dictum reperitur *Dominicale*.

h Ana. Sin. de ſacr. Synax.
i Amb. 4. de Sacram. 5.
k Tert. de ſpectac.
l Ap. Euſe. l. 6. c. 35.
m Cyril. catech. 5.
n Tert. de idol. c. 7. Cyp. de lapſ. Orig. ho. 13. in Exod. Euſe. 7. hiſt. 33. Cyril. catec. 5. Chry. ho. 61. ad pop. Ant. & alii plures.
o Sext. Syn. can. 102.
p Aug. ſer. 25. de temp.
q Conc. Antiſ. c. 35. 38.
r Ib. ca. 41.

XLIII. MOS FERENDI DOMVM EVCHARISTIAM.

Sed & illud circa vſum Euchariſtiæ introductũ fuit, vt cum minus liceret ad ſacras Synaxes tẽpore perſecutionis in vnum ſæpe coire, à ſacerdotib. ſacratiſſimas eius particulas (quas Tertul. [s] alicubi *Buccellas* appellat; ſed Auguſtinus, & alii *Particulas*, vt apud nos frequentiori vſu retentũ eſt) Fideles acciperent, *eaſdemque domum deferrent*, & reuerenter aſſeruatas vel quotidie ſumerent, vel cum alioqui de vita periclitarentur: cuius conſuetudinis complura ſunt antiquorum [t] Patrum teſtimonia, videturque ea perduraſſe in Eccleſia Occidentali ſaltem vſque ad Hormiſdæ Papæ tempora, quando in Synodo [u] Cæſarauguſtana abrogata cognoſcitur: in Orientali vero etiam poſt dicta tempora viguiſſe, plura declarant exempla in Prato Spirituali, & alibi. Sed & *in itinere* aliquando conceſſum fuiſſe ſecum Euchariſtiam ferre, quam ſumerent ſi quod periculum mortis ſubiret (tantum æſtimabant, ſine eiuſmodi ſacratiſſimo viatico ex hac vita diſcedere) docent quæ S. Ambroſius [x] de Satyro fratre, Gregorius [y] Papa de Maximiano Epiſcopo Syracuſano ſcribunt. Immo & Alexandri Papæ Tertii temporibus eamdem conſuetudinem alicubi perſeueraſſe, Acta [z] S. Laurentii Epiſcopi Dublinenſis teſtantur. Denique auctoritate Irenæi [a] conſtat Romanæ Eccleſiæ Pontifices olim conſueuiſſe *mittere Euchariſtiam ad Corepiſcopos* Catholicæ communicationis.

s Tert. de monog. c. 11.
t Tert. li. 2. ad vxor. Cyp. de lapſ. & de ſpect. Clem. Alex. l. 1. Strom. Greg. Naz. or. in fun. Gorg. ſoror. Baſil. ep. ad Cæſar. ap. Anaſt. Nicæn. quæſt. Hier. ep. 50. & aduerſ. Iouin. & alii.
u Conc. Cæſaraug. c. 3.
ITEMQVE FERENDI IN ITINERE.
x Amb. orat. in fun. Satyr.
y Gre. 3. dial. 36.
z Ap. Sur. 14. Nouemb.
a Ap. Euſe. 5. hiſt. 25.

XLIV.

Porro ex his omnibus illud quidem inprimis neceſſario infertur, ſemper in Eccleſia *aſſeruandi ad Fidelium vſum ſacram Euchariſtiam*, ſiue in loco ſacro, ſiue in priuatis domibus, viguiſſe conſuetudinem. Nam & de aſſeruata in Eccleſia Euchariſtia, eſt Optati [aa] teſtimonium, dum execrandum deteſtatur ſcelus Donatiſtarum, qui canibus Euchariſtiam fuderunt, canibus ipſi diuina vindicta

aa Opt. l. 2. cont. Parmen.

præda

præda facti. Et in Concilio[b] Turonenſi ſtatutum eſt; vt non in armario, ſed in altari Euchariſtia aſſeruaretur ſub Crucis titulo. Itemque in altari intra Columbam auream reponi ſolitam, legitur in Actis S. Baſilij, quæ Amphilochij nomine inſcripta habentur: & ad idem ſacrum officium poſitas ſuper altaria columbas aureas, & alias argenteas ſuper Baptiſteria ſuſpenſas, Seuerum impium hæreticum ſuſtuliſſe, queſti ſunt in Quinta Synodo Clerus & monachi Antiocheni. Ac denique redarguit Cyrillus[c] Alexandrinus errorem tunc primum emergentem, illorum qui putarent Euchariſtiam non ſeruandam in ſequentem diem. Sed ex his adhuc illud certum redditur, quod etſi Fideles ſacrificii tempore olim in Eccleſia ſub vtraq; ſpecie Panis & Vini communicarent; tamen cum vel priuatim in ſuis domibus, vel aliter in Eccleſia extra ſacrificii tempus ſacratiſſimam Euchariſtiam acciperent, tunc *ſub vna tantum ſpecie Panis* (alter enim numquam aſſeruata alicubi reperitur) ſumere conſueuerant. Qua vero ratione in Eccleſia Catholica vſu receptum ſit, vt nec ſacrificii tempore niſi ſub ſpecie panis Fideles communicent ſuo loco dicetur vberius. Multa autem alia, quæ de ritibus offerendi vel miniſtrandi dici poſſent ex antiquis ac plane Apoſtolicis Liturgiis, libentius omittimus, quod illæ à pluriſque collectæ præ manibus habeantur, aliique eo argumento commentarios ediderint.

> b Conc. Turon. 2. c. 3.
> c Cyril. ep. ad Caloſyr.
> COMMVNIO SVB VNA SPECIE.

Illud tamen dicere non prætermittimus, exemplo Apoſtolico[d] poſteros Fideles conatos eſſe *quotidie ſumere Euchariſtiam*; vt inter alios teſtatur Cyprianus[e]. Vnde qui non eſſet liberum quotidie ad Eccleſiam conuenire (vt nuper dictum eſt) Particulas domum portandi, abſq; dubio licentiam obtinuiſſe ex inſtitutione Apoſtolica maiores tradiderũt. ad ſua vero tempora, Romæ & in Hiſpania eandem ſeruatam eſſe conſuetudinem, vt Fideles quotidie Euchariſtiam ſumerent, Hieronymus[f] eſt teſtis: ad quã ipſam omnes pariter hortantur Ambroſius[g] & Auguſtinus[h], reprehendentes infrequentem eiuſmodi ſumptionis vſum in plurimis Orientalibus Eccleſiis: nam & in aliis ſæpius communicaſſe Fideles, Baſilius[i] docet. Ac quidem vetus eſt hæc quæſtio, de qua plures olim ſcripſiſſe idem Hieronymus[k] tradit, eaque in reſeruandas ipſe ſuadet locorum conſuetudines à maioribus acceptas; ſicut & Auguſtinus[l], ac Chryſoſtomus[m]. Quod tamen nimium ſe negligentes ea in re plurimi oſtenderẽt; idem Chryſoſtomus ſæpius in eos inuehitur[n] acriter, qui quater, biſue, aut etiam ſemel dumtaxat in anno id præſtarent. Quamuis non ipſe tantum ſed alij Orientalis Eccleſiæ Doctores eiuſmodi oſcitantiam redarguerunt; ſed & ſacri canones[o] grauioribus pœnis eos afficere, qui ingreſſi Eccleſiam, ſacram communionem nõ perciperent. Tradit autem Epiphanius[p], communiones & ſynaxes ab Apoſtolis ordinatas eſſe, vt fierent feria quarta, proſabbato, & Dominica, in quibus populi ad eas conuenientes communicarent. Sed quo tãtæ rei, & occultioris myſterii fides certior eſſet, probe teſtatum habetur à Patribus, frequentius accidiſſe vt qui indigne ad ſumptionem ſacratiſſimæ Euchariſtiæ acceſſiſſent, vel morte[q] Deo vindicante mulctarentur, vel à prauo dæmone[r] arriperentur, aliiſue miſerabilibus[s] cladibus afficerentur: ſecundum ea quę de Corinthiis Apoſtolus[t] ſcripſit, ideo multos illorum variis infirmitatibus fuiſſe vexatos, aliosq; etiam occubuiſſe, quod indigne ſumentes Corpus Domini, iudiciũ ſibi manducarẽt.

> XLV.
> d Act. 2.
> e Cypr. de orat. Dom.
> DE FREQVENTI SVMPTIONE EVCHARISTIÆ.
> f Hieron. ep. 28. & 50.
> g Amb. 5. de ſacram. 4.
> h Aug. de ſerm. Dom. in monte li. 2. c. 7.
> i Baſil. ep. ad Cæſar. Patric.
> k Hier. ep. 28.
> l Aug. ep. 118.
> m Chryſ. ho. 17. in ep. ad Hebr.
> n Idem ho. 61. ad pop. Antioch. & ho. 5. in 1. Tim.
> o Apoſt. ca. 10. Conc. Antioch. c. 2.
> p Epiph. in comp. doctr.
> DE INDIGNE SVMENTIBVS.
> q Pacian. de pœnit.
> r Dionyſ. Areop. de Eccleſ. hier. Cypr. de lapſ.
> s Chryſ. hom. 1. in 1. Tim.
> s Pac. & Chryſ. ibid.
> t 1. Cor. 11.

Aliam inſuper celebrandi Conuentus formam iiſdem Corinthiis Paulus[u] præſcripſit; quam ex Iudæorum conuentibus in Eccleſiam transfudiſſe, ac illos docuiſſe qui ex Gentibus ad Chriſtum accederent, quales erãt Corinthii, declarat Ambroſius[x] conſtatq; ex variis Scripturæ[y] locis in quibus de eiuſmodi Iudæorum conuentibus mentio habetur. At quoniam nouis chariſmatibus aucta fuit Eccleſia, iis etiam hunc Chriſtianorum Conuentum Apoſtolus voluit illuſtrari: nimirum vt cum accepiſſent Linguarum munera, necnõ datus illis eſſet ſenſus per Spiritum ſanctum vt intelligerent Scripturas; eadem Spiritus dona ad ædificationem Eccleſiæ conſummarentur, vt tunc linguis loqueretur cum qui interpretaretur adeſſet.

> XLVI.
> DE ALIO CONVENTV ECCLES.
> u 1. Cor. 14.
> x Amb. in 1. Cor. 14.
> y Luc. 4. Act. 13. & alibi.

Ceterum eiuſmodi Conuentus celebrandi ritus, licet aliqua ex parte ſit imminutus, nimirum in Linguarum munere, extant tamen hactenus ſigna quædam atque veſtigia[z] in Eccleſiaſtico Officio Matutino; necnon in Inſtitutione Congregationis Oratorii, quæ noſtra ætate à Beato PHILIPPO NERIO Florentino Romæ erecta, in alias etiam prouincias eſt feliciter propagata.

> z Decet legi per ſingulas partes, Baron. Anna. to. 1. hoc quem conſulat qui ea cupit.

Inter hæc autem cum *Cherinthus*[a] hæreſiarcha, præter alios quos diſſeminabat errores diceret Chriſtũ non ſurrexiſſe; & æque impius *Baſilides* adderet; nullam futuram reſurrectionem mortuorum: (quos S. Ignatius[b] tacito nomine egregie ſuis coloribus depinxit) his prouide Paulus[c] occurrens Corinthios primũ de Chriſti reſurrectione, tam ſuo quam aliorum qui viderãt teſtimonio inſtruit; deinum de ceterorum *mortuorum* Reſurrectione copioſiſſime agens, cum ad eam probandam multis vtatur argumentis; ſuis ipſorum factis qui ea dicerent, arguens, *Quid facient* (inquit) *qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt?* Tradit enim Epiphanius, ſolitum apud Cherinthianos fuiſſe, vt cum aliqui eorum abſque baptiſmo decederent, alii pro ipſis in nomen ipſorum baptizarentur, ne in reſurrectione pœnas darent. A quibus exemplum poſtea mutuati Marcionitæ (quod Tertullianus[d] & Chryſoſtomus[e] referunt) arrepta occaſione ex verbis Apoſtoli, quæ certum eſt ipſum de hæreticis, non de Catholicis dixiſſe loco; defuncti abſque baptiſmo Catechumeni, viuentem quempiam illi profuturum baptizare conſueuerũt, Sicut & pariter Cataphrygas cõſueuiſſe baptizare mortuos, Philaſtri[f] tradit. Sed ſunt & aliæ de verbis Apoſtoli interpretationes, quas idem Chryſoſtomus[g], eiuſq; diſcipulus Iſidorus[h] Peluſiota & alii afferũt.

> XLVII.
> a Epiph. hæ. 28.
> b Ignat. ep. ad Smyrn. & ep. ad Trall.
> c 1. Cor. 15.
> PAVLVS RESVRRECTIONEM ADVERSVS HÆRETICOS PRÆDICAT.
> DE IIS QVI BAPTIZARENTVR PRO MORTVIS.
> d Tertu. 5. cont. Marc. & de reſ. ca. 48.
> e Chryſ. ho. 40. in 1. Cor.
> f Philaſtr. cap. 26.
> g Chryſ. ibi.
> h Iſid. Peluſ. l. ep. 221.

Quod autem in calce Epiſtolæ Paulus in ſalutatione ſua manu appoſita, in eos qui Chriſtum non amarent pronunciauit ANATHEMA, MARANATHA (quæ eadem verba ſacræ Synodi, & in ſuis Eccleſiis Epiſcopi, cum diuini iudicii interminatione aliquid admonerent, ſuis ipſorum præceptis affigere conſueuerunt) cum vocem *Anathema* conſtet eſſe ambiguam, & quandoque in bonam partẽ pro eo[i] quod certo loco appenſum, & ex voto Deo oblatũ, vel in eius templo dedicatũ eſt, accipi; quandoq; vero in malam, pro eo[k] quod à Deo ſeiunctum eſt per impietatẽ: quo ſenſu hic accipiat Paulus, habes à Chryſoſtomo[l]; nimirum pro homine ab omnium commercio ſegregato, ab omnibus alieno. Nam quemadmodum (vt ait) ad Anathema, hoc eſt donum Deo dicatum, ob reuerentiam nemo manus admouere, neq; propius accedere audebat; ſic è contrario ab eo qui ab Eccleſia abſciſſus erat, tamquam à Deo abalienato ob execrationem omnes penitus ſeparabantur. At non certe hoc modo Paulus[n] optabat Anathema eſſe à Chriſto pro fratribus ſuis, ipſa nimirum gente Iudæorum. Sunt enim & adhuc alii eiuſdem vocis ſenſus; vel vt idem importet quod *Maledictum*[o], eaque ſignificatione Paulus imitari voluerit Dominum, qui & ipſe cum non eſſet maledictio, factus eſt maledictio: vel vt ſignificet *Occiſionem*, & ita voluerit Apoſtolus perire in carne vt alii ſaluarentur in ſpiritu, ſuumque ſanguinem fundere vt multorum animæ conſeruarentur.

> XLVIII.
> DE VOCE ANATHEMATIS.
> i Chryſ. in ſerm. de Anathem.
> k Chryſ. ho. 1. in 1. Cor. & hom. 16. ad Rom. Iuſtin. mart. lib. quæſt. & reſp. q. 121.
> l Idem in ſacra Script. & ad eã Iuſt. mart. vbi ſupra.
> m Chryſ. hom. 16. ad Rom.
> n Rom. 9.
> o Zach. 14. & ibi Hieron. & ſuper ep. ad Algaſ. q. 9.

MARANATHA vero vocabulum, Hieronymus[p] ait magis Syrum eſſe quam Hebraicum, & interpretari *Dominus noſter venit*; ſenſu autem ſeparato additum poſt Anathema, quaſi ex anterioribus verbis de amore in Chriſtum voluerit Apoſtolus inferre, ſuperfluum eſſe aduerſus eũ odiis pertinacibus velle contendere, quem veniſſe iam conſtet. At vero vocem illam additam potius exiſtimamus, quod Hebræi cum proferrent damnationis ſententiam, cum conteſtatione præſentis diuini iudicii ac punitionis facere cõſueuiſſent; vt certum redditur tum aliis ſacræ ſcripturæ exemplis, tum Danielis[q] calumniatores ſenes condemnantis. Porro anathemati proxima cenſura erat[r] Catathema, quæ erat proprie eorum qui ſe ſic damnatis coniungerent. Quod vero iſtiuſmodi, aliæque Hebræorum voces ſint in Eccleſiam illapſæ, & venerando vſu receptæ; de iis vide eumdem[s] Hieron. & Auguſt.[t] Hicq; tandem finis ſit Prioris Pauli Epiſtolæ ad Corinth.

> XLIX.
> DE VOCE MARANATHA.
> p Hier. ep. 137. ad Marcel.
> q Dan. 13.
> r Aug. in Ioſue q. 21.
> s Hier. ep. 137.
> t Aug. 2. de doct. Chr. 11.

Cum

L. Pavlvs excitatvs ab argentariis Ephesi.

Cum autem idem adhuc commoraretur Epheſi, narrat Lucas [u] quomodo in eum concitatæ ſint turbæ per Demetrium quemdam argentarium, alioſque eiuſmodi opifices; qui cum ex factitiis Dianæ ædibus argenteis ingentem ſibi pecuniæ vim compararent, timentes ſuo lucro quod audirent Paulum vbique prædicare non eſſe Deos qui manibus fierent, prætextu propugnandæ venerationis Magnæ Dianæ Epheſiorum, vniuerſam ciuitatem cõmouerunt; quæ tandem ſedata eſt breui, ſed efficaci oratione Alexandri Iudæi qua eos monuit vt ſi Paulus eiuſque diſcipuli delictum aliquod perpetraſſent, ageretur de iis apud Proconſules in conuentibus [x] forenſibus; ſi vero de re alia eſſet quæſtio, nempe de religione, in legitima Eccleſia, nempe de conuentu Iudæorum, cauſa tractaretur: egregia plane diſtinctione docens, quænam cauſæ ad forum, quænam ad Eccleſiam pertinerent. Cum enim ex Iudæis Chriſtiana fides progenita videretur, quique Epheſi prædicarent genere Iudæi eſſent, Iudæorum conuentum Alexander & ipſe Iudæus legitimam Eccleſiam nominauit. Iudæos enim habitantes Epheſi eiuſdem ciuitatis municipes fuiſſe, & priuilegiis ciuium potiri ſolitos, Ioſephus [y] eſt auctor.

u Act. 19.
x De huiuſmodi Conuentibus Forenſibus etiam ad Aſiaticis ab imitatione Græcorũ, quam a Romanis in prouinciis, itemque a Iudæis, ad dirimendas contendentiũ cauſas, ſtatutis diebus celebrari ſolitis vide, ſi cupis, Baron. Annal. to. 1. hoc an. 57. ad hunc locum Actorum. Nobis enim non licet in omnibus immorari.
y Ioſ. l. 2. cont. Apion.

LI. De ædicvlis et imaginibvs Dianæ.

Ceterum quas Lucas *Aedes Dianæ* argenteas vocat nihil aliud fuiſſe exiſtimamus, quam ipſas argenteas deę ſtatuas cum ſuis ædiculis ſeu loculamentis: quo ſenſu etiam apud Ciceronem in Verrem ædes Mineruæ poſita dicitur in fano Appollinis. Fuiſſe enim penes Gentiles in more, eiuſmodi imagines votorum ſoluendorum cauſa in Deorum templis offerre, multa etiam alia ſuppetunt antiquorum [z] teſtimonia. quemadmodũ & qui naufragio liberati fuiſſent, tabulas [a] rem ipſam repræſentantes iiſdem fanis ſuſpendere conſueuerant. Et de Philiſthæis teſtatur Scriptura [b], ad auertendam plagam per mures & vlcera diuinitus illatam, feciſſe mures & anos aureos, eoſque delicti expiandi cauſa apud Arcam fœderis in capſella poſuiſſe.

De templo Dianæ Epheſiæ.

Quod autem pertinet ad Dianæ Epheſiæ templum; quantæ ipſum eſſet apud omnes gentes exiſtimationis: vel ex eo intelligi poteſt, quod (vt ait Dio [c] Chryſoſtomus) non ſolum Epheſiorum, ſed & hoſpitum, & hominum vndiquaque venientium, immo & populorum, ac Regum, ſecuritatis gratia pecuniæ in eo deponi ſolerent; nemine vmquã auſo inferre ei iniuriam, tametſi plurima bella geſta ſint, ciuitaſque fuerit ſæpius capta. Adnumerabatur ipſum inter ſeptem Orbis Miracula; quod (vt tradit Plinius [d]) ducentis viginti annis factum eſſet à tota Aſia, eiuſque magnificentiſſimi operis ornaméta plurium librorum inſtar obtinerent. Simulacrum vero Dianę alii ex ebeno compactum tradiderunt, alii vitigineum, Sed tantæ molis templum ſub Gallieno (vt auctor eſt Iulius Capitolinus) inuadentibus Gothis Aſiam, direptum eſt penitus & incenſum; licet & illud abhinc poſt nouem annos ab ipſo Nerone Imperatore, ſub quo iſtæ in Paulum excitatæ ſunt turbæ, vna cum omnibus aliis Aſiæ [e] atque Achaiæ, ipſiuſque etiam Vrbis templis, fuerit donis omnibus atque ornamentis, adeoque ipſis numinum ſimulacris ſpoliatum.

z Luci. an in Alex. Dio Chryſ. in Rhodiac. & alii.
a Cic. de nat. deor. li. 3. Horat. Carm. l. 1. ad Pyr. & alii.
b 1. Reg. 6.
c Dio Chry. Rhod. orat. 31.
d Plin. l. 36. cap. 14. & li. 16. ca. 40.
e Tac. l. 15.

LII. Pavlvs recedit Epheso.

Poſtquam autem ſedatus eſt tumultus Epheſiorũ (inquit Lucas [f]) vocatis Paulus diſcipulis, exhortatus eſt eos, ac valedixit profectuſque eſt in Macedoniam. Quod quidem hoc ipſo anno poſt Penteceſten accidiſſe, declarant ex prædicta ad Corinthios [g] epiſtola. Quamuis enim ipſe Paulus apud Lucam [h] aſſerat, ſe triẽnium Epheſi commoratum eſſe (quo eũ acceſſiſſe vidimus anno Chriſti quinquageſimo quinto) tamen non ſic intelligendus eſt vt tribus integris annis ibi permanſerit, ſed) quod ex ipſius Lucæ [i] narratione colligitur) duobus impletis annis, ac tribus inſuper menſibus; quibus docuit tam in Synagoga, quam in ſchola Tyranni.

Timotheus factus Episcopus Ephesi.

Recedentem autem Epheſo reliquiſſe illic TIMOTHEVM diſcipulum amantiſſimum, vt eius Eccleſiæ curam gereret, ipſemet teſtatur priori [k] ad eum ſcripta Epiſtola. Creaſſe quoque eumdem Epiſcopum Epheſi, auctor eſt Euſebius [l], qui ait Timotheũ primum omnium obtinuiſſe Epiſcopatum Eccleſiæ Epheſinæ. Sane quidem fuiſſe iam ordinatum Epiſcopum, cum ad eum Paulus eamdem ſcripſit Epiſtolam: nulla eſt dubitatio; quandoquidem quæ eſſent Epiſcopi munera, ab eo illic exercenda [m] requirit. Ex quibus omnibus, ſicut & aliis quæ dicta ſunt ſuperius [n] de Ioanne Apoſtolo, ſatis conſtat erraſſe illos, qui tradiderunt Timotheum poſt hæc ſucceſſiſſe in Epiſcopatu Epheſino eidem Ioanni.

f Act. 20.
g 1. Cor. 16.
h Act. 20.
i Act. 19.
k 1. Tim. 1.
l Euſeb. 3. hiſt. 4.
m 1. Tim. 3.
n Ann. 44. num. 11.

LIII. Epistola prima ad Timothevm.

Porro cum Paulus eſſet in Macedonia, eamdem PRIMAM ad Timotheum ſcripſiſſe EPISTOLAM, tum ex iam dictis euidenter apparet, tum etiam Patres [o] affirmant. Nec enim eſt quod de Pauli priori in Macedoniam aduentu poſſit intelligi, quod nondum ad illud tempus Euangelium Epheſiis prædicaſſet. Cum autem multa eadem Epiſtola Timotheum admoneat inter alia docet [p] aliquos in errorem eſſe lapſos dum Fidei non coniungerent bona Opera; ex quibus erant *Himenæus* & *Alexander*, quos ait ſe tradidiſſe ſatanæ, vt diſcerent non blaphemare. Quænam vero fuerit illorum blaſphemia cum non aperiat, Timotheo notam fuiſſe, iure Theodoretus [q] exiſtimauit; ac proinde hæc ipſa Epheſi, vbi Paulus triennio fuit, contigiſſe.

o Athan. in Synop. Theodor. præf. in Epiſt. Pauli. & alii.
p 1. Tim. 1.
q Theodor. 1. Tim. 1.

LIV. Hæretici prohibentes nvbere, et docentes abstinere a cibis.

At non de his tãtum qui iam emerſiſſent hæretici, Timotheum Paulus admonuit; ſed & alios venturos eſſe præmonuit, qui *probiberent nubere, & docerent abſtinere à cibis.* Quinam autem fuerint eiuſmodi, ſententia eſt Chryſoſtomi [r], & aliorum, fuiſſe *Encratitas*, *Marcionitas*, & *Manichæos.* Verum ante hos, ipſis etiam Apoſtolorum temporibus, qui & nuptias damnarent, & quoſdam cibos deteſtandos putarent, hæreticos prodiiſſe, teſtis eſt qui tunc viuebat Ignatius [s]. Hos vero fuiſſe *Saturninum*, eiuſque gregales, Irenæus [t] docet: Eoſdemque ſignatos eſſe ab Apoſtolo, nulla eſt dubitatio. Ipſe enim Saturninus primus fuit (inquit Theodoretus [u]) qui matrimonium diaboli doctrinam nominauit, iuberetque abſtinere ab animatis. Docuiſſe & hæc ipſa *Ebionem*, tradit Epiphanius [x]; aduerſus quem etiam ſcripſit idem Ignatius [y].

Quæ novissima tempora apud Pavlvm.

Nec quemquam moueat, ſi *nouiſſimis temporibus* hæc obuentura fore teſtetur Apoſtolus: nam nouiſſimum hoc tempus, quod extenditur ab aduentu Chriſti vſque ad vltimum iudicium tum ipſe Dominus [z], tum idem Paulus [a], atque Ioannes [b] aperte ſignificarunt. Quinimmo quotquot recẽs emergerent hæretici, eoſdem tam ipſi Apoſtoli, quam reliqui diſcipuli, ac denique omnes Chriſtiani credebant Antichriſtos, ac proinde interitum iam inſtare; vt ex variis eorumdem Pauli & Ioannis, ſed & Petri ac Iacobi, necnon Ignatii epiſtolarum locis, apertiſſime cõſtat: quippe quod ſecreto diuini conſilii arbitrio, & vt omnes ſedulo continerentur in officio, de die illo vel hora (vt ait ipſe Dominus [c]) noluit Deus vt aliquis ſciret, neq; Angeli in cœlo.

r Chryſ. ho. 12. in 1. Ti. Ambr. in eand. Epiſt. & alii recent.
s Ignat. ep. ad Philadelph. & ep. ad Heron.
t Iren. l. 1. c. 22.
u Theodor. hær. fab. l. 1
x Epip. hær. 30.
y Ignat. ep. ad Philad.
z Ioan. 5.
a 1. Theſſal. 4.
b 1. Ioan. 2.
c Mar. 13.

LV. Refellvntvr cavillationes Novatorvm.

Quapropter cum luce clarius exploratũ habeatur, quas hæreſes, quoſue hæreticos Paulus demonſtrauerit; ex his patet quam impie ſimul atque inepte Nouantes hæretici iiſdẽ ipſius verbis abutantur in ſugillationem Catholicę veritatis, quæ CÆLIBATVM nuptiis ſuper extollit, & IEIVNIA commendat. Non ſic enim, vt dicti hæretici, Eccleſia laudat Virginitatem, vt nuptias vituperet; aut quorumdam ciborum certis temporibus prædicat abſtinentiam, vt eos abominandos exiſtimet.

De ciborvm religioso delectv.

Non, inquam illum commendat ac ſequitur CIBORVM DELECTVM, quem falſa ex cauſa Pythagoras excogitauit, vel Ægyptii inueuerũt; nec quem lege diuina olim ad ſtatutum tempus præſcriptum, poſt inde iam rancidum ſuperſtitio miniſtrauit: ſed quem Deus tam in priori quam in poſteriori Inſtrumento, probaſſe cognoſcitur in Rechabitis [d] & in Ioanne Baptiſta [e]; quemque Romanis [f] commendauit Paulus, cum adeo peculiare eſſet in illa primitiua Eccleſia florentiſſima, carnes non manducare, nec vinum bibere, vt quantumlibet Fideles vti eis legitime poſſent, tamen vtrum inſolitam admirari plerique offenderentur; cuius ſcandali aliquam habendam eſſe rationem mandat Apoſtolus.

d Hierem. 35.
e Luc. 7.
f Rom. 14.

LVI. Apostolorvm abstinentia.

Temperaſſe quidem ſe à carne & vino Apoſtolos, multa poſſunt exempla proferri. Idenim de Petro facile perſuadet Gregorius [g] Nazianzenus, dum ſcribit ipſum lupinis famem pellere conſueuiſſe. Et Iacobũ fratrẽ Domi-

g Gre. Naz. orat. de amor. pauperum.

ni nec carnes vnquam in cibum, nec vinum in potum adhibere ſolitum, Hegeſippus[h] affirmat. Itemque Matthæum à carnibus abſtinuiſſe, aſſerit Clemens[i] Alexandrinus: ac Timotheum haud vinum bibiſſe, ſatis indicat Paulus[k]. Denique & ipſum Paulum abſtemium fuiſſe, videbitur anno ſequenti. Deficeret vero dies, ſi omnium SS. quorum vita & mors eſt egregiis illuſtrata miraculis, vellemus hic de delectu ciborum exempla contexere, vel catalogum eorum qui eumdem præclaris elogiis, aut etiam cómentariis illuſtrarunt, recenſere. Illud tantum conſtanter aſſerimus, neminem reperiri ſanctorum Patrum Catholicæ fidei profeſſorem, qui cum de ea re inciderit ſermo, non ſolum non fuerit eiuſmodi Eccleſiaſtici ritus firmus aſſertor, ſed & fidelis ſectator.

LVII. Decretorum dierum ieiunii ſ inſtit. Apoſt.

Certorum quoque temporum Apoſtolica auctoritate ad Ieiunandum Chriſtianis præſcriptorum, quamplurima ſuppetunt teſtimonia. Et vt omittamus conſcriptum Apoſtolicum[l] Canonem, & à Clemente[m] recenſitam Apoſtolicam conſtitutionem (ne inniti videamur Apocryphis, licet iam receptis) Ignatius Apoſtolorum contemporaneus, de cuius epiſtolis nulla fuit vnquam in Eccleſia dubitatio, ſollicite commendat[n] Ieiunium QVADRAGESIMÆ. Quod quidem non ſolum eſſe Apoſtolicam inſtitutionem, in confeſſo[o] ſemper in Eccleſia fuit; ſed & Theophilus[p] Alexandrinus ex ipſa etiam Euangelica traditione ſibi vendicat: & longe ante eum Tertullianus[q] aſſerit, Eccleſiam Catholicam profiteri ſolitam Ieiunium Quadrageſimæ (quod ipſe appellat Paſchatis) tam ex Scriptura, quam ex traditione maiorum eſſe præſcriptam; cumque plura alia eſſent voluntaria, hoc ex imperio inuiolabiliter obſeruandum fuiſſe. Vnde & Origenes[r] ait, Quadrageſimæ dies eſſe ieiuniis conſecratos: ac teſtatur Baſilius[s], illud ipſum Ieiunium ſolitum eſſe denunciari terra marique per vniuerſum Orbem terrarum, vt æque ab omnibus obſeruaretur, adeoque ab ipſis exercitibus, & viatoribus; & nautis, & negotiatoribus. Quare quod ita ſacroſanctum & inuiolabile in Eccleſia haberetur, Gregorius[t] Nazianzenus illud appellat diuinam legem. Et Auguſtinus[u] agens de iſto legitimo (vt vocat) & ſacratiſſimo tempore, *Aliis, inquit, diebus ieiunare remedium eſt, aut præmium; in Quadrageſima non ieiunare, peccatum eſt: alio tempore qui ieiunat, accipit indulgentiam; in Quadrageſima qui non ieiunat, ſentiet pœnam.* Ideoque maiori ceteris ieiuniis obſeruantia celebrandum eſſe, Hieronymus[x] tradit, qui nec infirmam ætatem ab eo immunem eſſe paſſus eſt. Et alibi[y] de Aſella Sanctiſſima virgine ait, quod cum per omnem annum iugi ieiunio paſceretur, biduo triduoque ſic permanens; tum vero in Quadrageſima omnes pene hebdomadas coniungeret. Nec id quidem nouum, licet mirum. Nam de Chriſtianis teſtatur Lucianus[z], ſic ſolitos eſſe ſeruare ieiunium, vt decem ſoles ſine cibo tranſigerent. Et Gregorius[a] Nazianzenus de habitantibus Ponticam ſolitudinem monachis ſcribit, complures à cibo abſtinere conſueuiſſe totos viginti dies totidemque noctes. Alioſque Auguſtinus[b] ſe nouiſſe tradit, qui vltra hebdomadam perpetuum ſeruaſſent ieiunium; immo & ad ipſum quadragenarium numerum perueniſſe quemdam, à fratribus fide dignis ſe accepiſſe.

LVIII. De diuerſo vſu ieiunii Quadrageſimæ.

At vero non vna erat eademque omnium in numero dierum Quadrageſimales obſeruatio. Longe enim pauciores dies quoſdam ieiunaſſe, quos tamen Eccleſia toleraret, teſtantur Irenæus[c] & Auguſtinus[d]. Rurſumque diuerſas fuiſſe diuerſarum Eccleſiarum conſuetudines, vt aliæ ſex, aliæ ſeptem, aliæ tantummodo tres ante Paſcha hebdomadas ieiunarent, Sozomenus[e] eſt auctor. Porro in Eccleſia Orientali Sabbatum diem, æque ac Dominicam, à ieiunio Quadrageſimæ excipiebant: idque ipſum in Occidente ſeruaſſe olim Eccleſiam Mediolanenſem teſtis eſt Ambroſius[f]; qua vero ratione, dicetur paulopoſt. Rurſus etiam in eadem Eccleſia Mediolanenſi obſeruandum Ambroſius[g] admonuit, vt integri dies quadraginta duo à fidelibus ieiunio tranſigerentur; quod videlicet totidem ſtationibus, ſeu manſionibus, populus Iſrael à captiuitate Ægyptia ad terram promiſſionis perueniſſet. In Eccleſia Romana eadem ratio habebatur, dum quadraginta duos dies Quadrageſima contineret: ſed ex eis triginta ſex tantum ieiunabatur, quod ſex dies Dominici abſtinentiæ ſubtraherentur, & quod eo dierum numero (vt notat Gregorius[h] Magnus) quaſi anni noſtri decimę Deo perſoluerentur. At eiuſmodi vſus alia itidem immutatus eſt ratione, dum ad explendum numerum quadraginta dierũ ieiunii, quatuor ex ſeptima hebdomada dies ad ieiunandum ſunt coagmentati; nimirum vt cóſecratum Domini tempus ab omnibus ſeruaretur. Ex quibus manifeſti erroris arguitur Socrates[i], dum ait Romæ tres tantum ſeptimanas ieiunari ſolitum ante Paſcha. Ceterum licet de his (vt vidimus) diuerſæ fuerint Eccleſiarum conſuetudines; omnes tamẽ in id ipſum conſenſerunt, vt certa anni tempora quæ Sanctum Paſcha pręcurrunt, ieiuniis celebrarent. Haud vero lędi fidem diuerſa conſuetudine, Hieronymus[k] Auguſtinus[l], & Gregorius[m] docuere.

LIX. De ieiuniis Quartæ et Sextæ Feriæ.

His de quadrageſima dictis, iam de Apoſtolica itidem traditione *Ieiunii Quartarum & Sextarum Feriarum* totius anni agendum videretur. Sed quia ſatis de eo dictum eſt ſuperius in Paſſione Domini, hic ea repetere abſtinemus. Qua autem hora ſolueretur Ieiunium, Tertullianus[n] ait cetera produci ſolita vſque ad Veſperam; quartæ vero & ſextæ feriæ tantummodo vſque ad Nonam. Sed quod tradit, Eccleſiam Romanam cetera quoque produxiſſe tantum vſq; ad Nonam; Montani ſpiritu hęc dicere viſus eſt: nam etſi in aliorum temporum ieiuniis idem Romæ quod in aliis locis obſeruaretur, in Quadrageſima tamẽ non niſi veſpere ſolui conſueuiſſe, tradunt hi[o] qui Eccleſiaſticas obſeruationes quæ Romæ potiſſimum vigerent, memoriæ commendarunt.

De hora ſoluendi ieiunii.

LX. De ieiunio Sabbati.

Ceterum vetus eſt illa quæſtio, de qua (vt ait Hieronymus[p]) plerique nobiles Scriptores commentarios edidere: Cur Romæ, ac nonnullis aliis locis Eccleſiæ Occidentalis, ceteris *Ieiunii* diebus additus eſſet dies SABBATI, cum teſte Ignatio[q], aliiſque, illud Orientalis Eccleſia execrata eſſe videatur ab ipſis rerum Chriſtianarum primordiis; excepto tãtummodo ſabbato ante Paſcha. At vero fuit ratio diuerſitatis, quod cum multi eo tempore reperirentur in Oriente hæretici, qui Deum Hebræorum, Orbis conditorem & Legis auctorem, malum eſſe Chriſtumque ad eum deſtruendum veniſſe dicerent; atque adeo, quod Deus ille quieuiſſet die ſeptima, & in eius honorem Iudęi ſabbatum colerent, ipſi contra in eius contumeliam ea die ieiunare elegiſſent: (horum originem à Simone mago ſemel exortam, in Menandrum, Saturninum, Baſilidem, Cherinthum, atque Carpocratem, qui omnes Ignatii vixere temporibus, eſſe infeliciter propagatam; eorumdemque impietatis poſtea hæredem factum eſſe Cerdonem, huicque Marcionem ſucceſſiſſe; tum alii plures, tum latius Epiphanius[r] docet) ea inquam, de cauſa Orthodoxi Orientales, penes quos illa inualeſcebat hæreſis, non ſolum à ſabbati ieiunio temperarunt, ſed etiam in maiorem eorumdem hæreticorum deteſtationem cóſueuerunt eum diem feſtum agere, ſacroſque conuentus perinde ac ipſa die Dominica habere. Atque id non quidem Iudaice, ſicut Ebionæi[t], ſed pie ac religioſe vt Deum Patrem omnium, creatorem cœli & terræ, ſolemni cultu venerarentur, quem hæretici execrarentur.

LXI.

Cur vero in Occidente, ac potiſſimum Romæ Fideles eo die ieiunarent, hęc ab Auguſtino[u] ex quorumdam ſententia, necnon à Caſſiano[x] ratio redditur, quod Petrus Apoſtolus cum Simone Mago die Dominico certaturus, propter ipſum periculum pridie cum eiuſdem Vrbis Eccleſia ieiunauerit, & conſecuto tam proſpero ſucceſſu eumdem poſtea morem retinuerit. At Innocentius[y] Romanus Pontifex eam eius rei cauſam affert, quod die ſabbati æque ac feria ſexta Paſſionis Dominicæ, Apoſtoli & in mœrore fuerint, & propter metum Iudæorum ſe occuluerint, atque haud dubium toto illo biduo ieiunauerint. Ex his porro patentis mendacii arguuntur Socrates[z], & Canon[a] ſuppoſititius Sextæ ſynodi; dum ille ait, Romæ in Quadrageſima ieiunare ſolitos fideles, ſabbato excepto atq; Dominica; iſte vero, proſcriptum eſſe à Ro-

mana

mana etiam Eccleſia ieiunium ſabbati. Ceterum ſunt etiam de eiuſdẽ diei ieiunio canones Concilii Elibertini [b], & Agathenſis [c], multaque Patrum [d] teſtimonia, quibus conſtat in pleriſque aliis Occidentalibus Eccleſiis ſolitum fuiſſe illud obſeruari. Verum de his conſulti Hieronymus [e], Ambroſius, & Auguſtinus, in eamdem pariter conſpirarunt ſententiam, cuiuſque Eccleſiæ ſeruandam eſſe conſuetudinem. Itaque abundet (quod ait Hieronymus) in his vnaquæque prouincia in ſuo ſenſu; & præcepta maiorum, leges Apoſtolicas arbitretur.

b Conc. Elib. c. 26. c Côc. Agat. c. 12. d Hier. ep. 97. ad Aug. & Aug. ep. 86. & 118. e Hie. ep. 28. Ambr. ep. Aug. ep. 86. ... CONSVETVDO ECCLESIARVM SERVANDA.

LXII. Præter hæc ſunt inſuper QVATVOR ANNI TEMPORVM Ieiunia, nempe Veris in Quadrageſima, Æſtatis in Pentecoſte, Autumni menſe Septembri, & Hiemis Decembri; quæ ſic per totius anni circulum (inquit S. Leo [f]) diſtributa ſunt, vt lex abſtinentiæ omnibus ſit adſcripta temporibus. Eadem vero ex doctrina S. Spiritus, & Apoſtolica inſtitutione ſumpſiſſe principium, idem auctor abſque vlla dubitatione confirmat: non autem à Calliſto Papa, vt alii tradiderunt: nam iſte ſiqua de his ſcripſit, edito decreto firmauit quæ à maioribus ex traditione perceperat. Ac licet nonnihil cum legalibus hæc videantur habere commune, tamen eorum quæ ad optimos mores inſtituendos pertinere viſa eſſent nonnulla iure laudabiliterque eſſe mutuatos Apoſtolos idem Leo docet: Cum alioqui apud Hebræos [g] ea peragerentur quarto, quinto, ſeptimo, & decimo menſe. Porro eadem Quatuor Temporum ieiunia celebrari quoque ſolita in Eccleſia Orientali, Athanaſius [h] monſtraſſe videtur, dum agit de Ieiunio poſt Pentecoſten.

f Leo in ieiun. menſ. ſept. ſer. 7. & 9. & in ieiun. menſ. dec. ſer. 4. & 8. DE IEIVNIO QVATVOR TEMPORVM. g Zach. 8. h Atha. Apol. de fuga ſua.

LXIII. Inoleuit quoque antiquiſſimus in Eccleſia mos, vt ſiue cum eſſent Concilia celebranda, ſiue cum aliqua vrgens afflictio immineret, vel aliquo alio modo neceſſitas poſtularet; vnuſquiſque Epiſcopus ſuo populo peculiaria quædam ex animi arbitrio indiceret obſeruanda ieiunia. Qua de re eſt egregium apud Tertullianum (vt prætermittamus Canones de his ſtatutos, & exempla quam plurima) monumentum; dum Montani iam factus aſſecla, agens aduerſus Pſychicos [i], ac proinde aduerſus Catholicos, qui in his Catholicæ Eccleſiæ mores eſſent ſignificauit; conatus eo exemplo noua à Montano conſtituta ieiunia validare, de quibus agetur ſuo loco. Porro quod ad hæc per homines indicta Ieiunia ſpectat; quantum illis Deus fauere viſus ſit, vt etiam miraculis maximis editis comprobarit, teſtis eſt Irenæus [k]. Sed iam de iis ſatis, quæ ex Apoſtolica inſtitutione deducta, hactenus ab Eccleſia Catholica ſumma veneratione obſeruantur.

IEIVNIA QVÆDAM ARBITRIO EPISCOPORVM SANCIRI SOLITA. i Tert. aduerſ. Pſych. cap. 11. k Iren. lib. 2. cap. 57.

LXIV. Cum autem Paulus Apoſtolus magnam huius anni partem inſumpſiſſet in Macedonia illas confirmans Eccleſias, inde veniſſe in Græciam ſcribit Lucas [l]. Verum non pedeſtri itinere, ſed vſus nauigatione. Nam per Ægeum mare Cycladas adnauigans peruenit Cretam, ac ibi reliquit TITVM, alterum diſcipulum amatiſſimum. Id enim agnoſcitur ex Epiſtola ad eumdem [m] anno ſequenti (vt dicemus) ſcripta. Fuiſſe vero eumdem Titum à Paulo ordinatum Cretenſem Epiſcopum, in confeſſo eſt apud omnes; licet & alii ſenſerint non Cretæ ſolum, ſed & aliarum eiuſdem pelagi adiacentium Inſularum illi eſſe curam ab Apoſtolo demandatam; quin & eiuſdem Pauli teſtimonio [n] compertum habetur, poſtea & in Dalmatiam eumdem Titum Euangelii cauſa profectum eſſe.

PAVLVS VENIT IN GRÆCIAM. l Act. 20. m Tit. 1. TITVS CREATVS EPISCOPVS CRETAE. n 2. Tim. 4.

NERONIS IMP. AN. 2.

IESV CHRISTI ANN. 58.

PETRI. AN. 14.

I. ANno Chriſti quinquageſimo octauo, Q. Voluſio [a] & P. Cornelio Scipione Coſſ. Paulus Apoſtolus, cum (vt dictum eſt) anno ſuperiori perueniſſet in Græciam, & Euangelium prædicare pararet ceteris gentibus quæ vſque ad Illyricum interiacerent; Titum, quem in Creta reliquerat, ſcripta ad eum EPISTOLA monuit [b] vt feſtinaret ad eum venire Nicopolim, quæ eſt ciuitas iuxta ſinum Ambracium poſita in prouincia Acarnaniæ, qua terminatur Epirus à Græcia per Acheloum flumen diuiſa. Inde vero putarunt nonnulli, ibidem Nicopoli datam eſſe à Paulo eam Epiſtolam: verum cum dicat ſe ibi ſtatuiſſe hiemare, nõdũ eo perueniſſe declarare videtur.

a Tac. l. 13. PAVLI EPISTOLA AD TITVM. b Tit. 3.

II. Scribens igitur Paulus ad Titum, illud primum admonuit, cuius rei cauſa eum reliquiſſet Cretæ, nimirum vt quæ eſſent corrigenda corrigeret, conſtitueretque per ciuitates presbyteros. Cum vero quales eſſe deberent eiuſmodi presbyteri deſcribat, moxque eoſdem Epiſcopos nominet; inde Ioannes [c] Chryſoſtomus exiſtimauit non de communibus quibuſque presbyteris, ſed de Epiſcopis Paulum Tito mandaſſe. Eademque occaſione, & aliis eiuſmodi Apoſtoli teſtimoniis [d], quibus Presbyterorum & Epiſcoporum appellatio communis eſſe videtur nec non Petri [e] ac Ioannis [f] Apoſtolorum, qui æq; ſe presbyteros nominant; ſæpe Hieronymus [g] eam ſententiã firmaſſe videtur, vt olim his coaleſcentis Eccleſiæ primordiis, idem eſſet Presbyter qui & Epiſcopus; & conſuetudine potius quam Dominica inſtitutione factum, vt occaſione tollendi atque vitandi ſchiſmatis inter presbyteros, vni ex ipſis cæteri omnes parerent, quem Epiſcopum nominarent. Quod vero ex his male intellectis, occaſionem Nouatores arripuerint Epiſcopali dignitati detrahendi; ruſumque alii [h] nimis temerarii, licet Catholici, ea de cauſa Hieronymo Aerianiſmum impingere non ſint veriti; ex inſtituto de his paulo attentius eſt nobis diſſerendum.

c Chryſ. ho. 2. in Tit. d Act. 20. Philip. 1. 1. Tim. 3. & 4. DE EPISCOPIS ET PRESBYTERIS. e 1. Pet. 5. f 2. & 3. Ioan. g Hieron. in Tit. 1. in Ag. 2. ep. 85. ad Euagr. h Mic. Medin. de ſacr. hom. orig. cap. 5.

III. Et vt in primis tantum Eccleſiæ Doctorem à calumnia liberemus; Aerium hæreſiarcham [i] conſtat ita Presbyterũ cum Epiſcopo confudiſſe, vt nihil inter eos differre, neq; ordine, neque honore, neque dignitate, quin etiam presbyterum æque ac Epiſcopum in throno ſedere, & (quod maius eſt) manus imponere poſſe aſſereret. At vero Hieronymus eodem idem ipſo loco [k] quo huiuſmodi quæſtionem fuſius pertractauit, diſerte fatetur longe maiori dignitate ſublimem etiã in ſedendo eſſe Epiſcopum; ampliorique auctum officio in manus impoſitione, vt illius tantum, non etiam presbyteri ſit Ordinatio. Et iterum affirmat [l] ſicut ab Aaron ceteri differebant ſacerdotes, ita in Eccleſia eodem gradu ab Epiſcopis differre presbyteros: ac ruſum [m], illam etiam manus impoſitionem, qua baptizati recipiunt Spiritum Sanctum, conceſſam eſſe ſolis Epiſcopis, negatam vero presbyteris. Neque id poſt oborta tantummodo ſchiſmata (vt alias aſſeruiſſe videbatur) ſed ex ea, vt ait, *auctoritate quod poſt aſcenſum Domini Spiritus S. ad Apoſtolos deſcendit*. Deinde ſi (quod ipſe Hieronym. [n] ſæpius teſtatur) omniumque Orthodoxorum ſententia receptũ eſt loco Apoſtolorum ſucceſſerunt Epiſcopi, eadem certe eſt origo & dignitas Epiſcopatus quæ eſt etiam Apoſtolatus. At ſicut in confeſſo eſt apud omnes, dignitatem Apoſtolicam eſſe à Chriſto Domino inſtitutam, id teſtantibus Euangeliſtis; ita quæ in illam ſucceſſit dignitas Epiſcopalis: non iam ab hominibus, vel cuiuſuis occaſionis obortæ conſuetudine, ſed ab ipſa Dominica inſtitutione promanaſſe dicenda eſt.

DE SENTENTIA S. HIERONYMI. i Epiph. hær. 75. k Hie. ep. 85 ad Euagr. l Id. ep. 2. & 85. m Id. aduerſ. Lucif. n Hier. ep. 2. 54. 85. & in Mich. 2. EPISCOPI SVCCESSORES APOSTOLORVM.

IV. Cum igitur de reipſa conſtet; an vero ipſum nomen dicemus recens introductum? Immo cum S. Petrus [o] quod in Pſalmis [p] ſcriptum erat de Epiſcopatu, hoc ad Iudæ Apoſtolatum eſſe referendum intulit plane conſtat Matthiam, qui in Iudæ epiſcopatum ſubrogatus eſt, æque eſſe dictum Epiſcopum ſicut Apoſtolum; eodemque modo & cæteros Apoſtolos, quod vna eſſet omnium dignitas atque poteſtas: ac tunc præſertim cum ipſi alicuius ciuitatis Eccleſiam, in qua Epiſcopales functiones exercerent, adminiſtrandã ſuſciperent; quemadmodum idem ipſe Hieronymus [q] ſcribit, Iacobum Apoſtolum ſtatim poſt Aſcenſionem Domini eſſe ordinatum Hieroſolymorum Epiſcopum. Sicut autem Apoſtoli dicti reperiuntur Epiſcopi; ita qui in Eccleſiis præficiebantur Epiſcopi, eoſdem nominatos eſſe Apoſtolos, extant in ſacris literis [r] exempla de Epaphrodito, Andronico & Iunia, aliiſque. Et ſecundum eamdem analogiam, quod & Presbyteri præfecti eſſent Fidelium curæ, idem etiam ea ex parte dicti reperiuntur Epiſcopi: itemque quod Epiſcopi eligerentur ex presbyterorum collegio iidem nominati ſunt Presbyteri,

o Act. 1. p Pſal. 108. q Hier. de Script. Eccl. in Iacob. EPISCOPI NOMINATI APOSTOLI. r Philip. 2. Rom. 16. 2. Cor. 8.

NOMEN PRESBYTERI, COMMVNE, ET PROPRIVM.
s Act.15.16. &c.
t Hier. ep. 85.

ac deniq; quod & ipſi Apoſtoli æq; eſſent presbyteri, eadem quoque appellatione ſunt aliquando nuncupati: vt de his omnibus conſtat ex iis Scripturæ locis, quos notauimus in principio huius diſputationis. Ceterum re ipſa diſtinctos fuiſſe omnino Presbyteros ab ipſis Apoſtolis, Lucas ſatis ſuperque declarat, dum ſæpius Seniores diſtincte [s] coniungit Apoſtolis. Porro quos *Seniores* dicit, eoſdẽ fuiſſe Presbyteros, non tantum nomen, ſed & res ipſa demonſtrat. Cum enim (quod ſcribit idem Hieronymus)[t] conſtet Inſtitutiones Apoſtolicas ſumptas eſſe de Veteri Teſtamento; & quod Aaron & Filii eius atque Leuitæ in templo fuerunt, hoc Epiſcopi, Presbyteri, atque Diaconi eſſent in Eccleſia: ſicut cum Dominus Septuaginta duos Diſcipulos [u] delegit poſt Apoſtolos, formam illam repræſentaſſe viſus eſt, qua Moyſes [x] ſeptuaginta duos iuſſu Dei Seniores inſtituit; ita etiam ſeptuaginta duos illos Diſcipulos, nominatos eſſe Seniores, itemque Presbyteros, ratio perſuadet, quæ rata habetur Patrum omnium ſententia, affirmantium eos quos vocamus Presbyteros, illos eſſe quos numero præſcripto delectos vſus loquẽdi Diſcipulos nominauit; cum alioqui & Chriſtiani oẽs (vt acta teſtãtur) Diſcipuli dicerẽtur. At queãdmodum apud Iudæos Apoſtolorũ [y] et tẽporib. priſtina illa vigebat conſuetudo, vt Seniores vna cum Principibus Sacerdotum in Concilium conuenirent. ſic & ab Apoſtolis [z] primis temporib. ſeruatum eſſe conſtat vt Seniores ad Concilium admitterentur.

u Luc.10.
x Num.11.

y Matt. 14. 17. 21. Luc. 20.21. Act.4.11.
z Act.15.

V.
a Hier. in Tit.1.
OCCASIONE SCHISMATIS PRESBYTERI DEPRESSI.

Quod igitur par eſſet (quantum ad ſacerdotium ſpectat) Apoſtolorum, eorumdemque Epiſcoporum, atque Presbyterorum ordinatio, pariterq; illi cum illis in Concilio conſiderent; quodque communicatio nominum inter eos videretur eſſe communis: inde factum eſt (quod ait Hieronymus [a]) vt eo perſeuerante ordine, antè oborta ſchiſmata communi Presbyterorum conſilio Eccleſię gubernarentur. Poſtea vero illud eueniſſe ſubdit, conſuetudine potius quam diſpoſitione Dominica, vt in adminiſtrandis rebus Eccleſiaſticis Presbyteri ſubiecti eſſent Epiſcopis, quibus ſolis ceſſiſſet illarum cura præcipua; nec presbyteri amplius ad communem conſeſſum, vbi de rebus grauioribus vniuerſæ Eccleſiæ ageretur, eſſent admiſſi, ſed illi ſoli qui ex collegio presbyterorum in Epiſcopos eſſent aſſumpti. Verum & hęc ipſa conſuetudo ipſis Apoſtolorum cœpit temporibus, & eorum eſt auctoritate firmata. Nam cum Paulus [b] Timotheum creatum (vt vidimus) Epiſcopum Epheſinum, moneat ne aduerſus presbyterum accuſationem recipiat, niſi ſub duobus aut tribus teſtib. plane euidenter dẽmõſtrat, Timothei Epiſcopi fuiſſe munus presbyteros iudicare, ac proinde illis auctoritate ac dignitate pręſtitiſſe: Nam quod par in parem non habeat imperium, vulgatum eſt omnib. Qua etiam ratione in hac ipſa de qua agimus Epiſtola ad Titum Cretenſem Epiſcopum, Paulus ipſum admonet conſtituere per ciuitates presbyteros; quos appellat, ſicut & aliis [c] locis, Epiſcopos. Ac denique Ignatius, qui Apoſtolorum tẽporibus adminiſtrabat Eccleſiam Antiochenam, nec aliud ſcripſit quã quæ eſſent ab illis in Eccleſia Catholica ordinata, dũ Hierarchicũ Eccleſiæ ordinem ſæpe cõmemorat, presbyteros eſſe ſubiectos Epiſcopis abſq; aliqua dubitatione teſtatur [d]; magnamque inſuper vtriuſq; ſtatus & gradus differentiam eſſe demonſtrat, dum Epiſcopum Chriſto, presbyteros vero Apoſtolis comparat [e]. Multa ad hęc ex aliorum etiam Patrum ſententia, & Sacrorum Conciliorum decretis addenda eſſent: ſed quod ad teſtandam veritatem hiſtoricam quam profitemur, hæc ſatis ſint; breuitati conſulentes, illa libentius prætermittimus.

b 1.Tim.5.

PRESBYTERI SVBIECTI EPISCOPIS.

c 1.Tim.3.

d Ignat. ep.7. ad Tarſ. 9. ad Philadel. & 11. ad Smyr.
e Id. ep.5. ad Tral. & 11. ad Smyr.

VI.
f Tit.1.
CVR PAVLVS EPISCOPOS VNIVS VXORIS VIROS ELIGENDOS MONVERIT.
g Strab. l.10.

Quod vero Paulus eum qui in Presbyterum ſeu Epiſcopum eligendus eſſet, voluit [f] vnius vxoris eſſe virum filioſque habere fideles, non in accuſatione luxuriæ; & non magis cælibem eligendum præcepit, qui nullam vmquã vxorem habuiſſet: id quidem accidit, quod in Creta de cuius agebat Eccleſia, difficillimum fuiſſet aliquem huiuſmodi reperire; cogentibus nimirum (vt teſtatur Strabo [g], qui ex Ephoro Rempub. deſcribit Cretenſium) antiquis eorum legibus vt omnes à puero vxores ducerent. Et pariter in eo quod de filiis ordinandis Paulus monet, eo reſpectum habuiſſe videtur, quod (vt ſcribit idem Strabo) apud eoſdem Cretenſes mos turpiſſimus inoleuiſſet, vt liceret in pueros inſanire, eoſdemque quantumlibet nobiles rapere; in tantum vt formoſis & illuſtri genere natis turpe eſſet nullum habere amatorem; rapi autem adeo honorificum eſſet, vt tam in conſeſſu quam in ambulando primarius raptis locus tribueretur. Porro tam prauis affectos moribus poſſe in officio contineri, haud res leuioris negotij videbatur: vt merito antiquiſſimi poetæ Epimenidis in eos ſententiam regeſſerit Paulus, qua illos mendaces, malas beſtias, ventres pigros appellauerat. Verum hæc olim Cretenſes: nam Euangelii poſtmodum exculta legibus, facta eſt Eccleſia Cretenſium nobiliſſima; vt quæ non ſicut ceteræ Orientales diuerſis hęreſibus fœdaretur, ſed virgo multis ſæculis illibata permanſerit; prout teſtati ſunt Martinus Cortynæ, & cæteri Cretenſes Epiſcopi, iis literis [h] quas poſt Concilium Chalcedonenſe ad Leonem Imperatorem ſcripſerunt.

TVRPITVDO VETERVM CRETENSIVM.

ECCLESIA CRETENSIVM NOBILIS.
h To.2. Concil.

VII.
i 1.Tim.3.
NON GENTILES SED IVDAEI POLYGAMI.

Sed quod Paulus non tantum hac ad Titum Epiſtola, ſed & alia ad Timotheum [i] æque expoſcit vt in presbyterum eligendus VNIVS tantum ſit VXORIS VIR: hac quidem in re fuit quorumdam ſententia, Paulum ſic ipſos admonuiſſe ordinare monogamos, vt polygamos, hoc eſt eos qui plures ſimul vxores haberent excluderet. Sed quod pertinet ad Gentiles ad Chriſtum conuerſos; nec Cretenſes, nec Epheſios, eiſque propinquos populos fuiſſe aliquando polygamos, vſquam inuenimus: Athenienſes tantum occaſione exhauſtæ belli cladibus iuuentutis, polygamiam aliquando admiſiſſe reperimus; ceteros numquam. At Iudæis non inficias imus permiſſum fuiſſe his etiam temporibus [k], plures ſimul habere vxores. Sed quantumlibet ad excludendos polygamos Paulum diximus monuiſſe ordinandos monogamos; non ſic quidem id ab eo quis ſanæ mentis putauerit eſſe dictum, vt virum coniugio obligatum potius quam cœlibem præceperit ordinandum: (Quomodo enim ad præſtantiſſimum omnium munus ſacerdotale coniugatum hominem præferret cælibi, qui alias [l] admonuit ne Deo militans implicet ſe negotiis ſæcularibus; totque alia in eamdem ſententiam, laudemque cælibatus inculcauit [m]?) ſed quod non facile apud Gentiles Iudæoſue prouectæ ætatis eſſet hominem reperiri cælibem. Præterea ſi ad excludendos cælibes, coniugatos Apoſtolus eligendos mandaſſet, cur ſingulariter vnius vxoris virum dixit; & non potius in genere vxorem habentem; cũ omnes quotquot inter Chriſtianos cõiugati eſſent, vni⁹ tãtũ vxoris ſinguli viri eſſent, prohibentib. legib. Chriſtianis duas vel plures ſimul habere? Sed qua rõne Paul⁹ bigamũ excludi voluerit, mox dicetur.

k Ioſeph. 17. antiq. 1. Iuſt. mart. dial. cum Tryph.
DE CAELIBATV SACRORVM MINISTRORVM.
l 2.Tim.2.
m 1.Cor.7.

VIII.
CONIVGATI CREATI EPISCOPI, ABSTINABANT A CONIVGIO.
n Hier. l.1. aduerſ. Iouin.
o Conc. Carthag. 2. c.2.
p Siric. ep. ad Himer. cap.7. Innoc. ep.3. Ad Exuper. quaſtitat. Synod. Agathen. 9.
q Conc. Elib. c.33. Arel. 2. c.2. Agath. c.9. Tur. 1. c. 11. Tur. 2. c. 20.

Antea vero illud, quod ad hæc ſpectat, ſciendum eſt; coniugatos olim ſæpius eligi contigiſſe, ſiue ob penuriam cælibum ſiue etiam ob mores ipſorum ſpectatiſſimos cælibibus præponerentur; ea tamen lege, vt quantumlibet neceſſitate cogente aſſumerentur, conſentiente primum vxore ſic electi deſinerent prorſus vſu coniugii eſſe viri; nec poſſet omnino (vt ait Hieronymus [n]) eſſe Epiſcopus qui in Epiſcopatu filios faceret: *alioquin*, inquit, *ſi deprehenſus fuerit, non quaſi vir tenebitur, ſed quaſi adulter damnabitur.* Quod quidem SS. Apoſtolus docuiſſe, & Eccleſiã Catholicam ab omni æuo ſeruaſſe, Patres Concilii Carthaginenſis [o] Secundi ingenue ſunt profeſſi. Eamdemque antiquam obſeruationem (vt ſcilicet coniugati ad Ordines prouecti continerent, aut deponerentur) confirmarunt ſuis decretis Siricus [p] & Innocentius Romani Pontifices; necnon Synodi Eliberina [q], Arelatenſis, Agathenſis, Turonenſes, & aliæ in Occidente celebratæ: quibus addenda eſſent quamplurima Patrum teſtimonia, ac Sanctorum exempla. ſed quoniam de his agendi millies occaſio inferius aderit, hæc ſatis modo fuerint ad inſinuandam ex inſtituto Apoſtolicam & Eccleſiaſticam conſuetudinem.

IX.
r Epiph. h. in camo.
s Baſil ep. 17. ad Peregrinandus.
t Hier. ad Vigil. & Iouin. & ep 50. ad Pam.
u Conc. Nic. Ancyr. c.9.

Porro eamdem quoque ab ipſo Eccleſiæ exordio viguiſſe in Oriente, perquam egregie teſtantur Epiphanius [r], Baſilius [s], atque Hieronymus [t]. Et quamuis longe ante ipſos Ancyrana [u] Synodus eamdem legem de cælibatu confirmans illos diaconos ab ea exemiſſet, qui cum

ordinarentur inuiti, fuiſſent pariter conteſtati ſe non poſſe continentes viuere; & tamen haud diu poſt maxima illa & ſanctiſſima Synodus Oecumenica [x] Nicæna Prima, omnibus indiſtincte ſacris miniſtris omnimodum vxorum vſum atque conſortium prohibuit, etiam earum quas ante Ordines habuiſſent. Hæcque ſancita ibi eſſe à Patribus, non obſcure eodem loco Baſilius docet, dum Peragorium, licet decrepitæ ætatis ſacerdotem, quod vxorem ſuam quam presbyter cooptatus iuſſu canonum reliquerat, rurſus in domum admiſiſſet grauiſſime increpauit, excommunicationem niſi eam dimitteret acriter comminatus. Quod autem Socrates & Sozomenus ſcripſerunt, eamdem Synodum acquieuiſſe Paphnutio, ſentienti non eſſe clericis prohibendas vxores quas ante ſuſceptos Ordines habuiſſent: quantæ fidei ſit hæc iſtorum narratio dicetur inferius [y] ſuo loco. Cum alioqui & ipſi de his agentes, teſtentur [z] veterem in Eccleſia fuiſſe traditionem, vt cælibes ordinari nullo modo poſſent denuo ſperare coniugia. Et quod ad ceteros ſpectat; nec ipſis quidem Subdiaconis Eccleſiæ Græcorum, nedum alijs maiorum Ordinum miniſtris, aut Epiſcopis, S. Leo [a] permiſit vti vxoribus quas antea duxiſſent. At quo modo iis licuiſſet vxores poſt Ordines retinere, qui quantumlibet cælibes eſſent, tamen quod vel viduam duxiſſent, vel aliter bigami fuiſſent, illis ex traditione Apoſtolica Innocentius [b] Papa ſcribens ad Epiſcopos Macedoniæ, Eccleſiaſticis Ordinibus interdixit?

x Conc. Nic. c. 3.
DE CÆLIBATV CLERICORVM EX NICÆNO CONCILIO.
y An. 325. in Conc. Nic.
z Socr. lib. 1. cap. 8. Sozom. lib. 1. cap. 22.
a Leo ep. 82. ... Theſſal. c. 4.
b Innoc. ep. 22.

X.
c Can. Apoſt. 5.
DE CANONE APOSTOLORVM OBIECTIO SOLVITVR.

His igitur adeo ſtabilitis, non eſt quod de Canone [c] Apoſtolorum rurſum quis moueat quæſtionem, quod eo ſtatutum ſit ne Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, vxorem ſuam prætextu religionis abiiciat: nam dubiorum ſcriptorum non eſt tanta auctoritas, vt quæ ſunt aliunde tam certa atque rata conuellant: nec ſic ibi ne abiiciant admonentur, vt dent operam liberis procreandis (nam & Apoſtolos illos qui fuere coniugati, poſt Apoſtolatum conſecutum ab his temperaſſe, antiquorum teſtimonio ſuperius vidimus) ſed vt illarum curam gerant. Hoc cum ſenſu Canonem illum interpretatos eſſe maiores noſtros, certo argumento eſt, quod Dionyſius Græcorum Scriptorum ſui temporis nobiliſſimus, de quo & ſumma cum laude meminit Caſſiodorus [d], in ſua Collectione [e] ſacrorum Canonum, quibus ſingulis ſummarium præfixit titulum, eidem hanc inſcriptionem præpoſuit, *Vt Epiſcopus aut presbyter vxorem ſuam, quam debet caſte regere, non relinquat.* Quod quidem intelligendum eſt, vt illius curam gerat. Nam cum Gregorius [f] Papa, de Epiſcoporum vxorib. eamdem Dionyſii interpretationem iiſdem verbis referat; nihilominus ibidem docet, maiorum exemplo, & ſacrorum Canonum inſtitutione conſultum eſſe, vt ſacris functionibus mancipati, non tantum mulierum extranearum, ſed & propriarum coniugum vitarent contubernium. Et alibi [g], nec ſubdiaconos recipiendos eſſe conſtituit, niſi qui cum vxoribus antea acceptis viuerent continentes.

d Inſt. diui. lect.
e Habetur in Collect. Creſcon.
f Greg. 7. ep. 30. ad Rom. Defenſ.
g Id. 1. ep. 42. ad Petr.

XI.
IMPOSTVRA SVB NOMINE SEXTÆ SYNODI.

Sed enim hæc firmiter ſancita, Epiſcopi illi qui ſeorſum (vt dicetur [h] ſuo loco) poſt abſolutam Sextam Synodum, vſurpato tamen eius nomine, priuato conuenticulo conuenere, penitus labefactare conati ſunt; ſtatuentes [i] vt coniugati ad ſacros allecti Ordines vterentur ad libitum, præterquam certis diebus, vxoribus quas ante habebant exceptis [k] Epiſcopis quibus id omnino denegarunt. Eique firmandæ aſſertioni, præter Canonem Apoſtolicum cuius nuper meminimus, quem recenſent, adiiciſcentes inſuper aperta mendacia, corrupte detorquent [l] in ſuum ſenſum Concilii Carthaginenſis canonem quaſi eo permiſſum fuerit ſacris miniſtris vti vxoribus, præterquam tempore vicis ſuæ, hoc eſt cum miniſtrant. Sed quam inſigniter mentiantur, ipſa de hac re ſæpius ab Africanis Epiſcopis ſancita decreta teſtantur; atque in primis illud ipſum quod iidem citaſſe reperiuntur ex Concilio Quinto [m] Carthaginenſi, cuius hæc eſt germana lectio, *Placuit Epiſcopos, & presbyteros, & diacones, ſecundum priora ſtatuta etiam ab vxoribus continere:* quæ quam ſit contra mentem Græcorũ, ipſa verborum inſpectio manifeſtat, quibus illud abſque aliqua temporis diſtinctione prohibitum eſt. Sed & priora illa ſtatuta quorum Patres Carthaginenſes meminerũt (qui eſt Canon ſecundus Concilii Carthaginenſis Secundi) diſerte iubent, *vt Antiſtites & Sacerdotes, necnon Leuitæ, vel qui ſacramentis diuinis inſeruiunt, continentes ſint in omnibus, ſecundum quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit antiquitas.* Deniq; cum quæ ordine ſequuntur Tertia [n] & Sexta eiuſdem ciuitatis Synodi, dum decernunt quæ feminæ poſſint habitare cum clericis, haud inter eas numerant vxores: plane ſignificant eas ſegregandas eſſe, quæ alioquin primo loco nominandæ fuerant.

h An. 692. vbi Baronio 8. Annal. de his agitur: nos autem inde huc tranſtulimus, quæ ad iſtum canonem pertinent.
i Sext. Syn. c. 13. ap. Theod. Balſam.
k Ibid c. 12.
l Vid. Theo. Balſ. in c. 4. Conc. Carthag.
m Conc. Carth. Quint. cap. 3. & in Conc. Afric. c. pit. 37.
CONIVGATI ORDINATI, ABSTINERE A CONIVGE IVSSI.
n Conc. Carth. 3. c. 17. & Carth. 4. c. 3.

XII.
DE BIGAMIS NON ORDINANDIS.

Quantumlibet aũt cũcta hæc omni ex parte firmiſſimã ſint; tamẽ quæ diximus Apoſtoli verba, non de his qui tũc tẽporis coniugati eſſent, ſed de illis potius qui vnicã tantũ habuiſſent vxorẽ, nec BIGAMI eſſent, ad ſacerdotale mun' cooptandis, cõmuni conſenſione Patres omnes ſunt ferme interpretati. Quanam autem ratione id Apoſtolus ſtatuerit, breuiter exponendum eſt. Diximus ſæpe ſuperius, Apoſtolos quæ ad inſtitutionem morũ ſpectare vidiſſent, ea maiori aucta fœnore ex Synogoga in Eccleſiã trãsferre ſategiſſe; ita vt (quod ait Tertullianus [o]) eadem non tãtum reſeruata manerent, verum & ampliata; vt ſcilicet redundare poſſent mores Chriſtianæ religionis ſuper Scribarũ & Phariſæorum iuſtitiã: At ſi iuſtitia, inquit, vtiq; & pudicitia. Cum igitur (quod ait) prohibet lex diuina ſacerdotes denuo nubere; vetaretq; [p] Summum Pontificem ducere in vxorẽ viduam, vel ab aliis repudiatam, vel meretricem, ac tantummodo virginẽ permitteret: ita inſtituturus Apoſtolus in Eccleſia ſacerdotes, cũ ea ratione quam diximus, conſtaret non facile reperiri virgines Chriſtianos ætate ei muneri idoneos; præcepit eos ſaltem ex viduis aſſumi, qui vnius dũtaxat fuiſſent vxoris viri. At quidni hæc præſtaret Eccleſia Chriſti, cũ & apud Gentiles in falſa religione Flamen (inquit Hieronymus [q], & longe ante ipſum Tertullianus [r]) vnius vxoris ad ſacerdotium admitteretur, idẽque Flaminica vnius mariti eligeretur vxor; & ad tauri Ægyptii ſacra ſemel maritus aſſumeretur. Denique quomodo paſſurus eſſet Apoſtolus, aſſumi in ſacerdotium qui plures ſucceſſiue habuiſſet vxores, ſi viduam [s] (quod nullius eſt ſacramenti) non niſi eam quæ fuiſſet vnius viri vxor admitti voluit à Timotheo? Immo certe quemadmodum cum de vidua dixit, *Vnius viri vxor*, non potuit intellexiſſe niſi de ea quæ ſemel tantum nupſiſſet, cum nullibi vmquam reperiantur mulieres plures ſimul habuiſſe maritos: ſic & cum eodẽ plane loquendi modo ad eumdem Timotheum eadem Epiſtola ſcribens, ſiue poſtea ad Titum, de ſacerdotib. dixit, *Vnius vxoris vir*, aperte ſignificauit ſe non de aliis intelligere, quam de his qui ſemel dumtaxat vxorem duxiſſent.

o Tert. de monog. c. 7.
p Leuit. 21.
CVR BIGAMI VETITI ORDINARI.
q Hier. ep. 1. ad Ager.
r Tert. de monog. c. ...
ETIAM GENTILES EXCLVDEBANT BIGAMOS.
s 1. Tim. 5.

XIII.
CONTINVA ECCLESIÆ DE BIGAMIS OBSERVANTIA.

Porro id ſeruatum eſſe antiquitus in Eccleſia, pluribus docet Tertullianus [t]; qui & probro adſcribit, quod aliqui Bigami reperirentur præſidere: eamque obſeruationem tam in Occidentali quam Orientali, Eccleſia ex traditione Apoſtolica promanaſſe, Innocentius [u] Papa teſtatur. Qua ratione S. Leo [x] Eccleſiæ Mauritaniæ, de ingenti penuria ſacrorum miniſtrorum ob cladem Wandalicam per Legatos querenti, nullatenus permittere voluit vt Bigami ordinati in ſacro officio miniſtrarẽt. Et S. Ambroſius [y] agnoſcit, non ſolum id Apoſtolum de Epiſcopis & presbyteris ſtatuiſſe; ſed etiam Patres in Concilii Nicæni tractatu addidiſſe, clericum quemquam eſſe non debere, qui ſecunda coniugia ſortitus eſſet. Et quidni hoc in Eccleſia Catholica ſeruandum Patres ſtatuiſſent, quandoquidem & Arianos id ipſum præſtitiſſe Epiphanius [a] demonſtrat, dum narrat de Ioſepho Comite, quod cum Ariani eum rapere vellent vt ordinarent, ſe bigamum eſſe teſtatus periculum imminens euitauerit. Quod autem iſta ex veteri Eccleſiæ conſuetudine Ariani obſeruarent, non nouo inuento, ſatis inde conſtat quod numquam de ea re ab aliquo Sanctorum Patrum qui eorum hæreſes exactiſſime perſecutati ſunt, ac validiſſime confutarunt, reprehenſi inueniantur. At de his, quod ad inſtitutum pertinet, ſatis ſuperque dictum.

t Tert. ad vx. lib. 1. & de monog. c. 10. 11. 12.
u Innoc. ep. 22 c. 1. 2.
x Leo ep. 87. c. 1.
y Vid. Vita de ... Ward. l. 1. 2. Ep. 25. ad Vercel.
a Epiph. hær. 30.

XIV.

Quod autem ad iſtorum temporum & rerum de quibus agitur ſtatum ſpectat; conſtat quidem tam ex dicta ad

LVCAS QVA OCCASIONE EVANGELIVM SCRIPSERIT.

Titum Epiſtola, quam ex poſteriori hoc eodem anno ad Corinthios ſcripta, multos in his Græciæ regionibus hoc tempore ſolitos circumagi pſeudoapoſtolos, qui fabulas quaſdam atque genealogias & quæſtiones diſſeminarent: quorum cauſa, quod multa de Chriſto mētiti eſſent, *Lucas* EVANGELIVM *ſcribendi* arripuiſſe occaſionem exiſtimatur. Sane quidem quod non probaret quæ ab aliis narrata eſſent, ſe idcirco ſcriptionem inſtituiſſe, ipſe in præfatione ad Theophilum ſignificat; vbi pſeudoapoſtolos ac pſeudoſcriptores ab eo ſugillatos eſſe, firma eſt Patrum [b] aſſertio: hoſque fuiſſe Cerinthum & Merinthum, alioſq; eiuſdem farinæ homines, Epiphanius [c] tradit. Conueniunt temporibus & loca: nam cum teſtetur Hieronymus [d], Lucam in Achaiæ & Bœotiæ partibus Euangelium conſcripſiſſe, certum eſt eas regiones Paulum his temporibus peragraſſe, cui Lucas inhærebat. Ex his vero arguitur Euthymius [e], & ſiqui alii cum eo dixerunt ſcriptum à Luca Euangelium anno decimoquinto poſtquam Dominus aſcendit in cælum: quandoquidem nec eo tempore, nec poſt multos annos Lucam in Achaiam cum Paulo veniſſe, ex his quæ ſuperius dicta ſunt exploratiſſimum eſt. Illum autem Paulo hortante ſcriptionem ſuſcepiſſe, deque Euangelio Lucæ Apoſtolum intellexiſſe cum ait [f] *Secundum Euangelium meum*, Tertullianus [g] & Hieronymus [h] putauerunt. Sed Dorotheus [i] (neſcio vnde acceperit) iuſſu Petri Lucam ſcripſiſſe tradit.

b Orig. hom. 1. in Luc. Epiph. hær. 51. Ambroſ. in Luc. 1. Bed. Euthym. & alios in Luc. 1.
c Epiph. hær. 51.
d Hier. præf. in Matt.
e Euthym. præf. in Luc.
f 2. Tim. 2.
g Tert. cont. Marc. li. 4.
h Hier. de Script. Eccleſ. in Luca.
i Doroth. in Synopſ.

XV. DE THEOPHILO ANTIOCHENO.

Quiſnam autem ille fuerit THEOPHILVS, ad quem Lucas tum Euangelium, tum Acta Apoſtolorum miſit, neminem hactenus inuenimus definiſſe; nonnullis exiſtimantibus non eſſe nomen proprium, ſed cognomen Chriſtiani cuiuſpiam, ſicut & Ignatius dictus eſt cognomēto Theophorus. Verum enimuero ſi ex apochryphis veritatem aliquando exſpicari conceditur, reperimus in libris Recognitionum [k] Clementis, fuiſſe Theophilum nobilem ciuem Antiochenum, qui à Petro ad fidem adductus domum ſuam in eccleſiam mutauit, in qua Petrus cōuentus agens Cathedram poſuit. Quod igitur & ipſe Lucas patria fuit Antiochenus, ea ſaltem ratio perſuadet vt ad Antiochenum conciuem de Eccleſia Dei optime meritum iure conſcripſerit. Reperimus inſuper apud eumdem Clementem in libris Conſtitutionum [l], quemdam Theophilum ſuffectum Zachæo in Epiſcopatu Eccleſiæ Cæſa[...]n Palæſtinæ: an autem idem ſit cum Theophilo A[...]no, non poſſumus certum quid aſſignare. Porro i[...]m ad quem Lucas ſcripſit, illuſtrem plane fuiſſe virum, ſatis oſtendit, quod cum honeſtiſſimo OPTIMI titulo exornauit, quo tum Paulus [m] Apoſtolus Felicem & Feſtum Iudææ Præſides, tum Claudius Tribunus militum eumdem Felicem inſigniuit: vt plane liquido appareat, ſolitum ipſum impartiri nobiliſſimis viris; ac fuiſſe potius ampliſſimæ dignitatis indicem, quam perſonæ laudem: Alioqui non putandū, ea Paulum adulatione ac mendacio demulcere voluiſſe ſceleſtiſſimum Felicem, vel Feſtum. Quamobrem accidiſſe putamus, vt ſicut illis temporibus is vigebat loquendi vſus vt quiq; candidati (quod teſtatur Seneca [n]) *Boni viri* dicerentur; ita magiſtratum iam adepti, iidem *Optimi* nominarentur, vnde & *Optimates*.

k Recognit. lib. 10. ca. vlt.
l Clem. 7. Conſt. 46.
DE TITVLO OPTIMI.
m Act. 24. 25.
n Senec. ep. 3.

XVI. DE LVCÆ NOMINE ET MINISTERIO.

Ceterum inter typica ac ſymbolica illa quatuor Euangeliſtarum inſignia, quæ primum Ezechieli, inde vero Ioanni Euangeliſtæ fuerunt diuinitus demonſtrata, & à Patribus diuino plane ſpiritu declarata; facies Bouis, ob miniſterium Sacerdotii à quo Lucas Euangelium auſpicatur, ab omnibus ei tribuitur: cum alioqui (ſi licet ſacris profanā contingere) antiqua voce in Italia, vt auctor eſt Varro [o], bos conſueuerit appellari *Luca*. An vero LVCAS Chriſti, vel Pauli tantum fuerit Diſcipulus; Epiphanius [p] expreſſe teſtatur fuiſſe vnum de Septuaginta duobus: idque ipſum Euthymius [q], nitens Origenis teſtimonio; ſed vbi id dixerit Origenes non inuenimus, Dorotheus [r] quoque idem aſſerit: verum haud conſtans eſt fides eius, quem conſtat inter Septuaginta duos adnumeraſſe complures Diſcipulos Pauli. Demum quicumq; loquentē Lucam de duobus Diſcipulis abeuntibus Emauntem, interpretati ſunt alterum ex eis, cuius nomen non exprimitur, fuiſſe Lucam; iidē æq; confirmant, ipſum fuiſſe ex numero Septuaginta duorum. At vero cum ad id leuiſſima coniectura (quaſi videlicet modeſtiæ cauſa Lucas nomē ſuum tacere voluerit) moueantur; Origenes [s] contra ceteris illis antiquior, vt de re à maioribus pro conſtanti habita, abſq; vlla hæſitatione aſſerit, diſcipulum illum qui vna cum Cleopha Emauntē pergebat, fuiſſe Simonem. Quamobrem quid de Luca ſentiendum, à nullo certius quam ab ipſo Luca petendum eſt. Cum enim ipſe in ſua ad Euangelium præfatione aperte profiteatur, ſe ea quæ ſcripturus eſſet accepiſſe ab iis qui viderant & miniſtri fuerant ſermonis; plane declarat, ſe ea non vidiſſe coram vel audiſſe, ſed ab aliis qui cum Domino verſati eſſent accepiſſe. Nam quod poſtea addit, *Viſum eſt mihi aſſecuto omnia à principio diligenter ex ordine tibi ſcribere*, perinde eſt ac ſi dixiſſet, Qui omnia accepi ex aliorū traditione (quod antea dixerat) ea tibi ego à principio diligenter ordine recenſebo. Itaque abſque vlla dubitatione Theodoretus [t] ait, Lucam non vidiſſe quæ ſcripſit. Et longe ante ipſum Irenæus [u] iterum, illum non Domini, ſed Apoſtolorum ſectatorem & diſcipulum appellat. [y] Diſtinctius vero Tertullianus [x] atque Hieronymus, Pauli fuiſſe diſcipulum aſſerunt. Immo & ab ipſo Paulo in Euangelio genitum, idem alibi Hieronymus [z] teſtatur, & longe ante ipſum Origenes [2]. Sed de his hactenus.

o Varr. lib. 4. de ling. Lat.
LVCAS NON DOMINI, SED APOSTOL. DISCIPVLVS.
p Epiph. hær. 51.
q Euthym. præf. in Luc.
r Doroth. in Synop.
s Orig. lib. 2. cont. Celſ.
t Theod. præf. SS. Patr. 1. ſ.
u Iren. lib. 3. cap. 10. & lib. 3. cap. 11.
x Tert. 4. con. Marc. 2.
y Hier. præf. in Matt.
z Idin Iſa. 65.
2 Orig. in Rom. vlt.

XVII. PAVLI EPISTOLA II. AD CORINTH.

Cum Paulus Nicopolim hyemis tempore perueniſſet, ibi (vt exiſtimamus) ſcripſit SECVNDAM EPISTOLAM *ad Corinthios*; ea maxime occaſione, vt ſe excuſaret [b], quod cū altera Epiſtola anno ſuperiori Epheſi data pollicitus eſſet [c] ſuum ad eos aduentum cum Macedoniam pertranſiſſet; id tamen minime præſtitiſſet. Porro cum hac eadem Epiſtola ſingillatim recenſeat, tum ea quæ poſtquam ab eis receſſiſſet ſuſtinuiſſet [d] in Aſia & Macedonia, tum graues alias ærumnas [e] quas varus locis ac temporibus cauſa Euangelii hactenus perpeſſus eſſet; eorumque euentuum pleriq; à Luca prætermiſſi noſcantur: id quidem haud in[...] vel oſcitantiæ eiuſdem Lucæ tribuendum eſt, ſed [...] (vt in multis obſeruauimus) ea quib. præſens non [...] ſummatim recenſeat, vt trib. fere verbis res geſt[as] plurium menſium & annorum perſtringat.

b 2. Cor. 1.
c 1. Cor. 16.
d 2. Cor. 1. & 7.
e 2. Cor. 11.
PRÆTERMISSA A S. LVCA.

XVIII.

Sed & hic illud neceſſario monendum putamus, nonnullis accidiſſe vt temporum ignoratione in maximos errores incidāt, putantes nimirum naufragium apud Melitam factum (quod Lucas in Actis [f] narrat) vnum e tribus fuiſſe à Paulo hac Epiſtola enumeratis: non animaduertētes hanc Epiſtolam longe ante illud naufragium eſſe ſcriptam. Quod autem pertinet ad *Profundum maris*, in quo ſe nocte ac die fuiſſe Apoſtolus ibidem tradit; cum multæ ea de re afferantur interpretationes, apud Bedam [g] legitur ex Theodoro, fuiſſe eo nomine teterrimum omnium carcerē Cyzicenum; qui ex eo quod altiſſimus eſſet, adeoq; de[orſ]um depreſſus, merito *Profundum maris* ſit dictus: cui aliqua ex parte comparandus fuit qui Athenis erat famoſiſſim[us] carcer, *Barathrum* appellatus; vel qui Syracuſis *Latomia* nominatus; aut qui Romæ nuncupatus eſt *Tullianus*; necnon quia Suida [h] collocatur apud Spartiatas, *Ceada* dictus; & alius obſcuriſſimus apud Carthaginem, *Ancon* indigitatus. Ceterum licet neque in Actis à Luca conſcriptis, nec in Epiſtolis Pauli habeatur aliqua mentio de eiuſdem Apoſtoli aduentu Cyzicum: tamē cum conſtet eum veniſſe Troadem, par eſt credere Cyzicum itidē conſcendiſſe in Propontide ſitum; nec ab eo neglectam illam ciuitatem, quam magnitudine, pulchritudine, legum bonitate, aliiſque ornamentis comparari poſſe cū principib. Aſiæ & aliarum prouinciarum vrbibus, Strabo [i] aſſerit. De reliquis autem Pauli rebus geſtis per tres menſes, quibus, vt Lucas [k] ait, manſit in Græcia (intelligens per Græciam, regiones omnes quæ ab Achaia vſque in Illyricum interiacent) id tantum habemus expreſſum, quod ipſe Paulus alibi [l] vno verbo dixit, ſe in illis regionib. in virtute ſignorū & prodigiorum prædicaſſe Euangelium iis qui nondum illud audiuiſſent. Cum vero poſt hæc nauigare in Syriam decreuiſſet, inſidiantibus illi Iudæis id facere minus licuit: quamobrem vt rediret in Macedoniam iter aggreſſus eſt; prout iſta perquam breuiter narrat Lucas [m].

f Act. 27.
DE PROFVNDO MARIS PAVLI.
g Bed. lib. quæſt. q. 1. ſuper 1.
TETERRIMI CARCERES.
h Suid. verb. Barathrum. & verb. Ancon.
i Strab. li. 12.
k Act. 20.
l Rom. 15.
m Act. 20.

XIX. EPISTOLA PAVLI AD ROMANOS.

Sed antequam rediret in Macedoniam, Corinthũ verſus iter direxiſſe, ac Cenchreas (quod eſt nauale Corinthiorum) perueniſſe, ibique *ſcripſiſſe ad* ROMANOS, multis argumentis probat Origenes [n]; cui & alij, & nos etiam aſſentimur. Scripſiſſe vero ad Gentiles potiſſimum qui Romæ erant credentes, ſatis ex ipſa cognoſcitur Epiſtola [o]. Sed qualis eſſet eo tempore ſtatus ECCLESIÆ ROMANÆ, idem Paulus egregie demonſtrauit, dum ait [p] EORVM FIDEM ANNVNCIARI IN VNIVERSO MVNDO; eoſdemq; [q] *plenos eſſe dilectione, ac repletos omni ſcientia*; ac demum [r] *illorum obedientiam in omnem locum diuulgatam eſſe*. Quæ quidem conſiderantes Patres [s], occaſionem inde ſumpſerunt ſummis laudibus extollendi ipſam Eccleſiam Romanam. Eſtque ſecundum Ioannem [t] Chryſoſtomum obſeruatione dignum, Apoſtolum dixiſſe, *Fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo*; nimirum quod ſicut Romana Eccleſia fidem miniſterio Petri ſuſcepiſſet, ita & ſuſcipere deberent ceteræ omnes nationes. Ideoque idem Sanctus exacte conſiderat, quod quantumlibet Paulus [u] alibi magnis præconiis celebret Eccleſiam Theſſalonicenſem, nihil tamen eiuſmodi de ea locutus fuerit. Vt non immerito antiquitus fides Catholica, eadem dicta ſit ROMANA; & qui eſſent Catholici, ijdem communi vſui ROMANI appellari fuerint. Sed de his, deq; ipſa Romana Eccleſia iam dictum eſt ſuperius in eius inſtitutione, diceturq; ſæpe inferius in ipſius progreſſu. Cur autem nullam Paulus ad Romanam Eccleſiam ſcribens, de Petro eius Epiſcopo & fundatore habuerit mentionem, ea potiſſima creditur cauſa, quod Petrus edicto Claudij (vt vidimus) cum Iudæis ſemel Româ pulſus, ad extremas Orbis Occidentalis oras prædicationem conuertiſſet, & in iis hactenus laboraſſet: quippe cum vniuerſi gregis curam à Domino ſibi demandatam ſuſcepiſſet, atque elegiſſet [x] etiam Deus per os ipſius Gẽtes audire verbum Euangelii, eius erat officii (quo egregie functum ſuperius vidimus) remotiſſimas etiam nationes fidem docere. Quamquam & potuit illud perfacile accidiſſe (etiamſi dixerimus his temporibus illum Romæ egiſſe) vt familiares alias ad ipſum Paulus eidem tabellario dederit literas, adeo vt non opus eſſet per alios ſalutari. Hæc enim humanitatis officia, quis immanis Apoſtolis denegabit: cum & alioqui idem Paulus ſcribẽs ad Corinthios, Galatas, Epheſios, Theſſalonicenſes, & alios populos, nec quicquam de ipſorum Epiſcopis expreſſe meminerit.

n Orig. præf. in epiſt. ad Rom. Theo. præf. in epiſt. Paul. & alij. o Rom. 1. verſ. 13. & ſeq. ac ca. 15. v. 15. 16. p Rom. 1. q Rom. 15. r Rom. 16. s Cyp. ep. 57 ad Corn. Theod. in Rom. 1. & ep. ad Leon. Pap. Hieron. præf. l. 2. in ep. ad Gal. & alij pleriq[ue]. t Chryſ. hom. 2. in epiſt. ad Rom. EMINENS FIDES ROMANORVM. u Theſſ. 1. FIDES ROMANA EADEM QVÆ CATHOLICA. x Act. 15.

XX. DE ARGVMENTO EPIST. AD ROM.

Quanam autem occaſione Paulus permotus eam ſcripſerit Epiſtolam, duplicem cauſam ex eius textu collegit Auguſtinus [y]; alteram quod quæſtio exorta eſſet, Vtrum Iudæis ſolis Euãgelium Domini IESV Chriſti veniſſet propter merita operum: an vero nullis operum meritis præcedentibus, omnibus Gentib. veniſſet iuſtificatio fidei quæ eſt in Chriſto Ieſu: vt non quia iuſti erant homines crederent, ſed credendo iuſtificati deinceps iuſte viuere inciperent. Alteram vero, quod cœpiſſent nonnulli qui ex Iudæis crediderant, tumultuari aduerſus Gẽtes, & maxime aduerſus ipſum Apoſtolum Paulum, quod incircumciſos, & à Legis veteris vinculis liberos ad Euangelium admitteret. De his igitur diſputans Apoſtolus, illud primum docere contendit, omnib. veniſſe gratiam Domini Ieſu Chriſti, quam propterea etiam GRATIAM vocari oſtendit, quia non quaſi debitum iuſtitiæ redditum eſt, ſed gratuito datum: ſimulq; inſerit plurima de abrogatione legalium.

y Aug. expoſit. inchoata ep. ad Rõ.

XXI.

Ceterum dum in fine Epiſtolę meminit Phœbes miniſtræ Eccleſiæ Cenchrenſis, aliarumq; feminarum, quæ (vt ait) multum laborauerant in Domino; opinamur eas fuiſſe Diaconiſſas, de quibus ſatis eſt dictum ſuperius; ne quis putet has verbi prædicationem adminiſtraſſe, quam iam Paulus illis prohibuerat, cum ad Corinthios [z] ſcribẽs iuſſit mulieres in Eccleſia tacere. Quamquam & hoc ipſum Chryſoſtomus eo temperamento exiſtimat intelligendũ, vt non prorſus feminis Apoſtolus interdixerit quolibet diuino ſermone, ſed illo tantum qui publicus haberetur. Ac merito quidem: nam quomodo aliter vir infidelis per mulierem fidelem (quod ait Paulus [a]) ſanctus efficeretur, niſi illa ipſum docente? Denique habent Acta [b], Apollo inſtitutum fuiſſe in fide non ſolum ab Aquila, ſed etiam ab huius vxore Priſcilla; & multa alia ſuppetunt in hiſtoria Eccleſiaſtica feminarum exempla, quæ plurimas operatæ ſunt conuerſiones hominum, populorumque.

z 1. Cor. 14. FEMINAS QVI DOCEENDI MODVS PERMISſVS. a 1. Cor. 7. b Act. 18.

XXII.

Poſt hæc Apoſtolus multis aliis Romæ exiſtentib. Fidelibus ſalutem ſuo nomine impertiri mandat: quib. ferme ſingulis certas Epiſcopatus ſedes tribuit Dorotheus in Synopſi: ſed dubia eſt eius fides: aliquorum vero nomina relata habentur in tabulas [c] Eccleſiaſticas tam Græcorum quam Latinorum. Sed quod ad Narciſſum ſpectat, certum eſt erraſſe, qui putarunt Apoſtolum intellexiſſe de potentiſſimo eius nominis liberto Claudii Imperatoris; quod Taciti [d] auctoritate conſtet, eum ante biennium, cum primum Nero factus eſt Imperator, Aſinio & Acilio Coſſ. odio Agrippinæ fuiſſe necatum. His vero dum Paulus addit eos qui ſecum apud Corinthium exiſtentes, æque ſalutem impertiient Fidelibus Romanis; ac inter eos recenſens Lucium, Iaſonem, Soſipatrum, eoſdem vocat *cognatos ſuos*; ſicut & paulo ſuperius Iuniã & Andronicum, qui tunc Romæ erant: non quidem ita vocaſſe propinquitate ſanguinis, cum diuerſarum eſſent ac longe diſtantium regionum, ſed quod eoſdem in Euangelio genuiſſet, Origenes [e] exiſtimauit: At verius putamus, ſic eos dixiſſe quod eſſent eiuſdem gentis, nempe Iudæi; nam idem Apoſtolus ſuperius [f] Iudæos omnes cognatos ſuos appellat. Quod aũt non eumdem titulũ tribuat Aquilæ & Priſcillæ, quos conſtat fuiſſe Iudæos, illam putamus fuiſſe cauſam, quod hi notiores eſſe viderentur; quippe qui alias tẽpore Claudii [g] Romæ egiſſent; ceteros vero fortaſſe aduenas Iudæos ſic ſpeciatim opus fuerit demonſtraſſe. Porro Lucium quẽ dicit, eumdem eſſe cum Luca Euangeliſta, ea ratio perſuadet, quod (vt eiuſdem Acta [h] declarant) vna cum illis aliis Paulo tunc coniunctus erat. Ideoque videmus illum tam exacte relegere iter, quod poſt hæc peregit Paulus hoc ipſo anno venturus Hieroſolymam, collectam in Græcia pecuniam allaturus ad Chriſtianos qui ibi erant paupertate preſſi: vt non ſolum comites itineris, vel res ipſas in eo geſtas, ſed & dies fere ſingulos numerans, luculentam nobis eius peregrinationis reliquerit hiſtoriam.

c Menolog. 15. Mart. & vlt. Oct. Martyrol. d. die vlt. d Tac. l. 13. DE COGNATIS PAVLI. e Orig. in Rom. 16. f Rom. 9. g Act. 18. h Act. 20.

XXIII. PAVLVS MORTVVM SVSCITAVIT.

Recedens igitur Paulus è Macedonia (quo poſt ſcriptam illam ad Romanos epiſtolam acceſſerat) Troadem primo aduenit; vbi vna Sabbati (inquit Lucas) conuentu habito ad frangendum panem, in craſtinum profecturus, protraxit ſermonem vſque ad mediam noctem; quando & adoleſcentem quemdam ſomno preſſum, è tertio cœnaculo vbi conuentus fiebat in terram dilapſum, è mortuis ſuſcitauit. Porro ſacram Synaxim hunc conuentum fuiſſe, eamque die Dominico celebratam, teſtatur in primis Auguſtinus [i], diſputans aduerſus Priſcillianiſtas & Manichæos, qui ad ieiunandum die Dominico ſolerent iſto Pauli teſtimonio abuti: cui Beda [k], ac ceteri ſcriptores Orthodoxi aſſentiuntur.

i Aug. ep. 86. k Bed. in Act. 20.

XXIV. DE FRACTIONE PANIS.

Quod autem idem Auguſtinus eam PANIS FRACTIONEM, non tantum ſacræ, ſed communis etiam menſæ vſui applicari poſſe ſignificat; cum non de incidendo aut ſecando panem, ſed frangendo dumtaxat in diuinis Scripturis fit mentio, plane indicatur viguiſſe apud Iudæos eam conſuetudinem, vt conficientes panes, eos certis inciſionibus in particulas plures ſignatos coquerent, vt ſic ad eſum non eſſet opus illos incidere, ſed ſolum frangere; ſicuti facere ſolent etiam hodie in placentis azymis [l]. Indeq; eueniſſe putamus, quod *de buccellis comedẽdis* in iiſdẽ diuinis Scripturis frequens reperitur mentio. Sicut & apud Romanos [m] conſtat fuiſſe vſum receptum, vt panem quemlibet, placentamue, quadrifida in formam Crucis decuſſatam inciſione, ad diuidẽdum poſtea in partes quatuor, coquerent; cuius ſingulæ partes *Quadræ* nominarentur, non quod quadratam figuram referrent, ſed quod eſſet quarta pars panis: licet apud quoſdam veteres poetas, Quadram alii acceperint pro menſa; cum tamen eo tempore (teſte Varrone [n]) menſæ ſolerent eſſe rotundæ, vnde & complures poetæ *Orbes* poſuere pro menſis. Porro quod non ſolum in Ethnicorum, ſed etiam Chriſtianorum antiquis monumentis eodem modo efformati panes reperiantur,

l Exhibet Laram, aliaſque, de quibus inferius, formam Romanam ex antiquis monumentis, Annal. to. 3. hoc an. m Virg. 1n. Mart. Athen. li. 3. Martial. 9. epigr. 95. & alij. n Var. lib. 4. de ling. Lat.

plane

Panes cruce consignari soliti.
o Greg. l. dial. 11.

plane ſignificatur illum Gentilium morem ab ipſis Chriſtianis, quod typus Crucis iis inciſionibus exprimeretur, religioſe eſſe ſuſceptum: quod etiam confirmatur ex iis quæ S. Gregorius[o] recitat de Martyrio monacho. Sed & illud conſtat non ſolum communes panes eiuſmodi Crucis ſigno conſignari conſueuiſſe, ſed etiam illos qui ad ſacrum Euchariſtiæ vſum abſque fermento conficerentur: cuius tamen diuiſæ partes, non Quadras, ſed *Particulas*, ſeu *Buccellas*, ob illius panis exiguitatem appellatas eſſe ſuperius diximus. Poſtea vero factum eſt, vt in iiſdem myſticis panibus, non Crux tantum, ſed Chriſtus crucifixus formis redderetur expreſſus. At iam redeamus ad hiſtoriam Lucæ: qui ait in eo cœnaculo vbi Paulus ſynaxim habuit, copioſas fuiſſe Lampades.

XXV.
Lampades accensæ in lætitia.
p Perſ. ſat. 5.
q Ioſeph. 18. antiq. 6.

Quantumlibet autem ad tenebras noctis expellendas eas illic collocatas fuiſſe, quiſque iure poſſit dicere; tamen exploratiſſimum eſt, conſueuiſſe quoque Iudæos lætitiæ cauſa lucernas incendere, cum celebritatem aliquam agerent: vt docet etiam Perſius[p], dum agit de natali die Regis Herodis, quem Iudæi Romæ ſolemniter celebrare conſueuiſſent. Nec lætitiæ tantum, ſed & religionis ergo idem factitari ſolitum (vt prætermittamus de candelabro aureo ſeptem infuſoria habente, re omnibus notiſſima) locuples eſt teſtis Ioſephus[q], dum aſſerit ad Stolam Pontificiam in turre Antonia quotidie ſolitam incendi lucernam.

XXVI.
De vsu lampadum religionis caussa.
r Hier. cont. Vigilant.
s Athan. ep. ad Orthod.

Huncautem vſum antiquitus in Eccleſiam dimanaſſe, vetera ſatis probant exempla. Cum enim iam ab ipſo rerũ noſtrarum initio ordinem fuiſſe *Ceroferariorum* clericorum, qui & Acolythi dicebantur, quorum muneris erat ad ſacram myſteriorum pompam ferre accenſos cereos, ſuperius demonſtratum fuerit; cumque eadem ſacra licet aliquando nocte, vt in Vigiliis, tamen clara etiam diei luce peragi conſueuiſſe, certiſſimum ſit: æque exploratum habetur, adhiberi ſolita in Eccleſia luminaria, non ad tenebras tantum pellendas, ſed etiam ad ſacri cultus celebritatem illuſtrandam. Nam & per totas Orientis Eccleſias, quando legendum eſſet Euangelium, accendi ſolita luminaria iam Sole rutilante; Hieronymus[r] plane teſtatur. Idemque ad Martyrum Reliquias in iiſdem Orientis partibus fieri ſolitum, æque inſinuat Epiphanius in epiſtola ad Ioannem Hieroſolymorum Epiſcopum. Ac pariter Athanaſius[s] deplorat cereos à Fidelibus oblatos, ab Arianis ſublatos eſſe, & idolis incenſos.

XXVII.
Frequens luminum vsus in ecclesiis.
t Hier. aduerſ. Vigilant. & ep. 53. ad Ripar.
u Aug. ſer. 215. de temp.
x Paulin. natal. 3. & 6. Felic.
y Euod. de miracul. S. Steph. lib. 1. cap. 2. & 13. & lib. 2. cap. 2.
z Extat t. 1. Concilior. S. Silueſt.
a Aug. ep. 165. & cont. Creſcon. lib. 3. cap. 29.

Quam autem in Eccleſiis Occidentis feruentiſſimo ſtudio eiuſmodi pietatis officia à Fidelibus exhiberi ſolita eſſent, ſatis probatur ipſius Vigilantii fidei deſertoris teſtimonio, exprobrantis Catholicis quod moles cereorum Sole fulgente accendere ſolerent in Eccleſiis: in quem acriter inuectus Hieronymus, multa docet tum de re ipſa quæ fieret, tum de Lvminvm myſtico ſenſu, & quod non ea ad Martyres illuminandos (ſicut exprobat Vigilantius) tamquam ipſi eo lumine egerent, accenderentur; ſed ad pium religionis cultum, quem à ſe probari multis oſtendit[t], quemadmodum & ceteri eiuſdem ſæculi Patres ſanctiſſimi, Auguſtinus[u], Paulinus[x], Euodius[y] Vzalenſis, & alii. Quam vero ſumptuoſa eſſe ſolerent vaſa aurea, vel argentea, aut alterius generis metallorum affabre facta, ad lumina accendenda compoſita, in quibus non oleum tantum commune, vel cera, ſed interdum opobalſamum, aut nardinum oleum, in honorem Dei vel Sanctorum incenderetur; ſatis expreſſum, ac ſæpius repetitum habetur in authêtico[z] *de Munificentia Conſtantini Magni* erga nonnullas à ſe erectas eccleſias. Nec quis miretur ſi hæc facta ſint ſub Chriſtianis Imperatoribus, cum certum ſit vrgente adhuc perſecutione, præter alia ſacra diuerſi generis vaſa & ſupellectilia aurea atque argentea, Eccleſias vti conſueuiſſe argenteis lucernis, necnon Capitulatis, quæ lampades erant multa capita habentes, quibus lumina incenderentur: quorum omnium eſt inter ceteros apud Auguſtinum[a] mentio ex Actis Proconſularibus.

XXVIII.
b Iuuen. ſat. 12. Senec. Neron. Tertul. ex. Apolog. cap. 35. & ad vx. lib. 2. cap. 6.

Licet autem Gentiles[b] etiam lætitiæ ac religionis cauſa eumdem Luminum vſum interdiu vſurpare conſueuiſſent: tamen cum illum ipſum æque Iudæi obſeruarent, cur non potius à Iudæis, ſicut & pleraque alia, quam à Gentilibus (vt calumniabatur Vigilantius) Eccleſiam eum mutuatam eſſe dixerimus? Quod ſi etiam conceſſerimus acceptum à Gentilibus eſſe, quid abſurdum ſi quæ olim in cultum idolorum fierent, eadem poſtea (vt argumentatur aduerſus Vigilantium Hieronymus) in honorem Martyrum conuerſa fuerint? Vel quæ in natalitiis, aliiſque Principum celebritatibus factitari ſolerent; eademque ad natalitia ac celebritates Martyrum fuerint trãſlata? Si quę diebus ſabbatis lucernæ accenderentur in templis, non quod (vt inquit Seneca[c]) dii egerent lumine, ſed pietatis ergo: eædem in Dei-Genitricis honorem ſint commutatæ? Si qui in Saturnalibus[d] cerei erogabantur, in ſolemnitatem Occurſus Domini & ſanctiſſimæ eius Genitricis fuerint conuerſi. Si vetus Ægyptiorum[e] anniuerſaria ſolemnitas, dicta Accenſio lucernarum, qua noctu circa domos ſuas frequentes accẽdere conſueuerant lucernas; eadem in feſtiuitatem Aſcenſionis Dominicæ[f] permutata fuerit.

Gentiles ritus christiana religione depurati.
c Senec. ep. 96.
d Feſt. verb. Cerei. Macrob. 1. Saturn. 7.
e Herodot. in Euterpe.
f Vid. Bed. de loc. ſanct. c. 7.

XXIX.
g Tert. de idol. cap. 14.
h Tert. de cor. mil. cap. 13. & de idol. cap. 15.
i Hier. ep. 3.
k Act. 4. [illegible] 16.

Immo vero quod faciles admodum eſſent Chriſtiani complures, vt hæc olim more Gentilium præſtando in idololatriam inciderent (cuius rei fidem certam facit Tertullianus[g], dum exprobrat quod plures inuenirentur Ethnicorum fores ſine lucernis quam Chriſtianorum) ex his abunde datur intelligi, quam bene conſultum fuerit, & ſicut neceſſario, ita & pie effectum, vt Luminum ſacer vſus à ſuperſtitione Gentilium vindicatus, veri Dei cultui fuerit conſecratus. Sic enim licet olim Gentiles templa ſua & domos feſtis frondibus ornare conſueuiſſent, idque ea ratione ſibi nefas[h] eſſe pleriquę Chriſtiani ducerent: quod tamen nonnulli haud facile eiuſmodi contineri poſſent diſciplina, cõſulto poſtea introductum videtur, vt eadem in veræ religionis cultum impenderentur. Siquidem inter alios laudatur ab Hieronymo[i] Nepotianus, quod eccleſias Martyrum diuerſis floribus, arborum comis, vitiumque pampinis exornaret. Eodemque modo & alias inoliтas apud Gentiles conſuetudines, à quibus eos quamuis Chriſtianos effectos penitus poſſe diuelli impoſſibile videretur, in veri Dei cultum laudabiliter translatas eſſe, iam alibi ſuperius[k] eſt demonſtratum, eritq; inferius demonſtrandi locus.

XXX.
Diuino miraculo vsus lampadum comprobatus.
l Euſ. l. 6. & l. 8. Greg. Tur. 3 dial. 19. 30. Venant. Fort. lib. 3. de vit. S. Mart. Greg. Tur. de mirac. S. Mart. lib. 1. cap. 34. de glor. confeſſ. cap. 3. & lib. 2. Aug. Franc. ca. 7. Eugip. in vit. S. Seuer. Norico. cap. 9. ap. Sur. 8. Ian. & alii.
m Ann. 55. num. 3.
n Greg. Tur. de mirac. S. Mart. ca. 2.

Ceterum ipſum vſum Luminum in Eccleſias feliciter introductum, multoties à Deo ſignis editis confirmatum eſſe, innumera prope ſunt apud auctores[l] exempla. Quinimmo ipſo etiam oleo lampadum, necnon cera e candelabris ſumpta, complura peragi conſueuiſſe miracula, iam ſuperius[m] cum actum eſt de Reliquiis Sanctorum, certiſſimis Auguſtini, Theodoreti, & Fortunati teſtimoniis demonſtrauimus. Quibus & illud modo addimus, quod ex Paulino Gregorius[n] Turonenſis recenſet, de maximo incendio per ceræ particulam è Sancti Martini templo deſumptam extincto. Certe quidem poſterioribus ſæculis permulta his ſimilia conſtat edita eſſe miracula ex ceris illis, quæ ex cereo acceptæ paſchali, aliiſque puris admixtæ, & ſacro chriſmate delibutæ, ac benedictione ſanctificatæ ſunt: quæ & eo quod Agni, Chriſti typum præſeferentis, haberent impreſſam imaginem, Agnvs Dei dici conſueuerunt; quas recens baptizati ſuſpenſas ferrent ad collum: mutata videlicet in religionem ſuperſtitione, qua ſuis infantib. Gentiles bullas ad auertendas faſcinationes[o] turpicula conſignatas, vel aliter ſuperſtitionib. auctas, collo appenderent. Cum autem & iidem Cordis figuram[p] in bullis ſuis ferre conſueuiſſent, quo ſic noſceret ſe eſſe homines ſi corde præſtarent: ita Chriſtiani Imaginem Chriſti Agni ſuſceperunt, vt diſcerent eius exemplo eſſe mites & humiles corde. Sed in his non immoramur, quod ſciamus R. P. Vincentium Bonardum eius argumenti eruditum ſcripſiſſe libellũ. Iamq; tẽpus vrget ad Paulũ redeũdi; quẽ Lucas[q] ait Troade ſecedentẽ nauigationẽ pro viribus maturaſſe, vt ſolẽnitatẽ Pentecoſtes ageret Hieroſolymis.

De vsu sacræ ceræ, in Agni formam effigiatæ.
o Var. l. 6. de ling. Lat.
p Macrob. 1. Saturn. 6.
q Act. 20.

XXXI.
r Act. 21.
Pauli consilium veniendi Hierosolymam.

Quod enim ſciret præcurriſſe illuc ex Aſia[r] Iudæos Euangelii hoſtes, qui eum accuſarent aduerſus legem & templum agere; illoſque ipſos Iudæos qui receperant Euangelium, omnes legis æmulos, pene infenſo in eum eſſe animo, quod audiſſent ipſum prædicare, diſceſſionem

Digitized by Google

à Moyſe: hac de cauſa vt tempori inſeruiret (quemadmodum alias teſtatus eſt ſe eſſe factum Iudæis tamquam Iudæum, & iis qui ſub lege eſſent tamquam & ipſe ſub lege eſſet, vt eos lucrifaceret) ad ſolemne feſtum Pentecoſtes Hieroſolymam feſtinauit accedere: quo declararet ſe patrias leges non adeo auerſari. Permiſſa enim ad tempus fuiſſe legalia, vt iiſdem opportuno tempore vterentur ſi vellent Apoſtoli, ſatis ſuperius eſt dictum: licet Epiphanius exiſtimarit Paulum Chriſtiano more peregiſſe pentecoſten. Sed quid ad hoc tanta feſtinatio vt illam Hieroſolymis ageret, cum æque & in omnibus Chriſtianorum Eccleſiis celebrare potuiſſet? Denique illa ipſa quæ egit cum Hieroſolymam perueniſſet, ea qua diximus cauſa eo profectum eſſe, aperte declarant.

1. Cor. 9.

XXXII.

Ceterum legalia haud diutius permanſiſſe, ſed hac ipſa ætate, magna ex parte ſublata eſſe apparet; quando quidē Ignatius, qui vndecimo Traiani anno quo paſſus eſt, ſuas in itinere poſitus Romam veniens ſcripſit Epiſtolas, omnino prohibuit Philippenſibus ne feſtum Paſchatis agerent cum Iudæis. Cum vero eoſdem monuit ne feſtiuitates dehoneſtarent plane declarauit alias iam eo tempore introducta eſſe in Eccleſiam Feſtiuitates: ſicut & tum eadem, tum alia ad Magneſianos data epiſtola, meminit diei Dominicæ: ſed agemus de ea paulopoſt. De Paſchate vero quod Petri ſit inſtitutum vt die Dominica celebraretur, non autem Pii Papæ, vel Victoris, vt alii putarunt; dicetur opportuniori loco, cum agetur de controuerſia quæ de ea re agitata eſt in Eccleſia.

DE FESTIS DIEBVS CHRISTIANORVM.

XXXIII. DE PASCHATE ET PENTECOSTE.

Exploſis igitur legalibus cæremoniis, ſic illa quæ præcipua eſſe videbantur Iudæorum feſta, *Paſcha* atque *Pentecoſten* ex parte Apoſtoli celebrare cœperunt, vt retinentes nomina, celebrarent etiam quæ noua erant in illis & auguſtiora myſteria, atque eadem ipſa quæ iiſdem ſolemnitatibus erant olim typice ſignificata, nimirum Crucis & Reſurrectionis Domini in Paſchate, & Aduentus Spiritus S. in Pentecoſte. Hæc vero docuiſſe Apoſtolum cum poſt hæc Romæ agens ſcripſit ad Coloſſenſes,[t] *Nequis vos iudicaret in parte diei feſti aut neomeniæ, aut Sabbatorum, &c.* complures exiſtimarunt. Non enim Paulum Feſta penitus abſtuliſſe, ſed (eo modo quo dictum eſt) ex parte tantum, docet Tertullianus[u] antiquitatum Eccleſiæ egregius teſtis. Nec cum Galatas[x] Paulus reprehendit, quod *dies obſeruarent, & menſes, & tempora*. diebus Feſtis Chriſtianorū derogare in animo habuiſſe, ſed tantum Gentilitias ſuperſtitiones ſugillaſſe, declarauit abunde qui eodē quo Tertullianus vixit tempore Origines[y]. Eodemque modo cōplures alii antiquorum, ac præſertim Græcorum, eadem verba Apoſtoli expoſuerunt de Iudæorum feſtis; alii vero ad ſuperſtitionem Gentilium retulerunt, quod Gentiles paſſim diſtinctos haberent dies faſtos atque nefaſtos. In quem ſenſum ea accipiens Auguſtinus[z], inſuper de celebrando in Eccleſia Paſchate & Pentecoſte, ſæpe contra Manichæos[a] hæc impugnantes diſputat. Sed & iiſdem feſtis ſic vt diximus, ex parte literali & figurata Iudæorum ſublatis ex parte vero ſpirituali & vera Chriſtianorum, in Eccleſia Catholica ſtabilitis, agunt Gregorius[b] Nazianzenus atque Baſilius[c], Immo & ritus ipſos quibus ea celebrari deberent, Apoſtolos Eccleſiam docuiſſe Hilarius[d] teſtatur, necnon Epiphanius agens contra Aerium nebulonem, qui primus ſacros ſtatutos dies impugnare eſt auſus. Et amplius Hieronymus[f], etiam obiectiones, quæ ex Apoſtoli verbis aduerſus Chriſtianorū Feſtorum obſeruationem captioſe elici poſſent, erudite refellit. Nec eſt quod rurſum quis moueat quæſtionē de eo quod alibi Apoſtolus[g] dixit de iis qui *iudicarent diem &c.* De cibis enim illic agi, communi conſenſione Patres locum illum explicantes affirmant; licet S. Hieronymus contra Iouinianum agens aliter intelligere videatur. Verum iure dicere etiam quiſq; poterit. Apoſtolum de aliis quam Iudæorum feſtis eſſe locutum.

t Coloſ. 2.
QVA DIERVM DAMNETVR OBSERVATIO.
u Tert. ad. perſ. Pſych. cap 14.
x Gal. 4.
y Orig. cont. Celſ lib. 8.
z Aug. ep. 119. ad Ianuar. & in Enchir. cap. 79.
a Id. lib. 32. cont. Fauſt. cap. 11. 12. cont. Adim. cap. 16. & ep. 119. & in Pſal. 110.
b Greg. Naz. orat. in S. Pentec.
c Baſil. in Pſal. 1 & ad Amph. de Sp. S. ca 27.
d Hil. praf. in pſal.
e Epiph. har. 75.
f Hier. in Gal. 4.
g Rom. 14.

XXXIV.

Quod autem Origenes atque Hieronymus dicunt Chriſtianos ſanctiores non hanc vel illam ad diuinum cultum præſcriptam habere diem, ſed cunctis propenſius diuinum numen venerari; ex his videtur inferri poſſe, ea potiſſimum ratione in Eccleſia antiquitus inſtitutum; vt dies hebdomadæ omnes, FERIÆ nomine dicerentur. Non enim recens, vel à Sylueſtro Papa huiuſmodi eſt excogitata nomenclatura, quæ ab antiquioribus Eccleſiaſticis ſcriptorib. reperitur vſurpata: quandoquidem Tertullianus[h] frequenter meminit de quarta & ſexta Feria, & ait Chriſtianis omnem diem etiam vulgatam conſecratione celebrari: ſicut & poſtea Hieronymus[i] dixit, nobis qui in Chriſtum reſurgentem credimus, iugem & æternam feſtiuitatem eſſe. Accedit huc illa ratio, quod ſicut Iudæi[k] Paſchalem ſolemnitatem ſeptem dieb. celebrabant; ita placuit alia ratione Eccleſiæ, totidem dies poſt Paſcha ſolemniter agere, eamq; ob cauſam eos Ferias dicere: quarum quoniam prima erat ipſa feſtiuitas Paſchæ, quæ mox ſequitur ſecunda, ac deinceps cæteræ numerarentur eodem ordine. Quia vero qualibet die prima, nempe Dominica, eamdem Chriſti reſurrectionis memoriam ſingulis agendam hebdomadis ſtatuerunt; inde etiam factum eſt, vt ſicut in prima Reſurrectionis hebdomada dies ſinguli dicerentur Feriæ, ita etiam fieret ſequentib. ſingulis hebdomadis; cum præſertim Fideles horrerent eoſdem à Diis gentium nominare, vel Iudaico more à ſabbato, primam, ſecundam ſabbati, & ſic deinceps nomen deducere.

FERIARVM NOMEN CVR DIEBVS INDITVM.
h Tert. ad. verſ. Pſych. cap. 2. & 14.
i Hier. ep. 151. q. 10.
k Exod 12. Leuit. 3. Num. 18.

XXXV. DE DIE DOMINICA.

Ceterum prima Feria, eademq; præcipua tum ob Reſurrectionem Domini quæ ea die accidit, tum quod de illa prędictum[l] videatur, *hanc eſſe diem quam fecit Dominus*, dies DOMINICA eſt appellata; nec ab aliis, quam ab ipſis Apoſtolis: quippe cuius non ſolum Ignatius[m] qui cum eis vixit meminerit, ſed & ipſe Ioannes[n] Apoſtolus: eamque ipſo exordio naſcentis Eccleſiæ obſeruari cœptam (mutata in eam obſeruatione Sabbati Iudæorum, vt & alibi ſuperius eſt dictum) qua ſimul ad ſacram Synaxim conuenirent, argumento ſunt quæ nuper de conuentu Troade à Paulo habito vna ſabbati dicta ſunt, quodque alio loco[o] idem Apoſtolus vna item ſabbati pecuniam pro collecta aſſeruari præcepit. Per vnam enim ſabbati diem Dominicam intelligendam eſſe, declarat Auguſtinus[p]: fieriq; ſolitas Collectas die Dominica, oſtendunt præterea Cyprianus[r], Chryſoſtomus[s], Leo[t], & alii. Porro Dominicæ diei prærogatiuæ in Synodo[u] coram Theophilo Cæſarienſi in Palæſtina Epiſcopo, ſex à SS. Patribus ſunt recenſitæ: attigerunt atque ex his aliquas Origenes[x], Athanaſius[y], Hilarius[z], Baſilius[a], Hieronymus[b]: ab Auguſtino[c] etiam multæ collectæ leguntur; & S. Leo[d] ceteris locupletius de eius diei ſacramentis agit, itemque Sextæ[e] Synodi adiecti Canones: Vt non immerito eam Ignatius[f] appellauerit *Reginam & Principem omnium dierum*. Cumque eadem non ſolum Dominica, ſed & *dies Panis*, atque etiam *dies Lucis* dicta reperiatur; tria hæc eiuſdem nomina fuſius explicat Chryſoſtomus[g]. Extat inſuper de eius diei cultu Canon Magni[h] Concilii Nicæni. Et eiuſdem obſeruationem ab Apoſtolis inſtitutam affirmans Auguſtinus[i], monet inprimis vt ea die Miſſæ audiantur: quod ipſum, non tam Auguſtini ſententiam, quam cōmunem totius Eccleſiæ vſum ſecuta monuit Synodus[k] Agathēſis. De Vigiliis quoque nocte Dominicæ celebrandis extat Canon Concilij[l] Matiſconenſis, necnon nuper citatus canon in Appendice ad Sextam Synodum; quo etiā iubetur, vt ea die more maiorum Oblationes fiant in Eccleſia: ſicut & Cyprianus[m] inuehitur in diuites, qui ſine oblatione eadem die ad Eccleſiam conuenirent. Sed hæc iam de Dominica ſufficiant; quam ex ſeptem ceteris feſtam nouimus, licet olim (vt dictum eſt anno ſuperiori) in Oriente & dies Sabbati feriaretur. In eos vero qui Feriam quintam in honorē Iouis abſque operatione agerent, grauiter inuehitur Auguſtinus[n]; quibus videas quanta vigilantia intenderint Patres, ne in feriationem dierum aliqua irreperet ſuperſtitio. His enim ſimilia ſcribit S. Gregorius aduerſus eos qui diem Sabbati, æque ac Dominicum feriarent Iudaice: quod & olim vetuerat Concilium Laodicenum: at de his actum eſt in Ieiunio Sabbati.

l Pſal. 117.
m Ignat. ep. ad Philip. & ad Magneſ.
n Apocal. 1.
o 1. Cor. 16.
p Au. ep. 86.
r Cypr. de oper. & eleemoſ.
s Chryſ. ſer. de eleemoſ. & collat.
t Leo ſerm. 1. de collect. 3 ap. Bed. in comment. de Æquinoct. vernali.
x Orig. hom. 7. in Ex.
y Athan. in illud Mat. Omnia trad. ſunt mihi.
z Hilar. praf. in Pſal.
a Baſil. in Hexam. hom. 2. in fi.
b Hieron. in Gal. 4.
c Aug. ſerm. 251. de temp.
d Leo ep. 81. ad Dioſ. ca. 1.
e Sext. Syn. c. 8.
f Ign. ep. ad Magneſ.
g Chryſ. hom. 5. de reſur.
h Conc. Nic. c. 20.
i Aug. Ser. 251. de temp.
k Syn. Agath. c. 47.
l Conc. Matiſc. c. 1.
m Cypr. de oper. & eleemoſ.
n Aug. ſer. 251. de temp.
o Greg. l. 11. ep. 3.
p Conc. Laod. c. 29.

XXXVI. DE INSTITVTIONE ALIORVM FESTORVM DOMINI.

Eadem autem ratione, qua Apoſtoli prædicta Feſta ſeruanda inſtituerunt; qui iiſdem ſucceſſerunt Apoſtolici viri, reliqua quæ ſunt poſtea ſuperaddita introduxerunt:

q Aug. de ciuit. lib. 10. cap. 4. & cõt. Fauſt. lib. 32. c. 12.

runt: dicantes videlicet (quod ait Auguſt. q) facerentque anniuerſariis ſolemnitatibus atque feſtis, ea quæ inſigniter excellentia certis diebus facta ſunt, vt eorum neceſſariam ſalubremq; memoriam feſtiuitas concelebrata cuſtodiat. Hac, inquam, ratione & Feſta Natalis Domini, EPIPHANIORVM, & ASCENSIONIS, celebranda in Eccleſia ſunt ſalubriter ſuſcepta: quamuis & hæc ipſa ab Apoſtolis inſtituta eſſe; & legatur in qualiſcumq; auctoritatis Conſtitutionibus r Clementis nomine editis, & pie credendum ſit; quia quo tempore ceteræ Sanctorum feſtiuitates agi cœperint aliqua eſt memoria, de his autem nullum inuenitur inſtitutionis exordium. Certe antiqui Patres qui iis diebus homilias ad populum habuerunt, de his feſtis vt de re antiquiſſima locuti ſunt. Quod autem Paulinus s ea diuinitus eſſe inſtituta ſcripſit, in eum ſenſum accipiendum eſt vt quemadmodum Deus qui in Decalogo legem præſcriptam dedit qua feſtos dies iuberet coli eos poſtea illos eſſe declarauit, quibus maxima quædam ipſe contuliſſet in Hebræum populum beneficia; ſic cum per miſſionem Filij ſui ingentia humano generi largitus ſit beneficia, æque voluerit eorum memoriam anniuerſaria celebritate coli.

r Clem. 5. Conſt. 11. & 20.

s Paulin. Natal. 9. S. Felic.

DE RATIONE DIERVM FESTORVM.

XXXVII. FESTA SANCTORVM EX APOST. INSTIT.

t Clem. 8. Conſt. 39.
u ap. Euſeb. lib. 4. hiſt. cap. 14.
x Orig. hom. 3. in Matt.
y Tert. de cor. mil. ca. 3.

Sed quod ſpectat ad Feſta Sanctorum, dicta à maioribus Natalitia, quæ & alia occaſione ſuperius attigimus; eadem introducta eſſe Apoſtolorum auctoritate (quod & teſtatum habetur apud t Clementem) ſatis probari videtur ex eo quod eidem traditioni complures antiquiſſimi ſcriptores adſtipulentur: atque inprimis non multo poſt tempora Apoſtolorum, Eccleſia Smyrnenſis u agens de celebritate martyrii Polycarpi Epiſcopi ſui, aliorumq; qui eum præceſſerant martyrum. Itemq; Origenes x qui ſub Seuero Imperatore vixit, dum ait, bene & ſecundum voluntatem Dei memoriam infantium Innocentium SS. Patres celebrari mandaſſe ſempiternam in Eccleſiis. Atque eodem tempore Tertullianus y ex eadem maiorum traditione affirmat, Chriſtianos annuis diebus Natalitia facere ſolitos. Sicut & poſt eum Cyprianus z teſtatur ſe martyrum paſſiones & dies anniuerſaria commemoratione celebrare conſueuiſſe. Et alibi a Clerum ſuum Carthaginenſem monet, vt dies eorum qui martyrio mortẽ oppeterent, Eccleſiaſticis tabulis adnotarent, quo eorum memoriæ celebrari poſſent. Magnum item illum Thaumaturgum Gregoriũ inſtituiſſe ſuos, quos nuper ad fidẽ cõuerterat, vt celebrarent Natalitia Martyrum, auctor eſt Gregorius Nyſſenus in eius Vita Deniq; vt vna ſententia rem abſoluam, neminem poſt recenſitos reperire eſt ſanctorũ Patrum rerum Eccleſiæ tractatorum, qui vel homilias in ſanctorum martyrum Natalitiis non ſcripſerit, vel alia occaſione eorumdẽ non meminerit. Nec vero tantũ martyrio conſummatorum, ſed & cæterorum Sãctorum peragi ſolitas in Eccleſia anniuerſarias celebritates, Gregorius Niſſenus declarauit, cum in feſto die fratris ſui Baſilii eum pro concione laudauit: Sicut & Gregorius Nazianzenus, qui pariter Athanaſium iamdiu ante vita functum eadem de cauſa viſus eſt encomio celebraſſe: quod & poſtea permulti alij de aliis egere.

z Cypr. ep. 34. ad Cler. Carthag.
a Id. ep. 37.

XXXVIII. FREQVENS VSVS FESTORVM.

b ap. Euſeb. 7. hiſt. 10. & 17.
c Cyril ep. 5.
d ap. Sur. 11. Febr.
e Aug. in Breuic. Collat. d. 3. c. 17.
f ap. Sur. 20. Ianuar.

Quanta vero animi alacritate eiuſmodi feſtiuitates maiores noſtri agere cõſueuiſſent, adeo vt nec quibuſuis maximis perſecutionibus, nec ipſis etiam carceribus prohiberi poſſent, quin vna ſimul quãtum loci & temporis opportunitate daretur, ſacras Synaxes agerent, feſtoſq; dies celebrarent, ſatis declarant, quæ de iis ſcripſere Dionyſ. b Alexandr. Cypr. c, & alii; ſed magis ipſa Sanctor. Martyr. Acta, ac præſertim Proconſularia fideliſſima Saturnini d & ſociorum, quæ ab Auguſtino e citantur; necnon S. Sebaſtiani f, & aliorum id genus. At reddita Eccleſia pace, quanto celebriori ac frequẽtiori conuentu Feſta celebrarentur, inter alia fere innumera exempla, de vſu Eccleſiæ Orientalis locuples eſt teſtis Gregorius Nyſſenus in oratione quam habuit in natali die S. Theodori martyris: qui idem in feſto die SS. Quadraginta martyrum, ob frequentiſſimum cœtum, hominumq; compreſſionem & ſtrepitum, coactus eſt luculentam orationem, quam in laudem Martyrum inchoauerat, inabſolutam relinquere, & die ſequenti reſumere g. De Occidentali vero Eccleſia (vt omittamus dicere de Natalitio Apoſtolorum, à quo abeſſe, teſtimonio Gallæ h Placidiæ, ſacrilegium putabatur) egregij pariter ſunt teſtes Prudẽt. i Paulinus k, & alii. Quin etiam in celebrandis feſtis diebus introductam fuiſſe laudabilem conſuetudinem, vt bene precandó feſtos dies ſe inuicem Chriſtiani ſalutarentes, non præſentes tantũ, ſed & abſentes per literas quas Feſtiuas nominare ſolerent; teſtimonio ſunt plures eiuſmodi epiſtolæ. Theodoreti, datæ in diuerſis Sanctorum feſtiuitatibus. Ceterum quod huiuſmodi feſta celebrantes maiores noſtri, non ſic (vt calumniabãtur hæretici, ac præcipue Manichæi) mutarint idola in martyres; nec ſicut Gentiles deos ſuos, ſic ipſi homines coluerint; ſæpiſſime aduerſus eoſdem hæreticos demonſtrauit Auguſtinus l: quæ eadem abunde ſufficere poſſunt contra Nouatorum hodiernorum obiectiones, qui eaſdem ipſas Manichæorum antiquas calumnias adhuc repetere non ſunt veriti. Sed de his modo ſatis; iam ad Paulum redeamus.

g Greg. Nyſſ. orat. 1. & 2. in 40. mart.
h Gal. Imp. ad Theodoſ. Aug. in præamb. Conc. Chalcd.
i Prud. peri ſteph. hym. 11.
k Paulin. in Natal. S. Felic.

VSVS BENE PRECANDI FESTOS DIES.

QVAMPIE FIDELES CELEBRENT NATALITIA MARTYRVM.

l Aug. 20. cont. Fauſt. 21. & de ciuit. 27. & lib. 22. cap. 2. atque ſerm. 101. de diuerſ. c. 10.

XXXIX.

m Act. 20.
n Iren. lib. 3. c. 14.
o Act. 21.

Qui cum adhuc Mileti eſſet (inquit Lucas m) *mittens Epheſum, vocauit maiores natu Eccleſiæ.* Porro non tantum Presbyteros, ſed & Epiſcopos qui erant tum Epheſi, tum etiam in proximis ciuitatibus conſtituti, à Paulo vocatos Irenęus n affirmat. Habitu vero ad eos exhortatione, inde in Syriam nauigans, poſt multos dies appulit Tyrum o, vbi nauis qua vehebatur expoſitura erat onus. Obſeruatione autem dignum putamus, cum Apoſtolus tam apud Miletum quam in Tyri litore poſitis genibus oraſſe dicatur à Luca; nequaquam ipſum (quod nuper eſt dictum) Chriſtiano more celebraſſe Pentecoſten: liquidẽ (vt Tertullianus p ait, & alii omnes teſtantur) à die Paſchæ in Pentecoſten nefas duceretur de geniculis adorare. Huius vero rei cauſa, inſtituti ratio à nobis exigit, vt de antiquis Eccleſiæ RITIBVS in PRECIBVS publicis adhiberi ſolitis, hic potiſſimum agamus.

p Tert. de cor. mil. ca. 3.

DE GENVFLECTIONE IN PRECATIONIBVS.

XL. DE RITIBVS IN PRECIBVS.

Inprimis igitur quouſque Dei Eccleſia ſub Gentium Regibus vndique quaſi hoſtibus obſeſſa permanſit, haud liberum fuit patenti aliquo ſigno Fideles ad Synaxim cõuocare: Et quamuis certi ad eam rem ſtatuti eſſent dies, vrgente tamen perſecutione neceſſe erat frequenter mutare loca, eademque nec inuentu facilia. Quare priuatim ſingulos à miniſtro Eccleſiæ, (qui dicebatur *Curſor* (de quo iam dictũ eſt ſuperius) Epiſcopi ſeu presbyteri, vel diaconi monitu vocari opus erat. Vnde eſt Ignatij q ad Polycarpum Epiſcopum, & Heronem diaconum admonitio, vt ad Synaxim omnes Fideles nominatim inquiri curarent. Haud enim aſſentimur Amalario r, exiſtimanti tempore perſecutionis, *ſonitu* Lignorum (vt fit hodie tribus vltimis diebus Maioris hebdomadæ) ad Synaxim vocari ſolitos Chriſtianos. Nam nec ratio patitur, vt cum hæc illi ſecretius agenda curarent, tanto lignorum ſtrepitu Gentilium aures & oculos in ſe conuerterent; nec eius rei aliquod prorſus reperitur vetus monumentum; nec denique verum fuiſſe apparet, ſolitum eſſe olim (vt nunc ea fit ratione tribus illis diebus) mœſtitiæ tantum tempore ad conuocandum populum ligna pulſari. Nam in Secunda Nicæna s Synodo, ex libello ei oblato de miraculis martyris Anaſtaſij expreſſum habetur, in maxima etiam ac publica lætitia ſolita pulſari ligna. Et haud memini apud aliquem legiſſe, exceptis dictis diebus, aliquando Eccleſiam conſueuiſſe populum conuocare pulſatione lignorum; ſed tantum cœnobiorum t monachos: quamuis in his etiam diuerſa eſſe: conſuetudo, dum alibi ſigillatim fores u ſingulorum monachorum ſigno mallei pulſari, & alibi voce Alleluia x altis decantata moniales ad Synaxim vocari ſolitæ reperiuntur.

q Ign. ep. 11. 13.

r Amalar. de eccleſ. offic. cap. 21.

DE SIGNO EX PVLSATIONE LIGNORVM.

s Conc. Nic. 2. Act. 4.
t in libell. de miracul. S. Anaſt. Act. 4. Conc. Nic. 2. & ap. Cyril. in Vit. Theodoſ. cœnobi &c.
u Pallad. in Lauſiac.
x Hier. ep. 27. de monaſt. S. Paula.

XLI. DE VSV TINTINNABVLORVM.

y Martial. lib. 14. Epigr. Iuuen. Sat. 6.
z Lucian. de merced. cond.

At poſt redditam Eccleſiæ pacem (quo tamen id fieri cœptum ſit anno, nobis eſt incompertum) ex edito loco TINTINNABVLVM ſonitu, quæ poſtea à prouincia vbi primo grandiora fieri cœperunt, CAMPANÆ ſunt appellata, populus ad eccleſiam vocari conſueuit. Sicut & Gẽtiles ſonitu tintinnabuli ad thermas y & operas z conſueuiſſe homines conuocare, certum eſt: & excubiarum præfectos ſecum ferre ſolitos ad explorandos vigiles tin-

tinnabula, vt ijs auditis reſponderent, teſtatur Suidas [a]. Qui vero primus tintinnabula, ad ianuas poni ſolita, in editiori loco Iouis Capitolini poſuerit apud Suetonium [b] Auguſtus fuiſſe legitur. Et apud Syros quoque in ſacris adhiberi ſolita tintinnabula. Lucianus [c] eſt auctor. At vero Iudæos ex eminenti turri ſonitu TVBAE populo ſabbati indicare conſueuiſſe, iam alias dictum eſt ex Ioſepho.[d]

a Suid. verb. κωδωνοφο-... b Suet. in Octa. ca. 91. c Lucian. de merc. cond. d Ioſ. 5. de bel. v.

XLII. ORARE AD ORIENTEM.

Ceterum AD ORIENTEM olim maiores noſtros adorare ſolitos, exploratum eſt; cum alioqui Iudæi ad Occidentem ſpectantes (vt ex diuina Scriptura [e] Hieronymus atteſtatur) adorandi vſum haberent: quod & ipſo Templi ſitu demonſtratur, dum illud Ariſteas [f] ad Orientalem plagam ſpectaſſe affirmat. Sed hæc Hieroſolymis. At qui foris eſſent (vt ibidem teſtatur auctor) vbicumque reperirentur, conuerſi ad Templum orabant; ſicut & feciſſe Danielem [g], & diuinam [h] Scripturam faciendum admonuiſſe conſtat. Poſt Chriſti Aſcenſionem, id etiam agendum ſuos docuit Elxai [i] hæreticus, qui vixit Traiani tẽporibus. Porro cum antiquiſſima Gentilium templa, Clemens [k] Alexandrinus aſſerat faciem habuiſſe verſam ad Occidentem, vt qui ſtarent vultu conuerſo ad ſtatuas, docerentur verti ad Orientem: idque ipſum Pythagoricis fuiſſe in vſu tradatur; ſed & Vitruuius [l] eodem modo eademque ratione tẽpla ædificanda proponat: contra vero Porphyrius [m] atque Lucianus [n] veterum templorum ſtatuas & ingreſſus Orientem ſpectaſſe teſtentur, quo ad Occaſum funderentur preces: Ex his dici poſſe videtur, diuerſum fuiſſe ſecundum diuerſos populos adorandi ritum apud antiquos Ethnicos. Qui autem dixerunt Iudæos quoque adorare ſolitos ad Orientem, diuinæ (vt vidimus) Scripturæ auctoritate refelluntur: nec qui citatur locus Paralipomenon [o], dicit Leuitas ad Orientem conuerſos precatos eſſe, ſed tantum quod ſtarent ad Orientalem plagam altaris.

e Ezech. 8. & ibi Hier. f Ariſt. de 72. Interp. g Dan. ca. 6. h 3. Reg. 8. i ap. Epiph. de Oſſen. li. 1. cap. 19. k Clem. Alex. Strom. li. ... l Vitru. li. 4. ca. 5. m Vid. Cæl. Rhodig. lib. 12. ca. 1. n Lucian. lib. de Domo. o 2. Paralip. 5. v. 12. Citatur ap. Clem. 7. Cõſt. 44.

XLIII.

At vero penes antiquos Chriſtianos quam inuiolabiliter obſeruaretur, vt ad Orientem conuerſi funderent Deo preces, ex his inprimis affirmari poſſe videtur, quod Gentiles eam ob cauſam dicerent Chriſtianos adorare Solem, prout Tertullianus [p] teſtatur. Hunc autem orandi ritum ab ipſis Apoſtolis eſſe traditum, complurium antiquorum Patrum [q] teſtimonio comprobatur: apud quos etiam videre eſt quamplurimas eiuſmodi ſacri myſterii egregias rationes. Cum vero iſtius ritus occaſione, in nonnullos clanculum ſuperſtitio quædam Romæ irrepſiſſet, nequid ea in re commune cum Gentilibus, aut Priſcillianiſtis, qui Solem Orientem adorare conſueuerant, Fideles haberent, Sanctus Leo [r] Papa quã citiſſime proſpexit. Porro quod Oriẽs fons velut quidam luminis haberetur, atque Occidens eſſet hieroglyphicum tenebrarum; inde etiam ea vetus fuit in Eccleſia obſeruatio, vt baptiſmate initiandi, diabolo prius renunciaturi Occidentem verſus ſtatuerentur, ſicque poſiti tertio illa renunciantium verba proferrent; iidem poſtea Chriſtum Dominum confeſſuri, ad Orientem conuerſi id totidem vicibus facerent: quod teſtantur Dionyſius [s] Areopagita & Cyrillus [t] Hieroſolymitanus.

p Tert. Apolog. cap. 16. q Vid. Iuſtin. ib. qu. 118. Orig. hom. 5. in Numer. Athan. li. 7. quæ. 14. Baſil. de Sp. S. cap. 27. Damaſc. 4. de fid. Orthod. 11. SVPERSTITIO IRREPENS AMPVTATA. r Leo ſer. 7. de Natiuit. s Dionyſ. de eccleſ. Hier. lib. 2. par. 2. ca. 2. t Cyril. Catech. ...

XLIV. STANTES, VEL PROSTRATI, VEL GENVFLEXI ORARE.

Sicut autem diſtincta ſunt tempora pro ratione diuinorum myſteriorum, ita pariter fuere diſtincti in Eccleſia PRECANDI RITVS. Nam cum alias genibus flexis, vel ſi qua aliquando ſæua vrgeret neceſſitas, proſtrati in terra, iunctis, vel etiam aliquando expanſis manibus, & in altum elatis, Fideles precari conſueuerent (de quibus ritibus innumera occurrunt vbiq; exempla) tamen quod dies Dominicus reſurrectioni Domini eſſet conſecratus, ideo nõ niſi *ſtantes* Fideles ex antiqua Eccleſiæ traditione eo die, itemque à Paſcha vſque ad Pentecoſten orare ſolitos, Tertullianus [u] eſt teſtis: eamque conſuetudinem à temporibus Apoſtolorũ accepiſſe initium, aſſerit Auctor [x] Quæſtionum apud Iuſtinum, ex Irenæi ſententia in libro de Paſchate. Quæ ſi vera ſint, tamen poſt hæc tempora de quibus modo hiſtoriam ex Luca teximus, non ante id eſſe factum oportuit; quandoquidem, hoc anno (vt vidimus) Paulus tempore quod interlabitur à Paſchate in Pentecoſten, Mileti & Tyri patrio ritu poſitis genibus adorauit.

u Tert. de cor. mil. c. 3. x Ap. Iuſt. q. 115.

Porro eiuſdem ritus cæteri quoque antiquorum Patrum meminerunt, nec eſt opus recenſere ſingulos. Sed *Sedendo* adorare, extra diſciplinam eſſe, Tertullianus [y] ait. Viros autem *detecto capite*, fœminas *tecto*, in eccleſia orare debere, eſt Apoſtoli ad Corinthios [z] ſcribentis inſtitutio; de qua dictum eſt anno ſuperiori. Cur vero Romani Gentiles nonniſi tecto capite Deos precarentur exceptis Saturno & Honore, Plutarchus [a] pluribus diſſerit. Vtque in precationibus aliquando ſuum quis *pugno tundat pectus*, Publicani à Chriſto adeo commendati [b] probat exemplum: atque eo ſigno animi pœnitudinem declarari, facto illorum qui poſt Chriſti paſſionem reuertebantur [c], ſignificatur: quod & Nicolaus Papa docet, reſcribens ad conſultationes Bulgarorum.

y Tert. de orat. z 1. Cor. 11. DE ALIIS ORANDI RITIBVS. a Plutar. quæſt. Rom. 10. 11. 12. b Luc. 18. c Luc. 23.

XLV. DE PROCESSIONIBVS.

Procedentes item aliquando ad loca martyrum, ſolitos Fideles publico conuentu fundere ad Deum preces, Tertullianus [d] & Hieronymus [e] indicant. Eſtque mentio de PROCESSIONIBVS in Concilio Laodiceno [f]: quas eaſdem à Patribus dictas eſſe LITANIAS, quod expiationis cauſa vrgente aliqua neceſſitate indici publice conſueſcerent, multa exempla declarant [g]. Eaſdem vero in Eccleſia Neocæſarienſi temporib. Magni Gregorii Thaumaturgi peragi ſolitas, auctor eſt Baſilius [h]; & poſtmodum in cæteris Orientis Eccleſiis conſtat fuiſſe frequentatas: adeo vt eas ſolemniori pompa etiam Ariani fuerint [i] æmulati, quibus Arcadius Imperator eas edicto [k] promulgato inhibuit. Sed percelebres, & ab vniuerſa pene Eccleſia receptæ sũt illæ, quas Sanctus Mamertus Epiſcopus Viennenſis in Gallia reſtituit temporibus Valentiniani Tertii Imperatoris, quæ & ROGATIONES appellatæ ſunt, de quibus dicetur ſuo loco pluribus.

d Tert. ad vxor. lib. 2. ca. 4. e Hier. ep. 22. ad Euſt. f Con. Laod. c. 17. g Greg. PP. li. 2. Regiſt. in pr. & li. 11. c. 2. & 5. ep. 43. Ind. 4. Greg. Tur. lib. 10. hiſt. Franc. c. 1. Germad. Maſſil. cap. 99. Paul. diac. de geſt. Longob. li. 3. ca. 11. Gratia. h Baſil. ep. 63. ad Neocæſ. i Socr. lib. 6. c. 8. Sozom. lib. 8. ca. 8. k l. 30. C. Th. de hæ.

XLVI. PHILIPPVS EVANGELISTA. DE FILIABVS PHILIPPI VIRGINIBVS.

Tyro [l] diſcedens Paulus, Ptolemaidem primo, inde Cæſaream Palæſtinæ venit; vbi diuertit in domum Philippi Euangeliſtæ, vnius ex ſeptem Diaconis, cui erant quatuor filiæ virgines prophetantes. Hæc Lucas. Cur vero Philippus dicatur *Euangeliſta*, non id accidit quod ſcripſiſſet Euangelium, ſed (vt alias diximus) ob prædicationem Euangelii. Quemadmodum & Paulus cum Timotheum hortatus eſt, vt faceret opus Euangeliſtæ nequaquam voluit admonuiſſe vt ſcriberet Euangelium, ſed vt, quod ad Euãgelii prædicationem ſpectaret, eſſet omnib. numeris abſolutus. Porro in his quatuor Virginibus filiab. Philippi, quarum Lucas meminit, poſt Crucem Chriſti conſecratas eſſe PRIMITIAS VIRGINITATIS, tradit Hieronymus [m]. Quod autem Clemens [n] Alexandrinus ait, Pilippum filias ſuas nuptui dediſſe; eum de Philippo Apoſtolo loqui, manifeſte demonſtrant ipſius verba. At vero Philippi quoque Apoſtoli filias fuiſſe virgines, & obdormiſſe Hierapoli, Polycrates eſt auctor apud Hieronymum [o]. Sed de quo Philippo hæc ſint accipiẽda, videtur fuiſſe apud Antiquos controuerſia, dum apud Euſebium [p] eædem filiæ modo Apoſtolo, modo Euangeliſtæ tribuuntur. Quid in his dicamus, non habemus: niſi quod quæ dicuntur de Philippi diaconi filiabus, iiſdemque virginibus, ex diuina Scriptura [q] ſibi vendicant auctoritatẽ; quæ vero de filiabus Apoſtoli ab aliis ſunt relata, ex incerto ferũtur auctore; & nominis errore iactata putantur, dum quæ ſunt Philippi Diaconi, Apoſtolo ſunt adſcriptæ: cum præſertim Hieronymus [r] profiteatur, nullam haberi certitudinem, præter Petrum, aliquẽ alium Apoſtolorũ coniugio fuiſſe obligatum. Porro Clementis de nuptiis filiarum Philippi aſſertio, omniũ atteſtatione reiicitur: cũ quotquot de his agunt ſcriptores, omnes ex æquo eaſdem Virgines nominent. Legimus autem in Menologio [s], vnam ex illis, Hermionem dictam, ſub Traiano Imperatore grauiſſima paſſam, in Domino quieuiſſe. Sed reliqua proſequamur.

l Act. 21. 1. m Hier. cont. Iouin. lib. 1. n Clem. Alex. lib. 3. Strom. o Hier. de Script. Eccl. in Polycrate. Doroth. in Synopſ. p Euſeb. 3. hiſt. 25. & 31. & in verſ. Ruffi. lib. 3. c. 31. CVIVS PHILIPPI ILLÆ FILIÆ. q Act. 21. r Hier. cont. Iouin. lib. 1. s Menol. Græc. prid. Non. Sept.

XLVII. PAVLVS HIEROSOLYMAM ADVENIT.

Cum Cæſareæ ageret Paulus [t], ab Agabo Propheta præmonitus fuit de vinculis quæ cum Hieroſolymis expectarent, nec tamen diſſuaderi potuit à diſcipulis eo properare. An autem, ſicut in animum duxerat, peruenit Hieroſolymam tempore Pentecoſtes? Certe cum conſtet [u] eum poſt dies Azymorũ (qui proxime ſequebantur Paſcha) ſoluiſſe Philippis, ſiquis poſtea numeret tempus quod in itinere ſumpſiſſe Lucas minutatim deſcribit, conſi-

t Act. 21. u Act. 20.

deretque

deretque proſpera vbique vſum nauigatione; facilè reperiet Pentecoſtes ſolemnitate inſtante ipſum Hieroſolymã perueniſſe: quod & Chryſoſtomus [x], eamdem rationem dierum iniens confirmat. Illic autem narratis in conuentu Seniorum apud Iacobum Apoſtolum Hieroſolymorum Epiſcopum, quæ Deus feciſſet in Gentibus per miniſterium ipſius, idem Paulus, quod male audiret apud Iudæos Chriſtianos factos, quaſi diſceſſionem doceret à lege Moſis, vt hoc falſum eſſe monſtraretur, ab eodem ſacro conuentu monitus eſt, vt cum quatuor aliis viris votum habentibus ſuper ſe, ſanctificaret ſe & caput raderet. Deſcribit hæc pluribus Lucas.

x Chryſ. ho. 45. in Act.

XLVIII. DE NVMERO SYNODORVM APOSTOLORVM.

Porro Quartam hanc nonnulli nominant SYNODVM APOSTOLORVM: Primam enim numerant, in qua actum eſt de electione Matthiæ; Secundam, de Diaconorum electione; Tertiam, de non cogendo Gentes circumciſionem accipere; Nouiſſimam vero iſtam, in qua rogatio facta eſt ne credentes Iudæi prohiberentur vti legalibus. Verum hæc familiaris potius fuit admonitio, quam Synodica conſtitutio; atque ea occaſione adhibita, magis diſpenſatio, quam dogmatis definitio. Addunt & nonnulli [y] auctoritate Pamphili martyris, aliam Antiochiæ habitam, vbi & Canones quoſdam conditos volunt; cuius etiam meminiſſe videntur Innocentius [z] Papa, & Nicæna Synodus [a] Secunda. Eſt autem plane conſideratione digniſſimum, quod Paulus qui legalium cauſa Antiochiæ reſtiterat Petro, quique ſæpius ante hac ſuis epiſtolis de iiſdem ablegandis aperta ſuffragia dederat, tantum Seniorum modo conuentui detulerit, vt illorum arbitrio per diſpenſationem in ſeruandis legalib. impẽderit officium.

y Vid. Tur. aduerſ. Magd. b. lib. 1. cap. 25.
z Innoc. epiſt. 18. ad Alex. Ep. Antioc.
a Conc. Nic. 2. Act. 1.

XLIX. PAVLVS EXPLET MVNVS NAZARÆORVM.

Ipſe igitur aſſumptis viris (inquit Lucas [b]) poſtera die purificatus cum illis intrauit in templum, annuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro vnoquoque eorum oblatio. Quæ autem eſſent eius officii ceremoniæ, liber Numeri [c] ſatis docet; nimirum vt abſtinerent à vino, caput raderent, & finito tempore agnum, ouem, & arietem offerrent in templo, capilloſque deponerent qui cremarentur vna cum ſacrificio pacificorum. Hæc aũt omnia vna cum reliquis Nazaræis Paulum præſtitiſſe, ſatis Acta declarant. Sed quoniam certum tempus quo abſtinerent à vino Nazaræi lege definitum minime reperitur; his temporibus ex conſuetudine triginta dies ei rei præfinitos Ioſephus [d] docet. At quomodo Paulus triginta diebus perſeuerauit abſtemius, cum inopinato & ante diem tantum vt id faceret cum aliis admonitus eſſet? Ex his certe colligi plane poſſe videtur, ipſum à vino penitus temperaſſe; ſicque haud impoſſibile ei fuiſſe Nazaræorum in templo munus explere: alioqui fuiſſet hæc potius quædam legis illuſio, & ſimulatæ ſanctitatis effictio, ac in re geſta affectatum mendacium; indigna prorſus omnia, quæ non tantum de Apoſtolo; ſed nec de quolibet Chriſtiano dicantur.

b Act. 21.
c Num. 6.
d Ioſ. 2. de bel. 15.

L. DE TONSVRA IN ECCLESIAM INTRODVCTA.

Cæterum ſicut apud Iudæos NAZARÆI religionis ergo *capita in templo radenda* offerrẽt; ita ſcimus & apud Græcos Tragenios & Aſſyrios Iudæis confines, æmulatos eſſe eiuſmodi ritum tondendi capillos, eoſdemq; in templo [e] offerendi numini; ſicut & abſtinentiam ab eſu porcinæ carnis, & alia: itemque Romanos [f], cum primum barbam raderent atque crines, ea numini dedicare ſolitos. At vero ex huiuſmodi ſacro ritu Nazaræorum, qui cæteris Iudæis ſanctiores haberentur, Apoſtolica traditione in Eccleſiam deriuatum aſſeritur, vt qui à communi hominum vita recederent, & exquiſitius viuendi genus affectantes per omnia ſeſe diuino cultui manciparent, æque *raderent capita ſua.* Docet hæc pluribus Iſidorus [g]; idque myſtice agi tradit vt eo ſigno & religione vitia reſecentur, & criminibus carnis noſtræ quaſi crinibus exuamur; atque inde innouatis ſenſibus, vt comis rudibus enitęſcamus: eam vero renouationem in mente oportere fieri, ſed in capite demonſtrari vbi ipſa mens noſcitur habitare. Quod autem detonſo ſuperius capite, inferius circuli corona relinquitur; eo ſigno regale Eccleſiæ ſacerdotium demonſtrari ait. Sed quod non integra clericorum vel monachorum capita raderentur, illa etiã cauſa ſuppeditari poſſet, ne ſcilicet Iudaizare viderentur cum Nazaræis, & cum gentilibus ſuperſtitionem ſectari Iſidis, Serapidis, & aliorum eiuſmodi Sacerdotum, qui omnes corporis pilos & capillos capitis penitus [h] abradebant: itemq; vt vitæ ſemel diuino cultui per capillorum oblationem mancipatæ, eo ſigno ſæpius iterato aſſidue meminiſſent. Verũ & alia rurſum affertur eiuſdem ritus cauſa, nimirum ob iugem memoriam ſpineæ Coronæ impoſitæ Capiti Domini: idque à Petro, aliiſque Apoſtolis factitatum, & Eccleſiæ traditum, certa aſſertione apud Bedam [i] legitur, & ab aliis [k] cõfirmatur. Eſt inſuper & alia, quæ à Germano [l] Epiſcopo Cõſtãtinopolitano adducitur, nẽpe quod Petrus Apoſtolus apud exteras nationes prędicãs Euangeliũ, deriſionis & ignominię cauſa ab inimicis Euãgelii eo modo tõſus fuerit.

e Lucian in dea Syr. de ſ.
f Sueton. in Nero. ca. 12. & ibi Inter.
g Iſid. de diuin. Offic. in Con. Aquiſgran. cap. 1.
TONSVRA CLERICORVM QVID MYSTICE.
h Hier. In Ezech. 40. Ambroſ. ep. 6. ad Sabi.
i Bed. de geſ. Angl. li. 5. cap. 22.
k Alb. Flac. de diui. Off. Raban. de inſtit. cleric. & alii.
l Germ. in Theodor. rer. Eccleſ.

Quæ cum ipſe ſcribat, quantumlibet vnde acceperit auctorem non citet, ex maiorum tamẽ traditione mutuatum eſſe credendum eſt: cum ſciamus conſueuiſſe nonnunquam eiuſmodi ludibrio Romæ affici philoſophos, ſicut de Apollonio Tyanæo à Domitiano coma & barba tonſo Philoſtratus [m] ſcribit: & ſi qua fides adhibenda eſt pſeudo-Prochoro; Ioannes etiam Euangeliſta ab eodẽ Imperatore capite attonſus eſt. Cyprianus [n] quoque teſtatur, damnatos ad metalla ſemitonderi conſueuiſſe. Sed & abraſionem capitis ac ſuperciliorum, ſignum fuiſſe hominis peſſimi & fraudulentiſſimi, Cicero [o] demõſtrat: & Lucianus depingit morionem deraſo capite, ſed pauculis capillis in vertice relictis, & in criſtæ modum erectis: in quem modum aliquos Numidas etiam equis cæſariatos incedere ſolitos, Tertullianus [q] ait Sic & Caligula adoleſcentulos pulchros & comatos, quoties ſibi occurrerent, occipitio raſo deturpare ſolitus dicitur à Suetonio [r]. Et moris fuiſſe apud Romanos, ſeruorum radi capita, Tacitus & alii teſtantur. Sicq; videas, non vnius generis fuiſſe capillorum tonſiones vel abraſiones, licet omnes fere ad inurendã ignominiæ notam excogitarentur. Porro capitis quoq; abraſionẽ manumiſſionis fuiſſe notam, [s] ſicut & pileũ, & liberationis à maris tẽpeſtate [t], auctores tradunt.

LI. PETRI EXEMPLO TONSVRA INTRODVCTA.
m Philoſt. in Apolon. li. 7.
n Cypr. ep. 77.
o Cic. orat. pro roſc. Com.
p Lucian in Conuiu. & ep. ad Satur.
q Tert. de pal. cap. 4.
r Sueton. in Caio. cap. 35.
s Plaut. in Amphitr. act. 1. ſce. 1.
t Lucian. in deor. dial. in ſin. & Pom. Aſſuet.

Sed vt ad inſtitutũ redeamus, ea quæ Principi Apoſtolorũ deriſionis cauſa illata eſt infamiæ nota, totius Eccleſiæ honori ceſſit. (Et quid mirum, cum ipſa quoq; pœnarũ inſtrumenta, pietas Chriſtiana in ampliſſimã gloriã commutare cõſueuerit?) Nã præter illa quæ de Apoſtolica inſtitutione ſunt ex dictis nuper auctoribus recenſita, non alio id certe fonte fluxiſſe, viſus eſt Orbis vniuerſus pari conſenſione teſtari, dum nulla vmquam prouincia Chriſti nomen accepit, quæ non æque eãdem TONSVRÆ CLERICALIS obſeruationem ſuſceperit. Quonam alio quæſo, quam Apoſtolorũ præconio; præſertim nullo pręcedente maiorum exẽplo? Nã ſi Iudæos ſpectes, vnde manauit Chriſtiana religio; diuina lege ſacerdotes [u] prohibiti ſunt radere caput ac barbam, & communiter [x] omnes in rotundũ attondere comam. Gentiliũ vero ſacerdotum abraſionẽ, plane diuerſã à noſtra fuiſſe ſuperius vidimus: cũ alioqui nullus ſanæ mentis exiſtimauerit, Chriſtianos voluiſſe imitari illos, quorum non tantum ſacra, ſed & ſacerdotes eam præſertim ob cauſam tantopere deriderent; vt conſtat ex antiquorũ Patrũ aduerſus Gentes ſcriptis Apologiis, in quib. vtiq; hæc omnia fuſius inueniũtur explicata.

LII. QVÆ OLIM INFAMIÆ FVIT, POSTEA HONORI EST HABITA.
u Leuit. 21.
x Leuit. 19.

Certe adeo peruulgata in Orbe fuit eiuſmodi Chriſtianorũ obſeruatio, vt nec ſcriptores Ethnici de ea tacuerint. Siquidẽ Ammianus [y] Marcellinus ſcribit, temporib. Iuliani Apoſtatæ Theodorum quemdam eccleſiæ ædificãdæ præfectum, ab Ethnicis fuiſſe ſupplicio affectum, quod cirros puerorum licentius detonderet: nihil aliud ſignificans, niſi quod pœnas dedit eo prętextu quod complures pueros in clericos cooptaret. Capillorum enim tonſura clericos initiari (vt etiam modo fit) antiquitus conſueuiſſe, ſatis eſt exploratum. Sed & Otreius Epiſcopus Melitẽſis, ſanctitate & doctrina celeberrimus, qui claruit tẽporib. Theodoſii Senioris, cuius & ſanctionibus [z] cõmendatur, cum ſanctum Euthymium ordinauit Lectorem, pilos (inquit Cyrillus [a]) qui ex lege tondentur pueris, totondit. At quod amplior eſſet illorum tonſura qui maioribus initiarentur Ordinibus, hinc de quodam Euagrius [b] ait,

LIII. VSVS TONSVRÆ ANTIQVITVS.
y Ammian. lib. 22.
z l. 3. C. Theo. de fid. Cat.
a Cyril. monach. in vita S. Euthy. ap. Lipom. to. 5.
b Euagr. 3. hiſt. 26. inf.

Coma

Coma abaaſa deſignatum eſſe presbyterum. Eſtq; mentio eius ritus apud Dionyſiū [c], cum agitur de his qui in monachos cooptantur; atque eiuſdem ſpiritualis ſenſus declaratur. Habetur item apud Anaſtaſium [d] de Aniceto Papa, decreto cauiſſe ſecundum præceptum Apoſtoli, ne clerici comā nutrirent; hoc eſt, vt qui ſanctioris vitæ manciparentur ordinibus, exoultioris etiam vitæ ſignum ferrent. Sicut etiam in Conciliis Carthaginenſi [e] & Agathenſi [f] edicitur, ne clerici comam nutriant, ſed tondeant. Hæc enim de tonſura in modum ſphæræ vel coronæ, accipenda eſſe, non autem de præſcripta à Paulo [g] lege, ne viri mulierum exemplo comam nutrirent, ſatis indicans quæ de eodem Eccleſiaſtico ritu ab aliis auctoribus dicuntur. Et alioqui, quid tam inſtanter clericis faciendum eſſe mandaretur, quod Apoſtolico præcepto quiuis laicus facere teneretur? Cæterum cum omnes vbique clerici ad Tonſuram æque obligarentur; haud tamen fuit ſemper de eius modo omnium vna conſuetudo Eccleſiarum, Nam poſtmodum in Hiſpania, occaſione quorundam hæreticorū, Patres Concilii [h] Toletani Quarti ita dilatandam illam omnibus clericis præcepere; vt detonſo ſuperius capite toto, inferius ſola relinqueretur corona circuli. Quam quidem formam habes in Sancto Nicetio Epiſcopo Treuirēſi diuinitus efformatam: quem narrat Gregorius [i] Turonenſis, ab ipſo partu caput habuiſſe, cætera quidem (vt mos eſt infantium naſcentium) capillis nudum, in circuitu vero modicorum pilorum ordine decorum, vt putares (inquit) Coronam clerici fuiſſe ſignatam.

c Dionyſ. de Eccle. Hier. par. 2 ca. 1
d Anaſt. de Rom. Pont.
e Conc. Carthag. 4 c. 44.
f Conc. Agath. c. 20.
g 1. Cor. 1.
MODVS TONSVRÆ.
h Conc. Tolet. 4. cā. 40.
i Greg. Tur. in vita SS. Patr. ca. 17.

LIV. TONSVRA MONACHORVM DISTINCTA A CLERICALI.

At vero diſtinctam fuiſſe Tonſuram Monachorum, ab ea quæ eſt Clericorum, certum eſt: cum illi non tantum verticem capitis ſicut clerici, ſed totum fere caput cute tenus tondere conſueuiſſent; nempe vt ſic quod eſſet vitæ illorum ſtudium nimirū peccata lugere, declararent. Abraſionem quippe capitis, hieroglyphicum fuiſſe mœrentis hominis, nō ſolum proditur teſtimoniis diuinæ [k] Scripturæ, ſed aſſertionibus etiam externorum [l]. Eoque ſpectat quod Synodus Toletana [m] Tertia ſtatuit, vt publice pœnitentibus inprimis Epiſcopus vel presbyter caput tōderent Solum apud antiquos Romanos, quod tonſa barba ac capite ſolerent incedere, in maximo luctu capillum & barbam promittere [n] mos fuit: quod & reos [o] conſtat, ac reorum [p] amicos & affines facere ſolitos. De Monachorum vero raſura quam diximus, agunt præterea Baſilius in Regula monachorum ſuorum, Paulinus ad Seuerum [q], & Saluianus de Prouidentia [r], dum acerbiſſimi Africanæ Eccleſiæ ſub Wandalis ſtatus cauſam tribuit Afrorum impietati, qui monachos tonſuratos deridere conſueuiſſent Sicut & Auguſtinus [s] atque Epiphanius [t] redarguunt pſeudomonachos, qui comam prolixam gererent. Socrates [u] item de Iuliano Apoſtata ſcribit, abraſa cute vitam monaſticam ſimulaſſe. Ac fertur à Turriano ex Arabicis exemplaribus Canon Nicænus, vt monachi caput tondeant in modum coronæ. Epiſcopos quoq; magna ſaltem parte capitis abraſos fuiſſe, demōſtrat Gregorius Nazianzen. oratione in Maximum. Hincq; eſt, vt quoniam eiuſmodi capitis raſionem conſueuiſſe à maioribus dici CORONAM, ea quæ dicta ſunt ſatis aperte ſignificant; conſueto more loquendi ſoleret populus, cum Epiſcopum interpellaret, & enixus aliquid ab eo peteret, *per coronam* ipſius obteſtari: quod Auguſtinus [x] docet.

k Iob. 1. Iſa. 22. Mich. 1.
l Sueton. in Caio cap. 5. Herod. l. 1. agens de Antonino; Lucian. eod. de Sy. de Syria.
m Conc. Tolet. 4. cap. 12.
n Suet. in C. Iul. c. 67. in Oct. c. 23. in Caio. ca. 24.
o Plin. Sec. 7. ep. 27.
p Senec. 9. declam 4. reſp. 27. Vlp. l. veſtem. D. de innur. & aliis.
q Paulin. ep. 7.
r Saluian. libr. 8. in fin.
s Aug. de oper monac. cap. 33.
t Epiph. hær. 80.
u Socr. l. 3. ca. 1.
CORONA SACERDOTVM.
x Aug. ep. 147. ad Proſcul.

LV. OBIECTIO EX HIERONYMO.

His igitur adeo manifeſte omni teſtium genere probatis quid eſt quod obiici poſſit ex Hieron. quaſi ipſe minus probarit capitis ac barbæ raſuram? Sed ex iis omnibus quę ipſe ſcribit [y] in Ezechielē vel in Iſaiam, tres eliciuntur poſitiones; quarum prima eſt, quod ipſe non probet capillorum ſeu barbæ tonſuram ſolitam fieri more Gentilium: at in hoc nulla eſt diſcrepantia, cum (vt dictum eſt) ritus Gētium ab omnibus æque damnetur. Secunda quod nolit capillos nouacula ad cutem vſque radi, ſed ita vt operta ſit cutis: ſed quam leuis hæc ſit differentia, nemo non videt. Tertia demum, quod barbæ non probet tonſuram. at ipſe in Oriente agens, quid mirum ſi Orientalium clericorum & monachorum conſuetudinem comprobarit? Cęterum haud omittimus hic admonere, non ſolum hæreticos in Hiſpania, quos ſuperius diximus, ad æmulationem Catholicorum tonſura decoros inceſſiſſe; ſed & ipſum iam olim Simonem Magum (ſi fides adhibeatur iis, quæ recitantur apud Bedam [z]) tonſuræ genus quoddam excogitaſſe. Verum hæc à maioribus ſcripta non produntur: & de Epiſtola quam recitat Beda, Amalarius [a] dixiſſe videtur, haud integræ fuiſſe fidei.

y Hier. in Ezech. 44. & in Iſa. 3. & 6
z Bed. 5 hiſt. Angl. 22.
a Amal. de off. Eccl c. 5.

LVI. DE BARBÆ RASIONE.

Sicut autem Capita, ita & BARBAM RADERE, commune fuiſſe quibuſdam Sacerdotibus idolorum, præter illa quæ dicta ſunt, Baruch [b] de Babyloniis teſtatur, & Lucianus [c] de Syris. Quapropter quòd in lege [d] diuina prohibentur Sacerdotes Hebræorum caput & barbam radere, ac in carne inciſuras atq; figuras agere; tota vis legis in eo verſatur, vt Iudæos prohiberet ea facere quæ proximę Syriæ prouinciæ facerent idolorū ſacrifici; quos eo modo caput & barbam radere, ac cultris ſuas ſibi carnes incidere, & notas ſibi inurere, idem Lucianus teſtatur, necnon Apuleius [e]. Quod vero præterea aſſerunt Nouantes, Epiphanium [f] Conſtitutionum Apoſtolicarum auctoritate aſſerere, non licere caput vel barbam radere: cum id ipſe non aliunde, quam ex Conſtitutionibus Clementis nomine ſcriptis, vbi ea leguntur [g], proferre potuerit (neque enim vllus alius extat de his canon Apoſtolicus) vt nō excipiamus de eiuſmodi libro apocrypho, certe tū Clementis, tum Epiphanii verbis ſatis perſpicuum redditur, eos ſignificaſſe tunc barbæ inciſionem vetitam eſſe, cum promittuntur comæ capitis, & more fœminarum criſpantur, vel aliter in rotundū artificioſe componuntur; adeo vt ſic culti, fœminæ potius quam viri repræſentent effigiem. Vnde & illa eiuſdem Epiphanii [h] iuſta querela de monachis qui muliebres producerent comas; cum econtra laudet Eccleſiæ filios in tonſura reuerendos.

b Baruch. 6.
c Lucian. de dea Syria.
d Leuit. 19. & 21. Ezech. 44.
e Apul. de aſ. aur.
f Epiph. hær. 80.
g Clem. l. Conſt. 4. in fin.
h Epip. hær. 80.

LVII. BARBAM RADENDI MYSTERIA.

Porro tam Barbæ quam capitis raſionem ab ipſa etiam diuina Scriptura in magno dolore iuſſam eſſe complura Prophetarum [i] loca demonſtrant adeo vt monachis qui ſe perpetuæ pœnitentiæ mancipatunt ergaſtulo, id recte cōuenire nullus iure negare poſſit; cum præſertim eius rei alia atq; alia myſteria eſſe poſſint, quæ pluribus Beda [k] inter cæteros declarauit. At quoniam non æque monachi omnes nedum clerici, abraſis barbis incedere conſueuerunt; nec Pædagogus [l] Chriſtianus barbam nouaculæ ſubiecit, ſed tantum forficibus: diuerſam prorſus diuerſarum fuiſſe Eccleſiarum conſuetudinē, certum eſt. Nam in Oriente nunquam barba raſos inuenimus monachos vel clericos, ſecus in Occidente; quippe quod ſecundum morem diuerſarum prouinciarum in quibus habitarent, Chriſtiani tam laici quam clerici agere conſueuiſſent; at in Oriente tam Græci quam Iudæi barbati incederēt, in Occidente potiſſimum Romani [m], raſi Vnde & notat Dio [n] Chryſoſtomus Græcos nonnullos in ſuis ipſorum regionibus, quo ſe Romanorum ſtudioſos eſſe aliquo ſigno præ ſe ferrent conſueuiſſe contra omnium ſuorum gentilium morem barba raſos incedere. Et notatus eſt à Dione Caſſio, & aliis, Hadrianus Imperator qui primus omnium barbatus inceſſit, vel alii pauci poſt eum: ſed non ſic tamen, vt cæteri Romanorum ipſos imitarentur. Affectata vero illa barbę non attonſio vel abraſio, ſed auulſio potius dicenda, ab ipſis etiam Gentilibus condemnata eſt; vt de Iulio Cæſare & Othone tradit Suetonius: notatque Tertullianus [o] homines qui chirurgi inſtrumento, quod dicebatur Volſella, & aliis medicamentis, fœmineum vultum penitus affectabant.

i Iſa. 7. & 15. Hier. 41. & 48. Ezech. 5.
k Beda. in 1. Eſdra 9.
l Clem. Alex. pædag. l. 3.
DIVERSA IN BARB. ECCLESIARVM CONSVETVDO.
m Gel. l. 3. c. 4. & alii.
n Dio Chryſoſt. orat. 38.
o Tertul. de cultu fem. cap. 8 & de palli. c. 4.

LVIII. BARBAM RADENDI MOS DIV IN ECCLESIA PERMANSIT.

Sed quod diximus de Romanis, præſtitiſſe quoq; cæteros Occidentales clericos, par eſt credere. Nam Sacerdotes Galliarum Sidonius [p] docet corona decoros, & barba raſos fuiſſe Seruare autem in his locorum conſuetudinē, vt ſecundum cuiuſq; prouinciæ mores vel barbati vel attonſi incederent, velut lege quadam fuiſſe præſcriptum, ex eo ſaltē poteſt facile perſpici, quod cum ſæpiſſime Occidentales vna cum Orientalibus ad Concilia conueniſſent, nulla vnquam exorta huius rei gratia cōtrouerſia reperitur. Qui vero primus omniū hęc de barba exprobrare Latinis Sacerdotibus auſus eſt, Photius ſchiſmaticus Epiſcopus Conſtantinopolitanus fuit, de his ſcribens ad Ni-

p Sidon. 4. ep 13.

colaum

colaum Papam; cum alioqui ipſe eſſet eunuchus glaber. Porro licet ſenſim priſtinus ille Romanorum immutatus eſt vſus radendi barbas; cum barbari Romæ atque in Italia diutius morarentur: tamē quod ad clericos ſpectat, ſic viguit ad multa ſæcula eius rei obſeruantia, vt non viuere more maiorum fere religio haberetur. Nam & extāt literæ Gregorii Papæ Septimi ad Iacobum Epiſcopum Calaritanum, & ad Ducem Sardiniæ, monentis vt clericos omnes barbam radere cogerent, ex maiorum conſuetudine ab ipſo (vt ait) exordio Eccleſiæ obſeruata. Verum his iam pene contrarius irrepſit vſus, nec conſtans habetur ritus, cum iiſdem etiam locis alii tondeant, radant alii, rurſus barbam promittant abſque iactura fidei vnuſquiſque abundans in ſenſu ſuo. Sed ad Paulum redeamus.

LIX.
q Act. 21.
PAVLVS A IVDÆIS CAPITVR.

Poſt oblatum ſacrificium Nazaræorum ſeptem intercedentibus diebus, vt teſtatur Lucas[q], idem Paulus raptus in templo ab Aſianis Iudæis, eo prætextu quaſi contra legem & templum vbique prædicaret, commota aduerſus eum vniuerſa ciuitate, ab adueniente Lyſia Tribuno militum neci exemptus eſt; ac deductus in caſtra, primum Græce locutus ea ſe calumnia purgauit, quod Tribunus exiſtimaret ipſum eſſe Ægyptium quemdam magnum, qui nuper populum Iudaicum apud Hieroſolymā ſeducens, à Felice Præſide fugatus fuerat, multis ex ſuis interfectis & captis: quam rem geſtam Ioſephus[r] deſcribit, dū agit de impoſtoribus & magis turbas illectas poſt ſe trahentibus in montes & ſolitudines, ac pollicentibus ſe diuinitus oſtenſuros clariſſima ſigna, & prodigia. Deinde vero idem Paulus oratione[s] Hebraice ad Iudæos habita, eos admonuit de ſuis natalibus, & educatione ſub Gamaliele, deque zelo in legē Moyſis, ac demum de admirāda ſua ad Chriſtum conuerſione: ſed cum poſtea dicere cœpiſſet, quomodo & à Domino iuſſus eſſet Euangelium prædicare Gentibus; mox ad hæc verba excitato furore & impetu Iudæorū, vociferantium (inquit Lucas) vt tolleretur de terra, & proiicientium veſtiméta ſua, & puluerem iactantium in aerem (Erant hæc enim ſigna furētium implacabilium penitus animorum, vindictam verbis factiſque poſcentium.) Tribunus eumdem eductum iuſſit flagellis cædi atque torqueri: quando opportune Paulus ſe natum eſſe ciuem Romanum aperiens, ab eo ſe periculo exiuit. Antiquo enim iure Romanorum nefas erat ciuem Romanum ſubiicere flagellis ſeu virgis; id primum ſtatuente lege Valeria,[t] ac confirmantibus Porcia[u] & Sempronia. Porro non alia ratione Paulus ſe natum dixit ciuem Romanum, quam quod paulo ante coram eodem Tribuno profeſſus fuerat ſe mancipem Tarſenſem eſſe, hoc eſt in eo mancipio[x] natum. Præterquam autem Municipes æque ac Coloni, dicebantur ciues Romani, præſtabāt inſuper municipia colonis, quod iſte legibus Romanorum cogerentur viuere, mancipia vero ſuis agere ſinerentur ipſique municipes munerum honorariorum[z] Romanæ Vrbis participes eſſe poſſent. Vt autem *Tarſis* (quæ Ciliciæ metropolis erat) municipium diceretur Romanorum, eam ciues promeruerant dignitatem, ſimulque ampliſſimis iuribus donati ſunt, quod in bello ciuili[a] Iulio Cæſari primum (vnde & ciuitas dicta eſt *Iuliopolis*) ac deinde Octauio Auguſto ſtudioſiſſime fauiſſent, multaque ea de cauſa paſſi eſſent.

r Ioſ. 20. antiq. 6. & 2. de bel. 22.
s Act. 22.
PAVLVS CLAMAT SE CIVEM ROMA. FLAGELLIS ERIPITVR.
t Val. Max. lib. 4. cap. 1.
u Cic. pro Rab. & vid. Sigō. de iur. antiq. Rom. l. 1. cap. 6.
x l. municip. D. de verb. ſig.
y Gel. li. 16. cap. 13.
z l. 1. D. ad municip.
TARSVS MVNICIPIVM.
a Dio Caſ. l. 47. Dio. Chryſ. in Tarſ. poſter.

LX.

A flagellis ergo in hunc modum liberato Paulo, poſtera die volens ſcire Tribunus qua ex cauſa accuſaretur à Iudæis, conuocatis Sacerdotibus & vniuerſo Concilio (hoc eſt *Sanhedrin*, de quo ſæpe dictum) eumdem ſtatuit inter illos. Qui cum loqui cœpiſſet, iuſſus à Principe Sacerdotum Anania os percuti, dicit ad eum Paulus, *Percutiet te Deus paries dealbate*; reprehenſus vero quod Summo Sacerdoti malediceret, excuſauit ſe ignoraſſe eum fuiſſe Principem Sacerdotum. Hæc pluribus Lucas[b]. Sed quā prætexere potuit Paulus excuſationis cauſam, quod neſciſſet Ananiam Summum Pontificem? Certe cum ipſe in Iudæorum ritibus apprime eruditus eſſet, quippe ad pedes magni Gamalielis educatus; nec, ſi aliqua fuiſſet prærogatiua ſedes aut veſtis, à cæteris Septuaginta duobus Senioribus Summus Sacerdos, vel etiam Princeps Sanhedrin diſtinctus, id ignorare potuiſſet; omnino dicendum videtur, Herode (à quo ipſum Sanhedrin aliquando ſublatum eſſe vidimus) & poſt eum Romanos Præſides, ita fuiſſe eiuſmodi Concilium congregari, vt tamen nulla eſſet ipſorum etiam Principum prærogatiua; maxime cum ei intereſſet (vt modo accidit) Dux aliquis Romanus. Cæterum ſciens Paulus quod vna pars Concilii eſſet Sadducæorum, & altera Phariſæorum, exclamauit ſe Phariſæum eſſe, & de ſpe ac reſurrectione mortuorum iudicari; quod videlicet Sadducæi negabant, Phariſæi fatebantur. Accidit vero res ex ſententia: nam altercantibus illis inter ſe de propoſita quæſtione, Paulus è Concilio abiit indemnatus.

b Act. 23.
AVCTORITAS CONCILII LXXII. SENIORVM DEPRESSA.

LXI.
PAVLVS PERDVCTVS CÆSAREAM, CAVSAM AGIT CORAM FELICE.

Cum vero poſt hæc quadraginta viri & amplius Iudæi deuouiſſent, ſed neque manducaturos, neque bibituros donec occidiſſent, Paulum; detectis huiuſmodi inſidiis à filio ſororis ipſius Pauli, idem à Lyſia Tribuno cum præſidio miſſus eſt Cæſaream ad Felicem Præſidē: quo cum & Summus Pontifex & alii Iudæi acceſſiſſent, cauſa vtrinq; coram Præſide acta, dilatum eſt eius iudicium in aduentū Lyſiæ Tribuni. Interim vero Præſes accerſens Paulū, vna cum Druſilla vxore ſua Iudæa fœminā audiuit ab eo fidē Chriſti: ſed diſputante illo de iuſtitia & caſtitate, ac de Iudicio futuro, timefactus Præſes ceſſauit de ea re amplius illum inquirere; ſperans tamen aliquam ab eo pecuniam accipere pro liberatione. Hæc omnia pluribus Lucas[c]. Porro conceperat hanc de pecunia ſpem Felix, quod tum ab ipſo Paulo in oratione quam coram eo habuerat, tum ab aliis audiſſet, ingentem pecuniarum vim Paulum ſecū attuliſſe Hieroſolymam vt erogaret in pauperes: quamobrem eum prædiuitem fuiſſe hominem eſt opinatus. Quod autem idem ipſe Iudex rei verbis auditis de iuſtitia & caſtitate, atq; de futuro iudicio, fuit tremore correptus; certum eſt id accidiſſe, mala ipſius conſcientia expaueſcēte immenſa à ſe patrata crimina: quippe quem Tacitus[d] ait per omnem ſæuitiam & libidinem ius regium ſeruili ingenio exercuiſſe: eumdemque Suetonius[e] trium Reginarum maritū appellat. Nam & ipſa quæ tunc altera erat vxor eius Druſilla[f], cuius cauſa putamus ea Paulum diſſeruiſſe; filia Senioris Agrippæ Regis, & Iunioris ſoror, cum nupta olim fuiſſet Azizo Emeſſenorum Regi circumciſo, ab eodem Felice, audita eius eximia pulchritudine, ope cuiuſdam Iudæi Cyprij à marito diuulſa eſt. Fuiſſe vero Felicem hunc fratrem Pallantis potentiſſimi illius Claudij Imperatoris liberti, ex iiſdem auctoribus intelligitur.

c Act. 23. 24.
DE FELICE PRÆSIDE.
d Tac. lib. 5. hiſt.
e Suet. in Claud. c. 28.
f Ioſ. 20. ant. 5. & 2. de bel. 10.

LXII.
FESTVS SVCCEDIT FELICI.
g Act. 24. in fin.
h Tac. Annal. li. 12.

Porro ipſum Felicem poſt hæc cum Paulo geſta ſucceſſorem accepiſſe Porcium Feſtum Lucas[g] tradit: idq; hoc ipſo anno contigiſſe, ſatis indicat, dum ait, biennio expleto Felicem accepiſſe ſucceſſorē Porcium Feſtum. Siquidem Felix qui à Claudio (vt ex Tacito[h] apparet) iam ante Conſulatum Sullæ & Othonis (qui incidit in annum Domini quinquageſimum quartum) vna cum Cumano miſſus fuerat in Palæſtinam ſic inter eos diuiſa adminiſtratione, vt Felix Samariam regeret, Cumanus reliquam prouinciæ partem: idem, inquam, Felix à Nerone poſt Claudij mortem ad Imperium euecto vniuerſam Iudæam (vt vidimus) curandā accepit, excepta illa parte quam Agrippæ Regi tribuit. Sicq; igitur expleto biennio eius functionis ſub Nerone, qui hoc anno pridie Idus octobris tertiū Imperii inchoauit annum, Feſtus ſucceſſit Felici. Quod autem *biennium illud* quod Lucas ponit, alii referunt ad Pauli aduētum Cæſaream antequam eo Feſtus accederet, exiſtimantes eum tamdiu illic facile detentum eſſe; hos quidē errare ſatis conſtat, quod Paulum haud ante præſentem annum potuiſſe Hieroſolymam adueniſſe, quæ de ipſo à tempore edicti Claudii quo Roma Iudæi ſunt pulſi, per annos ſingulos ſunt dicta, demonſtant: quem & hoc ipſo anno Neronis ſecūdo à Paſſione Domini vigeſimo quinto, dimiſſum eſſe Romā à Feſto, tum Euſebius[i], tum Hieronymus[k], & alii affirmāt. Quomodo vero ſub Feſto Paulus cauſam dicere iuſſus, licet nullius criminis reus indicaretur, Cæſarem appellarit; & aduenientē Cæſaream ad ſalutandam Feſtum Agrippa Rege vna cum ſorore Berenice (cuius contubernio ipſum Agrippam vehemēter eſſe infamatum,

i Euſ. in Chr.
k Hieron. de ſcript. Eccl. in Paulo.
DE PAVLI APPELLATIONE AD CÆSAREM.

l Ioſ. 20. ant. c. 5.

famatum, Ioſephus [l] eſt auctor) iterum coram eis inſigni energia cauſam ſuam perorarit; ac poſtea Centurioni Romam deducendus traditus, poſt longam ac dubiam nauigationem, euaſumque naufragium, in Inſulam Melitam aduenerit, ibique à vipera inuaſus, nihil mali paſſus fuerit, quin etiam patrem Principis, omneſque alios eiuſdem Inſulæ ægrotos curauerit: hæc, inquam, omnia Lucas, qui omnibus interfuit, fuſe ac ſingillatim recenſet [m].

m Act. 25. 26. 27. 28.

LXIII.
n Act. 28.
PAVLI MIRACVLA MELITÆ.

Sed illud de VIPERA Paulum mordente, ac de barbaris admirantibus quod nihil inde mali paſſus eſſet, exacte à Luca deſcribi [n] Deus voluit, vt virtus Inſulæ Melitæ Pauli gratia conceſſa magis innoteſceret; nec naturali eius loci proprietati adſcriberetur, quod ex illo tempore fuit ei diuinitus impertitum, vt ſerpentes omnes veneno careant & quantumlibet aliquē momorderint nihil prorſus inferant detrimenti. Si n. olim à natura, ſicut quibuſdā aliis locis, id datum fuiſſet, cur incolæ tam certi fuiſſent (quod docet Lucas) de interitu Pauli? Sed & *Terram* ibi eiuſdem merito contra venena parare antidotum, experientia notū eſt vniuerſo Orbi. Cæterum non tantum ea Melitenſibus præſtitit, vt ægritudine laborantes omnes curarentur, ſed & Chriſtiana eos religione imbuit; ipſumq; eorum Principem nomine Publium ad fidem conuerſum eiſdem præfecit Epiſcopum; quod vetera quæque Martyrologia [o] atteſtantur. Immo & eumdem inde poſtea euocatum, in locum Dionyſii Areopagitæ Eccleſiæ Atheniēſi eſſe ſubrogatum Epiſcopum tradunt [p], putantes nimirum, vnum eumdemq; eſſe cum hoc illum Publium, quem Dionyſius [q] Alexandrinus affirmat Areopagitæ ſucceſſiſſe, quem & martyrio coronatum fuiſſe, etiam Sanctus Hieronymus [r] tradit. Porro Paulum tribus menſibus in Inſula Melita cum cæteris manſiſſe, illic hiemantes, Lucas tradit. Agemus itaque de eius inde receſſu anno ſequenti, quo eum accidiſſe conſtat.

o Martyrol. Ro. & alia 21 Ianuar.
p Ado. in Martyro. ea die, & alii
q ap Euſ. 4. hiſt. 22.
r Hieron. de Script. Eccl. in Quadrato.

LXIV.
NERO RESCRIPSIT CONTRA IVDÆOS.
s Ioſ. 20. antiq. 7.

Hoc eodem anno Nero Imperator petente Beryllo, qui eius pædagogus fuerat, tunc vero Græcis ſcribendis literis præerat, Iudæis Cæſareæ habitantibus ius eius ciuitatis abrogauit, quod hactenus commune cum aliis habuerant vnde omnes Iudæorum calamitates exortas eſſe, dolet Ioſephus [s], quod (vt narrat) ii numquam poſtea ceſſarint à ſeditionibus & graſſationibus, donec initium belli cōflatum eſt. Quo etiam tempore magnam tradit Hieroſolymis interceſſiſſe diſcordiam inter Agrippam Regem & Sacerdotes templi occaſione domus ab eodem Rege ædificatæ, è qua contra leges patrias ſpectari poſſet quid ageretur in templo: re vero ad Neronem delata, iudicatum eſſe pro Sacerdotibus, fauore Poppææ Sabinæ quæ pro eis deprecatrix extitit.

NERONIS IMP. AN. 3.

IESV CHRISTI ANN. 59.

PETRI. AN. 15.

I.
PAVLI ROMAM ADVENTVS.

ANno Chriſti quinquageſimo nono, Nerone Aug ſecundum & Calpurnio Piſone Coſſ cum primū tranſacta hieme tempus nauigationi commodum adueniſſet, Paulus Apoſtolus naui Alexandrinæ, quæ hiemauerat in in Inſula Melita, vna cum ſociis itineris à Centurione eius cuſtode vinctus impoſitus. Puteolos appulit, inde vero pedeſtri itinere Romam veniens, obuiam habuit plures Chriſtianos Romanos, qui ei vſque ad Appii Forum & Tres Tabernas occurrerunt. Narrat hæc Lucas [a]. Porro *Tres Tabernas* ab Vrbe triginta tribus milliaribus, *Forum Appii* quinquaginta vno abfuiſſe conſtat ex Antonini Itinerario. Ex quibus videas Chriſtianorum Romæ agentium officia & ſtudia erga Paulum, cū nō quaſi vincto homini, ſed in Vrbem cum triumpho aduenienti, tam longe obuiam ierint. Dies autem quā in Vrbē ingreſſus eſt, tam apud Bedam [b], quam Vſuardum, conſignata habetur ſexta Iulij: verum ſi tempus quo ex Melita Inſula ſoluit, ac dies nauigatione inſumpti conſiderentur, haud tam ſero Romam potuit perueniſſe. Certe quidem Veris tempore eam eſſe nauigationem inſtitutam, Arator Diaconus, qui heroico carmine cecinit Acta Apoſtolorum, teſtatur. De anno vero, cum ex præterlapſis ſingulis recenſitis certe habita ratione, hoc ipſo Chriſti quinquageſimo nono Paulum Romam conceſſiſſe exploratum habeatur; his etiam conſentit Euſebius [c], & ipſum ſecutus Hieronymus [d], numerant à Paſſione Chriſti vſque ad tempus quo Paulus à Feſto Iudææ Præſide iuſſus eſt nauigare, annos vigintiquinque: quos ſi numeres ab anno Natiuitatis Domini trigeſimoquarto, qui ſecundum Euſebium primus ponitur à Paſſione; neceſſe eſt affirmare, anno Domini quinquageſimo octauo Paulum dimiſſum eſſe à Feſto, hoc vero quinquageſimonono Romam ingreſſum eſſe; prout etiam ab eodem Euſebio ponitur.

a Act. 28.
b Bed. Vſuar. in Martyrol.
c Euſeb. in Chron.
d Hieron. de Script. Eccl. in Paulo.

II.
RES GESTÆ PAVLI ROMÆ.
e Act. 28.

Cum autem eo Paulus adueniſſet, permiſſus eſt manere ſibimet cum cuſtodiente ſe milite; ſicque Iudæis primum, poſtea etiam Gentibus, fidem Chriſti libere prædicans, biennio toto manſit in ſuo conducto. Hæc Lucas [e], res plurimas paucis verbis comprehendens: quem tamen Paulo fideliter ſemper adhæſiſſe, ex variis ab eodem Apoſtolo Romæ datis Epiſtolis certum redditur. Cum autem nihil dicat de iis quæ apud Neronem, quem appellauerat Paulus, egerit: ex iiſdem Pauli Epiſtolis poſſumus inprimis intelligere [f], in prima ſui ipſius corā eodem Imperatore defenſione, ab omnibus fuiſſe derelictum (adeo pauendum fuit ab iis iudicium æſtimatum corā ſæuiſſimo Principe, nihil ratione, ſed pro animi libidine omnia faciente) ſed ei Chriſtum adſtitiſſe, & *ab ore leonis* (ſic enim Neronē appellat, ob immanē ac prorſus feralem eius ſæuitiam) atque ab imminente diſcrimine ipſum liberaſſe poſtea vero plurimos Fidelium animo reſumpto cum ipſum vidiſſent in omni Vrbis Prætorio [g] (Senatum, vt puto, intelligit, & collegium Pontificum) cauſam fortiter agere, & ipſos ſine timore verbum Dei loquutos eſſe. Tradit etiam ex communi opinione Chryſoſtomus [h], Romæ Paulum ſalutaſſe Neronis pocillatorem, & concubinam. Sane quidem nonnullos ex Neronis familia ad Chriſtum eſſe conuerſos, ex ipſomet Paulo [i] cognoſcimus; dum meminit Sāctorum qui ex Domo Cæſaris eſſent. Inter alios autem vnum fuiſſe Torpeten, qui poſtea martyrio coronatus eſt, Romanum [k] Martyrologium atteſtatur. Porro concubina Neronis, cuius meminit Chryſoſtomus, fuiſſe creditur Poppæa Sabina, quæ præ cæteris ab eo in deliciis habebatur; de qua pluribus agunt Tacitus [l], & alii Romani hiſtorici: quamquam erga Iudæos propenſiorem fuiſſe, ex Ioſepho [m] conſtat.

f 2. Tim. 4.
NERONEM PAVLVS VOCAT LEONEM.
g Philip. 1.
h Chryſ. h. 54 in Act.
i Philip. 4.
k Martyrol. Rom. 17. Maii.
l Tac. annal. li. 13.
m Ioſ. de vit. ſua, & 20. antiq. 7.

III.
EPIST. II. AD TIMOTHEVM.
n 2. Tim. 4.

Acturis autem breuiter de ſingulis, quas tunc Romæ ad diuerſos ſcripſit Paulus Epiſtolis prima occurrit ea quæ eſt AD TIMOTHEVM SECVNDA, quam non multum poſt ſuum Romam aduentum, nimirum ſtatim [n] poſt primam ſuam coram Nerone defenſionem ſcripſit, & de iis quæ proxime ei accidiſſent, deq; diuerſo ſuorum ſtatu, & quinam eum deſeruiſſent, certiorem reddidit. Cum vero præter hæc, multa quæ ab eodem Timotheo præſtari cuperet eum admonuiſſet, multaq; de his quæ obuentura eſſent mala prænunciaſſet; demum quod vehementer optabat, rogauit ſemel atq, iterum vt Romam venire feſtinaret ante hyemem, ac ſecum ferret penulam quam anno ſuperiori ipſe Paulus reliquerat Troade, necnon libros maxime autem membranas. Sed quænam eſſet Pauli PENVLA, ex inſtituto paucis eſt explicandum, Fuiſſe inprimis Penulam, veſtem ad frigus & pluuias expellendas compoſitam, qua potiſſimum iter agentes vti conſueuiſſent, demonſtrant Cicero [o], Spartianus [p], atque Lampridius [q]. Duplicisque eas fuiſſe generis, Martialis [r] teſtatur, nimirum villoſas alteras (quas *Gauſapinas* appellat) alteras ſcorteas. Eaſdem vero ceſſiſſe itidem vſui Oratorum dum in foro cauſas agerent, queritur apud Tacitum auctor dialogi de Oratoribus.

DE PENVLA PAVLI.
o Cic. ad Att. lib. 13.
p Spart. in Hadria.
q Lamprid. in Alex.
r Mart. epig. lib. 14.

IV.
VARIAE EIVS VOCIS ACCEPTIONES.
s Refert. Chryſ. hom. 10. in 2. Tim. 4.

At enim conſtat ab his prorſus diuerſam fuiſſe Pauli Penulam. Quæ enim ratio patitur, vt in itinere ipſe poſitus cum Troade eam reliquit, iter agentis veſtē adeo neceſſariam ibi dimiſerit? vel quæ ſubiit occaſio, vt eadē tūc Romæ detentus egeret? Quamobrē exiſtimarunt [s] quidam, eam fuiſſe thecam in qua libri conderētur; alii vero anti

quiores

t ap. Hier. ep. 125. ad Damaſ. q. 2. u Exod. 24. Deu. 17. 28. 29. 32. & alijs locis.

quiores [t], Volumen, quia Græce ſcriptum eſt φαιλόνιν. Volumen autem dici conſueuiſſe Vetus Teſtamentum, diuina ſæpe docet Scriptura [u], quod in ſeipſum reuolutum eſſet, prout & hodie in Synagogis vtuntur Hebræi. Rurſum vero Penulam dici veſtem ſacram, apud Græcos ſcriptores Chriſtianos ſæpius teſtatū habetur; ſic dictam quod vno interiectu totum ambiret Sacerdotem, à φαίνειν & ὅλον, quod tota conſpiciatur; quam & Latine *Planetam* dicere conſueuimus, à πλάνης, quod circumerrans totum ambiat corpus, ſicut eſſe ſolent quæ antiquiores in Eccleſiis aſſeruantur. Sic enim quod apud Nicephorum [x] & Philotheum [y] Epiſcopos Conſtantinopolitanos, itemq; apud Metaphraſtem Græce legitur φαινόλιον, interpretes verterunt Penulam, ſiue Caſulam, quod idem eſt ac Planeta. Sed magis placet, vt de Volumine Paulus intellexerit, tum quod Græce legatur φαιλόνιν, & non φαινόλιον; tum etiam quod haud magni videretur eſſe negotii, vel impenſæ alias ſacras veſtes eiuſdem generis Romæ conficere abſque eo quod ex Aſia velit Paulus per Timotheum ad ſe deferri. Non ſic autem de Legis Volumine, quod cum ſacroſanctum haberetur, haud facile librariis deſcribendum committeretur.

x Niceph. ep. ad Leo. PP. III. in Act. Conc. Eph. ed. Pelt. tom. 5. ca. 22. y Philot. de ſacr. offic. to. 4. Bibl. S.

V. DE TEMPORE PAVLI EPISTOLARVM.

Porro ex eo quod vidimus, Paulum haud multo poſt ſuum Romam aduentum, hac ad Timotheum ſcripta Epiſtola eum ad ſe ante hyemem vocaſſe; ſatis euidenter conſtat, eamdem datam eſſe ante illas ad Philemonem, Philippenſes, atque Coloſſenſes itidem Romæ ſcriptas; quas omnes certum eſt miſſas eſſe poſt Timothei aduentum, quandoquidem in illis ſingulis vna cum Paulo in titulo inſcribitur & Timotheus. Vnde redarguas eos, qui exiſtimarunt eamdem ſecundam ad Timotheum Epiſtolam, omnium nouiſſimam eſſe ſcriptam; ea nimirum ratione perſuaſi, quod in ea Paulus [z] dicat tempus reſolutionis ſuæ inſtare, quaſi ſpiritu prophetico præuideret proximum ſuum martyrium. Sed quomodo hæc cohærent cum eo quod ibidem teſtatur, ſibi Dominum in ſummo illo apud Neronem diſcrimine adſtitiſſe, ac fore prædixiſſe vt per ipſum in omnes Gentes prædicatio impleretur? Sicut igitur cum à Iudæis Hieroſolymis ad mortem expeteretur, Dominus [a] illum hortatus prædixit fore vt Romæ Euangelium prædicaret; ita & Romæ in eodem ferme periculo conſtituto, propagationem Euangelij ab eo faciendam in omnes gentes prænunciauit. At ſicut illud impletum eſſe certum eſt, ita iſtud præſtandum eſſe quis poterit dubitare? Sane & ea Epiſtola, quam poſt hanc (vt diximus) ſcripſit ad Philippenſes, idem ipſe affirmat [b] ſe certo ſciſſe in vita diutius permanſurum; ſuumque ad eos pollicetur aduentum. Quamobrem non in alium ſenſum ea Pauli verba de inſtanti ſuo obitu, intelligi poſſe videntur, niſi quod fortaſſe fuerat ſibi diuinitus reuelatum, ſe ſub Nerone capite plectendum eſſe. Quomodo enim nō inſtans videri poterat tempus illud, quod ſub Principe tunc imperante fore noſſet implendum; ſi Saluatoris poſtremum aduentum, poſt aliquantulum affore alibi [c] prædixit?

z 2. Tim. 4. a Act. 23. b Philipp. 1. & 2. c Heb. 10.

VI. CRESCENS A PAVLO MISSVS IN GALLIAS.

d 2. Tim. 4.

Quod autem in eadem Epiſtola [d] Paulus de ſuis comitibus agens, Creſcentem ait abiiſſe in Galatiam; pro *Galatia*, *Gallia* legendum eſſe Epiphanius [e] aſſeuerat: ſicut & Theodoretus [f] ait Paulum per Galatiam intellexiſſe Gallias, ſicque antiquitus illas gentes nominari conſueuiſſe. Huic vero conſentiens Amianus [g], cum agit de Gallorum origine, teſtatur eos Græco ſermone dictos eſſe Galatas; quod & alij [h] pariter affirmant. Certe conſtat CRESCENTEM Apoſtolatum accepiſſe in GALLIAS, ac Viennenſem [i] & Moguntinam [k] erexiſſe Eccleſias. Porro Galli & Galatæ, ſicut nomine, ſic re coniuncti fuere: ſiquidem Galatæ originem à Gallis duxerunt, quando iſti ſub Brenno duce Græciam, Thracias, & Minorem Aſiam deuaſtantes, complures prouincias ſibi tributarias reddiderunt, pars vero ipſorum in ea Minoris Aſiæ regione ſedes fixerunt, quæ ab iiſdem poſtea *Galatiæ*, ſiue etiam *Gallogræciæ* denominationem accepit: vt pluribus docent Iuſtinus [l] hiſtoricus, S. Hieronymus [m], Suidas [n], & alij. Quod autem non pauci per Galatiam, quo Creſcentem amandatum Paulus dixit, non Gallias, ſed ipſam Minoris Aſiæ prouinciam ſic dictam intellexerunt; dicere opus eſt, eumdem Creſcentem cum primo in Gallias ab Apoſtolo miſſus eſſet, inde etiam ad erudiendos Galatas Aſianos quaſi eiuſdem gentis populos acceſſiſſe: id enim Martyrologium [o] Romanum, aliaq; teſtantur.

e Epiph. hær. 51. f Theod. in 2. Tim. 4. g Am. Marcel. li. 15. h Suid. ver. Appianus, & alij. i Ado. Vien. in Chron. k Pet. Chuniz. ep. 1. Tri. in vita S. Max. Epiſ. Mogunt. l Iuſt. lib. 24. 25. m Hier. praef. li. 2. comm. in ep. ad Gal. n Suid. ver. Galata. o Mart. Ro. Ec. Vſuard. Ado. & c. c. 27. Iuny.

VII. PAVLI EPIST. AD EPHES.

Cæterum eodem tempore quo Paulus eam ad Timotheum ſcripſit epiſtolam, eidem Tabellario, nempe Tychico dedit etiam EPISTOLAM AD EPHESIOS, qui ex Gentibus [p] in Chriſtum crediderant; vt eos contineret in officio, quippe quod (vt ait ad Timotheum [q]) omnes qui in Aſia eſſent, videlicet Iudæi, auerſi eſſent ab eo. Quod autem aliqui Epiſtolam illam quæ AD GALATAS miſſa eſt, primo à Paulo Romæ ſcriptam eſſe contendunt [r], libentius in his Chryſoſtomo [s] aſſentimur, qui hanc ante Epiſtolam ad Romanos eſſe conſcriptam exiſtimauit: nullus enim character in ea reperitur, quo demonſtrari poſſit Romæ conſcripta; cum cæterarum nulla ſit, in qua de vinculis ſuis Paulus non habuerit mentionem, at in iſta nihil prorſus. De reliquis porro Epiſtolis dicetur anno ſequenti, quo ſcriptæ noſcuntur.

p Eph. 2. q 2. Tim. 1. DE EPIST. AD GALATAS. r Athan. in Synopſ. Theod. praef. in ep. Pauli, & alij. s Chryſ. praef. in ep. Paul.

VIII. t Tac. Annal. 13.

Quod ad res pertinet Imperij Romani; ſatis ad inſtitutum ſpectat quod ſcribit Tacitus [t], hoc anno iiſdemq; Coſſ. laudabilem illam legem à Nerone ſancitam eſſe, Nequis magiſtratus aut Procurator qui prouinciam obtineret, gladiatorum vel ferarum ſpectacula ederet, ne ea de cauſa (quod factitari ſciebat) à prouincialibus immenſam Præſides vim pecuniarum corraderent. Itemq; quod ait, Pomponiam Græcinam inſignem fœminam, externæ religionis ream factam, iudicio mariti permiſſam eſſe; eumque priſco inſtituto coram propinquis de capite famaque coniugis cognouiſſe, & inſontem nunciaſſe. Nam quod de externa religione traditur, haud leuis eſt ſuſpicio intelligi Chriſtianam.

DE POMPONIA GRÆCINA.

IESV CHRISTI ANN. 60.

NERONIS IMP. AN. 4.

PETRI AN. 16.

I. a Tac. li. 14. Plin. lib. 2. c. 7. & li. 7. c. 20.

ANno Chriſti ſexageſimo, Nerone [a] Imperatore tertium & Valerio Meſſala Coſſ. Paulus Apoſtolus ſecundum agens annum in vinculis, diuerſas ſcripſit Epiſtolas ad Philippenſes Coloſſenſes, & Philemonē. Cum enim iis omnibus, ſicut ſuum, ita & Timothei nomen inſcribat, quem anno tantummodo ſuperiori accerſitum vidimus; ſed & mentionem habeat vinculorum ſuorum, & tamen nonniſi biennium dicatur detentus fuiſſe in eis: his inquam, penſatis rationibus omnino dicendum videtur, eaſdem hoc ipſo anno, non prius aut poſterius ſcriptas eſſe. Porro quæ data legitur AD PHILIPPENSES, ea eſt occaſione conſcripta, quod cum iidem Pauli ſtudioſiſſimi, audito eum Romæ vinctum detineri, mox Epaphroditum cum muneribus ad ipſum [b] miſiſſent; hunc eumdem, poſtquam è grauiſſimo quo Romæ laborauit [c] morbo conualuiſſet, ad eos Paulus remiſit, ſuum etiam Philippos per litteras promittens aduentum. Quod vero Paulus eumdem Epaphroditum appellet *Apoſtolum* Philippenſium, exiſtimauit Theodoretus [d] eum fuiſſe ipſorum Epiſcopum. *Apoſtolorum* enim nomine tunc conſueuiſſe appellari Epiſcopos, multis oſtendit: de quo dictum eſt ſuperius. Fuiſſe autem Epaphroditum Epiſcopum Philippenſium, conſentiunt & alij Theodoreto; licet Dorotheus ipſum fuiſſe præpoſitum Eccleſiæ Hadriæ ſiue Hadrianæ in Syria ſcripſerit. Sed hunc ab illo diuerſum eſſe putamus; ſicut ab horum vtroque, quem Metaphraſtes tradit à Petro Apoſtolo præpoſitum fuiſſe Eccleſiæ Tarracinenſi, cuius etiam fit mentio in Martyrologio Romano.

EPIST. AD PHILIPPENSES. b Philip. 4. c Philip. 2. d Theod. in ep. ad Phil. EPAPHRODITVS EPISCOPVS PHILIPPENSIVM.

II. e Philip. 3. HÆRETICI INIMICI CRVCIS CHRISTI QVI FVERINT.

Sed quod eadem epiſtola Paulus de hæreticis cauendis inculcans [e], ait multos ambulare inimicos Crucis Chriſti; haud dubium illos ſignat, qui Chriſtum vere crucifixum eſſe negabant, dicentes imaginem ſolum eius viſam eſſe pati, Chriſtum vero ſe ſubtraxiſſe: cuius hæreſis

f Iren. lib. 1. cap. 20. g Epiph. hær. 21. h Iren. li. 1. c. 25. Epiph. hær. 28. Theod. 2. hær. fab. 4. & aliy. i Epiph. hær. 24. k Philip. 2. l 1. Cor. 12. & alibi. m Ignat. ep. ad Tral. & ad Philip.

(vt vidimus) primus auctor fuit Simon Magus, quæ in eius diſcipulos eſt infeliciter propagata; vt Irenæus f, Epiphanius g, & alij tradiderunt. Eamdem & *Cherinthus* h docebat, qui diuidens Ieſum à Chriſto, Ieſum paſſum ac reſurrexiſſe dicebat, Chriſtum autem impaſſibilem remanſiſſe, & tempore paſſionis à Ieſu receſſiſſe. Sicque concidentes (quod ait Paulus) ac diuidentes IESVM à Chriſto, Sanctiſſimam Virginem faciebant matrem IESV, non autem Chriſti. Addebat item *Baſilides* i, IESVM qui portabat Crucem transformaſſe ſuam ſpeciem in Simonem Cyrenæum, eumq; eſſe crucifixum, IESVM autem eo modo à paſſione ſubtractum. Hinc eſt igitur quod tam in eadem epiſtola k, quam in aliis l fere omnibus, idem Paulus de Cruce Chriſti ſæpe ſæpius ingerat teſtimonium: & quod etiam Ignatius m aduerſus eoſdem hæreticos totum Orientem infeſtantes, frequenter pugnet.

III. CRVCES ERIGI COEPTÆ.

n Ignat. ep. ad Philip.

Illudque tunc inſuper factum eſt, vt contra dictos hæreticos, qui Crucis Chriſti memoriam penitus auferre conaretur, Eccleſia Catholica ipſo ſui exordio non tantum Chriſti CRVCEM verbis profeſſa fuerit; ſed etiam ſignis ac factis. Inde enim ductum eſt principium, vt inſtar Crucis in qua paſſus eſt Chriſtus, ligno compactæ CRVCES erigerentur in titulum, quas Fideles venerarentur, eaſdemque diabolus exhorreſceret, velut (quod ait Ignatius n) trophæum erectum contra ipſius potentiam, quod vbi viderit, horret. Sed & moris fuiſſe, cum quiſpiã locus diuino cultui manciparetur, illic figere Crucem in titulum, videbitur inferius cum agetur de *Titulo*. Atque inde etiam Apoſtolica in Eccleſiam traditio fluxit, vt Fideles non tantum ſeipſos, ſed & ſua cuncta; nec in ſacris duntaxat, ſed & in quibuſcunq; cæteris rebus quibus benedicerent; in omnibus denique ſuis vel minimis actionibus, ſigno Crucis manu ducto notarent, quo remedio ſaluberrimo ad pellendos dæmones potiſſimum vterentur: de cuiuſmodi antiquiſſima, & ab ipſis Apoſtolis petita conſuetudine, teſtes ſunt locupletiſſimi, Tertullianus o, Cyrillus p Hieroſolymitanus, Baſilius q, Hieronymus r, Theodoretus s, & alij permulti. Antichriſtum autem prohibiturum ne quis crucem pingat in fronte, firmiter aſſeuerat Hippolytus martyr in libello quem ſcripſit de Conſummatione ſæculi. Ex quibus intelligere potes, ipſum iam appropinquare qui nunc operatur in filios diffidentiæ. At prætermittimus de Sancta Cruce innumeras hic coaceruare Sanctorum Patrum auctoritates, & recitata ab iiſdem exempla, quod ea ſeſe nobis ſuis locis enarranda opportunius offerrent. Denique res adeo eſt perſpicua, vt & ipſi Chriſtianorum hoſtes quantum aduerſus dæmones virtus Crucis præualeat, ſæpius teſtati ſint: ſicut inter alios de Iuliano Apoſtata ſcribit Theodoretus t, & Lucianus u de Eucrate, qui accepto annulo ferreo ex quapiam cruce facto, aduerſus prauos dæmones redditus eſt ſecurus. Sed de his modo, deq; epiſtola ad Philippenſes hactenus.

FREQVENS VSVS S. CRVCIS.

o Tertul. de cor. mil. c. 3. & 4. p Cyr. Hieroſ. catech. 13. q Baſil. de Sp. S. c. 27. r Hieron. ep. 22. ad Euſt. s Theod. 3. hiſt. 10.

VIRTVTEM CRVCIS HOSTES ETIAM PROFESSI.

t Theod. 3. hiſt. 3. u Lucian. in Philopſeud.

IV. DE EPIST. AD COLOSSENSES.

x 2. Tim. 4. Epheſ. 6. y Tit. 3. z Coloſſ. 4.

Quæ autem eſt AD COLOSSENSES, miſſa eſt per Tychicum. Cui cum pariter anno ſuperiori litteras (vt vidimus) perferendas dediſſet x ad Timotheum & Epheſios; eumdem iterum Romam rediiſſe ac denuo ad Coloſſenſes miſſum, hac ad ipſos ſcripta Epiſtola Paulus ſignificare videtur: Ex quibus etiam facilis eſt coniectura, ipſum perfunctum eſſe apud Paulum munere Tabellarij. Nam & eodem nuncio Titum y quoque olim Paulus accerſiſſe viſus eſt; eidemque dediſſe primam ad Timotheum demonſtrat argumentum eius epiſtolæ, quod in antiquis Græcis exemplaribus legitur ei præfixum: ſed & per eumdem ſcripſiſſe ad Philemonem, declaratur eadem Epiſtola ad Coloſſenſes z: ex qua etiam nonnulli collegerunt, eidem nuncio datam eſſe aliam ad Laodicenſes. Non enim cuique ſe offerenti olim Apoſtolos, & eorum ſucceſſores Epiſcopos, ſed certis hominibus, iiſdemq; probitate notis, committere literas conſueuiſſe, iam dictum eſt ſuperius ex Ignatio a, & Cypriano b: eoſdemque non Tabellariorum tantum, ſed & Legatorũ fungi ſolitos officio dum ei multa ore tenus communicanda crederentur, ſatis conſtat ex iis qui de eodem Tychico Apoſtolus c ſcribit. Porro fuere Coloſſenſes (auctore Strabone d, Plinio e, & aliis) populi in maiori Phrygia, haud longe poſiti à Laodicenſibus: ex quo certum redditur, Apoſtolum, quando ad eoſdẽ Coloſſenſes meminit de Laodicea, non eſſe locutũ de ea quæ dicitur Syriæ, nec de ea quæ eſt in Media, ſed de ea quæ eſt in Phrygia contra Hierapolim, iuxta flumen Meandrum à quo Lycus amnis manat: itemque hallucinatos eſſe qui dixerunt f Coloſſenſes dictos eſſe Rhodios, ob ingentem illum ab eis Solis Coloſſum erectum.

TABELLARII VSVS.

a Ignat. ep. ad Polycar. b Cypr. ep. 15. & 24.

c Epheſ. 6. Coloſſ. 4. d Strab. lib. 12. cap. 13. e Plin. lib. 5. cap. 32.

DE COLOSSENSIBVS.

f Suid. & alii recent. Gr. & Lat.

V. AN PAVLVS AD LAODICENSES SCRIPSERIT.

g Tert. 5. cõt. Marcion. 11. & 17. h Epiph. hær. 42.

Eſt autem vetus quæſtio, An Paulus ſcripſerit quoque AD LAODICENSES: Hæretici (vt aſſerit Tertullianus g) eidem quã nos ad Epheſios ſcriptam habemus, Ad Laodicenſes titulum præfixerunt: idque ipſum Marcionem præſtitiſſe, tam idem auctor quam Epiphanius h docent. Sed ne vel leuis ſuſpicio eius mendacij pulſet legentis animum; habetur antiquiſſimi Ignatij ad ipſos Epheſios ſcribentis, & Pauli ad eoſdem Epiſtolam citantis, teſtimonio egregie confirmatum, eam quæ dicitur Pauli ad Epheſios; vere ad eos eſſe conſcriptam. Alij vero dixerunt, Paulum priuatam ſcripſiſſe ad Laodicenſes epiſtolam, quæ etiam circumferebatur inter Fideles non tamen vt legeretur ſicut cæteræ in Eccleſiis, quod additamenta accepiſſet à non bene ſentientibus. Ita quidem Philaſtrius i, & Hieronymus k. Quamobrem quæ edita eſt apud Xiſtum l, nequaquam illa fuiſſe videtur; quippe quæ perbreuis ſit, nec quid habeat adulterinũ vel addititium, ſed potius eorum perperam poſita viderentur, vel haberentur ambigua, fuerit mutilatione contracta. Nec etiam placet quod tradit Theophylactus, intellexiſſe Paulum de epiſtola prima ad Timotheum, quod ea ſcripta fuerit Laodiceæ. Nam quæ ſubeſt ratio, vt epiſtolam ante plures annos ſcriptam legi voluerit in Eccleſia Coloſſenſium? vel cur illam magis, quam reliquas ad diuerſas Eccleſias datas? Chryſoſtomus m nullam putat à Paulo datam eſſe epiſtolam ad Laodicenſes, ea ſcilicet ratione quod Græca editio habeat, *καὶ τὴν ἐκ Λαοδικείας*, hoc eſt, *& illam quæ ex Laodicea ſcripta eſt*: ſicq; intelligendum putauit, vt quæ à Laodicenſibus miſſa fuiſſet ad Paulum, à Coloſſenſibus legeretur: cui etiam ſententiæ adhæſit Theodoretus n. Sane nullam eidem tabellario ad Laodicenſes fuiſſe à Paulo datam Epiſtolam ſatis conſtat, dum in ea quã tum ſcripſit ad Coloſſenſes, ſalutari mandat eos qui Laodiceæ eſſent Fideles. Libentius igitur Chryſoſtomo ac Theodoreto inhæremus, vt nulla à Paulo ſcripta fuerit epiſtola ad Laodicenſes: cum præſertim quæ ad eos Pauli nomine ſpuria fertur, nequaquam ſit ab antiquioribus cognita. Nam qua ratione Marcion illã quæ habetur ad Epheſios, datam putauit ad Laodicenſes, ſi extabat aliqua ad Laodicenſes? Immo & Tertullianus Marcionem impugnans, nullam aliam niſi quæ ad Epheſios eſſet, vulgatam fuiſſe dixit epiſtolam ad Laodicenſes.

i Philaſt. de hæreſ. c. 93. k Hier. de ſcript. Eccleſ. in Paulo. l Xiſt. Sen. Bibl. lib. 2. m Chryſ. ho. 12. in ep. Coloſ. n Theod. in ep. ad Coloſ. in pr.

VI. DE RELIGIONE ANGELORVM, QVAM PAVLVS DAMNAT.

o Coloſ. 2. p Hier. ep. 151. q. 10. q Clem. Alex. Strom. lib. 6.

Quod vero Paulus monuit inter alia Coloſſenſes o, *ne ſeduci paterentur in humilitate & religione Angelorum*, &c. perdifficilis eſt locus; de quo Hieronymus p conſultus ab Algaſia, cuncta verba diligenter expendens, eius videtur fuiſſe ſententiæ, vt ſugillare Paulus voluerit eos qui erant ex circumciſione colentes aſtra cœli atque Angelos: multiſque declarat, haud recens fuiſſe hanc apud eos illapſam hæreſim, ſed peruetuſtam, & à Prophetis ſæpius exagitatam; ſicut & eadem de re Clemens q Alexandrinus Iudæos arguit. Certe his reſpondent, quæ non multo ante idem Paulus de Iudaicis Feſtis monuerat Coloſſenſes. Quomodo autem hæc cohæreant, vt Iudæi Aſtra ſimul & Angelos colerent; non aliunde putamus accidiſſe, niſi quod (vt de Phariſæis tradit Epiphanius r) ipſa cœli aſtra fuiſſe animata exiſtimarent; quamobrem & iiſdem (vt ait) indidiſſent nomina Hebraica: eademque Angelos eſſe ſenſiſſe videntur. Æque enim ac Angelos, *Militiam cœli* dixerunt aſtra, ſecundum quod legitur in Deuteronomio s, & in libris Regum; cum tamen proprie militiam cœleſtem à diuina Scriptura conſtet t nominatos Angelos, ſicut & ipſe Dominus dictus eſt DEVS exercituum. Cæterum vt ſic Iudæi aſtra colerent, non fuit

IVDÆI CVLTORES ASTRORVM.

r Epiph. 1. Panar. 16. s Deut. 17. & 4. Reg. 23. t Luc. 2. &c.

tunc

tunc tantum apud eos error, ſed & in poſteros eſt infeliciter propagatus; adeo vt quoniam ei eſſent addicti, *Cælicolæ* dicti fuerint, qui ab Imperatoribus [u] Chriſtiani exagitati ſunt.

u C. de Iudæ. & Cælic.

VII. DE RELIGIONE ANGELORVM FALSO INTRODVCTA.

Sed quantumlibet hæc vera ſint, & Pauli ſenſui æque poſſint accommodari, & à quibuſdam aliis recepta videantur: tamen quoniam Apoſtolum nouimus ſuis epiſtolis ſolitum inſectari hæreticos, qui Chriſtiano nomine in Eccleſiam Catholicam graſſarentur, alia eorum verborum quærenda videtur interpretatio. Et quidem Theodoretus in hunc locum ait, his temporibus *Exortam fuiſſe Hæreſim*, quæ diceret Deū vniuerſorū nec cerni, nec comprehēdi, nec ad eum poſſe perueniri, & oportere per Angelos diuinam ſibi beneuolentiam conciliare: affirmaretque legem per Angelos eſſe datam. Quænam vero fuerit dicta hæreſis, ipſe Theodoretus neque eo loco, neque in iis quos ſcripſit hæreticarum fabularum libris indicat: quamobrem mirati ſumus, errorem eiuſmodi tribui *Simoni Mago*; cum quæ de Angelis ipſe dixerit, longius ab his diſcrepent, vt vidimus ſuperius cum actum eſt de ipſius erroribus: tantumque abeſt vt angelorum cultum ipſe introduxerit, vt contra aſſereret ſe in mundum deſcendiſſe vt angelos male moderantes terrarum Orbem corriperet. Quapropter & *Carpocras* aduerſus eoſdem Angelos mundi fabricatores pugnandum eſſe ſuaſit: ac proprium fuit *Baſilidis* diſcipuli Simonis dogma, Chriſtum ad eos debellandos miſſum eſſe.

VIII. PAVLVS CONFVTAT CHERINTHI HÆRESIM.

Potius igitur ad *Cherinthi* peruerſum dogma Paulum ſpectaſſe dicemus; quippe qui cum adeo humiliter de Chriſto ſentiret, vt omnem ab eo diuinitatem auferret, & ob ſcandalum Crucis hominem tantummodo eſſe affirmaret; ſuper eum angelos extollebat, per quos mundum eſſe creatum, & Deum Hebræorum vnum ex illis eſſe angelum prædicaret. Id enim de eo referunt Irenæus [x], Tertullianus [y], Epiphanius [z], ipſeque Theodoretus [a]. Sane quidem aduerſus huiuſmodi hæreſim de angelorum excellentia, & abiectione Chriſti, frequenter admodum Paulus [b] Apoſtolus viſus eſt iacula intorquere. Immo & ipſi angeli, ſic Deo agente; eamdem impugnarunt, dum Ioanni [c] Apoſtolo ad pedes vnius ex eis accidenti vt eum adoraret, plane prohibuit, ſignificans non ſibi, ſed Deo præcipuam illam omnium maximam adorationem deberi: idque non tantum vt Ioannem inſtrueret, ſed in Ioanne potius vniuerſam Eccleſiam aduerſus eoſdem hæreticos commoneret. Verum licet Cherinthus ea ſentiret de Angelis; quod tamen eos ſuaſerit adorandos, nuſquam inuenimus, nec quempiam alium hæreticorum qui mundi creationem æque Angelis tribuerent; quippe cum omnes affirmarent, eſſe ſuper angelos Virtutem diuinam omnium ſupremam, quam Deum dicerent. Quinetiam tantum abeſt vt Cherinthus (nam de aliis dictum eſt) Angelum Iudæorum quorum legem ipſe coleret, adoraret: vt potius (quod ait Epiphanius [d]) eum malum eſſe diceret, ac deteſtaretur.

x Iren. lib. 3.
y Tertul. de præſcr. c. 48.
z Epiph. hær. 28.
a Theod. hær. fab. li. 2. c. 4.
b Coloſſ. 2. Heb. 1. & 2. 1. Cor. 6. & alibi.
c Apoc. 19. 22.
d Epiph. hær. 28.

IX. CORRIGITVR THEODORETVS.

Ex his igitur videas, Theodoretum haud in omnibus aſſecutum eſſe verborum Pauli ſenſum, cum dixit ea ab illo ſcripta, quod tum graſſarentur hæretici qui angelos colendos eſſe iactarent. Qui & ſemel errore lapſus, in alium grauiorem impegit, vt diceret Canonem trigeſimum quintum Laodiceni Concilij, de iiſdem hæreticis eſſe intelligendum, qui in eadem regione Aſiæ Oratoria erexiſſent S. Michaeli Archangelo: incaute nimis quæ à Catholicis eſſent pie inſtituta, hæreticis quorum nulla eſt memoria tribuens. Sane quidem nullam à Cherinthianis, vel aliis de quibus facta eſt mentio, hæreticis, in honorem Sancti Michaelis, aut alicuius alterius Angeli, erigi potuiſſe Oratorium, ex nuper dictis ſatis ſuperq; liquet. *Angelos autem venerari*, non hæreticorum, ſed Catholicæ Eccleſiæ mos fuit; quæ præſertim in honorem Sancti Michaelis (quem patronū nouit & protectorem, ob inſignia eius ope accepta beneficia) Eccleſias erigere, illumque precari, ſicut & cæteros angelos, vt apud Deum intercederent, conſueuit. Notæ ſunt Eccleſiæ erectæ in Hargano [e] monte, & in Galliis, necnon Romæ in ſummitate molis Hadriani, itemque prope Byzantium [f], & alibi, occaſione frequentium tam in Oriente quam Occidente eiuſdem Archangeli apparitionum, de quibus dicetur inferius ſuis locis. Immo & temporibus Diocletiani Imperatoris iam extitiſſe S. Michaelis nomine Eccleſiam in Bithynia, fidem faciunt Acta [g] S. Eutonomij Epiſcopi. Et Procopius [h] numerat ſex baſilicas ab Imperatore Iuſtiniano in honorem eiuſdem Archangeli excitatas. Frequenteſque fuiſſe Eccleſias Sancti Michaelis, & aliorum Angelorum, argumento eſt l. quoniam. C. de ſacroſ. Eccleſ. Sicut & Romæ antiquiſſimam fuiſſe ſolennitatem eiuſdem Archangeli, teſtis eſt Drepanius Florus vetuſtiſſimus poeta Chriſtianus, qui vixit temporib. Theodoſij Senioris. Ac denique extat Græce ſcripta narratio Pantaleonis Diaconi de miraculis S. Michaelis Archangeli, Romæ in Bibliotheca Sfortiana cod. m. ſ. num. 81. Et in codice 65. qui inſcribitur *Metaphraſtes menſis Octobris atque Nouembris*, inter complures ſcriptas Græcorum Patrum homilias recenſentur S. Ioann. Chryſoſtomi prima in S. Michaelem Archangelum, ſecunda & tertia de Angelis, ac quarta in Seraphim.

DE RELIGIOSO ANGELORVM CVLTV.

e Sigeb. in Chron. ann. 488. & 709.
f Sozom. l. 2. hiſt. 2.
g ap. Sur. N. 5.
h Procop. de ædif. Iuſtin.

X. S. MICHAELIS CVLTVS COLOSSIS.

Sed his omiſſis, vt modo agamus de prouincia & loco, vbi ea contigiſſe ex Concilio Laodiceno referuntur; certum eſt Coloſſis ſub Laodicenſi metropoli poſitis, antiquum viguiſſe cultum Michaelis Archangeli; non quidem vt illum tanquam Deum colerent, ſed vt præcipuum Dei miniſtrum eo cultu qui ſanctos angelos decet afficerent: idque non hæreticorum perſuaſione, ſed immenſi prodigij oſtenſione, atque adeo celebri, vt in Eccleſia Orientali anniuerſaria de ea re memoria ageretur ſexta Septembris: quod Græcorum antiquum Menologium inprimis teſtatur, necnon Emmanuel Imperator in ſua conſtitutione [l] de Feriis; eiuſque rei hiſtoria ex antiquioribus monumentis deſcripta habetur apud Metaphraſtem [k]. Quas vero pœnas dederit Alexius Iconoclaſta, qui auſus eſt violare dictam Eccleſiam S. Michaelis in Conis (Coloſſis enim dictas eſſe poſtea Conas, teſtatur idem Menologium, Oecumenius [l], & alij) ſcribit eiuſdem vrbis ciuis Niceta [m] Coniota.

l apud Theod. Balſam. in Nomocan. tit. 7.
k Metaphr. 6. Sept.
l Oecum. in ep. ad Coloſſ.
m Nicet. in Annal.

XI. DE CANONE CONCILII LAODIC.

Synodus igitur Laodicena nequaquam rectum Angelorum cultum imminuit; ſed eum qui ex idololatria Gentilitatis contra diuinitatis numen erat, eiecit: ſicut cum in ſuperiore canone [n] illos damnauit, qui relicto cultu ſanctorum Martyrum falſos adirent hæreticorū martyres. Porro ſi eadem Synodus cultum veri martyris recipit, vt hoc canone, & alio [o] quo agi feſta Martyrum præterquam in Quadrageſima monuit, multo magis Angelorum, qui ſublimioris ſunt naturæ, oportuit recepiſſe. Cum autem ad angelos (vt ait canon) idololatriæ abominandæ congregationes fieri prohibuit, alluſit fortaſſe ad Genii cultum, cuius gratia Gentiles [p] diem natalitium celebrantes; affines & amicos conuocarent: vel quod Synodus eiuſmodi idololatriam vocet occultam, inde veterius exiſtimamus reſpexiſſe ad id quod Magi (vt ſcribit Tertullianus [q]) ad ſuas magias perficiendas, non tantum dæmones, ſed & angelos ſe inuocare profiterentur, hoc que honeſtiſſimo nomine velarent turpiſſimas ſuas impoſturas. Nam & his conſentiens ſequitur canon [r], prohibens ne clerici vllo pacto magiæ operam darent. At de his hactenus deque Theodoreti aliena interpretatione; cum alioqui quod ad dogmata ſpectat, non ſit dubium ipſum recta ſenſiſſe de Angelis; quos non tantum veneratus eſt, ſed & ſalutis æternæ nobis à Deo conceſſos adminiſtros, & præſertim vt apud Deum noſtram cauſam agant, conſtanter affirmauit [s].

n Conc. Laodic. c. 34.
o Ibid. c. 15.
p Cenſor. de die natal. Macr. Saturnal.
q Ter. Apol. cap. 23.
r Conc. Laod. c. 36.
s Theod. diu. decret. lib. 5. de Angel. & in Dan. c. 4.

XII. TRADITIO DE CANTV ECCLES.

Quod autem pertinet ad reliquas traditiones, quæ eiuſdem Pauli Epiſtola ad Coloſſenſes remanent conſignatæ; cum inferius eoſdem admonet [t], *docere & commonere ſemetipſos pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, in gratia cantantes cordibus ſuis Deo*, iiſdemque fere verbis alibi Epheſios [u] ad eadem facienda hortatus eſt: his Apoſtolum ECCLESIASTICI CANTVS formam præſcripſiſſe, nempe vt muſicos modulos cordis chorda non ore tantum concinerent, Interpretes [x] omnes intellexerunt. At vero non

t Coloſſ. 3.
u Epheſ. 5.
x Chryſoſt. Theodor. & alij in Coloſſ. 3. & Epheſ. 5.

ſolum Paulus, ſed & ipſæ Virtutes Angelicæ docuerunt quomodo pſallendum eſſet in Eccleſia. Scribit enim Socrates [y], Ignatio Epiſcopo Antiocheno Apoſtolorum contemporaneo viſionem oſtenſam eſſe angelorum, Sanctam Trinitatem hymnis alterna vice decantatis collaudantium, ipſumque Ignatium eandem canendi formam Eccleſiæ Antiochenæ tradidiſſe; atque inde ab omnibus Eccleſiis receptam eſſe, hæc Socrates. Sed altior atq; certior eius rei fides habetur, cum de Seraphim ſtantibus ſupra thronum, atque alternis vicibus canentibus, ſublimis facta [yy] eſt illa manifeſtatio Iſaiæ. Eodemq; plane modo ab Eſſenis (quos Chriſtianos fuiſſe videbitur inferius) tamq; à viris quam à fœminis Deo laudes alternatim cani ſolitas, additis modulis & religioſis geſtibus, teſtimonio conſtat Philonis [z], qui haud dubium intellexit de Canticis dramatis, qui non tantum in voce, ſed & in actione conſiſterent: de quibus agitur apud Plutarchum [a]: eſtq; de iiſdem vulgata illa mentio in Eccleſiaſticis Officiis, *Ante thorum huius Virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis.* At exoleuerunt iam iſta: cætera vero non tantum non ſunt prætermiſſa, ſed aucta; niſi quantum ad fœminas ſpectat, quarum in Eccleſia cantus occaſione Pauli Impii Samoſateni eſt, poſtea à Synodo [b] Antiochena redargutus. De antiquo autem vſu Chriſtianorum, vt in vnum ad Eccleſiam conuenientes, dies noctesq; cantu ducerent, Ethnicorum etiam teſtificatione, nempe de his quæ Romæ agerentur Luciani [c], & de his quæ in Oriente Plinij [d], qui vixere temporibus Traiani expreſſum habetur. Docent idipſum Patres antiquiſſimi, Iuſtinus [e] martyr, Clemens [f] Alexandrinus, Tertullianus [g], Cyprianus [h], & alij: idque non aliunde quam ab ipſo Domino & Apoſtolis acceptũ, dicit Auguſtinus [i]: ac deniq; Baſilius [k] eandem alternatim canendi conſuetudinem in vniuerſa (vt docet) Eccleſia frequentatam, aduerſus hæreticos eam impugnantes defendit. Cumq; poſſent & alia innumera in hanc ſententiam afferri teſtimonia ſanctorum Patrum, breuitatis cauſa temperamus.

y Socr. 6. hiſt. 8.
yy Iſai. 6.
z Philo de vit. contem.
a Plut. Sympoſ. 7. q. 6.
b ap. Euſeb. 7. hiſt. 24.
IN VNIVERSA ECCLESIA FREQVENTATVS CANTVS.
c Lucian. in Philopat.
d Plin. Sec. 10. ep. 97.
e Iuſti. orat. ad Anton.
f Cle. Alex. or. ad Gent.
g Tert. 2. ad vxor. 6.
h Cypr. de orat. Dom.
i Aug. ep. 119. c. 18.
k Baſil. ep. 63. ad Neocaſ.

XIII.

Illud autem non prætermittimus dicere; olim non ſolum extra Eccleſiam ab omni hominum genere, artificum, ruſticorum, nautarum, viatorum, & aliorum eiuſmodi, priuatim cantari ſolitas [l] animi cauſa Deo laudes; ſed & publice in ipſis Eccleſiis promiſcue vna cum clericis vniuerſum cantaſſe populum, ſimulq; ſacerdotibus orationem dantibus vel colligentibus reſpondere conſueuiſſe [m]. Sed quoniam imperitia canentium ſæpius accidebat, vt harmonicam illam Eccleſiaſticæ dignitati congruentem cantionem, incompoſito vocum ſono corrumperent (in quos iure Chryſoſtomus [n] declamat) neceſſario Eccleſiaſticis [o] legibus prouiſum eſt, ne præter cantores ad hoc opus adſcriptos, quique pulpitum aſcendunt & de codice legunt, quis in Eccleſia pſalleret. Magnam enim ſanctiſſimos patres adhibuiſſe diligentiam, vt ad pietatem omnino compoſitus eſſet cantus in Eccleſia fieri ſolitus, vel ex eo facile colligi poteſt, quod cõſtet & in ipſis Chriſtianorum conuiuiis nonniſi perquam modeſtos & graues hymnos concini [p] conſueuiſſe. Sed & Gentiles ipſi qui recte ſaperent [q], damnarunt illos canendi modos, qui mollibus fractiſq; vocum inflexibus animos itidem molles fractosq; redderent: quemadmodum & aduerſus corrumpentes canticorum modeſtiam, eſt vehemens S. Hieronymi [r] obiurgatio. Cæterum ſi vt decet ad pietatem muſici modi compoſiti ſint, nihil vtilius nec gratius quicquam audiri poteſt. Excitant enim (vt ait Philo [s]) paſſiones animi, & affectus componunt immodicos. Excitantq; (prout habetur apud Iuſtinum [t]) cum voluptate quadam animum, & flagrans ad eius quod carmine celebratur deſiderium. Cuius rei cauſa à Spiritu Sancto inſtitutum eſſe pſalmorum concentum S. Baſilius [u] declarat; nimirum vt cum nos ad voluptatem propenſos videret, eiuſmodi concinna numerorum modulatione in animos noſtros imprimeret diuinorum eloquiorum vtilitatem: quod experimento ſe abunde didiciſſe, Auguſtinus [x] teſtatur, qui & ipſe in ſua Eccleſia Hipponenſi ſic amauit ſacram canendi conſuetudinem, vt nonnunquam de iis quæſtus [y] ſit, qui rerum diuinarum patum ſtudioſi, de nimia Eccleſiaſtici cantus prolixitate quererentur.

l Baſil. de ep. S. c. 27. 29. Chryſ. hom. in Pſal. 41. Hier. ep. 17. ad Marcel. In Hier. præf. in ep. ad Gal. lib. 2. Auſon. in Ephemer.
POPVLVS CVR IN ECCLESIA CANTARE VETITVS.
n Chryſ. ho. 1. in Iſai. 6.
o Conc. Laodic. c. 15.
CANTVS CHRISTIANORVM QVALIS.
p Cle. Alex. 2. pædag. 4. Tert. Apol. c. 39. Cypr. ad Donat.
q Vid. ap. Cic. li. 2. de legib. Plut. de Muſic.
r Hieron. in Epheſ. 5.
s Philo. de vict. offer.
t Iuſt. mart. q. 107.
u Baſil. ho. in Pſal. 1.
x Aug. 10. Confeſ. 6. 33.
y Id. ſer. 251. de temp.

XIV.

Licet autem in vniuerſo Chriſtiano Orbe canendi in Eccleſia ſemper viguerit vſus; tamen non idem vbique eſt ſeruatus modus: Siquidem Auguſtinus [z] ait, Athanaſium in Eccleſia Alexandrina tam modico flexu vocis feciſſe ſonare lectorem pſalmi, vt pronuncianti vicinior eſſet quam canenti: in Oriente [a] vero (vnde & Mediolanenſis Eccleſia ſub Ambroſio Eccleſiaſtici formam cantus accepit) ſuauiori vocum concentu, qui audientium animos quantumlibet triſtes mulcere poſſet, cantari conſueuiſſe. Non ſic autem Romana Eccleſia (vt aliquis exiſtimauit, deceptus commentitiis ſcriptis Damaſi nomine peruulgatis) ab Orientali mutuata eſt modum pſallendi: cum iam ab ipſo inſtitutæ Sedis exordio Pſalmorum cantus in ea coaluiſſet. Nam Damaſus non canendi ritum, ſed Pſalterium ex tranſlatione Septuaginta ex Oriente, nempe ab Hieronymo Hieroſolymis agente accepit. Quantum autem ex antiquis monumentis colligere licet, eadem Romana Eccleſia mediam ſecuta viam, nec ſimplicitatem Alexandrinam, nec Orientales compoſitos numeros in omnibus amplexata, ſic temperauit vtrumque, vt miram quamdam cum ſuauitate adiunxerit grauitatem. Et Africanæ [b] Eccleſiæ ritus, Romano atque Alexandrino ſimilior quam Orientali fuiſſe videtur.

DIVERSARVM ECCLES. DIVERSI CANENDI MODI.
z Aug. 10. Confeſ. 33.
a Id. 9. Confeſ. 7.
ROMANVS CANTVS.
b Aug. ep. 119.

XV.

Execrata eſt pariter Eccleſia Catholica modos illos muſicos atque cantus, qui à Gentilibus ſuis ipſorum ritibus adhiberi conſueuerant: ſed & illos homines, qui relictis Dauidicis Pſalmis concinerent proprio ingenio excogitatos hymnos, & ad nouos compoſitos muſicos modulos; cuiuſmodi erant Harmonij [c] filij Bardeſanis Syri, Nepotis [d] Ægyptij, Pauli [e] Samoſateni Hieracis [f], Arianorum [g], Meletianorum [h], Donatiſtarum [i], Apollinaris [k], & aliorum eiuſmodi hæreticorum, qui in hunc modum aureo calice Babylonis malæ doctrinæ venena tum ſuis ſectariis, tum etiam Fidelibus propinarent. Cæterum nouos pioſque conſcribere atq; cantare ſacros Hymnos, ad modos Eccleſiaſticos attemperatos, quibus ad pietatem homines inſtituerentur; non crimini, ſed laudi datum eſt à maioribus noſtris ab ipſis Apoſtolorum temporibus: ſicut eo nomine Hierotheum illum Magnum laudat Dionyſius [l] Areopagita, alioſque Philo [m]. Et S. Ephræm contrarios Harmonio ſcribens, Syris canendos tradidit: ſicut & Gregorius Nazianzenus cygnæo plane cantu Apollinarium ſtridentem ſilere fecit. Itemque in Occidente hymnos compoſitos à Damaſo Papa, Ambroſio, Prudentio, Paulino, Venantio Fortunato, & aliis, in celebriorem vſum recepit Eccleſia: Arianis tantummodo reclamantibus in Ambroſium [n], quod ſuis hymnis populum ſeduxiſſet.

HÆRETICI CORRVPTORES CANTVS ECCLES.
c Theod. li. 4. cap. 29. Sozom. lib. 3. c. 15.
d Dionyſ. Alex. ap. Euſe. 7. hiſt. 19.
e Syn. Antioch. ap. Eu.
f b. [illegible]
i Epipha. 67.
g Athan. [illegible] Arian.
h Theod. li. 4. hæret. fab.
i Aug. ep. 119.
k Conc. Laodic. c. 59.
QVOMODO ECCLESIA RECIPIT NOVOS HYMNOS.
l Dion. Areop. de Eccl. hier.
m Philo. de vit. contem.
n Ambro ad Iunc. [illegible]

XVI.

Quod autem ſpectat ad MVSICA INSTRVMENTA, iis Chriſtum Dominum à Fidelibus laudandum eſſe, Prudentius [o] docet. Sed & Chriſtianus Pædagogus [p], quantumlibet ea quæ ſunt ſcripta in Pſalmis de laudando Deo muſicis inſtrumentis, ad ſpiritalem ſenſum inflectat; tamen ſi pie exerceantur, liberaliter indulget. Conſtat quidem Auguſtini [q] teſtimonio, Citharam ab Eccleſiæ modulatione fuiſſe proſcriptam: & muſica inſtrumenta haud fuiſſe antiquitus in Eccleſiam recepta indicat Auctor [r] Quæſtionum apud Iuſtinum martyrem. Cuius rei illa ratio videtur adſcribi, quod eiuſmodi muſica inſtrumenta à Gentilibus adhiberi conſueuiſſent turpibus ac ſordidis vſibus theatrorum conuiuiorum, ac ſacrificiorum. Sed quod poſt multa ſæcula vſu receptum ſit vt in Eccleſia adhiberentur ORGANICA inſtrumenta, haud iure quis poterit improbare, cum omnem in ſono præſeferant cum grauitate & ſuauitate modeſtiam. Ad hæc ſatis; nunc ad Paulum redeamus.

DE INSTRVMENTIS MVSICIS.
o Prud. in Apoth.
p Cle. Alex. 2. pædag. 4.
q Aug. Pſal. 32. conc. 1.
r ap. Iuſtin. mart. q. 107.

XVII.

His publicis ad Coloſſenſes datis literis, priuatas Paulus addidit eodem tempore ad PHILEMONEM nobilem Coloſſenſem; cuius domum Coloſſis ad ſua tempora integram permanſiſſe, teſtatur Theodoretus [s], quæ enim temporibus Pauli eſſe cœpit Eccleſia, eidem cultui mancipata

DE EPIST. AD PHILEMONEM.
s Theod. præf. in ep. ad Philem.

cipata perſeuerauit in poſterum. Harum vero ſcribendarum Literarum occaſio interceſſit, quod cum *Oneſimus* Philemonis ſeruus, amore Pauli (cuius prædicationem in Aſia deguſtaſſet) à Domino fugiens Romam ſe contuliſſet, eundem Paulus, vt æquum eſſe videbatur, ad ſuum Dominum remittens, ei plurimum commendauit. Annuiſſe autem Philemonem votis Pauli, vt redeuntem Oneſimum, non vt ſeruum, ſed vt fratrem ſuſceperit, ac libertate donarit; inde colligi perſpicue poteſt, quod ex Ignatio ad Epheſios cum ad martyrium Romam duceretur ſcribente, conſtet Oneſimum fuiſſe tunc ipſorum Epiſcopum, quem & mirifice laudat. Eundem enim illum eſſe cum eo de quo agit Paulus, tam Græcorum Menologium quam Latinorum Martyrologium fidem faciunt.

ONESIMVS FACTVS EPISCOPVS EPHES.

XVIII. DE EPIST. AD HEBRAEOS.

Quæ ſupereſt omnium nouiſſima Pauli EPISTOLA AD HEBRÆOS, hoc eodem anno ſcriptam eſſe multa perſuadent. Nam hoc anno ſcribens ad Philippenſes, de mittendo in Orientem Timotheo, quem ſuperiori anno Romam accerſierat, conſilium ſe iniiſſe tradit [t]: immo & ſeipſum eo venturum pollicitus eſt. At vero eadem ferme habet in epiſtola ad Hebræos [u]. Rurſus autem, ſicut Philippenſes miſerant ad Paulum Romam certum hominẽ, quod eius vinculis compaſſi eſſent, ita Iudæos eodem erga ipſum animo fuiſſe demonſtrat; cum quod in Vulgata habetur [x], *Nam & vinctis compaſſi eſtis*, ex Græco ſic legitur, *Nam & vinculis meis compaſſi eſtis*: atque ita apparet hanc eandem Epiſtolam, ſicut reliquas in vinculis datas, Romæ eſſe ſcriptam: quod Ioannes [y] Chryſoſtomus, & alii plerique confirmant. Sed ex iiſdem, aliiſq; ſignis, eam germanam eſſe Pauli, facile poteſt intelligi. Id enim vel ex ipſo ſigillo agnoſcitur, dum quod ipſe Paulus ad Theſſalonicenſes [z] ait, ſignum cunctarum ipſius Epiſtolarum eſſe GRATIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI VOBISCVM, illud ipſum & in eadem ad Hebræos appoſitum habetur. Attamen eam eſſe Pauli, negarunt inprimis hæretici Marcionitæ [a], atque ariani [b], horumque gregalis Euſebius [c] aliorum nomine aſſerit, eam à Romana Eccleſia quaſi non legitimam Pauli impugnatam fuiſſe: ſed & Tertullianus [d] Barnabæ tribuit: alii [e] etiam Clementi, vel Lucæ.

t Philip. 2.
u Hebr. 13.
x Heb. 10.
y Chr. præf. in ep. Pauli.
z 2. Theſſ. 3.
a Epiph. hær. 42. Hieron. præf. ep. ad Tit.
b Epiph. hær. 69. Theod. præf. ep. ad Hebr.
c Euſeb. 3. hiſt. 3.
d Tert. de pudic. c. 20.
e ap. Hier. ep. 129. ad Dard.

XIX. ADVERSVS NEGANTES EAM ESSE PAVLI.

Permoti autem videntur eam negantes duabus potiſſimum rationibus, tum quod non ſicut in ceteris præfixum eſſet eius exordio nomen Pauli, tum quod diuerſum à ceteris videatur dicendi genus. Sed ad primam reſpondẽt Clemens [f] Alexandrinus, Hieronymus [g], Theodoretus, & alij, quod cum Iudæi præiudicatam animis ſententiam, vt ſuperius vidimus, contra Pauli doctrinam combibiſſent, idcirco noluerit nomen ſuum adſcribere, ne in ipſo exordio eos ab Epiſtolæ lectione auerteret: itemque quod cum Dominus ipſe Apoſtolus Patris ad Hebræos miſſus fuiſſet, Paulus tum propter Domini honorem, tum quod ipſe præcipue ad Gentes miſſus eſſet, ſe Apoſtolum Hebræorum inſcribere abſtinuerit. Styli porro diuerſitas inde proceſſit, quod cum alias ad Græcos datas Græce Paulus ſcripſiſſet, hanc autem ad Hebræos ipſe Hebræus Hebraico ſermone diſertiſſime conſcripſiſſet; eam & eloquentius conuerterunt in Græcum, ſiue Clemens, ſiue Lucas fuerit: alterutrum enim iſtorum eam ex Hebræo in Græcum conuertiſſe, creditum eſt [h] antiquitus. Quod vero alii obiiciunt, Paulum (vt eſt apud Hieronymum [i]) Hebræum ex Hebræis ſcribentem ad Hebræos, non citare Scripturas ſecundum Septuaginta: immo & hoc ipſo non leue deducitur argumentum, eam eſſe Pauli; qui idem ſcribens ad Galatas cum Hebræis diſputans, locum Iſaiæ (vt notat idem Hieronymus) ſecundum editionem, Septuaginta citauit. Quin & hoc Apoſtolorum tempore apud ipſos Iudæos in vſum frequentiorem receptam eſſe editionem Septuaginta (vt de noſtris taceamus) ſatis vel ipſe demonſtrat Ioſephus hiſtoricus, qui Iudæus exiſtens, tamque Hebraicis quam Græcis literis excultiſſimus, in ſuis quos ſcripſit, commentariis, potius Septuaginta quam Hebraicam editionem in rebus etiam maximi momenti, veluti in ſupputatione annorum ab origine mundi, ſectatus eſt:

f Cle. Alex. ap. Euſeb. 6. hiſt. 11.
g Hieron de ſcript. Eccl. in Paulo, & in Gal. 1.
h Cle. Alex. vbi ſup. Orig. ap. Euſ. 6. hiſt. 19. Euſ. 3. hiſt. 32. & aly.
i Hieron. in Iſai. 6.

EDITIO LXX. ETIAM A IVDÆIS FREQVENTIORI VSV RECEPTA.

illudque ipſum præſtitiſſe Philonem nullum eſt dubium.

XX. FALSO ALIIS EA EPIST. TRIBVITVR.

Ceterum qui eandem epiſtolam Clementi Romano tribuerunt, abunde ex eo refelluntur, quod ipſemet Clemens (vt teſtatur Euſebius [k]) eam ſæpius ſuis ſcriptis intexens, alterius plane auctoris quam ſuam eſſe declarat. Sed nec Barnabæ tribui poſſe, ex eo certum redditur, quod cum nõniſi vna dicatur ab eo ſcripta epiſtola, quam plane diuerſa ea fuerit ab epiſtola ad Hebræos, Clemens [l] Alexandrinus qui frequentes ex ea ſententias recitat, aperte ſignificat. A Luca vero aliquam vnquam fuiſſe ſcriptam Epiſtolam, neminem antiquorum vel recentiorum dixiſſe reperimus. Æquius igitur alii dixerunt, eandem ab eo translatam quam compoſitam. Non enim quæ ad Hebræos, ſed quæ dicebatur ſcripta ad Laodicenſes, à quibuſdam Lucæ adſcribebatur; vt teſtatur Philaſtrius [m]. Nihil autem dicimus de Tertulliano, cuius eam eſſe à quibuſdam tradi, miramur quod Xiſtus [n] Senenſis affirmet, cum idem ipſe Tertullianus [o] adſcribat Barnabæ.

k Euſ. 3. hiſt. 32.
l Cle. Alex. Strom. lib. 2. & 5.
m Philaſtr. de hær. c. 90.
n Sixt. Sen. Bib. li. 7. c. 8.
o Tert. de pud. c. 20.

XXI.

Sed quid eſt quod S. Hieronymus [p] ſcripſit, dictam epiſtolam licet non ſolum ab Eccleſiis Orientis, ſed ab omnibus retro Eccleſiis, & Græci ſermonis ſcriptoribus, quaſi Pauli Apoſtoli ſuſcepta eſſet, tamen Latina conſuetudine non recipi? Sane quidem illam Græci ſemper abſque aliqua ambiguitate recepiſſe reperiuntur; vt quos diximus, Clemens Alexandrinus & Origenes, Concilium [q] Laodicenum, Athanaſius [r], Gregorius [s] Nazianzenus, Amphilochius [t], denique (vt vno verbo dicam) quotquot poſtea extiterunt rerum Eccleſiaſticarum Catholici tractatores: vno excepto ex antiquioribus Caio, de quo mox dicetur. Quod vero ad Latinos ſpectat: ſi de iis quæritur qui ipſum Hieronymum præceſſerunt, non ſolum Clemens Romanus quem diximus, eam ſuis ſæpius interſeruit ſcriptis (adde, ſi placet, & in his qui ab eo conſcripti feruntur Apoſtolici Canones, eamdem inter ſcripta canonica adnumeratam eſſe) ſed & alii quorum idem Hieronymus meminit in Scriptoribus Eccleſiaſticis, Latini celebriores illam ſæpe citantes, Pauli quoque titulo prænotarunt; puta Hilarius [u] Pictauienſis, Gregorius [x] Bæticus, Optatus [y] Mileuitanus: immo & Philaſtrius [z] Brixianus inter hæreſes adnumerat opinionem illorum, qui eam non ſicut ceteras Pauli epiſtolas amplecterentur. Pariterque eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus Gaudentius [a], necnon Chromatius [b], Ruffinus [c], Paulinus, Ambroſius, & Auguſtinus [d] creberrime eandem vt Pauli germanam agnouerunt. Cum igitur Galli, Hiſpani, Afri, Itali, qui vel ante Hieronymi tempora floruerunt, vel ſaltem illius æquales extiterunt, idem omnes de ea epiſtola pari conſenſione firmarint; quid eſt quod ipſe eam à Latinis non recipi ſcripſit? Non equidem puto id illum dixiſſe, quia (ſicut alibi [e] ait) Tertullianus eam non recepit vt Pauli, ſed vt Barnabæ. Abſit enim vt vnus à cæteris omnibus diſcrepans Tertullianus, Catholicæ Latinæ Eccleſiæ regulam Canonicorum ſcriptorum præſcripſerit; cum præſertim nonniſi in libro [f] quem ſcripſit poſtquam eſt factus hæreticus, id ſua ſententia teſtatum reliquerit. Quod autem nec Cyprianus ea vſus eſſe reperitur: haud mirandum eſt, ſi qui Tertullianum nominare magiſtrum [g] conſueuit, eidem in hoc fuerit obſecutus. Arnobium item, Minutium, & Lactantium, non eſt quod dicamus eam reieciſſe, quia non citarunt: quippe qui cum ſcripſerint aduerſus Gentiles, nequaquam vſi ſunt diuinæ Scripturæ, cui illi minime crederent, teſtimoniis, ſed ipſorum potius Gentilium ſcriptis ac rationibus: nam & Lactantius [h] Cyprianum ſugillaſſe viſus eſt, quod aduerſus Demetrianum Gentilem niſus ſit teſtimoniis ſacræ Scripturæ.

p Hieron. ep. 129. ad Dar. & in Iſa. 6.
EADEM RECEPTA A GRÆCIS.
q Cõc. Laod. can. 59.
r Athan. in Synopſ.
s Greg. Naz. carm. de li. canon.
t Amphil. carm. de li. canon.
ATQVE ETIAM A LATINIS.
u Hilar. li. 4. de Trinit. & alibi.
x Greg. Bæt. lib. de fide.
y Opt. lib. 7. cont. Parm.
z Philaſtr. hær. 90.
a Gaudent. tract. 2.
b Chrom. de S. beatit.
c Ruff. in expo. Symb.
d Vide hunc inter alia li. ca. 2. de doct. Chr. 8. & 16. de ciuit. 21.
CVR HIERON. DIXERIT; EAM A LATINIS NON RECIPI.
e Hieron. de Script. Eccl. in Paulo.
f Tert. de pudic. c. 20.
g Hieron. de Script. Eccl. in Tertul.
h Lact. lib. 5. cap. 4.

XXII. EVSEBII, NON HIERONYMI ASSERTIO.

Verum nec ad hos quidem videtur Hieronymus habuiſſe reſpectum: ſed aliis credens exiſtimauit eam ab Eccleſia Romana non recipi. Cum enim Euſebius [i] agens de Caio antiquo Theologo, ex eius ſententia aſſeruiſſet Epiſtolam ad Hebræos à Romanis Pauli non credi; Euſebium ſecutus Hieronymus (qui ex eo ſe plurima acce-

i Euſ. 6. hiſt. 14.

k Hier. præf. de Scr. Eccl.

piſſe præfatus [k] eſt) dum pariter de Caio agit in Scriptoribus Eccleſiaſticis, eadem ipſa Euſebii verba, licet nomine tacito referens, æque appoſuit apud Romanos eam epiſtolam quaſi Pauli non haberi: in quod miramur tantum Patrem (rogata venia dictum ſit) facile nimis impegiſſe. Quam enim illud à veritate ſit alienum, de antiquioribus temporibus idem Euſebius eſt teſtis, dum (quod iam diximus) ait eam epiſtolam à Clemente Romano Pontifice approbatam eſſe. Nouiſſimis vero temporibus, quibus Hieronymus vixit, Innocentius [l] Papa ad Exuperium ſcribens, diuinorumq; Librorum catalogum texens, recenſet quatuordecim Epiſtolas Pauli, illam videlicet ad Hebræos adnumerans. Et ante Innocentium extat [m] decretum Romani Concilii ſub Damaſo contra hæreſim Apollinaris celebrati, vbi inter Libros Canonicos recenſetur epiſtola Pauli ad Hebræos. His vero adde, ſi placet, antiquiſſimam epiſtolam ſecundam Euariſti, & primam Higinij (vt prætereamus eam, quæ Clementis nomine inſcripta habetur ad Iacobum Fratrem Domini) in quibus ex eadem Epiſtola ad Hebræos citantur ſententiæ. Quid autem poſt Hieronymum ſenſerit eadem Eccleſia Romana, Gelaſius [n] fidem facit, & alij Romani Pontifices; itemque Caſſiodorus [o] Senator: quid etiam Galliæ, Alcimus [p] Auitus Epiſcopus Viennenſis; quid præterea Hiſpaniæ, Iſidorus [q] Epiſcopus Hiſpalenſis: quidque Eccleſia Africana, Concilium Carthaginenſe Tertium. Denique Petrus ipſe Apoſtolus ſcribens [s] pariter ad Hebræos, meminit Epiſtolæ quam Paulus ad eoſdem ſcripſit. Si quæ vero præter has leuiſſimæ reliquæ ſunt Nouatorum obiectiones, eas ab aliis [t] egregie confutatas inuenies. Cæterum hæc Pauli Epiſtola idcirco vltimo loco in codice ponitur, quod omnium nouiſſima ſcripta habeatur: licet in cæteris diſponendis, non ſemper ratio temporis videatur eſſe ſeruata. Sed de ea, ſimulque aliis omnibus à Paulo conſcriptis, hic eſto iam finis: illum vnum addendo, conſuetum [u] fuiſſe antiquitus cum eædem in eccleſia legerentur, Lectoribus reſpondere, *Pax tecum*: quod erat ſymbolum Catholicæ communionis.

ECCLESIA ROM. ILLAM RECIPIT.

l Innoc. ep. 3. tom. 1. epiſt. Rom. Pont. m Ext. in Collect. Creſcon.

n Gelaſ. in Con. Ro. dec. de li. canon.
o Caſſiod. l. diuin. lect. c. 4
p Alcim. carm. de li. canon.
q Iſid. li. 6. Orig.
r Conc. Cart. 3. can. 47.
s 2. Pet. 3.
t Xiſt. Sen. Bibl. 8. Bellar. to. Contro. 1. ca. 17. & alij.
u Vid. Aug. ep. 163. ad Generoſ.

XXIII.
x Tac. li. 13.
DE ARESACTA FICV ROMVLEA.

Quod ad res Romanas pertinet: multa quæ ad inſtitutum minus faciunt omittentes, ſatis ſit illud meminiſſe quod Tacitus [x] ſcribit, hoc eodem anno RVMINALEM ARBOREM in Comitio, quæ ſ per octingentos quadraginta ante annos Remi Romulique infantiam texuerat, mortuis ramalibus, areſcente trunco diminutam, prodigii loco habitum eſſe. Porro ſicut olim in areſacta ad Chriſti imperium apud Hieroſolymam ficus arbore, Synagogæ infructuoſæ eſt præmonſtratus interitus: ita quoque non ſine Dei conſilio exiccata Romulea ficu, veteris ſuperſtitionis abrogationem eo prodigio eſſe ſignificatam, dicere haud incongrue poſſe videmur: cum id maniſeſto experimento probarit euentus. Sicq; bene verſa vice rerum, magno ſane prodigio fatalis arbor, eademque illis feliciſſima, Remi Romulique cunabulis conſecrata, tunc aruit, cum aridum Crucis lignum à Petro & Paulo Romæ plantatum vireſcens, fœcundo germine propagaretur.

IESV CHRISTI ANN. 61.

NERONIS IMP. AN. 5.

PETRI AN. 17.

I.
a Tac. li. 14.
b Gelaſ. in Conc. Rom. de Lib. apoc.
PAVLVS IN HISPANIAM.
c Hippol. mart. de 72. Diſcip. Athan. ep. ad Dracont. Cyril. Hieroſ. catech. 17. Epiph. har. 27. Chryſ. in ep.

ANno Chriſti ſexageſimo primo, C. [a] Vipſanio & Fonteio Capitone Coſſ. Paulus Apoſtolus biennio in vinculis iam exacto, liber abire permiſſus eſt: reliquæ vero eius res geſtæ vſque ad martyrium, remanſerunt prorſus obſcuræ: nam quæ dicebantur *Acta Pauli*, inter apocrypha ſunt [b] reiecta. Cum autem ex iis quæ ſuperiori anno ad Philippenſes, Philemonem, & Hebræos (vt vidimus) ſcripſit, conſtet in animo habuiſſe redire in Orientem, an id præſtiterit haud tuto poſſumus affirmare; quandoquidem Patrum plurimorum tam Græcorum [c] quam Latinorum [d] ſententia traditur, ipſiusque etiam auctoritate Romani Martyrologij [e] confirmatur, eum ſolutum vinculis profectum eſſe in Hiſpaniam, ſicut ſe in animo habuiſſe olim Romanis [f] ſignificauerat. Verum nec ob eam cauſam, quod nunc (ſi velimus) rediiſſet in Orientem, videri poteſt elapſum tempus quo minus octo illis annis qui intercedunt vſque ad ipſius martyrium, potuerit non tantum Hiſpanias, ſed vniuerſum plane Orbem Romanum, ac Barbarorum externas regiones peragrare. Quod vero Gelaſius [g] Papa de eadem ipſius in Hiſpanias profectione ſcripſit, non eo quidem tendit vt eam penitus neget, ſed vt ſignificet ipſum Deo non aliter decernente, minime tunc implere potuiſſe, quod ad Romanos ſcribens pollicitus erat ſe propediem impleturum. Itemque quod Innocentius [h] æque Romanus Pontifex, ad Romanæ Eccleſiæ inſtituta cæteros prouocans, omnino aſſerere videtur, neminem Apoſtolorum, excepto Petro, Hiſpanias, & alias Occidentales prouincias docuiſſe, haud putandum eſt à Petro diuidere Paulum voluiſſe, ſicut cæteros Apoſtolos, quos iure negat in Occidente docuiſſe: nam in re de qua agebatur, Petri cauſa communis Paulo eſſe videbatur, quippe qui & ipſe ſicut Petrus Romæ docuerit.

ad Hebr. & hom. 7. de laud. Pauli, & hom. 76. in Matt. Theod. in 2. Tim. vlt. & in Phil. 1. & in Pſ. 116. Soph. Hieroſ. ſer. de natal. Apoſt. & alij recentiores.
d Hieron. in Iſai. 11. & in Amos 5. Gre. 31. Moral. 22. Iſid. de ort. & obit. Sanct. Bed. in Mar. 11. Cal. Sept. Ado Vien. in Chro. an. 59. & alij complures.
e Martyrol. R. 11. Cal. April.
f Rom. 15.
g 22. q. 2 c. beatus.
h Innoc. ep. 1. ad Decent.

II.
LVCAS EDIT ACTVS APOST.
DE REBVS LVCÆ RELIQVA.

Hoc eodem anno S. Lucas Euangeliſta ſcriptionem eam abſoluit, cuius eſt titulus ACTVS APOSTOLORVM. Cum enim in fine ſcribat, Paulum egiſſe biennium in ſuo cōducto, plane poſt illud tempus extremā manū operi ſe impoſuiſſe ſignificat. Quod autem S. Hieronymus biennium Pauli Romæ agentis extendat vſq; ad quartum Neronis annum, nos autem quinto ponamus: id inde accidit, quod ipſe vno eodemque anno ponat eius diſceſſionem Hieroſolymis, & Romam aduentum; quæ tamen duobus annis eſſe peracta, eiuſdem Lucæ teſtimonio eſt declaratum. Quonam vero Lucas abierit poſtquam Roma diſceſſit, incertum eſt: de eo tamen tradit Epiphanius [i], prædicaſſe in Dalmatia, Gallia, Italia, ac Macedonia. Legiturque apud Oecumenium [k], eundem Roma in Orientem eſſe reuerſum, ruſuſque petiiſſe Lybiam, Thebanos Ciuitatum regione inſtituiſſe, atque in vltima demum ſenectute reddidiſſe Deo ſpiritum. Sane quidem & Hieronymus [l] cum vita cælibem ad ætatis annos octoginta quatuor perueniſſe ſcribit. Sed Gregorius [m] Nazianzenus, Paulinus [n] Nolanus, Gaudentius [o] Brixianus, cum tradunt martyrio vita functum: & Nicephorus [p] martyrij genus deſcribens, aſſerit ipſum in Græcia ex fructifera oleæ arbore ſuſpenſum, eſſe, quod aridi ligni, vnde crux fieret, copia non eſſet. Eadem Michael [q] Glicas Græcus hiſtoricus; ſed & de vnguento medico, quod ex membris eius ſcaturiit: eademq; Gregorius Cedrenus [r]. Plura autem de Luca ſuperius.

i Epiph. hær. 51.
k Oecum. in Luc.
l Hieron. de Script. Eccl. in Luca.
m Greg. Nazianz. orat. 1. in Iul.
n Paulin. ep. 12.
o Gaud. de dedic. baſil.
p Niceph. li. 2. c. 43.
q Glic. lib. 3. Annal.
r Cedr. in comp. hiſt.

III.
NERO MATREM NECAT.
s Tac. li. 14.

Hoc ipſo anno menſe Martio Feſtis Quinquatriis, impiiſſimus Nero Imperator Agrippinam matrem naufragio fruſtra tentatam, miſſo Aniceto liberto palam occidendam curauit; quod pluribus proſequitur Tacitus [s]. Cum vero (vt ait) publica adulatione, lætitia quoq; publica omnium eſſet, vt de ſalute parta Imperatoris; fortaſſe ea ex cauſa accidit, vt Paulus inſumpto carceris biennio, vna cum cæteris vinctis liber ſineretur abire.

IESV CHRISTI ANN. 62.

NERONIS IMP. AN. 6.

PETRI AN. 18.

I.
a Tac. lib. 14.
b Euſeb. in Chron.
ANANVS EXISTIMATVS FELICISS.

ANno Chriſti ſexageſimo ſecundo, Nerone [a] Auguſto quartum & Cornelio Lentulo Coſſo Coſſ. idem Imperator accepto nuncio de morte Feſti Iudææ Præſidis, ſucceſſorem ei deſignauit [b] Albinum; qui tamen nonniſi anno ſequenti profectus eſt in prouinciam. Interea vero Agrippa Rex, Ioſepho Summo Pontifice iuſſo priuatam vitam agere, ſacerdotium eius dedit Anani filio, & ipſi vocato Anano eodem quo pater nomine. Seniorem autem iſtum Ananum aiunt fuiſſe omnium feliciſſimum, vt qui liberos habuerit quinque omnes potitos Summo Pontificio, cum prius ipſe ad ſatietatem ea

digni-

dignitate perfunctus eſſet quod ad eam ætatem nulli antea contigerat. Iunior autem Ananus, qui hoc tempore Pontificatum accepit, audax erat & ferox ingenio, ſectaque Sadducæus, quod hominum genus apud Iudæos in iudicando erat ſeueriſſimum. Narrat iſta Ioſephus [c]. Qui igitur tradunt [d] Annā, qui idem eſt a que Ananus, vt Caipham male perijſſe; quod ad ſeniorem Annam ſpectat, longe à Ioſepho diſcrepare noſcuntur.

c Ioſ. 20. ant. 8.
d Niceph. lib. 1. c. 10. & alij eum ſecuti.

II.
e Tac. lib. 4.
f Coloſ. 2.
LAODICEA TERRÆMOTV PROSTRATA.
g Apocal. 3.

Eodem anno (vt Tacitus [e] narrat) nobilis in Aſia vrbs Laodicea (cuius meminit Paulus ad Coloſſenſes [f]) tremore terræ proſtrata eſt, ſed à ciuibus breui reſtituta. Erat enim opulentiſſima: vnde eius diuitiarum occaſione Eccleſiam ibi poſitam cito tepuiſſe conqueſtus eſt Dominus apud Ioannem [g]. Cæterum apud Euſebium in Chronico anno Neronis 10. eiuſmodi clades Laodicenſis collocatur; additurque non illam tantum, ſed & Hieropolim, & Coloſſas, eiuſdem prouinciæ nobiles ciuitates, æque eſſe terræmotu proſtratas. At in his quæ ſunt temporum, Tacito tutior fides habetur.

NERONIS IMP. AN. 7.

IESV CHRISTI AN. 63.

PETRI AN. 19.

I.
DE IACOBI APOST. ET HIEROS. EPISCOP. MARTYRIO.
a Euſeb. in Chron.
b Hier de Script. Eccl. in Iacob.

ANNO Chriſti ſexageſimo tertio, quo C. Cæſonius Pætus & Petronius Turpilianus Conſulatum inierunt, Iacobus Apoſtolus cognomento Iuſtus, Fraterque Domini dictus, glorioſo martyrio vitam finiuit. Id enim accidiſſe hoc anno ſeptimo Neronis Imper. Euſebius [a], Hieronymus [b], ac denique cæteri omnes pariter aſſeuerant. Qua ratione eum ſediſſe oportuit, non annis triginta (vt complures dixerunt) ſed viginti nouem tantummodo, quippe qui anno trigeſimoquarto, quo & Dominus paſſus eſt, Eccleſiæ Hieroſolymitanæ (vt vidimus) eſt inſtitutus Epiſcopus. Error inſuper in notam numeri apud Nicephori Chronicon irrepſiſſe videtur, dum loco annorum viginti nouem, viginti ſex ſedis Iacobi notati habentur. Sed & Epiphanij [c] redditur fides dubia, dum ad annos ætatis nonaginta ſex Iacobum perueniſſe, & annis plus minus vigintiquatuor poſt Aſcenſionem Saluatoris vixiſſe tradit: Nam haud facile cuipiam perſuaderi poſſit, cum tempore Paſſionis Domini egiſſe annum ætatis ſeptuageſimum ſecundum, & ante annos quinque (quod falſum eſt) martyrium conſummaſſe.

c Epiph. hær. 78.
DE ÆTATE IACOBI.

II.
d Ioſ. 20. antiq. 8.
e Euſeb 2. hiſt. c. 2.

Porro Iacobum iuſſu Anani Summi Pontificis hominis ſæui, & feroci is ingenij, lapidibus obrutum fuiſſe, Ioſephus [d] tradit; eamque hiſtoriam Euſebius [e] ex Hegeſippo & Clemente Alexandrino pluribus deſcribit, tradens eum de fide Chriſti à Scribis & Phariſæis varie tentatum, cum eam glorioſe coram vniuerſo populo confeſſus eſſet, primo è pinna templi præcipitatum, deinde lapidibus appetitum, ac demum fullonis vecte percuſſum capite pro ſe perſequentibus orantem occubuiſſe: Eius vero ſanctitatem adeo ſpectatam omnibus fuiſſe, vt ei ſoli permitteretur (quod alioqui ſolius erat Summi Pontificis) ſemel in anno ingredi in Sancta Sanctorum, quandoquidem veſtibus vteretur non laneis, ſed dumtaxat lineis: quod teſtatur etiam Epiphanius [f]. Hieronymus [g] quoque aſſerit, virum fuiſſe tantæ ſanctitatis & rumoris in populo, vt fimbriam veſtimenti eius certatim cuperent attingere. Habet inſuper ex eodem Hegeſippo Euſebius, cum ab vtero matris ſanctum fuiſſe, vinum & ſiceram non bibiſſe, animalium carnibus ſe abſtinuiſſe; nouacula caput eius numquam raſum fuiſſe, neque corpus oleo perunctum, aut balneis lotum, eidemque aſſiduitatem orandi ita callum genibus obduxiſſe, vt duritie cameli pellem imitaretur. Additque Chryſoſtomus [h], non tantum eius genua, ſed & frontem ob iugem in pauimento proſtrationem callo obductam fuiſſe. Sunt de eo alia ferme innumera Patrum elogia, quæ breuitati conſulentes omittimus, cum præſertim de eo ſuperius nonnihil ſit dictum. Denique tanti ponderis tanti viri necem Ioſephus [i] Iudæis exiſtimauit, vt ob tam infandum ſcelus Iudæorum populum perditum, ciuitatem exciſam, templum incenſum, ac cetera denique mala illis obueniſſe fuerit opinatus; cuius etiam ea de re teſtimonium Origenes [k] atque Euſebius [l] citant. Cur autem Iacobi neci potius quam Chriſti, tributa fuerit à Iudæis [k] Hieroſolymitana clades, illam cauſam fuiſſe putamus, quod haud diu poſt necem Iacobi cœperunt de venturis malis diuinitus oſtendi prodigia, quibus illi perterriti ea recentiori ſceleri adſcripſere. Ea vero de cauſa fuiſſe Ananum ab Agrippa Rege Pontificatu depoſitum, idem Ioſephus eſt auctor. In locum autem Iacobi à Chriſtianis ſuffectum poſtea fuiſſe Epiſcopum Hieroſolymitanum *Simeonem* filium Cleophæ, æque fratrem Domini dictum, Euſebius [ll] atque alij omnes teſtantur. Agemus nos de illo inferius.

SVMMA IACOBI SANCTITAS.
f Epiph. hær. 29.
g Hieron. in Gal. 1 in fi.
h Chryſ. hom. 3. in Matth.
i Ioſ. 20. antiq. 8.
IVDÆORVM MALA EX NECE IACOBI ADVENISSE CREDITA.
k Orig. cont. Celſ lib. 1.
l Euſeb 2. hiſt. 23.
ll. Id in Chr. & 3. hiſt. 10.

III.
DE EPISTOLA IACOBI.
m Euſ. 2. hiſt. 22. in fi.
n Hieron. de Script. Eccl. in Iacob.
o Tert. adu. Iud. c. 2.
p Orig. ho. 7. in Ioſue.
q Epiph. Ioan. Hæreſ.
r Ath. in Synopſ.
s Greg. Naz. carm. de lib. canon.
t Hier. ep. 103. ad Paulin. & cont. Pelag. lib. 1. & 2.
u Damaſ. in Conc. Rom. ap. Creſcon.
x Innocen. ep. 3 ad Exup.
y Aug. 2. de doctr. Chr. 8.
z Caſſiod. inſt. diu. lit.
a Iſid lib. Orig.
b Iren lib. 1. cap. 20.
c Rom 3.
d Aug in pſ. 31.

Reliquit Iacobus inſigne ſui Apoſtolatus monumentū EPISTOLAM CATHOLICAM ad duodecim Tribus quæ erant in diſperſione: quæ licet à quibuſdam antiquioribus fuerit in dubium reuocata, tamen paulatim tempore procedente obtinuiſſe auctoritatem, Euſebius [m] & Hieronymus [n] illam aperte ſuſcipientes teſtantur: eandemq; præterea vt vere Iacobi Apoſtoli recenſent Tertullianus [o], Cyprianus, Origen. [p] Epiphanius [q], Athanaſius [r], Gregorius [s] Nazianzenus, idem Hieronymus [t], Damaſus [u] & Innocentius [x] Romani Pontifices, Auguſtinus [y], Caſſiodorus [z], Iſidorus [a], ac denique ceteri omnes qui poſtea contexuerunt canonicorum ſcriptorum catalogum. Videas inſuper, ſicut loci & temporis ratio poſtulabat, ad confutandam Simonis Magi hæreſim, qua Fidem ſine Operibus ſufficere [b] prædicaret, quæ præſertim Samariæ (vt Iuſtinus teſtatur) graſſabatur, ab eodem Apoſtolo ſumma prudentia multa dicta in Operum commendationem, ſine quibus Fidem eſſe prorſus inanem affirmat: quem tamen haud Paulo aduerſari, dicenti [c] hominem ex Fide ſine Operibus iuſtificari, egregie demonſtrat Auguſtinus [d].

IV.
e Iacob 5.
DE OLEO SANCTO INFIRMORVM.
f Mar. 6.
DVPLEX GENVS VNCTIONIS.

Sed quod ſpectat ad diuinitus tradita SACRAMENTA, eorumdemque Apoſtolicam traditionem; idem Iacobus [e] de inungendis ægrotantibus oleo ſancto eadem epiſtola meminit, Ipſoſque Apoſtolos, Chriſti etiam tempore conſueuiſſe infirmos vngere, & ſic reſtituere ſanitati, teſtatur Marcus [f]: quod quia nullum Prophetarum, vel aliorum ſanctorum virorum antehac vſurpaſſe vſquam inuenimus; inde manifeſte apparet, eiuſmodi inſtitutionem ab ipſo Chriſto Domino ſumpſiſſe originē. Porro VNCTIONIS, quæ ad curandos infirmos à Chriſtianis adhiberi conſueuit, duplex genus reperitur: alterum, quod ab Epiſcopo ſolemniter benedicitur, & per presbyteros miniſtratur infirmis: quod cum & vim habeat dimittendi peccata, Sacramentum dictum à maioribus habetur; nec alijs quam Fidelibus, ſicut cetera ſacramenta, tribui ſolet. Alterum, quod ſimplici ſigni crucis benedictione ſanctificatum, à quibuſcumque Fidelibus, ad ſanandos quoſcumque etiam à fide alienos ægrotos, ſupra vim naturalem diuina adiuuante gratia, adhiberi ſoleret: cuius tamen nulla eſſet virtus Sacramenti ad dimittenda peccata, & inuiſibilem gratiam conſequendam; ſed tantummodo contineret virtutem ad ſananda corpora, quam fides vel merita dantis vel ſuſcipientis ſoleant impetrare. Harum Vnctionum prior in Iacobo, in Marco poſterior teſtata habetur. Sed & de priori, deque eius diuina ac ſacramentali virtute, agunt perpulchre Cyrillus [g] Hieroſolymitanus, Auguſtinus [h], & Innoc. [i] Papa. Arbitrorque communi vſu eiuſmodi ſacramentum idcirco dictum EXTREMAM VNCTIONEM, non quod in extremis poſito tantum debeat impertiri, cum quemlibet infirmum Fidelem eo vngi debere Apoſtolus doceat; ſed quod poſt peccatorum Confeſſionem, & acceptam Euchariſtiam (ſicut etiam Auguſtin. [k] declarat) nouiſſimum Sacramentorum homini Chriſtiano conferri ſoleat. Secundi vero generis Vnctio plane erat, quam ad curandos morbos per Proculum Chriſtianum adminiſtrari ſolitam ſcribit Tertullianus [l]: itemque illam, qua Ægypti monachi ad ſanitates impertiendas (vt habent Ruffinus [m] & Sozomenus [n]) vti conſueuerant; de qua pariter Seuerus in Martino,

g Cyr. Hieroſ. catech. 5.
h Aug. in pſ. 44. & ſerm. de temp. 215.
i Innoc. ep. 1. cap. 8.
CVR ISTVD SACRAMENTVM DICTVM FVERIT EXTREMA VNCTIO.
k Aug. de ſer. 215.
l Tert. ad Scap. cap. 4.
m Ruff. 2. hiſt. 4.
n Sozom. 6. hiſt. 20. 29.

Hieronymus in Hilarione, & alij qui res geſtas Sanctorum ſcripſere, frequentiſſime meminere.

V. De miſſa Iacobi. o Cyril. Hier. catech. 3.

Extat inſuper ab eodem Iacobo Apoſtolo ſuæ Eccleſiæ tradita ſacrificij forma, nempe MISSA; quam vere eius eſſe, plane cognoſcet qui eam conferat cum ijs quæ Cyrillus [o] eiuſdem Eccleſiæ Hieroſolymorum Epiſcopus in ſuis Myſtagogicis Orationibus habet, quæ quidem ipſe non aliunde quam ex Iacobi Liturgia cognoſcitur accepiſſe. Sed illud accidit (quod etiam apud Latinos factum eſſe conſtat) vt in ſacratiſſima Miſſa alijs ſuperadditis precibus, alijs autem breuiori ſumma contractis, ritibuſque nonnihil auctis aut mutatis, rei tamen ſubſtantia integra permanente, paulo diuerſior ab alia priſtina habeatur.

IESV CHRISTI AN. 64.

Neronis Imp. An. 8.

PETRI ANN. 20.

I. S. Marci martyrium. a Hieron. de ſcript. Eccleſ. in Marco. b Euſeb. 2. hiſt. 23.

ANNO Christi ſexageſimo quarto, P. Mario Celſo & L. Aſinio Gallo Coſſ. MARCVS Euangeliſta primus Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus glorioſo martyrio vitam finiuit. Auctor eſt enim Hieronymus [a] id accidiſſe octauo Neronis anno: quo item Anianum in locum Marci ſuffectum eſſe Epiſcopum Alexandrinum, teſtatur Euſebius [b] in hiſtoria, licet in eiuſdem Chronico id anno ſequenti poſitum habeatur. Porro tam Euſebij quam Hieronymi teſtimonio erroris arguuntur, qui dixerunt [c] Marcum ſub Traiano occubuiſſe. At quoniam Hieronymus & alij nonnulli de exitu Marci agentes, de martyrio ne verbum quidem; nonnullos ſcimus dubitaſſe an illud ſubierit. Verum cum & antiquum Romanum Martyrologium, & Vetus Græcorum Menologium id aperte profiteantur, eidemque veritati adſtipuletur Gelaſius [d]; nefas ducimus de ea re amplius dubitare: vnus namque ipſe eſt nobis inſtar omnium, qui de Apoſtolis ac ceteris martyribus quæ eſſent Apocrypha, perſpicaci conſiderauit obtutu. Ceterum eius martyrij Acta paucis conſcripta habentur in eodem Menologio Græcorum, quæ à Latinis æque probantur; ſcribentibus eadem, ijſdemque pene verbis ex antiquioribus monumentis Beda [e] & Adone: Metaphraſtes autem rem eſt paulo latius proſecutus, eademque Nicephorus [f], ceterique recentiores Græcorum; qui omnes cum Dominico die cum miſſam celebraret, à Gentilibus tentum, & fune ad collum ligato per ſcabra loca biduo tractum, martyrium conſummaſſe tradunt, ætate iam prope matura ac ſemicana, menſe qui apud Ægyptios Pharmutus, ab Hebræis Niſan, à Romanis Aprilis dicitur vigeſimaquinta eiuſdem.

c Dorotb. & alij. d Gela. decr. de lib. autb. e Bed. & Ado in Martyr. 25. April. f Niceph. lib. 2. cap. 43.

II. g Hieron. de ſcript. Eccl. in Marco & in Philone. Eccleſia Alexan. optima inſtitvtio.

Sed quod pertinet ad Eccleſiæ Alexandrinæ ab eo factam inſtitutionem; ſcribit S. Hieronymus [g], Philonē Iudæum cum ESSENOS deſcribit, Chriſtianorum Alexandrinorum quale ſub Marco vitæ inſtitutum agerent, ſignificare voluiſſe: Ex quo (inquit) apparet talem primam in Chriſto credentium fuiſſe Eccleſiam, quales nunc monachi eſſe nituntur & cupiunt, vt nihil cuiuſquam proprium ſit, nullus inter eos diues, nullus pauper, patrimonia egentibus diuidantur, orationi vacetur & pſalmis, doctrinæ quoque & continentiæ; quales & Lucas, refert primum Hieroſolymis fuiſſe credentes. Hæc Hieronymus, ſectatus haud dubie Euſebium [h], qui ea de Chriſtianis ſub Eſſenorum nomine à Philone ſcripta eſſe, pluribus demonſtrare conatur. Eſt autem ille Philonis liber *de vita contemplatiua*, ſiue *de Supplicibus* inſcriptus. Epiphanius [i] quoque in eamdem plane conſpirat ſententiam, inſinuans Philonem de Eſſæis, hoc eſt Ieſſæis eſſe locutum, non de Eſſenis: Ieſſæos enim à IESV, ſiue à Ieſſe, ex quo Chriſtus ſecundum carnem, nominatos eſſe Chriſtianos ipſo exordio naſcentis Eccleſiæ. Eoſdem quoque Eſſenos qui erant in Ægypto, fuiſſe Chriſtianos, Caſſianus [k] exiſtimaſſe videtur, dum aſſerit Ægyptios monachos à Marco eſſe inſtitutos. Id ipſum affirmant Sozomenus [l], Cedrenus (qui & teſtem citat Euſebium epiſtola ad Marinum) Nicephorus [m], Beda [n], & alij recentiores: Nouatoribus exceptis, eo quod monachorum inſtituta ſummo odio proſequantur. Quod vero ad nomen ſpectat, ait Suidas [o] Eſſæos idem eſſe quod Contemplantes; qui & genus Rechabitarum fuiſſe putauit. Ceterum ipſe Philo in libro qui inſcribitur, *Quod liber ſit probus*, Eſſæos ſanctos ſignificare non obſcure declarat: & in eumdem ſenſum Chryſoſtomus [p], Eſſenos à vitæ ſanctitate eſſe dictos teſtatur. At vero omnes Chriſtianos ipſo exordio naſcentis Eccleſiæ *Sanctos* eſſe nominatos, ſuperius oſtenſum eſt ſuo loco.

h Euſeb. 2. hiſt. 15. 16. i Epiph. hær. 29. De Eſſenis, ſive Ieſſæis. k Caſſian. 2. inſt. cœnob. 5. l Sozom. lib. 1. cap. 12. m Niceph. lib. 2. c. 15. n Bed. praf. in Marc. o Suid. verb. Eſſai. p Chryſ. hom. 44. in Act.

III. q Ioſ. 18. ant. 2. & 2. de bel. 7. r Plin. 5. hiſt. 17. s Solin. Polyhiſt. c. 36. De antiquitate Eſſenorum. t ap. Cyril. Alex. lib. 5. cont. Iulian.

Porro quod tradunt Nouatores, non de Chriſtianis locutum eſſe Philonem, ſed de ea Iudæorum ſecta quæ *Eſſenorum* dicta eſſet, quam Ioſephus [q] ante Chriſti tempus extitiſſe demonſtrat: ſane quidem ſi Plinium [r], & qui ab eo fere omnia accepiſſe cognoſcitur, Solinum [s] auſcultemus, dum Eſſenorum Iudæam inhabitantium laudatiſſimum vitæ inſtitutum deſcribunt; dicere neceſſe eſt fuiſſe illos plane antiquiſſimos, quorum & meminit non ſine laude Porphyrius [t]. Verum quod dicunt eos per multa ſæculorum millia extitiſſe, certe non ea qua ſunt dicta facilitate probantur. Nam nec in Veteri Teſtamento, nec in Nouo, vlla de ijs reperitur habita mentio, quorum vitæ inſtitutio videri poterat præ cæteris admirabilis; cum tamen in Euangelio ceteræ omnes Iudæorum ſectæ recenſeantur, nempe Phariſæorum, Sadducæorum, Galilæorum, & Herodianorum. Nec eſt quod quis iure dicere poſſit, Eſſenos eoſdem eſſe cum *Rechabitis*, quorum ſumma cum laude meminit Hieremias [v]: nam conſtat diuerſam plane fuiſſe vtriuſque gentis inſtitutionem; ſiquidem Rechabitas nonniſi ijs quæ terra ſponte ferret abſque aliqua cultura, victum ſibi comparaſſe Scriptura declarat: Eſſenos vero omnes, coluiſſe agros, & ex ijs victum quæſiuiſſe, Philo eodem tractatu *Quod liber ſit probus*, & Ioſephus in Antiquitatibus [x] teſtantur. Denique non ſolum Ethnici ſcriptores qui ante Chriſtum vixerunt, & gentium diuerſarum mores laudatiſſimos proſecuti ſunt, adeoque de Iudæis egerunt, Eſſenorum non meminerunt, ſed nec qui res Iudaicas ex inſtituto exactiſſime tractarunt, tam antiquam ijs originem tribuunt; de quibus apud Ioſephum [y] nulla antiquior quam Herodis maioris tempore extat memoria. Sed & ſi vetuſtiores fuiſſent, quis prohibet dicere, eoſdem, aut certe maximam eorum partem (nam ex ijs complures in ſua perfidia remanſiſſe, Philaſtrius ait) prædicatione Apoſtolorum conuerſos, inter Chriſtianos profeſſos eſſe: cum præſertim in perſcrutandis Prophetis intentos fuiſſe, ob eamque cauſam veritatem rerum futurarum attigiſſe, Porphyrius [z] teſtetur. Eſt enim de ea re non leue argumentum, quod antiquiores illi Eſſeni Iudæi à Ioſepho deſcripti, ab Alexandrinis Philonis in pluribus differunt; vt appareat hos ex illis prouenientes, non tamē eoſdem eſſe cum illis; quippe qui religionem Chriſtianam conſectati, priſtinum vitæ genus, vbi ea non contradiceret, non reliquerint, ſed perfectiorem nacti legem, excultiorem quippe vitæ inſtitutionem ſint profeſſi.

v Hierem. 35. x Ioſ. 18. antiq. 2. y Ibid. & 15. antiq. 13. z ap. Cyril. lib. 5. in Iulian. Differentia inter Eſſenos.

IV. a Ioſ. 18. antiq. 2. Eſſenos fuiſſe Chriſtianos. b Hier. de Script. Eccl. in Marco.

Sed & illud magnopere conſiderandum, Eſſenos non alibi quam in Iudæa, numeroque ſupra quatuor millia à Ioſepho [a] conſtitui; idemque à Philone confirmari in libro quem inſcripſit, *Quod liber ſit omnis ſapiens*. At cum idem Philo in tractatu de Vita contemplatiua; dicat eiuſmodi genus hominum magno apud Alexandriam fuiſſe numero, immo & in alijs Ægypti regionibus, multiſque Orbis partibus egiſſe: ſed & addat, idem vitæ genus à Græcis & barbaris eſſe receptum: ſatis manifeſte declarat, nonniſi de Chriſtianis eſſe locutum, qui vbique terrarum, & ex omnibus gentibus, eiuſdem vitæ inſtitutum his primis Eccleſiæ temporibus in eumdem ferme modum excolerent. Nec mirum ſi & obſeruationem diei Sabbathi Philo in Eſſenis commendet: cum & Apoſtolos etiam in multis Iudicaſſe eorum Acta teſtentur. Hocque eſt quod prouide S. Hieronymus [b], ait quod videns Philo primam Eccleſiam adhuc Iudaizantem, quaſi in laudem ſuæ gentis librum ſuper eorum conuerſatione conſcripſerit. Siue ergo velimus, dictos Chriſtianos apud Alexandriam agentes, quod ex Eſſenis ad fidem Chriſti veniſſent, eſſe

nomi-

nominatos Eſſenos; vel à Philone ſic appellatos quod magna ex parte vitam Eſſenorum viderentur imitari; vel quod non Eſſenos, ſed Ieſſæos vel Eſſæos à contemplatione vel ſanctitate eo nomiue libuerit nominare Chriſtianos: ſatis ex his omnibus conſtare arbitror, ipſum Philonem nonniſi de Chriſtianis eſſe locutum; ita tamen vt licuit externo homini rerum noſtrarum ſecreta inexplorata habenti, & quæ eſſent Iudæorum Chriſtianorum, Iudæis prorſus adſcribere cupienti.

IESV CHRISTI AN. 65.

Neronis Imp. An. 9.

PETRI ANN. 21.

I. De clade Hieroſ. a quodam ruſtico mirabiliter prædicta. a Ioſ. 7. de bello.

ANNO Chriſti ſexageſimo quinto, Memmia Regulo & Virginio Ruſo Coſſ. qui & quartus ante bellum Iudaicum cœptum, octauus vero ante Hieroſolymorum obſidionem numeratur, venturam cladem Deus voluit innoteſcere, & aſſiduo prædici, vt de commiſſis ſceleribus populus ageret pœnitentiam: cum videlicet (vt ait Ioſephus [a]) in ſumma ciuitatis pace atque opulentia, *Ieſus* quidam filius Anani, homo plebeius & ruſticus, ad feſtum quendam diem veniens, repente clamare cœpit, *Vox ab Oriente, Vox ab Occidente Vox à quatuor ventis, Vox in Hieroſolymam & templum, Vox in maritos nouos nouaſque nuptas, Vox in omnem hunc populum*: Atque hæc diu noctuque clamitans, omnes ciuitatis vicos circumire non ceſſauit. Ad magiſtratus vero ductus, & plagis vſque ad oſſa laceratus, neque ſupplex cuiquam fuit, neque lacrymauit, ſed inclinans quam maxime poterat flebiliter vocem, ad ſingulos ictus reſpondebat, *Væ væ Hieroſolymis*. Qui ad belli vſque tempus, neque adire quemquam ciuium, neque loqui viſus eſt: ſed quotidie velut orationem quamdam meditatus, *Væ væ Hieroſolymis* querebatur. Sed neque imprecatus eſt cuiquam, cum in dies ſingulos mulctaretur; nec victum offerentibus benedicebat: ſola vero reſponſio ad omnes erat triſte præſagium. Maxime autem diebus feſtis vociferabatur: idque per annos ſeptem & quinque menſes continuos faciens, neque voce raucior fuit, neque delaſſatus eſt; douec obſidionis tempore, ipſa re perſpectis augurijs ipſe quieuit. Supra murum enim circumiens iterum, *Væ væ ciuitati, ac templo, ac populo*, maxima voce clamitabat. Cum vero ad extremum addidit, *Væ etiam mihi*, lapis tormento miſſus eum ſtatim peremit, animamque adhuc illa omnia lugentem dimiſit. Hæc Ioſephus. Cetera autem prodigia quæ eamdem cladem præceſſerunt, ſuis locis ordine temporum recenſebimus.

IESV CHRISTI AN. 66.

Neronis Imp. An. 10.

PETRI AN. 22.

I. Vrbis incendium.

ANNO Chriſti ſexageſimo ſexto, C. Lexanio & M. Licinio Coſſ. Nero Imp. occaſione incendij Vrbis, diriſſimam in Chriſtianos qui Romæ erant PERSECVTIONEM excitauit; eoſdemque varijs ac ſæuiſſimis ſuppliciorum generibus affecit; dum inter alia (quod ait ea narrans Tacitus [a]) *pereuntibus addita ſunt ludibria, vt ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque vbi defeciſſet dies, in vſum nocturni luminis vrerentur*: hoc eſt (vt interpretatur vetus gloſſographus Iuuenalis) tæda, papyro, & cera ſuperueſtiti, palis gutture affixi ne ſe curuarent, cereorum loco ardentes ſpectatoribus lucerent. Meminit enim eiuſmodi ſupplicij Iuuenalis [b], dum ait:

a Tac. lib. 15. Dira in Chriſtianos perſecutio.

tæda lucebis in illa,
Qua ſtantes ardent qui fixo gutture fumant.

b Iuuen. Satyr. 1.

Sicut & Seneca [c] inter alia atrocia eius temporis tormentorum genera, recenſet *adactum per medium hominem, qui per os emergat, ſtipitem, & tunicam alimentis ignium illitam & intextam.*

c Senec. ep. 14.

II. Nero creditus incendiarius.

Ceterum idem Tacitus odio quo flagrabat in Chriſtianos, parum liberalis hiſtorici ſpecimen edens, licet ſua ipſius ſententia, & (vt aſſerit) totius populi opinione, ipſe Nero Imp. haberetur incendij auctor; nihilominus ſontes Chriſtianos appellat, & aliquos eorum crimen conſeſſos ceteros detuliſſe mendaciter aſſerit. Nam & Suetonius [d] affirmat, ipſummet Neronem auctorem fuiſſe incendij, quaſi offenſum deformitate veterum ædificiorum, & anguſtijs flexuriſque vicorum. Eadem ferme Dio [e], & alij, quorum nullus eſt qui audeat Chriſtianos vel leuiter in crimen adducere: & in eorumdem ſententiam idem ipſe Tacitus ſcribit, Neronem eo facto viſum eſſe condendæ Vrbis nouæ, & cognomento ſuo appellandæ gloriam quæſiuiſſe. Ipſum autem incendium ſex continuis diebus adeo Vrbem depaſtum eſſe ait, vt ex quatuordecim eius Regionibus, quatuor dumtaxat integræ remanſerint, tres ſolo tenus deiectæ; ſeptem reliquis pauca tectorum veſtigia ſuperfuerint lacera & ſemiuſta. Vetuſtiſſima quoque Vrbis delubra, atque ipſius etiam Veſtæ cum Penatibus Populi Romani exuſta fuiſſe, necnon opes tot victorijs quæſitas, & Græcarum artium decora, exin monimenta ingeniorum antiqua & incorrupta. Fuiſſeque qui annotarent, decimoquarto Calendas Sextiles principium incendij ortum, quo & olim Senones Galli captam Vrbem inflammauerant.

d Suet. in Nero. c. 38. e Dio in Nero. Ingens Vrbis ruina.

III.

Vt autem ad Chriſtianos redeamus, quod idem auctor ait eos per flagitia inuiſos vulgo fuiſſe; vel id accidit quod deos conſtantiſſime deteſtarentur, eaque ratione impij haberentur; vel quod nomine Chriſtiano complures vagarentur hæretici obſcœniſſima perpetrantes. Quæcumque enim eſſent turpia hæreticorum, vel conficta de Iudæis, ea nomina in Chriſtianos calumnioſe redundaſſe; qui pro ijſdem ſcripſerunt ad Imperatores Apologias, plenius declararunt. Porro hæc Neronis PERSECVTIO in Chriſtianos Romæ agentes, PRIMA dicenda eſt; licet (vt ait idem Tacitus) Chriſtiana religio, quam ipſe exitiabilem ſuperſtitionem appellat, iam antea repreſſa eſſet: verum cum nihilominus validius erumperet, nouis fuit aduerſus illam agendum edictis. Neroni quidem Tertullianus [f], & alij omnes tribuunt primam quæ Romæ contigerit. Et quod ad necatos in ea pertinet: illorum omnium in Martyrologio Romano annua memoria agitur octauo Calendas Iulij: ibique ijdem PRIMITIÆ MARTYRVM, quod paſſi eſſent Romæ primi, dicuntur.

Prima in Chriſtianos perſecutio. f Tert. Apol. c. 5. & Scorp. cap. 14.

IV. De ijs epiſtolarum Senecæ ad Paulum.

At nec illud dicere prætermitimus: extare Senecæ nomine epiſtolã ad Paulum de incendio Neroniano: ſed mea ſententia, ab alio quopiam confictam, quod aperta in ea aſſerantur mendacia de tempore incendij, & numero domorum & inſularum conſumptarum. Quamobrem & reliquæ illæ tum ad Paulum conſcriptæ, tum à Paulo ad eum redditæ, æque nobis ſuſpectæ redduntur: quamuis ſciamus non recens eſſe excogitatas, ſed & à S. Hieronymo [g] cognitas atque probatas. Meminit quoque earumdem S. Auguſtinus [h], quamuis ex eo quod alibi [i] aſſerit numquam Senecam de Chriſtianis meminiſſe, nullam prorſus fidem dictis Epiſtolis tribuiſſe videatur. Inde autem hæc de illis opinione fluxiſſe videtur, quod in Actis quæ extant Paſſionis Pauli, Lini nomine conſignatis, dicatur. Inſtitutorem Imperatoris fuiſſe Paulo intima amicitia copulatum, & frequentibus datis & acceptis epiſtolis, ipſius dulcedine & amicabili colloquio atque conſilio frui ſolitum. Sed qualia hæc ſint, ea quæ dicta ſunt lectorem poſſunt admonere.

g Hier. de Script. Eccl. in Senec. h Aug. ep. 14. i Id. 6. de ciuit. 11.

IESV CHRISTI AN. 67.

Neronis Imp. An. 11.

PETRI AN. 23.

I. a Plin. lib. 2. cap. 40. Perſecutio in Chriſt. propagata. b Seu. r. hiſt. lib. 2.

ANNO Chriſti ſexageſimo ſeptimo, Silio Nerua & Attico Veſtino Coſſ. vel (vt habet Plinius [a]) Appio Iunio & P. Silo, Perſecuti in Chriſtianos occaſione incendij ſemel excitata, palam propoſitis à Nerone edictis (vt ait Seuerus [b]) magis ac magis in eos ſæuit. Perdurauit autem vſq; ad Apoſtolorum cædem: quibus temporibus Dei Eccleſia Sanctorum coronis eſt mirifice illuſtrata & nouis propagationibus aucta. Quinam autem Romæ ſint paſſi, complurium nomina ſuppeditat Romanum Martyrologium, licet ex immenſo numero vix paucorum; quod

(vt ſuo loco dicemus) inuidia Diocletiani perierint Acta martyrum. Sed de eadem perſecutione pluribus inferius.

II. DETECTA CONIVRATIONE IN NERONEM MVLTI NECATI.

Eodem anno itidem Romæ detecta coniuratione in Neronem Imp. à compluribus Romanorum nobilium diu agitata atque compoſita: idem Nero cum ceteros quamplurimos, tum magnum illum inter Gentiles philoſophos Annæum Senecam, ſuum olim præceptorem, à proditore inter coniuratos nominatum occidi iuſſit: conceſſo tamen illi, vt quam vellet mortem ſibi deligeret: qui quidem apertis ſibi venis in brachio & pedibus, cum ita cruciaretur, cicutam etiam bibit, ac demum ſtagnum aquæ calidæ iniuit. Flauius etiam Tribunus mori iuſſus, Neroni in os dixit, ſe illũ cœpiſſe odio habere poſtquam parricida matris & vxoris: auriga, hiſtrio, & incendiarius extitiſſet. Necatus quoque Plautius Lateranus Conſul deſignatus: cuius nobilis illa erat baſilica in Cœlio monte, quæ poſtea vſui ceſſit Chriſtianorum, & aucta in Primariam conuerſa eſt Eccleſiam, eamdemque dictam Lateranenſem: de qua ſuo loco pluribus. Ipſam autem coniurationem, & neces commiſſas, deſcribunt Tacitus, Dio, & alij. Poſt quas ſubſecuta eſt etiam mors Poppææ, Auguſtæ; quam licet amatiſſimam, Nero iracundia percitus ictu calcis occidit.

ECCLESIA LATERANENSIS VNDE DICTA.

IESV CHRISTI AN. 68.

NERONIS IMP. AN. 12.

PETRI AN. 24.

I. a Metaph. 29 Iunij, & alij.

PETRVS ET PAVLVS ROMAM VENIVNT.

ANNO Chriſti ſexageſimo octauo, Suetonio Paulino & Pontio Teleſino Coſſ. Petrus [a] & Paulus Apoſtoli, diuino cõſilio vt afflictatæ à perſecutoribus Eccleſiæ Romanæ ſuccurrerent, è diuerſis Orbis partibus Romam ſe iterum contulerunt. Cum enim Neronis gladio in Romanos occaſione prædictæ coniurationis conuerſo, à ſanguine Chriſtianorum temperatum fuiſſe videretur: hac ipſi bene vſi oportunitate, collabentem (vt licuit) Eccleſiam inſtaurarunt. Quorum prædicationis nobile fragmentum recitat Lactantius [b], de prænunciata his diebus ab eiuſdem futura clade Hieroſolymitana, cuius bellum hoc ipſo anno occaſione quam dicemus, eſt inchoatum.

b Lact. lib. 4. cap. 21.

II. DE EPIST. II. PETRI.

Eodem item tempore, idem Petrus Apoſtolus ad Iudæos factos Chriſtianos SECVNDAM ſcripſit EPISTOLAM, cum ſcilicet breui (vt ſibi à Chriſto reuelatum eſſe tradit) conſummaturus eſſet martyrium. Quam quidem vt Petri legitimam antiquiores Theologi agnouerunt, & inter alios eruditiſſimus Hippolytus [c] martyr. Sed quod crederetur eſſe deprauata, licet publice legeretur, non fuiſſe in Canone ait Didymus [d] eam interpretatus: dubitatumque de ea tradit Euſebius [e]; ſed id factum eſſe ob diuerſitatem interpretum, S. Hieronymus [f] affirmat. Nam non tantum eo munere apud eum functus eſt (vt vidimus) Marcus, ſed & Glaucias [g] quidam, quem Baſilides falſò iactabat ſuum fuiſſe magiſtrum. Porro non ſolum quotquot ſacra Concilia contexuere Canonicorum librorum catalogum, vt Romanum ſub Damaſo, quod habet Collectio Creſconiana; Laodicenum Carthaginenſe Tertium, alterum Romanum ſub Gelaſio; ſed & qui idipſum ſuis ſcriptis præſtitere Orthodoxi Patres, vt Athanaſius, Gregorius Nazianzenus, Amphilochius, Auguſtinus, & qui eodem vixit tempore Ruffinus, quippe his auctoritate præſtat Innocentius Papa, necnon Caſſiodorus, Iſidorus, & alij recentiores; omnes æque eam eſſe germanam Petri profitentur: quorum auctoritate, Nouatorum quorundam eam impugnantium temeritas inferius arguetur.

c Hippol. lib. de Antichr.
d Didym. in ep. Petri ca. 3. in f.
e Euſ. 3. hiſt. 1.
f Hie. ep. 159. q. 11.
g Clem. Alexand. Strom. lib. 7.

III. DE EPISTOLA IVDÆ.

Ad hanc ipſam Petri Epiſtolam, ea quæ eſt IVDÆ Apoſtoli fratris Iacobi, relationem quamdam habere videtur, cum eodem ferme ſcripta ſit argumento, iiſdemque ſententijs atque interdum verbis intexta: vt plane appareat, hanc poſt illam Petri eſſe conſcriptam; eoque certo ſigno erroris argui, qui abſque vllo Veterum teſtimonio, propria animi ſententia, vel falſa coniectura dixerunt, Iudam & Simonem Apoſtolos ab hinc ante triennium fuiſſe martyrio in Perſide coronatos. Quo vero anno id contigerit, fateri malumus nos ignorare, quod à maioribus non ſit traditum, quàm temere quid certum in re dubia ſtatuere. Sicut & quæ de ipſorum martyrio, ceteriſque rebus geſtis, habentur in Paſſionibus Apoſtolorum apocryphis, incertæ ſunt fidei, quamquam non penitus vt falſa reijcienda. Porro Epiſtolam illam germanam eſſe Iudæ Apoſtoli, recenſita modo ſacra Concilia, necnon Patres qui Canonicorum Librorum numerum recenſuere, firmiter profitentur: citantque inſuper eam eruditiſſimus Hippolytus [h] Martyr, Tertullianus [i], alijque recentioris claſſis Scriptores Eccleſiaſtici; Nouatoribus quibuſdam exceptis, qui leuioribus eam impetunt obiectionibus, quaſi probro adſcribendum eſſet Apoſtolo, quod ex Enoch libro apocrypho citauerit auctoritatem; cum tamen & Gentiles poetas Paulus, & aram idololatriæ Athenis in ſummæ Theologiæ conuerterit teſtimonium. Sed nec liber Enoch apud maiores adeo vulgaris extitit auctoritatis; cum non defuerint qui dixerint [k] eſſe canonicum, & qui in illo eſſent errores, in Catholicum dogma ſint conati transferre. Verum de his alias.

h Hippol. de Antichr.
i Tertul. de hab. mul. c. 3.
k Tertul. de hab. mul. c. 3. & ibi Pamel not. 10.

IV. PETRVS ET IVDAS EXAGITARVNT NICOLAITAS.

Quod autem diximus tam Petrum, quam poſt eum Iudam, Epiſtolis ſuis in eodem verſatos eſſe argumento; fuit illud potiſſimum, vt inſectarentur quoſdam hæreticos, qui omnigenæ luxuriæ ſordibus inquinati eſſent. Sed quinam hi fuerint, etſi tam Simon, quam qui eius ſectam profiterentur, Menander, Baſilides, Carpocras, & alij horum gregales, impuriſſimi haberentur; eoſdem tamen nemo dubitat ſuperatos eſſe turpitudine à NICOLAITIS. Porro hos dictos eſſe à NICOLAO diacono, vno ex ſeptem primis, omnes æque conſentiunt: ſed qua occaſione id acciderit, diuerſæ repeciuntur ſententiæ. Alij namque exiſtimarunt, ab ipſo Nicolao praua eorum dogmata eſſe excogita; puta Irenæus [l], Tertullianus [m], Hilarius [n], Epiphanius [o], Hieronymus [p], & alij complures, aſſerentes ipſum, cum poſt ſuſceptum diaconatum ad imitationem eorum (inquit Epiphanius) quos Deo addictos videbat, ab vxore quam formoſam habebat ſe continuiſſet, & à concupiſcentia ſuperatus eam iterum ſuperinduxiſſet, eaque de re argueretur ab Apoſtolis; mox ſordidiſſimam hæreſin excogitaſſe, qua aſſereret neceſſarium eſſe ad ſalutem conſequendam quotidie inquinari luxurijs. Alij vero dixerunt, ſic Nicolaitas ab eo eſſe dictos, vt tamen ipſe culpa vacaret: ita nempe vt cum formoſam vxorem haberet, eique ab Apoſtolis eſſet exprobrata zelotypia, ipſe eadem in medium adducta permiſerit cui vellet nubere; hocque eius factum dictumque abſolute quidam ſecuti fuerint, quaſi docuiſſet carne vti oportere, effuſeque fornicari; cum tamen ipſe Nicolaus nulla vmquam alia, quã ea quæ ei nupſerat vxore vſus fuerit, & ex eius liberis filiæ conſenuerint virgines, filius etiam permanſerit incorruptus. Ita Clemens [q] Alexandrinus; quæ recitat, probatque Euſebius [r], necnon Theodoretus [s]; iiſdemque ſuffragatur antiquiſſimus omnium Ignatius [t], dum ſemel atque iterum ſcribit eiuſmodi hæreticos falſo nomine dictos eſſe Nicolaitas: quod etiam habetur apud Clementem [u] Romanum; idque nos verum putamus. Nam & eumdem Nicolaum Diaconum, vt virum fide Catholica probatiſſimum, factum ab Apoſtolis Epiſcopum Samaritanorum, Hippolytus, cuius fertur liber de Septuaginta duobus Diſcipulis teſtatur, eique conſentit Dorotheus in Synopſi.

NICOLAITÆ HÆRETICI VNDE SIC DICTI.

l Iren. lib. 1. ca. 27.
m Tert. de præſcript.
n Hil. in Matt. 25.
o Epiph. hær. 25.
p Hier. ep. 1. & 48.
q Clem. Alex. Strom. lib. 3.
r Euſeb. 3. hiſt. 23.
s Theod. hær. fab. lib. 3.
t Ignat. ep. ad Tral. & ep. ad Philadel.
u Clem. 6. Conſt. 8.

V. NICOLAITARVM HÆRESES.

Sed vt quænam eſſent praua dogmata Nicolaitarum cognoſcamus, Ignatius [x] ait ipſos negaſſe Chriſtum fuiſſe Deum, ſed in eo Deum habitaſſe. Meminitque pariter Irenæus [y] de Nicolaitis Chriſti diuinitatem negantibus: quos Ioannes Euangeliſta, æque atque Cherinthianos, ſcribendo Euangelium confutauit; & in eoſdem Iudas Apoſtolus ſententias iaculatur, dum eos damnat qui IESVM Chriſtum negarent. Subdit Ignatius, eos inſuper affirmaſſe illegitimos concubitus bonorum eſſe; finemque ac beatitudinem conſtituiſſe voluptatem, Irenæus quoq;

x Ignat. ep. 3.
y Iren. lib. 3. cap. 11.

præter licentiam in mœchando, nulla habita diſtinctione, idolothyta vt Gentes comedere conſueuiſſe. At portentoſa plane hos excogitaſſe commenta, vt aliquo ſaltem quæſito prætextu impudice poſſe licite agi docerent, Epiphanius [z] refert: additque, noua & hactenus inaudita ad incutiendum cum admiratione terrorem, adinueniſſe nomina numinum, nempe *Barbelo*, *Prunicum*, *Ialdaboth*, *Caulaucbauch*, atque *Mettam*; diuiſosque ab inuicem, ex ſingulis dictis nominibus ſectas ſingulas inſtituiſſe. Sicque eſt intelligendum quod Euſebius [a] ait, Nicolaitas ad modicum ſpatium temporis perduraſſe; nimirum quod pertæſi falſi nominis, non amplius ſe Nicolaitas, quod facile impoſturæ conuinci potuiſſent, ſed alio rurſum pulcherrimo quæſito nomine, à ſapientia GNOSTICOS nuncuparunt. Sed cum horum alij alia ſuperaddiderint hæreſum noua monſtra, nouis ſunt appellati nominibus [b], vt non tantũ Gnoſtici dicerentur [c], ſed & *Phibionitæ*, *Stratiotici*, *& Leuitici*; itemque alij *Borboritæ*, qui à cœnoſa turpitudine ſic dicti reperiuntur. Sed de Gnoſticis inferius pluribus. Aduerſus autem Nicolaitas, ſententia etiam Domini [d] condemnatos, ſcripſiſſe Irenęum, Hippolytum martyrem, Clementem Alexandrinum, & Origenem, Theodoretus [e] aſſirmat.

z Epiph. hær. 25. a Euſeb. 3. hiſt. 23. NICOL. GNOSTICI NOMINATI. b Epiph. hær. 26. c Aug. de hæreſ. cap. 5. d Apocal. 2. e Theod. hær. fab. lib. 3.

VI. NERO MAGIÆ STVDIOSVS.

Dum autem his temporibus (vt dictum eſt) Petrus Romæ ageret, ſimul chariſſimus Neroni Simon Magus ibidem morabatur, diuinos ex magia ſibi honores comparans. Incredibili namque magiæ ſtudio tentum conſtat Imperatorem, vt non modo eiuſmodi circulatores, ſponte artes ſuas offerentes auide exciperet, ſed extremis vſque Orbis partibus perquireret. Vnde merito Plinius [f] teſtatur ea ætate omnis magiæ generis Neronem fuiſſe principem, neminemque vnquam vlli artium validius fauiſſe; ac primum dijs imperare concupiuiſſe. Simon igitur cum ea occaſione ſeſe in Neronis amicitiam inſinuaſſet, ſeque Virtutem Dei magnam quæ Angelis dominaretur, & alia eiuſmodi quæ ſuperius vidimus, eſſe iactaret; vt de his aliquod experimentũ exhiberet, per aera volatum illi pollicitus eſt. Hiſque fidem adhibuiſſe Neronem, non tantum noſtrorum ſuppetunt teſtimonia, ſed etiam externorum. Siquidem Dio [g] cognomento Chryſoſtomus in oratione quam habuit de Pulchritudine teſtatur Neronem, quendam volare promittentem multo tempore apud ſe habuiſſe. Auctorque eſt Suetonius [h], editum fuiſſe in theatro ſpectaculum, quo Icarius exhiberetur volatus; ipſumque Icarum primo ſtatim conatu iuxta cubiculum Neronis decidiſſe, atque illum cruore reſperſiſſe. Sed & alios per magiam volare ſolitos, teſtatur Lucianus in Philopſeudo, de viro hyperboreo qui id auſus eſſet & præſtitiſſet; ac Iuuenalis de quodam Athenienſi.

f Plin. Tul. 30 cap. 2. SIMON MAGVS POLLICETVR VOLATVM. g Dio. Chryſ orat. 21. h Suet. in Ner. cap. 12. MAGICI VOLATVS.

VII. VOLATVS ET CASVS SIMONIS.

Ceterum Simonem de miraculis præſtandis cum Petro altercantem, aſſeruiſſe in cœlum ſe conſcenſurum, & inde ſuis omnia bona ſuppeditaturum; ſed cum ſublatus à dæmonibus volaret ſublimis, cuncto ſpectante populo, eumdem Petri Apoſtoli precibus in terram eſſe proſtratum, & cruribus iacuiſſe perfractis, ac poſtea miſere perijſſe; teſtatum inprimis habetur apud Clementem [i] Romanum: idque ipſum Arnobius [ii] ſub Diocletiano aduerſus Gentiles ſcribens aſſeruit; necnon qui poſtea vixere, Cyrillus [k] Hieroſolymorum Epiſcopus, Sulpitius [l] Seuerus, Theodoretus [m], Iſidorus [n] Peluſita, & copioſius Maximus [o]; eiuſdemque hiſtoriæ meminerunt Epiphanius [p], Euſebius [q], Philaſtrius [r], Auguſtinus [s], Proſper [t], & Anaſtaſius [u] Bibliothecarius. His eſſent addenda quæ ab Hegeſippo [x] Iuniori fuſius habentur enarrata: qui addit & de mortuo à Petro reſuſcitato, quæ recitantur etiam à Marcello presbytero in Actis [y] Nerei & Achillei: ac de eadem altercatione pro mortuo reſuſcitando inter Petrum atque Simonem habita, meminit quoque Leo Secundus in epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem, quæ recitata habetur in Sexta Synodo [z]. De lapſu vero Simonis, iungendi dictis auctoribus eſſe videntur Metaphraſtes [a], Nicephorus [b], Cedrenus [c], Glicas [d], & alij Græcorum recentiores; Latinorum vero Gregorius [e] Turonenſis, Iſidorus, & alij his poſteriores fere innumeri: adeo vt de re quę in confeſſo eſt apud omnes, nefas ſit amplius dubitare; cum licet in quibuſdam minimis ab inuicem diſcrepent, tamen in re geſta omnes æque conſentiant. Hic igitur finis extitit Simonis magorum omniũ ſceleſtiſſimi, qui (vt refert Anaſtaſius [f] Nicænus) ſpectantium oculos ſic præſtigijs perſtringere conſueuerat, vt in varias animalium aliarumque rerum formas conuerti videretur; ita vt cum aliquando à Cæſare tertius aufugiſſet, quæſitus ſuam formam alij impoſuerit: Statuas item faceret ambulare, in igne volutatus non vreretur, in aere volaret, & ex lapidibus panes faceret, aliaque eiuſmoni per imaginem oſtenderet.

i Clem. 6. Conſt. 9. ii Arnob. aduerſ. Gent. lib. 2. k Cyr. Hieroſ. catech. 6. l Seuer. hiſt. lib. 2. m Theod. 1. hær. fab. 1. n Iſid. Peluſ. 2. ep. 13. o Max. ſer. 5. in natal. Apo. p Epiph. hær. 21. q Euſeb. 2. hiſt. 14. r Philaſt. de hæreſ. cap. 1. s Au. de hær. 1 & cont. Falſ. Dom. cap. 23. t Proſp de promiſ. c. 13. u Anaſt. de R. Pont. in Petr. x Hegeſip. de excid. Hieroſ. lib. 3 cap. 2. y ap. Sur. 12. Mai. z Sext. Syn. Act. 18. a Metaphr. 29. Iunij. b Niceph. 2. hiſt. 36. c Cedr. in comp. d Glic. Annal. 2. e Greg. Tur. 1. Hiſtor. Franc. 25. f Anaſt. Nic. quæ. 23. SIMONIS PRÆSTIGIÆ.

VIII. PETRVS ET PAVLVS IN CARCEREM CONIECTI.

Porro Petrum & Paulum Romæ tunc (vt diximus) exiſtentes, occaſione lapſus Simonis à Nerone in carcerem fuiſſe detruſos multi ex citatis ſuperius auctoribus teſtantur. Hæc autem geſta eſſe circa initium menſis Octobris, ex eo facile colligi poteſt, quod Romanum [g] Martyrologium, alijque ſcriptores tradant, eoſdem Apoſtolos nouem in carcere menſibus vſque ad mortem fuiſſe detentos; ſatiſque exploratum ſit, conſummaſſe martyrium vigeſima nona Iunij. Quod vero tamdiu in carcere detenti fuerint, accidiſſe putamus occaſione profectionis Neronis in Achaiam ad Iſthmi foſſionem; (illuc enim hoc ipſo anno ſub Conſulatu Teleſini nauigaſſe Imperatorem, auctor eſt Philoſtratus [h]; quamuis ipſa foſſio reddita ſit irrita) ne, niſi redeunte ipſo Romam, ijdem Apoſtoli ſupplicio afficerentur. Carcerem autem illorum fuiſſe Mamertinum dictum, tum idem Martyrologium [i] fidem facit, tum Acta [k] SS. Martyrum Proceſſi & Martiniani: qui quidem ad radices Capitolij ſupra locum quem Forum dicunt poſitus; ſubterraneos habens deſcenſus, à Chriſtianis hactenus ſtatutis diebus religionis ergo frequenti cœtu inuiſitur, quod fuerit nobilitatus vinculis SS. Apoſtolorum, aliorumque plurimorum martyrum. In quo ijdem Proceſſus & Martinianus milites Apoſtolorum cuſtodes, à Petro ad fidem conuerſi, ab eodem ſacro baptiſmate (erumpente in medio carceris diuina virtute fonte) initiati ſunt. Eſtque admiratione res digna, eumdem illic fontem in hunc vſque diem perſeuerare, atque è perforato ſaxo altitudine cubitali tantummodo, & palmi vnius vel circiter latitudine, ſic aquam ſcaturire, vt nec foras exundet, nec quantumlibet hauriatur, vnquam ſiccetur. Alios quoque quadraginta ſeptem milites, in carcere poſiti Apoſtoli genuerunt per Euangelium; in quos ſimul omnes gladius Neronis ſæuijt, eorumque memoria, ſicut & duorum illorum, annua celebritate ab Eccleſia vniuerſali recolitur [l]. Quæ vero poſt hæc ſecuta ſint, dicetur anno ſequenti.

g Mart. Rom. 14. Mart. Sed. Vſuar. eod. die. h Philoſt. in vit. Apol. lib. 4. i Mart. R. 14. Mart. k ap. Sur. 2. Iulij. DE FONTE MIRABILI CARCERIS. l Mar. Rom. & alia 14. Mart. & 2. Iulij.

IX. CAVSA CARCERIS PAVLI.

Iam quod ad Paulum ſpectat; vt à Nerone conijceretur in carcerem, hanc etiam Chryſoſtomus [m] affert cauſam, quo Neronis pellicem ad Chriſtianam religionem, & ad caſtitatis obſeruationem conuertiſſet. At nihil obſtat vt alia cauſa Paulus, alia Petrus ab eodem Nerone conijcerentur in carcerem; nempe iſte propter conſternatum Simonem, ille ob pellicem cõuerſam: quamquam & ex S. Ambroſio [n] & alijs facile intelligitur, vtrique Apoſtolorum datum fuiſſe crimini, quod fœminas docerent caſtimoniam. Nam Tacitus, Suetonius, Dio, & ceteri, qui Neronis hiſtorias conſcripſere, teſtantur in nobiliſſimas quaſque fœminas eius libidinem abſque aliquo pudoris freno eſſe graſſatam. Habentur eadem de accuſationibus in Apoſtolos, in Actis Paſſionis eorum, quæ feruntur à Lino conſcripta; quæ quidem fuere aliquando fortaſſe ſincera, ſed quæ modo extant Manichæorum reperiuntur tincta fuligine, prout & de Actis Andreæ queritur Auguſtinus [o]: nam ſicut in illis Andream, ita in iſtis Petrum habes non tantum caſtitatem recte ſuadentem, & concubinas ab hominibus diuellentem, ſed etiam male docentem ne viris ſuis vxores debitum redderent. Denique in ijſdem Actis alia etiam affertur cauſa Pauli carceris, nimirum quod Proculum Neronis pincernam fide Chriſti imbuiſſet.

m Chryſ. aduerſ. vitup. vit. mon. li. 1. eademque Metaphr. 29. Iunij. n Amb. in Auxent. de baſil. non trad. o Aug. de fid. cont. Manich. cap. 38.

X. p Tac. lib. 16.

Cum autem Nero (vt Tacitus [p] ait) conaretur in Vr-

be Vir-

be Virtutem ipſam exſcindere; non tantum Pricipes Apoſtolorum neci tradendos carceri mancipauit, ſed etiam plerosque viros Conſulares, & inſignes Senatores, interque alios Baream Soranum, & Thraſeam Pætum, lumina tunc Reipublicæ Romanæ è medio ſuſtulit; ac promulgato inſuper edicto, Philoſophos omnes pepulit. Teſtatur hoc ipſum Philoſtratus [q], aſſerens eo tempore Neronem philoſophari non ſiuiſſe homines, quod (vt dicebat) philoſophia diuinandi ſcientiam adumbraret; atque adeo philoſophos aliquot accuſatos fuiſſe, quia diuinandi artem exercere dicerentur. Quod autem Nero nunc primum magos, cuiuſmodi arti proximos putauit eſſe philoſophos, adeo ſit deteſtatus, nulla alia cauſa illi oblata cognoſcitur, niſi quod cum à Simone ſe intelligeret eſſe deluſum, ceteros quoque quos antehac magno pretio redemiſſet, odio cœpit habere.

PHILOSOPHI VRBE PVLSI.
q Philoſt. in Apol. lib. 4.

XI. Sed nihilominus hoſtis humanæ naturæ diabolus, hoc ipſo anno nouum rurſus intulit magum in Vrbem ceteris omnibus peiorem, Apollonium Tyanæum, foris philoſophum Pythagoreum oſtentantem: qui cum Romam veniſſet, ſequenti die (vt teſtatur Philoſtratus) innotuit Teleſino Conſuli, cuius fotus eſt patrocinio. Addit inſuper, tunc puellam feretro impoſitam ab eodem Apollonio à mortuis excitatam; licet an vere mortua eſſet, ſe affirmare non audere dicat. Sed tam hæc vera eſſe puto, quam quod ait ſub hoc Conſulatu Teleſini Apollonium prædixiſſe de fulgure in Neronis menſam decidente; quod ante ſex annos accidiſſe Nerone quartum & Cornelio Coſſo Coſſ. auctor eſt Tacitus [r], qui ceteris exactius per annos ſingulos ex Conſularibus Faſtis res geſtas eſt proſecutus. Cum igitur in his leuioribus Philoſtratus mendacij arguatur, cuius fidei cetera ſint quæ adeo miranda de eodem impoſtore ab eo ſunt prodita, facile quis intelligere poterit.

APOLLONIVS TYANÆVS ROMAM VENIT.
r Tac. Annal. lib. 14.
MENDACIA PHILOSTRATI.

XII. Quantum autem humano generi ipſe obfuerit ea ſcribendo, vix quiſquam ſatis digne valeat vmquam exprimere: vt videatur plane inuentum fuiſſe diabo i; quippe qui æmulus Chriſti gloriæ, ſicut ſcripto Euangelio longe lateque per Orbem innoteſcebant Chriſti res geſtæ, ſuum ipſe ſtatuens Antichriſtum, pſeudoeuangelium quoque actorum ipſius per mendaciſſimum hominem ſcribendum curauerit; eo quidem fine, vt fidem ei præſtãtes homines, nihilo Chriſto minorem fuiſſe Apollonium exiſtimarent: vel ſicut iſtum ea perfeciſſe magia complures compertum haberent (inter quos & Dio [s] hiſtoricus eumdem vocat ſolertem præſtigiatorem & magum) eadem quoque arte Chriſtum vſum eſſe effutirent. Nam & commentario in Chriſtianos edito Hierocles Philoſophus vnus ex Areopagi iudicibus, nihil magis demonſtrare conatus eſt, quam Apollonium Chriſto fuiſſe æqualem: (cuius inſanias Euſebius contrarijs ſcriptis egregie confutauit) & eumdem Apollonium complures vt Deum coluerunt; ſicut de Epheſiis idem Hierocles [t] teſtatur, de Alexandro Imperatore Lampridius, & de multis alijs Anaſtaſius [u] Nicænus: qui etiam tradit, per ipſum dum viueret multa miranda dæmones præſtitiſſe, & poſt eius mortem ad ipſius monumentum quædam feciſſe ſigna in eius nomine. In quam etiam ſententiam ſcriptum habetur apud Iuſtinum [x], ſtatuam eius operatione dæmonum reſponſa aliquamdiu dediſſe, ſed ei tandem os Dominum obduraſſe. Ceterum ait Philoſtratus, eum hoc eodem anno Conſule Teleſino, ab Vrbe recedentem in Hiſpaniam eſſe profectum. Inſtar enim Chriſti diabolus ſuos eodem tempore in Orbem terrarum pſeudo Apoſtolos miſit, quorum Coryphæus Apollonius videretur: de ceteris vero, rurſumque de ipſo, ſuis locis dicetur inferius.

QVANTÆ EXISTIMATIONIS APOLLONIVS.
s Dio in Caracal.
t Refert. Lact. lib. 5. cap. 3.
u Anaſt. Nic q. 23.
APOLLONII PRÆSTIGIA.
x ap. Iuſt. q. 24.

XIII. Quod interim ſpectat ad res Iudaicas; hoc eodem anno; cum vndique Iudæi Hieroſolymam ad diem feſtum conueniſſent, magna prodigia de futura eorum clade apparuere. Cum videlicet ipſo die feſto Azymorum, qui octauus fuit menſis Aprilis, noctu circum aram & templũ tantum lumẽ effulſit, vt clariſſimus dies putaretur; & hoc vſque ad mediam permanſit horam. Eodemque feſto die, bos cum ad hoſtiam duceretur, agnum in medio templi peperit. Atque Orientalis porta ænea interioris templi, quæ vix à viginti viris claudi ſoleret, viſa eſt noctis hora ſexta ſponte pateſcere. Poſt dies autem feſtos vigeſimo primo menſis Maij, ante Solis occaſum viſi ſunt per cœlum ferrei currus, & armatæ acies concurrere. Ipſoque die Pentecoſtes, nocte ſacerdotes intimum templum ad diuinas res celebrandas ingreſſi, poſt ingentem quemdam ſtrepitum ſubitam vocem audiere; quæ diceret MIGREMVS HINC. Hæc quidem ante defectionem Iudæorum hoc anno contigiſſe, Ioſephus [y] narrat: quæ eadem Tacitus [z] paucis deſcribit. Cetera autem quæ idem Ioſephus recenſet prodigia, alio tempore facta noſcuntur.

PRODIGIA FVTVRÆ CLADIS IVDAICÆ.
y Ioſ. 2. de bel. 12.
z Tac. hiſt. lib. 5.

XIV. Sed & quoniam ex ſententia Auguſtini [a] & aliorum SS. Patrum cõſtat, à Domino prænunciatum eſſe Hieroſolymorum excidium, & quæ ante eſſent manifeſtanda prodigia: ea ipſa omnia his temporibus accidiſſe, haud erit difficile demonſtrare: quamuis quod non tantum ſigna conſummationis ciuitatis, ſed & ſecundi aduentus Domini ipſum Apoſtoli rogauerunt: eorum quæ ab Euangeliſtis [b] mixtim narrantur, alia ſigna Hieroſolymorum excidium, alia vero Domini præcedere debuerint aduentum. Cum ergo dicitur quod *conſurget gens aduerſus gentem, & regnum aduerſus regnum*: id appoſite referri poteſt ad bella ciuilia, quæ vno & dimidio anno quatuor occiſis Imperatoribus ſunt conflata: quæ quam immania & portentoſa fuerint, Tacitus alijque hiſtorici declarant. Quod vero ſubditur de *Tribulatione magna qualis non fuit ab initio mundi*: Auguſtinus [c] interpretatur de hac clade Iudæorum: quam quidem talem fuiſſe, vt numquam alia gens eiuſmodi ſit paſſa, Ioſephus [d] plane teſtatur. Sed & *Famem* ac *Peſtilentiam* prædictas à Domino, ſatis ipſo experimento eſſe declaratas, idem auctor [e] docet. Et quod attinet ad *Terræmotus per diuerſa loca futuros*: tradit Euſebius in Chronicis, temporibus Neronis tum Romam, tum Aſiam ingentibus terræmotibus fuiſſe vexatam: ipſumque Solem paſſum eſſe deliquium. Denique *Pſeudoprophetas* qui his temporibus ſurrecturi erant, apparuiſſe ante cladem Hieroſolymitanam, ſuo loco monſtrabimus. Si qua vero narrantur ab Euangeliſtis, quæ ante eius vrbis excidium haud eueniſſe noſcuntur, ea referenda eſſe ad ſecundum Domini aduentum nemo poterit dubitare.

a Aug. ep. 80. ad Heſych.
DE PRODIGIIS A DOMINO PRÆNVNCIATIS.
b Matth. 24. Marc. 13. Luc. 17.
c Aug. ep. 80.
d Ioſ. 7. de bel. 11.
e Id. 7. de bel. 17.

XV. Hoc igitur anno duodecimo imperij Neronis, & decimo ſeptimo Agrippæ Regis, menſe Maio, Iudæis deficientibus à Romanis cœptum eſſe bellum Iudaicum, Ioſephus [f] eſt auctor: qui & ſingulas cauſas quæ præceſſerunt, quibusve temporibus contigerunt, exacte conſcribit. In primis enim cum iam biennio intolerabilem plane Ceſtij Flori Procuratoris tyrannidem pertuliſſent, ac ſpe quam de Ceſtio Syriæ Præſide conceperant, (apud quem ſupplices egerant vt tam nefandis mederetur malis) cum eum Hieroſolymam venientem viderunt propenſiori eſſe erga Florum animo, penitus excidiſſent; ſed & noua, eademque deteriora ab eodem Floro, alijſque per vniuerſam Palæſtinam & vicinas prouincias Gentilibus paterentur mala, cædeſque miſerandas, atque bonorum expilationes: eo tandem ſunt deſperationis adacti, vt præcipuorum quorumdam factione obſtinatiſſimo animo aduerſus Romanos rebellauerint, capto eorundem præſidio quod vocabatur Maſſada, interfectiſque cunctis qui tam illic quam Hieroſolymis reperti ſunt Romanis. Narrat hæc omnia fuſe Ioſephus [g]. Interea vero Ceſtius Syriæ Præſes [h] exercitu valido comparato veniens in Palæſtinam, oppidis Iudæorum quantum licuit deuaſtatis, menſe Octobris Hieroſolymam obſedit; cumque eius potiri ſæpius illi offerretur commoditas, ab eo fuit prætermiſſa atque neglecta: ſic Deo diſponente, tum ne qui in ea adhuc eſſent Chriſtiani pari pœna cum impijs afficerentur, ſed egrediendi ex vrbe opportunitas concederetur; tum vt longe grauioribus obſeſſi intus Iudæi pœnis afflictarentur. Porro exercitum Ceſtius menſe Nouembri reuocans, eumdem in magnum diſcrimen

IVDÆI DEFICIVNT A ROMANIS.
f Ioſ. antiq. 9. & 2. de bel. 13.
g Id. 2. de bel. 13. &
h Id. 2. de bel. 22. &c.
CESTIVS OBSIDET HIEROSOLYMAM.

adduxit;

adduxit; adeo vt ab inſequentibus Iudæis cæſi fuerint Romanorum militum multa millia. Sed nihilominus quamplurimi Iudæorum (inquit Ioſephus) haud falſi futurorum malorum coniectores, Hieroſolymis elapſi in alias emigrarunt regiones.

XVI. CHRISTIANI RECEDVNT HIEROSOLYMIS.

Ex his autem fuiſſe Chriſtianos qui illic agebant, ab Angelo præmonitos vt migrarent ab vrbe funditus perdenda, ſcribit Epiphanius [i]; eoſdemque ait in exteriorem prouinciam receſſiſſe, & maiori ex parte Pellam Decapoleos ciuitatem vltra Iordanem incoluiſſe. Hic quippe annus, hoc plane tempus præſignatum à Domino apud Matthæum [k], cum de ventura Iudæorum clade verba faciens, ſuos monuit, vt *cum viderent abominationem deſolationis quæ dicta eſt à Daniele Propheta ſtantem in loco ſancto, tunc qui in Iudæa eſſent fugerent ad montes, &c.* Sed quid per ABOMINATIONEM DESOLATIONIS intellexerit, idem ipſe Dominus apud Lucam [l] videtur ſignificaſſe, dum eos monuit, cum viderent circumdari ab exercitu Hieruſalem, fugere ad montes, quia tunc appropinquaſſet deſolatio eius. Eſt hæc quidem interpretatio Sancti Auguſtini [m], & ante ipſum Origenis [n]. Quam adiuuat quod ſicut per Romanum exercitum videtur abominatio deſignata, ita per locum Sanctum poteſt tota intelligi Palæſtina: nam auctoritate Philonis [o] conſtat, ipſam prouinciam dictam eſſe *Terram Sanctam*.

i Epiph. hær. 29. & 30. & lib. de Menſur. k Matt. 24. l Luc. 21.

DE ABOMINATIONE DESOLATIONIS. m Aug. ep. 80 ad Heſich. n Orig. tr. 24. in Matt. o Philo de leg. ad Caium.

XVII.

Sed cur Romanus exercitus dictus eſt *Abominatio?* Putarunt nonnulli, quod quia in diuinis Scripturis ea voce ſæpiſſime idolum intelligitur, ita vocatū exercitum quod ex Gentilibus conſtaret hominibus qui idola colerent. Verum cum ſemper Iudæis vbicumque agerent eiuſmodi ob oculos poſita eſſet abominatio (ſiquidem in ipſa etiam in Hieroſolymorum ciuitate [p] diebus feſtis Romani milites pro foribus templi adſtare conſueuerant ad comprimendos ſubitaneos, qui occaſione ingruentis multitudinis & compreſſionis exoriri poſſent, tumultus) illa potior eius nominis videtur cauſa, quod in exercitu Romano militaria eſſent ſigna imaginibus effigiata. Quantum hæc enim Iudæi abominarentur, vel ex eo abunde declaratur, quod cum Vitellius [q] Syriæ Præſes ad bellum Arabicum properans, vellet per Iudæam exercitum ducere; occurrerint eius regionis principes deprecantes tranſitum, ne violarentur patrij ritus, quibus nullo modo permitterentur inferri vllæ imagines, quales Romana ſigna haberent pleraque: quorum precibus flexus Vitellius, mutauit ſententiam de itinere propoſito. Vnde etiam plane colligitur, Romanos milites qui agerent Hieroſolymis, nequaquam vti ſolitos ſignis militaribus imaginibus exornatis. Et ad id ſpectare videtur quod ait Suetonius in Tiberio, ſolas Syriacas legiones nullam Seiani imaginem inter ſigna coluiſſe. At vero cum Romani iam hoſtes effecti ad Hieroſolymorum obſidionem mœnibus inhæſiſſent, haud eſt dubium eoſdem conſueta ſigna imaginibus effigiata vexiſſe, ac pariter oſtentaſſe, quam ob rem illud iam tempus aduenìſſe videretur à Domino præmonſtratum, vt cum viderent abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto, ſibi fuga conſulerent: quæ non tantum abominatio, ſed abominatio deſolationis idcirco dicta ſit, quia idem exercitus iterum rediturus, funditus eſſet deſolaturus Hieroſolymorum ciuitatem, & circumpoſitam prouinciam deuaſtaturus.

p Ioſ. 20. antiq. 7.

IVDÆI QVANTVM ABOMINARENTVR IMAGINES. q Ioſ. 18. antiq. 7.

XVIII. QVÆNAM VERE FVERIT ILLA ABOMINATIO DESOLATIONIS.

Verum licet huiuſmodi interpretatio multis videatur ſtabilita rationibus; nos tamen re attentius conſiderata, potius exiſtimamus, ſicut in ceteris ſæpe accidit, ita in hoc eodem narrationis contextu contigiſſe, vt quod à Domino dictum eſſet, ſed ab alio Euangeliſtarum prætermiſſum, alius ſuperaddiderit: ſicque Dominum non tantum dediſſe in ſignum futuræ cladis, abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto, à Matthæo conſcriptam; ſed etiam addidiſſe Hieroſolymorum obſidionem, à Luca relatam. Hoc autem vt magis opinemur, illud potiſſimum perſuadet, quod non qualemcumque abominationem fore conſpiciendam Dominus monuerit, ſed quæ ſcripta eſſet à Daniele Propheta. Ex eo enim quid per locum ſanctum intellexerit, ſatis expreſſe declaratum eſſe videtur; dicente Daniele [r], futuram in templo abominationem deſolationis. Quamobrem cum ea ſigna eodem tempore futura Dominus dixerit, nimirum abominationem in templo, & ciuitatis obſidionem; dicere pariter compellimur, abominationem illam deſolationis tunc in templo inſpiciendam, fuiſſe profanationem templi hoc ipſo anno (vt teſtatur Ioſephus [s]) ab ipſis Iudæis ſeditioſis factam, cum illud more caſtrorum muniſſent, vt inde aduerſus ſuos contribules Iudæos pro Romanis ſtantes ferocius dimicarent. Non enim exteriorem tantum templi partem ab eis occupatam fuiſſe, ſed & obſidente Ceſtio ciuitatem, ſe interiorem recepiſſe, idem auctor [t] ſcribit. Ceterum execranda quæq; ac deteſtanda peccata (cuiuſmodi fuit illa occupatio templi à viris ſanguinarijs aduerſus conciues facta) Abominationem dici conſueuiſſe, innumeris patet diuinæ Scripturæ exemplis. At quod non tantum abominatio dicta ſit, ſed deſolationis; id factum eſſe putamus, quod ea abominatio in ſignum data eſſet futuræ deſolationis; neque id tantum à Gabriele Danieli, & à Domino Diſcipulis ſuis; ſed & veteri quodam ſermone, quo (vt ſcribit Ioſephus [u]) ferebatur tunc demum ciuitatem capiendam, ſanctaque flammis exurenda eſſe lege belli, cum ſeditio fuiſſet exorta, templumque Dei propriæ Iudæorum manus violaſſent.

r Dan. 9.

DE PROFANATIONE TEMPLI.

s Ioſ. 2. de bell. 17. t Id. 2. de bell. 24. u Id. 5. de bell. 2.

XIX. QVANDO CONTIGERIT FVGA CHRISTIANORVM.

Quibus omnibus inſpectis, memores illa à Domino fuiſſe in ſignum data, Chriſtiani (vt diximus) poſtquam Ceſtius obſidionem ſoluit, Hieroſolymis receſſerunt antequam iterum ciuitas obſideretur. Nam quod alij [x] hæc de abominatione deſolationis, & receſſu Chriſtianorum à ciuitate, referenda putant ad ſecundam à Tito factam obſidionem; minus eſt veriſimile, cum iam deuaſtata penitus Iudæa, ipſaque Hieroſolyma arctiſſima vallata obſidione, haud amplius locus eſſet fugæ. Hoc autem anno, quo Chriſtiani alio ſe receperunt, Eccleſiæ quoque illius ſupellectilia in tuto eſſe collocata, plane declarant quæ ſcribit Euſebius [y] de Iacobi Cathedra ad ſuam vſque ætatem integra ſeruata; quæ quidem ſi Hieroſolymis remanſiſſet, abſque dubio cum ceteris conflagraſſet.

x Perer. in Dan. lib. 10. prope fin. y Euſeb. 7. hiſt. 14.

IESV CHRISTI AN. 69.

NERONIS IMP. AN. 13.

PETRI AN. 25.

I.

ANNO Chriſti ſexageſimo nono, L. Fonteio Capitone & C. Iulio Rufo Coſſ. cum iam Nero ex Achaia Romam rediſſet ea pompa triumphali quam Suetonius [a] deſcribit, Petrus & Paulus Apoſtolorum Principes diu Romæ detenti, glorioſiſſimum ſubiere martyrium. Qui enim illud in annum decimum quartum Neronis referunt [b], errare certum eſt: quippe cum Neronis Imperium cœperit mēſe Octobri Coſſ. Marcello & Auiola, nullū eſt dubium hunc eſſe eius annum decimumtertium, qui terminetur eodem menſe Octobri, quo & decimusquartus inchoatur. Sed cum æque perſpicuum ſit, ipſum anno ſequenti quarto Idus Iunij occiſum eſſe, nec peruenìſſe ad tertium Calendas Iulij quo die Apoſtoli necati ſunt; impoſſibile plane redditur, vt ijdē dici poſſint anno ſequēti decimoquarto Neronis paſſi eſſe. Qua etiam ratione corrigenda eſt pariter lectio Chronici Caſſiodori, vbi id poſt biennium ab hoc Conſulatu accidiſſe ponitur; cum longe antea Nero eſſe in humanis deſijſſet, ſub quo Apoſtolos adeptos eſſe martyrium, omnium ſententia exploratum habetur. Sed nec item recipitur Epiphani [c] ſententia, affirmatis id contigiſſe anno duodecimo Neronis. Quæ autem poſita eſt à nobis de hoc anno decimotertio eiuſdem Imperatoris, grauiſſimos habuit aſſertores, Caium antiquum Theologum, Zephyrinum Papam, & Dionyſium Corinthiorum Epiſcopum: quos citans Metaphraſtes [d], ijſdem adſtipulatur, dum anno trigeſimoſexto poſt Paſſionem Domini (numerando ab anno Natiuitatis trigeſimotertio) eos necatos affirmat, qui eſt hic ipſe Domini ſexageſimusnonus.

a Suet. in Nerone c. 25. b Euſeb. in Chron. & illum ſecuti Hieron. de Script. Eccl. in Pet. & Paul. atque alij.

DE TEMPORE MARTYRII PETRI ET PAVLI.

c Epiph. hær. 27. d Metaphr. 29 Iunij.

II. QVO DIE PASSI APOSTOLI.

Quod vero ad diem attinet; cum omnium ſit concors ſententia, vna eademque die, nempe tertio Calendas Iulij marty-

martyrium conſummaſſe; tamen id non vno eodemque anno, ſed anni vertentis occurſu contigiſſe, videtur fuiſſe opinio Prudentij [e], Ar.toris [f], & Auguſtini [g]. Sed verior atque probatior illorum cenſetur aſſertio, qui vnum eumdemque annum & diem amborum martyrio adſcribunt: cuius ſententiæ fuerunt nuper recenſiti antiquiores Patres, Caius, Zephyrinus, & Dionyſius; ac poſt eos Euſebius [h], Epiphanius [i], Hieronymus [k], Maximus [l], Caſſiodorus [m], & alij recentiores fere innumeri: idque ipſum tam Romanæ Eccleſiæ Martyrologium, quam Græcorum Menologium confirmant: necnon Acta (quæ iacumque ea ſint) quæ de paſſione eorumdem Apoſtolorum Lini nomine habentur ſcripta. Porro eiuſmodi opinionem de diuerſo martyrij tempore, à quibuſdam hæreticis fuiſſe vulgatam, Concilium Romanum ſub Damaſo quod continet Creſconia Collectio poſt Canonem de libris Apocryphis teſtatur: quod & repetitum habetur à Gelaſio in decreto Concilij ſeptuaginta Epiſcoporum.

e Prud. Periſteph. hymn. 12.
f Arat. in Act. Ap. lib. 2. in fin.
g Aug. ſer. 28. de Sanct.
h Euſeb. in Chron.
i Epiph. hær. 27.
k Hier. de Script. Eccl.
l Max. ſer. de S. Petr.
m Caſſ. in Chron.

III. FVGA PETRI E CARCERE.

Quænam autem martyrium præceſſerint, dum ex probatis auctoribus pauca potius, quam ex incertis multa narranda proponimus; in primis occurrit, quod cum expectaretur executio feralis ſententiæ, indigniſſime ferentes Chriſtiani ſic à ſe paſtorem omnium abripi Petrum, vt fuga ſibi conſuleret inſtantiſſimis precibus compulerunt. Aderat enim præſens auxilium carceris cuſtodum Proceſſi & Martiniani, quos (vt vidimus) idem Petrus ſacro baptiſmate initiauerat. Quamuis igitur (inquit hanc hiſtoriam recens Ambroſius [n]) Petrus eſſet cupidus paſſionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus eſt. rogabatur enim vt ad inſtituendum & confirmandum populum ſe reſeruaret. Itaque nocte muro egredi cœpit: ſed cum videns ſibi in porta Chriſtum occurrere, Vrbemque ingredi, interrogaſſet, *Domine, quo venis?* reſpondiſſet vero Chriſtus, *Venio iterum crucifigi*; intelligens Petrus ad ſuam crucem diuinum pertinere reſponſum, ſponte remeauit. Hæc Ambroſius; quæ etiam habentur in nuper citatis actis Lini nomine conſcriptis (quæ, vt alibi dictum eſt, germana olim extitiſſe noſcuntur, ſed poſtea ab hæreticis deprauata) necnon in Actis [o] SS. Martyrum Proceſſi & Martiniani; itemq; apud Hegeſippum [p] Iuniorem, & alios: illa tantummodo diſcrepantia, quod alij dixerunt ea contigiſſe ſtatim poſt lapſum Simonis, alij autem (quod & verius exiſtimatur) poſtquam carceri mancipatus iam ad ſupplicium peteretur. Citat quoque eamdem de Petro hiſtoriam S. Gregorius [q]. Sed & Paulum vna cum eo fugam arripuiſſe, citata eadem Acta Proceſſi & Martiniani tradunt.

n Ambr. in Auxent. de Baſil. tra.
DOMINVS APPARVIT PETRO.
o ex Sur. 2. Iul.
p Hegeſ. l. 3. de excid. Hieroſ. 2.
q Greg. in Pſal. 4. pænit.

IV. APOSTOLI VIRGIS CÆSI.

Porro antequam mortis ſupplicio ijdem afficerentur, ambo virgis cæſi fuiſſe feruntur. Sane quidem de Petro, quod vilis haberetur perſona, nulla poteſt eſſe dubitatio, cum more Romano qui vltimo ſupplicio damnati eſſent, antea virgis cæderentur. De Paulo vero, quod ciuis eſſet Romanus & ideo (vt vidimus ſuperius) haberetur immunis, addubitari poſſet. Sed quod conſtet tam ex lege duodecim tabularum, quam etiam lege ſacra, cum aliquod à ciuibus immane fuiſſet perpetratum delictum, tunc, eoſdem centuriatis comitijs condemnatos, affici primum verberibus, deinde capite truncari ſolitos: haud dubitandum videtur, Paulum qui grauiſſimi omnium ſceleris, nempe impietatis accuſaretur, virgis cæſum ante mortem fuiſſe; cum præſertim adhuc Romæ in Eccleſia S. Mariæ Transpontē extent, & in honore habeātur columnæ illæ, quibus ambo Apoſtoli alligati, & virgis cæſi feruntur. Denique Paulum, quod ciuis Romanus eſſet, placuit ſubijci gladio; Petrum vero, quod vilis eſſet perſona crucifigi.

V. LOCVS MARTYRII PAVLI.

Sed vt prius de Paulo dicamus; locus eius ſupplicio deſtinatus, dictus *ad Aquas Saluias*, alio nomine *Gutta iugiter manans*, extra portā Oſtienſem erat, tertio ab Vrbe lapide, vbi Chriſtianorum carnificina eſt aliquando habita: nam & illic Zenonem cum decem millibus militum fidei cauſa fuiſſe obtruncatos, tum Romanū [r] Martyrologium, tum loci vetera monumenta teſtantur. Cum autem eo Paulus duceretur, tres [s] milites ex his qui ex apparitura erant, ad Chriſtum cōuertit, quos Neronis gladius martyres fecit. Vbi vero ad locum deſtinatum perductus, ictu carnificis capite truncaretur, duplex editum eſt miraculum; primū, vt non tam ſanguinis fluenta è ſectis venis, quam lactis largiter fluxerint; alterū, vt è trino ſaltu capitis exciſi, tres ibidem eruperint fonticuli dulcis aquę: prout horum miraculorum aſſertores ſunt, prioris quidem, præter Acta Lini nomine vulgata Ambroſius [t], & Chryſoſtomus [u], aliique recentiores; poſterioris autem, fidelis ac conſtans maiorum traditio, ipſiuſq; inſpectio loci plane celeberrimi, *Trium fontium* dicti, qui frequenti Chriſtianorum viſitatur concurſu. Tres enim ibi ſcatent fonticuli dulcis aquæ, quorū primus dulcior lactis ſaporem aliqua ex parte redat, ceteri quamuis haud longe à primo diſtent, paulo diuerſum guſtui ſaporem afferant: Cuius differentiæ ea ſolet ratio afferri, quod ipſo primo fluxu lac venæ dederint, ac inde ſanguinem. Ceterum corpus Apoſtoli à Lucina clariſſima fœmina Senatoria ſublatum, in ſuo prædio via Oſtienſi honeſtiſſimo tumulo locatum fuit. At de martyrio hactenus. De ætate vero dictum eſt ſuperius alia occaſione.

r Mart. Rom. 9. Iul.
s Ibi. 2. Iul.
LAC CVM SANGVINE EX COLLO PAVLI.
t Amb. ſer. 68.
u Chryſ. ſer. in Princ. Apoſt. tom. 5.
TRES FONTES ORTI EX TRINO SALTV CAPITIS PAVLI.

VI. DE EFFIGIE PAVLI.

Sed quod pertinet ad effigiem & ſtaturam; in primis dum Triephon Critiam catechumenum inſtituens apud Lucianum [x], ſic loquitur, *Quando me Galilæus ille conuenit recaluaſter, naſo aquilo, qui tertium vſque ad cælum per aerem ingreſſus eſt, &c.* non alium his notis quam ipſum Paulum deſcripſiſſe, omnes credo facile intelligere. Porro ſtatura breuiorem fuiſſe, ex ipſiuſmet verbis Interpretes omnes colligunt, dū quę de ſe aliqui dicerent ad Corinthios [y] referens, ait ſe *præſentia corporis eſſe infirma*. Vnde & Chryſoſtomus [z] eum *Tricubitalem* appellat. Hiſq; demum conſentiunt quæ Nicephorus [a] tradit, nempe fuiſſe Paulum corpore paruo & contracto, atq; incuruo, & paululum inflexo; facie candida, annoſque plures præ ſe ferente a capite modico; oculis multa gratia refertis, ſupercilijs deorſum vergentibus; naſo pulchre inflexo, eodemq; longiori; barba denſiori, & ſatis promiſſa. Quæ quidem haud aliunde putamus, quam ab antiquioribus imaginibus eſſe accepta. A Chriſtianis enim, Petri & Pauli Imagines olim fuiſſe viuētibus illis effigiatas coloribus, eaſdemq; ad poſteros per manus traditas, Euſebius [b] teſtatur, qui & ſe illas vidiſſe aſſerit. Affirmatque Auguſtinus [c] effigiari conſueuiſſe Chriſti Imaginem, hinc inde Petrum & Paulum pictos habentem. At de Paulo ſatis: ad Petrum iam redeamus.

x Lucian. in Philop.
y 2. Cor. 10.
z Chryſ. hom. de Princ. Apoſt.
a Niceph. lib. 2. c. 37.
IMAGINES APOST. OLIM EFFIGIATÆ.
b Euſ. 7. hiſt. 14.
c Aug. 1. de conſ. Euang. 10.

VII. DE LOCO MARTYRII S. PETRI.

Quod inprimis ad locum martyrij pertinet; cum nulla ſit dubitatio, eum vt Iudæum, Transtiberim vbi Iudæos egiſſe ſuperius vidimus, ad ſupplicium crucis ſubeundum fuiſſe tranſmiſſum; de loco tamen eius regionis dubitatum eſt, dum alij in Vaticano monte, alij in Ianiculo id accidiſſe volunt. At vero cum veterum Scriptorum auctoritate conſtet; horum montium appellationes ob vicinitatem promiſcuas fuiſſe; nequaquam à veritate aberraſſe dicemus, qui ſcripſerunt paſſum eſſe Petrum in Vaticano; nec tolli quo minus æque verum ſit, ipſum in ea ſummitate Ianiculi vbi eius rei hactenus extat inſignis memoria, fuiſſe cruci affixum: quæ & pariter Vaticanus [d] diceretur, poſtea vero (puto honoris cauſa ob nobilem Petri triumphum) *Mons aureus* dici meruit. Imam autem illam Vaticani partem, vbi nunc cernitur poſita nobiliſſima Baſilica Vaticana, locum ſepulturæ potius quam martyrij fuiſſe putamus: ſiquidem Hieronymus [e] ait, ſepultum fuiſſe in Vaticano iuxta Viam Triumphalem; quod & Prudentius [f], alijq; teſtantur. Sed quod ſpectat ad ſupplicium Crucis; omnium SS. Patrum [g] ſententia ac præconio liquet, Petrum capite deorſum verſo & in ſublime pedibus eleuatis, cruci confixum eſſe, idq; factum ex animi ſui ſententia, cum aſſereret ſe indignū (vt verbis Hieronymi vtar) qui ſic crucifigeretur vt Dominus ſuus; ſiue (vt ait Theodoretus) quod vereretur ne eadem cū Chriſto paſſio, eundem ſibi ab inſipientibus honorem cōciliaret. Sed de eo myſterio diſſeritur etiam fuſius in Actis paſſionis eius, nomine Lini conſcriptis. Vbi etiam traditur, ipſius corpus à Marcello presbytero curatum fuiſſe, aromatibuſque conditum, atque honorificentiſſime ſepultum.

d Hier. lib. 1. carm. od. 10. & ibi Porphyr. & Macrob.
e Hier. de Script. Eccl. in Pet.
f Prud. adverſ. Sym. lib. 1.
g Orig. in Gen. ap. Euſeb. 3. hiſt. 1. Hier. de Scr. Eccl. in Pet. Chryſ. hom. de Princ. Apo. Aug. ſer. 28. de Sanct. Theod. orat. de charit. Prud. periſt. hym. 12. Max. ſer. 1. in natal. Apoſt. & alij.
MYSTERIVM CRVCIFIXIONIS PETRI.

VIII. PETRI EFFIGIES. h Niceph. lib. 2. c. 17.

Petri autem Imaginem ex antiquioribus (vt de Paulo diximus) imaginibus deſcriptam ſic reddit Nicephorus [h], vt aſſerat eum haud craſſa ſtatura fuiſſe, ſed quæ aliquanto eſſet erectior; facie ſubpallida, & alba admodum; capillis capitis & barbæ criſpis & denſis, ſed non admodum prominentibus; oculis quaſi ſanguine reſperſis, nigris; ſupercilijs prope cuſſis; naſo longiori, non tamen in acumen deſinente, ſed preſſo ſimoque magis. Hæc ille. Verum ea de oculis ſanguineis ſic accipe, quod aſſiduo ploraſſe feratur. Tenuit autem Romanæ Sedis Pontificatum annis viginti quatuor, menſibus quinque, & diebus vndecim. Quod ſiqui aliter numeraſſe reperiantur, ex ijs quæ de Sedis eius inſtitutione, ac mortis tempore, ſuperius ſunt firmiter ſtabilita, perfacile erroris conuincuntur.

IX. CLARISSIMA APOSTOLORVM MEMORIA. i Caius ap. Euſeb. 2. hiſt. 24. k Mart. Ro. 19. Ianuar. Sur. 14. Feb. l Mart. Rom. 22. Nouemb. ORIENTALES CONATI SVRRIPERE CORPORA APOSTOLORVM. m Greg. 3. ep. 30. ad Conſt. Aug. n Aug. ep. 42. ad Madaur. & ſer. 28. de Sanct. o Chryſ. ho. 26. in 2. Cor. & ho. quod Chriſtus ſit Deus, & alibi. p Gal. ep. ad Fulcb. Aug. in præamb. Conc. Chalced. q Chryſ. ho. 32. ad Rom. r Venan. lib. 3. carm.

Sic igitur glorioſiſſimum martyrium tam Petro quam Paulo conſecutis, loca ipſa vbi eorum ſacra corpora ſepulta fuerunt, etiam inter perſecutores (quod mirandum eſt) abſque iactura vel contumelia aliqua clariſſima remanſerunt; eademque velut nobiliſſima (vt vocat Caius [i] antiquiſſimus Theologus) trophæa victoriæ, ab antiquis illis Chriſtianis ſummo honore ſunt habita. Nam conſueuiſſe perſecutionis etiam tempore, ex remotioribus Orbis partibus Romam venire vt ea inuiſerent, ac venerarentur, hiſtoriæ complurium ſanctorum Martyrum declarant; ſicut ex Perſide veniſſe conſtat [k] Martham, Marium, & Audifacem, temporibus Claudij Iunioris, & ex Africa Maurum ſub Numeriano Imperatore, & alios [l] aliunde. Quinimmo tentaſſe hoc ipſo anno Orientales Chriſtianos ſurripere eadem ſacra pignora, & in Orientem vti ſuos gentiles transferre, ſed cum ad Catacumbas, locum ad ſecundum Vrbis milliarium perduxiſſent, tonitruis atque fulguribus perterritos à cœpto deſtitiſſe; Fideles autem Romanos eadem inde ad ſua loca retuliſſe: S. Gregorius [m] Papa teſtatur. Reddita autem Eccleſiæ pace, ipſos etiam Imperatores Chriſtianos eadem inuiſere ac venerari ſtudioſius quæſiuiſſe ſuppetunt teſtimonia atque præconia Auguſtini [n], Chryſoſtomi [o], ipſiuſque Gallæ [p] Placidiæ Auguſtæ, & aliorum quamplurimorum, de quibus agetur ſuis locis. Sicut etiam eorum ſepulchris Vrbem eſſe munitam idem Chryſoſtomus [q] tradit, cecinitque nobilis poeta Venantius [r] Fortunatus, ac docent plurima exempla ſuis locis inferius recitanda.

X. PRODIGIA IMMENSA SVB NERONE. s Dio in Neron. t Plin. lib. 2. c. 83. & 103. & lib. 17. cap. 25. u Tert. de præſcr. & in Scorp. x Chryſ. ho. 32. ad Rom. y Theod. ep. ad Leon. Pap. z Leo ſer. 11. de natal. Apoſt.

Sed & quo potiſſimum tempore ſub omnium ſceleſtiſſimo Imperatore ipſum Romanum Imperium in maiori videretur poſitum eſſe diſcrimine, eidem collabenti duabus hiſce viuis columnis opportune ſuccurritur. Iam enim ſæculum ipſum aduenerat, quando antiquo oraculo Tiberij temporibus peruulgato (quod recitat Dio [s]) finem Romani Imperij imminere dicebatur. Viſaque ſunt hoc poſtremo Neronis tempore (vt teſtatur Plinius [t]) numquam antea audita portenta; nempe in agro Marrucino oliuetum vniuerſum Vettij Marcelli Equitis Romani, viam publicam tranſgreſſum in contrarias ſedes profectum eſſe amneſque alibi retro fluere. Quæ cum rerum in meliorem ſtatum mutationem portendiſſe viſa ſint illis; nec poſſint tamen intelligi de ſucceſſoribus Neronis, qui miſere Imperium deuaſtarunt: verior viſa eſt interpretatio, vt per ea ſigna religionis in melius mutatio monſtraretur. Quam vero egregie Romana Eccleſia perfuſa Apoſtolorum ſanguine, fuerit illuſtrata, Tertullianus [u], Chryſoſtomus [x], Theodoretus, & alij explicant. Eorumdemque exemplo incenſa eſſe corda credentium, & magno fœnore numerum martyrum eſſe Romæ auctum, egregie S. Leo [z] declarat.

XI. DE VINCVLIS PETRI. a Act. Alex. Pap. ep. Sur. 3. Maij. SVDARIVM PAVLI. b Greg. 3. ep. 3.

Nec vero tantum *Sepulchra* Apoſtolorum magno ſunt honore habita, ſed & ipſa Paſſionis inſtrumenta. Siquidem *Vincula* quibus Petrus in carcere alligatus eſt, perquiſita atque inuenta Balbina [a] virgo filia Quirini Tribuni ſummopere eſt venerata; quæ ad poſteros per manus tranſmiſſa, ſæpe miraculis coruſcaſſe videbitur inferius. *Sudarium* quoque, ſeu *Velum*, quo Paulus gladio feriendus oculos ex more obduxit, à Plautilla nobiliſſima matrona ad hoc opus ab ipſo petitum, & poſt mortem eidem reſtitutum; longe poſtea Conſtantia Auguſta magna inſtantia à Sancto Gregorio [b] ad ſe mitti poſtulauit, nec tamen impetrare valuit.

XII. VXOR PETRI MARTYR. DE PETRONILLA PETRI FILIA. c Cle. Alex. Strom. lib. 7. d In Act. Greg. PP. III. e Martyrol. Rom. aliiſque 31. Maij.

Sed quod de Petri actum eſt martyrio, haud prætereunda eius *Vxor*, quæ & ipſa eamdem palmam adepta eſt, licet de tempore non ſatis conſtet. Ex ijs autem quæ de eius martyrio Clemens [c] Alexandrinus recitat, compertum habetur ante Petrum eam illud obijſſe certamen. Porro qui coniugem habuit Petrus, filiam quoque ex ea genuiſſe traditur, antequam vocatus eſſet à Domino. Quæ cum PETRONILLA ſit dicta, in baptiſmate potius, more maiorum, cum renata, quam cum nata eſt, oportuit contigiſſe: Nam eo tempore Simon, & non Petrus; parens eius ex quo ipſa nomen accepiſſe videtur, appellabatur. Cum alioqui & multæ ſint probabiles coniecturæ, quæ perſuadere poſſint illam haud vere Petri filiam fuiſſe, ſed ſic dictam quemadmodum ab eodem Apoſtolo nominatus eſt Marcus filius ſuus. Ceterum habentur plura de illa in epiſtola Marcelli preſbyteri; ſed quæ in nonnullis fide nutent. Illud certe firmum redditur maiorum traditione, alijſque monumentis, eandem vſque ad obitum permanſiſſe virginem: cuius nomine conſtructum eſt vetus ac nobile Cœmeterium [d], eiuſque natalis anniuerſaria commemoratione celebratur [e].

XIII. DE ANDREÆ MARTYRIO. f Aug. de pd. cont. Manich. c. 38. g Breu. Rom. 30. Nouemb.

Nec item prætermittendum hic (quando ſeſe offert occaſio) de ANDREÆ Apoſtoli germani Petri martyrio mentionem agere. Quod quidem ex Paſſionibus Apoſtolorum (quas, qualeſcunque illæ ſint, ante Gelaſij Papæ tempora lactitari conſueuiſſe certum eſt) liquet accidiſſe poſt Petri necem; licet quoto Domini anno, vel ſub quo Imperatore, inexploratum penitus relinquatur. Nam quod ex recentioribus aliquis, pro animi arbitrio de ea re dixit abſque vlla teſtificatione maiorum; fides incerta ſequatur auctorem. De reliquis autem Andreæ rebus geſtis; quoniam paſſionis eius Acta à Manichæis corrupta fuerunt, remanſit eorum (vt Auguſtinus [f] declarat exemplo) in Eccleſia dubia fides. Porro glorioſiſſimum conſummaſſe per Crucem martyrium apud Patras Achaiæ ſub Ægea Proconſule, certum redditur ex Epiſtola Cleri Achaiæ publica Eccleſiæ [g] lectione omnibus nota, quæ audiuit & vidit teſtantis.

XIV. DE SVCCESSORE PETRI. DE LIBRO SVB NOMINE DAMASI, DE ROM. PONT. h Metaph. 29. Iunij.

Quod autem pertinet ad Petri ſucceſſorem in adminiſtratione Eccleſiæ Romanæ & Vniuerſalis; inualuit penes aliquos ea ſententia, Linum nequaquam poſt eius obitum ipſi ſuffectum eſſe, ſed tantum viuentis adhuc (dum illum Vniuerſalis Eccleſiæ ſollicitudo in diuerſas prouincias euocaret) coadiutorem extitiſſe vnà cum Cleto, qui ambo ſimul loco ipſius Petri obirent Romæ Eccleſiaſticas functiones; ipſumque Linum vrgente Neronis perſecutione, martyrio ſublatum eſſe ſub huius anni Coſſ. Capitone & Ruſo. Hæc accepta eſſe noſcuntur ex libro vulgato nomine *Damaſi de Romanis Pontificibus*, ſed (vt verius exiſtimatur) ex diuerſis auctoribus ab Anaſtaſio Bibliothecario, aut ſi quo alio collecto; quo non Vitæ ipſorum Pontificum, ſed fere dumtaxat eorum ſucceſſio, & factæ ab eis Ordinationes, atque dies obitus recenſentur. Verum cum in vnoquoque ferme Pontifice, & maxime iſtis prioribus, in annis cuiuſque per Coſſ. conſignandis, prorſus falſa atque etiam inter ſe pugnantia contineat; euidenter apparet eoſdem Coſſ. ab aliquo alio poſtea nulla habita temporis ratione perperam eſſe ſuperadditos. Porro eamdem ipſius de Lino ſententiam ſecutus eſt Metaphraſtes [h]; in eo tamen ab illo diſcrepans, quod ante martyrium Petri, immo ante duodecimum Neronis annum, Linum eſſe defunctum affirmat. Scimuſque alios, neminem tamen ex antiquis, eiuſdem libri de Pontificibus auctoritate permotos, nec Linum nec Clerum adnumeraſſe inter Romanos Pontifices Petri ſucceſſores; ſed Corepiſcopos tantum aſſeruiſſe.

XV. i Ignat. ep. ad Marc. Caſſob.

At quod veteres rerum Eccleſiaſticarum ſcriptores attinet; cum S. Ignatius [i], qui eodem ſæculo vixit cum Apoſtolis, dicat Clementem ſucceſſiſſe Cleto (ſic enim legendum eſſe pro Anacleto, poſtea demonſtrabimus) pla-

LINVS ET CLETVS SEDERVNT ANTE CLEMENTEM.
k Tert. lib. 3. carm. in Marcion.

ne declarat ipſum Clementem tertio loco, nempe poſt Linum & Cletum Romanæ Eccleſiæ præfuiſſe. Immo Tertullianus [k] non tantum tertio loco poſt Petrum ponit Clementem, ſed adhuc etiam quarto, nimirum poſt Anacletum. Quod ipſum licet & quidam alij antiqui pariter fecerint; tamen poſt Cletum; ſed ante Anacletum, Clementem eſſe ponendum verius eſſe putamus. Cum alioqui ſciamus nonnullos, & maxime Græcos, Cletum & Anacletum vnum eumdemque putantes confudiſſe. Inſuper cum Euſebius [l], ac ceteri omnes tam Greci quam Latini auctores teſtentur, Clementem ſubijſſe martyrium tertio anno Traiani Imperatoris, idque S. Hieronymus [m] firmiter aſſeueret, ipſeque liber de Romanis Pontificibus aperte doceat; qua ratione dicere poſſumus Clementem ſediſſe ſtatim poſt Petrum, cum ab eo tempore vſque ad tertium Traiani annum intercurrat triginta trium annorum ſpatium, ipſe vero Clemens à nemine ponatur amplius nouennio Eccleſiæ Romanæ præfuiſſe.

l Euſ. 3. hiſt. 28. Niceph. lib. 2. c. 18.
m Hier. de Script. Eccl. in Clem.

XVI.
n Iren. lib. 3. ca. 3. Opt. lib. 2. Aug. ep. 161. Epiph. hær. 27. Hier. in Clem. & alij Græc. & Lat.

Lino igitur & Cleto eſſe certa ſedis tempora tribuenda, nemo non videt. Id enim & maiores [n] cognouiſſe certum eſt, cum qui numerarunt primam illam Romanorum Pontificum ſucceſſionem, vel alias de Petri ſucceſſoribus meminerunt, omnes ſemper Clementem tertio loco poſuerunt; licet apud aliquos, ſiue vitio ſcriptoris, ſiue alia ex cauſa, Anacletus pro Cleto poſitus, apud alios vero modo Cletus, modo Anacletus (quod, vt diximus, hos vnum eumdemque eſſe exiſtimarent) præteritus inueniatur. Denique Hieronymus Romanę Eccleſiæ alumnus, cum aliquando dixiſſet [o] obiter Clementem ſucceſſiſſe Petro, tamen cum de Clemente diligentior ab eo eſt inſtituta narratio [p], poſt Linum & Cletum ſediſſe aſſirmauit. Hancque fuiſſe Romanæ Eccleſiæ traditionem, locuples eſt teſtis eius Martyrologium [q] dum agit de ſede Lini, Cleti, & Clementis; necnon ſacer Miſſæ Canon, vbi eodem (vt videtur) ordine quo ſederunt, ijdem Linus, Cletus, & Clemens, ſecundum antiqua Diptycha poſt Apoſtolos primi recenſentur. Quamobrem quæ habentur in epiſtola Ioannis [r] Papæ Tertij nomine inſcripta, & alia Leonis [s] Papæ Secundi, quibus declaratur non fuiſſe à Petro Linum & Cletum inſtitutos Romanæ Sedis Epiſcopos, ſed tantummodo coadiutores; non aliter quidem ſunt intelligenda, niſi quod ſic ſederint dum Petrus vixit; quod & nos profitemur. Quod autem additur, Clementi Summum Pontificatum à Petro eſſe collatum; ad illud fortaſſe alluſum eſt, quod Tertullianus [t], licet (vt dictum eſt) quarto loco Clementem ponat, tamen à Petro ordinatum fuiſſe tradit. Secundum quod expreſſius ſcribit Epiphanius [u], eumdem Clementem ab ipſo Petro manus impoſitionem accepiſſe, ſed Epiſcopatum recuſaſſe vſque ad Lini & Cleti obitum, qui ipſius Petri coadiutores extitiſſent. Affirmatque idipſum Ruffinus [x]. Igitur qui primus in locum Petri ſubrogatus eſt LINVS, natione fuit Tuſcus, patria Volateranus, patre Herculano; de cuius ſedis annis dicetur in eius obitu.

o Hier. in Iſai. 52.
p Id. de Scr. Eccl. in Clem.
q Mart. Rom. 23. Sept. 26. Apr. & 23. Nouemb.
r Ioan. ep. ad Epiſc. Germ.
s Citat. Marian. Scot. in Clem.
QVOMODO LINVS ET CLETVS COEPISCOPI.
t Tert. de præſcr. c. 32.
u Epiph. hær. 27.
x Ruff. præf. lib. Recogn.
LINVS PETRI SVCCESSOR.

XVII.
PERSECVTIO PROPAGATA.
y Philip. 4.
z Mart. Rom. 11. & 17. Maij.
a Oroſ. lib. 7. cap. 7.

Ceterum poſt martyrium Apoſtolorum, Neronis perſecutio vehementioribus flammis exarſit. Nam & in domeſticos ac familiares ſuos (ex quibus multos fidem Chriſtianam ſuſcepiſſe teſtis eſt ipſe Paulus [y]) rabiem ſuam intendiſſe Acta ſæpe citata teſtantur; extantque vnius & alterius illorum, nempe Torpetis & Euellij memoria in Martyrologio [z] Romano. Ac inſuper tradit Oroſius [a], per omnes prouincias ab eo mandatum eſſe Chriſtianos vexari: quorum quidem nonnullorum habetur mentio in eodem Martyrologio, & alij Actis; ſed eorum magna ex parte nomina exciderunt, exuſtis Eccleſiaſticis monumentis à Diocletiano Imperatore. Commendantur vero in hac perſecutione duarum inter alias ſanctiſſimarum fœminarum [b], Lucinæ & Perpetuæ, diſciplinarum Apoſtolorum, ſtudia in ſepeliendis SS. martyrum corporibus. Denique inuenta in Hiſpania vetus huiuſmodi inſcriptio, NERONI CL. CÆS. AVG. PONTIF. MAX. OB PROVINC. LATRONIB. ET HIS QVI NOVAM GENERI HVM. SVPERSTITIONEM INCVLCAR. PVRGATAM, abunde docet vehementiſſimam fuiſſe Neronis perſecutionem, vt creditum ſit religionem Chriſtianam ab eo penitus extirpatam. Licet enim nulla ibi mentio fiat nominis Chriſtiani, tamen nonniſi de illis ea poſſe intelligi, neceſſarium eſt illud argumentum, quod nulla Neronis tempore, nec ante diu vel poſtea alia noua in Orbem inuecta eſt religio, quam Chriſtianorum.

b Mart. Rom. 30. Iun. & 4. Aug.

XVIII.
CVR NERO A PERSECVT. CESSAVIT.
c Dio in Nero.

Porro quieuiſſe Neronē ab huiuſmodi perſecutione, à Petro & Paulo in viſu perterritum, eadem ſæpius citata Acta teſtantur. Nec mirum. Si enim (quod Dio [c] ſcribit) poſt illatum matri quamuis ſcelestiſſimæ necem, ſic terroribus eſt exagitatus, vt non valeret loco conſiſtere; quanto magis hæc paſſum eſſe dicemus, cum præcipuos Dei amicos, ſanctiſſimos viros è medio ſuſtuliſſet? His vero acceſſit (quod etiam nolentem & inuitum à perſecutione abſtraxit) poſt Romani exercitus factam in Gallia iam antea ſub C. Iulio Vindice defectionem, alia rurſus Hiſpaniarum & Galbæ deſciſſio; cuius cauſa (vt ait Suetonius [d]) collapſus, animoque male fracto, diu & ſine voce & prope intermortuus iacuit. Sed quæ demum ei acciderint, dicetur anno ſequenti pro geſtæ rei ordine & tempore.

d Suet. in Neron. 42.

XIX.
CLADES IVDÆÆ A VESPASIANO ILLATÆ.

Interea vero Veſpaſianus, quem Nero in Achaia de rebellione Iudæorum certior factus, cum exercitu in Palæſtinam miſerat; grauiſſimis eos cladibus aſſiciens, hoc anno Galilæos gentem fortiſſimam, vniuerſamque prouinciam totius Palæſtinæ potentiſſimam ac munitiſſimam, non ſine labore penitus debellauit; occiſis pluſquam centum millibus Iudæorum, captiuis vero abductis aut venditis quadraginta millibus. Quo etiam tempore in expugnatione Iotapatæ ciuitatis, captus eſt *Ioſephus* Matthiæ, dux, qui hæc omnia fuſius deſcripſit [e]. Ex quibus videas, illos qui primi omnium atque frequentius Chriſti Domini prædicationem audierunt, nec tot tantiſque viſis miraculis crediderunt, ante omnes diuino iudicio perfidiæ & impietatis ſuæ dediſſe pœnas.

e Ioſ. de bel. Iudai. lib. 3. & 4.

XX.
HIEROSOLYMA A ZELOTIS EXAGITATA.
SVMMVS PONT. IVDÆOR. SORTE ELECTVS.

Quos & alij ſuo ordine ſecuti ſunt, cum qui in Galilæa Romanorum gladium euaſerant ingenti plane numero Hieroſolymam confugientes, ciuitate excepti non tantum ciuibus neceſſariam inſumpſerunt annonam, ſed & eoſdem deprædati ſunt, ac miſere peremerunt; ſeque recipientes in templum, vt munitiſſimum aduerſus ciues, adſciuerunt ſibi nomen ZELOTÆ, vt qui profiterentur præ ceteris zelare Dei Legem & patria inſtituta. Horum factione & illud perfectum eſt (quod numquam antea acciderat) vt ſortito Summum eligerent Pontificem, aduerſus Ananum qui illam dignitatem obtineret: vnde obtigit ſors Phano cuidam homini ruſticano, obſcuriſſimo & rerum ſacrarum imperitiſſimo. Excitante vero Anano Iudæorum animos in Zelotas, magnæ vtrinque cædes factæ ſunt; cum euocati Hieroſolymam Idumæi, pro Zelotis ſtantes ingentem ſtragem fecere ciuium atque ſacerdotum, adeoque ipſius Anani Summi Pontificis; quorum & corpora abiecere inſepulta. Et licet poſtquam in medio templo occiſus eſſet Zacharias præcipuæ vir auctoritatis, deteſtantes facinus Idumæi ad propria ſe recepiſſent; nihilominus Zelotarum factio non deſtitit à ſuis graſſationibus, cuſtodijs vbique poſitis, ne quis impune egrederetur vrbe: ſicque miſeranda in omnibus reddita eſt ciuitatis facies, conculcato penitus iure diuino atque humano; miſerrimusque omnium redditus ſtatus, cum iam nec intra ciuitatem manere, nec foras egredi tutum eſſet. Nam & præterea foris eleuata eſt factio SICARIORVM, duce Ioanne homine factioſiſſimo & tyrannidem meditante, qui & Iudæos & Romanos aggrediens, cuncta rapinis & cædibus miſcuit. Sed hæc omnia, & alia eiuſmodi, in ſequentem etiam annum prolata, fuſe deſcripſit Ioſephus [f]. Quæ quidem Veſpaſianus cum percepiſſet, obſidionem Hieroſolymorum diſtulit; ratus eiuſmodi ciuilibus diſcordijs facilius Iudæos conſumptos iri, quam armis Romanorum. Quæ vero poſt hæc ſecuta fuerint, dicetur inferius.

DIVERSÆ FACTIONES IVDÆORVM.
f Ioſ. lib. 4. & 5. de bel.

NERONIS IMP. AN. 14.

IESV CHRISTI AN. 70.

LINI AN. 1.

I. a Plin. Sec. 3. ep. 7. ad Canin. Ruf. b Suet. in Ner. c. 43.

ANNO Chriſti ſeptuageſimo Coſſ.[a] creati ſunt C. Silius Italicus & Galerius Trachalus Turpilianus. Sed eos Nero (inquit Suetonius[b]) ante tempus priuauit honore, atque in vtriuſque locum ſolus iniȷt Conſulatum; quaſi fatale eſſet non poſſe Gallias debellari, niſi à Conſule ac ſuſceptis faſcibus. At vero poſtquam Iulio Vindice, qui defectionem in Gallias excitarat, à militibus Rufi qui Germaniam obtinebant occiſo, idem Rufus Imperator deſignatus eſſet; ſed & Rubrius Gallus, quem contra rebellantes Nero miſerat pariter defeciſſet; nec quod ipſe conceperat, vniuerſum Senatum interficere poſſet; ac denique à Prætorianis militibus deſertus eſſet: idem Nero deſperatione melioris ſtatus omnino deficiens, vili indutus veſte, vna cum tribus vel quatuor libertis in prædium vnius ex iȷs Phaontis nomine, inter viam Salariam & Nomentanam quarto ab Vrbe lapide poſitum, ſe recepit: Vbi in ſpelunca deliteſcens, cum equites ſe quærentes aduentare cognouit, ſibi ipſe licet pauidus intulit manus; eumdemque ægre morientem Epaphroditus libertus confecit, quarto Idus Iunij (qua die olim Octauiam coniugem interfecerat) ætatis anno trigeſimo ſecſido, cum imperaſſet annos tredecim, menſes ſeptem & dies viginti octo, numerando à die ſequenti obitus Claudij. Sed de his, deque eius funere & ſepultura fuſius agunt Suetonius, Dio, & alij.

DE OBITV NERONIS.

II. c Val. Chryſ. ſer. de eleem. & collat. & alios. d 2. Theſſ. 2. NERO CREDITVS ANTICHRISTVS.

Illud autem minime prætermittendum; ex noſtris nonnullos Scriptores non ignobiles[c], opinatos eſſe Neronem fuiſſe Antichriſtum, quod Paulus ad Theſſalonicenſes ſecundo ſcribens[d], quaſi iam tunc Antichriſtus viueret, aſſeruiſſet ipſum operari myſterium iniquitatis. Sed ſi diligenter attendiſſent tempus quo à Paulo ea ſcripta fuit epiſtola, nempe (vt vidimus) ſub Claudio Imperatore, nullo negotio eiuſmodi errorem deuitaſſent. Sed concepto ſemel iſto, deteriores inde alij fluxerunt; vt nonnulli reſurrecturum Neronem, & futurum Antichriſtum exiſtimauerint; alij vero nec eum occiſum putauerint, ſed curato vulnere eſſe ſeruatum, & viuum occultari in vigore eius ætatis in qua fuit cum crederetur extinctus, donec ſuo tempore reueletur, & reſtituatur in regnum. Refert duas iſtas quorumdam opiniones Auguſtinus[e], improbatque. Poſterioris autem Seuerus[f] etſi non auctor, tamen aſſertor habetur; qui etiam (quod magis in eo diſplicet) eamdem impingit alibi[g] S. Martino, dum ait eum aliquando dixiſſe Neronem venturum ſub finem ſæculi cum Antichriſto, & hunc in Oriente, Neronem in Occidente regnaturum, donec tandem & ipſe ſubigeretur ab Antichriſto. Quæ ſi vere S. Martinus dixit, haud quidem quod ſpiritu prophetiæ rem ita ſe habere exiſtimaret, ſed quæ ab alijs dicta aut ſcripta eſſent narrauit. Ad hæc enim de Nerone apud pleroſque confirmanda, acceſſit quod & inter ipſos Gentiles vulgata eſſet quædam opinio, Neronem fuiſſe ſubductum & non occiſum: adeo vt prodeunte poſt aliquot annos ſeruo quodam ei vultu ſimilimo, qui ſe Neronem eſſe iactaret, fauorabiliter à multis, ac præcipue à Parthis ſuſceptus fuerit: prout Suetonius[h] & Tacitus[i] ſcribunt.

e Aug. 20. de ciuit. 19. f Seuer. hiſt. lib. 2. g Id. dial. lib. 2. in fin. h Suet. in Nero. c. 57. i Tac. lib. 2. hiſt.

III. GALBA IMP.

Ceterum ſic (vt diximus) Nerone ſpontanea nece ex hac vita ſublato, extinctaque prorſus cum eo Cæſarum progenie: *Seruius Sulpitius* GALBA à militibus quibus præerat acclamatus eſt Imperator: de cuius genere, ortu, magiſtratibus, rebus geſtis per ætates ſingulas, etiam ante Imperium, moribus & diſciplinis, necnon ſtudio militari, aduentuque in Vrbem: Suetonius, Plutarchus, Tacitus, Dio, & alij ſcripſere: quos conſulat qui ea cupit: nos enim inſtituti memores, iȷs tantummodo immorabimur quæ ad res Eccleſiaſticas pertinent.

GALBA. OTHO. VITELLIVS.

IESV CHRISTI AN. 71.

LINI ANN. 2.

I. GALBA OCCIDITVR. a Tac. l. 1. hiſt. lib. 2. Suet. in Galb. c. 20. & ſeq.

ANNO Chriſti ſeptuageſimo primo, Seruio Sulpitio Galba Auguſto & T. Vinio Rufino Conſulibus idem Galba[a], quod audito motu legionum Germanicarum, Piſonem veterum morum iuuenem, adoptaſſet in filium & Imperij ſucceſſorem. Othonis factione (offenſi quod in ea adoptione poſtpoſitus fuiſſet Piſoni) à militibus occiſus eſt in Foro Romano decimaſexta Ianuarij, cum imperaſſet menſibus ſeptem & diebus ſeptem, annos agens ſeptuaginta tres.

II. OTHO SEIPSVM NECAT. VITELLIVS IMP.

Et qui mox Imperium arripuit, idem *Marcus Siluius* OTHO, Neroni olim chariſſimus, poſt tres menſes ac dies quinque victus ab exercitu A. VITELLII, qui in Germania creatus fuerat Imperator, ſiue rerum deſperatione, vel ne ſui cauſa (vt tradunt) bello ciuili inter ſe milites necarentur, ſibi ipſe prudens volenſque mortem conſciuit apud Bebriacum die vigeſima Aprilis, anno ſuæ ætatis trigeſimo ſeptimo, vt Tacitus ait, vel trigeſimo octauo, vt alij.

III. b Ioſ. lib. 5. de bel. Iud.

VESPASIANVS ACCLAMATVS IMP.

Cum inter hæc Veſpaſianus[b], ſubactis quæ reliqua eſſe videbantur Iudææ locis (tribus exceptis caſtellis, quæ à latronibus tenebantur; atque ipſa Hieroſolymorum ciuitate, quæ miſere à Zelotis intus, foris ab Idumæis duce Simone Geraſeno deuaſtabatur) miſeratus Romanorum cladem ſub Vitellio homine ignauiſſimo, pariter ac crudeliſſimo vitaque turpiſſimo, de liberanda Vrbe ipſoque Orbe deliberauit, dumque ea apud milites loqueretur acclamatus Imperator, ab iiſdem circumfuſis & cum gladiis mortem minantibus, vi coactus eſt oblatam quam recuſaret dignitatem ſuſcipere. Iuraſſe vero in ipſum, eundem exercitum qui in Iudæa erat, quinto Nonas Iulij, auctor eſt Tacitus[c]: quod Suetonius[d] quinto Idus factum tradit: cum tamen in eo conſentiant, vt cœptum fuerit numerari initium Imperij Veſpaſiani ab ipſis Calendis Iulij: quo videlicet Alexandriæ primo legiones Romanæ ſacramento eius adactæ ſunt à Tiberio Alexandro præfecto Auguſtali, ex Iudæo iam olim facto Gentili & Romanorum ſtudioſiſſimo.

c Tac. lib. 2. hiſt. d Suet. in Veſp. c. 6.

IV. BELLO CIVILI VITELLIVS ROMÆ OCCIDITVR.

Cum autem & aliæ legiones per diuerſas prouincias eiuſdem Veſpaſiani partibus libentiſſime adhæſiſſent: præmiſſo cum copijs in Italiam pedeſtri itinere Muciano (qui Syriam antea obtinens ipſi Veſpaſiano maxime auctor fuerat hortatorque Imperij ſuſcipiendi, ſperans ſe illi fore in eo collegam) idem Veſpaſianus Alexandriam abijt, inde nauigaturus in Vrbem. Cum inter hæc Sabinus frater, & Domitianus filius eiuſdem Veſpaſiani, moræ impatientes, vna cum alijs compluribus nobilibus Romanis occubantes in Vrbe Capitolium, oppugnati à Vitellianis, Domitianus inſperata ſibi fuga conſuluit, Sabinus vero retentus occiſus eſt: quo eodem tempore, ab iȷs qui intus erant incenſum eſt templum Iouis Capitolini. Sed mox aduentante Antonino legionum Myſiæ atque Pannoniæ Præfecto, & inter illum ac Vitellianos intra ipſam Vrbem ter repetito prœlio: his tandem cedentibus, Vitellius latebras quærens, à militibus inuentus ſæuiſſime trucidatus eſt, anno ætatis quinquageſimo quarto, vt Dio, vel ſeptimo, vt Suetonius & Tacitus tradiderunt: cum imperaſſet (vt tradit Ioſephus[e]) menſes octo & dies quinque, ſiue (vt legitur apud Dionem[f] & Tacitum[g]) annum vnum, decem minus diebus: numerando videlicet non ab obitu Othonis, ſed à tempore quo à militibus ſuis acclamatus eſt Imperator. Diſſentit item à Ioſepho Tacitus, dum ille vult occiſum Vitellium menſis Octobris die tertia, Tacitus[h] autem menſe Decembri. Ceterum ſequenti die Muciano cum ceteris copijs in Vrbem ingreſſo, ac vix tandem militibus poſt cædes & prædas multiplices compreſſis: ex Senatuſconſulto[i] miro omnium conſenſu decretum eſt Imperium prædicto *T. Flauio* VESPASIANO: qui & ipſe expectato opportuno tempore nauigandi, Alexandria ſoluens Romam ſe contulit.

e Ioſ. 5. de bell. 18. f Dio in Vitel. g Tac. de orat. h Tac. hiſt. lib. 3. i Id. lib. 4.

V. MIRACVLA TRIBVTA VESPASIANO.
k Tac. hiſt. lib. 4. l Suet. in Veſp. c. 7. m Philoſt. in vit. Apo. lib. 5.

Porro dum Alexandriæ eſſet, ipſum homini cui dum oculorum tabe laboranti, alteri manu ægro, vtrique monitu Serapis Ægyptiorum Dei ad eum recurrenti, reſtituiſſe ſanitatem alterius oculos oris ſui excremento reſpergendo, alterius manum pede calcando, Tacitus[k], Suetonius[l], & a ij tradunt. At vero præſentia inprimis Apollonij Tyanæi magorum omnium celeberrimi, & Veſpaſiano amicitia coniunctiſſimi (quem his diebus Alexandriæ fuiſſe, ac pluribus eiuſmodi impoſturis in ſui admirationem omnes conuertiſſe Philoſtratus[m] docet) nonnihil moueor, vt exiſtimem ea omnia fuiſſe eiuſdem Apollonij arte excogitata. Sed & in his quæ ſunt viſa miracula, illud etiam ex eodem Tacito conſiderandum, eas non fuiſſe eiuſmodi ægritudines, quæ à medicis curari non valuiſſent. Quod ſi à medicis, certe facilius à dæmonibus: quorum fuit plane conſilium ad obſcurandam Chriſti gloriam, vt quæ olim à Prophetis de venturo ex Iudæa Rege qui vniuerſo dominaretur Orbi prædicta eſſent, intelligerentur de Veſpaſiano qui apud Iudæam creatus fuiſſet Imperator. Iſtud enim eo modo interpretati ſunt Tacitus[n], Suetonius[o], atque ipſe etiam Ioſephus[p] Iudæus, ſiue impietatis caligine offuſus, ſiue temporibus inſeruiens Veſpaſiano adulatus. Idque ipſum Iudaica ſuperſtitio in monte[q] Carmelo[r], oraculum conſulenti Veſpaſiano: necnon Ioſephus dum in vincula conijceretur, eidem iam ante prædixerat. Et quoniam qui huiuſmodi Rex eſſet, ab Iſaia[s] prædictum erat fore vt multa operaretur miracula: hac quoque ex parte prouiſum fuit, vt idem Veſpaſianus quaſi per laruam Rex ille maximus, nempe Meſſias, appareret. At ſi prophetica vaticinia de ſe locuta eſſe Veſpaſianus crediſſet, cur ab eodem poſtmodum tam exacta facta eſt peruestigatio de famiIia Dauid, & quos inuenit[t] occidit; niſi quod re vera tum ipſi tum alijs in comperto eſſet, non aliunde quam ex ea progenie Regem illum maximum eſſe venturum?

QVÆ CHRISTI SVNT, VESPASIANO ADSCRIPTA.
n Tac. hiſt. lib. 5. o Suet. in Veſp. c. 4. p Ioſ. 7. de bell. 12. q Suet. in Veſp. cap. 5. r Tac. hiſt. lib. 2. s Iſa. 35. t Euſeb. 3. hiſt. 12.

IV. MIRACVLA GENTILIVM QVALIA.
u Polyb. hiſt. lib. 16. x Euſ. 9. hiſt. 2.

Sed quod pertinet ad miracula, quæ non tantum hominibus, ſed dijs ipſis ab hiſtoricis Gentilibus ſunt adſcripta, cuius ea ſint fidei, ſinceriſſimus eſt teſtis Polybius[u] inter eos clariſſimus auctor, cum de his agens ait, in omnibus quidem illis quæ plebis pietatem erga numen conſeruant, condonandum eſſe hiſtoriographis, dum de talibus monſtra, etſi non vera loquuntur; in eo vero quod modum hunc excedit, ignoſcendum non eſſe. Porro conſueuiſſe Gentiles in æmulationem verorum miraculorum, quæ à Chriſtianis quotidie fieri cernerent, in numinum quoque ſuorum gratiam ſæpe miracula & oracula fingere; præter hæc, fidem facit exemplum de Theotecno Antiocheno, qui temporibus Maximini Imperatoris eadem præſtitit, prout Euſebius[x] narrat. Sed & quam ſolers eſſet impoſtorum induſtria ad eiuſmodi de Æſculapio, quem in colubri formam colebant, concinnanda commenta, dicetur alio loco.

VII. y Euſ. in Chro. & 3. hiſt. 16.
IGNATIVS EPISC. ANTIOCH.
z Mart. Rom. & alia 6 Maij. a Menolog. 7. Sept.
VNDE ACCIDERIT MARTYRIVM EVODII.
b Ioſ. 7. de bel. 21.
c Niceph. 2. hiſt. 3.

Hoc eodem anno Olympiade ducenteſima duodecima anno primo (vt numerat Euſebius[y]) *Euodio* Epiſcopo Antiocheno ex hac vita ſublato ſubrogatus eſt, qui aliquando collega ſediſſet IGNATIVS. De quibus ea controuerſia, quod alij Petro ſucceſſum ab Euodio in ſede Antiochena, alij vero dixerunt ab Ignatio, ſuperius à nobis eſt fuſius pertractata. Sed quod ad obitum ſpectat Euodij; cum tam Latini[z] quam Græci[a] æque teſtentur illum martyrio ex hac vita ſublatum; non id accidit, quod his temporibus à Veſpaſiano vel Tito aliqua fuerit excitata perſecutio; quos tradunt moribus fuiſſe placidos & humanos: ſed (vt putamus) quod cum Antiochiæ hoc eodem anno[b], inſtigatore, quodam Antiocho Iudæo religionis ſuæ deſertore, à Gentilibus in Iudæos idolis ſacrificare renuentes tumultuatum fuerit, complures ex Iudæis qui fidem Chriſti amplexi eſſent, tum maxime Euodius, martyrij coronam ea cauſa ſuſceperint. Ceterum eiuſdem Euodij nomine citatur à Nicephoro[c] ſcripta epiſtola, cuius erat titulus, *Lumen*; quam tamen ab antiquioribus nec citatam, neque aliter cognitam eſſe reperimus. Sicut etiam non inuenimus vnde acceperit, quod ait Ignatium fuiſſe illum paruulum, quem Dominus[d], virtutem ſimplicitatis commendare volens, in medio Diſcipulorum conſtituit.

d Matth. 18.

IESV CHRISTI AN. 72.

VESPASIANI IMP. AN. I.

LINI ANN. 3.

I. e Tac. hiſt. lib. 4.
f Ioſeph. lib. 6. de bel. Iud.
TITVS OBSIDET HIEROSOLYMAM.
g Luc. 19.
DVO EXERCITVS INTRA TEMPLVM.

ANNO Chriſti ſeptuageſimo ſecundo, Veſpaſiano[e] Auguſto & Tito eius filio Coſſ. idem Imperator Alexandria Romam nauigaturus, Titum filium in Iudæam reuerti iubet, vt quod reliquum eſſet belli abſolueret. Hic[f] vero cum inſtantis Paſchatis occaſione ingens numerus peregrinorum ex more Hieroſolymam ad diem feſtum conueniſſet (putantium fortaſſe Veſpaſianum & Titum bellis ciuilibus intentos, de Hieroſolymis in præſentiarum minus fore ſollicitos) collectis vndique legionibus, alijſque auxiliaribus copijs, die decimaquarta menſis Aprilis caſtra prope Hieroſolymam poſuit in monte Oliueti; vnde Dominus[g] olim reſpiciens ciuitatem fleuit ſuper eam, vt qui præ oculis haberet diriſſimam cladem, quam his temporibus ſuſcepturi eſſent omnium hominum infeliciſſimi Iudæi. Qui quidem cum hactenus in tres factiones diuiſi, Latronum Idumæorum, Zelotarum, ac reliquorum ſeditioſorum ciuium, ducibus Ioanne, Eleazaro, & Simone, miſere inter ſe digladiati eſſent; aduenientibus iam Romanis; omni ſemoto priuato odio, paribus animis magnaque audacia aduerſus eos progredientes ſæpe Titum cum ſuis in diſcrimen adduxerunt. Sed rurſum incaleſcentibus intus diſſidijs, ipſa die Azymorum quotquot erant Zelotæ omnes ad vnum interfecti ſunt in templo, cuius partem communiuerant. (Fuiſſe namq; tantæ amplitudinis templum, vt in eo duo exercitus ſibi ipſis contrarij habitarent, abſque violatione eius partis quæ dicebatur *Sancta Sanctorum*, ex huiuſmodi hiſtoria Ioſephi conſtat) ſicque res ad duas tantummodo factiones eſt redacta.

II. h Ioſ. 6. de bel. 1. & 6.
TITVS CINGIT MVRO CIVITATEM.
i Luc. 19.

Interea vero Titus admotis ad ciuitatem machinis, quinto Nonas Maij primum murum expugnauit[h], ac quinto poſt die ſecundo potitus eſt, & tertium aggreſſus. Cumque iam ante obſidionem ipſis Iudæorum ſeditionibus, frumentariæ cellæ quibus ad plures annos frumentum ſeruabatur, eſſent incendio abſumptæ, ideoque complures fame cogente foras quotidie ex vrbe egrederentur, alijque plurimi caperentur; eos omnes Titus ad ciues terrendos, ante eorum oculos iuſſit ſuffigi crucibus, multiplicato in tantum numero, vt (quod Ioſephus ait) iam ſpatium crucibus deeſſet, & corporibus cruces. Ex quibus haud dubium fuere illi, vel ſaltem illorum filij, qui clamauerant in Chriſtum, *Crucifige, Crucifige*. Sed quo citius Titus fame ciues enecaret, omnem exitum occluſit aggeribus quinque contra vrbem extructis: ijſdem vero à Iudæis diſſipatis, murum conſtruxit circum ciuitatem: quod opus quanta celeritate ſit conſummatum, plane ſuperat humanum captum. Cum enim murus vno minus quadraginta ſtadiorum eſſet, & ad eum foris caſtella tredecim ædificata fuerint, quorum gyrus denis ſtadijs numeraretur: totum tamen opus triduo conſtructum eſt, vt aſſerit qui aderat Ioſephus. His autem videas, iam impletum eſſe quod Dominus[i] prædixerat de circumdanda ab inimicis Hieroſolymorum ciuitate vallo, & vndique coanguſtanda.

III. k Ioſ. 6. de bel. 15.
IVDÆI VENTRE EXECTI.
l Ioſ. 7. de bel. 6. & c.

Sed quod increbuiſſet[k] rumor, eos qui ab vrbe ad Romanos confugerent, quod haberent aurum, ne ab hoſtibus auferretur, voratum in viſceribus collocaſſe: eoſdem Syri atque Arabes milites venati vna tantum nocte ad duo millia occiderunt, viſceraque fœde ſcrutati ſunt: ſed immane facinus Titus mox cohibuit. Cum autem populum tanta inuaſiſſet fames, vt iam calceamenta, cingulaque, ac inſuper coria quibus ſcuta tegerentur inſumpta eſſent, atque ex ſtabulo fimus & ſtercus quæreretur in cibum veteriſque fœni laceramenta magno pretio venirent, iamque nec ab humanis[l] carnibus abſtineretur: eo immanitatis redacta eſt nobilis ac prædiues mulier Maria nomine, à ſeditioſis iam exuta vitæ ſubſtantijs, vt

lactan-

MATER NECATIILIVM AD CIBVM
m Luc. 19. n Ioſ. 7. de bel. 7.

lactantem filium occiderit, ac comeſtura coxerit. Vt iam viderentur aduenisse dies, à Domino [m] cum ad crucem perducerentur prædicti, quibus mulieres ſuper ſe ipſas & ſuper filios ſuos flere deberent, ac beatas ſteriles prædicare. Denique (ſicut & ait Ioſephus [n], huiuſmodi ſuorum mala deplorans) Deus damnauerat populum, & omnem viam ſalutis ad interitum verterat: & ſi Romani contra noxios venire tardaſſent, aut hiatu terræ deuoranda fuiſſet ciuitas, aut diluuio peritura, aut fulminum ac Sodomæ incendia paſſura.

IV.
o Id. cap. 1.
TEMPLVM INCENDITVR.

Cum autem iis miſeriis longe deteriores imminerent, & à Tito ad deditionem honeſtam ſæpius inuitati Iudæi, obſtinato animo ſe omnia libentius experturos mala iactarent, quam ſe Romanis dederent: (Erant [o] enim præterea & à ſeditioſis tyrannis qui Hieroſolymis erant, ſuperinducti pſeudoprophetæ qui denunciarent populo, vt expectarent auxilium DEI) tunc Titus conteſtatus Deum & homines, ſe ad vrbis & templi excidium inuitum compelli; capta turri Antonia quæ erat iuxta templum, cum iam pro ipſo templo pugnaretur, miles quidam Romanus (inquit Ioſephus) non expectato cuiuſquam mandato, imo & contra Titi edictum quo iuſſerat ab excidio templi temperare, diuino quodam motus impetu ignem in templum iniecit, cuius flamma mox inualeſcens; nulla valuit Titi diligentia, vel alia ope humana reſtingui. Factaque eſt huiuſmodi templi conflagratio (vt Ioſephus [p] teſtatur) decima die menſis Auguſti; qua etiam alias à Rege Babylonis fuerat concrematum: à prima eius per Salomonem ſtructione, annis mille centum triginta, menſibus ſeptem, diebus quindecim, & à poſteriori Cyri, annis ſexcentis triginta nouem, & quadraginta quinque diebus. Cum interea Romæ (ô rerum humanarum vices contrarias.) Capitolium bello ciuili nuper concrematum, à Veſpaſiano ſumptuoſiſſime reſtitueretur; cuius areæ dedicatio [q] facta eſt magna pompa vndecimo Calendas Iulij. Vnde magis etiam flagrans ira Dei in Iudæos oſtenditur, dum in eorum odium atque inuidiam, non tantum ipſorum templum miſerrime deiici (quod Chriſtus olim prædixerat) ſed delubrum Iouis iiſdem ferme diebus in ſublime magna gloria exædificari permiſit. Quo etiam eodem tempore [r] Romani ſigna in templo ponentes, celebrato illic ſacrificio, maximis clamoribus Titum declararunt Imperatorem; ac denique ſacerdotes omnes qui latebant in templi receſſibus, cum vix tandem ſe dederent Tito, eiuſdem iuſſu omnes ſunt ad ſupplicium ducti.

p Ioſ. lib. 7.
CAPITOLIVM INSTAVRATVR.
q Tac. hiſt. lib. 4. Suet. in Veſp. c. 8.
r Ioſ. ib. c. 33.

V.
INTEGRA VRBS CAPTA.

Incenſo vero templo, inflammandæ etiam ciuitatis Titus militibus licentiam dedit, ac inde ſuperiori vrbis parte, quæ SION dicta ceteris munitior erat, diuino potius inſtinctu quam humanis viribus (quod ipſe teſtatus eſt) potitus, demum octauo die menſis Septembr. vrbem integram cum munitionibus cepit, ipſo die Sabbati (vt auctor eſt Dio in Nerone) proditaque ſunt à Sacerdotibus templi ſacra vaſa & Pontificia ornamenta. Porro mortuorum Iudæorum & captiuorum numerum Ioſephus [s] qui aderat colligens, ait *Captiuorum* omnium qui toto bello comprehenſi eſſent, *nonaginta & ſeptem* fuiſſe *millia*; *Mortuorum* vero tam ferro quam fame & peſte omne tempus obſidionis, *vndecies centum millia*. Idemque ipſe ex hoſtiis tempore paſchatis (ad quod feſtum tantam multitudinem conueniſſe vidimus) cædi ſolitis & numero per contubernia epulantium, eorum qui tunc Hieroſolymis eſſent deducens numerum, ſubdit eos qui puri eſſent (quibus liceret ſolum veſci azymis) fuiſſe ad *vicies centena & ſeptingenta millia*: ceterum ingentem oportuit fuiſſe illorum numerum, qui neceſſitate naturæ, vel alia ex cauſa puri minus eſſent. Vt non immerito addat, tunc velut in carcerem totam gentem fato concluſam fuiſſe, & fartam hominibus extitiſſe ciuitatem cum obſeſſa eſt. Eorum autem qui morti erepti ſunt, alij ad opera miſſi fuere in Ægyptum, alij qui formoſiori eſſent corpore triumpho ſeruati, plurimi robuſti viribus electi qui per prouincias pugnarent in theatris cum beſtiis; qui vero infra decimum ſeptimum annum agerent, ſimul cum feminis viliſſimo pretio venditi. Ac poſtquam quos occideret, quidve raperet, Romanus non habuit exercitus; iuſſit Titus totam funditus erui (quod olim Dominus [t] prædixerat) ciuitatem ac templum relicta tantummodo, parte muri ad præſidij illic relinquendi munitionem ac tribus turribus quæ præter alias eminebant, vt poſteris indicarent qualem ciuitatem quamve munitiſſimam Romanorum virtus obtinuiſſet: Reliqua vero ita complanata ſunt, vt qui eo acceſſiſſent, habitatum aliquando fuiſſe locum vix crederent. Cuius quidem ciuitatis annos Ioſephus [u] ſic numerat, vt à Rege Dauid vſque ad Titum ſint mille centum ſeptuaginta nouem; ex quo autem eſt condita vſque ad excidium, duo millia centum ſeptuaginta ſeptem.

s Id. c. 17.
NVMERVS OCCISORVM ET CAPTIVORVM.
t Luc. 19 & 21.
CIVITAS DIRVTA, PAVCIS MEMORIÆ CAVSA RELICTIS.
u Ioſ. ib. c. 18.

VI.
EX QVO DELICTO TALIA PASSI IVDÆI.

Qui tamen Ioſephus hæc tanta abiecte nimis conſiderans, adſcripſit ea ſeditioſorum illorum criminibus; & quæ eſſet pœna peccati, eandem exiſtimauit cauſam eſſe ſupplicij; immemor & quod ſuperius dixiſſet, creditum ob necem illatam Iacobo Iuſto tanta mala infelices apprehendiſſe Iudæos. Ceterum hæc illis merito accidiſſe ob Chriſtum Dominum repulſum atque crucifixum, ſatis ſuperius eſt demonſtratum; ſæpeque ipſe ſuis Diſcipulis reſerauit, dum non tantum ſigna quæ præcederent demonſtrauit, ſed etiam vt ſe res habenda eſſet ſignificauit. Qui & inſuper tempus quo eadem eſſent implenda voluit declaraſſe, cum dixit, [x] non præterituram generationem illam donec omnia fierent. Vidit namque ea ætas & generatio, quæ ab ipſo prædicta ſunt; cum nonniſi triginta octo annorum ſpatium ab eo tempore ad excidium Hieroſolymitanum interceſſerit. Quæ quidem cum adeo plana ſint, mirati ſumus nonnullos Interpretes vehementiſſime laboraſſe vt ad Domini aduentum poſteriorem ea verba accommodarent; cumque id minus aſſequi potuerint, myſtice potius, vel aliquo alio ſenſu eadem interpretatos eſſe. Ceterum cum Apoſtoli confuſe Chriſtum interrogaſſent tam de templi excidio quam de ipſius Domini aduentu, pariter & ipſe confuſe de vtroque reſpondit: ſed (quod iam & ſuperius monuimus) prudentis lectoris eſt, quæ de Hieroſolymitano excidio, & quæ de mundi fine dicuntur ex euentibus diſtinguere; & quæcunque à Domino prædicta cognouerit, quæ Hieroſolymitanum excidium non præceſſerint, certo ſciat in vltimo Domini aduentu ea fore implenda.

x Luc. 21.

VII.
SCRIPTORES CLADIS HIEROSOL.
y Tac. hiſt. lib. 5.
z Tert. Apol. c. 16.
a Orig. tract. 29. in Matt.
b Minut. in Octa.
c Gel. lib. 1. c. 4.

Porro hæc de Hieroſolymorum excidio hiſtoria, non à Ioſepho tantum deſcripta eſt, ſed vt rem plane memorabilem auctores etiam Ethnici ſunt fuſius proſecuti; & inter alios Tacitus [y], cuius tamen fides in recenſendis rebus Iudaicis ſic vacillat, vt merito Tertullianus [z] eumdem *mendaciorum loquaciſſimum* appellet. Attigerunt quoque Suetonius, Plutarchus, & Dio; necnon in Chronicis Phlegon Adriani libertus; vt auctor eſt Origenes [a]. Eamdemque cladem Minutius Felix [b] ait ſcriptam fuiſſe ab Antonio Iuliano; quem tamquam egregium rhetorem magnopere laudat Gellius [c]. Ac demum poſt hos omnes Hegeſippus, non maior ille vicinus temporibus Apoſtolorum, ſed alius Iunior quem conſtat vixiſſe poſt tempora Conſtantini, eamdem hiſtoriam Græce conſcripſit. Ferturque alia eiuſdem argumenti tractatio auctore Ioſepho quodam filio Gorionis, qui vixit tempore dictæ cladis, à quo idem Hegeſippus nonnulla mutuatus aggregat: ſed cum in multis auctor ille reperiatur erraſſe, nec illum eſſe putemus qui habetur inſcriptus, libentius abſtinuimus.

VIII.
TRIBVTV̄ IVDÆORV̄ ROMANIS DARI SOLITVM.
d Ioſ. 7. de bel. 28.
e Orig. ep. ad Afric.
f Dan. 9.

Subactis autem in hunc modum Iudæis, imperatum eſt illis tributum, nimirum vt quod in templum inferre quotannis ſoliti eſſent Didrachma, illud ipſum penderent Ioui Capitolino. Affirmat hoc Ioſephus [d]; illudque Origenes [e] ſua adhuc ætate ab ea pendi ſolitum teſtatur. Sed & ipſi Iudæi numquam amplius poſt hæc ſeruire deſierunt; aut deſinent aliquando, ſecundum quod à Daniele [f] prædictum eſt, perſeueraturam deſolationem vſque ad conſummationem & finem. Sicque exuti templo, ſacrificiis, & ciuitate, per diuerſas Orbis partes (vt olim Cain, quod interfeciſſet fratrē ſuum, vagus factus eſt

IVDÆI VBIQVE VAGI ET ODIO HABITI.
g Auguſt. in Pſal. 58.

& profugus ſuper terram) ſemper oberrans, cunctis nationibus eſt reddita abominabilis. Vnde & quam impar ceteris populis à Romanis deuictis fuerit ſors iſtorum, conſiderans Auguſtinus [g], *Omnes* (inquit) *Romani facti ſunt, & omnes Romani dicuntur; Iudæi vero manent cum ſigno, nec ſic dicti ſunt vt à victoribus abſorberentur.* Quæ quidem omnia in Chriſtianorum multiplicem vtilitatem à DEO eſſe permiſſa demonſtrat. Nec vero tantum ex nomine (quod *plane tetrum* Imperator [h] appellat) ſed & aliis innumeris ſignis, quibuſque ſæculis Iudæos fuiſſe notatos facile quis inueniet: quippe qui à militia, magiſtratibus, aliiſq; publicis officiis, nec non iis quæ compluribus nationibus licet barbaris concederentur priuilegiis, reperiuntur fuiſſe diſcreti: & quod omnium grauiſſimum eſſe videtur, perpetuæ illis infamiæ nota eſt inuſta, vt grauis corporibus fœtor inhæſerit; ex quo & nomen *Fœtentium* ſunt aſſecuti, prout eos Ammianus [i] Marcellinus appellauit. Denique auctor eſt Hieronymus [k], vſque ad ſuam ætatem eoſdem perfidos Iudæos ſingulis annis in die quo capta eſt à Romanis & diruta Hieruſalem, venire ſolitum populum lugubrem, confluere decrepitas mulierculas, & ſenes pannis annisque obſitos, & in corporibus & in habitu ſuo iram Domini demonſtrantes; atque prohibitam turbam miſerorum ingredi ciuitatem, vt ſaltem eius ac templi ruinam lamentis & liuoribus & ſparſis crinibus flere eis liceret, pretio à militibus redimere conſueuiſſe, qui quondam emerant ſanguinem Chriſti. At de iis modo hactenus.

h L. 19. C. Th. de Iudæ.
IVDÆI FOETENTES.
i Am. li. 22.
k Hier. in Sophon. 1.
LVCTVS ANNIVERSARIVS IVDÆORVM.

IX. MODESTIA TITI.
l Philoſt. in Vit. Apol. lib. 6.

Ceterum Titus his rebus magnifice geſtis haud ſe animo extollens, oblatam ſibi à finitimis gentibus coronam recuſauit, eo ſe honore indignum eſſe reſpondens: non enim ſe talium operum auctorem, ſed Deo iracundiam contra Iudæos demonſtranti manus ſuas præbuiſſe. Recitat hæc de illo Philoſtratus [l]; qui eumdem Apollonij monitis nonnihil profeciſſe dicit. Reliquam autem huius anni partem, & ſequentis principium vſque ad opportunum tempus nauigationis, egit in Palæſtina; vnde Antiochiam pergens, parte Syriæ peragrata, tandem ſe contulit Alexandriam vt inde Romam ſolueret. Sed quæ in ſingulis memoratis locis ab eodem ſint laudabiliter geſta, Ioſephus [m] narrat pluribus.

m Ioſ. 7. de bel. 19. &c.

VESPASIANI IMP. AN. 2.

IESV CHRISTI ANN. 75.

LINI ANN. 4.

I.
a Front. li. 2. de aquæd.
TITVS DE IVDÆIS TRIVMPHAT.
b Ioſ. 7. de bel. c. 24.
c Plin. li. 12. c. 25.
ARBOR BALSAMI PERLATA IN TRIVMPHO.
d Ioſ. d. c. 24.

ANno Chriſti ſeptuageſimotertio, Veſpaſianus Auguſtus ſecundo & M. Cocceius Nerua Conſulatum geſſerunt. Qui autem Conſulatibus ordinariis etiam ſuffectos adnectunt, ponunt hoc anno Conſulatum tertium Veſpaſiani, vt Iulius Frontinus [a]. Hoc igitur anno Titus cum manubijs Iudæorum ex Ægypto Romam nauigans, de parta glorioſa victoria nobiliſſimum vna cum patre Veſpaſiano egit triumphum; in quo ducti ſunt Ioannes & Simon præcipui Iudæorum factionum duces, cum ſeptingentis viris electis robore & forma præſtantibus; necnon pretioſiſſima Hieroſolymitani templi ſpolia, ac ſacra vaſa, cum ipſa Lege Moſis: quæ fuſe narrat Ioſephus [b]. Viſiturque hactenus Romæ ad radices Palatini in arcu triumphali, marmore ſculptum CANDELABRVM templi, cum aliis victoriæ inſignib. quæ perducta ſunt in triumphum; atque ex aduerſo Titi triumphantis quadriga. Demum (vt vno verbo rem abſoluam) quicquid decorum apud Iudæos potuit inueniri, à Tito ſublatum Romam allatum eſt: vſque adeo (quod teſtatur Plinius [c]) vt tunc etiam *Balſami* arbuſcula translata fuerit Romam; ſicut & eadem olim Pompeius, cum ceteris hoſtium ſpoliis ornauerat triumphi ſui pompam. Poſt vero triumphum de Iudæis exhibitum, Veſpaſianus Iano clauſo, pace vbique terrarum compoſita, conſtruere aggreſſus [d] eſt templum Pacis, de quo dicetur eo quo dedicatum eſt anno.

II.
e Id. cap. 25. &c.

Inter hæc autem à Lucilio Baſſo Legato & Flauio Silua, tria caſtella munitiſſima quæ in Iudæa reſidua erant, fortiſſime expugnata ſunt [e]. Deditque in mandatis Veſpaſianus Liberio Maximo Procuratori, vt omnem terram venderet Iudæorum. Sic enim fieri oportebat deſerta habitatoribus terra, relicta ei cuſtodia octingentorum tantummodo militum, quibus Emaus tradita eſt incolenda; quæ mutato antiquo nomine, ex parte victoria Nicopolis eſt appellata. *Cæſarea* vero Maritima, olim Turris Stratonis dicta (vbi necatis iam ante fere quinquennium omnibus Iudæis [f], Gentiles qui eam incolebant ſumma rerum potiebantur) remanſit totius Palæſtinæ metropolis; quæ ob egregiam à ciuibus nauatam operam contra Iudæos, à Veſpaſiano Imperatore facta eſt [g] Colonia Romanorum, & immunis à cenſu capitis & poſſeſſionum. Rex autem Iudæorum Agrippa, qui initio belli aduerſus contribules ſuos Romanis adhæſerat; ex quo tempore nauigauit Romam [h] ad Galbam tunc imperantem; non amplius reuerſus eſt in Iudæam; nec poſt eum aliquis ſuffectus eſt in regnum, ſolis Romanis vniuerſæ Iudææ dominantibus. Berenice vero ipſius ſoror Romæ item agens, Tito fuit in deliciis; donec ille ſe huiuſmodi amore à populo ſugillari cognoſcens, generoſa ſe ipſum animi virtute cohibuit, & inultus licet (vt ait Suetonius) ab Vrbe dimiſit inuitam. Quam quidem Titi vxorem Sextus Aurelius nominauit, quod coniugali affectu ab eo tractaretur.

CÆSAREA PALÆSTINÆ METROPOLIS.
f Ioſ. 2. de bel. 19.
g L. vlt. D. de cenſib.
h Ioſ. 5. de bel. 6.

III.
IVDÆI VBIQVE PERDITI.
i Ioſ. 7. de bel. 29. &c.

Quod vero ad ceteros Iudæos ſpectat (mirum dictu) qui gladium obſidionis euaſerant, quocumque perrexerunt, eos Dei vindicta ſecuta miſerabiliter perdidit. Tria enim illorum millia, qui in nemus Iardes dictum confugerant, à Lucilio Baſſo Legato ſunt interfecta [i]. Qui autem in Ægyptum ſe receperant, cum eſſent Galilæi ſecta, veteres illic renouantes quæſtiones de vno tantum dicendo Domino, nempe DEO, nec eo nomine Romanis Imperatoribus nuncupandis; ſicut fecerant in Iudæa, gentiles ſuos ad defectionem ſollicitarunt, vſque adeo vt contradicentes enecarent; ſed tandem omnes capti, quælibet tormentorum genera obſtinatiſſimo animo etiam infantes pati maluerunt, quam vt Imperatorem nominarent *Dominum.* Cum autem hæc & alia Veſpaſianus accepiſſet, dedit in mandatis Lupo Auguſtali Præfecto in Ægypto, vt Iudæorum templum quod habebant in ea prouincia, *Onion* appellatum, demoliretur. Dictum ſic fuerat illud ab Onia Pontifice, tempore cladis ab Antiocho illatæ; hic enim cum ad Ptolemæum confugiſſet, obtinuit ab eo apud Heliopolim ad templum fabricandum octoginta ſtadiorum aream, vbi in modum caſtelli circumquaque munitum templum ædificauit in ſchiſmate aduerſus Iudæos Hieroſolymis agentes; obtendens tamen illam cauſam, fuiſſe ante annos nongentos ſeptuaginta ab Iſaia prænunciatum; ædificandum templum in Ægypto. Quod ædificatum ſic perdurauit annis trecentis triginta tribus, vſque ad hoc tempus quo clauſum eſt à Præfecto, & alteri poſtea viui ceſſit.

TEMPLVM IVDÆORVM IN ÆGYPTO DIRVTVM.

IV.
k Ioſ. lib. 7. c. 10.
l Id. lib. 1. cont. Apion.
m Euſeb. 3. hiſt. 11.
VESP. OMNES EX FAMILIA DAVID APOLLERI MANDAT.

Huc vſque Ioſephus [k] de rebus Iudaicis, & cladibus eis illatis: quas ipſe (vt ait [l]) ſub Veſpaſiano & Tito Romæ conſcripſit, dum illic ageret otioſus poſt eorumdem triumphum. Addit vero Euſebius [m] Veſpaſianum Imperatorem poſt vaſtationem Hieroſolymorum mandaſſe, vt omnes ex Dauidis genere prognati diligenter conquirerentur, quo nemo ex illa regia ſtirpe omnino in poſterum ſupereſſet; indeque in Iudæos maximam denuo cladem & perſecutionem fuiſſe concitatam. Porro hoc præſtitiſſe Veſpaſianum putamus, quod cum ei ſignificatum eſſet, à Prophetis eſſe prædictum ex Dauid progenie regnaturum hominem, cuius imperium eſſet æternum; eidemque Veſpaſiano adulantes, cætera quæ erant in oraculis quaſi de eo prædicta eſſent, Ioſephus & alij (vt vidimus) ei accommodaſſent, iam ipſe hoc aduerſari videretur, in hunc modum irritum reddere conatus eſt.

VESPASIANI IMP. AN. 3.

IESV CHRISTI ANN. 74.

LINI ANN. 5.

I. a Plin. lib. 2. c. 13. CONSVLES ORDINARII HVIVS ANNI.

ANno Chriſti ſeptuageſimo quarto Conſules facti ſunt Veſpaſianus Auguſtus tertium & Titus eius filius ſecundum. Sic enim veteres Faſtos conſignatos fuiſſe, Plinius [a] aperte ſignificat: vnde plane conſtat eos errare, qui hoc anno Veſpaſiani Conſulatum quartum & Titi ſecundum ponunt; ſicut dum adiungunt quintum eiuſdem Auguſti cum tertio Titi: ſumpto nimirum errore, quod primum annum Imperij Veſpaſiani notant eiuſdem Conſulatu ſecundo, cum tamen de primo nulla ante eum habeatur mentio in Faſtis Conſulum ordinariorum. Nam antea Veſpaſianus fuerat tantum Conſul ſuffectus tempore [b] Claudij; cum vero creatus eſt poſtea ordinarius, non bis Conſul in Faſtis adſcribendus fuit, ſed ſemel; quandoquidem non ante Seueri Imp. tempora ſuffectorum habitam fuiſſe ratione͂, demonſtrat Dio [c]; ex quo alij complures corrigendi eſſent errores Chronographorum, dum in numerandis ſingulorum Conſulatibus ſuffectos etiam adſuerunt; quos & nos bona fide, ne omnia inuertere videremur, interdum ſecuti ſumus; cum alioqui nullum afferatur rationi temporis præiudicium, quod ad annos conſignandos nec ipſi ſuffectos, ſed ordinarios tantum qui nomen darent anno; in Faſtis poſuerint. At vero in aliis monumentis nummorum vel inſcriptionum, obſeruauimus notatum reperiri numerum ſuffectorum cum ordinariis.

b Suet. in Veſp. c. 4. RATIO CONSVLVM ORDINAR. ET SVFFECT. c Dio li. 46.

II. d Epiph. hær. 9. SECTÆ IVDÆORVM EXTINCTÆ, VEL IMMVTATÆ.

Exciſa his temporibus (vt vidimus) Galilæorum ſecta, quæ in Ægypto coaleſcere cœperat; reliquæ pariter Iudæorum hæreſes (quas ſeptem numero recenſet de his agens Epiphanius [d], nempe Sadducæorum, Scribarum, Phariſæorum, Hemerobaptiſtarum, Nazaræorum, Oſſenorum, & Herodianorum; de quibus ſingulis actum eſt ſuis locis ſuperius) profligatis iam ipſis Iudæis, paulatim extingui cœperunt prout idem auctor ſcribit. Verum potius mutatæ ſunt quam extinctæ: nam complures ex illarum ſectatoribus pertæſi Iudæorum infamiæ, & gloriam Chriſtianorum æmulantes, iſtis adhæſerunt; ſed ita tame͂ vt priores errores magna ex parte retinuerint. Nam & *Samaritas* vſque ad Iuſtiniani Imp. tempora permanſiſſe, tuncque quod in Palæſtina tumultuarentur ſæuiſſime trucidatos eſſe, Procopius [e] eſt teſtis. Et quamuis NAZARÆI qui ante Chriſti aduentum erant [f], eſſe deſiiſſent; nouam tamen eiuſdem nominis ſectam quæ Chriſtum agnoſceret, ſed circumciſionem retineret, his ipſis diebus poſt cladem Hieroſolymitanam in Berrhœorum regione, & Decapoli, ac Baſanitide emerſiſſe (in quas regiones Chriſtiani qui Hieroſolymis erant, ante obſidionem ſe receperant) Epiphanius [g] eſt auctor. Hi autem quod Chriſto credidiſſent, nacti ſunt Euangelium Matthæi, de quo ſuperius eſt actum; licet Theodoretus [h] dicat vſos eſſe Euangelio apocrypho ſecundum Petrum. Sed & eiuſdem ſectæ aſſeclas, alio nomine *Mineos* eſſe dictos, ac ſuo tempore in Oriente viguiſſe, Hieronymus [i] aſſerit. Aduerſus quos ſcripſerunt [k] Iuſtinus martyr, Irenæus, Origenes, & alij complures qui texuerunt catalogum hæreticorum, vt Epiphanius, Philaſtrius, Auguſtinus, Theodoretus, Ioannes Damaſcenus, & alij recentiores.

e Procop. de ædif. Iuſtin. Imp. f Epiph. hær. 18. DE NAZARÆIS HÆRETICIS. g Epiph. hær. 29. h Theod. hær. fab. lib. 2. i Hier. ep. 89. ad Aug. k Theod. hær. fab. lib. 2.

III. DE EBIONE HÆRESIARCHA. l Epiph. hær. 30. m Id. hær. 19. 30.

Eodem etiam tempore, nimirum poſt excidium Hieroſolymæ, è Cocaba vico eiuſdem Baſanitidis regionis emerſit hæreſiarcha ſceleſtiſſimus EBION, cuius conſortio infamati Nazaræi multa habuere cum eo communia, vt teſtatur idem Epiphanius [l]. Quo etiam auctore [m] conſtat Ebionæis poſtea coniunctum eſſe *Elxai* Oſſenorum antiquæ hæreſis facile principem: atque inſuper Ebionem quicquid fuit horrendum & abominabile in ſingulis ſectis Samaritarum, Iudæorum, Nazaræorum, Cherinthianorum, Carpocratianorum aſſumentem, omne turpitudinis & impietatis prodigium ſuperaſſe: Ipſum autem in Aſia quoque prædicaſſe, & Romæ. Et cum aliquando in Aſia S. Ioannes Apoſtolus Spiritus Sancti impulſu ad balneum præter conſuetudinem progreſſus eſſet, atque eſſe intus Ebionem audiſſet; cognito quod ad teſtimonium de veritate reddendum illuc vocatus eſſet, dixiſſe circumſtantibus, *Feſtinemus hinc egredi, ne cadat balneum, & pereamus cum Ebione propter ipſius impietatem.* Verum hæc de Cherintho potius referuntur ab aliis [n] auctoribus. Sed ne Epiphanium hallucinatum, haud inconueniens erit exiſtimare, vtrumque ſimul Ebionem, atque Cherinthum in balneis repertos eſſe, cum præſertim magna eſſet inter eos neceſſitudo ex impietatis ſimilitudine comparata. Quapropter cum & multi dicant occaſione Cherinthi à Ioanne ſcriptum eſſe Euangelium, S. Hieronymus [o] Ebionis cauſa id factum affirmat, quod ſcilicet communicatione hæreſis eadem vtriuſq; dogmata cenſerentur eſſe communia: licet (vt docet Tertullianus [p]) non omni ex parte conſenſerint, ſiquidem Ebion mundum à Deo creatu͂, Cherinthus ab Angelis eſſe factum diceret.

DE S. IOANNE ET EBIONE.

n Iren. lib. 3. c. 4. Euſeb. 3. hiſt. 22. Theod. hær. fab. lib. 2. & alij. EBIONIS CVM CHERINTHO COMMIXTIO. o Hieron. de Script. Eccl. in Ioan. p Tertul. de præſcr. c. 48.

IV. EBIONIS ERRORES.

Porro Ebion multa in Paulum (quod ſuperius attigimus) debacchatus, falſa Acta nomine Apoſtolorum edidit, in quibus vna cum impietate multa coagmentata eſſent mendacia. Atque inſuper *Circuitus Petri* per Clementem ſcriptos, ad ſuas hæreſes confirmandas corrupit; etiam auſus imponere Petro, quod ſe quotidie in aquam mergeret purificationis gratia, & ab animatis & carnibus omnino abſtineret; quæ videlicet Ebionitæ obſeruabant. Qui & inſuper Virginitatem non admittebant, & ad ſanguinem Chriſti in Euchariſtia conficiendum aqua ſola vtebantur. A Deo item duos dicebant fuiſſe ad rerum dominium ordinatos, Chriſtum videlicet, & Diabolum; illumque accepiſſe in ſortem futurum ſæculum, huic vero fuiſſe mundum concreditum: porro illum velut vnum ex Angelis, ſed cæteris maiorem eſſe creatum; & quod pertinet ad carnem aſſumptam, ex viri ſemine procreatum; eundemque Adam primo ſe induiſſe, ac poſtea exuiſſe. Tradit hæc omnia, & alia de Ebionæis Epiphanius [q]. Quorum quidem auctor ad conciliandam ſibi maiorem fidem, dici voluit *Ebion*, quod volens libenſq; eſſet pauper effectus; iactans ſe fuiſſe vnum ex illis, qui pretium ſuarum rerum poſuiſſent ad pedes Apoſtolorum.

q Epiph. hær. 30.

V.

Quod autem ſpectat ad politiam; Ebionæi, ſicut Nazaræi, æque Legem cum Euangelio tradebant eſſe ſeruandam: vtebanturq; Matthæi Euangelio, ſed decurtato, ſicut & ceteris diuinis Scripturis: quin etiam (vt auctor eſt Irenæus [r]) Hieroſolymam adorabant quaſi eſſet domus Dei: & (quod ait Tertullianus [s]) adeo Iudæis Ebion ſauit, vt Legem præferret Euangelio. Cogi inſuper omnes voluit vxorem ducere, etiam impuberes; liberum relinquens quot quiſque vellet vxores accipere. Sed & Ignatius [t] eumdem tradit docuiſſe, Chriſtum nudum eſſe hominem, non autem Deum vnigenitum, Sapientiam & Verbum Dei, ſed ſolum anima & corpore conſtare. Ceterum præter Ignatium & alios ſupra citatos auctores, Clemens quoque Romanus (vt auctor eſt Epiphanius [u]) ſuis Encyclicis epiſtolis eiuſdem Ebionis impietatem damnauit; quem & pariter, eiuſq; ſectatores, ſæpe ſuis ſcriptis exagitarunt Origenes, Euſebius [x], Philaſtrius [y], Auguſtinus [z], Theodoretus [a], ac ceteri recentiores qui de hæreſibus commentarios conſcripſerunt.

r Iren. lib. 1. c. 26. s Tertul. de præſcr. c. 48. t Ign. ep. ad Philad. u Epiph. hær. 30. x Euſ. 3. hiſt. 21. y Philaſt. de hær. c. 38. z Auguſt. de hæreſ. ad Quoduult. a Theod. hær. fab. lib. 2.

VI. DE MENANDRO DISCIP. SIMONIS. b Iuſt. orat. ad Anton. c Tert. de anima. c. 50. d Id. de præſcript. c. 46.

Sed his ipſis item temporibus, diſcipuli complures Simonis Magi Dei Eccleſiam turpiter infamarunt. Quorum præcipuus, ac Simonis primogenitus, MENANDER, idemque Samaritanus & magus, natus in vico Capparetaia, ſectatoribus ſuis minime morituros eſſe perſuaſit: vt tradit Iuſtinus [b] martyr. Aſſeruitque idipſum Tertullianus [c], qui & egregie ſalibus ſuis ei illuſit, quod licet tanta ſuis polliceretur, perpaucos tamen habuerit diſcipulos. Et alibi [d] poſt Irenæum ſcripſit, eundem Menandrum fuiſſe Magum; eademque dixiſſe, quæ Simon aſſerebat; & quicquid ſe eſſe Simon dixerat, hoc ſe Menandrum eſſe dixiſſe; negantem habere poſſe quemquam ſalutem, niſi in nomine ſuo baptizatus fuiſſet. Aguntque præterea de illo omnes nuper recenſiti auctores. Sectati ſunt tamen eum inter alios Baſilides & Saturninus, quos condiſcipulos fuiſſe Epiphanius [e] tradit: verũ eos diutius

e Epiph. hær. 22.

vixiſſe ferunt nimirum ad tempora Hadriani Imperatoris, vbi dicetur pluribus de illis.

VII. DE SANCTO MARTIALE EPISC. LEMOVIC.

Eodem anno tertio Veſpaſiani Imperatoris, S. MARTIALIS Epiſcopus Lemouicenſis, Galliarum dictus Apoſtolus, qui ex Oriente Romam cum Petro venerat, & ab eodem in Gallias fuerat amandatus, cum Lemouicenſes, Toloſanos, Burdegalenſes, Cadurcenſes, alioſque qui à Rhodano in Oceanum vergunt populos, ad pietatem Chriſtianam inſtituiſſet; ex humanis ſublatus eſt, ſicut eius Acta declarant, quæ circumferuntur ſcripta ab Aureliano eius ſucceſſore. Porro tradunt hunc illum fuiſſe puerum, de quo Andreas olim Domino dixerat, *Eſt puer hic habens quinque panes & duos piſces.* At quod volunt fuiſſe ex Septuaginta duobus Diſcipulis, opus eſſet affirmare non ſic ætate fuiſſe puerum nominatum, ſed more Hebræorum qui & homines grandioris ætatis pueros nuncupabant. Meminit eiuſdem Gregorius [f] Turonenſis; ſed errat dum tempore Decij Imp. cum in Gallias veniſſe tradit: Leguntur autem eius nomine duæ ſcriptæ Epiſtolæ, altera ad Burdegalenſes, altera ad Lemouicenſes & Toloſanos: verum de his alias. Traditurq; ſuſcitaſſe mortuum, admoto ei baculo S. Petri, quem ab eo ſibi datum Romæ acceperat (cuius etiam hiſtoriæ meminit Innocentius [g] Papa.) Itemq; Lemouicis primum in vniuerſa Gallia dicaſſe templum in honorem S. Stephani protomartyris, dirutis quæ in eo loco pridem Gentilitas coluerat ſimulacris.

f *Greg. Tur. l. hiſt. 30. & de glor. confeſ. cap. 27.*
g *Ep. de Sacr. vnct. reſp.*

Ceterum hunc Baculum, illum ipſum eſſe, qui hactenus magna religione aſſeruatur Burdegalæ in antiquiſſima Eccleſia S. Seuerini, eſt firma traditio illius prouinciæ.

VESPASIANI IMP. AN. 4.

IESV CHRISTI ANN. 75.

LINI AN. 6.

I. COSS. NVLLVS ANNI.

ANnus Chriſti ſeptuageſimus quintus notatur ab aliis Conſulatu Domitiani iterum & M. Valerij Meſſalini. Verum cum ex ratione Dionis ſuperius allata, & Plinij teſtimonio roborata, ſuperior annus conſignatus fuerit Coſſ. Veſpaſiano tertium & Tito ſecundum: cumque rurſus idem Dio [a] templi Pacis dedicationem factam dicat Veſpaſiano ſextum & Tito quartum Coſſ. iam ex ipſo tunc recepto notandorum Conſulatuũ ordine (nempe vt ordinarij dumtaxat, non etiam ſuffecti, & nomen darent anno, & adſcriberentur in Faſtis) affirmare neceſſe eſt, tam præſenti quam ſequenti anno Veſpaſianũ geſſiſſe Conſulatum. Quapropter præſenti anno dediſſe putamus nomen Coſſ. Veſpaſianum Auguſtum quartum & Valerium Meſſalinum, quos Iulius [b] Frontinus agnoſcit. Nam cum auctore Suetonio [c] conſtet, Domitianum ante adeptum Imperium ſex Conſulatus ita geſſiſſe, vt ex eis vnus tantum eſſet ordinarius: eadem ratione quam diximus, vnus tantummodo fuit deſcribendus in Faſtis, quem in alium annum [d] reiicimus.

a *Dio in Veſpaſ.*
b *Front. de aquæduct. lib. 2.*
c *Suet. in Domit. cap. 2.*
d *An. Chr. 79.*

II. EDICTVM DE PELLENDIS VRBE PHILOSOPHIS.

Hoc tempore Veſpaſianum de pellendis ab Vrbe philoſophis dediſſe edictum, Dio [e] teſtatur. Quod quidem haud nouum Romæ videri poterat: neque, licet & Nero id fecerit, vel alij ei ſimiles; optimo Principi adeo ignominiæ vertebatur, cum id fieret more maiorum: nam (vt auctor eſt Gellius [f]) iam longe ante, florente Republica, ſub Conſulatu Fannij Strabonis & Valerij Meſſalæ, promulgatum fuerat Senatuſconſultum de Philoſophis & rhetoribus Vrbe pellendis, quod ſcilicet adoleſcentes earum ſcientiarum addiſcendarum cupidi, viderentur ab armis auocati, & vitam agere otioſam. Porro hæc facta ſunt à Veſpaſiano, non quidem quod odio proſequeretur philoſophiam, vtpote bonorum morum conciliatricem, cuius (vt Philoſtratus ait) plurimum amans fuit, ſed (vt ſcribit Dio) ſic perſuaſus à Muciano, quod iidem multa inutilia garrientes, quadam dicendi temeritate potius quam libertate, cum alios, tum ipſum Imperatorem paſſim proſcinderent, indeque apud abiectum vulgus gloriam aucupantes, in varias illud factiones diſtraherent: quapropter & vnum virgis publice cædi, & alium ſecuri ſubiici permiſit: cum alioqui Suetonius [g] tradat, Veſpaſianum leniſſime tuliſſe philoſophorum contumaciam.

e *Dio in Veſp.*
f *Gel. lib. 15. cap. 11.*

PROCACIA PHILOSOPHORVM.

g *Suet. in Veſp. cap. 13.*

III. MARTYRIVM APOLLINARIS EPIS. RAVEN.

h *Pet. Damia. ſer. de S. Eleucad. ap. Sur. 14. Feb.*

Cæterum quod ad hæc pertinet tempora, *Eleucadius* [h] philoſophus Platonicus à S. Apollinare Epiſcopo Rauennate ad Chriſti fidem conuerſus, eidem martyrio coronato in Epiſcopatu poſt Aderitum ſucceſſit. Veſpaſiani namq; temporibus paſſum eſſe *Apollinarem* (qui vna cum Apoſtolo Petro ab Oriente Romam veniens; & ab eodem Rauennam miſſus, pro fide Chriſti multiplices perpeſſus eſt pœnas) cum eius Vitæ [i] Acta; tum Romanum Martyrologium aliaque teſtantur. Sed non id quidem, quod aliqua à Veſpaſiano in Chriſtianos fuerit perſecutio excitata: verum quod cum Apollinaris Gentiles ab idolis auertiſſet, eorumdem ſacerdotum exagitatus calumniis, ſubrepto ab Imperatore reſcripto; tamquam ſeductor & facinoroſus, homo vrbe pulſus eſt atque ſæuiſſime trucidatus. Nam alioqui & Suetonius [k] aſſerit, non temere ſub Veſpaſiano quem inſontem punitum eſſe, niſi abſente eo & ignaro, aut certe inuito atque decepto: & ex noſtris Euſebius [l] aliique affirmant, nihil vmquam iniuriæ aut mali in Chriſtianos eum excogitaſſe. Porro de Apollinare plura dicenda eſſent, atque etiam de Rauennatibus ſucceſſoribus Pontificibus: ſed quoniam, vt profeſſi ſumus, noſtri non eſt inſtituti, priuatarum Eccleſiarum, niſi interdum Patriarchalium, facta proſequi: ſatis eſſe putauimus ex his aliqua vel leuiter attigiſſe.

i *Ap. Sur. 23. Iul.*
k *Suet. in Veſp. c. 13.*
l *Euſ. 3. hiſt. 11.*

IV. DE PHILOSOPHIS VRBEM CIRCVMEVNTIBVS.

Quod autem de PHILOSOPHIS ſemel eſt inſtituta narratio: conſideratione plane dignum eſt, hoc ipſo ſæculo, quo Apoſtoli & Apoſtolici viri ad imbuendos Chriſtiana religione populos totum pene terrarum Orbem peragrarunt, complures pariter philoſophos itidem circumeundo prouincias, adiiſſe nobiliſſimas ciuitates, eo prætextu, vt mores labefactatos corrigerent: ſed ita tamen vt in auitæ Gentilitiæ ſuperſtitionis cultu populos continerent. Id enim præſtitiſſe conſtat Apollonium Tyanæum, Demetrium Cynicum, Dionem Chryſoſtomum, Muſonium. Epictetum, Diogenem Iuniorem, alioſque. Hos autem aduerſarios paſſos eſſe qui Chriſtianæ religionis fundamenta iaceret, nemo poterit dubitare: quamquam & illorum complures reperti ſunt, qui videntes humilem Crucis doctrinam aduerſus ſuam ipſorum phaleratam ſapientiam potentiſſime præualere, delegerunt in ſchola piſcatorum philoſophiam Crucifixi ſectari, quam in celeberrimis vrbibus & academiis magiſtros vanitatis profiteri: de quorum nonnullis iam dictum eſt, ac de aliis dicetur inferius ſuis locis.

V. DE PEREGRINO PHILOSOPHO IMPOSTORE.

m *Gel. lib. 12. cap. 11. Ammian. lib. 9.*

Interim vero hic opportune accidit (nam & temporis id ratio poſtulat) vt quæ ab impoſtore quodam *Peregrino* philoſopho nominato (qui merito dictus eſt cognomento *Proteus*, quod omnem quam ſibi vellet formam ſuperinduceret [m]) ſub nomine Chriſtiano ſunt geſta breuiter enarremus: quæ quantumlibet à Chriſtianorum hoſte & blaſphemo homine ſcripta ſint, nempe Luciano; ex eis tamen nonnulla vtilia elici poſſunt, quæ antiquos illos laudatiſſimos Chriſtianorum mores, ac præſertim erga Fratres peregrinos, & carcere detentos, propenſiorem curam, ac ſtudium charitatis inſinuent. Res igitur in hunc modum ſe habuit: Impoſtor quidam ſceleſtiſſimus ex Paro inſula oriundus, immaniſſimorum criminũ reus (Nam & patrem ſuum necauerat, & amore puerorum erat turpiter infamatus) patrium ſolum vertens, aliò proficiſci in animum duxit. Sed quod nulla ſibi gens viſa eſſet, quæ tanta liberalitate proſequeretur miſerabiles quaſque perſonas, perinde ac Chriſtianos; ad eos ſe recipiens, Chriſtianæ religionis ſe cupidiſſimum ſimulauit. Quid plura? Dedit nomen, initiatus eſt baptiſmate, ad eumque loci gradum prouectus eſt tandem, vt (quod ait auctor) profiteretur inter prophetas, ac ceteros rerum ſacrarum magiſtros atque principes. Quin etiam operatus eſt vt pietatis cauſa detruderetur in carcerem, vbi velut nouus Paulus vinctus glorioſe ſua vincula oſtentaret, eo conſilio vt ex oblationibus Chriſtianorum ingentem pecuniæ vim corraderet: quod ei ex optatis accidit, cum iidem nulli parcentes impenſæ eum redimere conati

CHARITAS CHRISTIANORVM.

ſunt;

Digitized by Google

ſunt; nec voti compotes facti, plurimis cum quotidie proſecuti ſunt officiis, & quæ ad victum eſſent neceſſaria abunde ſubminiſtrarunt. Tandem vero dimiſſus à Syriæ Præſide; auro ſuffarcinatus in patriam rediit. Subdit poſt hæc auctor de ſecunda ab eodem inita peregrinatione, cum ſatis ſibi viatici in Chriſtianis repoſitum eſſe ſciret, apud quos in omni ageret rerum abundantia, & quoquo vellet ab iiſdem deduceretur: ſed demum admiſſo aliquo flagitio, ab eis reiectum magna eſſe rerum difficultate perplexum; & poſt multas alias peregrinationes, Romam aduenisſe; indeque edicto Imperatoris vna cum aliis philoſophis pulſum (factum enim id fuit rurſum à Domitiano Imper. paucos poſt annos) tandem noua arte immortalem ſibi gloriam paraturum, in Olympiis ſolemni pompa ſeſe dediſſe incendio comburendum: cuius rei geſtæ, qui præſens vidit, hiſtoriam ipſe Lucianus conſcripſit ad Chronium.

VI. Ex his autem facile intelligimus, quam prudenter Menſurius [n] Epiſcopus Carthaginenſis noluerit recipere quoſdam facinoroſos & fiſco debitores; qui occaſione perſecutionis ſub Diocletiano martyres ſe & confeſſores mentirentur, vt in cuſtodia detenti pecuniis ditarentur, & deliciis perfruerentur de obſequio Chriſtianorum. Quantam vero curam eorum qui fidei cauſa in carcere detinerentur, veteres Chriſtiani gererent; docent etiam Tertullianus [o], Cyprianus [p], & alij. Idemque Tertullianus [q] adeo frequentem ac neceſſariam inter Fideles omnes interceſſiſſe mutuam hoſpitalitatem ſignificat, vt inter Catholicæ communicationis ſymbola illam adnumeret; quam & S. Ioannes [r] Euangeliſta hiſce iiſdem temporibus laudauit in Gaio. Sed hæc ſatis ad inſinuandos ea de re antiquos Eccleſiæ mores.

n Ap. Aug. Breuic. collat. di. 3. c. 13. OFFICIA CHRISTIANOR. ERGA VINCTOS. o Tertul. ad mart. c. 1. p Cypr. ep. 5. & 37. q Tertul. de præſcript. c. 20. r Ioan. ep. 3.

IESV CHRISTI ANN. 76.

VESPASIANI IMP. AN. 5.

LINI ANN. 7.

I. ANnus Chriſti ſeptuageſimus ſextus adſcribitur antiquis Faſtis Veſpaſiano Auguſto quintum & Tito tertium Coſſ. Quibus (vt auctor eſt Cenſorinus [a]) ab iiſdem Imperatoribus Cenſores [b] etiam agentibus, habitum eſt nouiſſimum luſtrum: nam exinde à Conſulatu Domitiani duodecimo & Cornelij Dolabellæ, cœpti ſunt anni per Capitolinos Agones numerari, vt dicetur ſuo loco. Memorabile eſt autem, quod de longiſſima ætate complurium qui hoc luſtro cenſi ſunt (adeo vt plures inuenti fuerint centenum & quadragenum annorum) ſcribit Plinius [c]; qui decipi non potuit, cum in iiſdem cenſibus ex Conſulum notis quiſque annus quo quis natus eſſet deſcribi ſolitus, manifeſtior appareret. Ea vero qui attenderit, haud mirabitur cum Simeonem, Parmenam, Dionyſium, Ignatium, Polycarpum, & alios ipſius Domini vel Apoſtolorum diſcipulos, ad Traiani vel Hadriani tempora, aut vlterius vitam duxiſſe inferius legerit: qui diuina etiam agente diſpenſatione tam longæuam ætatem vixerunt, tum vt ipſorum prædicatione de iis quæ vidiſſent & audiſſent, facilius homines conuerterentur; tum vt eorumdem teſtimonio conſultum eſſet Eccleſiæ Dei aduerſus primos, ac proinde magis timendos hæreticos in eam inſurgentes.

a Cenſor. de natal. c. 18. b Plin. lib. 7. cap. 49. DE ÆTATE LONGÆVA MVLTORVM. c Id. ibid.

IESV CHRISTI ANN. 77.

VESPASIANI IMP. AN. 6.

LINI ANN. 8.

I. ANno Chriſti ſeptuageſimo ſeptimo, Veſpaſiano Auguſto ſextum & Tito quartum Coſſ. celeberrimum PACIS templum Romæ dedicatum eſſe, auctor eſt Dio [a], atque in eo, præter alia inſigniora toto terrarum Orbe quæſita ornamenta, illa præſertim quæ è templo Hieroſolymitano ſublata fuerant (præter Legem Iudæorum, & penetralium Vela purpurea, quæ Veſpaſianus in Palatio ſeruari voluit) repoſita eſſe, Ioſephus [b] ſcribit. Cur autem Veſpaſianus Paci primus templum erexerit (quod eſt ſuperius [c] demonſtratum) cum alias ſæpius hoſtibus grauioris momenti ſuperatis, Vrbique tranquilla pace donata (vt Auguſti præſertim temporibus accidit) nullus vmquam ei nomini templum extruxerit: id inde factum eſſe conijcimus, quod plurimorum (vt vidimus) adulatione illum ſe eſſe Regem perſuaſus, qui ex Iudæa proditurus vniuerſo dominaretur Orbi (quod de Chriſto dictum à Prophetis erat) omnia pariter quæ de illo prædicta erant, in ſe transferre curauerit; ſicut & aliis exemplis ſuperius demonſtrauimus. Cum igitur audiſſet Regem illum *Pacis* [d] *Principem* nominandum, paciſque nullum futurum eſſe finem, PACI ÆTERNÆ templum dicauit: eo enim titulo faciem porticus fuiſſe notatam, numiſmata antiqua & inſcriptiones declarant.

a Dio in Veſp. TEMPLVM PACIS ROMÆ DEDICATVM. b Ioſ. 7. de bell. 24. in ſ. c In pr. Annal. num. 5. d Iſai. 9. ERIGENDI TEMPLI PACIS RATIO.

IESV CHRISTI ANN. 78.

VESPASIANI IMP. AN. 7.

LINI ANN. 9.

I. ANno Chriſti ſeptuageſimo octauo creati ſunt Coſſ. Veſpaſianus ſeptimum & Titus quintum: quo ſicut & aliis huic coniunctis, nulla reperimus Eccleſiaſtica geſta: cum alioqui ſciamus, publicæ pacis opportunitate bene vſos eſſe Chriſtianos ad propagandam longe lateque religionem. At quoniam quid quolibet anno geſtum ſit, ex antiquis veriſque Eccleſiaſticis monumentis tradi nequit; conſultius exiſtimamus, hos Coſſ. alioſque plures, rerum noſtrarum vacuos præterire, quam pro arbitrio quid his vel illis ſit factum fingere; prout à quibuſdam recentioribus factitatum inuenimus, dum his annis Thomæ, Bartholomæi, Nathanaelis, vel aliorum, ſine auctore ponunt martyria contigiſſe.

IESV CHRISTI ANN. 79.

VESPASIANI IMP. AN. 8.

LINI ANN. 10.

I. ANno Chriſti ſeptuageſimo nono Conſulatum geſſiſſe reperiuntur Veſpaſianus octauum & Domitianus primum: ſed ſi ſuffectos huius Conſulatus cum iſto ordinario numeres, hic ſextus ordine ponetur. Atque adeo hic eſt ille ipſe Domitiani Conſulatus ordinarius, quem vnicum ei Suetonius [a] tribuit ante adeptum Imperium. Videnturque mihi errare illi, qui hoc anno ponunt Veſpaſianum octauum ac Titum ſextum. Nam & in antiqua inſcriptione [b] octauus Conſulatus Veſpaſiani iungitur cum ſexto Comitiani; numerando videlicet ſuffectos cum ordinario, ſecundum ea quæ dicta ſunt ſuperius [c]. Vnde quod Suetonius ait, Domitianum cedente fratre & ſuffragante geſſiſſe Conſulatum ordinarium; ſic intelligendum videtur, vt cum hactenus ipſe Titus ſemper ordinarius fuiſſet Conſul, & econtra Domitianus eius frater ſemper ſuffectus; hoc anno vice verſa (id agente Tito) Domitianus ordinarius, Titus fuerit ſuffectus.

a Suet. in Domit. c. 2. b Ap. Panuin. Faſt. l. 2. c An. 74. in pr. an. 75. in pr.

IESV CHRISTI ANN. 80.

VESPASIANI IMP. AN. 9.

LINI AN. 11.

I. ANno Chriſti octogeſimo, Commodo & Priſco Coſſ. *Linus* Romanus Pontifex, cum ſediſſet annos vndecim, menſes duos & dies viginti tres, nono Calendas Octobris, Saturnini Conſularis iuſſu martyrio coronatur. Quare cum Euſebius [a] & Epiphanius [b] tribuunt ei annos duodecim; vtique inceptos intellexiſſe puta-

LINI PAPÆ MARTYRIVM. a Euſ. in Chr. & 3. hiſt. 12. b Epiph. hær. 27.

putamus. Quod vero idem Euſebius euoluto anno ſecundo Titi ipſum deceſſiſſe ſcribit; nulla ratione cum illo duodenario annorum cohæret. Nam à tempore martyrij S. Petri vſque ad ſecundum Titi annum, quatuordecim ſaltem voluuntur anni. Nos autem cum non appareat quot diebus alicuius Pontificis ſedes vacauerit, à die ſequenti obitus præcedentis, annos eius qui ſubrogatus eſt cogimur numerare. Sicque recenſentes Lini annos à die poſt martyrium Petri, deducentesque vſque ad diem qua anniuerſaria eius commemoratio antiquitus fieri conſueuit, habitaque inſuper ratione annorum Cleti & Clementis ſucceſſorum Lini: non tantum annos eius ſedis, ſed & menſes & dies quos diximus, tutius putamus eſſe numerandos: cum præſertim diuerſa à diuerſis ſcribantur: nec quicquam certi habeatur quod omni ex parte ſubſiſtat.

II.
c Suet. in Tit. c. 9.
TITI MANSVETVDO.
d Dio in Tit.

Certe ſub Veſpaſiano potius quam Tito Linum conſummaſſe martyrium, ea etiam ratione perſuademur, quod Titum ſcribat Suetonius [c] adeo fuiſſe mitem vt etiam à ſontium, immo & Imperium affectantium, ipſique inſidiantium ſupplicio abhorruerit; eaque ex cauſa Pontificatum Maximum acceperit, vt puras ſeruaret manus. Dio [d] etiam illud amplius, neminem prorſus ſub eius Imperio morte affectum eſſe: ſed nec de crimine impietatis vnquam cognouiſſe nec permiſiſſe aliis vt cognoſcerent. Quid hoc autem niſi eum Chriſtianos (qui à Gentilibus impietatis in Deos arguebantur) iure ſuo quiete agere voluiſſe? At non ſic ſub Veſpaſiano: nam etſi non aliorum, ſaltem delinquentium punita ſunt crimina. Et ſub eo Chriſtianos quoſdam reos violatæ Gentilium religionis punitos eſſe demonſtrant exempla Apollinaris [e] Epiſcopi Rauennatis, & Leontij ac ſociorum militum, & ſi quorum aliorum. Ceterum in libro de Romanis Pontificibus, errorem irrepſiſſe in notas Conſulum, quibus horum primorum Pontificum anni conſignantur, iam ſuperius eſt obſeruatum.

e Martyrol. Rom. 23. Iul. & 18. Iuny.

III.
DE ORDINATIONIBVS ROM. PONTIF.

Quod vero eodem libro tum in Lino, tum in ſingulis aliis Romanis Pontificibus, recenſentur ab illis factæ Ordinationes, non ſolum diaconorum & presbyterorum qui Romanæ Eccleſiæ vſui eſſent, ſed etiam Epiſcoporum qui in diuerſas Orbis prouincias mitterentur; ex his ſatis perſpicuum redditur, fuiſſe muneris Romanorum Pontificum, non ſolum Vrbis, ſed & Orbis totius Eccleſiæ conſulere. Quod ſemel de eiuſmodi Ordinationibus annotaſſe ſufficiat. Traditur quoque eodem libro, Linum ex præcepto S. Petri conſtituiſſe, vt mulier velato capite in Eccleſiam introiret. Sepultumque fuiſſe iuxta corpus eiuſdem S. Petri in Vaticano. Fertur [f] inſuper ſcripta ab eo hiſtoria de altercatione Petri cum Simone Mago; ſed non extat. Acta vero Paſſionis Petri & Pauli, quæ itidem eius nomine conſcripta habentur, multis eſſe referta erroribus ſuperius eſt dictum. Subrogatus eſt autem ei CLETVS Romanus, patre Æmiliano, ex vico Patricij.

f Trith. de vir. illuſt. & Sixt. Sen.

CLETVS PAPA.

VESPASIANI IMP. AN. 10.

IESV CHRISTI ANN. 81.

CLETI ANN. 1.

I.

ANno Chriſti octogeſimoprimo, Veſpaſianus nonum & Titus ſeptimum Conſulatum adierunt; tametſi re vera, hic ſextus habeatur Titi ordinarius: nam licet ex Suetonio [a] conſtet eum vna cum patre ſeptem Conſulatus geſſiſſe, vnus tamen ex his eiuſdem auctoris [b] ſententia ſuffectus habetur.

a Suet. in Tit. c. 6.
b Vid. ſup. in an. 79.

II.
VESPAS. OBITVS.

Hoc igitur anno idem Veſpaſianus Auguſtus annum agens ætatis ſexageſimum nonum, & diem trigeſimum ſeptimum, octauo Calendas Iulij ex hac vita profluuio ventris ſublatus eſt in villa propria circa Sabinos, cum imperaſſet annis decem minus ſex diebus ducendo annorum numerum ab ea die, qua in Ægypto primum acclamatus eſt Imperator. Cur autem alij alium eiuſdem Imperij ponant annorum numerum, inde eueniſſe videtur, quod alij numerent à tempore necis Vitellij, alij ex quo per Senatuſconſultum eſt illi decretum Imperium. Ceterum eo defuncto, TITVS eius filius ſtatim capeſſiuit Imperium; qui mirifice ab omnibus auctoribus laudatur humanitatis, beneficentiæ, atque etiam continentiæ, ex quo tempore Principatum ſolus obtinuit; de quo & plura dicta ſunt ſuperius. Haud vero tacendum quod de illo ſcribit Suetonius [c], adeo fuiſſe animo in omnes beneficentiſſimo, vt non permitteret quempiam à ſe minus voti comporem factum triſtem abire: cumque aliquando recordatus ſuper cœnam eſſet, quod nihil cuiquam toto illo die præſtitiſſet, memorabilem illam meritoq; laudatam vocem edidiſſe, *Amici, diem perdidi*; quam ſententiam in homine Ethnico vehementer admiratus eſt S. Hieronymus [d].

TITVS IMPERAT.

c Suet. in Tit. c. 8.

d Hier. in ep. ad Gal. c. 6.

III.
e Suet. in Tit. c. 8.
f Dio in Tito.
g Plin. ep. ad Tacit.
DE MONSTROSA ERVPTIONE FLAMMARVM EX VESVVIO.

Hoc eodem anno facta eſt admiranda illa ex monte Veſuuio in Campania flammarum eruptio, quæ à Suetonio [e] ſummatim ſcribitur, ſed à Dione [f] fuſius deſcribitur; eandemque accidiſſe ait ſub tempus Autumni, quam expreſſius Plinius [g] Iunior cœptam dicit Calendis Nouembris hora ſeptima. Ait igitur Dio, primo magnum numerum hominum inuſitata magnitudine in eodem monte regioneque finitima, interdiu noctuque vagari in aere viſus eſſe: poſt hæc conſecutam maximam ſiccitatem, & graues terræmotus: auditos etiam ſonitus ſubterraneos, tamquam tonitrua: deinde mare fremere cœpiſſe, omneque cœlum reſonare; ingentemque & repentinum fragorem, quaſi montes ſimul conciderent exauditum. Tum vero exiliiſſe primum immenſos lapides, deinde magnam copiam ignis fumique, ita vt omnem aerem obſcuraret, occultaretque Solem: vnde pleriſque perſuaſum eſſet, mundum in chaos redigi, aut igne conſumi. Tantam enim fuiſſe copiam cineris, vt terram, mareque atque ipſum aerem compleret; maximo illato hominibus, prædiis, atque pecoribus damno, omnibuſque piſcibus ac volucribus peremptis; & duabus vrbibus, Herculano & Pompeijs, populo ſedente in theatro, penitus obrutis. Poſtremo tantum fuiſſe cinerem, vt inde peruenerit in Africam, Syriam, & Ægyptum; introierit etiam Romam, eiuſque aerem compleuerit, & Solem obſcurauerit, ac demum grauem peſtilentiam excitauerit. Hæc Dio. Quæ quidem, & alia id genus loca, quæ continuis ignibus flagrant, nec tamen vmquam erogantur, à Deo viua exempla data eſſe hominibus ignis æterni, quo peccantes inexeſis corporibus in inferis puniuntur, Tertullianus [h], Minutius [i], & Pacianus [k] inprimis declarant. Quamobrem eiuſmodi terræ fauces igneas, veluti quaſdam inferni portas per quas delinquentium animę inferrentur, apposite in viſu ſæpe monſtratas eſſe ſanctis viris, videbitur inferius ſuis temporibus. Tradunt autem Plinium Seniorem, dum cauſam incendij in Veſuuio monte curioſius ſcrutaretur, in ipſo periiſſe.

IMAGO ÆTERNI SVPPLICII.

h Tert. Apolog. c. 48.
i Minut. in Octau.
k Pacian. de pænit. & confeſſ.

TITI IMP. AN. 1.

IESV CHRISTI ANN. 82.

CLETI ANN. 2.

I.
INCENDIVM VRBIS.

ANno Chriſti octogeſimoſecundo, Titus Auguſtus octauum & Domitianus ſeptimum inìere Conſulatum, numerando vtriuſque ſuffectos cum ordinariis, ſecundum ea quæ dicta ſunt ſuperius. Quo anno, Roma eruptione Veſuuij iam ſatis afflictata, rurſum incendio cœlitus immiſſo tribus diebus totidemque noctibus magna ex parte conflagrauit; vt ſcribunt Suetonius [a] & Dio [b]: eoque incendio conſumptumque eſt templum Iouis Capitolini, Pantheon, aliaque plura delubra, ac loca publica, & innumera priuata. Quæ quidem omnia ad profectum Euangelij proueniſſe, par eſt exiſtimare; cum Gentiles his perterriti malis, & Sibyllinis [c] etiam oraculis de mundi per ignem futuro interitu moniti, eumdem iam imminere exiſtimantes, multi haud dubium ad Chriſtianos eadem prædicantes concurrerunt: & maxime

a Suet. in Tit. c. 8.
b Dio in Tit.

c Ap. Lact. de ira Dei c. 23.

CHRISTIANI BENE VSI OPPORTVNITATE. d Chryſ. ho. 45. in Act.

xime quod Hieroſolymis iam exciſis, impletiſq; de iiſdem quæ Dominus prædixiſſet, reliqua etiam quæ de futuro vltimo ſuo ipſius aduentu ſigna adiunxerat, iam manifeſtari iidem Chriſtiani vehementius inculcarent. Sic enim & alias Conſtantinopoli d accidit, vt cum immineret deſuper ignea nubes multa millia hominum ad Eccleſiam vt baptiſmo initiarentur confugerint.

TITI IMP. AN. 2.

IESV CHRISTI AN. 83.

CLETI AN. 3.

a Dio in Tito. TITI OBITVS. b Suet. in Tit. c. 11.

I. ANNO Chriſti octogeſimo tertio creati ſunt Coſſ. Flauius & Pollio, vt habet Dio [a]; licet loco Flauii poſuerint quidam recentiores Sextum Annium Siluanum. Hoc igitur anno Idibus Septembris, Titus Imperator, *Amor & deliciæ generis humani* dictus, ſummo omnium dolore, veneno per Domitianum fratrem (vt fama fuit) mortem oppetiit in ea villa qua pater eius; annos natus quadraginta vnum, cum imperaſſet poſt partem biennio, menſibus duobus & diebus viginti. Hæc ex Suetonio [b], atque Dione.

DOMITIANVS IMPERAT. c Suet. in Domit. c. 9. d Idem c. 7. Ammian. & alii. DOMIT. VINDEX PVDICITIÆ. e Dio in Domit. f Suet. in Domit. c. 8.

II. Succeſſit in locum eius DOMITIANVS ipſius germanus, homo natura ſæuus, ingenio vafer, quem nec multis officiis Titus clementiſſimus valuit demereri. Verum ipſo principatus initio ab omni cæde abſtinuiſſe, idem Suetonius [c] tradit. Laudataſque ſanciuit leges; & illam [d] in primis, ne quis intra fines Imperii Romani caſtraretur; quippe qui ſciret huiuſmodi homines ſolere eſſe in deliciis dominorum: & hoc (vt ait Dio [e]) quo ſe ſanctiorem Tito eſſe demonſtraret. Legem quoque Iuliam de adulteriis reſtituit, & grauiſſimis pœnis exagitauit nobiles potiſſimum feminas, quæ pudicitiæ violatæ conuincerentur: probroſis [f] autem lecticæ vſum ademit, iuſque capiendi legata & hæreditates. Haud tamen ipſe adeo purus: quippe qui nepti Iuliæ ſtuprum intulit, ac velut pro coniuge habuit; libidinoſuſque non in mulieres tantum, ſed & in pueros fuit.

DOMIT. IMP. AN. 1. 2.

IESV CHRISTI AN. 84. 85.

CLETI AN. 4. 5.

I. ANNO Chriſti octogeſimo quarto, Domitianus octauum iniit Conſulatum vna cum Flauio Sabino: quo nihil geſtum reperitur, quod dignum ſit Annalibus noſtris inſeri.

DOMIT. INSECTATVS EST PHILOSOPHOS. a Euſ. in Chron. an. 9. & 15. Domit.

II. Anno vero octogeſimo quinto, eodem Domitiano Auguſto nouum & Virginio Ruſo Coſſ. idem Imperator quam hactenus ſimulauerat clementiam exuens, immani feritate in ciues ſæuire cœpit, quorum diuerſis prætextibus alios relegauit, alios vltimo affecit ſupplicio. Sed hæc pluribus, qui res ab eo geſtas ſcripſerunt, Suetonius, Philoſtratus, Diones Caſſius & Chryſoſtomus, atq; alii. Quibus etiam auctoribus, & adſtipulatore Euſebio [a], cōſtat eumdem poſtea philoſophos aggreſſum, iterato edicto ab Vrbe & Italia expuliſſe, & plures alios occidiſſe quod philoſophiæ darent operam. Quid vero poſt hæc in Iudæos, ac demum in Chriſtianos ſanxerit, videbitur ſuis locis.

DOMIT. IMP. AN. 3.

IESV CHRISTI AN. 86.

CLETI AN. 6.

DOMIT. VVLT VIDERI PIVS. a Suet. Dio. & alii.

I. ANNO Chriſti octogeſimo ſexto, Domitiano decimum & Iunio Sabino Coſſ. idem Imperator templa ſub Tito Romæ exuſta, & inter alia Iouis Capitolini, iterum cōcrematum intra annos duodecim, ſumma impenſa reſtituenda curauit. [a] Addiditq; noua, ac præcipue Flauiæ gentis, quando & *Flauios* inſtituit Sacerdotes. Eodemque hoc anno tertio eius Imperii, tres Virgines Veſtales ob ſtuprum damnatas, more [b] maiorum viuas infodi iuſſit. Quænam vero iſtæ fuerint, & quæ cauſa præceſſerit eiuſmodi iudicii iam propemodum antiquati reſtituendi; Plutarchus [c] narrat, dum deteſtatur immane facinus Romæ perpetratum, cum ex Sibyllinis (vt ferebatur) oraculis, ad auertenda mala publica quæ ob eiuſmodi Virginum inceſtum ventura prædicerentur duos viros, totidemque feminas, innoxios, alteros Græcos, alteros Gallos, in Foro Boario viuos defodiſſent.

b De quo Id. Plutar. in Numa, Liu. 1. dec. 8. Dionyſ. Halicar. lib. 2. hiſt. Rom. & alii. c Plut. probl. R. q. 83.

II. Quod recenti exemplo Neronis, Chriſtiano ſanguine incendii piaculum expiantis, vel teſtimonio antiquorum qui Apologias pro Chriſtianis ſcripſerunt, affirmantium Romanos omnia prodigia atque Imperii mala in Chriſtianos reiicere conſueuiſſe, quorum cauſa ab iratis diis ea immitti dicerent, atque adeo ipſos Chriſtianos ad pœnam quærerent; ſi res æſtimanda: equidem puto aſſeri poſſe, quatuor illos innoxios infoſſos viuos numinis placandi cauſa Chriſtianos fuiſſe. Siquidem inter alios ſcribit Tertullianus [d], Gentiles Chriſtianum hominem, omnium ſcelerum reum, deorum, Imperatorum, legum, morum, naturæ totius inimicum exiſtimaſſe; ob idque habitos [e] eſſe publicos hoſtes; quos (vt addit [f]) exiſtimarent omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi eſſe cauſam: adeo vt ſi Tiberis aſcenderit, ſi Nilus non aſcenderet in arua, ſi cœlum ſtaret, ſi terra moueret, ſi fames, ſi lues; ſtatim Chriſtiani peterentur, damnarenturque ad leonem, & alia ſupplicia.

d Tert. Apolog. c. 2. e Ibid. c. 35. f Id. c. 40.

DOMIT. IMP. AN. 4.

IESV CHRISTI AN. 87.

CLETI AN. 7.

I. ANNO Chriſti octogeſimo ſeptimo, Domitiano Auguſto vndecimum & Aurelio Fuluio Coſſ. defuncto *S. Aniano* Epiſcopo Alexandrino poſtquam ſediſſet annos viginti duos in eius locum (vt Euſebius [a] eſt auctor) ſubrogatus eſt *Abilius*.

a Euſ. in Chr. & 3. hiſt. 12.

DOMIT. IMP. AN. 5.

IESV CHRISTI AN. 88.

CLETI AN. 8.

a Cenſ. de die nat. c. 14. ANNI AGONALES.

I. ANNO Chriſti octogeſimo octauo, Domitiano Auguſto duodecimum & Cornelio Dolabella Coſſ. idem imperator (vt auctor eſt Cenſorinus [a]) per AGONES CAPITOLINOS annos eſſe in poſterum numerandos inſtituit: ſicque ab hoc anno primus Agonalis cœptus eſt numerari. Porro inſtar Olympiadum Agonem vnumquemque quatuor annos continuiſſe, idem auctor docet ex eo quod in libro [b] de Die natali quem tunc ſcribebat, numerat triginta octo Agonas expletos & trigeſimum nonum numerari, cœptum, ab hoc anno vſq; ad Conſulatum Vlpii Criniti & Proculi Pontiani quem ponit accidiſſe anno à prima Olympiade milleſimo decimo quarto, ab Vrbe Condita nongenteſimo nonageſimo primo, nempe ſecundum Chronologiam noſtram anno Chriſti ducenteſimo quadrageſimo.

b Id. c. 15. & 16.

II. Ceterum cum anni Olympiadum inciperent numerari à fine menſis Iunii, Domitianus Agonales inchoari voluit poſt ſex menſes, nempe ab initio Ianuarii: qua ratione hic ipſe, qui numeratur ducēteſimæ decimæ ſextæ Olympiadis annus primus, cœptus tamē anno ſuperiori, Agonalis eſt primus; prout apparet ex eis quæ de numero Olympiadum idem auctor ſcribit. Inſtituit pariter (vt ait Suetonius [c]) *Quinquennale certamen* Capitolino Ioui triplex, Muſicum, Equeſtre, & Gymnicum; quod videlicet exacto quolibet Agonali, anno quinto, qui ſequentis Agonalis primus eſſet, celebraretur.

c Suet. in Dom. c. 4.

DOMIT. IMP. AN. 6.

IESV CHRISTI AN. 89.

CLETI AN. 9.

I. DOMIT. VT DEVS VVLT COLI. a Id ibid. c. 13. b Mart. l. 8. epigram. c Stat. Silu. lib. 4.

ANNVS Chriſti octogeſimus nonus, Domitiani Auguſti Conſulatu decimotertio & Vo uſii Saturnini conſignatur in Faſtis. Quo Euſebius notat in Chronico, eumdem Domitianum eo veſaniæ peruenisſe, vt ſe DEVM & DOMINVM iuſſerit appellari. Eſtque inſtitutum poſt hæc (inquit Suetonius [a]) vt ne ſcripto quidem ac ſermone vſquam appellaretur aliter, Quo etiam nomine ſæpius reperitur nominatus ab aſſentatoribus poetis illius temporis, Martiale [b] & Statio [c].

II. FILIVS VIRGINIS SE ASSERVIT. d Philoſt. in Apoll. l. 7. e Ioſ. de vita ſua in fi. f Euſeb. 3. hiſt. 15.

Sed immenſa plane inſania, dum deæ virginis filius dici voluit, nempe Palladis, & ſiquis facere detrectaſſet, tamquam magni criminis reus detrudebatur in carcerem, prout apparet ex Philoſtrato [d] in vita Apollonij. Sed cur filius virginis? Numquid à Ioſepho Iudæo eius lateri inhærente, & quem (vt ipſemet [e] teſtatur) idem Domitianus ſummis cumulauit honoribus, ſuggeſtum eſt ex oraculis Prophetarum, ita fore qui in perpetuum regnaturus eſſet Rex, quod antea ſuggeſſerat Veſpaſiano? Sane quidem Domitianum eamdem ſpem concepiſſe, quam Veſpaſianum habuiſſe vidimus; inde poteſt coniectura ſumi, quod ſicut illa, ita & ipſe inquiri fecit [f] ſiqui reliqui eſſent ex familia Dauid. Hæc porro omnia opportune de nouo Deo contigerunt, quo Chriſtianis ad confutandam ſuperſtitionem Gentium de diis reliquis, huius exemplo quinam illi fuiſſent patens ſuppeteret argumentum.

DOMIT. IMP. AN. 7. 8.

IESV CHRISTI AN. 90. 91.

CLETI AN. 10. 11.

I. a Euſeb. in Chron.

ANNO Chriſti nonageſimo, Domitiano Auguſto decimumquartum & Minutio Ruſo Coſſ. idem Imperator [a] expeditionem habuit aduerſus Dacos: cuius res geſtas conſcripſit Dio, oſtendens in ſuperbiſſimo principe magnam cum animi torpore coniunctam ignauiam.

II. b Euſ. ibid. c Philoſt. l. 7. & 8. APOLLONIVS REVS VOCATVR ROMAM.

Anno vero Chriſti nonageſimo primo, Aurelio Fuluio & Sempronio Atracino Coſſ. ex eadem expeditione reuerſus in ciues gladium conuertens, complures [b] occidit, ac pleroſque in exilium miſit, & inter eos Cocceium Neruam [c] qui ei poſtea in Imperium ſucceſſit. Hunc cum audiſſet vti conſuetudine Apollonii Tyanæi, quem ſciebat magum; timens Imperio, ipſum Tyanæum Romam acceſſiuit, reum factum quod vaticinandi cauſa de Neruæ futuro Imperio, puerum occidiſſet, quodque incantator eſſet, & Deus haberi vellet, a ſaque id genus; ſed maxime quod eos coleret homines, quos ipſe Imperator odiſſet. Qui quidem perductus ad Domitianum, coma ac barba (quod philoſophantium erat inſigne) contemptus cauſa coram ipſo radi, ac inter ſceleratos vinciri iuſſus eſt. Poſt hæc vero defenſione habita, cum eumdem inuitum Domitianus retinere vellet, inuiſibilis ille per magiam ſuam factus euanuit, & Puteolis vbi ſocii expectabant improuiſus apparuit: Epheſumque reuerſus, ibi manſit vſque ad Domitiani interitum. Sed hæc pluribus Philoſtratus. Cæterum Neruam mox Domitianus Romam reuocatum, Conſulem in ſequentem annum deſignauit.

EVANVIT AB OCVLIS DOMITIANI.

DOMIT. IMP. AN. 9.

IESV CHRISTI ANN. 92.

CLETI AN. 12.

I.

ANNO Chriſti nonageſimo ſecundo, Domitiano Auguſto decimumquintum & Nerua Cocceio ſecundum Coſſ. IOANNES Euangeliſta, qui Aſianas Eccleſias Epheſi degens curabat, Romam ad Domitianum reus impietatis à Proconſule Aſiæ vinctus mittitur. Id enim hoc potiſſimum anno contigiſſe exiſtimamus, nempe ipſo exordio perſecutionis per Domitianum excita, cum nondum vſque ad gladium progreſſa eſſet. Porro feruntur quædam epiſtolæ eorumdem Domitiani & Proconſulis, vltro citroque datæ de Ioanne Romam mittendo, eiuſque geſtis coram Domitiano, nomine Prochori ſcriptæ: Sed quoniam multis mendaciſſimus hic auctor fuiſſe conuincitur; ſiqua vera in eis inſunt, ſicut eſſe credimus, eadem haud tuto poſſumus affirmare.

IOANNES APOST. REVS ROMAM MITTITVR.

II. IOAN. QVÆ ROMÆ PASSVS. a Tert. de præſcr. c. 36. b Euſ. 3. hiſt. c Hiero. in Iouin. lib. 1. & in Matt. 20. d Apoc. 1. e Epiph. hær. 51.

Illud certe veriſſimum eſſe cognoſcitur, quod ſcribit Ioannem Romæ immiſſum eſſe in feruentis olei dolium; ſiue potius ſolium; nihilque paſſum relegatum eſſe in inſulam Pathmos, quæ vna eſt ex Sporadibus. Nam eiuſdem veritatis grauiſſimi ſunt adſtipulatores Tertullianus [a], Euſebius [b], Hieronymus [c]: extatque hactenus Romæ apud Portam Latinam eius rei vetus ac nobile monumentum: immo & ipſa dies qua id fieri contigit, pridie Nonas Maij perpetua annua celebritate ab eccleſia Catholica recolitur. De relegatione vero Ioannis in Patmon, ipſemet locupletiſſimus eſt teſtis in ſua, quam poſtea (vt dicetur) ibi ſcripſit, Apocalypſi [d]. Ceterum hæc ſub Domitiano eſſe facta, tam Latini quam Græci Eccleſiaſtici ſcriptores affirmant; excepto Epiphanio [e], apud quē (neſcimus quomodo) ſub Claudio iam Patmo reuerſus dicitur. Sicut etiam errâſſe reperitur Aretas Cæſarienſis, dum in ſuis in Apocalypſim commentarijs, Ioannis exilium ſub Nerone accidiſſe ſcribit. Porro Victorinus Pictauienſis, atque Primaſius, in commentarijs quos itidem ediderunt in Apocalypſim; tradunt Ioannem illuc à Domitiano eſſe relegatum ad effodienda metalla. Cum autem illic ageret, ad pietatem inſtituiſſe omnes eiuſdem inſulæ accolas, ex antiquioribus monumentis Metaphraſtes affirmat.

DOMIT. IMP. AN. 10.

IESV CHRISTI AN. 93.

CLEMENT. AN. 1.

I. CLETVS PAPA MORITVR.

ANNO Chriſti nonageſimo tertio, Vlpio Traiano & Acilio Glabrione Coſſ. vigeſima ſexta menſis Aprilis, *Cletus* Romanus Pontifex martyrio coronatur, cum ſediſſet annos duodecim, menſes ſeptem & dies duos, numerando à ſequenti die ab obitu Lini. De quo traditur in libro de Romanis Pontificibus, ex præcepto S. Petri ordinaſſe viginti quinque presbyteros in Vrbe Roma; Sepultum vero eſſe iuxta corpus eiuſdem Apoſtoli in Vaticano; ac ceſſaſſe Epiſcopatum eius dies viginti. Qui & primus in literis ſuis vſus dicitur verbis illis SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM. Poſt eum vero ſuffectus eſt CLEMENS Romanus è Regione Cœlii montis, patre Fauſtino natus, antiquus Petri & Pauli Apoſtolorum diſcipulus. Hunc enim illum eſſe, cuius Paulus meminit ad Philippenſes [a], omnes exiſtimant: quem eumdem S. Eucharius [b] vetuſta proſapia Senatorum, & ſtirpe Cæſarum fuiſſe tradit; forte illum cum eo Clemente Conſulari confundens, quem Domitiani iuſſu occiſum videbimus. Quæ vero de huius ſucceſſione dubia controuertuntur, ea ſuperius diſſoluta ſunt in Lini ingreſſu. Sed enim & corrigendus eſt Euſebius [c], cum ponit Clementis inſtitutionem anno duodecimo Domitiani; nec ab alio quam à ſe ipſo: quippe cum dicat Clementem ſediſſe annos nouem, obiiſſe autem [d] anno tertio Imperii Traiani (quod & alii omnes affirmant) neceſſe eſt vt hoc anno Domitiani decimo eius ponatur ingreſſus.

CLEMENS SVCCEDIT. a Phil. 4. b Eucher. ep. ad Valer. c Euſ. 3. hiſt. 15. d Idē. hiſt. 28.

II. DE PERSECVTIONE DOMITIANI. e Euſ. 3. hiſt. 17.

His igitur exordiis, Ioannis exilio, & Cleti nece SECVNDA in Chriſtianos à Domitiano eſt PERSECVTIO excitata. De qua agens Euſebius [e], iure eumdem Domitianum hæredē nominat Neronianæ ſæuitiæ. Nam & ab ipſis Ethnicis *Nero* eſt appellatus: immo & ipſo Nerone ſæuiorem fuiſſe,

f Tac. in vit. Agric.

fuiſſe. Tacitus [f] demonſtrat; dum ait Neronem ſubtraxiſſe oculos crudelitati, & iuſſiſſe ſcelera, non ſpectaſſe: præcipuam vero ſub Domitiano miſeriarum partem extitiſſe, videre & aſpici, cum denotandis tot hominum palloribus ſufficeret ſæuus ille vultus. Denique nihil eum ſibi ad extremam crudelitatem reliqui feciſſe Herodianus [g] ait. Qua etiam de cauſa eundem Tertullianus [h], *Portionem Neronis* appellauit: ſed plane errore lapſus, dum vult eum quaſi facti pœnitentem, quos in exilium Chriſtianos expuliſſet, reuocaſſe: quod non ab eo, ſed ab eius ſucceſſore Nerua eſſe factum, omnes affirmant. Et quod Hegeſippus [i] aſſerit; Domitianum poſtquam inquiſitione facta de iis qui ex ſtirpe Dauidis eſſent vt eos neci traderet (vehemẽti enim metu perculſus erat de aduentu Chriſti) eoſdem inuentos tamquam abiectos & ſimplices aſpernatus, liberos dimiſiſſet; deſtitiſſe à perſecutione quam inſtituerat contra Eccleſiam: vel oportuit Hegeſippum intellexiſſe de perſecutione in eam tantum eccleſiam quæ in Iudæa erat, atque ex ea cauſa tantummodo permota eſſet: vel ſi de vniuerſa Eccleſia (ſicut Tertullianus) intellexit, dicendũ eſt eamdem perſecutionem à Domitiano hoc anno cœptam, aliquando poſteris temporibus intermiſſam, acerbiori iterum ſæuitia ſub finem eius Imperii recruduiſſe.

g Herod. li. 2. h Tert. Apolog. c. 5. & ap. Euſ. 3. hiſt. 15.

i Hegeſ. ap. Eu. 3. c. 15.

DOMIT. INQVIRIT HOMINES STIRPIS DAVIDICÆ.

III. IGNATIVS PERSECVTIONE AGITATVS.

At quoniam (vt dictum eſt) his ipſis perſecutionis exordiis, qui præ cæteris in Eccleſia eſſe videbantur illuſtres, primi ad ſupplicium quærerentur; apparet & S. Ignatium Antiochenum Epiſcopum, hoc eodem anno eadem eſſe clade vexatum. Scribens enim ipſe ad Mariam Caſſobolitem ſpectatiſſimam ſanctitate feminam, de Clementis nupera creatione, ſimul etiam mentionem habet de ſuis, quæ eodem tempore cum ea ſcriberet, pateretur, exiliis, cuſtodiis, & vinculis. Iiſdemque prope temporibus, Pergami in Aſia *Antipas* illuſtris martyr paſſus eſt; de quo inprimis Ioannes Apoſtolus meminit in Apocalypſi [k], quã poſt tres annos ſcripſit. Eum autem in bouem æneum candentem coniectum, martyrium conſummaſſe, teſtantur ipſius Acta [l] antiquitus ſcripta, necnon Martyrologium Romanum, & Menologium Græcorum.

k Apocal. 2.

l Ap. Sur. 11. April.

IESV CHRISTI AN. 94.

DOMIT. IMP. AN. 11.

CLEM. AN. 2.

I.

ANNO Chriſti nonageſimo quarto, Domitiano Auguſto decimum ſextum & Voluſio Saturnino Coſſ. Acilius Glabrio qui ſuperiori anno geſſit Conſulatum, vna cũ nonnullis aliis (vt ait Dio [a]) illato crimine *abſtrelor*, quod ad Iudæorum mores tranſiiſſet, ſic enim, vt ſæpius dictum eſt, quod ex Iudæis deſcenderent, Chriſtianos Ethnici appellabant) primo quidem adhuc agens Conſulem, vocatus in Albanum ad Iuuenalia, & in ſententia perſiſtens, in theatrum eſt immiſſus vt cum immani leone pugnaret: verum ab illo non ſolum non eſt læſus, ſed eum egregie ipſe confecit. Quamobrem poſtea eadem ex cauſa quod Romanos Deos non coleret, iuſſus eſt interfici. Hęc ex Dione. Dolemuſque vehementer, tam illuſtrium martyrum Acta penitus excidiſſe: nec (ſicut de aliis multis accidit) vllam prorſus reliquam eſſe memoriam, niſi quæ in Gentilium hiſtoricorum commentariis ſubobſcure eſt indicata; deperditis inuidia Diocletiani (vt dicetur ſuo loco) pleriſq; ſcriptorum Chriſtianorũ monumentis. Quomodo vero hęc eadem perſecutio Domitiani, ad domeſticos vſq; atque propinquos graſſata ſit, videbitur inferius.

a Dio in Domit. ACILII GLABRIONIS EXCOSS. I. REGIVM PRO FIDE CERTAMEN.

II. b Suet. in Domit. c. 12. IVDÆI A DOMIT. VEXATI. c Iuuen. Sat. 3.

Eſt quoque auctor Suetonius [b], Iudæos Romæ agentes à Domitiano vexatos eſſe nouis & acerbiſſimis exactionibus: atque adeo pro ſingulis etiam arboribus ruris quod conduxiſſent, tributum pendere coactos Iuuenalis [c] tradit: qui & vt oſtendat miſerrimam Iudæorum conditionem, ac ſordidiſſimam mendicitatem, ait eorum ſupellectilem fuiſſe tunc temporis, *Cophinum & Fœnum.*

III. d Euſ. in Chron.

Hoc ipſo anno vndecimo Domitiani (vt teſtatur Euſebius [d]) Cornelia Virgo Veſtalium Maxima, abſens & inaudita ab eodem Imperatore inceſti damnata, viua ſub terram more maiorum defoſſa eſt: quam rem geſtam, immanitate Domitiani plane dignam, Iunior Plinius [e] ad Minutianum egregie deſcripſit.

MAXIMA VESTALIVM VIVA DEFOSSA. e Plin. lib. 4. ep. 11.

IESV CHRISTI AN. 95.

DOMIT. IMP. AN. 12.

CLEM. AN. 3.

I. CLEMENTIS PP. AD CORINTHIOS EPISTOLA.

ANNO Chriſti nonageſimo quinto, Coſſ. creati ſunt Sextius Pompeius Collega & Cornelius Priſcus. Quo tempore laborante diro ſchiſmate Corinthiorum Eccleſia, Clemens Papa, ad quẽ ſpectabat vniuerſo Chriſti gregi proſpicere, ſcripta ad eos ipſius Eccleſiæ Romanæ nomine epiſtola, ad mutuam concordiam ineundam conſeruandamque adducere conatus eſt. Celebris & pręclara admodum ea fuiſſe prædicatur, quam auctoritate etiam Hegeſippi & Dionyſii Corinthii mirifice laudans Euſebius [a], ait ad ſua vſq; tempora publice à plurimis Eccleſiis (perinde ac ipſæ Apoſtolicę Epiſtolæ) legi ſolitam. Cuius & compendium Irenæus [b] ſummatim perſtrictum recitaſſe videtur, dum eam de illa quæ in Deum eſſet fide, & Eccleſiæ traditionibus tractaſſe ſcribit. Recitantq; ex eadem varia fragmenta (cum iniuria temporum ea penitus excidiſſe videatur) Clemens [c] Alexandrinus, Hieronymus [d], & ſiqui alii.

a Euſ. 3. hiſt. 12. & lib. 4. c. 22. b Iren. lib. 3. ca. 3.

c Clem. Alex. l. 4. & 5. Strom. d Hier. in Iſa. 52.

II. e Id. adu. Iouin. lib. 1. f Epiph. hær. 30. PLVRES CLEMENTIS EPISTOLÆ.

Quod vero teſtatur Hieronymus [e], Clementem in ſuis Epiſtolis omnem pene ſermonem de Virginitatis puritate contexuiſſe; demonſtrat plures etiam à Clemente eſſe ſcriptas Epiſtolas. Quemadmodum & Epiphanius [f] meminit de pluribus eiuſdem epiſtolis Encyclicis (ſic enim eas appellat, quod omnibus Eccleſiis communes eſſent, & per manus traditæ ſingulis, vniuerſum Chriſtianum Orbem circumirent) quæ legi ſolerent in eccleſiis. Dumque ait, ſicut & Hieronymus, eiſdẽ litteris prædicaſſe virginitatem; plane conſtat diuerſas ab his fuiſſe quæ hodie habentur titulo Clementis inſcriptæ, in quibus nulla eſt de virginitate inſtituta tractatio. Poſteriorem autem illam, quæ Clementis etiam nomine ad eoſdẽ Corinthios vulgata ferebatur, nequaquam perinde ac priorem approbatam, ſcribunt Euſebius [g] & Hieronymus [h]: quam, quod nonnulla haberet noua & inuſitata, atq; incongruas Scripturarum interpretationes, iure exploſam ab omnibus monſtrat Photius in ſua Bibliotheca. Citat vero idem S. Hieronymus [i] ex quadam Clementis epiſtola, locum de *Mundis trans Oceanum poſitis*, quem Origenes interpretatur. Sed de his hactenus de reliquis autem Clementis nomine vulgatis ſcriptis dicetur in eius obitu.

g Euſ. 3. hiſt. 32. h Hier. de ſcript. Eccleſ. in Cle.

i Idem in Epiſ. 2. k Orig. periarch. l. 2.

IESV CHRISTI AN. 96.

DOMIT. IMP. AN. 13

CLEMENT. AN. 4.

I. a Ioſ. 20. antiq. & in vita ſua. IOSEPHI HISTORICI LVCVBRATIONES.

ANNO Chriſti nonageſimo ſexto, L. Nonio Aſprenate & M. Arricino Clemente Coſſ. anno Imperii Domitiani decimo tertio, Ioſephus [a] Iudæus hiſtoricus commentarium *de Antiquitatibus Iudaicis* viginti libris diſtinctum, Romæ abſoluit annum ipſe agens ætatis quinquageſimum ſextum. An vero ſcripſerit quæ ſe compendio tractaturum promiſit, bella Iudaica, quæ iam ſub Veſpaſiano fuſiori oratione conſcripſerat, ignoratur: commentarius enim ille non extat; ſicut nec quatuor libri quos de Iudæorum opinionibus, quas haberent de Deo & legibus, ſe inſtituiſſe ſcribere profeſſus eſt.

IESV CHRISTI AN. 97.

DOMIT. IMP. AN. 14.

CLEM. AN. 5.

I.

ANNO Chriſti nonageſimo ſeptimo, Domitianus Auguſtus decimum ſeptimum vna cum Tito Flauio

a Suet. in Domit. c. 13. DE CONSVLATIBVS DOMITIANI. b Auſon. in grat. act. de ſuo Conſul. ad Grat. Imp.

Clemente iniit nouiſſimum Conſulatum. De quo Suetonius [a] ait, neminem tot ante eum Conſulatus cepiſſe: omnes autem pene titulo tenus geſſiſſe, nec quemquam vltra Calendas Maii, plures ad Idus vſque Ianuarias. Auſonius [b] vero ait tot eius Conſulatus, quos inuidia alteros prouehendi ipſe continuando conſeruiſſet, ita in eius auiditate deriſos, vt hoc cum pagina Faſtorum ſuorum fecerit inſolentem, neque potuerit præſtare felicem.

II. IOAN. SCRIBIT APOCALYPSIM. c Iren. lib. 5. adu. h. d Hier. de Script. Eccl. in Ioan. e Tert. de præſcr. c. 51. f Id. 4. cont. Marc. 5. g Epiph. hær. 51. APOCALYPSIS IMPVGNATA. h Vid. Euſ. 7. hiſt. 20. & Theodor. de hæreſ. c. 13. i Epiph. hær. 51.

Quo ipſo anno IOANNES Euangeliſta quam vidit ſcripſit APOCALYPSIM in ea vbi exul agebat inſula Patmo. Prope finem enim Imperii Domitiani commentarium illum ab eo ſcriptum eſſe, auctor eſt Irenæus [c]; & expreſſius Hieronymus [d] id accidiſſe ait decimo quarto Domitiani anno, qui eſt hic præſens. Ceterum eamdem Apocalypſim (ſicut alios complures diuinæ Scripturæ canonicos libros) eum Cerdon [e], Marcion [f], & Alogi [g], atque Theodotiani hæretici impugnarunt; tum etiam multi rerum Eccleſiaſticarum antiqui Scriptores, in controuerſiam adduxerunt, an ab ipſo Ioanne Apoſtolo, an potius ab alio quopiam Ioanne presbytero ſcripta fuerit. Verum temeritatem atque procaciam prædictorum hæreticorum eam omnino improbantium, & aliorum qui eamdem Cherintho nimis inconſulte tribuerunt [h], cum alii plures, tum vberius refellit Epiphanius [i].

III. k Hier. ep. 120. ad Hedib. l Dion. Areop. Eccleſ. Hier. c. 3. m Iren. l. 5. adu. h. n Iuſt. dial. cum Tryp. o Hippol. de cōſum. mūd. p Ap. Euſ. 4. hiſt. 23. 25. q Clem. Alex. in Pædag. r Ap. Euſ. 4. hiſt. 26. & l. 7. c. 20. s Orig. hom. 7 in Ioſ. & in pſal. 1. t Euſeb. in Chron. u Athan. in Synopſ. x Conc. Ancyr. c. 21. y Tert. de præſcr. c. 33. & Scorp. c. 12. & al. loc. z Cypr. aduerſ. Iudæ. a Hilar. præf. in pſal.

S vero Hieronymus [k] de eadem agens, duo affirmare videtur; inprimis veteres ſcriptores eam vt canonicā probaſſe, deinde temporibus ſuis Græcarum Eccleſiarum conſuetudine minus habitam eſſe ratam. Equidem (quod ad primum attinet) verum eſſe probatur, tam Græcos quam Latinos Patres qui ſæculum Sancti Hieronymi præceſſerunt, eamdem Apocalypſim inter canonicas Scripturas adnumeraſſe; vt ex Græcis Dionyſium [l] Areopagitam; Irenæum [m], Iuſtinum [n] & Hippolytum [o] martyres, Theophilum [p] Antiochenum, Melitonem Sardenſem, Clementem [q] & Dionyſium [r] Alexandrinos, Origenem [s], Euſebium [t], Athanaſium [u], & Patres omnes qui interfuerunt Concilio [x] Ancyrano ante Nicænum celebrato; ex Latinis vero Tertullianum [y], Cyprianum [z], Hilarium [a], & ſi quos alios Hieronymo antiquiores. Quod ſi ex horum numero aliquis exiſtimauit eam eſſe alterius Ioannis quam Euangeliſtæ, nihilominus idem eam vt canonicam Scripturam habuit.

IV. b Epiph. hær. 51. 54. APOCAL. RECEPTA AB VNIVERSA ECCLESIA. c Innoc. ep. 3. ad Exup. d Gelaſ. decr. de libr. canon. e Ruff. in expoſ. Symb. f Ambr. in Pſal. 40. g Aug. 2. de doctr. Chr. 8. & tract. 36. in Ioan. h Conc. Carthag. 3. c. 47. i Conc. Tolet. 4. c. 16.

Sed quod idem Hieronymus affirmat, ſuis temporibus Græcorum Eccleſias eam non recepiſſe; viſus eſt habuiſſe reſpectum ad Baſilium, Amphilochium, Gregorios Nazianzenum atque Nyſſenum, & ad Concilium Laodicenum, a quibus ea prætermiſſa eſt, etiam cum texuerunt catalogum librorum canonicorum. Sed aliud eſt non recenſere, aliud pertinaciter impugnare, quod hæretici fecerunt; ſiquidem abſque iactura fidei ea non vti liberum fuit quatenus nullum præceſſit Eccleſiæ decretū. Enimuero ſi cuiuſque arbitrio relicta res eſſet, antiquiorū præſtaret ſequi auctoritatem, quos eamdem ſuſcepiſſe vt canonicam, & Hieronymus aſſerit, & eorumdem ipſorum teſtimoniis probatum eſt. Sed & eidem ſententiæ adhæſiſſe videtur Græcorum Catholica Eccleſia: etenim poſt citatos auctores, Epiphanius [b] (qui licet Hieronymo ætate ſenior, tamen eodem cum illo viuebat ſæculo) non tantum eidem veritati adſtipulatur, ſed non ab aliis quam hæreticis tradit eam impugnatam eſſe; & Ioannes Chryſoſtomus, qui eodem tempore multa ſcripſit, eamdem citaſſe reperitur; & qui poſtea ſecuti ſunt, abſque aliqua controuerſia receperunt: ſicut & Latini omnes & inprimis qui Hieronymi vixit tempore, Damaſus Papa in Romano concilio quod habet Creſconiana Collectio, itemque Innocentius [c] & Gelaſius [d] pariter Romani Pontifices; necnon Seuerus, Proſper, Ruffinus [e] Ambroſius [f], Auguſtinus [g], Caſſiodorus, Iſidorus, & omnes hi qui texuerunt ſeriem librorum canonicorum; adeoque Concilia Carthaginenſe [h] Tertium, & Toletanum [i] Quartum: ac demum reliqui omnes Orthodoxi Patres qui poſtea in Eccleſia floruerunt, in eamdem ſententiam pari conſenſu dedere ſuffragia, vt ea vere fuerit ſcriptio Ioannis Euangeliſtæ.

V. k Dionyſ. Alex. ap. Euſ. 7. hiſt. 20. DE DVOBVS IOANNIBVS AMBIGVITAS. l Dionyſ. Areop. ep. 10. m Metaph. in Ioan. ap. Oecum. n Suid. verb. Dion. Areop. o Niceph. 3. hiſt. 20. p Hild. in Areopag. q Hippol. de cōſum. mūd. r Athan. in Synopſ. s Cyril. Hieroſ. catech. 15. t Cyr. Alex. l. 5. de Trin. u Epiph. hær. 51. x Chryſ. præf. in Pſal. 37.

Nec certe aliquem Græcorum inuenire eſt, qui Dionyſium [k] Alexandrinum ſit ſecutus, vt alterius Ioannis quā Euangeliſtæ illud eſſe opus affirmarit. Immo & cum iidem Græci titulum ei Ioannis THEOLOGI præfixerint, plane non alterius Ioannis eſſe ſignificarunt: Siquidem Euangeliſtam ea nomenclatura a maioribus nuncupatum eſſe, quam plurima ſunt exempla; atq; inprimis Dionyſii Areopagitæ in epiſtola [l], quam his ipſis vltimis temporibus Ioannis relegationis in Patmo, ad eum ſcripſit, qua proxime futuram eius liberationem prænunciauit, ac fore breui vt mutuo congreſſu inuicem iungerentur; cuius epiſtolæ meminerunt Metaphraſtes [m], Suidas [n], Nicephorus, Hilduinus, & alii cum Dionyſii relegere commentarios. Nominant æque eumdem Ioannem, *Theologum*, Hippolytus [q], Athanaſius [r], Cyrilli Hieroſolymitanus [s] & Alexandrinus [t], Epiphanius [u], Chryſoſtomus [x], & alii. Vt ex his videas, ſic aſſumptum ipſum titulum à Græcis, quo certius affirmarent, non alium quam Ioannem Euangeliſtam eſſe eius operis auctorem.

VI. CHERINTHVS SCRIPSIT REVELATIONES. y Euſ. 3. hiſt. 22. z Id. 7. hiſt. 20.

Quod autem ſpectat ad calumniam, de eadem Apocalypſi à Cherintho hæreſiarcha conſcripta; inde ea emerſiſſe videtur, quod (vt demonſtratum eſt ſuperius) hæretici, quo minus veritate agere poſſe confiderent, eo magis ad impoſturas conuerſi, inter alia complures falſas Reuelationes, quaſi ſibi diuinitus allatas excogitarint, eaſdemq; interdum Apoſtolorum, vel aliorum inſignium virorum titulo nobilitarint. Porro eiuſmodi generis commenta excogitaſſe Cherinthum, quibus deliraret ſibi per Angelos reuelatum eſſe, poſt reſurrectionem carnis humanæ regnum Chriſti terreſtre futurum, & mille annis apud Hieruſalem homines in cupiditatum & voluptatum blāditiis inſeruituros teſtimonio Caii antiqui Theologi, & Dionyſii Alexandrini, Euſebius [y] affirmat; qui & alibi [z] eiuſdem Dionyſii ſententia, hanc de Cherintho Apocalypſis Ioannis ſcriptore refellit opinionem.

VII. CHERINTHI HÆRESES. a Iren. lib. 1. c. 25. b Tert. de præſcr. c. 48. c Epiph. hær. 28. d Philaſtr. de hær. c. 27.

Quæ magis etiam ex collatione ipſius CHERINTHI dogmatum cum Apocalypſis doctrina, refellitur. Etenim præterea quæ de illius erroribus dicta ſunt ſuperius variis locis pro neceſſitate diſputationum, Irenæus [a] ait eum negaſſe à Deo factum eſſe mundum, ſed à virtute quadam ſeparata ab ea principalitate diſtante: itemque IESVM natum vt ceteros homines, ſed deſcendiſſe in eum *Chriſtum* poſt baptiſmum in figura columbæ; Chriſtumque tempore paſſionis receſſiſſe a Ieſu, ſicque Ieſum tantum paſſum eſſe & ſurrexiſſe, Chriſtum vero immortalem perſeueraſſe. Aſſerit hæc eadem de Cherintho Tertullianus [b]; additque illum dixiſſe, Deum Hebræorum non Dominum, ſed Angelum fuiſſe. Propugnatorem inſuper Cherinthum ſe exhibuiſſe aduerſus Apoſtolos pro obſeruatione legalium, ſuperius dictum eſt cum alioqui legiſlatorem Hebræorum non eſſe bonum, ipſe iactaret. Inſuper eumdem Chriſti reſurrectionem negaſſe, ſed in die Iudicii reſurrectionem eius futuram, vt ceterorum, affirmaſſe, Epiphanius [c] tradit. Ad quæ addit Philaſtrius [d], ipſum Martyres blaſphemaſſe, Iudam proditorem in honore habuiſſe, & ex diuinis Scripturis nonniſi Euangeliū Matthæi ex parte tantummodo recepiſſe, ac denique (quod nuper dictum eſt) turpem illum Millenarium, legaliumque obſeruationem Iudaicam excogitaſſe. His porro omnibus quam egregie aduerſetur liber Apocalypſis, nemo non videt: in quo videlicet omnium Deus creator prædicatur, Chriſtuſque eius Filius ante ſæcula, ipſeque principium nominatur, ac ipſum eſſe paſſum, & ſe ipſum reſuſcitaſſe affirmatur; commendanturque Sancti Martyres ſummopere: ac denique apparet quam diuerſus ſit Millenarius Ioannis ab illo Cherinthi, licet verius ſit, pro mille annis Ioannem intellexiſſe (prout omnes interpretantur) gloriæ perpetuitatem.

IESV CHRISTI AN. 98.

CLEMENT. AN. 6.

DOMIT. IMP. AN. 15.

ANNO Chriſti nonageſimo octauo, Fuluio Valente & Antiſtio Vetere Coſſ. Flauius Clemens vix perfunctus

I.
FLA. CLEMENS EXCONSVL OCCISVS OB FIDEM.
a Suet. in Domit. c. 15.
b Dio in Domit.

functus munere Conſulatus anni ſuperioris, quod Chriſtianam religionem amplexus eſſet, ab eodem Domitiano iuſſus eſt occidi: quam rem geſtam obſcurius narrat Suetonius [a], clarius Dio [b]. Ille quidem, dum ait Domitianum, Flauium Clementem patruelem ſuum contemptiſſimæ inertiæ, cuius filios paruulos ſucceſſores palam deſtinauerat, repente ex tenuiſſima ſuſpicione, tantum non ipſo eius Conſulatu interemiſſe. Hæc Suetonius, inertia Clementem ſugillans, quod cum in Gentilitate permanens filios poſſet habere Imperatores, prætuliſſet his omnibus ignominiam Crucis: Cum & alioqui vetus ac frequens hæc eſſet Gentilium in Chriſtianos contumelia (quam Tertullianus [c] egregie refellit) quod eſſent inertes & infructuoſi in negotiis; quia videlicet tranquillioris vitæ cupidi, vrbanos ſtrepitus, & Palatii ac Curiarum tumultus vitare ſolerent. At vero Dio cauſam necis Clementis expreſſius recenſens, ait ipſum vna cum vxore Flauia Domitilla æque Domitiani propinqua, accuſatum fuiſſe crimine ἀθεότητος: eiuſque rei cauſa tum ipſum Clementem morte affectum eſſe, tũ multos alios qui in mores Iudæorum tranſiiſſent, partim necatos eſſe, partim facultatum amiſſione mulctatos: Domitillam vero in Pandatariam inſulam relegatam. Ita Dio: haud dubium de Chriſtianis intelligens: quos à Gentilibus Iudæos & impios dici ſolitos, ſæpe demonſtratum eſt, tum quod è Iudæis deſcenderent, tum etiam quod ſicut illi idola omnia execrarentur. Ceterum alteram quoque Flauiam Domitillam, filiam ſororis eiuſdem Flauii Clementis Exconſulis, cum aliis pleriſque, ob Chriſti teſtimonium hoc ipſo anno decimo quinto Domitiani, in inſulam Pontiam ſupplicii & mulctæ cauſa extruſam eſſe, aſſerit Euſebius [d] auctoritate Brutii Ethnici pariter hiſtorici.

c Tert. Apolog. c. 42. &c.
d Euſ. in Chron. & lib. 3. hiſt. c. 14.

II.
FLAVIÆ DOMITILLÆ PLVRES.
e Suet. in Veſp. c. 3.
f Philoſt. l. 3.

Ex horum igitur teſtimoniis (niſi in eis error inſit) iam duas habemus Flauias Domitillas, diuerſis in locis pro Chriſtiana religione exules: nempe vxorem Flauii Clementis, atque neptem. Sed & fuerunt eiuſdem nominis atque familiæ aliæ nobiliſſimę feminæ, nempe Flauia Domitilla vxor Veſpaſiani, ex qua (vt Suetonius [e] ſcribit) nati ſunt Titus & Domitianus Imperatores, & horum ſoror alia Flauia Domitilla. De Clementis autem vxore hallucinatus eſt Philoſtratus [f], dum eam dicit ſororem Domitiani: nam huius ſororem ita dictam, vna cum matre eiuſdem nominis, defunctam eſſe cum adhuc pater Veſpaſianus priuatus ageret, Suetonius & alii tradiderunt. Quæ vero celebrior ceteris habetur *Flauia Domitilla* virgo Clementis neptis, primum (vt dictum eſt) in Pontiam inſulam relegata, ac demum (vt dicetur) egregio martyrio ſub Traiano nobilitata: illa ipſa eſt, cuius annua celebritas in Eccleſia agitur ſeptima die Maii. Quæ quidem matre Plautilla Clementis Conſulis ſorore (vt habet Euſebius) nata, & à S. Petro vna cum matre baptizata, à S. Clemente Romano Pontifice ad pietatem eſt inſtituta, & ſacro velamine conſecrata, cum virginitatem ſuam Deo vouiſſet hortationibus potiſſimum Nerei & Achillei ipſius Eunuchorum, qui æque fuerant à S. Petro baptizati. Sed hæc omnia fuſius in horum Martyrum Actis [g].

g Ap. Sur. to. 3.

III.

Quod autem Clementis Conſulis nobiliſſimi martyris mentio nulla in Martyrologio, vel aliis Eccleſiaſticæ antiquitatis monumentis habeatur, iniuria temporum eueniſſe putamus, vt ſi qua eius memoria reliqua eſſet poſt noſtrarum ſcripturarum Diocletiani tempore facta naufragia, omnes Clementem Romanum Pontificem mente concipientes, vnum eundemque nominibus confuſis atque perſonis Clementem eſſe exiſtimarint. Alioqui enim ſi ipſi Ethnici auctores eiuſdem Clementis Conſulis & aliorum (vt vidimus) martyrii meminerunt: quis putet tam ſegnes ac deſides fuiſſe Chriſtianos, vt ea ſcriptis mandare neglexerint? Certe enim cum aliorum, tum Clementis Papæ potiſſimum his ipſis temporibus ea in re inuigilaſſe ſtudium, manifeſtum eſt: quem conſtat *Septem* ad hoc opus inſtituiſſe NOTARIOS, eiſque Regiones Vrbis diuiſiſſe, qui (quod habet Anaſtaſius) Acta Martyrum ſollicite & curioſe per Regiones quiſque ſuas perquirerent atque conſcriberent. Quod plane argumento eſt, non vno tantum loco Vrbis carnificinas exerceri de Chriſtianis ſolitas, ſed multis. Quantumque hoc tempore furens illa Perſecutio fuerit debacchata, quæ tam caros ipſius Imperatoris ſuſtulerit, quiuis facile intelligat. Nec vero Romæ tantum, ſed Romano toto Orbe eandem ſæuiſſimam extitiſſe; argumento eſt quod præter innumeros quorum nomina exciderunt, ſub eodem Domitiano paſſi reperiuntur [h] in Galliis; qui illuc à Clemente Papa miſſi fuerant; Eutropius Epiſcopus Santonenſis (quem ferunt Chriſtum olim vidiſſe, ſed & allocutum eſſe) Lucianus Bellouacenſis, Nicaſius Rothomagenſis, & alii: in Tuſcia vero Romulus Feſulanus Epiſcopus, illuc ab ipſo Petro ad prædicandum Euangelium directus.

NOTARII INSTITVTI AD MARTYRVM GESTA DESCRIBENDA.
SÆVA DOMIT. PERSECVTIO.
h Martyrol. Rom.

IV.
DOMITIANVS OCCIDITVR.

Verum cum tam atrociter in Chriſtianos perſecutionis impetus fureret, meruit Domitianus vleiſcente iam numine tandem gladio tolli. Quod egregie Iuuenalis verſibus cecinit: licet more Gentiliũ ignominiæ cauſa Chriſtianos, perinde ac viliſſimas perſonas, *Cerdones* appellet. Nam cum ait, tunc illum periiſſe cum cerdonibus timendus eſſe cœperat: haud dubium alludit ad necem ipſi illatam à Stephano Clementis Conſulis liberto, & Flauiæ Domitillæ procuratore: qui ſimulans ſe de coniurationis indicio illi offerre libellum, è brachio, quod ad collum appenſum, fractam manum fingens, doloſe geſtabat, exerens gladium, illum ſe defendentem confodit. Sed hæc pluribus Suetonius [i], Philoſtratus [k], Dio [l], & alii, licet diuerſo modo rem geſtam referant. Occiſus eſt autem Romæ in Palatio decimoquarto Calendas Octobris, anno ætatis ſuæ quadrageſimo quinto, Imperii decimo quinto ac die præterea quinto. Quoniam autem (inquit Dio [m]) flagrabant odio in eũ ciues, ſtatuæ omnes tum aureæ tum argenteæ in illius honorem conſtitutæ, ſubito in maſſam conflatæ ſunt, euerſique arcus in eius titulum & nomen ſubſtructi. Sed & cum Octobrem (vt ait Macrobius [n]) tyrannice ſuo nomine inuaſiſſet: vti infauſtum vocabulum, ex omni ære vel ſaxo placuit eradi. At facta ſunt iſta, cum iam Nerua deſignatus eſſet Imperator.

i Suet. in Domit. c. 17.
k Philoſt. in Ap. Sen. li. 8.
l Dio in Domit.
m Dio in Nerua.
DOMIT. MEMORIA DELETA.
n Macrob. 1. Saturn. 12.

V.
APOLLONIVS VIDET EPHESI NECEM DOMITIANI.

Interim vero eodem ipſo tempore quo Domitianus occideretur, accidit Epheſi, vt cum Apollonius Tyanæus famoſiſſimus ille magus concionem haberet ad populum, in media oratione ſubſiſtens, toruiſque oculis in terram aſpiciens, tres inde aut quatuor paſſus progreſſus, *Percute tyrannum, Percute tyrannum*, clamare cœperit, tamquam rem ipſam ante ſe fieri videret, & auxilium afferre conaretur. Cumque ſtuperent Epheſii, qui frequentes aderant, ſubſiſtens ille, ſicut facere ſolent qui rem aliquã dum fit videntes, quo tandem euaſura ſit expectauit: tandem, *Confidite* (inquit) *ô viri, Tyrannus occiſus eſt hoc ipſo temporis momento*. Quæ vera eſſe cum poſtmodum certo compertum eſſet, vix credi poteſt ad quantam ille de ſe Epheſios admirationem, ac pariter æſtimationem adduxerit: vt tum his, tum ceteris ibidem rebus ab eo geſtis, eum eſſe vt quempiam deorum colerent, neſcientes vnde hæc occulta ſcire illi ſuppeditaretur. Rem autem geſtam deſcribit Philoſtratus [o] in ipſius Vita. Ceterum iſta haud mirabitur, qui ſcierit peculiare eſſe magorũ, vt per paredros ipſos, quos vocant *Familiares dæmones*, imagines rerum quæ longe abſint, ob oculos mentis repræſentatas inſpiciant: cuiuſmodi arte, vt de aliis modo taceamus, Iulianus Apoſtata (quod ſuo loco dicetur) quæ Romæ, vel alibi in Occidentali Imperio agerentur; ipſe cum eſſet in Oriente noſſe curauit.

o Philoſt. lib. 8.

VI.
NERVA IMPERAT.

Sublato igitur Domitiano, NERVA COCCEIVS, Narnia ortus, tam Senatus conſenſu quam militum, ſuſcepit Imperium; cuius egregias laudes hiſtorici qui res ipſius geſtas ſcripſerunt, mirifice prædicarunt. Qui quidem inter alia, cum primum liberas Imperii habenas moderari cœpit, *Omnes* (inquit Dio [p]) *qui impietatis in Deos rei fuerant, abſoluit, & exules in patriam reduxit: vetuitque edicto, ne liceret aut impietatis aut Iudaicæ ſectæ quempiam dehinc inſimulari.* Porro per Iudæos Dionem ſignificare Chriſtianos, ſuperius dictum eſt. Huius autem edicti indulgentia, tum Flauias Domitillas ſeniorem ac iuniorem, tum alios ex familia ipſarum à Domitiano in inſulam relegatos, Romam

p Dio in Nerua.
EXVLES CHRISTIANI RESTITVTI.

eſſe reuerſos affirmare opus eſt: licet quæ extant ipſorum Acta de his nihil habeant, immo ſub Nerua paſſos tradant ex illis aliquos: ſed ſub Nerua Traiano id accidiſſe, Romanum Martyrologium [q] reſtitutum affirmat. Suſtuliſſe inſuper Neruam grauiſſima illa tributa, quibus Iudaicus populus ſub Domitiano preſſus erat; declarat eiuſdem Neruæ nummus argenteus, ex altera parte huiuſmodi inſcriptione notatus, *Fiſci Iudaici calumnia ſublata*: palmaque eſt in medio, quam fuiſſe Iudææ prouinciæ hieroglyphicum omnes ęque conſentiunt, quod feracitate palmarum ceteris Aſiæ prouinciis præſtet [r]: ſicut & ab ipſis Iudæis Palmæ figuram intra templi ornamenta frequentiſſime receptam eſſe [s] conſtat.

q Martyr. R.15. April.

r Plin. l.13. ca. 4. & alii. s 3 Reg. 6. 7. 2. Paralip. 3. Ezech. 40. 41.

VII. Ioan. Apost. reversus Ephesum.

t Euſeb. 3. hiſt. 23 & c.

Sed quod pertinet ad edictum Neruæ; eiuſdem quoque fauore Ioannem Euangeliſtam ab exilio inſulæ Patmos reuocatum, Epheſum reuerſum eſſe, ibique denuo ſedem ac domicilium rerum ſuarum collocaſſe, atque Eccleſias Aſiæ adminiſtraſſe: Euſebius [t] antiquorũ teſtimonio tradit: recitatque ex Clemente Alexandrino prolixam hiſtoriam de quodam adoleſcente, ab eodem Ioanne tradito erudiendo cuidam Epiſcopo; cuius remiſſiori cura ille in profundum vitiorum ac ſcelerum præcipitatus, & iam de miſericordia Dei deſperans dux latronum crudeliſſimus factus, tandem ab eodem Apoſtolo annis confecto per latronũ ſpeluncas quæſitus, & mira eius manſuetudine illectus (qua beatus ſenex ad ipſius genua procidit, & cruentam dexteram exoſculatus eſt) ad pœnitentiam reuocatus, ſolicita Apoſtoli cura amiſſam virtutem ſpemque recuperauit: ac demum Eccleſię miniſterio præfectus eſt. Recitat eamdem hiſtoriam Chryſoſtomus ad Theodorum lapſum ſcribens: eiuſdemque Antiochus [u] monachus, ſcriptor ſub Zenone Imperatore nobilis, Irenæum citat auctorem. Ceterum Ioannis Apoſtoli reditus Epheſum, perquam opportunus Chriſtianæ religioni extitit, vt ſe Tyanæo ſeductori opponeret, eiuſque quas diximus præſtigias veris miraculis confunderet: qualia Ioannẽ eo tempore plurima & ingentia edidiſſe, alii ex Pſeudoprochoro, vel eiuſmodi dubiæ fidei ſcriptis referunt. Enimuero mortuum hominem ad vitam ipſum reſtituiſſe, certum redditur teſtimonio Apollonii [x] antiquiſſimi Theologi, necnon Sozomeni [y].

Adolescens lapsus erigitur a Ioanne.

u Antioch. ſerm. 122.

x Apoll. ap. Euſ. 5. hiſt. 17 y Sozom. l. 7. cap. 26.

VIII.

Dionysius Areop. mittitur in Gallias.

Cum vero de reſtitutione Ioannis nuncium accepiſſet Dionyſius Areopagita Athenarum Epiſcopus ſicut ad eũ olim exulem ſcripſerat (vt vidimus) fore vt breui mutuo congreſſu inuicem iungerentur, illum mox Epheſum cõueniſſe æquum eſt opinari. Ad hęc enim tempora Dionyſium egiſſe in Oriente, facile omnes conſentiunt: poſt hæc vero Romam ad Clementem Papam ſe contuliſſe, & ab hoc in Gallias amandatum, nobiliſſimam Pariſienſem Eccleſiam rexiſſe, fidem faciunt qui ex antiquioribus monumentis eius res geſtas ſcriptis ſunt proſecuti. Quæ enim alia cauſa interceſſit, vt viuente adhuc Dionyſio alii darentur Epiſcopi Athenienſibus? ſiquidem ante ipſius martyrium, quod ſub Hadriano Imperatore conſummauit, plane conſtat [z] Publium, & poſthunc Quadratum, immo forte & ante hos omnes Narciſſum [a], poſt Dionyſium rexiſſe Eccleſiam Athenienſium. Quod autem ad alias ciuitates vel prouincias, quam in Galliam, Dionyſius miſſus fuerit, nulla prorſus leuis memoria vllibi extat, vel coniectura: Neque exiſtimare fas eſt, eum hiſce temporibus, cum maxima omnium incumberet neceſſitas Euangelii prædicandi, ſuæ Eccleſiæ nuncio remiſſo, ſegnem & otioſam vitam ſibi conſtituiſſe. Sicut igitur poſtea à Polycarpo Ioannis Euangeliſtæ diſcipulo factum videbimus, vt ex Aſia complures in Gallias ad Euangelium propagandum miſſi fuerint, ita nunc putamus, perſuaſione Ioannis Dionyſium Romam primum ad Clementem, inde eiuſdem conſilio in Galliam eſſe profectum: cum præſertim maxima pars eorum quos Petrus atque ipſe Clemens eo miſiſſent, iam vita functi eſſent; atque ita nobiliſſimæ iam coaleſcenti Gallicanæ Eccleſiæ paſtoribus deſtitutæ, inſignis toto vir Orbe ſuccurreret. Reliqua autem de Dionyſio dicentur inferius.

z Euſeb. 4. hi 22. Hier. de Script. Eccleſ. in Quadr. a Hippolyt. de 72. Diſc.

IESV CHRISTI, An. 99.

Nerva Imp. an. I.

I.

b Plin. 2. ep. 1

ANno Chriſti nonageſimo nono, Nerua Aug. tertium iniit Conſulatum, collegam ſibi adſciſcens Virginiũ Rufum, virum (vt Plinius [a] & Dio prædicant) laudatiſſimum: quem cum, vt aiunt, Romanæ legiones olim Imperatorem nominaſſent, haud eſt veritus Nerua vel in collegam aſſumere. Defunctus autem hoc ipſo ſuo Conſulatu, agens annum ætatis octogeſimum tertium, laudatus eſt funebri oratione à Cornelio Tacito viro horum temporum eloquentiſſimo.

II. Evangelium Ioannis editum.

b Athan. in Synop. c Ap. Cedrẽ. in Nerua. d Epiph. hær 51. e Iren. l. 3. ca. 1. & ap. Euſ. 5 hiſt. 8. f Metaphr. ap. Lipo to. 1. Doroth in Synopſ.

Signa divinitus ostensa.

His item temporibus S. Ioannem Apoſtolum Evangelivm ſuum edidiſſe, affirmari poſſe videtur. Id enim poſt reſtitutionem ab exilio inſulæ Patmos, Epheſi editum eſſe (licet de anno non conſtet) inprimis Athanaſius [b] tradit: ferturque [c] de eadem re ſententia Hippolyti Epiſcopi Portuenſis & martyris. Aſſerit illud ipſum Epiphanius [d]: ſed neſcio quo errore, reuerſionem Ioannis à Patmo ad Claudii tempora referens. Conſentitque Irenæus [e] ſcriptum fuiſſe Euangelium Epheſi, etſi de tempore nihil dicat. Ac demum in eamdem ſententiam complures alii tum Græcorum, tum etiam Latinorum abiere: fuere tamen qui dixerint [f], conſcriptum fuiſſe in inſula Patmo; ſed editum Epheſi. Et qui hæc ſcribit Metaphraſtes, addit Ioannem iam ab exilio liberum, rogatum ab inſulanis vt priuſquam ab illis diſcederet, Euangelium in eorum vſum & inſtructionem conſcriberet, cum indicto omnibus ieiunio montis aſcendiſſet verticem, & iam opus aggreſſurus eſſet, tonitrua, fulgura, atque terrores eſſe factos, ſicut olim cum Moyſes in vertice Sina montis Legem accepiſſet: ac demum tonitrua in vocem expreſſa reſonaſſe, In principio erat Verbvm &c. Nec quis putet hæc contemnenda, quod ab auctore haud adeo antiquo, cuius interdum fides vacillet, tradita habeantur: vel quod apud Pſeudoprochorum eadem fere ſcripta ſint. Nam & Hieronymus, qui apocryphorum narrationes libentius reiicere ſolet, ex antiqua veraque hiſtoria Eccleſiaſtica quam citat, aſſerit Ioannem coactum ab omnibus pene tunc Aſiæ Epiſcopis & multarum Eccleſiarum legationibus, de diuinitate Saluatoris altius ſcribere, ita facturum ſe reſpondiſſe, ſi indicto ieiunio in commune omnes Deum deprecarentur: eo vero expleto, reuelatione ſaturatum, illud prooemium è cœlo veniens eructaſſe, In principio erat Verbvm, &c. Quod inſuper idem Ioannes à Domino dictus ſit *Filius tonitrui*: Epiphanius [g] id reſpectu Euangelii, quod ab ipſo ſcribi aliquando deberet, dictum putauit.

g Epiph. hær. 51.

III. Causa scribendi Evang.

h Hier. de Script. Eccl. in Ioan. i Iren. l. 3. c. 11 k Epiph. hær. 51.

Quod vero ad cauſam eius ſcriptionis ſpectat; præter illam de Patmos inſulæ habitatoribus nuper aſſertam, idem Hieronymus [h] duplicem aſſert: alteram, vt confutaret Cherinthum, Ebionem, & alios Chriſti diuinitatem negantes (quam etiam tradunt Irenæus [i], Epiphanius [k], & alii omnes) alteram, quod cum legiſſet Matthæi, Marci, & Lucæ volumina, eoſdemque reperiſſet vnius tantum anni, in quo & paſſus eſt poſt carcerem Ioannis, hiſtoriam Domini texuiſſe; ipſe, prætermiſſo illo anno, ſuperioris temporis antequam Ioannes clauderetur in carcerem, geſta narrare voluerit. Porro ſcriptum ab eo fuiſſe Euangelium Græce, omnes conſentiunt: translatum autem antiquitus in Hebraicum, & Tiberiade in gazophylacio Iudæorum aſſeruatum temporibus ſuis, auctor eſt Epiphanius [l].

l Epiph. hær. 30.

IV. Epistolæ Ioannis.

m Id. hær. 24.

At ſicut idem Ioannes ſcripto Euangelio, Chriſti diuinitatem negantes hæreticos viſus eſt confutare voluiſſe: ita etiam ſuis quas ſcripſit Epistolis, eamdem egregie teſtatam voluit reliquiſſe, aduerſus [m] Baſilidem, & alios qui dicerent Chriſtum non vere carnem ſumpſiſſe, ſed per phantaſiam apparuiſſe: ſicque nec vere eſſe crucifixũ, ſed omnia in imagine facta: ac denique negantes Chriſti cauſa eſſe ſubeundum martyrium. Sed quod pertinet ad fidem earumdem Epiſtolarum, primam quidem vt Ioannis germanam ab omnibus receptam eſſe, S. Hieronymus [n] tradit. reliquas duas, quod in inſcriptione ponatur *Ioannes*

n Hier. vbi ſup.

Senior,

Senior, alteri Ioanni, quem Seniorem eſſe dictum teſtatur Papias [o], nonnullos tribuiſſe idem affirmat, itemque Origenes [p]. Ceterum ſe illas pro germanis Ioannis habuiſſe, alibi ingenue profitetur [q], cum oſtendit nomen *Senioris*, hoc eſt Presbyteri, commune fuiſſe Epiſcopis, atq; adeo ipſis Apoſtolis; de quo nos ſuperius.

o Pap. ap. Euſ. lib. 3. c. 39. p Orig. ap. Euſ. l. 6. c. 25. q Hier. ep. 85. ad Euagr.

V. DE FIDE EPIST. IOANNIS.

Certe quidem ſi quando ex facierum ſimilitudine filios eodem parente genitos licuit iudicare: tres illas Epiſtolas, verbis, ſententiis, ſtylo, charactere, vnam eamdemque præſeferentes imaginem, ab vno eodemque auctore eſſe conſcriptas, quiuis facile poterit intelligere. Sed & eiuſdem eas eſſe partus Ioannis qui Euangelium ſcripſit, maiores qui canonicorum librorum contexuere catalogum, tam Græci quam Latini æque conſentiunt omnes, dum tres ſemper numerarunt Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ Epiſtolas. Porro quod Primæ nullus inſcriptus ſit titulus, non ita factum putamus vt ea ſic fuerit exarata, ſed potius quod titulus exciderit: quippe quæ à maioribus [r] conſignata reperitur titulo Ioannis AD PARTHOS. Quomodo enim ſciſſent eam ad Parthos datam eſſe, niſi titulus eum qui dederat, & ad quos data fuerat monſtraſſet? Cum autem apud Parthos Ioannes prædicauerit Euangelium, ad eoſdem eam dediſſe Epiſtolam putatur. At de eius Scriptis iam ſatis: de obitu vero dicetur ſuo loco.

r Higin. ep. 1. Aug. quæſt. No. Teſt. 89.

VI. DE OBITV APOLLONII TYANÆI.

Hoc eodem anno impoſtor ille Apollonius Tyanæus, de quo ſæpe ſuperius, qui magicis artibus vniuerſi Orbis oculos in ſe conuerterat: honeſto prætextu mittendi legationem ad Neruam Imperatorem, quo familiariter olim vſus fuerat, diſcipulum Damidem præcipuum ſuarum conſcium actionum, à ſe ablegans, ne vltimi ſui finis teſtis eſſet: occultam oppetens mortem, quo immortalis crederetur in cœlum eſſe tranſlatus, incerto exitu clauſit diem extremum. Refert Philoſtratus [s] varias de eius interitu opiniones vulgo iactatas: Verum nonniſi malo exitu mortuum eſſe, perfacile conicitur ex Luciano [t], dum vt de re omnibus nota amicum alloquens qui ea optime noſſet, vitam Apollonii *Tragœdiam* appellat: dumque agit de eiuſdem diſcipulis; qui impoſturis, incantationibus, magiiſque, & aliis malis artibus operam dabant, iidemque vita turpiſſimis & amore puerorum infamiſſimis: qualis eorum magiſter fuerit, inde certo poſſumus aſſequi.

s Philoſt. in vit. Apol. lib. 8. t Lucian. in Alexand.

VII. TRAIANVS ADOPTATVS A NERVA.

Eodem anno iiſdemque Coſſ. Nerua Imperator cum ſe iam ſenio fatiſcentem, & cótinuis morbis langueſcentem conſpexiſſet, conſul urus Romano Imperio, nulla habita ratione ſibi ſanguine coniunctorum, quem putauit virum frugi, dignumque ad habenas Imperii moderandas, M. *Vlpium* TRAIANVM, tunc agentem cum exercitu in Germania, adoptauit in filium ac Imperii ſucceſſorem. Hæc Plinius [u] Secundus, ac Dio pluribus.

u Plin. in Paneg. ad Traian.

TRAIANI IMP. AN. I.

IESV CHRISTI AN. 100.

CLEM. AN. 8.

I. a Dio in Nerua. OBITVS NERVÆ.

CEnteſimo iam adueniente Chriſti anno, Nerua Auguſto quartum & Traiano ſecundum Coſſ. ſexta Calendas Februarii, idem Nerua morbo [a] cóſumptus, agens ætatis annos ſexaginta quinque, menſes decem & dies totidem, cum imperaſſet annum vnum, menſes quatuor ac dies nouẽ, vita functus eſt; ſuſcepitq; Imperium qui tunc adhuc in expeditione Germanica conſtitutus erat apud Coloniam Agrippinam, nuper memoratus Nerua TRAIANVS, agens annum ætatis (vt auctor eſt Dio) [b] quadrageſimum ſecundum; qui mox eumdem Neruam inter deos retulit, vt ſcribit Plinius in Panegyrico: cuiuſmodi ſolemnis ritus apparatum egregie deſcripſit Herodianus [c], dum agit de conſecratione Seueri. Fuit autem Traianus natione Hiſpanus [d], patria Italicenſis, non Tudertinus ex Vmbria, vt aliquis [e] exiſtimauit, deceptus Aurelii Victoris [f] auctoritate, dicentis Traianum fuiſſe ex vrbe Tudertina: qui & ipſe errore lapſus eſt. Nam cum apud maiores in confeſſo eſſet Vlpium Traianum natum eſſe Italicæ, quæ ciuitas eſt Turditanæ prouinciæ in Hiſpania, cuius meminit Strabo [g]: ſimilitudine nominum irrepſit error, vt Tuderti quæ eſt in Italia vrbs genitus putaretur.

b Dio in Tra. TRAIANI IMPER. c Herodian. lib. 4. d Eutrop. lib. 8. Euſeb. in Chron. e Ra. Petr. ep. lib. 1. f Vict. in pit. g Strab. lib. 3.

II. h Dio in Traia. TRAIANI IMP. EXORDIVM QVALE.

Vbi autem primum aſſumpſit Imperium, edicta quædam (inquit Dio [h]) ad Senatum miſit: atque illud inprimis, numquam ſuo iuſſu bonum virum occiſum iri, aut ignominia notandum. id quod (inquit auctor) nõ ſolum in præſens ſacramento confirmauit, ſed per totum Imperii tempus inuiolatum ſeruauit. De quo & illud memoria dignum habet, quod ſtrictum enſem coram proceribus ſuis Præfecto Prætorii tradiderit his verbis, *Cape hunc enſem: & ſi bonus fuero, pro me, ſin malus, contra me eo vtitor.* Sed de eius moribus dicetur [i] poſteà. Interim vero, vtinam ſicut ea quæ diximus bona pulchraq; viſa ſunt, ita qui boni viri eſſent prudẽtius tum ipſe tum ipſius Prẽſides exquiſiſſent: nõ eo erroris certe prolapſi eſſent, vt Chriſtianos vita innocentiſſimos & moribus ſanctiſſimos, quod deos non colerent, vt impios atque ſacrilegos condemnaſſent. Hoc namque nomine, quo magis ipſe ſuperſtitioni Gentilium addictus erat, eo acrius in Chriſtianos ſæuire æquiſſimum exiſtimauit: cum & alioqui (quod ſæpe diximus) tum in odium contemptiſſimorum Iudæorum ex quibus Chriſtiani prodierant, tum ob ſceleſtiſſimos ac turpiſſimos hæreticorum mores, qui & ipſi ſe Chriſtianos dicebant, tum denique quod ob frequentia & inſignia quæ veri Chriſtiani ederent miracula, magiæ inſimularentur (nam inualuiſſe apud Gentiles eam opinionem, quod ipſe etiam Chriſtus magus fuerit, tradit Arnobius [k]; ſed & libros eius nomine de magia confictos fuiſſe, dictum eſt ſuperius) iuſtas ſibi viderentur Imperatores habere cauſas Chriſtianos perſequendi.

i An. Dom. 119. k Arnob. lib. 1. con. Gent.

III. VETITA SODALITIA.

Licet autem nullum expreſſe aduerſus illos promulgatum à Traiano inueniamus edictum, quippe qui etiam in ſontes ac crimonoſos benignus videri ſtuderet: tamen alio prætextu eos plectendos curauit, dum cauit, inprimis edicto, ne Collegia ſeu Sodalitia eſſent: cum & aliis iam antea Romanorum legibus, nocturni cœtus eſſent prohibiti (quales agere viderentur Chriſtiani, cum ante lucem ſurgerent ad laudes Deo canendas) & peregrina quæcumque ac noua religio vetita [l]. Harum igitur vigore legum, ſatis amplam Præſidibus ſuppetiſſe facultatem ad pœnas Chriſtianis infligendas, Plinius [m] Secundus cum Proconſulem poſt tres annos ageret in Bithynia, Traiano ſignificauit, dum teſtatus eſt ſe eo ipſius promulgato edicto Chriſtianorum conuentus vetuiſſe, eoq, nomine ſupplicia iiſdem irrogaſſe. Quapropter qui Romæ magiſtratus gerebant, illos potiſſimum Imperatoris edicto comprehendi ſentientes, qui maximum omnium contraxiſſe ſodalitium viſi, dicti eſſent Chriſtiani, quos & inſuper quod numina non colerent pro impiis habebant; eoſdem inprimis exagitare cœperunt, ac præſertim quem adeo copioſi Sodalitii Principem eſſe viderent, Clementem Papam.

l Cic. lib. 2. de legib. Tertul. in Apolog. m Plin. lo. ep. 97.

PERSECVTIO IN CHRIST. ROMÆ.

IV. CLEMENTIS PP. EXILIVM.

Qui quidem (vt habetur in ipſius Actis) ad tribunal Vrbis Præfecti Mamertini ab aduerſariis perductus: optione ei ab Imperatore ea de re conſulto, per literas propoſita, vt vel diis ſacrificaret, vel vltra mare Pontum in deſertam ciuitatem Cherſonam relegaretur: abſque vlla mora duriſſimum exilium impietati prẽpoſuit. Eſt autem *Pontus* idem quod mare Euxinũ, in cuius capite apud Boſphorum Cimmerium eſt Taurica Cherſonneſus, in qua verſus paludem Meotidem eſt ciuitas *Cherſoneſus* dicta, quam Strabo [n] Cherroneſum appel'at, recentiores Cherſonam. Porro alicubi irrepſiſſe mendum reperitur, vt Cherſoneſus Lyciæ dicatur. Nulla enim eius nominis in Lycia eſt ciuitas: ſed puto pro Bycia poſitam eſſe Lyciam. Alluit enim Bycia palus, ſic dicta à Byco fluuio, Cherſoneſum à ſuperiori parte, vt docet Ptolemæus tabula octaua Europæ. Quomodo etiam irrepſit error in librum de Romanis Pontificibus, dum ibi legitur Clementẽ ſepultum eſſe in Grẽcia. Ceterum Clemens Cherſonã perductus, cum plures ibi Chriſtianos eadẽ pœna mulctatos reperiſ-

n Strab. li. 7.

CLEMENTIS IN EXILIO RES GESTÆ.

periiſſet, illud ſolatii eis præſtitit, vt cum maximo labore humeris aquam è longinquo iugiter ferre cogerentur, è terra in loco diuinitus agni ſigno mõſtrato fontem erumpere fecerit: quo miraculo adeo Chriſtiana religio inter loci accolas fuit propagata, vt idololatria extincta propemodum fuerit. Sed hæc omnia fuſius Acta eiuſdem Clementis, quæ ex antiquis monumentis deſumpta tam Græce quam Latine edita [o] habentur: quibus etiam adſtipulatur Gregorius [p] Turonenſis. Quando autem martyrium conſummauerit, dicetur ſuo loco.

o Metaphr. 23. Non. Sur. to. 6.
p Greg. Tur. de glor. mar. cap. 11. 30.

V.
FLA. DOMITILLÆ, ET ALIORVM MARTYRIA.

Accidit inſuper poſt Clementem expulſum, vt quos ſuperius recenſuimus, Flauia Domitilla virgo, & eius Eunuchi Nereus & Achilleus, cum aliis pluribus vtriuſq; ſexus eiuſdem familiæ, fuerint variis locis ac ſuppliciis coronati martyrio, facti omnes impietatis rei: prout hæc fuſius narrant Acta eorumdem martyrum Nerei & Achillei: quibus adſtipulantur antiqua Martyrologia, quæ illorum omnium anniuerſariam commemorationem continent. Eodemque ferme tempore paſſus eſt Romæ Hyacinthus [q], agente Luxurio, cuius & opera prædicti martyres male ſunt affecti. Ceterum ex multis hos paucos recenſuiſſe ſufficiat: cum alioqui haud ſit dubium, quam plurimos alios non Romæ tantum, ſed vbique locorum, Chriſtianæ fidei cauſa hoc eodem anno glorioſo occubuiſſe martyrio: teſtante Euſebio [r], ſub Traiani Imperio per ſingulas ciuitates ex ſeditione populi grauem contra Chriſtianos commotam eſſe perſecutionis tempeſtatem. Sed minime eidem aſſentimur, dum anno decimo Traiani excitatam eſſe Perſecutionem affirmat: ſiquidem Plinii quem diximus, auctoritate certum redditur, longe ante id accidiſſe.

q Mart. Ro. 26. Iul.
r Euſeb. 3. hiſt. 26.

VI.
s Euſeb. in Chron. & 3. hiſt. 16.

Hoc eodem anno [s] *Abilius* tertius Epiſcopus Alexandrinus, cum ſediſſet annos tredecim, ex hac vita migrauit; in cuius locum ſuffectus eſt *Cerdo*, longe alius ab illo hæreſiarcha qui vixit ſub Antonino Pio.

IESV CHRISTI AN. 101.

TRAIANI IMP. AN. 2.

CLEMENTIS AN. 9.

I.
TRAIANI ADVENTVS ROMAM.
a Plin. in Panegyr. Traiano.

ANNO Chriſti centeſimo primo, C. Soſio Senecione & A. Corn. Palma Coſſ. Traianus Imperator in Vrbem ſe contulit, cum ob præclaras in Germania partas victorias, *Germanici* eſſet cognomentum adeptus. Eius porro ingreſſum in Vrbem pluribus deſcribens Plinius [a], addit ipſum cum oblatum præſentis anni Conſulatum accipere recuſaſſet, candidatum interfuiſſe comitiis tertii, quem auſpicatus eſt anno ſequenti. Sed & multa in beneficium bonorum, & emendationem negotiorum publicorum conſtituiſſe, idem auctor, & Dio teſtantur.

II.
S. IOANNIS APOST. OBITVS.
b Hier. de Script. Eccl. in Ioan.
c Euſ. in Chron.
d Polycr. ap Euſ. 3. hiſt. 25.
e Tert. de anima, cap. 50.
f Ioan. vlt. ad ſi.
g Ioan. vlt.
ERROR DE IOANNIS IMMORTALITATE.

Hoc ipſo anno, qui numeratur à Paſſione Domini ſexageſimus octauus, S. IOANNES Apoſtolus & Euangeliſta (vt auctor eſt Hieronymus [b]) Epheſi diẽ obiit: quem quidem ad hunc annum ſecundum Traiani peruenisſe, æque teſtatur Euſebius [c] ex Irenæo: eumdemque Epheſi obdormiuiſſe, aſſerit pariter antiquiſſimus Polycrates [d] eiuſdem loci Epiſcopus ſanctitate & doctrina celebris, quem haud potuerunt latuiſſe quæ de Ioanne vera eſſent; cuiq; merito omnes de eiuſdem obitu debeant auſcultare, cum præſertim id ipſum Tertullianus [e] teſtatum expreſſe reliquerit. Quod tamen ex verbis Domini [f] de eodem Ioanne Petro dictis, iam tũc exiiſſet ſermo inter Diſcipulos, ipſum remanſurum ſuperſtitem vſque ad Domini aduentum: licet is error ab ipſo Ioanne [g] videri potuiſſet omnino ſublatus, ſic tamen in nonnullos fuit poſtea propagatus, vt conſtanter affirmarint Ioannẽ adhuc viuere, & cum Enoch & Elia venturum ante ſecũdum Domini aduentum: cuius opinionis primus reperitur aſſertor Hippolytus martyr in breui illa tractatione de conſummatione mundi.

III.
h Apocal. 11.

Sed an non hæc refelluntur ſatis ab ipſo Ioanne: dum in Apocalypſi [h] nonniſi duos fore Chriſti aduentus præcurſores & teſtes aperte demonſtrat, nempe Enoch & Eliam? At vero Ioannem (ſicut eſt ſors omnium hominum) certo certius eſſe defunctum, præter eos quos ſupra recenſuimus, ſignificant etiam Euſebius [i] & Chryſoſtomus [k], dum aſſerunt ipſius ſepulchrũ Epheſi ſuis temporibus manifeſtum fuiſſe. Ad quod item alluſiſſe viſus eſt Cæleſtinus Romanus Põtifex, cum ſcribens [l] ad Concilium Epheſinum, ait Reliquias eiuſdem Ioannis Epheſi in honore haberi: idemq; habet Synodica [m] Orientalium Epheſo miſſa ad Senatum Conſtantinopolitanum. Sicut & alibi idem Chryſoſtomus [n] ait, Ioannem adhuc poſt mortem tamquam viuum Epheſum curare. Sed prætermittimus innumera pene recentiorum teſtimonia, ac eorum præcipue qui in ipſum Ioannem commentarios edidere, cum ſatis ſuperque videatur ex his veritati hiſtoricæ conſultum.

i Euſeb. 3. hiſt. 31. & Hier. de Script. Eccleſ. in Ioan.
k Chryſ. hom. 26. in ep. ad Hebr.
l Act. Conc. Eph. edit. Pol. to. 2. cap. 14.
m Ibid. to. 3. cap. 6.
n Chryſ. hõ. in laud. 12. Apoſt.

IV.
o Aug. tra. 124. in Ioan.
DE IOANNIS SEPVLCHRO FABVLA.
p Vid. Niceph. lib. 2. cap. 42.
q Polycrat. ap. Euſeb. 3. hiſt. 25.

Ceterum qui eum adhuc viuere teſtati ſunt, nec quæ de eius ſepulchro dicta ſunt negare poſſent, eo dementiæ peruenerunt (quam opinionem recitat, refellitq; Auguſtinus [o]) vt dicerent eumdem intra ſepulchrum adhuc viuere: aſſumentes in argumentum, quod illic terra ſenſim ſcatere, & quaſi ebullire perhiberetur, idque ipſi eius anhelitu fieri contenderent. Ex iis autem qui eum re vera defunctum dixere, nonnulli [p] adiecerunt, quod cum eius corpus refoſſo ſepulchro non eſſet inuentum, illud opinandi dediſſe occaſionem eum è mortuis reſurrexiſſe, ac ſicut Dei-Genetricem in cœlum aſſumptum fuiſſe. Porro ſic vita functus eſt, vt tamen martyrium non ſubierit, quod aliqui exiſtimarunt: cum alioqui quod Romæ in dolium feruẽtis olei (vt vidimus) immiſſus fuerit, Martyr ſit etiam à maioribus [q] appellatus.

V.
ÆTAS IOANNIS.
r Hier. de Script. Eccl. in Ioan. & in Ionin. lib. 1.
s Niceph. l. 2. c. 42. & alii.
ſ Bed. de 6. ætat.
t Vſuard. Martyrol. 26. Nouemb.
u Cedren. in comp.
x Hier. in Ionin. lib. 1.

Cum autem illud de eo teſtatum [r] habeatur, hoc anno ſexageſimo octauo à Paſſione Chriſti ex hac vita migraſſe: tamen quotnam tunc annos natus eſſet, antiquiorum neminem inuenimus affirmaſſe. Beda [s] vero (neſcimus vnde) obiiſſe tradit anno ætatis nonageſimo octauo: poſt quem Vſuardus [t] ponit nonageſimum nonum, Cedrenus [u] centeſimum ſextum. Sed quomodo hoc, cum Hieronymus [x] affirmet illum adhuc adoleſcentem & pene puerum eſſe electum à Domino? Certe quidem antiquorum omnium aſſertione, & Eccleſiæ traditione, eum à Domino adoleſcentem fuiſſe electum, certiſſimum eſt: quod & exprimunt antiquiores muſiuo opere expreſſæ eiuſdem Ioannis Imagines, ex quibus non leue ipſius ætatis deducitur argumentum; quandoquidem antiquiores Chriſtianos conſueuiſſe Chriſti & Apoſtolorum, aliorumque Imagines coloribus expreſſas apud ſe retinere, eſt iam ſuperius demonſtratum. Verum nos ita adoleſcentem à Domino vocatum eſſe credimus, vt annum ageret vigeſimum ſecundum: tempore vero paſſionis eius, natus annos viginti quinque initiatus fuerit Sacerdotio. Nam ab ea ætate, diuina lege [y] conceſſum erat Leuitis miniſtrare in tabernaculo fœderis; ſecundum quidem editionem Septuaginta, quam vidimus hoc tempore penes Hebræos frequentiori fuiſſe vſu receptã: quamque hac in re obſeruatam eſſe teſtatur Philo [z]: cum alioqui ſecundum Hebraicam, triginta annorum numerum fuiſſe præſcriptum Hieronymus [a] ſcribat. Quapropter ſecundum hanc initam à nobis rationem, dicendum eſſet, Ioannem annos tres & nonaginta natum, defunctum eſſe. Cui ſententiæ fauiſſe videtur Epiphanius [b], dum ait ſcripſiſſe Euangeliũ poſt annos nonaginta vitæ ſuæ: quod cõtigit triennio ante obitum. Porro nouiſſimus omnium Apoſtolorum diem obiiſſe creditur: ceteris iam ante diuerſis in locis martyrio vita functis. Diſcipulorum autem Domini adhuc aliqui viſi ſunt remanſiſſe ſuperſtites: vt inter alios Simeon Hieroſolymorum Epiſcopus, de quo poſtea dicturi ſumus.

y Numer. 8.
z Philo de eo quod deter. pot. inſid. ſol.
a Hier. in Ezech. lib. 5. cap. 44.
b Epiph. hær. 51.

Digitized by Google

TRAIANI IMP. AN. 3.

IESV CHRISTI AN. 102.

CLEM. AN. 10.

I. a Pli. in Panegyr. CLEMENTIS PP. MARTYRIVM. b Euſeb. 3. hiſt. 28. c Hier. de Script. Eccleſ. in Cle.

ANNO Chriſti centeſimo ſecundo, Traiano [a] Auguſto & Frontone, vtroque tertium Coſſ. S. *Clemens* Romanus Pontifex in Cherſoneſo, quo fuerat (vt vidimus) relegatus, martyrio coronatus eſt nono Calendas Decembris, cum ſediſſet annos nouem menſes ſex & dies totidem, numerando ab vltima die vacationis ſedis Cleti. Quod quidem accidiſſe hoc tertio Traiani anno, tam liber de Romanis Pontificibus, quam Euſebius [b] & Hieronymus [c] æque affirmant.

II.

Sed quod Traianus hominem, quem in adeo remotas Orbis partes relegaſſet, iterum vexaret: non niſi illa cauſa præceſſit, quod Clemens (vt citata eius Acta teſtantur) cum virtute præclariſſimi miraculi ibi editi, tum etiam Euangelica prædicatione, omnem fere illam prouinciam ad Chriſti religionem perduxiſſet: eſſentq; illorum opera confracta deorum ſimulacra, & ſeptuaginta variis locis excitatæ Eccleſiæ. Miſſus itaque illuc Aufidianus Præſes, poſtquam plurimos Chriſtianos diuerſis tormentis necaſſet, cum videret omnes ad martyrium gaudentes accedere: parcens multitudini, ipſum Clementem aggreſſus, quod diis ſacrificare recuſaret, in medium maris duci, & anchora collo ſuſpenſa in profundum præcipitari iuſſit, ne poſſent Chriſtiani tollere corpus eius, & ſicut aliorum Martyrum venerari. Quemadmodum plena ſunt Martyrum Acta, & ceteræ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, atque inprimis Euſebii, eiuſmodi conteſtationibus perſecutorum, nimirum ſe ideo Chriſtianorū corpora flammis aut fluctibus tradere, ne reliqui Fideles illa conſueto more venerarentur.

SEPVLCHRVM CLEMENTIS MIRANDVM.

Sed ſicut & aliorum quamplurimorum ſacræ reliquiæ, fuere diuinitus ad honorificam ſepulturam reſeruatæ: ita & Clementis corpori accidiſſe, Chriſtiani compertum habuerunt, cum ipſis ad litus orantibus, mare ad tria milliaria recedens iter eis præbuit ad ædiculam marmoream conſtructam in templi formam, in qua corpus martyris intra arcam lapideam conditum inuenerunt, & iuxta illud anchoram qua merſus fuerat. Quod miraculum poſtea per longa tempora ſingulis annis recurrente eius martyrii die repertum eſt præbente mari iter per ſeptem dies populis ad ſepulchrum martyris orationis cauſa vndiq; accedentibus. Habent autem hæc, & alia multa de miraculis illic edi ſolitis, eadem Acta: ſed illud celebrius, quod oratione eiuſdem loci Epiſcopi S. Ephræm martyris eſt memoriæ perpetuæ commendatum. Narratq; eadem ex Græcis Nicephorus: & ex Latinis Gregorius [d] Turonenſis, in Paſſione Clementis antiquitus in Eccleſia legi ſolita, deſcripta fuiſſe teſtatus eſt ante mille annos: qui & inſuper recenſet miraculum illud inſigne (quod & alii referunt) de puero in eodem Clementis ſepulchro aliquando incuria parentum relicto, ac poſt annum viuo ibidem reperto. Quando vero corpus S. Pontificis fuerit inde translatum Romam, dicetur ſuo tempore.

d Greg. Tur. de glor. mart. c. 35. & 36.

III. SCRIPTA CLEMENTIS. e Turrian. aduerſ. Magdeb. lib. 2.

Iam quod ſpectat ad ea quæ ab eodem ſcripta feruntur: de ipſius *Epiſtolis* dictum ſatis eſt ſuperius alia occaſione. Cuius vero illæ, quæ hodieque ſuperſunt, fidei ſint ac firmitatis, in his non laboro: tu conſule quæ tum ab aliis, tum vero à Franciſco Turriano [e] locupletius ſunt diſputata. Illud tamen non tacemus, miratos nos eſſe Eccleſiæ hoſtes omnem admouiſſe arietem, vt primas illas *Decretales Epiſtolas Romanorum Pontificum* euerterent, perinde ac ſi his fundamentis tota Eccleſiæ ædificatio inniteretur.

NON INNITENDVM APOCRYPHIS.

Abſit vt Dei Eccleſia, quæ columna eſt & firmamentum veritatis, tanta laboret teſtandæ veritatis inopia, vt ſi ex illis petitæ probationes deeſſent, cauſa caderet: cum tam ad ſincera dogmata ſtatuenda, quam ad rectam diſciplinam Eccleſiaſticam declarandam, referta habeat locupletiſſima promptuaria probatiſſimæ veritatis, cuius nulla prorſus poſſit vmquam de impoſtura eſſe ſuſpicio.

IV.

Ceterum multa Clemētis nomine ſuppoſita fuiſſe ſcripta: certum eſt: atq; inprimis quæ ferebatur *Diſputatio Petri & Apionis*, longo (vt ait Hieronymus [f]) ſermone conſcripta: quam iam ante ipſum Euſebius [g] coarguit.

NOMINE CLEMENTIS SCRIPTA. f Hier. in Clem. g Euſ. 3. hiſt. 32. h Athan. in Synopſ. i Epiph. hær. 45. 70. k Vid. Tur. vbi ſup. l Epiph. hær. 70.

Quæ vero ab eodem ſcriptæ traduntur *Conſtitutiones Apoſtolorum*: eas SS. Athanaſius [h] & Epiphanius [i] agnouerunt, iiſdemque vſi ſunt qui his antiquiores atque recentiores in Eccleſia claruere celebres Scriptores Eccleſiaſtici, quorum ſeriem alii texuerunt [k]. Licet autem inter Apocrypha ſint ab omnibus adnumeratæ: haud tamen (vt ait Epiphanius [l]) ſunt reprobatæ. *Omnis enim* (inquit) *regularis ordo in ipſis habetur, & nihil à fide adulteratum, neque confeſſione, neque ab Eccleſiaſtica gubernatione & regula.* Porro ſicut aliqua in eis hæreticos eſſe perperam interpretatos, idem auctor tradit, ita etiam ab iiſdem multa fuiſſe corrupta, canon nomine Sextę [m] Synodi teſtari videtur. Sed & quędam in eas ex Græcorum fontibus effluxiſſe, mihi facile perſuadeo: vt quod de Ieiunio Sabbati penitus interdicto in ipſis habetur, de quo dictum eſt ſuperius.

m Sex. Syn. c. 2. ap. Theo. Balſam.

V. DE CANONIB. APOSTOLORVM. n Phot. in Clem.

Rurſum vero poſt octauum librum Apoſtolicarum Conſtitutionum, ab eodem Clemente Appendicem eſſe additam titulo περὶ συντάξεως, de compoſitione rerum Eccleſiaſticarum canones, Photius [n] tradit: vnde & factum eſt, vt eoſdem canones ab eodem auctore Clemente editos eſſe nōnulli exiſtimarint, cum alioqui complures codices abſque Clementis titulo illos habeant. Indeque fortaſſe accidit, vt abſque Clementis nomine, Gelaſii [o] cenſura liber CANONVM APOSTOLORVM adnumeretur inter apocrypha, ea videlicet ex parte, quod cum Apoſtolorum nomine cenſerentur, non tamen perſpicua demonſtratio afferri poſſet eos ab ipſis Apoſtolis eſſe ſtatutos. Tunc enim plane inter hagiographa, interq; ipſos canonicos diuinæ Scripturæ libros recenſendi fuiſſent: quod inconſulte nimis feciſſe reprehenditur Damaſcenus [p]. Quod ergo inter canonicos libros non eſſent adnumerati, ea ex parte S. Athanaſius [q] eiuſdem Clementis ſcripta inter apocrypha illa adnumerat; quæ ab antiquo Scripturarum Canone eſſent aliena, poſtea vero recepta, vt Eſther, Iudith, Tobiæ, & aliorum.

o Gelaſ. dec. de lib. apocry.

p Damaſ. 4. de fid. Orth. 18. q Athan. in Synop. & ex nona epiſt.

VI. CANONES APOST. QVOMODO RECEPTI. r Vid. Tur. aduer. Magdeb. lib. 1. cap. 2. & c. s Diſt. 16. c. 1.

Quapropter quod quæ in eis decreta eſſe noſcuntur, ab omnibus æque recepta fuerint: iidem merito, licet non canonici, tamen authentici dici debent; cum vix ſit reperire Catholicum ſcriptorem [r] Eccleſiaſticum, aut ſacrum Conuentum Epiſcoporum, penes quem aliquis ex canonibus illis non inueniatur pari conſenſione probatus. Vnde coarguas falſam Iſidori Mercatoris apud Gratianum [s] lectionem, qua dicitur, SS. Patres illis minime aſſenſum præbuiſſe, quod ab hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſiti dignoſcerentur; cum tamen nihil in illis quinquaginta à Dionyſio translatis, niſi quod Apoſtolicam doctrinam, & ſanctiſſimam morum diſciplinam redoleat, ſit inuenire; & illam prorſus veriorem atque probatiorem agnoſcas eiuſdem Iſidori ſententiam, quam idem Gratianus [t] paulo inferius ex legitimo atque germano textu reddidit. Denique quod ex parte quidem nominis (quia videlicet incertum eſt eos ab ipſis Apoſtolis eſſe conſcriptos) iidem, vt dictum eſt, cenſerentur apocryphi; & tamen nonniſi ex traditione Apoſtolica eorum doctrinam manaſſe, Sanctiſſimi Patres & Sacroſancta Concilia certo exploratum haberent: ea de cauſa inprimis factum videtur, vt quamuis ex illis firmiſſimam conſueuerint auctoritatem petere, tamen Apoſtolorum nomine ſpeciatim citare temperauerint, & potius ſententiam quam verba deſcripſerint.

t Diſt. 16. c. 4.

VII. DE NVMERO CANONVM APOST. u Caſſiod. de diuin. lect. cap. 23. x Sext. Syn. c. 2. ap. Theo. Balſam.

Quod vero ad numerum ipſorum attinet: qui primus è Græco in Latinum eos vertit, Græcus & ipſe auctor, ſed inter Latinos magna cum laude diu verſatus, Dionyſius cognomento Exiguus, meritis Maximus, qui à doctiſſimo viro Caſſiodoro [u] mirifice prædicatur: is inquam quinquaginta tantum Canones reperit, quorum vltimus habetur ille de trina in baptiſmate merſione. Qui autem his ſuperſunt vſq; ad numerum octogeſimum quintū, quos habet canon ille qui dicitur Sextæ [x] Synodi, poſtea emanarunt. Magnam vero impoſturę faciūt ſuſpicionem, tum Canon ille ſexageſimus quintus de interdictio-

ne Ieiunii ſabbati, de quo dictum eſt alibi: tum qui de Libris Canonicis omnium poſtremus habetur, in quo multi libri ſacri omittuntur tam Veteris quam Noui Teſtamenti, aliique apocryphi apponuntur. His autem duobus exceptis, reliqui ſuperadditi, ſic aliis locis poſiti eſſe noſcuntur, vt in dubium æque reuocari poſſit an inde accepti fuerint, vel illuc tranſlati. Sed vtcumque acciderit, quod Sancta Eccleſia eos probaſſe noſcatur, ſiue quod ab Apoſtolis fuerint inſtituti, ſiue quod Conciliorum decretis fuerint confirmati: merito iureque authentici habeantur.

VIII. CLEMENTIS ITINERARIVM.

Inter alia quoque eiuſdem Clementis Scripta, recenſentur decē libri *Circuitionum*, ſeu *Periodorum Petri*, qui ab aliis *Itinerarium Petri*, ac rurſum *Recognitiones Clementis*; ac demum à Beda [y] *Hiſtoria Clementis*, appellati reperiuntur. Et quidem reuera à Clemente eius argumenti libros eſſe conſcriptos, nulla fuit apud antiquos dubitatio: ſed eos, adhuc ipſo Clemente viuente, ab Ebionæis hæreticis eſſe deprauatos, auctor eſt Epiphanius [z]: idemque ab Eunomianis factum, Ruffinus affirmat in præfatione quam eorumdem verſioni à ſe concinnatæ appoſuit. Vt merito libri illi ab antiquioribus Patribus [a] tam Græcis quam Latinis inueniantur eſſe proſcripti: licet Clemens Alexandrinus & Origenes aliquando eos citaſſe repeRiantur.

y *Bed. de ra. temp. cap. 3. & in Act. 5.*
z *Epiph. hæ. 30.*
a *Athan. in Synop. Epip. hær. 30. Theloſt. de hæ. Gelaſ. decr. de lib. apocry. & alii.*

IX. MISSA CLEMENTIS.

Traditio eſt inſuper, eumdem Clementem quem acceperat à S. Petro ritum offerendi ſacrificium (MISSAM nempe ipſam) Romanæ Eccleſiæ ſcriptis conſignatum reliquiſſe: cui traditioni adſtipulatur Proclus [b] Epiſcopus Conſtantinopolitanus, aliique Græcorum qui de ſacris ritibus commentarios ſcripſere: quamuis aliqui putarint, per *Liturgiam Clementis* intelligi, quæ de eodem ſacratiſſimo ſacrificio ſcripta habentur in eius [c] Conſtitutionum libris. Ceterum quam vniuerſa Occidentalis Eccleſia præſcriptam habet ſacræ Miſſæ formam (quibuſdam exceptis, quæ ſunt addita vel mutata) non tam à Clemente, quam ab ipſo Apoſtolorum Principe Petro ſibi vendicat antiqua traditio; cum eius inſtitutionis nullum aliud ſit principium & originem demonſtrare. At de Scriptis Clementis iam ſatis.

b *Procl. to. 4. Bibl. 5.*
c *Clem. 7. Conſt. 25. & lib. 8. cap. 15. &c.*

X. EPISCOPI A CLEM. ORDINATI

Qui autem vniuerſæ per Orbem diffuſæ Eccleſiæ paſtorali cura præfuit, idem vti opus eſſe videret, plures etiam ordinaſſe reperitur ſanctiſſimos Epiſcopos, puta Taurinum quem dedit Ebroicenſibus, Lucianum Bellouacenſibus, Dionyſium Pariſienſibus, Eutropium Santonenſibus, Nicaſium Rothomagenſibus, & alios aliis cum nouas erigeret diuerſis in locis Eccleſias: de quorum nonnullis dictum eſt ſuperius. Eo vero martyrio (vt vidimus) functo, ceſſaſſe Epiſcopatum eius diebus viginti vno amplius, habet liber de Romanis Pontificibus. Verum ſi ſucceſſoris electio Romæ (vt creditur) facta eſt, longiori tempore ſedem vacaſſe neceſſe eſt: quod non tam breui dierum ſpatio, Cherſoneſo Romam de eius obitu certum nuncium deferri potuerit, nec de ſucceſſore eligendo haberi comitia. Quamobrem vacaſſe ſedem vſq; ad menſem Aprilis anni ſequentis, inferius demonſtrabitur.

IESV CHRISTI AN. 103.

TRAIANI IMP. AN. 4.

ANACLETI AN. 1.

I.

ANno Chriſti centeſimo tertio, Traianus Imperator quartum geſſit Conſulatum vna cum Sexto Articuleio, ſiue (vt vocat Spartianus [a]) Aurunculeio. Meminit Plinius [b] de quarto Conſulatu Traiani mox poſt tertium ſubſecuto; quem cum gerere recuſaret, Senatus (inquit) & rogauit & iuſſit. Quo item anno idem C. Plinius Secundus & Cornutus Tertullus VV. CC. atque prudentiſſimi, honorarium geſſere Cōſulatum, vt declarat idem Plinius in Panegyrico pro gratiarum actione Traiano dicto: vbi quod ait ſuum ipſius nomen fore addendum Faſtis, quibus ipſe Traianus perſcriberetur: eodem ſane modo dictum eſt, quo de Frontone Oratore ab Auguſto ſuffecto Conſule Auſonius ſcribit, quærendū fuiſſe quibus geſſiſſet Conſulatum: nempe quod Coſſ. ordinarii (vt alibi dictum eſt) nomen darent anno: ſuffecti vero ſic adderentur Faſtis honoris cauſa, vt ſub ordinariis Coſſ. honorarium dicerentur gerere Conſulatum.

a *Spart. in Hadria.*
b *Plin. in Panegyr.*

DE CONSVLATV PLINII SECVNDI.

II. ANACLETVS PAPA CREATVR.

Hoc eodem anno tertia die Aprilis, ANACLETVS natione Græcus, patre Antiocho, creatur Romanæ & Vniuerſalis Eccleſiæ Pontifex. Ex die nempe obitus eius, qui ponitur decimuſtertius Iulii, dies pariter ordinationis, colligi poſſe videtur, habita ſimul ratione annorum quibus ſedit, nempe (vt habent liber de Romanis Pontificibus, atque Indices Vaticani) annis nouem, menſibus tribus & diebus decem. Ceterum deprauatam eſſe primorum iſtorum Pontificum chronologiam per Conſules, ſed & Anacletum cum Cleto ab aliquibus fuiſſe confuſum, iam dictum eſt in Lino.

III. DECEBALVS VICTVS.

Quod autem ad res externas, ſeu profanas pertinet, hoc eodem anno Traianus Imp. profectus aduerſus Decebalū Regem Dacorum, quem Domitiani ignauia reddiderat ferociſſimum, eumdem ingenti edita cæde obtinuit, atque humi procumbentem & ſe adorantem excepit, ac perdifficiles pacis conditiones ſubire coegit: rebuſque compoſitis, in Italiam rediens cum triumpho, *Dacici* eſt cognomentum adeptus. Quo bello & illud memoria dignum præſtitit, vt cum poſt prælium vulneribus ligamenta ſuis deeſſent, propriam veſtem in lacinias conſciſſam ſauciatis partitus fuerit. Militibus quoque qui in ea pugna conciderant, aras conſtitui, & annua parentalia peragi voluit. Hæc omnia Dio.

IESV CHRISTI AN. 104.

TRAIANI IMP. AN. 5.

ANACLETI AN. 2.

I.

ANno Chriſti centeſimo quarto, Surano iterum & Seruiano Coſſ. [a] C. Plinius Secundus, poſt functionem ſuperioris anni Conſulatus, more maiorum prouinciam ſuſcepit adminiſtrandam, cui tributa eſt Bithynia. Quod vero Romanæ conſuetudinis eſſet (vt docet Varro [b]) de rebus diuinis primum ac ſubinde agere de humanis: Proconſulis quoque munus erat, cum prouinciam ingrederetur, ædes [c] ſacras & opera publica circumire, & ne quid detrimenti religio pateretur attendere: cum alioqui apud Plinium nihil religione eſſet antiquius, quippe qui inter alios magiſtratus à Traiano Imp. Auguratum [d] accepiſſet.

a *Spart. in Hadri. Pli. 10. ep. 28.*
PLIN. PROCONS. IN BITHYN.
b *Var. de ling. Lat.*
c *l. 7. D. de off. Procoſ.*
d *Pli. 10. ep. 8.*

II.

Cum igitur in prouincia religionem Chriſtianam adeo propagatam inueniſſet, vt iam templa deorum viderentur eſſe deſerta, perrarique inuenirentur qui diis ſacrificia immolarent (Huic enim prouinciæ olim Petrus Apoſtolus, vt vidimus, Euāgelium prædicauerat: quin & illi confinem Pontum repletam fuiſſe hoc ſæculo Chriſtianis, apud Lucianum [e] teſtatum habetur) his permotus Plinius, cum primo conuentus Chriſtianorum vetuiſſet, quibuſdam etiam tormenta & mortem intuliſſet: tamen multitudine perturbatus, quod in omnes animaduertere durum admodum, immo impoſſibile videret; quid de cetero ageret ſcripta epiſtola [f]) qua & probatos mores, ſanctoſque ritus veterum illorum Chriſtianorum deſcripſit) Traianum cōſulens, reſcriptum [g] ab eo accepit, Chriſtianos conquirendos non eſſe: ſi autem deferrentur, & arguerentur, ac in ſententia perſiſterent, puniendos eſſe: ſed ſine auctore libellos aduerſus eos recipi non debere. Ita Traianus. Et hoc quidem de auctore libellorum, iuxta placita legum: Eos enim notatos eſſe oportere Conſule & die, atq; Iudicis & accuſatoris nomine, merito Iuriſcōſultus [h] admonuit. Ipſum vero Traiani reſcriptū iure redarguit Tertullianus [i], quod neget inquirendos Chriſtianos vt innocentes, & tamen mandet puniri vt nocentes. Si enim damnandi, cur non & inquirendi? ſi non inquirendi, cur non & abſoluēdi? Agens quoq; pluribus de eodem reſcripto Euſebius [k], demum ſubdit q; etſi poſt illud feruor perſecutionis imminutus ſit; nihilominus ſiue fu-

e *Lucian. in Pſeudom.*
PLINII ET TRAIANI EPIST. DE CHRIST.
f *Plin. 10. ep. 97.*
g *Ib. ep. 98.*
h *l. Libellorū D. de accuſ. & inſcrip.*
i *Ter. Apol. cap. 2.*
k *Euſ. 3. hiſt. 27.*

rore populorum, ſiue magiſtratuum inſidiis, quamplurimi vbique Fideles variis martyriorum generibus obtruncati fuerunt. Certe enim licet vetarentur inquiri, tamen ſatis amplus fuit ad eos perſequendos delationis aditus.

III. Sed tantum abeſt, vt accidere poſſet quod Plinius ſpe vana concipiebat, futurum vt ſi Chriſtianis (quod ad Traianum) pœnitentiæ locus daretur, Chriſtiana religio extingueretur; vt contra adeo in immenſum creſceret eorum multitudo in Aſia, in qua & Bithynia erat, vt vnius tantummodo ciuitatis populus Arrium Antoninum Aſiæ Proconſulem in ſtuporem magnum alias adduxerit. Hic enim (vt ait Tertullianus [l]) cum perſequeretur inſtanter eos qui fidem Chriſti ſuſcepiſſent, accidit aliquando vt cum in vna ciuitate de illis quæſtiones haberet, omnes ante tribunal eius ſe manu facta obtulerint. Cum ille paucis duci iuſſis reliquis ait, *O miſeri, ſi cupitis perire, præcipitia & reſtes habetis.* Hæc Tertullianus.

[l] Tert. ad Scap. ca. vl. LACRIMAS CHRISTI IN SECUNDO MARTYRIO.

IV. Ceterum ex iiſdem Plinii ad Traianum literis obſerues, Proconſules ac Præſides ſic in ſuis prouinciis animaduertere ſolitos in Chriſtianos quoslibet, vt tamẽ quos inueniſſent ciues Romanos (quod in eiuſmodi homines ius gladii non haberent) vel tranſmitterent more maiorum Romam iudicandos, vel ſaltem de iis ad Imperatorem ſcriberent: vt factum eſt in Attalo [m] martyre Lugdunẽſi, & aliis quamplurimis. Sed ex his etiam colligas, immenſum plane fuiſſe numerum martyrum qui Romę ſunt paſſi, cum non tantum qui illic agerent, quorum erat ingens multitudo, ſupplicio afficerentur, ſed ex aliis etiam prouinciis eo mitterentur. Denique quod nullam apud Græcos aut Latinos inuenerimus mentionem eorũ martyrum, qui iuſſu Plinii (vt ipſe teſtatur) morti ſunt traditi: vel hoc vno exemplo plane intelligas, innumerum ferme eorum fuiſſe numerum, quorum non tantum Acta obliuioni ſint tradita, ſed & omnis ab Eccleſiaſticis tabulis memoria penitus exciſa.

IV. CIVES ROMANI OMNES ROMAM MISSI.

[m] ap. Euſ. li. 5. cap. 1.

IESV CHRISTI AN. 105.

TRAIANI IMP. AN. 6.

ANACL. AN. 3.

I. ANNO Chriſti centeſimo quinto, Traiano quintum & Appio Maximo Coſſ. rebellantem Decebalum idem Traianus facto ponte in Iſtro debellauit, Daciamq; redegit in prouinciam. Hæc pluribus Dio. Alia vero quæ his addit Euſeb. [a] non hoc anno, ſed ſequentibus eſſe geſta, idem Dio demonſtrat.

[a] Euſ. in chron. an. 15. 106.

II. His Traiani temporibus, inſtante (vt vidimus) perſecutione, ſceleſtiſſimus pſeudopropheta, ELXAI nomine, ſiue *Helxæus*, ex Iudæis oriundus, & cum Iudæis ſentiens, non ſecundum legem conuerſans; Oſſenis ſe, Ebionæis, ac Nazoræis coniunxit: inſuper imaginaria quædam, velut ex reuelatione introducens: aduerſanſque virginitati, & cogens ad nuptias: ſed & aſſerens, non eſſe peccatum in perſecutione fidem abiurare, dummodo corde retineretur. Prohibebat etiam orare ad Orientem: & faciem ex omnibus partibus verſus Hieroſolymam conuertere docebat. Chriſtum nomine tantum confitebatur, ac creaturam dumtaxat eſſe dicebat, ſemper apparentem primo in Adam, inde in Chriſto: eumdemque deſcribebat eſſe quamdam virtutem habentem menſuras milliariorum nonaginta ſex in longitudinem, quatuor autem & viginti in latitudinem; craſſitudinem ſimiliter emetiens, & pedes, & reliqua fabulamenta. Sororem ipſius eſſe Spiritum Sanctum feminco ſexu, inſtar ſtatuæ ſuper nubes & in medio duorum montium ſtantem. Septem quoque teſtes iurisjurandi ſuis præſcripſit, nimirum ſalem, aquam, terram, panem, cœlum, æthera, & ventum; quos rurſum aliquando variauit: & verſus homo ſuorum ſcriptorum interpretationem prohibuit, quæ tamquam è cœlo delapſa promulgauerat; reiiciens vniuerſam ferme Scripturã ſacram hæc & alia de eo Epiphanius [b]: qui & addit, *Helceſaitas*, ſiue *Helceſæos*, qui ſe ab Elzai deſcendere gloriarentur, tãti exiſtimaſſe duas mulieres, alteram *Marthus*, *Marnam* alteram nuncupatam, quæ ex ſemine eius dicerentur deſcendiſſe, & vixerunt ipſius Epiphanii tempore; vt eas adorarent veluti deas, earumque ſputa, & reliquas ſordes corporis, vt res ſacras adhiberent (licet fruſtra) in auxilium morborum. Tradit inſuper Philaſtrius [c], hos ex vna quadam ſuperſtitione conſueuiſſe nudis pedibus incedere: ſolitoſque vti incantationibus, matheſi, magia, & aliis ſuperſtitionibus. Meminit vero etiam eiuſdem hæreſis Euſebius [d] ex Origene, necnon Auguſtinus, & alii recentiores: eoſdemq; hæreticos idem Epiphanus, *Sampſeos*, à nouo vt puto auctore nominat.

II. ELXAI PSEUDOPROPHETA INFESTAT ECCLESIAM.

[b] Epiph. hær. 19. & 53.

[c] Philaſt. de hære. 12.

[d] Euſeb. 6. hiſt. 31.

IESV CHRISTI AN. 106.

TRAIANI IMP. AN. 7.

ANACLETI AN. 4.

I. ANNO Chriſti centeſimo ſexto, Surano atque Marcello Coſſ. Traianum Dacico bello confecto Romam repetentem (vt ait Dio) plurimæ barbararum gentium legationes, atque etiam Indorum adiere. Idemque Bibliothecas extruxit, & ingentem columnam cochlydem ſtatuit in Foro dicto ab ipſius nomine Traiano, ceterorum omnium celeberrimo; quod vna cum dicta columna, præ cæteris Vrbis nobiliſſimis ſtructuris, admirationi fuiſſe Conſtantino Imperatori Romam venienti, tradit Ammianus [a]. Nec immerito: nihil enim vſquam terrarum eadem columna admirabilius, nihil magnificentius: in quæ cælatæ ſunt in circuitu res geſtæ ipſius Traiani bello Dacico, aliiſque militaribus expeditionib. quam quidem hoc anno cœptam, nonniſi poſt ſeptennium eſſe abſolutam, demonſtrant antiqua [b] numiſmata, in quibus vna cum Conſulatu ſexto eiuſdem Imperatoris, quem geſſit anno decimoquinto ſui Imperii, ipſa columna cum Traiani ſimulacro deſuper collocato habetur expreſſa: cum ante illud tempus numquam effigiata alicubi reperiatur. Adeo vt detentus bellis Orientalibus Traianus, eam non viderit, quod rediens victor in itinere obierit. Porro illa in hanc vſque diem integra permanente, Sixtus Quintus Pontifex Maximus ſuper eius verticem, Principis Apoſtolorum Petri ingentem æneam inauratam ſtatuam ſacris tribus ſolemniter collocauit.

[a] Am. Marcell. lib. 16.

COLVMNA TRAIANI.

[b] Refert. Ba. Anna. to. 2. hoc. an.

II. Sed antequam Traiani columna cõſurgeret, erant Petri trophæa Romæ conſpicua. Siqdem Anacletus (vt habet liber de Romanis Pontificibus) cum adhuc presbyter eſſet, conſtruxit deſuper eius corpus in Vaticano, Memoriam (vt vocat) hoc eſt Eccleſiam, quam perſeueraſſe in poſterum, nec tot diriſſimarum perſecutionum turbinibus (quod omnem admirationem ſuperat) proſtratam eſſe, aſſirmat Gaius [c] antiquus Theologus, qui ſub Zephyrino vixit, atq; ea tunc Romæ exiſtens ſcripſit. Immo non Petro tantum erectam memoriam fuiſſe celebrem, ſed & Paulo Via Oſtienſi tradit: eaſdem *Trophæa Apoſtolorum* appellans, quod victorias Sanctorum de ſubactis hoſtibus repræſentarent.

II. PETRI ET PAVLI TROPHÆA ROMÆ.

[c] Gai. ap. Euſeb. 2. hiſt. 24.

IESV CHRISTI AN. 107. 108.

TRAIANI IMP. AN. 8. 9.

ANACL. AN. 5. 6.

I. ANNO Chriſti centeſimo ſeptimo, Candido & Quadrato ſecundum Coſſ. Traianus [a] Armenis ac Parthis, aliiſque finitimis populis bellum intulit, quorum alios in deditionem recepit, alios bello ſubegit.

[a] Dio in Traiano.

POPVLI A TRAIANO DEVICTI.

II. Sequenti vero (qui fuit Chriſti centeſimus octauus) Commodus Verus ac Cerealis Conſulatum inierunt. Quo anno, & ſequentibus, idem Imperator perſeuerans [b] in expeditione Orientali, Iberos, Hoſdroenos, Arabas, Boſphoranos, Colchos, Aſſyrios, Perſas, aliaſque nationes, ſed & celeberrimas vrbes Seleuciam, Creſiphontem Babylonẽ, aliaſq;, partim vi occupauit, partim in deditionem

[b] Caſſio. de Conſu. Dio. in Traian.

nem aut fœdus accepit: & *Arabici* ac *Parthici*, cognomen eſt adeptus. Cum autem ad Oceanum perueniſſet, dixit quod ſi iunior fuiſſet, Indiam quoque tentaſſet. Denique literis ad Senatum ſcriptis victarum à ſe gentium nomina recitans, tantus (inquit Dio) fuit earum numerus, vt vix recenſeri aut numerari poſſent. Sed hæc poſtea: non enim niſi poſt terræmotũ Antiochenum, qui poſt triennium accidit, trans Euphratem duxiſſe exercitum, idem auctor ſcribit.

III. MILITES CHRIST. MARTYRES.

Ceterum quod ad res noſtras ſpectat: in his expeditionibus aliquando accidit, vt idem Imp. more maiorum luſtrans exercitum, inuentos in eo vndecim mille Chriſtianos in Armeniam relegarit, ea ſpe vt ignominia notati, Chriſtiani eſſe deſinerent: ac *Romulum* Domus Imp. præpoſitum, eiuſmodi ſæuitiam deteſtantem, ac ſe Chriſtianum profitentẽ, capite damnarit: prout narratur in Actis eiuſdem Romuli, quæ Metaphraſtes ex antiquiorib. monumentis deſcripſit: cuius etiam martyrium tam Orientalis, quam Occidentalis Eccleſia annua celebritate recolere [c] conſueuit. De Militibus vero relegatis quid factum ſit, licet ibi non narretur: coniicimus tamen, hos illos eſſe decem mille martyres, qui in ſiluis montis Ararath in Armenia ſunt crucifixi: nam etſi ſub Hadriano Acta [d] ipſorum paſſos ponant, tamen (niſi velimus ad Hadriani Imperium eſſe reſeruatos) cum certum ſit hunc Traiano in militaribus expeditionibus adhæſiſſe, & apud eum, tamquam ipſius nepotem, principem locum obtinuiſſe: nihil eſt quod veritati hiſtoriæ deroget: ſicut nec alia quædam minima, quę ſcriptorum incuria irrepſerunt. Eodem quoque tempore paſſum putamus Hyacinthum [e] qui eidem Traiano erat à cubiculo, in carcere fame necatum.

c Martyrol. Rom. & Menol. Græc. 5. Sept.
d ap. Sur. 22. Iunii. & vid. Baron. in Not. ad Martyrol. Rom. ead. die.
e Martyrol. R. 5. Non. Iul.

TRAIANI IMP. AN. 10.

IESV CHRISTI AN. 109.

ANACLETI AN. 7.

I. a Euſeb in Chron. SIMEONIS MARTYRIVM.

ANNO Chriſti centeſimo nono, Senecione & Sura Coſſ. cum Traianus ageret in Imperio annum decimum [a], SIMEON Frater Domini dictus, filius Cleophæ, Hieroſolymitanus Epiſcopus, à quibuſdam qui erant ex Iudæorum ſectis, tum vt ex Dauidis ſtirpe ortus, tum vt Chriſtianus, in iudicium coram Attico Conſulari vocatus; annos natus centum & viginti, poſtquam verberibus crudeliſſime cæſus eſt, fortiſſimum crucis ſupplicio martyrium cõſummauit. Rem geſtam pluribus narrat ex Hegeſippo Euſebius [b]. In Simeonis vero locum ſuffectus eſt *Iuſtus*, reiecto THEBVLE quodam, vno ex eiſdem Iudæorum ſectis: qui repulſæ impatiens, Eccleſiam Hieroſolymitanam (quæ quod hactenus immunis ab hæreſi conſeruatã fuerat, Virgo dicebatur) erroris labe ſecreto inficere exorſus eſt: prout teſtatur idem Euſebius [c].

b Id 3. hiſt. 26.
THEBVLIS HÆRETICVS.
c Id. 4. hiſt. 22.

II. IGNATIVS ROMAM MITTITVR.

Eodem quoque decimo Traiani anno, ob Chriſti nominis confeſſionem S. IGNATIVS Epiſcopus Antiochenus vinctus abducitur Romam, tradendus beſtiis. Cum enim paſſum conſtet Calendis Februarii (vt Romanum habet Martyrologium) & anno vndecimo Traiani, vt Euſebius [d] & Hieronymus [e] ſcribunt: merito hoc anno eius abductio & iter, ſequenti vero martyrium ponitur. Quod autem Romam ad dicẽdam cauſam & ad ſupplicium miſſus fuerit, inde accidiſſe putamus, quod non illi tantum) (ſicut ex literis Plinii vidimus) qui inter Chriſtianos ciues eſſent Romani, eo mitti conſueuiſſent: ſed & illi qui inter quoſcumq; delinquentes, factioſorum viderentur auctores, vt Ioſephus pluribus declarat exemplis, & alii rerum Romanarum ſcriptores: cuius certe æſtimationis apud Gentiles erat Ignatius, qui primus inter Orientales Epiſcopos haberetur, tum ſedis prærogatiua, tum vitæ meritis.

d Id. in Chr.
e Hier. de ſcript. Eccl. in Ignat.
ILLVSTRIORES CHRIST. ROMAM AD SVPPLICIVM MITTI SOLITI.

III. f Ignat. ep. ad Rom. MILITES QVALES IN IGNATIVM.

Ceterum Smyrnam maritimam Ioniæ ciuitatem, cum perueniſſent qui eum ducebant milites (quos ipſe ob feritatem & inhumanitatem, *Leopardos* [f] nominat; qui & beneficiis affecti peiores, vt ait, fierent) & aliquantiſper ibidem conſiſterent: ea bene vſus mora Ignatius, ad Eccleſias, à quibus honeſtiſſimas legationes in itinere acciperet (quarum etiam meminit Chryſoſtomus in oratione de ipſius tranſlatione) literas reſcribens, eaſdem ad pietatem & diſciplinam Eccleſiaſticam, prout ab Apoſtolis conſignata fuerat, conſeruandam diligenter hortatus eſt: ſimulque ingens martyrii deſiderium quo flagrabat, ſæpius inculcauit. Smyrna enim inſignes illas ad Epheſios, Trallianos, & Magneſianos Epiſtolas dediſſe, ex iiſdem apparet. Sed & cum reperiſſet quoſdam Chriſtianos Epheſios Romam recta venturos, eiſdem ad Romanos (vt ipſe ad finem teſtatur) celeberrimam omnium dedit epiſtolam, qua plane inſignibus eam Eccleſiam titulis atque præconiis exornauit, vnde in hac ſcriptorum huius tẽporis inopia intelligas eam tunc florentiſſimam extitiſſe. Smyrna vero Troadem perductus, alias inde ac Philadelphios, Smyrnenſes, nec non ad iſtorum Epiſcopum Polycarpũ ſcripſit; aliaſq; rurſum Philippis Macedoniæ ad ſuos Antiochenos, itemque ad Heronem eiuſdem Eccleſiæ diaconum (cui & prænunciauit fore vt ſibi in eius regimine ſuccederet) nec non ad Tarſenſes: & inde terreſtri itinere verſus Dalmatiã deductus, ad Philippenſes quos reliquerat, dedit omnium (vt videtur) nouiſſimam.

IGNAT. SCRIBIT AD DIVERSAS ECCLES.

IV. g Euſ. 3. hiſt. 30. h Hier. in Ignat. NVMERVS ET FIDES EPIST. IGNATII.

Quod autem ad cunctarum ipſius Epiſtolarum numerum ſpectat: Euſebius [g] & Hieronymus [h] earum tantummodo meminere, quæ datæ ſunt Smyrnæ ac Troade, priuſquam ipſe ex Aſia receſſiſſet, omnes numero ſeptem: reliquæ vero eos prætermiſſe videntur: ſicut & illa quã longe antea ſimulatq; Clemens creatus eſt Romanus Pontifex, ſcripſit (vt vidimus) ad Mariam Caſſobolitem. Sed de harum quoq; fide, parum eſt vt citem vetuſtiſſimos Græcos codices, qui tum in diuerſis Vrbis Bibliothecis, tum aliis vbique locorum habentur: vel Photium in teſtem adducam: quandoquidem iudicio omnium eruditorum, ſtylo, charactere, aliiſque compluribus notis verborum, ſententiarum, ac rerum, ex ſeptem illis omnium auctoritate probatis certam ſibi vendicent fidem. Quod autem ſeptem illæ ſeorſum poſitę haberentur, fuit illa prima collectio facta à Polycarpo Smyrnenſium Epiſcopo: qui rogatus à Philippenſibus, eas ad ipſos miſit, vt ipſe teſtatur in epiſtola [i] quam mox poſt diſceſſionem Ignatii è Macedonia, ſcripſit ad eoſdem. Hi vero illis à Polycarpo acceptis, quatuor alias, tum apud ſe, tum ad ſe datas, addiderunt: quam ipſorum collectionem non Græcis tantum, ſed & Latinis poſtea innotuiſſe conſtat.

i ap. Euſe. 3. hiſt. 32. in fin.

V. k Bern. ſer. 7. in pſal. 90. l Polycarp. ep. ad Phil. m Dionyſ. de diuin. nomi. n Iren. lib. 5. o Athan. de Synod. p Euſ 3. hiſt. 30. q Hier. de ſcript. Eccl. in Matth. Ignat. & Polycarp. r Theodor. in dialog.

Denique præter duodecim numeratas, plurimas alias ab eo ante vincula diuerſis occaſionibus fuiſſe ſcriptas, neminem puto dubitare: cum id præſertim poſtularet munus Epiſcopale. Quæ idcirco dixerimus, quod leguntur eiuſdem titulo duæ ad S. Ioannem Apoſtolum, ac tertia ad Sanctiſſimam Deiparam, cui & iuncta eſt alia Virginis ad ipſum reddita. Sed cuius iſtæ ſint fidei, iudicium eſto penes prudentem piumq; lectorem: quas quidẽ ſcimus S. Bernardum [k] citaſſe aliquando, earumque meminiſſe alios recentiores. At de S. Ignatii Epiſtolis hactenus: quarum (vt vidimus) meminit Polycarpus [l]: citantq; Dionyſius [m], Irenæus [n], Athanaſius [o], Euſeb. [p] ſæpe Hieron. [q], crebrius Theodoretus [r], & alii Latinorum atque Græcorum complures. Quæ autem in eis ſinceriſſima Apoſtolica traditio, tum de doctrina, tum de diſciplina Eccleſiaſtica contineatur, dictum eſt magna ex parte variis locis ſuperius, ſecundum diſputationum neceſſitates.

VI. s ap. Sur. 1. Febr. t Mar. R. 12. Dec. & 25. Ianuar. u Mart. & Meno. 19. Ianua. Ext. eius Acta ap. Metaphr.

Ipſe vero Ignatius tranſiens per Epirum, Adriaticum mare primum, inde Mediterraneum nauigans, Puteolos tandem appulit, ac demum Romam perductus eſt: vt narrat Metaphraſtes [s], dum ex antiquis monumentis Acta eius recenſet. De martyrio vero dicetur anno ſequenti. Ceterum hoc eodem anno pro confeſſione Chriſti certauerunt Philippis [t] in Macedonia, Zozimus & Rufus, quorum meminit Polycarpus ea quam diximus epiſtola ad Philippenſes. Sicut etiam ſub eodem Traiano Imp. paſſus habetur item Philippis PARMENAS vnus ex ſeptem primis Diaconis: & in Piſidia, Zozimus [u] miles.

VII. DE TEMPORE

At quoniam nuper mentio facta eſt de DIONYSIO AREOPAGITA, citante epiſtolas Ignatii: hic nobis ac-

MARTYRII DIONYSII AREOPAG.

x Metaphr. Dionyſ. die 9. Oct. y Hild. in Areopag. z Hincma. ap. Sur. 9. Oct.

curatius de illo agendum (quod polliciti ſum, cum eum in Gallias à Clemente Papa miſſum diximus) & illud primo inueſtigandum, quonam tempore martyrium conſummarit. Qui dixerunt id accidiſſe ſub Domitiano Imp. puta ex Græcis Metaphraſtes [x], ex Latinis Hilduinus [y], & Hincmarus [z] Rhemenſis: ſatis ipſi refelluntur ex ea quam ſuperius diximus, quamque iidem germanam agnoſcunt, epiſtola Dionyſii ad Ioannem Euangeliſtam ſcripta, cum adhuc eſſet exul in Patmo: cum in ea dicat, ſibi diuinitus eſſe reuelatum breui futurum vt mutuo fruerentur congreſſu: certum autem ſit, nonniſi poſt necem Domitiani, ſub Nerua Ioannem eſſe liberatum, quando Dionyſium illum adiiſſe oportuit. Rurſum vero cum iidem eius recipiant ſcripta, ipſeque in libro de diuinis nominibus, Ignatii epiſtolæ ad Romanos hoc anno (vt vidimus) ſcriptæ adducat teſtimonium: plane certum redditur, eum complures ſub Traiano vixiſſe annos. Rectius itaque Michael [a] Syncellus presbyter Hieroſolymitanus, qui (vt ipſe profitetur, ac de eo teſtatur Suidas [b]) tum ex maiorum ſcriptis, tum ex traditione, res geſtas Dionyſii eſt proſecutus, eius obitum ad finem Imp. Traiani contigiſſe ſcribit. Immo & antiqua Martyrologia, quorum maior eſt fides, Bedæ [c], Adonis, & alia olim ſcripta, ſub Hadriano Imp. Dionyſium ſubiiſſe martyrium ponunt: idq; etiam Ado confirmat auctoritate Ariſtidis Athenienſis, qui ſub Hadriano vixit, in commentario de Chriſtiana religione, cuius etiam meminit Hieronymus.[d]

a Mich. Syncel. in encom. de Dionyſ. ap. Lipom. to. 4. b Suid. verb. Dionyſ. c Bed. & Ado. 3. Oct. Hier. de Scrip. Eccle. in Ariſtid.

VIII. DIONYS. AREOPAG. PARIS. EPISCOPVS.

Sed quod à nonnullis dubitatum eſt, an idem Areopagita ſit ille Dionyſius Pariſiorum Epiſcopus: Beda quidē, & ipſum ſecutus Ado, diuerſis diebus duos ponunt Dionyſios, videlicet Areopagitam quinto Nonas Octobris, ac Pariſienſem Epiſcopum ſeptimo Idus eiuſdem, Verum antiquiſſimum Bedæ Martyrologium, quod extat apud nos ſcriptum, itidem & Romanum dictum, vnum tantum habet Dionyſium, Pariſienſem ſcilicet ſeptimo Idus Octobris. Vnde non à Beda poſita; ſed ad Bedam ea de Dionyſio Areopagita addita eſſe opportuit, ex Græcorum forte Menologio, in quo agitur quinto Nonas Octobris de Dionyſio Areopag. Sæpe enim accidit vt alia ratione Græci, alia Latini, immo & ipſi inter ſe Latini, eiuſdem Sancti diuerſis diebus celebritatem agant: quod nimirum alii natalitium, inuentionis ſeu tranſlationis alii, vel forte dedicationis eccleſiæ diem celebrent: qua etiam ratione de vno eodemq; Sancto iterum agi ſolemnitatem facile inuenies. Ceterum Bedæ tempore ea de Dionyſio Areopagita, quod vnus idemq; eſſet cum Pariſiorum Epiſcopo, adeo viſa ſunt explorata, vt poſtea temporibus Ludouici Pii Imperatoris (ad quem Hilduinus Abbas S. Dionyſii commentarium ab eo rogatus conſcripſit, qui extat [e]) abſq; aliqua dubitatione fuerint accepta. Sicut & ad Carolum Caluum Imperatorem eiuſdem Ludouici filium ſcribens Hincmarus Rhemenſis Epiſcopus, vir illorum temporum eruditiſſimus, vt in re comperta, atq; omnium fide teſtata, aſſeruit id ratum eſſe Græca teſtificatione, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ atteſtatione, atq; intima Gallicana conteſtatione.

e ap. Sur. 9. Oct. REI VERITAS PROBATA ET RECEPTA.

IX.

Certe quod ad Græcam teſtificationem attinet, quid aliud profeſſus eſt Michael Imp. qui ad hoc ſubtilius perſcrutandum omnem impendit operam, cum ad eumdem Ludouicum Imp publica legatione miſit [f] commentarios omnes Dionyſii Areopagitæ: Qui Pariſios perlati ipſis vigiliis celebritatis S. Dionyſii, cuiuſnam illi fuerint edita diuinitus miracula certo certius declararunt. Conſtat inſuper auctore Anaſtaſio [g] Bibliothecario, S. Methodium Conſtantinopolitanum Epiſcopum ſcriptis mandaſſe Vitam Dionyſii Areopagitæ, atq; in ea de ipſius aduentu in Gallias fidem confirmaſſe: eamdemq; ipſum cum adhuc presbyter legatum ageret apud Romanam Eccleſiam, eidem Eccleſiæ tradidiſſe. Et idem qui ſupra Michael Syncellus, eidē Methodio æqualis, & in martyrio ſub Theophilo Imp Iconoclaſta ſocius, ſcripta oratione panegyrica de rebus geſtis S. Dionyſii Areopagitæ, pariter profitetur eum auocatum ab Eccleſia Athenienſi, & miſſum in Galllias curaſſe Eccleſiam Pariſienſ. Deniq; Metaphraſtes ex antiquiorib. monumentis eiuſdē Dionyſii vitā deſcribēs, iiſdē adſtipulatus eſt, & alii complures ex recētiorib. Teſtaturq; inſuper Hilduinus, id etiā ipſos Athenarū incolas, veterum hiſtoriarum ſcriptis & ſucceſſionū traditionibus doctos, eamdem ſententiam confirmaſſe. Adeo vt vel his dumtaxat teſtibus, cauſa euicta videri poſſit: cū præſertim nullus vmquam inter Græcos auſus fuerit vel leuiter cōtradicere, quos alioqui conſtat adeo rerum ſuarum ſtudioſos extitiſſe vindices, vt niſi res plane perſpecta fuiſſet, numquam tantum virum tam facile donaturi fuiſſent Gallis. Sed de Græcorum atteſtatione iam ſatis.

f Recitat hæc plurib. Hil. vbi ſup. g Anaſt. ep. ad Carol. Ca. Imp. ap. Sur. 9. Oct.

X. ROM. ECCLESIA DE EADEM RE TESTIMONIA.

Quod aūt de eadē veritate Hincmar⁹ teſtē adduxit S.R. Eccleſiā: aliqua fortaſſe extabāt, ea de re Pontificū Romanorū diplomata vel ſi hæc deerāt ſatis eſt ꝙ Hilduinus ad eādē rē probandā citat aliqua Miſſalia Gallicana, quæ ait probata fuiſſe auctoritate Romanorū Pontificū Innocētii, Gelaſii, & Gregorii, quorū extare dicit ad Pariſienſem Eccleſiā eo argumēto ſcriptas epiſtolas. Moris n. erat, vt in Sanctorū Natalibus, in ſacris Miſſæ Præfationib. res ab eis geſtæ ſummatim collectæ in eccleſia publice recitarētur: ſicut veteris eiuſmodi conſuetudinis fidem faciūt Miſſale Ambroſianum, & Sacramentarium Gregorianum. His Accedit Stephani Papę auctoritas, factis ipſis rem confirmantis: qui cum in Galliis ope Dionyſii è morbo conualuiſſet, tranſlatis Romam eius Reliquiis, in eius honorem monaſterium erexit, quòd Græcis monachis tamquam ipſius Areopagitæ gentilibus habitandum tradidit: prout iſta habentur egregie teſtata in Areopagiticis eiuſdem Hilduini. Denique quod Eccleſia Romana ſcriptam à S. Methodio (vt dictum eſt) Dionyſii Vitam ſuſcepiſſet, eāde mque eiuſdem S.R.E. Bibliothecarius Anaſtaſius Latinitate donatam ad Carolum Caluum Imperatorem in Gallias miſiſſet: argumentum haud leue videri potuit, eam veritatem ab Eccleſia Romana eſſe receptam.

XI.

Ad conteſtationem autem Eccleſiæ Gallicanæ, qua pariter Hincmarus vtitur, ſatis videri poſſunt quæ ex antiquioribus monumentis Acta Dionyſii Hilduinus collegit: quæ ſi aliqua in re (vt quod diximus de tempore eius martyrii) minus vera habeantur, non ob eam cauſam cetera omnia quibus tam Græci quam Latini adſtipulantur, falſa eſſe dicenda ſunt: cum diuinarum tantum ſit Scripturarum, inconcuſſam continere veritatem. Quod autem his omnibus adeo firmiter ſtabilitis, Gregorius [h] Turonenſis opponitur, dū ait miſſum Pariſios Dionyſiū tēpore Decii Imp id quidem tam verū eſt, quam ꝙ ibidem aſſerit eiuſdē Decii tempore Trophimū Arelatem, Paulū Narbonā, & Martialē itē in Gallias mandatos: quos Acta, & antiqua Martyrologia indubitate affirmant ab ipſis Apoſtolis illuc eſſe directos. Sed hęc, ſicut alia plura, auctoris ſanctiſſimi viri ſimplicitati, multa tam facile admittenti donanda ſunt: prout etiam Hilduinus iam olim cum exſtauit.

h Greg. Tur. 1 hiſt. Franc. 30. OBIECTIO EX GREG. TVRON. DILVITVR.

XII. ÆTAS DIONYSII AREOPAG.

Quoniam vero in colligendis annis ætatis Dionyſii multi decepti ſunt; facile eſt rei veritatem ex ipſiuſmet ſcriptis colligere. Cum enim ad Apollophanem ſcribens teſtetur, admirandam illam Solis Eclipſim tempore Paſſionis Chriſti, contigiſſe anno ſuæ ætatis vigeſimo quinto: ſi ad vltima Traiani tempora, vel etiam ad Hadriani Imp. dixerimus perueniſſe (quod probe teſtatum nuper vidimus) neceſſe eſt affirmare, ſaltem decimum ſupra cēteſimum ætatis annum attigiſſe. Quod haud mirandum erit, ſiquis cōſideret quæ de longiſſima complurium aliorum ætate dictum eſt alia occaſione ſuperius.

XIII. DE SCRIPTIS DIONYSII.

Sed quod pertinet ad Dionyſii Scripta, cum ea iam ante ſeptingentos annos communi Græcorum omnium ac Latinorum conſenſione, vt vere Dionyſii Areopagitæ, poſt exquiſitiſſimum examen cognita probataq; fuerint, haud æquum putamus de illis ſic agere ac ſi nunc primum cōtrouerſia orta eſſet: cū præſertim pro illis cōpoſitæ ſint à cōplurib. viris eruditis [i] apologiæ. Quāobrē omiſſis reliquis leuioribus aut explicatu facilioribus obiectionibus, vni tantum & alteri immorabimur, quæ validiores putantur, & magis ad hiſtoriam Eccleſiaſticam pertinere noſcuntur.

i Numerat illas Sixt. Sē. Bibl. lib. 2. in Dionyſ. Add. de & Matt. Galen. in Areopag. Sed & ipſum Baron. Annal. to. 2. hoc anno Domini 109. vbi de his agit pluribus.

XIV. DILVVNTVR OBIECTIONES.

Quod igitur inprimis obiicitur, libros *de Diuinis Nominibus* inſcriptos eſſe ad Timotheum Epiſcopum Epheſinum, cum tamen in iiſdem citetur epiſtola Ignatii ad Romanos hoc ipſo anno ſcripta, Timotheum autem conſtet iam ante hac fuiſſe defunctum: huic obiectioni haud inſulſe reſponderi poſſe videtur, ſi dixerimus ab ipſo auctore ea verba Ignatii poſtea eſſe addita. Quis enim dubitet, quemlibet tractatorem ad extremum vſque vitæ diem ſuas lucubrationes addendo, minuendo, vel immutando ſolitum expolire? Sed quis nos compellit, vt aſſirmemus hunc Timotheum fuiſſe Pauli diſcipulum Epiſcopum Epheſiorum? Nam quæ operi *de Eccleſiaſtica Hierarchia* præpoſita eſt inſcriptio, *Compresbytero Timotheo Dionyſius presbyter*: ſicut & commentario *de Myſtica Theologia*: ea prorſus germana, & ab ipſo auctore appoſita noſcitur: illam autem quæ præfixa eſt libro de diuinis Nominibus in hæc verba, *S. Dionyſii Areopagitæ Athenienſis Epiſcopi ad Timotheum Epiſcopum Epheſinum liber de Diuinis Nominibus*, à librariis eſſe appoſitam omnes iure conſentiunt. Immo quod auctor in ipſo exordio commentarii de Eccleſiaſtica Hierarchia, illum Timotheum vocet *filium*: alium quempiam ſimplicem presbyterum omnino ſignare viſus eſt: ſiquidem vt Epiſcopus Coepiſcopum, etiam ætate iuniorem, nominare cõſueuerit *Fratrem*, non *Filium*, mille antiquorum exemplis eſſet facile demonſtrare. Quid autem abſurdum plures eius nominis eo tempore fuiſſe Chriſtianos? Certe quidem tunc quoque vixiſſe filium Pudentis Romani nobiliſſimi Senatoris Timotheum, eumdemq; Petri & Pauli diſcipulum, atque preſbyterum, conſtat ex Actis [k] SS. Pudentianæ & Praxedis ipſius ſororum: necnon ex Romano Martyrologio [l]. Quapropter eadem quoque facilitate diſſoluitur obiectio de Clemente presbytero, citato in iiſdem libris. Quid enim cogit, vt intelligamus (quod iſti volunt) Clementem Alexandrinum: maxime cum in iſto nihil prorſus eiuſmodi inueniatur, quale ipſi fingunt? Ceterum cum auctor citans Clementem, nominauerit tantum *Philoſophum*, nec aliquo digniori honeſtet titulo, ſicut alias ſolet cum Chriſtianos auctores citat, veluti cum dicit *Diuinus Ignatius*, *Eximius Hierotheus*, &c. plane ſignificat ſe aliquem Philoſophum Ethnicum intelligere: ſiue is fuerit Actius Clemens, ad quem extat Plinii [m] Secundi epiſtola, ſiue quis alius eius nominis.

k ap. Adon. 12 Cal. Iul. Mombrit. to. 2.
l Mart. R. 20 Iunii.
m Plin. l. 1. ep. 10.

XV. DE SILENTIO EVSEBII ATQVE HIERONYMI.

Sed cur Euſebius & S. Hieronymus, quorum præcipuum fuit ſtudium rerum Eccleſiaſticarum Scriptores colligere, de Dionyſio Areopagita ne verbum quidem feciſſe noſcuntur? Quod ad Euſebium ſpectat, iam olim Sanctus Maximus monachus, ſtrenuus veritatis Catholicæ aduerſus Monothelitas propugnator, eius de Dionyſio ſilẽtium, affectatum nimis, ac dolo malo ſimulatum demonſtrauit: quippe qui Arianorum vexillarius (vt eum appellat S. Hieronymus) auctores illos prodere timuit, quorum vel ſolo aſpectu Ariana hæreſis ſterneretur. Et vt omittamus de aliis dicere, quos idem Maximus recenſet: nonne dolo malo Theognoſti celeberrimi Theologi nomen & ſcripta ſiluit, quod nominis Conſubſtantialis eſſet aſſertor: quem ad hoc conſtat ab Athanaſio [n] ſæpe citatũ? Porro Dionyſii opera, potentiſſima arma continuiſſe ad expugnandam Arianam impietatem, quem ſuperius citauimus Michael Syncellus in illis apprime verſatus, pleniſſimam fidem facit. Sed quod S. Hieronymi nullus omnino dolus ſubeſſe poſſit, eius de Dionyſio ſilentii ratio petenda eſt ab ipſius ſcribendi operis inſtituto: quippe qui in præfatione ad Dexterum, eos ſe colligere profeſſus antiquos Scriptores Eccleſiaſticos, quos inueniſſet ab Euſebio recenſitos: id dumtaxat præſtitiſſe cognoſcitur, illis tantum ſuperadditis qui poſt Euſebii obitum vſque ad ſua tempora floruiſſent: reliquos enim Sophronium addidiſſe, omnes intelligunt.

n Athan. de Syn. Nic. de cr. cont. Arian. hær. & depr. in Sp. S. ad Serap.

XVI. OPERA DIONYSII COGNITA MAIORIBVS.

Ceterum Dionyſii opera nota fuiſſe antiquiſſimis Patribus, ſatis docet idem Maximus, dum teſtimonio Anaſtaſii Epiſcopi Antiocheni aſſerit Dionyſium Alexandrinum eadẽ illuſtraſſe ſcholiis: quæ & hactenus Venetiis in Bibliotheca S. Marci aſſeruari dicũtur. Similiter Athanaſius [o] citaſſe reperitur commentarium *de Cæleſti Hierarchia*. Cuius etiam reſpectu Chryſoſtomũ appellaſſe Dionyſium, ob ſublimem Theologiam, *Volucrem cæli*, auctor eſt Anaſtaſius [p] Bibliothecarius: diciturque extare itidem Venetiis oratio illa Chryſoſtomi qua id continetur, eiuſq; eſſe titulus *Cygnea Vox Chryſoſtomi*: quam videlicet habuit Conſtantinopoli antequam in exilium proficiſceretur: cuius & meminere complures antiqui ſcriptores. Cyrillum quoque Alexandrinum Scripta Dionyſii Areopagitæ ſæpe citaſſe, fidem facit Liberatus [q] Diaconus. Eſtque item apud Origenem (& licet non Origenis, antiqui tamẽ auctoris aduerſus Arianos pugnantis) ſermo, in quo idem Areopagita allegatur. Ceteri autem Græcorũ qui poſtea claruere, vt Anaſtaſii Sinaita & Nicænus, Maximus monachus, Suidas, Damaſcenus, Photius, Andreas Cretenſis, Georgius Pachymerius, & alii denique omnes nemine aduerſante, non ſolum eiuſdem Dionyſii ſcriptis ſunt vſi: ſed & ipſa eius eſſe auctoris, pugnaciter defenderunt: meminitque idem Photius commentarii Theodori cuiuſdam presbyteri, quo ſoluit obiectiones curioſorum Græcorum negantium iiſdem ferme cauillationibus quibus hodieq; Nouatores vtuntur, ea opera eſſe Dionyſii Areopagitæ. Quæ inſuper citaſſe reperiuntur Romani Pontifices (quorum in his ſumma eſt auctoritas) Gregorius [r], Martinus, Agatho [s], Hadrianus [t], atque Nicolaus [u].

o Athan. l. quæſt. q. 4.
p Anaſt. ep. ad Carol. Cal. Imp.
q Liber. Breuiar. cap. 10.
r Greg. hom. 34. in Euãg.
s Agath. in Syn. R. ep. ad Heracl. & Tib. Imp. quæ extat in Syn. Act. 4.
t Hadria. ep. ad Carol. Mag. ca. 10.
u Nicol. ep. ad Mich. Imp.

XVII. DIONYSII MARTYRIVM.

Quod denique ad martyrium pertinet: conſtat eum à Feſcennio Præfecto, poſt grauiſſima tormentorum genera (inter quæ, fuit etiam in craticulam ſubiecto igne coniectus) vna cum ſociis *Ruſtico* preſbytero, & *Eleutherio* diacono, Pariſiis gladio percuſſum eſſe: ſicut pluribus Acta [x] deſcribunt. Quod autem & ſanctum Caput ſuum poſt decollationem ſuſtulerit, & propriis manibus ad duo milliaria portauerit vſque in locum vbi poſtea nobiliſſimum monaſterium in ipſius honorem erectum eſt: id quidem Hilduinus ex antiquioribus monumentis, atque etiam Metaphraſtes & Nicephorus [y] profitentur.

x ap. Sur. 9. Octob. Mart. R. eod. die
y Niceph. l. 2. hiſt. 20.

IESV CHRISTI AN. 110.

TRAIANI IMP. AN. 11.

ANACLETI AN. 8.

I.

ANno Chriſti centeſimo decimo, Gallo & Bradua Coſſ. cum Traianus vndecimum ageret annum in Imperio (vt tradũt Euſebius [a] & Hieronymus [b]: quibus præſtat fidem adhibere, quam recentioribus hæc ad alios Traiani annos referentibus) Sanctus IGNATIVS Epiſcopus Antiochenus, leonum dentibus (quod vehementi deſiderio optaſſe eius epiſtolæ demonſtrant) in theatro dilaniatus, martyrium feliciter conſummauit Romæ, quo vidimus cum ſuperiori anno ex Syria ductum. Rem geſtam iidem auctores paucis abſoluunt, ſed pluribus Metaphraſtes [c] ex vetuſtiorib. tabulis: addens & de Ignatii conteſtatione, cum iamiam feris obiiciendus eſſet populo ſpectatori facta, ſe iſta nõ perpeti ob maleficium aliquod, ſed vt Deum aſſequeretur cuius eſſet frumentum, atque ideo dentibus beſtiarum moleretur, vt fieret eius purus panis. Id ipſum de conteſtatione apud Adonem [d] legitur: ac præterea multis aliis ſuppliciis Ignatius affectus traditur, antequam feris obiiceretur: quæ & Martyrologium Romanum videtur agnoſcere ex parte. Diſſentit autem ab eodem auctore Metaphraſtes, quod iſte Ignatium ita deuoratum à leonib. ait, vt ſola aſperiora oſſa relicta fuerint: Ado vero ita præfocatum, vt carnes intactæ remanſerint. Sed quod tam Ado, quam Romanum Martyrologium, ipſo præſente Traiano paſſum dicunt: commune id eſt multis martyrum Actis vt quæ ſub aliquo Imperatore à Præfectis ſunt geſta, coram ipſo facta dicantur: cum alioqui ſciamus, Traianum in Oriente his temporibus egiſſe cum exercitu.

a Euſ. in Chron. & l. 3. hiſt. 30.
b Hier. de Script. Eccle. in Ignat.
IGNATII MARTYRIVM.
c Metap. ap. Sur. 1. Febr.
d Ado. in Martyrol. 1. Febr.

II. IGNATII RELIQVIÆ ANTIOCHIAM ALLATÆ.

Poſt vero necem ſanctiſſimi viri, Syros qui eum comitati ſunt Romam, ſuſceptas eius ſacras reliquias Antiochiam ouantes, magno omnium ciuitatum quæ in itinere eſſent accurſu & plauſu, ſolemniter retuliſſet, irrefra-

gabilis eſt teſtis Sanctus Chryſoſtomus [e], & ipſe ciuis Antiochenus. Collocatas autem eſſe in ſuburbio ad portam Daphniticam, Hieronymus [f] tradit: ibiq; magnis ac continuis coruſcaſſe miraculis, idem Chryſoſtomus teſtatur. Ex quibus redarguas Nicephorum [g], qui eiuſdem Ignatii translationem Roma Antiochiam factam ponit ſub Theodoſio Imperatore Iuniori. Videtur autem ſecũda ea fuiſſe, quando idem Theodoſius [h] à priori loco ſepulturæ eius in Fortunæ templum ſolemni apparatu transferri iuſſit. Ceterum ex ea quæ hoc tempore facta eſt, videas quãti iam ab ipſo Eccleſiæ exordio facerent Chriſtiani (omnes haud dubium Apoſtolorum diſcipuli) Reliquias SS. martyrum, dum nec Gentilium perſecutionem veriti, nec viarum pertæſi difficultates & longitudinem, Roma Antiochiam eas magna veneratione retulerunt. Quam licentiam ingenti pecunia redemiſſe dicendum eſt ſiquidem & antiquo iure Romanorum, reliquiæ defunctorum prohibitæ eſſent transferri abſq; [i] licentia collegii Põtificum: & alioqui frequentiſſimis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ exemplis conſtet, ſolitos perſecutores martyrum reliquias aut igni tradere, aut in fluenta proiicere, ne à Fidelibus debito ac conſueto cultu honorarentur. Porro ſubrogatus fuit ab Antiochenis in locum Ignatii (quod ipſe prædixerat) *Hero* eiuſdem Eccleſiæ diaconus.

III. ONESIMI ET ALIORVM EPISCOP. MARTYRIA.

At non ſolum Ignatium, ſed & alios variis locis Epiſcopos æque petitos eſſe ad necem, idem ide qui ſupra Chryſoſtomus teſtatur. Quod poſtea accidit de *Oneſimo* [k] Pauli diſcipulo, Epheſiorum Epiſcopo, Timothei ſucceſſore: qui ab Aſię Proconſule vinctus Romam miſſus, ibi lapidibus obrutus eſt; eiuſq; corpus Epheſum relatum. Quem cum certum ſit ſuperuixiſſe Ignatio (quippe cui, dum Romam ad martyrium duceretur, [l] occurrit in itinere) erroris arguitur Nicephorus [m], dum eum ſub Domitiano occubuiſſe tradit. Edeſſæ quoque in Syria, hac eadem Traiani perſecutione paſſum eſſe Barſimæum Epiſcopum, & qui ab eo batpizati fuerant, Sarbelium idolorum ſacerdotem, & Barbeam ſororem eius (quorum ille inter duo ligna ſectus eſt, hæc capite truncata) tabulæ [n] Eccleſiaſticæ teſtantur. Et Dyrrachii in Macedonia Aſtius [o] (aliter Antiſtius) Epiſcopus ſupplicio crucis martyrium conſummauit: aliiq; ibidem Fideles in mare demerſi ſunt. Ac Synope in Ponto, Phocas [p] itidem Epiſcopus, poſt vincula, ferrum ignemque ſuperatum, euolauit in cœlum. Pariter que in Gallia Creſcens [q] diſcipulus S. Pauli, & qui ei in ſede Viennenſi ſucceſſit Zacharias [r]: atque in Apulia [s] Epiſcopus cum ſociis, ſub eodem Traiano martyrium conſummaſſe reperiuntur.

IV. TRAIANI IMP. AN. 12. 13.

Hoc eodem anno vndecimo Traiani Imperatoris, Credo [t] Epiſcopus Alexandrinus, cum ageret in ſede annum vndecimum, ex hac vita deceſſit: eſtque in eius locum ſubrogatus *Primus*.

IESV CHRISTI AN. 111.112.

ANACLETI AN. 9.
EVAR. AN. 1.

I.

ANno Chriſti centeſimo vndecimo, Palma iterum & Caluiſio Tullo Coſſ. nihil geſtum reperitur ad res noſtras pertinens. Sed

II. ANACLETI PP. OBITVS.

Anno centeſimo duodecimo, Traiani decimo tertio (cui Caſſiodorus Piſonem & Haſtam tribuit Conſules, alii rectius Criſpum & Orfitum: ceterum cum Imperatoris annis certa ratio temporis conſtituitur, minus eſt de Conſulibus laborandum) tertio [a] Idus Iulii *Anacletus* Papa, cum ſediſſet annos nouem, menſes tres & dies decem, martyrio eſt coronatus; ſepultuſque in Vaticano iuxta corpus S. Petri, cuius Memoriam (vt ſuperius vidimus) ipſe conſtruxerat.

III. PATRIARCHARVM NOMEN.

Leguntur eius titulo tres Epiſtolæ: in quarum vltima quod trium Sedium Patriarchalium ſeries ponatur, tũ nomen PATRIARCHARVM, tum res ipſa diſplicet Nouatoribus. At vero nomen antiquiſſimum eſſe conſtat; quod tã in ſacra Scriptura ſæpe vſurpatum, & à recentiorib. [b] Iudæis retentum, q̃ à Gentilib. ſuſceptum (Nam qui Ægyptiis ſacris præeſſent, Patriarchas dictos eſſe, & Herodotus docet, & Hadrianus [c] Imperator confirmat) ſicut alia multa, in Eccleſiam feliciter tranſiit. De Sedium vero prærogatiua à Petro primum inſtituta, iam dictum eſt ſuperius [d]; eadẽq; habẽtur in Romanis Conciliis [e] ſub Damaſo atque Gelaſio repetita: ageturque de iis ſæpe inferius.

IV. EVARISTVS PAPA.

Cum autem poſt Anacleti martyrium ſedes vacaſſet dies tredecim, in locum eius ſuffectus eſt EVARISTVS, & ipſe natione Græcus, ex patre Iudæo nomine Iuda Bethleemitico: Cuius quidem Euariſti meminerunt Irenæus [f] Optatus [g], Epiphanius, [h] & Auguſtinus [i]. Sed quod in libro de Romanis Pontificibus traditur, ipſum *Titulos in Vrbe Roma diuiſiſſe presbyteris*. per *Titulos* vtique intelliguntur domus Fidelium diuino cultui mancipatæ, in quibus Chriſtiani Synaxes agere conſueuerant, quas nos *Eccleſias* dicimus; de quibus eſt exemplum in breuioribus illis, ſed plane aureis Pii Papæ epiſtolis [k] ad Iuſtum Epiſcopum Viennenſem. Accepta (vt videtur) nomenclatura à rebus fiſcalibus, cum Tituli impoſitione rem aliquam ſibi fiſcus ſolitus [l] eſſet vendicare, ac Principi conſecrare; quæ conſtat fuiſſe vela quædam imaginibus, aut certe nominib. [m] Imperatorum inſignita: quæ Ambroſius [n] *cortinas regias* appellat: eaque vetuit Gregorius [o] imponi Eccleſiaſticis rebus, quippe qui ſciret Titulos Eccleſiaſticos longe à fiſcalibus diuerſos eſſe debere. Quamquam putamus eam fuiſſe inter *Vela* & *Titulos* differentiam, quod in Velis imago eſſet depicta Imperatoris, in Titulis [q] nomen eius inſcriberetur. Ceterum apud Chriſtianos, Titulum quo domus aliqua diuino cultui mancipaetur, fuiſſe Vexillum Crucis, multis probatur [r] Conſtitutionibus, & aliis antiquis monumentis. Sed & ea ratione dici poteſt, eccleſiam appellatam eſſe Titulum, quod qui ei presbyter adſcriberetur, ab eo nomen titulumque acciperet. Verum Romæ obtinuit tandem, vt nõ omnis eccleſia Titulus diceretur, ſed tantum inſigniores quib. præficerentur Cardinales.

V.

Poſt hæc additur in eodem libro, inſuper Euariſtum *ſeptem Diaconos inſtituiſſe, qui cuſtodirent Epiſcopum prædicantem* (hoc eſt, ei aſſiſterent) *propter ſtylum veritatis*: hoc eſt, ob muneris maieſtatem, & functionis amplitudinem. Inſtar enim cœleſtis illius præſtantiſſimæ hierarchiæ, Eccleſiaſticam pariter eſſe compoſitam [s], certiſſimum eſt. At vero in illa ſeptem ſpiritus in circuitu throni Deo aſſiſtere viſi [t] ſunt: oſtenſumque eſt diuinitus Zachariæ [u], in lapide illo ſeptem infixos eſſe oculos: aliaque pariter de iiſdem ſeptem Angelis ante thronum Dei aſſiſtentibus, ſunt ſymbolice demonſtrata. Qua ratione, ſicut Angeli, qui *adminiſtratorii Spiritus* ab Apoſtolo [x] dicti ſunt, & olim à Propheta [y], Deo adſtant: ita pariter & Diaconi, qui miniſtri Eccleſiæ ſunt, non tantum vt Epiſcopo (quod ab ipſa primitus eorum inſtitutione factum eſt) ſacrificium offerenti, ſed etiam eidem Euangelium annuncianti præſto eſſent, inſtitutum fuit. Ceterum perſeuerauit per multa ſæcula, vt ſeptem tantum in Eccleſia Romana Diaconi miniſtrarent: quibus & Fabianus [z] illud muneris poſtea addidit, vt quatuordecim Vrbis Regionibus præeſſent, ſingulis binas aſſignans vt pauperum in eis degentium curam agerent: vnde & DIACONI REGIONARII dicti ſunt: iiſdemque in Concilio [a] Romano ſub Silueſtro nominati reperiuntur DIACONI CARDINALES, quod licet diuerſis in in locis agerent, vnius tamẽ eccleſiæ eiuſdemque primariæ, cardine continerentur: cum alioqui non deeſſent in aliis Vrbis eccleſiis Diaconi, in ſingulis ſaltem duo; vt eiuſdem Silueſtri eodem Concilio [b] edita conſtitutio demonſtrat.

VI. PANTHEON CVM FVLMINE.

Hoc eodem anno decimotertio Traiani Imp. *Pantheon* Romæ fulmine concrematum eſſe traditur apud Euſebiũ in Chronico. Nempe quod erat Iouis Vltoris [c] delubrũ, iuſte numine vleiſcente de cœlo tactum incẽſum eſt, cum vera religio Romanorum perſecutione vexaretur. Non enim Anacleti ſanguine exatiata eſt perſequentium rabies; ſed aliis ad pœnam quæſitis, maiori aucta furore, in quoslibet Chriſtianos ſæuit

Margin notes: e Chryſ. ſer. de S. Ignat. to. 5. f Hieron. in Ignat. g Niceph. li. 14. ca. 45. h Euagr. li. 1. cap. 16. i Plin. 10. ep. 7. ad Traian. k Martyr. Rom. 10. feb. l Ignat. ep. ad Epheſ. m Niceph. 3. cap. 11. n Martyrol. & Menol. 19. & 30. Ianuar. o Mart. Ro. 7. Iul. p Ibid. 14. Iul. q Ibid. 27. Iunii. r Ibid. 26. Maii. s Ibid. 27. Iul. t Euſeb. in Chron. a Anaſt. de Rom. Pontif. Martyrol. Rom. b Vid. Epiph. har. 30. & 1. Co. Theod. de Iuda. c Had. Imp. ep. ad Seruian. Conſ. ap. Flau. Vopiſc. in Saturn. d An. 45. nu. 5. e To. 1. Conc. Adde etiam Greg. 6. ep. 37. f Iren. lib. 3. cap. 3. g Opt. lib. 2. h Epiph. har. 27. i Aug. ep. 165. k Ext. to. 1. Bibl. SS. l L. ſi quando C. de bon. vacant. l. 12. m Vid. Aug. in Pſal. 21. expoſ. 2. n Ambr. ep. de baſil. trad. ad Marcel. o Greg. 4. ep. 44. p Greg. 11. ep. 1. q Pet. Chryſolog. ſer. 154. de S. Steph. r L. vl. C. Th. de pagan. l. decernimus C. de Epiſc. & cl. Nouel. 117. ca. 7. ex Iulia. & c. 8. 4. c. 1. Auth. coll. 5. tit. 17. vt nul. fabric. eccleſ. de conſecr. diſt. 1. ex Conc. Aurel. & in Capi. Franc. lib. 5. c. 119. Ordo Rom. de dio offic. & de ad. ſ. eccleſ. Prud. hym. 5. & 1. Periſt. s Ign. ep. ad Trall. t Apocal. 1. 3. u Zachar. 3. x Hebr. 1. y Pſal. 103. DIACONORVM MVNVS ET MYSTERIVM. z Anaſt. de Rom. Pont. in Fabian. a Conc. Rom. 2. ca. 7. DIACONI CARDINALES. b Ibid. c. 6. c Plin. l. 36. c. 5. DE TITVLIS ROMA INSTITVTIS.

TRAIANI IMP. AN. 14.

IESV CHRISTI AN. 113.

EVARISTI AN. 2.

I. a *Euſeb. in Chron.* EPISCOPI HIEROSOLYMITANI.

ANNO Chriſti centeſimo decimotertio, Calpurnio Piſone & Ruſtico Bolano Coſſ. Iuſtus Hieroſolymitanus Epiſcopus ex hac vita ſubtractus eſt, poſtquam ſediſſet annos tres: cui ordine ſucceſſerunt [a] intra viginti quinque annos, nempe vſque ad decimumnonum Imperii Hadriani, alii tredecim, videlicet Zacchæus, Tobias, Beniamin, Ioannes, Matthias, alter Beniamin, Philippus, Seneca, Iuſtus, Leui, Ephræm, Ioſes Iudas, qui vltimus ex progenie Iudæorum præfuit illi Eccleſiæ. Ceterum frequens hæc Epiſcoporum ſucceſſio grauem perſecutionem arguit. Quantum autem quiſq; illorum, ſicut & aliorum qui poſtea per multa tempora ſucceſſerunt, ſederit licet recentiores ediderint; tamen cum ipſe Euſebius Cæſarienſis in Palæſtina Epiſcopus, ſub cuius metropoli Hieroſolymæ erant, idemque eiuſmodi rerum curioſiſſimus explorator, ſe id minime inuenire potuiſſe ſæpe teſtetur [b] nos quoque id ignorare fateri malumus, quam cum aliis temere diuinare: Numerat & Epiphanius [c] omnes Epiſcopos Hieroſolymitanos ad ſua vſque tempora: verum menda aliqua, quæ ex Euſebio poſſunt corrigi, in eam ſeriem irrepſerunt.

b *l. 4. hiſt. 5. & l. 5. c. 12. & in Chron.* c *Epiph. hær. 66.*

TRAIANI IMP. AN. 15.16.

IESV CHRISTI AN. 114.115.

EVAR. AN. 3.4.

I. RES ROMANÆ LANGVESCVNT.

ANNO Chriſti centeſimo decimoquarto, Traiano Auguſto ſextum & Iulio Africano Coſſ. idem Traianus poſt multa bella feliciter confecta, de quibus dictum eſt breuiter ſuperius; langueſcente corpore ac deficientibus viribus, plures quas ſubegerat prouincias, ſiue quod ægre poſſet eas in officio continere, ſiue tædio bellorum, coactus eſt liberas facere, neque amplius quicquam rebus ante geſtis dignum efficere valuit.

II. Sequens vero annus, qui Coſſ. habuit (vt eſt in Faſtis, licet alii alios ponant) Publium Celſum & Clodium Criſpinum, rebellione gentium domitarum fuit R. Imperio plane funeſtus. Sed hæc omnia pluribus Dio; qui inter alia refert de Agarenorum in Arabia rebellione, quod quoties cum eis Romani manus conſererent, ictu fulminis auerterentur: Ortamque ſubito muſcarum vim, eduliis & poculis inſidentem fœdo, contactu cuncta Romanis grauia & moleſta feciſſe.

TRAIANI IMP. AN. 17.18.

IESV CHRISTI AN. 116.117.

EVAR. AN. 5.6.

I. a *Euſeb. in Chron. & hiſt. l. 4. c. 2.* IVDÆI REBELLANT, ET IMMENSIS CLADIB. AFFICIVNTVR.

ANNIS Chriſti centeſimo decimoſexto, & centeſimo decimoſeptimo, Traiani vero decimoſeptimo & decimooctauo; quorum priori Conſules fuere Ninnius Haſta & Manilius Vopiſcus poſteriori Lucius Vipſtanus Meſſala & Marcus Vergilianus Pedo; tradit Euſebius [a] Iudæos variis locis rebellantes arma cepiſſe. Qua vero audacia & feritate id aggreſſi fuerint, Dio demonſtrat, dum ait eos ſine diſcrimine Romanos & Græcos obtruncaſſe eorumq; cœpiſſe carnibus veſci; ſed & eorumdem inteſtinis ſtillante adhuc ſanguine ſe ipſos cingentes, ac pellibus obuoluentes multos per medium vſq; ad verticem ſecuiſſe, plures beſtiis dilaniandos obieciſſe, alios inter ſe digladiari coegiſſe: adeo vt tantummodo apud Cyrenen ducenta & amplius hominum millia, inſula vero Cypro circiter ducenta & quadraginta capitum millia, eo Iudæorum furore & armis interierint. Sed eos à Traiano miſſis exercitibus coercitos fuiſſe, & ingentibus vbiq; cædibus profligatos, iidem auctores tradunt. Quod vero ad eorum effuſam rabiem ſpectat: quod non Romanis tantum, ſed & Chriſtianis eſſent infenſiſſimi, ab horum nece haud ſe temperaſſe putandum eſt.

II. TEMPVS CONSVLATVS PEDONIS.

Ceterum quod diximus hoc Chriſti anno centeſimo decimoſeptimo, Traiani decimooctauo, Coſſ. fuiſſe Meſſalam & Pedonem; id quidem contra Faſtos Caſſiodori eſt, qui eodem anno habent Hadrianum & Salinatorem: Verum cum his Traiani, necnon Hadriani eius ſucceſſoris temporibus, eoſdem Faſtos plane inuerſos ac corruptos eſſe conſtet; inſuper reperta eſt vetus inſcriptio, cum adiecta nota numeri annorum ab Vrbe condita, quæ eoſdem L. Vipſtanum Meſſalam & M. Vergilianum Pedonem anno ab Vrbe condita Octingenteſimo ſexageſimo ſeptimo (qui incidit in hunc præſentem Chriſti centeſimum decimumſeptimum, ſecundum initam à nobis in Chriſti natiuitate annorum Vrbis ſupputationem) Coſſ. extitiſſe aſſerit, totamque Chronologiæ noſtræ rationem mirifice confirmat.

III. TERRÆMOTVS INGENS ANTIOCHIÆ. b *Dio in Traí.*

Conſtituta porro certa atque fixa Conſulatus Pedonis ſede, ſequitur etiam vt dirum illum terræmotum, quo ciuitas Antiochena concuſſa eſt ac funditus euerſa cum in ea Pedo ipſe Conſul (Dione [b] teſte) interiit, non alio quã hoc ipſo anno contigiſſe intelligamus. Rem autem atrocem, & plane luctuoſam, præclare admodum idem Dio deſcribens, inter alia ait, quod cum occaſione tum ipſius vrbis toto Oriente celeberrimæ, tum Imperatoris qui ibi eſſet in hibernis, eo concurriſſent ex vniuerſo Orbe homines; nulla fere natio aut ciuitas à detrimento & clade immunis extiterit, cum ex tot mortalium numero vix ſine noxa vnus aut alter euaſerit: inter quos Pedo Conſul eliſo pectore ſanguinem euomens, animam emiſit; ipſe vero Traianus Imperator per feneſtram domus vix ablatus eſt, cum accedens (inquit Dio) forte quidam humana maior effigie, illum inter exiguos tectorum lapſus incolumem ſubtraxit. Tradit inſuper, ſubſediſſe montes & aquarum fontes non antea viſos emicuiſſe, ac fluuios quoque defeciſſe.

IV. CAVSA CLADIS ANTIOCH.

Sic igitur auulſa ab ea vrbe, ingenti & illa animata columna, cuius virtuti inuiſibili quodam modo innitebatur, nempe Ignatio Epiſcopo, ipſam corruere neceſſe fuit: hiſce namque cladibus Deum vlciſci ſolitum neces Sanctorum, complura exempla declarant, de quibus agetur ſuis locis. Quod vero ad Chriſtianos Eccleſiæ Antiochenæ ſpectat; nequaquam putamus iiſdem cum Gentilibus affectos malis. Etenim ſi ex iis quæ poſt multa ſæcula ſub Leone Imperatore eidem ciuitati pari terræmotu iterum proſtratæ horribilia contigerunt, ſumendum eſt argumentum; hæc obuentura mala Chriſtianis ante fuiſſe reuelata putandum eſt, ne ſcilicet cum impiis perirent pariter iuſti, quod non eſſe Dei voluntatis conteſtatus eſt olim Abraham [c]. Certe Heronem ipſorum Epiſcopum diutius ſuperuixiſſe conſtat; licet quæ tum ab eo vel aliis Chriſtianis geſta ſint, Scriptorum inopia, vel potius ſcripturarum naufragio, remanſerint alto ſilentio conſepulta. c *Geneſ. 18.*

V. CERTVS ANNVS TERRÆMOTVS. d *Euagr. lib. 2. c. 12.*

Cum autem ex Pedonis Conſulatu, tamquam certiſſimo indicio demonſtratum ſit hæc contigiſſe præſenti anno, ab hoc vero anno vſque ad ſecundum Leonis Auguſti (qui fuit Domini quadringenteſimus quinquageſimus octauus) quo alteram eiuſdem ciuitatis cladem accidiſſe, commemorat Euagrius [d], non plures quam trecenti quadraginta & vnus anni reperiantur: neceſſe eſt affirmare, eumdem auctorem male calculos ſubduxiſſe, dum ab hoc terræmotu ſub Traiano vſque ad illum alium ſub Leone, intercurriſſe vult annos trecentos quadraginta ſeptem. Propius ad verum acceſſit Euſebius in Chronico, dum eamdem cladem decimoſexto Traiani collocat: & fortaſſe, niſi quod in numeris eius locis eueniſſe conſtat, vt rerum ordo à librariis perturbaretur, id huic etiam accidiſſet; ſuo prorſus anno, hoc octauo decimo Traiani, legeretur. Sub finem plane Imperii Traiani rem geſtam eſſe, ex eo confirmatur, quod eumdem Imperatorem ſtatim poſt hæc Antiochia profectum, trans Euphratem copias duxiſſe, Dio teſtatur, in eaque expeditione diem clauſiſſe.

IESV CHRISTI AN. 118.

TRAIANI IMP. AN. 19.

EVAR. AN. 7.

I. a Niceph. l. 3 c. 23. QVINQVE VIRGINES MARTYRES.

ANno Chriſti centeſimo decimooctauo, Æliano & Vetere Coſſ. cum Traianus Imperator nullum vmquam perſequendi Chriſtianos finem faceret, quin demũ addiderit cum rediit Antiochiam, Nicephorus [a] rem prodigioſam narrat: nempe cum inter multos alios quos peremit Chriſtianos, quinque Virgines palam fidem profitentẽs combuſſiſſet, & ex earum cineribus æri commixtis conflata ænea vaſa, publico balneo ab ipſo magnificentiſſime conſtructo dicaſſet; accidiſſe vt quicumque eo lauatum ingrederẽtur, cum primum calidas attigiſſent aquas, caligine ſimul & vertigine corriperentur; cauſa vero mali cognita, Traianum alia ex ære puro vaſa balneo procuraſſe, priora autem illa iterum conflata, in quinque transformaſſe ſtatuas virginũ combuſtarũ forma & habitu, ac pro balneo collocaſſe. Hæc Nicephorus. Quod etiam vltimo Traiani tempore contigiſſe oportuit, quod tradit Suidas [b], ab eodem Imperatore promulgatum eſſe edictũ de Perſecutionis ceſſatione; ea videlicet occaſione, quod Tiberianus qui primæ Palæſtinorum genti præerat, ad ipſum retuliſſet ſe non parem eſſe Chriſtianis occidendis qui vltro ſupplicia appeterent.

b Suid. verb. Traian.

II. ERROR DE MILLENARIO. c Euſeb. 3. hiſt. 33. d Apoc. 20.

Iiſdem quoque vltimis Traiani temporibus, error de MILLENARIO irrepſit in nõnullos Fideles, auctore PAPIA Epiſcopo Hieropolitano, Ioannis Senioris (non Apoſtoli, vt quidam putarunt, quos redarguit Euſebius [c]) auditore, viro magni nominis & celebritatis: qui quod eſt in Apocalypſi [d], regnaturos Fideles cum Chriſto mille annis, ex traditione non ſcripta (vt ait Euſebius) hoc eſt ex perperam facta ab aliis quibuſdam eorum verborum interpretatione, putauit intelligendum de regno terreno, poſt reſurrectionem mortuorum ad illum annorum numerũ hic ſtabiliendo: de quo, eiuſque ſcriptis plura Euſebius. Eumdem vero, ob magnam hominis æſtimationem, in eo errore complures magni pariter nominis viri ſunt ſecuti; & inter alios Irenæus, Iuſtinus martyr, & alii, de quibus dicetur ſujs locis. Neque enim hic error eo vſq; progreſſus eſt, vt tranſiret in hæreſim, niſi poſtquam in Apollinare qui eum pertinacius propugnauit, à Damaſo Papa (vt videbitur) damnatus eſt. Porro & ipſum Papiam ſanctitate ſpectatum vitæ finem clauſiſſe, certam fidem faciunt Eccleſiaſticæ [e] tabulæ, in quas eius natalis dies anniuerſaria celebritate iugiter renouandus relatus eſt.

PAPIAS MARTYR. e Martyrol. Rom. 22. Febr.

IESV CHRISTI AN. 119.

TRAIANI IMP. AN. 20.

EVAR. AN. 8.

I. TRAIANI OBITVS.

ANNVS Chriſti centeſimus decimus nonus Coſſ habuit Nigrum & Apronianum, vel (vt ponit Caſſiodorus) Catilium & Fuluum. Cum Traianus (inquit Dio) Romam reuerſurus, apud Selinuntem Ciliciæ ciuitatem (quæ poſtea cognominata eſt Traianopolis) ſiue morbo, ſiue veneno extinctus eſt tertio Idus Auguſti, cum imperaſſet annos nouemdecim, menſes ſex & dies quindecim; anno vero ſuæ ætatis ſexageſimo primo, & menſibus ac diebus modo enumeratis: quamquam Aurelius Victor annos tribuit eius ætati ſexaginta quatuor? Eutropius [a] ſexaginta duos, menſes nouem & dies quatuor. Exuſti autem corporis cineres Romam eſſe perlatos, & ſub eius columna poſitos, imagine ipſius ſuperpoſita, idem Aureli' tradit: ſed oſſa ipſa intra vrnam auream tranſlata eſſe, Dio & Eutropius aſſerunt: ſolus omnium (inquit Eutropius) intra Vrbem ſepultus; quod lege [b] duodecim tabularum vetitum erat: eumdemq; inter diuos relatum tradit; eiuſque memoriæ tantum delatum, vt ab hoc tempore non aliud in Senatu Principibus acclamaretur, niſi, *Felicior Auguſto. Melior Traiano.*

a Eutrop. l. 8.

b Cic. l. 2. de legib.

Sed quod fertur *de Traiani animâ* [c], *precibus S. Gregorii Papæ ab inferis liberata*; in primis cum eius probitas & vitæ integritas veluti fundamenti loco ſtatuatur, quam illud ſi inane, ſatis antiquorum teſtimoniis conſtat: quippe quem Dio Caſſius ſui temporis Scriptorum facile Princeps, cum multa de eo laude digniſſima prædicaſſet, tandem aſſerit fuiſſe vini appetentẽ, & in maſculorum amores pronum. Immo nec in ſua eiuſmodi explenda libidine, proprio nepoti Hadriano, filio conſobrini ſui peperciſſe, auctor eſt Ælius Spartianus. Ac denique illum ob eiuſmodi impuritatem, Iulianus [d] Auguſtus in deorum conuiuium admitti non conceſſit, niſi prius cautum eſſet Ganimedi, cui admodum timebatur ex Traiani aduentu. An igitur inter optimos, vel ſaltem bonos, recenſendus ille videri poteſt, qui ipſorum etiam Ethnicorum teſtimonio turpiſſimus omnium habendus eſt? An vero & pro eius in ſuis adeo horrendis peccatis mortui, liberatione ab inferis, dicemus oraſſe Gregorium, & exauditum eſſe; cum pro eiuſdẽ criminis reis Sodomitis adhuc viuentibus, magnus Pater credentium Abraham interceſſor factus, non voluerit exaudiri? His vero ſi addas impenſiſſime ab eo exhibitum idolis cultum, & crudelitatem, qua tot innocentiſſimorum Chriſtianorum millia, nulli parcens ætati vel ſexui necari fecit; qua iam fronte diuinum in laudem virtutum eius citant oraculum, in reuelatione quam dicunt factam S. Mathildi? cum præſertim clamat Spiritus Sanctus per Apoſtolum [e], *Qui in vno offendit, factum eſſe omnium reum.*

II. Hanc diſputationẽ tractat Baron. Tom. 8. Annal. poſt obitũ Gregorii Magni, anno Domini 604. Vnde nos eam huc in proprium (vt videtur) locum tranſtulimus. TRAIANVS TVRPISSIMVS. d Iulian. in Caſarib.

e Iacob. 2.

III. REFELLITVR FABVLA DE ANIMA TRAIANI IN COELVM RECEPTA.

Sed videamus an ſolidiora ſint, quæ ſuper adeo inane probitatis Traiani fundamentum ſunt ædificata. Aiunt igitur, Cum aliquando Gregorius procederet cum clero ex baſilica Lateranenſi ad S. Petri, per forum Traiani tranſeuntem, inter alia ibi poſita egregia ſimulacra, admiratũ eſſe ea quæ reddebant Traiani, cum in procinctu belli Dacici eſſet, ex equo deſilietis imaginem, & viduæ de occiſo filio querenti adhibentes aures. & quod petebat implentis: tuncque eumdem Gregorium eiuſmodi nobilis facti intuitu ita fuiſſe in Traianum compaſſione affectum, vt pro eius animæ liberatione Dominum exorarit; quem & exauditum fuiſſe, per viſum Angelus indicauit, monens tamen ne amplius talia præſumeret. Hæc ſummatim ex multis; cum tamen in eiuſdem hiſtoriæ narratione non vna ſit omnium aſſertio.

IV. REPVGNAT HISTORIA.

Quoniam autem in vna narratione duæ longe diuerſorum temporum iunguntur in vnum hiſtoriæ, altera de vidua ſub Traiano, altera de eo quod poſt quingentos, annos factum ſit à S. Gregorio: vt de priori primum agatur, ſi rogem eos qui iſta aſſerunt, quiſnam eius narrationis auctor exiſtat; neminem prorſus habent antiquorum hiſtoricorum quem prodant, non Dionem, non eius breuiatorem Xyphilinum, non Plinium qui Traiano Panegyricum dixit, non deniq; vllum qui vel res geſtas Traiani ſit proſecutus, vel qui ante ſexcentos poſt Traianum annos vixerit. Quid vero quod nec tempore Gregorii, eo ſplendore quo ante fuerat perſtitit Forum Traiani; ſtatuæque erectæ ſuper baſes ſuas perſeuerarunt; cum iam antea tot Wandalorũ, Erulorum, Gothorum expilationibus Vrbs crebris ruinis (vt ipſemet Gregorius [f], aliique teſtantur) attrita eſſet, & omnibus ſuis ornamentis ac ſtatuis ſpoliata? Denique quod nonnulli addunt, Traianum viduæ vindictam de filio occiſo petenti, filium ſuum vſque ad reditum ab expeditione bellica obſidem reliquiſſe: hoc quidem apertiſsimi mendacii arguitur, quod maiorum omnium auctoritate conſtet nullum fuiſſe Traiano filium, nec adoptiuum quidem; niſi quod Spartianus ait, ipſum longe poſteà cum in extremis eſſet, adoptaſſe Hadrianum, de quo dicetur in fine huius anni.

f Greg. in Ezech. hom. 18. & dial. l. 2. c. 3. Procop. de bel. Vandal. & Caſſiod. 3. ep. 31 & alii.

V. REPVGNAT DOCTRINÆ GREGORII. g Greg. 6 ep. 15 Ind. 15.

Quod vero ad rem geſtam Gregorii ſpectat, tantum abeſt vt is pro anima Traiani oraſſe dici poſsit, vt ne cogitatione quidem aliquando fuerit meditatus; quippe qui è contrario repetiatur [g] eos acriter inſectatus eſſe, atque etiam hæreticos appellaſſe, qui dixerunt Redemptorem noſtrum cum deſcendit ad inferos, ſaluaſſe peccatores omnes confitentes ipſum Deum; aſſerens Dominum illos ſolummodo ab inferni clauſtris eripuiſſe, quos viuẽ-

tes in carne per ſuam gratiam in fide & bona operatione ſeruaſſet: nec trahi ad Deum poſt mortem potuiſſe, qui ſe à Deo male viuendo ſeparaſſent. Quæ ipſe cum doceat, quis adeo imprudens dixerit tentaſſe Gregorium precibus obtinere, quod nec à Chriſto ipſo ad inferos deſcendente fuiſſe factum aſſeruit, & ſecus ſentire eſſe hæreticum prædicauit?

VI. PRIMITIVS ASSERTORES.

Cum igitur hæc numquam accidiſſe conſtet; vt tamen à magni etiam nominis recentioribus Theologis accepta fuerint; fecit inprimis aſſertio viri ſanctiſſimi & merito laudatiſſimi Ioannis Damaſceni, qui poſt centum & amplius annos à S. Gregorio, eamdem hiſtoriam vti rem certam & ab Oriente atque Occidente teſtatam (vt ait ipſe, ita ab aliis ſermone perſuaſus) bona fide ſcriptis[h] mandauit: licet illam Gregorio Dialogo tribuat, quo cognomento non Primus, ſed Secundus Gregorius à Græcis eſt appellatus. At vero Ioannes Diaconus, qui ſub Ioanne Papa Octauo, trecentis ferme poſt annis ab ipſo Gregorio Magno, eius vitam in Vrbe conſcripſit; vbi ad eum locum deuenit vt narraret rem adeo celebrem, certiſque teſtimoniis conſignaret, hęſiſſe plane viſus eſt in ſalebris, dum nihil habuit, quod ex Archiuo Romano; vel ex aliarum circum prouinciarum Eccleſiis produceret; ſed migrandum ei fuit ad diuiſos toto Orbe Britannos, & eius rei teſtimonium ex Eccleſia Anglicana petere: multum in eo laborans, vt cum videret (ſicut ait) maxime de ea re dubitari in ipſa Vrbe Roma, quod & diuinæ Scripturæ, & ipſius Gregorii doctrinæ repugnaret, eandem quoquo modo fieri potuiſſe demonſtret. Cum vero ſe probationibus deſtitutum cerneret, eo tandem redactus eſt, vt dixerit animam Traiani ita fuiſſe à pœnis inferni liberatam, vt tamen haud fuerit in cœlum aſſumpta.

h Damaſ. orat. de fidel. defunct.

VII. VARIA CIRCA EAM REM COMMENTA.

Qui autem eiuſmodi commentum ſectati ſunt recentiores, delinientes nullo ſtantem fundamento ſtructuram, alii alia addidere pro mentis arbitrio: hi quidem, Traianum ad vitam reuocatum à S. Gregorio, & baptizatum, rurſumque vita functum abiiſſe in cœlum: illi autem non reuixiſſe corpus, ſed clanculo animam à Gregorio baptizatam: alii denique haudquaquam ab inferis liberatam, ſed tantummodo pœnis alleuiatam: atque ita fabulas fabulis addidere. vt ridiculum etiam illud ſit demum ſuperadditum, de Traiani cranio cum vidua adhuc lingua reperto, qua ipſe ſuam miſeriam deplorans, S. Gregorium ad commiſerationem commouerit, & ad preces pro ipſo ad Deum fundendas. Quod vero inſuper adducunt ex SS. Brigidæ ſiue Brigittæ, atque Mathildis Reuelationum libris: veneror quidem (vt par eſt) Sanctas ipſas, & colo: ſed de reuelationibus ipſis factis, vel potius ipſarum nomine ab aliis promulgatis, ea dumtaxat recipio, quæ Eccleſia Catholica recipit; quam ſcimus non potuiſſe iſta probare, quæ ſunt tum inter ſe pugnantia, tum diuinæ Scripturæ repugnantia. Quapropter faceſſant iſthæc de Traiani anima liberata, riſu potius deſpicanda, quam diſputatione ſeria confutanda. Laudetur tamen zelus eorum qui quod aſſertum inuenerunt, quomodo ſe habere potuerit, ſcholaſtice diſſeruerunt: magis vero laude digni habeantur, qui emunctis naribus odorati falſitatem, eandem procul abiecerunt.

VIII. HADRIANVS IMPERAT.

Traiano igitur mortuo, & ad inferos in æternum detruſo, HADRIANVS antiquum genus ex Hadria Picentum ciuitate, recentius ex Italica Hiſpaniæ Bæticæ vrbe ducens, natuſque Romæ patre Ælio Hadriano cognomento Afro, Traiani conſobrino; cum hoc anno Legatum agens in Syria, quinto Idus Auguſti adoptionis tabulas à Traiano in extremis poſito accepiſſe; tertio Idus eiuſdem nunciato ſibi eius obitu, capeſſiuit Imperium. Hæc Spartianus[i]: cuius etiam auctoritate, iuncta veterũ nummorum[k] inſcriptione, liquet hoc anno quo Hadrianus adoptatus eſt, ipſum fuiſſe deſignatum ſecundo Conſulem; quamuis Caſſiodorus ſecundum eius Conſulatum ponat anno ſuperiori. Sed & vidimus cuſum numiſma [l] argenteum, in quo Adoptio vna cum Conſulatu Tribunitia Poteſtate habetur expreſſa.

i Spart. in Hadrian. k ap. Goltz. in Theſ. l Habet Baron. Annal. To. 2. hoc an.

IESV CHRISTI ANN. 120.

HADRIANI IMP. AN. 1.

EVARISTI ANN. 9.

I. HADRIANI STVDIA ERGA ROMANOS.

ANNO Chriſti centeſimo vigeſimo, Coſſ. (vt ex Spartiano & nummis ſuperius vidimus) Hadriano Auguſto ſecundũ ac Fuſco Salinatore idem Imperator cum res Orientales ſummo ſtudio ac diligentia compoſuiſſet, reuerſus in Vrbem, nihil antiquius habuit, quam exemplo Traiani de Republica bene mereri: nam quod eius ſæuitia ſuſpecta eſſet (inquit Dio) iurauit numquam Senatorem aliquem niſi ex Senatuſconſulto ſe puniturum. Sed & per edictum ciuib. Romanis dimiſit omnia debita, ſiue ea pertinerent ad Imperatorem, ſiue ad Ærarium; quorum ſumma fuit viginti duarum myriadum auri cum dimidia, ſyngraphis in Foro Rom. combuſtis. Porro hanc eius liberalitatem hoc anno cœptam, in ſequentem propagatam eſſe, quo ipſe tertiam gereret Tribunitiam Poteſtatem, docent antiqui nummi[a] & inſcriptiones. Sicque multis beneficiis tam publice quam priuatim ſæpe collatis, animos ſibi omnium conciliauit, ſed eo magis, quod quæ à Traiano fuiſſe optime conſtituta, integra eadem & à ſe aucta ſeruauit, aliaque ſumma laude digna peregit, quæ à Dione & Spartiano narrantur.

a Vid. ap. Baron. Annal. to. 2. hoc an.

II. HADRI. PERSEQVITVR CHRISTIANOS.

Sed & cum nihil charius ſe habere monſtraret, quam patriam ſuperſtitionem tueri; aduerſantem ei Chriſtianam religionem immenſo eſt odio proſecutus. Certe Seuerus[b] PERSECVTIONEM QVARTAM ordine ponit, quæ eſt ab eodem Imperatore concitata; licet alii aliam in Perſecutionibus numerandis rationem iniiſſe noſcantur. Et quamuis nullum in Chriſtianos edictum ab Hadriano promulgatum appareat (quod teſtatur etiam Tertullianus[c]) tamen, ſicut alias dictum eſt, ſatis erant antiqua Romanorum iura, quibus noua & peregrina vetabatur religio, vt quilibet Magiſtratus in eoſdem poſſet lege agere: quod & faciendum eſſe, vetus Traiani exemplum admonebat; à quo quæcumque facta eſſent, omni ex parte iuſtiſſima cenſerentur.

b Seuer. hiſt. l. 2.
c Tert. Apol. c. 5.

III. EVSTACHII ET SOCIORVM MARTYRIVM.

Hadrianus igitur ipſo ſui aduentu, etſi erga omnes Romano ſubiectos Imperio optimum Principem, tamen in Chriſtianos exhibuit ſe Phalaridem. Quamobrem inter primos *Euſtachium* (qui Placidus ante baptiſmum dictus, ille ipſe videtur eſſe qui in bello Iudaico[d] ſub Veſpaſiano & Tito Præfectus equitum, egregiam nauauit operam: quem & poſtea conſtat[e] ſub Traiano in difficillimo bello Dacico Ducem exercitus egiſſe) ad fidem Chriſti diuinitus vocatum, cum ab inſtituto diuellere non poſſet, vna cum vxore ac duob. filiis pariter Chriſtianis, leonibus tradi iuſſit; & à beſtiis intactos, in bouem ęneum candentem incluſit, vbi glorioſum martyrium conſummarunt duodecimo Calend. Octob. quo die tam Græci quam Latini, eorundem anniuerſariam agunt celebritatem. Ipſum autem Euſtachium, ob mirã quandam in tolerandis quamplurimis aduerſus patientiam; Nicephorus[f] *alterum Iob* appellat: cuius Acta citantur à S. Ioanne Damaſceno; extantq;[g] deſcripta à Metaphraſte ex veteribus monumentis; quamuis multa eius ſuperaddita exiſtimemus.

d Ioſeph. l. de bel. 4. & l. 4. c. 2. & l. 5. c. 3.
e Act. Euſtach. & ſocior. ap. Sur. to. 5.
f Niceph. l. 14. 29.
g ap. Sur. to. 5.

IV. HÆRESES SVB HADRIANO EXORTÆ.

At non eiuſmodi tantum acerbiſſima perſecutione vexabatur Eccleſia, ſed & (quod grauius videbatur) hæreticorum prauis dogmatibus: qui licet iam ante hac cœpiſſent ſinceræ fidei integritatem errorum labe conſpergere, nempe Baſilides, Saturnin⁹, & omnium ſordidiſſimus Carpocras, de quibus iam aliquoties dictum eſt ſuperius; tamen[h] quoad vixerunt Apoſtoli vel Diſcipuli Domini (qui Traiani temporibus eſſe penitus deſiere) haud tam procaciter vt poſtea fecerunt, in Eccleſiam graſſantes irrumpere conati ſunt: quamobrem & ſub Hadriani Imperio hæreſes cœpiſſe, Clemens[i] Alexandrinus ſcribit; & antecedentium temporum Eccleſiam antonomaſtice dictam eſſe VIRGINEM, Hegeſippus[k] teſtatur. Quæ quidem etſi nunquam, quouis hæreticorum excreſcente diluuio, incorrupta eſſe deſierit; tamen quod huiuſmodi hæreſum ſordib. forinſecus adſpergeretur, facies eius haud decora, vt prius, intuentibus videri poterat: perinde

h Vid. Euſ. 3. hiſt. 26.
i Clem. Alex. Strom. l. 7.
k Ægeſip. ap. Euſeb. 4. hiſt. 22.

ac ſi Sol denſis nubibus obtegatur, licet ſemper perſeueret eſſe quod erat, tamen ſpectantibus haud apparet qualis antea fulgebat.

V. De Baſilide hæreſiarcha. l Euſeb. 4. hiſt. 7.

Sed vt de BASILIDE primum agamus; fuiſſe illum patria Alexandrinum, Euſebius [l] tradit; & ex commentariis Caſtoris Agrippæ, præclari eo tempore ſcriptoris, aduerſus illum editis, ait eumdem hæreſiarcham quatuor & viginti libros in Euangelium ſcripſiſſe; & non modo nouos Prophetas ad errorem ſuum nobilitandum excogitaſſe, quos *Barrabam* & *Barcoph* appellaret, ſed & barbara Angelorum nomina confinxiſſe, quo ſectatores ſuos in maiorem traduceret admirationem. Docuiſſe præterea, Idolothyta comedere, & in perſecutione fidem eiurare, res eſſe indifferentes: ac denique Pythagoreorum more, quinquennii ſilentium ſuis præcepiſſe. Hæc de Baſilide Euſebius ex Agrippa Verum præter iſta Ignatius ad Trallianos demonſtrat, commune eidem hæreſiarchæ fuiſſe cum Simone & Menandro (è quib. ducebat originem vt Chriſtum à Deo Patre alienum prædicarent, partum Virginis calumniarentur, paſſionem ac reſurrectionem negarent. Deum ignotum introducerent, & Chriſtum ingenitum cenſerent ac Spiritum Sanctum non crederent, licet ex iis aliqui vnam eſſe perſonam Patris & Filii & Spiritus Sancti commenti eſſent; omniaque Deo creata, verum non per Chriſtum, ſed per alienam poteſtatem affirmarent. Hæc de illis Ignatius.

VI. m Iren. l. 1. c. 23. Baſilidis hæreſes.

At Irenæus [m] de Baſilide nominatim aſſerit, docuiſſe *Nun* primo ab innato natum Patre, ab hoc autem natum *Logon*, deinde à Logo *Phroneſin*, à Phroneſi *Sophiam* & *Dynamin*, à Dynami & Sophia *Virtutes* & *Principes* & *Angelos* primos, & ab his factum eſſe primum cœlum; ab horum vero deriuatione alios ſimiliter factos, aliud cœlum ſimile priori feciſſe; & rurſum ex iſtorum deriuatione alios factos, aliud tertium formaſſe cœlum; ac ſic deinceps vſque ad trecentos ſexaginta quinque ordines Angelorum, totidemq; cœlos; ſecundum quorum numerum, totidem diebus compoſitus eſſet annus. Angelos autem nouiſſimi cœli, qui etiam à nobis videntur, conſtituiſſe omnia quæ ſunt in mundo, ac mundum & gentes quæ in eo ſunt ſibi per partes diuiſiſſe: eſſe autem Principem ipſorum, eum qui Iudæorum putatur eſſe Deus: & quoniam hic ſuis hominibus, id eſt Iudæis voluiſſet ſubigere reliquas gentes, reliquos omnes Angelos ei reſtitiſſe, pariterque reliquas gentes eius genti. Innatum autem & innominatum Patrem, videntem perditionem ipſorum, miſiſſe primogenitum Nun ſuum in forma hominis (& hunc eſſe qui dicitur Chriſtus) vt liberaret credentes in ſe à poteſtate eorum qui mundum fabricaſſent. Ipſum autem non eſſe paſſum aut crucifixum, quod eſſet virtus incorporalis innata æterni Patris, inuiſibilis omnibus, transfigurans ſe quemadmodum vellet, atque adeo cum non poſſet ipſe teneri ſuam formam indidiſſe Simoni Cyrenæo, qui crucem eius portauit, & pro eo crucifixus eſt: ipſum vero formam ſibi Simonis ſumentem; adſtitiſſe cruci irridentem eos qui Simonem crucifigerent. Itaque non oportere cõfiteri eum qui eſſet crucifixus, ſed eum qui putatus eſſet crucifixus. Verſutum plane diaboli commentum, vt qui Crucis potentia victus eſſet, eam negando, crucifixum etiam negandum eſſe contenderet. Quapropter & ſuos docuit ad negandum eſſe paratos, nequid ea cauſa paterentur: ac ſua patefacere myſteria prohibuit, illam addens ſententiam: *Tu omnes cognoſce, te autem nemo cognoſcat.*

Crucis negator Baſilides.

VII. Imagines Baſilidis quales.

Addit ad hæc Irenæus, eoſdem Baſilidianos vti ſolitos imaginibus, & incantationibus. & inuocationibus: idque ipſum tradit Ignatius. Sed non erãt certe eiuſmodi (quod Nouatores ſtulte fingunt) imagines Chriſti Redemptoris nam quomodo, quæſo, cum Baſilides credi nolebat Chriſtum eſſe corporeum ac crucifixum? ſed potius id genus fuerunt, quib. ad ſuas perficiendas artes, incantatores vti ſolerent. Quod vel maxime comprobatur duabus gemmis [n] non ita pridem inuentis; quarum altera refert imaginem hominis, qui vna manu clypeum, alia bidentem tenet, eiuſque totum ferme corpus vſque ad plãtas pedum per ſingula membra portentoſis eſt nominib. inſcriptum: altera vero refert figuram quamdam portentoſam, ſeu ſpectrũ. characteribus pariter quibuſdam inſcriptum: cuiuſmodi ſcilicet Baſilidiani ſolerent loco bullæ vel amuleti, aut alia cauſa ſuperſtitioſe geſtare.

n Font. [illegible] figuræ [illegible] Annal. [illegible]

VIII. De Abraſax.

Ad quod probandum euidens imprimis ſuppetit argumentum ex nomine ſummi Dei Baſilidis, quem ipſe ABPACAΞ nominabat; quod diſertis literis inciſum legitur in priori gemma ad finem bidentis in poſteriori vero ex parte aduerſa. His namque elementis teſtantur antiqui [o] Patres Baſilidem concepiſſe ſummæ Virtutis nomen, ex qua dii reliqui ſiue Angeli dimanarent, ſecundum numerum dierum & cœlorum, nempe (vt vidimus) trecenti ſexaginta quinque, qui numerus Græcis illis elementis cõficitur. Sed ex eodem nomine in gemmis inciſo, magis probatur lectio S Epiphanii ſcribentis *Abraſax*, quam aliorum [p] legentium *Abraxas* vel *Abraxan*; cum & priorem illam lectionem habeant etiam ſcripti libri Tertulliani. Quod autem hiſce characteribus atq; figuris diuerſimode concinnatis, vti ſolerent eiuſmodi hæretici impoſtores ad amuleta conficienda, habes de his egregium exemplũ apud Q. Serenum Samonicum antiquum medicum, & eiuſdem (vt apparet) Baſilidis ſectatorem; qui præcepta medica carmine ſcripſit heroico; & ad curandum morbum hemitritæum confecit amuletum ad collum ægrotantis appendendum, ex his characterib. ABRACADABPA, ſuperſtitioſo modo per diminutionem ad vnicam litteram A. in formam coni triangularis redactis. Rurſum vero quod totum corpus prædictæ imaginis hominis, diuerſis nominibus habetur inſcriptum; inde quoque euidentius deducitur argumentum, eamdemque eſſe id genus imaginum, quas ſolerent Baſilidiani effingere: Siquidem Epiphanius ait, ipſum in homine trecenta ſexaginta quinque membra conſtituiſſe, & vnicuique virtutum attribuiſſe vnum membrum. Quapropter & in eiuſdem imaginis diuerſis membris, diuerſa nomina Virtutum habẽtur inſcripta; illa nimirũ, quib. videretur opᵘ habere qui geſtabat imaginem; cũ alioqui impoſſibile eſſet in tam arcto ſpatio omnia trecenta illa & ſexaginta quinq; exarari.

o Iren. l. 1. c. 23. Tert. de Præſcript. c. 46. Epiph. hær. 24. August. hæreſ. ad Quodvultd. c. 4. Theodor. hær. fab. l. 1. & alii. p Min. Tert. Aug. [illegible] ſupra. Hier. aduerſ. Lucif. & in Amos 3. & in Abd. 1. & in Nau. [illegible]

Nomina portentoſa.

IX. Aliæ hæreſes Baſilidis. q Tert. de præſcr. c. 46. r Clem. Alex. Strom. l. 4.

Sed quod rurſum ſpectat ad eiuſdem Baſilidis hæreſes; recenſet eadem ipſius dogmata Tertullianus [q]; qui addit, reſurrectionem carnis ab eo vehementer impugnatam, negante ſalutem corporibus eſſe promiſſam, ſed ſolis animabus: quod etiam Irenæus teſtatur. Inſuper Clemens [r] Alexandrinus ait, Baſilidem ac Baſilidianos docuiſſe, non omnia à Deo dimitti peccata, ſed tantum inuoluntaria quæ per ignorantiam facta eſſent: itemque, animam prius peccaſſe in alia vita, hic autem pati ſupplicium: Fidem quoque eſſe naturalem: & in homine habitare exercitum ſpirituum, qui eſſent paſſiones per quas vnuſquiſq; mouetur; nec pugnandum aduerſus naturales inſurgẽtes paſſiones, ſed eis eſſe aſſentiendum, ac proinde libidinib. inquinari licitum eſſe. Sed & eo arrogantiæ Baſilidem perueniſſe Epiphanius [s] tradit, vt ſe ac ſuos ſolos diceret eſſe homines, ceteros omnes ſues ac canes, obidque non propalanda eis eſſe ſua myſteria. Auſum præterea ſcribere Euangelium, & ſuo ipſius inſcribere nomine, auctor eſt ante Ambroſium Origenes [t]: qui & alibi ait [u], ipſum aſſeruiſſe nõ eſſe alias peccatorum pœnas, niſi tranſcorporationem animarum poſt mortem. Quod inſuper negaret carnis Chriſti veritatem, ea falſa aſſumptione ſacratiſſimam quoque Euchariſtiam damnaſſe, ex Sancto Ignatio ad Smyrnenſes recitat Theodoretus [x].

s Epiph. hær. 24. Pſeudo Euangelium Baſilidis. t Orig. hom. 1 in Luc. u Id. tract. 38. in Matth. x Theod. l. 3. dialog.

X. y Hier. de ſcript. Eccl. in Agrip. Iſidorus filius Baſilidis. z Clem. Alex. lib. 2. & 3. Strom.

Mortuus eſt Baſilides (inquit Hieronymus [y]) in Alexandria temporib. Hadriani; qua tempeſtate Barchochebas (ita enim reſtituendum eſt hoc nomen) dux Iudaicæ factionis Chriſtianos variis ſuppliciis enecauit. Fuiſſe vero Baſilidi filium ISIDORVM nomine paternæ impietatis heredem & propugnatorem, auctor eſt Clemens [z] Alexandrinus; qui ab eo *Moralia* eſſe ſcripta teſtatur, quæ tamẽ eſſent omnium impuritatum clo:ca: aliudq; eiuſdem extat opus *de Adnata anima*. Aduerſus autem iſtos pro Catholica veritate ſcripſiſſe conſtat, Agrippam Caſtorem, Iuſtinum martyrem, Irenæum, qui omnes hæreſes quæ ante ſe extiterunt confutarunt: hiſq; addit Theodoretus Clementẽ

Alexandrinum, & Origenem: quibus adnumerandus quoque eſt Epiphanius, & alii recentiores ſcriptores.

XI. De Saturnino hæreſiarcha.
a Euſeb. 4. hiſt. 7.

Satvrninvm, quem alii *Saturnillum* dicunt, poſt Baſilidem ordine recenſemus (licet aliqui de illo prius egerint; quod cũ (vt ait Euſebius [a]) patria fuerit Antiochenus. & in Syria ſcholam erroris aperuerit, nec tamen S. Ignatius, qui ſicut multos hæreſiarchas, ita Baſilidem in Ægypto agentem nominatim expreſſit. Saturnini Antiocheni ipſe Epiſcopus Antiochenus, & totius Syriæ Oriẽtiſque magiſter, vllã prorſus habuerit mentionem; in eam facile adducamur ſententiam, vt exiſtimemus poſt mortem Ignatii emerſiſſe impudentem hæreticum. Qui quidem (vt ait Irenæus [b]) Menandro inhærẽs, ſic Deum Patrem omnium dixit eſſe creatorem, vt tamen mundum à ſeptem Angelis creatum, hominemque voluerit eſſe Angelorum facturã: rurſus Deum Iudæorum vnũ ex Angelis eſſe dixerit; quodque aduerſus Patrem rebellaſſet, in eius deſtructionem miſſum eſſe Chriſtum, & in ſalutẽ credentium, eumdemq; ignotum & incorporalem ac ſine figura, putatiue tantum viſum eſſe hominem. Duo inſuper hominum genera ab Angelis eſſe facta, alterum nequam, alterum bonum: & quod hoc dæmones peſſimos adiuuaret, miſſum eſſe Saluatorem ad perditionem malorum & ſalutem bonorum. Nubere & generare à Satana eſſe: & quaſdam Prophetias ab Angelis quaſdã à Satana eſſe reuelatas. Hæc Irenæus: qui addit, cõplures Saturnini ſectatores ſic abſtinentiam coluiſſe, vt ab animatis abſtinerẽt, quo iſta virtutis ſpecie plures ſeducerent. Habet amplius Tertullianus, Saturninum negaſſe reſurrectionem futuram. Eademque de ipſius impietatibus, qui de hæreſibus tractatus edidere, Epiphanius, Theodoretus, Philaſtrius, Auguſtinus, & alii.

b Iren. l. 1. c. 22.
Dogmata impietatis.

XII. De Carpocrate hæreſiarcha.
c Euſeb. 4. hiſt. 7.
d Clem. Alex. lib. 3. Strom.
Horrenda his monstra.

Eodem quoque tempore Carpocras, fæx omnium hęreticorum, & fax totius incontinentiæ apparuit. vt ex Irenæo tradit Euſebius [c]: quem & Alexandrinum fuiſſe, ſcribit Clemens [d] Alexandrinus gentilis eius; & in nonnullis conſenſiſſe Baſilidi, ſed & alia multo deteriora commentum eſſe conſtat. Mundum quidem, vt ille, ab Angelis factum dixit: Iesvm vero redemptorem ex Ioſeph natum vt ceteros homines, probitate tantum præſtitiſſe aliis; ſed ſe ſuoſque ei ſimiles eſſe, & ex his nonnullos eo fortiores. Artes inſuper magicas operari conſueuerant Carpocratiani, & dæmones alligatos habere, gloriantes ſe ea arte illos habere ſubiectos. Omne delictum non ſolum apud eos non vetitum, ſed imperatum: vſque adeo vt perpetua animarum tranſmigratione fore plectendos dicerent, qui ſuæ quæcumque cupienti aduerſarentur concupiſcentię; ſcripturæ [e] etiam præceptum ad hoc adducentes: poſtquam autem omnia, quæ mundi & concupiſcentiæ ſunt opera praua expleſſent, tunc libere profecturos ad illum Deum qui eſt ſupra Angelos mundi fabricatores. Denique adeo horrenda de huiuſmodi ſectæ hominibus ſe accepiſſe Irenæus [f] tradit, vt non induci poſſet ad ea credenda. Addit Tertullianus [g], Carpocratem tum Chriſti, tum ceterorum mortalium carnis reſurrectionem negaſſe. Eademque de illo eiuſque ſectariis Epiphanius [h]: & alii qui commentarios de hæreſibus conſcripſerunt.

e Matt. 5. v. 25. Luc. 12. v. 58.
f Iren. lib. 1. cap. 24.
g Tert. de praſcr. c. 48.
h Epip. hær. 27.

XIII. Gnoſtici vnde.
i Hier. de ſcript. Eccl. in Agrip.
k Euſeb. in Chron.
l Epiph. hær. 26.
m Id. ibid. & hær. 27.

Inſuper tradunt, hos ipſo Carpocrate auctore, in velamen obſcœnitatum multarum, perpulchrum ſibi nomen indidiſſe vt Gnostici dicerentur, quaſi præſtantiori quam alii homines, eruditione & rerum diuinarum cognitione præditi eſſent: licet Hieronymus [i] & Euſebius [k] velint à Baſilide *Gnoſticos* eſſe nominatos. Sed ſicut venena, ita & nomina inter ſe iſtos communicaſſe, dici poſſe videtur: nam eadem ratione, qui ex Nicolaitis prodierunt æque *Gnoſticos* eſſe dictos, Epiphanius [l] affirmat. Sed quænam fuerint ipſorum turpitudines, idem auctor [m], etſi renitens admodum, accurate deſcripſit; poſtquam ab eorũ illecebris in Ægypto, ne in errorem laberetur, fuiſſet diuinitus liberatus; Recenſebimus & nos poſt illum, quod maxime conferant ad veritatem hiſtoricam huius temporis elucidandam.

XIV. Nefanda Gnoſticorum turpitudines.

Ait igitur eos communes vxores habuiſſe, & ſuã ipſorum Synaxim turpitudine multiplicis ac promiſcui fortuitique concubitus polluiſſe, eam rem appellantes, *Dilectionem facere.* Sed & cum peregrinus aliquis accederet, ſtatim vt ſigno quodam in ſalutãdo libidinoſæ contrectationis manuum, agnitus eſſet eius dogmatis ſectator, ad conuiuium vocari ſolitum, & mox ad concubitum cum vxore eius à quo in domũ reciperetur. Poſtquam autem permixti fuiſſent, ſuſcipere ſolitam mulierem, itemque virum, fluxum à maſculo in proprias manus, & in cœlũ intuentes dicere, *Offerimus tibi hoc donum, corpus Chriſti*, & ſic edere, dicentes, *Hoc eſt corpus Chriſti, & hoc eſt Paſcha: Ideo patiuntur corpora noſtra, & coguntur confiteri paſſionem Chriſti.* Eodem modo vbi contigiſſet feminas in ſanguinis fluxu eſſe, menſtruum collectum de ipſis, in communi edere, & dicere, *Hic eſt ſanguis Chriſti.* Liberorum autem generationem omni modo impedire ſolitos, & interdicere. Si vero præter ſententiam prægnans fieret mulier, detractum fœtum in mortario quodam piſtillo tundere, & admixto melle, ac pipere, aliiſq; aromatibus ad auertendam nauſeam, congregatos omnes participes fieri conſueuiſſe contuſi pueri; & additis ad Deum precibus, hoc perfectum Paſcha dicere. Cum vero rurſus libidinis inſania eos apprehenderet, inquinantes manus turpitudine ſua, modos toto corpore precari ſolitos tamquam per eiuſmodi operationem inuenirent dicẽdi apud Deum libertatem. Inſuper omnem ſpeciem coitus in ſingulis corporis membris; incantationeſque, ac veneficia, & idololatrias perficere ſolitos; & hoc eſſe rationem redditionis debitorum in corpore, vt non aliud opus ab ipſis exigeretur. Corpora autem ſua, tam viros quam mulieres, noctu ac diu curaſſe vnguentis, balneis, & epulationibus, quo poſſent fructus pollutionum ſuarum reddere in tẽpore: deteſtantes ieiunium, quod eſſet à Principe qui fecit mũdum.

XV. Conſilium diaboli de Gnoſticis.
n Epip. hær. 17.
o Iren. l. 1. c. 24.
p Orig. l. 6. cont. Celſ.
q Euſeb. 4. hiſt. 7.
Calumniæ in Chriſtianos.

Hæc & alia de eorum nefanda turpitudine, & execrandis myſteriis Epiphanius: quibus quidem conatus eſt diabolus ſanctam ac puram Chriſtianam religionem infamare; vt Gentiles, qui iſta ab iis qui ſe & Chriſtianos & Gnoſticos dicebant, fieri cernerent, putantes eiuſmodi eſſe in vniuerſum doctrinam Chriſtianæ religionis, eamdem cũ ipſius ſectatoribus execrarentur. Hoc enim fuiſſe Satanæ conſilium in iſtis nefariis mittendis, declarauit idem Epiphanius [n], & lõge ante ipſum Irenæus, [o] Origenes [p], & Euſebius [q]. Porro Iudæorum opera, Chriſtianis ſemper aduerſantium, has eſſe calũnias aduerſus eos toto Orbe diuulgatas, idẽ Origenes teſtatur. Et vix dici poteſt, quantum laborauerint qui in Eccleſia olim fuere ſanctiſſimi viri, vt eiuſmodi calumnias in omnes Chriſtianos à Gentilibus iactari ſolitas (videlicet quod in ſuis nocturnis cõuentibus, infantium occultis vulneribus extinctorum carnibus veſcerentur, & poſt epulum, lucernis miniſterio canum ad illas alligatorum euerſis extinctiſque luminibus, promiſcuo vt ſors tuliſſet vterentur concubitu) diluerent; atque inprimis Iuſtinus [r] martyr, Athenagoras [s] Chriſtianus philoſophus, Theophilus [t] Epiſcopus Antiochenus, Origenes [u], Tertullianus [x], ac Minutius [y] Felix; quantoſque eiuſdem occaſione calumniæ, Viennenſes [z] ac Lugdunenſes, & aliarum [a] vbique prouinciarum Chriſtiani, coram Iudicibus pro veritate certantes paſſi ſint cruciatus. Quamquam & potuit ea de humanarum carniũm eſu calumnia, non tantum ex Gnoſticorum facinoribus eſſe conflata, ſed etiam ex veritate myſterii male accepti; nimirum quod in confeſſo eſſet apud omnes Catholicos, ſe in ſacris carnem Chriſti Domini noſtri eſu, & ſanguinem potu participare. Sic enim & pleraque alia dogmata Chriſtianorum, non bene intellecta Gentiles in prauum ſenſum accepiſſe, multis conſtat antiquorum exemplis.

r Iuſt. orat. ad Anton.
s Athenag. orat. pro Chr.
t Theoph. ad Autol. l. 3.
u Orig. cont. Celſ. l. 7.
x Tert. Apol. c. 7.
y Minut. in Oct.
z ep. ad Chr. Aſiæ ap. Euſeb. 5. hiſt. 1.
a Iuſtin. mart. orat. ad Senat.

XVI.
b Iren. l. 1. c. 25. in fin.
De Epiphane Carpocratis filio.

Sed vt quæ reliqua ſunt impuriſſimi pariter ac impiiſſimi Carpocratis proſequamur; Irenæus [b], & alii poſt eum tradiderunt, eius diſcipulos conſueuiſſe poſteriorem auris dextræ partẽ perforare, vt eo ſigno ſe inuicem dignoſcerent: ſed & habere imagines quaſdam vel depictas vel aliter compoſitas, & ex eis aliam Chriſti, quam dicerent à Pilato factam, Pythagoræ aliam itemque alias Platonis, Ariſtotelis, & aliorum; eaſque perinde ac Gentiles idola, coluiſſe.

coluiſſe. Denique fuiſſe Carpocrati filium nomine *Epiphanem*, paternæ impietatis heredem, Clemens [c] Alexandrinus teſtatur: vixiſſe vero tantùmodo annis ſeptemdecim, ac poſt mortem in Cephalenia (vnde ex matre oriundus erat) vt deum eſſe cultum: eumdemque à patre edoctum orbem diſciplinarum, & Platonis philoſophiam, fuiſſe auctorem & principem Monadicæ cognitionis. Sicque accidit iis, quod de Philoſophis tradit Origenes [d]; qui cum ſuam ipſorum philoſophiam conati eſſent introducere in Eccleſiam, polluerent ipſam non habentem maculam neq; rugam. Vt merito dixerit Tertullianus, [e] *Philoſophos extitiſſe Patriarchas hæreticorum.* Nam de iiſdẽ Carpocrate & Epiphane idem Clemens tradit, quod cum legiſſent in Republica Platonis, vxores debere eſſe communes, hoc ipſum ſuos docuerint obſeruare. Verum quod Gnoſtici abuterentur Platonis ſententiis, ea de cauſa Plotinus Platonicorum princeps edidit aduerſus eorum inſanias commentarium [f], quo & inſuper eorumdem incantationes ac magicos ſuſurros, quibus ſe cœleſtia mouere poſſe profitebãtur, ſugillat, moribuſq; longe deteriores Epicureis eſſe confirmat. Addit vero Porphyrius [g] Plotini diſcipulus, ſuo tempore Gnoſticos Romæ quoſdam vulgaſſe libros, quos appellarent Zoroaſtris Reuelationes.

c Clem. Alex. Strom. l. 3. Adde Epiph. hær. 32.
d Orig. ho. 7. in Ioſue.
e Tert. adu. Hermog.
EX PHILOSOPHIS HÆRESES.
f Plot. in cont. Gnoſt.
g Porphyr. in vit. Plotin.

XVII. PRODICVS AVCTOR ADAMITARVM.

Ceterum prauum genus Carpocratis latius eſt propagatum. Nam eiuſdem ſtirpis extitit nefandiſſimus PRODICVS auctor ADAMITARVM: qui nihilo ſecius eadem quæ Carpocratiani, & Gnoſticorum reliqui, turpiſſime perpetrarunt, aſſumentes & ipſi nomen vt *Gnoſtici* dicerentur, prout refert Theodoretus [h]. Sed de eis plura Epiphanius [i], qui eorum eccleſias lupanaria fuiſſe tradit, vbi nonniſi nudos commorari liceret, quas Paradiſum nominabant. Addidit vero Prodicus, vt quatuor Elemẽta deos eſſe diceret [k], deinde Solem & Lunam. Et tam ipſe quam ſui affirmabant [l] ſe eſſe liberos, nec vlla lege teneri; hæc etiam eſſe orandum, Fuitque [m] illis communis cum ceteris Gnoſticis ſententia, non eſſe palam confitendum Chriſtum, nec pro eo ſubeundum martyrium.

h Theod. l. 1. hær. fab.
i Epiph. hær. 52.
k Epiph. in comp.
l Clem. Alex. Strom. l. 3. & 7.
m Tert. in Scorp.

XVIII. VARIÆ GNOSTICORVM APPELLATIONES.

Porro tradit Epiphani[us] [n], Gnoſticos diuerſis nominib. fuiſſe appellatos, nimirum *Borberianos* ſiue *Borboritas* (quos & futurum iudicium negaſſe, Philaſtrius ait) *Coddianos Stratioticos, Phibionitas, Barbelitas* & *Zacchæos. Naaſſenos* etiam eſſe dictos, ſcribit Theodoretus Et Clemens Alexãdrinus aliam ſubdit Gnoſticorum ſobolem, *Antitactas*, dictos, qui enormiter aſſererent peccatum non eſſe malum, ſed præmio dignum. Verum hoc ipſum, quantum pertinet ad corporis naturalem voluptatem exp endam, ſenſiſſe Baſilidianos, Carpocratianos. Valentinianos, Secundianos, & Epiphanis ſectatores, Epiphanius docet. At de Valentino & Secundo inferius: hæc iam de reliquis ſatis.

n Epiph. hær. 26.

IESV CHRISTI AN. 121.

HADRIANI IMP. AN. 2.

ALEXANDRI AN. 1.

I. ANNVS Chriſti centeſimus vigeſimus primus, qui eſt ſecundus Hadriani Imperatoris, in Faſtis Græcis, aliiſque recentioribus, recte notantur Coſſ. ipſe Hadrianus tertium & Iunius Ruſticus, etſi mendoſe Græci Hadrianum ſecundo pro tertio ſcriptum habeant. Caſſiodori autem, ſiue Mariani Scoti, qui ex illius codice iam de prauato ſumpſit, nulla per hos Hadriani annos habenda eſt ratio.

II. EVARISTVS PP. MARTYR.

Hoc igitur anno *Euariſtus* Papa cum ſediſſet anos nouẽ & menſes tres, vigeſima ſexta Octobris martyrio coronatus eſt: (Ea enim die in tabulis Eccleſiaſticis, natalis eius conſignatus habetur) ſepultuſque eſt in Vaticano: cuius titulo duæ leguntur epiſtolæ. Cum autem poſt eius mortem (vt habet liber de Romanis Pontificibus) vacaſſet Sedes dies octodecim, in locum eius ſubrogatus eſt Alexander Romanus, patre Alexandro natus de regione Caputtauri; quem locum Suetonius [a] nominat Capita bubula, vbi natus eſt Octauianus Auguſtus. Ceterum Index Romanorum Pontificum, ab Honorio Papa Tertio collectus, hoc pariter anno Domini centeſimo vigeſimoprimo, Alexandri Papæ Primi ingreſſum ponit.

ALEXANDER PAPA.
a Suet. in Octau. c. 5.

III. IVDÆI DOMITI.

Hoc eodem anno ſecundo Hadriani Imperatoris (vt habet Euſebius in Chronico) Iudæi iterum rebellantes, rurſus domiti ſunt idque (vt Hieronymus [b] docet) ſub Tinio Ruſo Iudææ Præſide. De alia vero longe terribiliori Iudæorum debellatione facta à Iulio Seuero, dicetur poſtea ſuis locis.

b Hieron. in Dan. 9.

IESV CHRISTI AN. 122.

HADRIANI IMP. AN. 3.

ALEX. AN. 2.

I. ANNO Chriſti centeſimo vigeſimo ſecundo, Cæcilius Seuerus & Aurelius Fuluus (qui poſtea dictus eſt Antoninus Pius Imperator) creati ſunt Coſſ. Quo anno, qui numeratur tertius Hadriani [a], in Eccleſia Alexandrina defuncto Primo Epiſcopo, poſt quam ſediſſet annos duodecim, ſubrogatus eſt *Iuſtus*.

a Euſeb. in Chron.

II. HADRIANVS IMPERIVM PERAGRAT.

Eodemque tempore Hadrianus Imperator, cum res Vrbanas firmaſſet, peregrinationem per vniuerſas Romani Orbis prouincias inſtituit; & (vt habet Spartianus) primo in Galliam atque Germaniam tranſiit, inde in Britanniam tranſmiſſurus; vniuſcuiuſque prouinciæ proſpiciens ſecuritati atque vtilitati. Vnde & cuſi reperiuntur multi nummi [b] his inſcriptionibus, LOCVPLETATORI ORBIS TERRARVM, vel etiam RESTITVTORI [c] ORBIS TERRARVM, aut ſimpliciter ſingularum prouinciarum, *Reſtitutori Galliæ, Reſtitutori Africæ, Italiæ, Hiſpaniæ*, & aliarum quas peragrauit. Res autem in ea peregrinatione geſtas deſcribunt Dio & Spartianus.

b ap. Adolph. Occo numiſm. c Habet Bar. Aurel. to. 2. hoc an.

III. MARTYRES BRIXIANI.

Porro cum de eodem Imperatore idem Spartianus dicat, ſacra Romana diligentiſſime curaſſe, peregrina vero contempſiſſe; haud dubium eſt; ipſum quo cœperat animo infenſiſſimo in religionem Chriſtianã ſæuire non deſiiſſe. Nam & iturus in Gallias, agente Italico qui Rhetias curabat prouincias, Fauſtinum presbyterum & Iouitam diaconum Brixiæ condemnans ad beſtias, vna cum Calocero & aliis compluribus ex ipſius familia Imperatoris, itemque Afra Præſidis vxore (qui quod vidiſſent beſtias parcere Fauſtino & Iouitæ, eo miraculo ad fidem Chriſti conuerſi ſunt) poſt varias tentationes atque tormenta, diuerſis locis necari iuſſit: quorum ſingulorum natalis dies in tabulis Eccleſiaſticis eſt notatus. Sed & in eorundem martyrum Actis [d] ſcriptum legitur, Romanum Pontificem qui his temporibus præerat Eccleſiæ Dei, vna cum multis in Catacumbis Perſecutionis cauſa latuiſſe. Et paſſos eodem tempore Romæ complures alios vtriuſque ſexus, teſtantur Eccleſiaſtica monumenta.

d Act. Fauſt. & Iouit. ap. Sur. 15. Febr.

IESV CHRISTI AN. 123.

HADRIANI IMP. AN. 4.

ALEX. AN. 3.

I. DE APE DEO ÆGYPTIORVM INVENTO.

ANNO Chriſti centeſimo vigeſimotertio, Annio Vero & Augure Coſſ. Hadrianus Imperator Britanniã petens (inquit Spartianus) multa correxit, murumque per octoginta millia paſſuum duxit, qui barbaros Romanoſque diuideret. Tranſgreſſus vero in Galliam, Alexandrina ſeditione commotus eſt; cum repertus poſt multos annos Apis; turbas inter populos creauit apud quem deberet collocari. Hæc Spartianus. Magna quidem Dei prouidentia factum eſt, vt quo tempore Hadrianus Chriſtianam religionẽ inſectabatur quales eſſent dii Gẽtium, fierent manifeſti. Apim enim bouẽ non Ægyptios tantum coluiſſe, ſed & Romanos, Minutius [a] Felix eis exprobrat. Porro erat Apis (inquit Herodotus [b]) è vacca genitus, quæ nullum alium poſſet concipere fœtum: quam Ægyptii aiebant fulgure ictam ex eo concipere Apim. Erant autẽ eiuſmodi vitulo hæc ſigna, Toto corpore niger, in fronte habẽs candorem figuræ quadratæ, in tergo effi-

a Minut. in Octau.
b Herodot. in Thal.

giem

giem aquilæ, cantharum in palato, duplices in cauda pilos. Hæc Herodotus: idemque teſtatur, conſueuiſſe eiuſmodi animal raro videri; cum autem appareret, Ægyptios omnes maxima lætitia affici & feriari ſolitos. Iudæos autem, qui olim in Ægypto aſſueuiſſent, ſecundum eorundem ſuperſtitionem, dum in deſerto[c] conflarunt vitulum, Apim repræſentare voluiſſe, certa ſententia eſt plurium auctoritate firmata. Sed de Api & aliis Ægyptiorum diis, plura ex antiquis collegit Euſebius[d].

c Exod. 22. Pſal. 105. d Euſeb. 2. de præpar. Euang. 21.

HADRIANI IMP. AN. 5.6.

IESV CHRISTI ANN. 124.125.

ALEX. AN. 4.5.

I.

ANNO Chriſti centeſimo vigeſimo quarto, qui eſt Hadriani quintus, Auiola & Panſa Coſſ. idem Imperator Hiſpanias peragrauit, ſecundum ea quæ à Spartiano ſcribuntur.

Anno vero Chriſti centeſimo vigeſimoquinto, Coſſ. ſecundum Caſſiodorum Vero & Ambiguo, vel ſecundum alios Atrio Petino & Aproniano, Hadriani anno ſexto (vt habet Euſebius[a]) idem Auguſtus Achaiam, & inde Athenas petens; exemplo Herculis, & Philippi, ſacra Eleuſinia ſuſcepit, multaque in Athenienſes contulit quę referunt hiſtorici. Quam autem *Eleuſinia* ſacra turpia eſſent & obſcœna, omnes fere non tantum ex ſcriptis Gentilium, ſed Chriſtianorum[b] norunt.

a Euſeb. in Chron. QVID HADRIANVS ATHENIS. b Tert. aduerſ. Valentin. cap. 1. Arnob. aduerſ. Gent. lib. 5.

II. ECCLESIA ATHEN. AGITATA. c Euſeb. 4. hiſt. 3. d Hier. de ſcript. Eccl.

Ceterum quo ardentius viſus eſt Hadrianus colere ſuperſtitionem Gentilitiam, eo vehementius Chriſtianam religionem inſectatum eſſe, nemo poterit dubitare: ſed & ipſam Athenarum Eccleſiam hoc tempore florentiſſimam, ab eodem vehementer exagitatam eſſe, facile monſtrant quæ ſcribit Euſebius in Hiſtoria[c], & S. Hieron.[d] in *Quadrato* Apoſtolorũ diſcipulo: qui (vt ait) Publio Athenarum Epiſcopo ob Chriſti fidem martyrio coronato, in locum eius ſubſtitutus eſt, & Eccleſiam grandi terrore diſperſam fide & induſtria ſua congregauit. Porro martyrium Publii, & Eccleſiæ diſperſionem hoc primo Hadriani Athenas aduentu contigiſſe putamus: quid autem in ſecundo ibidem egerit, dicetur poſt biennium.

HADRI. IMP. AN. 7.8.

IESV CHRISTI AN. 126.127.

ALEX. AN. 6.7.

I. FASTI COSS. INVERSI.

ANNO Chriſti centeſimo vigeſimoſexto, Gallicanus & Titianus à Caſſiodoro ponuntur Coſſ. è Græcis autem Faſtis promuntur Glabrio atq; Torquatus; quibus aliquando, prout ratio poſtulauerit, adhærebimus. Inuerſos enim plane eſſe conſtat Faſtos Conſulares Imperii Traiani, Hadriani, & Antonini Pij: ſed id abſque præiudicio rectæ chronographiæ, quæ ex annis Imperatorum optime diſponitur. Hoc igitur anno Hadrianus tranſacta (inquit Euſebius[a]) Athenis hieme, inde receſſit. Rediiſſe vero Romam, & inde in Africam traieciſſe, Spartianus tradit. Quo etiam auctore conſtat, eumdem

a Euſeb. in Chron.

II.

Anno Domini centeſimo decimo ſeptimo, Scipione & Aquilino Coſſ. ex Africa reuerſum eſſe Romam.

HADR. IMP. AN. 9.

IESV CHRISTI AN. 128.

ALEX. AN. 8.

I. a Spart. in Hadria. APOLOGIÆ PRO CHRISTIANIS. b Euſeb. in Chron. an. 9 Hadria. c Hier. de Script. Ec-

ANNO Chriſti centeſimo vigeſimo octauo Coſſ. Vero & Bibulo (habent alii Celſum & Marcellinum) Hadrianus Imperator (vt tradit Spartianus[a]) Roma in Orientem profectus, Athenas repetiit, & Iouis Olympii ædem atque aram ſibi dedicauit. Eodemque tempore, vt habent Euſebius[b] & Hieronymus[c], *Quadratus* diſcipulus Apoſtolorum & Athenarum Epiſcopus, necnon *Ariſtides* Athenienſis philoſophus Chriſtianus, libros pro Chriſtiana religione eidem Auguſto obtulere: ipſeque Quadratus[d] orationem inſuper eadem de re coram Imperatore habuit, ac tantum profecit[e] vt perſecutionem grauiſſimam ſedauerit.

cleſ. in Quadr. & in Ariſtid. & ep. 84. ad Magn. d Euſeb. 4. hiſt. 3. e Hier. d. ep. 84.

II. HADRIANVS REDDIT PACEM ECCLESIÆ.

Sed his Hadrianum mitiorem redditum, eque ad concedendam pacem Eccleſiis impulerunt literę *Serenii Graniani* Aſiæ Proconſulis; qui cum cerneret non iã de Chriſtianis legitima exerceri iudicia, ſed clamoribus vulgi delatos innocentiſſimos homines neci tradi; è prouincia diſceſſurus, literas ea de re ad Imperatorem ſcripſit, iniquiſſimum eſſe dicens, ſine vllo crimine, nominis tantum & ſectæ reos fieri. Quibus commotus Hadrianus, ad Minutium Fundanum Serenii ſucceſſorem reſcripſit, ſine obiectu criminum Chriſtianos non eſſe condemnandos. Narrat iſta Euſebius[f] hoc anno nono Hadriani: ipſam autem Epiſtolam Hadriani ad Fundanum, recitat alibi[g] deſcriptam ex Iuſtini martyris Apologia ad Antoninum Pium. Nec vero tantum ad Aſiæ Proconſulem, ſed ad alios etiam prouinciarum Præſides eadem reſcripſiſſe Hadrianum, teſtatur Melito[h] Sardenſis Epiſc. in libello quẽ obtulit Marco Aurelio Imperatori. Quamuis haud exiſtimemus, perſecutionem omnino ceſſaſſe: etenim etſi nomen non eſſet in culpa, plurimas tamen calumnias à Gentilibus in Chriſtianos ſtrui ſolitas, eaſque libentiſſime audiri à iudicibus, exemplo ſunt quæ de plurimorum martyrio dicentur inferius. Deniq; apud Caſſiodorum[i], nonniſi poſt annos tres perſecutionem ceſſaſſe, traditur.

f Euſeb. in Chron. g Id. 4. hiſt. 8. & 9.

h Melit. ap. Euſeb. 4. hiſt. 25.

i Caſſiod. in Chron.

HADRIANI IMP. AN. 10. 11.

IESV CHRISTI AN. 129.130.

ALEX. AN. 9.10.

I. a Spart. in Hadria.

ANNO Chriſti centeſimo vigeſimo nono, Gallicano & Titiano Coſſ. Hadrianus Imperator[a] Minorem Aſiam peragrauit, multa componens, & templa ſibi erecta conſecrans; ac Præſidum delicta ſeuere puniens.

II. HADRIANI ODIVM IN ANTIOCHENOS.

Sequenti vero, Domini centeſimo trigeſimo, Torquato & Libone Coſſ. ex Aſia in Syriam venit; quando (inquit Spartianus) Antiochenſes ita odio habuit, vt Syriam à Phœnice ſeparare voluerit, ne tot ciuitatum Antiochia metropolis diceretur. Cuius odii cauſam cum non afferat, quæ multæ eſſe potuerunt; haud abs re dicetur, Hadrianum triſtem ſeriumque ſemper, & nimia ſæpe notum ſeueritate, dicterijs ab Antiochenſibus appetitum (quo vitio Principum iram in ſe non ſemel excitarunt[b]) odium eiuſmodi aduerſus eos concepiſſe: vel potius ob Chriſtianorum eiuſdem ciuitatis, in ſuam ipſorum religionem vehemens ſtudium, cuius ipſe inimiciſſimus erat.

b Vid. Lucian. de ſalt. Herodian. lib. 3. Iulian. Aug. in Miſopog. & alios.

III. HADRIANVS IN IVDÆOS.

Addit his Spartianus, mouiſſe ea tempeſtate & Iudæos bellum, quod vetarentur mutilare genitalia. Sed aliam Dio belli Iudaici affert cauſam, nempe quod cum Hadrianus Hieroſolymam pridem euerſam rurſum habitari iuſſiſſet, indito ei nomine ÆLIÆ CAPITOLINÆ, ac Ioui ex aduerſo templi ædem excitaſſet; ea de re indignati Iudæi in arma ruerint: cum vero & qui vbique gentium erant, cum Hieroſolymitanis conſpiraſſent; inde (inquit) bellum graue & diuturnum exortum eſt, vniuerſo fere terrarum orbe ex motu Iudæorum concuſſo. Verum extructionem Æliæ poſt debellatos penitus Iudæos factam eſſe, inferius demonſtrabitur. Ruſum autem Præfectum Iudææ, auxiliaribus copiis ab Imperatore acceptis, virorum ac mulierum vna cum liberis infinita prope millia confertim concidiſſe; Euſebius[c] tradit. Quamquam & poſtea, ingraueſcente bello, opus fuit alios (vt videbitur) duces illuc mittere.

c Euſeb. 4. hiſt. 6.

IV. BARCHOCHEBAS DVX IVDÆORVM. d Num. 24. e Euſeb. in Chron. an. 17. Hadr.

Fuit autem eo tempore (vt idem auctor ſcribit) Iudæorum dux *Barchochebas*, vir quidem (vt ait) cruentus, ac prædo nefarius, ſed ipſa appellatione (quod eius nomen aſtrum ſignificaret) ſed diuinitus miſſum mentiens, quod in oraculis[d] Propheticis ſcriptum eſſet, *Orietur ſtella ex Iacob*: qui[e] & nolentes ſibi Chriſtianos aduerſus Romanos ferre ſubſidium, omnimodis cruciatib. enecauit. Idemq; præſtitiſſe, quod nollẽ Chriſtum abnegare, IVSTINVS

f Iuſtin. ora. ad Antōn. g Euſeb. 4. hiſt. 8. IVSTINVS PHILOS. FACTVS CHRISTIANVS.

f martyr ſcribit, qui genere Samarita hæc oculis ſpectaſſe potuit. Compulſus eſt enim ipſe eiuſdem belli Iudaici occaſione alio migrare: hocque eodem tempore (vt ex eius ſcriptis Euſebius g collegit) ex Græcorum philoſophia, cuius omnes pene ſectas, veræ ſapientiæ adipiſcendæ cauſa, curioſe perſcrutatus fuerat; tandem veram ac perfectam philoſophiam, quæ ex Chriſti doctrina eſt, ab homine incerto agente numine edoctus, ad religionem Chriſtianam ſe tranſtulit: quod pluribus ipſemet; quonam pacto contigerit, deſcripſit in dialogo quem Epheſi habuit cum Tryphone Iudæorum eius temporis coryphæo. qui & ipſe ex eodem Iudaico bello profugus patrium ſolum verterat. At de Iuſtino plura ſuis locis inferius.

HADRIANI IMP. AN. 12.

IESV CHRISTI AN. 131.

ALEXANDRI AN. II.

I. HERO EPISCOPVS ANTIOCH. MARTYR. a Martyrolog. Rom. ea die. b Euſeb. in Chron.

ANno Chriſti centeſimo trigeſimo primo, Celſo & Balbo Coſſ. ex commotione quam diximus Hadriani Imperatoris in Chriſtianos Antiochenos, *Hero* eiuſdem ciuitatis Epiſcopus pro grege ſibi cōmiſſo martyr occubuit a decimaſeptima menſis Octobris, poſtquā ſediſſet annos viginti; cui ſucceſſit hoc eodem anno b *Cornelius*. Quo item anno (quantum ex Spartiano colligitur) Hadrianus ex Syria in Arabiam, res Imperii Romani vbique compoſiturus, profectus eſt; ac ſequenti (vt ex Euſebio conſtat, in Ægyptum deſcendit.

HADR. IMP. AN. 13.

IESV CHRISTI AN. 132.

SIXTI AN. I.

I. ALEXANDRI PP. MARTYRIVM.

ANno Chriſti centeſimo trigeſimo ſecundo, Catullino & Apro Coſſ. quinto Nonas Maij, *Alexander* Papa, quod Senatores complures, & Præfectū Vrbis Hermetem, aliosque Romanos ciues ad Chriſti religionem perduxiſſet, in carcerem truſus, cum per eum multa ibi Deus miracula ediddiſſet, ac rurſum Quirinum Tribunum, eiuſque filiam Balbinam virginem, contactu catenarum ſuarum ſanitati redditam, ad fidem cōuertiſſet; multis dirisque cruciatibus affectus, creberrimis punctis cōfoſſus, iuſſus eſt occidi; ſicut habent eius Acta. Sed quod liber de Romanis Pontificibus capite truncatum habet; vtrumq; facile potuit accidiſſe. Inſuper Euentius & Theodulus preſbyteri, iidemque Hermes & Quirinus, aliique plurimi diuerſis mortis generibus ſunt affecti. Quorum omnium natalitia, diuerſis diebus quibus ſunt paſſi, relata ſunt in Eccleſiaſtica monumenta. Extant (vt diximus) eiuſdem Alexandri Acta a, ſed (quod multis aliis accidit) nimia antiquitate nonnihil mendoſa. Sedit (vt habet Euſebius) annos decem: addit liber de Romanis Pontificibus, menſes ſeptem & dies duos. Sed quem creatum vidimus poſt ceſſationem ſedis Euariſti die decimatertia Nouembris, mortuus vero habetur b tertia Maij; ſediſſe oportuit vltra decennium, menſes quinq; & dies viginti.

a ap. Sur. 3. Maij. b Martyr. Rom. ea die.

II. DE AQVA BENEDICTA.

Quod autem in eodem libro de Romanis Pontificibus, de ipſo inter alia traditur, conſtituiſſe vt *Aqua aſperſionis cum ſale benediceretur in habitaculis hominum*; id ſane iampridem Apoſtolica inſtitutione traditum, ab Alexandro potius decreto roboratum, quam recēs ſtatutum dici debet. Nam præter id quod apud S. Clementem c eſt Matthæi nomine Apoſtolica inſtitutio; nōne Paulus d ſcribit, *omnem creaturam per verbum Dei & orationem ſanctificari?* Quapropter non aquæ tantum, ſed & olei, aliarumq; rerum hominum vſui inſeruientium, benedictionem ex Apoſtolica traditione iure ſibi Eccleſia Catholica vendicat; exemplo Chriſti, e qui panem turbæ daturus antea benedixit ei. Et tantum abeſt, vt (quod Nouatores oblatrant) ſpecies ſit quædam incantationis atque magiæ; vt potius ad eas diſſoluendas, aliaſque diaboli artes auertendas, eiuſmodi AQVA BENEDICTA ſolita ſit adhiberi, diuino vtique in miraculorum virtute ſuffragio comprobata; prout multis illuſtribus exemplis declaratur apud Epiphanium f de Ioſepho comite, Hieronymum g de Sancto Hilarione, Theodoretum h de S. Marcello Epiſcopo Apameenſi, Palladium i de S. Macario, Bedam k de S. Germano Epiſcopo Antiſiodorenſi, itemque de aliis apud alios quamplurimos probatæ fidei auctores, qui de rebus Eccleſiaſticis ac geſtis Sanctorum ſcripſerunt: quibus non ſolum magicas incantationes, aliaſque prauorum dæmonum molitiones, Aquæ Benedictæ aſperſione conſtat eſſe diſſolutas; ſed & varias diuerſarum ſanitatum operationes, aliaque multiplicia mirabilia, eiuſdem virtute ſibi diuinitus inſita, per cuncta ſæcula in præſens vſque peracta eſſe. Verum hæc ſatis ex inſtituto ad mores Eccleſiæ inſinuandos. Deniq; eiuſmodi aquæ benedictionem ad quēcunque vſum, ex Apoſtolicarum traditionum fontibus manare, non modo quæ ſunt dicta demonſtrant, ſed vt in re comperta ingenue profeſſus eſt S. Baſilius l, cum agit de aqua baptiſmatis ſolita ante benedictione ſanctificari. Sicut & de eodem Eccleſiaſtico ritu meminerunt quoq; Cyprianus m, Cyrillus n Hieroſolymitanus Ambroſius o, Auguſtinus p, & alii. Quomodo autem in Eccleſia vſu venerit, vt aqua ad domeſticum vſum ſanctificata, ipſo ingreſſu Eccleſiæ ad leuium ſordium expiationem ſit expoſita, dictum eſt alio loco ſuperius.

c Clem. 8. Conſt. 35. d 1. Tim. 4. e Luc. 9. f Epiph. hær. 30. g Hier. in Vit. Hilar. h Theodor. 5. hiſt. 21. i Pallad. in Lauſiac. c. 6. k Bed. 1. hiſt. Angl. 17. AQVA BENED. VIRES CONTRA DÆMONES. l Baſil. de Spir. S. ca. 27. m Cypr. ep. 70. n Cyr. Hieroſ. catech. 3. o Ambr. l. de Sacram. 3. p Aug. 6. cōt. Iulian. 8.

III. ALEX. EPISTOLÆ.

Habentur Epiſtolæ tres eiuſdem Alexandri Papæ titulo inſcriptæ; in quibus agitur pariter de aliis ritibus Eccleſiaſticis, qui nequaquam ſunt ab ipſo primum ſtatuti: ſed quæ traditione Apoſtolica accepta à Catholicis ſeruabantur, nequa hæreticorum fraude conſuetudō irreperet in contrarium, ab eo fuere decretis firmata; vt & de plurimis aliis abunde probatur variis horum Annalium diſputationibus. Ceterum ſepultus eſt Alexander via Nomentana, vbi & martyrium conſummauit ſeptimo ab Vrbe milliario. Et poſtquam vacaſſet ab eius obitu ſedes Romana dies viginti quinque, ſubrogatus eſt in locum eius SIXTVS, patria Romanus, patre Paſtore de regione Via Lata. Hæc in libro de Romanis Pontificibus.

SIXTVS PAPA.

IV. ANTINOVS DEVS AB HADRIANO FACTVS.

Hoc eodem anno Hadriani Imperatoris decimotertio, cum idem Auguſtus ex Arabia in Ægyptum veniſſet *Antinoum* eximiæ pulchritudinis puerum quem habebat in deliciis, dum per Nilum nauigaret perdidit, ſiue in flumen ceciderit, ſiue ab eodem Hadriano diuinationibus atque magicis artibus dediti ſſimo immolatus, quod indigeret ad ea quæ parabat anima hominis qui voluntarie occubuiſſet. Quapropter ſeu ob amorem, ſiue ob ſpontaneam mortem ſolemni conſecratione inter deos retulit; eiuſque nomine aram, templum, feſta dicauit & ciuitatē quo loco oppetiit extruxit. Rem geſtam narrant Dio & Spartianus, necnon Euſebius q: ſed & qui his temporibus vixere ſcriptores Eccleſiaſtici, vel poſtea floruere, cū aduerſus deos Gentilium ſcriberent inuectiuas, Hadriani exemplo in Deum referentis & colere iubentis Antinoum, quales ceteri ipſorū dii fuiſſent, frequenter argumētati ſunt; puta Hegeſippus r & Iuſtinus martyr, Theophilus s Antiochenus, Athenagoras t, Origenes u, Epiphanius x, Chryſoſtomus y, Hieronymus z, Prudentius a, & alii.

q Euſeb. in Chron. r ap. Euſeb. 4. hiſt. 10. s Theoph. Antioch. ad Autol. t Athenag. orat. aduers. Gent. u Orig. lib. 3. cont. Celſ. x Epiph. in Epiſt. & in Ancor. y Chryſ. ho. 27. in Cor. 2. & hom. 64. ad pop. Antioch. z Hieron. in Iſa. 2. & l. 2. cont. Iouin. & de ſcript. Eccl. in Hegeſip. a Prud. in Symmach.

V. HADRIANI EPIST. ADVERSVS ALEXANDRINOS.

Quod autem Chriſtiani qui in Ægypto erant hæc publice deriderēt, & alii Ægyptii in Hadrianum cū receſſiſſet parum grato viſi eſſent animo; ipſe poſtea ſcribēs ad Seruianum Conſulē, multa in Ægyptios Gētiles, Chriſtianos, atque Iudæos, nulla pene illorum habita religionis differentia, epiſtolam dedit, quam recitat in Saturnino Flauius Vopiſcus. Ea vero cū de Chriſtianis mira inconſtantia dicat, modo quod cum Ægyptiis colerent Serapim, modo Chriſtum, modo Deum vnum cum Iudæis & Gentibus; ſed & illis matheſim, & aruſpicinam, & alia id genus tribuat: ſi velimus haud calumnioſe locutum, certum eſſe intellexiſſe de ſectatoribus Baſilidis atque Carpocratis, quos fuiſſe Alexandrinos, omniumque turpitudinum ibi gymnaſium aperuiſſe, ſed & abſque culpa poſſe Chriſtum negare & deos venerari, ſuos docuiſſe, ſuperius vidimus. Ceterum in odium Chriſtianorum, noui atque turpiſſimi

Digitized by Google

dei cultum adeo ſubſannantium, eoſdem Antinopolim, vbi recens idolum erectum eſt, cum aliunde tum Alexandria ad ſupplicium mitti ſolitos, conſtat ex iis quæ de S. Iraide virgine & ſociis martyribus habentur in tabulis [b] Eccleſiaſticis.

b Martyrol. Rom. & Menolog. Græc. 22. ſept.

HADR. IMP. AN. 14.15.

IESV CHRISTI AN. 133.134.

SIXTI AN. 2.3.

I. a Euſeb. in Chron.

ANno Chriſti centeſimo trigeſimo tertio, Pontiano & Ruffino Coſſ. defuncto [a] Iuſto Epiſcopo Alexandrino poſtquam ſediſſet annos vndecim, in locum eius ſuffectus eſt *Eumenes.*

II. b Euſeb. ibi. EDICTVM SALVIANVM.

Anno vero centeſimo trigeſimo quarto (quo Caſſiodoro ponuntur Coſſ. Pompeianus ſecundum & Commodus, à Græcis Augurinus & Seuerianus) Hadriani decimo quinto [b], *Saluius* IVLIANVS eiuſdem Imperatoris iuſſu *Perpetuum* compoſuit *Edictum*, quo omnes in poſterum Prætores vterentur, cum antea ſuo arbitratu proponerêt edicta annua, duratura tantummodo anno ſuæ Præturæ. Sed & eodem ſtatutum [c] eſt, debere omnes ciuitates conſuetudinem Romanæ Vrbis ſequi ac leges, non ipſam quæ eſſent aliarum ciuitatum. Cuius occaſione putamus ſæpius exagitatos eſſe Chriſtianos, cum cogerentur ſequi leges ac conſuetudines, quæ vt plurimum aduerſarentur ipſorum inſtitutis.

c Co. ſi de conſuetudine. [illegible]

HADRIANI IMP. AN. 16.

IESV CHRISTI AN. 135.

SIXTI AN. 4.

I. [illegible]

ANno Chriſti centeſimo trigeſimo quinto, Hybero & Silano Coſſ. cum bellum Iudaicum multis annis à Ruſo Iudææ Præſide adminiſtratum, difficilius in dies inſtauraretur, Hadrianus præcipuos Romanorum duces aduerſus eos miſit quorum præſtantiſſimus Iulius Seuerus è Britannia ad hoc euocatus, nõ tam vi aperta quã arte eos tandem penitus oppreſſit, quinquaginta millia eorum cæcidit, arces quinquaginta celeberrimas diruit, vicos nongentos & octoginta quinque nominatiſſimos diripuit ac cremauit, totamque fere Iudæam deſolauit: quam cladem etiam ante bellum multa ipſis denunciauerant, dum Salomonis ſepulchrum ſponte corruit, & lupi atque hyenæ paſſim per vrbes vlulantes viſi ſunt. Hęc Dio de Iudaico bello: quod quia Euſebius [a] tradit finem accepiſſe anno decimo octauo Imperii Hadriani reliqua eo remittimus.

a Euſeb. in Chron. & 4. hiſt. 6.

HADRIANI IMP. AN. 17.

IESV CHRISTI AN. 136.

SIXTI AN. 5.

I. QVADRAGESIMALE IEIVNIVM QVANDO INSTITVTVM.

ANno Chriſti centeſimo trigeſimo ſexto, Coſſ. Seruiano & Vero, anno decimo ſeptimo Imperii Hadriani, in Euſebii Chronico ponitur IEIVNIVM QVADRAGESIMALE Romani Pontificis auctoritate præſcriptũ. Quod ſi hoc anno factum eſt; non Teleſphoro, vt ponit, ſed Sixto adſcribendum eſt. Eo enim errore ſemel lapſis Græcis, dum duos Pontifices Cletum & Anacletum in vnum conflarunt, accidit vt confuſis temporibus confuſæ ſint pariter actiones. Cæterum cum ab omnibus eiuſmodi Eccleſiaſtica ſanctio Teleſphoro adſcribitur; non ita intelligẽdum eſt, quaſi ipſe Quadrageſimæ Ieiunium ſeruandum recens inſtituerit, quod vidimus ab Eccleſia ex Apoſtolica traditione ſuſceptum; ſed quod eam traditionem placuit decreto edito ſtabiliri: cum alioqui certum ſit, in antiquis Euſebii manuſcriptis codicibus minime reperiri hunc articulum, ſicut nec plures alios, quibus eiuſmodi decreta à Romanis Pontificibus edita dicuntur de nonnullis obſeruationibus, quas conſtat deſcendiſſe ex traditione Apoſtolica.

HADRIANI IMP. AN. 18.

IESV CHRISTI AN. 137.

SIXTI AN. 6.

I. a Euſeb. in Chron. & 4. hiſt. 6. IVDÆI PROHIBITI ASPECTV PATERNI SOLI.

ANno Chriſti centeſimo trigeſimo ſeptimo, Pompeiano & Aciliano Coſſ. decimo octauo Imperii Hadriani (inquit Euſebius [a]) bellum Iudaicum in Palæſtina finem accepit: & ex eo tempore vniuerſæ Iudæorum genti prorſus interdictum eſt, pedem in agrum Hieroſolymitanum aliquando inferre, vel ex edito loco paternum ſolum aſpicere: ipſaque vrbes Hieroſolyma exteris hominibus incolenda tradita, nomen commutauit, vt in honorem Ælii Hadriani Imperatoris qui eam deuiciſſet, ÆLIA ſit appellata: ac ſuper portam qua Bethleem egrediebantur, ſus poſitꝰ eſt in marmore ſculptus. Hęc Euſebius; quorum nõnulla ante vel poſt hunc annum geſta eſſe, diuerſi auctores volunt, cum tamen in re ipſa conſentiant. Toto autem bello tradunt, variis prælüs ad quingenta & octoginta millia Iudæorum periiſſe; eorũ vero qui fame, morbo, & igne interierunt, infinitam fuiſſe multitudinem.

NVMERVS MORTVORVM.

II. b Oroſ. li. 7. cap. 13.

Sic itaque vltus eſt Hadrianus (inquit Oroſius [b]) Chriſtianos, quos Barchochebas dux Iudæorum, ꝙ ſibi aduerſus Romanos non aſſentirentur, excruciabat. Veruntamẽ & Iudæis quoque qui ad Chriſtianam religionem tranſiſſent, fuiſſe vetitum Hieroſolymæ ingreſſum Seuerus [c] teſtatur. Ceterum perſeueraſſe in poſterum eamdem ab Hadriano (quam & poſtea Seuerus Imperator cõfirmauit) inflictam Iudæis pœnam, vt à patrio ſolo excluderentur; argumento eſt quod non ſolũ Tertullianus [d], ſed & poſtea Cyprianus [e], & longe poſt hunc Hieronymus [f], eam ſua ætate viguiſſe teſtantur. Quemadmodum & nomen *Æliæ*, vrbi Hieruſalem inditum, adeo inualuit, antiquata penitꝰ veteri appellatione; vt cum in perſecutione Diocletiani, Firmilianus Iudææ Præſes & in ipſa Iudæa diutius agens, audiſſet à quodam martyre de patria interrogato, ſe eſſe ex Hieruſalem, quod penitus id nomen Præſes ignoraret, magnis cruciatibus eumdem martyrem diuexarit, vt quæ tandem ciuitas illa eſſet, & vbi terrarum ſita intelligeret; prout id pluribus Euſebius [g] commemorat.

c Seuer. hiſt. li. 2.

d Tert. Apol. ca. 21. & cont. Iud. cap. 13.

e Cypr. de idol. vanit. ad fi.

f Hier. in Sophon. 1.

HIEROSOL. DICTA ÆLIA.

g Euſeb. 8. hiſt. 21.

III. CVR PORCI IMAGO SVPER PORTAM.

Sed cur *imago Porci* ſuper Æliæ portam eſt ab Hadriano poſita? Num quod eiuſmodi ſimulacrum eſſe ſoleret hieroglyphicum [h] hominum profanorum, pernicioſorumque, ac denique eorum qui à Deo penitus eſſent auerſi? Aut quod porcus [i] finis belli ſymbolum eſſet, & ob infractum in bello robur, ſolerent nonnulla Romanorum militaria ſigna porcorum imaginibus effigiari? An vero, ꝙ (vt aliqui [k] ſcripſere) in ciuitate Bethleem, quo porta illa ducebat ſuper quam poſitus eſt porcus, fuiſſet ab Hadriano erectum templum Adonidi quem aper occidit? cum alioqui ſciamus Plutarchum [l] cultum Adonidis, itidemque Bacchi, atque etiam porci, impingere Iudæis. An potius quod cum ſciret Hadrianus, olim eiuſmodi animal primum fuiſſe ſignum Æneæ [m] condendi Lauinii; ſic & ipſe in noua condenda ciuitate Ælia, idem antiquitatis nobile monumentum reddere voluerit? quo & numiſma eiuſdẽ Imperatoris [n] expreſſum vidimus, nempe porcam cum porcellis ſugentibus vbera, vt Æneæ fuit demonſtratum. An denique Hadrianus eo ſigno, Iudæis inter cetera omnia infenſiſſimo, ſignificare voluit eos propria ciuitate, patrioque ſolo eſſe penitus interdictos: quippe quod eiuſmodi animalium genus [o] Iudæis eſſet omnino nefandum, atque viſu etiam execrandum? Ceterum hæc licet ab hoſte, tamen nonniſi diuino ſuadente numine, atque in Iudæos vlciſcente, facta eſſe quiſque prudens intelliget: vt qui olim [p] ſuper portarũ poſtes verba Dei ſcribere iuſſi eſſent, ſpreto iam diuino Verbo in ſalutem ipſorum à Deo miſſo, ac proinde ab eo reiecti, eiuſmodi tam inſignem ignominiæ notam in poſtibus poſitam intueri cogerentur.

h Horus in hieroglyph. Pier. hierogl. lib. 9.

i Feſt. verb. Porcus Porcibus.

k Hier. ep. 13. ad Paulin. & Paulin. ep. 11. ad Seuer.

l Plutar. 4. Sympoſ. 5.

m Virg. Æneid. 8. & alis.

n ap. Sebaſt. Erizzum.

o Ioſeph. 5. de bel. 1. & 8. antiq. 7.

p Deut. 11.

IV. q Dio in Hadria. HADRIANVS LOCA SANCTA PROFANAT.

Porro non ſolum (quod ſcribit Dio [q]) Hadrianus in contumeliam Iudæorum ex aduerſo templi Hieroſolymitani ædem Ioui excitauit; ſed & in odium Chriſtianorum ibi degentium, quæ ſanctiſſima habebantur loca æque polluit ſimulacris. Siquidem exiſtimans (vt aiunt

Hiero-

Digitized by Google

t Hier. ep. 13. ad Paulin. ſ Paulin. ep. 11. ad Seuer. t Seuer. li. 2. hiſt.

Hieronymus [t] & Paulinus [ſ] ſe fidem Chriſtianam locorum iniuria peremptūrum; in loco Paſſionis Domini ſimulacrum Veneris, Iouis autem in loco Reſurrectionis conſecrauit, & in Bethleem fanum Adonis erexit; quæ ſic vſque ad Imperium Conſtantini remanſerunt. Seuerus [t] etiam meminit ſimulacri dæmonum in loco Paſſionis conſtituti: & S. Ambroſius [u] plane ſignificat, eumdem locum fuiſſe *Venerarium* nominatum, à Veneris ibi poſito ſimulacro. Sed quod ad Bethleem pertinet, Origenes qui longe ante claruit quã à Conſtantino loca illa expurgarentur, dum eius meminit, non ſolum nihil tale de eo loco attingit; ſed & fama celebrem ob Natiuitatem Domini ipſis etiam Gentilibus fuiſſe tradit, agens contra *Celſum* philoſophum Epicureum, illum ipſum cui Lucianus eiuſdem ſectæ profeſſor Pſeudomantem librum dicauit: qui quidem Hadriani & Antonini Imperatorum temporibus vixit, ſcripſitq; commentarium inſigni dicacitate ac petulantia aduerſus Chriſtianam religionem, ſimulq; Iudaicam quod ex iſta eſſet illa progreſſa: quem poſtea Origenes erudite fortiterq; refellit celeberrimo omnium illo edito commentario, quo cum Celſi, tum etiam Gentilium ac Iudæorum, diſiecit in Chriſtianam pietatem molitiones.

u Ambr. in pſal. 41.

ORIGENIS OPVS CONTRA CELSVM.

V. x Epiph. de menſur. DE AQVILA PONTICO.

Sed quod ad extructionem Æliæ pertinet, tradit Epiphanius [x] Hadrianum ei operi præfeciſſe AQVILAM *Ponticum* Sinope oriundum; huncque dum illic videret diſcipulos diſcipulorum Apoſtolorum, magna ſigna operari ſanationum, & aliorum miraculorum (erant enim, inquit, reuerſi ab vrbe Pella, quo antequam Hieroſolyma caperetur à Tito, aufugerant) & ipſum Chriſtianiſmo credidiſſe: Cum autem à priſtina aſtronomiæ iudiciariæ, quæ circa natiuitates verſatur, & fortunas (vt vocant) hominum, profana curioſitate, ſæpe licet à doctoribus redargutus, minime ceſſaret; ruſum expulſum eſſe ab Eccleſia, & abnegato Chriſtianiſmo circumciſum eſſe Iudæum: deniq; laborioſo ſtudio linguam Hebræorum apprime edoctum, Scripturam ſacrã malo animo in Græcum tranſtuliſſe, irruentem impie & inuidioſe in Septuaginta duorum interpretationem, vt teſtimonia de Chriſto aliter ederet. Hæc Epiphan. licet Hieronymus [y] aliorum quorundam ſecutus opinionem, Aquilam ante Chriſti tempora claruiſſe putauerit: ſed à reliquis quoque ſcriptoribus receptum videtur, eum ſub Hadriano vixiſſe. Eius autem Interpretatio, ſicut ab Epiphanio haud probatur, ita à S. Hieron. interdum reiicitur, vocante eum Iudaizantem hæreticum; quamuis in aliquibus interdum probet: qui [z] etiam ex duabus quas idem Aquila elaborauit diuinæ Scripturæ Interpretationibus, poſteriorem fuiſſe fideliorem aſſerit.

y Hier. in Iſa. 8. AQVILÆ INTERPRETATIO.

z Hier. in Zachar. 3. & 4. & de quæſt. Hebr.

HADR. IMP. AN. 19.

IESV CHRISTI AN. 138.

SIXTI AN. 7.

I.

ANNO Chriſti centeſimo trigeſimo octauo, Coſſ. Commodo Vero & Pompeiano, omni penitus Iudæis occluſo aditu Hieroſolymam veniendi, deficientib. omnibus qui ex circumciſione hactenus eidem Eccleſiæ præfuerant Epiſcopi, primus ex Gentibus ordinatus eſt *Marcus*. Hæc Euſebius [a]. Sed & vſque ad præſens tempus, quouſque ex Iudæis eam Eccleſiam rexerunt Epiſcopi, perſeueraſſe in ea legalium obſeruationem, Seuerus [b] teſtatur. Quod quidem intelligendum eſt de leuibus quibuſdam rebus, arbitrio potius quam neceſſitate ſeruatis; vt ſcimus ſub Apoſtolis factum pro occaſione & tempore: neque enim eos receſſiſſe ab Apoſtolorum Concilio ibidem habito, dignum eſt exiſtimare; cum & omnes rectæ fuiſſe fidei Euſebius [c] demonſtret.

a Euſeb. in Chr. & 4. hiſt. 6. b Seuer. li. 2. LEGALIVM IN HOC TEMPVS OBSERVATIO. c Euſ. 4. hiſt. 5.

II. MARTYRES CHRISTIANI.

Eodem tempore Iudaicis rebus compoſitis, totoque Oriente ſedato, Hadrianus Imperator Romam, peragrato iam toto Orbe Romano ſe contulit. Vbi ruſum Chriſtianis deferri incipientibus vt deorum contemptoribus; inter alios Getulius, idemq; dictus Zoticus, Chriſtianorum hoſpes & monitor, eiuſque frater Amantius Tribunus, & vxor Symphoroſa cum ſeptem filiis; Cerealis item qui Vicariam agebat præfecturam, aliique certi, poſt acerbiſſimas quæſtiones, variaque tormenta, alii Romæ, Tibure alii, diuerſis mortis generibus extincti ſunt; quorum omnium extatit Acta [d] antiquitus ſcripta, nominaque relata in tabulas [e] Eccleſiaſticas.

d Ap. Sur. to. 4. Iunij & Mombrit. to. 2. e Martyrol. Rom. 10. Iun. & 18. Iul.

III. f Bed. in Martyrol. 5. Cal. Iul. BIOTHANATI DICTI CHRISTIANI. g Lamprid. in Heliogab. h Tert. de anima ca. 57.

Sed de ſeptem Getulli ac Symphoroſæ filiorum corporibus legitur apud Bedam [f], ab Hadriano iuſſa eſſe in foueam altam proiici, ac Pontifices templorum poſuiſſe nomen loci illius, *Ad ſeptem Biothanatos*. Vox Græca in Latinitatem conuerſa à βιαίῳ θανάτῳ, id eſt, violenta morte; qua voce ſic Latine compoſita vtitur Lampridius [g], & Tertullianus [h] iterum: ſed & in nonnullis aliis Sanctorum martyrum Actis reperitur, Chriſtianos ab Ethnicis ignominiæ cauſa, quod violentæ mortis ſententiæ obnoxii eſſent, *Biothanatos* nominari conſueuiſſe. Ceterum reperiuntur & alii complures martyres, tum Epiſcopi, tum aliarum conditionum Fideles, eadem Hadriani perſecutione diuerſis in prouinciis paſſi, quorum certi dies extant in iiſdem Eccleſiaſticis tabulis, pro anniuerſaria ipſorum commemoratione conſcripti; fueruntque & alii quamplurimi, quorum nomina exciderunt.

IV. DE PHLEGONTE CHRONOGRAPHO. i Suid. verb. Phlegon.

Ad hunc vſque annum, quo incipit numerari Olympias ducenteſima vigeſima nona, *Phlegon* nobilis horum temporum chronographus, Hadriani Imperatoris libertus, Olympiadas ſupputauit, atque res vbique geſtas in eis breuiter attigit potius quam tractauit, vt tradit Suidas [i] ex Philoſtorgio, cum & alia eiuſdem auctoris ſcripta recenſet. Cuius quidem licet ſcriptoris Ethnici, meminiſſe voluimus, quod ab Origene ſæpe, Euſebio, & aliis Eccleſiaſticis tractatoribus citatus eſſe reperiatur. Extabant quoque eiuſdem auctoris nomine de Hadriani vita libri; ſed eos ab ipſo Hadriano (ita fuit famæ cupidus) eſſe compoſitos, Spartianus teſtatur.

HADRI IMP. AN. 20.

IESV CHRISTI AN. 139.

SIXTI AN. 8.

I. a Spart. in Æl. Ver.

ANNO Chriſti centeſimo trigeſimonono, Ælius Verus vna cum Vibullio Pio adſcribitur Conſularibus Faſtis, quamuis (vt tradit Spartianus [a]) idem Verus Conſulatum auſpicaturus Calendis Ianuar. diem obierit. Fuerat is (vt air) ab Hadriano Imperatore adoptatus futurus Imperii heres: & qui antea L. Ceionius Commodus appellabatur, poſt adoptionem dictus eſt *L. Ælius Verus Cæſar*. Nam & eidem omnium primo eum titulum & honorem delatum eſſe, vt Cæſar appellaretur, idem Spartianus eſt auctor; cum ante Imperatoribus hoc nomen eſſet proprium. Tuncque primum nouum id genus honoris in Rempublicam inductum eſt, vt eſſent CÆSARES velut candidati quidã Imperii, & deſignati eius hæredes; quicquid nonnulli ſcribant de aliis iam antehac dictis *Cæſaribus*. Sed & huic Vero ſimul cum appellatione *Cæſaris* tributam etiam facultatem *vtendi coccineo pallio* præſente Hadriano, atque etiam *purpura*, ſed ſine auro, ſcripſit Commodus Imperator ad Albinum. Porro iſto Ælio Vero (vt vidimus) defuncto, *Arrius Antoninus*, qui poſtea *Pius* eſt dictus, ab eodem Hadriano Auguſto adoptatus eſt quinto Calendas Martii; ſed ea demum lege, vt ille ſibi duos adoptaret, L. Verum, & M. Antoninum; quorum iſte filius erat Annii Veri fratris Sabinæ vxoris Hadriani, ille autem filius prædicti Ælii Veri, quem diximus prius ab Hadriano adoptatum.

CÆSARES QVI DICTI.

II. HADRIANVS DAT POENAS CRVDELITATIS.

Adductus eſt autem ad huiuſmodi adoptiones faciendas Hadrianus, quod liberis carens, inſuper profluuio ſanguinis correptus eſſet in villa Tiburtina, quam omniũ ſumptuoſiſſimam conſtruxerat, inſcriptis in ea prouinciarum & locorum celeberrimis nominibus, ipſiſque etiam, (vt nihil prætermitteret) inferis fictis; quod tradit Spartianus. Nec ceſſauit morbus, donec lenta tabe corpus paulatim deflueret, ac demum in hydropiſim incidiſſet, quæ nec medicorum arte, nec magicis incantationib. (nam & his vſum, Dio tradit) curari valuit. Itaque viuendi

tædio affectus, mori decreuit: ſed recuſantibus omnibus aut venenum aut gladium inſtanter, & promiſſa pecunia, & data venia, nonnunquam etiam minaciter poſtulanti porrigere, vel eidem ipſi cædem inferre; multum de ſe conquerens quod mori non poſſet, maxime quando etiam multa ſuper alios poſſet, nouis ruſum inuentis à deſiderio mortis diſtractus eſt: cum videlicet mulier quædam, aliuſque vir cæcitatem fingentes, ad ipſum diuerſis temporibus acceſſerunt, quaſi in ſomnis moniti Hadriano ſignificare eum ſanitatem recuperaturum, quemadmodum & ipſi cum hoc renunciaſſent, aut corpus eius tetigiſſent, viſum recepturi eſſent. Quod cum accidiſſet (quæ tamen omnia per ſimulationem facta eſſe, vt ſpem valetudinis Hadrianus acciperet, Spartianus ex ſententia Marij Maximi nobiliſſimi hiſtorici affirmat) his artibus Hadrianus diſtentus, in ſequentem annum vitam coactus eſt prorogare.

AFFECTATA FALSA MIRACVLA.

III. ANTON. CVR PIVS DICTVS. b Iul. Capitol. in Anton.

Ceterum cum multi diſputent cauſam, cur Antoninus filius eius adoptiuus, & Imperii heres, *Pius* ſit cognominatus, aliiq; alias afferant; mihi certe ea [b] probatur, quod tamdiu Hadrianum viuere coegerit, cum etiam natura filii ſoleant interdum parentum, quo ſumma rerum potiantur, optare, vel etiam accelerare mortem. Hæc vero tam dira paſſum eſſe Hadrianum, numine vlciſcẽte quod Seruianum ſororis ſuæ maritum virum optimum & iam nonagenarium necauerit; opinati ſunt Dio & Spartianus. Addit inſuper Aurelius Victor, eumdem pariter coegiſſe Sabinam Auguſtam coniugem ſuam, voluntariam mortem ſubire: hancque palam teſtatam eſſe, ſe ſtudioſe conatam ne ex eo ad humani generis perniciem grauidaretur. Sed quantumuis hæc peſſime ab Hadriano commiſſa, diuinam vindictam meruerint: tamen qui omnia ab ipſo geſta æquiori lance expenderit, proculdubio intelliget, ob plurimorum innocentium Chriſtianorum cædem ſæpius perpetratam, ea pati maxime commeruiſſe.

VNDE VINDICTA IN HADRIANVM.

ANTON. PII IMP. AN. 1.

IESV CHRISTI ANN. 140.

SIXTI AN. 9.

I.

ANno Chriſti centeſimo quadrageſimo, Camerino & Magno Coſſ. (poſt quos, Antoninus Pius hoc ipſo anno honorarium adiit, auctus inſuper Tribunitia Poteſtate) Hadrianus Imperator agens annos ætatis ſexaginta duos, menſes quinque & dies ſex, Imperii vero annos viginti & menſes vndecim, cum mortem voluntariam diutius exoptatam ſibi adſciſcere non daretur, tandem conſilio medicorum cibo & potu abſtinens, finem viuendi fecit apud Baias ſexto Idus Iulii: ſepultuſque ad tempus in villa Ciceroniana Puteolis, poſtea tranſlatus eſt Romam, locatuſque in mole, quam ab eo denominatam trans pontem Tiberis ipſe iam antea conſtruxerat, & in ea quem adoptauerat Ælium Verum ſepelierat: quod etiam declarat eiuſdẽ ſepulchri cubitalis inſcriptio. Hæc autem de Hadriani obitu, deque ceteris ab eo geſtis, vitæque moribus, narrant pluribus Dio & Spartianus.

HADRIANI MORS.

II. SCRIPTA HADRIANI. a Lypſ. de menſur. b Dio in Hadria. c Extat ap. Spart. in Hadr. d Dio & Spart. in Hadria & Æl. Ver.

Sed quod pertinet ad eius ſcripta; præter ea quæ diximus de ſui ipſius Vita Phlegontis nomine publicata, conſtat ipſum [a] ſcripſiſſe in medicos epiſtolam exprobatricẽ, artem ipſorum culpantem: ſed & morientem illud vulgatum dixiſſe, [b] *Turba medicorum interfecit Regem*: itemque nonnullos occinuiſſe verſiculos, de dubio, vel potius miſero futuro ſtatu animæ ſuæ. Magiam præterea calluiſſe tradunt [d]; adeoque fuiſſe matheſeos peritum, vt cuncta de ſe ſciuerit, & omnium dierum vſque ad horam mortis futuros actus ſuos ante præſcripſerit. Quibus, vt puto, de cauſis Tertullianus [e] cum vocat *omnium curioſitatum exploratorem*. At de illo hactenus.

HADRIA. MAGVS. e Tert. Apol. c.5.

III. ANTON. PIVS IMP.

Eo defuncto. *Ælius Hadrianus* ANTONINVS PIVS Imperium capeſſiuit, annos natus quinquaginta tres, qui paternum genus è Gallia Tranſalpina Nemauſo ciuitate ducebat, vt tradit Iulius Capitolinus in eius Vita. Ipſo primo regni initio cum nouiſſet Senatum Hadriano fuiſſe infenſum, conariq; eius acta reſcindere ob nobilium cædes quas fecerat; his verbis vſus. *Igitur nec ipſe Princeps veſter ero, ſi omnia acta eius in quibus eſt adoptio mea, reſcindatis*, Senatum placauit; ipſumq; Hadrianũ inter diuos retulit, & ſacerdotes ac certamina inſtituit, templumq; erexit: qua de cauſa & multi putarunt ipſum PIVM eſſe cognominatum. Hæc omnia Spartianus [f], Capitolinus [g], & alii [h]. Ferunt quoque ea de cauſa ipſo Imperii initio *Pium* eſſe ab omnibus nominatum, quod multis tunc reis factis, poſtulatiſque nonnullis ad ſupplicium, neminem puniuit, *Non oportere*, inquiens, *ab his rebus Principatus exordium ducere*. Qua de re cunctis laudabilis extitit, animi tranquillitate Numæ Pompilio comparatus. Et vſque adeo (inquit Capitolinus) ſub eo nullus percuſſus eſt Senator, vt etiam parricida confeſſus in inſula deſerta poneretur, quia viuere ei naturæ legib. non licebat.

f Spart. in Hadria. g Capitol. in Anton. Pio. h Aurel. Vict.

ANTON. PII IMP. AN. 2.3.

IESV CHRISTI AN. 141.142.

SIXTI AN. 10.
THELESPHORI AN. 1.

I.

ANno Chriſti centeſimo quadrageſimo primo, Antoninus Auguſtus ſecundum vna cum Brutio Præſente adiit Conſulatum: quo nihil geſtum reperitur ad res noſtras pertinens.

II. FAVSTINA AVG. INTER DIVOS RECEPTA.

Anno vero centeſimo quadrageſimo ſecundo eodem Antonino Auguſto tertium & M. Aurelio Antonino Cæſare Conſulibus tertio anno Imperii, Anniam *Fauſtinam* Auguſtam coniugem ſuam morbo defunctam, inter diuos à Senatu referri curauit, delatis Circenſibus, & templo ac Flaminicis, ſtatuiſque aureis atque argenteis: quod tradit Capitolinus. Ex his vero magnam eſſe factam religioni Chriſtianæ acceſſionem, nemo iure poterit dubitare; cum eam viderent Gentiles ſignis atque virtutibus toto terrarum orbe effulgere, econtra vero ſingulis fere annis nouos à ſe fieri deos, eoſdemque plurimum homines nequiſſimos atque turpiſſimos.

III. SIXTI PP. MARTYRIVM. a Euſ. in Chron. & 4. hiſt. 5. Ana. de Rom. Pontif. & alibi.

Hoc eodem anno *Sixtus* Papa martyrio coronatus eſt. Quem enim tam Græci [a] quam Latini conſentiunt ſediſſe annos decem, habita temporis ratione quo ſedere cœpiſſe vidimus, inſuper & natalis eius diei, qui in tabulis Eccleſiaſticis ponitur octauo Idus Aprilis; hoc ipſo anno eum deſiiſſe oportuit, cum ſediſſet annos decem, vno minus menſe & viginti duobus diebus: ſepultuſque eſt in Vaticano. Porro qui ſecuti ſunt Euſebium, vnum ex Romanis Pontificibus prætermittentẽ, nempe Cletum, ſub Hadriano Sixti ponunt obitum: ſed & æque falluntur illi, qui in annis Romanor. Pontificum, addititios, nec ſibi conſtantes, in libro de Roman. Pontif. poſitos ſunt Conſules. Vbi autem vacaſſet Sedes dies duos, in locum eius ſuffectus eſt TELESPHORVS natione Græcus, ex anachoreta.

TELESPH. PAPA.

IV. b Tert. Apolog. c.5.

Sed quod ad Sixti martyrium pertinet; etſi certum ſit Tertulliano [b] teſte, nullum ab Antonino Imperatore aduerſus Chriſtianos eſſe promulgatum edictum, tamen vel inuidia magiſtratuum, quod Chriſtianam religionem mirifice propagatam viderent (quam enim ea longe lateque toto terrarum orbe, etiam apud ignotas Romanis nationes, his temporibus dilatata eſſet, egregii ſunt teſtes Iuſtinus [c] martyr, Iren. [d], Tert. [e] & alii.) vel calumniis aduerſariorum nonnihil eſſe vexatã, tum cædes Sixti, & aliorum qui eodem Antonino imperante ſunt paſſi, tum quæ de his habent auctores huius temporis, indubitatam fidem faciunt. Nam & potuit eorundem Chriſtianorum neci occaſionem dare, edictum eiuſdem Imperatoris, de prohibita ſub pœna mortis, Sibyllinorum carminum, & aliorum Gentilium vatum ac prophetarum lectione; quod intellexiſſet eorundem librorum occaſione, in quibus multa de Chriſto prædicta eſſent, complures relicta patria ſuperſtitione ad religionem Chriſtianam confluere. De quo quidem edicto, nonniſi inſtinctu hoſtis humani generis promulgato, grauiter Iuſtinus [f] martyr apud eumdem Imperatorem conqueſtus eſt. Sed rurſum ad Sixtum.

c Iuſt. dial. cum Trypho. d Iren. lib. 1. ca. 3. e Tert. Apol. c. 37. & aduer. Iudæ. ca. 7. & 8.

OCCASIONES CÆDIS CHRISTIANORVM.

f Iuſt. Apol. ad Anton.

Legun-

V. ROM. PONTIF. ANTIQVVS TITVLVS.

Leguntur eius titulo Epiſtolæ duæ: ſed quod in altera ipſarum, Sixtus VNIVERSALIS APOSTOLICAE ECCLESIAE EPISCOPVS inſcriptus habetur, miramur adeo offendiſſe. Nouatores, perinde ac ſi fuerit humanum inuentum, vt Petrus, & qui in Petro ſuſceperunt à Domino (quod eſt ſuo loco demonſtratum) totius ouilis Dominici curam, *Vniuerſalis Eccleſiæ* inſcribantur *Epiſcopi*: quandoquidem & hoc eodem ſæculo apud Tertullianum [g] Zephyrinus Epiſcopus, nonniſi ſecũdum veterem nomenclaturã, appelletur PONTIFEX MAXIMVS, & EPISCOPVS EPISCOPORVM. Sed de his alias. Quod item ad ſcripta Sixti ſpectat; tentatum fuit olim à Ruffino Aquileienſi presbytero hæretico (in quem ea de cauſa ſæpius inuectus eſt Hieronymus [h]) vt Sixti philoſophi Pythagorici hominis Ethnici cõmentarium, in Latinum à ſe tranſlatũ, nomine Sixti Papæ & martyris vulgaret, quo eum ſuo dogmati fauiſſe monſtraret: licet priorisne, vel poſterioris Sixti itidem martyris nomine ediderit, non conſtet. Leguntur inſuper eiuſdem Sixti Papæ Primi decreta quædam de rebus Eccleſiaſticis, in libro de Romanis Pontificibus. Inter quæ illud eſt, *vt quicumque Epiſcopus euocatus fuerit ad Sedem Romanam apoſtolicam, rediens ad parochiam ſuam non ſuſcipiatur, niſi cum Formatis ſalutationis ad plebem à Sede Apoſtolica.*

g Tert. de pudic. c. 1.
SIXTO PP. LIBER FALSO ADSCRIPTVS.
h Hier. ep. ad Cteſiph. & in Hiere. 22. & in Ezech. 18.

VI. DE LITERIS FORMATIS.

Eiuſmodi quidem commercio FORMATARVM, vnius Eccleſiæ Catholicæ ſeruari ac proinde probari ſolitam vnitatem, docent Optatus [i] & Auguſtinus [k]: quarum in Magno Concilio Nicæno forma quædam, ne fraus irreperet, eſt inſtituta. Quæ autem dicebãtur *Formatæ*, ſeu COMMVNICATORIAE (nam & hoc quoque nomine eas vocat ibidem Auguſtinus) eædem CANONICAE ab Attico [l], & Eccleſiaſticæ, necnon PACIFICAE à Theophilo [m] Alexandrino, & Concilio [n] Chalcedonenſi nominatæ reperiuntur: ſed & ſolitas eaſdem Pacificas à recens ordinato Epiſcopo ad collegas dari, tradit Theodorus [o] Balſamo. Cõcedebantur etiam ab Epiſcopis, pauperibus peregrinantibus, ad teſtandam eorum fidem Catholicam. Commendatitiæ vero iis tantum dabantur, qui eſſent in Eccleſia opere clariores [p], vel etiam clericis: nam qui Commendatitiis litteris peregrinabantur, quocunque pergerent, apud Chriſtianos erant illæ pro viatico.

i Opt. lib. 2. cont. Parm.
k Aug. ep. 163 ad Eleuſ.
l Attic. to. 2. concil. poſt. Syn. Calce.
m Theoph. Alex. p. 1. & 3. Iuſtin.
n Conc. Chalced. c. 11.
o Theo. Bal. in Nomoc. Thot.
p Conc. Chalced. c. 11. 13.

VII.

His ſimilia erant apud Gentiles, quæ Plin. [q] Secundus DIPLOMATA vocat; quæ ſc. dabantur miſſis vel euocatis à Principe, curſu publico vtentibus, adſcriptis etiam ſtatiuis, i. e. diuerſoriis & manſionibus, quibus alerentur ſumptibus publicis: quæ quidem docet Plin. tantæ fuiſſe æſtimationis, vt abſque Imperatoris aſſenſu nequaquam à Proconſulibus dari ſolerent. Hæc autem poſtea Tractoriæ Literæ ſunt appellatæ; de quibus eſt titulus tum in Codice Theodoſiano [r], tũ in Iuſtinianeo, [s] vbi earum formulam Cuiacius recenſet. Eaſdemque Imperatores Chriſtianos Epiſcopis ad Concilia conuocatis concedere ſolitos, dicetur ſuis locis. Vnde putamus factum, vt & Literæ ipſæ Eccleſiaſticæ, quibus Epiſcopi à ſuis Primatib. vocarentur ad Synodos, eodem nomine appellarentur, prout docet Auguſt. [t] nempe quod vocatis his literis cauſa publica Epiſcopis, quocunque irent viaticum præſtaretur, exemplo earum quæ ab Imperatoribus concedi conſueuiſſent. Sed diuerſa plane erat Epiſtola Tractoria, cuius meminit Auguſtinus [u], qua quid de aliqua re geſtum eſſet, Epiſcopi alios redderent certiores. Quæ autem à Catholicis Epiſcopis ad hæreticos vel ſchiſmaticos, aut etiam Paganos ſcriberentur, PRIVATAS dici ſolitas idem Sanctus affirmat [x]: quod videlicet nullas eis apponere liceret publicæ cõmunicationis notas, vt pacis, ſalutis, benedictionis, &c. quæ Communicatoriis Catholicorum præfigi ſolerent.

q Plin. 10. ep. 121. 122. ad Traian.
LITERÆ TRACTORIÆ.
r C. Theod. lib. 8.
s C. Iuſtin. lib. 12.
t Aug. ep. 217. ad Valentin. & lib. cont. Donat. poſt collat. c. 14.
u Idem Tyſal. 36 conc. 2.
x Id. ep. 162. ad Glor.

VIII. DE ALIIS LITERIS ECCLESIASTICIS.

Sed quod ſemel occaſione formatarum, de Eccleſiaſt. literis agere cœpimus; de aliis quoque eiuſdem generis addimus, fuiſſe & Dimiſſorias, quib. (vt ait Theodorus [y]) clericus demonſtrabatur voluntate ſui Antiſtitis eſſe profectus atque dimiſſus, ſine his enim non licebat clericis extra diœceſim peregrinari, immo nec Epiſcopis ad Comitatum proficiſci. Erant inſuper MEMORIALES, ſeu *Commonitoriæ* dictæ, quibus Legati quid agere deberent per ſingula commonebantur. Itemque aliæ dictæ SYNODICÆ, quæ ad diuerſos dabantur à Synodis: ſi vero ſcriptæ eſſent ad omnes Chriſti Fideles, à quibuſcunque eæ darentur, dicebantur ENCYCLICÆ, h. e. *Circulares*, ſiue etiam CATHOLICÆ, quod ad vniuerſam Eccleſiam datæ eſſent: quarum omnium extant complura exempla, de quibus ſuis locis. DECRETALES vero dicebantur Romanorum Pontificum epiſtolæ, quibus vel ad diuerſorum conſultationes reſpondere ſolerent, vel cum quid ſeruandum vitandumue eſſet decernerent. PASTORALES autem, quæ pro inſtructione darentur à quibuſcunque Epiſcopis. Erant & tempore perſecutionis CONFESSORIÆ, quæ ab iis qui pro Chriſti nomine detinerentur in carcere, pro commendatione lapſorum ad Epiſcopos ſcribebantur; quarũ frequenter meminit Cyprianus ſuis epiſtolis, eſtque earumdem mentio in Conciliis Elliberitano [z] & Arelatenſi Primo. Quę autem pro redemptione captiuorum dari cõſueuerant, literæ *captiuorum* appellantur in Concilio [b] Lugdunenſi.

y Balſam. in Nomocan. Pho.
z Conc. Eliber. c. 25.
a Conc. Arel. 1. c. 9.
b Conc. Lugdun. 2. c. 2.

IX. LITERÆ BREVES.

Inſuper habentur literæ dictæ APOSTOLICÆ, quæ Apoſtolica auctoritate à Romanis Epiſcopis dari conſueuerant; quarum diuerſa ſunt genera, ſed frequentiores illæ quæ Breues dicuntur. Eſt vero ea vox penes antiquos diuerſæ ſignificationis. Nam apud Optatum [c] *Breuis* dicitur illa charta, in qua conſcripta eſſent bona Eccleſiaſtica; quam alio nomine idem auctor vocat *Commemoratorium*, nos vſitatius *Inuentarium*: in quem etiam ſenſum eandem vocem Breuis vſurpant Auguſt. [d] & Gregorius [e] Papa, ſed & Caſſiodor. [f] pro regiis iuſſionibus: apud Lampridium [g] pro matricula, ſeu catalogo in quo nomina ſcriberentur; ſicut & in Codice [h] Iuſtinianeo, & aliis locis. Quæ vero ſede vacante à clero ſcribi ſolerent Epiſtolæ, eas CLERICAS Cyprian. [i] nominauit. Denique conſueuiſſe Epiſcopos ſcribere literas in tabellis eburneis, vel in chartis, raro vero nec niſi chartæ inopia, in membranis argumento ſunt quæ habet Auguſt. [k] ad Romanianum. Ac demum ſolitos eoſdem ſuas quas publice darent literas, annulo ſignatorio communire, tum idem Sanctus [l] indicat, tum in Synodo [m] Aurelianenſi habetur expreſſum.

c Opt. lib. 1.
d Aug. 1. cont. Creſcon. 26.
e Greg. 6. ep. 201.
f Caſſiod. 4. ep. 11.
g Lamprid. in Alex.
h L. inter Claritatis. C. de eminen. Fiſci debit. lib. 10.
i Cypr. ep. 4. edit. Pamel.
k Aug. epiſt. 15.
l Aug. ep. 217. ad Vict.
m Conc. Aurelian. infra citandum.

IESV CHRISTI AN. 143.144.

ANTONINI PII IMP. AN. 4.5.

TELESPH. AN. 2.3.

I. ANno Chriſti centeſimo quadrageſimo tertio, Priſciano & Seuero Coſſ. anno Antonini Imperatoris quarto, Cornelius Epiſcopus Antiochenus vita functus, poſtquam ſediſſet annos tredecim, ſucceſſorem habuit *Heronem* eius nominis Secundum.

II. Anno vero centeſimo quadrageſimo quarto, Ruffino & Quadrato Coſſ. defuncto pariter Eumeni Epiſcopo Alexandrino, cum ſediſſet æque annos tredecim, ſuffectus eſt *Marcus* itidem eius nominis Secundus, qui ſedit annos decem. Hæc omnia ex Euſebii Chronico & hiſtoria [a], licet in annos Alexandrinorum Antiſtitum aliquis videatur error irrepſiſſe.

a Euſ. 4. hiſt. 10. & 19.

IESV CHRISTI AN. 145.

ANTON. PII IMP. AN. 6.

TELESPH. AN. 4.

I. DE VALENTINO HÆRESIARCHA.

ANno Chriſti centeſimo quadrageſimo quinto, Torquato & Attico Herode Coſſ. nouum monſtrũ apparuit VALENTINVS hæreſiarcha, vt Euſebius tradit in Chronico: ſed & eum ſub Antonino Pio prodiiſſe, Tertul. [a] Irenæus [b], Theod. [c], & alii æque omnes affirmant: quem & fuiſſe philoſophum ſecta Platonicum, ingenio potentẽ & eloquio; lapſum autem in hæreſim, quod in petitione Epiſcopatus ei prælatus eſſet alius ex martyrii prærogatiua, idem Tertullianus [d] ſcribit. Epiphanius [e] vero, fuiſ-

a Tert. de præſcr. c. 30.
b Iren. lib. 2. cap. 4.
c Theodor. hær. fab. li.
d Tert. ibid. & cont. Valent. c. 4.
e Epiph. hær. 31.

ſe natione Ægyptium, patria Phœbonitem, quæ eſt ciuitas maritima; calluiſſe Græcas literas, imitatumque eſſe Heſiodum de Theogonia triginta deorum: fidem Catholicam in Ægypto prædicaſſe, & in Eccleſia Romana; ſed in Cyprum venientem, paſſum eſſe fidei naufragium. Hæc Epiphanius: cui conſentiens Tertullianus, æque ait eum primo Romæ ſecutum eſſe doctrinam Catholicam. Hic igitur, ſicut ab Heſiodo triginta deos; ita à Platone mutuatus eſt Ideas (vnde non immerito Tertullian.[f] dixit, horum temporum hæreſes prodiiſſe ex Philoſophorum officina) hæcque ſimul miſcens cum Euangelio Ioannis quo tantū vtebatur, monſtrum horrendum conflauit tricipiti Cerbero longe deformius. Triginta enim deos finxit, quos *Æonas*, hoc eſt ſæcula nominauit, eorumq; quindecim maſculos ac totidem feminas, quorum permixtione alii generarentur; atque ex iis Saluatorem omnium, veluti Pandoram Heſiodi ex omnium deorum munere, eſſe perfectum: quæ illius deliria pluribus iidem auctores refellunt; ſed & eorundem triginta Æonum nomina magno labore diſtincta ac figurata, habes à Pamelio apud Tertullianum.

f Tert. de praſcr. c. 7.
VALENTINI HÆRESES.

II.
g Tert. aduerſ. Valent. ca. 27. & lib. de car. Chr.

Docuit præterea IESVM Chriſtum ſic natum de Virgine, vt ex ea nihil acceperit, ſed per ipſam velut per canalem tranſierit[g], carnemque è cœlo ſecum deuexerit. Negauit & reſurrectionē carnis, ſed aliud ex alio eſſe corpus componendum; imo nec omnium eſſe reſurrectionem. Tria enim conſtituit genera hominum, Carnale, Animale, & Spirituale. *Spiritualibus* autem (cuius generis ſe ſuoſque eſſe dicebat) negabat eſſe neceſſarias operationes, ſed *Pſychicis*, hoc eſt, animalibus; horumque, vt Spirituales effici poſſent, debere eſſe Abſtinentiam, atque Martyria, & alia eiuſmodi bona opera, quibus Spirituales eſſent ſoluti quod iam perfecti euaſiſſent. *Carnalium* vero eſſe deteriorem conditionem, quod licet bonis niterentur operibus, nullatenus tamen conſequi poſſent ſalutem. Rurſum ſpirituales ſaluandos anima & corpore. Animales verò tantum Anima: porro animas Angelis nuptui tradendas. Quæ omnia, aliaque eiuſmodi Valentinianorum deliramenta, pluribus Tertullianus[h] aduerſus eos ſcribens refellit. Sed & quod iidem æque ac alii Gnoſtici (nam & ipſi eo nomine dici voluerunt) martyrium ſubeundum eſſe negarent, dicentes vanitatem eſſe atque dementiam homines innocentes pro Deo mori; ſatiſque Chriſtum ſemel pro nobis occiſum ne nos occideremur, neq; ipſum expectare ſalutem de aliorum nece, ſed peccatoris pœnitentiam malle quam mortem: atq; huiuſmodi ſermonib. magna Fidelibus inferri ſolita eſſet tempore perſecutionis iactura; hac, inquam, de cauſa idem Tertul. aduerſus omnes eiuſmodi hæreticos commentarium ſcribens *de bono Martyrii* inſcribi voluit, ſiue etiam *Scorpiacum*, hoc eſt Antidotum contra ictum Scorpii.

h Id. ca. 29. & 30.

III.
VALENTINIANORVM MORES.

Quam autem nefandi fuerint Valentinianorum mores, qui ſe nullis bonis operibus teneri obligatos dicerent, ac collegio ſe turpiſſimorum Gnoſticorum ſociaſſent, facile quiſque poterit exiſtimare: quos & Irenæus valide inſectatus, oſtendit eos omni fuiſſe luxuria inquinatos, carnis voluptatibus inſatiabiliter inſeruientes, adeo vt vxores à maritis auellerent, ac proprias etiam ſorores corrumperent: Idolothyta quoq; indifferenter manducaſſe, & feſta Gentilium obſeruaſſe: Solitoſq; arguere Catholicos, quaſi idiotas & nihil ſcientes, quod peccare timerent; ſe ipſos autem extollere, perfectos vocantes & ſemina electionis. Sed & Catholicos gratiam in vſum tantummodo accipere, ideoque ab eis auferri; ſe vero tamquam proprietarios eam poſſidere. Hæc Irenæus[i]: qui & initiandorum credentium ſex modos refert[k]; totque fuiſſe apud eos ritus, quot Antiſtites affirmat. Tradit quoque Tertullianus[l], eoſdem conſueuiſſe appellare Catholicos *Simplices*: ſed & ſuis ipſorum ritib. imitatos eſſe ſecreta Eleuſinia, ſolitoſque velis obducere fores ne viderentur, & ſilentium perpetuo cuſtodire, atque adeo occultare, quod prædicarent. Vnde & accidiſſe putamus, vt Romæ, vbi Valentinus diu verſatus eſt, nequaquam ipſa ſacra (vt mos eſt in Oriente) velis inter agendum obductis operirentur, ſed patentibus omnibus, non tantum clara diei luce, ſed luminaribus incenſis fierent vbique clara atque perſpicua: ſiquidem nihil veritas erubeſcat, niſi abſcondi. Deniq; Clemens[m] Alexandrinus ſcribit, Valentinum docuiſſe, in homine ineſſe habitantes iniquos ſpiritus qui eum ad omne malum impellant: itemque[n] tantam fuiſſe Chriſto vim continentiæ, vt etiam cibos quos vere ſumeret non redderet, nec ii in eo interierint, quoniam ipſe non habuit interitum.

i Iren. Lib. 1. ca. 1.
k Id. c. 18.
l Tert. aduerſ. Valent. ca. 1. 2. 3.
OCCVLTA MYSTERIA HÆRETICORVM.
m Clem. Alex. Strom. lib. 2.
n Id. lib. 3.

IV.
VALENTINI SCRIPTA.
o Tert. de praſcr. c. 49.
p Iren. lib. 1. c. 17.
q Tert. de car. Chr. c. 20. & aduerſ. Valent. c. 4. 2.
r Iren. Lib. 3. c. 2.
VALENTINIANORVM PROCACIA.

Ceterum præter epiſtolas Valentini ad diuerſos ſcriptas, quas citant iidem Clemens & Epiphanius, ſcripſiſſe quoque Euangelium Tertullianus[o] ait, eoq; deſcriptam fuiſſe Infantiam Saluatoris, Irenæus[p] innuit: ſed & addit, inenarrabilem multitudinem apocryphorum ab eo fuiſſe collectam, quibus ad ſuas præſtigias illuſtrandas vti ſoleret. Meminit inſuper Tertul.[q] Pſalmorum eius, ac commentarii cuius eſſet titulus Sophia. Quanta vero fuerit Valentinianorum procacitas, egregie paucis idem auctor declarauit, dum ait *eos conuinci potuiſſe, ſed non ſuaderi*: pluribuſque Irenæus[r] docet, fuiſſe veluti lubricos angues ſpiris inflexos, vndiq; latebras captantes; ita vt cum ex Scripturis arguerentur, in accuſationem conuerterentur ipſarum, confugientes ad traditionem, cum vero Traditionibus Apoſtolicis vrgerentur, iiſdem aduerſarentur, dicentes ſe Apoſtolis eſſe ſapientiores, & melius quam ipſum Saluatorem interpretari doctrinæ myſterium. Quinam autem ſcripſerint aduerſus Valentinū & ſectatores, Tertullianus[s] nominat Iuſtinum martyrem, Miltiadem, Irenæum, & Proculum: addendus & ipſe, qui plura aduerſus illos egregie ſcripſiſſe noſcitur. Addit inſuper Theodoretus Theophilum Antiochenum, Philippum Gortynæ Epiſcopos, Modeſtum, Origenem, Rhodonem, Hippolytum, & Euſebium Emiſſenum: quib. & iungendi fuiſſent Clemens Alexandrinus, & Epiphanius.

s Tert. aduer. Valent. ca. 5.

V.
OPHITARVM HÆRESES.
t Orig. lib. 6. cont. Cel.
u Iren. l. 1. c. 34. inſ.
x Tert. de praſcr. c. 47.
y Epiph. hær. 37.
z Aug. de hæreſ. ad Quoduultd.

Sed quod ad Valentini progeniem ſpectat; ex eius ſchola, quæ & Gnoſticorum dicta fuit progreſſa eſt hæreſis OPHITARVM; cuius auctorem fuiſſe *Euphratem* quendam, tradit Origenes[t]: dicti *Ophitæ* à ſerpente, quod (vt ait Irenæus[u]) Sapientiam ſerpentem factam dicerent, & agnitionem hominibus immiſiſſe. Imo Tertullianus[x] in tantum ſerpentem magnificaſſe tradit, vt illum ipſi Chriſto præferrent, atq; etiam introducerent ad benedicenda Euchariſtica ſua: cum videlicet (vt Epiphanius[y] & Auguſtinus[z] deſcribunt) eorum ſacerdotes incantationibus quibuſdam operarentur, vt egrediens de cauerna ſerpens aſcenderet ſuper altare, & oblationes eorum lamberet inuoluens ſe circa eas: ſic vero quaſi à ſerpente Chriſto ſanctificatas, confringebant in Euchariſtiam, ac populo tradebant; qui & ſalutabat ſerpentem, & adorabat eundemque præſtigiis quibuſdam manſuetum redditum, ſed & blandientem, ore oſculabatur. Quod autem Auguſtinus ait, Ophitas dixiſſe Chriſtum illum fuiſſe ſerpentem qui decepit Euam; Theodoretus[a] addit, ex Ophitis quoſdam affirmaſſe, Chriſtum in ſpeciem ſerpentis tranſmutatum, & in eundem puto ſenſum Origenes ait, eos blaſphemiis & maledictis Ieſum impetere ſolitos; adeo vt nec eius nomen vellent audire; nempe quod loco Chriſti IESV, ſerpentem illum adorarent. Deteſtabantur quoq; Deum omnium creatorem, quem humano generi inuidentem dicerent eſſe Deum Iudæorum. Cęterum licet antiquam, tamen obſcuriſſimam hanc dicit Origenes fuiſſe hæreſim, quippe quod iam ſuo tempore propemodum deſiiſſet. At de Ophitis plura Epiphanius, Philaſtrius, Auguſtinus, Theodoretus, Iſidorus, Damaſcenus, & alii qui hæreticorum catalogum texuere: & quamuis alii à Valentino, alii à Nicolaitis, à Carpocrate alii originem duxiſſe dicant; tamen hos omnes æque Gnoſticos fuiſſe, vnoque nomine dictos, ſuperius demonſtratum eſt.

a Theod. hær. fab. lib. 1.

VI.
DIABOLVS ITERVM IN FORMA SERPENTIS VVLT COLI.

Videas ex his plane diabolum, Chriſti Crucis virtute percuſſum, & ex idolis fugatum, priſtinam illam quam olim decipiens primos parentes induerat formam repetere, & diuinum in ea ſibi cultum vendicare: nec tantum ab hæreticis, ſed & iiſdem plane temporibus ab Ethnicis. Sub hoc enim Antonino Imperatore prodiit *Alexander*

ille, ex

ille, ex ſchola Tyanæi magus & incantator; qui ex confictis Sibyllinis oraculis Æſculapium in Bithynia appariturum prænuncians, SERPENTEM palam adorandum expoſuit; illumque Æſculapium eſſe falſo commentus, ingentem ob reſponſa quæ à ſe conficta dare ſolebat, pecuniam corraſit ex oblationibus hominum, ab vniuerſa Aſia, atque etiam Roma ac tota pene Italia, aliiſque prouinciis, ad eiuſmodi vocale oraculum confluentium Abonum in Ponto, vbi ipſe huius dementiæ officinam aperuiſſet: cuius inſignē impoſturam, tanquam in ſcena tragœdiam, egregie Lucianus [b] repræſentauit: additq; confinxiſſe impoſtorem, numē illud ſerpentinum profeſſum eſſe, ſe præ cæteris odio habere Chriſtianos, itemque Epicureos, quod deos negarent: perduraſſe vero eiuſmodi fabulam multis annis; quorum ſingulis ſeptuaginta vel octoginta drachmarum millia ex ea Alexander eliceret; donec tandem pede ſcatentibus vermibus putrefacto, annos propemodum ſeptuaginta natus miſerando conſumptus eſt interitu. Sed quomodo poſt hæc, Romanorum exercitum falſis reſponſis eluſum bis in diſcrimen adduxerit, dicetur ſuis locis.

b Lucian. in Pſeudom.

VII. Nec prætermittendum de cultu Serpentis, quod Dio ſcribit, Imperatorem Hadrianum in templo Iouis Olympii, quod Athenis ſumptuoſiſſime erexerat, poſuiſſe pro numine Draconem ex India deportatum. Extatque [c] Romę antiqua tabula marmorea, non ita pridem è ruderibus templi Æſculapii eruta, qua nonnulla ab eodem Æſculapio (quem, vt diximus, ſub forma ſerpentis colebant) his iiſdem Antonini Imperatoris temporibus facta miracula referuntur: quæ omnes conſentiunt eiuſdem generis eſſe, cum illis quæ olim à Veſpaſiano, & poſtea ab Hadriano facta eſſe dicuntur, de quibus ſatis ſuperius. Nunc ad Valentini ſobolem redeamus.

c Edidit Lipſ. in Antiq. Inſcript. edit. Plant. fol. 29.

FALSA GENTILIVM MIRACVLA.

VIII. Eius fœturam aliam fuiſſe CAIANOS hæreticos, Irenæus [d] inprimis affirmat. Verum non à Valentino tātum ſed & à Nicolao, Carpocrate & Gnoſticis omnibus, hoc mutuatos eſſe venenum ac turpitudinem Epiphanius [e] tradit: qui eò impietatis atque dementiæ prorupere, vt malum bonum, qui ab eo denominati eſſent mali omnes, hos ſanctos dicerent atq; perfectos, & ex quadam potenti virtute conceptos, quę operata eſſet in ipſis puta Cain, Chore, Sodomitas, & alios id genus homines; & ſummum omnium Iudam Iſcariothem, propter vtilitates quas humano generi intuliſſet, cum videns quod Chriſtus vellet ſubuertere veritatē, vel (vt alii dicebant) quod poteſtates huius mundi nollent Chriſtum pati, ne humano generi per mortem ipſius ſalus pararetur, ipſe Iudas ſaluti conſulens hominum, tradidit Chriſtum. Nec ſaluari aiebant quempiam, niſi omnes turpitudines, & omnia peccata cōſummaret; ac cuique perficiendo peccato Angelum eſſe præfectum. Angelos enim oppreſſores eſſe bonorū, adiutores vero malorum; & vnum ex iis Moyſen excæcaſſe. Hæc de iſtis fuſius Irenæus, Tertullianus, Epiphanius, Philaſtrius, Auguſtinus, & alii his recentiores qui de hæreſibus commentarios ſcripſere. Addit autem Irenæus, eoſdem vſos eſſe pſeudEuangelio, quod Iudæ dicebant: Epiphanius vero, confinxiſſe etiam librum nomine Pauli, quem vocarent *Aſcenſum Pauli*.

d Iren. li. 1. c. 3.

e Epiph. hær. 8.

DE CAIANIS HÆRETICIS.

IX. DE SETHIANIS.

f Iren. l. 1. c. 14. 24.

Sed his aduerſi SETHIANI à Seth filio Adam nominati hæretici, ex eodem Valentino aliqua ex parte deſcenderunt; dum ſicut ille, nouam eſſe in Seth generationem hominum dicerent; quorum meminit Iren. [f] Sed aliis additis fictionibus, à Valentino longius receſſerunt, dum duos homines dicerent ab Angelis conſtitutos, Cain & Abel, & propter hos magnas inter Angelos contentiones extitiſſe atque ob hanc cauſam; illam Virtutem quæ ſuper omnes virtutes eſſet, quam matrem pronunciabant, Abele interfecto voluiſſe concipi eius loco Seth, purum ſemen, vt euacuarentur Angeli illi qui duos priores illos homines condidiſſent. Permixtiones autem Angelorum & hominum iniquas fuiſſe; ideoque illam Virtutem matrem ad vindictam cataclyſmum induxiſſe, vt & illud permixtionis ſemen tolleretur, & ſolum ſemen purum conſeruaretur: verum & illos qui ſemen prius inſtituiſſent, clam matre Virtute, cum illis octo animabus in arcam miſiſſe etiam ſemen Cain, quo ſemen malitiæ nō periret, ſed poſt cataclyſmum exemplo ceterorum excreſceret, ac totum orbem impleret & occuparet. De Chriſto autem ſic ſentiebant, vt dicerent illum tantummodo Seth, & pro ipſo Seth ipſum fuiſſe. Hæc omnia de illis Tertullianus [g]. Addit Epiphanius [h] (qui & prædicta dilucidius explicat) eos conſcripſiſſe libros quoſdam nomine magnorum virorū; nempe nomine Seth libros ſeptem, & alios quos *Alienigenas* vocarent; aliumque rurſum nomine Abraham, quem & Reuelationem eſſe dicerent, omni malitia refertum: alios item nomine Moyſis, & alios aliorum. Meminerunt quoque de Sethianis, iidem qui ſupra ſcriptores Eccleſiaſtici. De reliquis autem diſcipulis Valentini, agetur ſuis temporibus. Sed Caiani & Sethiani, quod illorum ortus certum tempus inexploratum ſit ſub Valētino, ex quo deduxere principium, ſunt collocati; quamuis à Tertulliano ante Valentinum ponantur, ab Epiphanio & aliis poſtea.

g Tert. de præſcr. c. 47.

h Epiph. hær. 39.

LIBRI SETHIANORVM.

IESV CHRISTI AN. 146.

ANTONINI PII IMP. AN. 7.

TELESPHORI AN. 5.

I. DE MARCIONE HÆRESIARCHA.

ANno Chriſti centeſimo quadrageſimo ſexto, Auito & Maximo Coſſ. Marcion Ponticus emerſit hæreſiarcha. Cum enim ſub Antonino Pio eum docere cœpiſſe, omnes conſentiant; Tertullianus [a] etiam id accidiſſe ponit poſt Chriſtum paſſum annis centum quindecim cum dimidio, menſiſque dimidio. Cum vero is (vt vidimus) exiſtimauerit Chriſtum paſſum anno ætatis ſuæ trigeſimo; ſiquis ab eo tempore deducat præſcriptum annorum numerum, plane inueniet Marcionem hoc anno Domini centeſimo quadrageſimo ſexto cœpiſſe docere.

a Tert. 1. cōt. Marcio. 18

II. At quoniam (vt idem ait) Cerdonis Marcion diſcipulus extitit, ſciendum prius eſt hunc Cerdonem introduxiſſe initia duo, id eſt duos Deos vnum bonum, & alterū ſæuum: bonum, ſuperiorem; ſæuum, mundi creatorem. Prophetas & Legem repudiauit; Deo creatori renunciauit: ſuperioris vero Dei Filium Chriſtum aſſeruit veniſſe non in ſubſtantia carnis, ſed in phantaſmate; nec omnino natum vel paſſum, ſed quaſi natum ac paſſum. Reſurrectionem animæ tantummodo probauit, corporis negauit: ſolum Euangelium Lucæ, nec tamen totum recepit Pauli Epiſtolas neque omnes, neque totas ſumpſit: Acta Apoſtolorum & Apocalypſim, quaſi falſa reiecit. Hæc de Cerdone Tertullianus: de quo & ſæpe Irenæus. Non ſolum autem à Simone Mago, ſed & à Saturnino accepiſſe quam propalauit hæreſim, auctor eſt Epiphanius [c]; qui eum primo docuiſſe tradit in Syria, ac demum ſe contuliſſe Romam: ſed de eo rurſum inferius.

b Tert. de præſcrip. c. 51.

DE CERDONE MARCIONIS MAGISTRO.

c Epiph. hær. 41.

III. MARCIONIS MORES.

Quod vero pertinet ad Marcionem ipſius diſcipulum; prodiit hic primo ex Stoicorum ſchola philoſophus, genere Ponticus ex vrbe Sinope, filius Epiſcopi pietate illuſtris: qui prima ſui ætate virginitatem exercens, & ſolitariam vitam excolens, progreſſu temporis cum virgine corruptus eſt: qua de cauſa à proprio patre Eccleſia pulſus cum ab eo veniam non impetraret, Romam venit poſt Hyginii Papæ obitum: ſed nec illic receptus, quod pater obſtitiſſet, Cerdoni hæreſiarchæ ſe iūxit. Hæc de Marcione Tertullianus [d] & Epiphanius [e]. Verum non tantum propter ſtupri crimen, & excommunicationem, fuiſſe ab Eccleſia Romana repulſum, ſed maxime propter hæreſim quam iam antea docuiſſet, multa probant.

d Tert. de præſcr. c. 30. & 51.

e Epiph. hær. 42.

IV. Sed quod eum Epiphanius ait poſt Hyginii mortem ſe Romam contuliſſe; idem ipſe inferius, poſt tempora Aniceti veniſſe aſſerit. At Irenæus [f] eum iam ante Anicetū, vel ſaltem ſub eo Romæ fuiſſe, quo tempore S. Polycarpus eo venit, aperte demonſtrat. Et Tertullianus [g] ſub Aniceto veniſſe, aliquando affirmat; alias [h] autem, ſub Eleuthero ab Eccleſia eiectum. At vero in vnā hæc omnia cōſentient veritatem, ſi dixerimus (quod & verū eſſe liquet) Marcionem ſæpe Romæ palinodiam recantaſſe, eaque de

f Iren. lib. 3. cap. 3.

g Tert. cont. aduer. Marcion. l. 3. in fin.

h Id. de præſcr. ca. 30.

MARCION SÆPE PALINODIAM RECANTAVIT.

cauſa ſæpius eo veniſſe: neque ibi primum, ſed in Oriente ſub Antonino Pio hæreſes docere cœpiſſe. Immo ſi Origeni credimus [i], dicenti Celſum Epicureum ſub Hadriano Imp. ſcripſiſſe aduerſus Chriſtianos commentarios ſuos; cum in iis ſæpe mentioné ille habuerit [k] hæreſum Marcionis, omnino aſſerendum eſſet iam ante Antonini tempora eas eſſe peruulgatas. Philaſtrius [l] quoque tradit, cum primo in Aſia errores docuiſſe, ibique à Ioannis Apoſtoli diſcipulis, potius quam ab ipſo Ioanne, conuictum Romam veniſſe. Quapropter quod ait Tert. [m], eum in Catholicam primo Romæ doctrinam credidiſſe, intelligendũ eſt quod (ſicut alibi [n] dicit) vt reciperetur ſcriptis Catholicam fidem profeſſus eſt. Sed quomodo ſæpe ad vomitum reciderit, dicetur inferius: nunc eius hæreſes recenſeamus.

i Orig. cont. Celſ. l. 1. k Cel. ap. Orig. l. 2. 5. 6. l Philaſt. de hæreſ. c. 40. m Tert. de præſcr. c. 30. n Id. 4. cont. Marc. 4. & de car. Chr. ca. 2.

V. MARCIONIS HÆRESES.

In primis vt Cerdo, duos poſuit Deos ſibi contrarios, alterum bonum, alterum malum; hunc legis veteris auctorem, illum nouæ; à malo mundum eſſe creatum, à bono reſtitutum atque redemptum; huncque fuiſſe Ieſum à Deo Patre miſſum, qui legem tamquam malam ſoluit atq; Prophetas. Putarunt alii [o], tres Deos à Marcione poni, ac proinde tria principia; vnum ſupremum & innominatum & inuiſibile, quod etiam bonum diceret, quod nihil ex iis quæ in mundo ſunt creaſſet: alterum viſibilem Deum, & opificem, huncque eſſe deum Iudæorum: tertium vero diabolum. At Origenes ita numerat [p] tres Deos Marcionis, Deum Iudæorum, Deum Chriſtianorum, Deũ Gentilium. Tertullianus [q] autem, qui ceteris accuratius eius hæreſes diſquiſiuit, conuincit nouem poſuiſſe Deos; in ſuperioribus tres ſubſtantias diuinitatis, Deũ bonum; Deũ malum, & Mundum ſuperiorem; in inferioribus quatuor, Factorem, Locum, Materiam, & Malum: quæ omnia innata voluit atque infecta eſſe, & Deo coæterna: inſuper & duos Chriſtos, quorum alter apparuiſſet Tiberii tempore, alter à Creatore promitteretur: cum alioqui non niſi duos ſe deos ponere profiteretur, bonorum auctorem alterum, alterum malorum. Sed apud Euſebium [r] teſtatur Rhodon Aſiaticus, non Marcionem, ſed quoſdam ex Marcione deſcendentes, auctore Synero quodam, tres naturas atque principia rerum ſtatuiſſe.

o ap. Epiph. hær. 42. p Orig. dial. cont. Marc. lib. 1. q Tert. 1. cont. Marc. 15. r ap. Euſ. 5. hiſt. 13.

VI.

Reſpuit inſuper vetus Teſtamentum, tamquam à malo deo prolatum; nouum vero ex animi ſui ſententia mutilauit, ex illo auferens quicquid ageret de carne & generatione Chriſti quam ipſe negaret, necnõ de creatione mũdi per Deum Patrem, & de aduentu Dei. Sed hæc pluribus Irenæus [s], Tertullianus, & alii. Idemque cum carnem à malo principio diceret eſſe exortã, eius omnino negauit reſurrectionem, vetuitq; propagationem: ſicq; ea ex cauſa virginitatem prędicans, coniugia reſpuit atque damnauit, coniugatoſq; à ſalute penitus excluſit, quos nec vellet [t] baptizare. Illarum autem tantummodo animarum eſſe ſalutem aſſerebat [u], quæ eius doctrinam didiciſſent; earumdemque itidem non vnam, ſed variam atque diuerſam eſſe naturam. Adiecit [x] & horrendam blaſphemiam, vt diceret Chriſto ad inferos deſcendente, eſſe ſaluatos Cain, Sodomitas, Ægyptios, & alios omniũ nequiſſimos; Abel autem, Enoch, Noe, & reliquos iuſtos, eo quod non occurriſſent ei, nullam participaſſe ſalutẽ, quippe qui amici fuiſſent Dei Hebræorum, quem Malum diceret.

s Iren. lib. 1. c. 29. MARCION HOSTIS CARNIS. t Tert. 1. cõt. Marc. 29. u Orig. in Rom. 2. x Iren. ibid.

VII. DELECTVS CIBORVM MARCIONIS.

Animatorum quoque eſum damnaſſe tradunt: immo & in odium eiuſdẽ Dei Creatoris, omnes ſimul res creatas execrari ſolitos Marcionitas, nec illis vti niſi neceſſitate cogente, Theodoretus [y] exemplo declarat. Sed & in odiũ pariter Creatoris, & quod carnem deteſtarentur tamquã ab eo creatam, vt eam perderent, ſe ſponte martyrio obtuliſſe, teſtatur Clemens [z] Alexandrinus. Pariterque eodem odio permotos, ſabbato ieiunare ſolitos Epiphanius tradit: cum alioqui Occidentales longe ante Marcionis tempora (vt ſuo loco dictum eſt) alia ratione ieiunium ſabbati religioſe ſuſcepiſſent. In ſuis itidem ſacrificiis atque myſteriis, aqua vti ſolitos idem Epiphanius ſcribit: itemque per Marcionem non modo anabaptiſmum introductum fuiſſe, ſed & tertium quoque ad peccata diluenda conceſſiſſe baptiſmum; feminaſque apud eos ſolitas baptizare. Quin etiam conſueuiſſe baptizare viuentes pro mortuis abſque baptiſmo defunctis, dictum eſt ſuperius ex Chryſoſtomo [a].

y Theod. l. 1. hær. fab. z Clem. Alex. Strom. li. 4. a Chryſ. ho. 40. in Cor. 2.

VIII. MARCIONIS SCRIPTA.

Ad hæc autem quæ diximus, & alia id genus quæ ex falſis poſitionibus conſequuntur, conualidanda, Marcionem complures ſcripſiſſe libros Tertullianus [b] tradit; nimirum Euangelium, Epiſtolam, Antitheſes, & Apoſtolicum Inſtrumentum. Aduerſus ipſum vero ſcripſere, primus quidem omnium Iuſtinus [c] martyr, qui iiſdem temporib. claruit; & paulo poſt, omnium qui extant copioſiſſime, Tertullianus tam metro quam ſoluta oratione; Irenæus etiam, Rhodonque [d]; necnon (vt teſtatur Theodoretus [e]) Theophilus Antiochenus, Philippus Gortynenſis Epiſcopi, Modeſtus. Hippolytus inſuper, Clemens Alexandrinus, Origenes, Cyrillus Hieroſolymitanus, Euſebius Emiſſenus, Epiphanius, Philaſtrius, Auguſtinus, Chryſoſtomus, ipſeque Theodoretus, & alii recentiores, qui de hæreſibus conſcripſerunt. Cetera vero de Marcione ſuo loco; & de Marcionitis ſæpe inferius. Nec enim vt aliæ hæreſes, ita hæc cito extincta eſt; quandoquidem Epiphanii ac Theodoreti teſtimonio conſtet, adhuc ſuis temporibus, poſt trecentos ferme ab hinc annos, ingenti viguiſſe numero.

b Tert. adu. Marc. lib. … Iren. … c Iren. li. 5. Hier. de Script. Eccleſ. in Iuſt. d Euſeb. 5. hiſt. 13. e Theod. li. 1. hær. fab.

IX. MARCIONIS DISCIPVLI.

Numerantur [f] autem complures Marcionis diſcipuli; ſed inter illos famoſiſſimus APELLES. Qui quidem (inquit Tertullianus [g]) poſteaquam in carnem ſuam lapſus eſſet, à Marcione ſegregatus eſt. Introduxit autem vnum Deum infinitis ſuperioribus partibus, qui poteſtates multas, Angeloſque fecerit; propterea & aliam Virtutem quam diceret, Dominum dicebat, ſed Angelum ponebat. Hoc voluit videri, mundum inſtitutum ad imitationem mundi ſuperioris, cui mundo permiſcuiſſe pœnitentiam, quia non illum tam perfecte feciſſet, quam ille ſuperior mundus inſtitutus fuiſſet. Legem & Prophetas repudiauit. Chriſtum vero neque in phantaſmate dixit fuiſſe, neque in ſubſtantia veri corporis; ſed in eo quod è ſuperioribus partibus deſcenderat, ipſo deſcenſu ſideream ſibi carnem & aeream contexuiſſe: huncque in reſurrectione ſingulis quibuſque elementis quæ in deſcẽſu ſuo mutata fuiſſent, in aſcenſu reddidiſſe, & ſic diſperſis quibuſque corporis ſui partibus, in cœlo ſpiritum tantum reddidiſſe. Carnis reſurrectionem negauit; & animarum ſolarum ſalutem eſſe dixit. Solo vtebatur Apoſtolo, ſed non toto. Habuit præterea priuatas, ſed extraordinarias lectiones ſuas, quas appellant Phaneroſeis, Philumenes cuiuſdam puellæ, quam quaſi Propheteſſam ſequebatur: habuitque inſuper ſuos libros, quos inſcripſit Syllogiſmorum; in quibus probare voluit, quod omnia quæcumque Moyſes de Deo ſcripſiſſet, falſa eſſent. Hęc de Apelle Tertullianus. Qui & [h] alibi (& ante ipſum Rhodon [i]) ait eius erroris fuiſſe auctricem illam PHILVMENEM puellam à dæmone agitatam, quam Apelles diceret inſpiratam diuinitus ad prænuncianda futura; aſſerens prophetias noſtras ex ſpiritu contrario & ſibi repugnante editas. Agit de eadem, deque eius diuinationibus diabolicis atque præſtigiis, Auguſtinus [k]; meminitque Hieronymus [l], dum multis exemplis oſtendit nullam prope fuiſſe vmquam hæreſim, quæ non habuerit feminam auctricem vel adiutricem. Porro eamdem immane proſtibulum euaſiſſe, & ipſi quoque Apelli fuiſſe in deliciis, Tertullianus [m] aſſerit. At de illis ſatis.

f Rhod. ap. Euſeb. 5. hiſt. 13. Tert. de præſcr. c. 51. Theod. li. 1. hær. fab. & alii. g Tert. de præſcr. c. 51. DE APELLE HÆRESIARCHA. h Tert. ibid. ca. 6. HÆC PHILVMENA FEMINA. i Ap. Euſeb. 5. hiſt. 13. k Aug. de hæreſ. ad Quoduult. ca. 24. l Hier. ad Creſiph. aduerſ. Pelag. m Tert. de præſcr. c. 30.

X. ARMA POTISSIMA ADVERSVS HÆRETICOS.

Ceterum qui pro veritate tuenda aduerſus tantam impoſtorum colluuiem, egregiam nauarunt operam, etſi cõpluribus aliis ad eos conuincendos vſi ſunt argumentis, nullum tamen eo viſum eſt eſſe præſtantius, quam ad Eccleſiam Catholicam prouocare; nimirum vt cum quæ in ea ab Apoſtolorum temporibus viguiſſet traditio atque conſuetudo, per interruptam perſonarum ſucceſſionem perſpicue demonſtrarent, hoc vno omnes illorum infringerent impetus. Quod egregie præſtitiſſe reperiuntur Irenæus, [n] Tertullianus [o], Auguſtinus [p], & alii quamplurimi ſanctiſſimi Patres, fide & doctrina præſtantes.

n Iren. li. 3. ca. 3. o Tert. de præſcr. ca. 6. 20. 21. 32. 36. & cont. Marcion. li. 5. ca. 29. p Aug. cont. ep. Manich. ca. 4.

IESV

ANTON. PII IMP. AN. 8.9.10.

IESV CHRISTI AN. 147.148.149.

TELESPHORI AN. 6.7.8.

ANNO Chriſti centeſimo quadrageſimo ſeptimo, Antoninus Pius Auguſtus quartum & M. Aurelius Cæſar ſecundum ponuntur in Faſtis Coſſ. à Caſſiodoro vero Orfitus & Priſcus.

Anno autem centeſimo quadrageſimo octauo, Erucius Clarus & Claudius Seuerus:ac rurſum

Anno centeſimo quadrageſimo nono, à Caſſiodoro Gordianus ac Maximus, ab aliis vero ex Grecis Faſtis duo Valerii Largus & Meſſalinus. Porro hi omnes rerum Eccleſiaſticarum notitia prorſus ſteriles remanſerunt.

ANTON. PII IMP. AN. 11.

IESV CHRISTI AN. 150.

TELESPH. AN. 9.

I. IVSTINI APOLOGIA PRO CHRIST.

ANNO Chriſti centeſimo quinquageſimo ſecundum Græcos Torquato & Iuliano, vel ex Chronico Caſſiodori Romulo & Glabrione Coſſ. *Iuſtinus* philoſophus Chriſtianus & poſtea martyr, Romæ exiſtens, cum pro Chriſtianis ſcripſiſſet Apologeticam orationem, qua liberrime exprobraret iniquiſſima in Chriſtianos iudicia, calumniaſque ſingulas purgaret, & innocentiam demonſtraret; eandem obtulit Antonino Pio Imperatori, eiuſq; filiis adoptiuis Marco & Lucio Philoſophis, ac denique ipſi Senatui Populoque Romano. Nam cum ad eius ſcriptionis tempus ipſemet numeret [a] annos centum quinquaginta à Chriſti Natiuitate; eſt quod inde corrigas Euſebium [b], qui anno tertio Antonini, & Caſſiodorum qui anno quarto eandem ſcriptam aſſirmant.

a *Iuſtin. ora. ad Anton.* b *Euſeb. & Caſsiod. in Chron.*

II. DE TEMPORE RESCRIPTI ANTON. PRO CHRIST.

An vero annuerit eius petitionibus Imperator, non conſtat: nam poſt hæc Romæ patratas eſſe religionis cauſa Chriſtianorum cædes, inferius apparebit. Et quo minus aſſentiamur aſſirmantibus Antoninum Iuſtini oratione perſuaſum, mox illud quod extat in fine eius, dediſſe reſcriptum; hoc impedit, quod illud Aſiæ populus poſt triennium fuiſſe datum apparet, nimirum eius Imperij anno decimoquinto. Cum enim ibi Tribunitiæ Poteſtatis inſcriptio notata habeatur decies quinquies, totidem eum annos tunc egiſſe in Imperio certum eſt: teſtante Dione [c], pro numero annorum Imperii multiplicari vices Tribunitiæ Poteſtatis; adeo vt illi quibus cum Imperio collata eſſet Tribunitia Poteſtas (quod Antonino accidiſſe, nummi [d] & inſcriptiones antiquæ declarant) quoto aucti reperiantur numero Tribunitię Poteſtatis, totidem eos agere in Imperio annos neceſſe ſit pariter aſſirmare: ſecus autem ſicuti ante Imperium (quod non raro contigit) collata eſſet.

c *Dion. l. 53.* d *Hab. Parin. to. 2. Annal. an. 147. 160. 163.*

ANTON. PII IMP. AN. 12.13.14.

IESV CHRISTI AN. 151.152.153.

TELESPH. AN. 10.11.12.

I. ANNO Chriſti centeſimo quinquageſimo primo, Orfito & Priſco Coſſ. vel ſecundum Caſſiodorum, Præſente & Ruſo, Antonini Imperatoris anno duodecimo [a], poſt *Marcum* Iuniorem ſubrogatur in Eccleſia Alexandrina *Celadion* Epiſcopus.

a *Euſeb. in Chron. & hiſt. lib. 4. cap. 11.*

II. Anno vero centeſimo quinquageſimo ſecundo, Gallicanus & Vetus, vel, vt habet Caſſiodorus, Commodus & Lateranus creati ſunt Coſſ.

III. Pariterque anno centeſimo quinquageſimo tertio, pro Gordiano & Maximo, quos alii Faſti habent, Caſſiodorus ponit Verum & Sabinum Coſſ. quibus nihil geſtum reperitur ad res noſtras pertinens.

ANTON. PII IMP. AN. 15.

IESV CHRISTI AN. 154.

HYGIN. AN. 1.

I. TELESPHORI PP. MARTYRIVM.

ANNO Chriſti centeſimo quinquageſimo quarto, Glabrione & Veriano Coſſ. *Teleſphorus* Papa cum ſediſſet annos vndecim, menſes nouem, minus dicbus tribus, martyrio [a] coronatur. Tribuit eidē Euſebius [b] annos vndecim exactos; itidemque Indices Creſconiani. Quod vero alii velint ſediſſe annos vndecim, menſes tres & dies viginti vnum; haud rationem viſi ſunt habuiſſe temporis creationis eius, quæ contigit octaua Aprilis, & obitus qui apud omnia Martyrologia poſitus habetur quinta Ianuarij. Ceterum quod Euſebius primo Antonini anno eum deceſſiſſe dicat, errore lapſus ex eo intelligitur, quod (vt ſæpius diximus) in ſerie Romanorum Pontificum Cletum prætermiſerit. Sed quod inter alia decreta tribuatur Teleſphoro conſtitutio de Quadrageſimali Ieiunio; de eo dictum eſt ſuperius in Sixto [c]. Sepultus [d] eſt Teleſphorus in Vaticano: & cum poſt eius necem ſedes vacaſſet dies ſeptem, creatus eſt Romanus Pontifex HYGINIVS Græcus Athenienſis ex Philoſopho.

a *Iren. lib. 3. cap. 3. Tert. carm. cont. Marcion. li. 3. in fin. Anaſt. de R. Pont. Martyrol. Rom. & alia.* b *Euſ. 4. hi. 10.* c *An. 136.* d *Anaſt. de Rom. Pont.*

HYGINIVS PAPA.

II. MARTYRES SVB ANTONINO.

Paſſus eſt etiam ſub eodem Antonino Imperatore inſignis martyr Alexander Epiſcopus, via Claudia vigeſimo ab Vrbe milliario: atque Spoleti Pontianus; & alii plures tam in Italia & Gallia, quam in aliis Occidentis & Orientis prouinciis; quorum nonnullorum in Romano Martyrologio certa paſſionis dies adſcripta habetur; cum longe eorum maior ſit numerus, quorum iniuria temporum, & incendio ſcripturarum, memoria periit.

III. CLADES IMPERII OB PERSECVTIONEM CHRIST.

Porro Sanctorum ſuorum vindex Deus, haud alia de cauſa his diebus tum ipſam Vrbem Romam, tum alias Imperii prouincias, multiplicibus cladibus afflictauit; nempe fame, terræmotibus, inundationibus, atq; incendiis, quæ recitat Capitolinus [e]; quam vt manifeſtis declararet ſignis, eſſe Gentilibus, diuinum numen infenſum. Ea vero non ſolum populis terrorem incuſſiſſe, ſed & ipſum Imperatorem pariter commouiſſe, ex eo facile opinari licet, quod hoc anno ſui Imperii decimoquinto (vt dictum eſt ſuperius) reperiatur promulgaſſe edictum pro cohibenda Chriſtianorum perſecutione. Deſcriptum habetur integrum apud Euſebium [f]; niſi quod in titulo, errore poſitus eſt *Marcus Aurelius*, cum apud Iuſtinum [g] recte habeatur, *Te Aurelius Hadrian. Antoninus Pius*. Et quamuis inſcriptum habeatur tantummodo ad populos Aſiæ; tamen & ad alias quoque prouincias miſſum eſſe, conſtat tum ex ipſius reſcripti verbis, tum ex Melitone [h] Epiſcopo Sardenſi in Apologia ad Verum.

e *Capitol. in Anton. Pio.* ANTON. RESCRIBIT PRO CHRISTI. f *Euſ. 4. hiſt. 13.* g *Iuſt. in f. orat. ad An.* h *Ap. Euſ. 4. hiſt. 13.*

ANTON. PII IMP. AN. 16.

IESV CHRISTI AN. 155.

HYGIN. AN. 2.

I. ANNO Chriſti centeſimo quinquageſimo quinto, Præſente & Ruſino Coſſ. Hyginio Romanam Eccleſiam adminiſtrante (inquit Irenæus [a]) *Valentinus* hæreſiarcha Romam ſe contulit, & permanſit vſque ad Anicetum, vel etiam vſque ad Eleutherum, vt Tertull. [b] aſſerit. Sed & *Cerdonem* pariter hæreſiarcham ſub eodem Hyginio in Vrbem ſe contuliſſe, & tam ipſum quam Valentinum primo ſe Catholicos præferentes, in eius Eccleſiæ communionem receptos eſſe, ſed poſtea detectos hæreticos, ſæpius exomologeſin egiſſe, & relapſos iterum Eccleſia penitus eiectos eſſe, iidem auctores [c] æque teſtantur. Quænam autem fuerint iſtorū hæreſes, dictum eſt ſuperius. Illud autem obſeruatione magnopere dignum, ea nioſos atque potentes hæreſiarchas, tam iſtos, quam alios complures, de quibus dicetur ſuis locis, ficte vel vere palinodiam recantaturos, non apud aliquam aliam ſedem quam Romanam id ſibi legitime faciendum putaſſe; quod in cōfeſſo eſſet apud omnes, eam eſſe Eccleſiæ totius metropolim, eiuſque eſſe fidem probare & perfidiam condemnare, tum ob auctoritatem, tum ob fidem illibatam

a *Iren. li. 3. cap. 4. & ap. Euſ. li. 4. c. 10.* b *Tert. de præſcr. c. 30.* VALENTINVS ET CERDO ROMAM. c *Iren. lib. 1. cap. 28 & lib. 3. ca. 4. Tert. de. 30. & cont. Marc. lib. 4. in f.* ETIAM HÆRESIARCHÆ ECCL. ROM. DEFERVNT.

quæ inſeparabiliter eſt ei annexa. Ex quibus etiam merito arguas ineptias nouatorum, garrientium prædicatione huiuſmodi hæreticorum Romanæ Eccleſiæ doctrinã fuiſſe violatam; cum econtra non ſolum iidem ab ea damnati reperiantur, ſed & ipſi quos citauimus, Irenæus [d] & Tertullianus [e] ad eoſdem fortius conuincendos, nullum potentius adhibeant telum, quam vt ad eiuſdem Eccleſiæ prouocent integritatem, in qua ab Apoſtolis accepta fides incorrupta permanſiſſet.

d Iren. lib. 3. cap. 3.
e Tert. de præſcr. c. 36.

ANTON. PII IMP. AN. 17. 18.

IESV CHRISTI AN. 156.157.

HYGIN. AN. 3.4.

I.

ANno Chriſti centeſimo quinquageſimo ſexto, Coſſ. L. Ælio Commodo Cæſ. & Sextilio Laterano, vel ſecundum Caſſidorum Tertullo ac Sacerdote, nihil geſtum reperitur ad res Eccleſiaſticas pertinens.

II. HIEROSOL. EPISCOPI. ANTON. PII IMP. AN. 19.
a Euſeb. in Chron.

Anno vero centeſimo quinquageſimo ſeptimo, Seuero atq; Sabino (aliter Sabiniano) Coſſ. ſiue (vt Caſſiodorus habet) Quintillo ac Priſco, anno decimooctauo Antonini Imperatoris, Euſebius [a] cum (vt profitetur) ſic ſibi explorata eſſet Hieroſolymitanæ Epiſcoporum ſedis ſucceſſio, vt tamen quot quiſque ſediſſet annos haberet incompertum; poſt Marcum, quem ſuperius vidimus creatum primum ex præputio, Caſſiani ponit ingreſſum; & poſt hunc ordine Publium, Maximum, Iulianum, Gaianum, Symmachum, Caium, Iulianum, & Capitonem, qui deſiit ſub Commodo Imperatore.

IESV CHRISTI AN. 158.

PII AN. 1.

I. HYGIN. PP. MARTYRIVM.
a Lib. de Rom. Ponti. Collect. Creſcon. &c.
b Euſeb. in Chron. & 4. hiſt. 10.
c Iren. li. 3. ca. 4.
d Tert. car. cont. Marc. l. 3. in fi.
e Epiph. hær. 41.
f Habentur collecta to. 1. concil. in Hygin.

ANno Chriſti centeſimo quinquageſimo octauo, Siluano & Augurino Coſſ. *Hyginus* Papa cum ſediſſet annos quatuor duobus minus diebus (vt colligitur ex tempore ingreſſus eius, vſque ad obitum qui notatur in Martyrologiis vndecima Ianuarii) moritur martyr. Æque enim conſentiunt Latini [a] & Græci [b], eum ſediſſe annos quatuor. Sed quod Irenæus [c], Tertullianus [d], Epiphanius [e], & alii numerant à Petro Hyginium nonum ordine Romanorũ Epiſcopum, qui decimus extitit; id inde accidit, quod (vt ſæpe dictum eſt) alii Cletum, alii vero Anacletum prætermiſerunt, ex his duobus vnum conſtantes. Ceterum leguntur Hyginii titulo epiſtolæ duæ; & à Gratiano recitantur plura eiuſdem decreta [f]: qui & ſepultus dicitur in Vaticano.

II. PIVS PAPA.
g Hegeſ. ap. Euſ. 4. hiſt. 11. Iren. lib. 3. cap. 3. & 4. Tert. lib. 3. carm. cont. Marc. Euſ. in Chron. & 4. hiſt. 10 Epiph. hær. 27. Niceph. Conſt. in Chron. Niceph. Calliſt. lib. 3. c. 25. & alii tam Græci quam Latini recentiores omnes.
h Opt. li. 2. cont. Parm. Hier. de Script. Eccl. in Heg. ſy. Aug. ep. 165. & alii nonnulli.

Cum autem poſt eius necem ſedes vacaſſet dies tres, decimaquinta die Ianuarij in locum eius ſubrogatus eſt PIVS natione Italus, patria Aquileienſis, filius Ruffini, frater Paſtoris; vt habetur in libro de Romanis Pontificibus: licet de ſucceſſore Hyginij diuerſa fuerit antiquorum ſententia, dum alij [g] Pium ei ſubrogatum ponunt, ac poſt Pium numerant Anicetum, alii [h] ordine inuerſo Pio præponunt Anicetum. Sed verior at magis recepta eſt illa ſententia, qua prior locus Pio tribuitur.

IESV CHRISTI AN. 159.

PII AN. 2.

ANTON. PII IMP. AN. 20.

I. PASCHA CELEBRANDVM DIE DOMIN.
a Euſeb. in Chron.
b Socr. 5. hiſt. 21.

ANno Chriſti centeſimo quinquageſimo nono Barbaro & Regulo Coſſ. Pius agens in Pontificatu annũ ſecundum decretum edidit *de celebrando Paſchate die Dominico*; quod tradit Euſebius [a]. Ita tamen intelligendus, vt quod iam antea ab Apoſtolis eſſet traditum, ipſe Pius ad corrigendas hactenus Iudaizantes Eccleſias, quæ decimaquarta Luna Paſcha celebrarent, voluerit decreto firmaſſe. Sane quidem (vt ait Socrates [b]) tam Romana quam reliquis omnes Occidentales Eccleſiæ, Petrum & Paulum Apoſtolos hanc ipſis doctrinam reliquiſſe vt Paſcha die Dominico celebraretur, ſemper ſunt profeſſæ. Et Sanctus Protherius [c] Epiſcopus Alexandrinus ſcribens ad Leonẽ Papam, æque teſtatus eſt id Petrum Apoſtolum Romæ docuiſſe, & ab eo acceptum Ægyptiis S. Marcum tradidiſſe. Pariterque Victoris Papæ tempore, qui de his egerunt ſanctiſſimi Patres, nonniſi ex Apoſtolica traditione id ſibi vendicaſſe docet Euſebius [d]. Quinimmo & Ignatius, qui Dominum in carne vidit, & cum Apoſtolis diu verſatus eſt, ac ſedem Antiochenam, quam Petrus fundarat & Paulus docuerat, adminiſtrauit, nec alia docuit aut ſcripſit, quam quæ ab eis accepiſſet; non ſolum ait [e], diem Dominicam celebrandam eſſe vt reginam ac principem dierum, reſurrectioni Domini conſecratam; ſed & conteſtatus eſt [f], ſiquis cum Iudæis celebraret Paſcha, participẽ eſſe eorum qui occidiſſent Dominum & Apoſtolos eius. Quapropter manifeſte idem Socrates Nouatianus homo hallucinatur [g], dum conteſtatur eſſe debere in cuiuſque voluntatis arbitrio quando velit Paſcha peragere, quod nulla dicat antiqua traditione conſiſtere quando illud ſit celebrandum.

TRADITIO APOST. DE EA RE.
c Ap. Bed de rat. temp. cap. 42.
d Euſ. 5. hiſt. 23.
e Ignat. ep. ad Magneſ.
f Id. ep. ad Philip.
g Socr. lib. 5. cap. 21.

II. QVID IOANNES APOST. DE PASCHATE.
h Ap. Euſ. 5 hiſt. 23. & 24.
i Apocal. 1.

Quod autem contrariæ opinionis, vt videlicet decimaquarta Luna, quocumque die ea accideret, cum Iudęis celebraretur, Ioannem Euangeliſtam fuiſſe auctorem, non ſolum Quartodecimani hæretici, ſed & Polycarpus, Polycrates, & alii Aſiatici aſſeruerint: [h] eum potius id, ſicut alia multa, in illa tunc nuper in Aſia coaleſcente primitiua Eccleſia toleraſſe putandum eſt; cum alioqui ipſius etiam Ioannis manifeſta teſtificatione, rata haberi videatur celebratio Paſchæ die Dominico. Nam quænam potuit eſſe ratio, vt in Apocalypſi [i] eius diei meminerit, tamquam celebris in Eccleſia ac nominati, niſi quod dies ille (ſicut dixit Ignatius) conſecratus eſſet reſurrectioni Dominicæ? Quod ſi eodem quolibet octauo die, reſurrectionis memoria ſolẽnibus ritibus Apoſtolica inſtitutione repeti cõſueuit; quorſum alia die ipſam anniuerſariã Paſcharis celebritatẽ iuſſiſſent peragi? Certe enim ſi more Iudaico decimaquarta Luna eius memoria in Eccleſia ageretur? quod incerta dies eius eſſet, vtpote quæ ſingulis annis mutaretur, omnis diei Dominicæ (quæ prima erat) celebrandæ ratio caſſa reddita videri potuiſſet. Quapropter iure Pius, ne ob altercantium ſtudia cõuelleretur quæ ab Apoſtolis de ea re traditio eſſet, eamdem decreto edito ſtabiliendã curauit. Cui acceſſiſſe diuinum quoq; ſuffragium liber de Romanis Pontificibus [k] teſtatur; dum ait tunc fratrem ipſius Pij Hermen librum ſcripſiſſe in quo mandatum contineretur quod ei præcepiſſet Angelus Domini apparens in habitu paſtoris, vt ſanctum Paſcha die Dominica celebraretur.

PII PP. DECRETVM DE PASCHATE.
k Lib. de R. Pont. in Pio.

III. DE HERMA, EIVSQVE LIBRO PASTORIS.
l Rom. 16.
m Orig. in Rom. 16.
n Euſ. 3 hiſt. 3.
o Hier. de Scr. Eccleſ. in Herm.
p Iren. ap. Euſ. 5. hiſt. 9.
q Orig. Teriarch. lib. 4. c. 2.
r Clem. Strom. lib. 1. & 6.
s Tert. de orat. cap. 12. & cont. Marcion. carm. lib. 3. in fi.
t Athan. de decret. Nic.
u Euſ. lib. 3. ca. 3.
x Hier. de Script. Eccl.
y Tert. de pudic. ca. 10.
z Ruff. expoſ. Sym. Apoſt.
a Proſp. aduerſ. Collat.
b Gelaſ. decr. de li. apocr.
c Athan. ep. ad Afr. ep. Tom. 1.
h ſt. 3.
d Hieron. in Amos 7.

Porro hũc HERMEN, illum fuiſſe quem Paulus ad Romanos [l] ſcribens ſalutari mandat, teſtantur Origenes [m], Euſebius [n], Hieronymus [o], & alii. Liber autem Hermæ, ſeu Hermetis, qui inſcriptus eſt PASTOR antiquis optime notus extitit, quem citaſſe reperiuntur Irenæus [p], Origenes [q], Clemens [r] Alexandrinus, Tertullianus [s], Athanaſius [t], Euſebius [u], Hieronymus [x], & ſiqui alii, eumdemq; vt vtilem librum laudant: quem tamen Origenes à nonnullis contemni tradit; Hieronymus vero, apud quaſdam Græciæ Eccleſias publice legi, ſed apud Latinos pene ignotum eſſe. Et quidem Latinis ſic is innotuit, vt tamen eum inter apocryphorum genera adnumerarint, quæ legi in Eccleſia poſſint, non tamen citari ad fidem Catholicam Aſtruendam: hac enim cenſura à maioribus fuiſſe notatum, affirmant Tertullianus [y], Ruffinus [z], & S. Proſper [a]; idemque à Gelaſio [b] Romano Pontifice æque inter apocrypha recenſetur. Vſos eo quoque Arianos ad ſuam ipſorum hæreſim confirmandam, teſtatur S. Athanaſius [c]. Et ante Galaſium etiam, atque Proſperum, vt Apocryphum, non abſque trepidatione citari ſolitum, S. Hieronymus [d] ſignificat. Quod autem Alii Hermam, Hermen vel Hermetem, eum appellent, quod vtriuſque nominis meminerit Paulus; haud multum refert: frequentiori autem vſu Hermam inuenimus nominatum, cognomento *Paſtorem*. Ipſum vero eius librum etiam his titulis. *Duæ viæ*, vel

Iudicium Petri, fuiſſe à quibuſdam nominatum, Ruffinus tradit.

IV. DIVERSA HERMÆ PASTORIS SCRIPTA.

c Orig. 4. Periar. 2.

Sed quod (vt vidimus) in libro de Romanis Pontificibus dicatur, tempore Pii Papæ Hermetem ſcripſiſſe librum, quo Angeli, paſtoris habitu apparentis (vnde & forte nomẽ ipſi libelli auctori inditũ, vt Paſtor diceretur) mandatum de celebrando Paſchate die Dominico contineretur; nec tamen in commentario, qui *Herma Paſtoris* inſcribitur, & citatus à Patribus reperitur, vlla prorſus de celebrando Paſchate habeatur mentio; hicque inſuper longe ante iſta tempora ſcriptus appareat, nempe ſub Clemente, cui duos illos libellos dandos, & in exteras ciuitates mittendos (qui locus iiſdẽ verbis ab Origene [c] quoq; citatur) Herma ſcriptor admonitus eſt: plane dicendum videtur (ſi velimus vnum eumdemque eſſe auctorem) diuerſos hos inter ſe fuiſſe commentarios, diuerſis temporibus ſcriptos; quorum prior vſu celebrior Græcis inprimis habitus ſit, poſterior tam Græcis quam Latinis obſcurior, cuius nulla prorſus mentio ab aliquo antiquorum facta inueniatur. Porro Hermæ quoque Paſtoris nomine cenſetur libellus de rebus geſtis S. Praxedis virginis & ſororis Pudentianæ, ac fratrum Nouati & Timothei, filiorum Pudentis Senatoris, apud quẽ (vt vidimus) S. Petrus Apoſtolus hoſpitatus eſt Romæ. Cuius etiam domus erecta eſt in Titulum, *Paſtoris* dictum, quod curam idem Paſtor eius conſtruendi ſuſceperit: vt pluribus ipſemet declarat iiſdem Actis. Hodie vero dicitur vulgo *Eccleſia S. Pudentianæ.* Ceterum quod idem Herma cognomento Paſtor, ille ipſe cenſeatur eſſe cuius Apoſtolus meminit in epiſtola ad Romanos; hinc aſſerere neceſſe eſt, ipſum ſaltem perueniſſe ad annum ætatis centeſimum trigeſimum cum & adhuc poſt aliquot annos ſuperſtes fuerit; de cuius obitu dicetur ſuo loco.

TITVLVS PASTORIS.

IESV CHRISTI AN. 160.161.162.

ANTON. PII IMP. AN. 21.22.23.

PII AN. 3.4.5.

I.

ANno Chriſti centeſimo ſexageſimo, Tertullus & Sacerdos creati ſunt Coſſ. Quo anno (qui numeratur vigeſimus primus Antonini Pii Imperatoris) perperam ponitur à Caſſiodoro Conſulatus eiuſdẽ Antonini quintus, cum nonniſi quartus in antiquis monumentis notatus habeatur vltimo ipſius Imperii anno vna cum vigeſima quarta poteſtate Tribunitia.

Anno vero Chriſti centeſimo ſexageſimo primo, Quintillus & Priſcus inierunt Conſulatum: Et

Anno centeſimo ſexageſimo ſecundo, Vibius Barrus & Annius Bradua: quibus nihil geſtum eſt, quod hic inſeratur.

IESV CHRISTI AN. 163.

M. AVRELII, ET L. VERI AN. I.

PII AN. 6.

I. ANTONINI IMP. OBITVS.

a Sp. Panuin. in Faſt. comment. Adelph. eco de num.

ANno Chriſti centeſimo ſexageſimo tertio, Cæſarib. M. Aurelio tertium & Lucio Vero ſecundum Coſſ. *Antoninus Pius* Imp. diem obiit. Qui enim primo Imperii ſui anno auct⁹ eſt Tribunitia Poteſtate, & in [a] eius monumentis antiquis ea quater & vigeſies repetita habeatur, quam vidimus annuatim conferri ſolitam; neceſſe eſt ipſum ad hunc vſque annum perueniſſe: quemadmodum & ea ratione ſe collegiſſe ex Dione Xyphilinus tradit, imperaſſe Antoninum annos viginti quatuor, eumdemque Eutropius ei tribuit annorum numerum. Ex quibus arguas Caſſiodorum, & alios qui iam antehac eum deceſſiſſe ſcripſerunt. Ceterum ex iis viginti quatuor annis, viginti duos tantum expleſſe patet, duos autem nonniſi inchoaſſe. Nam cum anno Domini centeſimo quadrageſimo, die decima Iulii, poſt mortem Hadriani cœperit imperare, deſieritque hoc anno ſeptima die Martii; reliquum eſt vt affirmemus, ipſum imperaſſe annos viginti duos, menſes ſeptem & dies viginti ſex. Quod etiam Theophilus [b] Epiſcopus Antiochenus, qui hoc tempore claruit, aſſerit; niſi quod loco dierum viginti ſex, apud eum errore ſex tantum poſiti habeantur.

b Theoph. ad Autol. lib. 3.

II. ANTONINI LAVDES.

c Euſ. in Chron. an. 22. Anton.

Mortuus eſt Antoninus apud Lorium villam, de familiaribus & aliis optime meritus: quem Senatus retulit inter diuos, erexitque templum & ſodales Antoninianos. Solus omnium prope Principum (inquit Capitolinus) prorſus ſine ciuili ſanguine & hoſtili, quantum ad ipſum pertinuit. Sed & tantam eius æquitatem fuiſſe ferunt, vt (quod notat Euſebius [c]) ea permotæ plures exteræ gentes, depoſitis armis ſe eius voluntati ſubdiderint. Hos autem fuiſſe Bactros, Hyrcanos, & Indos, Aurelius Victor teſtatur, qui multis eumdem Antoninum celebrat laudibus; ſicut & Iulius Capitolinus, & alii qui res ab eo geſtas fuſius ſunt perſecuti. Laudat & S. Auguſtinus [d] æquiſſimã eius legem, qua ſanxit vt non ſolum maritus adulterii accuſare non poſſit vxorem, ſi ipſe impudice vixerit; ſed & vt eo caſu idem ipſe maritus legi Iuliæ ſubiiciatur: cuius eiuſdem legis meminit etiam Vlpianus [e]. Qui autem natus eſt (vt tradit Capitolinus) Domitiano duodecimum & Dolabella Coſſ. anno Domini octogeſimo octauo, dicendus eſt vſque ad hunc annum vixiſſe annos ſeptuaginta quinque; ſepultuſque eſt in mole Hadriani.

d Aug. lib. 2. de adult. coniug. cap. 8.

EIVS ÆQVISSI. LEX.

e l. mitis §. iudex D. ad l. Iul. de adult.

III. MARCVS AVREL. ET LVCIVS VER. IMPP.

Eo defuncto, *M. Aurelius Antoninus*, vulgo, *Philoſophus* nuncupatus, & *L. Ælius Verus Antoninus*, quos idem Pius viuente & iubente Hadriano adoptauerat, ſuccedunt in Imperium. Sed quoniam horum Imperatorum diuerſa reperitur apud antiquos nomenclatura, quæ nonnullis etiam auctoribus Eccleſiaſticis erroris cauſam præbuit; de his breuiter ſic habe ex Dione, Capitolino, & aliis; quod cum vterque ſiue à maioribus, ſiue ex adoptionibus, aut mutua coniunctione, *Ælius* atque *Aurelius*, itemque *Verus* & *Antoninus* ſint dicti proprio tantum nomine diſcriminantur ab inuicem, vt alter MARCVS, alter LVCIVS nominetur. Cum autem *Verus* tantum nominatus reperitur, Marcum plerumque intelligi ſolere conſtat ex eo quod Euſebius [f] ponit Eleutheri Papæ ingreſſum anno decimoſeptimo Imperii Antonini Veri; cum Lucius nequaquam ad eum numerum annorum peruenerit: pariterq; Theophilus [g] Antiochen. ait. Verum imperaſſe annos nouemdecim, quod de Lucio dici non poteſt. Ac denique frequens eſt apud Vulcatium [h], & alios, vt Veri nomine iidem Marcum intellexerint.

f Euſ. 5. hiſt. 5.

g Theop. ad Autol. lib. 3.

h Volcat. in Auid. Caſſio.

IV. DIVI FRATRES.

Porro cum ex Senatuſconſulto nonniſi Marcus declaratus eſſet Imperator; idem Lucium collegã ſibi adſciuit: tuncq; primum duo ſimul regnare viſi ſunt Imperatores; qui & DIVI FRATRES ſunt appellati, eo quod ambo fuiſſent ab Antonino Pio adoptati. Quod tamen Marcus eſſet natu grandior, & fama præſtantior, ita ſe geſſit erga Lucium tamquam parens eius eſſet; quem & deſponſata ei Lucilla filia ſuum generum fecit. Ob quam coniunctionem (inquit Capitolinus) pueros & puellas nouorum hominum frumentariæ perceptioni adſcribi præceperunt: hoc eſt, nouorum ciuium qui in Vrbem nuper adſcripti, frumentationum iure hactenus caruerant. Sed retardatæ ſunt nuptiæ, quod cum Vologeſus [i] Parthorum Rex aduerſus Romanos bellum mouiſſet, & in Armenia exercitum Romanũ vna cũ Seueriano duce (qui [k] falſis Æſculapii recens apparentis in Ponto reſponſis, ab impoſtore Alexandro, de quo plura ſuperius, deceptus inconſulte nimis contra Parthos perrexerat) penitus deleuiſſet; miſſus eſt à Marco aduerſus eum Lucius hoc ipſo Imperii anno primo, prout ex Capitolino & Euſebio colligitur, dum ille [l] dicit Lucium Parthici belli cauſa quinquennium fuiſſe ab Vrbe abſentem, iſte [m] vero anno ſexto Imperii Romæ de Parthis triumphum egiſſe.

i Dio & Capitol. in Marco.

k Lucian. in Pſeudom.

l Capitol. in Marco.

m Euſeb. in Chron.

V. LVCILLA ARREPTITIA SANATVR AB ABERCIO.

n Capitol. in Vero.

Cum autem fuiſſet [n] condictum inter eoſdem Impp. vt Lucilla ſponſa Epheſum ad Lucium mitteretur; nouus rurſum incidens caſus in annum ſequentem coegit differre nuptias: cum arrepta à dæmone Lucilla, haud medicorum, vel aruſpicum vndique conquiſitorum arte curari valuit; conteſtante dæmone, ſe nonniſi ab Epiſcopo Hierapolitano in Phrygia *Abercio* dicto, quem habebat infen-

ſiſſimum, fore pellendum. Quare mox idem perquam honorifice accerſitus eſt Romam à Marco, & obſeſſam virginem liberauit; eique pro munere Imperator conceſſit, vt Hierapolitanæ Eccleſiæ pauperibus (tota enim ciuitas acceperat Euangelium) donarentur quotannis ter mille modii frumenti: quæ penſio quantumlibet increbreſcentibus perſecutionibus, numquam ceſſauit quouſque eam Iulianus Apoſtata ſuſtulit. Sed hæc pluribus in Actis eiuſdem Abercii, quæ apud Metaphraſtem [o] deſcripta habentur; in quæ tamen nonnulla irrepſiſſe noſcuntur, quæ haud nobis omnino probantur.

o Metaphr. 22. Octob.

IESV CHRISTI AN. 164.

M. AVREL. L. VERI AN. 2.

PII AN. 7.

I. PERSECVTIO IN CHRIST.

ANno Chriſti centeſimo ſexageſimo quarto, Iunio Ruſtico & Vectio Aquilino Coſſ. grauis in Chriſtianos PERSECVTIO eſt excitata; quæ à Seuero [a] QVINTA ponitur; licet Tertullianus [b] nullam aduerſus Chriſtianos à Vero datam legem affirmet. Per *Verum* autem (quoniam Imperatores optimos quoſque recenſet) non Lucium, ſed Marcum eſſe accipiendum cōſtat; cum & Veri appellationem communi huius temporis vſu Marco fuiſſe tributam, iam antea demonſtratum fuerit. Nec probamus quod Pamelius in Tertulliano loco, *Veri* appoſuerit *Seuerum*. Nam & antiquitus ſcripti codices, & typis olim excuſi, ſed & ipſe Euſebius [c] Tertulliani verba reddens, *Verum* habet, non *Seuerum*.

a Seuer. hiſt. lib. 2.
b Tert. Apol. ca. 5.
c Euſ. 5. hiſt. 5. inſt.

II. QVOMODO SVB MARCO AVREL. IRREPSIT PERSECVTIO.

Ceterum etſi (quod ait Tertullianus) nullum Verus aduerſus Chriſtianos publicum promulgauerit edictum; tamen aliquando priuata ad Proconſules ipſum de iis conſulentes dediſſe reſcripta, ſatis cōſtat ex ſinceriſſimis Actis martyrum Viennenſium ac Lugdunenſium, quæ recitat Euſebius [d]. Immo & in Actis [e] SS. martyrum Victoris & Coronæ, quæ pariter noſcuntur eſſe fidelia, necnon in ſuperius citatis Abercij, itemq; S. Glyceriæ [f], & S. Iuſtini [g], promulgatum dicitur ab eodem Marco imperatore edictum, vt omnes publice diis ſacrificarent. Quapropter licet haud nominatim Chriſtianus expreſſerit, tamen ea iuſſione ſatis amplam occaſionem datam eſſe eos perſequendi, nemo non videt; cum & alioqui ſatis id permiſſum videretur antiquo iure Romanorum, quo (vt alias dictum eſt) peregrina quæque religio vetita eſſet.

d Id. 5. hiſt. 1.
e Ap. Sur. 14. Maii
f Ap. Sur. 10. Maii.
g Ibid. 3. Id. Iunii.

III.

Quamobrem cum aliis locis, tum in Aſia his temporibus Chriſtianos varie fuiſſe exagitatos à Præſidibus prouinciarum, multum conqueritur Meliton [h] Sardenſis Epiſcopus in eo libro quem pro Chriſtianis ad Imperatorem Antoninum ſcripſit. Sed & temerario populorum Chriſtianis infenſorum impetu, in quibuſdam prouinciis acerbam perſecutionis procellam per ſingulas vrbes, ſub hoc eodem Imperatore Marco excitatam eſſe Euſebius [i] teſtatur. Et ipſe Imperator, etſi alias indulgentiſſimus, videri vellet (qua de re multum à Gentilib. [k] hiſtoricis prædicatur puta in philoſophia Stoicos ſectatus, tamē aduerſus manifeſtos & grauium criminum reos inexorabilem permanſiſſe, Capitolinus teſtatur. Quare & quod ipſe auitæ ſuperſtitionis tenaciſſimus exiſtens, non poſſet non odiſſe illos qui impietatis arguerētur, quod deos ſpernerent ac deriderent, & ab eorum cultu homines auocarent; & quod præterea Chriſtiani nefandorum criminum rei (vt ſæpius vidimus) calumnioſe deferrentur: haud dubium ſeuera iidem animaduerſione digni videri potuerunt.

h Ap. Euſeb. 4. hiſt. 25.
i Euſ. 5. hiſt. 1.
k Capitol. in Marc. Vulcat. in Auid. Caſſ.

IV. IVSTINVS SCRIBIT APOLOG. AD SENAT. ET IMPP.

Quo tempore Iuſtinus philoſophus Chriſtianus, cum iam antehac fortem illam quam vidimus Apologiam Pio, ipſiſque Cæſaribus tradidiſſet, aliā rurſum noua oborta occaſione (quod videlicet cum per *Creſcentem* quemdam philoſophum Cynicum hominem impuriſſimum, & alios Gentiles paſſim Chriſtiana religio calumniis publice impeteretur, & qui eam profiterentur vbique variis prætextibus iniuſte duci à magiſtratibus iuberentur) pro iiſdem Chriſtianis aduerſus eorum calumniatores, necnon aduerſus magiſtratus qui tam facile fidem eis adhiberent, ſcripſit defenſionem, nō ad Senatum Romanum tantum (vt habet inſcriptio) ſed & ad ipſos Imperatores Marcum Aurelium & Lucium Verum prout demonſtrat Euſebius [l], qui eam Librum ſecundum appellat. Cum vero multa ex eo recitet, quæ prorſus eadem habentur in Apologia iſta ſecunda ad Senatum inſcripta, luce clarius apparet vnam eandemq; eſſe quæ ad Senatum data dicitur, & hactenus conſeruata eſt integra (licet præpoſtero ordine ante priorem Pio oblatam collocata habeatur) & quam Euſebius ad dictos imperatores ſcriptam ait, quāuis plerique eam deperditam eſſe querantur. Sed nec quod apud Hieronymum [m] de eadem agētem Lucio ſuperadditum eſt nomen Commodi, inde putet aliquis intelligi filium Marci, dictum L. Aurelium Commodum: nam iſte nonniſi longe poſt Iuſtini martyrium cœpit cum patre regnare; & præterea Lucium Marci fratrem, Commodum quoque dictum fuiſſe, quod filius L. Ceionij Commodi eſſet, Capitolinus [n] docet.

l Euſ. lib. 4. cap. 15. 17.
m Hier. de Script. Eccl. in Iuſtin.
n Capitol. in Vero.

V. PRAXEDIS OFFICIA ERGA CHRIST. ET OBITVS.

Sed quod ad Perſecutionem ſpectat; præter illos tres, quos Iuſtinus eadem Apologia iuſſu Vrbicij Præfecti necatos tradit (quorum & dies natalis [o] ab Eccleſia celebratur) aliquos inſuper ex Romano Clero hoc ipſo Perſecutionis exordio nobilitatos eſſe martyrio, docent Acta S. Praxedis virginis: quæ eodem tempore cùm Chriſtianos domi ſuæ occultare ac nutrire, & necatos ſepelire conſueuiſſet, tot ærumnis afflicta rogauit Dominum, vt ex hac vita ſubduceretur, atque impetrauit; prout hęc omnia deſcripſit pluribus iiſdem Actis Paſtor presbyter, de quo ſuperius. Qui & ipſe poſt multos labores perſecutionis tempore exantlatos, in Domino quieuit, eiuſque natalis dies commemoratione annua repetendus Eccleſiaſticis eſt tabulis conſignatus: ſicut & ipſius Praxedis, ac ſororis eius Prudentianæ fratrumque Nouati & Timothei, ac deniq; eorumdem parentum Prudentis & Priſcillæ; qui omnes vario fine & tempore in cœlum recepti ſunt.

o Martyrol. Rom. 19. Octob.

IESV CHRISTI AN. 165.

M. AVREL. L. VERI AN. 3.

PII AN. 8.

I. IVSTINI MARTYRIVM.

ANno Chriſti centeſimo ſexageſimo quinto, Papirio Æliano & Iunio Paſtore Coſſ. *Iuſtinus* philoſophus Chriſtianus, mercedem Apologiæ nuper (vt vidimus) pro Chriſtianis compoſitæ, recepit, Romæ martyrium: quod non modo Latinorum [a], ſed & Græcorum [b] antiquis monumentis Eccleſiaſticis, licet diuerſis diebus, conſignatum reperitur. Extant [c] eius ac ſociorum martyrum qui cum eo paſſi ſunt Acta, atque illa ipſa (vt apparet) quæ à Notariis publicis ſunt ſcripta, nullis paraphraſibus circumducta; quæ Epiphanius [d] viſus eſt cognouiſſe dum (vt in eiſdem etiam Actis legitur) ſub Ruſtico Vrbis præfecto ſubiiſſe martyrium tradit: quamuis apud eum irrepſerit error, vt id ſub Hadriano Imp. accidiſſe dicatur. Sicut & quod apud eumdem legitur, fuiſſe tunc Iuſtinū annorum triginta, ſuſpicor in numero mendum; cum ex iis quæ ipſe Iuſtinus ſcribit in Dialogo cum Tryphone, hac cum ætate maiorē fuiſſe coniici poſſe videatur. Porro agūt etiam de eius martyrio Euſebius [e] & Hieronymus [f].

a Martyrol. Rom. & alia 13. April.
b Menol. Cal. Iunii
c Ap. Metaphr. Lipom. & Sur. 3. Id. Iunii.
d Epiph. hær. 46.
e Euſ. 4. hiſt. 15.
f Hier. in Iuſtin.

II. DESCRIP. IVSTIN.

Quod autem pertinet ad nobiliſſimi ingenij lucubrationes; recenſet eas in vnum collectas Euſebius [g]. Sed iis addendus Commentarius contra omnes hæreſes, quem ſe ſcripſiſſe ipſe in oratione ad Antoninum auctor teſtatur, cuiuſque iidem Euſebius [h] & Hieronymus [i] meminerunt. Ac præter iſta feruntur eiuſdem alii commentarii: ſed quæ ex his quæ nec Euſebius nouit, legitima ſint, quæue ſpuria vel ambigua, haud eſt præſentis negotii fuſius diſputare. Pro Iuſtini vero purgatione de Millenarii opinione, conſule quæ de his dicta ſunt ſuperius [k] in Papia.

g Euſ. 4. hiſt. 17.
h Ib. cap. 10.
i Hier. in Iuſtin.
k An. 118.

III. DILVITVR CALVMNIA NOVATORVM EX IVST. VERBIS.

Eſt autem in eius epiſtola ad Zenam & Serenū de Vita Chriſtiana, quod Nouatores in calumniam vertant, dum quod ait ſe ſcripſiſſe ad Papam, de nonnullis qui corrupiſſent inſtitutionem & diſciplinam Eccleſiaſticā per traditiones

tiones hominum, mox illi interpretantur, Iuſtinum ſcripſiſſe ad Romanum Pōtificem de corrupta Romanæ Eccleſiæ doctrina Sed vnde ipſis, vt ea potius ad Romanum Epiſcopum quam ad alium quempiam ſcripta fuerint, cum extra omne ſit dubium, PAPÆ nomen olim commune fuiſſe omnibus Epiſcopis; immo & penes Græcos interdum contigerit fuiſſe proprium [l] alicuius viri? Deinde, quamuis ea ſcripta eſſent ad Romanum Pontificem; cum non dicat Iuſtinus illam corruptionem factam eſſe Romæ, qua ipſi auctoritate eam illi Eccleſiæ impingunt; & non potius, quod Romani Epiſcopi muneris eſſet non tantum Eccleſiæ Romanæ proſpicere, ſed omnibus vbiq; poſitis, intelligant Iuſtinum monuiſſe illum, vt quæ alibi à recto ſanctarum traditionum tramite declinaſſent, auctoritate ſuâ in priſtinum reſtituenda curaret? Deniq; etſi Iuſtinus intellexerit de ijs quæ Romæ agerentur; cum conſtet diuerſarum ſectarum hæreticos tunc in Vrbe fuiſſe, quid tam mirum erit, Iuſtinum admonuiſſe Pontificem vt ſaluti gregis ſui conſuleret? Ceterum ea nequaquam de Romanæ Eccleſiæ doctrina vel diſciplina corrupta accipi poſſe, abunde probat ſinceriſſimus eiuſdem temporis auctor S. Irenæus, dum in ſuis ſcriptis (quæ conſtat poſt Iuſtini martyrium edidiſſe, cum in eis Eleutheri Papæ meminerit) luculentiſſimum [m] profert de conſeruata ſemper à Romana Eccleſia Apoſtolicæ fidei & traditionis integritate teſtimonium.

[l] Eſt eius nominis memoria, inſignis martyris Lycaonis in Menol. & Martyrol. 16. Mart.

ECCLESIAE ROM. IVGIS INTEGRITAS.

[m] Iren. lib. 3. cap. 3. 4.

IV. DE NOMINE PAPÆ. *[n] Hæc diſp. excerpta eſt ex Not. Ba. ad Rom. Martyrol. 10 Ianuar.*

Sed vt eius Iuſtini epiſtolę occaſione, aliquid de nomine PAPÆ [n] dicamus, putarunt nōnulli eam vocem complexam eſſe ex duabus dictionibus, vt idem ſit PA. PA. quod Pater Patrum, meritoq; Romano dumtaxat Pōtifici tribui ſolitam: quippe PA. pro Patre poſitum in Saliari carmine, teſtatur Feſtus. Verum ne in his refellendis multum immoremur, ſciendum eſt quod etſi eiuſmodi titulus PATER PATRVM, tribui conſueuit Romano Pontifici, vt totius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopo; nihilominus PAPÆ nomen diuerſo modo acceptum fuerit à maioribus: ſicut inter alia antiquarum inſcriptionum exempla; apparet ex epigraphe epiſtolæ Synodi Epiri ad Hormiſdam Papam ſcriptæ, *Synodus veteris Epiri Domino noſtro per cuncta ſanctiſſimo Patri Patrum, Comminiſtro, ac Principi Epiſcoporum Hormiſdæ Papæ.* Cum enim Hormiſda & *Pater Patrum*, & *Papa*, vna eademque Inſcriptione dicatur, plane conſtat diuerſæ ſignificationis eſſe voces.

V. *[o] Walfr. de reb. Eccleſ. cap. 7.*

Porro germana eſt eius interpretatio, vt à Græca voce πάππας, id eſt Pater, deſcendat: eoq; ſenſu (vt ſcribit Walfridus [o] Strabo) tranſiit in dignitatis nomen, vt clerici venerandi eo nomine appellarentur. poſtea tamen cœpit eſſe peculiare Epiſcoporum, vt ij Papæ dicerētur; vt ſunt de his innumera exempla apud Cyprianum, Hieronymum, Auguſtinum, Ruffinum, Prudentium, Seuerum, Sidonium, Fortunatum, & nouiſſime apud Eulogium Cordubenſem qui floruit anno Domini octingenteſimo quinquageſimo. Vſq; enim ad illud tempus, id nomen cōmune fuit omnibus Epiſcopis: licet peculiarius tributi conſueuiſſe Romano Pontifici, quiſq; facile obſeruare poterit tam ex epiſtolis Caſſiodori, quàm ex aliis antiquis monumentis; atq; inſigniter ex Actis Synodi Toletanæ Primæ ſub Anaſtaſio Papa Primo, & Quintæ [p] Vniuerſalis ſub Vigilio. Cum autem ſequentib. temporibus obtinuiſſet communis vſus, vt tantummodo Romano Pontifici tribueretur; & ſchiſmatici illud ſibi in odium eiuſdem Romani Præſulis faſtu ſuperbo vendicarēt; demum Gregorius Papa Septimus, Concilio Romæ aduerſus Schiſmaticos habito anno Domini milleſimo ſeptuageſimo quinto, Pontificatus ſui tertio, Indictione decimatertia, ſtatuit inter alia plura vt PAPÆ nomen vnicum eſſet in toto Chriſtiano Orbe, nec liceret, alicui ſeipſum vel alium ea nuncupatione inſignire: prout conſtat ex Actis eius Synodi, quæ habentur in Regeſto Epiſtolarum illius Pontificis in Bibliotheca Vaticana. Sed & ſeruaſſe id ipſum Græcos, vt Nomine Papæ Romanum Pontificem intelligant, ex Nicetæ Choniatæ aliorumq; ſcriptis apparet. At de his ſatis.

[p] Syn. V. act. ſeſ. 2. QVANDO PECVLIARE REMANSIT ROMANO PONT.

VI.

Hoc eodem anno, cum Celadione Epiſcopus Alexandrinus ſediſſet annos quatuordecim, ex hac vita migrans, ſucceſſorem habuit *Agrippam* ſiue *Agrippinum*, qui præfuit annis duodecim. Ita quidem Euſebius [q] in hiſtoria, licet in Chronico numerus annorum Agrippini vltra annos quatuor lapſus eſſe reperiatur; & diuerſis Imperatorum annis horum ipſorum Epiſcoporum (quod & in pleriſque aliis accidit) vtrobique apud eumdem auctorem ingreſſus atque exitus ponantur.

[q] Euſ. 4. hiſt. 15. & 5. hiſt. 9.

IESV CHRISTI AN. 166.167. PII 9.

M. AVREL. L. VERI AN. 45.

ANICETI 1.

I.

ANnum Chriſti centeſimum ſexageſimum ſextum, Iulio Macrino & Cornelio Celſo Coſſ. ieiunum rērum Eccleſiaſticarum prætерimus.

II. PII PP. MARTYRIVM. *[a] Martyrol. Rom. & alia.*

Anno vero centeſimo ſexageſimo ſeptimo Attio Pudente & Gabino Orfito Coſſ. vndecima Iulij *Pius* [a] Papa martyrio coronatus eſt, cum ſediſſet annos nouem, menſes ſex, tribus minus diebus. Longius enim erratur in libro de Romanis Pontificibus, dum pro nouem annis poſiti ſunt decem & nouem. Sane quidē Euſebius in Chronico, cum annos tantū quatuor tribuit Hyginio qui præceſſit Pium, poſtea vſq; ad Anicetum Pii ſucceſſorem decem numerat, quibus Pium ſediſſe oportuit: cui hęc dicēti potius aſſentimur, quā cum alibi [b] tribuit annos quindecim: priori n. ſententiæ propius accedit vetuſtiſſimā Creſconiana Collectio. Sepultus aūt dicitur in Vaticano.

[b] Euſ. 4. hiſt. 10.

III. DE EPIST. PII PP. *[c] To. 1. Bibl. S.*

Extant [c] duæ eius Epiſtolæ ad Iuſtum Epiſcopum Vienenſem in Gallia paulo ante obitum ſcriptæ; perbreues illæ quidem, ſed plane aureæ, & quæ ſimpliciſſimum illum antiquitatis candorem in omnibus præſeferre noſcuntur. Leguntur item duæ aliæ eiuſdem Pontificis prolixiores, de quibus alii diſſeruerint: inſuper & complurā eiuſdem decreta, quæ tum à Gratiano diuerſis in locis relata ſunt, tum in vnum collecta poſt eaſdem epiſtolas habentur. Cum autem poſt eius necem ſedes vacaſſet dies quatuordecim ſuffectus eſt in locum eius ANICETVS natione Syrus filius Ioannis.

ANICETVS PAPA.

IV. *[d] Euſ. 4. hiſt. 14. & lib. 5. cap. 24.* POLYCARPI ROMAM ADVENTVS PRO QVAEST. PASCH.

Quo Eccleſiam adminiſtrante, S. POLYCARPVS Smyrnæ Epiſcopus & S. Ioannis Euangeliſtæ diſcipulus, Romā venit (quod ex Irenæo refert Euſebius [d]) vt diſſidia quæ de tempore celebrandi Paſchatis eſſent oborta, cōponeret. Addit verò idem auctor, ita de illis inter eos tranſactum eſſe, vt cum neuter alterum in ſuam ſententiam perducere potuiſſet (defendebat Polycarpus Aſianorum opinionem, de Paſchate celebrando decimaquarta Luna) nihilominus communicauerint inter ſe mutuò, ac tandem in pace diſceſſerint ab inuicem. Qua de re meminiſſe oportet (quod alias dictum eſt ſic ſtatuiſſe olim Apoſtolos, celebrandum Paſcha die Dominico, vt tamen ſicut in multis aliis, Iudaizantes adhuc complures Chriſtianos, eos nimirum qui eſſent ex circumciſione; quorum ingens erat in Aſia numerus, æquanimiter tolerarent. Sed de his rurſum inferius. Quod vero Hieronymus [e] dicit, Polycarpū veniſſe Romam ad Anicetum temporibus Antonini Pii; vel ſecutus eſt Chronicon Euſebii, qui ſub Imperatore Pio ponit Anicetum, vel potius & ipſe (ſicut alias vidimus) poſt Hyginium Papam poſuit Anicetum.

[e] Hier. de Script. Eccleſ. in Polycarp.

V. *[f] Iren. lib. 3. c. 3. [g] Euſ. 4. hiſt. 14.* POLYCARPVS MVLTOS HÆRET. ROMÆ CONVERTIT.

Tradit inſuper poſt Irenæum [f] Euſebius [g], cum eodem tempore Marcion ille ſceleſtiſſimus hæreſiarcha, de quo dictum eſt ſuperius, Romam veniſſet, & aliquando occurriſſet Polycarpo, ac rogaſſet, *Cognoſcis nos?* Polycarpum reſpondiſſe, COGNOSCO TE PRIMOGENITVM SATANÆ. Sed & eumdem Polycarpum, ex eo quod cum Apoſtolis verſatus eſſet magnam apud omnes exiſtimationem conſecutum, complures eorum quos Marcion ac Valentinus (nam & hunc, æque ac Cerdonem pariter hæreſiarcham, his temporibus Romæ fuiſſe, iam antea dictum eſt) ſeduxerant, ad veram religionem reduxiſſe, iidem auctores affirmant. Porro Marcionem Romæ primo fidem Catholicā ſimulaſſe, ſed & vt illi Eccleſiæ ſe ex animo adhæ-

hæreſe demonſtrat, ducenta ſeſtertia ei contuliſſe, verum poſtea ad vomitum redeuntem, ſub Eleuthero Papa cum ſuis ſeſtertiis eiectum eſſe; Tertullianus [i] eſt auctor. Agetur itaque de illo rurſum inferius.

i Tert. de praeſc. cap. 30.

VI. MARCELLINA HÆRET.

k Iren. lib. 1. cap. 24. l Epiph. hær. 27.

Ceterum præter hos quos diximus hæreticos, Romã quoque ſub Aniceto ſe contuliſſe procacem feminam MARCELLINAM, ſectatricem nefandiſſimæ ſectę Gnoſticorum, ac multos ſeduxiſſe, Irenæus [k] Epiphanius [l], & alii teſtantur. Tantum autem abeſt (quod & alias dictum eſt (vt Romana Eccleſia eiuſmodi hæreticorum ſordibus fuerit inquinata; vt huius temporis ſcriptores, ad eos errores redarguendos, Romanæ Eccleſiæ in medium adducant fidei quam ab Apoſtolis acceperat, integram puritatem ac ſolidam firmitatẽ. Et S. *Hegeſippus* ex Iudæo Chriſtianus factus, Theologorum eruditiſſimus, ac ſcriptor celeberrimus (quem pariter ſub eodem Aniceto Romam veniſſe, & ibi permanſiſſe vſque ad Eleutherum, Euſebius [m] ac Hieronymus [n] ex eius ſcriptis collegerunt) indubitanter aſſerit [o], vſque ad eumdem Eleutherum ſub quo ea ſcribebat, nullam fuiſſe Eccleſiam, in qua non ita ſeruata fuiſſent omnia vt Lex præſcripſerat, docuerant Prophetæ, & Dominus ipſe prædicauerat.

MIRA CONSENSIO ECCLESIARVM.

m Euſeb. 4. hiſt. 21. n Hier. de Script. Eccleſ. in Hegeſip. o Ap. Euſeb. ibid.

IESV CHRISTI ANN. 168.169.

M. AVREL. L. VERI AN. 6.7.

ANICETI AN. 2.3.

I.

a Capitol. in Marco.

b Euſeb. in Chron.

ANno Chriſti centeſimo ſexageſimo octauo, Seruilio Pudente & Suſidio Pollione Coſſ. Parthico bello poſt quinquennium abſoluto [a], Lucius Imperator qui illud geſſit, vna cum Marco triumphauit anno ſexto [b] eorumdem Imperij.

II. PERSECVTIO ACRIVS SÆVIT.

Anno vero centeſimo ſexageſimo nono, Lucio Aurelio Vero tertium, & Vinidio Quadrato Coſſ. cum magnus metus ex Marcomannico bello immineret, M. Aurelius Imperator vndique ſacerdotes acciuit (inquit Capitolinus) peregrinos ritus impleuit; Romam omni genere luſtrauit, & Romano ritu per ſeptem dies lectiſternia celebrauit. At ſi (vti moris erat) iis temporibus quærebantur à diis reſponſa, eadem fictionibus Gentilium ſacrificulorum in necem Chriſtianorum conſpiraſſe, & quaſi prætextu placandorum numinum, & victoriæ ab hoſtibus adipiſcendæ, eos eſſe tollendos reſpondiſſe, par eſt exiſtimare. Sic enim eo prætextu hoc eodẽ bello Marcomannico, neci traditos eſſe Mediolani SS. fratres Geruaſium & Protaſium. eorum Acta [c] teſtantur, quæ S. Ambroſij nomine conſcripta habentur: etſi alij ad alia tempora illorum martyrium referunt.

c Ap. Sur. 19. Iunii.

III. POLYCARPI MARTYRIVM.

Cum autem huiuſmodi prætextibus, vel aliis obortis occaſionibus qui inter Chriſtianos eſſent omnium ſpectatiſſimi ad necẽ quærerentur; accidit etiam vt S. POLYCARPVS (de quo nuper dictũ eſt) Smyrnenſis Epiſcopus, Apoſtolorum diſcipulus, & totius Aſiæ princeps & doctor, ipſiſque Gentilibus vſque in hanc diem poſt tot tantaſq; perſecutiones reuerendus; ibidẽ Smyrnæ inter multos alios Chriſtianos neci traditos, quã ſit⁹ pariter ad martyrium, illud feliciter cõſummauerit hoc ipſo anno ſeptimo M. Aurelij Imperatoris, vt ſcribit Euſebius [d]. Qui quidem cum clamore vulgi, in amphitheatro aliorum Chriſtianorum necem ſpectantis, petitus & ductus, audita in ipſo ſtadii ingreſſu voce de cælo. FORTIS ESTO POLICARPE, ET EXCELSO ANIMO REM GERE; inſignẽ corã Proconſule & vniuerſo populo, nominis Chriſtiani confeſſionẽ, igni traditus, cum ab eo minime læderetur, gladio confoſſus eſt, tantamque effudit ſanguinis copiam, vt ignem prorſus extinxerit: cuius corpus Gentiles ſimul & Iudæi poſtea igni combuſſerũt, ne (vt dicebant) Chriſtiani illud Crucifixo relicto venerarentur, quod ſcilicet Chriſtianis ſolerent Martyrum corpora honori eſſe: ſicut & Polycarpi quæ ſuperfuerũt oſſa ac reliquias, eiuſdem Eccleſiæ Fideles colligentes honeſto loco repoſuerunt, eiuſq; diem natalem ſolemni cultu celebrare cœperunt. Porro harum rerum omnium geſtarum Acta, ab eadem Smyrnenſi Eccleſia exacte tunc deſcripta, & omnibus vbique Fidelibus per epiſtolam communicata, recitat Euſebius [e] in Hiſtoria; eademque publice in Eccleſia legi olim conſueuiſſe, teſtatur [f] Gregorius Turonenſis. Paſſus autem aſſeritur in dicta epiſtola Polycarpus die feſto magni Sabbati: cuius memoria celebratur à Latinis vigeſimaſexta Ianuarii, à Græcis vigeſimatertia Februarii. Quoto vero ætatis ſuæ anno deceſſerit, ignoratur: ſed ipſemet coram Proconſule teſtat⁹ eſt, ſe iam octoginta ſex annos Domino ſeruiuiſſe; eumdemque valde ſenem martyrium conſummaſſe, Irenęus [g] teſtatur, qui ſe eius fuiſſe diſcipulum gloriatur [h].

d Euſeb. in Chron.

PIORVM STVDIVM ERGA SS. RELIQ.

e Euſ. 4. hiſt. 14. f Greg. Tur. de glor. mart. cap. 89.

g Iren. lib. 3. c. 3. h Id. ep. ad Florin. ap. Euſ. 5. hiſt. 19.

IV. POLYCARPI SCRIPTA.

i Hier. in Polycar. k Iren. d. ep. ad Florin.

De eius autem ſcriptis, pręter epiſtolam quam ab eo ad Philippenſes ſcriptam ſuperius vidimus, quamque legi olim publice in Eccleſia conſueuiſſe Hieronymus [i] teſtatur, affirmat Suidas ipſum pariter ſcripſiſſe ad Dionyſium Areopagitam, & ad alias Eccleſias: quod de Eccleſiis, aliiſque Fratribus, teſtatur etiã Irenæus [k]. Sed & in antiquis tabulis Eccleſiaſticis memoriæ proditur, quoſdam alios eius diſcipulos ab eo in Gallias eſſe miſſos. Mutuam ſane quamdam inter Aſianos Chriſtianos & Gallos interceſſiſſe amoris & conſuetudinis coniunctionem, tum Polycarpi de eis adeo bene merentis declarat ſtudium, tum Lugdunenſium & Viennenſium ad Aſianos [l] literæ indicant. Idq; proueniſſe putandum, vel ex amicitiæ vſu inter Dionyſium, qui dictus eſt Galliarum Apoſtolus, & ipſum Polycarpum; vel quod Polycarpus ad Anicetum Romam veniens, illos diſcipulos ſecum ex Aſia ductos, prædicandi Euangelii gratia in Gallias amandarit.

GALLI ET ASIANI CHRIST. CHARITATE CONIVNCTI.

l Ext. ap. Euſ. 5. hiſt. 1.

IESV CHRISTI AN. 170.

M. AVRELII, ET L. VERI AN. 8.

ANICETI AN. 4.

I. PESTIS INGENS DEPASCITVR ROM. IMP.

a Euſeb. in Chron. b Capitol. in Marco. c Id. in Luc. Vero.

ANno Chriſti centeſimo ſeptuageſimo, Vettio Paulo & Iunio Montano Coſſ. anno octauo Imperii Marci & Lucii, lues magna (inquit Euſebius [a]) prouincias occupauit, Romam ex magna parte vexauit. Eamdemque Capitolinus [b] tempore apparatus expeditionis Marcomannicæ, cum M. Aurelius totus eſſet in conciliãda ſibi deorum gratia exortam tradit: natam [c] vero in Babylonia; vbi de templo Apollinis ex arcula aurea, quẽ miles forte inciderat, ſpiritus peſtilens euadens, inde Parthos, Orbemque compleuit; ſed à Lucio Imperatore ab Oriente in eas omnes prouincias delatam per quas rediit, Romam vſq;. Galenus [d] eamdem appellat maximam; atque fuiſſe longiſſimam [e] ac perſimilem [f] ei quam Thucydides deſcribit: quando & ipſe Galenus Romæ agẽs, eius vitandæ cauſa in patriam [g] rediit. Adeo denique ſæuiit, vt cum depaſta eſſet innumeram Romanorum multitudinem, ad bellum Marcomannicum oportuerit [h] tandem ſeruos & gladiatores, & latrones, alioſque præter vſum armare. Præterea ingenti Tiberis inundatione, indeque ſecuta grauiſſima fame, Vrbem vexatam eſſe Capitolinus tradit.

d Gal. de praeſ. ex puls. lib. 3. cap. 3. e Id. de meth. vulg. lib. 3. agrit. 1. & li. 6. c. 29. f Id. ſimplic. medic. lib. 9. g Capitol. in vit. Gal. h Id. in Marco.

II. CHRIST. MALORVM OMNIVM CAVSA CREDITI.

i Tert. Apol. cap. 40.

Porro tantum abeſt vt Gentiles his cladibus, in vltionem ſanguinis Chriſtiani diuinitus immiſſis, afflictati ab eius effuſione ceſſarint, vt potius quod ſibi perſuaderent, eas ob ſpretum à Chriſtianis deorum cultum ab illis immitti, ſæuius in eos inſanire ſtuduerint, & quaſi auctores malorum omnium acerbius perſequi. Teſtatur enim iſta Tertullianus [i]: ac perſeuerauit eiuſmodi Gentilium querela, quamdiu ipſi fuere: adeo vt non ſolum ſub Imperatoribus Ethnicis frequenter Tertulliano, Cypriano, Arnobio, & alios compluribus Eccleſiaſticis tractatoribus, diluenda fuerit illa calumnia, quod poſtquam eſſe Chriſtiana religio cœpiſſet, multiformis cladibus affectum eſſet genus humanum: ſed & ſub Chriſtianis Imperatoribus, cum adhuc eadem procaciter obiectare Gentiles non deſiſterent, eorum cauſa Oroſius ſcribendas ſuſceperit hiſtorias ſuas, & Auguſtinus eruditiſſimum opus de Ciuitate Dei; de quibus dicetur ſuis locis.

III. THEOPHILI ANTIOCH. SCRIPTA.

Hoc eodem anno octauo Imperatorum, poſt Heronem Iuniorem Antiochenum Epiſcopum, qui ſedit annos viginti ſeptem, eligitur THEOPHILVS vir perquam

erudi-

eruditus; de cuius ſedis annis dicetur in obitu: lucubrationes autem, excellentis illius ingenii ac pietatis indices, relegerunt Euſebius [k] & Hieronymus [l]: extantque hactenus tres eiuſdem libri ad Autolicum, qui inter Gentiles cumprimis diſertus aduerſus religionem Chriſtianam ad ipſum Theophilum commentarium conſcripſerat; quem ille egregie confutans, & veritatem religionis Chriſtianæ demonſtrauit, & falſitatem Gentilitiæ ſuperſtitionis redarguit.

k Euſeb. 4. hiſt. 23.
l Hier. de Script. Eccleſ. in Theoph. & ep. 151 ad Algaſ. q. 6. & præf. in Matth.

IV. HERMOGENIS HÆRESES.

Ceterum quod iidem Euſebius & Hieronymus tradant, ſcriptum ab eodem fuiſſe librum aduerſus Hermogenem hæreſiarcham; neceſſe eſt affirmare, falli eos qui eius hæreſim poſt hæc tempora dixerunt in Eccleſiam erupiſſe. Docuit autem HERMOGENES in Africa; picturæque ſtudioſus, ex Chriſtianis tranſit ad philoſophos Stoicus, ex quibus conatus eſt inferre in Eccleſiam de materia ingenita, ex qua Dominus omnia fecerit opinionem; ab aliis vero ſectis, turpitudinem morum: aduerſus quem Tertullianus eruditum ſcripſit commentarium; quo & inſuper tradit, ipſum docuiſſe malum à materia prodiiſſe: ſed & ei adhæſiſſe ſodalem *Nigidium* quemdam, alibi [m] teſtatur. Addit vero Philaſtrius, eumdem dixiſſe corpus Domini in ſole eſſe repoſitum, diabolum autẽ & dæmones eſſe in materiam refundendos. Porro aduerſus eum ſcripſerunt, non tantum quos diximus Theophilus & Tertullianus, ſed & Origenes [n], Euſebius [o], & alii qui in Hexameron commentarios ediderunt.

m Tertul. de præſ. c. 30.
n Orig. Periar. lib. 1. & 2.
o Euſeb. de præp. Euang. lib. 7. cap. 8. 9.

V. QVI EX HERMOGENE PRODIERE.

Ex Hermogenis autem hæreſi, *Manichæorum* eſſe deductam, Gregorius [p] Nyſſenus docet; *Sabellianorum* quoque, Philaſtrius [q]. Hicque addit, Galatas homines SELEVCVM & HERMIAM eamdem de materia Deo congenita opinionem ſectatos, alia quoque addidiſſe; nempe quod Paradiſum viſibilem appellarent ex Platone, & animas hominum de igne & ſpiritu eſſe exiſtimarent: Angelos dicerent eſſe creatores animarum noſtrarum: mundum iſtum, infernum eſſe; & reſurrectionem in filiorum procreatione hanc eſſe, quæ fit in humano genere quondie, haud illam immortalitatis futuram & glorioſam expectantes. Sed & qui ab his deſcẽderant, *Hermiotitas*, dictos, alios quoque errores, quos recenſet, cumulaſſe tradit. Eos autem omnes *Hermianos* ab Hermia vel *Seleucianos* à Seleuco, niminat Auguſtinus [r]. Quod vero iidem auctores nonniſi cum agunt de Sabellianis, de Hermogene meminerunt; accepta eſt à quibuſdam erroris occaſio, vt putarint poſt Sabellium vixiſſe Hemogenem. Porro Hermogenis ſectatores, ab hæreſi quam aſſererent, *Materiarij* nuncupati ſunt à Tertulliano [s]: quos æque omnes *Hermogenianos* dictos, Lactantius confutat [t].

p Greg. Nyſſ. de hom. cap. 24. 25.
q Philaſtr. de hæreſ. c. 55. 56.
r Aug. de hæreſ. ad Quoduult. ca. 59.
s Tert. cont. Hermog. cap. 25.
t Lact. lib. 2. ca. 9.

M. AVREL. L. VERI AN. 9.

IESV CHRISTI ANN. 171.

ANICETI AN. 5.

I. LVCII IMP. OBITVS.

ANno Chriſti centeſimo ſeptuageſimo primo, Soſio Priſco & Cælio Apollinare Coſſ. cum ambo Imperatores Marcus & Lucius, ad Marcomannicam expeditionem iam diu ante præparatam, Roma exeuntes Alpes tranſcendiſſent, Lucius ſedens cum fratre in vehiculo, apoplexi arreptus periit: cuius corpus Romam aduectum eſt atque ipſe inter diuos à Senatu relatus; eodem Marco hæc omnia procurante, cum intermiſſo bello funus Lucii curaturus & ipſe Romã aduexiſſet. Hæc pluribus Capitolinus [a]. Porro in Lucii ſepulchro ad Hadriani molem poſito, inſcriptio legitur, qua erroris redarguitur tum ipſe Capitolinus, tum Aurelius Victor, qui dixerunt eum imperaſſe annos vndecim, cum nouem tantum reperiatur in ea inſcriptione Tribunitiis poteſtatibus auctus. Ex numero enim Tribunitiæ Poteſtatis, quæ ſingulis annis reperi conſueuiſſet, certam ſtabiliri chronographiam annorum cuiuſque Imperatoris, ſæpius auctore Dione [b] notaſſe meminimus.

a Capitol. in Marco.
b Dio lib. 53.

II.
c Gal. de pracog. ad Poſth. cap. 9.

Poſt hæc autem Marcus ſuſceptum Marcomannicum bellum proſecutus, eo diutius (vt docet Galenus [c]) detentus eſt. In quo accidit aliquando (quod Lucianus [d] recitat) vt falſo oraculo opera Alexandri impoſtoris (de quo ſuperius) tamquam ab Æſculapio prodito, idem Marcus Imp. inſigniter deceptus fuerit, & Romanus exercitus ingenti clade affectus, qua deſiderata ſunt viginti ferme militum millia. Sed quod ad LVCIANVM pertinet qui hæc ſcripſit; licet omnes affirment claruiſſe temporibus Traiani Imperat. tamen ex iiſdem ſcriptis liquido conſtat ad hæc tempora peruenifſe, atque etiam ſupergreſſum eſſe. Porro interiiſſe à canibus, quod rabiem ſuam contra veritatem Chriſtianam exercuiſſet, Suidas [e] tradit. Quod vero etiam dicat fuiſſe Antiochiæ concionatorem, inde complures exiſtimarunt eum fuiſſe religione Chriſtianum, ſed à fide apoſtatam in eamdem eſſe furioſe graſſatum. Sane quidem ex eius ſcriptis ſæpe citatis cognoſcitur, ipſum res Chriſtianas apprime calluiſſe.

d Lucian. in pſeudom.
FALSO ORACVLO DECEPTVS IMP.
e Suid. verb. Lucian.

M. AVREL. IMP. AN. 10.

IESV CHRISTI AN. 172.

ANICETI AN. 6.

I.
a Euſeb. in Chron.
MELITONIS APOLOGIA PRO CHRISTI.
b Euſ. 4. hiſt. 25.
c Hier. de Script. Eccl. in Melit.

ANno Chriſti centeſimo ſeptuageſimo ſecundo, Seuero Cathego & Iulio Claro Coſſ. M. Aurelii Imp. anno decimo [a], MELITO Sardenſis in Aſia Epiſcopus, pro Chriſtianis ſæua perſecutione exagitatis eidem Imperatori Agologeticum obtulit: quod quam neruoſum fuerit, & tanto Epiſcopo dignum, facile demonſtrãt pauca illa quæ ex eo accepta Euſebius [b] recitat, dum multiplicium eius lucubrationum ſeriem exactiſſime texit. Quas cum pariter Hieronymus [c] enumeret; neuter vero libelli *de Tranſitu Virginis*, eiuſdem Melitonis nomine decorati vllam mentionem fecerit: plane conſtat eum alterius potius, eiuſdemque recentis eſſe auctoris; quem omnes antiquos latuiſſe certum eſt, nec vel apicem continere Melitonis ac proinde apocryphum iure cenſendum.

II. SCRIPTORES ECCLES. HVIVS TEMPORIS.
d Euſ. 4. hiſt. 25. 26. & 5. hiſt. 16.
e Id. 4. hiſt. 20. 4. 27.
f Hier. de Script. Eccl.

At non Melitonem ſolum, ſed & *Apollinarem* Hierapolitanæ Eccleſiæ Epiſcopum fama conſpicuum, itemque *Miltiadem* eiuſdem temporis egregium Theologum, ſcripſiſſe libros pro fidei Chriſtianæ defenſione, idem teſtatur Euſebius [d], ſimul & reliqua ab eis edita ſcripta recenſent. Meminit [e] & aliorum huius temporis Scriptorum Eccleſiaſticorum, ſanctitate & doctrina egregie excultorum; puta Pinyti Gnoſiæ, & Philippi Gortynæ in Creta Epiſcoporum, itemque Modeſti & Muſani: quorum pariter omnium meminit S. Hieronymus [f]: ſicut & aliorum complurium de quibus nos aliàs opportunius; qui ſuis eruditiſſimis ſcriptis tum hæreſes inualeſcentes repreſſerunt tum Gentilium ſuperſtitionem exagitarunt, eorumdemque in Chriſtianos calumnias retuderunt.

M. AVREL. IMP. AN. 11.

IESV CHRISTI AN. 173

ANICETI AN. 7.

I.
a Euſ. in Chron.
DE MONTANO HÆRESIARCHA.
b Epiph. hær. 48.
c Ap. Euſ. 5. hiſt. 15.

ANno Chriſti centeſimo ſeptuageſimo tertio, Seuero & Herenniano Coſſ. Marci Imperatoris anno vndecimo (inquit Euſebius [a]) *Pſeudoprophetia* quæ κατὰ PHRYGAS nominatur, accepit exordium, auctoribus MONTANO, *Priſcilla* & *Maximilla*, inſanis vatibus. Verum Epiphanius [b] tradit eos fuiſſe circa annum decimum nonum Antonini Pii: Apollinaris [c] autem, qui eodem quo Montanus vixit tempore, ſub Grato Aſiæ Proconſule Montanum ad fidem veniſſe ac mox cœpiſſe ſe efferre ſuperbia. Porro mentio de Grato Conſule apud Caſſiodorum habetur anno quarto eiuſdem Pii Imperatoris. At poſſunt hæc ita conciliari, vt tria tempora Montani ac ſociorum conſiderentur: primum, cum iidem in Eccleſia viſi ſunt prophetare, ac miracula edere, & ab omnibus in admiratione ſunt habiti: ſecundum, cum de illis dubitari cœptum eſt: quæ duo tempora ſimul Euſebius [d] coniunxit: tertium, cum palam detecti hæretici atque impoſtores, ab Eccleſia ſunt penitus eiecti.

d Euſ. 5. hiſt. 3.

II. ROM. ECCLESIA MONTANVM RESPVIT.

Enituit tunc temporis quæ de Sede Petri impolluta ſeruanda viguit ſemper vigilans diuina prouidentia: cum videlicet Romanus Pontifex, qui falſis ipſorum aſſertionibus deceptus (conati ſunt enim quoquomodo Romanæ Eccleſiæ communicationem ſuffurari, quo ſicab vniuerſa Eccleſia Catholica viderentur eſſe recepti) pacificas eis literas dediſſet, eas continuo reuocauit, ſimul ac adueniens ex Aſia, vbi illi ſuos errores ſeminarent, Praxeas Catholicæ religionis tunc homo, de eorundem hæreſibus & impoſturis ipſum Romanum Pontificem certiorẽ reddidit. Teſtatur id quidem, ea de cauſa in Praxeam commotus Tertullianus [e], cum iam plane infelix in errores Mõtani delapſus eſſet, quas antea fortiter impugnauiſſet. [ee] Nec leuis certe Montani ac ſociorum fraus, tentatio fuit in Eccleſia: quandoquidem in omnibus ſpeciem pietatis præſeferrent, & donis prophetiæ ac miraculorum adparerent ornati: atque ideo (vt docent qui de iis [f] ſcripſere) non ſolum ſcripturas omnes cum Catholicis reciperẽt, ac de Patre, Filio, & Spiritu Sancto paria cum Eccleſia ſentirent: ſed & diſciplinam Eccleſiaſticam arctiſſime ſeruare ac ieiunia, continentiam, martyria, aliaque cuncta quæcunque in pretio eſſent apud Catholicos, excolere diligentiſſime curarent. In quo videas ſubdolum diaboli conſilium: qui cum nihil per Gnoſticorum & aliorũ quos retulimus hæreticorum turpitudines profeciſſet aduerſus Eccleſiam; eamdem iam contrariis armis per ſanctitudinis ſpeciem expugnare conatus eſt.

e Tert. aduerſ. Prax. c. 1.
ee Id. de præſcript. c. 52.
MAGNA TENTATIO MONTANI HÆRESIS.
f Euſ. 5. hiſt. 3. Philaſt. de hæreſ. ca. 50. Epiph. hær. 48. Theod. hær. fa. li. 3. & alii.

III. DE MONTANI EXORDIO, PROGRESSV, ET FINE.
g Hie. ep. 54. ad Marcel.

Quod vero ad ipſum Montanum ſpectat inprimis S. Hieronymus [g] cum abſciſſum & ſemiuirum appellans, eunuchum fuiſſe declarat. Qui quidem nuper baptizatus, propriæque excellentiæ gloria elatus, inſatiabili primatus cupiditate incẽſus, malo arreptus ſpiritu, furioſo impetu ac peregrinis vocibus prophetam cœpit profiteri: nactus ad eam rem duas quas ſeduxit & à maritis abduxit, nobiles & opulentas mulieres *Priſcam* (quam alii *Priſcillam* nominant) & *Maximillam*: quas pariter maligno ſpiritu afflatas, atq; arreptitias prophetare docuit: ac per illas (inquit Hieronymus [h]) multas Eccleſias primum auro corrupit, deinde hæreſi polluit. Dicta eſt autem hæreſis *Kata Phrygas*, quod prædicti eius auctores ex Phrygia orti eſſent, eiuſque ſectatores maxime illic verſarentur. Sed de Montani primordiis, progreſſibus ac dogmatibus: denique ipſius pſeudoprophetiſſarum artibus & ſeductionib⁹, falſiſq; vaticiniis: item de eorũdem damnatione in frequentibus Synodis ab Epiſcopis Aſiæ & aliis facta: ac demum de eiuſdem ſectæ quos ipſi iactabant pſeudomartyribus, plura recitantur apud Euſebium [i] ex Claudii Apollinaris Hierapolitani Epiſcopi, ac Miltiadis, Apollonii, & Serapionis, præſtantiſſimorum horum temporum Theologorum commentariis aduerſus eoſdem Cataphrygas editis: ſicut & eoſdem condemnatos fuiſſe in diuerſis Conciliis ab Epiſcopis Græciæ, Tertullianus [k] inſinuat. Cæterũ ipſũ tandẽ Montanũ cum ſua Maximilla dæmonũ impulſu qui in illis inhabitabant, laqueo ſibi mortẽ conſciuiſſe, & eundem cum Iuda proditore vitæ exitum adeptos eſſe: ſed & *Theodotum*, qui primus illius commẽtitiæ prophetiæ quaſi procurationem ſuſceperat mente captũ fraudulento ſpiritui ſe ipſum concrediſſe, & ab eo ſublimem aliquando in aerem ſublatum, ac derepente præcipitem deiectum, miſere periiſſe: apud eundem Euſebium [l] Apollinaris teſtatur. Addit autem Epiphanius [m], Maximillam aſſeruiſſe, non amplius poſt ſe futuram Prophetiſſam, ſed venturam conſummationẽ ſæculi eiuſq; vaticinii falſitatẽ coarguit.

h Id. ad Cteſiph.
CVR DICTA HÆRESIS CATAPHRYGVM.
i Euſ. 5. hiſt. 15 & c.
k Ter. de ieiun. aduerſ. Pſych. c. 13.
l Euſ. 5. hiſt. 15.
m Epi. hær. 48.

IV. MONTANI DOGMATA.

Sed quod ad Montani praua dogmata pertinet: qui de illis ſcripſerunt, aiunt primum eius & maximum errorem, à quo fluxerũt cæteri, fuiſſe quod diceret ſe eſſe PARACLETVM illum ſpiritum veritatis, qui promiſſus eſſet Apoſtolis (quo etiam nomine ſæpe eum citat Tertullianus [n]) ac proinde negaret Apoſtolos accepiſſe Spiritum Paracletum. Et de Trinitate Montaniſtas docuiſſe quod poſtea Sabellius, nempe Trinitatis vnicam eſſe perſonam teſtatur S. Hieronymus [o]. Vnde & potuit accidiſſe, vt qui ſe Paracletum diceret, idem quoque ſe eſſe Deum Patrem Omnipotentem impudentiſſime affirmaret; quod de illo tradit Epiphanius [p]. Quæ quidẽ ſi vera ſunt, falſum eſſe oportet ꝙ vidimus eundẽ Epiphanium alioſq; dixiſſe Montanũ de Patre, Filio ac Spiritu Sancto eadem ſenſiſſe quæ Eccleſia Catholica. Equidem hæc omnia arbitror iactata potius à Montaniſtis, quam à Montano: Nam nec Tertullianus, qui eum nominat Paracletũ, nec aliquis eorum qui Montani ſæculo vixerunt, & aduerſus eum ſcripſerũt, quicquam huiuſmodi de Trinitate ſenſiſſe demõſtrãt. Sicut nec illud de Sabellianiſmo ſenſiſſe Mõtanũ, nec Montaniſtas quidẽ oẽs, ſed ex eis aliquos, affirmat Theodoretus [q]: nẽpe quos Tertullian⁹ [r] vocat κατὰ Æſchinem.

n Tert. de fug. in perſecut.
o Hie. ep. 54.
p Epip. hær. 48.
q Theodor. hær. fa. li. 3.
r Tert. de præſcr. c. 52.

V. QVID DE SP. S. MONTANVS.

Nec itẽ credimus, licet dixiſſet ſe eſſe Paracletũ, ſignificare voluiſſe ipſum Paracletum humanam accepiſſe carnem, & illum ipſum ſe eſſe Montanum, vel ſe abſque carne ſpiritum tantum eſſe (nam nullus plane eſt, qui id aliquando de illo dixerit) ſed eo nomine à Tertulliano vel aliis appellatum putamus, quod diceret ſe illum accepiſſe Spiritum Paracletum, quem Chriſtus pollicitus fuerat à Patre mittendum: ſeque illum maiori [s] abundantia quam feciſſent Apoſtoli aliis impertiri: quippe licet Spirit⁹ Sanctus in eis fuiſſet, non tamen fuiſſet Paracletus: hunc vero ſe omnimoda plenitudine accepiſſe, immo eũdem ipſum Paracletum in ſe ac ſuos deſcendiſſe, & plura [t] in ipſis docuiſſe, quam Chriſtus in Euangelio protuliſſet: nec tantũ plura, ſed meliora atque maiora. Ea quippe ratione ſecundas nuptias, quas non reiicit Apoſtolus, ipſe tanquam maiori ſcientia præditus vt fornicationem damnauit: atq; inſuper, quod nec Chriſtus nec Apoſtolus admiſiſſet, nuptiarum docuit ſolutionem nimirum occaſione ſuarum pſeudoprophetiſſarum, quas à maritis abduxiſſe Apollonius [u] & alii teſtati ſunt.

s Philaſt. de hæreſ. c. 50.
t Tert. de præſc. c. 52.
u Ap. Euſ. 5. hiſt. 17.

VI. IEIVNIA MONTANI QVALIA.
x Hie. ep. 54

Sic etiam ieiunia quædam noua & penitus inuſitata (ꝙ iidem auctores aſſerunt) in Eccleſiam conatus eſt introducere: de quibus agens Hieronymus [x], ait Montaniſtas tres in anno feciſſe Quadrageſimas quaſi tres paſſi eſſent Saluatores. Non quidem quod diceret Montanus ſe tertio Quadrageſimale ieiunium repetere, quod tres paſſi re vera eſſent Saluatores: cum vna tantum ea ratione in Eccleſia ex traditione Apoſtolorum poſt Chriſti paſſionem ſit ſolita celebrari: ſed alias ab hac diuerſas prætexebat ieiuniorum cauſas, quas refert Tertullianus [y]: nempe ad auertendas imminentes clades & tentationes, itemq; ad exercendam ſobrietatis & abſtinentiæ diſciplinam. Quæ licet bona per ſe eſſent: ab Eccleſia tamen Catholica penitus reiecta ſunt, tum ne Spiritum Montani comprobaſſe viſa eſſet, tum quod non Montani, ſed Epiſcoporum eſſet munus (quod ipſe etiam Tertullianus docet) indicere ieiunia, præſertim cum ad ea ſeruanda vniuerſa obliganda eſſet Eccleſia: hoc enim Montanum voluiſſe, plane declarat Hieronymus: ſed & Tertullianus non obſcure ſignificat, cum ſæpius in Catholicos inuehitur quod à Paracleto tradita ieiunia non ſeruarent. Ex quibus apparet, quam agant calumnioſe qui ſanctos monachos, alioſque regulares plura in anno Ieiunia ſeruantes, Montanizare dicũt: nam huiuſmodi leges, non vt Montani, vniuerſæ præſcriptæ ſunt Eccleſiæ: ſed illis tantum qui arctiori diſciplinæ vinculo, ſua ſponte ſe voto ad ea ſeruanda obligarint quamdiu idoneæ vires ſuperfuerint.

y Tert. aduerſ. Pſych. cap. 11.

VII. QVID DE FVGA IN PERSECVT. MONTANVS.

Aſſeruit præterea Montanus [z] Prophetas in extaſi eſſe locutos, adeo vt nec ipſi ſcirent quid dicerent. Item martyrii tempore nequaquam fugiendum eſſe, ſed loco ſiſtẽdum, immo nec quauis occaſione martyrium redimere licere: quod ex eiuſdem Paracleti auctoritate Tertullianus [a] pluribus ſcripto de ea re commentario diſputauit: cũ tamen ex Apollonio [b] liqueat, eiuſdem ſectæ virum eorum opinione celebrem, ingenti collata pecunia ſe à martyrio redemiſſe. Cæterum & in hoc ſubdolum conſideres diaboli conſiliũ, qui quod cerneret nihil profeciſſe per Gnoſticos, & alios quos vidimus negaſſe ſubeundum eſſe pro Chriſto martyriũ, mox contrariam hic ſtruẽs aciem, Chriſtianos ſua ſponte ſatis ad martyrium properantes in præceps agere cõtendit quo omnes ſe neci dederẽt, & ſic Eccleſia Chriſti omnino deficeret. Præter hæc etiam animã eſſe corpoream, coloratam, & anthropomorphitam, quã-

z Hie. in ep. ad Epheſ. li. 2. c. 3.
a Tert. de fug. in perſecut.
b Ap. Euſ. 5. hiſt. 17.
ALIÆ IPSIVS IMPIETATES.

dam ex

c Tert. de anima. c. 9.

dam ex Montani Propheriſſis docuiſſe, idem Tertullianus c qui omnes illorum errores ſectatus eſt, declarat.

VIII.
d Hie. ep. 54.

Rurſum de Montaniſtis ac Cataphrygibus Hieronymus d tradit, eos docuiſſe Deum primum in veteri Teſtamento voluiſſe per Moyſen & Prophetas ſaluare mũdum; ſed quia non potuiſſet explere, corpus ſumpſiſſe de Virgine, & in Chriſto ſub ſpecie Filii prædicantem, mortem obiiſſe pro nobis: quod vero per duos gradus mundum ſaluare nequiuiſſet, ad extremum per Spiritum Sanctum in Montanum, Priſcam, & Maximillam deſcendiſſe. Addit inſuper idem auctor, eoſdem hæreticos collocaſſe Epiſcopos tertio loco, qui apud Catholicos Apoſtolorum locum tenent. Habuiſſe enim primos de Pepuza Phrygiæ oppido *Patriarchas*, ſecundos quos appellabant *Cenones*, tertios demum *Epiſcopos*; quaſi exinde ambitioſior religio fieret, ſi quod apud nos primum eſt, apud illos nouiſſimum eſſet. Sed & vſque adeo rigidos fuiſſe, vt ad omne pene delictum Eccleſiæ obſeruarent fores; non quod ipſi peiora non peccarent, sed quod erubeſcerent confiteri peccata quaſi iuſti.

MONTANISTARVM RIGOR.

IX.
e Philaſt. de hær. c. 50.
NEFANDA EORVM MYSTERIA.

Habet inſuper Philaſtrius e, eoſdem Cataphrygas conſueuiſſe mortuos baptizare. Ferebaturq; de iis horrendum illud quod in ſuis myſteriis infantis aniculi ſanguinem, quem de toto eius corpore minutis punctionum vulneribus extorquerent, miſcentes farinæ Euchariſtiam inde ſibi conficerent: iſque puer ſi mortuus fuiſſet, apud illos celebraretur pro martyre: ſi vero vixiſſet, pro magno Sacerdote. Referunt iſta, vt de re vulgata, Hieronymus f, Epiphanius g, Philaſtrius h, Auguſtinus i, & alii; ſed nullus eorum pro certo affirmat, immo Theodoretus k aſſerit ſolitos id Cataphrygas negare, & calumniam appellare. Certe à Montano factum non credimus, cũ nullus antiquorum qui longe his minora exaggerarent, eiuſmodi ſcelus in eum intulerint. Sed tale quid his temporibus à Gnoſticis perpetrari, dictum eſt ſuperius. Num vero qui à Montano prouenerunt hæretici (puta *Quintilliani* dicti, quibus id tribuere mauult Epiphanius) eadem factitarint, aliorum ſit iudicium.

f Hie. ep. 54.
g Epiph. hær. 48.
h Phil. d. c. 50.
i Au. de hær. ad Quoduultd. cap. 26.
k Theo. hær. fab. l. 3.

X.
SECTÆ DIVERSÆ MONTANISTARVM.
l Tert. de præſ. c. 52.

Certe quidẽ ipſo ſectæ Montani exordio, aſſeclas eius inter ſe diuidi cœpiſſe, ac quemque ex ſuo nomine ſectam confeciſſe, Tertul. l cum ſanioris mentis eſſet teſtatus eſt, & alios κατὰ Phrygas, alios κατὰ Proclum, & alios κατὰ Æſchinẽ dictos eſſe affirmat. & qui κατὰ Æſchinẽ eſſent, priuatã habuiſſe blaſphemiam, q; dicerent Chriſtum ipſum eſſe Filium & Patrem. De Proclo vero opportunius inferius. Recenſet etiam inter Montani deſcendentes Epiphanius m, *Traſcodrugitas* ſeu dicas *Perticonaſatos*, quod dum orarent digitum indicem naſo imponerent: triſtitiæ nimirum & vltroneæ iuſtitiæ gratia: *Traſcus* enim apud ipſos pertica appellabatur, *Druſus* vero naſus ſiue roſtrum. Qua eadem ratione apud Philaſtriũ n, & Auguſtinum o, *Pattalorincitæ* ſiue *Paſſalorincitæ* hæretici vocantur; qui videlicet in tantum ſilentio ſtuderent, vt naribus & labiis ſuis digitum apponerent, ne vel ipſam taciturnitatem voce præriperent quando tacendum ſibi eſſe arbitrarentur: πάτταλος enim palũ ſignificat, & ῥύγχος naſum. Quod enim naſus eſſet iudicii ſignum, & digitus hieroglyphicũ dimenſionis, vt eſt apud Orum Apollinem; digito naſum tangere, idem ſignificare videbatur quod recto iudicio cuncta metiri, ac diiudicare: cum & alioqui iactarent ſe imitari Prophetam dicentem p, *Pone Domine cuſtodiam ori meo & oſtium circumſtantiæ labiis meis.*

m Epiph. hær. 48.
n Philaſt. c. 77.
o Aug. c. 63.
p Pſal. 140.

XI.
ALIA GENERA MONTANIST.
q Apollon. ap Euſ. 5. hiſt. 17.
r Philaſt. c. 76.

Numerat inſuper Epiphanius inter Montani deſcendentes, *Quintillianos* à Quintilla dictos, *Priſcillianos* à Priſcilla pſeudoprophetiſſa Montani, & *Pepuzianos* à Pepuza vico Phrygiæ, quem & Hieruſalem q nuncupabant, & omnes vndique eo conuenire, cupiebant: apud quos (vt ait) Epiſcopi presbyteri erant fœminæ. Addit & *Artotyritas*, ſic dictos eo quod in myſteriis ſuis apponerent panem & caſeum. Quod vero & *Teſſaredecatitas*, quos dicimus *Quartodecimanos*, ab iiſdem prognatos eſſe affirmat; equidem illorum puto eſſe aliam rationem, de quibus inferius dicturi ſumus. Habet præterea Philaſtrius r *Aſcodrogitas*, qui Montani Paracleto ſe plenos eſſe iactantes inſanis mentibus inſtar bacchantium furentes agebantur. Sed de horum omnium deliriis plura apud eoſdẽ auctores, & alios qui de hæreſibus tractarunt. Eoſdem vero occupaſſe vſque ad tempora Epiphanii Phrygiam, Cappadociam, & Galatiam, ac viguiſſe plurimum in Cilicia, & Conſtantinopoli, ipſe teſtetur s: pariterque Hieronymus t, hæc ipſa, & alia his cognata monſtra ſuo tempore apud Ancyram Galatiæ ciuitatem extitiſſe tradit: quorum etiam fit mentio in Chriſtianorum Imperatorum reſcriptis u.

s Epiph. hær. 48.
t Hier. præf. l. 2. ad Gal.
u l. 1. 05. C. Th. de hær.

M. AVREL. IMP. AN. 12.

IESV CHRISTI AN. 174.

ANICETI AN. 8.

I.
a Euſeb. in Chron.
DE TATIANO HÆRESIARCHA.

ANno Chriſti centeſimo ſeptuageſimo quarto, Maximo & Orfito Coſſ. Marci Aurelii Imperatoris anno duodecimo (inquit Euſebius a) TATIANVS hæreticus agnoſcitur, à quo ENCRATITÆ. Ex his vero, & aliis de tempore martyrii Iuſtini (cuius hic diſcipulus extitit) ſuperius enarratis, corrigendus eſt textus Epiphanius b, vbi Tatianus dicitur poſt obitum Iuſtini ſub Antonino Pio ab Vrbe receſſiſſe; & Philaſtrii c, quo poſt Decii tempora vixiſſe traditur. Cæterum hic natione Syrus, ex philoſopho Platonico Chriſtianus factus florentiſſimus olim in Eccleſia fuit, docuitque d ſumma cum æſtimatione Romæ; & inter infinita prope quæ ſcripſit volumina (vt Euſebius e & Hieronymus f tradunt) inſignem edidit commentarium pro Chriſtianis aduerſus Græcos, hoc eſt Gentiles qui etiam laudatur ab Origine g, extatque h hactenus. Porro quamdiu Iuſtinus vixit quem non vt magiſtrum tantum, ſed vt parentem reuerebatur; itemque quamdiu Romæ fuit, veritus fortaſſe illius Eccleſiæ ſinceriſſimam puritatem; conſtans in fide permanſit: at vero cum in Orientem profectus eſt idem doctrinæ ſupercilio elatus à fide defecit, & in errores Valentini delapſus, eoſdem Antiochiæ & in Cilicia ac Piſidia docuit: prout Epiphanius tradit, & longe ante ipſum Irenæus i ac Tertullianus k, qui eodem cum Tatiano tempore vixerunt.

b Epip. hær. 46.
c Philaſt. c. 49.
d Euſ. 5. hiſt. 13.
e Id. 4. hiſt. 15.
f Hier. de Scr. Eccl. in Tatia.
g Orig. lib. 1. cont. Celſ.
h Te. 8. Bib. Sanct.
i Iren. lib. 1. cap. 3. & ap Euſe. 4. hiſt. 27.
k Tert. de præſcr. c. 52.

II.
TATIANI HÆRESES.

Ipſius autem impiis dogmatibus, aiunt aſſeruiſſe Adam minime conſecutum eſſe ſalutem: & Marcionis ac Saturnini cõtinentiam amplexatum, deteſtatum eſſe nuptias, eaſque nihil differre à ſcortatione dixiſſe: Ideoque auctor ponitur *Encratitarum*, id eſt, qui ſe continentes, vocabant, de quibus agetur paulo poſt. Addit vero Epiphan. eundẽ in myſteriis aqua tantum vſum eſſe: cuiuſmodi hæreticos Auguſt. l *Aquarios* nominat, Theodoret. m *Hydroparaſtatas*. Imo penitus vſum vini ſuis prohibuiſſe, auctor eſt Clem. n Alexandrin. Docuiſſe etiam ab animantibus abſtinentiam, ex Irenæo recitat Euſebius o: eiuſque ſectatios omnem carnem execratos eſſe, Auguſtinus p, aliique tradunt. Addit inſuper Clemens q, à Tatiano eſſe dictum, alterius Dei eſſe legem, alterius Euangelium: quod & à Marcione mutuatũ apparet, vt auctorem Legis Deum diceret aduerſariũ eſſe Euangelii conditoris. Eumdemque nonnullas Pauli Apoſtoli voces, vtpote qui dictionis & loquendi compoſitionem in illis corrigere moliretur, audaciter commutaſſe, Euſebius r ſcribit.

l Aug. de hæreſ. c. 64.
m Theod. li. 1. hær. fab.
n Clem. 2. pædag. 2.
o Euſ. 4. hiſt. 27.
p Aug. c. 25.
q Cle. Stro. lib. 3.
r Euſ. 4. hiſt. 27. in fi.

III.
TATIANI DIATESSARON.
s Theo. hær. fab. lib. 1.

Ab eodem elaboratũ conſtat, opus, quod διὰ τεσσάρων ſiue *Ex quatuor* appellauit, quo videlicet vnum ex quatuor Euangelium contexuit. Sed demonſtrat Theodoretus s, eum mala fide ſic illud compegiſſe, vt omnia omiſerit quæcunque de Chriſti genealogia, ac carne humana ab eo ſuſcepta, eſſent ab Euangeliſtis tradita: quippe qui eam cum Marcione negaret. Quod quidem oportuit latuiſſe Victorem Capuanum, dum quodam eſſet eiuſmodi Tatiani opus, & quod *Ammonii* Alexandrini eodem argumento conſcriptum, dubitaſſe ſe dicit t; & quod deterius eſt, poſt longam de ea re habitam diſcuſſionem, quod Ammonii erat opus, *Harmoniam* nuncupatum, Tatiano tribuit, & *Diateſſaron* Tatiani Ammonio. Exiſtimo enim, hæreſiarchæ opus abſque auctoris titulo ob ſectæ infamiam fuiſſe deſcriptum: cum alioqui Theodoretus aſſe-

t Vict. cap. præf. in har. Ammõ. quæ ext. to. 2. Bibl. S.

rat eodem vſos etiam Catholicos, compoſitionis fraudẽ non cognoſcentes, ſed ſimplicius eo tamquam libro cõpendioſo vtentes. Auctor eſt inſuper Clemens [u] Alexandrinus, ab eodem Tatiano ſcriptum eſſe librum *De perfectione ſecundum Saluatorem*, ſed refertum blaſphemiis, quod totus fuerit auctor in condemnatione nuptiarum, & earundem primi inſtitutoris, nempe Dei.

u Clem. Strom. lib. 3.

IV. DE ENCRATITIS.

x Epip. hær. 47. y Aug. de hær. cap. 25. z Iren. li. 1. c. 30. a Theo. hær. fab. lib. 1.

Porro Tatianos cum Encratitis coniungit Epiphanius [x], adeo vt appareat vnius monſtri ex diuerſis actibus duo fuiſſe nomina; vt etiam Auguſtinus [y] docet; & Encratitas ſecutos eſſe Tatianum ducem, eiuſque doctrinam ſectatos, Irenæus [z] quoque, Theodoretus [a], & alii affirmant: immo & in deteriora prolapſos Epiphanius demonſtrat, dum ait eos aſſeruiſſe principatus quoſdam eſſe: & qui diaboli eſt, aduerſus Dei opera oppoſitum eſſe, & Deo non ſubiectum, ſed facientem velut ex propria poteſtate, & non velut qui aberret. Additq; eos ad ſuorum dogmatum adſtipulationem, aucupatos eſſe ſcripturas quaſdam apocryphas nimirum Acta quæ dicerentur Andreæ, Ioannis alia, alia vero Thomæ, & aliorum: inſuper admittere fœminas ad ſacra myſteria, inter quas & viuerent: adeo vt qui nomine *Continentes* eſſent dicti, re ipſa turpes eſſent: eorumque non exiguum numerum ſua adhuc ætate fuiſſe in Phrygia, Galatia, Pamphylia, Cilicia, atque Syria.

V. SEVERIANI HÆRETICI.

b Euſ. 4. hiſt. 27. c Auguſt. de hær. cap. 24.

Sed & auxiſſe Tatiani dogmata SEVERVM quemdam, à quo dicti *Seueriani*. Euſebius [b] tradit: quos ait de Paulo Apoſtolo male locutos, eiuſque Epiſtolis fidem abrogaſſe, & Acta pariter Apoſtolorum reieciſſe. Addit Auguſtinus [c] eos vinum non bibiſſe, quod fabuloſa vanitate de Satana & terra germinaſſe aſſererẽt vitem: & inſuper carnis reſurrectionem, cum veteri Teſtamento reſpuiſſe ipſumque Seuerum Philumena quadam puella, quam dicebat inſpiratam diuinitus, vſum eſſe ad diuinationes & præſtigias. At vero Philumenem (vt dictum eſt ſuperius) alii tribuunt Apelli hæreſiarchæ: niſi forte & hæc diuerſa ſit ab illa. Meminerunt autẽ Seueri, Hieronymus quoque ac Theodoretus.

d Cle. Stro. li. 3.

IVLIVS CASSIANVS ENCRATITA.

e Theo. de diuinis decret. lib. 5.

Addit præterea Clemens [d] Alexandrinus IVLIVM CASSIANVM Valentini hæreſiarchæ diſcipulum eoſdem Tatiani errores ſectatum eſſe, & ad illos roborandos ſcripſiſſe librum de Continẽtia vel caſtitate: fuiſſe vero principem hæreſis *Docitarum*, ſiue dixeris *Opinatorum*, qui Chriſtum aſſererent corpus ſumpſiſſe phantaſticum: nec vere (prout addit Theodoretus [e]) ſed ſola viſione & apparitione fuiſſe myſteriũ Incarnationis. Quos etiam ad ſuam ipſorum hæreſim confirmandam, vſos eſſe pſeudoeuangelio ſecundum Ægyptios vel ſecundum Petrum dicto, idem Clemens, & ex Serapionis ſcriptis Euſebius [f] tradit.

f Euſ. 6. hiſt. 10. g Theo. hær. fab. lib. 1.

Cæterum ſcripſiſſe aduerſus Tatianũ & Encratitas Muſanum, tradit Theodoretus [g], cui & adnumerat Apollinarem Hierapolitanum, Clementem Alexandrinum, & Origenem. Rhodonem quoque Tatiano aduerſatum eſſe, licet ipſius fuiſſet olim diſcipulus, Euſebius [h] ſignificat.

h Euſ. 5. hiſt. 13.

IESV CHRISTI AN. 175.

M. AVREL. IMP. AN. 13.

SOTERIS AN. 1.

I. ANICETI PP. MARTYRIVM.

a Martyro. Rom. 17. Apr.

ANno Chriſti centeſimo ſeptuageſimo quinto, Aurelio Seuero ſecundum & Claudio Pompeiano Coſſ. die decima ſeptima Aprilis [a], *Anicetus* Papa martyrio clarus migrauit ad Dominum, cum ſediſſet annis octo, minus menſibus tribus ac diebus ſeptem: licet alii decem, vndecim alii eidem tribuerint annos: & quam in multis ſequimur, Creſconiana ſeries octo annos & menſes tres. Cæterum ſi ratio habeatur dierum, quibus Pius eius anteceſſor, ipſeque Anicetus deceſſiſſe reperiuntur, qui tabulis Eccleſiaſticis antiquitus aſcripti habentur, præſeriptum tempus ſedis Aniceti ratum erit, tum præſertim Indices Vaticani qui deſcripti habentur in codice qui dicitur *Liber Cenſuum*, ingreſſum Soteris ſucceſſoris Aniceti hoc anno Domini ponant. Cur autem minus ſequamur Chronologiam Euſebii, & conſules in libro de Romanis Pontificib. appoſitos, ſæpe dictũ eſt ſuperius. Sepultus autem traditur Anicetus in Cœmeterio Calliſti via Appia, hoc eſt in eo arenario, quod poſtea Calliſtus Papa Cœmeteriũ fecit: Et poſtquã ſedes vacaſſet dies ſeptemdecim, ſuffectus eſt SOTER, natus Fundis in Cãpania ex patre Concordio.

SOTER PP.

II. S. FELICITATIS MARTYRIVM.

b ap. Sur. 10. Iul. c Greg. hom. 3. in Euang.

Paſſi ſunt eadem perſecutione vrgẽte ſub Marco, Romæ alii complures martyres, & inter alios illuſtris illa S. *Felicitas*, quę cum ſeptem filios hortationibus ſuis roboratos, præmiſiſſet diuerſo martyrii genere coronatos ad gloriam, ipſa demum eamdem adepta palmam ſecuta eſt ad triumphum: quorum omnium extant [b] Acta ex antiquis monumentis edita; meminitq; Gregorius [c] Papa in homilia, quam in eiuſdem S. Felicitas eccleſia Romæ poſita habuit ad populum in eius die natali, qui poſitus habetur in tabulis Eccleſiaſticis die vigeſima tertia Nouembris, filiorum vero decima Iulii: Sub eodem quoq; Marco Imp. nobiliſſimum certamen ſubiit Heracleæ *Glyceria*, cuius celebre fuit toto Oriente nomen, ob liquorem [d] medicum, ad infirmitates curandas ex membris eius iugiter effluentem: cuius etiam extant [e] res geſtæ antiquitus conſcriptæ. In Ponto quoque mirabile illud accidit in confeſſione *Hermiæ* martyris, vt diriſſime torquentem ſe carnificem conuerterit ad Chriſtum, & poſt ſe martyrii reliquerit hæredem. Porro tum horum, tum aliorum plurimorum, qui diuerſis Orbis regionibus hac eadem perſecutione ſunt primam martyrii conſecuti, certa dies natalis in Romano Martyrologio adſcripta habetur; præter immenſam aliorum multitudinem, quorũ memoria excidit.

d Niceph. li. 18. ca. 28. 31. e ap. Sur. 13.

III. ROM. ECCLESIÆ MVNIFICENTIA IN PAVPERES.

Cum inter hæc Soter Papa, longe poſitas Eccleſias ea perſecutione vexatas, non literis modo conſolatus eſt, ſed & pecuniis ſubleuauit, ac Chriſtianis ad metalla damnatis pari liberalitate ſubuenit. Narrat enim iſthæc Dionyſius celebris tunc nominis Corinthiorum Epiſcopus, in epiſtola quam ad Eccleſiam Romanam eodem Sotere ſedente ſcripſit; qua & aſſerit eam eiuſdem Eccleſiæ piam conſuetudinem iam à primis ipſius iactis fundamentis obſeruatam eſſe: ſicut & qui Dionyſii ea de re verba recitat Euſebius [f], teſtatur eadem ipſa liberalitatis officia vſq; ad ſuam ætatem in ea Eccleſia perſeueraſſe. Res quidem magna obſeruatione digna; Eccleſiæ omnium principi tãtam opum abundantiam Dominum contuliſſe iam ab eius exordio, vt non tantum ſufficerent ad Fideles pauperes qui Romæ eſſent vbertim alendos, ſed etiam ad ſubleuandas ſiue prope ſiue longe poſitas Eccleſias egentes, & fouendos Chriſtianos ad metalla damnatos, quorum ingens ſoleret eſſe numerus: cum & præter hæc haud putãdum ſit, Gentiles tempore perſecutionis ſe temperaſſe à bonorũ rapina, qui adeo immaniter ſæuirent in corpora.

f Euſeb. 4. hiſt. 22.

ROM. ECCLESIA PRÆDIVES OLIM.

IV. DE DIONYSIO CORINTHIO.

Sed quod ad DIONYSIVM CORINTHIVM ſpectat, cuius non ſolum ad Romanos ſcriptam epiſtolam, ſed alias pleraſque ad diuerſas Eccleſias idem Euſebius recenſet, earumque argumenta recitat; tanta fuit illius viri, tum ob inſignem eruditionem, tum ob egregiam vitæ ſanctimoniam, apud omnes exiſtimatio: vt cum eædem ipſius epiſtolæ maximi eſſe ponderis viderentur, hæretici adhuc ipſo auctore viuente eas conati fuerint deprauare, quo tãtum virum facerent ſuarum ipſorum hæreſum aſſertorem. Habet eiuſdem ipſius ea de re querelam Euſebius [g] qui poſt hæc alios recenſens egregios eiuſdem temporis Scriptores Eccleſiaſticos, quorum ſuperius variis occaſionib. facta eſt mentio: demum de *Bardeſane* [h] Syro narrationem inſtituit, quem ſub Sotere Romano Pontifice vixiſſe ſignificat: eundemque in Chronico ponit anno ſuperiori (nempe duodecimo Antonini) alterius hæreſeos principem notum factum eſſe.

g Id. 4. c. 22. h Id. 4. hiſt. 30.

V. DE BARDESANE SYRO.

i Epiph. hær. 56. k Aug. de hær. cap. 35. l Euſ. l. c. vl.

Cæterum Epiphanius [i] de BARDESANE agens eius ſententiæ fuiſſe videtur, vt ille primo recta dogmata fuerit conſectatus, ac complures egregios libros conſcripſerit, demum autem impegerit in hæreſim Valentini. Eundemque ſecutus Auguſtinus [k], ait Bardeſanem priꝰ in doctrina Chriſti inſignem extitiſſe, ſed poſtea, quamuis non per omnia, in Valentini hæreſim lapſum eſſe. At Euſebius [l] cũ primo in ſchola Valentini educatum tradit; eius tamẽ hęreſes poſtmodum coarguiſſe, adeo vt videretur ad melio-

rem ſententiam ſe tranſtuliſſe, ſed demum in veterum errorum ſordes recidiſſe. Porro Bardeſanem virum fuiſſe omni doctrinæ genere cumulatiſſimum, omnes affirmãt: & in Meſopotamia multa Syriace ſcripſiſſe contra Marcionitas, aliarum; hæreſum ſectatores, idem Euſeb. teſtatur. De quo & illud memorabile Epiphanius refert, quod cũ eius fama celebris Romæ innotuiſſet, & Apollonius Chalcedonius inter Stoicos illius ſeculi Philoſophos facile princeps (adeo vt ipſe M. Aurelius factus ẽt Imperator cum diſcendi cauſa domi cõuenire ſoleret, vt Capitolinus teſtatur) aliquãdo conatus eſſet illũ ad Gẽtiliſmum perducere: nõ ſolum conſtanter renuerit Bardeſanes, ſed & pro Chriſtiana religione egregiã defenſionẽ inſtituerit: quod etiam eius opus laudat Hieronymus [m]. Docuiſſe etiam ipſum cum ſui compos eſſet Edeſſæ, eoque familiariſſime vſum Abgarum Edeſſenorum Principem virum ſanctiſſimum, immo & eius auditorem fuiſſe, idem Epiphanius ſcribit. Mentio autem eſt eiuſdem Abgari apud Capitolinum [n]. Omneſque eius prouinciæ Reges nominatos fuiſſe *Abagaros* ſiue *Abgaros*, vt olim Ægyptiorum *Ptolemaos*, narrationes hiſtoricorum [o] demonſtrant.

BARDES OLIM CONFESSOR.

m Hier. de ſcript. Eccl. in Bardeſ.

n Capitol. in Anton. Pio. o Dio, Herod. & alii.

VI. POSTEA HÆRESIARCHA. QVOD DE FATO BARDESANES.

Sed Bardeſanem, præter quod Valentini dogmata amplexus eſſet, negaſſe inſuper reſurrectionem mortuorum Epiphanius tradit: feruntur que multa alia de ipſius erroribus; ſed ex iis multos adſcribendos eſſe ipſius ſectariis qui poſtea fuerunt, & ab eo *Bardeſaniſtæ* ſunt dicti potius quã ei; putarim. Certe quod apud Auguſtinum eidem imputatur, Fato adſcripſiſſe conuerſationes hominum, falſum eſſe omnino conſtat, Nihil enim validius à Bardeſane impugnatum eſſe atque fatum cum omnes affirmant, tũ ipſius de Fato dialogus ad M. Antoninum Imperatorem ſcriptus, in ijs quæ ex eo ab Euſebio [p] recitantur, aperte declarat: quod eius opus omnium ore laudatum, Hieronymus etiam egregie prædicat. Denique illa verba, additamentum potius ad Auguſtinum, quam ipſius Auguſtini eſſe, conuincitur, quod ea in pleriſque antiquis exemplaribus deſinit. Porro Bardeſani fuiſſe filium *Harmonium* nomine, Athenis Græcis literis excultum multaque ſcripſiſſe tradit Theodoretus [q]; additque, vtriuſq; errores S. Ephræm Eccleſiæ Edeſſenæ diaconum egregie cõfutaſſe.

p Euſ. 6. de præpar.

HARMONIVS FILIVS BARDES.

q Theo. hær. fab. li. 1.

VII. VALENTINI DISCIPVLI.

At quoniam de primario diſcipulo Valentini Bardeſane opportuna ſemel eſt ſuſcepta narratio, argumẽti ratio poſtulat vt reliquos eiuſdẽ diſcipulos hic breuiter recenſeamus. Ponitur primo loco PTOLEMÆVS, quem Irenæus [r] nominat *Floſculum Valentini*. Hunc Tertullianus [s] ait, nomina & numeros Æonum diſtinxiſſe in perſonales ſubſtantias: ſed extra Deum determinatas, quas Valentinus in ipſa ſumma diuinitatis; vt ſenſus & affectus motos incluſerat. Alibi [t] tamen huic adiungens SECVNDVM, ait ambos cum Valentino per omnia conſenſiſſe, niſi quod triginta Valentini Æonib. iſti alios complures addidiſſent. Sed & ſecundum Epiphanium [u] Ptolomæus duas Deo tribuebat vxores, Intelligentiam & voluntatem, ex quib. alios generaret deos. Paritérq; Irenæus [x] de Secundo diſſerens, plura oſtendit in quib. ipſe à Valentino diſcreparet in Æonib. Addit vero Epiphanius [y], eundem Secundum tandem ſe coniunxiſſe Epiphani Carpocratis filio, etiamſi (vt ait) aliqua parte inter ſe differrent. Poſt hos prodijſſe HERACLEONEM, teſtatur Tertullianus [z], quem cum Valẽtino paria ſenſiſſe, ſed nouitate quadam pronuntiationis voluiſſe videri alia ſentire: introducit enim (inquit) inprimis illud fuiſſe quod pronuntiat: & deinde ex illa monade duo, ac deinde reliquos Æonas. Meminit eiuſdem tãquam ſocii Ptolomæi Irenæus [a]: ſed plurib. Epiphanius [b] eius ac ſectatorum fabulas & commenta recenſens, ait inter alia eos conſueuiſſe, inuocatis ſuper morientes quorundam principatuum nominibus, vngere defunctos oleo & aqua, interdum balſamo, vt (quod ſomniabant) incomprehenſibiles fierent & inuiſibiles ſupernis principatibus, ac ſic ab eorum poteſtate redimerentur.

r Iren. lib. 1. in præf.
s Tert. adu. Valent. ca. 4.
t Id. de præſcr. cap. 49.
u Epiph. hær. 33.
x Iren. lib. 1. cap. 5.
y Epiph. hær. 32.
z Tert. de præſcr. c. 49.
a Iren. lib 1. cap 4.
b Epiph. hær. 36.

VIII. MARCVS MARCIANVS HÆRETICVS ET IMPOSTOR.

Sed nemo ex omnibus Valentini diſcipulis nequior MARCO nec qui maiorem cladẽ intulerit Eccleſię; quippe qui addens hæreſi magiã, inter alia profana quæ in ſacris myſteriis operari ſoleret, calicem Euchariſticum rubicũdum apparere faciebat, vt putaretur ea gratia ab iis quæ ſunt ſuper omnia, ſuum ſanguinem ſtillare in illius calicẽ per inuocationem eius: aliaque eiuſmodi permulta faciebat, quæ miracula eſſe viderentur; quibus homines in ſui admirationem excitans, eoſdem (quotquot dignos putabat fieri participes gratiæ ſuæ) cæteris præſtigiis & inuocationib. quaſi prophetarent, multa deliria proferre cogebat; cum & ipſe dæmonem quendam paredrum haberet, per quem prophetare videretur: hiſque artibus circũiens Chriſtianum orbem, ſeduxit quamplurimos: maxime circa mulieres quæ pulchriores ac ditiores eſsẽt vacans, quas eiuſmodi curioſitatib. ſeductas & bonis & honore ſpoliauit. Cuius etiam diſcipuli eadẽ turpia perpetrãtes, ſe tamen *Perfectos* vocabant, quaſi nemo poſſet exæquari agnitioni eorum, nec ipſi etiam Apoſtoli; ſolos n. ſe magnitudinem agnitionis inenarrabilis virtutis ebibiſſe: ſicque ſuper omnem eſſe virtutem, ac ideo libere omnia agere poſſe quæcunque vellent. Hæc & alia pluribus Irenæus [c] aduerſus Marcum: ex quibus videas, grauiorẽ Dei Eccleſiã paſſam eſſe iacturam ab eiuſmodi impoſtoribus, quam à perſecutorib. ipſis: cum præſertim ad ſectam alię eſſent illecebræ, quod Valẽtiniani omnes (vt ſcribit Tertullianus [d]) non eſſe confitendum Chriſtum in perſecutione, nec ſubeundũ martyrium prædicarẽt. Ceterum huius Marci magi meminerunt etiam Euſebius [e]; Hieronymus [f], Epiphanius [g], & alii qui de hæreſibus ſcripſerunt.

EIVS DISCIPVLORVM ARROGANTIA.

c Iren. li. 1 c. 8. & 9.
d Tert. in Scorp. ca. vlt.
e Euſeb. 4. hiſt. 10.
f Hier. in epiſtol. Lucin. Bæt.
g Epiph. hær. 34.

IX.

Cui æque Irenæus [h] & Tert. [i] COLARBASIVM quẽdam coniungunt, qui apud Philaſtrium BASSVS dictus reperitur: licet Auguſtinus [k], Theodoretus [l], & Damaſcen[us] eos ſeparẽt: ſed Epiphani[us] [m] nodum diſſoluere videtur, dum ait Colarbaſium primo de hæreſi Valentini ſenſiſſe cum Marco, ſed poſtea ab eo diuiſum deteriora, quæ refert, coagmentaſſe deliria. Ambos autẽ tradit Tertullianus, nouam hæreſim ex Græcorum alphabeto cõpoſuiſſe, quod negarent veritatem ſine illis literis poſſe inueniri, ſed totam plenitudinẽ & perfectionẽ veritatis in iis eſſe diſpoſitam, ob idque Chriſtum A & Ω eſſe pronunciatum in diuina Scriptura. Porro Marci ſectatores, Theodoretus *Marcoſios*, Auguſtinus & alii *Marcitas* vocant.

h Iren. lib. 1. c. 10.
i Tert. de præſcr. ca. 50.
k Aug. de hær. c. 14. 15.
l Theo. hær. fab. li. 1.
m Epip. hær. 35.

X. SACRAMENTARII HÆRETICI.

His idem Theodoretus adiungit *Aſcodrytas*, & *Archonticos*; qui penitus abiicerent diuina ſacramenta, dicentes non oportere eſſe diuina myſteria, quæ ſunt inuiſibiliũ ſigna, nec incorporalia per viſibilia atque corporalia cõmunicanda. Dicebant inſuper, repoſitam eſſe redemptionẽ perfectam in cognitione, vocabántq; redemptionem vniuerſorum cognitionem; quãobrem baptiſmum ẽt prorſus abiiciebant. Archonticos item addidiſſe tradunt confictos quoſdam libellos, quos appellarẽt *Reuelationes Prophetarum*, alium autem nominarent *Symphoniam*: atque etiam vngere conſueuiſſe mortuos oleo & aqua, vt de Heracleonitis vidimus: inſuper & Dominum Sabaoth blaſphemare, quod dicerent ipſum in ſeptimo cœlo exercere tyrannidem, ab eodemq; genitum eſſe diabolum ex quo per Euam Cain & Abel ſunt prognati. Negaſſe hos quoque reſurrectionem mortuorum Epiphanius [n] tradit: nouoſque Prophetas finxiſſe *Martiadem* & *Marcianum*, eoſq; raptos in cœlum, ac poſt triduum deſcendiſſe. Porro hos cæteris ad alios fallendos conſtat fuiſſe aſtutiores, quod ſolitarie agentes renunciationem omnium præſeferrent: eoſque ad ſua tempora in Palæſtina coaluiſſe, idem Epiphanius teſtatur. Addit his omnibus Valentini diſcipulis; Tertullianus [o] THEOTIMVM: qui multum (inquit) circa imagines legis operatus eſt. Meminitq; alibi [p] ALEXANDRI cuiuſdam ex eiuſdem Valẽtini ſecta deſcẽdẽtis, qui Chriſti carnem ſui ortu impie dicebat infectam fuiſſe peccato.

n Epiph. hær. 40.
o Tert. aduerſ. Valen. cap. 4.
p Id. de carn. Chr. ca. 15 & ſeqq.

XI.

Non placet autem inter eoſdem Valentini diſcipulos ab aliis recenſeri PRODICVM. quod Tertullianus [q] æq; adnumeret Valentinos & Prodicos plures deos introducentes: nam ante Valentinum vixiſſe Prodicum Adamitarum hæreſis fautorem, ſuperius dictum eſt. Iſte igitur idem Tertullianus [r] agens aduerſus Gnoſticos martyrium negantes, primo loco Prodicum recenſuit; ac ſubinde Valentinum. Qui autem ſcripſerunt aduerſus Valentinianos, iam dictum eſt in Valentino.

q Id. aduerſ. Prax c. 3. ad fin.

PRODICVS HÆRESIARCHA QVANDO VIXERIT.

r Id. in Scorp. cap. vlt.

M. AVREL. IMP. AN. 14.

IESV CHRISTI AN. 176.

SOTERIS AN. 2.

I. TEMPVS VICTORIÆ MARCOMAN.

ANno Chriſti centeſimo ſeptuageſimo ſexto, Gallo & Flacco Coſſ. Romanus exercitus in expeditione Germanica aduerſus Marcomannos, Quados, Sarmatas, aliaſque complures finitimas nationes, iam quadriennio perdifficili bello detentus: precibus militum Chriſtianorum, non ſolum ab infeſtis caſibus quibus vrgebatur ereptus eſt, ſed victoria diuinitus parta potitus. Quæ quidem hoc ipſo anno geſta eſſe, ex eo euidenter apparet, quod in literis M. Aurelii Imp. tunc ad Senatum datis, de quibus inferius, inſcripta habeatur eius Tribunitia Poteſtas vigeſima octaua: quarum primam cœptam eſſe poſt annum ſequentem à ſecundo eiuſdem Conſulatu (hoc eſt anno Domini centeſimo quadrageſimo nono) non ſolum ex Capitolino & nummis colligitur, ſed & certius demonſtratur, quod eo anno quo tertium Conſulatum geſſit, & Imperium cœpit poſt Pium, in nummis & aliis inſcriptionibus Tribunitia eius poteſtas numeratur decima quinta: qua per ſingulos annos ex more aucta, hoc ipſo decimoquarto eius Imperii vigeſima octaua iure connumeratur. Porro tantam Chriſtianorum gloriam iniquo animo ferentes ſcriptores Ethnici, quod contigit prægrande miraculum, aut arti quorundam magorum Gentilium tribuerunt, vt Dio [a], Claudianus [b], & alii, [c] aut ipſius Marci Imperatoris precibus ac meritis, vt Capitolinus [d], & alii. At Chriſtiani ſcriptores omnes, tum qui his ipſis temporibus, vt Tertullianus [e], & Apollinaris [f] Epiſcopus Hierapolitanus, tum qui poſtea vixerunt, vt auctor [g] Actorum Sancti Polyeucti martyris qui ſub Decio paſſus eſt, itemque Euſebius [h], Gregorius [i] Nyſſenus, & alii recentiores, id factum fuiſſe Chriſtianorum precibus, aperte teſtati ſunt, etiam cum agerent ſcriptis ſuis aduerſus Gentes; vt nulla prorſus de falſitate ſuſpicio eſſe poſſit.

a Dio in M. Aurel. b Claud. in 6. Honor. Conſul lib. 1. c ap. Suid. verb. Iul. 1. d Capito. in Marc. e Ter. Apol. cap. 5. & ad Scap. c. 4. f Apol. ap. Euſ. 5. hiſt. 5. g ap. Meta. 9. Ianuar. h Euſ. ibi. & in Chron. i Greg. Nyſ. ora. 2. in 40. mart.

II. MARCI LITERÆ DE VICTORIA PRECIBVS CHRIST. OBTENTA.

Cum vero de re geſta tam Gentiles, quam Chriſtiani Scriptores æque conſentiant; quorumnam fides præſtet, iudicium omnium recte ſentientium libẽter appellarem, ſi in re dubia & non omnino certa quæſtio verſaretur; quã videlicet ipſius Marci Imperatoris literæ poſt rem geſtam (vt tradit Dio) ad Senatum ſcriptæ definiunt, dum diſertis verbis aſſerunt id Chriſtianos milites qui in exercitu erant, à Deo ſuo humilibus precibus impetraſſe. Porro harum literarum auctoritate vſi ſunt Tertullianus & Euſebius, in probationem ſuæ de eadẽ re geſta narrationis: earumdemque exemplaria ſuo tempore complura extitiſſe, tradit Oroſius [k]: quæ & hactenus deſcriptæ reperiũtur ad calcem Iuſtini Apologiæ ad Antoninum Pium Res autem ſic ſe habuit: Cum Romani ab ingenti hoſtium multitudine ſic aliquando concluſi apud Carnuntum fuiſſent in locis difficilibus, vt nulla exeundi nec vi nec arte facultas daretur, atque inſuper tum aliis incommodis, tum maxime ſiti vexarentur: cumque Marcus Imperator deos ſuos precatus ab illis non exaudiretur: tunc milites Chriſtiani, qui magno numero in exercitu erant (quos ex Melitina ciuitate Armeniæ fuiſſe volunt) flexis genib. ad Deum ſe conuerterunt; qui mox illos exaudiens, non ſolum aquam Romanis qua reficerentur immiſit, ſed & eodem momento hoſtes vehementi grandine, igne & fulminibus conſumpſit. Recitantur hæc pluribus in prædictis Marci Imp. literis, & ab auctoribus citatis; quibus Xyphilinum iungas, arguentem voluntarii mendacii Dionẽ, quod id magicis artibus tribuerit cuiuſdam Arnuphis Ægyptii. In tanti vero beneficii remunerationem, iiſdẽ ſuis literis Imperator generali edicto ſanxit, neminem quod Chriſtianus eſſet in iudicium vocari, eorumque vt talium, accuſatores viuos exuri. Cuiuſmodi edictum etiam temporibus Commodi Marci filii viguiſſe Romæ Euſebius [l] exemplo demonſtrat.

k Oroſ. li. 7. cap. 15. REI GESTÆ SERIES.

l Euſe. 5. hiſt. 20.

III. LEGIO FVLMINATRIX.

Sed quod ſpectat ad nomen Legionis in qua iidẽ Chriſtiani militarent; cum omnes ferme prædicti auctores cõſentiant, eam ex admiranda illa fulminum immiſſione, dictam eſſe poſt hac *Fulmineam* ſiue *Fulminatricẽ*: non ſic quidem accipiendum eſt, vt tunc primum eo nomine legio Romana inſignita fuerit, quippe cum Dione [m] & antiquis monumentis [n] conſtet iam ante hæc tempora, atque etiam ſub Auguſto, Duodecimam nominatam legionem dictam eſſe Fulminatricẽ. Verum nihil impedit, quo min⁹ & illa alia ob tam illuſtre miraculum eundem nobilem gloriæ titulum meruerit: ſicut in aliis pleriſque legionibus obtinuit, duæ treſue aut ẽt plures iiſdem nominibus inſignirentur. Extat porro hactenus Romæ tam egregii miraculi præclarum monumẽtum, in nobiliſſima Antonini columna cochlide inſigniter ſculptum, vna cum aliis Marci in bello Marcomannico facinoribus fortiter geſtis. Inter quæ viſitur [o] figura Iouis, imbres vndique fundentis & fulgura admiſcentis, qualem dicere ſolerent *Pluuium*: ex diuerſis enim effectibus, diuerſis quoque nominibus Iouem apellari conſueuiſſe, puta *Nubicogum*, *Grandiſtrepum*, *Pluuium*, *Fulminatorẽ*, &c. Phornutus declarat in libro de Natura Deorum: ſuntque Tibulli [p] verſus de Ioue Pluuio Ægyptiis tantũ ignoto; quem etiam ab Indis coli ſolitum, auctor eſt Strabo [q]. Eum Tertullianus [r] eadem ex cauſa *Aquilicem* nominat: qui apud Virgilium [s] *Aether* appellatur: & ab aliis etiam *Pluuia*, vt Arnobius [t] ſcribit. A Græcis itidem ab imbre ὑέτιος Ζεὺς dictus atque [illegible] liiſq; nominibus [u] eandem rem ſignificantibus. Quamuis autem Marcus Imperator publicis ſuis literis, tantam diuinitus impartitam gratiam, Chriſtianorum precibus acceptam tulerit; tamen vel quod numen Chriſtianorum illi eſſet incognitum, vel quod ore omnium Gentilium diffamaretur, eam à Ioue fuiſſe conceſſam, cui & reliquæ res omnes proſperæ, etiam ſi Chriſtianorum precibus impetrarentur [x] tribui ſolerent: idcirco Iouis Imago pluiam dantis in columna fuit expreſſa. Cæterum eandem colũnam, vt Chriſtianæ fidei (vtcunq; expreſſum ſit) præclariſſimum monumentum, barbarico, olim furore deorſum incenſam, ac deſuper fulmine tactam, iam deformatam & collabentem, Sixtus Quintus Pontifex Maximus ſummo ſtudio in priſtinum ſplendorem reſtituẽdam curauit, collocata ſuper eius verticem ærea inaurata Pauli Doctoris Gentium ſacra effigie; vt vbi olim à Marco ſtatutum Pio parenti fuerat ſimulachrum, ibidem illius qui ad verã pietatem Vrbem excoluit, & Gentiles Chriſto ſubegit, ſignum nobiliſſimum cerneretur.

m Dio li. 55. n ap. Lipſ. in Inſcript. ant. edit. Plant. fol. 26. inſc. 1. fol. 194. inſcr. 9. MONVMENTVM ANTIQVVM EIVS REI.

o Habet eandem Bar. Annal. to. 2. loc. au. IOVIS VARIA EPITHETA. p Tibul. 1. eleg. 7. q Strab. lib. 15. r Ter. 3. con. Marcio. 5. s Virg. Geor. lib. 2. t Arnob. li. [illegible] u Vid. Lyl. Gerald. hiſt. deor. Synta. [illegible]

x Vid. Tert. Apol. c. 40.

STATVA S. PAVLI SVPER CO[illegible] POSITA

M. AVREL. IMP. AN. 15. 16.

IESV CHRISTI AN. 177.178.

SOTERIS AN. 3.4.

I. CASSII DEFECTIO ET INTERITVS.

ANno Chriſti centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo, Piſone & Iuliano Coſſ. nimirum [a] poſt victoriam à Marco Imperatore de Marcomannis adeptam, AVIDIVS CASSIVS (quo olim duce Lucius Verus Parthos vicerat) falſo nuncio Marci morte accepta, inuadens in Oriente Imperium, cui à multo tempore inhiabat poſt tres mẽſes à Centurione vulneratus, à Decurione necatus eſt: de cuius in milites crudelitate, potius quam ſeueritate, deque Marci Imperatoris clementia in eos qui cum illo conſpirauerant, plura Vulcatius [b] Gallicanus.

a Dio & Capitol. in Marco.

b Vulcat. in Caſſio.

II. FAVSTINA AVG. INTER DIVOS RELATA.

Anno vero Chriſti centeſimo ſeptuageſimo octauo, Pollione & Apro ſecundum Coſſ. idem Marcus Imperator, vt nutantem rebellione Caſſii Orientem ſtabiliret, eo profectionem inſtituit vna cum filiis & Fauſtina coniuge, quam in æſtiuis ſecum habere conſueuerat, vt *Matrem caſtrorum* appellaret. Eidem vero in radicibus montis Tauri ſubito morbo exanimatæ, petiit à Senatu honores ædẽque decerni, ac *Diuam* appellatam gratulatus eſt nouaſq; puellas Fauſtinianas in eius honorem inſtituit: cum tamen illa impudicitiæ fama grauiter laboraſſet, quod ipſe vel neſciuit vel diſſimulauit. Orientalibus rebus ordinatis, Athenas petiit, & inter alia Cereris tẽplũ adiit vt ſe innocentem probaret & ſacrarium ſolus ingreſſus eſt. Inde in Italiam rediens, quinto Calendas Decembris his iiſdem Coſſ. Romam ingreſſus eſt, triumphans cum filio Commodo, quem & Imperatorem appellauit, & ſibi collegam in Tribunitia Poteſtate iunxit. Hæc & alia de eius

c Lampri. in Commod.

peregri-

peregrinatione, ac rebus in eage.lis, Capitolinus. Ad quam etiam ſpectat, quod de eodem Imperatore Ammianus [d] ſcribit: quod cum Palæſtinam tranſiret Ægyptum petens, Fœtentium (vt vocat) Iudæorum & tumultuantium ſæpe tædio percitus eſſet, dolenter exclamauerit, *O Marcomanni! O Quadi! O Sarmatæ! tandem alios vobis deteriores inueni.*

d *Ammia. li. 22.*
Quid de Iudæis Marcus Imp.

M. Aurel. Imp. An. 17.

IESV CHRISTI AN. 179.

ELEVTH. AN. 1.

I.
a *Euſeb. 5. hiſt. 1.*
Gentil. ſeditiones in Christ.
b *Ext. ap. Sur. 22. & 24. April.*

ANno Chriſti centeſimo ſeptuageſimo nono, Commodo Aug. & Quintillo Coſſ. anno decimo ſeptimo Marci Imp. (vt ait Euſebius [a]) grauis & acerba in nonnullis terræ partibus perſecutionis procella, ex temerario populi impetu per ſingulas vrbes excitata, contra Chriſtianos ingraueſcere cœpit. Eademque de tempore habent Acta [b] SS. Epipodii & Alexandri martyrum, qui eadem perſecutione Lugduni ſunt paſſi. At quoniam edicto Marci vetitum erat, ne quis ob id tantum quod eſſet Chriſtianus accuſaretur: Gentiles illam conſuetam ab eis exerceri fraudem denuo prætexentes, tum aliorum criminum, tum maxime impietatis in deos, eſus humanarum carnium, & inceſtorum concubituum, apud Præſides prouinciarum Chriſtianos accuſare cœperunt.

II.
Epiſt. Eccleſ. Lugdun. et Vien. de crudelis. perſecut.
c *Euſ. 5. hiſt. 1.2.3.*

Quam porro crudelis & aſpera hæc fuerit Perſecutio, abunde colligi poteſt ex Literis Eccleſiarum Viennenſis & Lugdunenſis in Gallia, ad Eccleſias Aſiæ & Phrygiæ conſcriptis, quarum bonam partem Euſebius [c] in Hiſtoria recitat, cum & integras ſe libro quem de Martyribus conſcripſit (qui diu quæſitus nuſquam apparet) inſeruiſſe teſtetur. Namque, vt idem auctor ait, ſi ex materiis quæ iis locis tunc confecta ſunt coniectura plane de aliis licet augurari: infiniti prope in reliquis Orbis terrarum regionib. generoſa cæde pro Chriſto tolerata nobilitati ſunt. Cæterum agunt etiam de martyribus vtriuſq; ſexus, tunc apud eaſdem Galliæ ciuitates variis ſuppliciis ac cruciatib. necatis (inter quos ab omnibus recenſetur *Photinus* Eccleſiæ Lugdunenſis Epiſcopus, iam pluſquam nonagenarius) tum Gregorius [d] Turonenſis, tum Ado [e] eiuſdem Eccleſiæ Viennenſis Epiſcopus. qui eoſdem *Martyres*, à loco in quo paſſi ſunt Athanaco dicto, appellatos eſſe *Martyres Athanacenſes* ait; additque hiſtoriam inuentionis cinerum ipſorum (ſiquidem eorum corpora canibus expoſita, canumque reliquias igni conſumptas eſſe; cineres autem in Rhodanum proiectos, tam iidem auctores Galli, quam Euſebius, & ex eo Auguſtinus [f] tradunt) & anniuerſariam ea de cauſa celebritatem antiquitus peragi ſolitam aſſerit. Paſſi vero tunc quoque ſunt in eadem Gallia apud Lingonas, cum aliis quibuſdam *Tergemini Fratres*, quorum etiam extant [g] germana martyrii Acta: apud Cabilonem [h] Marcellus & Valerianus; & aliis locis permulti alii, quorum nonnullorum nomina deſcripta habentur in tabulis Eccleſiaſticis, plurimorum vero memoria periit. Quod autem Seuerus [i] de hac Perſecutione, quam QVINTAM nominat, breuiter agens, tunc primum in Galliis ait viſos fuiſſe martyres: manifeſtiſſimi erroris facile poteſt argui teſtimonio plurium, qui de multis aliis longe ante hæc tempora diuerſis Galliarum locis martyrium conſecutis meminerunt, de quibus etiam facta eſt mentio ſuis locis ſuperius.

d *Greg. Tur. in glo. mar. cap. 49.*
e *Ado in Martyr. 2. Iunii.*
Martyres Athanacenses.
f *Au. de cur. pro mort. c. 6.*
g *4. Sept. Iamar.*
h *Ado 4. & 15. Sept.*
i *Seuer. hiſt. lib. 2.*
Seueri error de martyribus Galliæ.

III.
De Apologia Athenagoræ.

At non modo Galliæ, huius popularis reuiuiſcentis perſecutionis furore exagitatæ fuerunt: ſed & Orientis quoque Eccleſias à Gentilibus vbiq; immaniter eſſe vexatas, ipſis Imperatoribus non quidem perſecutionem edicentibus, ſed tamen non prohibentibus: Legatio ab *Athenagora* Athenienſi Chriſtiano philoſopho, tunc ad eoſdem Imperatores ſuſcepta, ac diſertiſſima Apologia pro iiſdem Chriſtianis, falſis vbiq; criminib. accuſatis, ab eodem conſcripta, certam fidem faciunt: cuius etiam extat *de mortuorum reſurrectione*, quæ ab iiſdem Gentilibus deridebatur, egregius cōmentarius. Quod vero ea Apologia inſcripta habeatur Imperatorib. M. Aurelio Antonino & Aurelio Commodo Armeniacis & Philoſophis: eundemque præſeferat titulum quæ à ſancto Hieronymo [k] tribuitur Iuſtino martyri ſecunda Apologia, ſiue liber, datus (vt ait) Marco Antonino Vero & Lucio Vero Commodo: inde vehemens permouit multos ſuſpicio, vt credant Iſtam Athenagoræ tributam, eſſe illam Iuſtini, eo quod ad Marcum & Lucium data nulla alia reperiri videretur. Verum hæc dubitatio facile diſſoluitur ex iis quæ ſuperius dicta ſunt de poſteriori illa Iuſtini Apologia. Iſtam autem Athenagoræ ſcriptam eſſe hoc anno, plane ſignificatur ex eo quod ipſo pene eius exordio ait, tunc vniuerſum terrarum orbem in altiſſima pace fuiſſe. Nam vſq; ad annum ſuperiorem, quo Marcus ſibi filium Commodum collegam adſciuit, Imperium ſub eo continuo vidimus vexatum motu, aut Parthico, aut Marcomannico, aut Caſſiano: ab hoc autem anno eundem Marcum vſque ad obitum fuiſſe in armis inuenies. Siquidem hoc ipſo anno, qui eſt tertius [l] ante eius obitum, procedendum fuit aduerſus eoſdem Marcomannos, qui iuſto Dei iudicio, quod victoria precibus Chriſtianorum parta Gentiles abuſi eſſent, bellum iterum acerrimum vna cum aliis finitimis populis aduerſus Romanum Imperium excitarunt. An autem poſtulatis Athenagoræ, vt perſecutionem prohiberet annuerit, haud liquet: immo ſecus: cum ad eius exitum illam perſeueraſſe, qui his ipſis diebus vixit Theophilus Antiochenus ſignificet.

k *Hier. de ſcr. Eccleſ. in Iuſtin.*
l *Capitol. in Marco.*

IV.
Soteris PP. martyrium.
m *Euſ. 5. hiſt. tien verſ. Ruff.*

Sed & hac ipſa perſecutione ſublatum fuiſſe *Soterem* Papam, literæ martyrum Lugdunenſiū hoc eodem tempore ad Eleutherum eius ſucceſſorem ſcriptæ, neceſſario affirmare compellunt: licet alii annos octo vel nouem eidem tribuerint. Euſebius quidem in Chronico, anno ſuperiori, nempe decimoſexto Marci Imperatoris, ponit ſubrogationem Eleutheri: ſed in hiſtoria [m] hoc anno decimoſeptimo: cui, quoniam credimus id accepiſſe ex iiſdem literis Martyrum Lugdunenſium, haud inuiti adſtipulamur: cum alioqui in præteritis Romanis Pontificib. quod prætermiſerit Cletum, minime potuerimus eidem aſſentiri. Dicendus igitur Soter ſediſſe annos quatuor, minus diebus duodecim, cum defunctus reperiatur [n] die vigeſima ſecunda Aprilis. Cuius feruntur à diuerſis collectoribus canonum decreta quædam, quæ in vnum ſimul congeſta [o] habentur. Sepultus eſt in eo quod ſuperius diximus cœmiterio Calliſti via Appia: ac poſtquam vacaſſet ſedes dies vndecim, ſuffectus eſt in locum eius Eleutherus natione Græcus, patria Neopolitanus, ex patre Abundio.

n *lib. de R. Pont. Mart. Rom.*
o *to. 1. Conc. in Soter.*
Eleutherus Papa.

V.
p *Euſ. 5. hiſt. 3. & 4.*
q *Hier. de ſcrip. Eccl. in Iren.*
Irenæi legatio ad Rom. Pont.

Scripſerunt mox ad eum (vt dictum eſt) Martyres Lugdunenſes qui adhuc tenebantur in vinculis, per *S. Irenæum* eiuſdem Eccleſiæ id temporis preſbyterum, petentes vt pax & concordia in Eccleſiis conſtitueretur. Hæc quidem Euſebius [p]: cui conſentiens Hieronymus [q], ait eundem Irenæum ab illis miſſum fuiſſe legatum ad Eleutherum ob quaſdam Eccleſiæ quæſtiones. Romanam enim Eccleſiam in ambiguis conſulendam eſſe, innumeræ quibuſcunque ſæculis ea de cauſa miſſæ legationes aperte manifeſtant. Sed quæſtiones illas ob quas miſſus fuit Irenæus, puto fuiſſe (ſicut & Euſebius ſignificare videtur) de prophetia Montani, qua nulla grauior his temporibus videretur eſſe in Eccleſia quæſtio: de qua & ipſi martyres priuatum, vt ait Euſebius, iudicium tulerant, occaſione Alcibiadis vnius ex iiſdem martyribus, qui cum ad illud vſque tempus vitam auſtere ſolo pane & aqua contentus duxiſſet, iamque vellet eodem modo in carcere viuere coactus eſt ab illis mutare propoſitum, & deinceps omnibus cibis vti, ne videretur Montaniſtarum ſuperſtitioſas xerophagias obſeruare. De his igitur conſultus Eleutherus, ad quem pertineret eius rei plena deciſio, reſcripſit ad Epiſcopos Galliarum, admonens nequis eſcam aliquando repudiaret vt malam, quæ à Deo creata eſſet: quod affinis ea eſſet hæreſis dogmati Marcionis, à malo principio hæc omnia creata eſſe dictantis.

IESV CHRISTI AN. 180.

M. AVREL. IMP. AN. 18.

ELEVTH. AN. 2.

I. IRENÆVS CREATVS EPISCOPVS LVGDVN.

ANno Chriſti centeſimo octogeſimo, Ruſo & Orphito Coſſ. cum S. Photinus Epiſcopus Lugdunenſis in Gallia anno ſuperiori, vt vidimus in communi illa Eccleſiæ ſuæ clade, vt bonus paſtor animam ſuam pro ouibus ponens, glorioſo martyrio ex hac vita migraſſet: in locum ſuffectus eſt [a] IRENÆVS, poſt reditum à legatione ad Eleutherum Papam ſuſcepta. Auditor hic fuerat Polycarpi, vt ex ipſius ſcriptis Euſebius [b] recitat: ab eoq; fuiſſe ex Aſia amandatum in Gallias, tradit Gregorius [c] Turonenſis. Quin & Papiæ Ioannis item diſcipuli fuiſſe auditorem, S. Hieronymus [d] teſtatur: ideoque quod diſcipulorum Apoſtolorum auditor fuerit, eundem appellat *virum Apoſtolicorum temporum*: & Epiphanius [e] *Apoſtolorum ſucceſſorem, priſcumque Theologum*: Tertullianus [f] autem ob multiplicem ipſius doctrinam, *omnium doctrinarum curioſiſſimum exploratorem*: qui & inſuper ab omnibus aliis patribus egregie commendatur.

a *Euſ. 5. hiſt. 6. Hie. ep. 84. ad Mag. & de ſcrip. Eccl. in Iren.* b *Euſeb. 5. hiſt. 19.* c *Gre. Tur. 1. hiſt. 29.* d *Hier. ep. 29 ad Theodor.* e *Epip. har. 24. 31.* f *Tert. aduer. Valent. ca. 5*

II. IRENÆI SCRIPTA ADVERSVS HÆRETICOS.

Hic igitur cum Romæ vidiſſet carioſum ſenem Valẽtinum hæreſiarcham, hactenus in vrbe perſeuerantem: & inter alios eius fœtus, *Florinum* & *Blaſtum* olim Romanæ Eccleſiæ presbyteros, ſed ob impietatẽ ab Eluthero Pontifice gradu depoſitos (vt docent Euſebius [g] & Theodoretus [h]) ad eandem impietatem alios pleroſque pellicere: inde occaſione accepta idem Irenæus poſtquam in Gallias rediit, aduerſus eos omnes ſtylum ſuum exerens, tum ad Blaſtum & Florinum epiſtolas [i] ſcripſit, quibus eorum errores redarguit, tum aduerſus omnes Valentinianos eruditiſſimum ac plane celeberrimum (quod ſolum ex multis præ manibus habetur) opus elucubrauit. Quo dum eoſdẽ, & alios ſimul hæreticos prouocãs ad Apoſtolicas traditiones in Romana Eccleſia inuiolabiter cuſtoditas, per ſucceſſores Romanos Pontifices, numerat eos [k] à Petro vſque ad Elutherum: plane ſignificat ſe ſub eodem Pontifice illa ſcripſiſſe. Græce vero id feciſſe, oẽs conſentiunt.

g *Euſ. 5. hiſt. 14.* h *Theodor. har. fab. li. 1.* i *Euſeb 5. hiſt. 19.* k *Iren. li. 3. ca. 3.*

III. l *ap Euſ. d c. 19.*

Cæterum FLORINVM olim vna cum Irenæo auditorem fuiſſe Polycarpi, teſtatur ipſe Irenæus in prædicta epiſtola [l] ad illum ſcripta, dum ad memoriam reuocans diſciplinam quã à pueris ambo imbuti fuiſſent à Polycarpo conatus eſt eum in priſtinum ſenſum reuocare. Quod ſi qui dicti ſunt à Philaſtrio [m] *Floriani*, à Florino velimus eſſe denominatos: impuriſſimo Carpocrati adhæſiſſe oportuit, quandoquidem qui Floriani, iidem Carpocratiani etiam dicerentur. Verum nihil tale de Florini ſectatoribus, quos item *Florianos* vocat, Aug. [n] Theodoretus [o] autem tam ipſi quam BLASTO, nonniſi Valentini ſectam impingit. At cum Euſebius [p] hos ſeparatim nouã hæreſim excogitaſſe tradat, aliquid amplius Valentini hæreſi oportuit addidiſſe. Fuit autem illud, quod Florinus (vt iidem Euſebius & Auguſtinus docent) Deum cauſam malorum dixit: Blaſtus autem (quod Tertullianus [q] & Euſebius demonſtrant) de Paſchatis tempore Iudaizarit, eaque de cauſa ſchiſma conflarit.

m *Philaſt. c. 58.* FLORIANI HÆRETICI. n *Aug. de hæreſ. c. 66.* o *Theo. har. fab. lib. 1.* p *Euſ. d. cap. 19.* FLORINVS ET BLASTVS HÆRESIARCHÆ. q *Tert. de praſcr. c. 53.*

IV.

Porro ad hæc Elutheri tempora perſeueraſſe Romæ vna cum Valentino etiam Marcionem: amboſque cum ſæpe fidem Catholicam ſimulaſſent, & de erroribus exomologeſin feciſſent, tandem ab eodem Pontifice ob inquietam ſemper eorum curioſitatem, qua reliquos quoque fideles vitiabant, ab Eccleſia in perpetuum eiectos eſſe, & Tertullianus [r] ſcribit, & iam à nobis dictum eſt ſuperius. Addit vero idem auctor, cum poſtmodum Marcion pœnitentiam denuo confeſſus eſſet, ea demum conditione fuiſſe ei promiſſum reditum in Eccleſiam, ſi cæteros quoque quos perditioni erudiſſet, Eccleſiæ reſtitueret (nimirum vt publice contraria iis quæ docuerat prædicaret) dumque ei conditioni ſibi datæ occurreret, morte præuentum eſſe.

r *Id. ibid. c. 30.* QVÆ MARCIONI INIVNCTA VLTIMA POENITENTIA.

IESV CHRISTI AN. 181.

M. AVREL. IMP. AN. 19.

ELEVTH. AN. 3.

I.

ANno Chriſti centeſimo octogeſimo primo, L. Aurelio Commodo Aug. ſecundum & Candido Vero Coſſ. nihil certi geſtum reperitur horum Annalium relatu dignum. Apponimus tamen quod his vltimis Marci Aurelii temporibus, à Nicephoro [a] contigiſſe narratur de quodam Iudæo catechumeno: qui cum per deſerta & arida loca iter faciens cum Chriſtianis in grauiſſimum incidiſſet morbum, ita vt moriturus crederetur: cœpit à comitibus petere vt ipſum baptizarent priuſquam moreretur: hæſitantibuſque illis quod aqua carerent, rurſum tanta eos inſtantia adiurauit, vt arena pro aqua vſi, ter illum ea conſpergentes, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti baptizarint. Mox autem ſanitati reſtitutus, poſtquam vna cum aliis reliquum iter peregiſſet alacriter, re ad Dionyſium Epiſcopum delata, habitaque conſultatione, viſum eſt aqua illum Chriſtiano more abluere. Hæc Nicephorus.

a *Nic. hiſt. 3. cap. 17.* BAPTISMVS ARENÆ.

IESV CHRISTI AN. 182.

COMMODI IMP. AN. 1.

ELEVTH. AN. 4.

ANno Domini centeſimo octogeſimo ſecundo Brutio Præſente ſecũdum, & Quintilio Gordiano Coſſ. M. Aurel. Antoninus Imp. cum in expeditione Marcomannica ageret Sirmii in Pannonia, morbo affectus abſtinentia cibi mortem voluntariam oppetiit die 17. Martii, vt ex Tertulliano [a] & aliis conſtat: poſtquam imperaſſet annos decem & nouem continuos, vt habet Euſebius [b]: quibus decem dies addit Theophilus Epiſcopus Antiochenus qui tum ſcribebat. Vixiſſe vero Annos propemodum quinquaginta nouem, ex Iulio Capitolino colligitur, dum natum dicit Vero & Augure Coſſ. ſexto Calendas Maias, qui eſt annus Domini centeſimus vigeſimus tertius.

a *Tert. Apol. cap. 25.* MARCI IMP. OBITVS. b *Euſ. 5. hiſt. 9.* c *Theoph. ad Autol. li. 3.*

II. COMMODVS IMP. d *Lamprid. in Commod.*

Eo defuncto, filius eius COMMODVS, qui cum patre in caſtris agebat, hæreditarii Imperii ſolus adminiſtrationem ſuſcepit, annos natus (vt habet Lampridius [d]) nouemdecim, minus tribus menſibus & diebus tredecim. Qui mox bellum prope confectum remittens, Romam ſe contulit: vbi poſtquam pauculis annis (vt eſt apud Herodianum [e]) nihil non honoris paternis amicis exhibuiſſet, omnibus eos in negotiis in conſilio habuiſſet: poſtea in imum ſcelerũ prolapſus eſt: & qui à prima ſtatim pueritia (inquit Lampridius) turpis, improbus, crudelis, libidinoſus, oreque pollutus & conſtupratus fuit: licet habuerit egregios diſciplinarum magiſtros, præualuit tamẽ in eo aut ingenii vis, aut eorum qui in aula inſtitutores habentur. Denique fertur (inquit Capitolinus [f]) Marcum ipſius patrem mori voluiſſe, cum filium talem videret futurum qualis extitit poſt eius mortem, nempe ſimilis Neroni, Caligulæ, atque Domitiano. Qui & inſuper [g] Deus dici voluit, & vt Herculi ſibi ſacra fieri: templa vero reliquorum deorum ſtupris & humano ſanguine polluit, ac ornamentis ſpoliauit. Sed quod non eſt noſtri inſtituti, omnia ab Imperatoribus geſta proſequi: qui huius monſtroſiſſima facinora ſcire cupierit, conſulat tum Dionem & Herodianum, tum inprimis Lampridium.

e *Hero. li. 1.* EIVS SCELERA. f *Capit. in Marco.* g *Lamprid. in Commod.* DEVS DICI VOLVIT.

III. COMMODVS VLTOR SANGVINIS CHRIST.

Illud tamen non prætermittimus admonere: cum talis eſſet Commodus, nec tamen aliquod vmquã negotium faceſſiſſe Chriſtianis reperiatur: manifeſte apparere, eiuſmodi monſtrum ob vindictam Chriſtiani ſanguinis ab irato numine immiſſum eſſe, qđ in Senatores, magiſtratus & populos de iiſdem Chriſtianis peſſime meritos, adeo immaniter ſæuiret. Ad quod non abſque diuino nutu accidit, vt *Marcia* vna ex ipſius concubinis, quã prope loco vxoris, vt tradit Herodianus, habuit (ſiquidem honores Auguſtæ præter ignem, nempe faces accenſas præferri ſolitas, ei tribuit) [h] Chriſtianorum eſſet ſtudioſiſſima: quam quidẽ, quod magna apud eũ polleret auctoritate,

h *Dio in Commod.*

pro Chriſtianis interceſſiſſe par eſt credere. Sed vtcunque id acciderit: quod Imp. ſæuitiam in omnes longe lateque graſſantem, in Chriſtianos tantummodo progredi cohibuerit: quodque Gentiles omnes immenſo ſemper odio proſecuti hactenus Chriſtianos, eos vexare iam prætermiſerint: miraculum propemodum reputatur. Sed modo quæ ſub eo facta ſunt ad res Eccleſiaſticas pertinentia enarremus.

V. Hoc ipſo primo anno eius Imperii Euſebius [i] ponit ingreſſum *Iuliani* in ſedem Alexandrinam, in locum Agrippini, cum hic (vt ait) ſediſſet annis duodecim: qui tamē ſecundum ea quæ dicta ſunt in eius ingreſſu, etiam vltra annos ſexdecim ſediſſe dicendus eſſet. In huncque item vſq; annum vixiſſe oportuit Theophilum Epiſcopum Antiochenum: nam ad finem Commentarii ad Autolicum meminit mortis Marci Aurelii Imperatoris, quem (vt vidimus) nominat Verum. Quamobrem corrigendum eſt Chronicon Euſebii, vbi ante annos quatuor ponitur Theophili ſucceſſor *Maximinus*: & ſtandum potius Nicephoro, qui ſediſſe Theophilum tradit annos tredecim.

i Euſ. 5. hiſt. 9.

Commodi Imp. An. 2.

IESV CHRISTI AN. 183.

ELEVTH. AN. 5.

I. ANno Chriſti centeſimo octogeſimo tertio, Cōmodus Auguſtus tertium adiens Conſulatum, collegam ſibi ſumpſit Antiſtium Burrhum. Quo tempore (vt ait Euſebius [a]) Chriſtiana religione ad tranquillum ſtatum deducta, & pace omnes totius Orbis Eccleſias occupante, magna facta eſt tum aliis locis tum Romæ, accurrentium ad fidem ſuſcipiendam acceſſio, ac eorum præſertim qui nobilitate generis, diuitiarum affluentia, & animi ingenuitate præſtarent. Inter quos Lvcivs Britannorum Rex, iam ſæpe antea Chriſtianorum admiratus miracula & integritatem vitæ, diuina luce perfuſus, legatos ad Eleutherum Papam direxit ad ſuſcipiendos ab eo ſacros miniſtros: à quo miſſi Fugatius & Damianus ſiue Donatianus, tum ipſum Regem, tum eius vxorem, ac multum populum Chriſtiana religione imbutum, ſacris myſteriis initiarunt. Hæc autem cum omnes ad Eleutheri referant tempora, erroris arguuntur qui ſcripſerunt [b] facta ſub M. Aurelio & L. Vero fratribus: vt potius iis ſit aſſentiendum, qui ad tempora Commodi retulerunt [c]. Rei vero geſtæ memoria extat etiam in libro de Romanis [d] Pontificibus: & quod cunctis aliis teſtimoniis præſtat, ipſius antiquis Martyrologiis [e] habetur adſcripta Cum tamen diu ante (vt teſtatur Gilda [f] Sapiens) Chriſti Euangelium fuiſſet in Britanniam perlatum.

a Euſ. 5. hiſt. 20.

Lvcii Britan. Regis legatio ad Eleuth. PP.

b Be. de geſt. Ang. li. 1. c. 4. & de ſex ætat.
c Ado in Chr. & alii.
d lib. de Rom. Pont. in Eleuth.
e Martyrol. Ro. & alii. 26. Maii, & 3. Dec.
f Gil. de excid. Britan.

II. Nec mireris ſi redacta iam ſub Claudio Britannia in prouinciam [g], Regibuſque extinctis, iterum in ea Luciū regnare audias. Nunquam enim Romani ante hæc tempora tota Britannia potiti ſunt: ſed in ea cōplures populos indomitos permanſiſſe liquet: puta citra muros illos, quos in ea inſula Hadrianum & Antoninum Pium conſtruxiſſe, vt barbari à Romanis diuiderentur, Spartianus [h] & Capitolinus [i] affirmant. Denique Tertullianus [k], qui his viuebat temporibus, teſtatur Britannorum inacceſſa Romanis loca Chriſto fuiſſe ſubdita. Cum aliqui & ipſi populi debellari, ſæpe ſæpius rebellare conſueſcerent: qui etiam his ipſis Marci & Commodi temporibus [l], Romanis exercitibus negotium haud leue faceſſerunt. Potuit inſuper & Lucius aliquis eſſe Regulus ſub Romana ditione in Britannia poſitus, ſecundum quod Iudææ, & Armeniæ [m], aliiſque ſæpe prouinciis conceſſum fuiſſe à Romanis conſtat. Quin & ipſam Britanniam, poſtquam redacta eſt in prouinciam, reperies [n] tempore Neronis habuiſſe Regem Icenorum populorum, nomine Præſutagum, longa (inquit Tacitus) opulentia clarum.

g Suet. in Claud. c. 17. Tac. li. 12. Annal.
Status rerum Britannicarum.
h Spart. in Hadr.
i Capitol. in Pio.
k Tert. adu. Iudæ. c. 7.
l Capitol. in Marc. Lamprid. in Commod. Dio in Com.
m Spart. in Hadrian.
n ap. Tac. Annal. 14.

III. Hoc etiam tempore (cum ſcil. imperante Commodo Iulianus quem diximus, ſederet Alexandriæ) *Pantænus* Chriſtianus Philoſophus, vir omni eruditionis genere præſtantiſſimus, ſacras literas Alexandriæ docens, deſiderio flagrans propagationis fidei ad Indos profectus eſt: vbi Euangeliū Matthæi Hebraice ſcriptū, à Bartholomæo Apoſtolo illuc delatum, reperit in manibus quorundam hactenus illic Chriſtum profitentium. Ita Euſebius [o]: verum profectionem Pantæni in Indiam ſub Iuliani ſucceſſore Demetrio Epiſcopo cōtigiſſe, ab eoque miſſum fuiſſe expoſcentibus illius gentis legatis: ſed & quos Indos dicunt fuiſſe Brachmanas Hieronymus [p] ſcribit. Cæterum Pantænus Alexandriam demum reuerſus obdormiuit in Domino, relictis egregiis ſcriptorum monumentis: cuius etiam memoria ob vitæ ſanctitatem relata eſt in tabulas [q] Eccleſiaſticas. Inter eius porro diſcipulos, laudatiſſimus extitit *Clemens* Alexandrinus, de quo plura inferius.

Pantænus fidem prædicat in India.
o Euſ. 5. hiſt. 10.
p Hieron. de Script. Eccl. in Pant. & ep. 84. ad Magn.
q Martyrol. Rom. 7. Iul.

IV. Hoc item tempore innotuit diuinæ Scripturæ noua Trāſlatio facta à Theodotione. Cum enim Epiphanius [r] editam ſub Commodo dicat, conſtetque Irenæum [s] his ipſis Eleutheri Papæ & Commodi Imperatoris temporibus ſcribentem, eiuſdem meminiſſe: certe quidem adhæc priora potius quam poſteriora Commodi tempora referenda videtur. *Tertia* hæc Tranſlatio dici cōſueuit. *Primam* enim numerant illam nobiliſſimā Septuaginta duorum, à Chriſtianis olim, atque Iudæis ipſis frequentiori vſu receptam: *Secundam* ſub Hadriano (vt vidimus) ab Aquila Pontico elaboratam: hanc vero *Tertiam*: ſed *Quartā* recenſenda eſſet, ſi illius omnium antiquiſſimæ ratio haberetur, quam ante tempora Alexandri Magni in lucem prodiiſſe ferunt [t], & ex ea Platonem, aliosque complures Philoſophos Gentiles accepiſſe multa. Verum quod incerto auctore prodiiſſet, nec vllum extet eius exēplar, & an integra fuerit ignoretur: deſiit inter alias numerari; cum præſertim de ea nulla videatur habita ratio, vt quę & ipſis quoq; Iudæis incognita fuerit: Nam Philo [u] Iudęorū peritiſſimus illam Septuaginta primam omnium nominat, nec vllam antea factam affirmat: habetque id ipſum Iuſtinus [x] martyr. Vnde verius exiſtimo (quod idem Philo indicat) potius ex conuerſatione cum Iudæis, innotuiſſe Gentilibus aliquas diuinæ Scripturæ ſententias, quam eius editā fuiſſe aliquam iſta priorem interpretationem. Nam & inſuper Ioſephus [y] & Ariſteas [z] docent, ea de cauſa initum eſſe conſilium accerſendi Septuaginta Interpretes, quod licet libri Iudæorum innotuiſſent Gentilibus, nondum tamen qui eos interpretati fuiſſent, inuenti eſſent.

Theodotionis tranſlatio Scripturæ.
r Epip. de menſ. & pond.
s Iren. lib. 3. cap. 24.
t Cle. Alex. ſtrom. lib. 1. Euſ. 10. de præp. c. 2. & alii.
Variæ Scripturæ tranſlationis.
u Phil. de vit. Moyſ.
x Iuſt. adm. ad Græc.
y Ioſ. 12. antiq. 2.
z Ariſt. de 70 interp.

V. Vt autem hac occaſione de eadem Septuaginta Interpretatione breuiter agamus: facta eſt illa ducentis octoginta ante Chriſtum annis (vt quidem ex Olympiadum ſupputatione apud Euſebium [a] colligitur, licet alii aliter numerauerint) tempore Ptolemæi Philadelphi Regis Ægypti, qui tertius regnauit ab Alexandro Magno: procurante illam Demetrio Phalereo regiæ Bibliothecæ Præfecto, vt quæ iam ad ducentā voluminum toto orbe ingenti cura ab eo conquiſitorum millia contineret, etiam libris Iudæorum illuſtraretur. Quapropter Ptolomæus miſſa legatione ad Summum Iudæorum Pōtificem, impetrauit ab eo Septuaginta duos peritiſſimos Iudæos, nempe ſenos ex ſingulis tribubus (ſiue ii fuerint Seniores Sanhedrin, vt nos cum Hilario [b] exiſtimamus, ad quorum munus, vt alias vidimus, hæc ſpectare viderentur: ſiue aliud id operis electi) qui diuino ac Prophetico, vt Patres omnes conſentiunt, afflante ſpiritu, apud Alexandriam in inſula Pharo, ſeparatis [c] ab inuicem cellulis, ſinguli opus elaborarunt, ac poſtea facta collatione, nihil penitus reperti ſunt inter ſe diſſentientes ſcripſiſſe. Recepta eſt autem eadem Interpretatio communi conſuetudine à Iudæis [d], in tantum vt & ipſe Chriſtus Dominus, & Apoſtoli frequentius ea vſi noſcantur. Quæ & merito in Eccleſia *Communis* eſt habita [e] & dicta, quamdiu ſincera permanſit: cū vero corrupta eſt, vel ab ipſis Iudæis [f] poſt Chriſti aduentum, vel à noſtris [g] librariis perperam deſcribentibus: ea primum ab Origene, deinde à Luciano martyre, poſtea ab Heſychio, quarto demum à Sancto Hieronymo, fuit mēdis expurgata; vt iam dicetur ſuis locis: eademque nuper, opera & induſtria *Antonii Caraſæ* S.R.E. Cardinalis Bibliothecarii, tam Græco quam Latino ſermone, veluti poſtliminio ſummo honore reuerſa, totius exultantis Eccleſiæ

De interpretatione LXX.
a Euſ. 10. de præp. 17.
b Hilar. in pſal. 2.
c Iuſt. ad Gent. Iren. lib. 3. c. 25. Tert. Apol. cap. 18. Cle. Alex. ſtro. lib. 1. Cyril. Hieroſ. catec. 4. Hilar. in pſal. 2. Phil. laſt. de hær. cap. 119. Aug. 18. de ciu. Dei c. 43. Theod. præf. in pſal. Iuſt. Antiq. Authent. col. 10. & alii complures.
d Vid. Leon. Caſt. de 70 interp.
e Orig. ad Afric. Phil. laſt. c. 144. vſq. ad 143. Hier. ſæpe.
f Iuſt. dial. cum Trypho. & alii.
g Hieron. ep. 101. Aug. 15. de ciu. 11.

excepta plauſu, in ſummæ auctoritatis throno priſtino collocata fuit. Sed iam ad Theodotionem redeamus.

VI.

h *Euthym. in Panopl.* i *Epiph de menſur. & pond.*

RVRSVM DE THEODOTIONE, EIVSQVE INTERPRETATIONIBVS.

k *Iren. li. 3. c. 24. & ap. Euſ. 5. hiſt. 8.* l *Athan. in Symp. inſ.*

Ferunt [h] hunc Tatiani fuiſſe auditorem, ac dogmatum ſectatorem, moxque ſe Marcionitis [i] adiunxiſſe, ab his porro ad Iudæos tranſiſſe, & iam proſelytum eam ſubiiſſe prouinciam, vt ex Hebræo in Græcum Volumina ſacra transferret. Appellant eum quoque nonnulli Ebionæum, ea fortaſſe ratione quod Irenæus [k] dicat Ebionæos translationem Theodotionis, ſicut & Aquilæ Pontici, ſectatos eſſe. Cum autem idem eum Patria Epheſium nominet, miramur ab Epiphanio Ponticum appellari. Sed multo magis mirandum, quod tam ipſe, quam ante ipſum Athanaſius [l], poſt Symmachum ponant Theodotionem, & Symmachi Tertiam, Theodotionis vero Editionem Quartam numerent: cum ſatis exploratum habeatur, Symmachum, Seueri tantummodo temporibus ſuam promulgaſſe Editionem, Theodotionem vero ſub Commodo: Niſi dixerimus, eos non ordine temporum eaſdem numeraſſe, ſed ſicut in Hexaplis ab Origene poſitæ eſſent, in quibus alia ratione quam temporum ordine, tertio loco Symmachi, quarto vero Theodotionis erat collocata. Cæterũ Theodotionẽ maiori fide in interpretatione ſua vſum eſſe, quã cæteros ei ſimiles hæreticos Iudaizantes, Epiphanius teſtatur: ipſamque Eccleſiam Catholicam, Danielem ab eo translatum in frequentiorem vſum olim recepiſſe, Hieronymus [m] tradit: qui tamẽ alibi [n] aſſerit vniuerſam eius interpretationem fuiſſe ab Origene aſteriſcis & obelis notatam, vt quæ deeſſent quæue abundarent manifeſta fierent. Fertur præterea eiuſdem Theodotionis alia editio ex Hebræo in Syriacum verſa. Fuitque inſuper opinio [o] quorundam, eiuſdem eſſe Paraphraſim Ionatæ nuncupatam.

m *Hie. præf. in Dan.* n *Id. præf. in Pentat. & præf. in Paralip.* o *Sixt. Sen. Bib. lib 4. verſ. Syr.*

IESV CHRISTI AN. 184 185.186.187.188.

COMMODI IMP. AN. 3.4.5.6.7.

ELEVTH. AN. 6.7.8.9.10.

I.

ANno Chriſti centeſimo octogeſimo quarto, Petronio Mamertino ac Trebellio Ruſo Coſſ. & anno centeſimo octogeſimoquinto Commodo Auguſto quartum & Aufidio Victorino Coſſ. nihil rerum Eccleſiaſticarum geſtum reperimus, quod his potiſſimum annis conſignemus.

II. HIEROSOL. EPISCOPI.

Anno vero centeſimo octogeſimoſexto, Marcello & Æliano Coſ. anno quinto Commodi Imp. ponit Euſebius in Chronico ordinationem *Maximi* Epiſcopi Hieroſolymitani in locum Capitonis: poſt quem glomeratim enumerat Antoninum, Valentem, Dolichianum, Narciſſum, Ælium, Germanium, Gordium, & alterum Narciſſum (de quo agetur ſub Seuero) quod vt alias dictum eſt, non potuerit diſcernere tempora ſingulorum.

III.

Anno Chriſti centeſimo octogeſimo ſeptimo, Materno & Bradua Coſſ. data reperitur Epiſtola Eleutheri Papæ ad Epiſcopos Galliarum aduerſus Montani ac Marcionis hæreſes, de qua dictum eſt ſuperius.

IV.

Annum autem centeſimum octogeſimum octauum, quo Commodus Aug. quintum iniit Conſulatum cum Acilio Glabrione, rebus Eccleſiaſticis prorſus ſterilem prætermus.

IESV CHRISTI AN. 189.

COMMODI IMP. AN. 8.

ELEVTH. AN. 11.

I. APOLLONII SENATORIS MARTYRIVM.

ANno Chriſti centeſimo octogeſimo nono, Criſpino & Æliano Coſſ. *Apollonius* Senator Romanus, cum cæteris literis, tum philoſophiæ ſcientia celeberrimus, ab vno ex ſeruis propriis quod Chriſtianus eſſet accuſatus, rogatuſque fraudulenter à Perenni Iudice fidei ſuæ rationem coram Senatu reddere: ſimul atque accuratiſſimam orationem Apologeticam à ſe pro Fide Chriſtiana compoſitam coram omnibus recitaſſet, ſententia Senatus ſecuri percuſſus nobiliſſimum martyrium [a] conſummauit: quippe vetus lex apud illos extabat, Chriſtianos qui ſemel in iudicio comparuerant, niſi ſententiam mutarent, plectendos eſſe. Hæc apud Euſebium in Chronico, hoc anno octauo Commodi Imp. accidiſſe ponuntur: rem vero geſtam ipſe pluribus in Hiſtoria [b] deſcribit, quam ſe fuſiſſime in libro quem de Martyribus compoſuerat (qui maximo hiſtoriæ Eccleſiaſticæ detrimento periit) tractaſſe teſtatur. Quod autem Nicephorus [c] hunc Apolloniũ, eundem vult eſſe cum illo celebri inter ſcriptores Eccleſiaſticos, qui aduerſus Cataphrygas commentarios edidit: tum Euſebius & Hieronymus eos plane diuerſos fuiſſe oſtendunt, tum ratio temporis aperte contradicit, quandoquidem Eccleſiaſticum ſcriptorem multis poſt hæc annis ſcripſiſſe [d] conſtat.

a *Martyrol. Ro. 18. Apr.*

b *Euſ. 5. hiſt. 20.*

c *Nicep. lib. 4. c. 25. 26.*

d *Euſ. 5. hiſt. 17.*

II. SENATOR ROM. APOSTATA.

e *Ter. carm. ad Senator.*

DE CVLTV ISIDIS RO.

f *Suet. in Tiber. c. 36.* g *Tac. Annal. lib. 2.* h *Dio. li. 40. 42. 47. 53. 54.* i *Lampri. in Commod.* k *Spart. in Peſcen. Nigro.*

Ad hæc quoque tempora pertinere videtur, quod habet Tertullianus [e] de Senatore, qui Chriſtianus cũ fuiſſet, & Conſulatum geſſiſſet, poſtea lapſus miſer inter Sacerdotes Iſidis profiteri cœpit: cuius idoli ſacra cum multis olim Senatuſconſultis, & Imperatorum edictis fuiſſent penitus, vna cũ Serapidis, aliorumq; deorum Ægyptiorum cultu, in Vrbe prohibita, eorundemque templa diruta, & Sacerdotes expulſi, vel etiam necati: vt ex Suetonio [f], Tacito [g], Dione [h], aliiſque conſtat: nihilominus eadem poſtea & SC^to^ recepta, iis templa erecta fuere: adeo vt Conſulares ẽt homines iis turpiter initiarentur, ipſeque Commodus Imperator (vt habent Lampridius [i] & Spartianus [k]) ſic coluerit ſacra Iſidis, vt & caput raderet, & Anubin portaret, & omnes partes expleret: vt haud mirum videri debeat, ſi & alii Romani proceres in eius gratiam eidem numini propenſiorem cultum exhiberent.

III.

Quiſnam autem fuerit ille Senator & conſul transfuga, in quem Tertullianus ſcripto carmine acriter inuectus eſt, qui etiam (vt ait) philoſophum fingeret: haud ſatis compertum habetur. Fortaſſe vero accuſatus & ipſe Chriſtianitatis apud Senatum, ne eandem quam Apollonius pœnam pateretur, à Fide apoſtatauit. Cum alioqui eiuſmodi eſſet Chriſtianorum Senatorum cauſa, vt oporteret aut diſcedere penitus à Senatu, aut longe ab Vrbe aliquo prætextu à comitiis abeſſe: ſiquidẽ Auguſti [l] lege adſtringebantur Senatores, antequã loco conſiderent, in ara eius Dei in cuius templo comitia haberentur, thure ac mero ſupplicare. In templis enim conſueuiſſe cogi Senatum, & antequam rogatio fieret immolari ſolitum ſacrificium, narrat etiam ex Varrone Gellius [m]. Sed obſeruandum eſt, Non Commodi Imperatoris ſententia Apollonium fuiſſe damnatum, ſed ex Senatuſconſulto Perenni Iudice decernente. Neminem enim eſt reperiri, cui ſola religionis cauſa Commodo iubente, aut etiam ſciente, negotium ſit exhibitum. Quinimmo viguiſſe hactenus M. Aurelii edictum quod vidimus, ne ſolo Chriſtianitatis nomine quis in iudicium vocaretur, eiuſdemque vigore eundem ſeruum Apollonii delatorem, eiuſdem Perennis ſententia cturifragio punitum eſſe, Euſebius ibidem teſtatur.

l *Suet. in Aug. c. 35.*

m *Gel. li. 14. cap. 7.*

IV. PERENNIS PRÆF. SCELERA.

n *Lampri. in Commod.*

Fuit porro Perennis iſte Præfectus Prætorianis militibus: qui (vt ait Lampridius [n]) Commodi animũ perſciens, cum ei perſuaſiſſet vt ipſe deliciis vacaret, idem vero Perennis curis incumberet: dum Commodus cum trecentis concubinis, quas ex matronarum meretricumque delectu ad formæ ſpeciem conciliauerat, trecentiſque aliis puberibus exoletis, quoſq; æque ex plebe ac nobilitate nuptuſque forma diſceptatrice collegerat, in Palatio per cõuiuia & balneas debaccharetur: tunc Perennis cũcta ſibi, tum Romæ, tum in prouinciis vindicans, quos voluit interemit, ſpoliauit plurimos, omnia iura ſubuertit, prędam omnem in ſuum contulit. Hæc & alia plura cum ipſe Lampridius, tum Dio & Herodianus recenſent. Quomodo vero qui diu ad vindictam aliorum toleratus fuerat, vbi Chriſtiano ſe ſanguine polluit, idem Perennis, multis aduerſus eum vndiq; ad Cõmodum delatis querelis, eiuſdem Imperatoris iuſſu occiſus tandẽ fuerit vna cum filio, vxore, ſorore, & nepotib⁹, Herodianus cæteris fuſius narrat. Sed & hoc eodem anno poſt Apollonii necem, Euſebius tradit in Capitolium fulmen ruiſſe, & magna inflammatione facta Bibliothecam & vicinas ædes concremaſſe.

PERENNIS CASVS.

Magnam

CLADES SECVTA NECEM APOLLONII.

Magnam quoque ſubſecutam eſſe peſtilentiam, eaq; tum vniuerſam Italiam, tum maxime Romam fuiſſe afflictatam, adeo vt quo millia mortuorum corpora quotidie efferrentur, Dio tradit.

IESV CHRISTI AN. 190.191.

COMMODI IMP. AN. 9.10.

ELEVRH. AN. 12.13.

I.

ANno Chriſti centeſimo nonageſimo, Fuſciano & Silano Coſſ. anno nono Imperii Commodi, defuncto Iuliano Epiſcopo Alexandrino, ſubſtitutus *Demetrius* ab Euſebio ponitur in Chronico: licet in Hiſtoria [a] Iulianum vſque ad Seueri perſecutionem perueniſſe, demonſtrare videatur.

a Euſ. 6. hiſt. 2.

II.

Anno vero centeſimo nonageſimo primo, duobus Silanis Coſſ. Iunio atque Seruilio, Commodi Imperatoris anno decimo [b], poſt Maximinum ſubrogatur in Eccleſia Antiochena *Serapion*, celebris inter ſcriptores Eccleſiaſticos huius temporis: cuius lucubrationes quæ apud ſe extarent, recenſet Euſebius [c].

b Euſeb. in Chron. ſed Hier. an. ſeq.
SERAPION EPISC. ANTIOC.
c Id. 6. hiſt. 10.

IESV CHRISTI AN. 192.193.

COMMODI IMP. AN. 11.12.

ELEVTH. AN. 14.15.

I.

ANno Chriſti centeſimo nonageſimo ſecũdo, Commodo Aug. ſextum & Petronio Septimiano Coſſ. Euſebius [a] tradit eundem Imperatorem omnium celeberrimam munerum editionem exhibuiſſe: cuius etiam meminere Dio & Herodianus [b]: cum ad ſpectandum veniens Commodus, pelle leonis & claua proceſſit inſignis. Nam qui Hercules videri voluit & coli, non ſolum depoſito cultu Romanorum Imperatorum, Herculis inſignia ſuſcepit: ſed etiam è Neronis ſiue Solis coloſſo caput auferens, ſuum (quod hactenus Romæ viſitur) collocauit: nec amplius filius Marci vocari, ſed Commodianus Hercules Iouis filius, & tanquam Deo ſibi voluit immolari, adulante ei ad omnia præ timore Senatu. Hæc pluribus iidem auctores, cum Lampridio.

a Euſeb. in Chron.
b Herodian. lib. 1.
COMMODVS VVLT HABERI DEVS HERCVLES.

II.

MARTYRES ROMÆ.

Quo tempore accidit vt cum Chriſtiani quidam iſthęc Commodi ludicra & impietatem publice ſubſannarent: inter eos *Iulius* Senator renuens Herculi, hoc eſt ipſi Cõmodo ſacrificare, fuſtibus vſque ad mortem cæſus fuerit: cæteri vero Chriſtiani cum eius corpus ſublatum curaſſent, in crimen vocati quod eiuſdem bona diripuiſſent, poſt varia tormenta necati ſunt: ac deniq; Antoninus carnifex qui primus eos torſit, cum vidiſſet vnum ex illis nomine Euſebium poſt linguam radicitus præciſam adhuc libere loqui, Chriſtum & ipſe profitens capite truncatus eſt: quorum omnium hactenus extant [c] Acta: ſed & nomina ſuis quibuſq; paſſionis diebus in tabulis Eccleſiaſticis [d] adnotata. Cæterum mox diuina ſequente vltione.

c ap Sur. 25. Aug. tom. 7.
d Martyrol. Rom. 19. 22. 25. Aug.

III.

PRODIGIOSVM INCENDIVM.

Anno Chriſti centeſimo nonageſimo tertio, Bradua ſecundum & Aproniano Coſſ. exiguo terræmotu præcedente, ſeu nocturni caſu fulminis, ſiue igne aliquo in ipſo motu terræ excito, celeberrimum omnium, & opulẽtiſſimum templum Pacis, vna cum auguſtiſſimo templo Veſtæ, & pulcherrimis Vrbis ædificiis, ipſumque ferme totum Palatium (exuſtis etiam pleriſq; libellis qui ad Principatum pertinebant) conſumptum eſt incendio, quod plurimos dies peruagatum maximam vrbis partem ſolo æquauit, nec prius quauis arte ſedari valuit quam repentinis imbribus reſtingueretur: vt ita manifeſtum fieret, & diuinitus inchoaſſe & deſiiſſe. Hæc plurib. Dio [e] & Hieronymus [f]: quæ hoc anno Commodi duodecimo contigiſſe, Euſebius ponit. Sed & voluiſſe ipſum Commodum totam Vrbem incendere, niſi Lætus Præfectus Prætorio eum deterruiſſet, affirmat Lampridius [g]. Prodigia autem hæc fuiſſe tum bellorum quæ deinceps ſunt inſecuta, tum mortis Principis (nimirum ob incendium templi & Pacis & Palatii) iidem qui ſupra auctores putauerunt. Cæterum conſumpta tunc quoque fuiſſe incendio ſacra ſpolia quæ è templo Hieroſolymitano ſublata Veſpaſianus in templum Pacis intulerat, certum eſt: etſi vaſa quædam integri alibi ſeruata ad Valentiniani poſtremi eius nominis Imperatoris tempora permanſiſſe, eaque ceſſiſſe Wandalorum ſpoliis, Procopius [h] tradit.

e Dio in Commod.
f Hered. li. 1.
g Lampr. in Commod.
h Procop. 1. de bel. Wand.

IESV CHRISTI AN. 194.

COMMODI IMP. AN. 13.

VICTORIS AN. 1.

I.

ANno Chriſti centeſimo nonageſimo quarto, Commodo Imperatore ſeptimum & Pertinace ſecundũ Coſſ. ſeptimo [a] Calendas Iunii, *Eleutherus* Papa, cum ſediſſet annos quindecim & dies viginti tres, ex hac vita ſublatus eſt, ac ſepultus in Vaticano. De cuius ſedis annis cum omnes conſentiant tam Latini quam Græci: quod apud Euſebium [b] in hiſtoria tredecim tantum ei aſſignentur, aut errore numeri accidit, aut quod eum obiiſſe ponat ante biẽnium: cum tamen in Chronico hoc anno habeat Victoris ingreſſum. Vtrum autem Eleutherus gladio ſublatus fuerit, nobis incompertum eſt: niſi quod in antiquis omnibus Martyrologiis, Martyr repetitur adſcriptus: cum alioqui certum ſit [c] MARTYRIS nomen apud Tertullianum, Cyprianum, & alios pleroſque antiquorum, tribui conſueuiſſe non iis tantum qui mortem, ſed etiam qui cruciamentum aliquod Chriſti cauſa ſubiiſſent qui & aliquando dicti repetiuntur CONFESSORES, licet ſi vim harum vocum expendas eædem ſint. Cæterum poſtquam ſedes vacaſſet dies quinque, ſubrogatus eſt VICTOR Afer Felicis filius.

a Martyrol. Rom. libr. de Rom. Pont.
ELEVTHERI PP. OBITVS
b Euſ. 5. hiſt. 22.
c Vid. Pamel. in ſcho. ad Cypr. epiſt. 9.
MARTYRIS NOMENCLATVRA COMMVNIS CONFESSORIBVS.

II.

COMMODI IMP. INTERITVS.

Poſtrema quoq; huius anni die, Commodus Imperator cum ſtatuiſſet complures viros Conſulares ac Senatores occidere, in primiſque ipſam Martiam quam (vt dictum eſt) loco coniugis habebat, necnon Lætum Præfectum Prætorio, ac Electum cuſtodem cubiculi: re cõperta, eorundem conſpiratione ab athleta quodam cum quo is exerceri ſolebat, oppreſſis faucibus in ipſa palæſtra ſtrãgulatus eſt, ingenti gaudio Senatus & totius Vrbis. Hæc Dio, Herodianus, & alii pluribus. Eiuſmodi tamen impuriſſimum & immaniſſimum hominem, in quem omnes à maioribus vſque ad minimos (vt docet Lamprid.) merito omnia dira conclamaſſent, Seuerus qui paulo poſt ſuſcepit Imperium, & quod amantiſſimus eſſet nominis Antoninorum, & in odium Senatus cum ei aliquãdo iratior eſſet, oratione laudauit, & inter deos retulit, Flamine addito (quem ipſe viuus ſibi parauerat) Herculaneo Cõmodiano: vtque eius dies natalis celebraretur inſtituit: quod Lampridius [d] & Spartianus [e] ſcribunt. Regnaſſe vero annos duodecim, menſes nouem, dies quatuordecim, vixiſſe triginta vnum & mẽſes quatuor, Dio tradit: cui alii tredecim annos Imperii tribuunt, vtiq; inchoatos. Cum autem Clemens Alexandrinus, qui his diebus illuſtris habebatur Alexandriæ, libro primo Stromatum ſupputans tempora, affirmet ab anno quo natus eſt Dominus vſque ad mortem Commodi, annos numerari centum nonaginta quatuor: iam vides chronologiam noſtram his egregie conſentire.

COMMODVS RELATVS INTER DIVOS.
d Lampri. in Commod.
e Spart. in Seuer.

IESV CHRISTI AN. 195.

SEVERI IMP. AN. 1.

VICTORIS AN. 2.

I.

PERTINAX IMP.

ANno Chriſti centeſimo nonageſimo quinto, Soſio Falcone & Erutio Claro Coſſ. ipſis Calendis Ianuarii, ÆLIVS PERTINAX origine Ligur, cuius pater tabernam coctiliariam exercuerat, per ſingulos militiæ gradus ad Conſulatum & Præfecturam Vrbi euectus militibus Prætorianis iuuantibus, ac Senatu libentiſſime conſentiente, decernitur Imperator. Qui cum perditiſſimum Reipub. ſtatum quamprimum feſtinaret in priſtinum reſtituere, à militibus occiſus eſt quinto Calendas Aprilis, cum imperaſſet tribus ferme menſibus, vixiſſet annis ſexaginta ſeptẽ & menſib. quatuor: bonis omnibus,

bus, quod vir optimus haberetur, ſui deſiderio relicto. Hæc ex Dione, Capitolino, & aliis.

II. DID. IVLIANVS IMP.

Poſt quem DIDIVS IVLIANVS, militiæ domique ſpectatus, homo diſertiſſimus, pollicitus dare ſingulis militibus prætorianis aureos ducentos quinquaginta, ab eis in Imperium euectus, à Senatu perterrito tandem confirmatus eſt: tenuitque reclamante populo, dies ſexaginta ſex. Cum interim qui tribus Romanis exercitibus præerant duces, *Peſcennius Niger* Antiochiæ in Syria, *Clodius Albinus* in Britannia, & *Septimius Seuerus* in Pannonia, ab eo deficientes Imperium arripuere. Appellatus eſt autem SEVERVS ab exercitu Imperator apud Carnuntum Idibus Aprilis (ſic enim corrigendum eſſe apud Spartianum, pro eo quod legitur, *Idibus Auguſti*, ex iis quæ de tempore dicta ſunt, quæque dicentur, apparet) idemque inito pacto cum Albino Romam proficiſcens, literis ad ſe pertractis militib. Prætorianis, cum iidem Iulianum interfeciſſent, ipſe conſenſu militum atque Senatus, acclamatus eſt Imperator die prima Iunii: vt ex Dione [a] colligitur, qui tum clarus inter Senatores comitiis quibus hæc decernebantur interfuit. Sed & amore Pertinacis boni Principis, à Senatu *Pertinacis* nomen oblatum idem Seuerus libenter accepit: eundemque inter deos retulit.

SEVERVS IMP.

a Dio in Iulian.

III. ALBINVS CREATVS CÆSAR.

Fuit autem Seuerus patria Africanus ex ciuitate Lepti nobiliſſimo genere ortus, literis humanioribus excultus, militiæq; peritiſſimus. Qui ipſo ſui Imperii exordio, creato Cæſare ALBINO Galliarum & Britanniæ exercitus duce, omnibuſq; honorum & gratiarum generibus ſibi deuincto: poſtquam triginta dies Romæ exegiſſet profectus eſt in Orientem aduerſus Peſcennium Nigrum. Hæc Dio, Herodianus, ac Spartianus pluribus. Auctor quoque eſt Tertullianus [b], eundem Imperatorem primis Imperii ſui annis bene Chriſtianos habuiſſe, atque etiam nonnullos eorum aduerſus furentem populum defendiſſe: nimirum quod à Chriſtiano quodam nomine Proculo cognomine Toparcion, procuratore Euhodeæ (ſeu potius Euodi, qui fuit Antonini filii Seueri educator per oleum aliquando curatus eſſet, quem etiam in palatio ſuo habuit vſque ad mortem eius. Immo & ipſum quoq; Antoninum Seueri filium lacte Chriſtiano fuiſſe educatum, idem auctor aſſerit: eundemque, cum puer eſſet, amatiſſimum colluſorem habuiſſe puerum Iudæum, hoc eſt Chriſtianum) Spartianus [c] ſcribit. Quando aũt acciderit, quibuſue impulſorib. vt Seuer⁹ Chriſtianos perſequi cœperit, dicetur ſuo loco.

b Tert. ad Scap. cap. 4. SEVERVS BENE HABVIT CHRISTIANOS. SEVERI FILIVS LACTE CHRIS. EDVCATVS. c Spart. in Caracal.

IV. d Niceph. li. 5. ca. 16.

Hoc vero tempore res Chriſtianorum valde floruiſſe, Nicephorus [d] tradit: cum (vt ait) in dies fidei profeſſio augmenta caperet, & Eccleſiaſticorum doctorum ſcriptis atque doctrinis eam prouehentibus, vniuerſæ multitudines & domus totæ paſſim in maximis vrbibus ad fidem accederent, quiduis pati aut facere paratæ, quam vt quicquam contra religionem agerent, aut nouarent. Sicut & Tertullianus [e], qui ſub eodem Seuero Imp. aduerſus Gẽtiles & Iudæos ſcripſit, iuſte gloriatur iam tum Chriſtianos omnia vbiq; impleſſe, vrbes, inſulas, caſtella, municipia, cõciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, Palatium, Senatum, Forum: & Chriſti regnum atque nomen longe latius quam Romanum Imperium ſe prodens, vbique porrigi, vbique credi, ab omnibus gentibus coli, vbique regnare, vbique adorari. Idque ipſum aſſeruerunt alii Eccleſiaſtici tractatores, qui iiſdem temporibus vel aduerſus hæreticos vel Gentiles aut Iudæos locuti ſunt.

STATVS ECCLESIÆ FLORENTISS. e Tert. Apol. c. 37. aduer. Iudæ. ca. 7. 8.

SEVERI IMP. AN. 2.

IESV CHRISTI AN. 196.

VICTORIS AN. 3.

I. a Euſ. 6. hiſt. 11. DE CLEMENTE ALEXANDRIN.

ANno Chriſti centeſimo nonageſimo ſexto, Seuero Auguſto & Albino Cæſare Coſſ. anno eiuſdem Seueri Imperii ſecundo, Euſebius in Chronico ponit CLEMENTEM Alexandrinum clariſſimum horum temporum Eccleſiaſticum tractatorem, quam alibi [a] vocat *Titũ Flauium Clementem*. Porro cum ſub Seuero ſcripſiſſe eruditiſſimos libros Stromatum, argumento plane eſt (vt etiam Euſebius [b] notauit) quod in eiſdem ſæpe texens chronologiam temporum, ſemper ad Commodi obitum, nec vlterius eam perducit. Cum vero & in iiſdem mentio fiat de Chriſtianorum perſecutione tunc vigente, neceſſe eſt affirmare eos ſcriptos eſſe poſt annum decimum Seueri quo illa cœpta eſt. Ceterum quod Alexandriæ diutiſſime docuerit (factus [c] in ſchola præceptoris ſui Pantæni ſucceſſor) & vſque ad finem vitæ commoratus ſit; inde accidiſſe videtur, vt *Alexandrini* cognomen ei datum fuerit, cum patria eſſet Athenienſis, è qua etiam nonnunquam à maioribus (vt ſcribit Epiphanius [d]) dictus eſt Athenienſis. Sed & *Stromateum* ſiue Contextorem nuncupatum fuiſſe, Caſſiodorus [e] teſtatur; non ob aliam certe cauſam, quam ob prædictos inſignes illius octo libros Stromatum luculentiſſime ſcriptos; quos quidem iſto à ſe titulo inſignitos eſſe ob varietatem argumenti, ſeu quod varie contexti eſſent, ipſemet teſtatur Clemens.[f]

b Id. 6. hiſt. 13.

c Euſ. ibid.

d Epiph. hær. 32.

e Caſſiod. præf. Inſtit. diuin. lect.

f Clem. Str. li. 4.

II. CLEMENTIS SCRIPTA. g Euſeb. 6. hiſt. 13. h Hier. de Script. Eccl.

Quantæ autem eruditionis fuerit & eloquentiæ, multiplices eius lucubrationes, quæ hactenus reliquæ factæ ſunt, vel tacentibus omnibus clamant: plures vero ab eo elaboratas enumerarunt olim Euſebius [g] & Hieronymus [h]. Sed & præter illas, vtriq; aliarum à ſe editarum ipſe meminit, nempe de Reſurrectione, de Nuptiis, & de Continentia: Ac demum Caſſiodorus eumdem recenſet inter eos qui à principio vſque ad finem explanarunt diuinas Scripturas. Ceterum quod aliquibus næuis eius commentarii reſperſi reperiantur; ne occaſione celeberrimi illius nominis, Fideles quæcumque apud eum ſcripta inuenirent, incaute amplecterentur, prouide Gelaſius Papa eius opera apocryphorum nota voluit inuſſiſſe: cum alioqui ex eius commentariis nonnulla ab Arianis fuiſſe deprauata, Ruffinus [i] affirmet. Habuit autem inter alios pleroſque magni nominis diſcipulos [k] Origenem, quem & nactus eſt in ſchola Alexandrina ſucceſſorem, de quo pluribus dicetur inferius.

i Ruff. Apol. pro Orig. k Euſ. 6. hiſt. 3. Hier. ep. 65.

III. THEODOTVS HÆRESIARCHA. l Theod. hær. fab. lib. 2. m Euſeb. 5. hiſt. 27.

Hoc eodem tempore (licet annus certus definiri non poſſit) Victor Romanus Pontifex recens agnitum THEODOTVM Byzantium hæreſiarcham damnauit, & ab Eccleſia eiecit: quod Theodoretus [l] affirmat, & ante ipſum Euſebius [m] antiquorum ſcriptorum auctoritate. Fuerat iſte coriarius quidem arte, verum multæ eruditionis & doctrinæ. Qui cum tempore perſecutionis ſub Marco Aurelio comprehenſus Chriſtum negaſſet, idque poſtea ei exprobraretur tum in patria, tum Romæ cum eo præ pudore gentilium ſuorum aufugiſſet: in defenſionem ſuæ culpæ nouum excogitauit errorem, vt aſſereret ſe Deum nõ negaſſe, ſed hominem: ſicq; docuit Chriſtum hominem tantummodo, non etiam Deum eſſe; ex Spiritu quidem ſancto natum ex Virgine, ſed hominem nudum, nulla alia præ cæteris, niſi ſola iuſtitiæ, auctoritate. Tradunt hæc de eo Tertullianus [n], Epiphanius [o], Auguſtinus [p], & alii nuper recenſiti auctores. At licet Theodoti immanis blaſphemia à Cerintho tempore Apoſtolorum iure dici poſſit duxiſſe principium; tamen Epiphanius [q] propugnatores eius poſt Montanum exortos exiſtimat, qui Cerinthi & Ebionis conati ſint impia dogmata in Aſia inſtaurare, quique ALOGI (ratione vel Verbo carentes) fuerint appellati, quod S. Ioannis Apoſtoli Euangelium atq; Apocalypſim reſpuerent: & ex ea Alogorum ſecta propagatum fuiſſe Theodotum. Porro qui huius ſectam ſecuti ſunt, *Theodotiani* ſunt appellati.

n Tert. de præſcr. c. vlt. o Epiph. hær. 54. p Aug. de hæreſ. cap. 33. q Epiph. hær. 51. ALOGI HÆRETICI.

IV. ARTEMON HÆRESIARCH. r Euſ. 5. hiſt. 27.

Quibus dederũt manus, qui ſunt hoc eodem tempore ab ARTEMONE hæreſiarcha progreſſi; qui & ipſi [r] Chriſti diuinitatem negantes, hominem tantum eſſe aſſeruere, ſed tamen prophetis maiorem. Iidemque iunctis animis atque conatibus, eo impudentiæ proceſſerunt, vt aſſererent tum Apoſtolos eamdem de Chriſto doctrinam quã ipſi nunc prædicarent, ab ipſomet Domino accepiſſe, & alios docuiſſe; tum omnes poſtea Doctores Eccleſiaſticos vſque ad Victoris Papæ tempora, eidem adhæſiſſe; ſed à Zephyrino Victoris ſucceſſore ſinceram doctrinam fuiſſe penitus deprauatam. At hoc tantum nefas exhorreſcentes pii ac doctiſſimi viri qui his temporibus in Eccleſia floruerunt, ſcriptis ſuis impudens mendacium egregie re-

gie re-

gie refellerunt; quos recenſet Euſebius[s], dum hæc omnia pluribus deſcribit.

s Id. l. 5. hiſt. 26. 27.

V. THEODOTVS ALTER HÆRESIARCHA.

t Tert. de praſcr. c. vlt.
u Pſal. 109.

Poſt Theodotum Byzantium, hoc eodem tempore alter quoque THEODOTVS (inquit Tertullianus[t]) hæreticus erupit; qui & ipſe hominem tantummodo Chriſtum dixit ex Spiritu Sancto & Maria Virgine pariter conceptum & natum, ſed inferiorem quā Melchiſedech, quod dictum[u] ſit de eo, *Tu es Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech*: nam illum Melchiſedech præcipue gratiæ cœleſtem eſſe virtutem; & quod agat Chriſtus pro hominibus, deprecator & aduocatus ipſorū factus, Melchiſedech facere pro cœleſtibus Angelis atq; Virtutibus: eſſeque illum adeo Chriſto meliorem, vt[x] apator, ametor, agenealogitus ſit, cuius neq; initiū neq; finis comprehenſus ſit aut comprehendi poſſit. Hæc de eo Tertullianus. At ſicut alter ille Theodotus fuit opifex coriarius, ita iſtum arte fuiſſe argentariū ſiue trapezitam, Euſebius[y] ex antiquiori ſcriptore, necnon Theodoretus[z] affirmat; vt non adeo mirandum ſit, cum audiuntur huius temporis Nouatores è ſutrinis, calceariis, vel fabrilibus tabernis conſcendere pulpitum laici homines; atque adeo ſi tam audacter Scripturas diuinas negent detruncent, augeant, immutent, corrumpant, atque peruertant: quæ omnia iſtos quoque Theodotianos magna inſcitia & impudentia auſos eſſe, dicentes ſe illa corrigere quæ non bene haberent, atque ita ſe Sancto Spiritu ſapientiores pronuntiantes; magiſque philoſophiæ humanę, & geometriæ, atque medicinæ ſtuduiſſe, quam Theologiæ, idem Euſebius ſcribit.

x Hebr. 7.

OPIFICES HÆRESIARCHÆ.
y Euſeb. l. 5. c. 27.
z Theod. hær. fab. lib. 2.

VI. MELCHISEDECHIANI HÆRETICI.

a Hieron. ep. 125. ad Euagr.

ERRORES DE MELCHISEDECH.

b Epiph. hær. 67.
c Aug. q. ex vtroque mixt.
d Id. de hær. cap. 34.
e Epiph. hær. 55.

QVID DE MOYSE HÆRETICI.

Quod autē ad præcipuum caput huius hæreſis ſpectat, ex qua appellati ſunt *Melchiſedechiani* hęretici; grauiſſimos quoque viros reperio errore lapſos de Melchiſedech, quod Paulus eum ſine patre & matre, ac ſine genealogia fuiſſe deſcribat. Nam Origenem & Didymum in eam pariter ſententiam abiiſſe, vt putarint eum fuiſſe Angelum, teſtatur Hieronymus[a]; meminitque de quodam, qui eum diuinioris naturæ fuiſſe affirmaret, ac demum illum ipſum Spiritum Sanctum, qui apparens Abrahæ in figura hominis viſus eſſet. Quam eamdem opinionem Epiphanius[b] Hieracitis tribuit, de quibus dicetur inferius ſuo loco. Denique in libro quæſtionum[c] Auguſtini nomine ſcriptum legitur, Melchiſedech non fuiſſe hominem, ſed ſupra hominem. At vero iſtam ſententiam non ſuam eſſe, ſed quorumdam aliorum, ſatis ipſe ad Quodvultdeum[d] demonſtrat, dum talia ſectantes adnumerat inter hæreticos. Agit pariter de iiſdem hęreticis Epiphanius,[e] quos & ſibi libros commentitios finxiſſe tradit: ſubditq; de aliis eiuſdem ſectæ in Arabia Petræa, qui Moyſen quoque Deum eſſe putarent, propter diuina ſigna quæ feciſſet; adorarentque ipſius imaginem.

VII. PRAXEAS HÆRESIARCHA.

Rurſus vero de aliis, qui ſub Victore Romano Pontifice prodierunt, hæreticis, eorumque auctore PRAXEA agēs Tertullianus; tum in fine commentarij aduerſus hæreſes, tum in libro quem priuatim in eum ſcripſit, ait eum dixiſſe, Deum Patrem Omnipotentem eſſe IESVM Chriſtum, illumq; crucifixum ac paſſum, mortuum præterea ſeipſum ſibi ſedere ad dexteram ſuam. Ceterum ſi Praxeæ exquiramus originem, cum primo fuiſſe Montani ſectatorem, ex eorum numero quos idem Tertullianus[f] vocat κατὰ Proclum, Pacianus[g] demonſtrat. Sed poſtea ab iiſdem deſciſcens ſeque Romam conferens, de ſecta Montani (vt alias vidimus) Romanum Pōtificem reddidit certiorem. Detectus tamen & ipſe hæreticus, itidemq; Romæ[h] damnatus, (quod factum ſub Zephyrino Victoris ſucceſſore, Optatus[i] affirmare videtur) erroris pœnitens recantauit palinodiam: ſed eumdem rurſum latentem in ſtomacho hæreſim euomuiſſe, Tertullianus eſt auctor. Qui vero ab eo progreſſi ſunt hæretici, primo *Monarchici*, quod vnam tantum perſonam ſtatuerent Sāctiſſimæ Trinitatis; deinde *Patropaſſiani*, quod Patri æque crucem adſcriberent, ſunt appellati. Meminit eiuſdem S. Auguſtinus[k], agitque de *Praxeanis* ab eo deriuatis hæreticis.

f Tert. de praſcr. c. 52.
g Pacian. ep. ad Sympron.

h Tert. adu. Prax. cap. 1.
i Optat. cont. Parm. lib. 1.

PATROPASSIANI HÆRETICI.
k Aug. de hæreſ. c. 41.

IESV CHRISTI AN. 197.

SEVERI IMP. AN. 3.

VICTORIS AN. 4.

I.

ANno Chriſti centeſimo nonageſimo ſeptimo, duobus Flauiis Tertullo & Clemente Coſſ. Seuerus Imp. occiſo Peſcennio Nigro qui Orientale Imperium occupauerat, expugnatoque poſt triennalem obſidionem Byzantio, & in vicum redacto quod Nigro fauiſſet aduerſus barbaros, qui ab eodem ſtetiſſent ducto exercitu, accepit in deditionem Parthos ac Medos, Adiabenos, Arabas & Oſroenos cladibus affecit, atque Niſibim occupauit; Romamque rediens triumphauit. Hæc Dio[a], Spartianus, & Herodianus[b] pluribus; quæ biennio ante cœpta, nonniſi anno ſequenti ſunt conſummata.

a Dio & Spart. in Seuer.
b Herod. lib. 2. & 3.

II. FILII SEVERI QVANDO CREATI IMPP.

Qui vero putarunt Antoninum Seueri filium vna cum patre imperare cœpiſſe, Getamque minorem natu eiuſdem Seueri filium, ante hæc tempora Cæſarem iam dictum fuiſſe, non leuem & in aliis ſibi errandi occaſionem dederunt. Ceterum nonniſi Albinum hactenus à Seuero creatum fuiſſe Cæſarem, Dio imprimis affirmat: Antoninum autem anno tantummodo Seueri quinto Cæſarem dictum, ſexto vero labente Auguſtum, inferius videbitur. Denique Getam confecto bello Parthico, nempe anno Seueri nono, Cæſarem eſſe creatum; triennio vero ante eiuſdem Seueri obitum (qui fuit annus eius decimus ſextus) accepiſſe nomen Auguſti; Spartianus demonſtrat. Ex quibus omnibus errorem corrigas Pamelii[c], putantis hunc ipſum annum tertium Seueri, à Tertulliano[d] eſſe notatum quando ipſe pallium ſuperinduit, cum (vt ait) eradicato omni aconito hoſtilitatis, triplex eſſe imperii virtus, hoc eſt (vt ipſe interpretatur) tot Auguſti ſimul regnarent. Nullum enim aliud reperiri eſt apud hiſtoricos tempus ſub Seuero, quo iſta de pace & tribus Auguſtis à Tertulliano dici potuerint; niſi cum Seuerus vna cum Antonino & Geta filiis Auguſtis creatis, domitaque Britannia, pax tranquilliſſima eſt vbique parta.

c Pamel. in vit. Tertul.
d Tert. de pal. cap. 2.

TERTVL. QVANDO INDVIT PALLIVM.

III.

Sed nec aſſentiri poſſumus eidem Pamelio, tunc Tertullianum cum pallium induit, primum Chriſto nomen dediſſe, vel baptizatum eſſe. Nec enim iis qui catechumeni fierent, neceſſe erat togam relinquere, atque induere pallium; & baptiſmi tempore non pallium, quod fuſcum eſſe conſueuerat, ſed candidam tunicam induebant: ac denique ipſius Tertulliani[e], atque etiam Cypriani[f] teſtimonio conſtat, non omnes æque Chriſtianos pallium induere, ſed vt plurimum communi cum Gentilibus indumento incedere conſueuiſſe. Sed nec qui pallium geſtarent mox Chriſtianos cōuinci potuiſſe, vel inde fit manifeſtum quod non ſolum turba philoſophorum omnium, ſed & cunctos liberaliū artium profeſſores (ipſomet Tertulliano[g] teſte) eo vterentur. Quapropter in eam adducimur ſententiam, vt opinemur inter Chriſtianos, perpaucos pallium induiſſe, illos nempe qui arctius vitæ genus amplecterentur, & eminentioris philoſophiæ cultū profiterentur, denique qui monaſticam vitam ſectarentur; nimirum vt ſicut eo habitu inter Gentiles eminerent philoſophi, ita & inter Chriſtianos effulgerent qui ſe arctioris vitæ vinculis mancipaſſent.

e Tert. apol. cap. 42.
f Cypr. de bon. patient.

PALLIVM NON FVISSE OMNIVM CHRISTI.
g Tert. de pal. cap. 4.

IV.

Hoc enim ſatis probatur, tum ex eo quod S. Hieronymus[h] iterū ſcribit, ſuo tempore Romæ cum aliqui Chriſtiani auſteriori vitæ ſe dederent, ſolitos eos vocari *Impoſtores & Græcos* (nimirū quia amictu Græco & philoſophico, nempe pallio, vterentur) tum quod Saluianus[i] ait, Africanam prouinciam à barbaris affligi cōmeruiſſe quod inter alia ſanctos monachos palliatos incedentes ludibris ac ſibilis inſectari conſueuiſſent. Vt quid enim tunc temporis eiuſmodi irriſiones Romæ & Carthagine, quæ Chriſtianis eſſent refertiſſimæ, ſi iidem omnes pallio vterentur? Denique Patres Concilii Gangrenſis[k] manifeſte diſtinguunt pallium à communi ceterorum Chriſtianorum veſte docentque eo tantum vti conſueuiſſe ſanctioris propoſiti viros. Et antiquiſſimus Origenes[l] laudans Heraclam Chriſtianum presbyterum, ait eū depoſita vulgari ac cōmuni veſte, philoſophi apparatum; hoc eſt pallium

h Hier. ep. 10. ad Fur. & ep. 12. ad Marcel.
i Saluia. de ver. iudic. lib. 8.

PALLIATI MONACHI.

k Conc. Gangr. c. 12.
l Orig. ap. Euſeb. hiſt. 19.

m Euſ. 6. hiſt. 21.

lium ſumpſiſſe. Pariterque in Porphyrio adoleſcente Chriſtiano Euſebius [m] magnopere laudat, quod pallium, habitum philoſophicum induiſſet: in quo vtique nulla eſſet laudis particularis occaſio, ſi id ipſum æque omnes facerent Chriſtiani.

V. TERTVL. CVR INDVIT PALLIVM.

V. His igitur omnibus rationibus facile perſuademur, Tertullianum cum pallium induit, nequaquam tunc primum Chriſtianum factum eſſe (Quomodo enim potuit, cum antequam ipſum ſumeret, his ipſis Seueri temporibus, complures cõſummatiſſimo homine Chriſtiano dignos ediderit commentarios?) ſed inter arctioris & eminentioris vitæ Fideles profiteri cœpiſſe, à ſæcularibus ſe prorſus negotiis abdicando; vt ſatis ipſemet eodem tractatu de Pallio [n] ſignificat. Ceterum fuiſſe TERTVLLIANVM natione Afrum, patria Carthaginenſem, patre Centurione Proconſulari natum cum alii plures, tum S. Hieronymus [o] in primis affirmat, eumdemque omnium ſcientiarum peritiſſimum, cunctorumq; eius temporis Latinorum diſertiſſimum, omnes prædicant: quod & innumerarum ipſius lucubrationũ lectio ſatis conuincit. Scripſiſſe autem circa hæc tempora egregium illum commẽtarium aduerſus hæreticos *de Præſcriptione*, argumento eſt, quod cum omnes ab initio naſcentis Eccleſiæ progreſſos hæreſiarchas recenſet, de Artemone qui ſub Victore prodiit nullam penitus mentionem fecit, quod is nondum cognitus eſſet.

n Tert. de pal. cap. 5.
TERTVL. PRIMORDIA.
o Hieron. de Script. Eccleſ. in Tertul.

IESV CHRISTI AN 198.

SEVERI IMP. AN. 4.

VICTORIS AN. 5.

I. CONTROVERSIA DE TEMPORE CELEBRANDI PASCH.
a Euſeb. in Chron.

I. ANno Chriſti centeſimo nonageſimo octauo, Dextero & Priſco Coſſ. annum Imperii quartum inchoãte Seuero, quæſtionem de die celebrandi Paſchatis iterum in Aſia exortam eſſe, Euſebius [a] tradit. Itaque tum Romæ à Victore Papa tum in Palæſtina à Theophilo Cæſarienſi Metropolitano & Narciſſo Hieroſolymorum Epiſcopo; itemque in Ponto à Palma Epiſcopo, in Galliis ab Irenæo Lugdunenſi, in Græcia à Bachillo Corinthio, in prouincia Oſroena, ac denique per vniuerſam ferme terrarum Orbem, ab Epiſcopis ad Synodos conuocatis (vnde obiter notabis Eccleſiarũ omnium toto Orbe trãquilliſſimam hoc tempore pacem) vno omnium cõſenſu ex antiqua Apoſtolorum traditione ſtatutum eſt Paſcha celebrandũ eſſe tantummodo die Dominico. Narrat hæc pluribus Euſebius [b]. Porro omnia iſta Concilia celebrata eſſe auctoritate & mandato Victoris Romani Pontificis, ex eo ſatis colligi poſſe videtur, quod Beda ex Actis prædictæ Synodi Palæſtinæ, quorum fragmentum recitat in Commentario quem ſcripſit de Æquinoctio Vernali, diſertis verbis aſſerit eumdem Victorem direxiſſe auctoritatem ad Theophilum Cæſarienſem eam celebrandi, eiq; iniunxiſſe vt de ea re cum aliis Epiſcopis deliberaret. Immo & Aſianos ipſos Epiſcopos qui cõtrariam ſectarentur ſententiam, eiuſdem Pontificis auctoritate in vnum conuocatos eſſe à Polycrate Epheſino Epiſcopo, teſtantur literæ ab ipſo [c] ad Victorem ſcriptæ: licet iidem traditionẽ Ioannis Euangeliſtæ iactantes de Paſchate celebrãdo decima quarta Luna quocumque tandem die ea accideret, vehementer obniſi fuerint Victoris, & aliorum vbique Epiſcoporum cõtrario iudicio. At de teſtimonio Ioannis Apoſtoli dictum [d] eſt in Pio Papa, ſub quo hæc primum orta eſt controuerſia. Ceterum Victor (vt habet Euſebius [e]) his rebus adductus, totius Aſiæ Eccleſias, & alias finitimas, tamquam alterius fidei & opinionis, literis grauiter obiurgatas, ſimul omnes & communione Eccleſiæ ſecludendas edixit. Quibus rebus videre eſt perſpicuo ſane exemplo, quanta auctoritate polleret Romanus Epiſcopus, qui per orbem Concilia indiceret & prouincias non obtemperantes eius præcepto à communione ſecluderet.

b Id. 5 hiſt. 23.
CONCILIA PLVRA EA DE RE HABITA.
c Ex ap. Euſ. 5. hiſt. 23.
d an. 159.
e Euſeb. 5. hiſt. 24.
VICTOR PP. EXCOMMVNICAT QVARTODECIMANOS.
II. QVID IRENÆVS AD VICTOREM.
f Id. cap. 25.
VSVS MITTENDÆ EVCHARISTIÆ.

II. At vero quod poteſtate iure faciebat, rectene fecerit à multis eſt dubitatum: immo & ipſum nimiæ ſeueritatis ab Irenæo, aliiſque Catholicis Epiſcopis qui eodem quo ipſe die Paſcha celebrarent, redargutum fuiſſe, idem Euſebius [f] tradit: & inter alia ex epiſtola Irenæi tunc ad Victorem ea de re ſcripta ait, prædeceſſores Rom. Epiſcopos aliis qui ſecus ac illi eum ritum obſeruabant, cõſueuiſſe nihilominus Euchariſtiam mittere. Vbi vetus conſuetudo reſeratur, qua Romani Pontifices ad Coepiſcopos Catholicæ communionis mittere ſoliti erant Euchariſtiam: qua qui indigni ab eis iudicati eſſent, iidem vt execrabiles, & excommunicati ab omnibus cenſebantur. Porro quamuis de rectitudine facti Victoris plurimi dubitauerint, tamen de poteſtate ne minimum quidem ab aliquo, non modo Catholicorum, ſed nec ſchiſmaticorum, controuerſum eſt.

III. Et vt rem ipſam accuratius perſcrutemur, quamdiu cum Catholicis tantum acta res eſt, tolerabile viſum fuit Romanis Pontificibus, permittere Aſianos more Iudæorum decimaquarta Luna Paſcha celebrare: at cum hæc indulgentia hæreſis validandæ eſſe videtur occaſio, ab ea ceſſare conſultius viſum eſt. Qui enim his temporibus inualuiſſent in Aſia Montani ſectatores (quod Pacian. [g] ſignificat) & ipſi die decimaquarta eſſe Paſcha celebrandum, ſecus autẽ agentes errore duci omnino affirmabant. Differebant [h] tamen ab aliis Quartodecimanis, quod illi Lunæ curſum Iudæorum more obſeruabant, hi autem Solis. Nec tantum Montaniſtæ eum fouerunt errorem, ſed & ipſe Blaſtus (quem vidimus) Romanæ Eccleſiæ preſbyter, ea ratione Iudaiſmum latenter (vt ait Tertullianus [i]) introducere conatus eſt; & quod ei contradiceretur, ſchiſmate ſe ab Eccleſia præcidit [k], complurib. aliis in ſuam ſententiam perductis. Quapropter cum hæc amplius tolerare, idẽ iam videretur quod ſchiſmati fauere; etſi durum ac violentum viſum eſt multis remedium Victoris Papæ perneceſſarium tamen ad vlcus ſanandum: cum præſertim non eadem præſens eſſet Aſianorum cauſa, ac fuerat tempore Polycarpi; quandoquidem olim illi ex permiſſione, iſti nunc ex neceſſitate [l] id ſe agere dicerent.

g Pac. ep. ad Sympron. de nomine Cathol.
QVARTODECIMANI CVR NON AMPLIVS TOLERANDI.
h Sozom. 7. hiſt. 18.
i Tert. de præſcr. c. 53.
k Euſeb. 5. hiſt. 19.
l Niceph. li. 4. cap. 30.

IV. Ne autem aliquæ Occidentalium Eccleſiarum in eiuſmodi errorem laberentur, curauit idem Victor eas omnes admonere vt in antiqua Apoſtolorum traditione permanerent: nam quæ extant [m] binæ ipſius ad Deſiderium & Paracodam Epiſcopos Viennenſes, & per eos ad vniuerſam Eccleſiam Gallicanam datæ diuerſis temporibus de ea re literę, argumento ſunt eum & alias eiuſdẽ generis ad reliquas Occidentalis Orbis Eccleſias direxiſſe. Porro qui in Oriente ea de cauſa auulſi ſunt ab Eccleſia, magna ex parte in ſchiſmate permanſerunt in longum tempus: licet enim ingens eorum numerus Concilii Nicæni tempore ad Eccleſiam fuerit reuocatus; tamen etiam poſtea Syros, Cilices, & Meſopotamos in eodem errore permanſiſſe S. Athanaſius [n] tradit. Fauerunt & alii eidem ſententiæ, de quibus dicetur ſuo loco.

VICTOR MONET EPISCOPOS OCCID.
m Recitat illas Baron. Annal. to. 2. hoc an.
QVARTODEC. DIV IN ERRORE PERSTITERE.
n Athan. de Synod.

IESV CHRISTI AN. 199.

SEVERI IMP. AN. 5.

VICTORIS AN. 6.

I. ANno Chriſti centeſimo nonageſimo nono, Laterano & Ruffino Coſſ. Seuerus anno Imperii quinto proficiſcens in Gallias aduerſus Albinum rebellantem, in itinere *Baſſianum* filium ſuum maiorem, Cæſarem dixit, & *Antonini* appellatione auxit, quam etiam poſtea Getæ minori filio detulit; in animo habens (quod tradit Spartianus) vt omnes deinceps Principes, quemadmodũ AVGVSTI, ita etiam ANTONINI dicerentur. At certe ab Antonino Pio qui primus id cognomen geſſit, ad Maximinum vſq;, reliqui omnes Imperatores eo prænomine vſi reperiuntur, tamquam omnibus Auguſtis debito qua de re præclare diſſerit apud populum Romanum Alexander. Seuerus referente Lampridio. Ceterum Seuerus difficillimo prælio apud Lugdunum obtinuit Albinum eoque occiſo ſolus ſecuruſque potitus eſt Imperio.

ANTONINI PRÆNOMEN COMMVNE IMPERATORIBVS.

II. Ponitur item ab Euſebio hoc anno Iudaicum bellum

IUDAEI RURSUM AFFLICTATI. a Spart. in Peſcen. b Dio in Seuer.

atque Samariticum ſimul exortum, vel (vt ait) potius reſumptum. Infeliciſſima plane fuit Seueri temporibus cõditio Iudæorum; quippe quos primo Peſcennius Niger adeo tributis oppreſſit [a], vt etiam aerem eorum cenſere voluerit; eo vero extincto, Claudius [b] ex Nigri partibus homo Romanus latronem agens, incurſionibus ſuis deprædatus eſt iiſdemque rebellantibus à Romanis, atque anno ſequenti à Seuero debellatis, decretus fuit de illis à Senatu triumphus: ac demum idem Imp. Iudæos fieri ſub graui pœna vetuit, prout teſtatur Spartianus.

III. Interea vero cum quæ iiſdem locis eſſet Eccleſia pace tranquilliſſima frueretur, *Narciſſus* Hieroſolymorum Epiſcopus ſanctitate & miraculis illuſtris, poſt Concilium anno ſuperiori celebratum, quorumdam hominum nequam, qui eius reprehenſiones non ferrent, calumniis circumuentus, quamuis ii nullam fidem apud populum inueniſſent, ipſe tamen tum indignatione quadam obiectæ criminationis tum maxime amore tranquillioris vitæ, quam iam diu optauerat, volens libenſque magno omnium mœrore ſolum vertit, & in ſecretam ſolitudinem ſe recipiens, multis annis anachoreticam vitam duxit, cuius interim accuſatores eaſdẽ diuinitus acerbiſſimas pœnas publice meruerunt, quas ſibimetipſi optauerant, vt fidem calumniarum ſuarum populo facerent. Porro cũ in eius locum Hieroſolymis ſuffectus eſſet Dius, huic vero non longo tempore Eccleſiam gubernãti Germanion, & iſti Gordius; Narciſſus ab Hieroſolymitanis repertus, & inſtantiſſime rogatus, iterum eius Eccleſiæ gubernacula ſuſcepit; dato ei, diuino monitu, ob ingraueſcentem ætatem centum amplius annorum, collega Alexandro iam alterius in Cappadocia Eccleſiæ Epiſcopo, qui voti & locorum viſendorum cauſa Hieroſolymam aduenerat. Hæc omnia pluribus Euſebius [c]; qui Alexandri ingreſſum contigiſſe ſcribit poſt obitum Seueri Imperatoris, quem tamen hic occaſione continuationis hiſtoriæ recenſuiſſe oportuit. Sed de ipſo agetur rurſum ſuis locis inferius.

c Euſeb. l. 6. hiſt. c. 9.

SEVERI IMP. AN. 6.

IESU CHRISTI AN. 200.

VICTORIS AN. 7.

I. ANno Chriſti ducenteſimo, Saturnino & Gallo Coſſ. Seuerus Imp. è Galliis Romã victor ingreſſus eſt ouans: recuſaſſe enim tradunt [a] triumphum, ne videretur de ciuili ſanguine captaſſe gloriam; qui tamen paulo poſt quamplurimos, qui Albino & Peſcẽnio fauiſſent, clariſſimos viros occidit, nulli parcens eorum qui vel leui tantummodo ſuſpicione laboraſſent: recenſetque Spartianus nomina quadraginta vnius Conſularium ac Prætorianorũ virorum, qui tunc ab eo necati ſunt iuſſi Damnati quoque pleríque qui ioco dixerant, *Vere Imperator nominis ſui, vere Pertinax, vere Seuerus.* Multos inſuper, quaſi Chaldæos aut vates de ſua ſalute conſuluiſſent, interemit; præcipue vero ſuſpectos, vnumquemque idoneum Imperio, quod ipſe paruos tantum filios haberet. Quibus factis nomen conſecutus eſt infame, vt diceretur à pluribus *Sylla Punicus.* Hæc Spartianus [b].

a Herodia. lib. 3. Spart. in Seuer. SEVERUS SEVERE SAEVIT IN SUOS.

b Spart. in Seuer. & in Peſcen.

II. Sed quod in tam immenſa ciuium cæde, Chriſtiani ſoli malorum ſpectatores quiete agerent (quippe quos nulli tyrannorum adhæſiſſe, tam glorioſe quã vere Tertullian. [c] prædicat) Gentiles liuore correpti, haud valuerunt ſe vlterius continere, quin foras in perſecutionem erumperent; ea nimirum honeſtiſſima (vt videbatur) occaſione, quod cum omnes reliqui ciues victorem Imperatorem epulis publicis & lectiſterniis, floribus, laureis, ſuffitibus, luminibus, & aliis id genus officiis in lætitia publica exhiberi ſolitis excepiſſent, ab his Chriſtiani abſtinuiſſent, ac proinde ſe Imperatorem odio proſequi oſtenderent. Hæc quidem, obiecta fuiſſe, docet Tertullianus [d] in forti illa defenſione, quam pro iis & aliis eiuſmodi criminationibus diluendis conſcripſit; de qua anno ſequenti, ſimulque de inchoata perſecutione.

c Tert. Apol. cap. 35. & ad Scap. cap. 2. CHRIST. ACCUSATI HOSTES IMP.

d Id. Apol. c. 35.

SEVERI IMP. AN. 7.

IESU CHRISTI AN. 201.

VICTORIS AN. 8.

I. ANTONINUS IMP. ANno Chriſti ducenteſimo primo, Anulino ſecundum & Frontone Coſſ. Seuerus labente ſexto Imperii anno, antequam ſeptimus numerari inciperet, maiorem natu filium ANTONINUM Cæſarem, ex Senatuſconſulto (vt habet Spartianus) creauit Imperatorem. Vnde antiquis [a] inſcri ptionibus Tribunitia Poteſtas, ſolita cum Auguſti nomine conferri, ſexies, in aliis vero quinquies, amplius in Seuero quam in Antonino iterata reperitur: ex quibus plane mendoſi arguuntur tituli præfixi reſcriptis quibuſdam Seueri, cum ante Conſules huius anni Antoninus ei collega apponitur. Placuit autem Seuero [b] ad conciliandum ſibi populum, præter munificentiſſimas munerum editiones, congiariumque magnum populo collatum, militibus etiam erogare donatiuum; cuius hactenus nonnulla extant [c] numiſmata, quæ docent id factum eſſe hoc ipſo anno, cum iam Seuerus auctus eſſet ſeptima poteſtate Tribunitia.

a Colleg. ann. Ald. Panuin. Adolph. Smet.

b Herod. lib. 3. Spart. in Seuer.

c ap. Pyrrh. Liger.

II. Huius autem exhibitionis tempore, illud de Chriſtiano milite accidit, quod Tertullianus Romæ tunc exiſtens in libro [d] *de corona militis* deſcribit. nempe, cum is noluiſſet (quod alii omnes Chriſtiani milites abſque ſcrupulo facerent) coronam lauream, ex more, donatiuum accepturus in capite geſtare, à Præfecto militia depoſitum, ac fuſtibus cæſum, fuiſſe in carcerem detruſum. Additque idem auctor, eum militem & à Chriſtianis quoque fuiſſe culpatum, tamquam nimis præcipitem & mori cupidum, & quod eo facto longam Eccleſiæ tranquillitatem in diſcrimen adduxiſſet. Qua de re cũ ipſe grauiter indignetur, ſimulque in ipſos etiam Romanæ Eccleſiæ Antiſtites inuehatur, quod aſſererent non temere ſe offerendum eſſe martyrio, ſed licitas eſſe perſecutionis tempore latebras atq; fugam: ſatis demonſtrat iam tunc ipſum mutatum fuiſſe, & in Montani errorem infelicem eſſe prolapſum, quibus inter alia, contra præceptum [e] Domini negaretur fugienda eſſe vllo modo martyria.

d Tert. de cor. mil. c. 1. DE MILITE CHRIST. CORONARI RENUENTE.

e Matt. 10.

III. TERTUL. LAPSUS CAUSA. Ceterum cauſam cur ab Eccleſia deſciuerit, S. Hieronymus [f] recenſens, ait quod cum vſque ad mediam ætatẽ presbyter Eccleſiæ permanſiſſet, inuidia poſt ea & contumeliis clericorum Romanorum, ad Montani dogma dilapſus fuerit. At vero ipſi Tertulliano de ſeipſo potius credendum videtur, aſſerenti [g] agniti orem atque defenſionem Paracleti ipſum disiunxiſſe à Pſychicis, hoc eſt Catholicis, cum iam Montani Prophetia fuiſſet à Romano Pontifice cognita atque damnata. Quod ſi poſt hæc à Clero Romano paſſus eſt aliquid, fuit ea criminis pœna, & nõ cauſa delicti. Sed inſuper quid cauſæ fuerit, cur adeo moribus, eruditione, & zelo Chriſtianæ religionis vir præſtans (ipſius enim ſcripta ſunt horum omniũ manifeſtiſſima ſigna) tam infeliciter ſe præcipitem dederit in hæreſim quam iam antea condemnaſſet [h], & adeo turpiter defecerit ab Eccleſia Romana, cuius fidem tantopere cõmendaſſet [i], haud eſt facile conſequi. Indigne fortaſſe tulit, gentilem ſuum Victorem Romanum Pontificem (ſub quo eius lapſum accidiſſe conſtat) ſibi honore prælatum, vel quod ab ipſo non eo quem ſibi præſumpſerat coleretur honore. Sane quidem apud S. Ambroſium [k] (quiſquis ille fuerit antiquus eſt auctor) Tertullianus Nouatiano coniungitur, vt aſſerantur ambo inuidiæ tabo infecti ab Eccleſia deſciuiſſe. Putauit Pamelius, ob repulſam Epiſcopatus Carthaginenſis illud præſtitiſſe: ſed & aliæ [l] ab aliis cauſæ, quantumlibet leuiſſima coniectura nitantur, in medium adducuntur.

f Hieron. de Script. Eccl. in Tertul.

g Tert. adu. Prax. c. 1.

h Id. de præſcr. cap. 32.

i Ibid. c. 36.

k ap. Ambr. in 1. Cor. 13.

l Vid. Pamel. in vit. Tert.

IV. TERTUL. INGENIUM FACILE DECIPI. Equidem dum attentius conſidero durum hominis ingenium, auſterumq; animum (qui affectus in eius ſcriptis vbiq; elucent) facile adducor vt credam, hominem qui vitæ Chriſtianæ profeſſionem in ſeueritate atque auſteritate nimia tantummodo collocaret, cum in Proclum ſeu Proculum moderatiorem Montani ſectatorem, omniumque diſertiſſimum impegiſſet, (quem & mirifice [m] laudat) deceptum ab eo fuiſſe, quod ille doctrinam ſuã

m Tert. adu. Valent. c. 5.

Digitized by Google

non ab homine, ſed à Paraeleto qui deſcendiſſet in hominem ſe accepiſſe profiteretur; quodque præſeferret veritatẽ Catholici dogmatis in his quæ ſpectarent ad Chriſtum atq; ſanctiſſimam Trinitatem; caſtitatem itẽ ac continentiam celebraret, ieiunia auſteriora inſtinctu Spiritus ſeruãda indiceret, vigilias ac preces multiplicaret; martyrium adeo extolleret, vt nec fugam, aliaſq; latebras vel redemptionem vitæ admitteret: hæc inquam, & alia id genus, è poculo Procli homo eorum ſitientiſſimus hauriens (quem & alioqui in credendo adeo facilẽ fuiſſe conſtat, vt etiam qualiumcumque muliercularum [n] prætenſis viſionibus fidem præſtaret) mox ebrius redditus, in Catholicos furere, quod tam bonas à Spiritu reuelatas inſtitutiones damnaſſent, eoſdemque ideo non Chriſtianos, ſed *Pſychicos*, nempe Animales nominare cœpit, calumniis inſuper ac contumelijs onerare non ceſſans. Sed quod ſpectat ad *Pſychicorum* appellationem; fuit Valentini hæreſiarchæ primum inuentum, vt (quod ſcribit Irenæus [o]) Pſychicos nominaret homines, qui non eſſent, ſicut ſuos eſſe dicebat, ſpirituales. Tranſiit vero eadem vox ad Cataphrygas; à quibus æque omnes non ſuſcipientes Paracletum, *Pſychicos* appellatos eſſe, Clemens [p] Alexandrinus teſtatur. Indequ eſt quod apud Tertullianum non Catholici modo, ſed & hæretici quoque omnes qui ſuum ipſius ſpernerent Paracletum, dicti ſunt *Pſychici*.

n Id de anima, cap. 9.

PSYCHICI QVI DICTI.

o Iren. lib. 1. cap. 1.

p Clem. Strom. lib. 4.

V. LAVREAM GESTARE LICITVM.

Et quod ab Eccleſia ſemel deſciſcens, in eamdem immortale iuraſſet bellum; inde accidit vt quod Catholici improbarent, mordicus ipſe defenderet; vt de milite illo accidiſſe vidimus, qui renuiſſet lauream in capite. Non certe ex idolo eam ſumebant, vel ei poſtea offerebant: nulla cum ea thuris oblatio, vel alia intercedebat ſuperſtitioſa libatio, nihilque aliud præſeferebat quam inſigne victoriæ: qua quidem nec qui tunc aderant, nec qui alias ſub aliis Imperatoribus militaſſent abſtinuiſſe vnquam, nec quod retinuerint reprehenſi inueniuntur. Nec rurſus quod Laurus Apollini diceretur eſſe dicata, ea coronari vetitum erat: nam ea ratione nec ipſis quatuor elementis (quod deridet Auguſtinus [q]) nec arboribus aliiſue plantis, & animalibus, diuerſis diis dicatis, vti conceſſum fuiſſet. Cum alioqui etiã idolothyta nulla facta diſquiſitione manducari permiſerit Apoſtolus [r], dum nullum immineret ſcandalum: Quapropter cum nullus penitus ex eiuſmodi corona eſſet offenſioni locus, eaque non eſſet eius temporis & actionis voluntarium, ſed omnino neceſſarium militum capitis ornamentum (licet noſtrarum non ſit partium, militem illum abſoluere aut condemnare) certe non temere audax eius facinus ceteri improbarunt Chriſtiani, cuius occaſione mox fuerit poſt longam pacẽ Eccleſia noua perſecutione concuſſa. Atqui Tertullianus, cum tam vehementem pro eo inſtituiſſet defenſionem, eo erroris eſt etiam prolapſus, vt negaret [s] Chriſtianum hominem poſſe fide ſalua militem agere; ſed in plures alios inductus eſt, de quibus dicetur ſuo loco.

q Aug. ep. 54. ad Euſebiol.

r 1 Cor. 10.

s Tert. de cor. mil. c. 11.

VI. PLAVTIANI FASTVS ET SAVITIA.

Interea Seuerus Imperator ingenti expeditione aduerſus Parthos comparata, vna cum filiis in Orientem proficiſcens, reliquit Romæ qui omnium curam ageret *Luciũ Septimium* PLAVTIANVM, cuius filium Antonino filio ſuo dederat in vxorẽ: qui quidẽ genere Afer & ipſius Seueri, municeps, ex humili fortuna in tantam potentiam euectus eſt, vt ipſi etiam Imperatori videretur imperare, cuius immenſas diuitias ex damnatorum bonis partas, trucem ſæuitiam, & arrogantiſſimum faſtum pluribus deſcribunt Dio [t] & Herodianus [u]. Hic igitur talis, cum ex ſententia Imperatoris (quod Dio & Spartianus tradunt) animaduerteret in reliquos qui ſuſpecti eſſent de commercio cum Nigro vel Albino (Hæc namque illa eſt racematio, quam vocat Tertullianus [x], poſt vindemiam parricidarum ſceleſtarum partium) nec Chriſtianis pepercit, quod & ipſi contemptæ maieſtatis, ob prætermiſſa quæ diximus ab alijs exhiberi ſolita officia, ab inuidentibus in crimẽ adducerentur: quem & nouus caſus de milite coronam ferre recuſante, vehementer exacerbauit.

t Dio in Seu.

u Herod. l. 3.

x Tert. Apolog. c. 35.

VII.

y Tert. Apol. cap. 6.

Sed & accidit hoc eodem tempore (quod narrat Tertullianus [y]) vt in eorumdem Chriſtianorum contumeliã pictura quædam fuerit Romæ publicata cum eiuſmodi inſcriptione, DEVS CHRISTIANORVM ONONYCHITES; qui quidem erat auribus aſininis, altero pede vngulatus, librum geſtans, & togatus. Hæc vero non ob aliam cauſam puto Gentiles effinxiſſe, quam quod (vt idem [z] teſtatur) à Cornelio Tacito [a] diffamatum vbique fuiſſet, Chriſtianos caput aſini adorare, quod ipſis Ægypto extorribus, in vaſtis Arabiæ deſertis aquarum egentiſſimis cum ſiti macerarentur, onagris indicibus qui forte de paſtu potum petebant, fontem reperiſſent. Aſſeruere pariter idem cõmentum Plutarchus [b], & alij: ſed haud dubium illud mutuari ex ſcriptis Apionis Alexandrini, infenſiſſimi Iudæorum hoſtis; quem iſta & alia multa de Iudæis mentientem, egregie olim Ioſephus [c] confutauit. Hæc itaque à Gentilibus obiecta Iudæis, tranſierunt in calumniam Chriſtianorum: ſicut & eadem paulo poſt, apud Minutiũ Felicẽ Cæcilius exprobrauit Octauiõ. Potuit tamen & ex Gnoſticis hæreticis eadem calumnia, ſicut & aliæ multæ, ad Gentiles eſſe prolapſa; quod (vt dictum eſt) librum ſcripſiſſent nomine *Stirpis Mariæ*, in quo inter alia horrenda aſſeruiſſent [d], Dominum Sabaoth fuiſſe figuræ hominis aſini formam habentis.

CAPITIS ASINI ADORATIO OBIECTA CHRISTIANIS.

z Ibid. c. 15.

a Tac. hiſt. lib. 5.

b Plut. 4. Sympoſ. 5.

c Ioſ. cont. Apion. lib. 2.

d Epiph. hær. 26.

VIII. PERSECVT. RECRVDESCIT.

His igitur omnibus quas diximus accuſationibus, aliiſque item de infantium cæde, eſu humanarum carnium, & promiſcuo concubitu, iactari olim ſolitis calumniis, denuo apud Gentiles ore omnium diffamatis; factum eſt ea occaſione (quod alias ſæpius accidiſſet, ſed ab Imperatoribus Traiano, Hadriano, ac Marco Aurelio prohibitum fuiſſet) vt nomen ipſum Chriſtianum, eſſet in manifeſtum crimen tot horendorum ſcelerum, & immanis inde his diebus excitata Romæ fuerit in Chriſtianos perſecutio; quantũ ab ipſis magiſtratib. innoxij & inauditi, vel crucib. impoſiti ſunt, vel beſtiis & ignibus viui obiecti, vel in metalla damnati, vel denique poſt varia alia crudeliſſima tormenta necati aut relegati; atque ipſæ feminæ caſtitatis amantiſſimæ, lenonibus traditæ vt pudicitiæ diſpendium paterentur: tum ab ipſo furente populo ignominijs affecti, lapidibus inuaſi, immo & poſt obitum de requie ſepulturæ auulſi: vt de his omnibus Tertullianus queritur in eruditiſſimo ſcripto *Apologetico*, quod hoc ipſo anno abſente Seuero Imp. ad magiſtratus Romanos, ipſos vt ait, Romani Imperij Antiſtites, ibidem Romæ (vt multa demonſtrant) ſuo tacito nomine pro Chriſtianis elucubrans prædictas omnes calumnias, aliaſq; in eoſdem conici ſolitas, vehementiſſime more ſuo purgauit & confutauit; multa immiſcens de innocentiſſima ſimul & vtiliſſima (nam & inertiæ accuſabantur) Chriſtianorum vita, deque eorum fidelitate erga Imperatores, ac precibus pro eis fieri ſolitis. Etſi porro aſpera hæc videri poterant, potius tamen præludia quędam perſecutionis fuere. Nam ad hunc diem (vt eodem commentario idem auctor [e] aſſerit) nullum à Seuero aduerſus Chriſtianos fuerat promulgatum edictum; quod poſt bellũ Parthicum, abhinc triennium, fuiſſe editum Spartianus eſt auctor. Quę vero interim Romæ agerentur, auctoritate fiebant Plautiani.

TERTVL. APOLOGIA PRO CHRIST.

e Tert. Apol. cap. 5.

IESV CHRISTI AN. 202.

SEVERI IMP. AN. 8.

VICTORIS AN. 9.

I. ACTA MART. SCILLITANORVM.

ANnus Chriſti ducenteſimus ſecundus adſcribitur Faſtis Claudio Seuero & Aufidi Victorino Coſſ. Cuius Claudii conſulatu notata habentur Acta [a] *Martyrum Scillitanorum*, ſeptem virorum & quinque feminarum, qui pro Chriſti nomine Carthagine in Africa ſub Proconſule Saturno capite truncati ſunt decima ſeptima Iulii, qua etiam natalis eorũ dies hactenus anniuerſaria commemoratione celebratur ab Eccleſia Catholica: teſtaturque Poſſidius [b], iam olim in eorum laudem S. Auguſtinus habuiſſe tractatum. Meminit eiuſdem Saturnini Proconſulis Tertullianus [c] ad Scapulam, quem ait primum omniũ ſub Seuero Carthagine gladium in Chriſtianos egiſſe, eumdemque lumina amiſiſſe, ſed & ob Chriſtianum ſanguinem

a Deſcripſit Baron. Annal. to. 2. huius ann.

b Poſſid. Indic. cap. 9.

c Tert. ad Scap. cap. 3.

guinem fuſum, excreſcentibus imbribus homines grauia paſſos eſſe, aliaque contigiſſe prodigia, de quibus dicetur anno ſequenti.

II. CHRIST. REI MAIEST. FACTI.

Porro accidiſſe videtur, vt non Chriſtianitatis aperta cauſa, quod nōdum lege Principis edicta eſſet perſecutio, ſed maieſtatis prætextu quod Imperatores nollent venerari, & per eorum genios iurare, ii martyres necati fuerint. Magnum quippe plane videbatur Gentilibus eiuſmodi iuſiurandum: adeo vt (quod ait Minutius Felix) grauius exiſtimarent per genium Regis, quam genium Iouis peierare. Ideoque ad huiuſmodi iuramentum his temporibus conſueuiſſe Gentiles magiſtratus adigere Chriſtianos, docet Tertullianus in Apologetico [d]: & ad Scapulam [e] demonſtrat, quod qui iurarent per genios Imperatorum, arguerentur illis eſſe Fideles, contra vero infideles & inimicos, qui id detrectarent.

d Tert. Apol. cap. 32. e Id. ad Scap. ca. 2.

III. DE IVRAMENTO A CHRIST. EXIGI ET FIERI SOLITO.

Adde quod cum penes Gentiles (vt teſtatur idem auctor, & alii qui pro Chriſtianis ſcripſerunt Apologias) inualuiſſet opinio, Chriſtianos de regno aſſidue loquentes & Chriſto venturo, eſſe Imperii perduelles, & moliri ab Imperatoribus defectionem; eam ob rem ab eis iuramentum eiuſmodi exigere conſueuerant: quemadmodū & à Polycarpo [f], & ab aliis martyribus, à Præſidibus petitum reperimus vt iurarent per fortunam Imperatorum. Eademque de cauſa, non ſolum vt Chriſtum negarent, ſed etiam vt eum blaſphemarent ac maledicerent, iuberi ſolitum, conſtat ex eadē martyrii Polycarpi hiſtoria necnon ex paſſione Biblidis [g] Lugdunenſis, aliiſq; SS. martyrum Actis, ac deniq; ex epiſtola Plinii [h] Secundi ad Traianum Imperatorē de Chriſtianis ſcripta. Porro ſic iuraſſe Chriſtianos Principibus, vt etiam licite per ſalutem ipſorum iurarent, ſed tamen abſtinerent penitus à deorum & geniorum, tamquam dæmoniorum nominibus, idē Tertullianus [i] docet. Militum vero Chriſtianorum ſolitum iuramentum; Vegetius [k] ait fuiſſe, quod iurarent per Deum & Chriſtum & Sanctum Spiritum, & per maieſtatem Imperatoris, omnia ſe ſtrenue facturos quæ præcepiſſet Imperator, nunquam deſerturos militiam, nec mortem recuſaturos pro Romana Republica.

f ap. Euſ. 4. hiſt. 14. g Ibid. 5. hiſt. 1. h Plin. 10. ep. 97. i Tert. Apol. cap. 32. k Veget. de re milit. lib. 2.

SEVERI IMP. AN. 9.

IESV CHRISTI AN. 203.

ZEPHYRINI AN. 1.

I. a Euſ. 5. hiſt. 27. VICTORIS PP. MARTYRIVM. b li. de Rom. Pont. ZEPHYRINVS PAPA.

ANno Chriſti ducenteſimo tertio, Anibio Fabiano & Nonio Muciano Coſſ. anno nono [a] Seueri Imperatoris, *Victor* Papa auſpicatus iam annum decimum ſui pontificatus per menſem vnum & dies viginti octo, martyrio coronatus eſt die vigeſima octaua Iulii, ſepultuſque in Vaticano. Cuius ſedes [b] cum vacaſſet dies vndecim, ordinatus eſt in locum eius ZEPHYRINVS patria Romanus, Abundii filius.

II. TERTVL. SCRIBIT AD SCAPVLAM PROCONS. PRO CHRIST.

Hoc eodem anno Saturnino Africæ Proconſuli ſubrogatus Scapula, accepto à Plautiano (penes quē abſente Imperatore erat ſumma rerum Occidentalium) mandato vt in eos qui maieſtatis ſuſpecti eſſent animaduerteret; eo nomine (vt Romæ factum vidimus) in Africa perſecutionem aduerſus Chriſtianos mouit, cum nullum adhuc in eos Imperatoris edictum promulgatum eſſet. Hæc enim docet Tertullianus in Commentario, quem hoc eodem anno reuerſus Carthaginem, ſcripſit ad eumdem Scapulam, declamatorium potius quam ſupplicem, quo violentos illius impetus ſiſteret. Et quod ea potiſſimum cauſa Chriſtianos exagitaret, quod viderentur eſſe rebelles Imperatori, eamdem (vt fecerat Romæ in Apologetico) fortiſſime redarguit atq; refellit, pluribus demonſtrans eos Imperatori fideliſſimos eſſe. Quo vero eumdem à cœpto retraheret, terrorem maxime incuſſit tum prodigiorum quæ accidiſſent, nempe imbrium excreſcentium, igniū in cœlo apparentium, horrendorum tonitruum, & portentoſi Solis defectus; tū exemplo Præſidū qui olim in Chriſtianos ſæuiſſent, & grauiter mulctati fuiſſent; addens & laudem aliorū, qui iuſſi perſequi Chriſtianos, diſſimulaſſent.

III. DE SYMMACHI INTERPRETATIONE. c Hieron. in Hieron. [illegible] d Epiph. de menſ. & pond. e Euſeb. 6. hiſt. 12. f Hier. Apol. aduerſ. Ruf. praef. in Eſt. & alibi.

His item Seueri temporibus (neſcitur certus annus) poſt Aquilam & Theodotionem, SYMMACHVS nouam diuinæ Scripturæ Interpretationem edidit; quam fuiſſe Secundam teſtatur Hieronymus [c], nec verbum ex verbo reddidiſſe, ſed ſententiā ex ſententiis, & ſenſum ex ſenſu. Ipſum autem Symmachum tradit Epiphanius [d] fuiſſe genere Samaritam, ex numero ſapientum qui eſſent apud eos; ſed cum non reperiſſet fidem apud propriam gentem, principatus cupidum ad Iudæos acceſſiſſe, & factum proſelytum circumciſum eſſe ſecunda circumciſione. Verum Euſebius [e] & Hieronymus [f] teſtantur hunc fuiſſe ex Chriſtiano Ebionitam.

IV. SYMMACHIANI HÆRETICI. g Philaſtr. c. 63. 64. PATRICIVS HÆRESIARCHA.

Ceterum apud pleroſque antiquos auctores mentio habetur de *Symmachianis* hæreticis, non quod à Symmacho Interprete deriuentur (nam id quidem apud neminē teſtatum reperi) ſed quod fuerit quidam *Symmachus*, qui non ſperans iudicium, vitiis ſæcularibus & carnalibus concupiſcentiis ſeruiendum prædicaret; vt tradit Philaſtrius [g], qui tamen eum à PATRICIO quodam inſtitutum fuiſſe dicit; auctore *Patricianorum* hæreticorum, qui carnem hominis à diabolo factam aſſererent, ideoque contemnendam & modis omnibus abiiciendam eſſe, adeo vt etiam quidam ex illis ſibi mortem inferre non dubitarēt. Fuerunt & alii *Symmachiani*, maiorem habentes cum Symmacho Interprete conuenientiam; qui apud Ambroſium [h] dicuntur ex Phariſæis originem traxiſſe, ac ſeruata omni Lege, cum Chriſtiani ſe dicerent, Chriſtum tamen hominem tantummodò definiſſe.

h Ambr. praef. in ep. ad Gal.

SEVERI IMP. AN. 10.

IESV CHRISTI AN. 204.

ZEPHYR AN. 2.

I. EDICTVM DE PERSECVTIONE. a Spart. in Seuer. b Euſeb. in Chron. & 6 hiſt. 2. c Hieron. de Script. Eccl. in Orig. d Oroſ. lib. 7. cap. 17. e Seuer. hiſt. lib. 2. f Euſeb. 6. hiſt. 6. ANTICHRISTI PVTATA ADESSE TEMPORA.

ANno Chriſti ducenteſimo quarto, Seuerus Aug. cum bello Parthico feliciter anno ſuperiori confecto in Syriam veniſſet, illic tertium iniit Conſulatum, collegam ſibi aſſumens Antoninum filium Aug. quando Alexandriam petens, in itinere (inquit Spartianus [a]) Iudæos fieri ſub graui pœna vetuit; idemque de Chriſtianis ſanxit. Euſebius [b] etiam atque Hieronymus [c], hoc anno decimo Imperatoris Seueri excitatam hanc communem omnibus PERSECVTIONEM affirmant, quam QVINTAM Oroſius [d] nominat; Seuerus [e] SEXTAM. Habet autem Euſebius [f], eam adeo Chriſtianos perturbaſſe, vt iam omnes exiſtimarent Antichriſti aduentum appropinquaſſe, ac proinde mundi interitum breui affore. Peculiare namque fuit antiquis Chriſtianis, nec priuatis tantum Fidelibus, ſed & ipſis ſanctis Epiſcopis; vt qui ad Domini aduentum ſolicite vigilarent, cum impiiſſimam aliquando emergere hæreſim, aut vehementiſſimam excitari perſecutionem cernerent, mundi exitium, Domini aduentum, & qui eum præcedere debebat Antichriſtum, exiſtimarent appropinquare: quod & de præteritis iam aliquoties dictum eſt, & de aliis dicetur ſuis locis. Ceterum qui generale aduerſus Chriſtianos edictum promulgauit, idem Seuerus [g] ſpeciale etiam reſcriptum Romam dedit, quo Præfecto Vrbi cognitionem tribuit Collegiorum illicitorum, nempe Chriſtianorum.

g L. 1. in f. D. de off. praef. Vrb.

II. h Dio hiſt. lib. 51. ÆGYPTI PRÆFECTVRA QVALIS.

Cum autem Alexandriam perueniſſet, vt ſibi Ægyptiorum conciliaret animos, conceſſit (quod ſcribit [h] Dio) vt non amplius Equitem Romanum, ſed Senatorem haberent Præfectum Auguſtalem: ita dictum, quod olim Auguſtus Imperator, cum ceterarum prouinciarum adminiſtrationem Senatoribus aſſignaſſet, Ægyptum prouinciam aditu difficilem, annona fœcundiſſimam, laſciuia diſcordem & mobilem, viſum eſt per Equites retinere ne per Senatores potentiores ad res nouas moliendas (quarum Ægyptii cupidiſſimi eſſent) inſtigaretur: ideoque nec illuſtrioribus Equitibus eam committi voluit. Tradunt hæc pluribus Tacitus [i] & Dio [k]. At vero nō ſolum Seuerus Ægyptiis conceſſit Senatores Præſides, ſed & Antoninus eius filius (vt idem Dio ſcribit) eoſdem Ægyptios in Senatum Romanum adſcripſit. Perſeuerauit

i Tac. hiſt. 1. [illegible] k Dio lib. 51.

tamen idem titulus, vt qui præeſſet prouinciæ diceretur *Præfectus Auguſtalis*, de cuius officio eſt titulus in Digeſtis.

III. PHILIPPI AVGVSTALIS MARTYRIVM.

His autem diebus, qui eamdem Præfecturam iam à tẽpore Cõmodi Imperatoris optime adminiſtrauerat, *Philippus* Chriſtianus factus, à Seuero nõ ſolum dignitate depoſitus eſt, ſed & à Terentio Læto ei ſucceſſore dato, per ſicarios clam domi, ne tumultus ob eum oriretur in populo, iuſſus occidi: cuius anniuerſaria dies Idibus Septẽbris in Eccleſiaſticis antiquis tabulis deſcripta eſt. Fuit ei filia *Eugenia*, quam cum Acilio viro Conſulari deſpondiſſet, illa nuptias auerſata, vna cum fidelibus eunuchis Proto & Hyacintho ſecedens, virili habitu delituit inter monachos, quos Eſſenos à Philone dictos eſſe ſuperius demonſtrauimus; hæc omnia perficiente S. Heleno Epiſcopo Heliopoleos. Extant eius Acta, in quibus hæc narrantur fuſius; quæ ex antiquioribus monumentis Metaphraſtes [l] excepſit: iiſque plane conſentientia eſſe noſcuntur, quæ ab Alcimo Auito Epiſcopo Viennenſi ante mille & centum annos, ad Fuſcinam ſororem ſcripta ſunt de eadem Eugenia diu inter monachos incognita habita; quæ rea facta ſtupri, quod erat propalare coacta fuerit. Ea vero poſt necem patris, vna cum Claudia matre Romam regreſſa, tandem ſub Imperio Gallieni martyrium eſt conſecuta. Sed in iiſdem Actis corrigendum de eius patre Philippo, quod dicitur Epiſcopus Alexandrinus: nam eius Præfectura ſecularis fuit, non ſacerdotalis. De quo etiam hallucinati ſunt [m], qui putarunt eumdem fuiſſe cum Philippo Imperatore.

EIVS FILIA EVGENIA LATET INTER MONACHOS.

l Metaphr. 25. Dec.

m Cedr. in Maximin.

IV. ORIGENIS ARDOR MARTYRII.

n Euſ. 6 hiſt. 1. & c

o Suid. verb. Orig. 2.

Hoc item decimo Seueri Imper. anno, inter alios plurimos, quos ipſo perſecutionis exordio ibidem Alexandriæ paſſos Euſeb. [n] tradit, agit inprimis de Leonide Origenis patre (qui apud Suidam [o] Epiſcopus fuiſſe legitur) ſub eodem Læto Præfecto martyrio coronato; additque de eminentiſſimo ipſius Origenis ingenio, & curioſiſſimo in ipſa etiam pueritia, tum aliarum omnium ſcientiarum, tum maxime diuinarum literarum interpretationis; ſed & de ardentiſſimo ipſius deſiderio ſuſcipiendi martyrii, adeo vt cum patrem vidit captum, vix à matre multis precibus, variiſque artibus potuerit retineri, ne ſe ipſum perſecutoribus offerret; quando cum nihil aliud potuit, ſaltem eumdem patrem ſuum in carcere detentum literis hortatus eſt ad ſubeundum fortiter martyrium. Hæc Euſebius de primordiis Origenis quem ait poſt necem patris relictum fuiſſe vna cum matre & aliis ſex fratribus minoribus natu, agentem ætatis annos decem & ſeptem. Reliqua de eo ſequentibus annis.

SEVERI IMP. AN. 11.

IESV CHRISTI AN. 205.

ZEPHYR. ANN. 3.

I. COSS. SVFFECTI NVMERARI COEPTI.

a Dio hiſt. lib. 46.

b Greg. hom. 10 Euang. 3.

ANno Chriſti ducenteſimo quinto, Plautiano Sillano ſecundum & Geta Cæſ. Coſſ. primum à Seuero factum eſt (ſicut Dio [a] teſtatur) vt Conſulatus ſuffecti cum ordinariis numerarentur; idque in gratiam eiuſdem Plautiani ſoceri Antonini, de quo ſuperius: cui cum olim honores Conſulares tribuiſſet, eumdemque iam Conſulem faceret, iterum Conſulem eſſe dixit: quod exemplum alii deinde ſecuti ſunt. Quod vero filius Imperatoris Geta, Cæſar iam dictus, in Conſularibus Faſtis non priori loco, ſed poſteriori ponitur; illud plane tunc accidit (ſicut & alias non raro) quod S. Gregorius [b] Papa (ſed ex eodem Dione) tradit, veteris fuiſſe moris vt quiſquis Conſul exiſteret, iuxta ordinem temporum honoris ſui locum teneret, & ſi quis poſterius ad Conſulatum veniens, Conſul non ſemel, ſed bis fortaſſe aut tertio fieret, etiam illos laude & honore tranſcenderet, qui non pluſquam ſemel Conſules extitiſſent.

II. TRIVMPHVS SEVERI.

Ceterum hoc eodem anno Seuerus Imperator vna cum filiis ex Ægypto Romam rediens, de Parthis, aliiſq; debellatis nationibus ampliſſimum triumphum duxit: eidemque hoc ipſo anno, quo vndecies repetitam ſuſcepit Tribunitiam Poteſtatem, inſignis Arcus marmoreus ex Senatuſconſulto erectus eſt in Foro Romano ad radices Capitolii; qui hactenus extat integer, in quo affabre ſculptæ ſunt eiuſdem Imperatoris bellicæ terra marique expeditiones. Ipſe vero erogatis in milites Prætorianos & populum, tot aureis quot imperaſſet annis Decennalia ſui Imperii celebrauit: hoc quippe anno expleuit decennium, atque vndecimum auſpicatus eſt annum. Hæc Dio [c] & Herodianus [d].

c Dio in Seuer.

d Hier. lib. 2.

III. ORIGENIS DOCERE INCIPIT.

e Euſ. 6. hiſt. 3.

Quod autem pertinet ad ſemel cœptam Chriſtianorum perſecutionem, mira quędam de Origene narrat Euſebius [e], nimirum quod cum anno prætetito poſt martyrium patris relictus annum agens decimumſeptimum, ob proſcriptionem bonorum paternorum egeſtate premeretur, mulieris cuiuſdam locupletiſſimæ opib. primo ſuſtentatus fuerit, ac poſtea ſcholam aperuerit præceptorum Grammaticorum; demumque his relictis, venditiſq; humaniorum literarum quos haberet libris, ea conditione, vt ab emptore in dies ſingulos quatuor obolos ad victum acciperet, ſic magna continentia & frugalitate vitam tranſigens (cum interim omnes ferme doctores, terror & perſecutionis acerbitas Alexandria procul abegiſſent) accepta à Demetrio Epiſcopo poteſtate, ibidem anno ætatis decimo octauo profiteri cœperit diuinarum literarum interpretationem; atque adeo feliciter, vt complures diſcipulos ſuos, tum ex iis qui iam Chriſtiani eſſent, tum ex Gentilibus quos ad fidem conuerteret; tam viros quam fœminas, ad martyrium promouerit, & omnibus pietatis officiis publice inter ipſa ſupplicia affecerit; ipſe vero diuina prouidentia mortem effugiens, domicilium ſubinde mutare coactus fuerit, ne à perſecutionibus ei magna ſollicitudine inſidiantibus comprehenderetur. Hæc & alia Euſebius de Origene. Citaturque alibi [f] ipſemet Origenes ſuarum latebrarum aſſertor, cum aliquando fugiens perſecutionem Gentilium, integrum biennium latuit Cæſareæ apud virginem quamdam nomine Iulianam; vbi & reperit Interpretationem Symmachi.

ORIG. IN DOCENDO PERSECVT. OFFICIA.

f ap. Pallad. in Lauſiac. c. 11.

IV. DE FVGA IN PERSECVTIONE INEVNDA.

g Matt. 10.

h Orig. in Ioan. c. 31.

i Clem. Strō. li. 4.

k Vid. Euſ. 5. hiſt. 15.

l Ibid. c. 17.

Fuit namque illud vrgentibus perſecutionibus Chriſtianorum Catholicorum inſtitutum, vt cum pro fide quam ſuſcepiſſent millies ſi liceret vitam profundere in voluntate haberent, ac ſemel tenti magnæ conſtantiæ in ſubeundo martyrio ſpecimen ederent, tamen ex præſcripto Euãgelij [g], latebris vel fuga, cum liceret, à furore perſequentium ſe ſubducerent; niſi Sancti Spiritus priuatus impulſus (quod de pluribus contigit) aliter faciendum eſſe eis ſuaſiſſet. Hancq; ſincerã ac vere Chriſtianam eſſe doctrinam, tum idem Origenes [h], & Clemens [i] Alexandrinus hac perſecutione, tum aliis alii ſanctiſſimi æq; ac fortiſſimi viri (de quibus dicetur ſuis locis) tam ſcriptis quã exemplis confirmarunt. At contra Marcionitæ, hiſq; cognati Montaniſtæ hæretici, cum nefas ducerent perſecutionis tempore fugam captare; tamẽ ipſo hæreſis illorum exordio [k], nullus inter eos inuentus eſt, qui vel leuem Chriſtianitatis cauſa perſecutionem ſit paſſus; immo contra reperti [l] ſunt, qui ingenti vi pecuniæ vitam redemerint. Porro inſanias Montaniſtarum, Tertullianus in præceps ſemel infeliciter actus, edito de ea re commentario validiſſime tutari conatus eſt; quo inprimis eos taxat qui fugerent, ac ſubinde in eos qui collata pecunia ſuam vexationem redimerent, inuehitur acerbiſſime. Ex cuius verbis [m] plane videtur, hac vrgente perſecutione à Catholicis excogitatum fuiſſe, vt non ſolum redemptione martyrii priuatim quiſque ſibi conſuleret; verum etiam ipſæ Eccleſiæ, vt quiete ſibi liceret agere, & conuentus celebrare, certam pecuniarum ſummam tamquam tributum Principi penderent: quod ipſe quidem valde improbat, ſed tamen licite agi conſtat exemplo Iaſonis [n] & aliorum Apoſtoli Pauli diſcipulorum, qui ſatiſdatione data, (hoc eſt, vt interpretatus eſt olim S. Petrus [o] martyr Epiſcopus Alexandrinus) pecuniarum largitione facta, ſe redemerunt à vexatione Gentilium & Iudæorum Theſſalonicenſium.

m Tert. de fuga in perſec. c. 12. 13.

REDEMPTIONEM MARTYRII LICITE FIERI.

n Act. 17.

o Pet. Alex. can. 12.

V.

p Euſ. 6. hiſt. 4.

Ceterum inter illos quos Euſebius [p] recenſet ex diſcipulis Origenis martyrium ſubiiſſe Alexandriæ, inſignis

INSIGNES FEMINÆ MARTYRES.

extitit confeſſio *S. Potamiena*, quæ poſt virginitatem fortiter defenſam, & ſuperata ingẽti animo varia pro fide Chriſti certamina non ſolum vna cum matre Marcella glorioſiſſimum incendio martyrium conſummauit; ſed & poſt necem frequentibus apparitionibus, tum Baſilidi qui eam ad ſupplicium deduxerat, martyrij, tum alijs plurimis Gẽtilibus, fidei Chriſtianæ conciliatrix extitit. Sed & hoc eodem anno iiſdemque Coſſ. in antiquis Eccleſiaſticis [q] tabulis, poſt crudeliſſima tormenta, paſſa Carthagine ponitur S. Gundenis virgo. Eademque perſecutione nobiliſſimum martyrium conſumarunt Tuburbi in Mauritania præclariſſimæ re ac nomine *Perpetua* ac *Felicitas* nobiles feminæ: de quarum altera, nempe Perpetua, deque pauenda ſimul ac conſolatoria viſione ſcalæ paradiſi ei ante martyrium oblata (quæ deſcribitur in eius Actis) meminerunt Tertullianus [r] & Auguſtinus [s]; de vtraque vero etiam alibi idem Auguſtinus [t] vbi ait Perpetuam tunc fuiſſe lactantem, Felicitatem prægnantem; hancque in partu grauiter doluiſſe, obiectam vero beſtiis exultaſſe potius quam timuiſſe. Cuius differentiæ eam ipſam etiam rationem reddidiſſe traditur in antiquo Lectionario, quod naturæ debitas pœnas naturali tantum virtute perſolueret, ſupplicia vero quæ ſubminiſtraret impietas diuina gratia ſuperaret. Addunt inſuper ex antiquioribus tabulis Beda & Ado, Perpetuæ cõceſſum fuiſſe diuinitus vt mente extra ſe rapta impetum vaccæ non ſenſerit, quem auide expectaret: Felicitati vero, dum adhuc eſſet ſeruanda in carcere vt parturiret, quo vna cum aliis martyrii coronam accipere poſſet, omnium ſociorum precibus impetratum eſſe vt octauo menſe pareret. Harum autem corpora eſſe poſtea delata Carthaginem, & in primaria baſilica collocata, Victor Vticenſis [u] affirmat. Paſſi quoq; ſunt cũ illis nonnulli viri beſtiis obiecti, quorum, ſicut ipſarum, nomina adſcripta habentur tabulis Eccleſiaſticis Nonis Martij. Sed quod ad differendum Felicitatis ſupplicium attinet; æquiſſima erat lex, quæ prægnantis pœnam differebat vſque ad partum; non tamen Romanorum originaria, licet vt Romanorum ab Vlpiano [x] recenſita: quippe quam ab Ægyptiis primo fuiſſe promulgatam, à Græcis deinde acceptam, Plutarchus [y] affirmet: à quibus Romani eam, ſicut & alias complures, ſunt mutuati.

q Mart. 15. Kal. Aug.
r Tert. de anima c. 55.
s Aug. 4. de anima 18. & lib. 1. c. 10. & lib. 3. c. 9.
t Aug. de temp. barb. c. 5.
PERPETVÆ ET FELIC. ILLVSTRE MARTYRIVM.
u Vict. lib. 1. de perſec. Vandal.
PRÆGNANTIS SVPPLICIVM DIFFERENDVM.
x l. prægnantis D. de pœnis.
y Plut. de ſer. num. vind.

VI.

Paſſus item habetur [z] hac eadem perſecutione *Zoticus* Epiſcopus Otrenus in Armenia; cuius laborum aduerſus Montani ſectatores ſuſceptorum, mentio eſt apud Euſebium [a]. Et in Ægypto, inter alios martyres Serapion [b] viuus combuſtus eſt. In territorioque Viuarienſi Andeolus [c] ſubdiaconus, olim à Polycarpo cum aliis in Gallias miſſus, ſpinoſis fuſtibus cæſus, demum enſe ligneo (ad maiorem pœnam) capite in quatuor partes in modum crucis conſciſſo, martyrium conſummauit. Eademque perſecutione (licet annus certus neſciatur) magnus ille S. Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis, de quo ſæpe ſuperius, Galliam quam mirifice doctrina illuſtrauit, nobilitauit & ſanguine; iuſſu Seueri Imp. à militib. illuſtre paſſus martyrium [d], vna cum omnibus fere eiuſdem ciuitatis Chriſtianis. Inſignes eius lucubrationes recenſent Euſebius & Hieronymus; ex quibus omnibus nonniſi libri quinque aduerſus hæreſes elaborati ſuperſunt: qui & ipſi diutius obſcuri [e] permanſerunt in Occidente, forte quod Græce ſcripti eſſent.

z Mart. Rom. 21 Iul.
a Euſ. 5. hiſt. c. 17.
b Mart. & Menol. 13. Iul.
c Mart. 15. Mai.
IRENÆI MARTYRIVM.
d Ibid. 28. Iunii.
e Vid. Greg. 9. ep. 50. ad Æther.

IESV CHRISTI AN. 206.

SEVERI IMP. AN. 12.

ZEPHYR. AN. 4.

I. PLAVTIANI MEMORANDVS CASVS.

ANno Chriſti ducenteſimo ſexto, Chilone Septimo ſecũdum & Annio Libone Coſſ. *Plautianus* ſocer Antonini Imperatoris, quem vidimus perſecutionẽ in Chriſtianos excitaſſe, hac ætate omnium hominum (vt ait Dio [a]) potentiſſimus atque ditiſſimus, qui opibus Imperatores antecedebat, doteme; filiæ ſuæ dederat quæ vel quinquaginta Reginis ſatis fuiſſet; quem magis quam ipſum Principem metuebant omnes, quique ſpe multo maiore elatus fuerat; de quo denique diceretur, cœlum ruere citius poſſe, quam Plautiano damnum ab Imperatore inferri: hic inquã, cum Seuero & Antonino Auguſtis cædẽ machinatus eſſet (vt quidẽ teſtatur Herodian. [b]; ſed id calumnioſe ab Antonino fictum Dio tradit) vel potius diuino numine Chriſtianum ſanguinem vleiſcente, ab eodem genero ſuo Antonino Romæ occiſus eſt in Palatio; filius vero & filia Plautus & Plautilla, primo in inſulam Lyparim relegati poſt multas ærumnas pariter necati ſunt: ſed & eius nomen ex omnibus tabulis atque inſcriptionibus abraſum expunctumque fuiſſe, plane indicant vetera monumenta [c]. Eo vero ſublato, perſecutio etſi non penitus ablata, ſaltem, moderationem non mediocrem accepit.

a Dio in Seuer.
b Her. lib. 3.
FAT FORNAX PLAVTIANVS EST VLTIO CHRIST.
c Smet. fol. ...

II. LVDI SECVLARES.

Eodem quoq; anno celebrati ſunt Romæ *Ludi Seculares*, (peragi ſoliti) vt ait Herodianus [d]) decurſo trium ſpatio ætatum: qui cum celebrandi eſſent, *Vrbe tota* (inquit) *atque Italia præcones ibant conuocatum omnes ad Ludos, quos nec vidiſſent hactenus, nec viſuri poſtmodum forent*. Sed de iis agit pluribus Zozimus [e], qui & dictis Coſſ. celebratos ponit: idq; ipſum docent veteres inſcriptiones à diuerſis [f] collectæ, in quibus Seueri nomen ſcriptum eſt cum Tribunitia poteſtate duodecies repetita. Horum occaſione ſcriptum putant à Tertulliano librum *de Spectaculis*, & alterum *de Idololatria*, quibus plane declarat, rectam Chriſtianæ religionis inſtitutionem abhorruiſſe penitus ab eiuſmodi ſpectaculis à Gentilibus edi ſolitis; exemplisque probat [g], grauiſſimam diuinam vltionem expertos eſſe, qui iiſdem adeſſe non eſſent veriti. Edidit & poſtea in eorundem Spectaculorum damnationem Cyprianus libellum erudiſſimum; extantque inſuper ea de re tam ſuperiorum, quam horum temporum Scriptorum Eccleſiaſticorum, Iuſtini Athenagoræ, Theophili Antiocheni, Minutii Felicis, & aliorum, qui pro Chriſtianis Apologias ediderunt, teſtimonia: necnon poſteriorum ſacrarum Synodorum decreta plurima, Sanctorumque Patrum pro concione dictæ acerrimis inuectiuis ſententiæ. Quin etiam in ſolemni illa tẽpore baptiſmi ſolita ab omnibus fieri renũciatione Spectaculis quoque abrenunciare Fideles moris fuiſſe in Eccleſia Gallicana, Saluianus [h] teſtatur: & alibi ſub pompis diaboli quibus renunciari mos eſt, incluſa cenſita fuiſſe Spectacula Cyrillus [i] docet, & alij omnes interpretantur.

d Herod. lib. 3.
e Zoz. lib. 2.
f Panuin. in Faſt. ...
g Tert. de Spect. c. 26.
SPECTACVLA ADIRE NEFAS CHRISTIANIS.
h Saluian. de guber. lib. 6.
i Cyrill. catech. 1. Myſtag.

IESV CHRISTI AN. 207.

SEVERI IMP. AN. 13.

ZEPHYR. AN. 5.

I. NATALII EXOMOLOGESIS.

ANno Chriſti ducẽteſimo ſeptimo, Antonino Auguſto & Geta Cæſare fratribus ſecundum Coſſ. nece Plautiani Romæ iam prope mitigata perſecutione, accidiſſe putamus vt Zephyrino Romano Pontifice è latebris emergente, & munia Põtificia obeunte, *Natalius* olim confeſſor, ſed poſtea pecuniæ corruptione factus Theodotianorum hæreticorum (de quibus dictum eſt ſuperius) Epiſcopus, tandem cum frequentibus Domini viſionibus atque monitionibus, tum maxime grauiſſimis flagris à ſanctis Angelis nocte quadam illatis, ſui compos redditus; inolita in Eccleſia conſuetudine, vt hæreſiarchæ pœnitentes à Romano Pontifice Catholicam communicationẽ promererentur, & ipſe cilicio & ſacco indutus, ac cineribus aſperſus, ad Zephyrinum venit, atque ad pedes eius ſe ſupplicem abiiciens patrati ſceleris exomologeſim egit. Quę à ſcriptore eius temporis diligenter conſcripta, ab Euſebio [a] ad verbum referuntur.

a Euſ. 5. hiſt. 27.

IESV CHRISTI AN. 208.

SEVERI IMP. AN. 14.

ZEPHYR. AN. 6.

I. ORIGENES SEIPSVM CASTRAT.

ANno Chriſti ducenteſimo octauo, Annius Albinus & Fuluius Æmilius Conſulatũ inierunt: (quo vt puto) Origenes imprudẽs nimis, audax facinus in ſe ipſũ ad-

a Mart. 15.

miſit, dum partim ſententiam Domini de caſtratione propter regnum cœlorum, ſimplicius interpretatus; partim quod cum ętate adhuc adoleſcens eſſet, & non ſolum cum viris, ſed etiam cum mulieribus, frequenter ſermones de rebus diuinis conferret; vt omnem obtrectationis cauſam calumniantibus adimeret, ſeipſum ſecreto caſtrauit. Narrat iſta Euſebius [b]: additque, ea cum reſciſſet Demetrius Epiſcopus Alexandrinus, primum celaſſe, poſtea vero in odium eiuſdem Origenis omnibus pateſeciſſe; de quo dicetur ſuo loco.

b Euſ. 6. hiſt. 7.

SEVERI IMP. AN. 15.

IESV CHRISTI AN. 209.

ZEPHYR. AN. 7.

I.

ANno Chriſti ducenteſimo nono, Flauio Apro & Allio Maximo Coſſ. Seueri Imperatoris anno decimo quinto, Euſebius in Chronico memoriam ingerit *Tertulliani*; fortaſſe quod ipſe Tertullianus [a], ſe hoc eodem anno Seueri aduerſus Marcionem ſcripſiſſe declaret. Quibus etiam temporibus alia plurima ſcripſiſſe noſcitur, tū aduerſus eoſdē Marcionitas, tū contra Valentinianos, Iudæos, & alios eiuſmodi hæreticos & infideles.

a Tert. l. con. Marc. 15.

TERTVLL. SCRIBIT CONTRA HÆR. ET IVDÆOS.

II.

His item temporibus cum Zephyrinus Romanæ præeſſet Eccleſiæ (vt auctor eſt Hieronymus [b]) MINVTIVS FELIX Romæ inſignis cauſidicus, ſcripſit Dialogum Chriſtiani & Ethnici diſputantium, qui *Octauius* inſcribitur. Porro *Cæcilium* Rhetorem, qui apud eum interloquitur religionem Chriſtianam vehementer impugnans, quod is tandem Octauio alteri dialogi interlocutori viſus ſit manus dediſſe, & Chriſto crediliſſe; vehemens me coniectura adducit, vt exiſtimem fuiſſe Cæcilium illum inſignem eruditione virum, Cypriani Carthaginenſis magiſtrum, à quo honoris cauſa Cæcilii nomen accepit. Conueniunt enim tempus, ſtudium, nomen, patria, ac religio. Ceterum extat hactenus idem Minutii cōmentarius, quo eaſdem plane calūnias in Chriſtianos obiectas, quas Tertullianus & alii Apologiarum ſcriptores, eruditè refellit. Sed & illa amplius addita reperitur Chriſtianos colere Antiſtitis genitalia. Quam quidem ea occaſione irrogatā putamus, quod Chriſtiani omnes ad genua ſacerdotis flexis genib. manibuſq; ſuppliciter iunctis, more maiorum procumberent ad confeſſionem peccatorum faciendam.

b Hieron. de Script. Eccl. in Minut.

MINVTII FELICIS DIALOGVS PRO CHR.

CALVMNIA DE CVLTV GENITALIVM, VNDE.

SEVERI IMP. AN. 16. 17. 18.

IESV CHRISTI AN. 210. 211. 212.

ZEPHYR. ANN. 8. 9. 10.

I.

ANno Chriſti ducenteſimo decimo, Antonino Auguſto & Geta Cæſare tertium Coſſ. celebratis Romæ eiuſdem Antonini Decennalibus, Seuerus Imper. vna cum iiſdem filiis ſuis & exercitu, aduerſus Britannos, qui fines egreſſi Romanorum ditionem inuaſerant, eſt profectus. Id enim hoc anno contigiſſe, nempe tertio ante obitum Seueri, auctor eſt Dio. Quo item anno GETAM Cæſarem cum Tribunitia Poteſtate Imperatoris & Auguſti nomen accepiſſe, nummorum inſcriptiones [a] ſignificant. Hocq; plane illud tempus eſſe conſtat, quod Tertullianus ſcribens librum de Pallio (vt ſuperius [b] alia occaſione dictum eſt) ſub triplici Imperii virtute, tribus regnantibus Auguſtis, feliciſſimum appellat. Quod & eius temporis æra [c] cauſa declarant, in quibus cum trium Imperatorum & Iuliæ Auguſtę imaginibus, inſcripti habentur tituli *Publicæ Felicitatis*, & *Perpetuæ Concordiæ*.

GETA IMP.

a ap. Fannia. in Faſt. Adol. de Num. & alios.

b ann. 197.

c Hab. Baron. Annal. to. 2 hoc an.

II.

Ceterum anno ſequenti, qui fuit Chriſti ducenteſimus vndecimus, Claudio Pompeiano & Lolliano Auito Coſſ. Seuerus [d] Britannos coercuit, ac muro per tranſuerſum inſulam ducto, vtrinque finem Oceani communiuit, atque inde *Britannici* nomen accepit.

d Dio & Spart. in Seuer.

BRITANNI COERCITI.

III.

Anno vero Chriſti ducenteſimo duodecimo, Acilio Fauſtino & Marco Ruffiniano Coſſ. eumdem Imperatorem [e] Antoninus eius filius inter equitandum, coram vniuerſo exercitu, & cum hoſtium copiæ viderentur, diſtricto gladio ſua manu à tergo occidere conatus eſt: feciſſetque ni clamore eorum qui ſimul equitabant perterritus fuiſſet. Nihil ei moleſtiæ inde pater intulit; ſed tantum obiurgans, quod reliquum fuit vitæ cum mœrore duxit, timens maxime Getæ alteri filio, cui ſciret Antoninum eſſe infenſum.

e Dio ibid.

ANTON. PATREM OCCIDERE TENTAT.

ANT. CARACAL. IMP. AN. 1.

IESV CHRISTI AN. 213.

ZEPHYR. AN. 11.

I.

ANno Chriſti ducenteſimo decimotertio, Gentiano & Baſſo Coſſ. pridie Nonas Februarii (vt auctor eſt Dio) *Seuerus* Imperator, mœrore magis ſcelerum filii Antonini, quam morbo conſumptus (vt ait Herodianus [a]) vita defunctus eſt Eboraci in Britannia, cum imperaſſet annos ſeptemdecim, menſes octo, & dies tres, vixiſſetq; ſexaginta quinque, menſes nouem & dies quindecim. Porro iſta cum paſſum eſſe à filio, vlciſcēte numine Chriſtianorum ſanguinem, æquius dici poſſe videtur, quam (quod tradit Oroſius [b]) priores illas ærumnas ciuilis belli: nondum enim illis temporibus negotii aliquid ille faceſſerat Chriſtianis.

SEVERVS IMP. MORITVR.

a Hero. lib. 4.

b Oroſ. lib. 7. ca. 17.

II.

Eo defuncto ANTONINVS & GETA fratres vna ſimul adierunt Imperium. Ipſeque Antoninus confeſtim (inquit Herodianus) medicos ſupplicio affecit, quod ſibi parum obtemperaſſent iubenti patris maturare necem; nutritioſq; ſuos iuxta & fratris, quod de reconciliandis eis egiſſent; ne vno quidem reliquo ſuæ crudelitatis facto ex eo ordine hominum qui in honore aliquo fuerant, quiq; ipſius parentem obſeruarent. Hæc ille. Soluentes autem ambo pariter fratres ex Britannia (cum tamen alter alteri inſidias moliretur) patentis cineres Romam detulerunt. Senatus vero inter diuos eum retulit conſueto ritu, quem Herodianus [c] huius temporis ſcriptor accurate deſcripſit. Ceterum Antoninus cognominatus eſt, vulgo potius quam maiorum exemplo vel origine, CARACALLVS ſiue CARACALLA; ea nimirum de cauſa (vt Dio, Spartianus, Victor, & alij tradunt) quod ſic dicta veſtimenta antea Romæ non viſa, ipſe primus è Gallia detuliſſet ac populo donaſſet, ad talos vſque demiſſa. Quæ & fuiſſe olim clericis in vſu, docet Beda [d] agens de S. Albano.

ANTO. ET GETA IMP. I.

c Her. lib. 4.

ANTO. CVR DICTVS CARACALLA.

d Bed. 1. de geſt. Ang. 7.

III.

Hoc eodem anno, defuncto Serapione Epiſcopo Antiocheno, ponitur ab Euſebio [e] ſubrogatus *Aſclepiades*, confeſſione pro Chriſti nomine clarus. Eodemque anno pariter ponit [f] *Alexandrum*, & ipſum nobili ſub Seuero cōfeſſione auctum, ordinatum fuiſſe Epiſcopum Hieroſolymitanum cum adhuc ſederet Narciſſus: qua de re dictum eſt ſuperius.

e Euſeb. in Chron.

f Id. ibid. & 6. hiſt. 8.

ANTO. CARACALL. IMP. AN. 2.

IESV CHRISTI AN. 214.

ZEPHYR. ANN. 12.

I.

ANno Chriſti ducenteſimo decimoquarto, Aſperis duobus Coſſ. quinto Calendas Martij, *Geta* Auguſtus iuſſu Antonini fratris occiſus eſt in Iulię matris gremio, annos natus viginti duos ac menſes nouem; ſicq; ſolus imperans Antoninus, omnes qui fratri ſtuduerant interemit, nec illis parcens qui vel leuiſſime hominē coluiſſent, vel poſt mortem ſcripſiſſent aut pronuntiaſſent Getæ nomen. Hæc Dio [a] & alii. Qui autem ſubito ex fautoribus aut miniſtris Getæ, qua in Palatio qua in Vrbe interempti ſunt, numerat eos idem auctor viginti millia: ſed acceſſerunt his poſtea Senatorum cædes, eorumque potiſſimum qui parenti cari fuiſſent; & inter alios viros clariſſimos, recenſetur PAPINIANVS Iuriſconſultorum huius temporis facile princeps olim fiſci Aduocatus, tunc autē Præfectus Prætorio; qui ſecuri percuſſus eſt, quod noluiſſet Antonini fratricidium in Senatu excuſare. Demū vero cùm in Circenſibus ludis populus in aurigā cui ille ſtudebat,

GETA IMP. OCCIDITVR.

a Dio in Caracal. Spart. in eod. Her. lib. 4.

SÆVITIA CARACALLI.

bat, neſcio-quid cauillatus eſſet, repente militib. immiſſis quamplurimi necati fuere.

II. Iuſta vindicta de ſanguine Chriſt.

Porro qui omnia immaniter ab Antonino perpetrata conſiderauerit, plane intelliget diuinitus ea contigiſſe in vltionem innocentis Chriſtiani ſanguinis, quem Seuerus Imperator ac Senatus Populuſq; Romanus paucos ante annos iniuſtiſſime effudiſſent; Cum alioqui Antonini pueritia fuiſſet (vt ait Spartianus) blanda, ingenioſa, parentibus affabilis, amicis parentum iucunda, populo accepta, Senatui grata; ſeſeq; ipſe præbuiſſet omnibus beneuolum, largum, atq; clementem; adeo vt ſi quando feris obiectos damnatos vidiſſet, flere aut oculos auertere conſueuiſſet. Hi nimirum mores decebant eum quem vidimus lacte Chriſtiano educatũ. At poſtquam à patre (quod Spartian. ſignificat) & nutritio diſtractus eſt à conſortio Chriſtianorum; & iiſdem paternis moribus, vt tradunt, è puero excedens, animo elatior, truxque vultu redditus eſt; & pater primus omnium, poſtea nutritius, ac demum reliqui omnes ſenſerunt eum atrociſſimum vindicem ſuę ipſorum iniuſtitiæ: cum interim (vt magis pateret hæc eſſe à Domino) Chriſtiani nullum prorſus vel leue damnum ab eo acceperint. Ceterum ipſe in imum omnium ſcelerum delapſus, præter illa quæ dicta ſunt, quatuor inſuper ex ſex quæ erant Veſtales Virgines, conſueto ſupplicio viuas infodi iuſſit; addens & ſæuitiæ impuritatem, cum ex eis vnam violauit ac demum (quod omnem turpitudinem ſuperat) Iuliam nouercam duxit vxorem.

Caracalla turpitudo.

IESV CHRISTI AN. 215.

Anto. Caracall. Imp. An. 3.

ZEPHYR. AN. 13.

ANno Chriſti ducenteſimo decimoquinto, Antonino Auguſto quartum & Balbino Coſſ. cum tranquilliſſima pace Eccleſia frueretur, Romæ coram Zephyrino Papa & vniuerſa Eccleſia, GAIVS ſpectatiſſimæ vitæ & eruditionis vir diſputationem valde inſignem habuit (quã & poſtea edidit) aduerſus *Proclum* celeberrimum inter Cataphrygas omnes Montani diſcipulum, qua eum manifeſtæ arguit temeritatis ſuper noua prophetia defendẽda. Teſtatur hæc S. Hieronymus [a], & ante eum Euſebius [b]; Zephyrinum autem poſt conuictum Proclum, aduerſus omnes pſeudoprophetiæ defenſores, & inter alios in ipſum Tertullianum [c] anathema dixiſſe; aliosque pariter Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopos, collectis [d] vbiq; variis de cauſis CONCILIIS, eamdem de damnatione Cataphrygum ſententiam confirmaſſe, idem ipſe Tertullianus ſignificat in libro de Ieiuniis.

I. ... Diſputatio aduerſus Proclum.

a Hier. de ſcript. Eccl. ... b Euſ. ... c Tert. de ... d Ibid. c. 13.

Concilia celebrata adv. Cataphryg.

IESV CHRISTI AN. 216.

Anto. Caracall. Imp. An. 4.

ZEPHYR. AN. 14.

ANno Chriſti ducenteſimo decimo ſexto, Meſſala & Sabino Coſſ. Tertullianus damnatas iam olim ac nuper confutatas Cataphrygum opiniones, pugnacius tueri contendens, in primis conatus eſt Bigamiam, humanæ infirmitatis remedium, ſecundum Apoſtolicam inſtitutionem & antiquam traditionem in Eccleſia permiſſam, ſed Pſeudoparacleti inſtinctu improbatam, edito commentario *de Monogamia*, penitus proſcribere: quem quidem hoc anno edidiſſe declaret [a], dum à tempore ſcriptæ primæ Pauli Epiſtolæ ad Corinthios (hoc eſt anno Domini quinquageſimoſeptimo) enumerat annos centum ſex. Quo eodem tempore alium quoque elaborauit commẽtarium, in defenſionem illorum Ieiuniorum quæ idem pſeudoparacletus indixiſſet, & Catholici pariter abrogaſſent: & alium deniq; *de Pudicitia* aduerſus eoſdem Catholicos; qui mœchos & fornicatores poſt pœnitentiam reciperent in Eccleſiam. Quibus omnibus lucubrationibus, tum in omnes Catholicos (quos more ſuo *Pſychicos*, hoc eſt animales appellat) tum maxime in ipſum Romanum Epiſcopum miſer ac mentis impos inuehitur, quod de recipiendis mœchis pœnitentibus (quæ fuit ſemper Chriſti, Apoſtolorum, & vniuerſæ Eccleſiæ doctrina) promulgaſſet edictum.

I. Tertul. fuit in Cathol.

a Tert. de Monog. c. 3.

Tertul. obſtrepit in R. Pont.

Sed quod edicti prima verba recitans, inſcriptionem ponit [b] PONTIFEX MAXIMVS, EPISCOPVS EPISCOPORVM; plane demonſtrat, ſecundum veterem nomenclaturam Zephyrinum hos edicto appoſuiſſe titulos; aut ſi velimus eſſe verba Tertulliani, ipſum ea dixiſſe ſecundum receptam iam tunc ab omnibus Romani Epiſcopi appellationem. Sic enim & in Actis ſinceriſſimis ſanctorum martyrum Sebaſtiani & ſociorum, Caius Papa à Tiburtio Chromatii filio vocatur *Epiſcoporum Epiſcopus*, & ab aliis alibi. Nimirum cum & alii quoque Epiſcopi dicerentur *Summi Sacerdotes* atque *Pontifices* Romanus Præſul reſpectu illorum dici meruit *Maximus*, ob inſignem eius ſacerdotii eminentiam, & *Epiſcopus Epiſcoporum*, quod tam eorumdem, quam cunctarum rerũ ac cauſarum ad religionẽ Chriſtianam pertinentium, ſupremus ſit iudex & arbiter à Deo conſtitutus. Rurſum vero dum Tertullianus in eũdem Ro. Pontificem inuehitur recipientem pœnitentes, inter alia priſtinum illum ritum quo publici pœnitentes Romæ recipi ſolerent, deſcribit his verbis [c], *Et tu quidem pœnitentiam mœchi ad exorandam fraternitatem in eccleſiam inducens, conciliatum & concineratum, cum dedecore & horrore compoſitum proſternes in medium ante viduas, ante presbyteros, omnium lacrymas ſuadentem, omnium veſtigia lambentem, omnium genua detinentem; in eum hominis exitum, quantis potes miſericordiæ illecebris, bonus paſtor & benedictus Papa concionaris, & in parabola ouis capras tuas quæris, tua ouis ne rurſus de grege exiliat, ceteras etiam metu comples cum maxime indulges.*

II. ... Tituli antiquis Rom. Pont.

c Ibid. c. 13. Ritus recipiendi pœnitentes.

Quid autẽ poſt hæc egerit Tertullianus, nulla eſt memoria: niſi quod S. Auguſtinus [d] teſtatum reliquit, cum à Cataphrygibus diuiſum ſuos habuiſſe ſectatores, qui ab eo fuerint *Tertullianiſtæ* nominati. Ac præter alios eius errores, ait illum docuiſſe animarum hic ſtatum per traducem propagari, peſſimas autem poſt mortem conuerti in dæmones. Sed cunctos eius errores ſumma diligentia Pamelius in vnum collegit; vt nihil ſit nobis in his amplius laborandum. Quod autem iiſdem omnia eius opuſcula, perpaucis exceptis, ſint aſperſa, ea propter hæc cenſura Gelaſii [e] Papæ relata ſunt inter apocrypha. Sed ea ratione qua de eo ſolitus erat dicere Hieronymus [f], *Laudo ingenium hominis, damno hæreſes*; Cyprianus quoque apud eumdẽ [g] fertur numquam abſq; Tertulliani lectione vnam diem pertranſiiſſe, & cum eius ſcripta peteret, ſolitum dicere, *Da Magiſtrum*. Ac certe tanti viri lapſum, magnam fuiſſe in Eccleſia tentationem, egregie deſcribit Vincentius [h] Lerinenſis. Affirmat vero Hieronymus, *de Trinitate* librum Tertulliano tributum eſſe Nouatiani; ſed eum, vt Tertulliani legitimum Orientales accepiſſe, ſuo loco dicturi ſumus: cum alioqui Tertullianum materiam miniſtraſſe errantibus Nouatianis, Pacianus teſtetur.

III. d Aug. de hær. c. 86. Tertullianiſtæ hæretici.

e Gelaſ. ... Laus ſemper auide ... Tert.

h Vinc. Lerin. c. 24.

IESV CHRISTI AN. 217.

Anto. Caracall. Imp. An. 5.

ZEPHYR. AN. 15.

ANno Chriſti ducenteſimo decimo ſeptimo, Æmilius Lætus & Anicius Cerealis Conſulatum adminiſtrarunt, cum Antoninus annum quintum ageret in Imperio. Cuius quidem tẽpore Chriſtianis pacatiſſimo (certus tamen annus ignoratur) *Agrippinus* Carthaginenſis Epiſcopus, quem his Tertulliani temporibus ſediſſe volũt, antiquam ſaluberrimam Eccleſiæ Catholicæ conſuetudinem [a] ex Apoſtolica traditione venientem, qua ratus haberetur hæreticorum baptiſmus ſecũdum Catholicæ Eccleſiæ formam collatus; prætextu quodam pietatis, quod quæcumq; hæreticorũ eſſent deberet Eccleſia abominari, conuellere niſus, collecto Epiſcoporum Africæ atq; Numidiæ CONCILIO (vt ſcribit Cyprianus [b] eius poſtea ſedis Epiſcopus, & erroris fautor) ex eorumdem conſenſu, de iterando hæreticorum baptiſmate cum ad Eccleſiam

I.

a Aug. de bapt. ... Concilium Agrippini ... rebaptizandis ...

tranſirent, canonem ſtatuit. Docuiſſe quoq; eandem ſententiam Tertullianum, cum adhuc inter Catholicos conuerſans acerbiſſimo odio hæreticos omnes inſectaretur, eoq; argumento commentarium Græce conſcripſiſſe, ipſemet teſtatur in libro de Baptiſmo [c], quo eandem iterum ſententiam confirmauit. Quæ miramur vehementer prętermiſſe Auguſtinum, alioſque antiquiores eius erroris oppugnatores; cum demonſtraſſet tantum, eius ſententiæ primum aſſertorem extitiſſe Tertullianum tot aliis hæreſibus infectum, viciſſe aduerſarios videri propemodum potuiſſent. Niſi ex eiuſmodi eorundem ſilentio colligere potius velimus, id Tertullianum ab Agrippino mutuatum eſſe, quod incertum ſit quo potiſſimum tempore vixerit Agrippinus, & quamdiu ſederit. Ceterum de ipſa controuerſia, pluribus inferius ſub Stephano Papa.

c Tert. de bapt. c. 14.

II. VLTIO IN ALEXANDRINOS IMMANIS.

Hoc eodem anno Antoninus Imperator, cum Germaniam, inde Aſiam, ac poſtea Syriam peragraſſet, audiens ſe ab Alexandrinis argui & illudi multis de cauſis, ſed præſertim propter cædem fratris; diſſimulata ira eo pacifice veniens, dato mox militibus mandato, ingentem ciuium multitudinem ſuſtulit, vrbemque diripuit, atq; fana ſpoliauit: quam immenſam tantæ ciuitatis cladem, breuiter Spartianus [d], fuſius Dio, ſed omnium lamentabilius Herodianus [e] deſcripſit. Porro quod nulla alia ciuitas tot tantaq; paſſa ſit ab hac truculentiſſima fera, niſi Vrbs Romana, & Alexandrina; ſatis indicat id diuinitus accidiſſe in vltionem innoxii ſanguinis Chriſtiani, quod ſub Seuero nullibi acrius in Chriſtianos fuerit ſæuitum; cum interim nulla ſit noſtrorum querela, ab Antonino negotium Chriſtianis eſſe faceſſitum.

d Spart. & Dio in Caracal. e Hist. lib. 4.

III. ORIGENIS ADVENTVS ROMAM.

His [f] item temporibus exiſtimamus accidiſſe aduentum Origenis Romam; quem Euſebius [g] ait ſub Zephyrino Papa eo ſe contuliſſe, vt Eccleſiam illam plane antiquiſſimam viſeret. Sed non diu ibi commoratus, Alexandriam reuerſus eſt, atq; conſuetum docendi munus ſtudio omni & induſtria, nec minori tam Catholicorum cuiuſcumque generis & conditionis, quam ipſorum etiam hæreticorum fructu, exequi perrexit; inter multos alios Ambroſ. quendam hominem eruditiſſimum, ſed Valentini Marcioniſque hæreſibus infectum, ad Catholicam fidem conuertens: à quo idem ipſe poſtea Origenes omnibus rebus tam ad victum quam ad ſtudia neceſſariis adiutus, illius maxime impulſu commentarios in ſacras literas ſcribere adortus eſt; idque tanto ardore ſimul & facilitate, vt celeres ſcribæ plures quam ſeptem ei dictanti præſto adeſſent. qui præſtitutis temporibus ſcribendi laborem viciſſim ſuſciperent; ac librarii non pauciores, puellæque à quibus eadem dictata ſcite & concinne exſcriberentur. Narrat hæc Euſebius [h] Origenis ſtudioſiſſimus, conuerſionem Ambroſij ſub Caracalla ponens; ſed annus ignoratur: meminitque eorumdem S. Hieronymus [i], qui & *Ambroſium* eo gloriæ prouectum eſſe tradit [k], vt confeſſione claruerit.

f Hæc Baron. poſuit an. 220 ſed hic potius collocanda eſſe docere videtur ... g Euſ. 6. hiſt. 12.

AMBROS. AVCTOR ORIGENI EXPOSIT. SCRIPTV.

h Euſ. 6. hiſt. 11. 13. 17. ad. de Orig. de reſt. in Dom. ſol. in praf. i Hier. de Script. Eccl. in Hippol. k Idem in Ambroſ.

IV. ALIÆ ORIG. PEREGRINATIONES.

Ceterum vt alias quaſdam Origenis peregrinationes ſummatim relegamus; conſtat [l] poſt hæc ipſum à Præſide Arabiæ vocatum, eo perrexiſſe, ac ſacras literas docuiſſe; indeque reuerſum Alexandriam, non longe poſt in Palæſtinam profectum Cæſareæ docere cœpiſſe, præſentibus etiam Epiſcopis nondum presbyterum: hincque cœptæ diſſenſiones inter Demetrium Epiſcopum Alexandrinum & Alexandrum Hieroſolymitanum, quod iſte pateretur laicum hominem docere Epiſcopos; quæ & auctæ ſunt, quando idem Originem ordinauit, de quo dicetur ſuo loco.

l Euſ. d. c. 13.

ANTO. CARACALL. IMP. AN. 6.

IESV CHRISTI AN. 218.

ZEPHYR. AN. 16.

I. ABGARVS REX CHR. MALLE HABITVS A CARACAL. a Her. lib. 3.

ANno Chriſti ducenteſimo decimooctauo, Sabino ſecundum & Annullino Coſſ. Antoninus Imperator Parthos dolo potius quam armis ſubegit; venientemque ad ſe Abgarum Regem Oſroenorum, tamquam amicum & Rom. ſocium (quippe qui [a] receptus in amicitiam à Seuero, ei quoque auxilio fuerat aduerſus Parthos) impie conieçit in vincula, eiuſq; regia potitus eſt. Hæc Dio; quæ pluribus Herodianus, licet paulo diuerſe. Abgarum autem his temporibus regnantem Edeſſæ, Africanus [c] rerum Eccleſiaſticarum ſcriptor nobiliſſimus, Chriſtianum fuiſſe, & virum ſanctum prædicat. Sed rupti fœderis, antequam præterlaberetur annus, apud eandem Edeſſam Antoninus (vt videbitur) pœnas dedit.

b Id. lib. 4. c Afric. ap. Euſ. in Chr. an. ſeq.

II. d Dio in Caracal. CARACAL. MAGIÆ INTENTVS.

Ceterum cum de futura breui eius morte multa eſſent præſagia, ipſe (vt Dio [d] ſcribit) inuocatis dæmoniis malum ſtuduit effugere: quem & alioqui idem auctor tradit adeo magis & præſtigiatoribus delectatum fuiſſe, vt & Apollonium Tyanæum inſigne olim arte magica, iam ante centum & viginti ferme annos mortuum, honoribus coluerit, eique monumentum erexerit; ac multas defunctorum animas ab inferis, vt ab eis exploraret occulta, per necromantiam euocauerit: nec hominum tantum (vt ait Herodianus) ſed & deorum dæmonumque rimari arcana curioſus extiterit, & magos ad hoc vndique conquiſierit. Cum tamen qui ſic compoſitus eſſet, damnaret omnes (quod Spartianus [e] narrat) qui remedia quartanis & tertianis collo annexa geſtarent. Sed hæc cum doceat Plin. [f] fragmenta fuiſſe clauorū ex crucib. ſublatorum, aut ſpartum è cruce; fortaſſe accidit ea auferri ex crucib. illis, quib. ſæpe Fideles affigerentur, vnde & virtutē aliquam hauſiſſent. Nam ſi ex magica ſuperſtitione ea illis præſtandi vis ineſſet, quomodo eius facultatis ſtudioſiſſimus hæc adeo auerſatus, non potius in pretio habuiſſet? Sed & hinc magna oritur admirationis occaſio, quod homo ſic affectus, à Chriſtianorum excidio temperauerit, ad quod (ſi alia omnis occaſio præteriiſſet) dæmones impulſores haberet.

e Spart. in Caracal. f Plin. 28. c. 4. REMEDIA MORBORVM EX CRVCIBVS.

IESV CHRISTI AN. 219.

MACRINVS DIADVMEN. IMPP.

ZEPHYR. AN. 17.

I. CARACALLA OCCIDITVR.

ANno Chriſti ducenteſimo decimonono, Præſente & Extricato Coſſ. *Antoninus* Imp. in Meſopotamia inter Edeſſam & Carras, Macrini opera à Martiale Centurione pugione confoſſus occiditur 6. Id. April. cum imperaſſet annos 6. menſes 2. dies 5. ætatis annum agens vndetrigeſimum. Hæc Dio: cum tamen apud Spartianum legatur occiſus 8. Idus April. vixiſſe annos 43. Variant enim de eius vitæ annis Scriptores; ſicut & de matre ipſius, dum alii Iuliæ poſterioris Seueri vxoris, aliæ Martiæ prioris cōiugis filium faciunt: quod qui ſentiunt, vt Spartianus, longiorem Antonini vitam aſſerant neceſſe eſt cum à Martię exceſſu ad eius cædem fluxerint anni ſupra quadraginta. Ceterum hic omnium diriſſimus (ſubdit Spartianus) & parricida, & inceſtus, patris & fratris & matris inimicus, à Macrino qui eum occiderat, timore militum inter deos relatus eſt; habuitque templum, Salios, & ſodales Antoninianos: cuius etiam corpus Romam Antoninorum ſepulchro illatum eſt.

II. MACRINVS IMP. a Lamprid. in Diadum. Capitol. in Macrin. DIADVMENIANVS IMP.

Poſt diem vero quartum ab eius nece, idem OPELIVS MACRINVS [a], natione Maurus ex ciuitate Cæſarea, Præfectura Prętorii in primis nobilis, ſed ignobili loco natus, & (vt vocat Capitolin.) homo vitiorum omnium (de cuius etiam in delinquētes ſæuitia magis quam ſeueritate, horrenda quædam ſcribit) conciliatis ſibi magnis promiſſionibus militibus, Imperium arripuit, filio Diadumeno, aut (vt veteres nummi) DIADVMENIANO nouem annorum puero, ſibi in collegam allecto.

III. b Epiph. de menſ. & pond. QVINTA SCRIPT. EDITIO INVENTA. c Euſ. 6. hiſt. 12.

Hoc eodem anno, cum adhuc viueret Antoninus annum auſpicatus ſui Imperii ſeptimum, tradit Epiphanius [b] inuentos eſſe Hierico in dolio occultatos diuinæ Scripturæ libros ex Hebræo in Græcum translatos: quam nominant QVINTAM EDITIONEM. Quomodo autem inuenta ſit, ob Origene in ipſa ſcriptum eſſe teſtatur Euſebius [c]

IV.

Hoc item anno, Macrino imperante, defuncto poſt ſeptem ſedis annos Aſclepiade Epiſcopo Antiocheno, in eius locum ſuffectus eſt *Philetus*.

Digitized by Google

IESV CHRISTI AN. 220.

ANTO. ELAGAB. IMP. AN. 1.

ZEPHYR. AN. 18.

I. MACRIN. ET DIADVMEN. IMPP. OCCIDVNTVR.

ANno Chriſti ducenteſimo vigeſimo, Diadumeniano Aug. & Aduento Coſſ. octauo Idus Iunii, idem Imperator ac ipſius pater Macrinus à militibus rebellantibus occiſi ſunt, cum imperaſſent annum vnum, menſem vnum, dies viginti octo.

II. a Dio, & Capitol. in Macrin.

Ante vero quam occiderentur, decimo ſexto Calendas Iunii Imperator ab exercitu acclamatus fuerat *M. Aurelius Antoninus* adhuc adoleſcentulus, Antonino Caracalla (vt credebatur) natus [a] ex Sœmiade Meſæ ſororis Iuliæ Auguſtæ filia Mamææ ſorore; quam alii *Semiamiram* vocant. Ipſe vero eius filius agens ſacerdotem in templo Solis in Phœnicia, quod populi illi Solem nominarent Elagabalum, inde cognomentum duxit vt ELAGABALVS diceretur: ita enim veteres nummi appellant, lapides vero *Alagabalum*, quem omnes ferme hiſtorici tam Græci quam Latini *Heliogabalum*: Quantum autem hic omnes impuriſſimos ſuperauerit turpitudine Imperatores, Dio, Herodianus, atque Lampridius fidem faciunt; à quibus temperamus, cum nec ipſi abſque rubore ea referant: nam & propterea nominatur à Dione *Sardanapalus*; & Capitolinus ait, eum dedecoraſſe Imperium vitiis ingentibus, luxuria, turpitudine, abligurritione, ſuperbia, immanitate.

ANTO. ELAGAB. IMP.

ELAGAB. MORES.

IESV CHRISTI AN. 221.

ANTO. ELAGAB. AN. 2.

CALLISTI AN. 1.

I. ZEPHYR. PP. OBITVS.

ANno Chriſti ducenteſimo vigeſimo primo, Antonino Auguſto ſecundum & Sacerdote Coſſ. cœpto iam anno ſecundo eiuſdem Imperatoris, vigeſima ſexta menſis Auguſti, *Zephyrinus* Papa cum ſediſſet annos octodecim totidemque dies, moritur, ſepeliturq; in cœmeterio ſuo via Appia. De tempore namq; eius obitus, & annis ſedis, Euſebio [a] potius acquieſcimus, quod Vaticano Indici magis ſit conſentiens, quã ceteris, qui aliis Coſſ. & ad alia tempora eius obitum referunt. Quod vero in antiquis Eccleſiaſticis tabulis legatur Zephyr. ſubiiſſe martyrium, ſane id ei priuatim oportuit accidiſſe (vt aliis ſæpe euenit in pace Eccleſiæ; cum & alioqui iam ſuperius viderim, olim maiores cõſueuiſſe eos appellare *Martyres*, qui Chriſtianæ cõfeſſionis occaſione aliquid paſſi eſſent, licet diẽ extremum in pace clauſiſſent. Cum autem poſt eius obitum ſedes [b] vacaſſet dies ſex, in locum eius ſuffectus eſt CALLISTVS, patria Romanus ex patre Domitio.

a Euſ. in Chron. & 6. hiſt. 15.

b lib. de Rom. Pontif.

CALLIST. PAPA.

II. ELAGAB. DEVS ROMAM ADVECTVS.

Hoc eodem anno Antoninus Imperator Romam veniens, deum ſuum cuius ſacerdos fuerat, ELAGABALVM ſecum aduexit; eumdemque conatus eſt ſupra omnes deos extollere, in tantum vt ei templo in Palatino monte conſtructo, ſtuduerit & Matris Deorum typum, & Veſtæ ignem, & Palladium, & Ancilia, & omnia Romanis veneranda in illud transferre: id præterea agens, vt non ſolum Romæ, ſed & vniuerſo terrarum orbe, extinctis cunctis religionibus, & aliorum omnium deorum cultu abolito, vnus Elagabalus vbique ab omnibus coleretur; adeo vt etiam Iudæorum & Chriſtianorum religiones illuc transferendas eſſe diceret. Hæc & alia de his Lampridius [c]. Quæ certe nonniſi diuino conſilio facta eſſe creduntur, vt quod minime liceret facere Chriſtianis, nempe Gentilitiam ſuperſtitionem conuellere; id nemine ex Gentilibus reclamante, ipſorum præſtaret Imperator, Gentilis & ipſe, & moribus perditiſſimus, & pene puer.

c Lamprid. in Heliogab.

ELAGAB. IMP. CONATVR OMNES RELIGIONES ABOLERE.

III. ELEPHANT. QVADRIGÆ.

Scribit præterea idem Lampridius (quod eſt etiam memorabile) eumdem Imperatorem agitaſſe in Vaticano quatuor Elephantorum quadrigas; eaque de cauſa demolitum eſſe aliquot ædificia atq; ſepulchra [d], quæ obſiſterent.

d Tunc nimirum Paganorum tunc diruta ... quæ fuiſſe ſepulchrum S. Petri: quod refellit Baron. to. 2. hoc an.

IESV CHRISTI AN. 222.

ANTON. ELAGAB. AN. 3.

CALLISTI AN. 2.

I.

ANno Chriſti ducenteſimo vigeſimo ſecundo, Antonino Auguſto tertium & Eutychiano ſecundum Coſſ. *Iulius* [a] *Africanus*, inter viros eruditos huius temporis clarus, legationem ad Imperatorem ſuſcepit pro reſtituenda olim incenſa ciuitate Nicopoli Palæſtinæ, quæ antea Emaus vocabatur: quod & obtinuit. Agunt Euſeb. [b] & Hieronymus [c] de eiuſdem eruditione & temporis: teſtaturq; Photius [d], integram ad ſua tempora perueniſſe eius hiſtoriam, quã à mundi exordio vſq; ad Macrinum Imperatorem res geſtas ſummatim perſtrinxiſſet.

a Euſeb. in Chron.

AFRIC. LEGATIO AD IMP.

b Id. 6. hiſt. 24.

c Hier. de ſcript. Eccl.

d Phot. in Bibliot.

IESV CHRISTI AN. 223.

ANTON. ELAGAB. AN. 4.

CALLISTI AN. 3.

I. ALEX. CÆSAR ADSCITVS IMP.

ANno Chriſti ducenteſimo vigeſimo tertio, Graeto & Seleuco Coſſ. ALEXANDER Mamææ filius, Elagabali Imperatoris conſobrinus, ab eodem creatus eſt Cæſar, & nouo [a] exemplo vno eodemque die Cæſaris nomen, & Auguſti adpellationem, Pontificatum Maximũ, Tribunitiam Poteſtatem, & Proconſulare Imperium, accepit à Senatu, cum ex ampliſſimæ dignitates diuerſis tẽporibus conferri ſolerent. Sed & cum eum Elagabalus in filium adoptaſſet, vt eum ſuis moribus inſtitueret, viros omnes probos & eruditos, quibus Mamæa mater laudatiſſima femina puerum tradiderat educandum, partim morte [b], partim mulctauit exilio. Ex quibus aliquem fuiſſe Chriſtianum facile ſuademur, cum conſtet huius religionis hominum matrem ſtudioſiſſimam fuiſſe: quam & fama Origenis permotam, cum aliquando ad ſe Antiochiam accerſiuiſſe, Euſebius [c] teſtatur.

a Lamprid. in Alex.

b Herod. 5.

c Euſ. 6. hiſt. 21.

IESV CHRISTI AN. 224.

ALEX. IMP. AN. 1.

CALLISTI AN. 4.

I. ELAGAB. IMP. OCCIDITVR.

ANno Chriſti ducenteſimo vigeſimo quarto, Antonino Auguſto quartum & Alexandro Cæſare Coſſ. ipſe Antoninus *Elagabalus*, cum imperaſſet annos tres menſes nouem & dies quatuordecim, annos natus decẽ & octo, ob nefandas ſuas turpitudines Senatui Populoque Romano, atque militibus redditus execrabilis, occiſus eſt vna cum matre æque impuriſſima: corpuſque eius in viam proiectum atq; tractum, demum in Tiberim merſum eſt, ex quo ipſe *Tractitius* & *Tiberinus* meruit appellari: quem & præter alia horrenda ſcelera, etiam pueros magiæ cauſa occidere ſolitum, Dio tradit. Cui proxime hæc omnia intuenti, de ætate Imp. & annis quibus regnauit magis aſſentimur, quam Herodiano, Aurelio Victori, vel aliis alia ſentientibus. Eo vero ſublato, ALEXANDER miro conſenſu militum, Senatus, ac totius Populi, acclamatus eſt Imperator [a] pridie Nonas Martii, annum agens ætatis decimumſextum.

ALEX. IMP.

a Lamprid. in Alex.

II. ALEX. QVOMODO CHRISTVM COLVIT.

Hic igitur, vt qui à matre non abhorrente à Chriſtiana religione educatus eſſet, nõ ſolum (quod ait Lampridius) Chriſtianos eſſe paſſus eſt, ſed & ipſi Chriſto qualemcumque cultum exhibuit, dum eius imaginem, æque ac Abraham Patriarchæ, inter animas ſanctiores in ſuo larario poſuit, coluitq;. Quin & Chriſto templum facere voluit; eumque inter deos recipere; quod & Hadrianus (inquit idem auctor) cogitaſſe fertur, qui templa in omnibus ciuitatibus iuſſerat fieri: quæ hodie idcirco quia non habẽt numina, vocantur Hadriani; quæ ille ad hoc paraſſe dicebatur. ſed prohibitus eſt ab iis qui conſulentes ſacra, repererant omnes Chriſtianos futuros, & templa reliqua deſerenda, ſi id optato veniſſet. Hæc Lampridius. Porro Alexander non ſolum Chriſtianorum ſtudioſus fuiſſe videtur, ſed eorumdem quoq; inſtitutorum imitator; dum in conſtituendis quibuſcumq; magiſtratibus, nomina corã proponens, hortabatur populum vt ſi quis quid haberet criminis manifeſtaret; dicens (inquit idem auctor) graue eſſe, cum id Chriſtiani & Iudæi facerent in prædicandis ſacerdotibus qui ordinandi eſſent, non fieri in prouinciarum rectoribus, quibus fortunæ hominum committerentur & capita. Quib. videas reſeratum antiquum morẽ Eccleſiæ, in electionibus & ordinationibus miniſtrorum

RES CHRIST. IMITATVR.

b *Orig. cont. Celſ. lib. 8.* c *Cypr. ep. 88 ad Hiſp.*

Eccleſiæ; quem inter alios exacte deſcripſit his iiſdem temporibus Origenes[b], & pauloposſt Cyprianus[c]. Hanc vero ſententiam; *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*, quam (inquit Lampridius) à quibuſdam ſiue Iudæis ſiue Chriſtianis audierat, pronuntiabat ſæpius, & vſq; adeo dilexit, vt & in Palatio & in publicis operibus perſcribi iuberet.

III. TABERNA MERITORIA IN ECCLESIAM COMMVTATA.

Recitat inſuper idem auctor eiuſdem Imperatoris iudicium pro Chriſtianis exhibitum, cum (vt ait) Chriſtianis quendam locum qui publicus fuerat occupantibus, & contra popinariis dicentibus ſibi eum deberi; reſcripſit melius eſſe vt quomodocumque illic Deus coleretur, quam popinariis dederetur. Hunc vero locum arbitror fuiſſe illum trans Tiberim poſitum vbi Auguſti tempore Taberna meritoria erat, ex qua oleum magno miraculo è terra erumpens copioſe fluxiſſet, in ſignum (quod in Apparatu dictum eſt) proximi Chriſti aduentus. Vbi Chriſtiani poſt ſententiam Alexandri nobilem erexerunt Eccleſiam in honorem Partus Sanctiſſimæ Virginis Dei Genitricis MARIÆ, olim eo prodigio præſignati. Nam & in Rebus geſtis[d] S. Calliſti Papæ qui tunc ſedit, legitur ab eo erectam fuiſſe Eccleſiam S. Mariæ trans Tiberim; nec vlla extat memoria quod alia fuerit ſub Alexandro Romæ excitata.

ECCL. S. DEI GENITR. d *lib. de Rom. Pont.*

IV. ALEX. FAVET IVDÆIS.

Quod vero pertinet ad Iudæos; auctor eſt Lampridius, Alexandrum Imperatorem priuilegia eis reſeruaſſe, & quod ipſis faueret dictum eſſe per deriſionem Syrum Archiſynagogum. Sed & permiſiſſe vt in Palæſtina habitarent, ac Præfectum loco Regis haberent qui ius eis diceret; docet Origenes in epiſtola de Suſanna ad Africanum.

ALEX. IMP. AN. 2.

IESV CHRISTI ANN. 225.

CALLISTI AN. 5.

I. CONSILIARII ALEX. IMP.

ANno Chriſti ducenteſimo vigeſimo quinto, Maximo & Æliano Coſſ. Alexander Imperator mutatis magiſtratibus, quos turpiſſimos Elagabalus inſſerat præſidere; quos ipſe putauit optimos Vrbanis præfecit negotiis, & ſibi adhibuit Conſiliarios, puta Fabium Sabinum, Domitium, Vlpianum, Iulium Paulum, alioſq; clariſſimos viros & Iuris peritiſſimos, quos Lampridius recenſet in eius vita. Eorum vero omnium facile princeps apparuit VLPIANVS; quem idem auctor affirmat Alexandrum Imperatorem habuiſſe pro tutore, aſſidentem Principi primo loco; eidemque Præfecturam Prætorii dignitatem omnium ampliſſimam, contuliſſe; atq; Scriniorum Magiſtrum creaſſe: proximumque huic locum tenuiſſe PAVLVM, quorum arbitrio cuncta faceret Alexander.

II. ICti CHRISTIANORVM HOSTES. a *Lact. lib. 5. cap. 11. 12.*

Hos tamen, & maxime Vlpianum infenſiſſimum fuiſſe Chriſtianis, & cuncta quæ valuit aduerſus eos ſcripta Principum collegiſſe, quo ſe in eos iure agere demonſtraret, tradit Lactantius[a], in eum eiuſque collegas acriter ea de cauſa inuectus. Vt non ſit mirandum; ſi ſub Alexandro plurimi in Eccleſiaſticis tabulis reperiantur martyrio coronati, ac præſertim Romæ. Id enim inſcio Imperatore, Præfectis quibus adeo ipſe fideret facile fuit eius nomine & auctoritate exequi, prætextu ſolito aliorum confictorum criminum. Alioqui namque repugnant his, non ſolum quæ ſuperiori anno recitata ſunt ex Lampridio, ſed etiam quod ab omnibus Chriſtianarum rerum antiquis ſcriptoribus æque aſſeritur, nullam ſub Alexandro excitatam in Eccleſia perſecutionem. Ceterum Vlpianus, Deo vlciſcente, haud ſero debitas pœnas dedit, occiſus noctu (vt auctor eſt Dio[b]) à Prætorianis militibus.

b *Dio in Alex.*

ALEXAN. IMP. AN. 3.

IESV CHRISTI ANN. 226.

CALLISTI AN. 6.

I. CALLISTI PP. MARTYRIVM. a *Martyrol. Ro. & alia.*

ANno Chriſti ducenteſimo vigeſimo ſexto, Iuliano & Criſpino Coſſ. pridie[a] Idus Octobris *Calliſtus* Papa, poſt diuturnam famem & quotidiana verbera, è feneſtra domus in qua cuſtodiebatur, in puteum præcipitatus, martyrii coronam adeptus eſt, cum ſediſſet annos quinque, menſem vnum, & dies duodecim. In hunc enim vſque annum eum perueniſſe, Euſebii Chronicon admonet, & de eodem numero annorum idem auctor[b] alibi fidē facit. Sepultum autem eſſe in Cœmeterio Calepodii Via Aurelia milliario tertio; & poſtquam eius ſedes vacaſſet ſex diebus, ſubſtitutum ei VRBANVM patria Romanum patre Pontiano, habet Liber de Romanis Pontificibus.

b *Euſeb. 6. hiſt. 15.*

III. c *ap. Sur. 5. 1.* MARTYRES ROMÆ SVB ALEX.

Extant[c] eiuſdem Calliſti Acta (licet haud in omnibus ſincera) in quibus recenſentur plurimi alii ſub eodem Alexandro Imperatore variis ſuppliciis Romę ob Chriſtianitatem necati, quos Calliſtus ad fidem conuerterat; & inter alios, Palmatius Conſularis, cum vxore & filiis, aliiſque quadraginta duobus ex domo ſua: Simplicius Senator, cum vxore & ſexaginta octo de familia ſua; itemq; Felix cum vxore Blanda: quorum etiam capita ſuſpenſa fuiſſe dicuntur per diuerſas Vrbis portas, ad exemplum Chriſtianorum. Eorundem vero omnium eſt memoria relata in tabulas Eccleſiaſticas; ſicut & aliorum complurium, qui tum Romæ tum alibi paſſi ſunt ſub eodem Alexandro, Præſidum (vt vidimus) ac Præfectorum iuſſu.

III. DE COEMETERIIS VRBIS, EORVMQVE VSV.

Paſſus quoque tunc ibidem Romæ *Calepodius* presbyter, cuius nomine fuit Cœmeterium in quo ſepultum vidimus Calliſtum; quamuis & eſſet aliud nominatiſſimum ab eodem Calliſto conſtructum, & eius appellatione nuncupatum. Fuere vero & alia eiuſmodi quamplurima extra Vrbem, quæ modo *Areæ*, interdum *Tumbæ*, *Catatumbi*, ſeu *Catacumbæ*, vel *Cryptæ arenariæ*, ex loci natura nomine cōparato, dici conſueuerunt; ſed frequentius COEMETERIA, quod fides doceret Chriſtianos[d] non mori, ſed rurſus excitandos interea in Domino obdormire. Porro eiuſmodi Cryptarum recenſentur nomina quadraginta trium in libro de Romanis Pontificibus. Erantq; ſpecus ſubterraneæ, tum ad ſepeliendos Fideles, tum ad Conuentus & Synaxes peragendas tempore perſecutionum. Indeq; fiebat, vt edictis Imp. (quod docet Euſebius[e]) ab eis Chriſtiani arcerentur, reddita vero pace eadē frequentate permitterentur. Quæ & poſtea quamdiu in eis fuerunt corpora ſanctorum Martyrum, frequenti cœtu à Fidelib. viſitari conſueuiſſe, Hieronymus[f] & Prudentius[g] docent. Ceſſarunt autem eiuſmodi Fidelium ſtudia, poſtquam ea quæ ibi ſita erant corpora Sanctorum, ſub Chriſtianis Imperatorib. delata ſunt in Vrbem, & diuerſis eccleſiis honorificentius collocata.

d *Min. Fel. in Oct. Tert. de Cor. & alibi.*

e *Euſ. 8. hiſt. 10. 12.*

f *Hier. in Ezech. ca. 40.* g *Pru. hymn. 11. de S. Hippol.*

IV. SEPELIRI IVXTA MARTYRES FIDELIBVS OPTATISSIMVM.

Sed & accidit, vt ſicut maiorum conſuetudine, etſi non iiſdem ſepulchris, iiſdem tamen cœmiteriis ſepelirentur aliorum quoq; corpora Chriſtianorum, qui fide conſtantes in communicatione Catholica diem clauſiſſent extremum: ſic translatis ſanctorum martyrum reliquiis in eccleſias intra ciuitates poſitas, in eiſdem etiam ceterorum Fidelium corpora cœpta ſint ſepeliri; quod eos doceret fides Catholica, meritis ſanctorum martyrum adiuuari animas defunctorum. Ideo namq; (inquit apud Ambroſium Maximus[h]) hoc à maioribus prouiſum eſt, vt ſanctorum oſſibus noſtra corpora ſociemus, vt dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat; dum illis Chriſtus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat. Eoq; modo cū ſanctis Martyrib. quieſcentes, euadimus inferni tenebras eorum propriis meritis, attamen conſocii ſanctitate. Hæc ille. Eodemque conſilio Sanctus Ambroſius & fratrem ſuum Satyrum[i] iuxta S. Martyrem Victorem ſepeliuit, & voluit[k] ipſe ſepeliri in Ambroſiana à ſe erecta eccleſia, in quam tranſtulerat corpora SS. Martyrum Geruaſii & Protaſii diuina reuelatione reperta. Et ipſum imitata ſoror eius Sancta Marcellina[l], Romæ cum virginibus ſacris degens, noluit ibi patriis ſepulchris condi, ſed iuſſit Mediolanum transferri corpus ſuum, ponique apud prædictos SS. Satyrum & Ambroſium fratres ſuos, ambos æq; iuxta ſanctos martyres tumulatos. Sicut & S. Paulinus[m] Nolanus Epiſcopus, Celſum puerum ad tumulū martyrum mandauit apponi; ac literis[n] impetrauit à S. Auguſt. vt egregium illum eodem argumento ſcriberet commētarium: *De cura pro mortuis agenda* Sed de his fuſius

h *Max. ſer. 77. de SS. Oct. Adnit. & Solut.*

i *Dungal. cont. Claud. Taurin.* k *Aug. de cur. pro mor.*

l *Epitaph. S. Marcel. ap. Bar. to. 4. an. 383.*

m *Paul. Panegyr. Celſi, ep. 43.* n *Id. ep. 43.*

alibi

o Vide, ſi lubet Tract. Henr. Spōd. de Sacris Cœmet.

alibi[o]; quæ modo attigimus occaſione Cœmeteriorum Vrbis.

ALEX. IMP. AN. 4

IESV CHRISTI AN. 227.

VRBAN. AN. 1.

I. ALEX. BENE ET MALE CONSVLIT IMPERIO.

ANNO Chriſti ducenteſimo vigeſimo ſeptimo, Dextero atque Ruſo Coſſ. Alexander Imp. promulgatis optimis legibus; reſtituere conatus eſt Reſpublicæ ſtatum ab Elagabalo deprauatum. Illud tamen male, quod Mathematicos & Genethliacos, ab aliis Imperatoribus ſæpe Roma pulſos, iuſſit publice profiteri atque docere, quod his artibus addictus & ipſe eſſet. Sed de his plura hiſtorici.

ALEX. IMP. AN. 5.

IESV CHRISTI AN. 228.

VRBAN. AN. 2.

I. MARTYRES ROMÆ.
a ap. Sur. Cal. Ianua.

ANNO Domini ducenteſimo vigeſimo octauo, Alexandro Auguſto ſecundum & Marcello Coſſ. eiuſdem Imperatoris anno quarto nondum expleto, S. Martiana virgo Romæ paſſa eſt, cuius extant[a] Acta, ſed in multis emendanda. Inſuper paſſos tradunt ſeptemdecim milites, carnificinæ Sanctorum miniſtros, Martinæ opera ad Chriſtum conuerſos.

ALEX. IMP. AN. 6.

IESV CHRISTI AN. 229.

VRBAN. AN. 3.

I. SCRIPTORES ECCL.

BERYLLI HÆRESIS.

ANNO ducenteſimo vigeſimo nono, Balbino & Maximo Coſſ. Alexandro annum agente ſextum in Imperio, Euſebius in Chronico recenſet claros Scriptores Eccleſiaſticos; Geminum presbyterum Antiochenum, & Hippolytum; & BERYLLVM Epiſcopum Boſtrenum in Arabia. Sed hunc poſtremū in hæreſim poſtea lapſum (qua aſſereret Chriſtum propria ſubſtantiæ circumſcriptione non ante fuiſſe, quam in humanam carnem migraret; neque propriam habuiſſe ex ſe diuinitatem, ſed ſolam Patris in eo extitiſſe.) Synodo in Arabia aduerſus eum celebrata, ab Origene ad rectam fidem reductum fuiſſe, idem auctor[a] alias ſcribit.

a Euſ. 6. hiſt. 14. 26.

II. DE HIPPOLYTO, ET EIVS SCRIPTIS.
b Euſ. 6. hiſt. 16.
c Hier. de Script. Eccl. in Hippol.
d Theo. dial. lib. 3.

Quod vero pertinet ad HIPPOLYTVM; recenſet idem Euſebius[b] multas egregias ipſius lucubrationes, quibus multo plures addunt Hieronymus[c], Theodoretus[d], & alii; è quibus omnibus vix vnus ille ſupereſt *de Antichriſto*, ſeu *de Iudicio* libellus. Cuius autem Eccleſiæ Epiſcopus extiterit, Gelaſius (quiſquis ille fuerit auctor libelli *de duabus in Chriſto naturis aduerſus Eutychen*) cum citat eius librum *de hæreſibus*, Metropolitanum Arabiæ nominat: quod verum eſſe puto antequam veniret in Italiam. Nam diſcipulum cum fuiſſe Clementis Alexandrini, eiuſque perſuaſione Romam ſe contuliſſe, vt Limina Apoſtolorum inuiſeret, & Sanctorum Cœmeteria ſtudioſe perquireret, alibi legimus. Ibique à Romano Pontifice Calliſto (nam ante ipſum nulla extat de eo memoria) Portuenſis Eccleſiæ Epiſcopatu donatum, fidem faciunt tabulæ Eccleſiaſticæ, atque eius ac ſociorum martyrii Acta; eodemque titulo Nicephorus[e] eumdem nominat, & alii pene innumeri recentiores: *Nonnum* vero) quod idem[f] eſt ac Monachus) fuiſſe cognominatum, Petrus Damiani[g] tradit: additque ab eo in Oriente pluſquam triginta millia Ethnicorum fuiſſe conuerſa. Sed quod eidem tribuit Pelagiæ famoſiſſimæ meretricis conuerſionem, conflaſſe cum cum alio Nonno qui vixit temporibus Theodoſii Iunioris, cuius eſt illud memorabile factum, certiſſimum eſt.

e Nic. l. 5. ca. 15.
f Cap. Franc. l. 5. c. 2. & 3. Vid. Cal. Rhodig. lect. antiq. l. 5. c. 13.
g Pet. Dam. ep. ad Nicol. II. Pap.

III. EIVSDEM MARTYRIVM.
h Mart. Ro. 22. Aug.

Paſſum autem Hippolytum, non ſub Claudio (vt deprauati codices habent) ſed ſub Alexandro, Eccleſiaſticæ[h] tabulæ reſtitutæ declarant: quod ex eo etiam euidentius redditur, quia ſub Vlpiano Vrbis Præfecto (vt habet codex ſcriptus, licet alicubi Vlpius pro Vlpiano legatur) martyrium conſummauit, manibus pedibuſque ligatis præcipitatus in altam foueam aquis plenam: ſub quo eodem Vlpiano etiam alii eiuſdem Hippolyti ſocii paſſi reperiuntur[i] ad Oſtia Tiberina. Fuiſſe vero magnæ plane exiſtimationis virum, teſtis eſt ſtatua illa, qua eius memoria illuſtrata tunc fuit; quæ non ita pridem è ruderibus effoſſa viſitur hactenus in Bibliotheca Vaticana; ac in eius ſede Græcis literis inſcriptus legitur canon ille temporis de ratione Paſchatis, cuius meminit Hieronymus in eiuſdem elogio. Denique in Hippolyto vtraq; conueniunt, vt Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ ingens decus merito dici poſſit.

i Ibid. 23. Aug.

HIPPOLYTI STATVA IN BIBLIO VATIC.

ALEX. IMP. AN. 7.

IESV CHRISTI AN. 230.

VRBAN. AN. 4.

I.
a Euſ. in Chron.
b Id. 6. hiſt. 17.
ORIGENES PRESBYTER ORDINATVR.

ANNO Chriſti ducenteſimo trigeſimo, Modeſto & Probo Coſſ. Alexandri Imp. anno ſeptimo, Philetus Epiſcopus Antiochenus vita functus eſt; poſtquā ſediſſet annos duodecim; ſucceſſorque ei datus *Zebennus*, alias *Zebinus*. Hæc Euſebius[a]. Quibus (vt ait[b]) temporibus, Origenes neceſſitate cuiuſdam negotii Eccleſiaſtici, in Græciam per Palæſtinam iter faciens, Cæſareæ à Theoctiſto eius ciuitatis Epiſcopo, & Alexandro Hieroſolymorū, ordinatus eſt presbyter. Cuius rei inuidentia (vt addit) affectus Demetrius Alexandrinus Epiſcopus, nō ſolum ipſos eius ordinatores per litteras arguit, quod Origenem qui ſeipſum caſtraſſet ordinaſſent, ſed & eamdem eius abſciſſionem cunctis poſtea Epiſcopis toto Orbe vulgauit. Erat autem Origenes hoc anno natus annos quadraginta tres, quem vidimus anno decimo Seueri, cum orbatus eſt patre, annum egiſſe decimum ſeptimum.

II. DE EAD. ORD. PERPERAM FACTA.
c Id. 6. hiſt. 12.

Ceterum poſthabitis Euſebii aduerſus Demetrium querelis (quippe quod vbicumque agit de Origene, encomiaſten ſe potius quam hiſtoricum præbeat; pro quo etiam Apologiam ſe ſcripſiſſe teſtatur[c], quæ ipſa credita eſt, quā nomine Pamphili martyris, in Latinum à ſe conuerſam Ruffinus edidit) iuſta plane Demetrii indignationis cauſa hæc præceſſiſſe videri potuit, quod Palæſtinæ Epiſcopi alterius Eccleſię hominem, eumdemque ſponte abſciſſum, ordinare præſumpſiſſent. Nam quod à ſe ipſo illud feciſſet, & non ab alio inuitus paſſus eſſet, lex diuina & Eccleſiaſticæ regulæ[e] omnino repellebant à ſuſcipiendis, vel etiam à ſuſceptis Ordinibus: ſicut accidit poſtea Leontio cuidam, quem Socrates[f] ait depoſitum à presbyteratu fuiſſe, quod ſeipſum abſcidiſſet; quemque ea de cauſa nec laica quidem communione dignum fuiſſe, Athanaſius[g] aſſerit. Sed & illud facinus humano etiam iure vetitum fuiſſe, oſtendit Iuſtinus[h] martyr, dum refert Alexandriæ itidem ſuo tempore accidiſſe, vt adoleſcens quidam Chriſtianus, quo careret omni carnis irrationali motu, obtulerit libellum Præfecto Auguſtali, vt medico id facere detrectanti timore pœnæ, licentiam impertiret: Sed qui Origenem defendebant, id nō ab eo factum ferro, ſed pharmaco, quo rebellem corporis partem penitus exſiccaret, aiebant; quamquam diuerſas de ea re ſententias fuiſſe, Epiphanius[l] tradit.

d Deut. 23. 1. e can. Apoſt. 21. 22.
SE CASTRANS IRREGVLARIS HABITVS.
f Socr. lib. 2. c. 11.
g Athan. ep. ad Solitar.
h Iuſt. Apol. ad Anton.

l Epiph. hær. 64.

III.
k Epiph. hær. 58. Aug. de hæreſ. c. 37.
VALESIORVM, SIVE EVNVCHORVM HÆRESIS.

Porro ſemel male præſumptus error, tranſiit in hæreſim. Prodiit[k] enim poſtea (neque enim ſcribitur certus annus) ſecta *Valeſiorum*, à VALESIO Arabe diffamata, eademque *Eunuchorum* dicta; quæ omnes quos reciperet, vt ſemetipſos caſtrarent adigebat: quod ſi facere detrectaſſent, alii eos vinculis alligatos exſecabant; putantes implendum eſſe ad literam, quod dixiſſet Dominus eſſe Eunuchos qui ſeipſos caſtrarent propter regnum cœlorum. Quo nomine dum Euſebius Origenem excuſat, plane eiuſmodi ſectæ auctorem conſtituit. Eiuſque fortaſſe exemplo duo illi monachi[l], poſtea itidem in Ægypto ſe in eumdem modum abſciderunt, qui à Theophilo Epiſcopo Alexandrino communione priuati, à nemine vmquam Orthodoxorum Antiſtitum peruagantes Orbem recipi

l Vit. SS. Pat. diſt. 2. c. 172.

valuerunt, donec ab Epiphanio tandem admoniti fuerũt atque correcti. Nec tamen ob hæc damnamus S. Alexan. Hieroſolymorum Epiſcopum, quod Origenem ordinauerit: nam teſtatur Hieronymus [m], eumdem ſe excuſaſſe quod illud egiſſet iuxta teſtimoniũ ipſius Demetrii. Nempe puto Demetrium dediſſe Origeni literas Commendatitias, quarum auctoritate ſatis viſus fuerit Alexandro Origenes probatus. Ceterum quando iam hac occaſione actum eſt de Valeſianis; tradit inſuper Epiphanius [n], eos ante abſciſſionem abſtinuiſſe ab animatis, ſed poſtea omnibus vti fas fuiſſe.

EXCVSATVR ALEX. HIEROSOL.
m *Hier. de Script. Eccl. in Alex.*
n *Epiph. hær. 58.*

IV. SEXTA EDITIO SCRIPT. INVENTA.
o *Epiph. de menſ.*
p *Euſeb. 6 hiſt. 12.*

Cum autem Euſebius cauſam profectionis Origenis in Græciam minime explicet, nos eam exiſtimamus fuiſſe, quod SEXTA diuinæ Scripturæ EDITIO hoc ipſo anno, nempe (vt auctor eſt Epiph. [o]) medio tempore Imperii Alexandri, Nicopoli apud [p] Actium in doliis occultata reperta ſit: quamobrem eiuſmodi inſtituiſſe profectionem, vt qui magna diligentia quinque iam Verſiones conquiſiſſet, Sextam illam eis adiungeret, ad ſua Hexapla concinnanda & Octopla, de quibus dicetur poſt biennium. Interim enim rediit [q] Alexandriam prius, vt puto, conciliato Demetrio Epiſcopo, ac ibi manſit vſque ad annum decimum Alexandri Imperatoris.

q *Id. 6. hiſt. 20.*

IESV CHRISTI AN. 231.232.

ALEX. IMP. AN. 8. 9.

VRBAN. AN. 5.6.

I.

ANNO Chriſti ducenteſimo trigeſimo primo, Alexander Imp. tertium adiens Conſulatum, collegam ſibi ſumpſit Dionem hiſtoricum; qui huius ſui ipſius Conſulatus meminit in Vita eiuſdem Alexandri.

II.

Anno vero ducenteſimo trigeſimo ſecundo, Agricola & Clementino Coſſ. agente Origene Alexandriæ, nouæ rurſus in eum turbæ excitantur, quæ & illum inde recedere coegerunt. Meminit earum ipſemet in præfatione ſexti tomi commentariorum in Ioannem, quos hoc tempore ſcribebat: citatque eumdem eius locum Euſebius [a], dũ elucubratos ab eo Alexandriæ & tempore Alexandri Imperatoris commentarios recenſet: inter quos fuit ille PERIARCHON, ſiue *de Principiis*, qui præ ceteris omnibus, denſioribus maioribuſque refertus eſt erroribus. Quapropter cum alioqui nouorum iſtorum motuum haud adeo cauſa ſit explorata, equidem puto illam extitiſſe, quod (vt Hieronymus [b] ſcribit) ob multas hæreſes quæ in vulgatis ab Origene ſcriptis reperirentur, prolata fuerit in eum à Demetrio Epiſcopo Alexandrino excommunicationis ſententia, quam ceteræ quoq; Eccleſiæ ratam habuerunt. Porro eius rei gratia mox Origenes pro ſui defenſione literas circulares ſcripſit, quibus (vt ait idem Hieronymus) & ipſum Demetrium laceraret, & in totius Orbis Epiſcopos ac clericos inueheretur; fruſtraque ab Eccleſiis excõmunicatum ſe eſſe diceret, quod quæ in ſuis ſcriptis arguerentur, ea ab aliis hæreticis fuiſſent deprauata. Quæ quidem videri potuiſſent ad eius excuſationem ſatis idonea, quantumlibet fuiſſet eiuſmodi errorum aſſertor, dum eos non modo non defendit, ſed nec ſuos eſſe aſſeruit. At in eo minus fuit excuſatione dignus, quod cũ ſciret ſua ab omnibus impugnari, retractatorium nullum ediderit commentarium.

a *Euſ. 6. hiſt. 18.*
b *Hier. ad uerſ. Ruf. l. 2.*
ORIGENES EXCOMMVNICATVS OB ERRORES.

III. CÆCILIÆ MARTYRIVM.

Eodem tempore, annum vltimum in ſede Vrbano Papa agente, nouis in Chriſtianos Romæ (quo impulſore neſcimus) excitatis turbis; à *Cæcilia* clariſſima virgine eius ſponſus Valerianus admonitus, & ab eodem Pontifice baptizatus, Angelico factus eſt dignus aſpectu, ac paulo poſt vna cum fratre Tiburtio, & Maximo cubiculi Imperatoris Præfecto, coronatus martyrio; ipſa vero Cæcilia balneo calido incluſa cum illæſa permanſiſſet, ab immiſſo carnifice ter ſecuri percuſſa, necdum truncato capite ſemiuiua relicta, poſt triduum obdormiuit in Domino decimo Calendas Decembris: in cuius Actis [c] antiquitus ſcriptis, hæc omnia fuſius narrantur. Quod autem de ipſa ibi legitur, conſueuiſſe Euangelium Chriſti geſtare in pectore; ab aliis quoque id factitatum inuenimus: & ſi fidem præſtemus S. Andreæ Apoſtoli Actis, etiam Apoſtolorum temporibus id vſurpatum apparet. Sancta enim piaque maiorum hæc fuit conſuetudo, niſi aliqua accedente ſuperſtitione labefactetur. Quam eandem ſuo tempore in frequenti vſu fuiſſe, dum mulieres Euangelia ex collo appendere conſueuiſſent, teſtatur S. Ioannes Chryſoſtomus [d].

c *ap. Sur. to. 6.*
CHRIST. AMVLETA.
d *Chryſo. ho. 73. in Matt.*

IESV CHRISTI AN. 233.

ALEX. IMP. AN. 10.

PONTIAN. AN. 1.

I. VRBANI PP. MARTYRIVM.

ANNO Chriſti ducenteſimo trigeſimo tertio, Pompeiano & Feliciano Coſſ. vigeſima quinta [a] Maii, *Vrbanus* Papa vexatione anno ſuperiori excitata, cum plurimos ad fidem conuertiſſet, capite truncatus martyrio coronatus eſt, cum ſediſſet annos ſex, menſes ſeptem & dies quatuor: licet Euſebius [b] eum ſediſſe dicat annos nouem, & anno duodecimo Alexandri ponat ſucceſſoris ingreſſum. Sed Indices Vaticani & Creſconiani huic poſitioni magis aſſentiri videntur. Sepultus [c] eſt in Cœmeterio Prætextati via Appia; & poſtquam ſedes vacaſſet dies triginta, ſuffectus eſt in locum eius PONTIANVS, patria Romanus patre Calpurnio.

b *Euſeb. in Chron.*
c *lib. de Ro. Pont.*
PONTIANVS PP.

II. VASA SACRA ARGENTEA ET AVREA.

De Vrbano vero traditur in libro de Romanis Pontificibus, cum *feciſſe miniſteria omnia ſacra argentea, & patenas argenteas viginti quinque appoſuiſſe.* Porro adeo his abundaſſe, etiam primis illis temporibus eccleſias; vt etiam lucernas habere ſolerent argenteas, iam alias dictum eſt. Sed quod pertinet ad Romanam Eccleſiam, teſtis eſt quoque Gregorius [d] Turonenſis, dum refoderetur crypta qua Fideles ſacra agentes occluſi fuerant, inuenta eſſe in ea multa ſacra miniſterialia vaſa ex argento confecta. Et in Rebus geſtis S. Laurentii, quas Prudentius ſacro hymno cecinit, non tantum argento, ſed & auro offerre Romanos Pontifices incruentum ſacrificium conſueuiſſe, immo & aureis candelabris in ſacris vti, narratur. Ex quibus quidem videas, veluti diuino quodam conſilio Chriſti Regale Sacerdotium eodem tempore his etiam fulgoribus illuſtratum, quo Gentilitia ſuperſtitio ea in re decreſcere viſa eſt. Siquidem non ſolum qui temporibus Vrbani imperauit Alexander (vt ait Lamprid.) in templis nunquam, præter quatuor aut quinque argenti libras, auri ne guttulam quidem aut bracteolam poſuit, ſed & qui ei ſucceſſit Maximinus (quod teſtatur Herodianus) templorum omnium donaria, ſtatuaſque deorum, heroumque honores, tum quicquid publici operis & ciuilis ornamenti, aut materiæ denique fuit nummis idoneæ conficiendis, omnia pariter ignibus conflari iuſſit.

d *Greg. Tur. de glor. mart. c. 28.*

III.
e *Euſ. 6. hiſt. 20.23.*
f *Epiph. de menſur.*
DE TETRAPLIS, HEXAPLIS, ET OCTOPLIS ORIGENIS.

Hoc item anno, cum Alexander decimum in Imperio ageret, Origenes (vt tradit Euſ. [e]) Alexandria Cæſaream in Palæſtina profugit. Quo tempore ſeceſſum Tyri petens (vt ait Epiphanius [f]) ibi Hexapla ſua atque Octopla in Veteris Teſtamenti Scripturam compoſuit. Qui enim *Tetrapla* inprimis collegiſſet, ac ſic in codicibus Græce ſcripſiſſet, nempe in ſingulis paginis quatuor columnas, quarum prima eſſet editio Septuaginta Interpretũ, ſecunda tranſlatio Aquilæ, tertia Symmachi, quarta Theodotionis: *Hexapla* poſtea elaborauit, in quorum videlicet ſingulis paginis ſex columnæ eſſent diſtinctæ, quarum prima contineret textũ Hebraicum Hebraice ſcriptum, ſecunda eundem textum Hebraicum, ſed Græco charactere exaratum, tertia Aquilæ verſionem, quarta Symmachi, quinta Septuaginta Interpretum, ſexta Theodotionis. Repertis vero poſtea Quinta & Sexta Editionibus, ab Hebræis, ſed piis (vt putat Hieronymus) hominibus elaboratis, eaſdem Origenes Hexaplis addens, *Octopla* compoſuit. Hæc fuſius Epiphanius, qui licet Origeni infenſiſſimus, eiuſmodi ab eo nauatam egregie operam non ſemel laudauit. Reddit & ipſe ſæpe Origenes [g] inſtituti ſui rationem: eiuſdemque meminit Euſebius [h], & alii recentiores complures.

g *Orig. ep. ad Afric. de Suſan. & tr. 8. in Matt.*
h *Euſ. 6. hiſt. 12.*

Quod

EIVS OPVS LAVDATVM.

Quod vero antiquam Septuaginta translationem ita concinnaſſet, vt vbicumque Septuaginta plus dixiſſent quam haberetur in Hebræo, obelos apponeret; vbi vero minus, ex Theodotione adderet præfixis aſteriſcis: hanc eius operam non ſolum commendauit ſæpius Hieronymus [i]; ſed & ipſe ſecutus eſt exemplum, dum eamdem Septuaginta editionem vertit in Latinum. Ex quibus videas, quã perperam ab aliquo [k] Hieronymus dicatur queſtus de Origene, quod eo tempore non tam correxerit quam corruperit Septuaginta translationem.

i Hier. præf. in Pentateuc. ep. 104. & ep. 89. ad Aug. Apol. aduerſ. Ruf. lib. 2. & in ep. ad Tit. c. 3.
k Galeſ. de 70. interp.

IV.

S. HIERO. LABOR IN VERSIONE SCRIPTVR.

Cum autem ob triplicem Septuaginta editionem, videlicet [l] Origenis, Luciani martyris, & Heſychii, non leues inter Eccleſias conflarentur ſeditiones; his & aliis rationibus permotus idem Hieronymus [m], Hebraicã quoque editionem primus omnium in Latinum conuertit: cuius inſtituti ſui coactus eſt ſæpius [n] rationem reddere aduerſus obtrectatores. Cum vero & alii plerique [o] ante ipſum, Græcas editiones Septuaginta in Latinum tranſtuliſſent (inter quas Itala [p], nempe Romana, præſtabat ceteris) ſic Occidentalis Eccleſia nouam accepit [q] editionem à S. Hieronymo ex Hebræo elaboratam, vt tamen & antiquiorem illam Septuaginta retineret [r] ſub appellatione *Veteris*, indita Hieronymianæ nuncupatione *Nouæ*. Sed rurſum poſt Gregorii Papæ tempora (quoto vero potiſſimum anno, quove auctore, incertum remanet) ad tollendas diſſenſiones, quas eiuſmodi diuerſitatis cauſa oriri cõtingeret in Officiis diuinis, vna ex illis duabus conflata eſt quæ vſui cunctis eſſet Eccleſiis, & *Communis* ab omnibus ac *Vulgata* vno nomine diceretur; eadem ipſa qua hodie Eccleſia Romana vtitur, licet non eadem ſit ratio omnium qui in ea continentur librorum, quod alii Communem illam Septuaginta, alii verſionem Hieronymi ex Hebræo magis ſequantur.

l Hier. ep. 107. quæ eſt præf. lib. Paral. & præf. lib. 16. in Iſa.
m Id. præf. in Tob. ep. 113.
n Id. aduerſ. Ruf. lib. 2. præf. in pſal. ep. 133. & alibi ſæpe.
o ap. Aug. 2. de doct. Chriſt. 11.
p Ibid. c. 15.
q Id. 13. de ciu. 4; Iſid. 6. Etymol. 5.
r Euſ. ar. lib. Reg. Greg. pr. l. 5. Mor. & l. 20. c. 25.

V.

EDITIO NOVI TESTAM.

Quod vero pertinet ad Editionem item Latinam Noui Teſtamenti, eã quæ antiquitus extabat, ab eodem Hieronymo iuſſu Damaſi Papæ ad Græcos codices emendatam eſſe, ipſe teſtatur [s]: & quam ipſe correxit, eamdem illam eſſe qua nunc Eccleſia vtitur, plurimorum, noſtraque eſt ſententia, licet quidam contradicant: Sed de hoc alii [t] pluribus. Certe quod à nonnullis obiicitur de humili & impolito eius ſtylo, qui minime Hieronymo conueniat; vel hac ipſa ratione probatur, eam eſſe Hieronymi: ſiquidem quod nõ nouam ipſe cuderet, ſed veterem emendaret editionem, illa ipſa verba rudia, ſimplicemq; dicendi ſtylum ne in minimo quidem mutare voluit, vbi verba atque ſententiæ à Græco (vt ait) non diſſentirent: hanc enim & in aliis obſeruaſſe conſuetudinem, ſæpe idem [u] declarat.

s Hier. præf. in Euang. ad Damaſ. ep. 123.
t Bellar. contro. de 1. et Deo lib. 2. Sixt. Sen. l. 8. & alii ante eos.
u Hier. in Ezech. 40. 47.

VI.

SS. PATRVM CONSILIVM DE SIMPLICITATE SERMONIS SCRIPT.

Eodemque modo & alii ſanctiſſimi Patres, Pauli Apoſtoli aſſectantes veſtigia [x], qui non in ſublimitate ſermonis, nec in ſapientia verbi Euangelium prædicauit, periculum immenſum cauens ne ſecus faciens gloriam humilitatis Crucis Chriſti euacuaret; nihil præterea curarunt in diuina Scriptura emendare quod ſpectaret ad cultum orationis, vbi conſultum veritati cognoſcerent: cum alioqui non defuerint in Eccleſia Dei eloquentiæ facultatibus præditi viri, qui id præſtare feliciſſime potuiſſent: qui tamen vel iſthæc vt leuia [y] contempſerunt, vel etiã alios nimiæ ob id curioſitatis [z] reprehenderunt. Nam etſi ſic rudis apparens ipſa diuina Scriptura derideretur olim [a] ab Ethnicis; ob vim tamen verbis inſitam, omnem illorum diiecit ſiue ſcientiis ſiue armis comparatam omni ex parte potentiam ac fortitudinem: indeque conſulto factum eſt, vt in Vulgata qua Eccleſia vtitur, ex decreto Sacroſancti Concilii Tridentini emendanda, qui operi præfuit ob eximiam doctrinam electus à Sixto V. Pont. Max. Antonius CARAFA S.R.E. Card. Bibliothecarius; vna cum aliis ſelectiſſimis viris eandem inierit rationem, vt explorata veteri lectione ex acceptis toto Orbe Chriſtiano vetuſtiſſimis exemplaribus, in omnibus eſſet Eccleſiaſticæ antiquitati conſultum: omnia cognoſcente, deligente; atque ſumma induſtria diſquirente eodem ipſo Summo Pontifice, cuius ingens ſtudium atque ſolertia in eo opere diutiſſime & accuratiſſime vigilauit. Quo tempore hæretici, nulli acquieſcentes, omnibus detrahentes, quæque carpentes, ſus deque miſcentes, & pro arbitratu innouantes atque immutantes, eamdem Scripturam ſæpe verterunt, inuerterunt, ac plane peruerterunt. Quod autem iidem aduerſus noſtram VVLGATAM Editionem, velut furore quodam perciti hoſtiliter debacchantur; complures extiterunt nobiles Eccleſiaſtici tractatores, qui eorum calumnias vt leuiſſimas refellerunt, quos conſulant qui hæc fuſius pertractata cupiunt.

x 1. Cor. 1.
y Aug. 2. de doct. Chr. 13.
z Vid. Nic. lib. 8. c. 42. de Spirit.
a Arnob. aduerſ. Gent. lib. 1.

DE EMENDATIONE EDIT. VVLGATA.

VII.

Sed vt ad Originem redeamus; cum is peruenit in Palæſtinam, non ſic ſeceſſum petiit Tyrium vt penitus docere deſineret. Siquidem Euſebius [b] ait, ad eũ Cæſareæ conſuetã diſciplinæ munera exequentem, non ſolum indigenas, ſed ab exteris etiam regionibus pene infinitos diſcipulos aduentaſſe; & ex iis maxime inſignes *Theodorum*, alio nomine Gregorium appellatum, & fratrem eius *Athenodorum*, cum integro quinquennio in eius ſchola verſati, magnam in ſacræ Theologiæ ſtudiis feciſſent progreſſionem, ambos adhuc ferme adoleſcentes, Eccleſiarum in Ponto creatos eſſe Epiſcopos. Hæc Euſebius: qui tamen quarum Eccleſiarum hi fuerint electi Antiſtites, non dicit. Conſtat autem Gregorii Nyſſeni [c] teſtimonio, alterũ ipſorum, nempe Theodorum (dictum poſtea nomine GREGORIVM, & ob ingentia præclaraque facinora appellatum quoque prænomine *Magnum*, & agnomine THAVMATVRGVM) creatum fuiſſe patriæ ſuæ Epiſcopum, nempe Neocæſareę in Ponto. Germanus autem eius, licet cuius ſedis fuerit Epiſcopus non ſatis liqueat, illud tamẽ certum eſt, eum vitam ſuam omnibus ſcientiis egregie excultam, demum poſt exantlatos immenſos tum aduerſus Gentiles tũ hæreticos iuges labores, glorioſi palma martyrii [d] (in hoc maiorem fratre ſuo) illuſtriorem reddidiſſe in perſecutione Aureliani. Fuerunt ambo Gentilibus parentibus geniti; & Alexandriæ primũ philoſophicis, poſtea vero ſacris literis operã dederunt; indeq; in Palæſtinã ad audiendum Origenem profecti ſunt, vna cum Firmiliano nobili Cappadoce, magni quoque poſtea nominis Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopo: vt pluribus idem Nyſſenus tradit, quamuis ſolius Gregorii rebus geſtis intentus.

b Euſ. 6. hiſt. 23.
c Greg. Nyſſ. in vit. Greg. Thaumaturg.
GREGOR. THAVMATVR. PRIMORDIA
d Mart. Ro. 13. Oct.

VIII.

GREGORIVS FIT EPISC. NEOCÆS.

Paulo vero poſt (vt idem auctor narrat) cum Phædimus Amaſenus Epiſcopus, cui diuinitus præſcia futurorum vis inerat, eumdem Gregorium conſecrare vellet Epiſcopum, idque Gregorius fugiens diuerſas latebras peteret; tandem impetu quodam diuino Phædimus, nihil curans interiectum ſpatium, quo à Gregorio itinere tridui dirimebatur, ſed ad Deum ſuſpiciens, precatuſque vt & ipſe & ille pariter in illa hora à Deo reſpicerentur, demum loco manus impoſitionis Gregorio adhibens ſermonem, Deo conſecrauit eum, ac Neocæſarienſem ei ciuitatem aſſignauit. Quo ille inuiſibili fune inuitus tractus, cõſuetam manus impoſitionem & conſecrationem accepit.

IX.

DIVINITVS ACCIPIT REGVLAM FIDEI.

Accidit autem vt cum totus intentus curæ paſtorali optime adminiſtrandæ, nocte quadam rationem diſpiceret prædicandæ populo ſuo ſinceræ fidei, ac de variis quæ tũc cõtrouerterentur quæſtionibus animo agitaret; apparuerit ei vere, ingenti fulgore, ac forma & habitu mirabili, ſacratiſſima VIRGO DEI-GENITRIX cum S. Ioanne Euangeliſta, ac per hunc docuerit illum perfectam fidem Trinitatis; data ei verbatim formula ſeu regula, quam mox Gregorius poſt viſionis diſparitionem ſcriptis mandans, & ſecundum illam poſtea in Eccleſia docuit, & eamdem poſteris prædicandam reliquit; quam & Orientalis & Occidentalis Eccleſia cognitam comprobauit & vt ſacroſanctum depoſitum cœlitus collatum religioſiſſime cuſtodiuit. Recitat illam Nyſſenus, dũ huius apparitionis hiſtoriam narrat; habeturq; deſcripta in Quinta Oecumenica Synodo: quam & poſt multa ſæcula Apocriſarii Gregorii Papæ Noni [e] citarunt aduerſus Germanum Iuniorem Epiſcopum Conſtantinopolitanum, pro Spiritus Sancti à Patre ſimul ac Filio proceſſione. Eamdem autem conſtat fuiſſe ab eodem ipſo Gregorio accuratiſſime explicatam, appoſito commentario *De Expoſitione Fidei* inſcripto, qui citatus reperitur inter alios à Baſilio [f] Magno, & Leontio [g] Scholaſtico. Sed erroris iſte arguitur, dum ait dubitatum

e Regeſt. ep. Greg. IX. an. 7. eius Pontif.
f Baſil. de Sp. S. c. 19. & ep. 64. ad Neocæſ.
g Leont. de ſect. act. 3.

à Patribus an Expoſito fidei vere fuerit ab ipſo Gregorio ſcripta. Nam Baſilius, qui omnia Gregorii accurate perſpecta habuit, vt eius opus citat, & ab eo editum fuiſſe nõ dubitat: licet idem ibi de Subſiſtentiis aliquid minus proprie videretur eſſe locutus; ſicut & accidere potuit ex eodem textu ab hæreticis (vt ait Euagrius [h]) deprauato, aut perperam interpretato.

h Euagr. lib. 3. c. 31.

X. ALEX. CARBONARIVS FIT EPISC. COMANVS.

Ceterum qui magna Dei virtute ac prouidentia ad munus Epiſcopale in Eccleſiæ vtilitatem euectus eſt Gregorius, idem eiuſdem diuinæ bonitatis conſilio, cum quodã poſt hæc tempore ex finitima ciuitate Comana Pontica vocatus eſſet vt Epiſcopum ei præficeret, nec inter ciues cõueniret de eo qui ordinandus eſſet; *Alexandrum* quemdam carbonarium; quem ciues deriſui haberent, ſed à Gregorio diuinitus detectum (quippe qui eruditiſſimus cum eſſet, ex philoſopho Gentili Chriſtianus factus, vt occultior ſubliniorem exerceret philoſophiam, inter carbonarios voluiſſet profiteri) eidem Comanæ ciuitati, cõmuni omnium accedente ſuffragio Epiſcopum præfecit atque ordinauit; qui poſtea ſub Decio tanti ſacerdotii amplitudinem poſt egregiam nauatam operam in cura paſtorali, egregio per ignem martyrio, (quod idem Nyſſenus refert) illuſtrauit. At de Gregorio modo hactenus: de quo & rurſum agendum inferius.

ALEX. IMP. AN. 10.

IESV CHRISTI AN. 234.

PONTIANI AN. 2.

I. HERACLAS EPISC. ALEXAND.

ANNO Chriſti ducenteſimo trigeſimo quarto, Lupo & Maximo Coſſ. mortuo Demetrio Epiſcopo Alexandrino, cum ſediſſet annos quadraginta tres, ſucceſſit *Heraclas* ingentis vir famæ atque doctrinæ: qui iam olim Origenis diſcipulus, eidem poſtea in ſchola Alexandrina ſocius acceſſerat, ac demum illo in Palæſtinam fugiente, integrum docendi munus ſuſceperat; in quo, Epiſcopus factus ſucceſſorem habuit *Dionyſium* virum item ex Origenis diſcipulum. Hæc omnia Euſebius [a].

a Euſeb. 6. eccl. hiſt. c. 21.

II. PLOTINVS AD AMMONIVM.

Eodem quoque anno, itidem Alexandriæ profitente publice philoſophiam Platonicam *Ammonio* Chriſtiano philoſopho, *Plotinus* Ægyptius patria Lycopolitanus, homo Gentilis, annos natus viginti octo ad eum audiendũ ſe contulit, audiitque annos vndecim. Teſtatur id Porphyrius in vita Plotini. Sed quod dixit, Ammonium à Chriſtianis ad Ethnicos defeciſſe, redarguunt eum impudentiſſimi mendacii Euſebius [b] & Hieronymus [c], & ex ipſius Ammonii quæ recenſent ſcriptis. Ceterum quod ab his Chriſtianum hominem externam philoſophiam publice profiteri coram auditoribus Gentilibus; non ſine diuino conſilio id fieri conſueuerat his temporibus tum Alexandriæ tum aliis locis, ad magnam Chriſti gloriam & Euangelii profectum, quod eiuſmodi ſcholæ eſſent compluribus veluti introductio quædam ad fidem capeſſendam, dum quæ apud ſapientiores philoſophos ſublimiora eſſent, eadem longe facilius feliciuſque ipſo doctrinæ Chriſtianæ exordio inuenirentur: qua via conſtat quamplurimos ad Eccleſiam eſſe perductos; & qui ſe profiterentur Orbis magiſtros, libenter factos eſſe diſcipulos humilitatis Chriſtianæ.

b Euſeb. 6. hiſt. c. 19. c Hieron. de Script. Eccl. in Ammon. CHRISTIANI DOCENT PVBLICE PHILOSOPHIAM.

ALEX. IMP. AN. 12. 13.

IESV CHRISTI AN. 235. 236.

PONTIANI AN. 3. 4.

I.

ANNVS Chriſti ducenteſimus trigeſimus quintus, Maximo & Paterno Coſſ. ſcriptorum inopia prorſus obſcurus remanſit.

II. ALEXANDRI IMP. VICTORIA DE PERSIS.

Anno vero ducenteſimo trigeſimo ſexto, Maximo & Vrbano Coſſ. Alexander Imperator Artaxerxem Perſarũ Regem potentiſſimum, cum ingenti exercitu (in quo eſſent ſeptingenti elephanti turriti cum ſuis ſagittariis, falcati currus mille, centum viginti millia equitũ cataphractariorum) Romanum Imperium inuadentem deuicit, ac de illo nobiliſſimum triumphum Romæ egit ſeptimo Calendas Octobris. Ita quidem Lampridius ex Actis Senatus & antiquioribus Annalibus retulit: licet Herodianus fuiſſe toto eo bello infeliciſſimum Alexandrum ſcribat; cuius diſſenſum ab aliis in huius belli hiſtoria, poſtea notat idem Lampridius. Ceterum tum primum Perſas ſeruos apud Romanos viſos, mox redemptos eſſe, quod indigne ferrent Perſarum Reges quempiam ſuorum alicubi ſeruire, idem auctor ſcribit.

III. DE TRANSLAT. S. THOMÆ APOST.

Fertur quoque à nonnullis, eodem bello Perſico confecto, tranſlatum fuiſſe ex India corpus S. THOMÆ Apoſtoli Edeſſam: ſed quod abſque antiquiorum teſtimonio tradatur, fides ſit apud auctores. Certe haud integrum transferri permiſſum conſtat: nam Indi adhuc ſe illud poſſidere profitentur; quod & qui res Indicas noſtri temporis ſunt proſecuti, teſtantur.

MAXIMINI IMP. AN. 1.

IESV CHRISTI AN. 237.

PONTIANI IMP. AN. 5.

I. ALEXANDER IMP. NECATVR.

ANNO Chriſti ducenteſimo trigeſimo ſeptimo, Seuero & Quinctiano Coſſ. decimaoctaua Martii *Alexander* Imperator in expeditione Germanica apud Moguntiacum, ſiue (vt alii) in Gallia, vna cum Mammæa matre, Maximini dolo occiditur, maximo Senatus Populique Romani, atque omnium prouincialium, ipſiuſque exercitus luctu, cum imperaſſet (vt tradit Lampridius) annos tredecim & dies nouem, vixiſſetque annos viginti nouem, mẽſes tres, dies ſeptem. Qui quod iiſdem Coſſ. (vt habet liber de Romanis Pontificibus) *Pontianum* Papam cum Philippo presbytero relegaſſet in Sardiniam (aliqua potius, vt puto, calumnia circumuentos, quam Chriſtianæ religionis cauſa) ſic occidi, Deo facinus vleiſcente, permiſſus eſt. Porro auaritiam Mammææ ipſius matris, occaſionem dediſſe commotioni in eum, Lampridius & alii tradunt. Ipſa enim poſt ſtabilitum filii Imperium, viſa eſt deſciuiſſe à priſtina illa optima morum inſtitutione, ex Chriſtianorum conſuetudine comparata: Cum & alioqui ipſe Alexander in animaduerſionibus aſper extiterit, & propter auſteritatem Seuerus à militibus appellatus fuerit. Eum autem poſt obitum à Senatu inter deos relatum, idem Lampridius tradit.

EIVS NECIS CAVSA.

II. MAXIMINVS IMPERAT. a Capit. in Maxim.

Occiſo vero illo, idem *Iulius* MAXIMINVS [a], Trax genere, humili loco natus, barbariſque parentibus, patre nimirum Gotho & matre Alana, qui & ipſe paſtor olim fuerat; ex tyronum Tribuno, primus (inquit Capitolinus) è corpore militari & nondum Senator, Auguſtus ab exercitu appellatus eſt, filio MAXIMINO ſibimet in participatum Imperii dato.

III. b Euſ. 6. hiſt. 21. MAXIM. PERSEQVITVR CHRISTI. c Oroſ. lib. 7. c. 19. d Aug. 18. de ciuit. 52. e Seuer. hiſt. l. 2.

Idem vero confeſtim, ob grauem inuidiam (inquit Euſebius [b]) qua contra Alexandri familiam in qua complures erant Chriſtiani, flagrabat; acerbam Perſecutionem excitauit, iuſſitque ſolos Eccleſiarum Præſides, tamquam auctores doctrinæ Euangelicæ neci dari ſextam hanc Oroſius [c] & Auguſtinus [d] PERSECVTIONEM appellant; qua non modo Præſules, ſed & clericos omnes à Maximino vexatos, Seuerus [e] tradit. Porro huius perſecutionis eam præceſſiſſe cauſam, quod cum grauiſſimi terræmotus Orientis oras acerbiſſime exagitaſſent, ea mala Gentiles more ſolito adſcriberent Chriſtianis, quaſi qui non colerentur ab illis dii, his vel à iis cladibus Orbem ſæpe irati cõcuterent; tradunt huius temporis ſcriptores Origenes [f], & Firmilianus [g] Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus: quorum etiam auctoritate conſtat, eamdem perſecutionem vehementer graſſatam eſſe in Oriente. Sed & illius occaſione eumdem Origenem ſcripſiſſe librum *de Martyrio*, Euſebius [h] tradit.

f Orig. tr. 28. in Matt. g ep. Cypr. ep. 75. h Euſeb. 6. hiſt. 21.

V. PSEVDOPROPHETISSA MVLTOS DECIPIT.

Eademque durante, *Pſeudoprophetiſſam* quamdam in Cappadocia & Ponto erupiſſe, idem Firmilianus teſtatur; quæ (vt ait) multos Fideles per præſtigias dæmonis ſeduxit; inter cetera hoc frequenter auſa, vt certa quadã inuocatione ſanctificare ſe panem, & Euchariſtiam facere ſimularet, & ſacrificium Domino nõ ritu Eccleſiæ offerret, bapti-

Digitized by Google

baptizaret tamen vſitato more. Quæ tandem ab Exorciſta quodam redarguta impoſtura, euanuit; dum eſſe nequiſſimus ſpiritus, qui prius ſanctus putabatur, oſtenſus eſt.

V. MAXIMIN. OMNIVM SÆVISS.
i Capit. in Maxim.

Sed vt ad Perſecutionem redeamus; quam ea ſæua fuerit, ex barbari Imperatoris qui eam indixit natura in omnem crudelitatem effuſa, poterit quiſque facile colligere: quippe quem adeo immanem etiam in ſuos fuiſſe Capitolinus [i] tradit, vt illum alii *Cyclopem*, alii *Buſiridem*, alii *Scironem*, nonnulli *Phalarim*, multi *Typhonem* vel *Gygem* vocarent: quem & Senatus tantum timuit, vt vota in templis publice priuatimque, mulieres etiam cum ſuis liberis facerent, ne ille vnquam Romam videret; quod ſine iudicio, ſine accuſatione, ſine delatore, ſine defenſione, ſine delectu, diriſſimis & exquiſitis ſuppliciis omnes interimeret, omniumque bona auferret. Erat enim (inquit auctor) ei perſuaſum, niſi crudelitate Imperium non teneri.

VI. PONTIANI PP. MARTYRIVM.

Vrgente igitur ſub tali bellua perſecutione, quæ in Præſides Eccleſiarum præcipue indicta fuerat, viſum eſt ab omnium ſupremo initium ſumere. Siquidem hoc ipſo anno, iiſdemque Coſſ. *Pontianus* Romanus Pontifex, quem diximus Alexandri iuſſu in Sardiniam deportatum, eiuſdem Maximini mandato fuſtibus verberatus, martyrium conſummaſſe reperitur decimanona Nouembris: cuius corpus poſtea à Fabiano Papa Romam tranſlatum eſt, & in cœmeterio Calliſti ſepultum. Ita tabulæ [k] Eccleſiaſticæ, & liber de Romanis Pontificibus. In quo additur ceſſaſſe Epiſcopatum eius dies tredecim, ac poſtea ſuffectum in eius locum eſſe ANTERVM natione Græcum ex patre Romulo. Non autem audiendi penitus quidam recentiores, qui ex commentitiis (vt puto) Actis SS. Vrſulæ & ſociarum, vel aliis eiuſmodi, poſt Pontianum introducunt *Cyriacum* quemdam, cuius nulla prorſus extat mentio in ſerie Romanorum Pontificum à Latinis vel Græcis deſcripta. Sed quod ad reliquos ſub Maximinio martyres; confuſos ſimul eſſe pleroſque, nec ſatis diſtinctos haberi, qui ſub iſto *Iulio Maximino*, ab iis qui ſub *Galerio Maximino* paſſi ſunt, inuenimus, præſertim vbi nulla cuiuſque eorum prænominis facta mentio reperitur; cum & æque certum ſit, librariorum ſæpius errore, *Maximinus* & *Maximianus* nomina inuicem mutata eſſe.

k Martyrol. Rom. 19. Nou.
ANTERVS PAPA.
MAXIMINI PLVRES CONFVSI SIMVL.

VII.
l Herod. l. 7.

Ceterum iſte Maximinus confecto feliciter hoc anno bello Germanico, aliiſque obtentis victoriis, Sirmium veniens illic hiemauit [l]; cum interim Romæ per Sabinum Præfectum Vrbi, & Vitalianum Præfectum Prætorio, homines natura feros, & ad Maximini ingenium optime comparatos, acerrime ſæuiret in populum.

IESV CHRISTI AN. 238.

MAXIMINI IMP. AN. 2.

ANTERVS.

FABIAN. AN. 1.

I. ANTERI PP. MARTYRIVM.
a Euſeb. in Chron. & 6. hiſt. 22.

ANNO Chriſti ducenteſimo trigeſimo octauo, Maximino Auguſto & Iulio Africano Coſſ. die tertia Ianuarii *Anterus* Papa coronatus eſt martyrio, cum vix menſem (vt habet Euſebius [a], licet perperam eius necem ſub Gordiano ponens) in Pontificatu egiſſet. Cuius Martyrii cauſam Liber de Romanis Pontificibus aſſignat, quod Geſta Martyrum diligenter à Notariis exquiſiſſet, & in Eccleſia recondidiſſet. Ceterum à Clemente Papa primũ magna diligentia curatum fuiſſe, vt à ſeptem Notariis Geſta martyrum ſcriberentur, iam vidimus. His vero Fabianus Papa, qui ſucceſſit Antero, vt omnia accuratius perficerentur, ſeptem præfecit Subdiaconos.

II. NOTARIORVM MVNVS.
b Anaſt. de Rom. Pont. in Iulio.
c Euſ. in Chro. Olymp. 193. an. 4.
d Dio hiſt. l. 55.

Porro eiuſmodi NOTARIORVM hac in re (ſiquidem & cetera quæ ad Eccleſiam pertinent, eorum muneris fuiſſe [b] conſtat) opus fuiſſe exiſtimamus, vt non ipſa tantum Acta, cruciatus nempe & tormenta deſcriberent; ſed etiam quæcumque Martyres locuti eſſent dum caperentur, aut torquerentur, vel ad ſupplicium ducerentur, quam celerrime adnotarent conſuetis notis, quibus non verba tantum, ſed etiam ſententiæ integræ continerentur: quarum inuentionem Euſebius [c] Tironi Ciceronis liberto, Dio [d] Aquilæ tribuit. Illa autem quæ intra cancellos, obducto velo, à Iudicibus martyres interrogati dicerent; publicorum exceptorum muneris erat, inter publica Acta referre: quæ cum agerentur in prouinciis, *Proconſularia* ab Auguſtino & aliis dicta reperimus: eademq; ipſa, vel eorum potius exempla, à Chriſtianis collata pecunia redimi ſolebant, & inter Acta martyrum ſedulo aſſeruari; cuius rei cauſa Anterus martyrium ſubiiſſe dicitur. Non ſolum autem à Romana Eccleſia, vt Acta martyrum accurate conſcriberentur, ſed ab aliis quoque diligenter curatum eſſe, extant clariſſima antiquitatis teſtimonia de inſignibus Eccleſijs Smyrnenſi [e], Viennenſi [f] & Lugdunenſi, Alexandrina [g], Carthaginenſi [h], & aliis. Quæ quidem tanto ſtudio perquiſita, maxima ex parte Diocletiani edicto flammis tradita lugemus. Porro de mira Notariorum in ſcribendo pernicitate, ſunt elegantes verſus Martialis [i] & Auſonii [k], & præconium S. Auguſtini [l] aliorumque.

ACTA PROCONSVLARIA.
e ap. Euſ. 4. hiſt. 14.
f lib. 5 hiſt. 2.
g lib. 6 hiſt. 41 & l. 7 c. 10.
h ap. Cyp. ep. 37. ad presb. Carthag. Pont. diac. in vit. Cypr.
i Mart. Epigr. l. 14
k Auſon. Epigr. 115.
l Aug. 2. de doct. Chr. 26

III. FABIANVS PAPA
m Euſ. 6. hiſt. 22.

Antero igitur martyrio ſublato, ſepultoque in cœmeterio Calliſti via Appia; poſt dies tredecim (vt habet Liber de Romanis Pontificibus) in eius locum ſubrogatus eſt FABIANVS, patria Romanus patre Fabio: quem diuinitus electum eſſe, dum in ipſis Fidelium comitiis derepente columba è ſublimi deuolans eius capiti inſedit, Euſebius [m] ſcribit. Sed quod huius anni Coſſ. Calendis Iulii data habeatur Fabiani nomine epiſtola ad omnes Eccleſiæ cõminiſtros; ea additionem accepit de Nouati ex Africa Romam aduentu, & Nouatiani peruerſione, quandoquidem hæc nonniſi ſub Cornelio Fabiani ſucceſſore contigiſſe, certa eſt à teſtio Cypriani [n], Paciani [o], Euſebii [p], Libri etiam de Romanis Pontificibus ac denique ceterorum omnium qui de his egere.

n Cypr. ep. 49. 52. 76.
o Pac. ep. 3. ad Sympron.
p Euſeb. in Chron.

IV. GORDIANI ACCLAMANTVR IMPP.

Quod autem ad eiuſdem Imperii ſtatum pertinet; poſt innumeras cædes à Maximino eiuſque miniſtris perpetratas, delectis hoc eodem anno in Africa GORDIANO Proconſule iam octogenario, eiuſque filio quadraginta ſex annos nato, Imperatoribus, eoſque approbante Romæ Senatu, & Maximinum hoſtem iudicante; primum omnium Vitalianus & Sabinus, quos diximus Præfectos Prętorio & Vrbi, cum aliis plurimis Maximini fautoribus occiſi fuere; confligentibuſque inuicem Populo Romano, & Prætorianis militibus qui illic à Maximino ſtarent, magna facta eſt vtriuſque partis occiſio, vſque adeo vt Vrbs ipſa à militibus inflammaretur. Cum interim ambobus Gordianis, agente cõtra eos Capelliano Mauritaniæ Præfecto, extinctis; à Senatu delecti ſunt ad Rempublicam aduerſus Maximinum tuendam Viginti viri: ex quibus mox *Clodius Maximus* PVPIENVS & *Cælius* BALBINVS Auguſti acclamati ſunt, & ab iiſdem cooptatus GORDIANVS, Senioris Gordiani nepos, puer in Cæſarem: ſed & miſſi ſunt per vniuerſum Imperium Legati à Senatu, qui prouincias ad defectionem à Maximino ſolicitarent. Hæc omnia fuſius Herodianus [q] & Capitolinus [r]; quorum tamen partem in annum ſequentem reiiciendam putamus. Ceterum has ingentes turbas cohibuiſſe credimus Maximinum, eiuſque miniſtros, coactos nimirum ſua curare negotia, à perſecutione Fidelium.

PVPIENVS ET BALBINVS IMPP.
q Herod. l. 7.
r Capitol. in Maximin. & in Gord.

IESV CHRISTI AN. 239. 240.

MAXIMINI IMP. AN. 3. 4.

FABIANI AN. 2. 3.

I. ANNI IMPERII MAXIMINI.
a Herod. l. 7.

ANNO Chriſti ducenteſimo trigeſimo nono, Perpetuum & Cornelium ſiue Cornelianum Coſſ. Caſſiodorus habet, quem alii ſunt ſecuti: ſub quibus ponunt cõplures exitum Maximini Imperatoris. Sed illorum magis probatur ſententia, qui dixerunt eum regnaſſe annos tres abſolutos, & quarto occiſum eſſe; vt Euſebius in Chronico; nam & Caſſiodorus quatuor ponit Conſulatus ſub eius Imperio. Immo & Herodianus [a] (licet in hoc non audiatur) nonniſi poſt triennium exactum rebellaſſe ponit Africanos. Igitur qui tres annos Maximino tribuerunt, expletos intellexiſſe oportuit.

II. b an. 82. cap. Adolph. de Num. & ap. Capitol. MAXIMINVS NECATVR.

Anno itaque Chriſti ducenteſimo quadrageſimo, Vlpio Crinito & Proculo Pontiano Coſſ. (hos enim à Cenſorino poni, ſias dictum b eſt: quamuis & hoc ipſo anno quo occiſus eſt Maximinus, ille ipſe legatur c fuiſſe Conſul, forte ciuili bello variis ex vtraque parte creatis) idem Maximinus ex Germania in Italiam aduerſus nouos Imperatores & Senatum venturus, Alpibus ſuperatis dum Aquileium munitiſſimam vrbem obſidione tentat, à propriis militibus iam eius ſæuitiam pertæſis, vna cum filio obtruncatur, abſciſſaque eorum capita Romam tranſmittuntur, corpora vero in profluentem proiiciuntur. Sed & paulo poſt ægre ferentes milites parere Pupieno & Balbino Imperatoribus à Senatu datis, ambos Agonalibus ludis Capitolinis ludibriis affectos miſerrime occiderunt, ac GORDIANVM, Cæſarem iam antea creatum, Auguſtum acclamarant, annum ætatis agentem decimumſextum, vel tantum (vt alii ſcripſerunt) decimumtertium. Cetera vero omnia pluribus narrat poſt Herodianum d Capitolinus e.

GORDIANVS IMPERAT.

d Herod. l. 7. e Capitol in Maxim. in Gord. & in Max. ac Bal.

IESV CHRISTI AN. 241.

GORDIANI IMP. AN. 1.

FABIANI AN. 4.

I. a Euſeb in Chron. BABYLAS EPISC. ANTIOCH.

ANNO Chriſti ducenteſimo quadrageſimo primo, Gordiano Auguſto & Auiola Coſſ. defuncto a Zebino Epiſcopo Antiocheno ſubrogatus eſt magno eius Eccleſiæ bono, clariſſimus inter huius temporis Orientalis Eccleſiæ Epiſcopos, *Babylas* qui in perſecutione Deciana etiam pueros ad martyrium inflammauit, & in deſolatione Perſiana diſiectos omnium animos erexit. Subiit & ipſe martyrium, poſtquam ſediſſet annos duodecim, vt dicetur ſuo loco.

IESV CHRISTI AN. 242.

GORDIANI IMP. AN. 2.

FABIANI AN. 5.

I. a Capitol. in Gord.

ANNO Chriſti ducenteſimo quadrageſimo ſecundo, Sabino & Venuſto Coſſ. poſtquam Gordianus a Imperator *Sabinianum* cum ſuis in Africa rebellantem compreſſit, ſummum in Romano Imperio otium, & in Eccleſia pax fuit tranquilliſſima; licet quadam (vt fiebat) prætenſa cauſa, reperiatur b ſub Gordiano paſſa Helconydes martyr Corinthia, quæ diu tormentis vexata, diſſectis mammis, feris obiecta, igneque vexata, tandem abſciſſione capitis migrauit ad Dominum.

b Martyrol. Rom. & Menol Græc. 28. Maii.

II. ERIGVNTVR ECCLESIÆ.

Ceterum pace Eccleſiæ bene vſi Eccleſiarum Præſides, Chriſtianam religionem propagare, propagatamque illuſtrare ædificiis, pro viribus ſtuduerunt. Nam, vt ceteros taceam qui in ſuis parœciis id diligenter præſtitiſſe reperiuntur, habet Liber de Rom. Pont. Fabianum Papã multa ædificia in cœmeteriis Romæ fieri iuſſiſſe: quippe quæ in cryptis arenariis ſubtus terram latebant ſepulchra SS. martyrum, in quibus Synaxes à Fidelibus haberi conſueuiſſe vidimus, erectis deſuper ædificiis reddita ſunt clara, atque conſpicua.

III. CONC. LAMBESIT. ADVERSVS PRIVAT. HÆRET.

Sed & cum eiuſdem pacis beneficio, ſanctiſſimi Epiſcopi omnem nauarent operam, vt hæreticos à Dominico grege fugarent, congregatum eſt ab Epiſcopis Africanis apud LAMBESITANAM Coloniam, nonaginta Epiſcoporum CONCILIVM aduerſus PRIVATVM hæreticum; quem omnium ſententia damnatum, Fabianus quoque Romanus Pontifex, & Donatus Carthaginenſis Epiſcopus, paribus votis ſuis literis infamia notatum, Eccleſiaſtica communicatione priuarunt. Meminit horum Cyprianus c, cum iterum ipſius temporibus (vt dicetur) idem Priuatus nouas turbas in Eccleſia commouiſſet. Quænam autem eſſent eius hæreſes, haud potuimus reperire: quamobrem potius exiſtimamus, fuiſſe alienæ hæreſis ſectatorem, quam nouæ inſtitutorem.

c Cyp ep. 55. ad Cornel.

IESV CHRISTI AN. 243.244.245.

GORDIANI IMP. AN. 3.4.5.

FABIANI AN. 6.7.8.

I. BELLVM PERSICVM

ANNO Chriſti ducenteſimo quadrageſimo tertio, Gordiano & Pompeiano ſecundum Coſſ. Sapor Rex Perſarum vlciſci cupiens cladem illatam ab Alexandro Imperatore, Romanum Imperium aggreſſus, Syriam populatus eſt, ipſamque Antiochiam ſubegit. Quare Gordianus, vt virum fidum haberet, cuius optimo conſilio iuuaretur, priuſquam ad bellum proficiſceretur, duxit vxorem filiam Miſithei doctiſſimi viri, quem cauſa eloquentiæ dignum parentela ſua putauit, & Præfectum Prætorio ſtatim fecit. Hæc Capitolinus a: qui addit, fuiſſe etiam terræmotum eo vſque grauem, vt ciuitates etiam terræ hiatu cum populis deperierint.

a Capitol. in Gord.

II.

Anno vero ducenteſimo quadrageſimo quarto, Attico & Prætextato Coſſ. vt idem auctor habet, Gordianus aduerſus Perſas cum ingenti exercitu procedens, eoſdem frequentibus præliis victos ad ſua remeare coegit. Ac demum

III. PHILIPPVS ARABS REGNANDI CVPIDVS.

Anno ducenteſimo quadrageſimo quinto, Appiano & Pappo Coſſ. Miſitheo eiuſdem Imperatoris ſocero, *Philippo* Arabe impellente, medicorum fraude ſublato, collata à Gordiano fuit eidem Philippo Præfectura Prætorii; qui humili licet genere natus, praua arreptus regnandi cupidine, æque dolo tentauit Gordiano reddere infenſos milites: nec ſolum illud, ſed etiam vt eius collega fieret impetrauit. Hæc omnia pluribus Capitolinus.

IESV CHRISTI AN. 246.

PHILIPPI IMP. AN. 1

FABIANI AN. 9.

I. GORDIANVS IMP OCCIDITVR.

ANNO Chriſti ducenteſimo quadrageſimo ſexto, Peregrino & Æmiliano Coſſ. menſe Martii (vt auctor eſt Aurelius Victor, *Gordianus* Imperator à PHILIPPO collega impie atque crudeliter iuſſus eſt occidi, poſtquam regnaſſet annis ſex inchoatis; & à mœrente Senatu relatus eſt Romę inter diuos: omnes autem qui eum gladio appetiuerunt, nouem numero, poſtea interemptis Philippis, ſua manu, ſuiſque gladiis, & iiſdem quibus illum percuſſerant, interierunt. Hæc omnia pluribus Capitolinus.

II. PHILIP. IMP. QVANDO FACTVS CHRISTIANVS.

Magnopere vero mea ſententia errant, qui hoc iam tempore Philippum fuiſſe Chriſtianum affirmant; cum nemo Gentilium hiſtoricorum vel leuiter id annuiſſe reperiatur, multaq; ſint præterea antiqua monumenta, quæ eum fuiſſe deorum cultorem manifeſte ſignificent. Itaq; quod tum Euſebius a & alii Græci, tum inter Latinos Vincentius b Lerinenſis, Oroſius c, Caſſiodorus d, & alii recentiores plane innumeri, ipſæque etiam tabulæ e Eccleſiaſticæ, cum Chriſtianum fuiſſe tradunt, nequaquam in hoc tempus referri poteſt; quod anno Vrbis natalis millesimo, nempe quarto Imperii Philippi, Pontii Præfecti opera cõtigiſſe, Acta f martyrii eiuſdem Pontii declarant.

a Euſeb. 6. hiſt. 27. b Vinc. Lir. cap. 23. c Oroſ. l. 7. d Caſſiod. in Chron. e Martyrol. Rom. 14. Maii in Pont. mart. Vſuar. eadie. f ap. Sur. to. 7. die 14. Maii.

Ceterum Philippus licet inuaſi Imperii optimis inſtitutis delere ſtuduit, dum inter alia exoletos g penitus ſuſtulit, & garrulam poetarum h linguam, licenter nimis famam honeſtiſſimorum virorum carpentem coercere conatus eſt. Siquid autem poſt baptiſmum quauis occaſione deliquit, quo ab Eccleſia iure deberet eſſe extorris; fact: exomologeſi publice in Eccleſia (quod Euſebius i narrat) Fabiano Papa alter cum ad communicationem Sacramentorum tempore Paſchatis admittere recuſante, magnæ pietatis exemplo diluit.

III. g Lamprid. in Alex. h Lipoeta. C. de profeſſ. l. 10. PHILIPPI IMP. POENITENTIA. i Euſ. 6. hiſt. 27.

IESV CHRISTI AN. 247.

PHILIPPI IMP. AN. 2

FABIANI AN. 10.

I.

ANNO Chriſti ducenteſimo quadrageſimo ſeptimo, Philippo Auguſto & Fabio Titiano Coſſ. idem Imp. è

Perſide

a Num. ap. Adolph.
PLOTINVS ROMAM VENIT.

Perſide Romam ſe contulit, adſcito [a] antea in collegam Imperii PHILIPPO filio ſuo. Quo eodem anno *Plotinus* Platonicorum Gentilium facile princeps, cum Ammonii Chriſtiani philoſophi vndecim annis Alexandriæ, vt vidimus, auditor fuiſſet, anno ætatis ſuæ quadrageſimo (vt auctor eſt Porphyrius in eius vita) Romam veniens publice profiteri cœpit. Porro eum non fuiſſe penitus à Chriſtiana lege alienum, ex eius rebus geſtis collegit Marſilius [b] Ficinus, qui eiuſdem commentarios egregie illuſtrauit. Sed Porphyrius eum magiæ deditum fuiſſe demonſtrat, & multos ex eius diſcipulis Romę magicarum artium curioſitate deprauatos fuiſſe, S. Auguſtinus [c] teſtatur, licet & alios Chriſti fidem amplexatos eſſe aſſerat.

b Marſil. in comment. Plot. lib. I. c. 7.
c Aug. ep. 56. ad Dioſc.

PHILIPPI IMP. AN. 3.

IESV CHRISTI AN. 248.

FABIAN. AN. 11.

I.
a Euſ. 6 hiſt. c. 29.
ORIGENIS APOLOGIA.

ANno Chriſti ducenteſimo quadrageſimo octauo; Præſente & Albino Coſſ. Philippi Imperii anno tertio (vt tradit Euſebius [a]) mortuo Heracla Alexandrino Epiſcopo, & in eius locum ſubrogato *Dionyſio*; Origenes tum ad Fabianum Romanum Pontificem, tum ad alios Epiſcopos rectæ fidei confeſſionem ſcripſit. Cum vero nihil aliud de his dicat Euſebius (dolo, vt puto, reticens quæ in reprehenſionem Origenis eſſent, cuius erat ſtudioſiſſimus) exiſtimamus factum, vt cum Heraclas Origeni fauiſſet, quem Demetrius Heraclæ prædeceſſor (vt vidimus) excommunicauerat ob multiplices errores in eius libris contentos; defuncto Heracla Dionyſius, licet & ipſe eiuſdem fuiſſet Origenis diſcipulus, omnia tamen veritati poſtponens, Demetrii ſententiam ſecutus ipſum Origenem rurſum exagitare cœperit: Origenes autem vt ſe defenderet, rectæ fidei profeſſionem promulgauerit. Ceterum quod plane certum ſit, Origenem his Philippi Imperatoris temporibus Romam ſe contuliſſe, id teſtante Porphyrio in vita Plotini, cum quo Origenem ibi congreſſum eſſe demonſtrat; par eſt credere, eum à Fabiano Romano Pontifice in re tanta ad dicendam cauſam fuiſſe vocatum: vel quod ille non admiſiſſet ab eo ſcriptam fidei confeſſionem, ipſum ſponte Romam apud eum ſe purgaturum acceſſiſſe.

ORIG. ROMAM VENIT AD FABIAN. PP.

PHILIPPI IMP. AN. 4.

IESV CHRISTI AN. 249.

FABIANI AN. 12.

I.
MILLESIMVS ANNVS VRBIS
a Capitol. in Gordian. 3.

ANno Chriſti ducenteſimo quadrageſimo nono, duobus Philippis patre & filio Auguſtis, ſecundum illo, iſto primum Coſſ. MILLESIMVS ANNVS AB VRBE CONDITA numeratur; quem Philippus inſignibus editis muneribus celebrauit, vt Capitolinus [a] teſtatur. Vnde intelligas Varronianam ſupputationem annorum Vrbis, publicis monumentis eſſe receptam; iuxta quam præſens annus numeratur milleſimus Vrbis. Addit Aurelius [b] Victor, in his ludis Philippum patrem petulantius cachinnantem, à Philippo filio vultu auerſo notatum, ac tacite redargutum. Admirandum omnibus fuit, puerum præter ætatis vſum fuiſſe à riſu abſtinentem; quamobrem ἀγέλαστος dictus eſt: ſic fortaſſe à Seuera matre Auguſta Chriſtiana femina moribus informatus.

b Aurel. Vict. in Philip.

II.

Quod autem in antiquis nummis SÆCVLARES AVGG. notati inueniantur Conſulatu patris Philippi tertio ac filii ſecundo, qui contigerunt anno ſequenti; ea ratione accidiſſe putatur, quia annos qui ab V.C. conſueuerunt numerari, non à Calendis Ianuarii Romani auſpicabantur, ſed à natali Vrbis, ipſis Palilibus, nempe vndecimo Calendas Maii; ſicque hoc anno Vrbis Milleſimus inchoatus, ſequenti anno die vigeſimaprima Aprilis fuerit abſolutus. Sed & quod grandiora eiuſmodi miſſilia numiſmata ab vſualibus diſtincta, ipſis Calendis Ianuarii (vt ex Herodiano [c] conſtat) ab Imperatoribus erogari ſolerent; inde factum eſt vt Sæculares Ludi non anni huius Conſulatu, ſed ſequentis in illis notati fuerint. Porro eos editos à Philippo tempore natalis ſui imperii, nempe menſe Martii, aliqui [d] putant, ſed nonniſi leui opinione; cum conſtet meſſis tempore circa finem Iunii menſis (vt teſtatur Zoſimus [e]) celebrari ſolitos.

c Herod. l. 1.
d Pom. Læt. in Philip. Panuin. de lud. Sæcul. & alii
e Zoſim. l. 2.

III.
ZOSIMI HISTOR. DOLVS.

Ceterum notatur eiuſdem Zoſimi in Chriſtianos infenſiſſimi, odium & inuidia, dum mendaciter nimis poſt Seuerum Imperatorem negat Ludos Sæculares amplius inſtauratos; quos ſub Philippo fuiſſe habitos, Iulius Capitolinus, antiqui nummi, aliæque inſcriptiones, & ex noſtris Euſebius & Caſſiodorus aperte teſtantur. Sed fortaſſe eos tacendos exiſtimauit, quod à Chriſtiano Imperatore non more maiorum (vt Oroſius [f] teſtari videtur) immolatis ſacrificiis, aliiſque ſuperſtitionis Gentilitiæ officiis (Nam cum ſe accingeret ad diis ſacrificandum Pontii Præfecti hortatione & inſtructione à propoſito deſtitiſſe, ac fidem Chriſtianam cum filio ſuſcepiſſe, amboſque à Pōtiano Papa baptizatos eſſe, eiuſdem Pontii Acta [g] narrant) ſed editione tantum munerum celebrati fuerint, cetera vero idololatriæ cultoribus Pontificibus agenda reliquerit. Nam & eadem ratione Zoſimus ſequentes tacuit ab Honorio Imperatore celebratos, de quibus ſuo loco. Sicut & de ceteris rebus à Philippo geſtis, non abſque inuidia & odio Chriſtiani nominis factum exiſtimo, vt ſeptennium eius Imperii obſcurum plane remanſerit: quæ ſi improbæ fuiſſent perinde atque eius ingreſſus, ſcriptores Ethnici non tacuiſſent, qui ſcelus illud egregie reliquere teſtatum. Sed de eius Chriſtianitate plura ſuperius.

f Oroſ. lib. 7.
g ap. Sur. to. 7. die 14. Maij.

IV.
h Euſeb. 6. hiſt. 30.

Per idem tempus (inquit Euſebius [h]) quidam in Arabia falſi cuiuſdam dogmatis auctores nati ſunt, aſſerentes hominum animas vna cum corporibus extingui, ac rurſum tempore reſurrectionis vniuerſæ carnis cum eiſdem vitam denuo recuperaturas. Sed SYNODO aduerſus eos ibidem habita, pleroſque eorum Origenes (qui ad Synodum ad hoc vocatus fuit) diſputatione ſuperatos rectæ fidei reſtituit. Addit poſt hæc Euſebius de hæreſi *Helceſaitarum*, tamquam hoc primum tempore orta eſſet. Verum ea tunc potius reſtituta videri poteſt; cum eius auctorem Helxeum longe antehac vixiſſe Epiphanius tradat: de quo eiuſq; erroribus actum eſt ſuo loco. Quod vero apud Euſebium in Chronico legitur, hoc anno Vrbis milleſimo Atlantem montem fuiſſe loco motum, fides ſit penes auctorem.

SYNODVS IN ARABIA.

PHILIPPI IMP. AN. 5.

IESV CHRISTI AN. 250.

FABIANI AN. 13.

I.
CYPRIANVS ORDINATVR EPISC. CARTH.
a Cyp. ep. 40. ad plebem
b Id. ep. 55.

ANno Chriſti ducenteſimo quinquageſimo, duobus Philippis Auguſtis, patre tertium, & filio ſecundum Coſſ. *Cæcilius Cyprianus* ſummo Cleri & populi conſenſu (vno tantum aduerſante [a] Feliciſſimo presbytero) Eccleſiæ Carthaginenſis Epiſcopus eligitur. Id enim hoc anno accidiſſe, ex eo poſſe deduci videtur, dum ipſe ſcribens [b] ad Cornelium anno ſecundo ex quo factus iſte erat Romanus Pontifex, quartum annum tunc elapſum fuiſſe ſuæ ſedis teſtatur. Cuinam autem in Epiſcopatu ſucceſſerit, veriorem eſſe ſententiam dicentium ſubrogatum fuiſſe in locum Donati; ipſemet declarare videtur, dum ad eumdem Cornelium ſcribens, eodem gradu anteceſſionis ponit Donatum ante ſe, quo Fabianum ante Cornelium. Quod vero S. Auguſtinus prædeceſſorem Cypriani ſæpe nominat Agrippinum, non ſic intelligendum eſt, vt immediata fuerit ſucceſſio, ſed quod eodem pariter nomine omnes qui Cyprianum præceſſerunt cenſerentur. Nam & alibi iidem Auguſtinus [c] & Cyprianus [d], plane ſignificant Agrippinum longe antea vixiſſe.

c Aug. de bapt. cont. Don. lib. 3. c. 12.
d Cypr. ep. 71. 73.

II.
CYPRIA

Antequam vero Cyprianus ad Epiſcopatum, immo ad Chriſtianam religionem vocaretur (exploſa fabula

NI PRIMORDIA.

de Cypriani magica arte, quam alterius Cypriani patria Antiocheni, Nicomediæ cum Iuſtina ſub Diocletiano Imperatore paſſi, fuiſſe conſtat) Rhetoricam maxime laude Carthagine publice docuiſſe, Hieronymus [e] tradit: cuius eloquentiam tam Latini quam Græci Patres, & inter eos diſertiſſimi Lactantius [f], & Gregorius [g] Nazianzenus, mirum in modum extulerunt; eumdemque fuiſſe genere illuſtrem, potentia clarum, ſuæque ciuitatis Senatorem primarium, atque diſciplinis philoſophicis inſigniter ornatum, teſtatur idem Gregorius. Cum autem religionem Chriſtianam amplexus eſt, deriſum à ſuis quibus antea admirationi eſſet, & loco *Cypriani* dictum, *Caprianum* (ſeu potius, vt emendatiores codices habent *Coprianum*, hoc eſt Stercorarium) quaſi quod elegans ingenium & meliorib. rebus aptum, ad aniles ſe fabulas contuliſſet, Lactantius ſcribit.

e Hier. de Script. Eccl. in Cypr.
f Lact. lib. 5. c. 1.
g Greg. Naz. orat. in laud. Cypr.

III. CYPRIA. QVALIS POST BAPTISMVM.

Pontius autem diaconus qui eius res geſtas proſecutus eſt, ait ipſum Chriſtianum factum, ſæculo penitus renunciato, non ſolum longo tempore acquiſitas diuitias in pauperes erogaſſe, ſed & cariſſima coniuge ac dulciſſimis liberis commendatis Cæcilio presbytero, à quo fuit [h] ad fidem conuerſus, eminentioris vitæ confeſtim iter arripuiſſe. Iam porro ſeneſcentem Chriſto nomen dediſſe, ſui ipſius [i] teſtimonio conſtat: ac paulo poſt baptiſmũ, adhuc neophytum & nouellum, ad ſedis Epiſcopalis faſtigium eſſe prouectum, Pontius teſtatur. Vnde mireris, tantam mox ei Chriſtianæ Theologiæ inhæſiſſe doctrinam, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ vſum accreuiſſe; vt diuinarum ſcripturarum ſcientia imbuta memoria, & intellectus exatiatus, ſui exuberantia mox in torrentes ad alios irrigandos foras eruperint. Sed de eius primordiis modo ſatis.

h Vid. ſup. an. 211.
i Cypr. ep. 2.

IESV CHRISTI AN. 251. 252.

PHILIPPI IMP. AN. 6.7.

FABIANI AN. 14. 15.

I.

ANno Chriſti ducenteſimo quinquageſimo primo, Æmiliano & Aquilino Coſſ. Philippum ſextum Imperii ſui anno inchoato occiſum multi volunt; ſed magis probatur ſententia dicentium annis ſeptem imperaſſe, quam inferius firmabimus.

II. PERSEC. EXCITATA IN ÆGYPTO A MAGO.

Anno vero ducenteſimo quinquageſimo ſecundo (Coſſ. vt ponit Caſſiodorus, Decio & Grato) qui præceſſit Decii Perſecutionem graui tumultu Alexandriæ à mago quodam in Chriſtianos excitato, complures eorum fidem negare recuſantes, poſt multa tormenta necati ſunt; interq; illos *Apollonia* virgo iam ætate prouecta, quæ poſt maxillas crudeliter diuerberatas, omneſque dentes excuſſos, maluit ſeipſam in rogum ipſi præparatum iniicere, quam verba blaſphemiæ loqui. Narrat hæc pluribus Euſebius [a], ex literis Dionyſii eiuſdem ciuitatis Epiſcopi ad Fabium Antiochenum. At quiſnam fuerit magus ille, non liquet: ſcimus tamen, Porphyrium [b] de Ægyptio ſacerdote dæmonum excantationibus dedito ſcribere; qui paulo poſt circa Gallieni tempora Romam venit: quem & illum ipſum putamus, qui Valerianum (vt dicetur) aduerſus Eccleſiam concitauit.

a Euſeb. 6. hiſt. 34.
b Porphyr. in vit. Ploti.

IESV CHRISTI AN. 253.

DECII IMP. AN. I.

SEDES VACAT.

I.

ANNO Chriſti ducenteſimo quinquageſimo tertio, Decii ſecundo & Etruſci ponitur Conſulatus. Etruſcus autem, Decius fuit Iunior, ſic cognomento dictus, vt antiqua [a] monumẽta demonſtrant. Ponitur ab aliis Conſulatus Decii ſecundus cum Grato, quem putamus ſuffectum: nam hic ille plane Conſulatus duorum Deciorum, cuius mentio eſt apud Trebellium Pollionem in Valerianis.

a Panuin. in Faſt. hoc an.

II. PHILIPPI IMPP. OCCISI.

His Coſſ. (inquit Caſſiodorus) occiſi ſunt Philippi pater & filius Imperatores, ille Veronæ, hic Romæ: Imperiumq; inuaſit DECIVS, qui mox DECIVM filium Cæſarem dixit. Eſtque inſcriptio Veronæ, qua pariter dicitur, Anno Chriſti ducenteſimo quinquageſimo tertio Philippum Seniorem Veronæ; Romæ Iuniorem à ſatellitibus interfectos eſſe. Deſcripſerunt illam, & vt antiquam agnouerunt, Adolphus & alii; ſed à Panuino, licet Veronenſi ciue, eſt prætermiſſa, quod ſuis aduerſaretur Faſtis, dum Philipporum necem ponit anno Chriſti ducenteſimo quinquageſimo, quem & alii poſtea ſequi maluerunt. Porro eiuſmodi inſcriptioni, tum ſeptem Conſulatus in Faſtis Caſſiodori ſub Philippo poſiti conſentiunt, tum numerati ab Euſebio [b] anni ſeptem eius imperii, & deducta ab eodem annorum Chriſti chronographia, qua æque ponitur hic annus à nato Chriſto ducẽteſimus quinquageſimus tertius. Sed & Oroſius [c], cum tradit occiſos Philippos & ſubrogatum Decium anno milleſimo quarto ab V. C. huic noſtræ aſſertioni ſuffragatur. Sicque videas omni genere chronographiæ, nempe annis Chriſti, Imperatoris, Vrbis atq; Conſulibus, hoc anno occiſos eſſe Philippos, & Decium imperare cœpiſſe: qui viuentibus adhuc Philippis, poſt MACRINVM qui cito ſublatus eſt, ab exercitu Illyricorum, Imperator fuerat acclamatus. Quod vero Eutropius dicat Philippos inter diuos fuiſſe relatos; ex his plane cognoſcitur, tum eos, licet Gordiani nece peroſi olim fuiſſent, mutatis moribus Senatus populique Romani ſibi conciliaſſe animos; tum ſic eos Chriſtiana fuiſſe religione initiatos, vt tamen nullum faceſſerint Gentilitiæ ſuperſtitioni negotium.

b Euſeb. in Chron. & 6. hiſt. 32.
c Oroſ. lib. 7.

DECIVS IMPERAT POST MACRINVM.

III. FABIANI PP. MARTYRIVM.

Cum autem omnium conſenſione conſtet ipſo Decii Imperatoris ingreſſu perſecutionem ab eo in Chriſtianos eſſe conflatam, eaque confeſtim *Fabianus* Papam ſublatum; qua ratione ſtabilitus à nobis eſt annus primus Decii, eadem hoc anno ponitur Fabiani martyrium (in quodcumque tandem tempus alii referant, eſtque dicendum, ipſum ſediſſe annos quindecim & dies quatuor; necemque ſubiiſſe vigeſima Ianuarii, qua die Natalis eius habetur in tabulis Eccleſiaſticis conſignatus. Ponitur & ab Euſebio hoc Chriſti anno Fabiani exitus; & in Libro de Romanis Pontificibus traditur ſediſſe ad præſentem vſque annum, quo Decius geſſit Conſulatum ſecundum: licet inter ſe de tempore ſedis aliquid diſſentiant. Habet idem Liber, Fabianum ſepultum eſſe in Cœmeterio Calliſti via Appia. Sed quod additur, ſedem eius vacaſſe diebus tantummodo ſex, oſtenditur paulo poſt vacaſſe vno anno & amplius.

IV. PERSEC. DECIANA CRVDELIS.

Quod vero pertinet ad ipſam PERSECVTIONEM; Euſebius [d] inprimis ait, eam Decium odio quodam capitali quo cum Philippo diſſidebat concitaſſe. Et Oroſius [e] eam SEPTIMAM numerans, ſcribit Decium vt Chriſtianos perſequi poſſet, Philippos interfeciſſe, moxque feralia edicta ſparſiſſe. Hæc autem Dionyſius [f] Epiſcopus Alexandrinus, qui ea legiſſe potuit, talia fuiſſe teſtatur, qualia Dominus prædixiſſet futura, in quibus terribiliſſima iam propemodum compleretur ſententia, nimirum electos ſi poſſibile eſſet in errorem inducendos fore. Porro Decium illa promulgaſſe ita & inuidia motum, quod pleriſque in locis Chriſtiani fana Gentilium idolaque & altaria demoliti eſſent, ſibi autem eccleſias & oratoria extruxiſſent; Gregorius [g] Nyſſenus tradit: additque terribiles Decium ſupplicii minas in Præſides prouinciarum ſtatuiſſe, niſi omnibus probris & cruciatibus Chriſtianos cogerent deos adorare. De qua etiam perſecutione (quam & antea ſibi à Deo prænunciatam, & præfiguratam aſſerit) Cyprianus [h] agens, ait tormenta tunc illata fuiſſe, ſine fine tortoris, ſine exitu damnationis, ſine ſolatio mortis; quæque ad coronam non facile dimitterent, ſed tam diu torquerent quam diu deficerent. Qui & in libro de Lapſis, hęc Chriſtianos pati meruiſſe teſtatur, quod traditam diuinitus diſciplinam Eccleſiaſticam pax longa corrupiſſet, eſſentq; admodum deprauati tam populorum quam Epiſcoporum mores, iaceretque fides, &

d Euſ. 6. hiſt. 32.
e Oroſ. lib. 7. cap. 21.
f ap. Euſ. 6. hiſt. 34.
g Greg. Nyſ. in vit. Greg. Thaumat.
h Cypr. ep. 8.

quaſi

quaſi dormiret, atque ideo opus fuiſſe, vt erigeretur eiuſmodi cæleſti cenſura.

V. — [i] Cypr. de Lapſ.

Accidit tamen (quod idem auctor [i] inprimis deplorat) vt complures quos antea deliciæ & concupiſcentia ſubiugaſſent, amore patrimonii, & facultatum ſuarum velut compedibus irretiti, nec ſecedere valentes, nec ſupplicia pati; ipſo primo huius turbinis impetu proſtrati fuerint, eorumque nonnulli etiam ante aciem ſine congreſſione manus turpiter dederint, & alios ad eamdem nequitiam hortati fuerint. LAPSORVM autem duplex ab eodem Cypriano ponitur differentia; aliorum, quos nominat *Sacrificatos*, vel *Thurificatos*, ac *Idololatras* communi voce; aliorum, quos appellat *Libellaticos*. Dicebantur porro *Sacrificati*, omnes qui quomodocumque immolaſſent, vel immolata guſtaſſent; *Thurificati*, qui thus obtuliſſent; *Idololatræ* æque omnes, qui quemlibet religionis cultum idolis publice exhibuiſſent. *Libellatici* vero qui Chriſtum publice negare erubeſcentes, priuatim id vel per ſe, vel per alios ſuo nomine facerent, & à Magiſtratibus libellos ſecuritatis impetrarent, ne amplius inquirerentur, ſoluta pro eiuſmodi diſpenſatione pecunia.

LAPSORVM DIVERSA GENERA.

VI. LIBELLATICI QVINAM DICTI. — [k] Cypr. de Lapſ. ep. 52. ad Anton. ep. 68. ad Hiſp. & ep. eamdem in ep. Cleri Ro. quæ eſt 31. — [l] Sup. an. 205. — ALIVD GENVS LIBELLORVM. — [m] Plin. Sec. 10. ep. 97.

Hanc enim fuiſſe Libellaticorum cauſam, ex variis S. Cypriani [k] locis euidenter colligimus: ex quibus errare exiſtimamus, qui putarunt dictos eſſe Libellaticos, qui pretium ſoluerent ne cogerentur fidem negare. Nam nullum fuiſſe crimen, vexationem à Gentilibus pecunia redimere, iam ſuperius [l] eſt demonſtratum aduerſus id negantem ex Montani doctrina Tertullianum. Nec putandum, improbatam in Eccleſia eius opinionem Cyprianum eſſe ſectatum, minus vero Romanam Eccleſiam, quæ pariter cum Cypriano Libellaticos damnauit. Ceterum diuerſum plane ab iis *Libellorum* genus erat, quo Chriſtiani illi nequiſſimi, ſtatim atque audiſſent promulgatum edictum; ne caperentur, vel iacturam aliquam in bonis paterentur, ſuæ negationis libellos offerebant Præſidi; quorum meminit Plinius [m] ad Traianum. In aliquos autem Lapſorum, admiranda quædam hac perſecutione contigiſſe prodigia circa ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſumptionem; ſed & multos à dæmonibus vexatos, alios dementes factos, alios denique aliis pœnis eſſe cruciatos, idem Cyprianus teſtatur eodem libro *De Lapſis*, quem anno ſequenti ſtatim poſt redditam Eccleſiæ pacem edidit.

VII. DIVTVRNA SEDIS ROM. VACATIO IN PERSECVTIONIS ACERBITATE. — [n] ap. Cypr. ep. 31. — [o] Anaſt. de Rom. Pont. — [p] Cypr. ep. 16.

Sed quod rurſum ad eamdem perſecutionem attinet; fuiſſe eam omnium acerbiſſimam in Eccleſiam Romanam, illud vnum poteſt eſſe perſpicuo argumento, dum S. Fabiano Papa martyrio coronato, ne per annum quidem valuit ei ſubrogari ſucceſſor; nempe (vt ait Clerus [n] Romanus ad Cyprianum) propter rerum & temporum difficultates, quibus qui reſidui ex eodem Clero erant, magno modeſtiæ exemplo ab electione Romani Pontificis abſtinuerunt, quod ſæuiens perſecutio collegas complures in carceres abduxiſſet, aliſque aliter diſperſiſſet. Siquidem inter ceteros conſtat [o], poſt Fabiani paſſionem Moyſen & Maximum presbyteros, & Nicoſtratum diaconum carceri eſſe mancipatos. Ad quos cum adhuc Sede vacante Cyprianus iterum ſcribens [p], eos iam annũ in carcere exegiſſe teſtetur; plane apertiſſime oſtendit, non ſex dies vel menſes, vt alii affirmant, ſed vltra anni ſpatium fuiſſe Romanam Eccleſiam ſine paſtore. Scriptam enim eſſe ad dictos Confeſſores eam epiſtolam priuſquam Cornelius crearetur, illud certo eſt argumento, quod ſcribit ad eos tunc pace & vnitate concordes, quos poſtea in electione Cornelii conſtat fuiſſe ſchiſmate diuiſos.

VIII. ROM. CLERVS SEDE VAC. CVRAT OMNES ECCLESIAS.

Interim vero qui reſidui erant Cleri Romani, probe ſcientes ex antiquiori conſuetudine, ſublato viſibili Vniuerſalis Eccleſiæ capite, ſuarum eſſe partium (quippe qui propinquiora membra capiti inhærerent) Catholicæ Eccleſiæ proſpicere: in iis quæ licerent ipſius capitis munera explentes, inter alia ceteras Eccleſias hortati ſunt diligentem curam habere quorumcumque Fidelium, ac ſepulturæ martyrum, & fortiter in perſecutione ſe gerere. Ex literis enim quas de his rebus ad Cyprianum & Clerum Carthaginenſem ſcripſere [q], quid cum ceteris principalioribus Eccleſiis egerint, facile poſſumus intelligere.

[q] Vid. ap. Cyp. ep. 3. 4. 15. 30. 31.

IX. FVGA CYPRIANI EPISC. CARTHA. — [r] Cyp. ep. 55. ad Cornel. — [s] Id ep. 69. ad Florent. — [t] Pont. in vit. Cypr. — [u] Cypr ep. 9.

Cum autem eadem perſecutio vehementer vbique ſæuiret, accidit vt complures licet fortiſſimi, ſe ad tempus ſubduxerint: inter quos ſanctiſſimus Cyprianus magno Gentilium ardore quæſitus [r] ad necem, ſæpiuſque ad leonem petitus in Circo proſcriptuſque [s] & bonis ſpoliatus; non quidem formidine [t], ſed peculiari Spiritus Sancti monitu latebras quæſiuit, ne per eius præſentiam perſecutio in ceteros Fideles acrius ſæuiret; vt idem ipſe teſtatur, tum ad Clerum ſuum [u], tum ad Romanum de his ſcribens, rationemque facti ſui reddens, cum apud eumdem Clerum Romanum eius ſeceſſus fuiſſet ignauiæ nomine redditus falſa relatione ſuſpectus: ad quem etiam in ſui excuſationem, tredecim tranſmiſit epiſtolas ad ſuos ſcriptas, quibus probaret ſe licet abſentem corpore, haud tamen in aliquo defuiſſe Eccleſiæ ſuæ, quin & ſpiritu, & actu, & monitis præſto fuerit tam iis qui adhuc liberi eſſent, vel etiam in carceribus detinerentur (quorum ingens erat numerus) quam eorum corporibus & memoriæ qui iam martyrium ſubiiſſent. Cui & Pontius tradit tantam fuiſſe ſacri cupidinem ſermonis ad populum ſuum habendi, vt optaret ſic ſibi paſſionis vota contingere, vt de Deo loquens in ipſo ſermonis opere necaretur.

CYPRIANVS SE EXCVSAT AD CLERVM ROM.

X. LAPSORVM IMPORTVNA SVGGESTIO. — [x] Id. ep. 10. 11. 12.

Sed cum eodem tempore Lapſi, & ceteri delinquentes, quibus reſiſteret ſeueritas Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ne niſi pœnitentia peracta in Eccleſiam reciperentur, conſueuiſſent detentos in carcere adire Martyres & Confeſſores, ab eiſque pacem petere, & ad Epiſcopos ac ceteros Sacerdotes accipere literas, quibus in Fidelium conſortium admitti poſtularent: (tanta enim reuerentia & honore, non laici tantum, ſed & clerici, & ipſi Epiſcopi, detentos in carcere martyres & confeſſores proſequi conſueuerant, vt ab illorum rogatione deſciſcere, & quos illi commendaſſent deſpicere, inuidioſum nimis & aſperum cenſeretur) quoniam ex facili eiuſmodi indulgentia eneruari videbatur diſciplinæ Eccleſiaſticæ vigor, ſi omnes indiſtincte reciperentur: ea de cauſa tres tunc inter alias ex eodem receſſu Cyprianus [x] dedit epiſtolas, vnam ad Clerum Carthaginenſem, alteram ad martyres & confeſſores in carceribus detentos, tertiam denique ad plebem fidelem: quibus eos omnes admonitos reddidit, ne temere lapſis ea indulgentia præſtaretur, nondum pace reddita, nec Epiſcopo annuente, ſed iis tantummodo, quorum pœnitentiam ſatisfactioni proximam conſpicerent.

XI. QVI CONFESSORES ET QVI MARTYRES DICTI.

Porro quod frequenter *Martyres* diſtinguit à *Confeſſoribus*, cum nihilominus re ipſa eadem ſit nominis ſignificatio; conſtat antiquo loquendi vſu (quod & alias dictum eſt) CONFESSORES eſſe dictos, qui licet confeſſi CHRISTVM eſſent, & carceri mancipati nondum tamen ſuſcepiſſent in quæſtione tormenta MARTYRES autem, qui tormentorum quorum quoque ſæuitiam conſtantia ſuperaſſent, licet nondum mortem ſubiiſſent. Sed & *Confeſſorum* numero comprehendebantur, qui alio nomine dicebantur *Extorres*: hoc eſt qui ne CHRISTVM negare cogerentur, neue per ipſos religio diſpendium pateretur, dimiſſis omnibus bonis ſe ſubtraherent: quæ facti potius, quam verborum confeſſio videbatur: & hi ſi eo ſtatu mortem oppetiiſſent, numero Martyrum recenſebantur. Qui vero non interpellati ſe martyrio ingererent, dicebantur *Profeſſores*. Conſtant hæc ex Tertulliani, Cypriani, & aliorum veterum auctorum ſcriptis.

EXTORRES.

PROFESSORES.

XII. — [y] Tert. de pudic. c. 22.

Verum haud tempore Cypriani primum introductus fuit vſus, vt conſiſtentes in carcere martyres & confeſſores, pro lapſorum reconciliatione ad Epiſcopos darent Libellos. Siquidem Tertullianus [y] eorumdem libellorum ſæpius meminit: licet iam labe Montani fœdatus, ægre ferret carnis crimine lapſos per eos ad pœnitentiam recipi. Ex quo etiam intelligitur, pro quolibet

DE LIBELLIS A MARTYRIB. ET CONFESSORIBVS CONCEDI SOLITIS.
z ap. Cypr. ep. 17. ad Cler. Rom.

Lapſorum genere à Martyribus rogari conſueuiſſe libellos; nec carcere tantummodo detentos Confeſſores id officii præſtare ſolitos, ſed & eos qui fidei cauſa ad metalla damnati eſſent. Quænam porro eſſet eiuſmodi forma Libellorum, ex eo quem Lucianus [z] Confeſſor ad Cyprianum ſcripſit, licet improbato, poteſt facile intelligi. Fluxiſſe autem inde ea videtur conſuetudo, quod Lapſi priuſquam reconciliarentur Eccleſiæ, ab Epiſcopis pro pace conſequenda mitterentur ad Confeſſores, vt ab illis primo veniam peterent, in quos inuerecundius deliquiſſent, dum fortiter confitentibus illis ipſi ignauiter pernegaſſent. Conſulebatur enim hac via & Confeſſorum dignitati, & Lapſorum vtilitati: qui ſic cogerentur vt victi ſe victoribus ſubiicere, eaq; animi dimiſſione eorum precibus veniam ab Eccleſia promereri.

XII. LVCIANVS CONFESSOR CONCITAT TVRBAS.

Cum autem ſic moniti de lapſis magna cautela recipiendis Martyres & Confeſſores, omnes æque magna animi ſubmiſſione Cypriano Epiſcopo ſuo obtemperarent: vnus tantummodo Lucianus Confeſſor inuerecundius agens, primo quorumdam Confeſſorum nomine libello paſſim dedit, poſtea eo audaciæ prorupit, vt vniuerſorum Martyrum & Confeſſorum nomine, ipſos vniuerſis lapſis pacem dediſſe ad Cyprianum ſcripſerit, eamque formam per eum aliis omnibus Epiſcopis innoteſcere mandarit. Cuius cauſa magnæ excitatæ ſunt turbæ, dum qui libellos obtinuiſſent, in ipſos paſſim Epiſcopos impetum facientes, pacem ſibi datam extorquere cœperunt: quod videlicet non ſatis eſſet Lapſis, à Martyribus pacem obtinuiſſe, niſi per Epiſcopos reconciliarentur Eccleſiæ. Cum vero plerique Epiſcopi, atque inprimis Cyprianus, detrectarent hos indiſtinctè admittere: viſum eſt ipſi, ceu in re magni momenti, Apoſtolicam Sedem, tametſi paſtore vacantem, conſulere: eamq; de omnibus quæ accidiſſent pleniſſime certiorem reddens [a], quid poſthac in his agendum eſſet, ab ea regulam accipere, qua oblatrantium ora compeſceret. Iis autem acceptis, Clerus Romanus matura conſultatione habita cum quibuſdam Epiſcopis vicinis, aliiſque quos ex variis prouinciis perſecutionis ardor Romam eiecerat: Cypriani ſententia geſtiſque confirmatis, de cetero nihil ante creationem Epiſcopi Romani innouandum decreuerunt, ſed Lapſorum curam interim ita ex antiqua diſciplina Eccleſiæ Romanæ temperandam eſſe, vt eorum cauſa qui moras poſſent dilationis ſuſtinere in ſuſpenſo habita, infirmis in exitu conſtitutis, ſi vere pœnitentis animi ſigna proderent, pax concederetur. Quæ omnia idem Romanus Clerus grauibus firmata aſſertionibus, per literas [b] eidem Cypriano ſignificauit; teſtatus inſuper, eadem ſe ad alios vbique Epiſcopos decreta direxiſſe: quæ quidem per totum mundum miſſa eſſe, & in notitiam Eccleſiis omnibus & vniuerſis Fratribus perlata, ipſe Cyprianus [c] alibi aſſerit.

LAPSORVM PROCACIA.
a Cypr. ep. 23. & 29.
ROM. CLERI DE EA RE DECRETVM.
b ap. Cyp. ep. 30. 31.
c Cypr. ep. 52. ad Anton.

XIV. SEVERA CENSVRA IN CLERICOS RECEDENTES.
d Cypr. ep. 28. ad Cle. Carthag. 4. c. 4. & 8.
e Id. ep. 33. 34.

Sed & illud non eſt ommittendum (quod ad exactam diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectat) haud Cyprianum ſine aliqua pœna relinqui Clericos illos voluiſſe, qui in perſecutione ſua ſponte abſque accepta licentia Carthagine receſſiſſent: quos (quantumlibet Epiſcopi ſui haberent exemplum qui ſe ſubtraxiſſet, & adhuc perſecutione durante iidem in certamen rediiſſent) omnino voluit [d] à diuiſione menſurna (vt vocat) hoc eſt à ſtipendio menſtruo clericorum abſtinere, donec eorum cauſa ipſo redeunte Epiſcopo plenius cognoſceretur. Quod autem agens de Aurelii & Celerini inſignium Confeſſorum ordinatione per ipſum facta in Lectores Eccleſiæ, ait [e] eos pro illa functione *aſcenſuros fore in pulpitum, ibique audiente populo Euangelium alta voce lecturos*: diuerſam in hoc Africanæ Eccleſiæ à Romana & ceteris Latinis fuiſſe conſuetudinem inſinuat; cum in illis Diaconi eam functionem exercere ſolerent, in Africa vero lectores minorum Ordinum clerici infra Acolythos poſiti: vt etiam manifeſtius colligitur ex Concilio Carthaginenſi [f] Quarto, vbi dum agitur de ordinatione Diaconi, nulla habetur mentio de munere Euangelicæ lectionis: ſed publice diuina legere in eccleſia, Lectoris eſſe muneris traditur. At iam hactenus de Cypriani in adminiſtranda Eccleſia Carthaginenſi vigilantiſſima cura, deque rebus inter ipſum & Romanum Clerum hoc anno tranſactis: reliqua autem dicentur poſtea. Interim tamen non prætermus dicere, ipſum in quibuſdam earum quas diximus epiſtolarum [g] teſtari, ſibi inter frequentes viſiones quibus diu noctuque honeſtaretur, diuinitus fuiſſe reuelatũ de pace proxime ventura. De martyribus autem hac perſecutione in Africa paſſis: præter illos quorum apud eumdem Cyprianum [h] eſt mentio, recenſentur quoque alii in tabulis Eccleſiaſticis, cum infinitorum propemodum nomina exciderint.

LECTORVM MVNVS.
f Conc. Carthag. 4. c. 4. & 8.
g Cypr. ep. 1. 10.
h Id. ep. 9. 22. 23. & de Lapſ.

XV. DE MARTYRIB. ALEXANDRINIS.

Quam item dire vexatæ fuerint Alexandrina ceteræque Ægypti Eccleſiæ, egregie deſcripſit inſignis tunc eruditione ac pietate eiuſdem ciuitatis Epiſcopus) qui & ipſe diuino ſecedens monitu, manus perſecutorum mirabiliter euaſit) Sanctus *Dionyſius* [i] literis ſcriptis ad Germanum & Fabium Antiochenum: quibus permultos recenſet martyres omnis ſexus & conditionis, qui eadem perſecutione Alexandriæ martyrium adepti ſunt, tum aliis ſuppliciorum generibus, tum maxime igne. Quo pœnæ genere cum Chriſtiani frequentius afficerentur; inde etiam accidit (quod teſtatur Tertullianus [k]) vt iidem *Sarmentitii* & *Semaſii* dicerentur, quia (vt addit) ad ſtipitem dimidii aſſis reuincti ſarmentorum ambitu exurerentur.

CHRIST. SARMENTITII DICTI.
k Tert. apol. c. 50.

XVI. DE SECESSV PAVLI PRIMI EREMITAE.

Quod autem inſuper idem Dionyſius refert de pluribus aliis, qui relicta patria ſolitudines montium deſertaſque regiones petierunt: fuit vnus ex illis PAVLVS Anachoretarum princeps, cuius res geſtas Sanctus Hieronymus diſerte admodum ac copioſe proſecutus eſt: qui quidem literis Græcis & Ægyptiacis apprime eruditus, orta perſecutione in rus paternum ſe recipiens, ſororis mariti fraude, bonis eius inhiantis, inde aufugere coactus, montium deſerta petiit: & neceſſitatem in voluntatem vertens, nactus opportunam ſibi ad inſtitutum paratam à Deo ſpeluncam, & in ea prægrandem palmam & limpidiſſimum fontem: quod ſuperfuit vitæ illic incognitus permanſit, dimidium panis quotidie miniſterio corui ac victum accipiens. Ceterum quod Hieronymus ſub Decio & Valeriano eius ſeceſſum ponit, quo (vt addit) tempore Cornelius Romæ & Cyprianus Carthagine martyrium ſubiere: id accidit quod licet non ſimul regnarint Decius atque Valerianus, fueritque breui aliquo pacis interſtitio eorum Perſecutio interrupta tamen quod iiſdem edictis quibus promulgata, etiam repetita fuerit, vna eademque cenſita ſit, ac Decii pariter & Valeriani nomini dicta, vt inferius videbitur: cum alioqui Cornelium & Cyprianum ſub Valeriano deceſſiſſe, Paulum ſub Decio ſeceſſiſſe conſtet. Cum enim idem Hieron. dicat Paulum centeſimum decimum tertium egiſſe ætatis annum, quando viſitatus ab Antonio tunc nanagenario deceſſit: cumque rurſum tradat [l] deceſſiſſe Antonium anno ætatis centeſimo quinto, Imperii vero Conſtantii vigeſimo primo: ex his colligitur, Paulum obiiſſe anno ſexto Conſtantii abſoluto, & ſeptimo inchoato, qui numeratur Chriſti trecenteſimus quadrageſimus tertius: hoc autem anno ducenteſimo quinquageſimo tertio fuiſſe ætatis annorum viginti trium. Vnde etiam colligas, quod Hieronymus in principio eius Vitæ recenſet ipſius ætatem annorum quindecim, eam non de tempore ſeceſſus, ſed obitus parentum, cuius proxime meminit, accipiendam eſſe: alioqui eiuſdem ſeceſſus, non ad procelloſum Decii aut Valeriani, ſed ad Gordiani tranquilliſſimum tempus referendus eſſet.

l Hieron. in Chron.
PAVLI AETAS.

XVII. DE SEPTEM DORMIENTIBVS.

Quod vero rurſum ad eos ſpectat, qui hac ſæuiente perſecutione loca deſerta petierunt: accidiſſe Epheſi traditur, vt inter alios, Septem Iuuenes in antrum fugientes, occluſo à perſecutoribus oſtio, in Domino obdormierint: vnde & nomen conſecuti ſunt, vt dicti ſint SEPTEM DORMIENTES. Cum autem duplex eius nuncupationis afferatur ratio: altera quod illi intra ſpeluncam conſummarint martyrium, ac demum ſub Theo-

doſio Iuniore reſerato oſtio, inuentis eorum corporibus veluti rediuiui iterum apparuerint: dictique Dormientes conſueto diuinæ Scripturæ loquendi vſu, quæ eos qui pie religioſeque vita functi ſunt *Dormientes* conſueuit appellare: Altera vero quod iidem reuera intra ſpecũ ſomno capti, toto eo tempore ad ducentos ferme annos dormierint: Harum ſententiarum quænam præferenda ſit, non equidem definio: quamuis quod multa videantur obſtare poſteriori [m] (quæ tamen pluribus fulcitur, ac fere grauioribus, ſed omnibus poſteriorum temporum, auctoribus) in priorem ſim procliuior.

m *Vide, ſi cupis, hac ex parte tractata in Not. Bar. in Martyro. Rom. 27. Iul. vnde iſta huc transducta ſunt.*

XVIII. Sed vt in Æpyptum redeamus: narrat quoque Euſebius [n] Origenis egregium tunc habitum pro fide Chriſtiana certamen, ſuperata tormenta, fortiterque tolerata crudeliſſima vincula: quæ quidem apud Alexandriam ei contigiſſe Epiphanius [o] aſſerit, dum & cum per vrbem tractum, probris affectum, cruciatibus immanibus applicatum tradit. An vero adueniente pace, ſicut alii plures, vinculis ſolutus fuerit, an quod (vt alii volunt) thus obtulerit: haud ſatis compertum habetur. Apud Epiphanium certe negationis eius turpiſſima illa affertur cauſa, quod abuſum corporis ab Æthiope pati, aut idolis ſacrificare iuſſus, hoc vltimo potius electo, non tamen id ſponte egerit, ſed tantum permiſerit vt iniecto in manum thure ad aræ rogum adduceretur. Porro ſic ab Eccleſia Alexandrina reiectum, Hieroſolymam ſe recepiſſe tradit: ibique multum rogatum in eccleſia docere, aperto libro in eam ſententiam pſalmi quadrageſimi noni incidiſſe, *Peccatori dixit Deus, Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* qua lecta librum depoſuiſſe, & cum fletu ac lacrymis conſediſſe, omnibus ſimul cum ipſo plorantibus. Hæc apud Epiphanium: At in libello, qui *Lamentationes* ſeu *Pœnitentia Origenis* inſcribitur, alia adumbratur potius quam deſcribitur cauſa lapſus eius: nec quodnam eius crimen fuerit quod adeo deplorat, nec ſi ab hæreticis an Gentilibus ſeductus ſit, haud ſatis poteſt intelligi.

n *Euſeb. 6. hiſt. 32.*
o *Epiph. hær. 64.*
DE ORIGENIS LAPSV ASSERTIO.

XIX. Atqui ſicut ille libellus à Gelaſio velut adulterinus reſpuitur, ita etiam ea quæ ex Epiphanio recitauimus falſa eſſe multa perſuadent, etſi non ignoramus ea confirmari à poſterioribus ſcriptoribus, Leontio [p] Scholaſtico, Suida [q], Zonara [r], Nicephoro [s], & aliis recentioribus Græcis & Latinis, Non enim antiquiores illi rerum Eccleſiaſticarum tractatores, ſiue qui Origenis errores oppugnarunt, vt Hieronymus, Theophilus Alexandrinus, Vincentius Lirinenſis, vel alii qui de eo pluribus egerunt, necnon qui ſub Iuſtiniano Imperatore eius rurſum damnationem operati ſunt: ſiue qui pro illo Apologias ſcripſerunt, vt Pamphilus, ſeu potius Euſebius eius nomine, atque Ruffinus: ſiue denique Ethnici qui de eo ſcripſerunt, vt Porphyrius, licet Eccleſiæ gloriæ inuidus Ammonium Origenis contemporaneum, & in ſchola Alexandrina ſocium, à fide Chriſti ad Ethnicos deſciuiſſe, non erubuerit (vt vidimus) mendaciſſime literis prodere: nullus inquam, horum vel aliorum eorumdem temporum ſcriptorum, eiuſmodi Origenis lapſus vel nutu tantum meminerunt. Vt prorſus veriſimile ſit, quæ de eo apud Epiphanium leguntur, addita eſſe ab aliquo fabularum concinnatore: cum & Sanctus Auguſtinus [t] de duplicibus Origenianis hæreticis agens, eaque omnia ſe ab Epiphanio mutuatum eſſe teſtatus, nihil penitus de Origenis negatione habeat: quam vel obiter attigiſſe, ſi eam apud Epiphanium reperiſſet, facile adducimur vt credamus. Et ipſe Sanctus Epiphanius alibi de eodem verba faciens [u], id tantum dicit, cum in perſecutione Deciana multa paſſum, ad finem martyrii non perueniſſe. Id namque ipſum & Euſebius tradit: qui licet Origenis laudes qualibet captata occaſione, parum ſincere interdum fuerit proſecutus: tamen in iis quæ de eius confeſſione ſcribit, haud putandus eſt fuiſſe mentitus, cum antiquorum neminem habuerit repugnantem. Sed hæc ſatis pro hiſtoriæ elucidatione: cum alioqui in dogmatibus Origeni nimine faueamus.

ORIG. LAPSVS IMPVGNATVR.
p *Leont. de ſect. act. 10.*
q *Suid. verb. Origen.*
r *Zonar. Annal. lib. 2.*
s *Niceph. li. 5. c. 24.*
IS MAIORIBVS INCOGNITVS
t *Aug. de hær. ad Quoduult.*
u *Epiph. de menſur.*

XX. Hac eadem perſecutione Decii vrgente, *Alexandrum* Hieroſolymorum Epiſcopum, iam extrema ſenectute venerandum, poſt egregiam coram Præſide apud Cæſaream Chriſti confeſſionem mortuum eſſe in carcere, eiq; ſubrogatum *Mazabenem*, Euſebius [x] tradit: quo etiam auctore [y] conſtat, inter cetera clariſſima monumenta, ab eodem Alexandro collectam eſſe Hieroſolymis nobilem Bibliothecam: quam ad ſua tẽpora perſeueraſſe, & complura ſe inde collegiſſe teſtatur. Ibidem quoque Cæſareæ in Paleſtina, nobile martyrium ſubiit Reparata [z] virgo: quæ poſt alia tormenta, in crate ferrea ſemiuſtulata per ciuitatem ducta eſt, ac tandem capite truncata. Eodemque tempore (vt ait Euſebius [a]) *Babylas* Epiſcopus Antiochenus, ad exemplum Alexandri Hieroſolymitani, poſt fidei confeſſionem in vinculis vitam deſeruit, & cum iiſdem ſepeliri voluit: datuſque eſt ei ſucceſſor *Fabius*. Sed & in tabulis Eccleſiaſticis referuntur cum eo alii paſſi. Idem vero Euſebius in Chronico, hoc pariter anno eiuſdem Babylæ martyrium ponit: ſicut & Epiphanius [b] ac Hieronymus [c] æque ſub Decio paſſum conſentiunt. Vnde hallucinari recentiores [d] non dubitamus, qui ſub Numeriano id accidiſſe tradunt quique vt ſuam vtcumque defendant opinionem: recentem quempiam Babylam antiquis penitus ignotum excogitarunt. Forte vero inde irrepſit error, quod tempore Decii reperiatur Numerius [e] quidam dux exercitus ſæuiſſimus Chriſtianorum perſecutor. Agit de eo ſæpiſſime Chryſoſtomus [f], qui in eo videtur ab Euſebio diſcrepare, quod eum non in carcere mortuum tradat, ſed è carcere foras ductum ad mortem, quod generoſe reſtitiſſet Imperatori in templum Chriſtianorum irrumpere conanti. Quæ vero tempore Iuliani Apoſtatæ, in oſſa S. Babylæ ad Daphnem apud Antiochiam ſepulta debacchantis acciderint, ſuo loco dicturi ſumus.

MARTYRES PALÆSTINÆ.
x *Euſ. 6. hiſt. 39.*
y *Ibid. c. 14.*
z *Martyr. Rom. 8. Octobr.*
a *Euſ. 6. hiſt. 32.*
DE BABYLÆ MARTYRIO
b *Epiph. de menſ.*
c *Hieron. de Script. Eccl. in Alex.*
d *Metaphr. Niceph. &c.*
e *Act. S. Babylæ ap. Sur. to. 1.*
f *Chryſ. orat. aduerſ. Gentil. orat. in Iuuent. & Maximum. 4. de Lazar. &c.*

XXI. Hac itidem graſſante perſecutione Magnus ille Gregorius Thaumaturgus Neocæſareæ in Ponto Epiſcopus (perinde ac Cypriano & Dionyſio Alexandrino contigit) diuino plane conſilio furorem declinans Gentilium debacchantium, receſſit in ſolitudinem, ſuiſque vt idem facerent perſuaſit, ne adhuc nouelli in fide deficerent in tormentis. Sed cum nihilominus diligentiſſime quæreretur in ſolitudine, accidit aliquando vt detectus, flexis ad orationem genibus vna cum ſuo diacono, ambo circumſtantibus inimicis viſi ſint arbores, ſicque manus eorum euaſerint. Hæc pluribus Gregorius Nyſſenus in eiuſdem Thaumaturgi vita: vbi & plura alia recenſet immenſa ab eo edita miracula; puta cum ſaxeum montem qui eccleſiæ ædificationem impediebat, alio tranſtulit: atque alio tempore ſolo ſigno crucis dæmones ex quodam inſigni Gentilium templo, vbi reſponſa dare ſolerent, eiecit. iterumq; vt redirent ſcripto iuſſit, quo tanto miraculo Chriſti potẽtiam Ædituo patefaceret: quem & aliis editis ſignis ad fidem conuertit, ac poſtea diaconum ordinauit, fidumque in receſſu ſocium habuit.

GREGORII THAVMATVRGI RECESSVS.
GREG. IMPERAT DÆMONIBVS.

XXII. Hoc item primo ſui Imperii anno, Decius comparato exercitu bellum ſuſcepturus aduerſus Perſas, reliquit Romæ *Valerianum*; cui ex Senatuſconſulto: magnis eius ſinceritatis præconiis, ſummam Cenſuræ contulit poteſtatem, vna cum legum ſcribendarum facultate: quod pluribus magnifice deſcribit Trebellius Pollio [g]. Inde vero accidit, vt in Edictis nomina inſciberentur Decii atque Valeriani: quorum nominibus extat edictum de perſecutione aduerſus Chriſtianos in Actis [h] S. Mercurii martyris, licet & Auguſti nomen Valeriano legatur inditum, quod adtitium putamus. Atque ex his complures tricas & ambages ſoluas, dum plerique martyres in perſecutione Decii & Valeriani vna paſſi leguntur, quos cõſtat non ſimul eodem, ſed diuerſo tempore imperaſſe: ſicut & eadem ratione, nonnulli ſub Valeriani Imperio paſſi, Decii perſecutioni aſſignantur: quod vna eademq; perſecutio vtriuſque cenſita fuerit.

CENSVRA VALERIANI ET SVMMA POTESTAS.
g *Trebel. in Valer.*
h *ap. Sur. 25. Nouemb.*

GALLI ET VOLVS. AN. I.

IESV CHRISTI AN. 254.

CORNELII AN. I.

I.

ANno Chriſti ducenteſimo quinquageſimo quarto, qui numeratur Decii Imperatoris ſecundus, à diuerſis diuerſi ponuntur Coſ. ſed illi nobis magis probantur, quibus Acta [a] Pionii martyris conſignantur, nimirum Meſſio Quinto Traiano Decio (tot enim nominibus appellatus reperitur Decius Imp. apud hiſtoricos) tertium & Grato ſecundum. Inter alios enim qui hoc anno in Oriente paſſi ſunt, magnopere celebratur *Pionus* Smyrnenſis Eccleſiæ presbyter, qui per crucem & ignem martyrium ſuſcepit: cuius tunc potiſſimum ſacerdotale robur enituit, cum eius Eccleſiæ Eudæmon Epiſcopus cum aliis nonnullis turpiter lapſus eſt. Extant ſinceriſſima eius Acta, à Chriſtiano homine qui tunc aderat fideliſſime ſcripta: atque illa ipſa (vt apparet) quæ ex Archiuo Eccleſiæ Smyrnenſis (vbi adtexta erant Actis martyrii Polycarpi eiuſdem olim ciuitatis Epiſcopi) in cõmentarium *de Martyribus* à ſe ſcriptum illata, Euſebius [b] tradit. Detergendus tamen puluiſculus ille, quo (vt in antiquis pene omnibus, accidit, ac iis præſertim quæ è Græco in Latinum tranſlata ſunt) in nonnullis aſperſa habentur. Scimus quidem alios Pionii martyrium referre ad Perſecutionem Marci Aurelii & Lucii Veri Impp. auctoritate eiuſdem Euſebii, aſſerentis illum eodem tempore, quo Polycarpus, paſſum eſſe. At non de Perſecutionis, ſed de anni tempore id intelligendum, declarant ipſa Acta: nimirum vt Pionius eodem recurrentis anni tempore, quo gentilis eius Polycarpus, captus ad martyrium fuerit, licet non eadem perſecutione. Nam & hoc modo Græcos omnes accepiſſe verba Euſebii, conſtat ex ipſorum Menologio, vbi abſque controuerſia habent Pionium ſub Decio paſſum.

a ap. Metaphr. & Sur. 1. Febr.

PIONII PRESB. MARTYRIVM.

b Euſeb. 4. hiſt. 14.

II. DE MARTYRIBVS HAC PERSECVT. PASSIS.

Sed quoniam perdifficile eſſet omnes enumerare martyres qui ſub Decio ſunt paſſi, ſatis putamus hic admonere, non omnium memoriam fuiſſe literis conſignatam: & quæ ſcriptis ſunt commendata, maiori ex parte Diocletiani incendio deperiiſſe: quorumdam autem qui ſiue Romæ (vbi inter alios paſſi ſunt Calocerus [c] Præpoſitus cubiculi vxoris Decii Imperatoris, & Parthenius alterius muneris primicerius) ac reliqua Italia, ſiue in Gallia, Hiſpania, Britannia, Sicilia (vbi inter alios celeberrima *Agatha* virgo, poſt acerbiſſimam mammillarum abſciſſionem, ac volutationem in teſtulis & carbonibus, aliaque dira tormenta, tandem in carcere ſpiritum reddidit) aliiſque Europæ, atque etiam Aſiæ & Africæ prouinciis paſſi ſunt, nomina tabulis Eccleſiaſticis eſſe ſuis diebus adſcripta, atque nonnullorum extare hactenus Acta antiquitus ſcripta.

c Martyr. Rom. 25. Dec.

III. FELICISSIMVS AVCTOR SCHISMATIS IN AFRICA.

Interim vero obortum eſt in Africa infeliciſſimum Schiſma Feliciſſimi presbyteri, antequam Cyprianus Eccleſiæ ſuæ reſtitueretur. Hic enim cum iam olim eiuſdem Cypriani electioni magnopere aduerſatus eſſet: captata occaſione eius ſeceſſus, vna cum aliis quinque presbyteris ſuæ factionis, nihil non egit vt tum Lapſos, tum ipſos etiam Confeſſores, quos Cyprianus (vt vidimus) redarguiſſet de nimia facilitate in danda Lapſis pace, à ſuo Epiſcopo diuelleret. Cum autem iam plures ſuis partibus addixiſſet, eoſdem ſeorſum in monte quodam cœpit colligere; eoque tandem audaciæ proceſſit, vt omnes pronunciaret excommunicatos qui Cypriano adhærerent. His igitur & aliis nefandis eius ſceleribus (quippe qui rapinarum etiam atque adulterii crimine, & quod magiſtratibus ſæcularibus ſecum adhibitis, impediſſet debitorum pauperum expunctionem à Cypriano fieri iuſſam, accuſatus eſſet) Cyprianus prouocatus, qui ſe hactenus patienter cõtinuiſſet, ſententia excommunicationis tam ipſum quam eius ſocios percellẽs, eam per quoſdam Epiſcopos ac presbyteros vbique promulgandam curauit. Conſtant hæc omnia ex variis ea de cauſa tunc ab ipſo Cypriano ex ſeceſſu ante Paſchæ tempus ſcriptis epiſtolis [d]. Hinc autem cœpta omnium malorum origo: cum hoc tempore conflatum ſchiſma in Eccleſia Africana tam altas fixit radices, vt nec multis ſæculis valuerit quauis arte conuelli: quin ſæpe ramis exciſis, ex veteri trunco nouis germinibus *Montenſium, Nouatianorum, & Donatiſtarum* hæreticorum pullulantibus, in dies magis magiſque ex iſto Feliciſſimo infeliciſſime fuerit propagatum.

IDEM CVM SVIS EXCOMMVNICATVS A CYPRIANO.

d Cypr. ep. 38. 39. 40.

IV. NOVATVS ROMAM ACCEDIT.

Eodem quoque tempore, quamuis adhuc perſecutione durante, multis tamen exigẽtibus cauſis, atque ea maxime quod Nouatus [e] Epiſcopus Africanus (qui licet ſe non palam prodidiſſet, incentor tamen fuerat & impulſor ſchiſmatis Feliciſſimi) Romam ſe contuliſſet, vt in ea Eccleſia æque diſcordias conflaret: coeuntibus ſimul Romanis clericis cum ſexdecim Epiſcopis qui in Vrbe reperti ſunt, adhibitoque populi ſuffragio: ſumma omnium conſenſione electus eſt in Chriſtianæ religionis Pontificem, CORNELIVS patria Romanus ex patre Caſtino, vir laudatiſſimus: qui per omnia Eccleſiaſtica officia promotus, & in diuinis adminiſtrationibus Dominum ſæpe promeritus, ad ſublime Sacerdotii faſtigium inuitus & coactus Dei iudicio peruenit. Narrat hæc pluribus Cyprianus [f] in epiſtola ad Antonianum ſcripta: vbi aperte demonſtrat, ea geſta eſſe viuente adhuc Decio, & perſecutione Romæ furente: atq; (vt puto) menſe Aprilis. Nam nondum tempore electionis eius celebratum fuerat Concilium in Africa, quod hoc anno menſe Maii collectum fuiſſe, idem Cyprianus [g] affirmat ad ipſum Cornelium ſcribens. Rurſum vero eum non fuiſſe creatum ante Paſchale tempus, eiuſdem Cypriani [h] literæ inſtante Paſchate ad ſuos datæ ſatis demonſtrant, dum de Clero tantum Romano, non etiam de Epiſcopo mentionem habent.

e Cypr. ep. 49. ad Cornel.

CORNELII PAPÆ ELECTIO QVALIS.

f Id. ep. 52.

g Id. ep. 55.

h Id. ep. 40.

V. DECII IMP. OBITVS.

Ab electione vero Cornelii haud multum poſt temporis ſpatium, Decium Imperatorem bello victum extinctumque eſſe, idem Cyprianus ad Antonianum ipſo Cornelii ſedis exordio ſcribens, ſatis expreſſe affirmat: qui & in libro *de Lapſis* plane teſtatur, diuina vltione Decium fuiſſe extinctum. Ex quibus apparet, veriorem eſſe ſententiam dicentium eum regnaſſe annum vnum, & ſecundum inchoaſſe per aliquot menſes. Id enim Euſebius [i] inprimis tradit in hiſtoria, affirmans eum nequaquam regnaſſe biennium: & diſtinctius in Chronico, imperaſſe tradit anno vno & menſibus tribus: quod etiam Caſſiodorus [k] confirmat: quippe qui regnare cœperit menſe Ianuario, & euoluto anni circulo deſierit menſe Aprili. Quod ſi Tribunitia illius Poteſtas in antiquis monumentis tertio repetita inuenitur: id accidit quod anno ante Philippi necem (vt dictum eſt) ab exercitu Imperator eſt appellatus, cum etiam Tribunitiam poteſtatem ex more conſecutus eſt.

i Euſeb. 7. hiſt. 1.

k Caſſiod. in Chron.

VI. DIVINA VLTIONE SVBLATVS DECIVS.

Quantumlibet autem Principis optimi ſpecimen ediciſſe viſus ſit, qui à ſuis *Traianus* cognomento dici meruit: reus tamen effuſi innocentis Chriſtiani ſanguinis, vleiſcente numine meritas dedit pœnas, dum aduerſus Gothos Mœſiam & Thraciam infeſtantes dimicans, à Treboniano Gallo Limitanei exercitus in Mœſia duce proditus, extincto filio ipſe equo ſalutem captans in profundam paludem incidit, à qua cõfeſtim abſorptus nuſquam amplius viſus eſt: quod pluribus narrat Aurelius Victor. Ceterum quod in antiquioribus omnibus Martyrologiis [l], die decimaoctaua menſis Octobris inter Sanctos adſcripta habetur *Triphonia* vxor Decii Cæſaris: eam Decii Iunioris qui cum patre imperauit, coniugem fuiſſe exiſtimo, potius quam Senioris, cuius vxor dicta reperitur *Herennia Salluſtia*: niſi forte plures habuerit vxores. Extinctis autem Deciis, idem qui ſupra *Caius Vibius Trebonianus* GALLVS inuaſit Imperium, filiumque VOLVSIANVM poſtea collegam ſibi adſciſcens, Auguſtum creauit: quorum quidem Imperii primo tempore Eccleſiam Dei à perſecutione quieuiſſe, ſicque extorres omnes ad ſua rediiſſe, teſtatur Dionyſius Alexandrinus, qui hæc omnia præſens ſpectauit oculis.

l Martyrol. Rom. Bed. Vſuard. Ado, &c.

GALLVS ET VOLVSIANVS IMPERANT.

VII. DE NOVA-

Quo tempore ab eodem qui in Africa ſchiſmatis incentor extiterat, Nouato, Romæ pariter maxima eſt diſſen-

[...]TO, EIVSQVE SCHISMATE.

diſſenſio concitata. Porro fuiſſe eum in Africa Epiſcopum (licet cuius Eccleſiæ, haud compertum habeatur) ex eo certum deducitur argumentum, quod Feliciſſimum quemdam (alium ab illo quem diximus presbytero) fuiſſe ab eo, nec permittente, nec ſciente Cypriano, diaconum ordinatum, idem Cyprianus [m] queritur: qui & eiuſdem nefandiſſima ſcelera deſcribens, ait eum rerum nouarum ſemper fuiſſe cupidum, auaritiæ inexplebili rapacitate furibundum, arrogantia ſuperbi tumoris inflatum: quaſi hæreticum ſemper & perfidum, omnium Epiſcoporum voce damnatum: curioſum, vt proderet: adulatorem, vt falleret: facem & ignem, ad conflanda ſeditionis incendia; turbinem & tempeſtatem, ad fidei facienda naufragia: hoſtem quietum, pacis inimicum: ſpoliatos ab eo pupillos, fraudatas viduas, pecunias Eccleſiæ denegatas: patrem eius in vico fame mortuum, & ab eo in morte poſtmodum nec ſepultum: vterum vxoris calce percuſſum, & abortione properante in parricidium partus expreſſum. Hæc & alia de Nouato Cyprianus: ob quæ (vt ait) cum mox eiici de Eccleſia haberet, iudicium Epiſcoporum voluntaria diſceſſione præceſſit, ac ſeipſum à communione Catholicorum præſcidit.

m Cypr. ep. 49. ad Cornel.

VIII. NOVATVS IVNGIT SE NOVATIANO.

Hic igitur talis cum in Vrbe Nouatianum presbyterum Romanum, qui ex philoſophia & dicendi peritia magnum faſtum ſibi comparaſſet, ob Cornelii electionem inuidiæ ſtimulis agitatum cerneret: cœpit vna cum illo aduerſus eumdem Cornelium agere, & multa de eo falſa iactans, alios quoſcumque ab eius communicatione retrahere: adeo vt etiam nonnullos ex Confeſſoribus, qui nupera perſecutione vincula ſuſtinuiſſent, in partes ſuas traxerit. Docet hæc fuſius ſuis epiſtolis [n] Cyprianus. Porro ſicut quando Nouatus qualis eſſet ſe oſtendit, accidit vt Feliciſſimi auctoris ſchiſmatis nomen velut obſcurum exoleuerit, & Nouatus ſchiſmaticæ factionis antelignanus ab omnibus nominaretur: ita & poſtea factum eſt, vt quamuis nonnulli antiqui ſcriptores nominum ſimilitudine Nouatum pro Nouatiano interdum vſurparint, & alii ambos in vnum conflarint: tamen *Nouatiani*, ſic dicti ſchiſmatici & hæretici à Nouatiano vt principaliori denominati fuerint: prout conſtat ex Cypriano, [o] dum alicubi eoſdem *Nouatianenſes* appellat.

n Id ep. 51. 52.
NOVATI ET NOVATIANI NOMINA INTER SE CONFVSA.
o Id ep. 73. ad Iubaian.

IX.

Auditis vero Carthagine electione Cornelii, & aduerſariorum conatibus: quod ea de re multorum eſſet anceps ſententia, viſum [p] eſt Cypriano ac collegis Epiſcopis in vnum coeuntibus, Caldonium & Fortunatum Epiſcopos Romam mittere, qui diſſidentes conciliarent, aut ſaltem rerum geſtarum veritatem in Africam ſcriberent, vt quibus communicandum eſſet cunctis liquido innoteſceret. Sed cum miſſi legati incaſſum omnia pertentarent: loco pacis viderunt ex improuiſo maius bellum exortum, dum aduerſarii primi omnium auſi Sanctam Romanam Eccleſiam turpi ſcindere Schiſmate, quæ hactenus vnita permanſerat iuncta capiti firma compaginatione membrorum, factioni ſuæ caput conſtituerunt NOVATIANVM, quem impudenter nimis per tres rudiores ac ſimpliciores Epiſcopos, vi & fraude ad hoc adactos, clandeſtine ordinarunt Romanum Epiſcopum: qui eius dignitatis fuerat aduerſus Cornelium appetentiſſimus, licet multis eſſet vitiis inquinatus, atque etiam ante baptiſmum fuiſſet exorciſtarum opera à maligno ſpiritu liberatus: immo & ſecundum [q] regulas Eccleſiaſticas, ordinis presbyteratus penitus incapax eſſet, quod in lecto ægrotans baptiſmum ſuſcepiſſet: ſicque non libere, ſed timore mortis Chriſtianus factus videretur. (Cuiuſmodi ſic baptizati, ab aliquibus non Chriſtiani, ſed *C[linici]* appellabantur.) Idem vero adeo fuit in fulciendo ſchiſmate ſacrilegus, vt etiam in diſpertienda ſanctiſſima Euchariſtia, ſuos cogeret iurare per corpus & ſanguinem Chriſti, ipſos numquam deſerturos illum, nec ad Cornelium reuerſuros.

p Id ep. 42. 45. ad Cornel.
PRIMVM IN ECCL. ROM. SCHISMA.
NOVATIANVS ANTIPAPA QVALIS.
q Cornel. ad Fab. Antioc. ap. Euſ. l. 6. hiſt. 35. Conc. Neocæſar. c. 12.
DE BAPTIZATIS IN LECTO.

X.

Sed habentur hęc omnia, & alia permulta huc ſpectantia, diffuſius enarrata in epiſtolis [r] S. Cypriani, & in ea quam ipſe Cornelius Papa [s] ſcripſit ad Fabium Antiochenum Epiſcopum, in cauſa Nouatiani titubantem, cum idem Nouatianus mox poſt ſuam illegitimam ordinationem, legatos cum literis tam ſuo, quam illorum Confeſſorum qui ei adhæſerant nomine cōſcriptis, miſiſſet tum ad eumdem Fabium, tum ad Dionyſium [t] Alexandrinum, necnon Cyprianum [u], atque omnes [x] denique Eccleſias: quibus tum ipſum Cornelium eiuſdem cum Lapſis apoſtaſiæ criminaretur, quod eoſdem Lapſos poſt actam pœnitentiam in Eccleſiam reciperet, tum omnes hortaretur, ne eos qui poſt baptiſmum grauiter deliquiſſent ad communionem admitterent. Qui enim in Africa primo (vt vidimus) Nouatus cum ſuis, Lapſos aduerſus Cyprianum concitauerat, quod non protinus in Eccleſiam reciperentur, ſed ex decretis Eccleſiaſticis iuberentur prius agere pœnitentiam: idem poſtea à Feliciſſimo ſe ſeparans, & more omnium hæreticorum atque ſchiſmaticorum mutans pro occaſione laruam, Romæ in gratiam Confeſſorum, quos ea fraude demulſit, negotium Cornelio faceſſit quod Lapſos pœnitentes reciperet in Eccleſiam.

r Cypr. ep. 42. 52.
s ap. Euſ. 6. hiſt. 35.
NOVATIANI ARTES IN SCHISMATE FVLCIENDO.
t Ibid. c. 37.
u Cypr. ep. 1.
x Socr. lib. 4. cap. 23.

XI. SYNODI CARTH. ET ROM. IN CAVSA LAPSORVM.

Cum autem & Cornelius ſuas pariter ad omnes Eccleſias direxiſſet epiſtolas, Cyprianus illis acceptis copioſam habuit *Carthagine* Epiſcoporum SYNODVM in eorumdem cauſa Lapſorum, vbi poſt iteratam Feliciſſimi ſchiſmatis Africani auctoris (qui & ipſe cauſam ſuam acturus ad Synodum venit) eique adhærentium damnationem & excommunicationem, de Lapſis illud ſalubri moderamine (ne vel ipſi deſperatione deficerent, vel rurſus cenſura Eccleſiaſtica ſolueretur) ſtatutum eſt, vt traheretur diu pœnitentia, & examinatis ſingulorum cauſis & caſibus, ſecundum eorum lapſus differentiam, poſt præſcriptum tempus & modum pœnitentiæ, in Eccleſiam reciperentur. Quod item ſuum, *Romæ* itidem habita à Cornelio Papa SYNODO, eſt firmius ſtabilitum: illudque amplius ſtatutum, ſic ſacerdotes lapſos pœnitentes ad Eccleſiam admittendos eſſe, vt tamen à ſacerdotali functione abſtinerent, & tantum laica communicatione impertirentur. Docentur hæc omnia in epiſtolis [y] Cypriani: quæ vero poſtea in eadem cauſa Lapſorum geſta fuerint, dicetur anno ſequenti.

y Cyp. ep. 42. 52. 55. 68.

XII. CYPRIA. SCRIBIT DE VNIT. ECCLESIÆ.

Hoc autem ferme eodem tempore, idem S. Cyprianus conſulere ſtudens iis qui illorum Confeſſorum, quos Nouatus & Nouatianus Romæ ſeduxerant, exemplo & literis in ruinam inducebantur: librum illum meditatus eſt, quem *De Vnitate Eccleſiæ Catholicæ* titulo prænotauit, ita quidem comparatum, vt non ad Nouatianos tātum conterendos, ſed ad omnes quotquot vmquam fuiſſent vel futuri eſſent, hæreticos atque ſchiſmaticos proſternendos, ſolus ſufficiens omnino foret. Quippe qui oſtenſa ſemel ac demonſtrata vna tantum Eccleſia, eaque in Petri cathedra cognoſcenda, ceteras autem eidem vt membra capiti eſſe connexas; plane declaret omnes ab Eccleſia Catholica eſſe diuiſos, eoſdemque ſchiſmaticos vel hæreticos iudicandos, qui vni Eccleſiæ, ipſi (vt ait) Cathedræ Petri, non eſſent compage communicationis vniti. Porro ſedem Cornelii eſſe Petri Cathedram, idem alias ſæpe demonſtrat, noſque ea de re plura ſuperius.

XIII. CONFESSORVM RESIPISCENTIA.

Interea dum contigiſſet, Nouatum vna cum aliis quibuſdam ſchiſmaticis, Roma in Africam ad euertendam illam Eccleſiam legationem ſuſcepiſſe, feliciter accidit vt qui ab eodem Nouato Romæ fuerant ſeducti Confeſſores, cognito dolo & malitia hominis, ad Eccleſiam ſponte ſint reuerſi, & Cornelium legitimum Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopum agnouerint: eorumque exemplo magna eorum pars qui ſeducti in Africa fuerant, pariter errorem ſuum depoſuerint: prout de his omnibus teſtes ſunt Cornelii & Cypriani vltro citroque ſcriptæ epiſtolæ [z]. In quibus notanda eſt formula profeſſionis, ſub qua pœnitentes ad Eccleſiam reuerſi ſunt: quæ eſt huiuſmodi, *Nos Cornelium Epiſcopum ſanctiſſimæ Catholicæ Eccleſiæ, electum à Deo omnipotente & Chriſto Domino noſtro ſcimus: Nos errorem noſtrum confitemur: nos impoſturam paſſi ſumus: circumuenti ſumus perfidia & loquacitate captioſa. Nam etſi videbamur quaſi quamdam communicationem cum ſchiſmatico & hæretico homine habuiſſe: ſincera tamen mens noſtra ſemper in Eccleſia fuit.*

z ep. Cyp. ep. 46. 47. 48. 49.
PROFESSIO CONFESSORVM.

Nec enim ignoramus vnum Deum eſſe, vnum Chriſtum eſſe Dominum, quem confeſſi ſumus, vnum Spiritum Sanctum: vnum Epiſcopum in Catholica Eccleſia eſſe debere. Quibus quidem cum videas Romanum Pontificem titulo EPISCOPI CATHOLICÆ ECCLESIÆ inſigniri: inde quoque intelligas (quod ſæpius diximus) non immerito tum ipſum Cyprianum, tum alios ſanctiſſimos Patres illam frequenter dictionem vſurpaſſe, vt diuidi à Romano Pontifice, idem ſit quod ab vniuerſa Eccleſia ſchiſmate ſeparari: rurſumque illi communicare, id ipſum ſit quod Eccleſiæ Catholicæ vnitate coniungi.

XIV. NOVATIANI HÆRESIS.

Ceterum fuerunt iſta impia Nouatiani dogmata, vt doceret lapſos Dei iudicio relinquendos, nec vllum eorum habendum eſſe diſcrimen, criminumue diſtinctionem. Hæc autem illum ex Stoica philoſophia quam profeſſus erat, conatum eſſe in Dei Eccleſiam introducere, Cyprianus [a] demonſtrat: quamuis & iam eſſent eiuſmodi peruerſi dogmatis in Montani hæreſi impreſſa veſtigia; dum ex Montani Paracleto illud quoque ſibi vendicauit Tertullianus [b], vt in mœchiam lapſos, in Eccleſiam recipiendos eſſe negaret. Quapropter & Pacianus [c] ad Sympronianum Nouatianum ſcribens, eam Nouatianorum opinionem pœnitentiam vſquequaque damnantium, ab hæreſi κατὰ Phrygas ſumptam eſſe, & Nouatianum ſuoſque ſecutos eſſe Tertullianum, demonſtrat.

a Cypr. ep. 52.
b Tert. li. de pudic.
c Pac. ep. 1. & 3.

XV. DOGMATA NOVATIANORVM.

Sed hæc à Nouatiano prima excogitata impietatis dogmata, à ſucceſſoribus (vt de aliis quoque hæreſibus accidere conſueuit) aucta ſunt ac turpius deformata. Eos enim non admittere ſecundas nuptias, & hoc ipſum ex ſecta Montani: abnegaſſe quoque baptiſmum, & quæ præcedunt baptiſmum, fidem ſcilicet & confeſſionem, ſcribit Dionyſius [d] Epiſcopus Alexandrinus. Hocque puto eſſe quod Theodoretus [e], affirmat, baptizatos in Eccleſia Catholica iterum à Nouatiano baptizari conſueuiſſe. Rurſum vero Nouatiani ſectatorem quemdam negaſſe Petrum Apoſtolum fuiſſe baptizatum, S. Auguſtinus [f] affirmat. Quod præterea ſe *Mundos* dicerent, nec vel aliquando lapſos, ac neque conſortium vellent habere cum lapſis, pulchro nomine καθαροὺς ſe dici voluiſſe, affirmat Euſebius [g]: eoſdemque decoros candidis veſtibus incedere ſolitos, Socrates [h] tradit: qui tamen nomen ſuum ſi voluiſſent agnoſcere, mundanos ſe potius quam mundos vocaſſent, vt egregie inquit S. Auguſtinus [i], dum in illos inuehitur quod negarent Eccleſiæ datas eſſe claues ad dimittenda peccata: adeoque articulum Symboli Apoſtolici quo remiſſionem peccatorum confitemur, proſcriberent. Quod autem de Nouato ſeu Nouatiano apud Epiphanium [k] legitur, Trinitatis confuſionem docuiſſe, quam poſtea Paulus Samoſatenus aſſeruit: puto eius nomen irrepſiſſe in textum aliunde. Nam & Nouatum & Nouatianos recte ſenſiſſe de Trinitate, probauit Nicæna Synodus.

d Dionyſ. Alex. ap. Eu. 7. hiſt. 7.
e Theo. hær. fab. lib. 3.
f Aug. ep. 108.
g Euſ. 6. hiſt. 43.
h Socr. lib. 5. cap. 20.
i Aug. de agon. Chriſt. cap. 31.
k Epiph. hær. 65.

GALLI ET VOLVS. AN. 2.

IESV CHRISTI AN. 255.

CORNELII AN. 2.

ANnus Chriſti ducenteſimus quinquageſimus quintus Gallo & Voluſiano Augg ſecundum Coſſ ex antiquis [a] inſcriptionibus eſt adſcribendus, licet ab aliis Galli ſecundus tantum Conſulatus, Voluſiani primus ponatur. Quo anno videtur habita Romæ SYNODVS illa, cuius meminit Euſebius [b], ſexaginta Epiſcoporũ, totidemque presbyterorum & amplius, vna cum diaconis, aduerſus Nouatianum (quem ipſe Nouatum vocat) & alios eiuſdem ſchiſmatis ſectatores: additque & per ſingulas vbique prouincias alios Epiſcoporum conuentus in eadem cauſa habitos eſſe, ac tandem ab omnibus eſſe decretum, Nouatianos omnes ab Eccleſia excluſos eſſe, Lapſos autem poſt pœnitentiam recipi debere. Extat præterea apud eumdem Euſebium [c], dum recenſet epiſtolas à Dionyſio Alexandrino diuerſis ex cauſis ſcriptas, peculiaris mentio Concilii habiti Antiochiæ aduerſus eos qui in Oriente partibus Nouatiani fauerent: contra quos eumdem Dionyſium validiſſime decertaſſe, ſatis conſtat ex ipſius ſcriptis apud eumdem Euſebium. Idque ipſum in Africa à Cypriano præſtitum eſſe, docent plurimæ ab eo ſcriptæ epiſtolæ, aliæque eiuſdem lucubrationes.

a ap. Huber. & Adolph.
b Euſ. 6. hiſt. 43.
CONCILIA PLVRA IN CAVSA LAPSORVM.
c Ibid. c. vlt.

II.

Sed & ab eodem habita eſt hoc ipſo anno Idibus Maii Carthagine SYNODVS, cui interfuerunt quadraginta duo Epiſcopi: ex qua miſſa eſt ad Cornelium Romanũ Pontificẽ Synodica [d], quâ Patres declararunt ſe frequentibus oſtenſionibus admonitos de proxima rurſum perſecutione, coactos fuiſſe omnibus lapſis, qui ſe hactenus vere pœnitentes demonſtraſſent, ſtatim aperire portas Eccleſiæ, vt in ea roborati communione ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, aliorumque ſacramentorum, tutiores redderentur fortioreſque aduerſus ingruentes hoſtes. Ad hæc autem plane tempora referendum eſſet, quod tradit Socrates [e], & ipſe ſecta Nouatianus: ab illo tempore quo Nouatiani ſe ab Eccleſia ſeiunxerunt, Epiſcopos Catholicos in ſingulis Eccleſiis Presbyterum Pœnitentiarium conſtituiſſe. Sed Presbyterorum pœnitentiariorum qui occulta audirent delicta, antiquiorem fuiſſe in Eccleſia vſum, iam ſatis demonſtratum eſt alia occaſione ſuperius [f]. Lapſorum vero reſtitutio (quod ii publice deliquiſſent) haud tale erat opus, quod vni poſſet demandari presbytero: quandoquidem id tunc fieri ſolitum ab Epiſcopo, de totius Cleri populique conſenſu, Cyprianus [g] ad Cornelium ſcribens ſui exemplo ſatis oſtendit.

d Ext. ep. Cypr. ep. 54.
FVTVRÆ PERSECVTIONIS PRÆSAGIA.
e Socr. lib. 5 cap. 19.
f ſup. an. 56
g Cypr. ep. 55

III.

Accidit præterea, vt cum *Priuatus* Lambeſitanus Afer, veterator hæreticus, de cuius damnatione dictum eſt ſuperius (qui & poſtea vacante Sede Romana, ab ea Eccleſia communicationem Catholicam fraudulentur [h] ſuffurari fruſtra tentauerat (vna cum ſuis ad nuper dictam Carthaginẽſem Synodũ veniſſet, quaſi acturus cauſam ſuam: ſed quod fuiſſet antea ſæpe damnatus, ab eodẽ tunc conuentu excluſus eſſet: idem collectis ſecum quinq; pſeudoepiſcopis. multorum criminum atque etiam apoſtaſiæ reis, ideoq; & Catholicorum Epiſcoporum iudicio communione Eccleſiaſtica iam antea priuatis: ibidem Carthagine aduerſus S. Cyprianum creauerit pſeudoepiſcopum *Fortunatum*, vnum ex illis quinq; presbyteris ſchiſmatis Feliciſſimi conſciis, iampridem excommunicationis ſentẽtia ab Eccleſia eiectis: hic vero mox eumdem ipſum Feliciſſimũ ſchiſmatis auctorem, cum magna ſuorum caterua legatum Romam ad Corneliũ Pontificem miſerit ad obtinendam ab eo Catholicam cõmunicationem, & aduerſus Cyprianum accuſationẽ intentandam: qui tamẽ à Cornelio penitus repulſi ſunt Narrantur hæc omnia pluribus in prolixa illa epiſtola, q̃ poſt eadem peracta Cypr. [i] ad ipſum Corneliũ aduerſus eoſdẽ ſchiſmaticos ſcripſit.

h ap. Cypr. ep. 10.
FORTVNATVS PSEVDOEPISC. CARTH.
i Id. ep. 55

IV.

Quid vero poſthæc de illis actum ſit, non ſatis conſtat. Perſecutio enim hoc eodem anno iterum renouata, iſtas impræſentiarum controuerſias diremiſſe viſa eſt: quam & tum iam cœpiſſe cum has de ſchiſmaticis Cyprianus ad Cornelium literas dedit, inde manifeſtum redditur, quod edicta propoſita, ſeque ipſum in Circo acclamationibus populi ad leonem denuo poſtulatum paulo antequam illas ſcriberet, ipſe iiſdem teſtetur. Porro leges de Lapſis, quæ Romæ & in Africa fuerant conſtitutæ (nimirum eos probandos prius in pœnitẽtia, nec ante eam abſolutam recipiendos, niſi periculum mortis inſtaret, aut alia vrgeret cauſa) eaſdem ſeruari quoque fuiſſe ſolitas in Ægypto, & alibi in Oriente, ſatis demonſtratur epiſtola quam S. Dionyſius [k] Alexandrinus hoc ipſo tẽpore ſcripſit ad Fabium Antiochenum Epiſcopum, quem nonnihil erga Nouatianum inclinatum in Catholica communione ſtabiliuit. Ceterum eumdem Fabium ſub horum Imperatorum tẽpore diem obiiſſe, & in eius locum ſubrogatum eſſe *Demetrianum*, Euſebius in Chronico ponit.

LEGES DE POENITENTIA LAPSORVM VBIQVE SERVATA.
k ap. Euſeb. 6. hiſt. 36.

V. PERSECVTIO GALLI ET VOLVS.

Sed quod pertinet ad excitatam hoc anno à Gallo & Voluſiano Imperatoribus PERSECVTIONEM, qua Dionyſius [l] Alexandrinus queritur crudeliſſime exagitatos eſſe ſanctiſſimos viros, qui pro Imperatorum incolumitate ac pace Imperii enixe Deum precari ſolerent; quanto ea furore graſſata fuerit, non ſolum docet quod Cyprianus

m exiſti-

[m] Cypr. ep. 66. & lib. de exhort. mar.

[m] exiſtimauit occaſum ſæculi & tempus Antichriſti appropinquaſſe: ſed etiam quod Cornelius Papa ſcribens ad Lupicinum Viennenſem Epiſcopum, ait Romæ Imperatorem ad hoc conſtitutum eſſe ideoque nec in Cryptis notioribus Miſſas agere Chriſtianis licuiſſe. Porro quod ait de Imperatore Romæ conſtituto, plane ſignificare videtur Voluſianum Galli filium à patre Auguſti nomine inſignitum: niſi magis intelligi placeat HOSTILIANVM PERPENNAM, qui (vt tradit Aurelius Victor) regnantibus Gallo & Voluſiano, Imperator à Senatu creatus eſt: quem perperam Eutropium cum Gallo confudiſſe conſtat. Ac fortaſſe Senatus deorum cultui deditiſſimus, quod vidiſſet Gallum & Voluſ. pacem reddidiſſe Eccleſiæ, ad exturbandos (quod cœperat Decius) Chriſtianos, eumdem Hoſtilianum in Imperium prouexit; Gallus autem & Voluſianus ex Senatus ſententia, à Decio cœptam, & ab Hoſtiliano inſtauratam, proſecuti ſunt Chriſtianorum vexationem. Hoſtilianum enim haud multò poſt abſumptum eſſe peſtilentia, idem Victor tradit.

HOSTIL. PERPENNA ELECTVS IMP.

VI. PESTIS IMMANIS.

Siquidem hoc ipſo anno ſecundo Galli & Voluſiani inchoante, Domini vero ducenteſimo quinquageſimo quinto (vt ponit Euſebius) cœpta eſt immanis illa LVES quæ vniuerſum fere depaſta eſt Orbem, quam æque ſcriptores [n] Ethnici ſub iiſdem Imperatoribus collocauit: eamdemque ab Æthiopia originem duxiſſe, ac in vniuerſum Orbem progreſſam vix intra decennium [o] quieuiſſe tradunt. De qua & Orioſius [p] ait, nullam fere prouinciam Romanam, nullam ciuitatem, nullam domum fuiſſe, quæ non illa generali peſtilentia correpta atque vaſtata fuerit. Agens pariter de eadem Gregorius Nyſſenus in vita Magni Thaumaturgi, docet eam in Neocæſarienſes per angelos malos immiſſam eſſe: vlciſcente numine eorum impietatem, ſed ad Euangelii profectum id Deo permittente, cum per eumdem Thaumaturgum ab ea liberati omnes ferme CHRISTO nomen dederunt. De eadem quoque lue Africam infeſtante, deque S. Cypriani ſedulo tunc officio, non ſolum erga Fideles, ſed etiam ipſos Gentiles impenſo, plura habet Pontius in eius Vita. Quo etiam tempore idem Cyprianus libellum *De mortalitate* ſcripſiſſe cognoſcitur: quo cum debiles ad tolerantiam, & ad contemptum humanæ vitæ excitauit, tum etiam eos arguit, qui offenderentur quod debitum Gentilium crudelitati ſupplicium Chriſtianos quoque pertingeret: docens pluribus, quam ea peſtis proficua eſſet ipſis etiam Chriſtianis. Ceterum quod non ante perſecutionem inſtauratam exorta fuerit, apparet ſcelerum impiorum vltricem & ſanguinis Chriſtiani eamdem vindicem, prodiiſſe: quod & Oroſius, & alii Chriſtiani ſcriptores æque teſtati ſunt.

[n] Eutrop. in Gal. & Voluſ.
[o] Pomp. Læt. in Gal.
[p] Oroſ. lib. 7 cap. 21.

EA PROFICVA CHRISTIANIS.

VII. CORNELII PAPÆ CONFESSIO ET EXILIVM.

Porro perſecutione quam diximus graſſante, ipſo ferme eius exordio *Cornelius* Romanus Pontifex, poſt glorioſam tum ſuam tum totius Cleri ſui confeſſionem, cum maxima eiuſdem Cleri parte exul miſſus eſt ad Centum cellas (deſcribitur locus ille egregie à Plinio [q] Secundo) vbi poſitum, & de proſtrata perfidia triumphantem, S. Cyprianus [r] litteris viſitauit, & immenſis laudibus proſecutus eſt. Quod vero ad tempus eius martyrii pertinet: præterquam ex dictis de Fabiani eius anteceſſoris martyrio, annoque vno & amplius vacantis ſedis, ac inſtitutione ipſius Cornelii, ſatis perſpicue declaratur, ipſum non ſub Decio, ſed ſub Gallo & Voluſiano paſſum eſſe: accedit inſuper Euſebii [s] repetitum teſtimonium, necnon S. Hieronymi [t] auctoritas, qui abſque vlla dubitatione ponunt Cornelium ſediſſe, & martyrio coronatum eſſe ſub iiſdem Gallo & Voluſiano. Quapropter his auctoritatibus atque rationibus reliqui omnes, quantuſcumque ſit eorum numerus, erroris redarguuntur, qui ſiue paſſum ſub Decio, ſiue ſub Valeriano ſcripſerunt: quamquam & perſecutionem iſtam ſub Decio ſemel cœptam, à Gallo poſtea & Voluſiano, demumq; à Valeriano reſtitutam, non diuerſas eſſe numeratas, ſed vnam eamdemque ab auctore Decio qui eam indixit, eſſe denominatam: & quæ ſub Decio geſta ſunt, ſub illis aliis contigiſſe, vel contra quæ ſub iſtis acciderunt, Decii temporibus attribui conſueuiſſe: permulta ſuppetunt exempla in Martyrologiis, Actiſque martyrum, atque aliis probatis auctoribus [u]. Sed tamen nec iſto modo ab errore vacant, qui Cornelium viuente Decio dixerunt ſubiiſſe martyrium. Quod vero ſedis eius duos, alii tres vel circa ponunt annos, cum re vera nec biennium expleſſe conſtet: inde accidiſſe videtur, quod omnibus illis incompertum penitus fuerit magnũ illud vacationis ſedis Fabiani temporis interſtitium: quod non niſi ex S. Cypriani citatis epiſtolis, iiſdemque diligenter inſpectis, aſſequi licet.

[q] Plin. 6. ep. 31.
[r] Cyp. ep. 57.
[s] Euſ. in Chro. & 7. hiſt. l. 2.
[t] Hier. de ſcript. Eccl. in Cornel.
[u] Hie. in vit Pauli primi erem. & de ſcrip. eccleſ. in Method. Opt. lib. 3.

VIII. CORNEL. PP. MARTYRIVM.

Ceterum teſtantur eiuſdem Cornelii Acta [x], Imperatorem cum audiſſet frequenti cum concurſu Fidelium, abſentium literis viſitari, eumdem Romam accerſiſſe, & tamquam ea fierent contra Rempublicam, quodque recuſaret diis ſacrificare, capite truncari iuſſiſſe, vna cum Cereali eius cuſtode, ac tota huius domo, quam idem Cornelius poſt reditum à Centumcellis ad fidem Chriſti conuerterat miraculo reſtitutæ ſanitatis Salluſtiæ Cerealis vxori paralyticæ: quæ & ipſa eadem cum à'iis die martyrio coronata eſt. Addunt vero, eiuſdem Cornelii aliorumque corpora ſepulta eſſe à beata Lucina ad Cœmeterium Calliſti via Appia. Adnumerat. S. Hieronymus eumdem Cornelium inter Scriptores Eccleſiaſticos, ob quaſdam ab eo ſcriptas epiſtolas quas ipſe recenſet. Cum autem vacaſſet ſedes eius (vt emendatiores codices habent) dies triginta quinque, ſuffectus eſt in locum eius LVCIVS Romanus ex patre Porphyrio, vnus ex presbyteris confeſſoribus qui cum Cornelio exulauerant. Hunc vero non poſt multum temporis à creatione ſua fuiſſe à perſecutoribus relegatum, apparet ex epiſtola ad eum anno ſequenti à Cypriano [y] ſcripta. Eſtque etiam mentio de eius exilio in libro de Romanis Pontificibus.

[x] Ap. Adon. 14. Sept. Rec. Baron. Ampliora Annal. to. 2. hoc. an.
[y] Cyp. ep. 58.

LVCIVS PAPA.

IESV CHRISTI AN. 256.

GALLI ET VOLVS. AN. 3.

LVCII AN. 1.

I.

ANno Chriſti ducenteſimo quinquageſimo ſexto ponitur Maximi Conſulatus, ſed male cum collega Voluſiano ſecundum. Hunc enim iam anno ſuperiori ſecundum Conſulatum geſſiſſe vidimus: nec niſi duos geſſiſſe, dicetur in eius obitu. Tu igitur loco Voluſiani reſtitue Valerianum, qui hoc anno primum ſuum Conſulatum geſſiſſe, ſequenti vero ſecundum, ex antiquis nummorum inſcriptionibus reperitur. Hoc autem anno Lucius Papa ab exilio relaxatus (neſcitur cauſa, cum adhuc perſecutio inſtaret: niſi quod diuino nutu id accidiſſe, liber de Romanis Pontificibus tradit) Romam reuerſus eſt: ad quem ſtatim Cyprianus & collegæ Epiſcopi Africani, ei congratulantes, literas [a] ſcripſerunt.

[a] Cypr ep. 58

II. PESTIS, FAMES, AC BELLA.

Graſſabantur interea in vltionem hominis Chriſtiani, vna cum peſte de qua dictum eſt anno ſuperiori, fames pariter (vt ex Dionyſii Alexandrini epiſtolis Euſebius [b] docet) atque bella: nam Perſarum motus recrudeſcebant, iamque Armeniam occupabant: & Scythæ prioribus victoriis aduerſus Decios obtentis (quibus tanta affectum clade Romanum Imperium fuit, vt tunc primum pro pace redimenda, Scythis Romanus populus [c] tributum pependerit) audaciores facti, Macedoniam, Theſſaliam & Græciam incurſabant: aliæque nationes barbaræ ſeſe in Romanum Imperium infundebant: (quæ omnia recenſet Zonaras, dum res proſequitur Galli & Voluſiani) cum tamen, tantum abeſt vt Gentiles facti ſint prudentiores explorata malorum cauſa, vt potius Chriſtianis acerbius inſultarent, ipſoque quod deos contemnerent, malorum omnium eſſe cauſam ſolito more exprobrarent. Quæ cum per Demetrianum in Africa his diebus Proconſulem, atque alios Ethnicos magis magiſque diffamarentur: S. Cyprianus [d] eo argumento ad eumdem & in eumdem, dignam plane tanto ſacerdote pro Chriſtianis apologeticam, & aduerſus Gentiles eorumque ſuperſtitiones inuectiuam, magna dicendi libertate

[b] Euſ. 7. hiſt. 17.
[c] Pomp. Læt. in Gal.
[d] Cypr ad Demetrian.

CYPRIANVS SCRIBIT PRO CHRIST.

ſcripſit orationem, ſæuiente adhuc (vt apparet) perſecutione, quæ nec adueniente peſte remiſſa penitus fuiſſe videtur.

III. GALLVS ET VOLVSIANI IMPP. OCCISI.

Sed quod eadem oratione conteſtatus eſt numquam Deum fuiſſe inultum Chriſtianum ſanguinem: re ipſa paulo poſt impletum eſt, occiſis ipſis Imperatoribus Gallo & Voluſiano: licet de eorum necis tempore diuerſæ reperiantur auctorum ſententiæ. Aurelius enim Victor eos biennium imperaſſe tradit: Eutropius [e] vero dictum tempus non expleſſe: idque ipſum Oroſius [f]: Ait Euſebius in Chronico tribuit eis annos duos & menſes quatuor: in Hiſtoria [g] vix biennium integrum: annis autem duobus & menſibus quatuor, conſentiunt pariter Epiphanius [h] & Caſſiodorus [i]. Quod vero horum temporum res geſtæ, ſcriptorum inopia tantis tenebris inuolutæ remanſerint, vt difficile ſit aliquam earum partem notare, in qua veteres auctores inter ſe conſentiant: aliunde prorſus colligenda eſt iſtorum Imperatorum ratio annorum: nempe ex nummis & lapidibus antiquis, quibus ad id genus controuerſias diſſoluendas non aliud certius eſt præſidium. Quamobrem cum ex veteribus eiuſmodi monumentis [k] conſtet, eoſdem quarto Tribunitia Poteſtate auctos eſſe: ſitque ſæpius demonſtratum, ſingulis Imperii annis Tribunitiam poteſtatem conferri ſolitam: ex his manifeſte videas, ad quatuor annos Imperium prorogaſſe. Quoniam vero iiſdem imperantibus, Valerianus ab Alpinis militibus anno ſuperiori acclamatus Imperator, conſecutus eſt pariter Tribunitiam poteſtatem (id enim exploratum redditur ex antiquis nummorum inſcriptionibus [l], in quibus primus Gallieni, qui vna cum patre Valeriano regnauit, Conſulatus quem geſſit anno ſequenti, iunctus reperitur cum Tribunitia poteſtate tertium repetita: ſecundus vero, quem poſt annum ſequentem geſſit, cum quarta) inde factum exiſtimamus, vt nonniſi biennium Gallo & Voluſiano à nonnullis tributum fuerit: videlicet quod non ad eorum necis, quæ tantum contigit anno ſequenti, ſed ad Valeriani & Gallieni, qui eiſdem ſuperuixerunt, creationis tempus reſpectum habuerint.

e Eutrop. l. 9. f Oroſ. lib. 7. cap. 21. g Euſ. 7. hiſt. 9. h Epiph. de menſur. i Caſſiod. in Chron. k Habens Hubert. in Theſau. & Adolp. in Num. l Adolph. ibid.

IV. ORIGENIS OBITVS.

Hoc eodem anno Domini ducenteſimo quinquageſimo ſexto, Origenem extremum clauſiſſe diem ex Euſebio [m] colligitur, dum ait id accidiſſe anno illius ætatis ſexageſimo nono: quem videlicet eiuſdem Euſebii teſtimonio ſuperius vidimus, anno decimo Seueri Imperatoris (eſt is Domini ducenteſimus quartus) natum annos ſeptemdecim. Qui autem viuens in ſcribendo ſæpe redargutus eſt erroris multo amplius poſt mortem eſt hæreſis infamatus. Quamobrem pluribus opus habuit Apologiis: quarum primam à Pamphilio martyre conſcriptam credidit aliquando Hieronymus [n], ſed poſtea retractans [o] Euſebii non Pamphili eſſe affirmauit. Sane quidem ſuam eſſe teſtatur ipſe Euſebius [p], quam tamen ſcripſerit adiutus à Pamphilio. Vulgata quoque extat pro eodem Origene Ruffini Apologia, ſed à S. Hieronymo in multis reprehenſa. Hæc vero olim ad Hieronymi vſque tempora fortaſſe licet facta ſunt. Sed miratus ſum vehementer, poſt damnationem Origenis ab Anaſtaſio Papa factam, poſt eiuſdem reprobationem in Quinta Oecumenica Synodo pronunciatam, poſt tot antiquorum Patrum in id ipſum conſpirantes ſententias: adhuc recentiores quoſdam auſos eſſe, pro eodem nouas edere Apologias, & auctoritate totius Catholicæ Eccleſiæ iudicatas ſæpius controuerſias denuo temere excitare: quod viſus eſt feciſſe haud pridem Sixtus Senenſis.

m Euſ. 7. hiſt. 1. n Hier. de ſcript. Eccl. in Pamph. o Id. ep. 61. ad Pamach. de error. Orig. & in Apol. cont. Ruff. p Euſ. 6. hiſt. 20. 29. APOLOGIA PRO ORIGENE.

V. DE SCRIPTIS ORIG.

Ceterum Origenis operum lectionem, ſicut nec Tertulliani, vel horum ſimilium, non inuenimus penitus improbatam: licet quod ſpectat ad dogmata: ea ſit de eius ſcriptis cenſura [q] Gelaſii, vt illa tantum quæ S. Hieronymus non repudiat, dicat eſſe ſuſcipienda, reliqua vero cum ſuo auctore reiicienda. Quod autem aliquando Ariani quamdam eius diſputationem, in ſuam ſententiam trahere conati ſunt: eumdem Athanaſius [r] hac ex parte Catholicum, ab eorum calumniis reddit immunem. Inualuit vero apud antiquos de eodem, illa ſententia à Caſſiodoro [s] recitata: *Vbi bene, nemo melius: vbi male, nemo peius.* At de eius ſcriptis alias pluribus, cum ea controuerſia ſæpius in Eccleſia eſt agitata, & errores eius ſigillatim enumerati. Seriem autem librorum, tum Euſebius tum alii plures deſcripſerunt. Sed quod tradit Epiphanius [t], & alii, ſcripta fuiſſe ab eo librorum ſena millia: haud facile Hieronymus [u] credidit. Quanta vero fuerit tanti viri lapſus, in Eccleſia Dei offenſio atque tentatio, fuſe deſcribit ac peregregie Vincentius [x] Lerinenſis: eamdemque fuiſſe docet ſaluberrimam commonitionem, ne quempiam quantumlibet eruditum ſibi quis ſequendum ſuſcipiat, quem non inſiſtere traditionibus Eccleſiaſticis & ſanctorum Patrum veſtigiis inuenerit.

q Gelaſ. in Conc. Rom. decr. de lib. apocry. r Athan. de Syn. Nic. decr. cont. hær. Arian. s Caſſiod. inſt. diuin. Lect. t Epiph. hær. 64. Ruff. in Apol. u Hier. ep. 65. & Apol. cont. Ruff. lib. 2. x Vinc. Lerin. cont. hær. cap. 23.

VI. DE DVOBVS ORIGENIBVS OPINIO.

Duo porro conſtituuntur à nonnullis Origenes: quorum alter *Adamantius*, de quo eſt ſermo, dictus ſit; alter plane ignotus, ex quo Origeniſtæ *Turpes* ſunt cognominati, quod cum matrimonium damnarent, in omnium libidinum cœno velut ſues volutarentur: quorum meminerunt Epiphanius [y] & Auguſtinus [z]. Verum exiſtimamus, nonniſi vnum Adamantium extitiſſe aliquando Origenem: qui vero alium effinxerunt, ideo feciſſe vt de Origene labes aſperſas in illum egererent; vel quod Origenis ſectatores in deterius prolapſi, etiam Gnoſticorum ſordibus ſint infecti, & ad differentiam aliorum Origeniſtarum, *Turpes* à dogmate, non ab auctore *Origeniſtæ* ſint dicti.

y Epiph. hær. 63. z Aug. de hæreſ. 43.

IESV CHRISTI AN. 257.

VALERIANI ET GALLIENI AN. 3.

STEPHANI AN. 1.

I.

ANno Chriſti ducenteſimo quinquageſimo ſeptimo, à Caſſiodoro ponuntur Valerianus ſecũdum & Gallienus Coſſ. Porro cum ex antiquis inſcriptionibus (vt vidimus anno ſuperiori) hic Gallieni primus Conſulatus iungatur eiuſdem tertiæ Tribunitiæ Poteſtati; ex iis redditur manifeſtum, anno præſenti eorumdem Valeriani & Gallieni numerari cœptum tertium Imperii; qui tamen (vt diximus) æque habetur quartus Galli & Voluſiani Imperatorum.

II. LVCII PP. MARTYRIVM.

His vero adhuc imperantibus, *Lucium* Romanum Pontificem gladii martyrio coronatum eſſe, Euſebius in Chronico & in hiſtoria [a] teſtatur. Quod autem liber de Romanis Pontificibus, & Eccleſiaſticæ tabulæ habent eum paſſum eſſe ſub Valeriano quarto Nonas Martii: cum ipſum Valerianum primis Imperii ſui annis Chriſtianis admodum fauiſſe, paulo poſt viſuri ſimus; nihil eſt quod ad eum Lucii necem, quam furente perſecutione factam eſſe conſtat, referre poſſimus: præſertim ſi Euſebio aſſentiamur, dicenti ipſum octo vix menſibus ſediſſe. Verum cum in eodem libro de Romanis Pontificibus duæ à Lucio Ordinationes factæ dicantur menſe Decembris: in hunc vſque annum propagatam fuiſſe illius ſedem oportuit: quod & ibi ſignati huius anni Coſſ. quibus deſiiſſe ponitur, manifeſtius ſignificant. Ex quibus etiam occaſio fortaſſe orta eſt, vt idem dicatur ſub Valeriano paſſus: vel certe, quod (vt de aliis factũ diximus) licet aliquo temporis interſtitio pax fuerit in Eccleſia, tamen legibus Decii Imperatoris & Valeriani Cenſuram agentis perſecutio ſemel promulgata, ſic perſeuerauit vt omnis illa reliquorum temporum perſecutio, Decii & Valeriani nomine diceretur: Cum & alioqui à ſecundo Conſulatu Galli & Voluſiani, in publicis monumentis cœptos numerari annos Imperii Valeriani & Gallieni, ſit ſatis ſuperius demonſtratum.

a Euſeb. 7. hiſt. 2.

III. LVCII DECRETA.

Ceterum quod à Lucio ſtatutum habet idem liber de Romanis Pontificibus, vt duo presbyteri & tres diaconi in omni loco Epiſcopum aſſectarentur, nec deſererent, *propter teſtimonium* (vt ait) *Eccleſiæ*: huius ſanciendi decreti cauſam dediſſe putantur calumniæ in Cornelium Lucii prædeceſſorem à Nouatiano confictæ. Alia vero præter hæc extant eiuſdem Lucii decreta in vnum ſimul [b] collecta: eſtq; eiuſdem, & Cornelii, decre-

b to. 1. Concil. c Cypr. ep. 67.

torum de Lapſis præclarum Cypriani [c] elogium. Cum autem poſt necem Lucii (qui ſepultus eſt in cœmeterio

STEPHANVS PAPA.

Calliſti via Appia) ſedes vacaſſet dies triginta quinq; STEPHANVS patria Romanus Iulii filius, creatus eſt Summus Pontifex.

IV.

Sed quod ad Gallum & Voluſianum Imperatores ſpectat: quam diuinam vltionem fuſo Chriſtiano ſanguine antea prouocauerant, patrata nuper nece Lucii Papæ vehementiorem in ſe accelerarunt. Siquidem rebellantes milites, & *C. Iulio* ÆMILLIANO à Mœſiacis legionibus creato fauentes, eoſdem aduerſus Æmilianum proficiſcentes apud Interamnam occiderunt. Sed

VALER. ET GALLI IMP.

eodem Æmiliano quarto poſt menſe æque ſublato, VALERIANVS, eiuſque filius GALLIENVS, ſoli Imperio potiri cœperunt, quod iam ante biennium (vt vidimus) adepti fuerant: vt ita tertius hic eorum ſit numerandus annus. Porro cum ex Dionyſio [d] Alexandrino, huius ipſius temporis ſcriptore accuratiſſimo, ſatis conſtet, Valerianum principio Imperii ſui Chriſtianis adeo fauiſſe, vt & familiariſſime & amiciſſime coram omnibus eos exciperet, ac tota domus eius piis hominibus referta eſſet, videreturque plane Dei Eccleſia: nec perſecutionem inſtauraſſe, niſi tribus annis ac ſex menſibus antequam à Perſis caperetur: iam perſpicuum redditur, ferme biennio Eccleſiam quieuiſſe.

d ap. Euſ. 7. c. 9.

V. HÆRESIS AQVARIORVM.

Reddita igitur Eccleſiæ pace, S. Cyprianus more ſuo inuigilans ſaluti Fidelium, cùm quoſdam intellexiſſet in Sacrificio aquam tantum offerre abſque commixtione aliqua vini: (conſentiens erat hæc hæreſis Encratitis [e], qui aqua tantum vtebantur in ſacrificio) eiuſmodi errorem longiori tractatione [f] confutauit: qua etiam de ſacratiſſimo à CHRISTO relicto in Eccleſia ſacrificio Miſſæ, ab Apoſtolis frequentato, & in omnibus Catholici Orbis Eccleſiis ad ſua tempora ex maiorum traditione inuiolabiliter cuſtodito, multa præclare ingeſſit. Vnde autem proueniſſet eiuſmodi de aqua ſola offerenda erroris occaſio, ex eadem tractatione declaratur: videlicet ne perſecutione vrgente, ſummo mane, ſeu potius nocturno tempore conuenientes ſecreto ad ſacram Synaxim & Euchariſtiã Chriſtiani, ex vini odore poſsẽt detegi.

e Epiph. hær. 46.
f Cypr. ep. 63. ad Cæcil.

VI. CONCIL. AFRICANVM.

Eodem quoque tempore idem Cyprianus Epiſcoporum SYNODVM celebrauit: ad quam inter alias memorabilis illa perlata eſt querela, quod moriens Chriſtianus homo presbyterum filiis ſuis tutorem ex teſtamento nominaſſet contra Eccleſiaſticos canones. Quod facinus ſeuere admodum vlta S. Synodus, ſecundum antiquam diſciplinam cenſuit, ne pro eodem defuncto ſacrificium offerretur, aut preces frequentarentur in Eccleſia. Narrantur hæc pluribus in litteris ex eadem Synodo à Cypriano [g] ſcriptis: quibus videas, & peculiare fuiſſe *pro Fidelibus defunctis offerre Deo ſacrificium* & ſolitos *excommunicari defunctos*, quos viuentes iam vinxiſſent delicta: ſed & Epiſcopos nullam habuiſſe rationem quarumcumque legum ciuilium (erant eiuſmodi plures, quæ tutelis prouiderent, à quibus nec ipſam Senatoriam [h] dignitatem, non Ædilitatem [i], non collegia [k], non diuerſam [l] religionem, non immunitatem [m] ciuilium ac publicorum munerum, non denique à gentilium ſuorum tutela ipſam à tutela immunitatem excuſare, Imperatores reſcripſerunt) quin eas, cum impedimento eſſe viderentur Eccleſiaſticis functionibus, quibus ſolis clericos vacare decet, contrariis legibus irritas prorſus redderent. Ceterum fauerunt poſtea Chriſtiani [n] Imperatores eiuſmodi Epiſcoporum decreto, ſancientes ne clerici vel monachi ad tutelam ſuſcipiendam compelli poſſent. Sacroſanctum vero Concilium [o] Chalcedonenſe, à legitima tutela & datiua quæ ab Epiſcopo imperata eſſet, noluit clericos excuſari.

A TVTELIS IMMVNES CLERICI.
g Id. ep. 66.

h l. Spadon. D. de excuſ. tut.
i l. non tantum § is qui ædil.
k ead. l. 15. nouiſsima.
l d. l. ſed.
m ead. l. §. qui accepit.
n l. generaliter ſancimus C. de Epiſ. & cle.
o Conc. Chalced. c. 3.

IESV CHRISTI AN. 258.

STEPHANI AN. 2.

VALERIANI ET GALLIENI AN. 4.

I. CONTRA-RIÆ SCHISMATICORVM FACTIONES.

ANno Chriſti ducenteſimo quinquageſimo octauo, Valeriano tertium & Gallieno ſecundum Auguſtis Coſſ. Schiſmaticorum prælia aduerſus Eccleſiam concitata, ſed perſecutione vrgẽte paululum intermiſſa, acriori ſunt impetu renouata. Erant horum (vt demonſtratum eſt) contrariæ factiones, pari tamen conatu ad oppugnandam Eccleſiam conſpirantes: quarum alterius Nouatianus pſeudo-epiſcopus Romanus, alterius Feliciſſimus presbyter olim Carthaginenſes, dux ac propugnator erat acerrimus. Aiebat ille, Lapſorum neminem nec cum pœnitentia in Eccleſiam recipiendum eſſe: iſte Lapſos omnes abſque vlla pœnitentia, vel aliquo gradus & honoris diſpendio, mox ſuſcipi debere. Inter quæ duo extrema, via media incedens Eccleſia Catholica ſic lapſis pacem dabat, vt tamen præuia pœnitentia ipſi ſibi aditum patefacerent: & qui in aliquo Eccleſiaſtico gradu conſtituti eſſent, poſthac communicatione tantum laica communicarent. Declarata ſunt iſta pluribus ſuperius.

II.

Sic igitur accidit in Hiſpania, vt *Baſilides* & *Martialis* alter Legionenſis, Aſturienſis alter Epiſcopus, ambo Libellatici lapſi, aliorumque criminum rei (inter quæ Martialis illud fuit grauiſſimum, quod filios exterarum gentium more apud profana Gentilium ſepulchra depoſuiſſet, & alienigenis conſepeliſſet) non ſolum in Eccleſiam recipi, ſed etiam in ea vt prius præſidere ſatagerent: quibus obtinentes Fideles, loco ipſorum ſubſtituendos curarunt Epiſcopos Sabinum atque Felicem. Porro cum Baſilides ad Apoſtolicam Sedem Romam ſe conferens (ad quam videlicet prouocare ſolerent ex remotiſſimis etiam Orbis partibus, Epiſcopi qui aliquid iniuſti à collegis paſſos eſſe prætexerent) vt in Epiſcopatum reſtitueretur, Stephanum Romanum Pontificem multis mendaciis interpellaſſet: Hiſpaniæ Epiſcopi ſuffectos in lapſorum locum Sabinum & Felicem, in Africam ad Cyprianum miſerunt eo fine (vt putamus) vt eius ſuffragio muniti, tum ipſi Romano Pontifici facilius perſuaderent quæ vellent, tum contumaces Hiſpanos compeſcerent. Itaque Cyprianus conuocata Epiſcoporum SYNODO, ex anteriorum Conciliorum, ipſiuſq; Cornelii Papæ ſententia decreuit, Epiſcopos lapſos ab ordinatione cleri atque ſacerdotali honore prohiberi: eaque de re totius Synodi nomine literas [a] reddidit ad Legionenſem & Aſturienſem Eccleſias: quibus totius rei geſtæ ſeriem quam recenſuimus comprehendit. Quæ autem hæc ſecuta ſint, nulla prorſus extat memoria.

SEPVLTVRÆ GENTILIVM DISCRETA A CHRISTIANIS.

CONC. AFRIC. IN CAVSA BASILIDIS ET MARTIALIS.

a Cypr. ep. 68.

III. CASVS MARCIANI EPISC. ARELAT.

Cum autem ex aduerſo accidiſſet eodem tempore, vt hæreſis Nouatiani fautor *Marcianus* Epiſcopus Arelatenſis, multos induceret in errorem: hoc cernentes reliqui Galliarum Epiſcopi, ac præcipue Fauſtinus Lugdunenſis, tum ad ipſum Romanum Pontificem Stephanum litteras aduerſus eumdem Marcianum dederunt: tum etiam Cypriani patrocinium interpellarunt, quod ſcirent multum valere apud Romanam Eccleſiam, ob indefeſſum eius aduerſus Nouatianos, alioſq; hæreticos & ſchiſmaticos certamen. Qui quidem mox ad eumdem Stephanum ſcribens [b], rogauit vt Marcianum deponeret, & alium Catholicæ communicationis Præſulem in locum eius ſubrogandum mandaret. His vero liquido cernitur, iam eo tempore tum ipſum Cyprianum, tum Antiſtites Gallos agnouiſſe ſuam ipſorum poteſtatem limitibus eſſe coartatam, Romani vero Pontificis ſuper omnes totius Orbis Eccleſias extendi.

b Id. ep. 67.
AVCTORITAS ROM PONTIF.

IV. DE BAPTISMO HÆRETICORVM EXORTA QVÆSTIO.

Sed & Nouatianorum & Cataphrygum occaſione, illa his temporibus magna in Eccleſia agitata eſt controuerſia, *Num qui ab hæreticis baptizati erant, cum ad Eccleſiam Catholicam ſe conferrent, eſſent denuo baptizandi?* Quod enim vtriq; iidem hæretici ſoliti (vt vidimus) eſſent, quos ab Eccleſia Catholica diuulſiſſent, tamquam immundos rebaptizare: id prouocauit ad ęmulationẽ quoſdam Epiſcopos Catholicos, vt & ipſi quos ad Eccleſiam redeuntes ſuſciperent hęreticos denuo baptizarent, rati apud ſe ſolum, nempe in Eccleſia Catholica, verum eſſe baptiſma. Quæ quidẽ tam magna, tamq; potens fuit tentatio in Eccleſia, vt veluti quodam vehementiſſimo turbine magnopere quaſſatæ fuerint firmiſſimæ Eccleſiæ turres, quæ inconcuſſæ olim tot perſecutionum impetus pertuliſſent.

V. SYNODVS ICON. IN EA CAVSA.

At non quidem (vt multi putant) in Africa hoc tempore à Cypriano tantum eiuſmodi cœpta eſt controuerſia agitari, ſed primò ea mota eſt in Oriente: ea nimirum occaſione, quod Iconium in Phrygia conuenientes finitimarum prouinciarum Epiſcopi, in odium Cataphrygum ſtatuiſſent, nihil eorum quæ ab hæreticis facta eſſent ab Eccleſia Catholica recipiendum eſſe; non ordinationes, non baptiſmum, non manuum impoſitionem, nec aliud quoduis ſacrum. Teſtatur hæc de ICONIENSI SYNODO, qui ei interfuit Firmilianus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, ad Sanctum Cyprianum [c] ſcribens. Meminitque eiuſdem, & aliarum in eandem ſententiam celebratarum in Oriente Synodorum antequam ea quæſtio in Africa agitaretur, Dionyſius [d] Epiſcopus Alexandrinus: qui & addit, tam eundem Firmilianum, quam alios eiuſdem opinionis ſectatores, ab Stephano Papa Apoſtolicæ ſedis communione priuatos eſſe. Et idem ipſe Firmilianus eadem quam poſtea ad Cyprianum ſcripſit epiſtola, multa obloquutus eſt in eundem Stephanũ, quod (vt ait) legatos ab Orientalibus ad ipſum miſſos, nec ad ſermonem ſaltem colloqui communis admittere voluiſſet, nequis eos Fidelium in domum ſuam reciperet, prohibuiſſet.

c Ap. Cypr. ep. 75.

d Ap. Euſ. 7. hiſt. 4. & 6.

STEPH. ST. EX COMMVNICAT ORIENTALES.

VI

Poſt hæc igitur ipſa re in controuerſiam vbique deducta, Eccleſia Africana nutauit: quippe quæ tantum, quem intrepide ſequeretur haberet Antiſtitem Cyprianum, vehementiſſimo hæreticorum odio in eam partem inclinatum, & ipſe, cuius affectaretur inueniſſet prædeceſſoris Agrippini [e] impreſſa veſtigia, & quem magiſtrum vocare ſoleret, Tertullianum, incaute nimis hanc ſecutum ſententiam. Sed dubium eſt an id illi acceperint à Montano, an vero ab illis tranſierit in ſcholam Montani. Montaniſtas enim rebaptizare conſueuiſſe Catholicos qui ad ſuam ipſorum hæreſim defeciſſent, Philaſtrius [f] quoque aſſerit: idemque æmulatum eſſe Nouatianum, teſtis eſt Cyprianus [g]. At vero de eodem Cypriano mendax eſt Nicephorus [h], dum ait eum non aliter recipere conſueuiſſe lapſos qui in perſecutione negaſſent, quam per ſanctum baptiſmum. Siquidem ex omnibus eius ſcriptis manifeſte apparet, eos ipſum baptizaſſe tantum quos hæretici antea baptizaſſent, negantem extra Eccleſiam vllum poſſe reperiri baptiſmum. Nouatiani autem in rebaptizando illud putamus fuiſſe conſilium, quod cum Catholicos omnes qui lapſos recepiſſent diceret immundos eſſe, ſe autem ſuoſque puros ac ſanctos: ne videretur illorum qui ex Catholica ad ſe tranſirent ſordibus inquinari, eos nouo ſtatuerit ſanctificare baptiſmate. Erat ergo illis loco pœnitentiæ ſecundum hoc baptiſma, quo non tantum (ſicut ait Dionyſius [i] Alexandrinus) ſacroſanctum Eccleſiæ lauacrum abrogarent, ſed & reiicerent fidem & confeſſionem quæ lauacrum præcedere conſueuerunt.

e Vid. ſup. an. 217.

f Phil. de hæreſ. cap. 50.

g Cyp. ep. 73. ad Iubaian.

h Niceph. l. 6. ...

CYPRIANI ET MONTANI DIFFERENTIA IN REBAPTIZANDO.

i Ap. Euſ. 7. hiſt. 7.

VII. CONCILIA ET SCRIPTA CYPRIANI EA DE RE.

Hanc igitur quæſtionem occaſione Nouatianorum in Africa reſtauratam, Epiſcopi Africani vna cum Cypriano ad SYNODVM coacti Carthagine, cum de ea conſulti fuiſſent à Ianuario & ſociis Epiſcopis Numidiæ, ita definierunt [k], vt omnino negarent baptiſmum vllo modo reperiri extra Eccleſiam: ideoque qui apud hæreticos vel ſchiſmaticos baptizati viderentur, cum ad Eccleſiam venirent vere baptizari debere. Rurſum vero intelligens Cyprianus, adeo fixum alta radice multorum animis inſidere, vt quas accepiſſent de non iterando ab hæreticis rite collato baptiſmate maiorum traditiones vellent illibatas ſeruari: maiori remedio his quos errare putaret conatus occurrere, celebriorem collegit CONVENTVM ſeptuaginta vnius tam ex Africa quam ex Numidia Epiſcoporum, in quo pariter omnium ſententia confirmatum fuit, hæreticorum baptiſma nullius momenti penitus haberi. Tuncque placuit de iis omnibus per Synodũ [l] reddi certiorem Stephanũ Papam, hactenus rerum geſtarum inſcium. Eodemq; tempore Cyprianus de eadem quæſtione à Iubaiano Epiſcopo rogatus, epiſtolam [m] reſcripſit, qua multis Scripturæ auctoritatibus, aliiſque rationibus ſententiam ſuam firmare, & quæ ex aduerſo obiicerentur confutare ſtuduit. Veritus autem ne magnum aliquod hinc ſchiſma in Eccleſia conflaretur, tum iiſdem Synodicis & ad Iubaianum literis conteſtatus eſt, ſe haud cuiquam vim facere aut legem dare, ſed ſaluo inter collegas pacis ac concordiæ vinculo liberum cuique relinquere quam vellet ſequi ſententiam: tum ad anteuertenda futura mala, & vt quiſque aduerſantem ſibi fratrem æquanimiter ferret, *De Bono Patientiæ* libellum ad eundem Iubaianum ſcripſit: eamdemque poſtea conteſtationem repetiit in SYNODO octoginta ſeptem Epiſcoporum, quam paulo poſt (vt dicetur) celebrauit. Hoc vero ſincerum eius propoſitum de vnitate conſeruanda, tam Hieronymus [n], quam ſæpe Auguſtinus [o] laudauerunt.

k Ap. Cypr. ep. 70. 71.

l Ibid. ep. 72.

m ep. 73.

n Hier. aduerſ. Lucifer.

o Aug. l. 2. cont. Creſc. l. 2. & de bapt. cont. Donat. l. 2. cap. 7.

VIII. STEPHANI PAPAE DE EA RE DECRETVM.

Quid autem ad Synodicam illam Stephanus Papa reſcripſerit, docent litteræ [p] Cypriani ad Pompeium Sabratenſem in Africa Epiſcopum: nempe vt *Si quis à quacumque hæreſi ad Eccleſiam veniret*, NIHIL INNOVARETVR, SED ILLVD SERVARETVR QVOD TRADITVM ESSET: *videlicet vt manus illi imponeretur in pœnitentiam.* In quibus confutandis Cyprianus totam longiorem illam inſumpſit epiſtolam: & qui ne vel leuiter læderet charitatis fraternæ concordiam; de Bono Patientiæ libellum ſe ſcripſiſſe profeſſus erat: modo (ò infelicem humanæ imbecillitatis conditionem!) non ferens veram Apoſtolicæ Sedis definitionem, Stephano notam inuſſit non ſolum ſuperbiæ & imperitiæ, ſed & quod patrocinaretur hæreticis. Non quidem id agens vt legitimas Traditiones impugnet, ſed vt quam Stephanus traditionem prætendebat, haud de Apoſtolico fonte dimanare demonſtret, ſed ob repentem errorem eſſe prauamque conſuetudinem. Verum Auguſtinus [q] Stephani ſententiam propugnans, quæ aduerſus eam à Cypriano congeſta fuerant pluribus confutauit. Cumque aliam rurſum idem Cyprianus numeroſiorem SYNODVM (nempe octoginta ſeptem Epiſcoporum ex Africa, Numidia, & Mauritania) Calendis Septembris Carthagine celebraſſet, in qua repetita denuo conteſtatione de pace conſeruanda cum iis qui ſecus ſentirent, permultis pro ſe allatis diuinæ Scripturæ teſtimoniis, vno omnium conſenſu firmatum eſſet prius ipſorum decretum de rebaptizatione hæreticorum, idem S. Auguſtinus [r] ſententias ſingulorum recenſens, eas omnes ferme impugnauit, erroriſque redarguit.

p Cyp. ep. 74.

q Aug. de bapt. cont. Donat. l. 2.

QVID RVRSVM CYPRIANVS.

r Ibid. lib. 1. & 7.

IX.

Cyprianus autem confeſtim poſt Synodum, tum ad alios eiuſdem erroris Epiſcopos, tum maxime ad Firmilianum Cæſareæ Cappadociæ Metropolitam illius propugnatorem acerrimum, vt ſibi eum coniungeret, litteras ſcripſit per Rogatianum diaconum, eodem plane argumento quo ad Pompeium antea contra epiſtolam Stephani ſcripſiſſet. Conſtant enim iſta ex litteris [s] ab eodem Firmiliano ad ipſum redditis: quibus videas hominem iam antea in Stephanum agitatum, quod (vt dictum eſt) ab eo communione priuatus eſſet: acceptis Cypriani de eodem pariter conquerentis literis, vehementiori furore concitum erumpere in conuicia, multaque imperite atque improuide obloqui: ſeque inſuper Quartadecimanorum fautorem detegere, dum Romanam Eccleſiam calumniatur, quod diuerſa die celebraret Paſcha ab ea quæ inſtituta fuerat ab Apoſtolis.

s Ap. Cypr. ep. 75.

FIRMILIANI NAVFRAGIVM.

X.

Ceterum magnam profecto attulit offenſionem cunctis Eccleſiis illud Firmiliani naufragium, qui & doctrina & ſanctitudine morum nulli propemodum illorum temporum videretur eſſe ſecundus. Sed eundem poſtea ad meliorem frugem redditum, & Catholicæ communioni reſtitutum, ſanctoque fine defunctum eſſe, ſatis intelligi poteſt ex eo quod in Catholicorum Epiſcoporum celebri illo Antiocheno conuentu, ipſe cum aliis aduerſus Paulum Samoſatenum ſederit: eumdemque Græci [t] inter alios Sanctos colant. Sed & reliquiſſe poſt ſe de Catholica fide nobilis ingenii ſui clara monumenta, ex S. Baſilio eiuſdem ſedis, poſt euolutum ferme ſæculum ſucceſſore apparet, dum ea citat [u] in famoſa illa

EIVSDEM RESIPISCENTIA.

t Menolog. 28. Oct.

u Baſil. de Spir. S. ad Amphiloch. c. 29.

de eadem

de eadem iſta controuerſia ad Amphilochium ſcripta epiſtola, quam Græci Canonicam vocant: qua & ipſius Firmiliani, & Cypriani, aliorumq; indiſtincte omne reucientium baptiſma hæreticorum & ſchiſmaticorum, opinionem improbat [x]: docens eorum admitti debere, qui in eius forma cum Eccleſia integre conſentirent, ſecus autem illorum qui præſcriptam in Eccleſia baptiſmi regulam non ſeruarent.

x Ibid. c. 1.

XI. EPISCOPORVM CVM CYPRIANO SENTIENTIVM NVMERVS.

Eamdem porro de baptiſmate hæreticorum ſententiam, quã Cyprianus & Firmilianus propugnabant, Dionyſium quoque Epiſcopum Alexandrinum confeſſione & eruditione clariſſimum, eodem tempore compluribus ſcriptis literis conatum eſſe defendere, teſtis eſt S. Hieronymus [y]. At vero hoc ſic illum egiſſe conſtat [z], vt nihilominus apud Stephanum Papam pro Epiſcopis eidem reconciliandis ſequeſter acceſſerit. Denique licet (vt dictum eſt) ex Oriente, Ægypto, & Africa, complures Epiſcopi patrocinati videantur ſententiæ de rebaptizandis hæreticis: tamen illi ipſi qui extra Eccleſiam poſiti, eidem ſententiæ poſtea ſtuduerunt Donatiſtæ, vel alii, nonniſi quinquaginta Orientales Epiſcopos, & Africanos ſeptuaginta vnum numerare potuerunt. Certe quidem nonnullos Aſianos Epiſcopos in eamdem cum Stephano ſententiam conſpiraſſe, Sanctus Baſilius [a] teſtatur: & multos in Africa cum Cypriano ſentire noluiſſe, Auguſtinus [b] tradit; qui & multa Epiſcoporum millia Stephani ſententiæ adhæſiſſe affirmat. Sed & omnes illos qui in Oriente contrariam ſecuti fuerant, eamdem reſcidiſſe, tum idem [c] ſcribit, tum aperte docetur in ipſius Dionyſii [d] Alexandrini ad Stephanum & Sixtum Romanos Pontifices ea de re paulo poſt datis literis. Ipſoſque Africanos Epiſcopos qui Cypriano conſenſerant, aliud priori contrarium edidiſſe decretum, Hieronymus [e] eſt auctor. Ac demum Cyprianum ipſum mutaſſe ſententiam verius eſſe, idem Auguſtinus [f] affirmat. Certe conſtat illum in eadem cum Eccleſia Romana vnitate vſque ad martyrium perſtitiſſe, & mirificis præconiis poſt obitum ab omnibus Patribus celebratam eſſe.

y Hier. de Script. Eccl. in Dionyſ.
z Ap. Euſ. 7. hiſt. 4.
a Baſil. ad Amphiloc. 1
b. Aug. 3. de Bapt. c. 1.
REVOCATIO AD RECTAM SENTENTIAM.
c Aug. ibid.
d Ap. Euſ. 7. hiſt. 4. & 5.
e Hier. cont. Lucifer.
f Aug. ep. 48 ad Vincent. & de bapt. cont. Donat. 2. c. 4.

XII. STEPHANI PP. LAVS.

Quod vero ad Stephanum pertinet; quas antiquorum Patrum traditiones ſummo ſtudio & intrepido animo acerrime propugnauit, eędem his turbinibus ſuperatis ſinceræ & integræ in Eccleſia Catholica cuſtoditæ permanſerunt: qui vero contrariam ſectati ſunt ſententiam, iidem omnes pro hæreticis ſunt habiti. Enituitque plane in hoc tanto certamine, quanta in Traditionibus vis, & in Apoſtolica Sede ineſſet auctoritas: quando (vt ait egregie Vincentius [g] Lerinenſis, dum de hac re pluribus ac plane grauiter more ſuo agit) Stephanus Papa, cum ceteris quidem collegis ſuis, ſed tamen præ ceteris huic nouitati reſtitit: dignum exiſtimans, ſi reliquos omnes tantum fidei deuotione vinceret, quantum loci auctoritate ſuperabat. Qui quidem ob Catholicam Traditionem propugnatam, meruit omnium pręconiis celebrari, & anniuerſaria commemoratione non ſolum à Latinis, ſed & Græcis (quod de aliis Occidentalis Eccleſiæ ſanctis martyribus raro accidere conſueuit) in tabulis Eccleſiaſticis commendari. De quo & illud ſtupore dignum Sanctus Auguſtinus [h] indicauit, quod cum hæretici Donatiſtæ poſtea aduerſariam Stephano ſententiam, Africanorum Conciliorum auctoritate defenſarent: in ipſum tamen, ob eminentem iudicii cum ſanctitate coniunctam auctoritatem, ne mutire quidem auſi ſint, immo & laudare compulſi, & Epiſcopatum illibate geſſiſſe confiteri.

g Vinc. Lerin. cont. hær. c. 9.
h Aug. de vn. bapt. cont. Petil. c. 14.

IESV CHRISTI AN. 259.

VALER. & GALLIENI AN. 5.

STEPHANI AN. 3.

I. PERSECVTIO VALERIANI.

ANNO Chriſti ducenteſimo quinquageſimo nono (quo ponuntur à Caſſiodoro Coſſ. Valerius Maximus & Acilius Glabrio) Valerianus Imperator aduerſus Chriſtianos diram PERSECVTIONEM excitauit, quæ OCTAVA ordine numeratur à S. Hieronymo [a], Auguſtino [b], Oroſio [c], atque Seuero [d]: eamdemque anno præſenti cœptam eſſe, ex Dionyſio [e] Alexandrino colligitur, dum eam ſignificat duraſſe annos tres & menſes ſex, quieuiſſe autem cum Valerianus à Perſis captus eſt: quod contigit anno ab hinc quarto. Eodemque auctore conſtat, Valerianum antehac de Chriſtianis optime meritum, vt quam acerbiſſime in eos ſæuiret permotum fuiſſe ab Ægyptio quodam mago: cui ſemel admouens aures adeo eſt deprauatus, vt ad magiam humanas victimas immolaret, viſceraque ſcrutaretur infantium.

a Hier. de Script. Eccl. in Cypr.
b Aug. 18. de ciuit. 52.
c Oroſ. l. 7. c. 22.
d Seuer. l. 2.
e Ap. Euſ. 7. hiſt. 9.

II. SÆVITIA PERSECVTIONIS.

Sæuiit autem vſque adeo Perſecutio, vt idem Dionyſius tempora illa omnium infeliciſſima de Antichriſto à Ioanne in Apocalypſi prædicta, in Valeriano putauerit eſſe expleta. Quæ quidem lento gradu Romæ primum cœpta eſt, cum abſque edicto pro arbitrio in Chriſtianos Imperator ageret: conceſſa tamen delatoribus bonorum poſſeſſione illorum Chriſtianorum, quos ipſe ſibi peculiariter prodi voluiſſet: vt hæc pluribus declarantur in Actis fideliſſimis SS. martyrum *Euſebii* [f] presbyteri & ſociorum, qui his iiſdem Coſſ. Romæ paſſi ſunt: necnon in germanis pariter Actis Stephani [g] Papæ, in quibus multi viri illuſtres iiſdem Coſſ. Imperatorum iuſſu necati traduntur ob Chriſti confeſſionem.

f Agitur de his in martyrologio Rom. 4. Non. Dec. Acta vero ipſorum edidit Bar. Anno 259.
g Ap. Metaphr. Lipom. & Sur. Recitat vero emendatiora Baron. vbi ſup.

IESV CHRISTI AN. 260.

VALER. ET GALLIENI AN. 6.

SIXTI II. AN. 1.

I. STEPHANI PP. MARTYRIVM.

ANno Chriſti ducenteſimo ſexageſimo, Impp. Valeriano quartum & Gallieno tertium Coſſ. quarto Nonas Auguſti *Stephanus* Papa in cœmeterio Lucillæ à militibus eiuſdem Valeriani inuentus ſacrificium Deo offerens, poſt peracta myſteria in eodem loco ante altare in ſua decollatus eſt ſede: ſepultuſque cum ipſa ſede ſanguine eius aſperſa, in cœmeterio Calliſti. Rem geſtam pluribus narrant ipſius Acta: quibus etiam continentur multorum aliorum tam ex Clero quam ex laicis martyrũ paſſiones, Conſulibus iiſdem anno poſt Conſulatum Maximi & Glabrionis conſignatæ. Ex quibus dicendus eſt Stephanus ſediſſe annos tres, mẽſes tres & dies viginti duos, licet alii diuerſa ſentiant. Cum autem ſedes vacaſſet dies pariter viginti duos, ei ſubrogatus eſt nono Calendas Septembris SIXTVS natione Græcus patria Athenienſis, huius nominis Secundus.

SIXTVS PAPA.

II. EDICTO VALERIANI QVÆ PROHIBITA.

Ceterum illud quidem hoc anno à Valeriano primum in Orbis Romani prouinciis conſtat fuiſſe promulgatum edictum, vt Chriſtiani prohiberentur conuentus agere, & Cœmeteria (in quibus iidem conuentus fieri, & myſteria celebrari ſolerent) adire: vt apud Pontium [a] Proconſularia Acta declarant, & apud Euſebium [b] *Dionyſius* Epiſcopus Alexandrinus, qui tunc ab Æmiliano Auguſtalem Ægypti Præfecturam adminiſtrante, peculiari Imperatorum reſcripto exulare iuſſus, multa mala pertulit: alii vero quamplurimi omnis ſexus, ætatis, & conditionis homines, ibidem in Ægypto martyrium conſecuti ſunt. Id ipſum accidiſſe nonnullis Cæſareæ Palæſtinæ, Euſebius [c] teſtatur. Sed inter eos qui in Syria paſſi ſunt, celebrior eſt *Nicephori* [d] fama, qui Antiochiæ in locum Sapricii presbyteri qui negarat ſe ſufficiens, deſertoris damna reparauit. Editumque tunc eſt pauendum plane exemplum, quo Fideles omnes admonerentur, fruſtra quæque magna conari hominem Chriſtianum, niſi fraternæ charitatis compage fuerit ſolidatus: cum Sapricius vita iam oppignerata martyrio, quod veteri odio flagraret in Nicephorum, ipſum prope ictum vibrante carnifice, maluit Chriſtum negare, quam Nicephorum per quæque ſacra Chriſtiana illum inſtantiſſime de reconciliatione adiurantem, in gratiam recipere. Porro aliorum quoque in diuerſis Aſiæ & Græciæ prouinciis paſſorum, extant nomina in tabulis Eccleſiaſticis, præter innumeram illorum multitudinem, quorum memoria excidit.

a Pont. in Act. Paſſion. S. Cypr.
b Euſ. 7. hiſt. 10.
c Ibid. c. 11.
d Extant Acta ap. Sur. 9. Feb. ex Metaph.

Digitized by Google

III. EXILIVM CYPRIANI.

Quæ autem paſſus eſt Dionyſius in Ægypto, eadem plane in Africa primus omnium pertulit *Cyprianus*, ac ceteri ſubinde Epiſcopi, quod vna eademque ſententia omnes compellerentur exulare: vt ſic illis longius amandatis, nulla reliquis Chriſtianis conuentus agendi (qui maxime prohibebantur) daretur facultas. Quamuis enim de ceteris Præſulibus non ſit adeo expreſſa teſtatio: ex illis tamen quæ de Dionyſio & Cypriano ſunt litteris commendata, de reliquis diuerſarum Eccleſiarum Epiſcopis exiſtimare licet. Porro de Cypriani exilio, iiſdem huius anni Coſſ. exiſtentibus, litteris Imperatorum irrogari iuſſo, agente Paterno Proconſule in Africa, tum Pontius [e] diaconus, exilii comes ſcripſit, tum etiam Acta [f] ipſa fideliſſima tunc à Notariis diligenter excepta, quorum Pontius [g] & Auguſtinus [h] meminerunt, certam fidem faciunt. Sed & alios complures in Africa, tam Epiſcopos & alios omnis generis clericos & Eccleſiæ miniſtros diligenter quæſitos, quam laicos omnis ſexus & ætatis, partim fuſtibus cæſos aliiſque pœnis affectos ad metallum eſſe damnatos, partim carceribus mancipatos: ſatis exploratum redditur ex litteris [i] ad ipſos à Cypriano exule ſcriptis, & ab illis ad eum redditis. Qui autem ad metallum damnati ſunt, iidem omnes conſummantes agonem ſuum, de longo exantlato martyrio parem martyribus coronam retulerunt: quos Dei Eccleſia anniuerſaria commemoratione antiquitus veneratã eſt quarto Idus Septembris. Cetera vero de Cypriano anno ſequenti.

e Pont. in Act. paſſ. Cypr.
f Habentur einſmodi Acta duplicis generis poſita a Pamelio ante opera Cypriani: ſed quæ primo ponuntur, multis additionibus corrupta ſunt: ea autem legitima, quæ ſecundo loco ponuntur dia ac Coſ. conſignata.
g Pon. in vit. Cypr.
h Aug. cont. Gaudent. l. 1. cap. 31.
i Ap Cyp. ep. 77. vſque 81.

IV. DIONYS. ALEX. CONSVLIT SIXTVM PP.

Sed vt ad Sixtum redeamus: creato illo Romano Pontifice, idem quem diximus Dionyſius Alexandrinus, cum (vt vidimus) illorum olim ſententiæ ſuffragatus eſſet, qui dicerent extra Eccleſiam baptizatos iterum baptizandos eſſe: nouo emergente caſu de baptizato ab hæreticis non ſecundum Eccleſiæ Catholicæ ritum, licet cum libere baptizare potuiſſet, tamen ne videretur adhuc perſtare in ſententia, quam à Stephano Sixti prædeceſſore reprehenſus cum aliis Orientalibus damnauerat, non auſus hominem, id licet enixius expoſcentem, baptizare: quid agendum eſſet in re quam putaret ambiguam, Sedem Apoſtolicam ex more ſtatuit conſulendam, ſcriptis ad eumdem Sixtum litteris, quarum de hac re fragmentum recitat Euſebius [k]. Sed & cum eodem tempore SABELLIANA HÆRESIS patefieri cœpiſſet Ptolemaide Pentapolis, de ea pariter idem Dionyſius ad eumdem Sixtum retulit, vt teſtatur idem Euſebius [l]: nempe antiquo more, quo cum noua aliqua emergeret hæreſis, Epiſcopi eius regionis diligenter curare ſolerent, vt cuncta quamprimum Romano Pontifici examinanda mitterentur.

k Euſ. 7. hiſt. 8.
SABELLIANÆ HÆR. ORTVS.
l Ibid. c. 5.

V. DE NOETO HÆRESIARCHA.

Sed quod ad hæreſim Sabellii pertinet: non ipſa eius impietatis auctor, ſed potius dicendus eſt propagator: quippe quem affirment omnes eam didiciſſe à NOETO præceptore ſuo, homine Smyrnenſi (vt vult Theodoretus [m]) ſiue Epheſino, vt Epiphanius [n]: qui addit, cum in tantum faſtum elatum eſſe, vt auderet ſe Moyſen, & fratrem ſuum Aaron aſſerere: quamquam Philaſtrius [o] tradit, Noeti fratrem, non Aaron, ſed Eliam ab eo fuiſſe dictum. Addit demum Epiphanius, Noetum cum ſuis ab Eccleſia eiectum, paulo poſt eſſe mortuum vna cum fratre ſuo, neminemque Fidelium eos voluiſſe ſepelire. Haud vero eidem aſſentimur, dum affirmare videtur neminem ante Noetum dicere auſum, Patrem eſſe paſſum: nam diu ante innotuiſſe hæreſim *Patripaſſianorum*, conſtat ex Cypriano [p], necnon Tertulliano [q] eam Praxeæ tribuente; immo & ex Ignatio Apoſtolicorum temporum viro qui æque teſtatur [r] ſuo tempore diabolum ore ſuorum iactaſſe, Patrem natum & paſſum. Theodoretus vero illam hæreſim ab EPIGONIO quodam primum excogitatam fuiſſe dicit.

m Theodor. hær. fab. l. 3.
n Epiph. hær. 57.
o Philaſtr. de hæreſ. c. 53.
p Cyp. ep. 73.
q Tert. de præſcr. c. vlt. & aduerſ. Prax. c. 1.
r Ignat. ep. ad Philip.

VI. DE SABELLIO HÆRESIARCHA.

Ceterum ex omnibus Noeti diſcipulis, qui impietate reliquos antecelluit, SABELLIVS fuit, ex Ptolemaide Lybiæ oriundus; qui factus potentiſſimus impii dogmatis propugnator, negauit Perſonarum in Trinitate diſtinctionem, dicens ea tantum eſſe nomina, ad diuerſos effectus diuinitatis inſinuandos compoſita. Vnde cum vnam tantum perſonam aſſereret, illa neceſſario deducebatur conſequentia, vt ſicut Filius, ita & Pater & Spiritus Sanctus æque dicerentur incarnati & paſſi. Hæc enim erat præcipua Sabellii blaſphemia: cui & alteram adiecit ex Hermogene mutuatus, vt diceret materiam ingenitam eſſe; quod teſtatur inprimis Euſebius [s] ex Dionyſio. Quod autem Sabelliani non poſſent mendacia ſua diuinis Scripturis omni ex parte fulcire, Ægyptiorum pſeudoeuangelio & aliis apocryphis libris vſos eſſe, Epiphanius [t] tradit. Miratur vero Auguſtinus [u], cum iidem eſſe videantur Noetiani & Sabelliani, cur tam Epiphanius quam Philaſtrius eos ab inuicem diſtinctos poſuerint: planeque accidiſſe tradit, vt ſicut in montaniſtis, Donatiſtis, Pelagianis, & aliis; ſic in iſtis, vnius hæreſis diuerſa fuerint nomina.

s Euſ. 7. de præpar. 8.
t Epiph. hær. 62.
u Aug. de hær. c. 41.

VII. ANGELICI HÆRETICI.

Quod vero Epiphanius inter Noetum atque Sabellium eius diſcipulum, alias quaſdam recenſeat hęreſes; eas his temporibus emerſiſſe, facile poteſt intelligi. Iam diximus de ea quæ à Valeſio prouenit Eunuchorum ſecta, & & quæ à Nouatiano exorta eſt hæreſi Catharorum. His autem qui ſubduntur ANGELICI hæretici, quo auctore ſint progreſſi, & quæ fuerint eorum dogmata, Epiphanius [x] tradit haud ſe potuiſſe habere compertum; quippe quorum ſecta citius extincta fuerit, quam nomen eius cum auctore latius potuerit diffamari. At Auguſtinus [y] Angelicos dicit in Angelorum cultum fuiſſe inclinatos. Quinam autem olim receptus, quiue improbatus fuerit iam ab Apoſtolorum temporibus Angelorum cultus, dictum eſt alias [z].

x Epiph. hær. 60.
y Aug. hær. 39.
z Sup. an. 60.

VIII. APOSTOLICI HÆRETICI.

Poſt Angelicos iidem auctores ponunt APOSTOLICOS, quos putant germen fuiſſe Encratitarum & Catharorum, hoc ſe nomine appellantes ob exactum diſciplinæ ſtudium: ſed & *Apotacticos* ſe dici voluiſſe tradunt, à renunciatione, eo quod coniugiis & bonorum poſſeſſionibus renuntiarent. At non in hoc (vt iidem SS. Patres monent) error ipſorum, cum tales habeat Catholica Eccleſia & monachos & clericos plurimos: ſed ideo iſti habiti ſunt hæretici, quoniam ſe ab Eccleſia ſeparantes, nullam ſpem ſalutis putarent eos habere qui vterentur iis rebus. Porro vſos eſſe eiuſmodi hæreticos ad ſuam impietatem roborandam, Actis Andreæ & Thomæ ab Eccleſia reiectis, idem Epiphanius tradit: qui eorum numerum haud multum creuiſſe ait; cum alioqui Paupertas & Continentia in agro Eccleſiæ ſemel legitime ſeminatæ, ampliſſimos ſemper in horrea Domini prouentus inferant, & fœcundis germinibus latiſſime propagentur.

IESV CHRISTI AN. 261.

VALER. & GALLIENI AN. 7.

DIONYSII AN. 1.

I. SIXTI PAPÆ MARTYRIVM.

ANNO Chriſti ducenteſimo ſexageſimo primo, Aurelio Memmio Fuſco & Pomponio Baſſo Coſſ. octauo Idus Auguſti *Sixtus* Papa in cœmeterio Calliſti capitis abſciſſione coronatus eſt martyrio, atque ibidem à Fidelibus ſepultus: nouoque à Valeriano Imperatore abſente dato ad Senatum reſcripto, Perſecutio in quoſcumque Chriſtianos acrior ſæuiorque vbique decreta eſt, & bona eorum Fiſco adiudicata. Extant tum de Valeriani reſcripto, tum de Sixti martyrio, Cypriani in exilio agentis litteræ [a] ad Succeſſum Epiſcopum. Sed & plures alios ex Clero Romano vna cum Sixto martyrium ſubiiſſe, docent Eccleſiaſticæ [b] tabulæ. Quod vero vnus Prudentius [c] Sixtum cruci affixum tradit, ab aliis minime confirmatur.

a Cyp. ep. 82.
b Martyr. Rom. 6. Aug.
c Prud. hym. 2.

II. S. LAVRENTII MARTYRIVM.

Poſt triduum autem elapſum à Sixti martyrio (ſicut ipſe prædixerat) nempe quarto Idus Auguſti, primarius diaconorum Eccleſiæ Romanæ LAVRENTIVS clariſſimus athleta fidei, per illuſtre certamen obiens, poſt alia diuerſa tormenta demum craticulę impoſitus, igneque aſſatus, nobiliſſimam martyrii cuius erat appetentiſſimus, coronam ibidem Romæ conſecutus eſt. Extant eius Acta præ ſui excellentia diuerſo ſcriptorum genere conteſtata,

nempe

nempe oratione ſoluta SS. Patrum [d] encomiis celebrata, atque poeſi [e] egregie decantata; eademque ore omnium peruulgata. Cuius celebritatem ſolemni cultu non ſolum Latini, ſed & Græci agere conſueuerunt. Quæ autem habentur à Metaphraſte, & ab aliis ex eo recitata eiuſdē Laurentii Acta, haud ſane priſtina illa à Notariis excepta videntur, ſed ab aliquo alio ſcripta, quibus & quę à Patribus de S. Laurentio dicta eſſent vna adtexta fuerint: ſiquidem nonnulla habent, quibus hiſtorica veritas refragatur. Porro ipſum S. Laurentium fuiſſe Hiſpanum, in Rebus geſtis S. Damaſi expreſſum habetur; de cuius conſanguineis, qui res Hiſpaniarum proſecuti ſunt, agunt. De miraculis autē ad reliquias eius patrari ſolitis, pluribus Gregorius [f] Turonenſis; & de ſepultura, ac prodigiis quæ aliquando in ea acciderunt, deque eiuſdem *Craticula* multis miraculis illuſtrata, Sanctus Gregorius [g] Papa.

d Ambr. 1. de offi. 41 & l. 2. c. 28. Aug. tract. 27. in Ioan. & ſer. 3. de Sanct. & ſer. 37. 38. 121. 123. de diuerſ. Max. Taur. ſer. 2. 3. Leo PP. Ser. 1. Pet. Chryſol. ſer. 135. & alii recent.
e Prudent. in hym.
f Greg. Tur. de glor. mart. c. 42.
g Greg. PP. 3. ep. 30. & 2. ep. 33.

III.

Sed quod multorum teſtificatione iidem Sixtus & Laurentius in perſecutione Decii paſſi dicuntur, quos certiſſime conſtat [h] ſub Valeriano Imperatore, iiſdemque huius anni Coſſ. quibus & Cyprianus paſſus eſt, necatos eſſe: cur quæ ſub Valeriano facta eſt perſecutio, Decii etiam nomine conſignata aliquando reperiatur, ſæpe dictum eſt ſuperius. Sed & ſub vno typo Leonis, perſecutionem Decii & Valeriani à Daniele oſtenſam, ſcribit Optatus [i] Mileuitanus. Cum igitur hoc anno dicta die Sixtus occubuerit; reſpectu habito ad tempus eius ingreſſus, dicendus eſt ſediſſe annum vnum minus diebus decem & octo: & ex iiſdem erroris argui poſſe videtur, qui longius tempus, pluresque quam vnam Ordinationem ei tribuunt. Poſtquam vero ſedes vacaſſet dies triginta quinque, ſubſtitutus eſt in locum eius pridie Idus Septembris DIONYSIVS natione Græcus, qui aliquando monaſticam vitam egerat; quem à Maximo Epiſcopo Oſtienſi conſecratum fuiſſe, habent Acta S. Laurentii. Sane quidem antiqui moris fuiſſe, vt Romanus Epiſcopus conſecraretur ab Epiſcopo Oſtienſi, teſtis eſt etiam S. Auguſtinus [k].

h Cypr. ep. 81. Pont. in vit. Cypr.
i Opt. l. 4.
DIONYSIVS PAPA.
k Aug. Breuic. collat. die 3. c. 16.

IV. CYPRIANI MARTYRIVM.

Hoc eodem anno iiſdemque Coſſ. Baſſo & Fuſco, S. *Cyprianus* Epiſcopus Carthaginenſis, poſt integrum annum in exilio conſumptum, inde ad necem reuocatus, iuſſu Galerii Maximi tunc Africæ Proconſulis qui Paterno ſucceſſerat, ſecundum reuelationem diuinam longe antea ipſi prænunciatam, volens libenſque, primus omnium Epiſcoporum Carthaginenſium, inſigne martyrium ſubiit. Qui cum accepiſſet, miſſos eſſe qui eum perducerent Vticam vbi ageret Proconſul; quod iniquo animo ferret alibi quam in Eccleſia ſua martyrium ſubire, paululum interim ſecedens, tunc ſe prodidit cum Proconſul reuerſus eſt Carthaginem: de cuius animi conſilio extat perbreuis ipſius epiſtola [l] ad ſuos ex eodem receſſu ſcripta; eademque omnium nouiſſima, quam martyrii iam candidatus conſcripſit. Res autem accidit ex ſententia: nam etſi non intra Carthaginis mœnia, in conſpectu tamen vniuerſorum ciuium, tam fidelium quam infidelium, ad locum martyrii concurrentium (Fuit is *Sexti* dictus, ſexto ab vrbe diſtans lapide) capite truncatus eſt decimo octauo Calendas Octobris, iuſſis antea ſpiculatori ſe ferienti viginti quinque aureis dari; & magno triumpho Chriſtiano ritu ſepultus. Quomodo autem hæc omnia ſe habuerint, qui ea præ oculis habuit Pontius eius diaconus accuratiſſime deſcripſit; cuius lucubrationis honorificam Hieronymus [m] mentionem facit: eademque continentur in fideliſſimis eiuſdem paſſionis Actis [n] tunc à Notariis exceptis. In quibus & illud additur, poſt paucos à nece Cypriani dies, Galerium Maximum Proconſulem deceſſiſſe.

l Cypr. ep. 83.
m Hier. de ſcript. Eccl. in Pont.
n Diximus de iis ſuper.

V. MEMORIA S. CYPRIANI.

Quod vero pertinet ad martyris Cypriani memoriam; auctor eſt Victor [o] Vticenſis Epiſcopus duas inſignes baſilicas, veluti egregia tanti viri victoriæ trophæa, fuiſſe erectas; alteram ad Sexti vbi paſſus, alteram in Mapalienſi via vbi ſepultus eſt. Sed & Auguſtinus [p] teſtatur, locum illum vbi ſanguinem fudit, dici poſtea cœpiſſe *Menſam Cypriani*, ob altare illic in eius honorem Deo erecti. Eius vero natalem diem æque Orientales annua celebritate frequentarunt; vt Gregorius Nazianzenus eſt teſtis, qui eadem die egregiam in eius laudem habuit orationem. Cum autem eius lucubrationes ore omnium in Eccleſia ſint celebratæ; Gelaſius [q] Papa eiuſdem Opuſcula inter apocrypha repoſuit: nempe intelligens editos ab eo de rebaptizatione hæreticorum tractatus. Quis autem in ſede Carthaginenſi ei ſubrogatus fuerit; quantum ex Optato [r] colligere licet, fuit Lucianus, poſt quem Menſurius tempore Diocletiani, ac deinde Cæcilianus, de quo plura ſuo loco.

o Vict. de perſec. Vandal. l. 1.
p Aug. ſer. 113. de diuerſ.
q Conc. Rom. de l. 16. epiſc.
DE EIVS SCRIPTIS.
r Opt. lib. 1.

VI.

Ceterum eodem die & loco, quo Cyprianus, paſſos eſſe quatuor alios SS. martyres, habent tabulæ [s] Eccleſiaſticæ. Adeo namque incaluerunt corda Fidelium (quod Acta Paſſionis eius teſtantur) ipſius martyrio, vt omnes optarent cum illo mori, idque magnis clamoribus expeterent. Haud enim ſic graſſabatur perſecutio in Carthaginenſem Eccleſiam, vt cunctos quos ſcirent Chriſtianos, magiſtratus ad negationem compellerent (quod enim cuncta loca Chriſtianis referta eſſent, impoſſibile videbatur in omnes animaduertere) ſed tantum miniſtros Eccleſiarum, quos præcipue inter illos enitere conſpicerent, qui & fidei capeſſendæ ceteris auctores viderentur; vel eos qui aliquo alio modo prouocaſſent magiſtratuum inuidiam. Itaque poſt Cypriani necem, & mortem Galerii Proconſulis, antequam ſucceſſor alicui eorum datus eſſet ſub Solone procuratore Fiſcali, plerique miniſtri eiuſdem Eccleſiæ Carthaginenſis, cum nonnullis aliarum Epiſcopis, martyrium paſſi reperiuntur [t]: quorum extant germana Acta ab iis qui tunc aderant ſcripta, vna cum epiſtola ab iiſdem martyribus adhuc in carcere conſtitutis ad reliquos Fideles data. Paſſi ſunt pariter eadem Valeriani perſecutione (ſed quo anno ignoratur) apud Carthaginem trecenti martyres, dicti *Maſſa candida*, quod cum ſeſe in fornacem calcariam, ipſis præparatam niſi Ioui thus incenderent, impellente diuino ſpiritu coniecissent, ex cineribus eorum calci permixtis vna candida maſſa conflata fuerit. Relatum eſt ipſorum martyrium in tabulas [x] Eccleſiaſticas, quod Prudentius [y] ſacro hymno celebrauit; & Auguſtinus [z] in die eorum natali tractatum habuit ad populum, cuius meminit Poſſidius in Indiculo. Sed inter totius Africæ carnificinas hac Valeriani perſecutione peractas, illa ceteris immanior fuiſſe videtur, quæ in Numidia tam in clericos quam in laicos facta comperitur: de qua, variiſque diuinitus eis ad futurum martyrium oſtenſis viſionibus (cuiuſmodi etiam plures reperiuntur in prædictis illis Actis miniſtrorum Eccleſiæ) extat [a] ab vno ex confeſſoribus illis iam martyre deſignato inſignis ſcripta epiſtola: eorumdem vero commemorationem Eccleſia [b] celebrat.

s Martyr. 14. Sept.
ALII MARTYRES AFRICANI.
t Ibid. 6. Cal. Mart.
u Ap. Sur. 24. Febr.
x Mart. 24. Aug.
y Prud. hym. 13.
z Aug. Ser. 113. de diuerſ.
a Ap. Sur. 30. Apr. to. 2. & 3.
b Mart. Rom. 3. Cal. Maii.

VII.

Romæ quoque eadem perſecutione (licet anni certi ignorentur) multi reperiuntur paſſi martyres omnis ſexus & conditionis, quorum æque nomina relata habentur ſuis diebus in tabulas Eccleſiaſticas: atque inter alios, *Eugeniæ* [c] virginis filiæ Philippi Auguſtalis Præfecti, de quibus dictum eſt ſuperius. Sed & in aliis Occidentalis Orbis prouinciis alii pene innumeri paſſi ſunt, quorum nomina exciderunt. Illuſtriores vero in Galliis habentur, *Priuatus* Epiſcopus Gabalitanus. *Florentius* item Epiſcopus Viennenſis, & *Pontius* ille, cuius opera ſuperius dictum eſt Philippos Auguſtos ad fidem eſſe conuerſos: quem perperam nonnulli confuderunt cum Pontio Cypriani diacono; qui tamen & ipſe ſancto fine quieſcens, relatus eſt in tabulas Eccleſiaſticas, ſed diuerſo ab illo die. Hiſpaniam quoque martyrio illuſtrarunt *Fructuoſus* Epiſcopus Tarraconenſis, & Augurius atque Eulogius eiuſdem Eccleſiæ diaconi; qui omnes igne cremati, aperte viſi ſunt coronati cœlum conſcendere; & paulo poſt Fructuoſo præſidi qui eos damnauit, inſultantes apparuere. Extant [d] præclara & fideliſſima eorum Acta, quæ S. Auguſtinus [e] in Eccleſia legi conſueuiſſe tradit, recitatque nonnullas ex illis ſententias; integra vero ferme ſacro hymno cecinit Prudentius [f]. Quod autem nonnulli iſtorum Occidentalium martyrum paſſi dicuntur ſub Gallieno Imperatore,

c Ibid. 25. Dec.
MARTYRES IN OCCIDENTE.
d Ap. Sur. 21. Ianuar.
e Aug. Ser. de diuerſ. 101. c. 2.
f Prud. Teriſt. hym. 6.

ratore, non accidit quod ceſſante Valeriano ii martyrio fuerint coronati (quandoquidem, vt dicemus, Gallienus capto à Perſis parente, mox perſecutionem ceſſare iuſſit) ſed quod ſolus Gallienus in Occidente imperaret, Valeriano agente cum exercitu in Oriente.

VIII. DE NOVATIANO ASSERTO MARTYRE.

Denique haud prætermittimus hic dicere, faſtu glorioſos Nouatianos falſo iactare ſolitos, *Nouatianum* ſchiſmaticum ſuæ ipſorum ſectę auctorem, ante S. Cyprianum martyrium conſummaſſe: quod Pacianus [g] aduerſus Sympronianum hæc iactantem ſcribens refellit. Sed nec Socrates [h], & ipſe Nouatianus dum illud ipſum ſcribit, vllo certo affirmat auctore. Sane quidem ſicut de nonnullis Marcionitis, & aliis diuerſarum hereſum aſſertoribus, qui necem ſubierunt, ſcriptores Eccleſiaſtici abſque inuidia ſcriptis prodiderunt: non exiſtimandum de Nouatiano tacuiſſe, ſi id aliquo modo factum nouiſſent: ſicut nec S. Hieronymus eius ſcripta quæ poſt ſe reliquit, recenſere prætermiſit.

g *Pacian. ep. 2. de Cath. nom.*
h *Socr. l. 4. c. 23.*

IX. Hoc eodem anno iiſdemque Coſſ. INGENVVS qui Pannonias regebat, à Mœſiacis legionibus Imperator appellatus, per Celerem Verianum victus atque proſtratus eſt; vlciſcente Gallieno ſeueriſſime, etiam in ſenes & pueros qui ab eo ſtetiſſent. Sed hæc fuſius Trebellius [i] Pollio.

i *Trebel. de 30 Tyran. in Ingenuo.*

IESV CHRISTI AN. 262.

VALER. & GALLIENI AN. 8.

DIONYSII AN. 2.

I. ANNO Chriſti ducenteſimo ſexageſimo ſecundo, perperam Faſtis à Caſſiodoro & aliis eum ſecutis, Fuluius Æmilianus & Pomponius Baſſus ponuntur Coſſ. quorum loco reponendos eſſe conſtat Gallienum quarto & Valerianum Iuniorem, quem alii legunt Voluſianũ; licet eos, magno ſane præiudicio rectæ chronologiæ, alii reiecerint poſt ſequentem annum; ſicut & anno qui præſentem ſequitur, ſuperuacaneum addiderunt Conſulatum Secularis atque Donati. Ceterum anno præſenti, qui ſequitur Conſulatum Memmii Fuſci, eoſdem Gallienum & Valerianum creatos eſſe Coſſ. ordinarios, ſatis declarat Vopiſcus in Aureliano. Cui etiam conſentiunt antiqui nummi [a], in quibus quartus Gallieni Conſulatus iungitur cum octaua eiuſdem Tribunitia poteſtate, hoc eſt anno eius Imperii octauo, nempe præſenti ſecundum initam à nobis ſuperius ſupputationem.

a *Ap. Aloiſ. de Num.*

II. VALERIANVS IMP. CAPTVS A PERSIS.

Hoc igitur anno cum Valerianus Senior Imperator aduerſus Perſas duceret exercitum, proditione cuiuſdam ſui ducis captus eſt à Perſis: quod quidem hoc anno ſexto eiuſdem Imperatoris ab obitu Galli numerando, vel octauo ſecundum ſtabilitam à nobis ſupputationem contigiſſe, tum ex iis quæ ſuperius ex Dionyſio Alexandrino dicta ſunt, tum etiam auctore Trebellio [b] Pollione & Euſebio [c] liquido conſtat. Idem vero à Sapore Rege in Perſidem abductus, non ſolum nullis valuit complurium Regum fœderatorum petitionibus, quas recitat Trebellius [d], dimitti; ſed & ob inſignem ignominiam (quod teſtantur Aurelius Victor, Eutropius, & alii) quamdiu ipſe Valerianus vixit, Sapores ipſo incuruato, pede calcans eius ceruicem, quaſi ſuppedaneo vſus ſubſellio equũ conſcendere conſueuit: vltione hac profecto dignus, qui Chriſtianam religionem pedibus toties proculcauerat. Immo & tandem iuſſum eſſe excoriari, ſaleque condiri in ſempiternum eius infortunii trophæum, Conſtantinus [e] Magnus Imperator pro concione aſſeruit.

IGNOMINIA VALERIANI.

b *Trebel. in Gallien.*
c *Euſ. in Chron.*
d *Treb. in Valer.*
e *Conſt. Magn. orat. ad S. Coet. c. 24. ap. Euſeb.*

III. DE TRIGINTA TYRANNIS.

Hunc igitur in modum ſublato Valeriano, MACRIANVS dux collecto exercitu, cui cum *Baliſta* præerat, Imperium vſurpauit: cum & pariter Gallieni contemptu, ignauiſſimam ac luxurioſiſſimam vitam Romæ agentis, AVREOLVS in Illyrico, VALENS in Achaia, Piso in Theſſalia, ÆMILIANVS in Ægypto, in Galliis POSTHVMVS, & alii alibi à militibus ſuis oblatum ſumpſerunt Imperium. At ne in his diutius immoremur, alioſque ex iis ortos Imperatores minuſculos referre, & mutuas inter eos conflictationes enarrare, cum non ſit noſtri inſtituti; qui hęc cupit, conſulat Trebellium Pollionem in libro quem contexuit de TRIGINTA TYRANNIS, qui diuerſis temporibus aduerſus Gallienum rebellarunt. Illud tamen plane magna admiratione dignum eſt, vt aduerſus tot fortiſſimos duces (quales fuiſſe eos omnes, Trebellius teſtatur) idem Gallienus, homo non ſolum impuriſſimus, ſed & ignauiſſimus, præualere potuerit; & maxima eorum parte ſublata, ſecurus ipſe diutius regnauerit, inuito licet Senatu & exercitibus. Sed vnde hæc tanta ei contigerint, ex Dionyſii [f] Alexandrini ſcriptis rimari cauſam licet; nimirum quod ſicut Valerianus pater eius vir fortiſſimus tamdiu florentiſſimum eſt moderatus Imperium, quamdiu de Chriſtianis bene eſt meritus, ſed eodem in illos ſæuiente inuerſa mox fuit ſumma felicitatis alea: ſic econtra Gallienus ignauus & ſocors, quòd pacem conceſſit Chriſtianis, aduerſus tot tyrannos, alioſque barbaros vndique erumpentes, tenuit tot annis Imperium. Quamuis enim natura [g] ſæuiſſimus eſſet, nec patre remiſſior in iiſdem Chriſtianis perſequendis antehac extitiſſet: his tamen cladibus commonitus, eueſtigio furentem adhuc perſecutionem compreſſit, antiquatiſq; prioribus contra Chriſtianos promulgatis edictis noua pro illis edidit, quæ recitat Euſebius [h], quibus & conuentus agendi, & cœmeteria adeundi, aliaque omnia de more agendi facultatem conceſſit: quo etiam nomine à Dionyſio [i] laudatur. Accidit tamen inuidia quorumdam, vt in ſumma Eccleſiæ pace (quod teſtatur idem Euſebius) *Marinus* Centurio inſignis militia vir, quod Chriſtianus eſſet, martyrio coronatus fuerit Cæſareæ Palæſtinæ: cuius corpus Aſterius nobiliſſimus Senator, qui ei in martyrio præſto fuit, propriis humeris ſublatum, ſplendide ſepeliuit.

GALLIENVS PACEM REDDIT ECCLESIÆ.

f *Ap. Euſ. l. 7. 9.*
g *Trebel. in Gal. & de 30 Tyran. Oroſ. l. 7. c. 22.*
h *Euſ. 7. hiſt. 14.*
i *Ibid. c. 18.*

IV. Hoc item anno octauo Valeriani Imperatoris, ſexto vero ab obitu Galli & Voluſiani, Demetrianus Epiſcopus Antiochenus ex hac vita deceſſit: in cuius locum ſubſtitutus eſt *Paulus Samoſatenus*, de quo ſæpe inferius.

IESV CHRISTI AN. 263.

GALLIENI AN. 9.

DIONYSII AN. 3.

I. ANNO Chriſti ducenteſimo ſexageſimo tertio, Faſtis adſcribuntur à Caſſiodoro Coſſ. Gallienus quintum & Victorinus, vel (vt alii Faſti habent) Fauſtinus: hiſque conſonant nummorum antiquorum inſcriptiones [a], quibus annus nonus Imperii Gallieni, ex nona Tribunitia poteſtate monſtratus, eiuſdem Conſulatui quinto coniungitur.

a *Ap. Panuin. in Faſt. & Addit. de anno.*

II. Quo anno Romanum Orbem peſte, fame, bello, terræmotibus, aliiſque cladibus diriſſime vexatum eſſe teſtis eſt Pollio [b] Trebellius. Eodemque tempore Ægypto iiſdem malis immaniter affecta, vrbs quoque Alexandrina ciuilibus factionibus fere ad interitum perducta eſt; cum ciues familiari furore, quo vel ex leuiſſimis cauſis [c] ad maximas cædes & ad ſumma Reipublicæ pericula perduci conſueuerant, ob cæſum à milite ſeruum quod dixiſſet crepidas ſuas meliores eſſe quam militis, aduerſus Æmilianum inſurrexerunt: Æmilianus vero coactus ſumere ad tutelam ſui, Imperium, paulo poſt à Theodoro duce Gallieni obſeſſus in ipſa vrbe Alexandrina, captuſque ſtrangulatus eſt more veterum in carcere. Narrantur hęc à Trebellio: meminitque eorumdẽ tumultuum, necnon famis ac peſtis quibus tunc eadem ciuitas immenſum laborauit, itemque officiorum à Chriſtianis exhibitorum, Euſebius [d] ex ſcriptis Dionyſii Alexandrini Epiſcopi, qui nuper poſtliminio reuerſus, ſpontanea rurſum ſeceſſione hos tumultus euitare delegit; teſtatus hæc omnia à Deo immiſſa eſſe, in vltionem effuſi innocentis ſanguinis Chriſtiani.

TVRBÆ ALEXANDRINÆ.

b *Treb. in Gal.*
c *Flaiu. in Hist. Imper. [illegible] Treb. de 30 tyran. in Æmil. Vopiſc. in Saturn.*
d *Euſ. 7. hiſt. 16. 17. 26.*

III. Eiuſmodi quoque Dei iudicium diligenter examinans Oroſius [e], eadem de cauſa factum ait, vt non ſolum perſecutionis iuſſor Valerianus male perierit, ſed etiam executores,

e *Oroſ. l. 7. c. 22.*

IRRVPTIONES CLADES ROM. IMPERII.

tores, delatores, accuſatores, ſpectatores, ac iudices, poſtremo omnes qui iniuſtiſſimæ crudelitati vel tacita voluntate aſſenſi eſſent, eadem vltionis plaga correpti fuerint: cum (vt ait) ſolutæ vndique ad hoc circumpoſitę gentes in omnes Romanos fines inuehi cœperunt; ac Germani Alpibus, Rhetiis, totaque Italia penetrata, Rauennam vſque peruenerunt; Alemanni Gallias peruagantes etiam in Italiam tranſierunt: Græcia, Macedonia, Pontus, Aſia, Gothorum eſt inundatione deleta; Daciaque trans Danubium in perpetuum ablata: Quadi & Sarmatæ Pannoniam depopulati ſunt; Germani vlteriores abraſa potiti ſunt Hiſpania; Parthi Meſopotamiã abſtulerunt, Syriamq; corraſerunt. Meminit quoque eorumdem barbaricarum incurſionum Trebellius: additque tunc à Scythis, hoc eſt parte Gothorum, Aſiam vaſtantibus, Dianę Epheſiæ templum (quod tamquam eximium Orbis miraculũ vniuerſa Gentilitas admirabunda ſpectabat, de quo dictum eſt alio loco) deſpoliatum eſſe atque incenſum. Sed & eaſdem irruptiones ad Chriſtianæ fidei propagationem magnopere contuliſſe, Sozomenus [f] aliique teſtantur: quod videlicet multi Chriſtiani ſacerdotes facti captiui, & in exteras regiones abducti, tum miraculis, tum prædicatione quamplurimos ad fidem Chriſti perduxerunt.

f Sozom. l. 2. c. 5. Niceph. l. 8. c. 33.

FIDEI CHRIST. PROPAGATIO PER CAPTIVOS FACTA.

IV. GREGORII THAVMAT. EPIST. CANONICA.

Hoc item ipſo tempore quo Gothi Pontum incurſarunt, Magnus ille Gregorius Thaumaturgus Neocæſareę primariæ eius prouinciæ ciuitatis Epiſcopus, ad emendationem complurium delictorum quæ tunc perpetrata fuiſſent, eam epiſtolam ſcripſit quam Græci Canonicam vocant, & in canone ad Sextam Synodum appoſito inter alias epiſtolas canonicas annumeratur; quæ & hactenus extat [g], delinquentium ac pœnitentium claſſes in Eccleſia, & loca diſtincta pulchre referans. Hiſque prope temporibus, idem Gregorius commentarium illum *De Expoſitione Fidei* aduerſus Ælianum conſcripſit; quo vt illatam ab eo calumniam cõfutaret, qua dicebat Chriſtianos plurium deorum eſſe cultores, eo quod Trinitatem colerent perſonarum, dum vnam eſſentiam diuinam Ethnico homini demonſtrare conatus eſt quibuſdam impropriis vocibus viſus diuinas confudiſſe perſonas, à nonnullis calumniam paſſus eſt quaſi hæreſi fauiſſet Sabellii, quæ (vt vidimus) ſicut vnam tantum ſubſtantiam in Trinitate, ita & vnam pariter perſonam prædicaret. Sed eum S. Baſilius [h] defendens, oſtendit ipſum ſententiam ſuam aduerſus Sabellium probe reliquiſſe teſtatam: quin & ipſam Sabellii hæreſim, traditione eiuſdem Gregorii in illis partibus conſopitam fuiſſe affirmat.

g. & Theod. Balſ. & to. 1. Bibl. S.

h Baſil ep. 64. ad Neocaſ.

V. DE SCRIPTIS DIONYSII ALEX. CONTRA SABELLIVM.

Contra vero cum hoc ipſo tempore, eadem hæreſi Sabelliana in Ægypto & Pentapoli, vnde orta erat, validius ab ipſo eius auctore propagata, Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus erudite aduerſus eam ad Ammonium & Euphranorem ſcripſiſſet; dum perſonas accuratius diſtinguere curaret, in contrariam inflecti viſus eſt partem, nimirum diuinas perſonas non tantum diſtinxiſſe, ſuis proprietatibus ſingulis attributis, ſed etiam ſubſtantia diuiſiſſe ab inuicem. Quapropter à Pentapolitanis quibuſdam læſæ fidei reus factus ad primarium Epiſcoporum omnium Iudicem Romanum Pontificem, eodem quoque tunc nomine Dionyſium appellatum; cum in ea cauſa Romæ SYNODVS Epiſcoporum celebrata eſſet, idem Alexandrinus ab ea iuſſus ſententiam ſuam declarare, Apologiam ad prædictum Romanum Pontificem ſcripſit, qua ſe defendens à calumniis illatis, egregie fidem Catholicam ſartam tectamque cuſtodiuit, eidemque Pontifici in omnibus ſatisfecit. Hæc autem ita geſta eſſe teſtatur S. Athanaſius eiuſdem Alexandrinæ Eccleſiæ poſtea Epiſcopus, tum in commentario de Synodis, tum maxime in libro quem *De ſententia Dionyſii* conſcripſit aduerſus Arianos, qui Dionyſium ſuæ ipſorum opinionis iam olim fuiſſe profeſſorem falſo iactarent; quos refellens Athanaſius, docet Dionyſium recte in omnibus de fide Catholica ſenſiſſe, & quæ ambigue alicubi dixiſſet, eadem poſtmodum multis aliis ſuis ſcriptis dilucidius explicaſſe; ac præcipue illis quæ ad ſui cognominem Romanum Pontificem ſcripſit: quæ quidem quatuor libris fuiſſe comprehenſa, Euſebius [i] atque Hieronymus [k] teſtantur. Sed qui hæc ignorarunt, & minus legerunt quæ pro Dionyſii defenſione ſcripta ſunt ab Athanaſio, non dubitarunt [l] eumdem Dionyſium poſt etiam accuſare quod Arianis arma ſubminiſtraſſet. Quemadmodum & in eo alii [m] decepti ſunt, dum exiſtimarunt Dionyſii qui videntur errores, non fuiſſe ab eo conſcriptos, ſed ab Arianis additos: nihil enim huiuſmodi Athanaſius eum defendens cauſatur, ſed illa vt ab eo ſunt ſcripta, integra atque ſincera perſeueraſſe indicat, quibus ipſum recte ſenſiſſe perſpicue innoteſceret.

i Euſ. 7. hiſt. 21.
k Hier. de Script. Eccl. in Dionyſ. Alex.
l Baſil. ep. 41. ad Max. Gennad. Maſſil. de Eccl. dogm. ep. Aug.
m Ruff. de adult. l. Orig.

VI. SVPREMVM ECCLESIÆ TRIBVNAL.

Ceterum ex his quæ in eius cauſa, teſtimonio eiuſdem S. Athanaſii, Romæ iudiciali examine apud Dionyſium Papam facta noſcuntur; non eſt qui non videat Romanæ Sedis prærogatiuam, ad quam ex principalioribus, pariterque remotioribus Orbis Eccleſiis, cauſæ tum Epiſcoporum, tum etiam fidei deferri ſolerent ab eius Pontificibus iudicandæ. Nec vero his contentus Dionyſius Papa nec ſatis ſibi viſus damnaſſe cum dogmate impium Sabellium; etiam cõtra illius ſectatores edidit commentarium, aliumq; rurſum aduerſus oppoſitam ei ſententiam, quam poſtea Ariani amplexi ſunt; cuius vtriuſque commentarii idem S. Athanaſius [n] meminit: ex quibus plane videas ipſum Dionyſium Romanum Pontificem, vt quiſque declinaret extrema mediam ſternentem viam, ſinceræ fidei veritati omni ex parte proſpexiſſe.

n Athan. cont. Arian. hær. decr. & de ſent. Dionyſ. cont. Arian.

IESV CHRISTI AN. 264.

GALLIENI AN. 10.

DIONYSII AN. 4.

I. NEPOS EPISC. ASSERTOR MILLENARII.

ANNO Chriſti ducenteſimo ſexageſimo quarto, Albino & Maximo Coſſ. quieſcente à bellicis tumultibus Ægypto, Eccleſia in ea poſita nonnihil fuit exagitata per *Nepotem* quemdam Epiſcopum Catholicum, qui ſententiam illam de *Millenario* ab aliis iam (vt vidimus) magni nominis viris aſſertam, necdum ab Eccleſia Catholica omnino proſcriptam, adeo vehementer ſcriptis voluminibus propugnauit, vt complures ſibi adſciuerit ſectatores. Sed huic malo Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus occurrens, eamdem opinionem iam in hæreſim erumpentem, tum ſcriptis contrariis tum viua voce compreſſit. Quomodo autem ſe iſta habuerint, Euſebius [a] ex eius ſcriptis declarat. Teſtatur vero etiam S. Hieronymus [b], ab eodem Dionyſio ſcriptum fuiſſe commentarium aduerſus S. Irenæũ eiuſdem olim ſententiæ aſſertorem. Idemque aſſerit, eadem Dionyſii aduerſus Nepotem ſcripta, poſtea Apollinarem Laodicenum Epiſcopum contrariis ſcriptis editis auſum eſſe impugnare; de quo dicetur ſuo loco.

a Euſ. 7. hiſt. 19.
b Hier. praf. l. 8. in Iſa.

II. PORPHYRIVS VENIT ROMAM.

Hoc ipſo anno decimo Imperii Gallieni, PORPHYRIVS philoſophus ſecta Platonicus, Chriſtianæ religionis hoſtis infenſiſſimus, è Græcia Romam venit annos triginta natus, & Plotino adhæſit eiuſdem ſectæ tunc facile principi, quem iam olim ad eamdem Vrbem adueniſſe vidimus. Narrat hæc ipſe Porphyrius in eius vita. Porro Porphyrium fuiſſe patria Tyrium, Eunapius [c] tradit; ſed Batanæum (quæ eſt ciuitas in Iudæa) S. Hieronymus [d] appellat. Nempe Tyrius ille dici voluit potius quam Batanæus, pertæſus Iudæum genus. Addit vero Eunapius, fuiſſe ei initio nomen Malchum, quod Syrorum lingua Regem ſonat; ſed detorta appellatione ad purpuram regiam, Porphyrium veluti purpureum eum nominaſſe Longinum, apud quem ſublimibus ſtudiis erudiebatur. Fuiſſe autem aliquando Chriſtianum, ſed non ferentem Cæſareę Palæſtinę maiorum iuſtam reprehenſionem, eſſe factum deſertorem, Socrates [e] ex Euſebio tradit. Sane cum ipſemet de ſe Porphyrius [f] teſtetur, ſe adeo ad iracundiam & furorem præcipitem fuiſſe, vt aliquando ſeipſum interimere cogitauerit, niſi à Plotino demotus eſſet; haud mirum ſi tam indomita fera minime valuerit cum Chriſti ouibus eſſe, & ſi moribus ſic comparatus truculẽtus apoſtata,

c Eunap. in vit. Philoſ.
d Hier. praf. in ep. ad Gal.
e Socr. l. 3. c. 19
f Porphyr. in vit. Plotin.

Digitized by Google

ſtata canina rabie in Chriſtianos debacchatos fuerit. Sed de his alias g.

g Infr. an. 102.

III.

DEPLORATA CONDITIO PHILOSOPHORVM IN SVIS DOGMAT. PROPAG.

Interim vero ipſum Plotinum idem auctor tradit tentaſſe agere cum Gallieno, vt dirutam quamdam olim in Campania ciuitatem inſtauraret, concederetque Platonicis philoſophis inhabitandam, qui eam *Platonopolim* appellarent, & Platonis legibus gubernarent; ſed quoſdam Imperatoris familiares ne id fieret obſtitiſſe. Ex quibus plane conſideres inopem philoſophorum conditionem, dum poſt tot ſæcula, vbique gentium promulgata quæ ſanctiora videbantur Platonica dogmata, nec id efficere potuerunt vt in toto Orbe vel vnica ciuitatula ex eorum præſcripto regeretur: cum econtra Chriſtiana religio piſcatorum ore vulgata, totum plane Orbem repleuerit, genteſque omnes vi quadam diuinitus inſita coegerit patrios & inolitos mores omnino relinquere, aduerſariaſque propriis concupiſcentiis leges amplecti; ac eaſdem vitæ quoque diſpendio profiteri.

GALLIENI AN. II.

IESV CHRISTI AN. 265.

DIONYSII AN. 5.

I.

ODENATVS IMPERAT IN ORIENTE.

ANNO Chriſti ducenteſimo ſexageſimo quinto, Gallieno Imperatore ſextum & Saturnino Coſſ. (inquit Trebellius) ODENATVS Palmyrenorum in Syria Princeps obtinuit totius Orientis Imperium, fortibus factis ſe tantæ maieſtatis inſulis dignum declarans; Gallieno interim aut nullas, aut luxurioſas, aut ineptas & ridiculas res agente. Hæc Trebellius a, qui res ab Odenato fortiter aduerſus Perſas (quos & fugauit, & Cteſiphontem vſque peruenit) in vindictam Valeriani geſtas, pluribus proſequitur, eaque de cauſa à Gallieno Auguſtum vocatum tradit. Erat Odenato coniux inſignis pudicitiæ atque prudentiæ femina, ZENOBIA dicta, quam idem Trebellius mirifice laudat, quæque ſcientiis erudita, vſa eſt in Græcis litteris Longino philoſopho præceptore, vt tradit Vopiſcus b. Sed & cupida Chriſtianarum literarum, male conſulta adſciuit ſibi magiſtrum Paulum Samoſatenum Epiſcopum Antiochenum hæreticum, qui eam docuit Iudaizare, vt tradit Philaſtrius c: immo & ipſam fuiſſe Iudæam, Athanaſius d aſſerere videtur. Nicephorus e vero ait, quod cum Paulus eamdem Iudaizantem ad rectam fidem reducere vellet, ipſe in hæreſim Artemonis impegerit.

a Treb. in Gall. & de. 30. tyr. 28.

ZENOBIA INSIGNIS FEMINA.

b Vopiſ. in Aurelia.

c Philaſt. de hær. c. 65.

d Athan. ep. ad Solitar.

e Nic. l. 7. c. 27.

II.

DE PAVLO SAMOSAT. EPISC. ANTIOCH.

f Athan. de Synod.

g Epiph. hær. 65.

Sed vt de PAVLO SAMOSATENO expreſſius agamus; quod primum ad rationem temporis ſpectat, cum illum ab vtroque Dionyſio Romano & Alexandrino damnatum eſſe, conſtet auctoritate S. Athanaſii f; haud ſubſiſtere poteſt quod S. Epiphanius g ait, ipſum tempore Aureliani & Probi Imperatorum creatum fuiſſe Antiochenum Epiſcopum; cum certum ſit neutrum Dionyſium ad illa tempora perueniſſe: multo vero minus fidei habebit, quod Euthymius & ſiqui alii Græcorum affirmarunt, eumdem Paulum Manichæa matre natũ; cum ipſe hæreſis auctor Manes nonniſi eiuſdem Aureliani Imperatoris temporibus innotuerit. Impia autem ſua dogmata videtur ipſe Paulus aliqua ex parte à Sabellio mutuatus, dum nullam admittens in diuinitatis ſubſtantia perſonarum diſtinctionem, ſed ſicut vnum Deum, ita pariter vnam perſonam dicens Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, totam Eccleſiæ de ſanctiſſima Trinitate doctrinam cum Sabellio atque Iudæis penitus abſtulit: verum à Sabellio diſcrepauit in eo, quod Sabellius cum vnam tantum affirmaret diuinam eſſe perſonam, ex neceſſaria conſequentia æque introduceret Patris ſimul & Spiritus Sancti cum Filio incarnationem ac paſſionem; Paulus vero omnem prorſus auferens diuinæ naturę cum humana coniunctionem, Chriſtum hominem tantum, ſed iuſtitia pręditum fuiſſe diceret, ſicque extinctam ferme reuiuiſcere faceret Artemonis hæreſim, de qua dictum eſt ſuperius. Aſſerebat inſuper, Verbum Dei in Chriſtum veniſſe, & ſolum operatum eſſe, & ad Patrem qui illud ſpirauerat rediiſſe. Tradit hæc de Paulo Epiphanius h.

IMPIA EIVS DOGMATA.

h Id. ibid.

III.

Ex literis quoque Dionyſii Alexandrini aduerſus eumdem Paulum ſcriptis i tempore prioris Concilii Antiocheni, contra eumdem (vt mox dicetur) collecti, plane idem Paulus detegitur duas conſtituiſſe perſonas inter ſe disiunctas, Filium Dei Verbum, & Chriſtum quem aiebat non fuiſſe ante Mariam, nomenque Filii Dei accepiſſe ex bona operatione ipſius. Certe quidem Neſtorius accuſatus fuit hæreſis Samoſateni, cum in duas perſonas Chriſtum diuideret. Rurſum etiam ex iiſdẽ principiis de Chriſti humanitate perperam conſtitutis, aliam nefariam ſententiam Paulus deduxit, vt diceret in Sacramento Euchariſtiæ eſſe Chriſti ſanguinem corruptibilem: quã blaſphemiam idem Dionyſius æque eadem epiſtola k egregie refellens, manifeſte docet non magis corrumpi Chriſti ſanguinem viuum & viuificum in Euchariſtia, quod diuidatur & effundatur; quam corruptus eſt Spiritus ſanctus, cum diuiſus eſt & effuſus in Fideles.

i Meminit earum Euſ. 7. hiſt. 22. & Hier. de Script. Eccle. in Dionyſ. Ea tam autem ipſa à Turriano Latina facta, ſed non integra edita, quas citat l. de Sacram. Euchar. c. 10. & 11.

k Recitat eius verba Tur. vbi ſupra.

IV.

OPPVGNATORES PAVLI SAMOSAT.

l Athan. de Synod.

Cum autem aduerſus deteſtandas Pauli impietates mox vt innotuere, ſancti Epiſcopi inſurrexerint; id inprimis præſtiterunt, qui ceteros dignitate & auctoritate antecellerent, Dionyſius Romanus, & alter Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus; à quibus ſublatum eſſe Paulum, S. Athanaſius l ſcribit: quod tamen ſic accipiendum exiſtimo, vt hi primum ſcriptis editis eius hæreſes confutauerint atque damnauerint. Alios quoque Epiſcopos bis eadem re conueniſſe Antiochiæ conſtat; primum quidem anno ſequenti; rurſum vero tempore Aureliani Imperatoris, de quibus dicetur ſuis locis.

GALLIENI AN. 12.

IESV CHRISTI AN. 266.

DIONYSII AN. 6.

I.

a Panuin. de Faſt. & Hubert. in Gall.

SYNODVS ANTIOCH. CONTRA PAVLVM SAMOSAT.

b Euſ. 7. hiſt. 22.

ANNO Chriſti ducenteſimo ſexageſimo ſexto, Valeriano Gallieni filio (vt nummi a declarant, non fratre, quod Trebellius exiſtimauit, licet non abnuamus habuiſſe Gallienum eiuſdem nominis fratrem, de quo poſtea) ſecundum & Lucillo Coſſ. celebrata eſt *Antiochiæ* SYNODVS aduerſus Paulum Samoſatenum eiuſdem ciuitatis Epiſcopum: cui inter alios pene infinitos (vt inquit Euſebius b) Epiſcopos cum presbyteris & diaconis, pręcipui interfuerunt Firmilianus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, Gregorius Thaumaturgus Neocæſarienſis, eiuſque frater Athenodorus pariter Epiſcopus Ponti, Helenus Tarſenſis; Nicomas Iconienſis, Hymenæus Hieroſolymitanus, Theotecnus Cæſarienſis Palæſtinę, & Maximus Boſtrenſis. Hæc autem non ante præſentem annum geſta eſſe, inde exploratum redditur quod Hymenæus qui ei interfuit, nonniſi hoc anno Gallieni duodecimo in locum Mazabanis defuncti ſubrogatum eſſe, idem Euſebius c tradat. Nec vero poſt hunc annum eadem contigiſſe, tũ eodem d auctore conſtat, dum ſcribit Dionyſium Alexandrinum ad eamdem Synodum vocatum, cum non poſſet ipſe ob ſenectutem & corporis infirmitatem eo accedere, interfuiſſe tamen per litteras aduerſus Pauli errores ſcriptas; tum ex eo quod teſtatur Hieronymus e, eaſdem litteras ſcriptas eſſe paulo ante Dionyſii obitum, qui accidit (vt dicetur) hoc ipſo anno.

c Id. in Chro.

d Id. ibd. c. 22.

e Hier. in Dionyſ.

II.

f Rec. eam poſt Turria. Baron. Annal. to. 2. hoc an.

g Ap. Euſ. 7. hiſt. 24.

PAVLVS DOLOSE POENITENTIAM SIMVLAT.

Ceterum Patres Synodi ipſo primo conſeſſu, ante omnia Catholicam fidem de Filio Dei, quam per maiorum traditionem ab Apoſtolis accepiſſent, ſcripto editam declararunt, eamque ad ipſum Paulum ex Synodo miſerunt; quæ & hactenus eſt conſeruata f, præclariſſimum antiquitatis fidei Catholicæ monumentum. Poſt hæc autem damnatam eſſe Pauli impietatem, ipſumque, cum promiſiſſet ſe mutaturum, ſententiam, permiſſum eſſe in eadem Eccleſia Epiſcopum permanere; docent litteræ g Epiſcoporum qui tempore Aureliani Imperatoris; poſteriori conuentui eadem de cauſa itidem Antiochiæ celebrato interfuerunt. Quod ſi interdum liceat agere conie-

ctura, equidem arbitror mitius actum eſſe cum hæretico ſceleſtiſſimo, vt recantata palinodia nullum ſedis diſpendium paſſus ſit; quod illi faueret Zenobia eius (vt vidimus) diſcipula, quæ cum viro ſuo Odenato his temporibus Orientale Imperium poſſidebat: quam & S. Athanaſius [h] eiuſdem Pauli protectricem appellat. Sed de iſta Synodo hactenus.

h Athan. ep. ad ſolit.

III. DIONYSIVS ALEX. MORITVR.

i Euſ. l. 7. c. 22. k Hier. in Dionyſ.

Inter hæc vero inſignem illum pietate & doctrina, quem ſæpiſſime diximus Dionyſium Epiſcopum Alexandrinum, cum decem & ſeptem annis eam Eccleſiam gubernaſſet, hoc ipſo anno Imperij Gallieni duodecimo ex hac vita migraſſe, Euſebius [i] & Hieronymus [k] teſtantur; ex quibus corrigas eiuſdem Euſebij Chronicon, in quo Dionyſij obitus ponitur anno Gallieni decimo. Eius ſcripta iidem auctores recenſent, de quorum nõnullis actum eſt ſuperius: natalis vero dies tam in Orientali quam in Occidentali Eccleſia decimoquinto Calendas Decembr. anniuerſaria memoria celebratur. Suffectus autem eſt in locum eius *Maximus*, quem interdum Maximianum inuenimus appellatum.

IV. GREGORII THAVMATVR. OBITVS.

l Niceph. l. 6. c. 17.

Quod autem nec poſthæc vlla amplius mentio habeatur de Magno illo Gregorio Thaumaturgo, quem diximus prædictæ Synodo interfuiſſe; exiſtimare nos admonet, ipſum, quoque haud diu poſt ex hac vita migraſſe. Quare & improbatur ſententia Nicephori [l], perueniſſe ad tempora Diocletiani; ac multo magis Suidæ, quod ſuperuixerit ad tempora Iuliani: ſed forte Iulianus ibi pro Gallieno poſitus legitur. Ceterum Gregorius (vt ait Nyſſenus in eius Vita) vbi cognouit ſuum inſtare obitum, ciuitaté ac totam diœceſim ſuam perſcrutatus, cum ſeptemdecim tantum Ethnicos in ea reperiſſet; gratias Deo egit, quod ſuo ſucceſſori tot relinqueret ſimulacrorum cultores, quot ipſe eius Eccleſiæ curam ſuſcipiens in ea Chriſtianos inueniſſet. Moriens vero mandauit neceſſariis ſuis, vt nullum proprium locum ei compararent ad ſepulturam; quod ſicut viuus non ſuſtinuiſſet vocari alicuius loci dominus, ſed inquilinus vixiſſet in alienis; ita poſt mortem vellet etiam eſſe inquilinus alienorum ſepulchrorum. At licet commune ceteris ſepulchrorum optauit; tamen corpus eius theca priuata repoſitum fuit, atque magno honore habitum, quod miraculis coruſcaret. Adeoque charæ fuerunt eius ſacræ reliquiæ Deo omnipotenti, vt Eccleſia in qua eæ repoſitæ ſunt, quam ipſe Gregorius antea in vſum Fidelium condiderat, superuenientibus licet diris terræmotibus, quibus illa propemodum funditus ciuitas corruit, publicaque cum priuatis ædificiis proſtrata ſunt, nihilominus diuino miraculo remanſerit ſemper integra & illæſa: prout idem Nyſſenus; & Thodorus [m] Lector de diuerſis terræmotib. teſtantur.

DE EIVS SEPVLCHRO.

m Theod. Lect. lib. 2. Collect.

V.

Porro anniuerſaria eius natalis memoria eadem die ab Eccleſia celebratur, qua & Dionyſij Alexandrini nempe decimaquinta ante Calendas Decembris: quem quidem inter alios Patres, miris laudum præconiis ſæpe Baſilius [n] extulit: qui & ait tantam fuiſſe miraculorum eius præſtantiam, vt ab ipſis etiam veritatis hoſtibus alter Moyſes appellaretur. Quæ autem præſtantiſſimi ingenij ſui vir ſanctiſſimus reliquerit monumenta, præter illa quæ ſuperius variis occaſionibus recenſita ſunt, alia quoque S. Hieronymus [o] enumerat; cuncta vero ſumma diligentia collegit, & nuper edidit Gerardus Voſſius vir præſtantiſſimus. Porro *Athenodorus* ipſius germanus, qui eidem pariter Synodo Antiochenæ interfuit; in hoc maior illo, in vltima ſenectute ſub Aureliano Imper. Chriſtianos perſequente, glorioſi martyrij [p] palmam conſecutus eſt.

n Baſil. de Sp. S. c. 29. ep. 64. & alibi.

DE EIVSDEM SCRIPTIS.

o Hier. de Script. Eccl. in Theodor.

p Martyrol. Rom. 15 Cal. Nouemb.

IESV CHRISTI ANN. 267. 268.

GALLIENI AN. 13. 14.

DIONYSII ANN. 7. 8.

I. VALERIANVS IVNIOR IMP.

ANno Chriſti ducenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Gallieno Auguſto ſeptimum & Sabinillo Coſſ. VALERIANVS Cæſar eiuſdem Gallieni frater, Auguſtus appellatus Tribunitiam Poteſtatem accepit, vt ex Trebellio [a] Pollione colligitur; quem præteriiſſe alterum VALERIANVM filium Gallieni, ipſumque auctum Imperio, ſuperius dictum eſt.

a Treb. in Galli.

II.

b Caſſiod. in Faſt.

CLAVDIVS DVX IN DACIA.

c Treb. in Claud.

Anno vero ducenteſimo ſexageſimo octauo, Paterno [b] & Arceſilao Coſſ. *Claudius* dux exercitus in Dacia, vir domi militiæq; ſpectatus, pertæſus ſocordiam Gallieni, qua noui quotidie tyranni vbique excitarentur, de vindicando ſibi Imperio conſilium init: quem fruſtra Gallienus multis pretioſis donis, quæ Trebellius [c] enumerat, placare ſtuduit.

IESV CHRISTI ANN. 269.

CLAVDII IMP. AN. 1.

DIONYSII ANN. 9.

I. GALLIENVS NECATVR.

ANNO Chriſti ducenteſimo ſexageſimonono, Paterno ſecundum & Macriano Coſſ. duodecimo Calendas Aprilis, conſpiratione Claudij aliorumque ducum, *Gallienus* Imp. annos natus quinquaginta, vna cum fratre & filiis apud Mediolanum occiſus eſt, prout Trebellius, Victor, & alij narrant. Quod vero addit Trebellius, diuerſas ſcriptas fuiſſe de annis Gallieni ſententias; Epiphanius [a] quoque nonniſi annos duodecim ei tribuit: at Euſebius [b], Victor, & alij quindecim; quibus conſentiunt veteres nummi [c], decimam quintam Tribunitiam poteſtatem eius recenſentes.

a Epiph. de menſ.

b Euſ. hiſt. 23.

c Hubert. in Theſ.

II CLAVDIVS IMP.

d Treb. in Claud.

Illo vero ſublato, electus eſt à militibus, & à Senatu magnis acclamationibus approbatus, idem *Flauius* CLAVDIVS, cuius laudes vberius eſt proſecutus Trebellius [d], in gratiam Conſtantij Cæſaris parentis Conſtantini Magni volumen ſcribens, quo profitetur ipſum Conſtantium ex Claudij ſtemmate eſſe progenitum; natum videlicet ex Claudia filia Criſpi fratris Claudij Eutropio Dardano eiuſdem Claudiæ marito. Ipſius vero Claudij genus idem auctor ex Dalmatis deducit, licet ab Ilio originem traxiſſe alij affirmarent. Addit etiam de trecentis viginti millibus Gotthorum aliarumque gentium barbararum, quæ cum duobus millibus nauium audita Gallieni morte ſe effuderunt in Romanum Imperium; cum & Gallias & Hiſpanias, vires (vt ait) Reipublicæ, TETRICVS teneret, & totum Orientem poſt Odenati obitum ZENOBIA eius vxor pluſquam virili animo poſſideret.

III. MARTYRES SVB CLAVDIO.

e Ex Act. S. Laurent. in ſin.

At plane conſilium Dei fuit, vt tot hoſtibus Claudius refertum inueniret Imperium; vt qui in Chriſtianos infenſiſſimus eſſet, his detentus difficillimis occupationibus, haud facile poſſet quã animo conceperat eorumdẽ carnificinam edere. Cum alioqui non deſtiterit in Vrbe præſertim negotium illis faceſſere, dum *Cyrillam* [e] filiam Tryphoniæ, Decij Imperatoris ſiue coniugis ſiue concubinæ; virginem Deo dicatam, & multos alios tum milites Prætorianos, tum alterius generis ciues Romanos, Chriſtianæ religionis profeſſores, necari iuſſit; quorum omnium memoria ſuis quibuſque diebus relata eſt in tabulas Eccleſiaſticas.

IESV CHRISTI ANN. 270.

CLAVDII IMP. AN. 2.

DIONYSII ANN. 10.

I. PERSECVTIO IN CHRIST.

ANNO Chriſti ducenteſimo ſeptuageſimo, Claudio Auguſto ſecundum (priorem enim Conſulatum, ſuffectum geſſerat ſub Valeriano) & Paterno Coſſ. ab eodem Imperatore acrius ſæuitum eſt in Chriſtianos, promulgato edicto vt qui in carcere tenerentur Chriſtiani, vel foris in vulgo inuenti eſſet, abſque interrogatione punirentur. Eſt enim eius mentio in Actis [a] SS. martyrum, qui tunc magno numero Romæ ſunt paſſi; inter quos fuere [b] *Marius*, & *Martha* eius coniux, cum filiis *Audifac* & *Abaco*; qui è Perſide Romam ad loca ſancta venientes, poſt edita multa pietatis & charitatis officia, & ipſi tenti crudeliter ſunt necati.

a Ap. Sur. 14. Febr.

b Martyrol. Rom. 14. Ian.

II. EPIST. DIONYSII PP. DE DIVISIONE PAROECIARVM.

Iiſdem Coſſ. quinto Idus Septembris data reperitur Dionyſij Papæ epiſtola ad Seuerum Epiſcopum Cordubenſem, de Parochiarum & Cœmeteriorum diuiſione, quam & ſe Romæ feciſſe teſtatur: idemque traditur in libro de Romanis Pontificibus. Verum cum iam ab aliis anteceſſoribus Romanis Pontificibus id reperiatur factum; intelligendum eſt, quod in perſecutione Valeriani ab Eccleſiis eſſent auulſi presbyteri, & cœmeteria prohibita; illo ſublato, & à Gallieno reſtituta pace, Dionyſium eaſdem parochias & cœmeteria iterum recta ratione aliis presbyteris aſſignaſſe.

AVRELIANI IMP. AN. 1.

IESV CHRISTI ANN. 271.

DIONYSII ANN. 11.

I. CLAVDII IMP. OBITVS.

ANNO Chriſti ducenteſimo ſeptuageſimo primo, Antiochiano (aliter Actatiano) & Orfito Coſſ. Claudius Imperator confecto feliciter formidoloſo bello aduerſus Gothos alioſque barbaros ſuſcepto, lue tactus occubuit: & qui in eius locum à militibus ſuffectus eſt, ipſius germanus QVINTILLVS, quod ſe grauem & ſeuerum oſtenderet, ab iiſdem decimaſeptima poſt die occiſus eſt. Hæc omnia pluribus Trebellius; qui eumdem Claudium tertio Imperij anno æſtatis tempore defunctum eſſe, citato de ea re oraculo ſignificare videtur; licet alij dicant id accidiſſe Nonis Februarij. Sed & quod iidem annum tantum vnum, menſes decem & dies quindecim eidem Claudio tribuunt, tum ex eodem Trebellio erroris arguuntur, tum maxime ex Porphyrio, qui his temporibus Romæ agens, ait Plotinum philoſophum (de quo ſæpe ſuperius) iam peracto Claudii anno ſecundo diem obiiſſe. Porro mortem Quintilli Vopiſcus [a] narrans, ait ipſum cum Aurelianum comperiſſet imperare, & ſe ab exercitu derelictum cerneret, inciſis ſibimet venis die vigeſimo ſui Imperij periiſſe.

QVINTILLVS IMP. NECATVR.

a Vopiſ. in Aurelia.

II. AVRELIANVS IMP.

Sublatis igitur Claudio atque Quintillo, *Lucius Domitius* AVRELIANVS, obſcuris parentibus, ſiue in Dacia, ſiue in Mœſia, vel in Pannonia Sirmii natus (diuerſas enim de ea re fuiſſe maiorum ſententias, idem Vopiſcus teſtatur) fauore militum oblatum ſolus tenuit Imperium; homo æqui amantiſſimus viſus in præſcribendis legibus militibus ſuis, ſed in delinquentes nimium ſeuerus; quod idem auctor pluribus exemplis declarat.

III. PLOTINI OBITVS.

b Porphyr. in vit. Plot.

c Iul. Firm. l. 1. c. 3. 4. 9.

Quod vero ad *Plotinum* attinet; tradit Porphyrius [b] eum tactum angina, accedentibuſque manuum ac pedum vlceribus, in Campaniam ſeceſſiſſe, & ibi diem obiiſſe natum annos ſex & ſexaginta. Sed eiuſdem plane horrendum morbum atque mortem, quam paucis Porphyrius abſoluit, Iulius Firmicus [c] Maternus, & ipſe Ethnicus, qui ſub Conſtantio Imperatore vixit, exactius deſcripſit: affirmans quidem hæc illum Fati contemptorem à Fato vlciſcente perpeſſum, quod contra Fatum accurate ſcripſiſſet; ſed infelicis eius exitus cauſa inde certius veriuſque petenda eſt, quod auditor Chriſtiani Philoſophi Ammonij, & familiariter vſus Origene, interque Chriſtianos diu verſatus, fieri tamen Chriſtianus abhorruerit; præferens Chriſti religioni familiaris dæmonis cultum; immo & præ iſto ceteros omnes deos contemnens, vt ex eodem Porphyrio intelligitur: qui etiam tradit; eum in ipſius Plotini obitu in forma draconis viſum eſſe ſub lecto perrerrantem, & tandem in parietis foramen ſe prorſus occuluiſſe. Tantæ vero apud ſuos æſtimationis poſt obitum Plotinus fuit, vt & diuinos illi honores fuiſſe impertitos, araſq; erectas, Eunapius ſcribat.

AVRELIANI IMP. AN. 2.

IESV CHRISTI ANN. 272.

DIONYSII ANN. 12.

I. CONCIL.

ANNO Chriſti ducenteſimo ſeptuageſimoſecundo, Aureliano Auguſto & Baſſo Coſſ. cum Paulus Samoſatenus Epiſcopus Antiochenus damnatam à ſe in priori Concilio Antiocheno hæreſim, iterum reſtituere conatus eſſet, illic rurſum conuenientibus regionum finitimarum Epiſcopis (vt Euſebius [a] tradit) prope infinitis, à Malchione eiuſdem Eccleſiæ diſertiſſimo presbytero, egregia diſputatione [b] per Notarios excepta de errore conuictus; omnium Patrum ſententia damnatus eſt, ac ſede pulſus, ſubrogato in eius locum *Domno* Demetriani (qui ante Paulum eamdem Eccleſiam optime rexerat) filio, omni genere virtutum exornato. De quibus omnibus mox ab iiſdem Patribus data eſt ad Dionyſium Romanum, & Maximum Alexandrinum, alioſque vniuerſos Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopos, Synodica [c], qua præter hæreſim, reliqua etiam deſcripſerunt Pauli ſcelera ac ſacrilegia, turpitudines, rapinas, fraudes, luxuriam, faſtumque in ſedendo ac incedendo; nec non intolerabilem impietatem, qua in locum Pſalmorum & cantuum Eccleſiaſticorum, in media Eccleſia ſolemni Paſchatis die, inanes cantilenas in laudem ſuam paratas à mulierculis cantari iuſſit. Ceterum cum hanc Synodum ſub Aureliano Imperatore celebratam eſſe, in hiſtoria Euſebius tradat; ex ea corrigendum eſt quod in eiuſdem Chronico Pauli damnatio & Domni ſubrogatio ponitur anno decimotertio Gallieni.

POSTERIVS ANTIOCH. CONTRA PAVLVM SAMOSAT.

a Euſeb. 7. hiſt. 23.

b Meminit etiam eius Hieron. de Scr. Eccl. in Malchio.

c Ext. apud Euſ. 7. hiſt. 24.

PAVLI SCELERA.

II.

d Athanas. de Synod.

Meminit eiuſdem Synodi Athanaſius, dum aduerſus Arianos, Nicænam carpentes quod vocem *Conſubſtantialis* aliter accepiſſet quam Patres Antiocheni, demonſtrat vtramque Synodum idem de Filij diuinitate ſenſiſſe, licet ob iuſtam cauſam vario modo ſua verba temperarit. Ipſos vero Antiochenos Patres non tantum ſtuduiſſe Paulum, ſed etiam Sabellium confutare, aliqua ex parte (vt vidimus) pugnantes inter ſe hæreſes inducentes; apparet ex ipſorū Fidei profeſſione tunc edita, quæ apud Synodum Epheſinam [e] habetur intexta. In qua cum pariter quæ de eorum ſententia aduerſus Arianos Athanaſius diſputat, dilucidius explicentur; ex his detegitur conniuentia Euſebij hiſtorici cum iiſdem Arianis: quippe qui hanc retexens hiſtoriam, atque Synodicam à Concilio ſcriptam recitans, quæ in ea de fide Catholica tractatio ſcripta erat, ſubduxit, quod in ea Chriſti natura diuina Patri Conſubſtantialis aſſereretur.

e Conc. Epheſ. edit. Poli. to. 6. c. 1. in fin.

EVSEBII DOLVS.

III.

f Euſeb. d. c. 24. ad fin.

Tradit vero idem auctor [f]; cum poſt damnationem Pauli ipſe exire nollet ex domo Epiſcopali eiuſdem Eccleſiæ Antiochenæ, Imperatorem Aurelianum de re illa rogatum reſcripto iuſſiſſe, vt eadem domus illis tribueretur, quibus Chriſtiani Italiæ & Vrbis Romæ Epiſcopi per litteras tribuendam præſcriberent; tuncq; penitus Paulum eſſe eiectum. Nimirum vſque adeo innotuerat Romani Pontificis toto Orbe poteſtas, vt & Ethnicos non lateret, aliorum Epiſcoporum ſententias eſſe ratas (ſiquidem iam antea in Synodo Antiochena; cui tribuenda domus eſſet præiudicatum fuerat) quas auctoritas Romani Pontificis confirmaſſet. At quoniam ſcire potuit Imperator, ab eodem Pontifice in eamdem cauſam fuiſſe *Romæ* congregatos Italiæ Epiſcopos ad SYNODVM (quod Athanaſius eadem aduerſus Arianos de Synodo Antiochena diſputatione teſtatur) idcirco dixit, id eſſe debere ratum, quod vna cum Romano Epiſcopo Italiæ Chriſtiani decernerent.

AVREL. IMP. COGNOSCIT PRIMATVM ROM. ECCLESIÆ.

IV. AVREL. SVPERSTITIONI DEDITVS.

Hæc quidem his decernebat temporibus iuſtitiæ æqua lance Aurelianus, non aliqua erga Italiæ Epiſcopos vel Romanum Pontificem affectione permotus: quippe licet nondum Chriſtianos perſequeretur, tamen quod patrio idolorum cultui addictiſſimus eſſet, omnes Chriſtianos æque odio proſequebatur. Totus namque erat, hoc præſertim tempore quo aduerſus Marcomannos in Italiam irrumpentes expeditionem pararet, in conſulendis libris Sibyllinis: de quibus & Senatum litteris redarguit, quod eos inſpicere cunctarentur, *Perinde* (inquit) *quaſi in Chriſtianorum Eccleſia, & non in templo omnium Deorum tractarent.* Hæc Vopiſcus, aliaque de eiuſdem Imperatoris erga cultum deorum propenſiſſimo ſtudio. Cuius etiam non leue eſt argumentum, quod cum neminem voluerit habere collegam Imperij. HERCVLEM tantum dixit ſuum eſſe conſortem, quem & nominauit Augu-

ſtum

g Extat Piſauri in Vmbria in Palatio Ducis Vrbini.

ſtum: prout docet vetus inſcriptio [g] his verbis concepta; HERCVLI AVG. CONSORTI D. N. AVRELIANI INVICTI AVG. RESPVB. PIS. &c.

V. DIONYSII PAPÆ OBITVS.

Hoc eodem anno iiſdemque Coſſ. ſeptimo Calendas Ianuarias *S. Dionyſius* Romanus Epiſcopus, pro Eccleſia Dei aduerſus hæreticos & perſecutores plurimis laboribus exantlatis, feliciter migrauit ad Dominum, cùm ſediſſet annos vndecim, menſes tres & dies quatuordecim. Ad hunc quippe annum Aureliani eum perueniſſe, epiſtola ad ipſum ex Synodo Antiochena ſcripta aſſirmare nos cogit; pariterque erroris arguere, qui eius obitum ad anteriora tempora referunt. Sepultus [h] eſt via Appia in cœmeterio Calliſti: & cum ceſſaſſet Epiſcopatus eius dies quinque, vltimo huius anni die ſubrogatus eſt FELIX natione Romanus ex patre Conſtantio.

h Anaſt. de Rom. Pontif.

FELIX PAPA.

IESV CHRISTI ANN. 273.

AVRELIANI AN. 3.

FELICIS ANN. 1.

I. AVRELIANVS IMP. SÆVIT IN SENATORES.

ANNO Chriſti ducenteſimo ſeptuageſimo tertio, Quiato & Valdumiano Coſſ. Aurelianus Imperator (inquit Vopiſcus) vt erat natura ferocior, plenus irarum Romam petiit vindictæ cupidus, quam ſeditionum aſperitas ſuggerebat: inciuilius denique vſus Imperio, ſeditionum auctoribus interremptis, cruentius ea quæ mollius fuerant curanda compeſcuit; interfectis etiam quibuſdam nobilibus Senatoribus, cum his leue quiddam, vel vnus, vel leuis, vel vilis teſtis obiiceret. Hæc Vopiſcus. Qui cùm nullam aliam eius contentionis cauſam afferat, haud abs re exiſtimare quiſque poterit, Senatores illos qui de inſpiciendis libris Sibyllinis (quod vidimus anno ſuperiori) ceteris obniſi eſſent. Chriſtianos extitiſſe, ideoque Imperatorem ſæuius in eos egiſſe. Quod vero qui ab eo ſunt interfecti, dicantur à Vopiſco ſeditionis auctores; eiuſmodi criminis, nempe ſeditionis infamari ſolitos Chriſtianos, tum ſæpe alias diximus, tum de his plane temporibus Acta *S. Symphoriani*, quæ habentur [a] germana, ſignificant, dum aiunt, quod noluiſſet Auguſtoduni ſtatuam Berecynthiæ, quæ carpento vehebatur agminibus ſtipata populorum, adorare; publicæ ſeditionis prætextu comprehenſum eſſe, ac poſt virgas & carcerem gladio necatum.

a Ap. Sur. 22. Aug.

II.

Porro licet iam ſic in Chriſtianos Aurelianus permotus eſſet, nequaquam tamen cum primum voluit perſecutionem lege ſtatuere, ſibi licuit: ſiquidem (quod Euſebius [b] narrat) cum litteras contra Chriſtianos compoſitas ſubſcribere vellet, diuina vltio, brachiorum commiſſuris eneruatis, illum ab inſtituto repreſſit. Sed eumdem nihilominus perſecutum eſſe Fideles, & ob eam cauſam cœleſti vindicta ſublatum, idem auctor [c] alibi affirmat. Eaque ſub Aureliano facta PERSECVTIO tum à Sancto Auguſtino [d], tum ab aliis NONA, Octaua vero à S. Leone [e] & qui eamdem cum eo inierunt numeri rationem. Denique & in tabulis Eccleſiaſticis; aliiſque antiquis monumentis, quamplurimi reperiuntur in perſecutione Aureliani paſſi: & iiſdem Symphoriani Actis habetur intextum ipſum ab Aureliano reſcriptum contra Chriſtianos, ad prouinciarum Rectores datum. Ex quibus omnibus ſatis refelluntur Oroſius [f] & Seuerus [g], qui hanc perſecutionem non agnouerunt, niſi intentatam.

b Euſ. 7. hiſt. 24. in fin.
PERSECVTIO AVRELIANI.
c Id. in Chron.
d Aug. 18. de ciuit. 52.
e Leo ſer. 2. de Pentec.
f Oroſ. l. 7. c. 23.
g Seuer. l. 2.

IESV CHRISTI ANN. 274.

AVRELIANI AN. 4.

FELICIS ANN. 2.

I. AVRELIANVS TRIVMPHAT DE ZENOBIA.

ANNO Chriſti ducenteſimo ſeptuageſimoquarto, Tacito & Placidiano Coſſ. (quantum ex Vopiſco colligi licet, & ex Euſebij Chronico aſſirmari) geſtum eſt ab Aureliano bellum aduerſus Zenobiam Palmyrenorum Reginam, quæ poſt Odenati viri ſui obitum, quod ille inuaſerat, filiorum nomine poſſidebat Romanum Imperium Orientis: quam Aurelianus obtinuit, duxitque in triumphum captiuam; Longinum autem philoſophum, de quo ſuperius, necari iuſſit, quod ſcriptor eſſet creditus inſolentium literarum Zenobiæ ad ipſum Aurelianum. Sed hæc omnia pluribus Vopiſcus. Addit vero Trebellius [a], eam poſt triumphum dimiſſam liberam, maximeque laudatam ab Aureliano apud Senatum, conceſſa ei poſſeſſione in agro Tiburtino, vna cum filiis ſuperſtitibus vixiſſe more Romanæ matronæ. Denique Euſebius [b] & Eutropius [c] aſſerunt eam in Vrbe ſummo honore conſenuiſſe, ab eaque poſteris quoque temporibus extitiſſe Romæ familiam Zenobiam nuncupatam. Fortaſſe ex ea nomen & originem accepit Zenobius, inſignis ille Florentinus Epiſcopus æqualis Ambroſij. Quæ enim ex Hebræis venerat, & exculta erat (vt dictum eſt) Chriſtianis literis, damnato iam eius magiſtro ac doctore impietatis Paulo Samoſateno, & ex Imperij faſtu depoſitam, redditam putamus ſapientiorem, atque probe Chriſtianam Romanæ Eccleſiæ fidem eſſe ſectatam.

a Treb. de 30. tyran. in Zenob.
b Euſeb. in Chron.
c Eutrop. l. 9.
ZENO II CHRISTI.

IESV CHRISTI ANN. 275.

AVRELIANI AN. 5

EVTYCH. ANN. 1.

I. FELICIS PP. MARTYRIVM.

ANNO Chriſti ducenteſimo ſeptuageſimo quinto, Aureliano Auguſto ſecundum & Iulio Capitolino Coſſ. tertio Calendas Iunij Felix Papa martyrio coronatur, cum ſediſſet (habita ratione temporis quo eum creatum eſſe diximus) annos duos & menſes quinque, vno minus die. Sed liber de Romanis Pontificibus, licet iiſdem Coſſ. eum obiiſſe dicat, tamen quod eius ingreſſum citius poſuerit, plures ſedi eius annos tribuit; quod & alij fecerunt. Eum autem conſummaſſe martyrium, præter eumdem librum & tabulas Eccleſiaſticas, epiſtola quoq; ab eo ad Eccleſiam Alexandrinam aduerſus errores Pauli Samoſateni & Sabellij ſcripta, quæ citata reperitur apud Cyrillum [a] Alexandrinum & Vincentium [b] Lerinenſem, nec non in Concilio [c] Chalcedonenſi, teſtatur dum martyrij titulo nomen eius inſcribit. Sepultus eſt autem in cœmeterio ſuo, vbi & baſilicam fecit, via Aurelia ſecundo ab Vrbe milliario. Ac poſtquam ſedes vacaſſet dies quinque, pridie Nonas Iunij ſuffectus eſt in locum eius EVTYCHIANVS natione Tuſcus, patria Lunenſis patre Matino.

a Cyr. in Apol.
b Vinc. Lerin. c. 42.
c Conc. Chalced. Act. 1.
EVTYCHIANVS PAPA.

II. MARTYRES SVB AVRELIANO.

Ceterum paſſos quoque hac eadem perſecutione Aureliani, tum Romæ tum in reliquis Italiæ prouinciis, nec non in Galliis (quo Aurelianum hoc ipſo anno aduerſus irruentes in eas barbaros profectionem inſtituiſſe, Vopiſcus tradit) atque etiam in Oriente variis locis, plurimos martyres, continent ſuis quibuſq; diebus Eccleſiaſticæ tabulæ, ex quibus coniecturam facere licet de cæteris, aliis locis ſupplicio affectis.

III.

Sed & hoc quarto anno Aureliani Imperij, auctor eſt Euſebius [d] ab eo erectum templum Solis, primumq; *Solis Agonem* inſtitutum eſſe: cuius etiam numinis cultum tum Romæ tum in Oriente, ab eodem Imperatore auctum eſſe Vopiſcus tradit. Quod vero eodem anno firmioribus muris vallatam Vrbem, auctamque; Euſebius dicit; idem Vopiſcus tradit, Aurelianum muros Vrbis ſic ampliaſſe, vt quinquaginta prope paſſuum millia eorum ambitus teneret.

d Euſeb. in Chron.
SOLIS AGON INSTITVTVS.

IESV CHRISTI ANN. 276.

AVRELIANI AN. 6

EVTYCH. ANN. 2.

I.

ANNO Chriſti ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Aureliano Auguſto tertium & Marcellino Coſſ. perpe-

V. SYNODVS ICON. IN EA CAVSA.

At non quidem (vt multi putant) in Africa hoc tempore à Cypriano tantum eiuſmodi cœpta eſt controuerſia agitari, ſed primo ea mota eſt in Oriente: ea nimirum occaſione, quod Iconium in Phrygia conuenientes finitimarum prouinciarum Epiſcopi, in odium Cataphrygum ſtatuiſſent, nihil eorum quę ab hęreticis facta eſſent ab Eccleſia Catholica recipiendum eſſe, non ordinationes, non baptiſmum, non manuum impoſitionem, nec aliud quoduis ſacrum. Teſtatur hæc de ICONIENSI SYNODO, qui ei interfuit Firmilianus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, ad Sanctum Cyprianum [c] ſcribens. Meminitque eiuſdem, & aliarum in eamdem ſententiam celebratarum in Oriente Synodorum antequam ea quæſtio in Africa agitaretur, Dionyſius [d] Epiſcopus Alexandrinus: qui & addit, tam eumdem Firmilianum, quam alios eiuſdem opinionis ſectatores, ab Stephano Papa Apoſtolicæ ſedis communione priuatos eſſe. Et idem ipſe Firmilianus eadem quam poſtea ad Cyprianum ſcripſit epiſtola, multa oblocutus eſt in eumdem Stephanū, quod (vt ait) legatos ab Orientalibus ad ipſum miſſos, nec ad ſermonem ſaltem colloquii communis admittere voluiſſet, nequis eos Fidelium in domum ſuam reciperet, prohibuiſſet.

c Ap. Cypr. ep. 75.
d Ap. Euſ. 7. hiſt. 4. & 6.
STEPH. PP. EX COMMVNICAT ORIENTALES.

VI. Poſt hæc igitur ipſa re in controuerſiam vbique deducta, Eccleſia Africana nutauit: quippe quæ tantum, quem intrepide ſequeretur haberet Antiſtitem Cyprianum, vehementiſſimo hæreticorum odio in eam partem inclinatum, & ipſe, cuius aſſectaretur inueniſſet prædeceſſoris Agrippini [e] impreſſa veſtigia, & quem magiſtrum vocare ſoleret, Tertullianum, incaute nimis hanc ſecutum ſententiam. Sed dubium eſt an id illi acceperint à Montano, an vero ab illis tranſierit in ſcholam Montani. Montaniſtas enim rebaptizare conſueuiſſe Catholicos qui ad ſuam ipſorum hæreſim defeciſſent. Philaſtrius [f] quoque aſſerit: idemque æmulatum eſſe Nouatianum, teſtis eſt Cyprianus [g]. At vero de eodem Cypriano mendax eſt Nicephorus [h], dum ait eum non aliter recipere conſueuiſſe lapſos qui in perſecutione negaſſent, quam per ſanctum baptiſmum. Siquidem ex omnibus eius ſcriptis manifeſte apparet, eos ipſum baptizaſſe tantum quos hæretici antea baptizaſſent, negantem extra Eccleſiam vllum poſſe reperiri baptiſmum. Nouatiani autem in rebaptizando illud putamus fuiſſe conſilium, quod cum Catholicos omnes qui lapſos recepiſſent diceret immundos eſſe, ſe autem ſuoſque puros ac ſanctos: ne videretur illorum qui ex Catholica ad ſe tranſirent ſordibus inquinari, eos nouo ſtatuerit ſanctificare baptiſmate. Erat ergo illis loco pœnitentiæ ſecundum hoc baptiſma: quo non tantum (ſicut ait Dionyſius [i] Alexandrinus) ſacroſanctum Eccleſiæ lauacrum abrogarent, ſed & reiicerent fidem & confeſſionem quæ lauacrum præcedere conſueuerunt.

e Vid. ſup. an. 217.
f Phil. de hæreſ. cap. 10.
g Cyp. ep. 73. ad Iubaian.
h Niceph. l. 6. c. 2.
CYPRIANI ET MONTANI DIFFERENTIA IN REBAPTIZANDO.
i Ap. Euſ. 7. hiſt. 7.

VII. Hanc igitur quæſtionem occaſione Nouatianorum in Africa reſtauratam, Epiſcopi Africani vna cum Cypriano ad SYNODVM coacti Carthagine, cum de ea conſulti fuiſſent à Ianuario & ſociis Epiſcopis Numidiæ, ita definierunt [k], vt omnino negarent baptiſmum vllo modo reperiri extra Eccleſiam: ideoque qui apud hæreticos vel ſchiſmaticos baptizati viderentur, cum ad Eccleſiam venirent vere baptizari debere. Rurſum vero intelligens Cyprianus, adeo fixum alta radice multorum animis inſidere, vt quas accepiſſent de non iterando ab hæreticis rite collato baptiſmate maiorum traditiones vellent illibatas ſeruari: maiori remedio his quos errare putaret conatus occurrere, celebriorem collegit CONVENTVM ſeptuaginta vnius tam ex Africa quam ex Numidia Epiſcoporum, in quo pariter omnium ſententia confirmatum fuit, hæreticorum baptiſma nullius momenti penitus haberi. Tuncque placuit de iis omnibus per Synodū [l] reddi certiorem Stephanū Papam, hactenus rerum geſtarum inſcium. Eodemq; tempore Cyprianus de eadem quæſtione à Iubaiano Epiſcopo rogatus, epiſtolam [m] reſcripſit, qua multis Scripturæ auctoritatibus, aliiſque rationibus ſententiam ſuam firmare, & quæ ex aduerſo obiicerentur confutare ſtuduit. Veritus autem ne magnum aliquod hinc ſchiſma in Eccleſia conflaretur, tum iiſdem Synodicis & ad Iubaianum literis conteſtatus eſt, ſe haud cuiquam vim facere aut legem dare, ſed ſaluo inter collegas pacis ac concordiæ vinculo liberum cuique relinquere quam vellet ſequi ſentētiam: tum ad anteuertenda futura mala, & vt quiſque aduerſantem ſibi fratrem æquanimiter ferret, *De Bono Patientiæ* libellum ad eumdem Iubaianum ſcripſit: eamdemque poſtea conteſtationem repetiit in SYNODO octoginta ſeptem Epiſcoporum, quam paulo poſt (vt dicetur) celebrauit. Hoc vero ſincerum eius propoſitum de vnitate conſeruanda, tam Hieronymus [n], quam ſæpe Auguſtinus [o] laudauerunt.

CONCILIA ET SCRIPTA CYPRIANI EA DE RE.
k Ap. Cypr. ep. 70. 71.
l Ibid. ep. 72.
m ep. 73.
n Hier. aduerſ. Lucifer.
o Aug. 3. cont. Creſc. l. 2. & de bapt. cont. Donat. li. 2. cap. vlt.

VIII. Quid autem ad Synodicam illam Stephanus Papa reſcripſerit, docent litteræ [p] Cypriani ad Pompeium Sabratenſem in Africa Epiſcopum: nempe vt *Si quis à quacumque hæreſi ad Eccleſiam veniret*, NIHIL INNOVARETVR, SED ILLVD SERVARETVR QVOD TRADITVM ESSET: *videlicet vt manus illi imponeretur in pœnitentiam.* In quibus confutandis Cyprianus totam longiorem illam inſumpſit epiſtolam: & qui ne vel leuiter læderet charitatis fraternæ concordiam; de Bono Patientiæ libellum ſe ſcripſiſſe profeſſus erat: modo (ō infelicem humanæ imbecillitatis conditionem!) non ferens veram Apoſtolicæ Sedis definitionem, Stephano notam inuſſit non ſolum ſuperbiæ & imperitiæ, ſed & quod patrocinaretur hæreticis. Non quidem id agens vt legitimas Traditiones impugnet, ſed vt quam Stephanus traditionem prætendebat, haud de Apoſtolico fonte dimanare demonſtret, ſed ob repentem errorem eſſe prauamque conſuetudinem. Verum Auguſtinus [q] Stephani ſententiam propugnans, quæ aduerſus eam à Cypriano congeſta fuerant pluribus confutauit. Cumque aliam rurſum idem Cyprianus numeroſiorem SYNODVM (nempe octoginta ſeptem Epiſcoporum ex Africa, Numidia, & Mauritania) Calendis Septembris Carthagine celebraſſet, in qua repetita denuo conteſtatione de pace conſeruanda cum iis qui ſecus ſentirent, permultis pro ſe allatis diuinæ Scripturæ teſtimoniis, vno omnium conſenſu firmatum eſſet prius ipſorum decretum de rebaptizatione hęreticorum, idem S. Auguſtinus [r] ſententias ſingulorum recenſens, eas omnes ſcite impugnauit, erroriſque redarguit.

p Cyp. ep. 74.
STEPHANI PAPÆ DE EA RE DECRETVM.
q Aug. de bapt. cont. Donat. lib. 2.
QVID RVRSVM CYPRIANVS.
r Ibid. lib. 3. & 7.

IX. Cyprianus autem confeſtim poſt Synodum, tum ad alios eiuſdem erroris Epiſcopos, tum maxime ad Firmilianum Cæſareæ Cappadociæ Metropolitam illius propugnatorem acerrimum, vt ſibi eum coniungeret, litteras ſcripſit per Rogatianum diaconum, eodem plane argumento quo ad Pompeium antea contra epiſtolam Stephani ſcripſiſſet. Conſtant enim iſta ex litteris [s] ab eodem Firmiliano ad ipſum redditis: quibus videas hominem iam antea in Stephanum agitatum, quod (vt dictum eſt) ab eo communione priuatus eſſet: acceptis Cypriani de eodem pariter conquerentis litteris, vehementiori furore concitum erumpere in conuicia, multaque imperite atque improuide obloqui: ſeque inſuper Quartadecimanorum fautorem detegere, dum Romanam Eccleſiam calumniatur, quod diuerſa die celebraret Paſcha ab ea quæ inſtituta fuerat ab Apoſtolis.

s Ap. Cypr. ep. 75.
FIRMILIANI NAVFRAGIVM.

X. Ceterum magnam profecto attulit offenſionem cunctis Eccleſiis illud Firmiliani naufragium, qui & doctrina & ſanctitudine morum nulli propemodum illorum temporum videretur eſſe ſecundus. Sed eumdem poſtea ad meliorem frugem redditum, & Catholicæ communioni reſtitutum, ſanctoque fine defunctum eſſe, ſatis intelligi poteſt ex eo quod in Catholicorum Epiſcoporum celebri illo Antiocheno conuentu, ipſe cum aliis aduerſus Paulum Samoſatenum ſederit: eumdemque Græci [t] inter alios Sanctos colant. Sed & reliquiſſe poſt ſe de Catholica fide nobilis ingenii ſui clara monumenta, ex S. Baſilio eiuſdem ſedis poſt euolutum ferme ſæculum ſucceſſore apparet, dum ea citat [u] in famoſa illa

EIVSDEM RESIPISCENTIA.
t Menolog. 28. Oct.
u Baſil. de Spir. S. ad Amphil. c. 29.

de eadem

de eadem iſta controuerſia ad Amphilochium ſcripta epiſtola, quam Græci Canonicam vocant: qua & ipſius Firmiliani, & Cypriani, aliorumq; indiſtinctè omnia reiicientium baptiſma hæreticorum & ſchiſmaticorum, opinionem improbat [x]: docens eorum admitti debere, qui in eius forma cum Eccleſia integrè conſentirent, ſecus autem illorum qui præſcriptam in Eccleſia baptiſmi regulam non ſeruarent.

[x] Ibid. c.1.

XI. EPISCOPORUM CUM CYPRIANO SENTIENTIUM NUMERUS.

Eamdem porro de baptiſmate hæreticorum ſententiam, quã Cyprianus & Firmilianus propugnabant, Dionyſium quoque Epiſcopum Alexandrinum confeſſione & eruditione clariſſimum, eodem tempore compluribus ſcriptis literis conatum eſſe defendere, teſtis eſt S. Hieronymus [y]. At vero hoc ſic illum egiſſe conſtat [z], vt nihilominus apud Stephanum Papam pro Epiſcopis eidem reconciliandis ſequeſter acceſſerit. Denique licet (vt dictum eſt) ex Oriente, Ægypto, & Africa, complures Epiſcopi patrocinati videantur ſententiæ de rebaptizandis hæreticis: tamen illi ipſi qui extra Eccleſiam poſiti, eidem ſententiæ poſtea ſtuduerunt Donatiſtæ, vel alii, nonniſi quinquaginta Orientales Epiſcopos, & Africanos ſeptuaginta vnum numerare potuerunt. Certe quidem nonnullos Aſianos Epiſcopos in eamdem cum Stephano ſententiam conſpiraſſe, Sanctus Baſilius [a] teſtatur: & multos in Africa cum Cypriano ſentire noluiſſe, Auguſtinus [b] tradit; qui & multa Epiſcoporum millia Stephani ſententiæ adhæſiſſe affirmat. Sed & omnes illos qui in Oriente contrariam ſecuti fuerant, eamdem reſcidiſſe, tum idem [c] ſcribit, tum aperte docetur in ipſius Dionyſii [d] Alexandrini ad Stephanum & Sixtum Romanos Pontifices ea de re paulo poſt datis literis: ipſoſque Africanos Epiſcopos qui Cypriano conſenſerant, aliud priori contrarium edidiſſe decretum, Hieronymus [e] eſt auctor. Ac demum Cyprianum ipſum mutaſſe ſententiam verius eſſe, idem Auguſtinus [f] affirmat. Certe conſtat illum in eadem cum Eccleſia Romana vnitate vſque ad martyrium perſtitiſſe, & mirificis præconiis poſt obitum ab omnibus Patribus celebratum eſſe.

[y] Hier. de Script. Eccl. in Dionyſ. [z] Ap. Euſ. 7. hiſt. 4.

[a] Baſil. ad Amphiloc. 1. [b] Aug. 3. de Baptiſ. cont. Creſcont. 1.

REVOCATI EPISC. AD RECTAM SENTENTIAM.

[c] Aug. ibid. c. 2. & 3. [d] Ap. Euſ. 7. hiſt. 4. & 5. [e] Hier. cont. Lucifer. [f] Aug. ep. 48. ad Vincent. & de bapt. cont. Don. l. 2. c. 4.

XII. STEPHANI PP. LAUS.

Quod vero ad Stephanum pertinet; quas antiquorum Patrum traditiones ſummo ſtudio & intrepido animo acerrime propugnauit, eędem his turbinibus ſuperatis ſinceræ & integræ in Eccleſia Catholica cuſtoditæ permanſerunt: qui vero contrariam ſectati ſunt ſententiam, iidem omnes pro hæreticis ſunt habiti. Enituitque plane in hoc tanto certamine, quanta in Traditionibus vis, & in Apoſtolica Sede ineſſet auctoritas: quando (vt ait egregie Vincentius [g] Lerinenſis, dum de hac re pluribus ac plane grauiter more ſuo agit) Stephanus Papa, cum ceteris quidem collegis ſuis, ſed tamen præ ceteris huic nouitati reſtitit: dignum exiſtimans, ſi reliquos omnes tantum fidei deuotione vinceret, quantum loci auctoritate ſuperabat. Qui quidem ob Catholicam Traditionem propugnatam, meruit omnium pręconiis celebrari, & anniuerſaria commemoratione non ſolum à Latinis, ſed & Græcis (quod de aliis Occidentalis Eccleſiæ ſanctis martyribus raro accidere conſueuit) in tabulis Eccleſiaſticis commendari. De quo & illud ſtupore dignum Sanctus Auguſtinus [h] indicauit, quod cum hæretici Donatiſtæ poſtea aduerſariam Stephano ſententiam, Africanorum Conciliorum auctoritate defenſarent: in ipſum tamen, ob eminentem iudicii cum ſanctitate coniunctam auctoritatem, ne mutire quidem auſi ſint, immo & laudare compulſi, & Epiſcopatum illibate geſſiſſe confiteri.

[g] Vinc. Lir. cont. hær. c. 9.

[h] Aug. de vn. bapt. cont. Petil. c. 14.

IESV CHRISTI AN. 259.

VALER. & GALLIENI AN. 5.

STEPHANI AN. 3.

I. PERSECUTIO VALERIANI.

ANNO Chriſti ducenteſimo quinquageſimo nono (quo ponuntur à Caſſiodoro Coſſ. Valerius Maximus & Acilius Glabrio) Valerianus Imperator aduerſus Chriſtianos diram PERSECUTIONEM excitauit, quæ OCTAVA ordine numeratur à S. Hieronymo [a], Auguſtino [b], Oroſio [c], atque Seuero [d]: eamdemque anno præſenti cœptam eſſe, ex Dionyſio [e] Alexandrino colligitur, dum eam ſignificat duraſſe annos tres & menſes ſex, quieuiſſe autem cum Valerianus à Perſis captus eſt: quod contigit anno ab hinc quarto. Eodemque auctore conſtat, Valerianum antehac de Chriſtianis optime meritum, vt quam acerbiſſime in eos ſæuiret permotum fuiſſe ab Ægyptio quodam mago: cui ſemel admouens aures adeò eſt deprauatus, vt ad magiam humanas victimas immolaret, viſceraque ſcrutaretur infantium.

[a] Hier. de Script. Eccl. in Cypr. [b] Aug. 18. de ciuit. 52. [c] Oroſ. l. 7. c. 22. [d] Seuer. l. 2. [e] Ap. Euſ. 7. hiſt. 9.

II. SÆVITIA PERSECUTIONIS.

Sæuiit autem vſque adeo Perſecutio, vt idem Dionyſius tempora illa omnium infeliciſſima de Antichriſto à Ioanne in Apocalypſi prædicta, in Valeriano putauerit eſſe expleta. Quæ quidem lento gradu Romæ primum cœpta eſt, cum abſque edicto pro arbitrio in Chriſtianos Imperator ageret: conceſſa tamen delatoribus bonorum poſſeſſione illorum Chriſtianorum, quos ipſe ſibi peculiariter prodi voluiſſet: vt hæc pluribus declarantur in Actis fideliſſimis SS. martyrum *Euſebii* [f] presbyteri & ſociorum, qui his iiſdem Coſſ. Romæ paſſi ſunt: necnon in germanis pariter Actis Stephani [g] Papæ, in quibus multi viri illuſtres iiſdem Coſſ. Imperatorum iuſſu necati traduntur ob Chriſti confeſſionem.

[f] Agitur de his in martyrolog. Rom. 4. Non. Dec. Acta vero ipſorum edidit Bar. An. 259. [g] Ap. Metaphr. Lipom. & Sur. Recitat vero emendatiora Baron. vbi ſup.

IESV CHRISTI AN. 260.

VALER. ET GALLIENI AN. 6.

SIXTI II. AN. 1.

I. STEPHANI PP. MARTYRIUM.

ANno Chriſti ducenteſimo ſexageſimo, Impp. Valeriano quartum & Gallieno tertium Coſſ. quarto Nonas Auguſti *Stephanus* Papa in cœmeterio Lucillæ à militibus eiuſdem Valeriani inuentus ſacrificium Deo offerens, poſt peracta myſteria in eodem loco ante altare in ſua decollatus eſt ſede: ſepultuſque cum ipſa ſede ſanguine eius aſperſa, in cœmeterio Calliſti. Rem geſtam pluribus narrant ipſius Acta: quibus etiam continentur multorum aliorum tam ex Clero quam ex laicis martyrũ paſſiones, Conſulibus iiſdem anno poſt Conſulatum Maximi & Glabrionis conſignatæ. Ex quibus dicendus eſt Stephanus ſediſſe annos tres, mẽſes tres & dies viginti duos, licet alii diuerſa ſentiant. Cum autem ſedes vacaſſet dies pariter viginti duos, ei ſubrogatus eſt nono Calendas Septembris SIXTUS natione Græcus patria Athenienſis, huius nominis Secundus.

SIXTUS PAPA.

II. EDICTO VALERIANI QUÆ PROHIBITA.

Ceterum illud quidem hoc anno à Valeriano primum in Orbis Romani prouinciis conſtat fuiſſe promulgatum edictum, vt Chriſtiani prohiberentur conuentus agere, & Cœmeteria (in quibus iidem conuentus fieri, & myſteria celebrari ſolerent) adire: vt apud Pontium [a] Proconſularia Acta declarant, & apud Euſebium [b] *Dionyſius* Epiſcopus Alexandrinus, qui tunc ab Æmiliano Auguſtalem Ægypti Pręfecturam adminiſtrante, peculiari Imperatorum reſcripto exulare iuſſus, multa mala pertulit: alii vero quàmplurimi omnis ſexus, ætatis, & conditionis homines, ibidem in Ægypto martyrium conſecuti ſunt. Id ipſum accidiſſe nonnullis Cæſareæ Palæſtinæ, Euſebius [c] teſtatur. Sed inter eos qui in Syria paſſi ſunt, celebrior eſt *Nicephori* [d] fama, qui Antiochiæ in locum Sapricii presbyteri qui negarat ſe ſufficiens, deſertoris damna reparauit. Editumque tunc eſt pauendum plane exemplum, quo Fideles omnes admonerentur, fruſtra quæque magna conari hominem Chriſtianum, niſi fraternæ charitatis compage fuerit ſolidatus: cum Sapricius vita iam oppignerata martyrio, quod veteri odio flagraret in Nicephorum, ipſum prope ictum vibrante carnifice, maluit Chriſtum negare, quam Nicephorum per quæque ſacra Chriſtiana illum inſtantiſſime de reconciliatione adiurantem, in gratiam recipere. Porro aliorum quoque in diuerſis Aſiæ & Græciæ prouinciis paſſorum, extant nomina in tabulis Eccleſiaſticis, præter innumeram illorum multitudinem, quorum memoria excidit.

[a] Pont. in Act. Paſſion. S. Cypr. [b] Euſ. 7. hiſt. 10.

[c] Ibid. c. 11.

[d] Ext. eius Acta ap. Sur. 9 Feb. ex Metaph.

Digitized by Google

III. EXILIVM CYPRIANI.

Quæ autem paſſus eſt Dionyſius in Ægypto, eadem plane in Africa primus omnium pertulit *Cyprianus*, ac ceteri ſubinde Epiſcopi, quod vna eademque ſententia omnes compellerentur exulare: vt ſic illis longius amandatis, nulla reliquis Chriſtianis conuentus agendi (qui maxime prohibebantur) daretur facultas. Quamuis enim de ceteris Præſulibus non ſit adeo expreſſa teſtatio: ex illis tamen quæ de Dionyſio & Cypriano ſunt litteris commendata, de reliquis diuerſarum Eccleſiarum Epiſcopis exiſtimare licet. Porro de Cypriani exilio, iiſdem huius anni Coſſ. exiſtentibus, litteris Imperatorum irrogati iuſſo, agente Paterno Proconſule in Africa, tum Pontius [e] diaconus, exilii comes ſcripſit, tum etiam Acta [f] ipſa fideliſſima tunc à Notariis diligenter excepta, quorum Pontius [g] & Auguſtinus [h] meminerunt, certam fidem faciunt. Sed & alios complures in Africa, tam Epiſcopos & alios omnis generis clericos & Eccleſiæ miniſtros diligenter quæſitos, quam laicos omnis ſexus & ætatis, partim fuſtibus cæſos aliiſque pœnis affectos ad metallum eſſe damnatos, partim carceribus mancipatos: ſatis exploratum redditur ex litteris [i] ad ipſos à Cypriano exule ſcriptis, & ab illis ad eum redditis. Qui autem ad metallum damnati ſunt, iidem omnes conſummantes agonem ſuum, de longo exantlato martyrio parem martyribus coronam retulerunt: quos Dei Eccleſia anniuerſaria commemoratione antiquitus venerata eſt quarto Idus Septembris. Cetera vero de Cypriano anno ſequenti.

e Pont. in Act. paſſ. Cypr. f Habentur eiuſmodi Acta duplici genere poſita à Pamelio ante opera Cypriani: ſed quæ primo ponuntur, multis additamentis corrupta ſunt: ea autem legitima, quæ ſecundo loco ponuntur diu à Coſ. conſignata. g Pon. in vit. Cypr. h Aug. cont. duas epiſt. Gaudent. l. 1. cap. 31. i Ap. Cyp. ep. 77. vſque 81.

IV. DIONYS. ALEX. CONSVLIT SIXTVM PP.

Sed vt ad Sixtum redeamus: creato illo Romano Pontifice, idem quem diximus Dionyſius Alexandrinus, cum (vt vidimus) illorum olim ſententiæ ſuffragatus eſſet, qui dicerent extra Eccleſiam baptizatos iterum baptizandos eſſe: nouo emergente caſu de baptizato ab hæreticis non ſecundum Eccleſiæ Catholicæ ritum, licet eum libere baptizare potuiſſet, tamen ne videretur adhuc perſtare in ſententia, quam à Stephano Sixti prædeceſſore reprehenſus cum aliis Orientalibus damnauerat, non auſus hominem, id licet enixius expoſcentem, baptizare: quid agendum eſſet in re quam putaret ambiguam, Sedem Apoſtolicam ex more ſtatuit conſulendam, ſcriptis ad eumdem Sixtum litteris, quarum de hac re fragmentum recitat Euſebius [k]. Sed & cum eodem tempore SABELLIANA HÆRESIS pateſieri cœpiſſet Ptolemaide Pentapolis, de ea pariter idem Dionyſius ad eumdem Sixtum retulit, vt teſtatur idem Euſebius [l]: nempe antiquo more, quo cum noua aliqua emergeret hæreſis, Epiſcopi eius regionis diligenter curare ſolerent, vt cuncta quamprimum Romano Pontifici examinanda mitterentur.

k Euſ. 7. hiſt. 8. SABELLIANÆ HÆR. ORTVS. l Ibid. c. 5.

V. DE NOETO HÆRESIARCHA.

Sed quod ad hæreſim Sabellii pertinet: non ipſa eius impietatis auctor, ſed potius dicendus eſt propagator: quippe quem affirment omnes eam didiciſſe à NOETO præceptore ſuo, homine Smyrnenſi (vt vult Theodoretus [m]) ſiue Epheſino, vt Epiphanius [n]: qui addit, cum in tantum faſtum elatum eſſe, vt auderet ſe Moyſen, & fratrem ſuum Aaron aſſerere: quamquam Philaſtrius [o] tradit, Noeti fratrem, non Aaron, ſed Eliam ab eo fuiſſe dictum. Addit demum Epiphanius, Noetum cum ſuis ab Eccleſia eiectum, paulo poſt eſſe mortuum vna cum fratre ſuo, neminemque Fidelium eos voluiſſe ſepelire. Haud vero eidem aſſentimur, dum affirmare videtur neminem ante Noetum dicere auſum, Patrem eſſe paſſum: nam diu ante innotuiſſe hæreſim *Patripaſſianorum*, conſtat ex Cypriano [p], necnon Tertulliano [q] eam Praxeæ tribuente; immo & ex Ignatio Apoſtolicorum temporum viro qui æque teſtatur [r] ſuo tempore diabolum ore ſtorum iactaſſe, Patrem natum & paſſum. Theodoretus vero illam hæreſim ab EPIGONIO quodam primum excogitatam fuiſſe dicit.

m Theodor. hær. fab. l. 3. n Epiph. hær. 57. o Philaſtr. de hæreſ. c. 53. p Cyp. ep. 73. q Tert. de præſcr. c. vlt. & aduerſ. Prax. c. 1. r Ignat. ep. ad Philip.

VI. DE SABELLIO HÆRESIARCHA.

Ceterum ex omnibus Noeti diſcipulis, qui impietate reliquos, antecelluit, SABELLIVS fuit, ex Ptolemaide Lybiæ oriundus; qui factus potentiſſimus impii dogmatis propugnator, negauit Perſonarum in Trinitate diſtinctionem; dicens ea tantum eſſe nomina, ad diuerſos effectus diuinitatis inſinuandos compoſita. Vnde cum vnam tantum perſonam aſſereret, illa neceſſario deducebatur conſequentia, vt ſicut Filius, ita & Pater & Spiritus Sanctus æque dicerentur incarnati & paſſi. Hæc enim erat præcipua Sabellii blaſphemia: cui & alteram adiecit ex Hermogene mutuatus, vt diceret materiam ingenitam eſſe; quod teſtatur inprimis Euſebius [s] ex Dionyſio. Quod autem Sabelliani non poſſint mendacia ſua diuinis Scripturis omni ex parte fulcire, Ægyptiorum pſeudoeuangelio & aliis apocryphis libris vſos eſſe, Epiphanius [t] tradit. Miratur vero Auguſtinus [u], cum iidem eſſe videantur Noetiani & Sabelliani, cur tam Epiphanius quam Philaſtrius eos ab inuicem diſtinctos poſuerint: planeq; accidiſſe tradit, vt ſicut in montaniſtis, Donatiſtis, Pelagianis, & aliis; ſic in iſtis, vnius hæreſis diuerſa fuerint nomina.

s Euſ. 7. de præpar. 8. t Epiph. hær. 62. u Aug. de hær. c. 41.

VII.

Quod vero Epiphanius inter Noetum atque Sabellium eius diſcipulum, alias quaſdam recenſeat hereſes; eas his temporibus emerſiſſe, facile poteſt intelligi. Iam diximus de ea quæ à Valeſio prouenit Eunuchorum ſecta, & & quæ à Nouatiano exorta eſt hæreſi Catharorum. His autem qui ſubduntur ANGELICI hæretici, quo auctore ſint progreſſi, & quæ fuerint eorum dogmata, Epiphanius [x] tradit haud ſe potuiſſe habere compertum; quippe quorum ſecta citius extincta fuerit, quam nomen eius cum auctore latius potuerit diffamari. At Auguſtinus [y] Angelicos dicit in Angelorum cultum fuiſſe inclinatos. Quinam autem olim receptus, quiue improbatus fuerit iam ab Apoſtolorum temporibus Angelorum cultus, dictum eſt alias [z].

ANGELICI HÆRETICI. x Epiph. hær. 60. y Aug. hær. 39. z Sup. an. 60.

VIII. APOSTOLICI HÆRETICI.

Poſt Angelicos iidem auctores ponunt APOSTOLICOS, quos putant germen fuiſſe Encratitarum & Catharorum, hoc ſe nomine appellantes ob exactum diſciplinæ ſtudium: ſed & *Apotacticos* ſe dici voluiſſe tradunt, à renunciatione, eo quod coniugiis & bonorum poſſeſſionibus renuntiarent. At non in hoc (vt iidem SS. Patres monent) error ipſorum, cum tales habeat Catholica Eccleſia & monachos & clericos plurimos: ſed ideo iſti habiti ſunt hæretici, quoniam ſe ab Eccleſia ſeparantes, nullam ſpem ſalutis putarent eos habere qui vterentur iis rebus. Porro vſos eſſe eiuſmodi hæreticos ad ſuam impietatem roborandam, Actis Andreæ & Thomæ ab Eccleſia reiectis, idem Epiphanius tradit: qui eorum numerum haud multum creuiſſe ait; cum alioqui Paupertas & Continentia in agro Eccleſiæ ſemel legitime ſeminatæ, ampliſſimos ſemper in horrea Domini prouentus inferant, & fœcundis germinibus latiſſime propagentur.

IESV CHRISTI AN. 261.

VALER. & GALLIENI AN. 7.

DIONYSII AN. 1.

I. SIXTI PAPÆ MARTYRIVM.

ANNO Chriſti ducenteſimo ſexageſimo primo, Aurelio Memmio Fuſco & Pomponio Baſſo Coſſ. octauo Idus Auguſti *Sixtus* Papa in cœmeterio Calliſti capitis abſciſſione coronatus eſt martyrio, atque ibidem à Fidelibus ſepultus: nonoque à Valeriano Imperatore abſente dato ad Senatum reſcripto, Perſecutio in quoſcumque Chriſtianos acrior ſemper que vbique decreta eſt, & bona eorum Fiſco adiudicata. Extant tum de Valeriani reſcripto, tum de Sixti martyrio, Cypriani in exilio agentis litteræ [a] ad Succeſſum Epiſcopum. Sed & plures alios ex Clero Romano vna cum Sixto martyrium ſubiiſſe, docent Eccleſiaſticæ [b] tabulæ. Quod vero vnus Prudentius [c] Sixtum cruci affixum tradit, ab aliis minime confirmatur.

a Cyp. ep. 8. b Martyr. Rom. 6. Aug. c Prud. hym. 2.

II. S. LAVRENTII MARTYRIVM.

Poſt triduum autem elapſum à Sixti martyrio (ſicut ipſe prædixerat) nempe quarto Idus Auguſti, primarius diaconorum Eccleſiæ Romanæ LAVRENTIVS clariſſimus athleta fidei, per illuſtre certamen obiens, poſt alia diuerſa tormenta demum craticulę impoſitus, igneque aſſatus, nobiliſſimam martyrii cuius erat appetentiſſimus, coronam ibidem Romæ conſecutus eſt. Extant eius Acta præ ſui excellentia diuerſo ſcriptorum genere conteſtata,

nempe

d Ambr. 2 de offi. 41 & l. 2 c. 28. Aug. tract. 27 in Ioan. & ſer. 3. de Sanct. & ſer. 37. 38 111. 121 de diuerſ. Max. Taur. ſer. 2. 3. 8 Leo PP. Ser. 1. Pet. Coryſol. ſer. 135 & alii recent. e Prudent. in hym.

nempe oratione ſoluta SS. Patrum [d] encomiis celebrata, atque poeſi [e] egregie decantata; eademque ore omnium peruulgata. Cuius celebritatem ſolemni cultu non ſolum Latini, ſed & Græci agere conſueuerunt. Quæ autem habentur à Metaphraſte, & ab aliis ex eo recitata eiuſdē Laurentii Acta, haud ſane priſtina illa à Notariis excepta videntur, ſed ab aliquo alio ſcripta, quibus & quę à Patribus de S. Laurentio dicta eſſent vna adtexta fuerint: ſiquidem nonnulla habent, quibus hiſtorica veritas refragatur. Porro ipſum S. Laurentium fuiſſe Hiſpanum, in Rebus geſtis S. Damaſi expreſſum habetur; de cuius conſanguineis, qui res Hiſpaniarum proſecuti ſunt, agunt. De miraculis autē ad reliquias eius patrari ſolitis, pluribus Gregorius [f] Turonenſis; & de ſepultura, ac prodigiis quæ aliquando in ea acciderunt, deque eiuſdem *Craticula* multis miraculis illuſtrata, Sanctus Gregorius [g] Papa.

f Greg. Tur. de glor. mart. c. 42. g Greg. PP. 9. ep. 30 & 2. ep. 33.

III.

h Cypr. ep. 82. Pont. in vit. Cypr.

Sed quod multorum teſtificatione iidem Sixtus & Laurentius in perſecutione Decii paſſi dicuntur, quos certiſſime conſtat [h] ſub Valeriano Imperatore, iiſdemque huius anni Coſſ. quibus & Cyprianus paſſus eſt, necatos eſſe: cur quæ ſub Valeriano facta eſt perſecutio, Decii etiam nomine conſignata aliquando reperiatur, ſæpe dictum eſt ſuperius. Sed & ſub vno typo Leonis, perſecutionem Decii & Valeriani à Daniele oſtenſam, ſcribit Optatus [i] Mileuitanus. Cum igitur hoc anno dicta die Sixtus occubuerit; reſpectu habito ad tempus eius ingreſſus, dicendus eſt ſediſſe annum vnum minus diebus decem & octo: & ex iiſdem erroris argui poſſe videtur, qui longius tempus, pluresque quam vnam Ordinationem ei tribuunt. Poſtquam vero ſedes vacaſſet dies triginta quinque, ſubſtitutus eſt in locum eius pridie Idus Septembris DIONYSIVS natione Græcus, qui aliquando monaſticam vitam egerat; quem à Maximo Epiſcopo Oſtienſi conſecratum fuiſſe, habent Acta S. Laurentii. Sane quidem antiqui moris fuiſſe, vt Romanus Epiſcopus conſecraretur ab Epiſcopo Oſtienſi, teſtis eſt etiam S. Auguſtinus [k].

i Opt. l. 2.

DIONYSIVS PAPA.

k Aug. Breuic. collat. die 3 c. 16.

IV. CYPRIANI MARTYRIVM.

Hoc eodem anno iiſdemque Coſſ. Baſſo & Fuſco, *S. Cyprianus* Epiſcopus Carthaginenſis, poſt integrum annum in exilio conſumptum, inde ad necem reuocatus, iuſſu Galerii Maximi tunc Africæ Proconſulis qui Paterno ſucceſſerat, ſecundum reuelationem diuinam longe antea ipſi prænunciatam, volens libenſque, primus omnium Epiſcoporum Carthaginenſium, inſigne martyrium ſubiit. Qui cum accepiſſet, miſſos eſſe qui eum perducerent Vticam vbi ageret Proconſul, quod iniquo animo ferret alibi quam in Eccleſia ſua martyrium ſubire, paululum interim ſecedens, tunc ſe prodidit cum Proconſul reuerſus eſt Carthaginem: de cuius animi conſilio extat perbreuis ipſius epiſtola [l] ad ſuos ex eodem ſeceſſu ſcripta; eademque omnium nouiſſima, quam martyrii iam candidatus conſcripſit. Res autem accidit ex ſententia: nam etſi non intra Carthaginis mœnia, in conſpectu tamen vniuerſorum ciuium, tam fidelium quam infidelium, ad locum martyrii concurrentium (Fuit is *Sexti* dictus, ſexto ab vrbe diſtans lapide) capite truncatus eſt decimo octauo Calendas Octobris, iuſſis antea ſpiculatori ſe ferienti viginti quinque aureis dari; & magno triumpho Chriſtiano ritu ſepultus. Quomodo autem hæc omnia ſe habuerint, qui ea præ oculis habuit Pontius eius diaconus accuratiſſime deſcripſit; cuius lucubrationis honorificam Hieronymus [m] mentionem facit: eademque continentur in fideliſſimis eiuſdem paſſionis Actis [n] tunc à Notariis exceptis. In quibus & illud additur, poſt paucos à nece Cypriani dies, Galerium Maximum Proconſulem deceſſiſſe.

l Cypr. ep. 83.

m Hier. de Script. Eccl. in Pont. n Diximus de iis ан. ſuper.

V. MEMORIA S. CYPRIANI.

o Vict. de perſec. Vandal. l. 1. p Aug. ſer. 113. de diuerſ.

Quod vero pertinet ad martyris Cypriani memoriam; auctor eſt Victor [o] Vticenſis Epiſcopus duas inſignes baſilicas, veluti egregia tanti viri victoriæ trophæa, fuiſſe erectas; alteram ad Sexti vbi paſſus, alteram in Mapalienſi via vbi ſepultus eſt. Sed & Auguſtinus [p] teſtatur, locum illum vbi ſanguinem fudit, dici poſtea cœpiſſe *Menſam Cypriani*, ob altare illic in eius honorem Deo erecti. Eius vero natalem diem æque Orientales annua celebritate frequentarunt; vt Gregorius Nazianzenus eſt teſtis, qui eadem die egregiam in eius laudem habuit orationem. Cum autem eius lucubrationes ore omnium in Eccleſia ſint celebratæ; Gelaſius [q] Papa eiuſdem Opuſcula inter apocrypha repoſuit: nempe intelligens editos ab eo de rebaptizatione hæreticorum tractatus. Quis autem in ſede Carthaginenſi ei ſubrogatus fuerit; quantum ex Optato [r] colligere licet, fuit Lucianus, poſt quem Menſurius tempore Diocletiani, ac deinde Cæcilianus, de quo plura ſuo loco.

q Conc. Rom. de l. 16. apocr. DE EIVS SCRIPTIS.

r Opt. lib. 1.

VI.

ſ Martyr. 14 Sept.

ALII MARTYRES AFRICANI.

Ceterum eodem die & loco, quo Cyprianus, paſſos eſſe quatuor alios SS. martyres, habent tabulæ [ſ] Eccleſiaſticæ. Adeo namque incaluerunt corda Fidelium (quod Acta Paſſionis eius teſtantur) ipſius martyrio, vt omnes optarent cum illo mori, idque magnis clamoribus expeterent. Haud enim ſic graſſabatur perſecutio in Carthaginenſem Eccleſiam, vt cunctos quos ſcirent Chriſtianos, magiſtratus ad negationem compellerent (quod enim cuncta loca Chriſtianis referta eſſent, impoſſibile videbatur in omnes animaduertere) ſed tantum miniſtros Eccleſiarum, quos præcipue inter illos enitere conſpicerent, qui & fidei capeſſendæ ceteris auctores viderentur, vel eos qui aliquo alio modo prouocaſſent magiſtratuum inuidiam. Itaque poſt Cypriani necem, & mortem Galerii Proconſulis, antequam ſucceſſor alicui eorum datus eſſet ſub Solone procuratore Fiſcali, plerique miniſtri eiuſdem Eccleſiæ Carthaginenſis, cum nonnullis aliarum Epiſcopis, martyrium paſſi reperiuntur [t]: quorum extant germana Acta ab iis qui tunc aderant ſcripta, vna cum epiſtola ab iiſdem martyribus adhuc in carcere conſtitutis ad reliquos Fideles data. Paſſi ſunt pariter eadem Valeriani perſecutione (ſed quo anno ignoratur) apud Carthaginem trecenti martyres, dicti *Maſſa candida*, quod cum ſeſe in fornacem calcariam, ipſis præparatam niſi Ioui thus incenderent, impellente diuino ſpiritu coniecíſſent, ex cineribus eorum calci permixtis vna candida maſſa conflata fuerit. Relatum eſt ipſorum martyrium in tabulas [x] Eccleſiaſticas, quod Prudentius [y] ſacro hymno celebrauit; & Auguſtinus [z] in die eorum natali tractatum habuit ad populum, cuius meminit Poſſidius in Indiculo. Sed inter totius Africæ carnificinas hac Valeriani perſecutione peractas, illa ceteris immanior fuiſſe videtur, quæ in Numidia tam in clericos quam in laicos facta comperitur: de qua, variiſque diuinitus eis ad futurum martyrium oſtenſis viſionibus (cuiuſmodi etiam plures reperiuntur in prædictis illis Actis miniſtrorum Eccleſiæ) extat [a] ab vno ex confeſſoribus illis iam martyre deſignato inſignis ſcripta epiſtola: eorumdem vero commemorationem Eccleſia [b] celebrat.

t Ibid. 6. Cal. Mart. u Ap. Sur. 24. Febr.

x Mart. 24. Aug. y Prud. hym. 13. z Aug. Ser. 112. de diuerſ.

a Ap. Sur. 30 April. to. 2. & 3. b Mart. Rom. 3. Cal. Maii.

VII.

Romæ quoque eadem perſecutione (licet anni certi ignorentur) multi reperiuntur paſſi martyres omnis ſexus & conditionis, quorum æque nomina relata habentur ſuis diebus in tabulas eccleſiaſticas: atque inter alios, *Eugeniæ* [c] virginis filiæ Philippi Auguſtalis Præfecti, de quibus dictum eſt ſuperius. Sed & in aliis Occidentalis Orbis prouinciis alii pene innumeri paſſi ſunt, quorum nomina exciderunt. Illuſtriores vero in Galliis habentur, *Priuatus* epiſcopus Gabalitanus. *Florentius* item epiſcopus Viennenſis, & *Pontius* ille, cuius opera ſuperius dictum eſt Philippos Auguſtos ad fidem eſſe conuerſos: quem perperam nonnulli confuderunt cum Pontio Cypriani diacono; qui tamen & ipſe ſancto fine quieſcens, relatus eſt in tabulas Eccleſiaſticas, ſed diuerſo ab illo die. Hiſpaniam quoque martyrio illuſtrarunt *Fructuoſus* Epiſcopus Tarraconenſis, & Augurius atque Eulogius eiuſdem Eccleſiæ diaconi; qui omnes igne cremati, aperte viſi ſunt coronati cœlum conſcendere; & paulo poſt Fructuoſo præſidi qui eos damnauit, inſultantes apparuere. Extant [d] præclara & fideliſſima eorum Acta, quæ S. Auguſtinus [e] in Eccleſia legi conſueuiſſe tradit, recitatque nonnullas ex illis ſententias; integra vero ferme ſacro hymno cecinit Prudentius [f]. Quod autem nonnulli iſtorum Occidentalium martyrum paſſi dicuntur ſub Gallieno Imperatore,

c Ibid. 25. Dec. MARTYRES IN OCCIDENTE.

d Ap. Sur. 21. Ianuar. e Aug. Ser. de diuerſ. 101. c. 2 f Prud. Teriſt. hym. 6.

Digitized by Google

ratore, non accidit quod ceſſante Valeriano ii martyrio fuerint coronati (quandoquidem, vt dicemus, Gallienus capto à Perſis parente, mox perſecutionem ceſſare iuſſit) ſed quod ſolus Gallienus in Occidente imperaret; Valeriano agente cum exercitu in Oriente.

VIII. De Novatiano aſſerto martyre.

Denique haud prætermittimus hic dicere, faſtu glorioſos Noitatianos falſo iactare ſolitos, *Nouatianum* ſchiſmaticum ſuæ ipſorum ſectę auctorem, ante S. Cyprianum martyrium conſummaſſe: quod Pacianus [g] aduerſus Sympronianum hæc iactantem ſcribens refellit. Sed nec Socrates [h], & ipſe Nouatianus dum illud ipſum ſcribit, vllo certo affirmat auctore. Sane quidem ſicut de nonnullis Marcionitis, & aliis diuerſarum hęreſum aſſertoribus, qui necem ſubierunt, ſcriptores Eccleſiaſtici abſque inuidia ſcriptis prodiderunt: non exiſtimandum de Nouatiano tacuiſſe, ſi id aliquo modo factum nouiſſent: ſicut nec S. Hieronymus eius ſcripta quæ poſt ſe reliquit, recenſere prætermiſit.

g Pacian. ep. 2. de Cath. nom.
h Socr. l. 4. c. 28.

IX. Hoc eodem anno iiſdemque Coſſ. INGENVVS qui Pannonias regebat, à Mœſiacis legionibus Imperator appellatus, per Celerem Verianum victus atque proſtratus eſt; vlciſcente Gallieno ſeueriſſime, etiam in ſenes & pueros qui ab eo ſtetiſſent. Sed hæc fuſius Trebellius [i] Pollio.

i Trebel. de 30. Tyran. in Ingen. 8.

IESV CHRISTI AN. 262.

VALER. & GALLIENI AN. 8.

DIONYSII AN. 2.

I. ANNO Chriſti ducenteſimo ſexageſimo ſecundo, perperam Faſtis à Caſſiodoro & aliis eum ſecutis, Fuluius Æmilianus & Pomponius Baſſus ponuntur Coſſ. quorum loco reponendos eſſe conſtat Gallienum quarto & Valerianum Iuniorem, quem alii legunt Voluſianũ; licet eos, magno ſane præiudicio rectæ chronologiæ, alii reiecerint poſt ſequentem annum; ſicut & anno qui præſentem ſequitur, ſuperuacaneum addiderunt Conſulatum Secularis atque Donati. Ceterum anno præſenti, qui ſequitur Conſulatum Memmii Fuſci, eoſdem Gallienum & Valerianum creatos eſſe Coſſ. ordinarios, ſatis declarat Vopiſcus in Aureliano. Cui etiam conſentiunt antiqui nummi [a], in quibus quartus Gallieni Conſulatus iungitur cum octaua eiuſdem Tribunitia poteſtate, hoc eſt anno eius Imperii octauo, nempe præſenti ſecundum initam à nobis ſuperius ſupputationem.

a Ap. Adolp. de Num.

II. Valerianus Imp. captus à Perſis.

Hoc igitur anno cum Valerianus Senior Imperator aduerſus Perſas duceret exercitum, proditione cuiuſdam ſui ducis captus eſt à Perſis: quod quidem hoc anno ſexto eiuſdem Imperatoris ab obitu Galli numerando, vel octauo ſecundum ſtabilitam à nobis ſupputationem contigiſſe, tum ex iis quæ ſuperius ex Dionyſio Alexandrino dicta ſunt, tum etiam auctore Trebellio [b] Pollione & Euſebio [c] liquido conſtat. Idem vero à Sapore Rege in Perſidem abductus, non ſolum nullis valuit complurium Regum fœderatorum petitionibus, quas recitat Trebellius [d], dimitti; ſed & ob inſignem ignominiam (quod teſtantur Aurelius Victor, Eutropius, & alii) quamdiu ipſe Valerianus vixit, Sapores ipſo incuruato, pede calcans eius ceruicem, quaſi ſuppedaneo vſus ſubſellio equũ conſcendere conſueuit: vltione hac profecto dignus, qui Chriſtianam religionem pedibus toties proculcauerat. Immo & tandem iuſſum eſſe excoriari, ſaleque condiri in ſempiternum eius infortunii trophæum, Conſtantinus [e] Magnus Imperator pro concione aſſeruit.

b Trebel. in Gallien.
c Euſ. in Chron.
d Treb. in Valer.
Ignominia Valeriani.
e Conſt. Magn. orat. ad S. Coet. c. 24. ap. Euſeb.

III. De triginta tyrannis.

Hunc igitur in modum ſublato Valeriano, MACRIANVS dux collecto exercitu, cui cum *Baliſta* præerat, Imperium vſurpauit: cum & pariter Gallieni contemptu, ignauiſſimam ac luxurioſiſſimam vitam Romæ agentis, AVREOLVS in Illyrico, VALENS in Achaia, PISO in Theſſalia, ÆMILIANVS in Ægypto, in Galliis POSTHVMVS, & alii alibi à militibus ſuis oblatum ſumpſerunt Imperium. At ne in his diutius immoremur, alioſque ex iis ortos Imperatores minuſculos referre, & mutuas inter eos conflictationes enarrare, cum non ſit noſtri inſtituti; qui hęc cupit, conſulat Trebellium Pollionem in libro quem contexuit de TRIGINTA TYRANNIS, qui diuerſis temporibus aduerſus Gallienum rebellarunt. Illud tamen plane magna admiratione dignum eſt, vt aduerſus tot fortiſſimos duces (quales fuiſſe eos omnes, Trebellius teſtatur) idem Gallienus, homo non ſolum impuriſſimus, ſed & ignauiſſimus, præualere potuerit; & maxima eorum parte ſublata, ſecurus ipſe diutius regnauerit, inuito licet Senatu & exercitibus. Sed vnde hæc tanta ei contigerint, ex Dionyſii [f] Alexandrini ſcriptis rimari cauſam licet; nimirum quod ſicut Valerianus pater eius vir fortiſſimus tamdiu florentiſſimum eſt moderatus Imperium, quamdiu de Chriſtianis bene eſt meritus, ſed eodem in illos ſæuiente inuerſa mox fuit ſumma felicitatis alea: ſic econtra Gallienus ignauus & ſocors, quod pacem conceſſit Chriſtianis, aduerſus tot tyrannos, alioſque barbaros vndique erumpentes, tenuit tot annis Imperium. Quamuis enim natura [g] ſæuiſſimus eſſet, nec patre remiſſior in iiſdem Chriſtianis perſequendis antehac extitiſſet: his tamen cladibus commonitus, e veſtigio furentem adhuc perſecutionem compreſſit, antiquatiſq; prioribus contra Chriſtianos promulgatis edictis noua pro illis edidit, quæ recitat Euſebius [h], quibus & conuentus agendi, & cœmeteria adeundi, aliaque omnia de more agendi facultatem conceſſit: quo etiam nomine à Dionyſio [i] laudatur. Accidit tamen inuidia quorumdam, vt in ſumma Eccleſiæ pace (quod teſtatur idem Euſebius) *Marinus* Centurio inſignis militia vir, quod Chriſtianus eſſet, martyrio coronatus fuerit Cæſareæ Palæſtinæ: cuius corpus Aſterius nobiliſſimus Senator, qui ei in martyrio præſto fuit, propriis humeris ſublatum, ſplendide ſepeliuit.

f Ap. Euſ. 7. hiſt. 9.
Gallienus pacem reddit Eccleſiæ.
g Trebel. in Gal. & de 30. Tyran. Oroſ. l. 7. c. 22.
h Euſ. 7. hiſt. 14.
i Ibid. c. 18.

IV. Hoc item anno octauo Valeriani Imperatoris, ſexto vero ab obitu Galli & Voluſiani, Demetrianus Epiſcopus Antiochenus ex hac vita deceſſit: in cuius locum ſubſtitutus eſt *Paulus Samoſatenus*, de quo ſæpe inferius.

IESV CHRISTI AN. 263.

GALLIENI AN. 9.

DIONYSII AN. 3.

I. ANNO Chriſti ducenteſimo ſexageſimo tertio, Faſtis adſcribuntur à Caſſiodoro Coſſ. Gallienus quintum & Victorinus, vel (vt alii Faſti habent) Fauſtinus: hiſque conſonant nummorum antiquorum inſcriptiones [a], quibus annus nonus Imperii Gallieni, ex nona Tribunitia poteſtate monſtratus, eiuſdem Conſulatui quinto coniungitur.

a Ap. Panuin. in Faſt. & Adolph. de num.

II. Quo anno Romanum Orbem peſte, fame, bello, terræmotibus, aliiſque cladibus diriſſime vexatum eſſe teſtis eſt Pollio [b] Trebellius. Eodemque tempore Ægypto iiſdem malis immaniter affecta, vrbs quoque Alexandrina ciuilibus factionibus fere ad interitum perducta eſt; cum ciues familiari furore, quo vel ex leuiſſimis cauſis [c] ad maximas cædes & ad ſumma Reipublicæ pericula perduci conſueuerant, ob cæſum à milite ſeruum quod dixiſſet crepidas ſuas meliores eſſe quam militis, aduerſus Æmilianum inſurrexerunt: Æmilianus vero coactus ſumere ad tutelam ſui, Imperium, paulo poſt à Theodoro duce Gallieni obſeſſus in ipſa vrbe Alexandrina, captuſque ſtrangulatus eſt more veterum in carcere. Narrantur hęc à Trebellio: meminitque eorumdẽ tumultuum, necnon famis ac peſtis quibus tunc eadem ciuitas immenſum laborauit, itemque officiorum à Chriſtianis exhibitorum, Euſebius [d] ex ſcriptis Dionyſii Alexandrini Epiſcopi, qui nuper poſtliminio reuerſus, ſpontanea rurſum ſeceſſione hos tumultus euitare delegit; teſtatus hæc omnia à Deo immiſſa eſſe, in vltionem effuſi innocentis ſanguinis Chriſtiani.

b Treb. in Gal.
c Philo in Flac. Iuuenal. ſaty. 15. Dio lib. 39. Treb. de 30. tyran. in Aemil. Vopiſc. in Satur.
Turbæ Alexandrinæ.
d Euſ. 7. hiſt. 16. 17. 26.

III. Eiuſmodi quoque Dei iudicium diligenter examinans Oroſius [e], eadem de cauſa factum ait, vt non ſolum perſecutionis iuſſor Valerianus male perierit, ſed etiam executores,

e Oroſ. l. 7. c. 22.

IMMENSÆ CLADES ROM. IMPERII.

tores, delatores, accuſatores, ſpectatores, ac iudices, poſtremo omnes qui iniuſtiſſimæ crudelitati vel tacita voluntate aſſenſi eſſent, eadem vltionis plaga correpti fuerint: cum (vt ait) ſolutæ vndique ad hoc circumpoſitę gentes in omnes Romanos fines inuehi cœperunt; ac Germani Alpibus, Rhetia, totaque Italia penetrata, Rauennam vſque peruenerunt; Alemanni Gallias peruagantes etiam in Italiam tranſierunt: Græcia, Macedonia, Pontus, Aſia, Gothorum eſt inundatione deleta; Daciaque trans Danubium in perpetuum ablata: Quadi & Sarmatæ Pannoniam depopulati ſunt; Germani vlteriores abraſa potiti ſunt Hiſpania; Parthi Meſopotamiā abſtulerunt, Syriamq; corraſerunt. Meminit quoque eorumdem barbaricarum incurſionum Trebellius: additque tunc à Scythis, hoc eſt parte Gothorum, Aſiam vaſtantibus, Dianę Epheſiæ templum (quod tamquam eximium Orbis miraculū vniuerſa Gentilitas admirabunda ſpectabat, de quo dictum eſt alio loco) deſpoliatum eſſe atque incenſum. Sed & eaſdem irruptiones ad Chriſtianæ fidei propagationem magnopere contuliſſe, Sozomenus [f] aliique teſtantur: quod videlicet multi Chriſtiani ſacerdotes facti captiui, & in exteras regiones abducti, tum miraculis, tum prædicatione quamplurimos ad fidem Chriſti perduxerunt.

f Sozom. l. 2. c. 5. Niceph. l. 8. c. 11.

FIDEI CHRIST. PROPAGATIO PER CAPTIVOS FACTA.

IV. GREGORII THAVMAT. EPIST. CANONICA.

Hoc item ipſo tempore quo Gothi Pontum incurſitant, Magnus ille Gregorius Thaumaturgus Neocæſareę primariæ eius prouinciæ ciuitatis Epiſcopus, ad emendationem complurium delictorum quæ tunc perpetrata fuiſſent, eam epiſtolam ſcripſit quam Græci Canonicam vocant, & in canone ad Sextam Synodum appoſito inter alias epiſtolas canonicas annumeratur; quæ & hactenus extat [g], delinquentium ac pœnitentium claſſes in Eccleſia, & loca diſtincta pulchre referans. Hiſque prope temporibus, idem Gregorius commentarium illum *De Expoſitione Fidei* aduerſus Ælianum conſcripſit; quo vt illatam ab eo calumniam cōfutaret, qua dicebat Chriſtianos plurium deorum eſſe cultores, eo quod Trinitatem colerent perſonarum, dum vnam eſſentiam diuinam Ethnico homini demonſtrare conatus eſt quibuſdam improprijs vocibus viſus diuinas confudiſſe perſonas, à nonnullis calumniam paſſus eſt quaſi hæreſi fauiſſet Sabellii, quæ (vt vidimus) ſicut vnam tantum ſubſtantiam in Trinitate, ita & vnam pariter perſonam prædicaret. Sed eum S. Baſilius [h] defendens, oſtendit ipſum ſententiam ſuam aduerſus Sabellium probe reliquiſſe teſtatam: quin & ipſam Sabellii hæreſim, traditione eiuſdem Gregorii in illis partibus conſopitam fuiſſe affirmat.

g Ap. Theod. Balſ. & to. 1. Bibl. S.

h Baſil ep. 64. ad Neocaſ.

V. DE SCRIPTIS DIONYSII ALEX. CONTRA SABELLIVM.

Contra vero cum hoc ipſo tempore, eadem hæreſi Sabelliana in Ægypto & Pentapoli, vnde orta erat, validius ab ipſo eius auctore propagata, Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus erudite aduerſus eam ad Ammonium & Euphranorem ſcripſiſſet; dum perſonas accuratius diſtinguere curaret, in contrariam inflecti viſus eſt partem, nimirum diuinas perſonas non tantum diſtinxiſſe, ſuis proprietatibus ſingulis attributis, ſed etiam ſubſtantia diuiſiſſe ab inuicem. Quapropter à Pentapolitanis quibuſdam læſæ fidei reus factus ad primarium Epiſcoporum omnium Iudicem Romanum Pontificem, eodem quoque tunc nomine Dionyſium appellatum; cum in ea cauſa Romæ SYNODVS Epiſcoporum celebrata eſſet, idem Alexandrinus ab ea iuſſus ſententiam ſuam declarare, Apologiam ad prædictum Romanum Pontificem ſcripſit, qua ſe defendens à calumniis illatis, egregie fidem Catholicam ſartam tectamque cuſtodiuit, eidemque Pontifici in omnibus ſatisfecit. Hæc autem ita geſta eſſe teſtatur S. Athanaſius eiuſdem Alexandrinæ Eccleſiæ poſtea Epiſcopus, tum in commentario de Synodis, tum maxime in libro quem *De ſententia Dionyſii* conſcripſit aduerſus Arianos, qui Dionyſium ſuæ ipſorum opinionis iam olim fuiſſe profeſſorem falſo iactarent; quos refellens Athanaſius, docet Dionyſium recte in omnibus de fide Catholica ſenſiſſe, & quæ ambigue alicubi dixiſſet, eadem poſtmodum multis aliis ſuis ſcriptis dilucidius explicaſſe; ac præcipue illis quæ ad ſui cognominem Romanum Pontificem ſcripſit: quæ quidem quatuor libris fuiſſe comprehenſa, Euſebius [i] atque Hieronymus [k] teſtantur. Sed qui hæc ignorarunt, & minus legerunt quæ pro Dionyſii defenſione ſcripta ſunt ab Athanaſio, non dubitarunt [l] eumdem Dionyſium poſt etiam accuſare quod Arianis arma ſubminiſtraſſet. Quemadmodum & in eo alii [m] decepti ſunt, dum exiſtimarunt Dionyſii qui videntur errores, non fuiſſe ab eo conſcriptos, ſed ab Arianis additos: nihil enim huiuſmodi Athanaſius eum defendens cauſatur, ſed illa vt ab eo ſunt ſcripta, integra atque ſincera perſeueraſſe indicat, quibus ipſum recte ſenſiſſe perſpicue innoteſceret.

i Euſ. 7. hiſt. 21.
k Hier. de Script. Eccl. in Dionyſ. Alex.
l Baſil. ep. 41. ad Max. Gennad.
m Maſſil. de Eccl. dogm. ap. Aug. m Ruff. de adult. l. Orig.

VI. SVPREMVM ECCLESIÆ TRIBVNAL.

Ceterum ex his quæ in eius cauſa, teſtimonio eiuſdem S. Athanaſii, Romæ iudiciali examine apud Dionyſium Papam facta noſcuntur; non eſt qui non videat Romanæ Sedis prærogatiuam, ad quam ex principalioribus, pariterque remotioribus Orbis Eccleſiis, cauſæ tum Epiſcoporum, tum etiam fidei deferri ſolerent ab eius Pontificibus iudicandæ. Nec vero his contentus Dionyſius Papa nec ſatis ſibi viſus damnaſſe cum dogmate impium Sabellium; etiam cōtra illius ſectatores edidit commentarium, aliumq; rurſum aduerſus oppoſitam ei ſententiam, quam poſtea Ariani amplexi ſunt; cuius vtriuſque commentarii idem S. Athanaſius [n] meminit: ex quibus plane videas ipſum Dionyſium Romanum Pontificem, vt quiſque declinaret extrema mediam ſternentem viam, ſinceræ fidei veritati omni ex parte proſpexiſſe.

n Athan. cont. Arian. hær. decr. & de ſent. Dionyſ. cont. Arian.

IESV CHRISTI AN. 264.

GALLIENI AN. 10.

DIONYSII AN. 4.

I. NEPOS EPISC. ASSERTOR MILLENARII.

ANNO Chriſti ducenteſimo ſexageſimo quarto, Albino & Maximo Coſſ. quieſcente à bellicis tumultibus Ægypto, Eccleſia in ea poſita nonnihil fuit exagitata per *Nepotem* quemdam Epiſcopum Catholicum, qui ſententiam illam de *Millenario* ab aliis iam (vt vidimus) magni nominis viris aſſertam, needum ab Eccleſia Catholica omnino proſcriptam, adeo vehementer ſcriptis voluminibus propugnauit, vt complures ſibi adſciuerit ſectatores. Sed huic malo Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus occurrens, eamdem opinionem iam in hæreſim erumpentem, tum ſcriptis contrariis tum viua voce compreſſit. Quomodo autem ſe iſta habuerint, Euſebius [a] ex eius ſcriptis declarat. Teſtatur vero etiam S. Hieronymus [b], ab eodem Dionyſio ſcriptum fuiſſe commentarium aduerſus S. Irenæū eiuſdem olim ſententiæ aſſertorem. Idemque aſſerit, eadem Dionyſii aduerſus Nepotem ſcripta, poſtea Apollinarem Laodicenum Epiſcopum contrariis ſcriptis editis auſum eſſe impugnare; de quo dicetur ſuo loco.

a Euſ. 7. hiſt. 19.
b Hier. praf. l. 18. in Iſa.

II. PORPHYRIVS VENIT ROMAM.

Hoc ipſo anno decimo Imperii Gallieni, PORPHYRIVS philoſophus ſecta Platonicus, Chriſtianæ religionis hoſtis infenſiſſimus, è Græcia Romam venit annos triginta natus, & Plotino adhæſit eiuſdem ſectæ tunc facile principi, quem iam olim ad eamdem Vrbem adueniſſe vidimus. Narrat hæc ipſe Porphyrius in eius vita. Porro Porphyrium fuiſſe patria Tyrium, Eunapius [c] tradit; ſed Batanæum (quæ eſt ciuitas in Iudæa) S. Hieronymus [d] appellat. Nempe Tyrius ille dici voluit potius quam Batanæus, pertæſus Iudæum genus. Addit vero Eunapius, fuiſſe ei initio nomen Malchum, quod Syrorum lingua Regem ſonat; ſed detorta appellatione ad purpuram regiam, Porphyrium veluti purpureum eum nominaſſe Longinum, apud quem ſublimibus ſtudiis erudiebatur. Fuiſſe autem aliquando Chriſtianum, ſed non ferentem Cæſareę Palæſtinę maiorum iuſtam reprehenſionem, eſſe factum deſertorem, Socrates [e] ex Euſebio tradit. Sane cum ipſemet de ſe Porphyrius [f] teſtetur, ſe adeo ad iracundiam & furorem præcipitem fuiſſe, vt aliquando ſeipſum interimere cogitauerit, niſi à Plotino demotus eſſet; haud mirum ſi tam indomita fera minime valuerit cum Chriſti ouibus eſſe, & ſi moribus ſic comparatus truculētus apo-

c Eunap. in vit. Philoſ.
d Hier. praf. in ep. ad Gal.
e Socr. l. 3. c. 19.
f Porphyr. in vit. Plotin.

Digitized by Google

ſtata canina rabie in Chriſtianos debacchatos fuerit. Sed de his alias [g].

g Infra an. 102.

III.

Interim vero ipſum Plotinum idem auctor tradit tentaſſe agere cum Gallieno, vt dirutam quamdam olim in Campania ciuitatem inſtauraret, concederetque Platonicis philoſophis inhabitandam, qui eam *Platonopolim* appellarent, & Platonis legibus gubernarent; ſed quoſdam Imperatoris familiares ne id fieret obſtitiſſe. Ex quibus plane conſideres inopem philoſophorum conditionem, dum poſt tot ſæcula, vbique gentium promulgata quæ ſanctiora videbantur Platonica dogmata, nec id efficere potuerunt vt in toto Orbe vel vnica ciuitatula ex eorum præſcripto regeretur: cum econtra Chriſtiana religio piſcatorum ore vulgata, totum plane Orbem repleuerit, genteſque omnes vi quadam diuinitus inſita coegerit patrios & inolitos mores omnino relinquere, aduerſariaſq; propriis concupiſcentiis leges amplecti; ac eaſdem vitæ quoque diſpendio profiteri.

DEPLORATA CONDITIO PHILOSOPHORVM IN SVIS DOGMAT. PROPAG.

IESV CHRISTI AN. 265.

GALLIENI AN. 11.

DIONYSII AN. 5.

I. ODENATVS IMPERAT IN ORIENTE.

ANNO Chriſti ducenteſimo ſexageſimo quinto, Gallieno Imperatore ſextum & Saturnino Coſſ. (inquit Trebellius) ODENATVS Palmyrenorum in Syria Princeps obtinuit totius Orientis Imperium, fortibus factis ſe tantæ maieſtatis inſulis dignum declarans; Gallieno interim aut nullas, aut luxurioſas, aut ineptas & ridiculas res agente. Hæc Trebellius [a], qui res ab Odenato fortiter aduerſus Perſas (quos & fugauit, & Cteſiphontem vſque peruenit) in vindictam Valeriani geſtas, pluribus proſequitur, eaque de cauſa à Gallieno Auguſtum vocatum tradit. Erat Odenato coniux inſignis pudicitiæ atque prudentiæ femina, ZENOBIA dicta, quam idem Trebellius mirifice laudat, quæque ſcientiis erudita, vſa eſt in Græcis litteris Longino philoſopho præceptore, vt tradit Vopiſcus [b]. Sed & cupida Chriſtianarum literarum, male conſulta adſciuit ſibi magiſtrum Paulum Samoſatenum Epiſcopum Antiochenum hæreticum, qui eam docuit Iudaizare, vt tradit Philaſtrius [c]: immo & ipſam fuiſſe Iudæam, Athanaſius [d] aſſerere videtur. Nicephorus [e] vero ait, quod cum Paulus eamdem Iudaizantem ad rectam fidem reducere vellet, ipſe in hæreſim Artemonis impegerit.

a Treb. in Gall. & de 30. tyr. 28.

ZENOBIA INSIGNIS FEMINA.

b Vopiſ. in Aurelia.

c Philaſt. de hær. c. 65.
d Athan. ep. ad Solitar.
e Nic. l. 7. c. 27.

II. DE PAVLO SAMOSAT. EPISC. ANTIOCH.

f Athan. de Synod.
g Epiph. hær. 65.

Sed vt de PAVLO SAMOSATENO expreſſius agamus; quod primum ad rationem temporis ſpectat, cum illum ab vtroque Dionyſio Romano & Alexandrino damnatum eſſe, conſtet auctoritate S. Athanaſii [f]; haud ſubſiſtere poteſt quod S. Epiphanius [g] ait, ipſum tempore Aureliani & Probi Imperatorum creatum fuiſſe Antiochenum Epiſcopum; cum certum ſit neutrum Dionyſium ad illa tempora perueniſſe: multo vero minus fidei habebit, quod Euthymius & ſiqui alii Græcorum affirmarunt, eumdem Paulum Manichæa matre natũ; cum ipſe hæreſis auctor Manes nonniſi eiuſdem Aureliani Imperatoris temporibus innotuerit. Impia autem ſua dogmata videtur ipſe Paulus aliqua ex parte à Sabellio mutuatus, dum nullam admittens in diuinitatis ſubſtantia perſonarum diſtinctionem, ſed ſicut vnum Deum, ita pariter vnam perſonam dicens Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, totam Eccleſiæ de ſanctiſſima Trinitate doctrinam cum Sabellio atque Iudæis penitus abſtulit: verum à Sabellio diſcrepauit in eo, quod Sabellius cum vnam tantum affirmaret diuinam eſſe perſonam, ex neceſſaria conſequentia æque introduceret Patris ſimul & Spiritus Sancti cum Filio incarnationem ac paſſionem; Paulus vero omnem prorſus auferens diuinæ naturę cum humana coniunctionem, Chriſtum hominem tantum, ſed iuſtitia pręditum fuiſſe diceret, ſicque extinctam ferme reuiuiſcere faceret Artemonis hæreſim, de qua dictum eſt ſuperius. Aſſerebat inſuper, Verbum Dei in Chriſtum veniſſe, & ſolum operatum eſſe, & ad Patrem qui illud ſpirauerat rediiſſe. Tradit hæc de Paulo Epiphanius [h].

IMPIA EIVS DOGMATA.

h Id. ibid.

III.

i Meminit earum Euſ. 7. hiſt. 22. & Hier. de Script. Eccle. in Dionyſ. Extant autem ipſa à Turriano Latina facta, ſed non integra edita, quæ citat l. de Sacram. Euchar. c. 10. & 11.
k Recitat eius verba Tur. vbi ſupra.

Ex literis quoque Dionyſii Alexandrini aduerſus eumdem Paulum ſcriptis [i] tempore prioris Concilii Antiocheni, contra eumdem (vt mox dicetur) collecti, plane idem Paulus detegitur duas conſtituiſſe perſonas inter ſe disiunctas, Filium Dei Verbum, & Chriſtum quem aiebat non fuiſſe ante Mariam, nomenque Filii Dei accepiſſe ex bona operatione ipſius. Certe quidem Neſtorius accuſatus fuit hæreſis Samoſateni, cum in duas perſonas Chriſtum diuideret. Rurſum etiam ex iiſdẽ principiis de Chriſti humanitate perperam conſtitutis, aliam nefariam ſententiam Paulus deduxit, vt diceret in Sacramento Euchariſtiæ eſſe Chriſti ſanguinem corruptibilem: quã blaſphemiam idem Dionyſius æque eadem epiſtola [k] egregie refellens, manifeſte docet non magis corrumpi Chriſti ſanguinem viuum & viuificum in Euchariſtia, quod diuidatur & effundatur; quam corruptus eſt Spiritus ſanctus, cum diuiſus eſt & effuſus in Fideles.

IV. OPPVGNATORES PAVLI SAMOSAT.

l Athan. de Synod.

Cum autem aduerſus deteſtandas Pauli impietates mox vt innotuere, ſancti Epiſcopi inſurrexerint; id inprimis præſtiterunt, qui ceteros dignitate & auctoritate antecellerent, Dionyſius Romanus, & alter Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus; à quibus ſublatum eſſe Paulum, S. Athanaſius [l] ſcribit: quod tamen ſic accipiendum exiſtimo, vt hi primum ſcriptis editis eius hæreſes confutauerint atque damnauerint. Alios quoque Epiſcopos bis ea de re conueniſſe Antiochiæ conſtat; primum quidem anno ſequenti; rurſum vero tempore Aureliani Imperatoris, de quibus dicetur ſuis locis.

IESV CHRISTI AN. 266.

GALLIENI AN. 12.

DIONYSII AN. 6.

I.

a Panuin. de Faſt. & Hubert. in Gall.

SYNODVS ANTIOCH. CONTRA PAVLVM SAMOSAT.

b Euſ. 7. hiſt. 22.

ANNO Chriſti ducenteſimo ſexageſimo ſexto, Valeriano Gallieni filio (vt nummi [a] declarant, non fratre, quod Trebellius exiſtimauit, licet non abnuamus habuiſſe Gallienum eiuſdem nominis fratrem, de quo poſtea) ſecundum & Lucillo Coſſ. celebrata eſt *Antiochiæ* SYNODVS aduerſus Paulum Samoſatenum eiuſdem ciuitatis Epiſcopum: cui inter alios pene infinitos (vt inquit Euſebius [b]) Epiſcopos cum presbyteris & diaconis, precipui interfuerunt Firmilianus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, Gregorius Thaumaturgus Neocæſarienſis, eiuſque frater Athenodorus pariter Epiſcopus Ponti, Helenus Tarſenſis; Nicomas Iconienſis, Hymenæus Hieroſolymitanus, Theotecnus Cæſarienſis Palæſtinę, & Maximus Boſtrenſis. Hæc autem non ante præſentem annum geſta eſſe, inde exploratum redditur quod Hymenæus qui ei interfuit, nonniſi hoc anno Gallieni duodecimo in locum Mazabanis defuncti ſubrogatum eſſe, idem Euſebius [c] tradat. Nec vero poſt hunc annum eadem contigiſſe, tũ eodem [d] auctore conſtat, dum ſcribit Dionyſium Alexandrinum ad eamdem Synodum vocatum, cum non poſſet ipſe ob ſenectutem & corporis infirmitatem eo accedere, interfuiſſe tamen per litteras aduerſus Pauli errores ſcriptas; tum ex eo quod teſtatur Hieronymus [e], eaſdem litteras ſcriptas eſſe paulo ante Dionyſii obitum, qui accidit (vt dicetur) hoc ipſo anno.

c Id. in Chro.
d Id. l. 7. c. 22.

e Hier. in Dionyſ.

II.

f Rec. eam poſt Turria. Baron. Annal. to. 2. hoc an.
g Ap. Euſ. 7. hiſt. 24.

PAVLVS DOLOSE POENITENTIAM SIMVLAT.

Ceterum Patres Synodi ipſo primo conſeſſu, ante omnia Catholicam fidem de Filio Dei, quam per maiorum traditionem ab Apoſtolis accepiſſent, ſcripto editam declararunt, eamque ad ipſum Paulum ex Synodo miſerunt; quæ & hactenus eſt conſeruata [f], præclariſſimum antiquitatis fidei Catholicæ monumentum. Poſt hæc autem damnatam eſſe Pauli impietatem, ipſumque, cum promiſiſſet ſe mutaturum, ſententiam, permiſſum eſſe in eadem Eccleſia Epiſcopum permanere; docent litteræ [g] Epiſcoporum qui tempore Aureliani Imperatoris; poſteriori conuentui eadem de cauſa itidem Antiochiæ celebrato interfuerunt. Quod ſi interdum liceat agere coniectura,

Digitized by Google

ctura, equidem arbitror mitius actum eſſe cum hæretico ſceleſtiſſimo, vt recantata palinodia nullum ſedis diſpendium paſſus ſit; quod illi faueret Zenobia eius (vt vidimus) diſcipula, quæ cum viro ſuo Odenato his temporibus Orientale Imperium poſſidebat: quam & S. Athanaſius [h] eiuſdem Pauli protectricem appellat. Sed de iſta Synodo hactenus.

h Athan. ep. ad Solit.

III. DIONYSIVS ALEX. MORITVR. *i Euſ. l. 7. c. 22. k Hier. in Dionyſ.*

Inter hæc vero inſignem illum pietate & doctrina, quem ſæpiſſime diximus Dionyſium Epiſcopum Alexandrinum, cum decem & ſeptem annis eam Eccleſiam gubernaſſet, hoc ipſo anno Imperij Gallieni duodecimo ex hac vita migraſſe, Euſebius [i] & Hieronymus [k] teſtantur; ex quibus corrigas eiuſdem Euſebij Chronicon, in quo Dionyſij obitus ponitur anno Gallieni decimo. Eius ſcripta iidem auctores recenſent, de quorum nonnullis actum eſt ſuperius: natalis vero dies tam in Orientali quam in Occidentali Eccleſia decimoquinto Calendas Decembr. anniuerſaria memoria celebratur. Suffectus autem eſt in locum eius *Maximus*, quem interdum Maximianum inuenimus appellatum.

IV. GREGORII THAVMATVR. OBITVS. *l Niceph. l. 6. c. 17.*

Quod autem nec poſthæc vlla amplius mentio habeatur de Magno illo Gregorio Thaumaturgo, quem diximus prædictæ Synodo interfuiſſe; exiſtimare nos admonet, ipſum, quoque haud diu poſt ex hac vita migraſſe. Quare & improbatur ſententia Nicephori [l], perueniſſe ad tempora Diocletiani; ac multo magis Suidæ, quod ſuperuixerit ad tempora Iuliani: ſed forte Iulianus ibi pro Gallieno poſitus legitur. Ceterum Gregorius (vt ait Nyſſenus in eius Vita) vbi cognouit ſuum inſtare obitum, ciuitatem ac totam diœceſim ſuam perſcrutatus, cum ſeptemdecim tantum Ethnicos in ea reperiſſet; gratias Deo egit, quod ſuo ſucceſſori tot relinqueret ſimulacrorum cultores, quot ipſe eius Eccleſiæ curam ſuſcipiens in ea Chriſtianos inueniſſet. Moriens vero mandauit neceſſariis ſuis, vt nullum proprium locum ei compararent ad ſepulturam; quod ſicut viuus non ſuſtinuiſſet vocari alicuius loci dominus, ſed inquilinus vixiſſet in alienis; ita poſt mortem vellet etiam eſſe inquilinus alienorum ſepulchrorum.

DE EIVS SEPVLCHRO.

At licet commune ceteris ſepulchrorum optauit; tamen corpus eius theca priuata repoſitum fuit, atque magno honore habitum, quod miraculis coruſcaret. Adeoque charæ fuerunt eius ſacræ reliquiæ Deo omnipotenti, vt Eccleſia in qua eæ repoſitæ ſunt, quam ipſe Gregorius antea in vſum Fidelium condiderat, superuenientibus licet diris terræmotibus, quibus illa propemodum funditus ciuitas corruit, publicaque cum priuatis ædificiis proſtrata ſunt, nihilominus diuino miraculo remanſerit ſemper integra & illæſa: prout idem Nyſſenus; & Thodorus [m] Lector de diuerſis terræmotib. teſtantur.

m Theod. Lect. lib. 2. Collect.

V. *n Baſil. de Sp. S. c. 29. et 64. & aliis.*

Porro anniuerſaria eius natalis memoria eadem die ab Eccleſia celebratur, qua & Dionyſij Alexandrini nempe decimaquinta ante Calendas Decembris: quem quidem inter alios Patres, miris laudum præconiis ſæpe Baſilius [n] extulit: qui & ait tantam fuiſſe miraculorum eius præſtantiam, vt ab ipſis etiam veritatis hoſtibus alter Moyſes appellaretur.

DE EIVSDEM SCRIPTIS. *o Hier. de Script. Eccl. in Theodor.*

Quæ autem præſtantiſſimi ingenij ſui vir ſanctiſſimus reliquerit monumenta, præter illa quæ ſuperius variis occaſionibus recenſita ſunt, alia quoque S. Hieronymus [o] enumerat; cuncta vero ſumma diligentia collegit, & nuper edidit Gerardus Voſſius vir præſtantiſſimus. Porro *Athenodorus* ipſius germanus, qui eidem pariter Synodo Antiochenæ interfuit; in hoc maior illo, in vltima ſenectute ſub Aureliano Imper. Chriſtianos perſequente, glorioſi martyrij [p] palmam conſecutus eſt.

p Martyrol. Rom. 15 Cal. Nouemb.

IESV CHRISTI ANN. 267. 268.

GALLIENI AN. 13. 14.

DIONYSII ANN. 7. 8.

I. VALERIANVS IVNIOR IMP.

ANno Chriſti ducenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Gallieno Auguſto ſeptimum & Sabinillo Coſſ. VALERIANVS Cæſar eiuſdem Gallieni frater, Auguſtus appellatus Tribunitiam Poteſtatem accepit, vt ex Trebellio [a] Pollione colligitur; quem præteriiſſe alterum VALERIANVM filium Gallieni, ipſumque auctum Imperio, ſuperius dictum eſt.

a Treb. in Gallie.

II. *b Caſſiod. in Faſt.* CLAVDIVS DVX IN DACIA. *c Treb. in Claud.*

Anno vero ducenteſimo ſexageſimo octauo, Paterno [b] & Arceſilao Coſſ. *Claudius* dux exercitus in Dacia, vir domi militiæq; ſpectatus, pertæſus ſocordiam Gallieni, qua noui quotidie tyranni vbique excitarentur, de vindicando ſibi Imperio conſilium iniit: quem fruſtra Gallienus multis pretioſis donis, quæ Trebellius [c] enumerat, placare ſtuduit.

IESV CHRISTI ANN. 269.

CLAVDII IMP. AN. 1.

DIONYSII ANN. 9.

I. GALLIENVS NECATVR.

ANno Chriſti ducenteſimo ſexageſimonono, Paterno ſecundum & Macriano Coſſ. duodecimo Calendas Aprilis, conſpiratione Claudij aliorumque ducum, *Gallienus* Imp. annos natus quinquaginta, vna cum fratre & filiis apud Mediolanum occiſus eſt, prout Trebellius, Victor, & alij narrant. Quod vero addit Trebellius, diuerſas ſcriptas fuiſſe de annis Gallieni ſententias; Epiphanius [a] quoque nonniſi annos duodecim ei tribuit: at Euſebius [b], Victor, & alij quindecim; quibus conſentiunt veteres nummi [c], decimam quintam Tribunitiam poteſtatem eius recenſentes.

a Epiph. de menſ. b Euſ. in Chron. 23. c Hubert. in Theſ.

II. CLAVDIVS IMP. *d Treb. in Claud.*

Illo vero ſublato, electus eſt à militibus, & à Senatu magnis acclamationibus approbatus, idem *Flauius* CLAVDIVS, cuius laudes vberius eſt proſecutus Trebellius [d], in gratiam Conſtantij Cæſaris parentis Conſtantini Magni volumen ſcribens, quo profitetur ipſum Conſtantium ex Claudij ſtemmate eſſe progenitum; natum videlicet ex Claudia filia Criſpi fratris Claudij Eutropio Dardano eiuſdem Claudiæ marito. Ipſius vero Claudij genus idem auctor ex Dalmatis deducit, licet ab Ilio originem traxiſſe alij affirmarent. Addit etiam de trecentis viginti millibus Gotthorum aliarumque gentium barbararum, quæ cum duobus millibus nauium audita Gallieni morte ſe effuderunt in Romanum Imperium; cum & Gallias & Hiſpanias, vires (vt ait) Reipublicæ, TETRICVS teneret, & totum Orientem poſt Odenati obitum ZENOBIA eius vxor pluſquam virili animo poſſideret.

III. MARTYRES SVB CLAVDIO. *e Ex Act. S. Laurent. in fin.*

At plane conſilium Dei fuit, vt tot hoſtibus Claudius refertum inueniret Imperium; vt qui in Chriſtianos infenſiſſimus eſſet, his detentus difficillimis occupationibus, haud facile poſſet quã animo conceperat eorumdẽ carnificinam edere. Cum alioqui non deſtiterit in Vrbe præſertim negotium illis faceſſere, dum *Cyrillam* [e] filiam Tryphoniæ, Decij Imperatoris ſiue coniugis ſiue concubinæ; virginem Deo dicatam, & multos alios tum milites Prætorianos, tum alterius generis ciues Romanos, Chriſtianæ religionis profeſſores, necari iuſſit; quorum omnium memoria ſuis quibuſque diebus relata eſt in tabulas Eccleſiaſticas.

IESV CHRISTI ANN. 270.

CLAVDII IMP. AN. 2.

DIONYSII ANN. 10.

I. PERSECVTIO IN CHRIST.

ANno Chriſti ducenteſimo ſeptuageſimo, Claudio Auguſto ſecundum (priorem enim Conſulatum, ſuffectum geſſerat ſub Valeriano) & Paterno Coſſ. ab eodem Imperatore acrius ſæuitum eſt in Chriſtianos, promulgato edicto vt qui in carcere tenetentur Chriſtiani, vel foris in vulgo inuenti eſſet, abſque interrogatione punirentur. Eſt enim eius mentio in Actis [a] SS. martyrum, qui tunc magno numero Romæ ſunt paſſi; inter quos fuere [b] *Marius*, & *Martha* eius coniux, cum filiis *Audifax* & *Abacu*, qui è Perſide Romam ad loca ſancta venientes, poſt edita multa pietatis & charitatis officia, & ipſi teuti crudeliter ſunt necati.

a Ap. Sur. 14. Febr. b Martyrol. Rom. ea. die.

II. EPIST. DIONYSII PP. DE DIVISIONE PAROECIARVM.

Iiſdem Coſſ. quinto Idus Septembris data reperitur Dionyſij Papæ epiſtola ad Seuerum Epiſcopum Cordubenſem, de Parochiarum & Cœmeteriorum diuiſione, quam & ſe Romæ feciſſe teſtatur: idemque traditur in libro de Romanis Pontificibus. Verum cum iam ab aliis anteceſſoribus Romanis Pontificibus id reperiatur factum; intelligendum eſt, quod in perſecutione Valeriani ab Eccleſiis eſſent multi presbyteri, & cœmeteria prohibita; illo ſublato, & à Gallieno reſtituta pace, Dionyſium eaſdem parochias & cœmeteria iterum recta ratione aliis presbyteris aſſignaſſe.

AVRELIANI IMP. AN. 1.

IESV CHRISTI ANN. 271.

DIONYSII ANN. 11.

I. CLAVDII IMP. OBITVS.

QVINTILLVS IMP. NECATVR.

ANNO Chriſti ducenteſimo ſeptuageſimo primo, Antiochiano (aliter Actatiano) & Orfito Coſſ. Claudius Imperator confecto feliciter formidoloſo bello aduerſus Gothos aliosque barbaros ſuſcepto, lue tactus occubuit: & qui in eius locum à militibus ſuffectus eſt, ipſius germanus QVINTILLVS, quod ſe grauem & ſeuerum oſtenderet, ab iiſdem decimaſeptima poſt die occiſus eſt. Hæc omnia pluribus Trebellius; qui eumdem Claudium tertio Imperij anno æſtatis tempore defunctum eſſe, citato de ea re oraculo ſignificare videtur; licet alij dicant id accidiſſe Nonis Februarij. Sed & quod iidem annum tantum vnum, menſes decem & dies quindecim eidem Claudio tribuunt, tum ex eodem Trebellio erroris arguuntur, tum maxime ex Porphyrio, qui his temporibus Romæ agens, ait Plotinum philoſophum (de quo ſæpe ſuperius) iam peracto Claudii anno ſecundo diem obiiſſe. Porro mortem Quintilli Vopiſcus [a] narrans, ait ipſum cum Aurelianum comperiſſet imperare, & ſe ab exercitu derelictum cerneret, inciſis ſibimet venis die vigeſimo ſui Imperij periiſſe.

a Vopiſ. in Aurelia.

II. AVRELIANVS IMP.

Sublatis igitur Claudio atque Quintillo, *Lucius Domitius* AVRELIANVS, obſcuris parentibus, ſiue in Dacia, ſiue in Mœſia, vel in Pannonia Sirmii natus (diuerſas enim de ea re fuiſſe maiorum ſententias, idem Vopiſcus teſtatur) fauore militum oblatum ſolus tenuit Imperium; homo æqui amantiſſimus viſus in præſcribendis legibus militibus ſuis, ſed in delinquentes nimium ſeuerus; quod idem auctor pluribus exemplis declarat.

III. PLOTINI OBITVS.

b Porphyr. in vit. Plot.

c Iul. Firm. l. 1. c. 3. & 9.

Quod vero ad *Plotinum* attinet; tradit Porphyrius [b] eum tactum angina, accedentibuſque manuum ac pedum vlceribus, in Campaniam ſeceſſiſſe, & ibi diem obiiſſe natum annos ſex & ſexaginta. Sed eiuſdem plane horrendum morbum atque mortem, quam paucis Porphyrius abſoluit, Iulius Firmicus [c] Maternus, & ipſe Ethnicus, qui ſub Conſtantio Imperatore vixit, exactius deſcripſit: aſſirmans quidem hæc illum Fati contemptorem à Fato vlciſcente perpeſſum, quod contra Fatum accurate ſcripſiſſet; ſed infelicis eius exitus cauſa inde certius veriuſque petenda eſt, quod auditor Chriſtiani Philoſophi Ammonij, & familiariter vſus Origene, interque Chriſtianos diu verſatus, fieri tamen Chriſtianus abhorruerit; præferens Chriſti religioni familiaris dæmonis cultum; immo & præ iſto ceteros omnes deos contemnens, vt ex eodem Porphyrio intelligitur: qui etiam tradit, eum in ipſius Plotini obitu in forma draconis viſum eſſe ſub lecto pererrantem, & tandem in parietis foramen ſe prorſus occuluiſſe. Tantæ vero apud ſuos æſtimationis poſt obitum Plotinus fuit, vt & diuinos illi honores fuiſſe impertitos, araſq; erectas, Eunapius ſcribat.

AVRELIANI IMP. AN. 2.

IESV CHRISTI ANN. 272.

DIONYSII ANN. 12.

I. CONCIL. POSTERIVS ANTIOCH. CONTRA PAVLVM SAMOSAT.

a Euſeb. 7. hiſt. 25.

b Meminit etiam huius Hieron. de Scr. Eccl. in Malchio.

ANNO Chriſti ducenteſimo ſeptuageſimoſecundo, Aureliano Auguſto & Baſſo Coſſ. cum Paulus Samoſatenus Epiſcopus Antiochenus damnatam à ſe in priori Concilio Antiocheno hæreſim, iterum reſtituere conatus eſſet, illic rurſum conuenientibus regionum finitimarum Epiſcopis (vt Euſebius [a] tradit) prope infinitis, à Malchione eiuſdem Eccleſiæ diſertiſſimo presbytero, egregia diſputatione [b] per Notarios excepta de errore cõuictus; omnium Patrum ſententia damnatus eſt, ac ſede pulſus, ſubrogato in eius locum *Domno* Demetriani (qui ante Paulum eamdem Eccleſiam optime rexerat) filio, omni genere virtutum exornato. De quibus omnibus mox ab iiſdem Patribus data eſt ad Dionyſium Romanum, & Maximum Alexandrinum, alioſque vniuerſos Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopos, Synodica [c], qua præter hæreſim, reliqua etiam deſcripſerunt Pauli ſcelera ac ſacrilegia, turpitudines, rapinas, fraudes, luxuriam, faſtumque in ſedendo ac incedendo; nec non intolerabilem impietatem, qua in locum Pſalmorum & cantuum Eccleſiaſticorum, in media Eccleſia ſolemni Paſchatis die, inanes cantilenas in laudem ſuam paratas à mulierculis cantari iuſſit. Ceterum cum hanc Synodum ſub Aureliano Imperatore celebratam eſſe, in hiſtoria Euſebius tradat; ex ea corrigendum eſt quod in eiuſdem Chronico Pauli damnatio & Domni ſubrogatio ponitur anno decimotertio Gallieni.

c Ext. apud Euſ. 7. hiſt. 24.

PAVLI SCELERA.

II.

d Athanaſ. de Synod.

Meminit eiuſdem Synodi Athanaſius, dum aduerſus Arianos, Nicænam carpentes quod vocem *Conſubſtantialis* aliter accepiſſet quam Patres Antiocheni, demonſtrat vtramque Synodum idem de Filij diuinitate ſenſiſſe, licet ob iuſtam cauſam vario modo ſua verba temperarit. Ipſos vero Antiochenos Patres non tantum ſtuduiſſe Paulum, ſed etiam Sabellium confutare, aliqua ex parte (vt vidimus) pugnantes inter ſe hæreſes inducentes; apparet ex ipſorũ Fidei profeſſione tunc edita, quæ apud Synodum Epheſinam [e] habetur intexta. In qua cum pariter quæ de eorum ſententia aduerſus Arianos Athanaſius diſputat, dilucidius explicentur; ex his detegitur conniuentia Euſebij hiſtorici cum iiſdem Arianis: quippe qui hanc retexens hiſtoriam, atque Synodicam à Concilio ſcriptam recitans, quæ in ea de fide Catholica tractatio ſcripta erat, ſubduxit, quod in ea Chriſti natura diuina Patri Conſubſtantialis aſſereretur.

e Conc. Epheſ. edit. Tom. 1. c. 1. & fin.

EVSEBII DOLVS.

III.

f Euſeb. d. c. 24. ad fin.

Tradit vero idem auctor [f]; cum poſt damnationem Pauli ipſe exire nollet ex domo Epiſcopali eiuſdem Eccleſiæ Antiochenæ, Imperatorem Aurelianum de re illa rogatum reſcripto iuſſiſſe, vt eadem domus illis tribueretur, quibus Chriſtiani Italiæ & Vrbis Romæ Epiſcopi per litteras tribuendam præſcriberent; tuncq; penitus Paulum eſſe eiectum. Nimirum vſque adeo innotuerat Romani Pontificis toto Orbe poteſtas, vt & Ethnicos non lateret, aliorum Epiſcoporum ſententias eſſe ratas (ſiquidem iam antea in Synodo Antiochena; cui tribuenda domus eſſet præiudicatum fuerat) quas auctoritas Romani Pontificis confirmaſſet. At quoniam ſcire potuit Imperator, ab eodem Pontifice in eamdem cauſam fuiſſe *Romæ* congregatos Italiæ Epiſcopos ad SYNODVM (quod Athanaſius eadem aduerſus Arianos de Synodo Antiochena diſputatione teſtatur) idcirco dixit, id eſſe debere ratum, quod vna cum Romano Epiſcopo Italiæ Chriſtiani decernerent.

AVREL. IMP. COGNOSCIT PRIMATVM ROM. ECCLESIÆ.

IV. AVREL. SVPERSTITIONI DEDITVS.

Hæc quidem his decernebat temporibus iuſtitiæ æqua lance Aurelianus, non aliqua erga Italiæ Epiſcopos vel Romanum Pontificem affectione permotus: quippe licet nondum Chriſtianos perſequeretur, tamen quod patrio idolorum cultui addictiſſimus eſſet, omnes Chriſtianos æque odio proſequebatur. Totus namque erat, hoc præſertim tempore quo aduerſus Marcomannos in Italiam irrumpentes expeditionem pararet, in conſulendis libris Sibyllinis: de quibus & Senatum litteris redarguit, quod eos inſpicere cunctarentur, *Perinde* (inquit) *quaſi in Chriſtianorum Eccleſia, & non in templo omnium Deorum tractarent*. Hæc Vopiſcus, aliaque de eiuſdem Imperatoris erga cultum deorum propenſiſſimo ſtudio. Cuius etiam non leue eſt argumentum, quod cum neminem voluerit habere collegam Imperij. HERCVLEM tantum dixit ſuum eſſe conſortem, quem & nominauit Augu-

ſtum

ſtum: prout docet vetus inſcriptio [g] his verbis concepta; HERCVLI AVG. CONSORTI D. N. AVRELIANI INVICTI AVG. RESPVB. PIS. &c.

g Extat Piſauri in Vmbria in Palatio Ducis Vrbini.

V. DIONYSII PAPÆ OBITVS.

Hoc eodem anno iiſdemque Coſſ. ſeptimo Calendas Ianuarias *S. Dionyſius* Romanus Epiſcopus, pro Eccleſia Dei aduerſus hæreticos & perſecutores plurimis laboribus exantlatis, feliciter migrauit ad Dominum, cùm ſediſſet annos vndecim, menſes tres & dies quatuordecim. Ad hunc quippe annum Aureliani eum perueniſſe, epiſtola ad ipſum ex Synodo Antiochena ſcripta affirmare nos cogit; pariterque erroris arguere, qui eius obitum ad anteriora tempora referunt. Sepultus [h] eſt via Appia in cœmeterio Calliſti: & cum ceſſaſſet Epiſcopatus eius dies quinque, vltimo huius anni die ſubrogatus eſt FELIX natione Romanus ex patre Conſtantio.

h Anaſt. de Rom. Pontif.

FELIX PAPA.

IESV CHRISTI ANN. 273.

AVRELIANI AN. 3.

FELICIS ANN. 1.

I. AVRELIANVS IMP. SÆVIT IN SENATORES.

ANNO Chriſti ducenteſimo ſeptuageſimo tertio, Quieto & Valdumiano Coſſ. Aurelianus Imperator (inquit Vopiſcus) vt erat natura ferocior, plenus irarum Romam petiit vindictæ cupidus, quam ſeditionum aſperitas ſuggerebat: inciuilius denique vſus Imperio, ſeditionum auctoribus interemptis, cruentius ea quæ mollius fuerant curanda compeſcuit; interfectis etiam quibuſdam nobilibus Senatoribus, cum his leue quiddam, vel vnus, vel leuis, vel vilis teſtis obiiceret. Hæc Vopiſcus. Qui cum nullam aliam eius contentionis cauſam afferat, haud abs re exiſtimare quiſque poterit, Senatores illos qui de inſpiciendis libris Sibyllinis (quod vidimus anno ſuperiori) ceteris obniſi eſſent, Chriſtianos extitiſſe, ideoque Imperatorem ſæuius in eos egiſſe. Quod vero qui ab eo ſunt interfecti, dicantur à Vopiſco ſeditionis auctores; eiuſmodi criminis, nempe ſeditionis infamari ſolitos Chriſtianos, tum ſæpe alias diximus, tum de his plane temporibus Acta *S. Symphoriani*, quæ habentur [a] germana, ſignificant, dum aiunt, quod noluiſſet Auguſtoduni ſtatuam Berecynthiæ, quæ carpento vehebatur agminibus ſtipata populorum, adorare; publicæ ſeditionis prætextu comprehenſum eſſe, ac poſt virgas & carcerem gladio necatum.

a Ap. Sur. 22. Aug.

II. Porro licet iam ſic in Chriſtianos Aurelianus permotus eſſet, nequaquam tamen cum primum voluit perſecutionem lege ſtatuere, ſibi licuit: ſiquidem (quod Euſebius [b] narrat) cum litteras contra Chriſtianos compoſitas ſubſcribere vellet, diuina vltio, brachiorum commiſſuris eneruatis, illum ab inſtituto repreſſit. Sed eumdem nihilominus perſecutum eſſe Fideles, & ob eam cauſam cœleſti vindicta ſublatum, idem auctor [c] alibi affirmat. Eaque ſub Aureliano facta PERSECVTIO tum à Sancto Auguſtino [d], tum ab aliis NONA, Octaua vero à S. Leone [e] & qui eamdem cum eo inierunt numeri rationem. Denique & in tabulis Eccleſiaſticis, aliiſque antiquis monumentis, quamplurimi reperiuntur in perſecutione Aureliani paſſi: & iiſdem Symphoriani Actis habetur intextum ipſum ab Aureliano reſcriptum contra Chriſtianos, ad prouinciarum Rectores datum. Ex quibus omnibus ſatis refelluntur Oroſius [f] & Seuerus [g], qui hanc perſecutionem non agnouerunt, niſi intentatam.

b Euſ. 7. hiſt. 24. in fin.
PERSECVTIO AVRELIANI.
c Id. in Chron.
d Aug. 18. de ciuit. 52.
e Leo ſer. 2. de Pentec.
f Oroſ. l. 7. c. 23.
g Seuer. l. 2.

IESV CHRISTI ANN. 274.

AVRELIANI AN. 4.

FELICIS ANN. 2.

I. AVRELIANVS TRIVMPHAT DE ZENOBIA.

ANNO Chriſti ducenteſimo ſeptuageſimoquarto, Tacito & Placidiano Coſſ. (quantum ex Vopiſco colligi licet, & ex Euſebij Chronico affirmari) geſtum eſt ab Aureliano bellum aduerſus Zenobiam Palmyrenorum Reginam, quæ poſt Odenati viri ſui obitum, quod ille inuaſerat, filiorum nomine poſſidebat Romanum Imperium Orientis: quam Aurelianus obtinuit, duxitque in triumphum captiuam; Longinum autem philoſophum, de quo ſuperius, necari iuſſit, quod ſcriptor eſſet creditus inſolentium literarum Zenobiæ ad ipſum Aurelianum. Sed hæc omnia pluribus Vopiſcus. Addit vero Trebellius [a], eam poſt triumphum dimiſſam liberam, maximeque laudatam ab Aureliano apud Senatum, conceſſa ei poſſeſſione in agro Tiburtino, vna cum filiis ſuperſtitibus vixiſſe more Romanæ matronæ. Denique Euſebius [b] & Eutropius [c] aſſerunt eam in Vrbe ſummo honore conſenuiſſe; ab eaque poſteris quoque temporibus extitiſſe Romæ familiam Zenobiam nuncupatam. Fortaſſe ex ea nomen & originem accepit Zenobius, inſignis ille Florentinus Epiſcopus æqualis Ambroſij. Quæ enim ex Hebræis venerat, & exculta erat (vt dictum eſt) Chriſtianis literis, damnato iam eius magiſtro ac doctore impietatis Paulo Samoſateno, & ex Imperij faſtu depoſitam, redditam putamus ſapientiorem; atque probe Chriſtianam Romanæ Eccleſiæ fidem eſſe ſectatam.

a Treb. de 30. tyran. in Zenob.
b Euſeb. in Chron.
c Eutrop. l. 9.
ZENO II CHRISTI.

IESV CHRISTI ANN. 275.

AVRELIANI AN. 5

EVTYCH. ANN. 1.

I. FELICIS PP. MARTYRIVM.

ANNO Chriſti ducenteſimo ſeptuageſimo quinto, Aureliano Auguſto ſecundum & Iulio Capitolino Coſſ. tertio Calendas Iunij Felix Papa martyrio coronatur, cum ſediſſet (habita ratione temporis quo eum creatum eſſe diximus) annos duos & menſes quinque, vno minus die. Sed liber de Romanis Pontificibus, licet iiſdem Coſſ. eum obiiſſe dicat, tamen quod eius ingreſſum citius poſuerit, plures ſedi eius annos tribuit; quod & alij fecerunt. Eum autem conſummaſſe martyrium, præter eumdem librum & tabulas Eccleſiaſticas, epiſtola quoq; ab eo ad Eccleſiam Alexandrinam aduerſus errores Pauli Samoſateni & Sabellij ſcripta, quæ citata reperitur apud Cyrillum [a] Alexandrinum & Vincentium [b] Lerinenſem, nec non in Concilio [c] Chalcedonenſi, teſtatur dum martyrij titulo nomen eius inſcribit. Sepultus eſt autem in cœmeterio ſuo, vbi & baſilicam fecit, via Aurelia ſecundo ab Vrbe milliario. Ac poſtquam ſedes vacaſſet dies quinque, pridie Nonas Iunij ſuffectus eſt in locum eius EVTYCHIANVS natione Tuſcus, patria Lunenſis patre Marino.

a Cyr. in Apol.
b Vinc. Lerin. c. 42.
c Conc. Chalced. Act. 1.
EVTYCHIANVS PAPA.

II. Ceterum paſſos quoque hac eadem perſecutione Aureliani, tum Romæ tum in reliquis Italiæ prouinciis, nec non in Galliis (quo Aurelianum hoc ipſo anno aduerſus irruentes in eas barbaros profectionem inſtituiſſe, Vopiſcus tradit) atque etiam in Oriente variis locis, plurimos martyres, continent ſuis quibuſq; diebus Eccleſiaſticæ tabulæ, ex quibus coniecturam facere licet de cæteris, aliis locis ſupplicio affectis.

II. MARTYRES SVB AVRELIANO.

III. Sed & hoc quarto anno Aureliani Imperij, auctor eſt Euſebius [d] ab eo erectum templum Solis, primumq; *Solis Agonem* inſtitutum eſſe: cuius etiam numinis cultum tum Romæ tum in Oriente, ab eodem Imperatore auctum eſſe Vopiſcus tradit. Quod vero eodem anno firmioribus muris vallatam Vrbem, auctamque, Euſebius dicit; idem Vopiſcus tradit, Aurelianum muros Vrbis ſic ampliaſſe, vt quinquaginta prope paſſuum millia eorum ambitus teneret.

d Euſeb. in Chron.
SOLIS AGON INSTITVTVS.

IESV CHRISTI ANN. 276.

AVRELIANI AN. 6

EVTYCH. ANN. 2.

I. ANNO Chriſti ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Aureliano Auguſto tertium & Marcellino Coſſ. perpe-

ram ab aliquo[a] ponitur obitus ipſius Aureliani, nō abſoluto anno quinto Imperij: cui veteres auctores & inſcriptiones contradicunt. Siquidē annos ſaltem quinq; & menſes ſex, Euſebius, Eutropius, Epiphanius, Caſſiodorus, & alii tribuunt: Vopiſcus autem ſex annos, paucos minus dies. Sed cum eiuſdem reperiatur in antiqua nummi[b] inſcriptione Poteſtas Tribunitia ſeptimum iterata, ſeptimum quoque pertigiſſe Imperii annum affirmare neceſſe videtur. Cui ſententiæ adſtipulantur Caſſiodori Chronicon & vetus Græcus Index, in quibus poſt Conſulatum Aureliani tertium, qui accidit hoc anno, duo alii Conſulatus ponuntur, in quorum vltimo eius obitus contigiſſe legitur.

a Panuin. in Faſt.

TEMPORIS IMP. AVRELIANI RATIO.

b ap. Adolp. de Num.

AVRELIANI AN. 7.

IESV CHRISTI ANN. 277.

EVTYCH. ANN. 3.

I.

a Panuin. in Faſt.

ANNO Chriſti ducenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, à Caſſiodoro & Græco Indice ponuntur Coſſ. Probus atque Paulinus; quos nonnulli[a] prætermiſerunt, quod cum Aurelianum anno ſuperiori putauerint defunctum, hos Coſſ. ſuperuacaneos eſſe exiſtimarunt.

II.

b Leo. Ser. 2. de Pentec.

MANES HÆRESIARCHA COGNOSCITVR.

Hoc autem anno iiſdemque Coſſ. Probo atque Paulino, hæreſis MANICHÆORVM innotuit, vt S. Leo[b] teſtatur. Sed quod Probum nominat Imperatorem, id accidit quod poſtea creatus eſt Imperator, non quod tunc eſſet. Nam cum addat collegam Paulinum, & tempore horum Conſulum viguiſſe perſecutionem ſubiiciat; conſtat eum de temporib. Aureliani eſſe locutum, poſt quem vſque ad Diocletianum nulla perſecutio vexauit Eccleſiam. Verum quod apud eumdem numerantur à Reſurrectione Domini vſque ad præſentem Conſulatum, anni ducenti ſexaginta, errorem plane in notam numeri irrepſiſſe arguit nimia diſcrepantia, cum ducenti quadraginta tres veniant tantummodo numerandi. Sed & apud Epiphanium[c], cum ab Aſſumptione Chriſti vſque ad Manetem & Aurelianum ac Probum Imperatores, anni ponuntur ducenti ſeptuaginta ſex, ſecundum aliquos chronographos, iuxta alios vero ducenti quadraginta ſex; ita reſtituendus eſt locus, vt prior numerus non ab Aſcenſione Domini, ſed à Natiuitate ducatur; poſterior ab Aſcenſione vſque ad Probi Imperium: qui annorum numerus egregie noſtræ chronographiæ conſentit. Ceterum alibi idem Epiphanius[d] ad Gallieni annum nonum refert Manetis initia, alibi[e] vero circa annum quartum Aureliani; ſub quo etiam Imperatore eum ponit Suidas, & alij: alijq;[f] rurſum ſub Tacito, ſub Caro alij[g]; deniq; Cyrillus[h] Hieroſolymitanus ſub Probo; itemque Euſebius anno ſecundo eiuſdem Probi Imperatoris, & Caſſiodorus eodem Imperatore quintum Conſule cum Victorino.

c Epiph. hær. 66.

d Id. de menſ.

e d. hær. 66.

f Sed. de 6. æt. in Ado.

g Zonar. Annal. par. 3.

h Cyr. catech. 6.

III.

SCYTHIANVS MALORVM OMNIVM ARCHITECTVS.

Cyrillus, ait fuiſſe quemdam SCYTHIANVM in Ægypto genere Saracenum, nihil cum Chriſtianiſmo commune habens; eumdemque Alexandriæ Ariſtotelicam vitam imitatum, quatuor libros compoſuiſſe, vnum quem appellauit *Euangelium*, alterum *Capitum*, tertium *Myſteriorum*, quartum denique *Theſaurorum*: ac poſtea cum in Iudæam veniſſet, vt peſtilenti contagione afficeret illam regionem; ipſo morbo extincto, ſedatam eſſe peſtilentiam. Hæc autem cum ſcribat antiquiſſimus Cyrillus, perſpicue docet errare Suidam, & alios qui cum Manete confundunt Scythianum, eumque genere Brachmanum dicunt. Nam & Epiphanius[i] de Scythiano prolixiorem contexens hiſtoriam, ait fuiſſe genere Saracenum, in Arabia nutritum, philoſophicis Græcorum litteris imbutū, & mercatura intercedente cum Indis prædiuitem factum eſſe: atque in Ægyptum deſcendentem, adſciuiſſe ſibi ex lupanari mulierculam, ibique de duobus Principiis hæreſim ex Pythagoreis hauſtam promulgaſſe: Hieroſolymamque profectum, quod omnes ſibi aduerſantes

i Epiph. hær. 66.

nactus eſſet, totum ſe magiæ ſtudio mancipaſſe. Sed quod ait Scythianum circa tempora Apoſtolorum vixiſſe, haud facile aſſentietur qui conſiderabit ei proxime in ſchola impietatis ſucceſſiſſe Terebinthum eius diſcipulum, & huic mox Manetem eſſe ſuffectum.

IV.

TEREBINTHVS DISCIP. SCYTHIANI.

DE THEREBINTHO vero Cyrillus ſubdit; cum is auri, & librorum, atque hæreſis Scythiani factus heres, à Iudæa pulſus eſſet, tranſiiſſe in Perſidem, & ne cognoſceretur ex nomine, *Buddam* ſe vocaſſe: ſed cum & illic aduerſarios haberet ſacerdotes Solis, eſſetque ab illis comprehendendus, profugiſſe ad quamdam viduam; apud quam cum aſcendens ſupra domum inuocaret aereos dæmones, quos Manichæi poſtea in abominandis ſuis ſacris æque inuocare conſueuerunt, diuinitus percuſſum de domo proſtratum eſſe atque extinctum, relictis apud viduam libris & pecuniis.

V.

MANETIS ORIGO.

Hæc autem cum neque cognatum neque amicum vllum haberet, emiſſe ſeruum *Curbicum* nomine, quem poſtea adoptauit, & Perſidis diſciplinis erudiendum curauit; eumque in ſemiphiloſophum euadentem, mortua vidua libris & pecunia potitum, ne ſeruitutis nomen ei contumelioſum eſſet, MANEM ſeipſum (quod lingua Perſica Homiliam ſignificat) tanquā optimum diſputatorem appellaſſe: ſed diuina prouidentia factum, vt nolens ſeipſum argueret, indito ſibi eo nomine quod apud Græcos Inſaniam ſignificaret. Hæc Cyrillus. De nomine vero addit Auguſtinus[k], Manetis diſcipulos vitantes nomen inſaniæ, geminata N. litera, Manichæum quaſi manna fundentem, pro Manichæo, id eſt inſano, appellaſſe. At Epiphanius[l] illud nomen aucupatum Curbicum ait, quod iuxta Babylonicam linguam Manes Vas ſignificet; æmulatus nimirum Apoſtolū, qui Vas electionis à Chriſto eſt appellatus. Sed & ſi vocis huius à Latinis ſumas interpretationem, idem eſt Mania (vt tradit Feſtus) quod turpis larua, plane Maneti congrua. Eumdem autem à pleriſque *Manichæum* quoque nominatum reperimus: quamquam hæc appellatio eius ſectatores magis deſignat. Iidem vero indiderunt[m] etiam ſibi poſtea nomina, vt *Catharistæ* dici vellent atque *Macarij*, nempe Mundatores & Beati, itemq; Electi.

k Aug. de hæreſ. c. 46.

DE NOMINE MANETIS.

l Epiph. hær. 66.

m Aug. ibi.

VI.

MANES IMPOSTOR.

Hoc quoque tempore (vt auctor eſt Epiphanius) idem Manes miſit tres ex ſuis diſcipulis Hieroſolymam, emptum ſacros libros, quo Chriſtianorum res calleret, atque inde ſi poſſet de duobus Principiis dogma firmaret. Cum vero (inquit Cyrillus) auderet dicere ſe eſſe Paracletum, & ſupra vires humanas ſeſe iactaret; ægrotante filio Regis Perſarum, ipſe remouens medicos promiſit eum per orationem ſanaturum: ſed mortuo paruulo, qui medicorum opera ſanari potuerat, Manes carceri mancipatus, inde aufugiens venit in Meſopotamiam. Vbi occaſione Marcelli cuiuſdam inſignis pietate viri in Caſchara Meſopotamiæ habitantis, quem ipſe ſibi adſciſcere ſtuderet, cum Archelao Epiſcopo coactus eſt inire diſputationem, conſtitutis communi conſenſu iudicibus, philoſopho, medico, grammatico, & ſophiſta; quos licet Ethnicos Archelaus non recuſauit, quo magis aduerſarij, hominis etiam Ethnici os impudens obſtrueret. Quapropter omnium ſententia ſuperatus Manes, inde fugit in quemdam viculum eiuſdem diœceſis Caſcharorum: vbi cum adhuc presbyterum eius loci ſollicitaret, ab adueniente Archelao iterum diſputatione conuictus, eiuſdemque præſidio à furore populi eum interficere ſtudentis præſeruatus; fugit vnde venerat, in Caſtellum Arabionis. Deſcribunt hæc pluribus iidem SS. Cyrillus & Epiphanius. Auctorque eſt Hieronymus[n], priorem illam cum Manete initam diſputationem, ab ipſo Archelao fuiſſe Syro ſermone conſcriptam, ac poſtea in Græcam linguam conuerſam; ex qua etiam nulla Cyrillus recitat. Qui addit; cum ſatellites Regis Perſarum vbique fugitiuum Manetem perquirerent, poſt hæc comprehenſum ad Regem duxiſſe: huncque lege Perſica eum excoriari iuſſiſſe: & corpus quidem beſtiis deuorandum tradidiſſe, cutem vero tamquam vtrem ante portas ſuſpendi curaſſe. Quare quod Manes

VII.

DISPVT. ARCHELAI CVM MANETE.

n Hieron. de ſcript. Eccl. in Archel.

MANES A REGE PERSARVM NECATVR.

arundine

arundine excoriatus fuit inde ſumpſiſſe Manichæos, vt eorum nonnulli ſuper arundines accubarent; & quod ſuper mattas iacerent ſic compoſitas, nomen quoque profluxiſſe vt *Mattarij* iidem fuerint appellati, S. Auguſtinus [o] affirmat.

o Auguſt. 5. cont. Fauſt. 5.

VII.

Cum igitur videret Satanas, prope penitus exoleuiſſe ob ſceleris immanitatem, quas per Gnoſticos docuiſſet turpitudines, & iam deficere quem in Montano effinxiſſet Paracletum, atque ab eo ſuperinducta ieiunia eſſe neglectui; conatus ex duobus vnum conflare monſtrum, additiſque aliis deformitatibus, Manetem eduxit ex inferis, qui ſui horrore vniuerſum obſtupefecit Orbem, & fuligine obduxit. Quo vero facilius blaſphemias ſuas ſimplicioribus perſuaderet, *Apoſtolum* ſe *Ieſu Chriſti* nominauit, vt tradit Auguſtinus [p], & vt conſtat ex ipſa epiſtolarum eius inſcriptione, quas [q] tum ad Marcellum quem diximus ſcripſit, tum de Fundamento [r] ad ſuos direxit. Sed non ſic quidem ſe vocabat Apoſtolum, vt ſe tantum Apoſtolis Domini conferret; ſed quod profiteretur (vt vidimus, & S. Auguſtinus [s] declarat) ſe eſſe Paracletum, quem Chriſtus prædixerat à Patre mittendum.

p Auguſt. de hæreſ. c. 46.
q Ext. ep. Epiph. hær. 66.
r ep. Auguſt. cont. ep. Fund.
s Aug. d. c. 46.

VIII. MANETIS IMPIA DOGMATA.

Primum autem atque præcipuum ipſius dogma, ex quo alia veluti riui à cœnoſo fonte dimanarunt, fuit quod conſtituerit duo Principia æterna ſibi inuicem contraria, duaſque naturas atque ſubſtantias: boni ſcilicet, & mali: totumque hominem è duobus illis creatum eſſe Principiis, ex bono animam, corpus vero fabricatum à malo. Itaque negabat Chriſtum humanam ſuſcepiſſe naturam; eademque ratione carnem vt malum ex mali Principio germen, odio proſequentes, perpetuum contra eam bellum ſic cõflarunt, vt eam probroſis etiam afficerent contumeliis & immunditiis; eoque inſano prætextu in immenſum gurgitem turpitudinum merſi, omni pariter libidinum genere frequentiſſime ſe ipſos polluerent, quod dicerent eo modo iniuria carnem affici, malumque purgari: quibus & illud horrendum adderent, vt conſperſa farina humano ſemine, inſtar Gnoſticorum velut Euchariſtiam conficerent. Eadem quoque ex cauſa quod carnem ex materia, & materiam à mali Principio fluxiſſe dicerent, licet mulieribus iungerentur omnem tamen generationem ſedulo vitabant, quod ex ea augeretur materia, ac proinde mali Principij cauſa augeretur. Vnde & nuptias neceſſe erat damnare, quando generare prohiberent, propter quod coniugia copulanda ſunt. Ac pariter in odium carnis (quod fuit illis commune cum Marcionitis) negab. nt carnis reſurrectionem. Traduntur autem hæc omnia de Manichæis à SS. Patribus Cyrillo [t], Epiphanio [u], Auguſtino [x], & aliis. Sed & eadem ex cauſa quod dicerent nullum materiæ eſſe dandum adminiculum, eo dementiæ perueniſſe, vt execrarentur eos qui pauperib. eleemoſynam darent, S. Athanaſius [y] & Theodoretus [z] affirmant. Pariterque in odium carnis, execrari eos ait Auguſtinus [a] Sanctorum Reliquias; maximeq; inuehi in Chriſtianos qui Martyres colerent, eorumque celebrarent feſtos dies.

MANICHÆORVM TVRPITVDINES.

t Cyr. catech. 6.
u Epiph. hær. 66.
x Aug. hær. 46. & cont. Fauſt.
y Athan. ep. ad Solit.
z Theod. hær. Fab. l. 1.
a Aug. cont. Fauſt. l. 20. c. 21. & l. 32. c. 11.

IX. MANICHÆORVM HÆRESES.

Duas item animas cuilibet homini inſitas dicebant, eaſdemque diuerſas, atque è contrariis plane principiis dimanantes; nempe malam alteram, à mali Principio generatam; alteram bonam, infuſam à boni Principio, eamdemque eſſe diuinæ ſubſtantiæ atque naturæ. Aduerſus cuiuſmodi commentum idem S. Auguſtinus pluribus diſputauit ſcripto *de duabus Animabus* contra Manichæos commentario. Tranſanimationem quoque Pythagoream docuiſſe, Cyrillus, Epiphanius, & Auguſtinus affirmant: & purgationem quamdam fatuam bonarum animarum, atque itidem malarum punitionem introduxerunt, quam idem Auguſtinus [b] deſcribit. De Chriſto autem, non tantum (quod dictum eſt) ſentiebant eum minime humana indutum carne, ac proinde nec natum, nec paſſum; ſed & teſtatur S. Hilarius [c], Manetem negaſſe vnam eamdem Chriſti eſſe cum Patre ſubſtantiam, ſed partem ex ipſa. Immo vſque eo productum eſt eius mentis delirium, vt illum dixerit [d] fuiſſe ſerpentem, qui Adæ atque Euæ per eſum pomi infuderit ſcientiam boni & mali. Rurſus vero cum eſſe Solem hunc Orbis, Manichæos tradere Theodoretus & alij affirmant. Verum non proprie Solem Chriſtum dixiſſe, ſed in Sole Chriſtum eſſe, ſicut in ſecreto quodam lumine Patrem, in Luna Sapientiam, & in aere Spiritum, S. Auguſtinus [e] docet. Quapropter Solem & Lunam eos adorare ſolitos, idem [f] alibi teſtatur: eoſdemque ex diuina eſſe ſubſtantia exiſtimaſſe, Epiphanius tradit. Præterea Solam & Lunam naues eſſe dicebant; & Lunam quidem factam ex bona aqua, Solem quoque ex bono igne: aliaque tum de illis, tum de quinque quæ fingebant elementis malis, totidemque bonis, deque pugna illorum inter ſe, delira docebant, quæ idem Auguſtinus [g] refert. Mundum autem non ex nihilo creatum dicebant, ſed ex præexiſtente materia; vt ſcribit S. Hieronymus [h]. Addit Auguſtinus, illos confiteri mundum à natura boni, hoc eſt à natura Dei factum; ſed de permixtione boni & mali, quam factam dicunt cum inter ſe vtraque natura pugnauit: id porro agi per Chriſtum, & Dei ſubſtantiam in creaturis infuſam, vt aduerſariam partem ſuperando fieret omnium exacta purgatio. Addit denique Epiphanius, Manetem dixiſſe Principem boni ſpoliatum fuiſſe à Principe mali, dominio mundi: ſed reſtitutionem procurari per Chriſtum.

b Id. de hær. c. 46.
c Hil. de Trin. l. 6.
d Aug. d. c. 46.
e Id. 20. con. Fauſt. 6. & 7.
f Ibid. l. 14. c. 11. 12.
g Id. d. c. 46.
h Hier. in ep. ad Epheſ. c. 4.

X.

Reiiciebat [i] omnino Prophetas, quos dicebat ſpiritu erroris afflatos: qui enim cum illis locutus eſſet, affirmabat fuiſſe vnum ex Principibus tenebrarum; pariterque veteres Patriarchas [k] variis criminibus infamabat. Contempſit [l] & Præcepta Decalogi; quippe qui non vnum DEVM coleret, ſed multos deos, immo & deorum agmina. Totum inſuper politicum dominium ſuſtulit, dum derogaret publicis magiſtratibus, & bella [m] ex cauſa etiam iuſta ſuſcepta damnaret. Creatorem & creaturas execrabatur: atque agriculturam [n] damnauit, tamquam plurium cædium ream, quod in qualibet herba vel planta ineſſe diceret, vt homini, inſitam animam: itaque & qui illas euelleret, in eaſdem mutatum iri; ſed hæc peccata illis condonari, qui ſuis ſectariis pararent cibum. Quare qui in duas claſſes, hoc eſt, Auditorum & Electorum, vniuerſum cœtum ſuum diuiſum haberent, cum paupertatem voluntariam affectarent, in Auditoribus ſuis ditiſſimi erant; quibus omnia, quæ ceteris hominibus, permiſſa eſſe Manes voluit [o]. Introduxit inſuper ſuperſtitioſum ciborum delectum, nempe abſtinentiam à carnibus, vino, ouis, caſeis, quod diceret non ineſſe illis diuinam ſubſtantiam, ſed à mali Principio generata. Fatum inſuper introduxiſſe, tradit Socrates [p]: & negaſſe futurum Iudicium, Philaſtrius affirmat.

i Epiph. & Aug. ibid.
k Aug. cont. Fauſt. l. 22.
l Id. 15. cont. Fauſt. 7.
m d. l. 22.
n Cyril. catech. 6. Aug. d. c. 46.
o Aug. 20. cont. Fauſt. vlt.
p Socr. l. 1. c. 22.

XI.

Addit Auguſtinus [q], eos penitus baptiſmum reieciſſe, tamquam nihil ad ſalutem conducentem: cum tamen Hieronymus [r] doceat, ipſos baptizare ſolitos, ſed diuerſa ab Eccleſia forma. Porro ipſum Manetem, neque ex Chriſtianis prodiiſſe, neque Chriſtianis vmquam adhæſiſſe conſtat; etſi multa quæ in Eccleſia eſſent ſalubriter inſtituta, imitatus ſit: qui & Scriptura Noui Teſtamenti ſæpius vſus eſt; & virginitatem [s] excolere docuit, cum tamen quæ ſunt in Eccleſia veræ virgines, condemnarent eius ſectatores, quod diuerſam ab eis virginitatis cuſtodiendæ rationem inirent. Inſuper ſicut Eccleſia vniuerſum populum in duas claſſes, nempe *Laicos, Clericoſq;* diſtinguit; ita Manes ſuos inter *Auditores* & *Electos* partitus eſt [t]. Habuitque diſcipulos duodecim, ad inſtar Apoſtolici numeri; quem numerum poſtea Manichæi cuſtodierunt. Nam ex Electis ſuis habebant duodecim, quos appellabant *Magiſtros*, & tertiumdecimum Principem ipſorum: Epiſcopos autem ſeptuaginta duos, qui ordinabantur à Magiſtris; & Presbyteros, qui ordinabantur ab Epiſcopis: habebantque Epiſcopi diaconos.

q Aug. d. c. 46.
r Hier. aduerſ. Lucif.
s Auguſt. de morib. Manich.
t Id. d. c. 46.

XII. MANICHÆI SENTINA OMNIVM SCELERVM.

Ceterum cum præter illa quæ de Manichæis diximus, alia quoque plurima iidem qui ſupra auctores recenſeant: tamen impoſſibile ferme eſſet vniuerſas eorum impietates, & turpitudines, atque ineptias enarrare: quandoquidem (vt ait Leo [u] Papa) cum diabolus in cunctis peruerſitatibus multiformem teneat principatum, arcem tamen ſibi in Manichæorum ſtruxiſſe inſania videatur,

u Leo Ser. 5. de ieiun.

vbi non vnius prauitatis ſpeciem, ſed omnium ſimul errorum impietatumque mixturam generaliter poſſideret; quod enim in Paganis profanum, quod in Iudæis cæcum, quod in ſecretis magiæ artis illicitum, quod denique in omnibus hæreſibus ſacrilegum atque blaſphemum eſſet; hoc in iſtos, quaſi in ſentinam quamdam, cum omnium ſordium concretione confluxiſſe. Quod quidem eo conſilio à Manete excogitatum eſt, vt facilius omnes ſectas ad ſe alliceret.

XIII. MANETIS SCRIPTA.

Diffamauit autem ſuas hæreſes non voce tantum, ſed & variis ſcriptis, quorum ſuperius facta eſt mentio, aliiſque de quibus agit Epiphanius; inter quæ fuit illud, quo ſub titulo aſtrologiæ docuit magicas incantationes; eademque vim maximam ex blandiloquentia comparata ad perſuadendum, habuiſſe inſitam conſtat. Sed & eius diſcipulos ac ſectatores potentes admodum fuiſſe ad refellendas aliorum ſententias, Auguſtinus affirmat: eoſdemque præſtigiis vti ſolitos in initiandis illis qui ad eos accederent, atque adeo valde difficile fuiſſe eiuſmodi initiatos ad Eccleſiam reducere, Theodoretus aſſerit. Et ad propagandam hæreſim, peculiare illis fuiſſe ſuos in diuerſas Orbis partes mittere doctores impietatis, qui ad alliciendos homines nudam pollicerentur veritatem, & ſepoſita omni perſonarum auctoritate, ſimplici ratione eos qui ſe audire vellent introducturos ad Deum, & errore omni liberaturos; S. Auguſtinus ea expertus ſæpe [x] commemorat, ſuique erroris cauſam refricat dolens.

x Aug. de vtil. cred. c. 1. Confeſſ. l. 4. c. 6. 11. & l. 5. c. 6.

XIV. MANETIS OPPVGNATORES.

Scripſerunt autem aduerſus Manetis errores Archelaus Caſcharorum in Meſopotamia Epiſcopus, Titus Boſtrenſis, Diodorus Cilicus, Serapion Thmuis Epiſcopus, Athanaſius Alexandrinus, Georgius Laodicenus, Euſebius Cæſarienſis, Euſebius Emiſſenus, Apollinaris Laodicenus, & alij Græcorum complures, quos omnes Epiphanius [y] numerat. Quod vero tradit, ab Origene quoque eamdem hæreſim impugnatam; non inde accidere potuit quod Manes vixerit temporibus Origenis, ſed in Manetis magiſtris Alexandriæ agentibus ea opinio de Principiis ab Origene fuerit confutata. At nullus locupletius id præſtitit atque felicius, vt Auguſtinus, qui plures commentarios aduerſus eoſdem Manichæos conſcripſit. Sed de Manete, & eius origine hactenus: de primis vero eius diſcipulis agunt Cyrillus & Epiphanius; acturi & nos ſæpe inferius de eiuſdem ſectatoribus.

y Epiph. hær. 66.

XV.

Hoc eodem anno, poſt quinque ſedis annos defuncto Domno Epiſcopo Antiocheno, ſuffectus eſt *Timæus*. Tot enim annis Domnum ſediſſe, teſtatur in Chronico Euſebius: qui tamen ſemel errore lapſus in tempore eius ingreſſus, nec eius ſedis finem, nec ſucceſſoris initium ſuo poſuit loco.

TACITVS IMP.

IESV CHRISTI ANN. 278.

EVTYCH. AN. 4.

I. AVRELIANVS IMP. NECATVR.

ANNO Chriſti ducenteſimo ſeptuageſimo octauo, à Caſſiodoro & Græcis Indicibus ponuntur Paternus & Probus ſecundum Coſſ. Quibus *Aurelianus* auſpicatus ſeptimum Imperij annum, cum ob nimiam ſeueritatem ſuis inuiſus eſſet redditus, in expeditione aduerſus Perſas per Thraciam iter agens, inter Byzantium & Heracleam, miniſtri ſcelere cui ſecretorum officium crediderat occiſus eſt: quam rem geſtam Vopiſcus [a] narrat. Id vero in vltionem ſanguinis Chriſtiani ab eo effuſi contigiſſe, Imperator Conſtantinus [b] Magnus pro concione aſſeruit. Sed & antequam occideretur, fulmen ante eum magno tum ipſius, tum circumſtantium pauore ruiſſe, Oroſius [c] ex Euſebij Chronico tradit: idemque teſtatum habetur in fine Actorum [d] *S. Patrocli*, qui paulo ante Trecis in Gallia martyrium ſubiit.

a Vop. in Aurelia.
b Conſt. orat. ad S. Cœt. c. 24. ap. Euſ.
c Oroſ. l. 7. c. 3.
d ap. Sur. 21. Ianuar.

II.

Cum autem poſt necem Aureliani, de Imperatore deligendo exercitus retuliſſet ad Senatum, quod nullum de iis faciendum putaret qui eius neci conſenſiſſent; Senatus autem ſciens, non libenter iam milites recipere Imperatores à Senatu, eamdem delectionem in exercitum refudiſſet; idque tertio factum eſſet: demum poſt ſex menſes (aut vt ponit Victor, ſeptem) ex Senatuſconſulto *Claudius* TACITVS Princeps Senatus, vir laudatiſſimus, ſed iam ætate prouectus, creatus eſt Imperator ſeptimo Calendas Octobris: quod Vopiſcus [e] deſcripſit pluribus, ſimul & ingens Senatus gaudium, cum iam putaret ſibi reſtitutam eſſe Reipublicæ adminiſtrationem.

TACITVS IMP.

e Vop. in Aurel. & Tac.

III.

Quod autem pertinet ad res Chriſtianas, Acta [f] Charitonis habent eumdem Tacitum, ſimul ac Imperium eſt adeptus, ſupplicio Aureliani edoctum, datis ad omnes prouincias reſcriptis, perſecutionem vbique ceſſare iuſſiſſe.

f ap. Sur. 28. Sept.

PROBI IMP. AN. 1.2.3.4.

IESV CHRISTI ANN. 279.280.281.282.

EVTYCH. ANN. 5.6.7.8.

I. TACITVS IMP. MORITVR.

ANNO Chriſti ducenteſimo ſeptuageſimonono, Tacito Imperatore ſecundum & Fuluio Æmiliano Coſſ. quos enim Caſſiodorus & Græci Indices habent, Probus & Paternus tertium ſuffecti fuerunt) idem Auguſtus cum expleſſet, vt omnes conſentiunt, Imperij menſes ſex, apud Pontum in expeditione Mæotica deceſſit menſe Martij, ſiue morbo, ſiue gladio; qua de re diuerſas fuiſſe ſententias, Vopiſcus [a] tradit.

a Vopiſ. in Tacit.

II. FLORIANVS IMP. NECATVR.

Eo mortuo, FLORIANVS ipſius germanus, nullo Senatus ſeu militum conſulto, ſed veluti hereditario iure inuadens Imperium, cum vix duobus menſibus tenuiſſet, occiſus eſt à militibus apud Tarſum, poſtquam auditum eſſet, ab Orientali exercitu electum eſſe, quem Senatus optarat, & Populus Romanus acclamationibus petierat, *Marcum Aurelium Valerium* PROBVM, è Pannonia oriundum ciuitate Sirmienſi, Patre Maximo Tribunatu militiæ claro; de cuius electione ac virtutibus, fuſius Vopiſcus [b].

PROBVS IMP.

b Id. in Prob.

III.

Anno vero Domini ducenteſimo octogeſimo, Meſſala & Grato Coſſ. (vt à Caſſiodoro & Græcis Indicibus ponuntur) Gallias ab eodem Probo Imperatore barbaris liberatas eſſe, Euſebius [c] & Caſſiodorus ponunt: traditque Vopiſcus, quadringenta tunc millia Germanorum, qui eas poſt necem Aureliani occupauerant, cæcidiſſe, reliquias vero vltra Nigrum fluuium & Albim remouiſſe. Meminit Gregorius [d] Turonenſis de cladibus ab Alemannis tunc in Gallos inflictis duce ipſorum *Chroco*, qui etiam Chriſtianos afflixit; ſed apud Arelatem captus, diuerſis affectus ſuppliciis meritas pœnas luit. Econtra vero accidit Probo, vt cum Chriſtianos in pace viuere relinqueret, eidem à Deo victoriæ aduerſus barbaros impertirentur. Sic enim &

c Euſeb. & Caſſiod. in Chron.
d Greg. Tur. l. hiſt. Fran. 32.

IV.

Anno Chriſti ducenteſimo octogeſimoprimo, eodem Probo [e] Auguſto quartum & Tiberiano Coſſ. idem Imperator [f] Illyrico Sarmatas, vna cum aliis barbaris eo progreſſis debellauit.

e Caſſiod. & Gr. Indic.
f Vopiſ. in Prob.

V.

Anno vero ducenteſimo octogeſimo ſecundo, itidem Probo Auguſto quintum & Victorino Coſſ. idem Imperator Gothos in Thracia, & latrones Iſauricos domuit, ſubegit Blemias, cum Parthis ac Perſis pacem compoſuit. Vopiſcus hæc pluribus: qui tamen, perinde ac ſi encomium potius quam hiſtoriam ſcriberet, lucra poſuit, damna prætereiit. Nam conſtat his Probi temporibus FRANCOS gentem fortiſſimã, & clades pati neſciam, in vindictam ſuorũ in Galliis interemptorum, breui temporis ſpatio totum Romanum Imperium incurſione turbaſſe, & timore vehementi concuſſiſſe; cum incredibili audacia, & indigna felicitate (vt loquitur auctor Panegyrici dicti Maximiano) à Ponto vſque correptis nauibus, Græciam Aſiamque populati, & pleriſque Libyæ littoribus appulſi, ipſas poſtremo naualibus quondam victoriis nobiles ceperunt Syracuſas, & immenſo itinere peruecti Oceanum intrauerunt. Egregium plane Franco-

FRANCORVM INVENS FACINVS.

rum

rum antiquæ gloriæ monumentum; quos Chriſtiana Religio longe clariores poſtea fecit.

VI. Sed & putamus has clades accidiſſe in vltionem SS. martyrum *Trophimi* [g] & ſociorum, qui his Probi temporibus Antiochiæ furore Eliodori præfecti mortem pro Chriſto obierunt.

g *Ext. Acta ap. Metaphr. & Sur. 19. Sept.*

CARI IMP. AN. I.

IESV CHRISTI AN. 283.

EVTYCH. AN. 2.

I. ANNO Chriſti ducenteſimo octogeſimotertio, Caro [a] & Carino Coſſ. *Probus* Imperator quibuſdam tyrannis compreſſis Romam rediens, de gentibus à ſe deuictis triumphauit: mox vero bellum Perſicum parans, cum per Illyricum iter faceret, à militibus ſuis per inſidias interemptus eſt anno Imperij ſui quinto. Hæc Vopiſcus. Sed de annis Imperij Probi aduertantur ei, tum Ethnici ſcriptores Aurelius Victor, Eutropius, & Iulianus [b] Imperator, tum ex noſtris Euſebius [c], Oroſius [d], & Caſſiodorus, qui omnes volunt Probum imperaſſe vltra ſexennium expletum. Abijſſemus & nos in tot ac tantorum ſententiam auctorum, niſi veterum lapidum inſcriptiones, quæ ceteris omnibus teſtibus præualere debent, neceſſario nos fateri compellerent, hoc ipſo anno Probum regnandi finem feciſſe, alijſque certis teſtificationibus conſtaret, Diocletianum, qui poſt Carum Probi ſucceſſorem regnauit, anno ſequenti auſpicatum eſſe Imperium.

a *Caſſiod. & Gr. Indic.* PROBVS IMP. NECATVR. b *Iulian. de Caſar.* c *Euſeb. in Chron. & 7. hiſt. 24.* d *Oroſ. lib. 7. cap. 24.*

II. Namque Probo extincto, creatum eſſe hoc ipſo anno à militibus *M. Aurelium* CARVM (quem alij Romæ ex parentibus Illyricis, alij Narbonæ in Gallia natum tradunt) ex eo manifeſte cognoſcitur, quod Conſulatus eius ſecundus, qui ab omnibus ponitur anno ſequenti, in veteribus inſcriptionibus [e] iunctus reperitur Tribunitiæ poteſtati ſecundæ, qua notatur annus ſecundus eius Imperij. Filios autem eius *Carinum & Numerianum*, non mox dictos eſſe Auguſtos (quod alij ſcripſerunt) ſed tantum Cæſares, aliæ itidem inſcriptiones [f] demonſtrant; idemque Vopiſcus aſſerit. De Diocletiano vero dicetur anno ſequenti.

CARVS IMP. e *Inſcript. antiq. edit. Plantin. pag. 156. num. 1. Panuin. in Faſt. Haber in Theſ. vet. antiq. ad Caro.* f *Inſcript. Plant. & Panuin. ibi.*

III. Hoc eodem anno, quo quartus Probi abſoluitur & quintus inchoatur, vita functo (inquit Euſebius [g]) Timæo Epiſcopo Antiocheno, ſubſtitutus eſt in locum eius *Cyrillus*. Cuius occaſione ſermonem idem auctor [h] habet de *Dorotheo*, inſigni pietate & eruditione eiuſdem Eccleſiæ Antiochenæ presbytero eunucho nato; quem Scripturas in Eccleſia explicantem ſe audiuiſſe teſtatur. Additque de *Euſebio* & *Anatolio*, patria Alexandrinis qui his temporibus alter poſt alterum præfuerunt Eccleſiæ Laodicenſi, viris pietate & doctrina præſtantibus. Præcipue vero Anatolius omni litteraturæ ſacræ atque profanæ genere excultiſſimus, multa reliquit poſt ſe ingenij ſui monumenta, ac tandem ſancto fine quieuit. Sed de Dorotheo erraſſe videntur, qui Tyri fuiſſe Epiſcopum dixerunt; nam licet patria Tyrius fuerit, tamen Euſebius & Nicephorus [i] presbyterum tantum fuiſſe aiunt: exploratumque habetur [k], toto quo Dorotheus vixit tempore alios Tyri ſediſſe Epiſcopos. Sedit quidem illic temporibus Leonis Imperatoris alter Dorotheus Epiſcopus: ſed hic de quo agimus, defunctus eſt ſub Iuliano Edeſſæ in Syria martyrio coronatus, implens ætatis annum centeſimumquintum: vt Anaſtaſius Bibliothecarius in ſuo Chronico ex Græcis deſcripſit. Sed & quod eidem tribuitur libellus, qui *Dorothei Synopſis* inſcribitur: tum ex Græcorum Menologio [l] refelluntur, vbi eius libelli auctor dicitur eum Romæ Romanaque lingua ſcripſiſſe: tum ex eo quod S. Hieronymus, qui omnes quos nouit collegit ſcriptores Eccleſiaſticos, nullam prorſus de illo mentionem habuit.

g *Euſeb. in Chron.* h *Id. 7. hiſt. ult.* DOROTHEVS PRESB. ANTIOCH. i *Nic. lib. 6. cap. 7.* k *Vid. hæc probata a Baron. in Not. ad Rom. Martyr. 5. Iun. 5.* ERROR DE DOROTHEO. l *Menol. 18. Cal. Maij.*

IV. Hoc eodem anno, Caro & Carino Coſſ. ſexto Idus Decembris *Eutychianum* Papam deceſſiſſe, habet liber de Romanis Pontificibus, licet errore ponatur Caro ſecundum Conſule: nam collega Carinus qui ei adiungitur primum Conſulatum Cari demonſtrat. Quod vero de annis quibus Eutychianus ſedit, diuerſæ admodum ferantur ſententiæ: nos huic inhærere vt ad iſta ſaltem tempora peruenerit, tum notatus ibidem Conſulatus, tum Martyrologium Romanum admonet, in quo Eutychianus martyrium paſſus ponitur ſub Numeriano: cum (vt ait) trecentos quadraginta duos martyres per diuerſa loca manu ſua ſepeliſſet: quod & liber de Romanis Pontificib. teſtatur. In quo item legitur, eumdem conſtituiſſe, vt quicumque Fidelium Martyrem ſepeliret, ſine dalmatica aut colobio purpurato nullatenus faceret. Sed religionis prætextu prætergreſſus eſt poſtea eiuſmodi decreti vſus fines ſuos, vt non tantum ſanctorum martyrum corpora dalmatica tegerentur, ſed ſacrorum etiam miniſtrorum: vt S. Gregorij Papæ [m] teſtimonio conſtat: quod vſque adeo ipſe prohibuit, vt vetuerit [n] etiam corpora Roman. Pontificum, cum perferrentur humanda, tegi dalmaticis. Porro *Colobium*, tunicam [o] fuiſſe ſine manicis, in confeſſo eſt: pariterque *Dalmaticam* ſine manicis fuiſſe olim in ſacris in vſu, diximus alias [p] cum de ea pluribus egimus.

EVTYCH. PP. OBITVS. RITVS SEPELIENDI MARTYRES. m *Greg. 4. dial. 40.* n *Id. 4. ep. 48.* o *Vid. not. in Caſſian verb. Colob.* p *Not. in Mart. Rom. 31. Maij. b.*

V. Sed vt redeamus ad Eutychianum, in eodem libro de Romanis Pontif. legitur quoque, eum conſtituiſſe, fruges, fabas, & vuas ſuper altaria benedici. Verum cum iam antea is vſus antiquiſſimus viguiſſet [q] in Eccleſia, eum videtur Eutychianus ſuo decreto firmaſſe, vt magis obtineretur erroribus Manichæorum, qui quod à mali Principio creaturas exortas, atque execrabiles eſſe dicerent, eis pariter maledicerent: vt præter alios docet Cyrillus [r]. Sunt autem & alia complura eiuſdem Eutychiani titulo prænotata decreta [s], itemque epiſtolæ duæ. Porro eo defuncto, & in cœmeterio Calliſti ſepulto, cum ſedes vacaſſet dies nouem, ſubrogatus eſt in locum eius CAIVS natione Dalmata, ex genere Diocletiani, ex patre Caio.

q *Apoſt. can. 3. 4. Clem. Conſt. lib. 8. cap. 46.* r *Cyr. Hieroſ. catech. 6.* s *to. 1. Concil. in Eutych.* CAIVS PAPA.

VI. Ceterum cum præter Eutychianum, alij quoque martyres ſub Numeriano in cunctis Martyrologijs, & quibuſdam antiquis Actis paſſi reperiantur tum Romæ tum in alijs Orbis Romani prouincijs: cumq; idem paulo poſt patrẽ (vt videbitur) interfectus ſit: omnino dicẽdum eſt, ipſum viuente adhuc patre in Chriſtianos ſæpius reſcripſiſſe. Cum alioqui extet Cari ipſius patris, de remiſſione tributi conceſſa Theſſalonicenſi Eccleſiæ reſcriptum [t], quo conſtat (ſi tamen vera eſt eius inſcriptio) ipſum fauiſſe Chriſtianis. Itemque de Carino eiuſdem Numeriani fratre traditur in Actis S. Sebaſtiani, habuiſſe quoſdam ex Chriſtianis in amicitia, & perſecutionem excitatam magis ceſſare feciſſe.

MARTYRES SVB NVMERIANO. t *l. 8. C. de ſacroſ. Eccl.*

IESV CHRISTI AN. 284.

CAII AN. 1.

DIOCLET. AN. I.

I. ANNO Chriſti ducenteſimo octogeſimo quarto, Caro [a] Auguſto ſecundum & Numeriano Coſſ. idem *Carus* [b] Imperator, dum cœptam à Probo in Perſas expeditionem proſequeretur, ægrotans, vel (vt alij dixerunt) ſuperueniente fulmine extinctus eſt, anno Imperij ſecundo inchoato. Sumpſerunt mox imperium filij eius Cæſares CARINVS & NVMERIANVS; hic in Oriente, quod cum patre in expeditione ageret: Carinus vero in Gallijs, quo miſſus fuerat. Propagauit autem iſte Imperium vſque ad Conſulatum Maximi & Aquilini poſt ſequentem annum: ſed Numerianus mœrore obitus patris ægrotans, ab Arrio Apro ſocero ſuo Prætorij Præfecto paulo poſt interfectus eſt vt ipſe regnaret. Verum re comperta, ab exercitu acclamatus eſt Imperator *Aurelius Valerius* DIOCLETIANVS, obſcuriſſimo loco natus Dioclea (vnde & Diocletianus appellatus: ſiue à matre eodem nomine Dioclea dicta) oppido in Dalmatia libertus quondam Anullini Senatoris. Hæc Vopiſcus [c], Victor, & alij qui de eo ſcripſerunt. Porro ſic electus, ipſis Palilibus, nempe vndecimo Calendas Maij Imperium ſuſcepit, vt expreſſum habetur in Panegyrico ei dicto: idemque ſtatim Aprum occidit.

a *Caſſiod. & Faſti Gr.* b *Vopiſc. in Car. & Numer.* CARVS IMP. FVLMINE PERIT. DIOCLETIANVS IMP. c *Id. ibid.*

II. Quod vero ad rationem temporis ſpectat: quamuis apud Euſebium, Caſſiodorum, & alios hos ſecutos, poſt annos tres exordium Diocletiani Imperij ponatur: tamen hoc ipſo anno à maioribus collocatum eſſe, ex multis conſtat. Ac primum id declarat vetus inſcripto[d], qua ſecundus eius Conſulatus notatus habetur ſecunda Tribunitia poteſtate, ac proinde ſignatur ſecūdus annus Imperij. Cum enim idem ſecundus eius Conſulatus ponatur ab omnibus anno ſequenti, neceſſe eſt affirmare hoc anno ei fuiſſe collatum imperium, & cum illo ex more primam Tribunitiam Poteſtatem. Sed extant inſuper ea de re certa teſtimonia eorum, qui poſteriorum temporum annos numerare conſueuerunt ab ipſo primo Diocletiani Imperij ingreſſu, ſecundum inſtitutum ab eodem Imperatore vſum, qui perſeuerauit apud nonnullos vſque ad tempora Iuſtiniani. Quapropter cum Epiphanius in Ancorato, nonageſimum Diocletiani annum iungit cum decimo Valentiniani & Valentis, ac Conſulatu Gratiani tertio & Equitij, qui incidit in annum Domini trecenteſimum ſeptuageſimumquartum: certum eſt eum hoc anno Diocletiani ingreſſum collocare. Itemque cum S. Ambroſius epiſtola ad Epiſcopos Æmiliæ, numerat temporis à die (vt ait) Imperij Diocletiani vſque ad annum octogeſimum, & alias nonageſimumtertium, quibus decimaquarta Luna incidit nono Calendas Aprilis: colligitur ex tabulis Aſtronomicis, cum ab hoc anno & die dictum annorum numerum auſpicatum eſſe. Sed & quod Euagrius[e] Scholaſticus ab eodem primo anno Diocletiani vſque ad obitum Zenonis Imperatoris, ponit annos ducentos ſeptem: manifeſtum eſt, ipſum ab hoc item anno Domini ducenteſimo octogeſimoquarto deducere numerum, vſque ad annum Domini quadringenteſimum nonageſimum primum quo Zeno deceſſit. Denique idipſum probat, quod Diocletianum iam Imperatorem factum dicit Ammianus[f] Marcellinus adſciuiſſe ſibi collegam Ariſtobulum: quem conſtat geſſiſſe Conſulatum anno ſequenti. Qui vero Diocletiani ingreſſum poſt tres annos ponunt, videntur habuiſſe reſpectum ad mortem Carini, qui adhuc biennium tenuit in Occidente Imperium: nec niſi eo ſublato, Diocletianus liberas habuit Imperij habenas, quando & collegam ſibi adſciuit Maximianum. Sed & noſtra chronologia firmabitur etiam inferius alijs argumentis.

d Habes Baron. Annal. to. 3. hoc an.

TEMPVS IMPERII DIOCLET.

e Euagr. lib. 3. cap. 29.

f Ammian. lib. 23.

III. Ceterum profuit Diocletiano Carini morum turpitudo, atque arrogantia & mentis tumor, quibus Senatus ac militum in ſe odium concitauit: vt hæc pluribus proſequitur Vopiſcus[g]. Perperam vero ponitur tum à Caſſiodoro tum ab alijs eum ſecutis, vno eodemque anno Numerianum atque Carinum extinctos eſſe. Nam præter ea quæ iam dicta ſunt, auctor eſt Victor Carinum poſt parentis ac germani obitum, aduerſus *Sabinum* Italiam inuadentem bellum ſuſcepiſſe: eoque victo & occiſo, in ipſum Diocletianum arma mouiſſe.

g Vopiſ. in Carin.

IESV CHRISTI AN. 285.

DIOCLET. AN. 2.

CAII AN. 2.

I. ANNO Chriſti ducenteſimo octogeſimoquinto, à Caſſiodoro & alijs ponuntur Coſſ. Diocletianus Auguſtus ſecundum & Ariſtobulus: quibus Acta[a] Proconſularia (hoc eſt, quæ ſunt à publicis Notarijs coram Proconſule excepta) martyrum *Claudij*, *Aſterij*, & *Neonis* fratrum, à nouerca delatorum, qui ſub Proconſule Lyſia apud Ægeam Ciliciæ ciuitatem varijs cruciatuum generibus ſublati ſunt, conſignata habetur. Qui quidem Lyſias cum in alijs æque legitimis Actis[b] *Zenobij* in eadem prouincia Epiſcopi, eademque perſecutione necati, à Diocletiano Imperatore præfectus eſſe Ciliciæ dicatur; conſtetque nuper dictos Claudium & ſocios, paſſos ibi eſſe his ipſis Coſſ. ſub eodem Lyſia: ex his etiam apparet veram eſſe chronologiam, qua diximus ipſum Diocletianum creatum eſſe Imperatorem anno ſuperiori. Perſeuerauit autem Lyſias ſpectatæ crudelitatis homo, in eodem magiſtratu annis pluribus. At inter complures inſignes martyres qui ſub eo martyrio coronati ſunt, omnium clariſſimi habentur *Coſmas* & *Damianus* fratres, qui (vt habent Eccleſiaſticæ[c] tabulæ) Ægeæ poſt multa tormenta, vincula & carceres, poſt mare & ignes, cruces, lapidationes, & ſagittas, diuinitus ſuperatas, capite plexi ſunt: cum quibus etiam referuntur paſſi tres alij ipſorum fratres germani, *Antimus*, *Leontius*, & *Euprepius*.

a ap. Sur. 23. Aug.

MARTYRES SVB LYSIA PROCOSS.

b ap. Metap. 30. Octob.

COSMAS ET DAMIANVS MARTYRES.

c Martyrol. Rom. 5. Cal. Octob.

II. Hoc eodem anno Domini ducenteſimo octogeſimoquinto (vt ponit[d] Euſebius) defuncto Maximo Epiſcopo Alexandrino, poſtquam ſediſſet annos decem octo, in locum eius ſubrogatus eſt *Theonas*. Cuius occaſione idem auctor agit de *Achilla* & *Pierio* Alexandrinis presbyteris, & *Meletio* Ponti Epiſcopo, inſignis eruditionis & ſanctitatis huius temporis viris.

d Euſeb. in Chro. & 7. hiſt. vlt.

IESV CHRISTI AN. 286.

DIOCLET. ET MAXIMIANI AN. 3.

CAII AN. 3.

I. ANNO Chriſti ducenteſimo octogeſimo ſexto, Maximo & Aquilino Coſſ. *Carinus* Imperator poſtquam multis prælijs cum Diocletiano conflixiſſet, demum de ſumma Imperij apud Murgum in Mœſia aduerſus eumdem pugnans, à ſuis proditus & derelictus, vnius ex ſuis Tribunis gladio necatus eſt, cuius dicebatur coniugem polluiſſe. Hæc victor[a], Eutropius[b], & alij: at nihil de proditione Vopiſcus, ſed tantum Carinum ea vltima pugna victum occubuiſſe. Quod quidem his ipſis Coſſ. Maximo & Aquilo contigiſſe, teſtantur etiam Acta fideliſſima[c] SS. Martyrum Sebaſtiani & ſociorum, à Notarijs S. Romanæ Eccleſiæ tunc conſcripta. Itaque poſt hæc Diocletianus vna cum Maximiano liberum adminiſtrauit Imperium, vt idem Vopiſcus affirmat. Siquidem hoc anno Diocletianum, Carino ſublato, collegam ſibi Imperij adſciuiſſe *M. Valerium* MAXIMIANVM Sirmio in Pannonia oriundum, antiqui probant nummi[d], dum primus eius Conſulatus ordinarius, qui accidit anno ſequenti, deſcribitur cum Poteſtate Tribunitia ſecundo aucta. Habuit autem cognomentum *Herculij*, ſicut & Diocletianus *Iouij*.

CARINVS IMP. OCCIDITVR.

a Vict. in Carin.

b Eutrop. lib. 9.

c ap. Sur. 20. Ianuar.

MAXIMIANVS IMP.

d ap. Adolph. de Num.

II. Occiſo porro Carino, tradunt eadem legitima Acta tam immanem exortam eſſe in Chriſtianos Perſecutionem, vt nulli quicquam vel vendere, vel emere liceret, niſi paruis quibuſdam ſtatuis vbique paſſim collocatis thura prius incenderet: eſſentque conſtituti circa inſulas, vicos, & aquas, compulſores, qui neque molendi, neque aquas hauriendi poteſtatem facerent, niſi qui idolis libaſſent. Quo tempore, ope Chromatij V.C. nuper ex Præfecto perſecutore redditi fidei Chriſtianæ ſtudioſiſſimi cultoris, & Caſtuli Zetarij Palatij (erant *Zetæ* portatilia quædam cubicula, quæ deſcribit Plinius[e] Secundus, memoratque Lampridius[f]) pariter Chriſtiani hominis, plerique alij Chriſtiani vna cum ipſo Caio Papa, à perſecutione defenſi ſunt: donec proditione Torquati cuiuſdam apoſtatæ, multi ex illis tenti, varijs cruciatuum & mortis generibus necati ſunt, quorum natales dies perpetuis monumentis adſcripti habentur.

PERSECVTIO RECRVDESCIT IN CHRISTI.

e Plin. 6. ep. 5.

f Lamprid. in Elegab.

III. Inter eos vero enituit *Tiburtius* præſtantiſſimæ indolis filius Chromatij, qui poſt egregiam coram Vrbis Præfecto confeſſionem, capite truncatus eſt: necnon SEBASTIANVS primæ Prætorianorum cohortis ductor, Narbone oriundus Mediolani educatus, vel (vt S. Ambroſius[g] & alij tradunt) patre Narbonenſi matre Mediolanenſi natus Mediolani: qui ipſius Diocletiani iuſſu à militibus hericij inſtar ſagittis confixus, diuina ope conualeſcens, obuiam Imperatori factus, eiuſque impietatem liberius redarguens, virgis ad necem vſque cæſus eſt. Hæc pluribus eadem ſinceriſſima Acta, poſt redditam Eccleſiæ pacem (vt apparet) ſcripta: in quorum etiam principio nonnulla habentur, quæ pertinere noſcuntur ad perſecutionem Numeriani, antequam Carinus à Diocletiano tolleretur: & rurſum alia, quæ poſt hæc geſta noſcuntur. Ceterum (quod notatione dignū eſt) in eis prima reperitur mentio

SEBASTIANI MARTYRIVM.

g Ambr. in Pſal. 118. ſer. 20.

MVNVS ECCLESIÆ DEFENSORIS.

de *Eccleſiæ* DEFENSORE: quod munus à Caio Papa eidem Sebaſtiano duci collatum eſt: idemque magiſtratus in poſterum in Eccleſia perſeuerasſe videtur, cuius cum multis in locis, tum præſertim in epiſtolis Gregorij Papæ frequens eſt mentio: ex quibus colligi poteſt, quodnam eſſet eius officium.

IV. QVOMODO PROGRESSA SIT PERSECVTIO SVB DIOCLET. ET MAXIMIA.

Vt autem quam acerbiſſime ipſo exordio Imperij Diocletiani & Maximiani, in Chriſtianos Romæ perſecutio graſſaretur, illam præceſſiſſe cauſam eadem Acta ſignificant, quod Pontifices Gentilitiæ ſuperſtitionis Chriſtianos more ſolito calumnijs circumueniſſent, quaſi aliquid contra Imperium molirentur. Quamobrem promulgatum in Chriſtianos Romæ agentes edictum, nequaquam vniuerſo Imperio commune fuit: quin potius ab Euſebio [b] ipſi Imperatores in alijs religionibus de Chriſtianis benemeriti fuiſſe traduntur, nec niſi ad vltima Imperij tempora in eos per Orbem edicta dediſſe; quando & inter alia (plura enim recenſet [i] ab ijſdem promulgata) hoc ipſum quod diximus, Romæ tunc editum eſt, ne cui illis vêdere aliaue naturæ vſui neceſſaria impartiri liceat. Quod quidem in vniuerſum Orbem datum fuiſſe, alia certa ac fidelia martyrum Acta declarant: prout de Gallijs teſtatur Beda [k], qui verſu ſcripſit certamen Iuſtini martyris: de Oriente Arethas [l] Epiſcopus Cæſarienſis, oratione de SS. Martyribus Curia atque Samona. Sed & ante illa tempora quæ Euſebius memorat, nonnulla ingruentis grauioris procellæ præceſſiſſe tonitrua, germana aliquorum Acta teſtantur. Ac denique teſtimonio Conſtantini [m] Imperatoris, cœptam eſſe perſecutionem ipſo exordio Imperij Diocletiani, manifeſte colligitur.

b Euſeb. 8. hiſt. 1.
i Ibid. cap. 3.
k Bed. to. 3. [illegible]
m ap. Euſ. 2 de vit. Conſt. 49. 50.

IESV CHRISTI AN. 287.288.289.

DIOCLET. ET MAXIMIANI AN. 4.5.6.

CAII AN. 4.5.6.

I. ANNO Chriſti ducenteſimo octogeſimo ſeptimo, Diocletianus tertium, & Maximianus ſecundum (primum enim iſte iam ante Imperium ſuffectus geſſerat) Conſulatum inierunt.

II. Anno autem ducenteſimo octogeſimooctauo, Maximus ſecundum atque Ianuarius; &

III. Anno ducenteſimo octogeſimonono, Baſſus & Quinctianus creati ſunt Coſſ. Quibus omnibus nihil certi memoria dignum inuenimus accidiſſe.

IV. HIERACITÆ HÆRETICI.

His autem Diocletiani temporibus (certum enim annum nemo deſcripſit) progreſſa eſt in Ægypto HIERACITARVM hæreſis, quam omnes ponunt poſt Manichæam, eiuſque, ſicut & Gnoſticorum fuiſſe participem tradunt. Fuit eius auctor HIERAX quidam ex Leonto Ægypti (vt tradit Epiphanius [a]) vir non exiguæ eruditionis, & omnium Græcarum diſciplinarum peritiſſimus, necnon aſtronomiæ & magiæ deditus: qui Scripturarum receptam in Eccleſia interpretationem contemnens, propria vanitate in multas impegit hæreſes. Nam carnis reſurrectionem negans, animæ tantum eam eſſe aſſeruit: nuptiaſque damnans, cælibum dumtaxat dixit eſſe vitam æternam. Pueros ante perfectam cognitionem morientes à ſalute reijciebat: nec credebat Paradiſum eſſe ſenſibilem. Melchiſedech autem dicebat eſſe Spiritum Sanctum. Ciborum quoque abſtinentiam, ac vini præſertim docuit: multa inſuper ex Origenis erroribus mutuatus. Et ad hæc omnia confirmanda, commentarios quoſdam Græce & Ægyptiace ſcripſit: ac pleraſque Scripturas allegorice expoſuit. Hæc omnia pluribus Epiphanius: qui addit, multos pietatis exercitatores ſtatim ab ipſo fuiſſe ſeductos: cum alioqui in ſuam conuerſationem non reciperet niſi virgines, aut ſolitariam vitam agentes, continentes, ac viduas. Sed & Hilarius [b] (apud quem is *Hieracas* dicitur) explicans quod de Filio Dei profitetur Eccleſia, *Lumen de Lumine*, [c] ait illum neſcientem Vnigeniti natiuitatem, vnius lucernæ duo lumina prædicaſſe, vt lychnorum bipertita diuiſio ſubſtantiam Patris & Filij æmularetur, quæ ex vnius vaſculi vnguine accenderetur in lumen, tamquam eſſet ſubſtantia exterior, vt oleum in lucerna continens luminis vtriuſque naturam; vel certe, vt lampas papyro eidem intexta; vtroque capite luceret, eſſetque media materies, lumen ex ſe vtrumque protendens. Ceterum Hieracitas alio nomine Philaſtrius [c] *Abſtinentes* appellat: eoſdemque ſuo adhuc tempore in Gallijs & Hiſpanijs fuiſſe tradit.

a Epiph. hær. 67.
b Hil. lib. 6. de Trin.
c Philaſtr. ca. 65.

MACARIVS [illegible] HIERACITAM.

Denique conflictationem *Macarij* monachi Ægyptij Catholici cum quodam Hieracita hæretico Euagrius deſcribit in Vitis Patrum: qui (vt ait idem Macarius, cum videret illum ſanam doctrinam argumentis callidis eludere, atque inde fidem Fratrum periclitari: prouocans eumdem ad probationem doctrinę per ſuſcitationem mortui, cum ipſe Macarius mortuum coram omnibus ſuſcitaſſet, Hieracita confuſus abſcedit, quem & Fratres extra terminos illos expulerunt.

V. IMPP. RESCR. ADVERS. MANICHÆOS.

Inualeſcente quoque his temporibus turpiſſima Manichæorum hæreſi & Africæ iam prouincias penetrante, vbi altas poſtea radices fixit; dato ad Iulianum Proconſulem Africæ reſcripto [d] Diocletianus & Maximianus Imperatores, iuſſerunt eorum doctores & ſcripta ignibus tradi, & ſectatores capite puniri, honoratiores autem perſonas ad metalla damnari, & quorumcumque bona Fiſco vindicari.

d Edict. in Cod. Greg. Pithœus in Collat. Moſ. & Rom. legum, tit. 15.

IESV CHRISTI AN. 290.291.292.

DIOCLET. ET MAXIMIANI AN. 7.8.9.

CAII AN. 7.8.9.

I. ANNO Chriſti ducenteſimo nonageſimo, Imperatores Diocletianus quartum & Maximianus tertium adierunt Conſulatum: quibus inſcripta habentur Proconſularia Geſta [a] publice à Notarijs excepta, inſignis Confeſſionis & Paſſionis ſanctorum martyrum *Tharaci, Probi, & Andronici*, Tarſi in Cilicia.

a Extat apud Sur. Octob. 11. an. 290.

II. Anno vero ducenteſimo nonageſimoprimo, Iunio Tiberiano & Caſſio Dione Coſſ. nihil geſtum reperitur Annalibus Eccleſiaſticis dignum. At

III. Anno ducenteſimo nonageſimo ſecundo, Annibaliano & Aſclepidoro Coſſ. aſſumptos eſſe in regnum ob tyrannos emergentes, *Flauium Conſtantium Chlorum* (Magni Conſtantini parentem) & *Maximinianum Galerium* cognomento *Armentarium*, Euſebius [b] teſtatur: qui quidem Conſtantius (vt ibidem dicitur) Claudij Iunioris Imperatoris ex filia nepos fuit: ſeu potius (vt ex Trebellio dictum eſt ſuperius) Criſpi fratris Claudij ex filia nepos: Galerius autem in Dacia natus eſt: amboque vxores quas prius habuerant repudiare compulſi, Conſtantius priuignam Maximiani Herculei Theodoram ex Eutropia ipſius vxore genitam accepit, Galerius filiam Diocletiani Valeriam. Hæc Euſebius hoc ipſo Chriſti anno, licet in numero annorum Imperij Diocletiani (vt diximus) errore labatur. Sicut & errare certum eſt [c], qui horum Cæſarum creationem ponunt anno ſuperiori. Nam cum in inſcriptione edicti [d] eiuſdem Galerij pro Chriſtianis editi, ſimul iungatur eius Conſulatus octauus cum Tribunitia poteſtate vicies repetita, incidiſſeque habeatur in annum Domini trecenteſimum vndecimum, neceſſe eſt ab hoc anno ducere eius regni principium.

CONSTANTIVS ET GALERIVS CÆSS.
b Euſeb. in Chron.
c [illegible] in Faſt.
d ap. Euſ. 8. hiſt. [illegible]

IV. Ceterum præter matrimonia quæ diximus contracta, Diocletianum adoptaſſe ſibi in filium Galerium, & Maximianum Conſtantium, teſtatur Panegyricus eidem Diocletiano dictus. Quod vero ab Euſebio adſciti dicantur hi Cæſares, ad propulſandos barbarorum, vel tyrannorum inſultus: alius Panegyricus Maximiano inſcriptus, contrarium potius videtur adſtruere: nempe pacato Imperio, quæſiſſe Diocletianum & Maximianum, qui parta tuerentur, ac nouis acceſſionibus propagarent.

IESV CHRISTI AN. 293.294.295.

DIOCLET. ET MAXIMIANI AN. 10.11.12.

CAII AN. 10.11.12.

I. ANNO Chriſti ducenteſimo nonageſimo tertio, Diocletiano quintum & Maximiano quartum Auguſtis

ſtis Coſſ. qui ſecundus eſt annus Imperij Galerij Maximiani, conſignata habentur exordia Actorum [a] martyrum Nicomedienſium, de quibus poſtea.

a ap. Metap. & Sur. 26. Dec.

II. AFFINES DIOCLETIANI CHRISTIANI MARTYRES.

Anno vero ducenteſimo nonageſimo quarto, Conſtantiò Chloro & Galerio Maximiano Cæſaribus Coſſ. tertio Idus Auguſti *Suſanna* filia Gabinij fratris Caij Papæ, cum nuptias eiuſdem Maximiani à Diocletiano affine tentatas renuiſſet: quod Chriſtiana fuerit inuenta, eiuſdem Imperatoris iuſſu in paternis ædibus capitis abſciſſione martyrij palmam eſt conſecuta. Sed & alij Imperatoris affines, tam viri quam fœminæ, ab ijſdem Caio & Gabinio eorundem pariter affinibus Chriſtiani redditi, ad Oſtia Tiberina ab Vrbe abducti, incendio conſumpti ſunt, cinereſque in fluenta iactati. Hæc fuſius eiuſdem Suſannæ Acta [b], quibus & vetera quæque Martyrologia [c] fidem adijciunt.

b ap. Sur. 11. Aug. c Martyrol. 11. Aug. & 11. Febr.

III. SERENA AVG. CHRISTIANA.

Habetur & in ijſdem Actis, necnon in Rebus [d] geſtis Marcelli Papæ, mentio *Serenæ* Auguſtæ vxoris Diocletiani, Chriſtianæ fœminæ pientiſſimæ: cuius pariter memoriam, quod tandem ſancto fine quieuerit, Occidentalis Eccleſiæ [e] tabulæ omnes antiquitus ſcriptam conſeruant: cum alioqui apud ſcriptores Ethnicos, vel antiquas inſcriptiones, nulla penitus habeatur de nomine Diocletiani coniugis mentio.

d ap. Sur. 16. Ianuar. e Martyrol. Rom. & alia omnia 16. Aug.

IV. Ad res autem Suſannę elucidandas intelligendum eſt, Diocletiani filiam, quæ coniugio iuncta fuerat Galerio Maximiano, haud diu poſt nuptias fuiſſe ſuperſtitem: ſiquidem nulla prorſus extat eius memoria in antiquioribus monumentis, nec ex ea proles aliqua legitur ſuſcepta. Pater autem vt filiæ defunctæ memoriam conſecraret æternitati, Pannoniæ partem (vt inquit Ammianus [f]) eius nomine inſtitui atque cognominari voluit: cuius poſt Ammianum Zoſimus [g], & ex noſtris S. Ambroſius [h] meminerunt: quæ dici conſueuit *Valeria Pannonia*, ad diſtinctionem Valeriæ prouinciæ in Italia, cuius eſt frequentior apud veteres [i] mentio. Sed & eumdem Diocletianum Imperatorem eiuſdem filiæ ſuæ nomine, Valeriam nuncupaſſe ciuitatem ſitam ad ripam Danubij, Ennodius [k] tradit.

f Am. lib. 19. g Zoſ. lib. 2. h Amb. 2. de fid. 4. in fi. i Strab. lib. 5. C. Th. lib. 9. tit. 30. quib. equor. vſ. l. 5. Greg. PP. in dial. Paul. diac. de geſt. Longob. lib. 2. c. 11. & c. k Ennod. in Act. S. Anton. monach.

V. SVSANNÆ MARTYRIS STEMMA.

Mortua igitur Valeria, Diocletianus Galerium ſibi affinitatis vinculis iterum obligare ſtudens: quam in ſua cognatione haberet gradu propinquiorem virginem, eam illi fœdere nuptiarum coniungere decreuit, niſi ipſa Suſanna reſtitiſſet: cuius quidem ſtemma in eius Actis ſic deducitur, vt Maximus ſeu Maximinus Diocletiani Germanus vita functus duos reliquerit liberos, Caium atque Gabinium, quos Chriſtianæ religionis profeſſio ab eiuſdem Diocletiani conſuetudine ſegregauit: duxerit autem vxorem Gabinius, & ex ea Suſannam ſuſceperit: idemque poſtea vxore defuncta presbyter factus fuerit: & egregia eruditione præditus, aduerſus Gentiles ſcripſerit pro religione Chriſtiana defenſionem. Caius autem, quod duxiſſet vitam cœlibem, Vniuerſalis quoque Eccleſiæ Pontificatum nactus fuerit. De nece vero vtriuſque fratris occaſione Suſannæ, dicetur paulo poſt. Namque ſequenti

VI. Anno Chriſti ducenteſimo nonageſimoquinto, Tuſco & Anullino Coſſ. nihil præterea geſtum reperitur, niſi quod pars Actorum in cauſa eiuſdem Suſannæ ad eum vſque protracta eſſe videatur.

IESV CHRISTI AN. 296.

DIOCLET. ET MAXIMIANI AN. 13.

MARCELLINI AN. 1.

I. CAII PP. MARTYRIVM.

ANNO Chriſti ducenteſimo nonageſimoſexto, Diocletiano Auguſto ſextum & Conſtantino Cæſare ſecundum Coſſ. decimo Calendas Maij, *Caius* Papa martyrio coronatur, cum ſediſſet annos duodecim mẽſes quatuor & dies quinque: idque (vt habet liber de Romanis Pontificibus) propter Suſannam Gabinij filiam, de qua nuper dictum. Sed & ipſe Gabinius [a], poſt diuturnas vinculorum ærumnas, pretioſa morte cœli gaudia comparauit. Fertur Caij nomine epiſtola hoc annò ijſdemque Coſſ. Calendis Martij ad Felicem Epiſcopum data. Quod autem in dicto libro de Rom. Pont. ab eodem conſtitutum dicitur, vt per omnes ſeptem Ordines ad Epiſcopatum aſcenderetur: nequaquam ſic intelligendum eſt, vt ipſe primus id inſtituerit, quod iam temporibus Apoſtolorum ſtabilitum fuiſſe vidimus: ſed ipſius de hac re decretum eiuſmodi fuiſſe videtur, vt non proueheretur ad thronum Epiſcopalem, niſi qui in ſingulis inferioribus Ordinibus conſueto tempore miniſtraſſet.

a Martyrol. Rom. 11. Cal. Mart.

II. MARCELLINVS PAPA.

Eodem vero ſepulto in Cœmeterio Calliſti via Appia, poſt dies vndecim ſubrogatus eſt in locum eius quinto Nonas Maij, MARCELLINVS patria Romanus patre Proiecto. Quem quidem ſic poſt Caium Euſebius, & alij eum ſecuti poſuerunt, vt Marcellum qui Marcellino ſucceſſit omnino prætereuntes, ex ambobus ob nominis ſimilitudinem vnum conflarint. Verum tabulæ Eccleſiaſticæ, in quibus ſeries Romanorum Pontificum habetur adſcripta, Martyrologia, vetuſque ille ſcriptus liber de Romanis Pontificibus. Tabulæ Creſconianæ, ac denique Latini omnes qui texuere catalogum Romanæ Vrbis Epiſcoporum, atque inter alios Optatus [b] & Auguſtinus [c], omnes pari conſentione ambos ponunt: quos & ipſa ſua ipſorum Acta plus ſatis diſtinguunt ab inuicem. Ceterum extat eiuſdem Marcellini nomine inſcripta epiſtola hoc anno ijſdemque Coſſ. octauo Idus Septembris, ad Salomonem Epiſcopum, qui ipſum cõſuluerat de hæreticis ex Pauli Samoſateni ſchola nuper emergentibus.

b Opt. lib. 2. cont. Parm. c Aug. ep. 165.

III. Hoc eodem anno decimotertio Imperatoris Diocletiani, poſt Hymenæum ponitur ab Euſebio [d] *Zambdas* Epiſcopus Hieroſolymitanus.

d Euſeb. in chron.

IESV CHRISTI AN. 297.

DIOCLET. ET MAXIMIANI AN. 14.

MARCELLINI AN. 2.

I. MILITVM THEBÆORVM MARTYRIVM.

ANNO Chriſti ducenteſimo nonageſimoſeptimo, Maximiano Auguſto quintum & Maximiano Cæſare ſecundum Coſſ. Legio Chriſtianorum militum *Thebæorum* ab Oriente Romam euocata, & à Marcellino Papa exhortatione firmata, miſſa eſt à Diocletiano Imperatore in ſupplementum exercitus ad Maximianum Herculium collegam in Gallias, aduerſus ruſticanos, qui ducibus Amando & Æliano tumultuantes, factioni ſuæ *Bagaudarum* nomen impoſuerant. Meminerunt huius Bagaudarum commotionis, & Maximiani ad eam compeſcendam expeditionis, præter eorumdem Thebæorum militum Acta, ex alienis Eutropius [a], ex noſtris Oroſius [b]. Cum autem in luſtratione exercitus, præter militum conſuetum iuramentum, de quo dictum eſt alias [c], eadem legio contra morem ad dijs ſacrificandum compelleretur, eam ipſa impietatem abominata, iuſſu Maximiani ſemel atque iterum decimationem paſſa eſt: omneſque tandem eius milites qui tunc adfuere, vna cum Tribuno *Mauritio*, à reliquo exercitu interempti, mira patientia martyrium ſuſceperunt decimo Calendas Octobris in loco Agauno in finibus Sedunorum.

a Eutr. lib. 9. b Oroſ. lib. 7. cap. 25. c ſup. an. 202.

II. Hoc autem nobiliſſimum eorumdem certamen, ex antiquioribus monumentis reſtitutum, S. Eucherius Epiſcopus Lugdunenſis poſteris legendum tradidit [d]: quod & Marbodum Epiſcopum Redonenſem ſcriptis conſignaſſe, auctor eſt Sigebertus [e]. Scripſit etiam de ijſdem carmen Venantius [f] Fortunatus: & de miraculis ad eorum ſepulchrum fieri ſolitis meminit Gregorius [g] Turonenſis: ſed & frequentem fuiſſe Fidelium Occidentalium ad Agaunenſes peregrinationem, quamplurima probant antiquitatis monumenta. Denique reperiuntur in tabulis Eccleſiaſticis diuerſis temporibus alibi paſſi nonnulli ex eiuſdem legionis Thebææ militibus, ſiue antea varijs (vt fit) occaſionibus, ſiue poſt cædem legionis cum duæ tunc cohortes aduerſus *Carauſium* quemdam rebellantem (cuius etiam meminit Eutropius [h]) in expeditione eſſent: quæ integræ cum ſuis ducibus *Gerione* & *Victore* interempti ſunt: eorum vero, aliorumque plurimorum militum, tunc pariter in Gallia iuſſu Maximiani paſſorum, martyrium, ex antiquioribus monumentis deſcribit He-

d Ext. ap. Sur. 22. Sep. e Sigeb. de vir. illuſtr. cap. 159. f Ven. Fort. lib. 2. g Greg. Tur. de glor. mart. cap. 76. h Eutrop. lib. 9.

Digitized by Google

i ep. Sur. 20. Oct.

linandus [i] celebris ſuorum temporum auctor. Ceterum quod & Græci quoque ſub Diocletiano & Maximiano ſuum habeant *Mauritium*, & commilitones martyres Apameæ in Syria (quorum geſta deſcripſit Metaphraſtes [k]) inde factum eſt vt plerique vtrumque Mauritium perperam in vnum confuderint.

k Habet etiam Sur. to. 4. menſ. Iul.

III. Maximianus qualis.

Porro Maximiani in Gallias expeditionem, licet Eutropius & alij exordia ipſius Imperij referant: quod tamen ijdem Eucherius & Helinandus eam ſub Marcellino Papa contigiſſe teſtentur, hic de illa agendum putauimus. Haud vero mirum, ſi hæc & alia id genus in Chriſtianos meditatus eſt Maximianus, cum eſſet homo (vt ait Victor) natura ferox, ardens libidine, conſilio ſtolidus, ortu agreſti Pannonioque: & (vt ait Eutropius) inciuilis ingenij aſperitatem ſuam & vultus horrore ſignificans: quẽ & Iulianus [l] Apoſtata egregijs ignominiæ notis ſugillans, quod acerbus & intemperatus eſſet, rerum nouarum cupidus & perfidiæ plenus, à bonorum excluſit conſortio Principum.

l Iulia. in Caeſ.

IV. m Euſeb. in Chron. & l. 8. hiſt. 4. Perſecutio coepta in milites Chriſt.

Sed & hoc eodem anno Diocletiani decimoquarto, Veturium militiæ Magiſtrum Chriſtianos milites in Oriente perſecutum eſſe, ſcribit Euſebius [m], & ex illo tempore perſecutionem aduerſus Chriſtianos vehementius proceſſiſſe. Etenim qui penitus Religionem Chriſtianam conuellere decreuerant, à militibus incipiendum exiſtimarunt: ne cum publica eorum per vniuerſum Imperium edicta ſæuirent, eſſent qui obſiſterent armati Chriſtiani.

IESV CHRISTI AN. 298.

Diocl. et Maximiani An. 15.

MARCELLINI AN. 3.

I.

ANno Chriſti ducenteſimo nonageſimooctauo, Fauſto & Gallo Coſſ. Perſecutio in Chriſtianos milites ſæpe graſſari cœpta, totum inuaſit Romanum Orbem. Sed inter alios magnopere elucet *Marcelli* Centurionis martyrium: qui abiecta militia nẽ ſacrificare cogeretur, Tingi in Mauritania, poſt egregiam Chriſti nominis confeſſionem capite truncatus eſt: ſuique certaminis ac triumphi participes habuit filios ſuos duodecim. Ea vero de re hactenus extant [a] Acta ſinceriſſima, aliaque citantur [b] conſignata huius anni Coſſ.

a ep. Sur. 30. Oct. b ap. Vſuard. in Chron. ex Bernon.

II.

Sed non contentus Maximianus veloci martyrio necare milites, vt eos more ſeruorum diuturno labore fatigaret, ad opus damnauit. Hoc namque anno decimoquinto Imperij Diocletiani (inquit Euſebius [c]) *Thermæ Diocletianæ* Romæ factæ ſunt, & Carthagine *Maximianæ*. Verum non hoc anno perfectæ, ſed cœptæ eſſe dicẽdæ ſunt: quæ poſt annos ſeptem abſolutæ & ornatæ, à Conſtantio & Maximiano Galerio Auguſtis, necnon à Seuero & Maximino Cæſaribus (vt vetus fert inſcriptio [d]) dedicatæ ſunt, & publico vſui mancipatæ: cum integro iſto ſeptennio, eiuſmodi immenſæ molis operi conſtruendo (erant enim Thermæ Diocletiani, vt Ammiani [e] verbis vtar, in modum prouinciarum extructæ, præ incredibili ſui amplitudine) Maximianus Herculius Romæ tunc agens, Chriſtianos milites, quos vel ibi reperiri, vel ex varijs prouincijs illuc perduci contigit, adſcripſit; haud tamen ceſſans illorum quamplurimos inter ipſa opera diuerſis occaſionibus ferro flammiſque necare.

c Euſeb. in Chron. Thermæ Diocletianæ. d ap. Panuin. in Faſt. e Amm. lib. 16.

III. f ap. Sur. 16. Ianuar.

At hæc omnia quomodo geſta fuerint, narratur pluribus in Actis Marcelli [f] Papæ: in quæ tamen errorem nominis irrepſiſſe puto, vt quæ primo loco dicuntur facta ſub Marcello & à Marcello, tribui debeant Marcellino: nam hoc tempore Maximiani Herculij, Romanæ Eccleſiæ Marcellinum, non Marcellum præfuiſſe, quæ inferius dicturi ſumus aperte declarant. Perperamq; ibidem Claudij Imperium & Maximiani coniungitur. Sicut & quæ habent de Arthemia, vſque ad Acta & exitum Marcelli Papæ, additamentum putamus, quod in multis fide vacillent: nam nec vlla mentio fit de *Arthemia* filia Diocletiani virgine & martyre in tabulis Eccleſiaſticis, cuius memoria tam nobilis mille fuiſſet monumentis exprimenda: nec de illa præterea mentio eſt apud ſcriptorem aliquem.

IV. g l. 3. ſ. nam in D. de re mil. h Ibid. §. qui ad. Zenonis et socio. militum martyrium.

Ceterum quod milites ſeruilibus pœnis ſubiectos certis, in ignominiam plane Chriſtianæ factum eſt Religionis, cum alioqui Romanis [g] legibus non liceret militem ad metalla damnare, vel torquere. Sicque videas Chriſtianos milites transfugarum loco habitos: quos fas [h] eſſet (vt alias ſæpe contigit) ad beſtias ac furcas damnare. Thermis porro abſolutis, qui conſtantes in confeſſione Chriſti perſtitiſſent, ne forte laborum opere alleuiati (quod ingens eſſet illorum numerus, nempe decem millium ducentorum trium) aliquid in Imperium molirentur, omnes pariter vna cum *Zenone* Tribuno, qui inter eos dignitate excellere videbatur, extra portam Trigeminam ad Aquas Saluias in loco dicto *Gutta iugiter manans*, necati ſunt ſeptimo Idus Iulij, quo celebri memoria annuatim eorumdem triumphi dies natalis recolitur.

V.

Hoc eodem anno decimoquinto Diocletiani Imperatoris (vt auctor eſt Euſebius) defuncto Zamba Epiſcopo Hieroſolymitano, in locum eius ſubrogatus eſt *Hermon*, qui & Thermon dictus reperitur.

IESV CHRISTI AN. 299.300.

Diocl. et Maximiani An. 16. 17.

MARCELLINI AN. 4.5.

I. a ap. Sur. 15. Nouemb.

ANno Chriſti ducenteſimo nonageſimonono creati ſunt Coſſ. ambo Auguſti Diocletianus ſeptimum & Maximianus ſextum: quibus notata habentur Acta [a] SS. martyrum *Guriæ & Samonæ*, qui quod Edeſſæ in Syria ruri vitam agentes alios ad Chriſtianam fidem hortarentur, poſt horrenda diutinaque tormenta capite truncati ſunt: quos etiam Aretas [b] Cæſarienſis egregia eſt proſecutus oratione, qua & complexus eſt reliqua à Diocletiano aduerſus Chriſtianos eadem perſecutione decreta.

b ap. Sur. ibid.

II. c Euſeb. in Chron.

Anno vero Chriſti trecenteſimo, Diocletiani [c] decimoſeptimo, Cõſtantio & Galerio Cæſaribus tertium Coſſ. mortuo Theona Epiſcopo Alexandrino ſubrogatus eſt *Petrus*, de quo plura inferius.

III. d Euſ. ibid.

Hoc quoque eodem anno [d] decimoſexto Diocletiani Imperatoris, vita functo Cyrillo Epiſcopo Antiocheno, locum eius obtinuit *Tyrannus*.

IESV CHRISTI AN. 301.

Diocl. et Maximiani An. 18.

MARCELLINI AN. 6.

I. Triumphus de Perſis ac Parthis

ANno Chriſti trecenteſimo primo, Titiano & Nepotiano Coſſ. agens Diocletianus Imperij annum decimum octauum, vna cum Maximiano collega inſignem triumphum egit de Perſis ac Parthis per Galerium Maximianum deuictis, deq; propagato vltra Cteſiphontem (quod antea Romanorum Imperatorum nemini licuiſſet) Imperio; ductis ante currum Narſei, ſiue Narſetis, Perſarum Regis ſororibus liberiſque. Hæc ex Euſebio [a] & Eutropio [b]. Porro enituit in bello Perſico ſub Antiocho exercitus duce, eximia virtus *Andreæ* Tribuni militum: ſed eumdem Chriſtianum detectum, Galerius cum ſubiectis ipſi fortiſſimis militibus pariter Chriſtianis, omnes per immiſſum exercitum in anguſtijs montis Tauri, ſponte ſe neci pro Chriſti nomine offerentes, interemit decimoquarto Calendas Septembris, quo tum à Græcis tum à Latinis celebratur eorum memoria: extantque [e] Germana eorumdem Acta, à Petro tunc Epiſcopo Tarſenſi (à quo ijdem baptiſmum ſuſceperant, & poſt necem ſepulti fuerunt) collecta, vt putatur, & ſcripta.

a Euſeb. in Chron. b Eutrop. lib. 9. Andreæ ducis martyrium. e ap. Metaph. & Sur. 19. Aug.

II. Perſecutionis Diris. apparatus.

Poſt hæc autem quieſcentibus vndique bellis externis, ac ciuilibus penitus extirpatis, ſumma pace pariterque felicitate Imperio Romano gaudente, ſub concordi adminiſtratione quatuor Imperatorum: cum iſti hæc omnia dijs accepta ferrent, ad maiorem eorum gratiam promerendam vnanimiter conſilium inierunt, infeſtum dijs Chriſtianum nomen prorſus extinguere: cuius robur iam diſieciſſe propemodũ videbantur, dum fortiſſimos Chriſtianos milites vbiq; locorum diuerſis ſupplicijs è medio ſuſtuliſſent. Adeoque hoc ipſo anno Galerius Maximianus Nicomediæ agens vna cum Diocletiano, & Maximia-

Digitized by Google

nus Herculius Romæ, de inferenda vniuerſis toto Orbe Chriſtianis ſæuiſſima omnium Perſecutione edicta promulgarunt.

III. d *Euſ. 8. hiſt. 8.* TEMPVS ILLATÆ PERSECVT.

Quod vero Euſebius [d] dicat, anno decimo nono Imperij Diocletiani, nempe anno ſequenti, eiuſmodi perſecutionem cœptam eſſe: illud intelligendum eſt de promulgatis edictis in eccleſiarum demolitionem & librorum conflagrationem, ex quo plane tempore idem auctor numerare aggreditur perſecutionis annos: cum alioqui & ipſe (vt vidimus) æque fateatur, ante illud tempus in Chriſtianos, præſertim milites, nonnihil eſſe ſæuitũ (licet totum negotiũ ducibus tribuat, excuſans Imperatores) & quæ ſuperius ſingulis ferme annis dicta ſunt, aperte doceant ab ipſo Imperij Diocletiani initio, ipſis iubentibus Imperatoribus perſecutionem paulatim graſſari cœpiſſe. Ceterum quod reſpectu ſubſecutarum calamitatum, illæ priores ſint potius viſæ velitationes quam pugnæ: eam Euſebius rationem numerandi annos perſecutionis iniiſſe videri poteſt.

IV. e *Habuit ea Baron. M. S.* PERSECVTIO AD CLAMORES POPVLI DECRETA.

De his autem acturis primo ſeſe offert, quod in Actis [e] plane ſinceriſſimis S. *Sabini* illuſtris martyris & Epiſcopi Spoletini traditur: nempe, cum Maximianus Herculius Romæ eſſet, & decimoquinto Calendas Maias in Circo Maximo Ludos Circenſes ſpectaret: Sexto miſſo Veneto vincente, acclamatum eſſe à populo, *Chriſtiani tollantur* duodecies, & *Chriſtiani non ſint* decies: atque ex eo factum, vt Eugenio Hermogeniano Præfecto Prætorio referente in Senatu de perſecutione in Chriſtianos decernenda, eademq; decreta, Maximianus pridie Calendas Maias ad Venuſtianum Auguſtalem Tulciæ reſcriptum dederit, vt vbicumque Chriſtiani inuenti eſſent, aut ſacrificare cogerentur dijs, aut pœnis ſubijcerentur, eorumque facultates Fiſco vindicarentur. Hæc ibi. Porro hic idem ille eſt Hermogenianus, ſub quo paſſus itidem Romæ legitur *Reſtitutus*, cuius extant martyrij Acta.

V. CLAMORES POPVLI NON AVDIENDI. f *L. decurionum C. de pœn.*

Quanta vero impietate ſimul cum iniuſtitia, Senatus annuerit Gentilibus, necem Chriſtianorum clamoribus in theatro poſcentibus: quamque inique aduerſus legem nuper à ſe promulgatam Maximianus in eoſdem reſcripſerit: teſtis eſt ipſa edita ab eo ſimul cum Diocletiano ſanctio [f], qua decreuerunt, Vanas acclamationes populi petentis necem alicuius, non eſſe audiendas: nec vocibus eorum credi oportere, quando aut noxium crimine abſolui, aut innocentem cõdemnari expetunt. Verum quod dicerent Imperatores, Chriſtianos perduelles eſſe Imperij, dum Gentilitiam ſuperſtitionem à maioribus acceptam impugnarent: ſe iure quidem necem illis inferre, errore decepti putabant. Quomodo autem *Venuſtianus* poſt hæc Exuperantium atque Marcellum, religionis cauſa tormentis exagitatos morte damnarit: rurſumque de Sabino Epiſcopo quæſtionem habens, eius precibus meruerit fieri particeps veritatis, & ad Chriſtum conuerti, ac denique tum ipſe, tum Sabinus à Lucio Tribuno ad eos miſſo fuerint vltimo affecti ſupplicio, ipſa citata deſuper Acta monſtrant.

VI. PERSECVT. IN ORIENTE.

Eodem quoque tempore in Oriente alter Maximianus cognomento Galerius Nicomediæ in Bithynia, nihil commotus horribili tonitruum ſonitu, & eliſo ex nubibus igne, denſaque grandine & profundis tenebris, quibus die ſereno interrupta eſt eius oratio deos ſuos in opprobrium Chriſtianorum extollentis; poſtquam fruſtra tentaſſet eos minis ac promiſſis ad idolorum cultum allicere, magnam in eoſdem perſecutionem excitãs, tum alios quamplurimos tam ex Clero quam ex populo varijs cruciatibus extinxit, tum multa millia virorum ſimul & fœminarum puerorumque, qui Natali Chriſti in Eccleſiam conueniſſent, recuſantes aræ pro foribus ad hoc poſitæ thus imponere; clauſis ianuis, igneque circumquaque extructo, omnes intus cum ipſa Eccleſia incendit. Deſcribuntur hæc pluribus in Germanis Actis SS. Martyrum

MARTYRES NICOMEDIENSES.

Nicomedienſium, *Indes* principis Eunuchorum Imperatoris, & *Domnæ* virginis, olim maximæ ſacerdotis Dianæ ac Mineruæ, poſtea Chriſtianæ factæ, aliorumque omnis ſexus & conditionis ſociorum martyrum; quæ ex antiquioribus monumentis Metaphraſtes [g] deſcripſit: eidemque adſtipulantur Nicephorus [h], & Eccleſiaſticæ tabulæ Græcorum & Latinorum; ſed ſunt ab Euſebio prætermiſſa, quod ipſe res Nicomedienſes à promulgatis tantummodo edictis de diruendis Eccleſijs narrare aggreſſus ſit.

g *Metaphr. 26. Dec. & ap. Sur. to. 6.* h *Nic. l. 7. c. 5. & 6.*

VII. MONASTERIA VIRORVM ET VIRGINVM ANTIQVA IN ECCLESIA. i *Ign. ep. ad Philip.* k *Euſ. 8. hiſt. 20. 21.*

Nec quemquam moueat, ſi in eiſdem Actis de *Aſceterijs* ſiue monaſterijs mentio habeatur, quod errore decepti multi putant, nonniſi à temporibus Conſtantini fuiſſe eiuſmodi res, & nomen inuentum. Nam præter illa quæ ſuperius de Eſſenis dicta ſunt, & quæ de exiſtentibus Apoſtolorum temporibus Virginum collegijs Ignatius [i] ſcribit; ſi de his dubitans Euſebio fidem adhibet, equidem ipſe hac eadem perſecutione vrgente nonnullos ex Aſcetis paſſos eſſe martyrium tradit [k]. Porro ſi Aſcetæ erant, oportuit Aſceteria quoque fuiſſe quibus ij continerentur, vnde & nomen fuerint conſecuti, quod ſi virorum, multo magis ſacrarum Virginum, quas timor facilis lapſus, & virgineus pudor magis includi debere ſuadent. Non fuiſſe namque aſceticam vitam cuius illic Euſebius meminit, inſtitutionem anachoreticam ab hominum remotam conſortio; ſatis conſtat quod ait Seleucum militem qui ſe ei mancipauerat, viduarum ac pupillorum proſpexiſſe neceſſitatibus. Sed de his alibi pluribus.

VIII. l *Baſil. de ver. virg.* THEOPHILA VIRGO DIVINITVS LIBERATA A PROSTIBVLO.

Ceterum in eaſdem virgines ſacras dire tunc ſæuitum eſſe Nicodemiæ, ſed eas tum fuga tum diuina cuſtodia ſtuprum euaſiſſe, eadem Acta declarant. Tunc enim accidit quod S. Baſilius [l] ſcripſit; Cum ferueret perſecutionis immanitas, electas virgines propter ſponſi fidem, ad illudendum impijs hominibus traditas eſſe; ſed cum cuius gratia id perferrent, integra earum corpora non ſine prodigio & virtute ſeruaſſe. Quod quidem demonſtrat exemplum in iiſdem Actis de *Theophila* forma & genere ceteris præſtante; quæ à lictoribus ad lupanar tracta vt violaretur, ſic à iuuene quodam pulcherrimo & lucidiſſimo, qui veluti quædam tela fulguris emittere ex oculis videretur, cuſtodita eſt, vt primus qui ad eam ingreſſus eſſet ſtatim ceciderit mortuus, reliqui vero cæcitatẽ & acerbiora mala paſſi fuerint, ipſaque inde in Eccleſiam Chriſtianorum intacta reducta. Extant vero & alia ſimilis cuſtodiæ exempla in alijs antiquis monumentis, quorum nonnulla inferius memorabuntur.

IESV CHRISTI AN. 302.

DIOCLET. ET MAXIMIANI AN. 19.

MARCELLINI AN. 7.

I. a *Aug. 18. de ciuit. 52. Oroſ. lib. 7. cap. 27.* b *Euſ. 8. hiſt. 3.* PERSECVTIO NOVIS EDICTIS AVCTA.

ANNO Chriſti trecenteſimo ſecundo; Conſtantio Chloro & Galerio Maximiano Cæſaribus quartum Coſſ. Diocletiani Imperij decimonono, ſæuiſſimam omnium PERSECVTIONEM (quam DECIMAM vocant [a]) nouis aduerſus Chriſtianos, menſe Martio, aduentante die Paſchatis, per vniuerſum Imperium Romanum promulgatis edictis, concitatam eſſe tradit Euſebius [b]; qui (vt ſæpe dictum eſt) à tempore eiuſmodi edictorum, huius Perſecutionis numerat annos. Fuerunt autem (vt ait) illa edicta, vt diruerentur Eccleſiæ, & omnes Chriſtianorum ſcripturæ igni traderentur; & qui honores fuiſſent adepti deponerentur, ceteri vero libertate priuarentur; denique vt omnes vbique Eccleſiarum Præſides conijcerentur in vincula, & quibuſcumque adhibitis machinis victimas idolis immolare cogerentur. Hæc de edictis hoc anno latis Euſebius.

II. c *Ibid. c. 2.* DE EVSEBII CÆSAR. LAPSV, AT MALA FIDE. d *Epiph. hær. 68.*

Qui dum paulo ante ſuum in hac deſcribenda Perſecutione inſtitutum aperiens [c], aut ſe haud proſecuturum eſſe lapſus Chriſtianorum, qui tunc à fide defecerunt, ſed triumphos dumtaxat martyrum: cum accurati ſit hiſtorici, æque damna atque victorias recenſere, ſuſpectum hoc eius nobis ſilentium reddidit, vt pudori ſuo potius quam aliorum conſuluiſſe viſus ſit. Etenim ipſum à fide excidiſſe, & vt liberaretur à paratis ſibi tormentis, Gentilibus obtemperaſſe; in Conuentu Tyrio (ſicut refert Epiphanius [d]) Magnus ille Potamon Heracleæ in Ægypto Epiſcopus, qui eodem cum Euſebio carcere detentus oculum

Digitized by Google

c Euſ. 8. hiſt. 22.

lum amiſit pro defenſione veritatis, in faciem exprobrauit. Sed & cum poſtea [c] inſtituti ſui rationem iterum recenſens, abſtinere ſe ait à pœnis vltricibus quas Eccleſiarum paſtores pro male gubernato grege ſenſerunt, dum alij camelorum & equorum curæ mancipati ſunt à miniſtris Imperatorum, alij cõtumelijs, iniurijs, tormentis affecti; quod inquam, hoc nomine eis detrahat, cum etiamſi fuiſſent antea vita turpiſſimi, confeſſione tamen nominis Chriſti ea omnia patientes (nam ſi negaſſent, haud eiuſmodi ſupplicia ſubijſſent) omnes apud Deum & homines anteactæ vitæ notas expungere potuiſſent; infenſum in eos præſe fert animum, inducitq; vt illud de eo opinemur, hominem (quod dictum eſt) ſemel lapſum, & poſtea ob hæreſim ab Epiſcopis communicatione Fidelium interdictum, eos (vt moris eſt) contumelijs proſcidiſſe, & confeſſionis eorum gloriam obſcurare voluiſſe. Nam quem ſemel diabolus fecit fidei deſertorẽ, eumdem quoque adiungens poſtea Ario, conſtituit perfidiæ defenſorem. Ex quibus intelligas opus eſſe nobis, illum hactenus intrepide ſecutis, poſt hac cautius eius veſtigia aſſectari, præſertim in ijs quæ ad eius dogmatis hiſtoriam ſpectant.

III. DEMOLITIO ECCLESIARVM.

f Theod. 5. hiſt. 38 in fi.
g Euſ. in Chron.
h Arnob. l. 3.

EDICTVM DE LIBRIS COMBVRENDIS.

Vt autem ſingillatim de rebus in hac perſecutione geſtis agamus, quod inprimis attinet ad edictum de Eccleſijs demoliendis, Theodoretus [f] affirmat eas omnes vna die, nempe Paſſionis Domini, ex compoſito dirutas fuiſſe: Euſebius [g] autem non vna die, ſed ipſis diebus Paſchalibus id contigiſſe tradit. Quod vero pertinet ad iuſſionem de ſacris Codicibus concremandis; ſcribit Arnobius, [h] fuiſſe etiam nonnullorum Gentilium ſententiam non tantum vt Chriſtianorum codices igni ſubijcerentur, ſed & illi omnes, licet à Gentilibus ſcripti, quibus Gentilitia ſuperſtitio videtur poſſe conuelli, ac præſertim quos Cicero de Natura Deorum vel de Diuinatione conſcripſit, pariter abolerentur. Porro Imperatoris edicto promulgato, cum in omni prouincia Præſides, & in ſingulis locis quique magiſtratus, omni ſtudio & adhibitis tormentis inuigilarent vt à Chriſtianis codices traderentur; qui atrocitate pœnarum perterriti, quos apud ſe haberent tradiderunt, vocati ſunt *Traditores*, de quibus agetur ſæpe inferius: qui vero mortem oppetere maluerunt, cum præ nimio eorum numero impoſſibile videretur ſingulos recenſere, omnium ſimul vna die memoriam Romana [i] Eccleſia celebrare conſueuit. Vniuerſæ autem in omnis generis Chriſtianos perſecutionis acerbitatem, eorumdemque in perferendis tormentis alacritatem, egregie inter alios deſcripſere Conſtantinus [k] Imperator ac Seuerus hiſtoricus.

TRADITORES LIBRORVM.

i Martyrol. Rom. 2. Ianuar.
k ap Euſ. 2 de vit. 51. & 2.
l Seuer. lib. 2.

IV. DE IMMENSO NVMERO MARTYRVM IN HAC PERSECVT.

Et quod ſpectat ad eorum numerum qui ſunt eadem perſecutione ſublati; ſi ex vno menſe totius decem annorum temporis quo ea poſt hæc perdurauit, licet deducere rationem plane in immenſum excreſcet numerus. Nam in libro de Romanis Pontificibus traditur in Marcellino (ex quo deſcripſerunt alij vno dumtaxat menſe numeratos eſſe decem & ſeptem millia martyrum. Tantumque abeſt vt temperantius poſt hæc actum fuerit, vt alijs etiam quæ videbimus edictis aucta perſecutio, ferocior in dies viſa fuerit. Traditur enim in vna Ægypto occiſa eſſe toto eius tempore, centum quadraginta quatuor millia hominum, ac ſeptingenta millia in exilium eſſe eiecta. Nec minor in alijs prouincijs ſtrages; niſi in ijs quas Conſtantius Chlorus Cæſar regebat: qui etſi Chriſtianus non eſſet, mitius tamen cum ijs egit, vt dicetur inferius. Denique nullis vmquam bellis mundus ſanguine magis exhauſtus eſt, neque maiori vmquam (vt Seuerus loquitur) triumpho Eccleſia vicit, quam cum decem annorum ſtragibus vinci non potuit.

V. m Euſ. 8. hiſt. 5. & 6.

MARTYRES NICOMEDIENSES.

His igitur de illa ſummatim præmiſſis, iam præcipua quæ in ſingulis prouincijs geſta fuere, æque breuiter indicabimus. Ac primo Euſebius [m] à rebus Nicomediæ geſtis exordiens (vbi, inquit, duo ex Imperatoribus aderant, quorum alter ætate præ cæteris prouecta primum Imperij gradum, alter quartum ab eo obtinuit; his videlicet notis Diocletianum & Galerium Maximianum deſignans) primũ qui tunc ibi paſſus eſt, tradit fuiſſe illuſtrem quemdam virum, qui magno fidei ardore edictum Imperatorum publico loco affixum, tamquam profanum & impium, manu auulſum dilacerauit. Poſtea vero ad Imperatorum aulicos qui fidem Chriſtianam ſectarentur orationẽ conuertens, eximium deſcribit Præfecti *Dorothei* aliorumque nonullorum certamẽ, & poſt ſepulturam corporum effoſſionem (quippe quæ ſepeliri prohiberentur, ne à reliquis Chriſtianis conſueta veneratione colerentur) & in mare proiectionem: additque de *Antimi* eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopi paſſione, ac de ingenti martyrum turba qui ei fuere per varia ſuppliciorum genera adiuncti. At vero has eaſdem res tunc Nicomediæ geſtas quas Euſebius leuiter tantum attigiſſe viſus eſt, pluribus deſcriptas habes in prolixioribus iiſdemque ſinceris Actis Nicomedienſium martyrum, de quibus dictum eſt anno ſuperiori: in quibus inter alia illud memoria dignum de *Domna* maxima olim (vt vidimus) ſacerdote Dianæ traditur, quod anxie quæſita ad necem, ſub virili habitu diu latuerit, & tandem delata quod martyres ſepultura donaret, capite truncata ſit. Sed & quod ad eaſdem res Nicomedienſes ſpectat; qui tunc ibidem Rhetoricam publice profitebatur, Lactantius [n] orator Chriſtianus, teſtatur hoc ipſo anno quo Eccleſias demoliebantur Imperatores, duos in eadẽ ciuitate extitiſſe qui aduerſus religionem nomenq; Chriſtianum ſcripta virulenta ediderint: alterum quidem philoſophum, & inter philoſophos huius temporis principem ſibi locum vindicantem, cum tamen libidinibus omni ex parte turpiſſimus eſſet; alterum vero è numero Iudicum, qui auctor in primis faciendæ perſecutionis extitiſſet. Porro licet quinam illi fuerint; Lactantius reticendum exiſtimauerit; poſterior tamen non alius quidem ex titulo quem operi ſuo impoſuiſſe tradit, nempe *Veritatis amatoris*, eſſe cognoſcitur, quam *Hierocles* quem eo titulo libros ſuos contra Chriſtianos adnotaſſe, Euſebius eſt auctor, dum aduerſus eum ſcribens omnes impudentis hominis conatus temerarios infregit.

VI. n Lact. lib. 5. cap. 2.

ETHNICI SCRIBVNT ADVERSVS RELIG. CHRIST.

VII. DE PORPHYRII SCRIPTIS IN CHRISTI.

o Sup. an. 264.

De priore vero illo philoſopho, nullus alius quem opinari poſſimus occurrit, niſi *Porphyrius*, quem inter Platonicos horum temporum excelluiſſe, ſed & perfidum apoſtatam aduerſus Chriſtianam religionem commentarios edidiſſe, exploratiſſimum eſt; de cuius patria, religione, ac moribus actum eſt [o] ſub Gallieno Imperatore, occaſione ipſius Romam aduentus. Cum autem ipſiuſmet teſtificatione conſtet, eum anno decimo Gallieni fuiſſe ætatis triginta annorum; hoc tempore ſexageſimum octauum attigiſſe certum eſt: ſed & perueniſſe ad extremam ſenectutem, atque Romæ obijſſe, Eunapius [p] ſcribit. Porro ipſum *Calumniarum patrem* iure Cyrillus [q] appellat, quod amaros (vt ait) [r] libros in Chriſtianos effuderit. Nec tamen omne ſimul virus iſte ſerpens euomuit, ſed primum tres illos, quorum Lactantius meminit libros edidit, ac poſtea alios vſque ad quindecim (teſte Suida) addidit. Quod autem S. Auguſtinus [s] exiſtimauerit duos fuiſſe Porphyrios, alterum qui contra Chriſtianos ſcripſit, alterum Siculum fama celeberrimum: reliqui omnes plane conſentiunt, vnum tantum eumdemque fuiſſe qui aduerſus Chriſtianos ſcripſit, Porphyrium Platonicum cum eo qui (vt ipſemet [t] teſtatur) diutius apud Lilybæum in Sicilia habitauit.

p Eunap. in Vit. philoſ.
q Cyr. Alex. cont. Iul. lib. 1.
r Id. lib. 1.
s Aug. 2. Retract. 31.
t Porphyr. in vit. Ploti.

VIII. LACTANTIVS SCRIBIT PRO CHRISTIANIS.

u Lact. lib. 1. cap. 4.
x Hieron. de Script. Eccl. in Method.
y Id. in Euſ. & in Apollin.

Vt igitur tam Porphyrij quam Hieroclis in Chriſtianam religionem vulgatos commentarios penitus confutaret, veritatemque calumnijs oppreſſam magis illuſtraret; idem Lactantius nobilem illam ſuſcepit prouinciam, vt *Diuinarum Inſtitutionum* ſeptem luculentiſſimos libros conſcriberet, ſicut ipſemet ſui inſtituti rationem reddens teſtatur [u]; cum tamen eos nonniſi ſub Conſtantino ediderit. Sed eoſdem infames Porphyrij libros ſimul ac prodierunt, aduerſarijs commentarijs egregie confutaſſe inſignem doctrina & ſanctitate *Methodium* Tyri Epiſcopum, Hieronymus [x] eſt auctor: qui & alia eiuſdem Methodij ſcripta recenſens, addit eum ad extremum huius nouiſſimæ perſecutionis in Chalcide Græciæ martyrio coronatum eſſe. Teſtatur [y] inſuper, poſt Methodium etiam Euſebium, ac denique Apollinarem contra eumdem Por-

phyrium commentarios edidiſſe; quem etiam ſparſim tum idem S. Hiero. tum Auguſtinus, Cyrillus, & alij, cum ſe obtulit occaſio, refellere non prætermiſerunt. Demum vero Imperatorijs [z] ſanctionibus ijdem libri comburi iuſſi; penitus defierunt.

z Extat ea de re edictum Theodoſii Iunioris & Valentin. Tertio in Act. Conc. Epheſ. edit. Pelt. to. 5. c. 29.

IX. ARNOBIVS SCRIBIT ADVERSVS GENTES.

Sed admirandum in eo præſertim diuinum conſilium, quod hoc ipſo tempore quo oblatrantium Infidelium ſtudijs Chriſtiana religio oppugnaretur, & maxima omnium perſecutio in eam ingrueret, ſed & Fidelium alij fugam arriperent, latebras quærerent alij, rurſusq; alij tormentorum metu ſuccumberent: hoc inquam, tempore Dominus Ethnicum hominem, eumdemq; Chriſtianorum antea acerrimũ hoſtem, diuina luce perfuderit, moxque antequam plene per baptiſmum fieret Chriſtianus, vel etiam inter catechumenos profiteretur, in ipſos Gentiles debellaturum immiſerit: nempe ARNOBIVM Afrum, inter Rhetores huius temporis facile principem; qui (inquit Hieronymus [a]) cum in ciuitate Siccæ ad declamandum iuuenes erudiret, & adhuc Ethnicus ad credulitatem ſomnijs compelleretur, neque ab Epiſcopis impetraret fidem quam ſemper impugnauerat; elucubrauit aduerſus priſtinam religionem luculentiſſimos libros; & tandem veluti quibuſdam obſidibus pietatis fœdus impetrauit. Porro ſcripſiſſe eos commentarios hoc tempore, poſt promulgatum edictum de incenſione librorum & Eccleſiarum demolitione, ſatis conſtat quod eius ipſe [b] meminerit. Quod autem ſuum illud opus, vt inter Fideles admitteretur, feſtinus abſoluit; hinc plane eſt quod in eo viſus eſt Hieronymo [c] inæqualis & nimius, & abſque operis ſui partitione confuſus. Rurſumque quod nondum plene eſſet rerum Chriſtianarum cognitione imbutus, venia dignus cenſetur ſi aliquibus næuis apparuit commentarius ille reſperſus; qui in eo totus eſt vt refellat multiplices ab Ethnicis illatas in Chriſtianos contumelias.

a Hieron. in Chron. addit. ad Euſeb.
b Arnob. l. 4. in fi.
c Hier. ep. 13. ad Paulin.

X. DE LACTANTII SCRIPTIS.

Habuit olim inter alios inſignes diſcipulos (vt ex eodem Hieronymo [d] colligitur) LACTANTIVM, cuius nuper facta eſt mentio, & ipſum natione Afrum, ſcriptoremque luculentiſſimum; ſed quem ſcholaſticum magis quam Eccleſiaſticum Damaſus [e] Papa cenſuit, & Hieronymus [f] eloquentem potius quam diuinarum ſcripturarum peritum; cuius & libri illi ſeptem *Inſtitutionum*, alijque *de Ira & Opificio Dei*, viſi ſunt quaſi dialogorum Ciceronis epitome. Quapropter ſacrarum Scripturarum ignorantia in enormes lapſum errores alibi docet: [g] vt merito eiuſdem opuſcula percellantur cenſura Gelaſij [h]. Sed errores diuerſis locis librorum ipſius ſparſos, collectos in vnum habes in fine Operum eius recentiorum editionum.

d Id. in Lactant.
e ap. Hier. ep. 124.
f Hier. ep. 13. & 84.
g Id. in ep. ad Gal. l. 2. c. 4.
h Gelaſ. decret. de lib. apocr.

XI. CARNIFICINÆ SANCTORVM DIVERSÆ.

Vt vero ad Perſecutionem redeamus; poſt res Nicomedienſes Euſebius [i] addit, occaſione cuiuſdam in Melitina regione & Syria aduerſus Imperium conſpirationis, nouum exijſſe Imperatorum edictum vt omnes Eccleſiarum Præſides, vtpote de conſpiratione ſuſpecti, in vincula & carceres conijcerentur; indeque accidiſſe vt infinitus numerus Epiſcoporum, presbyterorum, aliorumque Eccleſiæ miniſtrorum, vbique gentium in cuſtodiam concluſus fuerit: mox vero alio promulgato edicto, vt quicumque Chriſtiani detinerentur in carcere, ſi immolare vellent ſinerẽtur liberi abire, recuſantes autem diriſſimis tormentis diuexarentur; innumerabilem tunc Chriſtianorum omnis ſexus & conditionis multitudinem alacri animo martyrium ſubijſſe, ac præſertim in Africa, Mauritania, Thebaide, Ægypto, Syria, & Palæſtina: quorum tamen omnium varia potius ac multiplicia tormenta, diuerſaque necis genera ſummatim idem auctor recenſuit, quam res ipſas aut perſonas ſingillatim deſcripſit; licet & harum nonnullas minime prætermiſerit, atque inter alias *Phileam* Epiſcopum Thmuitenſem, ſanctitate, eruditione & prudentia clariſſimum; de cuius etiam lucubrationibus & martyrio S. Hieronymus [k], necnon tabulæ [l] Eccleſiaſticæ meminere.

i Euſ. 8. hiſt. 6. 10 ſ. &c.
k Hieron. de Script. Eccl.
l Martyr. prid. Non. Febr.

XII.

Interim vero dum hæc in Oriente gererentur, haud minor extitit in Occidente Perſecutio, ac præſertim Romæ. Feruntur inprimis Acta [m] quædam de *Marcellini* Papæ lapſu, deque eius condemnatione in CONCILIO trecentorum Epiſcoporum anno ſequenti Diocletiano octauum & Maximiano ſeptimum Coſſ. decimo Calendas Septembris in crypta Cleopatrenſi in ciuitate *Sinueſſana* celebrato. Sed eadem Acta, licet triplici editione excuſa, adeo cuncta ſunt deprauata, vt perdiſſi. ile ſit ſenſum ex eis Germanum exquiri; & quæ ſcripta legimus Creſconiana antiqua Collectione, haud emendatiora eſſe reperimus. Hoc autem (vt coniectura aſſequi licet) ſignificare prætendunt: nimirum cum Marcellinus Papa, vt thurificaret, per Vrbanum Iouis Capitolini Pontificem inſulſis quibuſdam rationibus pertentatus, eum refelliſſet, & prouocante Vrbano ad iudicium Diocletiani atque Maximiani Imperatorum ipſis Vul. analibus, quæ menſe Auguſti Romæ agebantur, iiſdem Principibus ambo ex condicto obtuliſſent contrarijs ſententijs libello, ſcriptos; Diocletianum conſultius exiſtimantem cum Marcellino leniter agere, blandis cum confabulationibus ad templum Veſtæ perduxiſſe, & ad thurificandum compuliſſe; eiuſque rei teſtes oculatos fuiſſe Chriſtianos viros ſeptuaginta duos, & (vt habent Acta) omnes electos eſſe viros libram Occiduam, qui teſtimonium perhiberent ſe Marcellinum vidiſſe ſacrificantem.

m tom. 1. Concil.

DE MARCELLINI PP. ASSERTO LAPSV.

XIII. DE LIBRA OCCIDVA.

Sed antequam de Actis ipſis diſſeramus; quod attinet ad *Libram Occiduam*, cum inoleuiſſet apud antiquos mos ille vt interdum ponderum notis numerum conſignarent, veluti cum integram hereditatem pondo vnius libræ comprehenderent, partes eius ſecundum libræ pondus in alia quoque minora pondera (quod Voluſius [n] Metianus deſcribit) partirentur; ea ratione libram Occiduam hic vocatam eſſe numerum ſeptuaginta duorum teſtium conſtat, quod ſcilicet ea libra ſeptuaginta duos ſolidos contineret, vt declaratur quibuſdam legibus [o] à Valentiniano ac Valente, itemque ab Arcadio & Honorio Romæ latis. Et puto Occiduam dictam ad differentiam prioris libræ numeri, quæ contineret octoginta quatuor ſolidos, iuxta partitionem prim. (vt videtur) à Conſtantino [p] Imperatore factam in Oriente, qua ſtatuit continere auri vnciam ſeptem ſolidos, quemlibet vero ſolidum quatuor appendi ſcrupulis; cum alioqui nonniſi viginti quatuor ſcrupuli pondus ſit vnciæ. Cum vero per Conſtantinum & Valentinianum illud ſit diſcrimen inductum inter libram Occiduam & Orientalem, nec penes antiquiores ſit reperiri eiuſmodi differentia, cum nonniſi vna eſſet vbique libra; plane intelligi poteſt, Acta illa Marcellini nequaquam his temporibus eſſe conſcripta, ſed poſt dictas promulgatas leges quibus inter vtramque libram diuerſitas illa orta eſt.

n Ext. poſt Cod. Theod.
o l. quotieſcumque C. de ſuſceptor. lib. 10 & l. 1. C. Th. de oblat. vot.
p l. 1. C. Th. de ponderat.

XIV. DE ACTIS MARCELLINI.

His autẽ declaratis, vt de Actis recenſitis agamus quãuis ea veneranda extent antiquitate ſignata, veteribus teſtata monumẽtis, tabulis Eccleſiaſticis cognita, plurimorumque teſtificationibus confirmata; tamen de veritatis certa fide dubitandum, multa monere viderentur: atque inprimis quæ in ijſdem Actis parum ſibi conſtantia notantur. Quid enim eſt quæſo, quod cum in templum Veſtę & Iſidis introductus à Diocletiano Marcellinus dicatur, non tamen illis dijs, ſed Herculi, Ioui, & Saturno thurificaſſe narratur? cum ſecundum diuerſa numina, diſtincta quoq; ſolerent eſſe templa deorum ac eorum pariter cultus; nec in templo Veſtæ coli Iouem, vel in templo Iouis Veſtæ ſacra fieri ſolita, vel Marti, aut ceterorum cuipiam deorum, certum ſit? Deinde quonam pacto aſſeritur hoc tempore, quo maximæ omnium perſecutionis flagraret incendium, valuiſſe trecentorum Epiſcoporum cogi cõuentum, paulo minorem illo qui ſub maxima omnium Eccleſiæ pace, totis viribus adnitente ipſo Conſtantino Imperatore, Nicææ fuit poſtea congregatus? Sed & quomodo in fine eorumdem Actorum de Diocletiano traditur, eodem ſequenti anno quo Concilium celebratum ponitur, expeditionem aduerſus Perſas comparaſſe, quos certum eſt iam anno ſuperiori fuiſſe ſuperatos?

XV. TESTIMONIA ANTIQ. PRO MARCELLINO.

At licet iſta ſatis fortia videri poſſint, addi tamen & alia fortiora valent. Si enim Græcos auctores de eodem

Marcellino conſulas, ſatis conſtat Euſebium[q] non nouiſſe eius lapſum, ſed martyrium tantum; & Theodoretum[r] aperte de illo teſtari, magna fuiſſe gloria in iſta perſecutione nobilitatum. Immò & inter Latinos, qui vnus inſtar omnium videri poſſit S. Auguſtinus, cum Petilianus acerrimus Donatiſtarum patronus & Pontificum Romanorum hoſtis, eumdem Marcellinum traditionis ſacrorum codicum & thurificationis crimine argueret; Sanctus inquam, Auguſtinus aduerſus eum iterum[s] ſcribens, omnino negauit id aliquando accidiſſe, eumdemque Marcellinum plane innocentem fuiſſe pronunciauit. At quomodo tam libere atque ſecure, id à Donatiſtis nulla probatione iactari affirmare auſus eſſet, ſi vel extitiſſent eius rei Acta, vel ipſa res pro conſtanti tunc habita fuiſſet? Aut ſi hæc vere geſta eſſent, quomodo ea ſolus Auguſtinus ignorare potuiſſet, quæ in medio Vrbis in qua ipſe diu verſatus eſſet, ac coram Imperatore & in templo idolorum facta eſſent, à tali præſertim tantoq; viro, & à tanto Concilio trecentorum Epiſcoporum condemnato? Vel denique cur id Auguſtinum negantem Petilianus aduerſarijs ſcriptis poſtea nō redarguit; & à ſe abſque aliqua probatione antea dicta, adeo ceteris firmiſq; teſtimonijs poſtea non confirmauit? Sed & cum non Marcellinum tantum thurificationis criminis Petilianus argueret, verum etiam (teſtante ibidem Auguſtino) Marcellum, Melchiadem, atque Silueſtrum Eccleſiæ Romanæ Epiſcopos; plane videri poteſt eadem facilitate ac falſitate qua ceteros, de quibus nulla vmquam fuerit ſuſpicio, ſugillaſſe etiam Marcellinum, in quem nihil amplius quam in reliquos intulerit: cum præſertim nec reliqui eiuſdem temporis Donatiſtæ in tot Concilijs & Collationibus, nec ipſorum maiores tempore Conſtantini Imperatoris, cum omnem verterunt lapidem, vt vnum Diaconum Cæcilianum criminis traditionis arguerent, non pariter Melchiadis de quo querebantur quod eum abſoluiſſet, aliorumque Romanorum Pontificum, ac Marcellini præſertim, cum opus fuit (quod & Auguſtinus obijcit) lapſus prodiderint ac probauerint; qui alioqui (vt videbitur ſæpe inferius) conſueuiſſent abdita quæque perueſtigare, & quæ non inueniſſent facta mentiri, vt Catholicos crimine thurificationis vel traditionis aſpergerent.

SVSPICIO DE IMPOSTVRA.

XVI. Potuit vero accidere, vt cum tempore Petiliani viderent Marcellini lapſum ſæpius obiectum, nec probatum; ijdem poſtea eadem Acta commenti fuerint, atque ex ijs nulla diligentiori habita veritatis perquiſitione, illa de Marcellino aſſertio à multis credita, in tabulis etiam Eccleſiaſticis deſcripta fuerit. Neque adeo mirum videri debet, ſi rumor ille de Marcellini lapſu ore vulgi diffamatus extiterit ex quadam forte eiuſmodi ſuſpicione ortus; cum poſtea viderimus, fabulam illam inaniſſimam & falſiſſimam de Ioanna Papiſſa (quæ ſuo loco recitabitur multorum ſæculorum credulitate, & plurimorum magni nominis hiſtoricorum auctoritate ſuffultam fuiſſe.

XVII. LAPSVS ASSERTVS MARCELLINI NON OBEST ROM. SEDI.

At de his modo ſatis; quæ à nobis ex munere elucidandæ hiſtoricæ veritatis ſunt allata, non autem vt lapſus Romanorum Pontificum, ſi vere contigerint, quouis prætextu ſiue in Marcellino, ſiue in alijs excuſandos ſumamus. Quantumlibet enim conſenſerimus id accidiſſe, (nec certe animus eſt hic ceteris præſcribere vt aliter ſentiant) nihil eſt tamen quod huiuſmodi peccatum circa charitatem metu mortis actu externo commiſſum (quale fuit olim Petri Apoſtoli negationis) aliquod præiudicium afferat Catholicæ veritati, fideique ſinceritati, quæ ſemper in Eccleſia Romana illibata permanſit, & in æternum eſt permanſura. Sed & illud notandum, ex iiſdem Actis valde confirmari auctoritatem Romani Pontificis. Licet enim de actu infidelitatis Marcellinus accuſatus, & tot teſtibus conuictus ibi referatur; tamen numquam trecenti illi Epiſcopi auſi ſunt in eum ferre ſententiam damnationis, antequam ipſe ſe condemnaſſet: quin potius ſæpe ab omnibus acclamatum eſt, PRIMA SEDES A NEMINE IVDICABITVR: *tu reus, tu iudex, noli à nobis iudicari: ex ore tuo iuſtificaberis, & ore tuo condemnaberis*: & alia eiuſmodi.

XVIII. MARCELLINI PRESBYT. ET PETRI MARTYRIVM.

Sed iam à Marcellino Romano Pontifice, ad Marcellinum eiuſdem Eccleſiæ presbyterum tranſeamus. Inter multos enim qui his temporibus ex Romano Clero reperiuntur ſubiiſſe martyrium, enituit maxime eiuſdem *Marcellini* presbyteri & *Petri* exorciſtæ certamē: qui quod multos, etiam in vinculis conſtituti, ad fidem Chriſti hortationibus & miraculis conuerterent, interq; alios Arthemium carceris cuſtodem, cuius filiam arreptam à dæmone liberaſſent; ijdem vt malefici longius amandati, ad Siluam Nigram perducti ſunt capite truncandi, quorum animæ in cœlum ferri viſæ ſunt, corpora Senatoriæ quædam Chriſtianæ fœminæ diuinitus monitæ ſepeliere. Locus vero martyrij eorumdem memoria illuſtris redditus, à Fidelibus mutato nomine *Silua Candida* dictus eſt, idemque præ martyrum excellentia ſede quoque Epiſcopali poſtea inſignitus. Sed & illorum memoriam Conſtantinus Magnus via Lauicana erecta Eccleſia digne proſecutus eſt, eorumdemque nomine fuit Romæ Titulus inſtitutus. Denique extant ipſorum ac ſociorum martyrum Acta[t], quæ reddita Eccleſiæ pace, ab ipſo qui eos decollauit nomine Dorotheo, Damaſus Papa tunc Lector & adhuc puer accepit; idemque nobili Epitaphio eorum ſepulturam iam Pontifex exornauit.

XIX. Tunc quoque enituerunt nomine celebres *Maximus* presbyter & *Siſinius* diaconus eiuſdem Eccleſię Romanę, gloria confeſſionis & virtute miraculorum illuſtres: qui pro religione Chriſtiana amplificanda egregiam nauantes operam, inter alios *Faltonium Pinianum* virum Conſularem, eiuſque coniugem *Lucinam* ad Chriſti fidem opportune perduxerunt; qui facti ſunt Romæ agentibus Fidelibus ab impetu perſecutorum perfugium atque ſolatium. Quomodo vero iſta ſe habuerint, quibuſq; mortis generibus ijdem Maximus, Siſinius, & alij plurimi martyrium conſecuti fuerint; declaratur pluribus in eorum Actis[u], quæ hactenus extant, in aliquibus tamen corrigenda. In quibus etiam legas, nonnullos ex perſecutoribus arreptos à dæmonibus miſere perijſſe: quæ haud diſſimilia ab ijs noſcuntur quæ à Tertulliano in libello ad Scapulam, & ab alijs alibi recenſentur. Porro ex hoc Piniano illum S. Albinæ generum fide Chriſtiana clariſſimum proueniſſe putamus; cuius nomen tum Hieronymi, tum etiam Auguſtini chartis egregie illuſtratur. At de reliquis martyribus dicetur anno ſequenti.

XX. Præ omnibus autem prouincijs ſenſit Eccleſia Africana iacturam, quæ nullo vmquam remedio poſterioribus temporibus redimi valuit: non quidem cæde martyrum (nam id lucrum fuerat exiſtimandum) ſed quod Epiſcopi complures impio parentes Imperatorum edicto, ſacros codices cum tradidiſſent, vna ſimul conſpirantes aduerſus pios, ſchiſma immortale conflarunt, de quo poſtea. Quamuis non defuerint etiam illic plurimi, qui tormenta mortemque ſubire maluerint, quam eoſdem ſacros codices comburendos Iudicibus tradere: quorum omnium primus fuiſſe reperitur *Felix* Epiſcopus Thibarenſis, in cuius martyrio Luna in ſanguinem eſt conuerſa, vt teſtantur ſinceraipſius Acta[x], ex Geſtis Proconſularibus magna ex parte (vt apparet) accepta; & eiuſdē celebratur memoria in tabulis[y] Eccleſiaſticis. Similiter etiam in Actis Proconſularibus Saturnini & ſociorum, de quibus agetur anno ſequenti, eſt mentio de aliorum infracti animi conſtantia, quam ne traderent ſacros codices, neue ſacros conuentus permitterent, pœnis ſubijci ſæpius ac denique morte mulctari fortiter pertulerunt. Vbi & ingens narratur miraculum de ſacris Scripturis à Fundano Epiſcopo Alutinenſi traditis; quas cum magiſtratus igni apponeret, repentina pluuia ſereno cœlo ignis extinctus eſt, adhibitiſque grandinibus tota illa regio deuaſtata.

MARTYRES AFRI OB NON TRADITAS SCRIPTVR.

XXI. MARTYRES LEGITIME PROBABANTVR.

Porro vigebat his temporibus in Africa conſuetudo (quamuis in alijs quoque prouincijs ſeruatam credimus) vt quamuis immenſus eſſet martyrum numerus ingraueſcente perſecutione, non tamen abſque delectu omnes qui paſſi eſſent in Eccleſiaſticas martyrū tabulas referrentur, neque paſſim cunctis deferretur honor & cultus probatis tantum martyribus debitus. Sub cuius enim Eccleſia

[q] Euſ. lib. 7. cap. 26.
[r] Theod. l. 1. cap. 3.
[s] Aug. de vnic. bapt. cont. Petil. cap. 16. & cont. lit. Petil. lib. 2. cap. 92.
[t] ap. Sur. 2. Iunij.
[u] Ibid. 11. Maij.
[x] Ibid. 24. Octob.
[y] Martyrol. Rom. 9. Cal. Nouemb.

aliquis paſſus eſſet, Epiſcopus rem geſtam ad Primatem eius prouinciæ perferebat, ille vero rurſum ad totius Africæ Primatem Carthaginenſem Epiſcopum, qui omnibus accurate perſpectis, & (vt puto) communicato cum alijs Epiſcopis conſilio, decernebat cuinam martyris cultus deberet impedi, cuiue denegari. Eſt enim de his egregium exemplum Menſurij huius ipſius temporis Epiſcopi Carthaginenſis, iteras [a] reſcribentis ad Secundum Primatem Numidiæ, quibus illos interdixit honore martyrij, qui non diuini Spiritus impulſu, ſed temeritate quadam, nulla à perſecutore facta interrogatione, ſe ſacros habere codices quos non eſſent daturi profiterentur. Eademque ex cauſa contra Cæcilianum eiuſdem Menſurij in Eccleſia Carthaginenſi Archidiaconum, exarſit furor Lucillæ potentiſſimæ fœminæ natione Hiſpanæ; quæ ab eo correpta quod ante ſacræ Euchariſtiæ ſumptionem (vt ait Optatus [a] hæc narrans) os neſcio cuius hominis mortui, etſi martyris, ſed nondum vindicati, libare diceretur; magna iracundia in eum debacchata eſt, vnde infinitæ poſtea turbæ ſecutæ ſunt, de quibus agetur inferius ſuis locis.

a Ext. ap. Aug. in Breuic. Collat. di. 3. cap. 13.

a Opt. lib. 1. cont. Parm.

IESV CHRISTI AN. 303.

DIOCLET. ET MAXIMIANI AN. 20.

MARCELLINI AN. 8.

I. CIRTENSIS SYNODVS TRADITORVM.

ANNO Chriſti trecenteſimo tertio, Diocletiano octauum & Maximiano ſeptimum Auguſtis Coſſ. quarto Nonas Martij, cum Cirtam in Numidia vna cum Secundo Epiſcopo Tigiſitano Numidiæ Primate conueniſſent nonnulli alij Antiſtites, vt ibi in locum defuncti Epiſcopum ordinarent; cognita eſt pariter cauſa Epiſcoporum, qui codices ex Imperatorum edicto comburendos tradidiſſent. Cumque ij ferme omnes qui illi conuentui intereſſent, ab eodem Secundo conuincerentur de traditione; ipſe pariter de eadem à Purpurio Limatenſi Epiſcopo, reo necis filiorum ſororis ſuæ, accuſatus; de quorumdam qui ſupererant cōſilio, ad vitandum ſchiſma eos omnes in communionem recipere coactus eſt, cauſam eorum Deo reſeruans: ſicque ab omnibus ſimul ordinatus eſt Epiſcopus Cirtenſis, quidam Paulus nomine, qui hoc eodem anno conuentus à magiſtratibus, libros & Eccleſiæ ſupellectilia tradidit; ſicut & Siluanus tunc eiuſdem ſubdiaconos, poſtea vero & ipſe Cirtenſis Epiſcopus. Conſtant autem iſta, tum ex ipſis eiuſdem CIRTENSIS CONCILII Actis, quæ ab Auguſtino [a] & Optato [b] recitantur, (licet in menſe & die celebrationis, alter ab altero nonnihil diſſentiat) tum ex alijs Actis ijſdem huius anni Coſſ. decimoquarto Calendas Iunij ibidem Cirtæ ſub Munatio Felice Flamine perpetuo Curatore Coloniæ Cirtenſis habitis, quæ pariter Auguſtinus [c] recitat ex alijs item Proconſularibus Geſtis imperante Conſtantino aduerſus eumdem Siluanum habitis ſub Zenophilo Conſulari, in quibus illa Munatij fuerant recitata ac ſimul intexta; cum & alioqui extent [d] hactenus eadem ipſa integra Zenophili acta.

a Auguſt. 3. cont. Creſcon. 26 &c.
b Opt. lib. 1. cont. Parm.

c Aug. ibid. cap. 29.

d Rec. Bar. An. hoc anno.

II. Porro cum longe poſtea tempore Auguſtini, Donatiſtæ horum Traditorum progenies, in celeberrima illa Collatione Carthaginenſi prædicta Cirtenſia Epiſcopalia Geſta negarent, dicentes non potuiſſe tunc colligi Epiſcopos, quod ingrueret perſecutio; inſtarentq; vt hoc ex alijs Concilijs Epiſcopi Catholici oſtenderent, ſi aliquo tempore perſecutionis facta Epiſcoporum Concilia reperire potuiſſent; tuncque Catholici nihil aliud quam Geſta quædam ſanctorum martyrum protulerint, quibus probaretur huius perſecutionis tempore licet Eccleſiæ dirutæ eſſent, in domibus priuatis Chriſtianorum conuentus agi conſueuiſſe: ex his inquam (quæ quidem S. Auguſtinus [e] recitat) manifeſte etiam apparet, de celebri illo quod hoc ipſo anno dicitur factum trecentorum Epiſcoporum Concilio in cauſa Marcellini, de quo dictum eſt anno ſuperiori, nullam penitus fuiſſe eodem Auguſtini tempore memoriam apud Catholicos Africanos Epiſcopos; quo vnico exemplo à Donatiſtarum cauillatoria obiectione ſe confeſtim liberare potuiſſent.

e Aug. Breuic. Coll. di. 3. cap. 17.

Ipſa vero tunc à Catholicis citata atque edita martyrum Acta, quibus de celebratione ſacrorum Conuentuum agebatur: ex Geſtis Proconſularibus excepta, hactenus extant [f] ſub nomine SS. *Saturnini* presbyteri Alutinenſis in Africa & ſociorum, qui eorumdem Conuentuum occaſione diriſſima ſunt paſſi tormenta. Siquidem ex ijs conſtat, etiam flagrantiſſimæ perſecutionis tempore adeo ſolicitos fuiſſe Chriſtianos, Synaxes agere, & (vt ibi vocatur) *Dominicum celebrare*, hoc eſt, ipſum ſacroſanctum incruentum ſacrificium (hoc enim ea voce ibi ſignificari [g], apertiſſime demonſtrant interrogationes Proconſulis & reſponſiones martyrum; cum alias frequentius accipiatur pro Eccleſia, in quam Fideles conuenire conſueuerunt) vt nefas putarent illud quacumque de cauſa omittere; potiuſque mori parati eſſent, quam eo carere ſine quo eſſe Chriſtiani non poſſent, vt profeſſi ſunt coram Proconſule. De qua eadem Eccleſiaſtica diſciplina in Orientali Eccleſia vigente, eſt etiam huius ipſius temporis ſimile teſtimonium in Actis S. *Anyſiæ* [h] martyris Theſſalonicenſis; quæ cum iret ad Dominicum, necata eſt ab vno ex ſatellitibus Imperatoris. Quamuis enim (vt diximus) ea vox etiam pro templo accipiatur; tamen quod edicto Imperatorum Eccleſiæ omnes ſolo æquatæ fuiſſent, nonniſi ſacrificium Miſſæ poſſe intelligi, ſatis ex prædictis Africanorum Actis declaratur.

III. PERSECVTIONIS TEMPORE AGI SOLITI CONVENTVS ECCLESIASTICI.

f ap. Sur. 11. Febr.
g De hoc vide, ſi lubet, Not. Baron. in Rom. Martyrol. 25. Decemb.

h ap. Metap. & Sur. 30. Decemb.

IV. Sed quod rurſum ad eadem Acta ſpectat; ſciendum eſt ſuperadditam illis fuiſſe à poſterioribus Donatiſtis (vt manifeſte apparet) Appendicem contra Menſurium Epiſcopum Carthaginenſem, atque Cæcilianum tunc ipſius diaconum, quos vehementi odio proſequebantur; dum illum non ſolum traditorem fuiſſe librorum calumniantur, ſed & auctorem vt ijdem martyres in carcere conſtituti fame necarentur; procurantem videlicet per Cælianum ne vlli cibi illis inferrentur. En quo prouenerit ſchiſmaticorum procacia (quod ſæpius Auguſtinus deplorat) vt tam impudenter in Catholicos fide probatiſſimos moribuſque ſanctiſſimos, illud ipſum crimen quod ipſi turpiter perpetraſſent, impingerent! Porro hanc Appendicem nondum fuiſſe confictam quando ab Epiſcopis Catholicis Auguſtini tempore (vt diximus) eadem Acta aduerſus Donatiſtas ſunt prolata, vel inde neceſſario, quod in tot Concilijs alijſque Geſtis antea in cauſa Cæciliani habitis, numquam ſunt ab ipſis eius impugnatoribus citata: Itemque quod veri nulla ſit ſimilitudo, in prædicta illa Collatione Carthaginenſi Catholicos eiuſmodi publicis Actis vti voluiſſe, quibus tam aperte Menſurij atque Cæciliani adeo immania ſcelera probarentur, quorum ijdem innocentiam atque integritatem tantopere propugnabant. Sed vafer Donatiſta eiuſdem Appendicis concinnator, quod ſciret à maioribus ſuis Menſurium & Cæcilianum eorumdem criminum accuſatos eſſe, ſed plane in omnibus tam Epiſcopalibus quam ſæcularibus iudicijs eorumdem innocentiam eſſe probatam, Donatiſtis haud valentibus probare quæ nulla ratione effutirent; veris certiſque martyrum Actis attexuit Appendicem illam, poſtquam denuo in magno illo Collationis conuentu Donatiſtæ à cauſa penitus excidiſſent. Sed de his plura ſuis quibuſque locis.

CALVMNIÆ IN MENSVRIVM ET CÆCILIANVM.

V. Quod vero ſpectat ad reliquos martyres huius Diocletiani Perſecutionis; inter plurimos quorum tum Romæ tum in ceteris Italiæ prouincijs fortiter paſſorum memoriam tabulæ conſeruant Eccleſiaſticæ, eoſq; quorum adhuc extant, ſed incerti temporis, Acta: (nam quorum certi ſunt dies & Conſules, ſuis meminimus locis) inſigniter enituit S AGNETIS Romanæ virginis duodecim tantummodo annorum illuſtre martyrium, ſcriptorum prope omnium memoria celebratum; in cuius natali die S. Ambroſius *de Virginibus* tractationē tribus libris diſtinctam conſcripſit, eandemq; egregijs præconijs laudauit. Cuius etiam Sancti Doctoris nomine fuſius deſcripta habentur eiuſdem virginis martyrij Acta, ab ijs tamen quæ in prædicto tractatu de Virginibus traduntur nonnihil diſcrepantia. Pro caſtitate vero & fide certaſſe, vtriſque

S. AGNETIS MARTYRIVM.

plane

i Prud. hym. 14. k Hier. ep. 8. ad Demetr.

plane ſcriptis confirmatur. Cecinit & Prudentius [i] ſacro hymno eius agonem, interſeruitque hiſtoriam, quomodo ad proſtibulum damnata, diuinitus liberata fuerit. Denique (vt de ea ſcribit Hieronymus [k]) omnium gentium literis atque linguis præcipue in Eccleſiis Agnes vità laudata eſt, quæ & ætatem vicit & tyrannum, & titulum caſtitatis martyrio conſecrauit.

VI. l Martyrol. Rom. 25. Aug. & Acta ipſius ap. Sur. tom. 4. Mimi martyres. m Lucia. de ſaltat. prope f. n Martyrol. & Menol. 18. Calen. Maij. o Au. ep. 67.

Sed nec illud egregium ſpectaculum hic recitare prætermittimus, quod Vrbi præbuit [l] *Geneſius* mimus; qui in theatro Imperatore ſpectante, cum myſterijs Chriſtianorum illuderet, repente Dei virtute mutatus, ſerio agere cœpit quod iocis antea actitabat; vſque adeo vt perfecte factus Chriſtianus, poſt multa tormenta martyrij palmam conſecutus fuerit. Longe plane felicius, quam ille miſer qui Aiacis furentis perſonam agens, tantopere eo eſt raptus affectu, vt in inſaniam vere fuiſſe conuerſum recitet Lucianus [m]. Porro quod Geneſio accidit, *Ardaleoni* quoque contigiſſe, eumque minum ex ioco factum ſerio Chriſtianum & martyrem, tam Græcorum quam Latinorum tabulæ [n] teſtantur. Eſt autem longe diſſimile illud quod de *Dioſcoro* Architheatro ad Alydium Auguſtinus [o] ſcribit; qui in deridendis Chriſtianorum rebus eſſe ſoleret effuſus, effectus & ipſe licet ſæpe fruſtra renitens Chriſtianus.

VII. Immanitas perſecutionis. p Euſ. 8. hiſt. 13.

Quibus auté exagitatæ fuerint cladibus Eccleſiæ Galliarum & Hiſpaniarum ſub Rictiouaro & Daciano crudeliſſimis Præfectis, aliæque Occidentales prouinciæ ſub alijs eiuſmodi feris rabidis, neminem puto pro dignitate aſſequi aliquando oratione poſſe. Quandoquidem cum vniuerſum Romanum Imperium refertum eſſet cultoribus Chriſti, & tota vis Imperatorũ in hoc poſita vt Chriſtianam religionem radicitus extirparent; non prouincia, non ciuitas, oppidum, vicus, rus, prædium; caſa, vel hortus, aut angulus extitit, in quibus de Chriſtianis cuiuſcumque eſſent ordinis vel dignitatis, ſexus & ætatis, non fuerit habita diligens inquiſitio, & crudelis animaduerſio. Cum præſertim hoc ipſo anno (qui numeratur ab Euſebio [p] ſecundus perſecutionis) generale rurſum ab Imperatoribus promulgatum, vt ait, fuerit edictum, vt vniuerſa plebs in ſingulis ciuitatibus idolis immolare omnium tormentorum generibus cogerentur. Ac præterea in ſuperius citatis Actis S. Aniſiæ martyris tradatur, ab ijſdem Imperatoribus licentiam vniuerſis conceſſam eſſe, vt quos vellent Chriſtianos ſine pœna occidere poſſent.

VIII. Victorinus martyr in Gallia. q Hieron. de Script. Eccl. in Victor. r Conc. Rom. decr. de lib. apocr. s Hier. ep. 35. t Conc. Rom. ſub Silueſt. cap. 1.

Sed inter quamplurimos alios celebres martyres in Gallijs tunc paſſos *Victorinus* Epiſcopus Pictauienſis excelluit, qui & ob multiplices commentarios à ſe editos; quos S. Hieronymus [q] recenſet, clarus eſt habitus inter Scriptores Eccleſiaſticos, licet (vt ait idem auctor) quod non æque Latine vt Græce noſſet, opera eius grandia ſenſu, viliora viderentur compoſitione verborum. Quod vero Gelaſius [r] Papa recenſuerit eius opuſcula inter apocrypha, duplex potuit eſſe ratio; tum quod (vt de eo idem teſtatur [s] Hieronymus) in explanatione Scripturarum ſecutus eſſet Origenem, tum etiam quod Millenariorum eſſet ſectatus opinionem. Quod autem reperiatur in Romano Concilio [t] habito ſub Silueſtro, cuiuſdam *Victorini* illic præſentis damnatio, qui Paſchale feſtum decimo Calendas Maij diceret celebrandum: rerum ignarus, abſque aliqua teſtificatione antiquioris editionis addidit ei nomen *Pictauienſem Epiſcopum*. At quomodo quæſo, ſub Silueſtro temporibus Conſtantini potuit Victorinus Pictauienſis illi intereſſe Concilio, quem multos ante annos conſtat fuiſſe martyrio coronatum?

IX. u ap. Sur. 25. Octob. Rictiouarus dat pœnas crudelitatis.

Porro quem finem acceperit Rictiouari Præſidis ſæua crudelitas, Acta [u] ſanctorum martyrum, quos multi affectos ſupplicijs Sueſſione interfici iuſſit, *Criſpini & Criſpiniani* declarant, dum aiunt ipſum cernentem ſe nihil ſuis efficere ſupplicijs, furibundum & (vt creditum eſt) arreptum à dæmone, in ignem ſeſe præcipitaſſe.

X. S. Vincentius martyr. x ap. Metap. & Sur. 22. Ianuar. y Prud. Periſt. hym. 5.

In Hiſpanijs vero præ alijs infinitis omnis ſexus, ætatis, & conditionis martyribns, ex diriſſima perſecutoris crudelitate celeberrimus extitit *Vincentius* diaconus Cæſarauguſtanus, opere, ſermoneque pollens, Valentiam ad ſupplicium amandatus: cuius extant [x] martyrij Acta fideliſſima, non tantum Latinis, ſed & Græcis ob ſuam excellentiam facta conſpicua; quæ etiam Prudentius [y] ſacro hymno cecinit, & omnes ferme Latini Patres celebrarunt. Innumerabilem autem propemodum fuiſſe multitudinem eorum, qui Cæſarauguſtæ diuerſo cruciamentorum genere tunc martyrij coronam conſecuti ſunt, S. Catholica Eccleſia teſtatur in ſuis [z] tabulis: & Prudentius [a] ſcribit, vix eam ciuitatem numero martyrum cedere ipſi Romæ. Sed maior omnium ille tumulus erat, qui cineres combuſtorum martyrum prope innumerabilium continebat: quos ab alijs cineribus candore diſtinctos, atque ſelectos, ſimulque congeſtos, *Maſſam candidam* dictam ferunt.

z Martyr. Rom. 3. Nouemb. a Pruden. hym. 4. in laud. 18. mart. Cæſaraug.

XI. Alii martyres in Hiſpania. b Mart. Rom. 16. April. c Pru. hym. 3. d Conc. Eliber. cap. 60. e Greg. Tur. 1. de glor. mart. 91. f Iſid. hiſt. Goth. æra 491.

At quam immanis eſſet Daciani Præfecti crudelitas, in Deo dicato puriſſimo *Encratidis* virginis corpore ibidem Cæſarauguſtæ ſtylo ferreo preſſis plane notis perpetuo monumento teſtata remanſit; dum [b] eius laniato corpore, mammilla abſciſſa, iecore auulſo, adhuc ſpirantem in carcere incluſit donec vlceratum corpus putreſceret. Sed & valde inſignis extitit duarum *Eulaliarum* triumphus; quarum altera Barcinone Crucis ſupplicium paſſa eſt; Emeritæ altera, duodecim tantum annos nata, poſt plurima tormenta nouiſſime in equuleo ſuſpenſa & exungulata, faculis ardentibus ex vtroque latere appoſitis, hauſto igne ſpiritũ reddidit. Huius martyrium cecinit hymno ſacro Prudentius [c]: vbi inter alia de teneræ virginis pluſquam virilis pectoris infracto robore, ait in Præfecti oculos deſpuiſſe, ſimulacra diſſipaſſe, & quæ ad ſacrificãdum oppoſita erant pedibus proculcaſſe. At vero quod ceteri Chriſtianorum Eulaliæ exemplo permoti, intrepido animo ad idola frãgẽda paſſim proſilirent diſpendio vitæ ſuæ; non placuit Hiſpanis Epiſcopis, quod priuato impulſu diuini Spiritus Chriſti virgo feciſſet, ab omnibus temere vſurpari. Quamobrem qui paulo poſt Eliberim conuenerunt, canonem ſtatuerunt [d], vt ſi quis idola frangeret, & ibidem occiſus eſſet, in numerum martyrum non reciperetur. Ceterum agunt de eadem virgine plures alij; inter quos Gregorius [e] Turonenſis multa habet de miraculis ad eius ſepulchrum fieri ſolitis. Et ſcribit Iſidorus [f], Gothos ab Emerita abſtinuiſſe, territos oſtentis beatiſſimæ Eulaliæ.

XII. Oſii confeſſio. g ap. Atha. ep. ad Solit.

Qui etiam hoc tempore nobiliſſimæ Eccleſiæ Cordubenſi præerat magnus ille Osivs toto Orbe celeberrimus, de quo ſæpiſſime agendum inferius; & ipſe inter reliquos ciuitatis ſuæ martyres, hac eadem perſecutione Chriſti fidem magna conſtantia coram Præſide confeſſus eſt; ſicut ipſemet poſtea in literis [g] ad Conſtantium Imperatorem ſcriptis teſtatus eſt. Quod vero tum ipſe, tum æque gloria confeſſionis inſignis *Valerius* Epiſcopus Cæſarauguſtanus, & ſiqui alij eiuſmodi, nequaquam vt complures alij martyrium conſummauerint; id quidem ea ex cauſa accidiſſe putamus, quod dum adhuc detinerentur in carcere, Diocletianus atque Maximianus ſe abdicauerint Imperio, ſicque perſecutio aliquantum remiſſa fuerit: licet ea ſemel ab ijſdem Imperatoribus excitata, ad decennium vſque (quod omnes affirmant) eodem quo inchoata eſt nomine propagata fuerit.

XIII. Martyres in inſulis. h ap. Niceph. lib. 14. inſ.

Peruaſit & inſulas eiuſdem furoris impetus. Siquidem nonnullos in Britannia paſſos, alioſque in Sardinia, habent tabulæ Eccleſiaſticæ. Et in Palmaria inſula quæ adiacet Latio, *Anaſtaſia* mulier Senatoria, cum poſt diram & immitem cuſtodiam à viro ſuo Publio homine Ethnico, Romæ in priuatis ædibus toleratam (in qua tamen à *Chryſogono* fortiſſimo Chriſti Confeſſore multũ roborata fuit; quorum extant [h] vltro citroque datæ ea de re literę) demum eo defuncto in eamdem inſulam deportata cum ducentis viris & ſeptuaginta fœminis (qui omnes varijs interfectionibus martyrium conſummarunt) poſt alia rurſum tormenta ſuperata, igne feliciter migrauit in cœlum. Inter eos vero qui Siciliam ſuo ſanguine inſigniter illuſtrarunt, præcipua effulſit claritate *Lucia* virgo Syracuſana: quam cũ lenones, quibus à Paſchaſio Præfecto tra-

S. Luciæ martyrium.

dita fuerat, vt à populo virginitati eius illuderetur, ducere vellent, nulla vmquam vi, vel funibus additis, vel boum iugis plurimis, loco mouere potuerunt: deinde vero picem, reſinam, feruens oleum nihil læſa ſuperans, tandem gladio percuſſa martyrium conſummauit. Referuntur hæc breuiter in tabulis [i] Eccleſiaſticis; quæ fuſe narrant ipſius Acta [k] ore omnium decantata, & à pluribus omni genere ſcriptionis celebrata. Extant vero etiam huius anni notata Conſulibus, *Euplij* diaconi Catanenſis Acta perbreuiter, ſed fideliter ſcripta, qui cum inuentus eſſet legere Euangelia, & docere Chriſtianos, iuſſu Caluiſiani Conſularis poſt alia tormenta, Euangelio ad collum appenſo decollatus eſt pridie Idus Auguſti.

Martyrol. Rom. 11. Dec. k ap. Sur. tom 6.

XIV.

At de martyribus prouinciarum Occidentalium hactenus: cum præter iſtos pauciſſimos, quos exempli tantummodo gratia recenſere voluimus, aliorũ quamplurimorum natales dies adſcripti habeantur publicis Eccleſiaſticis tabulis; maiorq; plane ſit eorum numerus, quorũ memoriam priuatim ſingularum Eccleſiarũ monumenta celebrant; innumerorum vero memoria penitus exciderit. Adeo namque acerbe ipſa perſecutio graſſata eſt, vt creditum à Gentilibus fuerit, Chriſtianam religionem eſſe penitus abolitam; ac de ſubactis deletiſque Chriſtianis, columnas erexerint. Hæc enim Cluniæ in Hiſpania inſcriptio legitur: DIOCLETIAN. IOVIVS MAXIMI. HERCVLEVS CÆSS. AVG. AMPLIFICATO PER ORIENTEM ET OCCID. IMPE. ROM. ET NOMINE CHRISTIANOR. DELETO QVI REMPVB. EVERTEBANT. Ruſuſque ibidem hæc altera: DIOCLETIAN. CÆS. AVG. GALERIO IN ORIENTE ADOPT. SVPERSTITIONE CHRISTI VBIQVE DELETA, CVLTV DEORVM PROPAGATO. Eademq; leguntur etiam [l] Areuaci Hiſpaniæ in columnis pluribus. Nec vero tantum Hiſpanijs eiuſmodi fuiſſe de Chriſtiana religione proſtrata erecta trophæa, ſed toto orbe Romano ſimiliter factitatum exiſtimamus; verum in odium impietatis & impiorum Principum, reddita Eccleſiæ pace eadem penitus fuiſſe deleta: hæc autem relicta memoriæ cauſa, non ſine nutu diuino, vt eiuſmodi monumentis immanitas perſecutionis intelligi poſſet, ac longe minora eſſe quæ de Martyribus tunc paſſis diuerſis in locis ſcripta habentur, quam quæ à prouinciarum Præſidibus facta ſunt.

TROPHÆA INANIA DE EXTINCTA CHRISTI RELIGIONE.

l Hab. Ald. Manut. poſt Schol. in Comment. Caſ & Adolph Occ. de numiſm. in Dioclet.

CONSTANTII ET GALERII AN. I.

IESV CHRISTI AN. 304.

MARCELLI AN. 1.

I.

DIOCLET. ET MAX. SE ABDICANT.

ANNO Chriſti trecenteſimo quarto, Diocletiano nonum & Maximiano octauum Auguſtis Coſſ. vigeſimo anno eiuſdem Diocletiani Imperij nondum exacto, ambo Auguſti, Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani, vno eodemque die depoſita purpura ſe Imperio abdicarunt: idque vndecimo Calendas Martij; non Maij, vt Panuinus poſuit. Erroris namque ex ſe ipſo arguitur, dum affirmat id factum eſſe nondum expleto biennio perſecutionis indictæ (quod & ſæpius teſtatur Euſebius [a]) quandoquidem eiuſdem Euſebij [b] auctoritate conſtet edictum de illa promulgatum eſſe menſe Martij. Sed & ex prædictis illi erroris arguuntur, qui anno ſuperiori hæc aſſerunt contigiſſe: nam ſub huius anni quos poſuimus Coſſ. æque Zoſimus collocat; licet apud eum perperam dicantur interlapſi anni centum & vnus à Conſulatu [c] Chilonis & Libonis, quo Seuerus Ludos Sæculares exhibuit, cum numerentur tantummodo centum duo minus. Ceterum & Gallicanus ille orator in Panegyrico Maximiano & Conſtantino poſtea dicto, eorumdem Imperatorum abdicationem accidiſſe teſtatur eodem octauo Maximiani Conſulatu, nempe hoc anno. Quod autem æque numerat eiuſdem Imperij annum vigeſimum, id eſt intelligendum de initio Diocletiani, à quo annos eorumdem Imperij numerari ſolitos conſtat. Denique id factum eſſe anno ipſius Diocletiani vigeſimo, tum Euſebius in Chronico & Hiſtoria locis ſupra citatis docet, tum plures alij conſentiunt.

a Euſeb. in Chron. & 8. hiſt. 13. 26. 29. b Id. 8. hiſt. 3.

c an. 206.

II.

CVR SE ABDICARINT IMP.

Cauſam autem cur Diocletianus ſe abdicauerit, idem auctor Panegyrici refert ad eius ingraueſcentem ætatem & malam valetudinem: Maximianum vero qui cum illo ſumma ſemper concordia vixiſſet, nec in hoc facto diſcordem ſe exhibere voluiſſe. Sed Euſebius [d], ipſeque Conſtantinus Imperator in oratione [e] quam habuit ad Sanctorum cœtum, teſtatum reliquere Diocletianum ſe abdicaſſe, quod in amentiam incidiſſet: ac pariter in Actis [f] SS. Mennæ & ſociorum martyrum, quæ Germana eſſe noſcuntur, traditur ambos eoſdem Imperatores, licet abdicationis ſuæ cauſam publice prætexerent fortunæ ſatietatem & amorem mutationis; tamen priuatim amicis fidelioribus faſſos eſſe, id ſe mœrore & deſperatione egere, quod cum ſperaſſent immanibus ſuis perſecutionibus Chriſtianam religionem radicitus excidere tamen præter expectationem viderent eam fœcundiori germine propagari. Verum quod hæc ipſorum abdicatio, quamuis ignominioſa, non ſatis videri poterat eſſe in vltionem effuſi ſanguinis Chriſtiani: ideo vt magis appareret id accidiſſe ex diuina indignatione, eorum prior velut Cain tremens ac ſemper ſibi metuens (quod teſtatus eſt eadem oratione Canſtantinus) ne aliquando fulminis ictu concideret, quo ſemel palatium eius combuſtum fuerat, aſpera inſuper corporis ægrotatione contabeſcens diem extremum infeliciſſime clauſit; poſterior vero ſpontaneo laqueo ſe præfocans, vitam abrupit: vt de vtroque demonſtrabitur ſuis locis.

d Euſeb. 8. hiſt. 26. e ap. Euſeb. cap. 25. f ap. Sur. 10. Dec.

III.

ACTA DIOCLETIANI OBSCVRA.

Cæterum præter illa quæ ad ipſorum in Chriſtianos perſecutionem ſpectant, reliquæ eorum res geſtæ remanſerunt obſcuræ admodum: adeo vt quatuor luſtra quibus imperarunt, & aduerſus barbaros atque tyrannos feliciter decertarunt, relicta ſint ferme obliuione ſepulta; cum alioqui hoc tempore non defuerint hiſtorici nobiliſſimi, nempe Ælij Spartianus & Lampridius, Iulius Capitolinus, Trebellius Pollio, & Flauius Vopiſcus; qui cum ipſi Diocletiano, tum Conſtantio Cæſari ſiue Conſtantino eius filio, illorum qui præceſſerant Imperatorum Vitas à ſe conſcriptas dedicauerunt. Teſtatur ſane Vopiſcus [g] ſe ſcripturum fore Diacletiani res geſtas, ac Claudium Euſthenium qui Diocletiano ab epiſtolis fuit, deſcripſiſſe Acta quatuor Principum, Diocletiani, Maximiani, Galerij, & Conſtantij, totidem libris; quæ omnia perierunt: merito hæc paſſi in ſcriptis rerum ſuarum commentarijs, qui in Chriſtianorum libros adeo ſæuierant.

g Vopiſc. in Bonoſ. & in Caran.

IV.

CONSTANTIVS ET GALERIVS IMP.

Cum autem Diocletianus & Maximianus depoſuiſſent ſimul Imperium; qui Cæſarum titulo cum eis in hanc diem Rempublicam adminiſtrarant, Auguſti ſunt appellati, nempe CONSTANTIVS CHLORVS, & GALERIVS MAXIMIANVS, qui perperam tum apud Euſebium tum apud alios pleroſque tam Græcos quam Latinos nominatus reperitur *Maximinus*; cum in omnibus antiquis nummis alijſque monumentis quæ alij collegerunt, necnon apud Zoſimum [h], Socratem [i], & ſiquos alios, *Galerius Maximianus* ſemper ſcriptus legatur: Sed libentius ab ſcriptoribus acceptum credimus nomen *Maximini* quam *Maximiani*, quod alius huius nominis Imperator tunc viueret, *Maximianus Herculius*. Sicut etiam ijſdem antiquarum inſcriptionum monumentis plane declaratur, diuerſos fuiſſe Galerium Maximianum & Galerium Maximinum, ac priorem Galerium de quo eſt ſermo, vna cum Conſtantio poſt Diocletianum imperaſſe; poſteriorem vero ab eodem priori Galerio creatum Cæſarem ei in Imperium ſucceſſiſſe. Quamobrem ſicut duo Galerij ab inuicem diſtincti ſunt, & ſuo quiſque dicendus eſt nomine, nempe hic Maximianus, ille Maximinus: ita quoq; vt diſcernantur duo Maximiani, prior ſuo cognomento Herculius poſterior Galerius nominandus eſt. Cum igitur Conſtantius Herculio in Occidente, Galerius Diocletiano in Oriente ſucceſſiſſet; ſicut inter illos tradit Eutropius fuiſſe partitum Imperium, vt Conſtantius Gallijs, Hiſpanijs, Italiæ, & Africæ præeſſet; Galerius Illyrico Græciæ, & Orienti.

h Zoſ. lib. 2. i Socr. l. 1. c. 1.

MAXIMIANORVM ET GALERIORVM DISCRIMINATIO

V.

CONSTANTII SORTI GIVM PACTVM IN

Sed quod pertinet ad Conſtantium, quem idem Eutropius commendat ob morum integritatem; is cum ſe cunctis amabilé præberet, erga Chriſtianos potiſſimum

TENTANDA SVORVM RELIGIONE CHRIST.

omnem præſetulit humanitatem. Qui & cœpta à reliquis Imperatoribus perſecutione, præclarum illud omnique memoria dignum pietatis exemplum exhibuit, vt vocatis domeſticis ſuis qui Chriſtiani eſſent, eiuſdemque oblata conditione, vt vel dijs immolando honoribus priſtinis perfruerentur, vel id recuſando procul reijcerentur; ſic tentato eorum animo, quos vidiſſet abire malle quam Deum ſuum negare, hos apud ſe retinuerit, & honoribus auxerit; alios vero qui honores religioni ſuæ prætuliſſent, procul à ſe repulerit, tamquam videlicet perfidos ipſi Imperatori reiq; publicæ futuros, qui Deo ſuo fidem non ſeruaſſent. Narrat hæc inter alias eiuſdem Imperatoris laudes Euſebius in vita [k] Conſtantini eius filij.

k Euſeb. 1. de vit. 9. & 10.

VI. PERSECVTIO PERSEVERAT.

Verum quantumlibet ſic compoſitus eſſet Conſtantius, etiam antequam Diocletianus & Maximianus rerum adminiſtrationem deſererent: tamen quantum apparet ex rebus geſtis, haud ſtatim vt ipſe plenum eſt adeptus Imperium, omnimodam pacem Eccleſia Occidentalis eſt conſecuta; licet id alibi idem Euſebius [l] ſignificare videatur, dum ait, omnes illas Imperij Occidentalis oras nondum abſolutis duobus perſecutionis annis tranquillitatem adeptas eſſe. Neque enim ipſe Conſtantius ſtatim videri voluit aut etiam potuit edictis Imperatorum adhuc viuentium aduerſari; tum quod in extremis mundi partibus, nempe in Britannia ageret; tum quod ſtatim ac Maximianus ſe abdicauit, tota Italia ipſaque Roma bello ciuili magnopere exagitata fuerit, vt teſtatur idem qui ſupra Gallicanus orator in Panegyrico ipſi Maximiano & Conſtantino poſtea dicto. Acciditque plane vt ſicut mare vehementibus ventorum flatibus ſemel exagitatum, licet ventorum ceſſent impulſus, haud tamen continuo eius fluctus omnino quieſcant: ita quamuis Maximiani furor ipſo ſe abdicante videri poſſet extinctus, tamē haud facile valuerit contineri concitatæ perſecutionis impetus: Romæ præſertim vbi tum ciuiles motus vigerent, tum magiſtratus à Maximiano præfecti, quod in Chriſtianos cœperant, inſtigantibus Gentilitiæ ſuperſtitionis Pontificibus agere non deſtiterunt. Cum & inſuper Eutropius aſſerat, Conſtantium adminiſtrationem Italiæ atque Africæ ceſſiſſe Galerio, qui Chriſtianorum erat hoſtis infenſiſſimus.

l Id. 8. hiſt. 13. in fin.

VII. MARCELLINI PP. MARTYRIVM.

Quamobrem accidit vt hoc ipſo anno ijſdemque Coſſ. (vt habet liber de Romanis Pontificibus) ſexto Calendas Maij Romanæ Eccleſiæ Pontifex *Marcellinus* vna cum alijs quibuſdam capite truncatus ſit. Qui quidem ea ratione dicendus eſt ſediſſe annos octo minus ſeptem diebus: vel ſi dixerimus diem ſextum Calendas Maij, non martyrij, ſed ſepulturæ eſſe memoriam, quod ibidem tradatur dies triginta ſex Marcellini & ſociorum corpora inſepulta iacuiſſe; totidem dies à præfinito tempore ſedis eius demendi erunt. Tandem vero eorūdem corpora (vt ibidem ponitur) à Marcello presbytero noctu ſublata ſunt, ſepultaque in Via Salaria in cœmeterio Priſcillæ. Verum quod additur, vacaſſe ſedem Pontificiam annos ſeptem menſes ſex dies viginti quinque; illud de annis, merum commentum eſt omnino tollendum. Ei enim contradicunt & quæ idem auctor tradit in ſequentibus, & alij omnes qui de Romanis Præſulibus ſcripſerunt. Sed & quod numerus menſium ac dierum vacationis ſedis Marcellini ab alijs diuerſus ponatur, & tempus Marcelli varie notetur, nihil certi de his affirmari poteſt. Conſtat tamen hoc eodem anno eumdem MARCELLVM patria Romanum Benedicti filium, ex presbytero creatum eſſe Pontificem; de quo plura inferius.

MARCELLVS PAPA.

VIII.

Eodem quoque anno ijſdemque Coſſ. (vt habetur in Actis [m] S. Pancratij martyris) paſſa eſt ibidem Romæ *Soteris* virgo: quæ (vt ſcribit S. Ambroſius [n]) cum eſſet decora facie valde & nobilis maiorum proſapia, Conſulatus & Præfecturas parentum ſacra poſthabuit fide; & immolare iuſſa, nec acquieſcens, poſt deuicta multa pœnarum genera gladio martyrium conſummauit. Qui [o] vero paſſam illam ponunt in Oriente, auctoritate eiuſdem Ambroſij refelluntur.

m apud Sur. 12. May.
n Ambr. exhort. ad virg. & de virg. li. 3.
o Vſuar. & Ado in Martyrol. 10. Feb.

IX. MARTYRES IN ORIENTE.

Quod autem ſpectat ad res Orientalis Eccleſiæ; qui aduerſus Chriſtianos ſemper ſe hoſtem infenſiſſimum geſſerat Galerius Maximianus, poſt Diocletiani abdicationem ſolus Imperium adminiſtrans, hoc tertio cœptæ perſecutionis anno (vt ab Euſebio numeratur: ſiquidem licet qui eam excitaſſent ſe abdicarint, tamen quæ eorum edictis ſemel cœpta eſt, eorumdem quoque nomine dici perſeuerauit, quouſq; penitus tam in Oriente quam Occidente ſopita eſt) eamdem nouis edictis acrius inſtaurauit, plurimoſq; inſignes martyres ſuſtulit, quorum nonnullorum idem Euſebius [p] certamina deſcripſit: puta *Vlpiani* adoleſcentis Tyrij, qui more parricidarum inſutus culeo in mare demerſus eſt; & *Appbiani* atque *AEdeſii* fratrum, ipſi Euſebio familiaritate coniunctorum; quorum ille Cæſareæ in Palæſtina paſſus eſt, quod Præſidem ſacrificantem arguiſſet; iſte Alexandriæ, quod Iudicem reprehendiſſet de ſententiis in Chriſtianos latis, quibus ſæpe viros graues & modeſtos variis ignominiæ notis afficeret, ac mulieres ſummæ continentiæ, virgineſque Deo dicatas lenonibus traderet.

p Euſeb. 8. hiſt. 14. 15.

X. VIRGINES CHRIST. DAMNATÆ AD LVPANAR MIRE LIBERATÆ.

Conſuetum enim fuiſſe tum aliis præcedentibus tum hac potiſſimum vltima perſecutione, Chriſtianas feminas confeſſione conſtantes & pudicitia inſignes tradi lenonibus proſtituendas, & multis iam ſuperius declaratum eſt exemplis, & plurimis aliis conſtat diuerſorum auctorum, Actorumque, ac tabularum Eccleſiaſticarum teſtimonijs. Habeſque de hac ipſa perſecutione inſignia valde exempla virginum, Antiochenæ apud Ambroſium [q], Corinthiæ apud Palladium [r], Alexandrinæ ac Byzantinæ in veteribus [s] monumentis; quæ ad lupanaria ductæ, mira Dei prouidentia à viris qui ſe fingerent ad eas violandas ingredi mutato cum illis habitu intactæ emiſſæ ſunt: ſed ea tantæ pietatis mercede, vt iidem liberatores vna cum virginibus liberatis coronam martyrij conſecuti fuerint. Denique extant [t] ijſdem huius anni Coſſ. conſignata pura atque ſincera, prout à Notario publice excepta fuere, Acta Proconſularia SS. martyrum *Agapes*, *Chioniæ*, & *Irenes* ſororum, quæ Theſſalonicæ ſub Dulcitio Præſide viuæ combuſtæ ſunt, quod idolothytis veſci noluiſſent, & quos haberent ſacros codices non tradidiſſent: in quibus Irene Præſidis iuſſu ad publicum lupanar ducta legitur, quæ tamen (vt alijs fere ſemper accidit) Dei virtute pura atq; intacta ſeruata eſt martyrio.

q Amb. li. 2. de virg.
r Pallad. in Lauſiac. c. 55.
s Martyrol. Rom. 28. Apr. & 3. May.
t ap. Metap. & Sur. Cal. April.

XI. DEMETRIVS PROCONS MARTYR

Sed cum plures alij reperiantur ibidem Theſſalonicæ hac perſecutione paſſi, præ ceteris *Demetrius*, qui ex Proconſule Ethnico effectus Chriſtianus, iuſſu Maximiani lanceis confoſſus martyrium conſummauit, ore omnium Orientalium immenſis laudibus celebratur: cuius etiam memoria in Latinis [u] tabulis florentiſſima viget: Acta vero eius ex antiquis monumentis edidit Metaphraſtes [x], quæ donauit olim Latinitate Anaſtaſius Bibliothecarius, vt auctor eſt Vincentius; frequentemque fuiſſe concurſum Chriſtianorum Theſſalonicam ad eius ſepulchrum, ex quo vnguentum medicum ſcaturire iugiter conſueuiſſet, teſtantur Glicas, Cedrenus, Zonaras, & alij.

u Martyrol. Rom. & alia 8. Oct.
x Habetur etiam Sur. to. 5.

XII. PARENTVM S. BASILII FVGA IN PERSECVTIONE.

Denique adeo his temporibus ſub Galerio Maximiano recruduit in Oriente perſecutio, vt quamplurimi deſperatione rerum præſentium, qui hactenus ciuitatum latebras eſſe tutas experti fuiſſent, iam earum diffidentia ſiluas petierint, & montana latibula. Id quidem inter alios complures, proauos quoque S. Baſilij Magni egiſſe, auctor eſt S. Gregorius [y] Nazianzenus: cum & de prouidentia Dei erga eos diſſerens, aſſerit feras beſtias, ceruos, aues, ſe quotidie ſponte illis obtuliſſe ad cibum, abſque vlla venatione aliove labore. Idem vero poſtquam ceſſauit perſecutio Cæſaream in Cappadocia conceſſere, qui olim habitarunt Neocæſareæ in Ponto: vbi S. Macrina eiuſdem Baſilij auia, doctrina S. Gregorij Thaumaturgi fuit inſigniter ab eius Eccleſiæ viris ad pietatem exculta, vt ſuis epiſtolis [z] idem Baſilius ſæpe teſtatur. Eorum vero qui in eadem prouincia Ponti martyrium conſecuti ſunt, præ cunctis celebratus à maioribus [a] habetur *Theodorus* miles; qui cum diuino impulſu templum matris

y Greg. Naz. orat. in laud. Baſil.
z Baſil. ep. 75. 79. ad Neocaſ.

MARTYRES PONTICI.

a Marty. Ro. 9. Nouemb. Menolog. Gr. 17. Feb. Metaph. 17. Feb

deorum Amaſeæ inflammaſſet, poſt diriſſima tormenta demum viuus incendio conſumptus eſt. Cuius res geſtæ, ac præclarum certamen, ex antiquioribus monumentis deſcripta habentur à Metaphraſte: vbi etiam recitantur duæ orationes in eius laudem, altera Gregorij, altera Nectarij Epiſcopi Conſtantinopoli.

XIII.

Sed non leuiora his fuiſſe quæ in proxima prouincia Cappadocia contigerunt, apprime docet Baſilius, dum agit de fuga Chriſtianorum illius regionis in montes vt à perſecutorum rabie ſecuri eſſent, deque ſæuis cruciamentis martyrum, in oratione qua *Gordij* Cæſarienſis Centurionis agonem tunc pro Chriſto ſuſceptum celebrauit. Qui & inſignipariter laudum præconio proſecutus nobiliſſimum martyrium ignobilis licet genere viri *Barlaham* ruſtici, ibidem Cæſareæ martyrio coronati; præter alia recitat admirabile eiuſdem infractæ conſtantiæ ſpecimen; qua immobiliter paſſus eſt aduſtionem dexteræ manus, ſuper quam vi arreptam ardentes carbones cum thure perſecutores poſuiſſent, vt ille incendij dolorem ſentiens motu ſuo in aram ſuppoſitam excuteret. Etenim huiuſmodi nouam crudelitatis artem alios quoque plurimos Chriſtianos hac perſecutione expertos eſſe, quo vel ſpecie tenus diis obtuliſſe thus viderentur; conſtat ex Regulis pœnitentialibus S. Petri Alexandrini, de quibus agetur poſtea, & ex aliorum martyrum Actis: quamuis eos qui hac violentia coacti thus excuſſiſſent, nullius vel leuis argui culpæ debere, idem Petrus doceat.

Barlaham martyris mira conſtantia.

XIV. Dorothea martyr.

Nec infeliciorem quidem exitum habuit fiducia *Dorotheæ* virginis eodem loco paſſæ; quæ cum ad ſupplicium duceretur, à Theophilo quodam Aduocato Præſidis per irriſionem rogata vt ei de paradiſo ſponſi ſui mitteret roſas aut mala (erat autem dies ſextus Februarij) ipſaque promiſiſſet; in ipſo ferme percuſſoris ictu; apparuit ante illam puer ferens in orario tria mala pulcherrima, & tres roſas elegantiſſimas: cumque per eumdem puerum mox eas miſiſſet ad Theophilum, commotus hic tanto miraculo, Chriſtum & ipſe confeſſus paulo poſt martyrium ſubijt; prout hæc pluribus narrantur in eiuſdem virginis [b] Actis.

b ap. Sur. 6. Febr.

XV. De aliis martyribus.

Tunc etiam eadem ciuitas Cæſarienſis inſigniter illuſtrata eſt corona *Iulittæ* martyris, quam idem Baſilius laude celebrauit: ſimulque oſtendit, addidiſſe illud Imperatorem ad priora in Chriſtianos promulgata olim edicta, vt qui deos colere detrectarent, haberentur infames, nulloque legum adminiculo iuuarentur aduerſus inſurgentes in ſe calumniatores. Extatque inſuper nonnullorum aliorum tum in ijſdem Ponti & Cappadociæ regionibus, tum in Meſopotamia Armenia Minori, & Arabia paſſorum memoria in tabulis Eccleſiaſticis: quam vero immania & inaudita cruciamenta ijdem perpeſſi ſint, Euſebius [c] generatim tantum res illarum Eccleſiarum proſecutus deſcribit. De ceteris autem martyribus in alijs Orientis prouinciis coronatis, agetur opportunius annis ſequentibus.

c Euſeb. 8. hiſt. 24.

IESV CHRISTI ANN. 305.

Conſtantii & Galerii an. 2.

MARCELLI ANN. 2.

I. Ianuarius martyr.

ANno Chriſti trecenteſimo quinto, Conſtantio & Galerio Auguſtis quintum Coſſ. *S. Iannarius* Epiſcopus Beneuentanus, poſt euaſum virtute diuina beſtiarum & ignis periculum, obtruncatione capitis vna cum ſocijs martyrium conſecutus eſt. Id enim his Coſſ. contigiſſe reperimus in Actis [a] manuſcriptis eorumdem SS. cum in illis quæ edita [b] habentur, à Ioanne diacono olim concinnata, deſint Conſules quibus paſſi ſunt. Ceterum eiuſdem S. Ianuarij corpus, longum poſt ambitum translatum demum Neapolim, ob ingentem atque frequentem miraculorum operationem, ingenti illic celebritate colitur. Vigetque hactenus inſigne illud & perenne miraculum ſanguinis eiuſdem martyris; qui cum vitrea ampulla concretus contineatur, tamen quotieſcumq; ad caput admouetur, quaſi vicino illius coronæ martyrij lætetur aſpectu, protinus liquefieri, mox fluere & ebullire maxima omnium admiratione conſpicitur.

a Rec. Bar. Annal. to. 2. hoc an.
b ap. Sur. 19. Sept.

Ingens miraculum de eius ſanguine.

II. Alii martyres in Oriente.

In Oriente vero ſæuius graſſante perſecutione, hoc eiuſdem indictæ anno quarto (vt ab Euſebio numeratur) ponit ipſe nobile certamen *Agapij* martyris, qui Cæſareæ Palæſtinæ Galerio Imperatore ludos in Amphitheatro ſpectante, beſtijs obiectus eſt. Eodemque anno Tarſi in Cilicia paſſus eſt *Bonifacius* procurator Aglaidis nobilis feminæ Chriſtianæ, qui Roma Tarſum ab ea miſſus vt emeret corpora SS. martyrum, quæ Simplicius Proconſul non minus auarus quam crudelis pretio diſtrahere conſueuiſſet; oblata occaſione aliorum martyrum quos pro Chriſto fortiter pati videret, & ipſe martyr effectus eſt, atque à ſuis redemptus ad eamdem Aglaidem Romam relatus: ſicut hæc pluribus deſcribuntur in eius paſſionis Actis [c]. Sed & memoratur in tabulis Eccleſiaſticis *Pelagia* virgo, quæ ibidem Tarſi in candentis æreì bouis ventrem incluſa, inſignem martyrij ſuſcepit coronam: itemque alij tum in eadem ciuitate, tum in alijs eiuſdem Ciliciæ & adiacentium prouinciarum locis, eadem perſecutione vigente varijs tormentorum generibus martyrio coronati: quos, ſicut & alios quamplurimos in alijs toto Orbe Romano prouincijs paſſos, locupletiſſimus Index Topographicus poſterioribus earumdem tabularum editionibus affixus ſuppeditabit; præter innumeros, quorum memoria penitus excidit. Nobis enim res in compendium redigentibus, haud licet ſingulis immorari; ſed tantum celeberrimis, & quorum paſſionis anni fere ſunt certi, vel aliquid habent peculiari memoria dignum ad maiorem generalis hiſtoriæ elucidationem.

c ap. Metaph. 14. Cal. Ian. & Sur. to. 3, Non. Iuny.

III. Canones Petri Alex. de lapsis.

Cum autem hoc eodem anno quarto Perſecutionis, inſtante Paſchate frequens Lapſorum numerus (ſicut olim accidiſſe vidimus temporibus Cypriani) admiſſi ſceleris pœnitentes, confeſtim in Eccleſiam recipi vrgerent, ſed Epiſcopi Catholici eos indiſtincte abſque digna præuia pœnitentia recipere recuſarent: inter alios *Petrus* illuſtris nominis Epiſcopus Alexandrinus, cuius ſuperius facta eſt mentio, diuerſos lapſorum caſus conſiderans, diuerſa adhibens pro conditione cuiuſque medicamenta vulneribus, Regulas [d] aliquot ſcripſit, quæ à Patribus præſertim Orientalibus cognitæ probatæque, atque vſu receptæ ſunt; quibus etiam demonſtrantur ingentia mala, quibus Eccleſiæ Dei contigit his temporibus premi, necnon multiplices artes perſecutorum ad ſubuertendos Fideles, & diuerſos eorumdem Chriſtianorum lamentabiles lapſus. Quæ vero occaſione eorumdem Lapſorum ortæ fuerint turbæ, dicetur anno ſequenti.

d Ext. apud Theod. Balſ. in Nomocan. inf. & Bibl. Sanct. to. 7.

IV. De ſynodo Eliberina.

At non tantum Epiſcopi Orientales, furente licet perſecutione, de componenda in errorem lapſorum Eccleſiaſtica diſciplina adeo ſoliciti fuerunt; ſed & in Occidente illud ipſum præſtitiſſe reperiuntur Hiſpani Epiſcopi nobiles Confeſſores: qui decem & nouem numero conuenientes ELIBERIM (Bæticæ [e] prouinciæ ciuitatem, cuius poſtea ſedem Granatam translatam tradunt) auſteriori quodam ſpiritu propemodum viſi ſunt Nouatianorum limites attigiſſe, dum lapſis nec in fine communionem dandam eſſe ſtatuerunt [f]. Qua de cauſa factum puto, vt cum hæc diſplicuerint ſucceſſoribus, nulla, ſicut de aliis, eius Synodi nominatim ab antiquioribus mentio habeatur, atque ſic prope antiquata remanſerint. At cum quæ ab ijſdem Patribus de ea re ſunt ſtatuta, excuſentur ab Innocentio [g] Papa, dum licet tacito Eliberinæ Synodi nomine, de rebus in ea decretis agit; nemo ſit qui accuſare præſumat: cum & eidem Synodo interfuiſſe noſcantur magni illi pietate, doctrina, & confeſſione illuſtres, Oſius Cordubenſis & Valerius Cæſarauguſtanus, de quibus dictum eſt ſuperius; & multa tunc accidere potuerint quæ nobis ſunt incomperta, in quibus auſteriora illa lapſis remedia oportuerit adhibere; maxime vt reliquos omnes Fideles ab idololatria longius abſterrerent. Qua etiam ratione & in publica lætitia lucernas, & in cœmeterio cereos more Gentilium accendere, & in Eccleſia Imagi-

e Plin. l. 3. c. 1.
f Conc. Elib. c. 1. 2. 3. 6. 8. 12. 17. 18. 63. 64. 65. 71.
g Innoc. ep. 3. c. 1.

nes pingi vetuerunt; de quibus rebus luculenter à nobis diſputatum eſt ſuperius; ſicut & de pleriſque alijs ad antiquos Eccleſiæ mores ſpectantibus, quarum in reliquis eiuſdem Synodi canonibus fit mentio. Eam enim nondum perſecutione prorſus extincta, ac proinde his Conſtantij potius quam Conſtantini (ſub quo pleriq; alij ponunt) temporibus celebratam tum eiuſdem Innocentij teſtimonio conſtat, tum ex regulis ibidem ſcriptis ſatis colligitur.

CONSTANTINI AN. I.

IESV CHRISTI ANN. 306.

MARCELLI ANN. 3.

I. a Euſeb. 8. hiſt. 17.

ANno Chriſti trecenteſimo ſexto, Conſtantio & Galerio Aug. ſextum Coſſ. quinto[a] perſecutionis anno, *Theodoſia* virgo Tyria Cæſareæ in Palæſtina poſt dira tormenta in mare eſt præcipitata; & alij plurimi Fideles ad metalla damnati, nonnulli etiam beſtiis ignique traditi, multi carcere coerciti & vinculis: inter quos eniuit maxime *Pamphilus* ipſi Euſebio hæc pluribus deſcribenti familiaritate coniunctiſſimus, de cuius conſummatione martyrij dicetur anno poſt ſequentem.

II. SEVERVS ET MAXIMINVS CÆSS. b Zoſ. lib. 2.

Hoc eodem anno Galerius Maximus Imperator duos Cæſares creauit, nempe *Flauium Valerium* SEVERVM, & MAXIMINVM natum (vt teſtatur Zoſimus[b]) ex ſorore eiuſdem Galerij Auguſti, & ab eodem adoptatum: quorum creandorum illa adducitur ex Eutropio cauſa, quod Conſtantius, cum in diuiſione Imperij cum Galerio, Italiam, Africam, & Gallias in ſortem accepiſſet, ceſſerit collegæ Italiam & Africam, contentus Galliis. Itaque agente illo in extrema (vt dictum eſt) mundi parte, nempe in Britannia, Maximianus Galerius (quod ſcribit Socrates[c]) profectus in Italiam, duos deſignauit Cæſares quos diximus, Maximinum quem Orienti, & Seuerum quem Italiæ præfecit: idemq; *Conſtantinum* Conſtantij filium Romæ agentem, ne faceſſere negotium poſſet rebus à ſe ſtatutis, tenuit ſub cuſtodia. Teſtatur namque Victor, eumdem Conſtantinum, dum à Galerio Romæ religionis ſpecie obſes teneretur, fugam arripientem, atque in fruſtrandos inſequentes, publica iumenta quaqua iter ageret interficientem, ad patrem in Britanniam perueniſſe, cum eum forte iiſdem diebus fata vltima perurgerent. Hæc Victor; qui quod ait, religionis ſpecie obſidem detentum Conſtantinum, de religione Chriſtiana puto intelligendum: ſiue id de ipſo Conſtantino intelligamus, qui natus ex Helena Chriſtiana femina, aliquod de patrocinio Chriſtianæ religionis ſpecimen edidiſſet: ſeu potius ad ipſum Conſtantium patrem referamus, qui ob propenſiorem erga Chriſtianos animum apud Galerium de prodita auita ſuperſtitione in ſuſpicionem veniſſet. Ceterum inſidias ab aliis Imperatoribus Conſtantino ſtructas, eiuſdemque fugam & ad patrem aduentum cum is eſſet ferme in extremis, Euſebius[d] deſcripſit pluribus.

c Socr. lib. 1. cap. 1.

CONSTANTINVS ROMÆ DETENTVS.

d Euſeb. 1. de vit. Conſt. 14. 15.

III. e Socr. lib. 2. cap. 2.

Sic igitur hoc eodem anno iiſdemque Coſſ. anno primo (vt ſcribit Socrates[e]) ducenteſimæ ſeptuageſimæ primæ Olympiadis, octauo Calendas Auguſti, Conſtantius Imperator Eboraci in Britannia diem extremũ clauſit: cuius erga Deum pietatem vſque ad ſupremum diem ſeruatam, eiuſq; mores optimos, numeroſam liberorum ſobolem, aliaſque felicitates ſæpius prædicat Euſebius[f]. Eidem vero defuncto (vt addit ipſius vltima voluntate, totiuſque exercitus voto idem CONSTANTINVS eius primogenitus feliciſſime ſubrogatus eſt, diuino potiſſimum numine ſuffragante, quo huius opera Eccleſia tandem dura diuturnaque ducentorum & ſeptuaginta annorum captiuitate ſub Gentilibus Imperatoribus in præſentem vſque annum producta, libera reſpiraret. Quod autem ſcribit Zonaras[g], Conſtantio ægrotanti, & ob ceterorum filiorum ineptam indolem mœſto, Angelum adſtitiſſe iubentem vt Conſtantino relinqueret Imperium; itemque quod addit de Sarmatarum duce atque leone ab eodem Conſtantino adhuc adoleſcente ſuperatis, cum ad eam pugnam iuſſu Galerij eidem ex inuidia inſidias ſtruentis acceſſiſſet: hæc inquam, quod nec Euſebius, qui Conſtantini primordia accurate deſcripſit in eius Vita, atq; eius laudandi nullam vmquam vel leuem omiſit occaſionem, nec qui in laudem eius dixerunt encomiaſticas orationes, vllo modo attigerint, quæ ob ſui dignitatem prædicari maxime debuiſſent; ea nos pariter vt commentitia reiicimus.

f Euſeb. 8. hiſt. 26. 29. & 1. de vit. Conſt. 11. 12. 15. 16.

CONSTANTINVS IMP.

g Zonar li. 2. Annal. in Dioclet.

IV. DE TEMPORE IMPERII CONSTANTINI.

Porro cum tam ex Olympiadum ſupputatione, quam ex Conſularibus Faſtis, adeo certus habeatur annus quo Conſtantinus in locum demortui patris ſucceſſit; Caſſiodori Chronicon erroris arguitur, dum poſt biennium ſub Conſulatu Diocletiani decimo & Maximiani ſeptimo ponit eiuſdem Conſtantini exordium: quod quidem vel ex eiuſdem auctoris hiſtoria Tripartita[h] corrigitur, dum ait ex Socrate. Conſtantinum defunctum eſſe cum imperaſſet annos triginta vnum Feliciano & Titiano Coſſ. hac enim ratione oportuit ipſum hoc anno imperare cœpiſſe. Illud autem exploratum habetur, quod licet tum à patre, tum ab exercitu fuerit hoc anno renunciatus & acclamatus Auguſtus; tamen nonniſi Cæſaris nomen tunc acceperit, Auguſti vero eo tantummodo tempore cum Fauſtam filiam Maximiani Herculei anno ſequenti vxorem duxit: quod docetur in Panegyrico iiſdem Maximiano & Conſtantino tunc dicto.

h Caſſiod. Tripart. l. 1. cap. vlt.

V. CONSTANTINI PATERNVM GENVS. i Treb. in Claud. Iun.

Sed quod ad eiuſdem Conſtantini genus attinet; ex patre à Claudij Iunioris Imperatoris ſtemmate originem ducere, ſæpius dictum eſt. Si vero eiuſdem ſtemmatis principium altius repetatur, Trebellius[i] eſt auctor eum à Veſpaſiano Auguſto deſcendere, vnde Flauiæ gentis eſt nomen & inſignia conſecutus. Vnde autem mater eius HELENA ſit orta, non leuis eſt controuerſia. Scimus Græcorum recentiores (Euſebius enim, licet rerum Græcarum amplificator egregius, hæc tacuit) Nicephorum[k] & alios affirmare eam fuiſſe Bithynam genere, filiamque hoſpitis cuiuſdam Drepanenſis, cum qua Conſtantius ad Perſas Legatus quondam miſſus, Drepane iter habens concubuiſſet; ac cum ibidem Conſtantinum peperiſſet, poſt aliquot annos vna cum filio euocatam eſſe in Italiam. Porro cum eamdem fuiſſe Britannam conſtet (vt iam omittamus eiuſmodi commentum alijs rationibus confutare) facile potuit accidiſſe, vt ſcriptoris incuria alicubi Bithynia loco Britanniæ ſcriptum eſſet, vnde & reliqua confingendi occaſio ſit accepta: cum præſertim ille color accederet, quod Drepane dictum oppidum in Bithynia, ab eadem Helena admodum illuſtratum, fuerit poſtea Helenopolis[l] appellatum. Sane quidem ipſum Conſtantinum non in Bithynia, ſed in Britannia fuiſſe ortum, diſertis verbis coram ampliſſimo conuentu teſtatus eſt celebris ille Gallicanus orator, in Panegyrico dicto in publicis nuptiarum eiuſdem Conſtantini cum Fauſta ſolemnitatibus. Qua pariter ratione æquius eſt dicere, Helenam fuiſſe Britannam; quam Bithynam; quam certum eſt peperiſſe in Britannia Conſtantinum.

k Niceph. l. 7. cap. 18.

HELENÆ PATRIA ET GENVS.

l Sozom. lib. 2. c. 1. Niceph. lib. 8. c. 31.

VI. HELENA VXOR CONSTANTII. m Zonar. Annal. to. 3. in Conſtantino.

An autem adhæſerit concubina Conſtantio, an vxor legitima fuerit, auctor eſt Zonaras[m] controuerſia agitatum; ipſe vero nihil definiens, litem reliquit ſub iudice. At cum exploratum habeatur apud omnes antiquos hiſtoricos qui res Conſtantij ſunt proſecuti, Maximianum Herculeum, cum ſibi eumdem Conſtantium adoptaſſet in filium, vt ei coniungeret in matrimonium Theodoram priuignam ſuam, coegiſſe repudiare eam quam prius vxorem acceperat; id Eutropio[n], Victore[o], ac reliquis atteſtantibus: compellimur ex quadam neceſſitate dicere, Helenam legitimam eius coniugem fuiſſe; cum nulla prorſus extet memoria, Conſtantium aliam aliquam habuiſſe vxorem præter Helenam & Theodoram. Quinimo dum idem Gallicanus orator ipſum Conſtantium ſummæ continentiæ laudans, ait Conſtantinum quo magis continentiam patris æquaret, ab ipſo fine pueritiæ matrimonium iniiſſe vt nihil de vagis cupiditatibus admitteret; ſatis demonſtrat ipſam Helenam vere fuiſſe Conſtantij coniugem, non pellicem. Ex ijs

n Eutrop. l. 9. o Vict. in Dioclet.

igitur,

igitur, cum ceteri omnes qui dicunt natum Conſtantinum ex concubina, mendacii redarguuntur, tum Zoſimus Comes, dum ait eum genitum ex muliere non matrona. Ethnicus enim homo & in religionem Chriſtianam infenſiſſimus, Conſtantinum, vt deſertorem deorum ſæpe exagitans contumeliis, in eum Philippicas potius, quam eius hiſtoriam conſcripſit: Inde autem manaſſe videtur illa opinio, quod Helena fuerit Conſtantij concubina, quia non creditæ ſunt nuptiæ quas ciuis Romanus cum peregrina contraxiſſet; atque amplius, quod Romanorum [p] legibus cautum eſſet, vt ſi aliquis Præfectus vxorem duceret in ea prouincia in qua officium gerebat, matrimonium non eſſet, quod ratio potentatus eiuſmodi nuptias prohiberet. Verum cum iiſdem legibus [q] iuſtæ efficerentur nuptiæ, ſi poſt depoſitum officium in eadem voluntate perſeueraret; conſtat Helenam vere fuiſſe Conſtantij coniugem, ac matrimonium ratum, quod ille ſic eam duxit, vt cum à prouincia diſceſſiſſet, ac magiſtratum depoſuiſſet, numquam illam dimiſerit vſq; ad nuptias Theodoræ.

CVR HELENA DICTA CONCVBINA.

p l. Præfectus D. de rit. nupt.
q l. eos qui. D. eo.

VII. Ceterum Eutropius [r] cum affirmet eam coniugem fuiſſe Conſtantij, obſcuro tamen loco natam teſtari videtur: eamdemque *Stabulariam* fuiſſe, à nonnullis aſſertum S. Ambroſius [s] tradit. Sed eò plane nomine vulgo dicta, quod hoſpitis apud quem diuertit Conſtantius in Britannia filia fuiſſet. At qualis hoſpitis, qui ducem totius exercitus domi exciperet? Quamobrem qui antiquas res Britannicas ſunt proſecuti (quod compertum habuerunt ex antiquis Annalibus) Helenam tradunt fuiſſe filium vnius ex Britanniæ Regulis Coel nomine; apud quem hoſpitatus Conſtantius, quàm pulcherrimam nouit eius filiam accepit in coniugem. Reſpectu vero clariſſimarum nuptiarum quas poſtea cum Theodora contraxit, quibus & Imperium conſecutus eſt, prius illud coniugium æſtimatum eſt à Romanis obſcurum; ipſaque Helena per contemptum *Stabularia* dicta: Sicut & Galerius Maximianus, qui eodem tempore imperauit, ob humile genus vulgo dictus eſt *Armentarius*. At de Helena modo hactenus: ex qua Conſtantium genuiſſe alium filium vel filiam præter Conſtantinum, memoria nulla eſt. Ex Theodora vero Auguſta ſuſcepit *Conſtantium*, qui pater fuit Galli & Iuliani, *Dalmatiũ* parentem Delmatij Iunioris Cæſaris, & *Annibalianũ*, quib. addunt aliqui alium *Conſtantinum*: filias vero *Conſtantiam* quæ poſtea Licinio Imperatori nupſit, *Eutropiam* coniugem Nepotiani, & (vt putant alij) *Anaſtaſiam*: ſed iis omnibus poſthabitis, Conſtantinum Helena genitum Imperij reliquit heredem. Quem cum Euſebius [t] tradat, tot annos natum fuiſſe quando ſuſcepit Imperium, quot vixit poſtea Imperator; eumdem hoc tempore triginta vnum, vel triginta duos inchoatos annos egiſſe, ſatis probatur: quod & plerique [u] alij teſtantur. Quamobrem qui ætate iuniorem iniiſſe Imperium tradunt, reſpectu ſeniorum Imperatorum locuti eſſe videntur.

r Eutrop. lib. 10. in pr.
s Amb. orat. in fun. Theodoſ.
CVR STABVLARIA DICTA.
LIBERI CONSTANTII IMP.
t Euſeb. l. de vit. Conſt. 1. in fin. & l. 4. c. 53.
u Epiph. de menſ. Hier. in Chron. Vict. in Conſt. & alij.

VIII. Poſtquam autem res in Britannia geſtæ eſſent in Vrbem perlatæ, & noui Imperatoris Conſtantini imago Romæ ex more (inquit Zoſimus [x]) eſſet exhibita; MAXENTIVS quoque Tribunos quoſdam & milites Prætorianos multis promiſſionibus ſibi deuinciens, ab iiſdem acclamatus eſt Imperator. Qui quidem licet vt Maximiani filius educatus fuiſſet; tamen non verè ex illo natum, ſed plane terræ filium ab Eutropia Maximiani vxore fuiſſe ſuppoſitum, ab antiquis hiſtoricis [y] creditum eſt; & videtur apud Maximianum fidem inueniſſe, dum ei Conſtantium priuignæ ſuæ maritum prætulit in ſucceſſione Imperij. Sed quod re vera non eſſet vel haberetur vt filius, vetus nummus [z] haud pridem inuentus, qui latuit antiquos omnes & recentiores hiſtoricos, euidentiſſime demonſtrat, dum eum generum tantummodo fuiſſe Maximiani, huiuſmodi appoſita inſcriptione docet, IMPER. MAXENTIVS DIVO MAXIMIANO SOCERO. Porro cum ſciuiſſet Conſtantini Maxentium Romæ occupaſſe Imperium quæſiuiſſe cum eo res componere, habereque collegam, ſed hunc omnino recuſaſſe, quin etiam Conſtantini deieciſſe imagines, & iniuria affeciſſe; teſtatur Nazarius in Panegyrico eidem Conſtantino poſt victoriam dicto.

x Zoſ. lib. 2.
MAXENTIVS OCCVPAT IMPERIVM.
y Vict. in Maxim. & alij.
z Refert Baron. Annal. to. 3. hoc an.
MAXENT. INFENSVS CONSTANTINO.

IX. Maxentium autem vt ſibi omni ex parte Imperium ſtabiliret, ſciens Chriſtianos erga Conſtantinum eſſe propenſiores, Chriſtianam & ipſe religionem ſimulauit. Id namque diſerte aſſerit Euſebius [a]: eoque ſpectare videtur quod apud S. Auguſtinum [b] ſcribitur, Melchiadem hoc tempore Romanum presbyterum poſtea Pontificem, miſiſſe Stratonem diaconum vna cum literis Maxentij Imperatoris & Præfecti Prætorio ad Præfectum Vrbis, vt reciperet loca quæ fuerant à Chriſtianis tempore perſecutionis ablata. Denique reſtitutam fuiſſe libertatem Chriſtianis Afris, indulgentiam mittente Maxentio, Optatus [c] tradit. Quamquam ſi Euſebio [d] credamus, affirmanti iam ab ipſa Maximiani abdicatione, tum alias occidentales oras, tum Africam & Mauritaniam à perſecutione quieuiſſe; dicendum erit eiuſmodi indulgentiam à Maxentio miſſam in Africam, haud pertinuiſſe ad ſopiendam perſecutionem in Chriſtianos excitatam, quippe quæ iam antea extincta eſſet; ſed potius ad iras, quibus hactenus haud leuiter ſæuierat in Africanos (vt auctor eſt Zoſimus) quod perlatam in Africam eius imaginem prohibuiſſent circumferri, & *Alexandro* fauiſſent qui ex Præfecto Prætorio Imperatoriam quoque purpuram induiſſet; quem per Voluſianum extinxit, & de perpetratis Carthagine malis triumphauit.

a Euſ. 8. hiſt. 26.
b Auguſt. in Breuic. collat. di. 3. c. 18. & poſt collat. c. 13.
MAXENT. SE SIMVLAT CHRISTIANVM.
c Opt. li. 1.
d Euſeb. 8. hiſt. 13. in fin.

X. Hoc igitur tempore conceſſa Eccleſiis Occidentalibus vbique pace, ea bene vſus Marcellus Papa, componendi diſſipatam longa perſecutione Eccleſiam Roman. conſilium iniens (inquit liber de Romanis Pontificibus) *vigintiquinque Titulos in Vrbe conſtituit, quaſi diœceſes, propter baptiſmum & pœnitentiam multorum qui conuertebantur ex Paganis, & propter ſepulturas Martyrum.* Nempe Marcellus, quod maior in dies ex Gentilibus ad Eccleſiam acceſſio fieret, parœcias illas per diuerſas Vrbis regiones commoditati publicæ conſecrauit. Videturque illud à Maxentio fuiſſe Rom. Eccleſiæ conceſſum, vt corpora Chriſtianorum martyrum ſepelire liceret intra Vrbem, quod omnibus vetitum [e] olim erat lege duodecim Tabularum. Ceterum de *Titulis* dictum eſt alias pluribus.

MARCEL. TITVLOS AVGET.
e Cic. lib. 2. de leg.

XI. Conceſſa quoque (vt vidimus) Eccleſiæ Africanæ pace conuenientes Carthaginem vicini Epiſcopi, in locum defuncti Menſurij totius cleri populique ſuffragio *Cæcilianum* eius olim diaconum, Epiſcopum Carthaginenſem ordinarunt, manus ei imponente Felice Aptungitano; repulſis Botro & Cæleſio, qui eumdem Epiſcopatum ambiebant. Cum autem creatus Cæcilianus, à ſenioribus repeteret Eccleſiæ vaſa aurea & argentea, quæ ne raperentur à perſecutoribus Menſurius prædeceſſor eis commendauerat; iidem reddere cogerentur, iungentes ſe ambitoribus Botro & Cæleſio, & in conſortium adhibita Lucilla factioſiſſima & pecunioſiſſima femina, quam olim non potuiſſe ferre Cæciliani diſciplinam Eccleſiaſticam dictum eſt ſuperius; ab eiuſdem Cæciliani communione ſe ſubduxerunt: ſicque tribus conuenientibus diuerſis cauſis & perſonis, ingens conflatum eſt SCHISMA, quod confuſæ mulieris iracundia peperit, ambitus nutriuit, auaritia roborauit.

CÆCILIANVS ELIGITVR EPISCOPVS CARTH.
SCHISMA DONATISTARVM ET ORIGO.

XII. Vt autem vitioſa Cæciliani ordinatio diceretur, tamquam ipſe martyribus olim in carcere conſtitutis victum afferri prohibuiſſet, & à Traditoribus ordinatus eſſet; ab iiſdem ſchiſmaticis accerſitus eſt Carthaginem ipſorum Traditorum princeps Secundus Tigiſitanus Numidiæ Primas, cum alijs Traditoribus Epiſcopis quos Synodo Cirtenſi interfuiſſe vidimus. Qui omnes Carthaginem aduenientes, ac ſeorſum à Cæciliano coeuntes, aduerſus eum crearunt pſeudoepiſcopum *Maiorinum*, qui Lector in Diaconio Cæciliani fuerat, domeſticum Lucillæ, ipſaque ſuffragante: eoq; impudentiæ progreſſi ſunt, vt ijdem ipſi Traditores manifeſtiſſimi, eiuſmodi traditionis crimen in Cæcilianum eiuſque ordinatores ſcriptis per vniuerſam Africam literis falſiſſime deriuarint. Sic enim hæc omnia geſta eſſe, pluribus Optatus [f], paucioribus ex illo Auguſtinus [g] commemorat. Qui quod alibi [h] ſcribit, glo-

MAIORINIS PSEVDOEPISC. CARTH.
f Opt. lib. 1. cont. Parm.
g Aug. 1. adu. Parm. 3.
h Id. Breuic. Collat. di. 3. c. 14.

riari

CONCILIVM SCHISMAT. DONATIST.

tiari ſolitos Donatiſtas de Concilio ferme ſeptuaginta Epiſcoporum Carthagine celebrato, in quo Cæcilianus abſens, vocatus & non parens fuiſſet damnatus, & alij cum eo; ſi non hæc fuit impoſtura eorumdem Donatiſtarum, exiſtimandū eſt eos intellexiſſe de iſto Concilio à Secundo & ſuis celebrato. Siquidem Auguſtinus [i] demonſtrat, illud de quo ipſi loquebantur, habitum eſſe ante Acta publica coram Zenophilo Conſulari aduerſus Siluanum Cirtenſem Epiſcopum Traditorem, qui ab eodem Zenophilo in exilium pulſus eſt: quæ quidem hoc ipſo anno Idibus Decembris confecta eſſe, apparet ex Coſſ. ibi poſitis, nempe Conſtantio Auguſto & Conſtantino Cæſare qui fuit in locum patris ſuffectus. Quæ vero fiducia fuerit Cæciliani aduerſus conſpirantem multitudinem inimicorum; idem Auguſtinus [k] ſcribens de eo Concilio ad Epiſcopos Donatiſtas illud oſtentantes, demonſtrat ſatis ſibi viſum eſſe, quod Romanæ Eccleſiæ, *in qua ſemper* (inquit) *Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus*, & cunctis terris, vnde Euangelium ad ipſam Africam venit, per communicatorias literas coniungeretur: vbi & paratus eſſet cauſam dicere; ſi ab eo illas Eccleſias aduerſarij conarentur alienare. Sed quæ poſt hæc ſecuta fuerint, dicetur ſuis locis.

i Id. 3. cont. Creſcon. c. 27. 28. 29.

k Id. ep. 162.

XIII. DONATISTÆ VNDE SIC DICTI.

Ceterum quamuis ſchiſma conflatum præcipue fuerit à Botro & Celeſio, necnon à Seniorib. ac Lucilla, actumque à Secundo, & in creatione Maiorin. ſtabilitum: conſtat tamen à nullo dictorum nomen accepiſſe, ſed qui ei adhæſerunt dictos eſſe DONATISTAS; nempe (vt ex Auguſtino [l] certum redditur) à *Donato* Epiſcopo a Caſiſnigris in Numidia; qui primus inſtigante [m] Lucilla, Cæciliano [n] adhuc diacono, apud Carthaginem ſchiſma fecit, & poſtquam Cæcilianus factus eſt Epiſcopus, iunctis ſibi aliis ſuæ factionis Epiſcopis [o] aduerſus eum ordinauit Maiorinum. At erubeſcentes Donatiſtæ denominari ab iſto Donato, quem conſtaret [p] à Melchiade Papa eſſe damnatum; potius ab alio DONATO, qui Maiorino in ſchiſmate ſucceſſit, nomen ſe accepiſſe iactarunt; quem pro magno [q] habebant, atque ab omni labe puriſſimum defendebant; quemq; eloquentia ſua illam hæreſim valde confirmaſſe, Auguſtinus [r] tradit; de quo dicentur plura inferius.

l Id. 1. Retract. 21
m Theodor. hær. Fab. l. 1
n Aug. Breuic. Col. d. 3 cap 12.
o Id. de hær. cap. 69.
p Id. Breu. Col. d. 3 c. 18. 20.
q Id. poſt col. cap 13.
r Id. de hær. c. 69.

XIV. SCHISMA MELETII IN ÆGYPTO.

Hoc item eodem anno Domini trecenteſimo ſexto, aliud infauſtum Schiſma conflatum eſt in Ægypto à MELETIO Epiſcopo Lycopolis. Id namq; de tempore certum redditur, quod Athanaſius oratione prima contra Arianos, ab eius ortu vſque ad tempus quo eam habuit orationem (nempe anno trecenteſimo ſexageſimo primo) numeret annos quinquaginta quinque. Rem vero geſtam Epiphanius [s] deſcribens, ait, cum fidei cauſa Meletius vna cum Petro Epiſcopo Alexandrino & aliis Epiſcopis, monachis, ac omnis generis clericis in carcere detineretur Alexandriæ; controuerſiam inter eos motam eſſe propter lapſos qui petebant ad communionem per pœnitentiam recipi: ac reſiſtente Meletio cum maxima parte reliquorum confeſſorum, ne reciperentur niſi poſt pacem Eccleſiæ redditam, Petro vero cum paucis aliis aſſerente ſtatim ad pœnitentiam admittendos eſſe; inde diuiſis ab inuicem partibus, & ſeorſum preces & alia myſteria peragentibus, ſchiſma in ipſo carcere cœptum eſſe. Hæc Epiphanius: quæ tamen non aliunde quam à Meletiani cuiuſdam ſcriptis, longe poſtquam ea acciderunt neſciens mutuatus eſſe noſcitur.

s Epiph. hær. 68.

XV. ACTA MELETII CONFVTANTVR.

Siquidem Athanaſius, qui ea ob oculos habuit, diſertis verbis tradit [t], Meletium multis conuictum criminibus, & inprimis quod idolis ſacrificaſſet, in communi Epiſcoporum Synodo depoſitum à Petro, dedignatum eſſe ad aliam Synodum confugere ac ſe purgare, ſed ſchiſma feciſſe, & in Petrum alioſque Epiſcopos multa conuicia calumniaſque confinxiſſe. Hæc Athanaſius: cui etiam in omnibus conſentiunt Socrates [u], & Nicephorus [x]. Quinimo ſi conſulas ſincera martyrij Acta eiuſdem Petri ab Anaſtaſio Bibliothecario Latinitate donata, inuenies Meletium non tantum fidem negaſſe, & idolis ſacrificaſſe, ſed etiam pro Maximino Imperatore, tum aduerſus ceteros Alexandriæ Eccleſiæ Fideles diram perſecutionem exercuiſſe, & multos coegiſſe præuaricari; tum ipſum Petrum adeo exagitaſſe, vt coactus fuerit capeſſere fugam & latebras quærere. Vt plane appareat, Meletianos in Ægypto imitatos eſſe Traditores Africanos; qui conuicti traditionis criminis, quo ſe purgarent id ipſum in innocentes retorſerint. Quod vero addit Sozomenus [y], Petrum improbaſſe Meletij baptiſma; non ſic accipiendum, vt baptizatos ab eo non reciperet; ſed (quod tradit Nicephorus) vetuiſſe ne baptizaret in Eccleſia.

t Athan. Apol. 2.
u Socr. lib. 1. cap. 6.
x Nic. lib. 8. cap. 5.
y Soz. lib. 1 cap. 14.

IESV CHRISTI ANN. 307.

CONSTANTINI AN. 2.

MARCELLI ANN. 4.

I.

ANnus Chriſti trecenteſimus ſeptimus Conſtantini Cæſaris Conſulatu ordinario conſignatur: cuius collega rectius ponitur Maximianus nouies, quam Diocletianus eodem numero auctus; cum conſtet nonum Diocletiani Conſulatum ante biennium incidiſſe. Hoc autem ipſo anno cum Maximianus Galerius Imper. (vt auctor eſt Zoſimus [a]) cognitis quæ tyrannice Romæ à Maxentio gererentur, Seuerum Cæſarem miſiſſet bellum ei facturum; corruptis à Maxentio Seueri militibus, idem Seuerus nullo negotio victus, primo Rauennam ſe recepit, poſtea vero fraudulentis Maximiani Herculij Maxentio fauentis ſuaſionibus Romam pergens, in itinere à militibus Maxentij inſidioſe necatus eſt. Ita quidem Zoſimus. At Eutropius [b] Rauennæ tradit interfectum, cum obſidens vrbem à ſuis derelictus eo confugiſſet. Addit vero Zoſimus, ad eum vindicandum Galerium ab Oriente in Italiam appuliſſe; ſed cum parum fidos erga ſe militum animos ſenſiſſet, ad Orientem nullo commiſſo prælio rediſſe. Tunc & Herculium has turbas indigne ferentem, Diocletiano apud Carnutum Celticum oppidum degenti fruſtra perſuadere conatum vt Imperium reſumeret, verſus Alpes ad Conſtantinum contendiſſe, eumdemque ſpecie nuptiarum Fauſtæ filiæ ſuæ, quam ei in vxorem dedit, fraudulenter impuliſſe vt Galerium perſequeretur, & inſidias Maxentio strueret; nempe ſperantem ſe his artibus Imperij adminiſtrationem recuperaturum: ſed cum eius techinas Fauſta, in virum quam in parentem propenſior, Conſtantino indicaſſet, Herculium in deſperationem rerum omnium adductum, morbo extinctum eſſe. Hæc Zoſimus.

a Zoſ. lib. 2.
SEVERI CÆS. INTERITVS.
b Eutrop. lib. 9.
MAXIMIANVS ITERVM AFFECTAT IMPERIVM.

II.

Sed quod inprimis ad Conſtantinum ſpectat; cum iam ipſe poſt Conſtantij parentis obitum duos Francorum & Alemannorum Reges Gallias inuadentes compreſſiſſet, timoremque vniuerſis incuſſiſſet (quod tradunt auctores [c] Panegyricorum, necnon Eutropius [d] & Euſebius [e]; licet ea prætermiſerit Zoſimus, Conſtantini gloriæ infenſiſſimus) auctor eſt idem Eutropius Herculium exiſtimantem male conſultum fore Maxentio ſuo quamdiu eiuſdem Conſtantini res ſtarent, eum de medio tollere decreuiſſe: ideoque ſimulatis cum Maxentio inimicitiis, ad Conſtantinum in Gallias veniſſe, tamquam à Maxentio eſſet expulſus quod ei Imperium abrogare voluiſſet, ſed re vera vt eumdem Conſtantinum reperta occaſione interficeret. Nempe cum inſtante Seueri bello, Herculius à Senatu & exercitu (vt Gallicanus orator demonſtrat in Panegyrico) impulſus fuiſſet reſumere Imperium (non alio quidem conſilio, quam vt illud Maxentio ſtabiliret) eius rei gratia cetera quæ poſtmodum ſecuta ſunt, ſcilic. iras in Maxentium, & nuptias Fauſtæ, ex compoſito ad fallendum Conſtantinum geſta eſſe Eutropio viſa ſunt; licet ea ſerio accidiſſe Zoſimus, Socrates [f], & alij tradant: re vera autem Herculium fuiſſe in Conſtantinum animo infenſiſſimo, certum eſt.

c Gallican. Panegyr. 1. Maxim. & Conſtant. Nazar. Panegyr. Conſtant. 5.
d Eutrop. lib 10.
e Euſ. 1. de vit. 19.
MAXIMIANI INSIDIÆ IN CONSTANTINVM.
f Socr. lib. 1. cap 1

III. NVPTIÆ CONSTANTINI ET FAVSTÆ.

Sic igitur idē Maximianus Herculius, qui olim Theodoram priuignam ex Eutropia Auguſta genitam in vxorem coniunxiſſet Conſtantio, & cum ea Imperium eidem tradidiſſet; modo filiam ſuam Fauſtam ex eadem Eutropia ſuſceptam, coniugem dedit Conſtantino, & Im-

perium

perium quod iterum ſuſceperat, deponendo iterum in eumdem Conſtantinum transferre videri voluit; addito ei nomine *Auguſti* (vt declarat idem auctor Panegyrici [g] in iiſdem nuptiis publice dicti) cum hactenus *Cæſaris* appellatione contentus fuiſſet: quamuis anni eius Imperij cœpti ſint numerari ab obitu patris eius Conſtantij, à quo reuera Imperium accepiſſet. Porro non Fauſtam primam Conſtantinum coniugem accepiſſe, ſed iam antea vt ex ephebis exceſſit vxorem duxiſſe, ne coniunctione aliqua illegitima fœdaretur, in eodem Penegyrico teſtatum habetur: hancque fuiſſe *Mineruinam*, ex qua natus eſt *Criſpus*, verior ſententia eſt; tametſi Victor [h] & Zoſimus [i] eam fuiſſe Conſtantino non coniugem, ſed concubinam velint.

g Panegyr. 1.
h Vict. in Conſtant.
i Zoſ. lib. 2.

IV. MAXIMIANI INTERITVS.

Cum autem poſt hæc rurſum idem Herculius reſumere tentans Imperium, Conſtantino inſidias strueret; eius perfidiam vlterius non ferens Conſtantinus, eumdem cum exercitu inſecutus fugam capeſſere compulit, ac de ſalute deſperantem apud Maſſiliam laqueo ſibi mortem inferre. Errat enim Zoſimus, dum Tarſi morbo periiſſe tradit; ſicut & Socrates, & aliqui ex recentioribus. Nam non Maximianus Herculius, ſed Maximianus Galerius (vt auctor eſt Victor) Tarſi diem obiit. Idemque Victor [k] tradit, eumdem Herculium apud Maſſiliam à Conſtantino obſeſſum captumque, pœnas fractis laqueo ceruicibus luiſſe; alij vero (vt dictum eſt) ſeipſum ſtrangulaſſe volunt. Eutropius [l] pariter Maſſiliæ dediſſe meritas pœnas teſtatur; itemque Oroſius [m], qui id accidiſſe ponit hoc anno ſecundo Imperij Conſtantini; idque quod [o] inſidias molitus Conſtantino deprehenſus eſſet: quapropter turpiſſima morte extinctum eſſe, dum dæmonis [p] incitatione ac pulſu extremum vitæ laqueo interrupit. Sed & auctor Panegyrici [q] eidem Conſtantino dicti ſtatim poſt interitum Maximiani, æque teſtatur eumdem Maximianum beneficiorum à Conſtantino acceptorum immemorem, bis depoſitum Imperium tertio iam vſurpare quærentem, eaque de cauſa eidem Conſtantino inſidias molientem, ab eodem fugatum eſſe, & Maſſiliæ obſeſſum ſpontaneo interitu occubuiſſe. Huncque tandem conſecutus eſt finem Chriſtiani nominis immaniſſimus hoſtis, carnifex SS. martyrum: cuius & obitum paulo ante *Victor* [r] inſignis miles Chriſtianus natione Maurus, eiuſdem Herculij mandato ob Chriſti nominis confeſſionem duci iuſſus, mox plectendus prædixerat. Ceterum eumdem relatum inter diuos opera Maxentij generi, temploque auctum, docet numiſma cuius anno ſuperiori facta eſt mentio.

k Vict. in Maximia.
l Eutrop. l. 9.
m Oroſ. li. 7. cap. 28.
n Euſ. in Chron.
o Id. 8. hiſt. 26.
p Ibid. c. 29.
q Panegyr. 4 Conſtant.
r Ext. eius Acta ap. Sur. 8. Maij.

V. MAXIMINVS QVID CONTRA CHRISTIANOS.

s Euſ. 8. hiſt. 18.

Interea vero in Oriente hoc ipſo anno perſecutionis ſexto (vt numerat Euſebius [s]) eamdem perſecutionem iam diuturnitate temporis flacceſcentem, Galerius Maximinus Cæſar ex integro valentiorem, renouatis antiquis aduerſus Chriſtianos edictis, nouiſque additis, acerbiori conatu reſtituit: qua hoc eodem anno in Ægypto & Palæſtina, immenſa Fidelium omnis ſexus, ætatis & conditionis multitudo, partim ſe ſponte martyrio offerentes, partim vi tracti, *alij præciſis* ferro candenti ſiniſtrorum pedum commiſſuris, & oculis *dextris* effoſſis in metalla damnati ſunt; alij flammis traditi, vel capite truncati; alij denique aliis horrendis cruciatibus diuexati. Quo tempore Cæſareæ Palæſtinæ viſæ ſunt in ſumma ſerenitate columnæ ciuitatis, forum item, & plateæ ac porticus aqua aſperſæ madere; quaſi rerum id temporis geſtarum ſcelus & impietatem deflerent. Sed hæc omnia pluribus Euſebius [t]; qui & ipſius [u] Maximini, cuius nutu cuncta gerebantur, perditiſſimos mores deſcribit, luxuriam, gulam, rapinas, ac immenſam crudelitatem tum in ipſos Gentiles, tum maxime in Chriſtianos, quos multiplicibus tormentorum generibus, quæ idem Euſebius recenſet, acerbius quam vlli alij antehac Imperatores, vexauit; quod (vt ait) arti magicæ, diuinationibus, & vanis ſuperſtitionibus, deditiſſimus eſſet.

t Ibid. ca. 18. 19. 20.
u cap. 27.

VI. S. CATHERINÆ CERTAMEN.

Inter alias vero feminas, quas idem auctor ait ab eodem impuriſſimo tyranno aut ſtupratas, aut tentatas; meminit Chriſtianæ cuiuſdam virginis Alexandrinæ, genere, opibus, pulchritudine, doctrina, & pudicitia inſignis; quā cum Maximinus deperiret, nec vlla arte ſcelus ei perſuadere potuiſſet, eamdem fuga lapſam facultatibus omnibus ſpoliauit. Porro iſtius nomen licet Euſebius non referet; inducimur tamen vt credamus, fuiſſe illam in Eccleſia celeberrimam CATHERINAM (ſeu potius *Hecaterinam*, vt apud Græcos, & in aliquibus etiam codicibus Latinis dicta reperitur) cuius Acta omnib. nota ſunt: eius vero Euſebius nobilem tantummodo primi certaminis victoriam attigit; quem & complures alios inſignes Ægypti martyres omnino prætermiſiſſe contigit. Haud enim putandum eſt, Maximini libidinis faces fuiſſe poſſeſſione diuitiarum illius extinctas; & qui pollebat rerum Imperio, inſequi deſiiſſe abreptam fuga prædam tam ardenter amatam: quippe ait idem auctor, libidinem potius quam iracundiam, Maximini mentis circa eam virginem tenuiſſe imperium. Nec retardat fidem noſtram, quod Ruffinus [x] hanc ipſam nominat *Dorotheam*: nam quod Hecaterinæ ab Hecate nomen deriuatum eſſe videtur, id ei fuiſſe primo inditum à Gentilibus apparet, cum ipſa Gentilis nata eſſet: factam autem Chriſtianam (vt de multis accidit) mutato nomine dictam eſſe Dorotheam, ſed priori appellatione magis notam: quamuis nec vnde Ruffinus eiuſmodi nomen acceperit, inuenerimus.

x Ruff. lib. 8. cap. 17.

VII. CATHERINÆ LATEBRÆ ET MARTYRIVM.

y Euſ. hiſt. 14.

Quod autem fuga lapſa dicatur, contigiſſe credimus ipſam montes Arabiæ petiiſſe (eo enim confugere ſolitos Chriſtianos Alexandrinos in perſecutione, Euſebius [y] eſt auctor) eamque fido comitatu Chriſtianorum, conſcendiſſe verticem Sinæ montis; ſed & perquiſitam denuo, inuentamque, & Alexandriam reductam, poſtquam fruſtra tentata eſſet diſputationibus philoſophorum à fide Chriſtiana diuelli, ipſaq; eos omnes tum ſcientia qua egregie imbuta erat, tum etiam diuinitus inſpirata ſibi ſapientia ſuperaſſet, demum tormentis exagitatam, fuiſſe martyrio coronatam; corpuſque diuinitus eo tranſlatum, vbi latebras nacta fuiſſet in fuga. Quæ cum doleamus ab Euſebio prætermiſſa; magis angimur, ab incerto auctore quo fuſius eo minus fideliter quam par erat, Acta [z], nobiliſſimæ martyris fuiſſe conſcripta. Melius enim conſulitur Eccleſiaſticæ veritati, rerum quæ non ſunt adeo exploratæ ſilentio, quam mendacio aliquo, veris licet admixto, atque adulteratæ orationis eloquio.

z Ext. apud Metaph. & Sur. 25. Nouemb.

VIII. MENNÆ PRÆFECTI CERTAMEN.

Sub eodem etiam Maximino (certus tamen annus ignoratur) cum idem in Oriente, in Galliis Conſtantinus, Maxentius in Italia imperarent, *Mennas* patria Athenienſis, ordinis Senatorij Chriſtianum occultum agens, ob incredibilem quamdam in rebus agendis ſolertiam domi foriſque ſpectatus, ab Imperatore Auguſtalis Præfectus miſſus Alexandriam, multos illic ad fidem conuertit, editis etiam quibuſdam miraculis. Acciditque inſuper, vt qui à Maximino ad vlciſcendum facinus delegatus eſt *Hermogenes*, & ipſe patria Athenienſis, cum poſt Mennæ pedum plantas excoriatas, linguamque præciſam, & oculos conuulſos, nihilominus videret eum priſtinæ diuinitus redditum ſanitati, aliaque in eo miracula effecta; ipſe quoque de fide ſuſcipienda conſilium iniens, baptizatus fuerit. Quapropter Maximinus confeſtim Alexandriam veniens, Hermogenem primum in fidei confeſſione perſtantem, manibus ac pedibus amputatis, vna cum Menna aliis tormentis exagitato, capite truncari iuſſit. Sunt iſta ex Græcorum Menologio accepta; eſtque celebris etiam in Occidente [a] tantorum martyrum memoria. Quæ vero extant [b] prolixiora eorumdem Acta, nonnulla habent in fide nutantia; vt quæ in eis de Hermogene leguntur creato Alexandrino Epiſcopo, cum certum ſit eidem Eccleſiæ his temporibus Petrum Antiſtitem præfuiſſe.

a Martyrol. Ro. 10. Dec.
b Ap. Metaph. & Sur. 10. Dec.

IX. LICINIVS CÆS.

Hoc eodem anno occiſo (vt vidimus) Seuero Cæſare in Italia, Galerius Maximianus LICINIVM creauit Cæſarem, virum ſtrenuum, Dacia (vt ait Eutropius [c]) oriundum: idque ſcribit accidiſſe per illud tempus, quo Maximianus Herculius Maſſiliæ male periit. Sed & Zoſimus [d] hoc anno, ante tamen quam Herculius moreretur, Licinium creatum Cæſarem tradit, quamobrem erroris arguuntur, qui in alia tempora eius exordium referunt.

c Eutrop. lib. 10.
d Zoſ. lib. 2.

tunt. Vt autem crearetur illam cauſam fuiſſe exiſtimamus quod hoc ipſo anno in Oriente *Valens* inuaſit Imperium; ad quem debellandum homine opus eſſet, qui præſtaret militari virtute atque peritia. Talis vero erat Licinius, qui mox eumdem Valentem compreſſit, ac debellatum occidit. Maximinus enim, quod eſſet (vt diximus) vita turpiſſimus, laboribus militaribus impar exiſtimatus eſt.

CONSTANTINI AN. 3.

IESV CHRISTI ANN. 308.

MARCELLI AN. 5.

I.
a Euſeb. 8. c. 20.

ANno Chriſti trecenteſimo octauo, Diocletiano decimum & Galerio Maximiano ſeptimum Coſſ. anno pariter ſeptimo [a] Perſecutionis, monachus quidam Catholicus & Marcionita Epiſcopus hæreticus, vno eodemque rogo, ſed non eadem ſpe vitæ æternæ, pro Chriſti nomine combuſti fuere. Eodemque anno *Pamphilus* Cæſarienſis in Palæſtina presbyter, poſt biennium carceris, & alii duodecim eiuſdem ſocii è diuerſis locis illuc collecti ibidem Cæſareæ iuſſu crudeliſſimi Firmiliani Præſidis variis ſuppliciorum generibus necati ſunt: quorum martyrium pluribus deſcribens Euſebius [b], eoſdem numerat vltimos martyres toto perſecutionis tempore Cæſareæ paſſos: additque, ipſum perſecutorem Firmilianum, cum aliis eiuſdem ſceleris participibus, extrema non longo poſt tempore ſupplicia ſubeuntem, gladio finem viuendi feciſſe.

PAMPHILI ET SOCIORVM MARTYRIVM.
b Ibid. cap. 11.

II.
c Ibid. cap. 27.

Porro cum eiuſdem Euſebii teſtificatione [c] conſtet, hác eamdem perſecutionem vſque ad annum decimum peduraſſe: dicendum eſt non in omnibus locis eadem graſſatione ſæuiiſſe; vel de rebus patriis Euſebium ſcribentem in cariſſimo ſibi Pamphilo eas terminare voluiſſe; aut ſi quid poſtea addidit, omnino periiſſe: cum alioqui præter recenſitos ab eo martyres, alij quoque ibidem Cæſareæ in Palæſtina hac eadem perſecutione paſſi reperiantur: atq; inter alios, inſignis ille Dux *Procopius*, cuius fortiſſima certamina ex antiquioribus monumentis edidit Metaphraſtes [d], quæ citata reperiuntur in Secunda Synodo Nicæna [e] ac de ſublimi eius ab ipſo Chriſto Domino de cœlo facta vocatione, & glorioſo martyrio, agit quoque ſummatim Nicephorus [f]. Illum porro alium prorſus diuerſumque extitiſſe, ab eo quem Euſebius [g] anno primo perſecutionis necatum eſſe tradit; ſatis ex eo intelligi videtur, quod ille momentaneo ferme martyrio ſublatus eſt, iſte longo certamine fatigatus plurima meruit de diuerſis tormentis variis temporibus exantlatis, confeſſionis ſtipendia. Sed & in eius Actis additur de duarum cohortium militibus Chriſtianis cum eorum ducibus, necnon de Theodoſia eiuſdem Procopii matre, cum duodecim aliis feminis Senatoriis, martyrio coronatis.

PROCOPIVS DVX MARTYR.
d Metaphr. 8. Iul.
e Syn. Nic. 2 act. 4.
f Nic. lib. 7. cap. 15.
g Euſ. 8. hiſt. 13.

III.
PAMPHILI LVCVBRATIONES.
h Hier. de Script. Eccl. in Pamphil.

Quod vero rurſus ad Pamphilum ſpectat; adnumeratur ipſe non tantum inter nobiles martyres, ſed inter illuſtres Scriptores Eccleſiaſticos; quem præ ceteris Hieronymus [h] egregio ornauit elogio; factumque eſt, vt ob egregiam inſignis martyris laudem, Euſebius eius pernecesſarius, vt præclariſſimum quoddam ornamentum eiuſdem ſibi nomen addiderit, voluerit que dici *Euſebius Pamphili* vtinam ſic feliciter ac glorioſe; quãtam enim nomini ſancto, negando Chriſtum & ſectando hæreſim, ignominiam irrogarit, præterea quæ iam ſuperius dicta ſunt, apertius videbitur inferius.

IV.
ALII MARTYRES.
i Euſ. in Chron.

Hoc quoque eodem anno, qui numeratur tertius Imperii Maximini, *Quirinus* (inquit idem Euſebius [i]) Epiſcopus Sciſcianus in Illyrico, glorioſe pro Chriſto interficitur. Nam manuali mola ad collum ligata è ponte præcipitatus in flumen, diutiſſime ſupernatauit, & cum ſpectãtibus collocutus, ne ſui terrerentur exemplo, vix orans vt mergeretur obtinuit: cuius Prudentius [k] cecinit martyrium ſacro hymno. Sed & alii quoq; eadem perſecutione vrgente variis eiuſdem Illyrici locis paſſi habentur, quorũ memoria in Eccleſiaſticis tabulis hactenus perſeuerat.

k Prud. περὶ στεφ. hym. 7.

V.
l Aug. ep. 48. ad Vincent.

Hoc item anno, qui numeratur quadrageſimus [l] ante tempora Macariana in Africa, quæ cœperunt anno Domini trecẽteſimo quadrageſimo octauo; Africani Schiſmatici iuncti impiis Traditoribus (de quibus omnibus dictum eſt ſuperius) & ad factionem ſuã pertractis Epiſcopis Numidis, ſolicitatiſque Mauritanis, collegerunt Carthagine numeroſiſſimum CONCILIVM (mirum dictu) ducentorum ſeptuaginta Epiſcoporum; cuius Sanctus Auguſtinus meminit ſæpius: in quo (vt ait [m]) per ſeptuaginta quinque dies, poſtpoſitis omnibus præteritis, limata eſt ſententia atq; decreta, vt Traditoribus immenſi criminis reis, ſi baptizari nollent, pro integris communicaretur. Quid autem poſt hæc ab iiſdem actum ſit, dicetur ſuis locis.

CONCILIVM SCHISMATICORVM IN AFRICA.
m Aug. ibid.

CONSTANTINI AN. 4.

IESV CHRISTI AN. 309.

EVSEBII AN. 1.

I.

ANnus Chriſti trecẽteſimus nonus, nullis nouis creatis Coſſ. Poſt Conſulatum anno ſuperioris, nempe Diocletani & Maximiani, notatur à Caſſiodoro & aliis. At in libro [a] de Romanis Pontificibus, annus præſens quo Marcellus Papa deceſſit, adſcriptus habetur Conſulatui Maxentii quarto atque Maximi. Itaque videtur accidiſſe, vt Maxentio à Conſtantino ſuperato, & Romanæ Reipublicæ perduelle iudicato, eius memoria à publicis monumentis abraſa penitus fuerit; ſicque annus Conſulatu Maxentii notatus, Poſt Conſulatum Diocletiani ac Maximiani habeatur inſcriptus.

a Lib. de Rom. Pont. in Marcel.
CONSVLATVS E TABVLIS DEMPTI.

II.
b Tac. Annal. 3.

Quamuis enim ea fuiſſet [b] olim penes Romanos conſuetudo, ne Conſules quantumlibet criminoſi fuiſſent, expungerentur è publicis tabulis: eam tamen his temporibus iam ex parte antiquatam fuiſſe certiſſime teſtantur antiqui [c] nummi, in quibus Maxentius Imperator Conſul ſecundo inſcribitur; cum tamen in his qui extant Græcis pariter ac Latinis Faſtis nulla reperiatur mentio eiuſdem Conſulatuum. Porro qui ſecundus fuit eius Conſulatus ordinarius illum in dicto libro de Romanis Pontificibus, habita Conſulatuum ſuffectorum ratione quartum adnumerari exiſtimamus; cui collegam (vt vidimus) tradit Maximum: alium vero conſulatum eumdem Maxentium geſſiſſe cum *Romulo* filio (quem Cæſarem creatum, *Aurelium Valerium Maxentium* nominauit, vt veteres docent inſcriptiones [d]) cõiicere poſſumus, quod reperiantur [e] plura numiſmata eiuſdem Romuli Conſulatu expreſſa. Cum autem tyrannorum & hoſtium Reipublicæ Conſulatus deleri cœperunt, vel ex alia cauſa noui Coſ. creati nõ ſunt; ne in numerum annorum qui per Conſulatus recẽſeri ſolerent, error irreperet, optime conſultum eſt vt ſequentes anni ſignarẽtur. Poſt Conſulatum vltimorum Conſulum primo vel ſecundo &c. prout vacaſſe contigiſſet: quod ſæpius factitatum inferius videbitur. Sed & accidit aliquando, vt cum certi eſſent alicuius anni Coſſ. tamen Acta publica Poſt Conſulatum ſuperioris anni conſignarentur; forte honoris cauſa: nam Acta Concilii Epheſini nonnũquam adnotata reperiuntur Poſt Conſulatum Theodoſii Imperatoris & Valentiniani; cum tamen conſtaret eodem anno Conſules creatos eſſe Baſſum & Antiochum. Sed de his hactenus.

c Habet Baron. Annal. to. 3. Adrian.
ROMVLVS CAS.
d Ap. Panuin in Faſt.
e Adolp. de Num. Goltz. in Theſ.
ANNI NOTATI POST CONSVLATVM.

III.
MARCELLI PP. ÆRVMNÆ, ET OBITVS.

Iiſdem igitur Maxentio & Maximo Coſſ decimoſeptimo Calendas Februarii *S. Marcellus* Papa mortuus ponitur, cum ſediſſet annos quatuor, menſem vnum & dies viginti quinque, licet de his alii aliter ſtatuant: verum habito reſpectu ad tempus quo eum poſt vacationem ſedis Marcellini ſedere cœpiſſe diximus, hanc noſtram chronologiam recte computatam inuenies. Quod autem pertinet ad eius obitum; in eodem libro de Romanis Pontificibus traditur, eum, quod diſſipatam longa perſecutione Eccleſiam componeret, comprehenſum eſſe à Maxentio, & quod diis ſacrificare renuiſſet, damnatum in catabulum: (ſtabulum ſcilicet iumentorum publico vſui adſcriptorum: quo pariter ignominiæ genere, hac eadem per-

ſecutione complures alios conſtantes in fide Epiſcopos in Oriente afflictatos eſſe, nempe vt curæ iumentorum adſcriberentur, Euſebius [f] ſcribit) cumque inde poſt nouem menſes à clericis ſuis noctu erutus, & à Lucina vidua receptus, huius domum in eccleſiam conuertiſſet ſub titulo B. Marcelli, ibique munia Eccleſiaſtica obiret: his auditis Maxentium, iuſſâ eadem eccleſia plancis, hoc eſt tabulis planis ſterni; collocatis ibi iumentis catabulariis, Marcellum iterum eorum ſeruitio mancipaſſe: illudque exequentem Marcellum nudum & cilicino habitu amictum, poſt multos dies defunctum eſſe; ac eius corpus collectum ab eadem Lucina ſepultum eſſe in cœmeterio Priſcillæ via Salaria: denique ipſam Lucinam proſcriptione damnatam eſſe.

f Euſ. 8. hiſt. 12.

IV. Extant quoq; eiuſdem Marcelli Acta [g] ſed in nonnullis (vt & ſuperius attigimus) corrigenda: vt quod ad præſentis temporis hiſtoriam ſpectat, de Cyriaco diacono cum Largo atque Smaragdo miſſo à Diocletiano ad Saporem Regem Perſarum, vt eius filiam à dæmone obſeſſam liberaret; deque eadem filia, ipſoque Sapore cum aliis baptizatis. Nam cum duo his temporibus fuiſſe reperiantur Sapores Reges Perſarum, nempe Senior qui Valerianum Imperatorem captiuum duxit, & Iunior illius Senioris nepos qui ſub Conſtantino regnare cœpit, ac (vt tradit Agathias [h]) ad annos ſeptuaginta regnum propagauit: ſatis conſtat neutrum horum fuiſſe aliquando Chriſtianum. Certe non id reticuiſſet Conſtantinus, cū ad Iuniorem litteras [i] ſcribens commendauit illi Chriſtianos qui erant in Perſide: quinimmo ab eodem diram perſecutionem aduerſus Chriſtianos fuiſſe excitatam, Sozomenus [k], Theodoretus [l], & alii teſtantur.

g Ap. Sur. 16. Ianuar. ACTA MARCELLI MENDOSA.

h Agath. li. 4 hiſt. i Extat ap. Euſ. 4. de Vit. Conſt. 9. & Theodor. lib. 1. cap. 25. k Sozom. lib. 2 cap. 8. l Theod. lib. 1. cap. 24.

V. Ex iis autem quæ de Maxentio nuper ſunt dicta, conſtat vaſrum hominem quam ſimulaſſet fidem vt Chriſtianos Romanos & Afros ſibi deuinciret, eidem penitus renunciaſſe poſtquam extinctis Seuero Cæſare in Italia & Alexandro in Africa res nouas molientibus, firmaſſe Imperium ſibi viſus eſt. Quapropter & Marcellum Romæ primum appetens, miſere (vt vidimus) vitam finire coegit, quem blandis antea verbis à fide auocare ſtuduerat. Extat enim ſcripta ad illum eo argumento epiſtola eiuſdem Marcelli, eum acriter redarguentis de mutatis in prauum moribus, & cœpta in Chriſtianos perſecutione: quam licet additamentum aliquod extrinſecus accepiſſe putemus, quod cunctæ res ibi ſcriptæ non æque ſibi cohærere videantur; in his tamen de quibus agimus, auctoritatem ea ſibi ab eiuſdem Pontificis epitaphio [m], quod poſtea ſcripſit Damaſus Papa, vindicat, dum eo traditur multas diſcordias, ſeditiones, ac cædes ortas eſſe quod Marcellus lapſos ad pœnitentiam compelleret; ipſumq; ab impio tyranno in exilium pulſum fuiſſe.

MAXENTIVS IN PRAVVM MVTATVS.

m Ext. in Antiq. Inſcrip. in Append. pag. 1172. nu. 3.

VI. Quibus item temporibus accidiſſe putamus, quæ incerto anno ſcribit Zoſimus [n] contigiſſe Romæ de incenſo Fortunæ tēplo, & turbis ea de cauſa excitatis cū (vt agit) orto igne, incertum ex aere, an è terra, concurrentibus ad extinguendum incendium omnibus, miles quidam contumelioſa in Fortunæ numen proferens verba, interemptus eſt à plebe religionis cauſa: vnde militari ſeditione orta, parum abfuit quin ad Vrbis internecionem progrederentur, niſi Maxentius eorum furorem celerius mitigaſſet. Hæc ille: qui cum religionis cauſa ea dicat fuiſſe concitata, facile adducor vt credam fuiſſe iſtum militem Chriſtianū, qui ſpreti numinis cauſa à plebe necatus eſt.

n Zoſ. lib. 2. FORTVNÆ TEMPLVM INCENSVM.

VII. Ceterum cum poſt Marcelli Papæ obitum ſedes vacaſſet dies viginti, quinta Februarii creatus eſt EVSEBIVS natione Græcus: quem quidem Theodoretus [o] non agnouit, ſicut nec Marcellum, dum Melchiadem ſucceſſiſſe Marcellino affirmat. Verum non tantum noſtrates, ſed etiam tranſmarini vtrumque nouerunt; vt Optatus, [p] Auguſtinus [q], aliique recentiores omnes.

EVSEBIVS PAPA. o Theod. lib. 1 cap. 3. p Opt. lib. 2 q Aug. ep. 165.

VIII. Quod autē ſpectat ad Maxentium; cum non ſolum in Marcellum aut Chriſtianos, ſed & in quoſcumque Romanos ciues, ac præcipue Senatores ſe crudeliſſimum præbuiſſe, Oroſius, Victor & Eutropius tradunt: additq; auctor Panegyrici poſt victoriam Conſtantino dicti, quæ mille & ſexaginta annis contractas ex toto Orbe diuitias Vrbs haberet, monſtrum illud redemptis in ciuile latrocinium manibus ingeſſiſſe; & quod militibus ſe tantum addictum profiteretur, quoties eos in concionem vocaret, hortatum eſſe vt fruerentur diſſiparent, prodigerent: adeo vt non vnum dumtaxat Vrbs, eidemque monſtro ſubiectum Imperium, tyrannum paſſum fuerit, ſed tot tyrannos quot milites. Quanta vero inſuper turpitudine cum crudelitate coniuncta affectus fuerit, quantiſque pariter adulteriis, cædibus, rapinis, Vrbem repleuerit, & in quantam denique penuriam homines Imperio ſuo ſubiectos redegerit; quomodo item magicis artibus deditus, interdum mulieres grauidas diſſecuerit, nonnumquam etiam tenerorum infantium viſcera ſcrutatus fuerit, aliiſque eiuſmodi adiurationibus dæmones excitarit: hæc inquā, omnia pluribus de illo agens Euſebius [r] proſequitur.

MAXENTII SÆVITIA ET TVRPITVDO.

r Euſ. 8. hiſt. 26. & 1. de vit. Conſt. 27. & c.

IX. Quo tempore, vt idem auctor ſubiungit, *Sophronia* (ſic enim Ruffinus [s] vocat, cuius nomen Euſebius reticet) nobilis matrona Romana, cum à Maxentii ſatellitib. abducenda ad ſtuprum eſſet, conſentiente etiam præ metu marito. Præfecturam agente; exiguo temporis ſpatio poſtulato quo ſe decenter ornaret, in cubiculum ſuum ingreſſa gladio ſibi transfixit pectus, ac mortua concidit. Porro quamuis violentas ſibi manus inferre, nec Gētilis nec lex Chriſtiana concedat: tamen (quod de Sampſone S. Auguſt. [t] ait) quia latenter Spiritum Sanctum hoc iuſſiſſe putandum eſt, Sophronia extra illorum claſſem reponenda eſt, qui tædio vel deſperatione vitæ, eiuſmodi ſcelus perpetraſſe dicuntur. Sicut & *Pelagia* virgo Antiochena, quæ cum matre & ſororibus hac eadem perſecutione manus carnificis, & ſententiam Principis eas lenonibus illudendas tradentis effugerunt; Pelagia è ſublimi domus tecto præcipitē ſe dando, mater & ſorores aquis ſe immergendo: quas ob præclarum facinus S. Ambroſius [u] miris extulit præconiis, & S. Chryſoſt. [x] pro concione laudauit; earumdemque tacitis nominibus, Euſebius [y] & Auguſtinus [z] meminiſſe videntur. Sic & Athanaſius [a] ſcribit, nonnullas virgines Alexandrinas, dum graſſarentur in eas Ariani, ſeſe in puteos præcipites egiſſe. Extantq; alia complura eiuſmodi exempla, admiranda illa quidem, ſed non facile imitanda. Illud vero plane egregium *Euphraſiæ* virginis Nicomedienſis, quæ eadem Diocletiani perſecutione ad lupanar itidem ducta, cum iam ab intromiſſo iuuene eſſet violanda, mercedem ingentem conſeruatæ pudicitiæ pollicita, pharmacum aduerſus quoſcumque ferri aut telorum ictus; ſimulq; cera oleo liquefacta collum ſuum inungens, vim remedii in ſe experiri hortata, vnico eiuſdem iuuenis gladii ictu, & ſuæ virginitatis integritati proſpexit, & coronæ martyrii percupide lucrum fecit. Recenſet hęc Nicephorus [b]: quæ vulgaris ille poeta, hac ex parte nec nominandus, impie poeticis figmentis attexere non eſt veritus.

s Ruff. lib. 8. cap. 17. FEMINARVM CHRIST. DIGNA FACINORA PRO CONSERVATIONE PVDICITIÆ. t Aug. 1. de ciuit. 21. 26

u Ambr. lib. 3 de Virg. x Ext. hom. eo argum. Chryſ. Mat. ap. Sur. 9. Iunii. y Euſ. 8. hiſt. 13. z Aug. 1. de ciuit. 26. a Athan. in Apolog.

b Nic. lib. 7. cap. 13.

X. Hoc item anno, qui ab Euſebio [c] numeratur octauus Perſecutionis, ab eodem recenſentur martyria quędam Epiſcoporum, aliorumq; Fidelium iam antea ad metalla damnatorum, qui in Palæſtina paſſi ſunt: inter quos fuit *Ioannes* quidam Ægyptius cæcus, qui integros ſacrarum Scripturarum libros memoria tenebat. Quæ vero acciderint duobus aliis vltimis Perſecutionis annis, haud ita diſtincte Euſebius, ſed paucis exceptis, diuerſarum Orientis prouinciarum martyres generatim dumtaxat complexus [d] eſt; immo varia potius atq; ſæuiſſima martyriorum genera, quam ipſos martyres recenſuit: cum tamen plurimorum extet memoria in tabulis Eccleſiaſticis, quorum licet inſignium nullam prorſus ipſe habuit mentionem. Illud certe notatu dignum, quod ait vrbem quandam Phrygiæ, cuius vniuerſi ciues ac magiſtratus fidem Chriſtianam iamdudum amplexati fuerant, ab hominibus armatis vndique cinctam, integram cum omnib. omnis ſexus, ætatis, & conditionis incolis incenſam fuiſſe. Cuius etiam rei meminiſſe viſus eſt Lactantius [e], dum exprobrans Imperatoris ſæuitiam, & Iudicum illi parentium immanitatem, ait vnum ex illis in Phrygia vniuerſum populum cum ipſo pariter conuenticulo concremaſſe.

c Euſ. 8. hiſt. 22. PALÆSTINI MARTYRES.

d Ibi. ca. 23. & ſeqq.

VRBS INTEGRA INCENSA CVM INCOLIS CHRIST.

e Lact. lib. 5 cap. 11.

IESV

CONSTANTINI AN. 5.

IESV CHRISTI AN. 310.

EVSEBII AN. 2.

I. PETRI ALEX. MARTYRIVM.

ANnus Chriſti trecenteſimus decimus, eadem occaſione quæ dicta eſt anno ſuperiori, nullis Coſſ. ſed poſt Conſulatum Diocletiani ſecundo notatus habetur. Quo magnus ille *Petrus* Epiſcopus Alexandrinus, capitis abſciſſione martyrium conſummauit anno nono cœptæ à Diocletiano perſecutionis. Cum enim Euſebius [a] tradat eum duodecim annis ſediſſe, & triennio ante perſecutionem creatum eſſe, vtique præſenti anno recenſendum eſt eius martyrium: quod quidem vna cum aliorum quorumdam Ægypti Epiſcoporum ac presbyterorum ſimili paſſione, idem Euſebius [b] breuiter perſtringit dum recapitulatione quadam recenſet inſigniores aliquos paſſos hac perſecutione Antiſtites: inter quos impenſe & ad miraculum vſque laudat Petrum. Extant vero eius Acta martyrii, quæ Anaſtaſius Bibliothecarius ex Græco Latina fecit, nonnihil diuerſa ab iis quæ eius nomine habentur edita [c], ſed veriora.

a Euſ. 7. hiſt. vlt.
b Id. hiſt. 25. lib. 9. c. 5.
c Ap. Sur. 25. Nouemb.

II. QVID PETRVS CVM ARIO.

Ac quidem quod in editis perperam traditur, excommunicatum fuiſſe ARIVM diaconum à Petro ob hæreſim de Filio Dei; nequaquam legitur in illis germanis, ſed tantum Ario à Petro Eccleſiaſtica communione interdictum fuiſſe ob ſchiſma Meletianum cui adhæſiſſet, cum vero ad Eccleſiam rediens indulgentiam impetraſſet, ab eodem Petro ordinatum fuiſſe diaconum; ſed cum iterum ad Meletium deſciuiſſet, rurſumque doloſe communionem Catholicam affectaret; eidem Petro in carcere conſtituto noctu Chriſtum Dominum apparuiſſe veſte diſciſſa, cauſamque rei ſciſcitanti dixiſſe Arium eam dilaceraſſe, eumque monuiſſe, tum ne ipſe eum reciperet, tum Achillæ & Alexandro presbyteris pro eodem Ario deprecantibus, qui ipſi Petro in Epiſcopatu ſucceſſuri eſſent, omnino præciperet ne vmquam illum in Eccleſiam admitterent, quam foret ſceleſtiſſime conſciſſurus. Hæc in eiuſdem Actis. Qui igitur ab eodem Petro ob ſchiſma eſt ab Eccleſia ſegregatus, poſtea ſubdole ſe Petri ſucceſſori Achillæ inſinuans, ab eo incaute receptus eſt, ac presbyter ordinatus: inde vero ab Alexandro Achillæ ſucceſſore (vt S. Athanaſius [d] ait) noua intercedente hæreſis cauſa fuit à communione reiectus. Quamobrem ſicut edita illa Acta adulterata mentiuntur; ita pariter cum eis hallucinantur, qui dicunt Arium à Petro hæreſis cauſa fuiſſe proſcriptũ; num nefas ſit Athanaſio Alexandri ſucceſſori non acquieſcere, eidem Alexandro primas ea in re tribuenti.

VISIO OSTENSA DE ARIO.

d Athan. orat. 1. cont. Arian.

III. PETRVS SE INIMICIS EXHIBET.

Poſtridie autem eius diei quo hæc geſta ſunt, idem Petrus glorioſiſſimum ſubiit martyrium; cum diligentiſſime cuſtoditus à Chriſtianis Alexandrinis, ne à Tribuno ei necem inferre quærente abduceretur, ipſe tum martyrii amore flagrans, tum metuẽs ne ſui cauſa Chriſtiani (quorum immenſus erat numerus) cum militibus manus conſererent; monito Tribuno, vt à parte poſteriori carceris murum noctu perfoderet, per foramen eo modo factum ſe militibus tradidit, & ab illis ad ſupplicium ductus, in eodem loco vbi olim S. Marcus, martyrium conſummauit ſexto Calend. Decembris, quando trepidantibus ad eius maieſtatem militibus, vix ex eis inuentus eſt vnus qui acceptis pro pretio quinque ſolidis aureis, ictu valido caput eius amputauit.

IV. FVNVS ET SEPVLTVRA PETRI.

Sed mirum dictu, abſciſſo capite in terram delapſo, reliqua pars corporis innixa genibus erecta immobiliſque permanſit, donec rem geſtam tandem qui in carcere excubias agebant Chriſtiani audientes accurrerent; qui ſacrum pignus, irarum obliti, officii memores, delibutum vnguentis, veſtibuſque ſacerdotalibus indutum, perinde ac ſi viueret, in ſede S. Marci Epiſcopali collocarunt; indeque ſublatum magna pompa cum hymnis, cereis, & incẽſis, ex more ſepulturæ mandarunt: quæ omnia fuſius in iiſdem Actis narrata habentur. Ex quibus etiam illud memoria dignum intelligitur, præter morem Petri corpus poſt obitum à Fidelibus in Epiſcopali throno collocatũ fuiſſe, quod cum ipſe dum viueret frequenter in eodem throno quamdam videret diuinam ſedere virtutum fulgore luminis admodum radiantem; ideoque præ animi ſubmiſſione non auderet eo accedere, plerumq; in ſuppedaneo eius ſcabello ſedere ſolitus eſſet. Quapropter populus, qui quoties Petrus in ſcabello ſedebat, acclamare conſueuerat vt cathedram aſcenderet, cum ſemper in his victus ab eo viuente fuiſſet, iam defunctum voluit ſuperaſſe, collocans venerandum corpus ipſius, ſuperpoſito ſecto capite, in cathedra Pontificia. Cuius natalem diẽ cõſueuiſſe poſtea Alexandrinos anniuerſaria celebrare, maximo hominum cœtu pompaq; ſplendida celebritate, teſtatur Sozomenus [e]; meminitque eius diei feſti Ruffinus [f]. Et quod ad eius ſcripta pertinet; præter Canones pœnitentiales, de quibus auctum eſt ſuperius, ex eiuſdem commentario de Diuinitate recitatur fragmentum in Concilio [g] Chalcedonenſi.

e Sozom. lib. 1. cap. 16.
f Ruf. lib. 1. cap. 14.
g Conc. Chalced. Act. 1.

V. ACHILLAS ARIVM SVSCIPIT.

In locum Petri ſubrogatus eſt *Achillas*, vir quidem ille pietate & doctrina inſignis, ſed cuius nimia animi facilitas ab aliquibus reprehenditur, quod conteſtationis ſui prædeceſſoris oblitus, Arium pœnitentiam ſimulantem non ſolum non reiecit, ſed etiam ad presbyterii gradum euexit; vt inter alios teſtatur Sozomenus [h]: eumdemque præfectũ fuiſſe vni ex eccleſiis ciuitatis Alexandrinæ, nomine Baucalidi, Epiphanius [i] docet: immo & eidem ſacrarum litterarum interpretationem concreditam eſſe, Theodoretus [k] ſignificat. Accidiſſe autem videtur, vt in odium Meletianorum ſchiſmaticorum, quos Achillas vehementer eſt auerſatus, ipſe tunc Arium ab illis deficere ꝓfitentẽ ſuſceperit atq; fouerit. Sicut n. aduerſus Petrum, ita pariter in Achillã & Alexandrũ eius ſucceſſores, Meletianos maximas turbas concitaſſe, Athanaſius [l] Alexandri ſucceſſor fidem facit: ex quibus Epiphanium [m] redarguas, tum in eo quod tradit Meletium amicitia fuiſſe cum Alexandro coniunctum, tum quod Alexandrum ante Achillam ſediſſe ſcribit. Quot autem annis Achillas ſederit, non leuis eſt controuerſia. Euſebius ſua hiſtoria proſecutus ſeriem Alexandrinorum Epiſcoporum, eam vſq; ad martyrium Petri perduxit: Chronicon autem eius in his vltimis temporibus cõſtat in multis eſſe deprauatum; & quod habet de ſede Achillæ, mõſtroſas parit abſurditates. Ceterum Epiphanius [n] tribuit ei tres tantum menſes; Nicephorus autem Epiſcopus Conſtantinopolitanus in Chronologia à ſe ſcripta, quam & Anaſtaſius Bibliothecarius in Latinum tranſtulit, annum vnum. Certe quidem breui tempore eum ſediſſe, multa quoque alia inferius probabunt.

h Sozom. lib. 1. cap. 14.
i Epiph. hær. 68. 69.
k Theodor. lib. 1. cap. 2.
l Athan. orat. 1. cont. Arian. prope f.
m Epiph. vbi ſup.
n Id. hær. 69.

VI. ANTONIVS MAGNVS MARTYRII CVPIDVS.

Præter autem illos martyres quorum mentionem facit Euſebius, eſt etiam aliorum quorumdam tam in Ægypto quam in Thebaide & Cyrene paſſorum, illuſtris memoria in tabulis Eccleſiaſticis & aliis antiquis monumentis. Agitque inſuper Athanaſius in Vita Magni ANTONII (cuius primordia, & quo conſilio petierit ſolitudinem, allegerit diſcipulos, & monaſteria ante præſens tempus in eremo propagauerit, plurib. narrat) de officiis quæ idem Sanctus Alexandriam accedens, martyribus & confeſſoribus in carceribus conſtitutis, exhibuerit, vſque in præſentem annum quo Petrus martyrium conſummauit: cũ & idem Antonius martyrii cupidiſſimus, nõ ſolum, ceteros palam exhortaretur ad martyrium; ſed & ipſe candente indutus veſte, ex eminenti loco præcedentem Iudicem ſuo prouocaret aſpectu. Verum à Deo (vt ait Athanaſius) ſeruatus eſt firmandæ Monachorum inſtitutioni: poſt Petri vero necem perſecutionis turbine quieſcente, ad priſtinum monaſterium reuerſus eſt vbi quotidianum fidei ac conſcientiæ martyrium mereretur, acrioribus ſe ieiuniis vigiliiſque conficiens, cilicinoque veſtimento intrinſecus, deſuper pelliceo vtens.

VII. POTAMIENÆ VIRGINIS CONSTANTIA.

o Pallad. in Lauſiac. c. 3.

Inter martyres vero quos diximꝰ, memorabilis eſt cõſtantia [o] *Potamienæ* puellæ pulcherrimæ, ancillæ cuiuſdam viri Alexandrini; quæ cum numquam ad ſtuprum domini allici potuiſſet, ab eodem domino ſuo tradita Præfecto, ea ſilenter pacta conditione, vt ſi ipſius mallet acquieſcere voluntati, quam tormenta pro fide Chriſtiana quã profitebatur pati, eam reſtitueret; ſin, minus tormen-

tis enecaret: minitante præfecto inter alia ſupplicia, ſe eam in vas immenſum ahenum ferventi pice repletum demerſurum, *Per caput* (inquit puella) *Imperatoris tui quod tu vereris obteſtor, vt ſi apud te ſtatutum eſt his me tormentis necare, non ſimul totam, ſed paulatim me in feruentem iubeas mitti picem; vt poſſis videre quantam mihi dederit ignotus tibi patientiam Chriſtus*. Quæ per vnius horæ ſpatium paulatim in ahenum candens demiſſa, defecit vbi primum pix ebulliens ad eius colla peruenit. Sed & in *Philemone* Coraule, miro quodam modo virtus Chriſti effulſit in Thebaide: ſiquidē cum Apollonius Lector tormenta expaueſcens, ne fidem omnino negaret, quatuor Philemoni dediſſet aureos, vt ſe Apollonium mutato habitu fingens, coram Præſide vna cum aliis immolaret; iſte mente diuinitus illuſtratus, qui alienam gerebat perſonam vt negaret, propriam repræſentans ſe verē in Chriſtum credere conſtanti voce profeſſus, poſt varia tormenta inſignem martyrii coronam adeptus eſt: cuius exemplo Apollonius roboratus, & ipſe forti animo idem certamen obiit. Extant [p] eorum Acta fuſius ſcripta.

PHILEMONIS MIRA CONFESSIO.

p Ap. Sur. 14. Dec.

IESV CHRISTI AN. 311.

EVSEBII AN. 3.

CONSTANTINI AN. 6

I. ANnus Chriſti trecenteſimus vndecimus, Galerio Maximiano Aug. octauum & Licinio Cæſare Coſſ. numeratur decimus ac nouiſſimus Perſecutionis: quo licet ab ea Gentiles præ nimia ſanguinis effuſi ſatietate (vt ait Euſeb) propemodum quieuiſſe viderentur; in aliquos tamen adhuc graſſari non deſtiterunt. Hoc enim anno contigiſſe martyrium *Luciani* piiſſimi & doctiſſimi presbyteri Antiocheni, ſatis ex eo colligitur, quod cum paſſus habeatur ſeptimo Idus Ianuarii, tamen id accidiſſe poſt necem Petri Alexandrini (quem anno ſuperiori ſexto Calendas Decembris defunctum vidimus) eiuſdem Luciani Acta [a] germana declarant: quorum etiam auctoritate liquet, ipſum ſubiiſſe martyrium ſub Galerio Maximiano, licet Euſebius [b] & Hieronymus [c] ſub Maximino ponant: ſed cum ambo eodem tempore in Oriente regnauerint, facile potuit in adeo ſimilia nomina error irrepere.

S. LVCIANI CERTAMEN ET MARTYRIVM.

a Ap. Metaphr. & Sur. 7 Ianuar. b Euſ. 9. hiſt. 5. c Hier. de Scr. i. e. Eccleſ.

II. Ceterum cum antea ſæpe idem Lucianus furentem perſecutionē caute declinaſſet; demum proditus à quodam Pancratio presbytero hæreſis Sabellianæ, quam ipſe acerrime oppugnaſſet, à perſecutoribus tentus eſt; & Nicomediam ductus vbi Imperator agebat, cum coram vrbis Præfecto, audiente etiam Imperatore, apologiam pro Chriſtiana religione dixiſſet, in carcerem coniectus eſt ibique trucidatus. Hæc paucis Euſebius [d], pluribus Acta ipſius Luciani narrant: in quibus etiam deſcribitur quam dira paſſus ſit in carcere, cum præter alia tormenta extenſis in quatuor partes, alligatiſque pedibus manibuſque ne aliquo modo moueri poſſet, ſuper denſos teſtarū aculeos nudum cubare cogerent, & omnem cibum interdicerent niſi idolothytorum: ſed ipſe ne iis contaminaretur, maluit fame enecari, cum integros duodecim dies eo in ſtatu perdúraſſet: vt teſtatum etiam habetur apud Origenem [e] in commentariis in Iob; quos vel ex hoc intelligas alterius potius auctoris eſſe, cum Origenes longe ante hæc tempora deceſſerit. Pridie vero eius diei quo Lucianus deceſſit, nempe ſolemni die Epiphaniæ, tā in ſuam ipſius quam diſcipulorum qui aderant conſolationem, mirando prorſus modo obtulit Deo ſacrificium incruentum, cum ſic vt erat ſtratus atque ſupinus, iuſſit ſuo pectori imponi ſignis diuini myſterii, eius ſolemnia celebrauit, & tam ſe quam circumſtantes communicauit, partemq; ad abſentes miſit. Hæc autem, aliaq; admiranda quæ ſecuta ſunt poſtquam eius corpus alligato lapide proiectum eſt in mare, & delphini obſequio litori reſtitutum, ac Drepanum delatum; eadem fideliſſima ipſius Acta fuſius explicant: quib. & plurimorū aliorū martyria recenſentur.

d Euſ. 8 hiſt. 13 & lib. 9. ca. 5.

e Ap. Orig. lib. 2. in Iob.

LVCIAN. STRATVS OBTVLIT SACRIF.

III. In iiſdem etiam (quod ad ipſius lucubrationes ſpectat) declaratur, quod cum vidiſſet ſacros Libros eſſe valde adulteratos, eos rurſum ex lingua Hebraica, cuius erat ſcientiſſimus, in Græcam tranſtulerit: idque ipſum totidem verbis ex iiſdem Actis acceptum, Suidas [f] recitat. Affirmat vero Hieronymus [g], eiuſmodi Luciani verſione omnes Eccleſias quæ ab Antiochia Conſtantinopolim vſque interiacerent, vti conſueuiſſe: ſed & ſuo tempore extitiſſe eiuſdem auctoris de Fide libellos, ac breues ad nonnullos epiſtolas. Accidit autem illi, quod contigiſſe vidimus [h] Dionyſio Alexandrino: vt dum ambo in Sabellii hæreſim conciti nimis ferrentur, vterque creditus ſit materiam Ario præparaſſe: adeo vt inde ipſos Arianos nonnulli ſanctiſſimi Patres *Lucianiſtas* appellarint: ſicut feciſſe videntur Alexander [i] Epiſcopus Alexandrinus, & Marius [k] Victorinus: Conſtatque [l] gloriari ſolitum Arium tali auctore, ac proinde ſuæ hæreſis ſectarios *Collucianiſtas* dicere. Verum ſicut Dionyſium Athanaſius ab eiuſmodi calumnia egregie liberauit: ita & Lucianum, vt hominem à Catholicorum partibus ſtantem, dum [m] agit de eius editione *Lucianea* dicta, egregio laudauit elogio: & dum Arianæ hæreſis principia repetiit, nullam vnquam Luciani vel leuem mentionem habuit, ſed Pauli Samoſateni. Quā vero pure & ſincere de Chriſto Lucianus crediderit, ex ipſa eius fidei profeſſione [n], quam iidem Ariani tempore Conſtantii Imperatoris Antiochiæ ediderunt ſatis apparet: in qua communis Filii cum Patre ſubſtantia, potentia, gloria, imago, & alia demum omnia inſunt, quæ Catholicæ Eccleſiæ filii profitentur, excepto ſolo *Conſubſtantialitatis* verbo (qua etiam ratione ab Arianis tamquam ſibi fauens ſolebat recitari) quod poſtea ad eludendas [o] varias Arianorum ſtrophas fuit in Concilio Niceno appoſitum, cum antea minus eſſet vſitatum. Habuiſſe quidem illum diſcipulos, qui primo tyrannorum crudelitati cedentes idolis immolarunt, poſteaque ope magiſtri ad pœnitentiam redeuntes, demum ipſius doctrinæ renunciantes in Arianam hæreſim ſe præcipites dederunt: teſtatur Nicephorus [p], qui inter eos numerat Euſebium Nicomedienſem, Marin Chalcedonenſem, Theognidem Nicænum, Leontium Antiochenum, Eudoxium, &c. In Actis vero eiuſdem recenſentur etiam fœminæ eius diſcipulę Euſtolia, Dorothea, Seuera, & Pelagia martyr Antiochena.

III. DE LVCIANI SCRIPTIS.

f Suid. verb. Lucian. g Hier. ep. 107. ad Chrom. & de Script. Eccl. in Lucia. h Sup. an. 263.

i Ap. Theodor. li. 1. c. 4. k Mar. Victor. aduerſ. Arian. lib. 1. l Theo. ibid. c. 5. Epiph. hær. 69. m in Athan. in Synopſ.

n Ex Socr. li. 3. c. 5. & Niceph. li. 9. cap. 5

o Athan. ... Arian. DISCIPVLI LVCIANI DEGENERES.

p Nic. lib. 8. c. 31.

IV. Haud vero tantum in prouinciis Romano Imperio ſubiectis, ſed & in aliis quæ ſuos peculiares habebant Reges, perſecutionem his temporibus viguiſſe conſtat. Siquidem in ſuperiori Armenia, cui Tyridates præerat, non ſolum *Gregorius*, qui eius poſtea creatus eſt Epiſcopus, grauiſſima ab eodē paſſus eſt: ſed & multæ virgines Deo dicatæ, pro tuenda caſtitate & fide Chriſtiana poſt dira tormenta neci ſunt traditæ cum Tyridates à numine ob immanem impietatem percuſſus inſania, tandem ope eiuſdem Gregorii priſtinæ mentis ſanitati reſtitutus, colere cœpit Chriſtianos: cuius tempore magna facta eſt in ea regione ad Chriſtianam religionem acceſſio, ipſo etiam Rege ad Chriſtum conuerſo. A quo miſſus Gregorius ad Leontium Cæſareę Cappadociæ magni hoc tempore nominis Epiſcopum, & ab eo Epiſcopus ordinatus, in Armeniam rediens eam Eccleſiam optime compoſuit. Traduntur hæc omnia pluribus in eiuſdem Gregorii Actis [q], quæ licet haud cunctis arrideant in omnibus, tamen citantur ab Euthimio [r] accuratiſſimo ſcriptore ſub nomine librorum Armenorum. Sed & de ordinatione eiuſdem Gregorii agens S. Nicon [s] aduerſus errores Armeniorum, teſtatur eum cauiſſe, Armeniæ Epiſcopum à nullo alio eſſe ordinandum, quam ab illius temporis Cæſareæ Cappadociæ Archiepiſcopo, vt ipſe fuerat ordinatus.

MARTYRIA IN ARMENIA.

GREGORIVS EPISC. ARMEN.

q Ap. Metaphr. & Sur. 30. Sept. r Euthym. in Panopl. par. 3. tit. 20. s Nicon. op. ad Euthym. ... Bibl. S.

V. At modo ſatis de martyribus huius Perſecutionis: quæ quidem ad decem annos ita propagata eſt, vt tamen non abſoluerit, vt ſide Theodoretus [t] & alii nonniſi nouem ei annos numerant, vtique abſolutos. Qua autem occaſione hoc anno conquieuerit, Euſebius [u] ait accidiſſe, quod Deus tandem Eccleſiæ ſuę recordatus, Galerio Maximiano præcipuo eiuſdem perſecutionis auctori vlcus immiſerit, quod primum verenda, poſtea interioris corporis receſſus occupans, infinitamque vermium multitudinem generans, ac fœtorem peſtiferum exhalans, ipſum breui cōſumpſerit. Cū interim huius ſuæ calamitatis cauſam agnoſcens, edictum promulgauit quo perſecutionē

PAX REDDITA ECCLESIÆ ORIENT.

t Theod. 5. hiſt. 38. u Euſ. 8. hiſt. 16.

DIVINA VLTIO IN GALERIVM IMP.

vbique ceſſare iuſſit, Chriſtianos templa ſua reædificare permiſit, remque eius maturare, & preces pro ipſo proque felici Imperii ſtatu fundere hortatus eſt. Recitat ipſum edictum Euſebius:ſed in eo deprauatum, quod in inſcriptione Maximium habeat pro Maximiano, & Conſtantium pro Conſtantino. Nam illud Galerii Maximiani eſſe apparet tum ex Conſulatu octauo,tum etiam ex Tribunitia poteſtate vicies iterata: tot enim fluxerunt anni, ex quo eam accepit cum primum creatus eſt Cæſar. Addit [x] inſuper, hoc promulgato edicto, Maximinũ quoq; Imperatorem, licet inuitum, omnibus Præfectis iuſſiſſe vt perſecutionem remitterent: ſicque factum eſſe, vt quicumq; vel in carceribus vel ad metalla detinerentur, continuo liberi ſint dimiſſi, & in ſingulis ciuitatibus conuentus celebrari cœperint.

x Id. 9. hiſt. 1.

VI. *Maximinus Imp. iterum perſequitur Eccleſiam.*

Sed cum necdum ſex menſes præterlapſi eſſent, idem Maximinus Chriſtianis infenſiſſimus, qui poſt mortẽ Maximiniani vna cum Licinio liberam adeptus eſt Orientalis Imperii adminiſtrationem, immane rurſum in Chriſtianos bellum nouis edictis reſtituere parauit: auctore maxime *Theotecno* quodam Antiocheno Curatore, homine crudeli & vafro, qui præter alias calumnias & criminationes in Chriſtianos ingeſtas, ad idolum quoddam Iouis Philii falſa præſtigiis ſuis excogitans miracula, aſſeruit Deum præcepiſſe vt Chriſtiani tamquã ei infeſti vndique expellerentur. Eodemque tempore Acta quædam Pilati & Saluatoris noſtri, ingentibus referta blaſphemiis conficta ſunt, & præcepto Imperatoris vbique publicata ac ipſos etiam pueros à ludimagiſtris doceri iuſſa. Denique infames quædam Gentiles mulierculæ minis inductæ ſunt, aſſerere ſe Chriſtianas olim fuiſſe, ſed ob immenſa quæ in eorum Eccleſiis patrarentur facinora, libidineſque, ab eis receſſiſſe. Quapropter huiuſmodi fictionibus acre in Chriſtianos ſub ditione Maximi bellum paratum eſſe. Euſebius [y] hæc omnia pluribus proſecutus tradit. Quod autem eidem narrationi interſeruntur [z] Petri Alexandrini, Luciani Antiocheni, & Siluani Emeſeni martyria, tanquam hac noua perſecutione illata, cum ea viuente adhuc Maximiano accidiſſe ſatis ſuperius ex eodem Euſebio declaratũ fuerit:dicendum omnino eſt, vel additamentum eſſe alterius, vel extra ordinem hic poſitum: ſicut & ipſe Euſebii narrationis nexus aperte demõſtrat: cum & alioqui certum ſit, reſtitutam hanc per Maximinum perſecutionem nequaquam progreſſam eſſe vſque ad ſanguinem. Quomodo vero cito extincta fuerit, dicetur anno ſequenti.

Calumniæ et fictiones in Chr.

y Id. 9. hiſt. 2. & ſeqq. z Ibidem c. 5.

VII. *Euſebii PP. obitus.* *a Martyr. Roma. &c.*

Hoc eodem anno vigeſima ſexta [a] Septembris, *Euſebius* Papa mortuus eſt, poſtquam ſediſſet annos duos menſes ſeptem & dies viginti vnum; cum tamen in Euſebii Chronico ſeptem tantum menſes ei tribuantur, ſex vero anni in libro de Romanis Pontificibus. Sed magis placuit ſequi Indicem Creſconianum, in quo ponuntur anni duo, menſis vnus & dies viginti quinque: niſi quod ratio temporis quo ſedere cœpit ac deſiit, aliter in menſibus & diebus definiſſe compulit. Sepultus eſt in cœmeterio Calliſti via Appia. Quod autem in eodem libro de Romanis Pontificibus traditur, huius tempore CRVCEM Domini noſtri IESV CHRISTI inuentam eſſe: magis probatur longe poſthac contigiſſe, de quo dicetur ſuo loco. Poſtquam vero ſedes vacaſſet diebus ſeptem, quinto Nonas Octobris electus eſt MELCHIADES natione Afer, qui a nonnullis *Miltiades* dictus reperitur: ſed in eius ſedis Conſulatibus adeo deprauatus eſt prædictus liber, vt nulla prorſus ſit ſpes eius reſtituendi.

Melchiades Papa.

VIII. *b Ruff. lib. 1. cap. 14. c Sozom. lib. 2. c. 16. Athanaſii puteri lvſvs propheticvs.*

Hoc item anno cum Achillas Epiſcopus Alexandrinus ex hac vita migraſſet, ſubrogatus eſt in locũ eius *Alexander*: cuius Epiſcopatus exordio ea contigiſſe videntur, Ruffinus [b] & Sozomenus [c] ſcribunt de luſu puerorum ſe presbyteros & diaconos fingentium, & quæ in Eccleſiis fieri ſolent imitantium: inter quos ATHANASIVS, & ipſe adhuc puer, agens Epiſcopum aliquos catechumenos baptizauit: quæ videns eminus Alexander, eademque rite & ſecundum Eccleſiaſticam conſuetudinem geſta eſſe intelligens, ſtatuit eos haud eſſe rebaptizandos, ſed tantum adimplenda ea quæ à ſacerdotibus mos eſt Athanaſium autem vna cum aliis inſtruendum traditum, poſtea conuictorem ſuum ac ſcribam conſtituit. Hæc pluribus iidem auctores. Porro non ſemper Athanaſium apud Alexandrum manſiſſe, ſed profectum in eremum adhæſiſſe Magno illi Antonio, ipſe in eius Vita à ſe ſcripta docet. Et quod ad eruditionem pertinet: non tantũ fuit valde imbutus Theologicis facultatibus, ſed etiã humanioribus diſciplinis: quẽ & Iuriſconſultũ Seuerus [d] appellat.

d Seuer. hiſt. lib. 2.

IESV CHRISTI AN. 312.

Conſtantini An. 7.

MELCHIADIS AN. 1.

I. *Annus Eccleſiæ feliciſſimus.*

ANno Chriſti trecenteſimo duodecimo, Conſtantino & Licinio Impp. ſecundum Coſſ. furentis iterum (vt dictum eſt anno ſuperiori) in Chriſtianos Orientales Maximini impetus penitus remiſſus eſt, ob multiplices à Deo in illum & ei ſubiectos Gentiles immiſſas clades: primo belli, cum idem tyrannus ab Armenis (quos ob Chriſtianam fidem ab iiſdem religioſe cultam bello appetierat) deuictus eſt: deinde diriſſimæ omnium famis: ac poſtremo grauiſſimæ peſtis: agente id iuſta Dei vindicta, quod idem Maximinus in promulgato nuper aduerſus Chriſtianos edicto inſolenter gloriatus eſſet, obſeruantiæ ſuæ in idola & perſecutionis in Chriſtianos motæ cauſa, nec famem, nec peſtem, nec bellum ſuis temporibus accidiſſe. Hæc autem quomodo ſe habuerint, Euſebius [a] deſcribit pluribus. Quomodo vero poſtea auditam Conſtantini de Maxentio victoriam, idem Maximinus noua pro Chriſtianis promulgarit edicta inferius narrabitur.

Vindicta diuina in Gentiles. *a Euſ. 9. hiſt. c. 7. 8.*

II. *Tempus victi Maxentii.* *b Panegyr. 2. Conſt. c Euſ. in Chron. d Socr. lib. 1. cap. 2.*

Porro Maxentii cladem hoc anno contigiſſe, ipſo vltimo die anni ſexti eius Imperii, fidem facit Panegyricus [b] poſt eum debellatum Conſtantino dictus. Sed & Euſebius [c] ſic ponit cum ſex annis imperaſſe, vt tamen hoc anno quo Conſtantinus auſpicatur ſeptimum, obitum eius referat. Eundemque ſecutus Socrates [d], æque Maxentii obitum refert anno Conſtantini ſeptimo. Ex quibus Eutropius redargui videtur, dum ait Conſtantinum anno quinto ſui Imperii aduerſus Maxentium prælium mouiſſe. Nam neque amplius quam vnius anni ſpatium totam Conſtantini expeditionem complexam eſſe, idem Panegyrici auctor affirmat.

III. *Cauſa belli in Maxent.* *e Zonar. & Cedren. in Annal.*

Quod autem ad belli cauſas attinet: præter illas quæ ſuperius ex Nazario recenſitæ ſunt, nempe reſpuiſſe Maxentium quam ei Conſtantinus offerebat pacem, & recuſaſſe eum habere collegam Imperii, ſed & imagines eius iniuria affeciſſe: tradunt inſuper alii [e], occulte ad eundem Conſtantinum ab Vrbe miſſos eſſe legatos, qui animum illius aduerſus intolerabilem Maxentii tyrannidem concitarent, vrgerentque. Quinimmo impellente numine, exercitibuſque apparentibus qui ſe in Conſtantini auxilium miſſos aſſererent: eum expeditionem in Italiam ſuſcepiſſe, ide Nazarius omnium Galliarum vbi hæc geſta ſunt adſtipulatione, egregie pro concione teſtatus eſt. At plane decebat vt cœlitus miſſæ copiæ, cœleſte ſignum pariter ſecum ferrent. Quod licet Ethnici ſcriptores ignorarint, aut potius diſſimularint: illud certe palam teſtati [f] ſunt, cœlitus promiſſam fuiſſe victoriam Conſtantino: eaque numinis ſponſione ipſum certum atque ſecurum, contra auſpicum monita, contraque ducum fere omnium militumq; ſententiam, longe imparem copiis perdifficile bellum aggreſſum eſſe.

Numina fauent Conſtantino. *f Panegyr. 2. Conſt.*

IV. *Signum crucis apparet Conſtantino.* *g Euſ. 1. de vit. Conſt. 22.*

Cæterum ſignum etiam ſanctiſſimæ CRVCIS factum eſſe Conſtantino è cœlo conſpicuum, cum ſcriptores omnes Chriſtiani affirment, tum omnium antiquiſſimus Euſebius [g] in re adeo mirifica recenſenda, ipſiuſmet Conſtantini hæc ſibi iureiurando affirmantis fidem obligat: cum (vt ait) iam Sole in pomeridianum tempus paululum inclinante, tam ipſe quam vniuerſus exercitus vidit CRVCIS ſignum ex lucis ſplendore figuratum in cœlo Soli imminens, inque eo inſcriptionem huiuſmodi, ΕΝ ΤΟΥ-

τῷ νικα, IN HOC VINCE: cumq; dubius de oſtenti ſignificatione hæreret, nocte ſequenti Chriſtus ei cum ſigno in cœlo monſtrato apparens, præcepit vt exemplari ad imitationem eiuſdem ſigni fabricato, eo tamquã præſidio vteretur deinceps in prælijs. Quapropter accerſitis Chriſtianæ religionis Sacerdotibus, & de Chriſto Domino, eiuſque ſigno ac ſignificatu ab eis inſtructus, tum illos poſthac tamquã aſſeſſores ſecum habuit, tum Deum qui ſibi apparuiſſet omni cultus genere venerari decreuit: ac ſicut iuſſus fuerat, ſignum mox fieri auro & gemmis ornatum curauit: nimirum haſtam oblongam, cum ligno breuiori parte ſuperiori tranſuerſo in formam Crucis, ad cuius cornua velum appenderetur & in ſummitate Crucis nomẽ Chriſti per literam X, P intermedio, expreſſum eſſet: eaſdemq; ſic contextas literas poſtea ſemper in galea geſtare conſueuit. Hæc pluribus Euſebius [h]. Porro nomen CHRISTI aliter quoque poſtea aliquando effigiari, & in ipſo etiam velamine appenſo imprimi ſolitum, & vel in galeis vel in ſcutis notari: necnon interdum in iiſdem armis, vel in vertice haſtæ, aut in ipſo velamine appenſo purum ſignum Crucis inſculpi: multa viſuntur nummi lapideſque antiqui, qui id demonſtrent. Atque hæc maxime obſeruata ſunt in præcipuo illo militari ſigno, quod poſtea frequentiori appellatione dictum eſt LABARVM: cum alioqui longe etiam ante Conſtantini tempora fuerint quoque in exercitu Romanorum Gentilium alia militaria ſigna, quæ ſignum Crucis exprimerent: vt hactenus Romæ & alibi cernere licet in multis trophæorum imaginibus, nummiſque, & alijs antiquis monumentis: & vt Iuſtinus [i] martyr, Tertullianus [k], & Minutius [l] Felix ipſis Gentilibus Crucis oſoribus frequenter exprobrarunt.

LABARVM CRVCE ORNATVM.

h Ibid. c. 24. & ſeqq.

i Iuſt. orat. ad Anton. k Ter. Apol. cap. 16. l Minut. in Oct.

V. DE LABARO, PRÆCIPVO MILITARI SIGNO.

Sed quod ad LABARI antiquitatem pertinet: facilius erit in vetuſtis Imperatorum victoriatum monumentis ſculpta oculis ſpectare Labaro ſigna ſimilia, quam eius nomen apud veteres ſcriptores Ethnicos legere. Cæterum *Vexillorum* appellatione illud expreſſiſſe, eademque *Cantabra* etiam nuncupaſſe, ex iiſdẽ quos citauimus Tertulliano & Minutio manifeſtum redditur, CANTABRA vero (ſic enim omnino legendum, non vt quidam volunt *Contabra*, docent ſcripti omnes antiqui libri, confirmatq; lectio Codicis Theodoſiani *De Signiferis & Cantabrariis*) dicta putamus à Cantabris in Hiſpania populis, quos magnis tandem laboribus multoque fuſo Romano ſanguine Auguſtus debellauit. Mutuari namque ſolitos fuiſſe Romanos ſigna hoſtium quos ſubiugaſſent, de *Draconibus* manifeſtum eſt exemplum, qui non ante eſſe cœperãt in vexillis Romanorum inſignia, quam Traianus viciſſet Dacos qui eis vtebantur. Sed licet Cantabra & Labara eadem fuiſſe ſigna videri poſſent: fuiſſe tamen differentiam aliquam, eorum figuræ lapidibus exſculptæ vel nummis impreſſæ declarant. Siquidem in veteri illa forma, ſic velum illud tranſuerſæ haſtulæ alligatũ erat, vt rugas aliquas ſui contractione admitteret: at in Labaro ſic erat expanſum, vt integras in ſe depictas Imperatorũ vel Crucis apponi ſolitas imagines demonſtraret. Præterea in exercitu plura fuiſſe Cantabra, loca citata docent: Labarum autem ex quo eius introductus eſt vſus & nomen, nonniſi vnum idemque omnium præcipuum in exercitu eſſe conſueuit.

LABARI ET CANTABRI MILITARIVM SIGNORVM DIFFERENTIA.

VI.

m Greg. Naz. orat. 1. in Iulian.

LABARVM VNDE DICTVM.

Vnde vero ſic appellatum fuerit, Gregorius [m] Nazianzenus inuectus in Iulianum Apoſtatam, qui Labarũ Cruce decorum abſtulerat, ait à Latinis eſſe dictum quod ſoluendorum laborum vim haberet. Forte, quaſi laboris ὅρος hoc eſt finis ſeu terminus: ſiue ita Conſtantinus appellauerit, quod Vrbẽ à tyrannide Maxentii liberãdo, tot laboribus finem imponeret: vel, quod Crucis fulgore rutilante, Perſecutionis laboribus terminus figeretur: ſiue etiam quod (vt ſcribunt Euſebius [n] & Sozomenus [o]) cum aliqua cohors laboraret, ad ſubſidium inferretur Labarũ, cuius aduentu mox victores exiſterent. Porro quod Latini *Labarum* dicebant, Græci λάβωρον nominabant, vt ex Græco habet Latina vox reddita in Codicibus Theodoſiano & Iuſtinianeo, titulo *de Præpoſitis Laborum*, & ibi poſitis de eximia eorundem dignitate legibus λάβωρον quoque vocat Sozomenus: licet alii Labarum legant: ſed vbique *Laborum* legẽdum eſſe, obſeruarunt etiam Turnebus [p] & Cuiacius [q]: quæ præterierunt Alciatum, dum minus æque inuehitur in Accurſium. De Præfectis enim Labarorum, hoc eſt Vexillariis, illic agi certum eſt: de quibus Euſebius [r] meminit, electos dicens à Conſtantino quinquaginta præſtantes viros, quibus per vices portandi Labarum onus incumberet. Eos vero poſtea ex Conſularibus haberi ſolitos leges ſuperius citatæ demonſtrant. At de his modo hactenus: quæ paulo fuſius proſequi libuit, ad explicationem præcipui Romanorum Chriſtianorum exercituum Signi.

n Euſ. 2. de vit. 7. o Soz. lib. 1. ca. 4.

p Tur. 15. Aduerſ. 16. q Cuiac. de præpoſ. lab. C. lib. 12. r Euſeb. 2. de vit. 8.

VII. CONSTAN. ET MAXEN. APPARATVS.

s Euſ. 1. de vit. 31. t Zoſ. lib. 2.

Iam ad Conſtantinum redeamus, cum inſigni eiuſmodi apparatu in Italiam proficiſcentem aduerſus Maxentium: qui ſe intra muros Vrbis concludens (vt Euſebius [s] & Zoſimus [t] tradunt) totus interim erat in præſtigiis agẽdis, victimis offerendis, aruſpicibus de belli euentu conſulendis: quin & Sibyllina oracula peruestigantem, ait Zoſimus reperiſſe, in fatis eſſe, vt qui ad perniciem Populi Romani ſpectantia deſignaret, miſerabili morte periret: idq; cum de ſemet ipſo accepiſſe. Nam & machinis præſtigiarum magis quam ſubiectorum beneuolentiæ confidiſſe. Euſebius ſcribit. Auctor vero eſt idem Zoſimus, eius exercitum conſtitiſſe centum & ſeptuaginta peditum & octodecim equitum millibus, Conſtantini autem nonaginta tantummodo peditum & octo equitum: cum tamen auctor eius temporis qui Panegyricum [u] Conſtantino poſt victoriam dixit aſſerat ipſum Conſtantinum vix quarta exercitus parte pugnaſſe aduerſus centum millia armatorum.

u Paneg. 2. Conſt.

VIII. CONSTANTINI VICTORIÆ.

Sic igitur Conſtantinus (inquit Euſebius) Dei auxilio nixus, primam, ſecundam, & tertiam aciem adoritur, & omnibus perfacile ſubactis quam proxime Romam aduẽtat. Porro pugnatum eſſe ab eo ſæpius in itinere contra Maxentii copias, dum vrbes reſiſtentes oppugnaret, maxime vero apud Taurinos, Brixiam, & Veronam, vbi inſignib. potitus eſt victoriis aduerſus Maxentii duces: pluribus narratur in iiſdem Panegyricis [x]: in quibus etiam multa habentur de eiuſdem fortitudine, & ipſum protegente diuina manu. Expugnatiſque mira facilitate & felicitate cunctis ferme aduerſarii præſidiis, Romam iter dirigens, ipſum Maxentium cum magnis pauendiſque copiis de ſumma rerum dimicaturum, licet infauſtis prodigiis exagitatum, ſibi trans pontem Miluium occurrentem, ingenti prælio deuicit: quo idem Maxentius, ſuis vbiq; fugatis, & pleriſque in flumine quod à tergo eſſet ſubmerſis, fugam & ipſe arripiens, pariter è ponte quem ea occaſione ſuper Tiberim conſtruxerat (ſiue tignis tanto fugientiũ oneri ſufferendo imparibus, vt vult Zoſimus: ſiue ea arte à Maxentio antea cõpactis, vt artificis arbitrio nullo negotio ſoluerentur, ſicq; Conſtantinum pontem occupare tentantem in aquas facile demitterent, quod tradit Euſebius) in fluctus decidẽs, abſorptus eſt: eiuſq; corpore mox ab vrinatoribus extracto, ſectũ caput haſtæ affixum in Vrbem delatum, inde vero poſtea in Africam miſſum, vt quam maxime viuus Maxentius afflixerat, laceratus expleret: ipſe autem victor Cõſtantinus, Vrbem poſt hæc triumphans mira omnium exultatione ingreſſus eſt. Quæ omnia, aliaque huc pertinentia, fuſe proſecuti ſunt iidem auctores Panegyricorum poſt victoriam Conſtantino dictorum, necnon Euſebius [y], Zoſimus, & alii.

x Eod. Paneg. 2. & Nazar. in Panegyr. Conſt.

MAXENTII INTERITVS.

y Euſ. 1. de Vit. 32. & 9. hiſt. 18.

IX. ARCVS TRIVMPHALIS CONSTANTINI ROMÆ.

Extat etiam hactenus tantæ victoriæ nobile monumentum Romæ inter Palatinum & Cœlium montem, haud longe à Domitiani Amphitheatro, Triumphalis arcus à Senatu ei conſtructus: cui & ob inopiam ſculpturæ artis opificum (quorum inſigniores ad Chriſtianam fidẽ conuerſi, à perſecutoribus ſublati fuerant: vt de nonnullis nuper Diocletiani perſecutione neci traditis, quod cum eſſent eius artis ſcientiſſimi nullo modo adduci potuiſſent, vt idolorum ſtatuas facerent aut adorarent, teſtantur hiſtoriæ [z] Eccleſiaſticæ) ex Traiani & Marci Aurelii Imperatorum memoriis, aliiſque inſignioribus Vrbis monumentis, ſublati lapides affabre facti intexti fuere, vt ex ipſa operis diuerſitate cuique etiam rudiori facile eſt iudicare. In eo vero præter alias inſcriptiones hæc

z Breuiar. Ro. 8. Nou.

nes hæc

Inscriptiones de victoria Conſtantini.

nes hæc in frōte legitur, quæ ad res noſtras pertinet: Imp. Cæs. Fl. Constantino Max. P. F. Avgvsto S. P. Q. R. Qvod Instinctv divinitatis mentis magnitvdine cvm exercitv svo tam de tyranno qvam de omni eivs factione vno tempore ivstis rempvblicam vltvs est armis, arcvm trivmphis insignem dicavit. Quod enim qui hunc extruendum curauit Senatus Gentilis eſſet, haud quidem vexillum Crucis erexit: ſed tamen quod ſciret Conſtantinum palam profiteri ſe auxilio Dei veri deuiciſſe tyrannum, idcirco ipſo inſcriptionis exordio ex animi ipſius ſententia illa poſuit verba, Qvod instinctv divinitatis.

X.
a Euſ. l. de vit. 1. 14. & 9. hiſt. 2.

At ipſe Conſtantinus (vt narrat Euſebius [a]) poſt gratiarum actionem Deo Optimo Maximo de accepto beneficio redditam: ne quid gloriæ Crucis videretur eſſe detractum, ſeorſum in ipſo Vrbis meditullio ſibi ſtatuam erexit, quæ manu ſignum illud ſublime teneret clariſſima huiuſmodi inſcriptione notatum, Hoc salvtari signo vero fortitvdinis indicio, civitatem vestram tyrannidis ivgo liberavi, et S. P. Q. R. in libertatem vindicans, pristinæ amplitvdini et splendori restitvi. Quapropter & poſtea Senatus quę ei gratiora ſciret præſtans, ſignum Dei (vt habet Gallicanus [b] orator) aureumque ſimulacrum ei dicauit. Eius videlicet Dei, quem videret ipſum publica atteſtatione profeſſum, nempe Christi Saluatoris. Neque enim de alicuius deorum Gentium aurea ſtatua poſſe intelligi, id maxime demonſtrat, quod ſic videri Senatus potuiſſet Conſtantinum iniuria magis quam honore afficere. Porro Senatum ſciunt omnes, qui Cæſarum hiſtorias callent, quæ etiam maxime horreret conſueuiſſe Imperatoribus officia deferre. Nec ob eam cauſam videri poterat ab auita ſuperſtitione deſciſcere: ſicut nec Alexander Imperator, cum eiuſdem Chriſti Domini imaginem inter alios quos coleret deos in ſuo larario collocauerat. Quod autem Prudentius [c], qui in fine huius ſæculi vixit, poſt recenſitam virtute Crucis illatam tyranno necem, Vrbemque à funeſta clade liberatam, addit Senatum ad inclyta procubuiſſe vexilla, & militiæ vltricis titulum, Chriſtique verendum nomen quod collucebat in armis adoraſſe: haud iſta quidem ſic intelligenda ſunt, vt Senatus mox factus fuerit Chriſtianus: ſed quod Labarum primarium militiæ ſignum ex more ſalutans fuerit veneratus. Siquidem Senatus magna ex parte, quibus erat obuolutus Gentiliſmi tenebris, in iiſdem diu volens libenſque permanſit. Quamquam magnam acceſſionem factam eſſe fidei Chriſtianæ, tanto Crucis patefacto miraculo, & Imperatore credente, nemo iure poſſit dubitare: ſicut & idem Prudentius de nonnullis Senatoribus, aliiſque viris clariſſimis, eodem carmine teſtatum reddidit.

b Panegyr. 2. Conſt.
Christi imago avrea a Senatv erecta.
c Prud. aduerſ. Symmach. lib. 1. de potent. Cruc.

XI.
Constantini rescripta pro Christian.
d Euſeb. 10. hiſt. c. 6. 7.

Quæ autem edicta pro Chriſtianis Romæ vel aliis in prouinciis tunc Conſtantinus promulgauerit, non extāt: perbreuia tātum reſcripta de reſtituendis bonis Eccleſiarum, deque immunitate Clericorum, ad Anulinum Proconſulem in Africa, recitat Euſebius [d]: nec non eiuſdem Imperatoris ad Cæcilianum Epiſcopum Carthaginenſem epiſtolam, de pecuniis ipſi à Quæſtore Africæ dari iuſſis ad ſubleuandos longa perſecutione afflictos Chriſtianos. Ex quibus, quid aliarum Occidentalis Orbis prouinciarum Eccleſiis contulerit, poſſumus intelligere: ſed de iis inferius, vt ſe dabit occaſio vel ratio temporis.

XII.
e Zoſ. lib. 4.
f Auſon. in grat. act. pro ſuo Conſul.
g Hab. Bar. Annal. to. 1. hoc an.

Quod vero nonnulli argumentati ſunt, Conſtantinum etiam poſt hæc idololatram fuiſſe, quod titulum Pontificis Maximi retinuiſſe inueniatur: facile ea obiectio diluitur ex eo quod auctore Zoſimo [e] conſtat, non ipſum ſolum Conſtantinum, ſed eum ſecutos omnes Imperatores Chriſtianos vſque ad Gratianum, vna cum Imperio Pontificis Maximi titulum ſuſcepiſſe, & ſtolam Pontificiam induiſſe. Id enim inſuper ex Auſonio [f] probatur, qui eundem Gratianum appellat Pontificem Maximum: & extantq; in antiquis lapidibus [g] inſcriptiones, quę id ipſum de Valentiniano, Valente, eodemque Gratiano teſtentur. Cur autem illum titulum ſuſciperent, ea ex eodem Zoſimo cauſa poteſt colligi, quod ſic videretur Imperatoriæ dignitati Summus Pontificatus adiunctus, vt ſine illo Imperator eſſe non poſſet, & in eum facile Senatus Populuſque Romanus Gentilitiæ factionis conſpiraturi eſſent, quem non viderent patria religione firmatum. Cum tamen non conſueta Gentilium ſuperſtitione (quam deſcribit Prudentius [h]) Chriſtiani Imperatores id agerent, ſed tantum (quod Zoſimus docet) amictu Pontificio oblato, eoque accepto titulum *Pontificis Maximi* vſurparent. Alia vero fuit etiam eius ſuſcipiendi cauſa, quod ampliſſima [i] eſſet illius magiſtratus auctoritas: quippe qui poſſet comitia dirimere, atque ipſos Conſules abdicare, factaque reddere irrita: decretis à Senatu intercedere, eademque intercidere: ac fierent ne bella, ex eius arbitrio penderet: ideoque eam ſibi auctoritatem omnes Romani Imperatores pernece ſſariam iudicarunt, vt ſummo religionis iure Senatum in ipſos ſæpe moleſtum, obſequentem in omnibus redderent. Qua ſane cauſa poſtea ceſſante, cum Senatores maiori ex parte Chriſtiani fuere, deſierunt pariter Chriſtiani Imperatores Summi Pontificatus titulum & ſtolam ſumere: de quo dicetur ſuo loco.

Christ. Imp. cur retinuerint titulum Pont. Max.
h Prud. Periſt. hy. 4.
i Vid. Cic. de nat. deor. lib. 2. & de leg. lib. 2. Tac. de mor. b. Ger. Valer. lib. 1. cap. 1. 3. & alios.

XIII.
Tempvs victoriæ Constant.
k Panuin. lib. 2. Faſt. in Conſ.

Quonam autem potiſſimum huius anni menſe, ac die, Vrbs a Conſtantino fuerit liberata: qui putauit [k] huius rei demonſtratione poſſe etiam Indictionvm, quibus anni ſupputātur, exordium definiri firmiter aſſeuerat Maxentium extinctum eſſe octauo Calendas Octobris à quo die prima Indictio inchoatur. Sed cum ea aſſertio nullis probetur auctoribus, nec quos ille citat id aliquo modo teſtentur: tota illa tractatio de Indictionum inuentione, omnino nutet neceſſe eſt. Nam quamuis Panegyricus incerti auctoris ſæpe citatus, affirmet Maxentium Tiberinis vndis abſorptum eo ipſo die quo ſextum abſoluit Imperii annum, antequam ſeptimum inchoaret: tamen vt id contigerit octauo Calendas Octobris, oportuit teſtatum reddidiſſe ipſum Maxentium ſeptimo Calendas eiuſdem menſis regnare cœpiſſe: quod nec ipſe, nec alius quiſpiam poſſit demonſtrare, cum res penitus apud antiquos auctores indefinita remanſerit. Quin immo ex Nazario [l], dicente Conſtantinum vix duos menſes poſt Maxentii necem Romæ conſtitiſſe antequam aduerſus Germanos iterum proficiſceretur: iuncto Conſtantini reſcripto [m], dato Romæ anno ſequenti decimoquinto Calendas Februarii: colligi poſſe videtur, victoriam de Maxentio habitam eſſe menſe Nouembri: quod etiam ex eo firmatur, dum idem Nazarius ait caput Maxentii mox poſt triumphum Conſtantini in Africam miſſum eſſe, cum nondum mare tempeſtiuum eſſet: hoc eſt ipſa hieme, qua à nauigatione ceſſabatur.

l Nazar. in Paneg. Conſt.
m Li. 1. C. de confeſſ. & ll.
Dispvt. de origine Indictionvm.

XIV.
n Ioſ. Scal. de emend. tem. lib. 5.

Sed nec illa probatur, quæ ab emendatore [n] temporum excogitata eſt de inuētione Indictionis opinio, dum ait ab exhibitione munerum Quinquennalium Imperii Conſtantini vſque ad Vicennalia, ſtatuta periodo annorum quindecim eſſe numerum Indictionum inuentum. Nam cum ipſe falſo nitatur fundamento, dum putauit hoc anno celebrata eſſe Quinquennalia Conſtantini, quem iam ſeptimum Imperii annum inchoaſſe vidimus cum Maxentium debellauit: totam ſuperædificatam ſtructurā æq. corruere neceſſe eſt. Atq; vtinam tam facile eſſet de iſtis vera ſtatuere, quam falſa deſtruere: adiiciemus tamen quæ nobis interdum contigit ex coniecturis opinari.

XV.
Nostra de Indictionibvs sententia.

In primis igitur exploſis iis quæ à quibuſdam recentioribus, de Indictionum exordio iam ab ipſis Auguſti temporibus, abſque aliqua teſtificatione feruntur: (Quid enim, vt alias rationes taceam, quod Cenſorinus egregius auctor, qui longe ante hæc tempora ſcripſit, dum exacte agit de antiquis omnibus quæ in vſu fuiſſent annorum ſupputationibus, Indictionum nullam prorſus fecit mentionem:) aſſentimur & nos, non ante præſentem annum eas ad annorum numerum conſignandum inuentas eſſe: tum quod nulla de iis apud externos ante Conſtantini tempora mentio habeatur, & apud Eccleſiaſtica monumenta prima mentio reperiatur in Concilio Romano

ſub Iulio Papa, qui Silueſtro ſucceſſit, & apud Sanctum Ambroſium in epiſtola ad Epiſcopos Æmiliæ prouinciæ: tum quod ex Græcis Faſtis exploratum reddatur, ſub huius anni Coſſ. cœptas numerari Indictiones Conſtantinianas.

XVI. Sed quanam ex cauſa vſu venerit, vt eiuſmodi quindenus inuentus ſit numerus ad annos ſub Indictionis nomine ſupputandos, id vero præcipue inueſtigandum relinquitur. Sane vt quindecim annorum periodo aliquid cœptum abſolueretur, & in tabulas publicas referretur, nullam aliam apud antiquas huius temporis memorias rationem repetire licuit, niſi ſtipendia militaria, cum quindenis emeritis miles honeſta miſſione, conceſſa capitationis immunitate, ſi vellet, ſolutus militia liber abire poſſet: ſi nollet, maioribus priuilegiis augeretur. Eſt enim de eiuſmodi miſſione mentio in reſcripto [o] eiuſdem Conſtantini ad Maximum: cum tamen antiquitus (vt eſt apud Tacitum [p]) ſexdecim annorum ſtipendia merere milites tenerentur: ſed, Conſtantinum magis augeri voluiſſe priuilegia Veteranorum quam minui, ipſe publice profeſſus [q] eſt. Vt autem quindecim annorum ſtipendia per totidem numerarentur Indictiones, inde prouenisse videtur, quod annis ſingulis eroganda militibus Principis reſcripto prouincialibus indicebatur annona, miſſis ad hoc exactioribus, qui eam colligerent, & debita militibus darent: vt patet ex Arcadii & Honorii de re illa reſcriptis [r]: eſtque titulus in Codice Theodoſiano *de Erogatione militaris annonæ*: vbi inter alia, ne quid fraudis à miniſtris eam curam gerentibus admitteretur, cauerunt iidem Imperatores [ſ], vt Breues ante Indictionis principium ſumma fide ac veritate confecti ad Imperatoria ſcrinia dirigerentur, ſecundum quos à ſuſceptoribus erogatio celebrari deberet. Quod vero eiuſmodi annona militibus diſtribui & erogari ſoleret per ſingulas Indictiones, inde quoque accidit vt Indictio eadem diceretur *Diſtributio* vel *Fuſio*. Etenim de priori nomine, apud Palladium [t] traditur, Tertiadecima Diſtributione veniſſe Conſtantinopolim Aſiæ Epiſcopos, &c. de poſteriori vero eſt mentio in alio reſcripto [u] Honorii Imperatoris, vbi indulget debita contracta vſque ad initium Fuſionis quintæ: qua voce Indictionem ſignificari, quæ præcedunt & ſubſequuntur leges ſub eodem titulo de Indulgentiis debitorum poſitæ indicant. Vt autem octauo Calendas Octobris initium ſumat Indictio, inde accidiſſe videtur, quod eo tempore Imperatoris exhibendam militibus annonam propoſito edicto indicere annis ſingulis conſueuiſſent, cum iam pleniſſima frugum omnium collectio facta eſſet. Quod etiam colligi poteſt ex quodam Gratiani reſcripto [x] ad populum. Probauit vero poſtea vſus tam in cenſualibus tabulis, quam in miraculis militaribus. eiuſmodi per quindena ſtipendia emerita numeratione, quindecim Indictionum reuoluta periodo, concinne, facile, & abſque errore tempora numerari: qui & à poſteris retentus eſt. At de noſtris ea de re coniecturis hactenus. Inuenimus autem ab Imperatore indicente Indictiones interdum denominatas: ſicque dictam indictionem *Valentiacam* [y] à Valente Auguſto.

o l. 4. C. Th. de veteran.
p Tac. lib. 1. Annal.
q l. 2. C. Theod.
r l. 1. C. Th. de Ind. & l. 16. C. Th. de exact.
ſ l. 1. C. Th. de erog. mil. annon.
t [illegible]
u l. 6. C. Th. de indulg. deb.
x l. 18. C. Th. de annon. & trib.
y l. 10. C. Th. de indulg. deb.

XVII. Hoc eodem anno Tyrannus Epiſcopus Antiochenus defunctus eſt, poſtquam ſediſſet annos tredecim, vt eſt apud Euſebium in Chronico: eique ſubrogatus eſt *Vitalis* vt habet Appendix Sancti Hieronymi, & Theodoretus affirmat [z]. Hocque ipſo anno ſeptimo Conſtantini, apud eundem Euſebium ponitur poſt Hermonem, *Macarius* Epiſcopus Hieroſolymitanus: quem Theodoretus ob beatam viuendi rationem, & multiplices virtutes, vere nomini ſuo reſpondiſſe tradit. Augetur autem pluribus de vtroque eodem Epiſcopo inferius.

z Theod. l. 1. hiſt. 3.

IESV CHRISTI AN. 313.

MELCHIADIS AN. 2.

CONSTANTINI AN. 8.

I. ANno Chriſti trecenteſimo decimotertio, Conſtantinus Imperator tertium adiens Conſulatum, habuit ſicuti ſuperiore anno Collegam Licinium Imperatorem: cuius Conſulatum cum plerique tertium æque ponant, vt Zoſimus [a], Optatus [b], & alii: S. tamen Auguſtinus [c] ex libellis Conſularibus quos citat, tertio Conſulatui Conſtantini ſecundum Licinii adiungit, niſi ſit mendum in codice. Porro ſub huius anni principium, optime iam rebus Vrbanis compoſitis, idem Conſtantinus aduerſus rebellantes in Germania barbaros progreſſus, eundem Licinium, qui cum exercitu agere ſoleret in Illyrico, ſibi in via occurrentem Mediolanum duxit, ſiue (quod vult Zoſimus) accerſiuit: eidemque ſororem ſuam *Conſtantiam* in matrimoniũ tradidit. quam quidem fuiſſe Chriſtianam, Acta [d] Baſilei Epiſcopi Amaſeæ in Ponto ſignificant: de qua plura inferius. Teſtatur quoque Aurelius Victor [e], ad has nuptias vocatum fuiſſe Diocletianum: ſed per ſenectam, quo minus intereſſe valeret, excuſaſſe: reſcriptis vero minacibus acceptis, quibus increpabatur Maxentio fauiſſe, & adhuc Maximino fauere, ſuſpectantem necem dedecoroſam, venenum hauſiſſe. Sed quod exitum Diocletiani poſt triennium recenſeat Zoſimus, agemus tunc de illo.

a Zoſ. lib. 2.
b Opt. lib. 1.
c Aug. poſt collat. c. 33.

NVPTIÆ LICINII ET CONSTANTIÆ.

d Ap. Metaphr. & Sur. 16. April.
e Vict. in Dioclet.

II. At non ea tantum, quæ ad connubium ſpectarent, inter Conſtantinum & Licinium tranſacta eſſe: ſed etiam quæ ad pacem Orientalis Eccleſiæ pertinerent, conſtat fuiſſe diſpoſita, & amborum nomine pro Chriſtianis promulgata edictis, quæ Euſebius [f] recitat: quibus libertas data eſt Chriſtum vbique colendi, iuſſaque bona cuncta & loca publica abſque pretio reſtitui: nempe hæc omnia eliciente Conſtantino inter alia initi fœderis placita à Licinio Ethnico homine: cum alioqui iam alia prius (vt apparet) ſed aliqua parte ambigua, pro iiſdem Chriſtianis edicta fuiſſent edita. Quod autem non ſatis proſpectum eſſet Eccleſiis Orientis, niſi Maximin⁹ cuius illic potiores eſſent partes, aſſenſum ſuum præberet: ſcriptæ [g] ſunt ad illum ea de re eorundem amborum Imperatorum nomine literæ: quibus ille acceptis, licet inuitus admodum, & metu tantum iubentium perterritus, promulgauit tamen quaſi ſua ſponte publicas pro Chriſtianis literas, ne quiſquam eis negotium faceſſeret. Sed quod nequaquam permitteret conuentus celebrare aut eccleſias reædificare: timentes adhuc illi duplicem hominis quem perfidum ſenſerant animum, minime ſunt auſi ſe prodere, donec pro iiſdem pleniſſimum anno ſequenti (vt dicetur) edictum publicauit.

EDICTA IMPP. PRO CHRIST.
f Euſ. 10. hiſt. 5.
g Id. 9. hiſt. 1.

III. Cum autem Conſtantinus Mediolano cum exercitu recedens, rebellantes Germanos primo ſui aſpectu non ſolum repreſſiſſet, ſed & militari arte deluſos viciſſet atq; ſubegiſſet (quæ in Panegyrico [h] oratoris Gallicani narrantur: à nullo enim alio memoriæ commendata reperiuntur) ſicque virtute Crucis, cui ſolum liebat, Romanum Imperium ſibi ſubiectum à tyrannis & barbaris quietum reddidiſſet: iam ab iis quæ eſſent Gentilitiæ ſuperſtitionis officiis procul abhorrens, SÆCVLARES LVDOS qui in præſentem annum, nempe tertium ipſius Conſulatum (vt tradit Zoſimus [i]) incidiſſent ab aliis cupide expectatos ipſe celebrare contempſit, magno Gentilium mœrore, qui eos dicerent ad peſtes morboſque ſanandos, & bella auertenda fuiſſe diuinitus inſtitutos, eſſeque carminibus Sibyllinis veluti fatales Vrbi præſcriptos. Quapropter tum aliis eorum neglectus viſus eſt omen caſuri Imperii, tum hoc ipſum Zoſimus petulantius iactauit, dum non aliam ſcribendæ hiſtoriæ (vt ipſemet teſtatur) iniens rationem, quam vt doceret culpa Chriſtianorum Romanum Imperium eſſe collapſum: rem tantam, vt ab omnium malorum cauſa atque principio, à prætermiſſis à Conſtantino Sæcularibus Ludis auſpicatur, & in ipſum Conſtantinum calumnias aggerat & exaggerat: cum tamen conſtet, ſæcula illa quibus ſunt celebrati, nec peſte

h Panegyr. Conſt. 2.
i Zoſ. lib. 2.
SÆCVLARES LVDI A CONSTANTINO CONTEMPTI.
ZOSIMI IN SCRIBENDO CONSILIVM.

vel lue, aut aliis caſibus aduerſis caruiſſe, & ecõtra præſens ſæculum quod iis caruit, fuiſſe Vrbi & Orbi feliciſſimum, tot tyrannis extinctis, ac barbaris debellatis. Quam autẽ male acciderit, cũ Gẽtiliũ improbitate ab Honorio Chriſtiano Imperatore id extorquentium; ſunt iidem reſtituti, dicetur ſuo loco. Interea vero cum hoc tempore tanta gloria Chriſti Eccleſia aucta eſſet, plane accidit vt Gentiles inuidia tabeſcentes, quo ſolatio aliquo lenirent mœrorem ſuum excogitauerint (ſicut ait hæc ridens Auguſtinus [k]) neſcio quos verſus Græcos, tamquam conſulenti cuidam diuino oraculo effuſos: vbi Chriſti cultum per trecentos & ſexaginta quinque annos duraturum, ac deinde ſine mora finem ſumpturum confinxerunt.

FALSVM ORACVLVM GENTILIVM.

k Aug. 18. de ciui. 53. Vid. inf. an. 398. num. 4.

IV. SCHISMATICORVM FACTIO.

Sed quod minus poſſet Gentilium calumniis diabolus aduerſus Chriſtianam religionem, conatus eſt præſtare ſtudijs factioſorum ſchiſmaticorum. Siquidem Donatiſtæ in Africa, qui (vt vidimus) contra Cæcilianum Epiſcopum Carthaginenſem rebellauerant, valentioribus rurſus eum impulſibus vrgentes, hoc eodem anno ſub Conſulatu Conſtantini tertio egerunt apud Anulinum Proconſulem Africæ, vt ſuos ea de re libellos mitteret ad Cõſtantinum in Galliis agentem: prout de his conſtat ex literis [l] longe poſt hæc ſcriptis ab Hipponenſibus ad Ianuarium primæ ſedis Numidiæ Donatiſtarum Epiſcopum, quibus & Anulini ad Conſtantinum epiſtola, miſſorumque libellorum tituli continentur. Nec tamen his contẽti Donatiſtę, nauigarunt quoque nonnulli eorum ad Imperatorem in Gallias: & petentes de iiſdem Galliis dari Iudices in ea cauſa, cum ipſe (inquit Optatus [m] hæc narrans) pleno liuore reſpondiſſet, *Petitis à me in ſæculo iudicium, cum ego ipſe Chriſti iudicium expectem*: extorſerunt tamen ab eo, parum adhuc in ordine iudiciorum Eccleſiaſticorum verſato, Iudices Maternum Epiſcopum Agrippinenſem, Rheticium Auguſtodunenſem, & Marinũ Arelatenſem.

l Ap. Aug. ep. 68.

m Opt. lib. 1.

V. CONSTAN. DIFERT IVDICIA [illegible]LES. EPISCOPIS.

Sentiens vero poſtea Conſtantinus, iudicia Epiſcoporum abſque primariæ ſedis Antiſtite nefas eſſe cognoſci: ad Melchiadem Romanum Pontificem cauſam deferens, curauit vt Cæcilianus vna cum decem Epiſcopis ſuarum partium, totidemque ex ſchiſmaticis Donatiſtis, Romam apud eundem Melchiadem, treſque illos Epiſcopos Gallos, iudicium experturi ſe conferrent: eaque de re extat apud Euſebium [n] eiuſdem Conſtantini ad Melchiadem tunc ſcripta epiſtola: ſed in titulo deprauata, dum ita legitur *Conſtantinus Auguſtus Melchiadi Epiſcopo Romano & Marco S.* Etenim cum quiſnam fuerit iſte Marcus penitus ignoretur: haud dubitauerim aſſerere, non ϗ μάρκῳ, ſed ἱεράρχῃ ſcriptum fuiſſe, quæ vox Melchiadis titulum demonſtraret: facili autem mutatione aliquem ἱεράρχῳ ſcripſiſſe & inde aliũ ϗ μάρκῳ. Sic igitur ad Vrbem Romam (inquit Optatus) ventum eſt ab iis tribus Gallis, & ab aliis quindecim Italis (non enim recenſentur qui ex Africa aduenerunt, quod illi in hoc Iudicio vel actores vel defenſores ſe habuerint) qui vna conuenerunt in domum Fauſtæ in Laterano, Conſtantino & Licinio tertium Coſſ. ſexto Nonas Octobris die, ſexta feria. Hæc Optatus.

n Euſeb. 10. hiſt. 5.

VI. ÆDES IMPER. DONATÆ MELCHIADI PP. A CONSTANTINO.

Sed inprimis quod audis illos *conueniſſe in domum Fauſtæ in Laterano*, nemo poterit iure dubitare ibi fuiſſe Melchiadis Papæ ſedem, quorſum enim extra eius domum ampliora ædium ſpatia requirerentur, ad exiguũ conuentum Epiſcoporum decem tantum & nouem, quos idem Optatus enumerat. Cum autem iſtæ ædes antea Imperatorum fuiſſe reperiantur, eas hac ratione omnino dicendum eſt, datas eſſe ab ipſo Conſtantino Melchiadi Papæ, cum ſuperiori anno res Chriſtianorum tum edictis tum alijs officijs beneficijſque adauxiſſet. Nam & hoc ſatis certum redditur ex ipſa earundẽ ædium ab iſto tempore ſemper cõtinuata poſſeſſione, cum à nullo alio Imperatore, nec alio prorſus tempore illæ datæ reperiantur. Nempe quod nefas eſſe ſciret Conſtantinus, Gentilitiæ ſuperſtitionis Summum Antiſtitem aliam quamuis domũ quam publicam habitare (quamobrem & coactus olim eſt Auguſtus [o] ſuam priuatam, vt in ea agere liceret, publicam facere) nequaquam paſſus eſt abſque publico ædificio Chriſtianæ Religionis Pontifices Maximos Romæ agere. Dictæ autem illæ ædes fuere Fauſtæ, quod Fauſta Maximiani Herculij filia in florentiſſimo ac diuturno patris imperio Romæ agens, illas (vt par eſt credere) habitaſſet: quæ olim Plautii Laterani prædiuitis & Conſularis hominis cum ampliſſimæ eſſent, occiſo illo [p] à Nerone Fiſci, inſcriptione ſunt publicatæ. Semel autem nomen inditum ædibus Lateranis, non ſolum perſeuerauit in poſterum (quod inter alia multa exempla, contigit etiã ædibus hortiſque Salluſtii: qui licet Imperatorum vſui ceſſiſſent, Salluſtij tamen nomine ſemper dicti reperiuntur) ſed & factũ eſt vt Baſilica ibidem poſtea ab eodem Conſtantino (vt dicetur) erecta, Lateranenſis fuit appellata, cuius meminerunt Hieronymus [q] & Prudentius [r]: quæ & eodem nomine hactenus perſeuerat, primaria exiſtens & Epiſcopalis Sedes Romana Summorum pontificum.

o Dio hiſt. lib. 54.

p Tac. Annal. 15. Iuuen. Saty. 10.

q Hiero. ep. 30.

r Prudent. lib. 1. cont. Sym.

VII. CONCILIVM ROM. IN CAVSA CÆCIL. ET DON.

Sed vt ad Synodum in illis ædibus habitam redeamus: teſtatur ex eius Actis Optatus, cauſa Donati à Caſiſnigris (primi, vt vidimus, ſchiſmatis auctoris) & Cæciliani in medium propoſita, eundem Donatum omnium Iudicum ſententijs damnatum eſſe, quod confeſſus ſit ſe rebaptizaſſe, & Epiſcopis lapſis manum impoſuiſſe: Cæcilianum vero Innocentem pronunciatum, quod teſtes aduerſus eũ inducti negauerint ſe aliquid habere quod in eum dicerent. Hæc autem omnia in perpetuis ſeruata ſunt Actorum Eccleſiaſticorum monumentis, eademque poſtea in magna illa inter vtramque partem facta Collatione ſingillatim recitata: vt ſcribit S. Auguſtinus [s] eadem breuiter repetens. Melchiadem vero poſt hæc admodum laboraſſe, vt Donatiſtæ qui Maiorino Carthaginenſi pſeudoepiſcopo fauebant, Catholicæ vnirentur Eccleſiæ: oblata etiam conditione, vt quibuſcunque in locis duo eſſent contrariarum factionum Epiſcopi, is confirmaretur qui prior fuiſſet ordinatus, & alteri plebs alia regenda prouideretur S. Auguſtinus [t] demonſtrat, Melchiadis ea de re ſententiam mirifice laudans.

s Aug. Breu. Collat. d. 3. c. 12.

t Id. ep. [illegible] ad Epiſ. Donat.

VIII. DE RHETICIO EPIS. AVGVSTOD.

Cæterum qui huic iudicio ſub eodem Melchiade Romæ interfuiſſe noſcitur, *Rheticius* Epiſcopus Auguſtodunenſis, à S. quoque Hieronymo [u] aſſeritur ſub Silueſtro Papa in Vrbem miſſus à Conſtantino Imperatore ob cauſam Montenſium, nempe Donatiſtarum. Qua in re ſcimus ab aliquibus creditum eſſe eundem S. Hieronymum memoria lapſum, Silueſtrum pro Melchiade ſcripſiſſe: ſed facile potuit contigiſſe, Rheticium iterum Romam ſub Silueſtro miſſum eſſe: cum præſertim Melchiadis tempore nondum Donatiſtæ fuerint appellati *Montenſes*, ſed tunc primum cum ſub Silueſtro Romæ cœperunt habere Epiſcopum. Laudatur vero ipſe Rheticius ob egregia quæ edidit ſcripta, tum ab eodem Hieronymo alibi [x], tum etiam ab Auguſtino [y].

u Hieron. ep. 113.

x Id. de Scri. Eccl. in Rheticio.

y Aug. 1. cont. Iul. 3.

IX. DONAT. APPELLANT AD IMPER.

At quod rurſum ad Donatiſtas attinet: eoſdem nulla habita iuris vel recti facti ratione, ſed imitantes impiiſſimum hæreſiarcham Paulum Samoſatenum, qui primus omnium viam aperuit vt ab Epiſcoporum iudicio Imperator adiretur, à quo tamen, licet Ethnico, nempe Aureliano, rurſum cauſa ad Epiſcopos remiſſa eſt, vt vidimus ſuo loco: eoſdem, inquam, Donatiſtas à Melchiadis & collegarũ iudicio inſolenter ad Conſtantinum Imperatorem appellaſſe, Optatus [z] tradit: ſed ad eam appellationem Conſtantinum ſic reſpondiſſe, *O rabida furoris audacia! ſicut in cauſis Gentilium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt*: Extatque [a] ipſa eiuſdem Conſtantini epiſtola tunc ad Epiſcopos Catholicos ſcripta, qua inter alias vehementiſſimas aduerſus eiuſmodi appellãtiũ impudẽtiã inuectiuas, ipſa quoq; eadem ab Optato recitata verba continentur.

z Opt. lib. 1.

a In Append. ad Optat. edit. ex Bibl. Pithœi.

X.

Poſt hæc autem, cum ad conciliandas partes idem Imperator Cæcilianum & Donatum, alioſque eorumdẽ fautores Epiſcopos Africanos, antequam in Africam aliqui redirent, Brixiam ad ſe vocaſſet, nec quicquam (refragantibus Donatiſtis) efficere potuiſſet: miſit Carthaginem duos alios Epiſcopos, Eunomium & Olympium, vt remotis Cæciliano & Maiorino vnum alium ordinarent: qui cum pronunciaſſent Eccleſiam Catholicam illam cenſendam eſſe, quæ toto terrarum Orbe diffuſa eſſet, nec ſententiam decem & nouem Epiſcoporum Romæ

datam diſſolui poſſe, reuerſi ſunt in Italiam: tuncque demum re prorſus infecta, permiſſi ſunt redire in Africam vtriuſque partis Epiſcopi. Hæc autem ita geſta eſſe, conſtat tam ex epiſtola [b] Conſtantini ad Epiſcopos Donatiſtas ſcripta quãdo eos Brixiam accerſiuit, quam ex narratione Optati. Cæterum eo impudentiæ peruenerunt ſequentis ſæculi Donatiſtæ, vt petulanter iactarent, non ſolum cauſam à Conſtantino adiudicatam fuiſſe Donato, Cæcilianum vero damnatum eſſe: ſed etiam vt Melchiadis ea de re prolatam in ſuos ſententiam eleuarent, eundem ipſum traditionis crimine infamare auderent. Verum cum iſta in magna illa Collatione Carthaginenſi poſt centum ferme annos habita in iudiciũ perducta eſſent quanto ea riſu excepta fuerint quibuſque rationibus & publicorum Actorum teſtificationibus confutata, pluribus demonſtrat Auguſtinus [c]. Quod autem cauſa Cæciliani in plures annos producta eſſe cognoſcatur, agetur rurſum de illa ſuis locis inferius.

b Extat in Append. ad Opt.

POSTERIORVM DONAT. MENDACIA.

c Aug. Poſt Collat. c. 13. & 31. ep. 152. & contr. ep. Par. c. 5.

XI. MELCHIADIS PP. OBITVS.

Interim vero in fine huius anni, nempe quarto Idus Decembris, *Melchiades* Papa cum ſediſſet annos duos, mẽſes duos, dies ſeptem, ſpiritum Deo reddidit ſepultuſque eſt in cœmeterio Calliſti via Appia: & in antiquis Eccleſiaſticis monumentis, reperitur titulo Martyris conſignatus, quod (vt alias diximus) qui perſecutionis tempore perpeſſus eſſet pro fide Chriſti tormenta, licet ſuperſtes in pace quieſceret, Martyr appellari conſueuiſſet. Cum autem de ſedis eius annis diuerſæ reperiantur ſententię: eum tamen hoc anno diſiiſſe, inde certa deducitur aſſertio, quod ſequenti anno celebratum appareat Concilium Arelatẽſe ſub Silueſtro eius ſucceſſore, longe ante menſem Decembrem quo Melchiades deceſſiſſe ponitur. In Indicibus quoque Vaticanis, qui habentur in codice cuius eſt titulus *Concordia canonum*, nonniſi anni duo menſes ſeptẽ & dies octo ei tribuuntur: ſed habita ratione diei quo is ſedere cœpit, conſtat in numerum menſium errorem irrepſiſſe, facili mutatione notæ numeri 7. in 2.

XII. DE FERMENTO ELVCIDATIO.

Quod autem in libro de Romanis Pontificibus traditur, Melchiadem conſtituiſſe vt *Oblationes conſecratæ per eccleſias ex conſecratu Epiſcopi dirigerentur; quod declaratur* (hoc eſt appellatur) *fermentum*: fitque eiuſmodi erogationis fermenti mentio in eodem libro in Siricio, necnon apud Innocentium [d] Papam, & in antiquo Rituali: eſt plane obſcuriſſima, & in qua elucidanda multi fruſtra deſudarunt: an feliciores nos extiterimus, prudẽs lector iudicabit. Ac primo fuiſſe eiuſmodi Fermẽtum, vnionis ſymbolum: quæ habet Innocentius ſatis declarare videntur, dum ait diebus Dominicis [d] diuerſorum Titulorum ſiue eccleſiarum presbyteros, quod illis diebus ſinguli in ſuis Titulis Synaxim agerent, atque ideo cum ipſo Pontifice conuenire nõ poſſent: ab eodem per acolythos mitti ſolitum fermentum ab ipſo confectum (hoc eſt, vt ex iis quæ habentur in Melchiade & Siricio declaratur, conſecratum ſiue benedictum) quo ſignificaretur eos cum illo eſſe fide atque charitate coniunctos, accepto plane (vt videtur) exemplo ab Euangelica [e] parabola, qua regnum cœlorum fermento comparatur.

d Innoc. ep. 1. ad Decent. c. 5.

e Matth. 13.

XIII. DE OBLATIONIBVS RITVS.

f To. 1. Con. ſub Pio, ex cod. quinque librorum, lib. 2. c. 117.

Quiſnam vero eius rei vſus ſoleret eſſe, non aliũde opportunius intelligi poteſt, quam ex Oblationibus panum à populo fieri, vel à presbyteris de proprio ſubminiſtrari ſolitis in Eccleſia: de quibus eſt antiquus canon [f] Pii Papæ & martyris titulo prænotatus, cõſtituens vt de illis à presbytero benedictis, & in fruſta ſectis poſt miſſarum ſolennia, qui communicare non fuerint parati, Eulogias omni die Dominico & in diebus feſtis accipiant. Quapropter vt eiuſmodi panem fermentatum ab Epiſcopo ſingulorum Titulorum presbyteri acciperent, à Melchiade fuiſſe inſtitutum apparet: ſiquidem eiuſmodi fermentum idem eſſe quod Oblationem, eius decreti verba ſatis oſtendunt. Verum id non tantum Romæ & in Eccleſia Occidendali, ſed & in Orientali fuiſſe ſeruatum, Concilium Laodicenum declaraſſe videtur, cum decreuit [g] ſanctas Oblationes ad vicem Eulogiarum per feſtiuitatem Paſchalem ad alias parochias mitti minime oportere, idque idcirco puto, quod ea die nequaquam Eulogiis, ſed Euchariſtia populus omnis communicare deberet: In cæteris anni diebus licenter, præterquam in diebus ieiunii Quadrageſimæ (vt eadẽ Synodus [h] decreuit) ne occaſione Eulogiarũ ieiunium frangeretur. Meminit & Gregorius [i] Nazianzenus de eiuſmodi Panibus benedictione ſanctificatis.

g Conc. Laodic. c. 14.

h Ibid. c. 49.

i Greg. Nazian. orat. in fun. pa.

XIV. EVLOGIÆ SYMBOLVM VNITATIS.

Ex his igitur aliiſq; eiuſmodi antiquorum teſtimoniis, conſtat nihil aliud fuiſſe *Fermentum*, quam fermentatum panẽ benedictum, quo ob communicationis ſymbolum ab Epiſcopo impertirentur cuncti parochiales presbyteri, qui eundem ſub ſe conſtitutis Fidelibus diſtribuerent certis diebus. quod quidem diuerſis nominibus appellatum reperitur: puta *Fermentum*, ad diſtinctionem azymi panis ex quo ſoleret confici Euchariſtia: item *Eulogia*, ſeu *Benedictio*, quod ab Epiſcopis benedici ac ſignari ſoleret: vt eſt etiam ea de re elegans exemplum in Actis [k] Sancti Albini Epiſcopi Andegauenſis: ac deniq; *Sacramentum*, ob ſacræ rei ſignum, nempe Catholicæ vnionis: quo nomine ab Innocentio [l] appellatur: ſicut & Auguſtinus [m] æque nominat Sacramentum, panem benedictum catechumenis impertiri ſolitum. Porro fuiſſe quoque alias priuatas Eulogias, quas ſcilicet Amici inter ſe vltro citroque dare atque accipere conſueuiſſent, multa ſuppetunt antiqua exempla, & inter alia Sancti Paulini [n] Nolani Epiſcopi, ad Auguſtinum, Alipium, Romanianum, & Seuerum [o], è Campania in Africam & Gallias panes pro Eulogia mittentis & pariter Auguſtini [p] ad eundem Paulinum remittentis.

k ap. Sur. 1. Mart.

l Innoc. ep. 1. c. 5.

m Aug. li. 2. de pec. mer. & remiſſ. cap. 26.

n ap. Aug. ep. 31. 35. 36.

o Paul. ep. 1 in fin.

p Au. ep. 34.

IESV CHRISTI AN. 314.

CONSTANTINI AN. 9.

SILVESTRI AN. 1.

I. SILVESTER PAPA.

ANno Chriſti trecenteſimo decimoquarto, Voluſiano & Aniano Coſſ. Calendis Februarii SILVESTER Romanus Ruffini filius, ex presbytero ſubrogatus in locum Melchiadis, ſedere cœpit. Hæc ex libro de Romanis Pontificibus. Errare autem illos qui ingreſſum Silueſtri ponunt anno ſeptimo, vel etiam quinto Imperii Conſtantini, ſatis apparet ex iis quæ ex Optato, Auguſtino, Euſebio, & Actis Eccleſiaſticis ac Proconſularibus, ſuperius ſunt recitata de tempore ſedis Melchiadis eius prędeceſſoris.

II.

MAXIMI IMP. MISERANDVS EXITVS.

Hoc eodem anno Maximinus Imperator nulla occaſione, ſed arrogantia bellum aduerſus Licinium in Imperio conſortem mouens, ab eo ſuperatus eſt. Qui cum à ſuis ad Licinium tranſeuntibus derelictus, vix manus hoſtium depoſito regio apparatu euaſiſſet: in ſua regreſſus, primum in deorum ſacrificos & pſeudoprophetas, quorũ oraculis impulſus bellum ſuſceperat, tanquam præſtigiatores & proditores animaduertit: poſtea vero Chriſtianorũ Deo laudem tribuens, pro eorum pleniſſima libertate promulgauit edictũ, quo etiã loca publica eius reſtitui iuſſit, & eccleſias ædificare permiſit: moxque repẽtina diuinitus plaga percuſſus, putrefacta & pedetentim exeſa carne, & ſpõte exiliẽtibus è propria ſede oculis cæco reddito: demũ inuocata morte, & propter ſcelera in Chriſtianos admiſſa merito ſe illa pati cõfeſſus, mirabiliter animã efflauit. Deſcribit hæc omnia pluribus Euſebius [a]. Maximinum autem diem apud Tarſum obiiſſe, Zoſimus [b] & Eutropius [c] teſtantur. Addit vero Euſebius, eundem ab aliis Imperatoribus, nempe Conſtantino & Licinio, edictis publicis tyrannũ fuiſſe declaratum, eiuſq; & liberorũ nomina ex tabulis & inſcriptionibus eraſa, vel nigro colore obliterata, ſtatuaſque deiectas: atque inſuper eiuſdem aſſeclas, Chriſtianorum perſecutores, omnibus honoribus & dignitatibus ſpoliatos, quoſdam etiam nequiores morte mulctatos eſſe. Scribit deniq; idem Euſebius [d], Maximinum molitum eſſe inſidias Conſtantino, ſed hunc vi ne diuinitus admonitum anteuertiſſe periculum.

a Euſeb. 9. hiſt. 8.

b Zoſ. lib. 2.

c Eutrop. l. 10.

d Euſ. 1. de vit. Conſt. 40.

III.

Sic igitur Perſecutione vbique & omni ex parte ſublata deinceps (inquit idem auctor) videre erat dedicationum feſtiuitates per vrbes ſingulas, eccleſiarum nuper exædificatarum conſecrationes, frequentes Epiſco-

potum

PAX VBIQVE RESTITVTA.
c Id. hiſt. lib. 10.

porum in vnum conuentus, peregrinorum ab exteris regionibus accedentium concurſus, mutuas populorum beneuolentias, decoros ritus Eccleſiæ redditos, vnam omnium Fidelium mentem & ſententiam. Sed hæc ipſe[c] pluribus: ſimul & immenſam narrās Fidelium lætitiam de pace reſtituta, & egregiam recitans orationem Panegyricam tunc temporis in dedicatione Eccleſiæ Tyri habitam: ex qua intelligere quiſq; poteſt, ſingulas ſtructuræ Eccleſiarum partes quid myſticum perſignare, ideoque haud perfunctorie abſque ſpiritali intelligentia, ſed ſummo religionis ſtudio conſueuiſſe maioribus erigi.

IV. DONAT. ITERVM VRGENT CÆCILIANVM.
f Opt. lib. 1.
g Aug. Poſt. Collat. c. 12. 13. ep. 68. 152. 162.
h In Append. ad Opt.
i Aug. ep. 68.
k Id. ep. 162.

Interea vero tumultuantibus rurſum in Africa Donatiſtis, Felicemque Aptungitanum Epiſcopum Cæciliani ordinatorem traditionis accuſantibus: de mandato Conſtantini Imperatoris cognoſcens de eius cauſa Ælianus Proconſul Africæ iiſdem Coſſ. Voluſiano & Aniano 15. Calendas Martii, poſt varia: Donatiſtarum detectas falſitates, & ſuperatas fraudes, eundē recto & legitimo iudicio innocentem pronunciauit: ſicut breuiter declarat Optat[9] [f], fuſius vero ſæpiuſq; Auguſtinus [g]: extantq; [h] inſuper ipſa Felicis Acta, ſed in nonnullis (vt in antiquis accidere ſolet) deprauata, quæ ex Auguſtino corrigenda ſunt. Cū autem refractarij Donatiſtæ his minime contenti (vt ex eodē auctore [i] conſtat) ab Æliani ſentētia Imperatorem appellantes, ad ipſum profecti eſſent, aduerſus Felicem & ab eo ordinatum Cæcilianum rurſus iudicium proſecuturi, tanquam in præcedentibus prætermiſſa eſſent quæ viderētur eſſe potiſſima: quod hoc negotiū eſſet Epiſcoporum, voluit etiam Conſtantinus id ab Epiſcopis iudicari, minime auſus (vt ait Aug. [k]) de Epiſcoporū iudicio qui Romæ ſederant, ipſe iudicare: ſed alios dedit Epiſcopos iudices, electa ad hoc Arelat. ciuitate, quod ipſe tunc in Gallijs ageret: ſcripſitq; ad præcipuos Occidentalis Eccleſiæ Metropolitanos, vt ipſe cū duob⁹ alijs quos vellēt ſuarū prouinciarū Epiſcopis, conductu publico ad eandem ciuitatē properaret ad Calend. Auguſti. Extat [l] enim eius argumenti tūc ab eo ſcripta Epiſtola ad Chreſtum Epiſcopum Syracuſanum: aliaq; [m] ad Ablauium Africæ Proconſulē, de dandis tum Catholicis tum Donatiſtis, literis Tractoriis [n] ad ſumptus itineris: quorum exemplorum reliquas omnes tam ad Epiſcopos quam Præſides fuiſſe putamus.

l Ap. Euſeb. 10 hiſt. 5.
m In Append. ad Opt.
n De huius generis literis dictum eſt ſup. an. 142.

V. CONCILIVM ARELATENSE.
o Aug. 1. retr. ep. Parm 5.
p Ado in Chro. æt. 6.
q Conc. Arel. 2 can. 9. 15. 28.

Quod autem numerum Epiſcoporum; ducentos conueniſſe Auguſtinus [o] ſignificare videtur. Scimus tamen Adonem [p] Epiſcopum Viennenſem affirmare, ſexcentos interfuiſſe Concilio Arelatenſi celebrato ſub Conſtantino: ſed errare conſtat, dum ait illud Concilium coactum fuiſſe tempore Nicænæ Synodi, cum Donatiſtæ tum primum aduerſus Catholicos inſurrexiſſent. Quemadmodum & manifeſto librariorum errore factum eſt, vt in Tomis Conciliorum, ARELATENSE PRIMVM abſque aliqua nota ſubſcriptionis Epiſcoporum qui interfuerunt, editum habeatur: eorundē vero nomina inſcripta ponantur Secundo, quod celebratum eſſe poſt Nicænum, & poſt Photini hæreſim emergentem, poſt deniq; Vaſenſe Concilium, canones [q] in eo poſiti pleniſſimam fidem faciunt: Neque aliud præter hoc Primum habitum in cauſa Cæciliani, quod huius anni Coſſ. Voluſiano & Aniano celebratum eſſe conſtat (licet falſo ab aliquo ſuperadditum fuerit, id accidiſſe circa annum Domini trecenteſimum vigeſimum ſextum) ſub Conſtantino Imperatore & Siluestro Papa Arelate coactum eſt. Porro Balduinus, qui Optati opera egregie illuſtrauit, aſſerit ex fragmentis quibuſdam compertum habuiſſe, Silueſtrum Romanum Epiſcopum eidem Synodo præfuiſſe: nempe per Legatos, qui in ſuperius citato catalogo quatuor nominantur, videlicet *Claudius* & *Vitus* presbyteri *Eugenius* & *Cyriacus* diaconi. Sed & ipſum Imperatorem Conſtantinum cum Epiſcopis interfuiſſe, Euſebius [r] declarat.

r Euſ. 1 de vit. 37.

VI.

Quæ vero nomina Epiſcoporum deſcripta eodem catalogo reperiuntur plerumque mendoſiſſima ſunt, cum & maximæ partis penitus deſint. Etenim plane ingentem fuiſſe illorum numerum, ex eo quoque poteſt intelligi, dum præter illos qui ex vniuerſa Gallia, Italia, Hiſpania, & Africa conuenerunt, ab extremis etiam Orbis Occidentalis oris aduenisſe conſtat: nempe ex Britannia, ciuitate Londinenſi, *Reſtitutum* & ex Sicilia *Chreſtum* Syracuſanū: qui tamen ibi male *Sixtus* appellatur, quod ſcriptor indecorum putauerit Chriſtianum aliquem dici *Chreſtum* nomine proprio. At non à Chriſto *Chreſti* nomen deſcendit: erat enim æque Gentilibus vſitatum, licet (quod alias [s] dictum eſt) Chriſtum quoq; Dominum perperam illi *Chreſtum* dicerent: cum alioqui honeſtiſſimum hoc nomen eſſet bonum & commodum ſignificans. Contra vero *Chreſtologi* dicebantur, qui cum bene loquerentur male agerent: quo nomine Pertinacem Imperatorem dictum eſſe affirmat Iulius Capitolinus: eodemque ſenſu Paulus ad Romanos, χρηςολογίαν nominat.

DE NOMINE CHRESTI.
s Sup. an. 43. num. 13.

VII. ACTA CONCILII, ET SCRIPTA OPTATI CORRVPTA A DONATIS.

Cæterum quod eadem Epiſcoporum ſerie Cæcilianus Carthaginenſis non Epiſcopus, ſed presbyter nominatur vehemens ſuſpicio eſt à Donatiſtis deprauatum mutilatūque fuiſſe idem Concilium: quemadmodum & ex Optati commētario, cum in Africa poſtea dominarentur, apparet eos ſuſtuliſſe quæcunque de Concilio Arelatenſi; deque ſententia Conſtantini poſtmodum Mediolani aduerſus eoſdem lata, ille ſcripſiſſet: neque enim quæ conſcio toto Orbe facta eſſent, potuerunt Optatum præteriiſſe. Quinetiam licet indubitatum remanſerit, ipſorum etiam Donatiſtarum confeſſione, adiudicatam à Patribus cauſam fuiſſe Cæciliano, ac nonnullos ex aduerſariis cum eo in concordiam rediiſſe: tamen horum omnium, aliorumque in eadem cauſa tunc Arelate geſtorum memoria, fraude eorundem ſchiſmaticorum penitus periiſſet, niſi eam ſuis ſcriptis Auguſtinus [t] obiter inſeruiſſet. Denique & ipſos canones, quos more maiorum ſacer ille cœtus poſt abſolutam Cæciliani cauſam, ad optimum Eccleſiarum regimen ſtatuit, mala manus eorundem Donatiſtarum graſſata eſſe videtur. Siquidē cū in octauo iidē damnati eſſent, quod venientes ad ſe rebaptizarent: pro eo quod ſcriptū fuerat *Afri*, illi repoſuerunt *Ariani*: quod incudum ex vetuſtioribus magiſque probatis codicibus reſtituitur: cum & alioqui nondum hoc tempore Ariana hæreſis adeo Occidenti innotuiſſet.

t Aug. 1. cont. ep. Parm. 6. & ep. 68 ad Ianuar.

VIII. DE CANONIBVS CONCIL. AREL.

Numerantur autem canones, omnes ibidem inſtituti viginti tres: quorum primus eſt de obſeruatione Paſchæ Domini, vt ſecūdum definitionem Romani Pontificis vno die & tempore per vniuerſum Orbem celebraretur: reliqui vero ad rectam Eccleſiaſticam diſciplinam informandam pertinent: quorum etiam nonnullorum facta eſt ſuperius variis occaſionibus mentio. Ille vero maxima conſideratione dignus, quo hæreticos atque ſchiſmaticos à Præfecturis cæteriſque magiſtratibus excluſos penitus voluerunt: dum ſtatuerunt, [u] vt Præſides prouinciarum, alijque Reipublicæ magiſtratus Chriſtiani, literas acciperent Eccleſiaſticas Communicatorias: ita tamen vt vbicunque agerent, eorundem locorum Epiſcopis ſubiicerētur, & ſi quid committerent contra diſciplinam à communione excluderentur. Quod autem Euſebius teſtetur, in medio conſeſſu Patrum quaſi vnum è multis aſſediſſe Cōſtantinum Imperatorem: haud negari poteſt, aut ipſummet auctorem fuiſſe, aut ſaltem annuiſſe vt eiuſmodi decretum à Patribus ſanciretur. Porro iidem omnes tūc ſtatuti canones miſſi ſunt ad Silueſtrum Romanum Pontificem, eius auctoritate firmandi, & in vniuerſas Eccleſias promulgandi: ſcripta ad illū ea de re epiſtola Synodali, cuius in editis canonibus inſcriptio tantum notata reperitur: ſed eadem integra poſtmodum edita [x] eſt, & qua ſanciti canones continentur, licet ex parte mutili. Quod vero impii Donatiſtæ ab hac Synodo iterum appellauerint ad Imperatorem: agetur de eius iudicio poſt biennium, quando id fieri contigit.

u Conc. Arel. c. 7.
PRÆSIDES SVBIECTI EPISCOPIS.
DECRETA SYNODI AD PP. MISSA.
x Rei Bar Annal. to. 3 hoc an.

Sed quod ad res Orientis pertinet: cum teſtetur Euſebius [y] extincto Maximino mox agi cœptos frequentes Epiſcoporum conuentus: in hunc ipſum annum referenda putamus quæ eo tempore celebrata fuere CONCILIA, ANCYRÆ in Galatia, & NEOCÆSAREÆ in Ponto. Nam quod in *Ancyrano* inprimis agitur de illis qui in perſecutione lapſi per pœnitentiam reſtituendi eſſent, confeſtim poſt ſedatam perſecutionem celebratum fuiſſe videtur. In

IX.
y Euſ. 10. hiſt. 1. & 9
CREBRA IN ORIENTE CONCILIA.

Neocæſa-

Neocæſarienſi vero, cui complures ex iis qui Ancyræ interfuerant ſubſcripti habentur, iidem poſt aliquod tempus ſuppleſſe viſi ſunt ea quæ in Ancyrano fuerant prætermiſſa. Quod enim inter alios *Baſilius* Epiſcopus Amaſeæ vtrique interfuiſſe legatur, idemq; in perſecutione Licinii, quæ proxime eſt ſubſecuta, martyr occubuerit: plane neceſſe eſt affirmare, haud diu poſt Ancyranum, iterum Neocæſareæ eoſdem ferme Antiſtites conueniſſe, antequam Licinius Orientalem Eccleſiam perſequi aggrederetur: ex quibus etiam plurimi ſubſcripti reperiuntur Nicænæ poſtea celebratæ Oecumenicæ Synodo.

X. Conc. Ancyranum.

Ceterum ab iis qui *Ancyræ* conuenerunt decem & octo magni nominis Epiſcopis, ſtatuti ſunt canones viginti quatuor, tum de pœnitentia pro criminum differentia Lapſis iniuncta, ſecundum quod iam ab aliis vidimus diuerſis locis atque occaſionibus factitatum: tum de Eccleſiaſtica diſciplina incorrupte ſeruanda: ac in primis de cælibatu clericorum, qui in eadem Synodo eſt firmius ſtabilitus. Illos tamen diaconos eximi voluit, qui cum ordinarentur inuiti, fuiſſent pariter conteſtati ſe non poſſe continentes viuere: etenim qui ſic clamaſſent, etiam poſt ſuſceptum diaconatus ordinem poſſe vxorem ducere, Patres illi conſenſerunt: ſi vero tacuiſſet continentiam debere ſeruare ſtatuerunt. In *Neocæſarienſi* porro Synodo, à ſeptemdecim Epiſcopis ſtatuti ſunt quatuordecim canones, tum ad eundẽ clericorum cęlibatum, tum ad œconomiam Eccleſiaſticam & pios Fidelium mores ſpectantes. *Vitalis* autem Epiſcopus Antiochenus, qui eidem vtrique Synodo primus ſubſcripſit, haud diu poſt hæc ſuperſtes exiſtens (quem his temporibus, cum Licinius in Oriente regnaret, deceſſiſſe Theodoretus [z] ſcribit) ſucceſſorem habuit *Philogonium*, inſigni & ipſum pietate virum.

Conc. Neocæs.

z Theod. l. 1. hiſt. 3.

XI. De Concilio Laodiceno.

a De hoc Concilio ex Baron. n ſi. To. 4 Annal. Sed ex eiuſdem ſententia fuit omnino colloc. dum hoc loco
b Strab. l. 12
c Plin. lib. 5 cap. 29.

Cum autem de CONCILIO LAODICENO [a], antiqua nobilitate percelebri, Græcorum ac Latinorum ſcriptis memoriæ commendato, incertum ſit quo potiſſimum tempore celebratum fuerit: de eo tractaturi, primo corrigemus errorem, quod à pleriſque celebratum dicitur Laodiceæ quæ eſt in Syria, cum tamen in ipſius titulo diſerte legatur *Laodiceæ Phrygiæ Pacatianæ*. Grauior vero ille, quo Laodicea quæ eſt in Syria, eadem aſſeritur quæ eſt ad Lycum flumen: cum ex Strabone,[b] Plinio [c], Ptolomæo, & aliis Coſmographis duas conſtet fuiſſe Laodiceas: alteram Syriæ, quæ dicta eſt *Seleucia Tetrapolis*: alteram in Phrygia; dictam à Strabone *Laodiceam Hierapolim*: quinimmo ponunt [d] & aliam in Media à Macedonibus conditam. Quæ autem in Syria eſt, haud procul diſtat à ponte Orontis fluuii, Chalcidis contermina, condita à Seleucio. Sed quæ in Phrygia eſt ad Lycum ſita, nobilis quidem ciuitas, ac totiꝰ prouinciæ (vt ait Theodoretus [e]) metropolis: ſed nobilior elogio SS. Apoſtolorum Pauli [f] & Ioannis [g]. Ex his pariter redarguitur [h], qui putauit hanc Synodum celebratam eſſe ſub Theodoſio Epiſcopo. Fuit enim iſte Laodiceæ Syriæ Epiſcopus [i], qui in Concilio Magno Nicæno ſubſcriptus habetur inter Epiſcopos Cœleſyriæ. Quo tẽpore Laodiceæ Phrygiæ præerat Nunechius, qui itidem Nicæno Concilio reperitur primo loco ſubſcriptus inter Epiſcopos Phrygiæ. Sed hæc ſatis de loco.

Plures Laodic.
d Strab. l. 11.
e Theodor. in Coloſ. 2.
f Coloſ. vlt.
g Apocal. 3.
h c. 11. hiſt. 16.
i Euſeb. li. 7. cap. vlt.

XII. De tempore Concil. Laodic.
k Theod. in Coloſ. 2.
l Baſil. ep. ad Amphil. ca. 1.

De tempore primum liquido conſtat, eandem Synodum non tantum ante tempora Theodoreti habitam eſſe, dum inuenitur ab eo [k] citata: ſed etiam ante S. Baſiliũ, quem eiuſdem meminiſſe certum eſt, dum ait [l] Catharorum (hoc eſt Nouatianorum) baptiſmum ſuſcipiendum eſſe, quod nonnullis Aſiaticis viſus ſit ſuſcipiendus. Id n. ſtatutum habetur in Laodiceno Cõcilio canone ſeptimo. A quo etiam cum reiiciatur Cataphrygarum baptiſmus: ex eiuſdem ſententia Baſilium itidem definiiſſe apparet. Vtrum autem poſt Nicænum Concilium, vel antea habita fuerit: diffinita cauſa eſſet, ſi quod in eodem ſeptimo canone Photinianorum hæreticorum baptiſmus approbatur, omnium exemplarium & editionum vna eſſet eademq; lectio. Verum cum pleriquè ſcripti codices, nec nõ editio poſita in cuſis libris poſteriori loco, careãt illis verbis, *aut Photinianis*: manifeſtumque ſit ex Concilio [m] Arelatenſi, collatũ à Photinianis baptiſma, ab Eccleſia numquam fuiſſe receptum: (quod ſcilicet omnino negarent diuinitatem Filii Dei, quem hominem tantummodo fuiſſe dicebant) idemque confirmetur ex eo quod Theodoretus [n] affirmat Photinianos eadem ſenſiſſe cum Paulianiſtis, quos Concilium [o] Nicænum venientes ad Eccleſiam baptizari voluit. His inquam, ita exiſtentibus, & penitus ab eodem canone ſeptimo explodenda eſt lectio de approbatione baptiſmi Photinianorum, nihilque eſt quod inde conuinci poſſit, iſtud Concilium celebratum fuiſſe poſt Nicænum.

m Conc. Arelat. 1. can. 8.
n Theo. hær. fab. l. 2. 11.
o Con. Nic. can. 19.

XIII.
p Hier. ep. 111.
q Con. Laod. can. 1. 3. 5. 8. 12. 20. Nic. 2. 18. 19. 4. 14.

Sunt vero plura quæ ante celebratum perſuadent: velut quod conſtet auctoritate S. Hieronymi [p], receptum in Nicæno Concilio librum Iudith, qui tamen in ſerie librorum Scripturæ à Patribus Laodicenis omiſſus eſt: quod minime contigiſſet, ſi eum Nicæni iam ante approbaſſent. Præterea cum reperiantur quinque [q] canones Laodiceni Concilii, eadem omnino continere quæ in Nicæno ſtatuta ſunt, nec in eis vlla prorſus habeatur mentio Nicæni eadem ſtatuentis: argumentum eſt ea prius Laodiceæ decreta fuiſſe: ſiquidem vel non oportuerat ea paulo poſt iterum ſanciri à Prouinciali Concilio, quæ decreta nuper fuerant in Oecumenico: vel ſaltem ad maiorem Eccleſiaſticis legibus auctoritatem conciliandam, debuerant Patres meminiſſe Nicænorum canonum: ſicut in aliis Conciliis factum eſſe reperitur & in hoc ipſo Laodiceno [r] ſeruatum, dum decretum eſt, Bigamus ad breue tempus pœnitere debere, idque (vt ponitur) ſecundum Eccleſiaſticũ canonem: nempe Neocæſarienſis [s] Concilii, in quo id ſtatutum fuit: vnde & manifeſtum eſt, Laodicenum celebratum fuiſſe poſt Neocæſarienſe: & ex his omnibus colligas eos grauiter errare qui ad longe alia tempora, quam iſta, referant.

r Con. Laod. can. 1.
s Conc. Neocæſ. c. 3.

XIV. Decreta Synodi Laod. c.
t Con. Laod. can. 2
u Ibid. c. 34. 1.
x cap. 48.
y ca. 49. 50.
z cap. 59.
a Sup. an. 60 nume 6. & ſeqq.

Sunt autem ſexaginta eiuſdem canones ad diſciplinam & œconomiam Eccleſiaſticam pertinentes: quibus & Eccleſiæ antiqua traditio reſeratur, vt de Confeſſione [t] peccatorum, cultu [u] Sanctorum Martyrum, vſu [x] ſacri Chriſmatis, Ieiunio [y] Quadrageſimæ, & aliis. Qui autem poſtremus ſtatutus eſt, de non canendis in eccleſia pſalmis vulgaribus, ſed iis tantum qui in ſacris libris inuenirentur: equidem aduerſus prauum vſum à Paulo Samoſateno (vt dictum eſt alias) primitus introductum, conſulto ſancitus eſſe videtur. Denique de Angelorum cultu, quem eadem Synodo vetitum nonnulli putarunt, dictum eſt abunde ſuperius [a].

XV. Byzantini Epiſcopi.
b Cedr. in comp.
c Zonar. Annal. to. 3 in Conſtant.
d Nic. l. 8. c. 6. & alter. Nic. in Chron.

Hoc eodem anno Imperii Conſtantini nono, ponitur à Cedreno [b] *Metrophanes* creatus quartus Epiſcopus Byzantii quem & Zonaras [c] ait ſucceſſiſſe fratri ſuo Probo: ambos autem filios fuiſſe Domitii fratris Probi Imperatoris: eundemque ipſum Domitium eiuſdem ciuitatis ante Probum filium extitiſſe Epiſcopum. Cæterum cum Cedrenus quartum nominet Metrophanem Epiſcopum Byzantinum: Nicephorus [d] tamen Calliſtus, necnon alter Nicephorus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, ſeriem texentes eiuſdem ciuitatis Epiſcoporum, ab ipſo Andrea Apoſtolo exordium ſumpſere, vt demonſtrarent eam Eccleſiam Apoſtolicam eſſe. At vero non tantum nullus antiquorum id dixiſſe reperitur: ſed & teſtatur Gelaſius [e], ne Metropolim quidem, ſed & parochiam tantũ fuiſſe Heracleenſis Eccleſiæ: & Agapeti [f] Papæ teſtificatione palam factum eſt ipſis Conſtantinopoli agentibus Epiſcopis, non ab Andrea, ſed à Petro datum eſſe primum Epiſcopum Byzantinis.

e Gelaſ. ep. ad Epiſc. Dard.
f Agap. ep. ad Petr. quæ eſt in Quinta Syn. Act. 2.

IESV CHRISTI AN. 315.

SILVESTRI AN. 2.

Conſtantini An. 10.

I.

ANNO Chriſti trecenteſimo decimo quinto, Conſtantino & Licinio Auguſtis quartum Coſſ. idem Conſtantinus auſpicatus Imperii ſui annum decimum, Decennalia celebrauit: non quidem ritu Gentilium, ſed vt Chriſtianum decebat, pro ſacrificiis animalium Deo puras gratiarum actiones preceſque ſolemniter

fundens:

fundens: vt Euſebius[a] tradit. In his autem ſolemniis conſueuerat fieri Votorum nuncupatio pro ſalute Principũ tertia die[b] poſt Calendas Ianuarias, quando ſingulis annis vna libra auri in ſeptuaginta duobus ſolidis[c] obrizis ipſo anni principio offerri ſolebat. Sed hæc temporibus Chriſtianorum Impp. Nam olim (vt obſeruauit Alexander[d]) collectam ſtipem ex voto nuncupato pro ſalute Principis, iaciebant in Lacum Curtium. Quamuis quod in eiuſmodi votorum nuncupationibus (vt docet Tertullianus[e]) ſoleret voueri Ioui bos cornibus auro decorat⁹: ne eiuſmodi impietatis vota pro ſua ſalute nuncuparentur, videri poſſit Conſtantinus in dictam auri penſitationem ea mutari voluiſſe.

Iiſdem vero ipſius Decennalibus ab eodem Imperatore creatos eſſe Cæſares duos ipſius filios CRISPVM & CONSTANTINVM, Nazarius teſtatur oratione Panegyrica q̃ habuit in Quinquennalibus eorũdẽ Cęſarũ, dũ affirmat Conſtantinum peruenisse iã in annũ Imperii decimum quintũ. Ex quib⁹ erroris imprimis arguitur Euſebii Chronicon, in quo id legitur accidiſſe anno octauo Conſtantini; nam & ipſe[f] in Vita eiuſdem tradit, hoc eodem anno eius Imperii decimo, Conſtantinum filium Cæſarem à patre nuncupatum eſſe: præteriens eo loco Criſpum, ne parentis in eum facinus recoleretur aliquando. Corrigendus ex his etiam Aurelius Victor[g], qui tempore conuentus Mediolanenſis, quo Licinius Conſtantiam ſororem Conſtantini duxit in vxorem, ambos Conſtantini filios, necnõ Licinianum eiuſdem Licinii filium (quem plerique alij *Licinium Iuniorem* nominant) creatos fuiſſe Cęſares tradit. Etenim cum ille ex eadem Conſtantia natus ſit, quomodo nondum in vtero conceptus potuit Cæſar creari? Deniq; & emẽdandus Zoſimus[h], dum hos creatos ait poſt certamen Cybalenſe, quo Licinius ſuperatus eſt à Cõſtantino. Porro de iiſdem tribus ſimul creatis Cæſaribus, eſt quoque mentio in Euſebij Chronico: & de Criſpo additur, literis eruditum eſſe à Lactantio viro omnium ſuo tempore eloquentiſſimo, ſed adeo in hac vita paupere, vt plerũque etiam neceſſariis indiguerit: de quo, ac ſcriptis eius, alia occaſione dictum eſt[i] ſuperius.

III. CONST. MVNIFICENTIA IN PAVPERES.

Hoc eodem anno iiſdemq; Coſſ. idem Conſtantinus Imperator dignam plane Chriſtiano Principe edidit ſanctionem[k], qua in Italia parentum inopiæ (cum illi filios, quos alere non poſſent occiderent) tum ex fiſcali tum ex priuata Imperatoris pecunia[l] ſubueniri voluit: reliquis vero prouincijs ſic alia lege prouidit, vt parentibus egentibus ita demum cõcederetur diſtractio liberorum, vt tamen redimi ſemper vel ab iis qui vendidiſſent, vel à quacunque alia perſona poſſent, ſiue reddito pretio, ſiue alio mancipio oblato. Denique ea quæ Italis placuit impertiri, poſtea quoque ad alios prouinciales egentes prorogauit[m], quibus pariter ex fiſco & horreis publicis ſubueniri voluit, antequam aliquid indigni pati aut facere cogerentur. Ex quibus plane perſpicias patẽtes Zoſimi calumnias in Cõſtantinũ, dum ait[n] fuiſſe adeo in exactione tributorum tenacem, vt paſſus ſit ob eorum ſolutionem, parẽtes filios diſtraxiſſe atque filias proſtituiſſe; quem è contrario prouidiſſe conſtat[o], vt exactiones abſq; concuſſione fierent, & ne debitores experiri cogerentur carcerẽ, vel pœnas aliquas corporales, quibus antea affligebantur: ac licet fiſci debitores eſſent, nonniſi in eorum hunc ageretur: quę q; antiquæ inſcriptiones[p] docent tributa aliquando abſq; remiſiſſe. Et tametſi non aliud, certe Legis Papiæ (vt videbimus) ex ea parte detrũcatio, ex qua ingentem pecuniarum vim corradere potuiſſet, magnum eius largitatis & à populorum vexatione continentię fuit documẽtum. Quibus optime ſuffragantur quæ ab Euſebio[q] traduntur, de quarta parte tributorum ab eodem Imperatore agrorũ poſſeſſoribus in perpetuum relaxata, deque adęquationibus tributorum grauiorum, alijſq; eiuſdem beneficentiis, per quas nec condemnatus triſtiore iudicio decedebat, quã qui cauſam obtinuerat. Sicut & aliquãdo[r] prouidiſſe reperitur, ne prouinciales à Pręſidibus cæteriſq; magiſtratibus comprimerentur variis pecuniarum indebitis exactionibus idemque Euſebius alibi[s] eiuſdem prædicat erga pauperes quoſcunque munificentiam ac profuſam liberalitatem, de qua etiam erit nonnunquam agendi inferius occaſio.

IV. LEGIS CONST. PRO PVDICITIA.

Quod vero rurſum ad calumniam Zoſimi de filiarum proſtitutione ſpectat: tantum abeſt id Conſtantinum paſſum eſſe, vt contra hactenus extet lex[t] eius quà etiam ancillas Chriſtianas tradi lenonibus vetuit, eaſdemque redimi voluit. Deſideratur vero illud piiſſimo Principe dignum edictum, cuius meminere Hieronymus[u] & Sozomenus[x], quo cœnoſas illas ſordidiſſimarum libidinum cloacas obſtruxit, cum in fornicibus ſpectaculorum inter ſcorta ſtarent pueri publicæ libidini expoſiti. Sicut & periit æque laudata alia eiuſdem lex, qua (vt teſtis eſt Lampridius[y]) vetuit Eunchos, Principum peſtes, gerere præfecturas & magiſtratus.

V. LEX CONTRA INSCRIPTIONES IN VVLTV.

Sed & pœnis reorum humaniſſime prouidens iiſdem huius anni Coſſ.[z] illam aboleuit qua miſerorum hominum in ludum vel in metallum pro criminibus damnatorum vultus inſcriberentur, iuſſa damnationis cauſa in manibus vel ſuris inſcribi, ne (vt ait) facies, quæ ad ſimilitudinem pulchritudinis cœleſtis eſt figurata, macularetur. Sed hanc ignominiam reſtituit poſtea Theophilus Imperator Iconoclaſta aduerſus Catholicos, vt dicetur ſuo loco. Eademque ſolitos interdum Chriſtianos confeſſores in perſecutionibus affici, docet Pontius diaconus in Vita Sancti Cypriani. Erat porro apud Romanos ſupplicium tã ſeruorum[a] ſeu mãcipiorum (vnde & [b] *Stigmatici*, vel etiam *Litterati*, aut *Inuſti* dicebantur) quam etiam ſeruorum[c] pœnæ. Thracibus[d] autẽ (vt varia eſt hominũ conſuetudo) notæ in facie apponebantur in ſignum nobilitatis: indeque in prouerbium adductæ *Thraciæ notæ*. Et pariter Dacos ac Sarmatas conſueuiſſe frontes notis inſcribere, auctor eſt Plinius[e]. Denique fuerunt & Syrij ſtigmatici: non tamen in vultu, ſed in vola[f] manus, vel in ceruice. Ac Britonum inſignia, fuiſſe Stigmata, Tertullianus[g] tradit.

VI. CONST. IVDÆOS COHIBET.

Hoc item anno idem Conſtantius Iudæorum procaciã edicto[h] cohibuit: qui cum eos qui à ſua ipſorum ſecta ad religionem Chriſtianam tranſirent, ſaxis aliiſq; furoris generibus proſequi non deſiſterent: eoſdem talia poſthac præſumentes, cum omnibus ſuis participibus concremari præcepit: & ſiqui Chriſtiani ad illorum ſectam tranſiiẽt, iiſdem pœnis ſubiici voluit. Sed & eoſdem Iudæos aliquãdo rebellantes (quo autem anno id acciderit, haud exploratum habetur: rei vero geſtæ teſtis eſt Chryſoſtomus)[i] idem Conſtantinus amputatis auriculis, ſignoque rebellionis corpori impreſſo, ceu fugitiua mancipia per omnia loca circumferri iuſſit, quo cæteri ediſcerẽt Chriſtianorum iugum tolerare. Poſtea vero quiete agentes, eadem qua reliquos ſibi ſuditos benignitate proſecutum eſſe, data pro illis ab eo reſcripta[k] declarant.

VII. DISPVT. IVDÆORVM CVM EPISCOPIS.

Cæterum ex iis quæ hoc anno aduerſus eos ſtatuta diximus, coniectura aliqua comprobari videtur illa pars Actorum Siluestri Romani Pontificis, qua iiſdem huius anni Coſſ. narratur habita Romæ coram Conſtãtino Imperatore & Helena eius matre celebris diſputatio inter Iudæorum præcipuos Sacerdotes, qui eandem Helenam ad Iudaiſmum inuitauerant, & ipſum Sylueſtrum Papam aliosq; Epiſcopos: delectis arbitris Cratone philoſopho atque Zenophilo V.C. qua ijſdẽ Iudæis deuictis ac penitus cõfutatis, Cõſtãtinus ea quę ſunt recẽſita aduerſ⁹ eos hoc eodem anno ſtatuerit. Porro cum de eadem diſputatione agant pariter Græci ſcriptores Metaphraſtes[l], Zonaras[m], Glicas[n], Nicephor⁹[o], atq; Cedrenus[p], vt eã paucis abſoluamus, ſicut haud abnuimus eã vere accidiſſe, ita omnino aſſerimus non in omnibus vera eſſe quę de illa hodie ſcripta leguntur: corruptis magna ex parte iiſdem Sylueſtri Actis. Quæ vero legitima in illis erant, ſicut ante Gelaſium[q] tãtum eis antiquitas detulit, vt cum Romæ tum in multis aliis Eccleſiis legerentur: ita poſt Gelaſium tempore etiam Hadriani[r] Papæ & Caroli Magni Imperatoris, abſque dubitatione eadem pro veris certiſque ſunt habita.

DE ACTIS SILVEST. PAPÆ.

VIII. DE DRACONE A SILVESTRO PP. INCLVSO.

Tale namique eſt quod ibidem additur de *Dracone* in ſpecu morante & lethali halitu homines enecante, quem

a Euſ. l. de vit. 16. — b ... — t l. 1. C. Th. de lenon. — u Hier. z. in Iſa. 2. — x Soz. lib. 1. ca. 8. — y Lamprid. in Alex. — z l. 2. C. Th. de pœn. — a Plin. l. 18. c. 3. Var. lib. de re ruſ. Val. Max. l. 6. c. 8. — b Ap. Dill. teſt. l. 97. — c Suet. in Calig. 27. Senec. 3. de ira. 3. & l. de benef. 137. 138. & alibi. — d Vol. Cal. Rhodig. 7. antiq. lect. 11. — e Plin. l. 22. ca. 1. — f Lucian. in Dea Syria. — g Tert. de virg. vel. — h l. 1. C. Th. de Iud. — i Chryſ. aduerſ. Iud. homil. 2. — k l. 2. 3. 4. 5. C. Th. de Iud. — l Metaph. 2. Ianuar. — m Zonar. Annal. — n Glic. in Annal. — o Nic. lib. 7. cap. 36. — p Cedren. in comp. — q Gelaſ. in Conc. Rom. decr. de lib. auth. — r Hadr. ep. 1. ad Carol. Mag. — l l. 2. C. Th. de alim. — m l. 2. C. Th. de alim. — n Zoſ. lib. 2. — o l. 3. 4. C. Th. de exact. — p ... — q Euſ. de vit. — r l. 1. C. Th. ...

Silueſter obſignatis ſigno Crucis æreis quibus ſpecus claudebantur ianuis, perpetuo ergaſtulo mancipauit. Siquidem hæc quoque ex parte Acta ipſa aliquibus ſuperadditis deprauata putamus, quamuis res ipſa complures habeat Latinos & Græcos aſſertores. Ex quibus inter Latinos antiquiſſimus & eruditione clariſſimus Venantius Fortunatus Epiſcopus Pictauienſis, qui vixit ante mille & ferme centum annos, in Rebus geſtis [s] S. Marcelli Pariſiorum Epiſcopi, dum agit de immani ſerpente ab eo ſuperato, eundem Silueſtro Romano comparat, quod ſicut iſte draconem ſigillauit, ita Marcellus iactauit. Inter Græcos autem, præter Cedrenũ & recentiores alios, Metaphraſtes [t] eiuſdem rei aſſertor eſt, & ante baptiſmum Conſtantini accidiſſe tradit (licet alii in poſteriora tempora referant) draconemque latuiſſe ſub Capitolio.

s Ap. Sur. 1. Nou.
t Metaphr. in Silueſ.

IX. SERPENS ROMAE CVLTVS.
u Plin. l. 29. ca. 4.

Sed quod omnes aſſerant eiuſmodi ſerpentem apud Romanos ſacroſanctum fuiſſe in memoriam reuocant ex Epidauro olim in Vrbem legatione publica allatum ad peſtem euertendam ſerpentẽ Æſculapium: quem Plinius [u] teſtatur, licet tot intercurrentibus ſæculis ſuo tempore fuiſſe ſuperſtitem, vulgoque in domibus paſtum eſſe, ac niſi incendiis ſemina exuſta fuiſſent, non fuiſſe fœcunditati eorum reſiſtere. Sane quidem eius colubri quem Romani colerent cellam fuiſſe ad extinctionem ſuperſtitionis obſignatum à Silueſtro, perfacile eſt creditu, cũ poſthac nulla penitus eius extet memoria: niſi quod Gentiles Deo ſuo carere nolentes, quem fame extinctum noſſent (nam de eodem agens Feſtus [x], ait nonniſi canis vberibus nutriri ſolitum) ex ligno aliaue materia alium fabricarunt, gladium ore geſtantem, oculis rutilãtibus gemmis metuendum ac terribilem: eidemq; pariter in ſpecu collocato, deuotas virgines floribus exornatas eo modo in ſacrificiũ offerebant, quatenus inſciæ munera deferentes, gradum ſcalæ quo fraus tegebatur, contingentes impetus veniẽtes gladii perimeret: quod ſic manſit vſq; ad Honorium Imperatorem, cum iterum per ſanctum monachũ impoſtura detecta, ipſoq; confracto ſerpente, caruere penitus ſuperſtitionis alumni auito ſuo Deo. Rem geſtam S. Poſper [y], quæ accidit Romæ ſuo tẽpore narrat. Vt plane liceat intueri, draconem illum viuẽtem à Silueſtro extinctum, cuius imagini tamquam viuẽti eiuſmodi virginum deuotione miniſtraretur. Nam & eandem Silueſtri victoriam magis confirmat, quod eius imagines in Eccleſiis pingi ſolitæ erant cum dracone ad pedes eius vincto. Cæterum tũ Romæ tum in aliis prouinciis immanes interdum colubros fuiſſe conſpectos, eoſdemque à Sanctis viris necatos, abunde teſtantur antiquæ Sanctorum hiſtoriæ, aliaque vetera monumenta. Sed de his modo, occaſione Actorum Silueſtri, ſatis.

x Feſt. ver. inſul. Æſcu.
DRACO EFFICTVS.
y Proſp. de præd. par. 3.

X. ARIANA HAERESIS INNOTESCIT.
z Epip. hær. 68.
a Soc. l. 1. c. 5.
b Soz. l. 1. c. 14.
c Theod. l. 1. c. 2.

His quoq; temporibus ARIVS; qui hactenus à tempore Petri martyris Epiſcopi Alexandrini, velut Proteus ſub diuerſis latuerat formis, modo Catholicis modo inhærens ſchiſmaticis, impius omnino detectus eſt. Propalatũ quidẽ à Meletio, & ad Alexandrum Epiſcopum delatum, Epiphanius [z] eſt auctor: Socrates [a] vero & Sozomenus [b], occaſione cuiuſdam diſputationis coram Alexandro habitæ, virus ſuum euomuiſſe tradunt. At Theodoretus [c] eius lapſum refert in inuidiam, qua aduerſus Alexandrum incenſus eſt, cum eum vidit ad Epiſcopatum euectum. Porro ad hunc ipſum annum, quo Criſpus & Conſtantinus creati ſunt Cæſares, hæreſis Arianæ manifeſtationem Oroſius [d] referre videtur: eandemque antequam Licinius Imperator Chriſtianos ſequenti anno perſequi aggrederetur, iam diffamatam fuiſſe ex Lactantio ſatis intelligitur, dum his temporibus magiſtrum agens eiuſdem Criſpi Cæſaris, in libris [e] diuinarum Inſtitutionum, quos (vt apparet ex præfatione) eadem graſſante perſecutione ſcripſit ad Conſtantinum expeditionem aduerſus eundem Licinium parãtem, inter alios hæreticos quos enumerat, etiam *Arianos* nominat: licet aliqui, contra omnium plane exemplarium antiquitus ſcriptorum auctoritatem, eã vocem e textu Lactantii temerarie nimis expunxerint. Denique Arianam hæreſim innotuiſſe ante exortam Licinii Perſecutionem, eo quoq; redditur argumento perſpicuũ, quod cum S. Baſileus Epiſcopus Amaſenus, ipſo eiuſdem perſecutionis initio Nicomediæ detineretur, in carcere paulo poſt martyrium ſubiturus, diſſidia iam ibidem Nicomediæ de Arii opinione oborta eſſe, deque iis interrogatum Baſileum rectam fidem egregie perdocuiſſe: idem ipſe qui cũ tunc ea de re conſuluit, Ioannes presbyter Nicomedieñſis in Actis [f] eius martyrii à ſe cõſcriptis teſtatur.

d Oroſ. lib. 7. ca. 28.
e Lact. lib. 4. cap. vlt.
LACTANTII LOCVS RESTITVTVS.
f Ap. Metaphr. & Sur. 26. April.

XI. DE ORTV ARIANAE HAER. DIVERSA TEMPORA CONSIDERANDA.
g Epiph. hær. 69.
h Ap. Socr. l. 1. c. 3.

At quoniam de Ario poſſunt diuerſa tẽpora conſiderari, inde quoque euenit vt de eius temporibus variæ ſint ſententiæ. Primum enim tempus perpẽdendum eſt, cum ab Alexandro Epiſcopo de eo iudicium factum eſt quãdo detectum ac ſæpe monitũ pugnaciter hæreſim defendentem exuit presbyteratus ordine, & vna cum ſeptẽ presbyteris, duodecim diaconis, & ſeptingentis virginibus profeſſis quas ipſe ſeduxerat (vt quidem habetur apud Epiphanium [g], licet ipſe Alexander ſuis literis teſtetur ſe tantum vndecim tã presbyteros quam diaconos ab Eccleſia eieciſſe) collecto aduerſus eos CONCILIO [h] centum ferme Epiſcoporum Ægypti & Libiæ, à Catholica cõmunione eiecit: quæ omnia hoc tempore ante perſecutionem Licinianam geſta fuiſſe videntur. Aliud vero tempus Arianæ hæreſis tunc accidit, quando eius patrocinium ſuſcipiẽte Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo, eadem toti plane innotuit Orbi, ac de rebus eo vſque geſtis Alexander omnes Catholicæ religionis Antiſtites certiores reddidit: quod contigiſſe poſt victum Liciniũ reddita Eccleſiæ pace, ſuo loco dicturi ſumus. Nam quod Arium, poſtquam excommunicatus eſt, multo tempore Alexandriæ verſatum Epiphanius affirmet, opinamur illum vſque ad id temporis ibi permanſiſſe. Teſtatur vero Sozomenus [i] ab hoc tempore quo Arius de doctrina diſſerens, inſolitam introduxit: in Eccleſia Alexandrina conſuetudinem inoleuiſſe, vt nullus presbyter, ſed tãtũ Epiſcopus populum doceret.

i Sozom. l. 7. cap. 19.

XII. COLLVTHI TEMERITAS.
k Philaſt. de hæreſ. cap. 5.
l Au. de hær. cap. 65.
m Epip. hær. 69.
n Ap. Theod. lib. 1. cap. 4.
COLLVTHIANI HAERET.
o Athan. Apol. 2.

His quoque fere temporibus quibus Arius prodiit, COLLVTHVS æq; presbyter Alexandrinus, & vni ex eccleſiis eiuſdem ciuitatis præpoſitus, ſed cum non eſſet Epiſcopũ gerens, cœpit ordinare presbyteros, & docere hæreſim: nempe (vt Philaſtrius [k] & Auguſtinus [l] tradunt) Deum non eſſe malorum creatorem. Agit quoque de eo Epiphanius [m]: eiuſdemq; ambitionem taxauit Alexander [n] Epiſcopus Alexandrinus. Porro licet ipſe paucis annis gauiſus ſit hæreſis ſuæ coaleſcẽtia, quod paulo poſt (vt videbitur) damnatus fuerit atque depoſitus: tamen qui ab eo ſunt nominati *Colluthiani* hæretici, Arianis ſe atque Meletianis aduerſus Catholicos coniunxerunt: quod Athanaſius [o] ſæpe deplorat, aliique Orthodoxi.

IESV CHRISTI AN. 316.

CONSTANTINI AN. II.

SILVESTRI AN. 3.

I. DIOCLET. IMP. OBITVS.
a Zoſ. lib. 2.

ANno Chriſti trecenteſimo decimoſexto, Sabino atque Ruffino Coſſ. qui & tertius numeratur à Conſulatu tertio Conſtantini atque Licinii (vt Zoſimus [a] eſt auctor) *Diocletianus* olim Imperator eſt mortuus: quem ſane diuina diſpenſatione ad hæc tempora Chriſtianis feliciſſima reſeruatum conſtat, vt quorum extirpationem fuerat meditatus, eoſdem imperare videret. Porro diuturna & aſpera corporis ægrotatione pedetentim contabeſcentem occubuiſſe, Euſebius [b] tradit, & poſt eum Zonaras [c]: Cedrenus [d] autem eundem plane deſcribit eius morbum, ac morbi cauſam, exitumque, quem ſuperius vidimus Euſebium tribuiſſe Maximino. Quæ quidem pati meruit qui olim (vt Euſebius [e] & Eutropius [f] ſcribũt) adorari ſe iuſſerat vt Deum, & gemmatos calceos atque veſtes, non contentus purpura, ſe ipſum induerat. Miſerandum autem eius exitum ne mireris prætermiſſum ab Ethnicis ſcriptoribus, vtpote ignominioſum illis. Inter quos Aurelius [g] Victor ait, quod recuſaſſet intereſſe nuptiis Licinii & Conſtantiæ, ſuſpectantem necem dedecoroſam, venenum hauſiſſe. Addit vero Eutropius, contigiſſe ei quod nulli poſt natos homines, vt cum priuatus obiiſſet inter diuos referretur. Sed qui hunc ei impiũ honorem

b Euſ. 8. hiſt. vlt.
c Zonar. Annal par. 2. in Diocl.
d Cedr. in Comp.
e Euſeb. in Chron.
f Eutrop. lib. 9. in fi.
g Vict. in Diocl.

norem ſtulto conatu reddidit Licinius, mercedem mox & ipſe recepit, Imperii ac vitæ amiſſionem.

Quod vero pertinet ad tempus eiuſdem Licinii defectionis ab amicitia Conſtantini: extat ipſius Conſtantini reſcriptum [h] de Veteranis, datum poſt annum ſequentem Licinio quintum & Criſpo Coſſ. quartò Idus Aprilis, in quo habetur mentio de obtenta ab eo victoria in Thracia anno illū præcedente quinto Nonas Iulii, qui eſt ſequens poſt præſentem annum Gallicano & Baſſo Coſſ. Sed cum antequam dimicaretur in Thracia, conſtet auctore Zoſimo & aliis pugnatum fuiſſe apud Cybalem in Pannonia: hac ratione dici poſſe videtur, diſcordias hoc anno inter vtrumque eſſe conflatas. Earum vero cauſa à Zoſimo [i] in Conſtantinum infenſo, necnon à Victore [k] & ipſo Ethnico, eiuſmodi redditur, quod Conſtantinus pacta inter eos ſtabilita parū integra fide ſeruaſſent, ac nationes quaſdam ad Imperium Licinii pertinentes auertere voluiſſet. Sed illam priorem atque veriorem interceſſiſſe, quod Licinius de Chriſtiana religione protegenda pactis non ſtetiſſet conuentis, immo & ipſi Conſtantino inſidias ſtruxiſſet pluribus oſtendunt qui hæc omnia præſentes ſpectarunt, Euſebius [l] in Vita Conſtantini, & Ioannes Nicomedienſis presbyter in Actis [m] *S. Baſilei*, ſiue Baſilii, Amaſeni in Ponto Epiſcopi (quem S. Athanaſius [n] inter celeberrimos huius ſæculi ſanctiſſimoſque Antiſtites commendat) qui ipſo Licinianæ Persecutionis initio Nicomediæ, vbi Licinius degebat, martyrium fortiter paſſus eſt ob nominis Chriſti confeſſionem, & ſeruatam à turpitudine eiuſdem Licinii *Glaphyram* virginem, vnam ex iis quæ Conſtantiæ Auguſtæ miniſtrabant.

III. Licinius perſequitur Chriſt.

Porro quamuis apud Euſebium in Chronico anno ſequenti, nempe Conſtantini duodecimo, martyrium Baſilei ponatur: tamen quod idem auctor teſtetur Conſtantinum literis Conſtantiæ ſororis permotum, cum de nece ſanctiſſimi Epiſcopi, deque aliis per Liciniū patratis ſceleribus certior redditus eſſet aduerſus eum expeditioné paraſſe: necem Baſilei hoc potius anno accidiſſe affirmari poſſe videtur, quo in Licinium Conſtātinus copias in ſequentem annum comparauit. Hoc autem anno Conſtantini vndecimo, ponitur ibidē expulſio omnium Chriſtianorum è Palatio Licinii: quorum etiam pœnas, quibus ab eodem affecti ſunt, alibi idem Euſebius iterum [o] memorat. Habet & de Conuentibus Epiſcoporum ab eodem Licinio prohibitis, & ne viri ſimul cum mulieribus in eccleſiis intereſſent, neue Epiſcopi mulieribus ſacra Dei eloquia explicarent: ſed mulieres ipſæ alias mulieres à quibus erudirentur ſibi deligerent: denique ne conuentus Chriſtianorum intra ciuitates, ſed extra mœnia fierent, quod (vt argute ſibi dicere videbatur) aer qui extra portas eſt, permultum ei præſtaret qui eſſet intra ciuitates & templa. Tradit inſuper Socrates [p], prohibuiſſe Epiſcopis ne cum Gentilibus in colloquium aliquando venirent, eo videlicet conſilio, vt Chriſtiana religio inter eos minime propagaretur.

IV.

Sicut autem legum iniquarū iniuſtiſſimus promulgator extitit, ita pariter ſeueriſſimum ſe earūdem cuſtodem exhibuit. Nam & *Paulum* Epiſc. Neocæſareæ Euphrateſiæ, quod minime deſtitiſſet mun⁹ ſuum explere in inſtitutione feminarū, vinciri iuſſit, ludibriique cauſa eius genitalia igne comburi, & articulorum manuum neruos ſuccendi; ſicut teſtantur Gregorius [q] presbyter ac Theodoretus [r]. Et Heraclæ *Ammonem* diaconum, cum quadraginta quas inſtituebat Virginibus Hadrianopolitanis in Macedonia, igne & gladio necauit: de quibus plane hallucinatus eſt Nicephorus dum quas omnes atteſtantur virgines, ipſe tradit vxores fuiſſe illorum *Quadraginta* celeberrimorum tam in orientali quam Occidentali Eccleſia *Militum* Cappadocum; qui eadem perſecutione Sebaſtæ in Armenia Minori, poſt dira alia tormenta noctu in ſtagnum gelu conſtrictum nudi iniecti, frigore rigentes nobiliſſimam martyrii coronam adipiſci digni fuerunt. Quando & illud duplex miraculum accidit, vt cum eos in illo agone conſtitutos obſeruans cuſtos balnei calidi iuxta politi (res ciuiulis fuerat excogitata; talem inuenire certaminis locum, in quo paratum haberent refugium) vidiſſet Angelo ſè cœlo deſcendentes, coronas ſingulis vno excepto diſtribuere; idem tanto prodigio obſtupefactus, cum is qui incoronatus remanſerat, deſertor factus ad aquā calidam aufugiſſet (in qua tamen ſtatim vt eam attigit, corpore quod glacie torpebat diſſoluto, interiit) in eius locum ſuccedens, coronam deſertori denegatam ſuſcepit, & ſimul cum aliis eodem mortis genere martyrium conſummauit. Sed vnius illorum mater, cernens alios iam frigore extinctos plauſtris perduci ad ignem paratum cremandis eorum corporibus, ſuum vero filium ob validiores vires adhuc viuentem remanere; eadem virile robur aſſumens, cum propriis humeris ſuſtulit vt ſociis aggregaret, & cum ad collum matris animam efflaſſet, eidem igni comburendum tradidit. Recenſet inſignem hanc hiſtoriam Baſilius oratione in laudem tantorum martyrum habita; quæ fuſius deſcribitur in antiquis eorumdem Actis [s]. Porro ſacri illorum cineres in alueum iniecti, ſed diuina virtute ſeruati, perque totum ferme Orbem diſtributi, ſolemni cultu honorari meruerunt: vt tum ex eodem Baſilio patet, tum ex Gregorio Nyſſeno, Ephræm Syro, Gaudentio Bryxiano, qui & ipſi egregias in eorumdem martyrum laudem habuerit orationes.

V. Sævitia perſecut. Licin.

Licet autem iræ Licinii in Chriſtianos conceptæ, aliquamdiu (vt tradit Euſebius [t]) ob Conſtantini metum ab eo primum fuerint ſtudioſe compreſſæ; ac poſtea patefactæ, lento gradu progredi viſæ ſint tamen quod ex impie cœptis addantur vires ad grauiora facinora perpetranda, mox acerbius Chriſtianos exagitans, quos omnes ſtudere Conſtantino perſuaſum haberet maxime Epiſcopos & alios Eccleſiarum miniſtros, variis per prouinciarum Præſides mortis generibus affecit, ac nonnullorum corpora in multas particulas minutatim diſſecta, in profundos maris gurgites piſcibus voranda proiecit: milites ſacrificare recuſantes balteum deponere iuſſit: omniſq; generis & conditionis Chriſtianos, exiliis bonorum publicationibus, carceribus, aliiſque ſuppliciis crudeliter afflixit; & eccleſias à Chriſtianis vbique reædificatas iterum diruit. Deſcribit enim hæc omnia Euſebius [u]. Sicut & cōplures alios militia nobiles, ignominiæ cauſa ad opus publicum, vel ad textrinam, aliaq; opera gynæcea damnatos eſſe, teſtatur ipſemet Conſtantinus Imperator in edicto [x] quod poſtea expugnatum Licinium pro Chriſtianis edidit. Denique quod hoſtis humani generis (vt tradit Gregorius [y] Nyſſenus) Licinio ſuaſiſſet, de hoſtibus nequaquam victoria potiturum, niſi quos ſciret colere Chriſtū occideret; magis ac magis furore in eos excandeſcens, per ſæuiſſimos Præſides, quamplurimos alios in diuerſis Orientis prouinciis ſuſtulit, quorum multorum nomina relata inueniūtur in tabulas Eccleſiaſticas, nonnullorū etiam Acta ſuperſunt, cum infinitorū prope memoria perierit.

VI. Perſecutio Liciniana qualis.

Sed quod ea clades nihil prorſus partes Orbis Occidentalis in quo Conſtantinus imperaret, pertigerit; Sulpitio [z] Seuero haud digna eſt viſa, quæ inter Perſecutiones adnumerari deberet: nempe quod numerum myſticum decem Perſecutionum, quas numerat inſtar decem Plagarum Ægypti, voluit integre cuſtoditum; prætermittique perſecutionem ſub Licinio, quod ea eſſet vndecima numeranda. Sed quod ait eam adeo leuioris fuiſſe negotii, quam vt ad Eccleſiarum vulnera perueniret; plane diſſimulauit, aut ignorauit necem tot martyrū Orientalium. Ceterum eiuſmodi ſupputatio decem Eccleſiæ Perſecutionum, minime placuit S. Auguſtino [a], dum à tempore naſcentis Chriſti Eccleſiæ multo plures recenſet. Denique acerbam ſatis fuiſſe hanc à Licinio excitatam, ingens etiam Lapſorum numerus arguit, de quibus in Magno Concilio Nicæno [b] ſtatuendi fuere canones. At de his modo hactenus.

VII.

Hoc item anno iiſdemque Sabino ac Ruffino Coſſ. (vt Auguſtinus [c] ſcribit) quarto Idus Nouembris, Conſtantinus Imperator ad Eumalium Vicarium Africæ ſcripſit de purgatione Cæciliani Epiſcopi Carthaginenſis; cum poſt interpoſitam à Donatiſtis appellationem à ſententia conuentus Arelatenſis ante biennium celebrati, qua

h Coll. Cod. Theod.
l Euſeb. l. 1. de vit. Conſt. c. 42.
m Ap. Metaphr. & Sur. 26. Apr.
n Athan. apol. 1. Conſt.
o Euſ. l. 1. de Vit. 45. & 10. hiſt. 8.
p Socr. lib. 1. cap. 2.
q Greg. presb. orat. de Patrib. Nic. Conc.
r Theod. l. 1. cap. 7.
Quadraginta martyres.
s Ap. Metaphr. & Sur. 9. Mart.
t Euſ. 2. de Vit. Conſt. 1.
u Lib. 1. c. 41. 47. 48. & 1. 2. c. 8. & hiſt. l. 10. c. 8.
x Id. 2. de Vit. 31.
y Nyſſ. orat. in 40. mart.
z Sever. hiſt. lib. 2.
a Aug. 18. de ciuit. 52.
b Conc. Nic. can. 11. 12.
c Aug. poſt Collat. 33.

[illegible] (ron. et [illegible]

[illegible] Th. tran.

libr. 2. [illegible]

idem Cæcilianus abſolutus eſt, aliud (vt apparet) interceſſiſſet iudicium, in quo itidem probatus fuit innocēs. Hoc vero de quo modo agimus poſtremum iudicium, idem Auguſtinus [d] teſtatur prolatū eſſe Mediolani ab ipſo Cōſtantino Imperatore, importunis, & ſæpius repetitis Donatiſtarum appellationibus coacto eos audire quo omne iiſdem ſubterfugium prorſus ademptum foret, cum ſe ab ipſomet Imperatore, ad quem toties prouocaſſent, damnatos cernerent. Quapropter eumdem Conſtantinum ſumma diligentia atq; cautela, vocatis & præſentibus ipſo Cæciliano & aduerſariis Donatiſtis, atque inuicem diſceptantibus, cauſam cognouiſſe, & Cæcilianum innocentiſſimum, Donatiſtas vero improbiſſimos iudicaſſe, idem Auguſtin. docet. An autem nouas poſthac aduerſus Cæcilianum calumnias excogitarint, haud quicquam certi affirmari poteſt.

d Id. ep. 68. & 162.
CONST. CVR APPELLANTES ITERVM DONAT. AVDIERIT.

VIII.

Illud quidem conſtat eoſdem in Africam reuerſos baſilicam inuaſiſſe, quam in Conſtantina ciuitate Numidiæ idem Imperator erigendam curauerat: qua priuati Catholici, Chriſtiana patientia ab excitādis turbis abſtinuerunt, atq; humiliter ad Imperatorem recurrentes, alium ab eo impetrarunt locum, ſumptuſque fiſcales ad nouam erigēdam eccleſiam; vt conſtat ex ipſius tunc ad eos redditis [e] litteris. Sed & fuiſſe animi ſui conſilium in Africam proficiſci, & Donatiſtarum furorem compeſcere, idem Imperator datis aliis litteris ad Celſum Vicarium Africæ ſignificauit. Quod vero iiſdem de falſo à Donatiſtis præſumpto martyrio inculcat, inducit vt opinemur, eos contemptis quæ aduerſus eos Imperator decreuiſſet iactaſſe paratos ſe eſſe ſubire martyrium: quemadmodum quos Proconſularis poſtea ſub Conſtante eiuſdem Conſtantini filio iuſte necauit gladius, iidem coluere vt martyres. Quamobrem hæc etiam cauſa interceſſiſſe videtur, quo minus in eos vt in ceteros delinquentes Conſtantinus animaduerteret, ne quos occidi mandaſſet ab illis martyres haberentur. Nā & illud viſus eſt declaraſſe, quando ab ipſis calumniam paſſus, quod gratia corruptus iniquiſſimam aduerſus eos tuliſſet ſententiam iuſſis aliquibus ad ſupplicium duci, abſtineri tamen ab eorum nece præcepit, ac tantum exilio damnauit, baſilicisque priuauit eas fiſco vendicans: vt hæc omnia varijs locis Auguſtinus [f] teſtatur. Quæ vero poſtea ſecuta fuerint, dicentur ſuis locis.

e Extat in Geſt. Purg.
CVR IN EOS NON ANIMADVERTERIT.
f Aug. cōtr. ep. Parm. l. 1. cap. 6. & 8. & cōtr. ep. Petil. l. 2. cap. 92. & ep. 68.

Iiſdem quoque Coſſ. Conſtantius Imperator *de Manumiſſionibus in eccleſia* corā Epiſcopis ſpectante plebe celebrandis reſcripſit [g] hoc amplius paulo poſt Epiſcopis quā ceteris magiſtratibus concedens, vt ab illis ſic manumiſſi non tantum libertate, ſed ciuitate quoque Romana, perinde ac ſi eſſent adſcripti tabulis Romani cenſus, iure ampliſſimo donarentur. Eiuſmodi vero manumiſſionum exemplum recitat S. Auguſtinus [h].

XI. MANVMITTERE CONCESSVM EPISCOPIS.
g l. 1. & 2. C. de his qui in eccl. manumit.
h Aug. Ser. de diuerſ. 50.

IESV CHRISTI AN. 317.

SILVESTRI AN. 4.

CONSTANTINI AN. 12.
I. VICTORIA CONSTANTINI DE LICINIO.
a Zoſ. lib. 2.

ANno Chriſti trecenteſimo decimo ſeptimo Gallicano & Baſſo Coſſ. Conſtantinus Imperator aduerſus Licinium bello agens, cum duobus ingentibus prælijs ſuperauit, primo Cybale in Pannonia, mox in Thracia cum fugientem inſecutus eſſet. Hęc autem cum omnes alii tam Chriſtiani quam Ethnici ſcriptores teſtentur, Zoſimus [a] rem geſtam fuſius proſecutus eſt; licet infenſus Conſtantino, ſecundo prælio æquo Marte pugnatum eſſe tradat, ne eius humanitatem ergà Licinium exhibitam prædicare cogatur. Porro Licinium in Thracia penitus ſuperatum eſſe, teſtatus eſt etiam ipſe Conſtantinus in edicto [b], quod anno ſequenti Licinio quintum & Criſpo Coſſ. de indulgentia tunc temporis veteranis conceſſa promulgauit: quo etiam conſtat victoriam Thracicam (quam Imperator *Primam* vocat, reſpectu aliarum quas poſtea in eadem prouincia confecutus eſt) obtentā eſſe hoc ipſo præſente anno quinto Nonas Iulij. Ex quib. plane erroris arguuntur, qui anno decimoquarto Conſtantini ac decimoquinto Licinianam perſecutionem ponunt, & decimo nono bellum eidem illatum, vt Cedrenus perperam ſuppputauit, aut denique quicumque ad aliud tempus bellum Licinianum retulerunt.

b l. 1. C. Th. de Veter.

II. c Euſ. 2. de Vit. Conſt. 1. &c. VTRIVSQVE IMP. APPARATVS.

Quinam autem fuerit vtriuſq; Imperatoris apparatus, Euſebius [c] in primis narrans, docet Conſtantinum precibus ſibi opus eſſe intelligentem multos ſecum Epiſcopos duxiſſe, & certæ in Deum fiduciæ inſigne, præuium ſemper habuiſſe vexillum Crucis, eiuſque virtute hoſtes deuiciſſe: ſed & illud mirandum accidiſſe, vt qui vexillum erectum portabat, numquam ab hoſtibus lædi valuerit, & infinita aduerſus eum ab hoſtibus tela immiſſa in exiguo haſtilis ambitu fixa hæſerint: antea vero aliud prodigium de futura Conſtantini victoria in cunctis ferme ciuitatib. Licinio ſubiectis apparuiſſe, nempe varias turmas Conſtantini per medias vrbes tamquam victrices tranſeuntes. Ipſum autem Licinium, Conſtantini apparatum, eiuſque in Chriſto fiduciam irridentem, varijs ſacrificijs litaſſe; & vatum Ægyptiorum, augurumque, atque aliorum præſtigiatorū falſa idolorum oracula effutientium pollicitationibus, de victoria redditum ſecurum, ad prælium proceſſiſſe. Hæc omnia Euſebius. Ceterū poſt victoriā Thracicam, pacem inter eos conciliatam eſſe conſtat, mulctato Licinio amiſſione prouinciarum Illyrici, Græciæ, & aliarum omnium quoquot vlterius eſſent porrectæ, relicta ei Thracia & Oriente: quod tum Zoſimus, tum alii omnes teſtantur.

III. ALEXANDER EPISC. BYZANT.
d Socr. l. 1. cap. 4. Sozom. lib. 3. c. 3.
e Gelaſius tamen Cyzicen. 8. qui in tomo Concil. Nic. olim edidit, expreſſe teſtatur l. 2. c. 5. Metrophanem non quidē Synodo interfuiſſe, ob ingraueſcentem ætatem, ſed Legatos ad eam miſiſſe presbyteros quoſdam, atque inter eos Alexandrū qui ei poſtea in Epiſcopatu ſucceſſit.

Hoc eodem anno cum Metrophanes Epiſcopus Byzātii ſediſſet annos tres ſenior valde confectus ſubſtituendū ſibi *Alexandrum* curauit: quod hoc anno contigiſſe, ex Socrate [d] & Sozomeno apparet, dum habent Alexandrum annos viginti tres ſediſſe, qui defunctus eſt anno Chriſti trecenteſimo quadrageſimo. Ex his autem eluduntur, tū qui volunt Metrophanem Eccleſiæ præfuiſſe annos decem, tum quæ feruntur incerto auctore ex quadam oratione de Niceno Concilio eum poſt finitam Synodum coram Patribus egiſſe de ſubrogatione Alexandr. Hunc enim iam ante [e] Concilium ſedere cœpiſſe, multa demonſtrabunt.

IESV CHRISTI AN. 318.

SILVESTRI AN. 5.

CONSTANTINI AN. 13.
I. LICINII INCONSTANTIA.
a Læt. in Lic.
b Eutr. l. 10.
c Euſ. 2. de Vita. &c.
d l. 1. C. Th. de Veter.

ANno Chriſti trecenteſimo decimo octauo, Licinio Auguſto quintum & Criſpo Cæſare Coſſ. idem Licinius rupto fœdere anno ſuperiori ſtabilito, aduerſus Conſtantinum iterum in Thracia bellum parauit, quod ſecundum in ea prouincia geſtum eſt. Culpa datur ab hiſtoricis Licinio, qui ſæpius fortunam tentauit, ac poſtea infidus, tandem & naualibus & terreſtribus prælijs victus deditionem Nicomediæ fecit; vt Lætus [a], Eutropius [b], & alii tradunt: habetq; plura Euſebius [c] de Licinii animi obſtinatione, etiam poſt renouatum iterum fœdus. Porro hæc omnia huius anni exordio perfecta fuiſſe, Conſtantini reſcriptum [d] de indulgentia Veteranorum, cuius anno ſuperiore facta eſt mentio, planiſſime demonſtrat, dum huius anni Coſſ. quarto Idus Aprilis illud ſcribens, meminit de iiſdem à ſe dimiſſis apud Nicomediam poſtquam ea iam potitus eſſet. Quamobrem cum multa poſt primum certamen in Thracia anno ſuperiori quinto Nonas Iulii initium, facta reperiantur, quæ tam paucorum menſium ſpatio claudi poſſe nequaquam videantur, ex eis aliqua anno præterito facta iure putantur. Licinianum autem bellum non exceſſiſſe biennium, immo annum & menſes octo tantum perduraſſe, Cedrenus [e] affirmat.

e Cedr. in Annal.
II. LICINIVS VBIQVE VICTVS.
f Zoſ. lib. 2.

Quonam autem modo, eodem ferme tempore Licinius terra marique ingentibus prælijs victus ſit, & primo Byzantii deinde Nicomediæ obſeſſus, tandem ſe Conſtantino dedens, ab eo Theſſalonicam relegatus fuerit, fuſe narrat Zoſimus [f]; ſed quod addit, non multo poſt eidem Licinio Conſtantinum, violata iuriſiurandi religione, laqueo vitā ademiſſe; ab aliis auctoribus redarguitur, qui & plures numero & digniores fide, ſic Liciniū

tradunt

tradunt contra iuſiurandum ei præſtitum vt priuatam vitam agere ſineretur, necari iuſſum, quod res nouas, vt ſæpe fecerat, ſolicitans barbaros moliretur: quamuis Ioannes g presbyter Nicomedienſis, qui hoc ipſo tempore ibidem Nicomediæ agebat, tradat illum iiſdem Vlceribus, quibus Maximinus extinctus fuerat, vexatum ex hac vita miſere auulſum eſſe. Quoto vero Imperii conſtantini anno (vtcumque acciderit) idem Licinius mortem obierit; nullibi certa eſt mentio; niſi apud Euſebii Chronicon, in quo longe poſt hæc tempora occiſus ponitur anno decimo octauo Cõſtantini; à Victore h vero & Socrate, i haud multo poſtquam victus eſt, cum eſſet prope ſaxagenarius. Fuit (inquit idem Victor) auaritiæ cupidine omnium peſſimus, nec alienus à luxu venereo, aſper admodum, haud mediocriter impatiens. adeoq; infeſtus litteris, vt eas per inſcitiam immodicam virus ac peſtem publicam nominaret. Fuiſſe vero vita turpiſſimum, ac nullum ſtupri libidiniſq; genus omiſiſſe, abunde teſtantur iidem Euſebi9, k & Ioannes l Nicomedienſis. Eumdemq; Iulianus m Imperator tradit, ob multa ac turpia ſcelera, à deorum & bonorum Principum conſortio excluſum fuiſſe.

Ceterum tam in hoc bello quam in Maxentiano, prælianti Conſtantino oſtenſas eſſe viſiones, armati Equitis ſignum Crucis pro vexillo ante aciem ferentis, & Adoleſcentum phalangas hoſtium cædentium, Igniſq; noctu exercitum vallantis, Zonaras n ſcribit: quibus alias addit Nicephorus o de Scriptura ſtellarum ordine atq; diſtinctione cõformata, qua iuberetur ſpẽ in Deo ponere; rurſumq; de alia Cruce ſtellis pariter formata, ac ſimili ei quam in Maxẽtiana expeditione vidiſſet. Quæ licet à recẽtioribus auctoribus referantur; ſcimus tamen Euſebium in oratione habita de Conſtantini laudibus, conſtanter affirmare diuinas ei viſiones non ſemel, ſed ſæpenumero illuxiſſe.

Teſtatur quoq; idem auctor p, in hoc Liciniano bello Criſpi Cæſaris filij Conſtantini virtutem enituiſſe, quem ad debellandum tyrannum pater ſecum duxerat. Idemq; hucuſque ſuam producens hiſtoriam, eumdem Criſpum cum gloria voluit ſepeliiſſe, prædicans pietate patri non imparem; nec in aliis ſuis de Conſtantini vita ſcriptionibus quicquam amplius de eo, ne ipſius nece patris gloriã obſcuraret, cui tantum viſus eſt hiſce ſuis lucubrationibus ſtuduiſſe: in quib. (quod ad hæc tempora ſpectat) diffuſe narrat q, quomodo extincto Licinio, ſub vno Chriſtiano Imperatore Conſtantino omnes Romani Imperii populi coeuntes, tranquilliſſimo rerum ſtatu potiti ſint; quibuſq; legibus & edictis idem Imperator exulem Religionem Chriſtianam reſtituerit, & Orientalem Eccleſiã dira perſecutione proſtratam erexerit; Fideles exules & profugos reuocauerit; detentos in carcerib. aut metallis, aliiſque operibus ſeu publicis ſeu priuatis addictos relaxauerit; ſeruos factos in libertatem reduxerit; cunctis denique ſua bona & dignitates reſtituerit; ac defunctorum Martyrum heredibus & ſucceſſoribus, ceterorumque neceſſitatibus prouiderit.

Suntque plane illa tempora optatiſſima atque feliciſſima, tum Epiſcopi ſuis ſinguli Eccleſiis reſtituti, egregiam nauarunt operam vt idolorum cultum prorſus aboleret, & fidem Chriſtianam quam latiſſime propagarent. Sed & illos qui iis locis præfecti erant, vbi Chriſtianorum maior eſſet numerus, in delubra deorũ inieciſſe manus, & idola demolitos eſſe; vnius S. NICOLAI Myræ in Lycia Epiſcopi fama celeberrimi & miraculis clariſſimi exẽplo, de reliquis opinari conceditur: quem habent eius Acta, poſt edictum Conſtantini, & ipſum è vinculis quibus religionis cauſa detinebatur in carcere, ſuæ Eccleſiæ reſtitutum, omnem illam circuiſſe regionem, & aras quam plurimas nonnullaque templa proſtrauiſſe, ac dæmonia inde eieciſſe. Porro peregrinationem ipſius Hieroſolymam ad inuiſenda loca ſancta, ac poſtea mirificam eius, Dei iuſſu factam in Epiſcopatum Myrenſem electionem (quæ ante Licinianam Perſecutionem contigerunt) itemque admiranda vitæ cunabula, auctoſque cum ætate ſanctiſſimos mores, egregia edita miracula, ceteraſque res præclare geſtas; eadem eius Acta r cum à Græcis tum à Latinis ſcripta atque omnibus peruulgata continent: vt non ſit opus ſingula recenſere, ſed pro temporum ratione pauca duntaxat attingere, quæ ad Annales Eccleſiaſticos magis ſpectare noſcuntur.

VI.

De Pachomio Abbate.

Nec vero pace vbique reddita, tantummodo ciuitates excultæ Chriſtianis legibus redditæ ſunt pulchriores, ſed & deſerta loca Monachorum coloniis mirifice illuſtrata. Inter quos hoc eodem tempore, qui poſtea fame celeberrimus in Thebaide claruit *Pachomius* Abbas, cum militaſſet tyro in caſtris Licinij, eo deuicto dimiſſis Thebeis tyronibus Chriſtianæ militiæ nomen dedit & ſub Abbate inſignis nominis *Palemone* profiteri cœpit vitã anachoreticam: cuius extant s Acta clariſſima & omni ex parte ſinceriſſima in quibus, ſicut in Vita S. Antonii, præclara fit mentio quamplurimorum aliorum celebrium virorũ, eamdem hoc tempore eremũ illuſtrãtium, de quib. alias.

s *Ap. Metaphr. & Sur. 14. Maii.*

VII.

Arius turbat pacem eccleſiæ.

Cum autem iam ex victoria Conſtantini, editiſque ab eo pro pietate legibus, fulgentiſſimus illuxiſſet Orienti pacis radius; hoſtis humani generis, quod ſibi ex animo accidiſſe ſenſerat in Occidente, cum per eumdem Conſtãtinum collocata Eccleſia in ſumma gloria atque ſplendore, tam per Donatiſtas ſchiſmate labefactare conatus eſt; idem plane iniens in Oriente conſilium; igne impietatis Arianæ omnes propemodũ Eccleſias inflãmauit. Quippe exutus (vt dictum eſt) Arius ab Alexandro Epiſcopo Alexandrino munere presbyteratus, idemque vna cum ſociis in Concilio Alexandrino centum Epiſcoporum excommunicatus; cum nihilominus toto tempore Perſecutionis Licinianæ permanſiſſet Alexandriæ, tandẽ reddita Eccleſiæ pace, ab eodem Alexãdro inde eiectus, profectus eſt in Palæſtinam, & ab illius prouinciæ Epiſcopis impetrauit publicos vna cum ſuis conuentus agere; monitus tamen ſtudere pacem inire cum Alexandro, eique ſe ſubiicere. Hæc pluribus Sozomenus t.

t *Soz. li. 1. c. 14. in fine.*

VIII.

Euſebius et alii Arii fautores.

Sed his minime acquieſcens Arius homo ingenio vafer, & callidus in actionibus, potentiſſimo vſus adminiſtro Euſebio Epiſcopo Nicomedienſi (qui inſano ambitionis furore percitus, fuerat non ita pridem, fauore, vt creditur, Conſtantiæ vxoris Licinii, ab Eccleſia Berytẽſi translatus Nicomediam) quo maiori fretus eſt potentia; eo grauiores excitauit tumultus. Siquidem ad eum ſcribens u, poſt querelas de ſua Alexandria pulſione, blaſphemias ſuas in Dei filium euomens, quẽ principium habuiſſe, nec ex Patris ſubſtantia natum eſſe docebat, eumdem Euſebium ad ſui protectionem hortatur; gloriatus ſecum ſentire Euſebium Cæſarienſem Palæſtinæ, Theodotum Laodicenum, Paulinum Tyrium, Athanaſium Anazarbenſem, Gregorium Berytenſem, Aetium Lyddenſem & omnes denique Orientales Antiſtites, præter Philogonium Antiochenum, Macarium Hieroſolymitanum, & Hellanicum Tripolitanum; quos ideo impudentiſſimus hæreſiarcha appellare hæreticos nõ dubitauit, atq; etiam calumniis onerare quaſi Filium ingenitum prædicarent. Porro hanc epiſtolam cum accepiſſet Euſebius, impigre negotium curans, quem videbat Paulinum Tyrium, licet cum Ario ſentientem, haud tamen audere quod ſentiret ſcriptis prodere; eumdem litteris x exemplo Euſebii Cæſarienſis ad propugnationem impii dogmatis cohortatus eſt, ipſe quoq; impietatis ſuæ virus euomens. Id autẽ præſtitiſſe Paulinũ opinamur: ſicut feciſſe conſtat alios ſuperius nominatos Euſebium Cæſarienſem & Athanaſium Anazarbenſem, atque etiam Gregorium Laodicenum; id teſtante S. Athanaſio: y extantq; eiuſdem Euſebii Cæſarienſis ad Alexãdrum ea de re ſcriptarum fragmenta litterarum in Actis Concilii z Nicæni Secundi; ſicut & auctor eſt Socrates a, ipſum quoque Euſebium Nicomedienſem pariter ad Alexandrum pro Ario ſcripſiſſe. Quinimmo & ipſe Arius, ac qui cum eo erant clerici Alexandrini, alias b dederunt ad eumdẽ Alexandrum, quibus turpiter mẽtiti ſunt, ſe prædicare doctrinam quam à maioribus accepiſſent, & ab ipſomet Alexandro publice docente audiſſent.

u *Extat eius littera ap. Epiph. hær. 69 & Theodor. lib. 1. cap. 5.*

x *ap. Theod. ibid.*

y *Athan. de Synod. Arian.*
z *Conc. Nic. 2. Act. 6.*
a *Socr. li. 1. ca. 3.*
b *Ext. ap. Epiph. hær. 69.*

IX.

Alexandri epiſc. Alexand. labores pro fide tuenda.

Quod autem omnes eiuſmodi epiſtolæ ſic ad Alexandrum eſſent ſcriptæ, vt tamen earum exemplaria cũctis palam innoceſcerent; fuit ei pariter opus contrarias red-

c Epiph. ibid. d Socr. lib. 1. cap. 3. e Theod. li. 1. cap. 4.

ARII IMPIA DOGMATA.

dere literas Circulares, cuiuſmodi ab eo conſcriptas fuiſſe numero ſeptuaginta, Epiphanius [c] tradit; ſed ex iis binæ tantummodo ſuperſunt, quarum alteras recitat Socrates [d], Theodoretus [e] alteras longe prolixiores. Quibus quidem Alexander Arii dogmata manifeſtans, ſimul & egregie confutans, ait eum docuiſſe, Deum non ſemper Patrem fuiſſe, ſed tempus aliquando extitiſſe cum non eſſet Pater: non ab æterno Verbum Dei fuiſſe, ſed ex nihilo ortum eſſe: nam Deum qui eſt, eum cum nō erat, ex eo quod non eſt procreaſſe, & propterea tempus fuiſſe aliquando cum non eſſet. Creatum enim & factum eſſe Filium, neque eſſentia Patri ſimilem, neque natura verum Patris Verbum, neque veram eius Sapientiam eſſe, ſed per abuſionem Verbum & Sapientiam dici: ipſum factum eſſe proprio Dei Verbo & ſapientia quæ in Deo eſt, per quam cum cetera omnia tum illum fecit Deus: & ob eam cauſam poſſe natura ſua conuerti & mutari, ſicut animantia omnia ratione vtentia, immo & quemadmodum diabolus mutatus eſt: Verbum eſſe peregrinum, alienum & ſeiunctum à Sapiētia Dei: Patrem à Filio minime explicari poſſe, nec perfecte cognoſci in ſua eſſentia: quippe Filium noſtra cauſa factum eſſe, vt Deus per ipſum tamquam per inſtrumentum nos crearet; neq; extitiſſe aliquādo, niſi Deus nos creare in animum induxiſſet. Hæc de Arij blaſphemijs Alexander in epiſtola quæ eſt apud Socratem: cuius labores pro tuenda Filij Dei aduerſus Arianos diuinitate, egregie laudauit Athanaſius [f]. Ex ijs vero quæ ex eadem epiſtola recitata ſunt, plane conſtat Arium ſenſiſſe aliud eſſe Dei Verbum, aliud Dei Filium, quem vellet non eſſe Verbum, ſed qui eſſet factus per Verbum, ipſeq; nonniſi abuſiue eſſet Verbum: quod ipſum Arianis obiiciens Athanaſius, [g] æque demonſtrauit eos plura Verba conſtituiſſe. Quinetiam eoſdem aſſeruiſſe Chriſtum corpus ſine anima aſſumpſiſſe, & pro anima Deitatem habuiſſe, ita vt affectiones quoque ei aſſignarent, expreſſum habetur in Secunda Nicæna [h] Synodo auctoritate Georgii Nazianzeni.

f Atha. orat. 1. cont. Arian.

g Idem de decr. Nic. Syn. cōt. hær. Arian.

h Conc. Nic. 2. Act. 6.

X. ALIÆ ALEX. LITERÆ ADVERSVS ARIVM.

Ceterum cum poſt ſcriptam priorem illam epiſtolam, idem Alexander à quamplurimis diuerſarum Orientis prouinciarum Epiſcopis aduerſus Arium ſcripta ſuſcepiſſet, iidemque contra Arianos conſcripto ab Alexandro fidei libello ſubſcripſiſſent; optans ipſe hæc eadem præſtari à reliquis, tunc Circularem illam prolixiorem emiſit, quā Theodoretus recitat, cui & exemplaria litterarum ab iiſdem Orientalibus Epiſcopis aduerſus Arium ſcriptarum ſubiunxit: quæ quidem licet (præſefert titulus) ad Alexandrum Conſtantinopolitanum Epiſcopum data dicatur; ex eius tamen lectione apparet ad plures ſcriptam eſſe, vt pote Encyclicam.

XI.

i Ext. tom. 9. Bibl. S.

SILVESTRI PP. STVDIVM PRO COMPONENDIS REBVS ECCLES.

Cum vero de his omnibus Alexāder in primis ſcripſiſſet ad primariæ Sedis Antiſtitem Silueſtrum Romanum Pontificem (vt conſtat ex epiſtola [i] Liberii Papæ ad Conſtantium Imperatorem) intendens ille apud componendas eiuſmodi turbas animum, quod eius muneris præcipue eſſet obortas hæreſes damnare, & diſſentientes Epiſcopos conciliare, haberetque inſuper exemplum Dionyſii prædeceſſoris ſui, qui eiuſdem Alexandrinæ Eccleſiæ diſſenſiones obortas tempore alterius Dionyſii Alexandrini Epiſcopi ſumma diligentia ſedauerat; ipſe, inquam, Silueſter his monitus, Osivm Cordubenſem in Hiſpania clariſſimum confeſſione & eruditione Epiſcopum, Legatum in Orientem miſit, ſiue eidem iam apud Conſtantinum Imperatorem in Bithynia degenti (vt potius Euſebius [k] & Socrates [l] ſignificare videntur) id muneris delegauit, vt excitatum per Arium incendium extingueret. Id enim vt affirmemus factum eſſe per Silueſtrum, omnino cogit quod idem Oſius reperiatur in ea cauſa Concilium generale Alexandriæ celebraſſe, & poſtea Nicæno & Sardicenſi Oecumenicis præfuiſſe: quod non niſi auctoritate Sedis Apoſtolicæ vllatenus præſtare valuiſſet. Neque enim eſt quod dici poſſit miſſus à Conſtantino Legatus in Ægyptum; quandoquidem in literis tūc per eum ab eodē Imperatore ſcriptis, quas Euſebius [m] recitat, nulla prorſus de ipſo Oſio mentio habeatur, neque de aliquo alio miſſo à ſe legato; quod in primis neceſſe fuerat expreſſiſſe. Sed par eſt credere, eumdem à Silueſtro delegatum, ab ipſo quoque Cōſtantino litteras [n] accepiſſe in Ægyptum, quo facilius munus ſibi iniunctum exequeretur.

k Euſ. 2. de Vit. 32. l Socr. li. 1. ca. 4.

OSII LEGATIO A SILVESTRO PP.

m Euſ. 2. de Vit. 63.

n Socr. lib. 1. cap. 4.

XII. CONSTAN. STVDET ECCLESIÆ PACI.

Porro eiuſmodi Conſtantini literæ tunc ad Alexandrū & Arium (vt præſefert titulus) de mutua inter eos reconciliatione miſſæ, ita conſcriptæ ſunt, vt alterum de duobus eueniſſe oporteat; vel quod Euſebius Arianus homo parum fideliter eas retulerit, vel earumdem ſcribēdarum argumentum ipſi Conſtantino tunc Nicomediæ agenti ſuppeditatum fuerit ab altero Euſebio eiuſdem ciuitatis Epiſcopo, omnium Arianorum facile principe, à quo cōplura fuerint coagmentata mendacia, vt cum inprimis potior diſcordiarum culpa reiicitur in Alexādrum, & ipſa de qua ageretur controuerſia leuicula & inanis dicitur, & tam Alexander quam Arius vnam eādemq; de fide ſententiam tenere perhibentur. Quæ vero poſt hæc geſta ſunt, dicentur annis ſequentibus.

IESV CHRISTI AN. 319.

CONSTANTINI AN. 14.

SILVESTRI AN. 6.

I. SARMATÆ CONPRESSI A CONSTANTINO.

Anno Chriſti trecenteſimo decimonono, Conſtantino Auguſto quintum Lucinio Iuniore Cæſare Licinii Imperatoris filio Coſſ. idem Conſtantinus Sauromatas, ſiue Sarmatas, ad Mœotidem paludem habitantes, qui Iſtro traiecto Romanā ditionem aggreſſi fuerant, debellauit. Extat [a] n. antiquus nummus ſignificans id accidiſſe hoc ipſo quinto Conſulatu eiuſdē Imperatoris: quod Sozomenus [b] geſtum ponit mox poſt bellum Licinianum, Zoſimus [c] vero poſt debellatum in Thracia Licinium, & ſancitum cum eo fœdus. Meminit & Euſebius, ſed in fine Vitæ Conſtantini, dū barbaros ab eo domitos ſimul receſet. Ceterum non ſemel, ſed ſæpius Sarmatas à Conſtantino eſſe ſuperatos, habet Porphyrius in Panegyrico eidem Conſtantino oblato. Quod vero ait Euſebius, Sauromatas à Scythis inuaſos, coactos eſſe ſeruos ſuos amare, & ab iiſdem propriis ſeruis poſtea expulſos ad Conſtantinum ſe recipere: ea poſt hæc tempora geſta oportuit, quæ S. Hieronymus in Chronico refert anno vigeſimo octauo eiuſdem Imperatoris. Sauromatis autem Sozomenus Gothos adiungit, & ipſos à Conſtantino deuictos, quos Euſebius Scythas appellaſſe videtur. Sed quod hoc bellum alio tempore geſtum eſſe conſtet, agetur de eo inferius ſuo loco. Addit denique Sozomenus, Conſtantino in his bellis vel maxime per ſigna ac ſomnia declaratum eſſe, quam ſedulo Deus ſua prouidentia ei proſpexiſſet.

a ap. Adolf. ſed male ponitur ſub Conſtant. Iuniore

b Sozom. lib. 1. cap. 8. c Zoſ. lib. 2. d Euſeb. 4. de Vit. 5. & 6.

II. CONST. SCRIBIT CONTRA ARIVM.

e Epiphan. hær. 69.

Quod autem pertinet ad res Eccleſiaſticas; cū anno ſuperiori Conſtantinus ad Alexandrum & Arium, literas quas diximus de mutua ipſorum recōciliatione ſcripſiſſet, quid deinde Alexander ad Conſtātinum reſcripſerit haud conſtat, reſcripſiſſe tamen auctor eſt Epiphanius [e]. Cum vero Arius litteras parum officioſas, & tam ſublimi Imperatoria maieſtate minus dignas reddidiſſet; ijs acceptis Imperator, zelo incenſus publicas contra eum atque eius opinionis fautores dedit, tales plane quales decebat accipere inſanum hæreſiarcham, nempe inuectiuis & reprehenſionibus, ſalibus quoque ac iocis, denique monitionibus ad reſipiſcendum ab erroribus, refertas; quas & paſſim (vt ait Socrates [f]) diuulgandas curauit, & ex eis pauca quædam Epiphanius [g] recitat: Euſebius autem, parum liberalis hiſtorici numeros implens, earum nec meminit quidem, quod contra Arianos ſuos ſcriptæ eſſent; cum alioqui quæ aduerſus Alexandrum & Catholicos facere viderentur, integras retulerit. Extant nihilominus ipſæ hactenus integræ conſeruatæ [h]: ex quarum fine apparet, eaſdem Conſtantinum ſuo ipſius chirographo conſignatas miſiſſe ad Alexandrinos, ac publice recitari iuſſiſſe, quo illis teſtatum redderet animum ſuum in Arium.

f Socr. lib. 1. cap. 6. g Epiphan. ibid.

DOLVS EVSEBII CÆSAR.

h Rec. Bar. Annal. to. 3.

III. OSIVS CELEBRAT CONC. ALEXAND.

Interea vero Oſius Cordubenſis Epiſcopus, à Silueſtro Papa (vt vidimus) ad ſedandas Orientalis Eccleſiæ ri-

xas de-

xas delegatis, in Ægyptum cum literis Conſtantini profectus, Generale Alexandriæ CONCILIVM celebrauit: ſic namque illud Athanaſius [i] nominat, quod præſente Apoſtolicæ Sedis Legario omnes Epiſcopi illarum prouinciarum quæ parebant Antiſtiti Alexandrino, fuerint ad Synodum conuocati. Quæ vero in eo geſta fuerint, cum exciderint ipſius Acta, perpauca tantum quædam ſuperſunt: veluti quod Athanaſius ſcribit, Colluthum presbyterum Alexandrinum (de quo ſuperius facta eſt mentio) pro Epiſcopo ſe falſo gerentem, fuiſſe à Patribus in ordinem redactum: Itemque quod tradit Socrates [k], peruerſum dogma Sabellij, licet iam olim damnatum, quod tamen in illis regionibus plurimum inualuiſſe, teſſe prorſus exploſum: & quod ille trium perſonarum diſtinctionem non reciperet in Trinitate, ſed in vnam eas omnes eſſentiam indiſtincte confunderet, factū eſſe in eadem Synodo, vt in ſanctiſſima Trinitate ſicut vna prædicaretur οὐσία ita tres dicerentur ὑποστάσεις vnde poſtea maior oborta eſt controuerſia, de qua ſuis locis agendum pluribus.

Ex his igitur quæ reperiuntur aduerſus Colluthum & Sabellianos geſta, facile poſſumus intelligere cetera quæ ſunt de eodem Concilio obliuione ſepulta, de rebus geſtis aduerſus Arianos atque Meletianos, quorum cauſa potiſſimum Oſius miſſus videbatur. Sed & ſatis ſignificatum videtur, eumdem Oſium in his functum eſſe Legatione Apoſtolicæ Sedis: nam cum in Conſtantini litteris anno ſuperiori ſcriptis, nonniſi de componendis diſſidiis inter Alexandrum & Arium mentio habeatur: vt ipſe prętérea de ſchiſmaticorum & hæreticorum cauſis in primaria totius Orientis ſede cognoſceret, ab alio quam à Conſtantino id ei oportuit imperatum, porro non ab alio id poteſt dici vel fingi, quam ab ipſo Romano Pontifice, quem Alexandri litteris de his & aliis interpellatum fuiſſe vidimus. Quantum autem temporis in iis Oſius inſumpſerit, haud liquet; ſed quod negotia obiret difficillima, putamus ea fuiſſe in plures annos propagata: quem tamē non ſemper in Ægypto detentum eſſe conſtat; ſiquidem eadem legatione in componendis Aſianorum Syrorumque diſſidiis de die celebrationis Paſchatis, poſtea occupatum fuiſſe, Sozomenus [l] tradit.

Quin & eodem tempore celebrata reperitur ab eodē Oſio GANGRIS [m] ciuitate in Paphlagonia, SYNODVS aduerſus errores cuiuſdam EVSTATHII, qui adeo fauit monachiſmo, vt ſpreuerit reliquos Chriſtianorum ordines; & prætextu quodam ſanctitatis, Dei Eccleſiam (quæ inſtar ſagenæ omnium piſcium genera congregantis, cunctos amplectitur) peſſum dederit; ac ferme fuiſſet demolitus niſi cito ſecuris Apoſtolica infauſtos palmites per Oſium Legatum ſuccidiſſet. Cum vero quo potiſſimum anno dicta Synodus fuerit celebrata, minime appareat; tamē ex pręſentia eiuſdem Oſii certum redditur, ipſam his temporibus habitam eſſe, cum ipſe labantem Orientalium Eccleſiarum ſtatum reſtituere curaret. Vnde etiam accidiſſe putamus, vt quod idem Apoſtolicæ Sedis auctoritate eidem Concilio præſto fuerit, Symmachus Papa in Sexta Romana Synodo teſtatus ſit, canones Gangrenſes Apoſtolica auctoritate conditos eſſe.

Quiſnam autem fuerit *Euſtathius* prauorum eiuſmodi dogmatum architectus, haud certo conſtat. Licet enim hunc fuiſſe Euſtathium illum Epiſcopum Sebaſtæ in Minori Armenia, de quo ſæpe inferius ſub Conſtantio ac deinceps, Socratis [n], Sozomeni [o], & aliorum qui hos ſecuti ſunt hiſtoricorum aſſertione tradatur; nulla tamen id nobis ratione probatur. Quid enim quod nec S. Baſilius [p], cum duabus epiſtolis Valentis Imperatoris tempore ſcriptis, diligenti ſcopa cunctas eiuſdem Euſtathii Sebaſteni turpitudines in vnum congeſſit; nec tot Synodi, quibus idem Euſtathius (teſte eodem Baſilio, & aliis) reperitur fuiſſe damnatus à Catholicis; aliquam prorſus habuere mentionem eius damnationis in Concilio Gangrenſi, vel tot eius hæreſum quæ illic cum auctore anathemati ſuppoſitæ fuerunt; ſed tantum de perfidia Ariana eum damnarunt? Quid item quod fungente eodem Euſtathio Sebaſteno cum collegis legatione apud Liberium Romanum Pontificem (vt ſuo loco dicetur) cum profeſſio ab eo exacta eſt Catholicæ fidei, nulla alia ab ipſo edita eſt, præter illam qua ſe Arianam hæreſim deteſtari ſignificaret? Quid deniq; quod apud neminem antiquorum, qui hæreticorum catalogum ſcriptis fuerit proſecutus, idem Euſtathius Sebaſtenus errorum Gangris recenſitorum auctor eſſe dicatur; non apud Epiphanium, aut Philaſtrium, Auguſtinū, Theodoretum, vel Damaſcenum? Quapropter accidiſſe exiſtimamus, vt cum ipſo ſui ortu hæreſes illæ cum auctore compreſſæ ac penitus extinctæ, & ab omni memoria deletæ eſſent; nihilominus Socrates & Sozomenus, quod in Actis Gangrenſis Synodi inueniſſent illorum errorum in crimen adductum Euſtathium quemdam, nec alium ſcirent eius nominis ea ætate hæreticum, præter Sebaſtenum; qui hæreſis Arianæ cauſa reperiretur ſæpe damnatus; eidem omnia adſcripſerint.

VII.
q Soz. l. 1. c. 11.
EVSTATH. SEBAST. FALSO CREDITVS AVCTOR MONACH. ARMEN.

Sed malus opinator Sozomenus [q], errores ex errorē deducens, tradit eumdem Euſtathium Sebaſtenum auctorem extitiſſe vitæ monaſticæ in Armenia, Ponto, & Paphlagonia ibidemq; primum omnium regulas compoſuiſſe quibus monachi ſimul victuri inſtituendi eſſent. Quod quidem tantum abeſt vt dici poſſit, vt nec ſi ipſe monachus fuerit aliquo digno teſte probari poſſit. Siquidem S. Baſilius [r] eiuſdem viri vitam à cunabulis prope retexens, cum eius inſtitutionem Alexandriæ ſub Ario magiſtro recenſeat reditumq; in patriam referat, & quas paſſus eſt abdicationes ob Arianam hæreſim antequam Epiſcopus eſſet, vel cum factus Epiſcopus; nullam vmquam habuit mentionem de ſuſcepto ab eo monaſtico inſtituto; nec etiam cum ad ipſum Euſtathium [s] ſcribens, diuerſarum recenſuit prouinciarum quos nouerat monachos. Sed & quamuis talis extitiſſet, haud tamen vlla prorſus ratione probari poterit, fuiſſe in nominatis regionibus monachorum primum auctorem & inſtitutorem: cum ante Baſilium nullam in iis viguiſſe cœnobiticæ vitæ obſeruantiam, perfacile poſſit intelligi ex eo quod idem Baſilius de eiuſmodi inſtitutione accuſatus à Neocæſarienſibus [t] primarię Ponti ciuitatis accolis, ſe defendit exemplo monachorum Ægypti, Palæſtinæ, & Meſopotamiæ non autem propinquiorum prouinciarum Armeniæ, Ponti, & Paphlagoniæ; quod neceſſario debuiſſet, ſi iam tunc fuiſſent auctore Euſtathio propagati.

r Baſ. ep. 74. 82.
s Id. ep. 73.
t Id. ep. 63.

VIII.
EVTACTES HAERESIARCHA.
u Epiph. hær. 40.

Verum cum quinam fuerit ille Euſtathius Gangris dānatus, adhuc remaneat incertum; moueor interim coniectura, vt loco *Euſtathij* reponendus ſit *Eutactus*. Mentio nāque eſt de huius nominis monacho Armeno apud Epiphanium [u]; quem ait educatum fuiſſe in Palæſtina à quodam Petro profeſſione anachoreta, re vera autem impoſtore; reuerſum autem in patriam, multos polluiſſe ope quorumdam quos primo corrupit diuitum & Senatorij ordinis virorum; eiuſq; morientem reliquiſſe libros hæreſibus confertos. Vt autem hunc ipſum exiſtimemus eſſe quem Euſtathium dicunt, cum ſimilitudo nominis perſuadet, tum locus (nempe Armenia) vbi docuit; tum etiam quod de eius diſcipulis Epiphan. ſcribat, ſolitos decipere ſimpliciores homines habitu ſolitarie degentium, & renunciationem quamdam iactaſſe. Quæ quidem renunciatio ea videtur eſſe, qua in Epiſtola Synodi Gangrenſis ad Armenos ſcripta Patres aiunt, eumdem hæreſiarcham & diſcipulos docuiſſe, niſi Chriſtiani omnibus renunciarēt diuitijs, ſpē nullā apud Deū ſalutis ſuæ ſibi reliquā fore: ſed & illud, Non tantū filios relinquere debere parentes, & hos illos, verū vxores viros ſuos, vt ſalutē cōſequerentur: aduerſus quē errorē extant canones [x] eiuſdē Synodi. Et quod pertinet ad ſanctiorē illū habitum, quo eos Epiphanius amiciri cōſueuiſſe tradit; eo reſpexiſſe videtur Synodus [y], cū illos dānauit qui ſic circūſpecte veſtiti pallio, contemnerent alios qui breuiorib. vterentur indumentis, nempe birris. Quodq; præterea ſectarentur inſtituta Petri Palæſtini magiſtri Eutacti, quem idem Epiphanius refert quotidianas erogaſſe eleemoſynas; inde potuit accidiſſe, vt iidem oblationes ad erogandas in pauperes ſibi dari, etiam abſque ſcientia Epiſcopi, populo perſuaderent: aduerſus quos ſanciti ſunt in eadem Synodo canones [z].

EIVS PRAVA DOGMATA.
x Conc. Gangr. can. 14. 15. 16.
y Ibid. can. 12.
z can. 7 & 11.

Docebant inſuper eſſe damnabiles nuptias, virumque execrabilem, qui cum vxore dormiret, & culpabiles qui carnes ederent: reiiciendos quoque presbyteros, qui aliquando habuiſſent vxores: ac ſeruos debere dominos ſuos, & liberos parentes, vxores maritos, cultus diuini prætextu contemnere ac derelinquere; eaque occaſione feminas obtentu continentiæ poſſe mutare habitum, virilemque induere, & capillos amputare: Itemque propter continentiam ieiunandum eſſe die Dominico; reliqua vero ab Eccleſia Catholica ſeruari conſueta Ieiunia diſſoluenda: cõtemptibiles eſſe Eccleſias ad quas Fideles cõuenirent, necnon ſacros Conuentus qui in baſilicis Martyrum celebrari ſolerent; ipſaſque Sanctorum Memorias execrabiles eſſe. Quæ cuncta, aliaque eiuſmodi nonnulla, viginti diſtincta capitulis, appoſito ſingulis anathemate eadem Synodus damnauit: quæ ſunt etiam à Socrate [a], Sozomeno [b], Nicephoro [c] breuiter collecta. Cæterum quos reliquit Eutactus poſt ſe libros impietate refertos, eoſdem probe cognitos Epiphanius impugnauit; prætermiſſis erroribus ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantib. in Concilio Gangrenſi damnatis, quod ii poſt dictum Concilium eſſe deſierint, fuerintque cum ipſorum auctore ſimul extincti. Errat autem Gratianus [d], cum exiſtimat hæreticos Gangris damnatos fuiſſe Manichæos. Nam quod illi eleemoſynam facerent, plane conſtat fuiſſe à Manichæorum inſtituto alienos, licet in multis conuenerint.

EVTACTI ERRORES DAMNATI.
a Socr. lib. 2. cap. 33.
b Soz. lib. 2. cap. 13.
c Nic. lib. 9. ca. 16.
d c. illud autem diſt. 30.

X.
PAVLINVS EPISC. ANTIOCH.

Hoc eodem anno, ſecundum Nicephori Chronicon, Philogonius Antiochenus Epiſcopus, cum ſediſſet annos quinque, ex hac vita deceſſit; inque locum eius ſuffectus eſt *Paulinus* (qui alicubi Paulus dictus legitur) cuius etiam meminit Hieronymus in Chronico: ex quibus redarguitur Theodoretus [e], qui Euſtathium Philogonio ſubrogatum tradit, nulla penitus de Paulino habita mentione. Porro Philogonius ob vitæ ſanctimoniam relatus eſt inter Sanctos [f]: in cuius laudem ipſius natali die S. Chryſoſtomus [g] orationem habuiſſe reperitur.

e Theod. li. 1. cap. 7.
f Mart. & Menol. 20. Dec.
g Chryſ. to. 3. ed. ſ.

XI.

Hoc item anno iiſdemque Coſſ. Conſtantinus Imperator iterum aduerſus Aruſpices, qui priuatim in alienis domibus Aruſpicinam exercerent, reſcripſit [h]. Itemque pro Clericorum [i] ab omnibus muneribus immunitate; exceptis (vt poſtea [k] declarauit) illis qui vitandorum eiuſmodi munerum cauſa fraudulenter ad clericatum confugerent. Sed illud maius quod tradit Sozomenus [l], eumdẽ Imperatorem lege lata dediſſe poteſtatem omnibus, quicumq; in iudicium non ſolum pro Eccleſiaſticis controuerſiis, ſed etiam pro ſecularibus cauſis, & ciuilibus diſceptationibus ac litibus vocarentur, reiectis ciuilibus magiſtratibus ad Epiſcoporum iudicium prouocandi; ac ſtatuiſſe Epiſcoporum ſententiam ſic ratam eſſe, & aliorum quorumcumque Iudicum Præſidumque ſententiis præualere, ac ſi ab ipſo Imperatore prolata eſſet: denique iuſſiſſe vt magiſtratus Epiſcoporum iudicia exequerentur, & milites eorumdem voluntati inſeruirent. Meminit eiuſdem legis Euſebius [m], extatque [n] eadem ipſa hactenus integra. Sed de iudiciaria Epiſcoporum auctoritate, ab ipſo CHRISTO Domino inſtituta, & ab Apoſtolo ſtabilita, dictum eſt alias [o] abunde.

h l. 1. & 2. C. Th. de maleſ.
i l. 2. C. Th. de Epiſ. & cler.
k l. 3. eo.
l Soz. lib. 1. cap. 9.
CONSTAN. RESCRIBIT PRO CLERICIS.
m Euſ. 4. de vit. 27.
n l. 1. C. Theo. de Epiſ. audit.
o Sup. an. 57. n. 10. 11. 12.

IESV CHRISTI AN. 320.

CONSTANTINI AN. 15.

SILVESTRI AN. 7.

I.
QVINQVENNALIA CÆSARVM.

ANno Chriſti trecenteſimo vigeſimo, Conſtantino Auguſto ſextum & Conſtantino Cæſare ipſius filio Coſſ. celebrata ſunt Romæ Cæſarum Quinquennalia, cum ipſe Conſtantinus pater annum iam decimumquintum Imperii auſpicatus eſſet, & vota pro eius Vicennalib. fierent; vt expreſſe teſtatur Nazarius [a] celebris horum tẽporum orator in Panegyri quam tunc Romæ habuit, abſente licet Imperatore; qui anno ſuperiori profectus ab oriẽte, præſenti in Gallias peruenit, vt conſtat ex reſcripto [b] iiſdem Coſſ. Calendis Martii in ipſo eius in Gallias aduentum in vrbe V[illegible]ouocorum dato. Sed & ipſos Cæſares vna cum eo tunc egiſſe, idem orator demonſtrat. Attigitque inſuper victoriam, hoc eodem anno à Criſpo Cæſare Conſtantini primogenito aduerſus barbaros obtentam: quos quidem fuiſſe Alemannos, docent antiquorum inſcriptiones [c] nummorum.

a Nazar. panegyr. 3. Conſtant.
b l. 2. C. Th. de Veter.
c Adolph. de numiſm.

II.
CONST. RESCRIBIT PRO CÆLIB.

His item Coſſ. Idem Conſtantinus Imperator ſanctionem [d] ad Populum edidit, qua leges aduerſus cælibatum ſtatutas (quibus cælibes à ſucceſſione ſuorum repellebãtur, ingenſque inde theſaurus in Ærarium inferebatur) voluit abrogatas: ſiquidem illæ iure olim ſancitæ leges (vt conteſtatus eſt Auguſtus apud Tacitum [e] & Dionem) aduerſus turpem, fictum, & ſterilem cælibatum, iniuſte à Gentilibus conuerſæ eſſent contra verum, ſanctum, atq; fœcundum Chriſtianorum hominum cælibatum, diuinis oraculis [f] præcognitum atque laudatum Domini ſententia [g] comprobatum, & Apoſtolica [h] auctoritate firmiter ſtabilitum. Cæterũ hæc Conſtantini lex in Codice Theodoſiano data ponitur pridie Calendas Februarii Sardicæ; Publicata vero Romæ iiſdem Coſſ. Conſtantino Auguſto ſextum & Conſtantino Cæſare, quæ inde in Codicem poſtea Iuſtinianeum [i] deriuata aliis habetur notata Coſſ. nec integra recitatur. Agunt etiam de illa Euſebius [k] & Sozomenus [l]: hicque addit, maioribus etiam priuilegiis eos qui virginitati ſe conſecraſſent, à Conſtantino donatos eſſe; nimirum vt tam maſculi quam feminæ, etiamſi adhuc impuberes eſſent, teſtamẽta condere poſſent; cum & ob hanc cauſam veteres quoque Romani lege permiſiſſent, vt Virgines Veſtales etiam ad ſextum ætatis annum teſtamentum facerent. Certe eumdem Imperatorem coluiſſe plurimum ſanctas Dei Virgines, idem Euſebius aſſerit [m]; eaſdemque ex publico aluiſſe, Theodoretus [n] eſt auctor.

d l. 1. C. Theo. de infirm. pœn. cælib.
e Tac. lib. 3. Dio lib. 56.
f Iſa. 54. 56.
g Matt. 19.
h 1. Cor. 7.
i l. 1. C. de infir. pœn. cælib.
k Euſ. 4. de vit. 26.
l Soz. lib. 1. c. 19.
m Euſ. 4. de Vit. 28.
n Theodor. lib. 1. cap. 11.

III.
DE ABROGATIONE LEGIS PAPIÆ.

Porro cum plura eſſent legis Papiæ capita, eadem à diuerſis Imperatoribus paulatim amputata ſunt; primo à Tiberio [o], poſtea à Claudio [p], deinde à Seuero [q] hoc vero tempore à Conſtantino & poſt eum ab Honorio [r], deniq; à Iuſtiniano [s], qui nouiſſimus omnium ad excisam multis ramis ingentem arborem ſecurim admouit, Caduca cædens: licet eſſent alia quædam eiuſdem legis Papiæ capita ad iura patronorum ſpectantia, quæ adhuc poſtea viguere. Quod autem lex Papia eo conſilio contra cælibatum ſtatuta fuiſſet, quo Vrbs ob bella ciuilia ciuibus exhauſta, ſobolis fœcunditate in priſtinum ſtatum reduceretur; de his agens S. Ambroſius [t], maxime falli demonſtrat eos qui ex ſancto cælibatu Chriſtianorum, putarent exhauriri hominum prole Romanum Imperium; exemplis docens, vbi paucæ virgines, ibi etiam pauciores homines; vbi virginitatis ſtudia crebriora, ibi numerum quoque hominum reperiri maiorem. Præter alias vero, quæ reperiuntur ab eodem Imperatore Conſtantino iiſdem Coſſ. latæ de variis rebus æquiſſimę leges, ad coercendam quoque procacem facinoroſorum audaciam, aduerſus virginum ac viduarum raptores ſeueriſſime reſcripſit [u].

o Suet. in Claud. c. 3.
p Ibid. & ca. 19.
q Tertul. Apol. cap. 3.
r l. 2. C. de infir. pœn.
s l. 1. C. de cadu. toll.
t Ambr. de virg. lib. 3.
u l. 1. C. Th. de rapt. virg.

IESV CHRISTI AN. 321.

CONSTANTINI IMP. AN. 16.

SILVESTRI AN. 8.

I.
DONATISTÆ RELAXATI AB EXILIO.
a Aug. post Collat. lib. 3. c. 33. & in Breu. collat. d. 3. c. 22. & ep. 152.

ANno Chriſti trecenteſimo vigeſimo primo, Criſpo & Conſtantino Iuniore Cæſaribus ſecundum Coſſ. (vt auctor eſt S. Auguſtinus [a]) eorum pater Conſtantinus Imperator Donatiſtarum precibus fatigatus, quos ex illis ante annos quatuor in exilium condemnauerat, indulgens relaxauit; Deo relinquens puniendos, quos nulla vel pœna correxiſſet, vel clementia emolliiſſet.

II.
DONAT. CONSTITVVNT SIBI ROMÆ EPISCOPVM.

Quod autem iidem ſcirent, in vniuerſa Catholica Eccleſia in confeſſo haberi, nonniſi ex communicatione cum Romano Pontifice quempiam nanciſci poſſe Catholicum nomen; vt id mentite ſaltem aſſequerentur, eo malitiæ adacti ſunt, vt ſtatuerint aliquem ex ſuis Romam mittere qui ibi Epiſcopũ ageret; eo quidẽ prætextu, quod quidam Afri ſuæ communicationis homines in Vrbe cõmorantes, petiiſſent ſibi mitti qui eos colligeret; ſed re

vera vt ſic gloriari poſſent ſe Romæ habere Epiſcopum, ac proinde nomen Catholicum promereri. Itaq; his ipſis Silueſtri Papæ temporibus, eo miſerunt *Victorem* quendam Garbienſem, cui alij quinque vſque ad tempora Optati, qui hæc deſcribit [b], ſucceſſiue ſuffecti ſunt: iidemque (vt ait Auguſtinus [c]) vel ex Africa mittebantur ordinati, vel alij Epiſcopi Donatiſtæ ad eum ordinandum Romam pergebant; cum tamen (vt docet Optatus) nonniſi Afros vnquam ordinauerint, quod nullos alios ſibi adhęrentes haberent. Quapropter & nullo negotio iidem Patres [d] totam eorumdem machinationem vnica argumentatione diſſoluerunt, nempe quòd nullam haberent manantem à Petri Cathedra ſucceſſionem, ex qua Eccleſia Catholica veræ vnitatis ſoliditate compaginata omnibus innoteſceret; nec commercio Formatarum cum Romanis Epiſcopis in eadem Petri Cathedra ſedentib. in vna communionis ſocietate concordarent.

b Opt. lib. 2. c Aug. de vnit. c. 3. d Opt. lib. 2. Aug. ep. 164. 165. & alibi.

IIII. ALIA DONAT. NOMINA.

Porro quod qui Romæ agerent, excluſi ab ipſa ciuitate in quadam montium vicinorum ſpelunca conuenticula celebrarent; tradit idem Optatus, inde eos nomenclaturam accepiſſe, vt dicerentur *Montenſes*, quo etiam nomine à S. Hieronymo [e] & ab Imperatore [f] appellantur. Verum eiuſmodi nuncupationis antiquiorem in Africa cauſam deprehendimus in Feliciſſimo ſchiſmaticorum anteſignano tempore Cypriani, qui ſuos in monte colligeret, vt alias [g] dictum eſt. Et quod pariter oſtenderimus, ex eadem factione manaſſe Nouatum, inde putamus accidiſſe quod S. Epiphanius [h] ait, Nouatianos Romæ vocatos eſſe Montenſes. Ceterum ipſos Donatiſtas Romæ agentes S. Auguſtinus [i] non tantum Montenſes, ſed iam *Rupitanos* à rupe nominat: qui & apud eumdem mendoſe reperiuntur dicti *Cuzupitæ* pro *Corrupitæ*. Denique S. Hieronymus [k] *Campitas* appellat, quod in campis ſuos colligerent.

e Hier. ep. 113. f l. 43. C. Th. de hæret. g Sup. an. 254. h Epiph. hær. 59. in fi. i Aug. de vnit. Eccl. c. 3. k Hier. adu. Lucif. fin.

IV. DONATISTÆ HÆRETICI.

Conſtat inſuper perditiſſimos homines primo ex Traditoribus ſchiſmaticos factos, poſtea in deterius prolabẽtes hæreticos euaſiſſe, & cum Nouatianis rebaptizaſſe Catholicos qui ad eos tranſirent; ſicut Optatus [l] & Auguſtinus [m] aſſerunt: quam quidem rebaptizationem, nõniſi à temporibus Macarianis ſub Conſtante Imperatore filio Conſtantini ab iiſdem Donatiſtis inductam fuiſſe, ſignificat apud eumdem Auguſtinum [n] Ticonius Donatiſta. Fuit & illa peculiaris eorumdem [o] hæreſis, Eccleſiam ibi eſſe non poſſe vbi peccatum eſt; ideoque propter crimina (quæ ipſimet falſo commenti erant) Cæciliani Carthaginenſis Epiſcopi, Eccleſiam Chriſti de toto terrarum Orbe periiſſe, quaſi contagione communionis eius extinctam, atque in Africa apud ipſos ſolos permanſiſſe. Sed & ipſorum coryphæum Donatum, qui his temporibus extitit poſt Maiorinum, pſeudoepiſcopus Carthaginenſis, ſcribit idem Auguſtinus [p], haud recte ſenſiſſe de ſanctiſſima Trinitate; ſed quamuis eiuſdem ſubſtantiæ, minorem tamen patre Filium, & minorem Filio putaſſe Spiritum Sanctum. Quod nec ignorauit S. Hieronymus [q], dum eius ſcripta relegens ait edidiſſe de Spiritu Sancto librum Ariano dogmati congruentem. Sed (vt Auguſtinus addit) in hunc eius errorem, Donatiſtarum multitudo intenta non fuit.

l lib. 2. m Aug. hær. n ep. 48. o contr. ... Aug. cont. ... lib. 1 & de ... 69. p ... 69.

Eo porro arrogantiæ idem ille perueniſſe traditur [r], vt ab aliis Epiſcopis exegerit non minori timore ipſum venerari quam Deum: & cum per ſolum Deum ſoleant homines iurare, paſſus fuerit homines per ſe ſic iurare tanquam per Deum. Quin & ſuos iactare ſolitos, ei oranti reſpondiſſe Deum de cœlo, Auguſtinus [s] teſtatur. Atq; inſuper Præfectos, immo ipſos imperatores conuiciis & cõtumeliis laceſſiuiſſe, Optatus [t] eſt auctor. De Donatiſtarum vero ab eo denominatione, iam dictum eſt ſuperius in origine ſchiſmatis. Sub eodem autem Donato, ipſoque docente, puto, & hortante, oborti ſunt in Africa *Circelliones* ſiue CIRCVMCELLIONES, ſic dicti (inquit Auguſtinus [u]) quod circum cellas vagarentur, quos tamen à Donato *Agoniſticos*, & eorum Præfectos, *Duces ſanctorum* nominatos eſſe, Optatus ſcribit. Erant hi ſectæ defenſores, qui auderent Præfectis quoque reſiſtere, quique per nundinas, villas, vicoſque circumuagantes, iactabant ſeſe publicæ iuſtitiæ vindices; eoque prætextu & ſeruos vocabant ad pileum, & oppreſſos ære alieno à creditoribus liberabant: quorum immania ſcelera aduerſus Catholicos perpetrata, inſanumque furorem martyrii adipiſcendi, & impietatorum aduerſus eos edicta ſæpe commemorat Auguſtinus, ageturque de iiſdem inferius ſuis locis.

VI. DE FERIATIONE DIEI DOMINICÆ. x l. 1. C. Th. de fer. y Euſeb. 4. de vit. 19.

Hoc eodem anno iiſdemque Coſſ. Conſtantinus Imperator de feriando die Dominico, & in eo precib. diuinis vacando, ſanctionem edidit [x]. Quod autem eum non Eccleſiaſtico more *Dominicum* appellat, ſed more Gentilium, *Solis*, inde colligi poteſt, non Chriſtianis ſolum, ſed Gentilibus eamdem legem ab ipſo præſcriptam. Teſtatur enim Euſebius [y], eiuſdem feriationem diei fuiſſe quoque Gentilibus militibus imperatam, datamque eis precationum formulam, qua omnes eo die in patentibus ſuburbiorum campis in vnum conuenientes vti deberent; nẽpe, *Te ſolum Deum agnoſcimus, te Regem profitemur, te adiutorem inuocamus: per te victorias conſecuti ſumus, per te hoſtes ſuperauimus: abs te & præſentem felicitatem conſecutos fatemur, & futuram adepturos ſperamus: tui omnes ſupplices ſumus. Abs te petimus vt Conſtantinum Imp. noſtrum, vna cum piis eius liberis quam diutiſſime nobis ſaluum & victorem conſerues.* Præter hęc etiam conſtituiſſe, vt cuncti Romano Imperio ſubditi in honore haberent diem qui Sabbatum præcedit, idem auctor affirmat: quod quidem de die Veneris, quam ſextam feriam dicimus, quoniam eo Chriſtus crucifixus eſt, intelligendum, Sozomenus [z] docet, dum hæc cuncta paucis perſtrinxit. Ceterum de horum dierum ſolemnitatibus, & cultu in Eccleſia antiquiſſimo, iam dictum eſt aliis locis.

FORMVLA PRECVM MILITVM. z Soz. lib. 1. ca. 8.

VII. MALEFICI COHIBITI. a l. 4. C. de malef. b l. 4. C. Th. de Epiſc. & cler. ECCLESIÆ BONA AVCTA.

Iiſdem etiam Coſſ. idem Imperator reſcripſit [a] aduerſus maleficos & incantatores, immiſſoreſque tempeſtatum, & qui per inuocationem dæmonum mentes hominum turbarent. Itemque alia [b] lege facultatem quibuſcumque dedit, quæ vellent de bonis ſuis vltima voluntate eccleſiis relinquere. Quo quidem adeo auctæ ſunt illarum diuitiæ, vt poſteriores Imperatores veriti ob eam cauſam Reipublicæ detrimentum & paupertatem, conati ſunt iterum ab eiuſmodi profuſis largitionibus cohibere Fideles; de quo dicetur ſuo loco.

VIII. INIVSTA CONST. LICENTIA PRO ARVSPICINA. c l. 1. C. Th. de Pagan. d Zoſ. lib. 2.

At in fine huius anni minus plane dignum, atque adeo abhorrens à Chriſtiano Imperatore reſcriptum [c], idem Conſtantinus Sardicæ exiſtens dedit ad Maximum Præfectum Vrbis, quo Aruſpices ob præcedentia quædam prodigia conſuli iuſſit; idemque ab omnibus aliis publicè fieri permiſit. Ex quo puto perſuaſum Zoſimum [d] aſſerere, Conſtantinum vſque ad hæc tempora, licet inuitum, Gentilitiam ſuperſtitionem eſſe ſectatum, vt Senatui morem gereret. Quæ quam falſa ſint, ſatis ſuperque demonſtrant quæ ſuperioribus annis ex probatiſſimis auctoribus aliiſque monumentis de eo relata ſunt. Illud tamen non abnuerim, Conſtantinum cum Senatu Populoque Romano atque prouincialibus Gentilibus, magna adhibita circumſpectione egiſſe; & ſic Chriſtum coluiſſe, vt deorum cultores non fuerit auerſatus. Sed vnde huius reſcripti promulgandi occaſio? Nempe cum ante proxime elapſum annum idem Imperator (vt vidimus) iterum aduerſus Aruſpices reſcripſiſſet, qui priuatè in alienis domibus Aruſpicinam exercerent; ea de re ſuſpicio non leuis videbatur Gentilibus Romanis illata, eumdem paulatim ritus patrios antiquare in conſilio habuiſſe. Quapropter ne infenſos iam ſibi Chriſtianæ religionis cauſa illorum animos, eiuſmodi ſuſpicione acerbius irritaret: ideo putamus eum de conſulendis Aruſpicibus reſcripſiſſe. Quinimo cũ eodem reſcripto declarauerit, ſe idipſum peragendi licentiam omnibus tribuere, dummodo à priuatis ſacris & domeſticis ſacrificiis abſtinerent; plane ſignificauit, aliquo alio reſcripto Aruſpicinã quoq; publicã fuiſſe vetitã: quod illorum animos mirũ in modum exacerbaſſe, & ad res nouas moliendas concitaſſe, videri poterat, cum maximæ omnium æſtimationis & auctoritatis Aruſpicinam Romæ extitiſſe, ſatis declarat lex duodecim tabularum de Auguriis, quam Cicero [e] recitat & explicat.

e Cic. lib. 2. de legib.

Sed

IX. CONSTANT. IN DETERIVS PROLAPSVS.

Sed hæc quidem, cum in homine qui Chriſti militiæ nomen dediſſet, minime recta vel pia probetur; quæ poſt peccatum vltio diuina ſecuta eſt, cũ grauiſſime deliquiſſe perſpicue declarauit: ſiquidem cui hactenus omnia ex ſententia eueniſſent, ita vt nullum vmquam felicius fuerit cuiuſquam Imperium; idem ipſe, quod perinde ac ſi non eſſet Deus in Iſrael (vt eſt in diuinis [f] Scripturis) miſerit conſulendum Beelzebub deum Accaron; ac velut alter Saul [g], cum abſtuliſſet magos & ariolos de terra, poſt modicum temporis pythoniſſam conſuluerit; Dei indignationem adeo acerbam promeruit, vt oborto ex inſperato bello domeſtico non ſolum ſuorum cariſſimorum ſanguine manus polluerit, ſed & ipſe vna cum Imperio periclitatus fuerit, niſi cito Chriſtianæ religionis remedio facinus expiaſſet. Quæ quomodo acciderint, dicetur paulo poſt ſuo loco.

f 4. Reg. 1.
g 1. Reg. 28.

IESV CHRISTI AN. 322.323.

CONSTANTINI AN. 17.18.

SILVESTRI AN. 9.10.

I.

ANno Chriſti trecenteſimo vigeſimo ſecundo, Petronio Probiano & Aniciano Iuliano Coſſ. Conſtãtinus Imperator lege [a] lata reis indulgẽtiam impartitus eſt *propter Criſpi & Helenæ partum*. Porro hæc verba cum trifariam accipi poſſint; vel vt Criſpus & Helena filii Conſtantini gemelli fuerint, eademq; die vno partu editi; vel vt eodem recurrente die, licet diuerſis annis & matribus, nati fuerint; atque vtroque eo modo vnus idemque amborum dies natalitius celebraretur: vel denique vt ex Criſpo & Helena pepererit filium: media nobis ſententia magis arridet; quod Helenam Conſtantini filiam, quę poſtea Iuliano Apoſtatæ nupſit, non ex Mineruina Criſpi matre, ſed ex Fauſta Auguſta natam eſſe omnes tradant; Criſpum autem vxorem aliquando habuiſſe, omnes antiquos latuerit.

a l. 1. C. Th. de ind. crim.

II.

Porro tum huius, tum ſequentis anni res geſtæ, quę eis certo aſſignari poſſint, ſatis obſcuræ relictæ ſunt. Niſi quod ſequenti, nempe

III. CHRISTIANI DENVO VEXATI, DENVO TVTI REDDVNTVR.

Anno Chriſti trecenteſimo vigeſimo tertio, Seuero atque Ruffino Coſſ. idem Conſtantinus Imperator, cum quoſdam compeririſſet Eccleſiaſticos alioſque Catholicos homines à Gentilibus ad luſtrorum ſacrificia celebranda compelli, eiuſmodi conatus edita ſanctione [b] repreſſit. Nempe exiſtimamus, cum ante elapſum annum ipſe ob quædam prodigia publico reſcripto conſulens Augures, viſus eſſet à Chriſtiana religione deſciuiſſe, Gentiles elatos inſolẽter in Chriſtianos agere cœpiſſe, ac inuitos pertrahere ſtuduiſſe ad eiuſmodi ſacrificia luſtri, quæ cum Vrbs ob præcedens aliquod prodigium ex reſponſis Augurum luſtranda eſſet, aut exercitus, peragi conſueuerant. Ceterum cum ex his appareat, aliqua vexatione à Gentilibus exagitatos eſſe Chriſtianos; quis iuſte mirari poſſit, his temporibus Silueſtri Papæ latebras ad montem Soractem Vrbi proximum contigiſſe? Æſtimata fuit ab aliquibus breuis hæc perſecutio eſſe per Conſtantinum illata, cuius de captandis auguriis & Aruſpicibus conſulendis edictum fuerat promulgatum: verum edita hoc anno ſanctione à quorum partibus ſtaret voluit omnibus innoteſcere. Nec tamen ideo dici poſſunt ceſſaſſe latebræ Silueſtri; tum quod Imperatore procul exiſtente ab Vrbe (ſiquidem reſcriptum illud de Auguribus conſulendis, datum fuerat Sardicæ in Thracia; iſtud autem pro Chriſtianis, Sirmii in Pannonia) haud tutum illi viſum eſt, ſe furori Gentilium ante Imperatoris in Vrbem aduentum exponere: tum maxime quod mox ſubſecuta ſint infeliciſſima illa tempora, quibus ab ipſo etiam Imperatore ſuorum ſanguine cruentato iuſta erat metuendi cauſa.

b l. 5. C. Th. de Epiſc.

SILVESTRI PAPÆ LATEBRÆ.

IESV CHRISTI AN. 324.

CONSTANTINI AN. 19.

SILVESTRI AN. 11.

I. CRISPI ET LICINII CAES. NECES.

ANno Chriſti trecenteſimo vigeſimo quarto, Criſpo & Conſtantino Iuniore Cæſaribus tertium Coſſ. idem Criſpus & Licinius Iunior (vt eſt apud Euſebium in fine Chronici) à Conſtantino Auguſto, Criſpi patre, Licinii patruo, crudeliſſime interficiuntur anno Imperii eorumdem nono, ex quo nimirum creati ſunt Cæſares. Quæ autem tanta præceſſerit cauſa, vt humanitas piiſſimi Principis in immanitatem plane tyrannicã ſit ex improuiſo conuerſa, Oroſius [a] antiquus hiſtoricus latere ſignificat. Certe de Licinio nullam aliquis prodidit: ſed ſi verum eſt, quod itidem habetur apud Euſebii Chronicon, Licinium patrem vitam priuatam agentem, anno præterito, nempe decimo octauo Imperii Conſtantini, ab eodem iuſſum eſſe necari, quod aduerſus ipſum aliquid diceretur machinatus eſſe cum barbaris; eiuſdem criminis complicem fuiſſe, vel ſaltem ſuſpectum habitum Licinium Iuniorem, par eſt exiſtimare. Vnde & illud accidit, vt quod hactenus Licinii Senioris nomen atque decreta, amore ſororis Conſtantiæ & Licinii Iunioris eiuſdem filii fuiſſent conſeruata, hoc ipſo anno cuncta iuſſerit [b] aboleri; licet poſtea ſanioris mentis effectus ſic temperauerit [c] edictum, vt ſi quæ ab eo legitime ſtatuta fuiſſent, euertenda non eſſent. At de Licinio hactenus.

a Oroſ. lib. 7. cap. 28. in fi.
b l. 1. C. Th. de infr. quæ ſub tyran. c l. 2. & 3. eo.

II. CRISPI NECIS ASSERTORES.

Quod autem pertinet ad Criſpi necem; in primis valde miramur Euagrium [d], dum in Zoſimum inuectus quod odij concitatus affectu multa calumnioſe in Conſtantinum coaceruarit, etiam negat eumdem Criſpum & Fauſtam Conſtantini vxorem ab eodem Imperatore interfectos eſſe; hoc vno vſus argumento, quod Euſebius qui eodem vixit tempore, ea tacuerit. Excuſatione fortaſſe dignus, ſi hæc tantum apud Zoſimum [e] legerentur. Sed cur Euſebii, cuius ſilentium teſtem adhibuit, Chronicon non inſpexit, vbi diſertis verbis illud ipſum aſſeritur? Sed & ſi conſuluiſſet Latinos auctores, reperiſſet inter hiſtoricos Gentiles; Aurelium [f] Victorem & Eutropium [g] de propinquorum nece à Conſtantino perpetrata æquiſſimos adſtipulatores; inter Chriſtianos vero, Paulum Oroſium [h] eadem de Criſpi nece aſſerentem; itemque Sidonium [i] Apollinarem auctorem grauiſſimum, qui & illorum temporum, & præcipui apud Conſtantinum viri, Ablauii Conſulis teſtificationem adducens, aſſerit Conſtantinum extinxiſſe coniugem Fauſtam calore balnei, filium Criſpum frigore veneni. Reperiſſet & inter ipſos Græcos hiſtoricos Chriſtianos, Sozomenum (cuius opera ſe legiſſe teſtatur [k]) eamdem hiſtoriam de nece Criſpi per Cõſtantinum illata recẽſentem, nec improbantẽ, licet negauerit quod Gentiles ſcriptores dicerent, ex nece Criſpi eueniſſe Conſtantini ad Chriſtum conuerſionem, quam pluribus argumentis demonſtrat longe ante Criſpi obitum contigiſſe, ipſumque Criſpum plures vixiſſe annos poſtquam pater Chriſto nomen dediſſet. Extant & Artemii Præfecti Auguſtalis, inſigniſque ſub Iuliano Apoſtata martyris, qui ſub ipſo Conſtantino militauerat, Acta [l] quæ Metaphraſtes ex antiquis monumentis collegit, in quibus idem de Fauſtæ & Criſpi nece aſſeritur. Denique ſi de recentioribus hiſtoricis agamus, adiungendi eſſent Gregorius [m] Turonenſis, Suidas [n], Zonaras [o], Nicephorus [p] (qui ad verbum hiſtoriam illã ex Sozomeno deſcripſit) & alii tam Latini quam Græci exquiſitæ ſolertiæ viri.

d Euagr. l. 3. cap. 40. 41.
e Zoſ. lib. 2.
f Vict. in vit. Conſtant.
g Eutrop. lib. 10.
h Oroſ. lib. 7. cap. 28.
i Sid. ep. 5. ep. 8.
k Euagr. l. 1. c. 1.
l ap. Metap. & Sur. 20. Octobr.
m Gre. Tur. 1. hiſt. Fr. 36.
n Suid. ver. κρίσπος.
o Zon. Annal. par. 3.
p Nic. lib. 7. cap. 35.

III. EVSEBII MALA FIDES ET INVIDIA.

Ex his igitur omnibus non ſolum Euagrii redarguas inſcitiam, ſed & ipſius Euſebii fidem, qui partum liberalis hiſtorici numeros explens hæc prætermiſit in vita Conſtantini, quam in gratiam Conſtantii eius filii encomiaſtice potius quã hiſtorice conſcripſit. Sed quod deterius eſt, hac etiam ex parte inofficioſi quoque, vel potius inuidi ſilentii damnandus eſt: quippe cum multa ſuppeterẽt argumenta Conſtantini laudandi de rebus in Vrbe atq; toto Occidente præclare geſtis, ea propemodum omnia ſic ſilentio obuoluta reliquerit, vt poſt narratam victoriam

de Maxentio tyranno; perinde ac ſi numquam amplius idem Conſtantinus Romæ fuiſſet vel alijs locis Orbis Occidentalis, nuſquam illorum meminerit. Nam qui ſemel expertus eſt ſibi inhærenti Ario aduerſariam Romanam Eccleſiam, adeo auerſatus eſt illam, vt ea ex parte delegerit potius à Conſtantini laudibus abſtinere, quam vlla ex cauſa bene de illa velle mereri.

Sed quod rurſum ad Criſpi necem ſpectat; cum eam à Fauſta nouerca procuratam omnes affirment, Zoſimus certam afferens cauſam, ait contigiſſe ob ſuſpicionem conſuetudinis cum eadem Fauſta; quod vero Conſtantini mater Helena intolerabilem inde dolorem perciperet, vt eam cõſolaretur Conſtantinus, Fauſtam ipſam Balneo ſupra modum calefacto incluſam extinxiſſe. Hæcque Romæ contigiſſe tradit, licet Ammianus [q] Polæ in Iſtria Criſpum eſſe necatum affirmet. Ceterum prædictus Artemius cum Chriſtianitatis reus cauſam ageret coram Iuliano deroganti illi Conſtantino, ac præſertim necem propinquorum obiicienti, pro Conſtantino reſpondit [r], cum vxorem Fauſtam iuſtiſſime interfeciſſe, quod exemplo priſcæ Phædræ Criſpum calumniata de eius in ſe conatu, necem ei cauſata eſſet. Id ipſum affirmat S. Hieronymus in Lactantio ipſius Criſpi magiſtro, necnon Zonaras, & alij recentiores eorumdem interitum referentes. At Gregorius Turonenſis necatos ait, quod regni proditores extitiſſent; ſed non recipitur: fortaſſe tamen ipſa Fauſta, vt tantum regnarent filij à ſe geniti, hoc vna cum alijs in Criſpum priuignum obiecit, quod ſi verum probaretur, poſſet etiam eadem necis Licinij Iunioris cauſa prætexi, quem Fauſta videret à Criſpo atque ipſo etiam Conſtantino diligi. Certe quidem Eutropius affirmat, innumeros quoq; amicos tunc eſſe interfectos à Conſtantino: quod plerumque accidit cum agitur quæſtio perduellionis, cuius ſolent Principes etiam in inſontes acerrimi eſſe vindices.

Quod denique ad Criſpum attinet; conſtat ab omnibus eſſe laudatum, quem & præclaris victorijs auctum vidimus, & ſpectata caſtitate ceteriſque moribus inſignem, longe maiorem in rebus gerendis futurum, ſi viuere licuiſſet. Vt non mireris, ſi eumdem Iulianus [s] Auguſtus virum frugi & bonum prædicet, ac Helena auia (vt tradũt) inconſolabiliter fleuerit: cum præſertim Chriſtiana fuiſſe religione imbutum, multa ſuppetant argumenta; atque inter alia auctoritas antiqui numiſmatis [t], in cuius altera parte inſculpta eſt effigies & nomen eiuſdem Criſpi Cæſaris, in altera Chriſti Domini, læua manu Crucem tenentis, dextra vero benedictionem impertientis. Sed & fuiſſe baptizatum, Nicephorus [u] affirmat; licet perperam cum patre baptizatum dicat, quem ante patris baptiſmum necatum eſſe certum eſt.

Siquidem poſt iam immania ſcelera reſipiſcens Conſtantinus, cum (vt narrat Zoſimus) eorum luſtrationem à Flaminibus popoſciſſet, illiſque reſpondentibus non eſſe traditum luſtrationis modum qui tam fœda piacula elueret; perſuadente quodam Hiſpano ex Ægypto Romam delato, doctrinam Chriſtianorum habere vim abolendi quodcumque peccatum; eam orationem haud grauate Conſtantinus accipiens, patriis miſſis factis, percepit ea quæ Hiſpanus obtulit, eiuſque rei principium dedit vt diuinationem ſuſpectam haberet atque aboleret. Hæc Zoſimus: non obſcure ſignificans Conſtantinum diuinationem Augurum primitus deteſtatum, cuius impulſu à Deo antea deſciuiſſet, & in tam enormia peccata prolapſus eſſet: cum & Chriſtiana lex imperet, ſacro baptiſmate initiandum, ante omnia ſatanæ & operibus eius renunciare debere. Ac proinde quod ait, Conſtantinum iis criminibus lege Chriſtiana expiatum, haud aliud ſignificare potuit, quam ipſum illis ſordibus ſuſcepto BAPTISMO eſſe dilutum: cum omnes ſciant accedenti impio ad Eccleſiam nullis alijs ritibus remiſſionem peccatorum ſolere conferri. Nec mirari quis debet, ſi non adeo dilucide ſcriptor Ethnicus myſteria noſtra ſit proſecutus, cum id ipſum ſit obſeruare in ceteris omnib. Gentilibus qui rerum Chriſtianorum meminerunt.

VII.

At non Zoſimus tantum hæc teſtata reliquit de expiatione à Gentilibus Conſtantino denegata, & à Chriſtianis impertita; ſed & alii quoque Gentiles hiſtorici, quorum meminit Sozomenus [x], licet ipſe ea in re fidem eis adhibere detrectauerit, quippe quod non putauerit fieri potuiſſe vt Conſtantinus, qui iam ab ipſa expeditione Maxentiana factus eſſet Chriſtianus, peteret hoc tempore à Gentilibus ſcelerum ſuorum expiationem. Sed certe haud erroris excuſabitur, quod exiſtimauerit eodem tempore quo Conſtantinus in Chriſtum cœpit credere, fuiſſe quoque baptizatum. Hoc enim non accidit niſi poſt admiſſa illa ſcelera, cum antea inter catechumenos tantum militaret, immo & in aliquibus interdum Gentilibus conniueret: vt non ſit mirandum, ſi quem vidimus adhuc Augures conſulere, idem à Flaminibus quoque expiationem petiiſſe aſſeratur. Quod vero idem Sozomenus, ad confutandam eamdem Gentilium teſtificationem; proferat exemplum Herculis ſacris Cereris expiati, vt probet etiam apud Gentiles eſſe expiationem ab vxoricidio & filicidio; id quidem exempli à propoſito longe abeſt; ſiquidem Hercules in furorem conuerſus, neſciens vxorem occidit & filios, ob idque nullius criminis reus nulla indigebat expiatione. At Conſtantinus nulla tactus amentia, ſed ſciens & volens facinus perpetrauit. Et quamuis non inficias ierimus, fuiſſe penes Gentiles eorum ritibus pro iuſtis cædibus inſtitutas purgationes, nempe aquæ [y] fluminis, vel luſtralis; aut [z] aquæ, ſulphuris, & ignis; vel ſuffitus [a] lauri, aliaſve eiuſmodi: pro parricidio tamen nullam prorſus fuiſſe, ſatis liquet exemplo Neronis [b]; qui nunquam à cæde matris purgari valuit.

[x] Soz. lib. 1. c. 5.
SOZOMENI ERROR DE BAPT. CONSTANT.
[y] Virg. Æn. 2. 4.
[z] Ouid.
[a] Tibul. lib. 2. eleg. 1.
[b] Suet. in Ner. cap. 34.

VIII.
OSIVS AVCTOR BAPTISMI CONSTANT.

Ceterum quod Zoſimus ait, Conſtantinum ab Hiſpano ex Ægypto Romam delato perſuaſum eſſe Chriſtianorum vti expiatione, ſiue (vt ex eodem Zoſimo apud Euagrium legitur) ab Ægyptio ex Hiſpania: his verbis magnum illum OSIVM Cordubenſem in Hiſpania Epiſcopum, ipſi Conſtantino chariſſimum, intelligi nulla eſt dubitatio: ſiue nomen Ægyptium accipiamus pro mago (vt tum in diuinis [c] litteris, tum apud Ioſephum [d], Porphyrium [e], & alios; ac moris fuiſſe Gentilibus, Chriſtianorum ſacerdotes appellare magos, ſatis alias oſtenſum eſt) ſiue potius intelligamus, eumdem Oſium nuper ex Ægypto Romam aduentantem (nempe ex legatione, de qua dictum eſt ſuperius) tam immania nactum ſcelera, docuiſſe Conſtantinum peccata non aliter expiari poſſe quam baptiſmo Chriſtianorum. Quod vero non Romanum Antiſtitem, ſed peregrinum hominem eius rei ſuaſorem iidem hiſtorici conſtituant; ex his euidentiores redduntur latebræ, quas diximus, Silueſtri Papæ.

[c] Act. 11.
[d] Ioſ. 20. antiq. 6. & 2. de bel. 12.
[e] Porphyr. in vit. Plot.

IX.
FINIS DE BAPT. CONST. EX ROM. CONCILIO.

Cum igitur prædictis Gentilium teſtificationibus exploratum penitus habeatur, Conſtantinum ad ſua abluenda parricidialia delicta, quæſiſſe remedia, nec apud alios quam Chriſtianos inuenire potuiſſe, ac proinde (quod ex neceſſaria aſſumptione deducitur) eſſe adhibitum ex more ſacrum baptiſma; hoc ipſum inſuper ex veteribus Eccleſiaſticis monumentis perſpicuum magis redditur, & inprimis ex Romano Concilio celebrato ſub Silueſtro Papa, in cuius exordio hæc refertur eius celebrationis cauſa, quod Conſtantinus baptizatus eſſet ab eodem Silueſtro & mundatus à lepra. Porro ea Synodus habita ponitur iiſdem huius anni Coſſ. Criſpo & Conſtantino Tertium, licet deprauati codices loco Criſpi habeant priſcum (qui etiam error in Acta quæ citauimus Artemii, & apud Suidam irrepſit) quod minus cõſiderans quidam, imprudenter nimis viſus eſt eamdem reſpuiſſe. Sed cum ea in compluribus antiquis codicibus ſcripta habeatur tamquam legitima, exhibeatque illam ipſam antiquiſſima Creſconiana Collectio; non eſt quod quis ſuſpicari poſſit humanum eſſe commentum. Nam & eiuſdem, vt puto, auctoritate Anaſtaſius Bibliothecarius ſcriptor accuratiſſimus, in perbreui quod ſcripſit Chronico recenſet Conſtantini baptiſmum Romæ habitum anno decimo octauo eius Imperii, nempe ſub iiſdem Coſſ. quibus abſoluitur annus decimus octauus & inchoatur decimus nonus. Vnde & illi erroris arguuntur, qui Conſtantini baptiſ-

Siluester obſignatis ſigno Crucis æreis quibus ſpecus claudebantur ianuis, perpetuo ergaſtulo mancipauit. Siquidem hac quoque ex parte Acta ipſa aliquibus ſuperadditis deprauata putamus, quamuis res ipſa complures habeat Latinos & Græcos aſſertores. Ex quibus inter Latinos antiquiſſimus & eruditione clariſſimus Venantius Fortunatus Epiſcopus Pictauienſis, qui vixit ante mille & ferme centum annos, in Rebus geſtis [s] S. Marcelli Pariſiorum Epiſcopi, dum agit de immani ſerpente ab eo ſuperato, eundem Siluestro Romano comparat, quod ſicut iſte draconem ſigillauit, ita Marcellus iactauit. Inter Græcos autem, præter Cedrenũ & recentiores alios, Metaphraſtes [t] eiuſdem rei aſſertor eſt, & ante baptiſmum Conſtantini accidiſſe tradit (licet alii in poſteriora tempora referant) draconemque latuiſſe ſub Capitolio.

s Ap. Sur. 3. Nou.

t Metaphr. in Silueſ.

IX. SERPENS ROMÆ CVLTVS.

u Plin. l. 29. ca. 4.

Sed quod omnes aſſerant eiuſmodi ſerpentem apud Romanos ſacroſanctum fuiſſe in memoriam reuocant ex Epidauro olim in Vrbem legatione publica allatum ad peſtem euertendam ſerpentẽ Æſculapium: quem Plinius [u] teſtatur, licet tot intercurrentibus ſæculis ſuo tempore fuiſſe ſuperſtitem, vulgoque in domibus paſtum eſſe, ac niſi incendiis ſemina exuſta fuiſſent, non fuiſſe fœcunditati eorum reſiſtere. Sane quidem eius colubri quem Romani colerent cellam fuiſſe ad extinctionem ſuperſtitionis obſignatum à Silueſtro, perfacile eſt creditu, cũ poſthac nulla penitus eius extet memoria: niſi quod Gentiles Deo ſuo carere nolentes, quem fame extinctum noſſent (nam de eodem agens Feſtus [x], ait nonniſi canis vberibus nutriri ſolitum) ex ligno aliaue materia alium fabricarunt, gladium ore geſtantem, oculis rutilãtibus gemmis metuendum ac terribilem: eidemq; pariter in ſpecu collocato, deuotas virgines floribus exornatas eo modo in ſacrificiũ offerebant, quatenus inſciæ munera deferentes, gradum ſcalæ quo fraus tegebatur, contingentes impetus veniẽtes gladii perimeret: quod ſic manſit vſq; ad Honorium Imperatorem, cum iterum per ſanctum monachũ impoſtura detecta, ipſoq; confracto ſerpente, caruere penitus ſuperſtitionis alumni auito ſuo Deo. Rem geſtam S. Poſper [y], quæ accidit Romæ ſuo tẽpore narrat. Vt plane liceat intueri, draconem illum viuẽtem à Silueſtro extinctum, cuius imagini tamquam viuẽti eiuſmodi virginum deuotione miniſtraretur. Nam & eandem Silueſtri victoriam magis confirmat, quod eius imagines in Eccleſiis pingi ſolitæ erant cum dracone ad pedes eius vincto. Cæterum tũ Romæ tum in aliis prouinciis immanes interdum colubros fuiſſe conſpectos, eoſdemque à Sanctis viris necatos, abunde teſtantur antiquæ Sanctorum hiſtoriæ, aliaque vetera monumenta. Sed de his modo, occaſione Actorum Silueſtri, ſatis.

x Feſt. ver. inſul. Æſcu.

DRACO EFFICTVS.

y Proſp. de præd. par. 3.

X. ARIANA HÆRESIS INNOTESCIT.

c Epip. hær. 68.
a Socr. l. 1. c. 5.
b Soz. l. 1. c. 14.
c Theod. l. 1. c. 2.

His quoq; temporibus ARIVS; qui hactenus à tempore Petri martyris Epiſcopi Alexandrini, velut Proteus ſub diuerſis latuerat formis, modo Catholicis modo inhærens ſchiſmaticis, impius omnino detectus eſt. Propalatũ quidẽ à Meletio, & ad Alexandrum Epiſcopum delatum, Epiphanius [c] eſt auctor: Socrates [a] vero & Sozomenus [b], occaſione cuiuſdam diſputationis coram Alexandro habitæ, virus ſuum euomuiſſe tradunt. At Theodoretus [c] eius lapſum refert in inuidiam, qua aduerſus Alexandrum incenſus eſt, cum eum vidit ad Epiſcopatum euectum. Porro ad hunc ipſum annum, quo Criſpus & Conſtantinus creati ſunt Cæſares, hæreſis Arianæ manifeſtationem Oroſius [d] referre videtur: eandemque antequam Licinius Imperator Chriſtianos ſequenti anno perſequi aggrederetur, iam diffamatam fuiſſe ex Lactantio ſatis intelligitur, dum his temporibus magiſtrum agens eiuſdem Criſpi Cæſaris, in libris [e] diuinarum Inſtitutionum, quos (vt apparet ex præfatione) eadem graſſante perſecutione ſcripſit ad Conſtantinum expeditionem aduerſus eundem Licinium parãtem, inter alios hæreticos quos enumerat, etiam *Arianos* nominat: licet aliqui, contra omnium plane exemplarium antiquitus ſcriptorum auctoritatem, eã vocem è textu Lactantii temerarie nimis expunxerint. Denique Arianam hæreſim innotuiſſe ante exortam Licinii Perſecutionem, eo quoq; redditur argumento perſpicuũ,

d Oroſ. lib. 7. ca. 17.

e Lact. lib. 4. cap. vlt.

LACTANTII LOCVS RESTITVTVS.

quod cum S. Baſileus Epiſcopus Amaſenus, ipſo eiuſdem perſecutionis initio Nicomediæ detineretur, in carcere paulo poſt martyrium ſubiturus, diſſidia iam ibidem Nicomediæ de Arii opinione oborta eſſe, deque iis interrogatum Baſileum rectam fidem egregie perdocuiſſe: idem ipſe qui eũ tunc eã de re conſuluit, Ioannes presbyter Nicomedienſis in Actis [f] eius martyrii à ſe cõſcriptis teſtatur.

f Ap. Metaphr. & Sur. 26. April.

XI. DE ORTV ARIANÆ HÆR. DIVERSA TEMPORA CONSIDERANDA.

At quoniam de Ario poſſunt diuerſa tẽpora conſiderari, inde quoque euenit vt de eius temporibus variæ ſint ſententiæ. Primum enim tempus perpẽdendum eſt, cum ab Alexandro Epiſcopo de eo iudicium factum eſt quãdo detectum ac ſæpe monitũ pugnaciter hæreſim defendentem exuit presbyteratus ordine, & vna cum ſeptẽ presbyteris, duodecim diaconis, & ſeptingentis virginibus profeſſis quas ipſe ſeduxerat (vt quidem habetur apud Epiphanium [g], licet ipſe Alexander ſuis literis teſtetur ſe tantum vndecim tã presbyteros quam diaconos ab Eccleſia eieciſſe) collecto aduerſus eos CONCILIO [h] centum ferme Epiſcoporum Ægypti & Libiæ, à Catholica cõmunione eiecit: quæ omnia hoc tempore ante perſecutionem Licinianam geſta fuiſſe videntur. Aliud vero tempus Arianæ hæreſis tunc accidit, quando eius patrocinium ſuſcipiẽte Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo, eadem toti plane innotuit Orbi, ac de rebus eo vſque geſtis Alexander omnes Catholicæ religionis Antiſtites certiores reddidit: quod contigiſſe poſt victum Liciniũ reddita Eccleſiæ pace; ſuo loco dicturi ſumus. Nam quod Arium, poſtquam excommunicatus eſt, multo tempore Alexandriæ verſatum Epiphanius affirmet, opinamur illum vſque ad id temporis ibi permanſiſſe. Teſtatur vero Sozomenus [i] ab hoc tempore quo Arius de doctrina diſſerens, inſolitam introduxit: in Eccleſia Alexandrina conſuetudinem inoleuiſſe, vt nullus presbyter, ſed tantũ Epiſcopus populum doceret.

g Epiph. hær. 69.

h Ap. Socr. l. 1. c. 3.

i Sozom. l. 7. cap. 19.

XII. COLLVTHI TEMERITAS.

k Philaſt. de hæreſ. cap. 8
l Aug. de hær. cap. 65.
m Epip. hær. 69.
n Ap. Theo. lib. 1. cap. 4.

COLLVTHIANI HÆRET.

o Athan. Apol. 2.

His quoque fere temporibus quibus Arius prodiit, COLLVTHVS æq; presbyter Alexandrinus, & vni ex eccleſiis eiuſdem ciuitatis præpoſitus, ſed cum non eſſet Epiſcopũ gerens, cœpit ordinare presbyteros, & docere hæreſim: nempe (vt Philaſtrius [k] & Auguſtinus [l] tradunt) Deum non eſſe malorum creatorem. Agit quoque de eo Epiphanius [m]: eiuſdemq; ambitionem taxauit Alexander [n] Epiſcopus Alexandrinus. Porro licet ipſe paucis annis gauiſus ſit hæreſis ſuæ coaleſcẽtia, quod paulo poſt (vt videbitur) damnatus fuerit atque depoſitus: tamen qui ab eo ſunt nominati *Colluthiani* hæretici, Arianis ſe atque Meletianis aduerſus Catholicos coniunxerunt: quod Athanaſius [o] ſæpe deplorat, aliique Orthodoxi.

IESV CHRISTI AN. 316.

CONSTANTINI AN. II.

SILVESTRI AN. 3.

I. DIOCLET. IMP. OBITVS.

a Zoſ. lib. 2.

ANno Chriſti trecenteſimo decimoſexto, Sabino atque Ruffino Coſſ. qui & tertius numeratur à Conſulatu tertio Conſtantini atque Licinii (vt Zoſimus [a] eſt auctor) *Diocletianus* olim Imperator eſt mortuus: quem ſane diuina diſpenſatione ad hæc tempora Chriſtianis feliciſſima reſeruatum conſtat, vt quorum extirpationem fuerat meditatus, eoſdem imperare videret. Porro diuturna & aſpera corporis ægrotatione pedetentim contabeſcentem occubuiſſe, Euſebius [b] tradit, & poſt eum Zonaras [c]: Cedrenus [d] autem eundem plane deſcribit eius morbum, ac morbi cauſam, exitumque, quem ſuperius vidimus Euſebium tribuiſſe Maximino. Quæ quidem pati meruit qui olim (vt Euſebius [e] & Eutropius [f] ſcribũt) adorari ſe iuſſerat vt Deum, & gemmatos calceos atque veſtes, non contentus purpura, ſe ipſum induerat. Miſerandum autem eius exitum ne mireris prætermiſſum ab Ethnicis ſcriptoribus, vtpote ignominioſum illis. Inter quos Aurelius [g] Victor ait, quod recuſaſſet intereſſe nuptiis Licinii & Conſtantiæ, ſuſpectantem necem dedecoroſam, venenum hauſiſſe. Addit vero Eutropius, contigiſſe ei quod nulli poſt natos homines, vt cum priuatus obiiſſet inter diuos referretur. Sed qui hunc ei impiũ ho-

b Euſ. 8. hiſt. vlt.
c Zonar. Annal. par. 3. in Diocl.
d Cedr. in Comp.
e Euſeb. in Chron.
f Eutrop. lib. 9. in fi.

g Vict. in Dioclet.

norem ſtulto conatu reddidit Licinius, mercedem mox & ipſe recepit, Imperii ac vitæ amiſſionem.

II. DISCORDIÆ INTER CONSTAN. ET LICINIVM.

h l. 1. C. Th. de veteran.

Quod vero pertinet ad tempus eiuſdem Licinii defectionis ab amicitia Conſtantini: extat ipſius Conſtantini reſcriptum [h] de Veteranis, datum poſt annum ſequentem Licinio quintum & Criſpo Coſſ. quartò Idus Aprilis, in quo habetur mentio de obtenta ab eo victoria in Thracia anno illũ præcedente quinto Nonas Iulii, qui eſt ſequens poſt præſentem annum Gallicano & Baſſo Coſſ. Sed cum antequam dimicaretur in Thracia, conſtet auctore Zoſimo & aliis pugnatum fuiſſe apud Cybalem in Pannonia: hac ratione dici poſſe videtur, diſcordias hoc anno inter vtrumque eſſe conflatas. Earum vero cauſa à Zoſimo [i] in Conſtantinum infenſo, necnon à Victore [k] & ipſo Ethnico, eiuſmodi redditur, quod Conſtantinus pacta inter eos ſtabilita parũ integra fide ſeruaſſent, ac nationes quaſdam ad Imperium Licinii pertinentes auertere voluiſſet. Sed illam priorem atque veriorem interceſſiſſe, quod Licinius de Christiana religione protegenda pactis non ſtetiſſet conuentis, immo & ipſi Conſtantino inſidias ſtruxiſſet plutibus oſtendunt qui hæc omnia præſentes ſpectarunt, Euſebius [l] in Vita Conſtantini, & Ioannes Nicomedienſis presbyter in Actis [m] S. *Baſilei*, ſiue Baſilii, Amaſeni in Ponto Epiſcopi (quem S. Athanaſius [n] inter celeberrimos huius ſæculi ſanctiſſimoſque Antiſtites commendat) qui ipſo LICINIANÆ PERSECVTIONIS initio Nicomediæ, vbi Licinius degebat, martyrium fortiter paſſus eſt ob nominis Chriſti confeſſionem, & ſeruatam à turpitudine eiuſdem Licinii *Glaphyram* virginem, vnam ex iis quæ Conſtantiæ Auguſtæ miniſtrabant.

i Zoſ. libr. 2. k Vict. in Conſtan.

l Euſeb. 2. de vit. 42. m Ap. Metaphr. & Sur. 26. April. n Athan. orat. 1. cont. Arian.

III. LICINIVS PERSEQVITVR CHRIST.

Porro quamuis apud Euſebium in Chronico anno ſequenti, nempe Conſtantini duodecimo, martyrium Baſilei ponatur: tamen quod idem auctor teſtetur Conſtantinum literis Conſtantiæ ſororis permotum, cum de nece ſanctiſſimi Epiſcopi, deque aliis per Liciniũ patratis ſceleribus certior redditus eſſet aduerſus eum expeditionẽ paraſſe: necem Baſilei hoc potius anno accidiſſe affirmari poſſe videtur, quo in Licinium Conſtãtinus copias in ſequentem annum comparauit. Hoc autem anno Conſtantini vndecimo, ponitur ibidẽ expulſio omnium Chriſtianorum è Palatio Licinii: quorum etiam pœnas, quibus ab eodem affecti ſunt, alibi idem Euſebius iterum [o] memorat. Habet & de Conuentibus Epiſcoporum ab eodem Licinio prohibitis, & ne viri ſimul cum mulieribus in eccleſiis intereſſent, neue Epiſcopi mulieribus ſacra Dei eloquia explicarent: ſed mulieres ipſę alias mulieres à quibus erudirentur ſibi deligerent: denique ne conuentus Chriſtianorum intra ciuitates, ſed extra mœnia fierent, quod (vt argute ſibi dicere videbatur) aer qui extra portas eſt, permultum ei præſtaret qui eſſet intra ciuitates & templa. Tradit inſuper Socrates [p], prohibuiſſe Epiſcopis ne cum Gentilibus in colloquium aliquando venirent, eo videlicet conſilio, vt Chriſtiana religio inter eos minime propagaretur.

o Euſ. 1. de Vit. 45. & 10. hiſt. 8.

p Socr. lib. 1. cap. 2.

IV.

Sicut autem legum iniquarũ iniuſtiſſimus promulgator extitit, ita pariter ſeueriſſimum ſe earũdem cuſtodem exhibuit. Nam & *Paulum* Epiſc. Neocæſareæ Euphrateſiæ, q. minime deſtitiſſet mun^o ſuum explere in inſtitutione feminarũ, vinciri iuſſit, ludibriique cauſa eius genitalia igne comburi, & articulorum manuum neruos ſuccendi; ſicut teſtantur Gregorius [q] presbyter ac Theodoretus [r]. Et Heracleæ *Ammonem* diaconum, cum quadraginta quas inſtituebat Virginibus Hadrianopolitanis in Macedonia, igne & gladio necauit: de quibus plane hallucinatus eſt Nicephorus dum quas omnes atteſtantur virgines, ipſe tradit vxores fuiſſe illorum *Quadraginta* celeberrimorum tam in orientali quam Occidentali Eccleſia *Militum* Cappadocum; qui eadem perſecutione Sebaſtæ in Armenia Minori, poſt dira alia tormenta noctu in ſtagnum gelu conſtrictum nudi iniecti, frigore rigentes nobiliſſimam martyrii coronam adipiſci digni fuerunt. Quando & illud duplex miraculum accidit, vt cum eos in illo agone conſtitutos obſeruans cuſtos balnei calidi iuxta poſiti (res enim ſic fuerat excogitata; talem inuenire certaminis locum, in quo paratum haberent refugium) vidiſſet Angelo sè cœlo deſcendentes, coronas ſingulis vno excepto diſtribuere; idem tanto prodigio obſtupefactus, cum is qui incoronatus remanſerat, deſertor factus ad aquã calidam aufugiſſet (in qua tamen ſtatim vt eam attigit, corpore quod glacie torpebat diſſoluto, interiit) in eius locum ſuccedens, coronam deſertori denegatam ſuſcepit, & ſimul cum aliis eodem mortis genere martyrium conſummauit. Sed vnius illorum mater, cernens alios iam frigore extinctos plauſtris perduci ad ignem paratum cremandis eorum corporibus, ſuum vero filium ob validiores vires adhuc viuentem remanere; eadem virile robur aſſumens, eum propriis humeris ſuſtulit vt ſociis aggregaret, & cum ad collum matris animam efflaſſet, eidem igni comburendum tradidit. Recenſet inſignem hanc hiſtoriam Baſilius oratione in laudem tantorum martyrum habita; quæ fuſius deſcribitur in antiquis eorumdem Actis [s]. Porro ſacri illorum cineres in alueum iniecti, ſed diuina virtute ſeruari, perque totum ferme Orbem diſtributi, ſolemni cultu honorari meruerunt: vt tum ex eodem Baſilio patet, tum ex Gregorio Nyſſeno, Ephræm Syro, Gaudentio Bryxiano, qui & ipſi egregias in eorumdem martyrum laudem habuerit orationes.

q Greg. presb. orat. de Patribus Nic. Conc. r Theod. l. 1. cap. 7.

QVADRAGINTA MARTYRES.

s Ap. Metaphr. & Sur. 9. Marti.

V. SÆVITIA PERSECVT. LICIN.

t Euſ. 2. de Vit. Conſt. 1.

Licet autem iræ Licinii in Chriſtianos conceptæ, aliquamdiu (vt tradit Euſebius [t]) ob Conſtantini metum ab eo primum fuerint ſtudioſe compreſſæ; ac poſtea patefactæ, lento gradu progredi viſæ ſint tamen quod ex impie cœptis addantur vires ad grauiora facinora perpetranda, mox acerbius Chriſtianos exagitans, quos omnes ſtudere Conſtantino perſuaſum haberet, maxime Epiſcopos & alios Eccleſiarum miniſtros, variis per prouinciarum Præſides mortis generibus affecit, ac nonnullorum corpora in multas particulas minutatim diſſecta, in profundos maris gurgites piſcibus voranda proiecit: milites ſacrificare recuſantes balteum deponere iuſſit: omniſq; generis & conditionis Chriſtianos, exiliis bonorum publicationibus, carceribus, aliiſque ſuppliciis crudeliter afflixit; & eccleſias à Chriſtianis vbique reædificatas iterum diruit. Deſcribit enim hæc omnia Euſebius [u]. Sicut & cõplures alios militia nobiles, ignominiæ cauſa ad opus publicum, vel ad textrinam, aliaq; opera gynæcea damnatos eſſe, teſtatur ipſemet Conſtantinus Imperator in edicto [x] quod poſtea expugnatum Licinium pro Chriſtianis edidit. Denique quod hoſtis humani generis (vt tradit Gregorius [y] Nyſſenus) Licinio ſuaſiſſet, de hoſtibus nequaquam victoria potiturum, niſi quos ſciret colere Chriſtũ occideret; magis ac magis furore in eos excandeſcens, per ſæuiſſimos Prę́ſides, quamplurimos alios in diuerſis Orientis prouinciis ſuſtulit, quorum multorum nomina relata inueniũtur in tabulas Eccleſiaſticas, nonnullorũ etiam Acta ſuperſunt, cum infinitorũ prope memoria perierit.

u Ibid. l. 1. c. 41. 47. 48. & l. 2. c. 2. & hiſt. l. 10. ca. 8. x Id. 2. de Vit. 25. y Nyſ. orat. 2. in 40. mart.

VI. PERSECVTIO LICINIANA QVALIS.

z Seuer. hiſt. lib. 2.

Sed quod ea clades nihil prorſus partes Orbis Occidẽtalis in quo Conſtantinus imperaret, pertigerit; Sulpitio [z] Seuero haud digna eſt viſa, quæ inter Perſecutiones adnumerari deberet: nempe quod numerum myſticum decem Perſecutionum, quas numerat inſtar decem Plagarum Ægypti, voluit integre cuſtoditum; prætermittique perſecutionem ſub Licinio, quod ea eſſet vndecima numeranda. Sed quod ait eam adeo leuioris fuiſſe negotii, quam vt ad Eccleſiarum vulnera perueniret; plane diſſimulauit, aut ignorauit necem tot martyrũ Orientalium. Ceterum eiuſmodi ſupputatio decem Eccleſiæ Perſecutionum, minime placuit S. Auguſtino [a], dum à tempore naſcentis Chriſti Eccleſiæ multo plures recenſet. Denique acerbam ſatis fuiſſe hanc à Licinio excitatam, ingens etiam Lapſorum numerus arguit, de quibus in Magno Concilio Nicæno [b] ſtatuendi fuere canones. At de his modo hactenus.

a Aug. 18. de ciuit. 52.

b Conc. Nic. can. 11. 12.

VII.

c Aug. poſt Collat. c. 33.

Hoc item anno iiſdemque Sabino ac Ruffino Coſſ. (vt Auguſtinus [c] ſcribit) quarto Idus Nouembris, Conſtantinus Imperator ad Eumalium Vicarium Africæ ſcripſit de purgatione Cæciliani Epiſcopi Carthagineníis; cum poſt interpoſitam à Donatiſtis appellationem à ſententia conuentus Arelatenſis ante biennium celebrati, qua

idem Cæcilianus abſolutus eſt, aliud (vt apparet) interceſſiſſet iudicium, in quo itidem probatus fuit innocēs. Hoc vero de quo modo agimus poſtremum iudicium, idem Auguſtinus [d] teſtatur prolatū eſſe Mediolani ab ipſo Cōſtantino Imperatore, importunis, & ſæpius repetitis Donatiſtarum appellationibus coacto eos audire quo omne iiſdem ſubterfugium prorſus ademptum foret, cum ſe ab ipſom et Imperatore, ad quem toties prouocaſſent, damnatos cernerent. Quapropter eumdem Conſtantinum ſumma diligentia atq; cautela, vocatis & præſentibus ipſo Cæciliano & aduerſariis Donatiſtis, atque inuicem diſceptantibus, cauſam cognouiſſe, & Cæcilianum innocentiſſimum, Donatiſtas vero improbiſſimos iudicaſſe, idem Auguſtin. docet. An autem nouas poſthac aduerſus Cæcilianum calumnias excogitarint, haud quicquam certi affirmari poteſt.

d Id. ep. 68. & 162.
CONST. CVR APPELLANTES ITERVM DONAT. AVDIERIT.

VIII.

Illud quidem conſtat eoſdem in Africam reuerſos baſilicam inuaſiſſe, quam in Conſtantina ciuitate Numidiæ idem Imperator erigendam curauerat: qua priuati Catholici, Chriſtiana patientia ab excitādis turbis abſtinuerunt, atq; humiliter ad Imperatorem recurrentes, alium ab eo impetrarunt locum, ſumptuſque fiſcales ad nouam erigēdam eccleſiam; vt conſtat ex ipſius tunc ad eos redditis [e] litteris. Sed & fuiſſe animi ſui conſilium in Africam proficiſci, & Donatiſtarum furorem compeſcere, idem Imperator datis aliis litteris ad Celſum Vicarium Africæ ſignificauit. Quod vero iiſdem de falſo à Donatiſtis præſumpto martyrio inculcat, inducit vt opinemur, eos contemptis quæ aduerſus eos Imperator decreuiſſet iactaſſe paratos ſe eſſe ſubire martyrium: quemadmodum quos Proconſularis poſtea ſub Conſtante eiuſdem Conſtantini filio iuſte necauit gladius, iidem coluere vt martyres. Quamobrem hæc etiam cauſa interceſſiſſe videtur, quo minus in eos vt in ceteros delinquentes Conſtantinus animaduerteret, ne quos occidi mandaſſet ab illis martyres haberentur. Nā & illud viſus eſt declaraſſe, quando ab ipſis calumniam paſſus, quod gratia corruptus iniquiſſimam aduerſus eos tuliſſet ſententiam iuſſis aliquibus ad ſupplicium duci, abſtineri tamen ab eorum nece præcepit, ac tantum exilio damnauit, baſilicīſque priuauit eas fiſco vendicans: vt hæc omnia varijs locis Auguſtinus [f] teſtatur. Quæ vero poſtea ſecuta fuerint, dicentur ſuis locis.

e Ed. ſis Pet. Putæ.
CVR IN EOS NON ANIMADVERTERIT.
f Aug. cont. ep. Parm. l. 1. cap. 6. & 8. & cont. ep. Petil. l. 2. cap. 92. & ep. 68.

XI.

Iiſdem quoque Coſſ. Conſtantius Imperator *de Manumiſsionibus in eccleſia* corā Epiſcopis ſpectante plebe celebrandis reſcripſit [g]; hoc amplius paulo poſt Epiſcopis quā ceteris magiſtratibus concedens, vt ab illis ſic manumiſſi non tantum libertate, ſed ciuitate quoque Romana, perinde ac ſi eſſent adſcripti tabulis Romani cenſus, iure ampliſſimo donarentur. Eiuſmodi vero manumiſſionum exemplum recitat S. Auguſtinus [h].

MANVMITTERE CONCESSVM EPISCOPIS.
g l. 1. & 2. C. de his qui in eccl. manumit.
h Aug. Ser. de diuerſ. 50.

IESV CHRISTI AN. 317.

CONSTANTINI AN. 12.

SILVESTRI AN. 4.

I.
VICTORIA CONSTANTINI DE LICINIO.
a Zoſ. lib. 2.

ANno Chriſti trecenteſimo decimo ſeptimo Gallicano & Baſſo Coſſ. Conſtantinus Imperator aduerſus Licinium bello agens, eum duobus ingentibus prælijs ſuperauit, primo Cybale in Pannonia, mox in Thracia cum fugientem inſecutus eſſet. Hęc autem cum omnes alii tam Chriſtiani quam Ethnici ſcriptores teſtentur, Zoſimus [a] rem geſtam fuſius proſecutus eſt; licet infenſus Conſtantino, ſecundo prælio æquo Marte pugnatum eſſe tradat, ne eius humanitatem erga Licinium exhibitam prædicare cogatur. Porro Licinium in Thracia penitus ſuperatum eſſe, teſtatus eſt etiam ipſe Conſtantinus in edicto [b], quod anno ſequenti Licinio quintum & Criſpo Coſſ. de indulgentia tunc temporis veteranis conceſſa promulgauit: quo etiam conſtat victoriam Thracicam (quam Imperator *Primam* vocat, reſpectu aliarum quas poſtea in eadem prouincia conſecutus eſt) obtentā eſſe hoc ipſo præſente anno quinto Nonas Iulii. Ex quib. plane erroris arguuntur, qui anno decimoquarto Conſtantini ac decimoquinto Licinianam perſecutionem ponunt, & decimonono bellum eidem illatum, vt Cedrenus perperam ſupputauit; aut denique quicumque ad aliud tempus bellum Licinianum retulerunt.

b l. 1. C. Th. de Veter.

II.
c Euſ. 2. de Vit. Conſt. 1. &c.
VTRIVSQVE IMP. APPARATVS.

Quinam autem fuerit vtriuſq; Imperatoris apparatus, Euſebius [c] in primis narrans, docet Conſtantinum precibus ſibi opus eſſe intelligentem multos ſecum Epiſcopos duxiſſe, & certæ in Deum fiduciæ inſigne, præuium ſemper habuiſſe vexillum Crucis, eiuſque virtute hoſtes deuiciſſe: ſed & illud mirandum accidiſſe, vt qui vexillum erectum portabat, numquam ab hoſtibus lædi valuerit, & infinita aduerſus eum ab hoſtibus tela immiſſa in exiguo haſtilis ambitu fixa hæſerint: antea vero aliud prodigium de futura Conſtantini victoria in cunctis ferme ciuitatib. Licinio ſubiectis apparuiſſe, nempe varias turmas Conſtantini per medias vrbes tamquam victrices tranſeuntes. Ipſum autem Licinium, Conſtantini apparatum, eiuſque in Chriſto fiduciam irridentem, variis ſacrificijs litaſſe; & vatum Ægyptiorum, augurumque, atque aliorum præſtigiatorū falſa idolorum oracula effutientium pollicitationibus, de victoria redditum ſecurum, ad prælium proceſſiſſe. Hæc omnia Euſebius. Ceterū poſt victoriā Thracicam, pacem inter eos conciliatam eſſe conſtat, mulctato Licinio amiſſione prouinciarum Illyrici, Græciæ; & aliarum omnium quoquot vlterius eſſent porrectæ, relicta ei Thracia & Oriente: quod tum Zoſimus, tum alii omnes teſtantur.

III.
ALEXANDER EPISC. BYZANT.
d Socr. l. 1. cap. 4. & Sozom. lib. 3. ca. 3.
e Gelaſius tamen Cyzicen. s. q. ibi totam Concilii Nic. olim edidit, expreſſe teſtatur l. 2. c. 5. Metrophanem non quidē Synodo interfuiſſe; ob ingraueſcentem ætatem, ſed Legatos ad eam miſiſſe presbyteros quoſdam, atque inter eos Alexandrū qui ei poſtea in Epiſcopatu ſucceſſit.

Hoc eodem anno cum Metrophanes Epiſcopus Byzātii ſediſſet annos tres ſenior valde confectus ſubſtituendū ſibi *Alexandrum* curauit: quod hoc anno contigiſſe, ex Socrate [d] & Sozomeno apparet, dum habent Alexandrum annos viginti tres ſediſſe, qui defunctus eſt anno Chriſti trecenteſimo quadrageſimo. Ex his autem eluduntur, tū qui volunt Metrophanem Eccleſiæ præfuiſſe annos decem, tum quæ feruntur incerto auctore ex quadam oratione de Nicęno Concilio eum poſt finitam Synodum coram Patribus egiſſe de ſubrogatione Alexandr. Hunc enim iam ante [e] Concilium ſedere cœpiſſe, multa demonſtrabunt.

IESV CHRISTI AN. 318.

CONSTANTINI AN. 13.

SILVESTRI AN. 5.

I.
LICINII INCONSTANTIA.
a Læt. in Lic.
b Eutr. l. 10.
c Euſ. 2. de Vit. 1. &c.
d l. 1. C. Th. de Veter.

ANno Chriſti trecenteſimo decimo octauo, Licinio Auguſto quintum & Criſpo Cæſare Coſſ. idem Licinius rupto fœdere anno ſuperiori ſtabilito, aduerſus Conſtantinum iterum in Thracia bellum parauit, quod ſecundum in ea prouincia geſtum eſt. Culpa datur ab hiſtoricis Licinio, qui ſæpius fortunam tentauit, ac poſtea infidus, tandem & naualibus & terreſtribus prælijs victus deditionem Nicomediæ fecit; vt Lætus [a], Eutropius [b], & alii tradunt: habetq; plura Euſebius [c] de Licinii animi obſtinatione, etiam poſt renouatum iterum fœdus. Porro hæc omnia huius anni exordio perfecta fuiſſe, Conſtantini reſcriptum [d] de indulgentia Veteranorum, cuius anno ſuperiore facta eſt mentio, planiſſime demonſtrat, dum huius anni Coſſ. quarto Idus Aprilis illud ſcribens, meminit de iiſdem à ſe dimiſſis apud Nicomediam poſtquam ea iam potitus eſſet. Quamobrem cum multa poſt primum certamen in Thracia anno ſuperiori quinto Nonas Iulii initium, facta reperiantur, quæ tam paucorum menſium ſpatio claudi poſſe nequaquam videantur, ex eis aliqua anno præterito facta iure putantur. Licinianum autem bellum non exceſſiſſe biennium, immo annum & menſes octo tantum perduraſſe, Cedrenus [e] affirmat.

e Cedr. in Annal.

II.
LICINIVS VBIQVE VICTVS.
f Zoſ. lib. 2.

Quonam autem modo, eodem ferme tempore Licinius terra marique ingentibus præliis victus ſit, & primo Byzantii deinde Nicomediæ obſeſſus, tandem ſe Conſtantino dedens, ab eo Theſſalonicam relegatus fuerit, fuſe narrat Zoſimus [f]: ſed quod addit, non multo poſt eidem Licinio Conſtantinum, violata iuriſiurandi religione, laqueo vitā ademiſſe; ab aliis auctoribus redarguitur, qui & plures numero & digniores fide, ſic Liciniū

tradunt

tradunt contra iuſiurandum ei præſtitum vt priuatam vitam agere ſineretur, necari iuſſum, quod res nouas, vt ſæpe fecerat, ſolicitans barbaros moliretur: quamuis Ioannes [g] presbyter Nicomedieſis, qui hoc ipſo tempore ibidem Nicomediæ agebat, tradat illum iiſdem Vlceribus, quibus Maximinus extinctus fuerat, vexatum ex hac vita miſere auulſum eſſe. Quoto vero Imperii Conſtantini anno (vtcumque acciderit) idem Licinius mortem obierit; nullibi certa eſt mentio; niſi apud Euſebii Chronicon, in quo longe poſt hæc tempora occiſus ponitur anno decimo octauo Cōſtantini; à Victore [h] vero & Socrate, [i] haud multo poſtquam victus eſt, cum eſſet prope ſexagenarius. Fuit (inquit idem Victor) auaritiæ cupidine omnium peſſimus, nec alienus à luxu venereo, aſper admodum, haud mediocriter impatiens. adeoq; infeſtus litteris, vt eas per inſcitiam immodicam virus ac peſtem publicam nominaret. Fuiſſe vero vita turpiſſimum, ac nullum ſtupri libidiniſq; genus omiſiſſe, abunde teſtantur iidem Euſebi9, [k] & Ioannes [l] Nicomedienſis. Eumdemq; Iulianus [m] Imperator tradit, ob multa ac turpia ſcelera, à deorum & bonorum Principum conſortio excluſum fuiſſe.

g in Act. S. Baſil. Amaſ. ap. Sur. 26. April.

LICINII INTERITVS.

h Vict. in Conſtant.
i Socr. li. 1. ca. 2.
k Euſ. 10. hiſt. 8. & 1. de Vit. 42.
l Ioan. Nicomed. in Act. S. Baſil. vbi ſupra.
m Iul. Aug. de Caſar.

III. VISIONES OSTENSÆ CONSTANTINO.

Ceterum tam in hoc bello quam in Maxentiano, præliant Conſtantino oſtenſas eſſe viſiones, armati Equitis ſignum Crucis pro vexillo ante aciem ferentis, & Adoleſcentum phalangas hoſtium cædentium, Igniſq; noctu exercitum vallantis, Zonaras [n] ſcribit: quibus alias addit Nicephorus [o] de Scriptura ſtellarum ordine atq; diſtinctione cōformata, qua iuberetur ſpē in Deo ponere; rurſumq; de alia Cruce ſtellis pariter formata, ac ſimili ei quam in Maxētiana expeditione vidiſſet. Quæ licet à recētioribus auctoribus referantur, ſcimus tamen Euſebium in oratione habita de Conſtantini laudibus, conſtanter affirmare diuinas ei viſiones non ſemel, ſed ſæpenumero illuxiſſe.

n Zonar. Annal. to. 3.
o Nic. li. 7. cap. 47.

IV. VIRTVS CRISPI CÆS.

Teſtatur quoq; idem auctor [p], in hoc Liciniano bello Criſpi Cæſaris filij Conſtantini virtutem enituiſſe, quem ad debellandum tyrannum pater ſecum duxerat. Idemq; hucuſque ſuam producens hiſtoriam, eumdem Criſpum cum gloria voluit ſepeliiſſe, prædicans pietate patri non imparem: nec in aliis ſuis de Conſtantini vita ſcriptionibus quicquam amplius de eo, ne ipſius nece patris gloriā obſcuraret, cui tantum viſus eſt hiſce ſuis lucubrationibus ſtuduiſſe: in quib. (quod ad hæc tempora ſpectat) diffuſe narrat [q], quomodo extincto Licinio, ſub vno Chriſtiano Imperatore Conſtantino omnes Romani Imperii populi coeuntes, tranquilliſſimo rerum ſtatu potiti ſint; quibuſq; legibus & edictis idem Imperator exulem Religionem Chriſtianam reſtituerit, & Orientalem Eccleſiā dira perſecutione proſtratam erexerit; Fideles exules & profugos reuocauerit; detentos in carcerib. aut metallis, aliiſque operibus ſeu publicis ſeu priuatis addictos relaxauerit; ſeruos factos in libertatem reduxerit; cunctis denique ſua bona & dignitates reſtituerit; ac defunctorum Martyrum heredibus & ſucceſſoribus, ceterorumque neceſſitatibus prouiderit.

p Euſ. 10. hiſt. 9.
q Id 2. de Vit. Conſt. 19. vſq. 42.

IN MONARCHIA CONSTANTINI PAX SVMMA.

V. IDOLOLATRIÆ PESSVM DATIO:

Suntque plane illa tempora optatiſſima atque feliciſſima, cum Epiſcopi ſuis ſinguli Eccleſiis reſtituti, egregiam nauarunt operam vt idolorum cultum prorſus abolerent, & fidem Chriſtianam quam latiſſime propagarent. Sed & illos qui iis locis præfecti erant vbi Chriſtianorum maior eſſet numerus, in delubra deorū iniecisse manus, & idola demolitos eſſe; vnius S. NICOLAI Myræ in Lycia Epiſcopi fama celeberrimi & miraculis clariſſimi exēplo, de reliquis opinari conceditur: quem habent eius Acta, poſt edictum Conſtantini, & ipſum è vinculis quibus religionis cauſa detinebatur in carcere, ſuæ Eccleſiæ reſtitutum, omnem illam circuiſſe regionem, & aras quam plurimas nonnullaque templa proſtrauiſſe, ac dæmonia inde eieciſſe. Porro peregrinationem ipſius Hieroſolymam ad inuiſenda loca ſancta, ac poſtea mirificam eius, Dei iuſſu factam in Epiſcopatum Myrenſem electionem (quæ ante Licinianam Perſecutionem contigerunt) itemque admiranda vitæ cunabula, auctoſque cum ætate ſanctiſſimos mores, egregia edita miracula, ceteraſque res præclare geſtas; eadem eius Acta [r] cum à Græcis tum à Latinis ſcri-

S. NICOLAVS DEMOLITVR IDOLA.

r Ap. Metaphr. & Sur. 6. Dec.

pta atque omnibus peruulgata continent: vt non ſit opus ſingula recenſere, ſed pro temporum ratione pauca duntaxat attingere, quæ ad Annales Eccleſiaſticos magis ſpectare noſcuntur.

VI. DE PACHOMIO ABBATE.

Nec vero pace vbique reddita, tantummodo ciuitates excultæ Chriſtianis legibus redditæ ſunt pulchriores, ſed & deſerta loca Monachorum coloniis mirifice illuſtrata. Inter quos hoc eodem tempore, qui poſtea fame celeberrimus in Thebaide claruit *Pachomius* Abbas, cum militaſſet tyro in caſtris Licinij, eo deuicto dimiſſis Thebęis tyronibus Chriſtianæ militiæ nomen dedit & ſub Abbate inſignis nominis *Palemone* profiteri cœpit vitā anachoreticam: cuius extant [s] Acta clariſſima & omni ex parte ſinceriſſima in quibus, ſicut in Vita S. Antonii, præclara fit mentio quamplurimorum aliorum celebrium virorū, eamdem hoc tempore eremū illuſtrātium, de quib. alias.

s Ap. Metaphr. & Sur. 14. Maii.

VII. ARIVS TVRBAT PACEM ECCLESIÆ.

Cum autem iam ex victoria Conſtantini, editiſque ab eo pro pietate legibus, fulgentiſſimus illuxiſſet Orienti pacis radius; hoſtis humani generis, quod ſibi ex animo accidiſſe ſenſerat in Occidente, cum per eumdem Conſtātinum collocata Eccleſia in ſumma gloria atque ſplendore, eam per Donatiſtas ſchiſmate labefactare conatus eſt; idem plane iniens in Oriente conſilium; igne impietatis Arianæ omnes propemodū Eccleſias inflāmauit. Quippe exutus (vt dictum eſt) Arius ab Alexandro Epiſcopo Alexandrino munere presbyteratus, idemque vna cum ſociis in Concilio Alexandrino centum Epiſcoporum excommunicatus; cum nihilominus toto tempore Perſecutionis Licinianæ permanſiſſet Alexandriæ, tandē reddita Eccleſiæ pace, ab eodem Alexādro inde eiectus, profectus eſt in Palæſtinam, & ab illius prouinciæ Epiſcopis impetrauit publicos vna cum ſuis conuentus agere; monitus tamen ſtudere pacem inire cum Alexandro, eique ſe ſubiicere. Hæc pluribus Sozomenus [t].

t Soz. li. 1. c. 14. in fine.

VIII. EVSEBIVS ET ALII ARII FAVTORES.

Sed his minime acquieſcens Arius homo ingenio vafer, & callidus in actionibus, potentiſſimo vſus adminiſtro Euſebio Epiſcopo Nicomedienſi (qui inſano ambitionis furore percitus, fuerat non ita pridem, fauore, vt creditur, Conſtantiæ vxoris Licinii, ab Eccleſia Berytēſi translatus Nicomediam) quo maiori fretus eſt potentia; eo grauiores excitauit tumultus. Siquidem ad eum ſcribens [u], poſt querelas de ſua Alexandria pulſione, blaſphemias ſuas in Dei filium euomens, quē principium habuiſſe, nec ex Patris ſubſtantia natum eſſe docebat, eumdem Euſebium ad ſui protectionem hortatur; gloriatus ſecum ſentire Euſebium Cæſarienſem Palæſtinæ, Theodotum Laodicenum, Paulinum Tyrium, Athanaſium Anazarbenſem, Gregorium Berytenſem, Aetium Lyddenſem & omnes denique Orientales Antiſtites, præter Philogonium Antiochenum, Macarium Hieroſolymitanum, & Hellanicum Tripolitanum; quos ideo impudentiſſimus hæreſiarcha appellare hæreticos nō dubitauit, atq; etiam calumniis onerare quaſi Filium ingenitum prædicarent. Porro hanc epiſtolam cum accepiſſet Euſebius, impigre negotium curans, quem videbat Paulinum Tyrium, licet cum Ario ſentientem, haud tamen audere quod ſentiret ſcriptis prodere; eumdem litteris [x] exemplo Euſebii Cæſarienſis ad propugnationem impii dogmatis cohortatus eſt, ipſe quoq; impietatis ſuæ virus euomens. Id autē præſtitiſſe Paulinū opinamur: ſicut feciſſe conſtat alios ſuperius nominatos. Euſebium Cæſarienſem & Athanaſium Anazarbenſem, atque etiam Gregorium Laodicenum; id teſtante S. Athanaſio: [y] extantq; eiuſdem Euſebii Cæſarienſis ad Alexādrum ea de re ſcriptarum fragmenta litterarum in Actis Concilii [z] Nicæni Secundi; ſicut & auctor eſt Socrates [a], ipſum quoque Euſebium Nicomedienſem pariter ad Alexandrum pro Ario ſcripſiſſe. Quinimmo & ipſe Arius, ac qui cum eo erant clerici Alexandrini, alias [b] dederunt ad eumdē Alexandrum, quibus turpiter mētiti ſunt, ſe prædicare doctrinam quam à maioribus accepiſſent, & ab ipſomet Alexandro publice docente audiſſent.

u Ext. eius littera ap. Epiph. hær. 69 & Theodor. lib. 1. cap. 5.
x ap. Theod. ibid.
y Athan. de Synod. Arian.
z Conc. Nic. 2. Act. 6.
a Socr. li. 1. ca. 3.
b Ext. ap. Epiph hær. 69.

IX. ALEXANDRI EPIST. ALEXAND. LABORES PRO FIDE TVENDA.

Quod autem omnes eiuſmodi epiſtolæ ſic ad Alexandrum eſſent ſcriptæ, vt tamen earum exemplaria cūctis palam innoteſcerent; fuit ei pariter opus contrarias red-

c Epiph. ibid. d Socr. lib. 1. ca. 3. e Theod. li. 1. cap. 4.

ARII IMPIA DOGMATA.

dere literas Circulares, cuiuſmodi ab eo conſcriptas fuiſſe numero ſeptuaginta, Epiphanius [c] tradit; ſed ex iis binæ tantummodo ſuperſunt, quarum alteras recitat Socrates [d], Theodoretus [e] alteras longe prolixiores. Quibus quidem Alexander Arii dogmata manifeſtans, ſimul & egregie confutans, ait eum docuiſſe, Deum non ſemper Patrem fuiſſe, ſed tempus aliquando extitiſſe cum non eſſet Pater: non ab æterno Verbum Dei fuiſſe, ſed ex nihilo ortum eſſe: nam Deum qui eſt, eum cum nō erat, ex eo quod non eſt procreaſſe, & propterea tempus fuiſſe aliquando cum non eſſet. Creatum enim & factum eſſe Filium, neque eſſentia Patri ſimilem, neque natura verum Patris Verbum, neque veram eius Sapientiam eſſe, ſed per abuſionem Verbum & Sapientiam dici: ipſum factum eſſe proprio Dei Verbo & ſapientia quæ in Deo eſt, per quam cum cetera omnia tum illum fecit Deus: & ob eam cauſam poſſe natura ſua conuerti & mutari, ſicut animantia omnia ratione vtentia, immo & quemadmodum diabolus mutatus eſt: Verbum eſſe peregrinum, alienum & ſeiunctum à Sapiētia Dei: Patrem à Filio minime explicari poſſe, nec perfecte cógnoſci in ſua eſſentia: quippe Filium noſtra cauſa factum eſſe, vt Deus per ipſum tamquam per inſtrumentum nos crearet; neq; extitiſſe aliquādo, niſi Deus nos creare in animum induxiſſet. Hæc de Arij blaſphemijs Alexander in epiſtola quæ eſt apud Socratem: cuius labores pro tuenda Filij Dei aduerſus Arianos diuinitate, egregie laudauit Athanaſius [f]. Ex ijs vero quæ ex eadem epiſtola recitata ſunt, plane conſtat Arium ſenſiſſe aliud eſſe Dei Verbum, aliud Dei Filium, quem vellet non eſſe Verbum, ſed qui eſſet factus per Verbum, ipſeq; nonniſi abuſiue eſſet Verbum: quod ipſum Arianis obiiciens Athanaſius, [g] æque demonſtrauit eos plura Verba conſtituiſſe. Quinetiam eoſdem aſſeruiſſe Chriſtum corpus ſine anima aſſumpſiſſe, & pro anima Deitatem habuiſſe, ita vt affectiones quoque ei aſſignarent, expreſſum habetur in Secunda Nicæna [h] Synodo auctoritate Greorgii Nazianzeni.

f Atha. orat. 1. cont. Arian.

g Idem decr. Nic. Syn. cōt. her. Arian.

h Conc. Nic. 2. Act. 6.

X.

ALIÆ ALEX. LITERÆ ADVERSVS ARIVM.

Ceterum cum poſt ſcriptam priorem illam epiſtolam, idem Alexander à quampluri mis diuerſarum Orientis prouinciarum Epiſcopis aduerſus Arium ſcripta ſuſcepiſſet, iidemque contra Arianos conſcripto ab Alexandro fidei libello ſubſcripſiſſent; optans ipſe hæc eadem præſtari à reliquis, tunc Circularem illam prolixiorem emiſit, quā Theodoretus recitat, cui & exemplaria litterarum ab iiſdem Orientalibus Epiſcopis aduerſus Arium ſcriptarum ſubiunxit: quæ quidem licet (præſefert titulus) ad Alexandrum Conſtantinopolitanum Epiſcopum data dicatur, ex eius tamen lectione apparet ad plures ſcriptam eſſe, vt pote Encyclicam.

XI.

i Ext. tom. 3. Bibl. 5.

SILVESTRI PP. STVDIVM PRO COMPONENDIS REBVS ECCLES.

Cum vero de his omnibus Alexāder in primis ſcripſiſſet ad primariæ Sedis Antiſtitem Silueſtrum Romanum Pontificem (vt conſtat ex epiſtola [i] Liberii Papæ ad Conſtantium Imperatorem) intendens ille apud componendas eiuſmodi turbas animum, quod eius muneris præcipue eſſet obortas hæreſes damnare, & diſſentientes Epiſcopos conciliare, haberetque inſuper exemplum Dionyſii prædeceſſoris ſui, qui eiuſdem Alexandrinæ Eccleſiæ diſſenſiones obortas tempore alterius Dionyſii Alexandrini Epiſcopi ſumma diligentia ſedauerat; ipſe, inquam, Silueſter his monitus, OSIVM Cordubenſem in Hiſpania clariſſimum confeſſione & eruditione Epiſcopum, Legatum in Orientem miſit, ſiue eidem iam apud Conſtantinum Imperatorem in Bithynia degenti (vt potius Euſebius [k] & Socrates [l] ſignificare videntur) id muneris delegauit, vt excitatum per Arium incendium extingueret. Id enim vt affirmemus factum eſſe per Silueſtrum, omnino cogit quod idem Oſius reperiatur in ea cauſa Concilium generale Alexandriæ celebraſſe, & poſtea Nicæno & Sardicenſi Oecumenicis præfuiſſe: quod non niſi auctoritate Sedis Apoſtolicæ vllatenus præſtare valuiſſet. Neque enim eſt quod dici poſſit miſſus à Conſtantino Legatus in Ægyptum; quandoquidem in literis tūc per eum ab eodē Imperatore ſcriptis, quas Euſebius [m] recitat, nulla prorſus de ipſo Oſio mentio habeatur, neque de aliquo alio miſſo à ſe legato; quod in primis neceſſe fuerat expreſſiſſe. Sed par eſt credere, eumdem à Silueſtro delegatum, ab ipſo quoque Cōſtantino litteras [n] accepiſſe in Ægyptum, quo facilius munus ſibi iniunctum exequeretur.

k Euſ. 2. de Vit. 32. l Socr. li. 1. ca. 4.

OSII LEGATIO A SILVESTRO PP.

m Euſ. 2. de Vit. 63.

n Socr. lib. 1. cap. 4.

XII.

CONSTAN. STVDET ECCLESIÆ PACI.

Porro eiuſmodi Conſtantini literæ tunc ad Alexandrū & Arium (vt præſefert titulus) de mutua inter eos reconciliatione miſſæ, ita conſcriptæ ſunt, vt alterum de duobus eueniſſe oporteat; vel quod Euſebius Arianus homo parum fideliter eas retulerit, vel earumdem ſcribēdarum argumentum ipſi Conſtantino tunc Nicomediæ agenti ſuppeditatum fuerit ab altero Euſebio eiuſdem ciuitatis Epiſcopo, omnium Arianorum facile principe, à quo cōplura fuerint coagmentata mendacia, vt cum inprimis potior diſcordiarum culpa reiicitur in Alexādrum, & ipſa de qua ageretur controuerſia leuicula & inanis dicitur, & tam Alexander quam Arius vnam eādemq; de fide ſententiam tenere perhibentur. Quæ vero poſt hæc geſta ſunt, dicentur annis ſequentibus.

IESV CHRISTI AN. 319.

CONSTANTINI AN. 14.

SILVESTRI AN. 6.

I.

SARMATÆ COMPRESSI A CONSTANTINO.

a ap. Adolf. ſed male ponitur ſub Conſtant. Iuniore

b Sozom lib. 1. cap. 8. c Zoz. lib. 2. d Euſeb. 4. de Vit. 5. & 6.

ANno Chriſti trecenteſimo decimonono, Conſtantino Auguſto quintum Lucinio Iuniore Cæſare Licinii Imperatoris filio Coſſ. idem Conſtantinus Sauromatas, ſiue Sarmatas, ad Mœotidem paludem habitantes, qui Iſtro traiecto Romanā ditionem aggreſſi fuerant, debellauit. Extat [a] n. antiquus nummus ſignificans id accidiſſe hoc ipſo quinto Conſulatu eiuſdē Imperatoris: quod Sozomenus [b] geſtum ponit mox poſt bellum Licinianum; Zoſimus [c] vero poſt debellatum in Thracia Licinium, & ſancitum cum eo fœdus. Meminit & Euſebius, ſed in fine Vitæ Conſtantini, dū barbaros ab eo domitos ſimul recēſet. Ceterum non ſemel, ſed ſæpius Sarmatas à Conſtantino eſſe ſuperatos, habet Porphyrius in Panegyrico eidem Conſtantino oblato. Quod vero ait Euſebius, Sauromatas à Scythis inuaſos, coactos eſſe ſeruos ſuos amare, & ab iiſdem propriis ſeruis poſtea expulſos ad Conſtantinum ſe recipere: ea poſt hæc tempora geſta oportuit, quæ S. Hieronymus in Chronico refert anno vigeſimo octauo eiuſdem Imperatoris. Sauromatis autem Sozomenus Gothos adiungit, & ipſos à Conſtantino deuictos, quos Euſebius Scythas appellaſſe videtur. Sed quod hoc bellum alio tempore geſtum eſſe conſtet, agetur de eo inferius ſuo loco. Addit denique Sozomenus, Conſtantino in his bellis vel maxime per ſigna ac ſomnia declaratum eſſe, quam ſedulo Deus ſua prouidentia ei proſpexiſſet.

II.

CONST. SCRIBIT CONTRA ARIVM.

e Epiphan. her. 69.

Quod autem pertinet ad res Eccleſiaſticas; cū anno ſuperiori Conſtantinus ad Alexandrum & Arium, literas quas diximus de mutua ipſorum recōciliatione ſcripſiſſet; quid deinde Alexander ad Conſtātinum reſcripſerit haud conſtat, reſcripſiſſe tamen auctor eſt Epiphanius [e]. Cum vero Arius litteras parum officioſas, & tam ſublimi Imperatoria maieſtate minus dignas reddiſſet; ijs acceptis Imperator, zelo incenſus publicas contra eum atque eius opinionis fautores dedit, tales plane quales decebat accipere inſanum hæreſiarcham, nempe inuectiuis & reprehenſionibus, ſalibus quoque ac iocis, denique monitionibus ad reſipiſcendum ab erroribus, refertas; quas & paſſim (vt ait Socrates [f]) diuulgandas curauit, & ex eis pauca quædam Epiphanius [g] recitat: Euſebius autem parum liberalis hiſtorici numeros implens, earum nec meminit quidem, quod contra Arianos ſuos ſcriptæ eſſent; cum alioqui quæ aduerſus Alexandrum & Catholicos facere viderentur, integras retulerit. Extant nihilominus ipſæ hactenus integræ conſeruatæ [h]: ex quarum fine apparet eaſdem Conſtantinum ſuo ipſius chirographo conſignatas miſiſſe ad Alexandrinos, ac publice recitari iuſſiſſe, quo illis teſtatum redderet animum ſuum in Arium.

f Socr. lib. 1. cap. 6. g Epiphan. ibid.

DOLVS EVSEBII CÆSAR.

h Rec. Bar. Annal. to. 3. hoc an.

III.

OSIVS CELEBRAT CONC. ALEXAND.

Interea vero Oſius Cordubēnſis Epiſcopus, à Silueſtro Papa (vt vidimus) ad ſedandas Orientalis Eccleſiæ ri-

xas delegans, in Ægyptum cum literis Conſtantini profectus, Generale Alexandriæ CONCILIVM celebrauit: ſic namque illud Athanaſius [l] nominat, quod præſente Apoſtolicæ Sedis Legatio omnes Epiſcopi illarum prouinciarum quæ parebant Antiſtiti Alexandrino, fuerint ad Synodum conuocati. Quæ vero in eo geſta fuerint, cum exciderint ipſius Acta, perpauca tantum quædam ſuperſunt: veluti quod Athanaſius ſcribit, Colluthum presbyterum Alexandrinum (de quo ſuperius facta eſt mentio) pro Epiſcopo ſe falſo gerentem, fuiſſe à Patribus in ordinem redactum: Itemque quod tradit Socrates [k], peruerſum dogma Sabellij, licet iam olim damnatum, quod tamen in illis regionibus plurimum inualuiſſe, teſte prorſus exploſum: & quod ille trium perſonarum diſtinctionem non reciperet in Trinitate, ſed in vnam eas omnes eſſentiam indiſtincte confunderet, factũ eſſe in eadem Synodo, vt in ſanctiſſima Trinitate ſicut vna prædicaretur οὐσία ita tres dicerentur ὑποστάσεις vnde poſtea maior oborta eſt controuerſia, de qua ſuis locis agendum pluribus.

l Athan. Apol. 2.

k Socr. lib. 1. cap. 5.

IV. Osius functus in Oriente legationis munere.

Ex his igitur quæ reperiuntur aduerſus Colluthum & Sabellianos geſta, facile poſſumus intelligere cetera quæ ſunt de eodem Concilio obliuione ſepulta, de rebus geſtis aduerſus Arianos atque Meletianos, quorum cauſa potiſſimum Oſius miſſus videbatur. Sed & ſatis ſignificatum videtur, eumdem Oſium in his functum eſſe Legatione Apoſtolicæ Sedis: nam cum in Conſtantini litteris anno ſuperiori ſcriptis, nonniſi de componendis diſſidiis inter Alexandrum & Arium mentio habeatur: vt ipſe præterea de ſchiſmaticorum & hæreticorum cauſis in primaria totius Orientis ſede cognoſceret, ab alio quam à Conſtantino id ei oportuit imperatum, porro non ab alio id poteſt dici vel fingi, quam ab ipſo Romano Pontifice, quem Alexandri litteris de his & aliis interpellatum fuiſſe vidimus. Quantum autem temporis in iis Oſius inſumpſerit, haud liquet, ſed quod negotia obiret difficillima, putamus ea fuiſſe in plures annos propagata: quem tamẽ non ſemper in Ægypto detentum eſſe conſtat; ſiquidem eadem legatione in componendis Aſianorum Syrorumque diſſidiis de die celebrationis Paſchatis, poſtea occupatum fuiſſe, Sozomenus [l] tradit.

l Sozom. lib. 1. cap. 15.

V. Synodus Gangrensis. m De hoc Concilio egi alia occaſione Baron. in ſin. To. 3. anni Dom. 361. ſed omnino ex ipſius ſententia huc transferendum fuit.

Quin & eodem tempore celebrata reperitur ab eodẽ Oſio GANGRIS [m] ciuitate in Paphlagonia, SYNODVS aduerſus errores cuiuſdam EVSTATHII, qui adeo fauit monachiſmo, vt ſpreuerit reliquos Chriſtianorum ordines; & prætextu quodam ſanctitatis, Dei Eccleſiam (quæ inſtar ſagenæ omnium piſcium genera congregantis, cunctos amplectitur) peſſum dederit; ac ferme fuiſſet demolitus niſi cito ſecuris Apoſtolica infauſtos palmites per Oſium Legatum ſuccidiſſet. Cum vero quo potiſſimum anno dicta Synodus fuerit celebrata, minime appareat; tamẽ ex præſentia eiuſdem Oſii certum redditur, ipſam his temporibus habitam eſſe, cum ipſe labantem Orientalium Eccleſiarum ſtatum reſtituere curaret. Vnde etiam accidiſſe putamus, vt quod idem Apoſtolicæ Sedis auctoritate eidem Concilio præſto fuerit, Symmachus Papa in Sexta Romana Synodo teſtatus ſit, canones Gangrenſes Apoſtolica auctoritate conditos eſſe.

VI. Eustathius hæresiarcha, diversus a Sebasteno. n Socr. lib. 2. cap. 33. o Soz. lib. 3. cap. 13. p Basil. ep. 74 & 82.

Quiſnam autem fuerit *Euſtathius* prauorum eiuſmodi dogmatum architectus, haud certo conſtat. Licet enim hunc fuiſſe Euſtathium illum Epiſcopum Sebaſtæ in Minori Armenia, de quo ſæpe inferius ſub Conſtantio ac deinceps, Socratis [n], Sozomeni [o], & aliorum qui hos ſecuti ſunt hiſtoricorum aſſertione tradatur; nulla tamen id nobis ratione probatur. Quid enim quod nec S. Baſilius [p], cum duabus epiſtolis Valentis Imperatoris tempore ſcriptis, diligenti ſcopa cunctas eiuſdem Euſtathii Sebaſteni turpitudines in vnum congeſſit; nec tot Synodi, quibus idem Euſtathius (teſte eodem Baſilio, & aliis) reperitur fuiſſe damnatus à Catholicis; aliquam prorſus habuere mentionem eius damnationis in Concilio Gangrenſi, vel tot eius hæreſum quæ illic cum auctore anathemati ſuppoſitæ fuerunt; ſed tantum de perfidia Ariana eum damnarunt? Quid item quod fungente eodem Euſtathio Sebaſteno cum collegis legatione apud Liberium Romanum Pontificem (vt ſuo loco dicetur) cum profeſſio ab eo exacta eſt Catholicæ fidei, nulla alia ab ipſo edita eſt, præter illam qua ſe Arianam hæreſim deteſtari ſignificaret? Quid deniq; quod apud neminem antiquorum, qui hæreticorum catalogum ſcriptis fuerit proſecutus, idem Euſtathius Sebaſtenus errorum Gangris recenſitorum auctor eſſe dicatur; non apud Epiphanium, aut Philaſtrium, Auguſtinũ, Theodoretum, vel Damaſcenum? Quapropter accidiſſe exiſtimamus, vt cum ipſo ſui ortu hæreſes illæ cum auctore compreſſæ ac penitus extinctæ, & ab omni memoria deletæ eſſent; nihilominus Socrates & Sozomenus, quod in Actis Gangrenſis Synodi inueniſſent illorum errorum in crimen adductum Euſtathium quemdam, nec alium ſcirent eius nominis ea ætate hæreticum, præter Sebaſtenum; qui hæreſis Arianæ cauſa reperiretur ſæpe damnatus; eidem omnia adſcripſerint.

VII. q Sozom. lib. 3. c. 13. Eustath. Sebast. falso creditus auctor monach. Armen. r Bas. ep. 74. 82.

Sed malus opinator Sozomenus [q], errores ex errore deducens, tradit eumdem Euſtathium Sebaſtenum auctorem extitiſſe vitæ monaſticæ in Armenia, Ponto, & Paphlagonia ibidemq; primum omnium regulas compoſuiſſe quibus monachi ſimul victuri inſtituendi eſſent. Quod quidem tantum abeſt vt dici poſſit, vt nec ſi ipſe monachus fuerit aliquo digno teſte probari poſſit. Siquidem S. Baſilius [r] eiuſdem viri vitam à cunabulis prope retexens, cum eius inſtitutionem Alexandriæ ſub Ario magiſtro recenſeat reditumq; in patriam referat, & quas paſſus eſt abdicationes ob Arianam hæreſim antequam Epiſcopus eſſet, vel cum factus Epiſcopus; nullam vmquam habuit mentionem de ſuſcepto ab eo monaſtico inſtituto; nec etiam cum ad ipſum Euſtathium [s] ſcribens, diuerſarum recenſuit prouinciarum quos nouerat monachos. Sed & quamuis talis extitiſſet, haud tamen vlla prorſus ratione probari poterit, fuiſſe in nominatis regionibus monachorum primum auctorem & inſtitutorem: cum ante Baſilium nullam in iis viguiſſe cœnobiticæ vitæ obſeruantiam, perfacile poſſit intelligi ex eo quod idem Baſilius de eiuſmodi inſtitutione accuſatus à Neocæſarienſibus [t] primariæ Ponti ciuitatis accolis, ſe defendit exemplo monachorum Ægypti, Palæſtinæ, & Meſopotamiæ non autem propinquiorum prouinciarum Armeniæ, Ponti, & Paphlagoniæ; quod neceſſario debuiſſet, ſi iam tunc fuiſſent auctore Euſtathio propagati.

s Id. ep. 79.

t Id. ep. 63.

VIII. Eutactus hæresiarcha. u Epiph. hær. 40.

Verum cum quinam fuerit ille Euſtathius Gangris dãnatus, adhuc remaneat incertum; mouet interim coniectura, vt loco *Euſtathij* reponendus ſit *Eutactus*. Mentio nãque eſt de huius nominis monacho Armeno apud Epiphanium [u]; quem ait educatum fuiſſe in Palæſtina à quodam Petro profeſſione anachoreta, re vera autem impoſtore; reuerſum autem in patriam, multos polluiſſe ope quorumdam quos primo corrupit diuitum & Senatorij ordinis virorum; cuiuſq; morientem reliquiſſe libros hæreſibus conſertos. Vt autem hunc ipſum exiſtimemus eſſe quem Euſtathium dicunt, cum ſimilitudo nominis perſuadet, tum locus (nempe Armenia) vbi docuit; tum etiam quod de eius diſcipulis Epiphan. ſcribat, ſolitos decipere ſimpliciores homines habitu ſolitariæ degentium, & renunciationem quamdam iactaſſe. Quæ quidem renunciatio ea videtur eſſe, qua in Epiſtola Synodi Gangrenſis ad Armenos ſcripta Patres aiunt, eumdem hæreſiarcham & diſcipulos docuiſſe, niſi Chriſtiani omnibus renunciarẽt diuitijs, ſpẽ nullã apud Deũ ſalutis ſuæ ſibi reliquã fore: ſed & illud, Non tantũ filios relinquere debere parentes, & hos illos, verũ vxores viros ſuos, vt ſalutẽ cõſequerentur: aduerſus quẽ errorẽ extant canones [x] eiuſdẽ Synodi. Et quod pertinet ad ſanctiorẽ illũ habitum, quo eos Epiphanius amiciri cõſueuiſſe tradit; eo reſpexiſſe videtur Synodus [y], cũ illos dãnauit qui ſic circũſpecte veſtiti pallio, contẽnerent alios qui breuiorib. vterentur indumentis, nempe birris. Quodq; præterea ſectarentur inſtituta Petri Palæſtini magiſtri Eutacti, quem idem Epiphanius refert quotidianas erogaſſe eleemoſynas; inde potuit accidiſſe, vt iidem oblationes ad erogandas in pauperes ſibi dari, etiam abſque ſcientia Epiſcopi, populo perſuaderent: aduerſus quos ſanciti ſunt in eadem Synodo canones [z].

Eius prava dogmata.

x Conc. Gangr. can. 14. 15. 16.

y Ibid. can. 12.

z can. 7 & 8.

Docebant inſuper eſſe damnabiles nuptias, virumque execrabilem, qui cum vxore dormiret, & culpabiles qui carnes ederent: reiiciendos quoque presbyteros, qui aliquando habuiſſent vxores: ac ſeruos debere dominos ſuos, & liberos parentes, vxores maritos, cultus diuini prætextu contemnere ac derelinquere; eaque occaſione feminas obtentu continentiæ poſſe mutare habitum, virilemque induere, & capillos amputare: Itemque propter continentiam ieiunandum eſſe die Dominico; reliqua vero ab Eccleſia Catholica ſeruari conſueta Ieiunia diſſoluenda: cõtemptibiles eſſe Eccleſias ad quas Fideles cõuenirent, necnon ſacros Conuentus qui in baſilicis Martyrum celebrari ſolerent; ipſaſque Sanctorum Memorias execrabiles eſſe. Quæ cuncta, aliaque eiuſmodi nonnulla, viginti diſtincta capitulis, appoſito ſingulis anathemate eadem Synodus damnauit: quæ ſunt etiam à Socrate[a], Sozomeno[b], Nicephoro[c] breuiter collecta. Cæterum quos reliquit Eutactus poſt ſe libros impietate refertos, eoſdem probe cognitos Epiphanius impugnauit; prætermiſſis erroribus ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantib. in Concilio Gangrenſi damnatis, quod ii poſt dictum Concilium eſſe deſierint, fuerintque cum ipſorum auctore ſimul extincti. Errat autem Gratianus[d], cum exiſtimat hæreticos Gangris damnatos fuiſſe Manichæos. Nam quod illi eleemoſynam facerent, plane conſtat fuiſſe à Manichæorum inſtituto alienos, licet in multis conuenerint.

EVTACTI ERRORES DAMNATI.
a Socr. lib. 2. cap. 33.
b Soz. lib. 2. cap. 33.
c Nic. lib. 9. ca. 16.
d c. illud autem diſt. 30.

X. Hoc eodem anno, ſecundum Nicephori Chronicon, Philogonius Antiochenus Epiſcopus, cum ſediſſet annos quinque, ex hac vita deceſſit; inque locum eius ſuffectus eſt *Paulinus* (qui alicubi Paulus dictus legitur) cuius etiam meminit Hieronymus in Chronico: ex quibus redarguitur Theodoretus[e], qui Euſtathium Philogonio ſubrogatum tradit, nulla penitus de Paulino habita mentione. Porro Philogonius ob vitæ ſanctimoniam relatus eſt inter Sanctos[f]: in cuius laudem ipſius natali die S. Chryſoſtomus[g] orationem habuiſſe reperitur.

PAVLINVS EPISC. ANTIOCH.
e Theod. li. 1. cap. 7.
f Mart. & Menol. 20. Dec.
g Chryſ. to. 5. ad ſ.

XI. Hoc item anno iiſdemque Coſſ. Conſtantinus Imperator iterum aduerſus Aruſpices, qui priuatim in alienis domibus Aruſpicinam exercerent, reſcripſit[h]. Itemque pro Clericorum[i] ab omnibus muneribus immunitate; exceptis (vt poſtea[k] declarauit) illis qui vitandorum eiuſmodi munerum cauſa fraudulenter ad clericatum confugerent. Sed illud maius quod tradit Sozomenus[l], eumdẽ Imperatorem lege lata dediſſe poteſtatem omnibus, quicumq; in iudicium non ſolum pro Eccleſiaſticis controuerſiis, ſed etiam pro ſecularibus cauſis, & ciuilibus diſceptationibus ac litibus vocarentur, reiectis ciuilibus magiſtratibus ad Epiſcoporum iudicium prouocandi; ac ſtatuiſſe Epiſcoporum ſententiam ſic ratam eſſe, & aliorum quorumcumque Iudicum Præſidumque ſententiis præualere, ac ſi ab ipſo Imperatore prolata eſſet: denique iuſſiſſe vt magiſtratus Epiſcoporum iudicia exequerentur, & milites eorumdem voluntati inſeruirent. Meminit eiuſdem legis Euſebius[m], extatque[n] eadem ipſa hactenus integra. Sed de iudiciaria Epiſcoporum auctoritate, ab ipſo CHRISTO Domino inſtituta, & ab Apoſtolo ſtabilita, dictum eſt alias[o] abunde.

h l. 1. & 2. C. Th. de maleſ.
i l. 2. C. Th. de Epiſ. & cler.
k l. 3. eo.
l Soz. lib. 1. cap. 9.
CONSTAN RESCRIBIT PRO CLERICIS.
m Euſ. 4. de vit. 27.
n l. 1. C. Th. de Epiſ. audiẽ.
o Sup. an. 57. n. 10. 11. 12.

IESV CHRISTI AN. 320.

CONSTANTINI AN. 15.

SILVESTRI AN. 7.

I. ANno Chriſti trecenteſimo vigeſimo, Conſtantino Auguſto ſextum & Conſtantino Cæſare ipſius filio Coſſ. celebrata ſunt Romæ Cæſarum) Quinquennalia, cum ipſe Conſtantinus pater annum iam decimumquintum Imperii auſpicatus eſſet, & vota pro eius Vicemalib. fierent; vt expreſſe teſtatur Nazarius[a] celebris horum tẽporum orator in Panegyri quam tunc Romæ habuit, abſente licet Imperatore; qui anno ſuperiori profectus ab oriẽte, præſenti in Gallias peruenit, vt conſtat ex reſcripto[b] iiſdem Coſſ. Calendis Martii in ipſo eius in Gallias aduentum in vrbe Vellouocorum dato. Sed & ipſos Cæſares vna cum eo tunc egiſſe, idem orator demonſtrat. Attigitque inſuper victoriam, hoc eodem anno à Criſpo Cæſare Conſtantini primogenito aduerſus barbaros obtentam: quos quidem fuiſſe Alemannos, docent antiquorum inſcriptiones[c] nummorum.

QVINQVENNALIA CÆSARVM.
a Nazar. panegyr. 3. Conſtant.
b l. 2. C. Th. de Veter.
c Adolph. de numiſm.

II. His item Coſſ. Idem Conſtantinus Imperator ſanctionem[d] ad Populum edidit, qua leges aduerſus cælibatum ſtatutas (quibus cælibes à ſucceſſione ſuorum repellebãtur, ingenſque inde theſaurus in Ærarium inferebatur) voluit abrogatas: ſiquidem illæ iure olim ſancitæ leges (vt conteſtatus eſt Auguſtus apud Tacitum[e] & Dionem) aduerſus turpem, fictum, & ſterilem cælibatum, iniuſte à Gentilibus conuerſæ eſſent contra verum, ſanctum, atq; fœcundum Chriſtianorum hominum cælibatum, diuinis oraculis[f] præcognitum atque laudatum Domini ſententia[g] comprobatum, & Apoſtolica[h] auctoritate firmiter ſtabilitum. Cæterũ hæc Conſtantini lex in Codice Theodoſiano data ponitur pridie Calendas Februarii Sardicæ; Publicata vero Romæ iiſdem Coſſ. Conſtantino Auguſto ſextum & Conſtantino Cæſare, quæ inde in Codicem poſtea Iuſtinianeum[i] deriuata aliis habetur notata Coſſ. nec integra recitatur. Agunt etiam de illa Euſebius[k] & Sozomenus[l]: hicque addit, maioribus etiam priuilegiis eos qui virginitati ſe conſecraſſent, à Conſtantino donatos eſſe; nimirum vt tam maſculi quam feminæ, etiamſi adhuc impuberes eſſent, teſtamẽta condere poſſent; cum & ob hanc cauſam veteres quoque Romani lege permiſiſſent, vt Virgines Veſtales etiam ad ſextum ætatis annum teſtamentum facerent. Certe eumdem Imperatorem coluiſſe plurimum ſanctas Dei Virgines, idem Euſebius aſſerit[m]; eaſdemque ex publico aluiſſe, Theodoretus[n] eſt auctor.

CONST. RESCRIBIT PRO CÆLIB.
d l. 1. C. Th. de infirm. pœn. cælib.
e Tac. lib. 3. Dio lib. 56.
f Iſa. 54. 56.
g Matt. 19.
h 1. Cor. 7.
i l. 1. C. de infir. pœn. cælib.
k Euſ. 4. de vit. 26.
l Soz. lib. 1. c. 19.
m Euſ. 4. de Vit. 28.
n Theodor. lib. 1. cap. 11.

III. Porro cum plura eſſent legis Papiæ capita, eadem à diuerſis Imperatoribus paulatim amputata ſunt; primo à Tiberio[o], poſtea à Claudio[p], deinde à Seuero[q] hoc vero tempore à Conſtantino & poſt eum ab Honorio[r], deniq; à Iuſtiniano[s], qui nouiſſimus omnium ad excisam multis ramis ingentem arborem ſecurim admouit, Caduca cædens: licet eſſent alia quædam eiuſdem legis Papiæ capita ad iura patronorum ſpectantia, quæ adhuc poſtea viguere. Quod autem lex Papia eo conſilio contra cælibatum ſtatuta fuiſſet, quo Vrbs ob bella ciuilia ciuibus exhauſta, ſobolis fœcunditate in priſtinum ſtatum reduceretur; de his agens S. Ambroſius[t], maxime falli demonſtrat eos qui ex ſancto cælibatu Chriſtianorum, putarent exhauriri hominum prole Romanum Imperium; exemplis docens, vbi paucæ virgines, ibi etiam pauciores homines; vbi virginitatis ſtudia crebriora, ibi numerum quoque hominum reperiri maiorem. Præter alias vero, quæ reperiuntur ab eodem Imperatore Conſtantino iiſdem Coſſ. latæ de variis rebus æquiſſimę leges, ad coercendam quoque procacem facinoroſorum audaciam, aduerſus virginum ac viduarum raptores ſeueriſſime reſcripſit[u].

DE ABROGATIONE LEGIS PAPIÆ.
o Suet. in Claud. c. 3.
p Ibid. & ca. 19.
q Tertul. Apol. cap. 3.
r l. 2. C. de infir. pœn.
s l. 1. C. de cadu. toll.
t Ambr. de virg. lib. 1.
u l. 1. C. Th. de rapt. virg.

IESV CHRISTI AN. 321.

CONSTANTINI IMP. AN. 16.

SILVESTRI AN. 8.

I. ANno Chriſti trecenteſimo vigeſimo primo, Criſpo & Conſtantino Iuniore Cæſaribus ſecundum Coſſ. (vt auctor eſt S. Auguſtinus[a]) eorum pater Conſtantinus Imperator Donatiſtarum precibus fatigatus, quos ex illis ante annos quatuor in exilium condemnauerat, indulgens relaxauit; Deo relinquens puniendos, quos nulla vel pœna correxiſſet, vel clementia emolliiſſet.

a Aug. poſt Collat. lib. 3. c. 31. & in Breu. collat. di. 3. c. 22. & ep. 152.
DONATISTÆ RELAXATI AB EXILIO.

II. Quod autem iidem ſcirent, in vniuerſa Catholica Eccleſia in confeſſo haberi, nonniſi ex communicatione cum Romano Pontifice quempiam nanciſci poſſe Catholicum nomen; vt id mentire ſaltem aſſequerentur, eo malitiæ adacti ſunt, vt ſtatuerint aliquem ex ſuis Romam mittere qui ibi Epiſcopũ ageret; eo quidẽ prætextu, quod quidam Afri ſuæ communicationis homines in Vrbe cõmorantes, petiiſſent ſibi mitti qui eos colligeret; ſed re

DONAT. CONSTITVVNT SIBI ROMÆ EPISCOPVM.

vera

vera vt ſic gloriari poſſent ſe Romæ habere Epiſcopum, ac proinde nomen Catholicum promereri. Itaq; his ipſis Silueſtri Papæ temporibus, eo miſerunt *Victorem* quendam Garbienſem, cui alii quinque vſque ad tempora Optati, qui hæc deſcribit [b], ſucceſſiue ſuffecti ſunt: iidemque (vt ait Auguſtinus [c]) vel ex Africa mittebantur ordinati, vel alii Epiſcopi Donatiſtæ ad eum ordinandum Romam pergebant, cum tamen (vt docet Optatus) nonniſi Afros vnquam ordinauerint, quod nullos alios ſibi adhęrentes haberent. Quapropter & nullo negotio iidem Patres [d] totam eorumdem machinationem vnica argumentatione diſſoluerunt, nempe quod nullam haberent manantem à Petri Cathedra ſucceſſionem, ex qua Eccleſia Catholica veræ vnitatis ſoliditate compaginata omnibus innoteſceret; nec commercio Formatarum cum Romanis Epiſcopis in eadem Petri Cathedra ſedentib. in vna communionis ſocietate concordarent.

b Opt. lib. 2.
c Aug. de hær. c. 69.
d Opt. lib. 2. Aug ep. 164. 165. & alibi

IIII. ALIA DONAT. NOMINA.

Porro quod qui Romæ agerent, excluſi ab ipſa ciuitate in quadam montium vicinorum ſpelunca conuenticula celebrarent, tradit idem Optatus, inde eos nomenclaturam accepiſſe, vt dicerentur *Montenſes*, quo etiam nomine à S. Hieronymo [e] & ab Imperatore [f] appellantur. Verum eiuſmodi nuncupationis antiquiorem in Africa cauſam deprehendimus in Feliciſſimo ſchiſmaticorum anteſignano tempore Cypriani, qui ſuos in monte colligeret, vt alias [g] dictum eſt. Et quod pariter oſtenderimus, ex eadem factione manaſſe Nouatum, inde putamus accidiſſe quod S. Epiphanius [h] ait, Nouatianos Romæ vocatos eſſe Montenſes. Ceterum ipſos Donatiſtas Romæ agentes S. Auguſtinus [i] non tantum Montenſes, ſed iam *Rupitanos* à rupe nominat: qui & apud eumdem mendoſe reperiuntur dicti *Cuzupitæ* pro *Corrupitæ*. Denique S. Hieronymus [k] *Campitas* appellat, quod in campis ſuos colligerent.

e Hier. ep. 133.
f l. 43. C. Th. de hæret.
g Sup. an. 254.
h Epiph. hær. 59. in fi.
i Aug. de vnit. Eccl. c. 3.
k Hier. aduerſ. Lucif. in fin.

IV. DONAT. FACTI HÆRETICI.

Conſtat inſuper perditiſſimos homines primo ex Traditoribus ſchiſmaticos factos, poſtea in deterius prolabētes hæreticos euaſiſſe, & cum Nouatianis rebaptizaſſe Catholicos qui ad eos tranſirent; ſicut Optatus [l] & Auguſtinus [m] aſſerunt: quam quidem rebaptizationem, nōniſi à temporibus Macarianis ſub Conſtante Imperatore filio Conſtantini ab iiſdem Donatiſtis inductam fuiſſe, ſignificat apud eumdem Auguſtinum [n] Ticonius Donatiſta. Fuit & illa peculiaris eorumdem [o] hæreſis, Eccleſiam ibi eſſe non poſſe vbi peccatum eſt; ideoque propter crimina (quæ ipſimet falſo commenti erant) Cæciliani Carthaginenſis Epiſcopi, Eccleſiam Chriſti de toto terrarum Orbe periiſſe, quaſi contagione communionis eius extinctam, atque in Africa apud ipſos ſolos permanſiſſe. Sed & ipſorum coryphæum Donatum, qui his temporibus extitit poſt Maiorinum, pſeudoepiſcopus Carthaginenſis, ſcribit idem Auguſtinus [p], haud recte ſenſiſſe de ſanctiſſima Trinitate; ſed quamuis eiuſdem ſubſtantiæ, minorem tamen patre Filium, & minorem Filio putaſſe Spiritum Sanctum. Quod nec ignorauit S. Hieronymus [q], dum eius ſcripta relegens ait edidiſſe de Spiritu Sancto librum Ariano dogmati congruentem. Sed (vt Auguſtinus addit) in hunc eius errorem, Donatiſtarum multitudo intenta non fuit.

l Opt. lib. 2.
m Aug. hær. 69.
n Id. ep. 48. ad Vincent.
o Aug. cont. ep. Parm. lib. 1 cap. 1. & de hær. ca. 69.
p Ibid. c. 69.

DONATVS FACTVS ARIANVS.
q Hier. de Script. Eccl. in Donat.

V. DONATI FASTVS ET ARROGANTIA.

Eo porro arrogantiæ idem ille perueniſſe traditur [r], vt ab aliis Epiſcopis exegerit non minori timore ipſum venerari quam Deum: & cum per ſolum Deum ſoleant homines iurare, paſſus fuerit homines per ſe ſic iurare tanquam per Deum. Quin & ſuos iactare ſolitos, ei oranti reſpondiſſe Deum de cœlo, Auguſtinus [s] teſtatur. Atq; inſuper Præfectos, immo ipſos imperatores conuiciis & contumeliis laceſſiuiſſe, Optatus [t] eſt auctor. De Doniſtarum vero ab eo denominatione, iam dictum eſt ſuperius in origine ſchiſmatis. Sub eodem autem Donato, ipſoque docente, puto, & hortante, oborti ſunt in Africa *Circelliones* ſiue CIRCVMCELLIONES, ſic dicti (inquit Auguſtinus [u]) quod circum cellas vagarentur, quos tamen à Donato *Agoniſticos*, & eorum Præfectos, *Duces ſanctorum* nominatos eſſe, Optatus ſcribit. Erant hi ſectæ defenſores, qui auderent Præfectis quoque reſiſtere, quique per nundinas, villas, vicoſque circumuagantes, iactabant ſe eſſe publicæ iuſtitiæ vindices; eoque prætextu & ſeruos vocabant ad pileum, & oppreſſos ære alieno à creditoribus liberabant: quorum immania ſcelera aduerſus Catholicos perpetrata, inſanumque furorem martyrii adipiſcendi, & impiratorum aduerſus eos edicta ſæpe commemorat Auguſtinus, agetur que de iiſdem inferius ſuis locis.

r Opt. lib. 3.
s Aug. tract. 13. in Ioan.
t Opt. lib. 3.

CIRCVMCELLIONVM ORIGO ET IMPIA FACINORA.
u Aug. in pſal. 132.

VI. DE FERIATIONE DIEI DOMINICÆ.

Hoc eodem anno iiſdemque Coſſ. Conſtantinus Imperator de feriando die Dominico, & in eo precib. diuinis vacando, ſanctionem edidit [x]. Quod autem eum non Eccleſiaſtico more *Dominicum* appellat, ſed more Gentilium, *Solis*, inde colligi poteſt, non Chriſtianis ſolum, ſed Gentilibus eamdem legem ab ipſo præſcriptam. Teſtatur enim Euſebius [y], eiuſdem feriationem diei fuiſſe quoque Gentilibus militibus imperatam, datamque eis precationum formulam, qua omnes eo die in patentibus ſuburbiorum campis in vnum conuenientes vti deberent; nēpe, *Te ſolum Deum agnoſcimus, te Regem profitemur, te adiutorem inuocamus: per te victorias conſecuti ſumus, per te hoſtes ſuperauimus: abs te & præſentem felicitatem conſecutos fatemur, & futuram adepturos ſperamus: tui omnes ſupplices ſumus. Abs te petimus vt Conſtantinum Imp. noſtrum, vna cum piis eius liberis quam diutiſſime nobis ſaluum & victorem conſerues.* Præter hęc etiam conſtituiſſe, vt cuncti Romano Imperio ſubditi in honore haberent diem qui Sabbatum præcedit; idem auctor affirmat: quod quidem de die Veneris, quam ſextam feriam dicimus, quoniam eo Chriſtus crucifixus eſt, intelligendum, Sozomenus [z] docet, dum hæc cuncta paucis perſtrinxit. Ceterum de horum dierum ſolemnitatibus, & cultu in Eccleſia antiquiſſimo, iam dictum eſt aliis locis.

x l. 1. C. Th. de fer.
y Euſeb. 4. de vit. 19.

FORMVLA PRECVM MILITVM.

z Soz. lib. 1. c. 8.

VII. MALEFICI COHIBITI.

Iiſdem etiam Coſſ. idem Imperator reſcripſit [a] aduerſus maleficos & incantatores, immiſſoreſque tempeſtatum, & qui per inuocationem dæmonum mentes hominum turbarent. Itemque alia [b] lege facultatem quibuſcumque dedit, quæ vellent de bonis ſuis vltima voluntate eccleſiis relinquere. Quo quidem adeo auctæ ſunt illarum diuitiæ, vt poſteriores Imperatores veriti ob eam cauſam Reipublicæ detrimentum & paupertatem, conati ſunt iterum ab eiuſmodi profuſis largitionibus cohibere Fideles; de quo dicetur ſuo loco.

a l. 4. C. de malef.
b l. 4. C. Th. de Epiſc. & cler.

ECCLESIÆ BONIS AVCTA.

VIII. IMPIVM CONST. EDICTVM PRO ARVSPICINA.

At in fine huius anni minus plane dignum, atque adeo abhorrens à Chriſtiano Imperatore reſcriptum [c], idem Conſtantinus Sardicæ exiſtens dedit ad Maximum Præfectum Vrbis, quo Aruſpices ob præcedentia quædam prodigia conſuli iuſſit, idemque ab omnibus aliis publice fieri permiſit. Ex quo puto perſuaſum Zoſimum [d] aſſerere, Conſtantinum vſque ad hæc tempora, licet initium, Gentilitiam ſuperſtitionem eſſe ſectatum, vt Senatui morem gereret. Quæ quam falſa ſint, ſatis ſuperque demonſtrant quæ ſuperioribus annis ex probatiſſimis auctoribus aliiſque monumentis de eo relata ſunt. Illud tamen non abnuerim, Conſtantinum cum Senatu Populoque Romano atque prouincialibus Gentilibus, magna adhibita circumſpectione egiſſe; & ſic Chriſtum coluiſſe, vt deorum cultores non fuerit auerſatus. Sed vnde huius reſcripti promulgandi occaſio? Nempe cum ante proxime elapſum annum idem Imperator (vt vidimus) iterum aduerſus Aruſpices reſcripſiſſet, qui priuate in alienis domibus Aruſpicinam exercerent; ea de re ſuſpicio non leuis videbatur Gentilibus Romanis illata, eumdem paulatim ritus patrios antiquare in conſilio habuiſſe. Quapropter ne inſenſos iam ſibi Chriſtianæ religionis cauſa illorum animos, eiuſmodi ſuſpicione acerbius irritaret: ideo putamus eum de conſulendis Aruſpicibus reſcripſiſſe. Quinimo cū eodem reſcripto declarauerit, ſe idipſum peragendi licentiam omnibus tribuere, dummodo à priuatis ſacris & domeſticis ſacrificiis abſtinerent; plane ſignificauit, aliquo alio reſcripto Aruſpicinā quoq; publicā fuiſſe vetitā: quod illorum animos mirū in modum exacerbaſſe, & ad res nouas moliendas concitaſſe, videri poterat; cum maximæ omnium æſtimationis & auctoritatis Aruſpicinam Romæ extitiſſe, ſatis declaret lex duodecim tabularum de Auguriis, quam Cicero [e] recitat & explicat.

c l. 1. C. Th. de Pagan.
d Zoſ. lib. 2.
e Cic. lib. 2. de legib.

Sed

Neocæſarienſi vero, cui complures ex iis qui Ancyræ interfuerant ſubſcripti habentur, iidem poſt aliquod tempus ſuppleſſe viſi ſunt ea quæ in Ancyrano fuerant prætermiſſa. Quod enim inter alios *Baſilius* Epiſcopus Amaſeæ vtrique interfuiſſe legatur, idemq; in perſecutione Licinii, quæ proxime eſt ſubſecuta, martyr occubuerit: plane neceſſe eſt affirmare, haud diu poſt Ancyranum, iterum Neocæſareæ eoſdem ferme Antiſtites conueniſſe, antequam Licinius Orientalem Eccleſiam perſequi aggrederetur: ex quibus etiam plurimi ſubſcripti reperiuntur Nicænæ poſtea celebratæ Oecumenicæ Synodo.

X. CONC. ANCYRANVM.

Ceterum ab iis qui *Ancyræ* conuenerunt decem & octo magni nominis Epiſcopis, ſtatuti ſunt canones viginti quatuor, tum de pœnitentia pro criminum differentia Lapſis iniuncta, ſecundum quod iam ab aliis vidimus diuerſis locis atque occaſionibus factitatum: tum de Eccleſiaſtica diſciplina incorrupte ſeruanda: ac in primis de cælibatu clericorum, qui in eadem Synodo eſt firmius ſtabilitus. Illos tamen diaconos eximi voluit, qui cum ordinarentur inuiti, fuiſſent pariter conteſtati ſe non poſſe continentes viuere: etenim qui ſic clamaſſent, etiam poſt ſuſceptum diaconatus ordinem poſſe vxorem ducere, Patres illi conſenſerunt. ſi vero tacuiſſet, continentiam debere ſeruare ſtatuerunt.

CONC. NEOCÆS.

In *Neocæſarienſi* porro Synodo, à ſeptemdecim Epiſcopis ſtatuti ſunt quatuordecim canones, tum ad eundẽ clericorum cęlibatum, tum ad œconomiam Eccleſiaſticam & pios Fidelium mores ſpectantes. *Vitalis* autem Epiſcopus Antiochenus, qui eidem vtrique Synodo primus ſubſcripſit, haud diu poſt hæc ſuperſtes exiſtens (quem his temporibus, cum Licinius in Oriente regnaret, deceſſiſſe Theodoretus [z] ſcribit) ſucceſſorem habuit *Philogonium*, inſigni & ipſum pietate virum.

z Theod. l. hiſt. 3.

XI. DE CONCILIO LAODICENO.

Cum autem de CONCILIO LAODICENO [a], antiqua nobilitate percelebri, Græcorum ac Latinorum ſcriptis memoriæ commendato, incertum ſit quo potiſſimum tempore celebratum fuerit: de eo tractaturi, primo corrigemus errorem, quod à pleriſque celebratum dicitur Laodiceæ quæ eſt in Syria: cum tamen in ipſius titulo diſerte legatur *Laodicea Phrygiæ Pacatianæ*. Grauior vero ille, quo Laodicea quæ eſt in Syria, eadem aſſeritur quæ eſt ad Lycum flumen: cum ex Strabone, [b] Plinio [c], Ptolomæo, & aliis Coſmographis duas conſtet fuiſſe Laodiceas: alteram Syriæ, quæ dicta eſt *Seleucia Tetrapolis*: alteram in Phrygia; dictam à Strabone *Laodiceam Hierapolim*: quinimmo ponunt [d] & aliam in Media à Macedonibus conditam. Quæ autem in Syria eſt, haud procul diſtat à ponte Orontis fluuii, Chalcidis contermina, condita à Seleucio. Sed quæ in Phrygia eſt ad Lycum ſita, nobilis quidem ciuitas, ac toti' prouinciæ (vt ait Theodoretus [e]) metropolis: ſed nobilior elogio SS. Apoſtorum Pauli [f] & Ioannis [g]. Ex his pariter redarguitur [h], qui putauit hanc Synodum celebratam eſſe ſub Theodoſio Epiſcopo. Fuit enim iſte Laodiceæ Syriæ Epiſcopus [i], qui in Concilio Magno Nicæno ſubſcriptus habetur inter Epiſcopos Cœleſyriæ. Quo tẽpore Laodiceæ Phrygiæ præerat Nunechius, qui itidem Nicæno Concilio reperitur primo loco ſubſcriptus inter Epiſcopos Phrygiæ. Sed hæc ſatis de loco.

a De hoc Concilio etiam Baron. n. 6. To. 4. Annal. Sed ex eiuſdem ſententia fuit omnino collocandum hoc loco
b Strab. l. 13.
c Plin. lib. 5. cap. 20.
PLVRES LAODIC.
d Strab. l. 11.
e Theodor. in Coloſſ. 2.
f Coloſſ. vlt.
g Apocal. 3.
h c. 11. diſt. 16.
i Euſeb. li. 7. cap. vlt.

XII. DE TEMPORE CONCIL. LAODIC.

De tempore primum liquido conſtat, eandem Synodum non tantum ante tempora Theodoreti habitam eſſe, dum inuenitur ab eo [k] citata: ſed etiam ante S. Baſiliũ, quem eiuſdem meminiſſe certum eſt, dum ait [l] Catharorum (hoc eſt Nouatianorum) baptiſmum ſuſcipiendum eſſe, quod nonnullis Aſiaticis viſus ſit ſuſcipiendus. Id n. ſtatutum habetur in Laodiceno Cõcilio canone ſeptimo. A quo etiam cum reiiciatur Cataphrygarum baptiſmus: ex eiuſdem ſententia Baſilium itidem definiiſſe apparet. Vtrum autem poſt Nicænum Concilium, vel antea habita fuerit: diffinita cauſa eſſet, ſi quod in eodem ſeptimo canone Photinianorum hæreticorum baptiſmus approbatur, omnium exemplarium & editionum vna eſſet eademq; lectio. Verum cum plerique ſcripti codices, nec nõ editio poſita in cuſis libris poſteriori loco, careãt illis verbis, *Aut Photinianis*: manifeſtumque ſit ex Concilio [m] Arelatenſi, collatũ à Photinianis baptiſma, ab Eccleſia numquam fuiſſe receptum: (quod ſcilicet omnino negarent diuinitatem Filii Dei, quem hominem tantummodo fuiſſe dicebant) idemque confirmetur ex eo quod Theodoretus [n] affirmat Photinianos eadem ſenſiſſe cum Paulianiſtis, quos Concilium [o] Nicænum venientes ad Eccleſiam baptizari voluit. His inquam, ita exiſtentibus, & penitus ab eodem canone ſeptimo explodenda eſt lectio de approbatione baptiſmi Photinianorum, nihilque eſt quod inde conuinci poſſit, illud Concilium celebratum fuiſſe poſt Nicænum.

k Theod. in Coloſſ. 2.
l Baſil. ep. ad Amphil. c. 1.
m Conc. Arel. 1. can. 16.
n Theo. hær. fab. l. 2.
o Con. Nic. can. 19.

XIII.

Sunt vero plura quæ ante celebratum perſuadent: veluti quod conſtet auctoritate S. Hieronymi [p], receptum in Nicæno Concilio librum Iudith, qui tamen in ſerie librorum Scripturæ à Patribus Laodicenis omiſſus eſt: quod minime contigiſſet, ſi eum Nicæni iam ante approbaſſent. Præterea cum reperiantur quinque [q] canones Laodiceni Concilii, eadem omnino continere quæ in Nicæno ſtatuta ſunt, nec in eis vlla prorſus habeatur mentio Nicæni eadem ſtatuentis: argumentum eſt ea prius Laodiceæ decreta fuiſſe: ſiquidem vel non oportuerat ea paulo poſt iterum ſanciri à Prouinciali Concilio, quæ decreta nuper fuerant in Oecumenico: vel ſaltem ad maiorem Eccleſiaſticis legibus auctoritatem conciliandam, debuerant Patres meminiſſe Nicænorum canonum: ſicut in aliis Conciliis factum eſſe reperitur. & in hoc ipſo Laodiceno [r] ſeruatum, dum decretum eſt, Bigamus ad breue tempus pœnitere debere, idque (vt ponitur) ſecundum Eccleſiaſticũ canonem: nempe Neocæſarienſis [s] Concilii, in quo id ſtatutum fuit: vnde & manifeſtum eſt, Laodicenum celebratum fuiſſe poſt Neocæſarienſe: & ex his omnibus colligas eos grauiter errare qui ad longe alia tempora, quam iſta, referant.

p Hier. ep. 111.
q Con. Laodic. c. 3. 5. 8. 12. 20. Nic. 2. 18. 19. 4. 14.
r Con. Laod. can. 1.
s Conc. Neocaſ. c. 3.

XIV. DECRETA SYNODI LAODIC.

Sunt autem ſexaginta eiuſdem canones ad diſciplinam & œconomiam Eccleſiaſticam pertinentes: quibus & Eccleſiæ antiqua traditio refertur, vt de Confeſſione [t] peccatorum, cultu [u] Sanctorum Martyrum, vſu [x] ſacri Chriſmatis, Ieiunio [y] Quadrageſimæ, & aliis. Qui autem poſtremus ſtatutus eſt, de non canendis in eccleſia pſalmis vulgaribus, ſed iis tantum qui in ſacris libris inuenirentur: equidem aduerſus prauum vſum à Paulo Samoſateno (vt dictum eſt alias) primitus introductum, conſulto ſancitus eſſe videtur. Denique de Angelorum cultu, quem eadem Synodo vetitum nonnulli putarunt, dictum eſt abunde ſuperius [a].

t Con. Laod. can. 2.
u Ibid. c. 34. 51.
x cap. 48.
y can. 49. 50.
z cap. 35.
a Sup. an. 50 nume. 6. & ſeqq.

XV. BYZANTINI EPISCOPI.

Hoc eodem anno Imperii Conſtantini nono, ponitur à Cedreno [b] *Metrophanes* creatus quartus Epiſcopus Byzantii quem & Zonaras [c] ait ſucceſſiſſe fratri ſuo Probo: ambos autem filios fuiſſe Domitii fratris Probi Imperatoris: eundemque ipſum Domitium eiuſdem ciuitatis ante Probum filium extitiſſe Epiſcopum. Cæterum cum Cedrenus quartum nominet Metrophanem Epiſcopum Byzantinum: Nicephorus [d] tamen Calliſtus, necnon alter Nicephorus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, ſeriem texentes eiuſdem ciuitatis Epiſcoporum, ab ipſo Andrea Apoſtolo exordium ſumpſere, vt demonſtrarent eam Eccleſiam Apoſtolicam eſſe. At vero non tantum nullus antiquorum id dixiſſe reperitur: ſed & teſtatur Gelaſius [e], ne Metropolim quidem, ſed & parochiam tantũ fuiſſe Heraclienſis Eccleſiæ: & Agapeti [f] Papæ teſtificatione palam factum eſt ipſis Conſtantinopoli agentibus Epiſcopis, non ab Andrea, ſed à Petro datum eſſe primum Epiſcopum Byzantinis.

b Cedr. in comp.
c Zonar. Annal. to. 3. in Conſtant.
d Nic. l. 8. c. 6. & alter. Nic. in Chron.
e Gelaſ. ep. ad Epiſc. Dard.
f Agap. ep. ad Petr. quæ ext. in Quint. Syn. act. 2.

IESV CHRISTI AN. 315.

CONSTANTINI AN. 10.

SILVESTRI AN. 2.

I.

ANNO Chriſti trecenteſimo decimo quinto, Conſtantino & Licinio Auguſtis quartum Coſſ. idem Conſtantinus auſpicatus Imperii ſui annum decimum, Decennalia celebrauit: non quidem ritu Gentilium, ſed vt Chriſtianum decebat, pro ſacrificiis animalium Deo puras gratiarum actiones preceſque ſolemniter

fundens: vt Euſebius [a] tradit. In his autem ſolemniis conſueuerat fieri Votorum nuncupatio ꝓ ſalute Principũ tertia die [b] poſt Calendas Ianuarias, quando ſingulis annis vna libra auri in ſeptuaginta duobus ſolidis [c] obrizis ipſo anni principio offerri ſolebat. Sed hæc temporibus Chriſtianorum Impp. Nam olim (vt obſeruauit Alexander [d]) collectam ſtipem ex voto nuncupato pro ſalute Principis, iaciebant in Lacum Curtium. Quamuis quod in eiuſmodi votorum nuncupationibus (vt docet Tertullianus [e]) ſoleret voueri Ioui bos cornibus auro decorat⁹: ne eiuſmodi impietatis vota pro ſua ſalute nuncuparentur, videri poſſit Conſtantinus in dictam auri penſitationem ea mutari voluiſſe.

VOTORUM SOLEMNIS NUNCUPATIO.

a Euſ. 1. de Vit. Conſt. 41. b l. Si calumnietur. §. poſt Cal. D. de verb. ſig. c De oblat. vot. C. Th. l. 7. in ſi. & C. Iuſtin. l. 12. tit. 48. d Alex. Genial. dier. l. 3. cap. 22. e Tert. de cor. mil. ca. 12.

II. CRISPUS ET CONSTAN. CAES.

Iiſdem vero ipſius Decennalibus ab eodem Imperatore creatos eſſe Cæſares duos ipſius filios CRISPUM & CONSTANTINUM, Nazarius teſtatur oratione Panegyrica q̃ habuit in Quinquennalibus eorũdẽ Cæſarũ, dũ affirmat Conſtantinum perueniſſe iã in annũ Imperii decimum quintũ. Ex quib⁹ erroris imprimis arguitur Euſebii Chronicon, in quo id legitur accidiſſe anno octauo Conſtantini: nam & ipſe [f] in Vita eiuſdem tradit, hoc eodem anno eius Imperii decimo, Conſtantinum filium Cæſarem à patre nuncupatum eſſe: prætereiens eo loco Criſpum, ne parentis in eum facinus recoleretur aliquando. Corrigendus ex his etiam Aurelius Victor [g], qui tempore conuentus Mediolanenſis, quo Licinius Conſtantiam ſororem Conſtantini duxit in vxorem, ambos Conſtantini filios, necnõ Licinianum eiuſdem Licinii filium (quem pleriquе alij *Licinium Iuniorem* nominant) creatos fuiſſe Cæſares tradit. Etenim cum ille ex eadem Conſtantia natus ſit, quomodo nondum in vtero conceptus potuit Cæſar creari? Deniq; & emẽdandus Zoſimus [h], dum hos creatos ait poſt certamen Cybalenſe, quo Licinius ſuperatus eſt à Cõſtantino. Porro de iiſdem tribus ſimul creatis Cæſaribus, eſt quoque mentio in Euſebij Chronico: & de Criſpo additur, literis eruditum eſſe à Lactantio viro omnium ſuo tempore eloquentiſſimo, ſed adeo in hac vita paupere, vt plerũque etiam neceſſariis indiguerit: de quo, ac ſcriptis eius, alia occaſione dictum eſt [i] ſuperius.

f lib. l. 4. cap. 40. g Vict. in Conſtant. LICINIANUS CAES. h Zoſ. l. 2. i Sup. an. 302.

III. CONST. MUNIFICENTIA IN PAUPERES.

Hoc eodem anno iiſdemq; Coſſ. idem Conſtantinus Imperator dignam plane Chriſtiano Principe edidit ſanctionem [k], qua in Italia parentum inopiæ (cum illi filios, quos alere non poſſent occiderent) tum ex fiſcali tum ex priuata Imperatoris pecunia [l] ſubueniri voluit: reliquis vero prouincijs ſic alia lege prouidit, vt parentibus egentibus ita demum cõcederetur diſtractio liberorum, vt tamen redimi ſemper vel ab iis qui vendidiſſent, vel à quacunque alia perſona poſſent, ſiue reddito pretio, ſiue alio mancipio oblato. Denique ea quæ Italis placuit impertiri, poſtea quoque ad alios prouinciales egentes prorogauit [m], quibus pariter ex fiſco & horreis publicis ſubueniri voluit, antequam aliquid indigni pati aut facere cogerentur. Ex quibus plane perſpicias patẽtes Zoſimi calumnias in Cõſtantinũ, dum ait [n] fuiſſe adeo in exactione tributorum tenacem, vt paſſus ſit ob eorum ſolutionem, parẽtes filios diſtraxiſſe atque filias proſtituiſſe: quem è contrario prouidiſſe conſtat [o], vt exactiones abſq; concuſſione fierent, & ne debitores experiri cogerentur carcerẽ, vel pœnas aliquas corporales, quibus antea affligebantur: ac licet fiſci debitores eſſent, nonniſi in eorum hunc ageretur: quęq; antiquæ inſcriptiones [p] docent tributa aliquando vbiq; remiſiſſe. Et tametſi non aliud, certe Legis Papiæ (vt videbimus) ex ea parte detrũcatio, ex qua ingentem pecuniarum vim corradere potuiſſet, magnum eius largitatis & à populorum vexatione continentię fuit documẽtum. Quibus optime ſuffragantur quæ ab Euſebio [q] traduntur, de quarta parte tributorum ab eodem Imperatore agrorũ poſſeſſoribus in perpetuum relaxata, deque adęquationibus tributorum grauiorum, alijſq; eiuſdem beneficentiis, per quas nec condemnatus triſtiore iudicio decedebat, quã qui cauſam obtinuerat. Sicut & aliquãdo [r] prouidiſſe reperitur, ne prouinciales à Pręſidibus cæteriſq; magiſtratibus comprimerentur variis pecuniarum indebitis exactionibus idemque Euſebius alibi [s] eiuſdem prædicat erga pauperes quoſcunque munificentiam ac profuſam liberalitatem, de qua etiam erit nonnunquam agendi inferius occaſio.

k l. 1. C. Th. de alim. l l. 2. C. de patr. qui fil. diſtrax. m l. 2. C. Th. de alim. n Zoſ. lib. 2. o l. 2. 3. 4. C. Th. de exact. p Ant. Ald. poſt ſchol. in comment. Caſ. & Dar. Aym. in 3. an. 312. q Euſ. 4. de vit. 2 & ſeqq. r l. 1. C. Th. de off. Rect. prouinc. s Euſ. 1. de vit. 16.

IV. LEGIS CONST. PRO PUDICITIA.

Quod vero rurſum ad calumniam Zoſimi de filiarum proſtitutione ſpectat: tantum abeſt id Conſtantinum paſſum eſſe, vt contra hactenus extet lex [t] eius quã etiam ancillas Chriſtianas tradi lenonibus vetuit, eaſdemque redimi voluit. Deſideratur vero illud piiſſimo Principe dignum edictum, cuius meminere Hieronymus [u] & Sozomenus [x], quo cœnoſas illas ſordidiſſimarum libidinum cloacas obſtruxit, cum in fornicibus ſpectaculorum inter ſcorta ſtarent pueri publicæ libidini expoſiti. Sicut & periit æque laudata alia eiuſdem lex, qua (vt teſtis eſt Lampridius [y]) vetuit Eunuchos, Principum peſtes, gerere præfecturas & magiſtratus.

t l. 1. C. Th. de lenon. u Hier. 2. in Iſa. 2. x Soz. lib. 1. ca. 8. y Lamprid. in Alex.

V. LEX CONTRA INSCRIPTIONES IN VULTU.

Sed & pœnis reorum humaniſſime prouidens iiſdem huius anni Coſſ. [z] illam aboleuit qua miſerorum hominum in ludum vel in metallum pro criminibus damnatorum vultus inſciberentur, iuſſa damnationis cauſa in manibus vel ſuris inſcribi, ne (vt ait) facies, quæ ad ſimilitudinem pulchritudinis cœleſtis eſt figurata, macularetur. Sed hanc ignominiam reſtituit poſtea Theophilus Imperator Iconoclaſta aduerſus Catholicos, vt dicetur ſuo loco. Eademque ſolitos interdum Chriſtianos confeſſores in perſecutionibus affici, docet Pontius diaconus in Vita Sancti Cypriani. Erat porro apud Romanos ſupplicium tã ſeruorum [a] ſeu mãcipiorum (vnde & [b] *Stigmatias*, vel etiam *Litterati*, aut *Inuſti* dicebantur) quam etiam ſeruorum [c] pœnæ. Thracibus [d] autẽ (vt varia eſt hominũ conſuetudo) notæ in facie apponebantur in ſignum nobilitatis: indeque in prouerbium adductæ *Thraciæ notæ*. Et pariter Dacos ac Sarmatas conſueuiſſe frontes notis inſcribere, auctor eſt Plinius [e]. Denique fuerunt & Syrij ſtigmatici: non tamen in vultu, ſed in vola [f] manus, vel in ceruice. Ac Britonum inſignia, fuiſſe Stigmata, Tertullianus [g] tradit.

z l. 2. C. Th. de pœn. a Plat. l. 11. c 3. Var. l. 1. de re ruſt. Val. Max. l. 6. c. 8. b Ap. Diod. lib. 4. l. 97. c Suet. in Caio c. 27. Senec. 3. de ira c. 41. de benef. 137. 138. & alib. d Vid. Cal. Rhodig. 7. antiq. lect. 31. e Plin. l. 22. ca. 1. f Lucian. in Dea Syria. g Tert. de virg. vel.

VI. CONST. IUDAEOS COHIBET.

Hoc item anno idem Conſtantius Iudæorum procaciã edicto [h] cohibuit: qui cum eos qui à ſua ipſorum ſecta ad religionem Chriſtianam tranſirent, ſaxis aliiſq; furoris generibus proſequi non deſiſterent: eoſdem talia poſthac præſumentes, cum omnibus ſuis participibus concremari præcepit: & ſiqui Chriſtiani ad illorum ſectam tranſirẽt, iiſdem pœnis ſubiici voluit. Sed & eoſdem Iudæos aliquãdo rebellantes (quo autem anno id acciderit, haud exploratum habetur: rei vero geſtæ teſtis eſt Chryſoſtomus) [i] idem Conſtantinus amputatis auriculis, ſignoque rebellionis corpori impreſſo, ceu fugitiua mancipia per omnia loca circumferri iuſſit, quo cæteri erudirentur Chriſtianorum iugum tolerare. Poſtea vero quiete agentes, eadem qua reliquos ſibi ſuditos benignitate proſecutum eſſe, data pro illis ab eo reſcripta [k] declarant.

h l. 1. C. Th. de Iuda. i Chryſ. aduerſ. Iuda. homil. 2. k l. 2. 3. 4. 5. C. Th. de Iuda.

VII. DISPUT. IUDAEORUM CUM EPISCOPIS.

Cæterum ex iis quæ hoc anno aduerſus eos ſtatuta diximus, coniectura aliqua comprobari videtur illa pars Actorum Silueſtri Romani Pontificis, qua iiſdem huius anni Coſſ. narratur habita Romæ coram Conſtãtino Imperatore & Helena eius matre celebris diſputatio inter Iudæorum præcipuos Sacerdotes, qui eandem Helenam ad Iudaiſmum inuitauerant, & ipſum Silueſtrum Papam aliosq; Epiſcopos: delectis arbitris Cratone philoſopho atque Zenophilo V. C. qua iiſdẽ Iudæis deuictis ac penitus cõfutatis, Cõſtãtinus ea quę ſunt recẽſita aduers⁹ eos hoc eodem anno ſtatuerit. Porro cum de eadem diſputatione agant pariter Græci ſcriptores Metaphraſtes [l], Zonaras [m], Glicas [n], Nicephor⁹ [o], atq; Cedrenus [p], vt eã paucis abſoluamus, ſicut haud abnuimus eã vere accidiſſe, ita omnino aſſerimus non in omnibus vera eſſe quę de illa hodie ſcripta leguntur: corruptis magna ex parte iiſdem Silueſtri Actis. Quæ vero legitima in illis erant, ſicut ante Gelaſium [q] tãtum eis antiquitas detulit, vt cum Romæ tum in multis aliis Eccleſiis legerentur: ita poſt Gelaſium tempore etiam Hadriani [r] Papæ & Caroli Magni Imperatoris, abſque dubitatione eadem pro veris certiſque ſunt habita.

l Metaph. 2. Ianuar. m Zonar. Annal. pag. 1. n Glic. in Annal. o Nic. lib. 7. cap. 36. p Cedren. in comp. DE ACTIS SILVESTRI PAPAE. q Gelaſ. in conc. Rom. decr. de lib. auth. r Hadr. ep. 3. ad Carol. Mag.

VIII. DE DRACONE A SILVESTRO PP. INCLUSO.

Tale namque eſt quod ibidem additur de *Dracone* in ſpecu morante & lethali halitu homines enecante, quem

Siluester obſignatis ſigno Crucis æreis quibus ſpecus claudebantur ianuis, perpetuo ergaſtulo manciparit. Siquidem hac quoque ex parte Acta ipſa aliquibus ſuperadditis deprauata putamus, quamuis res ipſa complures habeat Latinos & Græcos aſſertores. Ex quibus inter Latinos antiquiſſimus & eruditione clariſſimus Venantius Fortunatus Epiſcopus Pictauienſis, qui vixit ante mille & ferme centum annos, in Rebus geſtis [s] S. Marcelli Pariſiorum Epiſcopi, dum agit de immani ſerpente ab eo ſuperato, eundem Siluestro Romano comparat, quod ſicut iſte draconem ſigillauit, ita Marcellus iactauit. Inter Græcos autem, præter Cedrenū & recentiores alios, Metaphraſtes [t] eiuſdem rei aſſertor eſt, & ante baptiſmum Conſtantini accidiſſe tradit (licet alii in poſteriora tempora referant) draconemque latuiſſe ſub Capitolio.

s Ap. Sur. 1. Nou. — t Metaphr. in Silueſ.

IX. SERPENS ROMÆ CVLTVS.

Sed quod omnes aſſerant eiuſmodi ſerpentem apud Romanos ſacroſanctum fuiſſe in memoriam reuocant ex Epidauro olim in Vrbem legatione publica allatum ad peſtem euertendam ſerpentē Æſculapium: quem Plinius [u] teſtatur, licet tot intercurrentibus ſæculis ſuo tempore fuiſſe ſuperſtitem, vulgoque in domibus paſtum eſſe, ac niſi incendiis ſemina exuſta fuiſſent, non fuiſſe fœcunditati eorum reſiſtere. Sane quidem eius colubri quem Romani colerent cellam fuiſſe ad extinctionem ſuperſtitionis obſignatum à Siluestro, perfacile eſt creditu, cū poſthac nulla penitus eius extet memoria: niſi quod Gentiles Deo ſuo carere nolentes, quem fame extinctum noſſent (nam de eodem agens Feſtus [x], ait nonniſi canis vberibus nutriri ſolitum) ex ligno aliaue materia alium fabricarunt, gladium ore geſtantem, oculis rutilātibus gemmis metuendum ac terribilem: eidemq; pariter in ſpecu collocato, deuotas virgines floribus exornatas eo modo in ſacrificiū offerebant, quatenus inſciæ munera deferentes, gradum ſcalæ quo fraus tegebatur, contingentes impetus veniētes gladii perimeret: quod ſic manſit vſq; ad Honorium Imperatorem, cum iterum per ſanctum monachū impoſtura detecta, ipſoq; confracto ſerpente, caruere penitus ſuperſtitionis alumni auito ſuo Deo. Rem geſtam S. Proſper [y], quæ accidit Romæ ſuo tēpore narrat. Vt plane liceat intueri, draconem illum viuētem à Siluestro extinctum, cuius imagini tamquam viuēti eiuſmodi virginum deuotione miniſtraretur. Nam & eandem Siluestri victoriam magis confirmat, quod eius imagines in Eccleſiis pingi ſolitæ erant cum dracone ad pedes eius vincto. Cæterum tū Romæ tum in aliis prouinciis immanes interdum colubros fuiſſe conſpectos, eoſdemque à Sanctis viris necatos, abunde teſtantur antiquæ Sanctorum hiſtoriæ, aliaque vetera monumenta. Sed de his modo, occaſione Actorum Silueſtri, ſatis.

u Plin. l. 29. ca. 4. — x Feſt. ver. inſul. Æſcu. — DRACO EFFICTVS. — y Proſp. de præd. par. 3.

X. ARIANA HÆRESIS INNOTESCIT.

His quoq; temporibus ARIVS, qui hactenus à tempore Petri martyris Epiſcopi Alexandrini, velut Proteus ſub diuerſis latuerat formis, modo Catholicis modo inhærens ſchiſmaticis, impius omnino detectus eſt. Propalatū quidē à Meletio, & ad Alexandrum Epiſcopum delatum, Epiphanius [z] eſt auctor: Socrates [a] vero & Sozomenus [b], occaſione cuiuſdam diſputationis coram Alexandro habitæ, virus ſuum euomuiſſe tradunt. At Theodoretus [c] eius lapſum refert in inuidiam, qua aduerſus Alexandrum incenſus eſt, cum eum vidit ad Epiſcopatum euectum. Porro ad hunc ipſum annum, quo Criſpus & Conſtantinus creati ſunt Cæſares, hæreſis Arianæ manifeſtationem Oroſius [d] referre videtur: eandemque antequam Licinius Imperator Chriſtianos ſequenti anno perſequi aggrederetur, iam diffamatam fuiſſe ex Lactantio ſatis intelligitur, dum his temporibus magiſtrum agens eiuſdem Criſpi Cæſaris, in libris [e] diuinarum Inſtitutionum, quos (vt apparet ex præfatione) eadem graſſante perſecutione ſcripſit ad Conſtantinum expeditionem aduerſus eundem Licinium parātem, inter alios hæreticos quos enumerat, etiam *Arianos* nominat: licet aliqui, contra omnium plane exemplarium antiquitus ſcriptorum auctoritatem, eā vocem è textu Lactantii temerarie nimis expunxerint. Denique Arianam hæreſim innotuiſſe ante exortam Licinii Perſecutionem, eo quoq; redditur argumento perſpicuū, quod cum S. Baſileus Epiſcopus Amaſenus, ipſo eiuſdem perſecutionis initio Nicomediæ detineretur, in carcere paulo poſt martyrium ſubiturus, diſſidia iam ibidem Nicomediæ de Arii opinione oborta eſſe, deque iis interrogatum Baſileum rectam fidem egregie perdocuiſſe: idem ipſe qui eū tunc ea de re conſuluit, Ioannes presbyter Nicomedienſis in Actis [f] eius martyrii à ſe cōſcriptis teſtatur.

z Epip. hær. 69. — a Socr. li. 1. c. 5. — b Soz. l. 1. c. 14. — c Theod. l. 1. c. 2. — d Oroſ. lib. 7. ca. 28. — e Lact. lib. 4. cap. 30. — LACTANTII LOCVS RESTITVTVS.

f Ap. Metaphr. & Sur. 26. April.

XI. DE ORTV ARIANÆ HÆR. DIVERSA TEMPORA CONSIDERANDA.

At quoniam de Ario poſſunt diuerſa tēpora conſiderari, inde quoque euenit vt de eius temporibus variæ ſint ſententiæ. Primum enim tempus perpēdendum eſt, cum ab Alexandro Epiſcopo de eo iudicium factum eſt quādo detectum ac ſæpe monitū pugnaciter hæreſim defendentem exuit presbyteratus ordine, & vna cum ſeptē presbyteris, duodecim diaconis, & ſeptingentis virginibus profeſſis quas ipſe ſeduxerat (vt quidem habetur apud Epiphanium [g], licet ipſe Alexander ſuis litteris teſtetur ſe tantum vndeciin tā presbyteros quam diaconos ab Eccleſia eieciſſe) collecto aduerſus eos CONCILIO [h] centum ferme Epiſcoporum Ægypti & Libiæ, à Catholica cōmunione eiecit: quæ omnia hoc tempore ante perſecutionem Licinianam geſtā fuiſſe videntur. Aliud vero tempus Arianæ hæreſis tunc accidit, quando eius patrocinium ſuſcipiēte Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo, eadem toti plane innotuit Orbi, ac de rebus eo vſque geſtis Alexander omnes Catholicæ religionis Antiſtites certiores reddidit: quod contigiſſe poſt victum Liciniū reddita Eccleſiæ pace, ſuo loco dicturi ſumus. Nam quod Arium, poſtquam excommunicatus eſt, multo tempore Alexandriæ verſatum Epiphanius affirmet, opinamur illum vſque ad id temporis ibi permanſiſſe. Teſtatur vero Sozomenus [i] ab hoc tempore quo Arius de doctrina diſſerens, inſolitam introduxit: in Eccleſia Alexandrina conſuetudinem inoleuiſſe, vt nullus presbyter, ſed tantū Epiſcopus populum doceret.

g Epiph. hær. 69. — h Ap. Socr. l. 1. ca. 6. — i Sozom. l. 7 cap. 19.

XII. COLLVTHI TEMERITAS.

His quoque fere temporibus quibus Arius prodiit, COLLVTHVS æq; presbyter Alexandrinus, & vni ex eccleſiis eiuſdem ciuitatis præpoſitus, ſed cum non eſſet Epiſcopū gerens, cœpit ordinare presbyteros, & docere hæreſim: nempe (vt Philaſtrius [k] & Auguſtinus [l] tradunt) Deum non eſſe malorum creatorem. Agit quoque de eo Epiphanius [m]: eiuſdemq; ambitionem taxauit Alexander [n] Epiſcopus Alexandrinus. Porro licet ipſe paucis annis gauiſus ſit hæreſis ſuæ coaleſcētia, quod paulo poſt (vt videbitur) damnatus fuerit atque depoſitus: tamen qui ab eo ſunt nominati *Colluthiani* hæretici, Arianis ſe atque Meletianis aduerſus Catholicos coniunxerunt: quod Athanaſius [o] ſæpe deplorat, aliique Orthodoxi.

k Philaſ. de hæreſ. cap. 1. — l Au. de hær. cap. 65. — m Epip. hær. 69. — n Ap. Theo. lib. 1. cap. 4. — COLLVTHIANI HÆRET. — o Athan. Apol. 2.

IESV CHRISTI AN. 316.

SILVESTRI AN. 3.

CONSTANTINI AN. 11.

I. DIOCLET. IMP. OBITVS.

ANno Chriſti trecenteſimo decimoſexto, Sabino atque Ruffino Coſſ. qui & tertius numeratur à Conſulatu tertio Conſtantini atque Licinii (vt Zoſimus [a] eſt auctor) *Diocletianus* olim Imperator eſt mortuus: quem ſane diuina diſpenſatione ad hæc tempora Chriſtianis feliciſſima reſeruatum conſtat, vt quorum extirpationem fuerat meditatus, eoſdem imperare videret. Porro diuturna & aſpera corporis ægrotatione pedetentim contabeſcentem occubuiſſe, Euſebius [b] tradit, & poſt eum Zonaras [c]: Cedrenus [d] autem eundem plane deſcribit eius morbum, ac morbi cauſam, exitumque, quem ſuperius vidimus Euſebium tribuiſſe Maximino. Quæ quidem pati meruit qui olim (vt Euſebius [e] & Eutropius [f] ſcribūt) adorari ſe iuſſerat vt Deum, & gemmatos calceos atque veſtes, non contentus purpura, ſe ipſum induerat. Miſerandum autem eius exitum ne mireris prætermiſſum ab Ethnicis ſcriptoribus, vtpote ignominioſum illis. Inter quos Aurelius [g] Victor ait, quod recuſaſſet intereſſe nuptiis Licinii & Conſtantiæ, ſuſpectantem necem dedecoroſam, venenum hauſiſſe. Addit vero Eutropius, contigiſſe ei quod nulli poſt natos homines, vt cum priuatus obiiſſet inter diuos referretur. Sed qui hunc ei impiū ho-

a Zoſ. lib. 2. — b Euſ. l. 8. hiſt. ult. — c Zonar. Annal. in Diocl. — d Cedr. in Comp. — e Euſeb. in Chron. — f Eutrop. lib. 9. — g Victor. in Diocleti.

norem ſtulto conatu reddidit Licinius, mercedem mox & ipſe recepit, Imperii ac vitæ amiſſionem.

II. DISCORDIÆ INTER CONSTAN. ET LICINIVM.

Quod vero pertinet ad tempus eiuſdem Licinii defectionis ab amicitia Conſtantini: extat ipſius Conſtantini reſcriptum [h] de Veteranis, datum poſt annum ſequentem Licinio quintum & Criſpo Coſſ. quartò Idus Aprilis, in quo habetur mentio de obtenta ab eo victoria in Thracia anno illū præcedente quinto Nonas Iulii, qui eſt ſequens poſt præſentem annum Gallicano & Baſſo Coſſ. Sed cum antequam dimicaretur in Thracia, conſtet auctore Zoſimo & aliis pugnatum fuiſſe apud Cybalem in Pannonia: hac ratione dici poſſe videtur, diſcordias hoc anno inter vtrumque eſſe conflatas. Earum vero cauſa à Zoſimo [i] in Conſtantinum infenſo, necnon à Victore [k] & ipſo Ethnico, eiuſmodi redditur, quod Conſtantinus pacta inter eos ſtabilita parū integra fide ſeruaſſent, ac nationes quaſdam ad Imperium Licinii pertinentes auertere voluiſſet. Sed illam priorem atque veriorem interceſſiſſe, quod Licinius de Chriſtiana religione protegenda pactis non ſtetiſſet conuentis, immo & ipſi Conſtantino inſidias ſtruxiſſet pluribus oſtendunt qui hæc omnia præſentes ſpectarunt, Euſebius [l] in Vita Conſtantini, & Ioannes Nicomedienſis presbyter in Actis [m] S. *Baſilei*, ſiue Baſilii, Amaſeni in Ponto Epiſcopi (quem S. Athanaſius [n] inter celeberrimos huius ſæculi ſanctiſſimoſque Antiſtites commendat) qui ipſo LICINIANÆ PERSECVTIONIS initio Nicomediæ, vbi Licinius degebat, martyrium fortiter paſſus eſt ob nominis Chriſti confeſſionem, & ſeruatam à turpitudine eiuſdem Licinii *Glaphyram* virginem, vnam ex iis quæ Conſtantiæ Auguſtæ miniſtrabant.

h L. 1. C. Th. de veteran.
i Zoſ. libr. 2.
k Vict. in Conſtan.
l Euſeb. 1. de vit. 42.
m Ap. Metaphr. & Sur. 26. April.
n Athan. orat. 1. cont. Arian.

III. LICINIVS PERSEQVITVR CHRIST.

Porro quamuis apud Euſebium in Chronico anno ſequenti, nempe Conſtantini duodecimo, martyrium Baſilei ponatur: tamen quod idem auctor teſtetur Conſtantinum literis Conſtantiæ ſororis permotum, cum de nece ſanctiſſimi Epiſcopi, deque aliis per Liciniū patratis ſceleribus certior redditus eſſet aduerſus eum expeditioné paraſſe: necem Baſilei hoc potius anno accidiſſe affirmari poſſe videtur, quo in Licinium Conſtātinus copias in ſequentem annum comparauit. Hoc autem anno Conſtantini vndecimo, ponitur ibidē expulſio omnium Chriſtianorum è Palatio Licinii: quorum etiam pœnas, quibus ab eodem affecti ſunt, alibi idem Euſebius iterum [o] memorat. Habet & de Conuentibus Epiſcoporum ab eodem Licinio prohibitis, & ne viri ſimul cum mulieribus in eccleſiis intereſſent, neue Epiſcopi mulieribus ſacra Dei eloquia explicarent: ſed mulieres ipſę alias mulieres à quibus erudirentur ſibi deligerent: denique ne conuentus Chriſtianorum intra ciuitates, ſed extra mœnia fierent, quod (vt argute ſibi dicere videbatur) aer qui extra portas eſt, permultum ei præſtaret qui eſſet intra ciuitates & templa. Tradit inſuper Socrates [p], prohibuiſſe Epiſcopis ne cum Gentilibus in colloquium aliquando venirent, eo videlicet conſilio, vt Chriſtiana religio inter eos minime propagaretur.

o Euſ. 1. de Vit. 35. & 10. hiſt. 8.
p Socr. lib. 1. cap. 2.

IV.

Sicut autem legum iniquarū iniuſtiſſimus promulgator extitit, ita pariter ſeueriſſimum ſe earūdem cuſtodem exhibuit. Nam & *Paulum* Epiſc. Neocæſareæ Euphrateſiæ, q; minime deſtitiſſet mun⁹ ſuum explere in inſtitutione feminarū, vinciri iuſſit, ludibriique cauſa eius genitalia igne comburi, & articulorum manuum neruos ſuccendi; ſicut teſtantur Gregorius [q] presbyter ac Theodoretus [r]. Et Heraclæ *Ammonem* diaconum, cum quadraginta quas inſtituebat Virginibus Hadrianopolitanis in Macedonia, igne & gladio necauit: de quibus plane hallucinatus eſt Nicephorus dum quas omnes atteſtantur virgines, ipſe tradit vxores fuiſſe illorum *Quadraginta* celeberrimorum tam in orientali quam Occidentali Eccleſia *Militum* Cappadocum; qui eadem perſecutione Sebaſtæ in Armenia Minori, poſt dira alia tormenta noctu in ſtagnum gelu conſtrictum nudi iniecti, frigore rigentes nobiliſſimam martyrii coronam adipiſci digni fuerunt. Quando & illud duplex miraculum accidit, vt cum eos in illo agone conſtitutos obſeruans cuſtos balnei calidi iuxta politi (res enim ſic fuerat excogitata; talem inuenire certaminis locum, in quo paratum haberent refugium) vidiſſet Angelo ſè cœlo deſcendentes, coronas ſingulis vno excepto diſtribuere; idem tanto prodigio obſtupefactus, cum is qui incoronatus remanſerat, deſertor factus ad aquā calidam aufugiſſet (in qua tamen ſtatim vt eam attigit, corpore quod glacie torpebat diſſoluto, interiit) in eius locum ſuccedens, coronam deſertori denegatam ſuſcepit, & ſimul cum aliis eodem mortis genere martyrium conſummauit. Sed vnius illorum mater cernens alios iam frigore extinctos plauſtris perduci ad ignem paratum cremandis eorum corporibus, ſuum vero filium ob validiores vires adhuc viuentem remanere; eadem virile robur aſſumens, eum propriis humeris ſuſtulit vt ſociis aggregaret, & cum ad collum matris animam efflaſſet, eidem igni comburendum tradidit. Recenſet inſignem hanc hiſtoriam Baſilius oratione in laudem tantorum martyrum habita; quæ fuſius deſcribitur in antiquis eorumdem Actis [s]. Porro ſacri illorum cineres in alueum iniecti, ſed diuina virtute ſeruari, perque totum ferme Orbem diſtributi, ſolemni cultu honorari meruerunt: vt tum ex eodem Baſilio patet, tum ex Gregorio Nyſſeno, Ephræm Syro, Gaudentio Bryxiano, qui & ipſi egregias in eorumdem martyrum laudem habuerit orationes.

q Greg. presb. orat. de Patribus Nic. Conc.
r Theod. l. 1. cap. 7.
QVADRAGINTA MARTYRES.
s Ap. Metaphr. & Sur. 9. Mart.

V. SÆVITIA PERSECVT. LICIN.

Licet autem iræ Licinii in Chriſtianos conceptæ, aliquamdiu (vt tradit Euſebius [t]) ob Conſtantini metum ab eo primum fuerint ſtudioſe compreſſæ; ac poſtea patefactæ, lento gradu progredi viſæ ſint tamen quod ex impie cœptis addantur vires ad grauiora facinora perpetranda, mox acerbius Chriſtianos exagitans, quos omnes ſtudere Conſtantino perſuaſum haberet, maxime Epiſcopos & alios Eccleſiarum miniſtros, variis per prouinciarum Præſides mortis generibus affecit, ac nonnullorum corpora in multas particulas minutatim diſſecta, in profundos maris gurgites piſcibus voranda proiecit: milites ſacrificare recuſantes balteum deponere iuſſit: omniſq; generis & conditionis Chriſtianos, exiliis bonorum publicationibus, carceribus, aliiſque ſuppliciis crudeliter afflixit; & eccleſias à Chriſtianis vbique reædificatas iterum diruit. Deſcribit enim hæc omnia Euſebius [u]. Sicut & cōplures alios militia nobiles, ignominiæ cauſa ad opus publicum, vel ad textrinam, aliaq; opera gynæcea damnatos eſſe, teſtatur ipſemet Conſtantinus Imperator in edicto [x] quod poſtea expugnatum Licinium pro Chriſtianis edidit. Denique quod hoſtis humani generis (vt tradit Gregorius [y] Nyſſenus) Licinio ſuaſiſſet, de hoſtibus nequaquam victoria potiturum, niſi quos ſciret colere Chriſtū occideret; magis ac magis furore in eos excandeſcens, per ſæuiſſimos Pręſides, quamplurimos alios in diuerſis Orientis prouinciis ſuſtulit, quorum multorum nomina relata inueniūtur in tabulas Eccleſiaſticas, nonnullorū etiam Acta ſuperſunt, cum infinitorū prope memoria perierit.

t Euſ. 2. de Vit. Conſt. 1.
u Hiſt. l. 10. c. 41. 47. 48. & l. 2. vit. & hiſt. l. 10. ca. 8.
x Id. 2. de Vit. 25
y Nyſſ. orat. in 40. mart.

VI. PERSECVTIO LICINIANA QVALIS.

Sed quod ea clades nihil prorſus partes Orbis Occidentalis in quo Conſtantinus imperaret, pertigerit; Sulpitio [z] Seuero haud digna eſt viſa, quæ inter Perſecutiones adnumerari deberet: nempe quod numerum myſticum decem Perſecutionum, quas numerat inſtar decem Plagarum Ægypti, voluit integre cuſtoditum; prætermittique perſecutionem ſub Licinio, quod ea eſſet vndecima numeranda. Sed quod ait eam adeo leuioris fuiſſe negotii, quam vt ad Eccleſiarum vulnera perueniret; plane diſſimulauit, aut ignorauit necem tot martyrū Orientalium. Ceterum eiuſmodi ſupputatio decem Eccleſiæ Perſecutionum, minime placuit S. Auguſtino [a], dum à tempore naſcentis Chriſti Eccleſiæ multo plures recenſet. Denique acerbam ſatis fuiſſe hanc à Licinio excitatam, ingens etiam Lapſorum numerus arguit, de quibus in Magno Concilio Nicæno [b] ſtatuendi fuere canones. At de his modo hactenus.

z Sever. hiſt. lib. 2.
a Aug. 18. de ciuit. 52.
b Conc. Nic. ca. 11. 12.

VII.

Hoc item anno iiſdemque Sabino ac Ruffino Coſſ. (vt Auguſtinus [c] ſcribit) quarto Idus Nouembris, Conſtantinus Imperator ad Eumalium Vicarium Africæ ſcripſit de purgatione Cæciliani Epiſcopi Carthaginenſis; cum poſt interpoſitam à Donatiſtis appellationem à ſententia conuentus Arelatenſis ante biennium celebrati, qua

c Aug. poſt Collat. c. 33.

d Id. ep. 68. & 162.
CONST. CVR APPELLANTES ITERVM DONAT. AVDIERIT.

idem Cæcilianus abſolutus eſt, aliud (vt apparet) interceſſiſſet iudicium, in quo itidem probatus fuit innocēs. Hoc vero de quo modo agimus poſtremum iudicium, idem Auguſtinus [d] teſtatur prolatū eſſe Mediolani ab ipſo Cōſtantino Imperatore, importunis, & ſæpius repetitis Donatiſtarum appellationibus coacto eos audire quo omne iiſdem ſubterfugium protſus ademptum foret, cum ſe ab ipſom et Imperatore, ad quem toties prouocaſſent, damnatos cernerent. Quapropter eumdem Conſtantinum ſumma diligentia atq; cautela, vocatis & præſentibus ipſo Cæciliano & aduerſariis Donatiſtis, atque inuicem diſceptantibus, cauſam cognouiſſe, & Cæcilianum innocentiſſimum, Donatiſtas vero improbiſſimos iudicaſſe, idem Auguſtin. docet. An autem nouas poſthac aduerſus Cæcilianum calumnias excogitarint, haud quicquam certi affirmari poteſt.

VIII.

e Extat in Ber. Pin.

Illud quidem conſtat eoſdem in Africam reuerſos baſilicam inuaſiſſe, quam in Conſtantina ciuitate Numidiæ idem Imperator erigendam curauerat: qua priuati Catholici, Chriſtiana patientia ab excitādis turbis abſtinuerunt, atq; humiliter ad Imperatorem recurrentes, alium ab eo impetrarunt locum, ſumptuſque fiſcales ad nouam erigēdam eccleſiam; vt conſtat ex ipſius tunc ad eos redditis [e] litteris. Sed & fuiſſe animi ſui conſilium in Africam proficiſci, & Donatiſtarum furorem compeſcere, idem Imperator datis aliis litteris ad Celſum Vicarium Africæ ſignificauit. Quod vero iiſdem de falſo à Donatiſtis præſumpto martyrio inculcat, inducit vt opinemur, eos contemptis quæ aduerſus eos Imperator decreuiſſet iactaſſe paratos ſe eſſe ſubire martyrium: quemadmodum quos Proconſularis poſtea ſub Conſtante eiuſdem Conſtantini filio iuſte necauit gladius, iidem coluere vt martyres. Quamobrem hæc etiam cauſa interceſſiſſe videtur, quo minus in eos vt in ceteros delinquentes Conſtantinus animaduerteret, ne quos occidi mandaſſet ab illis martyres haberentur. Nā & illud viſus eſt declaraſſe, quando ab ipſis calumniam paſſus, quod gratia corruptus iniquiſſimam aduerſus eos tuliſſet ſententiam iuſſis aliquibus ad ſupplicium duci, abſtineri tamen ab eorum nece præcepit, ac tantum exilio damnauit, baſilicisque priuauit eas fiſco vendicans: vt hæc omnia varijs locis Auguſtinus [f] teſtatur. Quæ vero poſtea ſecuta fuerint, dicetur ſuis locis.

CVR IIS NON ANIMADVERTERIT.

f Aug. cont. ep. Parm. l. 1 cap. 6. & 8. & cont. ep. Petil l. 2 cap. 92. & ep. 68.

XI.

MANVMITTERE CONCESSVM EPISCOPIS.

g l. 1 & 2. C. de his qui in eccl. manumit.

h Aug. Ser. de diuerſ. 50.

Iiſdem quoque Coſſ. Conſtantius Imperator *de Manumiſſionibus in eccleſia* corā Epiſcopis ſpectante plebe celebrandis reſcripſit [g] hoc amplius paulo poſt Epiſcopis quā ceteris magiſtratibus concedens, vt ab illis ſic manumiſſi non tantum libertate, ſed ciuitate quoque Romana, perinde ac ſi eſſent adſcripti tabulis Romani cenſus, iure ampliſſimo donarentur. Eiuſmodi vero manumiſſionum exemplum recitat S. Auguſtinus [h].

IESV CHRISTI AN. 317.

SILVESTRI AN. 4.

CONSTANTINI AN. 12.

I.

VICTORIA CONSTANTINI DE LICINIO.

a Zoſ. lib. 2.

b l. 1. C. Th. de Veter.

ANno Chriſti trecenteſimo decimo ſeptimo Gallicano & Baſſo Coſſ. Conſtantinus Imperator aduerſus Licinium bello agens, eum duobus ingentibus prælijs ſuperauit, primo Cybale in Pannonia, mox in Thracia cum fugientem inſecutus eſſet. Hęc autem cum omnes alii tam Chriſtiani quam Ethnici ſcriptores teſtentur, Zoſimus [a] rem geſtam fuſius proſecutus eſt; licet infenſus Conſtantino, ſecundo prælio æquo Marte pugnatum eſſe tradat, ne eius humanitatem erga Licinium exhibitam prædicare cogatur. Porro Licinium in Thracia penitus ſuperatum eſſe, teſtatus eſt etiam ipſe Conſtantinus in edicto [b], quod anno ſequenti Licinio quintum & Criſpo Coſſ. de indulgentia tunc temporis veteranis conceſſa promulgauit: quo etiam conſtat victoriam Thracicam (quam Imperator *Primam* vocat, reſpectu aliarum quas poſtea in eadem prouincia confecutus eſt) obtentā eſſe hoc ipſo præſente anno quinto Nonas Iulii. Ex quib. plane erroris arguuntur, qui anno decimoquarto Conſtantini ac decimoquinto Licinianam perſecutionem ponunt, & decimo nono bellum eidem illatum, vt Cedrenus perperam ſupputauit; aut denique quicumque ad aliud tempus bellum Licinianum retulerunt.

II.

c Euſ. 2. de Vit. Conſt. 3. &c.

VTRIVSQVE IMP. APPARATVS.

Quinam autem fuerit vtriuſq; Imperatoris apparatus, Euſebius [c] in primis narrans, docet Conſtantinum precibus ſibi opus eſſe intelligentem multos ſecum Epiſcopos duxiſſe, & certæ in Deum fiduciæ inſigne, præuium ſemper habuiſſe vexillum Crucis, eiuſque virtute hoſtes deuiciſſe: ſed & illud mirandum accidiſſe, vt qui vexillum erectum portabat, numquam ab hoſtibus lædi valuerit, & infinita aduerſus eum ab hoſtibus tela immiſſa in exiguo haſtilis ambitu fixa hæſerint: antea vero aliud prodigium de futura Conſtantini victoria in cunctis ferme ciuitatib. Licinio ſubiectis apparuiſſe, nempe varias turmas Conſtantini per medias vrbes tamquam victrices tranſeuntes. Ipſum autem Licinium, Conſtantini apparatum, eiuſque in Chriſto fiduciam irridentem, variis ſacrificijs litaſſe; & vatum Ægyptiorum, augurumque, atque aliorum præſtigiatorū falſa idolorum oracula effutientium pollicitationibus, de victoria redditum ſecurum, ad prælium proceſſiſſe. Hæc omnia Euſebius. Ceterū poſt victoriā Thracicam, pacem inter eos conciliatam eſſe conſtat, mulctato Licinio amiſſione prouinciarum Illyrici, Græciæ; & aliarum omnium quoquot vlterius eſſent porrectæ, relicta ei Thracia & Oriente: quod tum Zoſimus, tum alii omnes teſtantur.

III.

ALEXANDER EPISC. BYZANT.

d Socr. l. 1. cap. 4. Sozom. lib. 1. c. 3.

e Gelaſius tamen Cyzicenus, qui Acta Concilii Nic. olim edidit, expreſſe teſtatur l. 2. c. 5. Metrophanem non quidē Synodo interfuiſſe; ob ingraueſcentem ætatem, ſed Legatos ad eam miſiſſe presbyteros quoſdam, atque inter eos Alexandrū qui ei poſtea in Epiſcopatu ſucceſſit.

Hoc eodem anno cum Metrophanes Epiſcopus Byzātii ſediſſet annos tres ſenior valde confectus ſubſtituendū ſibi *Alexandrum* curauit: quod hoc anno contigiſſe, ex Socrate [d] & Sozomeno apparet, dum habent Alexandrum annos viginti tres ſediſſe, qui defunctus eſt anno Chriſti trecenteſimo quadrageſimo. Ex his autem eluduntur, tū qui volunt Metrophanem Eccleſiæ præfuiſſe annos decem, tum quæ feruntur incerto auctore ex quadam oratione de Nicęno Concilio eum poſt finitam Synodum coram Patribus egiſſe de ſubrogatione Alexandr. Hunc enim iam ante [e] Concilium ſedere cœpiſſe, multa demonſtrabunt.

IESV CHRISTI AN. 318.

SILVESTRI AN. 5.

CONSTANTINI AN. 13.

I.

LICINII INCONSTANTIA.

a Læt. in Lic.

b Eutr. l. 10.

c Euſ. 2. de Vit. 12. &c.

d l. 1. C. Th. de Veter.

ANno Chriſti trecenteſimo decimo octauo, Licinio Auguſto quintum & Criſpo Cæſare Coſſ. idem Licinius rupto fœdere anno ſuperiori ſtabilito, aduerſus Conſtantinum iterum in Thracia bellum parauit, quod ſecundum in ea prouincia geſtum eſt. Culpa datur ab hiſtoricis Licinio, qui ſæpius fortunam tentauit, ac poſtea infidus, tandem & naualibus & terreſtribus præliis victus deditionem Nicomediæ fecit, vt Lætus [a], Eutropius [b], & alii tradunt: habetq; plura Euſebius [c] de Licinii animi obſtinatione, etiam poſt renouatum iterum fœdus. Porro hæc omnia huius anni exordio perfecta fuiſſe, Conſtantini reſcriptum [d] de indulgentia Veteranorum, cuius anno ſuperiore facta eſt mentio, planiſſime demonſtrat, dum huius anni Coſſ. quarto Idus Aprilis illud ſcribens, meminit de iiſdem à ſe dimiſſis apud Nicomediam poſtquam ea iam potitus eſſet. Quamobrem cum multa poſt primum certamen in Thracia anno ſuperiori quinto Nonas Iulii initium, facta reperiantur, quæ tam paucorum menſium ſpatio claudi poſſe nequaquam videantur, ex eis aliqua anno præterito facta iure putantur. Licinianum autem bellum non exceſſiſſe biennium, immo annum & menſes octo tantum perduraſſe, Cedrenus [e] affirmat.

e Cedr. in Annal.

II.

LICINIVS VBIQVE VICTVS.

f Zoſ. lib. 2.

Quonam autem modo, eodem ferme tempore Licinius terra marique ingentibus præliis victus ſit, & primo Byzantii deinde Nicomediæ obſeſſus, tandem ſe Conſtantino dedens, ab eo Theſſalonicam relegatus fuerit, fuſe narrat Zoſimus [f]; ſed quod addit, non multo poſt eidem Licinio Conſtantinum, violata iuriſiurandi religione, laqueo vitā ademiſſe; ab aliis auctoribus redarguitur, qui & plures numero & digniores fide, ſic Liciniū

tradunt contra iuſiurandum ei præſtitum vt priuatam vitam agere ſineretur, necari iuſſum, quod res nouas, vt ſæpe fecerat, ſolicitans barbaros moliretur: quamuis Ioannes [g] presbyter Nicomedienſis, qui hoc ipſo tempore ibidem Nicomediæ agebat, tradat illum iiſdem Vlceribus, quibus Maximinus extinctus fuerat, vexatum ex hac vita miſere auulſum eſſe. Quoto vero Imperii Conſtantini anno (vtcumque acciderit) idem Licinius mortem obierit; nullibi certa eſt mentio; niſi apud Euſebii Chronicon, in quo longe poſt hæc tempora occiſus ponitur anno decimo octauo Cõſtantini; à Victore [h] vero & Socrate, [i] haud multo poſtquam victus eſt, cum eſſet prope ſexagenarius. Fuit (inquit idem Victor) auaritiæ cupidine omnium peſſimus, nec alienus à luxu venereo, aſper admodum, haud mediocriter impatiens. adeoq; infeſtus litteris, vt eas per inſcitiam immodicam virus ac peſtem publicam nominaret. Fuiſſe vero vita turpiſſimum, ac nullum ſtupri libidiniſq; genus omiſiſſe, abunde teſtantur iidem Euſebi⁹, [k] & Ioannes [l] Nicomedienſis. Eumdemq; Iulianus [m] Imperator tradit, ob multa ac turpia ſcelera, à deorum & bonorum Principum conſortio excluſum fuiſſe.

[g in Act. S. Baſil. Amaſ. ap. Sur. 26. April.]
[Licinii interitus.]
[h Vict. in Conſtant.]
[i Socr. li. 1. ca. 2.]
[k Euſ. 10. hiſt. 8. & l. de Vit. 48.]
[l Ioan. Nicomed. in Act. S. Baſil. vbi ſupra.]
[m Iul. Aug. de Cæſar.]

[III. Viſiones oſtenſæ Conſtantino.]

Ceterum tam in hoc bello quam in Maxentiano, prælianti Conſtantino oſtenſas eſſe viſiones, armati Equitis ſignum Crucis pro vexillo ante aciem ferentis, & Adoleſcentum phalangas hoſtium cædentium, Igniſq; noctu exercitum vallantis, Zonaras [n] ſcribit: quibus alias addit Nicephorus [o] de Scriptura ſtellarum ordine atq; diſtinctione cõformata, qua iuberetur ſpẽ in Deo ponere; rurſumq; de alia Cruce ſtellis pariter formata, ac ſimili ei quam in Maxẽtiana expeditione vidiſſet. Quæ licet à recẽtioribus auctoribus referantur; ſcimus tamen Euſebium in oratione habita de Conſtantini laudibus, conſtanter affirmare diuinas ei viſiones non ſemel, ſed ſæpenumero illuxiſſe.

[n Zonar. Annal. to. 3.]
[o Nic. li. 7. cap. 47.]

[IV. Virtus Criſpi Cæs.]

Teſtatur quoq; idem auctor [p], in hoc Liciniano bello Criſpi Cæſaris filij Conſtantini virtutem enituiſſe, quem ad debellandum tyrannum pater ſecum duxerat. Idemq; hucuſque ſuam producens hiſtoriam, eumdem Criſpum cum gloria voluit ſepeliiſſe, prædicans pietate patri non imparem; nec in aliis ſuis de Conſtantini vita ſcriptionibus quicquam amplius de eo, ne ipſius nece patris gloriã obſcuraret, cui tantum viſus eſt hiſce ſuis lucubrationibus ſtuduiſſe: in quib. (quod ad hæc tempora ſpectat) diffuſe narrat [q], quomodo extincto Licinio, ſub vno Chriſtiano Imperatore Conſtantino omnes Romani Imperii populi coeuntes, tranquilliſſimo rerum ſtatu potiti ſint; quibuſq; legibus & edictis idem Imperator exulem Religionem Chriſtianam reſtituerit, & Orientalem Eccleſiã dira perſecutione proſtratam erexerit; Fideles exules & profugos reuocauerit; detentos in carcerib. aut metallis, aliiſque operibus ſeu publicis ſeu priuatis addictos relaxauerit; ſeruos factos in libertatem reduxerit; cunctis denique ſua bona & dignitates reſtituerit; ac defunctorum Martyrum heredibus & ſucceſſoribus, ceterorumque neceſſitatibus prouiderit.

[p Euſ. 10. hiſt. 9.]
[q Id. 2. de Vit. Conſt. 19. vſq. 42.]
[In monarchia Conſtantini pax ſumma.]

[V. Idololatriæ peſſum datio:]

Suntque plane illa tempora optatiſſima atque feliciſſima, cum Epiſcopi ſuis ſinguli Eccleſiis reſtituti, egregiam nauarunt operam vt idolorum cultum prorſus abolerent, & fidem Chriſtianam quam latiſſime propagarent. Sed & illos qui iis locis præfecti erant vbi Chriſtianorum maior eſſet numerus, in delubra deorũ inieciſſe manus, & idola demolitos eſſe; vnius S. Nicolai Myræ in Lycia Epiſcopi fama celeberrimi & miraculis clariſſimi exẽplo, de reliquis opinari conceditur: quem habent eius Acta, poſt edictum Conſtantini, & ipſum è vinculis quibus religionis cauſa detinebatur in carcere, ſuæ Eccleſiæ reſtitutum, omnem illam circuiſſe regionem, & aras quam plurimas nonnullaque templa proſtrauiſſe; ac dæmonia inde eieciſſe. Porro peregrinationem ipſius Hieroſolymam ad inuiſenda loca ſancta, ac poſtea mirificam eius, Dei iuſſu factam in Epiſcopatum Myrenſem electionem (quæ ante Licinianam Perſecutionem contigerunt) itemque admiranda vitæ cunabula, auctoſque cum ætate ſanctiſſimos mores, egregia edita miracula, ceteraſque res præclare geſtas; eadem eius Acta [r] cum à Græcis tum à Latinis ſcripta atque omnibus peruulgata continent: vt non ſit opus ſingula recenſere, ſed pro temporum ratione pauca duntaxat attingere, quæ ad Annales Eccleſiaſticos magis ſpectare noſcuntur.

[S. Nicolaus demolitur idola.]
[r Ap. Metaphr. & Sur. 6. Dec.]

[VI. De Pachomio Abbate.]

Nec vero pace vbique reddita, tentummodo ciuitates excultæ Chriſtianis legibus redditæ ſunt pulchriores, ſed & deſerta loca Monachorum coloniis mirifice illuſtrata. Inter quos hoc eodem tempore, qui poſtea fame celeberrimus in Thebaide claruit *Pachomius* Abbas, cum militaſſet tyro in caſtris Licinij, eo deuicto dimiſſis Thebæis tyronibus Chriſtianæ militiæ nomen dedit & ſub Abbate inſignis nominis *Palemone* profiteri cœpit vitã anachoreticam: cuius extant [s] Acta clariſſima & omni ex parte ſinceriſſima in quibus, ſicut in Vita S. Antonii, præclara fit mentio quamplurimorum aliorum celebrium virorũ, eamdem hoc tempore eremũ illuſtrãtium, de quib. alias.

[s Ap. Metaphr. & Sur. 14. Mai.]

[VII. Arius turbat pacem Eccleſiæ:]

Cum autem iam ex victoria Conſtantini, editiſque ab eo pro pietate legibus, fulgentiſſimus illuxiſſet Orienti pacis radius; hoſtis humani generis, quod ſibi ex animo accidiſſe ſenſerat in Occidente, cum per eumdem Conſtãtinum collocata Eccleſia in ſumma gloria atque ſplendore, eam per Donatiſtas ſchiſmate labefactare conatus eſt; idem plane iniens in Oriente conſilium; igne impietatis Arianæ omnes propemodũ Eccleſias inflãmauit. Quippe exutus (vt dictum eſt) Arius ab Alexandro Epiſcopo Alexandrino munere presbyteratus, idemque vna cum ſociis in Concilio Alexandrino centum Epiſcoporum excommunicatus; cum nihilominus toto tempore Perſecutionis Licinianæ permanſiſſet Alexandriæ, tandẽ reddita Eccleſiæ pace, ab eodem Alexãdro inde eiectus, profectus eſt in Palæſtinam, & ab illius prouinciæ Epiſcopis impetrauit publicos vna cum ſuis conuentus agere; monitus tamen ſtudere pacem inire cum Alexandro, eique ſe ſubiicere. Hæc pluribus Sozomenus [t].

[t Soz. li. 1. c. 14. in fine.]

[VIII. Euſebius; et alii Arii fautores.]

Sed his minime acquieſcens Arius homo ingenio vafer, & callidus in actionibus, potentiſſimo vſus adminiſtro Euſebio Epiſcopo Nicomedienſi (qui inſano ambitionis furore percitus, fuerat non ita pridem, fauore, vt creditur, Conſtantiæ vxoris Licinii, ab Eccleſia Berytẽſi tranſlatus Nicomediam) quo maiori fretus eſt potentia; eo grauiores excitauit tumultus. Siquidem ad eum ſcribens [u], poſt querelas de ſua Alexandria pulſione, blaſphemias ſuas in Dei filium euomens, quẽ principium habuiſſe, nec ex Patris ſubſtantia natum eſſe docebat, eumdem Euſebium ad ſui protectionem hortatur; gloriatus ſecum ſentire Euſebium Cæſarienſem Palæſtinæ, Theodotum Laodicenum, Paulinum Tyrium, Athanaſium Anazarbenſem, Gregorium Berytenſem, Aetium Lyddenſem & omnes denique Orientales Antiſtites, præter Philogonium Antiochenum, Macarium Hieroſolymitanum, & Hellanicum Tripolitanum; quos ideo impudentiſſimus hæreſiarcha appellare hæreticos nõ dubitauit, atq; etiam calumniis onerare quaſi Filium ingenitum prædicarent. Porro hanc epiſtolam cum accepiſſet Euſebius, impigre negotium curans, quem videbat Paulinum Tyrium, licet cum Ario ſentientem, haud tamen audere quod ſentiret ſcriptis prodere; eumdem litteris [x] exemplo Euſebii Cæſarienſis ad propugnationem impii dogmatis cohortatus eſt, ipſe quoq; impietatis ſuæ virus euomens. Id autẽ præſtitiſſe Paulinũ opinamur: ſicut feciſſe conſtat alios ſuperius nominatos Euſebium Cæſarienſem & Athanaſium Anazarbenſem, atque etiam Gregorium Laodicenum; id teſtante S. Athanaſio: [y] extantq; eiuſdem Euſebii Cæſarienſis ad Alexãdrum eã de re ſcriptarum fragmenta litterarum in Actis Concilii [z] Nicæni Secundi; ſicut & auctor eſt Socrates [a], ipſum quoque Euſebium Nicomedienſem pariter ad Alexandrum pro Ario ſcripſiſſe. Quinimmo & ipſe Arius, ac qui cum eo erant clerici Alexandrini, alias [b] dederunt ad eumdẽ Alexandrum, quibus turpiter mẽtiti ſunt, ſe prædicare doctrinam quam à maioribus accepiſſent, & ab ipſomet Alexandro publice docente audiſſent.

[u Extat eius littera ap. Epiph. hær. 69. & Theodor. lib. 1. cap. 5.]
[x ap. Theod. ibid.]
[y Athan. de Synod. Arim.]
[z Conc. Nic. 2. Act. 6.]
[a Socr. li. 1. ca. 3.]
[b Ext. ap. Epiph. hær. 69.]

[IX. Alexandri epiſt. Alexand. labores pro fide tuenda:]

Quod autem omnes eiuſmodi epiſtolæ ſic ad Alexandrum eſſent ſcriptæ, vt tamen earum exemplaria cũctis palam innoteſcerent; fuit ei pariter opus contrarias red-

dere literas Circulares, cuiuſmodi ab eo conſcriptas fuiſſe numero ſeptuaginta, Epiphanius [c] tradit; ſed ex iis binæ tantummodo ſuperſunt, quarum alteras recitat Socrates [d], Theodoretus [e] alteras longe prolixiores. Quibus quidem Alexander Arii dogmata manifeſtans, ſimul & egregie confutans, ait eum docuiſſe, Deum non ſemper Patrem fuiſſe, ſed tempus aliquando extitiſſe cum non eſſet Pater: non ab æterno Verbum Dei fuiſſe, ſed ex nihilo ortum eſſe: nam Deum qui eſt, eum cum nō erat, ex eo quod non eſt procreaſſe, & propterea tempus fuiſſe aliquando cum non eſſet. Creatum enim & factum eſſe Filium, neque eſſentia Patri ſimilem, neque natura verum Patris Verbum, neque veram eius Sapientiam eſſe, ſed per abuſionem Verbum & Sapientiam dici: ipſum factum eſſe proprio Dei Verbo & ſapientia quæ in Deo eſt, per quam cum cetera omnia tum illum fecit Deus: & ob eam cauſam poſſe natura ſua conuerti & mutari, ſicut animantia omnia ratione vtentia, immo & quemadmodum diabolus mutatus eſt: Verbum eſſe peregrinum, alienum & ſeiunctum à Sapiētia Dei: Patrem à Filio minime explicari poſſe, nec perfecte cógnoſci in ſua eſſentia: quippe Filium noſtra cauſa factum eſſe, vt Deus per ipſum tamquam per inſtrumentum nos crearet; neq; extitiſſe aliquādo, niſi Deus nos creare in animum induxiſſet. Hæc de Arij blaſphemijs Alexander in epiſtola quæ eſt apud Socratem: cuius labores pro tuenda Filij Dei aduerſus Arianos diuinitate, egregie laudauit Athanaſius [f]. Ex ijs vero quæ ex eadem epiſtola recitata ſunt, plane conſtat Arium ſenſiſſe aliud eſſe Dei Verbum, aliud Dei Filium, quem vellet non eſſe Verbum, ſed qui eſſet factus per Verbum, ipſeq; nonniſi abuſiue eſſet Verbum: quod ipſum Arianis obiiciens Athanaſius, [g] æque demonſtrauit eos plura Verba conſtituiſſe. Quinetiam eoſdem aſſeruiſſe Chriſtum corpus ſine anima aſſumpſiſſe, & pro anima Deitatem habuiſſe, ita vt affectiones quoque ei aſſignarent, expreſſum habetur in Secunda Nicæna [h] Synodo auctoritate Greorgii Nazianzeni.

c Epiph. ibid. d Socr. lib. 1. cap. 3. e Theod. lib. 1. cap. 4. ARII IMPIA DOGMATA. f Atha. orat. 1. cont. Arian. g Idem decr. Nic. Syn. cōt. hær. Arian. h Conc. Nic. 2. Act. 6.

X. ALIÆ ALEX. LITERÆ ADVERSVS ARIVM.

Ceterum cum poſt ſcriptam priorem illam epiſtolam, idem Alexander à quamplurimis diuerſarum Orientis prouinciarum Epiſcopis aduerſus Arium ſcripta ſuſcepiſſet, iidemque contra Arianos conſcripto ab Alexandro fidei libello ſubſcripſiſſent; optans ipſe hæc eadem præſtari à reliquis, tunc Circularem illam prolixiorem emiſit, quā Theodoretus recitat, cui & exemplaria litterarum ab iiſdem Orientalibus Epiſcopis aduerſus Arium ſcriptarum ſubiunxit: quæ quidem licet (præſefert titulus) ad Alexandrum Conſtantinopolitanum Epiſcopum data dicatur; ex eius tamen lectione apparet ad plures ſcriptam eſſe, vt pote Encyclicam.

XI. i Ext. tom. 3. Bibl. 5. SILVESTRI PP. STVDIVM PRO COMPONENDIS REBVS ECCLES.

Cum vero de his omnibus Alexāder in primis ſcripſiſſet ad primariæ Sedis Antiſtitem Silueſtrum Romanum Pontificem (vt conſtat ex epiſtola [i] Liberii Papæ ad Conſtantium Imperatorem) intendens ille apud componendas eiuſmodi turbas animum, quod eius muneris præcipue eſſet obortas hæreſes damnare, & diſſentientes Epiſcopos conciliare, haberetque inſuper exemplum Dionyſii prædeceſſoris ſui, qui eiuſdem Alexandrinæ Eccleſiæ diſſenſiones obortas tempore alterius Dionyſii Alexandrini Epiſcopi ſumma diligentia ſedauerat; ipſe, inquam, Silueſter his monitus, OSIVM Cordubenſem in Hiſpania clariſſimum confeſſione & eruditione Epiſcopum, Legatum in Orientem miſit, ſiue eidem iam apud Conſtantinum Imperatorem in Bithynia degenti (vt potius Euſebius [k] & Socrates [l] ſignificare videntur) id muneris delegauit, vt excitatum per Arium incendium extingueret. Id enim vt affirmemus factum eſſe per Silueſtrum, omnino cogit quod idem Oſius reperiatur in ea cauſa Concilium generale Alexandriæ celebraſſe, & poſtea Nicæno & Sardicenſi Oecumenicis præfuiſſe: quod non niſi auctoritate Sedis Apoſtolicæ vllatenus præſtare valuiſſet. Neque enim eſt quod dici poſſit miſſus à Conſtantino Legatus in Ægyptum; quandoquidem in literis tūc per eum ab eodē Imperatore ſcriptis, quas Euſebius [m] recitat, nulla prorſus de ipſo Oſio mentio habeatur, neque de aliquo alio miſſo à ſe legato; quod in primis neceſſe fuerat expreſſiſſe. Sed par eſt credere, eumdem à Silueſtro delegatum, ab ipſo quoque Cōſtantino litteras [n] accepiſſe in Ægyptum, quo facilius munus ſibi iniunctum exequeretur.

k Euſ. 2. de Vit. 52. l Socr. li. 1. ca. 4. OSII LEGATIO A SILVESTRO PP. m Euſ. 2. de Vit. 63. n Socr. lib. 1. cap. 4.

XII. CONSTAN. STVDET ECCLESIÆ PACI.

Porro eiuſmodi Conſtantini literæ tunc ad Alexandrū & Arium (vt præſefert titulus) de mutua inter eos reconciliatione miſſæ, ita conſcriptæ ſunt, vt alterum de duobus eueniſſe oporteat; vel quod Euſebius Arianus homo parum fideliter eas retulerit, vel earumdem ſcribēdarum argumentum ipſi Conſtantino tunc Nicomediæ agenti ſuppeditatum fuerit ab altero Euſebio eiuſdem ciuitatis Epiſcopo, omnium Arianorum facile principe, à quo cōplura fuerint coagmentata mendacia, vt cum inprimis potior diſcordiarum culpa reiicitur in Alexādrum, & ipſa de qua ageretur controuerſia leuicula & inanis dicitur, & tam Alexander quam Arius vnam eādemq; de fide ſententiam tenere perhibentur. Quæ vero poſt hæc geſta ſunt, dicentur annis ſequentibus.

IESV CHRISTI AN. 319.

CONSTANTINI AN. 14.

SILVESTRI AN. 6.

I. SARMATÆ COMPRESSI A CONSTANTINO. a ap. Adol. ſed male ponitur ſub Conſtant. Iuniore b Sozom lib. 1. cap. 8. c Zos. lib. 2. d Euſeb. 4. de Vit. 5. & 6.

ANno Chriſti trecenteſimo decimonono, Conſtantino Auguſto quintum Lucinio Iuniore Cæſare Licinii Imperatoris filio Coſſ. idem Conſtantinus Sauromatas, ſiue Sarmatas, ad Mœotidem paludem habitantes, qui Iſtro traiecto Romanā ditionem aggreſſi fuerant, debellauit. Extat [a] n. antiquus nummus ſignificans id accidiſſe hoc ipſo quinto Conſulatu eiuſdē Imperatoris: quod Sozomenus [b] geſtum ponit mox poſt bellum Licinianum, Zoſimus [c] vero poſt debellatum in Thracia Licinium, & ſancitum cum eo fœdus. Meminit & Euſebius, ſed in fine Vitæ Conſtantini, dū barbaros ab eo domitos ſimul recēſet. Ceterum non ſemel, ſed ſæpius Sarmatas à Conſtantino eſſe ſuperatos, habet Porphyrius in Panegyrico eidem Conſtantino oblato. Quod vero ait Euſebius, Sauromatas à Scythis inuaſos, coactos eſſe ſeruos ſuos amare, & ab iiſdem propriis ſeruis poſtea expulſos ad Conſtantinum ſe recipere: ea poſt hæc tempora geſta oportuit, quæ S. Hieronymus in Chronico refert anno vigeſimo octauo eiuſdem Imperatoris. Sauromatis autem Sozomenus Gothos adiungit, & ipſos à Conſtantino deuictos, quos Euſebius Scythas appellaſſe videtur. Sed quod hoc bellum alio tempore geſtum eſſe conſtet, agetur de eo inferius ſuo loco. Addit denique Sozomenus, Conſtantino in his bellis vel maxime per ſigna ac ſomnia declaratum eſſe, quam ſedulo Deus ſua prouidentia ei proſpexiſſet.

II. CONST. SCRIBIT CONTRA ARIVM. e Epiphan. hær. 69.

Quod autem pertinet ad res Eccleſiaſticas; cū anno ſuperiori Conſtantinus ad Alexandrum & Arium, literas quas diximus de mutua ipſorum recōciliatione ſcripſiſſet; quid deinde Alexander ad Conſtātinum reſcripſerit haud conſtat, reſcripſiſſe tamen auctor eſt Epiphanius [e]. Cum vero Arius litteras parum officioſas, & tam ſublimi Imperatoria maieſtate minus dignas reddiſſet; ijs acceptis Imperator, zelo incenſus publicas contra eum atque eius opinionis fautores dedit, tales plane quales decebat accipere inſanum hæreſiarcham, nempe inuectiuis & reprehenſionibus, ſalibus quoque ac iocis, denique monitionibus ad reſipiſcendum ab erroribus, refertas; quas & paſſim (vt ait Socrates [f]) diuulgandas curauit, & ex eis pauca quædam Epiphanius [g] recitat: Euſebius autem parum liberalis hiſtorici numeros implens, earum nec meminit quidem, quod contra Arianos ſuos ſcriptæ eſſent; cum alioqui quæ aduerſus Alexandrum & Catholicos facere viderentur, integras retulerit. Extant nihilominus ipſæ hactenus integræ conſeruatæ [h]: ex quarum fine apparet, eaſdem Conſtantinum ſuo ipſius chirographo conſignatas miſiſſe ad Alexandrinos, ac publice recitari iuſſiſſe, quo illis teſtatum redderet animum ſuum in Arium.

f Socr. lib. 1. cap. 6. g Epiphan. ibid. DOLVS EVSEBII CÆSAR. h Rec. Bar. Annal. to. 3. hoc an.

III. OSIVS CELEBRAT CONC. ALEXAND.

Interea vero Oſius Cordubenſis Epiſcopus, à Silueſtro Papa (vt vidimus) ad ſedandas Orientalis Eccleſiæ ri-

xas delegans, in Ægyptum cum literis Conſtantini profectus, Generale Alexandriæ CONCILIVM celebrauit: ſic namque illud Athanaſius [i] nominat. quod præſente Apoſtolicæ Sedis Legatio omnes Epiſcopi illarum prouinciarum quæ parebant Antiſtiti Alexandrino, fuerint ad Synodum conuocati. Quæ vero in eo geſta fuerint, cum exciderint ipſius Acta, perpauca tantum quædam ſuperſunt: veluti quod Athanaſius ſcribit, Colluthum presbyterum Alexandrinum (de quo ſuperius facta eſt mentio) pro Epiſcopo ſe falſo gerentem, fuiſſe à Patribus in ordinem redactum: Itemque quod tradit Socrates [k], peruerſum dogma Sabellij, licet iam olim damnatum, quod tamen in illis regionibus plurimum inualuiſſe, teſſe prorſus exploſum: & quod ille trium perſonarum diſtinctionem non reciperet in Trinitate, ſed in vnam eas omnes eſſentiam indiſtincte confunderet; factū eſſe in eadem Synodo, vt in ſanctiſſima Trinitate ſicut vna prædicaretur οὐσία ita tres dicerentur ὑποστάσεις vnde poſtea maior oborta eſt controuerſia, de qua ſuis locis agendum pluribus.

i Athan. Apol. 2.
k Socr. lib. 3. cap. 5.

IV. OSIVS FVNCTVS IN ORIENTE LEGATIONE SILVESTRI P.

Ex his igitur quæ reperiuntur aduerſus Colluthum & Sabellianos geſta, facile poſſumus intelligere cetera quæ ſunt de eodem Concilio obliuione ſepulta, de rebus geſtis aduerſus Arianos atque Meletianos, quorum cauſa potiſſimum Oſius miſſus videbatur. Sed & ſatis ſignificatum videtur, eumdem Oſium in his functum eſſe Legatione Apoſtolicæ Sedis: nam cum in Conſtantini litteris anno ſuperiori ſcriptis, nonniſi de componendis diſſidiis inter Alexandrum & Arium mentio habeatur: vt ipſe præterea de ſchiſmaticorum & hæreticorum cauſis in primaria totius Orientis ſede cognoſceret, ab alio quam à Conſtantino id ei oportuit imperatum, porro non ab alio id poteſt dici vel fingi, quam ab ipſo Romano Pontifice, quem Alexandri litteris de his & aliis interpellatum fuiſſe vidimus. Quantum autem temporis in iis Oſius inſumpſerit, haud liquet; ſed quod negotia obiret difficillima, putamus ea fuiſſe in plures annos propagata: quem tamē non ſemper in Ægypto detentum eſſe conſtat; ſiquidem eadem legatione in componendis Aſianorum Syrorumque diſſidiis de die celebrationis Paſchatis, poſtea occupatum fuiſſe, Sozomenus [l] tradit.

l Sozom. lib. 1. c. 15.

V. SYNODVS GANGRENSIS.

Quin & eodem tempore celebrata reperitur ab eodē Oſio GANGRIS [m] ciuitate in Paphlagonia, SYNODVS aduerſus errores cuiuſdam EVSTATHII, qui adeo fauit monachiſmo, vt ſpreuerit reliquos Chriſtianorum ordines; & prætextu quodam ſanctitatis, Dei Eccleſiam (quæ inſtar ſagenæ omnium piſcium genera congregantis, cunctos amplectitur) pessum dederit; ac ferme fuiſſet demolitus, niſi cito ſecuris Apoſtolica infauſtos palmites per Oſium Legatum ſuccidiſſet. Cum vero quo potiſſimum anno dicta Synodus fuerit celebrata, minime appareat; tamē ex præſentia eiuſdem Oſii certum redditur, ipſam his temporibus habitam eſſe, cum ipſe labantem Orientalium Eccleſiarum ſtatum reſtituere curaret. Vnde etiam accidiſſe putamus, vt quod idem Apoſtolicæ Sedis auctoritate eidem Concilio præſto fuerit, Symmachus Papa in Sexta Romana Synodo teſtatus ſit, canones Gangrenſes Apoſtolica auctoritate conditos eſſe.

m De hoc CONCILIO egi alia occaſione Baron. in Sa. To. 3. ann. Dom. 361. ſed omnino ex ipſius ſententia huc transferendum fuit.

VI. EVSTATHIVS HÆRESIARCHA, DIVERSVS A SEBASTENO.

Quinam autem fuerit *Euſtathius* prauorum eiuſmodi dogmatum architectus, haud certo conſtat. Licet enim hunc fuiſſe Euſtathium illum Epiſcopum Sebaſtæ in Minori Armenia, de quo ſæpe inferius ſub Conſtantio ac deinceps, Socratis [n], Sozomeni [o], & aliorum qui hos ſecuti ſunt hiſtoricorum aſſertione tradatur; nulla tamen id nobis ratione probatur. Quid enim quod nec S. Baſilius [p], cum duabus epiſtolis Valentis Imperatoris tempore ſcriptis, diligenti ſcopa cunctas eiuſdem Euſtathii Sebaſteni turpitudines in vnum congeſſit; nec tot Synodi, quibus idem Euſtathius (teſte eodem Baſilio, & aliis) reperitur fuiſſe damnatus à Catholicis; aliquam prorſus habuere mentionem eius damnationis in Concilio Gangrenſi, vel tot eius hæreſum quæ illic cum auctore anathemati ſuppoſitæ fuerunt; ſed tantum de perfidia Ariana eum damnarunt? Quid item quod fungente eodem Euſtathio Sebaſteno cum collegis legatione apud Liberium Romanum Pontificem (vt ſuo loco dicetur) cum profeſſio ab eo exacta eſt Catholicæ fidei, nulla alia ab ipſo edita eſt, præter illam qua ſe Arianam hæreſim deteſtari ſignificaret: Quid deniq; quod apud neminem antiquorum, qui hæreticorum catalogum ſcriptis fuerit proſecutus, idem Euſtathius Sebaſtenus errorum Gangris recenſitorum auctor eſſe dicatur; non apud Epiphanium, aut Philaſtrium, Auguſtinū, Theodoretum, vel Damaſcenum? Quapropter accidiſſe exiſtimamus, vt cum ipſo ſui ortu hæreſes illæ cum auctore compreſſæ ac penitus extinctæ, & ab omni memoria deletæ eſſent; nihilominus Socrates & Sozomenus, quod in Actis Gangrenſis Synodi inueniſſent illorum errorum in crimen adductum Euſtathium quemdam, nec alium ſcirent eius nominis ea ætate hæreticum, præter Sebaſtenum; qui hæreſis Arianæ cauſa reperiretur ſæpe damnatus; eidem omnia adſcripſerint.

n Socr. lib. 2. cap. 33.
o Soz. lib. 3. cap. 13.
p Baſil. ep. 74. & 82.

VII. EVSTATH. SEBAST. FALSO CREDITVR AVCTOR MONACH. ARMEN.

Sed malus opinator Sozomenus [q], errores ex errore deducens, tradit eumdem Euſtathium Sebaſtenum auctorem extitiſſe vitæ monaſticæ in Armenia, Ponto, & Paphlagonia ibidemq; primum omnium regulas compoſuiſſe quibus monachi ſimul victuri inſtituendi eſſent. Quod quidem tantum abeſt vt dici poſſit, vt nec ſi ipſe monachus fuerit aliquo digno teſte probari poſſit. Siquidem S. Baſilius [r] eiuſdem viri vitam à cunabulis prope retexens, cum eius inſtitutionem Alexandriæ ſub Ario magiſtro recenſeat reditumq; in patriam referat, & quas paſſus eſt abdicationes ob Arianam hæreſim antequam Epiſcopus eſſet, vel cum factus Epiſcopus; nullam vmquam habuit mentionem de ſuſcepto ab eo monaſtico inſtituto; nec etiam cum ad ipſum Euſtathium [s] ſcribens, diuerſarum recenſuit prouinciarum quos nouerat monachos. Sed & quamuis talis extitiſſet, haud tamen vlla prorſus ratione probari poterit, fuiſſe in nominatis regionibus monachorum primum auctorem & inſtitutorem: cum ante Baſilium nullam in his viguiſſe cœnobiticæ vitæ obſeruantiam, perfacile poſſit intelligi ex eo quod idem Baſilius de eiuſmodi inſtitutione accuſatus à Neocæſarienſibus [t] primariæ Ponti ciuitatis accolis, ſe defendit exemplo monachorum Ægypti, Palæſtinæ, & Meſopotamiæ non autem propinquiorum prouinciarum Armeniæ, Ponti, & Paphlagoniæ; quod neceſſario debuiſſet, ſi iam tunc fuiſſent auctore Euſtathio propagati.

q Soz. l. 3. c. 13.
r Baſ. ep. 74. 82.
s Id. ep. 79.
t Id. ep. 63.

VIII. EVTACTVS HÆRESIARCHA.

Verum cum quinam fuerit ille Euſtathius Gangris dānatus, adhuc remaneat incertum; mouet interim coniectura, vt loco *Euſtathij* reponendus ſit *Eutactus*. Mentio nāque eſt de huius nominis monacho Armeno apud Epiphanium [u]; quem ait educatum fuiſſe in Palæſtina à quodam Petro profeſſione anachoreta, re vera autem impoſtore; reuerſum autem in patriam, multos polluiſſe ope quorumdam quos primo corrupit diuitum & Senatorij ordinis virorum; eiuſq; morientem reliquiſſe libros hæreſibus confertos. Vt autem hunc ipſum exiſtimemus eſſe quem Euſtathium dicunt, cum ſimilitudo nominis perſuadet, tum locus (nempe Armenia) vbi docuit; tum etiam quod de eius diſcipulis Epiphan. ſcribat, ſolitos decipere ſimpliciores homines habitu ſolitariè degentium, & renunciationem quamdam iactaſſe. Quæ quidem renunciatio ea videtur eſſe, qua in Epiſtola Synodi Gangrenſis ad Armenos ſcripta Patres aiunt, eumdem hæreſiarcham & diſcipulos docuiſſe, niſi Chriſtiani omnibus renunciarēt diuitijs, ſpē nulli apud Deū ſalutis ſuæ ſibi reliquā fore: ſed & illud, Nō tantū filios relinquere debere parentes, & hos illos, verū vxores viros ſuos, vt ſalutē cōſequerentur: aduerſus quē errorē extant canones [x] eiuſdē Synodi. Et quod pertinet ad ſanctiorē illū habitum, quō eos Epiphanius amicri cōſueuiſſe tradit; eo reſpexiſſe videtur Synodus [y], cū illos dānauit qui ſic circūſpecte veſtiti pallio, contēnerent alios qui breuiorib. vtereſitur indumētis, nempe birris. Quodq; præterea ſectarentur inſtitutā Petri Palæſtini magiſtri Eutacti, quem idem Epiphanius refert quotidianas erogaſſe eleemoſynas; inde potuit accidiſſe, vt iidem oblationes ad erogandas in pauperes ſibi dari, etiam abſque ſcientia Epiſcopi, populo perſuaderent: aduerſus quos ſanciti ſunt in eadem Synodo canones [z]:

u Epiph. hær. 40.
EIVS PRAVA DOGMATA.
x Conc. Gangr. can. 14. 15. 16.
y Ibid. ca. 12
z Can. 7 & 8.

vera vt ſic gloriari poſſent ſe Romæ habere Epiſcopum, ac proinde nomen Catholicum promereri. Itaq; his ipſis Silueſtri Papæ temporibus, eo miſerunt *Victorem* quendam Garbienſem, cui alij quinque vſque ad tempora Optati, qui hæc deſcribit [b], ſucceſſiue ſuffecti ſunt: iidemque (vt ait Auguſtinus [c]) vel ex Africa mittebantur ordinati, vel alij Epiſcopi Donatiſtæ ad eum ordinandum Romam pergebant; cum tamen (vt docet Optatus) nonniſi Afros vnquam ordinauerint, quod nullos alios ſibi adhęrentes haberent. Quapropter & nullo negotio iidem Patres [d] totam eorumdem machinationem vnica argumentatione diſſoluerunt, nempe quod nullam haberent manantem à Petri Cathedra ſucceſſionem, ex qua Eccleſia Catholica veræ vnitatis ſoliditate compaginata omnibus innoteſceret; nec commercio Formatarum cum Romanis Epiſcopis in eadem Petri Cathedra ſedentib. in vna communionis ſocietate concordarent.

b Opt. lib. 2.
c Aug. de hær. c. 69.
d Opt. lib. 2. Aug. ep. 163. 165. & alibi.

IIII. ALIA DONAT. NOMINA.

Porro quod qui Romæ agerent, excluſi ab ipſa ciuitate in quadam montium vicinorum ſpelunca conuenticula celebrarent; tradit idem Optatus, inde eos nomenclaturam accepiſſe, vt dicerentur *Montenſes*, quo etiam nomine à S. Hieronymo [e] & ab Imperatore [f] appellantur. Verum eiuſmodi nuncupationis antiquiorem in Africa cauſam deprehendimus in Feliciſſimo ſchiſmaticorum anteſignano tempore Cypriani, qui ſuos in monte colligeret, vt alias [g] dictum eſt. Et quod pariter oſtenderimus, ex eadem factione manaſſe Nouatum, inde putamus accidiſſe quod S. Epiphanius [h] ait, Nouatianos Romæ vocatos eſſe Montenſes. Ceterum ipſos Donatiſtas Romæ agentes S. Auguſtinus [i] non tantum Montenſes, ſed iam *Rupitanos* à rupe nominat: qui & apud eumdem mendoſe reperiuntur dicti *Cuzupitæ* pro *Corrupitæ*. Denique S. Hieronymus [k] *Campitas* appellat, quod in campis ſuos colligerent.

e Hier. ep. 133.
f l. 43. C. Th. de hæret.
g Sup. an. 254.
h Epiph. hær. 59. in fi.
i Aug. de vnit. Eccl. c. 3.
k Hier. adu. Lucif. in fin.

IV. DONAT. FACTI HÆRETICI.

Conſtat inſuper perditiſſimos homines primo ex Traditoribus ſchiſmaticos factos, poſtea in deterius prolabẽtes hæreticos euaſiſſe, & cum Nouatianis rebaptizaſſe Catholicos qui ad eos tranſirent; ſicut Optatus [l] & Auguſtinus [m] aſſerunt: quam quidem rebaptizationem, nõniſi à temporibus Macarianis ſub Conſtante Imperatore filio Conſtantini ab iiſdem Donatiſtis inductam fuiſſe, ſignificat apud eumdem Auguſtinum [n] Ticonius Donatiſta. Fuit & illa peculiaris eorumdem [o] hæreſis, Eccleſiam ibi eſſe non poſſe vbi peccatum eſt; ideoque propter crimina (quæ ipſimet falſo commenti erant) Cæciliani Carthaginenſis Epiſcopi, Eccleſiam Christi de toto terrarum Orbe periiſſe, quaſi contagione communionis eius extinctam, atque in Africa apud ipſos ſolos permanſiſſe. Sed & ipſorum coryphæum Donatum, qui his temporibus extitit poſt Maiorinum, pſeudoepiſcopus Carthaginenſis, ſcribit idem Auguſtinus [p], haud recte ſenſiſſe de ſanctiſſima Trinitate; ſed quamuis eiuſdem ſubſtantiæ, minorem tamen patre Filium, & minorem Filio putaſſe Spiritum Sanctum. Quod nec ignorauit S. Hieronymus [q], dum eius ſcripta relegens ait edidiſſe de Spiritu Sancto librum Ariano dogmati congruentem. Sed (vt Auguſtinus addit) in hunc eius errorem, Donatiſtarum multitudo intenta non fuit.

l Opt. lib. 1.
m Aug. hær. 69.
n Id. ep. 48. ad Vincent.
o Aug. cont. ep. Parm. lib. 1 cap. 1. & de hær. ca. 69.
p Ibid. c. 69.

DONATVS FACTVS ARIANVS.

q Hier. de Script. Eccl. in Donat.

V. DONATI FASTVS ET ARROGANTIA.

Eo porro arrogantiæ idem ille perueniſſe traditur [r], vt ab aliis Epiſcopis exegerit non minori timore ipſum venerari quam Deum: & cum per ſolum Deum ſoleant homines iurare, paſſus fuerit homines per ſe ſic iurare tanquam per Deum. Quin & ſuos iactare ſolitos, ei oranti reſpondiſſe Deum de cœlo, Auguſtinus [s] teſtatur. Atq; inſuper Præfectos, immo ipſos imperatores conuiciis & cõtumeliis laceſſiuiſſe, Optatus [t] eſt auctor. De Doniſtarum vero ab eo denominatione, iam dictum eſt ſuperius in origine ſchiſmatis. Sub eodem autem Donato, ipſoque docẽte, puto, & hortante, oborti ſunt in Africa *Circelliones* ſiue CIRCVMCELLIONES, ſic dicti (inquit Auguſtinus [u]) quod circum cellas vagarentur, quos tamen à Donato *Agoniſticos*, & eorum Præfectos, *Duces ſanctorum* nominatos eſſe, Optatus ſcribit. Erant hi ſectæ defenſores, qui auderent Præfectis quoque reſiſtere, quique per nundinas, villas, vicoſque circumuagantes, iactabant ſe eſſe publicæ iuſtitiæ vindices; eoque prætextu & ſeruos vocabant ad pileum, & oppreſſos ære alieno à creditoribus liberabant: quorum immania ſcelera aduerſus Catholicos perpetrata, inſanumque furorem martyrii adipiſcendi, & impieratorum aduerſus eos edicta ſæpe commemorat Auguſtinus, ageturque de iiſdem inferius ſuis locis.

r Opt. lib. 3.
s Aug. tract. 13. in Ioan.
t Opt. lib. 3.

CIRCVMCELLIONVM [illegible] IMPIA FACINORA.

u Aug. in pſal. 132.

VI. DE FERIATIONE DIEI DOMINICÆ.

Hoc eodem anno iiſdemque Coſſ. Conſtantinus Imperator de feriando die Dominico, & in eo precib. diuinis vacando, ſanctionem edidit [x]. Quod autem eum non Eccleſiaſtico more *Dominicum* appellat, ſed more Gentilium, *Solis*, inde colligi poteſt, non Chriſtianis ſolum, ſed Gentilibus eamdem legem ab ipſo præſcriptam. Teſtatur enim Euſebius [y], eiuſdem feriationem diei fuiſſe quoque Gentilibus militibus imperatam, datamque eis precationum formulam, qua omnes eo die in patentibus ſuburbiorum campis in vnum conuenientes vti deberent; nẽpe, *Te ſolum Deum agnoſcimus, te Regem profitemur, te adiutorem inuocamus: per te victorias conſecuti ſumus, per te hoſtes ſuperauimus: abs te & præſentem felicitatem conſecutos fatemur, & futuram adepturos ſperamus: tui omnes ſupplices ſumus. Abs te petimus vt Conſtantinum Imp. noſtrum, vna cum piis eius liberis quam diutiſſime nobis ſaluum & victorem conſerues.* Præter hęc etiam conſtituiſſe, vt cuncti Romano Imperio ſubditi in honore haberent diem qui Sabbatum præcedit, idem auctor affirmat: quod quidem de die Veneris, quam ſextam feriam dicimus, quoniam eo Chriſtus crucifixus eſt, intelligendum, Sozomenus [z] docet, dum hæc cuncta paucis perſtrinxit. Ceterum de horum dierum ſolemnitatibus, & cultu in Eccleſia antiquiſſimo, iam dictum eſt aliis locis.

x l. 1. C. Th. de fer.
y Euſeb. 4. de vit. 19.

FORMVLA PRECVM MILITVM.

z Soz. lib. 1. ca. 8.

VII. MALEFICI COHIBITI.

Iiſdem etiam Coſſ. idem Imperator reſcripſit [a] aduerſus maleficos & incantatores, immiſſoreſque tempeſtatum, & qui per inuocationem dæmonum mentes hominum turbarent. Itemque alia [b] lege facultatem quibuſcumque dedit, quæ vellent de bonis ſuis vltima voluntate eccleſiis relinquere. Quo quidem adeo auctæ ſunt illarum diuitiæ, vt poſteriores Imperatores veriti ob eam cauſam Reipublicæ detrimentum & paupertatem, conati ſunt iterum ab eiuſmodi profuſis largitionibus cohibere Fideles; de quo dicetur ſuo loco.

a l. 4. C. de malef.
b l. 4. C. Th. de Epiſc. & cler.

ECCLESIÆ BONIS AVCTA.

VIII. IMPIVM CONST. EDICTVM PRO ARVSPICINA.

At in fine huius anni minus plane dignum, atque adeo abhorrens à Chriſtiano Imperatore reſcriptum [c], idem Conſtantinus Sardicæ exiſtens dedit ad Maximum Præfectum Vrbis, quo Aruſpices ob præcedentia quædam prodigia conſuli iuſſit, idemque ab omnibus aliis publice fieri permiſit. Ex quo puto perſuaſum Zoſimum [d] aſſerere, Conſtantinum vſque ad hæc tempora, licet inuitum, Gentilium ſuperſtitionem eſſe ſectatum, vt Senatui morem gereret. Quæ quam falſa ſint, ſatis ſuperque demonſtrant quæ ſuperioribus annis ex probatiſſimis auctoribus aliiſque monumentis de eo relata ſunt: Illud tamen non abnuerim, Conſtantinum cum Senatu Populoque Romano atque prouincialibus Gentilibus, magna adhibita circumſpectione egiſſe; & ſic Chriſtum coluiſſe, vt deorum cultores non fuerit auerſatus. Sed vnde huius reſcripti promulgandi occaſio? Nempe cum ante proxime elapſum annum idem Imperator (vt vidimus) iterum aduerſus Aruſpices reſcripſiſſet, qui priuatæ in alienis domibus Aruſpicinam exercerent; ea de re ſuſpicio non leuis videbatur Gentilibus Romanis illata, eumdem paulatim ritus patrios antiquare in conſilio habuiſſe. Quapropter ne infenſos iam ſibi Chriſtianæ religionis cauſa illorum animos, eiuſmodi ſuſpicione acerbius irritaret: ideo putamus eum de conſulendis Aruſpicibus reſcripſiſſe. Quinimo cũ eodem reſcripto declarauerit, ſe idipſum peragendi licentiam omnibus tribuere, dummodo à priuatis ſacris & domeſticis ſacrificiis abſtinerent; plane ſignificauit, aliquo alio reſcripto Aruſpicinã quoq; publicã fuiſſe vetitã: quod illorum animos mirũ in modum exacerbaſſe, & ad res nouas moliendas concitaſſe, videri poterat; cum maximæ omnium æſtimationis & auctoritatis Aruſpicinam Romæ extitiſſe, ſatis declaret lex duodecim tabularum de Auguriis, quam Cicero [e] recitat & explicat.

c l. 1. C. Th. de Pagan.
d Zoſ. lib. 2.
e Cic. lib. 2. de Legib.

Sed

de Maxentio tyranno, perinde ac ſi numquam amplius idem Conſtantinus Romæ fuiſſet vel alijs locis Orbis Occidentalis, nuſquam illorum meminerit. Nam qui ſemel expertus eſt ſibi inhærenti Ario aduerſariam Romanam Eccleſiam, adeo auerſatus eſt illam, vt ea ex parte delegerit potius à Conſtantini laudibus abſtinere, quam vlla ex cauſa bene de illa velle mereri.

IV. Crispi et Faustæ necis causa.

Sed quod rurſum ad Criſpi necem ſpectat; cum eam à Fauſta nouerca procuratam omnes affirment, Zoſimus certam aſſerens cauſam, ait contigiſſe ob ſuſpicionem conſuetudinis cum eadem Fauſta; quod vero Conſtantini mater Helena intolerabilem inde dolorem perciperet, vt eam cõſolaretur Conſtantinus, Fauſtam ipſam Balneo ſupra modum calefacto incluſam extinxiſſe. Hæcque Romæ contigiſſe tradit, licet Ammianus [q] Polæ in Iſtria Criſpum eſſe necatum affirmet. Ceterum prædictus Artemius cum Chriſtianitatis reus cauſam ageret coram Iuliano deroganti illi Conſtantino, ac præſertim necem propinquorum obiicienti, pro Conſtantino reſpondit [r], eum vxorem Fauſtam iuſtiſſime interfeciſſe, quod exemplo priſcæ Phædræ Criſpum calumniata de eius in ſe conatu, necem ei cauſata eſſet. Id ipſum affirmat S. Hieronymus in Lactantio ipſius Criſpi magiſtro, necnon Zonaras, & alij recentiores eorumdem interitum referentes. At Gregorius Turonenſis necatos ait, quod regni proditores extitiſſent; ſed non recipitur: fortaſſe tamen ipſa Fauſta, vt tantum regnarent filij à ſe geniti, hoc vna cum alijs in Criſpum priuignum obiecit, quod ſi verum probaretur, poſſet etiam eadem necis Licinij Iunioris cauſa prætexi, quem Fauſta videret à Criſpo atque ipſo etiam Conſtantino diligi. Certe quidem Eutropius affirmat, innumeros quoq; amicos tunc eſſe interfectos à Conſtantino: quod plerumque accidit cum agitur quæſtio perduellionis, cuius ſolent Principes etiam in inſontes acerrimi eſſe vindices.

q Ammian. lib. 14.

r Act. Artem. vbi ſup.

V. Crispi virtutes et religio.

Quod denique ad Criſpum attinet; conſtat ab omnibus eſſe laudatum, quem & præclaris victorijs auctum vidimus, & ſpectata caſtitate ceteriſque moribus inſignem, longe maiorem in rebus gerendis futurum, ſi viuere licuiſſet. Vt non mireris, ſi eumdem Iulianus [s] Auguſtus virum frugi & bonum prædicet, ac Helena auia (vt tradũt) inconſolabiliter fleuerit: cum præſertim Chriſtiana fuiſſe religione imbutum, multa ſuppetant argumenta; atque inter alia auctoritas antiqui numiſmatis [t], in cuius altera parte inſculpta eſt effigies & nomen eiuſdem Criſpi Cæſaris, in altera Chriſti Domini, læua manu Crucem tenentis, dextra vero benedictionem impertientis. Sed & fuiſſe baptizatum, Nicephorus [u] affirmat; licet perperam cum patre baptizatum dicat, quem ante patris baptiſmum necatum eſſe certum eſt.

s Iulian. in Cæſar.

t Habet Baron. Annal. hoc an.

u Nic. lib. 7. cap. 33. in fin.

VI. Baptismus Constantini a Zosimo sub obscure descriptus.

Siquidem poſt tam immania ſcelera reſipiſcens Conſtantinus, cum (vt narrat Zoſimus) eorum luſtrationem à Flaminibus popoſciſſet, illiſque reſpondentibus non eſſe traditum luſtrationis modum qui tam fœda piacula elueret; perſuadente quodam Hiſpano ex Ægypto Romam delato, doctrinam Chriſtianorum habere vim abolendi quodcumque peccatum; eam orationem haud grauate Conſtantinus accipiens, patriis miſſis factis, percepit ea quæ Hiſpanus obtulit, eiuſque rei principium dedit vt diuinationem ſuſpectam haberet atque aboleret. Hæc Zoſimus: non obſcure ſignificans Conſtantinum diuinationem Augurum primitus deteſtatum, cuius impulſu à Deo antea deſciuiſſet, & in tam enormia peccata prolapſus eſſet: cum & Chriſtiana lex imperet, ſacro baptiſmate initiandum, ante omnia ſatanæ & operibus eius renunciare debere. Ac proinde quod ait, Conſtantinum iis criminibus lege Chriſtiana expiatum, haud aliud ſignificare potuit, quam ipſum illis ſordibus ſuſcepto Baptismo eſſe dilutum: cum omnes ſciant accedenti impio ad Eccleſiam nullis alijs ritibus remiſſionem peccatorum ſolere conferri. Nec mirari quis debet, ſi non adeo dilucide ſcriptor Ethnicus myſteria noſtra ſit proſecutus, cum id ipſum ſit obſeruare in ceteris omnib. Gentilibus qui rerum Chriſtianorum meminerunt.

VII.

At non Zoſimus tantum hæc teſtata reliquit de expiatione à Gentilibus Conſtantino denegata, & à Chriſtianis impertita; ſed & alii quoque Gentiles hiſtorici, quorum meminit Sozomenus [x], licet ipſe ea in re fidem eis adhibere detrectauerit, quippe quod non putauerit fieri potuiſſe vt Conſtantinus, qui iam ab ipſa expeditione Maxentiana factus eſſet Chriſtianus, peteret hoc tempore à Gentilibus ſcelerum ſuorum expiationem. Sed certe haud erroris excuſabitur, quod exiſtimauerit eodem tempore quo Conſtantinus in Chriſtum cœpit credere, fuiſſe quoque baptizatum. Hoc enim non accidit niſi poſt admiſſa illa ſcelera, cum antea inter catechumenos tantum militaret, immo & in aliquibus interdum Gentilibus conniueret: vt non ſit mirandum, ſi quem vidimus adhuc Augures conſulere, idem à Flaminibus quoque expiationem petiiſſe aſſeratur. Quod vero idem Sozomenus, ad confutandam eamdem Gentilium teſtificationem; proferat exemplum Herculis ſacris Cereris expiati, vt probet etiam apud Gentiles eſſe expiationem ab vxoricidio & filicidio; id quidem exempli à propoſito longe abeſt; ſiquidem Hercules in furorem conuerſus, neſciens vxorem occidit & filios, ob idque nullius criminis reus nulla indigebat expiatione. At Conſtantinus nulla tactus amentia, ſed ſciens & volens facinus perpetrauit. Et quamuis non inficias ierimus, fuiſſe penes Gentiles eorum ritibus pro iuſtis cædibus inſtitutas purgationes, nempe aquæ [y] fluminis, vel luſtralis; aut [z] aquæ, ſulphuris, & ignis; vel ſuffitus [a] lauri, aliaſve eiuſmodi: pro parricidio tamen nullam prorſus fuiſſe, ſatis liquet exemplo Neronis [b]; qui nunquam à cæde matris purgari valuit.

x Soz. lib. 1. c. 5. Sozomenus error de Bapt. Constant.

y Virg. Æn. 2. 4.

z Ouid.

a Tib. li. 15. c. vlt.

b Suet. in Ner. cap. 34.

VIII. Osius auctor Baptismi Constant.

Ceterum quod Zoſimus ait, Conſtantinum ab Hiſpano ex Ægypto Romam delato perſuaſum eſſe Chriſtianorum vti expiatione, ſiue (vt ex eodem Zoſimo apud Euagrium legitur) ab Ægyptio ex Hiſpania: his verbis magnum illum Osium Cordubenſem in Hiſpania Epiſcopum, ipſi Conſtantino chariſſimum, intelligi nulla eſt dubitatio: ſiue nomen Ægyptium accipiamus pro mago (vt tum in diuinis [c] litteris, tum apud Ioſephum [d]; Porphyrium [e], & alios; ac moris fuiſſe Gentilibus, Chriſtianorum ſacerdotes appellare magos, ſatis alias oſtenſum eſt) ſiue potius intelligamus, eumdem Oſium nuper ex Ægypto Romam aduentantem (nempe ex legatione, de qua dictum eſt ſuperius) tam immania nactum ſcelera, docuiſſe Conſtantinum peccata non aliter expiari poſſe quam baptiſmo Chriſtianorum. Quod vero non Romanum Antiſtitem, ſed peregrinum hominem eius rei ſuaſorem iidem hiſtorici conſtituant; ex his euidentiores redduntur latebræ, quas diximus, Silueſtri Papæ.

c Act. 21.

d Ioſ. 20. antiq. 6. & 2. de bel. 12.

e Porphyr. in vit. Plot.

IX. Fides de Bapt. Const. ex Rom. Concilio.

Cum igitur prædictis Gentilium teſtificationibus exploratum penitus habeatur, Conſtantinum ad ſua abluenda parricidialia delicta, quæſiſſe remedia, nec apud alios quam Chriſtianos inuenire potuiſſe, ac proinde (quod ex neceſſaria aſſumptione deducitur) eſſe adhibitum ex more ſacrum baptiſma; hoc ipſum inſuper ex veteribus Eccleſiaſticis monumentis perſpicuum magis redditur, & inprimis ex Romano Concilio celebrato ſub Silueſtro Papa, in cuius exordio hæc refertur eius celebrationis cauſa, quod Conſtantinus baptizatus eſſet ab eodem Silueſtro & mundatus à lepra. Porro ea Synodus habita ponitur iiſdem huius anni Coſſ. Criſpo & Conſtantino Tertium, licet deprauati codices loco Criſpi habeant Priſcum (qui etiam error in Acta quæ citauimus Artemii, & apud Suidam irrepſit) quod minus cõſiderans quidam, imprudenter nimis viſus eſt eamdem reſpuiſſe. Sed cum ea in compluribus antiquis codicibus ſcripta habeatur tamquam legitima, exhibeatque illam ipſam antiquiſſima Creſconiana Collectio; non eſt quod quis ſuſpicari poſſit humanum eſſe commentum. Nam & eiuſdem, vt puto, auctoritate Anaſtaſius Bibliothecarius ſcriptor accuratiſſimus, in perbreui quod ſcripſit Chronico recenſet Conſtantini baptiſmum Romæ habitum anno decimo octauo eius Imperii, nempe ſub iiſdem Coſſ. quibus abſoluitur annus decimus octauus & inchoatur decimus nonus. Vnde & illi erroris arguuntur, qui Conſtantini baptiſ-

mum

Digitized by Google

mum ad eius primum Romam aduentum poſt expugnatum Maxentium referunt; necnon & illi, qui eum tempore mortis tradunt baptizatum Nicomediæ, contra quos prolixior erit paulo poſt diſceptatio.

X. Ex Actis Silveſtri de baptiſmo Conſtant.

f Geleſ. decr. de lib. autheat.

Quonam autem modo ſe Conſtantini baptiſmus habuerit, fuſe deſcribunt Acta Silueſtri Papæ: quæ cum antiquitus tum Romæ, tum in nonnullis aliis Eccleſiis à Catholicis legi conſueuiſſe, iam dictum fuerit auctore Gelaſio [f], qui vixit proximo ſeculo; nullus iure ea omnino ſpernenda cenſuerit. Sed quoniam quæ extant tum apud Græcos tum etiam Latinos, in nonnullis deprauata eſſe noſcuntur; ea tantummodo ex illis referemus, quæ ab antiquioribus ac probatioris fidei auctoribus teſtimonium habent. Narrant igitur, Conſtantinum Imperatorem adhuc patrita ſectantem, perſecutionem aduerſus Dei Eccleſiam concitaſſe; eamque vt Silueſter euitaret, vna cum aliquibus ſuis petiiſſe ſecreta montis Soractis: ſed cum interim Conſtantinus ob admiſſa flagitia diuinitus lepra percuſſus, accepto ab Aruſpicibus reſponſo eam ſanguine infantium eſſe curandum; quæſitiſque ad hoc è vilioribus perſonis infantibus ad necem, idem infelicium matrum planctus aera vndique verberantis miſertus, à nece eorum abſtineri præcepiſſet; in iſtiuſmodi humanitatis exhibitæ remunerationem, cubanti illi apparentes in viſu Apoſtolos Petrum & Paulum, iuſſiſſe vt Silueſtrum è latebris euocaret qui eum ſanaturus eſſet à lepra: Silueſtrũ autem mox quæſitum, & ad Imperatorem perductum, eidem de Apoſtolis percontanti oſtendiſſe depictas eorum imagines, & cum eas Imperator ſimillimas eſſe cerneret viris illis qui ei apparuerant, magna exultatione baptiſmum ſuſcepiſſe, & ſanatum eſſe. Hæc pluribus eadem Acta; quæ tamen in diuerſis ſcriptis codicibus paulo diuerſa feruntur.

XI.

g Niceph. Glic. lib. 4. c. ſi.

Sed quod inprimis ad Silueſtri latebras attinet; firmatas iam illas ſuperiori anno vidimus ex edicto Conſtantini de Aruſpicibus conſulendis; vt non ſit ea iterum repetere. Immo vero non deeſt, qui ex Græcis [g] hiſtoricis affirmet, Conſtantinum, poſtquam ſumma rerum potitus eſt, ſegniorem factum in religione Chriſtiana, etiam Fauſtæ vxoris impulſu ad patrium deorum cultum rediiſſe, ſed à Deo lepra percuſſum, ac in ſe reuerſum, per baptiſmum à Silueſtro ſuſceptum lepra ſimul & impietate ſanatum eſſe. Nihil vero mirum ſi Conſtantinus lepra tactus fuerit, cum eiuſmodi morbo Deus conſueuerit peccata [h] vlciſci, ac potiſſimum ſuperbientium [i] Regum. Solitum autem curari infantium ſanguine, docet Plinius [k] exemplo Regum Ægypti. Denique de Conſtantini lepra, & curatione per baptiſmum facta, vt de re notiſſima & abſque ambiguitate recepta, teſtes ſunt etiam probatiſſimi Gregorius [l] Turonenſis & Hincmarus [m] Rhemenſis, dum agentes de baptiſmo Clodouei Francorum Regis, aiunt proceſſiſſe nouum Conſtantinum ad lauacrum, deleturum lepræ veteris morbum.

De lepra Conſtantini.

h Num. 12. & 4. Reg 5. 2. Paral. 26.
k Plin. lib. 26. ca. 1.

l Greg. Tur. 2. hiſt. 31.
m Hincm. in vit. S. Remig.

XIII. Apoſtolorum apparitio facta Conſtantino.

n Ext. in Conc. Nic. 2. Act. 3. & in ter ep decret. Sum. Pont.

Et quod rurſus ad hæc eadem ſpectat, necnon ad apparitionem ab Apoſtolis Conſtantino factam, eorumdẽque imagines ei à Silueſtro oſtenſas; citantur eadem ipſa, ac pariter recitantur ab Hadriano Papa in epiſtola ad [n] Imperatores Conſtantinum & Irenen, quam ſcripſit in cauſa maximæ illius controuerſiæ de Imaginibus, quæ totum ferme eo tempore peſſum dedit Orientem: vt facile intelligas, non leuia quæque & nullius ponderis teſtimonia aduerſus pugnaciſſimos aduerſarios eſſe producta, ſed quæ firma auctoritate omni ex parte ſolidata nullos timerent impugnantium ictus. Porro Petri & Pauli, necnon ipſius Saluatoris Imagines antiquitus effigiatas, ad ſua quoque tempora eſſe in Palæſtina conſeruatas, oculatus teſtis Euſebius [o] iam ſuperius nos docuit. Quod ſi eæ viſebantur in Palæſtina, tot præliis ſæpe deuaſtata, quanto magis Romæ aſſeruari potuerunt, vbi iidem Apoſtoli diutius vixerunt, & martyrium paſſi ſunt? Denique eadem ipſa tabula tunc à Silueſtro Imperatori Conſtantino oſtenſa, hactenus magna veneratione aſſeruatur in eiuſdem Petri baſilica Vaticana; cuius exemplar formis æreis affabre expreſſum, vulgatum eſt omnibus; refertque idem exemplum, quo S. Auguſtinus [p] ait pingi conſueuiſſe ſimul Imagines Saluatoris & Apoſtolorum Petri & Pauli. Cum autem quæ de Conſtantino & Silueſtro hactenus dicta ſunt, eadem à recentioribus Græcis & Latinis pariter confirmari omnes norint; horum numerum recenſere piget, quod in re antiqua haud niti conſueuerimus niſi antiquorum teſtificationibus.

o Euſ. 7. hiſt. 14.

p Aug. 1. de conſ. Euang. 10.

XIII. Baptiſmus Conſtantini.

Sed quod ad ipſum Baptiſma ſpectat; habent eadem Acta Silueſtri, Imperatorem aſſentientem ex ritu Chriſtianæ religionis per baptiſmum patratis facinoribus ablui, iuſſum eſſe à Silueſtro ex more ſeptem ſaltem diebus in pœnitentia ſolitarium agere, indictaſque eſſe pro eo publicas preces atque ieiunium: Sabbato autem adueniente, & Conſtantino in fontem benedictum ingreſſo, affulſiſſe cœlitus diuinum ſplendorem; ipſumque Imperatorem eodem momento baptizatum ſimul & à lepra mũdatum, palam teſtatum eſſe eo fulgore ſibi manum porrigentem vidiſſe Chriſtum. Hæc pluribus Acta. Et quod ad rem geſtam pertinet; haud prorſus contemnenda ducimus, licet multis obſita mendis, quæ veneranda præſtant antiquitate, & à Creſconio in ſua vetuſtiſſima Collectione intexta ſunt, Acta Liberii Papæ: in quibus [q] expreſſum habetur ex libro quodam qui ibi citatur Silueſtri, Conſtantinum à lepræ morbo fuiſſe in baptiſmo Crucis ſignaculo liberatum; poſt eius vero mortem, valde aduerſus eumdem Liberium indignatum eſſe Conſtantium Imperatorem filium Conſtantini, quod ea ſparſiſſet in vulgus. Equidem arbitror tunc edita eſſe à Liberio quæ ſcripta erant de Conſtantini lepra atque baptiſmo, cum ab Euſebio antea elucubrata eiuſdem Conſtantini Vita eſſet in lucem edita, in qua de eius baptiſmo in fine ſuſcepto inerat falſa narratio; eaque de cauſa Conſtantium, conficti mendacij architectum, in Liberium fuiſſe commotum. Qua etiam ratione intelligitur, Conſtantinum lepra deformem haud de curatione ſua publicum voluiſſe exhibere ſpectaculum, aut ſpectante Vrbe ſuſcipere baptiſmum, ſed paucis dumtaxat arbitris intra Palatium Lateranenſe, vbi hactenus eius viſitur baptiſterium; curatum autem ſe omnium conſpectui reddidiſſe.

q Act. Liber. c. 1. in fin. & c. 6.

XIV. Euſebii dolus de Conſt. baptiſmo.

r Euſ. de vit. 61. 62.
s Hieron. in Chron. & alibi.

Quoniam vero his de Conſtantino Romæ à Silueſtro baptizato complures aduerſantur, hic de ijs diſſerere perneceſſarium ducimus. Primus omnium contrariæ ſententiæ aſſertor eſſe reperitur Euſebius Cæſarienſis qui in Vita Conſtantini [r], quam in gratiam Conſtantij hominis Ariani & Arianorum patroni, ipſe homo Arianus & Arianorum (vt cum Hieronymo [s] dicam) ſignifer ſcripſit, ait illum cum primum in extremam ægritudinem Nicomediæ incidiſſet, de peccatis ſuis delendis cogitantem, conuocatis Epiſcopis, vrgente iam morte ab illis baptiſmum ſuſcepiſſe, profeſſum ſe in eam diem illum diſtuliſſe, quod conſtituiſſet in Iordane vbi Chriſtus baptizatus fuerat, & ipſe baptizari. Sed numquid, rogo, dici poterit homo Chriſtianus, tot parricidiis cruentatus, tam longo tempore inexpiatus ad extremam vſque ſenectutem ſponte perduraſſe, conſcientia interim penitus conſopita, vel potius emortua? Et quod attinet ad baptiſmum Iordanis, vt quid igitur non eum ſuſcipere curauit, cum ante obitum Hieroſolymam (vt ipſemet teſtatur Euſebius [t]) ex omnibus orientis partib. illius iuſſu ad templi dedicationem Epiſcopi conuenere; cum & Tricennalia inſtarent Imperij, digna quæ huiuſcemodi ſolemniis præcipue agerentur; & profectio [u] in Perſas immineret, qua maxime dubia ſuſcipienda eſſent certamina.

t Euſ. 4. de vit. 43.

u Ibid. c. 56. 57.

XV.

x Theodor. lib. 1. cap. 32.

Deinde quinam illi fuere Nicomediæ collecti Epiſcopi, & à quonam illorum baptizatus eſt Conſtantinus? Erubuit hæc recenſere Euſebius; ſed ex loco vbi ea geſta ait, nempe ſuburbiis Nicomediæ, ſatis deſignauit Euſebium eiuſdem ciuitatis Epiſcopum. Nam & hunc interfuiſſe tunc ibi, Theodoretus [x] affirmat; & ab eo baptizatũ fuiſſe Conſtantinum, habent S. Hieronymi & Iſidori Chronica. Porro cum eumdem Euſebium Nicomedienſem cõſtet Arianorum fuiſſe anteſignanum acerrimum, adeo vt ſicut ab Ario *Ariani*, iidem ab Euſebio denominati ſint *Euſebiani*, en igitur Conſtantinum in articulo mortis

ab Ari-

EXCOMMVNI ECCLESIÆ CATHOL. CONSENSV EVSEBIVS MENDAX ARGVITVR.

ab Ariano Epiſcopo baptizatum, impium ex hac vita migrantem, & ab Eccleſia Catholica penitus alienum. Sed potius dixerimus Euſebium turpiter eſſe mentitum; quandoquidem & Orientalis Eccleſia eumdem Imperatorem Sãctum ſemper prædicauit in ſuis Menologiis, & ipſa Vniuerſalis Eccleſia eumdem perpetuo vt pium habuit, dum eius nomen ex ſacris Diptychis (teſte Nicolao Papa in epiſtola ad Michaelem Imperatorem) vna cum aliis Imperatoribus Orthodoxis publice recitare conſueuit: nec vllus vnquam repertus eſt auctor, qui vita functum nota ſugillet impietatis, ſed econtra innumera ſint diuerſorum Conciliorum Patrumque de eius ſincera pietate teſtimonia.

XVI. Quinimo eumdem longe ante obitum fuiſſe baptizatum, idem ipſe Euſebius ex ſuis ſcriptis conuincitur affirmare, dum aſſerit [y] eum ſacris intereſſe myſteriis, atque ipſis etiam Paſchæ diebus diuinos ſacrorum ritus cum reliquis Fidelibus obire conſueuiſſe; cum tamen vigeret tũc maxime Eccleſiaſtica diſciplina, qua catechumeni, quicũque illi fuiſſent, audito Dei verbo, cum ſacerdos ſacra auſpicaturus eſſet, extra Eccleſiam mitterentur. Quo namque pacto Conſtantinus potuit, tot immanibus cædibus ſceleribuſq; pollutus, inter puriſſima ac ſacratiſſima myſteria tolerari, ſi olim Philippus (vt ex eodem Euſebio [z] ſuperius vidimus) & poſtea Theodoſius (vt ſuo loco dicetur) æque Imperatores, à Fabiano Romano Pontifice & Ambroſio Epiſcopo Mediolanenſi, longe minorum licet peccatorum rei, ab ipſo etiam ingreſſu Eccleſiæ ſunt prohibiti? Denique quonam poteſt modo ſubſiſtere, quod idem auctor [a] alibi tradit, Conſtantinum ante Palatii veſtibula tabulam ſuſpendiſſe, in qua ipſius imago depicta eſſet cum Cruce ſuper caput ſita, & ſub pedibus dracone medio ventre Cruce transfixo, & in profundos maris fluctus præcipitato; quo videlicet (vt idem Euſebius interpretatur) ſignificaret diabolũ tum ſub ſuis tum ſuorum pedibus conculcatum iacere? Quonam, inquam, modo poſſunt Conſtantino hæc applicari, ſi nondum baptizatus erat; cum conſtet omnem catechumenum eſſe energumenum, & tantum abeſſe vt ipſum conculcet draconẽ, vt potius ei ſubiaceat, donec per baptiſmũ (quod eſt mare, in quod ſerpens demergitur enecatus) ab eius poteſtate liberetur?

y Euſeb. 4. de vit. c. 22. 57.
EX IPSO EVSEBIO CONSTANTINVS CONVINCITVR BAPTIZATVS.
z Id. 6. hiſt. 27.
a Id. 3. de vit. 3.

XVII. At hæc ſatis aduerſus Ariani hominis impoſturam: quo obſtructo, vel potius exiccato, primario eiuſmodi fonte mendacii, qui ex eo in diuerſa riui fluxiſſe reperti ſunt, pariter exhauſti eſſe noſcantur; cum nullus alius præceſſerit, præter Euſebium, à quo id quiſquam acceperit, auctor. Porro quod apud Hieronymi Chronicon æque legitur, Conſtantinum extremo vitæ ſuæ tempore ab Euſebio Nicomedienſi baptizatum, in Arianum dogma declinaſſe; id ab alio potius ex eiuſmodi Euſebii aſſertione appoſitum eſſe, vel inde manifeſte conuincitur, quod ipſe Hieronymus aduerſus Vigilantium ſcribens, ſummæ pietatis laudet Conſtantinum, qui impietatis damnandus fuerat ſi in Arianum dogma declinaſſet. Scimus quidem apud nonnullos eumdem Conſtantinum infamia hæreſis laboraſſe, quod S. Athanaſium (vt videbitur) exulare iuſſerit: ſed magis ipſi credimus Athanaſio, qui eum ſæpe excuſat, & poſtquam obiit *pium, felicis memoriæ*, ac *religioſiſſimum* non raro nominat [b]. Et quod in epiſtola Catholicorum Epiſcoporum qui Ariminum conuenere, ad Conſtantinum Imperatorem ſcripta, apud Socratem [c], Theodoretum [d], & Sozomenum [e] legitur de Conſtantino, fidem Nicænam omni ſtudio & diligentia promulgaſſe, & poſt acceptum baptiſmum vita defunctum eſſe; apertiſſime conſtat errorem in eiuſmodi contextum irrepſiſſe, tum quod apud Athanaſium [f] qui & ipſe eamdem epiſtolam recitat, loco Conſtantini *Conſtans* habeatur, tum quod ea quæ dicuntur, Conſtantii merito iureque conueniant, quem inferius videbimus fortiſſimum extitiſſe Nicænæ fidei propugnatorem, & paulo poſt ſuſceptum baptiſmum fuiſſe necatum à tyranno Magnentio. Quapropter duplici Catholici Epiſcopi erga Conſtantinum Imperatorem egregio artificio vſi ſunt ad firmandam Catholicam fidem, exemplo nempe Conſtantini patris (nam & de eo prius egerunt) cuius præſentia Nicæna confeſſio fuerat roborata, & Conſtantis ipſius Conſtantii fratris, cuius ope eadem Catholica fides in Sardicenſi Concilio fuerat confirmata, & ante in Concilio Mediolanenſi, de quo ibidem fit mentio, aduerſus Arianos defenſa & roborata.

REFELLVNTVR ALIORVM OPINIONES.
b Athan. orat. 2. cont. Arian. & apol. ad Conſt.
c Socr. lib. 2. c. 30.
d Theod. lib. 2. c. 19.
e Soz. lib. 4. c. 17.
f Athan. de Syn. Arim.

XVIII. His igitur elucidatis, reliquis quoque auctoribus, qui eadem quæ Euſebius de Conſtantini baptiſmo ſcripſere, vt Ambroſius [g], Socrates [h], Theodoretus [i], Sozomenus [k], & ſi qui alii, ex iiſdem quæ aduerſus Euſebium diſſeruimus, ſit ſatisfactũ: qui & falſa forte lectione citatæ ſuperius epiſtolæ, in ea ſententia confirmari potuerunt. Cũ alioqui nec ipſi procaciſſimi Ariani auſi ſint aliquando dicere Conſtantinum deceſſiſſe Arianum: & Dalmatianus [l] Epiſcopus Cyzicenus qui collegit Acta nonnulla Concilii Nicæni, recitet orationem Conſtantini tunc coram Patribus habitam, qua ſæpius profitetur ſe plane Chriſtianum eſſe, ſacroque baptiſmate initiatum. Denique remanent in hanc diẽ baptiſmi Romæ ei collati, in Eccleſia Lateranenſi certiſſima veſtigia. Sic enim plane appellauerim (licet inſignis ſatis locus appareat) reſpectu auguſtæ illius magnificentiæ qua fuerat ab eodem Imperatore exornatus, quam vix in chartis modo nobis antiquitas repræſentat Anaſtaſii Bibliothecarii induſtria, qui tam memorabile monumentum ab iniuria temporis vindicatum memoriæ prodidit [m], vna cum aliis ab eodem Imperatore illuſtribus Romæ exædificatis eccleſiis, eiſdemque collatis immenſis donis atque redditibus.

g Ambr. orat. in fun. Theodoſ.
h Socr. lib. 1. c. vlt.
i Theod. lib. 1. c. 32.
k Soz. lib. 2. c. vlt.
l Dalm. lib. 2. Act. Nic.
BAPTISTERIVM CONSTANTINI.
m Extat hi. ti Conſt. in Silueſtro.

XIX. Ceterum eadem Acta Silueſtri referunt, Conſtantinũ poſt ſuſceptum baptiſmum, diebus illis ſeptem quibus fuit in albis, primã legẽ promulgaſſe quod Chriſtus eſſet verus Deus; ſecunda & tertia pœnas decreuiſſe aduerſus eos qui eum blaſphemarent, vel Chriſtianis contumelias inferrent; quarta priuilegiis Romanam Eccleſiam prę cæteris illuſtraſſe; quinta immunitatem confugientibus ad eccleſias cõtuliſſe; ſexta vero & ſeptima decreuiſſe ne abſque licentia Romani Pontificis alicubi conſtruerẽtur Eccleſiæ, & de exoluẽdis decimis. Sed hęc duo vltima, quod deſint in Græcis exemplaribus, ſuperaddita putantur, cum præſertim vtraque iure antiquiori videantur eidem Eccleſiæ debita. Additur vero, octaua die eumdem Imperatorem proceſſiſſe albis depoſitis, & venientem ad Confeſſionem B. Petri Apoſtoli in monte Vaticano, diademate & chlamyde depoſitis, acceptoque bidente, terram primum aperuiſſe ad fundamenta baſilicæ conſtruendæ; dehinc ob numerum duodecim Apoſtolorum, duodecim cophinos terra plenos propriis humeris aſportaſſe, & inde exultantem in carruca ſua cum Epiſcopo Romano ſedentem, ad Palatium rediiſſe. Nimirum imitatus eſt Conſtantinus, à quo genus ducebat, Veſpaſianum Imperatorem quem Suetonius ait [o], reſtitutionem Capitolii aggreſſum, ruderibus purgandis primum admouiſſe manum, ac ſuo collo quædã extuliſſe. Pergunt poſt hæc eadem Acta narrare de alia baſilica ab eodem Conſtantino ædificari cœpta intra Palatium ſuum Lateranenſe in monte Cœlio, in ædibus ampliſſimis Laterani, de quibus dictum eſt ſuperius: quæ Eccleſia à fundatore dicta eſt *Conſtantiniana*, ſed frequentius *Saluatoris* cui dicata fuit.

QVID POST BAPTISMVM CONSTANT. EGERIT.
BASILICA AB EO STRVCTA.
o Suet. in Veſp. c. 8.

XX. Addunt inſuper, ſanciuiſſe vt filiifamilias ac ſerui ſub qua nati eſſent ſuperſtitione non tenerentur inuiti: & vt cunctis pauperibus qui Chriſtiani fieri vellent, præſtarentur ex largitione fiſcali affatim alimẽta; atque inprimis in baptiſmate candida veſtimenta, & ſolidi viginti erogarentur, dum tamen afferrent pro teſſera Epiſcopi Romani chirographum. Quamobrem eodem anno Romæ fuiſſe baptizata ſupra duodecim millia virorum, præter feminas atque paruulos Nicephorus [p] affirmat. Habent vero Acta præter hæc, Orationem ab eodem Imperatore in baſilica Vlpia habitam ad Senatum Populumque Romanum, de fide Chriſti ab omnibus capeſſenda; liberam tamen ſingulis facultatem relinquente patrios colendi ritus, ac declarante haud ideo timendum eis eſſe:

p Nic. lib. 7. c. 34.

à ſua gratia diuellerentur, quamquam gratiores ipſi forẽt qui Chriſto nomen darent. Porro eodem argumento ſcripſiſſe quoq; edictum, nec tantum Occidentalib. populis, ſed etiam Orientalibus direxiſſe; teſtis eſt Euſebius [q], qui integrum deſcripſit: quo cum in primis ſuſceptæ à ſe Chriſtianæ religionis prædicet veritatem, & omnes pariter ad eam amplectendam hortetur; neminem tamen ad eam vi inducendum, ſed ſponte accedentes ſuſcipiendos eſſe conteſtatur, reliquis permittens templa deorum adire, & pro arbitratu ritus eorum peragere. Ex quibus conſtat hallucinari eos, qui à Conſtantino clauſa deorum templa, & ſacra omnino proſcripta affirmant. Illud tamen præſtitit (quod idem Euſebius [r] teſtatur) vt magiſtratibus qui ex Gentilibus deligerentur, vetuerit dijs publice ſacra facere: itemque vt lege lata diuinationes prohibuerit; & quod Romæ cœperat, toto Orbe Romano eccleſiæ amplioribus ſpatiis ædificarentur, mandauerit: quæ omnia conſentanea ſunt iis, quæ de eiuſmodi rebus in Actis Silueſtri recitantur.

q Euſ. 2. de vit. 47. & ſeqq.

HORTATVR OMNES AD FIDEM CAPESSENDAM, SED NEMINEM COGIT.

r Ibid. c. 43. 44. 45.

XXI.

Haud vero tantum quæ recenſitæ ſunt baſilicæ à Conſtantino erectæ fuere, ſed & aliæ plures tum Romæ tum aliis Italiæ locis vbi hactenus earum memoria viget: quas quidem omnes, ſed præcipue S. Petri in Vaticano, S. Pauli via Oſtienſi, & Saluatoris in Laterano, ipſumque locum Baptiſterii, tot vaſis aureis argenteiſque, totque alijs pretioſiſſimis ornamentis muneribuſque decorauit, & ampliſſimis vbique terrarum eis aſſignatis redditibus dotauit, vt obſtupeſcere contingat, quicumque libellum illum vere aureum gemmeumque legerit, quem DE MVNIFICENTIA CONSTANTINI optimo iure inſcriptum, Anaſtaſius Bibliothecarius (vt diximus) ex Archiuis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in lucem edidit. Ex quibus plane apparet, hac quoque ex parte nouiſſimæ domus [s] fuiſſe maiorem quam primę gloriam, cum ſuperet numerus & pretium vaſorum Romanæ Eccleſiæ (vt prætermittam ceteras toto Orbe diffuſas Eccleſias) vaſa templi quæ tum à Salomone collata ſunt, tum denuo in eius reædificatione reſtituta. Nec eſt quod iſta quis reuocare poſſit in dubium; quandoquidem vt vnius tantum templi Saluatoris, ab eodem Imperatore poſtea Hieroſolymis ædificati, ſingula deſcriberet collata ab eodem ornamenta, Euſebius [t] ſeparatum volumen ſe ſcripſiſſe teſtetur. Vnde & illæ Gentilium hiſtoricorum [u] in eum querelæ, cum immoderatæ profuſionis & inutilium ſtructurarum redarguunt. Sed tamen in eo tum eiuſdem, tum aliorum quorumdam ſucceſſorum Imperatorum commendanda eſt modeſtia, quod cum poſſent templa deorum referta diuitiis ſummo iure ſpoliare (non ſolum quod dæmonum nullus prorſus cultus eſſe deberet, ſed etiam quod ex illis abſque alicuius damno compenſari poterant rapinæ, quas tam in rebus publicis quam priuatis, trecentis iam propemodum annis Chriſtiani ab idolorum cultoribus paſſi eſſent) tamen ab illis Romæ abſtinuiſſe, S. Ambroſius [x] aduerſus Symmachum teſtatur; licet in Oriente vbi ceſſabat inuidia Senatus, ab eodem Conſtantino ſecus actum eſſe declaret Euſebius [y].

EFFVSA MVNIFICENTIA CONSTANTINI IN DOTANDIS ET ORNANDIS ECCLESIIS.

s Agg. 2.

t Euſ. 4. de vit. 46. in fi.

u Zoſ. lib. 2. Vict. in Conſt.

ABSTINVIT IN OCCIDENTE A DONARIIS TEMPLORVM.

x Ambr. ep. 31.

y Euſ. 3. de vit. 52.

XXII.

ALIÆ ECCLESIÆ ERECTÆ.

Denique præter eas quas diximus, & alias quarum in eodem libello fit mentio, viget inſuper adhuc in pluribus aliis Italiæ ciuitatibus, ac ceteris Occidentalis Imperii prouinciis, memoria eccleſiarum ab eodem Imperatore conſtructarum: inter quas inſignis extitit, quæ in honorem Sanctiſſimæ Dei-Genitricis in Gallia erecta [z], eiuſmodi meruit decorari miraculo, vt cum ad eam adductæ colũnæ, præ magnitudine nullo hominum conatu leuari poſſent, eædem monitu beatiſſimæ Virginis per tres puerulos nullo negotio erectæ fuerint. De eccleſiis vero ab eodem Imperatore in Oriente ædificatis, dicetur ſuo loco. Sed & iſta quę de Occidentalibus relata ſunt, nequaquam hoc ipſo anno perfecit, ſed potius cœpta tantum ex iis nõnulla reliquis quibus vixit annis abſoluit: alia vero poſtea diuerſis occaſionibus præſtitit. Illud autem memoria dignum, quod cum tam celebres & inſignes Memorias vbique locorum erexerit, in nulla ipſarum modeſtiſſimus Imperator reperitur ſui nominis titulum inſculpſiſſe, ſed contempſiſſe quod alii ante eum Imperatores magno ſtudio affectaſſent: quorum qui omnium optimus à Gentilibus habitus eſt Traianus quod in ſingulis à ſe erectis operibus nomen ſuum affixiſſet, eumdem Conſtantinus (vt Aurelius Victor ſcribit) lepide quidem & vrbane dixit eſſe *Herbam parietinam*.

z Greg. Turon. de glor. mart. c. 9.

MODESTIA CONSTANTINI.

XXIII.

DE DONATIONE CONSTANTINI.

His autem enarratis, quod ſupereſſe videtur vt attingatur vulgata illa omnium ore eiuſdem Imperatoris DONATIO [a], tot tantiſque controuerſiis agitata illud primo breuiter dicimus, ſiquidem illam defendere vellemus, haud exiſtimare nos aliquem veri amantem, & antiquarum literarum ſtudioſum negare, poſſe Conſtantinum Imp. maxime pium, & ore quoque Gentilium munificentiſſimũ prædicatum, Chriſtianam religionem, quam primus ferme omnium Imperatorum præter Senatus Populique ſententiam amplexatus eſt, cunctis quibus valuit officiis coluiſſe, ac donis frequentaſſe: Potiſſimum autẽ Romanam Eccleſiam, in qua ſciret totius Chriſtianæ religionis vigere principatum, par eſſe credere ampliſſimis donaſſe muneribus, ſummaque potentia communiſſe, & iuribus ſtabiliſſe; tunc præſertim quando indignatione motus inſenſi ſibi atque palam obtrectantis Senatus, Imperii ſedem alio tranſferre cogitauit, vt dicetur paulo poſt. Licet autẽ non omnibus iiſdem iurib. Romani Pontifices mox vſi eſſent, haud tamen ea ratione negari poſſe eſſe collata; ſicut nec quis iure inficias ire poſſit tributas fuiſſe ab Auguſto [b] Senatui permultas prouincias, quibus nihilominus poſteriores Imperatores pro arbitrio vſi ſint. Certe & magnum plane eſſet de collatis illis Eccleſiæ Romanæ à Conſtantino muneribus argumentum, quod Chriſtianiſſimi Francorum Reges, eadem à Longobardis ablata, ſe Romanæ Eccleſiæ reſtituere ſuis diplomatib9 profeſſi ſunt, vt ſuo loco videbitur. Si enim iam antea eiuſmodi dominium ad Romanam Eccleſiam pertinebat, vnde illud ſibi niſi iure debitum potuit vendicaſſe? cum certum ſit nulla id factum armorum vi: ſilentibus præſertim, nec reclamantibus, qui illis temporibus regnabant in Oriente, Imperatoribus, alioqui in Romanam Eccleſiam parum æquis, quam & auſi fuerunt (quod queritur S. Gregorius [c]) redigere ſub tributo.

a Quæ hic habentur de Donatione Conſtantini, concinnata ſunt ex Annal. Bar. Tom. 1. hoc an. & Tom. 12. an. 1191 vbi de ea pluribus ſ... occaſione commentariorum Theodori Balſamonis.

b Dio lib. 53. & alii.

c Greg. in 4. pſal. pœnit.

XXIV.

ROM. ECCLESIÆ IVRA À CHRISTO, NON AB HOMINIBVS.

Ceterum his non obſtantibus, quod inani ſtudio laborant Nouatores improbare Edictum illud ſeu decretum donationis Conſtantini; ſciant ipſi ſe in his noſtrã potius cauſam agere, quam contra nos pugnare; qui profitemur cum Irenæo, Cypriano, & aliis cũ Latinis tum Græcis ſanctiſſimis Patrib. qui ab exordio naſcẽtis Eccleſiæ hacten9 floruerunt, necnon Romanis Pontificibus, Romanæ Eccleſię priuilegia non ab hominibus, ſed à Chriſto in Petro eſſe collata, & à Petro in ſucceſſores transfuſa. Neq; ob eã cauſam quod nolint ſuffragari nobis ipſum Conſtantini decretum, mox iure excidit eadem Eccleſia temporalium rerum dominio, quod certum ei & indubitatum in omnibus permanet, tũ iuſta poſſeſſione (quã, ſi careat humano, diuino certe iure, quo ſubordinata ſunt diuinis terrena rerum dominia, legitime ſibi vendicat) tum plurium Regũ & Imperatorũ diplomatibus, quæ ſuis locis viſuri ſumus. Neque enim tot tantoſque Pontifices Romanos qui claruerunt à Conſtantini temporibus, quos contigit ſæpe aduerſus Principes de iuribus Romanæ Eccleſię diſputare, legimus ea voluiſſe defendere eiuſdem Conſtantini edicti auctoritate, ſed potius Euangelica, vt S. Leo, Felix, Bonifacius, Gelaſius, Hormiſda, S. Gregorius, & reliqui ſucceſſores omnes, innixi Petræ ſuper quam Chriſtus teſtatus eſt ſe fundare Eccleſiam ſuam. Et licet plerique eorum, vt S. Gregorius, Hadrianus, & Nicolaus, vel alii, meminerint beneficentiæ erga Sanctam Romanam Eccleſiam Conſtantini, cuius tam Acta Silueſtri quam Damaſi Papæ certam amplamque fidem faciunt; nullus tamen ante Leonem Nonum eiuſdem Donationis edicti aliquo modo mentionem feciſſe reperitur.

Hic ſequi videtur Baronius opinionẽ quorumdã Canoniſtarũ; cui quamplurimi Theologi aduerſantur. Quod ſi ſimilia aliis locis occurrãt, hoc eodem modo explicentur.

XXV.

DE ACTIS SILVESTRI PAPÆ CORRVPTIS.

Sed vt impoſtura penitus detegatur, ſciẽdum eſt (quod ſuperius attigimus) duplicia reperiri Acta Silueſtri; Latina primum, quæ & ad Græcos ſunt deriuata, vt quæ habentur in pleriſque antiquis codicibus, & ex Latinis ac-

cepta,

cepta, quæ recitauit Metaphraſtes, Zonaras, atque Cedrenus: Alia rurſus, quæ longe poſtea, nec ante milleſimum Chriſti annum cognita fuiſſe noſcuntur, ab aliquo Græcorum commenta, proditaque Græce ſub falſo Euſebii Cæſarienſis nomine ex libro de Martyribus; quibus deinde ſuperadditum eſt à Græcis Græce ſcriptum ipſum Conſtantini Edictum de Donatione; idemque poſtea Latinitate donatum, atque receptum vna cum Actis, prout gloſſemata teſtantur apud Gratianum [d]. Porro iſta Græci non Latinorum amore, ſed odio, ſuique vtilitate feciſſe noſcuntur (ſic enim donare conſueuerunt, vt ſurripiant potiora) in odium inquam, Romanæ Eccleſiæ, vt quæ ipſa poſſidet non diceretur à Chriſto accepiſſe, ſed à Cōſtantino Imperatore: in ſui vero vtilitatem, eo quod in eodem edicto affirmaretur, iam ſub eodem Imperatore Eccleſiam Conſtantinopolitanam fuiſſe Patriarchatum; cum tamen nec eo tempore quod illud Edictum promulgatum ponitur, adhuc vrbs Conſtantinopolis id nominis accepiſſet, & longe poſt hæc tempora eadem continua Imperii ſede tumens, ampliſſimam eiuſmodi dignitatem ambire noſcatur præſumpſiſſe; de quo dicetur ſuis locis. Hoc autem fuiſſe Græcorum conſilium in confingendo. Edicto Conſtantini, ſatis apparet ex iis quæ de priuilegiis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ habet Theodorus [e] Balſamon pſeudopatriarcha Antiochenus, qui primus omnium Græcorum ex Actis Silueſtri Papæ in lucem edidit Edictum Conſtantini circa annum Domini milleſimum centeſimum nonageſimum quintum; cum tamen iam antea innotuiſſet Latinis (vt dictum eſt) tranſlatum è Græco, acceptum vero bona fide à nonnullis, quo vſque mala fides Græcorum inexplorata latuerit, & & à pluribus omni ſtudio defenſum.

d D. 96. c. 14. ex palea. verb. vtile.

GRÆCORVM FRAVDVLENTIA.

e Theo. Balſ. in Nomocā. Phot. tit. 8. c. 1. Inſtin. Nou. c. 123. & in Syn. Antioch. c. 12.

XXVI. QVANDO INNOTVERIT EDICTVM DONATIONIS.

Qui vero primus eius meminiſſe inter Romanos Pontifices reperitur, fuit (vt diximus Leo Nonus anno Redēptionis milleſimo quinquageſimo quarto in epiſtola ad Michaelem Conſtantinopolitanum & Leonem Acridanum Epiſcopos; eodemque tempore fit mentio eiuſdem in Diſputatione quæ aſſeritur Petri Damiani cum Aduocato Regio. Poſtea vero de ipſo aliquamdiu altum ſilentium; cum tamen in controuerſiis de iurib. Romanæ Eccleſiæ cum Principibus occupati fuerint eius ſucceſſores ac præſertim Gregorius Septimus & Alexander Tertius: vt appareat fugiſſe apud eos eiuſdem Edicti auctoritatem; à cuius citatione abſtinendum putarint, quod illo non indigerent, qui firmiorem haberent propheticum ſermonem, & firmiſſimum Euangelicum teſtimonium, ac conteſtes omnes ſanctiſſimos Patres, de tranſmiſſa Chriſti in Petrum Apoſtolum auctoritate, & trāsfuſa pariter in eius ſucceſſores. Sed nec Imperatores eiuſdem edicti meminiſſe certum eſt, quantumlibet Ottones pater & filius, necnon Henricus, anteceſſorem Principum qui donarunt Eccleſiæ Romanæ, mentionem habuiſſe inueniantur. Denique emerſit in lucem tempore Benedicti Papæ Duodecimi anno Domini milleſimo trecenteſimo trigeſimo nono, Ottonis Tertii Imperatoris nomine ſcriptum olim diploma [f] aduerſus Pontifices dilapidatores bonorum Eccleſiæ Romanæ, quo idem Conſtantini edictum eſſe falſum argueretur, confictumque ab impoſtore Iohanne quodam diacono, cognomēto Digitorum Mutio, ſiue Mutilo, nempe digitis amputato: quod quidem ſanctiſſimus Pontifex Benedictus ita repertum in theſauro ſcripturarum Eccleſiæ Romanæ, qui tunc aſſeruabatur Aſſiſii in conuentu Fratrum Minorum S. Franciſci, haud voluit mala fide aboleri, eo quod videretur aduerſari edicto vulgato Conſtantinianæ Donationis; quamuis non ob hoc, quod deſcriptum fuerit, ipſum probaſſe dici poſſit; quod nec quidem eſſe Ottonis Tertii, multa ſunt falſa atque inſulſa in eo contenta quæ manifeſte conuincant. Quiſquis autē ille fuerit Ioannes diaconus aſſertus auctor edicti (qui potius dicendus eſt tranſlator eiuſdem è Græco in Latinum:) illud certiſſime conſtat, ipſum edictum nuſquam ab aliquo auctore citatum reperiri ante eiuſdem Ottonis tempora, qui deſiit imperare anno Domini milleſimo ſecundo.

f Recitat & examinat Baron. Annal. To. 12. ann. Chriſti 1191 de quo etiam vide, t. 1 lober, qui ſcrip. it Goeſſetus c. 21. Apol. Bato ad[illegible] criminationes Goldaſti Calumniæ, de quo pluribus infra ad an. 774. & aduerſus alios Append. 1 & 2. ad libell. de Munif. Fran. in ſed. Apoſt.

XXVII. PRIVILEGIA ECCLESIÆ ROM. NON DATA A PRINCIPIBVS SED CONFIRMATA.

Verum de his ſatis; quæ dixiſſe voluimus aduerſus eos etiam qui tanti ponderis exiſtimant ipſum Conſtantini Edictum, vt ſtulte timeant, ſi labefactetur, vniuerſam cum ipſo Eccleſiam corruere; reclamantibus ex aduerſo (quod ſæpius inculcamus) Sanctis Patribus, & antiquioribus Romanis Pontificibus, non Regum & Imperatorum priuilegiis, ſed Chriſti verbis in Petro perſtare ſuffultam, ſuperque petram firmam ædificatam; quamuis poſtea confirmata à Regibus & Imperatoribus fuerint eius priuilegia. Sicut nec quod attinet ad Pontificia ornamenta, quæ continentur in eodem aſſerto edicto, vel minimū diſpendium Eccleſia Romana pati poteſt, ſi integritas corruat ipſius edicti; quādoquidem ea cuncta antequam in eo ſcriberentur, iam poſſiderentur ab eiuſdem Eccleſiæ Pontificibus; vt de corona, ſiue lamina aurea, aliiſq; vel iam dictum eſt ſuperius, vel dicetur ſuis locis inferius.

XXVIII.

Hoc eodem anno iiſdemque Coſſ. tertio Calendas Iunii (vt habent Acta Silueſtri) poſt baptizatum Conſtātinum collecta eſt Romæ in Thermis Traiani (qui locus fuerat nuper in Titulum ſui nominis à Silueſtro erectus, & à Conſtantino muneribus ac redditib. locupletatus) SYNODVS de qua ſuperius facta eſt mentio; cuius extant Acta, ſed adeo deprauata vt vix ſit reperire verſum in quem non irrepſerit mendum. Porro conueniſſe Epiſcopos ducentos octoginta quatuor, produnt eadem Acta quæ habentur [g] typis excuſa; ſed Creſconiana Collectio ducentos triginta dumtaxat memorat, ac de Epiſcopis Græcis ne verbum quidem. Illis autem qui conuenerunt, à Conſtantino ſuppeditata eſſe vehicula & annonam, ibidem declaratur. Eidemque pariter interfuiſſe legitur vniuerſus Romanus Clerus (ſed ſtans à tergo ſedentium Epiſcoporum) necnon ipſe Conſtantinus Imperator, & mater eius Helena, vna cum Calpurnio Præfecto Vrbis ex Gentile facto Chriſtiano. Ac fuiſſe hæc veluti quædam pietatis encænia, de primo Chriſtiano Imperatore ſummo omnium gaudio celebrata, & publica pro accepto munere gratiarum actio, ſignificatur ipſo Synodi principio. Cuius quidem leguntur viginti capita, duabus Actionibus peracta, eademque triplici editione excuſa.

SYNODVS ROM. SVB SILVESTRO.

g To. 1. Conc.

XXIX.

Præloquens vero Silueſter de ſeruanda Dei Eccleſia libera ab hæreticorum incurſu, damnauit primæ Actionis exordio *Hippolytum* diaconum Valentinianæ hæreſis ſectatorem, *Calliſtum* Sabellii hæreſi maculatum, & *Victorinum* Epiſcopum qui receptos ab Eccleſia Paſchales cyclos redarguere præſumpſiſſet. At prorſus indigne paſſi ſumus (quod & ſuperius dictum eſt) ab eo qui duas editiones huius Synodi tertiam conflauit, Victorino Epiſcopo additum eſſe abſque alicuius vetuſti exemplaris fide, *Pictauienſem*; mendaciter admodum nobiliſſimum infamans Antiſtitem, quem lōge ante hæc tempora ſub Diocletiano martyrium conſummaſſe vidimus, quemque Optatus [h] Mileuitanus vt inſignem debellatorem hæreſum commendauit. Sed ſicut longe alius hic Victorinus eſt ab Epiſcopo Pictauienſi; ita & plane diuerſus ab illo Victorino, ſeu potius Victorio dicto, qui nullius ſedis fuiſſe Epiſcopus reperitur, de quo Gennadius [i] tradit claruiſſe ſub Hilario Papa, & ab eo inuitatum poſt Proſperum vltimum calculatorem proſequi futuri temporis Paſchales cyclos: licet Victorem Epiſcopum Capuanum aduerſus eum ſcripſiſſe ferant [k]. Quiſnam autem hic fuerit qui damnatus eſt in hoc Romano Concilio, ignoratur; ſicut & Hippolytus & Calliſtus hæretici. Quod autem in eadem Synodo nulla facta reperiatur mentio de Ariana hæreſi, quæ plures iam annos Orientalem exagitauerat Eccleſiam: videtur illud à Silueſtro vna cum Conſtantino initum eſſe conſilium, vt ſequenti anno maiori apparatu totius Orbis Epiſcoporum in ipſo Oriente, vbi ea vigebat, Synodus Oecumenica celebraretur. Nam legationem Epiſcoporum ex Rhinocolura, quæ eſt in Ægypto ciuitas, quorum in hac Romana Synodo recitatus eſt libellus, Arianæ cladis credi poteſt refricuiſſe memoriam.

CALVMNIA IN VICTORINVM PICTAVIENSEM.

h Opt. lib. 1.

i Genna. de vir. illuſtr. c. 88.

k Ado in Chron. an. 510. Bed. de rat. temp. & de ſex ætat. Marian. Scot. an. 560.

DECERNITVR NICÆNVM CONCIL.

XXX.

Poſt damnatos vero prædictos hæreticos, nonnulla inſtitu-

DECRETVM DE DISPENSATIONE BONORVM ECCLESIÆ.

la inſtituta ſunt ad diſciplinam, paceinq;, & œconomiam Eccleſiaſticam conſeruandam: itemque de Eccleſiæ redditibus quibus iam incipiebat affluere, vt pars vna Epiſcopo cederet, alia clericis, tertia Eccleſiarum fabricis, quarta pauperibus alendis. Additum quoque de ordinatione, ætate, numero, & continentia miniſtrorum Eccleſiæ; licet multa in annos ætatis ordinandorum menda irrepſiſſe, facile poſſit intelligi. Inter alia vero ſtatutum, ne in parochiis amplius quã duo diaconi eſſent, ſeptem autẽ Vrbis (nempe Regionarii) diaconi CARDINALES. Vltimo demum loco ſancitum, *vt nemo diiudicet Primam Sedem, quoniam omnes ſedes à prima ſede iuſtitiam deſiderant temperari; & neque ab Auguſto, neque ab omni Clero; neque à Regibus, neque à populo iudex iudicetur.* quem canonem poſtea citauit, & totidem verbis recitauit. Nicolaus Papa aduerſus Michaelem Imperatorem. Subſcripſiſſe vero his Romanæ Synodi decretis non ſolum Siluestrum & Epiſcopos, atq; presbyteros & diaconos qui præſentes extiterunt, ſed etiam Conſtantinum Imperatorem & Helenam matrem, in fine eius expreſſum habetur.

PRIMA SEDES A NEMINE IVDICATVR.

XXXI. CONSTANT. DETESTATVR SACRA GENTILIVM.

l Zoſ. lib. 2.

Poſt hæc eodem Conſtantino ſe in omnibus perfectiſſimum Chriſtianum exhibente, cum dies quidam (inquit Zoſimus [l]) more patrio feſtus appetiiſſet, quo in Capitolium exercitui aſcendendum erat; ipſe cum aſcenſum verbis contumelioſis inſectans, re diuina proculcata, Senatus atque populi odium incurrit. Cumque profectas ab illis execrationes haud ferret, vrbem quandam Romæ parem quærebat, in qua Palatium ſibi conderet. Itaque prope antiquum Ilium non longe ab Helleſponto inuento loco condendæ vrbis idoneo, fundamenta iecit, & muri partem aliquam in altum egit: ſed quod eum huius operis inſtituti pœnituiſſet, eo relicto Bizantium conceſſit; cuius vrbis ſitum admiratus, eam quam maxime ſtatuit amplificandam, & Imperii ſedem conſtituendam. Hæc Zoſimus.

EIVS CONSILIVM DE NOVA VRBE ERIGENDA.

Porro Conſtantinum hoc ipſo anno Ilium nauigaſſe, ſatis intelligere poſſumus quod conſtet ipſum anni ſequentis exordio in Oriente egiſſe. Eundem vero noctu per viſum à Deo monitum, relicto opere apud Ilium cœpto, Byzantium Thraciæ ciuitatem delegiſſe, Sozomenus [m] tradit. Ferunt [n] quoque illud diuinæ voluntatis index acceſſiſſe prodigium, vt ædificantium apud Ilium inſtrumenta nulla hominis arte in aduerſum litus reperirentur eſſe tranſlata. Sed & aquilam ſuſtuliſſe funiculum cæmentariorum, & iuxta Bizantium deieciſſe, teſtatur Zonaras: [o] ac de lapidibus idem Cedrenus [p] affirmat: qui & non vnum, ſed plura tradunt mutata à Conſtantino adhuc ancipite vrbis condendæ loca. Addit demum Nicephorus, [q] cum Imperator apud Bizantium nouæ vrbis ambitum definiens circuiniret, & comitibus eius vlterius quam conueniret pomæria vrbis proferre videretur; cuidam ex eis roganti, *Quouſque tandem Domine?* confeſtim reſpondiſſe, *Eouſque, dum qui me præcedit ductor conſtiterit:* indeque factum eſſe manifeſtum, cœleſtem quamdam præiiſſe virtutem, quæ eum quod fieri deberet inſtrueret. Ad quæ fortaſſe alluſit Iuſtinianus [r]; cum dixit Conſtantinopolitanam vrbem melioribus auſpiciis eſſe ædificatam, quam veterem Romam. Feruntur vero & aliæ Conſtantino tunc oblatæ viſiones; ſed quod impoſturam redoleant, libentius eas omittimus. Ceterum BYZANTIVM nequaquam erat ante hac ignobilis ciuitas, ſed antiquitate & rebus præclare geſtis nobilitata; cuius memoria clariſſimorum virorum ſcriptis celebratur, præter illa quæ à Coſmographis habentur ſumma cum gloria poſteris commendata: verum multis exagitatam cladibus Conſtantinus non ſolum reſtituit, ſed & mirifice auxit & illuſtrauit, vt dicetur pluribus in eius dedicatione.

m Soz. lib. 2. c. 2.
n Bed. de loc. ſanct. c. vlt. Glic lib. 4.
BYZANTIVM DIVINITVS ELIGITVR.
o Zonar. Annal. to. 3.
p Cedr. in comp. an. 18. Conſtant.
q Nic. lib. 8. c. 4.
r C. de vet. iur. enucl.

XXXII. EVSTATHIVS CREATVS EPISCOPVS ANTIOCHENVS.

Hoc ipſo anno defuncto Paulino Epiſcopo Antiocheno poſtquam ſediſſet annos quinq; (vt habetur in Chronicis Hieronymi & Nicephori) poſt multas diſceptationes, ad eius ſedis regimen acceſſitus ex ſede Beroenſi *Euſtathius.* Qui tamen ſecundum eundem Nicephorum, numerantem annos Epiſcoporum Antiochenſium ſub Conſtantino, dicendus eſſet non hoc anno, ſed ante biennium creatus, ſediſſeque annos decem & octo, nimirum vſque ad annum Chriſti trecenteſimum quadrageſimum, quo fuit depoſitus. Porro ante eius electionem apparet eam Eccleſiam ſciſſam fuiſſe in duas partes; quarum altera Arianorum, Euſebio Pamphili Epiſcopo Cæſarienſi ſtudebat. Sed cum longe ſuperior pars Catholicorum eſſet, cum de hiſce controuerſiis ſcriptum eſſet ad Imperatorem, idem Euſebius præferens inuiolabilem Apoſtolicæ traditionis obſeruantiam, ne à ſede in aliam transferretur Epiſcopus; ea de cauſa meruit à Conſtantino plurimum commendari litteris, tum ad ipſum tum ad illos qui ei ſtudebant ſcriptis; quas ipſe oſtentans quod laudes ſuas continerent, integras in Vita [s] eiuſdem Imperatoris deſcripſit. Quod autem turbæ illæ Antiochenæ non acciderint (vt Theodoretus [t], Socrates [u], Sozomenus [x], & alii eos ſecuti exiſtimarunt) tempore quo depoſitus eſt Euſtathius, ſed quando creatus, illud omnino conuincere videtur, quod eas idem Euſebius Conſtantino viuente contigiſſe referat, Euſtathium vero ſub Conſtantio depoſitum, indubitatam SS. Athanaſius [y] & Hieronymus [z] fidem faciant. Vt autem crederentur contigiſſe tempore depoſitionis, illud induxit, quod de iis Euſebius alia occaſione longe poſt Nicænum Concilium agat; cum tamen abſq; vlla ſit controuerſia, Euſtathium iam creatum Antiochenum Epiſcopum magnæ illi Synodo interfuiſſe.

EVSEBII PAMPH. HYPOCRYSIS.
s Euſ. 3. de vit. 57.
t Theod. lib. 1. c. 22.
u Socr. lib. 1. c. 18.
x Soz. lib. 2. c. 18.
DE TEMPORE TVRBAR. ANTIOCH. OB EVSTATH.
y Athan. ep. ad Solit.
z Hier. de Script. Eccl. in Euſtath.

XXXIII. CANON DE TRANSLATIONE EPISCOPORVM.
a Can. Apoſtol. 14.

Ceterum quod prædictis Conſtantini litteris frequens mentio habetur de Apoſtolica traditione atque mandato, ne vnius Eccleſiæ Epiſcopus in aliam transferatur; ex iis egregie probatum habes canonem Apoſtolorum [a], quo id prohibetur fieri, niſi forte quis in maiorem Eccleſiæ vtilitatem multorum Epiſcoporum iudicio ad id compellentium cedat. Huius autem legis ſic in cauſa præſenti habita eſt ratio, vt à Catholicis Epiſcopis electoribus, ob tanti viri præſtantiam, & tam inſignis Eccleſiæ ab Arianis appetitæ commodum, Euſtathius Beroea Antiochiam transferretur: quem Theodoretus [b] ait communibus Epiſcoporum & populi ſuffragiis inuitum ad hoc compulſum fuiſſe; eumdemque Athanaſius [c] & Hieronymus [d] de egregia nauata aduerſus Arianos opera mirifice laudant. Sed de illo ſæpe inferius.

b Theod. lib. 1. c. 7.
c Athan. ad Solit.
d Hier. ep. 116. ad Euagr.

CONSTANTINI AN. 20.

IESV CHRISTI AN. 325.

SILVESTRI AN. 12.

I.

ANNO Chriſti trecenteſimo vigeſimo quinto, Paulino & Iuliano Coſſ. Sacroſancta OECVMENICA SYNODVS NICÆÆ in Bithynia celebrata eſt. Id enim iiſdem Coſſ. & anno ſexcenteſimo trigeſimo ſexto poſt regnum Alexandri Macedonum Regis contigiſſe, non ſolum Acta Synodi [a] Chalcedonenſis expreſſe teſtantur, verum etiam Socrates [b] ex Annalium (vt ait) commentariis indubitanter aſſerit. Quod autem diuerſi dies & menſes poſiti habeantur, nempe in Actis Chalcedonenſibus decimus tertius dies ante Calendas Iulii, apud Socratem vndecimus ante Calendas Iunii; niſi vitio librariorum irrepſit error, affirmare neceſſe eſt accidiſſe ex diuerſis Synodi Actionibus, cum ſingulæ ſuis diebus conſignari conſueuerint; vel ex diuerſis Conſtantini litteris tunc diuerſis diebus ſcriptis. Ceterum extat quoque in vetuſtiſſima Collectione Creſconiana, Attici Epiſcopi Conſtantinopolitani teſtimonium (quando S. Auguſtini temporibus miſſa eſt ad eum legatio ab Africanis Epiſcopis, vt ab eo peterent eiuſmodi Synodi canones, occaſione cuiuſdam controuerſiæ de qua dicetur ſuo loco) quo pariter celebrata aſſeritur à die decimatertia Calendas Iulij vſque ad diem octauam Calendas Septembris iiſdem Paulino & Iuliano Coſſ. & Alexandri anno ſexcenteſimo trigeſimo ſexto. Inſcriptio autem illa, qua in vulgatis Conciliorum tomis eius tempus definitur per Æram; licet ea ex parte vera conſiſtat, cum eq; celebrata ponitur Paulino & Iuliano Coſſ. decimo tertio Calendas Iulii æra

a Con. Chalced. Act. 2.
b Socr. lib. 1. c. 9. in fi.
TEMPVS CELEBRATI CONCILII NICÆNI.

lii æra trecenteſima ſexageſima ſexta, tamen cum id dicat accidiſſe viuente adhuc Licinio Iuniore, haud quaquam probari poteſt; quæ & in annis ab Alexandri regno numeratis deprauata eſſe dignoſcitur. Fortaſſe autem Oſius, quod Hiſpanus eſſet Cordubenſis Epiſcopus, appoſuit æræ numerum, quæ eſt peculiaris numerandi ratio Hiſpaniarum.

II. CORRIGVNTVR ERRORES DE TEMPORE CONCILII.

Quod vero tot optimæ notæ auctoritatibus certi exiſtant Coſſ. corrigendum inprimis eſt quod Euſebii Chronicon mendoſe habet in fine, Synodum celebratam eſſe anno decimo quinto Imperii Conſtantini, & Domini trecenteſimo vigeſimo quarto; cum ex emendatioribus Faſtis neceſſe ſit ſub Coſſ. Paulino & Iuliano numerare Conſtantini annum vigeſimum; Chriſti vero trecenteſimum vigeſimum quintum. Immo & ipſis Conſtantini Vicennalibus celebratam fuiſſe & abſolutam, idem Euſebius c in eius Vita tertio repetit. Quapropter corrigendum eſt pariter Caſſiodori Chronicon, in quo poſt triennium collocatur, nempe ſub Ianuarii & Iuſti Conſulatu, quo idem Caſſiodorus poſuit annum vigeſimum Imperii Conſtantini, dum in ſtatuendo certo eius exordio (quod ſuperius vidimus) errauit. Quæ quidem non attendentes complures tam Latini quam Græci ſcriptores, in eam ſententiam abierunt, Nicænum Concilium triennio perduraſſe, cœptumque eſſe dictis Coſſ. Paulino & Iuliano, & perductum vſque ad Conſulatum Ianuarii & Iuſti. Immo & incertus auctor apud Metaphraſtem d profitetur perduraſſe ſex etiam menſes vltra triennium; idque ſibi vendicat teſtimonio Alexandri, quem ait ſcripſiſſe Acta Synodi: ſed quiſquis ille fuerit, mendaciorum concinnator extitit, vt inferius ſuis locis continget demonſtrari. Eiuſdem vero ſententiæ aſſertor Nicephorus e, grauiora etiam coagmentat mendacia, dum conſentiens celebratam eſſe Synodum Paulino & Iuliano Coſſ. & anno vigeſimo Conſtantini, ex quo in Britannia creatus eſt Imperator; tamen addit cœptam eſſe decimotertio anno poſtquam idem Imperator venit Bizantium, & vigeſimatertia (niſi ſit legendum decima tertia) Indictione, die vero vndecima menſis Maii, ac duraſſe annis tribus paulo amplius. Sed non tam miramur erraſſe Nicephorum, quam apud aliquos fidem inueniſſe; cum apertiſſimi ab Euſebio inprimis qui præſens fuit mendacii arguatur, dum toties repetit abſolutam eſſe ipſis Conſtantini Vicennalibus. Maiori vero ſibilo explodendi, qui tradiderunt ante triennium cœptam, abſolutam eſſe nominatis huius anni Coſſ. & eodem vigeſimo anno Imperatoris: quibus penitus refragantur quæ ſuperiorib. annis ab eodem Conſtantino aliis locis geſta eſſe, certis teſtificationibus demonſtratum eſt. Quæ igitur cœpta dicitur Paulino & Iuliano Coſſ. & abſoluta anno Conſtantini vigeſimo, vtiq; affirmanda eſt vno eodemque anno inchoata ac pariter conſummata: nec apud antiquiores vllum eſt reperire exemplum, quod vltra annum Synodus perdurarit, quantumuis fuerit Oecumenica, & ex omnibus Orbis partibus in eam Epiſcopi conuenerint.

c Euſ. l. 3. de Vit. c. 14. & li. 4. c. 40. 47.

QVANTVM PERDVRAVERIT.

d ap. Lipom. tom. 2.

e Nic. lib. 8. c. 20.

III. SVB QVO RO. PONT. HABITVM.

Sed quod ad tempus itidem ſpectat; cum tam perſpicue conſtet eandem Synodum celebratam eſſe ſub Silueſtro Romano Pontifice, id quidem ſuis ipſorum ſubſcriptionibus manifeſte profitentibus Legatis; corrigendum eſt quod apud Sozomenum f legitur eam habitam eſſe ſub Iulio Romano Epiſcopo, quem conſtat non niſi poſt Marcum Sylueſtri ſucceſſorem multos poſt hæc annos ſedere cœpiſſe. Quamuis haud forte fuerit tam patens hic error Sozomeni ff, ſed librariorum: qui ex eo quod ille ſcripſerat πολιὸς δ᾽ ὢν ἐπίσκοπος Ῥωμαῖος, fecerunt mutatione facillima ἰούλιος δ᾽ ὢν, & quod dixerat Sozomenus, Senem Epiſcopum Romanum propter ætatem ingraueſcentem non potuiſſe Concilio intereſſe, mutarunt illi in Iulium Epiſcopum Romanum. Vnde poſtea idem error irrepſit in Nicephorum g, qui Sozomeni verba retulit: Immo & in Photium h, apud quem mendo craſſiori eadem Synodus ſub Silueſtro & Iulio celebrata traditur. Nec nocet quod Sozomenus nomen Silueſtri minime recenſuerit, cum ſatis ipſum ſignificarit per appellationem Epiſcopi Romani. Nam & ea tantummodo nomenclatura Theodoretus i eum deſignauit. Sed de his, deque tempore, coactæ Synodi hactenus.

f Soz. lib. 1. c. 16.

ff Hance gregiam & appoſitiſſimã textus Sozomeni emẽdationem, vidit primus perſpicaciſſimus ſimul atque doctiſſimus Cardinalis FARNESIVS, noſtri ſeculi fax & oraculum: cuius ea de re eſt elegans obſeruatio in Parergo de tempore celebrati Concil. Nicæni, prępoſito Actis à Gelaſio Cyziceno conſcriptis, in Edit. Rom. Conciliorum Generalium, quamuis pia modeſtia nomen ſuum reticuerit qui magis ſatagit aliis prodeſſe, quam laudem ſibi conciliare, nimirum omni ipſe laude ſuperior.

g Nic. lib. 8. c. 14.

h Phot. de Sept. Syn.

i Theod. li. 1. c. 7.

IV. CAVSA ILLIVS COGENDI.

Cauſas autem eius cogendæ, S. Athanaſius k & alii omnes fuiſſe tradunt, vt Orientali Eccleſiæ ſubueniretur, duabus præcipue infeſtatæ cladibus, nempe Ariana hæreſi quæ nimium inualeſcebat, & Quartadecimanorum errore qui maxime apud Syros, Cilices, & Meſopotamenos vigebat. Addit Euſebius l & aliam cauſam, nimirum ſchiſmatis Meletianorum, quod dire vexabat Ægyptum & Thebaidem, adeo vt in ſingulis ciuitatibus Epiſcopi ac populi inter ſe digladiarentur; eoque inſaniæ progreſſi eſſent, vt & Imperatoris imagines contumelia afficere non dubitarent: verum Imperatorem non tam ad iram quam ad immenſum animi dolorem de furioſa ipſorum amentia incitatum eſſe. Quo etiam pertinere putamus quod S. Io. Chryſoſtomus m ex oratione Flauiani Epiſcopi Antiocheni refert; nempe Conſtantinum cum aliquando effigie ſua lapidata, multi ipſum inſtigarent ad ſupplicium de auctoribus contumeliæ ſumendum quos dicerent totam ipſius faciem ſaxis conuulneraſſe, manu faciem ſuam palpantem ac leniter ridentem dixiſſe, *Ego vero nuſquam vulnus in fronte factum video, ſed ſanum quidem caput, ſana vero & facies tota.*

k Athan. de Synod.

l Euſ. 3. de vit. 4.

m Chryſ. ho. 10. ad Pop. Antioch.

V.

Sed vt ad Synodum redeamus; illam ex Epiſcoporum ſententia à Conſtantino conuocatam eſſe Ruffinus n tradit. Eaque de re Alexandrum Epiſcopum Alexandrinum litteris apud eumdem Imperatorem egiſſe, teſtatur Epiphanius o. Quemadmodum & Oſium Cordubenſem re infecta redeuntem ex legatione, qua (vt vidimus) à Silueſtro Romano Pontifice miſſus fuerat ad componendas res Alexandrinæ Eccleſiæ, id ipſum præſtitiſſe Sozomenus p indicat. Sed quod ait à Conſtantino indictum eſſe Concilium, ſic intelligendum eſt, quod eiuſdem litteris Epiſcopi conuocati fuerint. Ceterum quod religio eſſet abſque Romani Pontificis auctoritate, Vniuerſalem congregare Synodum, id omnino prohibente (vt ait Socrates q) canone Eccleſiaſtico, quo vetitum erat *ne decreta abſque ſententia Epiſcopi Romani Eccleſiis ſancirentur*: interpoſitam eſſe Silueſtri auctoritatem nemo iure poterit dubitare; actumque de his anno præterito inter Silueſtrum & Conſtantinum Romæ probabili argumentatione declaratum eſt ſuperius.

n Ruf. lib. 1. c. 1. in ſi.

o Epiph. hær. 68.

p Soz. lib. 1. c. 16.

CVIVS AVCTORITATE COACTVM

q Socr. lib. 2. c. 13.

VI.

Quod vero ſpectat ad numerum Epiſcoporum qui Nicæam conuenerunt, videtur apud Euſebium r irrepſiſſe mendum, cum legitur conueniſſe ducentos quinquaginta & amplius: Nam Socrates s Euſebii verba recitans, trecentos & amplius ponit. Itemq; deprauatum putamus locum Epiſtolæ t Euſtathii Antiocheni qui Synodo interfuit, vbi ſcribitur numerus ducentorum ſeptuaginta Epiſcoporum. Nam Athanaſius u iterum, iterumq; Epiphanius x, necnon Hilarius y, Ruffinus z, & Theodoretus a, trecentos decem & octo Epiſcopos interfuiſſe tradunt; idque ipſum videtur ſignificaſſe Sozomenus b, cum circiter trecentos viginti conueniſſe ſcribit. Marius c vero Victorinus qui eodem ferme vixit tempore, trecentos quindecim numerat. At ſententiam de *Trecentis decem & octo* poſteriores omnes vno conſenſu probarunt; eumdemque numerum, vt myſticum, variis præconiis celebrarunt; adeo vt ſtultum ſit plane id denuo in controuerſiam reuocare. Nec quemquam hac de re ambiguum reddat longe his minor Epiſcoporum numerus, qui ei reperiuntur eſſe ſubſcripti: ſiquidem ex immenſo Nicænorum Actorum naufragio, eos ibi conſcriptos haberi pro miraculo pene cenſeri poſſe exiſtimarim. Porro presbyterorum, diaconorum, & ceterorum Eccleſię miniſtrorum, qui cum Epiſcopis Nicæam conuenerunt, prorſus innumerabilem fuiſſe turbam Euſebius tradit: additque Imperatorem omnibus cibaria in ſingulos dies large & liberaliter ſuppeditari mandaſſe, cum & ſumptibus publicis eos illuc perduci curaſſet.

r Euſ. 3. de vit. 9.

s Socr. lib. 1. c. 5.

NVMERVS EPISC.

t ap. Theod. lib. 1. c. 8.

u Athan. epiſt. ad Iouian. Imp. & in diſp. cont. Arium

x Epiph. hær. 69. & in Ancor.

y Hilar. cont. Conſtant.

z Ruf. lib. 1. c. 1.

a Theod. lib. 1. c. 7.

b Soz. lib. 1. c. 16.

c Mar. aduerſ. Arium lib. 2. aſp.

VII. OSIVS LEGATVS SILVESTRI PP.

Inter eos autem qui ceteris fama præſtarent, primus ſe offert duplici legatione conſpicuus *Oſius* Epiſcopus Cordubēſis, Hiſpaniarum Epiſcoporum vicem, & Silue-

ſtri Roman. Pontificis perſonam gerens, collegarumque Legatorum primarius. Accidit enim ei perinde ac poſtea Cyrillo Alexandrino Epiſcopo, qui quod ei delegaſſet vices ſuas Cæleſtinus Papa, in Concilio Epheſino locũ primum inter alios deinde miſſos Legatos tenuit. Quænam enim alia ratio, vt Oſius mediocris in Hiſpania Eccleſiæ Epiſcopus, primo loco ante Legatos Apoſtolicæ Sedis, & ante ipſos Oriẽtalium ſedium Patriarchalium Antiſtites, ac denique ante totius Africanæ Eccleſiæ Primatem (vt de aliis præſtantiſſimarum ſedium Epiſcopis taceam) ipſe in aliena prouincia & celeberrimo omnium conſeſſu ſubſcripſerit, niſi locum teneret, & perſonam repræſentaret ampliſſimæ omniũ poteſtatis? Quapropter & Græci ſcriptores qui de Synodo Nicæna tractarunt, vt Dalmatius Cyzicenus Epiſcopus, qui tempore Zenonis Imperatoris collegit (vt profitetur Acta Nicæni Concilii, ac Photius [d] Patriarcha Conſtãtinopolitanus, quamuis Romanorum Pontificum hoſtis infenſiſſimus, nihil dubitarunt Oſium Legatis Apoſtolicis adnumerare: & Hadrianus Papa in Epitome [e] canonum ad Carolum Magnum, abſque controuerſia affirmauit eumdem ab Apoſtolica Sede deſtinatum fuiſſe ad Nicænam Synodum. Qui vero ei ſocii additi ſunt miſſi à Siluestro Papa *Victor* ſeu *Vitus*, atque *Vincentius* Romanæ Eccleſiæ presbyteri, iidem etiam poſt ipſum primi ſubſcripti reperiuntur.

d Phot. in Biblioth. c. 18.

e Ext. to. 6. Concil. (?)

VIII. RELIQVI PRÆCIPVI EPISCOPI QVI INTERFVERVNT.

Secuti ſunt iſtos *Alexander*, *Euſtathius*, *& Macarius*, Patriarchæ Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus, præclariſſimi fidei defenſores, & ſanctitate clariſſimi, de quibus iam dictum ſuperius, diceturque inferius. Et inter eos quos ſecũ duxit Alexander eximios Ægypti Antiſtites, duo tantũ nobis noti ſunt, nomine *Potamon & Paphnutius*, ille Heracleæ in Ægypto, hic [f] Thebaidis ſuperioris Epiſcopus, ambo ſacris ſtigmatibus in perſecutione Maximini decorati quippe Potamon altero oculo effoſſo & ſiniſtro poplite ſucciſo ad metalla dãnatus, quẽ & in eremo ſub Magno illo Antonio militaſſe, auctor eſt Athanaſius; Ruffinus [g] vero & miraculis clariſſimum extitiſſe, & in tanta veneratione Conſtãtino fuiſſe, vt ſæpius intra Palatium euocatum complecteretur, & oculum euulſum auidioribus oſculis demulceret. Ceterum cum hunc omnes teſtentur Nicænæ Synodo interfuiſſe, nec tamen ei ſubſcriptus reperiatur, hinc plane, ſicut ex aliis inferius recenſendis, intelligas permultos in illa ſerie Epiſcoporum deſiderati.

f Socr. lib. 1. c. 5. 8.

g Ruff. lib. 1. c. 4.

IX.

Inter alios item Catholicæ fidei coryphæos, enituit *Iacobus* Niſibis in Meſopotamia Epiſcopus, miraculorum [h] patrator inſignis ac mortuorum excitator, & inter ſcriptores [i] Eccleſiaſticos illuſtris; de quo rurſum inferius. Et ex ſuperiore Armenia aduenit *Aroſtanes*, ſucceſſor Magni Gregorii Armeni, qui Maioris Armeniæ Regem (vt dictum eſt) ad Chriſti fidem conuerterat. Hunc enim Aroſtanem Synodo interfuiſſe, teſtantur Acta [k] eiuſdem Gregorii; reperiturque ſubſcriptus, licet deprauata voce Ariſteus, ſeu Acrites, vel Ariſtarces dictus Ex quibus erroris arguitur Niceph. [l], cum ait interfuiſſe Synodo huius prædeceſſorem Gregorium, quem longe antea conſtat eſſe defunctum Adfuit & ille toti Orienti conſpicuus *Leontius* Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus, eiuſdem Magni Gregorii olim ordinator, quem quidem Gregorius [m] presbyter Cæſarienſis Angelus parem appellans, eius (inquit) multi, etiam antequam veniret ad Synodum, emanarunt ſudores propter fidem: multi per ipſum martyres & victores athletæ proſtrauerunt aduerſarium, multique viſi vitæ eius doctrina ciues euaſere cœleſtes. Qui & hoc ipſo anno cum Cæſarea venturus ad publicum Patrum conuentum, Nazianzo tranſiens diuertiſſet apud Gregorium patrem Gregorii cognomento Nazianzeni, præſto fuit vna cum aliis Epiſcopis baptiſmo eiuſdem Gregorii Senioris qui cum hactenus Gentilis extitiſſet, tandẽ miraculis & viſionibus inductus, ac ſanctis piiſſime vxoris precibus votiſque adiutus, fidem Chriſtianam amplexatus eſt; & non ita poſt in locum Epiſcopi qui eum baptizauerat præcedentibus prophetiis electus eſt in Epiſcopum eiuſdem ciuitatis Nazianzenæ, ſicut rem geſtam pluribus narrat. Gregorius eius filius oratione habita in funere patris.

h Theod. lib. 1. c. 7.
i Gennad. de vir. ill.

k ap. Metaphr. 29. Sept. & Sur. to. 5.
l Nic. lib. 8. c. 14.

m Greg. presbyt. orat. de Patr. Nic. Concil. ap. Sur. to. 4. & Lipom. to. 6.

X. ALII ILLVSTRES ANTISTIT. CATHOLICI.

Adſtitiſſe quoque omnibus ſpectatiſſimum in eodem conuentu, NICOLAVM Myræ in Lycinia Epiſcopum (de cuius egregia in perſecutione Liciniana confeſſione dictum eſt ſuperius) teſtantur eius acta tum à Methodio tũ ab aliis ſcripta; licet nõ reperiatur inter alios ſubſcriptus. Sicut nec huic impar *Spiridion* Epiſcopus Trimithuntis in Cypro, & ipſe vnus ex illis nobiliſſimis confeſſoribus, quos Maximus dextro effoſſo oculo & ſiniſtro poplite ſucciſo ad metalla damnauerat: quem tamen eidem Synodo interfuiſſe exploratiſſimum eſt, de quo paulo poſt dicetur pluribus. Eluxit quoque ibidem *Paulus* Neocæſareæ Euphrateſiæ Epiſcopus, cui articulorum manuũ neruos & genitalia combuſta fuiſſe in perſecutione Liciniana, ſuperius diximus. Itidemque magni nominis & meriti pro vniuerſa Eccleſia Africana aduenit, *Cæcilianus* Carthaginenſis Epiſcopus; quem à factione improborum Donatiſtarum tot annis in tot iudiciis fruſtra calumniis exagitatum, innocentia toti Orbi clariorem reddidit: vt merito ab Athanaſio [n] inter Apoſtolicos huius temporis Epiſcopos, & veritatis Catholicæ primarios defenſores collocetur. Sed & ex Gallia acceſſit *Nicaſius* Diuienſis in prouincia Narbonenſi Epiſcopus, Et (vt ſcribit Euſebius [o]) adfuit etiã Perſidis Epiſcopus; nec ab eo choro Scytha abfuit. Sicut etiam ex Gothia interfuiſſe reperitur *Theophilus* eorum Antiſtes. Deniq; adfuerunt & alii quamplurimi eminentiſſimæ ſanctitatis & doctrinæ Epiſcopi, quorum nonnullorum mẽtionem reperire eſt apud antiquos ſcriptores, & in tabulis Eccleſiaſticis, multorum quoque nomina recenſita habentur in ſubſcriptionibus Synodi, aliorum autem memoria prorſus excidit. Vt vero rem totam antiquorum Patrum auctoritate concludam, cernere ibi licebat multitudinem [p] martyrum, & totius Orbis [q] lumina in vnum coacta. Siquidem (vt etiam Euſebius [r] tradit, & ceteri omnes fide digni profitentur auctores) ex cunctis Eccleſiis Europæ, Africæ, & Aſiæ vocati ſunt Epiſcopi qui facile primas inter alios ferrent. Ex quibus plane retunditur petulantis Macedoniani arrogantia, Sabini Heracleæ Epiſcopi, dum veritus non eſt dicere [s] Magnum illud Concilium ex indoctis hominibus fuiſſe collectum: ſed in mendaciſſimum hominem alii antiqui ſcriptores omnes pariter declamarunt.

n Athan. orat. 1 cont. Arian.

o Euſ. 3. de vit. 7.

p Theod. lib. 1. c. 7.
q Mar. Victor. Aduerſ. Arium lib. 1.
r Euſ. 3. de vit. 7.

s Socr. lib. 1. c. 5.

XI. EPISCOPI ARIANI ACCESSERVNT DOLOSE AD CONCILIVM.

At ſicut olim [u] cum veniſſent filii Dei vt aſſiſterent coram Domino, affuit inter eos etiam ſatan: ita prorſus in ſanctiſſimo hoc Patrum conſeſſu aſtitit diabolus in membris ſuis, quorum duces fuerunt *Euſebius* Epiſcopus Nicomedienſis, alterque *Euſebius* Cæſarienſis, *Paulinus* Tyrius, *Menophantes* Epheſinus, *Theognis* Nicænus, *Mares* Chalcedonenſis, & alii. Eorum vero illud fuiſſe ſtudium apparet, vt ſimul ac peruenirent ad Synodum, ſpreto iudicio Eccleſiaſtico (quod malæ cauſæ diffiderent) ſinguli aduerſus Orthodoxos Epiſcopos Conſtantino Imperatori libellos offerrent, quo illum eis infenſum redderent, & ad expugnandam Catholicam fidem faciliorem ſibi eo pacto aditum aperirent. Nec enim vanos eſſe nos huius rei coniectores, ſatis declarant quæ ſubſecuta ſunt, cum aduerſus Euſtathiũ Antiochenũ, Athanaſium Alexandrinum, & alios, tot extruxere calũnias, vt eumdẽ Imperatorem compulerint eos in exiliũ amandare. Sed hæc poſtea.

u Iob. 1.

XII. CONSTANT. CREMAT LIBELLOS QVERELARVM EPISCOP.

t Soz. lib. 1. c. 16.

Hoc autem tempore, qui ex Donatiſtarum cauſa diutius ventilata prudẽtior erat redditus Conſtantinus, cum videret (inquit Sozomenus, [t]) in dies fere ſingulos eiuſmodi libellos accuſatorios ſibi ab Epiſcopis offerri, mandatum dedit vt ſinguli crimina, quæ aliis dicere cõſtituerant, ad certũ diẽ proponerent: vbi autẽ dies venit, Imperator oblatis ſibi libellis acceptis, *Iſtæ* inquit, *criminationes tempus quidem ſibi præſtitutum habent, diem magni iudicij; Iudicem autem, qui ſit tum de omnibus ſententiam pronunciaturus: mihi vero non eſt fas, cum homo ſim, eiuſmodi cauſarum cognitionem arrogare, præſertim cum & qui accuſant & qui accuſantur ſacerdotes ſint.* Hiſque dictis, omnes hortatus ad concordiam, & vt fidei negotium cuius cauſa conuocati erãt ſtrenue agerent, cunctos libellos comburi iuſſit. Hæc

Sozome-

u Ruff. lib. 1. ca. 2. x Socr. lib. 1. ca. 5. y Greg. 4. ep. 75. z Nicol. ep. ad Mich. Imp.

Sozomenus; eademque Ruffinus [u], quorum & meminit Socrates [x]: Citantque eamdem hiſtoriam ex Ruffino acceptam, Gregorius [y] & Nicolaus [z] Romani Pontifices in litteris ad Mauritium & Michaelem Imperatores, cum iſti præter ius faſque ſibi aduerſus viros Eccleſiaſticos poteſtatem arrogarent: addentes & ea quæ tunc à Conſtantino ad Epiſcopos dicta idem Ruffinus recitat, quæ apud Sozomenum compendioſius referuntur; nimirum, *Deus vos conſtituit ſacerdotes, & poteſtatem dedit de nobis quoque iudicandi: & ideo nos à vobis rectè iudicamur, vos autem non poteſtis ab hominibus iudicari: propter quod Dei ſolius inter vos expectate iudicium, & veſtra iurgia ad illud diuinum reſeruentur examen. Vos autem nobis à Deo dati eſtis dij, & conueniens non eſt vt homo iudicet deos ſed ille ſolus de quo ſcriptum eſt, Deus ſtetit in ſynagoga deorum, in medio autem deos diſcernit.* Addit vero Theodoretus [a], Conſtantinum iureiurãdo aſſeraſſe, ſe ne verbum quidem libellorum legiſſe; *quod ſacerdotum* (vt dicebat) *vitia non ſint populo aperienda, ne ille inde cauſa offendiculi accepta, licentius peccare aggrediatur*: Quin etiam hoc adiecisſe, *ſi ſuis oculis Epiſcopum alienæ vxori ſtuprum inferre forte videret, facinus illud nefandum ſuo paludamento ſe obtecturum, ne facinoris aſpectus eos qui idipſum cernerent vlla ex parte læderet.* Hæc Theodoretus: quæ tamen in fine Synodi recenſet, ſed nos ex plurium ſententia & veriſimili coniectura ante Concilium geſta putamus.

SACERDOTES IMPERATORVM IVDICES.

a Theod. lib. 1. ca. 11.

XIII. GENTILES PHILOSOPHI AD SYNODVM CONFLVXERVNT.

Ceterum non tantum Epiſcopi literis acerſiti, ſed etiam ex Gentilibus plerique philoſophicis imbuti facultatibus, tanti conuentus fama exciti, Nicęam confluxerunt, vt tamquam in publico vniuerſi Orbis theatro ingenii vires oſtentarent, & agminibus Dei viuẽtis inſultarent. Sed cum non deeſſent ex noſtris qui hac quoque ex parte nequaquam eſſent inferiores: tamen voluit Deus eorumdem petulantiam compeſcere diuina potius virtute, quã manibus verbis, cum vnum ex illis acrius inſtantem Chriſtianus laicus, homo ſimplex & ex confeſſorum numero, retudit: (quod Socrates [b] pridie eius diei quam Synodus inchoaretur, accidiſſe affirmat) alium vero ſenex quidam Epiſcopus, vir æque ſimplex & ex Confeſſorum numero, obiecta maieſtate Chriſtianorum myſteriorum, non ſolum compeſcuit, verum etiam ad fidem conuertit; vt narrant Sozomenus [c], Ruffinus [d], Gregorius [e] Preſbyter Cęſarienſis, & alii ferme omnes tam Græci quam Latini recentiores hiſtorici. Additque idem Gregorius, Menophantem Epiſcopum Epheſinum philoſophicis facultatibus apprime imbutum, ſed Arianiſmo infectum, adeo ex miraculo obſtupuiſſe vt deſerto Ario adhæſerit Orthodoxis. Sed & Sozomenus aliud huic non diſſimile miraculum ſubtexit, ab Alexandro Epiſcopo Conſtantinopolitano Byzantii alio tempore editum, quo pariter philoſophum Chriſtianam religionem diſputationibus ſuis carpentem, ore obſtructo mutum reddidit. Quinam autem fuerit Epiſcopus ille, qui in Nicæno Concilio Chriſtiana ſimplicitate munitus, tam glorioſa de faſtu philoſophicæ diſciplinę trophæa erexit; conueniunt in eandem ſententiam ſcriptores [f], fuiſſe Magnum Spiridionem, de quo nuper mentio facta eſt, Epiſcopum Trimithuntis in Cypro: de cuius etiam exactiſſima obſeruatione Eccleſiaſticæ antiquitatis, ac paternarum traditionum tam in verbis quam in rebus, aliud egregium exemplum Sozomenus [g] recitat, aliaque præclara eius facta alii [h]: quem, licet ſpiritu prophetiæ & miraculorum dono præpollentem, tantæ ſimplicitatis fuiſſe tradunt, vt etiam in Epiſcopatu poſitus oues paſceret.

b Socr. lib. 1. c. 8. PHILOSOPHI CONVERTVNTVR. c Soz. lib. 1. ca. 17. d Ruff. lib. 1. c. 3. e Greg. presb. orat. de Patr. Nic. Conc.

f Metaphr. 10. Dec. Niceph. lib. 8. c. 15. Glyc. in Annal. g Soz. lib. 1. ca. 11. Nic. lib. 8. ca. 42. h Ruff. lib. 1. c. 5. Socr. lib. 1. cap. 8.

XIV. DISPVTATIONES PATRES CVM ARIANIS.

Quod vero ad cauſam ſpectat qua Epiſcopi Nicæam conuocati ſunt, nempe de hæreſi Arrii cognituri: per dies ſingulos (inquit Ruffinus [i]) agebatur conuentus; & euocato frequenter Ario in Concilium, aſſiduo tractatu aſſertiones eius diſcutiebantur, & quid aduerſum hæc teneri deberet aut ſtatui, ſumma cum libratione quęrebatur. Sed hæc antequam agerentur illa comitia quibus interfuit Conſtantinus Imper. geſta eſſe, Sozomenus [k] declarat: idemque teſtatur [l] in ſingulis de fide diſputationibus Catholicos illud potiſſimum contendiſſe, ne quid ab eo quod traditum eſſet innouaretur, ſed in omnibus ſeruaretur antiquitas: in hiſque certaminibus, tum aliorum compluriun eruditorum virorum, tum maxime *Athanaſii* tunc Eccleſiæ Alexandrinæ diaconi, qui cum ſuo Epiſcopo Alexandro ad Synodum venerat, in diſſerendo peritiam & acumen ingenij enituiſſe. Porro graue inde in illum Arianorum odium, & inuidiam conflatam eſſe, Socrates [m] tradit. Quę vero fertur diſputatio inter illum & Arium habita in Nicæno Concilio: tum eius præfatio docet, eam ſeorſum potius quam in Concilio (cuius nulla prorſus ibi eſt mentio) habitam: tum quod in ea Arius acerbiſſime impugnet diuinitatem Spiritus Sancti, Arianus potius homo quam Arius eſſe conuincitur, cum eiuſmodi blaſphemiam nonniſi ab Arij ſucceſſorib. prodiiſſe conſtet. Itaque ſubinducta videtur in ea diſputatione perſona Arii potius quam ipſe Arius Athanaſio credere neſcius, qui ibi ponitur Athanaſio conſenſiſſe. Ceterũ Vigilium Epiſcopum Tridentinum eiuſdem argumenti aduerſus Arium, Sabellium, & Photinum, per dialogiſmũ ſub nomine Athanaſii tamquam ſi præſens cum præſentibus ageret, ſcripſiſſe commentarios, ipſemet [n] teſtatur agens contra Eutychem. Quapropter & eiuſdem quoque auctoris putamus eſſe illam aliam diſputationem, quæ pariter fertur Conſtantii Imperatoris iuſſu Laodiceæ in Syria facta inter Athanaſium & Arium: quæ ex multis cõuincitur haud eſſe Athanaſii, tum quod ibi Athanaſius diaconus nominetur, quem conſtat longe ante Conſtantii Imperium creatum eſſe Epiſcopum Alexandrinum, tum etiam quod Arius pariter ante ea tempora mortuus eſſet: tum denique quod in ipſo diſputationis progreſſu arguat Athanaſius Arium eſſe Photiniani dogmatis, quod conſtat longe poſt Arii mortem exortum eſſe.

i Ruff. lib. 1. cap. 5. k Soz. lib. 1. cap. 17. l [illegible] ca. 15.

ATHANASII SPECTATA VIRTVS IN CONCILIO

m Socr. lib. 1. ca. 7.

n Vigil. cont. Eutych. lib. 5.

XV. CONSTANTINI PARTES IN CONCILIO

Vbi autem venit præſtituta dies, qua conſtitutum erat de rebus controuerſis in Synodo decidere, omnibus Epiſcopis in Palatium Imperatoris conuenientibus, & ſecundum ordinem conſidentibus: adfuit etiam inter illos Cõſtantinus, ſed tanta cum reuerentia, vt non prius in parua ſella aurea ipſi in loco ſuperiori parata aſſidere voluerit, quam Epiſcopi innuiſſent: quod teſtantur Euſebius [o], Socrates [p], Theodoretus [q], Sozomenus [r] & alii nihil ab inuicem diſcrepantes. Quænam vero fuerint eiuſdem Imperatoris partes in Synodo aſſidentis, ſatis idem Euſebius [s] expreſſit: nempe attente audire, ſtudere paci, fauere veritati, & fouere concordiam, tumultus comprimere, diſcrepantes à veritate reuocare: non autem ferre ſuffragium, vel cauſam ſententia definire, vel quampiam ad eam rem pertinentem inconſultis Patribus legem ferre. Quem eumdem locum poſtea in aliis Synodis obtinuere Iudices Cognitores, de quib. dicetur alio loco opportunius. Nam & commendatur in eo potiſſimum à S. Ambroſio [t] de rebus geſtis in hac Synodo modeſtia Conſtantini, quod liberum in omnibus reliquerit de fide iudicium Epiſcopis.

o Euſ. 3. de vit. 10. p Socr. lib. 1. c. 8. q Theod. lib. 1. cap. 7. r Soz. lib. 1. ca. 18. s Euſ. 3. de vit. 13.

t Amb. ep. 32. ad Valentin. Imp.

XVI. u Euſ. 3. de vit. [illegible] EVSTATHII ORATIO IN SYNODO. x Soz. lib. 1. cap. 18.

Addit poſt hæc Euſebius [u], Epiſcopum qui in dextro ordine primam ſedem occupabat, aſſurgentem perbreui oratione Imperatorem affatum eſſe, hymnumque gratiarum actionum recitaſſe. Quiſnam autem Epiſcopus iſte fuerit, Sozomenus [x] arbitratus eumdem Euſebium modeſtiæ cauſa de ſeipſo dicere ſiluiſſe, eum fuiſſe ipſum Euſebium abſque aliqua controuerſia confirmauit. Sed parum mores Euſebii perſpectos viſus eſt habuiſſe, qui nullam vmquam occaſionem prætermiſit honorifice de ſe dicendi, ea tantum ſilentio obuoluta relinquens, quæ ſuam ipſius turpitudinem potuiſſent arguere, vt eſt alias demonſtratum. Putamus autem ipſum inuide reticuiſſe nomen huius Epiſcopi, quod ei fuiſſet in ſede Antiochena poſtpoſitus. Hunc enim qui primus omnium ea oratione affatus eſt Imperatorem, fuiſſe Magnum illũ Euſtathium Epiſcopum Antiochenum, & Theodoretus [y] affirmat, & Gregorius [z] presbyter Cæſarienſis eiuſdem tunc habitam ad Imperatorem aduerſus Arium perbreuem orationem recitat. Porro Caſſiodorus conciliare conatus Sozomenum cum Theodoreto, ait poſt Euſtathium peroraſſe Euſebium: ſed Euſebius nonniſi ab vno oratum eſſe teſtatur: nec, ſi & ipſe peroraſſet proculdubio reticuiſſet.

y Theodor. lib. 1. c. 7. z Greg. presb. orat. de Patrib. Nic. Conc.

XVII. DE RATIONE CONSESSVS EPISC.

Sed quid eſt quod Euſtathius tertiæ dumtaxat ſedis Epiſcopus, in dextro Epiſcoporum ordine ſedit primo loco? Ad hæc cognoſcenda nulla verior poterit ratio ſuffragari, quam quæ petitur exemplo rerum geſtarum in aliis Synodis Occumenicis. Porro tum ex quatuor illis antiquioribus, ſolius Chalcedonenſis Acta extent integra, & in eius prima Actione conſeſſus Epiſcoporum ita diſpoſitus inueniatur, vt à læua parte Apoſtolicæ Romanæ Sedis Legati, & poſt ipſos Patriarchæ Conſtãtinopolitanus & Antiochenus, à dextra vero Dioſcorus Alexandrinus & Iuuenalis Hieroſolymitanus ſederẽt: (cuiuſmodi haud dubium conſeſſus ex antiquo & vſitato præcedentiũ Synodorum ordine deſumptus fuit) quis non intelligat, locum ſiniſtrum ab illis ſanctiorem & digniorem eſſe exiſtimatum: tum præſertim idem Dioſcorus hæreſis infamatus ad Synodum iudicãdus veniſſet? Id autem duplici ratione potuit contingere: ſiue quod in Eccleſia Chriſti ad imitationem Patriarchalis benedictionis [a], Iacob mutato rerum ordine dextera in ſiniſtram dignitatis ergo mutaretur: ſiue quod apud Romanos [b] pars ſiniſtra melioris eſſet auſpicii, ac proinde dignior haberetur: ſed illud in ſacris [c] tantummodo atque diuinis, quod (vt aiunt) ſiniſtra noſtra, dextera numinis, quæ præcipue attendi debet, habeatur. Hanc autem inolitam conſuetudinem, tam Oriẽtalem quam Occidentalem Eccleſiã diu retinuiſſe, priſca docent exempla. Etenim de Oriẽtali fidem facit, quod in Cõcilio poſteriori Niceno traditus ex Sophronio Epiſcopo Hieroſolymitano, ita ſolitas depingi Chriſti Imagines, vt ſanctiſſimam Deiparam haberent à ſiniſtris, Ioannem vero Baptiſtam à dextris. Et de Occidentali Eccleſia atque ipſa Vrbe demõſtratur, quod olim cum in baſilicis diſtincta eſſent loca feminarum atque virorum, in dextera parte collocarentur mulieres, in ſiniſtra viri, vt docent eiuſdem Eccleſiæ vetuſtiſſima monumenta. Vnde & ille veterrimus vſus, vt in ſacris Pontificum Romanorum diplomatibus, à dextris Paulus, Petrus vero à ſiniſtris collocaretur.

SINISTRA IN SACRIS POTIOR DEXTRA.

a Gen. 48. b Var. de ling. Lat. li. 6. verb. Scenæ. Cic. de diuin. lib. 2. Plin. lib. 2. cap. 54. Feſt. verb. Siniſtra auis. Plutar. q. Roma 78. c Ser. & Donat. in lib. Æn. 2. Intonuit læuum.

XVIII.

Hac igitur ratione affirmandum eſt, in iſto Nicæno Epiſcoporum conſeſſu à læua parte ſediſſe Oſium, Vitum atque Vincentium, miſſos à Silueſtro Legatos à Latere, moxq; aſſediſſe Alexandrum Epiſcopum Alexandrinum, ac reliquos ſuo ordine: à dextris vero primum obtinuiſſe locum Epiſcopum Antiochenum. Rurſumque quod in medio conſeſſus Epiſcoporum (vt habent Acta dictæ Synodi Chalcedonenſis, & aliorũ Conciliorum) ſuper thronum poni conſueuiſſet ſacroſanctum Euangelium, quod (vt declarat S. Cyrillus [d] Alexandrinus, dum agit de Synodo Epheſina) typum ipſius Chriſti gereret: ex eo intelligere poſſumus, ſic à patre ſiniſtra Legatos Apoſtolicæ Sedis eſſe locatos, vt poſitus in medio Chriſtus Dominus in vniuerſum conſeſſum reſpiciens: à dextris haberet qui ſederet à ſiniſtra, & à ſiniſtris qui conſiderent in dextera. Secundum quod etiam in antiquo Romano Ordine legitur his verbis, *Sedebunt ea locali diſpoſitione, vt intrantibus eccleſiam Epiſcopo ſint ad ſiniſtram, presbyteri vero ad dexteram: vt quando Pontifex ſederit, ad eos reſpexerit, Epiſcopos ad dexteram, presbyteros contueatur ad ſiniſtram.* Qua quidem ratione fiet vt multæ conciliari poſſint de ſiniſtra & dextera parte oboriri ſolitæ controuerſiæ, cum alia in progreſſu, in conſeſſu ratio alia attendatur.

LOCVS EVANGELII IN SYNODO.

d Cypr. in Apol.

XIX.

CONSTANTINI ORATIO LATINA AD SYNODVM.

Sed vt reuertamur ad Acta Nicæna, tradit Euſebius [e], poſtquam Euſtathius peroraſſet, ipſum quoque Imperatorem ad ſacrum illum cœtum orationem Latino ſermone, alio eamdem Græce interpretante, habuiſſe de componendis Eccleſiarum diſſidiis; quam & idem auctor recitat. Cur autẽ Latino magis quam Græco ſermone vſus ſit, cum teſte eodem Euſebio [f] Græcam quoque calleret linguam: ea potiſſimum ratio redditur, quod ob maieſtatem Romani Imperii nec inferiores quidem Iudices deceret [g] niſi Romana vti dialecto. Sic enim & Marcianus poſtea Imperator [h] in Oecumenica Synodo Chalcedonẽſi corã Patribus concionaturus, licet homo Græcus, atque inter Græcos & in ditione ac regione Græcorum, orationem ſuam Latine prius poſtmodum Græce dixit. Porro eandẽ ab Euſebio recitatam perbreuẽ Conſtantini orationem, referunt quoque Sozomenus [i] & Gregorius [k] presbyter in eamdem ferme ſententiam, Dalmatianus autem longe prolixiorem habet, qua inter alia Conſtantinus opportuna occaſione ſe ſacro initiatum eſſe baptiſmate profitetur: quam facilioris fuit negotii ab Euſebio prætermitti, ob rationes ſuperius in cauſa eiuſdem baptiſmi deductas: de ceteris vero Scriptoribus eamdem omittentibus nulla eſt ſuſpicio doli, cum ſiue rem ipſam, ſiue verba, non alia quam quæ ab Euſebio ſcripta eſſe repererint, memoriæ commendaſſe intelligantur.

e Euſ. 3. de vit. 11. 12. f Ibid. c. 13. g Suet. in Claud. cap. 46. Val. lib. 2 cap. 2. h Conc. Chalced. Act. 6.

i Soz. lib. 1. cap. 18. k Greg. presb. orat. de Patrib. Nic. Conc.

XX.

Iam vero quod pertinet ad reliqua Synodi geſta; fuiſſe quidem Acta Nicæna accuratiſſime ſcripta, S. Athanaſius [l] eſt auctor: verum iniuria temporis, & Arianorum conatibus paſſa eſſe naufragia certum eſt. Scimus tamen nonnullos qui longe poſtea vixere, profiteri ea reperiri: ſiquidem teſtatur Photius [ll], ſe legiſſe Acta Nicæna tribus diſtincta voluminibus à *Gelaſio* [m] quodam ſcripta: non tamen (vt ait) ipſe vere Synodi Acta, ſed de rebus geſtis in Synodo hiſtoriam. Et ex Latinis Iſidorus [mm] Mercator (ſed haud tantæ fidei auctor) ex relatione quorumdam Orientalium audiuiſſe ait, Concilium Nicænum extare, habens (inquit) potiorem quam quatuor Euangeliorum magnitudinem. Alioſque inſuper hoc noſtro ſæculo legimus & audiuimus, affirmantes eadem hodie reperiri tum Alexandriæ tum etiam apud Arabes. Sed ſomnia puto hæc omnia: nam illud ſcimus, omne ſæculum quod ab eo tempore ad noſtram vſque ætatem interlapſum eſt, cupidiſſimum fuiſſe tam egregiæ atque omnium nobiliſſimæ antiquitatis, & ſæpius ortis occaſionibus diligentius quæſiuiſſe, nec tamen ea quemquam hominum potitum eſſe præter illa quæ hodie de iis habentur. Quamobrem his miſſis, quæ diuerſis locis diſperſa reperiri poſſunt, ordine, ſuo diſponere ſatagemus.

l Athan. de Synod. ll Phot. in Bibliotb. cap. 15. & 88. m Extant ipſa Gelaſii Acta, poſtea edita Græce & Latine, eademque inſerta Editioni Romanæ Conciliorum Generaliũ Typographiæ Vaticanæ ex quibus multam lucem haurias in quæ hic à Baronio dicuntur de rebus in Synodo geſtis. Verum tamen nihil nobis viſum eſt mutare vel addere, quia vt ſæpe monuimus, Epitomen agimus, non nouam hiſtoriam cudimus. Cũ alioqui ne ipſa Gelaſii Acta, adeo in omnibus cum antiquorum Scriptorum ſententiis concordare videantur. mm Iſid. in præf. Concil.

XXI.

Illud quidem memoria dignum inprimis accidiſſe Athanaſius [n] eſt auctor, vt cum ex conſuetudine ſcripta Arii de hæreſi quam protulerat legerentur, omnes quotquot aderant Epiſcopi adeo exhorruerint blaſphemiam, vt mox aures ſuas obſtruxerint. Quemadmodum & cum lectæ pariter eſſent litteræ Euſebii Nicomedienſis, totius Satanicæ molitionis præcipui architecti, eas in omnium conſpectu diſcerptas eſſe, teſtis eſt Euſtathius [o] Antiochenus. Et alibi idem Athanaſius [p] tradit, ita cum Euſebio Nicomedienſi eiuſque gregalibus actum eſſe, vt cum principio in hæreſi ſua contumaces bella pugnaſque meditarentur: poſtquam ab Orthodoxis benigna & placide inuitati ſunt opinionum ſuarum rationem reddere, ſeque non impios eſſe demonſtrare: eoſdem vix incipientes hiſcere, & improbatos ab omnibus eſſe, & ipſos quoque diſſentientes ab inuicem, agnita ſuæ hæreſeos perplexitate & impietate, mutos prorſus eſſe redditos. Denique ſcribit Iulius Papa in epiſtola apud eumdem Athanaſium [q], Acta Synodi olim Alexandriæ aduerſus Arium ab Oſio celebratæ, coram Patribus Nicænis producta fuiſſe & diligenter expenſa, quo Ariani certo cognoſcerent ſe non per ſimultatem priorum Iudicum, ſed iure & merito condemnatos eſſe.

n Athan. orat. 1. cont. Arian. o ap. Theod. lib. 1. cap. 8. p Athan. ep. decret. Nic. Concil. cont. hær. Arian.

q ap. Athan. Apol.

XXII.

DIVINITAS FILII DEI VOCE CONSVBSTANTIALIS ASSERTA.

Exploſam igitur ac penitus confutata hæreſi, cum inter Patres nonnihil laboratum eſſet, qua potiſſimum voce diuinitatem coæqualem paremque Filii Dei cum Patre poſſent exprimere, quo nullus Arianorum eluſionibus ac fraudibus locus relinqueretur; tandem ſcripſerunt Filium ΟΜΟΟΥΣΙΟΝ, hoc eſt CONSVBSTANTIALEM Patri, vt non ſolum *ex Deo eſſe* vel ei *ſimilem* (quas voces etiam hominibus puris creaturis conuenire poſſe Ariani contendebant,) ſed eiuſdem *Subſtantiæ* ſignificarent. Quomodo vero hæc tunc geſta fuerint, narrat pluribus Athanaſius [r]. Hac autem vna vocula omne venenum Ariani dogmatis internecatum eſſe Marius [s] Victorinus egregie docet. Eamdemque tunc acceptam fuiſſe ex litteris Euſebii Nicomedienſis in Synodo recitatis, teſtatur S. Ambroſius [t]; quippe cum (vt ait) ſcripſiſſet Euſebius, *Si Dei filium increatum dicimus,* ὁμοούσιον*, Conſubſtantialem cum Patre, incipimus confiteri*: hoc verbum in tractatu Fidei po-

r Id. d. ep. decr. s Mar. aduerſ. Arium lib. 1. t Ambr. 3. de fid. ad Grat. ult.

VOX CONSVBSTANTIALIS VNDE.

fuerunt Patres, quod viderunt aduerſariis eſſe formidini, vt tamquam euaginato ab ipſis gladio ipſum nefandæ caput hæreſis amputarẽt. Hæc Ambroſius. Ceterum quod calumniarentur Ariani vocem eſſe exoticam, nec reperiri in ſacris ſcripturis: Athanaſius [u] pluribus docet eius ſignificationem ex iiſdem diuinis eſſe litteris, nomenclaturamque non nuper inuentam, ſed à ſanctiſſimis quoque Patribus vſurpatam, ab ipſis præſertim SS. Dionyſiis Romano & Alexandrino Epiſcopis, & ante hos à Theognoſto antiquiſſimo Theologo.

u Athan. vbi ſupra.

XXIII. FILIVS DEI GENITVS, NON FACTVS.

Cum igitur Ariani ſe cauſa cadere cernerent, de Ingenio parte rurſum addiderunt propoſitionem nempe vt Pater tantum diceretur Ingenitus, quo deducere poſſent in conſequentia, ipſum Filium factum atque creatum. Sed Sancta Synodus ſic filium genitum nominauit, vt tamen ad eludendam illorum impoſturam adderet, *Non factum*: ſicque *Genitum, non factum*, adiecit Symbolo. Hæc enim ex Athanaſio deducuntur: qui omnes controuerſias de his quæ ſpectarent ad Fidem inter Catholicos & Arianos in Synodo agitatas, prolixiore oratione proſecutus eſt eo commentario, ſeu epiſtola, quam inſcripſit, *De iis quæ decreta ſunt contra hæreſim Arianam*: eademque ferme omnia ex alia eiuſdem epiſtola ad Africanos Theodoretus [x] recitat. Fuit enim in his quæ ad mutuas conflictationes pertinent, idem Athanaſius pars magna Synodi, libera ei conceſſa licentia aduerſus Arianos agendi.

x Theod. lib. 1. cap. 8.

SYMBOLVM NICÆNVM.

His autem ſic, peractis concepta eſt Catholicæ Fidei formula, qua omnia hæreſis Arianæ capita truncarentur: cuius quidem præcipuum architectum fuiſſe Magnum Oſium ipſius Synodi principem, Athanaſius [y] tradit: habeturque ipſa (quam *Nicænum Symbolum* appellare Fideles conſueuerunt) tum apud eumdem Athanaſium [z], tum aliis pleriſque [a] locis recitata, his verbis, CREDIMVS *in Deum Patrem omnipotẽtem, omnium viſibilium & inuiſibilium creatorem: Et in Dominũ* IESVM *Chriſtum Filium Dei natum ex Patre & vnigenitum, hoc eſt ex ſubſtãtia Patris, Deum ex Deo, Lumẽ de Lumine, Deum verum ex Deo vero, genitum non factũ, & Conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt tã in cælis quã in terra. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutẽ, deſcendit & incarnatus eſt, & homo factus eſt, paſſus eſt, & reſurrexit tertia die, & aſcendit in cælos, venturus inde ad iudicãdos viuos & mortuos. Et in Spiritum Sanctum.* Hæc eſt Regula Catholicæ Fidei deſcripta ex epiſtola Athanaſii ad Iouinianum Imp. Quæ vero ibi ſequuntur, anathematiſmi ſunt pronunciati aduerſus omnes impias Arianorum poſitiones, ne vlla ex parte hæreſis conſiſtere poſſet.

y Athan. ep. ad Solit. z Idem ep. ad Iouian. Imp. a Sym. Chalced. [illegible] Baſil. ep. 78. Theodor. lib. 1. cap. 2. Socr. lib. 1. c. 5. & alibi.

XXV.

Quod autem ad aſtruendam Spiritus Sancti diuinitatem nihil præterea addidiſſe reperiatur Nicenum Concilium Symbolo Apoſtolorum: id eam ob cauſam accidiſſe SS. Baſilius [b] & Hieronymus [c] aiunt, quod nulla tunc ea de re cõtrouerſia mota eſſet, quam poſtea Arii ſectatores concitarunt. Sed & ſatis expreſſam eſſe, Spiritus Sancti diuinitatem in Nicæno Symbolo, dum vna cum eum Patre & Filio glorificarunt, & in eum credere profeſſi ſunt, eo quod ſit vna in Sancta Trinitate Deitas, Athanaſius [d] & Epiphanius [e] docent. Subſcripſiſſe vero eidem formulæ fidei non ſolum Catholicos Epiſcopos, ſed etiam omnes Arianos, tum idem Athanaſius [f] diſerte affirmat, tum ex Euſtathio Antiocheno Theodoretus [g]: licet iſte addat, illud eos fraudulenter egiſſe ne in exilium eiicerentur ſed in ſedib. ſuis relicti pro Ario (quod fecerunt) validius dimicarent. Porro cum & æque Euſebius [h] Cæſarienſis aſſerat, agente Conſtantino Imperatore Epiſcopos qui ad Concilium acceſſiſſent conſentientes redditos, omnes ad vnum Synodi decretis ſubſcripſiſſe: reperianturque hactenus in Epiſcoporum ſubſcriptione poſiti Euſebius Nicomedienſis, Mares Chalcedonenſis, Theognis Nicænus, Secundus Ptolemaidis, Theonas Marmaricæ, & ceteri propugnatores Arii: quid eſt quod Socrates [i] iſtos quinque non ſubſcripſiſſe tradit?

b Baſil. ep. 78. c Hier. ep. 65.

d Athan. ep. ad Iouian. & ep. ad Afric. e Epiph. hær. 74. in fin. f Atha. ep. decret. Nic. Conc. cont. hær. Arian. g Theod. lib. 1. cap. 8. h Euſ. de vita Conſt. [illegible] i Socr. lib. 1. cap. 5.

XXVI. DESCRIPTIONE

Sed hac in re diuerſa ſunt tempora conſideranda; atque illud primum, cum ſcripta eſt Regula fidei: tunc enim accidit vt idẽ à Socrate recenſiti reſilierint, & ſubſcribere recuſauerint; paulo vero poſt oblato libello recantantes palinodiã, iis quæ de fide decreta fuerant ſubſcripſerint. At cum poſthæc à Synodo in Arium, damnata iam eius hæreſi, anathema inflictum eſt, quod à ſententia non diſcederet; ac ceteris omnibus ſubſcribentibus anathemati Arii, duo tantum id facere renuerunt, nẽpe Euſebius Nicomedienſis & Theognis Nicænus: tunc & iſti à Synodo damnati ſunt, & priuati ſedibus (in locum ipſorum, Nicomediæ Amphione inſigni confeſſore ſuffecto, & Chreſto Nicææ) atque ab Imperatore exilio condemnati. Sed paulo poſt Ario palinodiam recantãte, & à Synodo recepto, ipſi pariter libellum pœnitentiæ Patribus mittentes, ab iis recepti ſunt, & Eccleſias ſuas recuperarunt. Hæc enim omnia ita geſta eſſe, facile intelligitur tum ex ipſo eorumdem libello, tum ex iis quæ de eiuſmodi rebus habent Athanaſius [k] & Socrates [l]. Quæ pariter cum durante adhuc Synodo contigiſſe & ipſum Arium æque ac illos eoſdem Epiſcopos ab eadem Synodo ſuſceptos eſſe, ac ſubſcripſiſſe, S. Hieronymus conſtanter affirmet in Dialogo aduerſus Luciferianos: errasse videntur, qui ſcripſerunt illos hoc ipſo anno exulaſſe, ac diu poſt reſtitutos eſſe: cum ex iam dictis plane colligatur, eos quidem ſententiam depoſitionis & exilii accepiſſe; ſed antequam in exilium deducerentur pœnitentes veniam meruiſſe. Ceterũ ipſum Arium ita Socrates & alii tradunt à Synodo receptũ eſſe, vt tamen ad euitandos tumultus omnino prohibitus fuerit Alexãdriam accedere. Quando vero contigerit exilium eorumdem Epiſcoporum, dicetur ſuo loco.

EPISCOPI ARIANI.

DAMNATI ARII SYNODO POENITENTIAM SIMVLANT.

k Athan. Apol. 2. l Socrat. lib. 1. cap. 5. 10.

XXVII. EVSEB. CÆSAR. QVOMODO SE HABVERIT IN SYNODO.

Quod autem pertinet ad Euſebium Pamphili Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopum, Athanaſius [m] tradit illũ prima die reſtitiſſe fidei regulæ à Patribus decretæ, poſtridie vero aſſenſum præbuiſſe: eademque Socrates [n] narrat, ſed ipſum excuſans: cuius etiam recitat de rebus in Synodo geſtis & doctrina Conſubſtantiales ſcriptam ad ſuos Cæſarienſis epiſtolam, qua ſe apud eos excuſatum voluit, ſi aliam ab ea quam docuerat Fidei formulam ſuſcepiſſe videri poſſet. Sed cum in ea ſcribenda ſic ſe nouum veſtimentũ ſuperinduxiſſe demonſtret, vt tamẽ vetus nequaquam abiecerit, qualis inſuper fuerit iſta eius pœnitentia exitus demonſtrauit, cum ſoluto Nicæno Concilio, eodẽ cum Ario & Arianis perſeuerante fœdere amicitiæ, ſtricta in fidem Catholicam acie paribus cum eis dimicauit ſtudiis. Qui & in Vita Conſtantini Imperatoris ſic totam retexuit hiſtoriam de Nicæno Concilio vt nihil prorſus habeat de Arii atque Arianorum damnatione: ſed perinde ac nihil præterea geſtum fuiſſet, quam de Paſchate obortam dirimere controuerſiam: ea tantummodo narrat quæ ad eam quæſtionem pertinent.

m Athan. decr. Nicæn. hær. Arian. n Socr. lib. 1. cap. 5.

XXVIII. SCRIPTA IMPIA ET IMPVRA ARII DAMNATA.

Sed quod rurſus ſpectat ad Arii damnationem primitus factam: tradit Sozomenus [o], vna cum eo etiam eius ſcripta fuiſſe damnata, ac præcipue librum *Thaliam*, hoc eſt Conuiuium ſeu Crapulam, inſcriptum numeris metricis adeo laſciue & diſſolute conſcriptum, vt quamuis de ſummis Theologicis aſſertionibus diſputaret, Sotadicas tamen turpitudines, ſicut & carminum formam, imitaretur: quem: & ſæpius exprobat Arianis Athanaſius [p]. Porro Conſtantinum tum hoc, tum alia quæcumque Arii eiuſque ſectatorum ſcripta, vbique comburi iuſſiſſe, pœna capitis aduerſus occultatores ſancita, idem Sozomenus narrat: extatque ipſum Imperatoris ea de re reſcriptum [q], quo etiam edixit vt quemadmodum Porphyrius, qui nefarios libros contra religionẽ Chriſtianam edidiſſet, mercedem dignam laboribus recepit vt ipſe turpiſſima infamiæ labe aſperſus fuerit, atq; eius impia ſcripta deleta penitus & extincta: ſic etiam Arius eiuſque ſectatores *Porphyriani* dici deberent, vt cuius ſecuti eſſent mores, eius quoque nomine cenſerentur. Porphyrio autẽ, potius quã reliquis impiis, ſimilem dixiſſe Arium exiſtimamus, quod ſicut Porphyrius aduerſus Chriſtianam religionem tot edens impia volumina, eam protſus deſtruere, idololatriã vero in omnibus conſeruatam reddi volebat: ita & Arius cum fraudulentia ſua hæreſi ſic prædicaret vnum Deum ingenitum, vt eius Filium creaturam diceret, inſtar Gentilium creaturam adorandam exponere in Eccleſia conatus fuerit: prout egregie aduerſus Arianos argumentatur

o Soz. lib. 1. cap. 20.

p Athan. or. 1. cont. Arian. [illegible]

q [illegible] Socr. lib. 1 cap. 6.

ARIANI CVR PORPHYRIANI DICENDI.

tatur Athanaſius [r]. Sicut & eadem ratione (quod idem Sanctus [s] alibi docet) ipſum quoque baptiſmum de Eccleſia tollebant, cum negantes Filii cum Patre Conſubſtantialitatem, non in Patre & Filio illum tribuerent, ſed in Creatore & creatura.

r Athan. ſer. 4. cont. Aria. s Id ſer. 3. orat. Aria.

XXIX. QVÆSTIO TRACTATA DE TEMPORE PASCHATIS.

Terminatis igitur quæ ad Arium eiuſque hæreſim ſpectare videbantur: quæſtio quoque illa, cuius etiam cauſa Concilium coactum diximus, *de tempore Paſchatis celebrandi* tractata eſt, & non ſine labore ad finem ducta. Compoſitiſque his duabus controuerſiis, diuerſa diuerſo modo placuit de ſingulis edi decreta: ita videlicet (ſicut narrat Athanaſius [t]) vt in negotio Paſchatis Conſulem, diem, ac menſem, & certa quæ ſpectant ad certum tempus conſignandum, Patres apponi voluerint: inſuperque addi Verba VISVM EST, vt omnes Synodi tunc ea de re factæ conſtitutioni obtemperarent. Sed in decreto Fidei abhorrentes penitus ab omnibus eiuſmodi certi temporis definitionibus, ſcripſerunt dumtaxat, AD ISTVM MODVM CREDIT CATHOLICA ECCLESIA; vt oſtenderent eam non eſſe nouam fidei confeſſionem, ſed Apoſtolicam; & quæ ipſi ſcripſiſſent, non eſſe ſua inuenta, ſed Apoſtolorum documenta. Hæc Athanaſius: Sicut autem Conſtantinum vidimus damnationem Arii à Patribus factam, ſuis quoque publicis litteris eſſe proſecutum: ita pariter decretum Synodi de Paſchate vno eodemque die Dominico celebrando, & Iudaica de ea re obſeruatione fugienda, ſuis ad omnes Eccleſias datis litteris. [u] voluit innoteſcere: ne Epiſcopi illi (erant hi Syri) qui contraria conſuetudine tenerentur nec ad Synodum conueniſſent, pio eius decreto aduerſarentur, ac proinde in ſchiſmate remanerent. Quos quidem ad Catholicæ Eccleſiæ conſortium rediiſſe, & pro fide Orthodoxa aduerſus Arianæ hæreſim magnis animis pugnaſſe, S. Athanaſius [x] teſtatur.

t Id. Synod.

DIVERSA DECRETA DIVERSO MODO CONCEPTA.

u Ext. ap. Socr. lib. 1. cap. 6. & Theodor. lib. 1. cap. 10.

x Athan. de Synod.

XXX. TEMPORIS PASCHALIS CALCVLVS EPISCOPO ALEXANDRINO TRIBVITVR.

Ceterum cum non omnes eamdem inirent computi rationem, ac inde periculum immineret vt licet Fideles omnes die Dominico celebraturi Paſcha forent, tamen diuerſis id facturi eſſent diebus Dominicis: eam ob rem, quod omnibus conſtaret ex antiquiſſimo tempore Ægyptios hanc peculiarem ſibi vendicaſſe ſcientiam, vt anni tempora, Solis & Lunæ curſum peruestigarent: placuit Sanctæ Synodo, & in Alexandrum Eccleſiæ Alexandrinæ Epiſcopum, eiuſque ſucceſſores Antiſtites curam *Cyclorum Paſchalium* conficiendorum cõiicere, vt quo potiſſimum die ſingulis annis celebrandum Paſcha foret, Romanæ Eccleſiæ Epiſcopis primum ſignificarent, à quibus reliquæ omnes Eccleſiæ certiores redderentur. Teſtatur enim iſta S. Leo [y] Magnus ſcribens ad Marcianum Imperatorem. Perſeuerauitque mos iſte in Eccleſia Alexandrina, quamdiu Catholicæ communionis illic ſederunt Epiſcopi: poſtquam vero hæreſiarchæ intruſi ſunt, interceptum quoque eiuſmodi fuit officium, cum licet illi darent litteras, nemo tamen ab eis acciperet quibus in fide minime communicarent. Qualeſnam vero eſſe ſolerent eiuſmodi *Paſchales Epiſtolæ*: quæ adhuc ſuperſunt [z] Theophili Epiſcopi Alexandrini, à S. Hieronymo in Latinum verſæ, docere poſſunt. Cum autem illas Romæ in die Epiphaniæ Domini, diaconorum præconio inter ſacra peruulgari mos eſſet; vtique non eodem anno cuius Paſcha indicebatur, ſed ſuperiori Alexandria mitti oportuit. Quin & ante annum ipſum Romanum Pontificem conſueuiſſe illud aliis Eccleſiis ſignificare, ea adhibita modeſtia, vt ſiquis quid contra adiicere vellet, audiretur, litteræ [a] Innocentii Papæ Primi ad Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum datæ ſignificant. Porro & ante ipſum Nicænum Concilium viguiſſe antiquum in Eccleſia vſum, vt à Romano Pontifice quæreretur Paſchalis dies, docet primus Canon Cõcilii Primi Arelatenſis plures ante annos celebrati. A Primatib. autem ſubſcriptione Formatarum ceteris inferiorem ſedium Epiſcopis eumdem diem eſſe nunciandum, Carthaginenſes Synodi [b] monuere.

y Leo ep. 64.

z Tom. 1. Bibl. Sanct.

PASCHALES EPISTOLÆ QVANDO ET PER QVOS EVVLGANDÆ.

a Tom. 1. ep. R. Pont. ep. 10.

b Conc. Carthag 3. c. 1. & 5. c. 7.

XXXI. AVREVS NVMERVS INVENTVS.

Sed & cum iſta de Paſchate in Nicæno Concilio diſcuterentur, ea occaſione ad facilius inueniendũ cuiuslibet anni Paſchalem, diem, ibidem conſtitutum eſſe *Numerum Aureum* dictum, nouemdecim annorum periodum cõtinentem, teſtis eſt S. Ambroſius [c]: cuius ſentẽtia cum reddatur exploratiſſimum, haud quempiam alium quam eos quibus à Synodo delegatum eſt eiuſmodi negotium, fuiſſe eius Numeri inuentores, & ad opus cõficiendum requiſitam præcipue induſtriam Epiſcopi Alexãdrini: quidnam eſt quod Beda [d] & alii eum ſecuti, auctorem circuli nouennalis Euſebium Pamphili fuiſſe dixerunt? Decepti hi eſſe videntur, quod conſtet Euſebium ſcripſiſſe librum de Paſchate, quem obtulit Conſtantino. Sed ex litteris [e] Imperatoris tunc ad eum redditis perſpicue declaratur, cuiuſnam argumenti fuerit commentarius ille, nimirum tractaſſe de antiquo ritu diei Paſchatis celebrandi, non autem de Paſchali computo.

c Amb. ep. ad Epiſ. Æmil.

d Beda de rat. temp. cap. 42.

e ap. Euſeb. 4. de vit. 35.

XXXII. MELETIANVM SCHISMA COMPONITVR.

His autem à Synodo conſtitutis, tractata eſt cauſa Meletii ſchiſmatici, qui Eccleſiam in Ægypto poſitam à tẽporibus S. Petri Alexandrini Epiſcopi & martyris vehementer exagitauerat: & ob Eccleſiæ pacẽ ſic cum eo tranſactum eſt, atque indultum, vt nomen dumtaxat Epiſcopi in propria Eccleſia retineret, munera autem obire ceſſaret: & ab ordine ſic officio permanerent, vt tamen ſanctiori ordinatione confirmarentur, & inferiores vbiq; haberentur illis qui ad Alexandro ordinati eſſent: prout hęc fuſius explicantur in litteris [f] Synodicis ad Alexandrinos datis antequam abſoluta Synodus eſſet. Ceterum etſi Meletiani his decretis viſi ſint acquieuiſſe, vix tamẽ interlapſus eſt annus cum ipſi ab Euſebio ſollicitati, perturbare Eccleſiam aggreſſi ſunt, vt dicetur ſuo loco. Occaſione vero ordinationum quæ paſſim à Meletio per totam Ægyptum diuagante fieri conſueuiſſent, S. Synodus canonem [g] edidit, quo ſecundum antiqua priuilegia Eccleſiæ Alexandrinæ vetuit ne in Ægypto, Libya, vel Pentapoli aliquis ordinaretur Epiſcop⁹ abſque ipſius Metrapolitani ſcientia: quod etiam ſedi Antiochenæ veteri conſuetudine debitum, voluit cuſtoditum: idque (vt ait QVONIAM ROMANO EPISCOPO HÆC ESSET CONSVETVDO.

f Ext. ap. Socr. lib. 1. cap. 6. & Theodor. lib. 1. cap. 9.

g Concil. Nic. c. 6.

XXXIII. CANON SEXTVS DE PRIMATV ROM. SEDIS ELVCIDATVR.

Sed quoniam horum verborũ ex varia translatione & editione ſenſus nõnihil redditus eſt obſcur⁹, de eo paulo diligentius agere ratio inſtituti poſtulat. Atque inprimis ſi in edendo ſinceritas, & in transferendo peritia quammaxima requiratur: nulla exquiri poteſt editio purior, quæ prolata eſt & approbata in Oecumenica Synodo Chalcedonenſi: nec translatio exactior atque fidelior, quam quæ elaborata eſt à magno illo, ſed cognomento Exiguo Dionyſio, cuius eximiam in vtraque lingua peritiam; & morum egregiam probitatem Caſſiodorus [h] dignis laudibus mirifice prædicat. Porro Chalcedone [i] ſic à Legatis Apoſtolicę Sedis hic canon recitat⁹ eſt, *Quod Eccleſia Rom. ſemper habuit Primatum: tenuit autem & Ægyptus, vt Epiſcopus Alexandrinæ omnium habeat poteſtatem, quoniam & Epiſcopo Romano hæc eſt conſuetudo. Similiter autem & qui in Antiochia conſtitutus eſt, & in ceteris prouinciis Primatus habeant Eccleſiæ ciuitatum ampliorum.* Eademque ferme eſt, immo & liberior verſionis Dionyſii verborum complexio atque ſententia, cum ſic abſolute, habet. *Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum: mos autem antiquus perduret in Ægypto, &c.* Quod autem in aliis Nicænorum canonum editionibus deſint illa verba, *Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum*: id inde apparet accidiſſe, quod ea non eſſe canonis, ſed titulus fuerit exiſtimatus, atque ideo prætermiſſus quod deſiderarentur in reliquis canonibus affixi tituli. Sed perperam quidem: non enim cenſendus eſt ille titulus, ſed ipſius canonis eſſe verba: nam abſque eo exordio redditur ſenſus plane obſcurus ac mutilus. Denique eo ſenſu illum canonem ſuſceptum eſſe à Patrib. Chalcedonenſibus, illud manifeſte demonſtrat, quod poſt eius recitationem ita Iudices interlocuti ſunt, *Perpendimus omnem quidem Primatum & honorem præcipuum ſecundum canones antiquæ Romæ Archiepiſcopo conſeruari.*

h Caſſiod. Inſt. diuin. lect.

i Concil. Chalced. Act. 16.

XXXIV. GERMANA CANONIS INTERPRETATIO.

Quapropter tam ſecundum lectionem à Synodo approbatam, quam Dionyſii verſionem, planiſſimus eſt canonis ſenſus, vt ſignificet ex Romanæ Eccleſiæ auctoritate, quæ ſemper habuit in vniuerſa Eccleſia Primatum, Epiſcopum Alexãdriæ omnium Eccleſiarum quæ ſunt in

Ægypto

Digitized by Google

Ægypto (cuius etiam appellatione continebantur Libya & Pentapolis) habere poteſtatem; quoniam ſic moris ſit Epiſcopo Romano illi concedere; ſiue quod Romanus Epiſcopus conſueuit per Alexandrinum Epiſcopum illas prouincias gubernare. Hancque legitimam & germanam eſſe illius canonis interpretationem, non ſolum docet quod Gelaſius [r] Papa tres enumerans ab ipſo Petro Apoſtolo, vel Petri nomine inſtitutas Sedes, Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam, eas omnes tradit ſedes eſſe Petri, præcipuam vero eſſe Romanam, reliquas autẽ ita ei ſubiectas vt vicem ipſius in ſuis prouinciis repræſentarent: ſed etiam quod conſtet, poſteriores ſedes Patriarchales, eodem modo quo priores ab Eccleſia Romania inſtitutæ, idem etiam iuris ab ea in ſuis diœceſibus obtinuiſſe. Sic enim cum Iuſtinianus Imperator patriam ſuam Iuſtinianam Primam honore Patriarchatus inſigniri curaret, conſentiente Vigilio, hoc illi ex more priuilegium datum legimus, vt in ſubiectis ſibi prouinciis locum obtineret Sedis Apoſtolicæ Romanæ ſecundum ea quæ definita eſſent à ſanctiſſimo Papa Vigilio.

XXXV Refellitur varia canonis interpretatio.

Qui autem hunc ſenſum minus exploratum habuere, alij quidem abſurde voluerunt Sanctam Synodum exæquatum declaraſſe ius Eccleſiæ Alexandrinæ cum Romana: alij [m] abſurdius, tunc inſtitutum eſſe Romanum Patriarchatum, atque tres alios, nempe Alexandrinum, Antiochenum & Hieroſolymitanum, ipſamque Romanam Eccleſiam ab eadem Synodo priuilegia quibus potitur eſſe ſortitam: alij [n] denique abſurdiſſime, Synodum ita definiſſe Eccleſiæ Romanæ iuriſdictionem, vt tantum præeſſet ſuburbanis Eccleſiis. Sed aduerſus primam iſtarum interpretationum, etſi aliæ teſtificationes vtraque deficerent, facta ipſa ſatis clamant, dum conſtat ex ijs quæ ſuperius ſuo loco dicta ſunt, Dionyſium Epiſcopum Alexandrinum ab Epiſcopis Libyæ accuſatum apud Dionyſium Romanum Pontificem, cauſam dixiſſe: ac pariter inferius ſuo loco videbitur, Athanaſium eiuſdem Eccleſiæ Alexandrinæ Patriarcham & Arianos Romam à Iulio Papa ad iudicium vocatos, æque cauſam dixiſſe. Secundæ vero interpretationis aſſertores ab ipſis canonis verbis apprime refelluntur, dum Patres declarant ſe id de quo agitur ſecundum morem antiquum & vetuſtam traditionem decernere. Et quod ad ipſam Romanam Eccleſiam pertinet: eam non ab aliqua Synodo priuilegia ſua accepiſſe, ſed ab ipſo Chriſto Domino in perſona Petri, abunde ſuperius demonſtratum eſt tam ſcriptorum auctoritate quam rerum exemplis: ſed & peculiariter de Nicæna Synodo nihil eam eidem Eccleſiæ contuliſſe, egregie diſſerunt Nicolaus Papa in epiſtola ad Michaelem Imperatorem, Romanæ ſedis eiuſque primatus acerbiſſimum aduerſarium: atque etiam reliqui omnes, cum de his agendi neceſſitas incubuit, luculenter probarunt.

XXXVI. Ruffini interpretatio expenditur.

Tertia demum canonis interpretatio, non ſolum iiſdem argumentis aperte confutatur, ſed etiam penitus aliena eſt ab omnibus omnino editionibus, tam Chalcedonenſi & Dionyſiana, de quibus egimus, aliaque citata in Concilio ſexto Carthaginenſi, quam quæ vulgatæ habentur in tomis Conciliorum: in quibus omnibus nulla prorſus eſt mentio Eccleſiarum ſuburbanarum. At hoc Nouantes inuenere ex Ruffino [o] collegerunt, & ipſo ſchiſmatico atque hæretico: qui Nicænos canones non ſemper fideliter in compendium redigens (homo alioqui imperitus, & nimia licentioſe in ſcribendo libertatis, à S. Hieronymo & aliis ſæpe redargutus) de canone ſexto ſic ait: *Vt apud Alexandriam & in Vrbe Roma vetuſta conſuetudo ſeruetur, vt vel ille Ægypti, vel hic ſuburbicariarum eccleſiarum ſollicitudinem gerat.* Sed horum verborum nullus ſenſus elicitur, & ſunt alioqui contra canonem: in quo non legitur *Vt*, comparationem ſignificans, ſed *Quoniam*, cauſam reddens cur debeat permanere antiquus ille mos in Ægypto: ac demum Ruffinus non tantum ſuburbanarum, vt hæretici volunt, ſed ſuburbicariarum Eccleſiarum curam Romano Pontifici attribuit: cuius vocis longe amplior eſt ſignificatio. Cum enim idem eſſe *Vrbicarium* & *Suburbicarium*, ſatis expreſſe intelligi poſſit ex iis quæ habentur in *Notitia Prouinciarum*, vbi agitur de diſpoſitione Comitis rerum priuatarum: conſtet autem Vrbicariarum regionum appellatione non ſolum loca prope Vrbem poſita (licet & iſta aliquando ſignificatio reperiatur) ſed etiam plures continere prouincias tam in Italia [p] quam extra Italiam [q] ſitas: ex his colligas, quod ſicut illæ dictæ ſunt [r] prouinciæ Vrbicariæ ſiue Suburbicariæ, quæ Vrbi debentes annonam eidem peculiari nexu tenebantur obſtrictæ: ita eodem exemplo appellatæ ſint Ruffino Eccleſiæ ſuburbicariæ, quæ Romanæ Eccleſiæ Patriarchatui peculiariter viderentur eſſe ſubiectæ: quo etiam iure Epiſcopus Alexandrinus moderaretur omnes ſubditas ſibi Ægypti prouincias. Et hæc quidem ex ſenſu Ruffini: ſed canonis aliam fuiſſe ſententiam vidimus.

XXXVII De Eccleſia Hieroſolymitana.

Quod autem poſt hæc de *Ælia*, hoc eſt Hieroſolyma, ſtatuiſſe legitur Sancta [s] Synodus: tantum abeſt vt (quod tradit Balſamon) auxerit eam Eccleſiam Patriarchatu, vt nec exemptam voluerit à ſubiectione Eccleſiæ Cæſarienſis totius Palæſtinæ metropolis. Id enim & verba canonis manifeſte docent, & longe poſtea Hieronymus [t] de ſui etiam temporis obſeruatione teſtatus eſt. Primuſque reperitur Iuuenalis Hieroſolymitanus Epiſcopus, qui poſt abſolutum Chalcedonenſe Concilium tentauit ſibi ſubijcere Cæſarienſem Eccleſiam: cui reſtitiſſe S. Leonem Papam dicetur ſuo loco. Ceterum quod eadem Eccleſia, attenta eius origine, mater eſſet omnium Eccleſiarum (quo etiam nomine in epiſtola [u] Synodali Concilii Conſtantinopolitani appellatur) inde accidit vt eius Epiſcopus hunc antiquitus honorem ſit conſecutus, vt inter Apoſtolicarum Eccleſiarum Antiſtites in Synodis conſideret. Indeque fertur [x], Polychronio eius ſedis Epiſcopo prauam illam inhæſiſſe ex ambitione ſententiam, vt auſus ſit dicere Hieroſolymorum Eccleſiam locum principem obtinere, & dignitate reliquas ſedes Apoſtolicas antecellere. Sed hæc poſtea. In Synodo vero Nicæna ita Patres voluerunt conſuetum exhiberi honorem, ei eſſe ſeruatum, vt tamen nihil imminueretur dignitatis Eccleſiæ Metropolitanæ Cæſarienſis.

XXXVIII. Quid actum in Concilio de Aceſio Nouat.

Poſt hæc S. Synodus, ne quid intentatum relinqueret, *Nouatianos* antiquos hæreticos communioni Catholicæ reſtituere ſtuduit, ſed fruſtra, ob duritiem Aceſii eorum Epiſcopi, quem & Conſtantinus Imperator ad Concilium vocatum officiis atque blanditiis incaſſum delinire conatus eſt: vt ſcribit Socrates [y], & ex eo (vt opinor) Sozomenus [z]. Voluit nihilominus S. Synodus [a] apertam eis certis conditionibus ianuam reliquiſſe, ſi abiecta hæreſi ad Eccleſiam redire vellent: iiſdemque ſic conceſſit priſtinos in clero gradus retinere, vt tamen in vna ciuitate non eſſent duo ſimul Epiſcopi. *Paulianiſtas* autem à Paulo Samoſateno nuncupatos, & *Cataphrygas* ſic ad Eccleſiam Catholicam recipiendos ſtatuit [b], vt tamen rebaptizarentur: cuius rei allata eſt cauſa, cum de iiſdem hæreticis actum eſt ſuperius.

XXXIX. Canones ſtatuti aduerſus delinquentes.

Sed quoniam præter illa quæ de Fide in eo Concilio recte ordinata ſunt (inquit S. Baſilius [c]) alia ad correctionem noxiorum, alia vero ad præmunitionem eorum quæ fieri poſſent, decreta fuerunt: ad emendationem delictorum illud inprimis pertinere videtur, quod de iis qui ſe ſponte abſcidiſſent S. Synodus [d] ſtatuit, vt in Clero conſtituti deponerentur, ac deinceps nullus talium promoueretur: illis exceptis, quos non voluntas, ſed neceſſitas feciſſet eunuchos, ſiue à medicis propter languorem, ſiue à barbaris, aut in perſecutione exciſi eſſent. Recens ſane facinus Leontii presbyteri Antiocheni, canonis ſanciendi cauſam dediſſe videtur: quem Athanaſius [e] & alii referunt, accuſatum de commercio cuiuſdam iuuenculæ feminæ Euſtoliæ dictæ, ac proinde ab Euſtathio Epiſcopo Antiocheno iuſſum ab ea abſtinere, ſeipſum caſtrandum dediſſe quo libere cum ea domi eſſe poſſet. Porro iſte infelix presbyterii gradu eam ob rem depoſitus, deficiens ad Arianos, ab eis poſtea creatus eſt Epiſcopus Antiochenus, de quo dicendũ ſæpe inferius. Sed & hæc videtur occaſio

Leontius Antiochenus cauſam dedit canoni condendo.

Baxiſſe,

f Conc. Nic. can. 3.
CANON DE CÆLIBATV CLERICORVM.

fluxiſſe, vt eadem Magna Synodus canone [f] ſancito vetuerit, nequis in Clero conſtitutus quouis prætextu apud ſe ſubintroductas mulieres retineret, niſi forte quarum nulla prorſus eſſe poſſet ſuſpicio, puta matrem, aut ſororem, aut auiam, aut amitam.

XLI.
g Socr. lib. 1. c. 8.
h Sozom. l. 1. cap. 22.
REFELLITVR SOCRATES ET SOZOM.

Quod autem longe poſt hæc tempora Socrates [g] & Sozomenus [h] ſcripſerunt, quæſitum quoque in Synodo fuiſſe de illis clericis qui antequam ordinarentur coniugati eſſent, num cum vxoribus conſuetudinem vlterius habere poſſent, & cum pleriſque Patribus videretur nec illis vxorum vſum permitti debere, Paphnutium Epiſcopum interceſſiſſe, quod vetus Eccleſiæ traditio prohiberet tantum iis qui cælibes ordinati eſſent poſtea vxores ducere, poſt nuptias autem ordinatis permitteret illis vti: cuiuſque ſententiæ Synodum acquieuiſſe: hæc inquam, quomodo iidem auctores dicere poſſunt, ſi ea ipſi Concilii canoni aduerſari ſit perſpicuum? Certe enim cum expreſſæ in eo habeantur feminæ quibuſcum permittantur clerici habitare, nec inter eas recenſeatur vxor, plane & ipſa excluſa eſſe conſpicitur. Nec veritati conſentaneum eſt quod dicit Sozomenus, nullum à Patribus ea de re ſancitum eſſe canonem, ſed in cuiuſque arbitrio non in neceſſitate poni voluiſſe: nam id neceſſario ſcripta lege ſanciendum erat, cum ſcriptus canon his contrarius militaret, quo fuerunt definitæ perſonæ quibus liceret cum clericis habitare. Sed & quomodo ſine decreto ſcriptis prodito, potuit S. Synodus antiquam à temporibus Apoſtolorum conſuetudinem in Eccleſia abrogare, quæ ordinatos coniugatos à ſacris arcebat ſi ſe iterum vxoribus miſcuiſſent? Sunt enim huius veterrimi vſus quamplurimarum aliarum Synodorum Patrumque teſtimonia, atq; adeo illorum qui hoc ipſo ſæculo vixerunt: de quibus abunde dictum eſt, cum eiuſmodi Apoſtolicam traditionem firmioribus argumentis ſtabiliuimus [i]: vbi etiam oſtendimus quando id vſurpari ſit cœptum à Græcis, vt coniugati ordinati penes ſe contra ius faſque, in vſum coniugii retinerent vxores. Ceterum ſi velimus Socratem & Sozomenum non eſſe mentitos, de illis tantummodo totam illam controuerſiam agitatam dicemus, qui cum ordinarentur inuiti, conteſtarentur ſe non poſſe continere: quibus in Concilio [k] Ancyrano fuerat haud diu ante proſpectum.

i Sup. an. 58. n. 7 & ſeq.
k Conc. Ancyr. c. 9.

XLI.

Præter hæc autem ſunt alia plurima, tam ad pœnitentiam Lapſorum in perſecutione Liciniana, & ad prauorum morum correctionem, quam ad præmunitionem futurorum ſcandalorum, à S. Synodo ſancita, quæ quod ſint quibuſuis per ſe planiſſima, de iis fuſius agere omittimus.

XLII.
DE NVMERO CANONVM NICÆN.

Sunt autem CANONES omnes *Viginti* numero, iidemque variis editionibus atque verſionibus noti: quarum duæ auctore incerto extant tomo primo Conciliorum: alia præterea Dionyſii exigui, qui collegit Græcos Canones & in Latinum conuertit, tradiditque Stephano Epiſcopo Salonitano: habetur & alia ſub Attico Archiepiſcopo Conſtantinopolitano elaborata à Theilone & Theariſto, quando ab eodem Attico iidem canones miſſi ſunt ad Concilium Carthaginenſe Sextum, cui annexi fuerunt, & hactenus extant. In quibus omnibus editionibus, viginti tantummodo canones enumerantur; qui licet à Ruffino [l] viginti duo recenſeantur, iidem tamen eſſe noſcuntur, cum ab eo duo ex illis in duas ſecti partes effecerint quatuor. Sed & Theodoretus [m] viginti tantum à Synodo ſtatutos affirmat: totidemque dumtaxat repertos eſſe in Archiuis Eccleſiarum Alexandrinæ, Antiochenæ, & Conſtantinopolitanæ, cum illi magna diligentia perquiſiti ſunt ab Epiſcopis Africanis: dictæ Synodi Sextæ Carthaginenſis Acta, & epiſtolæ ea de cauſa tunc ſcriptæ certiſſimam fidem faciunt. Quamobrem quod in epiſtola quadam Marci Papæ nomine ſeptuaginta recenſeantur, atque ex illis nonnulli in litteris quæ Iulii & Felicis Papæ dicuntur, deſcripti habeantur; quodque Turrianus profiteatur, octoginta inuentos Arabica lingua ſcriptos ſe Latinitate donaſſe, ſecundum epiſtolam nomine Athanaſii ad Marcum editam de octoginta pariter capitulis in ſeptuaginta redactis: quoniam hæc omnia ſcripta, quibus ingens ille numerus canonum ſtabilitur, prorſus incertæ, vel potius nullius ſunt fidei: nec aliquis vmquam probatus antiquitatis auctor amplius quam Viginti canones Nicænæ Synodi agnouiſſe reperiatur, ceteros ab aliis aſſertos libentius reiicimus [n]. Cum tamen haud inficias iterimus, ipſa Nicæna Acta magnum paſſa eſſe naufragium, quod tabulæ quæ hinc inde diſperſæ reperiuntur, manifeſte ſignificant. Quapropter cum & alia nonnulla à probatis auctorib. aſſerantur in eadem Synodo tractata, quæ minime inter illos viginti canones reperiuntur: ſicut ea ex Concilii Nicæni Actis prodiiſſe dubium non eſt, ita certos de iis ſancitos fuiſſe canones, ex iis quæ dicta ſunt negari poſſe videtur.

l Ruff. l. 1. c. 6.
m Theod. l. 1. cap. 8. & ſeq.
n Fuit tamē aliquando Illuſtriſſ. Baronius propenſior in aſſertionem plurium canonum: ideoque in ſequenti articulo quædam poſita ſunt præter ipſius ſententiam.

XLIII.
NON EXTAT CANON DE LIBRO IVDITH.
o Hier. ep. in præf. in Iudith.

Sic enim quod S. Hieronymus [o] ait, librum Iudith à Synodo Nicæna in numero ſanctarum Scripturarum cōputatum eſſe: haud inde debere colligi, in eadem Synodo de diuinis Scripturis authenticis editum eſſe canonem, ſatis apparet ex eo quod poſt eandem Synodum ſcripti reperiantur ſacrorum librorum catalogi, tum à Patribus Concilii Laodiceni, tum à Sanctis Anaſtaſio, Gregorio Nazianzeno, Amphilochio, vel aliis, in quibus idem liber Iudith non numeratur inter canonicos: quem tamen nefas fuiſſe omittere, ſi canon ea de re à Magna Synodo ſtatutus eſſet. Ideoque aperte conſtat, non ex canone id aſſeruiſſe S. Hieronymum, ſed potius ex Actis Synodi, in quibus idem liber citatus à Patribus inuentus fuerit. Rurſum vero quod S. Ambroſius [p] tradit, de bigamis non ordinandis Patres in Concilio Nicæno tractatus addidiſſe, haud conuincit canonem ea de re ſancitum fuiſſe: cum potuerint tractatus illi accidiſſe, quando actum eſt de cælibatu clericorum, & in Acta referri. Itemque quod profertur de canone Appellationum ad Sedem Apoſtolicam, à Zoſimo Papa tamquam è Nicæno Concilio producto: intelligēdum eſſe de canone Concilii Sardicenſis, oſtendetur inferius ſuo loco. Nec repugnat (vt putatur) Theodoretus [q], dum ſimilis cuiuſdam Eccleſiaſtici canonis meminit, quem Iulius Papa ſecutus dicitur in citandis ad iudicium Romæ ſubeundum Euſebianis & Athanaſio Epiſcopo Alexandrino, antequam celebratum eſſet Cōcilium Sardicenſe. Loquitur enim de regula Eccleſiæ, Nicæno etiam Concilio antiquiore, quæ proceſſit non ex alicuius Synodi auctoritate, ſed ex ipſa Apoſtolorum traditione, immo ex auctoritate ab ipſo Chriſto Domino tributa Petro & ſucceſſoribus eius: quomodo etiam ſæpiſſime vidimus, ab ipſo Eccleſiæ Chriſtianæ principio, maiores de religione & controuerſiis Epiſcoporum cauſas, ſolitas Romam deferri iudicandas. Denique ſunt alia nonnulla, quæ proponuntur à quibuſdam tamquam ex canonibus Nicæni Concilii, quæ tamen vel ad hiſtoriam dumtaxat rerum in eadem Synodo geſtarum pertinere, vel etiam ab eadem Synodo penitus aliena eſſe noſcuntur, ſed multi quæcumque repererunt antiquis canonibus tribui, mox ea ad Nicænam Synodum retulerunt, tum quod illa Oecumenicarum omnium antiquiſſima & celeberrima eſſet, tum quod prætextu deperditorum eius Actorum, quæuis ei impune adſcribi poſſe viderentur.

p Ambr. ep. ad Vercell.
q Theodor. l. 2. c. 4.

XLIV.
DE EPISTOLIS FORMATIS.
r Iuo de conſ. Ecc. pal. 6. c. 431.

Præterea fuit in eadem Synodo conſtitutum exemplar EPISTOLÆ FORMATÆ ſcribendæ: quod ab Attico Epiſcopo Conſtantinopolitano poſtea editum, excuſum habetur in fine Concilii Chalcedonenſis, deſcribiturque in Collectione Creſconiana & apud Iuonem [r] dilucidius explicatur. Fuitque eius forma, vt ex vocibus Græcis Patris & Filii & Spiritus Sancti, Petriq; Apoſtoli, prima elementa ſumerentur, adderetur que eius qui Epiſtolam ſcriberet prima item littera, cui ſcriberetur ſecunda, cui deferenda traderetur tertia, ciuitatis è qua ſcriberetur quarta; & harum omnium numeris, cū numero Indictionis currentis, & litterarum vocis ἀμὴν, in vnum ductis ſecundum valorem quem apud Græcos exprimunt, collecta ſumma epiſtolæ apponeretur. Sed quod hoc feratur inuentum à Patribus Nicænis, ne aliqua fraus falſitatis in iiſdem Formatis faciendis præſumeretur; & tamen faciliſſimum cuiuis fuerit eaſdem elementis ac numeris cōn-

gere; ideo exiſtimamus eiuſmodi formulam nequaquam ab eis fuiſſe ſcripto traditam, vel omnibus communicatam, ſed penes Epiſcopos Catholicos retentam eſt ſecretam; atque illud fuiſſe eorumdem conſilium, vt dantibus & accipientibus communicationis Catholicæ teſſeram ea formula exprimerent. Nam huius rei cauſâ in vſu extitiſſe Formatas, nempe vt qui eas ſcriberet vel afferret, exiſtimaretur eſſe Catholicus, iam dictum eſt alias [s]. Sic igitur quod in hac Formata tribus illis prioribus elementis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, perfectæ & ſanctiſſimæ Trinitatis, nomina adnotarentur; veluti ſymbolicis formulis, aduerſus eos qui tunc inſurrexiſſent hæreticos Arianos, Fides Nicæna & Catholica videbatur eſſe deſcripta. Quod vero non ſolum in rectæ fidei confeſſione, ſed etiam ex vera cum Eccleſia Catholica communicatione probari deberet qui recipiendus eſſet: inde additum eſt primum elementum nominis Petri, nempe quod in ſede Petri vigeret totius Eccleſiæ Catholicæ principatus, & ille probaretur vere eſſe Catholicus, qui Petri ſuceſſori eſſet communione coniunctus. Nam & hoc perſpicuo argumento Optatus [t] ſe Catholicum probat, quod commercio Formatarum in vna communionis ſocietate concordaret cum Epiſcopo Romano; Donatiſtas vero ſchiſmaticos, quod eiuſmodi communicatione carerent.

s ſup. an. 142.

t Opt. l. 2.

XLV. DE EPIST. SYNODI AD SILVESTRVM PP.

Poſt autem deſcriptam formulam de Formatis in dicta Creſconiana Collectione, mox ſubiiciuntur S. Synodi litteræ ad Silueſtrum Romanum Pontificem, quæ etiam habentur in tomis Conciliorum, licet vbique deprauatiſſimæ. Illud tamen aperte legitur, petere Patres à Silueſtro confirmationem eorum quæ in Synodo decreta eſſent. Sed etſi dicta epiſtola non extaret, vel omnino reiiceretur vt ſpuria; quis ignorat, canone Eccleſiaſtico (quod tradit Socrates [u]) vetitum fuiſſe ne decreta abſque ſententia Epiſcopi Romani Eccleſiis ſancirentur? qui quidem canon cum in Synodo reperiatur eſſe ſancitus, omnino dicendus eſt antiquo vſu vt Apoſtolica inſtitutio ad poſteros iugi & inuiolabili obſeruatione deriuaſſe: quod & ſuperius variis locis demonſtratum eſt. Denique ipſam Synodum Nicænam tunc temporis poſtulaſſe confirmationem ab Apoſtolica Sede, teſtatur etiam Felix Papa tertius in epiſtola Synodali ex Concilio Romano cui præerat.

u Socr. l. 2. c. 13.

XLVI. DE HYMNO GLORIFICATIONIS QVID STATVTVM IN SYNODO.

x Soz. l. 3. c. 19. in f.

Pertinet item ad Nicæna inſtituta (licet nec de canonibus, nec de Actis fuerit) quod Sozomenus [x] indicat, ſecundum traditam in eadem Synodo fidei formulã, hymnos poſtea à Catholicis compoſitos eſſe & decantari ſolitos. Nimirum cum Ariani, ſicut baptiſmi forma, ita quoque Glorificationis hymnum corrupiſſent, vt dicerent, *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto*, Catholici contra, tum ex antiqua conſuetudine eumdem ipſum Glorificationis hymnum rite canere perrexerunt, *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto*; tum alios in eiuſdem Glorificationis formam hymnos compoſuerunt in odium impietatis Arianæ. Siquidem eumdẽ ipſum Glorificationis hymnum ſic à maioribus dictum, nequaquam (vt aliqui putent) inuentum eſſe à Nicæno Concilio, aut aliquo alio poſtea canone ſtatutum; ſed ab ipſis Apoſtolorum temporibus; cum ab eis ſacrum baptiſma iuſſu Domini in nomine Patris & Filii & Spiritus S. collatũ eſt, à Fidelibus occini cœptum, & abſque ſcripto Eccleſiæ traditum, atq; ab omnibus Catholicis vbiq; vſurpatum, S. Baſilius [y] pluribus docet. Sed nec vt idem hymnus in fine cuiuſque pſalmi caneretur, ab eadem Synodo eſſe ſtatutum; ex eo conſtat, quod poſt hæc diuerſæ reperiantur ea de re fuiſſe diuerſarum Eccleſiarum conſuetudines: quod tamen haud contigiſſet, ſi vniformẽ regulã Oecumenica Synodus cunctis præſcripſiſſet. Nam cum in Occidentis Eccleſiis obſeruaretur, tamen in Oriente minime conſuetũ fuiſſe poſt pſalmorum clauſulas Glorificationem addere, ſed ea tantummodo Antiphonam terminare; de ſuo tempore Caſſianus [z] teſtatur. Sicut & S. Auguſtinus [a] affirmat, S. Ambroſium more Orientalium conſueuiſſe Mediolani in fine hymnorum recens conſcriptorũ hymnum Glorificationis addere. Ex quibus, ſicut ex multis aliis, commentitia detegitur epiſtola Hieronymi nomine ad Damaſum conſignata, qua ex Orientis more eum hortatur eiuſmodi pſallendi ritum in Eccleſiam Romanam introducere.

y Baſil. ad Amphil. de Sp. S. c. 7. 27. 29.

z Caſſian. l. 2. de noct. orat. mod. c. 8.

a Aug. 9. confeſ. 7.

XLVII.

Verum tamen illud poſt Nicænum Concilium accidit, vt qui iam antea ex traditione Apoſtolorum vigeret vſus, vt à Fidelibus Glorificationis hymnus occineretur vbiq;, licet diuerſo ritu, noua iam occaſione recẽs acceperit additamentum; nimirum vt contra blaſphemias Arianorum dicentium Filium à Patre in tempore factum, & fuiſſe tempus quando non erat, communi conſenſu Eccleſia tam Orientalis quam Occidentalis ad antiquum Glorificationis hymnum, nempe GLORIA PATRI ET FILIO ET SPIRITVI SANCTO, addiderit appendicem; SICVT ERAT IN PRINCIPIO ET NVNC ET SEMPER ET IN SÆCVLA SAECVLORVM AMEN. Hoc enim teſtatum habetur in Concilio Vaſenſi [b] Primo, celebrato temporibus Conſtantii Imperatoris ſub Nectario Epiſcopo Vienenſi, vt patet ex Adone [c] eiuſdem poſtea Eccleſiæ Antiſtite, quamuis in tomis Conciliorum id Secundæ Vaſenſi Synodo tribuatur, quæ longe poſtea collecta eſt ſub Theodoſio Iuniore Imperatore. Sed trium Synodorum Vaſenſium canones vna confuſos eſſe dicetur opportunius cum de Secunda tractabitur [d].

b Conc. Vaſ. 1. c. 5.

c Ado in Chron. an. 317.

d Infra an. 442. num. 3.

XLVIII. SVBSCRIPTIONES PATRVM.

Omnibus autem quæ agenda erant, in ſacroſancto Nicæno Concilio abſolutis, conſecuta eſt ſubſcriptio Patrũ qui tum fidem Catholicam Symbolo explicatam, tum etiam ſancitos canones ſinguli ſuo chirographo munierũt. Qua in re mirandum quiddam accidiſſe, Gregorius [e] presbyter Cæſarienſis atque Nicephorus [f] narrant; nimirum cum duo ex Epiſcopis qui deciſionibus Synodi interfuerant, antequam ſubſcriberent vita functi eſſent, reliquos Patres veniſſe ad locum vbi ſepulti erant, ac eos compellaſſe, vt ſi quæ decidiſſent Deo grata eſſent, ipſi quoque ſuum chirographum apponerent: cumque relicto apud ſepulchrum volumine, ſigillis munito ne qua fraus fieret; noctem inſomnem peregiſſent in oratione, die ſequenti ſigillis remanentibus integris inueniſſe illorum Epiſcoporum adiectas ſubſcriptiones. Sed horum omnium fides ſit apud auctores, cum tantæ rei nullum veſtigium ſit reperire penes Athanaſium, Hilarium, & alios, qui nihil plane reliquere intactum quo inſultantem Arianam hæreſim oppugnare potuiſſent; nec fuerit moris fidem inter fideles velle miraculis probatam reddere, cui ſuffragarentur firmiores diuinarum Scripturarum & traditionum auctoritates.

e Greg. presb. orat. de Patr. Nic. Conc.

f Niceph. l. 8. c. 23.

XLIX. PRÆCONIA NICÆNI CONCILII.

g Gen. 14.

At Nicæni Concilii hic finis eſto, celebrati à Trecentis decem & octo Epiſcopis, numero videlicet in magno illo, Patre Fidei dicto, Abraham conſecrato, cum totidem ex ſuis vernaculis aduerſus quinque Reges, [g] quos & vicit, armaſſet. Eodem quippe numero Patrum, certatum eſt aduerſus Filii Dei diuinitatis impios aduerſarios; obtentaque eſt victoria in ciuitate Victoriæ, Victore atque Vincentio vna cum Oſio hoc eſt ſancto, primariis ducibus pietatis: vt & in his quoq; nominibus admirabile intelligas ſacramentum. Ipſius autem Synodi ſingularem cũ primis excellentiam, ac venerandam eximiamq; ſuper omnes alias quotquot vmquam quocumq; loco vel Patrũ numero celebratæ fuerunt, maieſtatem, vix credi poteſt quot laudibus atq; præconiis proſecuti ſint poſteriores omnes omnium temporum Patres & ſcriptores. Denique ſicut cum diuina illa Arca [h] manſit tribus menſibus in domo Obededom Gethæi, hic magnã inde benedictionem conſecutus eſt: ita Nicæna ciuitas, licet antea non ignobilis, tamen longe celebrior reddita totidem menſium Magni illius Concilii incolatu, admirandis quoque nonnullis ſibi diuinitus impertitis potita eſt beneficiis, nõ ſolum cum poſt finitum Concilium orantibus pro ſuo domum reditu Patribus, in medio apſidi ad quam ſacer chorus conſtiterat ſcaturierunt fontes: ſed etiã cum longo poſt tempore ipſa ciuitas à barbarorum omnia circũ igne ferroque vaſtantium furore intacta prorſus remanſit: ſicut hæc omnia pluribus recenſet Gregorius presbyter qui & multa addit de incorruptione, qua donatæ ſunt

h 2. Reg. 6.

NICÆA CIVITAS MIRA EST CONSECVTA EX CONCILIO.

ſacræ Patrum Synodi reliquiæ: quorum etiam memoriã Orientalis Eccleſia quinto Calendas Iunii anniuerſaria celebritate conſecrauit.

L. VICENNALIA CONSTANTINI.
i Euſ. 3. de Vit. 14. & ſeqq. ac l. 4. c. 40.
k Sozom. l. 1. c. vlt. Theodor. li. 1. c. 11.
l Niceph. l. 8. c. 16.

Porro abſoluta Synodo Conſtantinum Imperatorem *Vicennalia* Imperii ſui magnifice celebraſſe, iiſdemque filium ſuum CONSTANTIVM ſecũdo genitum Cæſarem creaſſe; ſed & cunctos Epiſcopos conuiuio regio excepiſſe, ac muneribus auctos, & de concordia ſeruanda monitos, ad propria dimiſiſſe, Euſebius [i] ſcribit, & alii [k] conſentiunt: additque Theodoretus, litteras quoque ad omnes prouinciarum Præſides dediſſe, vt certus frumenti numerus viduis, & iis quæ perpetuam ſeruarent virginitatem, necnon omnibus diuini miniſterij functionibus adſcriptis, in ſingulis ciuitatibus quotannis ſuppeditaretur. Sed quæ Nicephorus [l] habet de iiſdem Patribus Conſtantini rogatu Conſtantinopolim profectis ad dedicationem illius ciuitatis; hæc cum antiquiorum teſtimonio deſtituãtur, penitus reiiciuntur, cum præſertim ſit certum, Conſtantinopolis dedicationem nonniſi poſt annos quinque ab hoc tempore contigiſſe.

LI. CONCILIVM ROM. PRO CONFIRMATIONE NICANI.
m Tom. 1. Concil. poſt. Nic. Syn.

Perlatis autem Romam decretis Synodi, Silueſter Papa collegit ex Italia aliud Epiſcoporum Concilium, quo acta Nicæna confirmauit, & eos qui auderent illa diſſoluere excommunicauit. Cuius Rom. Synodi nonnulla tantum fragmenta [m] ſuperſunt; eiſque perperam ab eorum collectore præfixus eſt titulus, quo ſignificaret eam Synodum celebratam eſſe præſente Conſtantino Imperatore. Quod vero poſtea attexitur aliud Concilium itidem Romæ ab eodem Pontifice celebratum (vt aſſeritur) eo tempore quo Nicænum ageretur; ea parte ſuſpecta redditur tota narratio, quod dicat Photinum tum illic tum Nicææ damnatum eſſe, quem cõſtat longe poſt hæc tempora detectum eſſe. Cetera autem quæ ibi reperiuntur eſſe poſita, à vero Romano Concilio putantur eſſe deſumpta, & in compendium redacta; quibus tamen incertus auctor & mendax præfationem affixerit.

LII. IVSTÆ IMP. LEGES.
n l. 4. C. Th. de accuſ.
o l. 1. C. Th. de glad.

Sed quod ad Conſtantinum Imp. ſpectat; idem nõ ſolum de rebus Eccleſiaſticis ſolicitus, verum etiam politicas diligenter procurans, inprimis hoc ipſo anno ſanctionem [n] edidit, qua vniuerſis prouincialibus permiſit Iudices Comites, aulicos & Palatinos, ſiquid contra eos probare poſſent, accuſare. Aliaq; lege [o] lata tolli iuſſit cruenta Gladiatorum ſpectacula; & quos ſolitum eſſet in punitionem ſcelerum eiuſmodi pœnis ſubiicere, ad metalla magis damnari voluerit, quamuis haud valuerit ludus gladiatorius nonniſi poſt longa tempora penitus aboleri; quod quando & qua occaſione acciderit, dicetur ſuo loco.

CRVCIS SVPPLICIVM SVBLATVM.
p Soz. l. 1. c. 8. in fi.
q Vid. Act. S. Gerard. Abb. ap. Sur. 3 Oct.

Sed & quod eiuſdem Imperatoris commendat humanitatem, ſupplicium crucis prorſus abdicauit, vt Sozomenus [p] & alii teſtantur: quinetiam, vt idem addit, ſuam imaginem, ſeu in nummis expreſſam, ſeu depictam in tabulis, iuſſit ſemper eo diuino ſigno inſcribi. Immo lanceam qua vti ſoleret in præliis, in ſimilitudinem Crucis elaborandam curaſſe, eamque à ſucceſſoribus Imperatoribus hæreditario iure poſſeſſam, ad Henricum quoque Imperatorem & Othonem eius filium perueniſſe, ſunt qui ſcribant [q].

LIII. LEGATIONES DIVERSÆ AD CONSTANTINVM.
r Euſ. 4. de Vit. 7. 8. 9.
s Soz. l. 2. c. 14.

Hoc quoque præcipue tempore, quo Vicennalia feſta ſolemnia toto Orbe Romano celebrata ſunt, accidiſſe putamus quod ſcribit Euſebius [r], complures ex diuerſis prouinciis extra Romanum quoque Imperium poſitis, ad Conſtantinum miſſos eſſe cum muneribus legatos; atque inter alios à Rege Perſarum Sapore, cui Imperator Chriſtianos agentes in Perſide ſolicite commendauit, litteris ad eum ſcriptis quas idem auctor ad verbum recitat, meminitque earumdem Sozomenus [s], ſed hic plane cum aliis plurimis errare videtur dũ putat eas ſcriptas eſſe poſtquam Sapores aggreſſus eſt Chriſtianos perſequi; cum nulla prorſus in iis mentio de perſecutione habeatur, quã multis ab hinc annis ſub Conſtantio Imperatore cœptam eſſe, dicetur inferius ſuo loco.

LIV. DE CHRONICO EVSEBII ET HIERONYMI.

Ceterum idem Euſebius, qui Hiſtoriarum libros vſq; ad Licinium extinctum perduxit, Chronicon in hunc annum Conſtantini vigeſimum propagauit; quod poſtea S. Hieronymus in Latinum vertit, multaque interſeruit, ac denique appendicem addidit vſque ad Conſulatum Valentis ſextum & Valentiniani iterum: ſed eius lucubrationes, librariorum incuria, haud ita ſinceras vt ab ipſo elaboratæ ſunt nobis eſſe redditas, perſpicue intelliget qui quæ in eas idem ipſe præfatus eſt Hieronymus, conferre voluerit cum earumdem editionibus quæ hodie extant vel typis excuſæ, vel ſcriptæ in antiquis codicibus: vnde & factum eſt, vt & iidem ipſi auctores in alienorum errorum culpam ſæpe vocati fuerint, & nobis in iis emendandis ac reſtituendis incredibiles plane labores ſuſcipiendi venerint.

CONSTANTINI AN. 21.

IESV CHRISTI AN. 326.

SILVESTRI AN. 13.

I. ATHANASIVS CREATVR EPIS. ALEXAND.
a Ath. an. Apol. 2.
b Theodor. l. 1. c. 26.
c Sozom. l. 2. c. 1.
d ap. Athan. Apol. 2. circa fi.
e Soz. vbi ſup.
f Gre. Naz. or. in laud. Athan.

ANno Chriſti trecenteſimo vigeſimo ſexto, Conſtantino Auguſto ſeptimum & Conſtantio Cæſare Coſſ. S. Alexander Epiſcopus Alexandrinus quinto poſt celebratum Concilium Nicænũ & debellatum Arium menſe, ex hac vita diſcedens ætate iam decrepita, triumphans cœlum intrauit; & in locum eius ſuffectus eſt ATHANASIVS; vt hæc idem ipſe Athanaſius [a] atque Theodoretus [b] affirmant. Sed quod ad electionem Athanaſii ſpectat; calumniati ſunt [c] Ariani, quod cum quinquaginta quatuor Epiſcopi ex Thebaide & Ægypto in vnum conueniſſent vt communibus ſuffragiis ſucceſſorem Alexandro eligerent, ſeptem ex illis contra ceterorum voluntatem clam Athanaſium ordinauerint, indeque orti fuerint cleri ac populi luctus & tumultus. Verum cum iſtæc ad Imperatorem ſcripſiſſent, econtra Synodus Generalis Alexandriæ celebrata ab omnibus Ægypti, Libyæ, Thebaidis, & Pentapoleos Epiſcopis, eiuſmodi apertiſſimam calumniam refellens, literis [d] ad eumdem Imperatorem ſcriptis teſtata eſt, vniuerſum populum Catholicum publicis votis & magnis acclamationibus poſtulaſſe Athanaſium ſibi dari Epiſcopum; eumdemque ab Epiſcopis qui ad id conuenerant, ingenti omnium lætitia ordinatum eſſe. Inſuperque Sozomenus [e] ex Apollinario Syro refert, Alexandrum cum iam de vita diſceſſurus eſſet, diuino monitu ſignificaſſe, Athanaſium ſibi ſubrogandum eſſe; huncque onus fugientem, & latebras quærentem, diuinis pariter indiciis inuentum eſſe, & in ſede collocatum. Ac denique Gregorius [f] Nazianzenus ſcribit, eumdem Athanaſium totius populi ſuffragiis, Apoſtolice & ſpiritualiter in Marci thronum euectum eſſe.

II.
g Epiph. hær. 68.
h Id. hær. 69.
i Ruff. l. 1. c. 14.
LABORES ATHANASII.
k Act. 7.

Quæ cum ita ſe habeant, neſcio vnde acceperit Epiphanius [g], Athanaſio tempore obitus Alexandri in Comitatu exiſtente, eidem Alexandro ſubrogatum eſſe à Meletianis Theonam; huncque demum poſt tres menſes vita functum, ſucceſſorem habuiſſe Athanaſium: ſeu quod poſtea addit [h], creato à Meletianis Theona, Catholicos, ne is ſedem occuparet, elegiſſe abſente Athanaſio Achillam; hunc vero poſt tres menſes Athanaſio aduenienti ceſſiſſe, quod Alexander omnino præcepiſſet Athanaſiũ ordinandum. Sic igitur Athanaſius creatus Epiſcopus Alexandrinus, ſedit annos quadraginta quinq;. Cuius quidẽ (inquit Ruffinus) [i] tanti in Eccleſia pro fidei integritate agones fuerunt, vt etiam de eo videatur eſſe dictum [k], *Ego oſtendam ei, quanta illum pati oporteat pro nomine meo*; cum in eius perſecutiones vniuerſus conſpiratus Orbis, & commoti fuerint Principes terræ gentesque, regna, & exercitus coierint. Sed de eius certaminibus agetur inferius ſuis locis.

III. MELETIVS ITERVM TVRBAT ECCLES.
l Athan. Apol. 2.
m Soz. l. 2. c. 20.

Inter hæc autem Meletius ſchiſmatis auctor, è Concilio Nicæno, vbi Patrum humanitatem expertus erat, Lycopolim in Ægypto ad ſuam Eccleſiam reuerſus, contra decretum eiuſdem Synodi non ſolum ordinauit Arſenium Epiſcopum Hypſelitarum, quibus ipſe aliquando [l] præfuerat; ſed etiam (inquit Sozomenus [m]) cum eſſet è vita migraturus, Ioannem vnum ex familiaribus ſuis Lycopoli in ſuum locum ſuffecit; ſicque Eccleſias denuo cõturbandi, auctor & cauſa extitit. Hoc vero eodem anno

n Athan. ib. — MELETIANI IVNGVNTVR ARIANIS.

id accidiſſe, ſignificat Athanaſius [n], dum ait mox poſt Alexandri obitum Meletianos rurſum Eccleſias perturbare cœpiſſe; Euſebiumque Nicomedienſem, Arianæ hæreſis propugnatorem, magnis promiſſionibus amicitiam ac ſocietatem cum eis clanculum iniiſſe. Ex quibus etiam cum certum reddatur, coiſſe cum Arianis Meletianos poſt Meletii & Alexandri obitum; plane erroris arguuntur, qui hæc ante accidiſſe tradunt [o]. Porro Epiphanius [p] Meletium ante Alexandrum mortuum eſſet tradit, & ex aliquo Meletianorum fautore (vt ſuperius dictum eſt) eorum mutuatus hiſtoriā, totam culpam nouorum iſtorum tumultuum in Alexandrum cōuertit, qua de cauſa ſuſceptā ait ab eis legationem ad Conſtantinum Imperatorem, atque opera Euſebii Nicomedienſi egiſſe vt permitterentur ſeorſum ab Epiſcopo Alexandrino conuentus agere. Sed ab hac tanta calumnia ſuis ipſius litteris Conſtantinus omnino purgatur, cum ad Athanaſium poſtea ſcribens [q], eoſdem Meletianos omni execratione dignos vocat, immaneſque & nefarios homines, qui quaſi apoplexia icti ſtupentes, ſolummodo inuidia & tumultibus ad ſceleratiorum haberent. Auctorque eſt Euſebius [r] (cum alioqui propter hæreſim Arianam poſſet eſſe ſuſpectus) eumdem Imperatorem in his Ægypti cōtrouerſiis poſt Nicænum Concilium exortis humanitus cum illis agentem, tum ſermone tum litteris conatum eſſe ad concordiam reuocare, ſtuduiſſeque inprimis vt Nicæna decreta in ſuo robore permanerent. Ceterum Meletianis ad Conſtantinum accedendi, inde putatur oborta occaſio, quod S. Athanaſius poſtquam Epiſcopus creatus eſſet, ſolicitus pro cuſtodia decretorum Magnæ Synodi, Meletianos rurſum ſchiſmate diuiſos ad eorum obſeruationem compelleret. Tradit enim hæc Epiphanius [s]: additque Sozomenus [t], Euſebium ceteroſq; Arianos hanc ſibi oblatam occaſionem arripientes, conatos eſſe aduerſus Athanaſium commouere Imperatorem. Quas autem ſtruxerint ei calumnias, dicetur ſuo tempore.

o Epiph. hær. 64. Socr. l. 1. c. 1.
p Epiph. hær. 68.
q ap. Athan. Apol. 2.
r Euſeb. 3. de Vit. 22.
s Epiph. hær. 68.
t Soz. l. 2. c. 21.

IV. CONSTANTINVS EXAGITAT OMNES HÆRETICOS.

Interim vero Conſtantinus, quos obſtinatos in ſchiſmate & hæreſi poſt Nicænum Concilium permanere audiret, eos omnes à priuilegiis Catholicæ legis obſeruatoribus conceſſis, edita hoc anno ſanctione [u] alienos eſſe voluit, ac diuerſis oneribus obligauit. Sed & alio prolixiori edicto, quod Euſebius [x] recitat, Nouatianis, Valentinianis Marcionitis, Paulianis, & Cataphrygibus, aliiſq; cunctis vbiq; hæreticis conuentus quocumq; modo, ſeu publice ſiue priuatim agere penitus interdixit, & in quib. eos celebrare conſueuerant, ædes vniuerſas dirui iuſſit, ſicque dirutas, quæ templa fuiſſent, Catholicæ reddi Eccleſiæ, reliqua vero loca publica Fiſco addici. Sed quod inter recenſitos hæreticos, Ariani quorum præcipua mentio habenda fuiſſet, vt pote qui totum pene Orientalem Orbem exagitaſſent, reperiantur omiſſi; ſuſpecta redditur perfidia Euſebii, hominis Ariani, recenſentis edictum, potius quam reuocari poſſit in dubium Conſtantini pietas. Nam quod Sozomenus [y], dum eiuſmodi viſus eſt edicti meminiſſe, ait Arii ſectatoribus nondum fuiſſe inditam Arianorum appellationem; hoc ex innumeris auctorum ſuperius citatorum locis refellitur, quibus conſtat ſtatim promulgata ab Ario hæreſi, eius ſectatores nuncupatos eſſe Arianos. Addit vero Sozomenus, hac lege publicata, prædictarum & aliarum eiuſmodi ſectarum memoriam magna ex parte deletam eſſe; tum quod plurimi metu perterriti Eccleſiæ ſe Catholicæ addixerūt, tum quod qui in hæreſi perſtiterunt, quoniam nec conuentus agere, nec ſine metu poſſent ſuæ opinionis fautores docere, nullis relictis ſucceſſoribus è vita exierunt. Eadem ferme Euſebius [z]: ſed illud plane hyperbolice, quo ait induſtria Conſtantini ne veſtigium quidem hæreticæ vel ſchiſmaticæ prauitatis relictum fuiſſe: nam ex rebus geſtis ſingulorum ſequentium annorum ſatis apparet, numquam intermiſſum eſſe temporis ſpatium, quin ab hæreticis atque ſchiſmaticis, nempe Arianis atque Meletianis, negotium fuerit Catholicis faceſſitum. Sed iſtos noluit Euſebius inter hæreticos vel ſchiſmaticos recenſere, quod ipſe Arianus fœdere impietatis coniunctus eſſet Meletianis.

u l. 1. C. Th. de hæret.
x Euſ. 3. de Vit. 61. 62.
y Soz. l. 2. c. 30.
CONVERSIO PLVRIMORVM.
z Euſ. 3. de vit. ...

V. CONSTANTINVS IDOLOLATRIAM PESSVMDAT.

Ceterum laudanda plane eſt in omnibus Conſtantini pietas; qui ſtabilita anno ſuperiori in Nicæno Concilio fide Catholica, & hæreticis atque ſchiſmaticis (quantum licuit) profligatis ad extirpandū idolorum cultum, & Dei Eccleſiam in Oriente (quod in Occidente fecerat) ædificiis illuſtrandam, animū addixit. Quod & teſtatur Ethnicus auctor, Chriſtianis rebus infenſus, Eunapius [a] Sardianus, cum queritur Conſtantinum fana toto Orbe celeberrima euertiſſe, & vbique Chriſtianorum ædificia extruxiſſe. Hæc autem præſenti anno geſta eſſe, poſtquam de conciliandis ſchiſmaticis litteras in Ægyptum ſcripſiſſet, Euſebius eſt auctor: aliique [b] referunt ſtatim poſt Nicæni Concilii celebrationem.

a Eunap. in vit. Philoſ. in Ædeſ.
b Socr. l. 1. c. 12. & alii.

VI.

Porro de Eccleſiis à Conſtantino in Palæſtinæ erectis idem Euſebius [c] diffuſius agens, deſcribit inprimis nobiliſſimum Reſurrectionis templum, ingentibus ſumptibus ac mira magnificentia ædificatum ad ſepulchrum Saluatoris; diruto Veneris fano, quod ſuper idem ſepulchrum à Gentilibus olim ad abolendam tanti Chriſtianorum myſterii memoriam, conſtructum ſuperius vidimus. Additque de noua ciuitate Hieruſalem, eodem tempore ad illud ipſum monumentum extructa è regione veteris illius, quæ in pœnam necis Dominicæ extremam vaſtitatem paſſa fuerat. Ipſum vero templum Cyrillus eiuſdem paulo poſt ciuitatis Epiſcopus, ſcribit nominatum fuiſſe *Μαρτύριον*, hoc eſt *Teſtimonium*, nēpe Chriſti Reſurrectionis monumentum & teſtem; idq; (vt ait) ex Prophetarum oraculis. Dictumq; idem reperitur ab aliis pluribus, *Baſilica Conſtantiniana*, quam inter cetera ornamenta, fuiſſe etiam ſacris picturis decoratam, & inter alias Deiparæ Imagine, Acta [d] Mariæ Ægyptiacæ fidem faciunt. Fuiſſe autē abſolutam, dedicatamq; anno trigeſimo Conſtantini, ſuo loco dicturi ſumus. Meminitque longe poſt hæc tempora Vrbanus Papa Secundus (cum in Concilio Claromontēſi hortaretur Chriſtianos Occidentales ad recuperandam Terram Sanctam) perennis ad illam Eccleſiam, etiā tunc fieri ſoliti annuatim diuini miraculi, quo in diebus Paſſionis Dominicæ, extinctis omnibus & in ſepulchro & in eccleſia circumcirca luminibus, iubare diuino lāpades extinctæ reaccenderētur. Subdit vero Euſebius [f] de aliis tēplis in diuerſis Iudææ ſanctioribus locis, necnon in præcipuis aliarū prouinciarū ciuitatibus, ab eodē Imperatore erectis; de quibus etiam agunt Socrates [g], Theodoretus [h], ac Sozomenus [i]: itemque de aliis ab Imperatoris matre Helena, itidem in Palæſtina, & alibi ædificatis: quam licet ſenio prægrauatā, diuino inſtinctu atque monitu pietatis ergo Hieroſolymā petiiſſe, & Orientē peragraſſe narrant.

c Euſ. 3. de vit. 24. & ſeqq.
NOVA HIEROSOLYMA EXTRVCTA.
d ap. Nic. Conc. II. Act. 4. & Damaſc. l. 3. de Imag. cap. ... Metaphr. de reb. Ægypt. l. 4. c. 2.
PERENNE MIRACVLVM ECCLESIÆ HIEROSOLYM.
f Euſ. 3. de vit. 40. & orat. in laud. Conſt.
g Socr. l. 1. c. 14.
h Theod. l. 1. c. 15.
i Soz. lib. 2. c. 2.

VII. DE INVENTIONE SANCTÆ CRVCIS PER HELENAM AVG.

Sed magna plane tenet omnes admiratio, quid ſit quod Euſebius hæc omnia relegens, & de Helena prolixiorem mentionem faciens, de CRVCE ab ea INVENTA ne verbum quidem; quam ſub Conſtantino repertam eſſe nullum eſt dubium, id teſtante in primis omnium antiquiſſimo Cyrillo, qui cum ſub Conſtantino Conſtantini filio Eccleſiam Hieroſolymitanam rexiſſe noſcatur, facile eidē inuentioni intereſſe potuit: ſed & ceteris quos diximus, & qui eos ſecuti ſunt, Græcis auctoribus, hoc ipſo anno, nempe ſequenti à Nicæno Concilio, aduentum Helenæ Hieroſolymam, & Crucis inuentionem ponentibus. At non audiendus omnino Zonaras [k], dum ait Helenam poſt baptizatum Conſtantinum, adſcito ſibi comite S. Silueſtro Hieroſolymam profectum eſſe: commentum enim iure dicendum eſt, quod nulla vel maiorum traditione probatur, vel antiquorum ſcriptorum auctoritate fulcitur. Porro cum & alia plura minus ſolidæ veritatis in eādē ſanctiſſimæ Crucis Inuentionis hiſtoriam, iam ab antiquis temporib. irrepſerint, quæ Gelaſius [l] Papa ſic reliquit dubia, vt reijciat in arbitrium prudentis lectoris, qui verum à falſo diſtinguere ſciat: nos ex more quæ nouimus antiquioribus Patrib. eſſe probata, omniumque fide recepta, breuiter recenſentes, cetera legentium arbitrio relinquemus.

k Zon. Ann. to. 3.
l Gelaſ. decr. de Lib. apocryph.

VIII.

Ambroſius [m] igitur tradit, Helenam reuiſentem loca Sancta, diuinitus inſpiratam vt lignum Crucis requireret acceſſiſſe ad Golgotham, & aperta humo tria patibula

m Ambr. orat. in fun. Theodoſ.

Quomodo inuenta et cognita Crux Dominica.

confuſa reperiſſe; incertamque hærentem quodnam eorum eſſet in quo Chriſtus pependiſſet, illud ex titulo eiã Pilato affixo agnouiſſe. Verum in eo quod habet de titulo, ab eo plane diſcrepant ceteri omnes antiqui ſcriptores; & inter alios, qui eodem ſæculo vixerunt, S. Paulinus [n] Epiſcopus Nolanus, atq; Seuerus [o]; qui teſtantur Crucem Chriſti innotuiſſe ex reſurrectione extincti cadaueris eidem Cruci admoti, cum prius ad tactum crucum latronum immotum permanſiſſet Ruffinus [p] autem & ipſe eiuſdem temporis auctor, non mortuum reuocatum ad vitam, ſed nobilem feminam animam agentem reſtitutam tradit incolumitati; eademq; Theodoretus [q], Socrates [r], & Sozomenus [s], qui omnes in eo conſilio Macarii Epiſcopi Hieroſolymitani factum affirmant. Sed Nicephorus [t] vtrumque miraculum accidiſſe prodit, cum ſubdit, poſtea mortuo Crucem impoſitam illum repente in vitam reuocaſſe. Addit ad hæc Sozomenus, in altera parte antri illius in quo ſepulchrum Domini inuentum fuit, tres illas Cruces eſſe repertas, & tabellam tituli ſeorſum poſitam: vt non ſit mirum ſi poſt trecentos ferme annos Cruces ſubtus terram abſconditæ non penitus emarcuerint: nam (vt taceamus de ligno Crucis Chriſti, quam à putrefactione potuit miraculum præſeruaſſe) quod aliæ duæ integræ ſunt repertæ, non potuit alia ratione contingere: ſicut etiam nec eas fuiſſe figura diſtinctas, aut ex diuerſa ligni materia. ſed ſicut illam, ex ligno quod cariem non admitteret, ex his poſſumus intelligere.

[n] Paulin. ep. 11. ad Seuer. [o] Seuer. hiſt. l. 2. [p] Ruff. l. 1. c. 7. & 8. [q] Theod. l. 1. c. 18. [r] Socr. l. 1. c. 13. [s] Soz. l. 2. c. 1. [t] Nic. l. 8. c. 29.

IX. *Iudæi reuelarunt locum Crucis.*

Sed & de eiuſdem Inuentione circumfertur hiſtoria, in qua inter alia narratur de Iudæo quodam nomine Iuda, qui ſecretum locum in quo Crux haberetur abſcondita reuelauit, eumdemq; virum redditum Chriſtianum, nominatum fuiſſe Cyriacum, cuius etiam eſt mentio in libro de Romanis [u] Pontificibus, & apud Gregorium [x] Turonenſem. Par eſt autem credere, tum hunc tum alios peritiſſimos Iudæorum Rabbinos, quos Paulinus ait ab Helena de eo loco conſultos eſſe reſeraſſe traditionem Hebræorum, de qua dictum eſt in Paſſione Domini, vt omnia inſtrumenta quæ ſuppliciis ſontium inſeruiiſſent, iuxta eum conſepelirentur. quamobrem cum de loco conſtaret vbi ſepultus fuiſſet Dominus, omnium ſententia decretum eſſe ab eodem proximo loco terrã effodere.

[u] Lib. de R. Pont. in Euſ. [x] Greg. Tur. 1. hiſt. 16.

X. *Crux in partes diuiſa.*

Porro Crucis inuentæ partem alteram Hieroſolymis eſſe relictam, alteram vero ad Conſtantinum allatam, iidem auctores affirmant, Ruffinus, Socrates, Theodoretus, & Sozomenus. Quam (inquit Socrates) vbi Conſtantinus accepiſſet, ratus ciuitatem in qua illa ſeruaretur omnino ſaluam fore, in ſuam ipſius incluſit ſtatuam, quæ Cõſtantinopolim in foro Conſtantini dicto ſuper ingentem columnam porphyreticam collocata erat. Verum haud magna potuit eſſe portio, quæ aliquo ſtatuæ membro includeretur: ſed quadam particula ibi recondita, conſtat reliquam perlatam eſſe Romam, & in baſilica ad Atrium Seſſorianum à Conſtantino ædificatam, quæ & inde *Sanctæ Crucis in Hieruſalem*, vel etiam *Heleniana* dictã eſt, collocatam. Nec vero hanc tantum paſſa eſt Crux ipſa diuiſionẽ; ſed vt de partibus aliis & ex aliis ſubdiuiſis dicere prætermittamus, ex maxima illa omnium portione quæ Hieroſolymis relicta eſt. Fidelibus eo peregrinantibus pietatis ergo, & pro mercede longi itineris, à loci Epiſcopo ſuit ſolitum fruſtum concedi: ſed operante diuina virtute iugi miraculo (quod ait Paulinus [y]) *Crux in materia inſenſata vim viuam tenens ita ex illo tempore innumeris pene hominum votis lignum ſuum commodauit, vt detrimenta non ſentiret, & quaſi intacta permaneret, quotidie diuiduam ſumentibus, & ſemper totam venerantibus: ſed iſtam imputribilem virtutem & indetribilem ſoliditatem de illius carnis ſanguine bibit, quæ paſſa mortem non vidit corruptionem.* Ita Paulinus. Sicut & Cyrillus [z] Hieroſolymitanus Epiſcopus ſæpius repetit, eiuſdem Sanctæ Crucis ligno per particulas ex ea ciuitate vniuerſum terrarum Orbem repletum eſſe; ſed vt quinque panes in quinque millia multiplicati fuiſſent, ita hoc lignum & Hieroſolymis conſpicuum extitiſſe, & vniuerſum ferme Orbem iam repleſſe. Huiuſmodi tantorum Patrum teſtimonia, ora obſtruunt ſubſannantium hæreticorum de vna Cruce tot in partes toto Orbe diffuſa.

Lignum Crucis multiplicatum.

[y] Paulin. ep. 11. ad Seuer. [z] Cyrill. cat. 4. 10. 13.

XI. *De clauorum inuentione, et vſu.*

Quod vero pertinet ad repertos eodem loco CLAVOS, quibus crucifixus eſt Dominus; cũ eos non fuiſſe tã longa temporis diuturnitate conſumptos rubigine teſtetur Socrates; haud fuit opus ab aliis alio miraculo diſcriminari. De illorum autem inuẽtione aſſertores ſunt iidem omnes citati ſuperius auctores: & quem primum ordine poſuimus, Sanctus Ambroſius ait, Helenã de clauo frenos fieri præcepiſſe, de altero diadema intexuiſſe; hæcq; dona filio ſuo Conſtantino miſiſſe, vt tum ipſe tum alii ſubſequentes Imperatores ad quos ea peruentura eſſent, diſcerent fidem integram conſeruare & iuſte imperare, geſtando in capite, vbi ſenſus eſt, coronam de Cruce, & manibus pariter regẽdo habenã de Cruce. Alludit & inter alios Theodoretus [a] de clauo in freno poſito, ad id quod olim per Zachariam [b] Prophetam prænunciatum fuerat, *In die illa erit quod ſuper frenum equi eſt, ſanctum Domino*: licet hoc Sancto Hieronymo [c] explicanti verba Prophetæ parum arrideat. Cum autem tres ſaltem clauos eſſe oportuerit, ex illorum duobus frenum eſſe confectum tradunt (quamuis frenos, quaſi plures Ruffinus æque ac Ambroſius dicat) tertio autem regium diadema compactum. Verũ quatuor potius fuiſſe Gregorius [d] Turonenſis affirmans (de qua controuerſia dictum eſt in Paſſione Domini) & de vſu ſingulorum agens, tradit duob. frenum Imperatoris munitum eſſe, quo facilius hoſtes hac virtute fugarentur; adeo vt etiam illuſiones dæmonis Iuſtinus Imp. eo capiti ſuo impoſito freno poſtea fugarit. Tertium vero clauum, Helenam cum rediret in Occidentem, in mare Hadriaticum inieciſſe, miſertam excidia nauigantium quæ in eo tractu frequentiſſima eſſent: factumq; eſſe, vt qui Vorago nauigantium dici conſueuiſſet, poſt hæc redditus fuerit quietus & tranquillus: eamq; vſq; ad ſua tempora cõſuetudinem perduraſſe, vt illum ſanctificatũ maris tractum nautæ venerarentur, & cum ingreſſi eſſent, ieiuniis orationibus, & pſalterio vacarent. Quartum deniq; clauum in galea ſtatuæ Conſtantini fuiſſe poſitum: quod etiam poſt alios teſtatur Zonaras [e]. Sed cum omnium ſententia conſtet, clauum poſitum eſſe in corona qua ipſe vti ſoleret Conſtantinus; puto potius coronam ſtatuæ impoſitam, ad illius quam geſtare ſoleret Imperator exemplum eſſe compoſitam, quam illam reuera clauo Crucis ornatam fuiſſe.

[a] Theod. l. 1. c. 18. [b] Zachar. 14. [c] Hieron. Zach. 14. [d] Greg. Tur. de glor. mart. c. 6. [e] Zonar. Annal. par. 3.

XII. *Clauorum multiplicitas vnde.*

Quod vero Claui quibus crucifixus eſt Chriſtus, plures diuerſis in locis reperiri dicantur; nihil eſt quod pluribus quam tribus, vel ad ſummum quatuor eum confixum eſſe putemus; licet multa extent exempla ſanctorum martyrum (& inter alia, quod S. Ambroſius [f] recitat) multiplicibus clauis patibulo affixorum. Sed fortaſſe accidit, vt ex aliquo clauorum Chriſti modica illis acceſſerit ferri portio; vel potius, de perditis antiquioribus rem teſtantibus monumentis, claui illi quibus compacta ſunt ligna ſanctiſſimæ Crucis crediti ipſi fuerint quib. Chriſti membra tranſfixa fuiſſent. niſi forte alicubi contigit; vt clauus aliquis inter ſacras reliquias aſſeruat⁹, quo myſtica membra Chriſti, nempe martyr quiſpiam confixus eſſet, idem vnus ex ipſis Paſſionis Chriſti clauis fuerit exiſtimatus. Quicquid ſit, fides (quod ait Ambroſius) purgat facinus; cum nemo Fidelium ferrum colat, ſed Chriſti potius paſſionem veneretur & adoret in ferro.

[f] Ambr. exhort. ad virg.

XIII. *Helenæ pietas, et munificentia.*

Sed quod rurſum ad Helenam ſpectat, tradunt iidem [g] qui ſupra auctores, eam aliud inſigne religioſi animi Hieroſolymis indicium reliquiſſe dum Virginibus quas ibi reperit Deo ſacratas, prandium exhibuit, & habitu famulæ ſuccincta propriis manibus cibum appoſuit, poculum porrexit, aquam manibus infudit. Cuius etiam in hac Orientis peregrinatione erga egenos & afflictos, necnon in loca ſacra, vbique exhibitam munificentiam Euſebius [h] deſcribit. Eamdem vero Hieroſolymis redeuntem egregiam memoriam Luciani martyris Drepani in Bithynia excitaſſe, teſtantur eiuſdem martyris Acta [i] Antiquitus ſcripta. Filiis autem, qui ad omnia ſumptus copioſiſſimos ſuppeditabat Conſtantinus [k], voluit à matris nomine eandem ciuitatem redditam ampliorem *Helenopolim* appella-

[g] Ruff. l. 1. c. 8. Socr. l. 1. c. 13. Theodor. lib. 1. c. 18. Sozom. l. 2. c. 1. & Alii. [h] Euſ. 3. de Vit. 41. 44. [i] Ap. Metaph. & Sur. 7. Ianuar. [k] Socr. & Soz. vbi ſupra. Niceph. l. 8. c. 31.

ri, &

Iuſtinian. Nouel. 28.

ri,& Pontum ipſum, Polemaicum antea dictum, à matre ſua *Helenop. ntum* [l] nominari.

XIV. De Helenæ obitu.

m Euſ. 3. de Vit. 45. 46. *n Theod. l. 1. c. 18.*

Cum autem quoto potiſſimum anno Domini defuncta fuerit, incompertum habeatur; haud tamen affirmare dubitamus adhuc aliquot poſthæc vixiſſe annos, quippe quam octogenariam ex hac vita migraſſe, tum alii tū Euſebius [m] tradit, dum tranquillum ac felicem eius obitum funuſque regium deſcribit. Addit vero Theodoretus [n], eamque morientem plurima de pia viuendi ratione filio Conſtantino præcepta dediſſe, eumdemque benedictionibus muniuiſſe. Porro quod eam Euſebius delatam ait ſepeliendam ad ciuitatem quæ principem locum teneret Imperij; Socrates [o] id perperam accepit de vrbe Conſtantinopoli, Euſebij phraſim minus exploratam habens: nā vrbem Romam iis verbis eum intelligere ſolitum, aperte declarat non ſolum quod alibi dum agit de Legatis ad Nicenum Concilium miſſis, Silueſtrum Romanum Pontificem deſignat [p] per *illius Vrbis penes quam Imperium eſſet Epiſcopum*: ſed etiam quod longe poſt ædificatam Conſtantinopolim, eandem Romam antonomaſtice *Imperatoriam Vrbem* appellare conſueuit [q]: cum autem agit de Conſtantinopoli [r], nuncupat *Vrbem Conſtantini nomine appellatam*. Ceterum Nicephorus [s] non Romæ tantum Helenam ſepultam eſſe; ſed & defunctam affirmat; translatam vero poſt biennium Cōſtantinopolim. Ac pariter Suidas [t] Romæ ſepultam confirmat. Citatuſque ſuperius Anaſtaſii liber de Munificentia Conſtantini, cum agit de baſilica SS. martyrum Marcellini & Petri Romæ via Lauicana inter duas lauros poſita, ait Conſtantinum condidiſſe Mauſoleum, vbi Auguſtam matrem ſuam poſuit in ſarcophago porphyretico. Romæ igitur cum ſepulta dicatur, de translatione facta Conſtantinopolim penes antiquos nulla eſt mentio: immo Sigebertus [u] ab Vrbe ex eadem eccleſia SS. Petri & Marcellini translatam tradit in Gallias & in Rhemenſi diœceſi collocatam. Conſtat [x] tamē fuiſſe Cōſtantinopoli ſacram ædem S. Helenæ: atq; inſuper Veneti eius corpus ab Oriente delatam poſſidere ſe gloriantur. Quod vero teſtatur Euſebius, Conſtantinum matris obitui præſentem extitiſſe; dicendum eſt eum, poſtquam in Orientem profectus eſt iterum rediiſſe in Occidentem: eſtque veriſimile, ipſum modo huc modo illuc vt ferebat occaſio peregrinatum eſſe. Aduenies autem Helena Romam, in baſilica Heleniana, de qua dictum eſt ſuperius, partem quam ſecum vexit Sanctiſſimæ Crucis, & alias pariter ex Oriente allatas Reliquias, vt Titulum eiuſdem Crucis, & vnum ex Clauis, religioſiſſime collocauit. Eius vero natalem tam Orientalis quam Occidentalis Eccleſia, anniuerſaria commemoratione celebrare conſueuit.

o Socr. l. 1. c. 13. Vbi mortua et ſepulta. *p Euſ. 3. de Vit. 7.* *q Id. 4. de Vit. 69.* *r Idē de Vit. 52. 53. & aliis.* *s Nic. l. 8. ca. 31.* *t Suid. verb. Ἑλένη.* *u Sigeb. in Chron. an. 849.* *x Nouel. 3. ca. 1.*

XV. Deorum delubra deſtructa.

y Euſ. 3. de Vit. 50. & ſeqq. & libr. 4. ca. 25. *z Sozom. l. 2. ca. 5. & 4.* *a Socr. l. 1. c. 14.*

Poſtquam Euſebius narrationem abſoluit de templis Chriſtianorum à Conſtantino erectis in Oriēte; conuertens eādem ad ſuperſtitionem Gentilium ab eodem Imperatore abolitam, pluribus docet [y] qua illam animi alacritate & ſollicitudine vbique delere ſtuduerit; fana deſtruendo, deoſque ludibrio exponendo, ac præcipue loca Veneri ſacra turpitudinibuſque dicata penitus ſubuertendo; quæ pariter Sozomenus [z] proſequitur. Et Socrates [a] aſſerit, eiuſdem Imperatoris tunc opera factum eſſe, vt Serapidis Cubitus, Nili excreſcentiæ index ab idoli templo ſublatus in eccleſiam Chriſtianorum Alexandriæ inferretur: cumque ſermo percrebreſceret, Nilum præ Serapidis ira deinceps minime inundaturum, econtra flumenm poſtea eum latius ſe diffudiſſe. De templorum vero demolitione egregium eſt etiam monumentum in Rebus geſtis [b] S. Parthenii Epiſcopi Lampſaceni in Helleſponto, qui ab eodem Imperatore Conſtantino impetrauit vt liceret idolorū templa ſuæ ciuitatis euertere: quem quidem tum eadem ipſius Acta demonſtrant, tum Nicephorus breuiter ſcribit, fuiſſe vitæ ſplendore, humanitate, & prodigiis ingentib. clarum, adeo vt mortuos excitarit, dæmonib. imperarit, & morbos quoſcumque ſanarit.

b Ap. Metaphr. & Sur. 17. Febr.

XVI. Non omnia templa diruta.

Quod autem Euſebius ait, vbique ſacra Gentilium, & idolorum fana vna cum idolis à Conſtantino eſſe ſublata, hyperbolice plane locutus eſſe dignoſcitur, cum longe lateque per Orbem complura remanſerint famoſiſſima deorum templa ab eo prorſus intacta, ne ſeditiones in populis excitaret; quę poſtea ab iis qui eum ſecuti ſunt Imperatoribus (quod ſuis dicetur temporibus) proſtrata fuere. Quapropter Theodoretus [c], dum agit de idolorum demolitione per Theodoſium facta, ait Conſtantinum tametſi vetuerit omnino dæmonibus immolare hoſtias, nō tamen eorum delubra demolitum eſſe, ſed mādatum ſolum dediſſe ne quiſquam ad ea accederet. Et Oroſius [d] nihil aliud de Cōſtantino teſtatur, niſi ſtatuiſſe Paganorum templa claudi. Eiuſdem quidem Imperatoris edicto prohibita fuiſſe ſacrificia diis offerri, teſtatur reſcriptū [e] Conſtantii eius filii, eadem pariter prohibentis: cuius etiam cum extet aliud edictum de claudendis templis deorum, plane intelligas nequaquam omnia fuiſſe à Conſtantino deiecta, ſed tantum (vt apparet) ea potiſſimum quæ eſſent turpitudinum promptuaria, quippe qui pudicitiæ & honeſtatis amantiſſimus eſſet. Quare & quod idem Euſebius [f] ait, cum cunctis Romano Imperio ſubiectis gentibus & legionibus idololatriæ fores clauſiſſe, repreſſumque quoduis idolis ſacrificandi genus, intelligendum erit tantummodo de eiuſmodi impudicitiarum ſacrificiis atque cultoribus, vel de aliquo particulari alicubi promulgato edicto; cum diu poſt Conſtantinum conſtet fuiſſe hoſtias immolatas, & vix tandem ſub Theodoſio Seniore id Romæ ceſſaſſe.

c Theod. l. 5. hiſt. 20. *d Oroſ. l. 7. c. 28. in fi.* *e l. 2. C. Th. de Pagan.* Turpia ſacra abolita. *f Euſ. 4. de Vit. 23.*

XVII.

g l. 1. C. Th. de mulier. quæ ſe. *h l. 1. C. de concub.* *i l. 6. C. Th. de Epiſ. & cler.*

Hoc item anno, quo Imperator Conſtantinus publicas libidinum ſcholas deturbauit, ſanctione [g] edita occultas etiam quaſque turpitudines inſectatus eſt; nimirum vt ſi quę ingenua mulier proprio ſeruo ſe occulte miſcuiſſet, ea capite puniretur, ſeruus igni combureretur. Paulo vero poſt concubinatum penitus ſuſtulit [h]. Iiſdem præſentis anni Coſſ. reſcripſit [i] ad Ablauium Præfectum Prætorio, de nobilibus qui ad euitanda publica munera, & vt fruerentur priuilegiis ab eodem Imperatore conceſſis Chriſtianæ religionis miniſtris, ſeſe haud recta mente in clericatum obtrudebant: quos repellendos eſſe (non ſine Epiſcoporum, puto, conſilio) exiſtimauit.

XVIII.

k Ap. Metaphr. & Sur. 6. Dec. S. Nicolai res mirandæ.

Ceterum quod ex prædicto reſcripto conſtet Ablauium anno præſenti Præfecturam Prætorii geſſiſſe, ad hoc pariter tempus referendum eſt quod in Actis [k] ſancti Nicolai Myrēſium in Lycia Epiſcopi fama notiſſimi, de quo dictum eſt ſuperius, traditur ſub eiuſdem Ablauii magiſtratu contigiſſe de tribus fortiſſimis Tribunis militum, per calumniam inuidentium aulicorum à Conſtantino Imperatore maieſtatis damnatis: qui cum nocte illa quæ ſupplicium præcederet, precibus Deum ſollicitantes, ipſum etiam Nicolaum adhuc viuentem, ſed Myris agentem (vbi eum paulo ante in expeditione quadam agnouerant acerrimum oppreſſorum & innocentium defenſorem) ipſi Conſtantinopoli exiſtentes, vt præſto eſſet enixius rogarent; accidit vt eadem nocte idem Nicolaus in ſomnis tum ipſi Imperatori, tum Ablauio Tribunorum ſupplicium procuranti apparens, vultuque ſeuero eos acriter obiurgans de iniquiſſima aduerſus inſontes prolata ſententia, eoſdem compulerit Tribunis libertatem dignitatemque reſtituere. Sed hæc, & alia eo pertinentia, pluribus eadem ſancti Nicolai Acta ex antiquiorib. monumentis edita. Porro vir ſanctiſſimus non diu poſt hæc in bona ſenectute & pace reddidit Deo ſpiritum; relinquens etiam poſt mortem vberem gratiarum fontem, nempe vnguentum [l] iugiter ex oſſibus eius ſcatens, quod & in hanc vſque diem manare non deſinit Barii in Apulia, quo poſt aliquos ſæcula corpus eius translatum [m] fuit.

l Conſt. Emman. Imp. ap. Bals. in Nomoc. tit. 7. 4 ʃ. *m Sigeb. in Chron. an. 1087. Vid. ap. Sur. to. 7. die 9. Mai.*

XIX.

n l. 1. C. Th. de Epiſc. iud. *o Eunap. in vit. Philoſ.*

Ex hac autem ſancti Nicolai viſione fortaſſis accidit, vt Ablauius grauiora timens ſi Epiſcoporum iudicia parui penderet, de illis Conſtantinum conſuluerit; hicque non immemor eorum quæ pariter per viſum paſſus eſſet, ad eumdem Ablauium (vt par erat) reſcripſerit [n], Epiſcoporum iudicia atque teſtimonia in omnibus rata firmaq; eſſe, & ab omnibus inconcuſſa ſeruari; cum ea quæ in eadem cauſa idem Imperator ante (vt vidimus) reſcripſerat iam propemodum exoleuiſſent. Eſt præterea in eumdem Ablauium vehemens Eunapii [o] Sardiani querela de nece Sopatri huius temporis inter philoſophos Platonicos fa-

cile principis, & apud Conſtantinum præcipuum ferme locum obtinentis: contra quem (vt ait) Ablauius liuore exæſtuans, machinatus eſt illi ſupplicium, quod iuſſu Cõſtantini capite luit, quaſi per magiam vinctis ventis impediſſet nauium frumentariarum Conſtantinopolim aduẽtum. At digna plane retulit Sopater de impietate præmia, dum eo cõſilio tranſtulerat ſe in Regiam (quod idem Eunapius teſtatur) vt Conſtantinum à religione Chriſtiana reuocaret. Sed & ipſe Ablauius apud eumdem Imperatorem inter aulicos omnes & magiſtratus locum ſibi principem vendicans, ſub eius filio Conſtantio (vt videbitur) finem tandem infeliciſſimum conſecutus, meritas luit pœnas de inſatiabili auri cupiditate qua flagrans multa iniuſte perpetrauit. Quem & putamus ab Euſebio [p] intelligi, dum agens de pio officio Conſtantini in curandis ſuorum aulicorum morbis, tradit dixiſſe cuidam ex ſuis, *Quouſque tandem ô bone, inexplebilem hanc auaritiam cumulamus?* Deinde corporis humani menſuram humi imprimentem haſta, addidiſſe, *Omnes vitæ diuitias, & totius Orbis opes ſi domi haberes, tamen plus hoc à me circumſcripto loculo non poſſidebis, ſi & illud forte poſſederis.*

ABLAVII P.P. IMPIETAS ET AVARITIA.

p Euſ. 4. de Vit. 29. 30.

IESV CHRISTI AN. 327.

CONSTANTINI AN. 22.

SILVESTRI AN. 14.

I. EVSEBII NICOMED. STVDIA PRO ARIO ADVERSVS ATHANASIVM.

ANno Chriſti trecenteſimo vigeſimo ſeptimo, Conſtantinus Cæſar quartum & Maximus Coſſ. ponuntur in Faſtis: quo Arii & Arianorum falſæ pœnitentiæ male obducta cicatrix iterum recruduit. Cum enim (quod dictum eſt ſuperius) iidem doloſe palinodiam recantantes damnaſſent hæreſim, ipſeque Arius ſic receptus eſſet à Nicæna Synodo, vt tamen ab Alexandrina ciuitate, in quà tot diſſidia vna cum hæreſi propagaſſet, omnino abſtineret: qui ei patrocinabatur Euſebius Nicomedienſis Epiſcopus, inito cum Meletianis fœdere, de eodem Alexandriam reſtituendo litteras ad Athanaſium eiuſdem ciuitatis nuper creatum Epiſcopum ſcripſit; & cum hic reſpõſium dediſſet, hæreſum inuentores damnatos in Concilio minime recipiendos eſſe, idem Imperatorem Conſtãtinum induxit, vt ipſi Athanaſio per litteras exilium minaretur niſi Arium reciperet: cum vero & Imperatorem Athanaſius placaſſet, perſuadens nullam eſſe debere Eccleſiæ Catholicæ cum hæreſi Chriſti oppugnatrice communionem; tum demum Euſebius per litteras cum Meletianis egit, vt ſcelera de Athanaſio confingerent. Sed hæc de confictis ſceleribus, anno ſequenti: reliqua vero præſenti geſta eſſe, nempe Paulo poſt Alexandri Epiſcopi Alexandrini obitum, ipſe S. Athanaſius [a] ea narrans demonſtrat: ſimulque docet non alia de cauſa Euſebianos in ipſum Athanaſium machinatos eſſe, niſi vt Arium reſtituerent, & per eum damnatam hæreſim reſtaurarent.

a Athan. Apol. 2.

II. CONSTANTIA FAVTRIX ARII.

Eſtque dictu incredibile, quibus ſe artibus Euſebius in aulicorum intruſerit amicitiam, qui iam diu ante (vt vidimus) Conſtantiæ Auguſtæ Licinii Imperatoris coniugi, ſorori vero Conſtantini familiaris redditus, ea apud Conſtantinum præcipua vtebatur adminiſtra in omnibus quę pro Ario moliretur; cum præcipue eadẽ Conſtantia poſt obitum S. Helenæ piiſſimæ feminæ, ſummæ eſſet apud Imperatorem auctoritatis. Vnde egregie S. Hieronymus [b] ait, Arium vt Orbem deciperet, ſororem Principis ante decepiſſe. Accidit enim (quod Ruffinus [c] & alii ſcribunt) eidem Conſtantiæ presbyterum quemdam venire in notitiam, qui latenter eam erga Arium propenſiorem reddidit; adeo vt cum diem obitura viſitaretur ab Imperatore, extremam ab eo gratiam popoſcerit, vt illum presbyterum in familiaritatem reciperet, & quæ ſibi ab eo pro ſalute ſuggererentur audiret. Porro horum omnium fuiſſe Euſebium Nicomedienſem architectum, teſtatur Socrates [d].

b Hier. ep. ad Cteſiph.
c Ruff. l. 1. ca. 11. Socr. l. 1. c. 19. Theod. l. 2. c. 3. Soz. l. 2. ca. 26.

d Socr. l. 1. c. 9.

III. PERPLEXA DE ARIO HISTORIA ELVCIDATVR.

Sed quod tunc Arium ab exilio reuocatum eſſe nonnulli ſcripſere, iidem decepti ſunt quod putarint exilium ei in Nicæno Concilio irrogatum eſſe: verum nec Athanaſius, quicquam vſpiam de Arii exilio, nec Conſtantini litteræ [e] quibus ad ſe Arium acceſſiuit, eum ab exilio reuocaſſe demonſtrant: & quod Euſebius ad Athanaſium de recipiendo Ario litteras dedit, plane ſignificat eum nõ fuiſſe exilio mulctatum, cum non eſſet Athanaſii eum exilio ſoluere quem Imperator relegaſſet: ac denique vidimus auctore S. Hieronymo [f], eumdem in Synodo pœnitentiam ſimulantem ſubſcripſiſſe cum aliis, neq; aliud aduerſus eum decretum, niſi ne amplius rediret Alexandriam. Quapropter & ex his quoque errare conuincuntur, qui [g] Arium confeſtim poſt Nicænam Synodum tradunt reuerſum Alexandriam, ibidemq; diu commoratum eſſe. Ac certe vix credi poteſt, quot perplexitatibus inuoluta habeatur, alioqui omnibus notiſſima huiuſmodi hiſtoria. Siquidem affirmat Socrates [h], Arium poſt Nicænum Concilium diu verſatum Alexandriæ, ac per Tyriam Synodum plenius reſtitutum, anno demum trigeſimo Conſtantini periiſſe. Sozomenus [i] vero, reſtitutum eſſe per Concilium Hieroſolymitanum, quod ante Tyrium ab Arianis celebratum ſcribit. Sed Theodoretus [k] coitionem Arianorum cum Meletianis, poſt Arii obitum recẽſet. Ruffinus [l] autem eiuſdem Arii interitum poſt Conſtantini obitum, & Conciliabulum Tyrium ſub Conſtantio contigiſſe putauit. Ac denique his omnibus ſenior Epiphanius [m], affirmat Arium periiſſe viuente adhuc Alexandro Epiſcopo Alexandrino, antequã etiam cogeretur Nicænum Concilium. Sed in tanta ſcriptorum diuerſitate, vnus nobis ſit inſtar omnium Athanaſius, qui ea cuncta præ oculis habuit, eorumque pars magna fuit; ex cuius teſtificatione conſtat, primum omnium pro reſtitutione Arii Alexandriam, Euſebium Nicomedienſem & Arianos plurimum laboraſſe; & acres litteras à Conſtantino ad ipſum Athanaſium extorſiſſe: cum vero nec ſic aliquid profeciſſent, ad illum è ſede exturbandum cum Meletianis conſpiraſſe. Quæ autem poſtea acciderint, dicetur pro rerum & temporum occaſione.

e Ap. Soc. ibid.
f Hier. ad verſ. Luciſer.
g Theodor. l. 1. hiſt. 14.
h Soc. l. 1. c. 20. & ſeqq.
i Soz. l. 2. ca. 28. & ſeqq.
k Theod. l. 1. ca. 14. & 28.
l Ruff. l. 1. & 12.
m Epiph. her. 69.

IV. EVANGELII AD INDOS PROPAGATIO.

n Ruff. l. 1. c. 9.

His ipſis primordiis ſacerdotii Athanaſii, tradit Ruffinus [n] Euangelium ad INDOS inferiores perueniſſe induſtria FRVMENTII Tyrii; qui cum adhuc puer exiſtens, Orbis perſcrutandi gratia eo deductus eſſet à Meropio philoſopho Chriſtiano; iſto ab Indis necato, ipſe à Rege ſuſceptus vna cum Ædeſio Tyrio condiſcipulo, poſtmodum ob egregiam in rebus agendis perſpicaciam in tantam creuit in regno auctoritatem, vt eius gubernacula ei concrederentur. Quapropter cum & Romanis negotiatoribus Chriſtianis illuc aduentantibus poteſtatem dediſſet conuentus agere & eccleſias ædificare; ac poſtea ipſe in patriam rediens, Alexandriam primo perrexiſſet, vt Patriarcham moneret aliquem dignum Epiſcopum naſcenti Indorum Eccleſiæ mittere: tunc idem ipſe Frumentius ab Athanaſio, qui nuper eius Eccleſiæ regimen ſuſceperat, creatus Epiſcopus, atque vnde venerat redire iuſſus, ſignis ac miraculis editis infinitas barbarorum multitudines ad Chriſti fidem conuertit, & apud eos Eccleſiam ſtabiliuit. Sed hæc pluribus Ruffinus, qui ea (vt teſtatur) accepit ex relatione Ædeſii comitis Frumentii: eademq; ex eodem Ruffino Socrates [o], necnon Theodoretus [p], atque Sozomenus [q].

o Socr. l. 1. ca. 15.
p Theod. l. 1. c. 23.
q Soz. l. 2. ca. 23.

V. IBERI PER ANCILLAM AD FIDEM CONVERSI.

r Plin. l. 6. c. 10.

Porro quemadmodum Frumentius captiuus viam Indis ad fidem aperuit, ſic eodem tempore captiua quædam femina Chriſtiana, exemplo pietatis & auſterioris vitæ, ac fama editorum miraculorum, ſanitatiſque tum aliis, tum ipſi Reginæ precibus ſuis reſtitutæ, IBEROS (ſiue diximus, auctore Plinio [r], Iberes, populos, vna cum ipſorum Rege Bacurio dicto, ad veritatis cognitionem perduxit; effecitque vt ab illis legatio ad Conſtantinum Imperatorem mitteretur, qua eum rogarent ſacerdotes ad ſe mitti qui cœptum munus explerent. Narrant hæc pluribus iidem qui ſupra auctores, Theodoretus [s], Socrates [t], Sozomenus [u], & qui omnes præceſſit Ruffinus [x]; qui rem geſtam ſe Hieroſolymis accepiſſe teſtatur ab ipſo Bacurio Rege, poſtquam is ad Conſtantinum veniens creatus ab eo fuiſſet Domeſticorum Comes & Palæſtini dux limitis: quem & illum eſſe putamus, qui apud Ammianũ [y] item Bacurius nominatur, alias Baturius Iberus,

s Theod. l. 1. c. 24.
t Socr. l. 1. c. 16.
u Soz. l. 2. c. 6.
x Ruff. l. 1. c. 10.
y Ammian. l. 31.

ab Im-

ab imperatore creatus Domeſticorum Comes, & in exercitu Romano dux ſcutatiorum & ſagittatiorum. Ceterum partem illam Iberiæ quæ vergit ad mare Ponticum, Colchicã dictam, iam olim ſub Traiano Imperatore prædicatione S. Clementis Papæ illic exulantes Euangelium ſuſcepiſſe, ſuperius dictum eſt: & Irenæi [a] quoque teſtificatione conſtat longe ante hæc tempora Iberos Chriſtianam fidem amplexatos eſſe. Qui vero iuxta Caucaſios montes incolunt Iberi inferiores, vergentes ad mare Caſpium, hi putantur ſub Conſtantino veritatem ſuſcepiſſe. Certe quidem occaſione bellorum Romanorum contra barbaros, vel perſecutionum Imperatorum Gentilium aduerſus Chriſtianos, magnam factam eſſe diuerſorum populorum ad fidem Chriſti acceſſionem dum Chriſtiani vel ducerentur à barbaris captiui vel metu perſecutionum eo confugerent; teſtatur Sozomenus [a]. Sed haud probamus quod aſſerere videtur, id fieri cœpiſſe ſub Gallieno Imperatore. Nam longe ante Chriſtianam religionem propagatam eſſe ad gentes remotiſſimas, ſatis conſtat Irenæi [b], Iuſtini [c] martyris, Tertulliani [d], & aliorum teſtificatione.

a Iren. l. 1. c. 3.

OCCASIONE BELLORVM AVT PERSECVTIONVM BARBARI FACTI CHRISTIANI.

a Soz. l. 2. c. 5.
b Iren. l. 1. c. 3.
c Iuſt. dial. cum Tryph.
d Tert. Apol. c. 37. & adverſ. Iudæ. c. 7. & 8.

IESV CHRISTI AN. 328.

CONSTANTINI AN. 23.

SILVESTRI AN. 15.

I. ATHANASIVS DIOECESIM VISITAT.

ANNO Chriſti trecenteſimo vigeſimo octauo, Ianuario & Iuſto Coſſ. S. Athanaſius paululum quieſcens à calumniis & inſultibus Meletianorum atque Euſebianorum, hoc tertio ſuæ ſedis anno peregrinationem ſuſcepit, qua ex Epiſcopali munere ſubiectam Alexandrinæ Eccleſiæ perluſtrauit diœceſim; vt quod hæreſis & ſchiſma prauique mores corrupiſſent, vigilantiſſimo ſtudio reſtauraret. Meminit huius ſuæ Eccleſiarum viſitationis ipſe Athanaſius [a], cum agit de Iſchyra Mareotis regionis homine: qui ſuo iuſſu tunc correptus, quod cum non eſſet clericus, tamen presbyterum ageret (quippe qui ordinatus olim à Collutho falſo ſe pro Epiſcopo gerente, redactus inter laicos fuerat in Concilio Alexandrino ſub Oſio Cordubenſi) ad Meletiano confugit; de quo erit ſæpius agendi occaſio inferius.

a Athan. Apol. 2.

II. ATHANASIVS VISITAT S. ANTONIVM.

b Ap. Sur. to. 3.

Porro non tantum viſitaſſe quæ in ciuitatibus aut oppidis poſitæ eſſent Eccleſiæ, ſed etiam quæ in ſolitudinibus deſertiſque locis à ſanctis monachis regerentur, conſtat ex actis [b] S. Pachomii, de quo dictum eſt ſuperius, ad cuius tunc monaſterium peruenit. Eſtque par credere, ad Magnum quoque Antonium, monachorum omnium fama celeberrimum, quocum ab adoleſcentia aſſueuerat, & (vt ipſe in eiuſdem Vita teſtatur) inſeruierat, diuertiſſe, quem & alias ſæpe viſitaſſe ſcribit. Hoc vero tempore benedictionis gratia duo ad eum pallia attulit; quorum altero (vt auctor eſt Hieronymus [c]) idem Antonius Pauli primi Eremitæ exanime corpus inuoluit; alterum iam vſu tritum moriens legauit eidem qui dederat Athanaſio, qui ſe illud tamquam magna hereditate ditatum, lætanter accepiſſe, teſtatur in eodem quem de rebus ab eo præclare geſtis commentario conſcripſit. Vbi & aſſerit tantam fuiſſe eius ſanctitatis vbique famam, vt non ſolum vniuerſum impleſſet Orientem, ſed etiam Africam, Hiſpaniam, Galliam, Italiam, ipſamque etiam vrbem caput Romam peruaſiſſet: in tantum vt & ipſe Conſtantinus Imperator, eiuſque filii litteris eum frequentarent, ceterique omnis generis Chriſtiani ad eum inuiſendum confluerent; & qui inter Gentiles philoſophos eminerent, moleſte ferentes hominem illiteratum tam eximio ferri præconio quaſi ſummum philoſophiæ verticem attigiſſet, ad eum diſputandi gratia accederent, & non ferre valentes eius acumen ingenii, ac gratiam Spiritus quæ in eo eſſet, victi manus dare cogerentur. Sed hæc omnia pluribus Athanaſius.

c Hier. in Vit. Pauli erem.

INGENS VBIQVE ANTONII FAMA.

III. COENOBITICÆ VITÆ ANTONIVS RESTITVTOR.

Cum igitur (vt idem ſcribit) quamplurimi eorum qui Antonium vndique viſitarent, ab eo ad contemptum ſæculi & perfectæ vitæ ſtudium ſedulo inuitati, idem viuendi genus & inſtitutum capeſſerent; complura condidit monaſteria, COENOBITICÆQVE VITÆ primus iecit in eremo fundaměta; adeo vt Cœnobitarum Monachorum idem inſtitutor ſit habitus; vel potius reſtitutor, ſi Eſſenorum qui in Ægypto ſub Marco Euangeliſta floruerunt, ratio aliqua haběda eſſe videatur, quos Chriſtianos extitiſſe ſuo loco demonſtratum eſt. Fuere quidem & alii ante Antonium qui timore perſecutionis ciuitatibus derelictis, ſiue ruri ſiue in deſertis locis abditi, Angelis ſimilem vitam duxere, quorum aliquos ex Euſebio diximus fuiſſe martyrio coronatos: reperitque ex iſtis ipſe Antonius, cùm (vt vidimus) deſertum petens, ab vno illorum prima rudimenta Monaſticæ inſtitutionis accepit; quæ ipſo diuino afflatus numine perfecit, cum monachos in vnum collegit, & in diuerſa loca, tamquam in diuerſa aluearia apum examina diſtribuit: quorum alii in iiſdem cum illo montibus monaſticam exercuere diſciplinam, alii eamdem alio transferentes, breui tempore, nempe hoc ipſo ſæculo, vniuerſum terrarum Orbem tam ſancta repleuere propagine nimirum Syriam, Aſiam, Armeniam, Indiam, Perſidem, Æthiopiam, & Boreales regiones, vſque ad Gothos ac latrones Beſſas & Dacos; vt teſtantur inter alios Paulinus [d] & Hieronymus [e]. Adeo vt non ſit quod quis huiuſcemodi vitæ inſtituti Baſilio primas tribuat, quem imitatorem potius acceſſiſſe profitetur ipſemet [f] ad Neocęſarienſes. Sicut & de feminis idem vitæ inſtitutum in Ægypto arripientibus, teſtis eſt S. Ioannes Chryſoſtomus [g].

MONACHISMVS LATISSIME PROPAGATVS.

d Paulin. in carm. vit. de reditu Niceta.
e Hier. ep. 3. ad Heliod. & 7. ad Lætam.
f Baſil. ep. 63.
g Chryſ. ho. 8. in Matt.

IV.

In Occidente quoque id primum accepiſſe Romam ab eodem Antonio Magno per Magnum Athanaſium, à Romana vero Eccleſia alias omnes Occidentalis Orbis Eccleſias, dicetur inferius ſuo loco [h]. Modo illud ſatis dicere, præſtitiſſe hoc amplius ceteris Romanam Eccleſiam vt ipſa prima voluerit etiam intra Vrbem & in ſuburbiis cœnobia monachorum: quod æmulatæ ſunt nobiliores Eccleſiæ, vt Mediolanenſis, quæ primum monaſterium iuxta ciuitatem poſitum habuit, ſicut Auguſtinus [i] ſcribit; qui & plura ſe Romæ vidiſſe teſtatur [k], dum eorum viuendi rationem deſcribit. Qui vero in Orbe Occidentali monachiſmum coniunxerit clericatui, prædicatur à S. Ambroſio [l] S. Euſebius Epiſcopus Vercellenſis, qui Apoſtolica (vt videbitur) auctoritate Alexandriæ aduerſus Arianos Concilium habuit, ſanctorumque monachorum inſtitutum (par eſt credere) diligentius perquiſiuit, & quod videret illic fieri, clericali vitæ coniungere ſtuduit. Idque ipſum præſtantiſſimum vitæ genus S. Martinus Epiſcopus Turonenſis tranſuexit in Gallias, & S. Auguſtinus in Africam.

h Infra an. 340.
ROM. ECCLESIA MONASTERIA PRIMA INTRA VRBEM HABVIT.
i Aug. 8. Confeſ. 6.
k l. 1. de mor. Eccl. c. 33.
l Ambr. ep. 82. ad Vercel.
MONACHISMVS CONIVNCTVS CLERICATVI.

V. ATHANASIVS EX MONACHIS CREAT EPISCOPOS.

At parum viſum eſt Athanaſio monachorum inſtituta in clerum Eccleſiarum ciuitatis transferre; ſed ipſos ſanctiſſimos Monachos, quos ceteris noſſet moribus & peritia antecellere, in Epiſcopos diuerſarũ Eccleſiarum adſciuit; vt ipſe teſtatur in epiſtola ad Dracontium. Nec poteſt negari, fuiſſe Monachiſmum ſeminarium in Eccleſia Dei ſanctiſſimorum Epiſcoporum, ex quo Baſilii, Gregorii, Chryſoſtomi, & alii tam in Oriente quã in Occidente viri ſpectatiſſimi prodiere; quorum omnium, qui Antonium Magnum dixerit Patriarcham, veritatis ſcopũ attinget: in quo mille ſignis atque virtutibus, quam ſit Deo grata Monaſtica Vita, fuit euidentiſſime declaratum, & in aliis idem vitę genus agentibus firmiſſime ſtabilitũ; vt in Pachomio, Hilarione, Macariis, Ioanne, Ammone, Abrahamio, & aliis ferme innumeris, in quibus ſunt innouata antiqua miracula Prophetarũ & Apoſtolorum: veluti conſtat ex ipſorum rebus geſtis antiquitus ſcriptis, quæ reperiuntur penes Collectores Vitarum SS. Patrum.

VI.
m Hier. ep. 22. ad Euſtoch.
MONACHORVM DIVERSA GENERA.

Porro degentium in Ægypto monachorum Hieronymus [m] docet tria fuiſſe genera, nempe COENOBITARVM, quos illi *Sauſes* vocarent, hoc eſt in communi viuentes; ANACHORETARVM, qui ſoli habitarent per deſerta, & ab eo quod procul ab hominibus recederent, nuncuparentur; ac tertii generis, quos *Remoboth* Ægypti dicerent, qui bini & terni, nec multo plures ſimul habitarent, ſuo arbitratu ac ditione de eo quo laboraſſent in communi viuentes, ſed cum nimia rerum omnium affectatione, ac

n Caſſian. collat. 18. c. 7.

minori rerum diuinarum ſolicitudine: à quibus paulo diuerſi erant, quos Caſſianus [n] *Sarabaitas* nominatos, eſſe tradit, ab eo quod ſemetipſos à cœnobiorum congregationibus ſequeſtrarent, ac ſingillatim ſuas curarent neceſſitates. Sed quod ſpectat ad Cœnobitas, quos idem Hieronymus deſcribit, ſimileſque fuiſſe tradit Eſſenis; extant prolixiores de eorum antiquis inſtitutis formę conſcriptę à Pachomio, Baſilio, Caſſiano, Climacho, ac demum in Occidente à S. Benedicto, & aliis recentioribus ſanctiſſimis viris, de quibus ſingulis ſuo loco opportunius. Pariterque de Cœnobitarum Monialiũ inſtitutis agunt Hieronymus [o], Baſilius [p], Ambroſius [q], Auguſtinus [r], & alii. Anachoretarum autem idem Hieronymus ait auctorem extitiſſe Paulum, illuſtratorem Antonium, & ſi ad ſuperiora conſcendamus, principem Ioannem Baptiſtam. Sed quod ait de Antonio, ſic accipiendum eſt, quod ille primo id vitæ genus exercuit, qui poſtea cœnobiticam vitam excoluit, & rurſus ad anachoreticam rediit, licet ſuorum curam non dimiſerit: cuius exemplo cõtigit ordine quodam reciproco, anachoretas generare cœnobitas, & cœnobitas vice verſa parere anachoretãs: qui ſcilicet voluntate Patris omnium præſidis, ſic agere ſolitarii permittantur, vt tamẽ vinculo quoque obedientiæ adſtringantur: cum alioqui non defuerint viri ſanctiſſimi, qui ipſo primo ingreſſu vitæ monaſticæ, eremum petentes, ſolitariam vitam ſectati fuerint. Porro de ijs habent ferme eam Epiphanius [s] & Auguſtinus [t].

o Hier. ep. 12. p Baſil. de virg. q Ambr. de virg. r Aug. de morib. Eccl. c. 31. 33.

s Epiph. hær. 80. t Aug. de morib. Eccl. c. 31.

IESV CHRISTI AN. 329.

CONSTANTINI AN. 24.

SILVESTRI AN. 16.

I. CRIMINATIONIS MELETIANORVM IN ATHANASIVM.

a Ep. Conſt. ad Nicomed. ap. Theodor. l. 1. c. 20. b Athan. Apol. 2. c Socr. l. 1. c. 20. d Soz. l. 2. c. 21. e Paulin. natal. 6. S. Felic. f Greg. 9. ep. 38. g Id. l. 1. ep. 14. VELIS EX ORNARI ECCLESIÆ SOLITÆ. h Id. 8. ep. 15. i Athan. Apol. 2. k Theodor. l. 1 c. 27. l Socr. & Soz. vbi ſupra.

ANno Chriſti trecenteſimo vigeſimo nono, Conſtantino Auguſto octauum & Conſtantino Cæſare quintum Coſſ. Meletiani ſchiſmatici ob excitatas denuo turbas ab Imperatore [a] accerſiti; ex conſilio Euſebianorum Athanaſium criminati ſunt, indixiſſe Ægyptijs tributum de pendendis Eccleſiæ linteis ſeu velaminibus. Sed qui alia occaſione præſentes tunc adfuere Catholici presbyteri Alexandrini Apis & Macarius, illatum crimen de tributo indicto facile diluerunt, ceterum docentes non eſſe neuum vt eiuſmodi ornamenta rogarentur à populis ad decorem Eccleſiarum. Rem geſtam paucis perſtringit ipſe Athanaſius [b], ac poſt illũ Socrates [c] & Sozomenus [d]. Conſueuiſſe vero Fideles *Linteamina* Eccleſiis offerre, teſtatur quoque S. Paulinus [e]: habeſque apud S. Gregorium, Ruſticianam Patriciam *Vela* Romam miſiſſe ad Eccleſiam S. Petri: & extat ad eumdem querela de Natali [g] Epiſcopo Salonitano, quod Vaſa ſacra & Velamina ſuis dediſſet affinibus; necnon de Fuſco [h] Abbate, qui ſacros codices & Vela ſecum aſportaſſet: ac denique ſunt de his innumera plane alia exempla. Ceterum grauiori poſt hæc Athanaſius calumniis appetitus, de auro miſſo cuidam Philumeno qui aduerſus Imperatorem rebellauerat; idem à Conſtantino accerſitus, nõ ſolum eam diluit, ſed etiam honorifice habitus. Alexandriam remiſſus cum literis ſuæ integritatis teſtibus; quas ipſe [i] integras, Theodoretus [k] fragmentum ex eis recitat: memineruntque earumdem Socrates [l] & Sozomenus.

II. CONSTANTINVS EXAGITAT ARIANOS.

Cum autem hæc omnia aduerſus Athanaſium Conſtãtinus intelligeret agitari ab Euſebio Nicomedienſi & Theognide Nicæni, qui damnati atque depoſiti in Nicæno Concilio, ſimulate palinodiam recantantes eiuſdem Conſtantini precibus reſtituti fuerant: iam ipſe aduerſus eos vehementer commotus, iuſſit iidem ſecũdum priorem Synodi ſententiam ſedibus pellerentur. Hæc enim conſtant ex data ab eo ad Nicomedienſes epiſtola, quam Theodoretus [m] recitat, licet non integram [n] nec ſuo loco aut tempore. Sed præter communicationem cum Meletianis, quam in illis Imperator vehementer execratus eſt, addit Sozomenus [o] aliam grauiorem Conſtantini commotionis cauſam; nempe quod iidem circumuenientes eum cui libellum de Actis Cõcilii Nicæni Imperator cuſtodiendum tradidiſſet, ſuas in eo ſubſcriptiones deleuiſſent, ac coram eodem ipſo Imperatore impudenter Euſebius negaſſet Filij cum Patre Conſubſtantialitatem. Verum iſta non ſatis liquent: quippe conſtat Euſebianorum ſiue Arianorum neminem, nec ipſum quidem Arium, auſum eſſe viuente Conſtantino in Nicænum Concilium vel quicquam mutire; ſed omnes ſe eius profeſſores, cum dicerent nõniſi occulto tramite illud aggreſſos eſſe: vt geſta ab eis in Hieroſolymitano Concilio, quæ dicentur inferius, manifeſte ſignificabunt.

m Theod. l. 1. c. 20. n Integram recitat Baron. Annal. ... o Soz. l. 2. c. 21.

EVSEBII NICOM. SCELVS.

IESV CHRISTI AN. 330.

CONSTANTINI AN. 25.

SILVESTRI AN. 17.

I. DEDICATIO VRBIS CONSTANTINOPOL.

a Niceph. l. 8. c. 28. Greg. pre b. orat. de Patrib. Nic. Conc.

ANno Chriſti trecenteſimo trigeſimo Gallicano ſecundum & Symmacho Coſſ. celebrata ſunt *Quinquennalia* Conſtantii Cæſaris, ipſaque *ciuitas Conſtantinopolitana Noua Roma dicata.* Nam quorumdam recentiorum [a] opinionem de facta eiuſmodi dedicatione à SS. Patribus qui Nicęę conuenerant, iam ſuperius refellimus. Quod autem in Chronico Caſſiodori ponitur Pacatiano & Hilariano Coſſ. nempe annum ſequentem; ſi ex eodem Chronico numeres annos Conſtantini, inuenies id accidiſſe quinque annis poſt eius Vicennalia, nempe vigeſimoquinto eius Imperii, qui eſt præſens. Error eſt autem in Conſulatu, quod ipſe Caſſiodorus ingreſſum Conſtantini tardius quam oportuit duobus annis (vt vidimus) collocauerit. Ceterum hoc ipſo eodẽ anno id etiam collocat Anaſtaſius Bibliothecarius in breui ſuo Chronico; & apud Hieronymum [b] ponitur pariter anno vigeſimoquinto Imperij Conſtantini. Conſentitque Marcellinus Comes, cum ab anno eiuſdem ciuitatis conditæ vſque ad Conſulatum Mauortii, quo Iuſtinus Senior obiit & cœpit imperare Iuſtinianus, annos numerat centum nonaginta ſeptem. Tunc enim cœptos eſſe numerari annos ab vrbe condita, cum eadem dedicata eſt, nulli eſt dubium. Vt vero dies ipſa natalis ſiue dedicationis Nouæ Romæ, & antiquæ, anniuerſaria commemoratione celebraretur, edita fuit Imperatorum [c] ſanctio: quæ quidem dies in Menologio, decima menſis Maii in Eccleſia publice recitanda deſcripta reperitur; licet apud Zonaram [d] vndecima menſis Maii eadem fuiſſe abſoluta legatur.

b Hier. in Chron.

DIES NATALIS VRBIS CONSTANTINOP. c l. 2. C. Th. de feriis. d Zon. Annal. par. 3.

II. CVI DICATA VRBS CONSTANTINOPOL.

e Nic. l. 8. c. 26. f Aug. 22 de ciuit. 10. & alibi. g Theod. l. 5. c. 1. h Euſ. 3. de Vit. 47. i Zoſ. l. 2. k Euſ. 3. de Vit. 52. Socr. l. 1. c. 12. Soz. l. 2. c. 4. l Euſ. 3. de Vit. 47. 48. m Aug. 5. de ciuit. 25.

Sed quod ad ipſam dedicationem ſpectat; cum eam à Chriſtianiſſimo Imperatore nonniſi Chriſtianis ritibus oportuerit eſſe factam, de iis agens Nicephorus [e], affirmat eam incruento ſacrificio, precibus, votiſque, fuiſſe Dei-Genitrici MARIAE conſecratam. Ceterum quod dedicatio cultum latriæ Deo tantum debitæ pertineat, nonniſi Deo dedicari conſueuiſſe à Chriſtianis eccleſias, S. Auguſtinus [f] ſæpe teſtatur. Verum ſicut eodem auctore conſtat, dedicari Deo in memoriam Martyrum, ita etiam potuit accidiſſe, vt Conſtantinopolis Deo conſecraretur in memoriam SS. Virginis Dei Genitricis. Nam & Theodoretus [g] illam *Vrbem* MARIAE appellat. Deo autem omnino dicatam eſſe, Euſebius [h] tradit. Quod vero ſcribit Zoſim[9] [i], Conſtantinum in nonnullis publicis à ſe conſtructis ædificijs poſuiſſe deorum ſimulacra; id quidem ex Euſebio [k], aliiſque antiquis ac probatis auctoribus ita factum intelligitur, vt inſigniora ſimulacra ænea cum ornatus cauſa, tum præcipue ad deriſionem deorum Gentilium, fuerint locis publicis à Conſtantino poſita, aurea vero & argentea conflata & in maſſam redacta. Nam & præter hæc diſertis verbis idem Euſebius [l] aſſerit, eumdem Imperatorem eam vrbem ita omni idolorum cultu purgaſſe, vt nuſquam in illa vel ſtatuæ deorum in templis, vel altaria ſanguine inquinata, vel hoſtiæ igne conſumptæ vel feſta dæmonum nomine celebrata, vel aliud quicquam eorum quæ apud ſuperſtitioſos vſurpari ſolerent, omnino apparerent; ſed permultis eccleſiis in honorem martyrum tam in ſuburbiis quam intra vrbem erectis illuſtraſſe. Et S. Auguſtinus [m] felicitatem Conſtantini recenſens, inter alia ſcribit ei Deum conceſſiſſe condere ciuitatem

Digitized by Google

Romano Imperio ſociam, velut ipſius Romæ filiam, ſed ſine aliquo dæmonum templo ſimulacroque.

III. Eccleſiæ Conſtantinop. erectæ. [b] Socr. l. 1. c. 12. [o] Soz. l. 2. c. 2.

Quod autem attinet ad Eccleſias ab eodem Imperatore Conſtantinopoli erectas; de duabus tantummodo meminit Socrates [n], nempe de Eccleſia *Apoſtolorum*, & altera *Pacis* dicta, quæ & alio nomine *Sapientiæ* nominata reperitur. Sozomenus [o] autem aliam recenſet extra vrbem ædificatam, ac *Michaelium* dictam, quod in honorem S. Michaelis Archangeli qui eo loco apparuiſſet, Deo dicata eſſet: quam & celebrem admodum fuiſſe, & diuinas virtutes in ea perfici iugiter conſueuiſſe, ipſemet in ſe expertus, & alioqui oculatus teſtis narrat. Habet vero & alias nonnullas vrbis eiuſdẽ eccleſias Nicephorus [p]. Quibus illud ſumma diligentia Imperatorem inter alia præſtitiſſe, vt libris ad diuina officia celebranda abundarent, Euſebius [q] eſt auctor, dum litteras ab eodem ad ſe eo argumento conſcriptas recitat. Sed & teſtatur Nicephorus [r]; inter cetera egregia pietatis monumenta, Conſtantinum in eadem vrbe ſuper columnas erexiſſe tres Cruces æneas, & in eis ſeparatim has voces ſcripſiſſe, Iesvs Christvs vincit: ad quarum vnam (nimirum in qua vox Vincit inſculpta eſſet) plurima tradit ſolita fieri miracula, & qui inflammationibus aut oculorum doloribus & ſuffuſionibus vexarentur, ad eam ſanari conſueuiſſe: ſed & ad eam Angelum Domini ingenti ſplendore ter quotannis intempeſta nocte venire ſolitum, ac Crucem circumire ſuffitũ facientem, & Triſagion ſuauiſſime canentem. Habetque inſuper [s], in Conſtantini ſtatua ſuper columnam porphyreticam erecta, poſitam fuiſſe in dextra manu aureum malum cum ſuperaddita Cruce ac tali inſcriptione, Tibi Christe Devs Vrbem hanc commendo: in baſi vero columnæ varias ſacras reliquias fuiſſe recondi tas.

[p] Nic. l. 7. c. 49. 50. [q] Euſ. 4. de vit. 36. [r] Nic. l. 1. ca. 12. Crvces pvblicæ erectæ Conſtantinopoli. [s] Id. l. 7. c. 49.

IV. Conſtantinopolis dicta Noua Roma. [t] Socr. l. 1. c. 2. [u] Hier. in Chron. Eivsdem vrbis ornamenta.

Vt autem eadem ciuitas ab Imperatoris nomine Constantinopolis appellata, *Noua* ſiue *Secunda Roma* diceretur, ipſum Conſtantinum lege publica ſtatuiſſe, Socrates [t] tradit. Quæ vt in omnibus antiquæ Romæ reſponderet, eamdem in quatuordecim Regiones diuiſit, Capitolium erexit, Milliarium aureum collocauit, Circum Maximũ, Amphitheatrum, Fora, Porticus, & alia publica Romæ inſtar ædificia: idque (vt ait S. Hieronymus [u]) omnium vrbium nuditate, cum quicquid nobile in aliis antiquioribus totius Orientis ciuitatibus inuentum eſt Conſtantinopolim deferri curauit. Sed de his plura Nicephorus, Zonaras Cedrenus, & alii. Senatum quoque ibi conſtituit, & Senatoribus ab antiqua Roma eo tranſlatis (vt tradit Zoſimus) domos ædificauit; ipſique Senatui eoſdem honores, eademque priuilegia quæ Romano tribuerentur aſſignaſſe, Sozomenus [x] ſcribit. Scientiarum quoque ſcholas ædificauit, quæ laudantur à S. Gregorio [y] Nazianzeno. Teſtatur enim Aurelius Victor, Conſtantinum fuiſſe nutritorem bonarum artium, ac fouiſſe maxime ſtudia litterarum: quod & demonſtrant priuilegia [z], quibus eorum profeſſores voluit eſſe munitos. Eiuſdemq; opus fuiſſe putatur bibliotheca ibidem ædificata, ab aliis vero adeo aucta vt numerum centum viginti millium librorum expleret; quæ tempore Baſiliſci Imperatoris [a] incendio conflagrauit.

[x] Soz. l. 2. ca. 2. [y] Greg. Naz. orat. in laud. Baſil. [z] L. 1. & 3. C. Th. de medic. & profeſ. [a] Zonar. Annal. par. 3.

V. Annona civibvs constitvta. [b] l. 10. 11. 13. C. Th. de annon. ciuic. [c] l. 2. C. Th. de frum. vrb. Cõſtant. [d] Zoſ. l. 2.

Ad ampliandam autem ciuitatem ædificiis, eumdem Conſtantinum annonam publicam viritim omnibus in ea domum habentibus diſtribuiſſe, eamdemque ad poſteros tranſmitti voluiſſe; docent poſteriorum Imperatorũ ea de re ſanctiones [b] editæ. Solitam vero in pane cocto fieri; eamdemque à Theodoſio Seniore auctam eſſe, & inuiolabiliter præſtari conſueuiſſe; Theodoſii Iunioris conſtitutio [c] declarat. Meminit & Zoſimus [d] eiuſmodi munificentiæ Conſtantini, quam & ſuo tempore viguiſſe teſtatur. Denique idem Imperator & in eo magnam ex Chriſtiana manſuetudine ſibi gloriam comparauit, quod cum vetera ædificia eius ciuitatis auguſtiora in omnibus reddidiſſet, & noua longe ampliora erexiſſet, carcerem tamen, vt ſe habebat, humilem atque depreſſum, paucorum hominum capacem, nullo auctum additamento reliquit: quem nec poſteri mutare auſi ſunt Imperatores, vſque ad Phocam ſub quo redditus eſt amplior, vt Glicas [e] teſtatur. Ceterum quantumlibet tam ipſe Conſtantinus, quam alii certauerint eodem ſtudio poſteriores Imperatores Orientalis Orbis, vt æmulam Romæ Conſtantinopolim æqualem ei redderent, tum priuilegiis muniendo, tum mœnia ſæpius dilatando, & ædificiis illuſtrando, tum aliarum ciuitatum atque nationum ſpoliis ornãdo: tamen id perficere minus licuiſſe, quæ hactenus præ manib. habetur in Notitia [f] prouinciarum vrbs Conſtantinopolitana accurate deſcripta, facile monſtrat. Vnde veriſſima comprobatur ea de re Suidæ ſententia; *Conſtantinopolim tanto eſſe aliis omnibus maiorem, quanto Roma eſſet minor; à qua ſecundam numerari longe ſatius eſſet, quam ceterarum omnium primam exiſtimari*: licet Sozomenus [g], qui veterem Romam numquam inuiſit, nouam ei prætulerit.

[e] Glic. l. 4. Qvantvm præstaret vrbs vetvs novæ. [f] Ext. poſt. C. Th. recent. edit. eadem, quæ ſe paratim poſtea cuſa, tum Notit Pancirol. [g] Sozom. l. 2. ca. 2.

VI. Novi magistratvs a Constantino creati.

Sic autem diſpoſitis quæ ad perfectionem conditæ vrbis videbantur requiri, idem Conſtantinus vniuerſi quoque Imperii politicum ſtatum in meliorem ordinem reformare volens, complures nouos magiſtratus inſtituit; & veteres magna ex parte mutauit: atque inter alios cum duo tantummodo antea eſſent *Præfecti Prætorio* (quorum erat ſumma poſt Imperatorem auctoritas, adeo vt ceteri omnes vbique magiſtratus, ordineſque Palatini, atque duces exercituum, eis ſubiacerent) quatuor in poſterum eſſe voluit, quibus vniuerſarum Imperii Romani prouinciarum curam diuiſit: ſed quod Magiſtros quoque militum inſtituens, alterum equitum, peditum alterum, poteſtatem eis militum ordinandorum ac puniendorũ contulit; hac ex parte Præfectorum auctoritati detraxit. At hæc & alia pluribus explicata habentur in Notitia illa peruetuſta prouinciarum; vbi & ceterorum magiſtratuum nomina inſunt, qui miro quodam ordine diſpoſiti eſſe videntur. Vt plane appareat, Zoſimum [h] mali animi affectu potius quam iure hac quoque ex parte in Conſtantinum inuehi, cuius cuncta quantumlibet recte geſta carpere numquam deſtitit. Sed & quod addit de ſæuis exactionibus ab eodem Imperatore extorqueri ſolitis, quam ſit calumnioſum ſatis ſuperius [i] demonſtratum eſt.

[h] Zoſ. l. 2. Calvmnia Zosimi in Constantinvm. [i] Sup. an. 318.

VII. De exactione Chrysargyri.

Quod autem habet de *Chryſargyri*, hoc eſt auri argentique collatione, impoſita omnibus vbique terrarum negotiationes exercẽtibus, & Dardanariis oppidorum (hoc eſt fraudulentis venumdatoribus annonæ) atque perſonis quibuſcumque viliſſimis, ac meretricib. quarto quoque anno pendenda; confundit plane diuerſa tributorum genera. Nam quod impoſitum erat negotiatoribus, id proprie Chryſargyrum erat; diuerſum ab alio quod pendere conſueuerant lenones, meretrices, & exoleti: quod quidem non Conſtantinus, ſed Caius [k] Caligula excogitauit, auxitque aliis probroſis exactionibus: Alexander [l] vero Imperator æquiſſimus, quod ex turpi lucro colligeretur, vetuit in Ærarium inferri; non tamen abſtulit, ſed ſumptibus publicis ad inſtaurationem Circi Amphitheatri deputauit. Et licet ipſum non Conſtantinus penitus ademerit [†], ſaltẽ ea ex parte minuit quæ ad exoletos pertinet, quos lege lata penitus ſuſtuliſſe vidimus. Rurſum vero tantum abeſt vt iſtud de quo agimus indictum fuerit meretricibus, vel pauperibus; vt cum à negotiatoribus dumtaxat exigendum illud eſſe ſtatuerint Principes [ll], immunes ab eo eſſe voluerint etiam ruſticanos atque colonos, vel alios omnes qui victum manu quærerent.

[k] Suet. in Calig. c. 40. [l] Lamprid. in Alex. [†] Sublatũ poſtea penitus Anaſtaſius Imp. de quo infra an. 491. [ll] L. 10. C. Th. de luſtrat.

VIII. Chrysargyrvm tribvtvm æqvissimvm. [m] Euagr. l. 3. c. 39. & ſeqq. [n] Vid. in Conſt. Niceph. l. 7. c. 49.

Sed nec quiſquam eiuſmodi tributum eſſe inuentum à Conſtantino poterit affirmare cum aurum Negotiatorium, ſicut & Coronarium iam pendi ſoleret Alexandri tẽporibus, quem illud remiſiſſe aliquando, non autem abſtuliſſe, Lampridius tradit. Vt vero tunc aurum tantummodo ſit imperatum, & ſub Conſtantino aurum & argẽtum; hoc nemo poterit demonſtrare, iureque refellere cenſetur Euagrius [m] Zoſimi calumniam de eo tributo falſo Conſtantino adſcripto. Quod tamen ſi daremus auctum ab eo fuiſſe, haud quidem eſſet eiuſmodi conferendum cũ tot aliis ab Imperatorib. Ethnicis indictis: quinimmo & leuiſſimum exiſtimari deberet, ſiquis conſiderauerit tot publica à Conſtantino erecta inſignia monumẽta, & maxime (vt prætermittamus de aliis dicere) ciuitatẽ inſtar Romæ conſtructam, ac pontem [n] lapideum ſuper

Danubium vaſtiſſimum & rapidiſſimum amnem conſtructum, quo ad inuadendos barbaros facilis pateret acceſſus; ſicut & alium Traianus [o] olim incredibili plane impenſa confecerat. Porro ſic eiuſmodi deſcriptum à Zoſimo tributum dictum fuit *Chryſargyrum*, quod vtraque ſpecies penderetur, aurum ſcilicet & argentum: efformari enim ſolitos nummos ſiue aureos ſiue argenteos iuxta pondus indicti tributi, diſtinctamq; fuiſſe penſitationem auri ab argenti, conſtat ex Lampridio in Alexandro; adeo vt cum auri tributum indictum eſſet, non penderetur argentum; nec contra. Vt autem argenti vel æris pretium in auro perſolui poſſet, Arcadius & Honorius primi ſtatuiſſe [p] reperiuntur.

o Dio in Traia.

p l. vn. C. Th. de arg. pret. l. vn. de collat. æris. C l. 10.

IX. DE FOLLE, ALIOTRIBVTI GENERE.

Sed quod idem Zoſimus rurſum ex eo inſectatur Cõſtantinum, quod clariſſimis quoque viris tributum impoſuerit, Follem (vt ait) ab ipſo nominatum: cum duplicis generis *Follis* eſſet (vt Epiphanius [q] docet) quorum maior ducentos octo denarios, hoc eſt (vt aliunde [r] colligitur) tres libras & ſemis paulo minus argenti contineret, minor duo tantum minuta denarii, nempe obolum (vt etiam Suidas [s] interpretatur) quem Epiphanius tradit continuiſſe octogeſimam partem vnciæ argenti: eſſetque adhuc aliud tertium genus [t] Follis, quod contineret três nummos argenti, hoc eſt vigeſimam [u] partem libræ: cùm inquam, hæc ita ſe habeant, etiamſi daremus tributum Conſtantini ſummi pretii follis extitiſſe; quæ tanta cauſa Zoſimo aduerſus eum inclamandi, ſi tres libras argenti in ſingulos annos Senatoribus, viris ampliſſimis atque ditiſſimis impoſuerit; cùm præſertim ſciamus Auguſtum [x] Imperatorem tam graue eis tributum indixiſſe, vt complures coacti fuerint è Senatu migrare? Ceterum hac ex parte magnam ſibi laudem comparaſſe Conſtantinum, quod non tantum noua non impoſuerit, ſed nonnulla ex iis quæ alii indixiſſent abſtulerit, fidem faciunt quæ iam ſuperius [y] ſunt de his dicta: vt non ſit amplius immorandum in eo vindicando à calumniis Zoſimi.

q Epiph. de menſ. & pond. Cæterum agunt de Follis valore Alciat. & Cuiac. lib. de Prætor. & præt. honor. ſed exactius Baron. Annal. to. 3. hoc an. qui non nihil ab illis diſſentit, quos conſulat qui hac curioſius cupit. r l. 1. C. Th. de expenſ. Ludor. s Suid. verb. [illegible] t Colligitur ex l. 5. & 25. C. Th. de Prætor. u d l. 1. de expenſ. x Dio l. 55. hiſt. Rom. y ſup. an. 315.

His ipſis temporibus quibus Noua Roma Conſtantinopolis ædificaretur, ab eodem Zoſimo [z] ponitur *Bellum Scythicum*; cum (vt ait) Scythę Thaiſale duce Romanorum ditionem inuadere auſi eſſent, Conſtantino otioſe agente quieto ab omni belli tumultu; quem & aduerſus eos præliantem maiorem exercitus partem amiſiſſe, & fuga ſibi conſuluiſſe tradit: cum tamen Euſebius [a], & alii omnes qui proſecuti ſunt res Conſtantini, affirment ipſum Scythas ſuperaſſe, Romanumque Imperium à vectigali quod illis pendebat prælio redemiſſe, ac denique (quod nemo antea fecerat) ſub tributo etiã redegiſſe. Porro hæc iſtis plane temporibus contigiſſe, cum extructo ponte ſuper Iſtrum, eo tranſmiſſo Scythas debellauit, Cedrenus [b] quoque teſtatur; hoſque putamus eos eſſe, quos S. Hieronymus [c] & Sozomenus [d] Gothos appellant; ſuffragantibus antiquis Conſtantini numiſmatibus [e], in quorum altera parte ſcriptum legitur, VICTORIA GOTHICA.

X. z Zoſ. l. 2. CONSTANTINVS SCYTHAS REDEGIT SVB TRIBVTO. a Euſ. 4. de Vit. 5. b Cedr. an. 25. Conſtant. c Hier. in Chron. an. 27. Conſt. d Soz. l. 1. c. 8. e Habet Baron. Annal. to. 3. hoc an.

Hoc autem bellum quo deuicti ſunt Scythæ iidemque Gothi, & ſub tributo redacti, geſtum eſſe ab *Ouinio Gallicano* V. C. huius annni Conſule cui Conſtantinus filiam ſuam Conſtantiã deſpondiſſet; Acta [f] SS. martyrum Ioannis & Pauli teſtantur: quem quidem tunc adhuc Paganum extitiſſe tradunt, ſed cum in extremas anguſtias à Scythis redactus, defectionem inſuper ſui exercitus pateretur, ipſeque de fuga cogitaret, hortatu Ioannis & Pauli ſe Chriſto vouiſſe, eiuſq; auxilio per Angelos præuia Cruce miniſtrato, glorioſiſſima victoria potitum Scythas ſub tributum redegiſſe; & ſe Conſulatu abdicantem, ac bona ſua pauperibus diſtribuentem, ad oſtia Tiberina ſeceſſiſſe, ibique infirmis ac pauperibus miniſtrantem diutius vixiſſe. Habent hæc omnia pluribus illa Acta, ex quib. eadem ad verbum Ado [g] recitauit. Et quamuis ſcimus nonnulla eſſe quæ poſſint eis obiici, nec abnuamus eiuſmodi hiſtoriam additamentum accipere potuiſſe (vt moris fuit quorumdam, qui de re magna breuis pertæſi narrationis, multa periphraſtice cumularunt) tamen ea quæ retulimus, tum ab Eccleſiaſticis monumentis tum ab aliis auctoribus fidem ſibi vendicant. Siquidem illa [h], Gallicani ad Oſtia Tiberina exhibitam omni officio hoſpitalitatem teſtantur. Extatque præterea de eiuſdem muneribus oblatis Eccleſiæ SS. Apoſtolorum Petri & Pauli ac Ioannis Baptiſtæ ibidem Oſtiæ à Conſtantino ædificatæ, egregium monumentum in ſuperius citato Anaſtaſii libello de Munificentia Conſtantini. Euſebius autem quamuis nullam prorſus de eo mentionem habeat, quod more ſuo omnia Conſtantino tribuat; tamen Scythas Crucis potentia ſuperatos eſſe affirmat. Sicut & cum Zoſimus dicit maiorem partem Romani exercitus apud Scythas eſſe amiſſam, licet de victoria nihil ſcribat, quam à Romanis obtentam conſtat, iſthæc viſus eſt aliqua ſaltem ex parte ſignaſſe. Deniq; vt vir poſt Imperatorem & Cæſares omnium clariſſimus, & à Chriſtiana fide alieniſſimus, tam repente ex Patricio & Conſule adeo humile arripuerit vitæ inſtitutum, haud potuit contigiſſe abſque aliquo veritatis Chriſtianæ religionis admirandi ſigno. Quomodo vero ſub Apoſtata Iuliano martyrium ſubierit, dicetur ſuo loco.

XI. GALLICANVS BELLI SCYTHICI DVX. f Extat ap. Sur. & alios 26. Iunii. DIVINITVS EOS VINCIT. g Ado in Martyrol. 25. Iunii. FIT CHRISTIANVS, ET RENVNCIAT MVNDO. h Martyrol. Rom. Bed. Vſuar. Ado 25. Iunii.

Porro quæ in prædictis martyrum Actis *Conſtantia* filia Conſtantini Magni, deſponſata dicitur Gallicano, hanc veriſimile eſt eamdem illam eſſe, quæ veneratione colitur Romæ extra portam Nomentanam apud baſilicam S. Agnetis martyris, quæque ad ſepulchrum eiuſdem vlceroſo morbo in ſomnis liberata eſſe, & in virginitate perſeueraſſe traditur Ambroſium [i] ab incerto auctore; cuius etiam rogatu patrem ipſius Conſtantinum eamdem baſilicam S. martyris Agnetis ædificaſſe, aſſeritur in dicto libello de munificentia Conſtantini. Quamuis quæ vſu recepto & ſcriptis firmato, vbique & ab omnibus *Conſtantia* dicitur, eamdem proprio nomine dicendam eſſe *Conſtantinam*, antiqua [k] ſuadeat inſcriptio affixa eiuſdem S. Agnetis baſilicæ apſidi, necnon S. Althelmus Anglorum Epiſcopus in carmine [l] quod ſcripſit de laude Virginum. Nam quæ Conſtantina dicta reperitur alia itidem Conſtantini Magni filia, ea nec virgo permanſit, quã Ammianus tradit duos viros habuiſſe, priorem Annibalianum, poſteriorem Gallum Cæſarem; nec talis exitit vt ſanctitatis vllo titulo meruerit inſigniri; vtpote femina crudelitatis face incenſa furens, noua Megera ab eodem auctore nominata: cum tamen alteram illam Conſtantinam, eadem vetera monimenta virginitatem Deo dicaſſe tradant.

XII. DE CONSTANTIA FILIA CONSTANTINI. i Ap. Ambr. ſer. de paſſ. Agnet.

k Antiq. Inſcrip. Ap. ad pag. 1151. num. 9. l Tom. 5. Antiq. lect. pag. 551.

Hoc eodem anno iiſdemque Coſſ. datum reperitur reſcriptum [m] Conſtantini Imperatoris ad Valẽtinum Conſularem Numidiæ, pro Clericis Catholicis ad Curiã, hoc eſt ad munera publica municipiorũ capeſſenda, hæreticorum delatione deuocari ſolitis: quod ne amplius fieret in Eccleſia Occidentali, Orientalis exemplo Imperator prohibuit, volens omnino ab eiuſmodi oneribus clericos eſſe liberos, & immunitate pleniſſima potiri.

XIII. m l. 7. C. Th. de Epiſ. & cler. CONSTANT. EXIMIT CLERICOS A MVNERIBVS.

IESV CHRISTI AN 331.

CONSTANTINI AN. 26.

SILVESTRI AN. 18.

ANNO Chriſti trecenteſimo trigeſimo primo, Ouinio Baſſo iterũ & Ablauio Ægypto Coſſ. Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus, cum aliquantiſper quieuiſſet donec Euſebius Nicomedienſis & Theognis Nicænus exularent, iiſdem Conſtantii Cæſaris (vt creditur) opera [a], & Conſtantiæ Licii olim coniugis ſororis Conſtantini Imperatoris arte, anno ſuperiori, quo eiuſdem Conſtantii celebrata ſunt Quinquennalia, & Nouæ Romæ vrbis Conſtantinopolitanæ dedicatio facta, ab exilio ad proprias Eccleſias reuocatis; nouis rurſus calumniis exagitatur. Siquidem Meletiani cum Iſchyram pſeudopresbyterum (de quo ſuperius) ad ſe transfugientem ſuſcepiſſent; conſilio cum Euſebianis inito, tum eidem Iſchyræ perſuaſerunt, Macarium presbyterum Alexandrinum (quem alii diaconum tantum nominant) qui apud Imperatorem defenderat à Meletianorum calumniis Athanaſium, & ad perquirẽdũ Iſchyrã miſſus fuerat, accuſare de

I. a Vid. Niceph. l. 9. c. 11.

ATHANASIVS ITERVM VEXATVR.

fracto in eccleſia calice, aliiſque ſacrilegiis; tum ipſemet Athanaſio impudentiſſimam calumniam impegerunt, de occiſo ab eo Arſenio Epiſcopo factionis Meletianæ, quem, vt calumnia ſuccederet, in abditis habuerunt, interim manum cuiuſdam tamquam ex eius corpore reciſam ad oſtẽtationem circũferentes. Cum vero Iſchyras à ſuis reprehenſus veniam ab Athanaſio poſtulaſſet, & publice dato libello conteſtatus eſſet ſe à Meletianis ſubornatũ eſſe eiuſmodi calumniã aduerſus Macarium ſtruere: nihilominus Meletiani eadẽ crimina paſſim iactitantes, rem etiam ad Imperatorẽ detulerunt; qui cognita ac repudiata de fractione calicis ſycophantia, Antiochiam litteras ad Delmatium Cenſorem miſit, vt cognoſceret de cauſa homicidii. Tradit hæc omnia ipſe Athanaſius in Apologia ſecunda. Porro Iſchyram non ad Meletianos tantum, ſed & per eos profectum eſſe Nicomediam ad Euſebium illius ciuitatis Epiſcopum, & ab eo de concinnandis calumniis optime fuiſſe inſtructum, teſtantur Socrates [b] & Sozomenus [c]. Sed iſte aliique eiuſdem ſententiæ, errore labuntur dum Arſenium clericum tantum vel presbyterum nominant, quem ex ipſo Athanaſio & aliis conſtat fuiſſe Epiſcopum. Quale vero fuerit de Athanaſio Delmatii iudicium, dicetur inferius ſuo loco.

b Socr. l. 1. c. 20. c Soz. l. 2. c. 22.

II. Interim hoc ipſo anno Macarius Epiſcopus Hieroſolymitanus, cum ſediſſet annos decem & nouem reddidit Deo ſpiritum; cuius memoria iugi annua commemoratione in Eccleſia hactenus perſeuerat [d]. In eius vero locũ ſubrogatus eſt *Maximus*, quem Sozomenus [e]. tradit, cum antea Epiſcopus Dioſpolitanus, à Macario fuiſſet ordinatus, à populo Hieroſolymitano ne eam ſedem capeſſeret impeditum eſſe, & Hieroſolymis retentum vt Macario ſuccederet; eorumque deſiderio Macarium facile acquieuiſſe, quod ſciret Maximum fidei Nicænæ acerrimum aſſertorem, ac vereretur ne ſe mortuo Euſebius Cęſarienſis & Patrophilus Scythopolitanus ſectæ Arianæ fautores aliquem ex ſuis in ſedem Hieroſolymitanam intruderent.

d Mart. Rom. 10. Mart. e Soz. l. 2. c. 19. MAXIMVS EPISCOPVS HIEROSOLYMITANVS. i Hos tres annos ita coniunximus, quod vnius dumtaxat hiſtoria, nec facile ſeparandæ narrationem cõtineant.

IESV CHRISTI AN. [a] 332. 333. 334.

CONSTANTINI AN. 27. 28. 29.

SILVESTRI AN. 19. 20. 21.

I. DELMATIVS COGNOSCIT CAVSAM ATHANASII DE CALVMNIA OCCISI ARSENII.

ANno Chriſti trecenteſimo trigeſimo ſecundo, Ouinio Pacatiano & Mecilio Hilariano Coſſ. S. Athanaſius à Delmatio, cui Conſtantin. Imperator cauſæ cognitionem de prætenſa Arſenii nece delegauerat, monitus vt ſe ad criminis defenſionem pararet; rem impigre gerens, primo in Thebaidem, vbi Arſenium latitare audierat, diaconum ſuum exploratum miſit; mox vero cum eumdem illinc aſportatum in inferiorem Thebaidem, ac poſtea in externas regiones nauigare compulſum, audiuiſſet Tyrum appuliſſe, & ibi rurſum occultari, ſuos denuo illuc direxit; qui tandem inuentum, & ſe Arſenium eſſe negantem, ſtiterunt iudicio Pauli eius ciuitatis Epiſcopi Catholici; apud quem de fraude conuictus, ſe Arſenium vero eſſe confeſſus eſt, ac totã de ſimulatione ſuæ necis ex Euſebii Nicomedienſis concilio technã detexit. Hęc quidem omnia ita geſta eſſe ipſe Athanaſius publico ſcripto, nempe Apologia [b], tamquam patentibus litteris ab omnibus inſpiciendis teſtatus eſt: cui magis credendum, quam aliis totam huiuſmodi hiſtoriam de Meletianorum & Euſebianorum in eumdem calumniis, aliter enarrantibus; quorum nonnulli [c], quod ad Arſenii inuentionem ſpectat, eam referunt ad tempus Concilii Tyrii, quod tertio poſt hunc anno celebratum conſtat; alii [d] etiam, à vero longius, poſt Conſtantini obitum.

b Athan. Apol. 2.

c Socr. l. 1. c. 23. Theod. l. 1. c. 30. Sozom. l. 2. c. 23. d Epiph. hær. 68.

Ceterum Athanaſius de inuento Arſenio cuncta liquido probata habuiſſet.

II. Anno Chriſti trecenteſimo trigeſimo tertio, Delmatio atque Zenophilo Coſſ. Macarium presbyterum ſuum Conſtantinopolim mittit, qui Imperatorem de omnibus certiorem redderet. Imperator autem iis acceptis Delmatium à cauſæ cognitione ceſſare iuſſit, Euſebianos accuſatores reiecit, & ad ipſum Athanaſium litteras honorificas miſit; quibus calumnias in eum allatas deteſtatus eſt. Vnde & illud plane incomparabile ſubſecutum eſt bonum, vt cum Arſenius, tum ipſe Ioãnes ſupremus Meletianorum Antiſtes, facti pœnitentes ſupplices pro venia conſequẽda eidem Athanaſio litteras dederint, & à ſchiſmate recedentes Catholicæ ſe communioni reſtituerint. Docet hæc pluribus ipſe Athanaſius [e] additque hunc finem habuiſſe conſpirationem Meletianorum.

IOANNIS EPISCOPI MELETIANI POENITENTIA. e Athan. Apol. 2.

At vero Euſebiani veriti ne Meletianis ceſſantib. deſtituerentur eiuſmodi calumniarum hiſtrionibus.

III. Anno Chriſti trecenteſimo trigeſimo quarto, Optato & Paulino Coſſ. denuo eumdem Ioannem ab Athanaſio reſilire fecerunt [f]; taliaque ac tanta in eumdem Athanaſium commenti ſunt, vt Conſtantinum alioqui erga illum propenſiorem à propoſito mentis auertentes, male credulum compulerint Synodum Epiſcoporum Cęſareæ Palæſtinæ celebrandam indicere, ad quam Athanaſius iudicandus adueniret. Sed quod ille detrectans ſubire iudicium Euſebii eius ciuitatis Epiſcopi, & aliorum, Arianorum omnino recuſaſſet eo accedere, nouis rurſum ea occaſione apud Imperatorem calumniis oneratus, mutato Concilii loco iuſſus eſt ab ipſo iam in eum commoto Imperatore Tyrum petere. Cuius etiam cogendi ibidem Concilii illa cauſa prętexitur [g], vt baſilicam famoſiſſimam Hieroſolymis erectam Epiſcopi dedicarent. Sed de his anno ſequenti, quo Synodum celebratam eſſe conſtat.

f Athan. ib. Theodor. l. 1. c. 31. Soz. l. 2. c. 24. CONSTANTINVS INDICIT CONCIL. ADVERSVS ATHAN.

g Euſeb. 4. de vit. 41. & ſeq. ibidem. 10.

IESV CHRISTI AN. 335.

CONSTANTINI AN. 30.

SILVESTRI AN. 22.

I. ANno Chriſti trecenteſimo trigeſimo quinto, Iulio Conſtantio Conſtãtini Imperatoris fratre & Ruffino Albino Coſſ. celebrata ſunt *tricennalia* eiuſdem Conſtantini; & CONSTANS tertius eius filius ab ipſo creatus [a] eſt Cæſar. Sed & ab Euſebianis aduerſus Athanaſium Tyri in Phœnicia habitum eſt *Conciliabulum*, cõſpirantibus vna cũ eis ſchiſmaticis Meletianis & hæreticis Colluthianis præſidente in eo Dionyſio Comite à Conſtantino miſſo, & militibus armatis Epiſcopos ſuo ſatellitio cingentibus: vt queſti ſunt Patres [b] Synodi Alexãdrinę paulo poſt celebratæ. Porro hoc ipſo anno eiuſmodi conuentũ malignãtium fuiſſe collectum Euſebii [c] inprimis, & aliorum [d] auctoritate probatur, dum aiunt ipſis Tricennalibus Imperatoris, tum Tyri tum etiam Hieroſolymis eoſdem Epiſcopos conueniſſe: idemque compertiſſimum redditur ex epiſtola [e] Eccleſiæ Mareoticæ in Ægypto, dũ Tyri Synodus ageretur, data ſub iiſdem huius anni Coſſ.

a Euſ. 4. de vit. 40. CONCILIABVLVM TYRIVM ADVERSVS ATHAN. b Ap. Athan. Apol. 2. c Euſ. l. 4. 40 & 41. 43. d Socr. lib. 1. c. 20. Sozom. lib. 2. cap. 25. e Ap. Athan. id.

II. Quot autem illic Epiſcopi conuenerint, nullus certus ab Euſebio defini ur numerus: ſed res ſuas atque ſuorum oſtentare ſolitus, dum ait collectos fuiſſe ex omni Ægypto, Aſia, Africa & Europa, voluit demonſtrare eiuſmodi conuentum fuiſſe Nicæno propemodum non imparem: cum tamen nonniſi ſexaginta omnes numero fuiſſe teſtetur Socrates [f], nec inter eos ex Occidentalibus aliquem: ſed illos tantum præſto fuiſſe, quos Euſebius & Euſebiani aduocandos eſſe Conſtantino perſuaſerunt, vt expreſſe teſtatur ipſemet Imperator in litteris [g] ad eiuſmodi Synodum ſcriptis. Fuerunt autem illi omnes prope qui Ario ſtuduiſſent tempore Nicæni Magni Concilii, vel poſtea eius fautoribus inhæſiſſent: qui tamen vt deciperent Imperatorem, ſe Catholicos & hoſtes Arianæ hæreſeos, & Eccleſiæ pacis ſtudioſiſſimos eſſe profiterentur. Quorum præcipui extiterunt, Euſebius Nicomedienſis totius impietatis choreæ ductor, eiuſdemque nominis & impietatis Euſebius Cæſarienſis, qui ambo eiuſmodi Synagogæ veluti Iudices præfuerunt, inhærentibus eis Theognide Nicæno, Mari Chalcedonio, Patrophilo Scythopolitano, & aliis tam Arianis quam Meletianis ab ipſo Athanaſio [h] recenſitis. Eorumdemque voluntate factum eſt, vt prætextu comprimendi tumultus, miſſus

QVOT ET QVALES EPISCOPI CONVENERINT

f Socr. lib. 1. cap. 20.

g Ap. Euſ. 4. de vit. 42. & Theodor. l. 1. cap. 29.

h Athan. Apol. 2.

fuerit ab Imperatore cum militari manu Dionyſius Comes,& ipſe(vt putatur)Euſebianus; reuera vt innocentes opprimeret, & ſecretum aditum Athanaſii hoſtibus ad oppugnandam fidem Catholicam aperiret. Denique Archelaum quoque Orientis Comitem eo miſſum eſſe,qui cum Dionyſio Concilio præſideret, Ruffinus [i] eſt auctor: ſed de eo nihil apud Athanaſium, alioſue antiquos ſcriptores qui de eo conuentu egerunt, *Socratem* [k], Theodoretum [l], ac Sozomenum [m].

i *Ruff. lib. 1. ca. 15. 17.* k *Socr. lib. 1. cap. 2. 21.* l *Theodor. lib 1. cap. 29. 30.* m *Soz. lib. 2. c. 2.*

III.

Qui vero Imperatoriis litteris,iiſdemq; minacibus vocatus fuerat S. Athanaſius ad dicendam cauſam, veniretne deberet diu multumque animo verſaſſe omnes tradunt. Sed quod apud Sozomenum legitur,eum, licet vehemẽter vrgeretur, profectionem diſtuliſſe vſque ad triginta menſes,textum eſſe deprauatum exiſtimo, & reſtituendũ ad tres menſes. Nam hoc ipſo anno Synodum cœptam eſſe ac pariter abſolutam, inde vero Hieroſolymam ad dedicationem templi euocatam, omnes affirmant. Acceſſit igitur Tyrum Athanaſius, ne aduerſariis anſam præberet in ipſum vehementius inſultandi,& nouas apud Imperatorem calumnias adſtruendi. Veneruntque cum eo Ægypti Epiſcopi quadraginta ſeptem, quorum nomina ſubſcripta habentur in fine epiſtolæ [n] quam Tyri ſcripſerunt: inter quos leguntur magni illi Potamon & Paphnutius confeſſione celebres, de quibus dictum eſt ſuperius. Eodemque Macarius presbyter vinctus per milites deductus eſt. Cum autem in Synodum ingreſſus eſſet Athanaſius, nullus ei penitus vbi ſederet datus eſt locus, cui omnium primus ob Alexandrinæ ſedis toto Oriente prærogatiuam debebatur: ſed tamquam reus coram accuſatoribus iuſſus eſt ſtare. Quod non ferens S. Potamon, lacrymans inuectus eſt contra Euſebium Cæſarienſem, quod ipſe apoſtata olim à fide tempore perſecutionis, ſederet iudex, & Athanaſius innocens ſtaret ab eo iudicandus. Rem geſtam pluribus deſcripſit Epiphanius [o]: eiuſdemq; meminerunt iidem Epiſcopi Ægyptii in epiſtola quam diximus. De Euſebii vero apoſtaſia dictum eſt ſuo loco. Ceterum Athanaſius, primo de ſuſpectis Iudicibus conqueſtus cum minime audiretur, quantumuis ex eorumdem fauore Meletiani accuſatores audentiores in eum redderentur, ipſe tamen veritate fretus, & alii Orthodoxi qui aderant certi de eius innocentia, etiam coram hoſtibus talia iudicari paſſi ſunt.

n *Ap. Atha. Apol. 2.*

ATHANASIVS INDIGNE HABITVS TYRI.

o *Epiph. hær. 68.*

IV. ACCVSATIONES IN ATHANASIVM.

Quod autem ad crimina in eum obiecta pertinet: veteres inprimis accuſationes illæ, quæ aduerſariorum quoq; confeſſione calumnioſæ fuerant comprobatæ, iterum allatæ ſunt in medium nempe de occiſo ab eo Arſenio,& fracto à Macario ſacro calice: prodeunte etiam accuſatore, ſpe polliciti Epiſcopatus illecto, illo eodem Iſchyra pſeudopresbytero, quem calumniarum ſuarum pœnitentem iam olim Athanaſio ſupplicem libellum obtuliſſe vidimus. De cuius gradu male præſumpto, ac calumniæ fictione, licet Athanaſius euidenter demonſtraret: tamen (inquit ipſe [p])ea res nihil remorata eſt inimicos, cum & presbyter fingeretur qui non erat, & Comes vim adhiberet,& milites Athanaſium ac ſuos traherent.

p *Athan. Apol. 2.*

ARSENII CAVSA QVOMODO SE HABVERIT.

Sed vnde nam quæſo, manauit occaſio, vt quem viuere certo certius fuerat diuulgatum, adeo procaciter iterum de occiſo Arſenio accuſationem propoſuerint? Non aliunde quidem, niſi quod ſicut Iudæi impii reſuſcitatum Lazarum in odium Chriſti interficere quærebant, ita Euſebiani atque Meletiani, cum viderent quẽ occiſum prædicaſſent, in eorum ſummam infamiam adhuc viuere, conati ſunt eidem necem inferre: (id enim innuunt Synodales litteræ [q] Concilii Alexandrini poſtea habiti, quibus hæc omnia Tyri geſta fuſius enarrantur) quod perſentiens ille, delituit quouſque palam in Tyrio conuentu ſe prodidit. Porro Sozomenus [r] ſcribit, eum ſponte ſe vt Athanaſium periclitantem eriperet, Synodo obtuliſſe. Additq; Theodoretus [s], eumdem ab Athanaſii neceſſariis coactum eſſe in diuerſorio partumper latere, cum autem aduerſarii in Synodo proferrent manum illam ad hanc tragœdiam comparatam, quam dicerent Arſenio fuiſſe abſciſſam, & ſciſcitante ab eis Athanaſio ecquis Arſenium noſceret, multi reſpondiſſent ſe accurate hominem noſcere: tunc eum introduxiſſe, & à Iudicibus agniti vtramque manum integram oſtendiſſe: ſed nihilominus tam accuſatores quam Iudices, vociferantes hæc per incantationes ac præſtigias ab Athanaſio fieri, impetum in eum feciſſe: verum à Dionyſio Comite neci ereptum, Conſtantinopolim ad Imperatorem nauigaſſe. Hæc Theodoretus, & alii [t]: ſed acceſſus Athanaſii ad Conſtantinum poſtea accidit.

q *Ap. Atha. ibid.* r *Soz. lib. 2. cap. 24.* s *Theod. lib. 1. c. 30.* t *Soz. lib. 2. c. 24. Socr. lib. 1. cap. 21.*

VI.

Narrat vero Sozomenus alia quædam ad Arſenii cauſam ſpectantia, quæ ab aduerſariis fuiſſe tunc ſuperaddita tradit: ſed & alia multa in Athanaſium obiecta recenſet, quæ ab aliis ſunt prætermiſſa, atque ab ipſo etiã Athanaſio, necnon à Patrib. Synodi Alexandrinæ: apud quos nonniſi de duabus querelis in Athanaſium eodem Tyrio conuentu illatis mentio habetur: nempe de nece Arſenii, & fractura ſacri calicis: Eſt tamen & apud Theodoretum narratio de meretricula ſuppoſita, quæ ſe ab Athanaſio vi compreſſam quereretur: atque, cum Athanaſius in Synodum vna cum Timotheo quodam presbytero ingreſſus, iuſſus eſſet crimini reſpondere, ipſo quidem ſilente, Timotheum perinde ac ſi ipſe fuiſſet Athanaſius, muliérculam ſic interrogaſſe, *Egone tecum aliquando rem habui?* cumq; illa petulantius aſſereret eũ ipſum eſſe qui ſibi virginitatem abſtuliſſet, technam omnibus patefactam eſſe.

MERETRICVLA ADVERSVS ATHANASIVM PRODVCTA.

VII. QVID ACTVM PRO PRÆTENSA FRACTVRA CALICIS.

Quod autem ſpectat ad querelam Meletianorum de fractura calicis (quam licet Macarius feciſſe diceretur, tamen ſumma criminis in Athanaſium ipſum referebatur, quod is illud iuſſiſſe affirmaretur) in eadem epiſtola Alexandrinæ Synodi traditur, quod etſi hæc calumnia ipſa ſua vanitate corrueret, tamen Euſebiani Iudices ſententiam ea de re ſuſpenſam voluerint donec de probationibus conſtaret: & ad hoc delectos ex ſuis ſex Epiſcopos Arianos, qui omnium maxime Athanaſio infenſi eſſent, clam in Mareoten regionem (vbi calix fractus fuiſſe dicebatur) legauerint qui rem curioſe ſcrutarentur. Ceterum cum iſta contra omne ius faſque, ac præter ſententiam omnium Orthodoxorum qui Tyri conuenerant agerentur: dederunt primo Ægypti Epiſcopi illi quadraginta ſeptem, cõteſtationis libellos tum ad Synodum tum ad Dionyſium Comitem, ne quid amplius ab iis in ea cauſa ageretur, ſed cuncta reſeruarent integra cognoſcenda per Conſtantinum Imperatorem. Quibus & ſuum in particulari addidit Alexander Epiſcopus Theſſalonicenſis, qui eidem conuentui intererat: eoſque omnes recitat Athanaſius in ſua Apologia. At cum nequicquam proficeretur, nec ipſe Dionyſius miſſam à Iudicibus Arianis legationem in Ægyptum reuocandam curaret, omnia denique in gratiam fierent eorumdem Arianorum: tunc Athanaſius meliorum rerum deſperatione è Concilio iniurioſorum (vt ipſe loquitur) Tyro receſſit & ad Conſtantinum profectus eſt expoſtulaturus de iis quæ adeo inique geſta eſſent.

VIII.

Interim vero legati in Ægyptum miſſi, ducto ſecum Iſchyra accuſatore Alexandriam aduenictes, ſumpto Philagrio Ægypti Præfecto perrexerunt in Mareoten: vbi repulſis à teſtimonio pro Athanaſio & Macario presbytero ferendo Eccleſiaſticis hominibus, ac tantummodo examinatis catechumenis Iudæis atque Gentilibus, iiſdemque præmonitis de his quæ dicere deberent, minas iactãte Præfecto, militibuſque tela & vulnera intentantibus, confecta ſunt Acta pro libito Euſebianorum, vt hæc omnia fuſe ipſe Athanaſius proſequitur in Apologia [u]. Iis autem magna celeritate Tyrum perlatis, Concilium (inquit Sozomenus [x]) Athanaſium indicta cauſa condemnauit, abdicauitque Epiſcopatu, ac decreuit ne poſtmodum Alexandriæ habitaret: Ioannem autem Meletianorum principem, & alios eius factionis in communionem recepit, & ſuam cuique dignitatem reſtituit: litteraſque ea de re tum ad Imperatorem, tum ad omnes vbique Epiſcopos ſcripſit, ne amplius cum Athanaſio aut litteris aut ſermone communicarent. Verum complures qui aderant in Concilio Epiſcopi, huic iudicio minime conſenſere: & inter eos Paphnutius confeſſor prehenſa manu Maximi Epiſcopi Hieroſolymitani, monuit vt ſurgeret: non enim

u *Athan. Apol. 2.* x *Soz. lib. 2. cap. 24.*

ATHAN. DAMNATVR AB EVSEBIANIS.

oporte-

oportere ſe cum eſſent confeſſores, & pro pietate tum oculos effoſſos, tum pedum flexus debilitatos haberent, Concilio hominum perditorum communicare. Hæc & alia Sozomenus, & alii. Vnde quod Iulius Papa ſcribens [y] poſtea ad Arianos, dicit Athanaſium nequaquam Tyri condemnatum fuiſſe intelligendum putamus à maiori & ſaniori parte Concilii: ſiquidem Euſebiani ſeorſum ab Orthodoxis coeuntes (vt ipſe Athanaſius teſtatur) quę viſa ſibi ſunt decreuerunt. Porro hallucinatus eſt plane Ruffinus, dum putat Athanaſium è Tyrio Conciliabulo fuga lapſum, per ſex annos delituiſſe: quæ quidem longe poſt hæc contigerunt. Addit denique Athanaſius, Euſebianos apud Imperatorem egiſſe de erigenda Eccleſia & Epiſcopatu Iſchyræ accuſatori: & qui nec presbyter erat, vocatum fuiſſe Epiſcopum pagi illius in quo habitabat: idque præter maiorum traditionem, quod is pagus adeo paruus eſſet & paucorum hominum, vt nec vmquam eccleſiam habuiſſet aut presbyterum, ſed penderet ab alio proximo pago.

y Ap. Atha. Apol. 2.

IX. His igitur in hunc modum ex ſententia Euſebianorum in Athanaſium Tyri confectis, qui remanſerant ibi Epiſcopi, ex iuſſione Conſtantini Imperatoris, qui mandauerat vt quam celeriter altercationibus Epiſcoporum fine impoſito, transferrent ſe Hieroſolymam ad dedicandam inſignem baſilicam *Martyrium* dictam, ab eo iuxta ipſum Saluatoris monumentum ædificatam: ritu id Eccleſiaſtico perfecerunt. Tradunt hæc Euſebius [z], Socrates [a], Theodoretus [b], & Sozomenus [c]: qui accidiſſe aſſerunt mox poſt Tyrium conuentum ipſis Tricennalibus Imperatoris. Verum quod anni Cōſtantini inchoentur octauo Calendas Auguſti, haud neceſſe eſt vt tum ipſum CONCILIVM HIEROSOLYMITANVM, tum alia quæ iiſdem Tricennalibus geſta dicuntur, ſpatio præſentis anni Domini includantur: ſed multa reiicienda ſunt in ſequentem, vſque ad exitum eiuſdem Conſtantini anni trigeſimi. Res porro geſtas in conſecratione eccleſiæ Hieroſolymitanæ deſcribens Euſebius, eiuſmodi Epiſcoporum conuentum magnopere oſtentat, & ipſi Nicænæ Synodo ferme adæquat: quo Arii confeſſio ibi probata maiorem ſibi fidem vendicaret, & Arianorum in eo facta reſtitutio rata ab omnibus haberetur. Nam etſi aliqui magni nominis ibi fuerunt Orthodoxi Epiſcopi, ad dedicationem baſilicæ conuocati: tamen ſeorſum ab illis Euſebianos conueniſſe, vel poſt illorum diſceſſum, certum eſt; quandoquidem Euſebianorum conuentus, potius quam legitima Synodus, ille æſtimatus fuerit. Sed quod ad cōſecrationem attinet; tradit Sozomenus non ſolum ipſum templum, ſed & vaſa miniſterialia conſecrata fuiſſe ſecundum antiquum religionis Chriſtianæ ritum: atque ex eo tempore Hieroſolymitanam Eccleſiam quotannis per dies octo feſtum conſecrationis ſplendide admodum celebraſſe. quarum rerum frequentem in Eccleſia Catholica vſum hodie eſſe videbimus.

z Euſ. 4. de Vit. 41 & ſeq.
a Socr. lib. 1 c. 22.
b Theod. l. 1. c. 31.
c Soz. lib. 2. c. 25.
CONCIL. HIEROSOLYM. IN ENCÆNIIS

X. Rurſum vero quod ait Euſebius [d] eiuſmodi celebritatem diſputationibus quoque exornatam fuiſſe: ad hoc ſpectat, quod in eodem conuentu de recipiendis ad ſuas eccleſias Arianis pœnitentiam præ ſe ferentibus actum eſt. Sed & quod iidem recepti fuerint, & eccleſiæ conciliati: inde eſt quod idem auctor [e] ait, per eiuſmodi Epiſcoporum Concilium donum quoddam pacis ab Imperatore oblatum eſſe Deo. Haud vero admittimus quod ait Sozomenus, Arium hoc tempore fuiſſe ab exilio relaxatum: ſiquidem iam ſuperius vidimus eum in Nicæno Concilio ſimulate palinodiam recantantem receptum fuiſſe, nō tamē vt Alexandriam redire poſſet: & Euſebianos omni conatu niſos eſſe eumdem Alexandriā reuocare, ſed obtinēte Athanaſio minime impetraſſe: quam etiam ob cauſam tot tantaſq; molitiones ab eis de pellendo Alexandria Athanaſio eſſe comparatas, ipſe Athanaſius [f] ſcribit. Denique quomodo dici poteſt exulaſſe Arius, quem ante hæc ſuadentibus Euſebianis Conſtantinus Imperator ſcriptis ad eum libere agentem litteris quas Socrates [g] recitat, cur non prius ad ſe venerit admirari ſe dicit, & quamprimum venire conceſſo regio diplomate pro viatico iuſſit?

d Euſ. 4. de Vit. 41.
ARIVS ET ARIANI IN SYNODO RECEPTI.
e Ibid. c. 47.
f Athan. de Synod.
g Socr. lib. 1. cap. 19.

XI. Ceterum cum ipſe vna cum Euzoio (quem Alexander Epiſcopus Alexandrinus, cum Arianos damnaſſet à diaconatu depoſuerat) hoc ipſo tempore Conſtantinopolim veniſſet, fidei ſuæ confeſſionem Imperatori obtulit: quæ cum ambigue & doloſe compoſita à multis cenſeretur, quod in ea deeſſet verbum Conſubſtantialis: eam haud ipſe Imperator ſuſcipere auſus, antequam Epiſcopi, quorum eſſet definire de fide, approbaſſent: ad Epiſcopos Hieroſolymis conuocatos examinandam miſit: vbi qui Ario fauebant eamdem approbantes, ipſos quoque Arium & Euzoium qui eo aduenerant, in communionem receperunt, & Alexandriam cum litteris Synodalibus miſerunt. Narrant hæc Socrates & Sozomenus: agitque de iiſdem pluribus Athanaſius tam in Apologia quam in libro de Synodis: vbi hunc conuentum (qui vnus idemque exiſtimatus eſt cum Tyrio Conciliabulo, vtpote qui eodem ferme tempore & ab iiſdem Euſebianis fuerit celebratus) nominat *Exordium Synodorum Arianorū*: queriturque quod non timuerint Magnam Synodum Nicænam, quantum in ipſis fuit, in angulis demoliri: homines (vt ait) quiduis temere & dicentes & facientes. Quibus plane intelligas quod iam diximus, ea ſic Hieroſolymis geſta eſſe, vt peracta templi dedicatione, dimiſſoque cœtu, ipſi tantum Euſebiani relicti conuenerint, Ariique fide probata, tum ipſum tum alios recipiendos eſſe ſtatuerint: itemque Ariū eiuſmodi ambigua fidei profeſſione nihil aliud intendiſſe, quam vt abolito ex Nicæna fide verbo *Conſubſtantiali*, tota pariter extructa à SS. Patribus ſinceræ fidei machina corrueret: cum (vt ſuperius dictum eſt) omnia quæcumque à Catholicis afferrentur ad deſtructionem hæreſis Arianæ, haud ſatis eſſe videri poſſent ad tollendas omnes illorum captioſas tergiuerſationes, niſi verbum *Conſubſtantiale* adderetur; quod reticere, idem videri poterat quod Arianam hæreſim profiteri. Sed & quod idem [h] Athanaſius ait, poſt ſuum ipſius exilium Euſebianos ſcripſiſſe de reſtitutione Arii: plane declaratur, non ſtatim atque hic receptus eſt Hieroſolymis miſſum eſſe Alexandriam, ſed tum demum cum Athanaſius amandatus eſt in Gallias: quod & Socrates [i] affirmat. Quamobrem de vtroque agetur anno ſequenti; ſicut & de cauſa Marcelli Epiſcopi Ancyrani, quam idem Socrates [k] in Hieroſolymitano Concilio cœptam, in Conſtantinopolitano abſolutam tradit.

SVBLATVM VERBVM CONSVBSTANTIALIS.
h Athan. de Synod.
i Socr. lib. 1. cap. 25.
k Ibid. c. 24.

XII. Interim autem hoc eodem anno pridie Calendas Ianuarias *S. Syluester* Romanus Pontifex ex hac vita migrauit, cum ſediſſet annos viginti vnum menſes vndecim, vno minus die: ſepultuſque eſt in Cœmeterio Priſcillæ via Salaria: cui merito poſt Petrum, ob inſignes res geſtas tantum debet Eccleſia, quantum alii de ea quam optime merito. Quod autem ſciamus eius annos à diuerſis ſcriptoribus diuerſo numero conſignatos (ſiquidem alii tribuerunt eius ſedi annos viginti quatuor & aliquot menſes, & apud Nicephori Chronicon leguntur anni viginti octo, ac denique ex deprauata Euſebii Chronographia cum additamento Hieronymi, anni tantum reperiantur decem & nouem) vt nos quam poſuimus ſententiam amplectamur, illud potiſſimum perſuaſit, quod cum in Libro de Romanis Pontificibus ponatur ingreſſus Silueſtri ſub Conſulatu Voluſiani tempore Conſtantini (ſic enim legendum eſt, non ſub Conſulatu Conſtantini & Voluſiani) rurſumque Marci eius ſucceſſoris ſubrogatio collocetur ſub anni ſequentis Conſulibus; præſentem annum nequaquam potuit exceſſiſſe Silueſter. De quo rurſum illud minime prætermittimus, inter alia præclariſſima eius opera, ipſius plantationem fuiſſe nobiliſſimam virginem, *Romanam* nomine, filiam Calpurnii Præfecti Vrbis: quæ baptizata à S. Silueſtro, in antris & ſpeluncis cœleſtem vitam duxit in virginitate perpetua, & miraculorum gloria claruit: cuius natalis dies ſeptimo Calendas Martii ab Eccleſia celebratur.

SILVESTRI PP. OBITVS
DE ROMANA SIC DICTA VIRGINE ROM.

CONSTANTINI AN. 31.

IESV CHRISTI AN. 336.

MARCI AN. I.

I. a Lib. de R. Pont. in Silueſtr. & Marco. MARCVS PAPA.

ANNO Chriſti trecenteſimo trigeſimo ſexto, Nepotiano atque Facundo Coſſ. cum poſt obitum Silueſtri Papæ ſedes vacaſſet [a] dies quindecim, MARCVS Priſci filius natione Romanus ſubrogatus eſt in locum eius decimo ſeptimo Calendas Februarii. Quantum autem ſederit, dicetur ex more in eius obitu.

II. Interea cum Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus ex Tyrio conuenticulo ſe abſtrahens, Conſtantinopolim profectus eſſet ad Imperatorem (quod dictum eſt anno ſuperiori) ipſumque acerrimis querimoniis ob toleratas calumnias interpellaſſet, obtinuit vt Euſebiani qui eius cauſam Tyri iudicaſſent, adhuc Hieroſolymis exiſtentes, ab eodem Imperatore grauiter commoto acribus litteris Conſtantinopolim euocarentur, rationem ſui iudicii reddituri. Sed plurimis eorum, ſcelerum ſuorum conſciis, ad ſuas Eccleſias ſe recipientibus; qui ceteris audacia & in Athanaſium odio præſtarent, Euſebii Nicomedienſis & Cæſarienſis, Theognis Nicænus, Patrophilus Scythopolitanus, Valens Murſorum Superioris Pannoniæ, & Vrſacius Singidonis Superioris Myſiæ Epiſcopi, ſoli iſti ſex impudenter ad Imperatorem accedentes, nec amplius fidentes inanibus fracti calicis aut occiſi Arſenii calumniis, nulla de iis habita mentione aliud commentitium crimen detulerunt, nimirum Athanaſium minatum eſſe ſe impediturum quo minus frumentum Alexandria Conſtantinopolim ex more aduheretur: eiuſque teſtes protulerunt quinque Ægypti Epiſcopos, qui cum olim pro Athanaſio in Concilio Tyrio inter illos quadraginta ſeptem ſtetiſſent, poſtea vel Dionyſii Comitis blanditiis, vel aliis Euſebianorum fallaciis decepti, & à ſanctis collegis auulſi fuerant, & impiis aduerſariis coniuncti.

NOVÆ CALVMNIÆ IN ATHANAS.

Cum igitur hæc à tot Epiſcopis; iiſdemque Catholicis & defenſoribus alias Athanaſii aſſererentur; iiſdem fidem adhibens Imperator, & ita æſtuans, omiſſo de ſceleribus Euſebianorum iudicio, quod in expectatione erat, e veſtigio eumdem Athanaſium fruſtra ſe excuſantem Treuiros in Gallias relegauit.

ATANASIVS RELEGATVR A CONSTANT. IMP.

b Atha. Apol. 2. c Socr. lib. 2. cap. 21. 23. d Theod. li. 1. cap. 31. e Soz. l. 2. ca. 27. f Epiph. hær. 68.

Narrantur hæc pluribus tum apud ipſum Athanaſium [b], tum apud Socratem [c], quæ breuius Theodoretus [d] refert: ex quibus omnibus erroris arguitur Sozyomenus [e], dum nullam mentionem habens recentis calumniæ de frumenti vectione, tradit Athanaſium ob crimen de fracto calice, aliaque ipſi antea impoſita, relegatum eſſe Treuiros. Addit vero Epiphanius [f], cum Athanaſius adeo iniquam ſententiam ab Imperatore accepiſſet, infracto animi vigore diuinum aduerſus eum comminatum iudicium dixiſſe, *Iudicabit Dominus inter me & te, quoniam tu conſentis calumniatoribus modeſtiæ meæ.*

III. g Athan. ep. ad Solit. CONSTANTINVS EXCVSATVR. h Ext. ap. Athan. Apol. 2. i ep. Synod. Conc. Alex. ap. Ath. ib. k Theod. l. 1. c. 33.

Ceterum eiuſmodi Conſtantini facinus excuſans alibi ipſemet Athanaſius [g], ait illud eo conſilio Imperatorem præſtitiſſe, quo tali ſeceſſione Athanaſius liber eſſet ab Euſebianorum crudelitate. Confirmat id ipſum Conſtantinus Iunior eiuſdem Maioris filius, in litteris [h], ad Alexandrinos poſtea datis. Iiſdemque concordat quod Alexandrina Synodus [i] teſtatur Imperatorem exilio damnaſſe Athanaſium, vt ſic furorem Arianorum eius capitale ſupplicium omnino poſcentium expleret. Sicut & Theodoretus [k] eumdem excuſat, quod dolo Epiſcoporum eximiam quamdam vitæ ſpeciem præſeferentium deceptus fuerit: cum præcipue (quod Socrates & Sozomenus addunt) perſuaſum haberet, concordiam vbique in Eccleſia inter omnes Epiſcopos fore, ſi Athanaſius remoueretur. Vnus tantum Lucifer [l] Calaritanus culpam omnem in Conſtantinum reiiciens, ait idcirco Athanaſium ab eo relegatum eſſe, quod noluiſſet eſſe Arianus: ſed is omni probationis genere refellitur.

l Lucif. l. 1. pro S. Atha.

Nec vero Conſtantinum fuiſſe penitus animo ab Athanaſio auerſum, ac proinde neque à fide Catholica alienum, ex eo quoque plane intelligi poteſt, quod (vt ipſe Athanaſius [m] eſt auctor) cum ab Euſebianis impelleretur in eius locum alium præficere Eccleſiæ Alexandrinæ Epiſcopum, eoſdem compreſſerit, & ab ea molitione grauibus minis deterruerit. Immo & cum audiſſet (inquit Sozomenus [n]) Ioannem Meletii ſucceſſorem Alexandriæ agere, & populum ſibi conciliare, eumdem in exilium pepulit: licet tum ab Alexandrinis, tum ab ipſo Magno Antonio monachorum principe, de Athanaſii reſtitutione enixe rogatus (quod idem auctor ſcribit) eam omnino tunc denegauerit. Habet tamen Conſtantinus Iunior vbi ſupra, conſilium poſtea parentis fuiſſe vt Athanaſium reſtitueret, ſed morte præuentum minime adimplere valuiſſe. Idque morientem ipſum iuſſiſſe, licet Euſebius Nicomedienſis contradiceret, Theodoretus [o] eſt auctor.

m Ath. ep. ad Solit. n Soz. l. 2. c. 19. o Theod. li. 1. c. 32.

IV. ALII EPISCOPI EXVLES. p ap. Athan. Apol. 2.

Porro non Athanaſium tantum, ſed & ei communione inhærentes Ægypti Epiſcopos, è ſedibus ſuis pulſos exulare eſſe iuſſos, ipſimet teſtantur epiſtola [p] Synodali ex Concilio Alexandrino celebrato poſt reditum ab exilio, Euſebiani enim viſi ſunt & in iſtos, tamquam eorumdem criminum reos, damnationis ſententiam irrogaſſe, & ab Imperatore vt in exilium pellerentur petiiſſe. Quando & Euſebius Cæſarienſis ibidem Conſtantinopoli (vt ipſe [q] teſtatur) orationem de Imperatoris laudibus recitauit, quæ hactenus extat: idque (vt exitus demonſtrauit) quo animum Imperatoris demulcendo, eumdem ad ſua vota aduerſus Athanaſium ac collegas pertraheret. Obſeruatione vero digna res eſt, Athanaſii exilium haudquaquam impunitum a Deo eſſe relictum: quandoquidē Imperium hactenus feliciſſimum, inuaſione Perſarum cœptum eſt perturbari: & ipſe Imperator anno ſequenti ex hac vita ſubtractus eſt, quantumlibet videri poſſet penes homines excuſatus: Ceterum Athanaſium, non vt exulem ſed vt egregium fidei athletam, Treueris tum à ciuibus, tum à Maximino ſincera fide & eximia ſanctitate præſtante eiuſdem vrbis Epiſcopo, honorifice ſuſceptum eſſe, S. Hieronymus [r] eſt teſtis.

q Euſeb. 4. de vit. 46.

ATHANASIVS HONORIFICE EXCEPTVS TREVERIS. r Hier. in Chron.

Eodem autem in exilium amandato, tunc demum Euſebianos apud Imperatorem egiſſe de reſtitutione Arii Alexandriam (quod anno ſuperiori diximus) non ipſe tantum Athanaſius [s], ſed & Socrates [t] atque Sozomenus [u] teſtantur: adduntque, cum eamdem ciuitatem Arius de integro in magnas turbas conieciſſet, quod Alexandrini ei communicare recuſarent, dicentes eadem illum adhuc ſentire de fide quæ prius: Imperatorē de eius peruerſa mente & inſtituto certiorem factum, cum denuo Conſtantinopolim accerſiuiſſe, rationem de ſeditione quam concitare aggreſſus erat redditurum.

s Athan. de Synod. t Socr. l. 1. c. 25. u Soz. l. 2. c. 28. ARIVS NON RECIPITVR ALEXANDRIA.

V. x Ruff. l. 1. c. 12. SYNODVS CONSTANTINOP. ADVERSVS MARCELLVM. y ep. Iulii PP. ad Arian. ap. Atha. Apol. 2.

Cum interea *Conuocatis* in eamdem ciuitatem *Conſtantinopolim* proximis Epiſcopis, atque illis maxime (vt ait Ruffinus [x]) qui Arium & Euſebium ſectabantur; iidem *Marcellum Ancyræ* in Galatia Epiſcopum (quem æque ac Athanaſium ſenſerant [y] in Nicæno Concilio acerbiſſimum aduerſarium) pariter damnatum, in exilium pelli curarunt. Acceſſerat recens Euſebianorum in illum odii cauſa, quod neque in Tyrio conuentu eorum decretis conſentire, neque Hieroſolymis cum eiſdem communicare, aut Arii reſtitutioni aſſentiri voluiſſet. Itaque quod inde receſſiſſet calumniandi ſumpta occaſione, primo eumdem apud Imperatorem accuſarunt, quod in contemptum ipſius dedignatus eſſet conſecrationi templi Hieroſolymitani intereſſe: poſtea vero eumdem iuſſu Imperatoris Cōſtantinopolim euocatum, per calumniam ex ipſiuſmet Marcelli ſcriptis comparatam Epiſcopatu abdicarunt: nempe quod cum Aſterius ſophiſta Cappadox, olim in perſecutione Maximiani Herculii apoſtata, ex ſententia Euſebij libros quoſdam Ariano dogmati fauentes edidiſſet, in quibus locuſtam & erucam cum Chriſto cōpararet, immo Chriſto anteponeret, aliamque quam Chriſtum in Deo Sapientiā conſtitueret Chriſti & mundi conditricē, idemque per Syriam & per alias Eccleſias, ex commendatione Euſebii hæc docens obambularet: aduerſus eū Marcellus ſcribens, in Pauli Samoſateni errorem impegiſſet.

CAVSA MARCELLI ANCYRANI.

z Athan. Apol. 2. de Synod. & ep. ad Solit. a Socr. l. 1. c. 24. b Soz. l. 2. c. 33.

Narrant iſta Athanaſius, [z] Socrates [a], & Sozomenus [b]: ſed eadem ab Euſebianis Marcello falſo adſcripta eſſe, dum quæ ipſe per modum quæſtionis tractauerat, ea tamquam

ita

ita eſſe profiteretur calumniati ſunt, tum idem Athanaſius docet, tum Iulius Romanus Pontifex ac Synodus Sardicenſis eadem diligenter examinantes intellexerunt, ipſumque Marcellum (vt videbitur) Eccleſiæ ſuæ reſtituerunt.

VI. Constantinvs male avdivit. [c] Seuer. hiſt. lib. 2. [d] Ruff. l. 1. cap. 17. [e] Lucif. l. 1. pro Athan. [f] Chron. Hieron an. 31. Defenditvr ab accvsationibvs.

Quod vero Conſtantinus Imperator de Euſebianorum ſententia tot magni nominis Epiſcopos exulare iuſſerit, plane accidit vt apud nonnullos exiſtimatus fuerit Arianæ hæreſis patrocinium ſuſcepiſſe: id enim Seuerus, [c] Ruffinus, [d] & maxime Lucifer [e] Calaritanus aſſeuerant: legiturque apud Hieronymi Chronicon [f], eumdem Conſtantinum in obitu in Arianum dogma declinaſſe. Verum ad iſta refellenda, probandamque eiuſdem Imperatoris integram fidem Catholicam, licet ſatis eſſe poſſint quę dicta ſunt ſuperius in eius baptiſmo, vel nuper in Athanaſii exilio: illud tamen amplius addimus, tum Euſebianos vſque dum vixit Conſtantinus, cui ſemel ſubſcripſiſſent Nicænæ fidei profeſſores forinſecus præ ſetuliſſe, & ſi quod bellum Catholicis intulerunt, nequaquam vt Arianos, ſed potius vt diſciplinæ Eccleſiaſticæ ac fidei Orthodoxæ vindices præſtitiſſe, veluti cum Athanaſium ob crimina, vel Marcellum ob hæreſim damnauerunt: tũ ipſum Conſtantinum cũ eis in his fauit, certo exiſtimaſſe Catholicæ fidei & Eccleſiaſticis inſtitutis integre conſeruandis religioſo officio præſto eſſe. De quo & illud euidentiſſimum ſpecimen edidit, dum (quod dicetur) haud aſſenſit in Eccleſiam Arium admitti, niſi iuratum & abdicata penitus hæreſi profeſſum ex animo fidem Catholicam.

Qvamdiv Evsebiani detrectariani nolvervnt.

Rurſum vero, quouſque ipſe vixit Euſebianos nequicquam aduerſus Nicænæ fidei regulam mutire ſaltem auſos eſſe, Athanaſii inprimis teſtificatione exploratum redditur, dum in libro de Synodis id ab eis cœptum agi tradit in Concilio Antiocheno in Encæniis celebrato anno quinto Cõſtantii. Et licet antea aliquam interpretationem fidei Nicænæ Symbolo addidiſſent; Filii tamen cum Patre Conſubſtantialitatem (qua in re totum robur conſiſtebat Catholicæ ſententiæ) viuente Conſtantino nunquam denegare præſumpſiſſe, Sozomenus [g] teſtatur, quod (vt ait) pro certo ſcirent Imperatorem fidem Conſubſtantialis ſectari: aſſeritque idipſum Theodoretus [h], & alii. Quare tantum abeſt vt Conſtantinus ab Euſebianis deceptus lapſus ſit in Arianam hæreſim, vt nec ipſi Euſebiani cum veriti Arianos ſe eſſe voluerint demonſtrare.

[g] Soz. lib. 2. c. 30. in fi.
[h] Theod. l. 2. cap. 3.

VII. [i] Athan. ad Solit. Probatvr fides Constantini. [k] Epiph. hær. 69. [l] Hilar. l. 1. ad Conſt. [m] Theodor. l. 2. cap. 5.

His conſentiens accedit Athanaſii [i] teſtimonium, dum aduerſus eius filium Conſtantium agens, conqueritur quod patris veſtigia minime conſectaretur, ſed ab hæreticis ſe pateretur ſeduci: cum pater cognito periurio & ſupplicio Arii, eum damnatum & pro hæretico habuiſſet. Sic & Epiphanius [k] de eodem Conſtantio ait, fuiſſe quidem pium & bonum iuxta multos modos, ſed in hoc ſolum deliquiſſe quod non proceſſit ſecundum rectam & integram fidem parentis. Eodemque modo S. Hilarius [l] eumdem Conſtantium appellat diuinæ religionis hoſtem, & paternæ pietatis heredem rebellem. Denique idem Athanaſius poſt obitum Conſtantini, Conſtantem eius filium hortatus [m] eſt, vt aduerſus Arianorum inſidias vindex & cuſtos eſſet paternæ pietatis. Quibus omnibus luce clarior teſtata redditur fides Orthodoxa Conſtantini vſque ad vitæ exitum illibate ſeruata: atq; inde vniuerſa Catholicorum poſteritas, ipſaque publica Synodalia Acta, magno præconio ex eadem fide potiſſimum comparato ipſum laudare conſueuerunt: quod & ſuperius dixiſſe meminimus.

VIII. Arii fravs in asserenda fide.

Sed vt cetera quæ ſpectant ad dictum Concilium Conſtantinopolitanum proſequamur; Arius, quem vidimus ob nouas Alexandriæ excitatas turbas Conſtantini litteris Conſtantinopolim vocatum, rogatus ab Imperatore num fidem Nicænam ſeruaret, ille iureiurando affirmauit ſe eam amplecti, atque eamdem à ſe ſcriptam & proprio chirographo munitam Conſtantino obtulit: qui cõteſtatus, ſi doloſe iuraſſet Deum periurii vindicem futurum; mandatum dedit Alexandro Epiſcopo Conſtantinopolitano, vt in communionem eum reciperet: ſed Alexandro contradicente, quod diceret non debere hæreſis inuentorem in Eccleſiam recipi: contra vero minantibus Euſebianis, etiam ipſo inuito ſe Arium poſtera die (erat autem tunc Sabbatum) in eccleſiam introducturus: tum idem Alexander templum ingreſſus, ſeque humi ad altare proſternens, magno preſſus angore Deum tota nocte orauit, vt ſi Arius ad Synaxim introducendus eſſet, ipſe Alexander prius eriperetur è vita: ſin autem Eccleſiæ ſuæ Deus miſereri dignaretur, Arium è medio tolleret.

Infamis Arii obitvs.

Accidit autem vt cum poſtridie ſummo mane ab Euſebianis Epiſcopis Arius domo eductus eſſet, vt antequam eccleſia ab Alexandro præoccuparetur ipſi eam inuaderent, in via poſitus idem Arius cum ventre perurgeretur (ſiue naturalis exonerationis neceſſitate, ſiue timore ex conſcientia ſceleris exorto, cuius vi laxari ſolet aluus) diuertens ad latrinas publicas quæ pone forum Conſtantini erant, ibi medius crepuerit, effundens vna cum excrementis viſcera omnia, ſplen & iecur, quam rem geſtam cum Athanaſius [n], tũ alii Græci pariter ac Latini ſcriptores [o] affirmant.

[n] Athan. ep. ad Serap. & orat. 1. cont. Arian.
[o] Socr. l. 1. c. 25. Soz. l. 2. c. 28. Theo. l. 1. c. 14. Ruff. l. 1. c. 12.

IX. [p] Gre. Naz. in laud. Athan. Ambr. de fid. ad Grat. l. 1. c. 9. Gaudent. ad. Paul. diac. Bibl. S. to. 7. Trudevit. & alii. [q] Theod. hiſt. de SS. Patr. in Iacob. Niſib.

Hunc igitur plane finem numine vlciſcente ſortitus eſt Arius Iudæ ſimillimum, cui ille à SS. Patribus [p] iure comparatur, vt pote perfidiæ in Chriſtum & pœnæ ſceleris ſocius. Ceterum addit ad ſuperiorem hiſtoriam Socrates, Arium cum ab Imperatore ad iuſiurandũ de recta fide adigeretur, ea arte in ipſo ludificando vſum eſſe, vt cum libellum fidei Catholicæ eidem offerret, haberet tamẽ ſub ala chartam aliam in quam ſuam ipſius hæreſim ſcripſiſſet, ſicque iuraſſe ſe vere & ex animo ſentire quemadmodum ſcripſerat. Et Theodoretus [q] habet, non tantum Alexandrum de imminenti periculo fuiſſe ſolicitum, ſed & pios cunctos ingenti mœrore affectos, hortatu Magni Iacobi Epiſcopi Niſibeni qui tunc aderat Conſtantinopoli, ieiuniis & orationibus vacaſſe, Deumque rogaſſe vt id fieri iuberet quod vtile futurum eſſet Eccleſiis. Sozomenus vero addit, locum in quo Arius extinctus eſt poſtea deteſtabilem cunctis factum eſſe, donec poſt multum temporis potens quidam Arianus homo, vt probroſi Arii obitus memoria deleretur, illum à Republica emit, ædeſque in eo extruxit.

X. [r] Ath. ep. ad Serap. Proficva ecclesiæ mors Arii. [s] Socr. lib. 1. c. 25.

Sic autem extincto Ario, tradit Athanaſius [r] quam plurimos ex iis qui ante decepti fuerant, conuerſos eſſe quod vidiſſent Dominum per ſe ipſum hæreſim aduerſus ſe cõflatam condemnaſſe. Sed & reliquos Euſebianos Socrates [s] ſcribit ingenti terrore concuſſos eſſe; Imperatorem vero fidei Chriſtianæ firmius adhæſiſſe, cum Synodi Nicænæ doctrinam auctoritate & nutu diuino confirmatam cerneret. Ex quibus etiam omnibus Euſebii Cæſarienſis detegas impoſturam, dum (quod alias demonſtratum eſt) ipſe Arianus in gratiam Conſtantii Imperatoris Ariani Conſtantinum finxit baptizatum paulo ante obitum (qui contigit anno ſequenti) ab Euſebio Nicomedienſi Arianorum omnium anteſignano: cum ex recenti memoria prodigioſi & ignominioſiſſimi ſupplicii Arii, quiſque vel leuiter tantum pietate tinctus debuiſſet execrari omnes Ario communicatione coniunctos. Quinimmo qui Arii & Arianorum deteſtatus eſt Imperator errorem, ſe ipſum quoque arguit leuitatis ob miſſum Athanaſium in exiliũ; quem reuocandum Alexandriam deſtinauit, ſed obitu præuentus non perfecit; ſicut & iam ſuperius diximus, & ipſemet teſtatur Athanaſius [t]. Quapropter cum ex his modicum temporis ſpatium interceſſiſſe videri poſſit inter mortem Arii & obitum Conſtantini; inde ſequenti potius anno quam præſenti Arium extinctum eſſe poſſumus opinari. quod quidem Socrates tradit accidiſſe poſt elapſum trigeſimum Conſtantini annum, qui vſque ad octauum Calendas Auguſti huius anni ſe extendit. Denique & ex iis omnibus quæ hactenus de Ario ſunt dicta, errore lapſos eſſe conſtat, tam qui ſtatim poſt Nicænam Synodum eius mortem accidiſſe putarunt, quam qui ante, vel poſtea ſub Conſtantio, vel alio quouis tempore poſuerunt. Ac de illo iam hactenus.

[t] Atha. ora. 1. cont. Arian. Tempvs mortis Arii.

XI. [u] Euſ. 4. de vit. 49. & ſeqq.

Hoc ipſo anno, confecto trigeſimo Imperii Conſtantini (inquit Euſebius) [u] idem Imperator cum iam multo ante Conſtantinum maximum natu filium in matrimonio collocaſſet, ſecundo quoque, nempe Conſtantio, ma-

EVSEBIA VXOR CONSTANTII. x Zoſ. l. 3. y Am. l. 16.

gna celebritate vxorem dedit. Fuit autem ea nomine *Euſebia*, quæ vt ſcribit Zoſimus [x]) ſumma præſtabat eruditione, ſupraque muliebrem ſexum prudens erat. Permanſit tamen ſterilis, & aliarum partui inſidiatrix (quod tradit Ammianus [y]) & inuida: ſed, quod deterius eſt, Ariano infecta contagio. Addit vero Euſebius, eodem ferme tempore veniſſe Conſtantinopolim ab Indis Orientalibus legatos cum muneribus pretioſiſſimarum gemmarum, & varii generis animalium, picturarumq; ac ſtatuarum; quæ Principes Indorum ad Imperatorem miſiſſe, ait, vt declararent ſe illum ſummum omnium Regem agnoſcere & profiteri. Poſt quæ ait, Conſtantinum tribus ſuis filiis Cęſaribus vniuerſum Imperii ſtatum ita partitum eſſe, vt auitam ſortem grandior natu Conſtantinus, Orientem Conſtantius, quod medium interiacebat Conſtans omnium minimus haberet: ſinguliſque regium apparatum & comitatum dediſſe.

CONST. FILIIS IMPERIVM PARTITVR.

XII. z Hier. in Chron. DELMATIVS CREATVS CÆSAR. a Vict. in Ep. b Eutr. l. 10. c Oroſ. l. 7. c. 28.

Quod vero alibi dicatur [z], iiſdem Conſtantini Auguſti Tricennalibus Delmatium (filium alterius Delmatii fratris Conſtantini) ab eo creatum eſſe Cæſarem, licet nihil tale apud Euſebium legatur, qui de tribus tantum Cæſaribus meminit tum in Vita Conſtantini, tum in oratione de eius laudibus: tamen quod Victor [a] quoque, Eutropius [b], Oroſius [c], & alii ferme omnes de dignitate Cæſaris DELMATIO collata teſtentur, & nummi id ipſum habeant: ſic conciliandi hi ſunt cum Euſebio, vt tres tantum Conſtantini filii ad ſucceſſionem & adminiſtrationē Imperii creati fuerint Cæſares, Delmatius vero titulo tenus: ſicut & patrem eius *Delmatium*, & patruos *Conſtantium* & *Annibalianum* in participationem Imperii quodammodo à Cōſtantino vocatos fuiſſe, conceſſa eis purpura & *Nobiliſſimatus* dignitate, Zoſimus [d] ſcribit: licet & ipſe confundens patrem Delmatium cum filio, exiſtimaſſe videatur, qui traditur creatus Cæſar à Conſtantino fuiſſe Delmatium fratrem Conſtantini; cum ceterorum omnium auctoritate conſtet, Delmatium Iuniorem, nempe filium fratris Conſtantini, creatum fuiſſe Cæſarem: quem quidem proſperrima fuiſſe indole, nec patruo abſimilem, Eutropius & alii affirmant.

d Zoſ. l. 2.

XIII. e Hier. in Chron. APOSTOLORVM TEMPLVM CONSTRVITVR CONSTANTINOPOLI. f Euſ. 4. de vit. c. 58. & ſeqq. g Socr. l. 1. c. [illegible]

Hoc item anno vltimo [e] Conſtantini, idem Imperator aduerſus Perſas tumultuantes expeditionem parauit, ſed pace ab eis per legatos petita & obtenta, ad ædificandam Conſtantinopoli Apoſtolorum eccleſiam in qua ſepeliretur adiecit animum: quam magnificentiſſime conſtruxit, & ære texit. Sed hæc omnia pluribus Euſebius [f]; qui ait ea de cauſa ſibi Conſtantinum ibi delegiſſe ſepulturam, vt defunctus quoque precationum quæ ibidem eſſent ad Apoſtolorum gloriam offerendæ particeps efficeretur. Nempe idem Imperator à SS. Epiſcopis optime inſtitutus in fide, probe ſciebat defunctorum animas viuorum precibus adiuuari. Addit vero Socrates [g], ædificatum fuiſſe illud templum à Conſtantino, ne Apoſtolorum Reliquiis Imperatores & Epiſcopi aliquando deſtituerentur. Eo namque tranſlata eſſe ab eodem Conſtantino *Andreæ* Apoſtoli, *Lucæ* Euangeliſtæ, & *Timothei* diſcipuli Pauli corpora, iterum S. Hieronymus [h] teſtatur; licet alicubi [i] apud eumdem id ſub Conſtantio accidiſſe legatur, quod & alii nonnulli tradiderunt: ceterum S. quoque Paulini teſtificatione, apud Dungalum aduerſus Claudium Taurinenſem aſſeritur id contigiſſe ſub Conſtantino. Fuiſſe vero eamdem eccleſiam poſteriorum quoque Imperatorum ſepulchrum, Chryſoſtomus [k] teſtari videtur, dum ait Conſtantinopoli Imperatores magnam gratiam putare, non ſi prope Apoſtolos, ſed ſi vel extra eorū veſtibula corpora ſua ſepelirentur, fierentque piſcatorum oſtiarii Reges. Ex quibus pariter intelligas, non intra baſilicam, ſed in eius atrio Imperatores ſepeliri conſueuiſſe; quod ex eodem auctore dicetur inferius de ſepultura Conſtantini.

RELIQVIÆ ILLVC TRANSLATÆ. h Hier. de ſcript. Eccl. in Luc. & aduerſ. Vig. i Id. in Chron. k Chryſ. ora. quod Chriſtus ſit Deus.

XIV. CVRATORES SEPELIENDORVM MORTVORVM.

Sed & illud ſane memoria dignum idem Conſtantinus Imperator ſtatuit, & primus auctor fuit, VT AD CORPORA DEFVNCTORVM HVMANDA, Corpus conſtitueretur ex nongentis quinquaginta diuerſorum collegiorum & artium officinis, qui ei muneri mancipati eſſent, quos & voluit Eccleſiæ ſubiectos eſſe, & ab omnibus publicis muneribus immunes, atque in vectigalibus liberos. Quod idem corpus poſtmodum Anaſtaſius Imperator confirmauit; centumque alias & quinquaginta officinas appoſuit, vt eſſent omnes numero mille & centum, eaſdemque certis redditibus dotauit. Teſtatur hæc quidem omnia Iuſtinianus [l], dum ea ipſe quoque confirmauit. Porro opus iſtud pium ac religioſum poſteris temporibus antiquatum, hoc noſtro ſæculo Romæ ſanctioribus legibus & inſtitutis inſtauratum eſt, & in diuerſas Catholici Orbis Eccleſias propagatum ſub nomine *Confraternitatis Mortis*. Quæ quidem in Gallia aptiori appellatione nuncupatur vulgo *Confraternitas Charitatis*. Quid enim hoc officio præſtantius, ei exhibere beneficium qui tibi iam non poſſit reddere? Sed de his nos alibi [m] locupletius: iam cetera proſequamur.

l Nouel. 43. 49.

m Vide, ſi lubet, Tra. [illegible] Spond. de cœmet ſa. [illegible]

XV. n To. 1. Conc. in Marco. DE MARCI PAPÆ EPISTOLA AD ATHAN.

Hoc anno iiſdemque Conſulibus; decimo Calendas Nouembris data [n] legitur Marci nomine epiſtola ad S. Athanaſium Epiſcopum Alexandrinum ac ceteros Ægypti Epiſcopos: cuius argumentum ex alia ibidem poſita epiſtola eorumdem Epiſcoporum ad ipſum Marcum facilius intelligitur: nempe Ægyptios dira Arianorum perſecutione vexatos, inter alia diſpendium paſſos eſſe Nicænorum canonum, qui vna cum omnibus aliis libris ab iiſdem Arianis incenſi fuerint, eorumque exemplar à Romana Eccleſia poſtulant impertiri. quibus quidem litteris tam Ægyptiorum quam Marci, Nicænorum canonum numerus definitur, ab eadem Synodo ſtatutos fuiſſe ſeptuaginta ſecundum numerum Diſcipulorum. At Mercatoris merces ſuſpectæ redduntur, tum ob immenſum eorumdem canonum numerum de quo dictum eſt in eodem Concilio, tum quod tempus haud concordet. Quonam enim pacto ſub dictis Coſſ. potuit Athanaſius Alexandria ad Marcum ſcripſiſſe, qui iam exul hoc anno agebat in Galliis? Et quænam ſub Conſtantino graſſatio Arianorum contigit in Ægypto; cum non Marci tempore, ſed multo poſt quando Conſtantius Georgium in locum Athanaſii ſubrogauit, paſſa ſit Eccleſia Alexandrina violentam Arianorum vaſtationem?

XVI. MARCI PP. OBITVS

Sed & quonam pacto Marcus potuit decimo Calendas Nouembris ſcripſiſſe ad Athanaſium, cum hoc ipſo anno Nonis Octobris reperiatur eſſe defunctus? Eū quidem nonniſi octo menſes ſediſſe, S. Hieronymus teſtatur in Chronico. Videat hæc qui illas epiſtolas citat Marianus Scotus, & pariter contendit nonniſi octo menſibus ſediſſe Marcum. Quem item cum Sozomenus [o] tradat ad exiguum tempus ſedem tenuiſſe: ſed & auctor libri de Romanis Pontificibus de Iulio Papa habeat, eum ſedere cœpiſſe Coſſ. Feliciano & Maximo, nempe anno ſequenti iā ſatis conſtat, hoc potius anno quam ſequenti, vel (quod alii dicunt) poſt biennium, Marcum defunctum eſſe; ob eamque cauſam totum illud de duabus ab eo habitis Ordinationibus menſe Decembri euaneſcere. Qui igitur ſedere cœpiſſe reperitur decima ſexta die Ianuarii, & diem obiiſſe ſeptima Octobris (ea namq; anniuerſaria eius memoria ex antiquiore vſu in Eccleſia agitur) dicendus eſt in Pontificatu vixiſſe menſes octo & dies viginti duos. Sepultus eſt autem in cœmeterio Balbinæ via Ardeatina, quod ipſe fecit. Ceſſauitque Epiſcopatus eius dies viginti. Qua ratione dicendum eſt, IVLIVM patria Romanum ex patre Ruſtico die vigeſima ſeptima eiuſdem menſis Octobris in locum eius ſubrogatum eſſe.

o Soz. l. 2. c. 19.

IVLIVS PAPA.

XVII. EPISC. OSTIENS. CONSECRAT ROM. PONT.

Quod autem de eodem Marco in dicto libro de Romanis Pontificibus legitur, conſtituiſſe vt Epiſcopus Oſtienſis qui conſecrat Epiſcopos Vrbis, tunc pallio vteretur, & ab eodem Vrbis Epiſcopus conſecraretur, ita concinnandus eſt textus, vt ſignificet Marcum conceſſiſſe, vt Epiſcopus Oſtienſis tunc pallio vteretur cum ab eo Vrbis Epiſcopus conſecraretur. Nam vt Oſtienſis Epiſcopus Romanum Pontificem conſecraret antiquioris fuit vſus; cum Dionyſius Papa à Maximiano Oſtienſi conſecratus habeatur, teſteturque Auguſtinus [p] eum vetuſtiſſimum ritum fuiſſe. Primo autem hic mentio in rebus geſtis Romanorum Pontificum habetur de PALLIO, ſummi

p Aug. in Breuic. colla. d. 3. c. 16. DE PALLIO EPISCOPALI.

honoris

honoris & plenitudinis poteſtatis indice: idemq; dictum reperitur *Phrygium*, quod Phrygionum opere crucibus contexi ſoleret: collatumque fuiſſe à Cæleſtino Papa Cyrillo Patriarchæ Alexandrino cum ei vices ſuas delegauit, Græci [q] teſtantur. Cur autem *Pallium* fuerit appellatum, cum veteris pallii forma longe diuerſa eſſet & amplior (vt quæ ſuperius de pallio dicta ſunt docent:) coniectura ducimur, id accidiſſe quod inhæreret, dum Pontifex ſacra ageret, indumento illi quod pallii præſeferebat imaginem, nos autem nunc *Planetam* ſeu *Caſulam* dicimus: cum alioqui pallij nomine omne operimentum in rebus ſacris ſignificari ſoleret, quemadmodum Venantius [r] Fortunatus vela oblata S. Cruci, pallia appellat, quæ & ipſa crucum imaginibus eſſent contexta. Porro ſicut olim in ſacerdotio Hebræorum [s] erat ſummi Sacerdotis ſuperhumerale inſigne, quod nefas eſſet aliquem alium ſacerdotum vel Pontificum indui: Ita in Chriſtianæ religionis ſacerdotio Pallium illud ſeu Phrygium, Summi tantum Romani Pontificis ceſſit vſui, ab eo tamen ſæpe Metropolitanis magna ex cauſa communicatum: de quo frequens futura eſt inferius mentio. Ait autem Iſidorus [t] Peluſiota nobiliſſimus & antiquiſſimus auctor, illud ex lana non ex lino contextum eſſe, & Pontificum humeris imponi cõſueuiſſe, quod ouis illius quam Dominus aberrantem quæſiuit, inuentamq. humeris ſuis ſuſtulit, pellem deſignet: Epiſcopum enim, qui Chriſti typum gerit, ipſius munere fungi, atque ipſo etiam habitu illud omnibus oſtendere, ſe boni illius ac magni paſtoris imitatorem eſſe, qui gregis infirmitates ſibi ferendas propoſuit.

q Theod. Balſ. & alii.
r Fortun. l. 1. epigr. 3. de S. Cruce.
s Exod. 28.
t Iſid. Peluſ. l. ep. 136. ad Herman.

IESV CHRISTI AN. 337.

IVLII AN. 1.

CONSTANTINI, CONSTANTII, CONSTANTIS AN. 1.

I. CONST. IMP. OBITVS.

ANNO Chriſti trecenteſimo trigeſimo ſeptimo, Feliciano & Titiano Coſſ. *Conſtantinus* Imperator ex hac vita migrauit, vt diſerte Socrates [a] teſtatur; addens & diem nempe vndecimum Calendas Iunij, cum (vt ait) vixiſſet annos ſexaginta quinque, regnaſſet triginta vnum. De annis Imperij conſentit quoque Hieronymus [b]; de ætate etiam Ruffinus [c] & Sozomenus [d]. Eutropius [e] autem cum itidem triginta & vnius anni Imperij ſit aſſertor, ſexaginta tamen & ſex annos ætati tribuit. Qui ergo Socrati conſentientes, huius anni Coſſ. Conſtantinum dicunt eſſe defunctum, ſic eos oportuit affirmaſſe triginta vnũ regnaſſe, vt tamen vltimum non abſoluerit, tantumque defuerit ad anni eius conſummationem, quantum intercurrit temporis ab vndecimo Calendas Iunij quo defunctus eſt, vſq; ad octauum Calendas Auguſti quo Imperium ſuſcepit. At Euſebius [f], Epiphanius [g], Victor, [h] Zonaras [i], & ſiqui alij ex recentioribus, triginta duos annos, vtique inchoatos, eius Imperio tribuunt. Ceterum vt Socratis chronographiæ de die & Coſſ. conſentiamus, illud inprimis maxime perſuadet, quod leges poſthac datæ nominibus filiorum reperiantur inſcriptæ potius quam ipſius Conſtãtini patris: vt quæ extant in Cod. Theod. datæ à Conſtantio [k] iiſdem huius anni Coſſ. menſe Decembris, & alia [l] decimoſeptimo Calendas Iunij ſubſequentis anni Coſſ. Vrſo atq; Polemio: quæ quidem inſcribendæ erant Conſtantini titulo ſi fuiſſet ſuperſtes, & in ſequentem annum vitam propagaſſet. Sed & quod aliæ [m] reperiantur ab ipſo Conſtantino in hunc vſq; annum ſancitæ; erroris arguuntur qui tradiderunt eum anno Imperij ſui trigeſimo obiiſſe: Quod vero Euſebius ait, eundem quot imperauit, tot annos viuendo duplicaſſe; ſententia Socratis & aliorum qui eum regnaſſe aiunt triginta vnum annos, dicendus eſt ex hac vita deceſſiſſe anno ætatis ſexageſimo ſecundo, vel ſecundum Euſebium ſexageſimo tertio exacto, dum aſſerit imperaſſe annos triginta duos præter paucos menſes & dies. Sed de tempore obitus ſatis.

a Socr. l. 1. ca. vlt.
b Hier. in Chron.
c Ruff. l. 1. c. 11.
d Sozo. l. 2. ca. vlt.
e Eutro. l. 10.
f Euſ. 4. de vit. 53.
g Epiph. de menſur.
h Vict. in Conſt.
i Zon. Annal. to. 3.
k l. 4. C. Th. de Annon. & Trib. l. 2. C. Th. de diſſer. Pign.
l Tit. de bonis vendic. C. Th.
m l. 1. C. Th. de contrah. empt. & aliæ.

II. De ipſo autem eius morbo obituque tradit Euſebius, [n] & alii poſt eum, cum idem Imperator ægrotare cœpiſſet, Helenopolim Bithyniæ ciuitatem acceſſiſſe ad calida balnea, inde vero ingraueſcente morbo Nicomediam petijſſe, & in eiuſdem ciuitatis ſuburbano ſuſcepto baptiſmo, paulo poſt defunctum eſſe, extremo fere die celebritatis Pentecoſtes ipſa meridie. Sed illud de Baptiſmo tunc ſuſcepto, deque eodem Imperatore (quod alij tradunt) in Ariana hæreſi defuncto, iã ſatis ſuperius refellimus. Tacuit autem Euſebius, quod de Conſtantini obitus cauſa peruulgatum fuit, eum à fratribus ſuis potatum eſſe veneno; de quo dicetur in eorum nece. Prænunciã vero Conſtantini obitus apparuiſſe in cœlo crinitam ſtellam, quæ inuſitatæ magnitudinis diu refulſit, auctor eſt Eutropius [o]. Ceterum Ruffinus [p] de eiuſdem agens teſtamento, ait cum cũ liberos ſuos de ſucceſſione Romani Orbis heredes ſcripſiſſet, quoniam Conſtantius cui Orientis regnum decreuerat præſens non erat, ſecreto accerſiſſe presbyterum illum quem ei Conſtantia ſoror commendauerat, eidemq; tradidiſſe teſtamentum, accepto ab eo ſacramento ne vlli niſi Conſtantio cum veniſſet in manus traderet; id vero cum presbyter præſtitiſſet, eius rei gratia Conſtantium adeo ei deuinctum eſſe, vt qui imperare cunctis ambiret, ab illo ſe imperari æquanimiter pateretur. Sed quod idem auctor addit de tractatã poſt hæc ab eodem presbytero cum Conſtantio Arii reſtitutione, iam omnia de Ario ſub Conſtantino conſummata fuiſſe, ſatis ſuperque demonſtratum eſt ſuperius. De concredito vero teſtamento illi presbytero, aſſertores ſunt etiam Socrates [q] & Sozomenus [r].

n Euſ. 4. de vit. 61. &c.
VBI ET QVOMODO MORTVVS CONST.
o Eutro. l. 10.
p Ruff. l. 1. c. 11.
TESTAMENTVM CONSTANTINI CREDITVM PRESBYTERO ARIANO.
q Socr. l. 1. c. vlt.
r Soz. l. 2. c. vlt.

III. Ceterum Conſtantini corpus aurea capſula incluſum & purpura contectum, delatum eſt ab exercitu ingenti pompa Conſtantinopolim, atq; ibi in Palatio excelſo collocatum, luminibus circumquaque ſuper aurea candelabra accenſis; eidemque purpura & diademate ornato omnes conſueti honores à Ducibus, Senatu, & populo, tãquam ſuperſtiti per multos dies tributi ſunt, donec qui ex Cæſaribus eius filiis vicinior erat (nam omnes tunc aberant) Conſtantius Conſtantinopolim aduenit, à quo honorificentiſſime curatum eſt funus, ipſis Dei ſacerdotibus & vniuerſo populo diuinum per preces cultum adhibentibus, & pro eius anima Deum orantibus. Sed hęc omnia, aliaque de funere Conſtantini, & ritibus ac cæremonijs in eo obſeruatis, deque luctu publico totius Imperij Romani, pluribus Euſebius [s]. Quod vero Eutropius tradit Conſtantinum inter diuos eſſe relatum; vel potuit ille intellexiſſe eiuſmodi recenſita officia, à Chriſtianis eidem poſt mortẽ exhibita, vel quid à Gentilibus Senatoribus more patrio actitatum. Illud quidẽ notum eſt omnibus, à Græcis ſolemni celebritate coli vt Sanctum. At quod ad locũ ſepulchri ſpectat; quantumlibet eum ſummo honore funeratũ atque ſepultum Euſebius prędicet, nequaquam tamen auſus eſt Conſtantius tumulare intra ipſam baſilicam Apoſtolorum, ſed foris in atrio; quod expreſſe teſtatur, & in gloriam Apoſtolorum extollit S. Ioannes Chryſoſt. [t] In eadem vero Apoſtolorum baſilica, non tantum Imperatores, ſed & Epiſcopos ſepeliri conſueuiſſe, Sozomenus [u] teſtatur, *quippe cum* (inquit) *dignitas ſacerdotalis Imperij dignitati par ſit, immo vero in locis ſacris primas partes obtineat.*

DE FVNERE CONSTANTINI.
s Euſ. 4. de vit. 65. 66. & ad finem lib.
SEPVLTVS IN ATRIO BASILICÆ.
t Chry. ho. 26 in Cor. 2. & ho. 66. ad pop. Antioch.
u Soz. l. 2. c. vlt. in fi.

IV. Conſtantini autem effigiem & egregiam corporis habitudinem Nicephorus [x] deſcribit: animæ vero faciem ex rebus geſtis facile deprehendens, quam (præter ea quæ ſuperius paſſim recenſita ſunt) Ethnici quoq; ſcriptores per paucis quibuſdam lineamentis expreſſere. Etenim Victor [y] ait, commodiſſimum rebus multis fuiſſe, calumnias ſedare legibus ſeueriſſimis, nutrire artes bonas, præcipue ſtudia litterarum: legere ipſum, ſcribere, meditari, audire legationes & querimonias prouinciarum. Eutropius [z] autem, ciuilibus artibus & liberalibus ſtudiis deditũ fuiſſe, affectatorem iuſtitiæ & amoris, eaque omnino ſibi & liberalitate & docilitate quęſiuiſſe. Dat tamen ei Victor crimini, quod fuerit laudis auidiſſimus: ſed id de laude militari intelligendum, Eutropius docet, dum ait innumeras in eo animi corporiſque virtutes claruiſſe: militaris gloriæ appetentiſſimum; fortunam in bello proſperam fuiſſe, verum ita vt non ſuperaret induſtriam. At hæc ex parte laude

x Niceph. l. 8. c. 55.
y Vict. in Conſt.
z Eutr. p. l. 10.
VINDICATVR CONSTANTINVS A CALVMNIIS VICTORIS ET IVLIANI.

quoque dignisſimus Conſtantinus extitit; quippe qui omnes aduerſus tyrannos & barbaros vni Christo victorias acceptas ferens, id quoque omnibus pene edictis ingenue profeſſus eſt.

V.

a Amm. l. 21.

Rurſum vero ea reperitur apud Ammianum [a] Iuliani Apoſtatæ in Conſtantinum querela, quod magiſtratus ampliſſimos contulerit quoque barbaris. Sed inuliſè nimis & leuiter hoc ipſum eſſe iiſſe, quippe qui multo grauius eadem in re peccauerit, idem Ammianus licet ei addictiſſimus affirmat. Quid autem adeo nouum atque mirandum, ſi Conſtantinus preſſus bellis ciuilibus, eiuſmodi magiſtratibus barbaros ſibi deuinxit, cum ex barbarorum nationibus homines ſciuerit etiam ad ipſum Romanum Imperium adminiſtrandum iam antea plurimos peruenisse? Sed & grauius carpitur ab eodem Iuliano Conſtantinus, quod delitijs deditus fuerit, conuiuijs tantum & comæ capitis exornandæ intentus; quam ob cauſam fingit deorum ſententia iudicatum ne inter deos, ſed cum dea deliciarum ac veſte muliebri amictus ageret. Verum hæc ſatis refelluntur, quod idem Imperator tum ab omnibus aliis dux fortiſſimus prædicetur, tum ab ipſo etiam Iuliano, qui talem eum cogitur affirmare, dum inter alios ab eo domitos barbaros, Dacos ait Romano Imperio ſubiugaſſe, tanto iam ante labore à Traiano vix tandem ſuperatos: quos ſuperbe excuſſo è ceruicibus iugo Romano redditos formidabiliores, poſt tot Imperatores ſolus Conſtantinus Crucis virtute perdomuit.

VI.

Quod autem Iulianus ait, illum exornandæ comæ fuiſſe intentum; diſplicuit forte pexa Conſtantini coma Cynico, cutem in hircũ barba & capillo mutanti, ac iniquo ferenti animo ea de cauſa à Chriſtianis carpi dicterijs atq; ſcommatibus; cum alioqui omnia ferme eiuſdem ipſius Iuliani numiſmata, eius vultum reddant capite fertis contextis ex margaritis ornato. Sed quod carpit Conſtantinum, ad illud viſus eſt alludere quod ait Victor, cum conſueuiſſe exornare caput perpetuo diademate: quod quidem gemmatum fuiſſe, muliebre præ ſeferentes ornamẽtum, docent antiqua eiuſdem Conſtantini numiſmata. Cur autem ipſe laureas demum in aurum gemmaſq; mutauerit, exiſtimatur pie ſancteque feciſſe, quod exhorreret quæcumque ſciret ex Gentilium ſuperſtitionis officina manare. Et cui adhuc Gentili Apollinem comitante Victoria miniſtraſſe laureas, Gallicanus orator in Panegyrico quarto teſtatur, eidem facto Chriſtiano indecens viſum eſt, ex arbore Apollini dicata victricia inſignia ſumere, qui cunctas Chriſto victorias ferret acceptas. Ideoque maluit imitari ſanctiſſimum Regem Dauid, ex quo Chriſtus ſecundum carnem, qui de ſe ipſo à Deo coronato ait [b], poſuiſſe Deum in capite ſuo coronam de lapide pretioſo; quemque diuina Scriptura [c] teſtatur conſueuiſſe regiũ ornare caput corona illa ex gemmis & auro, quam abſtulerat è vertice Melchom. Ceterum ſic Conſtantini exemplum ſecuti ſunt poſteriores Imperatores, vt tamen interdum laureis in numiſmatibus appareant coronati: quod conſtat abſque veræ pietatis offenſa, ex inolita penes Imperatores conſuetudine factitari potuiſſe, cum omnia, teſtante Apoſtolo [d], munda ſint mundis.

CONSTANTINI CORONA CVR NON EX LAVRO, SED EX GEMMIS.

b Pſal. 20.
c 1. Paral. 20.
d Tit. 1.

VII.

e Pomp. Læt. in vit. Conſt. imp.
f Euſ. 4. de vit. c. 9. 12.
CONST. DICENDI PERITVS.
g Ap. Euſeb. poſt vit. Conſt.

Sic autem munditiesfuit Conſtantino cordi, vt tamen licet obduratis iam militia membris, ab effeminatis deliciis abhorreret. Vnde & ſolitus [e] erat frequenter dicere iis qui eum ab immenſis ſuſceptis laboribus auocare tentarent, Imperatores non debere recuſare labores pro vtilitate Reipublicæ. Denique ſi quid a bellorum curis & adminiſtratione tam vaſti imperij ſupereſſet, Euſebius [f] teſtatur illud in ſcribendo & alios docendo inſumere conſueuiſſe; adeo vt vſque ad extremum vitæ tempus orationes conſcribere & recitare minime pretermiſerit: ſed perierunt iſtæc nobiliſſima Imperatoris monumenta; quæ ſi æſtimanda ſunt comparatione vnius orationis quæ supereſt [g] *Ad Sanctorum Cœtum* inſcripta, talis habendus eſt Cõſtantinus, vt in eo dicendi genere inter Chriſtianos Imperatores, & complures alios ſcriptores, nulli periti & facultate ſcribendi concedat: quem & liberalibus ſtudiis deditum fuiſſe, & legere, ſcribere, ac meditari ſolitum, teſtimonio quoque Ethnicorum vidimus. Hæcque de illo hactenus.

VIII.

h Euſeb. de vit. 4. c. 69.
TRES FILII CONSTANTINI IMP.

Iam ad nouos Imperatores, eiuſdem Conſtantini filios, ſtylum conuertamus; qui ſimulatque pater ipſorum ex hac vita ſublatus eſt, tam Senatus quam militum votis (vt ſcribit Euſebius [h], & alii) confirmati, quiſque relictam ſibi ex patris teſtamento Imperii partẽ accepit; nempe CONSTANTINVS natu maximus cunctas trans Alpes regiones, CONSTANTIVS Thraciam, & vniuerſam Aſiam, atque Orientem, cum Ægypto; CONSTANS vero natu minimus Romam ipſam cum Italia, Africa, Sicilia & reliquis inſulis, Illyrico, Macedonia, & vniuerſa Græcia, aliaſq; circum prouincias vſque ad Thraciam. Sic enim inter ipſos Imperium eſſe diuiſum, auctores tradunt.

IX.

CONSTANTIVS IMP. SÆVIT IN PROPINQVOS.
i Zoſ. l. 2.

Conſtantius autem cum liberas ſuæ ditionis habenas nactus eſſet, ſæuire cœpit in domeſticos Conſtantini; atque in ipſos præcipue conſanguineos. Ac primum quidem (inquit Zoſimus [i]) Conſtantium patruum à militibus interfici curauit, deinde Delmatio Cæſari ſimiles inſidias ſtruxit; ac veluti contra cognationem vniuerſam conſpirans, etiam his Annibalianum adiecit, cum ſubornaſſet milites, vt acclamarent alterius neminis imperium ſe ferre poſſe quam filiorum Conſtantini. Hæc de necibus affinium Zoſimus: de aliis vero clariſſimis viris ſubdens, in primis ait interfectum eſſe Optatum, qui PATRICII dignitatem adeptus à Conſtantino fuerat: quem (inquit) honoris titulũ primus Conſtantinus excogitauit, lege ſanciens vt qui eum conſequeretur, ſupra ipſos Præfectos Prætorio conſiderent. Porro *Patricii* nomen eamdem ferme cũ ipſa Vrbe Roma originem habuiſſe, ex Liuio, Dionyſio, Plutarcho, Suetonio, ac ceteris priſcis auctoribus conſtat: ſed vt ea dignitas tot aucta priuilegiis eſſet Conſtantinopoli, Conſtantinus merito dicendus eſt auctor: quæ quidem tanta erat, vt non tam ea Conſulatu quam Conſulatus ea illuſtraretur [k]; nec iam (vt olim) Patricii appellarentur à Patribus, qui & Senatores erant; ſed quod dicerentur [l] Patres Imperatoris: quorum inſignia (quantum ex Caſſiodoro [m] colligitur) erant chlamys, cingulum, calcei picti, & ſella ſublimis.

DE HONORE PATRICIATVS.
k L. 1. & 3. C. de Conſ. l. 12.
l L. eleg. eo.
m Caſſiod. 6. Var. 2. & l. 8. ep. 9. 10. 11.

X.

ABLAVII INFELICISS. EXITVS.
n Am. l. 22.

Inter alios quoque clariſſimos viros ipſo Conſtantii Imperii ingreſſu necatos, adnumerat Zoſimus *Ablauium* virum Conſularem & Præfectura Prætorii aliiſque inſignibus decoratum: qui cum ex humillima origine ad tantam perueniſſet ſub Conſtantino celſitudinem, vt & Imperatore plus poſſet, & filiam ſuam Olympiadem Conſtanti fratri Conſtantii vxorem ſpoſpondiſſet (quam poſtea Conſtantius [n] nuptui tradidit Arſaci Armeniæ Regi) & ipſum Conſtantium ei Conſtantinus pater commendaſſet, merito nominatus eſt *Pila fortunæ*, quod eleuatus ſublimis, deorſum rurſus magno ac miſerando caſu demiſſus ſit; cum videlicet poſt ademptam ei à Conſtantio adminiſtrationem, ſecurus in Bithynia apud extructam ſibi olim villam regiam conquieſcens, acceptis ab eodem Conſtantio ſimulatoriis litteris purpuram ei denunciantibus, à ſicariis eam deferre fingentibus confoſſus eſt, & in fruſta diſſectus: quam rem geſtam Eunapius [o] deſcribit.

o Eunap. in Vit. Philoſ. in Sopatro.

XI.

p Eutr. l. 10.
q Vict. in Conſ. in 5.
r Cedren. in comp.
s Hier. in Chron.
t Pomp. Læt. in Rom. Imp.
CAVSA NECIS PROPINQVORVM.
u Act. Artem. ap. Metaphr. & Sur. 20. Oct.

Sed quod ſpectat ad necem quam ex Zoſimo diximus, Delmatii Cæſaris; Eutropius [p] ait eum oppreſſum eſſe factione militari, Conſtantio Imperatore ſinente potius quam iubente. Eumdemque vi militum ſublatum, Victor [q] affirmat: quod alii [r] anno ſecundo, aliis [s] tertio Conſtantii, alii [t] rurſum ſub huius anni Coſſ. factum tradunt. Cauſam autem inferendæ necis patruis ſuis, Conſtantio Cedrenus hanc tribuit, quod Conſtantinus ab iiſdem ſuis fratribus veneno potatus, ſua manu ſcriptis litteris mandaſſet Conſtantio vt a patruis ſibi caueret, ac in eos vlciſceretur; eaſdque literas Euſebium Nicomediç Epiſcopum accepiſſe, & Conſtantio ex Oriente reuerſo tradidiſſe, atque magnam inde apud eumdem Imperatorẽ conſecutum eſſe auctoritatem. Eademque ratione Artemius [u] Præfectus Auguſtalis, coram Iuliano Apoſtata Conſtantinum de imperata fratrum nece excuſauit; nempe quod ipſi venenum ei miſcuiſſent, nulla omnino ab eo affecti iniuria.

Porro

XII. Porro cum prædicto Delmatio Cæſare filio Delmatii fratris Conſtantini, in periculum quoque necis (inquiunt Socrates [x] & Sozomenus [y]) inciderunt *Gallus & Iulianus* eius patrueles, niſi Gallum ægra valetudo qua mox obiturus expectabatur, Iulianum ætas tenera liberaſſet, qui nondum octauum annum compleuiſſet. Hæc illi. Sed quod pertinet ad Iuliani ætatem, cum de eo ſcribant vixiſſe annos triginta vnum; quem conſtat occiſum anno Domini trecenteſimo ſexageſimo tertio, dicere opus eſt hoc anno fuiſſe tantum quinquennem; Gallum vero duodennem, quem conſtat defunctum eſſe anno Chriſti trecenteſimo quinquageſimo quarto, ætatis autẽ (vt habet Ammianus [z]) vndetrigeſimo. Ceterum licet eumdem ambo patrem haberent, nempe Conſtãtium fratrem Conſtantini, ex Maiore Conſtantio & Theodora Maximiani Auguſti filia genitum; diuerſis tamẽ matribus ſunt nati, Gallus nimirum Galla ſorore Ruffini & Cerealis Conſularium virorum, Iulianus vero Baſiliana nobiliſſima femina; quem & natum eſſe Conſtantinopoli, Ammianus [a] eſt auctor.

XIII. Poſt euaſum autem eiuſmodi periculum, tradit Sozomenus eoſdem iuſſu Conſtantii ſumma induſtria variis diſciplinis & exercitationibus inſtructos eſſe; cumq; & ſacris literis imbuerentur (ſiue ſpõte, ne qua affectati Imperii poſſet de eis exoriri ſuſpicio; ſiue arte Conſtantii, vt omnem illis regnandi ſpem amputaret) in cleri ordinem cooptatos eſſe: adeo vt ſacros etiam libros in Eccleſiaſticis conuentibus populo legerent. Quod præter Sozomenum, Gregorius [b] quoque Nazianzenus, & alii ferme omnes aſſerunt. Tradunt inſuper, cum aliquando ſacram martyris Mamæ, quem alii Mamantem appellant, ædem ambo conſtruendam opere inter ſe diſpertito ſuſcepiſſent, Galli quidem opus rite perfeciſſe & perfectum eſſe, Iuliani vero modo corruiſſe, modo ex ipſis fundamentis auulſum eſſe, denique terram detrectaſſe vel ipſa fundamenta ſuſcipere, & vi quadam ex aduerſo vrgente quicquid apponeretur reieciſſe, quod quidem vaticinium extitit futuræ Iuliani impietatis, dum cordiũ ſcrutator Deus munus Galli, vt olim Abel ſacrificium, rite oblatum ac diuiſum libenter ſuſcepit; Iuliani vero non ſecus ac Cain, licet bene oblatum, male tamẽ diuiſum repulit.

XIV. Ceterum Gallo [c] Epheſum inſtituendo miſſo, Iulianus Conſtantinopoli diutius commoratus, cum ob ingenii præſtantiam dignus ab omnibus ſperaretur Imperio, à Conſtantio ea de re commoto miſſus eſt Nicomediam (cuius ciuitatis Epiſcopum Euſebium materno genere, licet longius attigiſſe, Ammianus teſtatur) adhibitis tamẽ cuſtodibus ne Libanii Sophiſtæ tunc ibi degentis, vel aliorum Gẽtilium ſcholas adiret, in quorum religionem iam decliuis eſſe videretur. Inſtitutus enim à puero ſub Gentili philoſopho Mardonio eunucho natione Scytha, ab eodem quoq; Ethniciſmi rudimẽta ſuſcepiſſe, ipſemet Iulianus in Miſopogone non obſcure ſignificat. Cum a. Nicomediæ Maximus philoſophus Epheſius non ſolũ Gentilis, ſed & magus, ei notus factus eſſet, idem ab eo cũ philoſophiæ & magiæ ſtudio odium quoq; hauſit Chriſtianæ religionis, & per eiuſdem vaticinia in ſpem Imperii maiorem erectus eſt. Sed his rebus Imperatori nũciatis, timore perculſus cutẽ abraſit, & vitam monaſticam ſimulauit, ſecreto tamen Gentilẽ ſuperſtitionem colẽs. Poſtea vero in Aſiam concedens, totũ ſe, licet occulte præ metu Conſtantii, iiſdem magiæ & Gentilitatis ſtudiis dedidit, familiaritate vſus Iãblichi, Ædeſii, aliorumq; eiuſmodi philoſophorum pariter ac magorum, quos recenſet Eunapius [d] Sardianus, dum de Iuliani ſtudiis & pernici ad dicendum ingenio agit.

XV. At hæc modo de Galli & Iuliani inſtitutione ſatis: quæ quidem licet multis poſt hæc iiſdemq; diuerſis annis geſta eſſe noſcantur, quod tamen certum cuiuſque rei tempus ignoretur, hic in vnum colligere voluimus, ne forte aliis annis ſingula collocare ſtudentes longius aberraremus. Quæ vero poſt iſta de vtroque ſubſecuta fuerint, dicetur inferius in aſſumptione Galli in Cæſarẽ. Sed quod pertinet ad conſilium Conſtantii in eorumdem educatione; Gregorius [e] Nazianzenus tradit, eum ipſum diligẽter curaſſe, primum vt ſe de reliquorum propinquorum necibus purgaret, velut ex ſui animi ſententia minime admiſſis; deinde vt iis ad Imperii ſocietatem adſciſcendis, magnitudinis animi argumentum ederet; poſtremo, vt Principatum his incrementis firmius ſtabiliret.

XVI. At qui ſummam induſtriam in iis optime educandis adhibuit, ipſe Conſtãtius aures aperiens Euſebio Epiſcopo Nicomedienſi & illi presbytero quem olim Conſtantia fratri Conſtantino commendauerat, cito miſer à paterna fide deſciuit, & in barathrum Arianæ hæreſis decidit; qua & vniuerſa ipſius aula infecta eſt, corruptis ab eodẽ presbytero, tum Euſebio eunucho Imperatorii cubiculi Præfecto, & aliis collegis ſpadonibus (quorum ſummam fuiſſe apud Conſtantium auctoritatem, tam noſtri quam Ethnici ſcriptores queruntur) tum ipſa Imperatoris vxore Euſebia, & ceteris aulæ mulierculis: indeq; malum in reliquas ciuitatis familias, & mox in vniuerſas Orientis vrbes ſerpſit. Narrant hæc pluribus Socrates [f], & alii: eademque ab eunuchis maxime promota eſſe, eſt etiam querela Athanaſii [g], qui egregie ait, Arianam hæreſim abnegantem Filium Dei, præſidium ſibi ex Eunuchis comparaſſe, hominibus vt natura ita animo ad gignendum ſterilibus, & qui proinde ægre paterẽtur vllam mentionem de ſobole, nempe Filio Dei fieri. Ad quæ vero tum hi tum alii Ariani, aduerſus Catholicos & fidem Nicænam patranda, Conſtantium impulerint, dicetur inferius ſuis quibuſque temporibus.

XVII. Huius quoque anni Coſſ. Feliciano & Titiano, decimo octauo Calendas Octobris conſignata reperitur ROMANA SYNODVS [h] ſub Iulio Papa centum ſexdecim Epiſcoporum; de qua nihil præter confeſſionem rectæ fidei, & deteſtationem Arianæ hæreſis reperitur. Ceterum cum in ea Maximianus Conſul cum Feliciano ponatur, inde (vt puto) idem error irrepſit in librum de Romanis [i] Pontificibus, cum Caſſiodori & Græcorum Faſtorum conſenſu Feliciano nonniſi Titianus collega iungatur. Sed & quamuis eadem Synodus aliis inſuper chronographiis ſignetur, nempe Conſtantii & Conſtantis Auguſtorum anno quarto, & Indictione ſexta, ne tamen eam in aliam annum referamus, illa potiſſimum ratio perſuadet, quod facilius fuerit in notas numerorum errores illabi, quam in ipſa Conſulum nomina.

XVIII. Porro qui inter paucos illos iiſdem Synodi Actis recenſitos ex tanto numero Epiſcopos, nominatus reperitur *Iulius* Mediolanenſis, ſuſpicione interdum pulſor eumdem hunc eſſe cum *Materno* eiuſdem ciuitatis Antiſtite, antiquis ſcriptis & memoria anniuerſaria ex tabulis Eccleſiaſticis celeberrimo, qui cognominatus fuerit *Iulius Maternus*: eumdemq; illum eſſe, cuius extat nobiliſſimus commentarius [k] *De Myſteriis & erroribus profanarum religionum ad Conſtãtinum & Conſtantem Auguſtos*, quo eis perſuadere conatur vt quod reliquum eſſet Gentilitiæ ſuperſtitionis penitus abolerent. Nomina enim & tempora probe conſentiunt, licet in titulo nomen tantum Epiſcopi deſideretur, errore forſitan librariorum omiſſum. Ex quibus etiam intelligi datur, diuerſum hunc Iulium Maternum ab eo fuiſſe, qui librum de *Matheſi ad Lollianum Proconſulem* inſcripſit. Longe enim abeſſe videtur, vt qui adeo diſerte & pie de Chriſtiana religione aduerſus Gentilium ſuperſtitionem tractatum edidiſſet, idem poſteá de Matheſi omni ex parte impium ſcripſerit. Ceterum hæc minime oportuit prætermiſiſſe, tum ob alia, tum quod in eadem de Myſteriis ſcriptione auctor ſæpe mentionem habet de victoriis aduerſus Britannos & alios barbaros ab iiſdem Imperatoribus Conſtantino & Conſtante diuina virtute partis; quarum nulla penè memoria apud alios ſcriptores reperitur: quæ quidem contigiſſe videntur, cum patre agente in Oriente ipſi Occidentale adminiſtrarent Imperium. Reperiuntur [l] enim hactenus numiſmata Conſtantini Iunioris adhuc Cæſaris, cum inſcriptione ALAMANNIA DEVICTA.

GALLVS ET IVLIANVS SALVATI. EDVCATIO GAL. ET IVL. IVLIANI DONVM RESPVITVR A MARTYRE. IVLIANVS SACRETO FAVET GENTILISMO. IVL. MONACHVM SIMVLAT. CONST. IMP. ADHÆRET ARIANIS. ARIANA HÆR. PRÆSIDIVM QVÆRIT AB EVNVCHIS. SYNOD. ROM. SVB IVLIO. DE IVLIO MATERNO. VICTORIÆ EX EVENTV VERÆ RELIGIONIS.

[x] Socr. l. 3. c. 1. [y] Soz. l. 5. c. 2. [z] Am. l. 24 in fin. [a] Id. lib. 22. [b] Gre. Naz. orat. 1. in Iulian. [c] Socr. l. 3. c. 1. Soz. l. 5. c. 2. [d] Eunap. in vit. Philoſ. [e] Greg. Naz. orat. 1. in Iulian. [f] Soc. l. 2. c. 2. [g] Athan. ep. ad Solit. [h] To. 1. Conc. [i] Lib. de R. Pont. in Iul. [k] To. 5. Bibl. Sanct. [l] Habet Baron. Annal. to. 3. hoc anno.

Danubium vaſtiſſimum & rapidiſſimum amnem conſtructum, quo ad inuadendos barbaros facilis pateret acceſſus; ſicut & alium Traianus[o] olim incredibili plane impenſa confecerat. Porro ſic eiuſmodi deſcriptum à Zoſimo tributum dictum fuit *Chryſargyrum*, quod vtraque ſpecies penderetur, aurum ſcilicet & argentum: effomari enim ſolitos nummos ſiue aureos ſiue argenteos iuxta pondus indicti tributi, diſtinctamq; fuiſſe penſitationem auri ab argenti, conſtat ex Lampridio in Alexandro; adeo vt cum auri tributum indictum eſſet, non penderetur argentum, nec contra. Vt autem argenti vel æris pretium in auro perſolui poſſet, Arcadius & Honorius primi ſtatuiſſe[p] reperiuntur.

o Dio in Traia.

p l. vn. C. Th. de arg. pret. l. vn. de collat. æris. C l. 10.

IX.

DE FOLLE, ALIOTRIBVTI GENERE.

Sed quod idem Zoſimus rurſum ex eo inſectatur Cōſtantinum, quod clariſſimis quoque viris tributum impoſuerit, Follem (vt ait) ab ipſo nominatum: cum duplicis generis *Follis* eſſet (vt Epiphanius[q] docet) quorum maior ducentos octo denarios, hoc eſt (vt aliunde[r] colligitur) tres libras & ſemis paulo minus argenti contineret, minor duo tantum minuta denarii, nempe obolum (vt etiam Suidas[s] interpretatur) quem Epiphanius tradit continuiſſe octogeſimam partem vnciæ argenti: eſſetque adhuc aliud tertium genus[t] Follis, quod contineret tres nummos argenti, hoc eſt vigeſimam[u] partem libræ: cum inquam, hæc ita ſe habeant, etiamſi daremus tributum Conſtantini ſummi pretii follis extitiſſe; quæ tanta cauſa Zoſimo aduerſus eum inclamandi, ſi tres libras argenti in ſingulos annos Senatoribus, viris ampliſſimis atque ditiſſimis impoſuerit; cùm præſertim ſciamus Auguſtum[x] Imperatorem tam graue eis tributum indixiſſe, vt complures coacti fuerint è Senatu migrare? Ceterum hac ex parte magnam ſibi laudem comparaſſe Conſtantinum, quod non tantum noua non impoſuerit, ſed nonnulla ex iis quæ alii indixiſſent abſtulerit, fidem faciunt quæ iam ſuperius[y] ſunt de his dicta: vt non ſit amplius immorandum in eo vindicando à calumniis Zoſimi.

q Epiph. de menſ. & pōd. Ceterum agunt de Follis valore. Alciat. & Cuiac. tit. de Præt. & præt. honor. ſed exactius Baron. Annal. to. 3. hoc an. qui nonnihil ab illis diſſentit. quos conſulat qui hæc curioſius cupit.
r l. 1. C. Th. de expenſ. Ludor.
s Suid. verb. ...
t Colligitur ex l 5. & 25. C. Th. de Prætor.
u d l. 1. de expenſ.
x Dio l. 53. hiſt. Rom.
y Sup. an. 315.

X.

CONSTANTINVS SCYTHAS REDEGIT SVB TRIBVTO.

His ipſis temporibus quibus Noua Roma Conſtantinopolis ædificaretur, ab eodem Zoſimo[z] ponitur *Bellum Scythicum*; cum (vt ait) Scythę Thaifale duce Romanorum ditionem inuadere auſi eſſent, Conſtantino otioſe agente quieto ab omni belli tumultu; quem & aduerſus eos præliantem maiorem exercitus partem amiſiſſe, & fuga ſibi conſuluiſſe tradit: cum tamen Euſebius[a], & alii omnes qui proſecuti ſunt res Conſtantini, affirment ipſum Scythas ſuperaſſe, Romanumque Imperium à vectigali quod illis pendebat prælio redemiſſe, ac denique (quod nemo antea fecerat) ſub tributo etiā redegiſſe. Porro hæc iſtis plane temporibus contigiſſe, cum extructo ponte ſuper Iſtrum, eo tranſmiſſo Scythas debellauit, Cedrenus[b] quoque teſtatur; hoſque putamus eos eſſe, quos S. Hieronymus[c] & Sozomenus[d] Gothos appellant; ſuffragantibus antiquis Conſtantini numiſmatibus[e], in quorum altera parte ſcriptum legitur, VICTORIA GOTHICA.

z Zoſ. l. 2.
a Euſ. 4. de Vit. 5.
b Cedr. an. 25. Conſtant.
c Hier. in Chron. an. 27. Conſt.
d Soz. l. 1. c. 8.
e Habet Baron. Annal. to. 3. hoc an.

XI.

GALLICANVS BELLI SCYTHICI DVX.

Hoc autem bellum quo deuicti ſunt Scythæ iidemque Gothi, & ſub tributo redacti, geſtum eſſe ab *Ouinio Gallicano* V. C. huius anni Conſule cui Conſtantinus filiam ſuam Conſtantiā deſponderat; Acta[f] SS. martyrum Ioannis & Pauli teſtantur: quem quidem tunc adhuc Paganum extitiſſe tradunt, ſed cum in extremas anguſtias à Scythis redactus, defectionem inſuper ſui exercitus pateretur, ipſeque de fuga cogitaret, hortatu Ioannis & Pauli ſe Chriſto vouiſſe, eiuſq; auxilio per Angelos præuia Cruce miniſtrato, glorioſiſſima victoria potitum Scythas ſub tributum redegiſſe; & ſe Conſulatu abdicantem, ac bona ſua pauperibus diſtribuentem, ad oſtia Tiberina ſeceſſiſſe, ibique infirmis ac pauperibus miniſtrantem diutius vixiſſe. Habent hæc omnia pluribus illa Acta, ex quib. eadem ad verbum Ado[g] recitauit. Et quamuis ſcimus nonnulla eſſe quæ poſſint eis obiici, nec abnuamus eiuſmodi hiſtoriam additamentum accipere potuiſſe (vt moris fuit quorumdam, qui de re magna breuis pertæſi narrationis, multa periphraſtice cumularunt) tamen ea quæ retulimus, tum ab Eccleſiaſticis monumentis tum ab aliis auctoribus fidem ſibi vendicant. Siquidem illa[h], Gallicani ad Oſtia Tiberina exhibitam omni officio hoſpitalitatem teſtantur. Extatque præterea de eiuſdem muneribus oblatis Eccleſiæ SS. Apoſtolorum Petri & Pauli ac Ioannis Baptiſtæ ibidem Oſtiæ à Conſtantino ædificatæ, egregium monumentum in ſuperius citato Anaſtaſii libello de Munificentia Conſtantini. Euſebius autem quamuis nullam prorſus de eo mentionem habeat, quod more ſuo omnia Conſtantino tribuat; tamen Scythas Crucis potentia ſuperatos eſſe affirmat. Sicut & cum Zoſimus dicit maiorem partem Romani exercitus apud Scythas eſſe amiſſam, licet de victoria nihil ſcribat, quam à Romanis obtentam conſtat, iſthæc viſus eſt aliqua ſaltem ex parte ſignaſſe. Deniq; vt vir poſt Imperatorem & Cæſares omnium clariſſimus, & à Chriſtiana fide alieniſſimus, tam repente ex Patricio & Conſule adeo humile arripuerit vitæ inſtitutum, haud potuit contigiſſe abſque aliquo veritatis Chriſtianæ religionis admirandi ſigno. Quomodo vero ſub Apoſtata Iuliano martyrium ſubierit, dicetur ſuo loco.

f Ext. ap. Sur. & alios 26. Iunii.

DIVINITVS HOS VINCIT.

g Ado in Martyrol. 25. Iunii.

FIT CHRISTIANVS, ET RENVNCIAT MVNDO.

h Martyrol. Rom. Bed. Vſuar. Ado 25. Iunii.

XII.

DE CONSTANTIA FILIA CONSTANTINI.

Porro quæ in prædictis martyrum Actis *Conſtantia* filia Conſtantini Magni, deſponſata dicitur Gallicano, hanc veriſimile eſt eamdem illam eſſe, quæ veneratione colitur Romæ extra portam Nomentanam apud baſilicam S. Agnetis martyris, quæque ad ſepulchrum eiuſdem vlceroſo morbo in ſomnis liberata eſſe, & in virginitate perſeueraſſe traditur Ambroſium[i] ab incerto auctore; cuius etiam rogatu patrem ipſius Conſtantinum eamdem baſilicam S. martyris Agnetis ædificaſſe, aſſeritur in dicto libello de munificentia Conſtantini. Quamuis quæ vſu recepto & ſcriptis firmato, vbique & ab omnibus *Conſtantia* dicitur, eamdem proprio nomine dicendam eſſe *Conſtantinam*, antiqua[k] ſuadeat inſcriptio affixa eiuſdem S. Agnetis baſilicæ apſidi, necnon S. Althelmus Anglorum Epiſcopus in carmine[l] quod ſcripſit de laude Virginum. Nam quæ Conſtantina dicta reperitur alia itidem Conſtantini Magni filia, ea nec virgo permanſit, quā Ammianus tradit duos viros habuiſſe, priorem Annibalianum, poſteriorem Gallum Cæſarem; nec talis exitit vt ſanctitatis vllo titulo meruerit inſigniri; vtpote femina crudelitatis face incenſa furens, noua Megera ab eodem auctore nominata: cum tamen alteram illam Conſtantinam, eadem vetera monimenta virginitatem Deo dicaſſe tradant.

i Ap. Ambr. ſer. de paſſ. Agnet.
k Antiq. Inſcript. Ap. pend pag. 1151. num. 9.
l Tom. 1. Antiq. lect. pag. 851.

XIII.

Hoc eodem anno iiſdemque Coſſ. datum reperitur reſcriptum[m] Conſtantini Imperatoris ad Valerinum Conſularem Numidiæ, pro Clericis Catholicis ad Curiā, hoc eſt ad munera publica municipiorū capeſſenda, hæreticorum delatione deuocati ſolitis: quod ne amplius fieret in Eccleſia Occidentali, Orientalis exemplo Imperator prohibuit, volens omnino ab eiuſmodi oneribus clericos eſſe liberos, & immunitate pleniſſima potiri.

m l. 7. C. Th. de Epiſ. & cler.

CONSTANT. EXIMIT CLERICOS A MVNERIBVS.

IESV CHRISTI AN. 331.

CONSTANTINI AN. 26.

SILVESTRI AN. 18.

I.

ANNO Chriſti trecenteſimo trigeſimo primo, Ouinio Baſſo iterū & Ablauio Ægypto Coſſ. Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus, cum aliquantiſper quieuiſſet donec Euſebius Nicomedienſis & Theognis Nicænus exularent, iiſdem Conſtantii Cæſaris (vt creditur) opera[a], & Conſtantiæ Licii olim coniugis ſororis Conſtantini Imperatoris arte, anno ſuperiori, quo eiuſdem Conſtantii celebrata ſunt Quinquennalia, & Nouæ Romæ vrbis Conſtantinopolitanæ dedicatio facta, ab exilio ad proprias Eccleſias reuocatis; nouis rurſus calumniis exagitatur. Siquidem Meletiani cum Iſchyram pſeudopresbyterum (de quo ſuperius) ad ſe transfugientem ſuſcepiſſent; conſilio cum Euſebianis inito, tum eidem Iſchyræ perſuaſerunt, Macarium presbyterum Alexandrinum (quem alii diaconum tantum nominant) qui apud Imperatorem defenderat à Meletianorum calumniis Athanaſium, & ad perquirēdū Iſchyrā miſſus fuerat, accuſare de

a Vid. Niceph. l. 9. c. 11.

ATHANASIVS ITERVM VEXATVR.

fracto in eccleſia calice, aliiſque ſacrilegiis; tum ipſemet Athanaſio impudentiſſimam calumniam impegerunt, de occiſo ab eo Arſenio Epiſcopo factionis Meletianæ, quem, vt calumnia ſuccederet, in abditis habuerunt, interim manum cuiuſdam tamquam ex eius corpore reciſam ad oſtẽtationem circũferentes. Cum vero Iſchyras à ſuis reprehenſus veniam ab Athanaſio poſtulaſſet, & publice dato libello conteſtatus eſſet ſe à Meletianis ſubornatũ eſſe eiuſmodi calumniã aduerſus Macarium ſtruere: nihilominus Meletiani eadẽ crimina paſſim iactitantes, rem etiam ad Imperatorẽ detulerunt; qui cognita ac repudiata de fractione calicis ſycophantia, Antiochiam litteras ad Delmatium Cenſorem miſit, vt cognoſceret de cauſa homicidii. Tradit hæc omnia ipſe Athanaſius in Apologia ſecunda. Porro Iſchyram non ad Meletianos tantum, ſed & per eos profectum eſſe Nicomediam ad Euſebium illius ciuitatis Epiſcopum, & ab eo de concinnandis calumniis optime fuiſſe inſtructum, teſtantur Socrates [b] & Sozomenus [c]. Sed iſte aliique eiuſdem ſententiæ, errore labuntur dum Arſenium clericum tantum vel presbyterum nominant, quem ex ipſo Athanaſio & aliis conſtat fuiſſe Epiſcopum. Quale vero fuerit de Athanaſio Delmatii iudicium, dicetur inferius ſuo loco.

b Socr. l. 1. c. 20. c Soz. l. 2. c. 22.

II. Interim hoc ipſo anno Macarius Epiſcopus Hieroſolymitanus, cum ſediſſet annos decem & nouem reddidit Deo ſpiritum; cuius memoria iugi annua commemoratione in Eccleſia hactenus perſeuerat [d]. In eius vero locũ ſubrogatus eſt *Maximus*, quem Sozomenus [e] tradit, cum antea Epiſcopus Dioſpolitanus, à Macario fuiſſet ordinatus, à populo Hieroſolymitano ne eam ſedem capeſſeret impeditum eſſe, & Hieroſolymis retentum vt Macario ſuccederet; eorumque deſiderio Macarium facile acquieuiſſe, quod ſciret Maximum fidei Nicænæ acerrimum aſſertorem, ac vereretur ne ſe mortuo Euſebius Cęſarienſis & Patrophilus Scythopolitanus ſectæ Arianæ fautores aliquem ex ſuis in ſedem Hieroſolymitanam intruderent.

d Mart. Rom. 10. Martii. e Soz. l. 2. c. 19. MAXIMVS EPISCOPVS HIEROSOLYMITANVS.

IESV CHRISTI AN. [a] 332.333.334.

SILVESTRI AN. 19.20.21.

a Hos tres annos ita coniunximus, quod ... hiſtoriæ nec facile ſeparandæ narrationem cõtineant. CONSTANTINI AN. 27.28.29.

I DELMATIVS COGNOSCIT CAVSAM ATHANASII DE CALVMNIA OCCISI ARSENII.

ANno Chriſti trecenteſimo trigeſimo ſecundo, Ouinio Paccatiano & Mecilio Hilariano Coſſ. S. Athanaſius à Delmatio, cui Conſtantin. Imperator cauſæ cognitionem de prætenſa Arſenii nece delegauerat, monitus vt ſe ad criminis defenſionem pararet; rem impigre gerens, primo in Thebaidem, vbi Arſenium latitare audierat, diaconum ſuum exploratum miſit; mox vero cum eumdem illinc aſportatum in interiorem Thebaidem; ac poſtea in externas regiones nauigare compulſum, audiuiſſet Tyrum appuliſſe, & ibi rurſum occultari, ſuos denuo illuc direxit; qui tandem inuentum, & ſe Arſenium eſſe negantem, ſtiterunt iudicio Pauli eius ciuitatis Epiſcopi Catholici; apud quem de fraude conuictus, ſe Arſenium vero eſſe confeſſus eſt, ac totã de ſimulatione ſuæ necis ex Euſebii Nicomedienſis concilio technã detexit. Hęc quidem omnia ita geſta eſſe ipſe Athanaſius publico ſcripto, nempe Apologia [b], tamquam patentibus litteris ab omnibus inſpiciendis teſtatus eſt: cui magis credendum, quam aliis totam huiuſmodi hiſtoriam de Meletianorum & Euſebianorum in eumdem calumniis, aliter enarrantibus; quorum nonnulli [c], quod ad Arſenii inuentionem ſpectat, eam referunt ad tempus Concilii Tyrii, quod tertio poſt hunc anno celebratum conſtat; alii [d] etiam à vero longius, poſt Conſtantini obitum.

b Athan. Apol. 2. c Socr. l. 1. c. 21. Theod. l. 1. c. 30. Sozom. l. 2. c. 23. d Ruffin. lib. 11.

Ceterum Athanaſius de inuento Arſenio cuncta liquido probata habuiſſet.

II Anno Chriſti trecenteſimo trigeſimo tertio, Delmatio atque Zenophilo Coſſ. Macarium presbyterum ſuum Conſtantinopolim miſit, qui Imperatorem de omnibus certiorem redderet: Imperator autem iis acceptis Delmatium à cauſæ cognitione ceſſare iuſſit, Euſebianos accuſatores reiecit, & ad ipſum Athanaſium litteras honorificas miſit, quibus calumnias in eum allatas deteſtatus eſt. Vnde & illud plane incomparabile ſubſecutum eſt bonum, vt cum Arſenius, tum ipſe Ioãnes ſupremus Meletianorum Antiſtes, facti pœnitentes ſupplices pro venia conſequẽda eidem Athanaſio litteras dederint. & à ſchiſmate recedentes Catholicæ ſe communioni reſtituerint. Docet hæc pluribus ipſe Athanaſius [e] additque hunc finem habuiſſe conſpirationem Meletianorum.

IOANNIS EPISCOPI MELETIANI POENITENTIA. e Athan. Apol. 2.

At vero Euſebiani veriti ne Meletianis ceſſantib. deſtituerentur eiuſmodi calumniarum hiſtrionibus.

III Anno Chriſti trecenteſimo trigeſimo quarto, Optato & Paulino Coſſ. denuo eumdem Ioannem ab Athanaſio reſilire fecerunt [f]; taliaque ac tanta in eumdem Athanaſium commenti ſunt, vt Conſtantinum alioqui erga illum propenſiorem à propoſito mentis auertentes, ac credulum compulerint Synodum Epiſcoporum Cęſareæ Palæſtinæ celebrandam indicere; ad quam Athanaſius iudicandus adueniret. Sed quod ille detrectans ſubire iudicium Euſebii eius ciuitatis Epiſcopi, & aliorum, Arianorum omnino recuſaſſet eo accedere, nouis rurſum ea occaſione apud Imperatorem calumniis oneratus, mutato Concilii loco iuſſus eſt ab ipſo iam in eum commoto Imperatore Tyrum petere. Cuius etiam cogendi ibidem Concilii illa cauſa prętexitur [g], vt baſilicam famoſiſſimam Hieroſolymis erectam Epiſcopi dedicarent. Sed de his anno ſequenti, quo Synodum celebratam eſſe conſtat.

f Athan. ib. Theod. l. 1. c. 28. Soz. l. 2. c. 24. CONSTANTINVS INDICIT CONCIL. ADVERSVS ATHAN. g Euſ. l. 4. de Vit. 41. & 42. Theod. lib. 1. c. 18.

IESV CHRISTI AN. 335.

SILVESTRI AN. 22.

CONSTANTINI AN. 30.

I. ANno Chriſti trecenteſimo trigeſimo quinto, Iulio Conſtantio Conſtãtini Imperatoris fratre & Ruffino Albino Coſſ. celebrata ſunt *tricennalia* eiuſdem Conſtantini, & CONSTANS tertius eius filius ab ipſo creatus [a] eſt Cæſar. Sed & ab Euſebianis aduerſus Athanaſium Tyri in Phœnicia habitum eſt *Conciliabulum*, cõſpirantibus vna cũ eis ſchiſmaticis Meletianis & hæreticis Colluthianis præſidente in eo Dionyſio Comite à Conſtantino miſſo, & militibus armatis Epiſcopos ſuo ſatellitio cingentibus: vt queſti ſunt Patres [b] Synodi Alexãdrinę paulo poſt celebratæ. Porro hoc ipſo anno eiuſmodi conuentũ malignantium fuiſſe collectum Euſebii [c] inprimis, & aliorum [d] auctoritate probatur, dum aiunt ipſis Tricennalibus Imperatoris, tum Tyri tum etiam Hieroſolymis eoſdem Epiſcopos conueniſſe: idemque compertiſſimum redditur ex epiſtola [e] Eccleſiæ Mareoticæ in Ægypto, dũ Tyri Synodus ageretur, data ſub iiſdem huius anni Coſſ.

a Euſ. 4. de Vit. 40. CONCILIABVLVM TYRIVM ADVERSVS ATHAN. b Athan. Apol. 2. c Euſ. de Vit. 4. 41. & 42. d Socr. l. 1. c. 28. Soz. l. 2. c. 25. e Ap. Athan. Apol. 2.

II. Quot autem illic Epiſcopi conuenerint, nullus certus ab Euſebio definitur numerus: ſed res ſuas atque ſuorum oſtentare ſolitus, dum ait collectos fuiſſe ex omni Ægypto, Aſia, Africa & Europa, voluit demonſtrare eiuſmodi conuentum fuiſſe Nicæno propemodum non imparem: cum tamen non niſi ſexaginta omnes numero fuiſſe teſtetur Socrates [f], nec inter eos ex Occidentalibus aliquem: ſed illos tantum præſto fuiſſe, quos Euſebius & Euſebiani aduocandos eſſe Conſtantino perſuaſerunt, vt expreſſe teſtatur ipſemet Imperator in litteris [g] ad eiuſmodi Synodum ſcriptis. Fuerunt autem illi omnes prope qui Ario ſtuduiſſent tempore Nicæni Magni Concilii, vel poſtea eius fautoribus inhæſiſſent: qui tamen vt deciperent Imperatorem, ſe Catholicos & hoſtes Arianæ hæreſeos, & Eccleſiæ pacis ſtudioſiſſimos eſſe profiterentur. Quorum præcipui extiterunt, Euſebius Nicomedienſis totius impietatis choreæ ductor, eiuſdemque nominis & impietatis Euſebius Cæſarienſis, qui ambo eiuſmodi Synagogæ veluti Iudices præfuerunt, aſſidentibus eis Theognide Nicæno, Mari Chalcedonio, Patrophilo Scythopolitano, & aliis tam Arianis quam Meletianis ab ipſo Athanaſio [h] recenſitis. Eorumdemque voluntate factum eſt, vt prætextu comprimendi tumultus, miſſus

QVOT ET QVALES EPISCOPI CONVENERINT. f Socr. lib. 1. cap. 28. g Euſ. 4. de Vit. 42. Theodor. lib. 1. cap. 29. h Athan. Apol. 2.

fuerit

fuerit ab Imperatore cum militari manu Dionyſius Comes,& ipſe(vt putatur)Euſebianus; reuera vt innocentes opprimeret, & ſecretum aditum Athanaſii hoſtibus ad oppugnandam fidem Catholicam aperiret. Denique Archelaum quoque Orientis Comitem eo miſſum eſſe,qui cum Dionyſio Concilio præſideret,Ruffinus [i] eſt auctor: ſed de eo nihil apud Athanaſium, alioſue antiquos ſcriptores qui de eo conuentu egerunt, Socratem [k], Theodoretum [l], ac Sozomenum [m].

i Ruff. lib. 1. ca. 16.17. k Socr. lib. 1. cap. 27. 31. l Theodor. lib. 1. cap. 29. 30. m Soz. lib. 2. cap. 24.

III.

Qui vero Imperatoriis litteris,iiſdemq; minacibus vocatus fuerat S. Athanaſius ad dicendam cauſam, veniretne deberet diu multumque animo verſaſſe omnes tradunt. Sed quod apud Sozomenum legitur,eum, licet vehemẽter vrgeretur, profectionem diſtuliſſe vſque ad triginta menſes,textum eſſe deprauatum exiſtimo, & reſtituendũ ad tres menſes. Nam hoc ipſo anno Synodum cœptam eſſe ac pariter abſolutam, inde vero Hieroſolymam ad dedicationem templi euocatam,omnes affirmant. Acceſſit igitur Tyrum Athanaſius,ne aduerſariis anſam præberet in ipſum vehementius inſultandi,& nouas apud Imperatorem calumnias adſtruendi. Veneruntque cum eo Ægypti Epiſcopi quadraginta ſeptem, quorum nomina ſubſcripta habentur in fine epiſtolæ [n] quam Tyri ſcripſerunt: inter quos leguntur magni illi Potamon & Paphnutius confeſſione celebres,de quibus dictum eſt ſuperius. Eodemque Macarius presbyter vinctus per milites deductus eſt. Cum autem in Synodum ingreſſus eſſet Athanaſius,nullus ei penitus vbi ſederet datus eſt locus, cui omnium primus ob Alexandrinæ ſedis toto Oriente prærogatiuam debebatur:ſed tamquam reus coram accuſatoribus iuſſus eſt ſtare. Quod non ferens S. Potamon, lacrymans inuectus eſt contra Euſebium Cæſarienſem, quod ipſe apoſtata olim à fide tempore perſecutionis, ſederet iudex, & Athanaſius innocens ſtaret ab eo iudicandus. Rem geſtam pluribus deſcripſit Epiphanius [o]: eiuſdemq; meminerunt iidem Epiſcopi Ægyptii in epiſtola quam diximus. De Euſebii vero apoſtaſia dictum eſt ſuo loco. Ceterum Athanaſius,primo de ſuſpectis Iudicibus conqueſtus cum minime audiretur, quantumuis ex eorumdem fauore Meletiani accuſatores audentiores in eum redderentur,ipſe tamen veritate fretus, & alii Orthodoxi qui aderant certi de eius innocentia,etiam coram hoſtibus talia iudicari paſſi ſunt.

n Ap. Athan. Apol. 2.

ATHANASIVS INDIGNE HABITVS TYRI.

o Epiph. hær. 68.

IV. ACCVSATIONES IN ATHANASIVM.

Quod autem ad crimina in eum obiecta pertinet:veteres inprimis accuſationes illæ, quæ aduerſariorum quoq; confeſſione calumnioſæ fuerant comprobatæ, iterum allatæ ſunt in medium nempe de occiſo ab eo Arſenio,& fracto à Macario ſacro calice:prodeunte etiam accuſatore, ſpe polliciti Epiſcopatus illecto, illo eodem Iſchyra pſeudopresbytero, quem calumniarum ſuarum pœnitentem iam olim Athanaſio ſupplicem libellum obtuliſſe vidimus. De cuius gradu male præſumpto, ac calumniæ fictione,licet Athanaſius euidenter demonſtraret: tamen (inquit ipſe [p])ea res nihil remorata eſt inimicos, cum & presbyter fingeretur qui non erat, & Comes vim adhiberet,& milites Athanaſium ac ſuos traherent.

p Athan. Apol. 2.

ARSENII CAVSA QVOMODO SE HABVERIT.

Sed vnde nam quæſo,manauit occaſio,vt quem viuere certo certius fuerat diuulgatum, adeo procaciter iterum de occiſo Arſenio accuſationem propoſuerint? Non aliunde quidem, niſi quod ſicut Iudæi impii reſuſcitatum Lazarum in odium Chriſti interficere quærebant,ita Euſebiani atque Meletiani, cum viderent quẽ occiſum prædicaſſent,in eorum ſummam infamiam adhuc viuere, conati ſunt eidem necem inferre:(id enim innuunt Synodales litteræ [q] Concilii Alexandrini poſtea habiti, quibus hæc omnia Tyri geſta fuſius enarrantur)quod perſentiens ille,delituit quouſque palam in Tyrio conuentu ſe prodidit. Porro Sozomenus [r] ſcribit, eum ſponte ſe vt Athanaſium periclitantem eriperet,Synodo obtuliſſe. Additq; Theodoretus [s], eumdem ab Athanaſii neceſſariis coactum eſſe in diuerſorio parumper latere, cum autem aduerſarii in Synodo proferrent manuin illam ad hanc tragœdiam comparatam, quam dicerent Arſenio fuiſſe abſciſſam, & ſciſcitante ab eis Athanaſio ecquis Arſenium noſceret, multi reſpondiſſent ſe accurate hominem noſcere:tunc eum introduxiſſe, & à Iudicibus agniti vtramque manum integram oſtendiſſe:ſed nihilominus tam accuſatores quam Iudices,vociferantes hæc per incantationes ac præſtigias ab Athanaſio fieri, impetum in eum feciſſe:verum à Dionyſio Comite neci ereptum, Conſtantinopolim ad Imperatorem nauigaſſe. Hæc Theodoretus,& alii [t]:ſed acceſſus Athanaſii ad Conſtantinum poſtea accidit.

q Ap. Athan. ibid.

r Soz. lib. 2. cap. 24. s Theod. lib. 1. c. 30.

t Soz. lib. 2 c. 24. Socr. li. 1. cap. 31.

VI.

Narrat vero Sozomenus alia quædam ad Arſenii cauſam ſpectantia,quæ ab aduerſariis fuiſſe tunc ſuperaddita tradit: ſed & alia multa in Athanaſium obiecta recenſet,quæ ab aliis ſunt prætermiſſa,atque ab ipſo etiã Athanaſio,necnon à Patrib. Synodi Alexandrinæ: apud quos nonniſi de duabus querelis in Athanaſium eodem Tyrio conuentu illatis mentio habetur:nempe de nece Arſenii, & fractura ſacri calicis: Eſt tamen & apud Theodoretum narratio de meretricula ſuppoſita, quæ ſe ab Athanaſio vi compreſſam quereretur: aitque, cum Athanaſius in Synodum vna cum Timotheo quodam presbytero ingreſſus,iuſſus eſſet crimini reſpondere, ipſo quidem ſilente, Timotheum perinde ac ſi ipſe fuiſſet Athanaſius,mulierculam ſic interrogaſſe, *Egone tecum aliquando rem habui?* cumq;illa petulantius aſſereret eũ ipſum eſſe qui ſibi virginitatem abſtuliſſet, technam omnibus patefactam eſſe.

MERETRICVLA ADVERSVS ATHANASIVM PRODVCTA.

VII. QVID ACTVM PRO PRÆTENSA FRACTVRA CALICIS.

Quod autem ſpectat ad querelam Meletianorum de fractura calicis(quam licet Macarius feciſſe diceretur, tamen ſumma criminis in Athanaſium ipſum referebatur, quod is illud iuſſiſſe affirmaretur) in eadem epiſtola Alexandrinæ Synodi traditur, quod etſi hæc calumnia ipſa ſua vanitate corrueret,tamen Euſebiani Iudices ſententiam ea de re ſuſpenſam voluerint donec de probationibus conſtaret:& ad hoc delectos ex ſuis ſex Epiſcopos Arianos,qui omnium maxime Athanaſio infenſi eſſent, clam in Mareoten regionem(vbi calix fractus fuiſſe dicebatur) legauerint qui rem curioſe ſcrutarentur. Ceterum cum iſta contra omne ius faſque,ac prçter ſententiam omnium Orthodoxorum qui Tyri conuenerant agerentur: dederunt primo Ægypti Epiſcopi illi quadraginta ſeptem,cõteſtationis libellos tum ad Synodum tum ad Dionyſium Comitem,ne quid amplius ab iis in ea cauſa ageretur,ſed cuncta reſeruarent integra cognoſcenda per Conſtantinum Imperatorem. Quibus & ſuum in particulari addidit Alexander Epiſcopus Theſſalonicenſis, qui eidem conuentui intererat:eoſque omnes recitat Athanaſius in ſua Apologia. At cum nequicquam proficeretur, nec ipſe Dionyſius miſſam à Iudicibus Arianis legationem in Ægyptum reuocandam curaret, omnia denique in gratiam fierent eorumdem Arianorum: tunc Athanaſius meliorum rerum deſperatione è Concilio iniurioſorum(vt ipſe loquitur) Tyro receſſit & ad Conſtantinum profectus eſt expoſtulaturus de iis quæ adeo inique geſta eſſent.

VIII.

Interim vero legati in Ægyptum miſſi, ducto ſecum Iſchyra accuſatore Alexandriam aduenientes, ſumpto Philagrio Ægypti Præfecto perrexerunt in Mareoten: vbi repulſis à teſtimonio pro Athanaſio & Macario presbytero ferendo Eccleſiaſticis hominibus, ac tantummodo examinatis catechumenis Iudæis atque Gentilibus, iiſdemque præmonitis de his quæ dicere deberent, minas iactãte Præfecto, militibuſque tela & vulnera intentantibus, confecta ſunt Acta pro libito Euſebianorum, vt hæc omnia fuſe ipſe Athanaſius proſequitur in Apologia [u]. Iis autem magna celeritate Tyrum perlatis, Concilium(inquit Sozomenus [x])Athanaſium indicta cauſa condemnauit, abdicauitque Epiſcopatu, ac decreuit ne poſtmodum Alexandriæ habitaret: Ioannem autem Meletianorum principem, & alios eius factionis in communionem recepit, & ſuam cuique dignitatem reſtituit: literaſque ea de re tum ad Imperatorem, tum ad omnes vbique Epiſcopos ſcripſit,ne amplius cum Athanaſio aut litteris aut ſermone communicarent. Verum complures qui aderant in Concilio Epiſcopi, huic iudicio minime conſenſere:& inter eos Paphnutius confeſſor prehenſa manu Maximi Epiſcopi Hieroſolymitani, monuit vt ſurgeret: non enim

u Athan. Apol. 2. x Soz. lib. 2. cap. 24.

ATHAN. DAMNATVR AB EVSEBIANIS.

oporte-

oportere ſe cum eſſent confeſſores, & pro pietate tum oculos effoſſos, tum pedum flexus debilitatos haberent, Concilio hominum perditorum communicare. Hæc & alia Sozomenus, & alii. Vnde quod Iulius Papa ſcribens [y] poſtea ad Arianos, dicit Athanaſium nequaquam Tyri condemnatum fuiſſe intelligendum putamus à maiori & ſaniori parte Concilii: ſiquidem Euſebiani ſeorſum ab Orthodoxis coeuntes (vt ipſe Athanaſius teſtatur) quę viſa ſibi ſunt decreuerunt. Porro hallucinatus eſt plane Ruffinus, dum putat Athanaſium è Tyrio Conciliabulo fuga lapſum, per ſex annos delituiſſe: quæ quidem longe poſt hæc contigerunt. Addit denique Athanaſius, Euſebianos apud Imperatorem egiſſe de erigenda Eccleſia & Epiſcopatu Iſchyræ accuſatori: & qui nec presbyter erat, vocatum fuiſſe Epiſcopum pagi illius in quo habitabat: idque præter maiorum traditionem, quod is pagus adeo paruus eſſet & paucorum hominum, vt nec vmquam eccleſiam habuiſſet aut presbyterum, ſed penderet ab alio proximo pago.

y Ap. Atha Apol. 2.

IX. His igitur in hunc modum ex ſententia Euſebianorum in Athanaſium Tyri confectis, qui remanſerant ibi Epiſcopi, ex iuſſione Conſtantini Imperatoris, qui mandauerat vt quam celeriter altercationibus Epiſcoporum fine impoſito, transferrent ſe Hieroſolymam ad dedicandam inſignem baſilicam *Martyrium* dictam, ab eo iuxta ipſum Saluatoris monumentum ædificatam: ritu id Eccleſiaſtico perfecerunt. Tradunt hæc Euſebius [z], Socrates [a], Theodoretus [b], & Sozomenus [c]: qui accidiſſe aſſerunt mox poſt Tyrium conuentum ipſis Tricennalibus Imperatoris. Verum quod anni Cõſtantini inchoentur octauo Calendas Auguſti, haud neceſſe eſt vt tum ipſum CONCILIVM HIEROSOLYMITANVM, tum alia quæ iiſdem Tricennalibus geſta dicuntur, ſpatio præſentis anni Domini includantur: ſed multa reiicienda ſunt in ſequentem, vſque ad exitum eiuſdem Conſtantini anni trigeſimi. Res porro geſtas in conſecratione eccleſiæ Hieroſolymitanæ deſcribens Euſebius, eiuſmodi Epiſcoporum conuentum magnopere oſtentat, & ipſi Nicænæ Synodo ferme adæquat: quo Arii confeſſio ibi probata maiorem ſibi fidem vendicaret, & Arianorum in eo facta reſtitutio rata ab omnibus haberetur. Nam etſi aliqui magni nominis ibi fuerunt Orthodoxi Epiſcopi, ad dedicationem baſilicæ conuocati: tamen ſeorſum ab illis Euſebianos conueniſſe, vel poſt illorum diſceſſum, certum eſt; quandoquidem Euſebianorum conuentus, potius quam legitima Synodus, ille æſtimatus fuerit. Sed quod ad cõſecrationem attinet; tradit Sozomenus non ſolum ipſum templum, ſed & vaſa miniſterialia conſecrata fuiſſe ſecundum antiquum religionis Chriſtianæ ritum: atque ex eo tempore Hieroſolymitanam Eccleſiam quotannis per dies octo feſtum conſecrationis ſplendide admodum celebraſſe. quarum rerum frequentem in Eccleſia Catholica vſum hodie eſſe videbimus.

z Euſ. 4. de Vit. 41 & ſeq. a Socr. lib. 1. c. 22. b Theod. l. 1. c. 31. c Soz. lib. 2. c. 25

CONCIL. HIEROSOLYM. IN ENCÆNIIS

X. Rurſum vero quod ait Euſebius [d] eiuſmodi celebritatem diſputationibus quoque exornatam fuiſſe: ad hoc ſpectat, quod in eodem conuentu de recipiendis ad ſuas Eccleſias Arianis pœnitentiam præ ſe ferentibus actum eſt. Sed & quod iidem recepti fuerint, & Eccleſiæ conciliati: inde eſt quod idem auctor [e] ait, per eiuſmodi Epiſcoporum Concilium donum quoddam pacis ab Imperatore oblatum eſſe Deo. Haud vero admittimus quod ait Sozomenus, Arium hoc tempore fuiſſe ab exilio relaxatum: ſiquidem iam ſuperius vidimus eum in Nicæno Concilio ſimulate palinodiam recantantem receptum fuiſſe, nõ tamẽ vt Alexandriam redire poſſet: & Euſebianos omni conatu niſos eſſe eumdem Alexandriã reuocare, ſed obtinẽte Athanaſio minime impetraſſe: quam etiam ob cauſam tot tantaſq; molitiones ab eis de pellendo Alexandria Athanaſio eſſe comparatas, ipſe Athanaſius [f] ſcribit. Denique quomodo dici poteſt exulaſſe Arius, quem ante hæc ſuadentibus Euſebianis Conſtantinus Imperator ſcriptis ad eum libere agentem litteris quas Socrates [g] recitat, cur non prius ad ſe venerit admirari ſe dicit, & quamprimum venire conceſſo regio diplomate pro viatico iuſſit?

d Euſ. 4. de Vit. 45.

ARIVS ET ARIANI IN SYNODO RECEPTI.

e Ibid. c. 47

f Athan. de Synod.

g Socr. libr. 1. cap. 19.

XI. Ceterum cum ipſe vna cum Euzoio (quem Alexander Epiſcopus Alexandrinus, cum Arianos damnaſſet à diaconatu depoſuerat) hoc ipſo tempore Conſtantinopolim veniſſet, fidei ſuæ confeſſionem Imperatori obtulit: quæ cum ambigue & doloſe compoſita à multis cenſeretur, quod in ea deeſſet verbum Conſubſtantialis: eam haud ipſe Imperator ſuſcipere auſus, antequam Epiſcopi, quorum eſſet definire de fide, approbaſſent: ad Epiſcopos Hieroſolymis conuocatos examinandam miſit: vbi qui Ario fauebant eamdem approbantes, ipſos quoque Arium & Euzoium qui eo aduenerant, in communionem receperunt, & Alexandriam cum litteris Synodalibus miſerunt. Narrant hæc Socrates & Sozomenus: agitque de iiſdem pluribus Athanaſius tam in Apologia quam in libro de Synodis: vbi hunc conuentum (qui vnus idemque exiſtimatus eſt cum Tyrio Conciliabulo, vtpote qui eodem ferme tempore & ab iiſdem Euſebianis fuerit celebratus) nominat *Exordium Synodorum Arianorũ*: queriturque quod non timuerint Magnam Synodum Nicænam, quantum in ipſis fuit, in angulis demoliri: homines (vt ait) quiduis temere & dicentes & facientes. Quibus plane intelligas quod iam diximus, ea ſic Hieroſolymis geſta eſſe, vt peracta templi dedicatione, dimiſſoque cœtu, ipſi tantum Euſebiani relicti conuenerint, Ariique fide probata, tum ipſum tum alios recipiendos eſſe ſtatuerint: itemque Ariũ eiuſmodi ambigua fidei profeſſione nihil aliud intendiſſe, quam vt abolito ex Nicæna fide verbo *Conſubſtantiali*, tota pariter extructa à SS. Patribus ſinceræ fidei machina corrueret: cum (vt ſuperius dictum eſt) omnia quæcumque à Catholicis afferrentur ad deſtructionem hæreſis Arianæ, haud ſatis eſſe videri poſſent ad tollendas omnes illorum captioſas tergiuerſationes, niſi verbum *Conſubſtantiale* adderetur; quod reticere, idem videri poterat quod Arianam hæreſim profiteri. Sed & quod idem [h] Athanaſius ait, poſt ſuum ipſius exilium Euſebianos ſcripſiſſe de reſtitutione Arii: plane declaratur, non ſtatim atque hic receptus eſt Hieroſolymis miſſum eſſe Alexandriam, ſed tum demum cum Athanaſius amandatus eſt in Gallias: quod & Socrates [i] affirmat. Quamobrem de vtroque agetur anno ſequenti; ſicut & de cauſa Marcelli Epiſcopi Ancyrani, quam idem Socrates [k] in Hieroſolymitano Concilio cœptam, in Conſtantinopolitano abſolutam tradit.

SVBLATVM VERBVM CONSVBSTANTIALIS.

h Athan. de Synod.

i Socr. lib. 1. cap. 25.

k Ibid. c. 24.

XII. Interim autem hoc eodem anno pridie Calendas Ianuarias *S. Syluester* Romanus Pontifex ex hac vita migrauit, cum ſediſſet annos viginti vnum menſes vndecim, vno minus die: ſepultuſque eſt in Cœmeterio Priſcillæ via Salaria: cui merito poſt Petrum, ob inſignes res geſtas tantum debet Eccleſia, quantum alii de ea quam optime merito. Quod autem ſciamus eius annos à diuerſis ſcriptoribus diuerſo numero conſignatos (ſiquidem alii tribuerunt eius ſedi annos viginti quatuor & aliquot menſes, & apud Nicephori Chronicon leguntur anni viginti octo, ac denique ex deprauata Euſebii Chronographia cum additamento Hieronymi, anni tantum reperiantur decem & nouem) vt nos quam poſuimus ſententiam amplectamur, illud potiſſimum perſuaſit, quod cum in Libro de Romanis Pontificibus ponatur ingreſſus Silueſtri ſub Conſulatu Voluſiani tempore Conſtantini (ſic enim legendum eſt, non ſub Conſulatu Conſtantini & Voluſiani) rurſumque Marci eius ſucceſſoris ſubrogatio collocetur ſub anni ſequentis Conſulibus; præſentem annum nequaquam potuit exceſſiſſe Silueſter. De quo rurſum illud minime prætermittimus, inter alia præclariſſima eius opera, ipſius plantationem fuiſſe nobiliſſimam virginem, *Romanam* nomine, filiam Calpurnii Præfecti Vrbis: quæ baptizata à S Silueſtro, in antris & ſpeluncis cœleſtem vitam duxit in virginitate perpetua, & miraculorum gloria claruit: cuius natalis dies ſeptimo Calendas Martii ab Eccleſia celebratur.

SILVESTRI PP. OBITVS

DE ROMANA SIC DICTA VIRGINE ROM.

CONSTANTINI AN. 31.

IESV CHRISTI AN. 336.

MARCI AN. I.

I. a Lib. de R. Pont. in Silueſtr. & Marco. MARCVS PAPA.

ANNO Chriſti trecenteſimo trigeſimo ſexto, Nepotiano atque Facundo Coſſ. cum poſt obitum Silueſtri Papæ ſedes vacaſſet [a] dies quindecim, MARCVS Priſci filius natione Romanus ſubrogatus eſt in locum eius decimo ſeptimo Calendas Februarii. Quantum autem ſederit, dicetur ex more in eius obitu.

II. Interea cum Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus ex Tyrio conuenticulo ſe abſtrahens, Conſtantinopolim profectus eſſet ad Imperatorem (quod dictum eſt anno ſuperiori) ipſumque acerrimis querimoniis ob toleratas calumnias interpellaſſet, obtinuit vt Euſebiani qui eius cauſam Tyri iudicaſſent, adhuc Hieroſolymis exiſtentes, ab eodem Imperatore grauiter commoto acribus litteris Conſtantinopolim euocarentur, rationem ſui iudicii reddituri. Sed plurimis eorum, ſcelerum ſuorum conſciis, ad ſuas Eccleſias ſe recipientibus; qui ceteris audacia & in Athanaſium odio præſtarent, Euſebii Nicomedienſis & Cæſarienſis, Theognis Nicænus, Patrophilus Scythopolitanus, Valens Murſorum Superioris Pannoniæ, & Vrſacius Singidonis Superioris Myſiæ Epiſcopi, ſoli iſti ſex impudenter ad Imperatorem accedentes, nec amplius fidentes inanibus fracti calicis aut occiſi Arſenii calumniis, nulla de iis habita mentione aliud commentitium crimen detulerunt, nimirum Athanaſium minatum eſſe ſe impediturum quo minus frumentum Alexandria Conſtantinopolim ex more aduheretur: eiuſque teſtes protulerunt quinque Ægypti Epiſcopos, qui cum olim pro Athanaſio in Concilio Tyrio inter illos quadraginta ſeptem ſteriſſent, poſtea vel Dionyſii Comitis blanditiis, vel aliis Euſebianorum fallaciis decepti, & à ſanctis collegis auulſi fuerant, & impiis aduerſariis coniuncti. Cum igitur hæc à tot Epiſcopis; iiſdemque Catholicis & defenſoribus alias Athanaſii aſſererentur; iiſdem fidem adhibens Imperator, & ita æſtuans, omiſſo de ſceleribus Euſebianorum iudicio, quod in expectatione erat, e veſtigio eumdem Athanaſium fruſtra ſe excuſantem Treuiros in Gallias relegauit. Narrantur hæc pluribus tum apud ipſum Athanaſium [b], tum apud Socratem [c], quæ breuius Theodoretus [d] refert: ex quibus omnibus erroris arguitur Sozyomenus [e], dum nullam mentionem habens recentis calumniæ de frumenti vectione, tradit Athanaſium ob crimen de fracto calice, aliaque ipſi antea impoſita, relegatum eſſe Treuiros. Addit vero Epiphanius [f], cum Athanaſius adeo iniquam ſententiam ab Imperatore accepiſſet, infracto animi vigore diuinum aduerſus eum comminatum iudicium dixiſſe, *Iudicabit Dominus inter me & te, quoniam tu conſentis calumniatoribus modeſtiæ meæ.*

NOVA CALVMNIA IN ATHANAS.

ATANASIVS RELEGATVR A CONSTANT. IMP.

b Atha. Apol. 2. c Socr. lib. 2 cap. 41. 23 d Theod. li. 1. cap. 31. e Soz. l. 2. ca. 27. f Epiph. hær. 68.

III. Ceterum eiuſmodi Conſtantini facinus excuſans alibi ipſemet Athanaſius [g], ait illud eo conſilio Imperatorem præſtitiſſe, quo tali ſeceſſione Athanaſius liber eſſet ab Euſebianorum crudelitate. Confirmat id ipſum Conſtantinus Iunior eiuſdem Maioris filius, in litteris [h], ad Alexandrinos poſtea datis. Iiſdemque concordat quod Alexandrina Synodus [i] teſtatur Imperatorem exilio damnaſſe Athanaſium, vt ſic furorem Arianorum eius capitale ſupplicium omnino poſcentium expleret. Sicut & Theodoretus [k] eumdem excuſat, quod dolo Epiſcoporum eximiam quandam vitæ ſpeciem præſeferentium deceptus fuerit: cum præcipue (quod Socrates & Sozomenus addunt) perſuaſum haberet, concordiam vbique in Eccleſia inter omnes Epiſcopos fore, ſi Athanaſius remoueretur. Vnus tantum Lucifer [l] Calaritanus culpam omnem in Conſtantinum reiiciens, ait idcirco Athanaſium ab eo relegatum eſſe, quod noluiſſet eſſe Arianus: ſed is omni probationis genere refellitur. Nec vero Conſtantinum fuiſſe penitus animo ab Athanaſio auerſum, ac proinde neque à fide Catholica alienum, ex eo quoque plane intelligi poteſt, quod (vt ipſe Athanaſius [m] eſt auctor) cum ab Euſebianis impelleretur in eius locum alium præficere Eccleſiæ Alexandrinæ Epiſcopum, eoſdem compreſſerit, & ab ea molitione grauibus minis deterruerit. Immo & cum audiſſet (inquit Sozomenus [n]) Ioannem Meletii ſucceſſorem Alexandriæ agere, & populum ſibi conciliare, eumdem in exilium pepulit: licet tum ab Alexandrinis, tum ab ipſo Magno Antonio monachorum principe, de Athanaſii reſtitutione enixe rogatus (quod idem auctor ſcribit) eam omnino tunc denegauerit. Habet tamen Conſtantinus Iunior vbi ſupra, conſilium poſtea parentis fuiſſe vt Athanaſium reſtitueret, ſed morte præuentum minime adimplere valuiſſe. Idque morientem ipſum iuſſiſſe, licet Euſebius Nicomedienſis contradiceret, Theodoretus [o] eſt auctor.

g Athan. ep. ad Solit. CONSTANTINVS EXCVSATVR. h Ext. ap. Athan. Apol. 2. i ep. Synod. Conc. Alex. ap. Athan. k Theod. l. 1. c. 31. l Lucif. l. 1. pro S. Atha. m Ath. ep. ad Solit. n Soz. l. 2. c. 19. o Theod. l. 1. c. 32.

IV. ALII EPISCOPI EXVLES. p ap. Athan. Apol. 2.

Porro non Athanaſium tantum, ſed & ei communione inhærentes Ægypti Epiſcopos, è ſedibus ſuis pulſos exulare eſſe iuſſos, ipſimet teſtantur epiſtola [p] Synodali ex Concilio Alexandrino celebrato poſt reditum ab exilio, Euſebiani enim viſi ſunt & in iſtos, tamquam eorumdem criminum reos, damnationis ſententiam irrogaſſe, & ab Imperatore vt in exilium pellerentur petiiſſe. Quando & Euſebius Cæſarienſis ibidem Conſtantinopoli (vt ipſe [q] teſtatur) orationem de Imperatoris laudibus recitauit, quæ hactenus extat: idque (vt exitus demonſtrauit) quo animum Imperatoris demulcendo, eumdem ad ſua vota aduerſus Athanaſium ac collegas pertraheret. Obſeruatione vero digna res eſt, Athanaſii exilium haudquaquam impunitum a Deo eſſe relictum: quandoquidē Imperium hactenus feliciſſimum, inuaſione Perſarum cœptum eſt perturbari: & ipſe Imperator anno ſequenti ex hac vita ſubtractus eſt, quantumlibet videri poſſet penes homines excuſatus: Ceterum Athanaſium, non vt exulem ſed vt egregium fidei athletam, Treueris tum à ciuibus, tum à Maximino ſincera fide & eximia ſanctitate præſtante eiuſdem vrbis Epiſcopo, honorifice ſuſceptum eſſe, S. Hieronymus [r] eſt teſtis. Eodem autem in exilium amandato, tunc demum Euſebianos apud Imperatorem egiſſe de reſtitutione Arii Alexandriam (quod anno ſuperiori diximus) non ipſe tantum Athanaſius [s], ſed & Socrates [t] atque Sozomenus [u] teſtantur: adduntque, cum eamdem ciuitatem Arius de integro in magnas turbas conieciſſet, quod Alexandrini ei communicare recuſarent, dicentes eadem illum adhuc ſentire de fide quæ prius: Imperatorē de eius peruerſa mente & inſtituto certiorem factum, cum denuo Conſtantinopolim accerſiuiſſe, rationem de ſeditione quam concitare aggreſſus erat redditurum.

q Euſeb. 4. de vit. 46.

ATHANASIVS HONORIFICE EXCEPTVS TREVERIS. r Hier. in Chron.

s Athan. de Synod. t Socr. l. 1. c. 25. u Soz. l. 2. c. 28. ARIVS NON RECIPITVR ALEXANDRIÆ.

V. x Ruff. l. 1. c. 12. SYNODVS CONSTANTINOP. ADVERSVS MARCELLVM. y ep. Iulii P. ad Arian. ap. Athan. Apol. 2.

Cum interea *Conuocatis* in eamdem ciuitatem *Conſtantinopolim* proximis Epiſcopis, atque illis maxime (vt ait Ruffinus [x]) qui Arium & Euſebium ſectabantur; iidem *Marcellum Ancyræ* in Galatia Epiſcopum (quem æque ac Athanaſium ſenſerant [y] in Nicæno Concilio acerbiſſimum aduerſarium) pariter damnatum, in exilium pelli curarunt. Acceſſerat recens Euſebianorum in illum odii cauſa, quod neque in Tyrio conuentu eorum decretis conſentire, neque Hieroſolymis cum eiſdem communicare, aut Arii reſtitutioni aſſentiri voluiſſet. Itaque quod inde receſſiſſet calumniandi ſumpta occaſione, primo eumdem apud Imperatorem accuſarunt, quod in contemptum ipſius dedignatus eſſet conſecrationi templi Hieroſolymitani intereſſe: poſtea vero eumdem iuſſu Imperatoris Cōſtantinopolim euocatum, per calumniam ex ipſiuſmet Marcelli ſcriptis comparatam Epiſcopatu abdicarunt: nempe quod cum Aſterius ſophiſta Cappadox, olim in perſecutione Maximiani Herculii apoſtata, ex ſententia Euſebii libros quoſdam Ariano dogmati fauentes edidiſſet, in quibus locuſtam & erucam cum Chriſto cōpararet, immo Chriſto anteponeret, aliamque quam Chriſtum in Deo Sapientiā conſtitueret Chriſti & mundi conditricē, idemque per Syriam & per alias Eccleſias, ex commendatione Euſebii hæc docens obambularet: aduerſus eū Marcellus ſcribens, in Pauli Samoſateni errorem impegiſſet. Narrant iſta Athanaſius, [z] Socrates [a], & Sozomenus [b]: ſed eadem ab Euſebianis Marcello falſo adſcripta eſſe, dum quæ ipſe per modum quæſtionis tractauerat, ea tamquam ita

CAVSA MARCELLI ANCYRANI.

z Athan. Apol. 2. de Synod. & ep. ad Solit. a Socr. l. 1. c. 24. b Sozo. l. 2. c. 31.

ita eſſe profiteretur calumniati ſunt, tum idem Athanaſius docet, tum Iulius Romanus Pontifex ac Synodus Sardicenſis eadem diligenter examinantes intellexerunt, ipſumque Marcellum (vt videbitur) Eccleſiæ ſuæ reſtituerunt.

VI. CONSTANTINVS MALE AVDIVIT.

Quod vero Conſtantinus Imperator de Euſebianorum ſententia tot magni nominis Epiſcopos exulare iuſſerit, plane accidit vt apud nonnullos exiſtimatus fuerit Arianæ hæreſis patrocinium ſuſcepiſſe: id enim Seuerus, [c] Ruffinus, [d] & maxime Lucifer [e] Calaritanus aſſeuerant: legiturque apud Hieronymi Chronicon [f], eumdem Conſtantinum in obitu in Arianum dogma declinaſſe. Verum ad iſta refellenda, probandamque eiuſdem Imperatoris integram fidem Catholicam, licet ſatis eſſe poſſint quę dicta ſunt ſuperius in eius baptiſmo, vel nuper in Athanaſii exilio: illud tamen amplius addimus, tum Euſebianos vſque dum vixit Conſtantinus, cui ſemel ſubſcripſiſſent Nicænæ fidei profeſſores forinſecus præ ſetuliſſe, & ſi quod bellum Catholicis intulerunt, nequaquam vt Arianos, ſed potius vt diſciplinæ Eccleſiaſticæ ac fidei Orthodoxæ vindices præſtitiſſe, veluti cum Athanaſium ob crimina, vel Marcellum ob hæreſim damnauerunt: tũ ipſum Conſtantinum cũ eis in his fauit, certo exiſtimaſſe Catholicæ fidei & Eccleſiaſticis inſtitutis integre conſeruandis religioſo officio præſto eſſe. De quo & illud euidentiſſimum ſpecimen edidit, dum (quod dicetur) haud aſſenſit in Eccleſiam Arium admitti, niſi iuratum & abdicata penitus hæreſi profeſſum ex animo fidem Catholicam. Rurſum vero, quouſque ipſe vixit Euſebianos nequicquam aduerſus Nicænæ fidei regulam mutire ſaltem auſos eſſe, Athanaſii inprimis teſtificatione exploratum redditur, dum in libro de Synodis id ab eis cœptum agi tradit in Concilio Antiocheno in Encæniis celebrato anno quinto Cõſtantii. Et licet antea aliquam interpretationem fidei Nicænæ Symbolo addidiſſent; Filii tamen cum Patre Conſubſtantialitatem (qua in re totum robur conſiſtebat Catholicæ ſententiæ) viuente Conſtantino nunquam denegare præſumpſiſſe, Sozomenus [g] teſtatur, quod (vt ait) pro certo ſcirent Imperatorem fidem Conſubſtantialis ſectari: aſſeritque idipſum Theodoretus [h], & alii. Quare tantum abeſt vt Conſtantinus ab Euſebianis deceptus lapſus ſit in Arianam hæreſim, vt nec ipſi Euſebiani eum veriti Arianos ſe eſſe voluerint demonſtrare.

c Socrat. hiſt. lib. 2. d Ruff. l. 1. cap. 17. e Lucif. l. 1. pro Athan. f Chron. Hieron an. 31.

DEFENDITVR AB ACCVSATIONIBVS.

QVAMDIV EVSEBIANI DETEGI ARIANI NOLVERVNT.

g Soz. lib. 2. c. 30. in fi. h Theod. l. 2. cap. 3.

VII. PROBATVR FIDES CONSTANTINI.

His conſentiens accedit Athanaſii [i] teſtimonium, dum aduerſus eius filium Conſtantium agens, conqueritur quod patris veſtigia minime conſectaretur, ſed ab hæreticis ſe pateretur ſeduci: cum pater cognito periurio & ſupplicio Arii, eum damnatum & pro hæretico habuiſſet. Sic & Epiphanius [k] de eodem Conſtantio ait, fuiſſe quidem pium & bonum iuxta multos modos, ſed in hoc ſolum deliquiſſe quod non proceſſit ſecundum rectam & integram fidem parentis. Eodemque modo S. Hilarius [l] eumdem Conſtantium appellat diuinæ religionis hoſtem, & paternæ pietatis heredem rebellem. Denique idem Athanaſius poſt obitum Conſtantini, Conſtantem eius filium hortatus [m] eſt, vt aduerſus Arianorum inſidias vindex & cuſtos eſſet paternæ pietatis. Quibus omnibus luce clarior teſtata redditur fides Orthodoxa Conſtantini vſque ad vitæ exitum illibate ſeruata: atq; inde vniuerſa Catholicorum poſteritas, ipſaque publica Synodalia Acta, magno præconio ex eadem fide potiſſimum comparato ipſum laudare conſueuerunt: quod & ſuperius dixiſſe meminimus.

i Athan. ad Solit. k Epiph. hær. 69. l Hilar. l. 1. ad Conſt. m Theodor. l. 2. cap. 3.

VIII. ARII FRAVS IN ASSERENDA FIDE.

Sed vt cetera quæ ſpectant ad dictum Concilium Conſtantinopolitanum proſequamur; Arius, quem vidimus ob nouas Alexandriæ excitatas turbas Conſtantini litteris Conſtantinopolim vocatum, rogatus ab Imperatore num fidem Nicænam ſeruaret, ille iureiurando affirmauit ſe eam amplecti, atque eamdem à ſe ſcriptam & proprio chirographo munitam Conſtantino obtulit: qui cõteſtatus, ſi doloſe iuraſſet Deum periurii vindicem futurum; mandatum dedit Alexandro Epiſcopo Conſtantinopolitano, vt in communionem eum reciperet: ſed Alexandro contradicente, quod diceret non debere hæreſis inuentorem in Eccleſiam recipi: contra vero minantibus Euſebianis, etiam ipſo inuito ſe Arium poſtera die (erat autem tunc Sabbatum) in eccleſiam introducturos: tum idem Alexander templum ingreſſus, ſeque humi ad altare proſternens, magno preſſus angore Deum tota nocte orauit, vt ſi Arius ad Synaxim introducendus eſſet, ipſe Alexander prius eriperetur è vita: ſin autem Eccleſiæ ſuæ Deus miſereri dignaretur, Arium è medio tolleret. Accidit autem vt cum poſtridie ſummo mane ab Euſebianis Epiſcopis Arius domo eductus eſſet, vt antequam eccleſia ab Alexandro præoccuparetur ipſi eam inuaderent, in via poſitus idem Arius cum ventre perurgeretur (ſiue naturalis exonerationis neceſſitate, ſiue timore ex conſcientia ſceleris exorto, cuius vi laxari ſolet aluus) diuertens ad latrinas publicas quæ pone forum Conſtantini erant, ibi medius crepuerit, effundens vna cum excrementis viſcera omnia, ſplen & iecur, quam rem geſtam cum Athanaſius [n], tũ alii Græci pariter ac Latini ſcriptores [o] affirmant.

INFAMIS ARII OBITVS.

n Athan. ep. ad Serap. & orat 1 cont. Arian. o Socr. l. 1. c. 25. Soz. l. 2. c. 28. Theo. l. 1. c. 14. Ruff. l. 1 c. 12.

IX.

Hunc igitur plane finem numine vlciſcente ſortitus eſt Arius Iudæ ſimillimum, cui ille à SS. Patribus [p] iure comparatur, vt pote perfidiæ in Chriſtum & pœnæ ſceleris ſocius. Ceterum addit ad ſuperiorem hiſtoriam Socrates, Arium cum ab Imperatore ad iuſiurandũ de recta fide adigeretur, ea arte in ipſo ludificando vſum eſſe, vt cum libellum fidei Catholicæ eidem offerret, haberet tamẽ ſub ala chartam aliam in quam ſuam ipſius hæreſim ſcripſiſſet, ſicque iuraſſe ſe vere & ex animo ſentire quemadmodum ſcripſerat. Et Theodoretus [q] habet, non tantum Alexandrum de imminenti periculo fuiſſe ſolicitum, ſed & pios cunctos ingenti mœrore affectos, hortatu Magni Iacobi Epiſcopi Niſibeni qui tunc aderat Conſtantinopoli, ieiuniis & orationibus vacaſſe, Deumque rogaſſe vt id fieri iuberet quod vtile futurum eſſet Eccleſiis. Sozomenus vero addit, locum in quo Arius extinctus eſt poſtea deteſtabilem cunctis factum eſſe, donec poſt multum temporis potens quidam Arianus homo, vt probroſi Arii obitus memoria deleretur, illum à Republica emit, ædeſque in eo extruxit.

p Gre. Naz. in laud. Athan. Ambr. de fid. ad Grat. l. 1. c. 9. Gaudent. ad Paul. diac. Bibl. S. to. 7. Prudent. & alii.

q Theod. hiſt. de SS. Patr. in Iacob. Niſib.

X.

Sic autem extincto Ario, tradit Athanaſius [r] quam plurimos ex iis qui ante decepti fuerant, conuerſos eſſe quod vidiſſent Dominum per ſe ipſum hæreſim aduerſus ſe cõflatam condemnaſſe. Sed & reliquos Euſebianos Socrates [s] ſcribit ingenti terrore concuſſos eſſe; Imperatorem vero fidei Chriſtianæ firmius adhæſiſſe, cum Synodi Nicænæ doctrinam auctoritate & nutu diuino confirmatam cerneret. Ex quibus etiam omnibus Euſebii Cæſarienſis detegas impoſturam, dum (quod alias demonſtratum eſt) ipſe Arianus in gratiam Conſtantii Imperatoris Ariani Conſtantinum finxit baptizatum paulo ante obitum (qui contigit anno ſequenti) ab Euſebio Nicomedienſi Arianorum omnium anteſignano: cum ex recenti memoria prodigioſi & ignominioſiſſimi ſupplicii Arii, quiſque vel leuiter tantum pietate tinctus debuiſſet execrari omnes Ario communicatione coniunctos. Quinimmo qui Arii & Arianorum deteſtatus eſt Imperator errorem, ſe ipſum quoque arguit leuitatis ob miſſum Athanaſium in exiliũ; quem reuocandum Alexandriam deſtinauit, ſed obitu præuentus non perfecit; ſicut & iam ſuperius diximus, & ipſemet teſtatur Athanaſius [t]. Quapropter cum ex his modicum temporis ſpatium interceſſiſſe videri poſſit inter mortem Arii & obitum Conſtantini, inde ſequenti potius anno quam præſenti Arium extinctum eſſe poſſumus opinari. quod quidem Socrates tradit accidiſſe poſt elapſum trigeſimum Conſtantini annum, qui vſque ad octauum Calendas Auguſti huius anni ſe extendit. Denique & ex iis omnibus quæ hactenus de Ario ſunt dicta, errore lapſos eſſe conſtat, tam qui ſtatim poſt Nicænam Synodum eius mortem accidiſſe putarunt, quam qui ante, vel poſtea ſub Conſtantio, vel alio quouis tempore poſuerunt. Ac de illo iam hactenus.

r Ath. ep. ad Serap. PROFICVA ECCLESIÆ MORS ARII. s Socr. lib. 1. c. 25.

t Atha. ora. 1. cont. Arian. TEMPVS MORTIS ARII.

XI.

Hoc ipſo anno, confecto trigeſimo Imperii Conſtantini (inquit Euſebius) [u] idem Imperator cum iam multo ante Conſtantinum maximum natu filium in matrimonio collocaſſet, ſecundo quoque, nempe Conſtantio, ma-

u Euſ. 4. de vit. 49. & ſeqq.

EVSEBIA VXOR CONSTANTII. x Zoſ. l. 3. y Amm. l. 16.

gna celebritate vxorem dedit. Fuit autem ea nomine *Euſebia*, quæ vt ſcribit Zoſimus [x], ſumma præſtabat eruditione, ſupraque muliebrem ſexum prudens erat. Permanſit tamen ſterilis, & aliarum partui inſidiatrix (quod tradit Ammianus [y]) & mulda: ſed, quod deterius eſt, Ariano infecta contagio. Addit vero Euſebius, eodem ferme tempore veniſſe Conſtantinopolim ab Indis Orientalibus legatos cum muneribus precioſiſſimarum gemmarum, & varii generis animalium, picturarumq; ac ſtatuarum; quæ Principes Indorum ad Imperatorem miſiſſe, ait, vt declararent ſe illum ſummum omnium Regem agnoſcere & profiteri. Poſt quæ ait, Conſtantinum tribus ſuis filiis Cæſaribus vniuerſum Imperii ſtatum ita partitum eſſe, vt auitam ſortem grandior natu Conſtantinus, Orientem Conſtantius, quod medium interiacebat Conſtans omnium minimus haberet: ſingulisque regium apparatum & comitatum dediſſe.

CONST. FILIIS IMPERIVM PARTITVR.

XII. z Hier. in Chron. DELMATIVS CREATVS CÆSAR. a Vict. in Ep. b Eutr. l. 10. c Oroſ. l. 7. c. 28. d Zoſ. l. 2.

Quod vero alibi dicitur [z], iiſdem Conſtantini Auguſti Tricennalibus Delmatium (filium alterius Delmatii fratris Conſtantini) ab eo creatum eſſe Cæſarem, licet nihil tale apud Euſebium legatur, qui de tribus tantum Cæſaribus meminit tum in Vita Conſtantini, tum in oratione de eius laudibus: tamen quod Victor [a] quoque, Eutropius [b], Oroſius [c], & alii ferme omnes de dignitate Cæſaris DELMATIO collata teſtentur, & nummi id ipſum habeant: ſic conciliandi hi ſunt cum Euſebio, vt tres tantum Conſtantini filii ad ſucceſſionem & adminiſtrationē Imperii creati fuerint Cæſares, Delmatius vero titulo tenus: ſicut & patrem eius *Delmatium*, & patruos *Conſtantium* & *Annibalianum* in participationem Imperii quodammodo à Cōſtantino vocatos fuiſſe, conceſſa eis purpura & *Nobiliſſimatus* dignitate, Zoſimus [d] ſcribit: licet & ipſe confundens patrem Delmatium cum filio, exiſtimaſſe videatur, qui traditur creatus Cæſar à Conſtantino fuiſſe Delmatium fratrem Conſtantini; cum ceterorum omnium auctoritate conſtet, Delmatium Iuniorem, nempe filium fratris Conſtantini, creatum fuiſſe Cæſarem: quem quidem proſperrima fuiſſe indole, nec patruo abſimilem, Eutropius & alii affirmant.

XIII. e Hier. in Chron. APOSTOLORVM TEMPLVM CONSTRVITVR CONSTANTINOPOLI. f Euſ. l. 4. de vit. c. 58. & 59. g Socr. l. 1. c. 40.

Hoc item anno vltimo [e] Conſtantini, idem Imperator aduerſus Perſas tumultuantes expeditionem parauit, ſed pace ab eis per legatos petita & obtenta, ad ædificandam Conſtantinopoli Apoſtolorum eccleſiam in qua ſepeliretur adiecit animum: quam magnificentiſſime conſtruxit, & ære texit. Sed hæc omnia pluribus Euſebius [f]; qui ait ea de cauſa ſibi Conſtantinum ibi delegiſſe ſepulturam, vt defunctus quoque precationum quæ ibidem eſſent ad Apoſtolorum gloriam offerendæ particeps efficeretur. Nempe idem Imperator à SS. Epiſcopis optime inſtitutus in fide, probe ſciebat defunctorum animas viuorum precibus adiuuari. Addit vero Socrates [g], ædificatum fuiſſe illud templum à Conſtantino, ne Apoſtolorum Reliquiis Imperatores & Epiſcopi aliquando deſtituerentur. Eo namque tranſlata eſſe ab eodem Conſtantino *Andreæ* Apoſtoli, *Lucæ* Euangeliſtæ, & *Timothei* diſcipuli Pauli corpora, iterum S. Hieronymus [h] teſtatur; licet alicubi [i] apud eumdem id ſub Conſtantio accidiſſe legatur, quod & alii nonnulli tradiderunt: ceterum S. quoque Paulini teſtificatione, apud Dungalum aduerſus Claudium Taurinenſem aſſeritur id contigiſſe ſub Conſtantino. Fuiſſe vero eamdem eccleſiam poſteriorum quoque Imperatorum ſepulchrum, Chryſoſtomus [k] teſtari videtur, dum ait Conſtantinopoli Imperatores magnam gratiam putare, non ſi prope Apoſtolos, ſed ſi vel extra eorū veſtibula corpora ſua ſepelirentur, fierentque piſcatorum oſtiarii Reges. Ex quibus pariter intelligas, non intra baſilicam, ſed in eius atrio Imperatores ſepeliri conſueuiſſe; quod ex eodem auctore dicetur inferius de ſepultura Conſtantini.

RELIQVIÆ ILLVC TRANSLATÆ. h Hier. de ſcript. Eccl. in Luc. & aduerſ. Vig. i Id. in Chron. k Chryſ. orat. quod Chriſtus ſit Deus.

XIV. CVRATORES SEPELIENDORVM MORTVORVM.

Sed & illud ſane memoria dignum idem Conſtantinus Imperator ſtatuit, & primus auctor fuit, vt AD CORPORA DEFVNCTORVM HVMANDA, Corpus conſtitueretur ex nongentis quinquaginta diuerſorum collegiorum & artium officiis, qui ei muneri mancipati eſſent, quos & voluit Eccleſiæ ſubiectos eſſe, & ab omnibus publicis muneribus immunes, atque in vectigalibus liberos. Quod idem corpus poſtmodum Anaſtaſius Imperator confirmauit; centumque alias & quinquaginta officinas appoſuit, vt eſſent omnes numero mille & centum, eaſdemque certis redditibus dotauit. Teſtatur hæc quidem omnia Iuſtinianus [l], dum ea ipſe quoque confirmauit. Porro opus illud pium & religioſum poſteris temporibus antiquatum, hoc noſtro ſæculo Romæ ſanctioribus legibus & inſtitutis inſtauratum eſt, & in diuerſas Catholici Orbis Eccleſias propagatum ſub nomine *Confraternitatis Mortis*. Quæ quidem in Gallia aptiori appellatione nuncupatur vulgo *Confraternitas Charitatis*. Quid enim hoc officio præſtantius, ei exhibere beneficium qui tibi iam non poſſit reddere? Sed de his nos alibi [m] locupletius: iam cetera proſequamur.

l Nouel. 43. 59.

m Vide ſi vis, Tract. [illegible]

XV. n Tom. 1. epiſt. Marci. OB MARCI PAPÆ EPISTOLA AD ATHAN.

Hoc anno iiſdemque Conſulibus; decimo Calendas Nouembris data [n] legitur Marci nomine epiſtola ad S. Athanaſium Epiſcopum Alexandrinum ac ceteros Ægypti Epiſcopos: cuius argumentum ex alia ibidem poſita epiſtola eorumdem Epiſcoporum ad ipſum Marcum facilius intelligitur: nempe Ægyptios dira Arianorum perſecutione vexatos, inter alia diſpendium paſſos eſſe Nicænorum canonum, qui vna cum omnibus aliis libris ab iiſdem Arianis incenſi fuerint, eorumque exemplar à Romana Eccleſia poſtulant impertiri. quibus quidem litteris tam Ægyptiorum quam Marci, Nicænorum canonum numerus definitur, ab eadem Synodo ſtatutos fuiſſe ſeptuaginta ſecundum numerum Diſcipulorum. At Mercatoris merces ſuſpectæ redduntur, tum ob immenſum eorumdem canonum numerum de quo dictum eſt in eodem Concilio, tum quod tempus haud concordet. Quonam enim pacto ſub dictis Coſſ. potuit Athanaſius Alexandria ad Marcum ſcripſiſſe, qui iam exul hoc anno agebat in Galliis? Et quænam ſub Conſtantino greſſatio Arianorum contigit in Ægypto, cum non Marci tempore, ſed multo poſt quando Conſtantius Georgium in locum Athanaſii ſubrogauit, paſſa ſit Eccleſia Alexandrina violentam Arianorum vaſtationem?

XVI. MARCI PP. OBITVS. o Soz. l. 2. c. 9.

Sed & quonam pacto Marcus potuit decimo Calendas Nouembris ſcripſiſſe ad Athanaſium, cum hoc ipſo anno Nonis Octobris reperiatur eſſe defunctus? Eum quidem nonniſi octo menſes ſediſſe, S. Hieronymus teſtatur in Chronico. Videat hæc qui illas epiſtolas citat Marianus Scotus, & pariter contendit nonniſi octo menſibus ſediſſe Marcum. Quem item cum Sozomenus [o] tradat ad exiguum tempus ſedem tenuiſſe: ſed & auctor libri de Romanis Pontificibus de Iulio Papa habeat, eum ſedere cœpiſſe Coſſ. Feliciano & Maximo, nempe anno ſequenti: ſatis conſtat, hoc potius anno quam ſequenti, vel (quod alii dicunt) poſt biennium, Marcum defunctum eſſe; ob eamque cauſam totum illud de duabus ab eo habitis Ordinationibus menſe Decembri euaneſcere. Qui igitur ſedere cœpiſſe reperitur decima ſexta die Ianuarii, & diem obiiſſe ſeptima Octobris (ea namq; anniuerſaria eius memoria ex antiquiore vſu in Eccleſia agitur) dicendus eſt in Pontificatu vixiſſe menſes octo & dies viginti duos. Sepultus eſt autem in cœmeterio Balbinæ via Ardeatina, quod ipſe fecit. Ceſſauitque Epiſcopatus eius dies viginti. Qua ratione dicendum eſt, IVLIVM patria Romanum ex patre Ruſtico die vigeſima ſeptima eiuſdem menſis Octobris in locum eius ſubrogatum eſſe.

IVLIVS PAPA.

XVII. EPISC. OSTIENS. CONSECRAT ROM. PONT.

Quod autem de eodem Marco in dicto libro de Romanis Pontificibus legitur, conſtituiſſe vt Epiſcopus Oſtienſis qui conſecrat Epiſcopos Vrbis, tunc pallio vteretur, & ab eodem Vrbis Epiſcopus conſecraretur, ita concinnandus eſt textus, vt ſignificet Marcum conceſſiſſe, vt Epiſcopus Oſtienſis tunc pallio vteretur cum ab eo Vrbis Epiſcopus conſecraretur. Nam vt Oſtienſis Epiſcopus Romanum Pontificem conſecraret antiquioris fuit vſus; cum Dionyſius Papa à Maximiano Oſtienſi conſecratus habeatur, teſteturque Auguſtinus [p] eum vetuſtiſſimum ritum fuiſſe. Primo autem hic mentio in rebus geſtis Romanorum Pontificum habetur de PALLIO, ſummi

p Aug. in breuic. collat. d. 3. c. 16. DE PALLIO EPISCOPALI.

Digitized by Google

honoris & plenitudinis poteſtatis indice: idemq; dictum reperitur *Phrygium*, quod Phrygionum opere crucibus contexi ſoleret: collatumque fuiſſe à Cæleſtino Papa Cyrillo Patriarchæ Alexandrino cum ei vices ſuas delegauit, Græci [q] teſtantur. Cur autem *Pallium* fuerit appellatum, cum veteris pallij forma longe diuerſa eſſet & amplior (vt quæ ſuperius de pallio dicta ſunt docent:) coniectura ducimur, id accidiſſe quod inhæreret, dum Pontifex ſacra ageret, indumento illi quod pallij præſeferebat imaginem, nos autem nunc *Planetam* ſeu *Caſulam* dicimus: cum alioqui pallij nomine omne operimentum in rebus ſacris ſignificari ſoleret; quemadmodum Venantius [r] Fortunatus vela oblata S. Cruci, pallia appellat, quæ & ipſa crucum imaginibus eſſent contexta. Porro ſicut olim in ſacerdotio Hebræorum [s] erat ſummi Sacerdotis ſuperhumerale inſigne, quod nefas eſſet aliquem alium ſacerdotum vel Pontificum indui: Ita in Chriſtianæ religionis ſacerdotio Pallium illud ſeu Phrygium, Summi tantum Romani Pontificis ceſſit vſui, ab eo tamen ſæpe Metropolitanis magna ex cauſa communicatum: de quo frequens futura eſt inferius mentio. Ait autem Iſidorus [t] Peluſiota nobiliſſimus & antiquiſſimus auctor, illud ex lana non ex lino contextum eſſe, & Pontificum humeris imponi cõſueuiſſe, quod ouis illius quam Dominus aberrantem quæſiuit, inuentamq. humeris ſuis ſuſtulit, pellem deſignet: Epiſcopum enim, qui Chriſti typum gerit, ipſius munere fungi, atque ipſo etiam habitu illud omnibus oſtendere, ſe boni illius ac magni paſtoris imitatorem eſſe, qui gregis infirmitates ſibi ferendas propoſuit.

q Theod. Balſ. & alij.
r Fortun. l. 8. epigr. 3. de S. Cruce.
s Exod. 28.
t Iſid. Peluſ. l. 1. ep. 136. ad Hermin.

IESV CHRISTI AN. 337.

IVLII AN. 1.

CONSTANTINI, CONSTANTII, CONSTANTIS AN. 1.

I.
CONST. IMP. OBITVS.

ANNO Chriſti trecenteſimo trigeſimo ſeptimo, Feliciano & Titiano Coſſ. *Conſtantinus* Imperator ex hac vita migrauit, vt diſerte Socrates [a] teſtatur; addens & diem nempe vndecimum Calendas Iunij, cum (vt ait) vixiſſet annos ſexaginta quinque, regnaſſet triginta vnum. De annis Imperij conſentit quoque Hieronymus [b]; de ætate etiam Ruffinus [c] & Sozomenus [d]. Eutropius [e] autem cum itidem triginta & vnius anni Imperij ſit aſſertor, ſexaginta tamen & ſex annos ætati tribuit. Qui ergo Socrati conſentientes, huius anni Coſſ. Conſtantinum dicunt eſſe defunctum, ſic eos oportuit affirmaſſe triginta vnũ regnaſſe, vt tamen vltimum non abſoluerit, tantumque defuerit ad anni eius conſummationem, quantum intercurrit temporis ab vndecimo Calendas Iunij quo defunctus eſt, vſq; ad octauum Calendas Auguſti quo Imperium ſuſcepit. At Euſebius [f], Epiphanius [g], Victor, [h] Zonaras [i], & ſiqui alij ex recentioribus, triginta duos annos, vtrique inchoatos, eius Imperio tribuunt. Ceterum vt Socratis chronographiæ de die & Coſſ. conſentiamus, illud inprimis maxime perſuadet, quod leges poſthac datæ nominibus filiorum reperiantur inſcriptæ potius quam ipſius Conſtãtini patris: vt quæ extant in Cod. Theod. datæ à Conſtantio [k] iiſdem huius anni Coſſ. menſe Decembris, & alia [l] decimoſeptimo Calendas Iunij ſubſequentis anni Coſſ. Vrſo atq; Polemio: quæ quidem inſcribendæ erant Conſtantini titulo ſi fuiſſet ſuperſtes, & in ſequentem annum vitam propagaſſet. Sed & quod aliæ [m] reperiantur ab ipſo Conſtantino in hunc vſq; annum ſancitæ, erroris arguuntur qui tradiderunt eum anno Imperij ſui trigeſimo obiiſſe: Quod vero Euſebius ait, eundem quot imperauit, tot annos viuendo duplicaſſe; ſententia Socratis & aliorum qui eum regnaſſe aiunt triginta vnum annos, dicendus eſt ex hac vita deceſſiſſe anno ætatis ſexageſimo ſecundo, vel ſecundum Euſebium ſexageſimo tertio exacto, dum aſſerit imperaſſe annos triginta duos præter paucos menſes & dies. Sed de tempore obitus ſatis.

a Socr. l. 1. ca. vlt.
b Hier. in Chron.
c Ruff. l. 1. c. 11.
d Soz. l. 2. ca. vlt.
e Eutro. l. 10.
f Euſ. 4. de vit. 53.
g Epiph. de menſur.
h Vict. in Conſt.
i Zon. Annal. par. 3.
k l. 4. C. Th. de Annon. & Trib. l. 2. C. Th. de diſtr. pign.
l Tit. de bonis eodecl.
m l. 1. C. Th. de contrah. empt. & alij.

II.
n Euſ. 4. de vit. 61. & c.

De ipſo autem eius morbo obituque tradit Euſebius, [n] & alii poſt eum, cum idem Imperator ægrotare cœpiſſet, Helenopolim Bithyniæ ciuitatem acceſſiſſe ad calida balnea, inde vero ingraueſcente morbo Nicomediam petijſſe, & in eiuſdem ciuitatis ſuburbano ſuſcepto baptiſmo, paulo poſt defunctum eſſe, extremo fere die celebritatis Pentecoſtes ipſa meridie. Sed illud de Baptiſmo tunc ſuſcepto, deque eodem Imperatore (quod alij tradunt in Ariana hæreſi defuncto, iã ſatis ſuperius refellimus. Tacuit autem Euſebius, quod de Conſtantini obitus cauſa peruulgatum fuit, eum à fratribus ſuis potatum eſſe veneno; de quo dicetur in eorum nece. Prænunciã vero Conſtantini obitus apparuiſſe in cœlo crinitam ſtellam, quæ inuſitatæ magnitudinis diu refulſit, auctor eſt Eutropius [o]. Ceterum Ruffinus de eiuſdem agens teſtamento, ait eum cũ liberos ſuos de ſucceſſione Romani Orbis heredes ſcripſiſſet, quoniam Conſtantius cui Orientis regnum decreuerat præſens non erat, ſecreto accerſiſſe presbyterum illum quem ei Conſtantia ſoror commendauerat, eidemq; tradidiſſe teſtamentum, accepto ab eo ſacramento ne vlli niſi Conſtantio cum veniſſet in manus traderet; id vero cum presbyter præſtitiſſet, eius rei gratia Conſtantium adeo ei deuinctum eſſe, vt qui imperare cunctis ambiret, ab illo ſe imperari æquanimiter pateretur. Sed quod idem auctor addit de tractatã poſt hæc ab eodem presbytero cum Conſtantio Arii reſtitutione, iam omnia de Ario ſub Conſtantino conſummata fuiſſe, ſatis ſuperque demonſtratum eſt ſuperius. De concredito vero teſtamento illi presbytero, aſſertores ſunt etiam Socrates [q] & Sozomenus [r].

VBI ET QVOMODO MORTVVS CONST.

o Eutro. l. 10.
p Ruff. l. 1. c. 11.

TESTAMENTVM CONSTANTINI CREDITVM PRESBYTERO ARIANO.

q Socr. l. 1. c. vlt.
r Soz. l. 2. c. vlt.

III.
DE FVNERE CONSTANTINI.

Ceterum Conſtantini corpus aurea capſula incluſum & purpura contectum, delatum eſt ab exercitu ingenti pompa Conſtantinopolim, atq; ibi in Palatio excelſo collocatum, luminibus circumquaque ſuper aurea candelabra accenſis; eidemque purpura & diademate ornato omnes conſueti honores à Ducibus, Senatu, & populo, tãquam ſuperſtiti per multos dies tributi ſunt, donec qui ex Cæſaribus eius filiis vicinior erat (nam omnes tunc aberant) Conſtantius Conſtantinopolim aduenit, à quo honorificentiſſime curatum eſt funus, ipſis Dei ſacerdotibus & vniuerſo populo diuinum per preces cultum adhibentibus, & pro eius anima Deum orantibus. Sed hęc omnia, aliaque de funere Conſtantini, & ritibus ac cæremonijs in eo obſeruatis, deque luctu publico totius Imperij Romani, pluribus Euſebius [s]. Quod vero Eutropius tradit Conſtantinum inter diuos eſſe relatum; vel potuit ille intellexiſſe eiuſmodi recenſita officia, à Chriſtianis eidem poſt mortẽ exhibita, vel quid à Gentilibus Senatoribus more patrio actitatum. Illud quidẽ notum eſt omnibus, à Græcis ſolemni celebritate coli vt Sanctum. At quod ad locũ ſepulchri ſpectat; quantumlibet cum ſummo honore funeratũ atque ſepultum Euſebius prędicet, nequaquam tamen auſus eſt Conſtantius tumulare intra ipſam baſilicam Apoſtolorum, ſed foris in atrio; quod expreſſe teſtatur, & in gloriam Apoſtolorum extollit S. Ioannes Chryſoſt. [t]. In eadem vero Apoſtolorum baſilica, non tantum Imperatores, ſed & Epiſcopos ſepeliri conſueuiſſe, Sozomenus [u] teſtatur, *quippe cum* (inquit) *dignitas ſacerdotalis Imperij dignitati par ſit, immo vero in locis ſacris primas partes obtineat.*

s Euſ. 4. de vit. 65. & ſ. ad finem libri.

SEPVLTVS IN ATRIO BASILICÆ.

t Chryſ. ho. 26. in 2. Cor. & ho. 66. ad pop. Antioch.
u Soz. l. 2. c. vlt. in fi.

IV.
x Niceph. l. 8. c. 55.

Conſtantini autem effigiem & egregiam corporis habitudinem Nicephorus [x] deſcribit: animæ vero faciem ex rebus geſtis facile deprehendens, quam (præter ea quæ ſuperius paſſim recenſita ſunt) Ethnici quoq; ſcriptores per paucis quibuſdam lineamentis expreſſere. Etenim Victor [y] ait, commodiſſimum rebus multis fuiſſe, calumnias ſedare legibus ſinceriſſimis, nutrire artes bonas, præcipue ſtudia litterarum: legere ipſum, ſcribere, meditari, audire legationes & querimonias prouinciarum. Eutropius [z] autem, ciuilibus artibus & liberalibus ſtudiis deditũ fuiſſe, affectatorem iuſtitiæ & amoris, eaque omnino ſibi & liberalitate & docilitate quęſiuiſſe. Dat tamen ei Victor crimini, quod fuerit laudis auidiſſimus: ſed id de laude militari intelligendum, Eutropius docet, dum ait innumeras in eo animi corporiſque virtutes clariſſe: militaris gloriæ appetentiſſimum, fortunam in bello proſperam fuiſſe, verum ita vt non ſuperaret induſtriam. At hæc ex parte laude

y Vict. in Conſt.
z Eutr. p. l. 10.

VINDICATVR CONSTANTINVS A CALVMNIIS VICTORIS ET IVLIANI.

XII.
x Socr. l. 3. c. 1. y Soz. l. 5. c. 2.
GALLVS ET IVLIANVS SALVATI.

Porro cum prædicto Delmatio Cæſare filio Delmatii fratris Conſtantini, in periculum quoque necis (inquiunt Socrates[x] & Sozomenus[y]) inciderunt *Gallus* & *Iulianus* eius patrueles, niſi Gallum ægra valetudo qua mox obiturus expectabatur, Iulianum ætas tenera liberaſſet, qui nondum octauum annum compleuiſſet. Hæc illi. Sed quod pertinet ad Iuliani ætatem, cum de eo ſcribant vixiſſe annos triginta vnum; quem conſtat occiſum anno Domini trecenteſimo ſexageſimo tertio, dicere opus eſt hoc anno fuiſſe tantum quinquennem; Gallum vero duodennem, quem conſtat defunctum eſſe anno Christi trecenteſimo quinquageſimo quarto, ætatis autẽ (vt habet Ammianus[z]) vndetrigeſimo. Ceterum licet eumdem ambo patrem haberent, nempe Conſtãtium fratrem Conſtantini, ex Maiore Conſtantio & Theodora Maximiani Auguſti filia genitum; diuerſis tamẽ matribus ſunt nati, Gallus nimirum Galla ſorore Ruſtini & Cerealis Conſularium virorum, Iulianus vero Baſiliana nobiliſſima femina; quem & natum eſſe Conſtantinopoli, Ammianus[a] eſt auctor.

z Am. l. 14. in fin.
a Id. lib. 22.

XIII.
EDVCATIO GAL. ET IVL.

Poſt euaſum autem eiuſmodi periculum, tradit Sozomenus eoſdem iuſſu Conſtantii ſumma induſtria variis diſciplinis & exercitationibus inſtructos eſſe; cumq; & ſacris literis imbuerentur (ſiue ſpõte, ne qua affectati Imperii poſſet de eis exoriri ſuſpicio; ſiue arte Conſtantii, vt omnem illis regnandi ſpem amputaret) in cleri ordinem cooptatos eſſe: adeo vt ſacros etiam libros in Eccleſiaſticis conuentibus populo legerent. Quod præter Sozomenum, Gregorius[b] quoque Nazianzenus, & alii ferme omnes aſſerunt. Tradunt inſuper, cum aliquando ſacram martyris Mamæ, quem alii Mamantem appellant, ædem ambo conſtruendam opere inter ſe diſpertito ſuſcepiſſent, Galli quidem opus rite perfeciſſe & perfectum eſſe, Iuliani vero modo corruiſſe, modo ex ipſis fundamentis auulſum eſſe, denique terram detrectaſſe vel ipſa fundamenta ſuſcipere, & vi quadam ex aduerſo vrgente quicquid apponeretur reieciſſe, quod quidem vaticinium extitit futuræ Iuliani impietatis, dum cordiũ ſcrutator Deus munus Galli, vt olim Abel ſacrificium, rite oblatum ac diuiſum libenter ſuſcepit; Iuliani vero non ſecus ac Cain, licet bene oblatum, male tamen diuiſum repulit.

b Gre. Nazian. orat. 1. in Iulian.
IVLIANI DONVM RESPVITVR A MARTYRE.

XIV.
c Socr. l. 3. c. 1. Soz. l. 5. c. 2.
IVLIANVS SACRETO FAVET GENTILISMO.

Ceterum Gallo[c] Epheſum inſtituendo miſſo, Iulianus Conſtantinopoli diutius commoratus, cum ob ingenii præſtantiam dignus ab omnibus ſperaretur Imperio, à Conſtantio ea de re commoto miſſus eſt Nicomediam (cuius ciuitatis Epiſcopum Euſebium materno genere, licet longius attigiſſe, Ammianus teſtatur) adhibitis tamẽ cuſtodibus ne Libanii Sophiſtæ tunc ibi degentis, vel aliorum Gẽtilium ſcholas adiret, in quorum religionem iam decliuis eſſe videretur. Inſtitutus enim à puero ſub Gentili philoſopho Mardonio eunucho natione Scytha, ab eodem quoq; Ethniciſmi rudimẽta ſuſcepiſſe, ipſemet Iulianus in Miſopogone non obſcure ſignificat. Cum a. Nicomediæ Maximus philoſophus Epheſius non ſolũ Gentilis, ſed & magus, ei notus factus eſſet, idem ab eo cũ philoſophiæ & magiæ ſtudio odium quoq; hauſit Chriſtianæ religionis, & per eiuſdem vaticinia in ſpem Imperii maiorem erectus eſt. Sed his rebus Imperatori nũciatis, timore perculſus cutẽ abraſit, & vitam monaſticam ſimulauit, ſecreto tamen Gentilẽ ſuperſtitionem colẽs. Poſtea vero in Aſiam concedens, totũ ſe, licet occulte præ metu Conſtantii, iiſdem magiæ & Gentilitatis ſtudiis dedidit, familiaritate vſus Iãblichi, Ædeſii, aliorumq; eiuſmodi philoſophorum pariter ac magorum, quos recenſet Eunapius[d] Sardianus, dum de Iuliani ſtudiis & pernici ad dicendum ingenio agit.

IVL. MONACHVM SIMVLAT.
d Eunap. in vit. Philoſ.

XV.

At hæc modo de Galli & Iuliani inſtitutione ſatis: quæ quidem licet multis poſt hæc iiſdemq; diuerſis annis geſta eſſe noſcantur, quod tamen certum cuiuſque rei tempus ignoretur, hic in vnum colligere voluimus, ne forte aliis annis ſingula collocare ſtudentes longius aberraremus. Quæ vero poſt iſta de vtroque ſubſecuta fuerint, dicetur inferius in aſſumptione Galli in Cæſarẽ. Sed quod pertinet ad conſilium Conſtantii in eorumdem educatione; Gregorius[e] Nazianzenus tradit, eam ipſum diligẽter curaſſe, primum vt ſe de reliquorum propinquorum necibus purgaret, velut ex ſui animi ſententia minime admiſſis; deinde vt iis ad Imperii ſocietatem adſciſcendis, magnitudinis animi argumentum ederet; poſtremo, vt Principatum his incrementis firmius ſtabiliret.

e Greg. Naz. orat. 1. in Iulian.

XVI.
CONST. IMP. ADHÆRET ARIANIS.

At qui ſummam induſtriam in iis optime educandis adhibuit, ipſe Conſtãtius aures aperiens Euſebio Epiſcopo Nicomedienſi & illi presbytero quem olim Conſtantia fratri Conſtantino commendauerat, cito miſer à paterna fide deſciuit, & in barathrum Arianæ hæreſis decidit; qua & vniuerſa ipſius aula infecta eſt, corruptis ab eodem presbytero, tum Euſebio eunucho Imperatorii cubiculi Præfecto, & aliis collegis ſpadonibus (quorum ſummam fuiſſe apud Conſtantium auctoritatem, tam noſtri quam Ethnici ſcriptores queruntur) tum ipſa Imperatoris vxore Euſebia, & ceteris aulæ mulierculis: indeq; malum in reliquas ciuitatis familias, & mox in vniuerſas Orientis vrbes ſerpſit. Narrant hæc pluribus Socrates[f], & alii: eademque ab eunuchis maxime promota eſſe, eſt etiam querela Athanaſii[g], qui egregie ait, Arianam hæreſim abnegantem Filium Dei, præſidium ſibi ex Eunuchis comparaſſe, hominibus vt natura ita animo ad gignendum ſterilibus, & qui proinde ægre paterẽtur vllam mentionem de ſobole, nempe Filio Dei fieri. Ad quæ vero tum hi tum alii Ariani, aduerſus Catholicos & fidem Nicænam patrãda, Conſtantium impulerint, dicetur inferius ſuis quibuſque temporibus.

f Soz. l. 2. c. 2.
g Athan. ep. ad Solit.
ARIANA HÆR. PRÆSIDIVM QVÆRIT AB EVNVCHIS.

XVII.
SYNOD. ROM. SVB IVLIO.
h To. 1. Conc.

Huius quoque anni Coſſ. Feliciano & Titiano, decimo octauo Calendas Octobris conſignata reperitur ROMANA SYNODVS[h] ſub Iulio Papa centum ſexdecim Epiſcoporum; de qua nihil præter confeſſionem rectæ fidei, & deteſtationem Arianæ hæreſis reperitur. Ceterum cum in ea Maximianus Conſul cum Feliciano ponatur, inde (vt puto) idem error irrepſit in librum de Romanis[i] Pontificibus, cum Caſſiodori & Græcorum Faſtorum conſenſu Feliciano nonniſi Titianus collega iungatur. Sed & quamuis eadem Synodus aliis inſuper chronographiis ſignetur, nempe Conſtantii & Conſtantis Auguſtorum anno quarto, & Indictione ſexta, ne tamen eam in aliam annum referamus, illa potiſſimum ratio perſuadet, quod facilius fuerit in notas numerorum errores illabi, quam in ipſa Conſulum nomina.

i Lib. de R. Pont. in Iul.

XVIII.
DE IVLIO MATERNO.

Porro qui inter paucos illos iiſdem Synodi Actis recenſitos ex tanto numero Epiſcopos, nominatus reperitur *Iulius* Mediolanenſis, ſuſpicione interdum pulſor eumdem hunc eſſe cum *Materno* eiuſdem ciuitatis Antiſtite, antiquis ſcriptis & memoria anniuerſaria ex tabulis Eccleſiaſticis celeberrimo, qui cognominatus fuerit *Iulius Maternus*: eumdemq; illum eſſe, cuius extat nobiliſſimus commentarius[k] *De Myſteriis & erroribus profanarum religionum ad Conſtãtinum & Conſtantem Auguſtos*, quo eis perſuadere conatur vt quod reliquum eſſet Gentilitiæ ſuperſtitionis penitus abolerent. Nomina enim & tempora probe conſentiunt, licet in titulo nomen tantum Epiſcopi deſideretur, errore forſitan librariorum omiſſum. Ex quibus etiam intelligi datur, diuerſum hunc Iulium Maternum ab eo fuiſſe, qui librum de *Matheſi ad Lollianum Proconſulem* inſcripſit. Longe enim abeſſe videtur, vt qui adeo diſerte & pie de Chriſtiana religione aduerſus Gentilium ſuperſtitionem tractatum edidiſſet, idem poſtea de Matheſi omni ex parte impium ſcripſerit. Ceterum hæc minime oportuit prætermiſiſſe, tum ob alia, tum quod in eadem de Myſteriis ſcriptione auctor ſæpe mentionem habet de victoriis aduerſus Britannos & alios barbaros ab iiſdem Imperatoribus Conſtantino & Conſtante diuina virtute partis; quarum nulla pene memoria apud alios ſcriptores reperitur: quæ quidem contigiſſe videntur, cum patre agente in Oriente ipſi Occidentale adminiſtrarent Imperium. Reperiuntur[l] enim hactenus numiſmata Conſtantini Iunioris adhuc Cæſaris, cum inſcriptione ALAMANNIA DEVICTA.

k To. 3. Bibl. Sanct.
VICTORIA EX CVLTV VERÆ RELIGIONIS.
l Habet Baron. Annal. to. 3. hoc an. inſi.

IESV CHRISTI AN. 338.

IVLII AN. 2.

CONSTANTINI, CONSTANTII CONSTANTIS AN. 2.

I. ATHANASIVS RESTITVITVR.

ANNO Chriſti trecenteſimo trigeſimo octauo, Vrſo atque Polemio Coſſ. cum Athanaſius Treueris in Gallia exul egiſſet (vt teſtatur Theodoretus[a]) annos duos & menſes quatuor, à Conſtantino maiore natu fratrum Imperatorum qui in Galliis regnabat, in ſuam Eccleſiam ſummo cum honore remiſſus eſt, cum litteris ad Alexandrinos, quas recitant iidem Athanaſius[b] & Theodoretus,[c] necnon Sozomenus[d], & Socrates[e]: hicq; poſtremus Ruffinum etiam iure redarguit[f], quod in hiſtoria eorum quæ paſſus eſt Athanaſius, temporis ordinem inuerterit; quem & nos ſuperius refellimus, quod eius damnationem in Conciliabulo Tyrio ſub Conſtantio ponat, & antequam reſtitueretur Alexandriam ſexennio latuiſſe putet. Porro & illud falſum magis, quod apud Epiphanium[g] legitur, Athanaſium exulem manſiſſe in partibus Italiæ annos plures quam duodecim aut quatuordecim. Nam & qui eum reſtituit Conſtantinus, haud quadriennium exegit in Imperio, ſed & ſtatim poſt obitum patris id præſtitiſſe, eædem eius litteræ non obſcure ſignificant.

a Theod. lib. 2. c. 1.
b Athan. Apol. 2.
c Theo. ibid. cap. 2.
d Soz. l. 3. c. 2.
e Socr. lib. 2. cap. 3.
f Ibid. cap. 1.
g Epiph. hær. 68.

II. CONSTANTINVS INVITVS SVFFERT ATHAN.

Ceterum cum Athanaſium (quod ait Theodoretus) omnes tum ciues tum ruſtici, tū nobiles, tum plebeii, cupide perlibenterq; excepiſſent; ſed (& quod alii[h] addunt) populorū vndiq; accurſus deſiderio eius videndi fierent, & vbiq; per Eccleſias lætitiæ & gratulationes Deo redderentur; Conſtantius quoque Imperator, licet inuito animo ferret eius reſtitutionem, quod ex perſuaſione Euſebianorum (vt Socrates & Sozomenus docent) iam cogitaret de ſubrogando alium Alexandriæ in ipſis locum; tulit tamen, tum quod ex Magni Conſtantini voluntate id ſe facere Conſtantinus Iunior profiteretur, tum ne ſi aduerſaretur, fratrem natu maiorem infenſum ſibi redderet. Porro non tātum Athanaſium, ſed & reliquos Ægyptios Catholicos Epiſcopos, qui eius cauſa antea pulſi fuerant, ſuas recepiſſe Eccleſias, teſtantur ipſimet in Synodali Epiſtola[i] ex Concilio Alexandrino quod paulo poſt celebrarunt. Quæ vero rurſum in eumdem Athanaſium Ariani, quibus eius reditus moleſtiſſimus extitit, moliti ſint, dicetur anno ſequenti.

h ep. Synod. Conc. Alex. ap. Athan. Apol. 2.
i ap. Athan. Apol. 2.

III. CONSTANTIVS CVRATVR A SPIRIDIONE.

Interea hoc ipſo anno iiſdemq; Coſſ. cum Imperator Conſtantius Antiochiam Syriæ ſe contuliſſet ob expeditionem aduerſus Perſas parandam (quod & data ab eo ibi reſcripta[k] declarant) idem vlcere incurabili plane morbo affectus, & (vt putatur) diuinitus immiſſo vt à qua deflectere occœperat, pietatem ſolicitius cuſtodiret; oſtenſis illi in viſione duobus ignotis Epiſcopis qui ſoli poſſent eum ſanitati reſtituere, accerſens celebriores vndiq; Antiſtites, cum inter eos agnouiſſet qui ipſi demonſtrati fuerant, magnum illum *Spiridionem* Trimithuntis in Cypro Epiſcopum, de quo ſupra, & Triphylliū eius diſcipulum, tunc quidem nondum Epiſcopum, ſed poſtea promotum ad ſedem Ledrenſem; ſupplex factus Spiridioni, ſtatim vbi Sanctus manū ſuam capiti ipſius impoſuit, priſtinam ſanitatem recuperauit: cui Sanctus ſalutaria impertiens monita, hortatus eſt vt patrem ſe & curatorem ſubditis ſuis exhiberet, & accurate pietatē cuſtodiret: nec vel tantillum ab Eccleſiæ ſenſu atque doctrina deflecteret. Rem geſtam eius Acta[l] pluribus narrant; quorum licet auctor non prodatur qui ſcripſit, creduntur tamen ſoluta oratione ex illis eſſe deducta quę idem ipſius diſcipulus Tryphillius (vt teſtatur Suidas[m]) verſibus Iambicis cecinit.

k l. 4. C. Th. de temp. curſu & l. 22. eod. de Decur.
l ap. Metap. & Sur. 12. Dec.
m Suid. ver. Triphyl.

IV. Sed & cum eodem tempore Sapores potentiſſimus ille Perſarum Rex, audita Conſtantini morte (cuius ſumma potentia ſæpe coercitus, minime auſus fuerat inuadere Romanum Imperium) validiſſimo exercitu comparato, Meſopotamia vaſtata, Niſibin munitiſſimā eiuſdem prouinciæ ciuitatem (quam alii Antiochiam Mygdoniæ vocant, ſitam in finibus Romanorum & Perſarum) dura obſidione cinxiſſet (quod quidē ipſo exordio Imperii Conſtantii accidiſſe, Hierony.[n] & Theodoretus[o] teſtantur) eaque iamiam potiturus eſſet; idem ad preces *Iacobi* eiuſdem ciuitatis Epiſcopi primo diuina viſione repulſus, deinde immiſſis in eius copias examinibus cyniphum & culicum quibus homines iumentaq; miſere vexarentur, obſidionem ſoluere coactus in Perſidem rediit. Rem geſtam pluribus narrat Theodoretus[p]. Hæc autem felicia Romanum Imperium meruiſſe per eumdem Iacobum Niſibitam, declarauit etiam euentus, dum quoad vixit, licet ſæpe munitio illa tentata[q], numquam tamen valuit ab hoſtibus capi; immo & eodem ex hac vita ſublato, quamdiu corpus illius Niſibi manſit plane facta eſt inexpugnabilis. Quam eius virtutem præſentiens iam olim Conſtantinus; omnino præceperat vt poſt mortem intra muros vrbis ſepeliretur ob cuſtodiam eius: ſicut teſtatur Gennadius[r], dum eiuſdem Iacobi inſignes commentarios Syria lingua ſcriptos recenſet.

n Hier. in Chron.
o Theod. in Philoth. in Iacob. Niſib.
IACOBI NISIB. PRECIBVS VEXATI AC REPVLSI PERSÆ.
p Id. 2. hiſt. 30.
q Hier. in Chron an. 1. Conſtantii.
r Gennad. de vir. illuſtr. cap. 1.

V. CONST. INDVRATVS.

Porro tanta iſta quæ diximus Conſtantio Imperatori hoc anno præſtita, ſatis eſſe poterant ad eum continendum in fide Catholica, per cuius cultores tot ſibi à Deo beneficia impertiri cerneret. Sed plane accidit ei quod Pharaoni, dum percuſſus à Deo Moyſen lubenter & Aaron, à quibus ſalutem conſequeretur, audiuit; ſed eos curatus contempſit, ſuſceptæ ſemel inhærens impietati. Quid autem poſt hæc egerit, dicetur inferius ſuis locis.

IESV CHRISTI AN. 339.

IVLII AN. 3.

CONSTANTINI, CONSTANTII CONSTANTIS AN. 3

I. ARIANI ACCVSANT ATHANAS. APVD ROM. PONT. ET IMP. OCCID.

ANno Chriſti trecenteſimo trigeſimonono, duobus Auguſtis Conſtantio ſecundum & Conſtante Coſſ. Euſebiani indigne ferētes Athanaſium in Eccleſiam ſuam reſtitutum; vt eum iterum deturbarent, præter veteres coagmētatas calumnias, nouas illis ſuperaddentes (nempe quod occaſione ipſius reditus plurimę cædes patratę fuiſſent, recuſante populo ipſum recipere: itemque quod cum à Synodo damnatus eſſet, abſq; alia Synodo ſedem propria auctoritate contra canones recipere præſumpſiſſet: ac denique quod frumentum ſolitum exhiberi ex Conſtantini Imperatoris liberalitate Ægypti ac Libyæ viduis, ſurripuiſſet.) legationem aduerſus eum mittunt ad Iulium Romanum Pontificem, & ad Occidentis Imperatores Conſtantinum atque Conſtantem. Teſtatur id ipſe Athanaſius[a]; qui rem ab iiſdem legatis apud Imperatores geſtam vno verbo abſoluens, ait eos ab Imperatoribus cum pudore reiectos eſſe, cum alii miſſi ab ipſo Athanaſio legati mendacia eorum refutaſſent. Quid autem apud Iulium Romæ actum ſit, fuſe declarauit idem ipſe Iulius literis[b] ad Arianos poſtea redditis: ex quibus in ſumma habetur, Arianorum legatos in omnibus ab Athanaſii presbyteris confutatos, ac profligatos, Concilium Generale poſtulaſſe, in quo maturius cuncta examinarentur. Tradit eadem Athanaſius iterum[c]. Sed de Synodo dicetur anno ſequenti.

a Athan. ep. ad ſolit.
b Ext. ap. Athanaſ. Apol. 2.
c Athan. Apol. 2. & ep. ad Solit.

IESV CHRISTI AN. 340.

IVLII AN. 4.

CONSTANTINI, CONSTANTII, CONSTANTIS, AN. 4.

I. ROM. SYNODVS IN CAVSA ATHANASII.

ANno Chriſti trecenteſimo quadrageſimo, Acyndino & Proculo Coſſ. indicta eſt à Iulio Romano Pontifice SYNODVS in cauſa Athanaſii, quam (vt vidimus) legati Ariani popoſcerāt. Licet autem reuera ea potius fuerit iuſta quędam apparens tergiuerſatio, vt ſic vitarent aduerſus ſe pro Athanaſio prænūciandam à Romano Pontifice ſententiam, quam Synodi ex animo facta poſtulatio, nihilominus nequid in eos tyrannicum iidem quererentur perpetratū, indulſit benigne Iulius petitioni ipſorum. Sed & vocandi eoſdem ad Synodum ea quoque cauſa præceſſit, quod Marcellus Epiſcopus Ancyranus, & alii complures ab iis iniuria affecti, Romam venientes, eidem Iulio accuſationum libellos aduerſus eos dediſſent; vt ipſe teſtatur in litteris[a] poſtea ad ipſos ſcriptis.

a Ext. ap. Athanaſ. Apol. 2.

Cum

II.
b Theod. l. 2. cap. 4.

Cum hæc igitur præceſſiſſent, Iulius (inquit Theodoretus [b]) Eccleſiæ canonem ſecutus (de quo dictum eſt ſuperius in canonibus Niceno Concilio tributis) tum ipſos Euſebianos iuſſit Romam venire, tum Athanaſium quo pro ſe in iudicio ipſe reſponderet vocauit. Ad hoc vero miſſos eſſe à Iulio Legatos in Orientem, *Elpidium* & *Philoxenum* presbyteros, teſtatur ipſe Athanaſius [c]. Sed quaſnam Euſebiani inanes cauſas obtexuerint ne Romam venirent, dicetur anno ſequenti. Athanaſius autem magna animi alacritate eo continuo aduolauit, quod ſciret res Eccleſiaſticas ibi non tyrannice, ſed ſecundum canones pertractari. Ceterum quod prædictæ Iulii litteræ teſtentur Synodum ad conſtitutum tempus Romam conueniſſe, ipſumq; Athanaſium annum vnum & ſex menſes ibidem Romæ aduerſarios expectaſſe qui eum accuſarent; ſicq; conſtet, Synodi tempus magnam quoque partem anni ſequentis occupaſſe, quid in ea decretum ſit dicetur ſuo loco.

c Athan. ep. ad Solit.

ATHAN. ROMAM VENIT AD DICENDAM CAVSAM.

III. ATHAN INVEXIT IN VRBEM MONACHISMVM.

Quam autem proficuus fuerit Athanaſii Romam acceſſus, vel ex eo poteſt intelligi, quod in Vrbe diuulgans admirandam Antonii Magni adhuc viuentis Vitam & res præclare geſtas, monaſteriorum quoque in Thebaide Pachomii; & Virginum ac Viduarum inuexit primus omnium diſciplinam: quam ad omnes Euangelicæ perfectionis numeros attemperatam, etiam nobiliſſimæ Romanæ feminæ cõſectari cœperunt, vt S. teſtatur [d] Hieronymus. Quamuis enim non defuerint etiam in Occidente Perſecutionis retro temporibus, cum in Vrbe tum aliis locis monachi: illos dixerim, qui in ſimilitudinem Pauli atque Antonii à perſecutionib. fugientiũ, eadem ex cauſa in cryptis, antris, iugis mõtium, valliumq; connexis receſſibus deliteſcentes, inſtar Eliæ à facie Achab & Ieſabel fugientis, Deum propenſius colerent: vt tamen eſſent tam virorum quã mulierum cœtus qui monaſticam exercerent diſciplinam, id primum accepit Roma ab Antonio Magno per Magnum Athanaſium; à Romana vero Eccleſia, velut è promptuario diſciplinæ, aliæ omnes Occidentalis Orbis Eccleſiæ. At de Monachorum origine iam ſatis alibi [e]: de ipſo vero nomine diſputat Auguſtinus [f], aduerſus impios Circumcelliones illud vt nouum ſugillantes.

d Hier. ep. 16 ad Princip.

e Supra an. 1. f Aug. in Pſal. 132.

IV. SYMBOLVM ATHANASI. ROMÆ CONFECTVM.

Romæ item cum eſſet Athanaſius, inſigne fidei ſuæ reliquit monumentum, nempe SYMBOLVM, quod hactenus ATHANASII nomine in Eccleſia Catholica publice recitatur. Qui enim Romam citatus ſe contulit iudicandum, quo eius Eccleſiæ communionem mereretur, edidit publicam Catholicæ fidei profeſſionem Latino, ex more, ſermone: quæ cognita atq; ſuſcepta, in Romanæ fuit Eccleſiæ ampliſſimo Archiuo, vna cum Actis Synodi tunc ibidem habitæ collocata. Quod vero longo tempore ibi delituerit, minime citata reperitur ab antiquioribus noſtratibus vel Græcis. Aliquod tamen eius exemplar delatum eſſe ad Africanã Eccleſiam ab aliquo Epiſcopo Africano, qui (vt frequenter accidere conſueuit) tunc Romæ repertus eidem interfuerit Romanæ Synodo, mihi facile perſuadeo; quandoquidẽ S. Auguſtini ſcripta, verbis quibuſdam atq; ſententiis eiuſdem Symboli apparent interdum cõſperſa. Cum a. è Romanæ Eccleſiæ antiquis monumentis veluti eruderatũ emerſit in lucem, tum à Latinis omnib. tum à Græcis æque ſuſceptum eſt, non ab Eccleſia Conſtantinopolitana tantũ, ſed Seruiana, Bulgarica, Ruſſica, Moſcouitica, & aliis: licet ab eis dempta inde pars illa fuerit, qua Spiritum S. à Patre Filioq; procedere expreſſum habetur, eo falſo prætextu quod ſuperaddita nuper fuerit à Latinis; cum tamẽ ex capitulo primo Cõcilii Toletani Quarti liquido appareat, etiã ante annos propemodum mille ea verba ita vt nũc ſe habent in eodem Symbolo legi conſueuiſſe. Quod vero ab aliquibus feratur Treueris hoc ipſum Symbolum ab Athanaſio in puteo latitante, diuino quodam præſſo miraculo eſſe conſcriptum; corruit prorſus fabella hæc: ſiquidem Treueros nõ profugum, ſed exulem Athanaſium perueniſſe; nec ibi latuiſſe, ſed à Conſtantino Auguſto Iuniore [g] honeſtiſſime habitum, & à Maximino [h] Epiſcopo amantiſſime ſuſceptum fuiſſe, ſuperius vidimus.

g Athan. Apol. 2. h Hier. in Chron.

V.

Hoc eodem anno iiſdemq; Coſſ. S. Alexander Epiſcopus Conſtãtinopolitanus, magnus pietatis athleta, & Catholicæ fidei defenſor acerrimus, plenus dierũ ex hac vita migrauit, cũ ſediſſet annos viginti tres, vixiſſet nonaginta octo: & in eius locum ex ipſius præmonitione ſuffectus eſt ab Orthodoxis *Paulus* eiuſdem Eccleſiæ presbyter, inſignis pietate & doctrina vir, cum Ariani pro eligendo Macedonio ſatagerent. Sed cum eodem tempore Cõſtantius Imperator in eam vrbem aduenilſet, coacto Arianorũ Epiſcoporum Cõcilio Paulum abdicauit, & eorumdem anteſignanũ *Euſebium* Nicomedia Conſtãtinopolim tranſtulit. Narrant hæc omnia pluribus Socrates [i], Sozomenus [k], & alii. Quæ vero ſunt geſta aduerſus Paulum, procurata eſſe ab eodem Euſebio, ſedem mutare ac maiori ſemper inhiare aſſueto, declarauerunt Patres Synodi Alexandrinæ circa hæc tempora ab Epiſcopis Ægypti celebratæ, in epiſtola Synodali aduerſus omnes Euſebianorũ in fidem Catholicam conatus & in Athanaſium criminationes ſcripta ad Iulium Romanũ Pontificem (apud quem iidem Athanaſius & Euſebiani cauſam dicturi eſſent) & omnes Catholicæ cõmunionis Epiſcopos toto Orbe diffuſos, quam integram Athanaſius recitat ipſo ferme ſecundæ ſuæ Apologiæ exordio. Ceterum hoc tempore Paulum relegatum fuiſſe in Pontum; alibi idem Athanaſius [l] affirmat, quod autem conſtet eum ſæpius & in diuerſa loca deportatum eſſe, de ceteris agetur inferius.

PAVLVS CREATVR EPISC. CONSTANTINOPOL.

i Socr. lib. 2. cap. 3. & 4. k Soz. l. 3. c. 3. & 4.

PAVLVS ABDICATVR, ET EVSEBIVS NICOM. SVBROGATVR.

l Athan. ep. ad Solit.

VI. EVSEBIANORVM PRAVVM CONSILIVM.

Sed iam manifeſtius redditur, Euſebianorum cõſilium illud extitiſſe, vt præcipuos Catholicæ fidei coryphæos ſedibus eiicientes, & in ipſas ſuæ factionis homines intrudentes, liberum eis eſſet hæreſim Arii publice prædicare. Namq; exagitatis Athanaſio & Paulo, ipſum etiam *Euſtathium* eximii nominis Antiochenum Epiſcopum, & in Magno Concilio Niceno ſpectatiſſimum aggreſſi; conuenientes Antiochiæ (licet aliis ſimulatis occaſionibus) Euſebius intruſus nuper Epiſcopus Conſtantinopolitanus, necnon alter Euſebius Cæſarienſis, Theognis Nicænus, Patrophilus Scythopolitanus; aliique eiuſdem impietatis Epiſcopi, eumdẽ Euſtathium per ſuppoſitam ab eis auri pretio meretriculã de adulterio accuſatum, ſimulque aliis confictis criminibus oneratum, ſed & Sabellianiſmi inſimulatum (etenim peculiare fuit Arianis, vt Catholicos qui Filii Dei Conſubſtãtialitatem cum Patre aſſererent, Sabellianos eſſe inclamarẽt, quaſi Patrẽ cum Filio ſimul confunderent cũ vna vtriuſq; ſubſtãtiam prædicarent) ſede abdicarunt, & in exilium ab Imperatore Cõſtantio pelli curarũt. Rem geſtã narrant inter alios Theodoretus [m], Socrates [n], & Sozomenus [o] quos tamen errare in eo quod Euſtathii eiectionem referunt ad tẽpora Conſtantini, eorumdem ipſorum auctoritate manifeſtũ redditur. Si n. (quod ſcribit Theodoretus) nõ antea Euſtathius è ſede pulſus fuit, quam Euſebius Nicomedia Conſtantinopolim eiecto Paulo trãſlatus eſt; quomodo ad tempora Conſtantini reiicietur Euſtathii depoſitio, cum ex Socrate & Sozomeno conſtet non ante præſentem annum Paulum loco Alexandri ſedere cœpiſſe? Deinde cum Sozomenus affirmet, ea de cauſa Euſtathium fuiſſe depoſitum quod fidem Nicænam approbaret, ſatis apparet hæc ſub Conſtantino minime contingere potuiſſe; ſiquidem ille dum vixit (quod ſuperius demonſtratum eſt) nec mutire ſaltem Arii fautoribus aduerſus Nicænum Cõcilium licuit. Denique cum expreſſa ſit SS. Athanaſii [p] (qui ſpectabat hęc oculis) & Hieronymi [q] teſtificatio) Euſtathium ſub Conſtantio damnatum eſſe; nequaquam audiendi ſunt qui ad anteriora tempora id referunt.

CRIMINATIONES IN EVSTATHIVM ANTIOCH.

m Theod. l. hiſt. 21. n Socr. lib. 1. cap. 18. o Soz. lib. 2. cap. 17. 18.

p Athan. ep. ad Solit. q Hier. de ſcript. Eccl. in Euſtath.

VII.

At pręter illas quas diximus in Euſtathium criminationes intentatas, tradit ibidem Athanaſius illam quoque ad commouendum Conſtantii animum ab iiſdem Euſebianis confictam fuiſſe, quod in eiuſdem Imperatoris matrem haud integræ famæ feminam verba contumelioſa effudiſſet. Ipſum porro Traianopolim in Thracia relegatum eſſe, ibiq; defunctum & conditum Hieronymus eſt auctor; qui & nonnulla eius volumina recenſet, aliaq; inſuper Theodoretus [r]; quæ quidem eloquentiſſime ſcripta fuiſſe, teſtatur etiã Sozomenus. Eiuſdem vero natalis dies

EVSTATHII RELEGATIO ET OBITVS.

r Theod. l. hiſt. 8. & in Immut. dial. 1. 2. 3.

anni-

Digitized by Google

a Martyrol. Rom. 26. Iul.
t Theod. Lect. Collect. lib. 2.

anniuerſaria celebritate ab vniuerſa Eccleſia [a] recolitur. Eiuſq; corpus poſt longa tempora ſub Zenone Imperatore à Calendione eiuſdem ciuitatis Epiſcopo Antiochiã trãſlatum eſſe, ac ſumma ciuium gratulatione exceptum, Theodorus [t] Lector ſcribit. Sed de meretricula ipſius accuſatrice ſcribit Theodoretus, eam, cum paulo poſt in grauiſſimum ac diuturnum morbum incidiſſet, totam inſidiarum Euſebianorum technam aperuiſſe.

VIII.
u Athan. ep. ad Solit. & Apol. de fuga ſua.
ALII ORTHODOXI EPISCOPI EXVLES.

Athanaſius autem poſt recenſitam de Euſtathii exilio hiſtoriam, alios [u] quoque addit quamplurimos Epiſcopos, quorum nonnulli ſub ſpecie cõfictorum criminum, alii ſine vlla prorſus cauſatione, re vera omnes fidei Nicænæ defenſionis cauſa, eorumdem Arianorum factione diplomatibus Imperatoris exturbati ſunt à ſuis ciuitatibus, ſuffectis in locum eorum quos impios iidem Ariani nouerant. Hicq; illa ſane tempora exoriuntur, de quibus S. Hieronymus in Chronico, anno tamen ſecundo Conſtantii, ait ex hoc loco Arianam impietatem Conſtantii Imperatoris fultam præſidio, exiliis, carceribus, & variis afflictionum modis primo Athanaſium, deinde omnes non ſuæ partis Epiſcopos perſecutam eſſe.

IX.

Quod vero rurſum ad res Antiochenas pertinet; qui ſemel errore temporis lapſi, quos recenſuimus, Theodoretus, Socrates, Sozomenus, & alii eos ſecuti, voluerunt Euſtathium ſede pulſum fuiſſe Conſtantini temporibus, perperam quoque addiderunt, digladiantibus tunc inter ſe Euſtathianis & Arianis de eligendo Epiſcopo ſucceſſore, partem Arii delegiſſe Euſebium Cæſarienſem, eoque renuente electum ab iiſdem eſſe Euphronium æque Arianæ hæreſis profeſſorẽ. Sed has Antiochenas turbas contigiſſe ante Euſtathii electionem poſt Pauli ſiue Paulini obitum, viuente Conſtantino Magno Imperatore; iam ſuperius demonſtratum eſt in eiuſdem Euſtathii ingreſſu.

SVCCESSIO EPISCOP. ANTIOCH. ARIANORVM.
x Theod. 1. hiſt. 22.
y Soc. lib. 2. cap. 18. in fi.

Ceterum cum de eius ſucceſſoribus diuerſæ ſcribantur ſententiæ, & recenſeantur in Chronico Hieronymi *Eulalius, Euſebius, Euphronius, Flacillus, Stephanus, Leontius*, & reliqui, iidemque omnes Ariani poſt Euſtathium ſuffecti, quorum etiam nonnullos Theodoretus [x] habet; Socrates [y] vero dicat, octo continuos annos ſedem vacaſſe, & tandem ab Arianis intruſum fuiſſe Euphronium: quicquid de his ſit, quem tuto ſectemur vnus eſt Athanaſius, qui in Epiſtola ad ſolitariam vitam agentes (quam, vt in fine habet, conſtat eſſe ſcriptam poſt Conſulatum Arbetionis & Lolliani, nempe anno Domini trecenteſimo quinquageſimo ſexto) expreſſe teſtatur, eo tempore quo illam ſcriberet ſediſſe Antiochiæ Leontium caſtratum, qui Stephano ſucceſſerat; ſignificans tamen & alios pariter Arianos ante iſtos duos poſt Euſtathium eam ſedem occupaſſe. Quo tempore factũ eſt, vt quamplurimi (ſicut ſcribit Theodoretus) tam ex clero quam ex populo, quibus propoſitum erat Deum ſancte & pure colere, relictis publicis Eccleſiæ conuentibus, ſeparatim per ſe conuentus agere cœperint: quos *Euſtathianos* propterea nuncupauere, quod poſt obitum Euſtathii in vnum coiuiſſent.

EVSTATHIANI ORTHOD.

X.
z Oroſ. lib. 7. cap. 29.
DIRI TERRÆMOTVS
a Socr. lib. 2. c. 7. in fi.
b Cedr. in comp.
c Ephr. orat. de terræmo.

Hoc quoq; anno quarto Conſtantii Imperatoris (vt habet Hieronymus in Chronico) multæ Orientis vrbes terræmotu horribili conciderunt; certum de offenſo ab Arianis numine in expellendis Epiſcopis Catholicis prodigium, vt & Oroſius [z] notauit, & manifeſte inde apparuit quod Antiochena ciuitas, in qua Arianorum ſæpe conuentus celebrati ſunt, & in ſanctos Epiſcopos decretæ ſententiæ, per annum integrum (vt ait Socrates [a]) terræmotu concuſſa eſt: quem quidem cœptum eſſe hoc anno quarto Imperatoris Conſtantii, & quinto perſeueraſſe, ait quoq; Cedrenus [b]. Et S. Ephræm [c] aduerſus eos agens qui cunctos terræmotus naturalib. cauſis tribuunt, & non cõminanti Deo, cum admirabiles eorũ recenſet effectus, refert inter alia de montib. Armeniæ, eos tunc per terræmotũ ab inuicem diſſitos, in mutuum quaſi conflictũ impulſos eſſe, ita vt ignis videretur excitari, plurimũq; fumare, rurſumq; ſingulos ſuo ordine ac loco conſiſtere.

XI.
FRANCI INVADVNT GALLIAS.
d Soc. lib. 2. c. 7. 10.

Quo etiam tempore FRANCORVM gentem in fines Galliæ aduerſus Romanos irruptionem feciſſe tradunt [d], eamdemque à Conſtante Imperatore ita poſt biennium repreſſam eſſe, vt Francos fœderatos ac ſocios Romanis fecerit.

XII.
EVSEBII CÆSAR. OBITVS.
e Ibid. c. 19.
LATIBVLA ARIANORVM OBSCVRA.

Hoc item anno *Euſebium* Epiſcopum Cæſareæ Palæſtinæ ex hac luce ſubtractum interiiſſe, innuit Socrates [e], dum ait haud diu poſt eius obitum Imperatorem Conſtãtinum Iuniorem eſſe necatum huius anni Coſſ. Acyndino & Proclo. Sed plane idem auctor [f] dealbat Æthiopem, dum nititur eumdẽ Euſebium ab Ariana hæreſi immunem reddere; cui addictiſſimum fuiſſe, multa demonſtrant quæ ſingulis ferme annis de eo dicta ſunt. Quod autem vt eum excuſet Socrates, recitat fragmenta quædam ex ipſius ſcriptis contra Marcellum Ancyranum, quibus negauit Filium Dei eſſe creaturam ſicut vnam ex ceteris ex nihilo à Deo creatis, ſed re vera à Patre genitum ante omnes creaturas, Patri ſimilem, propterquod Deus ſit, & per quem omnia facta ſint, hæc inquam, recitans Socrates, aperte ſignificat ſe Arianæ hæreſis labyrinthum minime penetraſſe; cum Athanaſius [g], & alii qui cominus aduerſus Arianos decertarunt, plane declarent (quod eſt à nobis ſuperius oſtenſum) non ſatis fuiſſe Nicænæ Synodo dicere, Filium nequaquam eſſe creaturam, & nõ ex nihilo, ſed à Patre genitum Verbum & Sapientiam eius, quod Ariani iſtud ipſum in ſuam ſententiam detorquerent; ſed addere opus fuiſſe, Filium Patri eſſe in omnibus Conſubſtantialem, per quod ſignificaretur non tantum ex ſubſtantia Patris eſſe, ſed & illi coextitiſſe ſemper; vt ex hoc & illud Arianorum excluderetur, quo dicerent fuiſſe tempus quando non erat. Nam etſi ante tempora & creaturas omnes eum extitiſſe, ac per eum creata fuiſſe tempora & creaturas dicerent; tamen negabant Patri fuiſſe coæternum, putantes iſta inter ſe repugnare, eſſe Filium à Patre genitum, & ei in principio coexiſtere; ideoq; calumniantes Catholicos duo ingenita aſſerere.

g Atha. de Nic. Syn. & de Syn. Arim.

XIII.
EVSEB. CÆSAR. PERSEVERAVIT HÆRETICVS.
h Hier. ep. 65. & aduerſ. Ruff. & ad Cteſiph.
i Conc. Nic. 2. Act. 5. 6.
k Petr. de Natal. lib. 5. cap. 114.
l Vſuar. & Menolog.

Denique Euſebii inconſtantiam, & poſt Magnam Synodũ (cui in gratiã Imperatoris Conſtantini ſubſcripſit) ad errores priſtinos reditũ, ſugillat ſæpius Athanaſius vt non immerito appellari meruerit à S. Hier. [h] & aliis *Arianæ factionis ſignifer, propugnator apertiſſimus, & inter Arianos facile princeps*: cuius & memoriam adeo execrata eſt Nicæna [i] Synodus Secunda, vt plane eum iam defendere velle, nihil aliud exiſtimãdum ſit quam Eccleſiam Catholicam impugnare. Quod vero ſimplicitate quadam & rerum inſcitia, in ſuo à ſe ſcripto Sanctorum Catalogo Petrus [k] inter Sanctos eumdem Euſebium retulit, & errore atque incuria in aliquod Martyrologium [l] die vigeſima prima Iunii irrepſit: id inde putamus accidiſſe, quod qui *Euſebium Samoſatenſem* (cuius memoria ea die celebratur) minus perſpectũ habuerunt, & nomen *Samoſatenſis* ob Paulum hæreſiarcham fortaſſis exhorruerunt; infelici mutatione pro *Euſebio Samoſatenſi* poſuerunt *Euſebium Cæſarienſem*. Ceterum multiplices huius lucubrationes S. Hieronymus recenſet in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis. In eius vero locum ſuffectus eſt Acacius, ipſius diſcipulus & impietatis ſectator: q inter alia ſcripta, perſoluit magiſtro digna præmia cũ de rebus geſtis eiuſdẽ Euſebii (vt teſtatur Socrates [m]) librum cõſcripſit. At de Acacio ſæpe inferius.

m Socr. li. 2. cap. 3.

XIV.
n Zoſ. lib. 2.
CONST. IVNIOR OCCIDITVR.
o Vict. in Annibalia.

Vt vero redeamus ad Conſtantinum Iuniorem, quem hoc anno occiſum diximus; Zoſimus [n] eius necis culpam in Conſtantem ipſius fratrem reiiciens, ait controuerſia mota inter eos de Africa & Italia, Conſtantem inimicitias toto triennio diſſimulãtem, expectato tempore quo per prouinciam ſibi fidam Conſtantinus iter ageret; ſpecie mittendi auxilii Conſtantio ad bellum Perſicum, ablegaſſe milites qui Conſtantinum incautum occiderunt. At vero maior pars antiquorum hiſtoricorum, culpam in Conſtantinum inuadẽtem fraternam ditionem confert. Nam & Eutropius, Hieronymus, Oroſius, & alii poſt eos bellum illatum à Conſtantino in Conſtantem affirmant, & ſic à militibus Conſtantis eſſe interfectum: ac locus in quo occiſus eſt, nempe (vt Victor [o] ait) apud Aquileiam ad Alſam fluuium plane demonſtrat eum ſuos exceſſiſſe limites, iugis Alpium circumſcriptos. Ceterum eo ſublato, ſumma totius Occidentalis Imperii in Conſtante Auguſto remanſit.

Hoc

XV. p l. 6. C. Th. de ſep. viol. MONVMENTA GENTILITIA CONTRITA.

Hoc eodem anno ijſdemque Coſſ. ſeueriſſima lata habetur Mediolani lex [p] aduerſus eos qui ſepulchra demolirentur, aut inde marmora vel columnas ad alios vſus trãſferrent. Cuius ſanciendæ illa cauſa fuiſſe videtur, quod cum iam maxima ex parte qui Romano ſubiacerent Imperio, Chriſtianam religionem profiterentur, & proinde execrarētur omnia in quibus idololatriæ veſtigia quęlibet apparerent; iidem quæ haberent in fundis maiorum ſepulchra diis Manibus ſacra demolirentur, & ex eis quæcumque ad ornatum ſpectarent in alium vſum conuerterent, reliquos vero confractos lapides ad calcem conficiendam adhiberent; prout aliud ſequens [q] reſcriptum declarat. Ceterum quod nec ita eos coercere Imperatores valuerunt, alias rurſum diuerſis temporibus eodem argumento ſanctiones edere non deſtiterunt.

q l. 2. ibi.

CONSTANTII, CONSTANTIS AN. 5.

IESV CHRISTI AN. 341.

IVLII AN. 5.

I. a Athan. de Syn. b Soc. l. 2. c. 5.

ANNO Chriſti trecenteſimo quadrageſimo primo, Marcellino & Probino Coſſ. (vt teſtantur Athanaſius [a] & Socrates [b]) Indictione decimaquarta, ipſis Conſtantii Imperatoris Quinquennalibus, ipſoq; Imperatore præſente Antiochię, Encænia celebrata ſunt in dedicatione nobiliſſimi templi à Conſtantino [c] Magno iam cœpti, & ſub Conſtantio poſtmodum abſoluti, quod præ ſui mirifica in omnibus excellentia meruit à maiorib. *Dominicum Aureum* nuncupari. Huius autem celebritatis occaſionem arripuerunt libentiſſime Ariani, immo ſane calliđiſſime excogitarunt, vt ſic effugerent Romanam Synodum, ad quã à Iulio Papa (vt vidimus anno ſuperiori) vocati fuerant ad proſequendas accuſationes ab eis in Athanaſium illatas. Hoc enim ipſos eo cõſilio apud Conſtanſtium Imperatorem egiſſe, ipſe Athanaſius [d] teſtatur: additq;, eos, vbi ſemel audiſſent Eccleſiaſticum conſeſſum fore, vbi nec Comes affuturus eſſet, neq; ſatellites pro foribus excubarent, nec ex Cæſaris præſcriptis omnia fierent (quibus rationibus, & non aliis, Epiſcopos vicerant; immo qui ſine hoc præſidio ne quidem loqui auderent) male ſibi conſcios ita metu cõtractos eſſe, vt Legatos Iulii ad ipſos ad indicendam Synodũ miſſos vltra diem condictam detinuerint; cauſationem interim inaniſſimam obtexentes, ſe ob bella Perſarum Romam accedere non poſſe. Pariterq; Theodoretus [e] ait, eos Romam ideo non eſſe profectos, quod intelligerent ſua mendacia manifeſto fore deprehenſa.

c Euſ. 3. de vit. 49. ENCÆNIA TEMPLI ANTIOCH.

d Athan. ep. ad Solit.

ARIANI SVBTERFVGIVNT IVDICIVM ROM. PONT.

e Theod. l. 2. cap. 4.

II. SYNODVS ANTIOCH IN ENCÆNIIS. f Athan. de Synod. g Socr. lib. 2. cap. 5. h Hil. de Synod. i Soz. l. 3. c. 5.

His igitur ab illis fraudulento artificio concinnatis, Conſtantii mox litteris CONVOCANTVR ANTIOCHIAM EPISCOPI ad Encænia, omnes nonaginta numero, vt Athanaſius [f] & Socrates [g] tradunt, ſiue (vt Hilarius [h]) nonaginta ſeptem aut (vt etiam Sozomenus [i]) nonaginta nouem, quorũ triginta ſex tãtum fuerunt Arianæ factionis. Nihil autem eſt quod quis admiretur ſi Catholicos audiat cum illis cõmunicaſſe in ſacris Encæniorum ſolennitatibus, vnaq; in eodem Concilio conſediſſe. Tantum enim abeſt vt Euſebiani palam ſe Arianos eſſe profiterentur, vt etiam in hoc ipſo conuentu iidem Arianum nomen publicis ſcriptis auerſati ſint; & in iis quæ alias aduerſus Epiſcopos Orthodoxos egerunt, ſemper ſe fidei & morum vindices præſetulerint. Nec inſuper cum quis audit tam nefanda in eo conuentu fuiſſe ſtatuta, exiſtimare debet ea tot Catholicorum Epiſcoporum ſuffragiis firmata eſſe, ſiquidem illa ab iiſdem ſolis triginta ſex Arianæ factionis fuiſſe peracta, diſerte teſtatur Iulius Papa in litteris [k] ad eoſdem poſtea ſcriptis. Vt ita dicendum ſit (quod accidiſſe quoq; vidimus in Tyrio Conuentu) Euſebianos vel ſeorſum ab aliis tam indecora ſtatuiſſe, vel fauore Imperatoris, nulla habita ratione refragantium maioris numeri Epiſcoporum, quod pauci illi ſtatuiſſent ratum ac firmum habitum eſſe. Fuerunt autem qui Arianorum dolos præſentientes licet vocati, tamen intereſſe noluerunt. Nam inter alios (inquit Socrates) qui haud longe diſtabat Maximus Epiſcopus Hieroſolymitanus, neutiquam acceſſit, ratus ſi acceſſiſſet ſe compulſum iri Athanaſii abdicationi ſubſcribere. Et Iulius Romanus Epiſcopus neminem qui eius locum ſuppleret eo miſit, cum tamen canon Eccleſiaſticus iuberet non oportere abſque ſententia Epiſcopi Romani decreta Eccleſiis ſancire. Hæc cum Socrates dicat, ipſe quoq; Papa Iulius per litteras [l] declarauit, nefas fuiſſe pendente Romanæ indictione Synodi aliud interim ab Euſebianis alio loco conuocari Concilium.

k ep. Athan. Apol. 2.

l ep. Athan. ibid.

III. ATHANASIVS ABDICATVR AB ARIANIS.

Quæ porro in ea Synodo acta ſint Socrates narrans, ait factionem Euſebianam ad Athanaſium falſo accuſandum ſtudium ſuum potiſſimum contuliſſe; ac primum q̃ abſq; decreto Concilii ad ſedẽ ſuam rediiſſet; deinde quod eius reditus (vt mentiebantur) occaſionem ſeditionũ, & multis mortẽ attuliſſet; ac deniq; ob ea quæ Tyri contra eum allata fuiſſent eiuſdem damnatione conclamata; in eius locum electum eſſe Epiſcopum Alexãdrinum *Euſebium* poſtea *Emeſenum* dictũ; ſed iſto recuſante, quod ſciret Alexandrinos numquam alium Epiſcopum viuente Athanaſio ſuſcepturos, *Gregorio* illum Epiſcopatum delatũ eſſe; Euſebium vero Eccleſiæ Emeſenæ Antiſtitem creatum. Hęc Socrates; eademq; Sozomenus [m]: qui eiuſdem Euſebii primordia aliaſq; res geſtas proſequentes, tradunt ipſum Edeſſa in Meſopotamia oriundum, ibidemq; ſacris & humanioribus litteris inſtitutum, poſtea in ſanctarum Scripturarum interpretatione vſum eſſe magiſtris Euſebio Pamphili & Patrophilo Scythopolitano; deinde Alexandriæ philoſophicas diſciplinas edoctũ, Antiochiam perrexiſſe, ibiq; recuſato Epiſcopatu Alexãdrino Emeſenum ſuſcepiſſe; ſed & Emeſæ tumultu aduerſus eum oborto, quod aſtronomiam iudiciariam exerceret, inde aufugere coactum, poſtmodum opera Georgii Epiſcopi Laodiceni reſtitutum, demum Sabellianiſmi accuſatum fuiſſe. Hæc iidem auctores, accepta (vt teſtantur) ex ipſius Vita ab eodem Georgio Laodiceno conſcripta.

m Soz. l. 3. c. 5. EVSEBII EMESENI PRIMORDIA.

IV. EVSEBIVS EMES. ARIANVS.

Sed vnde id de Sabellianiſmo, cum certum ſit iſtum Euſebium Arianã hæreſim Sabellianæ ex diametro repugnantem magno ſtudio conſectatum eſſe? Nam & hoc eius vitæ conſuetudo in primis indicat, qua (vt vidimus) Arianorum diſcipulus ac perneceſſarius ſemper extitit: & eumdem ipſum Theodoretus [n] æque in Arianorum claſſem reiecit; ac Hieronymus [o] eius ſcripta relegens, minime dubitauit *Arianæ ſigniferũ factionis* appellare. Quæ quidem oportuit declaraſſe, quod alicubi maxima auctoris inſcitia qui eius nomine quaſdam edidit homilias, inueniamus nominatum eſſe *beatum*; & ab aliis [p] recenſitum perperam inter Sanctos. Nimirum decepti fuerunt à Sozomeno, qui cum non ſolum piam vitam duxiſſe, ſed & miracula ediđiſſe teſtatur auctoritate prædicti Georgii Laodiceni. Verum cum & iſte Arianus fuerit, haud mirum ſi de collega impietatis tot tantaq; mendacia in eius Vita conſarciuerit. Cum autem permultos eumdem Euſebium confeciſſe libros conſtet, quæ ipſius nomine feruntur homiliæ, Eucherii potius Lugdunenſis eſſe, demonſtrabitur ſuo loco.

n Theod. in Impacib. o Hier. in Chron. an. 10. Conſt.

p Petr. de Natal. Catal. Sanct. l. 7. c. 63. Martyrol. 14. Aug.

V. GREGORIVS ELECTVS EPISCOP. ALEXANDRIN. AB ARIANIS. q Athan. de Synod. r Id ep. ad Orthod.

Ceterum recuſante Euſebio Alexãdrinam Eccleſiam, delectus eſt (vt diximus) ab iiſdem Euſebianis *Gregorius*, neque ex ſuperiori vita (vt inquit Athanaſius [q]) commendatus, neque vllo modo Chriſtianus; ſed pro temporis conditione nomen Chriſti ſimulans; idemque olim [r] pro impietate ſua excommunicatus, & anathemate dicto Eccleſiæ proclamatus. Sed quod frequenter acciderit apud antiquos auctores, ob quamdam nominis ſimilitudinem & alia plura ſimul conuenientia, vt qui alter poſt alterum intruſi ſunt Alexãdrini Epiſcopi *Gregorius* & *Georgius*, eorumdem nomina & res geſtæ cõfuſæ reperiantur; magna opus eſt diligentia, vt ab inuicem diſtinguantur. Conueniunt igitur in primis ea nominis ſimilitudine: concordant vero omnino patria, cum vtrumq; fuiſſe Cappadocem veteres ſcriptores tradant; teſtante id de Gregorio (mendoſe Georgio ſcripto) Athanaſio [s]; de Georgio, Gregorio [t] Nazianzeno: itemq; miniſterio, dum vterque ab Arianis creatus eſt in locum Athanaſii Epiſcopus Alexãdrinus. Suntque inſuper rerum geſtarum ſimilitudine pares, quod ſuo ipſorum vterque ingreſſu graſſatus fuerit

GREGORII A GEORGIO DISTINCTIO.

s Id. ib. t Gre. Naz. orat. in laud. Athan.

in Catho-

in Catholicos Alexandrinos, & in eos armauerit infideles; vterque dogmate fuerit Arianus; ac denique vterq; occiſus ſit à populo Alexandrino. Diſtinguuntur autem ab inuicem; in primis quod prior hic inſtitutus Antiochiæ Epiſcopus Alexandrinus, Gregorius & non Georgius reuera nuncupatus habeatur ab ipſo Athanaſio [u], Gregorio [x] Nazianzeno, Ruffino, [y] Socrate [z], atq; Sozomeno [a]: deinde quod iſte Gregorius ſedere cœperit hoc anno, Georgius vero cum iterum poſt Sardicenſe Concilium Athanaſius reſtitutus eſt atque deiectus: item quod Gregorius ad inuadendam Eccleſiam Alexandrinam vſus ſit miniſterio Philagrii & Arſacii Magiſtratuum, Georgius vero Heraclii Comitis, Syriani, & Fauſtini: inſuper quod Gregorius depoſitus fuerit in Concilio Sardicenſi, ac poſt decem menſes occiſus; Georgius vero peruenerit ad tempora Iuliani Apoſtatæ: ac deniq; quod Gregorius ex clero electus eſt ad Epiſcopatum, Georgius ex Curia Imperatoris: ſicut hæc omnia diuerſis locis reperiuntur expreſſa apud Athanaſium in epiſtola ad Solitarios. Quinimmo ex teſtificatione Ammiani [b] neceſſe eſſet eoſdem ab inuicem diſcriminari patria; ſiquidem ipſe tradit Georgium fuiſſe Cilicem, Epiphania ciuitate oriundum, patre fullone.

u Athan. ep. ad ſolit. x Gre. Naz. vbi ſup. y Ruf. l. 1. cap. 19. z Socr. lib. 2. cap. 6. a Soz. l. 3. c. 5

b Am. l. 22.

VI.

c Socr. l. 2. cap. 7. d Athan. de Synod. VARIÆ FIDEI FORMVLÆ AB ARIANIS ANTIOCHIÆ COMPOSITÆ.

Poſt Gregorii electionem tradit Socrates [c] (idque, vt apparet, ex [d] Athanaſio) Euſebianos laboraſſe vt fidem commutarent: ac tametſi nihil eorum quæ in Concilio Nicæno acta eſſent reprehendere auſi fuerint, re vera tamen fidem Conſubſtantialis per crebras coitiones labefactare, & alias fidei formulas ſcribere aggreſſos eſſe, vti paulatim homines ad Arii opinionem impellerent. Quapropter primo quidem fidei Confeſſionem ſcripſerunt, in qua cum nihil de eſſentia vel ſubſtantia Filii ageretur, ne tamen ea de re male audirent, expreſſa conteſtati ſunt nequaquam ſe Arium, ſed quod ab initio in Eccleſia creditum eſſet ſequi, ſcripta ea de re vna cum fidei formula ad omnes Epiſcopos Epiſtola. At vbi paulo amplius (ſubdit Socrates) Antiochiæ commorati eſſent, eamdem ſuam fidei formulam quodammodo condemnantes, aliam de integro conſcripſerunt. Quod enim in illa priori ieiune nimis viſi eſſent de Filii Dei diuinitate egiſſe, ac proinde facile in ſuſpicionem venire potuiſſe Arianæ impietatis; nouam aliam ediderunt, qua potiſſimum profeſſi ſunt, ſe Apoſtolicæ aſſectatores eſſe traditionis, nec à *Subſtantiæ* nomine abhorrere, dum Filium licet non eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ, tamen ſubſtantiæ Patris abſq; omni diſſimilitudine imaginem agnouerunt; adiectis inſuper inſignibus Chriſti præconiis, & diuinitatis eius expreſſis notis. Recitat ambas has Fides Socrates ex Athanaſio.

VII.

e Hilar. de Synod.

Quod autem S. Hilarius [e] poſteriorem non tam Euſebianis, quam vniuerſæ Synodo nonaginta ſeptem (vt ait) Epiſcoporum tribuit; præſtat audire Athanaſium, qui eam ab Euſebianis editam tradit, cum iam prioris eos pœnituiſſet: quod & firmat Socrates [f]; additque Sozomenus [g] eamdem ab iis *Luciani* martyris titulo promulgatam fuiſſe. Qua quidem licet (vt diximus) Filium imaginem eſſe ſubſtantiæ ſiue eſſentiæ Patris profeſſi ſint; nihilominus eo ſenſu quo ea ipſi accipiebant, hæreſim confouiſſe ſatis demonſtrat Athanaſius [h] qui eos intus & in cute probe nouerat. Nec tamen iſtud ipſum de imagine ſubſtantiæ Patris diu retinuiſſe, ſed poſtea Iſauriæ ab eadem formula ſuſtuliſſe, idem Sanctus [i] affirmat: quinimmo nec tunc quidem Antiochiæ ei ſoli ſtetiſſe, ſed Theophronium Tyanenſem Epiſcopum aliam rurſum à ſe compoſitam fidei confeſſionem in præſentia omnium promulgaſſe, eidemq; omnes hominis religione approbata ſubſcripſiſſe.

f Socr. lib. 2. cap. 7. g Soz. l. 3. c. 5 CALLIDA FRAVS ARIANORVM. h Athan. decr. Syn. Nic. cont. hæ. Arian. i Id. de Syn.

VIII.

Deniq; quod ſit hæreticis peculiariter inſitum, vt ſemper inſtabiles ſua ipſorum arguantur inconſtantia, cum tres illas inter ſe diuerſas formulas Antiochiæ per tempora Encæniorum edidiſſent; ne tum quidem arbitrati (vt ſubdit Athanaſius) ſatis perfecte fidem ſuam conſcriptam eſſe, vtpote homines turbido fluentiq; animo, aliud ſcripturæ genus de fide poſt aliquot menſes confecerunt; amandaruntq; in Gallias legatos qui eam Conſtanti Auguſto ceteriſq; qui ibi aderant traderent. Sic refert Athanaſius. Fuerunt autem legati eiuſmodi, qui primi inter Euſebianos viderentur Epiſcopi impietate ac perſuadendi facultate præſtantes, videlicet Narciſſus Neroniadis in Cilicia, Maris Chalcedonenſis, Theodorus Heracleæ, (quæ & Perinthus dicta eſt) atq; Marcus Arethuſius nempe eo miſſi conſilio, vt quemadmodum Conſtantium Orientis Imperatorē decepiſſent, ſic etiam eum qui Occidentem regeret iiſdem artibus captiuarent, fieretq; vt cum eis vniuerſus Chriſtianus Orbis duceretur ab Ariana impietate captiuus. Nam & hanc ipſam nouiſſimam formulam, ſicut & tres præcedentes, ambiguam fuiſſe & doloſam, idem Athanaſius [k] demonſtrat, dum eam poſt alias recitat. Diuerſum autem ab iis omnibus eſt illud *Symbolum Antiochenum*, quod recitat Caſſianus [l] contra Neſtorium, in quo eadem Filii cum Patre Conſubſtantialitas aſſeritur, non ab his, ſed à Catholicis editum.

EVSEBIANORVM LEGATIO IN OCCIDENTEM.

k Athan. de Synod.

l Caſſ. de Incar. lib. 6.

IX.

Cur autem quarta illa fidei Regula ibidem Antiochiæ non ſtatim, ſed conſcripta poſt aliquot menſes à prioribus fuerit; nulla quidem quam opinari poſſimus cauſa nobis occurrit, niſi dirus ingruens terræmotus, quo eamdem ciuitatem anno ſuperiori quo eiuſmodi Synodus indicta eſt, & præſenti quo eſt celebrata, vehementer afflictatam fuiſſe vidimus, adeo vt defuerit facultas inita ſemel comitia frequentius celebrandi. Hiſce namque plane auſpiciis decuit recētes Euſebianorum fidei regulas ſanciri ac promulgari, quarum cauſa vniuerſus Catholicus contremuit ac concuſſus eſt Orbis. Sed & quod ad eaſdem pertinet; illud etiam obſeruatione dignum, quod poſtrema cū ſcripta eſt, priores haud iuſſæ ſunt aboleri, ſed permiſſæ omnes integræ permanere; ea nimirum calliditate, vt pro temporis atq; loci ratione eam quæ ſibi opportunior videretur ederent: quod feciſſe legatos ipſorum ad Conſtantem miſſos, Socrates [m] & Sozomenus [n] affirmant.

QVATVOR SIMVL FIDEI REGVLA APVD EVSEBIAN.

m Socr. l. 2. cap. 14. n Soz. Lib. 3 cap. 9.

X.

Reperiuntur eiuſdē Concilii Antiocheni canones viginti quinque; ſed quod ab Arianis inſtituti eſſent, ab Orthodoxis haud poſtea admiſſi ſunt: ſic enim aduerſus eos excepiſſe S. Ioannem Chryſoſtomum, Socrates [o], Sozomenus [p], & alii tradunt. Ceterum iidem Euſebiani, quod nihil apud eos antiquius eſſet, quam vt in cuius ſuſpicionem venerant, vitarent nomen hæreticum; idcirco ſicut in prima ibidem facta fidei confeſſione inprimis conteſtati ſunt ſe Arium minime ſectatos eſſe; ita in canonum editione vſi ſunt hac arte, vt ipſo ingreſſu illum poſuerint quo Nicæni Concilii cōſtitutionis de Paſchatis tempore ſe vindices exhiberent, ac proinde maculam, quod eidem Magnæ Synodo aduerſarentur, hoc dolo prorſus eluerent. Inſuperque ad horum confirmandam fidem illud addiderunt, vt inter Epiſcopos qui ſcripſerunt Epiſtolam Synodalem quam iiſdem canonibus præfixere, inſignis ille Iacobus Niſibita, fidei Nicænæ profeſſor egregius, haberetur inſcriptus; nomina vero Arianorum, Euſebii Conſtantinopolitani, Acacii Cæſarienſis, Maris Chalcedonenſis, Patrophili Scythopolitani, Theognis Nicæni, & aliorum eiuſdem ſectæ famoſiſſimorum, quos ei Concilio interfuiſſe conſtat, omnino deeſſent. Vnde & accidit, vt antiquiſſimi canonum collectores, hos quoq; Antiocheni Concilii tamquam editos ab Orthodoxis vna collegerint. Nam quod in Synodo Chalcedonenſi [q] conſtat duos canones ex his Antiochenis ad verbum eſſe citatos, licet abſque titulo Antiocheni Concilii; cum in eo codice qui in Synodo probatus eſt atque lectus Actione vndecima, prior nonageſimo quinto, poſterior nonageſimo ſexto eſſet numero conſignatus, & tamen iidem in Concilio Antiocheno decimus ſextus & decimus ſeptimus ordine deſcribantur; ex his plane apparet, non ex ipſo Antiocheni Concilii codice editos eſſe, ſed ex quadam ante iam facta nobis incōperta canonum collectione, communi maiorum auctoritate probata. Etenim quæ ſecundum Eccleſiaſticam antiquitus traditā diſciplinam ab Euſebianis viderentur Antiochiæ eſſe diſpoſita plane abiicienda non fuerunt, ſed ab eis tamquam ab iniuſtis poſſeſſoribus vindicanda, quæ ipſi plerumq; in malum vſum,

CANONES SYNODI ANTIOC. o Socr. lib. 6. cap. 18. p Soz. lib. 8. cap. 20.

q Conc. Chalced. Act. 4. & 11. CANONES ANTIOCH QVOMODO RECEPTI.

uium, nempe ad perſecutionem Catholicorum conuertiſſent. De litteris autem ex hac eadem Synodo ſcriptis ad Iulium Romanum Pontificem, agetur anno ſequenti.

XI. De Avdaeo haereſiarcha.

Interim vero agendum de AVDIANIS (ſic dictis ab Avdæo hæreſiarcha) quorum cauſa primus ille huius Concilii canon ſtatutus eſſe videtur, aduerſus eos qui contra decretum Nicænæ Synodi celebrarent Paſcha more Iudæorum Luna decimaquarta. Mentio eſt eiuſdem Audęi apud Hieronymum in Chronico anno quarto Conſtantii: ſed & vixiſſe temporib. Arii, Epiphanius [r] eſt auctor; aitque fuiſſe è Meſopotamia oriundum, clarum in patria ſua propter ſinceritatē vitæ, ac zelū erga Deum & fidem: cum vero & Epiſcoporum, aliarumq; Eccleſiaſticarū perſonarum prauos mores publice ac libertime argueret, idcirco male ab iiſdem habitum, tandē poſt multas toleratas iniurias & ignominias, ſeipſum ab Eccleſia ſeparaſſe, multoſq; ſecum in ſchiſma traxiſſe: à ſuis vero creatū Epiſcopū, relegatum fuiſſe in ſenectute in partes Scythiæ ab Imperatore Conſtantio, quod apud ipſum ab Epiſcopis accuſatus eſſet de procurata rebellione populorum: deinde è Scythia ad intima Gothiæ penetraſſe, multoſq; ad fidem inſtruxiſſe, & plurima monaſteria in eadem Gothia erexiſſe, inque eis rectæ vitæ conuerſationem, virginitatemq;, atq; exercitationem pietatis non vulgarem inſtituiſſe, quippe qui omnia in vita ac moribus ad admirationem vſque ſeruaret. Hæc de Audæo Epiphanius, aliique qui eam ſunt proſecuti hiſtoriam.

r Epiph. hær. 70.

XII. Errores Avdaei.

At quænam eſſent eius dogmata, quorum cauſa ſe extra Eccleſiam cōtineret; idem Epiphanius tradit eum docuiſſe Deum humanā ferre imaginem, ſecundum q̄ creauerit hominem ad imaginem & ſimilitudinē ſuam. Itemque diuitias Eccleſiaſticorum damnaſſe; & Paſcha ex cōſuetudine Iudæorum decimaquarta luna celebrandum aſſeruiſſe. Addit vero Theodoretus [s], eum & tenebras & aquam & ignem dixiſſe ingenita. Quos autem laudat Epiphanius Audianos probatiſſimis vixiſſe moribus, & virginitate ac pietatis exercitatione excelluiſſe; eoſdem ſuis temporibus valde deprauatos extitiſſe, Theodoretus affirmat: additque de modo quodam ridiculo, quem in cōfitendis & dimittendis peccatis abſque vlla impoſita pœnitentia obſeruare conſueuiſſent. Ceterum in Eccleſia Catholica haud per ſimplicem peccatorum cōfeſſionem ea dimitti, niſi digna ſequatur ſatisfactio, Euſebiani etiam ex præſcripto Eccleſiaſticæ diſciplinæ, in eadem celebrata hoc anno Synodo Antiochena [t] profeſſi ſunt; idq; (vt apparet) aduerſus eoſdem Audianos nuper obortos hæreticos: qui poſtea ob præcipuum illum errorem de humana Dei forma, dicti ſunt ANTHROPOMORPHITÆ; eorumq; vix paucos ſuo tempore reliquos fuiſſe, Epiphanius teſtatur. Sed iam ceteras huius anni res geſtas inſpiciamus.

s Theo. hær. fab. lib. 4.

t Conc. Antioch. c. 1.

Anthropomorphitæ hæretici.

XIII.

Synodus Rom. in causa Athanasii.

Cum igitur ſtatutus terminus indictę à Iulio Papa Romæ Synodi, longius prærerlapſus eſſet (nam Athanaſius annum & dimidium expectarat) & Euſebiani vt eam ſubterfugerent, retentis Sedis Apoſtolicæ Legatis conuenticulum ſuum Antiochiæ celebraſſent (quæ omnia ſuperius ſunt enarrata) idem Iulius in SYNODO quinquaginta Epiſcoporum eiuſdem Athanaſii cauſam cognoſcēs; diligenter examinatis quæ aduerſus eum ex Actis Tyriis & Mareoticis Euſebiani congeſta Romam miſerant, eorumdemq; patefactis calumniis; ex Eccleſiaſticarum legum præſcripto eum iudicauit innocentem, recepitq; ad communionem & agapem. Teſtatur hæc tum ipſe Iulius in litteris ad Euſebianos ex alia poſtea Synodo (de qua inferius) ſcriptis, tum Athanaſius Apologia ſecunda. Poſt illa vero peracta, confeſtim eumdem hoc ipſo anno vel ſequentis exordio, Alexandriam nauigio reuerſum eſſe (odoratum videlicet ex contumacia Euſebianorum detrectantium Romam venire, eoſdem aduerſus ipſum & Eccleſiam Alexandrinam aliquid noui molituros) & Socrates [u] docet, & ex eo perſpicue intelligitur, quod conſtat tempore graſſationis Arianorum in Alexandrinam Eccleſiam anno ſequenti, eum fuiſſe ibi repertum.

u Socr. lib. 2. cap. 11.

XIV.

Porro in eadem quoque Synodo Romana cognitam eſſe Marcelli Ancyrani cauſam (qui, vt vidimus, damnatus Conſtantinopoli ab Euſebianis, Romanum Pontificem appellans eo venerat) eumdemq; iuſte ac canonice ad cōmunionem admiſſum, ipſe Iulius Papa iiſdem ſuis litteris teſtatur: Additq; de compluriu̅ aliorum Orientalium Epiſcoporum ac presbyterorum, qui grauia paſſi ab Arianis, ex diuerſis prouinciis Romam pariter confugerant, auditis in eadem Synodo querelis. Qui vero ii fuerint, Athanaſius recenſet in Apologia de fuga ſua & in Epiſtola ad Solitarios. Sed de Marcelli rebus cum Iulio geſtis plura habet Epiphanius [x]; recitatque libellum quem dicit ab eo oblatum eidem Iulio. Sed an ille ipſe ſit, quem Iulius per omnia conſentientem eſſe tradit Eccleſiæ Catholicę, dubito: in eo enim; licet multa reperiantur ad Arianorum opinionem confutandam tamen (quod potiſſimum exigebatur à profeſſore Catholico) nomen Conſubſtantialis non ponitur. At de Marcelli fide alias plenius.

Marcelli cauſa ibidem cognita.

x Epiph. hær. 72.

XV. Arrogantia Euſebianorum in Iulium PP.

Compertis autem his quæ Romæ geſta eſſent, Euſebiani Antiochiæ diutius commorantes, dimiſſis tandem Elpidio & Philoxeno Iulii Papæ legatis, litteras ad eum dederunt ingenti faſtu & arrogantia ſcriptas (quales decebat impudentiſſimos hæreticos) quibus inprimis indignantes ſe Romam eſſe citatos, inſuper conqueſti ſunt de anguſtiori tempore ad veniendum præfixo, deq; abſolutis Athanaſio & Marcello; inſulſe prætexentes, nō opus fuiſſe in alia Synodo ab Epiſcopo Romano retractari, quę in alia iam ab Orientalibus ſtabilita eſſent, ſicut olim cum Nouatus ab Epiſcopo Romano damnatus fuiſſet, Orientales eius communionem recipere renuerunt. Hęc & alia id genus cum Euſebianos ſcripſiſſe ad Iulium, ipſe teſtetur in Epiſtola ad eoſdem poſtea reddita, quam Athanaſius [y] recitat; eadem quoque habent ferme Socrates [z] & Sozomenus [a]: ſed dum ab alio Concilio Antiocheno, quam ab eo in Encæniis celebrato, eaſdem Arianorum litteras miſſas eſſe videntur aſſerere; certum eſt eos errare, quod conſtet eas per Legatos Elpidium & Philoxenum ad ipſos tunc miſſos redditas eſſe. Addit vero Sozomenus, eoſdem conteſtatos eſſe, numquam inituros cum Iulio pacem, niſi probaſſet quæ ab eis cōſtituta fuiſſent. Ceterum quæ extat [b] Epiſtola Arianorum nomine ad Iulium data, putatur ex iis quæ Socrates & Sozomenus de his rebus narrant cōſarcinata; cum in ea multa deſiderentur, quæ ex Iulii litteris produntur ſcripta ab eis eſſe, compluraque ineſſe noſcantur aliter quam à Iulio relata ſint: vt merito & illæ quæ ibidem adduntur à Iulio ad Arianos redditæ, eadem ſuſpicione laborent: nam quæ veræ ſint litteræ Iulii, declarat Athanaſius qui eas verbatim deſcripſit.

y Athan. Apol. 2.
z Socr. l. 2. c. 11
a Soz. lib. 3. cap. 7.

b To. 1. Conc. in Iulio.

XVI. c l. 1. C. Theod. de Pagan.

Huius quoque anni Coſſ. conſignata habetur Cōſtantii Imperatoris ſanctio [c] aduerſus Idololatras; & ne quis auderet ſacrificia celebrare. Quæ quidem fuere ad ſectam Arianorum illecebræ, dum eius patronus ex huiuſmodi promulgatis edictis maxime pius videri voluit.

IESV CHRISTI AN. 342.

Conſtantii, Conſtantis an. 6.

IVLII AN. 6.

I. Gregorius Arianus inuadit Alex. Eccleſiam.

ANNO Chriſti trecenteſimo quadrageſimo ſecundo, duobus Auguſtis Conſtantio tertium & Conſtante ſecundum Coſſ. Gregorius Cappadox electus anno ſuperiori in Antiocheno Concilio in locum Athanaſii Epiſcopus Alexandrinus, per Præfectum Philagrium iuſſu Conſtantii militari manu Alexandriam introducitur. Hęc enim præſenti potius anno quam ſuperiori contigiſſe, illud magnopere ſuadet, quod conſtet Antiochenam Synodum in Encæniis celebratam ad plures menſes fuiſſe propagatam, & Gregorium qui ei interfuit prope Paſchale tēpus Alexandriam aduenilſe. Quibus autem cladibus tunc ea Eccleſia vexata fuerit (quas iam ante biennium per viſionem diuinitus oſtenſas fuiſſe Magno Antonio, Athanaſius in eius Vita teſtatur) cum à Socrate [a], Sozomeno [b], Theodoreto [c], & pleriſq; aliis magna plane con-

a Soc. l. 2. c. 11
b Soz. l. 3. c. 5
c Theod. l. 2 cap. 4.

Digitized by Google

fuſione & ieiune admodum referantur; eas, vt vere ſe habuere, Athanaſius ipſe, contra quem maxime tempeſtas excitata eſt, dum eamdem forti animo ſuſtineret exacte deſcripſit in Epiſtola Encyclica quam ad vniuerſos Orthodoxos tunc direxit.

II. Immanis clades Eccl. Alexand.

Res autem geſta ſic breuiter habet: Cum Eccleſia Alexandrina, & quæ ei ſubiectæ eſſent prouinciæ, ob Athanaſii reſtitutionem ingenti lætitia exultarent; ſtatim Philagrius Præfectus Ægypti Gregorii conterraneus, & olim transfuga Chriſtianæ religionis, ac in Eccleſiam contumelioſus, prauiſſimorumq; morum homo, litteras publice propoſuit in formam edicti, quibus declarauit Gregorium (ita hunc vocatum fuiſſe iam ſuperius demonſtrauimus, licet apud Athanaſium hæc narrantem corrupte Georgius frequentius legatur) pro ſucceſſore datum Athanaſio, ſatellitio ſtipatoribuſque Comitis in cathedram introducendum. Populo autem grauiter ferente iſtarum rerum inſolentiam, & publice tum ad Iudices tum ad vniuerſam ciuitatem proteſtante nullas aduerſus Athanaſium querelas vel à plebe vel ab Eccleſiaſticis motas eſſe, Arianorumque hæreticorum opera hanc legem præuaricationem induci; atque adeo Eccleſias occupante ne illæ paterent Arianis: his viſis idem Philagrius Præfectus, magiſtratus ſui fretus auctoritate præſidioque, Ethnicos homines atq; Iudæos Alexandriæ exiſtentes, alioſque facinoroſos nebulones hortationibus & promiſſionibus inſtigatos, ſub ipſos Paſchatis dies cum gladiis & fuſtibus contra populum in Eccleſias immittit: à quibus igne & ſanguine cuncta ſunt mixta; altaria, baptiſteria, aliæque res ſacræ profanatæ, diſſipatæ, direptæ; libri ſacri combuſti; ſacrificia animalium frugumque idolis oblàta; Virgines Deo dicatæ nudatæ, tractæ, raptæque; monachi pedibus obtriti, atque dilacerati; presbyteri, aliique clerici conciſi; multi ex populo occiſi, quamplurimi vulnerati; omnis generis homines in carceres coniecti, & in ius tracti: denique ipſo ſacræ Paraſceues die, is cuius cauſa hæc omnia ſcelera perpetrabantur, Gregorius in quamdam Eccleſiam cum Duce & Præſide ingreſſus, intellecto hominum odio quo illius violentum introitum auerſabantur, auctorem ſe crudeliſſimo Præſidi præbuit, vt eadem hora triginta quatuor virgines, & matronæ item, virique ingenui publice flagellis cæderentur & in carceres coniicerentur.

Athan. clam elapſus.

Cum vero iam eamdem graſſationem in illam Eccleſiam in qua per eos dies Athanaſius commorabatur, aggrederentur, nihil non agentes vt ibi eum interceptum de medio tollerent; ipſe diuino auxilio manus eorum effugiens, ſe furtim ſubduxit, ne eius occaſione vel Eccleſia noxam acciperet, aut virgines indigniora paterentur, cædeſque denuo committerentur. Sicque eo ſtatu Eccleſiæ Gregorio & furioſis Arianis ſunt traditæ; populoque & clericis Catholicis ea neceſſitas inflicta, vt cum iiſdem impiis Arianis communicarent, aut ab introitu Eccleſiarum penitus abſtinerent; ac denique miſſum eſt ſub falſo populi nomine ad Conſtantium Imperatorem decretum aduerſus Athanaſium, vt in exilium mitteretur, vel etiam morte mulctaretur.

III. Proſecutio perſecutionis.

Scripſit hæc pluribus (vt diximus) ipſe Athanaſius ad Orthodoxos; ſed feſtine vt apparet, ac è latebris priuſquam Alexandria recederet; vt ſic anteuerteret ſcribendas à Gregorio litteras: quæ eadem maiori poſtea idem otio fuſius proſecutus, ac præſertim in ea quæ ad ſolitariam vitam agentes ſcripta eſt epiſtola (quæ præſefert breuiarium rerum ab Arianis geſtarum aduerſus Eccleſiam Catholicam, ac potiſſimum Alexandrinam) addit etiam de graſſationibus eiuſdem Gregorii in cunctas alias Eccleſias Alexandrinæ ſubiectas; deq; exiliis, vinculis, flagellis, necibus illatis omnibus ſibi communicare recuſantibus, ac præcipue Epiſcopis; inter quos & magnus ille Confeſſor *Potamon*, de quo ſuperius, ita plagis (inquit Athanaſius) conciſus eſt, vt paulo poſt ex hac vita deceſſerit, adeptus gloriam iterati martyrii; cuius extat celebris memoria in tabulis [d] Eccleſiaſticis.

d *Martyrol. Rom. 18. Maj.*

IV. Gregor.

Qui igitur his facinoribus ſedem inuaſit Gregorius Cappadox, eam tyrannice tenuit vſq; ad Concilium Sardicenſe à quo depoſitus eſt, ac poſt decem menſes ab Alexandrinis necatus; ipſeq; Athanaſius cum honore Alexandriam reſtitutus, vt demõſtrabitur ſuo loco. Ex quibus intelligas hallucinatos eſſe Socratem [e] atq; Sozomenum [f], & alios qui dixerunt Gregorium ante Concilium Sardicenſe ab ipſis Arianis abdicatum eſſe, tum quod Alexandrino populo magnopere inuiſus eſſet, tum quod non ſatis videretur ipſorum opinioni patrocinari. Rectius longe & accuratius Theodoretus [g], dum ait Gregorium ad ſex annos maxima aduerſus Catholicos crudelitate eam ſedem occupaſſe: ſiquidem tot numerantur ab anno præſenti vſque ad eius necem: eumdemque in parte Arianorum promouẽda acerrimum ſe acerbiſſimumq; Catholicorum hoſtem ſemper oſtendiſſe, tam quæ dicta ſunt quam quæ dicenda manifeſte demonſtrant.

Quandiu ſedem occuparit.

e *Socr. l. 2. c. 10.*
f *Soz. l. 3. c. 6. inf.*
g *Theod. l. 2. c. 4.*

V.

h *Socr. l. 2. cap. 15.*

Ceterum cum de omnibus [h] quæ Alexandriæ geſta eſſent, Iulius Romanus Pontifex tum ab iis qui ex eadem ciuitate tunc temporis fugientes Romam tamquam ad tutum aſylum ſe contuliſſent, tum Ægypti Epiſcoporum literis certior redditus eſſet; cumque ex alia parte contumaces Euſebianorum litteras, de quibus actum anno ſuperiori, Antiochia miſſas ſuſcepiſſet iis omnibus ex more communicatis cum aliis Epiſcopis in Synodo congregatis, ex omnium ſententia reſcripſit ad Arianos epiſtolam illam cuius ſæpiſſime facta eſt mentio, qua ſingula eorum dicta factaque egregie ſciteque confutauit. Etenim Concilivm Romæ hoc anno celebratum eſſe, Patreſque qui conuenerunt, per Iulium eas literas reſcripſiſſe quæ eiuſdem Iulii tantum nomine feruntur, ac per Gabinianum Comitem tranſmiſiſſe, Athanaſius [i] tradit dum eas verbatim recitat, quas & poſt Alexandrinam cladem à Gregorio illatam ſcriptas eſſe, inde ſatis intelligitur quod eis de eadem Iulius aduerſus illos expoſtulauerit.

Concil. Rom. ob turbas Alexand.

i *Athan. Apol. 2.*

Sed & dum eoſdem reprehendens quod nihil de iis quæ in Eccleſiam Alexandrinam ab ipſis decreta eſſent ſcripſiſſent, hæc ait, *An ignari eſtis hanc conſuetudinem eſſe, vt primum nobis ſcribatur, vt hinc quod iuſtum eſſet definiri poſſet?* perſpicue declarauit, ſic olim ex regula & conſuetudine Eccleſiæ legitima Epiſcoporum iudicia exerceri ſolita fuiſſe, vt de his inprimis ſcriberetur ad Romanum Pontificem, à quo quid definiendum eſſet acciperetur. Habetque eadem Socrates [k], dum eás litteras ſummátim perſtringit.

Rom. ſedis iudicium ſupremum.

k *Socr. lib. 2. cap. 15.*

Porro mitius viſus eſt Iulius cum eiſdem Euſebianis agere, quam par erat in tanto immanium criminum admiſſorum aceruo, tum vt eos ad Concilium (ad quod rurſum eos Romam inuitat) pertraheret, tum etiam quod ſciret eoſdem tot tantaq; non priuatim à ſe ipſis, ſed tamquam ex Synodalibus iudiciis & Imperatoris auctoritate perpetrare: cum & nondum (vt ex eorum profeſſione, immo conteſtatione facta in Synodo Antiochena ſuperius vidimus) iidem omnino conuinci poſſent eſſe Ariani, vt à Iulio damnarentur. Quod vero manifeſtis Arianis ſeueriorem ſe exhibuerit, probatur ex eo quod cum idem qui ſupra Gregorius miſiſſet Romam legatum quendam Carponam Arianum manifeſtum, iam olim ab Alexandro Epiſcopo Alexandrino eo nomine notatum; idem Iulius tum ei tum aliis ea labe conſperſis ſuum denegauerit conſpectum, vt traditur iiſdem ipſius literis.

Legati Arianor. relicti à Iulio PP.

VI. Athan. Romam fugit.

l *Soc. lib. 2. c. 15.* m *Soz. lib. 3. cap. 9.*

Eodem quoque tempore Athanaſius fuga lapſus ne hoſtium pateret incurſui eius necem auide ſitientium; acceſſit iterum ad tutum tranquillumque portum Romanæ Eccleſiæ; quo cum à Iulio Papa accerſitũ eſſe, Socrates [l] & Sozomenus [m] tradunt. Ipſe vero Athanaſius in Apologia ad Conſtãtium Imperatorem, cum apud illum ea ſuſpicione laboraret quaſi fratrem ipſius Conſtantem aduerſus eum ſolicitaſſet; ait ſe Romã acceſſiſſe vt ſe ſuaq; ei Eccleſiæ commendaret; ceterum nec ſe Conſtantem conueniſſe, nec ad eum vnquam ſcripſiſſe, niſi vt ſe excuſaret quando Euſebiani calumnioſas de ipſo litteras ad eum miſiſſent. Quod quidem tunc accidit cum legati à Synodo Antiochena (vt vidimus) ad eum miſſi ſunt. Porro idem Conſtans cum in omnibus exploratam haberet ſanctiſſimi viri innocentiam, eumdem & amore & re-

uerentia proſecutus, egit etiam cum illo vt vniuerſam diuinam Scripturam redigeret in compendium, Synopſimque conficeret quam ad ſe mitteret: quæ & hactenus extat. Qui autem hoc anno fugiens Alexandria Romam ſe contulit, ibidem manſit vltra triennium, vſque dum anno quarto ab eodem Conſtante Imperatore Mediolanum vocatus eſt, vt ſuo loco dicturi ſumus.

VII.

m Socr. vbi ſup.
EVSEBII NICOM. OBITVS.

Hoc eodem anno, ac plane eius exordio, cum ſcriptæ ab Euſebio Nicomedienſi iam Epiſcopo Conſtantinopolitano, ex Antiochena Synodo ad Iulium Romanum Pontificem contumaces litteræ nondum perlatæ eſſent (vt auctor eſt Socrates [m]) ipſe *Euſebius* ſceleſtiſſimus omnium hominum, bis apoſtata, Imperatorum ſeductor, in omnes contumelioſus, blaſphemus, vbique tyrannus, non ſine admiratione ſummæ Dei erga homines delinquentes patientiæ diu toleratus; tunc cum blaſphemiæ & pertinaciæ cornua in ipſam Romanam Eccleſiam erexit, ex hac vita infelix recedere, & qui eiuſdem Eccleſiæ iudicium ſubterfugit, ad horrendum iuſtitiæ diuinæ tribunal ſe ſiſtere coactus eſt. Quod quidem paulo poſt dimiſſum Concilium Antiochenum iiſdem huius anni Coſſ. accidiſſe, idem Socrates [n] demonſtrat, necnon Sozomenus [o]. Eo vero defuncto (vt inquiunt) cum populus Conſtantinopolitanus *Paulum*, Euſebii olim occaſione eiectum, in Eccleſiam denuo introduxiſſet; Ariani autem *Macedonium* delegiſſent Epiſcopum, indeque crebris exortis ſeditionibus quamplurimi vtrimq; periiſſent; ſed & Dux Hermogenes à Conſtantio Imperatore tunc Antiochiæ exiſtente, iuſſus Paulum Eccleſia expellere, à populo aduerſus eum pro Paulo inſurgente interemptus eſſet: tunc Conſtantius ipſe Conſtantinopolim properans, & Paulum eiecit è ciuitate, & ipſam ciuitatem ſupra quadragies centena millia medimnorum frumenti, nempe dimidia parte congiarii, quod illi à Conſtantino Magno ſingulis diebus in perpetuum ex vectigalibus Ægypti ſuppeditari iuſſum fuerat, mulctauit. Macedonio vero etiam ſuccenſus, tum quod eius occaſione tot cædes commiſſæ fuiſſent, tum quod minime expectato ipſius Imperatoris conſenſu pro Epiſcopo ſe geſſiſſet; re adhuc in dubio relicta, Antiochiam rediit.

n Id. lib. 2. c. 10
o Soz. l. 3. c. 6
TVRBÆ CONSTANTINOP. OB SVCCESSIONEM EPISCOP.

VIII.

p Socr. lib. 2. cap. 11. Soz. lib. 3. cap. 7.
PAVLI ET ALIOR. EPISCOP. ORTHOD. ROMAM CONFVGIVM.

Cum autem [p] Paulus Romam petiiſſet, eodemq; tempore Aſclepas Gazæ, Marcellus Ancyræ, & Lucius Hadrianopolis, diuerſis prætextibus Eccleſiarum ſuarum iacturam ab Euſebianis paſſi, itidem Romam confugiſſent; Iulius Papa iis omnibus fidei Nicænæ conſentientibus repertis, cum propter Sedis dignitatem cura omnium ad ipſum ſpectaret; & Eccleſia Romana eiuſmodi priuilegium præter cæteras obtineret, in Orientem literas miſit, quo ſuus cuiq; locus reſtitueretur; & qui eos temere abdicarant grauiter reprehendit, minatuſque eſt ſe de reliquo non paſſurum eos inultos permanere, niſi Eccleſias perturbare deſiſterent. Hæc omnia totidem ferme verbis Sozomenus & Socrates. Quæ vero ſubdunt de litteris ab Euſebianis ad Iulium ſcriptis, ea iam antehac contigiſſe ſuperius demonſtratum eſt: quæ autem poſt hæc acciderint, dicetur inferius ſuis locis.

CONSTANTII, CONSTANTIS AN. 7.

IESV CHRISTI AN. 343.

IVLII AN. 7.

I.

a ſup. an. 251 n. 16.
PAVLVS PRIMVS EREMITA MIGRAT IN COELVM.

ANNO Chriſti trecenteſimo quadrageſimo tertio, Placido & Romulo Coſſ. ipſo exordio ſeptimi anni Conſtantii Imperatoris (ſecundum ea quæ dicta ſunt alibi [a]) S. PAVLVS Primus Eremita annos natus centum tredecim, ceteriſq; cunctis hominibus incognitus, ſed à S. Antonio Monachorum patre nonagenario diuino iuſſu paulo ante obitum viſitatus, feliciter migrauit in cœlum, & ab eodem Antonio cum hymnis more Chriſtianorum humatus eſt. Rem geſtam multiplicibus miraculis aliiſque rebus memorabilib. illuſtratam, pluribus narrat in Vita eiuſdem Pauli S. Hieronymus, vir ab omni fabularum commento longiſſime abhorrens: vt non ſit quod dubitare quis poſſit, ſed de Hippocentauro & Fauno qui Antonio in itinere occurrerunt; ſed de coruo dimidium panis ad victum Paulo quotidie deferente, & in aduentu Antonii annonam duplicante; ſiue de leonibus terram ad Paulum humandum vngulis ſuis aperientibus, & poſtea benedictionem ab Antonio depoſcentibus; ſiue denique de aliis rebus mirabilibus, quas in illo diuinorum virorum cõgreſſu contigiſſe idem Hieronymus elegantiſſime deſcribit. Quod autem in Actis Antonii ab Athanaſio conſcriptis, de eiuſmodi viſitatione nulla penitus mentio habeatur; Id inde accidit, quod (vt eodem Hieronymo auctore dictum eſt) idem Athanaſius res geſtas Antonii, ipſo adhuc viuente ſcriptis commendauit, eaſque Romam detulit ante biennium, quo tempore hęc de Paulo non acciderant: poſtea vero multis prætermiſſis appoſitus eſt eius obitus, ſed vtrum ab ipſo Athanaſio, haud certo conſtat.

CONGRESSVS ANTONII MAGNI CVM PAVLO.

II.

PAVLVS PROBAT FIDEM ATHANASII.

At inter alia omnia de Paulo à S. Hieronymo conſcripta, illud cõtemplor attentius, quod ait expetiiſſe ab Antonio ad ſuum ipſius defuncti corpuſculũ inuoluendum, pallium quod eidem Antonio Athanaſius donaſſet. Id enim ab eo non idcirco duntaxat factum puto (quod tradit S. Hieronymus) vt recedendo ab Antonio mœror ſuæ mortis leuaretur; ſed quod qui prophetico ſpiritu Athanaſium nouerat, eo ſaltem communicationis ſymbolo ſignificaret ſe eius fidem probare: quod quidẽ haud videbatur mediocris eſſe momenti ad erigendos titubantium animos, & roborandam conſtantium fidem. Siquidem tanti facere ſolebat populus illuſtrium monachorum de fide teſtimonium, vt Ariani hoc ſentientes, mentiri non ſunt veriti Magnum Antonium eadem ſecum ſentire; adeo vt ob eam cauſam rogatus aliquando ab Athanaſio aliiſque Epiſcopis Catholicis, relicta intima eremi ſolitudine, Alexandriam deſcendere neceſſe habuerit, & de Catholica fide quam coleret publice verbis, factis, miraculiſque ſpecimen edere; vt affirmat, deſcribitque in eius Vita Athanaſius, meminitque Hieronymus [b]. Cum & præter hæc impudentiſſimos Arianos, ad ſtabiliendum ſuum ipſorum dogma impietatis, haud veritos eſſe quos ſciſſent antiquos clariſſimos viros, eoſdem etiam ſuæ hæreſis falſo aſtruere aſſertores, ſatis probent quæ de Origene, Dionyſio Alexandrino, ac Luciano martyre, mendaciter ab ipſis in ſuam ſententiam detortis, dicta ſunt ſuperius ſuis locis.

ANTONIVS CONFVTAT ARIANOS.

b Hier. ep. 33. ad Caſtr.

III.

c Id. in Chr.
d Theod. l. 1. c. 24. infra Soz. lib. 2. c. 14. Cedr. in Comp. an. 21. Conſtantini.
PERSECVTIO CHRISTIANORVM IN PERSIDE.
e Soz. lib. 2. cap. 8. & ſeq.

Hoc itidem ſeptimo anno Conſtantii & Conſtantis Imperatorum, ponitur à S. Hieronymo [c] excitata in Chriſtianos Perſas à Sapore eorum Rege dira *Perſecutio*; quam [d] alios perperam ad tempora Conſtantini referre, ſuperius monuimus. Vt enim potius Hieronymo aſſentiamur, id compellit quod liqueat inter Conſtantium & Saporem hoc tempore acre viguiſſe bellum, perſecutionem autem ortam eſſe ex falſa criminatione à Magis & Iudæis in Chriſtianos illata, quod regni eſſent proditores & rerum Romanarum fautores; quamuis & poſtea ſolo religionis nomine eadem graſſata fuerit. Rem vero geſtam pluribus deſcribens Sozomenus [e], ait hoc primo eiuſdem perſecutionis anno immoderata inprimis tributa Chriſtianis impoſita eſſe, quod Rex noſſet ipſorũ quamplurimos voluntariam egeſtatem excolere; eorumdemq; exactionem crudeliſſimis viris commiſiſſe, quo & inopia pecuniæ & exactorum feritate coacti, ſuam religionem aſpernari inciperent: poſthæc vero Eccleſias vbique dirutas eſſe, necatoſque *Simeonem* Seleuciæ & Cteſiphontis primatiæ in Perſide ciuitatis Archiepiſcopum, & *Vſthazanem* eunuchorum principem atque ipſius Saporis Regis educatorem; itemq; centum alios tum Epiſcopos tum presbyteros & diuerſorum ordinum clericos, ac denique *Puſicem* Præfectum Regis artificum, eiuſque filiam: quorum omnium natales dies Eccleſiaſticis inſerti monumentis, anniuerſariis celebrantur honoribus

IV.

CONTINVATIO PERSECVT.

Sequenti vero anno (vt hic vno contextu rem abſoluamus, idem Sozomenus tradit, inſtante Paſchate exiiſſe edictum à Rege in vniuerſam Perſidem, vt quicumque ſe confiterentur Chriſtianos, morti addicerentur: Sed

cum inter infinitam eorum multitudinem qui eiuſdem edicti vigore omnis ſexus & conditionis homines ſublati ſunt, plurimi etiam qui in ipſo Palatio militarent, ac præcipue *Azades* eunuchus Regi longe chariſſimus eo inſcio necatus eſſet, eumdem Regem ingenti affectum dolore communem cædem ſedaſſe, ac ſolos Chriſtianorum doctores occidi iuſſiſſe; tuncque Epiſcopos quamplurimos, atque immenſam multitudinem presbyterorum, diaconorum, monachorum, ſanctarum virginum, & aliorum qui Eccleſiarum miniſterio vacabãt, trucidatos eſſe: quorum etiam nonnullorũ extant apud Metaphraſtem Acta. Ceterum quod bellum vſque ad tempora Iouiani Imperatoris acrius in dies exacerbatum fuerit inter Romanos & Perſas; perſecutionem quoque ab eodem Sapore ſemel edicto promulgatam, haudquaquam duorum annorum curriculis terminatam eſſe putandum eſt: eo maxime quod Chriſtiani, licet Perſæ natione eſſent, tamen quod cultu religionis à Perſis receſſiſſe viſi eſſent, & Romanis inhæſiſſe quorum Deum colerent, quodammodo transfugæ haberentur. meminitque S. Auguſtinus [f] de perſecutione in eadem Perſide excitata, ac ſæpe reſtaurata.

f Aug. 18. de ciuit. 32.

V. g Hieron. in chron. PRIVILEGIVM SEPVLCHRI GREG. THAVMAT.

Eodem quoque Conſtantii Imperatoris anno ſeptimo, Neocæſarea in Ponto (inquit S. Hieronymus [g]) ſubuerſa eſt terræmotu, excepta eccleſia, ac Epiſcopo, ceteriſque qui ibidem reperti ſunt. Obtinuiſſe namque hanc diuinitus prærogatiuam eccleſiam illam, in qua S. Gregorius eius ciuitatis olim Epiſcopus cognomento Thaumaturgus ſepultus erat, vt ceteris ædificiis terræmotu ſæpe proſtratis ipſa remanſerit ſemper incolumis, diximus etiam alias ex Gregorio Nyſſeno & Theodoro Lectore.

IESV CHRISTI AN. 344.

CONSTANTII, CONSTANTIS, AN. 8.

IVLII AN. 8.

I. a Athan. de Synod. b Socr. lib. 2. cap. 15. c Soz. lib. 3. cap. 10. CONCIL. ANTIOCH. SECVNDVM.

ANNO Chriſti trecenteſimo quadrageſimo quarto, Leontio atque Salluſtio Coſſ. triennio poſt Synodum Antiochiæ in Encæniis celebratam (vt Athanaſius [a] eſt auctor, cui conſentientia ſcribunt Socrates [b] & Sozomenus [c]) ab Arianis ibidem *Antiochiæ* aliud CONCILIVM eſt habitum; in quo nouam fidei formam, eamdemq; ceteris ante editis prolixiorem, ideoq; μακρόστιχον dictam cõſcripſerunt, quo ſe (vt teſtati ſunt) apud omnes Catholicorum Eccleſias, præſertim vero apud Occidentales, ab Ariana hæreſi procul abhorrere ſignificarent. Sed non tamen quod prætenderunt effecere: ſiquidem illam ad Occidentales per Eudoxium, Macedonium, atque Martyrium, ſuæ factionis Epiſcopos miſſam, ab iiſdem Occidentalibus fuiſſe penitus reiectam, iidem auctores eamdem recitantes tradunt.

II. EVSEB. PROFESSIO FIDEI REIECTA AB OCCIDENTALIB.

Sed inſulſe plane Socrates, dum ait non receptam eſſe ab Occidentalibus, quod cum linguæ Græcæ ignari eſſent eamdem minime intelligere valuerint. Quid n. tam ineptum, quam dicere in vniuerſa Occidentali Eccleſia, vel in ipſa Vrbe non extitiſſe qui potuiſſent eam fidei regulam è Græco in Latinum vertere? quaſi vero non recens eſſet exemplum de aliis quas vidimus eorumdem Orientalium litteris ad Iulium Papam ſcriptis, ab eodem perinde ac ſi Latinæ fuiſſent perſpicue cognitis & confutatis? Cur autem ea fidei formula nec Romæ nec alibi in Occidente recepta ſit, illud fuit quod (vt ex eius lectione apparet) concepta eſſet fraudulentis verborum inuolucris, lateretq; anguis in herbis. Quantumlibet enim eiuſdem concinnatores viderentur deſtruere poſitiones Arii tamen quod Filium non dicerent eſſe Patri Conſubſtantialem, quælibet ipſorum alia verba merito ſuſpecta haberi debuiſſe, ſatis demonſtrant quæ de eorum technis ſæpe dicta ſunt ſuperius. Sapientiſſime igitur Occidentales eam vt futilem, ſiue ſuperfluam, vel erroneam reiecere: quandoquidem ſi quod nitebantur oſtendere ſe eſſe vere Catholicos, & non Arianos, perſpicue perſuadere voluiſſent, haud neceſſe erat nouas toties cudere confeſſiones, ſed ſatis eſſe videbatur Nicænam formã ſuo ipſorum chirographo conſignatam mittere ad Occidentales; quos præter illam ſe nihil amplius velle curioſius exquirere profeſſos eſſe, iidem qui ſupra auctores tradunt.

III. FALLACIÆ EVSEBIANORVM.

Deniq; eoſdem Euſebianos omnia fraudulenter agere, perſpicue hoc eodem tempore cunctis apparuit, quod cum iidem ipſorum legati Mediolanum ad Conſtantem Imperatorem ſe contuliſſent, & qui ibi in Synodo conſiderent Orthodoxi Epiſcopi, ſententias Arii damnare voluiſſent; legati iſti, qui hactenus & verbis & ſcriptis ſe idipſum præſtaturos eſſe prætetulerant, continuo reſilientes, & iratis animis de Concilio exeuntes, quinam qualeſue eſſent apertiſſime demonſtrarunt: ſicut teſtatur Liberius Romanus Pontifex in epiſtola [d], quam ad Conſtantium Imperatorem poſt annos octo ſcripſit, qua & tribus illis legatis ſuperius nominatis quartum addit Demophilum item Epiſcopum Arianum. Huncque tandem finem habuit huius anni conuentus Arianorum Antiochenus, eorumdemque in Occidentem tanto apparatu miſſa legatio. Quæ vero poſt hæc geſta fuerint, dicetur inferius ſuis locis.

d Ext. in Append. ad Lucif. Calar. & to. 9. Bibl. Sanct.

IESV CHRISTI AN. 345.

CONSTANTII, CONSTANTIS AN. 9.

IVLII AN. 9.

I. a l. 5. C. Th. de exact.

ANNO Chriſti trecenteſimo quadrageſimo quinto Amantio & Albino Coſſ. datum habetur Niſibi in Meſopotamia Conſtãtii Imperatoris reſcriptum [a]: quod euidens argumentum, ipſum cum exercitu ad Perſarum fines conſediſſe. Cum autem eum multis annis aduerſus Saporem Perſarum Regem fines Romani Imperii inuadentem pugnaſſe certum ſit, vix perpauca de rebus geſtis extant poſteris tradita: quæ & ſummatim ab Eutropio [b] recenſentur, dum ait diuerſam Conſtantii fortunam fuiſſe: à Perſis enim multa & grauia perpeſſum, ſæpe captis oppidis, obſeſſis vrbibus, cæſis exercitibus: nullumque ei contra Saporem proſperum prælium fuiſſe, niſi quod apud Singaram haud dubiam victoriam ferocia militum amiſit, qui pugnam ſeditioſe & ſtolide contra rationem belli die iam præcipiti popoſcerunt. Sed breuius eadem cõplexus Oroſius [c] ait, Conſtantium aduerſus Perſas & Saporem nouem præliis parum proſpere decertaſſe. Denique apud Ammianum [d] traditur, cum aliquando ſuperatum à Perſis, deductumq; poſtremo per fugam cum paucis adhibitam, ſtationem intutam, panis fruſto vixiſſe precario ab anu quadam agreſti porrecto. En igitur quã diſpar fuerit conditio in bellis gerendis, Conſtantini parentis atq; Conſtantii! Ille enim fide Catholica roboratus, ſecumq; Catholicos Epiſcopos ducens, præuio vexillo Crucis, numquam de barbaris atq; tyrannis non rediit victor ac triumphator: Conſtantius vero tot præliis cum Perſis initis, numquam niſi victus & cum ignominia reuerſus eſt, cum ſecum duceret Epiſcopos Arianos; & inter alios, quem ſuperius memorauimus impietate notum Euſebium [e] Emiſſenum.

b Eutrop. lib. 10.

c Oroſ. lib. 7. cap. 29.

d Amm. l. 25.

COMPARATIO CONSTANTINI ET CONSTANTII IN BELLIS GERENDIS.

e Socr. lib. 2. cap. 6. Soz. lib. 3. cap. 5.

IESV CHRISTI AN. 346.

CONSTANTII CONSTANTIS AN. 10.

IVLII AN. 10.

I.

ANno Chriſti trecenteſimo quadrageſimo ſexto in Faſtis Latinis non Coſſ. nouis ex more, ſed (vt alias interdum accidit) Poſt Conſulatum Amantii & Albini, qui contigit anno ſuperiori, notatus extat; quod & veteres quædam inſcriptiones [a] confirmant. Faſti vero Græci habent hoc anno Coſſ. Conſtantium quarto & Conſtantem tertio, quibus etiam complures leges conſignatæ eſſe reperiuntur; & inter alias quæ [b] de claudendis in vniuerſis locis atque vrbibus deorum templis, & vt cuncti ſub pœna capitis à ſacrificiis abſtinerent, promulgata eſt. Quapropter hæc de eius numeri Auguſtorum Conſulatu

a Inſcript. edit. Treuir. pag. 68. a. 2.

b l. 4. C. Th. de Pagan.

ſentiens Caſſiodorus, cum ante Conſulatum Amantii & Albini collocauit.

II. CONCIL. SARDIC. A ROM. PONT. PROCVRATVM ET INDICTVM.

Hic autem ille eſt quartus annus commorationis Romæ Magni Athanaſii, quo ſe accerſitum eſſe Mediolanum ab Imperatore Conſtāte, occaſione futuræ in ipſius aliorumque Epiſcoporum ab Arianis expulſorum cauſa, *Sardicenſis Synodi*, ipſe teſtatur in Apologia ad Conſtantium ſcripta. Ceterum Iulium Romanum Pontificem fuiſſe primum auctorem eiuſmodi Concilii indicendi, idem Athanaſius ſignificat, cum ait, iam antequam ipſe Mediolanum vocaretur, quoſdam Epiſcopos ad Cōſtantem profectos ab eo poſtulaſſe, vt fratri Conſtātio de Synodo celebranda ſcriberet; inter Epiſcopos autem quos tunc apud Conſtantem fuiſſe tradit, recenſet *Vincentium* Capuanum, quem conſtat obire ſolitum legationem ab Apoſtolica Sede. Idque ipſum plane Sozomenus [c] inſinuare videtur, dum ait eumdem Iulium, quod videret nihil ſe litteris ſuis apud Epiſcopos Orientis proficere, cauſam Athanaſii & Pauli ad Conſtantem retuliſſe, huncque de ea ad fratrem Conſtantium ſcripſiſſe. Quinimmo litteris ipſius Iulii potiſſimum conuocatos eſſe ad Synodum Epiſcopos omnes, & ab eodem certam diem ad cōueniendum Sardicam fuiſſe præſcriptam, Socrates [d] aperte demonſtrat, dum teſtatur quoſdam Epiſcopos ad Concilium non veniſſe, cauſatos anguſtiam temporis à Iulio præſtituti. Sed de indictione ſatis; de ipſa vero Synodo anno ſequenti.

c Soz. l. 3. c. 9.
d Socr. lib. 2. cap. 16.

III. CONCIL. AGRIPPINENSE CVIVS FIDEI.

Hoc quoque anno, nempe poſt Conſulatum Amantii & Albini, quarto Idus Maias celebratum ponitur [e] CONCILIVM AGRIPPINENSE ſeu *Colonienſe*, aduerſus EVPHRATEM illius ciuitatis Epiſcopum, negantem Chriſti diuinitatem; qui ob eam cauſam ab Epiſcopis Galliæ qui eo conuenerunt, depoſitus eſt. Sed vel de eius damnatione, vel de tempore Synodi nonnihil dubitare compellit, quod ille ipſe Euphrates anno ſequenti reperitur ex Synodo Sardicenſi vna cum Vincentio Epiſcopo Capuano honorificentiſſima legatione functus ad Cōſtantium Imperatorem. Haud enim facile creditur, hominē qui adeo infami nota eſſet inuſtus, quantumlibet palinodiam recantaſſe dixerimus, tam breui temporis ſpatio in priſtinam ſedem reſtitutum eſſe, & inter tot alios eximios ſanctitate & doctrina viros ad eiuſmodi legationem delectum. Quod vero Trithemius [f] hanc Synodum reiiciat in annum Domini trecenteſimum ſeptuageſimum quintum, plane errare conuincitur, quod conſtet eoſdem ferme Epiſcopos qui ei interfuerunt, præſentes quoq; fuiſſe Sardicenſi; cum etſi non omnes, maiorem ſaltem partem eorum ante tempus à Trithemio definitum defunctos eſſe non ſit dubium. Sed nec recipimus quæ ad eamdem Synodum addita eſt appendix, de legatione ob imminentem graſſationem Hunnicam, à Seruatio Tungrenſi Epiſcopo mox ſuſcepta Romam ad Limina Apoſtolorum: eam enim longe poſt hæc tempora oportuit contigiſſe, cum qui ibi nominatur Exuperius Epiſcopus Toloſanus, conſtet vixiſſe imperantibus Theodoſio & filiis. Quapropter agetur de ea ſuo loco.

e To. 1. Conc.
f Trith. in Maximo ap. Sur. 18. Nouembr.

IESV CHRISTI AN. 347.

CONSTANTII, CONSTANTIS. AN. II.

IVLII AN. II.

I. CONCILIVM SARDICENSE OECVMENICVM.

ANNO Chriſti trecenteſimo quadrageſimo ſeptimo, Ruffino & Euſebio Coſſ. celebrata eſt SYNODVS OECVMENICA SARDICENSIS. Id enim, quod ad tēpus ſpectat, teſtantur inprimis Socrates [a] & Sozomenus [b], dum illud duplici chronologia conſignantes, accidiſſe tradunt ſub dictis Coſſ. & anno vndecimo (vt habet Socrates) ſiue decimo abſoluto (vt ponit Sozomenus) poſt mortem Conſtantini Magni. Ex quibus aliiſq; plurimis auctoritatibus & argumentis mendaciſſima conuincitur inſcriptio, quæ ab incerto auctore præfixa reperitur Surianæ editioni eiuſdem Concilii (neq; enim eam Creſconiana Collectio, vel aliæ antiquiores editiones agnoſcūt) qua dicitur illud habitum anno ſexto Conſtantii, Leontio & Salluſtio Coſſ. Era trecenteſima octogeſima prima. Longiuſq; viſus eſt Seuerus [c] erraſſe, dum dixit eamdem Synodum à Conſtantino Magno conuocatam, quem & tunc temporis mortuum eſſe teſtatur. Sed & errore ij lapſi ſunt, qui *Sardicam* ciuitatem eamdem eſſe putarūt cum *Sardis* quæ eſt in Minori Aſia ciuitas. Sardica enim cōfinis Illyrii, Myſiæ atque Thraciæ reperitur: nobilis ſane tunc ciuitas, in qua Conſtantinus Magnus aliquando habitarit, vt complura eius reſcripta illic data teſtantur. Quę quidem electa eſt ad Synodum ex Imperatorum conſilio, vtpote prope confinis inter Orientale atq; Occidētale Imperium, ſecundum partitionem à Conſtantino inter filios factam; cum tamen ſita eſſet in ditione Conſtantii.

a Socr. lib. 2. cap. 16.
b Soz. lib. 3. cap. 11.
c Seuer. lib. 2. hiſt.

II. NVMERVS EPISCOP.

De numero autem Epiſcoporum qui Sardicam conuenerunt, variæ ſunt diuerſorum aſſertiones: ſed illorum penitus explodendæ, qui numerant tantum eos qui hodie leguntur poſt Synodi canones; qua ratione Gratianus [d] ſexaginta ſolum interfuiſſe tradit. Theodoretus [e] ducētos quinquaginta habet: Sozomenus [f] & Socrates trecentos ex Occidente, ex Oriente ſeptuaginta ſex. At ipſe Athanaſius qui interfuit, in epiſtola ad Solitarios ait conueniſſe ex Oriente & Occidente Antiſtites numero plus minus trecentum; in Apologia vero ſecunda dum recenſet prouincias ex quibus ad Synodum miſſi ſunt Epiſcopi, plures quam trecentos conueniſſe numerat: ſed dum ipſa nomina ſingulorum Epiſcoporum recitat, ex Italia ponit ſeptuaginta octo, è Canalio Italiæ quatuordecim (Dicebantur Epiſcopi illi in Canalio conſtituti, qui ſedes haberent in curſu publico, via ſcilicet qua equi publici per ſtationes ſingulas diſpoſiti eſſent ad iter agendum; vt Imperatorum [g] reſcripta declarant) ex Gallia triginta quatuor, ex Africa triginta ſex, ex Ægypto nonaginta duos, ex Cypro duodecim, ex Palæſtina quindecim, omnes numero ducentos octoginta vnum. Ceterum quoniam aliarum complurium prouinciarum quam quæ modo recenſitæ ſunt, Epiſcopos Sardicam conueniſſe, videlicet Aſianos Thraces, Græcos, & alios Orientis, Occidentis, & Septentrionis, idem ipſe Athanaſius ſingulas prouincias nominatim enumerans, eadem Apologia teſtatur; haud omnes prædicta ſerie recenſitos eſſe Antiſtites, ac præſertim Orientalium plurimos eſſe prætermiſſos, euidentiſſime conſtat; cum & in eiuſdem Concilii epiſtolæ Synodalis inſcriptione apud Theodoretum [h], aliæ etiam prouinciæ nominentur præter illas quas Athanaſius recenſuit. Quamobrem in Socratis atque Sozomeni ſententiam eundum putamus, vt conuenerint Sardicæ Epiſcopi trecenti ex Occidente, ex Oriente ſeptuaginta ſex; iidemque omnes Catholicæ communionis: nam Arianos Synodum refugiſſe, ac ſeorſum coiuiſſe, inferius demōſtrabitur. Deſcripſerunt enim eiuſmodi numerum illi (vt Socrates profitetur) ex Sabini, qui extabat, de Synodis commentario, & ipſius Athanaſii ſcriptis, quæ tunc circa numeros correctiora legebantur. Maiorem porro numerum Epiſcoporum ad idem Concilium vocatum eſſe, ſed alios morbum, alios anguſtiam tēporis præſcripti cauſatos, apud ſedes ſuas remanſiſſe, auctor eſt idem Socrates [i].

d 16. diſt. 11.
e Theod. lib. 2. c. 7.
f Soz. & Soc. vbi ſup.
g L. 15. C. Th. de curſ. pub.
h Theod. li. 2. c. 8.
i Socr. lib. 2. cap. 16.

III. CONCIL. GENERALIVM DIFFERENTIA ET APPELLATIONES.

Quod igitur tanta celebritate conuocatum fuit, merito cenſendum eſt Cōcilium Oecumenicum. In quo monendum putamus, diuerſam reperiri de his antiquorum nomenclaturam, ab illa qua nunc vtimur. Siquidem ad ſignificandum Eccleſiæ vniuerſæ Concilium, quod dicimus *Oecumenicum*, Patres olim ſiue *Plenarium* nominare conſueuerunt, vt ex S. Auguſtino [k] conſtat; ſiue etiam *Magnum*, quo nomine Nicænum ſæpiſſime nuncupatum reperies; eademq; ratione S. Athanaſius [l] inſtar Nicæni hoc quoque Sardicenſe *Magnum* appellat. Cum vero conuocarentur Epiſcopi earum prouinciarum quæ ſub vno Primate eſſent, dicebatur *Generale*, ſicut eo nomine Athanaſius [m] appellauit Synodum ex Ægypti Epiſcopis Alexandriæ ab Oſio collectam. In Synodo vero Carthaginenſi Tertia [n] nominatur *Vniuerſale* Concilium anniuerſarium, ad quod ſingulis annis ex omnibus Africæ prouinciis Epiſcopi conuenire ſolerent: eademq; ratione ſta-

k Aug. ep. 162.
l Athan. Apol. 2. in pr.
m Id. ibid.
n Conc. Carth. III. cap. 7.

o Conc. Matiſcon. II. c. 10.

tutum [o] eſt in Gallia, vt quolibet triennio celebraretur *Vniuerſalis* Synodus: ſuntque alia de his complura exempla. Obtinuit tamen poſtea vſus, vt Concilium *Vniuerſale* idem diceretur quod *Oecumenicum*, cum & eadem ſit prope vtriuſq; vocis ſignificatio: diciturq; *Oecumenicum* ſiue *Vniuerſale*, vel quod ex vniuerſi terrarum Orbis prouinciarum Epiſcopis colligatur; vel quod licet non ex omnibus prouinciis adſint Epiſcopi, tamen in eo decernantur quæ ad vniuerſam Orbis Chriſtiani Eccleſiam pertinent. Quod igitur ex Oriente & Occidente ac Septemtrione Sardicam acceſſiti ſint Epiſcopi, & præfuerit Synodo Legatio Apoſtolicæ Sedis, actumq; in ea fuerit de rebus ad vniuerſam Eccleſiam ſpectantibus, nempe de Arianorum damnatione; nullum reſtat dubium, quin eadem *Oecumenica* dici debeat.

IV. DISCRIMINATIO ECCLESIÆ ORIENTALIS ET OCCIDENT.

Sed & quod frequentiſſime in his Annalibus, & apud antiquos ſcriptores Eccleſiaſticos, occurrat mentio Epiſcoporum *Orientalium* & *Occidentalium*; ne quis putet Patres, & nos cum illis errore labi, cum interdum quæ Meridiei potius, vel etiam Septemtrioni aſſignandæ eſſent prouinciæ, inter Orientales legi contingat adnumeratas, & Occidentales item dici, quæ ſpectant ad Meridiem & aduerſum illi Borealem partem: illud ſemel admonendum putamus, diſtinctionem eiuſmodi non quidem ex ſitu Orbis ſecundum exactam Coſmographorum deſcriptionem fieri, ſed pro ratione partiti Romani Imperii: ita vt quæcumque ſub Orientali Imperio eſſent, *Orientales*; quæ vero ſub Occidentali, *Occidentales* dicerentur.

V.

p Athan. Apol. 2.

q 16. diſt. 11.

CELEBRIORES EPISCOPI CONCIL. SARDIC.

r Soz. lib. 3. cap. 11.

Miſſos autem eſſe Legatos Sardicam à Iulio Romano Pontifice, *Archidamum* & *Philoxenum* presbyteros, teſtatur Athanaſius [p] qui Synodo interfuit; cui multo magis credendum putamus, quam Gratiano [q] recenſenti Vincentium Epiſcopum Capuanum, Ianuarium Beneuētanum, & Calepodium Neapolitanum. Quod ſiquis ex Epiſcopis qui Concilio interfuerunt, Apoſtolicæ Sedis Legatus putandus eſt; *Oſius*, Cordubenſis potius dicendus, quem eodem munere functum vidimus in Magna Nicæna Synodo, quemq; inter Epiſcopos Sardicēſis cōuentus idem Athanaſius primo loco ponit vna cum *Protogene* Epiſcopo Sardicenſi: nam & Sozomenus [r] hos principem locum inter Epiſcopos Occidentis tenuiſſe tradit. Porro Oſium egiſſe patronum Synodi (cuius muneris erat definienda proponere, atque ſingulorum rogare ſententias) tum ex rebus geſtis apparet, tum ipſe Athanaſius aliique affirmant. Inter ceteros autem celebres Epiſcopos, interfuerunt eidem Synodo *Maximus* Hieroſolymitanus *Paphnutius* & *Spiridion* Confeſſores, de quibus dictum eſt ſuperius, atque *Serapion* inſignis ille Thmuis Epiſcopus; & ex Italia *Protaſius* Mediolanenſis, ac *Seuerus* Rauennas; ex Gallia *Maximinus* Treuerenſis, *Seruatius* Tungrenſis, *Simplicius* Auguſtodunenſis, & alii plurimi ſanctitate illuſtres.

VI. QVID ARIANI SARDICÆ EGERINT.

Qui vero ex Arianis ob ſcelus magis famoſi Sardicam venerunt, potius quam ad Concilium conuenerunt numerantur in eiuſdem Concilii epiſtola Synodali, Theodorus Heracleæ, Narciſſus Nerodiadis Ciliciæ, Stephanus Antiochiæ, Georgius Laodiceæ, Acacius Cæſareæ Palæſtinæ, Menophantes Epheſi, Vrſacius Singidonis Myſiæ, & Valens Murſi Pannoniæ. Traditurq; ibidem, iſtos in itinere ſeparatim inter ſe Concilium coegiſſe, ac pactos eſſe nequaquam ſe vel ad iudicium acceſſuros, vel in Synodum intraturos; ſed mox vt Sardicam peruenifſent, tamquam officio ſuo perfunctos, quamprimum inde receſſuros. Additque Athanaſius [s], eos fiducia quorumdam Comitum quos ſecum duxerunt fretos, audacter ſeſe obtuliſſe, ſperantes eorum viribus iterum poſſe cuncta confici, ſed cum cernerent omnia Eccleſiaſtico more geri, cauſæ ſuæ diffidentes, & damnationem metuentes, conſilio ſimul inito, turpem excuſationem fingentes, quaſi Imperator ipſis triumphalia de Perſis per litteras ſcripſiſſet, fugam adornaſſe, & impudenter hanc cauillationem per vnum presbyterum Eccleſiæ Sardicenſis Synodo renunciaſſe: Oſio vero patrono Synodi illis ſignificante, vt aut occurrerent reſponſuri de ſuis in alios, & de aliorum in ipſos criminibus; aut certo ſcirent, ſe pro reis à Synodo condemnandos, & Athanaſium cum ſuis vt puros ab omni crimine abſoluendos; eoſdem Arianos maiori conſcientiæ metu anxios, ne ad reſpōdendum quidem auſos ſe reflectere, ſumma intentione fugam rapuiſſe. Hæc Athanaſius.

s Athanaſ. Apol. 2. & ep. ad Solit.

VII. ATHANASIVS ABSOLVITVR ARIANI DAMNANTVR.

Idem vero rem in Synodo poſt hęc geſtam de ſui ipſius abſolutione, & condemnatione Euſebianorum, ſummatim complexus, ait cognita Arianorum malitia, permiſſum fuiſſe ipſi Athanaſio cum ſuis, vt cauſam diceret tum de calamitatibus ſuis, tum de calumniis quas paſſi eſſent; auditiſq; eorū rationibus, innocentes pronunciatos eſſe, ac ſedibus ſuis reſtitutos; eorū vero accuſatores (nempe eoſdem illos Epiſcopos Arianos nuper receſſitos) damnatos atq; depoſitos eſſe; ſed & Gregorium pſeudoepiſcopū Alexandrinum iudicatum fuiſſe indignum qui Chriſtianus appellaretur, eiuſdemq; acta omnia & ordinationes quaſcumq; penitus reſciſſas eſſe. Hęc (vt diximus) ſummatim Athanaſius de iudicio Sardicenſi: quæ narrantur diffuſius cum in litteris Synodalibus ab eodem Cōcilio ſcriptis ad Iulium [t] Romanum Pontificem & ad Eccleſiam [u] Ægypti, tum maxime in Circulari epiſtola [x] ad cunctas vbiq; poſitas Catholicorum per Orbem Eccleſias exarata: quæ omnes adhuc ſuperſunt; exciderunt vero, quas miſſas eſſe ad Imperatores Conſtantium & Conſtantem eſt mentio in epiſtola ad Iulium. Aliis autem, ac præcipue Circulari docetur, in his omnibus obſeruatum eſſe legitimum iudicium Eccleſiaſticum; & neq; Athanaſium abſolutum eſſe niſi poſt accuratam eius innocentiæ cognitionem; neq; Arianos damnatos, niſi poſt exacte perſpectas illorum calumnias fallaciaſq;, & poſtquam ſæpius legitime citati, prorſus iudicio ſe ſiſtere recuſaſſent: ſed & abſoluto iudicio Athanaſii, cauſam quoq; Marcelli Ancyrani & Aſclepę Epiſcopi Gazæ expoſitam eſſe & examinatam; ipſoſq; pariter innocētes repertos, abſolutos eſſe ac ſedibus ſuis reſtitutos, ſecundum Iulij Papæ ſententiam iam antea (vt vidimus) Romæ latam.

t Ext. inter Hilar. frag. lib. 2.
u ap. Athan. Apol. 2.
x ap. Athan. ibid. & ap. Theod. lib. 2. c. 8.

VIII. CAVSA ASCLEPÆ GAZENSIS EPISC.

y Theod. lib. 1. c. 29. ad fin.

z Soz. lib. 3. cap. 7.

Porro de Arianorum in Marcellum accuſationibus ſatis ſuperius dictum eſt. Aſclepas autem cum aliquando coiſſet cum illis ante Nicænum Concilium, ac poſt illud celebratum Catholicam fidem profeſſus eſſet; eam ob rem ab Euſebianis in eum exacerbatis, in Conuenticulo Tyrio (vt ſcribit Theodoretus [y]) prauæ doctrinæ accuſatus eſt: verum in Conuentu Antiocheno (vt eadem Circulari epiſtola traditur) cauſa cognita innocēs ab Epiſcopis iudicatus, cum rurſum ab eiſdem Euſebianis exagitatus, & de altaris euerſione (vt ſcribit Sozomenus [z]) accuſatus, ſedeq; ſpoliatus, Romam confugiſſet ad Iulium Papam; iterum Actis contra eum diligenter inſpectis, & calumniis aduerſariorum perſpicue patefactis (quod ſuperius diximus) idem innoxius ac dignus communione Catholica ab eodem Romano Pontifice declaratus eſt; cuius ſententiam Synodus confirmauit. Addunt vero Socrates [a] & Sozomenus [b], Paulum quoque Epiſcopum Conſtantinopolitanum vna cum Athanaſio eidem Synodo interfuiſſe, Arianos autem Epiſcopos fuiſſe hos adeo deteſtatos, vt iis à Synodo in communionem ſuſceptis, noluerint Concilio cum aliis præſentes eſſe. At Theodoretus [c] ait, Paulum vetitum fuiſſe à Catholico populo Conſtantinopolitano Sardicam progredi, quod ſciret paratas illi eſſe inſidias ab Arianis: quod & verius putamus, cum in prædictis epiſtolis Synodalibus nullam penitus de Paulo, ſicut de ceteris Epiſcopis ab Arianis accuſatis & à Synodo abſolutis, verbum habeatur.

a Socr. lib. 2. cap. 16.
b Soz. lib. 3. cap. 10.

c Theod. lib. 2. c. 5.

IX.

d Athan. Apol. 2.
e Theod. lib. 2. cap. 8
f Soz. lib. 3. cap. 11.
g Athan. ad Antioch.

APPENDIX COMMENTITIA DE FIDE

Ceterum quæ apud Athanaſium [d] deſcripta eſt epiſtola Encyclica Concilii Sardicenſis, apud Theodoretum [e] aucta reperitur appendice, nempe tractatione ſeu regula Catholicæ fidei, quam etiam Sozomenus [f] agnoſcere videtur. Sed eam aliunde ſuperadditam eſſe, Athanaſius [g] aperte docet, dum diſertis verbis affirmat, in Concilio Sardicenſi nullā prorſus editam Catholicæ fidei regulam, nec priorem Nicænam permiſſam eſſe vel vno verbo aut apice augeri, aut quouis prætextu explanari; ſed & contra eos qui id cōtenderent, à Patribus declaratum fuiſſe con-

tentos

SARDICAE TRACTATA.

centos ſe eſſet Nicænæ fidei Symbolo; decretoque Synodi ſancitum, ne quid vlterius de fide ſcriberetur, ne fidei profeſſio Nicæna ſuos numeros non habere videretur, neue illis quibus libido eſſet ſemper noua ſtatuere, occaſio inde ſuppeditaretur iterum atque iterum de fide definire: denique ſiquid eiuſmodi, tamquam ex Synodo Sardicenſi proferretur, penitus ſpuriũ eſſe. Hæc Athanaſius. Ex quibus etiam erroris conuincitur Vigilius [h] Epiſcopus Tridentinus, dum agens contra Eutychen affirmat ſepté capitula ad fidem ſpectantia, poſt illa quæ Nicææ ſtatuta eſſent, in Sardicenſi Concilio fuiſſe addita. Sed iſta forte tum ipſe tum alii hauſerunt ex profeſſione Arianorum, lata nomine Synodi Sardicenſis, de qua dicetur paulo poſt.

h Vigil. cont. Eutych. l. 5.

X.

i Theod. l. 2. c. 16.

Quod vero ad Acta legitimæ Synodi Sardicenſis attinet; in dialogo Liberij Papæ cum Imperatore Conſtantino, qui recitatur à Theodoreto [i], ab eodem Liberio aſſeritur, Theognidem, Theodorum, Marem, Valentem, & Vrſacium, Epiſcopos Arianos, in eodem Concilio libellos ſupplices dediſſe, poſtulaſſeque veniam pro eo quod commentarios vnius partis ſuffragiis per calumniam contra Athanaſium in Mareote confeciſſent. Sed hæc cum non extent in ſuperius citatis Synodi epiſtolis, in quibus omnia quæ in cauſa Athanaſii eatenus eſſent geſta narrantur; in eam imus ſententiam, vt hæc poſt illas datas contigerint. Potuit autem perfacile accidiſſe, vt iidem Ariani Epiſcopi cum aliis ſuæ ſectæ diſſidentes, eiuſmodi libellum ad Synodum miſerint, aut etiam ipſimet Sardicam acceſſerint: cum & de Valente atque Vrſacio liqueat, id genus alias (vt ſuo loco videbitur) Romano Pontifici obtuliſſe libellos, ſæpe pœnitentes, & in errorem iterum relabentes. Quinimmo & ipſum Conſtantium Imperatorem in hac eadem Synodo Sardicenſi, necnon in Sirmienſi poſtea celebrata, *Subſtantiæ* nomine approbato, pium ſe Occidentalibus mentitum eſſe, Hilarius [k] contra ipſum agens exprobrat.

k Hilar. cont. Conſt.

XI.

l Epiph. hær. 71.

PHOTINI DAMNATIO IN SYNODO.

m Seuer. l. 2. hiſt.

Quod autem Epiphanius [l] ſcribit, in eodem Concilio Sardicenſi damnatum ac depoſitum fuiſſe PHOTINVM Epiſcopum Sirmienſem hæreſiarcham, qui Chriſtum ſolum hominem aſſerebat, & ante Mariam extitiſſe negabat, putatur errore lapſus, & loco *Sirmienſis* poſuiſſe Synodum *Sardicenſem*: ſicut & Seuerus [m], dum ait eumdem Photinum iam etiam antehac hæreſeos damnatum, Sardicæ iteratam damnationis ſententiam accepiſſe. Verum quod Epiphanius id de prædamnatione Photini in Synodo Sardicenſi, & iterata eiuſdem damnatione in Sirmienſi, ex ipſis Sirmienſib. Actis ſe accepiſſe profiteatur; haud facile concedendum putamus, eum in eiuſmodi narratione hallucinatum eſſe. Certe quidem Photini hæreſim ante hæc tempora iam palam factam eſſe, fidem facit profeſſio [n] fidei ſcripta iterum ab Euſebianis in poſteriori Concilio Antiocheno ante triennium celebrato, in qua ſicut *Marcelliani*, ita & *Photiniani* taxantur hæretici; licet apud Athanaſium cum eadem recitatur, loco *Photini* legatur *Scotini*, velut alias ſæpe apud aliquos etiam. Fuiſſe autem Photinum Marcelli diſcipulum conſtat, eumdemque ingenii viribus florentem, doctrina & eloquio præpotentem, linguarumque cognitione excellentem extitiſſe, Epiphanius & Vincentius [o] Lerinenſis tradunt. Sed de eius erroribus plura inferius in Synodo Sirmienſi. Interim vero corrigendus Epiphanius, quod ait eum à Sirmio originem duxiſſe, quem conſtat fuiſſe quidem Sirmienſem Epiſcopum, ſed natione Galatam ex vrbe Ancyra, quam monſtrorum eiuſmodi feracem exſtitiſſe, S. Hieronymus [p] tradit.

n ap. Socr. l. 2. c. 15. & Athan. de Synod.

o Vinc. Lerin. c. 16.

p Hier. præf. in comment. ep. ad Gal.

XII.

CANONES CONCILII SARDICENSIS.

Ceterum poſtquam in Synodo Sardicenſi diuerſorum Antiſtitum cauſæ tractatæ ſunt; vltimo loco ſecundum diuerſas Epiſcoporum ſuggeſtiones, rogante Oſio Synodi patrono ſententias Patrum, Canones viginti vnus ſanciti ſunt ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantes, quam Ariani pluribus modis conuellerent. Et quod maxime pertinet ad Romanæ Eccleſiæ dignitatem, quoniam iidem Ariani adeo indigne ferebant condemnatos à ſe Epiſcopos, per Iulium Papam abſolutos eſſe, & ſedi priſtinę reſtitutos; ſtatutum [q] eſt à Patribus, vt ſi quis in iudicio comprouincialium Epiſcoporum ſe iniuſte damnatum putaret, liberum ei eſſet prouocare ad Romanũ Pontificem, qui vel iudicata confirmaret, vel denuo eamdem cauſam cognoſceret. Sed & quod pendente coram Iulio eorumdem Epiſcoporum cauſa, Euſebiani in eorum locũ alios ſubrogaſſent; additum eſt decretum [r], ne liceret aliquem ſufficere in locum damnati Epiſcopi, dum ille qui Romanum Pontificem appellaſſet, eius expectaret ſententiam. Ruſumque inculcatum eſt [s] de Epiſcopis depoſitis, appellantibus ad Romanum Pontificem, vt ei liberũ eſſet vel cauſam delegare finitimis Epiſcopis, aut è latere presbyteros in prouinciam mittere. Ac deniq; de proficiſcentibus ad Comitatum (ad Curiam ſcilicet, vbi ageret Imperator) ſtatutum [t] eſt, vt ſi eos in Vrbem venire cõtingat, Romano Pontifici libellos precum Imperatori offerendarum aperirent; qui cuncta prius examinaret, & ſi digna ſibi viſa eſſent, ea curaret ad Comitatum perferenda. Reliqui vero eiuſdem Synodi canones fere pertinent ad rite peragendas Epiſcoporum ac clericorum ordinationes, ac cohibendas eorumdem translationes & diuagationes in alias ſedes & prouincias, necnon ad pręſtandam reſidentiam in Eccleſiis ſuis.

q Conc. Sard. c. 4.

r Ibid. c. 4.

s Ibid. c. 7.

t Ibid. c. 10.

XIII.

ACTA CONCILII EDITA GRÆCE ET LATINE.

u Theodor. Balſ. in Nomoc. Photii.

Quod autem in Latina editione eiuſdem Synodi legitur, eidem ſubſcripſiſſe Epiſcopos centum viginti vnum, deſideratur in Græcis exemplaribus quæ extant apud Theodorum [u] eiuſdem Synodi canonum interpretẽ, qui trecentos quadraginta vnum Epiſcopos Sardicæ conueniſſe, & iſta decreuiſſe teſtatur: deeſt tamen in Græcis exemplaribus canon decimus octauus. Auctorque eſt Dionyſius cognomento Exiguus in Epiſtola ad Stephanum Papam quæ extat in Collectione Creſconiana, ipſum Sardicenſe Concilium à principio inter Latinos Latine editum eſſe. Verum & Græce quoque ſcriptum à Græcis, teſtatur Nicolaus Romanus Pontifex in epiſtolis ad Photium Conſtantinopolitanum ſcriptis: qui quod ſentiret ſuam ipſius ordinationem ex canone decimotertio eiuſdem Concilii labefactari, prohibente nequis ex laico ad Epiſcopalem ſedem abſque diuturno in quolibet inferiore gradu exercitatione promoueretur; negabat veteratorie, in Oriente reperiri canones Sardicenſes, quos tamen ipſemet in ſuo Nomocanone honoris cauſa crebro inter primos intexuit

XIV.

x Seuer. l. 2. hiſt.

CALVMNIA ARIANORVM ADVERSVS SYNODVM.

Sciendum vero, hanc Synodum [x] haud leuem paſſam eſſe ab Arianis calumniam, quod abſoluerit Marcellum Epiſcopum Ancyranum, qui iam antea ab iiſdem Arianis damnatus hæreſis Sabellianæ, poſtea quoque eadem cenſura perculſus eſt ab Athanaſio. Verum cum ex iis quæ de illo dicta ſunt ſuperius, & quæ habentur in epiſtola Synodali Concilii Sardicenſis, manifeſtum reddatur hactenus illum inter Catholicos rectam fidem profeſſum eſſe; nullum plane faciendum eſt negotium vel Iulio Papæ qui eũ primo ſecundum ea quæ in publicum iudicium delata eſſent abſoluit, vel Synodo Sardicenſi quæ Iulii ſententiam itidem ſecundum Acta edita confirmauit; ſiquid poſt ea Marcellus impie ſcripſit, vel quod impie antea crediſſet, vel etiam ſcripſiſſet, ita occultauit vt minime Catholicis eſſet cognitum. Ceterum qui cuncta Marcelli accuratiſſime perſcrutatus eſt Epiphanius [y], affirmat de eo varias fuiſſe diuerſorum ſententias; & quoſdam quidem aſſeruiſſe eum vere Sabellianum extitiſſe, alios vero ſemper eum recte ſenſiſſe, aut certe ſi aliquando hæreſim docuiſſet, eam poſtea emendaſſe. Sed non modicam Marcello inuſſit notam *Photini* eius diſcipuli execranda impietas, de qua nuper diximus; & quod eiuſdem poſtea diſcipuli (vt idem teſtatur Epiphanius [z]) tres in Trinitate ſubſiſtentias confiteri minime voluerunt. Vnde & factum eſt, vt ipſius quoq; Marcelli nomẽ peſſime apud poſteros audierit, ac in eumdem tamquam hæreticum Baſilius [a] & Hilarius [b] declamauerint; coniunxeritque Chryſoſtomus [c] Photino atq; Sophronio, qui Verbum ab humanitate Chriſti ſeparabant: ſicut & Theodoretus [d] eamdem ei tribuit hæreſim, & alii omnes recentiores.

y Epiph. hær. 72.

z Id. hær. 72.

a Baſil. ep. 52. ad Athan.

b Hilar. l. 7. aduer. Arian. & ap. Hier. de Script. Eccl. in Marcel.

c Chryſ. tom. 6 in ep. ad Philip.

d Theod. hær. fab. l. 2.

XV.

Sed grauiorem paſſa eſt Synodus Sardicenſis iacturam,

ARIANI VSVRPANT NOMEN CONCILII SARDIC.

ex eo quod cum Ariani Sardica regreſſi ſeorſum egiſſent Conciliabulum, idem Sardicenſis Concilii nomine honeſtaſſent; fauore Imperatoris Conſtantii factum fuerit, vt illud tantum Sardicenſe Concilium omnibus in locis peruulgaretur, quod confectum conſtaret ab Arianis. Vnde & multi nec in aures nomen Concilii Sardicenſis admittentes, ipſum omnino execrati ſunt. Iidem namque Ariani Sardica (vt vidimus) fuga lapſi, Philippoli in Thracia conſiſtentes, ſeparatim per ſe (inquit Sozomenus [c]) in vnum coacti, ſtabilitis antiquis decretis ſuis de Athanaſio, Paulo, Marcello, & Aſclepa, inprimis Iulium Epiſcopum Romanum, quod primus omnium cum eis communicaſſet, deinde Oſium, Maximum Treuirenſem, Protogenem Sardicenſem, & Gaudentium, eadem de cauſa abdicarunt; idque per litteras omnibus Epiſcopis ſignificarunt, quo ab eorum communione abſtinerent: ſed & fidei formulam promulgarunt, quæ vt nullam vocis Conſubſtantialis faciebat mentionem, ſic eis communione Eccleſiæ interdicebat, qui dicerent tres Deos eſſe, aut Chriſtum non eſſe Deum, aut Patrem & Filium & S. Spiritum eumdem eſſe, aut Filium ingenitum, aut fuiſſe tempus quando non erat. Hæc Sozomenus. Sicque hic primũ furor hæreticæ prauitatis, terminos omnes præſumptæ ab aliis temeritatis exceſſit; dum auſa eſt Ariana procacia illud nefas in Romanum Pontificem, quód vel cogitare quælibet execranda hæreſis; licet ab eo abdicata, hactenus ſibi inconceſſum putauit.

c Zoz. l. 3. c. 10.
CONCILIABVLVM DICTVM SARDIC.
ARIANI PRIMVM AVSI EXCOMMVNICARE ROM. PONT.

XVI.

Sed & quod alia furore inſanientes, alia vero dolo fallentes, in ſuo ipſorum conuenticulo perpetrarunt; nouam ibi poſt quatuor alias ante ab eis editas, cudentes fidei regulam; deforme monſtrum honeſto Sardicenſis Concilii nomine decorarunt. Extat [f] namque hactenus illa epiſtola Synodalis, quam ab illis ex eodem Conciliabulo ad omnes Eccleſias, de Iulii & aliorum abdicatione ſcriptam tradit Sozomenus: quæ cum habeat in fine illam ipſam fidei formulam cuius argumentum idem auctor deſcripſit, eadem tamen nomine Sardicenſis Synodi inſcripta legitur. Sicut & iidem Ariani in alia epiſtola [g] Synodali ex conuentu Ancyrano ab eis poſtea celebrato, recenſentes Synodos à ſe diuerſis locis & temporibus actas & quid in ſingulis geſtum eſſet; aperte profeſſi ſunt ſe fidei formulam Sardicæ edidiſſe; cum tamen Athanaſii quam vidimus teſtificatione omnino conſtet, nullam penitus Sardicæ factam eſſe Catholicæ fidei formulam. Vt iam nulla poſſit eſſe dubitatio, impoſtores qui Philippis hoc anno conuenerunt, eam quam ſcripſerunt edidiſſe nomine Synodi Sardicenſis. Nam & quæ extat apud Hilarium [h] eiuſdem Synodi nomine inſignita, eadem ipſa eſſe cognoſcitur quæ prædicta Arianorum epiſtola continetur, qua quidem licet à profeſſione Nicęna deflexerint, non recipientes nomen Conſubſtantialitatis in Filio Dei; tamen quod (vt ab hæreſi Ariana ſe abhorrere monſtrarent) poſitiones quaſdam Arij damnauerunt, ex eo id lucri apud nonnullos conſecuti ſunt, vt SEMIARIANI fuerint nominati; ſicut pluribus declarat Epiphanius [i], diceturque à nobis inferius.

f Ext. inter Hilar. frag.
SARDIC. CONCILII NOMINE EDITA NOVA ARIANOR. FIDEI PROFESSIO.
g Ext. ap. Epiph. hær. 73.
h ap. Hilar. de Synod.
SEMIARIANI HÆRETICI.
i Epiph. hær. 73.

XVII.

Cum igitur eadem Arianorum Synodalis epiſtola pſeudoconcilii Sardicenſis, miſſa quoque eſſet in Africam ad Donatum Carthaginenſem Epiſcopum Donatiſtarum, vt cum Ariani ſibi conciliarent (ſiquidem Gratus [k] eiuſdem ciuitatis Epiſcopus Catholicus, interfuit legitimæ Synodo Sardicenſi vna cum aliis triginta quinque Epiſcopis Africanis) ac inde poſteriores Donatiſtæ probare niterentur ipſos cum Orientalibus fuiſſe communione coniunctos: aduerſus eos diſputans Auguſtinus [l], abſolute excepit Sardicenſe Concilium Arianorum fuiſſe; idque duobus potiſſimum argumentis, primo quidem quod in eo Iulius Romanus Pontifex legeretur eſſe damnatus, ſecundo vero quod litteræ Synodales ab eo datę legerentur ſcriptæ ad Epiſcopum Carthaginenſem, non autẽ, vt moris erat, ad Romanum Pontificem, quibus intelligas, male audiſſe apud antiquos SS. Patres quicquid contra Romanum Pontificem dictũ factumue legeretur. Porro ſicut Auguſtinum non feſellit, illum ipſum ex quo eiuſmodi litteræ datæ erant fuiſſe Arianum conuentum, Sardicenſem ab ipſis nuncupatum: ita ſatis liquet eumdem prætериiſſe legitimum Sardicenſe Concilium, cũ nec tunc neceſſariam adhibuerit diſtinctionem quodnam germanum quodue ſpurium fuerit, nec vſquam alibi meminerit aliquando legitimi. Quod equidem admirari non deſino, cum non ſolum (vt dixi) Gratus Carthaginenſis cum aliis triginta quinque Africanis Epiſcopis, eidem legitimę Synodo præſto fuerit; ſed & in primo Concilio [m] Carthaginenſi anno ſequenti coacto, idem ipſe Gratus mentionem fecerit illius canonum. Quamobrem exiſtimamus vel ex tot tantiſque inuaſionibus atque graſſationibus à Donatiſtis aduerſus Catholicos ſæpe conflatis, vel alio aliquo caſu nobis incomperto, canones Sardicenſes in Africa penitus excidiſſe, ipſumque Primum Carthaginenſe Concilium Auguſtini tempore latuiſſe.

k Athan. Apol. 2.
l Aug. 3. cont. Creſ. 34. & ep. 163. ad Eleuſ.
CONCIL. LEGITIMVM SARDIC. PASSVM IACTVRAM IN AFRICA.
m Conc. Carthag. c. 5.

XVIII.

Sed quod nos in maiorem admirationem adducit, quomodo accidit vt Zoſimus & Bonifacius Romani Pontifices in diſcordia Africanorum Epiſcoporum cum ipſis; de qua dicetur ſuo loco, Sardicenſes canones citauerint nomine Synodi Nicænæ; cum præſertim nulla in his de dolo malo poſſet eſſe ſuſpicio, quod vtrumque Concilium Oecumenicum fuerit, & æque ex hoc atque illo neceſſario conuincendi fuiſſent Africani Epiſcopi? Alterum igitur de duobus contigiſſe oportuit: vel quód Concilium Nicænum & Sardicenſe pro vno & eodem haberentur, tum quod plerique ex Patribus in vtroque Concilio interfuerunt, tum quod nihil noui quoad fidem in Sardicenſi definitum eſt, ſed ſolùm Nicæna Fides confirmata, cum in aliis Conciliis ſemper nouæ hæreſes damnatæ fuerint: vel quod in codice Bibliothecæ Romanæ, aliquis canonum collector; quod ſciret nomen Concilij Sardicenſis ab Arianis eſſe magnopere infamatum, eiuſdem canones collocaſſet abſque titulo ſub Nicænis. At de his modo hactenus.

CONIVNCTI CANONES NICÆNI CVM SARDIC.

XIX.

Miſſi vero ſunt demum ex eadem Synodo Sardicenſi ad Conſtantium Imperatorem tunc agentem Antiochię, Legati vt ſecundum decreta Synodi ipſe quos eiecerat Epiſcopos ad ſuas Eccleſias reuerti pateretur: delectis ad hoc munus *Vincentio* Epiſcopo Capuano, legatione olim Sedis Apoſtolicæ in Concilio Nicæno, dum adhuc presbyter eſſet, magna laude perfuncto, & *Euphrate* Agrippinenſi, de quo ſuperius: quos quidem ab ipſa S. Synodo directos eſſe, Athanaſius [n] qui aderat teſtatur; licet Theodoretus [o] à Conſtante Imperatore miſſos ſcribat, eiſdemque additum *Salianum* Ducem. Sed putamus à Synodo (quod dicebat) duos illos Epiſcopos legatos eſſe; ab Imperatore autem Conſtante Salianum. Quæ vero ab eis geſta ſint, dicetur anno ſequenti.

LEGATI SYNODI AD CONSTANTIVM IMP.
n Athan. ep. ad Solit.
o Theod. l. 2. c. 8. ad ſi.

IESV CHRISTI AN. 348.

IVLII AN. 12.

CONSTANTII CONSTANTIS AN. 12.

I.

ANNO Chriſti trecenteſimo quadrageſimo octauo, Flauio Philippo & Flauio Sallea Coſſ. Ariani Epiſcopi qui fuerant à S. Synodo Sardicenſi exauctorati, cum ad propria remeaſſent ſcelera ſceleribus addentes, quamplurimos vbique Epiſcopos Orthodoxos ipſis aduerſantes exilijs contumelijſque affecerunt, opera Conſtantij Imperatoris ad omnia quæ ipſi vellent promptiſſimi; curaueruntque vt portus & introitus ciuitatum obſeruarentur, ne quibus à Synodo conceſſus erat reditus ad Eccleſias ſuas pateret. Sed & quod in ipſorum Arianorum regreſſu Hadrianopolitani aduerſati eſſent eorum communionem, vt fugientium à Synodo & noxiorum; re ad Imperatorem delata, effecerunt vt plurimi è nobilioribus ciuibus capite plecterentur. Tantuſque eorum vbique terror extitit, vt multos coegerint ad ipſorum hæreſeos ſimulationem, multique alij maluerint in eremum fugere quã in illos incidere. Narrat hæc ſummatim Athanaſius [a] *Hadrianopolitanorum* vero martyrum tunc occiſorum, nec

ARIANORVM SCELERA POST CONCIL. SARDIC.
a Athan. ep. ad Solit.

Digitized by Google

Episcopi martyres et confess.

non *Lucij* eorum Epiſcopi ab iiſdem Arianis poſtea in exilio mori coacti, aliorumque nonnullorum Antiſtitum quos eadem paſſos Athanaſius tradit, dies natales anniuerſaria commemoratione in Eccleſia Catholica celebrantur.

II. Legati Synodi quid passi Antiochiæ.

His autem recenſitis, idem Athanaſius pergens narrare quæ in ipſos etiam Vincentium & Euphratem Epiſcopos, legatos à S. Synodo ad Imperatorem Antiochiam miſſos, iidem impii Ariani auſi fuerint; ait Stephanum Antiochenum Epiſcopum Arianum conſilio cum aliis inito in ipſis feriis ſanctiſſimi Paſchatis, conductam publicam meretricem per quoſdam ſuos clericos alioſque facinoroſos homines noctu immiſiſſe in cubiculum Euphratæ, quo tum ei, tum collegæ Vincentio crimen adulterii intentarent: ſed meretricem fraudis inſciam cum putaret ſe ad iuuenẽ duci, viſo ſene Epiſcopo clamorem ediſſe; eoque detectos facinoroſos & ad iudicium raptos; prodito auctore ſceleris Stephano, hunc iuſſu Imperatoris ab Epiſcopis qui tunc Antiochiæ reperti ſunt abdicatum eſſe, & b Eccleſia penitus expulſum. Hæc paucis Athanaſius; quibus nonnulla addit Theodoretus, rẽ diffuſius narrans. Ambo vero queruntur, non ideo Eccleſiam Antiochenam Ariana labe liberatam eſſe; quippe quod in Stephani locum ſuffectus fuerit *Leontius* caſtratus, genere Phryx, homo nequiſſimus & verſutiſſimus, de cuius ſpontanea abſciſione dictum eſt in Concilio Niceno; ob quam nec ad laicam communionem admittendum fuiſſe, idem Athanaſius aduerſus Arianos proclamat.

b Theod. li. 2. c. 9.

III.

Porro Conſtantius (vt iidem auctores ſubdunt) pauliſper ad ſe rediens coniectura eorũ quæ aduerſus Euphratam deſignata fuerant, conſimiles eſſe Arianorum in alios calumnias arbitratus, Alexandriam ſcripſit, ne vlterius Athanaſium aut ei adhærentes clericos laicoſue perſequerentur; ipſumque Athanaſium crebris litteris accerſiuit. Sed accerſio Athanaſii ad annum ſequentem pertinet: cum interim ipſe (vt alibi c teſtatur) poſt Concilium Sardicenſe Naiſſum ſe recipiens, inde à Conſtante Imperatore euocatus, confecto itinere per reliquum tempus Aquileiæ hæſit, vbi litteræ Conſtantii eum deprehenderunt. Quod vero decem menſium moras (nempe, vt ipſe Athanaſius ſcribit, vſque ad obitum Gregorii pſeudoepiſcopi Alexandrini) traxerit Conſtantius reſtituendi Athanaſii; planè arguit, minaces illas litteras, quas Theodoretus d, Socrates e, & Sozomenus f tradunt Conſtantem miſiſſe ad fratrem Conſtantium, quibus minatus eſt niſi Athanaſium & Paulum Eccleſiis ſuis reſtitueret, ſe eo acceſſurum, & inuito ipſo eos in ſuas ſedes introducturum; nõ ſtatim poſt Sardicenſe Concilium, ſed poſt Conſtantii prolixas moras eſſe conſcriptas. Quibus ille tandem impulſus, non ſolum paſſus eſt Paulum Conſtantinopolim redire, ſed & ipſum Athanaſium adhuc ſibi metuentem, litteris ſæpius iteratis in Orientem accerſiuit: qua de re dicetur anno ſequenti.

c Ath. Apol. ad Conſt.

Constans imp. curat restitutionem Athanasii et Pauli.

d Theod. l. 2. c. 9. e Socr. l. 2. c. 18. f Soz. l. 3. c. 19.

IV. Concil. Carth. dictum primum.

Hoc eodem anno, vel ſequenti, habita eſt Synodvs Carthaginensis, occaſione legationis à Conſtante Imperatore in Africam miſſæ per Paulum & Macarium VV. CC. ad vniendos Donatiſtas Eccleſiæ Catholicæ. Suntque hæc illa tempora *Macariana* (ſic denominata ab altero Legatorum) quorum frequens eſt mentio tum apud Optatum & Auguſtinum, tum etiam apud ipſos Donatiſtas. Sed perperam in veteri Conciliorum editione ponitur ea Synodus tempore Syluestri vel Marci Papæ, & ſub Imperio Conſtantini; cum legationem Macarii, ipſaque Macariana tempora contigiſſe ſub Cõſtante Auguſto, frequentius iidem Optatus & Auguſtinus inculcent. Et quod ex præfatione indita eidem Synodo, conſtet eodem anno quo ea eſt habita miſſos eſſe dictos legatos Paulum & Macarium; rurſumque exploratum habeatur, eamdem Synodum celebratã eſſe poſt Sardicenſem, cuius in ea fit mentio g; ac denique certum ſit, Conſtantem Imperatorem poſt annum ſequentem ipſo eius exordio necatum eſſe: ex his omnibus neceſſe eſt affirmare, dictum Concilium Carthaginenſe poſt Conuentum Sardicenſem, & viuente Conſtante Imperatore, ſub Iulio Papa, hoc vel ſequenti anno fuiſſe collectum: ipſaque Macariana tempora iiſdem limitibus eſſe terminanda.

Macariana tempora quando contigerint.

g Conc. Carth. I. ſ.

V. Occasio legationis Afr. a Constante imp. missæ.

Quoniam vero prius contigit legatio, quam celebratio Synodi: vt de illa primum agatur, exiſtimamus Gratum Epiſcopum Carthaginenſem, qui anno ſuperiori Sardicam venerat, conueniſſe quoque Conſtantem Auguſtum, ac de ſtatu deploratiſſimo Africanæ Eccleſiæ Donatiſtarum ſchiſmate miſere laceratæ certiorem reddidiſſe. Quamobrem idem Imperator, cuius omne ſtudium inuigilabat, vt toto terrarum Orbe Chriſtiana religio ab hæreſibus & ſchiſmatibus vindicata, vna vbique fide ac concordia floreſceret: ſelectos ex multis maxime pios atque ampliſſimos viros Paulum atque Macarium in Africam Legatos direxit, eo quidem titulo vt munificentia Imperatoris pauperum omnium ſubleuarent inopiam, reuera autem vt populum eiuſmodi beneficentia demeritum ad ineundam cum Catholicis concordiam pellicerent. Docet hæc enim inprimis Optatus h Mileuitanus, dum interpolata licet oratione deſcribit quid ab iiſdem legatis, itemque aduerſus eos in Africa geſtum fuerit.

h Opt. l. 3. cont. Parm.

VI. Donati conatus adversus legatos imp.

Accidit namque vt cum iidem munere ſuo egregie fungentes, & pauperum nomina vbique diſpungerent, & ad vnitatem ſingulos hortarentur: Donati duo, omniũ Donatiſtarum Epiſcoporum factioſiſſimi, alter Carthaginenſis, Bagaienſis alter eiuſdem Schiſmatis Antiſtites, ſanctæ pacis legationi magno conatu reſtiterint: adeo vt Carthaginenſis, homo impudentiſſimus (de cuius faſtu & arrogantia iam dictũ eſt alias) ipſi etiam Imperatori Conſtanti contumelias irrogarit, eundemque blaſphemiis proſciderit, præmiſeritque per totam Africam ad homines ſuarum partium, ne eiuſmodi eleemoſynam acciperent ab eodem Conſtante, quod alienus eſſet à ſua communicatione: Bagaienſis vero armatis quoque Circumcellionibus (hominibus ad omne nefas promptiſſimis, de quibus etiam dictum eſt ſuperius) reſiſtere obniſus ſit. Narrat hæc pluribus (vt diximus) Optatus. Cæterum cum aduerſus eiuſmodi armatos ac furioſos Circumcelliones (quod idẽ auctor ſcribit) legati pro ſui defenſione milites à Præfecto Africæ poſtulaſſent: horumque nonnullis ab ipſis Circumcellionibus iniuria affectis, reliqui omnes commoti multos ex iiſdem Circumcellionibus occidiſſent: hæc poſteriores Donatiſtæ frequenter in Catholicos obiectare i conſueuerunt, eoſdemque nuncupare *Macarianos* ab altero Legatorum, necnon k *Paganos*, hoc eſt idololatras, ob præſumptam eiuſmodi perſecutionem.

i Aug. cont. lit. Petil. li. 2. c. 39. k Opt. l. 3.

VII. Populus Donat. ad eccleſiam remittitur.

Sed quamuis non in ipſis Donatiſtarum Epiſcopis, tamen in populo eis ſubiecto optatum concordiæ finem conſecutam eſſe legationem, tum Optatus innuit, tum Carthaginenſe Concilium, de quo proxime dicturi ſumus, aperte ſignificat l. Ipſos autem Epiſcopos vna cum clericis ſuis fugam arripuiſſe, & ex eis aliquos eſſe defunctos, fortiores vero captos & procul relegatos, idẽ Optatus tradit. Meminitque Hieronymus in Chronico, ſed Conſtantii Imperatoris anno vigeſimo, expulſionis Donati Carthaginenſis. Verum plane error ineſt in tempore, cum ex eodem Optato conſtet Donatiſtas Epiſcopos à Conſtante relegatos eſſe, & nunquam niſi per Iulianum Apoſtatam reſtitutos.

l Conc. Carth. I. in præf.

VIII. Quid actum in synodo Carth.

His igitur ſic peractis, mox per Gratum Carthaginenſem Epiſcopum Catholicum ibidem *Carthagine* Concilivm conuocatum eſt: in quo redditis Deo gratiis de ſchiſmatis extinctione & populorum reductione, actum eſt de rebaptizatione à Donatiſtis conferri ſolita: eademque omnium Patrum ſententia reiecta eſt & improbata. Et quoniam execrandum illud ſcelus inter ſchiſmaticos coaluerat, vt ipſorum ſectæ homines, qui ſub cupiditate falſi martyrii vel ſeipſos voluntario præcipitio necaſſent, vel alios ad ſui necem coegiſſent (quod Optatus declarat) apud eos titulo & honore Martyrum frequentarentur, eadem S. Synodus ne id amplius ageretur, decreto ſanciuit. Ac deinde cætera quæ ab eiſdem Donatiſtis fuerãt in diſciplina Chriſtiana corrupta, ad Catholicæ Eccleſiæ vſum reſtituere laborans, alios pariter canones conſcri-

pſit, omnes numero quatuordecim; qui cunctis patent. Quod autem inter Concilia Carthaginenſia hoc Primum ordine ponatur & nominetur: non ſic quidem accipiendum eſt, vt nullum aliud ipſum præceſſerit (cum & multa alia fuiſſe hactenus celebrata, iam viderimus) ſed quod aliorum Acta perierint, & illorum quæ extarent poſt Ethnicorum perſecutiones & redditam à Conſtantino Eccleſiæ pacem, hoc antiquiſſimum probaretur.

IESV CHRISTI AN. 349.

CONSTANTII, CONSTANTIS AN. 13.

IVLII AN. 13.

I.

a Athan. ad Solit.
b Theod. l. 2. c. 12.
GREGORIVS NECATVR, ATHANAS. RESTITVITVR.

ANno Chriſti trecenſimo quadrageſimo nono, Vlpio Limenio & Catullino Philoniano Coſſ. poſt decem menſes (vt Athanaſius [a] eſt auctor) à legatione ad Conſtantium Imperatorem à Concilio Sardicenſi miſſa, occiſo [b] ab Alexandrinis Gregorio illius ſedis inuaſore, Conſtantius Imperator crebris Conſtantis fratris literis interpellatus, eundem Athanaſium ad ſe vocauit: & vt maiori cum fiducia rediret, tum presbyterum & diaconum ad eū miſit, tum plures Comites in ipſum propenſiores in eandem ſententiam ei ſcribere iuſſit: denique & ad fratrem ſuum Conſtantem ſcripſit, vt ipſe quoque eundem Athanaſium ad reditum hortaretur. Tradit hæc omnia idem Athanaſius [c], qui & tres ea de re ab eodem Conſtantio ſcriptas ad ſe amiciſſimas epiſtolas recitat: quas habet quoq; Socrates [d], ſecundam etiam Theodoretus [e]. Cum autem eſſet tunc Athanaſius Aquileiæ, inde rurſum à Conſtante (vt ait) euocatus in Gallias, Romam quoque diuertit ad Iulium Papam, literaſque ab eo ad Alexandrinos accepit, quas ipſe recitat [f], & poſt eum Socrates.

c Athan. ibid. & Apol. 2.
d Soc. l. 2. ca. 18.
e Theod. li. 2. c. 11.
f Athan. Apol. 2. Soc. d. c. 18.

II.

g Id. ep. ad Solit.
CONSTANTIVS FAVET ATHANASIO.

Poſt hæc vero Antiochiam vbi erat Conſtantius perueniens, benigne ab eo exceptus eſt, facultatemque accepit Alexandriam redeundi: quin etiam (vt ipſemet [g] ait) cū ſuas calamitates deploraret, & admoneret ne denuo eiuſmodi calumniæ reciperentur, ſed & iam nunc accuſatores euocarentur, vt aut redarguerent aut redarguerentur: hoc quidem Imperator facere noluit, veruntamen omnia quæ contra Athanaſium geſta & publicis Actis excepta eſſent, penitus aboleri præcepit, iureiurando affirmans nullas ſe in poſterum calumnias aduerſus eum admiſſurum. Hæc Athanaſius: idque ipſum literis ſuis Conſtantium iuraſſe Alexandrinis, auctor eſt Lucifer [h] Calaritanus. Quod autem Eccleſiæ Antiochenæ præeſſet Leontius Arianus Epiſcopus, abſtinuit Athanaſius ab eius communicatione: & quod pariter omnes illius vrbis Eccleſias ſibi Ariani vendicaſſent, in ædibus priuatis (vt ſcribit Sozomenus [i]) conuentus egit cum Euſtathianis, nempe Catholicæ communionis hominibus, magni illius Euſtathii Arianorum oppugnatoris ſobole.

h Lucif. pro Athan. l. 1.
i Soz. l. 3. c. 19.

III.

ATHANAS. ELVDIT PETITIONEM CONSTANTII, PRO ARIAN.

Cum autem Imperator à ſuis Arianis admonitus, peteret ab eo beneficii loco, vt vnam Eccleſiam in ciuitate Alexandrina concederet eis qui nollent cum ipſo communicare: idem Athanaſius egregia reſponſione Conſtantii petitionem dum non negauit, eluſit, promittens quidem ſe ei obtemperaturum, ſed aliud ſimile ab eo beneficium poſtulans, vt Antiochiæ iis cum Leontio non communicarent, vt vna itidem Eccleſia concederetur. Quam vbi Imperator poſtulationem vt æquam approbaſſet, cōmodius tamen viſum eſt Arianis, neutri parti eccleſias tribuendas: quippe ſcientes ſuam ipſorum ſectam propter Athanaſium nullam omnino apud Alexandrinos progreſſionem facturam: apud Antiochenos autem ſi iſtud fieret, Euſtathianos breui rerum potituros eſſe. Hæc Sozomenus: eademque Theodoretus [k]. Socrates [l] vero reciprocam illam petitionem Athanaſii ampliorem fuiſſe dicit: nempe vt liceret Catholicis non tantum Antiochiæ, ſed in omnibus ciuitatibus quibus præeſſent Epiſcopi Ariani Eccleſiam habere.

k Theod. li. 2. c. 12.
l Soc. l. 2. c. 18.

IV.

CONSTANTII LITERÆ PRO ATHANASIO.

Addunt iidem auctores, Athanaſium poſt hæc ab Imperatore Alexandriam dimiſſum eſſe, ſcriptis pro eo literis, tum ad Epiſcopos & clerum Ægypti, tum ad populum Alexandrinum, vt lubentibus animis illum exciperent: additiſque aliis ad Præfectos, vt quæcunq; aduerſus eum antehac decreta eſſent per calumnias Euſebianorum, delerentur è tabulis publicis: quas omnes epiſtolas idem Athanaſius [m] recitat, & ex eo Socrates [n]. Quo etiam auctore conſtat, redditas pariter eſſe ab eodem Imperatore proprias ſedes aliis Epiſcopis per Synodum Sardicenſem reſtitutis, exturbatis qui eas vſurpauerant Arianis.

m Athan. Apol. 2.
n Soc. vbi ſup.

IESV CHRISTI AN. 350.

CONSTANTII AN. 14.

IVLII AN. 14.

I.

CONSTANS IMP. OCCIDITVR.

ANno Chriſti trecenteſimo quinquageſimo, Sergio & Nigriano Coſſ. Conſtans Imperator fugiens inſidias Magnentii ducis Imperium ſibi vendicantis, menſe Martii occiſus eſt in Gallia apud Helenam oppidum Pyrenæo proximum à Gaiſone perfidiæ Magnentii conſcio. Id enim his Coſſ. factum Socrates [a] eſt auctor: qui vnà cum Sozomeno [b] alia quoque chronographia, nempe quarti poſt Synodum Sardicenſem, anni, hoc ipſum tempus conſignat necis Conſtantis. Rem vero geſtam Victor [c] deſcribens, ait eum interiiſſe anno decimotertio Auguſtæ dominationis (quippe prius Cæſar triennio fuerat) æui ſeptimo vigeſimoque. Quare quod Eutropius regno eius tribuit annos ſeptemdecim; numerat etiam tempus quo Cæſar cum patre regnauit. Porro Sanctus Athanaſius [d] innocentiſſimi Principis necem immenſo proſecutus luctu, eundem appellat *Martyrem*: quem & ſacer Conuentus Orthodoxorum Antiſtitum Mediolani poſtea habitus, prauia recta fide & dignis operibus in beatam requiem tranſlatum affirmat [e]. Ex quibus videas quam calumnioſe eum infament ſcriptores Ethnici, & ex noſtris qui nimis facile iiſdem fidem præſtiterunt, dum illum obſcœnæ voluptatis & auaritiæ ſugillarunt, quem quidem fuiſſe debilem pedibus manibuſque articulorum dolore, Victor tradit.

a Soc. l. 2. c. 21.
b Soz. l. 4. c. 1.
c Vict. in Epit. hiſt. in Anton. Conſt. & Conſtant.
d Athan. Apol. ad Conſt.
CONSTANTIS LAVDES.
e ap. Athan. de Synod.

II.

f Zoſ. l. 2.
MAGNENTIVS OCCIDENTALE INVADIT IMPERIVM

Cæterum Zoſimus ſcribit, [f] MAGNENTIVM Auguſtoduni ſumpſiſſe purpuram, cumque antea præfectum fuiſſe Legatum militibus Iouianis & Herculianis (quorum legiones à Diocletiano & Maximiano Imperatoribus inſtitutæ, ac ſuo ipſorum cognomine inſignitæ, eo honoris prouectæ erat vt Imperatorem comitari ſolerent, quod Prætorianorum erat militum. Eodem vero ferme tempore quo nunciatum eſt Magnentium in Galliis Imperium arripuiſſe, VETRANIO in Pannonia exercitus Dux, eadem ambitione percitus apud Murſum legionum ſuffragio acclamatus eſt Imperator. Quamobrem & Romæ audita Conſtantis nece NEPOTIANVS filius Eutropiæ ſororis Conſtantini Magni, Auguſti nomen aſſumpſit, id ſibi ſanguinis iure vendicans. Sed haud felix extitit eius progreſſus: ſiquidem vigeſimo octauo à ſuſcepto Imperio die occiſus eſt per Anicetum Præfectum Romæ à Magnentio conſtitutum. Hæc pluribus Zoſimus, Victor, & alii. Occiſamque pariter eſſe Eutropiam, & alios eorundem perneceſſarios, Romæ hoſpites Athanaſii: ipſe mœrens ſcribit [g].

VETRANIO ALIVS TYRANNVS.

g Athan. Apol. ad Conſt.

III.

MAGNENTIVS CHRISTIANVM SIMVLAT.

Fuiſſe vero Magnentium, necnon DECENTIVM eius germanum quem mox Cæſarem dixit Chriſtianos homines, declarant antiqua eorundem numiſmata [h] Chriſti nomine inſignita. Hicque primum dira perciti regnandi libidine Chriſtiani duces in Chriſtianum conſpirarunt Imperatorem: cum olim ne gregarius quidem miles (Tertulliano [i] teſte) inueniri potuerit, qui aduerſus Imperatores Ethnicos Chriſtianorū perſecutores, à partibus aliquando ſteterit inſurgentium tyrannorum. Cæterum ſimulate potius quam vere Magnentium Chriſtianam religionem coluiſſe, magno quidem eſt argumento, quod ſimul ac liberas nactus eſt habenas Imperii, proſcripta deorum ſacrificia reſtituit [k].

h ap. Adolp. & alios.
i Tert. ad Scap. & in Apolog.
k Vid. l. 5. C. Th. de Pagan.

IV.

Inter hæc autem Athanaſium, nouis rurſum Imperato-

ris

l Athan. ep. ad Solit. & Apolog. ad Conſtant.
m Socr. l. 2. c. 21.
ATHANASII ADVENTVS HIEROSOLYMAM.

ris Conſtantii literis [l], aduerſus recentes Arianorum calumnias (quibus cum adhuc in itinere [m] exiſtentem, audita morte Conſtantis in cuius gratiam ſciſſent reſtitutum, exagitare cœperunt) ſecuriorem redditum, amici quidem (inquit ipſe) amicum intuentes gratulari, alii vero ad conſpectum eius puduſcere, alii quibus nulla erat fiducia ſeſe abdere, alii pœnitentiam de iis quæ contra eum ſcripſerant agere. Certe Palæſtini omnes epiſcopi, exceptis duobus, nempe Acacio Cæſarienſi & Patrophilo Scythopolitano, ita cũ exegerunt, vt & Synodo Hieroſolymis coacta pro ſatisfactione proteſtati ſint, omnia quę prius ſcripſerant, non voluntate, ſed vi adactos feciſſe: dederuntque de ſuſcepta eius communione literas ad Epiſcopos Ægypti, & clerum populumque Alexandrinum ipſe Athanaſius. De quibus refellendus Socrates [n], dum ait Maximum Epiſcopum Hieroſolymitanum, quod antea ſuo calculo Athanaſium abdicaſſet, tunc facti pœnitentem eidem fuiſſe reconciliatum. Nam nec Maximum vnquam Athanaſii damnationi conſenſiſſe, ſatis conſtat ex iis quæ de eo dicta ſunt in Conciliabulo Tyrio, & Antiocheno in Encęniis celebrato: & eundem iam antehac in Synodo Sardicenſi, vna cum aliis Epiſcopis Orthodoxis ſubſcripſiſſe eius abſolutioni, ipſe Athanaſius [o] eſt auctor.

n Id. l. c. 19.
o Athan. Apol. 2.

V.
p Soz. l. 6. ca. 11.
CONGRESSVS ATHANASII CVM APOLLINARE.

Sed quod pertinet ad iter Athanaſii, narrat Sozomenus [p] eum cum per Laodiceam Syriæ tranſiret, ibi cum *Apollinare* tunc eius Eccleſiæ Lectore familiarem congreſſum habuiſſe, eaque de cauſa Apollinarem à Georgio, eius loci Epiſcopo Ariano expulſum ab Eccleſia fuiſſe, quod communicare cum Athanaſio execrabile videbatur Arianis: cumque reſtitutionem nunquam ab eodem Georgio impetrare valuiſſet, indignatione motum Eccleſiam turbare cœpiſſe nouitate doctrinæ. Hæc Sozomenus. At Socrates [q] de his agens, ait Seniorem Apollinarem huius Iunioris parentem, fuiſſe genere Alexandrinum, ac primum Berythi, inde Laodiceæ docuiſſe grammaticam: atque poſt ſuſceptum ab vxore filium, ſacris ordinibus initiatum eſſe, & presbyteratus gradum adeptum Iuniorem autem Apollinarem Rhetoricis diſciplinis apprime exultum fuiſſe: Vtrumque vero Georgio Epiſcopo Laodiceno communione priuatum eſſe, quod noluiſſent abſtinere à familiaritate Epiphanii cuiuſdam inſignis eius temporis Sophiſtæ Gentilis. Alios autem ſenſiſſe ſponte ambos ab Eccleſia receſſiſſe, quod item eorum Epiſcopus Arianus inconſtantiſſimus eſſet in fide, cum ipſi Nicænæ confeſſionis profeſſores exiſterent. Hæc de ambobus Socrates.

q Socr. l. 2. c. 36.
APOLLINARIS HÆRESIS ORTVS.

VI.

At certe nulla potuit eis eſſe ignominia, ab Eccleſia cui præſideret Arianos fuiſſe eiectos, in qua manere tantum videri poterat extra Catholicam Eccleſiam eſſe poſitos: ac proinde ſtultam fuiſſe huiuſcemodi Apollinarium vindictam, in odium Epiſcopi Ariani aduerſus Eccleſiã Catholicam hæreſim excogitaſſe: & illam quidem, cuius (vt alias dictum eſt) ipſimet Ariani profeſſores eſſent, cum dicerent Chriſtum hominem fuiſſe abſque anima rationali, & pro anima Deitatem habuiſſe: Cæterum Socrates & alii ponunt auctorem huius hæreſis Apollinarem Iuniorem: ſed protinus à priori ſententia diſcedentem, Chriſti humanitati animam ita tribuiſſe, vt ea mente caruerit, cuius loco diceret inditum eſſe Verbum. Verum alia complura ad hæc eiuſmodi hæreſis principia ſuperaddita eſſe deliramenta, dicetur inferius. Neque enim hic præſenti anno iſta recenſuiſſe voluimus, vt hoc ipſo anno Apollinarium lapſus acciderit, aut eorũ hæreſis innotuerit, quã longe poſt diffamatam eſſe conſtat: ſed occaſione congreſſus Apollinaris iunioris cũ Athanaſio Laodicea tranſeunte, dum Alexandriam reuerſurus pergeret Hieroſolymam. Cũ & alioqui Epiphanii [r] teſtificatione conſtet, dum hæc Conſtantii tempore de Ariana hæreſi vigerent diſcrimina ambos Apollinares magna cum laude in Eccleſia vixiſſe, & in medio nationis prauæ eluxiſſe confeſſione Nicenæ fidei tanquã lucernas ardentes in caliginoſo loco, Athanaſio ac cęteris Orthodoxis addictiſſimos: adeo vt cum de hæretica eorum ſententia per ipſorum diſcipulos poſtea rumor increbuiſſet, fidem apud Orthodoxos non inueniret.

r Epiph. hær. 76.
LAVS PRISTINA APOLLINARIVM VITÆ.

VII.
s Athan. ep. ad Solit.
t Theod. l. 2. c. 12. in fi.
FRVCTVOSVS ATHANASII REDITVS AD ALEXANDRIAM.

Quod autem pertinet ad reliquum iter Athanaſii: cum ineffabili omnium gaudio per vniuerſam Ægyptum, ac potiſſimum Alexandrię ſuſceptum eſſe, ipſe teſtatur [s]. Additque Theodoretus [t], viſo ſuo paſtore Alexandrinos publica conuiuia celebraſſe, feſtos dies egiſſe, & Deo ſolemnes gratiarum actiones reddidiſſe. Quin & ſubdit Athanaſius, quamplurimos perfectiorem vitæ ſtatum ſuſcepiſſe, & virgines nupturas Deo ſe dicaſſe, iuuenes monaſticam vitam amplexos eſſe, coniugatos ſibi inuicem continentiam perſuaſiſſe, alios eleemoſynas largitos eſſe, alios orationibus vacaſſe: denique tantam æmulationem fuiſſe ad virtutem, vt ſingulas familias, ſingulas domos, Eccleſiam eſſe exiſtimares. Quid plura? Vrſacius & Valens Ariani Epiſcopi factioſiſſimi, de quibus dictum eſt ſuperius, ſpontaneam pœnitentiam profitentes: literas amicas ad eundem Athanaſium ſcripſerunt: Romamque ipſi abeuntes, libellum pœnitentiæ Iulio Papæ obtulerunt, confitentes omnia quæ vel dixiſſent vel egiſſent contra Athanaſium falſa eſſe, & anathema Arianæ hæreſi dicentes. Tradit hæc Athanaſius: memineruntque Vrſacii & Valentis libelli pœnitentiæ Socrates [u], Sozomenus [x], Epiphanius [y], Seuerus [z], & alii. Ex quibus plane videas veterem morem in Eccleſia Catholica coalitum, compluribus exemplis ſuperius demonſtratum, vt præcipui hęretici recantaturi palinodiam ad Romanum Pontificem accederent, cuius muneris eſſet de ipſorum fide cognoſcere, & communicationem (ſi videretur) Catholicam impertire. Porro & alios quoque pluſquam quadringentos Epiſcopos ex cunctis ferme Chriſtiani Orbis prouinciis, literis pacificis eiuſdem Athanaſii ſubſcripſiſſe idem [a] teſtatur.

VRSACIVS ET VALENS ARIANI RESIPISCVNT.
u Socr. l. 2. c. 19.
x Soz. l. 3. c. 23.
y Epiph. hær. 68.
z Sever. l. 2. hiſt.
a Athan. ep. ad Solit.

VIII.
NOVÆ ARIANOR. CALVMNIÆ IN ATHANAS.

Quamobrem metu & inuidia anxii aduerſarii, nullam eius calumniandi occaſionem omittentes: cum accidiſſet vt ob auctam per eius aduentum Fidelium Alexandrinorum multitudinem, neceſſe fuiſſet in ſolemnitate Paſchali Synaxim agere in Magna eccleſia recens à Conſtantio in eadem ciuitate erecta, cum nondũ eſſet dedicata, quod antiquæ populo capiendo non ſufficerent: ea quoque ex re eundem apud Conſtantium accuſarunt, quod abſque eius iuſſu auſus eſſet in ea baſilica ſacra facere, & (vt mentiebantur) eiuſdem Encænia ipſo inſcio celebrare. Sed & cum circa eadem tempora miſſa eſſet à Magnentio tyranno ad eundem Imperatorem legatio, qua functi ſunt qui maioris nominis in Galliis videbantur eſſe Epiſcopi, Seruatius Tungrenſis & Maximinus Treuerenſis, quibus additi ſunt duo Comites Clemens & Valens: cumque appellentibus illis Alexandriam, iidem Epiſcopi antea Athanaſio in Galliis & in Sardicenſi Concilio cogniti, ab eo (vt par erat) in Eccleſiaſticam communionem recepti eſſent: inde rurſum alia in eum ab iiſdem aduerſariis calumnia eſt comparata, ipſum per eoſdem legatos ſcripſiſſe ad Magnentium aduerſus Conſtantium. Docet hęc omnia idem Athanaſius [b], cum ſe ab omni crimine liberum apud eundem Imperatorem poſtea conatus eſt demonſtrare.

b 11 Apol. ad Conſt.

IX.

Cæterum Conſtantius quod grauioribus Romani Imperii periculis vrgeretur, hinc imminente prælio ex tyrannis, & inde bello Perſico inſtante: non ſolum contempſit tunc omnia quæ in Athanaſium ab Arianis inferrentur, ſed etiam (vt idem Athanaſius [c] ſcribit) iteratis poſt Conſtantis necem tertio literis, eum ab omni vexatione atque etiam metu tutum redditum omnino voluit: licet haud putem id pietatis ergo ipſum feciſſe, vtpote qui nunquam ſe à conſuetudine Arianorum abſtulit, ſed potius quod non videretur tempus opportunum infenſos ſibi reddere Ægyptios (alioqui ad ſeditiones promptiſſimos) qui erga Athanaſium propenſiores eſſent. Longe enim errant, qui putant Athanaſium mox vt Alexandriam peruenit exturbatum eſſe: quem conſtat eiuſmodi Conſtantii literis communitum, ad triennium in ſua Eccleſia perſeueraſſe.

c Id. ep. ad Solit.

IESV

CONSTANTII AN. 15.

IESV CHRISTI AN. 351.

IVLII AN. 15.

I. GALLVS CREATVR CÆSAR.

ANNO Chriſti trecenteſimo quinquageſimo primo, ob tyrannicos motus abſque nouis Coſſ. tranſacto, Poſt Conſulatum Sergii & Nigriani in Faſtis notato, *Flauius Conſtantius* GALLVS, ex Conſtantio fratre Magni Conſtantini & Galla matre genitus, Iuliani Apoſtatæ frater maior natu; de cuius pueritia & inſtitutione dictum eſt ſuperius, anno ætatis vigeſimoſexto à Conſtantio Auguſto creatus eſt Cæſar. Id enim hoc anno potius quam (quod alii volunt) ſuperiori contigiſſe, illud potiſſimum perſuadet, quod hoc anno celebrata ſunt eiuſdem Imperatoris quinquennalia tertio repetita, quibus ſolemnibus Cæſares dici ſolere, compluribus iam exemplis demonſtratum eſt. Acceditque quod Ammiano auctore liqueat, Gallum quarto ſui Imperii anno occiſum eſſe: qua ratione, præſenti illud auſpicatum eſſe dicendum eſt licet & alii eius creationem etiam poſt occiſum Magnentium referant. Eius vero creandi ea fuit occaſio, quod Conſtantius maſcula prole carens, profecturus in Occidentem aduerſus tyrannos, ei voluit adminiſtrationem reliquiſſe Orientalis Imperii: cui etiam in matrimonium collocauit Conſtantinam ſororem ſuam, filiam Magni Conſtantini.

II.
a Soz. l. 5. c. 1.

Vbi vero Gallus creatus eſt Cæſar (vt ait Sozomenus [a]) cum Antiochiæ degeret, conſtituens pro egregia animi indole, & ſincera religione Chriſtiana, famoſiſſimum ac poetarum fabulis notiſſimum *Daphnes* locum Apollini dicatum, & delubro atque oraculo dæmonis inſignem, in ſuburbiis Antiochiæ poſitum, purgare tum intemperantium hominum contumelia, tum ſuperſtitione Gentiliũ: hoc ſe facile perfecturum putauit, ſi loculum *Babylæ* martyris Antiocheni olim Epiſcopi eo transferret. Quod cum præſtitiſſet, accidit illud mirabile, vt dæmonium ex eo tẽpore nullum amplius oraculum vti conſueuerat ediderit: nempe quod præſentiam exhorreſceret martyris, vt idem ipſe Apollo poſtea Iuliano Imperatori coactus eſt confiteri, cum antea putaretur obmutuiſſe quod victimis careret: qua de re dicetur pluribus inferius ſuo loco. Cæterum de antiquanda memoria Apollinis in Daphne, niſum iam olim fuiſſe Conſtantinum Magnum, probatur ex Suida [b], dum ait ſtatuam Helenæ matris ſuæ ibi collocaſſe, locumque ipſum mutata appellatione *Auguſtale* nuncupaſſe. Quin & ſuum ipſius nomen eundem Imperatorem illi loco indidiſſe, vt diceretur *Conſtantiniana Dafne*, atque inſuper vigeſimæ tertiæ legioni quam recens ſcribendam curaſſet, nomen impoſuiſſe *Conſtantinianæ Dafnenſis*, antiqua numiſmata [c], & inſcriptiones declarant.

CORPVS S. BABYLÆ TRANSFERTVR IN DAPH.
b Suid. ver. Auguſtale.
DAPHNE CONSTANTINIANA DICTA.
c Goltz. in Theſ. & Occo de Num.

III.
d Theod. l. 3. c. 3.
IVLIANVS TOTVS IN CONSVLENDIS MAGIS.

Euecto autem in ſortem Imperii Gallo Cæſare, & Conſtantio Imperatore Occidentem petente, Iulianus Galli frater, qui hactenus in clericali vita qua fuerat initiatus perſeuerauerat, laxiores iam nactus habenas, armans ſe audacia (inquit Theodoretus [d]) Imperii & ipſe cupiditate exardeſcere cœpit. Proinde perluſtrare prouincias; conquirere vates & ariolos, ſciſcitaturus ab illis votine compos futurus eſſet. Incidens vero aliquando in hominem qui hoc ei prædicere polliceretur, deductuſque in adyta cuiuſdam ſimulachrorum delubri, accidit vt cum apparentibus ad illius magi inuocationem terribili ſpecie dæmonibus ipſe metu perterritus Cruce frontem ſignaſſet, dæmones ad Dominici trophæi figuram confeſtim euanuerint. Quare cum virtutem Crucis vehementer admirari cœpiſſet, tamen præſtigiatore cauſam receſſus dæmonum non ipſorum formidini, ſed deteſtationi eiuſmodi Iuliani facti adſcribente, miſer ipſe in fraudem impulſus, impiis initiatus eſt myſteriis, & imperii cupiditate omnem penitus pietatem exuit. Hæc Theodoretus: quæ dum narrantur pluribus à Gregorio [e] Nazianzeno iunguntur rebus ab eo in Imperio geſtis. Porro Eunapio [f] quoque auctore ſcimus, hiſce cum hominum conſuetudinibus delectatum: quem, præter Maximum de quo dictum ſuperius, familiariter etiam vſum tradit *Ædeſio* ſummo totius Gentilitiæ ſuperſtitionis antiſtite, & huic non imparibus Chryſantio, Euſebio, Priſco, Iamblicho, & aliis illorum temporum, magiæ eius quæ fit per inuocationem dæmonum peritiſſimis, quam honeſto philoſophiæ pallio contegebant. Quomodo vero idem poſt hæc Iulianus in ſuſpicionem adductus affectatæ tyrannidis inſtar Protei in alium ſe mutauerit, palliumque induens philoſophicum Athenas perrexerit, ſuo loco dicturi ſumus.

SIGNO CRVCIS DÆMON ABIGITVR.
e Gre. Naz. orat. 1. in Iulian.
f Eunap. in Vit. philoſ.

IV.
EXPEDITIO RELIGIOSA CONSTANTII.
g Theod. l. 3. c. 3.

Hoc eodem anno Conſtantius Imperator aduerſus tyrannos Magnentium & Vetranionem expeditionem parans, ſalubre conſilium iniit vt nullum in ſuo exercitu militare permitteret, qui non eſſet baptiſmo initiatus: quem ſi quis ſuſcipere detrectaret, exui mox cingulo & ad propria reuerti præcepit. Tradit hoc Theodoretus [g]. Quod igitur tantummodo Chriſtianos baptizatos militia Conſtantius adſcribi voluit: inde accidit vt Gentiles qui baptizari recuſarent exuti militia ad paganitatem redacti, *Pagani* pariter, hoc eſt non milites dicerentur: ſecundum longo iam olim vſu receptam vocem, vt non ſolum qui in pagis degerent, Pagani appellarentur, ſed & omnes [h] qui non eſſent adſcripti militiæ. Indeque etiam poſtea vſu veniſſe credimus, vt Ethnici omnes à Chriſtianis PAGANI ſint nominati: nimirum quod illi à Conſtantio militare prohibiti eſſent Niſi magis dixerimus, à temporibus Imperatorum Chriſtianorum eam vocẽ in hanc tranſiſſe ſignificationem, quod legibus Imperatorũ clauſis idolorum delubris, ſacriſque vetitis, Ethnici Pagos adirent, illicque more [i] antiquo deos ſuos colerent: ſicque accidiſſe vt Ethnicus homo, quod in pagis deos coleret, diceretur Paganus, quomodo apud Prudentium *Pago dediti*, *Pagoque impliciti*, Gentiles vocantur. Vſque enim ad tempora Honorii Imperatoris quæ erat in Pagis, idololatria, adhuc reſidua [k] fuiſſe videtur.

h Suet. in Aug. D. & C. de milit. teſt. & alii.
PAGANI CVR DICI COEPTI GENTILES.
i Cel. 1. 2. de leg. Vet. l. 5. de lingua Lat.
k Aug. ſer. 6. de Verb. Dom. & Conc. Carth. V. c. 15.

V.
l Philaſt. de hær. c. 4. Iſid. lib. 8. Orig. Bed. 6. in Cant. 30 & 8. in Luc. 23.

Atque hæ quidem magis placent eius ſignificationis origines, quam quæ ab aliis [l] afferuntur plenæ difficultatum. Quod enim Pagani appellati ſint qui non ſunt Chriſtiani, ſed Ethnici, hoc eſt multorum deorum cultores: non antiqua, ſed recens fuit vſurpatio ac licet ea vox reperiatur eo ſenſu in nonnullis Vitis SS. martyrum: haud tamen ex illorum Actis olim ſcriptis, ſed ab iis qui poſtmodum eadem paraphraſtice deſcripſerunt, vel è Græco fonte tranſtulerunt, vſurpatum ſcias. Errantque [m] qui apud Tertullianum Paganos accipiunt pro Ethnicis, quos haud dubium Tertullianus more maiorum non milites intelligit. Primum autem quem inuenerim qui Paganum pro Ethnico acceperit, Optatus eſt Mileuitanus, quem ſub Valentiniano & Valente Impp. ſcripſiſſe contra Parmenianum, auctor eſt ſanctus Hieronymus [n]. Et Honorius Imperator [o] eamdem vocem quaſi nouiter eo ſenſu vſurpatam, declarat, dum quos *Paganos* dixerat, interpretatur *hoc eſt Gentiles*. Poſt illa vero tempora paſſim ab omnibus vſurpari [p] cœpit. Vt autem iidem Ethnici dicerentur *Gentiles*, id acceptum ex Iudæis: vnde Paulus [q], *Siue Iudæus*, *ſiue Gentilis*. Sed apud Romanos, Barbari tantum hoc tempore dicebantur Gentiles, vt conſtat ex reſcripto [r] Valentiniani & Valentis Imperatorum.

m Rhen. & Pamel. in Tert. de cor. mil.
n Hieron. de Script. Eccl. in Opt.
o l. 21. C. Th. de Pagan.
p Mar. Vict. de homouſ. recip. Aug. 2. Retract. 43. C. Th. & Inſti. tit. de Pagan. Fileſ. & Iſid. vbi ſup. & alii.
q 1. Cor. 12.
r C. Th. tit. de nupt. Gentil.

VI.
S. MARTINI ÆTAS ET BAPTISMVS.
s Greg. Tur. 1. hiſt. Fr. 36.

Hac ergo occaſione qua cuncti milites baptizari iuſſi ſunt, accidit vt S. MARTINVS Sabariæ in Pannonia nobili genere natus, tunc adhuc catechumenus baptiſma ſuſceperit, annum agens ſuę ætatis trigeſimum quintum: vt auctor eſt Gregorius [s] Turonenſis, dum eum vndecimo anno Conſtantini Magni natum affirmat, nempe Sabino & Ruffino Coſſ. anno Domini trecenteſimo decimo ſexto. Abhorrerem quidem penitus à Gregorii ſententia; quæ à Seuero qui eodem cum S. Martino tempore vixit, & amici intimi quo cum magnam habuit cõſuetudinem res geſtas ſcripſit, tantopere diſcrepat, dum iſte [t] Martinũ baptizatum ſignificat anno ſuæ ætatis decimooctauo: niſi ſententiæ Gregorii alio in loco eundem Seuerũ haberemus aſſertorem: dum in Dialogis ait, S. Martinum ſeptuagenarium tunc fuiſſe cum Maximum Imperatorem conuenit.

t Seuer. Vit. S. Mart. c. 2.

u Ibid. c. 25.

Cum enim id eiuſdem [u] conſtet auctoritate contigiſſe ſub Conſulatu Euodij, qui eſt annus Domini trecenteſimus octogeſimus ſextus, æque neceſſe eſt affirmare Martinum natum eſſe anno Domini trecenteſimo decimoſexto, & hoc anno egiſſe ætatis ſuæ trigeſimumquintum, ac denique ſub Iuliano cum dimiſſus eſt à militia attigiſſe quadrageſimum, non tantummodo vigeſimum, vt apud eundem Seuerum legitur: cuius exordium Vitæ S. Martini, librariorum vitio fuiſſe deprauatum exiſtimamus, cum & alia inſint eo prorſus indigna.

VII. Nam & quod ſpectat ad tempus Martini militiæ: habet idem auctor, tunc Martinum adſcriptum eſſe militiæ, cum promulgatum eſt edictum vt filij veteranorum ad militiam ſcriberentur. Extat vero ipſum edictum [x] à Conſtantino Imperatore ſancitum Coſſ. Pacatiano & Hilariano, habens relationem ad aliud reſcriptum [y] de filijs veteranorum, vt ad militiam cogerentur, quo pariter ſignificatur adſcribendos eſſe filios veteranorum caſtrenſi militiæ poſt exactum ipſorum ætatis annum decimumſextum, nempe decimoſeptimo more maiorum [z]. Huius porro edicti tempore cum inueniatur Martinus fuiſſe annorum ſeptemdecim (tot enim numerantur à Conſulatu Sabini atque Ruffini quo natus ponitur, vſque ad Conſulatum Pacatiani & Hilariani, nempe ab anno Domini trecenteſimo decimoſexto vſque ad trecenteſimum trigeſimum ſecundum) illud plane ipſum tempus eſſe cognoſcitur, quod à Seuero deſcribitur, Martinum edicto Imperatoris coactum fuiſſe nomen dare militiæ, ipſo nimirum exordio anni ætatis ſuæ decimiſeptimi. Quapropter & hinc emendes illapſum in eundem Seuerum errorem, quo dicitur Martinus anno decimoquinto militare coactus: cum id plane aduerſetur tum antiquis militiæ legibus, tum enim recentioribus ab ipſo Conſtantino editis.

x l. 4. C. Th. de ſi. mil.
y l. 2. eo.
z Vid. Gel. lib. 10. c. 28.

VIII. Rurſum vero quod idem auctor [a] ait Martinum poſtulaſſe à Iuliano Cęſare miſſionem, cum ille militans in Gallijs eſſet aduerſus barbaros pugnaturus: conſentit hoc militaribus legibus [b] eorum temporum, quibus Ripenſes milites poſt viginti quatuor ſtipendia honeſtam miſſionem accipere ſoliti erant (talis namque eſſe militia Martini videri poterat, vtpote Pannonij milites. Si enim numeres ab anno Domini trecenteſimo trigeſimo ſecundo quod Martinus adſcriptus eſt militiæ, vſque ad trecenteſimum quinquageſimum ſextum quo Iulianus militauit in Gallijs: inuenies eum vigintiquatuor ſtipendia meruiſſe, ac proinde honeſtam non cauſariam miſſionem poſtulaſſe: cum cauſaria tantum arrogantibus & corpore inualidis dari ſoleret, honeſta nonniſi emeritis ſtipendijs omnibus impertiretur. Tantumque abeſt vt Martinus quod Chriſtianus eſſet miſſionem petierit (quod vna cum alijs in Seuero eſt emendandum) vt contra nonniſi qui Chriſtiani eſſent decreto Conſtantij militare deberent. Cæterum militaſſe Martinum inter equites, ex eodem Seuero conſtat: cuius & pater primarijs dignatus militiæ honoribus militabat Tribunus. Sed hæc modo hactenus: quæ oportuit paulò fuſius declaraſſe, ad ſtabiliendam annorum Martini chronographiam: à cuius obitu ſolerent olim apud Francos tempora numerari, quæ vero ſunt eius reliqua, dicentur inferius ſuis locis.

a Seuer. c. 3.
b l. 4. C. Th. de Veter.
ANNI S. MARTINI.

IX. Hoc eodem anno Domini trecenteſimo quinquageſimoprimo, ponitur apud Sanctum Hieronymum in Chronico obitus Maximi Epiſcopi Hieroſolymitani: ſed perperam idem annus Domini ſub eodem laterculo notatus habetur cum Imperatoris Conſtantij anno vndecimo, cũ (vt vidimus) idem Maximus reperiatur anno ſuperiore, qui fuit Conſtantij decimusquartus, vna cum Athanaſio Hieroſolymis Synodum habuiſſe. Qui igitur ſedere cœpit anno Domini trecenteſimo trigeſimoprimo, & præſenti obijt, dicendus eſt ſediſſe annos viginti: ex quibus deformé corrigas errorem Chronici Nicephori, in quo ſex tantum annis ſedi præfuiſſe ponitur. Poſt obitum vero Maximi (ſubdit Hieronymus) Eccleſiam Ariani inuadunt, primum *Cyrillus Eutychius*, rurſum *Cyrillus Ireneus*, tertio *Cyrillus Hilarius*, quarto *Cyrillus*. Quorum Cyrillus cum à Maximo fuiſſet presbyter ordinatus, & poſt illius mortem ei ab Acacio Epiſcopo Cæſarienſi, & cæteris Arianis Epiſcopis, Epiſcopatus promitteretur ſi ordinationem Maximi repudiaſſet, diaconus in Eccleſia miniſtrauit: ob quam impietatem ſacerdotij mercede penſatus, in Heraclium, quem moriens Maximus in ſuum locum ſubſtituerat, varia fraude ſollicitans, de Epiſcopo in presbyterum regradauit. Quo in exilium ob fidem truſo, omnes clerici iurauerunt vt nullum alium ſuſciperent. Hæc apud Hieronymũ: ſed vt puto, mendoſe multa. A quo cum quatuor ponãtur Cyrilli, ab Epiphanio [c] nonniſi duo cogniti ſunt, dum ſucceſſionem Epiſcoporum Hieroſolymitanorum ita recenſet, vt poſt Maximum ſederit Cyrillus, inde Irenæus, poſtea Cyrillus alius, quarto demum Hilarium. At Ruffinus [d] vnum tantum habet Cyrillum, eundemque Maximo ſubrogatum: quem & tradit aliquando in fide, ſæpius in communione variaſſe. Itemque Nicephorus vnicum ponit, eundemque Catholicum & Maximi ſucceſſorem: quem ait ab Arianis expulſum eſſe, & in eius locum tres conſtitutos, Arſenium, Heraclium, & Hilarium, ac rurſum tempore Gratiani reuocatum eſſe. Qui procul dubio ille eſt Cyrillus, de quo alibi S. Hieronymus [e] ait, ſæpe Eccleſia pulſum & receptum, ad extremum ſub Theodoſio Imperatore octo annis inconcuſſum Epiſcopatum tenuiſſe.

CONFVSA SVCCESSIO EPISC. HIEROS.
c Epiph. hær. 66.
CYRILLI HIEROS. LVXVS.
d Ruff. lib. 1. cap. 23.
e Hier. de Script. Eccl. in Cyril.

X. Quod igitur Eccleſiæ Hieroſolymitanæ ſucceſſiones adeo inter ſe confuſæ & inuolutæ habeantur, in cauſa fuerunt Arianorum & Semiarianorum inter ſe conflictationes, cum videlicet rebus Orthodoxorum collapſis penitus in Oriente: qui Arij ſe hoſtes eſſe profiterentur, dum & ipſi ob inuidiam, aut mutuum odium diſſentirent ab inuicem, alij Baſilio Ancyrano (qui hoc eodem tempore in locum Marcelli iterum expulſi [f] ſubſtitutus eſt) Georgio Laodiceno, & alijs Semiarianis inhæſerunt, vt ſub eorum patrocinio ſecuri agerent: ac rurſum in horum inuidiam alij Acacio Cæſarienſi Arianorum ſignifero, non ob dogma, ſed vt ab eo defenderentur acceſſerunt. Hæc enim ita ſe habuiſſe, quæ S. Epiphanius [g] tradit de controuerſijs inter Eutychium & Cyrillum Hieroſolymorum Epiſcopos, ſatis aperte ſignificant: quorum ille Arianis, iſte Semiarianis, ſalua tamen fide, vt ab illis in ſede protegeretur, adheſit. Cęterum quod duo ſaltem ab Epiphanio trandantur eſſe Cyrilli: auctor ille Catecheſeos, cum ſuis ipſius ſcriptis, tum Concilij Conſtantinopolitani teſtificatione probatur fuiſſe Catholicus, fideique Nicænæ aſſertor, de quo ſæpe inferius.

ECCLESIA HIEROS. AGITATA TVRBIS.
f Socr. lib. 2. c. 21. Soz. lib. 4. cap. 2.
g Epiph. hær. 73.

XI. Hoc eodem anno, antequam Conſtantius Antiochia recederet (vt Socrates [h] & Sozomenus [i] teſtantur) idem Imperator Paulum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, quem Conſtans frater reſtituendum curauerat, ſolutus iam eius metu à ſede pellendum, & *Macedonium* in eius locum ſubrogandum eſſe decreuit, literis ea de re ſcriptis ad Philippum Præfectum, qui ſecundus ab Imperatore dicebatur & erat. Hallucinati ſunt tamen ijdem auctores, dum Pauli exilium per Philippum illatum contigiſſe putarunt ante Concilium Sardicenſe. Cum enim ſæpius exulaſſe conſtet, vltimo à Philippo pulſum eſſe Athanaſius [k] docet: ipſum vero vltimum eius exilium, hoc ipſo tempore quo Conſtantius expeditionem in Occidentem pararet contigiſſe, ijdem auctores [l] æque conſentiunt. Paulus [m] igitur doloſe à Philippo, tumultum populi in Paulum propenſiſſimi verito, ad domum publicam alio prætextu euocatus, ac per feneſtram in nauigium demiſſus, magna feſtinatione ad locum exilij abductus eſt. Porro diuerſa eius exilia in vnum colligens Athanaſius [n], ait eum primo in Pontum ab Euſebianis relegatum fuiſſe: poſtea à Conſtantio ferro vinctum in Singra Meſopotamiæ deportatum: rurſuſque inde Emeſam, denique hinc Cucuſum Armeniæ oppidum circa deſerta Tauri abreptum, ibi laqueo per eoſdem Arianos ſtrangulatum vitam finiuiſſe, quæ eadem de loco ac mortis genere tradunt & alij [o]. De diuina vero in Philippũ vindicta ſubdit Athanaſius, cum nondum vertente anno Præfectura ſua magna cum ignominia ſpoliatum eſſe, atq; omnibus ludibrio ex-

h Soc. lib. 2. cap. 12.
i Soz. lib. 3. cap. 8.
PAVLVS EIICITVR CONSTANTINOPOLI ET MACEDONIVS INTRODVCITVR.
k Athan. ep. ad Solit. & Apolog. de fug.
l Soc. lib. 2. c. 21. Soz. lib. 4. cap. 2.
m Vide eoſdem dd. cc. 12. & 8.
n Athan. ep. ad Solit.
PAVLI MARTYRIVM IN EXILIO.
o Theod. lib. 2. c. 5. Socr. & Soz. dd. cc. 21. & 2.

poſitum, longe à ſuis ac patria ſua, velut alterum Cain, errantem perpetuoque gementem & trementem, miſere extinctum eſſe. Pauli autem corpus Theodoſius Senior Imperator poſtea magnifica translatione [p] Conſtantinopolim deferri curauit, & collocari in Eccleſia quam Macedonius eius perſecutor extruxerat, quæ poſtea Pauli nomine vocata eſt.

p Socr. lib. 5. cap. 9. Soz. lib. 7. c. 10.

XII. PERSECVTIO MACEDONII ADVERSVS CATHOLICOS.

Quanto autem effuſo Catholicorum ſanguine poſt eiectum Paulum Macedonius in Eccleſiam Conſtantinopolitanam introductus fuerit: quamque ipſe exquiſitis tormentis non ſolum Clericos, ſed & laicos omnis conditionis, ſexus ætatis, tum ibidem Conſtantinopoli, tum in alijs finitimis prouincijs ac ciuitatibus, ad ſuam communionem cogere ſtuduerit, adeo vt præter verbera, vincula, exilia, bonorum deprædationes, permultis quoque ſtigmata in fronte inuſſerit, fœminiſque mamillas partim ferro candente, partim ouis igne toſtis (hactenus inaudito tormenti genere) exuſſerit, vel etiam ferris abſciderit: & quod omnibus alijs quibuſcunque tormentis acerbius Catholicis extitit, ſacra myſteria per vim ore ligno diſtento ingeſſerit: cædes item vbique patrarit, Eccleſias demolitus fuerit, ac denique nihil crudelitatis omiſerit, vt eos ſibi communicare compelleret: hæc inquam, omnia deſcripſerunt Socrates [q], & Sozomenus [r]: qui & ſuos Nouatianos eadem dira à Macedonio paſſos eſſe tradunt, quod & ipſi Catholicis pro fide Conſubſtantialis iuncti ſtrenuam aduerſus Arianos nauarent operam. Addunt demum, tum iſta ipſius Macedonij facinora, tum quod Magni Conſtantini corpus à templo Apoſtolorum ruinam minante in Acacij martyris eccleſiam tranſtuliſſet, eaque de cauſa immenſa populi cædes (nefas eſſe aſſerentis Imperatoris oſſa transferre, quaſi perinde eſſet ac ſi è ſepulchro effoderentur) intra ipſam Eccleſiam edita eſſet: non ſolum apud Catholicos, ſed & apud Arianos ingens in illum odium concitaſſe: ipſiuſque Conſtantij Imperatoris animum adeo commouiſſe, vt eum à ſede pelli iuſſerit. Sed hæc poſtea, cum idem Imperat. in Orientem reuerſus eſt: de quo dicetur ſuo loco.

q Socr. lib. 2. c. 12. 21. 30. r Soz. lib. 3. c. 8. lib. 4. c. 2. 19. 20.

CONSTANTII IMP. AN. 16.

IESV CHRISTI ANN. 352.

LIBERII AN. 1.

I. IVLII PP. OBITVS.

ANNO Chriſti trecēteſimo quinquageſimo ſecundo, Conſtantio Imperatore, quintum & Gallo Cæſare Coſſ. pridie Idus Aprilis Sanctus *Iulius* Romanus Pontifex ex hac vita migrauit, cum ſediſſet annos quindecim, menſes quinque, dies ſeptendecim. De annis quidem cōſentiunt Indices Vaticani: de menſibus autem atque diebus licet diuerſa inueniatur diuerſorum aſſertio, tamen habita ratione temporis eius ingreſſus & exitus, totidem eum ſediſſe opus eſt affirmare. Apud Hieronymi vero Chronicō, cum ingreſſus Liberij ęque hoc ipſo anno Domini trecēteſimo quinquageſimo ſecundo ponatur haud tamen reſpondet annis Conſtantij, cum dicatur accidiſſe anno duodecimo eius Imperij, qui hoc anno numeratur decimusſextus. Quod autem ſcribitur in Libro de Romanis Pontificibus, Iulium poſt multas tribulationes in exilio fuiſſe menſibus decem, & poſt Conſtantij mortem cum gloria reſtitutum eſſe: adeo hæc abhorrent à veritate, vt nec conijci vel fingi ſaltem aliquo modo poſſint. Quapropter ea ad Liberium potius pertinere viderentur, quem ſub Conſtantio liquet exulaſſe: niſi & quod additur de eius reditu poſt Conſtantij mortem aperte falſum eſſet.

II. IVLII NOMINE SVBPOSITA SCRIPTA.

a Gen. de Script. Eccl. cap. 2.

Porro quod Gennadius [a] tradit, Iulium Romanum Epiſcopum ſcripſiſſe ad Dionyſium quendam de Incarnatione Domini epiſtolam vnam, tunc quidem vtilem aduerſus eos qui duas in Chriſto perſonas ſicut & naturas conſtituerent, ſed quæ poſtea fomentum fuerit Eutychianæ & Timotheanæ impietatis: ſatis detegitur hæc minus explorata habuiſſe. Nam qui eam epiſtolam apprime nouit, eiuſque auctorem diligentius peruestigauit, Leontius [b] in commentario de Sectis multis argumentis demonſtrat illam epiſtolam Iulij nomine ad Dionyſium Corinthi Epiſcopum ſcriptam, non ipſius Iulij, ſed Apollinaris hæreſiarchæ partum fuiſſe: & de Neſtorianis hæreticis Euagrius [c] ait, multos Apollinaris libros Athanaſio, Gregorio Thaumaturgo, & Iulio, mutatis titulis attribuiſſe. Cæterum defuncto Iulio, & via Aurelia in cœmeterio Calepodij ſepulto, poſtquam ſedes vacaſſet dies viginti quinque, in locum eius ſubrogatus eſt octauo Idus Maij, LIBERIVS natione Romanus ex patre Auguſto.

b Leont. de Sect. Act. 8. to. 9. Bibl. S.

c Euag. lib. 3 cap. 31.

LIBERIVS PAPA.

III. Cum autem hoc Orientales Ariani cognouiſſent, collectis in Concilium ſuæ ſectæ Epiſcopis, literas ad eundem Liberium dederunt, quibus Catholicam ab eo communionem expoſcentes, Athanaſium quoque accuſarunt. Verum cum eodem ferme tempore redditæ eſſent eidem Pontifici aliæ literæ ex SYNODO ſeptuaginta quinque Epiſcoporum Ægypti pro Athanaſij defenſione: his acceptis ex vtraque parte epiſtolis, eiſdemq; recitatis in CONCILIO tunc Romæ collecto, negatum eſt Arianis quod à Liberio poſtulabant. Ne tamen eiuſmodi occaſione Conſtantius Imperator, cuius voluntate iſta fieri videbantur, in Rom. Eccleſiam graſſandi anſam arriperet: illud in eadem Romana Synodo decretum eſt, vt legatio ad ipſum Conſtantium mitteretur de cogendo Concilio. Habentur autem iſthæc omnia in epiſtola [d] eiuſdem Liberij ad Conſtantium poſt annum ſequentem ſcripta.

LIBERIVS AGIT APVD CONSTANTIVM DE CELEBRANDO CONCILIO.

d Ext. ap. Lucif. Calar. inſ. & tom. 9. Bibl. S.

IV. LIBERII NOMINE CONFICTÆ EPISTOLÆ ADVERSVS ATHAN.

Sed quæ in edito ſub titulo Sancti Hilarij de rebus geſtis in Concilio Ariminenſi libello, legitur epiſtola Liberij Papæ nomine ipſo ferme ſuæ ſedis ingreſſu conſcripta, qua ſignificat Athanaſium à ſua communione, quod Romam vocatus venire noluiſſet, redditum alienum, ipſos vero Orientales Epiſcopos in eam receptos: eam haud quidem ab Hilario intextam in commentario illo, ſed potius ab Ariano aliquo Athanaſij damnationem præ cæteris omnibus rebus optante confictam, vel ex eo maniſeſtiſſime demonſtratur, quod eadem epiſtola mox de ſanctitate & timore Dei plurimum laudetur: cum tamen Hilarium conſtet tenaciſſimum ſemper extitiſſe Athanaſij defenſorem. Sed & quomodo iſta à Liberio hoc tempore ſcribi potuere, cum Athanaſij [e] ipſius aſſertione exploratum habeatur, Liberium quouſque in exilium miſſus eſt (quod quarto ipſius ſedis anno contigit) omnia pati maluiſſe, quam aut veritatem, aut cauſam ipſius Athanaſij prodere? & licet poſt biennij exiliū minis mortis ad ſubſcriptionem aduerſus Athanaſium inductus fuerit: tamen id ipſum & eorum violentiā, & Liberij in hæreſim odium, eiuſdemque pro Athanaſio ſuffragium cum liberos haberet affectus, ſatis coarguiſſe? Sed hæc euidentius apparebunt inferius ex rebus geſtis ipſius Liberij. Quibus etiam omnibus redarguas pariter epiſtolam eiuſdem Liberij nomine ſcriptam ad Vrſacium, Valentem, & Germinium, qua dicitur Athanaſius Romæ damnatus antequam Liberius traheretur, ad Comitatum: cum non ob aliam cauſam abductus ipſe fuerit ad Conſtantium, & in exilium inde miſſus, niſi quod Athanaſium damnare noluiſſet. Vna plane eademque fuit manus. Scorpij, quæ vtramq; ſcripſit epiſtolam nomine Liberii, ea nimirū occaſione, quod diceretur liberius vi coactus cōtra Athanaſium ſcripſiſſe: ne id igitur dici poſſet, confictæ ſunt epiſtolæ quibus aſſereretur iam ipſo ſuæ ſedis exordio id Romæ ſponte peregiſſe. At de his ſatis. Erit vero vt inferius quoque aperta luce monſtretur, alia adhuc contineri in eodem volumine Hilarii, quæ eius eſſe non poſſint. Moris autem fuiſſe Arianis, falſas in cauſa Athanaſij ſcribere, immo & nomine ipſius fictas dare literas, iuſta eſt eiuſdem ad Imperatorem [f] querela. Siquidem & hoc ipſo tempore iidem Ariani pertæſi moræ Conſtantii in ipſo Alexandria expellendo, literas eius nomine ad eundem Imperatorem confinxerunt, quibus eum rogaret ſibi facultatem impertiri proficiſcendi in Italiam: quo videlicet id ei concedente Conſtantio, eum tentarent Alexandria dimouere.

e Athan. Apol. 2.

f Id. Apol. ad Conſt.

V. Cæterum quod Imperator totus eſſet in expeditione bellica, haud quiuerunt eadem tempeſtate omnes quas

aduerſus

aduerſus Athanaſium parauerant machinas admouere, quas in opportuniora tempora reſeruarunt. Sicut & eadē expeditio impedimento quoque fuit, quominus ea quæ in Romano Concilio decreta vidimus, apud eundem Imperatorem pertractari potuerint ante expugnatos tyrannos. Cum interea ipſe Conſtantius veniens in Pannoniam, ſimulanſque cum Vetranione amicitiam, quaſi accepturus eum in collegam Imperij: magnis pollicitationibus ipſum primo à Magnentio, à quo magnopere ſolicitabatur, retraxit: ac demum apud Murſum habens ad eius milites concionem, effecit vt ab ijſdem purpura exueretur, & priuatus viuere cogeretur. Hæc Zoſimus g: de bello vero Magnentiano dicetur anno ſequenti.

Vetranio dolo ſubiicitur.

g Zoſ. lib. 2.

IESV CHRISTI AN. 353.

LIBERII ANN. 2.

Constantii an. 17.

I. Anno Chriſti trecenteſimo quinquageſimo tertio, Conſtantio Auguſto ſextum & Gallo Cæſare iterum Coſſ. aduerſus Magnentium tyrannum idem Conſtantius pugnaturus, quod eo ſciret prælio totius Romani Imperij momentum verti, diuinum numen ſibi propitium reddere omni ſtudio laborauit. Ad hoc namque ſpectat quod ſuperius dictum eſt, omnes in ſuo exercitu militaturos voluiſſe prius initiari ſacro baptiſmate, renuentes vero dimitti. Sed & paterno vſus exemplo, quem ſciebat fiduciam omnem de victoria contra Maxentium tyrannum conſequenda in Crucis virtute collocaſſe, ſecundum quod illi cœlitus fuerat demonſtratum In hoc vince: eodem ipſe modo aduerſus Magnentium pariter tyrannum pugnaturus, expectatæ è cœlo victoriæ ſigna dedit, quod eodem tempore numiſmata [a] conflari iuſſit iſtiuſmodi inſcriptione, Hoc signo victor eris, cum Labaro, cui cum Cruce, Chriſti quoque nomen eſſet inſcriptum per literam X. & P. intermediam. Cæterum Magnentium etiam, quem Chriſtianum fuiſſe vidimus, virtute pariter Crucis & nominis Chriſti certam ſibi pollicitum eſſe victoriam, numiſma [b] antiquum demonſtrare videtur, cuius à tergo figura ipſius militaris ſtans, dextera Victoriolam: ſiniſtra Labarum habet, in quo pariter ſalutiferum idem ſignum eodem modo expreſſum habetur.

Pia Conſtantii expeditio in Magnentium.

a Habet Bar. Annal. to. 3. hoc an.

b ap. Adolp. in lib. numiſ. Imp. Rom.

II. Sicque in hoc primum bello illud velut portentum apparuit Crucem contra Crucem in prælium ferri, Chriſtique nomen aduerſus Chriſtum in Labaro oſtentari, & Chriſtianos in Chriſtianos armatos progredi: ſed quorum alterius partis tyrannus, innocentiſſimi Principis interfector dux eſſet, alterius hæreticus ac Deo perfidus Imperator: neq; enim alijs plane quam his auſpicibus tantum decebat aggredi nefas. Quamuis autem & ipſe Conſtantius, quod patrocinium impijſſimæ hæreſis ſuſcepiſſet, indignus prorſus videri potuiſſet qui de hoſtibus victoriam conſequeretur: quod tamen Deus de Magnentij immani parricidio tunc pœnas expoſceret, Conſtantij delicta ad aliud tempus punienda diſtulit: cum alioqui idem Imperator etſi non de fide Catholica, certe quidem de Chriſtiana religione idololatriam vehementi odio proſecutus, videri potuerit optime meritus, qua ex parte à Gregorio Nazianzeno, habita eius cum Iuliano Apoſtata collatione, meruit egregio laudum præconio celebrari: eodemque nomine vt quid temporalium rerum conferret illi diuina clementia, haud incongruum æſtimatum eſt.

Chriſtiani primum contra Chriſtianos pugnant.

Cur Deus fauerit hæretico Imp.

III. Quod autem ad ipſum bellum in Pannonia confectum attinet; quæ ante illud internuncia inter ducem vtrumque præierint, quæ velitationes vltimum prælium, vbi de ſumma rerum concertatum eſt, præceſſerint: quo ordine acies diſpoſitæ fuerint, quoue defectu Magnentij exercitus cedere cœperit, ac tandem victus penitus fuerit: ad Zoſimum [c] rem prolixius proſequentem, lectorem amandamus, quo etiam auctore conſtat, ipſum Magnentium poſt vltimum certamen, deſperatione melioris fortunæ ſeipſum gladio tranſuerberaſſe: Decentium autem eius fratrem impacto ſibi laqueo vitam finijſſe. Cæterum accidiſſe Magnentio hæc apud Murſum, cum occupaſſet Imperium annos tres & menſes ſex, idem Zoſimus, Victor, Eutropiuſque teſtantur: idque hoc ipſo anno ijſdemque Coſſ. decimooctauo Calendas Septembris contigiſſe, Socrates [d] habet: ſed mendoſe Murſum in Gallia collocans. Addit vero, eundem Magnentium fuga lapſum dolore amiſſi Imperij ſuperatum, tum propriam matrem, tum etiam alterum fratrem apud Lugdunum occidiſſe, ac demum ſibi ipſi necem conſciuiſſe. Sed & Silvanum quemdam, eodem tempore tyrannidem in Gallia arripientem, poſt paucos dies à Conſtantij ducibus extinctum eſſe, quæ eadem & alij tradunt.

Magnentii et Decentii debellatio et interitus.

c Zoſ. lib. 2.

d Soc. lib. 2. cap. 27.

Sylvanus tyran. occiditur.

IV. Habet quoque amplius Seuerus [e], Conſtantium deſcendere in conſpectum pugnæ non auſum, in baſilica martyrum extra idem Murſi oppidum, Valente eius loci Epiſcopo in ſolatium aſſumpto, diuerſatum eſſe: Valentem autem per ſuos diſpoſuiſſe, vt quis prælij fuiſſet euētus primus cognoſceret, vel gratiam Imperatoris captaturus ſi prior bonum nuntium detuliſſet, vel fuga vitæ conſulturus ſiquid contra accidiſſet: itaque cum primus nuntiaſſet hoſtes fugere, ipſeque Imperator eius nuntij indicem intromitti poſceret: eundem Valentem, vt reuerentiam ſui adderet, Angelum fuiſſe ſibi nuntium reſpōdiſſe: facilemque ad credendum Imperatorem palam poſtea dicere ſolitum, ſe Valentis meritis, non virtute exercitus viciſſe. Sed & fuit illud frequens in ore eius (quod teſtatur Lucifer [f] Calaritanus) probatā diuino calculo ſuam fidem, cum ſibi ſecundum Arium credenti tot tantaq; Deus præſtitiſſet, & ea maioribus in dies acceſſionibus cumularet: qua blaſphemia poſtea permotus ipſe Lucifer, librum ad eum ſcripſit *De Regibus apoſtatis*, quorum exemplis omnem illam ipſius inanem de probatione veræ fidei ex felicitate præſentis vitæ iactantiam liberrimo ore repreſſit: oſtendens ſæpe accidiſſe vt impijſſimi ac ſceleratiſſimi Principes à Deo fuerint diutius tolerati, immo & rebus proſperis ſæpius numerati.

e Seuer. lib. 2. hiſt.

Valentis Epiſc. Ariani dolus.

f Lucif. de Reg. Apoſt.

Conſtantius ex proſperis fit deterior.

V. Certe quidem poſt debellatum tyrannum, Conſtantium arrogantiorem eſſe cœpiſſe, quod eam fortunæ proſperitatem moderate ferre non poſſet: atque apertam fuiſſe calumniantibus viam ad optimos quoſque comprimendos, Zoſimus quoque teſtatur. Pariterque Ammianus [g] ſcribit, eumdem Conſtantium adulantium ſtudio exquiſito ſublatum, immunemque ſe deinceps fore ab omni mortalitatis incommodo fidenter exiſtimantem, confeſtim à iuſtitia declinaſſe ita intemperanter, vt Æternitatem meam aliquoties ſubſereret ipſe dictando, ſcribendoque propria manu *Orbis totius* ſe *Dominum* appellaret. Fuiſſe autem iſtas præcipue Arianorum adulationes, Sanctus Athanaſius [h] teſtatur: eiſdemque exprobrat, ſuum Imperatorem *Æternum* appellaſſe, qui filium Dei æternum eſſe negarent. Denique in reſcriptis etiam ſæpe eſt reperire, Conſtantium ſeipſum *Æternum* nominare. Tali nimirum faſtu infamauit Chriſtianam religionem hæreticus Imperator, in qua ſumma animi ſummiſſio potiſſimum commendatur.

g Am. lib. 15. ſupr.

Conſtantii inſolens faſtus.

h Athan. de Synod.

VI. Cum itaque ſic compoſitus audiſſet non ex ſuorum Arianorum ſententia eueniſſe quod à Papa Liberio petijſſent: in furorem exardeſcens edictum [i] propoſuit, vt qui in damnationem Athanaſij non ſubſcriberent in exilium pellerentur. Ipſum vero per magiſtratus [k] Alexandrinos varijs modis vexare cœpit, vt quolibet modo inde eijceretur. Quo tempore conuenientes eum Arelaten in Gallia, decreti ex Romano ſuperioris anni Concilio legati Vincentius Epiſcopus Capuanus atque collegæ, qui de cogendo rurſum in cauſa eiuſdem Athanaſij Concilio ipſum interpellarent, cum inueniſſent apud eum complures Arianæ factionis Epiſcopos, (& inter alios cariſſimum ipſi Valentem Murſi, quem non ita pridem [l] vna cum ſocio impietatis Vrſacio, reliquorum Arianorum perſuaſiones à fide Catholica & Athanaſij amicitia, quam apud Iulium Papam profeſſi fuerant ad priſtinam hæreſim Arianam retraxerant) à quibus importune ſolicitarentur damnationi Athanaſij ſubſcribere: id illi pro pace omnium Eccleſiarum polliciti ſunt, ea propoſita conditione,

Conſtantii furor in Athan. conuerſus.

i Seuer. lib. 2.

k Athan. Apolog. ad Conſtant.

l Id. ep. ad Solit.

ſi & alij prius Arij hæreſim condemnaſſent. Et quidem conſentio ſcriptis firmata eſt: ſed cum actum eſt de executione, alij reſponſum dederunt ſe Arij doctrinam damnare non poſſe, Athanaſium autem (quod ſolum exigebatur) communione eſſe priuandum. Habentur iſta expreſſa in epiſtola [m] Liberij Papæ, quam poſteriore legatione ad eundem Conſtantium miſit.

m Ext. ap. Lucif. Calar. & to. 9. Bibl. S.

VII. VINCENTII LEGATI APOST. LAPSUS.

Sed poſthæc illud lugubre accidit, vt Vincentius ipſe primarius Apoſtolicæ Sedis legatus, necnon Fortunatianus Aquileiæ Epiſcopus magni tunc nominis vir, atque Herminus Theſſalonicenſis, alijque nonnulli ex illis qui tunc ad CONCILIUM *Arelaten* vocati conuenerant, vim non vulgarem (inquit Athanaſius [n]) & graues contumelias paſſi, tandem promiſerint ſe ab eiuſdem Athanaſij communione abſtinere. Inſigne humanæ fragilitatis exemplum! Ecce enim tibi hic ille *Vincentius*, qui in Nicæno Magno Concilio honorificentiſſima Apoſtolicæ Sedis legatione perfunctus fuerat, idemque tum Romæ, tum in æque Magna Synodo Sardicenſi ſederat cum alijs Epiſcopis Iudex, ad cognoſcendam ſæpius iudicio ventilatam Magni Athanaſij cauſam, & pro eiuſdem abſolutione ſuffragium tulerat: hic inquam, in vltimo ſenio conſtitutus, minime conſiderans munus ſuum quo Romani Pontificis vices ageret, adeo turpiter inflexus eſt vel precibus vel minis Arianorum atque Conſtantij, vt in ſummum Catholicæ fidei athletam damnationis ſententiam intulerit, tam fœda ſubſcriptione obliterans tot honeſtis laboribus partam gloriam. Verum in lapſu continuit greſſum, ne in profundum præceps deferretur impietatis, nam non ſic ipſe velut Fortunatianus ſubſcripſit in Athanaſiũ, vt factus quoque fuerit proditor fidei: quippe qui poſtea aduerſus Arianos perſeuerauit infractus, prout inferius ſuis locis demonſtrabitur.

n Athan. Apolog. ad Conſtant.

VIII. MULTI ORTHOD. EPISC. EIECTI IN CONCILIAB. ARELAT.

o Seu. lib. 2.

Quid præterea Arelate in eo Epiſcoporum conuentu factum ſit, Seuerus [o] ſignificat, dum ait Catholicos petiiſſe vt priuſquam in Athanaſium ſubſcribere cogerentur, de fide potius diſceptarent: ſed Valentem ſocioſque eius prius Athanaſij damnationem extorquere conatos eſſe, de fide certare non auſos: ab hocque partium conflictu actum eſſe in exilium *Paulinum* inſignis nominis Treuirenſem Epiſcopum Maximini de quo ſæpe dictũ eſt ſucceſſorem: quem tamen alij [p] e Concilio Mediolanenſi poſt annum ſequentem pulſum eſſe volunt. Seuero tamen S. Hilarius [q], & ipſe Gallus, & tunc Eccleſiam Pictauienſem gubernans adſtipulatur. Pariterq; vna cum Paulino ex eodem Conuenticulo Arelatenſi *Lucium Anneum* Moguntinum Antiſtitem relegatum eſſe in Phrygiam, & ſecundo anno ſui exilij Arianorum inſidijs ſtrangulatum, atque in locum eius ab Orthodoxis Maximum ſubrogatum, Acta [r] eiuſdem Maximi teſtantur. Sicque vides Occidentalem Eccleſiam hoc anno, quamprimum eius Orbis Imperio Conſtantius potitus eſt, cœptam eſſe grauiſſimis ex Arianorum furore turbinibus agitari. Quæ vero poſt hæc iſtis grauiora ab ijſdem peracta ſint, dicetur inferius ſuis locis.

p Athan. ep. ad Solit. Soc. lib. 2. c. 29. Soz. lib. 4. cap. 9. q Hil. libel. ad Conſt.

r ap. Sur. 18. Nouemb.

IX. INGENS PRODIGIUM DE CRUCE APPARENTE IN AERE.

Interim hoc ipſo anno decimoſeptimo Cõſtantij Imperatoris ponitur in Chronico S. Hieronymi prodigium ingens apparuiſſe Hieroſolymis maximo inſpicientium terrore: nempe luciſſimum Crucis ſignum ſuper Sanctum Golgotham. Quod deſcribens Sozomenus [s], ait clare admodum reſplenduiſſe, non vt cometes ſolet diffuſis radijs, ſed luce multa in vnum conferta, valde denſo iubare & pellucido: ac pertigiſſe à loco Caluariæ vſq; ad montem Oliueti reſpondente ei longitudini æqua proportione latitudine ipſoque ſigno quindecim ſtadijs in aere ſuſpenſo hærente. Omnes autem eo velut inſigni miraculo obſtupeſcentes, in Eccleſiã concurriſſe, & vno ore CHRISTUM laudibus celebraſſe, multoſque tam Gentilium quã Iudæorum ad Chriſtianam fidem conuerſos eſſe: ſed & cum ex cunctis propemodum terræ oris homines Hieroſolymis tunc reperti eſſent, qui vel precandi, vel ſancta loca inuiſendi cauſa ex more aduenisſent, rem per vniuerſum orbem diuulgaſſe: Cyrillum autem eiuſdem ciuitatis Epiſcopum Imperatorem de ea per literas certiorem reddidiſſe. Hæc Sozomenus: extantque [t] ipſę Cyrilli ad Conſtantium literæ: cum & hac opportuna occaſione ferociam Imperatoris blandis verbis & immeritis laudibus delinire conatus, eundem ad fidem Conſubſtantialis hortatus eſt. Apparitionem autem fuſe deſcribens, ait contigiſſe ipſis ſanctæ Pentecoſtes diebus circa horam diei tertiam, & compluribus locis ſuper terram ab omnibus viſam eſſe: quæ eadem teſtata habentur in Actis [u] Artemij martyris ſub Iuliano, & poſt expugnatum Magnentium accidiſſe traduntur. Quod vero apud Nicephorum [x] legitur, idem ſignum Romano exercitui in Pannonia militanti factum eſſe perſpicuum: ex prædictis redargui poſſe videtur, quibus conſtat haud adeo ſublime apparuiſſe, vt in longe remotis regionibus videri potuerit.

s Soz. lib. 4. cap. 4.

t ap. Cyril. Hieroſol. ſ. Catech.

u ap. Sur. 19. Oct.

x Nic. lib. 9. cap. 32.

X. QUID PORTENDERIT PRODIGIUM.

y Menolog. Gr. 7. Maij.

Porro tantæ rei memoria non diuerſorum duntaxat ſcriptorum egregijs monumentis remanſit poſteris conſignata: ſed etiam publicis Eccleſiaſticis [y] tabulis penes Orientales conſcripta eſt, anniuerſaria celebritate Chriſtiano populo rediuiua die ſeptima menſis Maij. Quid vero portenderit, tempora ipſa declarare videntur. Etenim cum totius Orbis Imperator bellum geſturus aduerſus Catholicam Dei Eccleſiam, vexillum erexiſſet impietatis, CHRISTUS cuius maxime diuinitas impetebatur, illud ipſum quo vniuerſam cum impijs debellauerat impietatem, diuinum ſignum ſupra ſanctum montem immenſa claritate coruſcans voluit cœlitus demonſtrare, quo illud auribus Fidelium intonaret, CONFIDITE, EGO VICI MUNDUM, Remque ſane probauit euentus cum diuina virtute fides Catholica eo effulſit glorioſior, quo magis exiſtimabatur armis impietatis extincta.

XI.

Inter hæc autem fluctuabant res Orientales, Iſauricis latronibus longe lateque graſſantibus, aliaque ex parte Saracenis collimitios infeſtantibus, atque etiam Perſis Meſopotamiam inuadentibus: cum interim Gallus Cæſar, quod tyrannidem affectaret, in magiſtratus complures diuerſis prætenſis cauſis immaniter fureret. iſta pluribus Ammianus [z]: ſed eius iactura librorum deſiderantur ea quæ ab eodem Gallo geſta ſunt aduerſus Iudæos. Ea vero Hieronymus in Chronico hoc ipſo anno Conſtantij decimoſeptimo breuiter attingens, ait Gallum Iudæos qui interfectis per noctem militibus arma ad rebellandum inuaſerant, oppreſſiſſe, cæſis multis hominum millibus vſque ad innoxiam ætatem: & nonnullas eorũ ciuitates, plurimaq; oppida igni tradidiſſe. Hæc Hieronymus: eademque Socrates [a] & Sozomenus [b]. Sed & ipſum Conſtantium natalis ſui celebritatem multo inſontium ſanguine aſperſiſſe, idem Ammianus tradit: eorum ſcilicet qui vel leuiſſima qualibet ſuſpicione de amicitia cum Magnentio laboraſſent, vel alijs ex cauſis delatorum calumnijs obnoxij fuiſſent. Habet inſuper, eundem Imperatorem hoc anno in Galijs hiemem egiſſe Arelate.

z Am. lib. 14. IUDÆI A GALLO CÆS. COMPRESSI.

a Socr. lib. 2. cap. 27. b Soz. lib. 4. cap. 6.

IESU CHRISTI ANN. 354.

CONSTANTII AN. 18.

LIBERIJ AN. 4.

I. INSIGNIS LEGATIO LIBERII AD CONSTANTIUM.

ANNO Chriſti trecenteſimo quinquageſimo quarto, Conſtantio Auguſto ſeptimum & Gallo Cæſare tertium Coſſ Liberius Papa auditis ijs, quæ prioribus à ſe miſſis legatis ad Conſtantium contigiſſent, aliam rurſus Legationem ad eundem Imperatorem in Galliam mittere feſtinauit, qua functi ſunt *Lucifer* Calaritanus in Sardinia Epiſcopus qui Romam his diebus opportune aduenerat *Pancratius* Romanæ Eccleſiæ presbyter, & *Hilarius* eiuſdẽ Eccleſiæ diaconus: quibus in itinere iunctus eſt rogatu eiuſdem Liberij *Euſebius* Epiſcopus Vercellenſis, digniſſimus plane Eccleſię Romanę filius: quippe quẽ olim e Sardinia Romam à matre Reſtituta nobili Chriſtiana fœmina ductũ, Euſebius Papa fide ac pietate egregie imbutum baptizauit, ac ſuum ei nomen indidit: vt habent eiuſdem Vercellenſis Vitæ Acta. Porro obtentum eſt ea legatione quod petebatur, nempe vt Conciliũ celebraretur in cauſa Athanaſij. Sed quod hoc anno (vt tradit Ammianus [a]) Conſtantium aduerſus Gundomadum & Vado-

a Am. li. 14.

matium fratres Alemannorum Reges Galliam inuadentes, oportuit arma mouiſſe: & tantum poſt pacem eiſdem petentibus conceſſam, hiberno adueniente tempore datum fuit ſuperatis Alpibus ſe Mediolanum conferre: Concilium ibidem celebrandum dilatum eſt in annum ſequentem. De Legatione vero miſſa fidem faciunt literæ, quas tunc Liberius cum ad ipſum Imperatorem [b] tum ad Euſebium [c] ſcripſit.

b Ext. ap. Lucif. Calar. in ſin. c Ext. in Act. Vit. Euſ. Vercel.

II. GALLVS CÆS. NECATVR.

Interim autem Imperator (inquit Ammianus) curarum abiectis ponderibus alijs, tanquam nodum & odium difficillimum, Gallum Cæſarem niſu valido cogitabat. Quo vero modo, & per quos id effecerit pluribus ipſe. Nobis ſat ſcire, hoc ipſo anno hiemis tempore Gallum Polæ in Iſtria circumuentum atque circumdatum à Conſtantianis, ſpoliatum Cæſaris ornamentis & in priuatam fortunam redactum, ab ijſdem tandem truncari capite iuſſum eſſe; anno ætatis ſuæ vigeſimonono, cum quadriennio imperaſſet, vxore eius Cōſtantina paulo ante febribus abſumpta. Perſeueraſſe vero Gallum Christianam religionem excolere ad exitum vſque, Theodoretus [d] affirmat: vtinam & fidei coniunxiſſet quoq; manſuetudinem. De cuius exitu agens S. Gregorius [e] Naziāzenus in quem reijciat culpam, num in ipſum, an in Conſtantium, hæret; ſed vtrumque deliquiſſe affirmat. De compluribus autem necatis iuſſu Conſtantij, quod ob amicitiam cum Gallo in ſuſpicionem veniſſent, pluribus agit Ammianus.

d Theod. lib. 3. c. 3. e Greg. Naz. orat. 1. in Iulian.

III.

Quo etiam tempore Eudoxium & Aetium hæreticos Arianos, quod Gallo fauiſſent, eiectos in exilium eſſe, Nicephorus [f] ſcribit: quos tamen conſtat paulo poſt exilio relaxatos & honoribus auctos. Addit quoq; Theophilum Indum & ipſum Arianum, ob eandem Galli amicitiam in exilium pulſum eſſe. Sed quæ habet de eius laudibus, deque fide Christiana, ſeu potius hæreſi Ariana, in Indiam per eum inuecta & diſſeminata: cum ea ex Philoſtorgio hæreticorum infamiſſimo ſuſcepiſſe profiteatur, omnia plane in mendacij ſuſpicionem abducit: ſicut & Suidas, dum ex Thalaſſio eiuſdem farinæ homine cūdem Theophilum laudat: quem quidem antiquiores omnes Græci hiſtorici penitus ignorarunt.

f Nic. lib. 9. cap. 19.

IV.

Cum autem Iulianus Galli frater in ſuſpicionem adductus conſpirationis cum eo, ad Conſtantium Auguſtum Mediolanum ſe contuliſſet: & ipſe nefando (inquit Ammianus [g] eidem Iuliano plurimū addictus) aſſentatorum cœtu vrgentium perijſſet, in Euſebia ſuffragante Regina ductus ad Comum oppidum Mediolano vicinum, ibique paulisper moratus, liberalium cauſa doctrinarum, vt cupidine flagrauit, ad Græciam ire permiſſus eſt. Duplicem autem eo proficiſcendi cauſam habuiſſe, Gregorius [h] Nazianzenus tradit, qui & ipſe tunc Athenis aderat cum Iulianus eo ſe contulit: nempe alteram ſpecioſiorem & honeſtiorem, vt Græciam eiuſq; ſcholas viſeret: alteram tectiorem paucisq; notam, vt regionis illius ſacrificos & impoſtores de rebus ſuis conſuleret. Quibus quidem adſtipulatur Eunapius [i], dum ait Iulianū à Maximo atq; Chryſantio philoſophis magicis inſtructum, intellecto plus aliquanto latere in Græcia apud Eleuſiniarum dearum Antiſtitem, inſignem futurarum rerum præſagum, velociter illuc accurriſſe. Cæterum Gregorius Iulianum conſpicatus, de homine haud falſus coniector extitit: cum (vt ait) morum ipſius inconſtantia, & incredibilis quædam mentis emotio, ceruix non ſtata, humeri ſubſultantes & ad æquilibrium ſubinde agitari, oculus inſolens & vagus furioſeque intuens, pedes inſtabiles & titubantes, naſus contumeliam & contemptum ſpirans, vultus lineamenta ridicula idem ſignificantia, riſus petulantes & effrenati, nutus & renutus temerarij, ſermo hęrens ſpirituque conciſus, interrogationes ſtultæ & præcipites, reſponſiones nihilo his meliores, aliæ in alias inſultantes, nec graues & conſtantes, nec ordine progredientes: eum vaticinari coegerunt, *Ingens malum Romanorum terram in Iuliano nutrire:* quamuis adhuc illud contegere conaretur pallio illo philoſophico, quod tum Athenis induit.

g Am. lib. 15. IVLIANVS ATHENAS VENIT. h Greg. Naz. or. 2. in Iul. i Eunap. in Vit. Philoſ. DE IVLIANO QVID AVGVRATVS GREG. NAZIAN.

V.

Florentiſſimæ videbantur hoc tempore eſſe Athenarum Scholæ, quarum cauſa Iulianus ſe eo proficiſci vehemēter cupere demonſtrauit: & licet in alijs quoque Orientis præclarioribus vrbibus, diuerſarum eſſent facultatum gymnaſia: accidere tamen ſolebat, vt qui prius in eis operam ſcientijs dediſſent, demum Athenas ſe conferrēt vt penitus conſummarentur. Sic enim plane factum, non à Iuliano tātum, ſed & ab ipſo Gregorio Nazianzeno: qui [k] cum Cæſareæ Paleſtinæ primum, inde Alexandriæ vna cum fratre Cæſario auditor extitiſſet, poſtremo Athenas profectus eſt. Pariterque poſt eum Baſilius [l] Cæſarienſis Cappadox, cum prius Cæſareæ Palæſtinæ, inde Conſtantinopoli egregie literis excultus fuiſſet, Athenas conceſſit. Qua vero occaſione, & quam intima inter eoſdem Baſilium & Gregorium ibidem inita fuerit amicitia: quæ eadem amborum optima conuerſatio, quod pietatis ſtudium, qui literarum profectus, quæ famæ toto Orbe celebritas: hæc inquam, pluribus narrat idem Gregorius oratione habita in laudem Baſilij. Quo etiam auctore [m] cum exploratum habeatur, priorem Athenis Baſilium diſceſſiſſe, Gregorium vero inuitum ab Athenienſibus retentum vt publice profiteretur oratoriam artem (annum tunc agentem ætatis trigeſimum) & ipſum paulo poſt inde ſe ſubducentem domum repetijſſe: ex his plane Ruffinus [n] erroris arguitur, dum ait à Gregorio ſubductum Baſilium è doctoris cathedra, manuque iniecta in monaſterium eſſe perductum. Sed iam his relictis, quos ſæpe in progreſſu conueniemus, ad ſequentis anni res tragicas cunctantem licet conuertamus orationem.

QVALES ATHENÆ HIS TEMPORIBVS. k Greg. Naz. car. de reb. ſuis, & orat. in fun. Cæſ. l Id. orat. in laud. Baſil. BASILII ET GREG. NAZ. AMICITIA ET STVDIA. m Id. carm. de Vit. ſua. n Ruff. lib. 2. c. 9.

IESV CHRISTI ANN. 355.

CONSTANTII AN. 19.

LIBERII AN. 4.

I. CONCIL. MEDIOL.

ANNO Christi trecenteſimo quinquageſimo quinto, Arbetione & Lolliano Coſſ. celebratum eſt *Mediolani* CONCILIVM, quod miſſa à Liberio Papa anno ſuperiori ad Conſtantium Imperatorem legatione fuerat expetitum, vt cauſa Athanaſij, ex qua ingens naufragium Catholicæ Eccleſiæ imminebat, Epiſcopali iudicio cognoſceretur, quod quidem hoc ipſo anno habitum eſſe, tum plura alia demonſtrant, tum Seuerus [a] diſertis verbis certum reddit, dum exilia Epiſcoporum ex eodem Concilio irrogata contigiſſe ijſdem Coſſ. aſſerit. De frequentia vero Synodi Socrates [b] & Sozomenus [c] tradunt ex Oriēte paucos Epiſcopos aduentaſſe, quod alij morbo detenti, alij itineris longitudine deterriti eſſent: Occidentalium vero conueniſſe amplius trecentos. Verum quantumlibet iſtiuſmodi Epiſcoporum conuentus Eccleſiaſtici Concilij nomen præſetulerit, verius tamen dicenda fuit tyrannica conſultatio, quippe cui præſideret vna cum ſatellitio adhuc cruentus innoxiorum ſanguine hæreticus Imperator; vbi Arianis totum conceſſum; Catholicis Epiſcopis denegata omnia, ſuffragia vetita, vel interciſa, vilipenſa: vbi non ſacri ſancirētur canones, ſed exiliorum ſcriberentur ſententiæ. Quæ omnia antea odoratus Euſebius Vercellenſis, eo conuenire detrectans, venire tamen (quod tradit Hilarius [d]) poſtea iuſſus eſt: extantque [e] hactenus literæ tum ipſorum Arianorum Epiſcoporum, tum Luciferi atque collegarum Apoſtolicæ Sedis Legatorum ad eundem ſcriptæ, pro accelerando ipſius ad Synodum aduentu.

a Seue. lib. 2. b Soc. lib. 2. cap. 29. c Soz. lib. 4. cap. 8. FACTIO SCELERATORVM. d Hil. libel. ad Conſtan. e Res. Bar. Annal. tom. 3. hoc an.

II. QVID EVSEBIVS VERCEL. IN SYNODO.

Qui vbi Mediolanum veniſſet, decem diebus (ſubdit Hilarius) ad Eccleſiam vetitus eſt accedere: ſoporatis vero conſilijs omnibus, vbi libitum eſt aduocatus, adſtitit vna cum Romanis clericis & Lucifero: & conuentus vt in Athanaſium ſubſcriberet, reſpondit de Epiſcoporum qui adeſſent fide prius oportere conſtare: compertos enim ſibi quoſdam hæretica labe pollutos eſſe. Itaque expoſitam fidem apud Nicæam producens, promiſit omnia quæ poſtularent eſſe facturum ſi ei ſubſcripſiſſent. Sed cum Dionyſius Mediolanenſis Epiſcopus ſcribere cœpiſſet, Valens calamum & chartam è manibus eius violenter extorſit, clamans non poſſe fieri vt aliquid inde gereretur. Re vero poſt clamorem multum deducta ad populum,

verentes Ariani illius iudicium, ab Eccleſia in Palatium ſe receperunt. Hæc Hilarius.

Quid autem tunc in Palatio actum ſit Seuerus narrans, ait Valentem & Vrſacium cæteroſq; Arianos Epiſcopos, metu plebis quæ Catholicam fidem egregio ſtudio conſeruabat, non auſos impietatem coram illo profiteri, intra Palatium congregatos eſſe, illincque epiſtolam ſub Imperatoris nomine emiſiſſe omni prauitate refertam: eo nimirum conſilio, vt ſi eam æquis auribus populus reciperet, ipſi publica auctoritate cupita proferrent: ſin eam reſpueret, omnis inuidia in Imperatorem caderet: & ipſa quidem venialis, quia adhuc catechumenus myſteria fidei videretur potuiſſe neſcire. Enituit vero tunc magna cum laude ſincera fides, atque infracta conſtantia populi Mediolanenſis, cum non ſolum lectam in Eccleſia epiſtolam Imperatoris auerſatus eſt, ſed & ſemper in eadem ſententia perſtitit, licet ſibi ablatus poſtea fuerit Epiſcopus Catholicus, & Arianus ſuffectus.

CONSTANTIA POPVLI MEDIOLAN.

III.

f Athan. ep. ad Solit.

CONSTANTIVS OMNIA VI AGIT.

Quid etiam tunc in Palatio actum ſit in cauſa Athanaſij, idem [f] ipſe deſcribens, ait Conſtantium cognita Paulini Luciferi Euſebij, Dionyſij Epiſcoporum libertate, docentium ex pœnitentia Vrſacij & Valentis falſos ipſos eſſe Athanaſij criminatores, neque vlterius habendam eſſe fidem eorum dictis quæ ipſi ſua pœnitentia reuocauerant: eueſtigio aſſurgentem, ſeipſum profeſſum eſſe Athanaſij accuſatorem: illiſque viciſſim reſpondentibus, cauſam iudicari non poſſe abſente vel inaudito reo, illos quidem in exilium eieciſſe: concitatiorem autem in Athanaſium factum, atrocius in eum edictum promulgaſſe, quo decerneret & eum debere pœnas luere, & eccleſias Arianis tradi, iiſdemq; ſe liberum facere vt agerent quod vellent. Hæc Athanaſius: qui & Conſtantium Antichriſti imaginem induiſſe ait, cum de rebus Eccleſiaſticis iudicare præſumpſit. In hunc igitur modum Athanaſio damnato, nonnulli quoque Epiſcopi Catholici eiuſdem damnationi conſenſerunt, ſperantes ſic conſopitum fore Eccleſiaſticum bellum. Verum cum & eoſdem Ariani vna ſecum communicare pariter ſuaderent, intentantes etiam minas (quod Lucifer [g] qui aderat teſtatur iis qui facere recuſaſſent, cum in alios omnes abnuentes Conſtantij furor exarſit, tum præcipue in Legatos Apoſtolicæ Sedis: quorum principem Luciferum Hieronymus [h] tradit, quod nollet ſub nomine Athanaſij Nicænam damnare fidem, in Palæſtinam relegatum eſſe. Pancratium vero presbyterum & Hilarium diaconum eiuſdem legationis ſocios, S. Athanaſius [i] docet in exilium miſſos eſſe, Hilario prius flagellis conciſo.

ANTICHRISTI IMAGINEM GERIT.

g Lucif. lib. 2. pro Atha.

h Hier. de Script. Eccl.

LEGATI APOST. MALE HABITI.

i Athan. ep. ad Solit.

IV.

EVSEBII VERCEL. ARTE LIBERATVR DIONYS. MEDIOL. A SVA SVBSCRIPTIONE.

Cæterum Dionyſius, qui magna cum laude Catholici nominis præerat Eccleſiæ Mediolanenſi, cum pellectus & ipſe fuiſſet in Athanaſium ſubſcribere, ea conditione vt in reliquo Catholicæ fidei conſultum foret: poſtea pœnitens Euſebij Vercellenſis arte ſubſcriptionem reuocauit. Requiſitus enim Euſebius vt exemplo Dionyſij & ipſe ſubſcriberet, viſus eſt illis annuere, ea tamen lege ſi ſua ſubſcriptio ante illam Dionyſij in ſerie chirographorũ poneretur: indignum plane eſſe affirmans, ſi iunior Epiſcopus ſeniori, & velut parenti filius præponeretur. Qua illi ratione permoti, quibus nihil magis in optatis erat, quam vt toti Occidentali Orbi ſanctitate conſpicuum Euſebium, ad ſubſcribendum in Athanaſium pellicerent: ſtatim ex tabella Dionyſij nomen penitus deleuerunt, priorem locum ſcribendi Euſebio deferentes. Sed ille tunc fictionis ſuæ cauſa detecta, eoſdem irridens, negauit ſe illorum velle ſceleribus pollui. Habentur iſta apud Sanctum Ambroſium [k], in ſermone incerti, ſed tamen antiqui auctoris, in natali de eiuſdem Sancti Euſebij habito: quæ tamen in quibuſdam alijs minoris fidei ſermonibus, alio diuerſoque modo referuntur. Cæterum Ariani (ſubdit auctor ille apud S. Ambroſium) grauiter indignantes ita nequitiam ſuam fuiſſe deluſam, nouis eum per Conſtantium Imperatorem paſſionibus vexauerunt, ac poſt multas iniurias exulem in Orientem miſerũt, ac mori coegerunt. Verum de obitu inferius. Denique & Dionyſium pariter in exilium miſſum eſſe, quod Arianis communicare noluerit, Lucifer ſcribit. Quos ambos exulantes, egregio præconio Ambroſius [l] celebrat: eorundemq; ſimul & aliorum tunc eadem pœna mulctatorum, in fide conſtantiam, & ingentem in reſiſtendo ipſi Conſtantio animum, Athanaſius [m] prædicat. De iiſdem item omnibus agunt Ruffinus [n], Seuerus [o], Socrates [p], Sozomenus [q], & alij: ſed in quibus nonnulla inſint quæ tum ex iam dictis, tum ex alijs inferius dicendis corrigantur.

k ap. S. Amb. ſer. 69.

IDEM EPISC. DAMNATI IN EXILIVM.

l Amb. ep. 82. ad Verc.

m Athan. ad Solit.

n Ruff. lib. 1. cap. 20.

o Seuer. li. 2.

p Soc. l. 2. cap. 29.

q Soz. lib. 4. cap. 8.

V.

r Athan. ad Solit.

CONSTANTII PROGRESSVS ADVERSVS CATHOL. IN ODIVM ATHANASII.

Quæ autem fuerint reliqua Conſtantij opera aduerſus alios Epiſcopos in ſuis Eccleſijs commorantes, S. Athanaſius [r] ſummatim colligens, ait ſtatim poſthæc Mediolani geſta literas ad Præfectum Ægypti miſſas eſſe, vt frumentum Athanaſio ac ſuis (id enim liberalitate Conſtantini, Epiſcopo & clericis eius Eccleſię impendebatur) adimeretur, dareturq; Arianis: & vt liberum eſſet contumeliam inferre in Athanaſij communicatores: minas item intentatas eſſe Iudicibus, niſi cum iiſdem Arianis communionem celebrarent: rurſuſque in alias vbique prouincias edicta miſſa, & Palatinos delegatos ad Epiſcopos & Iudices, vt iſti quidem de cauſa iudicarent, illi vero contra Athanaſium ſcriberent, & aut communionem cum Arianis haberent, aut pœnam exilij ſuſtinerent: populique qui eis communicare recuſarent, vinculis, contumelijs, bonorumque direptionibus affligerentur: mulctam quoque magiſtratibus denunciatam, niſi quiſque ſuæ ciuitatis Epiſcopum ad eiuſmodi impietatem cogeret: quotquot autem Epiſcopi ad Imperatorem proficiſcerentur, non prius ad eius conſpectum admiſſos eſſe, nec vel è domicilio prodire permiſſos, quam ſubſcripſiſſent: aut ſi recuſarent, in exilium mitterentur.

VI.

AVXENTIVS INTRVDITVR MEDIOLANVM.

Agens præterea idem Athanaſius de Epiſcopis à Conſtantio in locum Orthodoxorum ſubſtitutis, inter alios meminit de *Auxentio*, qui in locum Dionyſij Mediolanenſis exulis ſubrogatus eſt: eumdemque delatorem potius quam Chriſtianum fuiſſe tradit, hominemque ne Romanæ quidem linguæ (erat namque Cappadox) ſed tantummodo hæreſeos peritum. Verum callidus ſerpens quod ſciret populo Mediolanenſi perosam Arianam eſſe doctrinam, aſtute admodum eam diu ſtuduit occultare, ſicque aureo calice Babylonis blaſphemias Arij propinauit, cum tamen vix paucos aliquot ſibi inuenerit obſequentes. Agetur de eo ſæpe inferius: nunc vero reliqua huius anni proſequamur.

VII.

s Am. lib 5.

LIBERIVS PP. VEXATVR A CONSTANTIO IMP.

t Refert eam Ammianus, hæc ſcribens: ſed ex Arianorum potius rumoribus, quam ex rei veritate.

Hoc eodem anno iiſdemque Coſſ. (vt Ammianus [s] tradit) adminiſtrante, Præfecturam Vrbis Leontio, Liberius Chriſtianæ religionis Antiſtes à Conſtantio ad Comitatum Mediolanum mitti præceptus eſt, tanquam Imperatoris iuſſui & plurimorum ſcitis in Synodo decretis obſiſtens in cauſa [t] Athanaſij Epiſcopi, quem per ſubſcriptionem abijcere ſede ſacerdotali, paria ſentiens cæteris, iubente Principe, Liberius monitus perſeueranter renitebatur: nec viſum hominem, nec auditum damnare, nefas vltimum ſæpe exclamans, aperte ſcilicet recalcitrans Imperatoris arbitrio. Id enim ille Athanaſio ſemper infeſtus, licet ſciret impletum tamen auctoritate qua potiuntur æternæ Vrbis Epiſcopi firmari, deſiderio nitebatur ardenti. Quo non impetrato, Liberius ægre populi metu, qui eius amore flagrabat, cum magna difficultate noctis medio potuit aſportari. Hæc totidem verbis Ammianus: qui cum eſſet Ethnicus, non potuit de auctoritate Romani Pontificis loqui, niſi quæ omnibus etiam à religione Chriſtiana alienis notiſſima eſſent.

VIII.

u Athan. ad Solit.

PERSECVTIO IN LIBERIVM OB DEFENSIONEM ATHANASII.

Cæterum ei conſentientia Athanaſius [u] ſcribens, dum poſt prædictorum Epiſcoporum exilia, & alias Arianorum impietates, eandem de Liberio hiſtoriam proſequitur, ait eoſdem Arianos ne Liberio quidem Romano Epiſcopo pepercisse, nulla reuerentia ductos, vel quod Sedes illa Apoſtolica eſſet, vel quod Roma metropolis eſſet Romanæ ditionis (nempe totius Romani Imperij Eccleſiarum) ſed omnia ſimul miſcẽtes, æque omnium oblitos eſſe, nihil curæ habentes niſi ſolam impietatem. Itaque ſecum cogitantes ſi Liberium in ſuam ſententiam traherẽt, omnes alios breui ſuperaturos, rem ad Imperatorem detuliſſe: ab hoc autem miſſum Romam eſſe Euſebium

eunu-

eunuchum Præfectum cubiculi cum literis & donis, vt donis quidem Liberio blandiretur, literis autem minaretur: ſed & has & illa Liberium contemnentem, eidem Euſebio egregie reſtitiſſe, omninoque Imperatori renunciandum præcepiſſe, vt fieret Eccleſiaſtica Synodus longe à Comitatu, vbi nec Imperator præſto eſſet, nec Comes ſe ingereret, nec Iudex minaretur: vt eo in loco ante omnia Catholica fides Nicæna ſtabiliretur, & Arianis eiectis eorum hæreſis anathemate damnaretur: tuncque demum iudicium de Athanaſio legitime redintegraretur: cumque poſt hæc idem Euſebius dona quæ Liberio attulerat, eadem ab ipſo reiecta in Eccleſia Sancti Petri conſecraſſet: re ab eodem Liberio cognita, increpito cuſtode loci quod id non prohibuiſſet, dona illa vt oblationem illicitam proieciſſe: hiſque valde commotum Imperatorem, ſcripſiſſe Romam ad Præfectum, vt Liberium aut dolo aut vi inde ſubductum ad ſe mitteret: Liberium autem eo perductum, magna quoque apud ipſum Imperatorem dicendi libertate declaraſſe, ſe ad omnia potius ſuſtinenda paratum eſſe, quam vt Arianis adhæreret. Hæc omnia Athanaſius.

IX. LIBERII CONSTANTIA ET MAGNANIMITAS. x Theod. li.2. c.16.

Sed quod addit Conſtantium, ad verba Liberij nihil aliud reſpondiſſe quam imperia & exilia: præterijſſe eum apparet integra illa Acta publica à Notarijs tunc excepta, de rebus inter Imperatorem atque Liberium tranſactis, quæ Theodoretus [x] fideliter per dialogiſmum vt geſta ſunt recitat: quibus videas infractum Liberij animum robur pro tuenda fide Catholica & Athanaſij innocentia: ob quam poſt triduum relegatus eſt Berœam Thraciæ: recuſata quoque pecunia tum ab Imperatore, tum ab ipſa Imperatrice eidem in ſumptus oblata: iuſſaque eadem vel ad militum ſtipendia ab Imperatore impendi, vel Auxentio & Epicteto Epiſcopis Arianis qui ea indigerent dari. Cumque rurſum aliam Euſebius eunuchus ei offerret, ad eum Liberius, *Tu* (inquit) *Eccleſias Orbis terræ expilaſti, & iam mihi vt damnato & egenti eleemoſynam adfers? Abi primum, & Chriſtianus ipſe fias.* Hæc pluribus apud Theodoretum; quæ narrat etiam Sozomenus [y]: ex quibus, alijſque ex Athanaſio recitatis, ſatis manifeſte intelligitur (quod & ſuperius monuimus) quam falſum ſit quod ex ementita eiuſdem Liberij epiſtola traditur, eum ipſo ſedis ſuæ principio Athanaſium damnaſſe, & Arianis communicaſſe. Quæ vero poſt hæc ei acciderint, dicetur ſuo loco.

y Soz. lib.4. c.10.

X. LIBERIO IN EXILIVM PVLSO, FELIX SVBROGATVR. z Hieron. de Script. Eccl. in Acac. a Soc. li.2. c.29. in fin. b Ruff. lib.1. c.22.

Interim in eius loqum *Felix* Romanæ Eccleſiæ diaconus ſuffectus eſt, id operante (vt tradit Hieronymus [z]) Acacio Epiſcopo Cæſarienſi in Palæſtina. Porro eundem Felicem Orthodoxæ fidei profeſſorem fuiſſe, Theodoretus & Sozomenus teſtantur: licet (vt aiunt) Arianis, à quibus in eam ſedem euectus eſſet, communicaret. Sicque intelligendum eſt quod ait Socrates [a] fuiſſe Felicem Arianæ ſectæ addictum: nimirum quod illis communicaret, & ex eorum voluntate damnationi Athanaſij ſubſcripſiſſet. Hocque item eſt, quod ijs omnibus Græcis auctoribus antiquior Ruffinus [b] ait, Felicem ab hæreticis in locum Liberij ſubrogatum, non tam ſectæ diuerſitate, quam communionis & ordinationis conuenientia maculatum eſſe: nimirum quod cum ab Arianis ordinatus eſſet, eiſdem communicaret. Quapropter cum Hieronymi ſententia conſtet, Felicem ab Acacio Arianorũ Principe electum eſſe: & Athanaſij [c] quoque teſtificatione, à tribus Arianis Epiſcopis Epicteti molitione (fuit is Epiſcopus Centumcellenſis, Arianorum ſæuiſſimus & ad omnia ſcelera promptiſſimus, ac proinde Imperatori cariſſimus) ordinatum: ſed & Socratis auctoritate liqueat, ab Vrſacio Arianorum audaciſſimo ad eam dignitatem electum: his ſic ſe habentibus, haud ſubſiſtere poſſe videntur quæ de Felicis ordinatione leguntur in libro de Romanis Pontificibus: videlicet eum ſubſtitutum in locum Liberij à Concilio ſacerdotum, ipſomet procurante Liberio. Sed vtcunque daremus, id ab Arianis conceſſum eſſe Catholicis, vt aliquis è Catholicis & è Romanæ Eccleſiæ clericis in locum Liberij exulantis adminiſtraret eam Eccleſiam: quonam titulo dicemus Felicem in locum Liberij ſubſtitutum? non certe titulo Romani Epiſcopi, ſuperſtite adhuc eodemque confeſſionis gloria celebri, legitimo eius ſedis Antiſtite Liberio: ſed tantum (vt quod maximum concedi poteſt, tribuamus) Corepiſcopi eiuſdem Eccleſiæ. Quod ſi cum alijs citatis auctoribus dixerimus, Felicem in locum Liberij ordinatum eſſe ab Arianis: nullæ prorſus potuerunt eſſe eius ordinationis vires, vt non ſit mirum ſi (quod ſcribit Theodoretus [d]) nemo ex Romano populo in Eccleſiam dum Felix intus eſſet, ingredi vellet. At quonam modo mutatæ ſint rerum vices de Felice atq; Liberio ſuo loco opportunius dicturi ſumus.

FELIX COMMVNICAT ARIANIS, SED EST CATHOLICVS. c Athan. ad Solit.

FELIX AN DICI POTVERIT EPISCOP. ROM.

d Theod. li.2. c.17.

XI. OSIVS TENTATVS, PRIORI CERTAMINE VINCIT.

Talibus autem ac tantis ſceleribus factis (inquit Athanaſius) nihil adhuc ſe feciſſe Ariani arbitrantes, quamdiu Magnus ille Oſius Cordubenſis in Hiſpania Epiſcopus, gloria confeſſionis illuſtris, & toto Orbe ob res præclare geſtas celeberrimus, eorum malitiam expertus non eſſet: apud Conſtantium egerunt, vt ipſe cum licet iam prope centenarium ſenem ad ſe vocaret, & aduenientem ſolitis ſuis fraudibus ad ſubſcriptionem in Athanaſium, & communionem cum Arianis, ſolicitaret. Verum cum illum Oſius magnis rationibus conterritum de ſententia deduxiſſet, atque ita ad Eccleſiam ſuam redire permiſſus eſſet: agentibus rurſum Arianis, minacibus ab Imperatore literis appetitus (quibus ipſe magna libertate ſimul & grauitate reſpondit) demum quod alios Hiſpanos Epiſcopos ab eiuſmodi ſubſcriptione auerteret, ad Comitatum iterum accerſitus, pro exilio detentus eſt integrum annum Sirmij. Narrat hæc omnia pluribus Athanaſius [e]: quæ vero poſt hæc de Oſio ſubdit, ſuo loco dicentur.

e Athan. ad Solit.

XII. f Id. Apol.2. PERSECVTIO ARIANOR. VBIQVE GRASSATVR.

Deniq; trans mare quoque, aduerſus Catholicos Africanos Conſtantij furorem progreſſum eſſe, eiuſdem Athanaſij [f] aſſertione compertum habetur: licet quid ſpeciatim paſſæ ibi ſint Orthodoxorum Eccleſiæ, nulla prorſus extet ſcriptorum memoria, vel quod ea exciderint, vel quod ob malorum multiplicitatem atque frequentiam haud poſteris tradita ſint: ſicut & de alijs pluribus prouincijs, ijſdem cladibus pariter affectis, accidiſſe noſcitur.

XIII.

Quod vero idem Conſtantius, Arianis impellentibus, ad prouinciarum Rectores literas dediſſet, vt omnes Orthodoxos compellerent communicare cum Arianis Epiſcopis, quos illi in Catholicorum locum ſubrogaſſent: hæc ſciens & legens S. Hilarius, Pictauienſis haud ita pridem factus Epiſcopus, ſupplicem libellum [g] ad Imperatorem dedit hoc ipſo anno (vt ex eius contextu apparet) nempe ſtatim poſt exilium Euſebij Vercellenſis & Dionyſij Mediolanenſis: quo quidem miſerandum illius temporis ſtatum lugubremque Eccleſiæ faciem repræſentans grauiſſimaque demum inuectiua Arianos Epiſcopos malorum omnium auctores inſectatus, atque ipſum in Imperatorem eorum nutibus obtemperantem perſtringens; ceſſare iam mala hæc & Catholicos Epiſcopos reſtitui poſtulauit. Quam autem opportune Deus conſuluit deploratiſſimis hiſce temporibus, vt Eccleſiæ Gallicanæ tam immani turbine perſecutionis exagitatæ, HILARIVM daret Epiſcopum, qui velut præcelſa arbor (vt eum S. Hieronymus [h] nominat) eam ſuffulciret, & periclitanti fidei præſto eſſet.

g Hilar. ad Conſtant.

HILARIVS CREATVS EPISCOP. PICTAVIENSIS. h Hieron. in Iſa.60.

XIV. i Hilar. de Trin. lib.1. circa pr.

Porro ipſum iam prouecta ætate factum eſſe Chriſtianum, illud perſuadet, quod ipſe teſtatur [i], poſt philoſophos cognitos ac vanos deprehenſos, diuinæ Scripturæ libros perſcrutatum eſſe, ac veri Dei cultum ſuſcepiſſe. Redditus vero Fidelium omnium gaudio Chriſtianus, aliquo temporis ſpatio interlapſo, defuncto Pictauienſis ciuitatis, cuius ipſe ciuis erat, Epiſcopo: miro vniuerſorum conſenſu fuit eius ſedis electus Antiſtes, quantumlibet (vt auctor eſt Fortunatus [k]) coniugatus eſſet, & filia vna auctus. Cur autem coniugatos contigerit nonnunquam eligi Epiſcopos, ſatis alibi dictum eſt: ſimulque demonſtratum, qui tales ad Eccleſiaſticos ordines eueherentur, quod ad procreationem liberorum ſpectat, deſiniſſe eſſe maritos. Hoc autem præſtitum eſſe à S. Hilario, quis poterit dubitare? cuius animus virgi-

k Fortun. in Vit. S. Hil.

nalis amantiſſimus integritatis, filiam quoque ſuam vnice à ſe dilectam, virginem Deo dicare quantopere expetierit, quæ ad eam ſcripta ab ipſo extat epiſtola docet.

XV.

Quod autem exulantibus cæteris Orthodoxis, Hilarius aliquandiu liber in ſua permiſſus ſit Eccleſia permanere, etiam poſt adeo terribilem ipſius in Arianos Conſtantiumque inuectiuam: non id quidem ex patientia vel clementia Imperatoris accidit, ſed vt puto, quod barbaris in Gallias irrumpentibus (quod ſub iiſdem huius anni Coſſ. Ammianus [l] ponit) nequaquam tempus viſum eſt opportunum Gallorum animos amplius exacerbandi, quos ſciebat bene Catholicos, & à maioribus acceptam fidem inuiolatam firma conſtantia cuſtodire. Quinimo ad cōtinendos eos in officio, videri voluit Hilario aliquid indulſiſſe. Siquidem cum inter alia à Conſtantio illud ex libello expetiiſſet, ne Iudices vſurparent ſibi negotia Eccleſiaſtica, neve cauſas cognoſcerent clericorum: idem Conſtantius hoc ipſo anno nono Calendas Octobris lege [m] prohibuit, ne in iudicijs Epiſcopi accuſarentur, ſed eorum quæſtiones apud alios Epiſcopos agitarentur. Quomodo autem ſedatis bellum tumultibus, Hilarius quoq; iuſſus fuerit ſolum vertere, dicetur anno ſequenti.

l Amm. l. 15.

IVDICES SAECVL. ABSTINENT A CAVSIS CLERICORVM.

m l. 12. C. Th. de Epiſc. & cleric.

At ex barbaricis hiſce in Gallijs motibus accidit opportuna occaſio Iuliano, vt ex pallio philoſophi ad Imperium aſſumeretur. Æſtuans enim Conſtantius (inquit Ammianus) qua vi propulſaret ærumnas illas ipſe in Italia reſidens (periculoſum enim exiſtimabat, ſe in partem contrudere longe dimotam) illud tandem conſilium agente maxime Euſebia Imperatrice reperit, vt Iulianum patruelem fratrem, haud ita dudum è Græcia contractū, ac ritu etiam palliatum, in ſocietatem Imperij adſciſceret: aperte confeſſus proximis (quod nunquam fecerat) ſuccumbere tot neceſſitatibus tamq; crebris vnum ſe. Quomodo vero eundem Iulianum induerit purpuram, idem Ammianus pluribus proſequitur: atque in fine addit, ea geſta eſſe die octauo Iduum Nouembrium cum Arbetionem Conſulem annus haberet & Lollianum, deinde diebus paucis Helena virgine Conſtantij ſorore, eidem CÆSARI iugali fœdere copulata paratiſque omnibus quæ maturitas proficiſcendi poſcebat, comitatu paruo ſuſcepto, Calendis Decembris egreſſum eſſe, & itineribus rectis Galliam petijſſe. Subdit de eodem cum Viennam perueniſſet, ab anu luminibus orba acclamatum, ipſum deorum templa reparaturum. Quod quidem viſum eſt admirandum: nam ait Eunapius [n], Iulianum in Gallias venientem ab omnibus ignoratum quod deorum cultui addictus eſſet. Quinimo vt populi illius quem ſciret eſſe Catholicum, animos, ſibi conciliaret, fauiſſe quoque Epiſcopis Orthodoxis, ac inter alios præſto fuiſſe S. Hilario Epiſcopo Pictauienſi, eiuſque rei cauſa etiam aliquam contumeliam ab Arianis paſſum eſſe: non obſcure ipſe Hilarius ſignificat in libro ad Conſtantium ab exilio poſtea ſcripto: cum tamen (vt ait Ammianus [o] ſub ſequentis anni Coſſ.) ſecreto deos coleret, & noctu ſurgens occulte Mercurio ſupplicaret. At de reliquis eius rebus in Gallia geſtis agetur anno ſequenti. Quod autem ad eiuſdem electionem ſpectat; nihil tam proprium accidit, quam vt impius Imperator duplo impium ſibi adſciuerit Cæſarem, cui iuſto DEI iudicio cogeretur cedere Imperio.

IVLIANVS CREATVS CÆSAR.

n Eunap. in Vit. philoſ.

IVLIANVS IN GALLIA FAVIT CATHOLICIS.

o Amm. lib. 16.

IESV CHRISTI ANN. 356.

CONSTANTII AN. 20.

LIBERII ANN. 5.

I.

ANno Chriſti trecenteſimo quinquageſimo ſexto, Conſtantio Auguſto octauum & Iuliano Cæſare Coſſ. eius exordio idem Conſtantius aduerſus Aruſpices, Mathematicos, Magos alioſque eiuſmodi maleficos & diuinatores, necnon aduerſus ſimulacrorum cultores, nouis ſanctionibus [a] pœnam capitis conſtituit: Chriſtianæ quidem religionis, vt decebat, ſeuerum vindicem agens, ſed alia ex parte in gratiam hæreticorum Alexandrinam Eccleſiam dira perſecutione vexans. Cum enim ſubſcriptiones plurimorum Epiſcoporum aduerſus Athanaſium extorſiſſet; quaſi iam tot ſuffragationibus iuſtitiam ſibi comparaſſet (ne quid tyrannice agere videretur, ſi quem reſtituendum curauerat, iterum è ſede pelleret) velut iuſto contra eum bello indicto, Syrianum Ducem cum legionibus militum Alexandriam miſit: qui cum Alexandrinis petentibus nihil innouari aduerſus ipſos donec legationem ad Imperatorem mitterent, id iureiurando pollicitus eſſet; mox tamen, nempe die quinto Calendas Februarij, vigilias cum omni ſecuritate agente Eccleſia populo vna cum ſuo Epiſcopo Athanaſio, nocte intempeſta cum militibus armatis ex improuiſo illuc irrumpens, multos tum è plebe, tum è clericis atque virginibus ſacris, gladijs ſagittiſque confecit, plagis concidit, ac vinculis conſtrinxit, reſque ſacras diripuit: quæ pluribus ijdem Alexandrini proſecuti ſunt literis [b] ea de re ad vniuerſam Athanaſij diœceſim tertia die poſt cladem illatam ſcriptis, hoc eſt (vt ponunt) pridie Calendas Februarij poſt Conſulatum Arbetionis & Lolliani, nempe hoc ipſo anno, quando nondum quinam renunciati Coſſ. eſſent, ſciretur Alexandriæ.

a l. 5. C. de malef. l. 5. C. Th. de Pag.

SYRIANI DVCIS GRASSATIO IN ECCLES. ALEX.

b Ext. apud Athan. poſt ep. ad Solit.

II.

Quod autem ijſdem literis tradunt, ipſum Athanaſium Epiſcopum, qui potiſſimum quærebatur ad necem, cum in illo tumultu conſtanter ſedens in throno omnes hortaretur ad preces, hinc illinc raptum minimo minus diſcerptum fuiſſe, & cum in graui deliquio animi pro mortuo iacuiſſet, iam aduerſariorum opera nuſquā comparere, nec ſcire ſe quid de eo factum eſſet: quonam ille pacto è manibus hoſtium euaſerit, ipſemet docet in Apologia quam ſcripſit de fuga ſua; nempe, cum milites Sacrarium ad eum intercipiendum obſiderent, omniſq; clerus ac populus clamaret & obſecraret, vt ſe ſubduceret, ipſe vero pernegaret niſi ijs omnibus digreſſis; tunc omnibus vt poterant abeuntibus, monachos ſuos & nonnullos ex clericis ſecum ipſum per medios milites inoffenſe abſtraxiſſe Deo duce & protectore. Porro ſic fuga lapſus cum lateret in ſolitudine, rerum quæ poſt diſceſſum ſuum Alexandriæ vel alibi factæ eſſent ignarus, vt periclitanti Eccleſiæ ſuæ conſuleret, ad Conſtantium Imperatorem in Occidentem proficiſci diſpoſuit; ſed à cœpto itinere reuocatus eſt in ſuam eremum, cum inter hæc accepiſſet nuncium de tyrannide illius vbique graſſante; nempe de exilio Liberij Papæ & aliorum Occidentalium Antiſtitum, de Epiſcopis prope nonaginta ex Ægypto, & Libya pulſis, Arianiſque in locum ipſorum ſubſtitutis, ac de alijs cladibus in reliquas totius Orbis Eccleſias illatis aduerſus eos qui ipſum Athanaſium damnare aut Arianis communicare nollent; necnon de literis ab eodem Conſtantio ſcriptis, vt vbique ipſe Athanaſius etiam apud barbaros perquireretur, quæ omnia idem Athanaſius [c] recenſet ad eumdem Imperatorem ſcribens. Hocque plane tempus eſt, quo (vt ait Ruffinus [d]) iam toto Orbe profugus actus eſt, nec vllus ei tutus ad latendum ſuperfuit locus; quandoquidem Tribuni, Præfecti, Comites, exercitus quoque ad peruestigandum eum mouerentur edictis Imperialibus; præmiaque delatoribus proponerentur, ſi quis eum viuum, ſi id minus, caput certe detuliſſet.

ATHANASIVS FVGA LAPSVS.

ATHAN. VBIQ. PERQVIRITVR.

c Athan. Apol. ad Conſtant.

d Ruff. lib. 1. cap. 18.

III.

Sed hæc licet grauiſſima, leuia tamen videri potuere præ ſæuiſſima illa omnium perſecutione, quæ poſt hæc in Eccleſiam Alexandrinam atq; vniuerſam Ægyptum graſſata eſt per Heraclium Comitem Arianum hominem ab Imperatore miſſum, necnon Sebaſtianum Ducem hæreticum Manichæum, iunctis ſecum indiſtincte hæreticis, Ethnicis, alijſque quibuslibet facinoroſis hominibus, in perniciem Catholicorum, communicare recuſantium tum alijs Arianis Epiſcopis in locum Orthodoxorum relegatorum intruſis, tum præcipue *Georgio* Cappadoci; quem (vt ait Athanaſius [e]) ærarij olim Conſtantinopolitani Quæſtorem, & depeculatorem omnium, eoque crimine profugum, Alexandriam ſpecie militari & au-

GEORGIVS INTRVDITVR IN SEDEM ALEX.

e Athan. ep. ad Solit.

ctori-

ctoritate Ducis, Ariani immiſerunt, & in locum ipſius Athanaſij in ſedem Epiſcopalem per vim introduxerunt; quem quidem malum genere, animo peiorem, moribus peſſimum fuiſſe, Gregorius [f] Nazianzenus ipſius gentilis docet, dum eius ſcelera recenſet. Sed peractam tum ab eo, tum ab alijs, eius ac ſociorum cauſa, graſſationem, & ingentia mala inde ſubſecuta, ſed & quaſdam diuinas vindictas in nonnullos ſacrilegos, tu otioſius lege apud ipſum Athanaſium [g] ea ſæpius fuſiuſque memorantem. Erit enim vt obſtupeſcas ad eiuſmodi nefanda perfidiſſimorum Arianorum ſcelera & ſacrilegia; admireris autem Catholicorum ferme omnium, ſiue Epiſcoporum & clericorum, ſiue monachorum, & populorum, & tam virorum quam feminarum, ac maxime ſacrarum Virginum conſtantiam, dum quæuis potius tormenta, exilia, denudationes, deprædationes, ignominias, carceres, neces, ſepulturæ priuationes, monaſteriorum & eccleſiarum direptiones & euerſiones, pati maluerunt, quam vel ſemel ijſdem impijſſimis hæreticis communicare. Cuius etiam cladis plures alij ſcriptores [h] meminerunt.

f Greg. Nazian. orat. in laud. Athan.

g Athan. Apol. ad Conſtant. Apol. de fug. ſua, & ep. ad Solit.

h Theodor. li. 2. c. 13. 14. Socr. lib. 2. c. 23. Soz. li. 4. c. 8. 9. Lucif. Calar. lib. 2. pro Athan. Marcell. de ſchiſm. Vrſic. & alij.

IV. Athanaſii ſcripta e ſuis latebris

Ceterum cum Athanaſius ad euitandos curioſiſſime indagantes eum Arianos, occultiores latebras quæſiuiſſet; vſque ad Conſtantij obitum ibi commoratus, plura diuerſis temporibus conſcripſit, tam pro ſua ipſius defenſione, quam ad roborandos in fide Catholicos, & lapſos erigendos, necnon ad Arianorum impietatẽ retundendam. Quod enim inprimis accepiſſet Arianos fugam ſuam infamare, quaſi male ſibi conſcius ſolum vertiſſet; nec ea ex parte boni paſtoris numeros expleſſet, cuius eſt animam ſuam pro ouibus ponere: idem ad eos redarguendos, qui quod optaſſent illum occidere adeo ægre ferrent è manibus ereptum, egregiam texuit *Apologiam de fuga ſua*, qua plura inculcans de ipſorum in perſequendo veſana rabie, ad eiuſdem fugæ ſuæ defenſionem oracula diuina adduxit in medium, quibus ipſorum petulantia retunderetur, ac fuga ſua laudabilis haberetur: quam etiam tum alij, tum S. Auguſtinus [i] vt commendabilem adduxit in exemplum. Sed & quod ijdem Ariani, ipſeque imprimis Conſtantius Imperator, quo ſua facta aliquo prætextu iuſtitiæ obuelarent, permulta in Athanaſium maledicta, vt in impoſtorem & hominem omnium ſceleſtiſſimum iactitent; aliam ipſe *ad eumdem Imperatorem Apologiam* conſcripſit, qua cunctas ac ſingulas in ſe calumnias obiectas recenſet ac confutat. Itemque eodem latebrarum tempore (verum poſt Sirmienſem, aut etiam Ariminenſem Synodum) luculentam illam *Epiſtolam* elucubrauit *ad omnes in eremo ſolitariam vitam agentes*, qua de cunctis Arianorum impietatibus & graſſationibus eoſdem id expetentes certiores reddidit. Ac denique eodem ferme tempore; ſoluto iam à pœna exilij Liberio Papa, prolixiorem pro ſeipſo ſcripſit *Apologiam* quam *Secundam* vocant.

i Auguſt. ep. 180 ad Honorat.

V. Lvciferi ſcripta adverſvs Conſtantivm Imp.

Sed & qui Athanaſij tuendæ innocentiæ cauſa, Epiſcopi iam antea è Mediolanenſi Conciliabulo in diuerſa loca deportati fuerant, quamtumlibet inter hoſtes, tamen non deſiere eamdem prædicare. Quod inter primos egregie præſtitit *Lucifer* Calaritanus, dum exul agens pro eodem Athanaſio aduerſus Conſtantium duos libros conſcripſit, tertium contra eumdem Imperatorem, *De non communicando cum hæreticis*, rurſusque alium *De Regibus apoſtaticis*: quibus omnibus mira dicendi libertate eumdẽ Imperatorem grauiſſime perſtrinxit, ſceleraque exprobrauit. Quinetiam cum eaſdem lucubrationes ad Imperatorem perferendas curaſſet, ipſeque Imperator ijs grauiter commotus, per Florentium Magiſtrum Officiorum literis ab eo quæri iuſſiſſet an ille reuera eas ſcripſiſſet; non ſolum Lucifer ſe earum auctorem profeſſus eſt, ſed & aliam in eum ingeminans edidit *De non parcendo in Deum delinquentibus*, qua illum grauioribus exagitauit inuectiuis. Rurſum vero quod autumaret Conſtantium atque miniſtros eius in necem ſuam conſpiraturos, alium addidit commentarium, cuius eſt titulus & argumentum *Moriendum pro Filio Dei*: ſed hunc poſtea ſcriptum eſſe conſtat, nempe poſt Conciliabulum Sirmianum & Conſtantinopolitanum, in quo Eudoxius, cuius mentionem habet, ſuffectus eſt in locum Macedonij. Porro eoſdem Luciferi commentarios Latine ſcriptos. Athanaſium conuertiſſe in Græcum, quo Orientalibus omnibus communiores eſſent, teſtatur Marcellinus presbyter in libello ad Theodoſium de ſchiſmate Vrſicini. Extantque [k] hactenus binæ eiuſdem Athanaſij è latebris miſſæ ad ipſum Luciferum exulem epiſtolæ, quibus eos ad ſe mitti petijt, & receptos mire laudauit.

k ap. Lucif. prope fin.

VI. Ariani invident Lvcifero martyrii gloriam.

At vero conſtat Imperatorem ac ceteros Arianos eidem Lucifero gloriam martyrij inuidiſſe, cuius ſe cupidiſſimum tot tantiſque ſcriptis præſeferebat; cum in alios mille modis (vt vidimus) ſupplicia mortis irrogare pro nihilo ducerent. Haud tamen eſt permiſſus quiete viuere: nam auctor eſt Marcellinus presbyter, eum ab Arianis quarto in diuerſa exilij loca mutatum, & cum Eleutheropoli exularet, ab eiuſdem loci Epiſcopo Ariano dira paſſum eſſe. Quod igitur ſæpe locum mutarit, ex his conciliandi ſunt qui dixerunt [l] eum in Palæſtinam amandatum, cum alijs qui ſcripſerunt [m] miſſum eſſe in Ægyptum ad ſuperiores Thebas.

l Hieron. de Script. Eccl. in Lucif.

m Ruff. lib. 1. c. 27. Theod. lib. 3. c. 4. Socr. lib. 3. c. 4. Soz. lib. 5. cap. 11.

VII. Athanaſii latebræ abſtrvſiores.

Porro quod Athanaſius prædictis ad Luciferum literis queritur, militibus eremum in qua ipſe latebat penetrantibus, & cuncta loca perluſtrantibus, ſe eo loci perfugium quæſiuiſſe, vbi nec libere aerem, nec fratres videre ſibi liceret, vno excepto, qui (etſi non ſine labore & periculo) ei neceſſaria miniſtraret, & epiſtolas ad eum ſcriptas afferret: in eam adducimur ſententiam, vt locus ille fuerit ciſterna ſicca, in qua annis ſex ita illum delituiſſe, vt numquam Solem videret, Ruffinus [n] tradit; cum (vt ait) poſt annos ſex per ancillam, quæ ſola conſcia videbatur officij dominorum qui latebras Athanaſio præbuerant, indicatus, tamquam Dei Spiritu admonitus, ipſa nocte qua ad eum comprehendendum veniebatur, migrauit ad alium locum. Hæc Ruffinus; licet perperam ad alia tempora eiuſmodi latebras ipſe referat; ſicut & Sozomenum [o] eaſdem narrantem feciſſe conſtat. Hic tamen poſtea [p] de ijs agens quas Athanaſius hoc tempore quæſiuit, ait ipſum haud Alexandria receſſiſſe, ſed diuino monitu apud formoſiſſimam quamdam virginem in ipſa vrbe ſe recepiſſe, & apud eam nullo alio arbitro per ſex annos remanſiſſe vſque ad obitum Conſtantij. Recitatque eamdem hiſtoriam Palladius [q]; addens ſe eam virginem Alexandriæ nouiſſe cum iam ſeptuagenaria eſſet.

n Ruff. lib. 1. cap. 18.

o Soz. lib. 4. c. 9.

p Id. lib. 5. cap. 6.

q Pallad. in Lauſiac.

VIII. Diſpvtatio de latebris Athanaſii.

Ceterum cum non poſſit vtraq; hiſtoria eſſe vera quarum altera Ruffinum, altera cum Sozomeno habet Palladium, aſſertorem (neque enim aliud ſexennij tempus reperiri datur quo Athanaſius delituerit, niſi poſtquam à Syriano Duce graſſatio facta eſt in Eccleſiam Alexandrinam, quam huius anni exordio contigiſſe vidimus) illa quæ à Ruffino deſcribitur, ex veritate temporis tantummodo falſa redargui poteſt: quæ vero à Sozomeno & Palladio recenſetur, prorſus arguitur ex ipſo Athanaſio, qui ſæpius teſtatur [r] ſe cum inuaſa eſſet Eccleſia à Syriano, non Alexandriæ amplius commoratum eſſe, ſed fuga lapſum confeſtim eremum petijſſe; quod Gregorius [s] item Nazianzenus & alij affirmant: manſiſſeque ibi, literæ datæ poſt ſequentem annum ad Serapionem Epiſcopum manifeſte ſignificant. Quamobrem mendacij ſuſpectam ſemper habui ſeceſſionem illam apud formoſiſſimam virginem: interdumque exiſtimaui, id fuiſſe ad infamandum ſanctiſſimum virum Arianorum commentum, cum eluſa eſſet eorum in eo perquirendo ſolicita cura: ceterum id ipſum ab eis in vulgus ſparſum, poſt tot annorum curricula, vt verum fuiſſe quoque alijs perſuaſum, quod eſſet honeſtatis coloribus egregie pigmentatum. Illud tamen non negauerim contingere potuiſſe, ipſum Athanaſium eo fugæ inopinatæ improuiſo impetu, qualeſcumque latebras ſibi oportune obuias captantem, dictæ virginis domum ingreſſum eſſe; ſed mox inde recedentem, eremum petijſſe.

r Athan. Apol. ad Conſt. Apol. de fug. ſua ep. ad Solit. & alibi

s Greg. Naz. orat. in laud. Athan.

IX.

Sed quod argumenti ratio poſtulat, vt etiam aliquid agamus de glorioſis illis Confeſſoribus, ſanctis Epiſcopis quos vna cum Lucifero in exilium miſſos vidimus; Euſe-

bius

bius Vercellenſis ablegatus Scythopolim in Palæſtina, ſub cuſtodia fuit Patrophili veternoſi hæretici, Arij quondam ſocij, hominis plane ſæuiſſimi omniumque teterrimi. Fuit tamen ei, alijſque ibidem exulantibus præſidio *Ioſephus* Comes; qui ex nobili olim Iudæo, poſt multa habita potentiæ Crucis Chriſti experimenta, poſtque plures in ſomnis viſas Chriſti Domini ipſum ad fidem vocantis apparitiones, ac toleratos frequentes ob duritiam cordis morbos; poſt denique euaſas contribulium ſuorum perſecutiones, alioſque multos varioſque caſus; tandem magna Dei clementia factus ſub Conſtantino Magno Chriſtianus, Comitatuſque dignitate ab eodem Imperatore auctus, cum poſt edita permulta Chriſtianæ pietatis monumenta, ab Arianis ſæpe fruſtra tentatus ipſis adhærere; mandatorum ille diuinorum obſeruantiſſimus cuſtos, non ſolum preces minaſque eorum ſpreuit, ſed & impia Conſtantij edicta paruifaciens, exules confeſſores apud ſe ſuſcipere conſueuit, eoſdemque ſummo charitatis ſtudio confouere. Teſtatur enim iſta Sanctus Epiphanius [t]; qui cum ex Cypro inſula Scythopolim vt Euſebium inuiſeret veniſſet, & ipſe apud eumdem Ioſephum hoſpitatus eſt, totamque ipſius conuerſionis hiſtoriam multis aliis miraculis illuſtratam, ab eodem ipſo didicit, ac ſcriptis egregie mandauit.

DE IOSEPHO COMITE, EX IVDÆO FACTO CHRISTIANO.

t Epiph. hær. 30.

X.

EVSEBII VERCEL. ÆRVMNÆ ET PASSIONES IN EXILIO.

u Seuer. li. 2.

Verum quod Ariani pollerent Imperatoris auctoritate, haud diu paſſi ſunt Euſebium apud tantum hoſpitem commorari, vel viſitatione inſignium fama virorum ex diuerſis prouincijs ad eum cõuenientium gaudere. (Tradit enim Seuerus [u] tum ipſum Euſebium, tum alios exules, totius Orbis ſtudijs celebratos fuiſſe, pecuniaſque eis in ſumptum affatim congeſtas, & legationibus eos plebis Catholicæ ex omnibus fere prouincijs frequentatos.) Itaque illum Patrophilus à Ioſepho diuulſum, diræ cuſtodiæ mancipauit; & cùm nulla valuiſſet illum arte ad ſecum communicandum pellicere, conſilium illud inijt, vt in ergaſtulo eum detentum cogeret à ſe miſſum pro alimento cibum accipere; quem ſi ſumeret, gloriari poſſet eum ſecum in cibo potuque communicare; ſi vero reijciens fame periret, calumnioſe diffamaret eum voluntario exitio diem extremum clauſiſſe. Verum cum nihilominus ipſe Euſebius decreuiſſet impaſtum potius in carcere permanere, quàm ab Arianis cibum accipere, ne videri quoquo modo poſſet cum eis communicaſſe: ne tamen ea de re apud alios accuſari poſſet, libello ad Patrophilum miſſo, quem & vbiq; promulgari curauit, conteſtatus eſt ſe vſque ad mortem impaſtum perſeueraturum, niſi Ariani permitterent cibum ſibi à clericis ſuis, vel alijs qui ipſum inuiſerent, aut denique à Catholicis viris, vt antea miniſtrari. Quapropter Ariani hac conteſtatione coacti, ne viderentur Euſebij homicidæ, poſt quatuor eiuſmodi ieiunij dies eum ad prius hoſpitiũ remiſerunt. Sed iterum poſt paucos dies eumdem arctiori cuſtodiæ tradentes, ceteros quoque ipſius clericos in diuerſa exilia miſerunt, alios vero Fideles qui ad eum viſitandum venerant, publicis carceribus incluſerunt. Quæ omnia pluribus proſecutus eſt ipſe Euſebius in Epiſtola è carcere tunc ſcripta [x] ad ſuos Vercellenſes.

EVSEB. RENVIT CIBVM ACCIPERE AB ARIANIS.

x Ext. in Actis S. Euſeb.

XI.

y ap. Ambr. ſer. 69.

DIRVM EVSEBII SVPPLICIVM.

Nec tamen hic finis eius ærumnarum: ſiquidem traditur apud Ambroſium [y], tunc inter cetera paſſionum genera hoc pœnale ſuppliciũ pertuliſſe, vt quod interrogatus ab Arianis eorum ſe communicare perfidiæ denegaſſet, ſcalarum procliui tractu ſupinis pedibus ad imum vſque pertraheretur; & iterum reuocatus ad ſummum, interrogatus denuo cum eadem reſpondiſſet, eadem pateretur; ac ſic frequentem interrogationem frequenter huiuſmodi ſupplicium fuerit ſubſecutum. Hæc quidem ibi. At nequaq̃ tunc (quod multi putarunt) conſummauit martyrium; quem & videbimus ad longa poſt hæc tempora ſuperuixiſſe, ac multum pro fide Catholica laboraſſe. Sed illud etiam auctore S. Hieronymo [z] liquet, ipſum è Scythopoli ab iiſdem Arianis ad grauiores pœnas amandatum fuiſſe exulem in Cappadociam. Et quod æque Ruffinus [a], Socrates [b], Theodoretus [c], atque Sozomenus [d] tradunt, eumdem cum Lucifero relegatum eſſe ad ſuperiores Ægypti Thebaidas; argumento eſt, & ipſi pluſquam ſemel mutatum eſſe locum exilij.

z Hieron. de Script. Eccleſ. in Euſeb. Sardic.
a Ruff. lib. 1. c. 27.
b Socr. lib. 3. c. 4.
c Theod. lib. 3. c. 4.
d Soz. lib. 5. c. 11.

XII.

MARTYRIVM DIONYSII MEDIOL. ET PAVLINI TREVER.

Inter alios vero Occidentis Epiſcopos exules, duo promeriti ſunt coronam martyrij, grauioribus Arianorum exagitati ærumnis, nempe *Dionyſius* Mediolanenſis & *Paulinus* Treuerenſis, ille quidem in Cappadocia (vnde enim Auxentius, qui in eius locum Mediolani ſuffectus eſt, venerat, eo Dionyſius in grauiorem pœnam exulare iuſſus eſt) cuius corpus poſtea S. Baſilius Magnus Mediolanum miſit ad S. Ambroſium: Paulinus vero anno Conſtantij vigeſimotertio ponitur in Chronico S. Hieron. corona martyrij auctus. Sed ab his antiquioribus exilijs, ad alia recentiora tranſeamus.

XIII.

HILARIVS EXILIO DAMNATVS IN CONC. BITERREN.

e Seuer. li. 2.

Hoc enim eodem anno, celebrato *Biterris* in Gallia Narbonenſi CONCILIO, Sanctus Hilarius Pictauienſis Epiſcopus, & Rhodanius Toloſanus ſunt itidem in Orientem relegati. Id enim hoc anno contigiſſe, inde colligimus quod Seuerus [e] ait, quartum iam annum Hilarium egiſſe in exilio cum Seleuciæ ab Arianis Synodus collecta eſt; quod accidit Euſebio & Hypatio Coſſ. anno Domini trecenteſimo quinquageſimonono. Nã quo minus eidem auctori aſſentiamur, Hilarium inter ſuperioris anni exules adnumeranti, obſtat ipſe Hilarius [f], dum ait ſe tunc exulare contigiſſe cum Iulianus Cæſar in Gallijs ageret; quem nonniſi anni præſentis exordio illuc peruenire potuiſſe, conſtat ex ijs quæ de eo dicta ſunt ſuperius: itemque dum nonniſi poſt Euſebij, Luciferi ac ſociorum exilium, ſe cum alijs Gallicanis Antiſtitib. à Communione Saturnini Arelatenſis Arianorum anteſignani ſeparaſſe dicit: eaque de cauſa fauore Conſtantij Imperatoris ab eodem Saturnino celebratum eſſe Conciliabulum Biterrenſe, ex quo ipſe Hilarius exulauit; cum (vt queritur) reliquorum Orthodoxorum in eo conuentu fides tepuiſſet, ipſeque ſolus inuentus eſſet qui Saturnino obſiſteret. Verum non tantum Hilarium, ſed & *Rhodanium* Epiſcopum Toloſanum eadem ſententia exilij condemnatum eſſe, Seuerus teſtatur: ſed ait eum, cum eſſet natura lenior, non tam ſuis viribus quam Hilarij ſocietate non ceſſiſſe Arianis: eumdemque in exilio mortuum eſſe. Meminit & Ruffinus [g] de amborum expulſione, aitq; ceteros remanſiſſe, vel ignorantes, vel non credentes fraudem Saturnini ac ſociorum, qui mentito *Subſtantiæ* nomine dolos tegerent hæreſis Arianæ. Porro Hilarium ex hac ipſa Synodo Biterrenſi in Phrygiam eſſe relegatum, etiam S. Hieronymus [h] eſt teſtis.

f Hilar. ad Conſtant.

g Ruff. lib. 1. c. 20.

h Hieron. de Script. Eccl. & in Chron.

XIV.

CONSTANTIVS TRIVMPHVM ROMÆ AGIT.

i Am. lib. 16.
k Theod. lib. 2. c. 7.

ROM. MATRONAR. STVDIVM PRO LIBERIO PP.

Hoc eodem anno iiſdemque Coſſ. tertio Calendas Maias Conſtantius Imperator in Vrbem ſe contulit, triumphum agens de Magnentio tyranno extincto; cuius pompa ab Ammiano [i] deſcribitur. Ibi autem cum eſſet (inquit Theodoretus [k]) magiſtratuum & nobilium coniuges orant maritos, vt ab eodem Conſtantio ſupplices petant, vti paſtor Liberius qui exulabat in Thracia, ſuo gregi redderetur, ſeq; niſi eum exorarent deſerturas eos, & ad egregium illum paſtorem conuolaturas. Sed reſpondentibus maritis, ſe non parum Imperatoris iram pertimeſcere; ideoque ſatius eſſe vt ipſæ eum deprecarentur, quia niſi petitionem concederet, ſaltem eas eſſet illæſas dimiſſurus: tunc ipſæ ad Imperatorem accedentes, rogant vt Vrbi paſtore orbatæ & luporum expoſitæ inſidijs miſereatur: eidemque reſpondenti, altero paſtore ciuitati opus non eſſe, quippe cum haberet vnum qui ei poſſet prouidere, nempe Felicem in Liberij locum ſubrogatum; ſignificarunt illæ, quod hic fidei Nicænæ aduerſarijs communicaret, neminem ex Romæ habitatoribus in Eccleſiam dum ille intus eſſet ingredi velle. His igitur motus Imperator edictum promulgauit, vt Liberius Romam rediret, & vna cum Felice communiter Eccleſiam regeret. Lecto vero in Circo edicto, irridens populus acclamauit, æquam eſſe Imperatoris ſententiam; nam cum bifariam diuiſi Circenſes eſſent, quibus nomen impoſitum erat ex colorum varitate (nempe *Praſinis* & *Venetis*) alterum Epiſcopum his, illis alterum præfuturum: moxque vno omnes ore acclamarunt VNVS DEVS, VNVS CHRISTVS, VNVS EPISCOPVS. Quibus editis vo-

DECRETVM CONSTANTII DERIDETVR IN CIRCO.

cibus,

[l Ruf. lib. 1. c. 27. m Seu. lib. 2. n Soz. lib. 4. c. 10. in fin.]

cibus, permiſſus eſt Liberius Romam redire. Hæc Theodoretus: eademque Ruffinus [l] & Seuerus [m] de liberato ad preces populi Romani Liberio. Addit verò Sozomenus [n], ea lege id annuiſſe Conſtantium, ſi Liberius conſenſurus eſſet Epiſcopis quos ipſe Imperator ſecum haberet. At de Liberij reditu ſequenti anno.

XV.
SIMVLACRVM VICTORIÆ GENTILIB. SVBLATŪ.
[o Tac. hiſt. lib. 1.]

Quod vero rurſum ad Conſtantij Romæ res geſtas pertinet; ex Relatione Symmachi ad Valentinianum Imperatorem, & Sancti Ambroſij ad eam reſponſione, apparet Conſtantium abſtuliſſe Romanis vnicum idolum ipſis relictum, Victoriæ ſimulacrum cum ara. quod quidem, teſte Tacito [o], erat ſuper rhedam impoſitum, in veſtibulo Capitolij collocatum. Illudque à Conſtantini patre Conſtantio cultum, à Conſtantino Chriſtiano Principe non remotum, à Conſtante Aug. ſublatum, reſtitutum illud per Magnentium tyrannum, à Conſtantio Imp. rurſus ſublatum, idem Symmachus teſtatus eſt. [p Amb. lib. 16.] Poſt hæc vero cupiens Conſtantius (inquit Ammianus [p]) auguſtiſſima omnium ſede morari diutius, vt otio puriore frueretur & voluptate, aſſiduis nuncijs percitus indicantibus Sueuos Rhetiam incurſare, Quadoſque Valeriam, & Sarmatas latrocinandi peritiſſimum genus ſuperiorem Mœſiam & ſecundam populari Pannoniam; trigeſimo poſtquam ingreſſus eſt die, quarto Calend. Iunij ab Vrbe profectus, per Tridentum iter in Illyricum feſtinauit. Hæc Ammianus.

CONSTANTIVS RECEDIT VRBE.

Ceterum haud ſupernum paſſum eſt numen, Arianum Imperatorem ſtipatum hæreticorum Epiſcoporum caterua Romæ diutius commorari, ne tanta ſordium colluuie ea inficeretur Eccleſia, quam abſens damnatione Liberij & ſubrogatione Felicis tantopere perturbaſſet. Cum igitur in Illyricum veniſſet, Sirmium conceſſit, vbi & aliquandiu quieuit.

XVI.
[q Socr. lib. 2. c. 29.]
EVDOXIVS ARIANVS AVCVPATVR EPISCOPATVM ANTIOCH.

Cum autem Romæ adhuc eſſet (inquit Socrates [q]) *Eudoxius* Germaniciæ Syriæ vrbis Epiſcopus, qui & ipſe tum Romæ aderat, audita morte Leontij Antiocheni, fraudulenter impetrata ab Imperatore licentia in Syriam redeundi, quaſi ad nonnullas Eccleſiæ ſuæ turbas componendas; cubiculariorum Imperatoris opera & auxilio, relicta propria ciuitate, per dolum in Epiſcopatum Antiochiæ ſubrepſit: moxq; conatus eſt Aetiū denuo in Eccleſiam reducere, & conuocato ad hoc Epiſcoporum Concilio eumdem in diaconatus gradum reſtituere; quod tamen reſiſtentibus alijs minime valuit perficere. Hæc Socrates: ſed præpoſtero plane ordine ea referens ad tempora Concilij Ariminenſis, ignatus temporis Conſtantij Romam aduentus; quem ex Coſſ. ab Ammiano poſitis hoc anno contigiſſe certum redditur.

XVII.
AETII IMPII ORIGO ET PROGRESSVS.

Sed quod ad AETIVM ſpectat; fuit is (vt tradit Suidas eius vitæ periodum breuiter ſcribens) patria Antiochenus, pauperibus & vilibus parentibus natus; qui ingenij acumine præſtans, primo aurificis artem apprime edoctus, ac poſtmodum diſciplinas liberales complexus, ad Paulinum ſe contulit tunc Antiochenum Epiſcopum: ſed cum eius argutijs & in diſputando ſubtilitati nullus ferme reſiſtere poſſet, defuncto Paulino idem ſub Eulalio eius ſucceſſore conſpiratione aduerſariorum Antiochia expulſus eſt. Qui inde Anazarbum, ac poſtea Alexandriam profectus, cum maiorem in dies peritiam adeptus eſſet, ſub Leontio Epiſcopo Antiochiam rediens, ab eo creatus eſt diaconus. Verum paulo poſt, licet eadem cum Arianus doceret, tamen ab ijſdem ob perplexitatem rationum ab eo traditarum, quas ipſi non intelligebant, pro hæretico habitus, iterum ab ipſorum Eccleſia eiectus eſt. Hæc ex Suida; quæ ferme eadem ſcripſerat antea Socrates [r].

[r Socr. lib. 2. c. 28. s Epiph. hær. 76.]
AETII IMPIA DOGMATA.

Ceterum Epiphanius [s], eiuſdem Aetij horrendas impietates propius contemplatus (ob quas etiam ATHEVS vulgo, ſiue IMPIVS cognominatus eſt, ait eo ipſum blaſphemiæ progreſſum eſſe, vt non Filij tantum & Spiritus Sancti diuinitatem negauerit; ſed & ab homine quod diuinum eſt, nempe deteſtationem vitiorum, & virtutis amorem, penitus amputare contenderit, dum profectionem hominis in rerum diuinarum cognitione, non autem in operatione virtutum poſitam eſſe iactaret; nihilq; meriti eſſe, ad præſcriptum diuinarum atque humanarum legum vitam attemperare: denique nullum fornicationis vel cuilibet carnis inſane voluptati ineſſe peccatum, & perinde ac neceſſaria naturæ opera, idem eſſe quod aurem ſcalpere, nares emungere, & reliqua naturæ excrementa egerere: quem & inſuper ſe totum ventri & abdomini dediſſe, Theodoretus [t] tradit.

[t Theod. lib. 2. c. 27.]
AETII TVRPITVDO ET FASTVS.

At licet luculentus porcus toto corpore ſic proſtratus iaceret in limo, animo tamen ſe ſupra cœli cardines perambulare iactabat: vnde & ſolitus erat dicere, ſe ſcire Deum, & adeo ipſum noſſe, vt ne quidem ſe magis noſceret quam Deum: & ſi quando ad retundendam perfrictam frontem hominis procaciſſimi, à Prophetis vel Apoſtolis dicta aduerſus eum adducerentur, impudenter reſpondebat, eos ſicut homines in errorem lapſos eſſe: cum tamen vt de eo teſtatur Socrates [u], diuinæ Scripturæ rudis admodum & ignarus eſſet, elenchis Ariſtotelicis tantum excultus.

[u Socr. lib. 2. c. 28.]

XVIII.
ARII ET AETII EADEM DOCTRINA.
[x Athan. de Synod.]

Quantumlibet autem propter horrendas blaſphemias hunc execrari viſi ſint Ariani, & ob eam cauſam frequentes Synodos cogere; vnam tamen ipſorum omnium fuiſſe in Filij Dei diuinitate neganda latentem impietatem, Athanaſius [x], & alij declarant. Sed plane dedignans Aetius intra confines Arianæ perfidiæ contineri, ſupra Arium ſe extollens, voluit nouæ hæreſis dici & auctor & architectus: cuius ſectatores appellati ſunt *Aetiani*, ſiue etiam *Eunomiani* ab eius diſcipulo *Eunomio*, de quo dicetur inferius ſuo loco.

EVDOXII MOLLICIES ET IMPIETAS.
[y Theod. lib. 2. c. 27. 29.]

Nobilitauit vero etiam Aetij nefandam hæreſim (qua Filium Patri ſubſtantia omnino diſſimilem eſſe aſſerebat) EVDOXIVS, quem diximus hoc anno ſurripuiſſe Antiochenæ Eccleſiæ præfecturam: qui quod (vt teſtatur Suidas) Cæſarij martyris in Arabiſſo Minoris Armeniæ filius eſſet, ea abuſus eſt gloria ad hæreſim illuſtrandam; cum tamen ſcribat Theodoretus [y], eum præter impietatem, Sybariticam etiam mollicicm ac delicias conſectatum eſſe, ideoque Aetium cum diſcipulo ſuo Eunomio, tamquam eiuſdem doctrinæ & vitæ homini, ei libentiſſime inhæſiſſe: ipſumque Eudoxium ambitioſe obtinuiſſe, vt eorumdem hæreſis ſectatores non Aetiani, ſed *Eudoxiani* appellarentur. Quæ autem aduerſus eos poſt hæc geſta fuerint, dicetur ſuis locis.

XIX.
[z Am. lib. 16. a Seuer. Vit. S. Mar. l. 3.]
S. MARTINVS MISSIONEM A MILITIA PETIT A IVLIANO CÆS.

Hoc eodem anno Iulianus Cæſar aduerſus barbaros in Gallijs effuſos bellum gerens, eoſdem ad pacem compulit: quæ pluribus Ammianus [z] proſequitur. Tuncque plane accidit quod tradit Seuerus [a], vt cum idem Iulianus apud Vangionum ciuitatem donatiuum militibus erogaret, poſtera die pugnaturus aduerſus hoſtes; Sanctus MARTINVS cum iam cuncta ſtipendia meruiſſet, recuſato decenter donatiuo, miſſionem ab eo honeſtam petierit, conteſtatus ſe poſthac velle militare Deo: neque enim integrum ſibi fore arbitrabatur, ſi donatiuum non militaturus acciperet. Cum vero Iulianus exprobraret, eum metu futuræ pugnæ detrectare militiam; Martinus intrepidus, vt eam notam dilueret, promiſit ſe poſtera die ante aciem inermem ſtaturum, & in nomine Domini IESV, ſigno Crucis non clypeo protectum aut galea, hoſtium cuneos ſecure penetraturum. Retrudi ergo in cuſtodiam iuſſo, facturo fidem dictis, vt inermis barbaris obijceretur; poſtera die hoſtes legatos de pace miſerunt, ſua omnia ſeſeque dedentes. Hæc Seuerus; qui eiuſmodi hoſtium deditionem eidem Martino tribuit; cui (inquit) à Deo præſtitum ſit ne inermis ad prælium mitteretur. Ceterum de hac miſſione Martini, deque eius ætate, necnon emendatione complurium errorum qui in eiuſmodi narrationibus irrepſerunt in Seuerum, dictum eſt ſuperius in baptiſmo eiuſdem Sancti Martini. Quod autem idem Seuerus ſubdit, eum relicta militia conueniſſe Sanctum Hilarium Eccleſiæ Pictauienſis Epiſcopum; id contigiſſe oportuit antequam Hilarius hoc eodē anno ab Arianis in exilium mitteretur, ſicut idem auctor affirmat.

XX.
EVSEBIA AVG. INVIDET IVLIANO.
[b Am. ibid.]

Quod inſuper ad Iulianum ſpectat; quæ cum è periculo ſubtraxerat Euſebia Auguſta vxor Conſtantij, eadem ipſa quod eſſet ſterilis, cœpit eius inuidere in Imperium ſucceſſionem: atque Helenam eius coniugem (inquit Ammianus [b]) venenū bibere per fraudem illexit, vt quo-

tieſcum-

tieſcumque concepiſſet, immaturum abijceret partum. Sed & pridem in Gallijs cum marem genuiſſet infantem, hoc perdidit dolo, quod obſtetrix corrupta mercede, mox natum præſecto pluſquam conuenerat vmbilico necauit. Hæc quidem Ammianus dolet: at conſilium Dei fuit hoc, ne in apoſtatæ ſobole propagaretur impietas. Sed & Euſebiæ Arianorum patronæ, ijdem ab Ammiano deſcripti conueniunt mores: cuius etiam ſententia omnes Conſtantij magiſtratus aduerſus fidem Catholicam mouerentur: quæ & eo ad nocendum procliuior erat, quo (vt tradit Zoſimus) ſumma præſtaret eruditione doctrinæ, ſupraq; muliebrem ſexum videretur eſſe prudentior; cuius conſilio Conſtantius cuncta peragerET.

CONSTANTII AN. 21.

IESV CHRISTI ANN. 357.

LIBERII ANN. 6.

I. CONCILIVM SIRMIENSE ARIANORVM.

a Socr. lib. 2. c. 24.
b Soz. lib. 4. c. 5.

ANno Chriſti trecenteſimo quinquageſimo ſeptimo, Conſtantio Auguſto nonum & Iuliano Cæſare ſecundum Coſſ. dum idem Conſtantius Sirmij ageret, cogendum curauit CONCILIVM SIRMIENSE, dicendum potius conuenticulum Satanæ: cuius quidem tempus perperam conſtituitur à Socrate [a] & Sozomeno [b] anno poſt Conſulatũ Sergij & Nigriani, qui eſt Domini trecẽteſimus quinquageſimus primus. Nam cum ijdem ipſi affirment, eo perductum eſſe Oſium Epiſcopum Cordubenſem, atque ad ſubſcriptionem in Athanaſium compulſum; conſtet autem ex iis quæ ſuperius dicta ſunt, eiuſmodi Oſij lapſum nonniſi poſt eius exilium contigiſſe, nec exilium niſi poſt relegationem Liberij quæ accidit ante annum ſuperiorem, ac denique eumdem Oſium detentum exilio annum integrum antequam ſubſcribere cogeretur: iam affirmare neceſſe erit, eamdem Synodum Sirmienſem non ante præſentem annum haberi potuiſſe. Nam id etiam ex eo probatur, quod certum ſit eam habitam eſſe præſente Conſtantio Imperatore, quem hoc anno ibidem Sirmij conſediſſe Ammianus demonſtrat.

II. PHOTINI HÆRESIS DAMNATVR.

c Epiph. hær. 71.
d Greg. Naz. orat. in laud. Athan.
e Lucif. de non parc. in Deum deling.
f Epiph. hær. 71.

Eius vero celebrandæ ea cauſa fuit, quod cum Ariani, iam ſe hæreticos dici non amplius patientes, affectarent (quod tradunt Epiphanius [c] & Gregorius [d] Nazianzenus) Catholicum nomen; itidem quod Catholicorum eſſet, explere in omnibus ſtudentes, PHOTINVM Epiſcopum Sirmienſem, negantem diuinam in Filio cum Patre ſubſtantiam, & omnimodam cum eo ſimilitudinem, damnare ſategerunt, licet & ipſi (quod docet Lucifer [e], dum Arianorum eiuſmodi laruam detegit) haud multum ab eo differrent cum dicerent Filium eſſe creaturam. Porro Photinum iam in Synodo Sardicenſi hæreſis cauſa depoſitum fuiſſe, dictum eſt ſuperius ex mente Epiphanij [f]: qui ait eum Synodi ſententiæ haud acquieſcentem, adijſſe Imperatorem, & alios rurſum ab eo impetraſſe Iudices, nonnullos Comites & Magiſtratus ſæculares; in quorum præſentia confutatus in conuentu Sirmienſi à Baſilio Epiſcopo Ancyrano, ſententiam rurſum damnationis accepit. Teſtantur eadem de eius Sirmij facta damnatione Socrates [g], Sozomenus [h], & alij; qui tradunt eum Sabellij & Pauli Samoſateni, necnon Cherinthi & Ebionis damnatas de Chriſto hæreſes renouaſſe: ob quam cauſam apparet eumdem ab Hilario ſæpe nuncupatum eſſe Ebionem. Sed deterior hic fuit Ebione: Siquidem Ebion Chriſtum Deum eſſe negabat omnino: Photinus autem id minus habuit, vt diceret non ante fuiſſe, ſed tunc Chriſtum eſſe cœpiſſe cum Spiritus Sanctus viſus eſt ſuper illum; quamobrem ex Spiritu Sancto genitum eſſe dicebat, vt Epiphanius tradit. De diuinis quoque Perſonis idem ſenſiſſe, quod Paulus Samoſatenus & Sabellius, Theodoretus [i] eſt auctor, vnamque tantum operationem Patris & Filij & Spiritus Sancti eſſe docuiſſe: quem & poſt damnationem, pro defenſione hæreſis multa in exilio conſcripſiſſe, ijdem Sozomenus & Socrates teſtantur. Meminit quoque plurimorum eius ſcriptorum

g Socr. lib. 2. c. 25.
h Soz. lib. 4. c. 5.
PHOTINI IMPIA DOGMATA.
i Theod. hær. fab. lib. 2.

k Hieron. de Script. Eccl.
HOMVNCIONISTÆ HÆRETICI.
l Aug. ſerm. 26. ex addit. fragm. edit. Louan.

Hieronymus [k], in quibus præcipua fuiſſe ait contra Gentes, & aduerſus Valentinianum: eumdemque deceſſiſſe ponit anno duodecimo Valentis Imperatoris. Reliquit vero ſuæ impietatis ſucceſſores improbos, ab eo dictos *Photinianos*: quos etiam, quod Chriſti nonniſi hominem affirmarent, dictos fuiſſe *Homuncioniſtas*, S. Auguſtinus [l] ſcribit.

III. NOVA FIDEI FORMVL. SIRMII SCRIPTÆ

m Athan. de Synod.
n Hilar. de Synod.
o Socr. lib. 2. cap. 25.

Damnato vero Photino, qui ad Synodum venerant Ariani Epiſcopi, nouam Fidei formulam edidere, eique addiderunt anathematiſmos vigintiſeptem, quibus damnando Photini hæreſim voluerunt videri Catholici. Recitant eam Athanaſius [m], Hilarius [n], & Socrates [o], eandemq; conſentientem fuiſſe Catholicæ veritati, idem Hilarius eam interpretatus demonſtrat. Sed quod omitteret vocem *Conſubſtantialis* (qua ſola ſæpe diximus præcludi omnem aditum Arianorum argutijs & captioſis interpretationibus) merito ſuſpecta cenſeri debuit. Eam autem Græce ſcriptam fuiſſe à Marco Epiſcopo Arethuſio Ariano, Socrates teſtatur: additque duas alias tunc ibidem Sirmij Formulas fidei Latino ſermone editas eſſe, quæ & verbis & ſenſu, tum inter ſe, tum ab illa prima differrent. Tradit illud ipſum Sozomenus [p]; ſed plane in eo hallucinatus, dum in nulla ipſarum *Vſiæ* ſiue *Subſtantiæ* nomen aſſertum putauit; cum in prima quam diximus illud expreſſe poſitum habeatur. At vero ſecunda, quam ijdem auctores recitant, prorſus ea vox abdicata eſt; vetitumque de ὁμουσίῳ aut ὁμοιουσίῳ amplius diſſerere vel mentionem habere, quod de eis nihil ſcriptum eſſet in ſacris Litteris, quodque humanam intelligentiam captumque longe ſuperarent. Ex quibus videas hæreticorum inconſtantiam: qui cum aduerſus Photinum Subſtantiæ nomine vſi eſſent, quod nonniſi Catholicæ Eccleſiæ armis ad pugnacem hæreſiarcham proſternendum ſatis ſibi virium eſſet; illo ſuperato, armis illis procul eiectis, qualeſnam eſſent ſe palam prodidere.

p Soz. lib. 4. c. 5.
IMPIETAS ARIANA APERTE PANDITVR.

IV. FALSVS INDITVS TITVLVS SIRMIANÆ BLASPHEMIÆ.

q Athan. ep. ad Solit.

Quod autem eiuſmodi blaſphema Formula, apud Hilarium ſub titulo Oſij & Potamij recitetur; caret plane eo titulo quæ recenſetur ab Athanaſio & Socrate; nec vlla apud eos prorſus mentio, quod Oſius & Potamius eam ſcripſerint. Quamobrem cum ex eo quod Hilarius profitetur ſe eam è Græco in Latinum verſam recitare, plane appareat eum haud nactũ eſſe originalẽ eius fidei profeſſionem Latino ſermone primitus conſcriptam, ſed eam quæ eſſet in Græcum conuerſa; omnino cogimur affirmare, titulum illum qui deſiderabatur in authentico Latino exemplari, ſuperadditum fuiſſe ab Arianis cum eam in Græcum verterunt; atque eam magni Confeſſoris Oſij titulo Orientalibus, quo facilius acciperetur, promulgaſſe. Sed quod ad *Potamium* ſpectat; haud quis putet hunc illum fuiſſe Epiſcopum magni nominis in Ægypto, Potamionem ſeu Potamonem nuncupatum, quem in inuaſione Eccleſiæ Alexandrinæ à Gregorio facta multa paſſum, martyrium quoque conſummaſſe Athanaſius [q] eſt auctor: hic enim de quo agitur Potamius, vnus erat ex putentibus Arianis, quem Sœbadius (qui his temporibus viuebat, & aduerſus Arianos ſcribebat, Epiſcopus Agenni in Gallia) vna cum Vrſacio ac Valente coniungit, meminitque epiſtolæ eiuſdem confertæ blaſphemijs, ad Orientales atque Occidentales ſcriptæ.

V. OSII LAPSVS IN SYNODO SIRMIENSI.

r Epiph. hær. 73.
s Athan. ad Solit.

Ceterum ipſum Oſium eidem impiæ fidei Formulæ ſubſcripſiſſe, non autem eam ſcripſiſſe, tum Socrates tum & Sozomenus affirmant; vi (vt aiunt) & verberibus tormentiſque ad id ab Arianis compulſum. Epiphanius [r] autem ait, eoſdem Arianos ex quadam epiſtola quam ab Oſio venati eſſent, eam hauſiſſe ac promulgaſſe blaſphemiam. Quem excuſans [s] Athanaſius, aſſerit Conſtantium ei tantum vim intuliſſe, & ita eum arcte tenuiſſe, vt afflictus aſtrictuſque malis, tandem ægreque cum Vrſacio & Valente communicaret, ſed tamen vt contra Athanaſium non ſubſcriberet. Porro immenſo plane luctu proſecuti ſunt Sancti Patres funus præclariſſimi viri; qui cum nauem, qua tot tantaq; maria nauigaret, inter ſyrtes, ſcopulos, atque piratas, validis vndique aduerſarijs

vrgen-

vrgentibus ventis, iam ad portum ſalutis magna gloria perduxiſſet incolumem; ibi inſperato naufragium fecit, vniuerſa Eccleſia expaueſcente. Superauit enim, mea ſententia, lapſus Oſii præteritorum omnium caſum, ſiue Origenis, ſiue Tertulliani, vel quorumuis aliorum dixeris: cum nullus tot tantiſque publicis actionibus ad ſtatum totius Reipublicæ Chriſtianæ ſpectantibus, tum in Occidente tum in Oriente perfectis, æque ac ipſe, neque tanta temporis diuturnitate, ſpectatus fuerit.

VI. Nova fidei formula Ancyræ edita a Semiarianis contra Sirmianam.

At vero ſicut olim negante Petro, & ceteris fuga lapſis Apoſtolis, Latro Chriſtum Deum confeſſus eſt in Cruce; itidemque Centurio qui eum crucifixerat, publice Filium Dei proclamauit: ita pariter (ô prodigium!) cum negat Oſius, hoſtes fidei confitetur Ariani. Siquidem pertæſi Sirmianæ perfidiæ Orientales Epiſcopi Sirmio recedentes in Aſiam commigrarunt; atque ANZYRÆ in Galatia conuenientes, damnata Formula Sirmienſi, reſtitutoque in Filio Dei *Subſtantiæ* nomine, ſuas ea de re ſententias ac definitiones duodecim capitibus comprehenſas, per legatos Sirmium miſerunt ad Conſtantium Imperatorem. Tradit enim hæc, pariterque eaſdem Orientalium definitiones recenſet Hilarius [t]: quibus quidem cum omnia aſſeruiſſent quæ pie ſancteque de Filio Dei dici poſſunt, omiſſa dumtaxat *Conſubſtantiali* voce; eoſdem ipſe de re egregie geſta laudans, hortatur ad ſuſcipiendam vocem Conſubſtantialitatis, ſine qua nomen quoque Subſtantiæ periclitari poſſe videretur, habereque ſecum fraudem paratam ab iis qui in ſuum ſenſum illius ſignificationem detorquent. Porro iſtos nominis Subſtantiæ vindices, fuiſſe *Baſilium* Ancyranum Epiſcopum qui interfuerat Concilio Sirmienſi, *Georgium* Laodicenum, & alios *Semiarianos* poſtea dictos, Sanctus Epiphanius [u] numerat, dum eorumdem fidei profeſſionem, prolixiorem quam Hilarius, recitat, editam (vt ait) ab eis cum Ancyræ in Galatia Synodum habuerunt.

t Hilar. de Syn.

u Epiph. hær. 73.

VII. Revocata Sirmiana perfidia.

Idem vero Epiphanius eo nomine pium appellat Cõſtantium, quod contra perfidiam Sirmienſem, qua ſicut de nomine Subſtantiæ, ita de Similitudine Filii cum Patre tacendum eſſe decretum erat, ipſe tum Valentem hæreticorum peſſimum, præcipuumque (vna cum impietatis indiuiduo ſocio Vrſacio) eiuſdem perfidiæ auctorem, tũ alios omnes ex Orientalium præſcripto iuſſerit ſcribere, Filium Dei per omnia Patri Similem, ac proinde etiam Subſtantia. Per hæc poſtea, cum Orientales Epiſcopi rurſum in Occidentem venientes, & Sirmii vbi Conſtantius erat conſiſtentes, nouam, eamdemque tertiam ordine, cuius ſuperius meminimus, ediderunt Latino ſermone fidei profeſſionem (dictante illam Marco [x] Arethuſiæ Epiſcopo, cui & primæ ſcriptionem Socrates tribuit) in qua dempto in Filio Subſtantiæ nomine, cum per omnia Patri Similem eſſe conſcriberent: occaſione haud dubium inde oborta, quod cum Orientales Epiſcopi Semiariani iterum atque iterum nomen Subſtantiæ in Filio profeſſi fuiſſent, offenſis nonnihil Arianis ea profeſſione, quæ in omnibus Catholica videri poſſet; poſt diuturnam inter ipſos diſputationem ita tranſactum fuerit, vt Semiariani relinquerent nomen Subſtantiæ, Ariani vero admitterẽt Filium dici Patri per omnia Similem; licet Valens id profiteri refugerit, & niſi Conſtantio iubente non fecerit. Conſtant hæc ex Epiphanio [y]; ſimulq; nouam illam Formulam conſcriptam eſſe Sirmii nocte illuceſcentis ſacri diei Pentecoſtes; nempe (vt Athanaſius [k] & Socrates [l] tradunt) vndecimo Calendas Iunias Euſebio & Hypatio Coſſ. Fuit is annus Domini trecenteſimus quinquageſimus nonus, quo & Ariminenſis Synodus eſt celebrata; ad quam Valens (vt videbitur) eamdem Formulã detulit ibi promulgandam; refragante tamen (vt ait Epiphanius) Baſilio Ancyrano Semiarianorũ ſignifero, qui in ſua ſubſcriptione Subſtantiæ nomẽ appoſuit. Sed & impiæ illius Sirmianæ profeſſionis ſecundæ exẽplaria omnia diligẽter perquiſita fuiſſe, & in quantum potuerunt ſuppreſſa, ipſumque Imperatorem edicto promulgato ſupplicium ea occultantibus minatum eſſe; Athanaſius, Socrates [m], & alii tradunt: cum tamen (vt addunt) factum id fruſtra fuerit, quod iam ea Formula vbique diuulgata eſſet.

x Vid. epiſt. Germin. ap. Hilar. fragm. lib. 1.

y Epiph. hær. 71.
k Athan. de Synod.
l Socr. lib. 2. c. 29.

m Id cap. 23. infr.

VIII. Osii finis qualis.

n Iſid. de vir. illuſt. in Oſio cap. 1.

Sed qualẽ finem ſortitus ſit eius ſiue ſcriptor ſiue ſubſcriptor Oſius, modo dicendum eſt. Auctor qui Iſidorus [n] Epiſcopus Hiſpalenſis falſo aſſeritur, tradit eum poſt reditum in Hiſpaniam in defenſione hæreſis perſtantem, dum in Gregorium Epiſcopum Eliberitanum ſibi cõmunicare recuſantem ſententiam damnationis proferre vellet; ad eiuſdem Gregorii preces Deo fuſas, repẽte ore verſo ceruiceq; diſtorta, de ſede in terrã eliſum illico expiraſſe. Sed nõ eſt tantæ auctoritatis ementitus iſte Iſidorus, vt ei teſtificatio præferenda ſit ſanctiſſimis Patribus, qui eodẽ tẽpore vitæ & obit⁹ Oſii fuere ſuperſtites; cũ ipſe poſt annos ducentos vixerit, nec ab alio quã à cœnoſo ſchiſmaticorũ fonte iſthæc potuerit haurire: ſiquidẽ primus eiuſmodi fabulæ auctor fuiſſe reperitur Marcellinus presbyter ille ſchiſmaticus Luciferian⁹, qui vixit tẽporib. Theoſii. Ceterũ Magnus Athanaſius [o], poſtquam narrauit vim Oſio ab Imperatore illatã Sirmii, quo Valenti & Vrſacio cõmunicaret; addit non ita quidem eam rem illũ pro leui habuiſſe, ſed moriturũ quaſi in teſtamẽto ſuo eorum vim proteſtatũ eſſe, & Arianã hæreſim condẽnaſſe, vetuiſſeq; eam à quoquam probari aut recipi. Rurſumq; alibi [p], cum eumdem dicat ſenii imbecillitate imparem verberibus ad tempus ceſſiſſe; iam plane ſignificat, poſt illud tempus in priſtinum ſtatum reuocatum eſſe. Nec certe aliud Sanctus Hilarius [q] demonſtraſſe viſus eſt, cum ait: idcirco Oſium reſeruatũ eſſe, ne iudicio humano ignoraretur qualis ante vixiſſet. Denique quomodo dici poteſt, Oſium in hæreſi quam ſcripſerat vel ſubſcripſerat perduraſſe, ſi ipſa ſcripta profeſſio impietatis, ſtatim eſt reuocata, & Imperatoris edicto vetita? cum æque periculum ei fuiſſet illud aſſerere, ac quod ante fecerat affirmare ſe Catholicum?

o Athan. ad Solit.

p Id. Apol. 2.

q Hilar. de Synod.

IX.

Sed nimirum Marcellinus Luciferianus, quod errore ſectæ ſuæ, Lapſis etiam pœnitentibus communicandum eſſe negaret, in ſtabilimentum opinionis ſuæ id de Oſii prodigioſa morte confinxit. Scimus quidem extare [r] epiſtolam Euſebii Vercellenſis ad prædictum Gregorium Eliberitanum, ab exilio ſcriptam poſt Concilium (vt apparet) Ariminenſe, qua conſtat eumdem Gregorium Oſio in Hiſpaniam reuertenti reſtitiſſe. Verum quod & eadem pariter conſtet, eum æque denegaſſe communicare Epiſcopis Catholicis apud Ariminum lapſis; aperte intelligitur, ipſum iam tunc eius opinionis aſſertorem fuiſſe, quã poſtea Lucifer in ſchiſma conuertit. Eoque ſpectat, quod S. Auguſtinus [s] Oſium ab aliis Donatiſtarum calumniis vindicans, ait eum, ſi ab Hiſpanis eſt damnatus, à Galiis abſolutum eſſe: nimirum quod in Hiſpania agente Gregorio vigeret error ille, in Galliis vero lapſi Epiſcopi pœnitentes in Eccleſiam admitterentur. Ceterum creditur poſtea Gregorius ſaniori menti redditus, duramque auſteritatem illam flexiſſe in obſeruantiæ Catholicæ rectitudinem; quippe qui nonnullorum præconiis Orthodoxorum celebratus reperiatur.

r Ext. int. frag. Hilar. l. 2.
De Gregorio Eliberitano Episc.

s Aug. cont. ep. Parm. c. 4.

X.

Quod autem pertinet ad tempus obitus Oſii, cum ex eadem Euſebii epiſtola probari videatur vixiſſe poſt Cõcilium Ariminenſe, & Athanaſius oratione prima contra Arianos, quam habuit anno Chriſti trecenteſimo ſexageſimo primo (nempe, vt ait, triginta ſex annis poſt Nicænã Synodum) de ipſo vt defuncto meminerit; neceſſe eſt dicere, tempus illud non exceſſiſſe, obiiſſeque anno ſequenti à Concilio Ariminenſi, qui numeratur Chriſti trecenteſimus ſexageſimus, cum centum & amplius annos vixiſſet. Sed & quod eadem oratione Athanaſius recenſens præſtantiſſimos Epiſcopos de fide Catholica optime meritos, primo loco; atque titulo honorifico ponat Oſium; plane declarat eumdem in Catholica communione ſancte quieuiſſe. At de illo hactenus: de quo agens idem qui aſſeritur Iſidorus, eum ſcripſiſſe tradit librum *De Laude Virginitatis*, pulchro & diſerto eloquio exornatum.

Osius sancte quievit.

XI. Liberii P. causa in synodo Sirmiana.

Sed ad res Sirmianas reuocanda eſt oratio: haud enim Oſii lapſu tragœdia illa finem accepit, quæ caſu Liberii Romani Pontificis longe reddita eſt lugubrior. Tradit enim inprimis Athanaſius [t], Liberium poſt exactum in exilio biennium, inflexum eſſe, minisque mortis ad ſub-

t Athan. ad Solit.

ſubſcriptionem ipſius Athanaſii inductum. Et Hieronymus[u] iterum aſſerit, eumdem tædio victum exilii in hæreticam prauitatem ſubſcripſiſſe. Teſtantur idipſum & alii quoque antiqui ſcriptores: ac denique ipſe Liberius literis tum ad Orientales Epiſcopos, tum ad Vrſacium & Valentem, necnon ad Vincentium Epiſcopum Capuanum ſcriptis (quæ hactenus[x] extant in Creſconiana Collectione) aperte profitetur ſe deſiderio redeūdi Romam, & Athanaſii damnationi conſenſiſſe; & fidem Sirmii conſcriptam approbaſſe, ac pacem cum omnibus Orientalibus Epiſcopis iniiſſe.

u Hier de Script. Eccl. in Fortunatiano: & in Chron.
x Ret. Bar. Annal. to. 3. hoc an.

XII. LAPSVS LIBERII QVALIS.

Porro cum duas Fidei Formulas hoc anno Sirmii editas eſſe nuper ſit viſum (tertia namque poſt annum ſequentem eſt compoſita) priorem videlicet ad confutandas Photini blaſphemias, poſteriorem vero blaſphemam illam de qua diximus: Liberium priori ſubſcripſiſſe, Sozomenus[y] inprimis declarat; nimirum ei, qua aſſertum eſſet Filium Patri tam Subſtantia quam ceteris omnibus eſſe ſimilem: quam quidem S. Hilarius interpretatus, agnoſcit eſſe Catholicam, quippe cui nihil deeſſet præter vocem Conſubſtantialis. Nam & hac ex parte Vigilius[z] Epiſcopus Tridentinus eamdem Sirmienſem Synodum nouit eſſe Catholicam; cuius decretis obniti, nihil aliud eſſe dixit quam velle cum Photino damnari. Denique cum poſterior illa eiuſdē Conuentus Formula confeſtim ab iiſdem ipſis exploſa fuerit, & edicto Imperatoris prohibita; quis dicere audeat, Liberium ab exilio Sirmiū ab Imperatore accerſitum, vt impietati quam idem Imperatore ac ſui exhorreſcerent ſubſcriberet? At vero accidit, vt licet nomen Subſtantiæ fuiſſet profeſſus in Filio, tamen quod Nicænam vocem Conſubſtantialitatis reticuiſſet, quam omnes Orthodoxi aduerſus Arianos magna ſemper gloria defendiſſent; eam ob cauſam calumniam paſſus fuerit, quod Conſubſtantialitatem damnaſſet; diſſipantibus eiuſmodi rumorem (vt tradit Sozomenus) Eudoxio & ceteris Aetianæ hæreſis fautoribus. Quod autē inſuper Regula fidei cui ſubſcripſit, cetera licet Catholica, tamen ab hæreticis conſcripta eſſet; itemque quod iiſdem hæreticis communicaſſet; ac denique Athanaſii damnationi conſenſiſſet, cuius tanta exiſtimabatur cauſa, vt qui in eam ſubſcriberent, in Nicænam pariter fidem ferre calculum viderentur: ex his inquam, omnibus factum eſt, vt à Catholicis exiſtimatus fuerit in hęreticam prauitatem ſubſcripſiſſe.

y Soz. lib. 4. c. 14.
z Vigil aduerſ. Eutych. lib. 5.

XIII. LIBERIVS MINIME DICENDVS HAERETICVS.

Ceterum quamuis in his eum grauiſſime deliquiſſe, inficiari nemo poſſit, tamen à fide Catholica defeciſſe, aut in hæreſim incidiſſe, nullus vmquam probabit. Longe enim aliud eſt dicere, Liberium damnaſſe Conſubſtantialitatem, aliud vocē illam ſilentio ſuppreſſiſſe. Nam aſſeuerando Filium eiuſdem eſſe cum Patre Subſtantiæ, idem eſt ac ſi profeſſus eſſet Conſubſtantialem; licet hæretici Subſtantiæ vocem in alium ſenſum inflecterent, quorum malitia nequaquam inuertere poteſt legitimum ſenſum qui natura & vſu vocibus ineſt: ſicut nec ob eā cauſam, quod iidem hæretici abutuntur diuina Scriptura, & ex ea hæreſes ſuas efformant Catholici eadem vti vetantur. Itaque & ipſe S. Auguſtinus[a] aduerſus Paſcentium Arianum agens, ſæpe pollicetur ſe ſubſcripturum ipſius fidei, ſi nihil inueniret in ea quod aduerſaretur Catholicæ veritati, etiam ſi nomen Conſubſtantialis minime profiteretur. Et hoc ipſo tempore cum Aetius in Syria, & Photinus in Illyrico, diuinitatem à Filio Dei penitus reieciſſent; Eleuſium ac ſocios eius, qui profeſſi eſſent Sirmii vnam Filii cum Patre ſubſtantiam; habitos eſſe à noſtris Catholicos, teſtificatione conſtat Hilarii[b] dum ait præter Eleuſium & paucos cum eo, ex maiori parte Aſianos Epiſcopos vere Deum neſciſſe: cum alioqui hic Eleuſius Epiſcopus Cyzicenus ab Epiphanio[c] & aliis, vna cum Baſilio Ancyrano inter Semiarianos adnumeretur; & à Sozomeno[d] inter illos recenſeatur, qui Liberio ob pacem Eccleſiarū perſuaſerit vocem Conſubſtantialis prætermittere, quo in eamdem fidem ſimul conuenientes, aduerſus Photianos & Aetianos bellum gererent. Quibus ſic Liberius aſſenſus eſt, vt tamen quo Subſtantiæ nomini bene conſultum eſſet, Eccleſia (inquit idem Sozomenus) interdixerit omnibus qui Filium Patri non ſubſtantia & ceteris rebus omnibus ſimilem aſſeuerarent.

a Aug. ep. 174.
b Hilar. de Synod.
c Epiph. hær. 73.
d Soz. lib. 4. c. 14.

XIV. CONFICTA DE LIBERIO.

Ex quibus plane intelliges, non eſſe S. Hilarii, quæ in textu citatæ nuper epiſtolæ Liberii ad Oriētales, leguntur in incerto & omni ex parte mutilato libello[e] *De Synodo Ariminenſi* ſub nomine Hilarii edito. Vbi enim profitetur Liberius, ſe recepiſſe Confeſſionem Sirmienſem à Demophilo Epiſcopo ſibi oblatam, iſta intexuit mira audacia qui exſcripſit, *Hæc eſt perfidia Ariana, hoc ego notaui, non apoſtata.* & paulo poſt, *Anathema tibi à me dictum Liberi & sociis tuis.* ac rurſum inferius, *Iterum tibi anathema, & tertio, præuaricator Liberi.* Præter enim quod iſta procul abhorrent, non dicam à modeſtia, ſed & à maieſtate Hilarii ſtyli; quomodo quis fingere poteſt iſta ipſius eſſe, quippe qui perfidiam illam Sirmienſem, non Demophili vel alterius alicuius ſuperius nominatorum, ſed Oſii & Potamii fuiſſe affirmat libro de Synodis? quam cum ipſe Demophilus vna cum aliis ſuis Semiarianis (nam & hunc ex numero Semiarianorum fuiſſe, tum Hilarius, tum Epiphanius, Sozomenus, & alii teſtantur) ſit magnopere deteſtatus; quis dicet eam ipſum obtuliſſe Liberio ſubſcribendam, & non potius ſuam ipſorum Semiarianorum, quæ fuit (vt vidimus) Prima Sirmienſis nominata, quam & Hilarius cognouit eſſe Catholicam? At hæc modo ſufficiant pro defenſione conſeruatæ à Liberio fidei Catholicæ apud Sirmium: quomodo vero eamdem poſtea integram vſque ab obitum cuſtodierit, videbitur inferius ſuis locis.

e Ap. Hilar. frag. lib. 1.

XV. LIBERIVS ROMAM REDIRE PERMITTITVR.

Poſt hæc autem geſta, addit Sozomenus Imperatorem dediſſe Liberio poteſtatem Romam reuertendi, atque Epiſcopos Sirmii congregatos ſcripſiſſe litteras Felici, qui in eiuſdem Liberii locum ſubrogatus fuerat, & Clero Romano, vti Liberium reciperent, & ambo pariter Sedem Apoſtolicam adminiſtrarent; haudque ita diu poſt mortuo Felice, ſolum Liberium Eccleſiæ illi præfuiſſe; id diuina operante prouidentia, ne Sedes Petri à duobus Præſulibus gubernata, vlla infamiæ macula aſpergeretur. Hæc Sozomenus Sed quod ad Felicem pertinet; ſi fidem haberemus libro de Romanis Pontificibus, ſic ibi dicitur decreta in Synodo Sirmiana reſtitutio Liberii, vt Felix depoſitus ceſſare iuſſus eſſet.

XVI. LIBER. RESPVITVR A RO.

Rediēs porro Liberius Romam, nequaquam (vt multi putant, decepti auctoritate eiuſdem libri de Romanis Pontificibus) tunc detentus eſt in cœmeterio S. Agnetis; id enim poſtea alia occaſione contigit: ſed quod ait S. Hieronymus[f], tunc quaſi victor in Vrbem intrauit. Tamen qui expetitus ante fuerat ab omnibus, iam quod adeo turpiter Conſtantio conſenſiſſet, omnium animos à ſe abalienatos inuenit: quippe qui cum ante Felicem, quod Romanæ Eccleſiæ ab Arianis præfici viuente Liberio tunc Confeſſore paſſus eſſet, exhorruiſſent; eidem iam Catholicæ fidei vexillum aduerſus Liberii præuaricationem extollenti ſeſe iunxerunt. Vnde traditur in prædicto libro, magnam Romæ turbationem factam eſſe, ac plane perſecutionem excitatam à magiſtratibus aduerſus eos, qui non parerent litteris Imperatoris pro Liberii reſtitutione conſcriptis; ita vt intra eccleſiam presbyteri & clerici plures necarentur, & martyrio coronarentur; alii vero ab introitu eccleſiæ vbi Liberius ſuos conuocabat, atque etiam à balneis publicis penitus abſtinerent, ne quoquo modo cum iis communicarent. Tantus ab ipſis Apoſtolorum temporibus viguit in Clero & Populo Romano amor Catholicæ diſciplinæ, atque odium in hæreticos, ac eis vel leuiter communione coniunctos! Porro inter clericos tunc Romæ paſſos, *Euſebii* presbyteri nomen meruit publicis[g] adſcribi tabulis, qui à miniſtris Conſtantii intra cubiculum clauſus: illic menſibus ſeptem in oratione perſeuerans, fame conſumptus ſpiritum exhalauit.

f Hier. in Chron.
g Mart. Ro. 14. Aug.

XVII. FELICIS EXITVS QVALIS.

Sed de Felicis exitu diuerſa plane reperiuntur ſcripta; dum in eodem libro de Romanis Pontificibus in Liberio ſcribitur, Felicem depoſitum in Synodo ab Epiſcopatu, habitaſſe in prædio ſuo via Portuenſi, & ibi in pace quie-

uiſſe: rurſumque eodem libro in Felice habetur, ipſum ob damnationem Conſtantii, obtruncatione capitis martyrium conſummaſſe in ciuitate Cære (ſic enim reſtituendum eſſe pro *Corona*, docet Martyrologium [h]. Eſt autem *Cære* ciuitas in Faliſcis via Aurelia decimo ſeptimo ab Vrbe lapide, vbi hactenus idem Felix vt patronus colitur) corpus vero eius in Vrbem relatum, primo ad Thermas Traiani occulte ſepultum eſſe, inde à Damaſo presbytero & aliis Felicis communionis clericis tranſlatum ad baſilicam quam conſtruxerat via Aurelia. At enim Marcellinus presbyter tradit, quod cum Liberio pulſo Clerus Romanus iuraſſet, ſe nullum creaturum Pontificem donec Liberius reſtitueretur (Habentur hæc etiam apud Hieronymum in Chronico) & nihilominus quidam ex illis periuri effecti intruſiſſent Felicem; reuertente Liberio Felicem Vrbe pulſum eſſe [l], paulo vero poſt fauore periurorum Romam reuerſum, moxque iterum eiectum, demum Valentiniano & Valente Coſſ. (eſt is annus Domini trecenteſimus ſexageſimus quintus) migraſſe è vita. Hæc Marcellinus; qui fauens ſchiſmati Vrſicini contra Damaſum Felicis ſequacem, nihil de eiuſdem Felicis martyrio meminit: vel quod illud occulte eum ſubiiſſe habeat Romanum Martyrologium, fortaſſe Marcellinum præteriit.

h Ibid. 29. Iul.

XVIII.
CAVSA MORTIS FELICIS.

Ceterum cauſa illa quæ in libro de Romanis Pontificibus aſſeritur damnationis Conſtantii per Felicem factæ, nempe quod ſecundo rebaptizatus eſſet ab Euſebio Nicomdienſi, minime probari poteſt, tum quod nondum hoc tempore Ariani rebaptizarent, ideoque necadhuc Eccleſia reſpueret Arianorum baptiſmum, vt S. Hieronymus aduerſus Luciferianos ſcribens teſtatur; tũ quod cõſtet aſſertione maiorum, puta Hilarii [i], Seueri [k], atque Luciferi [l], Conſtantium his temporibus adhuc perſeueraſſe catechumenum; eumdemque Athanaſius [m] & alii [n] affirment, tempore mortis ab Euzoio Ariano Epiſcopo Antiocheno initiatum eſſe baptiſmo. At non hæc tantum, ſed & alia pleraque in eodem commentario cum in Liberio tum in Felice habentur; quæ inter ſe diſcrepent & erroris facile redarguantur. Quamobrem cum ingreſſus Felicis abſque controuerſia à maioribus fuerit exiſtimatus iniquus, & de exitu ipſius eadem inter ſe pugnantia ſcripta nutent; inde & accidit, vt temporibus Pontificatus Gregorii XIII. dum de emendatione Romani Martyrologii à viris eruditis ad hoc delectis frequentes haberentur conuentus, & de Felice non leuis controuerſia incidiſſet, expungenduſne eſſet ob vitioſum ingreſſum eius, vel abſque martyrii titulo relinquendus; ob innumeras contrarias aſſertiones idem Felix cauſa ferme ceciderit: niſi plane magna Dei prouidentia factum eſſet, vt cum in Diaconia SS Martyrum Coſmæ & Damiani in Foro Romano, clam quidam altare ſuffoderent; vt theſaurum inuenirent, quem acceperant ibi eſſe reconditum; in arcam marmoream inciderent, in cuius altero latere, tabulæ lapideæ interſtitio ab altero diſtincto, repoſitæ inuenirentur. Reliquiæ SS. martyrum Marci, Marcelliani, & Tranquillini, in altero vero corpus S. Felicis de quo agimus, vna cum lapideo laterculo ibidem intus poſito hiſce literis exarato, CORPVS S. FELICIS PAPÆ ET MARTYRIS, QVI DAMNAVIT COSTANTIVM. Quod accidit pridie eius diei, quo eiuſdem S. Felicis in Eccleſia natalis dies agi conſueuit quarto Calendas Auguſti, anno Domini milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſecundo; quando opportune ipſemet viſus eſt admiratione omniũ rediuiuus comparuiſſe, per ſe ſuam cauſam acturus, cum iam ſtylo contradicentium valde eſſet oppreſſus.

i Hilar. de Synod.
k Seuer. li. 2.
l Lucif. pro Athan.
m Athan. de Synod.
n Socr. lib. 2 c. vlt. Nice. lib. 9. c. 50.

[F]ELIX [M]ARTYRIVM [S]VBIIT [P]RO FIDE [C]ATHOL.

XIX.
[C]AVSA [F]ELICIS [E]T LIBERII.

Quod vero ſpectat ad ſeriem vniuerſam rerum geſtarum inter Liberium atque Felicem, admiranda prorſus in eis apparuit ſumma Dei prouidentia, qua ſemper Romanam Eccleſiam moderatus eſt. Nam labefactato ex Arianorum communicatione, etſi non hęreſis participatione, Liberio, Felicem antea eorundem communicatione cõiunctum, excitauit ex aduerſo, ſicque ad pugnam roborauit, vt tum eos omnes, tum eorum Principem Conſtantium anathemate feriens, pro mercede coronam martyrii fuerit conſecutus. Quæ vero fertur Athanaſii nomine ſcripta ad Felicem ex Synodo Alexandrina epiſtola, haud æque probatur: quippe ab eo tempore quo exulante Liberio Felix ſedere cœpit, nullus plane locus vel tempus cogendæ Synodi potuit eſſe, Athanaſio in eremo latitante; atque aliis Ægypti Epiſcopis pariter exturbatis: ſuntque præter hæc alia multa, quæ ibi poſita minus arrident.

XX.

Sed quod pertinet ad tempus ſedis Felicis, illud quidem debet omnibus eſſe exploratum, totum illud biennium quo ſedit cum Liberius legitimus Pontifex Berœæ exularet, nequaquam in numerum annorum computandum: ſed eius ſedis initium accipi debere, cum audita Liberii præuaricatione, ipſe Felix eius nominis Secundus natione Romanus Anaſtaſii filius à Clero Populoque Romano legitimus Pontifex declaratus eſt hoc ipſo anno. A quo tempore quãtum ſederit, haud vllo modo probare poſſumus quod Marcellinus tradit perueniſſe vſque ad Conſulatum Valentiniani atque Valentis; ſed potius ſediſſe annum vnum menſes tres totidemque dies, vt habetur in libro de Romanis Pontificibus: huic enim ſententiæ conſentit Sozomenus, dum eum haud diu poſt reditum Liberii mortem oppetiiſſe tradit. Sed & quod tempus ſedis eius habeatur incluſum Pontificatu Liberii, vel ex eo quod eiuſdem ingreſſus fuerat vitioſus; inde factum reor, vt Optatus [o] Mileuitanus & Auguſtinus [p] cum recẽſent ſeriem Romanorum Pontificum, poſt Liberium, omiſſo Felice, mox Damaſum ponant.

FELIX QVANDO DICENDVS LEGITIMVS SEDIS SEDIS RO. PONT.

o Opt. lib. 2. cont. Parm.
p Aug. ep. 165.

XXI.
LIBERIVS RECEDENS AB ARIANIS, SVSCEPTVS A ROM.

Felice autem defuncto, nullus in locum eius ſubrogatus eſt; quod Liberius, abrupta penitus quæ recipiendæ ſedis cauſa intercelſerat cum Arianis communicatione, ab omnibus legitimus Romanæ Eccleſiæ Pontifex; vt erat antea, cognitus & acceptus fuerit. Conſtatque auctore Marcellino presbytero, eumdem ad tollendum Eccleſiæ Romanæ ſchiſma, eos qui à Felice fuerant, ordinati, factumque vnum paſtorem ouilis vnius. Riſu vero potius quam redargutione dignum eſt recentiorum quorumdam [q] hiſtoricorum commentum; dicentium Felici fuiſſe ſuffectum *Leonem* quemdam, in S. Hilarium parum æquum; quem ſero accedentem ad Synodum, in pœnam, humi conſidere iuſſerit: ipſum vero diuina vindicta; eadem qua Arius pœna mulctatum, vna cum viſceribus animam efflauiſſe. Somniaſſe iſta putantur cum tantæ rei in tanto viro in totius Orbis theatro confectæ, antiquorum nullus reperiatur aſſertor. At de Felice hactenus: de Liberio autem, eiuſque egregia fidei Catholicæ aduerſus Arianos ſuſcepta defenſione, rurſum inferius.

q Cent. Alberſt. Herman. Gyg. qui reſelluntur ab omnibus.

FABVLA DE LEONE PP. SVFFECTO IN LOCVM FELICIS.

XXII.

Verum hic de vtroque non omittendum, haud ita nos prædicta omnia de eis hoc anno recenſuiſſe, vt ſub eodem facta eſſe contendamus; ſed ad faciliorem hiſtoriæ intelligentiam: cum alioqui & Synodum Sirmienſem in ſequentem annum propagatam eſſe, prolixitas rerum geſtarum admoneat; & Liberii in Vrbem reſtitutionem nonniſi eodem ſequenti anno contigiſſe, id maxime demonſtret; quod de immunitate clericorum Conſtantius promulgans edictum [r] octauo Idus Decembris iiſdem huius anni Coſſ. non ad Liberium (vtpote qui nondum Romam fuiſſet reſtitutus) ſed ad Felicem illud reſcripſit. Quod cum Mediolani datum ponatur; aliudque ibidem ab eodem Imper. pariter quarto Idus Nouembris eiuſdem anni, de confirmatione priuilegiorum Eccleſiæ Romanæ datum legatur; inde quoque apparet, ſic eumdem Imperatorem hoc anno & ſequenti (quod Ammianus teſtatur) Sirmii degiſſe, vt tamen ſe interdum Mediolanum conferret; ſub qua metropoli lege Vatiania [s] prouincia Illyrici poſita eſſet.

r L. 14. C. Th. de Epiſc. & cler.

s Socr. in Iul. c. 22.

XXIII.
t Am. lib. 16
IVLIANVS ACCLAMATVS AVGVSTVS.

Hoc item anno iiſdemque Coſſ. (vt conſtat Ammiani [t] aſſertione) Iulianus Cæſar ab exercitu acclamatus eſt Auguſtus, quod ſex Alemannorum Reges Gallias incurſantes viciſſet. Iiſdemque Coſſ. Conſtantius Imperator aduerſus maleficos [u] elementa turbantes & manes accientes, reſcripſit ad Populum; & contra gladiatorum [x] munera exhibentes, ad Orfitum Vrbi Præfectum. Sed &

u l. 5. C. Th. de maleſ.
x l. 2. C. Th. de gladiat.

ſub eadem Orfiti præfectura, Obeliſcus omnium maximus Alexandria allatus, Conſtantii iuſſu erectus eſt Romæ in Circo Maximo: quem noſtro ſæculo SIXTVS Quintus Pontifex Maximus in Lateranum tranſtulit, ac Crucis vexillo nobilitatum CHRISTI gloriæ conſecrauit.

CONSTANTII AN. 22

IESV CHRISTI AN. 358.

LIBERII AN. 7.

I. ANno Chriſti trecenteſimo quinquageſimo octauo, Diacono & Cereale Coſſ. Imperator Conſtantinus per legatos ab Ancyrana Synodo (de qua dictum eſt anno ſuperiori) ad ipſum miſſos, certior factus de Eccleſia Antiochena, Aetii hæreſi quæ Filium Patri diſſimilem aſſeuerabat, grauiter ab Eudoxio qui malis artibus eam Eccleſiam inuaſerat, labefactataꝫ mox aduerſus ipſum Eudoxium ad Antiochenos ſcribens tamquam non à ſe miſſum, poſtea conſtituit Nicææ in Bithynia Concilium de Aetii hæreſi cogere. Sed cum deinde mutato conſilio placuiſſet illud apud Nicomediam eiuſdem prouinciæ ciuitatem conuocare; interim dum Epiſcopi illuc properarent, ciuitate repentino terræmotu penitus collapſa, ipſiſque etiam cunctis ferme hominibus extinctis vna cum Cecropio Epiſcopo Ariano; electa denuo à Baſilio Ancyrano ad conuentum agendum Nicæa, ab Imperatore probata eſt, ſed rurſum mox improbata, quod & illa ciuitas terræmotibus pariter afflictata in mœrore eſſet. Itaque tandem opera Valentis, aliorumque Arianorum Aetii hæreſi patrocinantium, Synodus in duas partes ita diuiſa eſt, vt Occidentales Epiſcopi Arimini, Orientales Seleuciæ in Iſauria conuenirent: eo videlicet conſilio, quod timerent ſi in vnum omnes Epiſcopi conuenirent, fore vt Aetius damnaretur; ſperarent autem vt vel cunctis ita ſeparatis, eius hæreſis facilius perſuaderetur, vel ſaltem ab altero conuentu ea minime damnaretur. Tradit hæc omnia pluribus Sozomenus [a].

NOVVM PARATVR CONCILIVM A CONSTANTIO.

DVO DECERNVNTVR, ARIM. ET SELEVC.

[a] Soz. lib. 4. c. 13. & ſeqq.

II. Ceterum fuiſſe conſilium Eudoxii, id per aulicos procurantis, vt Nicææ Synodus cogeretur. Theodoretus [b] eſt auctor: ſed (vt inquit) magna Dei prouidentia res terræmotu impedita fuit, ne cum in illa vrbe fidei Apoſtolicæ doctrina à Sanctis Patribus deſcripta fuiſſet, & alii iam ibi congregandi contrariam doctrinam conſcribere in animo haberent; ex ſimilitudine nominis anſam Ariani arriperent ad fraudem. Sed & Athanaſius [c] declarans veteratorie quæſitam eſſe ab Arianis Synodi diuiſionem, quod metuerent ne ſi omnes in vnum conuenirent, damnanda forent omnia quæ hactenus impie egiſſent; ſperarentque ita inuicem à ſe disiunctis aliquid ſuffurari poſſe: ait tamen id numinis prouidentia procuratum eſſe, vt in ſingulis Conciliis, hic quidem ſinceræ puræque fidei ſententiæ apparerent, illic autem ſuſpecta incertaque ingenia cum ſuis moribus ſeſe oſtenderent. At de iis Synodis dicetur anno ſequenti; cum in tanta rerum conflictatione de loco deligendo, anni huius tempus inſumptum eſſe noſcatur. Nam & habet Socrates [d], de conueniendo quoque Tarſi Ciliciæ actum eſſe: & illud pro conſtanti vulgatum fuiſſe, Epiſcopos in Oriente Ancyræ conuenturos, in Occidente Arimini, S. Hilarius [e] affirmat.

[b] Theod. lib. 2. c. 26.

PROVIDENTIA DIVINA IN HIS REBVS GESTIS.

[c] Athan. de Synod.

[d] Socr. lib. 2. c. 31.

[e] Hilar. de Synod.

III. Porro Nicomediæ terræmotum contigiſſe iiſdem huius anni Coſſ. quinto Calendas Septembris, Socrates eſt auctor: quem Ammianus [f] breuiter quidem, ſed graphice depingens, addit ſupereſſe potuiſſe ædium ſacrarum & priuatarum, hominumque partem maiorem, ni palantes abrupti flammarum ardores per quinquaginta dies & noctes quicquid conſumi poterat exuſſiſſent. Scribens quoque hæc eadem Sozomenus [g], ſubdit *Arſacium* genere Perſam, olim ex milite qui leones Imperatoris nutriebat inſignem ſub Licinio confeſſorem, ac poſtea monachum factum, intra turrim Nicomediæ commorantem, vitæ ſanctitate & miraculorum editione conſpicuum, huius cladis venturæ per viſionem certiorem eſſe redditum; eamque clericis prænunciaſſe, vt preces pro illa auertenda Deo offerrent; ſed ludibrio habitum ſe in turrim ſuam recepiſſe, ibique poſt cladem pronum, ſicut ſe cum orare cœpiſſet extenderat, mortuum repertum eſſe; cum (vt fama fuit) à Deo petiiſſet, vt ante mortem oppeteret, quam oculis cerneret calamitatem vrbis illius, in qua primo Chriſtum cognouerat, & Eccleſiaſtica diſciplina imbutus fuerat. Ceterum iiſdem diebus pares terræmotus horrendos per Macedoniam, Aſiamque & Pontum, aſſiduis impulſib. oppida multa concuſſiſſe & montes, Ammian. ſcribit: auctorq; eſt Sozomenus, ipſam quoq; Conſtantinopolim in eiuſdem calamitatis ſocietatem veniſſe.

DIRVS NICOM. TERRÆMOTVS.

[f] Am. l. 17.

[g] Soz. lib. 4. c. 15.

ARSACII MIRANDVS OBITVS.

IV. Cum igitur ſtatutum eſſet, Concilium Epiſcoporum Occidentalium Arimini celebrandum fore, ea de cauſa Hilarius in Phrygia exulans, vt Gallorum ſuorum fidei integritati hactenus conſeruatæ conſuleret, ad eoſdem *De Synodis* commentarium hoc ipſo anno conſcripſit, quo eos redderet de omnibus admonitos. Docet id ipſe eadem ſcriptione. Verum fuit & aliud eius exarandæ ipſius conſilium. Nam cum Ariani diuiſi ab inuicem, acrius ferme inter ſe præliarentur, quam aduerſus Eccleſiam Catholicam: accidit, vt cum vno eodemq; nomine omnes dicerentur *Ariani*, tamen ex iis alii qui ſe deteſtari præſeferrent Arii nomen, & diuinam in Filio Dei Subſtantiam vtcumq; ſpecie tenus confiterentur, SEMIARIANI ſint nominati; quorum principes eſſe videbantur, *Baſilius*, Ancyranus, *Eleuſius* Cyzicenus, *Siluanus* Tarſenſis, *Georgius* Laodicenus *Macedonius* Conſtantinopolitanus, *Euſtathius* Sebaſtenus, & illi pauci qui ſubſcripti apud Epiphanium [h] reperiuntur Concilio Ancyrano: eratque illa eorum fidei profeſſio, quæ tum Antiochiæ in Encæniis, tum Sardicæ, tum etiam Sirmii primo loco edita fuit, ac poſtea Ancyræ declarata. Alii vero erant, qui in deterius prolabentes, nullam in Filio admittebant vocem diuinæ Subſtantiæ, vel omnimodæ cum Patre Similitudinis quorum erant anteſignani, *Acacius* Cæſarienſis, *Eudoxius* Antiochenus, *Valens* Murſi in Pannonia, & *Vrſacius* Singidonis in Myſia ſuperiore Epiſcopus, atque alii his inhærentes, quorum factio longe ſuperiore copioſior erat. Accidit item in tanta errorum offuſa caligine, vt qui Subſtantiæ Filii Dei aſſertores eſſent à noſtris quoque in pretio haberentur; vtpote quod (vt ſæpius eſt dictum) nulla alia re viderentur à Catholicis differre, niſi quod vocem Conſubſtantialitatis non admitterent, quam Catholici mordicus retinerent ad excludendas ambiguitates omnes, quæ in nomen Subſtantiæ obrepere potuiſſent. Rebus igitur in hunc modum ſe habentibus; in odium & confutationem illorum qui Filium à Patre ſubſtantia diuiderent, ac proinde inter creaturas adnumerarent, Hilarius aduerſæ parti fauiſſe viſus, editas à Semiarianis diuerſis locis fidei Regulas ea adhibita prudentia recitauit & interpretatus eſt, vt quamuis ſecundum potiorem ſenſum eas demonſtret Catholicæ fidei conſentientes, tamen quod ſciret earum auctores ob Conſubſtantialitatis nomen cum Eccleſia Catholica minime communicaſſe, legentium iudicio relinquat vtrum Catholicæ an vero hæreticæ ſint; ideoque nihil diſputet, à quibus eædem ſingulæ editæ, vel qua occaſione quaue mente compoſitæ fuerint.

HILARIVS QVO CONSILIO SCRIBAT LIBRVM DE SYNODIS.

SEMIARIANI VT CATHOLICI RESPECTV ARIANORVM.

[h] Epiph. hær. 73.

V. Hoc eodem anno ſanctus ille toto Orbe conſpicuus ANTONIVS Magnus, decimo ſexto Calendas Februarii ex hac vita in cœleſtem migrauit, cum iam quintum ſupra centeſimum vixiſſet annum; vt Athanaſius [i] & Hieronymus [k] teſtantur. Idemque moriens fidem Catholicam, & odium in hæreticos, diſcipulis ſuis egregie commendauit: & exuuias ſuas ita legauit, vt Athanaſio redderetur melotes ac pallium tritum cui ipſe Antonius ſuperiaceret, quod ei nouum olim Athanaſius detulerat; Serapioni vero inſigni illi Thmueos Epiſcopo, alia melotes traderetur; ipſique clariſſimi eiuſdem Antonii diſcipuli veſtimentum cilicinum ſibi haberent. Tradit hæc idem Athanaſius in ipſius Vita: qui eiuſmodi ſibi traditum legatum tanquam magnam hæreditatem ingenti gaudio ſuſcepit, & honore veneratus eſt. Sepultus eſt autem incognito loco, quod ita præcepiſſet; ne ſcilicet Pergamus qui-

ANTONII MAGNI TRANSITVS.

[i] Athan. in Vit. Anton.

[k] Hier. in Chron.

IPSIVS TESTAM.

SEPVLTVRA.

dam eius

Digitized by Google

dam eius ſtudioſiſſimus, qui in illis locis ditiſſimus erat, ſublato ad villam ſuam eius corpore Martyrium fabricaret: non enim tanti ſe meriti eſſe rebatur, vt æqualem Sanctis in terris honorem ſibi impertiri vellet. Tradit hæc Sanctus Hieronymus in Rebus geſtis Sancti Hilarionis. Additq; hunc cognito, licet longe abſentem, obitu Antonii (quem olim quindecim tantummodo ipſe natus annos cum inuiſiſſet, largitus bona ſua pauperibus, & monaſticam vitam amplexus, ſanctitate vitæ & miraculorum editione factus eſt toti pene Orbi conſpicuus) illuc magno labore iam ſenem ſe contuliſſe, vt anniuerſariam eius dormitionis diem eodem in quo defunctus erat loco præuiis nocturnis vigiliis celebraret: quod pium officiũ cum ceteri in Ægypto Orthodoxi, tum vniuerſa Eccleſia Catholica præſtare hactenus eidem Antonio non prætermiſit.

HILARIONIS PRIMORDIA.

Poſt eius autem obitum triennio clauſo cœlo, clementa quoque eum luxiſſe fuit in ore piorum; quem & viuentem animalia venerata ſunt [l]. De ſcriptorum vero eius monumentis: licet Sanctus Athanaſius tradat nequaquam claruiſſe librorum ſcriptorum memoria, multas tamen ex munere conſtat ſcripſiſſe epiſtolas patria lingua, ex quibus ſeptem in Græcum translatas fuiſſe auctor eſt Sanctus Hieronymus [m]. Res autem ab eo geſtas ſcriptas eſſe à Sancto Athanaſio, idem Hieronymus ac reliqui omnes affirmant; quas ex Græco Euagrius [n] Epiſcopus Antiochenus in Latinum conuertit. Sed & hoc ipſum à ſe quoque præſtitum, idem Hieronymus [o] teſtatur: qui dum ſententias ſententiis reddidit, Gelaſius [p] ab eo ſcriptam Antonii vitam tradidit. Quomodo vero quæſitum corpus Antonii, inuentum tandem, ac demum Viennam translatum ſit, dicetur ſuo loco.

l Vid. Hier. in Vit. Paul. Pri. Erem.
m Hier. de Script. Eccl. in Anton.
n Ibid. in Euagr.
o Id ep. 101.
p Gela. decr. cũ. 70. antiſtit.

VI. Hoc eodem anno Conſtantium Imperatorem Sirmio profectum aduerſus Sarmatas, iiſdemque debellatis Sirmium eſſe reuerſum, & *Sarmaticum* iterum appellari voluiſſe, Ammianus [q] affirmat. Inter alias vero ſanctiones hoc anno ab eodẽ Imperatore promulgatas, illa magnopere pietati conſentiens fuit, qua [r] Magos & maleficos quoſcumque aut Aruſpices, Arioloſve, vel Augures, & Mathematicos, ac Somniorum diuinatores, quicumq; in Comitatu ipſius Imperatoris vel Cæſaris fuiſſent deprehenſi, quacumque fulgerent dignitate, cruciatibus & tormentis ſupponi voluit, cum videlicet (vt ex hoc, aliiſque anno ſuperiori aduerſus eiuſmodi homines datis reſcriptis, coniicere poſſumus) odoratus eſſet Iuliani Cæſaris nocturnos magicos ſuſurros, quos in Galliis ſecreto exerceret, vt Eunapius & Ammianus teſtantur. Quo etiam pertinet, quod idem Ammianus docet, Conſtantium anno ſequenti valde permotum eſſe aduerſus idololatras, qui contra leges ab eo ſæpius latas ſacrificarent, ac reſponſa quærerent, adeoque aduerſus eiuſmodi ſcelus ſeuerum ſe vindicem præbuiſſe, vt illos qui ad remedia quartanæ, vel alterius morbi, amuleta collo geſtarent, vel per ſepulchra errare comperti eſſent, iuberet ad ſupplicia trahi.

CONST. IMP. DEBELLAT SARMATAS.
q Am. li. 17.
r l. 6. C Th. de malef.

CONST. EXAGITAT MAGOS.

CONSTANTII AN. 23.

IESV CHRISTI AN. 359.

LIBERII AN. 8.

I. ANNO Chriſti trecenteſimo quinquageſimo nono, Euſebio & Hypatio Coſſ. (quos fuiſſe germanos fratres, & Conſtantii Imperatoris affines, auctor eſt Ammianus [a]) ab eodem Imperatore indicta eſt ad cõtrouerſias de fide componendas OECVMENICA SYNODVS, quæ fraudulento (vt vidimus anno ſuperiori) Arianorum conſilio, licet non abſque diuina prouidentia, derepente ita diuiſa eſt, vt Orientales Epiſcopi SELEVCIAE in Iſauria, Occidentales ARIMINI in Æmilia conuenirent.

DE SYNODIS ARIM. ET SELEVC.
a Amm. li. 29.

II. Vt autem de ambabus Synodis acturi, ab *Ariminenſi* auſpicemur: de eius conuocatione Seuerus [b] in primis tradit, Conſtantium Tauro Præfecto Prætorio imperaſſe, vt collectos in vnum Epiſcopos non ante dimitteret, quam in vnam fidem conſenſiſſent, promiſſo eidem Conſulatu ſi rem effectui tradidiſſet. Itaque miſſis per Illyricum, Italiam, Africam, Hiſpanias, Galliaſque Magiſtris Officialibus, accitos atque tractos quadringentos & aliquot amplius Occidentales Epiſcopos Ariminum conueniſſe, quibus omnibus annonas & cellaria dari Imperator præceperat. Sed id Aquitanis, Gallis, & Britannis indecens cum eſſet viſum, repudiatis fiſcalibus, propriis ſumptibus viuere maluiſſe: tres tantum ex Britannia, inopia proprii publico vſos eſſe, cum oblatam à ceteris collationem reſpuiſſent; ſanctius putantes, Fiſcum grauare, quam ſingulos: atque ita in vtriuſq; egregium exemplum apparuiſſe. Hæc Seuerus. Et quod ad numerum Epiſcoporum ſpectat; Sozomenus [c] quoque teſtatur, conueniſſe Ariminum amplius quadringentos. Subdit vero Seuerus, ex eis non amplius quam octoginta fuiſſe Arianos, reliquos omnes fidei Catholicæ defenſores. Athanaſius [d] autẽ quinquaginta vel plures ex Arianis fuiſſe tradit, illorumque facile principes Vrſacium, Valentem, Auxentium, Germanium, Demophilum, & Caium. Sed deprauatus eſt eius textus in epiſtola ad Africanos, vbi dicitur ducentos partium Catholicarum Ariminum conueniſſe: nam patet eorum extitiſſe numerum trecentorum & amplius; inter quos eminuerit Legatio miſſa à Liberio Papa, cuius *Vincentius* Epiſcopus Capuanus tantummodo nominatus habetur: qui (vt vidimus antea communione Ariana) labefactatus, ad meliorem poſtea frugem conuerſus, pro fide Catholica vna cum collegis in eodem Concilio aduerſus ingruentem Arianorum furorem ſtetit intrepidus.

b Seuer. lib. 2. hiſt.
COLLIGITVR SYNODVS ARIMINI.

c Soz. lib. 4. c. 10.
NVMERVS EPISCOP. ARIMIN.
d Athan. de Synod.

III. Cum igitur Epiſcopi Ariminum perueniſſent, mox fit (inquit Seuerus) partium ſeceſſio; eccleſiamq; Catholici obtinuerunt, Ariani tantum locum de induſtria vacantẽ orationis loco cœperunt. Conuenientibus autem in vnũ omnibus ad rerum tractationem, lectæ ſunt litteræ Conſtantii Imperatoris ad Synodum ſcriptæ: quas Sozomenus eiuſmodi fuiſſe argumenti declarat, vt primum de his quę in fide ambigua viderentur Epiſcopi deciderent, ac demum de cauſis Epiſcoporũ qui quererentur ſe vel iniuſte abdicatos eſſe vel in exilium miſſos, diſceptarent; deque criminibus quibuſdam Epiſcopis illatis accurate iudicarent; rebuſque omnibus pertractatis, decem vtriuſque partis ad aulã accederent, qui quæ acta eſſent Imperatori renunciarent tunc adhuc Sirmii agenti. Hæc quidem Sozomenus ad omnes Epiſcopos tam Arimini quam Seleuciæ conuenturos, ab Imperatore ſcripta eſſe tradit. Sed cum Occidentales Arimini congregati fuiſſent, ait eos qui infenſo erga Athanaſium erant animo, commodum duxiſſe vti de illo nulla omnino inſtitueretur actio. Verum extat quoq; in libro [e] de Synodo Ariminenſi alia Cõſtantii ad eamdem Synodum ſcripta epiſtola ſexto Calendas Iunias, qua omnino prohibuit nequid in ea de Orientalibus Epiſcopis qui ſeorſum conuenirent, definire præſumerent.

ACTA SYNODI ARIMIN.
e Ap. Hilar. frag. lib. 2.

IV. Cum autem quæri cœptum eſt de Fide (inquit Sozomenus) Valens & Vrſacius poſtularũt, vt cunctæ aliæ Formulæ antea editæ antiquarẽtur, eaque ſola teneretur quę nuper Sirmii Latino ſermone, præſente, eamdemque approbante Imperatore, edita fuerat, quæ Filium Patri per omnia Similem doceret: neque vlla fieret in Deo mentio Subſtãtiæ, multo minus etiam Conſubſtantialitatis, quod iſtiuſmodi voces occaſionem diſſenſionum ſubminiſtrarent. Porro illa fidei formula, quam tunc Valens in Synodo recitauit, ea ipſa eſt, quam tertio loco Sirmii editam eſſe iiſdem huius anni Coſſ. vndecimo Calendas Iunii, ſuperius dictum eſt in Synodo Sirmiana ex Athanaſio & Socrate, qui eamdem recitant; ſimulque eius compoſitores ſugillant, tum quod ei Conſulem, menſem ac diem ſcriptionis apponentes, ſic notum omnibus fecerunt, eam nõ ab initio in Eccleſia fuiſſe creditam, ſed tunc primum ab ipſis adinuentam: tum quod in ea Conſtantium Imperatorem *Æternum* nominauerint, qui Filium Dei Æternum eſſe negarẽt. Ceterum quamuis eiuſmodi fidei profeſſionem à Valente propoſitam, Epiphanius [f] & Hieronymus [g] doceant non ita aduerſam extitiſſe Catholicæ Fidei, vt manifeſtam hæreſim contineret, tamen ab Athanaſio tam

SIRMIANA PROFESSIO ARIMINI PROPOSITA.
f Epiph. hær. 73.
g Hier. adu. Lucif.

hæc quam omnes aliæ ab aduerſariis conditæ, in quibus nomen Conſubſtantialitatis Filii cum Patre non exprimeretur, vt hæreticæ ſunt repudiatæ, ea ſcilicet ex cauſa, quod abdicatione eius vocis iam ad Arianam blaſphemiam apertus aditus videretur.

V. Detecta vafricies Arianorum.

Qua etiam ratione in hac ipſa Synodo Ariminenſi, poſtquam ea formula recitata eſt (inquit idem Athanaſius) cognita eſt pariter Epiſcoporum qui eam ſcripſerant vafricies, dum Catholicis proponentibus vt ceteræ cum Ariana damnarentur hęreſes, Valens & Vrſacius cum ſuis penitus abnuerunt, ſicq; manifeſtarunt eos non ſincere, ſed ad abolitionem fidei Nicænæ illam profeſſionem ſcripſiſſe.

Fides Nicæna probata, et Ariani damnati.

Quapropter communi omnium Patrum decreto Nicæna fide comprobata, & ad omnia ſufficere iudicata; ab iiſdem Vrſacius, Valens, Germinius, Auxentius, Demophilus, & Caius, Arianorum coryphæi, pronunciati ſunt hæretici, & ab Eccleſia ſubmoti. Hæc Athanaſius [h]; eademque Socrates [i], Sozomenus [k], atque Theodoretus [l]: à quibus ſingulis æque recitatur epiſtola Synodalis de iiſdem rebus in Concilio geſtis, ad Imperatorem per viginti Legatos Epiſcopos ſcripta, qua & miſſionem à Synodo petierunt, tamquam perfectis omnibus quorum cauſa conuenerant. Porro hanc Arianorum à Synodo factam damnationem contigiſſe duodecimo Calendas Auguſti, docetur in ipſa Synodi ſententia, quæ deſcripta quoque habetur in prædicto libello de Synodo Ariminenſi: cui & appoſita eſt damnatio hæreſis Arianæ & aliarum omnium, eodem tempore à Patribus vndecim anathematiſmis publicata.

h Athan. de Synod. i Socr. lib. 2. c. 29. k Soz. lib. 4. c. 16. 17. l Theod. lib. 2. c. 18.

VI. Quid inter Synodum et Constantium post damnatos Arianos.

At vero Vrſacius & Valens à Synodo damnati, Legatos ab eadem miſſos prǽuertentes, vehementer Conſtantium aduerſus eam commouerunt, quod reieciſſet Formulam fidei, quæ ipſo præſente Sirmii promulgata fuiſſet. Itaq; nec legatos in conſpectum ſuum admittens, poſt longas tandem moras ad Synodum per alios reſcripſit, excuſans quod occaſione ſuſceptæ aduerſus barbaros expeditionis, haud potuerit cum legatis de rebus religionis conferre; ſed mandatum eis dediſſe vt Hadrianopoli ad ſuum reditum expectarent, quo tunc animo à curis vacuo ipſorum legationem audiret ac cognoſceret. Tradit hæc Sozomenus [m]: ipſam vero Conſtantii epiſtolam Socrates [n] recitat: ſed & Theodoretus [o] tradit hæc omnia conſilio Arianorum geſta eſſe, quod putarent Epiſcopos Arimini congregatos, tantæ moræ tædio affectos, deſiderio ad propria remeandi coactos fore vallum quod contra hæreſim ſtruxerant ſubuertere. Sed (ſubdit) fruſtra hic conatus ab illis ſuſceptus eſt: nam generoſi illi fidei propugnatores, aliam denuo ſcripſere ad Imperatorem epiſtolam, qua conſtanter affirmarunt ſe neutiquam à ſuis decretis velle diſcedere, idque Legatis ſuis & præcepiſſe & ſcripſiſſe. Itaque rogarunt, vt tum benigne eoſdem audiret, tum ipſam Synodum dimitteret, vt ſinguli Epiſcopi ad regendas ſibi commiſſas Eccleſias redire poſſent: quam ipſorum epiſtolam idem Theodoretus recitat, necnon Socrates.

m Soz. ibid. c. 18. n Socr. c. 29. o Theod. c. 19. in fin.

VII. Conciliab. Nicæn. in Thracia

Et porro ad Imperatorem allata, Ariani cum eius animum ad iracundiam concitaſſent, effecerunt vt plurimi Epiſcopi NICÆAM *Thraciæ* inuiti traducerentur, eorumque partem ob animorum ſimplicitatem callide circumueniendo, partim minis deterrendo impulerunt, voces *Subſtantia & Conſubſtantialis*, quod offendiculum in Eccleſia parerent, ex fidei formula eximere, inq; earum locum, vocem *Similis* ponere. Tradit hæc Theodoretus [p]: recitatque Fidei regulam tunc ibidem Nicææ Thraciæ editam, quæ conſentiens eſt in omnibus Sirmianæ tertiæ, niſi quod in Sirmiana dicatur Filius Patri *Per omnia Similis*, in iſta vero tantum *Similis*. Sicque videas quibus lapſibus Ariani à fide Catholica ſemel excidentes, præcipites delati ſint ad ima; dum primo abiicientes vocem *Conſubſtantialis*, vt exoticam & peregrinam, nomen *Subſtantiæ* retinuerunt; deinde & hoc ablegantes, appoſuere *Per omnia Similis*; modo vero tantum *Similis*; ac denique (vt videbitur) vocem *Diſſimilis*, aliaſque demum hac teteriores vſurpare non ſunt veriti. Tradit vero Socrates, eo ipſos conſilio Nicææ Thraciæ conueniſſe, quo ſimpliciores homines ſimilitudine nominis in errorem inducerent, tamquam ea fides illa eſſet, quæ Nicææ in Bithynia fuerat olim ſtabilita.

p Ibid. c. 21.

Ariani in deterius prolapsi.

Legati Synodi Arim. coguntur subscribere perfidiæ Arian.

Sed luctuoſum illud tunc accidit, quod teſtatur Seuerus, vt Legati quoque à Synodo Ariminenſi ad Conſtantium miſſi (quos & ætate iuniores, & parum cautos fuiſſe dicit) illic otioſe agentes, ab eodem Imperatore fuerint compulſi ad eiuſmodi Nicænam Arianorum perfidiam ſubſcribendam, atque cum iiſdem communicandum: cuius ipſorum præuaricationis extant in volumine S. Hilarii Fragmentorum, Acta Synodalia eiuſdem Conuentus Nicææ Thraciæ.

VIII. q Seuer. lib. 2.

Dimiſſis autem poſt hæc Legatis vt Ariminum redirent, Imperator (inquit Seuerus [q]) Præfecto Tauro mandatum dedit, vt Synodum non ante laxaret, quam prædictæ conſcriptæ fidei conſentire ſe omnes ſubſcriptionib. profiterentur: ac ſi qui pertinacius obſiſterent, dummodo is numerus intra quindecim eſſet, in exilium pellerentur.

Lapsus Episcop. Arim.

Itaque licet regreſſis Legatis, fruſtra vim regiam cauſantibus, denegata fuerit communio; poſtmodum tamen compertis quæ decreta erant, paulatim plerique Catholicorum, partim imbecillitate ingenii, partim tædio hyemis, & ſeptẽ iam menſium moræ euicti, dedere ſe aduerſariis, iam poſt reditum legatorum ſuperioribus, & eccleſiam (Catholicis inde detruſis) obtinentibus. Factaque ſemel inclinatione animorum, cateruatim in partem alteram conceſſum, donec ad viginti vſq; numerus Catholicorum eſt imminutus; quorum cõſtantiſſimi habiti ſunt *Fœgadius* Epiſcopus Agennenſis & *Seruatius* Tungrenſis Galli: ſed & hi cum minis & terriculis non ceſſiſſent, precibus & lacrymis à Tauro Pręfecto paulatim infractiores redditi, ad extremum propoſita conditione euicti ſunt; dum videlicet Valens & Vrſacius, qui fidem Nicææ conditam Ariminum detulerant, admonentes eam ab Orientalibus auctore Imperatore prolatam cum periculo repudiari, nullumque finem diſcordiarum fore, ſi quæ Orientalibus placuiſſet Occidentalibus diſpliceret; poſtremo obtulerunt, ſi quid minus plene ea Fide editum videretur, ipſi Catholici adderent quæ addenda putarent, ſeque iis conſenſum præbituros. Itaque conceptæ à Catholicis Epiſcopis Profeſſiones edi cœpere; in quibus primum damnatus eſt Arius, totaque eius perfidia; deinde Filius Dei Patri æqualis, & ſine initio, ſine tempore pronunciatus. Tumq; Valens tamquam Catholicos adiuuans, ſubiecit ſententiam cui inerat occultus dolus, nempe Filium Dei non eſſe creaturam ſicut ceteras creaturas. Fefellitq; audientes fraus profeſſionis. Etenim his verbis, quibus ſimilis eſſe ceteris creaturis Filius negabatur, creatura tamen potior tantum ceteris pronunciabatur. Ita neutra pars viciſſe ſe penitus, aut victam putare poterat; quia Fides ipſa pro Arianis, Profeſſiones vero adiectæ pro Catholicis erant, præter illam quam Valens ſubiunxerat, quæ tum non intellecta, ſero demum animaduerſa eſt. hocque modo Concilium dimiſſum, bono initio, fœdo exitu eſt conſummatum. Hæc totidem ferme verbis Seuerus huius temporis auctor, de rebus poſtremis Arimini geſtis.

Dolus Valentis Episc.

IX r Hier. aduerſ. Lucif. Acta Synodi Arim. ex S. Hieronymo.

Sed & Sanctus Hieronymus [r] eadem illa, aliaque eiuſmodi ex ipſis Synodi Actis recitans, ait quoque nomine vnitatis & fidei tunc infidelitatem ſcriptam eſſe, vt quidem poſtea agnitum eſt. nam illo tempore nihil tam pium tamq; conueniens ſeruis Dei viſum eſſe, quam vnitatem ſequi, & à totius mundi communione non ſcindi; præſertim cum ſuperficies expoſitionis nihil tam ſacrilegum præferret. Sed cum poſt ſolutum Concilium Vrſacius & Valens, ceterique nequitiæ eorum ſocii, cœpiſſent palmas ſuas iactare, dicentes ſe Filium non creaturam negaſſe, ſed ſimilem ceteris creaturis; tunc Vſiæ, ſiue Subſtantiæ nomen abolitum eſſe, tunc Nicænæ fidei damnationem conclamatum eſſe; totumque ingemuiſſe Orbem, & ſe Arianum eſſe miratum. Alios igitur intra ſuam communionem remanſiſſe, alios ad eos confeſſores qui ſub nomine Athanaſii exulabant, cœpiſſe litteras mittere; nonnullos initam ſocietatem meliorum deſperatione plan-

ne planxiſſe, paucos vero errorem pro conſilio defenſaſſe. Hæc quidem Hieronymus.

X. IN QVO DELIQVERINT PATRES CONCILII ARIM.

At enim non quia Valens in hæreticum ſenſum verba illa detorſit, Catholici Epiſcopi in optimam ſignificationem ea interpretati, dicendi ſunt euaſiſſe hæretici: cum præſertim noſcatur, quod explicatio illa Arianorũ, fuerit ſubdola potius cauillatio, quam quæ poſſet ex ipſa ſententia vere deduci; & maxime cum in eadem profeſſione (vt Sanctus Hieronymus ex ipſis Synodi Actis teſtatur) non ſolum dictum fuerit, Filium Dei non eſſe creaturam ſicut ceteras creaturas, ſed & expreſſe additum, eum ex Patre genitum ante omne omnino tempus, nec ei aliquid anteferri poſſe: quæ quidem omnino excludunt, vt Filius Dei quouis modo accepta dici poſſit creatura, cum omnem creaturam in tempore factã eſſe affirmare oporteat. Sicut igitur indignum eſt, tot Patres dicta ex cauſa aſpergere quauis leui macula hæreſis: ita nihilominus reprehenſione minime caruerunt, quod ſint paſſi ſilentio ſepeliri nomen *Subſtantiæ*, & vocem *Conſubſtantialitatis* in Nicæno Concilio ſtabilitam, tamquam ſcandalum inferentem omitti: vnde & turpis facta eſt & illa ab Arianis de damnatione Nicænæ fidei conclamatio. Quamobrem quod Sanctus Hieronymus ait, *Orbem ſe Arianum eſſe miratum*, haud ſic accipiendum eſt, vt quam adeo Catholici Arimini deteſtati erant atq; hactenus abominarentur, Arianam hæreſim crederent ſe inſcios nolenteſque eſſe complexos (cum tamen nonniſi volens quis ſcienſque effici poſſit hæreticus) ſed quod in noua fidei regula, Conſubſtantialitatis nomine prætermiſſo, atque Subſtantiæ pariter ablegato, viſi eſſent Nicænæ fidei proditores; diſiectaque munitione illa fortiſſima, qua Patres in Magno illo Conſeſſu, ſumma induſtria aduerſus quoſcumque Arianorum impetus, atque fallacias, Catholicam fidem muniſſent, iam fraudulentis eorumdem hæreticorum cauillationibus locum dediſſent, & ad inuadendam veritatem aditum pateſeciſſent.

XI. QVID SENTIENDVM DE SYNODO ARIM.

Quod autẽ Ariminenſis Synodi conſiderandæ, diuerſa fuerit diuerſorum ratio; inde quoque accidit, vt eadem ab aliis damnata fuerit vt impia, ab aliis probata vt Orthodoxa: rei tamen veritate perſpecta, nonniſi Catholica & ſumma laude digna meruit appellari; in qua Ariana fidei profeſſio Sirmii edita & Arimini in Concilio recitata, omnium Patrum ſententia fuit exploſa, & Nicæna Confeſſio cunctorum ſuffragiis ſtabilita; ac demum ei aduerſantes, cum ceteri Ariani omnes, tum qui præſto erant Vrſacius & Valens, ac ſocii, omniũ ſententia anathemate damnati: quibus omnibus abſolutis, quorum cauſa vocati eſſent, Concilium pariter perfectum eſt; cum Patres qui conuenerant, de rebus geſtis, per Legatos & Synodalem epiſtolam, certiorem reddentes Conſtantium Imperatorem, vt ad ſuas Eccleſias ſibi redire liceret, miſſionẽ petierunt. Quapropter & illud Concilium, vt vere Orthodoxum, S. Athanaſius [s] ſæpius laudat; ac frequenter repetit, perperam ab Arianis pro ſe citari in quo ſententiam damnationis accepiſſent: & S. Ambroſius [t] æque aſſerit, maiorem numerum Ariminenſium Epiſcoporum Nicæni Concilii fidem probaſſe, Arianaque decreta damnaſſe. Quæ vero poſt multos interlapſos mẽſes, per vim & metum ab Epiſcopis extorta ſunt, à legitimo Ariminenſi Cõcilio à Patribus iure fuere diſcreta, eademque reiecta; quę Athanaſius vocat *Recentiora Arimini* in epiſtola ad Africanos, quam ad veritatem totius rei geſtæ aperiendam ſcripſit. Vt autem illa Recentiora auctoritatem obtinerent, eadem rata habuit Conſtantinus Imperator, cum allata ſunt ad ipſum Conſtantinopoli tunc agentem in fine pręſentis anni, atque Epiſcopis qui ex Synodo Seleucienſi venerant tradidit ſubſcribenda: idque tanto ſtudio procurauit, vt quamuis (inquit Sozomenus [u]) ſe pararet poſtridie ad pompam celebrandam, quæ more Romano Calendis Ianuarii in creandis Conſulibus fieri ſoleret, tamen totum illum diem, & magnam partem noctis ſequentis ea in re conſumpſerit.

s Athan. de Synod. & ep. ad Afric. ſæpe.
t Ambr. ep. 32. ad Valent. Imp.
RECENTIORA ARIM PROBAT CONSTANTIVS IMP.
u Soz. lib. 4. c. 22.

XII.
x Theod. lib. 2. c. 22.

Ceterum (inquit Theodoretus [x]) quod iſta fidei Formula ab omnibus veritatis athletis, & ab his potiſſimum qui verſus Occidentem habitabant, repudiata ſit, ſatis conſtare poteſt ex litteris ab eiuſdem ad Illyrios conſcriptis; quarum præcipuus auctor extitit *Damaſus* in Eccleſię Romanæ primatu ſucceſſor Liberii, eiſdemque ſubſcripſerunt nonaginta Epiſcopi ex Italia & Gallia Romæ in vnum coacti. Ita Theodoretus, qui mox ipſam Damaſi & Synodi Romanæ epiſtolam ad Epiſcopus Illyrici ſcriptã recitat: in qua inter alia traditur, *numerum Epiſcoporum qui erant Arimini congregati, præiudicii vim habere non debere; præſertim cum Formula illa compoſita ſit, neq; Epiſcopo Romano, cuius ſententia præ ceteris omnib. erat expectanda, neq; Vincentio, neque aliis, ei conſentientibus; cumq; illi ipſi qui in fraudem illecti à veritate deflexiſſe viſi eſſent, poſt ad meliorem mentem denuo traducti, plane teſtarentur hanc formulam ſibi magnopere diſplicere.*

LIBERIVS PP. IN SYNODO RO. DAMNAT FORMVLAM ARIM.

Porro hunc Romanum Pontificem, quem Damaſus ait Ariminenſi Regulæ contradixiſſe, fuiſſe Liberium, Socrates [y] & Sozomenus [z] docent, dum aiũt quod cum Imperator Vrſacio & Valenti poteſtatem dediſſet, contra Eccleſias omnia pro arbitrio admittendi, & eiiciendi eos qui fidei Ariminenſi ſubſcribere recuſarent; primus omnium Liberius Epiſcopus Romanus, quod ſe illi fidei aſſentiri denegaret, ab Eccleſia exturbatus fuerit: licet Socrates (ſecutus forte Ruffinum [a]) erret cõfundens exturbationem hanc cum exilio Beroenſi, in quo ante triennium Liberius eſt pulſus, & Felix in locũ eius ſubrogatus.

y Socr. lib. 2. c. 29. ad fin.
z Soz. lib. 4. c. 18.
a Ruff. lib. 1. c. 22.

XIII.
b Soz. l. 4. c. 10.
c Ibid. c. 18.
LIBERIVS SEDE PELLITVR A CONSTANTIO OB FIDEM CATHOL.

Lõge vero accuratius Sozomenus duplicem eiuſdem Pontificis vexationem recenſet; priorem [b] ſcilicet illatã, cum Mediolano exul in Thraciam amandatus eſt, & Felix in locum eius intruſus: poſteriorem [c] autem iſtam, cũ eumdem profeſſioni Ariminenſi ſubſcribere renuentem Valens Epiſcopus mandato Imperatoris Eccleſia exterminauit. Quo quidem tempore neminem reperimus in locum eius ſubſtitutum Epiſcopum; ſed ab ipſo Liberio *Damaſum* presbyterum Vicarium eſſe relictum; quod habent veterrima illa, antiquitate corroſa, in multis deprauata, atque admixtione & additione aliqua labefactatã Liberii Acta: ex quib9 illud ſaltẽ non obſcure ſignificatur, eum ſic eiectum delituiſſe in cœmeteriis ſuburbanis, Nouellæ & Oſtriano nuncupatis; vbi manſit vſq; ad Conſtãtii obitũ, quando (vt teſtatur S. Hieron. [d]) reddita eſt pax Eccleſiæ & ad ſedes proprias exterminati Epiſcopi redierunt. Quemadmodum & in fragmentis S. Hilarii de Synodo Ariminenſi, haud obſcura eſt mentio de damnato Liberio ab Arianis, in eodem Conciliabulo. Traditur enim, illos minime contineri potuiſſe ab eius condemnatione, licet à nonnullis producerentur eius literæ quibus olim Athanaſium damnaſſet, & pacem cum Oriẽtalibus iniiſſet. Vnde etiam eſt quod Siricius [e] Papa ait, poſt ceſſatum Concilium Ariminenſe, miſſa eſſe à Liberio (quem *prædeceſſorem ſuum venerandæ memoriæ* nominat) decreta generalia, quomodo recipiẽdi eſſent hi qui ab Ariana hęreſi ad Eccleſiam Catholicã redire vellent. Quæ quidẽ omnia manifeſta ſunt argumẽta; Liberium poſtquam ſolutus eſt ab exilio, receſſiſſe penitus ab Arianorum communione.

d Hier. adu. Lucif.
e Siric. ep. 1. ad Himer.

XIV. EPISCOPI CATHOL. MARTYRIVM PASSI AB ARIANIS

Quod autem pertinet ad reliquos Occidentales Epiſcopos, ob non ſubſcriptam Fidem Ariminenſem vexationem paſſos; ibidem Arimini tragœdia cœpit exordiũ. Nam eius ciuitatis *Gaudentius* Epiſcopus qui ingruẽte ibidem impietate ad tempus exceſſerat vna cum aliis quibuſdam Epiſcopis, poſt omnia iã peracta ad ſuam Eccleſiam rediens, Arianorum geſta damnauit, & Martianum presbyterum eadem labe infectum eiecit: quã ob cauſam Marciani Præſidis in ſe odio concitato, ab eius militibus ad ſuburbia eductus, fuſtium ac lapidum ictibus martyrio glorioſus migrauit in cœlũ. Sed hæc fuſius eius Acta, ab illis diuerſa quæ ſpuria omnino habentur, in quibus ponitur S. Gaudentius ordinatus à Damaſo Papa; cũ conſtet Damaſum ſedere cœpiſſe poſt Concilium Ariminẽſe, cui Gaudentius interfuiſſe dicitur. Tradit quoq; Marcellinus [f] presbyter Epictetum Epiſcopũ Centumcellenſem crudeliſſimum Arianorum miniſtrum, ita ſæuiſſe in *Ruffinum* Catholicum Epiſcopũ vt eum ante rhedã ſuam tamdiu currere coegerit, quouſque ruptis præcordiis fuſo ſanguine expirauit; qui poſt mortem miraculis claruit.

f Marcell. de ſchiſm. Vrſ.

XV. DIVINA VINDICTA IN PERSECVTORES ARIANOS.

Verum pugnauit quoque pro defenſione Nicænæ fidei aduerſus perfidiam Ariminenſem ſignis & prodigiis Deus. Nam cum inter alios ab Vrſacio & Valentĕ exturbatos, *Maximus* Epiſcopus Neapolis in Campania durum exilium ſubire coactus, ſententiam anathematis tuliſſet in Zoſimum eius loco ſuffectum ab Arianis; eamdem haud paſſus eſt Deus inutilem exiſtere: ſed cum ex eo tempore coacto in Eccleſia populo, Zoſimus peragere vellet Eccleſiaſticas functiones, inter ipſa ſacerdotalia verba (inquit Marcellinus) eius lingua protendi cœpit, nec valuit eam amplius reuocare intra oris meatum, eo quod contra modum naturę extra os penderet, vt boui anhelo: cū vero egreſſus eſſet baſilicam, in officium lingua reuocata eſt. Hoc autem ipſum toties paſſus quoties in eccleſiam intrare tentaret, ob eam cauſam tandem ceſſit Epiſcopatui, vt priſtinum linguæ officium ſibi integre redderetur. Itemq; Potamon Epiſcopus Arianus, cum ob præcipuam impietatem prędio à Fiſco donatus eſſet, dum ad ipſum inuiſendum ire feſtinaret, diuinam mox vltionem in via obitu repentino excepit. Et Florentius æque Epiſcopus, licet minime ſubſcripſiſſet, tamen quia cum Arianis communicaſſet, cum in conuentu plebis in ſuo throno ſederet, repente diuina virtute in terram eliſus eſt, ac palpitans foras ſublatus: cumque viribus iterum reſumptis, in thronum regreſſus eadem quoque paſſus eſſet, ac tertio deniq; id ipſum obſtinate pertentaſſet; tertio eliſus, ora diſtorquens miſere animam exhalauit. Narrat hæc omnia Marcellinus: cuius fides in quibus periclitetur, & ſuperius iam dictum eſt, & inferius rurſum dicetur ſuis locis.

XVI. DE CONCILIO SELEVCIENSI.

[g] *Athan. de Synod.* [h] *Socr. lib. 2. c. 31.* [i] *Soz. lib. 4. c. 21.* [k] *Theod. lib. 2. ca. 27.* [l] *Epiph. har. 73.* [m] *Seuer. lib. 2.*

Nunc ad CONCILIVM SELEVCIÆ eodem tempore quo Arimini celebratum, conuertenda eſt oratio: de quo inprimis Athanaſius[g], Socrates[h], & Sozomenus[i] tradunt, conueniſſe ad illud Epiſcopos Orientis numero centum ſexaginta; licet Theodoretus[k] centum tantum & quinquaginta ponat: quorum quadraginta tres Epiphanius[l] ſcribit fuiſſe ex parte Acacii. Etenim fuere & in hac Synodo Ariani inter ſe diuiſi; quorum alii, nempe Acaciani Ætianorum conſortes, Chriſtum omnis cum Patre ſubſtantiæ expertem eſſe dicebant; reliqui vero, Semiariani dicti, diuinam cum Patre ſubſtantiam aſſerebant. Sed & tradit Seuerus[m], S. quoque Hilarium Pictauienſem Epiſcopū, in Phrygia iam annum quartum in exilio agentem, cōpulſum à Præſide fuiſſe Seleuciam ire; non quidem aliquo præuio Imperatoris ſpeciali mandato, ſed generali tātum iuſſione, qua Præfectis omnes Epiſcopos ad Concilium cogere præceptum fuerat: verum id nutu diuino accidiſſe tradit, vt vir diuinarum rerum inſtructiſſimus, cū de fide diſceptandum erat intereſſet: ſubditque, antequam in conſeſſum irent Epiſcopi, exploratam eſſe eiuſdem Hilarii & Gallorum fidem, quod de illis Ariani vulgaſſent eos Sabellii fouere hæreſim: ipſum autē expoſita fide ſua iuxta ea, quæ Nicææ fuerant à Patribus conſcripta, Occidentalibus perhibuiſſe teſtimonium; ſicque Concilio adſcitum eſſe.

S. HILARIVS VOCATVS AD SYNODVM.

XVII. DISCORDIÆ INTER ARIANOS.

Porro cœpta ęſt Synodus (vt ait Socrates) iiſdem huius anni Coſſ. ad quintum Calendas Octobris. Cuius Actorum præcipua capita, ſecundum dies ſingulos quibus ea geſta ſunt, idem auctor ex Sabini commentariis recenſet; quæ ferme eadem Sozomenus habet. Ipſo vero primo congreſſu magna contentio orta eſt, tum quod nonnulli diuerſorum criminum rei ad Concilium venire timentes, variis moræ cauſis adductis, in ſuburbiis Seleuciæ conſtitiſſent (inter quos fuere Baſilius Ancyranus, Macedonius Conſtantinopolitanus, & Patrophilus Scythopolitanus) tum quod multi ex iis qui ſimul in vnum conuenerant, de fide agi, alii contra de criminib. Epiſcoporum prius inquiri debere contenderent; cum & allatæ eſſent ambiguæ litteræ Imperatoris, quæ nunc hoc nunc illud primo quærendum præciperent. Vnde factum eſt, vt Cōcilium in duas partes diuiſum fuerit, quarum alteri Acacius Cæſarienſis in Palæſtina Epiſcopus, Georgius Alexandrinus, Vranius Tyrius, & Eudoxius Antiochenus præfuere, quib. triginta dumtaxat alii adhæſerunt; alteri Georgius Laodicenus, Eleuſius Cyzicenus, & Sophronius Pompeiopolitanus in Paphlagonia, quos alii complures ſecuti ſunt. Porro iſti nullam nouam fidei formulam ſcribendam eſſe cenſentes, eam quæ Antiochiæ in Encæniis condita fuerat, ſuis calculis atque ſubſcriptionibus confirmarunt: Acacius vero aliam à ſe compoſitam protulit, in qua abdicatis Conſubſtantialis & Subſtantiæ nominibus, Filius Patri non ſubſtantia, ſed tantummodo voluntate ſimilis aſſereretur. Cum vero agente Leona, Synodi Præfecto ab Imperatore miſſo, vtraque pars rurſum in vnum coiſſent, nec inter ſe de eiuſmodi formula conuenire potuiſſent; poſt multas digladiationes quæ per quatuor integros dies agitatæ ſunt, ab eodem Leona Concilium dimiſſum eſt, negante ſe amplius eiuſmodi diſſenſionib. intereſſe velle, permittentĕ tamen vt in eccleſia conuenirent de ſuis controuerſiis tractaturi.

XVIII. ARIANI EXCOMMVNICATI À SEMIARIANIS.

Itaq; conuenientes in eccleſiam Subſtantiæ defenſores (quibus Baſilius & Macedonius adhæſerunt) Acacium cum ſuis accerſerunt, vt tum de Cyrillo Hieroſolymorum Epiſcopo, quem idem Acacius iam ante biennium depoſuiſſet, tum de aliis reis qui ad partes Acacii confugerant decideretur: atque vbi ſæpius illi accerſiti non venerunt, tunc iidem Acacius, Georgius Alexandrinus, Vranius, Eudoxius, Patrophilus, & alii nonnulli à Subſtantiariis abdicati ſunt; aliique communione Eccleſiæ vſque eo interdicti quoad crimina ſibi illata diluerent. Cum autem in locum Eudoxii, *Anianum* quemdam ordinaſſent Epiſcopum Antiochenum, idem mox Acacianorum opera à Leona in exilium miſſus eſt: qua de re conqueſti qui eum ordinauerant, cum nihil profeciſſent, dimiſſis ceteris, decem ex ſuis Conſtantinopolim legatos ad Imperatorem miſerunt, eum de his certiorem reddituros. Hactenus Socrates & Sozomenus de Actis Seleuciæ; ex Sabino tamen Macedoniano, qui librum de Synodis ſcripſit.

XIX.

[n] *Socr. lib. 2. c. 15.*

Ceterum cum eumdem Sabinum parum fidelem extitiſſe in recenſendis rebus à profeſſoribus Nicænæ fidei geſtis, idem Socrates[n] teſtetur; haud mirum videri debet, ſi de iis quæ ipſi Seleuciæ præſtiterunt, nullam habuerit mentionem: cum tamen inter has Arianorum & Semiarianorum conflictationes, Ægyptios Epiſcopos (excepto Georgio Alexandrino) conſtantiſſimos ſe ὁμουσίου, hoc eſt, Conſubſtantialis, fidei defenſores oſtendiſſe ſcribat Hilarius[o], qui & ipſe eamdem tunc ibidem egregie propugnauit. Agit præterea de horrendis Acacianorum blaſphemiis in eadem Synodo prolatis, cum non contenti ὁμούσιον & ὁμοιούσιον, nempe Conſubſtantialitatem & Similitudinem Subſtantiæ à Filio reiicere, inſuper & Diſſimilitudinem damnarunt; eo videlicet ſenſu, quod Diſſimilis Deo, Similis Patri poſſet intelligi; quia Pater voluiſſet creaturam huiuſmodi creare, quæ ſimilia ſui vellet; & idcirco Similem Patri eſſe, quia voluntatis eſſet potius Filius quam diuinitatis: Diſſimilem autem Deo eſſe, quia neque Deus eſſet, neque ex Deo, id eſt de ſubſtantia Patris, natus eſſet. Nihil enim ſubſtantiæ Dei ſimile eſſe poſſe, neque de Deo poſſe exiſtere generationem. Chriſtum autem puram eſſe creaturam ex nihilo factam; & idcirco nec Deum ei Patrem eſſe, nec ipſum eſſe Dei Filium: quia ſi Filius, neceſſe eſſet vt femina eſſet, & colloquium ſermonis, & compunctio coniugalis verbi, & blandimentum, & poſtremo ad generandum naturalis machinula. Hæc & alia eiuſmodi Hilarius; qui iure miſeras aures ſuas pronuntiat, quæ tam funeſtarum vocum ſonum audirent. Sed quæ poſt hæc ſubſecuta ſint, proſequamur.

ACTA SYNODI SELEVC. EX HILARIO.

[o] *Hil. cont. Conſt.*

HORRENDÆ ACACIANOR. BLASPHEMIÆ.

XX. SYNODVS CONSTANTINOPOL. ARIANORVM.

Cum igitur dimiſſa Seleucienſi Synodo, decem ab ea Epiſcopi legati miſſi eſſent ad Conſtantium; hos Acacius præueniens, præoccupauit pariter aures Imperatoris, qui & alioqui ſemper in ipſum Acacium viſus eſt propenſior. Itaque ex eiuſdem ſententia, hoc ipſo anno indicta eſt ab eodem Conſtantio (quem hoc anno Conſtantinopolim rediiſſe, Ammianus[p] quoque teſtatur) SYNODVS CONSTANTINOPOLITANA; ad quam feſtine conuocati ſunt ex proxima tantum prouincia (vt tradit Socrates[q]) Epiſcopi Bithyniæ, omnes numero quinquaginta. Quod quidem antequam ſolueretur Conuentus Ariminenſis contigiſſe, S. Athanaſius[r] non obſcure ſignificat, dum ait

[p] *Amb. lib. 19.* [q] *Socr. lib. 2. cap. 32.* [r] *Athan. de Synod.*

nouam

nouam fidei profeſſionem ſcriptam eſſe Conſtantinopoli, eamdem miſſam ad eos qui Arimini conuenerant. Ex ſententia enim Acacianorum, ſcripta eſt tunc ibidem noua fidei formula, quam Nonam numerat Socrates earum quæ poſt Nicænum Concilium ab Arianis ſunt diuerſis locis & temporibus in hanc diem conſcriptæ: ad quam & illud impietatis additum, vt præter abolitionem nominis *Vſiæ ſiue Subſtantiæ*, in Filio Dei damnatum ſit quoque ſilentio in Perſonis diuinis nomen *Hypoſtaſis ſiue Subſiſtentia*. Recitant eam Athanaſius, Socrates, & Epiphanius [a].

Nona fidei forma Arianorum.

a Epiph. hær. 73.

XXI.

Altercationes autem Acacianorum cum Baſilio Ancyrano, & aliis legatis à Synodo Seleucienſi ad Conſtantium miſſis, ventilatas coram eodem Imperatore de fide, necnō de blaſphemiis Aetii atq; Eudoxii ipſius patroni; Theodoretus [t] atque Sozomenus [u] fuſius narrant: quarum exitus hic fuit, vt Acaciani tum ipſum Aetium hæreſiarcham damnarint, vt ea ratione Catholici apparerent (quem & Imperator in exilium amandauit in Phrygiam) tam prædictum Baſilium, itemque Macedonium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, Eleuſium Cyzicenum, Siluanum Tarſenſem, Euſtathium Sebaſtenum in Armenia Minori, & quoſdam alios qui tam Seleuciæ quam ibi Conſtantinopoli iiſdem Acacianis aduerſati erant, depoſuerint ſpecie quorumdam criminum de quibus ſinguli accuſabantur, quæ iidem auctores recenſent, & in eorum locum alios ſubſtituerint: inter quos *Eudoxius* à ſede Antiochena in Conſtantinopolitanam translatus eſt, & Meletius Berœa Sebaſtam; Eunomius vero Eleuſio ſubrogatus, & Athanaſius quidam Baſilio; de quibus rurſum dicetur ſuis locis. Quo eodem quoque tempore, iterum abdicatus eſt Cyrillus Hieroſolymorum Epiſcopus, iam antea ab eodem Acacio depoſitus, tum aliorum criminum prætextu, tum præcipue quod ſequeretur eos qui Filium Patri Conſubſtantialem aſſererent (Hoc vero magnæ Cyrilli laudi cedit, illum ea de re ab Arianis in crimen vocatum eſſe.) & quod cum Acacio Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopo, de iure Metropolitano & primatu Palæſtinæ diſſenſiſſent. Quo ſic abdicato, Epiſcopatum capeſſiuit [x] *Herennius*, cui ſucceſſit *Heraclius*, huic vero *Hilarius*; poſtquem tandem Theodoſii Imperatoris *Cyrillus* ſedem recuperauit.

t Theod. li. 2. cap. 27. u Soz. lib. 4. ca. 23. 24.

Aetii damnatio.

Damnatis semiarianis ab Arianis.

x Idem. vbi ſupra.

XXII.

y Idem 22. 23.

Dum autem iſtæc agerentur Conſtantinopoli, extremo huius anni tempore (quod ex Sozomeno [y] ſuperius diximus) perlata eſt à legatis poſterioris Ariminenſis Synodi, profeſſio fidei illic ſcripta, quam iuſſu Conſtantii Imperatoris Epiſcopi qui Seleuciā venerant, & qui aliunde Conſtantinopolim ad Synodum acceſſerant, pridie Calendas Ianuarias ſubſcriptionibus ſuis firmauerunt: adeo vt duplici fidei ſubſcripſerint, Ariminenſi & Conſtantinopolitanæ cum tamen inter ſe diuerſæ eſſent: quarum alteram in Oriente, in Occidente alteram (quod ridiculum plane eſt) voluit Conſtantius obſeruari. De hac vero Synodo Conſtantinopolitana, deque Epiſcopis in ea tyrannice damnatis, meminit ſæpe Baſilius [z]: & tam de ea, quam de Seleucienſi pluribus agens Gregorius [a] Nazianzenus, luget ingentem cladem ex eiuſmodi Satanæ conuentibus vniuerſæ Orientali Eccleſiæ illatam; quam Sozomenus [b] argumenti magnitudine ſuperatus ſummatim complexus, vna ferme periodo rem abſoluens, ait perdifficile eſſe omnes Epiſcopos & ſacerdotes qui tum à ſuis ciuitatibus pulſi fuerunt enumerare. ſiquidem nulla fuit gens Romano ſubiecta Imperio, ab hac calamitate libera: præter illos, qui vel minis vel fraudibus ad ſubſcribendum eiuſmodi perfidiæ compulſi ſunt. Quibus Orientis cladibus, ſi quis addat ruinam illam ſuperius recenſitam Occidentalis Eccleſiæ, facile conſentiet Ruffino [c], dicenti ea tempeſtate faciem Eccleſiæ fœdam admodum ac turpem fuiſſe, cum non ſicut prius ab externis, ſed à propriis vaſtaretur; nec niſi fugæ, præuaricationes, lapſus ac ruinæ cernerentur; doleretque Eccleſia illius caſum, qui impellebat ad lapſum. Ad Orientalis vero turbas & illud acceſſit, quod Epiſcopi qui ab Acacianis Cōſtantinopoli depoſiti fuerant, ſe minime abdicatos agnoſcentes, haud deſtiterunt munia obire Epiſcoporum, ac

Diuersæ eodem tempore ſubscriptæ.

z Baſil. adu. Eunom. lib. 1. ep. 72. ad Euag. & alibi.

a Gre. Naz. orat. in laud. Athan.

b Soz. li. 4. ca. 20.

Foedissima facies Eccleſiæ huius temporis.

c Ruff. lib. 1. cap. 21.

clericos ordinare. Vnde magna ac plane incredibilis illa fuit facta confuſio (quam Baſilius [d] memorat) dum viuis eiuſdemque ciuitatis diuerſæ communionis extiterint Epiſcopi; eodemque ſchiſmate vna cum hæreſi ad poſteros propagato, mutuo perpetuoque bello cum ipſi tum populi interſe conflixerunt.

d Baſil. ep. 72.

XXIII.

Ad hæc autem quæ dicta ſunt de frequentiſſimis Synodis, ad mutandas fidei Regulas cum ſuperioribus temporibus, tum hoc ipſo anno quatuor in ciuitatibus à Cōſtantio celebrari iuſſis; addimus corollarium ex Ethnico quoque ſcriptore Ammiano [e], qui prauos Conſtantii mores recenſens, inter alia adſcribit ei hæc crimini, quod (vt ait) Chriſtianam religionem abſolutam & ſimplicem anili ſuperſtitione confundens, in ea ſcrutanda perplexius, quamquam componendi gratia, excitauit diſſidia plurima: quæ progreſſa fuſius aluit concertatione verborū; vt cateruis Antiſtitum iumentis publicis vltro citroque diſcurrētibus, per Synodos, dum ritum omnem ad ſuum trahere conaretur arbitrium, rei vehiculariæ ſucciderit neruos. Hæc Ammianus. Fuitque pariter Iuliani [f] Apoſtatæ de eodem Conſtantio querela, eius tempore curſus publicos nimium fuiſſe fatigatos. Qui quidem in hanc diem ſumma Dei patientia in ſumma felicitate permiſſus agere (adeo vt, quod dictum eſt ſuperius, ex optatis rerum ſucceſſibus ſanciret perfidiæ fidem) cum iam ad imum impietatis ab Acacianis deduci paſſus eſt, inuerſa rerum alea vſque in diem obitus habitus eſt poſthac infeliciſſimus. Ac primum quidem hoc ipſo anno aduerſus Perſas in Meſopotamia à Sabiniano Duce male pugnatum eſt ac nonnulla ab illis Romanorum propugnacula capta: vbi tamen (inquit Ammianus [g]) inuentas Virgines Chriſtiano ritu cultui diuino ſacratas, Rex Perſarum cuſtodiri intactas, & religioni ſeruire ſolito more, nullo vetante præcepit.

Constantii in constantia taxatur ab Ethnicis.

e Am. li. 21. in fi.

f Iul. C. Th. de curſ. pub.

Rerum Constantii mutatio infelix.

g Ammian. in fi.

IESV CHRISTI AN. 360.

Constantii An. 24.

LIBERII AN. 9.

I.

ANNO Chriſti trecenteſimo ſexageſimo, Conſtantino Auguſto decimum & Iuliano Cæſare tertium Coſſ. ipſo anni exordio illud plane accidit admirandum; vt inter tot Eccleſiarū naufragia, proſcriptiones & exilia Epiſcoporum, de quibus dictum eſt anno ſuperiori, vnus S. Hilarius iam exul, in Gallias liber redire ſit permiſſus: cum alioqui aduerſus Acacianos, quibus valuit viribus tum Seleuciæ tum Conſtantinopoli (quo & ipſe Legatos Seleucienſes ſecutus erat) obniti conatus eſſet, atque ipſum Imperatorem grauiſſimis orationibus ſæpe perſtrinxiſſet. Is enim (inquit Seuerus [a]) vbi extremum fidei periculum animaduertit, Occidentalibus deceptis, Oriētales per ſcelus vinci; tribus libellis publice datis audientiam Regis popoſcit, vt de fide coram aduerſariis diſceptaret. Id vero Arianis magnopere abauentibus; poſtremo quaſi diſcordiæ ſeminarium, vt perturbator Orientis redire ad Gallias iubetur, abſque exilii indulgentia: nempe vt vbicumque eſſet, reus haberetur exilii, quo iam antea fuerat ab Imperatore ob fidem Nicænam condemnatus. Hoc autem pro miraculo habendum eſſe, qui leget libellos tunc ab eodem oblatos Imperatori, haud puto negabit.

S. Hilarius ab exilio relaxatus.

a Seuer. li. 2.

II.

Sed illud de iis ſciēdum; tres eos libellos quorum meminit Seuerus, diuerſos eſſe à tribus illis, qui extant pro defenſione fidei Conſtantio dati, vel aduerſus eum ſcripti: Siquidem illi (vt Seuerus declarat) ſupplices erant ad impetrandam Imperatoris audientiam, vt coram ipſe de veritate fidei cum aduerſariis diſceptaret: at enim ex tribus ſupereſſunt, primum quidem ſtatim poſt exilium Occidentalium Epiſcoporum, Euſebii Vercellenſis & collegarum è Concilio Mediolanenſi, antequam ipſe Hilarius exularet, ſcriptum eſſe, tum ex eius contextu, tum ex iis quæ dicta de illo ſunt ſuperius, facile intelligi poteſt: qui ſic incipit. *Benignifica natura tua, &c.* Secundus

De libellis ab Hilario oblatis Constantio.

vero ille libellus eſt ſeu potius oratio quam hoc anno coram Conſtantio habuit Conſtantinopoli, antequam ipſa Conſtantinopolitana Synodus, ob accuſationem plurium Epiſcoporum longius in hunc quoque annum producta, abſoluta eſſet; & cum adhuc (vt apparet) ſperaret ſe publice ad Imperatore audiendum: cuius exordium eſt, *Non ſum neſcius. &c.* Tertius demum eſt ille, qui incipit, *Tempus eſt loquendi, &c.* quem poſt præcedentem hoc pariter anno dedit Imperatori, nempe (vt ait) quinto anno poſt exilia Epiſcoporum Occidentalium; licet perperam indita ei inſcriptio dicat ſcriptum eſſe poſt Conſtantii obitum. Nam quem Hieronymus [b] tradit ſcriptũ eſſe poſt mortem Conſtantii, deſiderari videtur: ſicut & ille, quem ait editũ aduerſus Vrſacium & Valentem, continẽtem hiſtoriam Synodorum Ariminenſis & Seleucienſis.

b *Hier. de Script. Eccl. in Hilar.*

III.

Porro tertio ex libello Hilarius, cũ vidiſſet adeo proſtratam Catholicam fidem, & perfidiam exaltatam, graſſantemque Imperatoris auctoritate impietatem; publica quam petierat audientia ſibi denegata, meliorum rerum deſperatione, ingenti zelo, intrepidoque animo, Imperatoris inconſtantiam acerrime exagitauit, atque perfidiam grauiter exprobrauit; etſi nihil ei profuturus, ex eo ſaltem promeriturus ipſe martyrium. Verum (vt diximus) magno Dei miraculo accidit, vt tamquam pro præmio ſacerdotalis libertatis, idem ab Imperatore iuſſus ſit reuerti ad ſuos quod quidem hoc ipſo anno vigeſimo quarto Conſtantii contigiſſe, & anno ſequenti in Gallias perueniſſe, S. Hieronymus [c] affirmat. Redeunti vero, Romamque primum aduentanti, S. Martinus ex Gallinaria inſula maris Tyrrheni (in quam ſe receperat, vitam acturus ſolitariam, poſtquam in Illyrico primum, ac demum Mediolani pro fide Catholica ſæpe vincula & verbera, exiliumque ſemel ab Arianis paſſus eſſet; quod Seuerus [d] atque Sozomenus [e] tradunt) feſtinauit occurrere; ſed cum iam inde abiiſſe comperiſſet, cum eſt ſecutus in Galliam.

HILARII REDITVS IN GALLIAS.

c *Id. in Chr. & aduerſ. Lucif.*

d *Seuer. l. 2.*
e *Soz. lib. 3. c. 13.*

IV. MACEDONIVS QVID IN SPIR. S.

Ceterum quod omnium eſt hæreticorum, vt in deterius prolabantur: ſimulatque MACEDONIVS Epiſcopatu Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ addicatus eſt, quamuis de Filio diceret, eum Deum eſſe, & cum aliis rebus omnibus tum ſubſtantia Patri ſimilem; tamen Spiritum Sanctum non eiuſdem cum Patre & Filio honoris participem eſſe docuit, ſed creaturam eſſe, vnumque ex Angelis & ſpiritibus miniſtris, gradu tantum à ceteris Angelis differentem. In cuius opinionis cum eo ſocietatem (inquit Sozomenus [f]) venere Eleuſius Cyzicenus. Euſtathius Sebaſtenus, & quotquot ab Acacianis Conſtantinopoli abdicati fuerant. Nam & *Baſilium* quoq; Ancyranum eamdem impietatem ſectatum eſſe, teſtatur Hieronymus [g], eumque Macedoniæ partis principem nominat. Addit vero Sozomenus, horum doctrinæ non exiguam populi multitudinem, tam Conſtantinopoli quam in finitimis prouinciis adhæſiſſe, quod iidem non male vitam inſtituerent, & monachiſmum imitari præſeferrent, ſed & oratione ad perſuadendum pollerent: ſubditque de *Marathonio* olim Quæſtore, qui cum poſt multas collectas diuitias, relicta militia totum ſe contuliſſet ad curandos ægros & pauperes ſubleuandos, ac demum vitam monaſticam Euſtathii Sebaſteni amplexatus eſſet; Macedonii hæreſim partim ſtudio partim pecunia adeo auxit, auctamq; fouit, vt eiuſdem hæreſis ſectatores à nonnullis *Marathoniani* vocarẽtur. Quod autem *Eleuſius* habitus ſit eiuſdem facile princeps, id inde accidit, quod cum Macedonius in ſuburbiis Conſtantinopolis agens, haud diu poſt exceſſiſſet è vita [h], Eleuſius poſt, obitum Conſtant. i Cyzici præualens, ibidem eius ſectam in tantum propagauit, vt eamdem Cyzicenam vrbem Anaſtaſius [i] Nicænus Epiſcopus *ciuitatem Macedonianorum* appellet, cum falſa quædam ſigna ac præſtigias Epiſcopi cuiuſdam Macedoniani recenſet.

f *Id. lib. 4. c. 26.*

g *Hier. de Script. Eccl. in Baſil.*

MARATHONIANI HÆRETICI.
h *Soz. lib. 4. c. 26.*
i *Anaſt. Nic. quæ. 21.*

V. ATHANASIVS PRIMVS OPPVGNAT HÆRESIM MACEDON.
k *Athan. ad Serap. de Sp. S.*

Cum autem nouæ hæreſis increbreſcens fama penetraſſet quoque Ægyptum, ac de ea Serapion ille Magnus Epiſcopus Thmuenſis certiorẽ reddidiſſet Athanaſium adhuc in eremo latentem; mox Athanaſius [k] egregiam ad illum reddidit epiſtolam, qua primus omnium iacula intorſit in eiuſmodi monſtrum: vt quem acerrimum diuinitatis Filii vindicem Spiritus Sanctus conſtituerat, idem quoque eiuſdem Spiritus eſſet vnius cum Patre & Filio ſubſtantiæ defenſor. Porro iſta blaſphemia ab Arianis quoque qui Filium Dei pariter blaſphemabant, auide ſuſcepta, vbicumque tam in Oriente quam in Occidente Ariana hæreſis diffunderetur, Macedoniana æque propagata eſt. Sic enim Donatum Epiſcopum Carthaginenſem partis ſchiſmaticorum, quod fœdus (vt dictum eſt) iniiſſet cum Arianis, teſtatur S. Hieronymus [l] ſcripſiſſe librum de Spiritu Sancto Ariano dogmati congruentem. Et S. Ambroſius [m] eſt auctor, eoſdem Arianos è ſacris codicibus delere ſolitos teſtimonia de Deitate Spiritus Sancti.

ARIANI IIDEM ET MACEDONIANI.
l *Hier. de Script. Eccl. in Dona.*
m *Ambr. l. 3. de Sp. S. c. 11.*

VI. EVDOXII EPISC. CONSTANT. IMPIETAS.

Sed quod ad EVDOXIVM fæcem hæreticorum omnium ſpectat, quem tamquam oſtentum Conſtantius Imperator in Eccleſia Conſtantinopolitana collocauit Epiſcopum; tantæ ipſe compertus eſt fuiſſe impietatis, vt cum Aetio & Eunomio paria de Filio Dei ſentiret, nempe eſſe Patri diſſimilem; ſicut ex Theodoreto dictum eſt ſuperius, cum actum eſt de Aetio EVNOMIVS autem licet ab Eudoxio aduerſus accuſatores ſæpe defenſus (nam vt idem auctor [n] ſcribit, non ſolum ipſe Eudoxius occultabat ſcelus, ſed & ſuaſit quoque Eunomio vt blaſphemias ſuas ad tempus tegeret; fore aliquando vt eas magnifice propalaret) tamen cum impius eſſe conuictus omnino fuiſſet, conſilio eiuſdem Eudoxii fugam arripiens, hæreſim quam fouerat verbis (vt teſtis eſt Baſilius) ſcriptis audacius promulgauit; ac inſignis impietate euaſit hæreſiarcha, impio Aetio magiſtro non impar. Quem cum Baſilius Galatam appellet erroris arguitur Sozomenus [o] dum eum Cappadocem pàtria fuiſſe tradit; quem quidem conſtat vixiſſe in Cappadocia.

n *Theod. lib. 2. c. 29.*
EVNOMII HÆRESIARCHÆ PROCACIA ET IMPIA DOGMATA.
o *Soz. lib. 7 c. 17.*

VII.
p *Theo. hær. fab. lib. 4.*

Fuit autem homo, ſi quis alius vmquam, immenſo tumore mentis elatus: quem videlicet [p] Theodoretus ait auſum eſſe dicere, nihil ſe ex rebus diuinis ignorare, ſed ipſam etiam diuinam ſubſtantiam exacte nouiſſe; eamdemq; de Deo habere cognitionem, quam de ſeipſo haberet ipſe Deus. Sed & pariter alios omnes execrandæ illius ſectæ participes, aperte aſſerere ſolitos, ſe ita Deum noſſe, vt ipſe ſeipſum. Quorũ inſuper horrẽdam blaſphemiam prodẽs Gregorius [q] Nazianzenus, ait eos aſſeruiſſe Filium æquiuoce tantum Deum dici, ac nominis ſolius participem eſſe; perinde videlicet ac animal pictum, animal nomine tenus dicere conſueuimus. De Incarnationis vero incomprehenſibili myſterio (quod teſtatur Gregorius [r] Nyſſenus (idem Eunomius affirmabat, Dei Verbum non ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum virtutes tantum humano corpori vnitum eſſe: eumdemque de origine & creatione animæ male ſenſiſſe, tradit. Et quem egregium recentiores hæretici gloriari poſſint ſe nactos eſſe doctorem, inſuper iactabat (vt auctor eſt Auguſtinus [s]) fidem quam ipſe prædicabat ſufficere ad ſalutem, etiamſi grauia atque enormia quis crimina perpetraret, atq; in iiſdem perſeueraret aſſidue: itemque (quod addit Hieronymus [t]) SS. martyrum reliquias & miracula, eiſdemque adhiberi ſolitum religioſum cultum damnabilem eſſe. Docuiſſe pariter Anabaptiſmum, cum ſcilicet rebaptizaret eos qui in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis baptizati eſſent, Epiphanius [u] ſcribit. Quin & adeo infenſus fuit hoſtis Trinitatis, vt quælibet etiam ſigna quibus illa repræſentaretur amouerit, nempe (vt Theodoretus affirmat) trinam in baptiſmo fieri conſuetam immerſionem: illudque ridiculum in homine baptizando excogitauit, vt magna cautela ageretur, ne aqua baptiſmi alia membra quam quæ ſunt ſupra pectus abluerentur.

q *Greg. Naz. orat. 3. de Theol. g.*

r *Greg. Nyſ. 1. de anima 6. & 12.*

s *Aug. de hær. c. 54.*
RECENTIORVM HÆRETICOR. CVM EVNOMIO COGNATIO.
t *Hier. aduerſ. Vigilant.*
u *Epiph. hær. 75.*

VIII. EVNOMII IMPVRITAS.
x *Ruff. lib. 1. c. 25.*

Sed qualis doctrina Eunomius, talis & vitæ moribus extitit; quippe diſcipulus & ſcriba Aetii, aſſerentis abſque peccato licere ſe carnis libidinibus quomodocunque polluere. Vir (inquit Ruffinus [x]) corpòre & animo lèproſus, & interius exteriuſque morbo regio corrũptus. Magno vero Fidelium damno vitam longius propagauit: ſiquidem anno decimo quarto Theodoſii Imperatoris adhuc ſuperſtes in Cappadocia agebat, quando S. Hie-

ronymus

Digitized by Google

ronymus ſcribebat commentariolum de Viris Illuſtribus: vbi & multa eum contra Eccleſiam ſcripſiſſe tradit; ei vero reſpondiſſe Apollinarium, Didymum, Baſilium Cæſarienſem, ac Gregorium Nazianzenum & Nyſſenum. Eiuſdem porro lucubrationes non ſolum impias fuiſſe, ſed & plane inanes atque inſulſas, vtpote hominis dialecticis tantummodo ſophiſmatibus dediti, ſacrarum vero litterarum admodum imperiti, Socrates [y] tradit, dum eius ſcriptorum monimenta recenſet: cui conſentientia alii quoque ſcripſere, & inter recentiores Græcos late Suidas. Fuit denique legibus etiam Imperatorum Catholicorum damnatus, quod ſecreto conuentus ageret: vnde (inquit Theodoretus) accidit, vt iidem Eunomiani dicti fuerint *Troglodita*: teſtaturque ad ſua tempora in exiguum numerum eius ſectam redactam eſſe. Habuit vero diſcipulos magiſtro impietate non impares; & inter eos Vrbicum Potentinum, cuius meminit Athanaſius [z], & Philoſtorgium [a] ingentem laudum ipſius præconem.

[y] Socr. lib. 4. c. 7.
Troglodıtæ harat.
[z] Athan. de ſyn. nom.
[a] Nyſ. lib. 2. c. 29.

IX.
[b] Soz. lib. 4. c. 17.

Eodem hoc tempore (inquit Sozomenus [b]) cum multi ſedem Antiochenam, vacantem per tranſlationem Eudoxii Conſtantinopolim, magno ſtudio ambire cœpiſſent, eaque de re contentiones in clero & populo ortæ eſſent, quod ſinguli eum quem ſperabant ſecum fide conſenſurum, ad Eccleſiam gubernandam deligerent; percommodum viſum eſt Eudoxianis, *Meletium* Sebaſtia Antiochiam transferre, virum oratione & perſuaſione potentem, moribus ſpectatum, & cum ipſis iam ante opinione coniunctum; cuius æſtimatione futurum putabant, vt non modo ciues Antiocheni, verum etiam populi finitimi, & maxime Euſtathiani qui fidei Nicenæ firmiter adhærebant, ad ipſorum ſectam allicerentur. Sed longe eos fefellit opinio. Nam vt Meletius venit Antiochiam, concione publice in frequentiſſimo vtriuſq; partis conuentu habita, Filium eiuſdem cum Patre eſſentiæ palam aſſeruit: cumque Archidiaconus illius cleri accurrens, manu admota eius os obturaret; ipſe manu multo euidentius quam voce, ſententiam ſuam populo indicans, primum tres tantum digitos palā extendit, mox iiſdem compreſſis vnum ſolum porrexit, quo vnam Trinitatis eſſentiam ſignificaret. Cum vero rurſum Archidiaconus, ore dimiſſo manum Meletii comprehendiſſet; ipſe denuo oratione planiore ſuam declarauit ſententiam, populumque hortatus eſt decretis Nicæni Concilii adhæreſcere, ingenue teſtificatus eos qui aliter ſentirent, à veritate penitus aberrare. Quapropter Ariani grauiter in eum commoti, egerunt apud Imperatorem vt in exilium eiiceretur, ſedeſque Antiochena *Euzoio* deferretur, qui olim cum Ario ab Alexandro Epiſcopo Alexandrino abdicatus fuerat. Meletii autem fautores ſe ab Arianis ſegregantes, conuentus ſeparatim egerunt: ſed tamen iis, licet eandem fidem tenerent, Euſtathiani communicare recuſarunt, tum quod Meletius ab Arianis creatus fuiſſet Epiſcopus, tum quod eius ſectatores à ſacerdotibus Arianis baptizati fuiſſent. Hæc omnia Sozomenus. Eademque de concione à Meletio habita Epiphanius [c], qui & ipſam integre recitat.

Meletius electus Epiſc. Antioch. fidem Cathol. profitetur.
Meletio pulso ab Arianis, Euzoius ſubrogatur.
[c] Epiph. hær. 73.

X.
[d] Socr. li. 2. c. 34.
Meletii electio qualis.

Hallucinatur vero Socrates [d], dum ſcribit Meletium ex ſede Sebaſtena tranſlatum eſſe Berœam, & ex hac ciuitate Antiochiam; cum potius Berœa in ſedem Sebaſtenam in locum Euſtathii depoſiti fuiſſet ſubrogatus, & inde communi decreto populi, conſentientibus in eius electionem tam Catholicis quam Arianis, quod vtraq; pars eum à ſe ſtare putaret, Antiochiam accerſitus; impellente ab hoc Catholicos Euſebio Epiſcopo Samoſateno Orthodoxo, qui probe notum habebat Meletii animum: quam rem geſtam narrans Theodoretus [e], addit quod cum eiuſmodi commune populi Antiocheni decretum de Meletii electione, apud eundem Euſebium tanquam ſequeſtrem fuiſſet depoſitum; illudq; poſt eiuſdem violationem Ariani retrahere cupientes, ne eius teſtimonio argui fraudis poſſent, egiſſent apud Imperatorem vt Euſebio iuberet reddere; tamen ille nullis Imperatoris iuſſionibus velminis induci ad id potuerit. Subditque demum, Imperatorem audita Euſebii magnitudine animi atque conſtantiā, & tum eum plurimum admiratum eſſe, & poſtea laudibus efferre non deſtitiſſe.

[e] Theod. lib. 2. c. 31. 32.
Euſebii Samoſat. conſtantia.

XI.
Synodus Antioch. in cauſa Meletii.

Quod autem depoſitiones Epiſcoporum ab ipſis quoque Arianis abſque Synodo minime peragi ſolerent, plane demonſtrare videtur; eam quæ fertur Synodus Antiochena hoc tempore Conſtantii auctoritate celebrata, ad exauctorandum Meletium & ſubſtituendum Euzoium fuiſſe collectam; licet Theodoretus eam cum ipſius Meletii ingreſſu confundere videatur. Ceterum in Chronico Hieronymi traditur, Meletium hoc anno vigeſimo quarto Conſtantii electum eſſe Epiſcopum Antiochenum, & paulo poſt deiectum. Cum vero eadem Synodus celebrata ab omnibus ponatur ipſo Imperatore Antiochiæ exiſtente, nequaquam ante initium anni ſequentis haberi potuit, quod Ammianus [f] ſcribat, Conſtantii Antiochiam aduentum nonniſi circa finem huius anni contigiſſe. Itaque & Socrates [g] diſerte teſtatur, eamdem Synodum habitam eſſe anno ſequenti Tauro & Florentio Coſſ. cum Euzoius ſedem Antiochenam ſuſcepit. Quæ igitur cauſa Meletii conuenit Synodus Antiochiæ, nouam rurſus fidem, eamdemque omnium deterrimam condidit; qua nomen *Simile* ex Formulis Ariminenſi & Conſtantinopolitana eximentes, aſſeruerunt Filium Patri non ſolum ſubſtantia, ſed etiam voluntate penitus Diſſimilem eſſe, atque item ex nihilo ortum, ſicut Ario iam ab initio placuerat. Fuere autem eis ſubſidio ſectatores Aetii, qui primus poſt Arium eiuſmodi vocibus palam auſus eſt vti. Vnde factum eſt, vt tum ipſe *Atheus* tunc *Impius* vulgo fuerit cognominatus, tum eius ſectatores *Anomiani* & *Exucontii*, hoc eſt Filium Patri diſſimilem & ex nihilo ortum aſſerentes. Habent iſta Socrates & Sozomenus [h]; idque (vt apparet) ex Athanaſio [i]. Iamq; vides Lector, ex infelici radice Arianæ hæreſis tot praua germina propagata, nempe Euſebianos, Photinianos, Eudoxianos, Acacianos, Eunomianos, Macedonianos, Aetianos, Anomianos, Exucontios, atque *Pſatyrianos*, quorum meminit Theodoret. [k] qui impie dixerunt, idem eſſe in Deo Gignere atq; Creare: quib. & adiungit *Cyrtianos*, atq; *Dulianos*, qui Dei Filium Patris ſeruum phanatice prædicarunt.

[f] Am. li. 21. in fi.
[g] Socr. lib. 2. c. 35.
Deterrima fidei form. Arianor.
[h] Soz. lib. 4. cap. 28.
[i] Athan. de Synod.
Hæreſes ex Ariana propagata.
[k] Theod. hær. fab. li. 4.

XII.
Iulianus eligitur Imp.
[l] Am. li. 20.
[m] Id. lib. 19. 21.

Sed quo tempore à Conſtantio adimitur diuinitas à Filio Dei, eodem quoque ab ipſo Imperium abripitur, cum in Galliis Iulianus à militib. alias acclamatus, Imperator eligitur; quod Ammianus [l] pluribus narrat; inſuperque nonnullas refert [m] viſiones, ſeu verius phantaſmata, ipſi Iuliano noctu oblata, quibus velut impellente numine ſubire Imperium videri voluit. Inuitum enim ac penitus reluctantem, ſe ab exercitu oblatum Auguſti nomen & auctoritatem ſuſcepiſſe, idem ipſe Iulianus in Miſopogone conteſtatur. Hiſce vero peractis, celebrans Quinquennalia, diademate vſus eſt lapidum fulgore diſtincto; cum antea præ penuria torques aurea fuiſſet à milite capiti ipſius impoſita. Defunctamque inter hæc coniugem Helenam, Romæ in ſuburbano viæ Nomentanæ, vbi Conſtantina ſoror eius Galli coniux ſepulta erat, condi præcepit. Hæc apud Ammianum [n].

[n] Id. lib. 21.

IESV CHRISTI AN. 361.

Constantii An. 25.

LIBERII AN. 10.

[a] Am. li. 21
Iulianus ſimulat chriſtianum.

ANno Chriſti trecenteſimo ſexageſimo primo, Tauro & Florentio Coſſ. Iulianus Auguſtus (inquit Ammianus [a]) nihil interim de ſtatu rerum præſentium mutans, ſed animo quieto incidentia cuncta diſponens, paulatimque ſeſe corroborans; vt omnes, nullo impediente ad ſuum fauorem alliceret, inhærere cultui Chriſtiano fingebat, à quo iam pridem occulte deſciuerat, arcanorum participibus paucis; aruſpicinæ auguriiſque intentus, & ceteris quæ deorum ſemper fecere cultores. Et vt hæc interim celarentur, feriarum die, quem celebrantes menſe Ianuario Chriſtiani *Epiphaniam* dictitant, progreſſus in eorum Eccleſiam ſolemniter numine orato diſceſſit. Ita Ammianus.

II.

Cum vero inter hæc Conſtantius per ſecreta inter-

nuncia

nuncia tentaſſet fidem Vadomari Francorum Regis ſibi antea fœderati; vt eum in Iulianum armaret; idemque Rex officium omne ſuum per literas Conſtantio polliceretur: accidit vt litteris Vadomari interceptis, re comperta idem captus vinctuſque à Iuliano in Hiſpanias amandatus fuerit. quando Iulianus mox victis barbaris qui prope erant in armis, pro acceptis (vt ipſe putauit) à diis beneficiis, placauit (inquit Ammian.) ſecretiore ritu Bellonam habuitq; ad exercitum concionē, & à ſingulis militare iuramentum exegit. Sic igitur cum appareat, Iulianum quādiu fuit in Gallia deos ſecreto coluiſſe erroris arguitur Zoſimus [b], qui tunc in Galliis eum publice immolaſſe teſtatur. Quamprimum autē ſatis ſibi ineſſe virium vidit, & exercitum ad ſua vota in omnibus comparatum eſſe; quod clanculum agere ſolebat, iam palam in Illyrico facere non erubuit, diiſq; publice ſacrificare cœpit. Teſtatur enim id ipſe in epiſtola quam ad Maximum Epheſium (quo ad omnem impietatem vſus fuerat pædagogo) ſcripſit cum ex Galliis perueniſſet ad Illyrios, iamque vltro citroque à Iuliano atque Conſtantio miſſis legationibus, iiſdemq; caſſis redditis, in apertum bellum progreſſa res eſſet. Ex quib. quidem Iuliani litteris Ammianus [c] itidem redarguitur, cum ait non ante Iulianum ſe manifeſtum deorum cultorem exhibuiſſe, quam cum perueniſſet Conſtantinopolim.

b Zoſ. lib. 3.
IVLIANVS PALAM COEPIT DEOS COLERE.
c Am. li. 22.

III.
d Soz. lib. 5. c. 1.
PRODIGIVM DE CRVCIBVS APPARENT. IN VESTIM. MILITVM IVLIANI.

Eodem autem fines Illyrici ingreſſo fertur (inquit Sozomenus [d]) vites poſt vindemiam circiter Vergiliarum occaſum, vuis acerbis minimeque maturis onuſtas viſas eſſe; roremque tum in eius tum in comitum ſuorum veſtes ex aere delapſum, ſingulis guttis ſignum Crucis impreſſiſſe. prodigium vero portendiſſe, Imperatorem immaturo ætatis ſuæ tempore periturum, religionem autem Chriſtianam cœleſtem eſſe, & omnes figura Crucis ſignari debere. Ceterum quātumlibet Iulianus viam ſibi quocumque progrederetur vi exercitus aperiret; tamen excuſationem quamdam forinſecus obtexens, ne videretur eſſe tyrannus (quod ei obiicit Gregorius [e] Nazianzenus) profectionē in Orientē inſtituiſſe iactabat vt ſe purgaret apud Conſtantium de ſuſcepto Imperio, re vera autem vt totum Imperium ad ſe transferret. At vero Iulianus ipſe ea epiſtola quam poſt mortem Conſtantii ſcripſit ad Iulianum auunculum, Iouem, Solemque appellat, ſe Conſtantium occidere numquam optaſſe; ſed itineri ſe accinxiſſe vt diis obtemperaret, ſalutem pollicentibus ſi progrederetur, perniciem autem ſi remaneret: itemque quod hoſtis iam appellatus eſſet, terrere eum dumtaxat cogitaſſe, eoque pacto res ad colloquium aliquod mitius deducere. Porro Zoſimus ſcribit, Coſſ. Taurum & Florentiū, cum audiſſent Iulianum in Pannoniam perueniſſe, fuga ex Vrbe ſe ſubduxiſſe; eoſque ipſum in publicis memoriis deſcribi voluiſſe *Conſules Fugitiuos*: cum vero Naiſſum in Dacia perueniſſet, ibidemque ſubſtitiſſet, accepiſſe nuncium de Conſtantii obitu.

e Gre. Naz. orat. 1. in Iulian.
IVLIANVS SE EXCVSAT DE INVASO IMPERIO.
CONSVLES FVGITIVI.

IV.
f Am. li. 21.
SECVNDÆ NVPTIÆ CONSTANTII.

Qui quidem Conſtantius cum hiemaret Antiochiæ (vt Ammianus [f] eſt auctor) defuncta Euſebia coniuge, aliam nomine *Fauſtinam* ſortitus eſt; ex qua genita filia poſthuma, Conſtantia dicta, quam poſtea Gratianus Imperator vxorem duxit. Porro cum aduerſus Iulianum ſe bene putaſſet Occidentale Imperium muniuiſſe; ipſo primo vere (vt idem auctor ait) aduerſus Perſas in Meſopotamiam irrumpentes, vbi & quaſdam iam munitiones occupauerant, mouens exercitum, peruenit Edeſſam cum adhuc Iulianus moraretur in Galliis. Sed cum hic ſuperatis montibus peruaſiſſet Illyricum, nuncii ad Conſtantium percrebuere certiſſimi, Iulianum Italiam & Illyricum curſu celeri prætergreſſum, clauſtra interim occupaſſe Succorum, ac cita vndique præſtolantem auxilia, vt multitudine ſtipatus armatorum perruaderet Thraciam. Quo cognito, mœrore offuſus Conſtantius, ſolatio vno ſuſtentabatur, quod inteſtinos ſemper ſuperauerat motus, communicatoque cum ſuis conſilio, decreuit cum expeditione reuerti; eo maxime quod & Perſarum Rex ad propria reuerteretur. Interim vero nocturnis imaginibus atque ſpectris territus, iunctioribus quoque proximis confeſſus eſt, quod tamquam deſolatus ſecretum aliquid videre deſiiſſet, quod interdum affuiſſe ſibi ſqualidius æſtimabat. & putabatur genius eſſe quidam tutelæ ſalutis appoſitus eum reliquiſſe, mundo citius digreſſurum. Ferunt enim Theologi, in lucem editis hominibus cunctis, ſalua firmitate fatali, huiuſmodi quædam velut actus rectura numina ſociari, admodum tamen paucis viſa quos multiplices auxere virtutes.

FVNESTA VISIO OBLATA CONSTANTIO.

V.
CONST. PROFICISCITVR ADVERSVS IVLIANVM.

Ingreſſus vero poſt hæc Antiochiam feſtinando, ad motum certaminum ciuilium (vt ſolebat) auide ſurrecturus, paratis omnibus exire properabat, immodice retinentibus plurimis murmure tenus: neque enim diſſuadere palam audebat quiſquam vel vetare. Autumno igitur iam ſeneſcente profectus, cum ad ſuburbanum veniſſet diſiunctum exinde tertio lapide Hippocephalum nomine, lucente iam die cadauer hominis interfecti dextera iacens capite auulſo, conſpexit contra occiduum latus extenſum: territiſque omnibus, finem parantibus fatis, deſtinatius ipſe tendebat, venitque Tarſum; vbi leniori febre contactus, ratuſque itinerario motu imminutæ valetudinis excuti poſſe diſcrimē, petit per vias difficiles Mopſueſtiam Ciliciæ: egredique ſecuto die conatus, illabente morbi grauitate detentus eſt; paulatimque vrente calore nimio venas, vt ne tangi quidem corpus eius poſſet in modum foculi feruens, cum vſus deficeret medelarum, vltimum ſpirans deflebat exitium: mentiſque ſenſu tum etiam integro, ſucceſſorem ſuæ poteſtatis ſtatuiſſe dicitur Iulianum: deinde anhelitu iam pulſante letali conticuit, diuque cum anima colluctatus iam diſceſſura, abiit è vita tertio Nonarum Octobrium, Imperii vitæque anno quadrageſimo & menſibus paucis. Hæc omnia, & alia non pauca de vltimis Conſtantii rebus Ammianus, multa in eis Ethnice locutus.

CONST. MORITVR.

VI.

Sed quod ait, Conſtantium vltimo elogio ſtatuiſſe Iulianum Imperii ſucceſſorem, puto commentum Ethnicorum hominum fauentium excogitatum, quo à tyranni nomine ea arte redderent ipſum immunem: nam S. Gregorius [g] Nazianzenus de Conſtantio tradit, ipſum inutili pœnitentia in extremo vitæ ſpiritu affectum, tria mala Principatu ſuo indigna agnouiſſe: Vnum, quod generi ſuo necem attuliſſet; Aliud, quod Iulianum Cæſarem creaſſet; Tertium, quod nouis fidei dogmatibus ſtuduiſſet: ſimulque cum his vocibus è vita diſceſſiſſe. Sed vtcūque hæc eius extrema ſe habuerint, illud exploratum habetur, morientem ipſum fuiſſe ab Euzoio Ariano Epiſcopo Antiocheno baptizatum, teſtante id Athanaſio [h] & ceteris omnibus. Itaque cum & vixiſſe impium, & impie clauſiſſe diem extremum, maiorum omnium cōſtet aſſertione: vnus S. Gregorius Nazianzenus duabus illis luculentiſſimis in Iulianum ſcriptis orationibus, comparatione eiuſdem Iuliani Apoſtatæ ipſum ſuper ſidera conatus eſt extollere; quod & putauerit pœnitentem obiiſſe. Nam alioqui, licet eum excuſet, haud tamen in fide Catholica non erraſſe defendit: quem à ſuis fuiſſe deceptum affirmat. Certe quidem ex edictis pro religione Chriſtiana, & aduerſus idololatriam, magiam, aliaſque eiuſmodi impietates ac prauos mores promulgatis, non modicam meruit laudem. quem & egregia enituiſſe caſtitate, adeo vt nec aliqua potuiſſet aduerſa vel leui ſuſpicione pulſari, Ammianus affirmat. Quod autem pertinet ad alios eius probe compoſitos actus, necnon quæ eidem vitio vertebantur, atque de eius vultus effigie; habes hæc omnia fuſius ab eodem Ammiano recenſita.

g Gre. Naz. ora. in lau. Athan.
CONSTANTII MORITVRI POENITENTIA INVTILIS.
h Athan. de Synod.
GREG. NAZ. QVOMODO LAVDET CONSTANTIVM.

VII.
i Greg. Naz. orat. 2. in Iulian.
k Vict. in Iulian.
l Am. li. 2.

Cum autem ex Gregorio [i] conſtet, fuiſſe Chriſtiano ritu ſepulturæ mandatum Conſtantiopoli; miramur dici eumdem inter diuos eſſe relatum: niſi fortaſſe id Iulianus Ethnicus præſtitit ad abolendas contractas ex ingratitudine notas. Vixit (inquit Victor [k], quem hoc ipſo anno Iulianus Conſularem præfecit Secundæ Pannoniæ, & ærea quoque [l] ſtatua honorauit) annos quadraginta quatuor imperauit cum patre, fratrib9, ac demum ſolus annos triginta nouem: factus Auguſtus annos viginti quatuor expletos, octo ſolus, cum fratribus & Magnentio ſexdecim, Cæſar quindecim. Hæc cum ita legantur apud Victorem,

CONST. ÆTAS ET IMPERIVM.

depra-

deprauata eſſe noſcuntur. Illud autem certum eſt, Conſtantii Imperium inchoatum eſſe ab obitu Conſtantini, anno Domini trecenteſſimo trigeſimo ſeptimo, vndecimo Calendas Iunii, productumque ad præſentem vſque annum, quo ipſe obiit tertio Nonas Octobris: ſicque eumdem imperaſſe poſt patrem annos vigintiquatuor, menſes quatuor & dies quatuordecim.

VIII. [m Epiph. hæ. 80.] MASSALIANI HÆRET.

Ceterum præter multiplicia aliarum hæreſum monſtra, quæ ſub eodem Conſtantio Eccleſiam vniuerſam peſſum dederunt, de quibus dictum eſt ſuperius; auctor eſt quoque Epiphanius [m], MASSALIANORVM errores ab eiuſdem temporibus coaluiſſe in Meſopotamia: cui maiorem fidem præſtandam putamus, vt pote tunc viuenti, & aduerſus eamdem hæreſim ſcribenti, quã Theodoreto affirmanti temporibus Valentiniani atque Valentis Imperatorum prodiiſſe. Sed vt altius eius originem ex Epiphanio repetamus: fuit alia ſecta non ex Chriſtianis vel Iudæis, Samaritiſue comparata, ſed ex Gentilibus, dicta *Euphemitarum*; qui cum plures deos aſſererent, nonniſi tamen vnum adorarent, quem dicerent Omnipotentem: ſolerentque in publicis à ſe ædificatis oratoriis conuenire precum cauſa: qui & ſe ipſos nominabant *Martyrianos*, quod cum Gentiles eſſent, à prouinciarum Præſidibus vexationem paterentur ſed & *Satanianos*, propter cultum quem exhiberent Satanæ, ne ab eo læderentur. Hæc de iis Epiphanius. At vero diuerſi plane ab eis ſunt de quibus agimus, à precibus itẽ dicti Maſſaliani, iidemque *Euchaitæ*, ſeu *Precatores*: quos & ſe *Spirituales*, reliquos vero homines *Carnales* dicere ſolitos, Theodoretus [n] affirmat, eoſdemque prodiiſſe ex Chriſtianis monachis qui ſolitudinem Meſopotamiæ incolebant, quorum nomina recenſet [o]. Dadoen, Sabbam Adelphium, Simeonem, Hermam, & alios nonnullos.

EVPHEMITÆ MARTYRIANI HÆRET.

[n Theo. hær. fab. lib. 4.] [o Id. lib. 4. c. 10.]

IX. [p Luc. 18.] MASSALIAN. DOGMATA ET DELIRIA.

Iſti igitur illud primum iecerunt ſtruendæ impietatis fundamentum, vt quod Dominus [p] admonuiſſet ſemper orandum, cetera cuncta eſſe parui vel nullius momenti aſſererent: id affirmantes eſſe tanti momenti, vt ſolum ſufficeret ad omnes poteſtates aduerſarias ſuperandas. Ex quo inprimis prouenit, vt quod erat monaſticæ diſciplinę coniunctum opus manuum penitus prætermitterent, quod iuſſiſſet Dominus [q] operari cibũ qui non perit. Sed & ieiunium ignorabant; ſatis dicentes ſufficere ad mentẽ expurgandam, orationem. Iidemque ad preces coibant permixti mulieribus: quod à ſanctis Chriſtianorum inſtitutis penitus abhorrebant. Quinetiam nefandum illud dogma excogitaſſe Theodoretus affirmat, vt dicerent Sacramenta Eccleſiæ nec prodeſſe nec obeſſe: ſed oratione tantum peccata laxari, dæmoneſque fugari: impieque iactabant, ſe habere baptiſmum ad inſtar nouaculæ: vt ſicut hæc pilos corradit, & tamen iidem ex radicibus iterum pullulant: ita poſt baptiſmum remaneret peccatum originale, ſed perpetua oratione peccati radicẽ prorſus euelli. Habere item vnumquemque hominem, habitantem in ſe dæmonem, nec ipſo caruiſſe Apoſtolos, eum vero tantum oratione fugari: qua aiebant poſſe quoque effici homines impaſſibiles. Duas inſuper poſſidere homines animas, quarum alteram eſſe ſupercœleſtem: ſeque capaces eſſe corporeis oculis videndi ſanctiſſimam Trinitatem. Vnde accidebat, vt huiuſcemodi viſionibus quæ per dæmonum illuſionem ſolerent fieri, vehementer delectarentur: quarum apparitionibus, ac quibuſdam rerum futurarum præſumptis reuelationibus, eo inſaniæ peruenerunt, vt non tantum dicerent ſe eſſe perfectos, ſed vel Angelum, vel Prophetam, immo & Chriſtum eſſe iactarent, reliquos autem indignos eſſe Chriſtiano nomine. Sed & repente ſaltabant, ac ſuper dæmones ſe ſaltaſſe iactabant; & digitis ſagittãtium ſpeciem præſeferentes, ſe in dæmonem iaculari affirmabant: aliaq; quædam faciebant ſimili furore plena, vnde etiam *Enthuſiaſtarum* nomen ſortiti ſunt. Hæc de iis Theodoretus.

[q Ioan. 6.]

X. [r Damaſc. hær. 80.]

De quibus etiam agens Damaſcenus [r], multa addit de eorumdem in medicos & alios quoſcumque pauperes immanitate; quibus negabant aliquid dandum eſſe, ſed ſibi omnia ſuppeditanda, eo quod ipſi ſoli eſſent pauperes ſpiritu. Addit inſuper, ex dogmatis præſcripto fas eis fuiſſe iurare ac peierare. Docuiſſe item, ad libitum poſſe dirimi coniugia; ſuadereque filiis neglectum parentum, & ad ſibi omnia conferendã ſolitos exhortari: negaſſe pariter quemquam initiari ſacramentis, niſi ſuper quam viſibilis gratia ſpiritus Sancti deſcenderet phantaſticis enim huiuſmodi viſionibus à dæmone illudebantur, vt ſuper eos viſibili ſigno apparere videretur Spiritus Sanctus præſertim ordinationes celebrarent; nam habebant ſacerdotes & Epiſcopos. Eoque pertinet quod S. Auguſtinus [s] tradit, eos de purgatione animæ neſcio quam phantaſticam & ridiculam fabulam narrare ſolitos: porcam ſcilicet cum porcellis ſuis videri exire de ore hominis quando purgatur, & in eum viſibili ſimiliter ſpecie ignem qui non comburit intrare. Maſſalianorum quoque eam ſententiam fuiſſe S. Hieronymus [t] docet, vt dicerent poſſe hominem ad perfectionem, atque ad ſimilitudinem & æqualitatem Dei, humana virtute & ſcientia peruenire: ita vt aſſererent, ſe ne cogitatione quidem & ignorantia (cum ad conſummationis culmen aſcendiſſent) poſſe peccare. Quod vero ad habitum corporis ſpectat; eos comas muliebres producere, & ſacco conſpicuos incedere ſolitos, Epiphanius tradit. Qui quidẽ haud viſi ſunt prætergreſſi Meſopotamiam, vel Syriam: occulte ſerpentes, eo quod expellerentur ab omnibus ſicubi detecti eſſent.

ALIÆ EORVMDEM IMPIETATES ET DELIRIA.

[s Aug. de hær. cap. 57.]

[t Hier. dial. aduerſ. Pelag. in præf.]

Quod autem iidem dicerẽt, ab hominibus orantibus dæmones foras egredi per excrementa, ſputa, mucum, & alia; in memoriam reuocatur, his contraria conatum eſſe dæmonem ſuadere *Monachis quibuſdam Ægypti*: nimirum peccatũ eſſe eiuſmodi corporis neceſſaria excrementa egerere: abutentibus videlicet ſententia Domini [u], qua dixit, non quæ intrant per os coinquinare hominem, ſed quæ exeunt. in quos iure inuehitur Athanaſius ad Ammonem Archimandritam ſcribens: vbi etiam declarat, eo vſque progreſſam eſſe illam hæreſim, vt eadem ratione matrimonium quoque damnaret, quod in procreatione prolis è corpore progredi ſemen neceſſe eſſet. In horum pariter claſſem adlegendi ſunt illi *Pſeudomonachi*, quos S. Epiphanius in ſua Anacephalæoſi recenſet; quorum alii cum nullis penitus hominibus preces faciebant, & ob eam cauſam impudenter ſancta myſteria, licet laici eſſent, contrectabant: alii Epiſcopos ſeipſos conſtituentes, Epiſcopalia munia obibant, alii ſeipſos caſtrabant: alii propria auctoritate eos qui ex Arianis ad ſe accederent rebaptizabant: alii nulli prorſus communicare volebant: ac denique alii precabantur in vinculis. Quibus etiam longe teriora videri poſſunt, quæ *Euſtathius* ſiue *Eutactus* hæreſiarcha docuit ſuos monachos. Sed quod de illis dictum ſit ſuperius in Synodo Gangrenſi, iam his decurſis, noui Imperatoris res geſtas inuiſamus.

XI. MONACHOR. QVORVMDAM ÆGYPTIOR. FATVI ERRORES.

[u Matth. 15.]

ALIORVM MONACHORVM DELIRIA.

XII. IVLIANVS APOSTATA IMP.

Conſtantino igitur defuncto, *Flauius Claudius* IVLIANVS, cognomento APOSTATA, annos natus viginti nouem, vniuerſum Romanum Imperium ſolus obtinuit: perueniensq; Conſtantinopolim tertio Idus Decembris, cum præ impietatis ſcelere Chriſtianis omnibus horrori eſſe debuiſſet, nulla de his Impræſentiarum habita ratione, ab eiſdem vt conciuis fauſtis acclamationibus exceptus eſt, ac Senatus populique officiis obſequiiſque cumulatus; vt Ammianus [x] & Zoſimus [y] tradunt. Ipſum enim Conſtantinopoli natum, non hi tantummodo auctores Mamertinus quoque Conſul in Panegyrico ei dicto, aliique teſtantur. Qui autem à rudimentis pueritiæ primis (vt loquitur Ammianus) inclinatior fuerat erga deorum cultum: quique, vt ipſemet [z] de ſe teſtis eſt, iam ante decẽnium à Chriſtiana religione deſciuerat, licet ob metũ Conſtantii nõniſi ſecretò numina coleret: cum nuper (vt vidimus) impietatem eiuſmodi Illyrico palam profiteri cœpiſſet; nactus iam liberas habenas Imperii, nihil antiquius habuit quam vt collapſum ſub Conſtantino & Conſtãtio eumdem deorum cultum (quorum beneficio aſſecutum ſe affirmare ſoleret Imperium) in priorem ſtatum reponeret. Ideoque templis (vt aiunt [a]) aperiri iuſſis, inque illis ſacrificia immolari: exinde pariter cœpti ſunt feſti dies vbique ritu Gentium celebrari. Ipſeque

[x Am. li. 21.] [y Zoſ. lib. 3.]

[z Iulian. ep. ad Alexan.]

DEORVM CVLTVM RESTITVERE CONATVR.

[a Am. ibid. Socr. lib. 3. c. 1. Soz. lib. 5. c. 1.]

b Gre. Naz. orat. 1. in Iulian.

CHRISTIANITATEM ABDICAT RITV SOLEMNI.

c Prud. Periſteph. in Rom hym. 10.

d Gre. Naz. orat. 2. in Iul.

PONTIFICATVM ASSVMIT.

e Eunap. de Vit. Philoſ. in Maxim.

Iulianus ſanguine victimarum (quod refert Gregorius[b] Nazianzenus corpus abluens, Baptiſmi ſignaculum in quantum potuit, deleuit, eodemque manus profanauit, quibus ſacram Euchariſtam ori admoturus acceperat. Ac deinde more maiorum Imperatorum, vna cum Imperio ampliſſimam Sacerdotii dignitatem ſuſcipiens, nec quid minimum in re tanta paſſus præteriri veteris obſeruantię, Summo Pontificatu initiatus eſt ſolemnibus ritibus: quorum vanitatem & impuritatem Prudetius[c] graphice depingens, ſuis verſibus deridendam propoſuit. Illudque inter cetera de eo Gregorius[d] Nazianzenus narrat, ſufflationibus & reſufflationibus maxillas indecore inflantem, altaris ignem accendere ſolitum. Et quod omnium eſſet ſuperſtitioſiſſimus, voluit pariter (vt ſcribit Eunapius[e]) Eleuſiniorum ſacrorum Pontifex creari: minoreſque & ipſe creans Pontifices, eoſdem in diuerſas prouincias diſtribuit.

XIII.

IVDICIO SVBIICIT MAGISTRATVS CONSTANTII.

His autem rebus geſtis Gentilium animos ſibi deuinciens, alia quoque ratione Chriſtianis extitit gratiſſimus, dum quo infenſiſſimo animo in Conſtantium fuerat, eius aulicos & magiſtratus (non ſine magna Dei prouidentia, quod iſti in gratiam Conſtantii fauentes Arianæ hæreſi, magnis moleſtiis Catholicos affeciſſent) iudicio ſubiectos variis confecit ſuppliciis. Nam ex Ammiano accuratius hæc pertractante conſtat, inter alios Taurum huius anni Conſulem ordinarium; Palladiumque Magiſtrum Officiorum, Euagrium Comitem rei priuatæ, Saturninum ex Cura Palatii, & Cyrinum ex Notario, in exilium pulſos: Florentium alterum Conſulem qui ſe periculo opportune exemit, capitis crimine damnatum eſſe abſentem: Vrſulum vero Comitem Largitionum, Apodemium Agentem in rebus, & Paulum cognomento Catenam, viuos combuſtos: ipſumque Euſebium Eunuchum, Arianorum patronum, in Deum impium, in ſanctos Epiſcopos contumelioſum, Præfectum Conſtantii Cubiculi, ab ima ſorte ad vſque iubendum Imperatori pene elatum, pœnæ letali addictum: omneſque demum aulicos vel capite, vel relegatione mulctatos: ac vehementius turbam illam Eunuchorum Palatinorum exagitatam: quibus etiam nequis ſuffragator accederet (vt Ammianus affirmat) leg: vetuit; ſanciuitq; (quod addit Socrates) vt illis qui paſſi eſſent ab eis iniuriam, facultates inique abreptæ redderentur, & ea potiſſimum quæ iidem Eunuchi ex deorum fanis expilatis ſibi vendicaſſent.

MVNIFICENTIA EIVS ERGA PROVINCIAS.

Ciuitates pariter multiplicatis tributis ſub Conſtantio exhauſtas, ac pene deſertas, mœnibuſque orbatas, ex ærario collata pecunia in priſtinum ſplendorem reſtituens (quod Mamertinus publica oratione laudauit) plurimum ſibi prouinciarum ſubditarum gratiam conciliauit. Sed & Romanæ Vrbi hoc anno ſumma penuria periclitanti, licet longe poſitum, mira celeritate abunde ſubueniſſe, idem auctor aſſerit. Ammianus inſuper, inutiles illum Palatii expenſas reſecaſſe. Hiſque omnibus effecit, vt qui ob impietatem videri poſſet intolerandus, etiam diligeretur à multis.

XIV.

EPISCOPOS EXVLES REVOCAT.

f Hier. aduerſ. Lucif. lib. 2.

g Socr. lib. 3. ca. 4.

h Soz. lib. 5. ca. 2.

i Theod. lib. 3. ca. 4.

Quin & magnam inde ſibi laudem comparauit apud optimos quoſque, quod exulem diu pacem Catholicæ Eccleſiæ reſtituit, ab acerbiſſima illa tot annis per Arianos perſecutione fugatam; non modo Epiſcopis à Conſtantio exilio condemnatis, ad ſuas Eccleſias redire permiſſis (quod teſtantur Hieronymus[f], Socrates[g], Sozomenus[h], Theodoretus[i]) ſed & aliis pariter religionis cauſa exulibus relaxatis. Verum quod fidem facit hæc illum non amore Catholicorum præſtitiſſe, ſed vel beneficentiæ in quoſcumque affectatione, vel odio Conſtantii eiuſq; miniſtrorum, quorum auctoritate Catholici vexati fuerant: is nulla habita ratione exulum, cum & plures etiam hæreticos, ſed qui Arianis haud in omnibus conſentirent, Cõſtantius proſcripſiſſet, ex æquo omnes iuſſit exilio relaxari: interque illos Atlicum Actium; ad quem extant eiuſdem Iuliani litteræ eum in memoriam priſtinæ cognitionis & amicitiæ in Regiam accerſentis. Sicut etiam Nouatianorum eccleſiam ab Eleuſio Cyziceno Epiſcopo Ariano dirutam, per eumdem propriis ſumptibus intra bimeſtre ſpatium, grauiſſima mulcta præſcripta refici mandauit. Et (vt Sozomenus[k] ait) omnibus quos ab exilio reuocauit, etiam bona ſua reſtituit: ſanciuitque nequis Chriſtianos vel iniuria afficeret, vel ad immolandum inuitos traheret; veritus (vt creditur) ipſo ſui aduentu cum illis aperto Marte pugnare, quos ſciret impleſſe multitudine Romanum Orbem. Ideoque vt hac etiam parte gratus illis eſſet, inter Chriſtianæ religionis Epiſcopos conciliatorem ſe geſſit: fruſtraq; in Palatium vocatos, ac de his monitos, ſuo ipſorum omnes reliquit arbitrio. Inde autem captans occaſionem Chriſtianis detrahendi, quod adeo pugnaciter inter ſe altercarentur; reddidit inſuper eoſdem in epiſtolis & colloquiis ſuis, *Galilæorum* nomine contemptibiles, & expilatione iam facta templorum exoſos; multis præterea artibus in Chriſtianam religionem ſenſim inſurgens. Contra vero Gentilium ſacerdotibus[l] priſtinos honores reddidit, omniſque generis immunitates decreuit. Et vbique iam abrogatis Conſtantii magiſtratibus, aliiſque ex animi ſui ſententia ſubrogatis, tandem omnibus rebus ad ſecuritatem Imperii ſtabilitis, ſerio cœpit excogitare modos, quibus Chriſtianam religionem funditus euerteret. Sed de his opportunius anno ſequenti.

k Soz. lib. 5. cap. 5. in fin.

LABORAT PRO PACE ECCLESIÆ.

l Ibid. cap. 3.

IESV CHRISTI AN. 362.

IVLIANI AN. I.

LIBERII AN. II.

I.

a Am. li. 22.

ANnus Chriſti trecenteſimus ſexageſimus ſecundus, Eccleſiæ admodum ærumnoſus, Conſules habuit Mamertinum atque Neuictam. Hicque eſt *Mamertinus* ille, cuius ad Conſulatum indigniſſime (vt docet Ammianus[a]) adſciti, extat de Gratiarum actione oratio panegyrica, qua laudes noui Imperatoris adulatorie nimis prædicauit.

IVLIANVS MAXIMVM PHILOS. EXCIPIT.

b Id. lib. 22.

Cum vero ex more ab eodem Conſule publica munera ederentur, eiſque intereſſet Iulianus Auguſtus, nunciato *Maximi* Philoſophi, quem litteris ex Aſia accerſiuerat, aduentu: idem Imperator per oſtentationem (vt ait Ammianus[b]) intempeſtiuam, nimius captator inanis gloriæ viſus, exiliens indecore effuſo curſu longe progreſſus oſculatum ſuſceptumque reuerenter ſecum induxit. Erat hic philoſophus Cynicus, idemque magus, quo (vt alias dictum eſt) vſus in philoſophicis facultatibus, præceptorem etiam habuit impietatis: ideoque & quod ipſius diuinationibus Imperium acceptum ferret, ab eo totus pependit, & quem magis coleret habuit neminem: vt ex variis eiuſdem Iuliani ad eum epiſtolis, ipſiuſq; Vita ab Eunapio deſcripta ſatis apparet.

MAXIMI CYNICI DVO.

Ceterum diuerſus hic eſt ab illo alio item *Maximo Cynico*, qui ſub Theodoſio Imperatore, S. Gregorio Nazianzeno negotium faceſſit: ille quippe patria fuit Alexandrinus; hic autem Smyrnæ natus, Epheſius dictus eſt, quod ibidem diutius egerit, quem nonnulli perperam Tyrium dixerunt. *Maximus* enim *Tyrius*, cuius extant conciones, Philoſophus fuit Platonicus, vixitque ſub Commodo Imperatore, vt teſtis eſt Suidas.

II.

c Iulian. ep. 1. ad Baſil.

d Gre. Naz. orat. 2. in Iul.

IVLIAN. VOCAT BASILIVM ET GREG. NAZ.

Curauit præterea Iulianus, quos ſciret eruditione clariſſimos viros, eoſdem ad ſe vocare. Nec Gentiles tantum, ſed & Chriſtianos, atque inter alios SS. *Baſilium*[c] & *Gregorium*[d] Nazianzenum, Athenis olim cum illic ageret egregia eruditione ſibi notos. Accedere vero ad illum impietate iam vbique diffamatum recuſantes reiecit, necique (ſi licuiſſet) reſeruauit. Sed de his poſtea. Cumque qui agebat Conſtantinopoli tunc temporis, *Cæſarius* frater eiuſdem Gregorii Nazianzeni, philoſophicis facultatibus nulli ſecundus, iam antea à Conſtantio Imperatore in Senatum cooptatus, ab eodem Iuliano Præfectura donatus eſſet Cuſtodiæ Theſauri: idem tamen procurantibus[e] vtroque Gregorio patre & fratre, in patriam ſe recepit; ſed nobiliſſima auctus corona de ſuperato Apoſtata in certamine de fide cum eo publice habito, cuius hiſtoriam egregie deſcripſit idem ipſius Cæſarii germanus Gregorius[f] Nazianzenus.

e Id. ep. 17.

CÆSARII VICTORIA DE IVLIANO.

f Id. orat. de fun. Cæſ.

III.

At longe aliter *Ecebolius* rhetor magni nominis; qui pro

Princi-

Principum religionē & fidem mutans, cum ſub Conſtantio Chriſtianum ſimulaſſet, iam ſub Iuliano Gentilitatem coluit: idemq; rurſum eo mortuo ad Chriſtianos rediēs, ante portam eccleſiæ ſe pronū abiiciens ſic clamauit, *Me quaſi ſal infatuatum pedibus conculcate.* Interea vero quod iam ad Ethniciſmum prolapſus eſſet, fuit Iuliano percarus [h]. Coluit [i] præterea idem Auguſtus mirifice *Oribaſium* Philoſophum Pergamenum: quo olim vſus medico, ab eodem euectus eſt ad Imperium. Sed ſupra hos, alioſque eiuſmodi plurimos, in honore habuiſſe videtur *Libanium* celeberrimum huius temporis Oratorem Antiochenum cuius ſcriptis [k] plurimum delectabatur, eumdemq; Quæſtura inſigniuit: ſicut & *Themiſtium* inſignem Philoſophū (quod tradit Suidas) Præfectura vrbis Conſtantinopolitanæ; cui iam antea Conſtantinus [l] Præturę inſignia contuliſſet. Fuere præterea ei in pretio *Nymphidianus* & *Claudianus* Maximi [m] fratres ipſum vero Maximum delegit [n], qui ſcriptas à ſe lucubrationes cognoſceret, & pro arbitrio emendaret.

Et hoc quidem laude dignum videri poterat in Iuliano, eruditorum virorum conſuetudine delectari; niſi complures ex illis (vt ſuperius dictum eſt, & confirmat Gregorius [o] Nazianzenus) ſic foris Philoſophos ageret, vt tamen magos intus gererent. Verum vt hæc quoque illi, Ethnico homini & ſuperſtitioni addicto condonētur, ſed quid cum Imperatore philoſopho lenones, meretrices, atq; cinædi? Huiuſmodi enim farinæ hominibus Palatiū refertum fuiſſe, eoſque ſecum vbique religionis prætextu circumducere ſolitum Iulianum, non ſolum Chryſoſtomus [p] oculatus teſtis, tunc Antiochiæ ſub Libanio diſcipulus, itemque Gregorius [q] Nazianzenus affirmant; ſed & ipſe quoque Ammianus [r] Ethnicus auctor. Sacrificanti vero portenta ſæpius accidiſſe, varii tradunt: & aliquando exta animalium coronatam Crucem edidiſſe, idem Gregorius [s] aſſerit, necnon Sozomenus [t], Nicephorus [u], aliique recentiores. Aliquando etiam Chriſtiani adoleſcentis, qui putabatur Gentilis, præſentia, quam horrerent dæmones, victimarum immolationem impeditam omnino fuiſſe, nec perfici valuiſſe donec adoleſcens ille detectus & expulſus eſſet, Prudentius [x] tunc (vt ipſe teſtatur) puer verſibus ſuis poſtea cecinit.

At hæc omittentes, vt iam de excitata in Chriſtianos PERSECVTIONE agamus; ea longe diſpar extitit ab aliis per Ethnicos Imperatores illatis: ſiquidem illi ſancitis legibus Chriſtianos diis ſacra facere acerbiſſimis pœnis impulerunt: Iulianus [y] autem colendi deos vim nemini adhibendam eſſe putauit, ratus (quod in omnibus olim perſecutionibus contigerat) omnes ad martyrium, quaſi ad aluearium apes (vt illum dicere ſolitum teſtatur Chryſoſtomus [z]) volaturos, indeque ex ſolito incrementa maiora Chriſtianitatem ſumpturam. Quapropter quod nō exerto palam gladio furens perſecutio ob fidei Chriſtianæ profeſſionem graſſata fuerit, idem Chryſoſtomus ait in pace Eccleſiæ martyres ſub Iuliano paſſos eſſe. Eademque ratione nec inter Perſecutiones hanc recenſendam eſſe, complures exiſtimarūt: licet Auguſtinus [a] ac Gregorius [b] Nazianzenus contrarium plane ſentiant ac probent. Itaque Iulianus violentiā maxime popularibus inſolentiis relinquens, ſibique partes ſuadendi retinens, verſute primum iuſſit, Chriſtianos vel à profeſſionibus ſuis publicis diſcedere, vel fidem abiurare; diſceſſionem autem eligentibus, alias poſtea diuerſas finxit cauſas, quibus eos variis ſubiiceret ſuppliciis. Hoc enim Chryſoſtomus & Gregorius harum rerum inſpectores affirmant, conſtatque ex Actis Martyrum quos hoc tempore pati contigit. Addit vero Gregorius, eiuſmodi perſecutionis genere domeſticos maxime atque milites exagitatos eſſe. Inter quos eluxit egregium *Helpidii*, inſignis nominis Senatoris, qui anno ſuperiori à Conſtantio Præfectura Prætorii decoratus fuerat, martyrium [c]; cū ob præclaram fidei confeſſionem, ficto tamen perduellionis crimine accuſatus, ab equis indomitis primo cū ſociis diſtractus eſt, ac poſtea in ignem coniectus.

Labarum quoque, magnum illud & præcipuum Imperatorum Vexillum, ab eodem Iuliano mutatū eſſe Gregorius tradit: ſed diſtinctius Sozomenus [d], Crucem inde quam Conſtantinus appoſuerat ipſum abſtuliſſe, & ad veterem Ethnicorum Romanorum formam reduxiſſe: dediſſeque operam, vt in publicis imaginibus iuxta ipſum Iulianum Iupiter depingeretur, velut è cœlo coronam & purpuram ei præbens; Mars item & Mercurius in eum intuentes, & quaſi teſtificantes quod vir eſſet tum dicendi arte, tum re militari præſtans. Reperiuntur etiam nummi [e] antiqui, Iuliani vultum expreſſum habentes cum inſcriptione Serapidis, tamquam ille ipſe eſſet; cui à ſiniſtris inhæreret effigies Iſidis (quibus imaginibus apud Ægyptios Sol atque Luna repræſentari ſolebant) ex aduerſo vero latere gemina imago duplicem Iſidem repræſentans: duas namque fuiſſe Iſides nonnulli tradiderunt [f], quorum ſententiam hi nummi optime comprobant. Hoc autem non primus Iulianꝰ aggreſſus eſt, vt Serapidi vultum ſuum cōformem redderet, ſicut Commodus Herculi: ſed more maiorum ſuorum, & potiſſimum Hadriani Imperatoris feciſſe antiquum numiſma docet, in quo effigiatum Serapidem ſimilem Hadriano, coma excepta quæ in Serapide myſticum quid ſignificabat, probe intelligi poteſt. Hæc autem imaginibus admiſceri iuſſiſſe Iulianum Sozomenus ait, vt ſimulatione honoris Imperatori decreti (Imperatorum enim imagines, Chriſtianos quoque milites pio cultu abſq; vlla idololatriæ labe honorare ſolitos, alias diximus) latenter etiam venerari cogeret res vna depictas. Qua fraude plurimos deceptos, ac maxime in erogatione donatiui, quando incenſū imaginib. Imperatorū offerri mos erat; paucos dolū intelligētes, nec ſuaſionibꝰ, nec donis, nec minis eo impelli potuiſſe; & ex deceptis nonnullos reſipuiſſe, ac dona referentes magna conſtantia Chriſtum confeſſos eſſe, ideoque è militum numero exemptos, iniuriaque affectos ac relegatos, idem Sozomenus narrat, necnon Gregorius [g] Nazianzenus atque Theodoretus [h].

Ceterum Prætorianos potiſſimum, quibus ſalus ipſa Imperatoris concredita erat, Iulianum voluiſſe deorum eſſe cultores, renuentes autem militia & honoribus priuatos expuliſſe, tradit Socrates [i]; interque illos claruiſſe inſignem *Iouiani*, ac *Valentiniani* & *Valentis* fratrum confeſſionem, cuius mercedem, Imperium poſtea iidem omnes obtinuere. De Valētiniano vero & id ſpecialiter obſeruatur [k], cum aliquando, cum ex officio Imperatorem præcederet (erat enim Prætorianorum Tribunus) in fanum Fortunæ choreas ducentem Æditui que aqua luſtrali introeuntes expiarent; pugnis Æditum ipſo inſpectante Iuliano cæcidiſſe, quod aquæ guttam ſuæ lænæ aſperſiſſet, tantumque ſuæ veſtis excidiſſe, quantum gutta madefeciſſet. Verum tres iſtos Duces licet baltea depoſuiſſe ſcribat Socrates [l], affirmat tamen nequaquam militiæ gradu ab ipſo Iuliano priuatos eſſe, quod tales agnoſceret qui Reipublicæ plurimum inſeruire poſſent. Certe conſtat Iouianū vna cum Iuliano in expeditione aduerſus Perſas militaſſe; idque permiſſum eſſe tradunt, ob ſpectatam parentis virtutem. At Valentinianum & Valentem Sozomenus aſſerit, exulaſſe religionis cauſa Meletinæ Armeniæ ciuitates; ſolutos autem exilio ab ipſo Iouiano Imperatore. Hallucinatus tamen in eo videtur, dum id ait contigiſſe in Gallia: nam ibi dum fuit Iulianus, ſemper Chriſtianum præſeluliſſe ſuperius vidimus, ſed & hæc omnia Conſtantinopoli ad ædem Fortunæ (quā in ipſa Regia Imperator ſtatuerat) geſta eſſe, reliqui æq; conſentiūt.

Scribit inſuper Sozomenus [m], Marin Chalcedonēſem Epiſcopum eidem Iuliano in eodem Fortunæ fano ſacrificanti, publice impietatem exprobaſſe; cumque Iulianus ei ſolam cæcitatem irridens obieciſſet (ob grandem enim ſenectam ſuffuſione oculorum laborabat) dixiſſetque, *Non te Galilæus tuus ſanabit*, Marin reſpondiſſe, *At ego gratiam Deo meo habeo quod cæcus ſum, ne te qui à pietate excideris oculis aſpiciam*: Imperatorem autem patientiam & manſuetudinem ſimulātem, nullo dato reſponſo eum præteriiſſe. Sed id dolendum, quod egregium ſenis facinus obſcuretur Ariana ipſius profeſſione, qua Acacio iam etiam tum inhæſiſſe conſtat ex eodem Sozomeno [n] atque

HECEBOLII RHET. INCONSTANTIA.
g Socr. lib. 3. cap. 11.
h Vid. ep. Iul. 43. ad Lib.
i Eunap. in Vit. Philoſ.
k Iulian. ep. 14. ad Liba.
l ... m Eunap. ... n Iul. ep. 15.
IV. o Greg. Naz. ... IVLIANI AVLA REFERTA MAGIS. ...
V. PERSECVTIO IVLIANI DIVERSA AB ALIIS.
y Iul. ep. 7. ad Artab. ...
z Chryſ. ſer. de SS. Iuuent. & Maxim.
IVLIANVS INVIDET MARTYRIVM CHRISTIANIS.
a Aug. 18. de ciuit. ...
b Gre. Naz. ora. 1. in Iul.
c Martyrol. Rom. 16. Cal. Dec.
VI. IVL. MVTAT LABARVM.

d Soz. lib. 5 c. 16.
e Habet Baron. Annal. to. 4. hoc an.
IVLIANI IMAGO INSTAR SERAPIDIS.
f Vid. Lil. Gerard. de aliis Gent. Synt. 12.
IMAGINIS IMP. CVLTV TECTA IDOLOLATRIA.
g Gre. Naz. ora. 1. in Iul.
h Theod. 3. c. 16.
VII.
i Socr. lib. 3. cap. 11.
k Theod. li. 3. c. 5. Soz. lib. 6. cap. 6.
VALENTINIANI EGREGIA CONFESSIO.
l Socr. lib. 4 c. 1.
VIII
m Soz. lib. 5 c. 4.
MARIS EPISC. ARIAN. RESISTIT IVLIANO.
n Id. lib. 4. c. 21.

o Socr. lib. 3. c. 15. p Am. li. 22. IVLIANI PRÆCEPS FVROR. *q Gre. Naz. orat. 1. & 2. in Iul. r Ext. ap. Lipom. to. 5. ex Metaph. 17. Febr.*

Socrate [o]. Ceterum in Iuliani manſuetudinis laudem plura Ammianus [p] adducit: ſed quem adulatum eſſe Principi, potius quam puræ conſuluiſſe veritati, ſatis perſpicuum reddit, quod de Iuliani præcipiti iracundia atque inſano furore, maxime vero in Chriſtianæ fidei cultores, pluribus proſequitur ſinceriſſimus veritatis ſcriptor Gregorius [q] Nazianzenus, qui hominem Athenis probe cognitum habuit, & quæ à fratre ſuo Cæſario aliiſq; accepit ſumma fide conſcripſit. In quam etiam ſententiam, Nectarius Epiſcopus Conſtantinopolitanus ea oratione [r] quam habuit in exordio Quadrageſimalis Ieiunii, plura habet de tyranni immanitate, & illatis eius voluntate crudeliſſimis necibus, & horrendis antiquorum cruciamentis recenti vſu iterũ in Chriſtianos innouatis: licet ea alio potius quouis titulo quam religionis, ingeri fingerentur.

IVL. CONSTANTINOP. CIBARIA INQVINAT IDOLOTHYTIS.

IX. Nec tamen varias excogitare deſtitit artes, quibus poſſet abſque publicis quæſtionibus populum idololatriæ reddere obſequentem. Quare cum primo (vt vidimus) in erogatione publici donatiui, thuris oblatione fidem totius exercitus exploraſſet, nouo iam dolo vrbem ipſam Conſtantinopolitanam aggreſſus eſt pertentare, dum auſpicantibus Chriſtianis conſueto animi ardore ſolenne Ieiunium Quadrageſimæ, cuncta cibaria quæ venũ publice in foris exponi ſolerent, ſacrificiis deorum polluit, vt ſic illi cibis cogerentur veſci immolatitiis, aut fame confici. Sed cum iidem diuina Theodori martyris reuelatione admoniti, loco panis cocto frumento vti cœpiſſent (ditioribus ſumma alacritate egenis hac neceſſitate ſubuenientibus) eo facto victus Iulianus, deſperanſque optata conſequi, cibos ab omni labe puros foris vt antea apponi iuſſit. Placuit vero Fidelibus, vt in memoriam tam glorioſæ de Apoſtatę impietate partę victorię, & in honorẽ Theodori martyris, anniuerſaria die ciues Conſtantinopolitani coctum frumentum erogarent in pauperes. Quam hiſtoriam egregie deſcripſit idem qui ſupra Nectarius Epiſcopus: ex quo redarguas eos qui hæc Antiochiæ geſta eſſe tradiderunt. Quid autem Antiochiæ poſtea contigerit, dicetur ſuo loco.

s Suid. verb. [illegible] SIGNVM CRVCIS OBRVIT. *t Iul. ep. 11. ad Byzant. u Zoſ. lib. 3.*

X. De Iuliano inſuper tradit Suidas [s], ab eo terra obrutum ſanctiſſimum Crucis ſignum, quod Conſtantinus in capite ſimulacri vrbis Conſtantinopolitanæ felicitati eius ſignificãdæ exſculpſerat: ne ſcilicet Chriſti virtuti tribueretur gloria ampliſſimæ ciuitatis. Quod autem illic natus eſſet, in vniuerſos conciues ſuos voluit videri munificus, adeo vt à priuilegiis conceſſis nec Chriſtianos excludi voluerit [t]. Auctorque eſt Zoſimus [u], ipſum eamdem natalem patriam maximis incrementis fultam, Senatu quoque ad æmulationem Vrbis Romæ, portu pulcherrimo Sigma litteræ formam referente, Bibliotheca item in Regia conſtructa, aliiſque ornamentis decoraſſe.

x Am. li. 22. LEGATOS PERSARVM IMPIE NECAT. *y ar. Metaph. 17. Iunii. z Nic. lib. 10. ca. 11.*

XI. Iam vero cogitans bellum Perſicum, atque hiemare ſtatuens Antiochiæ cum exercitu, iter eo dirigens (quod exacte relegit Ammianus [x]) primo tranſgreſſus fretum, Chalcedonem ex aduerſo littore poſitam venit. Vbi nactus Legatos à Rege Perſarum Sapore (non Alemundaro, vt eorumdem martyrii Acta [y] habent) miſſos, *Manuel, Sabel, & Iſmael*: quod Chriſtiani eſſent (vt ait Nicephorus [z]) contra ius gentium ignominia affecit. Quinimmo neci traditos, eadem illorum Acta ſignificant: eo nimirum prętextu, quod inuitati ad ſacrificium magnis animis renuiſſent: vnde in eos, tamquam impios & numinum Perſarum, Solis, Lunæ & Ignis contemptores, quaſi vindex legũm Perſarum iuſſit animaduerti, decimoquinto Calendas Iulii, qua die eorum memoria tam apud Græcos quam Latinos in Eccleſia celebratur. Ex his vero redarguas Zoſimum, dum ait Iulianum decem menſes Conſtãtinopoli commoratum eſſe, videlicet vſque ad tertium Iduum Octobris. Id enim & ex ipſo Ammiano mendacii conuincitur, dum oſtendit eumdem Iulianum menſe Octobri iam Antiochiam perueniſſe, cum multo tempore in ipſo itinere pluribus in locis ſubſtitiſſet. Porro Chalcedone Iulianum veniſſe Nicomediam, atque vrbis deſolationem deploraſſe, teſtatur Ammianus; indeq; per Nicæam in Galatiam proceſſiſſe.

a Sozo. lib. 5. cap. 4. VEXAT CÆSARIENSES.

XII. Sed antequam eo perueniſſet, Cæſaream Cappadociæ diuertiſſe, Sozomenus [a] docet, eamque ex numero ciuitatum deleuiſſe, & Cæſaris priuaſſe nomine, quod obtinuerat regnante Claudio, cum antea Mazaca diceretur. Siquidem in ciues infenſiſſimus erat, tum quod fidei Chriſtianæ tenaciſſimi eſſent profeſſores, tum quod olim fana Iouis vrbis patroni, & patrii Apollinis diruiſſent, nuperrimeq; templum Fortunæ, quod ſolum eo regnante ſupererat, euertiſſent. Quamobrem omnem pecuniam & ſupellectilem Cæſareæ & confinium eccleſiarum inueſtigatam afferri, & inſuper trecẽtas libras auri ærario publico ſolui clericoſque omnes in numerum militum adſcribi, ac Chriſtianos vniuerſos vna cum vxoribus & liberis in cenſum redigi, atque tributa penſitare iuſſiſſe, minatum quoque numquam ſe ab affligenda ciuitate temperaturum, niſi delubra idolorum quamprimum de integro extruerent. Hæc Sozomenus. Addit vero Gregorius [b] Nazianzenus, quod cum ob eamdem Fortunę templi demolitionem, promiſcua plebs furenter in Chriſtianos impetum feciſſet, multaque cæde perpetrata plura etiam comminaretur: ideoque gentis Præfectus media quadam via inter temporis tyrãnidem & leges incedens, multis Chriſtianorum abductis, de nonnullis etiam Gentilibus ſupplicium ſumpſiſſet; eumdem Iulianum eam ob rem Præfectura ignominioſe abdicatum expulerit in exilium. Ceterum ne tam nobilis Eccleſia tot certaminib. erecta, martyrii corona priuaretur, præter hæc idem Iulianus eiuſmodi deorum ſuorum contumelias vlciſci voluit, tum nece complurium aliorum qui templi dirutioni manus admouiſſent, tum nobiliſſimi ciuis *Eupſychii* [c], nomen reddentis antiquioris martyris Eupſychii qui ſub Hadriano paſſus ibidem fuerat.

b Gre. Naz. ora. 2. in Iul. c Sozo. lib. 5. c. 10. Menol. & Martyrol. 9. April.

QVID IVLIANVS NAZIANZI. d Gre. Naz. [illegible] ſua. patr.

XIII. Quo eodem tempore in ceteras pariter Cappadociæ eccleſias graſſante per milites Iuliano, vt eas ſibi adiungeret, quæ nobiliſſime nuper Nazianzi erecta fuerat ab illius ciuitatis Epiſcopo, Gregorio nomine, quantumlibet ſenio confecto, ab immiſſis militibus fortiter liberata eſt; vt rem geſtam fuſius deſcribit eiuſdem Gregorii filius Gregorius [d] cognomento Theologus, vulgo Nazianzenus nuncupatus. Qui & aliam ſubnecens hiſtoriam de electione Archiepiſcopi Cæſarienſis, tunc facta cum in ea ciuitate Iulianus eſſet, ait cum de ea inter ſe contenderent Cæſarienſes, tandemque plebs tota vno conſenſu Euſebium quemdam nobilitate & probitate clarum, ſed adhuc catechumenum, inuitum licet in ſede collocaſſet, & Epiſcopos qui ad electionem conuenerant, coegiſſet illum baptizare, & Antiſtitem pronunciare; his iiſdem Epiſcopis paulo poſt eam inſtitutionem vt minus legitimam abrogare cupientibus, in eaque re tum à Iuliano ipſo, tum à Præfecto prouinciæ infenſis Euſebio, adiutis; ſolum Gregorium ſeniorem ſe illis omnib. opponẽtem, & Præfecto magna cõſtantia obnitentẽ, Imperatoris repreſſiſſe impetum, & ciuitatem periculo, Epiſcopos infamia liberaſſe.

DE BASILII ET GREG. NAZ. VITÆ INSTITVTO. e De his vide ipſum Baſil. ep. 79. ad Euſeb. & in qua vitæ ſuæ vſque ad hoc tempus veluti epitomen [illegible]. f Vid. Greg. Naz. ep. 11. ad Baſil. & carm. de vit. ſua. g Baſil. ep. [illegible]. h Gre. Naz. ora. in laud. [illegible]

XIV. Quod vero ad hanc rem pertinet: accidit poſt hæc vt monachi, quibus in illis partibus præerat S. Baſilius (qui iam antea preſbyter factus ab Hermogene Epiſcopo Cæſarienſi iſtius Euſebii prædeceſſore, vitæ quoque monaſticæ arripuerat [e] inſtitutum) tam æmulatione quadam in eumdem nuper electum Euſebium, qui cum Baſilio ſimultatem aliquam exercebat, quam quod eumdem ſuũ ipſorum principem Baſilium prouehere ſtuderent; ſeſe ab Euſebii communicatione diuellerent, partemque populi facili negotio ab eo diſtraherent, cum ob magnam Baſilii apud omnes venerationem, tum ob tumultum in Euſebii electione coortum, qui eam ciuitati iam ſuſpectam reddebat. Verum Baſilius corpus Eccleſiæ lacerare fugiens, ſimulque conſultore eodem Gregorio Iuniore cognomento Theologo, fido & amantiſſimo ſodali (qui & ipſe [f] eodem ferme tempore à patre Gregorio inuitus preſbyter ordinatus fuerat) vna cum illo in Ponticas ſeceſſit ſolitudines: vnde à ſuis Cæſarienſibus litteris reuocatus, apologeticam dedit de ſua ſeceſſione epiſtolam [g]. Quæ quidem cum nonniſi poſt creationem Euſebii accidiſſe, ex ipſo Gregorio [h] conſtet; erroris arguitur Gre-

tur Gre-

Digitized by Google

tur Gregorius presbyter in Vita eiuſdem Gregorii, dum id ait contigiſſe ſub Conſtantio. Sicut & iam alibi corrigendum monuimus Ruffinum [i], vbi dixit Baſilium è cathedra publice profitentem, per ipſum Gregorium perductum fuiſſe in ſolitudinem. Namque Gregorium peruenisſe ad Ponti eremum, ab ipſo Baſilio ibi iam commorante ſæpius vocatum, ex ipſiuſmet litteris [k] redditur maniſeſtum.

i Ruf. lib. 2. c. 9.
k Gre. Naz. ep. 4.

XV. IIDEM PROFICISCVNTVR IN EREMVM.

Sed vt ſucceſſionis vtriuſque certior ratio habeatur, quantum ex epiſtolis vltro citroque datis colligere licet: illud inprimis reperimus, Gregorium primo ſeceſſiſſe in rus paternum nomine Arianzum, locum ſui natalitii, in ea Cappadociæ regione ſitum quæ Tiberina [l] dicebatur: eodemq; tempore Baſilium ob tumultus occaſione Euſebii motos Cæſarea recedentem, Neocæſaream primariam Ponti ciuitatem, vbi à cunabulis aſſueuerat, quaſi ad portum confugiſſe, inde in proximam migraturum eremum cui nomen Matazæ [m], ad ripam iucũdiſſimi fertiliſſimique fluminis Iridis. Cumque ipſe eo inuitaret Gregorium, hicq; è contrario cum in Tiberinam regionem allicere conaretur: tandem aliquibus hinc inde pro vtriuſque loci præſtãtia datis litteris [n], dulcedine magna & falſis feſtiuiſq; iocis periculo lepore conditis: cum nihil penes Gregoriũ antiquius eſſet quam ipſum Baſilium conuenire, incũctanter id præſtitiſſe. Qui quidem adeo modico temporis interuallo poſt Baſilium eãdem Ponti ſolitudinem petiit, vt vna cum illo eõ ſe profectum eſſe teſtetur in oratione quam poſtea in laudem eius habuit.

l Niceta in Greg. Naz. orat. in epitag. grand.
m Baſil. ep. 9. & ...
n ep. Greg. ep. 6. 7. &c.

XVI. SEORSVM IN EREMO AGVNT.
o Greg. ep. 12.

Quamuis porro in eadem ambo degerent eremo ſeparata tamen ab inuicem tuguria habitaſſe, inſtar monachorum Ægyptiorum quos nominabant Anachoretas; certum deducitur argumentum ex breui illa epiſtola [o] eiuſdem Gregorii ad Amphilochium in eadem eremo commorantem. Ex qua detegitur pariter arreptum ab illis auſterum vitæ propoſitum; quippe qui adeo ſterilem delegiſſent locum, vbi nec oluſculorum ſuppeteret abundantia. Aderat tamen ipſius Baſilii mater *Emmelia* ſanctiſſima femina; quæ olim cum viro ſuo, item Baſilio nominato, tempore perſecutionis Maximi pro fidei confeſſione facta exotris, ad hæc vſque tempora ſuperſtes, nihil verita ſexum aut ætatem, filium Baſilium in eremum ſecuta eſt: ſed quod monaſticæ vitæ inſtituta non paterentur, vna cum filio ipſam degere; in villa trans fluminis ripam ſita habitare delegit [p]: indeque iiſdem Baſilio & Gregorio ſame enectis [q] annonam ſuppeditabat.

p Baſil. ep. ...
q Greg. ep. 8.

XVII. ADMIRANDA MONACHORVM PONTI VITA.
r Baſ. ep. 79.

Quale vero ſoleret eſſe diuerſorum monachorum illic agentium, admirandum illud quod Baſilius [r] prædicat vitæ inſtitutum, ex his quæ Gregorius in vnum collegit, vniuſque eſt complexus epiſtolæ ad Hellenium breuitate, intelligi poteſt: in qua admirandas videas quorundam auſteritates & abſtinentias: quas & ruſum commemorat in epiſtola ad Iulianum Tributorum Exæquatorem, & tractatu de Calamitatibus animæ ſuæ. Sed & Baſilius in ſecũda allocutione ad monachũ lapſum, enumerat ferme omnes vitæ monaſticæ aſperitates, quibus ipſe atq; Gregorius, ſicut & alii, aſſeuerant. Ceterum idem Baſilius in eadem eremo diuino afflatus Spiritu, *Regulas* illas vere aureas (quæ adhuc extant) monaſticum inſtitutum arripientibus pie ſancteq; præſcripſit; ex quibus ceteri qui poſtea vixere ſanctiſſimi Patres monachorum Inſtitutores diſciplinam hauſerunt. Quod autem Ruffinus [s] agens de amborum in eremo conſuetudine partitiſque inter eos officiis, tradit Baſilium Põti vrbes & rura circumire ſolitum, deſideſque gentis illius animos ad rerum cœleſtium contemplationem accendere, & monaſticæ vitæ cultum excitare; Gregorium vero meditationi magis deditum, animam ſuam exercitiis indeſinentibus excolere: quam vere hæc & alia eiuſmodi dicat, ipſe videris. Nam in ipſorum epiſtolis, vno eodemque ſpiritu parique ſtudio, iiſdem ambos occupatos exercitiis perſpicere licere.

BASIL. SCRIBIT REGVLAS MONAST.
s Ruff. lib. 2. cap. 9.

XVIII. BASIL. IN EREMO EXAGITA-TVR PRO-CELLIS CALVMNIARVM.

Ruſum autem dum in eadem Pontica ſolitudine Baſilius verſaretur, licet (vt dictum eſt) è fluctibus maris videri poſſet ad tutum portũ nactus eſſe confugium: haud tamen deſiiit exagitari procellis, nec quidem leuibus. Cum enim eo tempore deceſſiſſet Muſonius inſignis pietate Neocæſarienſis Epiſcopus, & vniuerſæ ciuitatis eſſent in deligendo ei ſucceſſore Baſilio propẽſiora ſtudia; accidit vt qui ſe in eam Eccleſiam intrudere conabantur hæretici Sabelliani, eundem Baſilium ambitionis, rerum nouarum cupidinis, fideiq; deſertionis accuſarent: contra vero ſe Magni illius Gregorii Thaumaturgi primi Neocæſarienſis Eccleſiæ Antiſtitis, doctrinæ ſectatores iactarent. Quaarte Neocæſarienſes, primogenitoris ſui Gregorii ſtudioſiſſimi, hæreſi Sabelliana infeliciter potati, in eam pariter corruerunt erroris foueam vt Baſilium quem ſibi expetiiſſent dari Epiſcopũ, acerbiſſimo odio fuerint inſectati. Quod cum Baſilius perſenſiſſet, magno de pereunte populo dolore confectus, apud quem ſub Macrina ſanctiſſima femina auia ſua, prima fidei rudimenta percepiſſet, ad eoſdem Neocæſarienſes apologeticam ſcripſit epiſtolam [t], qua ſe ab illatis calumniis penitus expurgauit, fraudeſque Sabellianorum detexit: atque inſuper de inſtitutione Monaſtica, deque Vigiliis, & ritu Canendi pſalmos (quarum rerum cauſa grauem ab hæreticis patiebatur calumniam, quaſi earum ipſe recẽs extitiſſet inuentor) pleniſſimam attulit rationem, dum id genus vitæ & diſciplinæ docet iam ante in vniuerſa Catholica Eccleſia fuiſſe latiſſime propagatum. Ad calumniam vero de Epiſcopatu Neocæſarienſi ab eodem expetito ſequenti ad eoſdem data reſpõdet epiſtola: qua pariter illos hortatur, vt relicta Sabellianorum impietate, Gregorii Thaumaturgi aliorumque ſubſequentium Epiſcoporum doctrinę ac traditioni adhærerẽt. Ceterum quanto tempore in eadem ſolitudine perſeuerare tum ipſi tum etiam Gregorio licuerit, dicetur ſuo loco: nunc ad Iulianum redeamus in Chriſtianos debacchantem. Cuius in omnes furor cum non poſſit ſimul eadem narratione concludi, diſcretione prouinciarum ipſum dicẽdi ordinem diſtinguemus: multa tamen prætermiſſuri, quæ vel apud auctores citandos videri, vel ex rebus recenſendis poterũt facillime intelligi.

t Baſ. ep. 63.

XIX. IVLIANI PERSECVTIO IN GALATIA.
u Soz. lib. 5. c. 10. Men. Græc. & Menol. 11 Cal. April.
x Soz. lib. 6. ca. 4.
y Id. ibid.

Ac primo in vicina Cappadociæ Galatia, *Baſilius* [u] Ancyræ presbyter, quod Chriſtianos ab idololatria auerteret, poſt multa tormẽta martyrium ſuſtinuit. Porro diuerſum hunc eſſe à Baſilio illo eiuſdem Ancyræ ciuitatis Epiſcopo Ariano auctoritate Sozomeni [x] demonſtrat, dum aſſerit hunc Baſilium Epiſcopum poſt obitum Iuliani ſub Iouiano Imperatore recantantem palinodiam, Nicænæ fidei ſubſcripſiſſe. Cui adnectendus *Buſiris* hæreticus Encratita, qui in eadem ciuitate Ancyra ſub Iuliano tormenta & vincula [y] mira conſtantia paſſus (omnes enim cuiuſuis ſectæ Chriſtianos Iulianus in ſe prouocauerat, adeo vt & ipſi hæretici ei obniti magnis animis ſæpe ſtuduerint) ad Imperium vſque Theodoſii vitam propagans, dãnata priori hæreſi in pace Eccleſiæ Catholicę requieuit. Et in eadem Galatia *Philoromus* [z] presbyter, idemque ſummæ abſtinentiæ monachus, Iuliani iuſſu dire à pueris verberatus eſt.

z Pallad. in Lauſia.

XX. IN PHRYGIA.
a Am. l. 22.
b Iul. ep. 21.
c Greg. orat. 1 in Iul.
d Soz. l. 5. c. 14.

Ex Galatia Peſinuntem Phrygiæ ciuitatem, memoria Matris deûm apud Ethnicos celebrem veniſſe Iulianum, ibique venerato numine, hoſtiiſque litato & votis, Ancyram rediiſſe, ſcribit Ammianus [a]. Porro eumdem Imperatorem Matris deûm ſacris à ſe reſtitutis præfeciſſe ſacerdotem Calixenem, antea Ceteris ſacerdotio inſignitam, ſumme laudatam inter Ethnicas mulieres; epiſtola [b] eiuſdem ad ipſam ea de re ſcripta teſtatur. Duos autem adoleſcentes Chriſtianos, ob eamdẽ deûm Matrẽ contumelioſe vexatam, atamque dirutam, grauiſſima ab eo ſumma cõſtantia paſſos eſſe, Gregorius [c] Nazianzenus ſcribit. Eodemque tempore in eiuſdem Phrygiæ ciuitate Meri, *Macedonius*, *Theodulus*, & *Tatianus*, ob confracta idola, poſt multa alia dira cruciamẽta craticulis impoſiti, martyrium conſummarunt hæc poſtrema verba ad præſidem elocuti, *Si cupiditate duceris carnes aſſas degustandi, verte nos in altera latera, ne in ipſo guſtu tibi ſemiaſſi videamur.* Et Cyzici [d] in Proponitide Eleuſius Epiſcopus (licet inter Semiarianos profitens) in carcerem concluſus eſt; quod Gentilium fana vaſtaſſet, ipſoſque Gentiles ad ... patrios contemnendos induxiſſet. Idemque poſtea vna cum aliis clericis vrbe

pulſus eſt: illud caute excogitante Iuliano, vt cum Antiſtites ac clerum vrbibus exegiſſet reliqui Chriſtiani conuétibus & doctoribus priuati, diuturnitate temporis in ſuæ ipſorum religionis obliuionem venirent. In Thracię quoque vrbe Hadrianopoli, *Philippus* [e] Epiſcopus, aliiq; cum eo, poſt carceres & flagella incendio cremati ſunt. Et Doroſtori in Myſia *Æmilianus* [f] parem incurrit pœnam, quod idolorum ſimulacra confregiſſet, & ſacrificia diſperſiſſet. Factum eſt enim, vt cum impudentia Iuliani in reſtituendo deorum cultū vbique ferueſceret, Spiritus Domini ad eam retundendam complures paſſim Ierobaales [g] aris deſtruendis armauerit.

IN ALIIS PROVINCIIS.
e Menol. & Martyrol. 11. Cal. Nouemb.
f Theod. l. 3. ca. 6. Hier. in Chron. Mart. & Menol.
g Iud. 6.

XXI.
IVL. VENIT ANTIOCHIAM.
h Zoſ. l. 3.

Porro Cum Antiochiam perueniſſet, primo quidem ab omnibus benigniſſime exceptum fuiſſe, ſed mox philoſophicam eius auſteritatem portentoſis quibuſdam dicteriis punctam eſſe à populo, Zoſimus [h] tradit, Imperatorem autem non facto ſe vltum, ſed tantummodo oratione faceta tam in ipſos quam vrbem compoſita, magnā in ſe cum irriſione acerbitatem continente. Verum tradit Ammianus, eum nihil aliud ea adeptum eſſe, niſi quod illos ad eadem crebrius inculcanda & alia addenda prouocarit. Vocauit autem & *Miſopogonem*, & *Antiochicam*: hoc quidem nomine Dionem Chryſoſtomum alioſq; imitatus, qui ex locis vbi dictæ eſſent, nomen appoſuerunt orationibus ſuis: Miſopogonem vero, hoc eſt Odium Barbæ; quod cum Antiocheni Chriſtiani contemptum ab ipſo diuinum numen aliter vindicare non poſſent, multis eum deridentes ſcommatibus, à vultus ſpecie ac forma corporis, & inprimis à philoſophica promiſſa & hircina barba ludibrii argumentum aucupati eſſent. Ridebatur enim (ait Ammianus [i]) *vt Cecrops, homo breuis humeros oſtentans anguſtos, & barbam præſeferens hircinam, grandiaque incedens, tamquam Oti frater & Ephialtis,* quorum proceritatem Homerus in immenſum tollit. Itidemque *Victimarius* dicebatur, & culpabatur quod ſacra licenter vehens, ſtipatus mulierculis incederet: quæ ipſe dicta, coactus diſſimulare pro tempore, ita ſufflabatur interius. Sed hæc de barba, & alia quædam eidem iuniori & in Galliis militanti ab aulicis Conſtantii obiectari ſolita, idem auctor [k] ſcribit; à quibus (inquit) *Capella non homo, loquax talpa, purpurata ſimia litterio Græcus, &* alia id genus appellabatur. Quo ſimili ludo *Idolianum*, & *Piſæum*, & *Adonæum*, & *Taurcremum*, à multis vocari ſolitum, Gregorius [l] Nazianzenus tradit: videlicet à cultu idolorum, & Iouis Piſæi qui colebatur in Elidis; atque ab Adonidis feſtis, quæ ipſe cum mulierculis Antiochiæ celebrabat; denique ab immolatione taurorum: in qua quidem tam creber fuit, vt illum aſſerat Socrates [m] iuſſiſſe aram & taurum in quodam numiſmate incidi; alioque rurſum numiſmate taurum inſculpſiſſe; qui mundum cornibus expugnaret.

MISOPOGON. IVLIANI.
i Am. l. 22. DICTERIA IN IVLIANVM.
k Id. l. 17. NOMINA EIDEM IMPOSITA.
l Greg. Naz. orat. 4. in Iul.
m Socr. l. 3. c. 15.

XXII.
QVERELÆ IVLIANI IN ANTIOCHENOS.

Eadem vero ſua oratione grauiter inter alia expoſtulauit aduerſus Antiochenos, quod ſub obſcuris quibuſdam dictis ipſum execrari, & Conſtantium in eius impietatis vltionem expetere declararent: itemque quod ad ſepulchra martyrum preces ad Deum frequentarent, vt ab eius eriperentur tyrannide: necnon quod clamoribus eum impeterent, cum cernerent templa adeuntem. Sed quo maxime commotum ſe teſtatus eſt, illud fuit, quod Antiochenorum (vt ait) in deos impietate, Apollo famoſiſſimum toto Orbe Daphniti cum templum in ſuburbiis ciuitatis conſtructum deſeruiſſet, & mutus prorſus redditus eſſet. Sed quod ad rem iſtam attinet; cum multi auctores qui eodem ſæculo res geſtas Iuliani ſcripſere, de illā egerint, vnus nobis pro cunctis ſufficiat S. Ioannes Chryſoſtomus, qui ſanctitate atque doctrina ceteros antecellens fidem etiam maiorem inde ſibi meruit, quod & patria Antiochenus, & licet tunc puerulus, tamen cuncta præſens inſpexit, ac luculenta poſt ea orationem in Gentiles conſcripta, teſtes complures adhuc viuentes ad redarguendum ſiqua minus vere ſcripſiſſet, prouocauit.

XXIII.
n Chryſ. ora. cont. Gent. tom. 1.

Is igitur diſertiſſime hanc hiſtoriam eadem oratione [n] tractans, agenſque primo de tranſlatione corporis S. *Babylæ* martyris & Epiſcopi Antiocheni in Daphnem lucum, facta olim per Gallum Cæſarem; ait Babylam non ſtatim è templo dæmonem eieciſſe, ſed obſtructo ore otioſum reddidiſſe, adeo vt ab illo tempore nullum oraculum, vti conſueuerat, ederet. Eius autem ſilentii cauſam primo exiſtimatam eſſe, quod iam non amplius ſacrificiorum particeps fieret: ſed cum à Iuliano antiquum victimarum cultum reſtituente, magna inſtantia de reddendo oraculo inquietaretur, violēta neceſſitate conuictum reſpondiſſe, Daphnem cadaueribus ſcatere, idq; oraculum arcere, quo audito, Imperatorē, qui hæc optime nouerat intelligi de Reliquiis S. Babylæ, confeſtim earum capſulam inde deturbari iuſſiſſe; eamdemque à Chriſtianis magno honore in ciuitatem reductā eſſe. Hæc Chryſoſtomus. Addit vero Sozomenus [o], eiuſmodi tranſlationem factam ingenti populi frequentia, atque pſalmorum cantu: cumq; Chriſtiani identidem repeterent hunc verſum [p], *Confundantur omnes qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulacris ſuis;* excandeſcentis Imperatoris mandato multos in vincula fuiſſe coniectos: Interq; alios *Theodorum* adoleſcentem; cui cum in equuleo & tormentis [q] diuinitus Angelus præſto eſſet, doloris morſus ſedans, ſudoreſque abſtergens, & frigida ardorem reſtinguens; ideoque ipſe eumdem verſum alacrius cantaret: inuicta eius conſtantia ad imperatorem delata, hunc conſilio habito, ne & ipſe ludibrio haberetur, ac Chriſtiani plus inde gloriæ colligerent, omnes liberos dimiſiſſe.

OBMVTVIT IDOLVM OB RELIQVIAS MARTYRIS.
o Soz. l. 5. ca. 18. 19.
p Pſal. 96. MAGNIFICA TRANSLATIO RELIQVIAR. S. BABYLÆ.
q Soc. lib. 3. ca. 18. Ruf. l. 1. c. 36.

XXIV.

Quod vero Iulianus infenſus in Babylę oſſa, non ea diiici aut comburi iuſſerit, ſed cum honore in ciuitatem reduci permiſerit; inde accidiſſe ait Chryſoſt. quod exterritus eſſet prodigiis, quæ præceſſerant aduerſus ipſius auunculum, Iulianum item nomine, Præfectum Orientis, & Felicem Præfectum Ærarii, ambos olim Chriſtianos, ſed in gratiam Imperatoris Apoſtatæ factos deſertores. Qui cum ſimul ambo, vna cum aliis iuſſu Imperatoris ingreſſi eſſent Dominicum Aureum (ita nominatam eccleſiam Antiochenam, à Conſtantino Magno ædificatam) ad vaſa ſacra auferenda ōmneſq; clerici aufugiſſent pręter Theodoritum preſbyterum theſauri cuſtodem: hunc idem Iulianus Præfectus, quod nollet theſaurum indicare, verberib. cæſum, aliiſq; tormentis exagitatum, demum ſecuri percuſſit; idemq; ſacrilegia ſacrilegiis addens, per contumeliam aduerſus ſacram menſam minxit, atque Euzoio eum prohibere conanti colaphum impegit, ac denique ſupra vaſa ſacra, impuris prius manib. contacta, ſedit. Felix vero magnificentiam eorum conſpicatus, *Ecce*, inquit, *quam ſumptuoſis vaſis filio Mariæ miniſtratur.* Sed haud diu ſiuit eos diuina vindicta de tantis ſcelerib. exultare. Siquidē Iulianus verendis atq; viſcerib. putrefactis, non amplius per eas partes excrementa valens egerere, ſed ea per ſceleratum os inſtrumētum blaſphemiæ, euomens miſere periit. Felix autem diruptis viſceribus, ſanguinis ex ore profluuio derepente extinctus eſt. Hæc pluribus Chryſoſtomus [r], Sozomenus [s], Theodoretus [t], & alii [u]: Idq; ipſum de vtroq; eodem Præfecto Ammianus [x] breuiſſime perſtrinxit. Sed & Elpidium Comitem rerum priuatarum, & ipſum ex Chriſtiano factum deſertorem, qui Iuliano atq; Felici comes extiterat in direptione vaſorum ſacrorum, infeliciſſime diem extremum clauſiſſe, Nicephorus [y] tradit. Quod autem ſpectat ad tempus ſuppliciorum eorūdem; cum ex ſententia Chryſoſtomi ea ſpectantis, conſtet ante tranſlationem Babylæ, & templi Daphnitici cōflagrationem contigiſſe, iiſque admonitū Iulianum Imperatorem eiuſdem martyris reliquiis peperciſſe; perperam ab Ammiano & aliis, ordine præpoſtero recenſentur.

DIVINA VINDICTA IN CONTEMPTORES CHRISTI. ZELO.
r Chryſ. orat. in Gent.
s Soz. l. 5. ca. 7.

XXV.
CONFLAGRATIO TEMPLI DAPHNITICI.

Ceterum mox vt capſula Babylæ Antiochiam delata eſt, eiuſdem martyris precibus ignem in templum Daphnes cœlitus demiſſum, teſtatur eadem oratione Chryſoſtomus; totumque templi tectum exuſſiſſe, atque ipſo idolo in cinerem redacto, à parietibus & columnis prorſus abſtinuiſſe; vt his ædificii reliquiis, tamquam vocalibus monimentis, dæmonis impoſtura, deorum imbecillitas, & veri Dei ſumma potentia poſteris manifeſtaretur: Poſt id vero incendium, cum Iulianus Imperator à dæmonis ſacerdote nec vinculis nec tormentis vllum alium eius auctorē extorquere potuiſſet, quā ignē de cœlo delaā

pſum: ne hoc verum eſſe ab aliis crederetur, Chriſtianos in eius rei crimen adduxiſſe, ac diriſſimam in eos quæſtionem exercuiſſe. Qua etiam ratione Ammianus [a], inter alias vulgo iactatas quas recenſet eius conflagrationis cauſas ſuſpicionem pariter de Chriſtianis inculcat: quiduis potius ad defenſionem idoli cum Iuliano fingens, quam veram cauſam toto Oriente & Occidente notiſſimam admittens. Cum tamen & ruſticos ipſos proxime habitantes, publice teſtatos eſſe fulmen e cœlo ſe vidiſſe ſuper templum delatum, Theodoretus affirmet. Sed & *Artemius* dux, qui tum erat Antiochiæ coram ipſo Iuliano exprobrauit (vt habent ipſius Acta [a]) non ab hominibus fuiſſe templum incenſum, ſed igne cœlitus miſſo. Hic olim ſub Conſtantino Magno aduerſus Maxentium tyrannum militans, videre cum aliis meruerat Crucis ſignum quod eidem apparuit Conſtantino: poſtea iam ſenex à Conſtantio nobiliſſimis Præfecturis honeſtatus, miſſus fuerat nouiſſime in Ægyptum cum ampliſſimo magiſtratu. Inde vero prætextu expeditionis Perſicæ à Iuliano Antiochiã accerſitus, cum eum reperiſſet de quibuſdam Antiochenis presbyteris quæſtionem habere; magna animi libertate eundem impietatis arguens, poſt vincula & tormenta varia, capite truncari iuſſus eſt: cuius illuſtre martyrium Ammianus Gentilium more obſcurare conatus, atrocium criminum mole obrutum periiſſe ait. Ea vero non alia fuiſſe niſi quod plurima deorum ſimulacra confregiſſet, teſtis eſt Theodoretus [b].

XXVI. Ex quo etiam de iis quæ ſpectant ad Apollinis Daphnitici cultum, addimus corollarium [c] de adoleſcente filio ſacerdotis eius templi: qui à muliere quadam Chriſtiana diaconiſſa fidei rudimenta edoctus, impietatem abiurauit; & clam aufugiens, denuo à patre retractus eſt, ac diriſſime caſtigatus: ſed rurſum confractis omnibus patris ſimulacris, ab eius cuſtodia diuinitus liberatus, Hieroſolymam ad Cyrillum Epiſcopum peruenit: indeq; poſt mortem Iuliani Antiochiam rediens, tandem etiam patrem ad veram traduxit religionem.

XXVII. Sed nequaquam iis quæ diximus contentus Iulianus, qui virtutem exhorruit Babylæ martyris, in cuius Reliquias ne leuiter quidem peccare auſus eſt; in martyres longe poſitos vindictam de templi conflagratione conuertere curauit. Siquidem tradit Sozomenus [d], eum certiorem factum de eccleſiis quibuſdam in honorem martyrum Mileti erectis prope Apollinis Didymei fanum, ſcripſiſſe ad Præſidem Cariæ, vt eas incenderet, & ſolo æquaret. At neq; hi martyres inultam ſuam reliquere iniuriam: quorum (vt videtur) precibus, paucos poſt menſes Iulianus ſublatus eſt. Ceterum iacturam famoſiſſimi templi Daphnitici, ac diſpendium oraculi celeberrimi omnes æque luxere Gentiles, ac potiſſimum ipſe reſtitutor deorum Iulianus Apoſtata. Quamobrem Libanius Antiochenus Sophiſta, ob mœrentium conſolationem, threnos lugubremq; næniam edidit, cuius aliquot S. Ioannes Chryſoſtomus plane ridicula fragmenta recitat, refellitque; auctorem pariter, atque ipſam Ethnicorum ſuperſtitionem lepide deridendam proponens. Sed & Iulianus furore in Chriſtianos Antiochenos percitus, vt quoquo modo impietatis eos participes faceret, fontes omnes qui in vrbe erant atq; Daphne, cunctaq; cibaria quæ in foro exponebantur, ſorde victimarum contaminauit, & aqua luſtrali aſperſit: quibus nihilominus Chriſtiani, licet dolentes, vſi ſunt. Narrat hæc pluribus Theodoretus. Porro fontes ipſos ſic ſorde ſacrificiorum inquinatos, ſubito in ſe reſiliendo fugiſſe & exiccatos eſſe, quod numquam antea contigerat, Chryſoſtom. [e] aſſerit. Etſi autem ſuperius vidimus Conſtantinopolitanos huiuſmodi laudabiliter abſtinuiſſe eſculentis; haud tamen damnandos Antiochenos, idem Theodoretus auctoritate Apoſtoli [f] confirmat.

XXVIII. Tunc quoque ibidem Antiochiæ *Euſignius* miles emeritus, qui ſub Conſtantino militauerat, annum agens ætatis centeſimum decimum, cum Iuliano ſuam apoſtaſiam exprobraret, & Conſtantini fidẽ; vt maieſtatis reus (quaſi ſcilicet iuuentutem in Imperatorem ſollicitaret) ab eodem amputari [g] capite iuſſus eſt. Eodemq; tempore [h] glorioſum martyrium ſubire duo illi inſignes milites *Iuuentinus* atque *Maximinus*, qui meruerunt egregia poſtea oratione à S. Ioanne Chryſoſtomo collaudari. Sicut & minus nomen *Porphyrius* [i], cum vt Chriſtianam religionem riſui exponeret, baptiſmo per iocum initiatus eſſet, ſerio exinde Chriſtum confeſſus, tyranni iuſſu necatus martyrium feliciter conſummauit.

XXIX. Sed nec feminæ hac laude caruerunt. Inter quas eminuit magno præconio veneranda matrona nomine *Publia*; quæ ſecum habens chorum Virginum perpetuam caſtimoniam profeſſarum, quandocumq; Iulianus illac prætergrederetur, cum eis canebat illos potiſſimum pſalmos, quibus debilitas ſimulacrorum ſcite derideretur. Illis autem conticeſcere iuſſis, ſed maiori alacritate perſeuerantibus, iratus Imperator Publiam ad ſe adductam, per ſatellitem verberari, & genas manibus cruentari iuſſit. Ceterum cum hæc narrans Theodoretus [k], affirmet eam fuiſſe Ioannis matrem; ea apud Græcos ſententia inualuit, vt fuerit parens S. Ioannis Chryſoſtomi. Quod tamen vix eſt vt ſtare poſſit: primo quod dicat idem auctor, Ioannem illum Publiæ filium numquam adigi potuiſſe, vt ſedem Epiſcopalem capeſſeret; cum tamen conſtet Chryſoſtomum fuiſſe Epiſcopum Conſtantinopolitanum. Deinde quod eamdem matronam Publiam nominet; Chryſoſtomi vero mater *Anthuſa* appellata tradatur. Denique quod dicat hanc Publiam anum fuiſſe iam ingraueſcentis ætatis; cum tamen appareat matrem Chryſoſtomi fuiſſe hoc Iuliani tempore iuniorem, ipſum vero Chryſoſtomum puerum. Quem enim vixiſſe annis quinquaginta duobus & menſibus octo tradunt omnes, obiiſſeque Honorio ſeptimum & Theodoſio ſecundum Coſſ. anno Domini quadringenteſimo ſeptimo; natum eſſe oportuit anno treceenteſimo quinquageſimoquarto, Conſtantio ſeptimum & Gallo tertium Coſſ. ſicque hoc anno fuiſſe annorum ætatis octo: quem iterum liquet à matre genitum adoleſcentula, quæ anno ſuæ ætatis vigeſimo orbata viro; magna cum laude in viduitate permanſit; vt idem ipſe teſtatur Chryſoſt. [l] Atque hæc obiter de matre Chryſoſtomi: cuius patrem tradunt dictum fuiſſe *Secundum* nomine.

XXX. **Verum præter hæc Iulianus grauibus Antiochenos affecit incommodis, ac in eo potiſſimum quod exercitum ad bellum Perſicum comparatum ibidem in hibernis continuit, eique alendo adegit** [m] ciues vili vendere annonam, quam ipſi caro ob penuriam pretio emiſſent. Sed & magnas ibidem ab eo factas clanculum cædes ciuium, necnon virginum puerorumque ſectiones ad animarum euocationem & diuinationem, nocturnaque ſacrificia nefanda referunt Gregorius [n] Nazianzenus, Chryſoſtomus [o], ac Socrates [p]. Iſte vero addit [q], quod cum per id temporis Legati Perſarum Antiochiam aduenientes, petiiſſent ab eo vt bellum palam denunciaret: ille eos remiſerit hæc ſolum locutus, *Me ipſum breui videbitis, & propterea Legatos hac de re ad vos mittere non eſt opus.* At de rebus Antiochiæ hoc anno geſtis iam ſatis.

XXXI. Vt autem & reliquas inuiſamus Syriæ prouincias; inprimis Sozomenus [r] de Gazenſibus Palæſtinis Gentiliſmo dediriſſimis tradit, cum ii nonnullos Chriſtianos miſerrime trucidaſſent, quod olim ſacra ipſorum profanaſſent. id eiuſmodi eorum factum Iulianum non ſolum laudaſſe, ſed & Gazæ Præfectum magiſtratu abdicaſſe, quod ſeditionis & cædis auctores in vincula coniecıſſet; cum Gazenſes (vt aſſerebat) iuſtam cauſam habuiſſent vlciſcendi iniurias, quas eis ſæpe ac diis Galilæi illi intuliſſent. Peculiare namque hoc feciſſe Iuliano dicitare, & ad Præfectos reſcribere, quotieſcumque accideret Chriſtianos à Gentilibus vi publica necari; docet quod ipſum Gregorius [s] Nazianzenus refert de Cæſarienſibus, cum Iulianus cædem Chriſtianorum per Gentiles factam derideret. Porro eodem quoque tempore magnum illum S. *Hilarionem* à Gazenſibus, in quorum agro degebat, ad necem quæſitum in Siciliam profugiſſe, ibique ligna in deſertis montibus collecta venditando victitaſſe, idem Sozomenus [t] tradit; variaſque addit eiuſdem ad diuerſa loca

CHRISTIANIS ADSCRIBITVR. a Ammi. l. 22.

a Metaphr. & Sur. 20. Oct.

ARTEMII MARTYRIVM.

b Theod. l. 3. c. 7.

c Id. l. 3. c. 14.

FILII SACERDOTIS CONVERSIO.

d Soz. l. 5. c. 19.

IVLIANVS CIBARIA ET AQVAS INQVINAT IDOLOLATRIA POLLVIT ANTIOCHIÆ.

e Chryſoſt. in Iuuent. & Max. ... f 1. Cor. 10.

MARTYRES ANTIOCH.

g Mena. & Martyrol. h Theod. l. 3.

i Martyrol. Rom. ... Cal. Oct.

PVBLIÆ MATRONÆ CONFESSIO.

k Theod. l. 3. c. 17.

PVBLIA CVIVS IOANNIS MATER.

IO. CHRYSOSTOMI ÆTAS.

l Chryſoſt. ad viduam iun. ...

IVL. VEXAT ANTIOCHENOS. m Socr. l. 3. c. 12. n Greg. Naz. orat. 1. in Iul. o Chryſ. ... p Socr. l. 3. c. 13. q Id. l. 3.

r Sozom. l. 5. c. 9. MARTYRES GAZENSES.

s Greg. orat. 1. in Iul.

HILARION FVGIT PERSECVTIONEM GAZENSIVM. t Sozom. l. 5.

peregrinationes, dum fugeret ibi commorari, vbi frequentiſſima eius miracula innoteſcerent.

XXXII.

Quæ licet vera ſint omnia; diuerſo tamen tempore cõtigiſſe fugam Hilarionis è Gaza, à profectione eiuſdem in Siciliam, S. Hieronymus qui eius res geſtas exactiſſime eſt proſecutus, facile monſtrat, dum hoc Iuliani tempore eum petiſſe Oaſenam Aegypti ſolitudinem, atque demũ ipſo defuncto reuerſum, profectumque in Siciliam tradit. Quod autem tanto ſtudio Gazenſes eius necem expeterent (vt ſicut ait Hieronymus) deſtructo eius monaſterio, precibus Imperatore mortem eius impetraſſent, & vt quęreretur toto orbe ſcriptum eſſet, ea potiſſimum cauſa interceſſit, quod cum aliquando Italicus quidam nomine, eiuſdem vrbis municeps Chriſtianus & aduerſus Gazenſem Duumuirum Gentilem Circenſes equos ex inolita Romanorum conſuetudine nutriens, ab Hilarione remedium petiiſſet, quod aduerſarii magicas incantationes quib. ſuos proprios incitabat equos, Italici impediebat, eluderet, Hilarion cum hęc derideret, tamen rogatus à Fratribus, ſcyphum ei fictilem quo bibere conſueuerat aqua plenum tradidit, qua cum Italicus ſuos equos rhedamq; & aurigã aſperſiſſet, idq; aduerſarius irridens diffamaſſet; tandem mira vulgi expectatione vter vinceret, aduolantibus Italici equis, aduerſarii præpeditis ingens factus eſt populi etiam Ethnici clamor. MARNAM (erat hoc idolum Gazenſium, quod dicebãt eſſe Iouem) VICTVM A CHRISTO ESSE. Vnde furentes aduerſarii, Hilarionem maleficum Chriſtianorum ad ſupplicium poſcendi cauſam captauerunt, & ceteros pariter Chriſtianos inſectandi: quo tempore fugam pleriſq; captantibus, id ipſum maiores quoq; ſuos feciſſe Sozomenus [u] tradit, quos & multum de pietate laudat; auumq; præcipue ſuum commemorat, quẽ in Scripturæ interpretatione excelluiſſe ait, humaniore quoque literatura non mediocriter inſtitutum.

CVR HILARION QVÆSITVS AD NECEM.

u Hist. l. 5. c. 14.

XXXIII.

x Theod. l. 3. c. 6.

HORRENDA GENTILIVM IN CHRISTIANOS SÆVITIA.

y Soz. l. 5. c. 9. z Greg. orat. 1. in Iul.

Sed & eo progreſſam eſſe eorumdem Gazentium atq; finitimorum Aſcalonitarum ſæuitiã, Theodoretus [x] narrat, vt presbyterorum & virginum ſacrarum vẽtres diſcinderent, & hordeo farcientes porcis deuorandos obiicerent. Idemq; ab Heliopolitanis Libano finitimis, & ab Arethuſiis in virgines ſacras cõmiſſum, Sozomenus [y] affirmat. Et Gregorius Nazianz. [z] addit, eoſdem Heliopolitanos non porcis tãtum carnes virginum expo[illegible]ſſe, ſed etiam ipſos eaſdem depaſtos eſſe, & earum ſe hepatibus crudis ingurgitaſſe. Additq; demum Theodoretus, eoſdẽ recordatos facinoris *Cyrilli* diaconi, qui regnante Conſtantino multa ſimulacra confregiſſet non modo eum interfeciſſe, verum ẽt diſſecto ventre iecur eius deguſtaſſe: huius tamen maleficii perpetratores diuinas dediſſe pœnas, dentibus, linguis, oculis amiſſis. Sebaſtæ quoq; in Palæſtina, olim Samariæ dictæ, S. Ioannis Baptiſtæ tumulum apertum eſſe, oſſa diſperſa, atq; rurſum collecta igne cremata, ſanctoſq; cineres pulueri immixtos per agros & rura diſperſos eſſe Ruffinus [a] atque Theodoretus [b] affirmant. Eademq; Eliſei Prophetæ oſſa contumelia affecta, Nicephorus [c] & alii tradunt. Verum ſiue ex ſubductis tum per Chriſtianos earumdẽ Reliquiarum partib. (vt ex eodem Ruffino conſtat) ſiue ex diuiſis antea in varias prouincias ad pium Chriſtianorum vſum ac venerationem, ſiue ex collectis cineribus, cum earum poſt hęc variis locis viguit cultus, cum ibidem Sebaſtę ipſa eorumdem SS. ſepulchra, eadem qua prius immo maiori celebritate & veneratione, ob celeberrima in iis edi ſolita miracula claruerunt; vt ex Hieronymo [d], aliiſque patet.

RELIQVIÆ IO. BAPT. DISPERSÆ.

a Ruff. l. 2. c. 28.

b Theod. l. 3. c. 6.

c Niceph. l. 10. c. 13.

d Hier. ep. 27.

XXXIV.

MARCI ARETHVSII INSIGNE CERTAMEN.

e Chryſoſt. orat. de Iuuent. & Max.

Arethuſæ pariter Epiſcopus *Marcus* ætate iam grauis, quod olim ſub Conſtantio Imperatore magnificentiſſimum eiuſdem ciuitatis deorum templum deſtruxiſſet, (Nam & pœnas exegiſſe de iis quæ à Chriſtianis in Gentilium ſuperſtitionem ſub præcedentib. Impp. patrata eſſent, cum aliis exemplis iam vidimus, teſtatur etiam Chryſoſtomus [e]) damnatus à Iuliano vt de ſuo illud reſtitueret, cum nefas id ipſe Chriſtiano homini, nedum Epiſcopo exiſtimaret, fuga ſibi conſuluit: ſed audito quod multi ꝑpter ſe in diſcrimen venirent, rediit Arethuſam, & ſua ſponte ſe ciuibus tradidit; qui omnes gregatim tam viri quã mulieres eũ per plateas trudere, ferire, trahere cœperunt, aureſque tenuibus funiculis auulſerũt; ſed & pueri qui ſcholas frequentabant, eum in ſublime elatum inſtar globi inter ſe voluentes, tum ab ſe proiicientes, tũ denuo excipientes ſtylis corpus eius vulneribus deformarũt; adhucq; ſpiritum ducentem, melle & liquamine vnctũ, impoſuerunt in ſportulam ex iunceis contextam, ſublimeque ſuſpenſum veſpis & apibus exedendum obiecerunt. Hæc quidẽ præter Sozomenum [f], refert Gregorius [g] Nazianzenus; indeque in Iuliani cum crudelitate coniunctam ingratitudinem inuehitur, quod (vt ait) Marcus iſte ex iis vnus fuiſſet, qui eumdem Iulianum tum cum genus ipſius totum periclitaretur, furtim à nece ſubduxerant: quo ſolo nomine ditiora etiam perpeti meruiſſe ait, quod tantum malum Orbi ſeruaſſet. Verum iſtud humanitatis officium erga puerulum exhibitum laude dignum videri poterat: at illud magis inficit nomen Marci, quod ipſe (vt ſæpe vidimus) à partibus Arianis ſtetiſſet. Ceterum quod omnes hiſtorici, atque ipſe Gregorius Nazianzenus, cum eius in patiendo conſtantiam deſcribunt, hominem pietate inſignem prædicent, par eſt credere illum tandem ab hæreticis ſeſe ad caſtra Orthodoxorum tranſtuliſſe, vel in ipſis tormentis hæreſim deteſtatum eſſe. Quod idem dicendum de nonnullis aliis hac eadem perſecutione paſſis, quos cum antea conſtet fuiſſe hæreticos, tamen eoſdem Eccleſia inter martyres recenſet. Non ita quidem Patrophilus Scythopolitanus in Palæſtina Epiſcopus, qui ad vltimum vſque ſpiritum hæreſis Arianæ patronus permanſit. Itaque & ipſe, licet pro pietate, in pœnam tamen impietatis pati meruit, vt eius oſſa [h] haud pridem defuncti, à Gentilibus eiuſdem ciuitatis è ſepulchro eiecta diſſipata fuerint, caput vero in ſublime elatum omni contumeliæ generi expoſitum.

f Soz. l. 5. c. 9.

g Greg. orat. 1. in Iul.

PATROPHILI OSSA EIECTA.

h Niceph. l. 10. c. 11.

XXXV.

Sed & callide Iulianus Imperator Boſtrenos Phœnices populos, Chriſtianos licet & Catholicos aduerſus ſuum ipſorum Epiſcopum Titum concitauit [i]. Cum enim literis minatus fuiſſet, tum eum, tum clericos eius in crimen vocaturum ſi aliqua ibi conflaretur ſeditio, reſcripſiſſetque Titus ſuis monitis inductum populum nihil motus concitaturum; huiuſmodi verborum occaſione Iulianus ad Boſtrenos ſcribens, eum vt populi accuſatorem inſimulauit, quaſi dixiſſet populum non ſua ſponte, ſed ipſius tantummodo hortationibus à ſeditione quieuiſſe: adeoque irritauit, vt eumdem Titum Boſtrem velut ſibi infenſum à ciuitate exturbauerint. Extat [k] hactenus Iuliani ea de re ad Boſtrenos epiſtola, miro artificio extrinſecus ſummam præſeferens optimi principis humanitatem, intrinſecus autem inuolutos continens laqueos & gladios: cuiuſmodi pleræque noſcuntur eiuſdem de Chriſtianis ſcriptæ. Ceterum cum eodem tempore idem Iulianus certior factus, præclaram Cæſareæ Philippi in eadem Phœnicia ſeruari ſtatuam Chriſti, quam mulier laborans profluuio ſanguinis morbo liberata conſecerat: eo in Chriſtum audaciæ elatus eſt, vt ſtatua illa deturbata confractaque, ſuam in locum eius repoſuerit. Sed confeſtim diuina in vindicando potentia ſeſe manifeſtante, ignis violentus de cœlo delapſus ſtatuam Iuliani circa pectus perſecuit, caputque in terram deiecit. Statuæ autem Chriſti à Gentilibus confractæ, fragmenta à Chriſtianis collecta in eccleſia repoſita ſunt. Quam rem geſtam Sozomenus [l], Artemii Acta [m] Nicephorus & alii recitant.

TITVS EPISCOPVS BOSTRENSIS.

k Ad. epiſt. Iulian.

CONTEMNITVR A IVLIANO CHRISTI STATVA.

XXXVI.

Sed à vindicta ad vindictam tranſeamus, quam hoc ipſo tempore irrogauit Deus in impium illum ac crudeliſſimum Georgium Epiſcopum Arianum, de cuius in Eccleſiam Alexandrinam graſſatione ſuo loco dictum eſt. Et quod inprimis ad tempus attinet, cum ex Ammiano [o] conſtet non antea ſublatum eſſe Georgium, quam Artemius Dux Aegypti à Iuliano capitis damnatus eſt; eſt neceſſe quidem videtur aſſerere, eius necem hoc potius anno quam ſuperiori contigiſſe. Is igitur cum etiam Gentilium Alexandrinorum (vt taceamus de Catholicis Chriſtianis) infenſiſſimum odium in ſe concitaſſet, non ſolum ob crudeliſſimas quas refert Epi-

GEORGIVS ARIANVS INTERFECTVS A GENTILIBVS.

phanius

Digitized by Google

p Epiph. hær. 76.

pharius p exactiones, quibus eos diu vexauit; ſed præcipue (vt ait Ammianus) quod per ſpecioſum Genii templum tranſiens, flexis ad ædem ipſam luminibus hæc verba protuliſſet, *Quamdiu ſepulchrum hoc ſtabit?* quaſi ſcilicet illud euertere in animo haberet: item quod (vt refert Socrates q (eorumdem arcana ſacra quibus in honorem Mithræ homines pro victimis ſacrificare conſueuerant; detecta palam ludibrio expoſuiſſet; ac deniq; (vt idem Ammianus teſtatur, necnon Iulianus ipſe Imperator in epiſtola r de eius nece ad Alexandrinos ſcripta) quod olim variis accuſationibus Conſtantium Imperatorem aduerſus eos concitaſſet, & per Præfectum Ægypti idoli templum expoliaſſet, ipſoſque ciues peſſime habuiſſet: his inquam, prætextibus ſubito poſt auditam Alexandriæ cædem Artemii à quo ſibi multum Gentiles Alexandrini timebant, plebs (inquit Ammianus) gaudet inſperato, vocibus horrendis infrendens Georgium petit, raptumque diuerſis mulctandi generibus proterens & conculcans diuaricatis pedibus; cumque eo Dracontius Monetæ Præfectus, & Diodorus quidam veluti Comes, iniectis per crura funibus, ſimul exanimati ſunt: eoque non contenta multitudo immanis dilaniata cadauera peremptorum camelis impoſita inuexit ad litus; iiſdemque ſubito igne crematis, cineres proiecit in mare. Hæc Ammianus. Addit vero Socrates, ipſum camelum geſtatione cadaueris Georgii adeo contaminatum putatum fuiſſe, vt & ſimul cum eo combuſtus à plebe fuerit. Eadem porro de nece Georgii habent Gregorius s Nazianzenus, Epiphanius t, Sozomenus u, & alii ferme omnes.

q Socr. l. 3. c. 2.

r ap. Socr. ib. c. 3.

s Greg. Naz. orat. in laud. Athan.
t Epiph. hær. 76.
u Soz. l. 5. c. 7.

XXXVII. GEORGIVS HAVD DICENDVS MARTYR.
x 1. Pet. 4.

Quod autem non defuerint Ariani Georgii ſectatores, qui eum ſic à Gentilibus cæſum vt martyrem coluerint; idem S. Epiphanius docet eum indignum eſſe nomine martyris, ea ratione quam Petrus Apoſtolus inſinuauit x, nempe quod non ob Chriſti fidem, ſed ob nefanda admiſſa ſcelera dignas pœnas perſoluerit. Quinimmo licet non criminum cauſa, qui crimínoſiſſimus erat, ſed propter Chriſti nomen necatus fuiſſet; haud tamen dignus martyris titulo videri potuit, qui extra Catholicam communionem fidemque ab hæreticorum partibus ſtaret, vbi nullum ſit reperiri martyrium.

IVLIANI SOLITA SIMVLATIO.

Ceterum Iulianus, etſi (quod de cunctis Chriſtianis contigiſſe optaſſet) ſummo gaudio Georgii necem excepiſſet; tamen qui extrinſecus agebat tamquam in ſcena philoſophum, ſe illam ægre ferre ſimulans, ad vindicandum facinus (vt loquitur Ammianus) erectus eſt; iamque expetiturus videbatur pœnas à noxiis vltimas, cum mitigatus eſt lenientibus proximis; miſſo vero edicto, acri oratione ſcelus deteſtatus eſt, minatus extrema ſi deinde tentaretur aliquid quod iuſtitia vetaret & leges. Ita Ammianus. Ipſas autem Iuliani tunc ea de re ſcriptas ad Alexandrinos litteras, recenſet Socrates y. Extanque eiuſdem duæ aliæ epiſtolæ z datæ poſt extinctum Georgium ad magiſtratus Ægypti, de eius copioſa Bibliotheca magna diligentia perquirenda, & ad ſe Antiochiam mittenda. Porro eidem Georgio mox Arianos *Lucium* Epiſcopum ſucceſſorem ſubſtituiſſe, Socrates a atque Sozomenus b referunt.

y Socr. l. 3. c. 3.
z Iulian. ep. 9. & 10.

a Socr. c. 4.
b Soz. l. 5. c. 7.

XXXVIII. ATHANAS. ALEXANDRIAM REDIT.
c Greg. Naz. orat. in laud. Athan.
d Soz. ibid. c. 6.

Poſt ſublatum autem Georgium; Magnus Athanaſius emergens è latebris perſpicuus cunctis Alexandriam venit. Nam quod ad tempus ſpectat; quamuis æquius videri poſſet eius reditum collocare anno ſuperiori, quo Iuliani edicto Epiſcopi ab exilio relaxati ſunt: quia tamen conſtans eſt aſſertio Gregorii c Nazianzeni, nonniſi poſt extinctum Georgiũ eum Alexandriam rediiſſe; hic ea de re agere, opportunius viſum eſt reprehenſo tamen prius Sozomeno d, quod hæc à Gregorio ſcripta ignorans, dicat Athanaſium mox nuntiata morte Conſtantii, noctu in Alexandrina eccleſia comparuiſſe. Ceterum ipſum lætis ac fauſtis omnium Chriſtianorum acclamationibus, necnon vnguentorum profuſionibus, luminumque per totam vrbem accenſionibus, atque etiam publicis priuatiſque conuiuiis, omnibus denique lætitiæ argumentis, aduenientem in vrbem exceptum eſſe, idem Nazianzenus teſtatur; tantaque occurſionis frequentia honeſtatum, vt vniuerſa Ægyptus vndiquaque in vnum concurriſſe videretur. In tantum; vt cum aliquo poſt tempore Philagrius Præfectus Alexandriam adueniens, à ciuib. quo erga illum amore flagrabant, ingenti omniũ concurſu exciperetur; dumq; à vulgo quiſpiam populi frequentiam miratus, à familiari qui ſibi adhærebat peteret, an tantam vnquam multitudinem vidiſſet: Minime inquit ille, ac ne ipſum quidem Imperatorem Conſtantium pari honorificentia exceptum fuiſſe opinor. Tum ille aliis ſuauiter arridens, & iam ipſi Imperatori Athanaſium præferens, *Quid ais,* inquit, *quaſi magnum aliquid & admirandum dicens? Immo Magnum quoque Athanaſium pari honore introductum fuiſſe, vix adduci poſſum vt credam.* Tanta (inquit, idem Gregorius, hanc recitans hiſtoriam) erat viri huius apud omnes veneratio! tanto ſtupore ingreſſus eius memoria hominum mentes defixas tenebat!

CELEBERRIMVS ATHANASII TRIVMPHALIS INGRESSVS.

XXXIX. ATHAN. CONVOCAT CONCIL. EPISCOP.

Athanaſius igitur Alexandriam regreſſus, tum alia multa egregia præſtitit, tum inprimis prolapſam (inquit Gregorius) fidei doctrinam erexit, leges rurſus orbi terrarum præſcripſit, aliis epiſtolas mittens, alios accerſens, nonnullos etiam vltro accedentes erudiens. Quibus quidem verbis Gregorius plane alluſiſſe videtur ad CONCILIVM; tunc temporis Alexandriæ congregatum; cum Athanaſii iuſſu, aliarum Ægypti Eccleſiarum Epiſcopi, qui ſub Conſtantio in exilium acti, Iuliani edicto proprias ſedes receperant; in vnum conuenerunt. Verum horum omnium præcipuum auctorem fuiſſe Liberium Romanum Pontificem, inferius aperietur. Ipſe enim Ariminenſe naufragium reparare ſolicitus, primum omnium iis qui decepti Arianorum fraudibus, & perterriti minis Imperatoris, in Italia lapſi fuerãt, Epiſcopis pœnitentibus ſubueniendum putans; epiſtolam e ad omnes Italiæ Epiſcopos eo argumento dedit. Sed & in Orientem reſpiciens, bene vſus occaſione, illos ipſos qui erant illic fidei cauſa exules Epiſcopos Occidentales magni nominis, Euſebium Vercellenſem & Luciferum Calaritanũ, Legatos Apoſtolicæ Sedis creauit ad reſtituendas collapſas Orientis Eccleſias.

LIBERII PP. SOLICITVDO ECCLES.
e Ext. inter Hilar. frag. lib. 1.

XL.

Itaque Lucifer, miſſis interim Alexandriam ad futuram Synodum duobus ſuis diaconis, qui eiuſdem Concilii epiſtolæ Synodali reperiuntur ſubſcripti; ipſe intento animo (inquit Ruffinus f) Antiochiam pergit: vbi diſſidentibus adhuc partibus Orthodoxorum Euſtathianorum & Meletianorum; ſed in vnum reuocari poſſe ſperantibus, ſi vtriſque gratus eligeretur Antiſtes; *Paulinum* creauit Epiſcopum, ſanctum quidem & dignum eo munere virum, ſed tamen in quem acquieſcere plebs vtraque non poſſet. Ab eo tamen ſtatim ad Concilium Alexandrinum duo item Legati diaconi miſſi ſunt, qui pariter eidem epiſtolæ Synodali ſubſcripti habentur. Hicque tunc fuit ſtatus Eccleſiæ Antiochenæ, vt in ea tres eſſent Epiſcopi; nempe Euzoius, qui Arianis præerat; Meletius, qui Orthodoxis, ſed quo cum haud omnes communicarent, quod aliquando Arianis conſenſiſſet; ac demum Paulinus, cui parebant Orthodoxi Euſtathiani perpetui veritatis defenſores. Et cum (vt ait Socrates g) omnes ferme ciuitatis eccleſias Euzoius occuparet, Paulinus vnam tantum paruam obtinuit, ex qua eum Euzoius ob tanti viri reuerentiam non eiecit: Meletius autem extra ciuitatem conuentus celebrauit.

f Ruff. lib. 1. cap. 27.
LVCIFER CALAR. CREAT ANTIOCHIÆ EPISC. PAVLINVM.

g Socr. lib. 3. c. 7.

XLI. IN CONC. ALEX. LAPSI CVM HONORE RECEPTI.

Interim autem Euſebius Vercellenſis Alexãdriam pergens (inquit Ruffinus) ibi Confeſſorũ Concilio congregato, iidem pauci numero; ſed fidei integritate & meritis multi, quo pacto poſt hæreticorum procellas tranquillitas reuocaretur Eccleſiæ, omni cura & deliberatione diſcuſſerunt. Et quidem aliis opinantibus nullũ debere vltra in ſacerdotium recipi, qui ſe vtcumque hæreticæ communionis contagione maculaſſet; vicit pars mitior, vt ſolis errorum auctoribus amputatis, in quos rigorem Eccleſiaſticæ diſciplinę valere placuit, reliquis pœnitentibus ſic aditus Eccleſiæ pateret, vt etiam in eodem honoris gradu quo antea inſigniti fuiſſent reciperentur. Quod & olim à

Patrib.

Patribus Antiocheni Concilii primi Paulo Samoſateno, à Melchiade Papa Donatiſtis, à Concilio Nicæno Nouatianis indultum, ſuis locis vidimus; etſi ſeuerior in his antea præceſſiſſet Patrum diſciplina, vt lapſi Epiſcopi nonniſi ad communionem laicam reciperentur, vt ſæpius ſuis Cyprianus inculcat epiſtolis. Quinimmo nec iſtam huius Concilii Alexandrini indulgentiam, omnibus indiſtinctè Epiſcopis collatam eſſe, ſed iis dumtaxat, qui vel ignorantia (quales fuerant qui Ariminenſis Concilii fraudulentæ fidei formulæ ſubſcripſerant) vel adhibita Arianis viſi eſſent conſenſiſſe; ſignificat Hieronymus de his diſputans aduerſus Luciferianos, & diſerte profitetur ipſe Athanaſius in epiſtola [h] ad Ruffinianum.

h Ext. in Conc. Nic. II. Act. 1.

XLII. i Socr. l. 3. c. 4.

Agens præterea Socrates [i] de eodẽ Alexandrino Concilio, noua tradit Patres ſanxiſſe decreta aduerſus Eunomium, Macedonium, & alios Semiarianos negantes diuinitatem Spiritus Sancti, necnon aduerſus tunc recens emergentem hæreſim, quæ poſtea dicta eſt *Apollinaris*, perfectam Chriſti Incarnationem diminuentem, nempe animam ab homine detrahentem. Addit inſuper, ibidem controuerſiam de ὐσίᾳ & ὑποστάσει excuſſam fuiſſe & deciſam.

De hypoſtaſib. et perſonis quæſtio.

Cum enim iam olim (vt ait) ab Oſio Cordubenſi ad ſedandum Arii tumultum miſſo; dum Sabellii dogma explodere cogitaret, de ὐσίᾳ id eſt eſſentia, ὑποστάσει id eſt ſubſtantia, ſiue ſubſiſtentia, ſeu perſona, diſceptatũ eſſet: Cumque poſtea (vt ſcribit Baſilius [k]) quidam ex Sabellianis, Hypoſtaſim & Vſiam idem eſſe dicentibus, auctoritate Concilii Nicæni abuterentur, quo ſcriptum eſſet, *Si quis ex alia vſia vel hypoſtaſi Filium Dei eſſe dixerit, anathema ſit*, quaſi ſcilicet dixiſſent Patris, vſiã & hypoſtaſim idem eſſe, (quam eorum collectionem refellit Baſilius:) Cum denique quod & Hypoſtaſis vocem ſpectat, inter Catholicos, non autem hæreticos (vt teſtatur S. Hieronymus [l]) de eius proprietate non leuis oborta eſſet controuerſia, his Arianiſmum illis, illis vero Sabellianiſmum his impingentibus: Cum inquam, huiuſmodi iam antea altercationis præceſſiſſet; eadẽ Synodus Alexandrina, auctore (vt tradit Gregorius [m] Nazianzenus) Athanaſio, conata conſopire, decreuit vt tam Latini quam Græci ſuo quique idiomate vterentur; nec curandum eſſe de ſyllabis, dummodo nulla eſſet in re diſcrepantia.

k Baſ. ep. 78.

l Hier. ep. 57. ad Damaſ.

m Greg. orat. in laud. Ath.

XLIII. Quomodo ſæ voces receptæ a Græc. et Latin.

n Aug. 5. de Trin. 8. 9.

Ceterum vix vmquam videtur placuiſſe poſteris Latinis vocem *Hypoſtaſis* vſurpari loco *Perſonæ*, quod ſcilicet ea videretur ſignificare *Subſtantiam*; Latini autem nullam agnoſcerent differentiam inter *eſſentiam & ſubſtantiam*; vt inter alios diſputat Auguſtinus [n], libro quinto de Trinitate. Græci vero differentiam illam conſtituebant, vt quam habeat rationem id quod commune eſt ad id quod proprium, hanc habeat Vſia ad Hypoſtaſim, hoc eſt Eſſentia ad Subſtantiam ſiue ſubſiſtentiam: ſicut exactè declarat Baſilius ſcribens ad Terentium, & pluribus ad fratrem ſuum Gregorium Nyſſenum. Adeo vt hac ſententia iidem Græci piè dicerent, tres Perſonas in Trinitate eſſe tres proprias Subſtantias: quod horrebant audire Latini. Vel ſi & ipſi hoc dicerent, tunc ad cuitandum Arianiſmũ, non tres perſonas tres eſſe ſubſtantias, ſed (vt idem Baſilius teſtatur) more Græcorum diceret, & voce Græca, vſiã vnam, & Hypoſtaſes tres ſiue ſubſiſtentias; nec è contrario ponerent vnam ſubſtantiam, abſque trium addito nomine perſonarum, ne eadem cum Sabellio ſentire viderentur. Sed de his iam ſatis.

XLIV. o Athan. ad Antioch.

De aliis vero rebus in eodem Alexandrino Concilio geſtis, extat Synodalis epiſtola, quæ apud Athanaſium [o] reperitur eſſe deſcripta ad Antiochenos, cum iam Paulino ordinatio facta eſſet. Sed & quod de rebus haud parui momenti actum videretur in Synodo; de iis omnibus idem Athanaſius certiorem reddidit Liberium Romanum Pontificem. Cuius quidem epiſtolæ illud tantum fragmentum ſupereſt [p], quod ſpectat ad incarnationis myſterium, & perfectam Filii Deitatem. Eiuſdemq; ſcripti cum ille ſit titulus, *Athanaſii reſcriptum ad Liberium Epiſcopum Romanum*; plane declarari videtur, ipſum antea Liberium de Alexandrina Synodo cogẽda ad Athanaſium dediſſe litteras: eſtque forte earum illud fragmentum [q], quo idem Pontifex præmiſſa fidei ſuæ confeſſione; eamdem ab Athanaſio exigit; quod ſcilicet nulla inter eos à longo tempore ob perſecutionem Conſtantii cõmunicatio fuiſſet. Certe hæc omnia auctoritate Romani Pontificis in Oriente ab Euſebio & Lucifero geſta eſſe, quis poterit dubitare, ſi conſiderauit quæ ipſi & Occidentis, nec tantarum ciuitatum Epiſcopi, in primariis totius Orientis ciuitatibus peregerint? Athanaſium autem ac collegas Epiſcopos ad eumdem Liberium ſcripſiſſe de cunctis rebus in Synodo geſtis, idem ipſe Athanaſius diſertis verbis teſtatur in prædicta epiſtola quam poſtea ſcripſit ad Ruffinianum: qua pariter declarat, quæcumque in eadem Synodo acta ſunt, fuiſſe confirmata ab ipſa Romana Eccleſia.

p Ext. ap. Athan.

q ap. Athan.

Liberius PP. auctor creditus Synodi Alex.

XLV. r Socr. lib. 3. cap. 7. Euſebii Vercel. et Lucif. Calar. diſſenſiones.

Porro cum ibidem decretæ eſſent legationes ad reſtituendas Eccleſias, lapſoſque recipiendos; Euſebium Vercellenſem ex munere ſuſcepto Antiochiam contendiſſe, ſcribit Socrates [r]: ibique cum populum in duas factiones partitum offendiſſet, quod non omnes Paulini electioni à Lucifero factæ acquieuiſſent; ipſum quidem eam tacite damnaſſe, Luciferum vero iniquo id animo paſſum, recuſaſſe cum eo communicare; ſtudioque contentionis inductum, Concilii decreta reiicere cogitaſſe; ſed legatorum ſuorum ſubſcriptione dubium, ſe interim in Sardiniam ad propriam ſedem recepiſſe: Harum vero diſſenſionum cauſa multis iterum ad deficiendum ab Eccleſia impulſis, factam eſſe nouam ſectam Luciferianorum. Hæc Socrates: eademque Ruffinus [s] atque Sozomenus [t] de Luciferi & Euſebii diſſenſione. Verum cum Paulini electionem, in Synodo Alexandrina cui Euſebius interfuit, approbatam eſſe conſtet; nec ſit veriſimile, eam poſtea Euſebium improbare voluiſſe: probabilius videtur, Luciferi cum eo ſimultatem non aliunde ſumpſiſſe exordium, niſi quod Lucifer auſterioris vir ſpiritus indigno animo ferret ex Synodi decreto Epiſcopos lapſos ſuis ſedibus reſtitui; ideoque in Euſebium, quem aduenientem Antiochiam iturum in Cappadociam, primum eſt nactus veluti in eius decreti auctorem ſimul & executorem inuectum eſſe.

s Ruff. lib. 1. cap. 30.
t Soz. lib. 5. cap. 12.

XLVI. Schiſma Luciferi.

Ex iis vero quæ de eodẽ Lucifero ſcripſit poſtea Marcellinus presbyter, & ipſe ſecta Luciferianus, plane intelligitur eum ex Oriente recedentem veniſſe Romam & communionem eorum qui aliquando coniuncti fuiſſent Arianis fugiſſe. At inſuper Seuerus [u], illum non ſolum eos qui Ariminis fuerant condemnaſſe, ſed etiam ab eorum ſe communione ſeparaſſe qui illos ſub pœnitentia recepiſſent. Addit denique Theodoretus [x], præter ſchiſma conflatum, cum nouam quamdam excogitaſſe doctrinam, quam ſectati ſint eius ſucceſſores. At nihil eum ad doctrinam Catholicam addidiſſe. S. Ambroſius [y] teſtatur Et S. Hieronymus [z] multum abeſt vt ei falſam doctrinam impingat, vt potius eum aliqua ex parte excuſare nitatur: affirmetq; ipſum eos recepiſſe qui ab Arianis baptiſma conſecuti eſſent. In quam etiam ſententiam, tam de Lucifero, quam de Luciferianis ab eo ita dictis aſſeritur à S. Auguſtino [a], quod baptiſmum hæreticorum minime iterarint. Vt ita plane conſtet, illos ſchiſmatis tantummodo labe pollutos fuiſſe. Indeque etiam accidiſſe putauit idem Auguſtinus [b], vt neque ab Epiphanio horum temporum ſcriptore, neque Philaſtrio huic proximo, qui catalogum contexuerunt hæreticorum, Luciferiani inter eos numerati ſint. Teſtatur tamen, de iiſdem apud incertum auctorem legiſſe, quod dixerint animam ex traduce generari, eamque ex carne, & carnis eſſe ſubſtantiam.

u Sen. l. 2.
x Theod. l. 3. c. 5.
y Amb. orat. in fun. fratr.
z Hier. cont. Lucif.
a Auguſt. de agon. Chriſt. c. 30.
b Id. de hær. c. 81.

XLVII. c Hier. adu. Lucif. Procacia ſchiſmaticor. Luciferian.

Ceterum adeo pertinaci animo ſententiæ de non recipiendis cum dignitate lapſis Epiſcopis inſiſtebant, vt (quod teſtatur S. Hieronymus [c]) inter eos *Helladius* quidam eo blaſphemiæ proruperit, vt cum videret tot lapſos Epiſcopos reſtitutos, diceret mũdum eſſe diaboli, & Eccleſiam in lupanar eſſe conuerſam. Sed cunctis procacior habitus eſt Hilarius diaconus Eccleſiæ Romanæ; qui olim cum Lucifero ad Cõſtantium Imperatorem à Liberio Romano Pontifice miſſus, verbera paſſus & vincula, eadem qua Lucifer ſententia in exilium pulſus fuerat.

Is enim

Is enim gloria confeſſionis elatus, ſpernens eos qui ceciderant, non ſolum vna cum Lucifero ſchiſmate ſe ab Eccleſia ſeparauit; ſed & hæreſim addens, dixit ſcripſitque, nullatenus baptiſmum hæreticorum recipiendum eſſe: quem ob rebaptizationem Hieronymus *Deucalionem Orbis* appellauit. Verum cum iſte neque ex ſchiſmaticis ipſis aliquem habere potuerit ſectatorem, vna cum nomine interiit pariter & ſecta. Inepti vero Centuriatores nominũ occaſione lapſi, hunc ipſum errorẽ S. Hilario Epiſcopo Pictauienſi egregio confeſſori imperitiſſime impegerunt.

ILARII IAC. HÆRESIS.

LVIII.

Porro Lucifer, qui hoc Iuliani [d] Imperatoris tempore in Sardiniam rediit, ſub Valentiniano [e] mortuus eſt in ſchiſmate [f]: quem temere nimis atque mendaciter Ioannes quidam Arca natione Sardus in libro de Sanctis Sardiniæ, inter ſanctos collocauit. Certe quidem tanti viri, tot pro fide Catholica legationibus, confeſſionibus, certaminibus, martyriis, ſcriptis inſigniter nobilitati, caſus Fidelibus magnum intulit luctum & timorem. Poſt cuius obitum, ipſius ſectatores, quorum exiguus fuit numerus, ſe in Hiſpaniam receperunt: ibique vt ſolos ſanctos & puros, à reliquis omnibus Orthodoxis diuiſos conſediſſe, idem S. Hieronymus [g] docet. Vnde licet aliquando turbas in Eccleſia concitauerint; tamen quod poſt Theodoſium Auguſtum de iis nulla reperiatur facta mentio, eos hoc ipſo quo oborti ſunt ſæculo extinctos eſſe putamus.

d Id. de ſcript. Eccl. Lucif. e Id in Chron. f Ruff. l. 1. c. 30. g Hier. adu. Lucif.

LVCIFERIANI SCHISMATICI.

XLIX.

De Euſebio vero Vercellenſi, quid ſuſcepta legatione pro reconciliatione Lapſorum egerit, nihil præterea reperimus; niſi quod Ruffinus [h] & Socrates [i] aiunt, cum Orientis prouincias circumeuntem, medicique pariter ac ſacerdotis fungentem officio, ſingulas quaſque Eccleſias ad ſanitatem rectæ fidei reſtituiſſe, doctrinaque Eccleſiaſtica inſtruxiſſe, atque erudiſſe. Quanta vero fuerit in reditu ab Italis alacritate ſuſceptus, quamque Lapſis extiterit proficuus, teſtis eſt S. Hieronymus [k], dum inter alia ſcribit ad eiuſdem reditum lugubres veſtes Italiam mutaſſe; quod ſcilicet eius opera lapſi ac decepti Epiſcopi recepti fuerint. Verum & iam ante hac Hilarium Pictauienſem Epiſcopum, poſt reditum ſuum ab exilio viam aperuiſſe ad reſtitutionem lapſorum, frequentibus ea de re coactis in Gallia Epiſcoporum Conciliis, præter Fortunatum [l], teſtatur Seuerus [m]: extatque hactenus [n] vnius ex his apud Pariſios celebrati epiſtola ad Orientales Epiſcopos, cum illi litteris ſuis ad Hilarium ſcriptis, conati fuiſſent Gallicanos Epiſcopos reddere ſuæ ipſorum perfidiæ profeſſores. Addit autem Seuerus, Saturninum peſſimum illum Arelatenſem Epiſcopum, necnon Paternum Petracoricenſem, quod in perfidia obſtinati permanerent, ſacerdotio pulſos fuiſſe. Ex quibus plane commendatur ſincera fides atque conſtantia Eccleſiæ Gallicanæ, cum in tanto numero Epiſcoporum vnus dumtaxat & alter ſit repertus qui inhæſerit Arianis. Eſtque hæc gloria S. Hilarii, qui ſcriptis ſuis eoſdem Galliarum Epiſcopos in hæreticos commouerit, & iugiter aduerſus eos in officio continuerit, & in antiqua fide. De cuius pariter atque Euſebii Vercellenſis egregia in Lapſis reuocandis reſtituendiſque nauata opera Ruffinus agens, ait duos illos viros velut magnifica quædam mundi lumina, Illyricum, Italiam, Galliaſque ſuo ſplendore radiaſſe, vt omnes etiam de abditis angulis & abſtruſis hæreticorum tenebræ fugarentur. Sed de iis rurſum inferius.

h Ruff. l. 1. c. 30. i Socr. l. 3. c. 7.

EVSEBII ET HILARII GRATISSIMVS IN OCCID. REDITVS.

k Hier. adu. Lucif.

l Fortun. in vit. Hilar. m Seuer l. 2. n Hilar. frag.

SINCERA FIDES ECCL. GALLIC.

L.

Inter hæc autem qui erant Alexandriæ Ariani, indigno ferentes animo Athanaſii reditum, eiuſque opera florentem illius Eccleſiæ ſtatum; fœdus ineuntes cum Gentilibus, eos in eumdem Athanaſium concitarunt ea recenti occaſione, quod ille nobiliſſimas quaſdam matronas à Gentilium ſuperſtitione ad Chriſtianam fidem conuerſas magno dedecore Imperii Iuliani baptizaſſet: ſimulque communicato conſilio, ad Iulianum aduerſus eum litteras dedere; magoſque [o] inſuper & aruſpices miſere, qui conteſtarentur nihil proſperi ſucceſſurum niſi Athanaſius pelleretur. Quibus Imperator acceptis, confeſtim ea de re cum ad Alexandrinos, tum ad Ecdicium Ægypti Præfectum reſcripſit [p], grauiſſimas pœnas minatus niſi ante Calendas Decembris ex ea vrbe, vel potius ex vniuerſa Ægypto recederet. Veram autem odii ſui in Athanaſium cauſam (nimirum quod inimicus eſſet deorum, & multos ad fidem conuerteret) Ecdicio patefaciens, aliam in litteris ad Alexandrinos ſimulauit, videlicet, quod cum fuiſſet à Conſtantio damnatus exilio, idem poteſtate à nullo accepta, ſuopte nutu ſedem Epiſcopalem denuo occupaſſet: ſe enim à Conſtantio eiectis non regimen Eccleſiarum, ſed reditum tantummodo in patriã conceſſiſſe. Narrat hæc eadem Sozomenus [q] additque, Athanaſium cum videret multitudinem Chriſtianorum circa ſe lacrymas profundentem, dixiſſe, *Bono animo eſtote: nebula enim eſt, & breui euaneſcet.* Addunt & alii [r], cum litteris Iuliani ſecretioribus non Alexandria tantum expelli, verum etiam occidi iuſſum; poſtquã in Thebaidem traiecturus nauigium aſcendiſſet, ac qui iuſſi erant occidere, ipſum inſequentes iam prope eſſent, Athanaſium hoc cognito nauigium Alexandriam verſus conuertiſſe, ac perſequentibus obuiam de induſtria factum, iiſdem de Athanaſio ſciſcitantibus ipſummet reſpondiſſe, eum non longe abeſſe atque ita eos eluſiſſe; redeuntem autem ſecreto Alexandriam, quamdiu vixit Iulianus ibi delituiſſe. Addit denique Socrates, poſt hæc conuerſum eſſe furorem Gentilium ſimul & Arianorum ac Iudæorum in reliquos Catholicos Præſideſque prouinciarum ratos ſibi tempus opportunum oblatum quo quæſtum facerent, vbique Catholicos dire vexaſſe, pecunias exegiſſe, & corporibus ſupplicia inflixiſſe: Iulianum vero Chriſtianorum ea de re expoſtulationes audientem reſpondere ſolitum (cuiuſmodi ſæpe dicteriis Religionem Chriſtianam irridebat) ipſorum eſſe ex præcepto Chriſti æquo animo iniurias tolerare. Extant porro & Acta [s] Apollonii ſanctiſſimi monachi; ex quibus æque conſtat, Ægyptum vexatam fuiſſe perſecutione Iuliani: vbi & ingentia recenſentur ab eodem Apollonio edita hoc potiſſimum tempore miracula, indeque ſecutæ plurimorum Gentilium conuerſiones.

IVLIANI IVBENT GENTILES ATHAN.

o Ruff. l. 1. c. ...

p Athan. ep. 7.

q Soz. l. 5. c. 14.

ATHAN. RECEDIT ALEXANDRIA.

r Ruff. l. 1. c. 34. Theod. l. 3. c. 8. Socr. l. 3. c. 13.

PERSEC. IN ECCL. ALEX.

s ap. Euagr. in Vit. Patr. ca. 7.

LI.

Iam vero enarratis præcipuis rebus à Iuliano Imperatore in Oriente aduerſus Chriſtianos geſtis, ratio temporis exigit, vt quod in Occidente pariter actum eſt, ex parte ſaltem recenſeamus. Res quidem hic, ſicuti in Oriente, lento gradu agi cœpta. Quod enim (vt dictum eſt) nollet Iulianus à Chriſtianis palam perſecutor haberi, tum inuidia martyrii; tum metu ingentis eorum numeri; more ſuo alias prætexendo cauſas, aggreſſus eſt dolo in eos agere. Quapropter in eorum bona primum inſurgente Fiſco; qui in aula Chriſtianorum Imperatorum militaſſent, cauſa illa communi obtenta quod ex templorum diuitiis expilatis fortunas auxiſſent; aut ſi adeo hæc cauſa deeſſet, illa in promptu adeſſet (quam etiam publicis ſuis reſcriptis [t] inſerere haud Iulianus erubuit) nimirum Chriſtianos ex Euangelii præſcripto, quo facilius in regnum cœlorum veniant, nequaquam affluere diuitiis, ſed contra omnia erogare debere: huiuſmodi inquam, coloribus rapax fiſcus Romæ auidas iniecit manus in *Gallicani* viri Conſularis, olim generi Conſtantini Magni, opulentiſſimum patrimonium: quod tamen Chriſtus, in cuius pauperes diuitiæ Gallicani erogari conſueuerant, tutatus eſt pauendis plane prodigiis, dum omnes quicumque prædiis vel domibus fiſcales titulos affigere tentarent, continuo à dæmone arrepti vel lepra percuſſi recedere coacti ſunt. Cum vero nequam ſpiritus expetentes de Gallicano vindictam, ab obſeſſis corporibus ſe minime egredi poſſe iactarent, niſi idem Gallicanus ſacra diis ageret; id ipſe perpetrare magna conſtantia renuens, Iuliani reſcripto ex Italiæ finibus abire iuſſus, Alexandriam venit; vbi à Rauciano Comite truncatus capite martyrium conſummauit. Quo eodem tempore, eodemque ſupplicio, Romæ *Hilarius* Gallicani pernecceſſarius, & *Donatus* Epiſcopus Aretinus, eamdem martyrii coronam conſecuti ſunt: vt fuſius hæc omnia deſcribunt eorumdem Acta.

IVLIANI PERSEC. IN ROM. ECC.

t Iul. ep. 43. ad Eceb. & alibi.

GALLICANI MARTYRIVM.

LII.

Ioannes item & *Paulus* fratres, in aula Conſtantini inter primos olim educati & honoribus aucti, negantes ſe velle deinceps inter Iuliani familiares adnumerari, ac diis ſacrificare recuſantes; à Terentiano Prætorianorum Præfecto necati ſunt. Qui cum eos ſecreto ſepeliſſet; ru-

IOANNIS ET PAVLI MARTYRIVM.

more ſparſo in exilium eſſe miſſos, ſed dæmones martyrum gloria atque virtute cruciati ſcelus aperuiſſent; factum eſt mira Dei prouidentia, vt cum ad eorum ſepulchrum tum multi alii, tum eiuſdem Terentiani filius à dæmone obſeſſus liberationem accepiſſet; idem ipſe Terentianus relicta Gentilium ſuperſtitione baptizari voluerit, ipſumque certamen martyrum, cuius auctor extiterat, ſcriptis [u] mandauerit. Paſſi pariter reperiuntur ſub Iuliano, nonnulli alii omnis conditionis & ſexus homines in eadem Vrbe Roma; quorum nomina, ſimul & paſſiones, atque ac ſuperiorum, adſcriptæ reperiuntur tabulis Eccleſiaſticis. Porro præſtitit Deus etiam in iſtorum certaminibus, vt per Magiſtratum illum Vicariam præfecturam gerentem, per quem ſic in eos ſæuierat, nempe *Gordianum*, Iuliani impietas argueretur; dum quem ad necem Fidelium ille delegerat, Chriſti nominis egregium confeſſorem ac martyrem factum Eccleſia lucrata eſt: quod tabulæ Eccleſiaſticæ & fuſius ipſius Acta declarant: in eo tamen deprauata, quod quæ ſub Iuliano, aut forte eius reſcriptis geſta ſunt, eadem coram ipſo facta eſſe dicuntur, atq; Romæ; cum tamen Iulianus toto Imperii ſui tempore verſatus ſit in Oriente. Cuiuſmodi errores in pleriſq; item aliis huius temporis martyrum Actis, nec ſolum Occidentis, ſed & Orientis, reprehendere liceat.

u Extat ap. Sur. to. 3 ſed in multis deprauata.

GORDIANI IVDICIS PERSECVTORIS MARTYRIVM.

LIII. Ceterum quod in Oriente frequenter, ac Romæ aduerſus Chriſtianos actum nouimus; id etiam in aliis Occidentis prouinciis factitatum non ambigimus: ſed quod (vt ſæpe dictum eſt) abſque titulo Chriſtianitatis, ſed aliis confictis criminibus, eiuſmodi de illis iudicia exercerentur; inde (puto) obſcuræ remanſerunt res geſtæ plurimorum martyrum. In Galliis namq; paſſos reperimus [x] quatuor germanos, *Eliphium* Tullenſem virum, eiuſque fratrē *Eucharium* Epiſcopum, & ſorores *Libariam* atque *Suſannam*. At perperam, mea ſententia, dicuntur paſſi dum Iulianus adhuc in Galliis eſſet: nam eo tempore ipſum ſe Chriſtianum, ficte ſaltem exhibuiſſe, ſuperius eſt demonſtratum. Sed & egregium pro fidei confeſſione in variis acerbis tolerandis tormentis, ſpecimen Chriſtianæ conſtantiæ edidiſſe in caſtris tunc militantem ſub tribuno *Victricium* qui poſtea creatus Epiſcopus Rhotomagenſis diutiſſime vixit; fuſe narrat Paulinus [y] Nolanus, memineruntque tabulæ Eccleſiaſticæ. Dire autem exagitatas eſſe illas prouincias ſub Præfectura Salluſtii Iuliano omnium cariſſimi, ac proinde hoſtis Chriſtianorum acerbiſſimi, illud etiam admonet, quod aduerſus eumdem, ſiue Dioſcorum vicem eius gerentem, S. Hilarium Pictauienſem ſcripſiſſe commentarium, auctor eſt S. Hieronymus [z].

x ap. Sur. 16. Oct.

MARTYRES ET CONFESS. IN GALLIIS.

y Paulin. ep. 26.

z Hier. de Scr. Eccl. in Hilar.

LIV. At vero in Africa Donatiſtæ, qui pene videbantur extincti, vtpote quorum duces Imperatorum Chriſtianorum reſcriptis exilio condemnati fuiſſent, adueniente Iuliano, quem ſcirent deteſtari prædeceſſorum Principum acta, ad ipſum legationem miſerunt, qua ab exilio liberari peterent, ablataſque ſibi baſilicas reddi: ad id precibus tantæ adulationis vtentes (quod eis ſæpe exprobrauit Auguſtinus [a]) vt etiam dicerent apud ſolum Iulianum iuſtitiam habere locum. Eorum vero petitionib. annuiſſe per omnia Iulianum, teſtis eſt Optatus [b]: idque (vt ait) quod probe intelligeret, Donatiſtas ad diſturbandam Eccleſiæ pacem cum furore eſſe venturos. Quale autem fuerit eiuſmodi pro eis datum à Iuliano reſcriptum, inde penſare licet, quod illud Honorius Imperator poſt ſexaginta ferme annos, vna cum Proconſularibus Geſtis ea tunc in cauſa conſcriptis, publicis celeberrimis locis affigi iuſſit [c], quo Donatiſtarum temeritas atque procacitas omnibus eſſet oſtentui. Porro ex ſententia plane Iuliano res accidit: ſiquidem eius reſcripto relaxati Donatiſtarum Epiſcopi, factioſiſſimi duces ſchiſmatis, maximo inuecti impetu in Catholicos, graſſatorum inſtar atque prædonum, immanes ſacerdotum aliorumque clericorum, necnon & reliqui populi, feminarum etiam atque infantium, necdum natorum cædes commiſerunt; adhibitaque potentia magiſtratuum, Epiſcopos de ſedibus expulerunt, baſilicas ſacris vaſis & ornamentis ſpoliauerunt, calices conflarūt, altaria fregerunt, virginib. ſacris ſtuprum intulerunt, plebem ad ſeditionem commouerunt, cœmeteria Catholicorum ſibi ſolis vendicauerunt; aliaque id genus plurima perpetrarunt, quæ fuſe Optatus [d] aduerſus eos ſcribens recenſuit.

DONATISTÆ REVOCATI A IVLIANO.

a Aug. cont. lit. Petil. l. 2. c. 97. ep. 48. ad Vincent. ep. 166. ad Donat.

b Opt. l. 2. cont. Parm.

c l. 37. C. Th. de hæret.

DONATIST. FVROR IN CATHOL. ET SACRILEGIA.

d Opt. l. 2. & 6.

LV. Inter quæ illud eſt notabile, quod (vt ait) Donatiſtarum Epiſcopi iuſſeruut Euchariſtiam canibus fundi; non tamen ſine ſigno diuini iudicii, cum iidem canes accenſi rabie ipſos dominos ſuos dente vindice laniauerunt. Quemadmodum cum iidem ampullam Chriſmatis per feneſtram iactaſſent, eadem diuinitus Angelica manu ſubleuata, illæſa inter ſaxa conſedit. Iā illud quale eſt, quod in multis locis altaria & parietes raſerunt, aut lauerunt ſalſa aqua, quo rudem populum execratione imbuerent in Catholicos, quantumque eos deteſtari deberent his ſignis inſinuarent? itemque illud quam ſtultum purgationis genus, quod vt Deo ſacratas virgines ſuæ facerent cōmunicationis, immundis illas aſpergerent cineribus, crineſque ſalſa aqua perfunderēt, & mitrellis proiectis quas ab Epiſcopis Catholicis acceperant (erat [e] hoc in Africana Eccleſia tegumenti capitis genus ex lana, purpura tamen pictum potius quam tinctum, quod ſacrandis virginibus ab Epiſcopis ſoleret imponi, ſicut Romæ & aliis locis ſimplex velum nigrum) alias iiſdem imponerent? Sed hæc & alia eiuſmodi immaniſſima, pluribus Optatus. His autem Donatiſtæ Iuliani Imperatoris fulti præſidiis, qui pene videbantur extincti, adeo inualuerunt aduerſus Catholicos, vt omnes qui ſucceſſerunt Catholici Imperatores, licet aduerſus eos plurimum laborauerint, vt communioni Catholicæ reſtituerent, vel aliquo aliō modo tollerent, numq̃ tamē id efficere valuerint. Quæ vero poſt Iuliani tēpora ab eiſdem geſta ſint, ſuis locis dicturi ſumus.

MIRACVLA DE EVCHAR. ET CHRISM.

VIRGINES SACRÆ PROFANATÆ.

e Id. l. 6.

LVI. Iam vt occaſione huius reſcripti, reliquas ab eodē Imperatore aduerſus Chriſtianos promulgatas leges, ſcriptaſque epiſtolas, præter illas quæ ſuperius memoratæ ſunt, hic vltimo loco huius anni recenſeamus: inprimis Gregorius [f] Nazianzenus ſcribit, cum non conſueuiſſe tantum ignominiæ cauſa (quod dictum eſt) ſuis epiſtolis ac colloquiis nominare Chriſtianos *Galilæos*, ſed vt eodem nomine ab omnib. dicerentur, publica lege ſanxiſſe. Additque Chryſoſtomus [g] Principes etiam vt idem factitarent adhortatum eſſe: nempe adeo infenſo animo Chriſtianam religionem inſectantem, vt ne ipſum quidem nomen ſupereſſe vellet. Rurſum vero cultum Crucis, & ſacrarum Reliquiarum venerationem Chriſtianis obiectare, obidque eos deridere cum verbis tum ſcriptis conſueuiſſe, ex Cyrillo [h] patet. quem perfidum Apoſtatā noſtri temporis Nouatores egregie imitatos eſſe quis non videat? Conceſſa item ab Imperatoribus Chriſtianis, clericis & miſerabilibus perſonis dona & immunitates, atque diuerſi generis priuilegia, caſſa reddidiſſe docet Sozomenus [i]. Immo & quæ à Gentilibus Imperatoribus aliquando ex certa cauſa collata fuiſſent, abripuiſſe conſtat; dum inter alia, ter mille modios tritici perpetua largitione cōceſſos à Marco Aurelio, erogandos in pauperes Eccleſiæ Hieroſolymitanæ petitione [k] Abercii Epiſcopi, in hanc vſq; diem à ceteris perſecutoribus perſolutos, prorſus abſtulit. Sed & quo ad expeditionem belli Perſici ingens pecuniæ vis à Chriſtianis exigeretur, lege lata mulctam impoſuiſſe pecuniariam illis qui ſacrificare renuiſſent; ſcribit Socrates [l]. Et ad expilanda Eccleſiarum bona, edicta fuiſſe tum publice propoſita, tum priuatim expleta, Gregorius [m] Nazianzenus teſtatur. Conſtituiſſe quoque vt ius Reipublicæ Chriſtianis denegaretur, iidemque conciliis, foro, publicis cœtibus priuarentur, niſi prius aris antepoſitis thura adolerent; ipſiſque adeo tribunalibus expellerentur, vt nec vllas iniurias ſuas iudicio perſequi liceret (eo videlicet prætextu quod Scriptura vetaret, ne iniurias vlciſcerentur, ne litem intenderent, nequid proprium exiſtimarent) iidem Gregorius & Sozomenus [n] tradunt. Ac quamuis nullum manifeſtum promulgaſſet edictum (vt ab aliis Imperatoribus factum fuerat) quo perſecutio in Chriſtianos indiceretur; tamen ſancita olim aduerſus ſacrilegos templorum expilatores iura in eos torſiſſe, &

f Greg. Naz. orat. 1. in Iulian.

A IVLIANI, VT CHRIST. DICERENTVR GALILÆI

g Chryſoſt. cont. Gent.

CRVCIS ET SANCTOR. CVLTVM IRRIDET.

h Cyril. Alex. l. 6. contra Iul.

i Soz. l. 5. c. 5.

k Act. S. Aberc. ap. Metaphr. 22. Oct.

MVLCTAM SACRIFICARE RENVENTIBVS INDICIT.

l Socr. l. 3. c. 11.

m Greg. orat. 1.

ALIÆ INIVSTISS. ADVERSVS EOS LEGES

n Soz. l. 5. c. 5.

queritur

Digitized by Google

queritur Chryſoſtomus [o], & plurimis eſt demonſtratum ſuperius exemplis. Tuliſſe inſuper eam legem, vt Galilæi à militia pellerentur, & à quibuſcumque dignitatibus ac regimine prouinciarum penitus arcerentur, auctores ſunt Ruffinus [p], Theodoretus [q], & Sozomenus [r].

o Chryſ. orat. de Iuuent. & Max. p Ruff. l. 1. c. 32. q Theod. l. 3. c. 7. r Soz. l. 5. c. 17.

LVII. CHRISTIANOS DOCERE PROHIBET. s Am. l. 22. 23. t Iul. ep. 42.

Lex autem eiuſdem illa, qua vetuit ne Chriſtiani Doctores, humaniores litteras ac liberales diſciplinas docere poſſent, niſi diis ſeſe vellent addicere; ab ipſis etiã ſcriptoribus [s] Ethnicis vt iniuſtiſſima improbatur. Quã quidem Ammianus ait eo conſilio ſancitam eſſe, ne per doctores Chriſtianos, Gentiles à cultu deorum deſciſcerent: nempe quod Chriſtiani docendo humaniores litteras, pariter demonſtrarent, quæ auctores Ethnici de ſuis ipſorũ diis ſcripſiſſent, fuiſſe omnino figmenta. Extat hactenus eiuſmodi Iuliani edictum inter ipſius epiſtolas [t], multis pigmentis delinitum, & philoſophica laruа decorum. Ex cuius lectione cum aperte conſtet, Iulianum, etſi Chriſtianos omnes à docendo Gentilium litteras reuocaret, Chriſtianis tamen permiſiſſe vt artes & diſciplinas à doctoribus Gentilibus diſcerent (idque eodem haud dubiũ quod diximus conſilio, nimirum vt Chriſtiani Ethnicos auctores ab Ethnicis doctoribus magno deorum præconio explicatos accipientes, eorum cultui addicerentur.) miramur Ruffinum [u], Socratem [x], Theodoretum [y], Sozomenum [z], ipſoſque etiam Gregorium [a] Nazianzenum, Auguſtinum [b], & alios dixiſſe, Iuliani edicto non tantum à docẽdo, ſed & à diſcendo reiectos fuiſſe homines Chriſtianos. Ceterum illud de docendo tantummodo fuiſſe, meminerunt Ammianus & Eunapius [c] atque ex noſtris SS. Ambroſius [d] & Hieronymus [e].

u Ruff. l. 1. c. 32. x Socr. l. 3. c. 10. y Theod. l. 3. c. 8. z Soz. l. 5. c. 17. a Greg. orat. 3. in Iulian. b Aug. 18. de ciuit. 52. c Eunap. in Muſon. d Ambr. ep. 30. ad Valent. Imp. e Hier. in Chron. f ap. Metap. 20. Oct.

LVIII. CVR VETVERIT CHRISTIAN. DOCERE.

In Actis [f] autem Artemi martyris expreſſum habetur, Iulianum illud promulgaſſe, quod Antiochiæ expertus eſſet vim magnam Eugenii presbyteri in dicendo, ac confutando falſam deorum religionem. Sozomenus autem affirmat id accidiſſe ob inuidiam in Apollinarem Syrum, Baſilium & Gregorium Cappadocas, alioſque celeberrimos Chriſtianos, viros, qui apprime Gentilium callebant litteras. Vbi & inter alia magnifica de eodem Apollinare narrata, ait eum, qui plurib. prodeſſet, ad exemplar poematis Homeri, veterem Hebræorum hiſtoriam vſque ad regnum Saulis carmine heroico viginti quatuor libris cõſcripſiſſe: ſed & alia plurima ſcripta edidiſſe, interq; illa librum aduerſus Imperatorem Iulianum, ſeu aduerſus philoſophos Gentiles pro veritate inſcriptum; in quo ſine vllis ſacrarum Scripturarum teſtimoniis, plane oſtendit eos in illo quod de Deo ſentiendũ eſt vehementer errare: ſed ea irridentem Iulianum, Epiſcopis eius temporis præſtantiſſimis hæc ſcripſiſſe, *Legi* [g], *intellexi*, *improbaui*, Epiſcopos vero reſcripſiſſe, *Legiſti quidem, ſed non intellexiſti, nam ſi intellexiſſes, non improbaſſes.* Gregorius [h] quoque Nazianzenus grauiſſima eumdẽ exagitans inuectiua, quod eiuſmodi edicto liberales diſciplinas tyrannice oppreſſiſſet, atque eloquentiæ & doctrinæ humanioris ſtudia Chriſtianis abſtuliſſet, addit inſuper eum hiſce in rebus deridẽdo iactare ſolitum, Gentilium eſſe concinne loqui & Græcari, quippe qui deos colerent; Chriſtianorum autem infantiam & barbariem, quorum ſapientia nihil aliud eſſet quam *Crede.* Quæ Gregorius inſigniter refellens, præſtantiamq; Chriſtianorum CREDE oſtendẽs; ſimul etiam pluribus demonſtrat, non fuiſſe à Græcis inuentas ſcientias, verum eas à barbaris, nempe Aegyptiis didiciſſe, qui conſuetudine Iudæorum facti eſſent eruditi. In quo etiam argumento verſati ſunt olim antiqui Chriſtiani Theologi. Iuſtinus martyr, Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, Arnobius, Lactãt., & qui poſt hæc eadem eſt proſecutus S. Auguſtinus *de Ciuitate Dei*, atq; alii plures qui aduerſus Gentes texuerunt Apologias: qui docẽt Græcos puerorũ loco habitos (quod Soloni fuit olim exprobratum) facta cum Hebræis & Aegyptiis, quos illi barbaros dicebãt, collatione.

g Elegantius Græce, ἀνέγνων, ἔγνων, κατέγνων. Ad quod Epiſcopi reſponderunt, ἀνέγνως, ἀλλ' οὐκ ἔγνως· εἰ γὰρ ἔγνως, οὐκ ἂν κατέγνως. h Greg. Naz. or. 3. in Iul.

IVLIAN. IRRIDET FIDEM CHRISTIAN.

LIX. i Eunap. de Vit. Philoſ. in Muſon.

Illo igitur promulgato edicto, ſcholas deſeruere Chriſtiani, qui publice hactenus ſumma laude in ciuitatibus profeſſi eſſent: quod de *Muſonio* teſtatur Eunapius [i]; de *Proæreſio* Athenienſi magni nominis Philoſopho Athenis docente, S. Hieronymus [k], de *Mario Victorino* Afro nobiliſſimo oratore Romæ profitente, S. Auguſtinus [l] dum eiuſdem memorabilem a Gentilitate publice antea facta ibidem Romæ conuerſionem deſcribit [m]: cuius exemplo exarſiſſe ardore fidei cõſequendæ, de ſe teſtatur. Tanta enim apud Ethnicos olim floruerunt claritudine, vt ex Senatuſconſulto (quod idẽ Aug. tradit confirmatq; Hieron. [n]) donari meruerit ſtatua in Foro Traiani. Sed q̃ attinet ad eius ſcripta Chriſtiana, quorum extant hodieq; nonnulla; haud adeo ea laudat S. Hiero. [o], quod in extrema ſenectute Chriſti ſe tradens fidei, adeoque eruditione litterarum ſæcularium occupatus, Scripturas ſanctas ignorauerit, ac res Chriſtianæ Religionis ſero nimis attigerit.

k Hier. in Chron. l Aug. l. 8. Confeſſ. 5. INSIGNIS CONVERSIO MARI VICTORINI. m Ibid. c. 2. n Hier. in Chron. o Id. de Scr. Eccl. & in proœm. comment. in ep. ad Gal.

LX. p Soz. l. 5. c. 16. IVLIANVS FRVSTRA IMITARI CONATVR RES CHRISTIAN. q Greg. orat. 3. in Iul.

Vt vero nihil Iulianus intẽtatum relinqueret, quo poſſet Gentilium ſuperſtitionẽ firmius ſtabilire ac latius propagare; cum videret (inquit Sozomenus [p]) eam Religione Chriſtiana laude & hominum approbatione inferiorem eſſe: exiſtimaretque Religionem Chriſtianam, maximam ex vita & moribus eorum qui eam ſequebantur, commẽdationem conſecutam: inſtituit animo, eius ritus & mores in Ethniciſmum transferre, minime erubeſcens imitari re ipſa quos vt infames exagitabat. Ideoque (vt ait Gregorius [q] Nazianzenus) ſcholas in omnibus ciuitatibus extruere parabat; in templis ordinem atque apparatum Chriſtianorum imitari, ſacraria, ſedeſque conſtituere partim altiores partim depreſſiores; profanorum etiã dogmatum lectiones & explicationes inſtituere, tã quæ mores componerent, quam quæ in rerum abſtruſiorum tractatione verſarentur; tum precationum alternatim canendarum formam, necnon rationem animaduertendi in eos qui peccarent pro delicti modo, aliaq; omnia quæ Chriſtianæ diſciplinæ eſſent: Domos quoque excipiendis hoſpitibus ædificare, necnon monaſteria & virginum cœnobia; ſimulque humanitatem erga pauperes, beneficentiãque adiungere cum ceteram, tum eam quæ in epiſtolaribus teſſeris conſiſteret, quibus eos qui inopia premerentur, ex gente ad gentem Chriſtiani tranſmittere cõſueuiſſent. Hæc omnia Gregorius de Iuliani in his rebus ſtudio. Quæ quidem licet ipſe ſumma cura pertentarit, vt etiam abunde docent eius litteræ [r] ad Arſacem Galatiæ Põtificem, quib. eum hortatur vt exemplo Chriſtianorum curet vbique ſacerdotes ſancte viuere, benignitatem in pauperes & peregrinos exhiberi, & ſolicitam curam in mortuis ſepeliendis poni: haud tamen valuit ea perficere, non tam quia citius ex hac vita abreptus eſt, quam (ſicut idem Gregorius tradit) quod ritus moreſq; ac traditiones Chriſtianæ Religionis, Deum auctorem habeant, nec ſine eius ope valeãt conſummari. Hinc tamen perſpici poteſt, quam deteriores Iuliano Apoſtata exhibeant ſe recentiores apoſtatæ, antiquorum Eccleſiæ morum contemptores; dum & ſubſannant quæ inuidi hoſtis oculis ſunt viſa pulcherrima, atque omni acceptione digniſſima.

r ap. Soz. l. 5. c. 15.

LXI. IVL. PERMISIT FEMINIS REPVDIVM VIROR. s quæſt. 115. 144.

Ad poſtremum addimus his, Iuliani inauditam hactenus vanitatem, quã etiam lege ſancire non puduit, vt ſcilicet liberũ eſſet vxoribus maritos dimittere: qua vna lege inſanus homo vniuerſos homines ſub Romano Imperio conſtitutos, mulierum leuitati ſubiecit. De ea vero eſt mẽtio apud Auctorem quæſtionum [s] ex vtroque teſtamento apud Auguſtinum: qui etſi non ſit Auguſtinus, certe his vixit temporibus, quippe qui numeret annos trecentos & circiter à clade Hieroſolymitana in illum diem.

LXII. t Am. l. 22.

Hoc inſuper anno menſe Decembri, quæ ſupererant Nicomediæ à priori terræmotu, eodem reciprocante proſtrata ſunt: quo & Nicæam haud mediocriter fuiſſe concuſſam, Ammianus [t] affirmat: triſtiaque hæc ait auſpicia præceſſiſſe Perſicam, in quam Iulianus incumbebat, expeditionem. Ac vix credi poteſt, quot cladibus hoc anno fuerit Oriens afflictatus, cum idem inſtaret conciliare ſibi numina hecatombis.

IVLIANI AN. 2.

IESV CHRISTI AN. 364.

LIBERII AN. 12.

I.

ANno Domini trecenteſimo ſexageſimo tertio, Iuliani Imperatoris ſecundo cœpto menſe Nouem-

briſ anni ſuperioris, idem Iulianus quartum Conſulatum iniens, collegam ſibi allegit Salluſtium, quod quidem (inquit Ammianus [a]) viſum eſt nouum; nimirum adiunctum eſſe in Conſulatu Auguſto priuatum hominem, quod poſt Diocletianum & Ariſtobulum nullus meminerat geſtum. Ceterum tantæ hic apud Iulianum æſtimationis extitit, vt & illum ſibi [b] ſucceſſorem optaret. Creatus autem eſt Conſul, cum ageret Præfectum in Galliis; vnde & per litteras Iulianum proficiſcentem in Perſas obteſtatus eſt, ne expeditionem illam maturaret nondum pace numinum exorata. Tradit hæc Ammianus; additq; multis aliis territamentis atque omnibus quæ narrat, exagitatum fuiſſe Iulianum; ac præterea nunciatum per litteras, Romæ ſuper eo bello libros Sibyllæ eius iuſſu conſultos, Imperatorem eo anno diſcedere à limitibus ſuis prohibuiſſe; templumque Apollinis Palatini (ex quo omnis diuinatio hauriri ſolita) noctu conflagraſſe.

a Am. l. 23.
b Iulian. ep. ad Oribaſ.

OMINA DE FVTVRO INTERITV IVLIANI.

II. IVL. RESTITVENDVM CVRAT TEMPLVM HIEROSOL.
c Am. l. 23.

Huius quoq; anni primordiis, immenſum Iuliani conatum de reſtituendo immodicis ſumptibus Hieroſolymorum templo à Tito diruto, idem auctor [c] deſcribit. Cũ tamen ait id Iulianum cogitaſſe, quod imperii ſui memoriam magnitudine operum geſtiret propagare; haud veram cauſam recitaſſe videtur. Nec item ſtudium erga Iudæos ad illud impulit, quorum doctrinam patriamque religionem, æque ac Chriſtianorum cultum (vt dicemus) commentariis exagitauit. Verum illæ cauſæ potiſſimæ intercesſerunt quas inſinuat Chryſoſtomus [d], nempe quod ſic ſperaret Chriſti ſententiam fruſtrari, quæ non patitur templum illud inſtaurari: & vt Iudæos inducens ad ſacrificandum in templo ſuo, facile eoſdem inde reuocaret ad cultum ſimulacrorum: itemque vt ſic aduerſus Chriſtianam Religionem veluti munitionem ædificans, eam facilius ſterneret dum Iudæos ſuperexaltaret; quos ſciret acri⁹ quam ipſos Gentiles in Chriſtianos ſæuire conſueuiſſe, & his ipſis eiuſdem Iuliani temporibus multas [e] eccleſias incendiſſe. His igitur de cauſis videri volens erga Iudæos propenſior, plenam ad eos officii dedit epiſtolam, in qua nouus Proteus pene viſus eſt Iudæis factus Iudæus, cum & vnius tantum Dei Optimi Maximi habuit mentionem & ſe Imperiumq; ſuum eorum precibus impenſum commendauit. Meminit eius Sozomenus [f]; extatq; hactenus inter alias eiuſdem Imperatoris [g] epiſtolas.

d Chryſ. orat. 3. aduerſ. Iudæ.
e Ambr. l. 5. ep. 28. ad Theodoſ.
f Soz. l. 5. c. 21.
g Iul. ep. 25.

III. ÆDIFICATIO TEMPLI DIVINITVS COHIBITA IN GENTIBVS PRODIGIIS.
h Chryſ. de or. 2. hom. 4. in Matt. hom. 41. in Act.
i Greg. orat. 2.

Quod autem ad ipſum reædificationis opus attinet; cum ei fortiter inſtarent Iudæi, iamque nudatis fundamentis reſtaret vt ſtructuram aggrederentur, metuendos globos flammarum crebris aſſultibus è fundamentis erumpentes, exuſtis aliquoties operantib. locum inacceſſum feciſſe, & incœptum in perpetuum interrupiſſe; tum Ethnicus auctor Ammianus, ſcribit, tum S. Ioãnes Chryſoſtomus, quo puero hæc geſta ſunt, inculcat [h] ſæpius. Quibus Gregorius [i] Nazianzenus luculenta illa oratione, quam mox vt Iulianus numine vlciſcente extinctus eſt, ſcripſit, addit non ſolum ſæuos turbines & vehementes terræmotus Iudæos deturbaſſe, ſed & ignem exeuntem à propinquo templo ad quod trementes confugerant, eoſdem abſumpſiſſe aut mutilaſſe; ac denique fulgentiſſimum Crucis ſignum in cœlo apparuiſſe; ipſaſque tum eorumdem, tum aliorum quorumcumque cuiuſuis fidei aut religionis hominum, qui hæc aut præſentes viderent, aut ab aliis audirent, veſtes Crucis notis tunc conſignatas fuiſſe; indeque multas ad Chriſtum conuerſiones factas. Eadem prope Ruffinus [k], qui & hoc ſæculo vixit, & Hieroſolymis diu verſatus ea ab accolis noſſe potuit: additque plurimos Iudæorum periiſſe ruinis porticum publicarum, ad quas ingruenti terræmotu confugerent: ſed & ignem emergentem ex ædibus vbi inſtrumenta operi neceſſaria aſſeruabantur, per medium plateæ tota die percurrentem, pertinacis populi temeritatẽ flammis vltricibus coercuiſſe. Sed de ferramẽtis habet Theodoretus [l], Iudæos mira vanitate ligones ex materia argentea, palas etiam & ſportas confeciſſe. Eadem vero omnia prodigioſo igne cõflagraſſe [m], Socrates ſcribit. Ac demq; idem Theodoretus affirmat, reliquam omnem materiam ad templum extruendum præparatam, vehementi ventorum vi ac procellarum turbinib. penitus diſſipatã eſſe.

k Ruff. l. 1. c. 38. 39.
l Theod. l. 3. c. 17.
VANITAS IVDÆOR.
m Socr. l. 3. c. 17.

IV. SACRA ORACVLA MANENT INCONCVSSA
n Dan. 9.
o Matth. 24.

Addunt demum iidem Ruffinus ac Socrates, dum hæc agere tum Iulianus tum Iudæi aggrederentur, Cyrillum Hieroſolymorum Epiſcopum qui ab exilio in patriam remeauerat diuinarum prædictionum firmitate confiſum, quib. dicebatur [n] vſque ad conſummationem & in finem perſeueraturã eſſe deſolationẽ, & lapidem [o] ſuper lapidẽ in templo non manſurũ; ſpe erectum rem tacitũ ſpectaſſe, finemq; magna fiducia præſtolatum eſſe. Sed & quod adhuc deſiderari poſſe videbatur in eodem Chriſti Domini de eã re vaticinio, iſtud ipſum vidiſſe in fundamẽtis expletum, cum admiranda quadã terræ concuſſione, reuulſa ſunt & foras emiſſa templi vetera fundamenta. At licet perfidia Iudæorum tot conuicta prodigiis, minime (vt par erat) penitus cederet: complures tamen Chriſti gloriam conſeſſos, eiuſdem fidẽ auide conſectatos eſſe, præter nõnullos alios ex prædictis auctoribus, Sozomenus [p] egregie teſtatum reliquit. Hoc vero Oroſius [q] addit, cum videret Iulianus templum perfici non poſſe, ex congeſta ad illius extructionem materia præcepiſſe ædificari theatrum, in quo reuerſus à Perſide, Epiſcopos, monachos, ceteroſque eius loci accolas Chriſtianos, traderet beſtiis lanianandos: vt ſcilicet ibi eſſet Chriſtianorũ carnificina, vnde eorum Religio videretur eſſe progreſſa. Quod autem Nicephorus [r] his omnibus ſubiicit de Euangelio ſecũdum Ioannem reperto in ſpecu deorſum, cum fundamentum tẽpli iaceretur; quoniã recentioris auctoris rei tantæ aſſertio nulla fulcitur antiquorũ fide, reiicimus lectoris arbitrio.

p Soz. l. 5. c. 21.
q Oroſ. l. 7. c. 30.
r Nic. l. 10. c. 33.

V. [s] l. 5. C. Theod. [illegible] LEX IVLIANI DE SEPVLCHRIS ET FVNERIB.

Hoc eodem anno, antequam in Perſidem proficiſceretur Iulianus, Antiochiæ exiſtens, pridie Idus Februarii reſcriptum [s] dedit ad populum, de non violandis ſepulchris, neque efferendis interdiu (quod Chriſtiani facere ſolerent) cadaueribus defunctorum. Porro à violatione ſepulchrorum Chriſtianos cohibuiſſe voluit, quod illi (vt alias dictum eſt) haud paterentur in ſuis pagis permanere amplius loca religioſa diis Manibus conſecrata, lapideſue maiorum ſuorum eadem Gentilitia inſcriptione notatos.

VI. t Gre. Naz. orat. 2. in Iul. APPARATVS IVLIANI AD BELLVM PERSICVM.
u Soz. l. 5.

Acturis vero iam de expeditione Perſica, quam Iulianus diu meditatus fuerat, primũ illud ocurrit, quod Gregorius [t] Nazianzenus tradit eum Antiochia duplicem exercitum mouiſſe, alterum militum alterum dæmonum, à quibus ducebatur, & in quibus maiorem ipſe fiduciam collocauerat. Et quidem armatorum ſexaginta quinque millia delectu habito eſſe numerata, Zoſimus [u] tradit. Sed per exercitum dæmonum, videtur Gregorius ſignificaſſe dæmones familiares quibus vtebatur, necnon acceſſitos vndique præſtantiſſimos magos & aruſpices quos ſecum duxit; turbam hominum (vt ait de hac eadem expeditione agens Eunapius) qui ſuas virtutes ſtulte prædicabant: Vel etiam, quod Theodoretus [x] ſcribit eumdem Iulianum antequã arma ſumeret, miſiſſe nuncios ad Delphos, Delum, ac Dodonem, aliaq; oraculorum loca, ſciſcitatum de bello gerendo; ab iiſque accepta victoriæ pollicitatione, itineri ſe commiſiſſe; licet (vt vidimus) diuerſa ab his aliunde omnia recepiſſet. Sed & vt qui defectionis à Religione Chriſtiana auctor ei fuerat idẽ eſſet & ad ſupplicium quod merebatur impulſor, his falſis vaticiniis acceſſit ſuffragium Maximi philoſophi magi, promittentis (vt ait Socrates [y]) victoriam non minorem quam Alexander olim obtinuiſſet. Vnde & eo proceſſit amentiæ, vt putaret ex Pythagorea metempſychoſi animam Alexandri in ſe tranſmigraſſe. Ac demum quo magis ſua ſibi numina propitia redderet, vouit ſe cum de Perſis victor rediiſſet, Chriſtianos homines [z] diis immolaturum; totamque eorum gentem [a] deleturum; & in eccleſiis collocaturum [b] Iaſciuæ deæ ſimulacrum. Hiſque omnibus tantam de auxilio deorum fiduciam præſumpſit, vt hominum ſpernens adiumentum, copias auxiliares [c] quas plurimarum gentium legationes pollicebantur reiecerit; præterquam Arſacis Regis Armeniæ: quem, quod eſſe Chriſtianus, per litteras iactantiæ ſui, contemptus Conſtantii, contumeliæ in Arſacem, blaſphemiarum in Chriſtum refertas, (ſic enim eas depingit Sozomenus [d]) iuſſit collectis co-

x Theod. l. 3. c. 21.
y Socr. l. 3. c. 21.
INANIA VOTA IVLIANI.
z Hier. in Chron.
a Chryſ. aduerſ. Gent. Greg. Naz. orat. 2. in Iul.
b Theodor. l. 3. c. 18.
c Am. l. 23.
d Soz. l. 6. c. 1.

piis validis ſubſidio ſibi eſſe; minitans nec Deum quem Arſaces coleret, eum defenſurum ſi imperata negligeret.

VII. IVL. RECEDIT AB ANTIOCHIA.

Ait autem Zoſimus, cum exacta hieme præmiſſo exercitu, Antiochiā egreſſum eſſe, cum ne perlitare quidem potuiſſet. Quod Ammianus cōtigiſſe tradit tertio Nonas Martii; relicto in odium Antiochenorum, Syriæ Præfecto Heliopolite quodam Alexādro, viro turbulento, & ſæuo: cumq; eum deduceret multitudo promiſcua itum felicē reditumq; glorioſum exoptans, oranſq; vt deinceps placabilis eſſet ac lenior; ipſum locutū eſſe aſperius; & aſſeruiſſe ſe eos poſtea nō viſurum, ſed Tarſum Ciliciæ reuerſurum: quod haud diu poſt contigit, quando cadauer eius illic ſepeliendum relatum eſt. Hæc Ammianus. Porro iter eius in Perſidem reſq; in eo geſtas, cum iidē auctores deſcripſerunt, tum ipſemet Iulianus breui compēdio relegit epiſtola [c] ad Libanium ſophiſtam ſcripta. Ex qua & illud conſtat, eumdem in ea expedione (quod ſummis ducibus gloriæ datum eſt) ipſas noctes peruigilem in commētariis ſuis ſcribendis, inſtar Cæſaris inſumpſiſſe: adeo vt affirmet Hieronymus [f], eum eadē expeditione compoſuiſſe libros contra Religionem Chriſtianam, quos poſtea Cyrillus Alexandrinus egregiis refellit commentariis. Quod autem Hieronymus eos ſeptem numeret, Cyrillus autem tres tantum ex diuerſa partitione operis id accidiſſe putatur. Edidit vero præterea aliis temporibus ſcripta multa, quæ Suidas aliique enumerant; quorum adhuc extat pars magna: & inter alia commentarius *de Cæſaribus*; quem non aliam ob cauſam elucubraſſe puto, quam vt ea occaſione Imperatorem Conſtantinum, veſte indutum muliebri deæ deliciarum coniungeret vna cum filiis, ſe vero Solis filium Mercurii ſententia comprobaret.

c Iul. ep. 28.

f Hier. ep. 84. ad Mag.

IVLIANI SCRIPTA IN ITINERE PERSICO.

VIII. FALSIS AVGVRIIS IVL. DECEPTVS.

Ceterum Ammianus varia in itinere oblata Iuliano portenta refert: quæ tametſi eius interitum aperte præſagirent, ipſe nihilominus, aruſpicibus licet vt plurimū repugnātibus, magorum adulationibus deceptus in victoriæ omina conuertere ſoleret. Sicque (vt ait S. Ambroſius [g]) cum reſponſis Aruſpicum male credulus eſſet, ademit ſibi ſubſidia reuertendi. Recenſet etiam Theodoretus aliud vaticinium Antiocheni cuiuſdam ludimagiſtri Chriſtiani; qui paucis ante Iuliani mortem diebus, interrogatus per iocum à Libanio victoriam Iuliani expectante, *quid tum ageret fabri filius*: (Chriſtum intelligente) reſpondit, *cum Iuliano locum fabricari*. Tradit vero Cedrenus, cum idem poſt aliquot dies Charras perueniſſet: territū ibi (quod teſtatur Ammianus) inſomniis, clam in quadam ſpelunca mulierem vētrem diſſecuiſſe, vt ex eius iecinore futuri belli exitū prænoſceret. Cum autē Niſibin apud Tigrin aduenisset; ibi (inquit Zoſimus) octies mille grauis armaturæ milites ad loci munitionē reliquit ſub ducibus, Procopio & Sebaſtiano. Quem quidem *Procopium* ait Ammianus fuiſſe Iuliano propinquum; cumq; cum Charris idem Imperator Lunæ ſacra faceret; admiſſum abſque arbitro ante aras induiſſe purpureo paludamento mandaſſeq; arripere fidenter Imperium ſi ſe interiiſſe audiret. Ceterum quāuis Niſibin ciuitatem Romanorum aduerſus Perſas propugnaculum, præ ceteris muniiſſet tamen cum Reliquias S. Iacobi eius ciuitatis Epiſcopi, magno honore ab accolis cultas, quæ iuxta præceptum Conſtantini Magni à Conſtantino filio intra muros vrbis collocatæ fuerant ob cuſtodiam ciuitatis, Idem Iulianus extra efferri præcepit [h], ſimul ipſam ciuitatem omni prorſus præſidio neſciēs ſpoliauit, quippe quod quamdiu ille ibi manſerunt, ab omni Perſarum aggreſſione perſeuerauit incolumis, eis vero amotis neceſſe fuit mox hoſtibus (vt videbitur) dedi. Quo eodem tempore cum Niſibi eſſet, idem Iulianus ſanctiſſimus monachum *Demetrium* [i] Perſam, quod exprobraſſet apoſtaſiam, vna cum duobus eius diſcipulis, lapidibus obrui iuſſit.

g Ambr. ep. 31.

IVL. AVFERT PROPVGNACVLVM NISIBIS.

h Gennad. de Script. Eccl. c. 10 Iacob. & alii poſt eum.

i Martyrol. Rom. 7. Aug.

IX. DÆMON NVNCIVS IVLIANI DETINETVR PRECIB. PVBLII MONACHI.

Cum vero apud Perſas ageret, contigit dignum illud memoria facinus, vt cum ex more ad diſcēdas res abſentes dæmone nuncio vteretur, eumque tunc in Occidentē ſciſcitatum miſiſſet; perueniens dæmon ad locum quemdā vbi monachus nomine *Publius* habitabat, ſteterit ibidem per dies decem immobilis, non valens vltra progredi quod monachus ille die noctuq; oraret: quapropter regredi coactus, Iuliano & moræ & rei infectæ cauſam narrauit. Quib. auditis, Iulianus quidem in monachum fremere; at vero vnus ex ipſius proceribus eo miraculo cognito, poſt reditum ab expeditione omnia ſua pauperibus diſtribuit, & ad Publium profectus præclarus monachus euaſit. Recitantur iſta in Vitis [k] Patrum; quæ eadem habent Cedrenus [l], Glicas, & alii.

k Vit. Patr. par. 2. c. 12.

l Cedr. in comp. in Iul. m Glic. Annal. par. 4.

X. TRISTIA OMINA IVLIANVM EXAGITANT.

n Am. l. 23.

Rurſum autē cum Iulianus perueniſſet Cercuſiū, munitionem poſitam in finibus Imperii Romani ad ripā fluminis Euphratis, ac per naualem pōtem exercitū in hoſtiū ditionem tranſmiſiſſet ſeptimo Iduum Aprilis; ibi triſte (ait Ammianus [n]) ei omē occurrit, exanime cadauer apparitoris extincti manu carnificis, quem Præfectus præſens dānauerat. Sed eo cum aliis eiuſmodi quæ eodē tempore cœlitus acciderunt, philoſophorum ſuaſione neglectis; idem Imperator vlterius profecutus, omnia proſpera habuit vſq; ad vrbem Cteſiphontem, vt pluribus narrat idē Ammianus; quem legat qui præter res ad Eccleſiaſticam hiſtoriam ſpectantes, aliquid amplius cupit. Ad eam autē vrbem cum accepiſſet nouum, quod referunt Suidas [o] atque Nicephorus [p], oraculum adulatoriū de futura victoria; triſte rurſum omen cunctis mœrorem incuſſit: cum videlicet (vt refert Ammianus [q]) eodē Imperatore hoſtias Marti parante Vltori, ex tauris pulcherrimis decē ad hoc perductis, nondum aris admoti volūtate ſua nouem procubuere triſtiſſimi, decimus vero de fractis vinculis ægre reductus eſt, mactatuſq; ominoſa ſigna mōſtrauit. Quibus viſis, exclamauit indignatus acriter Iulianus; Iouemq; teſtatus eſt, nulla Marti iam ſacra facturum. Porro eiuſmodi victimarum reluctationem triſtis portenti loco haberi ſolitam, ex Macrobio [r], Suetonio [s], aliiſque patet. Sic enim & de Galba idem Suetonius [t], de Vitellio Tacitus [u], de Alexandro Lampridius [x] aſſirmant, ante eorum interitum tauros fractis vinculis ab ara ſeceſſiſſe. Eodemque modo res poſthac ipſi Iuliano (quod ait Gregorius [y] Nazianzenus) tetro fluere cœpere.

o Suid. verb. Iul. parab.

p Nic. l. 10. c. [illegible]

q Am. l. 24.

IVL. INDIGNATVR IN MARTEM.

r Macrob. 3. Satur. 5.

s Suet. in Iulio, c. 59.

t Id. in Galb. c. 18.

u Tac. l. 3. hiſt.

x Lamprid. in Alex. Imp.

y Greg. orat. 2. in Iul.

XI. EVPHRATES IN TIGRIM FOSSA DEDVCTVS.

Cum enim eamdem vrbem Cteſiphontem propter firmam ipſius munitionem expugnare nequaquam poſſet, nec vlterius commode pergere; vt periculum euitaret quod inde imminebat exercitui, ac præſertim nauibus frumentum & vaſa per fluuiū Euphratem conuehentib., eius fluminis partē perrupit, & circumduxit per foſſam, quam olim Traianus, poſteaque Seuerus egeſto ſolo fodi in modum canalis ampliſſimi curauerant, vt aquis illuc ab Euphrate tranſfuſis naues ad Tigridem fluuium aliquanto vlterius confluentem commigrarent: quæ quondam ſimilia Perſæ timentes, mole ſaxorum obruerant multorum; ea vero purgata valle, auulſiſque cataractis vndarum magnitudine, Iulianus claſſem ſecuram ſtadiis triginta depulſam in alueum iniecit Tigridis, Cteſiphontem à tergo relinquens: admiſſis inter hæc velitationibus quibuſdam & leuibus præliis cum Perſarum cōpiis quæ in conſpectu erant. Hæc Gregorius, & Ammianus. Addit vero idem Gregorius, Perſarum in his pugnis conſilium fuiſſe, vt nonnisi magna neceſſitate vrgente tētandam ſibi belli aleam iudicarent, ſed è locorum anguſtiis hoſtes ſagittis impeterent, atque opportuniſſimis viæ tranſitibus occupatis eos vlterius progredi impedirent. Quibus rebus (vt ait) adeo fatigatus fuit Iuliani exercitus, vt ipſe quo ſe verteret non habens, pernicioſum tandem conſultationis ſuæ exitum reperierit; dum fraude deceptus nobilis cuiuſdam Perſæ, qui Zopyri illius [z] erga Cyrum in babylonis obſidione facinus imitatus, quaſi ob grauiſſimas quaſdam cauſas offenſionem in Perſarum Regi veniſſet, ad Romanos transfugit; eius ſuaſione, aliæ facilioris & tutioris viæ ducem ſe fore pollicentis, idem Iulianus naues ſimul & commeatum ſtolidiſſime incendit; eumdemque Perſam itineris ducem ſecutus, poſt paucos dies in magnas locorum difficultates adactus eſt: quouſque tandem proditore Perſa cum promiſſis ſuis abſcedente, hoſtes vndique Romanorum exercitum fame ac ſiti languentem infeſtare cœperunt.

PERSA PRODITOR DECEPIT IVLIANVM.

z I. ſtin. l. 1. Herodot. l. 3. Plutar. Apoph. Imp.

XII. a Am. l. 25. RVRSVS TRISTIA OMINA.

Quo tempore Iulianus (vt ait Ammianus [a]) ad ſacrificia ſe ac inſpicienda victimarum exta conuertens, omniaque triſtibus plena ominibus conſpiciens nocte etiam ipſa quæ eius obitum præceſſit, vidit ſqualidius ſpeciem illam Genii publici, quam cum ad Auguſtum ſurgeret culmen conſpexerat in Galliis, velata cum cornucopia per aulæa triſtius diſcedentem. Pauloque poſt numinibus per ſacra depulſoria ſupplicans, flagrantiſſimam facem cadenti ſimilem viſam aeris parte ſulcata euanuiſſe exiſtimauit: horroreque perfuſus eſt, ne ita aperte minax Martis apparuiſſet ſidus. Cum vero & hæc omnia aruſpices triſtia portendere ſignificarent, & profectionem differendam eſſe aſſererent; ipſe nihilominus eadem ſpernens, exorta iam die caſtra mouit: quando aggreſſi eum vndique Perſæ, acerrimum inierunt prælium; in quo dum idem tum ſuos excitaret, tum audacter effunderet ſemet in pugnā, ſubita equeſtris haſta, cute brachii eius præſtricta, coſtis perfoſſis hæſit in ima iecoris fibra: quā dum auellere dextra manu conaretur, acuto vtrimq; ferro digitorum neruos ſentiens exciſos, letaliter vulneratus in caſtra relatus eſt: ibiq; poſt orationem ad ſuos, & diſputationem cum Maximo & Priſco philoſophis ſuper animorum ſublimitate; epota gelida aqua ſequentis medio noctis horrore vita facilius eſt abſolutus. Hæc omnia, aliaque plura Ammianus, in eiuſdem Iuliani omne laudum genus profuſus: quem pariter ſic extinctum Libanius Sophiſta luculenta ſcripta oratione laudauit [b], atque etiam inter numina collocauit.

PVGNA EXTREMA IVLIANI CVM PERSIS.

IVLIANI INTERITVS.

b Socr. l. 3. c. 19.

XIII. cap. Niceph. l. 10. c. 34. PERCVSSOR IVLIANI QVIS CREDITVS. d Socr. l. 3. c. 21.

Sed quod eadem oratione [c] Chriſtianos de Iuliani interfectione in crimen vocat, quod ex hoſtibus nemo vulneris eius honorem & præmium, licet à Perſarum Rege hæc ingentia percuſſori promitterentur, auſus ſit petere; adſtipulatorem habet eumdem Ammianum, dum ait hoſtium etiam aſſertione conſtitiſſe, non ipſorum armis, ſed telo Romano Iulianum interemptum eſſe. Verum (inquit Socrates [d]) Calliſtus ſatelles Imperatoris, qui eius res geſtas carmine heroico conſcripſit, illum à dæmone trāſfixum commemorauit. Certe quidem à quonam is percuſſus interierit, haud ſatis fuiſſe exploratum ſcriptorib. illius temporis, immo nec iis qui certamini interfuerunt, S. Gregorius [e] Nazianzenus ſignificat, dum cunctas quæ à diuerſis ferrentur, caſum incertum pro arbitrio confingentibus, eius necis opiniones profert: ipſe vero miniſterio Angelorum tribuit [f], & diuini virtuti numinis. S. autem Ioannes Damaſcenus [g] ex Helladio Baſilii Magni diſcipulo & ſucceſſore refert, eidem Baſilio per viſum à B. Virgine oſtenſam fuiſſe Iuliani necem, per S. Mercurium martyrem factam. Quod ipſum cuidam ex neceſſariis Iuliani ad caſtra progredienti diuinitus innotuiſſe, Sozomenus [h] accurate deſcribit: à quo illud mutuatus Nicephorus, [i] Mercurium atq; Artemium martyres, ambos olim egregios Chriſtianos milites, Iuliano necem intuliſſe affirmat. Vtcumque res ſe habeat (inquit de his agēs Gregorius [k]) Iulianus Orbi vniuerſo ſalutare vulnus accepit; vnoque facinore multorum pernicioſe vetitorum pœnas exoluit. Quod vero in Vita eiuſdē S. Baſilii ſub falſo Amphilochii nomine narratur, Libanium perſimilem de interitu Iuliani quam Baſilius habuit, viſionem noctu per ſomnium conſpexiſſe cum eſſet in caſtris; eumdemq; ſeptimo poſt die ab exercitu fugientem, ad Baſilium Cæſaream conuolaſſe, ac Chriſtianum factum eſſe: ſunt hæc plane digna riſu, quæ & fidem derogent nonnullis quæ ab aliis accepta, in eadem Vita vera eſſe probantur.

e Greg. orat. 2. in Iul.

f Id orat. 1 in Iu. & de laud. Athan. g Damaſc. or. 1. de Imag.

h Soz. l. 6. c. 2. i Nic. l. 10. c. 35.

k Gre. Naz. or. 2. in Iul.

XIV. l Theod. l. 3. c. 20. BLASPHEMÆ VOCES IVLIANI MORIENTIS.

Porro ſcribit Theodoretus [l], Iulianum ſimul ac plagā accepiſſet, ſanguine manum impleuiſſe, eoq; in aerē proiecto exclamaſſe, VICISTI GALILÆE: quod & alii plerique teſtantur: Nicephorus vero dixiſſe, SATVRARE NAZARENE. Sozomenus inſuper, eumdem cum ſanguinem manu oſtendiſſet, illum in aerem proieciſſe, perinde ac Soli iratum quod Perſis veniſſet ſubſidio, & ſe non ſeruaſſet incolumem, cuius natiuitatis velut dominus eſſet & moderator. Sed & alias in deos ſuos querelas ingeſſiſſe, idem Theodoretus habet; puta in Martem, quod vti promiſerat auxilium non tuliſſet; in Apollinem, quod falſa vaticinatus eſſet; in Iouem denique quod non in ſuum interfectorem fulmen torſiſſet. Addit vero Gregorius Nazianzenus, eumdē quod per multos ſciret arte ſe olim ex hominum oculis ſuſtuliſſe, ac pro diis habitos eſſe, eiuſdem gloriæ cupiditate captum, in proximum profluentem corpus proiicere conatum opera fidiſſimorum ſibi hominum; ſed vnum ex Eunuchis Imperatoris ſceleris odio re patefacta, ei obſtitiſſe. Haud tamen defuerunt ex domeſticis, qui eum curru ad ſuperos eleuatum finxerint, & diuina teſtificatione id probare niſi fuerint; ſicut legitur apud Nicephorum [m]. Cuius quidem caſum eadem hora qua contigit, diuina reuelatione cognitum fuiſſe S. Iuliano Sabbæ inſigni anachoretæ, pluſquam viginti dierum itinere ab exercitu diſtanti, Theodoretus [n] narrat. Idque ipſum doctiſſimo Didymo, viro Eccleſiaſtico Alexandriæ degenti, diuinitus oſtenſum, & vt ſignificaret Athanaſio iuſſum, Sozomenus [o] & Palladius [p] referunt.

VL. AFFITAT DI-VINOS HONORES.

m Nic. l. 10. c. 35. DIVINÆ VISIONES DE INTERITV IVLIANI. n Theod. cap. 19. o Soz. l. 6. c. 2. p Pall. l. in Lauſiac.

XV. q Am. l. 25. r Socr. l. 3. c. 18. ÆTAS ET IMPERIVM IVLIANI.

Diem vero tantæ vltionis fuiſſe ſextum ante Calendas Iulias, ex Ammiano [q] colligitur, ac Socrates [r] expreſſe teſtatur: quorum pariter aſſertione conſtat, Iulianum anno ætatis trigeſimo primo occubuiſſe. Errat tamen Socrates, dum ait anno tertio Imperii id accidiſſe: cum ex ſuperiori chronologia manifeſtum ſit, Iulianum minus habuiſſe in Imperio ab expleto biennio, menſes tres & dies nouem: Sed errādi dedit occaſionem, quod ſub eius Imperio tres ponuntur Conſulatus: verum primi menſes tantum tres, poſtremi ſex haud abſolutos regnauit. In quod autem diſcrimen ex hoc inſulſe tentato & male geſto Perſico bello adductum ſit Romanum Imperium, omnes luctu immēſo proſequuntur hiſtorici: quod etiam demōſtrarunt ſanctiſſimi Patres qui tunc vixerunt; Gregorius [s] Nazianzenus, Chryſoſtomus [t], Hieronymus [u], Auguſtinus [x]. Adeo vt plane habuerint vnde plurimum erubeſcerent Libanius & alii ei ſimiles, qui Iuliano viuenti turpiter adulati, *Bono Reipub. natum* iactarent, & vbique locorum inſcriptionibus [y] ſignarent. Ceterum corpus eius Tarſi Ciliciæ conditum, Ammianus ſignificat. Sed illud eo è Perſide maxima omnium vrbium ac populorum deriſione & ſubſannatione reuectum fuiſſe, & impuro atque execrando tumulo mādatum Gregorius [z] Nazianzenus tradit: qui tamen alibi [a] audiuiſſe affirmat eius corpus nec ad ſepulturam aſſumptum, ſed à terra quæ propter eius ſcelus tremore affecta fuerat, excuſſum, æſtuq; vehemēti proiectū, in ſequentis ſupplicii primordium. Sed & iiſdem quibus Iulianum probris affectos fuiſſe, Antiochiæ præſertim, philoſophos illos magos atq; augures, quos cariſſimos amicos habuerat, & Crucis vbique prædicatam victoriam, teſtis eſt Theodoretus [b] eoque magis in illos conclamatum, cum poſt eius obitum reſeratis penetralibus, inuenta ſunt humana cadauera iam putredine exeſa, quæ ipſe immolauerat diis, vel exta ſcrutatus fuerat ad conſequendam rerum futurarum ſcientiam.

s Greg. Naz. orat. 2. in Iulian. t Chryſ. orat. cont. Gent. u Hier. ep. ... x Aug. 5. de ciuit. 21. y I. ſcript. imet. pag. 158. num. 13. 15. 16. SCELERATVM FVNVS IVLIANI. z Greg. ora. 2. in Iul. a Id orat. in laud. Atha. LVDIBRIA CHRIST. IN IVLIAN. ET MAGOS EIVS. b Theod. l. 3. cap. 22.

XVI. LAVDES ET VITVPERIA IVLIANI EX AMMIANO.

Ceterum in conſcribendis Iuliani rebus geſtis, ex Ethnicis æquiorem ſe præbuit Ammianus: qui etſi in iis liмen interdum veritatis tranſgreſſus ſit, tamen in memoriam reuocans ſibi non encomiaſtæ, ſed hiſtorici fore numeros exſoluendos, poſt contexta præconia Iuliani virtutum, laudans eius iuſtitiam, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, caſtitatēque cū liberalitate coniunctam, necnon in militari diſciplina ſolertiam; vitia tandem paucis perſtrinxit, dum ait [c] eum leuioris fuiſſe ingenii, linguæ ſu... & admodum raro ſilentis, præſagiorum ſciſcitationi nimiæ deditum, ſuperſtitioſum magis quam ſacrorum legitimum obſeruatorem, atque in victimarum mactatione adeo profuſum, vt æſtimaretur, ſi reuertiſſet de Parthis boues iam defuturos: vulgi plauſibus lætum, laudum etiam ex minimis rebus intemperantem appetitorem, popularitatis cupiditate cum indignis loqui ſæpe affectantem. At vero extant duæ illæ à Gregorio Nazianzeno orationes in Pontica ſolitudine (vbi cum Baſilio hoc tempore degebat) aduerſus Iulianum conſcriptæ, in quibus eius vitia, turpitudines, & ſacrilegia, necnon mala Eccleſiæ illata, egregie deſcripta habentur: quas

c Am. l. 25.

ORATIONES GREGORII NAZ. IN IVLIAN.

prudens quiſque dixerit duo fulmina, magno cum fragore tonitrui veritatis luce coruſca, in horrendum monſtrum valido impetu cœlitus miſſa. Nec ſine iuſto Dei iudicio factum eſt, vt quos alii Iulianum laudantes commentarios conſcripſere, omnino perierint, vtpote mendaciis referti: Gregorii vero orationes veritati innixæ, immortales perſeuerent. Auctor enim Zoſimus [d], complures hiſtoricos & poetas res Iuliani proſecutos fuiſſe, quas etiam Eunapius teſtatur ſe collegiſſe. Sed perierunt hæc omnia, ſimulq; oratio panegyrica Libanii, & carmen Calliſti, quorum meminit Socrates [e]. Si vero quis cupit ſummatim ſcire prauos mores hominis, ac præſertim leuitatem quam omnes tam noſtri quam Ethnici in eo redarguunt, ſimulque eius infelicem exitum: accipiat diuinum diu ante pronunciatum oraculum [f], *Homo apoſtata, vir inutilis, graditur ore peruerſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia ſeminat. Huic exemplo veniet perditio ſua, & ſubito conteretur, nec habebit vltra medicinam*: quæ mireris Iuliano per omnia congruere, cum dicta ſint de apoſtatis omnibus.

d Zoſ. lib. 3.
e Socr. lib. 3. ca. 18. 19.
APOSTATÆ DESCRIPTIO CONVENIENS IVLIANO.
f Prouerb. 6.

IOVIANVS IMP.

XVII.

POſt Iulianum extinctum, cum haud pateretur rerum anguſtia, longa de nouo Imperatore deligendo agitari comitia: ipſo illuceſcente die quinto Calendas Iulii, mira Dei prouidentia cuncta diſponente, in locum eius omniũ fere Ducum ac totius exercitus ſuffragio, IOVIANVS [g] Singidone in Pannonia patre Varroniano Comite natus, ipſeque Domeſticorum ordinis primus, tam paterna quam propria virtute commendatus, Chriſtianæque fidei (vt vidimus) confeſſor egregius, Imperator ſubrogatus eſt: paucis tantummodo refragantibus, haud dubium Gentilitiæ factionis hominibus. Cuius quidem in eo tum egregia virtus enituit, dum ſic electus negauit ſe, Chriſtianus cum eſſet, imperare velle exercitui militum Gentilium: quouſque milites ſe itidem Chriſtianos eſſe clamaſſent: quippe qui licet in gratiam Iuliani foris idololatriæ adhærerent, intus tamen magna ex parte conſeruarent ſuſceptam olim ſub Chriſtianis Imperatoribus fidem Catholicam. Narrant hæc Theodoretus [h], Sozomenus [i], Socrates [k], & ante eos omnes Ruffinus [l].

g Am. l. 25.
IOVIANVS CONFESSOR ELIGITVR IMP.
h Theod. li. 4. c. 1.
i Soz. l. 6. c. 3.
k Socr. lib. 3. c. 22.
l Ruff. l. 2. c. 1.

XVIII.

Ex quibus omnibus refelluntur Ammiani calumniæ de iniqua Iouiani electione: itemque quod ait, eumdem profectionem inſtituentem deſeruiſſe vallum extorum inſpectione ſuaſum. Quomodo enim potuit Iouianus extorum inſpectione aliquid diſponere, qui adeo Chriſtianæ legis (vt idem fatetur Ammianus) ſtudioſus fuit? Et quid idem cladem exercitus, ciuitatum prouinciarumq; iacturam, non Iuliano quem ex inſtituto laudandum ſuſcepit, ſed Iouiano ſemper adſcribit? Quænam autem fuerint fœderis cum Perſis in annos triginta initi cõditiones, eas idem Ammianus in primis narrat, nimirum vt quinque regiones Tranſtigritanæ, cum quibuſdam aliis caſtellis traderentur Perſis, itemque vt Niſibis & Singara in Meſopotamia (ſine tamen incolis, qui patriis ſedibus coacti ſunt cedere) tranſirent ad iura Perſarum: ac denique ne Arſaci Maioris Armeniæ Regi poſcenti contra Perſas ferretur auxilium, licet is amicus Romanis ſemper & fidus extitiſſet. Quæ tametſi dura maxime ac prorſus indigna Romanorum potentia videri poſſent, tamen rem ipſam, ſtatumque eius temporis accuratius perpendentibus viſum eſt quaſi miraculum, vt fame & bello inſumpto vndique in terra hoſtili locisque deſertis exercitu, in quo tunc conſiſtebant omnes Reipubl. Romanæ vires, cui nec euadendi nec manus cum hoſte conferendi facultas vlla ſuppeteret; quas Romani auſi minime eſſent conditiones pacis petere, ſponte eas tunc hoſtes offerrent. Hæc quidem inter alios pro magno Dei beneficio reputarunt Gregorius [m] Nazianzenus, Chryſoſtomus [n], ac Ruffinus. Verum Gentiles omnes inuidia tabeſcentes Chriſtiani creatione Imperatoris, cum maledictis inceſſere, ſannisque atque dicteriis tum publice tum priuatim deridere, ac potiſſimum Antiochiæ cum eo peruenit, minime deſtiterunt: quorum nonnulla referunt Suidas [o] atque Nicephorus [p].

FOEDERIS CVM PERSIS CONDITIONES.
m Greg. orat. 2. in Iul.
n Chryſ. de laud. Paul. orat. 4.
IOVIANVS AB ETHNICIS DERISVS.
o Suid. verb. Iouian.
p Nic. l. 10. cap. vlt.

XIX.

Vbi autem primum is imperium adeptus eſt; milites Chriſtianos fidei confeſſionis cauſa exauctoratos ac proſcriptos, in integrum reſtitui mandauit: quando (vt ait Sozomenus [q]) Valentinianus ea de cauſa in Melitina Armeniæ relegatus, priſtinæ militiæ redditus eſt. Sed & verum Dei cultum vbique reſtitui iuſſit; Eccleſiiſque ac clericis, viduis & virginibus, immunitates, donatiua, ac priuilegia omnia à præcedentib. Imperatoribus Chriſtianis conceſſa, atque à Iuliano Apoſtata ablata reddidit [r]. Inſuperque Epiſcopos [s] omnes ab exilio ad ſedes ſuas edicto promulgato reuocauit, & maxime Athanaſium, ad quem etiam ſcripſit vt fidei Catholicæ veritatem, quam inter tot diuerſas ac contrarias opiniones tuto ſequi poſſet, ad ſe mitteret. Quod & præſtitum eſt impigre, cum e veſtigio conuocatis ab Athanaſio ad SYNODVM Alexandriam primariis Epiſcopis ipſi ſubiectis, communi omnium decreto miſſus eſt ad nouum Imperatorem Catholicæ fidei libellus, qui hactenus extat inter Athanaſii [t] lucubrationes, & apud alios auctores: cuius etiam titulus, quo carent alii, apud Theodoretum [u] habetur, ſed fidelior textus penes ipſum Athanaſium.

q Soz. l. 6. c. 3.
IOVIAN. FIDEM CATHOL. VBIQ. RESTITVIT.
r Id. cap. 6. Theod. l. 4. cap. 4.
s Greg. Naz. orat. in laud. Athan. Soz. l. 1. c. 20. & alii.
ATHAN. LIBELLVS FIDEI AD IOVIAN.
t Athan. de fide ad Iouian.
u Theod. l. 4. cap. 3.

XX.

Haud vero ſegniores fuerunt hæretici. Siquidem auctor eſt Socrates [x], Macedonianos (ſic iam palam dictos Semiarianos, à Macedonio eorum anteſignano) præoccupaturos animum Imperatoris, obuiam redeunti à Perſide proceſſiſſe, expoſtulantes aduerſus Arianos; ſed Imperatorem eos reieciſſe, conteſtatum ſe nolle aures contentionibus præbere. Acacium autem, impiiſſimum illum Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopum, Arianorum anteſignanum, facem luemque totius Chriſtiani Orbis, cum regnante Arianæ hæreſis fautore Conſtantio, ei perpetuo inhæſiſſet; vt tranſlatum vidit Imperium in hominem Nicænæ fidei profeſſorem, ne quod ſæpius aliis procurauerat, exilium iam ipſe pateretur, pietate ſimulata, vna cum ſuis venientem Antiochiam ad CONCILIVM, à Meletio eiuſdẽ ciuitatis Orthodoxorum Epiſcopo hoc ipſo tempore poſt reditum ab exilio celebratum, fidei Conſubſtantialis conſenſiſſe & Confeſſioni Nicenæ ſubſcripſiſſe; eaque de re libellum ad Iouianum miſiſſe. Hæc Socrates, & alii: [y] quamquam ea Arianos doloſe peregiſſe conſtet, ad circumueniendum Imperatorem. Addit vero Socrates, eoſdem in hac Synodo ſic recantantes palinodiam, non tantum ad Catholicam religionem receptos eſſe, ſed & gradum Epiſcopatus ſuaſque Eccleſias retinere permiſſos. Quod vltimum Marcellinus presbyter ſchiſmaticus Luciferianus, cum huius Synodi mentionem habet, magnopere deteſtatus eſt eo libello quem ad Theodoſium ſcripſit. Ceterum de huiuſmodi hæreticis pro conditione temporis fidem mutantibus, lepide Themiſtius [z] philoſophus, de quo ſuperius, dixit eos non Deum ſed purpuram coluiſſe: Euripoque ſimiles eſſe, qui modo in hanc modo in illam partem præcipitatur. Meminit quoque eiuſdem Synodi Antiochenæ Hieronymus in Chronico: ſed deprauatus eſt ſane textus, qui ita reſtituendus eſt, vt dicat. [22] *Synodus Antiochiæ à Meletio & ſuis facta in qua Homiuſio & Homeuſio reiecto, medium inter hæc Homouſion receperunt, & Macedonianum dogma reiecerant.*

x Socr. l. 3. cap. 20. 21.
HÆRETICI STVDENT INSINVARE SE IMPERATORI.
DE SYNODO ANTIOCH. SVB MELETIO.
y Soz. lib. 6. cap. 4. Suid. verb. Iouian. Marcell. presb. libel. ad Theodoſ.
z ap. Socr. ibid.

22 Ita quidẽ emendauit Baron. auctoritatem ſecutus Socratis & Sozomeni. At vero huiuſmodi emendationi omnino repugnant cum libri editi, tum præcipue mſ. omnes: quorum cum ingentem copiam ſe vidiſſe refert. ARN. PONTACVS inſignis eruditionis & pietatis Epiſcopus Vaſatenſis. In Notis ad Chronicon Hieronymi, hanc in eis inuenit lectionem. *Synodus A. a M. e. ſ. f. in qua Homouſio Anomœoque reiecto, medium inter hæc Homœiuſion* Macedonianum dogma vindicauerunt. Idq; ita interpretatur, vt Meletius & Synodus ſecuti ſint dogma Macedonianum: quod reiecta fide Catholica de Homouſio, i. de eadem Filii cum Patre ſubſtantia, & opinione Acacii de Anomœo, h. e. de diuerſa ſubſtantia Filii à Patre, retinebat Homœouſion, tanquam medium inter vtroſque, i. aſſerebat Filium non eiuſdem, nec diuerſæ, ſed ſimilis ſubſtantiæ cum Patre. Sicque omnino Hieronymi verba accipi debere, ſatis probat. At certe apud Socratem obſeruare licet, Epiſcopos qui Synodo interfuerunt, quamuis fidem Nicænam amplecti, Anomianoſque deteſtari dicant, Homouſion tamen ſic interpretari, quaſi aliud non ſignificet, quam ſimile ſubſtantia: quod ipſum plane erat Homoiouſion cum Macedonio ſtatuere. Neque tamen ideo detrahendum Meletio viro ſanctiſſimo, qui facile potuit decipi fraudulentorum hominum verborum inuolucris, cum alias ſemper conſtans permanſerit aſſertor fidei Catholicæ Homouſii & Conſubſtantialis, frequentiaque ea de cauſa exilia pertulerit.

XXI.

a Socr. c. 22. ARIANI FRVSTRA CALVMNIANTVR ATHAN.

Qui autem hæreſim Arianam pertinaciter ſectari inſtituerunt (ſiquidem Imperator declarauit [a], ſe nemini qualemcunque fidem amplexanti moleſtiam exhibiturum) quorum ſignifer videbatur Euzoius Antiochenorum ſuæ ſectæ Epiſcopus, conati Imperatorẽ ab amicitia Athanaſii diuellere, plurimas in eũ accuſationes plane calumnioſas intulerunt: quas tamen idem Athanaſius, ſiue ſponte (vt vult Sozomenus [b]) ſiue (vt ſcribunt Epiphanius [c] atq; Ruffinus) Imperatoriis litteris accerſitus Antiochiam ad illum accedens, cunctas facile diluit, & cum multo honore ad Eccleſiam ſuam remiſſus eſt. Sed dum ibidẽ Antiochiæ ageret, turbata ea Eccleſia nouis factionibus, occaſione, Vitalis presbyteri [d] partium Meletianarum moribus ac pietate illuſtris, exagitantis Paulinum alterius Catholicorum partis Antiſtitem, tamquam Sabellianæ ſectatorem hæreſis; idem Paulinus coram Athanaſio ſe purgauit ſcripta fidei Catholicæ confeſſione, qua & Sabellio anathema dixit. Recitat illam Epiphanius [e], dum narrationem inſtituit de alia rurſum altercatione, quam pariter ipſe Epiphanius alio poſt tempore habuit ibidem Antiochiæ cum eodem Vitale, qui poſtmodum derelicta communione Catholica, adhæſit Apollinari, & factus eſt ſuæ ſectæ Antiochenus Epiſcopus.

b Soz. li. 6. cap. 1. c Epiph. hær. 68. d Sozom. l. 6. cap. 27. e Epiph. hær. 77.

XXII.

IDOLORVM TEMPLA CLAVSA, ET SACRIFICIA VETITA. f Socr. l. 3. c. 20.

Sub hoc idem tempus Gentilium delubra Iouiani iuſſu occluſa, atque victimarum ſacrificia ſublata fuiſſe: Gẽtiles quoque ipſos ſe occultaſſe, & philoſophos pallio depoſito communem habitum ſumpſiſſe; auctor eſt Socrates [f]. Ceterum hæc philoſophis contigiſſe potuerunt timore Chriſtianorum, quod iidem cuncta quę paſſi eſſent illis accepta ferrent: alioqui enim factum eſt, vt præter ſpẽ omnem ipſe Imperator Iouianus (quod Eunapius tradit) non deſtiterit illos honoribus proſequi, Maximum præſertim & Priſcum, quos in Perſidem ſecum duxerat Iulianus, tum philoſophia tum etiam magia celebres. Qua forte ex cauſa Iouianus diuinum in ſe numen haud leuiter concitauit: eoque exemplo admonitus Valens, qui poſt eum Orientale adminiſtrauit Imperium, eiuſmodi genus hominum grauiter inſectatus eſt.

VALENTIN. ET VALENTIS, AN. I.

IESV CHRISTI AN. 364.

LIBERII AN. 13.

I.

a Socr. lib. 3. c. 21-22. b Am. l. 25. IOVIANI IMP. OBITVS REPENTINVS. c Am. ibid. Hier. ep. ad Heliodor. Soz. li. 6. c. 6. IOVIANVS IN QVIB DELIQVIT.

ANno Chriſti trecenteſimo ſexageſimoquarto, Iouianus Imperator cum Antiochia iturus Conſtantinopolim, ipſis Calendis Ianuariis, quibus nouis Coſſ. aperitur annus, perueniſſet Ancyram Galatiæ, illic ipſe adiit Conſulatum, aſcito ſibi in collegam filio paruulo, nomine patris ſui *Varroniano*. Cumque inde profectus, perueniſſet ad locum Dadaſtanam dictum, qui Bithyniam diuidit [a] à Galatia (vbi & Themiſtium philoſophum, alioſque ordinis Senatorii obuiam factos excepit, eiuſdemque orationem Conſularem audiuit) ibidem, vt ait Ammianus, [b] improuiſo caſu nocte exanimatus inuentus eſt. Inter varias autem huius repentini obitus opiniones, ea verior credita [c] eſt, vt denſo prunarũ vapore (cum ad exiccandũ recens ædificatum parietem, in eius cubiculo incenſa fuiſſent collocatę) ſpiraminum meatibus occluſis interierit. (Cuiuſmodi repentinos obitus, ſæpe Romæ noſtra ætate audiuimus contigiſſe.) Si vero cauſam ex infenſo numine afferre licet (nam diuino arbitrio hæc omnia tranſigi, nemo negarit) cum illa præceſſiſſe videtur, quam diximus de honore ab eodem Imperatore exhibito Maximo ac Priſco philoſophis magis, tum etiã quod, vt Ammianus tradit, cum Tarſum perueniſſet, exornandum Iuliani ſepulchrum decreuit, hominis alioqui ne cæſpitia quidem ſepultura digni. Impios enim indignos eſſe ſepulchro, Ioſias [d] Rex ſanctiſſimus docuit: quippe quod ædificatione & ornatu ſepulchrorum, probari acta eorum qui ibi recõditi ſunt, ſententia Domini [e] reddatur manifeſtum.

d Paralip. 34. e Matt. 23.

II.

Ceterum cum auctoritate Socratis & Eutropii conſtet, Iouianum deceſſiſſe decimoſeptimo Calendas Martii, oportuit eum imperaſſe menſes tantummodo ſeptem & dies viginti: quem natum fuiſſe annos triginta tres, tum iidem auctores, tum inprimis Ammianus teſtatur: ex quibus Victor redarguitur, dũ ait ad quadrageſimum proxime perueniſſe annum. Sed & illi omnes qui eum non *Iouianum* appellant, ſed *Iouinianum*, ex antiquorum nummorum inſcriptionibus manifeſti redarguuntur erroris. Eius vero corpus ex more curatum, miſſum eſſe Conſtantinopolim vt inter Auguſtorum reliquias (nempe in atrio baſilicæ Apoſtolorum) reconderetur, Ammianus tradit.

III.

VALENTINIANVS CONFESSOR ELIGITVR IMP. f Am. l. 26. g Nic. l. 11. c. 1. h Suid. verb. Saluſt.

Progreſſo autem exercitu Nicæam Bithyniæ, decimo die ab obitu Iouiani (inquit Ammianus [f]) VALENTINIANVS abſens (relictus enim Ancyrę fuerat poſtea ſecuturus) nulla diſcordante ſententia, numinis aſpiratione cœleſtis, electus eſt Imperator, agens ſcholam Scutariorum ſecũdam. Iam enim olim prodigio quodam ſub Imperatore Conſtantio Imperium Valentiniano pręnunciatum fuiſſe, Nicephorus [g] tradit. Auctorque eſt Suidas [h], cum creatum eſſe Imperatorem à Salluſtio Præfecto tunc Prætorio cuius virtutes prædicat, & Valentiniani Imperii exordiũ ad iuſtitiæ integritatem bene compoſitum refert. Contigiſſe autem eius creationem quinto Calendas Martii, auctor eſt Socrates [i], eumque fuiſſe Pannonium Cibele ortum, patre Gratiano non generis nobilitate, ſed propria virtute clariſſimo: cui tradit Victor [k] comparatum fuiſſe cognomentum *Funarii*, ex eo quod venalitium funem portanti quinq; milites nequiuerint extorquere: eoq; merito aſcitum in militiam, vſq; ad Præfecturæ Prætorianæ potentiam conſcendiſſe: ac demum ob eius apud milites commendationem, Valentiniano reſiſtenti Imperium eſſe collatum. Hæc Victor.

i Soc. l. 4. c. 1. k Vict. in Valent.

IV.

l Zos. l. 4.

Simulac autem Valentinianus ad exercitum ſe contulit, cum ex more concionem eſſet habiturus ad milites, oborto tumultu eorum qui prouectionem eius indigne ferebant, elata tunc ipſe proſpere dextra (vt ait Ammianus) plena fiducia; ſeditioſos ac pertinaces increpans, ex inſperato compeſcuit. Quin etiam (vt teſtatur Zoſimus [l]) ſubiecit quęſtioni aliquos nobiles, Iuliani quondam amicos, quorum præſtigiis ſibi tunc repẽtinum morbum immiſſum putauit. Poſt hæc autem (Ammianus ſubdit) Nicomediam itineribus citis ingreſſus Calendis Martii, Valentem fratrem ſtabulo ſuo cũ Tribunatus dignitate præfecit. Indeq; cum veniſſet Conſtantinopolim, multa ſecũ ipſe deuoluens, & magnitudini vrgenti negotiorum iam ſeſe parare conſiderans; nihil immorandum ratus quintũ Calendas Aprilis productum eumdem Valentem in ſuburbanum, vniuerſorum ſententiis concinentib. Auguſtũ pronunciauit, decoreq; Imperatorii cultus ornatum, & tempora diademate redimitum, in eodem vehiculo ſecũ reduxit. Hæc Ammianus. Porro ambos fratres meruiſſe ſub Iuliano laudem Confeſſionis ob egregie defenſam Chriſti fidem, iam dictum eſt ſuperius.

VALENS FRATER VALENT. ASSVMITVR AB EO IN COLLEGAM IMP.

V.

m Am. l. 26. MISER ROM. IMPERII STATVS.

Qualis autem hoc tempore fuerit Imperii Romani ſtatus (vt ex his quantum intulerit damni impietas temeraria Iuliani, quantumque retulerit commodi Religio Chriſtiana, poſſit intelligi) ex Ammiano [m] ſatis conſtat, dum ait, velut per vniuerſum orbem Romanum bellicũ canentibus buccinis, excitas gentes ſæuiſſimas limites ſibi proximos perſultaſſe: puta Alemanos, Gallias, Rhetiaſq; Sarmatas, Pannones, & Quados, Rhetos, Saxoneſque, & Scotos, atq; Atacittos, Britanniam; Auſtorianos, Mauricaſq; alias gentes, Africam; Gothos, Thracias; Perſas, Armenias. Quam turpem rerum faciem, deformiorẽ reddidit ciuile bellum Procopii, de quo proxime dicturi ſumus. Interim n. vt tum Orientali tum Occidentali pariter languenti Imperio conſultum eſſet, ac tumultuantes vndiq; barbari facilius coercerentur, illud opportunum viſum eſt Valentiniano remedium, vt relicto Valente fratre in Oriente, ipſe in Occidentẽ ſeſe trãsferret. Itaque partitis inter ſe exercitibus ac ducibus, rebuſq; diſpoſitis, percurſis Thraciis vna ſimul in Pannoniam deſcendentes, Sirmium peruenere. Vnde ab inuicem digreſſi, Valens reuerſus eſt Conſtantinopolim, Valentinianus Mediolanũ ſe contulit. Quæ omnia pluribus Ammianus.

FRATRES PARTIVNTVR IMP.

Cum

VI. n Soz. l. 6. c. 7. VALENT. SCITE DICTVM.

Cum autem adhuc in Thracia Valentinianus eſſet (vt refert Sozomenus [n]) occurrere illi Epiſcoporum Helleſponti & Bithyniæ Legati, petentes vt ipſis de fide tractare cupientibus, in vnum conueniendi poteſtas permitteretur: quibus Imperator reſpondit; *Sibi qui vnus è laicorum numero eſſet, non licere ſe eiuſmodi negotiis interponere, & ideo Epiſcopos quibus hæc curæ eſſent, ſeorſum per ſe vbicumque libitum foret in vnum conuenire poſſe.* Quapropter Lampſaci Concilium coactum eſt. Verum cum illud anno tantum ſequenti celebratum eſſe, Socrates [o] probet, erroris idem Sozomenus arguitur, dum ait Valenti, relicto fratre Conſtantinopolim redeunti, occurriſſe apud Heracleam Legatos Concilii Lampſaceni, afferentes Acta eiuſdem Synodi. Quem errorem alius eiuſdem auctori [p] ſequitur, dum poſt Concilium Lampſacenum, PROCOPII eſſe obortam tyrannidem tradit; quam hoc anno cœptam liquet.

o Socr. l. 4. c. 2. 4. 5. p Soz. cap. 8.

VII. DE PROCOPIO TYRANNO.

Fuit hic quidem natione Cilix, propinquus genere Iuliano Imperatori, à quo etiam (vt vidimus) admonitus fuerat de ſuſcipiendo Imperio ſi ipſe Iulianus apud Parthos obiret. Is cum à Iuliano ſuſcepiſſet curam deferendi cadaueris Iuliani è Perſide Tarſum, poſtquam ſuprema perſoluit cognato, ſeceſſit, nec viſus eſt perquiſitus ſtudio ingenti, niſi cum multo poſtea Valentiniano exiſtente in Galliis, ac Valente Cæſareæ Cappadociæ, autumnali huius anni tempore, opportunam nactus vtriuſque Imperatoris abſentiam, Conſtantinopoli purpuratus apparuit; vbi à paucis admodum primo, inde vero à vili plebecula, acclamatus velut in ſcenicis ludis Auguſtus, paulatim auctus virib. in metuendum tyrannum euaſit, adeoq; in arctum Valentem conſtrinxit, rebus hoc & ſequenti anno feliciter ei ſuccedentibus, vt Valens abiicere purpuram aliquando cogitauerit: feciſſetque niſi fuiſſet à comitibus impeditus. Habet hæc omnia plurib. Ammianus [q]. Adiutum autem primum omnium fuiſſe Procopium ab Eugenio eunucho, conſilio & opibus, auctor eſt Zoſimus [r].

q Am. l. 25. 26. r Zoſ. l. 4.

VIII. MAXIMVS PHILOS. DIRA PATITVR.

Eodem vero tempore quo Procopius inuaſit Imperium (vt auctor eſt Eunapius) Maximus philoſophus Epheſius (è cuius fonte omnem in Eccleſiam ſub Iuliano perſecutionem deriuaſſe creditum eſt) iuſſu Valentis Imperatoris multa exquiſita tormenta paſſus, per Clearchum Aſiæ Proconſulem Valentis pernéceſſarium, à vinculis, quæſtionibus, & equuleo ad tempus liberatus eſt. Cui infenſum quoque fuiſſe Valentinianum, quod ille Iuliani temporibus criminationem quamdam aduerſus ipſum Valentinianum ſtruxiſſet, Zoſimus teſtatur: additque eoſdem Imperatores infeſtos fuiſſe his quos ſciſſent Iuliano extitiſſe cariores. Qui quidem ſicut Iuliani magos exagitarunt, ita hoc eodem anno aduerſus Idololatras legem ſanciuerunt [s], ne quis nocturna ſacra celebrare auderet. Cuius idem meminiſſe videtur Zoſimus [t], quam in Græcia Prætextati Proconſulis vehementiſſimi Gentilitiæ ſuperſtitionis defenſoris precibus abrogatam fuiſſe tradit. Porro Valentinianum hoc ſui Imperii exordio dediſſe legem: vt quiſque quam vellet religionem coleret; idem ipſe in alio à ſe poſt ſeptem annos dato reſcripto [u] teſtatur: qui & eo nomine laudatur ab Ammiano [x], quod numquam aliquem pro religionis diuerſitate inquietauerit. Haud enim idolorum cultura, quam altas ſub Iuliano radices fixiſſe ſciebat, actutum ſibi videbatur poſſe conuelli. Ceterum quos arcuiſſet Iulianus à docendo Chriſtianos profeſſores eos iidem Imperatores hoc anno ſancita lege [y] honorifice reuocarunt.

s l. 7. C. Th. de maleſ. t Zoſ. l. 4. LEX VALENTIN. DE LIBERTATE RELIGIONIS. u l. 9. C. Th. x Am. l. 30. y l. 6. C. Th. de med. & profeſ.

VALENTINI. VALENTIS, AN. 1.

IESV CHRISTI AN. 365.

LIBERII AN. 14.

I. CONCILIVM LAMPSACENVM SEMIARIANORVM.

ANno Chriſti trecenteſimo ſexageſimo quinto, Valentiniano & Valente Imperatoribus Coſſ. ſeptimo anno poſt Concilium Seleuciæ ſub Conſtantio habitum, *Lampſaci* in Helleſponto CONCILIVM celebratū eſt. Qua in re illud primum animaduertendum, errare Sozomenum [a], atque ceteros omnes qui putarunt illud fuiſſe Catholicorum, qui Conſubſtantialitatem Filii Dei tuerentur; quod iterata Baſilii [b] aſſertione conſtat ab hæreticis habitum eſſe; nempe à Semiarianis, qui ſic Arianos oppugnarent, negantes Filii cum Patre ſimilitudinem atque ſubſtantiam, vt tamen nequaquam eſſent aſſertores Nicænæ confeſſionis de Conſubſtantialitate. Quod vero iidem reſpectu Arianorum viderentur eſſe Catholici: inde multi exiſtimarunt à Catholicis celebratum eſſe Concilium, quod certo conſtabat aduerſus Arianos eſſe peractum; immo & aliquos Catholicos ad illud vocatos eſſe, ſicut de ſe Baſilius (nondum tamen tunc Epiſcopus) teſtatur [c] ſcribens ad Euſtathium Sebaſtenum anteſignanum eius conuentus. Cuius quidem celebrandi cauſa illa potiſſima fuit, vt editam Conſtantinopoli ab Eudoxio, Acacio, & aliis impudentiſſimis Arianis portentoſam fidei Formulam penitus abolerent: & Antiochenam in Encæniis editam, ac poſtea Seleuciæ confirmatam (de quibus omnibus dictum eſt ſuis locis) ſtabilirent. Quod & factū eſſe, ſimulq; in eoſdem Acacium & Eudoxium ſententiam condemnationis repetitam, Socrates [d] & Sozomenus [e] tradunt. Sed & præter hæc ab iiſdem Semiarianis in eodem Concilio additam fuiſſe Spiritus ſancti diuinitatis ex ſententia Macedonii negationem, Socrates ſignificat. Quæ vero tum à Legatis Synodi, tum ab Eudoxio geſta eſſe cum Valente Imperatore; Sozomenus addit: ea omnia contigiſſe anno ſequenti, poſt extinctum Procopium conſtat: cum hoc anno abſque vlla temporis intermiſſione Valens acerrime à tyranno vexatus fuerit, & ad vltimum ferme diſcrimen adductus.

a Soz. l. 6. c. 7. b Baſil. ep. 72. 82. c Id. ep. 79. d Socr. lib. 4. ca. 4. e Soz. l. 6. c. 7.

II. LEGATI CONC. LAMPSAC. SVBRIPIVNT COMMVNIONEM A LIBERIO PAPA.

Porro quæ Lampſaci Semiariani ſtatuerunt, eadem ab aliis eiuſdem communionis Epiſcopis diuerſis in locis coeuntib. confirmata ſunt: eorumq; omnium conſenſu ſcriptæ Synodales epiſtolæ ad Occidentales Epiſcopos; at præcipue ipſum Romanum Antiſtitem. Quod autē probe ſcirent numquam ſe ab eo extorturos communicationem, niſi per Nicænæ fidei confeſſionem: fraudulenter rem agentes, Legatos miſerunt ex omnib. qui eſſent audaciſſimi & ad fingendum maxime comparati: Euſtathium Sebaſtię Minoris Armeniæ, Theophilum Caſtabalorum, & Siluanum Tarſi Ciliciæ Epiſcopos. Qui cū Romā perueniſſent, ac Liberius litteras quas ipſi attuliſſēt, recipere recuſaret, quod ab Arianis datę eſſent: reſpondentes illi, ſe pœnitentia ductos veritatem agnouiſſe: ac mox petenti Liberio libellum ſuis manibus ſubſcriptum offerentes; quo fidem Nicænam ac doctrinam Conſubſtantialitatis profiterentur, & Ario eiuſq; fautorib. anathema dicerent: iidem in communionem à Liberio recepti, ſuſceptis ab eodem ad Orientales Epiſcopos gratulatoriis ſimul ac pacificis ſeu communicatoriis litteris, dimiſſi ſunt. Hæc quidem omnia pluribus Socrates [f]; qui libellum ipſum Legatorum, litteraſque Liberii recitat: perperam tamen hæc referens ad Valentiniani & Valentis Auguſtorum ſecundum Conſulatum, tertium videlicet ab hinc annum: cum conſtet nequaquam ad illud tempus Liberium perueniſſe. Deniq; nec has ſolum, ſed & alias Legatis litteras Liberium dediſſe, quibus præciperetur vt qui ſedibus expulſi fuerant poſt fidei Catholicæ confeſſionem iiſdem reſtituerentur, apparet ex iis quæ mox dicentur.

f Socr. lib. 4. cap. 11.

III. CONC. SICVLVM.

Interim Euſtathius cum ſuis Roma diſcedens, in Sicilia CONCILIO (vt ait Socrates) Epiſcoporum Inſulæ conuocato, fidem Conſubſtantialis iterum profeſſus eſt, acceptiſque à Synodo litteris in eamdem cum epiſtola Liberii ſententiam, illinc receſſit. Idemque præſtitiſſe in Illyrico, patet ex literis Epiſcoporum eius prouinciæ, quas Theodoretus [g], licet cōfuſo rerū geſtarum ordine, recitat: ex quib. etiam conſtat, Liberium Papam vna cum iiſdem Legatis miſiſſe in Aſiam *Elpidium* Romanę Eccleſiæ presbyterum. Tradit inſuper Sozomenus [h], eoſdem Legatos redeuntes in Orientem tuliſſe pariter ſecum litteras ab Epiſcopis Galliæ & Africæ. Sed & alias eodem tempore ab Imperatorib. ad eoſdem Aſianos cōſcriptas; idem Theodoretus [i] habet. His igitur omnibus munitus Euſtathius, ad SYNODVM quæ à Catholicis agebatur *Tyanæ* in Cap-

g Theod. l. 4. ca. 8. h Soz. l. 6. c. 12. i Theod. ibi. ca. 8.

SYNODVS TYAN.

SYNODVS TYANEN.

k Baſil. ep. 74.

padocia ad radices Tauri montis ſe contulit. Vbi litteris Liberii Papæ oſtenſis, mox idem earum auctoritate Eccleſiæ Sebaſtenæ reſtitutus eſt, è qua pulſus olim fuerat à Concilio Melitinēſi ob communicationem cum Eudoxio. Hæc enim teſtatur S. Baſilius[k], cum ſcribens poſtea ad Occidentales aperuit veternoſi hæretici vaſtum conſilium in ſurripiendis hiſce à Liberio literis. Ceterum magna alacritate Synodum Tyanenſem excepiſſe litteras tum inſignis Liberii tum aliorum Occidentalium Epiſcoporum, eaſq; ad omnes Eccleſias miſiſſe vt earū doctrinæ ſubſcriberent: ſed & Epiſcopos omnes ad certum diem Tarſum Ciliciæ inuitaſſe. Sozomenus tradit. Hæc autem omnia à tempore Concilii Lampaſceni vſque ad abſolutam Synodum Tyanenſem, exceſſiſſe huius anni terminum, & occupaſſe partem ſequentis, ob rerum multiplicitatem facile adducimur vt credamus.

IV. DIRISS. TERRÆMOTVS. ET MARIS EFFVSIO.

l Am. l. 26. m Soz. l. 6. c. 2. n Nic. li. 10. cap. 35. o Oroſ. l. 7. c. 32. p Hier. in Chron.

Præſens item annus memorabilis extitit horrendis tremoribus qui per omnem Orbis ambitum graſſati ſunt ſubito (inquit Ammianus[l]) quales nec fabulæ nec veridicæ nobis antiquitates exponunt: itemque terribili maris retractione primum, moxq; eruptione, qua infinitiæ naues, perſonæ, ciuitates, nationes oppreſſæ ſunt. Deſcribit ea pluribus idem auctor: quę Sozomenus[m] & Nicephorus,[n] aliique eos ſecuti male referunt ad tempora Iuliani, quidam etiam ad Iouiani Imperium, ſed Oroſius[o] ſub Valētiniano & Valente Imperatorib. contigiſſe tradit, Hieronymus[p] anno ſecūdo eorumdem Imperatorum, nempe præſenti: ac deniq; Ammianus iiſdem Imperatoribus primum Coſſ. duodecimo Calendas Auguſti. Qua eadē neceſſitate accidit grande illud miraculum à S. Hilarione in fauorem Epidauritanorum editum, quod in eius vita Hieronymus refert; cum tribus ſignis Crucis in ſabulo pictis, mare quod iam ciuitati euerſionem minabatur, ita coercuit, vt poſtquam in immenſam altitudinem intumeſcens diu fremuit, quaſi ad obicem indignans, paulatim in ſemetipſum relapſum ſit. De Alexādrinis vero teſtatur Sozomenus, inſtituiſſe anniuerſariam memoriam eiuſmodi terræmotus ad reddendas Deo gratias. Si quid autem futurorum malorum portendendi iis caſibus vim ineſſe ex diuina ordinatione quis velit, diri Schiſmatis ſequenti anno in Eccleſia Romana ſubſecuti, & Perſecutionis aduerſus Catholicos à Valente Imperatore in Oriente excitatæ fuiſſe prænuntios, æque dicere poterit.

S. HILARIONIS GRANDE MIRACVLVM.

V.

q l. 4. C. Th. de cenſ. r l. 10. C. Th. de exact. s l. 8. C. de Epiſ. audiēt. t l. 8. C. de maleſ. u l. 8. C. Th. de pæn.

Eodem hoc anno ab iiſdem Imperatoribus inter alia reſcripta hæc fuere magna laude promulgata: Vt ſacrę virgines, viduæ, ac pupili, exempti[q] eſſent à cenſu capitationis: Ne Chriſtiani[r] ab exactoribus die Dominico conueniri poſſent: Vt eſſet[s] muneris Epiſcopalis prouidentiæ, ne mercatores carius ſuas merces venderent: Ne addiſcerentur[t], vel docerentur improbatæ magicæ artes: ac denique, Ne Chriſtiani delinquentes[u] damnarentur ad ludum; quod iam diu ante abolitum, impius Iulianus in odium Chriſtianorum reuocauerat in priſtinum vſum.

VALENTIN. VALENTIS AN. 3.

IESV CHRISTI AN. 366.

LIBERII AN. 15.

I.

a Amm. l. 26.

ANno Chriſti trecenteſimo ſexageſimo ſexto, Gratianus filius Valentiniani Imperatoris Nobiliſſimus Puer Conſul creatus eſt, vna cum Dagalaipho, qui antiqua peritia probatus, militiæ rector[a] conſtitutus à Iouiano, eodem munere in Galliis apud Valentinianum in Alemannica expeditione hoc tempore fungebatur. Vrbana vero Præfectura Romæ eſt collata hoc anno Lampadio, vt puto Chriſtiano homini, qui expenſas exhiberi ſolitas in munificentiſſima munerum editione, cōtulit in pauperes agentes in Vaticano: qua ex cauſa plebem in ſe concitauit, adeo vt parum abfuerit quin ipſius ædes combuſſerit: ſicut & anno ſuperiori combuſſerat domum Symmachi eamdem præfecturam tum agentis, acerrimi Gentilitiæ ſuperſtitionis defenſoris, ob denegatum vinum quod Imperatores diſtribui reſcripſerant. Hæc omnia pluribus Ammianus[b].

b Id. lib. 27.

II. PROCOPIVS ET MARCELLVS TYRANNI EXTINCTI.

c Id. l. 26. 27.

Hoc autem anno, aperto iam vere, Valens iuncto ſibi Lupicino Magiſtro equitum, aduerſus Procopium tyrannum validius agēs, deſertum illum à ſuis fugamq; captantem ſed à fugæ comitibus vinctū perductum capite truncari iuſſit, quod ad Valentinianum tranſmiſit in Gallias. Accepit illud ipſe Pariſiis, cum eodē tempore excepit Iouinum Magiſtrum equitum victorem redeuntem ab Alemannis: factumque eſt, vt cum Valens Lupicinum, tum Valentinianus Iouinum, ambos Magiſtros equitum, ob res præclare geſtas inſequentem annū Coſſ. deſignarent. Cum autem poſt extinctū Procopium *Marcellus* eius cognatus agens cum militibus apud Nicæā tyrannidem arripuiſſet: idem quoq; à Valentis militibus captus, diuque tortus occiſus eſt. Hæc omnia pluribus Ammianus[c] qui & *Bellum Gothicum* (quod cœptum ob auxilia ab eis Procopio præſtita, triennio perdurauit) reſque per Valentem aduerſus eos geſtas, nihil quidem illis mali inferentem, ſed ſolum cogentem ad pacem poſcendam, exacte proſequitur.

III.

d Theod. l. 4. cap. 11.

Sed cum ipſo expeditionis exordio, ambitioſum apparatum (vt vocat Ammianus) ad proximū bellum Gothicū magno ſtudio comparaſſet, decreuit ante profectionem (vt Theodoret°[d] ſcribit) ſacro muniri baptiſmate. Quod quidem hoc anno tertio eius Imperii factum eſſe, Hieronymus quoq; habet in Chronico. Quomodo vero blanditiis coniugis ſuæ, Ariani laqueis erroris iam antea irretitæ, conſenſerit baptizari ab Eudoxio Epiſcopo Conſtantinopolitano Arianorum omnium ſceleſtiſſimo, eidemq; ſe iureiurando obſtrinxerit perſeueraturum in impio eius dogmate; pluribus idem Theodoretus deſcribit. Sed quod attinet ad exordium Perſecutionis eiuſdē Valētis: hallucinati ſunt qui[e] retulerunt ad principium eius Imperii: necnon qui[f] negarunt id factum, niſi poſtquam Valentinianus frater, cuius timore continebatur, ex hac vita deceſſit. Ceterum Theodoretus vſque ad expeditionem Gothicam Valentem Catholicum perſeueraſſe affirmat: Et Hieronymus[g] vna cum baptiſmate ſuſcepto, à Valente cœptos vexari Catholicos tradit: Ac denique relegationem Epiſcoporum Orthodoxorum longe ante obitū Valentiniani factam eſſe demonſtrabitur inferius. Illud tamen conceſſerimus, eumdem Valentem poſt fratris obitum grauius Eccleſiam perturbaſſe.

VALENS BAPTIZATVR AB EVDOXIO. ET LABITVR IN HÆRESIM ARIAN.

e Socr. l. 4. c. 1. Soz. l. 6. c. 7. & alii. f Oroſ. l. 7. c. 32. & alii.

g Hier. in Chron.

IV. GREG. NAZ. ET BASIL. VOCANTVR EX EREMO.

h Gre. Naz. ep. 14. ad Boſphor. i Id. Apol. 1.

Contra cuius inſultus arma parantibus Epiſcopis, opportunum viſum eſt tempus vt duo illa cœli tonitrua, *Gregorius* Nazianzenus atq; *Baſilius*, ex eremo ad arenam certaminis prodeuntes, in hoſtes fidei cominus fulmina belli iactarēt. Et quidem Gregorius, cum de reditu antea ſæpe interpellatus auſcultare renuiſſet, tandem hac iam vrgente neceſſitate, parētibus amiciſq; euocantibus ceſſit; vt pluribus ipſe narrat tū alibi[h], tum præcipue Apologia[i] quam ſimul ac rediit Nazianzum pro cōcione dixit in auditorio frequētiſſimo, receſſionis & reditus ſui rationem reddens. Sed quod à pluribus ſcriptū eſt, eumdem ex eremo redeuntem factum eſſe Epiſcopum Nazianzenum: hoc ab ipſo Gregorio refellitur, dū ſæpius[k] aſſerit ſe nunquam eius Eccleſiæ fuiſſe ordinatum Epiſcopum, ſed tantum acceſſiſſe patri Epiſcopo ſenio cōfecto in ſacerdotali functione adiutorem, ac potiſſimum in Dei verbum prædicando, & hæreticos inſectando. Idem vero mox vt in Cappadociam rediit, curauit propēſius vna cum Euſebio Epiſcopo Cæſareæ Cappadociæ (æquioris iam antea erga Baſilium animi reddito) vt eumdem Baſilium pariter ab eremo reuocarent in patriam. Quod cum factū eſſet, tantum auctoritatis apud eundem Euſebium Epiſcopum ſuum Baſilius aſſecutus eſt, vt licet ipſi honore cathedræ ſecundus eſſet, Eccleſiæ tamē imperio potiretur, cuius omnimodam haberet adminiſtrationem: prout hæc omnia teſtatur idem Gregorius[l]. Sed & in variis tunc temporis conuentibus habitis, Chalcedone, Heracleæ, Cæſareæ, Baſilium pro Epiſcopo ſuo legationē obiiſſe, ex ipſiuſmet[m] ad Euſtathium epiſtola ſatis colligitur. Porro his quæ de eius reditu ab eremo Gregorius narrat, corrigenda ſunt quæ de eo aliter refert Sozomenus[n], ſiue alii. Itemque corrigendus Ruffinus[o], dum ait Baſilium & Gre-

k Id. orat. ad patr. & ep. 42. ad Gre. Nyſſ.

l Id. orat. in laud. Baſ.

m Baſil. ep. 79. n Soz. l. 6. cap. 15. o Ruff. l. 2. ca. 9.

Digitized by Google

gorum perſeueraſſe in eremo annos tredecim: qui habita exacta diſcuſſione temporis acceſſus & receſſus illorum, nonniſi quatuor annos illic manſiſſe reperiantur.

V. p Hier. de Script. Eccleſ. in Acac.

Hoc eodem p tempore defuncto illo ſcelerum omnium architecto & vexillario impietatis, Acacio cognomento Luſco, Epiſcopo Cæſareæ Palæſtinæ, Ariani æque Arianum hominem dedere illi ſucceſſorem Euzoium: diuerſum illum plane ab Euzoio itidem Ariano, creato Epiſcopo Antiocheno ſub Conſtantio. Hic vero qui Acacio ſucceſſit, apud Theſpeſium rhetorem cum Gregorio Nazianzeno fuerat Cæſareæ eruditus: cuiuſque poſtea factus vrbis Epiſcopus, plurimo labore corruptam Bibliothecam Origenis & Pamphili in membranis inſtaurare conatus eſt: ſed quod Arianus eſſet, ſub Theodoſio Imperatore pulſus, ſucceſſorem habuit Gelaſium de quo inferius. Hæc autem omnia docet Hieronymus q in Scriptoribus Eccleſiaſticis, dum eorundem elucubrationes recenſet: quas ſic ipſe legere conſueuit r, vt caueret à ſordibus. Porro hoc eodem anno ab iiſdem Arianis dire exagitatos eſſe, non Catholicos tantum, ſed & Nouatianos ac Macedonianos, alioſque hæreticos omnes qui cum ipſis non ſentirent, referunt Socrates s & Sozomenus t.

ACACII CÆSAR. EPISC. OBITVS.

VI. u Socr. lib. 4. c. 9.

Hoc item anno iiſdemque Coſſ. (vt auctor eſt Socrates u) natus eſt filius Valentiniano Imperatori, quem ſuo nomine *Valentinianum* appellauit. Genitus hic fuit ex *Iuſtina* Ariana femina, de qua ſæpe inferius. Quapropter licet Valentinianus omnium ſententia vſque ad obitum Catholicus permanſerit, vxoris tamen & fratris perfidia infamatur, tum quod nullus reperiatur ab eo adhibitus conatus, quo eoſdem ad meliorem frugem reuocaret aut graſſantem Valentem in Orthodoxos Orientis cohiberet, tum etiam quod in ipſo Occidente Auxentium Arianum, quantumlibet reclamantibus Catholicis, in ſede Mediolanenſi vſque ad mortem ſiuerit quiete agere.

VALENTINIANI IVNIORIS NATALIS.

VALENTIN. VALENTIS AN. 4.

IESV CHRISTI AN. 367.

DAMASI AN. 1.

I. a Faſti Amm. l. 27.

ANno Chriſti trecenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Flauiis Lupicino & Iouino a Coſſ. Romæ poſt Lampadium Viuentius geſſit præfecturam Vrbanã, id Ammiano teſtante, atque etiam reſcriptis b Imperatorum hoc anno datis de relaxandis vinculis die Paſchatis (exceptis ſacrilegis, maieſtatis reis, veneficis & maleficis, adulteris, raptoribus, & homicidis) & de non damnandis delinquentibus ad ludum. Ex quibus pariter redditur exploratum tempus obitus Liberii Papæ, & creationis Damaſi eius ſucceſſoris: nam ſub eiuſdem Viuentii Præfectura ſubortum eſſe ſæuum Vrſicini Schiſma aduerſus Damaſum, diſertis verbis Ammianus affirmat.

II. LIBERII PP. OBITVS.

Inter varias autem ſententias annorum ſedis Liberii, quas ſiue ſcriptorum ſiue exſcriptorum incuria induxit; habita exactiori ratione ipſius ingreſſus, qui contigit octauo Idus Maii anni Domini trecenteſimi quinquageſimi ſecundi, vſque ad præſentis anni quintum Idus Septembris quo deceſſit, opus eſt dicere eum ſediſſe annos quindecim menſes quatuor dies duos: qui ſepultus eſt via Salaria in Cœmeterio Priſcillæ. Remanſit vero poſteris eius memoria plane honorificentiſſima; quippe quem Ambroſius c *Sanctæ memoriæ virum* Baſilius d *beatiſſimum*, Epiphanius e *beatum* nominent reperimuſq; eius memoriam in nonnullis Martyrologiis f recenſitam inter alios Sanctos. Vt plane appareat, omnem maculam quam olim exul, Arianorum ac tempus communione, etſi non hæreſis prauitate, contraxerat, poſteriori illa confeſſione tempore Concilii Ariminenſis, & aliis poſtea ſecutis egregiis ipſius geſtis, prorſus fuiſſe deletam. Cuius etiam nomine inſignita fuit prima eccleſia, ab ipſo ædificata Romæ in monte Exquilino ex collatis impenſis Ioannis Patricii g, ea de re per viſum à Sanctiſſima Dei genitrice moniti, & miraculo niuium Nonis Auguſti deſcendentium confirmati: quæ Eccleſia poſtea, ob miraculi dignitatem nuncupata eſt S. MARIÆ *ad Niues*, vel S. MARIÆ *Maioris*.

EIVSMEMORIA SANCTA. c Amb. l. 3. de Virg. d Baſil. ep. 74. e Epiph. hær. 75. f Beda in Martyrol. 8. Cal. Oct. BASILICA LIBERII. g Vid. Breuiar. Rom.

III. DAMASVS PAPA.

Poſt obitum Liberii ſedem vacaſſe dies ſex, & in eius locum DAMASVM Hiſpanum Antonii filium fuiſſe legitime ſubrogatum die decima quinta Septembris, *Vrſicinum* vero poſtea eodem anno in ſchiſmate Pontificem acclamatum, conſentiunt omnes. Quæ enim olim cœperat in Clero Romano diſſenſio ex ſubſtitutione Felicis (licet Liberius eam componere ſtuduiſſet, recipiens in clero eos qui ordinati fuerant à Felice) latenter ſerpens, noui Pontificis electionis occaſione recruduit: dum alii ex parte Felicis, alii vero ex parte Liberii conarentur ordinare Pontificem. Itum eſt à maiori ſaniorique ad Damaſum: qui licet fuiſſet ex partibus h Felicis, Liberius tamen eum Vicarium conſtituerat, ſicut eiuſdem Liberii Acta i teſtantur. In quibus cum Damaſus presbyter iam tunc fuiſſe dicatur, erroris arguuntur qui eum dicunt ex diacono creatum Pontificem. Ceterum pars aduerſa indigne ferens ex communione Felicis electum eſſe Pontificem; vna cum diaconis Romanæ Eccleſiæ conſpirans, collectaque factioſorum hominum manu occupans baſilicam Sicinini, ſitam in Regione quinta Vrbis iuxta Forum Exquilinum, *Vrſicinum* diaconum creauit Romanum Epiſcopum. Magnos autem tunc obortos eſſe tumultus, immo & multas cędes in eadem baſilica Sicinini factas, Ruffinus k, Socrates l, Sozomenus m, Nicephorus, n aliique o teſtantur. Quin & ipſe Ammianus p homo Ethnicus, de his agens aſſerit in ea vno die reperta eſſe centum triginta ſeptem cadauera peremptorum, ita vt nec Viuentius Præfectus Vrbi hæc mollire ſufficiens, vi magna coactus ſeceſſerit in ſuburbanum.

h Marcel. presb. de ſchiſ. Vrſic. i Act. Liber. c. 2.

VRSICINI SCHISMA.

k Ruff. l. 2. c. 10. l Socr. l. 4. c. 24. m Soz. l. 6. c. 23. n Niceph. l. 11. c. 10. p Amm. l. 27.

IV. QVID AMMIANVS DE ROM. PONTIF.

Addit vero idem auctor, haud ſe mirari ſi tanta contentione Romanus Epiſcopatus appeteretur: cum (vt ait) id adepti futuri ſint ita ſecuri, vt ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis inſidentes, circumſpecte veſtiti, epulas curantes profuſas, adeo vt eorum conuiuia regales ſuperent menſas. Certe quidem ita Romæ his temporibus effulgebat Pontificum ſplendor, vt ipſis etiam ampliſſimis magiſtratibus inuidiam commoueret. Vnde Prætextatus ille Romanorum nobiliſſimus, quem in Græcia Proconſulatum geſſiſſe horum Imperatorum exordio vidimus: & Viuentio in Vrbana præfectura ſequenti anno ſuffectum, aliiſque magiſtratibus auctum conſtat; quemque in ſuis Saturnalibus interloquentem inducens Macrobius q, ſacrorum omnium Pręſulem nominat: hic inquam, ipſe talis tantuſque Prætextatus, inquit Hieronymus r, qui & Conſul deſignatus poſtea mortuus eſt, ſolebat ludens B. Papæ Damaſo dicere, *Facite me Romanæ Vrbis Epiſcopum, & ero protinus Chriſtianus.* Vt plane appareat, ſummo atque regali Chriſti Eccleſiæ ſacerdotio, regiam pariter magnificentiam fuiſſe coniunctam.

q Macrob. l. Saturn. r Hier. ep. 61. ad Pam.

REGIVS SPLENDOR SACERDOTII.

V.

Quæ cum ab Ethnico ſcriptore Ammiano carpantur, æque ab hæreticis recentioribus canino dente rabioſius corroduntur: haud conſiderantibus, antiquam hanc eſſe calumniam ab Ethnicis in Chriſtianos omnes illatam, vt (quod ait Tertullianus s) prodigas eorum cœnas ſugillarent: quæ tamen quantulumcumque, inquit ipſe, ſumptibus, conſtent, lucrum eſt pietatis nomine facere ſumptibus. Siquidem ex eis etiam inopes paſcebantur: cum alioquin idem Chriſtiani frequentius ieiunare ſolerent, ac Romæ potiſſimum vbi tribus dieb. cuiuſlibet hebdomadæ totius anni excepto tempore Quinquageſimę Paſchatis, ieiunari t conſueuerat. Sed & eadem vigente interdum ſanctiſſimos viros regias cœnas parare ſolitos, vel ex eo patet, quod de S. Ambroſ. teſtatus eſt u Viuentius Præfectus Prætorio in Galliis apud S. Martinum, eundem agentẽ Mediolanenſem Epiſcopum cõſueuiſſe exhibere conuiuia Præfectis atq; Coſſ. & abſque dubio digno muneris ſumptu: cum tamen haud ipſe Ambroſius voluptuoſus eſſet, quẽ Paulinus x ait quotidiano ieiunio corpus atteruiſſe. Denique eiuſmodi Apoſtolici viri ita nouerant vitæ inſtitutum attemperare, vt iuxta Apoſtoli y ſententiam, ſiue manducarent, Domino manducarent, ſiue non manducarent,

s Tert. Apol. c. 39.

t Aug. ep. 86. ad Caſul. SANCTORVM CONVIVIA. u Sulp. Seuer. dial.

x Paulin. in Vit. S. Amb. y Rom. 14.

æque

æque Domini cauſa non manducarent: omniaque charitate iubente, arbitrio ſpiritus agerent. Quos vt dignos laude cenſemus: ita illos damnandos, qui carni indulgentes de Chriſti patrimonio opſonantur.

VI. REFELLVNTVR MENDACIA DE ELECTIONE DAMASI.

z Gennad. de Script. Eccl. c. 15.

Sed vt ad ſchiſma Vrſicini redeamus: de eo complura ſcripta habentur à Marcellino presbytero R[illegible]o in eo libello, quem vna cum Fauſtino diacono ob[illegible] z poſtea Theodoſio Imperatori: cui⁹ lectione ducti le[illegible]imi quidam, nulla rerum habita diligentiori perueſtigatione, imprudenter nimis primas detulerunt Vrſicino. Sed cũ manifeſtum ſit, Marcellinum bis fuiſſe ſchiſmaticum, adhærentem primo eidem Vrſicino ac poſtea Luciferianis hoſtemque Damaſi implacabilem; ea in hac cauſa fides illi adhibenda eſt, quæ latronibus ſolet accuſantib. eos quos ipſi fuerint deprædati. Porro hæc cauſa publicis iudiciis ſæpe diſcuſſa, adeo explorata eſt reddita, vt Imperatores ipſi ſæpius aduerſus Vrſicinum eiuſque ſectatores reperiantur dediſſe reſcripta [a], eoſdemque exiliis aliiſque pœnis mulctaſſe. quod de ipſo quoq; Vrſicino Ammianus [b] teſtatur; qui ait eum anno ſequenti pulſum eſſe in exilium à Prætextato Vrbis Præfecto. Sed & mendacio illi, quo dicunt primitus Vrſicinum, ac ſubinde Damaſum poſt dies ſeptem eſſe creatum Romanum Epiſcopum manifeſte, aduerſantur Hieronymus [c], Ruffinus [d] ac Græci auctores quos ſuperi⁹ recenſuimus: qui vno omnes ore affirmant, primo Damaſum ordinatum eſſe, poſt aliquot autẽ dies Vrſicinum electũ. Deniq; Ambroſius, & ipſe Romanus & Romæ tunc agens, ſcribens [e] poſtea ad Valentinianũ Iuniorem Imperatorem, cum de Damaſo Papa obiter incideret mẽtio, ait eum iudicio Dei electũ fuiſſe. Sed quod eius legitima electio omnibus nota eſſet, ſchiſmatici ad falſas accuſationes cõuerſi ſanctiſſimum virum adulterij accuſarunt; quem S. Hieronymus [f] virginem, Eccleſiæq; virginis doctorem appellat; cuiuſq; mores eximios Græci [g] pariter prædicant. Porro totis octodecim annis quibus vixit in Pontificatu, non deſtitiſſe ſchiſmaticos ipſum exagitare. conſtat ex iiſdem Imperatorum reſcriptis aduerſus illos ſingulis fere annis promulgatis. Cum interim ipſe Damaſus [h] pro vnione S. Eccleſiæ nuncuparet vota Martyribus; quæ & perſoluit vbi Romanus Clerus relicto Vrſicino ei coniunctus eſt.

a Reſcr. Bar. Annal. To. 4 ſeqq. anno.
b Am. l. 27.
c Hieron. Chron.
d Ruff. lib. 2. cap. 10.
e Amb. ep. 30.
f Hier. ep. 50. ad Pam.
g Theodor. l. 5 c. 2. Suid. 4 c. 27. Soz. lib. 6 cap. 28. Niceph. l. 11. c. 29.
h Inſcript. antiq. Append. pag. 1171. num. 3.

VII GRATIANVS AVGVSTVS.

i Socr. lib. 4. cap. 10.
k Lib. C. Th. de pæn. l. 3. & Th. de indul. &c.
l Am. l. 27.

His iiſdem Coſſ. GRATIANVM Valentiniani filium à patre creatum eſſe Auguſtum, Socrates [i] tradit: quem & quibuſdam reſcriptis [k] hoc eodem anno mẽſibus Maii & Aprilis datis, vna cum patre & patruo inſcriptum liquet. Feciſſe id autem Valentinianum, poſtquam crebris pulſatus febribus vix ex inſperato conualuiſſet, Ammianus [l] affirmat: qui Gratianum fuiſſe adulto proximũ ait; immo iam adultum fuiſſe, Valentinianus ea ratione quam tunc habuit coram exercitu, teſtatus eſt. His vero proxime ſubdit Ammianus multa de eiuſdem Imperatoris nimia ſeueritate, in puniendis quibuſcunq; leuiſſimis delictis. Quod enim homo eſſet natura ferus atque inſuper præſeferret prauorum morum correctorem; eius quoque miniſtri ſæpe ad ſummam ſeueritatem iura ſæuire permiſerunt. Nam præter eos, quos gladius vindex magiæ leuiter ſuſpectos abſtulit, incredibilibus etiam quæſtionibus & cædibus exagitatos eſſe illos quos adulterii vel ſtupri cauſa apparitores Præſidum inſcripſiſſent, nec viles tantum perſonas, ſed nobiles vtriuſque ſexus, idem Ammianus [m] deplorat. At ſuperauit omnes eos caſus, feritas aduerſus Chriſtianam feminam Vercellenſem ẽxhibita; quæ à marito poſtulata rea, ſed innocens criminis adulterii, exquiſitis diu tormẽtis lacerata, nec vmquam adducta ſe ipſam falſo accuſare, ex confeſſione tamen adoleſcentis, qui ei ſtuprum intuliſſe vi tormentorum aſſeuerat, vna cum illo capitis damnata eſt. Sed cum adoleſcentis ad primum ſtatim ictũ amputatum eſſet gladio caput, ipſa ſepties icta, nec tamen læſa, niſi quod mucro lethalis leuiter perſtringens cutem, raſuræ modicę ſanguinem aſperſit; quaſi tamen mortua ad tumulum elata, inde viua educta ſanata eſt. Quam rem geſtam luculento ſtylo S. Hieronymus [n] proſecutus eſt, plane deteſtans ſeueriſſimi Principis per miniſtros crudeliores ſæuientem nimium in perſequendis delictis ardorem quo innocentes quoq; interdum puniri contingeret.

SAEVITIA VALENTINIANI IMP.

m Am. l. 28.
DE MVLIERE SEPTIES ICTA, NEC TAMEN NECATA.
n Hier. ep. 49. ad Innocent.

VIII

o Socr. lib. 4. cap. 10.
p Hieron. in Chron.
PLAGA GRANDINIS.

Quod autem ſpectat ad res Orientales; hoc anno pariter iiſdemque Coſſ. [o] grando magnitudine inuſitata, lapidibus ſimilis, Conſtantinopoli decidit, qua complures [p] necati ſunt. Cuiuſmodi clade & alias quoque prouincias affectas eſſe, interque eas Cappadociam, teſtis eſt celebris illa oratio, *De plaga grandinis* inſcripta, dictaque Nazianzeni coram patre mœrente à Gregorio Theologo. Sed & quæ ſecuta eſt, fames poſt hominum memoriam atrociſſima, cum alios præcipue Cappadocas magnopere exagitauit; quo tempore Cæſareæ, S. Baſilii adhuc preſbyteri magnam enituiſſe in alendis pauperibus charitatem, idem Gregorius alibi [q] teſtatur; immo & ipſum patrimonium ſuum in eoſdem pauperes erogaſſe, auctor eſt germanus eiuſdem Baſilij Gregorius [r] Nyſſenus.

q Gre. Naz. ora. in laud. Baſil.
r Greg. Nyſſ. ora. in laud. Baſil.

IESV CHRISTI AN. 368.

VALENTIN. VALENTIS AN. 5.

DAMASI AN. 2.

I.

ANNO Domini trecenteſimo ſexageſimo octauo, Imperatoribus Valentiniano atque Valente ſecundum Coſſ. Oriens rurſus terræmotibus in Aſia vexatus eſt; & non ſine diuino quodam prodigio Nicæa vrbs funditus euerſa, in qua fides antea conſcripta, mox ob diram Arianorum perſecutionem, niſi Deus reliquiſſet ſemen penitus videri potuiſſet extincta. Meminit eiuſdem terræmotus Nicæni, præter Hieronymũ [a] & Socratem, [b] Gregorius [c] Nazianzenus occaſione *Cæſarii* fratris agentis Quæſtorem Valentis Imperatoris, qui ibi tunc degens magno miraculo diuina ope ſeruatus eſt. Eumdem tamen haud multo poſt apud ſanctos parẽtes obiiſſe tradit, eiuſque animam iam cœleſtibus gaudiis locupletatam ſæpe per viſum aſpexiſſe; cuius & obitus dies relatus eſt in tabulas Eccleſiaſticas. Extant vero eiuſdem piæ eruditæque lucubrationes, nempe de Anima dialogi: quem & varia inſuper ſcripſiſſe opera, ac potiſſimum contra Græcos, auctor eſt Suidas.

a Hier. in Chron.
b Socr. lib. 4. cap. 10.
c Gre. Naz. orat. in laud. Cæſar.
CÆSARII FR. GREG. NAZ. OBITVS.

II.

Hoc pariter tempore defuncto Donato Carthaginenſi in Africa pſeudo-Epiſcopo partis ſchiſmaticorum, immo capite Donatiſtarum, de quo multa ſuperius; ſubrogatus eſt in eius locum ab iiſdem factioſis Parmenianus, eiuſdẽ ſectæ tenaciſſimus cuſtos atque defenſor. Qui cum mox ſtylum acuiſſet aduerſus Catholicos ſcriptis mendaciſſimis, & ad ea confutanda Catholici Epiſcopi prouocaſſent hominem ad publicum conuentum, ipſe vero cum ſuis recuſaret omnimodum Catholicorum conſortium, quod eos immundos communicatione Lapſorum, ſe ipſos autem ſanctos prædicarent ac mundos: neceſſe fuit litteris ſaltem publice cauſam agere, ne veritas indefenſa periclitaretur. Declarat hæc OPTATVS; [d] qui Epiſcopus exiſtens Mileui in Numidia eruditione ac morum ſanctitate clariſſimus, zelo pietatis incenſus, ſcripſit ad eumdẽ Parmenianum ſeptem libros eius ſcriptis aduerſarios; quibus non ſolum mendacia redarguit, ſed contraria plane dictione faſtum proterui hominis nõniſi contumelias vomentis deprimere cupiens, atque ſi liceret, charitate in eum introducere veritatem, *Fratrem* ſæpius appellat, ex conſortio videlicet ſacramenti, quod vno baptiſmo ab vna progenitrice Chriſtiana religione geniti eſſent. Vt autem hoc potiſſimum tempore Optatum ſcripſiſſe dicamus, perſuadet primo Hieronymus, [e] dum id aſſerit contigiſſe ſub Valentiniano & Valente Principibus: deinde quod idem Optatus [f] cum texit ſucceſſionem Romanorum Pontificum, Damaſi meminit poſt Liberium ſuccedentis. Quod vero Siricus quoque poſt Damaſum ponitur, additus creditur à librario, qui Siricii tempore librũ exſcripſit: nam nequaquam tempus Siricii Optatum attigiſſe, omnes æque conſentiunt; cum præſertim Auguſtinus, qui ſub eodem Siricio factus eſt Epiſcopus, de Optato agens, non vt ſui tẽporis hominis, ſed antiquioris meminiſſe

d Opt. l. 1. cont. Parm.
OPTATVS MILEVIT. EPISC. SCRIBIT ADVERSVS PARMEN. DONAT.
e Hier. de Script. Eccle. in Opt.
f Opt. li. 2.

Digitized by Google

minisse videatur: quamobrem vix Damaſi prima tempora attigiſſe putatur, neque diu ſuis ſcriptis ſuperuixiſſe.

III. PENES QVOS SIT ECCLESIA CATHOL.

Ceterum cum in eo potiſſimum totius quæſtionis videretur cardo reuolui, vt certis notis demonſtraretur quę vere eſſet Eccleſia Catholica, vt ſic pariter intelligi poſſet apud quos ea eſſet: cumque illud aduerſariorum etiam affirmatione certum haberetur, vbi non eſſet Catholica, nec ibi eſſe poſſe veritatem; & contra vbi probaretur Catholica; ibi reperiri neceſſario veritatem: videas Optatum more maiorum aſſeueranter definire [g], Donatiſtas à Catholico nomine, adeoque à veritate prorſus excludi, quod cum Romana Eccleſia non communicarēt; eoſque duntaxat eo nomine poſſe legitime gloriari, quibus Romanus Epiſcopus Formatarum commercio cōiungeretur. Porro magna ipſe Optatus apud poſteros veneratione viguit; quem inter alios S. Auguſtinus [h] digno præconio nominauit, & inter præclaros tractatores Eccleſiaſticos [i] adnumerauit. Eiuſque memoria nomine ſanctitatis relata eſt in tabulas [k] Eccleſiaſticas.

IV.

Quod autem exhorreſcerent plane aures blaſphemiā illum audire, Catholicam Chriſti Eccleſiam toto Orbe diffuſſam iam penitus periiſſe, & in Africa tantum; nec apud omnes, ſed eos ſolum qui eſſent partis Donati, tamquam arcam Noe diluuio pereunte Orbe, integram eſſe relictam: non Optatus tantum aut Catholici tractatores, ſed & ipſius Donatiſtarum communionis *Ticonius* quidā Afer Parmenianum ea delirantem redarguit; ſcriptiſque ſuis confirmauit Catholicam Dei Eccleſiam nequaquam adeo anguſtis coarctari terminis ſed longe lateque per Orbem Chriſtianum vbiq; perſeuerare diffuſam, nec poſſe illā peccatis hominū tolli, euacuariq; humanis exceſſibus Dei promiſſiones. Quem ita ſentientem Parmenianus epiſtola primum fruſtra monitum, poſtea anathemate perculit; ſicut teſtatur Auguſtinus [l], cum & ipſe multum poſt tēporis Parmeniani ſcripta felicius impugnarit; eamdem illam potiſſimum epiſtolā quā contra Ticonium ſcripſerat, tribus libris egregie refellit. Queritur [m] autem de Ticonio, quod cum acutiſſime contra Donatiſtas ſcripſiſſet, tamen illic inuentus fuerit abſurdiſſimi cordis, vbi eos non omni ex parte relinquere voluit. Porro eumdem multa alia ſcripſiſſe, Gennadius [n] eſt auctor.

TICON. DONAT. SCRIBIT ADVERS. PARMEN.

IESV CHRISTI AN. 369.

DAMASI AN. 3.

VALENTIN. VALENT. 3 AN. 6.

I. HILARIVS AGIT APVD IMP. CONTRA AVXENT. ARIANVM.

ANno Chriſti trecenteſimo ſexageſimo nono, Valentiniano Nobili Puero & Aurelio Victore Coſſ. S. Hilarius cum accepiſſet Valentinianū Imperatorem confecto tandem Alemannico bello Mediolanum ſe contuliſſe, atque reſcriptum quoddam pro Auxentio Ariano eiuſdem ciuitatis pſeudo-Epiſcopo, qui ſe Catholicum ſimulabat, dediſſe: dolens Imperatorem deceptum eſſe, eo profectus eſt, acturus coram aduerſus Auxentium. Quod hoc anno accidiſſe, libellus [a] ipſius Auxentii tunc oblatus Imperatori declarat, dum teſtatur ſe illum ſcribere poſt decem annos à Concilio Ariminenſi.

II. HILAR. CONVINCITVR.

Porro cum Hilarius apud Valentinianum blaſphemiæ Auxentium accuſaſſet Imperator audiri eos à Quæſtore & Magiſtro præcepit, conſidentibus vna tum eis Epiſcopis fere decem: vbi cum Auxentius verbis negaret Arium, re approbaſſet eius impietatem, libellumq; fidei ſecundum confeſſionem Nicææ Thraciæ & Arimini editam, obtuliſſet Imperatori ſubdolis captionibus plenum; haud permiſſo Hilario fraudes occultatas pateſacere, Auxentius habitus eſt Catholicus, Hilarius autem vt calumniator & diſcordiarum auctor iuſſus eſt Mediolano diſcedere. Narrat hæc pluribus ipſemet in epiſtola [b] ad omnes Epiſcopos & Fideles ea de re tum ſcripta pro vitanda Auxentii communione, quam S. Hieronymus [c] appellat *Libellum contra Auxentium*: eamque vltimam eius lucubrationem eſſe putamus, quod poſt hæc non diu ſuperuixiſſe reperiatur, immo & ſecundum eiuſdem Hieronymi [d] aſſertionem, hoc ipſo anno Pictauis ex hac vita migrauerit. Quod vero Gregorius [e] Turonenſis eius obitum anno horum Imperatorum quarto adſcribit Seuerus [f] autem ſecundo, hoc eſt ſexto poſtquam idem S. Hilarius rediit ab exilio Orienti in Gallias ſidem ex his erroris arguuntur; quod ipſum Mediolani poſt decimum annum à Concilio Ariminenſi aduerſus Auxentium ſtetiſſe conſtet. Qui quidem (vt ait idem Gregorius) plenus ſanctitate & fide, multis vndique virtutibus editis, ita vt & mortuos ſuſcitauerit, migrauit ad cœlos.

HILARII OBITVS.

III. DE EIVS SCRIPTIS.

Lucubrationes ab eo conſcriptas receſet Hieronymus [g]: qui & illum alibi [h] virum eloquentiſſimū, & Latini ſermonis aduerſus Arianos tubam appellat; itemque Latinæ [i] eloquentiæ Rhodanū, ob dicendi copiā ac vehemētiam: haud vero æque cultum & facilem fuiſſe, alio loco [k] tradit. Commendat [l] tamen eius ſcripta vt ſincera; videlicet quo ad ſanam de Trinitate doctrinā. de qua controuertebatur inter Arianos & Catholicos. Aliqui n. cum diuinæ tantum ſcripturæ ſit, nihil habere erroris quod corrigatur; nec ipſe Hilarius næuis caruit, vt illis quos notauit Claudianus [m] Mamertus Epiſcopus Vienneſis, aliiq; diſcuſſerūt, & alii [n] perperā ſecuti ſūt. Fuit vero admirationi etiam Græcis [o]. De cuius vita & miraculis extant Venantii Fortunati libri duo. Cum autem virtutum omnium fuerit viuum quoddam exemplar; lenitate potiſſimū ac manſuetudine enituiſſe, Ruffinus [p] tradit. Ceterum quod ſubdoli ac cæcutientes recentiorum hæreticorum hiſtorici, confundunt S. Hilarium Epiſcopum Pictauienſem cum Hilario diacono Anabaptiſta ſchiſmaticoque Luciferiano; hoc iam ſuperius refutatum eſt. Sicut alios erronee conflaſſe eumdem ſimul cum Hilario Arelatenſi, inferius demonſtrabitur. Sed & iā olim refellit S. Hieronymus [q] Ruffini quoddam figmentum de eodem Hilario, tamquam hæretico excommunicato in Concilio Epiſcoporum, ob falſata ab Arianis eius ſcripta.

IV.

Quod vero ad Auxentium pertinet; hi cum à populo ignaro vidit ſe acclamari Catholicum, Valentinianumque Imperatorem iam ſibi vt Catholico inhęrere; dictis factiſque inſultans in Eccleſiæ Catholicæ ſanctos Epiſcopos, inter alios exagitauit Euſeb. Vercellenſem, quem ſemper paſſus fuerat aduerſariū; necnon Philaſtrium Brixianum, quem item iugiter contra eum pro fide Catholica certaſſe, adeo vt verbera etiam ob eam cauſam ſit paſſus, S. Gaudentius [r] tradit eius in Epiſcopatu ſucceſſor. Quamobrē cum res Auxentii eo prouectæ eſſent vt iam Illyrici Epiſcopos magna ex parte ſeduxiſſet: ne letale virus quod lento tabo proxima membra infecerat, latius ſerperet, Damaſus Romanus Pontifex aduerſus eum *Romæ* CONCILIVM nonaginta Epiſcoporum ex Italia & Gallia congregauit; in quo cauſa cognita, tum ipſe nominatim Auxentius tum rurſus formula Ariminenſis Concilii damnata eſt; epiſtolaque Synodalis ad Illyrici Epiſcopos conſcripta vt Auxentii communionem vitarent, & in antiqua Patrum fide Nicææ Bithyniæ ſtabilita permanerent. Præceſſerat hanc Synodum alia ab eodem Damaſo Romæ itidem habita, in qua qui manifeſte conuincebantur Ariani Valens & Vrſacius damnati fuerant; vt conſtat ex Athanaſii epiſtola ad Africanos Epiſcopos. Cuius pariter teſtificatione compertum habetur, ante damnationem Auxentii Romæ factam, aliam ab ipſo Athanaſio in Ægypto Synodum habitam; ex qua de damnando Auxentio Romam litteræ eſſent datæ ad Damaſum. Sed & alia eiuſdem Athanaſii epiſtola [s] cōſtat, diuerſis præterea Conciliis per Galliam & Hiſpanias celebratis, eoſdem Auxentium, Vrſacium, Valentem, aliosque eiuſdem farinæ homines anathemate percuſſos eſſe. Iam enim ad id præſtādum, Epiſcopi litteris Circularibus S. Hilarii incitati fuerant: cum tamen idem Auxentius nonniſi morte valuerit ab Eccleſia Mediolanenſi depelli.

CONCIL. ROM. CONTRA AVXENT. ET SOCIOS.

V.

Hoc item an. Anicius Prob. Prætorii Præfecturam accepit, vt apparet ex Ammiano [t] & reſcriptis Imperatorū. Cum autem ex inſtitutione [x] Conſtantini, qui vniuerſum Romanum Imperium in quatuor partitus eſt Præfectos

AMBROSIVS MITTITVR PRÆFECTVS TRIVM PROVINC.

Prætorio, Probo curæ eſſent Italia, Sicilia, ac circumiacentes Inſulæ, necnon Sardinia, Corſica, & Africa à Syrtibus Cyrenem vſque: ipſe pro officii munere delecturus Rectores earumdem prouinciarum, in primis nobiliſſimi viri *Ambroſii* Romani ciuis, ex patre Ambroſio Galliarum olim Præfecto nati, rationem habens, quam nouerat eruditione præclarum, eloquentiæ ſtudiis egregie excultum, optimiſque moribus domi foriſq; ſpectatum (cuius & infantia diuino quodam nobilitata fuerat prodigio) eidem Inſubriam, Liguriam, & Æmiliam, cum inſignibus Conſularibus tradidit gubernandas. Eundemque proficiſcentem his verbis hortatus eſt [y], *Vade, age non vt Iudex, ſed vt Epiſcopus.* Quæ quidem etſi ab eo futura neſciente prophetice pronunciata videri poterant; tamen eius admonitionis hæc quoque ratio digna præceſſit, quod nimia ſeueritas magiſtratuum (vt ſuperius vidimus) ad ſeueriſſimi Principis gratiam captandam accommodata, tempora propemodum Neroniana reddidiſſet. Itaque voluit Probus Ambroſium monere, vt clementiam cum iuſtitia coniungeret. Ceterum habita ratione annorum quibus Ambroſius vixit, cum ex obitus tempore retro reuolutis annis, inueniatur natus ſub Conſulatu Delmatii atq; Xenophili, anno Domini trecenteſimo trigeſimo tertio; cum hoc ipſo anno quo dictam præfecturam accepit, ad annos triginta ſex pertenisse, exacta temporum diſpoſitione comperimus. Quomodo vero poſtea factus fuerit Epiſcopus Mediolanenſis, dicetur ſuo loco.

y Paulin. in vit. S. Amb.

VI. CHRONOPIVS EPISC. MVLCTATVS QVOD FORVM SÆCVLARE APPELLASSET.

z l. 20. c. Th. quor. appel.

His iiſdem Coſſ. Valentinianus Imperator [z] vna cum collegis Augg. *Chronopium* quemdam Epiſcopum in Synodo ſeptuaginta Epiſcoporum condemnatum, appellantem ad ſæculare tribunal; ob indignum hoc facinus, pecuniaria pœna pauperibus eroganda mulctauit: idemque in ceteris omnibus Eccleſiaſticis cauſis obſeruari præcepit.

VII. S. BASILIVS CREATVR EPISC. CÆSAR.

a De Baſilio Vid. Greg. Naz. ora. in laud. Baſil. & ep. 21. 22. 23.
b Greg. Nyſſ. ep. ad Olym. de obit. S. Macrin. ap. Sur. to. 4.
c Ibid.
d Gre. Naz. in ſepulchr.
e Martyrol. 1 Ianuar.
f Ibid. 14. Iunii.

Interim vero in Oriente defuncto Euſebio Epiſcopo Cæſareæ Cappadociæ, cum S. BASILIVS ne in locum eius ſufficeretur (quod videret complurimorum in ſe conſpiraſſe ſtudia) fugam arripuiſſet; nihilominus tamen, opera maxime Gregorii Nazianzeni, electus [a] eſt Epiſcopus Cæſarienſis. Hoc autem anno id accidiſſe, inde fit manifeſtum, quod cum Gregorius [b] Nyſſenus eiuſdem Baſilii germanus, eum obiiſſe dicat ante menſes nouem à celebrato Concilio Antiocheno poſt mortem Valentis Imperatoris; illud autem Concilium habitum fuerit anno Chriſti trecenteſimo ſeptuageſimo octauo menſe Septembri; cumque rurſum idem Nyſſenus [c], necnon prædictus [d] Nazianzenus, aſſerant eumdem ſediſſe annos octo abſolutos, nonum vero ex parte tantum attigiſſe; ac denique ex tabulis [e] publicis appareat eum ex humanis deſiiſſe ipſis Calendis Ianuarij: iam ex iſtis neceſſe omnino affirmandum eſt, cum hoc ipſo anno fuiſſe ordinatum Epiſcopum: idque (vt ex iiſdem tabulis [f] conſtat) decimo octauo Calendas Iulij. Ex quibus omnibus detegitur oſcitantia auctoris illius, quiſquis fuerit qui pulchro Amphilochii nomine vſurpatores Baſilii ſcripſiſſe reperitur, dum anno ſexto Imperij Valentiniani, vita functum affirmant. Cuius pariter erroris redarguendus eſt Nicephorus [g], dum vult eumdem tempore Iuliani iam ſediſſe Epiſcopum: Cum præterea ea quæ diximus. S. quoque Hieronymus [h], ac res ab eodem Baſilio geſtæ, eiuſdemque ſcripta plane demonſtrent eum multos poſt hæc annos vixiſſe. Porro (vt hæc obiter obſeruemus) ex quibuſdam litteris, quas pro electione Baſilii Gregorius nomine patris Epiſcopi Nazianzeni ſcripſit [i] ad Cæſarienſes, & Epiſcopos cum prouinciales qui in eam ciuitatem ex more conuenerant ad eligendum Epiſcopum; illud diſcitur, hoc antiquus obſeruatum, vt cum à populo legitime fieret poſtulatio futuri Epiſcopi, per ſodalitia artificum, & nobilium cognationes ſuffragia conferrentur; tunc vero perperam facta cenſeretur cum miſcellanea turba & clamoribus expeteretur.

g Nic. lib. 20. cap. 25.
h Hier. in Chron. an. 13. Valentis, & in Script. Eccleſ.
i Gre. Naz. ep. 22. 23.

VIII. DE GREG. NYSSENO FR. BASILII.

Quod autem attinet ad GREGORIVM eiuſdem Baſilij fratrem; quoto potiſſimum Domini anno Epiſcopus Nyſſæ in eadem prouincia Cappadociæ creatus fuerit, & num ante Baſilium fratrem an poſt, haud ſatis compertum habetur: cum tamen conſtat ſequēti anno iam agentem Epiſcopum, perſecutione Valentis Imperatoris à propria Eccleſia expulſum eſſe. Quem quidem ante Epiſcopatum fuiſſe coniugio obligatum, ſignificat ipſemet in libro quem de virginitate conſcripſit: fuitq; vxori eius nomen *Theoſebiæ*: quæ ſicut vir eius muneri ſacerdotali, ita ipſa ſe Eccleſiæ miniſterio mācipauit, diaconiſſam agens; de cuius obitu extat [k] Nazianzeni epiſtola ad ipſum Nyſſenum conſolatoria. Porro eiuſdem Nyſſeni in dicendo facundiam ita maiores omnes prædicant, vt non impar veteribus cunctis habitus [l] fuerit. Quod vero plus ſatis quā deceret Chriſtianum hominem, rhetoricis diſciplinis incumberet, ab eodem Nazianzeno [m] meruit reprehendi aurea plane epiſtola ea de re ad illum ſcripta.

k Id. ep. 95. in addit.
l Suidas in Greg. Nyſſ.
m Gre. Naz. ep. 43.

IX. PAX CVM GOTHIS. ARSACES REX ARMEN. CAPTIVVS.

n Ammia. l. 27.

Hoc eodem anno Bellum Gothicum, quod aduerſus Athanaricum Regem Valens geſſit iam triennio, redempta ab eo pace pecunia abſolutum eſt. Et Arſaces Rex Armeniæ Chriſtianus, dolo pacis & conuiuii captus à Sapore Rege Perſarū, effoſſis oculis vinctus catenis argenteis (quod apud eos honoratis vanum ſuppliciorum æſtimabatur eſſe ſolatium) exterminatus eſt ad caſtellum Abagana nomine, vbi diſcruciatus cecidit ferro pœnali. Hæc Ammianus [n].

IESV CHRISTI AN. 370.

VALENTIN. VALENTIS AN. 7.

DAMASI AN. 4.

I.

ANNVS Chriſti trecenteſimus ſeptuageſimus, Conſulatu tertio Valentiniani atque Valentis Augg. Faſtis adſcriptus, fuit eiuſdem Valentis PERSECVTIONE, aduerſus Epiſcopos Orthodoxos Orientalis Eccleſiæ edicto excitata, plane funeſtus. Hæc autem nequaquam ante præſentem annum, ipſum aggreſſum eſſe (licet iam olim meditatus eſſet) demonſtrant quæ dicta ſunt ſuperius; nempe quod triēnio in Imperio Catholicus perſeuerarit, quod altero triennio aduerſus Gothos totus occupatus fuerit, ac denique quod in hunc vſque annum Catholici Epiſcopi in ſuis Eccleſiis liberi permanſiſſe reperiantur. Nec vero ea poſtea facta eſſe, illud inſinuat, dum Gregorius Nyſſenus qui ex hoc ipſo edicto in exilium pulſus eſt, in epiſtola ad Olympium [a] de rebus geſtis S. Macrinæ ſororis. octo numerat annos exilii ſui, quod ſolutum eſt nonniſi morte Valentis anno decimoquinto eius Imperii. Ex quibus erraſſe conuincuntur (quod & ſuperius monuimus) qui eamdem perſecutionem ad exordium Valentis retulerunt, ſicut & qui poſt obitum Valentiniani diſtulerunt.

a Greg. Nyſſ. ep. ad Olymp. ap. Sur. 19 Iul.

II. EDICTVM VALENTIS ADVERSVS EPISCOPOS.

b Soz. l. 6. cap. 12.

Quod vero ad ipſum edictum attinet: tradit Sozomenus [b], eo ſub grauiſſimis pœnis iuſſum eſſe ſingulis omnium prouinciarum magiſtratibus, vt Epiſcopi temporibus Conſtantii abdicati & regnante Iuliano reſtituti expellerentur: eiuſq; auctoritate Athanaſium à magiſtratibus Ægypti exagitatum, ſed à populo Alexandrino defenſum, clam ex vrbe egreſſum latebras quæſiſſe; mox vero litteris Valentis (ſiue Valentiniani fratris indignationem, ſiue ampliſſimæ ac factioſiſſimæ Alexandrinæ ciuitatis tumultum timentis) ad Eccleſiā redire iuſſum. Cuius rei meminerunt pariter Hieronymus [c] atque Epiphanius [d]. Sed & ab ipſo Epiphanio, necnon à Paulino Antiocheno, ob virtutum ac ſanctitatis venerationem abſtinuiſſe Valentem, iidem [e] aliique auctores tradunt: cum alioqui nec hi eius comprehenſi viderentur edicto, quippe qui poſt Conſtantii obitum creati fuiſſent Epiſcopi; Athanaſius vero ſponte ſub eodem ſolum vertiſſet.

c Hier. ep. 61. ad Pammach.
d Epiph. har. 68.
e Hier. & Sozom. ibid. Socr. l. 4. c. 2.

III. EPIPHANII PRIMORDIA.

Sed quod de EPIPHANII Epiſcopatu mentio facta eſt; vt de eius primordiis breuiter agamus, quod primum ad ætatem ſpectat, cum S. Hieronymus de eo agens in commentario de Viris Illuſtribus, ipſum ad extremam ſenectutem iam peruenisse tradit; eſſetque tunc quando de Epiphanio hæc ſcribebat, annus (vt ipſe ait) Theodoſii Imperatoris decimus quartus, qui eſt Chriſti trecenteſi-

Digitized by Google

f Soz. lib. 6. cap. 32.

muſ nonageſimus ſecundus: poſſumus æque opinari hoc tempore ipſum circiter ſexaginta annorum fuiſſe. Quem Sozomenus[f] tradit ex pago Beſanduce in tractu Eleutheropolitano in Palæſtina ortum, cum illic ab adoleſcentia monaſticam vitam egiſſet, eamdem in Ægypto longiſſimo poſtea tempore coluiſſe; tandemque magna apud omnes gloria florentem, à Cypriis electum eſſe Salaminæ primariæ totius Inſulæ vrbis (quæ & Conſtantia dicta eſt) Epiſcopum. Cum autem in Ægypto iuuenis ageret, à Gnoſticis tentatum eſſe per laſciuas mulieres, ſed miſericordia Dei ab improbitate ipſarum liberatum, ipſemet[g] de ſe teſtatur. Ceterum auctorem qui eius Acta conſcripſit, Ioannem nomine, qui & ſe eius fuiſſe comitem in Ægypto tradit, multa ſcias ad libitum finxiſſe, ideoque nec in plurimis quæ narrat tuto fidem illi adhiberi poſſe. Quæ vero reliquæ ſunt Epiphanii præcipuæ res vere geſtæ, ſuis locis inferius deſcribentur.

g Epiph. hær. 26.

IV. EVSEBII SAMOSAT. EXILIVM.

h Theod. l. 4. cap. 13. & 14.

Interim ad Valentis perſecutionem redeuntibus, inprimis occurrit *Euſebius* Orthodoxæ cauſa fidei ſpectatus vbique Samoſatenus Epiſcopus: quem Theodoretus[h] ait in Thraciam amandatum, militari habitu Syriæ, Phœnicæ & Paleſtinæ Eccleſias luſtraſſe, ac paſtores eis aliaque neceſſaria ſubminiſtraſſe. Memorabile eſt vero quod idẽ auctor de eo recitat; nempe quod cum Samoſatas aduenisset qui ei nuncium de exilio afferret, rem illo tacite agere iuſſo ne à populo in flumen demergeretur, bonus ſenex noctu ſolus cum vnico famulo, ceruical tantũ & librum deferente: nauem conſcenderit: cumq; mane eius cognito abſceſſu ciues ad eũ concurriſſent vt eũ reducerent, ipſe præceptum Apoſtoli obiiciens iubentis magiſtratibus & poteſtatibus obedire, ad locũ exilii properauerit. Extant ad eumdẽ cauſẽ binæ Gregorij[i] Nazianzeni litteræ, ac tredecim Baſilii, præter illas quæ excuſæ habẽtur) nondum editæ[k]; quibus & miſerum aliarum etiam Eccleſiarum huius temporis ſtatum perſpicere liceat. Addit vero Theodor. in tantũ Samoſatenos execratos eſſe Arianos, vt cũ aliquando Eunomius, quẽ iidẽ Ariani in locum Euſebii ſubrogarãt Epiſcopũ, balneo publico lauiſſet, Samoſateni aquam balnei quaſi hæreticæ nequitiæ cõtagione infectam, in cloacã emittentes, nouã in ſuum ipſorum vſum apponi curarint. Sed & cum ea propter ipſo ciuitatẽ ſibi adeo infeſtam deſerente, Lucius alius Arianus iterum ſubrogatus fuiſſet, tanto pariter hunc odio Samoſatenis extitiſſe, vt cum die quadam puerorum in foro ludentium pila, iumenti quo Lucius illac tranſiens vehebatur pedem tetigiſſet, eandem ipſi ideo pollutam exiſtimantes, accenſo igne flamma purgarint.

i Greg. Naz. ep. 28. 30.
k Extant eæ in Latinum Sextel ... verſæ.

SAMOSAT. ODIVM ARIANORVM.

V.

l Theod. l. 4. cap. 12.

Inter alios autem Epiſcopos à Valente exturbatos, numerat quoque idem Theodoretus[l] *Pelagium* Laodicenum magnæ virum ſanctitatis, qui olim in adoleſcentia vxori ductæ primo nuptiarum die in ipſo thalamo caſtitatẽ perſuaſerat. Cum autem illud Imperatoris & Arianorum conſilium eſſet, vt Epiſcopi qui promulgato edicto minime comprehendi viderentur, quod poſt Conſtantium electi eſſent, iidem collectis ab Arianis Synodis damnarentur; id in primis factum conſtat aduerſus *Gregorium* Nyſſæ Epiſcopum, ſic in Synodo Galatiæ damnatum: de cuius exilio extant Baſilii[m] fratris eius epiſtolæ ad Euſebium Samoſatenum, alia que conſolatoriæ Gregorii[n] Nazianzeni ad ipſum Nyſſenum; quibus apparet eumdem in exilio minime fuiſſe otioſum, ſed luſtraſſe Eccleſias, ac dẽ omnibus ſtuduiſſe bene mereri.

GREG. NYSS. DAMNATVS AB ARIANIS.

m Baſil. ep. 10. vulg. edit. & ep. 11. 12 ... verſ. Sirleti.
n Greg. Naz. ep. 34. 35.

VI. MARTYRIVM LXXX LEGATORVM ECCL. CONSTANTIN.

Hoc item Imperatorum tertio Conſulatu, mortuo Eudoxio impiiſſimo Conſtantinopolitano Epiſcopo, cum in eius locum Ariani *Demophilum*, Orthodoxi *Euagrium* ſubrogaſſent; Valens Nicomediæ agens, Euagrium iuſſit in exilium pelli. Quare audaciores facti Ariani, cum variis diriſq; modis Catholicos vexarent, hique vt ea violentia liberarentur, octoginta legatos ordinis Eccleſiaſtici ad Imperatorem miſiſſent: iidem legati ab eo iuſſi necari, opera Modeſti Præfecti Prætorio nauigio in altum ducti, igne à nautis immiſſo omnes conſumpti ſunt. Narrat hæc pluribus Socrates[o]: addit que, famem acerbiſſimam per vniuerſam Phrygiam peruagantem, impium eiuſmodi facinus vltam eſſe. Meminit vero etiam S. Hieronymus eiuſdem famis in Chronico hoc eodem ſeptimo anno Valentis Imperatoris. In reliquis autem habet Socrates aſſtipulatorem Sozomenum[p]. Vterque tamen in eo corrigendus eſt, dum Euagrium ponunt ordinatum ab Euſtathio Epiſcopo Antiocheno, quem conſtat diu ante hæc tempora ſub Conſtantio deſunctum eſſe. Corrigendus item Socrates, quod Eudoxium dicat ſediſſe annos decem & nouem, cum à tempore illius acceptæ ſedis in hanc diẽ nonniſi vndecim numerentur: ſicut & hunc dumtaxat annorum numerum ſedi eius recte Sozomenus tribuit. De eadem vero presbyterorum in mari conflagratione, deq; aliis horrendis contumeliis in Catholicos Cõſtantinopoli hoc Valentis tempore commiſſis, ſæpe quoque meminit Gregorius[q] Nazianzenus: idemque alibi[r] alterius cuiuſdam presbyteri ſimile ſupplicium recenſet; remque geſtam (vt apparet ſaltem ex numeri diuerſitate) à priori illa octoginta legatorum diſtinctã, graphice repræſentat. Quo quidem tempore cum Eccleſia Conſtantinopolitana acerbiſſimis hiſce quateretur fluctibus, Damaſum Rom. Pontif. illuc miſiſſe S. Zenobium creatum poſtea Epiſcopum Florentinum, qui Arianorum petulantiam quamdiu illic manſit nonnullis editis miraculis coercuerit, eius Vitæ Acta[s] habent: verum eo recedente Arianos acrius ſæuiiſſe conſtat. Sanctum autem Baſilium literas ad Occidentales Epiſcopos de his quæ Orientalis Eccleſia pateretur dediſſe, docet ipſe in ſecunda ad eos miſſa anno ſequenti legatione, de qua dicetur ſuo loco.

o Socr. lib. 4. cap. 1.
p Socr. lib. 6. cap. 13. 14.
q Gre. Naz. orat. ad 150. Epiſcop. & orat. ad Arian. & ...
r Idem orat. in laud. Heron.

DAMASVS PP. SVBVENIT ECCL. CONST.

s ap. Sur. 25. Maii.

VII.

t Soz. l. 6. c. 15.

VALENS QVID CVM BASILIO CÆSAREÆ.

u Greg. Naz. orat. in laud. Baſil.

Ceterum Valens Nicomedia Antiochiam proficiſcens (puto ob ingruens bellũ Perſicum) Cæſaream Cappadociæ ſe contulit. Sed quid ibi actum ſit ab eo aduerſus Baſilium, Sozomenus[t] & alii cum recitant plane hallucinantur dum putant aduentum Valentis Cæſaream contigiſſe ſub Euſebio eius ciuitatis Epiſcopo. Nam Baſilium iam tũc eidem defuncto ſucceſſiſſe declarat. Eam vero Greg.[u] Nazian. & ipſe tunc Cæſareæ exiſtens ac Baſilio adhærẽs, fuſius proſecutus, ait Baſilium variis minis ac pollicitationibus à Valentis magiſtratibus atque domeſticis ipſoque etiam Imperatore, vt Arianæ faueret hæreſi tentatum magna animi conſtantia, miriſque datis reſponſis reſtitiſſe: cumque idcirco vincentibus Imperatorem iam prope emollitum Arianis, in eumdem eſſet decretum exilium, iamque omnibus paratis, atque in tanta rerum perturbatione ipſo Baſilio nihil amplius ſatagente, quam vt vnum ex comitibus acceptis pugillaribus iuberet ſe ſequi; filio Imperatoris repentino morbo diuinitus afflictato, exilii decretum reſciſſum eſſe, ipſumque Baſilium ad puerum ſanandum accerſitum, aduentu ſuo leuiorem reddidiſſe morbum; veruntamen puerum, quod nec ea re pater Valens hæreticis credere deſiſteret, poſt Baſilii receſſum extinctum eſſe: Modeſtum vero Præfectum, qui eodem prope tempore in morbum incidiſſet, Baſilii implorantem auxilium, ab eodem ſanatum eſſe. Hæc omnia pluribus Gregorius.

VIII

x Theod. li. 4. cap. 17.

PRODIGIA IN VALENTEM, PERSEQVENTEM BASILIVM.

y Ephræm. in Laud. Baſil.
z Id. ibid.

Sed eis alia veteres alii addentes, inprimis Theodoretus[x] ait, Valentem ſubſcribere conantem decreto exilii Baſilio irrogandi, ne apicem quidem vnum alicuius litteræ formare potuiſſe: ruptis ſponte tribus calamis ad illud adhibitis; cumque nihilominus idẽ adhuc tentare vellet, concuſſam eſſe dexteram tremoreque occupatam; hacque tandem re obſtupefactum, chartam laceraſſe. Idẽ pariter de tribus perfractis calamis confirmat S. Ephræm[y], magnus ille diaconus Edeſſenus, Magni olim Iacobi Niſibeni diſcipulus, ipſiuſque Magni Baſilii æqualis, & ex viſione diuina[z] factus ei pernecellarius: qui & de puero ægrotante hoc amplius habet, Baſilium ab Imperatore accerſitum promiſiſſe illi ſanitatem filii, dummodo is ſibi traderetur inſtituendus in fide Catholica; idque cum Imperator pollicitus eſſet, puerum ſubito precibus Baſilii ſanatum fuiſſe: cum autem Valens ab Arianis ſeductus, filium illis tradidiſſet baptizandum, eumdem mox ſpiritum emiſiſſe. At Socrates[a] ſcribit, Baſilium Imperatori ſanitatem filii promiſiſſe, ſi ipſe Imperator Orthodoxorum doctrinæ ſe adiungeret; eo vero renitente, ideoq; Baſilio

a Socr. lib. 4. cap. ...

pro puero orare omittēte, ipſum mox obiiſſe. Sed Theodoretus ſanitatem promiſſam ait, ſi puer ab Orthodoxis baptizaretur: Imperatore autem illum Arianis committente, ipſum extemplo expiraſſe. Verum non de baptiſmo, ſed de precibus id Sozomenus[b] refert: nempe puerum, qui aduentu Baſilii nonnihil conualuiſſet, eo dimiſſo, & ſuperinductis ad preces ſuper puerum fundendas Arianis, mortuum eſſe. Rurſum vero à cæteris prætermiſſa de principe coquorum Demoſthene Theodoretus addit, quod cum & ipſe Baſilium reprehendere præſumpſiſſet, eius inſolentiam egregia hac voce à Baſilio eſſe retuſam, *Tuum eſt inſculorum curare condimenta: nam cum aures habeas oppletas ſordibus, ſacroſanctà dogmata audire non potes.*

b Soz. lib. 6. cap. 19.

PRINCEPS COQVOR. CONFVTATVS A BASILIO.

IX. ALIA BASILII CERTAMINA CVM MAGISTRATIBVS.

Nec tamen hic finis Baſilii cum magiſtratibus certaminum. Siquidem Euſebius auunculus Imperatricis, nactus Ponti & Cappadociæ Præfecturam, alio tempore (quo autem anno Baſilij neſcitur) eidem non parum negotij faceſſit, ob nobilem quamdam mulierem, quæ vt vim effugeret Iudicis aſſeſſoris, inuitam ad nuptias pertrahere tentantis, ad altare Eccleſiæ confugerat: vnde cum illam Præſes auferre conaretur, Baſilius vero reſiſteret, ille non ſolum ad ipſius Baſilii cubiculum ignominiæ cauſa apparitores miſit, qui perſcrutarentur an aliqua illic mulier eſſet; ſed & eidem in ius vocato verbera aliaſque pœnas iam minabatur, quando populus furore concitatus, in Præſulem pro Baſilio inſurrexit; occidiſſetque niſi Baſilius ei præſto fuiſſet. Quam rem geſtam pluribus deſcribit Gregorius[c] Nazianzenus.

c Gre. Naz. orat. in lau. Baſil. & Nicet. ibid.

X. Qui autem tanto ſtudio Cæſareæ Valens Baſilium aggreſſus eſt, eodem plane niſu cum Antiochiam aduenisſet, *Meletium*[d] virum ſanctiſſimum in eadem ciuitate alterius Orthodoxorum partis agentem Epiſcopum inuaſit. Tertio namque ipſum exulaſſe cum Gregorius[e] Nyſſenus affirmet; primo ſub Conſtantio, ſecundo ſub Iuliano, tertio ſub Valente accidiſſe videtur: meminitque huius ſub Valente exilii Sozomenus[e], aliique. Sed & Chryſoſtomus[f] vnum tantum memorans, poſt illud cum reuerſum dicat quiete egiſſe, quoſque vocatus eſt à Theodoſio ad Concilium Conſtantinopolitanum; de iſto vltimo intellexiſſe oportuit: quo (vt ait) in Armeniam relegatus eſt; idque tanto dolore Antiochenorum, vt Præſidem ipſum qui Meletium curru extra vrbem ducebat, pene lapidibus obruerint, confeciſſentque niſi Meletius ipſe pallio ſuo eundem contexiſſet. Ceterum quod tam Socrates quam Sozomenus tradunt, iſtiuſmodi profectionem Valentis Antiochiã, accidiſſe ipſo ferme eius Imperij exordio; vterque erraſſe conuincitur ex Ammiano[g], qui teſtatur Valentem eo tunc dirigentem iter, oborta Procopij tyrannide coactum eſſe à cœpto deſiſtere. Quapropter accuratius Cedrenus aduentum eius Antiochiam ponit anno ſequenti. Porro Meletio abſente, Flauianum & Diodorum illuſtres presbyteros (quorum ille poſtea ipſi Meletio in Epiſcopatu Antiocheno ſucceſſit, iſte creatus eſt Epiſcopus Tarſenſis in Cilicia) vna cum Aphraate ac Iuliano cognomento Saba monachis gratia miraculorum inſignibus, Eccleſiæ Antiochenæ curam ſuſcepiſſe, eaque digne perfunctos eſſe, Theodoretus[h] eſt auctor; qui eorumdem Aphraatis & Iuliani multa tunc edita in defenſionem fidei miracula recenſet.

d Socr. lib. 4. cap. 13. Soz. lib. 6. cap. 18. e Gre. Nyſſ. orat. in funer. Melet. Soz. cap. 17. f Chry. orat. in natal. Melet. ap. Sur. 12. Feb.

MELETII ANTIOCH EXILIVM.

g Am. l. 26.

h Theod. 4. hiſt. 23. 24. 25. & in Philoth. ca. 2. & 8.

XI. QVID APHRAATES MONACHVS CVM VALENTE IMP.

Memorandum vero eſt, quod cum aliquãdo Aphraatem Valens cito gradu, licet confectum pene ætate, incedentem vidiſſet, & ab aliquo dictum eſſet illum eſſe Aphraatem ex cuius nutu pendere ciuitas vniuerſa; Valens eo vocato interrogauit, quo ſe conferret: ille vero, Pro tuo (inquit) regno precaturus: cumque adiecisſet Imperator, ei potius intra cellam manendum eſſe, vt lex monaſtica poſtularet; tum ille: *Præclare admodum dicis, ô Imperator. Iſtud ante mihi faciendum eſt; & hactenus feci dum oues Saluatoris pace fruerentur. Verum quoniam magnopere perturbantur, & multum illis impendit periculi; neceſſe eſt omnes vias perſequi, non modo ne à feris capiantur, ſed etiam vt conſeruentur incolumes: cumque tu iam in Dei ædes flammam inieceris, nos circumcurſitamus, quo eam mature poſſimus extinguere.* Hæc de iis Theodoretus: qui & addit de vindicta diuina in quemdam ex cubiculariis Imperatoris, qui auſus eſt grauiores in eumdem Sanctum iactare minas. Sed & inſignis extitit eo tempore mors Aſterii olim ſophiſtæ, tunc vero Epiſcopi Ariani, precibus prædicti Iuliani ſublati; qui cum ab ipſo iam tempore Concilii Nicæni Fidelibus vbique ſemper inſultaſſet; ipſique Ario fax ad inflammandas Eccleſias paratiſſima fuiſſet, tandem ſancti huius ſenis exſufflatione extinctus eſt. Recenſet eiuſdem Aſterii ſcripta S. Hieronymus[i]; Iuliani vero etiam meminit Chryſoſtomus[k]; eiuſque natalis dies, ſicut & Aphraatis, adſcriptus habetur Iudicibus[l] Eccleſiaſticis. Sed & alios pleroſque magni nominis monachos iſtis virtute haud impares, Syriæ ſolitudines his temporibus excoluiſſe, idem Theodoretus[m] refert, nominatque & nonnullorum res geſtas in Philotheo deſcribit.

i Hier. de ſcrip. Eccle. in Aſter. k Chryſ. in Epheſ. 6. hom. 21. l Martyrol. 14. Ianuar. & 7. April. m Theod. 4. hiſt. 26.

XII. Præter hæc autem quæ de Meletio diximus, Valētem Antiochiæ diutius commorantem, ceteros omnes qui Arianæ doctrinæ aduerſarentur, exiliis ac cruciatibus exagitaſſe, Socrates[n] & Sozomenus[o] teſtantur: ingentemque plane fuiſſe perſecutionem, qua Catholicos ipſe vexauit, S. Auguſtinus[p] contra Petilianum inſinuat: cum & ex alia parte haud parua inteſtina vexatione eadem affligeretur Eccleſia, dum Orthodoxorum alii Meletio, alii Paulino adhærerent. Vnde & illud damnum hoc tempore emerſit, vt multi Meletiani eo exule, vt pollerent multitudine coniũxerint ſe *Tarſenſibus*, ſic dictis hæreticis Semiarianis[q] à Siluano Tarſenſi eorumdem Epiſcopo; qui cum horrore Arianos profiterentur, confitẽtes in Dei Filio diuinam ſubſtantiam, nolebant tamen cum Orthodoxis aſſerere eius Conſubſtantialitatem, iis de cauſis quæ ſuperius ſunt commemoratæ.

n Soc. lib. 4. cap. 14. o Soz. lib. 6. cap. 18. p Aug. 2. cont. lit. Petil. 92.

AFFLICTIO ECCLES. ANTIOCH.

q Soz. lib. 6. ca. 4.

XIII. In tam igitur lugubri ſtatu Orientis Eccleſiæ, quæ eiectione vbique Epiſcoporum Orthodoxorum, & ſubrogatione Arianorum, iam penitus videretur eſſe collapſa; de iis Magnus Baſilius ſcribens[r] ad Magnũ Athanaſium, in id vehementer incubuit; vt vnum tantum doceret ſupereſſe remedium, ſi ab Occidentalibus Epiſcopis ea ſubleuarentur; atque iſtud ipſum vt cum iiſdem Occidentalibus ageret, enixius rogauit. Quid autem geſtum fuerit, dicetur anno ſequẽti. Hoc vero eodem tempore cum Eccleſiæ Libyæ à quodam Præfecto Cappadoce, homine moribus deprauato licet fide Catholico, labefactata eſſet; eum mores emendare non curantem, idem Athanaſius ſententia excommunicationis perculſit; ſcripſitque ex more publicas litteras, quibus ſignificaretur ne is ab alio vſquam Epiſcopo reciperetur. Quas cum in primis Baſilius Cappadociæ Metropolitanus accepiſſet, eumdem nefarium hominem à Fidelium ſimiliter conſortio penitus declarauit extorrem; deque ea re Athanaſium litteris[s] ſuis reddidit certiorem. Quæ hic recitaſſe voluimus, ad excommunicationis cenſuram etiam in prouinciarum Præfectos ab Epiſcopis exerceri ſolitam, in Eccleſia inſinuandam.

r Baſ. ep. 48.

PRÆSES LIBYÆ EXCOMMUNICATVS AB ATHANASIO.

s Id. ep. 47.

XIV. Hoc eodem anno quo Valens Antiochiam venit, ipſius tertio Conſulatu, Præfecturam Prętorii Modeſto adminiſtrãte, diræ ſunt habitæ quæſtiones de compluribus, qui de Vita eiuſdem Imperatoris conſuluiſſent magos, aruſpices, vel alios qui malis artibus futura prænoſcere profitebãtur: de quibus omnibus Ammianus[t] pluribus agit: extatque hactenus eiuſdem Imperatoris reſcriptum[u], ad eumdem Modeſtũ hoc anno aduerſus maleficos datũ. Sed diſtinctius Sozomenus[x] ait philoſophos Gẽtiles pertęſos Chriſtianorum Imperatorum dominationis, nefandis magiæ præſtigiis de venturo conſuluiſſe Imperatore, reperiſſeque Valentis ſucceſſorem futurum, cuius primæ litteræ eſſent THEOD. Vnde cum illi auide expectarent *Theodorum* quemdam, inſignem illum quidem & illuſtrem virum, ſed Gentilem, Imperatorem euaſurum; re cognita Valentem mandaſſe vt Theodorus igne, qui autem eiuſmodi artibus vſi eſſent gladio necarentur: pariq; ratione eos omnes quicumque (ſi modo illuſtres eſſent) idem *Theodori* nomen vel ſimile haberent, cuius videlicet primæ litteræ à TH. vſque ad D. eſſent eædem; itemque omnes illuſtriores in toto Imperio philoſophos eadē

VALENS EXAGITAT MAGOS DIVINATORES.

t Am. li. 29. u l. 8. C. Th. de malef. x Soz. lib. 6. cap. 35.

LITERÆ IN CRIMEN ADDVCTÆ.

ipſa de cauſa extinctos eſſe. Meminit eiuſdem Theodori Ammianus, tamquam re vera virtutibus ſuis Imperio digni, claroque olim genere in Gallijs nati; quem (vt ait) Conſtantinopoli accerſitum, quæſtionibus Imperator ſubiecit. Zoſimus [y] autem affectatum ab eo Imperium tradit, ac malis artibus conquiſitum, quamuis eum Ammianus excuſet.

y Zoſ. lib. 4.

XV. CELEBRIORES PHILOS. OCCIDI IVSSI A VALENTE.

Recenſent inſuper iidem auctores, celebriores philoſophos tunc iuſſu Valentis occiſos: ac præcipue *Maximum* illum Cynicum, olim Iuliani in magia magiſtrum, cuius ſæpe facta eſt mentio: qui tandem ſcelera ſua iuſto Dei iudicio Epheſi capite luit; & quidem ob eamdem ipſam artem, propter quam apud Iulianum ſummam fuerat gratiam conſecutus. Cuius pariter necem Eunapius [z] deſcripſit; licet & ipſe Ethnicus Ethnici excuſet facinus, prædicetque virtutes. Addit præterea Ammianus magnam tunc factam eſſe inquiſitionem vetitarum artium codicum, eorumque reperiendorum cauſa fuiſſe, cuiuſque ferme domus penetralia accurate quæſita, ac foris etiam inſidias poſitas; eoſdem autem inuentos, multis acervatim publice combuſtos eſſe. Sed & in Occidente ab anno ſuperiori diras agitari cœptas quæſtiones aduerſus eos qui curioſis per diuinationem ſcientiis operam darent, adeo vt in Senatorias quoque perſonas pœnis ſeruilibus ſæuitum fuerit, eodem auctore [a] conſtat. Extatque Valentiniani Imperatoris ſanctio [b] anno ſequenti promulgata aduerſus Senatores maleficij accuſatos.

z Eunap. in Vit. philoſ.

LIBRI MAGICI COMBVSTI.

a Am. l. 28. b l. ... C. Th. de malef.

XVI. ATHANARICI PERSEC. GOTHOR. PERSECVTIO.

Interea vero Athanaricus Rex Gothorum, memor quæ triennali bello à Valente Imperatore paſſus eſſet; quod non liceret, pacis legibus prohibentibus, vel potius quod haud tantū virium penes ſe eſſe ſentiret, inuadendi Romanum Imperium; Chriſtianos apud ſe agentes ipſe Ethnicus morte atque exilio perſequi cœpit [c]; nec deſtitit, quoniam publica expeditione tranſmiſſo Iſtro ipſum Valentem aggreſſus eſt. Contigiſſe autem eiuſmodi Perſecutionem, antequam iidem Gothi Arianæ hæreſis labe conſpergerentur, adeo vt qui apud eos paſſi ſunt, omnes Catholici eſſent, iidemque martyres habiti fuerint, S. Auguſtinus [d], Oroſius [e], & tabulæ Eccleſiaſticæ teſtantur. Ex quibus corrigendi ſunt Socrates [f] & Sozomenus, qui eos tantum hæreti labefactatos aſſirmare videntur. Certe quidem vſque in hanc diem Chriſtianos Gothos perſeueraſſe Catholicos; eos vero tantummodo qui Phritigerni alteri Gothorum Regi ſubditi eſſent, ex conditione [g] icti fœderis cum Valente Imperatore (à quo is ciuili bello aduerſus Athanaricum alterum Gothorum Regem auxiliares copias accepiſſet) mutatos in Arianos, teſtantur Oroſius atque Theodoretus [i].

c Hiſt. in Chron.

d Aug. lib. de ciuit. ... e Oroſ. ... f Socr. ... g Sozom. ... i Theodor. l. 4. cap. 37.

XVII. DE VLPHILA GOTH. EPISC. LITTERARVM INVENTORE.

Quod vero iidem Socrates & Sozomenus æque aſſerere videntur, *Vulphilam* Gothorum Epiſcopum, qui primus litteras Gothicas inuenit, ac ſacram Scripturam in eorum linguam conuertit, eoſdem quoque ipſum omnium primum ex Gentilibus reddidiſſe Chriſtianos; vel ex eo ſatis erroris arguuntur, quod iam temporibus Conſtantini Magni qui Gothos domuit, eos religionem Chriſtianam amplexatos eſſe, ipſorumque Epiſcopum Theophilum interfuiſſe Nicæno Magno Concilio, index Epiſcoporum eidem ſubſcriptorum aperte ſignificat. Illud vero omnium aſſertione firmum habetur, eumdem Vulphilam deceptum ab Eudoxio (idque tum pecuniæ illecebris, vt habet Theodoretus, tum verborum lenocinijs, cum falſo iactaret nullam in re, ſed tantum in verbis fuiſſe Catholicis cum Arianis controuerſiam) auitam fidem Catholicam deſeruiſſe, eademque verborum deceptione ipſum Gothos ſibi deuotiſſimos in communionem Arianorum perduxiſſe: quamuis nec ob illam communionem eos à doctrina Catholica deſciuiſſe, idem Theodoretus ſcribat; quos & poſtea egregie excultos à ſanctiſſimo viro Niceta eorumdem Epiſcopo, docet S. Paulinus Nolanus in hymnis S. Felicis.

XVIII. k l. ... C. Th. de Epiſc. & cler.

Hoc ipſo Anno iiſdemque Coſſ. à Valentiniano Imperatore cum alijs Auguſtis, datum, reperitur ad Damaſum Romanum Pontificem reſcriptum [k], ne Eccleſiaſticæ perſonæ (neque enim ad ipſas Eccleſias illud extenſum eſt) ſiue clerici, ſiue monachi, qui continentium nomine honeſtarentur, hereditates vel legata, aut alias donationes à mulieribus accipere poſſent. Cuius meminerunt SS. Hieronymus [l] atque Ambroſius [m], non tam querentes de edicto, quam de cauſa eius ſanciendi; quæ fuit inſignis auaritia ac ſordida cupiditas multorum eius temporis presbyterorum ac monachorum, bonis viduarum inhiantium, atque ex pietate quæſtum captantium, domoſque circumuenientium decipiendas mulierculas oneratas peccatis. Aduerſus cuiuſmodi clericorum turpitudinem iidem Patres [n] ſæpius inuecti ſunt. Quapropter, & quod ea lex præter morem lecta dicatur in Eccleſiis Romæ, veriſimile eſt eam agente Papa Damaſo editam eſſe, quo ſæculari etiam auctoritate coerceretur ſordida Eccleſiaſticorum officina. Porro hanc legem antiquauit poſtea Marcianus [o] Imperator; eiuſque ea de re ſanctionem probauit Iuſtinianus [p], ac ſuo Codici inſeri voluit.

LEGE VALENTIN. COHIBITA AVARITIA CLERICOR. ET MONACHOR.

l Hier. ep. 2. ad Nepot. m Ambr. ep. 31. ad Valentin. Iunior. n Hier. ep. 2. 22. Ambr. ſer. 7.

o Marcian. Nouel. tit. 5. p l. generali lege. C. de Epiſc. & cler.

XIX. q Socr. lib. 4. c. 26. DE ASSERTA LEGE VALENTIN. PRO DVABVS DVCENDIS VXORIB.

Sed quod attinet ad legem illam, qua Socrates [q] ait eumdem Valentinianum Imperatorem ſanciuiſſe, vt quicumque vellet duas poſſet vxores legitimas habere; idque (vt ait) occaſione Iuſtinæ virginis, cuius pulchritudine captus, eam in vxorem cepit viuente adhuc & retenta priori coniuge Seuera: de his conuincitur ex pluribus Socrates, apertiſſimis mendaciis auilem vel ab eo concinnatam eſſe fabellam, vel potius ab aliquo è triuio acceptam conſcripſiſſe vt veram. Vnde enim ei, Iuſtinam fuiſſe virginem cum eam Valentinianus accepit in coniugem; quam conſtat [r] vxorem antea fuiſſe Magnentij tyranni, à Valentiniano vero ductam poſt Seueræ obitum? Deinde quomodo nullus auctorum Ethnicorum, non Zoſimus, non Ammianus, res horum temporum deſcribentes, & in Chriſtianos Principes parum æqui, huius meminerunt obſcœnitatis: cum alioqui ſciamus, eamdem à Romanarum rerum hiſtoricis [s] in barbaris eſſe deriſam, & in Romano Imperatore id tentante [t] magnopere improbatam, atque ab aliis etiam Imperatoribus [u] Ethnicis prohibitam; ac denique ab Imperatore [x] Chriſtiano etiam ab externis, nempe Iudæis interdictam? Quinimmo idem Ammianus nihil adeo celebrat in Valentiniano, ac caſtitatem; quem ait [y] omni pudicitiæ cultu domi caſtum fuiſſe & foris, nullo contagio conſcientiæ violatum obſcœnæ, nihilque mœſtum habuiſſe. Sed & quonam, quæſo, modo res toto Imperio Romano diffamata, nonniſi viri qui longe poſt hæc tempora vixit, innotuit Socrati? (ex eo enim ceteri deſcripſere Theophanes, Zonaras, Nicephorus, & ſiqui alij) non etiam Hieronymo, Oroſio, Seuero, & aliis pluribus Latinis hiſtoricis qui his temporibus claruere; non penes Græcos ipſi Sozomeno, vel Theodoreto, qui eiuſdem Imperatoris res geſtas proſecuti ſunt; non denique vlli omnino horum temporum ſcriptori. Ceſſet igitur de iſta lege ſuſpicio, ac præterea in Valentinianum caſtiſſimum, & violatæ caſtitatis acerrimum [z] vindicem.

r Zoſim. l. 4.

s Saluſt. in bel. Iugurt. t Sueton. in Claud. c. 26. u Valerian. & Galien. l. 2. C. ad l. Iul. de adult. Diocl. & Maximian. l. 2. C. de incest. nupt. x Theodoſ. l. 7. C. de Iudæis. y Ammian. lib. 30.

z Am. l. 28. Hier. ep. 49.

XX. a l. 1. C. Th. de ſtud. liber. vrb. Rom. SCHOLÆ LEGE VALENTIN. OPTIME INSTITVTÆ.

Laude vero plane dignum extitit reſcriptum [a] eiuſdem hoc eodem anno promulgatum, quo Romanas ſcholas optime compoſuit, ac diſcipulorum moribus egregie proſpexit: omnibus inſuper interdicens, ne ſupra vigeſimum ætatis annum liberalibus ibidem ſtudiis operam nauare poſſent. Ad cuius plane legis decreta ſpectat, quod S. Auguſtinus [b] in ſuis Confeſſionibus ait ſe Romam perrexiſſe quod quietius ibi ſtuderent adoleſcentes, & ordinatiore diſciplinæ coertione ſedarentur. Ceterum cum ex eiuſdem Auguſtini tum ex aliorum ſententia, illud prudenter ſtatuiſſe viſus eſt Imperator, vt adoleſcentibus Romæ, non liceret morari vltra vigeſimum ætatis annum, ne ſcilicet iam liberiores otio torpeſcentes, vrbanis irretirentur illecebris.

b Aug. Conf. l. 5. c. 8.

XXI. c l. 6. C. Th. de cenſ.

Denique hoc eodem anno idem Imperator lege ita [c] ſacras virgines, viduas, & pupillos, à cenſu plebis exemit.

VALENTIN. VALENTIS A.

IESV CHRISTI AN. 371.

DAMASI AN. 5.

I. PRÆCIPVI ORIENT. EPISC. AVXILIVM IMPLORANT OCCIDENTALIVM.

ANNO Domini trecenteſimo ſeptuageſimo primo, Gratiano Auguſto ſecundum & Anicio Petronio Probo Coſſ. S. Baſilius ſatagens de ſtatu deploratiſſimo Orientalis Eccleſiæ, egit cum Athanaſio Alexandrino, Meletio Antiocheno, & Euſebio Samoſateno, vt legatio Romam mitteretur ad petendos viros capaces in Orientem quamprimum dirigendos, qui nutantia roborarent & proſtrata erigerent. Hæc enim manifeſta fiunt ex variis eiuſdem Baſilii de his ad prædictos Epiſcopos ſcriptis litteris [a]. Extatque apud eundem [b], Meletii (vtpote primarii totius Orientis Antiſtitis, cui etiam Baſilius aduerſus Paulinum ſtuduiſſe [c] cognoſcitur) Euſebii, atque ipſius Baſilii nomine ad Occidentales ea de re epiſtola, quam & ab aliis pariter Epiſcopis Orthodoxis ſubſcriptam eſſe, idem alibi [cc] inſinuat: ipſumque ſuas [d] priuatim addidiſſe conſtat. Porro illæ omnes etſi ad Occidentales, vel Occidentis diuerſas prouincias habeantur inſcriptæ; tamen ad ipſum inprimis communem Pontificem Epiſcopum Romanum datas eſſe, ex eiuſdem Baſilii [e] ad Athanaſium data epiſtola pleniſſime cognoſcitur. Deſiderantur autem litteræ Athanaſii ad Romanum Pontificem, quarum ibidem Baſilius meminit. Quid vero actum ſit hac legatione (qua functi reperiuntur Sabinus & Probus Sanctiſſimus presbyteri, ac Dorotheus diaconus) illud tantum potuimus [f] inuenire; nimirum Occidentales redditis ad Orientales litteris, eos conſolatos eſſe, bonaque ſpe roboraſſe: ſed & reſcripſiſſe ad Athanaſium, qui acceptas litteras ad Baſilium [ff] in Cappadociam miſit.

a Baſil. ep. 52. 57. 55. 59. b Id. ep. 69. c Id. ep. 50. ad Athan. cc Id. ep. 58. 59. d Id. ep. 70. e Id. ep. 52. f Id. ep. 74. ad Occid. & ep. 18. in addit. ad Antioch. ff Id. ep. 61. ad Occident.

II. ATHANASII & BASILII OVSI IN VISITATIONE ECCLES.

Quanti enim eundem Baſilium Athanaſius fecerit, ex variis ipſius epiſtolis [g] apparet, in quibus eius defenſionem contra oblatrantes ſuſcepit. Tantam vero etiam de eo fidem concepit, vt cum antea ab eodem Baſilio [h] ſæpe interpellatus pro Eccleſia Antiochena, aliiſque aliarum Orientis Eccleſiarum ærumnis; ad eaſdem luſtrandas, & quibus valeret remediis ſubleuandas, miſiſſet ex Clero Alexandrino Petrum, [i] qui eo munere egregie functus eſt: iam eidem ipſi Baſilio (ſicut ipſe teſtatur [k] ad Neocæſarienſes) iniunxerit viſitationem Epiſcoporum Macedoniæ & Achaiæ; cui & in mandatis dedit, vt lapſos in hæreſim omnes reciperet cum fidei Nicænæ confeſſione. Sed accidit vt cum idem Baſilius Minorem etiam Armeniam viſitans, in Nicopolitano eiuſdem prouinciæ conuentu Euſtathium Arianum Epiſcopum Sebaſtenum, fidem Catholicam profiteri ſimulantem, eidemque ſubſcribentem [l], in communionem accepiſſet; idem ea de re ab illius loci Epiſcopo Orthodoxo nomine Theodoro primum, deinde ab aliis in ſuſpicionem colluſionis cum Euſtathio adductus fuerit; ac re vbique, etiam apud Occidentales diffamata [m], opus habuerit Apologiam [n] ſcribere, quam ad Terentium Comitem ſibi perneceſſarium miſit (quem ex Ammiano conſtat his temporib. ad cohibendos Perſas in Armenia cum exercitu egiſſe) virum pietate ac fide Catholica inſignem; cuius ea de re egregium facinus apud Valentem Imp. peractum, Theodoretus [o] recitat.

g Athan. ep. ad Ioan. Antioch. & ep. ſeq. ad Palad. h Baſil. ep. 48. & 109 ad Athan. i Id. ep. 11 ad Athan. k Id. ep. 75. l Ap. Baſil. ep. 78. BASILIVS MALE AVDIT OB RECEPTVM EVSTATH. SEBAST. m Id. ep. 5 ad Euſeb. n Id. ep. 6. in addit. o Theod. l. 4. c. 28.

III. EVSTATHII SEBAST. SIMVLATIO DETECTA.

Quinimo & ipſe Euſtathius, cum videret ſe ex fidei profeſſione ſubſcripta, quam aucupatus fuerat gloria minime conſecutum eſſe; terga impudenter vertens, in eundem Baſilium verbis iactare conuitia, ac ſcriptis diſſeminare calumnias aggreſſus eſt, quaſi de fide haud recte ſentiret. Id enim teſtatur ipſe Baſil. [p] ad eundem Euſtathium pro ſua defenſione ſcribens: cuius etiam alia extat [q] ad Theodotum epiſtola, qua demonſtrat ſero nimis pœnitere ſe, quod minime eidem de Euſtathii ſimulatione momenti auſcultaſſet: itemque aliæ pariter defenſoriæ ad Athanaſium [r] magni nominis & ſpectatæ fidei Epiſcopum Ancyranum, & ad ſuos Neocæſarienſes [s] ſibi ob illatas calumnias infenſos. Se inſuper ab Arianis accuſatum quod litteras dediſſet ad Apollinarem, eaque de cauſa compluſes ſuam vitaſſe communionem, idem teſtatur [t] in epiſtola ad Patrophilum, quæ ſe excuſat quod ſcripſiſſet Apollinarem eſſe hæreticum. Neque enim adhuc damnatus fuerat: antequam autem Romæ damnaretur à Damaſo, nequaquam vt hæreticus vitabatur; quem etiam in diuinis litteris ſe habuiſſe magiſtrum, S. Hieron. [u] ingenue profitetur. Sed & cum aduerſus Sabellium atque Marcellum concionibus ſæpe dimicans, tres in Trinitate diſtinctas hypoſtaſes, ſiue ſubſiſtentias niteretur demonſtrare; idem ab auditoribus (qui adſtare ſolebant, quod ipſe ſæpius [x] queritur vt eum carperent, non vt diſcerent) diffamatus eſt quaſi triũ deorum aſſertor. Vnde opus habuit frequenti populo ambonem conſcendere, ſeque deorum trium cultorem nunquam fuiſſe, vel aſſertorem, publica oratione, quæ hodieque extat [y], omnibus exploratum reddere.

p Baſil. ep. 79. q Id. ep. 15. in addit. r Id. ep. 54. s Id. ep. 71. t Id. ep. 82. ALIA MVLTA IN BASILIVM CALVMNIÆ. u Hieron. ep. ad Pammach. x Baſil. ... y Id. ...

IV. BASILIVS ACCVSATVS MALE SENTIRE DE SP. S.

His vero accedente calumnia alia, quaſi male crederet de Spiritu S. de ea ſe pariter defendit litteris [z] ſcriptis ad monachos Ponticæ ſolitudinis, qui ſe idcirco ab eo tanquã hæretico diuellere meditabantur: ad quos etiam id exigentes, egregium miſit libellum de vera ac pia fide (vt habet titulus) quo inprimis declarauit quantum abhorreret à nouitate, cuius ab aduerſariis inſimulabatur. Denique occaſione vnius circa Spiritum S. voculæ, ab eodem pro concione obſcurius aliquando prolatæ, ingentes in eum ab aduerſariis concitatæ ſunt turbæ; quas fuſius pertractat Greg. [a] Nazianz. cum & eiuſdem Baſilii ea de re conſiliũ, fidemque integerrimam demonſtrat. Verum cum nec deſiſterent aduerſarii eidem inſultare etiam mortuo; pro eo rurſum diuerſis temporib. apologias ſcripſere germanus eius Greg. Niſſen. Theodor. Antiochen. atque Sophronius; vt auctor eſt Photius in ſua Bibliotheca.

z Id. ep. 73. a Greg. Naz. ... ad Baſil. ...

V. DE NOVA RECITANDI HYMNI GLORIFICATIONIS.

Quænam autem fuerit vocula illa, ſeu potius ſyllaba, quæ tot indiguit defenſionibus; ipſemet Baſilius declarauit peregregio illo commentario, quem eadem occaſione ab amiciſſimo Amphilochio Iconii Epiſcopo interpellatus conſcripſit; vt obortam de Syllabis quæſtionem in cauſa de Spiritus Sancti diuinitate elucidaret: Vbi docet, [b] illius quæſtionis originem inde manaſſe, quod ipſe in concione Glorificationem [c] abſoluiſſet, *Deo ac Patri*, interdum *cum Filio ipſius ac Spiritu Sancto*, interdum, *per Filium in Spiritu Sancto*. Quæ quidem etſi tam diuinæ Scripturæ auctoritate, quam antiquæ traditionis exemplo, & SS. Patrum teſtificatione, abſque diſpendio Catholicæ fidei licenter dici poſſent; ex iis tamen ſcandalum Fideles paſſi ſunt, quod iam olim Antiochiæ [d] (vt alias dictum eſt) oborta eſſet diſſenſio inter Catholicos & Arianos, dum illi Glorificationis hymnum occinentes dicerent, *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto*, Ariani vero *Gloria Patri per Filium cum Spiritu Sancto*. Sed quonam modo eadem verba dicentes Ariani blaſphemarẽt, Catholici laudarent SS. Trinitatem, idem Baſilius [e] eodem libro pluribus docet. Cui quidem tot ærumnis conſtituto vnum illud relictum viſum eſt confugium, vt Magni Athanaſii, atque amiciſſimi ac fideliſſimi ſibi Gregorii Nazianzeni auxilium litteris abſens expeteret [f], vt illius ad Deum precibus fulciretur, huius etiam ad ſe aduentu recrearetur.

b Baſil. ad Amphil. ... c ... d Theodoret. ... e Baſil. ad Amphil. de Spir. S. c. 4. ... f Id. ep. 47. ... ep. 20. ... Greg. Naz.

VI. BASILII DISSIDIVM CVM ANTHIMO TYANENSI.

Fuit vero eidem alia etiam ex cauſa magnum cum Anthimo Epiſcopo Tyanenſi diſſidium. Cum enim Cappadocia in duas prouincias & Metropoles diuiſa eſſet [g], quarum altera Cappadocia Prima, Secunda altera dicebatur; primæque, ac potiori, in qua Cæſarea, Baſilius præeſſet; alteri vero, cuius erat metropolis Tyana, Anthimus; hicque ex prima illa ſuæ iuriſdictioni multas parœcias vendicare conaretur, ac multæ inde contentiones ortę eſſent: ſalubre hoc, (inquit Gregorius [h] Nazianzenus hæc narrans) conſilium Baſilius excogitauit, vt plures in ſua diœceſi crearet nouos Epiſcopos, quo & animarum cura maior ſuſciperetur, & quælibet ciuitas prouentus ſuos haberet, quorum præcipue cauſa turbas Anthimus ciebat. Sed illud plane ſalubrius fuit Baſilii conſiliũ, vt à ditione Anthimi (ſub qua ſitum erat [i] Nazianzum, necnon Azianzũ patrium ſolum Gregorii) vendicaret ſibi eundem Gregorium, quem nouæ inſtitutæ ſedi Saſimorum oppidi crearet Epiſcopum. Verum id ægre perferens Gregorius [k], ſæpius obfirmato animo reſtitit; non quidem quod humilẽ Saſimorum locum deſpiceret (licet is eſſet non ſolum

g Greg. Naz. ... Baſil. ... h ... i ... k ...

Grego-

l Id. in carm. de vit. ſua. m Id. iiſdem litteris, ſed præcipue ep. 10. ad Baſil.

GREG. NAZ. CREATVS EPISCOPVS SASIMORVM.

n Id. orat. ad patr. orat. ad Gre. Nyſſ. & Apol. 3.

Gregorio, ſed & quolibet homine libro[l] prorſus indignus) ſed amore[m] tranquillioris vitæ, & quod locus ille cuiuſnam eſſet, primæ ne an ſecundæ Cappadociæ, inter Anthimum atq; Baſilium magna controuerſia eſſet. Tandem vero Baſilii victus amicitia, & patris ſui Gregorii ſenis Epiſcopi Nazianzeni cedens imperio, Saſimorum Epiſcopus ordinatus eſt, conuenientibus ad hoc ipſis Baſilio & Gregorio ſene, ac superueniente Baſilii germano Gregorio Nyſſeno: quo tempore plures habuit orationes[n] Apologeticas quæ extant.

VII.

o Id. ep. 15. & carm. de Vit. ſua.

Sed cum poſt hæc idem Gregorius nouus Epiſcopus, varie ab Anthimo fruſtra ſolicitatus, Saſimorum adeo acceſſu prohiberetur, vt nec ea ipſi inuiſere vmquam licuerit; atq; ex altera parte in ſuſpicionem apud Baſilium adduceretur, quaſi Anthimo adhæſiſſet: nouum ipſe conſilium iniit[o], in ſolitudinem ſe recipiendi. Haud tamen licuit ei diu ſolitarium agere: ſiquidem coactus patris ſubiraſcentis imperio, ipſi ſenio confecto aſſiſtere; Nazianzum venit: ſed ea lege, vt quoadusque pater viueret, ei inhæreret, poſtea vero quo vellet liberum eſſet abire; ſicut ipſemet publica tunc concione[p] omnibus teſtatum voluit, & poſtea in carmine de Vita ſua repetiit. Ex quibus omnibus egregie refellitur quod de eodẽ Gregorio plane omnes etiam antiqui affirmant[q], ipſum fuiſſe; creatum Epiſcopum Nazianzenum. Contra quam inueteratam opinionem & illud inſuper manifeſtiſſimũ addimus, quod idem ipſe Gregorius[r] lõge poſt patris obitum ad Gregorium Nyſſenum ſcribens, cum de ſubrogato Eulalio in locum patris agit, expreſſis verbis teſtatur, inter omnes conſtare ſe numquam Nazianzi, ſed Saſimorum Antiſtitem creatum fuiſſe, tametſi patre viuente ad breue tempus eius Eccleſiæ præfecturam quaſi hoſpes accepiſſet: illudq; ipſum iiſdem ferme verbis in carmine de Vita ſua repetit, inſinuatque in epiſtola ad Philagrium[s]. Quod autem de Saſimorum Eccleſia nulla poſthac mẽtio habeatur, id inde eueniſſe exiſtimamus, quod Anthimus alium Saſimis, quæ ſibi vendicaſſet Epiſcopum ordinauerit; & Baſilius ad dirimendas controuerſias inter Catholicos periculoſo illo tempore obortas, Anthimo pugnaci homini, ſed tamen Orthodoxo, loco ceſſerit.

p Id. orat. cum ores ſt exor. Os meum aperui.

GREG. NVMQVAM FVIT EPISCOP. NAZIANZ.

q Hier. de ſcr. Eccle. in Gre. Naz. Ruff. lib. 2. cap. 9. Socr. l. 4. c. 26. Sozom. li. 6. cap. 17. Greg. [illegible] in vita Greg. Naz. & alii.

r Gre. Naz. ep. 42. s Id. ep. 65.

VIII. QVID EDESSÆ VALENS IN ORTHODOXOS.

Interea vero cum Valens Imperator Antiochia recedens in ſuperiorem Syriam peregrinaretur, Edeſſam profectus cauſa videndi magnifici templi S. Thomæ Apoſtolo dicati, ſanctitate & hominum frequentia celeberrimi; conſpecta ibidem magna Orthodoxorum multitudine, qui quod Eccleſiis priuarentur, in campo ante ciuitatem conuentus agebant; Modeſtum Præfectum contumelioſis verbis arguens, pugnoque maxillam percutiens, quod eiuſmodi conuentus fieri permiſiſſet, imperauit vi multitudinem diſſipare, virgiſque ac fuſtibus cædere. Quod exequi Præfectus ſatagens, dum per forum tranſiret mulierculam vidit infantem manibus geſtantem, ac properantem: qua interrogata, cum accepiſſet eam ad reliquam Catholicorum multitudinem feſtinam contendere, vt vna cum paruulo infante cædem Orthodoxis intentatam ſubiret; obſtupefactus, & ex eius animo aliorum omnium flagrans martyrii deſiderium perſpiciens, rem ad Imperatorem detulit, cædemque illis fruſtra illatam fore docens, cõmouit præcipere vt abſtineretur à nece populi. Narrant hanc fuſius hiſtoriam Theodoretus[t], Socrates[u], atque Sozomenus[x]. Sed ab iſtis ille corrigendus, quod præpoſtero ordine recenſeat primum res à Valente geſtas Edeſſæ, inde quæ cum Baſilio Cæſareæ Cappadociæ contigerunt. Habet vero inſuper idem Theodoretus multa de Eccleſiæ Edeſſenæ Epiſcopo nomine *Barſe*, vitæ ſanctitate & miraculorum gratia vbique clariſſimo, iam ante Valentis aduentum in exilium miſſo, deq; aliis eiuſdem Eccleſiæ clericis tunc exulare iuſſis atque male habitis: inter quos præcipui extitere *Eulogius & Protogenes*, quorum ille poſtquam reuerſus eſt ab exilio, defuncto ſucceſſit Barſæ, iſte factus eſt Charrarum Epiſcopus: eorumdem vero omnium nomina relata ſunt in tabulas Eccleſiaſticas. In Scythia quoq; eumdem Valentem Eccleſiam vexaſſe, eorumque Epiſcopum æque ſanctitate illuſtrem *Bretannionem* in exilium expuliſſe, ſed mox reuocaſſe, veritum ne Scythæ eius rei occaſione nouis rebus ſtuderent, Sozomenus[y] narrat.

EGREGIVM EXEMPLVM MVLIERIS CHRIST. PROPERANTIS AD MARTYRIVM.

t Theod. l. 4. c. 16. u Socr. lib. 4. c. 14. x Soz. lib. 6. cap. 18.

CONFESSORES EDESSENI.

y S. [illegible] 21.

IX

z Hier. in Chron. a Martyrol. Rom. & Menol. Græc. Cal. Aug.

EVSEBII VERCEL. OBITVS.

Hoc item anno[z] obiit S. *Euſebius* Epiſcopus Vercellenſis: qui cum martyrij titulo in Eccleſia ſua colatur, & in tabulis[a] Eccleſiaſticis adſcriptus habeatur; hunc ipſe meruit tum propter graues quas exulans paſſus eſt moleſtias, tum propter ſæuam illam ſub Cõſtãtino factam ſanctiſſimi viri per ſcalas protractionem, qua membris confractus & capite quaſſatus eſt. Licet enim poſt conualuerit, tamen (quod alias dictum eſt) illi etiam antiquis *Martyres* dicebantur, qui fidei cauſa poſt cõfeſſionem aliquid in corpore paſſi eſſent etiamſi ex illatis pœnis minime contigiſſet ſpiritum exhalare. Nam quod eumdẽ Euſebium reuerſum in patriam, Arianorum inſultu lapidũ ictibus morte affectum, monumenta Vercellenſis Eccleſiæ tradunt; hæc antiquiorum carent teſtimonio. Deniq; SS. Ambroſius[b] & Gregorius[c] Turonenſis, aliique eum inter Confeſſores tantum adnumerarunt. Quanta vero miraculorum effulſerit poſt obitum gloria, adeo vt oleo lampadum in Eccleſia ipſius ex more ardentium, dæmones ab energumenis pellerentur, idem Gregorius Turonenſis certam fidem reddit. Hoc autem eodem anno æque recenſetur à S. Hieronymo interitus Luciferi Epiſcopi Calaritani, de quo actum eſt in eius ſchiſmate.

b Ambroſ. ep. 82. ad Vercel. c Gre. Tur. de glor. Confeſſ. c. 3.

X. INIVSTÆ VALENTINIANI IMP. SANCTIONES.

d l. 1. C. Th. de Scen.

Eodem anno Valentinianus Imperator de Scenicis (erant hi ſerui publici, ad lætitiam publicam theatricis ſpectaculis mancipati) pœnitentibus, & Chriſtianos fieri cupientibus, reſcripſit[d] haud quidem pie, nonniſi in mortis articulo baptizari: quod ſcilicet cum legibus Eccleſiaſticis vetitum eſſet Chriſtianos Theatrales eſſe; qui eiuſmodi eſſent, ſimulac per baptiſmum Chriſtiani efficerentur, ſcenicum munus exercere amplius non valerent. Nec iuſtiora ſanxit cum hoc eodem anno licentiam dedit[e] Gentilibus aruſpicinam exercendi, dummodo id facerent abſque magia. Itemque dum ſacerdotibus Gentilitii ritus[f], honorem Excomitibus exhiberi ſolitum impertiit. Sed & quod permiſit Aram Victoriæ in Capitolio ſtare, illicque Senatores Gentiles ſacra facere; licet eum S. Ambroſius[g] quaſi tantum nefas ignoraſſet, excuſet (ſed rhetorice, vt puto, ad deliniendum Valentiniani Iunioris animum, ac reuocandum ne paterno exemplo eamdem Aram Gentilibus permitteret) tamen ex his videas Symmachum, qui Gentilitiæ ſuperſtitionis maiorem gerebat Pontificatum, in Relatione ad eumdem Valentinianum Iuniorem iure appellaſſe Valentinianum Seniorem, ritus veteris conſeruatorem. Nam & præter hæc adeo eius indulgentia abuſi ſunt Ethnici, vt non veteres tantum frequentarentur ſacrificiis aræ, ſed & recentes erigerentur, vt conſtat ex variis eius temporis publicis Inſcriptionibus[h]. Quam autem inconſulte hæc permiſerit, exitus declarauit.

e L. 9. C. Th. de malef. f L. 75. C. Th. de decur. g Ambr. ep. 30. ad Valent. Iunior. h Smet. Inſcript. pag. 19. & 20.

VALENTIN. VALENTIS AN. 9.

IESV CHRISTI AN. 372.

DAMASI AN. 6.

I.

ANNVS Chriſti trecenteſimus ſeptuageſimus ſecundus Coſſ. habuit Modeſtum & Arintheum, ambos ex familia Valẽtis, ſed diuerſis inter ſe ſtudiis. Siquidem Modeſtus Arianus ad inſequendos Orthodoxos (vt ſæpe vidimus) Valenti vſui erat; Arintheus vero pius, & de Eccleſia Catholica benemeritus, vt patet ex epiſtola Baſilij[a] cõſolatoria de eius obitu ad ipſius coniugem ſcripta, quem & prævalidum extitiſſe ducem, & Armeniam à Perſarum incurſionibus tutatũ eſſe, Ammianus[b] teſtatur.

a Baſil. ep. 5. in addit. b Am. li. 27.

II. BASILII LEGATIO AD OCCIDENTALES.

Hoc autem tẽpore cum ſub Ariano Imperatore Ariani magis magiſque aduerſus Catholicos inſoleſcerent, idem S. Baſilius nouam rurſus legationem in Occidentem ad Damaſum alioſque Epiſcopos miſit, petens vt aliqui in Orientem, viſitaturi, & remedia malis allaturi venirẽt: itemq; vt Euſtathius Sebaſtenus & Apollinaris (quorum cauſa, vt vidimus, in ſuſpicionem venerat) ab Occidentalibus damnarentur, ob impietates & fraudes qui-

bus Orientem infeſtarent. Verum nihil iſta legatione actum eſt, quod Damaſus dignum exiſtimauerit, quouſq; de accuſationibus aduerſus eundem Baſilium prolatis certior redderetur, abſtinere à conſuetudine litterarum. Quapropter Baſilius magno animi dolore cõfectus, nouam denuo legationem decernens, quod maximi ponderis res videretur alienarum à ſe experiri Romanum Pontificem, eam credidit *Petro* Eccleſiæ ſuæ presbytero; quẽ exiſtimamus germanum ipſius, ex decem vltimo loco natum, virtutibus vero conſummatum, creatum [c] ab eo ex monacho presbyterum: eidemq; litteras [d] ad Romanum Pontificẽ aliosque collegas Epiſcopos dedit, quibus queritur nullas ab eis ad ſe redditas, nulloſque Legatos in Orientem miſſos: eoſque iterum expetit, ſeq; coram ipſis cõpariturum pollicetur, rationemque redditurum earum rerum de quibus ab inimicis ſuis accuſaretur. Quid autẽ ad hæc reſcripſerint Occidẽtales, vel an reſcripſerint, haud apparet: certius tamen videtur eos minime reſcripſiſſe, quod quæ anno ſequenti ad eoſdem à Baſilio datæ ſunt litteræ, [e] eaſdem querelas ingeminent.

ALIA QVE RVRSVM. c Gre. Nyſſ. ep. ad Olymp. d Baſil. ep. 77. e Id. ep. 1. in addit.

III. Præſenſerat ipſe quidem iam antea aliquo modo has ſimultates, cum ad Euſebium Samoſatenum ſcribens [f], Occidentales ſupercilii & faſtus accuſauit; necnon inſcitiæ atque erroris, nempe ob veterem controuerſiam de vocibus *Subſtantiæ & Subſiſtentiæ*, ſeu *Vſiæ & Hypoſtaſis*, de quibus dictum eſt [g] in Concilio Alexandrino. Quæ licet tunc ſopita viſa eſſet auctoritate Athanaſii, decernentis haud curandum eſſe de ſyllabis, vbi nulla eſſet in re diſcrepantia: tamen eadem iterum hoc tempore refricata, Occidentales qui nollent cum Orientalibus tres hypoſtaſes in Trinitate dicere, q; ea vox apud eos ſubſtãtiam ſignificaret ab iiſdẽ Orientalibus hæreſis inſimulati ſunt, vt pluribꝰ queritur Hieronymus [h] in epiſtola hoc eodem tempore ad Damaſum Papam ſcripta. Sed quam iuſte id fieret, docẽt ea quæ ſuperius ea de re diſputata ſunt. Quapropter his poſtea à S. Baſilio accuratius conſideratis, tantũ abeſt vt in priori de Occidentalium vel faſtu vel hæreſi ſententia (quã perturbatio animi, vt ſanctiſſimis quoq; viris interdũ accidere conſueuit, induxerat) perſeuerauerit, vt contra ſcriptis anno ſequenti ad eos officii ac ſubmiſſionis plenis literis [i], eoſdẽ illibatos in fide permanere, & Apoſtolicum depoſitũ illæſum ſeruare prædicauerit: vt non ſit mirandũ, ſi opẽ illorum & cõmunionem tã ſtudioſe, dixerim & importune expetiuerit. Quod vero attinet ad diſputationem de tribus hypoſtaſibus, accidit vt poſt editas ab eodem S. Baſilio, Theodoreto, aliiſque Orientalibus de ſincera eius nominis interpretatione ſcriptiones; ſicut à Græcis, ita à Latinis illud ſuſceptum fuerit, & vſu frequentatum ad ſignificandam in Trinitate perſonam.

f Id. ep. 10. BASIL. COMMOTVS IN OCCIDENTALES. g Su. an. 362. nu. 42. 43. h Hie. ep. 57. i Baſil. ep. 2. in addit.

IV. Hoc eodem anno iiſdemque Coſſ. ſexto Nonas Maii, Magnus ille *S. Athanaſius* Epiſcopus Alexandrinus, maximo omnium bonorum luctu ex hac vita deceſſit, cum ſediſſet [k] quadraginta ſex annos integros. Vnde cum conſtet eum anno ſequenti à Nicæno Concilio, nempe Domini trecẽteſimo vigeſimo ſexto, creatum fuiſſe Epiſcopum; mẽdacii arguitur Socrates, qui cũ totidẽ annos eius ſedi tribuat, deceſſiſſe tamẽ ait anno ſuperiori Gratiano & Probo Coſ. Nominat eum Gregorius [l] Nazianzenus *Orbis oculum, Sacerdotum Antiſtitem, Confeſſorum ducem & magiſtrum ſublimẽ vocem, fidei columen, ſecundam Chriſti lucernam, præcurſorem.* At prægrandis liber conficiendus eſſet, ſi omnes præſtantiſſimi Sacerdotis laudes, à Patribus editas quis ſimul in vnum congereret: cum alioqui impar ſit omnis lingua ad celeberrima eius recenſenda certamina ſub Conſtantino Conſtantio, Iuliano, ac demũ Valente Imperatoribus pro fide ſuſcepta: vt nullus alius ſit inueniri poſt Apoſtolos in Eccleſia Dei, qui acerbiora diuturnioraque ſubierit prælia pro patrũ fide tuẽda, ac Magnus hic immo Maximꝰ Athanaſius. Reliquit præclara ſeri, torũ ſuorum monumenta, de quibus inprimis agit S Hieronym. [m] dolemuſq; epiſtolarum eius factã eſſe iacturã, quas idem [n] alibi laudat. De eiuſdẽ vero ſcriptis egregia fuit Coſmæ Abbatis ſentẽtia [o], *Cum (inquit) ex S. Athanaſii opuſculis aliquid inueneris, nec ad ſcribendum chartas habueris, in veſtimentis tuis ſcribe illud.*

S. ATHANASII OBITVS. k Ruff. lib. 2. c. 3. Cyril. Alex. ep. 1. l Greg. Naz. orat. in laud. Heron. CELEBRIS MEMORIA ATHANASII. m Hier. de Script. Eccl. n Id. ep. 7. ad Lat. o Prat. Spir. cap. 40.

V. Eo defuncto, qui eiuſdem antea ſuffragio deſignatus [p] fuerat, & communi poſtea ſacerdotum, monachorum, magiſtratuũ, ac populi conſenſu approbatus eſt ſucceſſor, *Petrus* eiuſdem Eccleſiæ presbyter, ætate ſenex, omnium Athanaſii tribulationum particeps, virtutibus [q] omnibus conſummatus, euectus in thronum mouit vehementer Arianorum inuidiam. Qui freti auxilio Præſidum, & inprimis ipſius Valentis Imperatoris auctoritate ſuffulti, *Lucium* illum omnium Arianorum nequiſſimum, quẽ in locum teterrimi Georgii ab eis ſubrogatum vidimus, Alexandrinum oſtentauere Epiſcopum; vtque vni ei pateretur, renitente populum vi militari, verberibus, carceribus, exiliis, cædibus, domorum vaſtationibus, ac bonorum direptionibus compulerunt. Cuius rei hiſtoriam Theodoretus [r] in primis narrans, ait Petrum à Palladio Præfecto eius prouinciæ, Gentili homine, collecta Gentilium ac Iudæorum multitudine, ciuitate exire coactum; conſcenſa naui Romam contendiſſe; moxque Lucium ab Euzoio Antiocheno Epiſcopo Ariano Alexandriã introductum eſſe. Sozomenus [s] vero ſcribit, Euzoium vna cum Magno Quæſtore veniſſe Alexandriam, arreptumque Petrum detruſiſſe in carcerem; hunc autem clam fuga lapſum, Romam ſe contuliſſe. Eademque habet Socrates [t]. Sed Ruffinus [u], qui tunc in Ægypto agebat, nihil habet de Petri carcere: addit vero Lucium poſt flammas ciuicas, furorẽ in monachos eremum incolentes conuertiſſe, armatamque equitum ac peditum manum in eos immiſiſſe. Ceterum hanc omnem Arianorum graſſationem copioſius deſcripſit, luxitque Gregorius [x] Nazianzenus; ſed copioſiſſime ipſe Petrus Circulari epiſtola ad omnes Chriſtianæ Religionis toto Orbe diffuſas Eccleſias directa, quam Theodoretus [y] recitat; in qua immania videas ſcelera, & atrocia ſupplicia quibuſcunque Orthodoxis omnis ſtatus, ſexus, ac conditionis, tam viuis quam defunctis illata; adeo vt & ſuperſtites mala ſua lugere prohibiti fuerint. Sed præ cæteris, impie & crudeliter habitus deſcribitur Romanæ Eccleſiæ diaconꝰ, qui litteras tum cõſolationis tum cõmunionis à Damaſo Papa ad Petrum & Alexandrinos detulerat. Addit vero Socrates, ad ſæuitiam Præſidum acceſſiſſe Valentis Imperatoris edictum, vt omnes fidem Conſubſtantialis tenentes, non ſolum Alexandria, ſed ex vniuerſa Ægypto penitus expellerentur. Hocque tempore multa edita fuiſſe miracula in confutationem hæreticæ prauitatis, teſtantur etiam iidem Ruffinus, Theodoretus, atque Sozomenus. Ipſam autem eiuſmodi perſecutionem Ægypti, ſicut exortam ſcimus hoc anno poſt obitum Athanaſii, ita vſque ad vltimum ferme Valentis annum perduraſſe certum eſt.

p Ruff. lib. 2. c. 3. Theod. lib. 4. c. 20. PETRVS SVBROGATVS ATHANASIO. q Gre. Naz. ad Epiſc. Ægypt. GRASSATIO LVCII PSEVDOEPISC. IN ECCL. ALEXANDR. r Theod. li. 4. c. 18. 19. s Soz. li. 6. c. 19. t Socr. lib. 4. cap. 16. 17. u Ruff. lib. 2. ca. 3. x Gre. Naz. orat. in laud. Heron. y Theod. c. 20.

VI. De ea vero Sanctus quoque Paulinus [z] agens, dignum memoria tunc exhibitum officium à *Melania* nobiliſſima Romana femina, mirifica prædicatione celebrat, dum narrat eam fugatos ab Arianis ſuſcepiſſe, & apprehenſos comitatam eſſe; eademque tempeſtate occultaſſe, ac per triduum ſuis ſumptibus pauiſſe ad quinque millia monachorum; & quod adeo faueret Orthodoxis, in iudicium vocatam eſſe. Quæ ſane in Ægypto geſta eſſe illud perſuadet, quod nullibi tam ingens numerus monachorum ſimul collectorum, niſi in Aegypto fuerit reperiri. Nam ab his diuerſa eſſe noſcuntur, quæ Palladius [a] tradit de eiuſmodi Melaniæ officiis, quibus paulo poſt proſecuta eſt Diocæſareæ in Palæſtina relegatos à Lucio cõfeſſores Epiſcopos, presbyteros, aliosque vſque ad numerum centum duodecim. Ceterũ vt his eius veluti contumeliis prouocati Præfecti, eiuſdem tamen liberrimis atque fortiſſimis reſponſionibus ceſſerint; ſumma feminæ pietas atque nobilitas in cauſa fuit. Quæ Marcellini Conſulis ſiue filia [b], ſiue neptis [c], in teneris adhuc annis nuptias paſſa, & breui mater, præter alias orbitates fœtuum abortiuorum, duobus filiis & marito intra anni tempus magna conſtantia ſiccis [d] oculis ſepultis, & vnico tantum ſibi paruulo relicto; peregrinatione Hieroſolymam ſuſcepta [e] vna cum *Ruffino* magni tunc nominis presbytero Aquileienſi, in Aegyptum primo diuertit ſu-

z Paulin. ep. 10. ad Seue. MELANIÆ PIETAS IN EXTORRES CATHOLICOS. a Pall. in Lauſiac. c. 33. MELANIÆ GENVS ET PEREGRINATIO. b Hieron. Chr. & Pall. ibid. c Ruff. in... Hier. ... d Hier. ep. 25. e Id. ep. 5. ad Florent. & ep. 41. ad Ruff. Paul. ep. 9. ad Seuer. Pall. vbi ſupra.

perſtite

perſtite Athanaſio; à quo Palladius ait eam donatam fuiſſe ouina pelle, quam dono acceperat à Macario Abbate, oblata ipſi munere à leone pro gratiarum actione de leunculis cæcis ab eo luci redditis: cuius rei adeo admirandæ idem quoque Ruffinus [f] itineris Melaniæ comes hiſtoriam narrat. Ex Ægypto vero Hieroſolymam ſe Melaniæ conferens, monaſterium extruxit, ibique cum quinquaginta ſororibus virginibus ad quinque [g] luſtra permanſit, aliaque infinita pietatis officia exercuit.

f Ruff. lib. 2. ca. 4. g Paulin ep. 10. Al Seuir. Pallad. c. 33.

VII. MELANIA ET RVFFINVS INFICIVNTVR ERRORIB. ORIG. DE DIDYMO CÆCO ALEXAND.

At vero eius in Ægypto commoratio magnum plane tum ipſi tum Ruffino attulit detrimentum: ſiquidem cum Didymo Alexandrino intimam conſuetudinem habentes, propinante illo ipſis ſitientibus quem mirifice prædicabat Origenem ſuum, hauſerunt iſti vna cum dulci potu venenum. Erat hic *Didymus* Scholæ Eccleſiaſticæ ciuitatis Alexandrinæ doctor, magni vir nominis, & ob eximiam coniunctum cum oculorum cæcitate peritiam plane cunctis admirabilis; qui etiam à Sancto Antonio & Athanaſio egregie laudatus reperitur. Cum enim anno quinto ætatis ſuæ [h] oculos perdidiſſet, lectore tamen adhibito tanta didicit, vt non ſolum ceterarum artium atque ſcientiarum, necnon Theologicæ facultatis & Scripturarum interpretationis apicem attigerit; ſed & Geometricas perfecte aſſecutus fuerit diſciplinas, quæ [i] vt addiſci poſſint maxime viſu indigent: ac prope infinita reliquerit egregia ingenij ſui monumenta ſcriptis tradita, quæ Hieronymus recenſet. Vnde magis deplores tanti viri miſerabilem caſum, quo ſe in errores Origenis præcipitem dedit, alioſque ſecum traxit; & cauſa extitit tot malorum quæ poſtea acciderunt. Ceterum ex eius ſcriptis vix hodie supereſt commentarius de Spiritu Sancto, & expoſitiones in Epiſtolas Canonicas. Eum autem ad nonageſimum circiter ætatis annum perueniſſe, adeoque ad multa poſt hæc tempora vitam produxiſſe, ex eodem Hieronymo conſtat.

h Hier. in Chron. an. 9. Valent.
i Id. de Scr. Eccl. in Didymo: de cuius optimo vitæ inſtituendæ. Ruff. l. 2. c. 7. Theodor. l. 4. c. 27. Sozom. l. 3. c. 14.

VIII.

Hoc autem eodem tempore, quo defuncto Magno Athanaſio dira perſecutio exagitauit Eccleſiam Alexandrinam totamque Ægyptum, idem S. Hieronymus ex Syriæ ſolitudine, vbi tunc agebat, ad prædictum Ruffinum epiſtolam [k] ſcripſit; cum ille vna cum Melania Ægypti peteret eremum ad inuiſendos monachos perſecutione vexatos ex qua, aliiſque iam citatis auctorum locis refellitur [l] ille, qui ſcripſit Hieronymum cum Ruffino atque collegis itineris ſociis primum Hieroſolymam petiiſſe; inde vero inter ſe diuiſos, Ruffinum in Ægyptum, Hieronymum in diuerſas prouincias peregrinationem inſtituiſſe, atque illinc deſerta Syriæ petiiſſe. Sed vt tanti Patris hic ſummatim in hanc diem vitæ curſum recenſeamus, ex ſuis ipſius ſcriptis elicitum; natus eſt HIERONYM. Stridone oppido in Dalmatia, honeſtis parentibus, & ſubſtantiis haud infimis, quas poſtea pro ædificatione monaſterii per Paulinianum fratrem diſtraxit [m]: Haud enim de ſe ipſo, ſed de voluptuoſis monachis & clericis, ex perſona tamen ſua ait [n] ſe natum in paupere domo, & in tugurio ruſticano, &c. Bonoſum habuit [o] collactaneum, & cum eodem coaluit in liberalibus [p] diſciplinis, prædiuite adoleſcente; cum quo Romam veniens [q] Donatum audiuit, ac ſcholaſtico more luſit [r] in controuerſiis declamandis.

k Hier. ep. 41.
l Marian. Vict. in Vit. S. Hieron.
S. HIERONYMI PRIMORDIA ET PROGRESSVS.
m Hier. ep. 26.
n Id. ep. 2.
o Id. ep. 41.
p Id. Apol. aduerſ. Ruff.
q in Chron. an. 20. Conſtantii.
r lib. 1. cont. Pelag. & in ep. ad Gal. c. 2.

IX.

Ibi adulta ætate ſacro baptiſmo initiatus [s], paulo ſolutiorem vitam quam geſſerat continuo emendauit; ac cum priorem amiſiſſet corporis integritatem, ſecundam quam vocat continentiam poſt baptiſmum [t] ſeruauit immaculatam. Piiſque [u] officiis deditus, totus inſuper fuit in deſcribendis libris, adeo vt bibliothecam [x] Romæ ſibi confecerit. In Gallias poſt hæc peregrinatus cum Bonoſo, Treueris S. Hilarii libros de Synodis manu ſua deſcripſit, alioſque ibi poſitos antiquos codices ſibi deſcribendos curauit [y]. Inde Aquileiam perueniens; conſedit ibi aliquo temporis ſpatio, fruiturus ſuauiſſimo conſortio ſanctiſſimorum virorum qui illic erant; Valeriani eius ciuitatis Epiſcopi, Heliodori, Nepotiani, Ruffini, Florentii, Chromatii, aliorumque, ad quos extant intimæ neceſſitudinis teſtes eiuſdem litteræ [z]. Sed recedere coactus neſcio quo improuiſo [a] rerum euentu, in Dalmatiam patrium ſolum venit; ſororemque iuuenculam ætatis lubrico lapſam, primum viro maxime pio Iuliano diacono, qui eam ad meliorem frugem reſtituit, deinde etiam per litteras Chromatio commendauit [b]. Poſt hæc peragrauit [c] Thraciam, Pontum, Bithyniam, Galatiam, Cappadociam, Ciliciam, ac deniq; Syriam. Vbi tum Malchi ſanctiſſimi monachi (cuius poſtea vitam conſcripſit) tum aliorum plurimorū quibus Syria florebat exemplo, accenſus deſiderio coniectandæ vitæ monaſticæ, litteras ad Theodoſium [d] magni nominis virum, & alios præclaros anachoretas [e] dedit, petens eorum precibus ſolui vinculis ſæculi. Atq; interim agens Antiochiæ, docentem audiuit in Sanctis Scripturis [f] Apollinarem, qui nondum perfecte cognitus nec damnatus erat. Locus autem in ſolitudine ad habitandum delectus, Chalcidis [g] prouinciæ fuit eremus inter [h] Syros & Saracenos: cuncta vero neceſſaria cum ei tum aliis ſociis miniſtrauit [i] Euagrius & ipſe vnus ex peregrinationis eius comitibus, prædiues ac nobilis tunc presbyter, ac poſtea Epiſcopus Antiochenus; adeo vt etiam libris [k] ibidem Hieronymus abundaret.

s Ep. 57.
t Apol. pro lib. aduerſ. Iouin.
u In Ezech. c. 40.
x Ep. 22.
EIVS PEREGRINATIONES.
y Ep. 6. & 41.
z Ep. 41. 42. 43. 44.
a Ep. 41.
b Ep. 37. 41.
c Ep. 41.
d De hoc Theodoſ. vid. Theodor. in Philoth. c. 10.
e Ep. 42.
f Ep. 65.
PETIT EREMVM.
g Præf. in Abdiam.
h Ep. 6. 43.
i Ep. 41. 45.
k Ep. 6.

X. ÆRVMNÆ CORPORIS ET ANIMI.

Præter autem crebras [l] corporis infirmitates, acerrimas dæmonum impugnationes, ac prælia carnis patiens [m]; precibus ea & ieiuniis, duriſſimiſque corporis afflictationib. ac iugi litterarum ſtudio frenare conſuedit [n]. Sed omnium ærumnarum illa maxima ei viſa eſt, quod Occidentalis ipſe homo, ſociis monachis Orientalibus parum cognitus, ſuſpectæ fidei haberetur, magnumque ei negotium fieret ob nomen *Hypoſtaſis*, de quo, aliiſque quibus vexatus eſt ob ſchiſma Antiochenum moleſtiis, conſulendus ei fuit Romanus Pontifex Damaſus duabus iteratis epiſtolis [o].

l Ep. 1. 17. 41.
m Ep. 22.
n Ep. 4.
o Ep. 57. 58.

XI. PRIMO SCRIBIT SVPER ABDIAM.

Cœpit autem in eremo primum ſui experiri vires ingenii, ſcribens commentarium in Abdiam Prophetam; quē cum iuuenis elaboraſſet, erubuit poſtea ſenex, audiēs per Italiam circumferri quem obliuione putabat eſſe deletū. Annos autem natum triginta, illum in ſolitudine Chalcidis ſcripſiſſe; & poſt alios triginta, eundem correxiſſe, hēpe ſexageſimo ætatis anno, ex verbis ipſius [p] ſatis elicitur; licet ſæpe ipſe cum de his temporibus meminit, adoleſcētem ſe, vel etiam infantem tunc fuiſſe dicat: cuius qui in locutione tropos minime conſiderauerit, & figuras, cum interdum attenuatione, amplificatione aliquando vtitur; facile erit vt in mille labatur errores. Porro ipſum hoc vel ſequenti anno, quo dictam ad Ruffinum dedit epiſtolam, eumdem priorem commentarium ſcripſiſſe ipſemet ſignificat, dum ait [q] id contigiſſe poſtquam Heliodorus ad ſe veniſſet & antequam recederet; quem conſtat ad Hieronymum acceſſiſſe poſtquam ipſe in eremo conſediſſet; & haud diu [r] ibi commoratum eſſe. Ex his autem, diuerſorum de eiuſdem Hieronymi ætate chronologiæ refelluntur, dum quem volunt vixiſſe nonaginta vnum, vel etiam nonaginta octo, aut nonaginta nouem annos, & obiiſſe conſtat anno quadringenteſimo vigeſimo, eumdem præſenti anno Domini trecenteſimo ſeptuageſimo ſecundo conſtituunt annorum quadraginta trium, vel etiam quinquaginta aut quinquaginta vnius. Quod ſi cum iiſdem diceremus ipſum deceſſiſſe anno duodecimo Honorii, qui eſt Domini quadringenteſimus ſeptimus, iam illud ſequeretur abſurdius, ipſum hoc tempore fuiſſe annorum ſeptuaginta trium. Sed vt ad ſcripta eius in eremo redeamus; præter complures quas ad diuerſos dedit epiſtolas; Origenis quoque homilias ad populum dictas ſe adoleſcentem in Latinum vertiſſe alibi [s] tradit. Quantum vero temporis in eremo permanſerit, dicetur ſuo loco.

p Præf. in Abd. & in ſ. poſter. comment. in eund. Proph.
q Ep. 41. & præfat. in Abd.
r Ep. 37.
DE EIVS ÆTATE.
s Apol. ad. u. 1. Ruff. lo.

XII. GREG. NAZ. SECEDIT AD MEMORIAM S. THECLÆ.

Hoc ipſo quoque tempore, Gregorius Nazianzenus parentum obitu ſe exoluit ab adminiſtratione Eccleſiæ Nazianzenæ, prout ante condixerat. Defunctus namque eſt pater (vt ipſe [t] ait) cum annos quadraginta quinque eidem Eccleſiæ præfuiſſet, natus annos ferme centum: materque eiuſdem qua pater ætatis, haud diu ſuperſtes extitit. Poſt quorum mox obitum (conantibus fru-

t Greg. Naz. orat. in fun. patr.

ſtra S.Baſilio, aliiſq; Epiſcopis, ac ciuibus eum retinere) ipſe fuga ſe abripiens, profectus [u] eſt Seleuciam ad Memoriam S.Theclæ, quo frequens tunc Fidelium peregrinatio eſſe conſueuerat: ibique permanſit vſq; ad Valentis perſecutoris necem.

[u] Id. carm. Vit. ſua.

XIII. CONVERSIO MAVVIÆ REGINÆ SARACEN.

Interea vero hoc eodem tempore accidit, vt dum Romanus Imperator Fidem Catholicam negaret, & confitentes illam variis ſuppliciis afficeret, eamdem profeſſa fuerit *Mauuia* Regina Saracenorum, apud quos iecerat antea eius fundamenta [x] præſtantiſſimus ille monachorum S.Hilarion Abbas, de quo ſuperius; quem circa hæc eadem tempora iam octogenarium, poſt innumera edita miracula, ex hac vita ad cœleſtem migraſſe, conſtat ex S. Hieronymo qui geſta eius proſecutus eſt pluribus. Ceterum Mauuia cum Palæſtinę & Arabiæ limites vaſtare cœpiſſet, ac frequentibus præliis Romanum attriuiſſet exercitum; orata pacem hac conditione dedit, ſi *Moyſes* monachus virtutibus ac miraculis clarus, agens in eremo partibus ſuis propinqua, gentis ſuæ ordinaretur Epiſcopus. Qui captus, & ad ſacerdotium ſuſcipiendum Alexandriã deductus, cum numquam induci potuiſſet vt manus impoſitionem ab impiiſſimo Lucio Ariano ſuſciperet; frementes licet Ariani, pacis Reipublicæ neceſſitate coacti ſunt permittere, vt ordinaretur ab Epiſcopis quos ipſimet in exilium pepuliſſent. Qui mox ad Saracenos profectus, eoſdem partim ſermone, partim miraculis ad veritatem traduxit. Scribunt autem hæc omnia Ruffinus [y], Socrates [z], Sozomenus [a], atque Theodoretus [b]. Additq; Sozomenus, aliam quoq; gentem quamdam barbaram ad fidem conuerſam eſſe, occaſione ſobolis maſculæ impetratæ eius Principi nomine Zocomo, à monacho quodam Chriſtiano.

[x] Hieron. in Vit. S. Hilarion.

MOYSES EPISC. SARACEN. ORDINATVR.

[y] Ruff. lib. 2. c. 6. [z] Socr. lib. 4. c. 29. [a] Soz. lib. 6 c. 38. [b] Theodor. li. 4. c. 21.

XIV. MANICHÆI LEGE COHIBITI.

Hoc item anno Valentinianus Imperator Treueris in Galiis agens, Manichæorum conuentus edicto [c] vetuit, iuſſitq; eorum doctores graui cẽſione mulctari, & domus vbi conuentus fierent fiſci iuribus adſciſci. Quod quidem exiſtimatur accidiſſe occaſione conuentuum, quos Romæ his temporibus fieri ſolitos in domo cuiuſdam Conſtantii prædiuitis Manichæi, qui poſtea factus eſt Catholicus, S. Auguſtinus [d] docet. Ceterum quod iidem ſimulando ſummam affectarent ſanctitudinem; in calumniam ieiunantium Chriſtianorum verſa Romæ res eſt, vt (quod ait S.Hieronymus [e]) quem viderent pallentem atque triſtem, miſerum & Manichęum vocarent. Hocque ipſo anno, de eligendis, tam Græcis quam Latinis ſcribendi peritis, ad Bibliothecæ Conſtantinopolitanę codices componendos vel reparandos, Valens Imperator reſcriptum [f] dedit.

[c] l. 3. C. Th. de hæret. [d] Aug. 2. de morib. Manich. vlt. & cont. Fauſt. 6. [e] Hier. ep. 22. [f] l. 2. C. Th. de ſtud. liber.

XV. PRESB. OCCISVS OB QVEMDAM VIRVM OCCVLTATVM.

Nec prætereundum quod S.Hieronymus hoc eodem anno accidiſſe teſtatur in Chronico, vt presbyter Sirmii iniquiſſime occiſus fuerit, quod Octauianum ex Proconſule apud ſe latitantem prodere noluiſſet. Cui perſimile factum de Firmo Epiſcopo Tagaſtẽſi in Africam ſub Imperatore Ethnico S. Auguſtinus [g] vehementer laudat qui cum quæreretur ab eo iuſſu Imperatoris homo, quem ad ſe confugientem occultauerat, reſpondit quærentib. nec mentiri ſe poſſe nec hominem prodere; paſſuſque multa tormenta corporis, permanſit in ſententia; deinde ad Imperatorem ductus, vſque adeo admirabilis apparuit, vt ipſi homini quem ſeruabat indulgentiam ſine vlla difficultate impetraret. Ex quibus videas æquiorem erga Epiſcopum fuiſſe Ethnicum Imperatorem, quam contra presbyterum Valentinianum Chriſtianum Principem, ab omnibus crudelitatis nimiæ condemnatum.

[g] Aug. ad Conſent. de mendac. c. 13.

VALENTIN. VALENTIS AN. 10.

IESV CHRISTI AN. 373.

DAMASI AN. 7.

I. ANno Chriſti trecenteſimo ſeptuageſimo tertio, Valentiniano & Valente Augg. quartum Coſſ. Damaſus Papa acceptis anno ſuperiori litteris Baſilii, quibus inter alia agebatur de APOLLINARIS hæreſi, aduerſus eamdem *Romæ* CONCILIVM conuocauit, cui etiam interfuit [a] Petrus Epiſcopus Alexandrinus, quem à Lucio Ariano pulſum Romam acceſſiſſe vidimus. Verum ante hæc ſciendum eſt, Vitalem Antiochiæ agentem patronum hæreſis Apollinaris, ea de cauſa in crimen vocatum, ad dicendam cauſam apud Damaſum Romam ſe contuliſſe [b], ediſſeque fidei formulam quæ prima fronte ſana viſa eſt: eam tamen ſic à Damaſo acceptam eſſe, vt illam Paulino Antiocheno Epiſcopo cognoſcendam delegaret, ſcriptis ad eum ea de re litteris quę hactenus extant [c]; quibus pręſcripta eſt fidei confeſſio, ſub qua tum Vitalis tum alii hæretici recipiendi eſſent in communionem. Quare cum ei Vitalis ſubſcripſiſſet, ſuſceptus eſt non ſolum à Paulino, ſed ab aliis quoque Orthodoxis, interque eos à Gregorio [d] Nazianzeno, à quo tamen breui detectus & repudiatus eſt. Nam cum ea Apollinaris præcipua hæreſis eſſet, vt affirmaret Chriſtum fuiſſe mentis expertem, carnemq; tantum abſq; mente ſuſcepiſſe humanam; Vitalis quidem in ſua fidei profeſſione confeſſus erat in Chriſto ſicut carnẽ ita & mentem; verum per mentem (vt idem Gregorius teſtatur) diuinitatem ſignificari doloſe intelligebat. His itaque in præſens de quo agitur Concilium allatis, detecta impietate fuit ipſa hæreſis omnium damnata calculo, vna cum eius auctore Apollinare, huiuſque diſcipulis Vitale & Timotheo, atq; aliis omnibus eius ſectatoribus [e]: fueruntque ſcriptæ ea de re litteræ à Damaſo Papa, miſſique anathematiſmi aduerſus omnes ingruentes in Oriente hæreſes, ad Paulinum, non Theſſalonicenſem (vt videtur perperam accepiſſe Latinus interpres Theodoreti [f]) ſed Antiochenum Epiſcopum, tunc (vt habet Græcus textus) Theſſalonicæ in Macedonia exiſtentem.

CONC. ROM. ADVERSVS APOLLINAREM.

[a] S. tom. li. 6. c. 25. [b] Elias Cre. in Greg. Naz. ep. 1. ad Cledon. [c] To. 1. Concil. [d] Gre. Naz. ep. 2. ad Cledon. aduerſ. Apolin. [e] Id. ep. 2. ad Heke. Theodor. lib. 5. c. 10. 11. [f] Ap. Theodor. c. 11.

II. APOLLINARISTARVM DOGMATA.

Porro ſic Apollinariſtarum damnatio facta eſt, vt etiam omnia eorum hæreſum capita complexa fuerit: Vt illud inprimis quod diximus, nempe corpus ſolum à Verbo aſſumptum ex Maria, non integrum cum anima hominem: Itemque illud quod ad antiquam hæreſim *Millenariorum* ſpectabat, quam idem Apollinaris reſtituere conatus eſt. Fuit & ille eiuſdem error quo iũgeretur cum Ario & Macedonio, vt conſtitueret [g] Trinitatem ex magno, maiore, & maximo maximum [h] Patrem, maiorem Filium, magnum Spiritum Sanctum dicens. Chriſti quoque carnem de cœlo allatam affirmabant, ac per Virginem tamquam per canalem defluxiſſe: eamq; Verbo ac Deitati coæqualem eſſe ac coeſſentialem & coæternã: ipſum autem Verbum ſic carnem factum eſſe, vt penitus in ipſam tranſmutatum eſſet, & à propria natura immutatum. Deitatem ipſam circumciſam fuiſſe, ac cruci affixam: eſſeque neceſſe Chriſti carnem fateri increatam, vt adorationem conſequi poſſet; cum nihil creatum adoratione diuina ſit dignum. Hominem primo creatum fuiſſe, deinde in ſanctum hominem, velut in vnum ex Prophetis veniſſe Verbum; & diuinitatem in Chriſto velut in Propheta per gratiam operatam fuiſſe, ac non ſecundum eſſentiam connexam eſſe: & non ipſum hominem factum eſſe, accepto ex Maria corpore; ſed alium Chriſtum eſſe, & alium Dei Filium, qui ante Mariam & ante ſæcula filius eſt Patris: eoſque qui dicerent ex Maria eſſe Dominicum corpus, non amplius Trinitatem, ſed Quaternitatem in Deitate docere. Alium Deum eſſe, & aliud eſſe Dei Verbum. Adoptione & non natura corpus geſtaſſe Filium; eumdemque ex operibus perfectionem aſſecutum eſſe, ac poſt baptiſmum vel reſurrectionem à mortuis, in Filium adoptatum. Carnem nunc exutam & abiectam eſſe, diuinitatemque corpore ſpoliatam exiſtere, nec cum aſſumpta parte venturam. Dicebant inſuper cum Manichæis, Peccatum ex natura eſſe: aliaque nonnulla purulenta addebant, quæ vna cum iſtis tum Gregorius [i] Nazianzenus refert ac refellit, tum præcipue S. Athanaſius, qui primus omnium errores Apollinariſtarum confutauit (vt ex Epiphanio [k] liquet) multis aduerſus eos ſcriptis commentaris [l] qui extant.

[g] Gre. Naz. ad Cled. ep. 1. [h] Theodor. hær. fab. l. 4. [i] Gre. Naz. ad Nector. & ep. 1. ad Cledon. [k] Epiph. hær. [l] Athan. ep. ad Epict. & de Incar. Chr. de aduent. Chr. orat. aduerſ. eos. hær.

III. Fuiſſe pręterea Apollinaris de origine animarum communem cum Tertulliano ſententiam, S. Hieronymus [m]

[m] Hier. ep. 82. ad Ocean.

teſtatur: nimirum eas ex traduce generari, atque inſtar corporum ex corporibus, ex animabus animas propagari. Sed & hypoſtaſeon, ſeu perſonarum proprietates confudiſſe, ac diſpiuam feciſſe in Trinitate, indeque Sabellianiſmi inſimulatum eſſe, Theodoretus [n] affirmat. Diſplicuit & Baſilio [o] in Apollinare, quod Geneſim interpretatus, ſpreta littera totum ſe conuerterit ad allegoricum ſenſum. Ac denique ſatius ingillatus eſt ab eodem Gregorio [p] Nazianzeno, quod pro antiquis Eccleſiaſticis canticis ex diuina Scriptura acceptis, nouos in Eccleſiam à ſe editos pſalmos introduxerit, atque multiplicitate librorum ſibi gloriam ſtuduerit comparare. Cuius & ſectatores eo proceſſiſſe generoſiſſe tradit [q], vt cum damnati Romæ à Damaſo eſſent, mentirentur tamen ſe ab eo in Synodo fuiſſe receptos. Quod etiam pertinet quod habet Ruffinus [r] de quodam Athanaſii codice Romæ ſub Damaſo ab Apollinariſtis depravato, nolentib. (vt aiunt) admittere complexionem illam, *Dominicum Hominem*, ad ſugillationem eorum hæreticis vſurpatam à Damaſo. Verum hoc S. Hieronymus [s] fabellæ loco duxit, idque ab eodem Ruffino confictum fuiſſe, illud magnopere perſuadet, quod è contrario eiſdem Athanaſio [t] & Gregorio [u] conſtet, fuiſſe eas peculiares Appollinariſtarum voces, vt Chriſtum *Hominem Dominicum* appellarent, ideoq; dixiſſe Deum ex Virgine natum eſſe, ac non Deum hominem; ne genituram carnis confitendo, neceſſitas eos cogeret naturalem eum agnoſcere. Ceterum à piis pio ſenſu has voces nonnumquam vſurpatas eſſe conſtat, atq; adeo ab ipſomet Athanaſio [x]: quamquam haud tuto Chriſtum dici Hominem Dominicum, S. Auguſtinus eadem locutione aliquando vſus, exiſtimauit in ſuis Retractationibus [y].

Quod autem pertinet ad ſcripta Apollinaris; teſtatur S. Hieronymus [z] reliquiſſe illum præter innumera pene volumina, triginta libros aduerſus Porphyrium, qui inter cetera eius opera maxime probarentur; conatumque eſſe [a] diuinorum Librorum translationes omnes in vnum aſſuere Citat [b] inſuper eiuſdem in Prophetas & Matthæum Commentarios; quos ita ſe legiſſe dicit, vt habito delectu aurum ſeligeret ex ſtercore. Patrem eum eloquentiæ prædicauit Philoſtorgius; ſed tamen quæ eſſet verboſa potius quam neruoſa. Multis rurſum voluminibus complures hæreſes oppugnaſſe, tradit Vincentius Lerinenſis; ſicque de eo accidiſſe ait vt quem populi quaſi arietẽ gregis ſequerentur, eum deinceps vt lupum fugere cœperint; quem & magnum aliquando in Eccleſia agoniſtam, vnumque ex primoribus extitiſſe, ſed nimia ſui ipſius ſapientiæ præſumptione excidiſſe, Cyrillus [c] quoque Alexandrinus teſtatur. Sed de eius inſigni olim apud Catholicos æſtimatione, iam dictum eſt alio [d] loco. De ludibrio vero quod paſſus eſt aliquãdo in ſuis ſcriptis glutino compactis [?] Epiſtolam, elegantem S. Gregorius [e] Nyſſenus lectorem recitat.

In eiuſdem autem ſcriptis POLEMIVM quemdã Theodoretus [f] teſtatur hæreſim deduxiſſe, qua affirmaret Verbi atque carnis commixtionem confuſionemque factam eſſe, & ab eo denominatos fuiſſe *Polemianos* hæreticos. Rurſum vero affirmat Epiphanius [g], diſcipulos quoſdam eorumdem Apollinaris in Arabia hæreſim aduerſus Dei Genitricem diſſeminaſſe, qui dicerent eam poſt natum Chriſtum Ioſepho viro commixtam eſſe; quam ſceleſtiſſimam opinionem Heluidius in Occidẽte pariter ſtuduit propagare; eoſdemque *Antidicomarianitas* dictos egregie confutauit. Additq; in eadem prouincia exortam eſſe aliã hæreſim dictam *Collyridianorum*; qui eamdem Sanctiſſimam Virginem vt Deum colerent, collyridemq; ſiue placentam illi ſacrificantes offerrent, ſacra ipſa per mulieres celebrantes. Atq; hæc modo de Apollinare, eiuſq; hæreſibus, quem ſub Theodoſio Imperatore defunctum eſſe, Hieronymus affirmat. Eius vero ſectatores omnes, ab eo dicti ſunt vno eodemque nomine *Apollinariani* ſiue *Apollinariſtæ*, cum tamen inter ſe non eiuſdem eſſent ſententiæ. Nam & recentiores eorum praua dogmata, longe inter ſe reperiuntur eſſe diuerſa; & teſtatur Epiphanius, ex iiſdem Apollinariſtis alios ita ſentiſſe, quod ſemper hæreſib. peculiare fuit, vt quoniam abhorrent à veritate quæ vna eademque ſemper eſt, in diuerſas ſententias ſe atque diſtrahantur.

Vt autem videas deploratiſſimum his temporibus Eccleſiæ Orientalis ſtatum; in vna ſola ciuitate Ancyra Galatiæ metropoli, præter Cataphrygas, Ophitas, Borborianos, & Manichæos, fuiſſe etiam Paſſalorinchitas, Aſcodrogos, & Artotyritas, ac cetera magis portenta quam nomina, teſtatur Sanctus Hieronymus [h]. Quænam vero eſſent illorum hæreſes, dictum eſt ſuperius ſuis locis. Sed ſi hæc monſtra alebat Ancyra, licet ſanctiſſimus præeſſet eidem Epiſcopus Athanaſius, quem defunctum Baſilius [i] adeo luxit atq; laudauit; cuique ſuffectus eſt Leo [k] ſanctiſſimus monachus, quid putandum de aliis ciuitatibus, quibus vel ſegnes, vel nulli, vel hæretici præeſſent Antiſtites?

Hoc pariter anno Valentinianus Imperator cum adhuc Treueris ageret, Donatiſtas in Africa rebaptizantes edicto [l] cohibuit: quod poſt liberatam à Firmo Mauro Africam datum fuiſſe putamus. Inualuerat enim his temporibus ibi Firmi tyrannis; cui Theodoſius Senior Theodoſij Imperatoris pater, à Valentiniano ad eumdem oppugnandum miſſus, gemino prælio attrito, pacem legatione Epiſcoporum petenti conceſſit; eumdemq; iterum tyrannidem exercentem penitus oppreſſit, eoque deſperationis adegit, vt ſpontaneo nectens collum laqueo miſere vitam finierit. Hæc pluribus Ammianus [m]. Ceterum Theodoſius poſtquam experientiſſima prouidentia (inquit Oroſius [n]) totam cum Mauritania Africam meliorẽ priſtinis legibus reddidiſſet; inſtimulante & obrepente inuidia (forte dolo Valentis imperatoris, qui poſt patefactum oraculum de quo ſuperius, omnes qui his litteris primis Theod. conſcriptum nomen haberent quęſiuit ad mortem: Neque enim alia vlla Theodoſij necis cauſa à quoquã refertur) ingratè iuſſus Carthagine interfici, poſt ſuſceptum baptiſmum de vitæ æternitate ſecurus, percuſſori iugulum vltro præbuit. Quæſitum vero fuiſſe pariter ad necem Theodoſium Iuniorem eius filium, qui poſtea factus eſt Imperator; ſed diuina prouidentia anteuertiſſe periculum, S. Ambroſius [o] inſinuat. Quem hoc tempore prima lanugine pubeſcẽtem, ob egregiam virtutem, Ducem Mœſiæ aduerſus Sarmatas fines Romani Imperii inuadentes electum fuiſſe, pluresque de eis victorias reportaſſe, Ammianus [p] affirmat. Eo vero clariores eius victoriæ effulſere, quo reliqua facies Occidentalis Imperii lugubrior apparuit repentinis incurſionibus Quadorum ac Marcomannorum, quas idem auctor deſcribit.

IESV CHRISTI AN. 374.

DAMASI AN. 9.

ANno Chriſti trecenteſimo ſeptuageſimo quarto, Gratiano Auguſto tertium & Equitio Coſſ. vndecimo Imperatorum anno, Auxẽtium diem obiiſſe & Ambroſium electum eſſe, Hieronymus in Chronico affirmat, & multæ aliæ rationes conſtituant; licet alii aliter ſenſerint. Igitur poſt ſeriam mortem Auxentij Mediolanenſis Epiſcopi Ariani, Valentinianus Imperator accerſitus (vt narrat Theodoretus [a]) ad ſe Epiſcopis, liberam eorum Antiſtitis eligendi facultatem reliquit, contendens (quod & alias feciſſe vidim⁹) haud ſibi munus eſſe Eccleſiaſticis ſe immiſcere negotiis. Cum vero in eiuſmodi electione ex Arianæ & Orthodoxæ partium contentione, magni timerẽtur conflari diſſidiorum motus, Ambroſius illius prouinciæ Præfectus propere ad Eccleſiã contendiſſet ibi (inquit Paulinus in eius Vita) cum alloqueretur plebẽ, ſubito vox fertur infantis in populo ſonuiſſe: Ambroſium Epiſcopum; repenteque in hanc vocem vniuerſi conſenſerunt omnes tam Catholici quam Ariani conſentientes. Sed Ambroſius inopinato caſu perculſus, vt quibus valeret artibus illos ab ea ſententia reuocaret, tum tribunal ſibi parari iuſſit, truceſque carnifices aſſiſtere, tormenta congerere, vinctoſque catenis ruſticos coram palam torqueri,

[Margin notes, left:] n Theod. hær. fab. lib. 4. o Baſil. ep. 82. p Greg. Naz. ep. 2. ad Cledon. q Ibid. ep. 2. r Ruff. de adulter. libr. Orig. s Hieron. apol. 2. in Ruff. — CHRISTVS HOMO DOMINICVS. — IV. SCRIPTA APOLLINARIS. — c Cyril. Alex. ep. ad Acac. d Sup. an. 3. e Greg. Nyſſ. ep. — V. HÆRESES ALIÆ EX SCRIPTIS APOLLINARIS.

[Margin notes, right:] VI. DEPLORATVS ECCLESIÆ ORIENT. STATVS. — VII. l L. C. Th. de ſanct. bapt. FIRMVS TYRANNVS IN AFRICA MALE PERIIT. m Amm. lib. 29. n Oroſ. lib. 7. cap. 33. — THEODOSIVS SENIOR INGRATE OCCIDITVR. o Ambr. orat. in fun. Theodoſ. THEODOSIVS SPECTATÆ VIRTVTIS. p Amm. lib. 29. — VALENTINIANI. VALENTIS AN. 11. — I. AVXENTIVS MORITVR. a Theod. lib. 4. cap. 6. — AMBROSIVS ELIGITVR EPISCOPVS MEDIOLANI.

quere; tum mulieres impudicas ad ſe publice ingredi fecit; vt hac ratione crudelis & impudicus apparẽs, indignus cenſeretur altaris miniſterio. Cumq; hæc ficte fieri haud ignorans populus, ea ex cauſa ardẽtiori ipſum ſtudio poſtularet; idemque omni prorſus conſilio deſtitutus, nocte intempeſta è ciuitate fugiſſet, Ticinum verſus dirigens iter; cum eo ſe perueniſſe putaret, inuectus eſt diuino quodam interceptus numine, curſu reflexo Mediolanum rediiſſe. Quapropter tum ſe tandem victum confitens, totius populi, immo verius Dei voluntati ſe ſubiecit.

II. [b] l. 1. & 9. C. Th. de Ep. & cler. [c] Paulin. in Vit. Ambr. AMBROS. ADMODVM INVITVS ORDINATVS. [d] Theod. lib. 4. c. 6.

Igitur ad Valentinianũ relatione à populo miſſa (quippe ſanctionibus Imperatoriis prohibitum erat, ne publicis obligati functionibus [b] adſciſcerentur in clerum) Imperator ſumnopere gaudens [c] tales à ſe conſtitutos eſſe magiſtratus qui eligerentur in Epiſcopos, electionem approbauit. Et qui pendente relatione fallẽs cuſtodes quos ei populus adhibuerat, aufugiens rurſum in ſuburbano Leontii clariſſimi viri deliteſcebat Ambroſius; idem publicato [d] Imperatoris decreto, à Leontio productus eſt, & ab Epiſcopo Catholico baptizatus (ſiquidem adhuc catechumenus erat) ac demum octauo poſt die ordinatus Epiſcopus, nempe ſeptimo Idus Decembris; prout Dei Eccleſia hactenus celebrans illam diem, anniuerſaria ſolemnitate teſtatur. Interfuiſſe vero eius ordinationi Valentinianum Imperatorem, ac gratias Deo egiſſe; quod cum ipſe corpora Ambroſio commiſiſſet, Deus ei animas commendaſſet; ſed & ingenti modeſtia laudaſſe eiuſdem aduerſus magiſtratus querelas, Theodoretus teſtatur. Additque Paulinus, confeſtim poſt ordinationem ipſum pecuniam ſuam omnem Eccleſiæ vel pauperibus contuliſſe; prædiaque reſeruato germanæ ſuę vſufructu, donaſſe Eccleſiæ; ac nihil ſibi quod hic ſuum dicere poſſet reliquiſſe, vt expeditius Chriſtum ſequeretur. Hoſce porro ipſius conatus, quibus reluctatus eſt ne Epiſcopus crearetur, non Paulinus tantum, ſed reliqui omnes tam Latini [e] quam Græci [f] hiſtorici prodentur, ipſeq; [g] alibi inſinuat.

[e] Ruff. libr. 2. ca. 11. [f] Socr. lib. 4. c. 25. Sozo. l. 6. c. 24. [g] Ambr. ep. ad Vercel.

III. [h] Baſil. ep. 55. BASILII CVM AMBROSIO NECESSITVDO.

Sic igitur Ambroſio ordinato Epiſcopo, totus exultauit Catholicus Orbis, ac Communicatoriæ ex more litteræ vltro citroq; datæ ſunt; è quibus extant, quas Magnus Baſilius [h] è Cappadocia tunc ad eum reddidit: inter quos perſeueraſſe mutuam litterarum conſuetudinem, multaque inter eoſdem tranſacta eſſe conſtat. Sed & expetiiſſe Ambroſium à Baſilio eius lucubrationes, facile intelligat qui vtriuſque legerit commentarios in Hexameron & de Spiritu Sancto, videns magna ex parte quæ Baſilius Græce edidit, Ambroſium tradidiſſe Latinis: ſicut & multa alia eumdem à Græcis mutuatum fuiſſe liquet. At vero non vnum dumtaxat Baſilium Ambroſii electionem, quãuis actam reſiſtente canone (quo ſcilicet prohibeatur, non ſolum ne catechumenus, ſed vt nec neophytus [i] ordinaretur Epiſcopus) ſed omnes Occidentales & Orientales Catholicæ communionis Epiſcopos approbaſſe, ipſemet Ambroſius declarauit, cum ad Vercellenſes [k] ſcripſit, *Ordinationem ſuam Occidentales Epiſcopos iudicio, Orientales exemplo probaſſe.* quibus, illud inprimis innuit, quod minus rite actum videbatur, id iudicio Sedis Apoſtolicæ publico decreto eſſe firmatum: Orientales vero & exemplo probaſſe, dum Conſtantinopoli poſtea elegerunt Nectarium catechumenum. Ceterum ad nouæ eius præfecturæ regimen, miſſus eſt ad illum à Sancto Damaſo Papa, egregiæ eruditionis & ſpectatæ probitatis Romanæ Eccleſiæ presbyter *Sanctus Simplicianus* [l]: cuius opera, aliiſq; aliunde quæſitis auxiliis, ſed præcipue diuina accedente gratia, bene accidit vt catechumenus in Epiſcopum, & diſcipulus in Eccleſię Doctorem fuerit continuo transformatus; iunxeritque in regimine Epiſcopatus, vitam monaſticam cum muneribus & officiis clericalibus.

[i] 1. Tim. 3. can. Apoſt. 80. Conc. Nic. c. 2. [k] Ambr. ep. 82. AMBROSII ELECTIO, QVAMVIS FACTA CONTRA CANONES, PROBATA AB OMNIBVS. [l] Aug. 8. Cõfeſſ. 2.

IV. AMBROSII VITÆ INSTITVTIO. [m] ... [n] ...

Sic enim vitam inſtituit, vt cura rerum domeſticarum relicta Satyro fratri ſpectatæ virtutis viro (quo in rebus agendis ac moderandis conſultore & arbitro vſus [m] eſt) ipſe totum ſe ſpiritualibus Eccleſiæ negotiis manciparit. Sacrificium quotidie [n] ſumma præuia animi præparatione celebrauit: quolibet vero die Dominico [o] in eccleſia pro concione populum docuit: ceteraque munia Eccleſiaſtica ſic ſtrenue obiuit, vt circa baptizandos [p] ipſe ſolus adimpleret, quod poſt eius obitum vix quinque Epiſcopi perficere potuerunt. Externa quoque minime negligens, audiuit frequenter litigantes, cauſaſq; iudicauit ac compoſuit. Corpus autem ea diſciplina coercuit, vt ieiunium cuſtodiret aſſiduum, numquam prandendi [q] admittens vſum, niſi religio Eccleſiæque illius conſuetudo mandaſſet, nempe Sabbato, die Dominico, & Natalitiis martyrum; quibus diebus prandium reuocabat, quo etiam non ſolum pauperes reficerentur, ſed & viri clariſſimi exciperentur: adeo vt etiam duces exercitus, Arbogaſtes [r] Comes, & Vincẽtius [s] Galliarum Præfectus, pro magno munere oſtentarent ſe ab Ambroſio acceptos eſſe conuiuio. At licet ſic ipſe omnes exciperet, numquam tamen ad cõuiuium inuitatus acceſſit: tradit enim Poſſidius [t] in Auguſtino, quod etſi Ambroſius fieret omnia omnibus vt omnes lucrifaceret, à tribus tamen perpetuo ſe continuit, nimirum vt nemini vxorem quæreret, nulliq; militiam ſuaderet, neq; ad conuiuium inuitatus accederet. Sed de eo modo hactenus: quæ vero ſunt reliquæ præcipuæ res eius geſtæ, narrabuntur inferius ſuis quibuſq; locis.

[o] Aug. 6. Confeſſ. 3. [p] Paulin. in Vit. Ambr. [q] Paul. ibid. [r] Id. ibid. [s] Sulp. Seuer. dial. ... [t] Poſſid. Vit. Aug. c. 27. A TRIBVS REB. AMBROSIVS ABSTINVIT.

V. CONCIL. VALENTINVM. [u] Tom. 1. Conc.

Iiſdem huius anni Coſſ. celebratum habetur CONCILIVM VALENTINVM in Gallia quarto Idus Iulii: cuius extant [u] quatuor tantummodo canones, & perbreuis epiſtola de Ordinationibus legitime faciendis, deq; Lapſorum pœnitentia. Dignum vero plane memoria, quod in eo ſtatutum eſt de iis qui occaſione fugiendi oblati ſacerdotii, aliquod admiſiſſe delictum confeſſi eſſent; nimirum [x] vt quiſquis de ſe vel vera vel falſa dixiſſet, fides quam ſuimet teſtimonio confirmaret, haberetur.

[x] Ex Cõc. Valent. ...

VI. [y] Epiphan praef. Ancor. & lib. hær. 69. EPIPH. SCRIBIT ANCORATVM.

Quod autem pertinet ad res Orientales; iiſdem Coſſ. S. Epiphanius [y] petenti magiſtratui & clero Eccleſiæ Suedrorum in Pamphilia, commentarium miſit nominatum *Ancoratum*; nempe quod, vt ipſemet teſtatur [z], velut ancora eſſet his qui volunt ſanctam Patrum fidem ab initio vſque ad illud ſæculum in Eccleſia prædicatam cognoſcere: eruditum plane opus continens cum fide Catholica hæreſium omnium confutationem.

IESV CHRISTI AN. 375.

VALENTIN. VALENTIS AN. 12.

DAMASI AN. 9.

I. [a] Hier. in Chron.

ANnus Chriſti trecenteſimus ſeptuageſimus quintus, quod ordinariis qui darent nomẽ anno Coſſ. caruit, Poſt Conſulatum Gratiani & Equitii in Faſtis inſcribitur. Cur autem deſierint ex more creari Coſſ. S. Hieronymus [a] rationem affert. quod videlicet ſuperiore anno Sarmatæ Pannonias vaſtaſſent. Adeo vt mœroris eo ſigno notatus ſit annus, qui lætis nouorum Coſſ. auſpiciis atque muneribus conſueuerat inchoari.

II. VALENTIN. IMP. OBIIT.

Sed idem triſtior redditus eſt obitu Valentiniani Imperatoris; qui cum aduerſus Quados mouiſſet exercitum, ipſorumque legati veniam ac pacem depoſcentes obuiam ei facti eſſent; ira vehementi in eos excandeſcens ob præteritam rebellionem, repentino vomitu ſanguinis extinctus eſt ætatis anno quinquageſimo quinto, imperii minus centum diebus decimo. Hæc pluribus Ammianus [b]. Cui in genere mortis adſtipulatur Hieronymus [c]. Additq; Socrates, id accidiſſe in Bergitione caſtello decimoquinto Calendas Decembris. Quo defuncto, GRATIANVS eius filius iam ante ſeptem annos Auguſtus nuncupatus, ſolus imperare cœpit cum Valente patruo. Corpus autem Valentiniani Conſtantinopolim tranſlatum eſt, vt inter Chriſtianorum Imperatorum reliquias humaretur. Atque interea ſexto die poſt eius obitum, VALENTINIANVS Iunior eiuſdem Valentiniani ex Iuſtina coniuge filius, opera Cerealis auunculi Auguſtus ſolemni more nuncupatus eſt; idque factum Gratianus, qua præditus erat animi benignitate, ratum habuit. Quod autem Ammianus eum tũc quadrimum fuiſſe teſtatur, haud probari poteſt. Aduerſatur enim Socrates; qui cum natum affirmet Coſſ. Gratiano & Dagalaipho (eſt is annus Domini trecente-

[b] Amm. l. 30. [c] Hier. ep. 3. ad Helio. GRATIANVS IMP. VALENTIN. IVN. IMP.

centeſimus ſexageſimus ſextus,) ea ratione hoc anno nouennem fuiſſe aſſerere oportet. Confirmant & tabulæ Conſulares, dum anno Chriſti trecenteſimo ſexageſimo nono habent Coſſ. eumdem Valentinianum nobilem puerum & Aurelium Victorem. Porro ex eadem Iuſtina hui s Valentiniani matre reliquit [d] Valentinianus Senior genitas filias Gallam, Gratam, & Iuſtam; quarum duæ poſteriores in virginitate vitam duxere, Galla Theodoſio nupſit Imperatori.

d Soz. lib. 4. c. 26.

III. S. MARTINUS CREATUR TURON. EPISC.

Hic item annus eſt, quo S. MARTINVS creatus fuit Turonenſis in Gallia Epiſcopus quarto Nonas Iulii, vt auctor eſt Gregorius [e] eiuſdem poſtea Eccleſiæ Antiſtes. Qui licet alibi [f] eum octauo Valentiniani anno electum fuiſſe Epiſcopum tradat; tamen cum eiuſdem ipſius auctoritate conſtet, Martinum ſediſſe Epiſcopum annos viginti ſex menſes quatuor & dies viginti ſeptem: rurſumque Seuerus [g] eiuſdem Martini æqualis ac pernec eſſarius, aſſerat eum ſub Conſulatu Euodii anno Chriſti trecenteſimo octogeſimo ſexto iam fuiſſe ſeptuagenarium, vixiſſeque ab eo tempore annos ſexdecim, ſicque ad annum Domini quadringenteſimum ſecūdum oportuerit fuiſſe ſuperſtitem: vtiq; ex his omnibus affirmandum eſt, eumdem hoc anno creatum eſſe Epiſcopum. Qui mox ad Valentinianum Seniorem adhuc ſuperſtitem nonnulla petiturus ſe conferens, cum opera Iuſtinæ Auguſtæ Arianæ feminæ, Imperatoris iuſſu expulſus palatio fuiſſet; ad diuinas ſe preces & ſolitam corporis afflictationem ſe cōuertens, ſeptimo poſt die Angeli monitu ad palatiū rediit, & nemine prohibente vſque ad Imperatorem peruenit. Cumq; rurſum infrendēs ille haud aſſurgere dignaretur, confeſtim eius ſellam ignis operuit, quo prodigio territus, & Martinum complexus eſt, & omnia quæ deſiderabat conceſſit in colloquium ſæpius illum ac conuiuium adſciſcens. Hæc pluribus Seuerus [h] atque Venantius [i] Fortunatus.

e Greg. Tur. hiſt. Franc. lib. 1. c. 14. & lib. 1. mirac. cap. 6. f Id. 10. hiſt. 31. g Seuer. 2. dial. 7. & dial. 3. MART. QUID CUM VALENTIN. IMP. h Seuer. 2. dial. 6. i Venant. Fortun. Vit. S. Mart. l. 3.

IV. THEMISTIUS CURARE STUDET VALENTEM IMP.

Eodem tempore quo Valentinianus extinctus eſt (inquit [k] Sozomenus) Valens ipſius frater Antiochię agens, maiore odio Catholicos exagitare cœpit: qui tamen oratione Themiſtii Philoſophi, qua docuit non oportere mirari diſſenſionem quæ in Eccleſiaſticis opinionibus verſabatur, cum multo maior extaret apud Gentiles; aliquanto manſuetior factus viſus eſt. Porro non licuit hanc Themiſtii orationem quam citat Sozomenus, inuenire: longe enim diuerſa eſt ab ea coram eodem Imperatore habita poſt debellatum Procopium. Themiſtium autem erga Orthodoxos propenſiorem fuiſſe, hæc ipſa demonſtrant, aliaque multa: eoque vſum eſſe familiariſſime Gregorium Nazianzenum, ex eius ſcriptis ad illum litteris [l] facile eſt intelligere. Ex quibus etiam conſtat, ipſum non philoſophia tantum celebrem, ſed etiam apud Imperatores potentia claruiſſe; quippe qui iam ab ipſis Conſtantii temporibus functus ſit ampliſſimis magiſtratibus.

k Soz. lib. 6 c. 36. l Greg. Naz. ep. 139. 140.

V. VALENS COGIT MONACHOS AD MILITIAM.

At Valens Imperator nequitia exardeſcens, ſic oratione Themiſtii viſus eſt ab Eccleſiarum perſecutione abſtinuiſſe, vt tamen alia via diram aduerſus Monachos perſecutionem conflarit; cum eos hoc ipſo anno [m] poſt fratris obitum, lege lata e monaſteriis abſtrahi, & ad militiam cogi, ac nolentes fuſtibus interfici iuſſit: quos aliis iam antea edictis [n] grauiſſima exagitauerat exactione tributi [o], à qua per Conſtantinum & Conſtantium exempti fuerant. Ex eo vero quod cognitum fuit, eiuſmodi genus hominum eſſe Imperatori inuiſum; quibuſcumque ſceleſtis in eoſdem debacchandi creuiſſe audaciam, docet ſcripta ad eos conſolatoria Baſilii [p] epiſtola. Quo etiam tempore S. Epiphanius ad Archimandritas in Syria apud Chalcidem habitantes, librum quem ipſi petierant de hæreſibus miſit, rationem in præfatione reddens cur *Panarium*, nempe caſulam medicam nuncupari voluerit: egregium plane opus, & Catholicæ Eccleſiæ valde proficuum.

m Hier. in Chron. Oroſ. lib. 7. c. 33. n L. 33. C. Th. de D. cur. o Greg. Naz. ep. ad Iulian. & carm. ad Hellen. p Baſil. ep. 19. in addit. EPIPH. SCRIBIT PANARIUM.

IESV CHRISTI AN. 376.

DAMASI AN. 10.

VALENTIS 13. GRATIANI 10. VALENTIN. II. 1.

ANno Chriſti trecenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Valente quintum & Valentiniano Iuniore Augg. Coſſ. Gratianus Imperator probe intelligens nimia indulgentia patris, permittentis Arianos in Eccleſia Occidentali pacifice agere, hæreticos audaciores factos; ſancita lege [a] vetans eorum conuentus, à Fiſco vindicanda ſtatuit quæcumque loca vbi hæretici conuenirent.

I. GRAT. IMP. VETAT CONVENTUS HÆRETICOR. a l. 4. C. Th. de hæret.

II. BARBARORUM GRASSATIONES IN ORIENT. IMP.

Sed quod pertinet ad res Orientales, narrat Ammianus [b], Hunnos vltra paludes Mæoticas incolentes, in Alanos qui Scythias ſolitudines habitabant irrumpentes, ab illis repulſos deſcendiſſe in regiones trans Iſtrum, quas occupauerant Gothi. Eoſdem vero Gothos inde expulſos, ſub Regibus Alarico & Fritigerne (Athanaricus enim ad tutiora loca confugerat) impetraſſe à Valente Auguſto Thracias ad habitandum; ſpondentes ſe Romanis ſubditos fore, tutaturoſque fines Romani Imperii ab omnibus aliis barbarorum incurſibus. Permiſſi ſunt igitur magno Reipublicæ damno barbari Iſtrum tranſire; quem & aliæ proximę nationes ſe iiſdem adiungentes tranſmiſere, Romanis licet inuitis. Cum vero iidem barbari victus inopia laborantes, ciuiumque prouocati contumeliis, ac Lupicini in Thracia Romani Ducis auaritia atque perfidia moti, graſſari cœpiſſent in prouinciam; aduerſus eos copias parans Lupicinus, vniuerſum Romanum exercitum eiſdem ad internecionem ſubiecit, fuga ipſe ſibi conſulens: ſicq; occiſorum Romanorum armis, barbarorum eſt armatus exercitus. Sed hæc pluribus Ammianus. In quibus illud accuratius contemplandum eſt, quam æqua diuini penſata lance iudicii impius Valens Imperator, qui haud pridem ſanctos monachos ad militiam ſubeundam adigere conatus eſt, ac renuentes peremit; incautus in Romanorum ſolum hoſtes, per quos vinceretur, ac tandem occideretur, adduxit.

b Am. li. 31.

III. PESTIS ANIMALIUM SIGNO CRUCIS CURATA.

Ceterum has earundem gentium, aliarumque inter ſe conflictationes, dum paucis Ambroſius perſtrinxit in commentariis [c] in Lucam, quos tunc habebat præ manibus; iiſdem barbaricis tumultib. addidit ingentem omnium famem, luemque pariter boum atque hominum ceterique pecoris. Eſtque de iſta animalium peſte, quæ vniuerſam ferme Europam occupauit, elegans Ecloga Seueri Sancti Endeleichi Rhetoris (cuius meminit S. Paulinus Nolanus) qua docetur, illam à Chriſtianis per ſignum Crucis mediis frontibus additum, facillime curari conſueuiſſe, & tanto miraculo Gentiles ad Chriſti fidem conuerti.

c Ambr. in Luc. lib. 9. cap. 21.

IESV CHRISTI AN. 377.

DAMASI AN. 11.

VALENTIS 14. GRATIANI 11. VALENT. II. 2.

I. VALENS EXULES ORTHOD. REVOCAT.

ANno Domini trecenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, Gratiano Imperatore quartum Merobaude Coſſ. Valens Imperator accepta immenſa anni ſuperioris clade Romani exercitus ſub Lupicino, Antiochia [a] cito digreſſus eſt Conſtantinopolim. Tuncque (inquit Socrates [b]) deſtitit ab Orthodoxis in exilium mittendis. Sed verius S. Hieronymus [c] ait, eum tunc ſera pœnitentia Catholicos de exiliis reuocaſſe: quod ipſum & Oroſius [d] affirmat. Verum ſic Epiſcoporum ſolutū eſſe exilium, vt tamen quamdiu Valens vixit ſuæ ipſis Eccleſiæ minime reſtitutæ fuerint, certum redditur ex Iſacii [e] monachi eidem Imperatori cōteſtatione facta, cum poſtea aduerſus Gothos progrederetur. At vero moræ impatiens populus Alexandrinus, zelo fidei æſtuans, ſic Petrum Epiſcopum ſuum redeuntem ſuſcepit, vt (quod ſcribit Socrates [f]) litterarum Damaſi Papę confiſus auctoritate, eumdem ſedi ſuæ reſtituerit, expulſo Lucio Ariano.

a Ammian. li. 31. b Socr. li. 4. ca. 28. c Hier. in Chron. d Oroſ. l. 7. c. 33. e Ap. Theodor. lib. 4. cap. 30. f Socr. lib. 4. ca. 30.

II.

Hoc item anno periclitanti Imperio Orientali Gratianus laturus ſuppetias, Ricomerem illuc cum copiis miſit: qui iunctus Ducibus Valentis, iidem ſimul ingenti prælio bar-

lio barbaros afflixere, attriti tamen & ipſi multa cæde. Sed autumni tempore, ob nouos barbarorum in Gallia motus Ricomere reuocato; Gothi aliis barbaris iuncti, non Thracias tantum, ſed alias interiores depopulati ſunt regiones. Quæ cuncta Ammianus copioſiore tractat hiſtoria.

III.

g l. 2. C. Thr. ne ſanct. bapt. iter.

S. AVGVSTINI PRIMORDIA.

h Aug. li. de Vit. beat.

i Id. 2. Confeſſ. 3.

k Ibid. lib. 3. ca. 4.

l Ibid. li. 3. c. 6. & lib. 4. c. 1.

m Ibid. lib. 3. cap. 11. 12.

MONICA SOLICITA DE CONVERSIONE FILII AVGVST.

n Id. cont. Academ. lib. 2. ca. 2.

Iiſdem pariter Coſſ. idem Gratianus Imperator noua edita ſanctione [g] Donatiſtas in Africa rebaptizantes cōpeſcuit, ac Manichæos conuentus agentes compreſſit. Erat tunc in Africa inter Manichæos. *Auguſtinus* Auditor, annum agens quartum ſub eorum diſciplina, ſuæ vero ætatis vigeſimum tertium. Qui natus [h] Tagaſte in Numidia, Arbetione & Lolliano Coſſ. anno Conſtantij Imperatoris decimo nono, Chriſti treceteſimo quinquageſimo quinto, Idibus Nouembris: decimoſeptimo ætatis anno litterarum ſtudij [i] cauſa Carthaginem petiit, ac orbatus [k] eſt patre: decimonono [l] vero impegit in Manichæos, veritatem pollicentes & nihil minus dantes. Quo tempore ſanctiſſima mater eius *Monica* vidua, deplorans filij perditionem, de futura eius conuerſione [m] diuinam accepit in ſomnis viſionem, atque propheticum habuit reſponſum cuiuſdam Epiſcopi Catholici; qui cum ab illa ſæpius cum lacrymis vrgeretur, vt cum Auguſtino diſſereret vellet, idque ille prudenter negaret, quod adhuc Auguſtinus indocilis eſſet, & nouitate hæreſis inflatus; tædio tandem ab ea affectus. *Vade* inquit, *à me: fieri enim non poteſt vt filius iſtarum lacrymarum pereat.* Ipſi vero admodum tenui nato, ſemper & vbique Romanianum nobiliſſimum conciuem Tagaſtenſem cuncta neceſſaria ab ipſa eius adoleſcentia abunde ſuppeditaſſe, idem Auguſtinus [n] alibi ingenue fatetur: cui eam ob cauſam non ipſum tantum Auguſtinum, ſed vniuerſam Eccleſiam Catholicam magnopere deuinctam eſſe, neceſſe ſit profiteri. Quando autem è fæce hæreſis Auguſtinus emerſerit, dicetur ſuo loco.

IX.

o Ambroſ. de Virg. l. 2.

SACRARVM VIRGINVM DVPLEX GENVS.

p Greg. Naz. ad Helen.

q Ambr. de Virg. lib. 3.

Hic ipſe etiam annus eſt, quem tertium [o] agens in ſede S. Ambroſius, menſe Ianuarij ipſo die natali S. Agnetis exorſus de virginitate ſermonem, propagauit illum in libros tres, ad ſororem Marcellinam conſcriptos *de Virginibus*. Ex quibus & illud diſcitur, ſacras Virgines Deo dicatas duplicis fuiſſe generis; alterius nimirum eas, quæ in domo paterna cum ſuis parentibus & cognatis agerent; alterius autem eas, quæ in monaſterio religioſam vitam ducerent. De quo etiam duplici apud Orientales Virginum genere, Gregorius [p] Nazianzenus meminit. Prioris autem generis fuit *S. Marcellina* Ambroſij ſoror; quæ Romæ à Liberio [q] Papa Deo ſacrata domi degebat, atque alias ipſa diues in eamdem profeſſionem & conſortium ſibi adlègerat: ſicut & Romæ itidem Euſtochium, Principia, Demetria, & aliæ quarum eſt frequens apud Sanctum Hieronymum mentio, apud ſuos habitantes, atque Deo ſeruientes De poſteriori vero Virginum genere, actum eſt alias copioſius.

V.

AMBROS. COMPONIT CLERVM, ET CORRIGIT PRAVOS VSVS.

r Id. de Offic. l. 1.

ſ Id. ſer. 30.

t Aug. 6. Confeſſ. 2.

u Conc. Carthag. 3. c. 30. Aug. ep. 64.

Qui autem hoc anno ſacras Virgines ſanctis inſtitutis Ambroſius confirmare laborauit, idem poſtea abſolutam quoque Cleri diſciplinam componere ſtudens, tres egregios *de Officiis* libros ſcripſit; quibus inter alia conſtat adeo ipſum in clericis deligendis exactum delectum adhibuiſſe, vt [r] quemdam à multis commendatum, hoc ſolo recipere noluerit, quod geſtus eius plurimum dedeceret; alterum vero in clero iam repertum, ob inſolentes inceſſus iuſſerit ne vmquam præiret ſibi. Quantum autem ad Gentilitios mores incuria miniſtrorum coalitos quantocyus extirpandos incubuerit, teſtis eſt eiuſdem declamatio [ſ] aduerſus Ianuarii Calendas ſuperſtitioſe colentes: qui & auctor extitit, vt diem illum Calendarum, quo populus Gentilis genio indulgebat, Fideles ieiunando tranſigerent. Acclamationes item in Lunæ defectum fieri ſolitas, penitus ſuſtulit. Ac piorum conuiuia, *Agapes* nominata, in eccleſiis peragi conſueta aboleuit [t], quod imaginem quamdam Parentalium Gentilium repræſentarent: cuius poſtea exemplo, S. Auguſtinus eadem in Africana Eccleſia auferenda curauit [u].

IESV CHRISTI AN. 378.

VALENTIS 15. GRATIANI 12. VALENTIN. II. 3.

DAMASI AN. 12.

I.

S. BASILII OBITVS.

BASILIVS LAVDATVS A PLVRIBVS.

ANno Chriſti treceteſimo ſeptuageſimo octauo, Valente ſextum & Valētiniano ſecundum Augg. Coſſ. ipſis Calendis Ianuarii *S. Baſilius* annis octo menſibus ſex & diebus ſexdecim in Epiſcopatu functus (vt ex iis quæ ſupra in eius electione dicta ſunt, conſtat) feliciter ad Deum ex hac vita migrauit, maximo omnium non ſolum Catholicorum, ſed etiam Ethnicorum ac Iudæorum, aliorumque exterorum luctu: tantoque funere à ſuis Cæſarienſibus elatus eſt, vt præ nimia hominum propulſione plurimi extincti fuerint: quod tradit Gregorius Nazianzenus, eius obitum pluribus tractans & deflens luculenta illa oratione funebri, qua poſtea eiuſdem Magni Baſilii res geſtas contexuit; digno plane atque nobili monumento, viuæ inſtar ſtatuæ, in qua cum Baſilii egregia relucet imago, tum Georgii excellens exprimitur artificium. Laudauit pariter eumdem oratione funebri, ipſius Germanus Gregorius Nyſſenus; necnon magnus ille Syrus Ephræm diaconus Edeſſenus, multis eum ſummiſque efferens præconiis, quem diuini Spiritus ſciret aperta teſtificatione laudatum. Siquidem (vt idem Niſſen. eſt auctor, & eius Vitæ Acta teſtantur) cum Baſilium conuenit, vidit ſuper eius dextram inſidentem columbam (quam hieroglyphicum Spiritus Sancti nemo neſcit) eidem concionanti ſermonem ſuggerentem. Tradit vero Nazianzenus, tanta Baſilium refulſiſſe claritudine, vt eum omnes tamquam omnibus numeris abſolutiſſimum ſibi proponerent imitandum exemplar; perfecta exiſtimantes quæcumque eius dicta vel facta, necnon & geſtus omnes, atque adeo eos quibus ei natura minus fauiſſent. Et qui monachis, ac clericis, laiciſque viuendi regulas præſcripſiſſet, ipſum factum formam omnibus, tunica vna & pallio vno contentum humi cubuiſſe, paneq; ſolo & ſale atque aqua pura pro victu vſum eſſe. Vt non ſit mirandum, ſi infirma frequenter (quod ipſemet ſuis ſæpe epiſtolis teſtatur) vteretur valetudine.

II.

EIVS SCRIPTA

a Hier. de Script. Eccleſ.

b Caſſiod. praef. l. b. inſtit. diuin. lect.

c Damaſc. orat. 1. de Imag.

EIVSDEM EFFIGIES.

d Greg. Naz. orat. in laud. Baſil.

Quod autem ſpectat ad eius ſcripta; præter pauca illa quæ S. Hieronymus [a] relegit, longe plura eum elucubraſſe ex Caſſiodoro [b] poſſumus intelligerē, dum Baſilium numerat inter eos Græcos ſcriptores, qui à principio ad finem vſque diuinam Scripturam ſunt interpretati. Extantque eiuſdem complura decreta, quæ Eccleſia Orientalis pie ſancteque obſeruanda ſuſcepit. Res autem ab eo geſtas, ſcriptas eſſe ab Helladio ipſius diſcipulo, qui & eidem in Epiſcopatu ſucceſſit, auctor eſt S. Ioannes [c] Damaſcenus; ſed non extant: quæ autem Amphilochii falſo nomine fertur eiuſdem Vita, haud digna ſatis habetur cui fides adhibeatur. Ceterum ex anonymo codice Vaticano conſtat Baſilium fuiſſe procero habitu corporis & recto, ſiccum, gracilem, colore fuſco, vultu ſubpallido, iuſto naſo, ſuperciliis in orbem inflexis & adductis, cogitabundo ſimilem, paucas habens in vultu rugas, eaſq; renidentes, genis oblongis, temporibus aliquantum cauis, promiſſa barba, & mediocri canicie. Quibus conſentit Gregorius [d], dum ait ipſum fuiſſe pallidum, barbatum, & cogitabundum.

III.

S. EPHRÆM OBITVS.

Hoc item anno, idem quem modo nominauimus, *S. Ephræm* diaconus Edeſſæ ex hac vita diſceſſit Calendis Februarii (vt Latini habent) vel (vt Græci eius diem natalem colunt) duodetrigeſimo die eiuſdem menſis Februarii. Extat peregregia eiuſdem oratio ab eo iam proxime morituro aſtantibus fratribus habita, quæ ea de cauſa *Teſtamentum Ephræm* eſt appellata; qua diuinam hereditatem ſanctis admonitionibus conſignatam ſuis poſſidendam reliquit, atque inter cetera de vitandis hæreticis plura inculcauit, nominans inter alios *Vitalianos*, nempe illos qui à Vitale Antiocheno Apollinariſtarum Epiſcopo ita vocati erant. Eodem vero Teſtamento, illud perfectæ humilitatis, quam viuens præ ceteris virtutibus excoluit, egre-

gium ſpecimen dedit, dum magna conteſtatione prohibuit, ne exhiberi ſolita ſanctis viris ſumptuoſa funera exanimi ſuo corpori impenderentur; cum tamen illa poſtrema quæ à Sancta Eccleſia pro ſalute animarum præſtari conſueuerunt officia, nempe Preces & Sacrificia, ea ſibi impendi ſolicitius poſtulauit. Eius autem lucubrationes, quod Syro eſſent idiomate conſcriptæ, haud confeſtim Græcorum aut Latinorum Eccleſijs innotuere: nam Sanctus Hieronymus [e] vnius tantum voluminis meminit: pedetentim autem alia complura per Græcorum alueos in Latinam Eccleſiam confluxere. Tanti autem ab antiquis facta eſſe, idem tradit Hieronymus, vt poſt lectionem Scripturarum publice in quibuſdam Eccleſiis recitarentur. Quod vero dicatur presbyter à Sancto Baſilio ordinatus, minime aſſentiri poſſumus; cum præter alia quæ repugnant, haud eſſet Baſilij iuris Syrum hominem ordinare. Ceterum cum aliquando [f] ad Epiſcopatum quæreretur, in forum curſitans; primo furorem ſimulauit, mox fugam capiens tantiſper latitauit dum alius eius loco creatus eſſet Epiſcopus. Extat vero Gregorij Nyſſeni oratio in die eius anniuerſaria habita, qua eius plane admiranda primordia, frequenteſque viſiones & ſigna, atque alias memoria digniſſimas res ab eo geſtas complexus eſt.

EPHRÆM POSTVLAT ORARI PRO SE POST OBITVM. e Hier. de Script. Eccl. in Ephræm. EIVS SCRIPTA MAGNI HABITA. f Soz. l. 3. c. 5.

IV.

AMBROS. SCRIBIT DE FIDE AD GRATIAN. g Ambroſ. epiſt. ad Grat. lib. 2. prope fi. h Ezech. 38. i Hier. praef. in Ezech. ad Euſeb. & quaeſt. in Gen. k Ap. Socr. l. 7. c. 43. l Aug. 20. de ciuit. 11.

Hoc eodem anno Gratianus Imperator, cum expeditionem aduerſus Gothos Thracias deuaſtantes, ſuppetias Valenti patruo laturos pararet; in ipſo ferme militari procinctu, quo ſcuto fidei melius quam quibuſuis armis ſeruaretur incolumis, petiit à Sancto Ambroſio libellum fidei: cum ille duos ſcripſit *de Fide* libros, quibus & tertium poſtea addidit; in quibus [g] etiam victoriam illi certam vaticinatur, ex prophetia Ezechieles [h] aduerſus *Gog*, quam de Gothis intelligendam docet. Eam tamen ipſius interpretationem haud in omnibus probauit Sanctus Hieronymus [i]. Sed & Sanctus Proclus [k] vaticinium illud Ezechielis de Gog ad aliam de barbaris victoriam aptauit, vt ſuo loco dicetur inferius. Tu de his interim Sanctum conſule Auguſtinum [l].

V.

m Amm. l. 31. GRAT. VINCIT ALEMANNOS.

Porro auctor eſt Ammianus [m], Lentienſes populum Alemannicum, audita expeditione Gratiani aduerſus Gothos ſuſcepta, moræ impatientes, antequam ille è Galliis recederet, huius anni menſe Februarij, Rhenum gelu peruium depopulaturos Gallias tranſijſſe: ſed illum aduerſus eos ingenti animo & incredibili celebritate dirigentē paratas ad bellum Orientale copias, eoſdem apud Argentariam immenſa clade affeciſſe; eaque victoria gentes hebetaſſe Occiduas: Inde vero pari celeritate Thracias petentem, Sirmium vſque perueniſſe.

VI.

n Socr. l. 4. c. 38. Sozom. l. 6. c. 39. VALENS PROGREDITVR ADVERSVS GOTHOS.

Cum interim Valens poſt reditum Antiochia Conſtantinopolim, paucos dies (vt ait idem Ammianus) in ea vrbe moratus eſt: quippe populo ſeditionem mouente, quod [n] cum barbari Gothi Thraciam populati, & ad vſque ſuburbia progreſſi, iam ipſa vrbis mœnia oppugnare aggrederentur, tamen Valens, quaſi nihil hæc ad ipſum pertinerent, ludis Circenſibus otioſus intereſſet; variis tandem ille contumeliis pulſatus, minatuſque ſi rediret ſe populum earum cauſa probe vlturum; aduerſus Gothos egreſſus, ad Melantiada villam Cæſarianam cum copiis quieuit. Vbi accepto nuncio de Alemannis victis à Gratiano, eiuſque aduentu Sirmium cum exercitu; eiuſdem gloriæ æmulus, quaſi ad maiorem certamque proficiſceretur ipſe victoriam, Hadrianopolim venit; ibique Legatum Fritigernis Gothorum Regis presbyterum Chriſtianum excepit, rogantem honeſtis conditionibus pacē. Sed ipſe mali dæmonis impulſu, & legationem Gothi Regis inanem remiſit, nec Gratianum Imperatorem proxime adfuturum expectandum putauit; licet præſtantiſſimi duces id ſuaderent. Itaque in pugnam incaute proſiliens, ſuis mox in fugam conuerſis, & ipſe fugiens, interque gregarios milites latens, ſagitta percuſſus eſt, delatuſque à ſuis in agreſtem caſam: quam intus occluſam, cum in ea expugnanda barbari in prædam effuſi terere tempus haud vtile ſibi putarent, ſuppoſitis lignis & ſtipula incenderunt, inque ea Imperatorem cum omnibus quos ſecum habebat combuſſerunt, quinto Idus Auguſti, eiuſdem Valentis

VALENS IGNI VIVVS CREMATVR.

quinquageſimo ætatis anno Imperii decimoquarto adiectis menſibus quatuor & diebus aliquot. Hęc omnia Ammianus [o]; eademque ferme Ruffinus [p], Socrates [q], Sozomenus [r], Theodoretus [s], ac breuiter S. Hieronymus in fine ſui Chronici; meminitque item S. Chryſoſtomus [t]. Accidit que appoſite iuſto Dei iudicio (quod Oroſius [u] notauit) vt quos Valens Gothos ex fide Catholica ad ſectam Arianam capeſſendam adduxiſſet, immo conditione pacta icti fœderis coegiſſet (vt ſuo loco vidimus) ab iiſdem flammis vltricibus cremaretur, atque inſuper ſepultura priuaretur, dignis ſuppliciis impiorum.

o Amm. l. 31. p Ruff. l. 2. c. 13. q Socr. l. 4. c. 38. r Soz. l. 6. c. 40. s Theod. l. 4. c. 31. t Chryſ. ad Vid. iun. u Oroſ. l. 7. c. 33.

VII.

x Nic. l. 11. c. 50. y Theod. l. 4. c. 30. z Zon. Annal. par. 3.

Addit Nicephorus [x], Iſacium monachum agentem Conſtantinopoli, Valentis interitum ac genus mortis ea ipſa hora qua contigit retuliſſe: quem & Theodoretus [y] ait, ipſi Valenti Conſtantinopoli exeunti necem prædixiſſe & exercitus internecionem, niſi deſiſteret ab impietate. Refert quoque Zonaras [z] oraculum de loco mortis eius: narratque Ammianus multa, quæ præceſſerunt ſigna eiuſdem prænuncia, vt inter alia, vulgi clamores Antiochiæ editos, *Viuus ardeat Valens*. Sed & illam cladem, ob perfidiam atque hæreſim Imperatores acceptam, totq; aliis tantiſque malis exagitatum eſſe Romanum Imperium ſanctiſſimi viri teſtati ſunt, Gregorius [a] Nazianzenus, Ambroſius [b], & Oroſius [c]; ipſique in faciem generoſe exprobrauit paulo ante hoc vltimum prælium Traianus [d] Dux fortiſſimus, cum ab eo conuitiis laceraretur, quod ab hoſtibus quadam alia pugna ſuperatus fuiſſet: qui & eodem vltimo prælio fortiter pugnans interiit. Ceterum audita clade Orientalium; exercitus Occidentalis ad tempus Sirmii conſedit, donec aduerſus victores Gothos maioribus fulciretur auxiliis.

VALENS PERIT OB HÆRESIN. a Greg. Naz. orat. de pace. b Ambr. de fid. ad Grat. l. 2. c Oroſ. l. 7. c. 33. d Ap. Theo. l. 4. c. 29.

VIII.

SARACENI LIBERANT CONSTANTINOPOLIM. e Amm. l. 31. f Socr. l. 5. c. 1. g Soz. l. 7. c. 1. h Hier. ep. 3. ad Heliod.

Cum interea veluti miraculo accidit, vt præſto fuerint Saraceni, iam antea (vt vidimus) per Moyſem Epiſcopum Chriſtiani Orthodoxi facti: qui à Mauuia Regina miſſi, eoſdem Gothos Conſtantinopolim obſidione cingentes procul fugarunt ſicut Ammianus [e], Socrates [f], atque Sozomenus [g] narrant. Additque Ammianus, receſſiſſe ex his regionibus perfractos Gothos; atque retrogreſſos deueniſſe vſque ad Iulias Alpes. Eoſdem vero palabundos, omnia quæ ſibi occurrerent deuaſtaſſe, S. Hieronymus [h] ſcribit, dum nō has tantum hoc anno illatas per barbaros clades, verum alias ſimul congeſſit quæ poſtea per quatuor luſtra acciderunt. Qui & alibi [i], patriam ſuam Stridonem ciuitatem eadem Gothorum incurſione ſubuerſam fuiſſe tradit. Sed quantum roboris eſſet ad barbaros, eoſdemque hæreticos propellendos, fides Catholica etiam in homine inermi; ſatis apparuit in S. Acholio Epiſcopo Theſſalonicenſi; quem eoſdem ſæpe his temporibus ab ingreſſu eius ciuitatis repreſſiſſe, ac peſtilentia precibus ſuis affectos, pacem rogare coegiſſe; S. Ambroſius [k] eſt teſtis.

i Id. de Script. Eccl. S. ACHOL. GOTHOS REPRIMIT. k Amb. ep. 59.

IX.

GRATIANVS RESTITVIT ECCLESIAS ORTHODOXIS. l Soz. l. 7. c. 1.

Porro extincto Orthodoxæ fidei perduelle Valente, facultas omnibus Epiſcopis Catholicis data eſt, expulſis Arianis qui in eorum locum ſubrogati fuerant, ad ſuas reuertendi Eccleſias: idque lege à Gratiano Imperatore lata, qua de cetero omnibus (vt ait Sozomenus [l]) conceſſit libere quamcumque religionem ſectari, exceptis Manichæis, Photinianis, & Eunomianis. Satis namq; viſum eſt, vlceroſum morbum pedetentim curare, hocque primo initio fidem Catholicam poſtliminio reſtituere, atque illas hæreſes quæ execrabiliores haberentur comprimere. Meminit quoq; eiuſdem legis Socrates [m]: ſed expreſſius Theodoretus [n], dum ait ea pariter Gratianum iuſſiſſe, vt Eccleſiæ iis traderentur qui Damaſi Epiſcopi Romani communionem amplexarentur: Nimirum ex more illos dumtaxat Orthodoxos eſſe ſignificans, quibus Romanus Pontifex communicaret. Vt autem ea lex maiorem haberet auctoritatem, ſubdit Theodoretus, Gratianum miſiſſe in Orientem Ducem Saporem magni nominis virum, ad eamdem executioni mandandam, & Arianos ab Eccleſiis eiiciendos: eumdemque Saporem Antiochiæ edictum promulgaſſe, cuius occaſione Concilium celebratum eſt.

m Socr. l. 5. c. 2. n Theod. l. 5. c. 2.

X.

Qui igitur Valentis primum edicto ab exilio reuocati

CONCIL. ANTIOCH.

fuerant, & Gratiani ſanctione ſuas ſedes recepere Epiſcopi Orthodoxi, mutuo conſenſu hoc anno menſe Septembris (nimirum nono menſe ab obitu Baſilij, vt teſtatur Gregorius[o] Nyſſenus qui interfuit) *Antiochiæ* CONCILIVM celebrarunt, vt proſtratæ Orientali Eccleſiæ paribus votis conſulerent. Ac primum ſchiſma illud Eccleſiæ Antiochenæ inter Paulini & Meletij partes, quod vniuerſam Eccleſiam diuidere potuiſſet, ita tollendum cenſuerunt ambabus partibus conſentientibus, vt cum alteruter ex duobus, Paulinus vel Meletius decederet, qui ſuperſtes eſſet, nullo alio in locum demortui creato ſucceſſore, ſolus remaneret Epiſcopus: ad quod præſtandum iureiurando adegerunt ſex primores eiuſdem Eccleſiæ presbyteros, qui propinquiores ad eum gradum conſequendum eſſe viderentur. Teſtantur id Socrates[p], Sozomenus[q], & alii, eos ſecuti: quibus potius ſtandum eſſe quiſque iure ſentiet, quam Theodoreto[r], cetera quidem veraci hiſtorico, at rem illam aliter geſtam narranti in fauorem Flauiani Antiocheni presbyteri; cuius poſtea partes, cum is contra iuſiurandum ſuffectus eſſet in locum Meletii, idem Theodoretus Paulino infenſus ſectatus eſt. Nam & quod ibidem habet de Sabellianiſmo Paulino obiecto, meram fuiſſe aduerſariorum calumniam ſuperius vidimus. Cui quidem & Damaſum Romanum Pontificem, S. Athanaſii cum eodem communione inductum, fuiſſe Formatarum communicatione iunctum, certum etiam redditur ex litteris S. Baſilij[s] ad Terentium. Immo & eumdem tantæ apud Damaſum fuiſſe æſtimationis, vt ad Eccleſiam recipiendi Antiochiæ eſſent, ipſe eiuſdem Paulini arbitrio crederet; ſatis probat epiſtola[t] ipſius Damaſi ad eumdem Paulinum de Vitale ſcripta, de qua ſuperius. Cum alioqui Meletio ſemper fauiſſent omnes ferme Orientales Orthodoxi Epiſcopi, tum ob multiplicia quæ paſſus eſſet ob fidem Catholicam exilia, tum quod Paulinus ordinatus fuiſſet à Lucifero Occidentali homine.

MELET. ET PAVLIN. CONCILIATI.

o Greg. Nyſſ. ep. ad Olymp. de obit. Macrin.
p Soc. l. 5. c. 5.
q Soz. l. 7. c. 3.
r Theod. l. 5. c. 3.
s Ap. Baſil. in vit. edit. ante canon. ep. 3.
t Ext To. 1. Concil.

XI.

Rurſum vero in eodem Concilio recognitam fuiſſe rectam fidei regulam, ac ſtabilitam; itemque hæreſibus nuper obortis, puta Apollinariſtarum, anathema dictum; apparet ex Synodica epiſtola[u] Concilij Conſtantinopolitani ad Damaſum. Præterea (quod maximi ponderis negotium viſum eſt) decretæ ſunt Legationes complures ad viſitandas Orientis Eccleſias: ad quod opus electi qui præclarioris nominis in ea Synodo interfuiſſent Epiſcopi, nempe Gregorius Nyſſenus, Euſebius Samoſatenus, Meletius Antiochenus, atque Gregorius Nazianzenus; quem aliquot annis ab obitu patris Seleuciæ apud S. Theclam commoratum, puto inde abductum eſſe à Meletio cum ab exilio ex Armenia rediit Antiochiam.

u ap. Theod. l. 5. c. 9.
DECRETÆ LEGATIONES AD VISITANDAS ECCL.

XII.

Et quidem Legationis inprimis *Gregorij Nyſſeni*, teſtis eſt ipſemet in tractatu *De Peregrinatione Hieroſolymitana*, dum ait ſe à Concilio delegatum fuiſſe ad emendandam Eccleſiam Arabiæ. Pariterque in epiſtola ad Olympium monachum de obitu S. Macrinæ ſororis ſuæ, virginis in monaſterio agentis, meminit miſſionis ſuæ ad res componendas Eccleſiæ. Quo tempore per viſum admonitus de proxime futuro eiuſdem ſororis ſuæ tranſitu, ad eam diuertit; & ex iis quæ tunc cum ea diſſeruit, librum illum aureum conſcripſit *de Anima & Reſurrectione*, in quo eamdem ob inſignem eius eruditionem nominat ſæpe magiſtram. Quanta vero emineret etiam vitæ ſanctitate, ex eadem epiſtola ad Olympium poterit quiſque abunde cognoſcere.

GREGORII NYSS. LEGATIO.

XIII.

Quod autem ad reliquorum Legationes attinet; narrat Theodoretus[x], *Euſebium* Syriam & Meſopotamiam peragraſſe, multoſque ibi ſacerdotes Catholicos Eccleſijs ab Arianis obſeſſis Epiſcopos conſtituiſſe; quouſque tandem in Dolicha oppidulo eum dein mulier quædam Ariana, tegula è ſuperiori loco in eius caput deiecta occidit: cuius præſtantiſſimi Præſulis ingentem memoriam, cum Orientalis, tum Occidentalis Eccleſia martyrij titulo annue celebrare conſueuit. *Meletium* vero Legatione ſua fungentem, multos pariter votis in locis ordinaſſe Epiſcopos, idem auctor[y] teſtatur. Eaque peregrinatione monachos ſibi ſubditos inuiſentem, inueniſſe[z] inter alias *Simeonem Stylitam* habitationem ſibi ſuper columnam ſtatuiſſe; & cum eumdem vinctum quoque arcte ferro ſpectaſſet, accito fabro ſolui iuſſiſſe ferri vincula, illud addendo, *Amanti Deum homini ſatis pro vinculo eſſe mentem*: in ceteris autem eum ab inſtituto minime dimouere voluiſſe. Sed de Simeone plura inferius.

x Theod. l. 5. c. 4.
EVSEBII SAMOSAT. MARTYRIVM.
y Theod. ibid.
z Id. de Vit. Patr. c. 26.
SIMONIS STYLITÆ INSTITVTVM.

XIV.

Iam vero vt ad *Gregorij Nazianzeni* Legationem veniamus: quo ille doctior atque ſanctior aliis extitit, eo ad difficiliorem prouinciam miſſus eſt: nimirum ad Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſolo ferme ab hæreſi proſtratæ reparandas ruinas. Quod enim haud ſponte profectus fuerit, ſed coactus ab Epiſcoporum conuentu, Catholicis qui reſidui erant Conſtantinopoli id maxime flagitantibus, ipſe pluribus locis conteſtatur[a]. Ex quibus etiam conſtat, non ante hoc tempus eiuſmodi illuc profectionem contigiſſe: licet Gregorius presbyter, qui encomiaſtica oratione vitam eius tractauit, itemque Nicephorus[b], & alii eos ſecuti ad longe anteriora tempora eamdem referant. Cum autem perueniſſet Conſtantinopolim, initio, vt ait[c], clandeſtine docuit ob ſummam ferociam Arianorum: quorum referta erat ciuitas ſub Ariano Epiſcopo præpotente Demophilo. At diuino plane miraculo factum, vt domus illa in quam primum diuertit (erat ea Nicobuli eiuſdē Gregorii affinis, cuius neptem Alipianam vxorem duxerat) in eccleſiam conuerteretur, quæ ab eodem Gregorio vocata eſt *Anaſtaſia* quod (vt idem ipſe[d] teſtatur: ex quo redarguas aliter[e] ſentientes) compreſſa & extincta in ea ciuitate fides Catholica, ibi excitata reuixerit: quam & ob loci anguſtiam ſæpe Bethleem nominauit: ſed eam poſtea Marcianus Oeconomus amplioribus ſpatiis dilatauit, vt videbitur ſuo loco. In ea vero ipſe Gregorius quinque illas inſignes *de Theologia* habuit orationes, ex quibus nomen eſt THEOLOGI conſecutus, quibus exultantes & inſultantes repreſſit hoſtes. Cum autem detectus eſſet ſuſcepiſſe patrocinium Catholicæ fidei, mox ſenſit Arianos infeſtos qui eo furoris adacti ſunt, vt eum non ſolum hæreticum & maleficum inclamarent, ſed etiam vt talem lapidibus imperent, raperentque ad tribunal; ingenti hæc conſtantia ac ſumma patientia ſuſtinentem: quod ipſemet teſtatur in carmine de Vita ſua.

GREG. NAZ. MISSVS CONSTANTINOPOL.
a Greg. Naz. carm. de Vit. & carm. de Epiſc. & orat. ad Arian.
b Niceph. l. 12. c. [illegible]
c Greg. Naz. in Mar.
GREG. ORII HOSPITIVM MVTATVM IN ECCLES.
d Id. orat. ad 150 Epiſc. & in Somn. Anaſt.
e Greg. presb. & Soz. l. 7. c. 5.
GREG. AN DICITVR THEOLOGVS.

XV.

Sic namque res ſe habebat hoc tempore, vt quod reciperetur ab omnibus nomen *Hypoſtaſis* hactenus pro ſubſtantia vſurpatum, qui tres hypoſtaſes dicerent, ac proinde tres ſubſtantias vel ſubſiſtentias prædicarent, trium Deorum aſſertores inclamarentur: ſicut è contrario qui eam vocem non reciperent, ab iſtis nominarentur Sabelliani, vt ſupra vidimus de Paulino, ac de ſe Hieronymus[f] queritur: quem non quidem hæretici, vt multi putarunt, ſed ſtudioſi Meletii (ſiquidem ipſe Paulino fauit) adeo quaſi Sabellianum exagitarunt, vt coactus fuerit (quod ait) ex eremo recedere. At plane conſilio Dei hoc totum factum eſt, vt ſub modii anguſtia lucerna latens, ſuper candelabrum in Eccleſiæ amplitudine collocata longe lateque ſplendoris ſui radiis effulgeret. Cæterum ex eremo Hieroſolymam petiiſſe, antequam Romam veniret ad Damaſum, ex ipſius poſtea aſſertione[g] probatur, dum ait ſe Roma recedentem poſt obitum Damaſi poſtliminio reuerſum Hieroſolymam: Cum autem illic moraretur, totum fuiſſe in rebus Hebraicis perſcrutandis, intelligi poteſt ex eius ad Damaſum eo tempore datis litteris[h]: ſed & Damaſum crebris eumdem diuinæ Scripturæ quæſtionibus pulſaſſe, aliæ eius[i] ad ipſum Hieronymum literæ docent.

ALTERCATIO DE HYPOSTAS.
f Hier. ep. 77 ad Marc. presb. Chal.
HIERON. PETIIT HIEROSOLYMAM.
g Id. ep. 99. ad Aſel. & tra. ad Pam. in Didy. ſermon. de Sp. S.
h Id. ep. 125.
i ap. Hier. ep. 124.

XVI.

Placuit autem Paulino Epiſcopo Antiocheno, eumdem Sanctum Hieronymum ordinare presbyterum: cui tamen ſic ipſe aſſenſit, vt nihilominus conteſtaretur ſe nolle alicui adſcribi Eccleſiæ: quippe qui nolens deſerere monachatum, liberum ſibi eſſe vellet quo luberet pergere. Id enim ipſemet teſtatus eſt ad Pammachium[k] ſcribens, cum à Ioanne Epiſcopo Hieroſolymitano ei Eccleſiæ ſubiici tentaretur. Atque de illo Epiphanius[l], nec precibus adduci vmquam potuiſſe, vt vel ſaltem in monaſterio Sacerdotus muneri alligaretur. At ſi, quod plerique

HIERON. ORDINATVR PRESB. A PAVLIN.
k Id. ep. 61.
l ap. eund. ep. 60. ad Ioan.

dicunt,

NON FVIT CARDINALIS ROM. ECCL.

dicunt, is à Damaſo Papa factus eſt Cardinalis tituli S. Anaſtaſiæ: cur cum redigi tentaretur à Ioanne ſub Eccleſia Hieroſolymitana, non æque excepit, ſicut de ordinatione à Paulino facta, ita de Cardinalatu Eccleſiæ Romanæ? Vel cur ex illa facta conteſtatione Paulino, ſe omnino liberum eſſe declarauit, ſi poſtea in titulum Cardinalis à Damaſo cooptatus eſt? Neque enim Cardinalis quis vnquam ſine titulo Eccleſiæ particularis eſſe potuit. Nec eſt quod fingere quis poſſit, Hieronymum poſtquam recuſauit adſcribi Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, venientem Romam id accepiſſe à Damaſo: nam illa quæ hæc refert ad Pammachium epiſtola (vt ibi teſtatur) ſcripta eſt decimotertio anno poſt eius Roma reditum Hieroſolymam, totidemque & amplius poſt obitum Damaſi. Sed quid eſt, quod eam dignitatem conſecutum volunt quod intime Damaſo inhæreret? Quaſi vero neceſſe fuerit, omnem qui ab epiſtolis eſſet Summo Pontifici (hoc enim munere poſtea functum Hieronymum apud Damaſum, ſuo loco dicetur) fuiſſe Cardinalem: cum de S. Proſpero certum ſit [m], in eodem miniſterio vſui fuiſſe S. Leoni, nec tamen Cardinalem extitiſſe. Ceterum auctores [n] illi qui hanc dignitatem Hieronymo adſtruere conantur, præter quod incerti ſunt & plerunque recentiores, multis præterea ſcatent mendaciis: vt nulla iis fides tuto adhiberi poſſit.

m Genna l. de vir. illuſt. cap. 84. n ep. Aug. ſer. 24. Mirac. cap. 21. Vit. S. Hier. ep. Hier. to. 9.

IESV CHRISTI AN. 379.

GRATIANI 13. VALENTIN. II. 4. THEODOSII 1.

DAMASI AN. 13.

I. CONSVLATVS AVSONII GALLI.

ANnus Chriſti trecenteſimus ſeptuageſimus nonus Auſonium Gallum & Olybrium habuit Coſſ. ordinarios. Eiuſmodi namque primario honore Gratianus Auguſtus Auſonium magiſtrum ſuum, egregium Rhetorem ac poetam ornare voluit: probe ſciens magiſtris atque ac parentibus haud dignam meritis vicē referri poſſe. Cæterum rependit ei pro munere & ipſe Auſonius [a] egregiam gratiarum actionem, quam coram eodem Imperatore & ampliſſimo Senatu Sirmii dixit. Fuiſſe autem ipſum Chriſti cultorem, pluribus eius declaratur carminibus, quibus vel diuinum numen deprecatur, vel Paſchalia feſta celebrat: immo qui & à tenellis vnguiculis à Chriſtianis factis virginibus [b] ſuis materteris educatus eſt, par eſt credere imbutum fuiſſe ab eis etiam pietate: cum tamen negari non poſſit, eundem tum de iis, tum de rebus amatoriis quamplurima ceciniſſe, ob eamque cauſam viſum eſſe nonnullis potius Gentilem quam Chriſtianum. Sed de illo ſatis.

a Auſon. Grat. act. pro Conſul.

AVSONIVS FVIT CHRISTIANVS. b Auſon. in Parent. epig. 6. & 26.

II.

Quod vero ad Gratianum attinet: idem proxime ſpectans imminentes in cladem totius Romani Imperii Gothorum turmas, cum ipſe reuocaretur in Gallias ob Alemannos iterum rebellantes publicæ potius proſpiciens vtilitati quam priuatæ, & (vt loquitur Auguſtinus [c]) auidior fide ſocietatis quam nimiæ poteſtatis: ibidem Sirmii publicis comitiis militaribus, die decimaſexta [d] menſis Ianuarii, creauit Orientalis Imperii in locum Valentis defuncti THEODOSIVM Imperatorem, annum agentem ætatis trigeſimum tertium: qui tempore Valentiniani Senioris, poſt præclaras aduerſus barbaros res geſtas inuidiam paſſus, & ad necem quæſitus, ſeruatus tamen fuit magno Dei conſilio ad erigendum collapſum Romanum Imperium. Cuius parentes ſomnio monitos, nomen ei tamquam bonorum futurorum prænuncium ſacrauiſſe, vt *Theodoſius*, quaſi A Deo datus diceretur, auctor eſt Aurelius Victor: qui eum patre Honorio matre Thermantia, genere Hiſpanum, originem à Traiano traxiſſe, eidemque forma corporis, atque etiam moribus, exceptis vitiis, ſimillimum fuiſſe dicit. Verum patrem eius non Honorium fuiſſe, ſed Theodoſium, Ambroſius [e], Oroſius [f], Ammianus, & alii teſtantur: patriam vero Marcellinus [g] ponit Italiam: ſed Zoſimus [h] Caucæ in Gallæcia natum tradit. Vnus hic inter tot tantoſque Imperatores inuentus, ſententia Claudiani [i], qui non generis dono, nō ambitione, potitus fuerit purpura, ſed ipſa ſe vltro ei ſupplex obtulerit: adeo vt hic ſolus meruerit regnare rogatus.

c Aug. 5. de ciuit. 25. d Sp. l. 5 c. THEODOSIVS CREATVS IMP.

e Ambr. in fun. Theod. f Oroſ. l. 7. c. 34. g Marcel. in Chron. h Zoſ. l. 4.

i Claud. de 4. Conſul. Honor.

III. k Theod. l. 5. c. 5. VICTORIÆ THEODOSII ET GRATIANI DE BARBARIS.

Porro de creatione Theodoſij errasse cōuincitur Theodoretus [k], dum ait nonniſi poſt adeptam ab eo victoriam de Gothis fuiſſe creatum: quem & diuina viſione de futura ſua electione præmonitum fuiſſe tradit. At vero reliqui omnes antiqui hiſtorici dicunt, eum antea nominatum Auguſtum, poſtea vero cum exercitu profectum eſſe contra barbaros: quos quidem ingenti clade ab eo proſtratos eſſe, idem Theodoretus, aliique teſtantur. Verum Sozomenus [l] de bello nihil, ſed Gothos pacem per Legatos petentes, in amicitiam receptos eſſe: Gratianum autem profectum contra Alemannos Gallias infeſtantes, eos feliciter debellaſſe: quod etiam teſtatur Zoſimus. Idem vero inſuper Gratianus, Chriſtianiſſimi Principis (quo eum titulo Ambroſius [m] inſigniuit epiſtola hoc eodem tempore ad eum reſcripta, cum ab eodem Ambroſio petiiſſet ſcriptionem de Spiritus Sancti diuinitate) ſpecimen in aliis etiam actionibus edens, hoc ipſo anno reſcriptum [n] dedit ad Heſperium Præfectum Prætorio, quo hæreſes omnes legibus diuinis & Imperialibus vetitas perpetuo cōquieſcere iuſſit. Cui in Codice Iuſtinianeo [o] additur, *Hæreticorum vero abusu contineri, & latis aduerſus eos ſanctionibus ſuccumbere debere, qui vel leui argumento à iudicio Catholicæ religionis & tramite detecti fuerint deuiare.*

l Soz. l. 7 c. 4.

m Ambr. ep. 26.

n l. 5. C. Th. de hæret. GRATIANI LEX ADVERS. HÆRET. o l. 2. C. de hæret.

IV. HIERON. VENIT CONSTANTINOP. AD AVDIENDVM GREG. NAZ.

Inter hæc autem S. Hieronymus fama permotus Gregorii Nazianzeni (qui iam ex parte ferociam populi Conſtantinopolitani prædicationibus ſuis retuderat, multoſque Arianorum ad fidem conuerterat, & admirationi cunctis etiam remotiſſimis eſſe cœperat) vna cum collega Vincentio è Syria contulit ſe Conſtantinopolim. Res plane admiratione digna: hominem, quem ob inſignem eruditionem conſulerent Occidentales Epiſcopi, ipſeque etiam Romanus Pontifex, tam longa difficiliaque itinera peragraſſe, vt Gregorii eſſe mereretur auditor in ſacris Scripturis: quo poſtea ſemper magiſtro [p] gloriatus eſt. Manſiſſe autem Hieronymum tribus ferme annis Conſtantinopoli apud Gregorium, ex ipſo patet, dum ait ſe ibi Gregorium Nyſſenum cognouiſſe, quem poſt biennium ad Synodum Conſtantinopolitanam contigit proficiſci.

p Hier. ad Pammach. aduer. Ruff. l. 1. cont. Iouin. ep. 2. ad Nepot. ep. 51. ad Domnion. de Script. Eccl. in Greg. Naz. in Iſa. c. 6.

V. MAXIMI CYNICI ADVENTVS CONSTANTINOP.

Hoc item tempore Maximus ille Alexandrinus ex philoſopho Cynico Chriſtianus, qui ſe iactabat martyrum filium & pro fide exulem in Oaſis ſolitudine: quaſi gloria confeſſionis illuſtris Conſtantinopolim veniens à Gregorio domi ſuæ exceptus eſt, & luculenta oratione laudatus, quæ mutato titulo in laudem Heronis ſcripta legitur: cum tamen is doloſe veniſſet, vt exturbato Gregorio ipſe cathedram Conſtantinopolitanam arriperet. Quamobrem cum Orthodoxi, quorum in ea ciuitate creuiſſet opera Gregorii magnopere numerus, in odium Demophili Ariani Epiſcopi poſtulaſſent ſibi eundem Gregorium dari Antiſtitem, idemque annuens Petrus Alexandrinus, talem eum conſtituiſſet per literas: tamen paulo poſt idem Petrus mutata ſententia, fauens Maximo gentili ſuo: vt eundem ei ſedi præficeret, prætenſa occaſione frumenti publici Conſtantinopolim deportandi, ſeptem legauit Epiſcopos: qui primo quidem Gregorio adhærentes, & ab eodem benigne ſuſcepti atque oratione laudati, poſtea à Maximo allecti, Gregorio ægrotante foris in ſuburbano eundem Maximum opera nautarum Alexandrinorum eius auro corruptorum, noctu in ſedem Epiſcopalem intrudere conati ſunt: ac licet ab Eccleſia per ſuperuenientem clerum ac magiſtratum expulſi, nihilominus eundem in domo cuiuſdam ſcenici, detonſa coma Cynica Epiſcopum ordinarunt: ſed cunctis tam Catholicis quam Arianis nefandum ſcelus deteſtantibus, tandem Maximus pulſus eſt vrbe. Narrat hæc omnia fuſe Gregorius in carmine de Vita ſua, & in oratione in Maximum. Ex quo redarguas eos [q], qui conati Petrum Alexandrinum excuſare, in Timotheum eius ſucceſſorem hæc cuncta reiecere. Cæterum Maximus à Theodoſio [r] primum

AMBIT SEDEM EPIS. ADVERSVS GREGOR.

q Theod. l. 5. c. 8. Caſſio. l. 9. c. 13. Niceph. l. 12. c. 11. r Gr. Naz. car. de Vit. ſua.

INFELIX EXITUS MAXIMI.
a Theod. lib.

Imperatore, ad quem Theſſalonicam confugerat, repulſus, ac cum inde Alexandriam rediiſſet, ab ipſo quoque Petro noua occaſione reiectus: miſer tandem lapſus eſt in hæreſim Apollinaris, eiuſque rei cauſa (vt Theodoretus [a] ait) ab Epiſcopis damnatus, aduerſus quem pro Gregorio ſtetiſſe quoque Damaſum Papam [y], auctor eſt Nicolaus Romanus Pontifex [z] in epiſtola ad Michaelem Imperatorem.

z Ex to. 2. Concil.

GRATIANI 14. VALENTIN. II. 5. THEODOSII 2.

IESV CHRISTI AN. 380.

DAMASI AN. 14.

I. THEODOS. IMP. BAPTIZATVR.

a Soc. l. 5. c. 6.
b Aug. 5. de ciuit. 26.
c l. 2. C. Th. de fid. Cath.
EIVS SANCTIO DE FIDE CATHOLICA.

ANno Chriſti trecenteſimo octogeſimo, Gratiano quintum & Theodoſio Augg. Coſſ. idem Theodoſius Imperator Theſſalonicæ morbo correptus ab Acholio Orthodoxo eius ciuitatis Epiſcopo, virtutibus ac miraculis claro, baptizari [a] voluit. Nihilque antiquius habens, quam [b] vt iuſtiſſimis legibus aduerſus impios laboranti Eccleſiæ ſubueniret: hoc ipſo anno ibidem Theſſalonicę auream illam promulgauit ſanctionem [c], qua damnatis ac prohibitis cunctis hęreſibus, omnes ſibi ſubditos eam religionem ſequi iuſſit, quam Sanctum Petrum Apoſtolum olim tradidiſſe Romanis deducta ab eo tempore ſucceſſio doceret, quamque modo Damaſus Papa & Petrus Alexandrinus colerent. Quo etiam tempore & loco, aduerſus eos qui diuinæ legis ſanctitatem contunderent aut violarent, reſcripſit [d]: ac tempore Quadrageſimæ criminales quæſtiones agitari prohibuit [e].

d l. 25. C. Th. de Epiſc. & cler.
e l. 4. C. Th. de quæſt.

II.
f Soc. l. 5. c. 6.
g Marcel. in Chron. Soz. l. 7. c. 5.
h Gre. Naz. car. de Vit. ſua.
ECCLESIAS CONSTANTINOPOL. RESTITVIT ORTHODOXIS.

Poſt hæc vero iiſdem Coſſ. octauo [f] Calendas Decembris Conſtantinopolim adueniens, ipſo menſe Decembri Eccleſias ab Arianis per quadraginta [g] annos occupatas, Catholicis reſtituit, frendentibus licet iiſdem Arianis: ipſumque primarium [h] templum, quod etiam armis tueri parati erant, vi militum occupans, Gregorio Nazianzeno tradidit, magno eorundem Arianorum luctu, maximo Orthodoxorum gaudio, quod & Deus miraculo cōfirmauit, cum ſimul ac Gregorius ſacros cancellos introiuit, Sol puriſſimis radiis effulgens atram nubem diſſipauit, quæ media die noctem ferme induxerat. Narrat hæc ipſe Gregorius in carmine de Vita ſua: additque de ſicario ab Arianis ad ipſum ſubægrotantem in lecto occidendum miſſo, qui Dei prouidentia in ipſo cędis procinctu pœnitens veniam ab eo petiit: & quod eam facillime impetrauit, nonnihil erga ipſum Gregorium propenſiora reddita ſunt Arianorum corda. Porro de acceſſu Conſtantinopolim Orientalium Epiſcoporum vt Gregorium firmarent in throno, agetur anno ſequenti.

III. TIMOTHEVS CREATVS EPIS. ALEXAND.
i l. 3. C. Th. de hæret.
k Leo ep. 64.

Hoc autem anno mortuus eſt Petrus Epiſcopus Alexandrinus, cum ſediſſet annos octo: in cuius locum ſubrogatus eſt *Timotheus* ipſius frater. Id enim hoc anno accidiſſe plane apparet, quod Timothei mentio habeatur in Theodoſii ſanctione [i] data anno ſequenti: in ea vero quā præſenti promulgatam diximus, nominetur Petrus. Cæterum Theophilum eiuſdem Eccleſiæ hoc tempore clericum, poſtea Epiſcopum, ab hoc anno Paſchalem Cyclum annorum centum inchoaſſe, nempe à primo Conſulatu Theodoſii, teſtatur S. Leo Papa [k] epiſtola ad Marcianum Imperatorem ſcripta.

IV. IVSTINA AVG. FAVET ARIANIS.
l Suet. in C. Iul. c. 22.
RESTITIT EI AMBROSIVS.

Eodem quoque tempore contigit, Mediolanenſem Eccleſiam perturbari cœptam eſſe à Iuſtina Auguſta Valentiniani Senioris cōiuge, Ariana fœmina audaciſſima. Quæ hæreſi patrocinatura, cum accepiſſet Sirmienſem Eccleſiam deſtitutam eſſe paſtore, illuc properauit, Arianum ei Antiſtitem præfectura. Verum Ambroſius pariter eo ſe conferens (perſeuerabat enim antiqua illa diuiſio prouinciarum, qua lege Vatinia [l] coniuncta erat prouincia Illyrici Galliæ Ciſalpinæ:) poſt multas diſſenſiones, Anemmiū (ſiue Auennium) virum Orthodoxum eiuſdem ciuitatis conſtituit Epiſcopum: quando & virgo quædam Ariana quæ in ipſum Ambroſium manus intra Eccleſiam iniicere auſa fuerat, ſubitanea morte pœnam temeritatis ſuæ luit, quæ omnia deſcribit Paulinus in Vita Ambroſii. Hoc vero tempore Ariani, eiuſdē Iuſtinæ fauore res adeo perturbarunt, vt Gratianus Imperator baſilicam vnam quam peterent ſibi tradi, ab Ambroſio abſtulerit: quam tamen nō illis dedit, ſed eidem Ambroſio reſtituit [m]. Sed & cum iidem vndique pulſi, inſtarent vt Generale Concilium indiceretur, in quo demonſtrare poſſent ſe eſſe Catholicos: id quoque tandem ab eodem Imperatore extorſerunt. Verum Ambroſius continuo intercedens, atque probroſum eſſe & indigniſſimum aſſerens, propter duos carioſos hæreticos (erant hi Palladius & Secundianus Epiſcopi) totius Catholici Orbis Epiſcopos conuocare magno Eccleſiarum detrimento, quæ paſtoribus deſtitutæ luporum paterent incurſui: ex eiuſdem Ambroſii ſententia factum eſt, vt Imperator acquieſceret Aquileiæ celebrari Concilium, ad quod finitimi tantum conuenirent Epiſcopi, ex Africa autem & Gallia ſatis eſſe Legatos adeſſe. Quæ omnia ex eiuſdem Synodi Actis certa redduntur: de qua dicetur anno ſequenti.

m Amb. de Sp. S. l. 1. c. 1.

GRATIANI 15. VALENTIN. II. 6. THEODOSII 3.

IESV CHRISTI AN. 381.

DAMASI AN. 15.

I. THEODOS. RESCRIBIT ADVERS. HÆRET.
a l. 6. C. Th. de hæret.

ANno Chriſti trecenteſimo octogeſimo primo, Eucherio & Syagrio Coſſ. quarto Idus Ianuarii Theodoſius Auguſtus cum aliis Imperatoribus aduerſus hæreticos ſanctionem [a] edidit, qua Arianis, Photinianis, Eunomianis, aliiſque eiuſmodi hæreticis vetitum eſt conuentus intra oppida agere, atque omnes vbique eccleſiæ fidei Nicænæ aſſertoribus reddi ſunt iuſſæ. Eodemque Ianuarii menſe Athanaricus Rex Gothorum, cum quo Theodoſius fœdus pepigerat, à ſuis expulſus Conſtantinopolim veniens, ab eodem Theodoſio, obuiam ei extra vrbem facto, amantiſſime exceptus eſt: & cum eodem menſe morbo periiſſet, ambitioſis exequiis ſepultus: quam Imperatoris benignitatem admirati reliqui Gothi, fidi poſthac Romanis extiterunt. Hæc plures teſtantur hiſtorici [b]. Addit vero Oroſius, Perſas quoq; ad eundem Imperatorem Legatos miſiſſe de pace petenda, eamque impetraſſe. Sed & Pacatus [c] aſſirmat, eoſdem Perſas munera quoque ad eum detuliſſe: omneſq; quantumlibet remotiſſimos barbaros eundem coluiſſe, vel ſaltem timuiſſe: Vt vel hinc videas, quot mala hæreſes olim inuexiſſent in Orientem, tot bona reſtitutam Catholicam fidem ſecum attuliſſe.

b Ammian. l. 27. Zoſ. l. 4. Oroſ. l. 7. c. 34. Marcel. in Chr.
c Pacat. in Paneg. ad Theod.
QVANTA BONA SECVM VENERIT FIDES CATHOL.

II. OECVMENICA SYNODVS CONSTANTINOP.

Hoc eodem anno iiſdemque Coſſ. menſe Maii celebrari cœpta eſt *Conſtantinopoli*, quæ perducta eſt vſque ad finem Iulii, OECVMENICA SYNODVS Epiſcoporum, Theodoſii literis conuocatorum, tum vt Gregorium eius ſedis Epiſcopum ſtabilirent, tum vt fidem Concilii Nicæni confirmarent. Ad quam conuenerunt Timotheus Alexandrinus (licet hic poſtea aduenerit) Meletius, Antiochenus, Cyrillus Hieroſolymitanus, Acholius Theſſalonicenſis, Gregorius Nyſſenus, aliique inſignis nominis Orthodoxi, omnes numero centum quinquaginta. Sed & quoniam in ſpem venerat Imperator, Macedonianos ſiue Semiarianos poſſe ad concordiam reduci, eos quoque accerſendos curauit: adueneruntque ex iis trigintaſex, quorum potiores fuere Eleuſius Cyzicenus & Marcianus Lampſacenus. Hæc [d] Socrates & alii. Porro Concilium iſtud nominatum eſſe *Generale*, certum redditur ex epiſtola [e] Synodali ad Epiſcopos Occidentales anno ſequenti ſcripta. Illudque auctoritate Damaſi Papæ celebratum eſſe (præter regulas Eccleſiaſticas & Patrum inſtituta, quæ Synodos facere abſque Romanorum Pontificum auctoritate [f] vetant) diſertis verbis teſtatur codex peruetuſtus Bibliothecæ Vaticanæ, qui res geſtas Damaſi continet. Idque eſt quod aiunt Patres Sextæ [g] Synodi, Theodoſium ac Damaſum per Secundam Synodum (nempe iſtam Conſtantinopolitanam) obſtitiſſe Macedonio, ſicut Silueſter & Conſtantinus congregato Nycæno Concilio Ario obſtiterunt. Cum enim ex iis quæ ſuo loco dicta ſunt, conſtet Nicænam Synodum à Silueſtro indictam à Conſtantino promotam fuiſſe: æque dicen-

d Soc. l. 5. c. 8. Soz. l. 7. c. 9. Theod. l. 5. c. 8.
e Ext. apud Theod. lib. 5. c. 9.
COLLECTA AVCTORITATE DAMASI PAPÆ.
f Damaſ. ep. ad Epiſ. Illyr. ap. Theod. l. 2. c. 22. Conc. Chalc. Act. 1. Socr. l. 2. c. 13. Soz. l. 3. c. 9.
g Sext. Syn. Act. 18.

Digitized by Google

dicendum eſt, hanc quoq; auctoritate Damaſi indictam, auxilio Theodoſii congregatam eſſe.

III.
h Con. Conſt. act. 4.
GREG. NAZ. CONFIRMATVR EPIS. CONSTANTINOP.
i Gre. Naz. car. de Vit. ſua.
k Con. Conſt. act. 3.
l Extat l. Conc. in Damaſ.

Quod autem pertinet ad res in ea geſtas: primo quidem Maximus [h] inuaſor ſedis Conſtantinopolitanæ, declaratus eſt nec eſſe neque vnquam fuiſſe Epiſcopus: ideoque ordinationes, atque alia omnia quæ ab ipſo geſta eſſent, improbata ſunt atq; reſciſſa: ac deinde communi Patrum calculo probata eſt electio *Gregorij* Nazianzeni, facta ab Imperatore & populo: ſolo ipſo Gregorio mœrente tunc, vt ait [i], atque hanc confirmationem lugente. Poſt hæc ad ea quæ Fidei eſſent accedentes Patres, approbarũt primo volumen (vt vocant [k]) Occidentalium de fide Antiochenorum circa Trinitatis perſonas. Quod quidem nihil aliud eſſe puto, quam profeſſionem [l] illam fidei à Damaſo (vt vidimus) ex Concilio Romano ſcriptam ad Paulinum Epiſcopum Antiochenum, continentem anathematiſmos aduerſus omnes hæreſes tunc temporis Eccleſiam Orientalem potiſſimum infeſtantes. Quod igitur Patres optime ſcirent, Antiochenos communicationis Paulini recepiſſe à Damaſo fidei profeſſionem: iidem ad tollendam omnem ſchiſmatis ſuſpicionem, ſed eos recipere publica illa atteſtatione decreuerunt: cum alioqui ferme omnes Meletio ſtuderent.

IV.
DE DIVINITATE SPIR. S. PATRES DECERNVNT.

Cognitum pariter fuit in eadem Synodo, atque ab omnibus receptum Nicænum fidei Symbolum. Sed cum in eo parcius de diuinitate Spiritus Sancti ageretur, eo quod nulla tunc hæreſis ei aduerſaria emerſiſſet: placuit de ea addere aliqua (vt olim de Filio in Nicæno Concilio factum fuerat) quibus aduerſus omnes hæreticos, eiuſdem Spiritus Sancti vna eademque cum Patre & Filio diuina ſubſtantia prædicaretur: nimirum hæc verba *Et in Spiritum Sanctum Dominum & viuificatorem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio coadorandum & conglorificandum: qui locutus eſt per Prophetas.* Porro ipſum libellum fidei, ſiue dixerimus Symbolum (quod in Concilio [m] Chalcedonenſi integre recitatum habetur) ſumma deliberatione Patrum examinatum, tradunt [n] ſcriptum fuiſſe à Gregorio Nyſſeno. Poſt hæc vero communi omnium ſententia damnatas hæreſes Eunomianorum, ſiue Anomæorum: Arianorum ſiue Eudoxianorum, Semiarianorum, itemque Macedonianorum, vel Pneumachorum: ſiue Sabellianorum, Marcellianorum, Photinianorum, & Apollinariorum: canon [o] ea dē re editus oſtendit: nec tantum hæreſes, ſed earum quoque auctores nominatim fuiſſe damnatos, omnes æque conſentiunt. Sed quod pertinet ad Semiarianos, qui cum aliis damnati fuere, licet ab Imperatore vocati fuiſſent: eos nullo pacto Catholicorum ſententiæ adhærere voluiſſe, ac proinde Conſtantinopoli receſſiſſe, auctor eſt Socrates [p].

m Con. Chalced. Act. 2.
n Niceph. l. 12. c. 13. & alij.
o To. 1. Conc.
p Soc. l. 5. c. 8.

V.
q Con. Conſtant. ca. 2.
DECRETVM DE SERVANDIS LIMITIBVS DIŒCESEON.
r Conc. Nic.

Quod autem Ægyptii Antiſtites, Petro Alexandrino (vt vidimus) annuente: præſumpſiſſent in tam remota à ſua diœceſi ciuitate Epiſcopum ordinare: hac Synodo ſtatuerunt Patres [q], ne vlterius à quibuſuis præſumeretur Epiſcopis, res Eccleſiarum quæ extra ſuas prouincias ſitæ eſſent adminiſtrare, iuxta vetus Nicæni [r] Concilii decretum de diſtinctione diœceſeon. Vnde & appendix illa eidem canoni addita de prærogatiua ſedis Conſtantinopolitanæ poſt Epiſcopum Romanũ, corruere videtur. Quonam enim modo & præſcripto Nicæni Concilii voluit Synodus quibuſcunque prouinciis iura ſua integra eſſe ſeruata, ſi in præiudicium aliarum Eccleſiarum tanta Conſtantinopolitanæ contulit? Quod ſi re vera contuliſſet, vt quid poſtea in Synodo, immo poſt abſolutam Synodum Chalcedonenſem, id tanquam in ea factum vſurpare conatus Anatolius Conſtantinopolitanus, cum mox Leonem Romanum Pontificem expertus eſt ſibi acerrime aduerſantem, haud præſentem citauit canonem, cuius nunquam vel leuem ſaltem habuit mentionem? Si tamen verus eſſe credendus ſit: (cuius etiam meminerunt Socrates [s], Sozomenus [t], & in Concilio [u] Chalcedonenſi clerici Conſtantinopolitani) ille ſaltem poſt hæc primo decreta, poſtque Nectarii electionem, ſancitus eſſe dicendus erit ab Epiſcopis Orientalibus qui remanſerunt Conſtantinopoli: quorum (vt videbitur) tantum ſtudium fuit, vt Orientalem Eccleſiam etiam præferrent Occidentali: idque abſente haud dubium Timotheo Alexandrino, quem ſcirent habiturum acerrimum aduerſarium, quod ex antiqua inſtitutione eius ſedes ſecunda eſſet poſt Romanam.

NON IIDEM SVNT STILIS.

s 5. c. 8.
t 7. c. 8.
u Chal. Act. 11.

VI.
x Con. Conſt. c. 6. & 7.

Sed vt reliqua huius Synodi proſequamur, ſtatutus [x] quoque in ea reperitur canon de accuſationibus Epiſcoporum: aliuſque, quo modo ab hæreſi redeuntes hæretici recipiendi forent. Omnibus autem abſolutis de iiſdem poſtea Patres ad Theodoſium Imperatorem literas [y] dederunt. Ipſam vero Synodum, in his quæ ſpectant ad fidem Catholicam, confirmatã fuiſſe à Damaſo Papa, Photius tradit in libello de ſeptem Synodis. Poſt hæc autem conſecuta eſt ſubſcriptio Patrũ: ita tamen vt nomina poſtea ſuperuenientium Epiſcoporum, nempe Timothei Alexandrini aliorumque, immo & Nectarii qui poſt Gregorii abdicationem creatus eſt Conſtantinopolitanus Epiſcopus, fuerint ſuperaddita. Sed perperam factum; neſcimus à quo, vt quonam Gregorius nuncium remiſit ſedi, qui ante ſubſcripſerat Epiſcopus Conſtantinopolitanus, inueniatur in Epiſcopos prouinciæ Cappadociæ, & vltimo loco poſitus. Nec eſt quod dici poſſit, poſt eius ceſſionem Patres ſubſcripſiſſe: Nam & ſubſcriptus reperitur Meletius Antiochenus, qui ante Gregorii abdicationem mortuus eſt.

y Ext. in libel. Conſtit. Synod. to. 1. Concil.
SYNODI FIDES CONFIRMATA A DAMASO PAPA.

VII.
MELETII ANTIOC. OBITVS.

Licet autem ita hæc Synodus fuerit abſoluta: noui tamen euentus coegere Patres diutius Conſtantinopoli morari. Atque inprimis obitus Meletii Epiſcopi Antiocheni: quem tunc Gregorius Nyſſenus panegyrica oratione laudauit, celebreque ipſius funus cum pſalmis & luminaribus ab vniuerſa Synodo ipſoque Imperatore, ac tota ciuitate curatum deſcripſit. Quod vero tertio Idus Februarii eius memoria in publicis monumentis legatur adſcripta: non id quidem quod ea die ex hac vita migrauit, cum conſtet æſtiuo tempore eſſe defunctũ: ſed quod more maiorũ vel ea die fuerit Epiſcopus ordinatus, vel quod ea die Antiochiam transferri contigerit. Cęterum Gregorius [z] Nazianzenus de eodem tradit, ipſum morientem commendaſſe Epiſcopis pacem Eccleſiæ: ſicque ex eius ſententia, de non ſubrogando aliquem in locum ipſius à prudentioribus agi cœptum: quemadmodum fuerat etiã inter eum ac Paulinum tranſactum, vt qui ſuperuiueret ſolus Eccleſiam Antiochenam regeret. Sed cum per quoſdam factioſos, qui in locum Meletii ſufficiendum conabantur Flauianum presbyterum Antiochenum: tumultus eſſent concitati: iamque ex Patribus longe plures, iidemque iuniores, ac præſertim qui cum Principibus fidem mutare ſolerent, nouam fieri electionem ſuaderent, quod dicerent indignum eſſe vt ordinatus ab Occidentali Epiſcopo Lucifero Paulinus præeſſet Orientalibus populis: atque adeo Orientalem Eccleſiam præſtare Occidentali, omnibus aliis deſtituti, hac vna ridicula contenderent ratione, quod Chriſtus in Oriente natus eſſet: His, inquam, ita tumultuantibus, Gregorius Theologus grauiſſima ſententia agere conatus eſt, vt ſineretur Paulinus iam ætate conſumptus, paucis diebus quibus vita ſuperſtes foret ſolus ſedere: eo vero defuncto (ne quid ſuorum iurium Orientales diſpendii paterentur) alium tunc ſubrogarent quem vellent. Verum cum hac ſententia contrariæ factionis Epiſcopos ſibi reddidiſſet infenſos, quaſi ab Occidentalibus ſtaret Paulino fauentibus: ipſe qua cœperat animi conſtantia, conteſtatus denuo ſe ceſſurum throno potius quam vt illis peſſima decernentibus inhæreſceret, indignans abſceſſit è Synodo: moxque eorum qui remanſerunt communibus votis, *Flauianus* electus eſt Meletii ſucceſſor, ſicque continuata eſt prior diſcordia, vt vnius Eccleſiæ Catholico populo duo præeſſent Epiſcopi. Narrat vero hæc omnia pluribus idem Gregorius in Carmine de Vita ſua: memineruntque alii auctores.

z Gre. Naz. car. de Vit. ſua.
TVRBA EXORTÆ OB EIVS SVCCESSIONEM.
FLAVIANVS ELIGITVR SVCCESSOR MELETII.

VIII.
ADVENTVS TIMOTHEI ALEXAN. TVRBAS NOVAS AFFERT.

Cum vero inter hæc accedens Conſtantinopolim Timotheus Alexandrinus, cum ſuis & aliquot Epiſcopis Macedonibus, omnia adeo perturbata veniſſent: indignantes primo ipſis non expectatis ſedem Gregorio con-

Imperatore, ad quem Theſſalonicam confugerat, repulſus, ac cum inde Alexandriam rediſſet, ab ipſo quoque Petro noua occaſione reiectus: miſer tandem lapſus eſt in hæreſim Apollinaris, eiuſque rei cauſa (vt Theodoretus [s] ait) ab Epiſcopis damnatus, aduerſus quem pro Gregorio ſtetiſſe quoque Damaſum Papam, auctor eſt Nicolaus Romanus Pontifex [t] in epiſtola ad Michaelem Imperatorem.

INFELIX EXITVS MAXIMI.

s Theod. lib.

t Ex to. 2. Concil.

IESV CHRISTI AN. 380.

GRATIANI 14. VALENTIN. II. 5. THEODOSII 1.

DAMASI AN. 14.

I. ANno Christi trecenteſimo octogeſimo, Gratiano quintum & Theodoſio Augg. Coſſ. idem Theodoſius Imperator Theſſalonicæ morbo correptus ab Acholio Orthodoxo eius ciuitatis Epiſcopo, virtutibus ac miraculis claro, baptizari [a] voluit. Nihilque antiquius habens, quam [b] vt iuſtiſſimis legibus aduerſus impios laboranti Eccleſiæ ſubueniret: hoc ipſo anno ibidem Theſſalonicę auream illam promulgauit ſanctionem [c], qua damnatis ac prohibitis cunctis hęreſibus, omnes ſibi ſubditos eam religionem ſequi iuſſit, quam Sanctum Petrum Apoſtolum olim tradidiſſe Romanis deducta ab eo tempore ſucceſſio doceret, quamque modo Damaſus Papa & Petrus Alexandrinus colerent. Quo etiam tempore & loco, aduerſus eos qui diuinæ legis ſanctitatem contunderent aut violarent, reſcripſit [d]: ac tempore Quadrageſimæ criminales quæſtiones agitari prohibuit [e].

THEODOSIVS IMP. BAPTIZATVR.

a Socr. l. 5. c. 6.
b Aug. l. 5. de ciuit. 26.
c l. 2. C. Th. de fid. Cath.

EIVS SANCTIO DE FIDE CATHOLICA.

d l. 11. C. Th. de Epiſc. & cler.
e l. 4. C. Th. de quæſt.

II. Poſt hæc vero iiſdem Coſſ. octauo [f] Calendas Decembris Conſtantinopolim adueniens, ipſo menſe Decembri Eccleſias ab Arianis per quadraginta [g] annos occupatas, Catholicis reſtituit, frendentibus licet iiſdem Arianis: ipſumque primarium [h] templum, quod etiam armis tueri parati erant, vi militum occupans, Gregorio Nazianzeno tradidit, magno eorundem Arianorum luctu, maximo Orthodoxorum gaudio, quod & Deus miraculo cõfirmauit, cum ſimul ac Gregorius ſacros cancellos introiuit, Sol puriſſimis radiis effulgens atram nubem diſſipauit, quæ media die noctem ferme induxerat. Narrat hæc ipſe Gregorius in carmine de Vita ſua: additque de ſicario ab Arianis ad ipſum ſubægrotantem in lecto occidendum miſſo, qui Dei prouidentia in ipſo cędis procinctu pœnitens veniam ab eo petiit: & quod eam facillime impetrauit, nonnihil erga ipſum Gregorium propenſiora reddita ſunt Arianorum corda. Porro de acceſſu Conſtantinopolim Orientalium Epiſcoporum vt Gregorium firmarent in throno, agetur anno ſequenti.

f Soc. l. 5. c. 6.
g Marcel. in Chron. Soz. l. 7. c. 5.
h Greg. Naz. car. de Vit. ſua.

ECCLESIAS CONSTANTINOPOL. RESTITVIT ORTHODOXIS.

III. Hoc autem anno mortuus eſt Petrus Epiſcopus Alexandrinus, cum ſediſſet annos octo: in cuius locum ſubrogatus eſt *Timotheus* ipſius frater. Id enim hoc anno accidiſſe plane apparet, quod Timothei mentio habeatur in Theodoſii ſanctione [i] data anno ſequenti: in ea vero quã præſenti promulgatam diximus, nominetur Petrus. Cæterum Theophilum eiuſdem Eccleſiæ hoc tempore clericum, poſtea Epiſcopum, ab hoc anno Paſchalem Cyclum annorum centum inchoaſſe, nempe à primo Conſulatu Theodoſii, teſtatur S. Leo Papa [k] epiſtola ad Marcianum Imperatorem ſcripta.

TIMOTHEVS CREATVS EPIS. ALEXAND.

i l. 3. C. Th. de hæret.

k Leo ep. 64.

IV. Eodem quoque tempore contigit, Mediolanenſem Eccleſiam perturbari cœptam eſſe à Iuſtina Auguſta Valentiniani Senioris cõiuge, Ariana fœmina audaciſſima. Quæ hæreſi patrocinatura, cum accepiſſet Sirmienſem Eccleſiam deſtitutam eſſe paſtore, illuc properauit, Arianum ei Antiſtitem præfectura. Verum Ambroſius pariter eo ſe conferens (perſeuerabat enim antiqua illa diuiſio prouinciarum, qua lege Vatinia [l] coniuncta erat prouincia Illyrici Galliæ Ciſalpinæ:) poſt multas diſſenſiones, Anemmiũ (ſiue Auenmium) virum Orthodoxum eiuſdem ciuitatis conſtituit Epiſcopum: quando & virgo quædam Ariana quæ in ipſum Ambroſium manus intra Eccleſiam iniicere auſa fuerat, ſubitanea morte pœnam temeritatis ſuæ luit, quæ omnia deſcribit Paulinus in Vita Ambroſii. Hoc vero tempore Ariani, eiuſdẽ Iuſtinæ fauore res adeo perturbarunt, vt Gratianus Imperator baſilicam vnam quam peterent ſibi tradi, ab Ambroſio abſtulerit: quam tamen nõ illis dedit, ſed eidem Ambroſio reſtituit [m]. Sed & cum iidem vndique pulſi, inſtarent vt Generale Concilium indiceretur, in quo demonſtrare poſſent ſe eſſe Catholicos: id quoque tandem ab eodem Imperatore extorſerunt. Verum Ambroſius continuo intercedens, atque probroſum eſſe & indigniſſimum aſſerens, propter duos carioſos hæreticos (erant hi Palladius & Secundianus Epiſcopi) totius Catholici Orbis Epiſcopos conuocare magno Eccleſiarum detrimento, quæ paſtoribus deſtitutæ luporum paterent incurſui: ex eiuſdem Ambroſii ſententia factum eſt, vt Imperator acquieſceret Aquileiæ celebrari Concilium, ad quod finitimi tantum conuenirent Epiſcopi, ex Africa autem & Gallia ſatis eſſe Legatos adeſſe. Quæ omnia ex eiuſdem Synodi Actis certa redduntur: de qua dicetur anno ſequenti.

IVSTINA AVG. FAVET ARIANIS.

l Suet. in C. Iul. c. 22.

RESTITITVR AMBROSIVS.

m Amb. de Sp. S. l. 1. c. 1.

IESV CHRISTI AN. 381.

GRATIANI 15. VALENTIN. II. 6. THEODOSII 3.

DAMASI AN. 15.

I. ANno Christi trecenteſimo octogeſimo primo, Eucherio & Syagrio Coſſ. quarto Idus Ianuarii Theodoſius Auguſtus cum aliis Imperatoribus aduerſus hæreticos ſanctionem [a] edidit, qua Arianis, Photinianis, Eunomianis, aliiſque eiuſmodi hæreticis vetitum eſt conuentus intra oppida agere, atque omnes vbique eccleſiæ fidei Nicænæ aſſertoribus reddi ſunt iuſſæ. Eodemque Ianuarii menſe Athanaricus Rex Gothorum, cum quo Theodoſius fœdus pepigerat, à ſuis expulſus Conſtantinopolim veniens, ab eodem Theodoſio, obuiam ei extra vrbem facto, amantiſſime exceptus eſt: & cum eodem menſe morbo periiſſet, ambitioſis exequiis ſepultus: quam Imperatoris benignitatem admirati reliqui Gothi, fidi poſthac Romanis extiterunt. Hæc plures teſtantur hiſtorici [b]. Addit vero Oroſius, Perſas quoq; ad eundem Imperatorem Legatos miſiſſe de pace petenda, eamque impetraſſe. Sed & Pacatus [c] aſſirmat, eoſdem Perſas munera quoque ad eum detuliſſe: omneſq; quantumlibet remotiſſimos barbaros eundem coluiſſe, vel ſaltem timuiſſe: Vt vel hinc videas, quot mala hæreſes olim inuexiſſent in Orientem, tot bona reſtitutam Catholicam fidem ſecum attuliſſe.

THEODOSIVS RESCRIBIT ADVERS. HÆRET.

a l. 6. C. Th. de hæret.

b Ammian. l. 27. Zoſ. l. 4. Socr. l. 7. c. 14. Marcel. in Chr.
c Pacat. in Paneg. Theod.

QVANTA BONA SECVM VEHAT FIDES CATHOL.

II. Hoc eodem anno iiſdemque Coſſ. menſe Maii celebrari cœpta eſt *Conſtantinopoli*, quæ perducta eſt vſque ad finem Iulii, OECVMENICA SYNODVS Epiſcoporum, Theodoſii literis conuocatorum, tum vt Gregorium eius ſedis Epiſcopum ſtabilirent, tum vt fidem Concilii Nicæni confirmarent. Ad quam conuenerunt Timotheus Alexandrinus (licet hic poſtea aduenerit) Meletius, Antiochenus, Cyrillus Hieroſolymitanus, Acholius Theſſalonicenſis, Gregorius Nyſſenus, aliique inſignis nominis Orthodoxi, omnes numero centum quinquaginta. Sed & quoniam in ſpem venerat Imperator, Macedonianos ſiue Semiarianos poſſe ad concordiam reduci, eos quoque accerſendos curauit: aduenerunt que ex iis triginta ſex; quorum potiores fuere Eleuſius Cyzicenus & Marcianus Lampſacenus. Hæc [d] Socrates & alii. Porro Concilium iſtud nominatum eſſe *Generale*, certum redditur ex epiſtola [e] Synodali ad Epiſcopos Occidentales anno ſequenti ſcripta. Illudque auctoritate Damaſi Papæ celebratum eſſe (præter regulas Eccleſiaſticas & Patrum inſtituta, quæ Synodos facere abſque Romanorum Pontificum auctoritate [f] vetant) diſertis verbis teſtatur codex peruetuſtus Bibliothecæ Vaticanæ, qui res geſtas Damaſi continet. Idque eſt quod aiunt Patres Sextæ [g] Synodi, Theodoſium ac Damaſum per Secundam Synodum (nempe iſtam Conſtantinopolitanam) obſtitiſſe Macedonio, ſicut Silueſter & Conſtantinus congregato Nycæno Concilio Ario obſtiterunt. Cum enim ex iis quæ ſuo loco dicta ſunt, conſtet Nicænam Synodum à Silueſtro indictam à Conſtantino promotam fuiſſe: æque

OECVMENICA SYNODVS CONSTANTINOP.

d Soc. l. 5. c. 8. Soz. l. 7. c. 7. Theod. l. 5. c. 8.
e Ext. apud Theod. lib. 5.

CONCILIVM AVCTORITATE DAMASI PAPÆ.

f Damaſ. ep. ad Epiſc. Illyr. & Theo. l. 2. c. 22. ...
g Sext. Syn. Act. 18.

dicendum eſt, hanc quoq; auctoritate Damaſi indictam, auxilio Theodoſii congregatam eſſe.

III.
b Con. Conſt. can. 4.
GREG. NAZ. CONFIRMATVR EPIS. CONSTANTINOP.
i Gre. Naz. car. de Vit. ſua.
k Con. Conſt. can. 5.
l Ext. in t. 1. Conc. in Damaſ.

Quod autem pertinet ad res in ea geſtas: primo quidem Maximus [b] inuaſor ſedis Conſtantinopolitanæ, declaratus eſt nec eſſe neque vnquam fuiſſe Epiſcopus: ideoque ordinationes, atque alia omnia quæ ab ipſo geſta eſſent, improbata ſunt atq; reſciſſa: ac deinde communi Patrum calculo probata eſt electio *Gregorij* Nazianzeni, facta ab Imperatore & populo: ſolo ipſo Gregorio mœrente tunc, vt ait [i], atque hanc confirmationem lugente. Poſt hæc ad ea quæ Fidei eſſent accedentes Patres, approbarũt primo volumen (vt vocant [k]) Occidentalium de fide Antiochenorum circa Trinitatis perſonas. Quod quidem nihil aliud eſſe puto, quam profeſſionem illam fidei à Damaſo (vt vidimus) ex Concilio Romano ſcriptam ad Paulinum Epiſcopum Antiochenum, continentem anathematiſmos aduerſus omnes hæreſes tunc temporis Eccleſiam Orientalem potiſſimum infeſtantes. Quod igitur Patres optime ſcirent, Antiochenos communicationis Paulini recepiſſe à Damaſo fidei profeſſionem: iidem ad tollendam omnem ſchiſmatis ſuſpicionem, ſed eos recipere publica illa atteſtatione decreuerunt: cum alioqui ferme omnes Meletio ſtuderent.

IV.
DE DIVINITATE SPIR. S. PATRES DECERNVNT.
m Con. Chalced. Act. 2.
n Niceph. l. 12. c. 13. & aly.
o To. 1. Conc.

Cognitum pariter fuit in eadem Synodo, atque ab omnibus receptum Nicænum fidei Symbolum. Sed cum in eo parcius de diuinitate Spiritus Sancti ageretur, eo quod nulla tunc hæreſis ei aduerſaria emerſiſſet: placuit de ea addere aliqua (vt olim de Filio in Nicæno Concilio factum fuerat) quibus aduerſus omnes hæreticos, eiuſdem Spiritus Sancti vna eademque cum Patre & Filio diuina ſubſtantia prædicaretur: nimirum hæc verba *Et in Spiritum Sanctum Dominum & viuificatorem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio coadorandum & conglorificandum: qui locutus eſt per Prophetas.* Porro ipſum libellum fidei, ſiue dixerimus Symbolum (quod in Concilio [m] Chalcedonenſi integre recitatum habetur) ſumma deliberatione Patrum examinatum, tradunt [n] ſcriptum fuiſſe à Gregorio Nyſſeno. Poſt hæc vero communi omnium ſententia damnatas hæreſes Eunomianorum, ſiue Anomæorum: Arianorum ſiue Eudoxianorum, Semiarianorum, itemque Macedonianorum, vel Pneumachorum: ſiue Sabellianorum, Marcellianorum, Photinianorum, & Apollinariorum: canon [o] ea de re editus oſtendit: nec tantum hæreſes, ſed earum quoque auctores nominatim fuiſſe damnatos, omnes æque conſentiunt. Sed quod pertinet ad Semiarianos, qui cum aliis damnati fuere, licet ab Imperatore vocati fuiſſent: eos nullo pacto Catholicorum ſententiæ adhærere voluiſſe, ac proinde Conſtantinopoli receſſiſſe, auctor eſt Socrates [p].

p Soc. l. 5. c. 8.
V.
q Con. Conſtant. c. 2.
DECRETVM DE SERVANDIS LIMITIBVS DIOECESEON.
r Conc. Nic. c. 6.
CANON DE SEDE CONST. QVALIS.
s Soc. l. 5. c. 8.
t Soz. l. 7. c. 8.
u Con. Chalced. Act. 15.

Quod autem Ægyptii Antiſtites, Petro Alexandrino (vt vidimus) annuente: præſumpſiſſent in tam remota à ſua diœceſi ciuitate Epiſcopum ordinare: hac Synodo ſtatuerunt Patres [q], ne vlterius à quibuſuis præſumeretur Epiſcopis, res Eccleſiarum quæ extra ſuas prouincias ſitæ eſſent adminiſtrare, iuxta vetus Nicæni [r] Concilii decretum de diſtinctione diœceſeon. Vnde & appendix illa eidem canoni addita de prærogatiua ſedis Conſtantinopolitanæ poſt Epiſcopum Romanũ, corruere videtur. Quoniam enim modo & præſcripto Nicæni Concilii voluit Synodus quibuſcunque prouinciis iura ſua integra eſſe ſeruata, ſi in præiudicium aliarum Eccleſiarum tanta Conſtantinopolitanæ contulit? Quod ſi re vera contuliſſet, vt quid poſtea in Synodo, immo poſt abſolutam Synodum Chalcedonenſem, id tanquam in ea factum vſurpare conatus Anatolius Conſtantinopolitanus, cum mox Leonem Romanum Pontificem expertus eſt ſibi acerrime aduerſantem, haud præſentem citauit canonem, cuius nunquam vel leuem ſaltem habuit mentionem? Si tamen verus eſſe credendus ſit: (cuius etiam meminerunt Socrates [s], Sozomenus [t], & in Concilio [u] Chalcedonenſi clerici Conſtantinopolitani) ille ſaltem poſt hæc primo decreta, poſtque Nectarii electionem, ſancitus eſſe dicendus erit ab Epiſcopis Orientalibus qui remanſerunt Conſtantinopoli: quorum (vt videbitur) tantum ſtudium fuit, vt Orientalem Eccleſiam etiam præferrent Occidentali: idque abſente haud dubium Timotheo Alexandrino, quem ſcirent habiturum acerrimum aduerſarium, quod ex antiqua inſtitutione eius ſedes ſecunda eſſet poſt Romanam.

VI.
x Con. Conſt. c. 6. & 7.
y Ext. in libel. Conſtant. Synod. to. 1. Concil.
SYNODI FIDES CONFIRMATA A DAMASO PAPA.

Sed vt reliqua huius Synodi proſequamur, ſtatutus [x] quoque in ea reperitur canon de accuſationibus Epiſcoporum: aliuſque, quo modo ab hæreſi redeuntes hæretici recipiendi forent. Omnibus autem abſolutis de iiſdem poſtea Patres ad Theodoſium Imperatorem literas [y] dederunt. Ipſam vero Synodum, in his quæ ſpectant ad fidem Catholicam, confirmatã fuiſſe à Damaſo Papa, Photius tradit in libello de ſeptem Synodis. Poſt hæc autem conſecuta eſt ſubſcriptio Patrũ: ita tamen vt nomina poſtea ſuperuenientium Epiſcoporum, nempe Timothei Alexandrini aliorumque, immo & Nectarii qui poſt Gregorii abdicationem creatus eſt Conſtantinopolitanus Epiſcopus, fuerint ſuperaddita. Sed perperam factum; neſcimus à quo, vt quonam Gregorius nuncium remiſit ſedi, qui ante ſubſcripſerat Epiſcopus Conſtantinopolitanus, inueniatur in Epiſcopos prouinciæ Cappadociæ, & vltimo loco poſitus. Nec eſt quod dici poſſit, poſt eius ceſſionem Patres ſubſcripſiſſe: Nam & ſubſcriptus reperitur Meletius Antiochenus, qui ante Gregorii abdicationem mortuus eſt.

VII.
MELETII ANTIOC. OBITVS.
z Gre. Naz. car. de Vit. ſua.
TVRBÆ EXORTÆ OB EIVS SVCCESSIONEM.

Licet autem ita hæc Synodus fuerit abſoluta: noui tamen euentus coegere Patres diutius Conſtantinopoli morari. Atque inprimis obitus Meletii Epiſcopi Antiocheni: quem tunc Gregorius Nyſſenus panegyrica oratione laudauit, celebreque ipſius funus cum pſalmis & luminaribus ab vniuerſa Synodo ipſoque Imperatore, ac tota ciuitate curatum deſcripſit. Quod vero tertio Idus Februarii eius memoria in publicis monumentis legatur adſcripta: non id quidem quod ea die ex hac vita migrauit, cum conſtet æſtiuo tempore eſſe defunctũ: ſed quod more maiorũ vel ea die fuerit Epiſcopus ordinatus, vel quod ea die Antiochiam transferri contigerit. Ceterum Gregorius [z] Nazianzenus de eodem tradit, ipſum morientem commendaſſe Epiſcopis pacem Eccleſiæ: ſicque ex eius ſententia, de non ſubrogando aliquem in locum ipſius à prudentioribus agi cœptum: quemadmodum fuerat etiã inter eum ac Paulinum tranſactum, vt qui ſuperuiueret ſolus Eccleſiam Antiochenam regeret. Sed cum per quoſdam factioſos, qui in locum Meletii ſufficiendum conabantur Flauianum presbyterum Antiochenum: tumultus eſſent concitati: tamque ex Patribus longe plures, iidemque iuniores, ac præſertim qui cum Principibus fidem mutare ſolerent, nouam fieri electionem ſuaderent, quod dicerent indignum eſſe vt ordinatus ab Occidentali Epiſcopo Lucifero Paulinus præeſſet Orientalibus populis: atque adeo Orientalem Eccleſiam præſtare Occidentali, omnibus aliis deſtituti, hac vna ridicula contenderent ratione, quod Chriſtus in Oriente natus eſſet: His, inquam, ita tumultuantibus, Gregorius Theologus grauiſſima ſententia agere conatus eſt, vt ſineretur Paulinus iam ætate conſumptus, paucis diebus quibus vita ſuperſtes foret ſolus ſedere: eo vero defuncto (ne quid ſuorum iurium Orientales diſpendii paterentur) alium tunc ſubrogarent quem vellent. Verum cum hac ſententia contrariæ factionis Epiſcopos ſibi reddidiſſet infenſos, quaſi ab Occidentalibus ſtaret Paulino fauentibus: ipſe qua cœperat animi conſtantia, conteſtatus denuo ſe ceſſurum throno potius quam vt illis peſſima decernentibus inhæreſceret, indignans abſceſſit è Synodo: moxque eorum qui remanſerunt communibus votis, *Flauianus* electus eſt Meletii ſucceſſor, ſicque continuata eſt prior diſcordia, vt vnius Eccleſiæ Catholico populo duo præeſſent Epiſcopi. Narrat vero hæc omnia pluribus idem Gregorius in Carmine de Vita ſua: memineruntque alii auctores.

FLAVIANVS ELIGITVR SVCCESSOR MELETII.
VIII.
ADVENTV TIMOTHEI ALEXAN. TVRBAS NOVAS AFFERT.

Cum vero inter hæc accedens Conſtantinopolim Timotheus Alexandrinus, cum ſuis & aliquot Epiſcopis Macedonibus, omnia adeo perturbata veniſſent: indignantes primo ipſis non expectatis ſedem Gregorio con-

firmatam fuiſſe, eandem eius promotionem vt illegitime factam cœperunt arguere, non quidem (vt idem Gregorius teſtatur) in odium ipſius, ſed in inuidiam Orientalium Epiſcoporum, tum quod ægre ferrent ab eis datum fuiſſe Meletio ſucceſſorem cum ipſo Paulino ſemper fauiſſent: tum præcipue quod negarent creationem Epiſcopi Conſtantinopolitani pertinuiſſe ad Epiſcopum Antiochenum, nempe Meletium. Siquidem Epiſcopus Alexandrinus, quod primæ ſedi poſt Romanum præeſſet, id ad ſe ſpectare contendebat: ideoque iam antea Timothei prædeceſſor Petrus in ordinando Maximo quaſi ius debitum vendicarat, & poſt hæc in ordinatione Ioannis Chryſoſtomi requiſitus fuit conſenſus Theophili ſucceſſoris Timothei.

IX. GREGORIUS ABDICAT SE EPISCOPATU CONSTANTINOP.

Quapropter cum ſic eſſet cauſa Gregorii, vt in eum Epiſcopi Orientis ob denegatum Flauiano ſuffragium infenſo animo eſſent, & Ægyptii atque Macedones in odiũ Orientalium de ſede illegitime occupata negotium eidem faceſſerent: ea re perſpecta idem Gregorius quod antea fuerat meditatus, iam perficiendi tempus opportunũ accepit, abdicandi ſe Epiſcopatu: eo iuſto prætextu, vt quia ſuæ cauſa ſedis inter ſe mutuo concertarent Epiſcopi, iidem ea ſublata iungerentur in vnum. Quod conteſtatus in Synodo multis ea de re publice habitis orationibus [a], obtentaque ægre à Theodoſio Imperatore licentia, poſt triennij in vrbe Conſtantinopolitana commorationem (vt quidem ipſe [b] diſerte teſtatur, innuitque Ruffinus [c]: licet nonnulli recentiores [d] duodecim annos illic manſiſſe perperam aſſeruerint) paucos poſt dies ex quo eius Eccleſiæ ſedem acceperat, eandem deſerens maximo populi luctu reuerſus eſt in Cappadociam: illis quoque Epiſcopis prudentioribus qui ei fauerant, è Synodo ad ſuas ſedes recedentibus. Quam vniuerſam de eo declaratam hiſtoriam, ipſemet pluribus deducit in carmine de Vita ſua. Teſtaturque alibi [e], tanto ſe ſtomacho diſceſſiſſe à conuentu illo tumultuantium Epiſcoporum, vt nunquam amplius alicuius eiuſmodi Synodo intereſſe decreuerit. Quamobrem cum anno ſequenti iteratis Præfectorum literis nomine Theodoſij Imperatoris vocatus Conſtantinopolim eſſet ad Synodum eorundem illorum Epiſcoporum, qui hoc anno ibidem conuenerant: plane recuſauit [f] accedere quod quales ii eſſent plus ſatis expertus eſſet. Cum alioqui multum ipſum aliis Patrum conuentibus detuliſſe, abunde pateat ex variis eiuſdem ſcriptis. Ceterum poſt Epiſcopatus Conſtantinopolitani abdicationem ipſe in patriam ſe recipiens, curauit etiam Eccleſiæ Nazianzenæ, adhuc à patris obitu paſtore deſtitutæ, præficiendum [g] Eulalium Epiſcopum.

a Gre. Naz. or. de pace. orat. de non affect. cath. Conſt. … Epiſ.
b Id. car. de Vit. ſua.
c Ruff. l. 2. c. 9.
d Gre. presb. in Vit. Gre. Naz. Niceph. in Chr. & alij hos ſecuti.
e Gre. Naz. de Vit. diſſer. Epiſ.
f Id. ep. 55. ad Procop. ep. 76 ad Olymp.
g Id. ep. 54. ad Hellad. ep. 42 ad Greg. Nyſſ.

X. NECTARIUS ELIGITUR SUCCESSOR GREG.

Poſt eius autem & aliorum ipſi ſimilium Epiſcoporum ab vrbe Conſtantinopoli diſceſſionem: qui remanſerunt ibidem, ſucceſſorem ei longe diſſimilem delegerunt, (opera præcipue Diodori Tarſenſis Epiſcopi) hominem nondum Chriſtianum, ſed adhuc catechumenum, è curia petitum, rerumque Eccleſiaſticarum penitus imperitum, quique olim intemperantius [h] vixiſſet: videlicet *Nectarium*, ex Senatorio ordine Tarſo Cilicio ortum, iam ætate prouectum: qui licet in ſæculi obeundis negotiis dexter videri potuiſſet, tamen in Eccleſiaſticis functionibus (vt ita dicam cum Gregorio [i]) præſeferret cadauer viuũ. Quomodo autem is ab Imperatore delectus fuerit ex omnium illorum numero, quos ipſius iuſſu Epiſcopi eo onere dignos catalogo inſcripſerant, idemque baptizatus ac conſecratus fuerit, Sozomenus [k] pluribus narrat: additque eum retinuiſſe ſecum Cyriacum Adanorum in eadem Cilicia Epiſcopum, vt officium ſacerdotale ab eo diſceret.

h Soz. l. 7. c. 10.
i Gre. carm. de Vit. ſua.
k Soz. ib. c. 8.

XI. SYNODI DECRETUM DE PROBANDIS CATH.

l l. 4. C. Th. de fid. Cath.

Ad hanc quoque Synodum ſpectat publica Theodoſii Imperatoris ſanctio [l], qua quod adhuc complures hæretici ſub Catholico nomine retinerent Eccleſias: ad eorum fraudes conuincendas, nonnullos in diuerſis prouinciis Orientis nominauit Epiſcopos, quorum fides Orthodoxa ſpectata eſſet: quibus qui communione iungerentur, iidem Catholici haberentur, & Eccleſiis præficerentur: qui ſecus, exploderentur. Hoc enim iam antea in Synodo conſtitutum fuiſſe, tum ex Gregorio [m] Nyſſeno apparet: qui cum in eodem Imperatoris reſcripto inter alios Epiſcopos nominatus habeatur, id tamen ſibi vendicat ex Synodi canone, non ex Imperatoris ſanctione: tum ex Sozomeno [n] atque Socrate [o], qui tam canonis quam Imperatoriæ confirmationis meminere: licet apud Socratem hæc confundi videantur cum alio Synodi canone quem ſuperius retulimus, de non præſumenda ab Epiſcopis alienarum diœceſeon adminiſtratione. Dum vero adhuc Synodus ageretur, quæ vſque ad finem menſis Iulii producta eſt, idem Theodoſius decimoquarto Calend. Auguſt. edicto vetuit [p], ab Arianis, Eunomianis vel Aetianis hæreticis fabricari eccleſias intra vel extra vrbes, quippe qui quod expulſi ab eccleſiis Catholicorum eſſent, nouas erant aggreſſi fabricare. Sed & Manichæos, Encratitas, Apotacticos, & Hidroparaſtas hæreticos exagitans [q], eoſdem infamia notatos inteſtabiles reddidit. Quod & alio reſcripto [r] ſexto Nonas Maii aduerſus apoſtatas decreuit.

m Gre. Nyſſ. ep. ad Flau.
n Soz. l. 7. c. 8.
o Soc. l. 5. c. 8.
p l. 8. C. Th. de hæret.
q l. 7. eo.
r l. 1. C. Th. de apoſtat.

XII. CONCIL. AQUILEIENSE INSIGNIUM PLANE EPISCOP.

Eodem anno Nonis Septembris celebratum eſt CONCILIUM AQUILEIENSE, quod à Gratiano Imperatore extortum vidimus à duobus Arianis Epiſcopis Palladio & Secundiano cui interfuerunt ex Italia, Gallia, aliiſq; prouinciis Epiſcopi triginta duo, & inter eos *Valerianus* Aquileienſis, *Ambroſius* Mediolanenſis, *Anemmius* Sirmienſis *Philaſtrius* Brixianus, aliique ſanctiſſimi viri quorum memoria tabulis Eccleſiaſticis inſerta habetur: adeo vt vix ſit reperiri alia Synodus, in qua tam exiguo Epiſcoporum numero tot comprehenſi habeantur viri ſancti, & eruditi, famaque celebres. E quibus duo ab Africana Eccleſia miſſi fuere Legati, ex Gallicana vero tres. Ceterum extant [s] eius Synodi Acta omnibus peruia: epiſtolaque Synodalis ad Imperatores miſſa, aliaque ad Epiſcopos Galliarum prouinciæ Narbonenſis ac Viennenſis: ex quibus patet, *Palladium* ac *Secundianum* varie tergiuerſantes, & Concilium Generale, necnon Iudices ſæculares nequicquam implorantes; poſt multiplices eorumdem impietatum confutationes, plurimis anathematiſmis damnatos fuiſſe, vna cum *Attalo* presbytero ex Catholico facto Ariano, ac *Valente* pſeudoepiſcopo Petauionenſi, qui à populo eiectus patriam Gothis proditione tradiderat, & habitu Gothico cum torque & brachialibus incedere conſueuerat. Fuit autem Synodi vna tantum Actio; quod à prudentibus bellatoribus doloſa impietas è latebris in lucem coacta progredi, cito citius omnium iaculis confecta fuerit: adeo vt (quod eadem Acta habent) vna die à prima hora vſque ad ſeptimam totum prælium confectum fuerit.

s To. 1. Con.

DAMNATI A SYNODO EPISC. ARIANI.

XIII. DAMASUS PP. AGIT PRO COGENDO ROM. CONCIL. GENER. OB TURBAS CONSTANTINOP.

Poſt hæc cum de rebus geſtis in Synodo Conſtantinopolitana Damaſus Papa nuncium accepiſſet, & inter alia de Flauiani electione facta in Paulini Antiocheni contumeliam: tradit Sozomenus [t] eum valde indignatum eſſe, & cum eo cunctos Epiſcopos Occidentales: ac Paulino quidem conſuetas ſcripſiſſe communicatorias literas, ad Flauianum vero ſilentium egiſſe: quin & Diodorum Tarſi & Acacium Berœæ Epiſcopos, qui Flauianum ordinarant, pro excommunicatis habuiſſe: atque adeo vt de his rebus cognoſceretur, egiſſe cum Gratiano Imperatore vt cogeretur in Occidente Concilium Generale, ac literas ſcripſiſſe, vt & Orientales Epiſcopi ad illud conuenirent. Sed & eoſdem imploraſſe ad hoc Theodoſij Imperatoris auxilium, huncque ea de re literas ad eoſdem Orientis Epiſcopos dediſſe vt Romam proficiſcerentur ad Synodũ, teſtatur epiſtola [u] eorum qui ſequenti anno Conſtantinopoli conuenere. Meminit & Hieronymus [x] eiuſmodi Imperialium literarum: ex quibus ait Paulinum Epiphanium, & alios Romam ſe contuliſſe. Sed de his anno ſequenti.

t Soz. l. 7. c. 11.
u ep. Theod. l. 5. c. 9.
x Hier. ep. 27. ad Euſtoch.

XIV. PRISCILLIANUS HÆRESIARCHA HISPANIAS CORRUMPIT.

Hoc eodem tempore eccleſia Hiſpanica valde exagitata eſt turbis PRISCILLIANI hæreſiarchæ: qui nobilis ac prædiues Hiſpanus, facundus & eruditus, multiſque animi & corporis dotibus ornatus: ſed homo vaniſſimus, & magicis artibus ab adoleſcentia deditus (ita enim illum deſcribit Seuerus [y]) Gnoſticorum turpi ac infami im-

y Seu. l. 2.

butus

a Seuer. ibid. Hier. in Iſa. 40.

butus hæreſi (quam Marcus quidam Ægyptius Memphiticus primo in Gallias circa Rhodanum, deinde [a] inuexerat in Hiſpanias) plures homines ac fœminas nobiles, necnon & Epiſcopos quoſdam Hiſpanos, interque illos Inſtantium & Saluianum, variis perſuaſionibus & blanditiis ſub ſpecie pietatis & diſciplinæ in ſocietatem allicuit: quippe qui humilitatem ore & habitu prætendens, honorem ſui & reuerẽtiam cunctis inieciſſet. Quapropter cum nonnulli alii Epiſcopi Catholici illis acriter aduerſati fuiſſent, demum SYNODO apud CÆSARAVGVSTAM quarto Non. Octob. conuocata (cui etiam interfuere Aquitani Epiſcopi) iidem hæretici committere ſe Synodi iudicio non auſi, abſentes damnati ſunt, nempe Inſtantius & Saluianus Epiſcopi, Helpidius & Priſcillianus laici, cum omnibus ipſorum ſequacibus: qui nihilominus ad cõfirmandas vires ſuas, eundem Priſcillianum Abilenſis in Hiſpania oppidi conſtituerunt Epiſcopum. Econtra vero aduerſus illos Idacius atque Ithacius Epiſcopi Catholici acrius inſtantes, opemque etiam ſæcularium Iudicum implorantes, à Gratiano Imperatore reſcriptum elicuere, cuius vigore iidem hæretici extra Hiſpanias ſunt propulſi. Sed Inſtantius, Saluianus, & Priſcillianus, cum mulieribus quibuſdam (in quibus erat *Procula*, quæ vulgo credita eſt Priſcilliani ſtupro grauida partum ſibi graminibus abegiſſe) Romam profecti, vt apud Damaſum Papam obiecta purgarent: cum ne in conſpectum quidem eius admiſſi fuiſſent, ac Mediolanum regreſſi æque aduerſantem ſibi Ambroſium repeiiſſent: iidem corrupto donis Macedonio Magiſtro Officiorum, reſcriptum ab Imperatore ſubripuerunt, cuius auctoritate in Hiſpanias reuerſi Eccleſias ſuas receperũt, inſuperque Ithacium acerrimum ipſorum aduerſarium, quaſi perturbatorem Eccleſiarum, eiuſdem Macedonii opera varie exagitatum, aufugere coegerunt in Gallias, ac diuerſis rurſum modis perſecuti ſunt.

CONCIL. CÆSARAVG. ADVERS. PRISCIL.

PRISCIL. VNDIQVE EXPVLSVS AB EPISCOPIS RESCRIPTVM SVRRIPIT AB IMPER.

XV.

a Seuer. lib. 2.

VINDICTA DIVINA IN GRAT. ET MACED. OB PATROCINIVM PRISCIL.

At hæc omnia fuſius Seuerus [a]: quæ contigiſſe noſcuntur vſque ad Maximum tyrannum, qui anno ſequenti pro Catholicis aduerſus hæreticos ſuſcipiens patrocinium, ipſi etiam Gratiano Imperatori, alioqui piiſſimo Principi, ſed tamen eius quod aduerſus Priſcillianiſtas primo dederat decreti, poſtea (quamuis fraude Macedonii) præuaricatori facto, diuino iudicio necem intulit: hoc enim ex præſenti cauſa contigiſſe, quis non videat? Vt vel hinc appareat, minime apud DEVM Principes excuſari, cum miniſtrorum fallacus ad noxia ſtatuenda decepti aliquando inducuntur. Sed nec inultus abiit Macedonius Magiſter: qui mortuo Gratiano confugiens ad Eccleſiam, patẽtibus ianuis aditum reperire non potuit, ſecundum quod ei prædixerat Sanctus Ambroſius (vt refert in eius Vita Paulinus) cum ad prætorium pro quodam interceſſurus pergens: haud permiſſus ab eo eſſet fores ingredi. Cæterum Concilii Cæſarauguſtani aduerſus Priſcillianiſtas habiti, cuius nuper facta eſt mentio, extant [b] fragmenta quædam, in nominibus Epiſcoporum enormiter deprauata ac decurtata: atq; errore Collectoris ad tempora Hormiſdæ Papæ reiecta, cum ex certa auctoritate Seueri ſub Damaſo collocanda fuerint.

b To. 1. Concil.

XVI.

PRISCIL. DOGMATA.

c Auguſt. de hær. c. 70.

d Leo ep. 93. ad Turib.

e Au. 2. Retract. 31.

Quod autem ad errores *Priſcillianiſtarum* attinet: Auguſtinus [c] ait eos maxime Gnoſticorum & Manichæorum dogmata permixta ſectatos eſſe: & S. Leon [d] ita eos cum Manichæis fuiſſe mutuo fœdere connexos, vt ſolis eſſent nominibus diſcreti: quamuis (vt addit Auguſtinus) & ex aliis hæreſibus in eas ſordes, tanquam in ſentinam quandam, horribili confuſione confluxerint. Subdit inſuper, eos propter occultandas cõtaminationes & turpitudines ſuas, habuiſſe in ſuis dogmatibus & hæc verba, *Iura, periura, ſecretum prodere noli.* Itemque alio loco [e] ſcribit, fuiſſe Priſcilliani aſſertionem, mendacium non eſſe peccatum, etiam iuncto periurio: eoq; tanto errore permotum ſe, vt eum confutaret compoſuiſſe librum contra Mendacium. In quo item de Priſcillianiſtis ait, ſolitos eſſe habere librum, quem Libram appellarẽt, eo quod duodecim quæſtionibus velut vnciis explicaretur, quibus horrendæ continebantur blaſphemiæ. Ac pariter vti ſolitos hymno quodam peculiari, quem ipſum eſſe dicerẽt quem Dominus poſt cœnam cecíniſſet. Inſuper [f] docuiſſe animas eiuſdem naturæ atq; ſubſtantiæ cuius eſt Deus, ad agonem quendam ſpontaneum in terris exercendum, per ſeptem cœlos, & per quoſdam gradatim deſcendere principatus, & in malignum principem incurrere, à quo iſtum mundum factum dicerent, atque ab hoc principe per diuerſa carnis corpora ſeminari. Aſtruiſſe etiam fatalibus ſtellis homines colligatos: ipſumque corpus noſtrum ſecundum duodecim ſigna cœli eſſe compoſitum, adeoque ſingulis corporis partibus ſingula ſigna attribuiſſe: multaque alia fabuloſa, vana, & ſacrilega contexuiſſe. Carnes etiam tamquam immundas eſcas deuitaſſe: coniugium vituperaſſe; coniuges quibus hoc malum potuiſſent perſuadere, diſiunxiſſe, & viros à nolentibus fœminis, & fœminas à nolentibus viris: quippe opificium omnis carnis non Deo bono & vero, ſed malignis angelis tribuentes: hoc verſutiores etiam Manichæis, quod nihil Scripturarum canonicarum repudiarent, ſimul cum apocryphis omnia in auctoritatem ſumentes, ſed in ſuos ſenſus allegorizãdo vertentes quicquid eorum euerteret errorem. De Chriſto autem Sabellianiſmum tenuiſſe, eundem ipſum eſſe dicentes non ſolum Filium, ſed etiam Patrem & Spiritum Sanctum. Hæc Auguſtinus. Ad quem etiam extat [g] de eorundem Priſcillianiſtarum dogmatibus plane ridendis, epiſtola Oroſii: vbi agitur de duodecim Patriarcharum nominibus, duodecim præcipuis corporis membris attributis, & aliis deliramentis ex Manichæorum petitis inſomniis. Cuius ipſius Oroſii impulſu, idem Sanctus Auguſtinus aduerſus eos volumen ſcripſit peculiare. Sicut & S. Hieronymus [h] contra Pelagianos agens, multas eorundem detexit turpitudines: additque de duabus fœminis, Agape & Galla, ſic dictis, quæ illam hæreſim valde propagarunt.

f Id. de c. 70.

g ap. Au. in conſult. de error. Priſc.

h Hier. adu. Pelag. ad Cteſiph.

XVII.

Eoſdem vero hæreticos ieiunare quoque conſueuiſſe die Dominico, & ad ſuas abominationes peragendas clandeſtinos conuentus egiſſe: cumque ad Eccleſias Catholicorum conuenirent, vt viderentur communicare, ſic accepiſſe Euchariſtiam vt eam non comederent: certum redditur ex prædictæ Synodi Cæſarauguſtanæ aduerſus iſtos errores decretis. Quos inſuper tempore Natalis Domini ieiunare conſueuiſſe (ea nimirum ex cauſa, quod non crederent eum carnem ſuſcepiſſe humanam) Sanctus Leo [i] tradit, dum capita ſingula dogmatum Priſcilliani complexus eſt: de quibus & alia occaſione dicendum inferius. Haud vero hic omittendum, Ithacium Priſcilliani aduerſarium, non apud Iudices tantum ſiue Eccleſiaſticos ſiue ſæculares, eumdem cum ſociis perſecutum eſſe: ſed ſcriptis quoque publicis exagitaſſe: in quibus (vt auctor eſt Iſidorus [k]) deteſtanda eorum dogmata, ac maleficiorum artes libidinumque probra demonſtrauit.

i Leo ep. 93.

k Iſi. de vir. illuſt.

IESV CHRISTI AN. 382.

GRATIANI 16. VALENTIN. II. 7. THEODOSII 4.

DAMASI AN. 16.

I.

CONCIL. ROM. OB CVRAS ANTIOCH.

ANNO Chriſti trecenteſimo octogeſimo ſecundo, Syagrio ſecundum & Antonio Coſſ. celebratum eſt *Romæ* CONCILIVM ex Epiſcopis diuerſarum prouinciarum: ad quod (vt anno præcedenti ex Hieronymo dictum eſt) venerunt ab Oriente *Paulinus* Antiochenus, & *Epiphanius* Salaminæ, ſiue Conſtantiæ, in Cypro Epiſcopus. Cum iiſdem autem & eundem *Hieronymum* Romam acceſſiſſe, ipſemet alibi teſtatur [a]: qui veniſſe creditur vocatus à Damaſo Papa, vt ei in reſponſionibus Synodalibus inſeruiret. Venerunt pariter ad eandem Synodum *Acholius* Epiſcopus Theſſalonicenſis, *Anemius* Sirmienſis, *Valerianus* Aquileienſis, *Ambroſius* Mediolanẽſis, & aliiq nominati habẽtur in inſcriptione epiſtolę Synodalis [b] Cõſtãtinopoli hoc anno Romę miſſæ: licet pau-

a Hier. ep. 61. ad Eúſtoch.

b Ext. ap. Theo. lib. 5. c. 9.

eorum ibi nomina habeantur expreſſa, reliquis ſilentio prætermiſſis.

II. ORIENTALES LEGATIONEM ROMAM MITTVNT

Inter hæc enim Orientales Epiſcopi, qui anno ſuperiori interfuerant Conſtantinopolitano Concilio, cum litteris Theodoſii (vt diximus) Romam ad Synodum ire iuberentur, aſtuto conſilio ſubterfugium captantes, venerunt ex condicto Conſtantinopolim, atque Imperatori perſuaſerunt magnam iacturam paſſuras Orientales Eccleſias ob eorum abſentiam: Damaſo vero ſatisfactum fore, ſi Conſtantinopoli ipſi Concilium celebrantes, Romam Legatos mitterent. Quibus acquieſcente Imperatore, ipſi ad id delegarunt Cyriacum, Euſebium, & Priſcianum Epiſcopos, cum literis ad Synodum, quæ recitantur à Theodoreto [c]: quibus primo iiſdem quas diximus, aliiſque vſi excuſationibus cur minime Romam accedere poſſent, poſtea quæ geſſiſſent anno ſuperiori in Generali Synodo ſignificarunt: nulla tamen habita mentione de Gregorio Nazianzeno: neque etiam de primatu ſedis Conſtantinopolitanæ poſt Romanam, quam rem (ſi vere geſta eſt) latere voluerunt Damaſum Papam, quem ſcirent habituros acerrimum aduerſarium. Quid autem Romæ his acceptis literis factum ſit, haud conſtat: deperiere enim Acta Romani Concilii, nam quę Theodoretus de damnatione Apollinaris atque Timothei ſubdit, ad ſuperiorem Romanam Synodum aduerſus hæreſim Appollinaris congregatam (de qua dictum eſt ſuo loco) pertinent.

c Theod. lib. 5.

III. QVID IN SYNODO DECRETVM DE EPISCOPIS ANTIOCH.

Quid tamen in ipſa huius anni Synodo fuerit actum, ex rerum euentibus indicatur. Nam cum Paulinus Antiochenus qui eidem interfuit, reperiatur anno ſequenti reuerſus eſſe Antiochiam, atque etiam ipſi poſtea defuncto ſubrogatus Euagrius: plane ipſi ex Synodi decreto adiudicatam fuiſſe ſedem Antiochenam aduerſus Flauianum, affirmandum eſt: cum & Paulini partes ſucceſſores Damaſi Romanos Pontifices defendendas ſuſcepiſſe conſtet. Illud tamen æque prudenter factum reperimus, quod etiam Flauianus toleratus fuerit: ne videlicet totus ferme Oriens, à quo foueretur, à Catholica communione pariter ſcindendus eſſet.

IV. CANON DE PRÆROGATIVA SEDIVM

Quod rurſus ad hoc ipſum Romanum Cōcilium ſpectat, in Collectione Creſconiana nobili antiquitate veneranda, canon habetur in ea ſancitus de prærogatiua Sedium Patriarchalium: quarum *Prima* (inquiunt) *Petri Apoſtoli Sedes, S.R. Eccleſia, non habens maculam, neque rugam, neque aliquid eiuſmodi, non quidem vllis Synodicis conſtitutis ceteris Eccleſiis prælata eſt, ſed Euangelica voce Domini Saluatoris Primatum obtinuit, dum Petro eius fundatori dixit, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, &c. Secunda vero Alexandrina, quæ B. Petri nomine à Marco eius diſcipulo, atque Euangeliſta conſecrata eſt. Tertia autem Antiochena, eo quod illam idem beatiſſ. Apoſtolus, antequam Romam veniſſet, habitauerit, & illic primum nomen Chriſtianorum nouellæ gentis exorditum eſt.* Hæc in canone. Cuius quidem ſanciendi occaſionem inde credimus emanaſſe, quod Damaſus aliquid ſubodoratus de Orientalium, quam diximus, audaci præſumptione in erigenda Eccleſia Conſtantinopolitana ſupra Alexandrinam: ex vniuerſi ſententia Concilii iſta de legitima & antiqua Sedium prærogatiua palam ſcriptis edere voluerit. Qua etiam occaſione, eadem illa Gelaſius [d] Papa iterum ſcriptis prodidit in Romano Concilio, & aduerſus Acacium Conſtantinopolitanum Epiſcopum eadem pertentantem ſæpius inculcauit.

d ca. Sacroſ. diſt. 21. ex Rom. Conc.

V. ALIA DECRETA ROM. CONCILII.

In Actis item Damaſi Papæ in Eccleſiis recitari ſolitis, habentur aliqua ab eodem Pontifice decreta in Romano Concilio, hocne, an priori, haud certũ eſt: nimirum vt Fideles qui decimas atque primitias dare detrectarent, necnon qui fœnori vacarent, anathemate ferirentur. Itemq; vt ab Eccleſia eiicerentur, qui in ea vanis ſermonibus operam darent: atq; etiam vt auguriis, ſortilegiis, omnibuſque aliis ſuperſtitionibus vacantes excommunicarentur: ac præſertim fœminæ illæ, quæ illuſæ à dæmone ſe putant noctu ſuper animalia ferri, & vna cum Herodiade circumuagari: Ac deniq; vt in fine cuiuſque pſalmi apponeretur *Gloria Patri, &c.* Quod quidem vltimum nequaquam fluxiſſe ab Oriente, vt multi putarunt, iam ſatis alibi [e] probatum eſt. Sed quod ſpectat ad canonem de Fœminis eo modo à dæmone illuſis: eadem ferme à S. Auguſtino [f] deſcripta habentur, necnon in Appendice Ancyrani Concilii, & apud Gratianum [g] ſub eodem titulo collocata. Conſtat quidem auctoritate Seueri [h], hoc tempore tum in Oriente, tum in Occidente, maleficorum hominum artes dæmonumque illuſiones plurimum inualuiſſe. Adeo vt etiam in Gerontium S. Ambroſii diaconum præſtigias magicarum artium irrepſiſſe, Sozomenus [i] tradat. Pleniq; ſunt Ammiani libri vltimi, de quæſtionibus Antiochiæ & Romæ aduerſus maleficos his temporibus agitatis.

e ſup. an. 325 nu. 46.
f Aug. de ſpir. & ani. cap. 21.
g 26. q. 5. c. 12
h Seue. Vit. S. Mart. c. 25

MAGIÆ VSVS FREQVENS.

i Soz. lib. 8. cap. 6.

VI. DE REBVS GESTIS HIERONYMI ROMÆ

Sed his expoſitis, quoniam dictum eſt S. Hieronymum hoc anno Romam acceſſiſſe: peruestigandæ modo ſunt res eius geſtæ toto triennio, quo illic morari contigit. Ac primum quod ad publicas pertinet functiones, Damaſum Papam eius opera vſum eſſe in conſcribendis epiſtolis ad diuerſas conſultationes ex diuerſis Eccleſiarum tam Orientis quam Occidentis Conciliis ad ſedem Apoſtolicam perlatas: ipſemet teſtatur Hieronymus [k]. Indeque tantæ apud omnes fuiſſe æſtimationis, vt dignus etiam ſummo ſacerdotio decerneretur, alibi [l] tradit. Inter alia vero multiplicia quæ Romæ tunc edidit ſcripta: oblatrantem compeſcuit canem HELVIDIVM, hominem imperitum, ſed blaſphemiis pollentem, hoſtemque virginitatis acerrimum: quippe qui aſſerens eiuſdem eſſe gloriæ virginines ac maritatas, eo quoque ſceleris prolapſus eſt, vt ſanctiſſimæ Deiparæ negari virginitatem poſt partum. Sed & poſt eum editum commentarium, idem Hieronymus aliam tractationem *De cuſtodia virginitatis* ad Euſtochium ſcripſit: ſicut & ipſe alio loco [m] teſtatur: ſimulque addit, ipſum quoque Damaſum Papam eodem argumento, carmine & proſa ſcripſiſſe libellos, ac S. Ambroſium alios. Quod vero illud ipſum Baſilius ac Gregorius Nazianzenus paulo ante, ſed & paulo poſt Chryſoſtomus præſtitiſſe reperiantur: ex his plane intelligas, inſtinctu diuino ſanctiſſimos atque doctiſſimos Patres, tam in Oriente quam in Occidente in eadem verſatos eſſe materia, cum diabolus ſua monſtra in medium eſſet producturus.

k Hie. ep. 11
l Id. ep. 99. ad Aſel.

HIERON. COMPESCIT HELVIDIVM HÆRESIARCHAM.

m Id. ep. 22

VII. CONVINCITVR ETIAM IOVINIANVM HÆRESIARC.

At non Heluidius tantum repertus eſt eiuſmodi fuiſſe blaſphemiarum aſſertor, licet primus Romæ auſus ſit eas inclamare: ſed Epicureus IOVINIANVS pſeudomonachus eidem extitit in impietate collega: quem & ipſum poſtea egregie confutauit idem Sanctus Hieronymus: cuius Romam hac tempeſtate contigit opportunus aduentus, cum iam impurus ille Iouinianus aliquas etiam ſanctimoniales (vt Auguſtinus [n] ait) deieciſſet in nuptias: Saram, Suſannam, Annam, aliaſque commendatiſſimas commemorando fœminas, quæ in Scriptura nuptæ reperiuntur, quibus ſe illæ meliores vel etiam pares cogitare non poſſent: eodemque modo etiam virorum ſanctorum ſanctum cælibatum, commemoratione Patrum coniugatorum & prædicatione fregiſſet. Cæterum ab Auxentio Seniore illo Mediolanenſi Ariano Epiſcopo, Heluidium Iouiniani præcurſorem originem duxiſſe, Gennadius [o] tradit. Iouinianum autem vna cum collegis impietatis, ſub Catholico nomine & habitu monaſtico aliquam diu delituiſſe in monaſterio Mediolanenſi, Ambroſius demonſtrat [p] epiſtola ad Vercellenſes. Egreſſus vero quod ferre delicatulus non poſſet monaſticam diſciplinam, quam ſolute & impure vixerit, licet monachi ſemper falſo nomine gloriaretur, Hieronymus [q] egregie deſcribit: de eius dogmatibus addens, ſenſiſſe Virgines, viduas, & maritatas eiuſdem eſſe meriti: Renatos per baptiſmum, à diabolo non poſſe ſubuerti: Nullum eſſe abſtinentiæ ciborum meritum: Omnium qui baptiſma ſeruauerint, eſſe vnam in regno cœlorum remunerationem. Sed præter hæc addit Ambroſius, eo illum blaſphemiæ adactum eſſe, vt inſtar Heluidii diceret, Deiparam MARIAM deſiiſſe virginem eſſe cum Chriſtum peperit. Itemque negaſſe cum Manichæis, Filium Dei veram carnem ſuſcepiſſe.

n Aug. Retract. 22.
o Genna. de vir. illuſt. in Heluid. c. 25
p Am. ep. 82

q Hier. li. 1. cont. Iouin.

IOVINIANI IMPIA DOGMATA.

Eadem

r Auguſt. de hær. c. 82.

Eadem quoque de hæreſi Iouiniani Auguſtinus: quam & ait cito extinctam eſſe, neque ſacerdotum aliquem decipere valuiſſe. De cuius damnatione ſub Siricio facta, dicetur ſuo loco.

VIII. HIERON. SCRIBIT CONTRA LVCIFER.

Romæ pariter elaboratus ab eodem Hieronymo creditur liber aduerſus *Luciferianos*: cum quibus ſchiſmaticos (*Vrſicinianos*) qui adhuc, licet ſæpius repreſſi, vigebant) conſpiraſſe, libellus Marcellini presbyteri docet. Reliqua vero eiuſdem S. Patris in Vrbe ſcripta, pauca numerare continget ſi conferas cum quotidianis illius colloquiis: cum, vt ipſe [s] ait, totius in eum Vrbis ſtudiis conſonantibus, à diuerſis de diuerſis interrogaretur quæſtionibus: ac præcipue à compluribus illuſtribus Romanis fœminis, diſcendi cupidiſſimis: quarum habitaculum aut ipſe adire, aut illæ ipſius ſolebant, vt Scripturas diſſereret: ad quas etiam extant plurimæ eiuſdem de variis quæſtionibus, aliiſque piis, rebus epiſtolæ.

s Hie. ep. 99.

IX. IO. CHRYSOST. SCRIBIT ADVERSVS GENTILES

t Chryſ. ora. aduer. Gentil. u Id. orat. 1. cont. Iud. x Id. aduer. Anom. ho. 1. y Id. ſerm. de anathem.

Hoc item anno, qui numeratur vigeſimus à conflagratione templi Apollinis Daphnitici apud Antiochiam, S. IOANNES CHRYSOSTOMVS (vt ipſe teſtatur [t]) aduerſus Gentiles diſertiſſimum commentarium elaborauit: eodemque anno [u] quinque illas nobiliſſimas orationes aduerſus Iudæos elucubrauit: necnon aduerſus Anomæos [x] hæreticos quinque homilias de incomprehenſibili Dei natura moxque poſt [y] habuit ſermonem illum ad populum Antiochenum partis Flauiani (quo abſente, ipſe docendi munere eius vicem agebat) cui eſt titulus, *De Anathemate*: ab alio vero perperam addita inſcriptio illa, *Quod neque viui neque mortui anathemate plectendi ſint*. Haud enim ipſe abſolute excommunicationem negat (vt etiam alio [z] loco declaratum eſt) ſed tantum in eoſdem Flauiani ſectatores inuehitur, quod in Paulini communionis homines, alioqui Orthodoxos, anathema conclamarent, perinde ac ſi eſſent hæretici, atque eadem ratione qua Apollinariſtæ cenſendi. Hæc autem omnia Chryſoſtomus ſcripſit ac perorauit, cum adhuc diaconus eſſet. Siquidem ſecundum Marcellini atque Palladii calculum, dicentium ipſum quinquennio miniſtraſſe diaconum, duodecim vero annos egiſſe presbyterum vſque ad tempus quo Epiſcopus creatus eſt: plane aſſerendum eſt, cum anno ſuperiori (nempe ætatis vigeſimo ſeptimo, quippe quem eo tempore quo Apollinis templum conflagrauit: annorum octo fuiſſe viderimus, ſacro diaconatus ordine initiatum: &, vt omnes affirmant, à Meletio antequam iret ad Conſtantinopolitanum Concilium. Ex quibus & Socratem & alios confutes, qui ſcripta Chryſoſtomi nuper recenſita ab eo tradunt elucubrata cum eſſet Antiochenæ Eccleſiæ Lector.

EIVSDEM TRACTATIO DE ANATHEMATE QVALIS.

z ſup. an. 57. n. 7.

ÆTAS CHRYSOST. ET VITÆ INSTITVTIO.

X.

Sed vt eiuſdem annorum ac rerum geſtarũ ratio ineatur: ea, auctore Palladio æquali eius, Iſidoro Peluſiota, aliiſque, ſic ſe habuit. E rhetoricis ſcholis egreſſus, magna cum laude & felicitate in agendis cauſarum controuerſiis in foro verſatus eſt: adeo vt Libanio ipſi, eloquentiæ nomine tunc temporis apud omnes celeberrimo, admirationi fuerit. Anno vero ætatis vigeſimo ſecundo, cum iam ad Epiſcopatum adlectum vidiſſet Baſilium amicum chariſſimum, quo cum à puero aſſueuerat: ipſe ne teneretur, in ſolitudinem Syriæ aufugit: atque inde in ſui excuſationem, commentarium illum tam celebrem *De Sacerdotio* in publicum emiſit, aliaque inſuper de variis rebus multiplices tractatus edidit. Quamdiu autem in eremo egerit, diuerſæ reperiuntur ſententiæ, cum alii ſexennium, alii quadriennium tribuant. Errant tamen qui poſt presbyteratum eo profectum tradunt, cum ipſius ibidem aſſertione pateat, è foro foras eſſe progreſſum in ſolitudinem.

PETIT EREMVM.

XI.

a Soz. l. 6. c. 3. & alii eum ſecuti.

DE BASILIO, AD QVEM CHRYSOST. SCRIPSIT DE SACERDOTIO.

Sed & grauiori illi detinentur errore, qui *Baſilium* quem modo nominauimus, exiſtimant [a] fuiſſe Baſilium Magnum Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopum. Nam ipſius Chryſoſtomi atteſtatione conſtat, Baſilium illum Iuniorem, eo tempore cum creatus eſt Epiſcopus non exceſſiſſe ætatem annorum viginti duorum (æquales enim erant) eumdemque Antiochiæ natum, facultatibus pauperem, electum eſſe ab Epiſcopis Syriæ: quæ omnia quam longe diſcrepent à Baſilio Magno; iam tum cum ille iunior creatus eſt ſene ac morti proximo, patria vero Cæſarienſe Cappadoce, ac prædiuite: nemo non videt. Quiſnam vero fuerit ille Chryſoſtomi perneceſſarius, haud certo conſtat. Scimus tamen, eodem tempore in iiſdem partibus duos vixiſſe Baſilios, qui interfuerunt Synodo Conſtantinopolitanæ: nempe Baſilium Raphanenſem in Syria, & alium Epiſcopum Bibli in Phœnicia. Opinantur alii, fuiſſe Baſilium Seleuciæ Iſauriæ Epiſcopum: verum conſtat [b], hunc vitam egiſſe monaſticam ſub Sancto Marciano Abbate, Epiſcopum vero poſtea claruiſſe tempore Concilii Chalcedonenſis, cui & ſubſcriptus habetur, poſt annos ferme ſeptuaginta: cum Seleuciæ Iſauriæ tempore Chryſoſtomi Epiſcopus eſſet Maximus, qui [c] ſub Carterio, & Diodoro poſtea Tarſenſi Epiſcopo, collega fuit ipſius Chryſoſtomi in exercitatione vitæ monaſticæ, vna cum Theodoro illo infelici plane Mopſueſtiæ facto in Cilicia Epiſcopo: quem primo lapſum ſcriptis Chryſoſtomi fuiſſe reuocatum, ſed iterum lapſum eſſe atque deteriorem redditum, Heſychius [d] Hieroſolymitanus tradit.

b Theod. de SS. Patrib. c. 3.

c Soc. lib. 6. c. 3. Theod. li. 5. c. vlt. Soz. lib. 8. c. 2.

d In Act. Syn. V. Act. 5.

XII.

e Chryſ. de compunct. cord. lib. 1.

Porro Chryſoſtomum rediiſſe in patriam, ob graues contractas ex duro viuendi genere (quod ipſe alibi [e] deſcribit) ægritudines: moxq; ibi, abſente Meletio, ordinatum eſſe Lectorem à Zenone Epiſcopo, auctor eſt Socrates: non quidem (vt putauit) Epiſcopo Hieroſolymitano (nullus enim eius nominis his temporibus ei Eccleſiæ præfuit) ſed Zenone Tyri Epiſcopo, qui interfuit Concilio Conſtantinopolitano: vel (quod tradit Nicephorus [f]) Maiumæ Epiſcopo. Poſtea vero, vt dictum eſt, ab ipſo Meletio ordinatus eſt diaconus. At de illo modo hactenus: cætera ſuis locis.

f Nic. lib. 11. c. 2.

XIII.

g l. 8. C. Th. de Pagan.

Hoc eodem anno Imperatores conceſſerunt [g] Gentilibus, vt ſuas adirent baſilicas negotiorum agendorum cauſa, ita tamen vt omnino à ſacrificiis abſtinerent: cum anno ſuperiori alia lege lata [h], tam conuentus quam ſacrificia eiſdem prohibuiſſent, quæ ſub Valentiniani ac Valentis Imperio inualuerant. Iidemque hoc ipſo anno aduerſus Manichæos clandeſtinos conuentus agentes [i], ſanctionem ediderunt: aliamque [k] anno ſequenti addiderunt aduerſus apoſtatas, qui ad eorundem Manichæorum, vel etiam Gentilium, aut Iudæorum impietates deficerent. Hoc vero item anno, contra validos mendicantes edictum [l] promulgarunt.

h l. 7. eo.

i l. 9. C. Th. de hæret. k l. 3. C. Th. de Apoſtat. l l. 9. C. Th. de valid. mendic.

IESV CHRISTI AN. 383.

GRATIANI 17. VALENTIN. II. 8. THEODOSII 5.

DAMASI AN. 17.

I. MAX. MI TYRANNIS.

ANno Chriſti trecenteſimo octogeſimo tertio, Merobaude iterum & Saturnino Coſſ. MAXIMVS Dux exercitus in Britannia, tyrannidem arripiens, acclamatus eſt à militibus Imperator: & tranſmittens exercitum in Gallias, ab infenſis Gratiano Auguſto legionibus exceptus, Imperium ſibi corroborauit. Hæc Victor [a], & Zoſimus [b]. Treueris autem collocaſſe thronum Imperii, Gilda [c] Sapiens tradit. Habetque Pacatus [d], cum vt obſequentes ſibi milites redderet, ſe Theodoſio Imperatori affinitate coniunctum aſſeruiſſe, quaſi hæc ipſe eo conſcio aggreſſus eſſet. At vero affirmant alii, Maximum Britannum genere, ex Helenæ Conſtantini matris propagine originem mentientem, Britanniæ Regulorum ope fultum, ſcelus iſtud pertentaſſe. Certe quidem Britannum fuiſſe, Socrates [e] quoque tradit: de ſtemmate vero Conſtantini ſibi aliquid arrogaſſe, cognomen *Flauium* indicium eſt: dicebatur enim *Flauius Clemens Maximus*: licet Zoſimus eum genere Hiſpanum fuiſſe velit.

a Vict. in Gratia. b Zoſ. li. 4. c Gild. de excid. Brit. d Pacat. in Panegyr. Theod.

e Socr. li. 5. c. 11.

II.

Cum autem is tranſiens in Gallias cum Britannis, Armoricos è ſedibus eieciſſet, eamque regionem Britannis militibus tribuiſſet: (vnde & eidem prouinciæ comparatum eſt nomen, vt *Minor Britannia* diceretur) quo nouam coloniam in poſteros propagaret, miſſa in Britanniam le-

gatione,

Digitized by Google

gatione, ſingulas virgines ſingulis militibus coniugio fœderandas, à Dionoco Rege Cornubiæ impetrauit: delectæque ſunt duabus legionibus Britannicis, pro numero militum qui tunc in eis reperti fuere, totidem virgines, omnes numero vndecim mille, quarum principem locum tenebat VRSVLA, eiuſdem Regis Cornubiæ filia, deſponſa Connano Regulo eorundem Britannorum militum duci. Sed illæ Londini inuitæ nauigiis impoſitæ, cum à ſæua procella ad Germanicum littus impulſæ, incidiſſent in Melgam Pictorum & Gaunum Hunnorum piratas, qui pro Gratiano Imperatore aduerſus Maximum mare incurſabant (Hunnos enim & Alanos ſibi Gratianum, exercitibus ſuis diffidentem conciliaſſe, elicitur quoque ex S. Ambroſio [f]) eædem omnes hortante Vrſula mortem pati potius delegerunt, quam virginei pudoris ferre diſpendium: quas duplici auctas corona martyrii ac virginitatis, cœlum excepit: earundem vero certamen annua commemoratione [g] Eccleſia celebrat. Hæc quidem ex antiquis monumentis rerum Britanniæ excepiſſe, Gaufridus Epiſcopus Aſaphenſis in ſuo de rebus Britannicis commentario [h] tradit. Qui licet multa de aliis habeat fabuloſa: tamen quod hæc pluribus fulciantur veriſimilibus coniecturis, obuiis accipimus manibus: cum præſertim adſtipuletur eidem hiſtoriæ Lindanus Epiſcopus Gandauenſis eruditione clariſſimus: eandemque vir nobilis, & cum primis diſertus Marcus Velſerus in fragmentis Itinerariæ antiquæ tabulæ, ex antiquis monumentis fide certa teſtatam reddat. Nam quæ plures alii diuerſi auctores, ſiue ex ſuo ingenio, ſiue ex leui vulgi rumore de his ſcripſere, adeo nutant, vt grauiſſimam hiſtoriam commentitiam pene reddiderint.

DE S. VRSVLA, ET SOCIIS VIRGIN. MARTYR.

f Ambr. ep. 17. ad Valentin.

g Martyrol. Rom. 21. Oct.

h Ext in Bibl. Vat. cod. num. 944.

III.

Hoc anno res Gentilium Romæ mirum in modum collapſæ ſunt: deinceps [i] enim ſumptibus ſacrificiorum ac ſtipendiis ſacerdotum, illud ſuperadditum eſt, vt Gratianus nomen reſpuerit [k] *Summi Pontificis*, quod hactenus more maiorum (abſque tamen labe ipſorum ſacrorum, vt alias dictum eſt) Chriſtiani Imperatores ob ſummam poteſtatis amplitudinem retinuerant. Vnde mox illud argutum in Gratianum ſcomma iactarunt, *Si Princeps non vult appellari Pontifex Maximus, admodum breui Maximus Pontifex fiet.* Sed & præterea Gratianus Vrbis Præfecto, de rebus ad Gentilitiam ſuperſtitionem pertinentibus (quod Pontificum erat) auctoritatem [l] tribuit iudicandi. Quibus etiam acceſſit, quod Præfectus Gracchus V.C. candidatus Chriſtianę religionis [m], in deiiciendis idolis egregiã nauauit operam. Porro hęc omnia Gentiles Senatores infenſo ferentes animo, ſecreto ſtudere [n] cœperunt Maximo: qui licet Chriſtianus eſſet, vxoremque maxime piam haberet: tamen cæca dominandi libidine, eoſdem ſpe feliciorum euentuum delinitos, reddere ſibi deuinctos ſtuduit.

i Symmach. ad Valent. Imp. ap. Ambroſ.

k Zoſim. lib. 4.

GRAT. IMP. REIICIT NOMEN SVMMI PONTIF.

l Symmach. ep. 11.

m Hier. ep. 7. Prud. adu. Sym. lib. 1.

n Zoſ. ibid.

IV.

Cæterum nulla interpoſita mora, hoc eodem anno, octauo [o] Calendas Septembris Gratianus ab exercitu ſuo derelictus, fugiens per Andragathium Ducem occiſus eſt: quod Lugduni in Gallia accidiſſe, omnes [p] conſentiunt, licet nonnihil diſſentiant in modo necis. Tribuunt ei nonnulli [q] annos Imperii quindecim: verſum ſi numeres ab anno Domini trecenteſimo ſexageſimo ſeptimo, quo creatum diximus Auguſtum nono Calendas Septembris: vtique reperies ipſum imperaſſe annos ſexdecim expletos. Nec vero iis aſſentimur, qui tribuunt ætati eius annos viginti quatuor: Nam qui proximus adulto, vt habet Ammianus [r], creatus eſt Auguſtus, & annos ſexdecim imperauit: plane numerum illum exceſſiſſe oportuit. Triginta octo eum vixiſſe, apud Victorem legimus: ſed puto legendum annos viginti octo, quantum ex eodem Ammiano colligere licet. Prædicantur eius laudatiſſimi mores, fides, pietas, humanitas, caſtitas, cæteræque animi & corporis dotes, à Sancto Ambroſio [s], Ruffino [t], Auſonio [u], aliiſque immo & ab ipſo Ammiano [x], dum præclaram eius laudat indolem, facundiam, modeſtiam, clementiam ac rei militaris peritiam: licet addat, cum in vana demum ſtudia Commodi

o Marcell. in Chron.

GRATIANI INTERITVS.

p Hier. ep. 3. Ruff. lib. 2. c. 14. Zoſ. li. 4. Socr. lib. 5. c. 11. Soz. li. 7. c. 13.

q Soc. Soz. & alii.

r Am. li. 27.

ÆTAS, ET VIRTVTES GRATIANI.

s Am. orat. in obit. Valentin. & in pſalm. 61.

t Ruff. lib. 2. c. 11.

u Auſon. in gratiar. act. pro Conſul.

x Am. li. 31.

deflexiſſe, quod ſcilicet feras in viuariis ſagittis conficere ſoleret. Sed quid hoc demum, ſi re haud illiberali conſiteant iuuenis interdum poſt curas genio indulgere? At condonandum Ethnico ſcriptori in Chriſtianos Principes parum æquo. Gratiani autem funus denegatum à Maximo, nolente eius corpus ſepulturæ mandari. Ambroſius [y] Maximi crudelitatem exaggerans plurimum queritur. Poſt necem autem Gratiani, eiuſdem Maximi furorem cum in alios Gratiani ſtudioſos agentes in Galliis, tum præcipue in Merobaudem Conſulem & Balionem ſtrenuiſſimum Ducem eſſe conuerſum, Pacatus tradit: occiſumque illum, iſtum vero ob metum crudelium cruciamentorum ſibi ipſi mortem intuliſſe. Sed Merobaudem iniuſte Proſper in Chronico infamat de proditione Gratiani: nam Pacatus virum de fide ſincera erga ipſum Imperatorem plurimum laudat.

y Amb. in pſal. 61.

V.

LEGATIO A MAXIMO AD THEOD. IMP.

Poſt hæc autem tradit Zoſimus, Maximum legatos miſiſſe Conſtantinopolim ad Theodoſium, vt eius animum exploraret, vellet ne bello decernere, vel adſciſcere ipſum in collegam Imperii: illum autem rationem temporis ducentem, bona ſpe aluiſſe tyrannum, ne ſuperans Alpes, Valentinianum imbellem adoleſcentulum æque conficeret, totumque ſibi Occidentale Imperium vendicaret: qui iam inſtar fulguris eodem ferme momento Britannias, Gallias, atque Hiſpanias ſibi ſubiecisſet. Quod vero tradunt [z], poſt Gratiani necem Valentinianum, Iuſtinum, atque Probum Præfectum Prætorio metu deſeruiſſe Italiam: haud quidem hoc anno contigit, ſed cum poſtea ex improuiſo Maximus ſe in Italiam intulit: de quo dicetur ſuo loco. Interim vero cum ingentia mala ab eius tyrannide in Italia timerentur, idem Valentinianus Imperator perdifficilem ac plane deſperatam legationem Ambroſio ad illum credidit: ſi forte veritus ſanctitudinem viri vbique ſpectatam, furentes cohiberet impetus. Fuitque hæc prior eiuſdem Sancti legatio, poſterior vero poſt ſequentem annum: licet Paulinus ſcriptor eius Vitæ ambas in vnum confundat: bis namque ipſum eodem munere apud Maximum eſſe perfunctum, ipſiuſmet [a] teſtificatione liquet. Quæ autem extat eiuſdem Relatio [b] ad eundem Valentinianum, poſterioris certum eſt fuiſſe legationis: nam in ea mentionem facit de priori: cuius quidem Acta licet exciderint, ex alia tamen eiuſdem Ambroſii epiſtola [c] certum ſit, Maximum ab ipſo coercitum fuiſſe ne in Italiam progrederetur.

z Soc. lib. 5. c. 11. Soz. l. 7. c. 13.

AMBROSIVS CONVENIT MAXIMVM PRO SALVTE ITALIÆ.

a Am. orat. in fun. Valentin.

b Id. ep. 27.

c Id. ep. 33.

VI.

ARCADIVS APPELLATVR AVG.

Quod autem ad res Orientales pertinet: ſub iiſdem huius anni Coſſ. decimoquarto Calẽdas Februarii Theodoſius Imp. [d] ARCADIVM filium maiorem natu pronunciauit Auguſtum, annum agentem ætatis ſextum. Cupienſque cum Imperio pietatem in eum transfundere, Gratianum adhuc viuentem literis rogauit, vt egregium pietate virum qui filium doceret ad ſe mitteret. Hic vero cum ea de re Damaſum Papam monuiſſet: idem Pontifex ei muneri delegit *Arſenium* Eccleſiæ Romanæ diaconum, pietate & doctrina inſignem. Cui Conſtantinopolim accedenti Theodoſius filium ſuum tradens moribus ac literis imbuendum, *Poſthac* (inquit) *tu magis pater eius quam ego.* Cumq; aliquando ingreſſus ſcholas vidiſſet Arſenium ſtantem, Arcadiumq; ſedentem: increpito Arſenio quod magiſterii gradum parum decore ſeruaret, illo vero excuſante haud decere ſedentem ſe docere Imperatorem: indignans Theodoſius Arcadio abſtulit Imperatoris inſigne, ſedereq; in throno Arſenium compulit, filium vero detecto capite auditorem profiteri: illud inculcans; *Tunc prolem ſuam vere fore dignam Imperio, ſi cum ſcientia æque imbuta eſſet pietate.* Hæc pluribus in eiuſdem Arſenii Vita [e]; ac licet ibi de duobus Theodoſii filiis mentio habeatur, tamen Honorium conſtat hoc tempore nondum natum eſſe: quem aliquis, quod ſciret duos fuiſſe Theodoſio filios, adiecit. Cæterum cum poſtea contigiſſet aliquando, vt Arſenius Arcadio verbera inflixiſſet, hic vero inſtar Neronis meditaretur magiſtro mortem inferre: ipſe Arſenius diuino monitu ab aula clam recedens, ad Ægypti eremum ſe contulit, vbi vixit egregia ſanctitate toto Orbe conſpicuus.

d Soc. lib. 5. c. 10. Soz. l. 7. c. 12. Marcel. in Chro. & alii.

ARSENIVS MAGISTER IMPERATORIS.

e ap. Sur. 13 Iul.

Eodem

VII.
f Socr. & Soz. vbi ſup.
CONCIL. CONSTANTINOP.

Eodem quoque anno, menſe [f] vero Iunii celebrata eſt *Conſtantinopoli* SYNODVS, conuocata à Theodoſio ad dirimendas concitatas vbique in Eccleſia diſcordias ob diuerſas hæreſes: quarum etiam defenſores præcipui adeo ad eandem Synodum vocati ſunt, vt ſi fieri poſſet ad Eccleſiam reuocarentur: interfuitq; pro Arianis Demophilus Conſtantinopol. eorum Epiſcopus, pro Eunomianis Eunomius ipſe, pro Macedonianis Eleuſius Cyzicenus, pro Nouatianis Agelius eiuſdem vrbis Conſtantinopolitanæ eorundem Epiſcopus. De rebus autem ibi geſtis tradunt Socrates & Sozomenus, cum Imperator priuatim iniunxiſſet Nectario eiuſdem ciuitatis Epiſcopo Catholico, vt conſideret quænam cum hæreticis quæſtiones diſceptandæ eſſent: hicque de ea re communicaſſet cum Agelio Nouatiano, qui in his quæ ad Symbolum Nicænum pertinent, eadem cum ipſo ſentiret: demum Syſinnij Lectoris Nouatiani conſilio conſtitutum fuiſſe, vt fugerentur inſtitutæ cum ſectariis diſputationes, vtpote rixarum fomites: ſed tantum ab ipſis quæreretur, reciperent ne eos qui ante Eccleſiæ diſtractionem interpretes fuiſſent ſacræ Scripturæ: nam ſi abnuerent, à ſuis ipſorum conſortibus exploſos iri: ſi vero adnuerent, à veterum Patrum ſcriptis facile conuinci poſſe. Itaq; hoc conſilij ſecutum Imperatorem, à ſectariis petiiſſe quidnam ipſi de veterum interpretationibus ſentirent: cumque eas magnifice laudarent, rurſum interrogaſſe num illorum dictis in finiendis quæſtionibus ſtaturi eſſent: ſed ea de re orta inter eos diſſenſione Imperatorem eorum pertinaciam perſpicientem, iuſſiſſe vt vnaquæq; ſecta doctrinæ ſuæ libellos porrigeret: iiſq; acceptis, ſolos eos approbaſſe qui Conſubſtantialitatem aſſererent, reliquos diſrupiſſe: legeque ſanxiſſe, vt ſectarii conuentus non agerent, neque amplius Epiſcopos aut alios ordinarent, ac deniq; quacunque Eccleſiæ aut Reip. adminiſtratione priuarentur. Hæc iidem auctores: qui addunt, ob rem præclare geſtam conſilio Syſinnii Nouatiani, Theodoſium Nouatianis fauiſſe, paſſumq; eſſe Eccleſiam Conſtantinopoli habere, conuentuſq; agere, ac frui Catholicorum priuilegiis.

VETERVM PATRVM SENTENTIIS COERCENTVR HÆRET.

VIII.
SVSPECTA FIDES NOVATIAN. IN REBVS SVIS.

Sed vt vera ſit hiſtoria de eiuſmodi interrogationibus ab Imp. factis, ſuſpectum tamen nobis eſt, immo mendacium eſſe cõuincitur, quod in laudem Nouatianorum iidem auctores, & ipſi ſectarii Nouatiani habent. Quis enim ſibi perſuadeat, in eam Synodum, in qua fortiores hæreſum propugnatores audiendi eſſent, non vocatos eſſe à Theodoſio Catholicos Epiſcopos quorum doctrina atque prudentia ſiue Nectarius ſiue ipſe Imp. rem tantam adminiſtrare potuerint? Id vero in eiuſmodi rebus quamplurimis obſeruare licet, tum eundem Socratem, tum Sozomenum atque Nicephorum, omnes ſectã Nouatianos, multa in fauorem ſuorum effutiiſſe, cum ingenti detrimento veritatis, non ſolum hiſtoriæ, ſed etiam doctrinæ Catholicæ, & morum religionis Chriſtianæ, quibus frequenter imponunt. Adeo vt putẽ, eoſdem Nouatianorum Eccleſiarum, quæ in diuerſis locis toto ferme Orbe Chriſtiano diſperſæ erant, mores inſinuare voluiſſe: vel nullo delectu habito Nouatianorum & Orthodoxorum, eorundem ritus ſimul commiſcuiſſe confudiſſeque. Sed hæc modo hactenus.

IX.

Cæterum cauſam quoq; Antiochenam de altercatione inter Paulinum atque Flauianum, in hac eadem Synodo pertractatum fuiſſe, Socrates videtur annuere, dum ait Catholicos inter ſe extitiſſe diſcordes: fauentibus nimirum Syris, Phœnicibus, ac Palæſtinis Flauiano: Ægyptiis autem Cypriis, & Arabibus Paulino. Quod vero auctores omnes conſentiunt, Theodoſium poſt Synodum aduerſus hæreticos edicta promulgaſſe: habentur adhuc illa deſcripta in Codice Theodoſiano [g]. In quibus qui inter alios hæreticos nominantur *Saccophori*, fuerunt ii Maſſaliani de quibus ſupra, quod [h] ſacco inducerentur ita appellati: quos ab Epiſcopis Catholicis vndique expulſos, eorumque non tam monaſteria quam ſpeluncas latronũ incenſa, narrat Theodoretus [i]; ſed perperam ea ad tempora Valentiniani atq; Valentis referens, cum conſtet Flauianum (quem & eoſdem exagitaſſe tradit) non niſi ſub Theodoſio creatum fuiſſe Epiſcopum Antiochenum. Conſtat inſuper ex Photio [k], aduerſus eoſdem Maſſalianos congregatam eſſe his temporibus SYNODVM Sydę, cui præfuit Amphilochius Iconii Epiſcopus: aliamque Antiochiæ ſub eodem Flauiano.

g L. 11. & 12. de heret.
SACCOPHORI HÆRETICI.
h Epiph. hær. 80.
i Theod. lib. 4. hiſt. c. 11.

X.
AVGVSTINVS PETIT ROMAM.

Hoc ipſo anno Auguſtinus agens ætatem viginti nouem annorum, nouem autem ferme in ſecta Manichæorum habens, cum de pluribus rebus dubitaret, nec reperiret qui eas ſolueret: Romam clam matre perrexit ad docendam Rhetoricam, quam docebat Carthagine. Ibique apud Manichæum quendam diuertens ægrotauit. Vt vero conualuit, licet cum Manichæis vt plurimum verſaretur, tamen cœpit eſſe frigidus eius ſectæ aſſertor: immo & hoſpitem ſuum ab illa reuocare ſtuduit. Docuit autem domi Rhetoricam, quam poſtea publice profeſſurus miſſus eſt Mediolanum, vt dicetur anno ſequenti. Iſta autem narrat ipſe libro quinto ſuarum Confeſſionum.

XI.
INGENS PENVRIA VRBIS.
l Amb. lib. 3. offic. 7.
m Sym. 2 ep. 7.
n Dio lib. 55.

Hic item ille annus eſt, quo vrbs magna fame laborauit: ob quam pauperes liberos homines, ab Vrbe pulſos eſſe, Ambroſius [l], & Symmachus [m] iure queruntur. Namque Auguſti tempore (quod Dio [n] teſtatur) ingenti afflictata Roma fame, non liberi homines, ſed gladiatores venaliaque mancipia tantum, vltra octoginta millia paſſus ab Vrbe reiecta fuerunt. Porro eamdem famem Symmachus ad ſuum propoſitum inflectens in Relatione quam anno ſequenti ad Valentinianum conſcripſit, conatur perſuadere eam accidiſſe, quod adempti fuiſſent Sacerdotum redditus & agri Veſtalium virginum: ſed mania eius argumenta ſcite prudenterque refellit S. Ambroſius [o].

o Amb. ep. 31.

IESV CHRISTI AN. 384.

VALENT. II. 9. THEODOSII 6.

DAMASI AN. 18.

I.
a l. 4. C. Th. de ſent. ex peric. rec. l. 4. de appell.
SYMMACHVS AGIT APVD IMP. PRO GENTILIB.

ANNO Chriſti trecenteſimo octogeſimo quarto, Ricimere & Clearcho Coſſ. Symmachus Præfecturam Vrbanam geſſit, quod Imperatoris reſcripta [a] ad ipſum hoc anno data teſtantur: quamuis Paulinus Præfecturam cum Conſulatu confundens, illam ad alia tempora referat. Porro Symmachus homo dexterrimus, & admiranda dicendi facundia præditus, cum deorum cultus ſtudioſiſſimus eſſet, opportune vſus occaſione obitus Gratiani, & Maximi tyrannidis, cum Valentinianus Imp. adoleſcentulus nihil non conceſſurus eſſet magiſtratibus, libellum [b] obtulit Senatus nomine eidem Valentiniano, pro reſtituendo damnato legibus Gratiani deorum cultu. Verum hæc perſentiſcens S. Ambroſius, feſtinans occurrit: literaſque [c] ad Imperatorem ſcribens, interceſſit nequid ab illo adhuc puero extorqueretur, ſinguliſque Symmachi obiectionibus accurate reſpondit, ac denique pœnam interdictionis Eccleſiæ comminatus eſt, ſi poſtulata concederet: adeoque operatus eſt, vt abſque perendina dilatione ei cauſa fuerit adiudicata. Sed & *Aurelius Prudentius* vir Conſularis, aduerſus eandem Symmachi Relationem egregium poema cõſcripſit, quod tamen ſub Honorio Imperatore elaboratum eſſe conſtat.

b Ext. ap. Ambroſ.
c Amb. ep. 30.
SED OBSISTIT AMBROSIVS.

II.
d Sym. 10. ep. 14.
e Marcel. in Chron.
DAMASI PP. OBITVS.

Porro cum ex alia, eiuſdem Symmachi ad Imperatores data epiſtola [d] cum hoc anno Præfectum ageret, conſtet *Damaſum* Papam ad eundem annum fuiſſe ſuperſtitem: inde erroris arguitur Marcellinus [e] Comes, dum ante biennium ſub Conſulatu Antonii & Syagrii menſe Octobris eius obitum ponit. Conſultius itaque Proſper ſub huius anni Coſſ. collocat, etſi mendoſe pro ſuffecto Siricio Vrſicinus legatur. Obiit vero tertius Idus Decembris (quo die *natalis* eius inter Sanctos adſcriptus antiqua memoria perſeuerat) poſtquam ſediſſet annos ſeptemdecim menſes tres, minus diebus quatuor: cumq; iam prope octogenarium deceſſiſſe, auctor eſt S. Hieronymus. Sepultus eſt autem via Ardeatina in baſilica ſua: vnde poſtea tranſlatus eſt in Eccleſiam S. Laurentii ad Thea-

trum Pompeij. Ceſſauitque ſedes eius vnum & triginta dies. Extant vero in Bibliotheca Vaticana, & aliis, eiuſdem Pontificis Acta, in Eccleſia olim recitari ſolita: in quibus nonnulla habentur miracula, ab eodem tum adhuc viuente, tum etiam defuncto edita.

III. SCRIPTA DAMASI.

At non inter Sanctos duntaxat miraculis clarus adnumeratur, ſed & inter ſcriptores Eccleſiaſticos à Sancto Hieronymo recenſetur: extantque hactenus complura [f] eiuſdem Epigrammata & Epitaphia metro conſcripta, tam in honorem Sanctorum martyrum quam aliorum memoriam. Quæ autem fertur nomine Damaſi breuiter texta ſeries Vitarum Romanorum Pontificum, alterius potius quam ipſius eſſe opus, ſæpius inculcauimus. In quo poſt plurimarum aliarum rerum ab eo geſtarum narrationem, appendicem putamus adiectam, qua dicitur eius præcepto inſtitutum, vt die noctuque Pſalmi in eccleſiis canerentur. Id enim plane falſum eſt: ſed fortaſſe aliqua potius forma ab eo præſcripta fuit. Alioqui ab ipſo exordio naſcentis Eccleſiæ, viguiſſe certum eſt cum cantu diurnam nocturnamque pſalmodiam. Equidem illud puto (quod & Hieronymus [g] indicare videtur) emendatum ab ipſo Hieronymo Pſalterium Septuaginta Interpretum, à Damaſo canendum Occidentalibus traditum fuiſſe.

f Edita ſunt in Antiq. Inſcript. in Append. Eorumque plura Baronius deſcripſit hoc & alio anno, ſuo quibuſque loco.
g Hier. Apol. adu. Ruf.

IV. DE ALLELVIA.

Tradit quoque S. Gregorius [h] Papa, ex Hieroſolymorum Eccleſia per eundem S. Hieronymum Damaſum accepiſſe, vt Romana Eccleſia concineret ALLELVIA. Quod quidem non ſic accipiendum eſt, vt tempore Damaſi cani cœptum ſit Romæ, ſed vt caneretur extra Paſchale tempus: ſicut idem Gregorius ſuperius declarat. Nam huius vocis vſum Romæ perantiquum fuiſſe, vel ex Sancto Auguſtino [i] intelligi poteſt, dum ait, antiqua traditione ab Eccleſia Catholica tota Orbe diffuſa Alleluia cantari ſolitum. Cæterum peculiarem quemdam eius vocis vſum ab Eccleſia Hieroſolymitana Romanam mutuatam eſſe, poſſumus ex Gregorii verbis intelligere. Siquidem eiuſdem vſus diuerſas fuiſſe conſuetudines, idem Sanctus Auguſtinus [k] alibi tradit: docetque [l] certis tantum diebus moris fuiſſe ſolemniter decantari: tempore vero Quadrageſimali [m] ab eo ceſſari ſolitum. Habetur autem apocrypha illa Hieronymi nomine ad Damaſum epiſtola, qua dicitur vt Alleluia pſalmis omnibus affigatur. Sed & hallucinatur plane Sozomenus [n], dum ſcribit in Eccleſia Romana nonniſi ſemel in anno cani ſolitum Alleluia: nam Vigilantium hæreſiarcham eius fuiſſe inſtitutionis auctorem, conatumque eam Hieroſolymis introducere, teſtatur Hieronymus [o]. Romæ vero hiſce temporibus adeo frequenti vſu eam vocem receptam fuiſſe liquet, vt etiam in Eccleſia caneretur in [p] funere defunctorum: extra Eccleſiam autem ipſi etiam infantes [q] in eius ſonum linguam primum ſoluere docerentur. Denique Hieroſolymis fuiſſe in vſu agricolis, idem auctor [r] affirmat: necnon eius vocis ſymbolo ſolitos [s] conuocari monachos ad Synaxim.

h Greg. 7. ep. 63.
i Auguſt. in pſal. 106.
k Id. ep. 119. c. 17.
l Id. in pſal. 106.
m Id. in pſal. 110.
n Soz. lib. 7. c. 19.
o Hier. adu. Vigil.
p Id. ep. 30.
q Id. ep. 7. & 27.
r Id. ep. 17.
s Id. ep. 27.

V. AVGVST. MEDIOLANVM MISSVS AD DOCENDAM RHETOR.

Hoc eodem anno, cum miſſum eſſet à Mediolano Romam ad Præfectum Vrbis, vt illi ciuitati Rhetorice magiſter prouideretur: Auguſtinus (vt ipſe [t] teſtatur) per ſuos Manichæos ambiens vt dictione propoſita ſe probatum Præfectus tunc Symmachus mitteret, Mediolanum profectus eſt, annum agens ætatis (vt ait [u]) trigeſimum: ibique benigne exceptus ab Ambroſio, adeo ipſius conſuetudine profecit, vt quos ante errore duci deprehendiſſet Manichæos, iam penitus derelinquere animo decreuerit: non tamen vt ob id fieret Chriſtianus, ſed ad Academicos ſe conferret, magnæ tunc apud omnes æſtimationis philoſophos: quorum etiam eo vſque progreſſa erat temeritas, vt palam effutirent à Platone Chriſtianos accepiſſe de fide ſententias, quas Euangeliſta Ioannes ſuæ narrationis exordio præ foribus expoſuiſſet pro miraculo omnibus contemplandas. Sed occurrit quamprimum peſti huic graſſanti S. Ambroſius: cuius libros *De Sacramentis*, ſiue *De Philoſophia* [x] contra Platonem & Academicos conſcriptos, S. Auguſtinus [y] magnopere celebrauit.

t Auguſt. 5. Confeſſ. 13.
u Id. 6. Confeſſ. 11.
x Aug. ep. 14.
y Id. 2. de doctr. Chr. 25. cont. Iul. c. 7. 2. Retract. 4.

VI. QVID S. MONICA MEDIOLANI.

Eo autem Auguſtini ſtatu, Sancta Monica mater eius aſſectata veſtigia filii, Mediolanum veniens, nihil non egit pro ſalute illius procuranda. Tuncq; accidit [z], vt cum epulas ferret ad Memorias Martyrum (quæ erogari ſolebant in cibos pauperum, qui in Eccleſiam in martyrum natalitiis ad Agapen conuocabantur: id enim non tantum in Africa fieri ſolitum erat, ſed Romæ quoque in memoriam defunctorum, vt apparet ex epiſtola Paulini ad Aletium) argueretur ab Ambroſio, qui correxit illud Mediolani: cuius, exemplum, docente poſtea Auguſtino [a], Africana Eccleſia ſecuta eſt: & Oriens antea id ipſum didicerat à Concilio Laodiceno. Sed & aliquando rogatus [b] Ambroſius ab eadem pientiſſima fœmina de ieiunio Sabbati, reſpondit vt illud obſeruaret ſecundum conſuetudinem Eccleſiarum vbi eſſe contingeret. Sed quod ad Auguſtinum attinet, cum inter hæc ipſius concubina in Africam vnde venerat rediiſſet, relicto ei filio quem ex ea ſuſceperat Adeodato: hoc ipſe ſolutus vinculo, è tenebris paulatim in lucem cœpit emergere.

z Auguſt. 6. Confeſſ. 1. & 2.
a Id. ep. 64.
b Id. ep. 118.

VII.

Quod vero ad res pertinet Orientis; Theodoſius Imperator cohibuit [c] Iudæos mancipia Chriſtiana habentes, eademque ad ipſorum ſuperſtitionem adducentes. Itemque hæreticos Eunomianos, Macedonianos, Arianos, & Apollinarianos, ſæpe damnatos ſæpeque pulſos, iterum reuertentes, atque impudenti procacia iactantes dedecoroſum eſſe neſcire quæ ipſi docerent: recenti lege [d] proſcripſit. Cuius de nouo ſanciendæ auctor Theodoſio fuiſſe videtur Gregorius Nazianzenus, dum licet abſens, rurique paterno Arianzi ſolitariam vitam agens, haud tamen valens obliuiſci plantatæ à ſe vineæ, Eccleſiæ ſcilicet Conſtantinopolitanæ: cum accepiſſet eam dominante Nectario Epiſcopo ab iiſdem hæreticis proculcari, ad ipſum Nectarium non ſine ſtomacho literas [e] dedit, quibus eum aduerſus eos excitaret.

c l. 5. C. Th. de conſtan. cmpt.
d l. 13. C. Th. de hæret.
GREGOR. NAZ. SOLICITVS PRO ECCLES. CONSTANTINOP.
e Gre. Naz. ad Nectar.

VIII. NATALIS HONORII.

Hocque eodem anno menſe Septembris, eundem Theodoſium auctum eſt filio ex Flaccilla coniuge, cui nomen *Honorio* inditum fuit, auctores ſunt Marcellinus [f] & Socrates [g].

f Marcel. in Chron.
g Soc. lib. 5 c. 12.

IESV CHRISTI AN. 385.

VALENTIN. II. 10. THEODOSII 7.

SIRICII AN. 1.

I.

ANno Chriſti trecenteſimo octogeſimo quinto, Arcadio Auguſto & Bautone Coſſ. Auguſtinus [a] in eiuſdem Bautonis (qui creatus eſt Mediolani) ingreſſu panegyricam habuit orationem coram Valentiniano Imperatore: cuius orationis occaſione, idem alibi [b] ſtatum præſentis temporis ſuæ animæ ærumnoſæ deplorat, cum (vt ait) inhiaret honoribus, lucris, coniugio: totuſque eſſet in perſcrutandis Academicis quæſtionibus. Periiſſetque in illis, niſi Dominus præſto fuiſſet, à quo & didicit veritatem, quam per Apoſtolum Paulum [c] in cor eius Spiritus Sanctus inſtillauit: atque vt perficeretur, ſuaſit ad Simplicianum [d] ſanctum & eruditum Sacerdotem accedere (ipſum enim Ambroſium frequenter adire, & prolixius cum eo agere, ob ingruentia illa negotia impoſſibile videbatur) à quo cum multa alia, tum Victorini nobiliſſimi oratoris conuerſionem audiuit: quam mox animo exarſit ad imitandum. Cumque poſt hæc à Politiano Afro in curia militante, didiciſſet vitam Antonii Magni: perfecte ad Chriſtum conuerſus eſt, annum agens ætatis trigeſimum primum: & illud exaudiens in horto, *Tolle lege, Tolle lege*, lectione Pauli Apoſtoli, quid ſibi eſſet agendum plane didicit: cum de ſuſcipiendo baptiſmo, relinquendaque ſchola, & agenda Vita caſta & à negotiis ſæculi remota, certum firmumque conſilium [e] iniit: quod & poſtea (vt videbitur) opere impleuit: multos interea ante baptiſmum commentarios elucubrans, quos ipſe [f] recenſet.

a Auguſt. cont. Petil. 25.
b Id. 6. Confeſſ. 6.
AVGVST. DIV ERRANS, VENIT AD PORTVM.
c Id. 7. Confeſſ. 21.
d 8. Confeſſ. 1. & c.
e 8. Confeſſ. 1. & c.
f Retract. lib. 1.

II. SIRICIVS CREATVR.

Huius quoq; anni exordio, nempe pridie Idus Ianuarii, cum vacaſſet Sedes Romana poſt obitum Damaſi Pa-

pæ vno

Roman. Pont. [g] *Ext. in to. 1 Conc. in fine ſeri. Rom. Pont.*

pæ vno & triginta diebus, Siricius natione Romanus Tiburtii filius, presbyter Tituli Paſtoris, in locum Damaſi à Clero populoque ſubrogatus eſt: non ſine tumultu Vrſicini ſchiſmatici, vt indicant literæ [g] Valentiniani Imperatoris ſeptimo Idus Martii ad Pinianum Præfectum datæ. Ipſo vero ſuæ ſedis exordio, nimirum tertio Idus Februarii, idem Siricius ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem in Hiſpania, qui de nonnullis rebus dubiis Damaſum conſuluerat, Decretalem ſcripſit Epiſtolam, quam & in reliqua Eccleſia Hiſpanica obſeruari voluit.

III. Hieron. vexatus Romæ. [h] *Hier. ep. 1. ad Demetr.* [i] *Id. in praef. in eſ. Didy de ſp. S.* [k] *ep. 22 ad Euſtoch.* [l] *ep. 23. 25.*

Cum autem non vt Damaſus fecerat, Siricius in conſcribendis eiuſmodi Decretalibus aut Synodalibus epiſtolis, Hieronymi opera vteretur, neque eum vt ille amplecteretur: mox idem Hieronymus acerbiſſimos pati cœpit perſecutores: illos ſcilicet [h] clericos, quorum ipſe imperitiam [i] ac prauos [k] mores ſcriptis ſuis ſugillaſſet: à quibus inter alia, multis ſub communi nomine monachorum petitus eſt conuiciis, & vt *Impoſtor* ac *Græcus* iactatus, quaſi Vrbe pellendus eſſet, lapidibus obruendus, & præcipitandus in fluctus. Horum quidem omnium ipſemet [l] teſtis eſt. Sed quis æquo animo ferat impudentium abſurda mendacia, quibus tradiderunt eundem muliebri veſte ab Vrbe expulſum? Sub Auguſtini falſo nomine frigidus ille fictor iſta commentus eſt: qui cum in aliis Sermonibus editis ſub titulo *Ad Fratres de Eremo*, multa delira & fabuloſa effutiat, in eo [m] vbi iſta ſomniat, quæ portentoſa mendacia blaterat? Sed nilo prudentior incertus auctor ille, qui compingens S. Hieronymi vitam, vna cum aliis mendaciis iſtud ipſum præteriiſſe noluit. Ad quam impoſturam refellendam, illud ſufficiens eſt argumentum, quod Ruffinus, qui leuiora quæque in Hieronymum vnquam iactata diligenter collegit, iſtud non intexit in eum, quod in fronte fuerat collocandum: cum præſertim res tanta, in tantum virum, locoque tali admiſſa, nec angulum Orbis prætetiiſſe potuerit vbi non ſciretur.

Vana commenta de S. Hieron. [m] *Aug. ſerm. 24. ad fratres in ere.*

IV. Quæ Hieronymo obiecta. [n] *Hier. ep. 99.*

Cæterum quæ re vera in ipſum poſt Damaſi obitum à calumniantibus fuerunt obiecta, idem ipſe exacte recenſet ea epiſtola, quam in Portu Romano nauim conſcenſurus, conſcripſit ad Aſellam [n] nobilem Romanam virginem Christo dicatam: docens præcipuam calumniam fuiſſe de quibuſdam matronis Romanis, & maxime de Melania Seniore & Paula, fœminis Conſularibus, quæ ipſius perſuaſionibus, contemptis diuitiis cariſque pignoribus, Hieroſolymam ad loca Sancta nauigaſſent, atque ideo multis fuiſſe calumniis & conuiciis impetitum. Qui quidem vt ſe ab eiuſmodi concitatis turbinibus liberaret, tranquillam cogitans Hieroſolymæ manſionem, menſe Auguſti à Romano Portu ſoluens cum Pauliniano fratre iuniore aliiſque monachis, nauigauit Cyprum: ibique viſitato S. Epiphanio, Antiochiam deuectus, ſuſceptus eſt à Paulino Epiſcopo: & deductus ab eo, media hieme & frigore grauiſſimo intrauit Hieroſolymam, ac multa ibi vidit miracula. Hæc omnia ipſemet [o] de ſuo itinere. Quod quidem hoc anno accidiſſe, inde fit perſpicuum, quod teſtetur ſe pene triennium Romæ manſiſſe, & poſt obitum Damaſi receſſiſſe: conſtetque Romam veniſſe ſub Conſulatu Antonii & Syagrii, anno Domini trecenteſimo octogeſimo ſecundo.

Hieron. reuertitur Hieroſol. [o] *Id. Apol. adu. Ruff. [illegible] ep. 27.*

V. Concil. Burdigal. contra Priscil.

His item Coſſ. (vt Proſper ponit in Chronico) celebrata eſt *Burdigalæ* in Aquitania (gubernante eam Eccleſiam *Delphino* Epiſcopo, cuius Seuerus cum laude meminit) Synodus in cauſa Priſcilliani hæretici, iuſſu Maximi tyranni, ad id inducti ab Ithacio Epiſcopo eiuſdem Priſcilliani oppugnatore acerrimo, de quo dictum eſt ſuperius. Poſtquam vero in eadem Synodo Inſtantius Epiſcopus factionis Priſcilliani, prior iuſſus dicere cauſam, damnatus eſt atque depoſitus: ſe quoque damnandum Priſcillianus intelligens, ad eundem Maximum Treueris tunc agentem prouocauit: ſed rurſus apud eum ab Ithacio accuſatus: licet obtinente Sancto Martino Epiſcopo Turonenſi (qui etiam tunc forte negotiorum Eccleſiaſticorum cauſa Treueris adfuit) vt à ſanguine infelicium abſtineretur, & vt cauſas Eccleſiæ Iudices ſæculi non iudicarent: tamen poſt eius diſceſſum, nouis aliorum Epiſcoporum ſuaſionibus, Maximus eundem Priſcillianum ob turpiſſima quæ confeſſus eſt ſcelera, capite truncari iuſſit vna cum aliquibus ipſius ſociis, reliquis in exilium pulſis. Hæc pluribus Seuerus [q], quæ & alii attigere: meminitque Hieronymus de eiuſdem Priſcilliani, ac nonnullorum eius ſectatorum ſcriptis editis. Addit vero Proſper, eoſdem tempore Burdigalæ quamdam Priſcilliani diſcipulam, nomine *Vrbicam*, ob impietatis pertinaciam, per ſeditionem vulgi lapidibus extinctam eſſe. Ac denique Seuerus ſcribit, Priſcillianum, qui viuus vt ſanctus honorabatur à ſuis, poſt mortem vt martyrem ab iiſdem coli cœptum: peremptorumque corpora ad Hiſpanias relata, magnis fuiſſe obſequiis honorata: quin & iurare per Priſcillianum, ſummam ipſis religionem fuiſſe: eoq; occiſo non ſolum non repreſſam eſſe hæreſim, ſed latius propagatam.

Priscil. cum suis subiectus gladio. [q] *Seue. hiſt. lib. 2.* Priscil. colitur a suis.

VI. Ithac. Episc. in quo deliquit persequens Priscil.

De *Ithacio* autem accuſatore idem Seuerus tradit, hanc Priſcilliani & ſociorum necem notam ei inuſſiſſe indelebilem, tum quod odio ipſe potius, quam diuinæ legis zelo commotus, eos perſecutus eſſet; (qui & alioqui audax, loquax, ſumptuoſus, ventri & gulæ deditus, omnes ſanctos viros Catholicos, quibus aut ſtudium inerat lectionis, aut grauitas inceſſus, & modeſtia habitus, propoſitumue erat certare ieiuniis; atque adeo ipſum S. Martinum, virum plane Apoſtolis conferendum, cum Priſcilliano ſentire culparet, tamquam & ipſi illius hypocriſim affectarent) tum etiam quod pœna ſanguinis procul abhorreret à manſuetudine muneris paſtoralis. Quãuis enim minime reprehenſum aliquando fuerit, aduerſus hæreticos auxilium Principum implorare (quod plurimos ſanctiſſimos viros ſæpe feciſſe, alibi demonſtratum eſt: hocque ipſum à Maximo probe vtiliterque factum, S. Leo [r] commendat in epiſtola ad Turbium Epiſcopum Aſturicenſem) tamen nullus vmquam SS. Patrum laudauit, pœnam capitis aduerſus eoſdem hæreticos poſſe vel debere procurari à perſonis Eccleſiaſticis. Vnde & in Eccleſia Catholica vſu receptum eſt, vt cum quis expetit à ſæcularibus magiſtratibus opem aduerſus impios, ne Ithacianæ partis ſectator eſſe videatur, conteſtationem illam conſulte præmittat, ſic ſe correctionem expetere incorrigibilium delinquentium, vt tamen citra pœnam ſanguinis puniantur. Porro quo modo ea de cauſa Ithacius communione priuatus fuerit, ſequenti anno dicturi ſumus. Quod autem pertinet ad Maximum; licet ipſe exerens: vt alter Phinees, gladium in turpiſſimorum hominum necem, ſanctificaſſe manus ſuas Domino, obidque perennitatem Imperii commeruiſſe videri potuiſſet: tamen quod arrogauerit ſibi iudicium ſacerdotale, quantumlibet nonnullorum Epiſcoporum conſenſione delatum, deferenſque appellationi hæreſiarchæ, cauſam iudicauerit; meruit paulo poſt iacturam Imperii atque vitæ pati: vt intelligant omnes, quam grauius delinquant, qui cauſas Eccleſiaſticas contradicentibus ſacerdotibus ſibi vendicant & extorquent.

Eccles. personæ immunes a sanguine. [r] *Leo ep. 91.* Maximus in quo peccauerit necans Priscil.

VII. [s] *Socr. lib. 5 c. 12.* Theophilus Episc. Alexand. [t] *To. Bal. Sin.* [u] *Pallad. in Lauſiac. cap. 12.*

Iiſdem Coſſ. (vt auctor eſt Socrates [s]) defuncto Timotheo Alexãdrino Epiſcopo, cum ſediſſet annos quinque, in eius locum ſuffectus eſt *Theophilus*. Timothei vero extat [t] apud Græcos Epiſtola Canonica. Fuitque eiuſdem [u], cum Ammonem ſanctiſſimum monachum, ob auriculæ ſpontaneam amputationem irregularem effectum, nihilominus Epiſcopum ordinauit, hæc ſententia, *A Iudæis lex iſta ſeruatur: Ego ſi dederitis mihi aliquem etiam naribus truncum, ſed moribus probum, non eum dubitabo Epiſcopum ordinare.* Mentio item eius habetur cum laude, in reſcripto [x] Theodoſii Imperatoris de Eccleſiaſtico iure illibato ſeruando, ne vlli Eccleſiaſtici ad iudicia ſiue ordinariorum, ſiue extraordinariorum Iudicum pertrahantur.

[x] *l. 3. C. Th. de Epiſc. iudic.*

VIII. [y] *Marcel. in Chro.*

Hoc item anno creditur defuncta *Flaccilla* Auguſta, Theodoſii coniunx, quam ſuperiori peperiſſe conſtat Honorium, cum & ſequenti reperiatur idem Theodoſius *Gallam* [y] coniugem accepiſſe. Laudauit eam funebri

oratione Gregorius Nyſſenus; eiuſdemque pariter egregias virtutes, pietatemque deſcripſit Theodoretus [z]. Sed & illam in cœlis Deo coniunctam, affirmat Ambroſius in funere Theodoſii; qui eam *Flaccillam* (non vt alii fere omnes cum Græci, tum Latini, *Placillam*,) nominat: ſicque veteri [a] numiſmate vocata legitur, necnon apud Claudianum in carmine de Laude Serenæ, atque Paulum diaconum in Appendice ad Eutropium: denique & eodem modo eius neptem Arcadii filiam, Proſper & Marcellinus; proneptem vero Theodoſii minoris filiam, idem Marcellinus nominat. Genuit ea Theodoſio, præter Arcadium & Honorium, Gratianum & Pulcheriam, vt habet Ambroſius in funere; licet alii tres tantum eidem liberos tribuant: ſed hi duo vltimi breui extincti ſunt, etiam ante matris obitum: habuitque idem Gregorius Nyſſenus, qui tunc erat Conſtantinopoli, panegyrim in eiuſdem Pulcheriæ funere.

z Theod. lib. 5. c. 18.
FLACCILLA DICENDA VXOR THEODOSII.
a Habet Baron. tom. 4. hic. an.

IX. Hoc inſuper anno Theodoſius Imperator reſcriptum [b] dedit aduerſus idololatras iterum reuiuiſcentes, & per inſpectionem extorum futura quærentes: itemq; aduerſus [c] pſaltrias ac fidicinas mulieres, ciuitatum peſtes. Eodemque anno Valentinianus edictum [d] propoſuit de relaxandis vinctis Paſchali tempore. Cuius conſuetudinis meminit S. Ambroſius [e], cum exprobrat in ipſum Imperatorem, quod Iuſtinæ matris ſuaſione Paſchatis tempore pios viros carceri manciparit, quo vincti dimitti ſolerent. Porro idem quoque in Oriente Theodoſii lege cautum fuiſſe, conſtat ex Chryſoſtomo, cum agit de oratione Flauiani Epiſcopi Antiocheni, quam coram eodem Imperatore habuit Conſtantinopoli, legatione fungens pro populo Antiocheno ſub gladio ita Principis periclitante.

b l. 9. C. Th. de Pagan.
c l. 10. C. Th. de ſcenic.
d l. 8. C. Th. de indulg. crim.
e Ambr. ep. 33.
INDVLGENTIA REIS DATA TEMPORE PASCH.

IESV CHRISTI AN. 386.

VALENTIN. II. 11. THEODOSII 8.

SIRICII AN. 2.

I. ANnus Domini trecenteſimus octogeſimus ſextus Coſſ. habuit Honorium, Theodoſii filium adhuc infantulum, atque Euodium Galliarum [a] ſub Maximo Præfectum: vt hinc videas, inter eumdem Maximum ac Theodoſium & Valentinianum Imperatores, aliqua pacis fœdera eſſe tranſacta.

a Sener. l. 2.

II. Ipſo quoque huius anni menſe Ianuario, celebratum eſt à Siricio Papa *Romæ* in Baſilica S. Petri CONCILIVM octoginta Epiſcoporum: cuius extat epiſtola [b] Synodalis data octauo Idus Ianuarii. Poſt Conſulatum Arcadii & Bautonis, quod ſcilicet nouorum Coſſ. nomina Romæ nondum publicis auſpiciis promulgata eſſent. Porro in hoc Concilio nouem Papa capitulis collapſam in Africa Eccleſiaſticam diſciplinam reſtituere conatus eſt: quæ tu conſulas.

CONCIL. ROM. PRO RESTITVENDA ECCL. DISCIPL. IN AFRIC.
b Siric. ep. ad Epiſ. Afric.

III. Eodem quoque menſe Ianuarii, Valentinianus Imp. indignũ pio Principe pro Arianis promulgauit edictum [c]; quo dedit illis facultatem conuentus agendi. Id autem impulſu Iuſtinæ Auguſtæ matris Arianæ feminæ factum eſſe, conſtat ex iis quæ de eadem lege Ruffinus [d] & Sozomenus [e] habent, dum referunt egregiam confeſſionem *Beneuoli* Magiſtri Memoriæ; qui non ſolum altiorem pro impietatis mercede ipſi promiſſum à Iuſtina gradum reſpuit, ſed & ipſum quem haberet deponere maluit, quam ea decreta dictare. Erat is patria Brixianus, à S. Philaſtrio Catholica diſciplina optime informatus: ad quem eiuſdem Philaſtrii nuper electus (dum abſens [f] in Oriente peregrinaretur) ſucceſſor S. *Gaudentius*, æque vir præſtans doctrina atque virtutibus, miſit editos ad ſe Sermones de Paſchate, inque eis meminit eiuſdem ipſius facinoris.

LEX PRO ARIAN.
c l. 4. C. Th. de fid. Cath.
d Ruff. li. 2. cap. 16.
e Soz. lib. 7 c. 13.
BENEVOLI EGREGIA CONFESSIO.
f Gaudent. ſer. in dedicat.

IV. Quod vero ex eodem [g] apparet, tempore eiuſmodi impiæ ſanctionis Iuſtinam (quam iure nominat Ieſabelem) perſecutam eſſe Ambroſium Mediolanenſem Epiſcopum, in quem iam olim infenſo erat animo: hanc in eumdem Ambroſium perſecutionem Ruffinus [h] quoque poſt obitum Gratiani contigiſſe tradit; licet plerique alii ante illum minus recte collocent [i]. Huius autem tumultus noua illa fuit occaſio, quod cum memorato Imperatoris edicto Arianis data eſſet conueniendi facultas, & Iuſtina ſubreptam à Catholicis baſilicam iiſdem Arianis tradere vellet; Ambroſius conſtanter ei reſtiterit, adſiſtente ei miro Catholicæ fidei zelo populo Mediolanenſi. Deſcribit hæc ipſemet pluribus, cum agit in *Auxentium* Arianum Mediolanenſem Epiſcopum (cuius nutu Iuſtina ad omne nefas impelleretur) ſubrogatum nuper ab eadem Iuſtina in locum Senioris Auxentii. Nam quod aliqui ambos iſtos Auxentios in vnum confundunt, ſatis refelluntur quod ſeniorem diem obiiſſe ante creationem Ambroſii, æque Paulinus [k], Hieronymus [l], Ruffinus [m], & ex Græcis Socrates [n], Sozomenus [o], Theodoretus [p], abſq; vlla controuerſia cõfirment: itemque quod eumdem ſeniorem Cappadocem fuiſſe, Athanaſius [q] & alii teſtentur, hunc vero Iuniorem Ambroſius [r] Scytham; quem & ait mutaſſe ſibi vocabulum ne cognoſceretur quis eſſet, tum quod in patria enormia ſcelera perpetraſſet, tum quod ſciret Auxentii nomen odioſum eſſe Mediolanenſibus; atque ideo qui in Scythia Auxentius diceretur, Mediolani Mercurinum nominari voluiſſe.

g Id. præf. in ſerm.
IVSTINA AVG. VEXAT AMBROS.
h Ruff. lib. 2 c. 15.
i Paul. in Vit. S. Am. Soz. lib. 7. c. 13. Nic. lib. 11. ca. 19. & alii.
AVXENTII DVO.
k Paulin in Vit. Ambr.
l Hieron. in Chron.
m Ruff. l. 2. 11.
n Soc. lib. 4. c. 25.
o Soz. lib. 6. c. 4.
p Theod. lib. 4 c. 5.
q Athan. ep. ad Solit.
r Amb. cont. Aux.

V. Cum autem & auſus hic Ambroſium ad publicam diſputationem prouocare, delegiſſet arbitros pugnæ Gentiles [s] quoſdam homines, necnon ipſum Valentinianum Imperatorem adhuc adoleſcentulum & catechumenum; Ambroſius autem exhorrens fidei cauſam poſt tot Concilia iudicio credere ſæcularium, nedum Gentilium hominum, ſperneret petulantiam hominis, ne Eccleſiæ proſterneret dignitatem; ideoque Auxentius Valentinianum adiens, cogi Ambroſium id in Conſiſtorio Imp. agere, magna arrogantia poſtulaſſet: tunc iubenti hoc in gratiam Iuſtinæ matris Valentiniano, idem Ambroſius ex ſententia Epiſcoporum qui aderant, per libellum reſpondit [t], ſe non poſſe in Palatium & ad Conſiſtorium diſputandi cauſa accedere, quod non eſſet Imperatoris de Epiſcopis aut Religione iudicare; ſed ipſorum Epiſcoporum, quibus non ſolum leges diuinæ eiuſmodi iudicium tribuerent, ſed & Imperatores Conſtantinus Magnus, Conſtantius eius filius, ipſeque Valentinianus Senior eiuſdem Iunioris parens, liberum eis reliquiſſent. Quod ſi diſputandum eſſet, velle ſe ex maiorum inſtituto in eccleſia diſputare coram populo ac Iudicibus Epiſcopis. Accidit vero tunc (inquit Paulinus) vt quidam vir Arianus, acerrimus, diſputator, & durus atque inconuertibilis ad fidem Catholicam, ad baſilicam, ſe conferret: qui cum vidiſſet Angelum ad aures Ambroſii loquentem, vt verba Angeli populo Ambroſius renunciare videretur, mox conuerſus, fidem quam oppugnabat cœpit propugnare.

s Amb. ibid.
AMBROS. RENVIT DISPVTARE DE FIDE IN CONSISTORIO IMP.
t Id. ep. 32.
ANGELVS LOQVITVR AD AVRES AMBROSII.

VI. Hoc eodem anno habita eſt SYNODVS TREVERENSIS ab Epiſcopis partis Ithacianæ, qui ipſum Ithacium antea damnatum à Theognoſto Epiſcopo, quod apud Maximum (vt vidimus) ipſe ſacerdos & Epiſcopus necem procuraſſet hæreticorum Priſcillianiſtarum (qua etiam ex cauſa complures Epiſcopi, qui & ſanioris viderentur eſſe conſilii, eiuſdem Ithacii tamquam ſanguinarii communionem vitabant) vt innocentem abſoluerunt, patrocinante illi Maximo Imperatore. Quo tempore S. Martinus, multis grauibuſque laborantium hominum cauſis ad Comitatum ire compulſus, primo quidem cum iiſdem Epiſcopis Ithacianis communicare, licet multum rogatus à Maximo recuſauit; ſed poſtea vt auerteret furorem eiuſdem Imp. percuſſores his pro quibus Martinus rogauerat dirigentis, & Tribunos in Hiſpanias mittentis ad inquirendos & occidendos hæreticos: ne & cum illis hoc prætextu multi alii, qui ſanctioris eſſent vitæ Catholici, ideoq; Priſcilliani hypocriſim affectare accuſarentur, abſque diligentiori examine multa pati cogerentur; cum iiſdem Epiſcopis corpore, non animo, ad horam communicauit in ordinatione *Felicis* Epiſcopi: ſed quamuis ſumma vi Epiſcopis nitentibus vt communionem illam ſub-

CONCIL. TREVER. IN CAVSA ITHACII EPISC.

ſcriptio-

S. MART. COMMVNICANS CVM ITHAC. ARGVITVR AB ANGELO.
u Seuer. dial. lib. 3.

ſcriptione firmaret, extorqueri non potuit. Verum & de ipſa communicatione ab Angelo correptus, quamdiu vixit peccatum defleuit, & Ithacianorum communicationem vitauit, nullamque Synodum adiit, aut Epiſcoporum conuentum; eo maxime quod ab eo tempore in curandis morbis detrimentum ſentiret ſupernæ virtutis. Hæc omnia Seuerus [u] oratione ſoluta proſecutus eſt, quæ Fortunatus carmine cecinit.

VII. DE FELICE EPISC. TREVER.
x Marian. Scot. an. 379.

Porro fuiſſe illum *Felicem*, cuius ordinationi S. Martinus adſtitit, virum ſanctiſſimum, & plane dignum qui meliori tempore ſacerdos fieret, Seuerus ſcribit. Fuiſſe vero ordinatum Epiſcopum Treuerenſem, Marianus [x] Scotus affirmat. Sed ſicut qui cum illo lapſus eſt S. Martinus, pœnitentia ad priſtinam atque etiam puriorem reuocatus eſt ſanctitatem: ita & ipſe Felix, quamuis & factione Ithaciana fuerit ordinatus, per pœnitentiam facinus purgans, dignus factus eſt vt inter Sanctos adnumeraretur. Quod autem pertinet ad Ithacium, ſuperiorum omnium tumultuum auctorem; cum tandem Eccleſiæ communione priuatum, in exilio vitam finiiſſe his ipſis Imperatoribus Theodoſio & Valentiniano regnantibus, Iſidorus [y] tradit: quod accidiſſe putamus poſt mortem Maximi, cuius præſidio fouebatur.

FINIS ITHACII.
y Iſid. de Vir. illuſt. cap. 2.

VIII.
z Seuer. de Vit. S. Mar. c. 3.
QVID S. MART. IN CONVIVIO MAXIMI IMP.

Ceterum hoc eodem anno quo Martinus ſub Conſulatu Euodii Treueros ad Maximum ſe contulit, accidit quod idem Seuerus [z] alio loco deſcribit: nempe eumdem S. Martinum precibus Maximi ad conuiuium accedere coactum, pateram regiam ſibi oblatam iuſſu Imperatoris, ambientis eam ab illius manu ſumere, vbi ebibiſſet presbytero ſuo tradidiſſe quod nullum exiſtimaret digniorem qui poſt ſe biberet. Sed & quam dignius eumdem Martinum Auguſta, eiuſdem Maximi vxor, femina ſanctiſſima, conuiuio ſolis manibus ſuis parato exceperit, eique per ſe ipſam in modum famulæ miniſtrauerit, reliquiaſq; deuote comederit; apud eumdem auctorem [a] narratum inuenies. Habetq; [b] inſuper, eumdem Sanctum longe ante prædixiſſe Maximo, futurum vt ſi in Italiam pergeret aduerſus Valentinianum, primo quidem impetu victor exiſteret, ſed paruo poſt tempore periret, quod & accidit.

a Id. 2. dial. 7
b Id. 4. c. 23.

IX. HIERON. PETIT ALEXANDRIAM AD AVDIENDVM DIDYMVM.

Inter hæc autem S. Hieronymus haud dudum moratus Hieroſolymis, quo anno ſuperiori perueniſſe diximus, profectus eſt in Ægyptum, diſcendi cupiditate, licet iam ſenex eſſet, pellectus ibique magnum illum *Didymum* Alexandrinum, de quo ſuperius egimus, magiſtrum habuit in ſacrarum Scripturarum interpretatione: quem *Videntem*, quamuis cæcus eſſet, ob eximiam ingenii perſpicacitatem appellare [c] conſueuit; oculoſq; [d] eum habere columbæ, qui laudantur in Canticis Canticorum in ſponſa. At ſic quidem laudauit, vt tamen poſtea eumdem Origeniſtam compertum, ea ex parte damnauerit [e]. Quod vero non ſicut Ruffinum Didymus, ita & Hieronymum iiſdem Origenis erroribus imbuerit, id inde accidiſſe puto, vel quod non auſus fuerit viro adeo perſpicaci propinare venenum; vel ſi tentauit, expertus eum renitentem mox abſtinuerit, ne apud magni nominis virum concepta ſemel caderet æſtimatione. Ceterum qui Didymum auditurus aliquantiſper Alexandriæ conſedit, poſtea Ægypti monaſteria [f] peragrauit; protinuſq; Bethleem reuerſus & Hieroſolymam, *Barrabanum* Iudæum magno labore & pretio in Hebraicis litteris nocturnum [g] habuit præceptorem, quod idem Barrabanus timeret Iudæos. Tuncque inſuper aggreſſus eſt [h] interpretari S. Pauli Epiſtolas: cum interea occupatiſſimus [i] eſſet in ſuſcipiendis fouendiſque (vt ait) omnis generis, ſexus, & nationis, peregrinis, de toto Orbe Hieroſolymam ad viſitanda ſacra loca concurrentibus, & diuerſarum virtutum ſpecimen oſtendentibus.

c Hieron. proœm. in ep. ad Gal.
d Id. præf. in Didym. lib. de Sp. S.
e Id. Apol. adu. Ruff.
f Id. ead. Ap.
REVERTITVR IN PALÆSTINAM.
g Id. ep. 65. ad Pam.
h Id. præf. in ep. ad Eph. & ad Gal.
i Id. proœm. lib. 7. in Eze. ep. 23. ad Pamm. & ep. 17. ad Marcel.

X. GREGOR. NYSSEN. QVOR. PEREGRINATIONEM IMPVGNET.

Sed quod in hæc inciderimus, aduertendum eſt extare libellum, ſeu epiſtolam potius dixerimus, S. Gregorij Nyſſeni, hoc tempore in vita agentis ac plura ſcribentis; qua totus in eo eſt, vt improbet eiuſmodi ad loca ſancta peregrinationem; vnde etiam hagiomachi hodierni occaſionem arripuere illius damnandæ. Scimus aliquos pro piiſſimi, & omnibus ſæculis (vt frequenter vidimus, viſurique ſumus) in Eccleſia ab omnibus vbique Chriſtianis receptiſſimi cultus defenſione, eam epiſtolam vt germanam Gregorii agnoſcere minime voluiſſe. At nos legitimum eum ipſius partum eſſe haud euntes inficias, breuiter reſpondemus, Gregorium eas ſcribere litteras ad quemdam monachum, ſeu verius Monachorum Abbatem, atque in eo totum eſſe vt diſſuadeat viris, qui eiuſmodi ſelectum viuendi genus aggreſſi fuerant, atque etiam feminis, peregrinandi propoſitum; quod vix illud cum exacta obſeruatione regularum monaſticarum, & abſque pudoris feminei diſpendio, in tot ac tantis itinerum difficultatibus atque neceſſitatibus adimpleri poſſet. Atque adeo vt hoc facilius perſuadeat, inter alia aſſerit, peregrinationes non eſſe ex præcepto Domini, nec homines ad eas teneri: nempe hæc proponens, quod ob rei frequentiſſimum vſum, videret multos exiſtimare ſe minus Chriſtiano dignos eſſe nomine, ſi ipſi agere prætermitterent quod ſcirent ab aliis impenſe præſtari. Hæc autem ſcite à Gregorio dicta eſſe, prudens nemo negarit, cum & in eamdem eius ſententiam reperiantur ſimul ire alii ſanctiſſimi Patres. Verum longe alio ac plane contrario ſpiritu, Vigilantius primus hoc ſæculo aggreſſus eſt, vna cum aliis quas euomit impietates, improbare penitus qualemcumque peregrinationem ad loca ſancta; de quo dicetur ſuo loco.

XI. DE DISTRACTIONE RELIQVIARVM.
k l. vlt. C. Th. de ſepul.
l Aug. de oper. monach. c. 28.

Hoc eodem anno menſe Februarii, Theodoſius Imp. de non diſtrahendis Reliquiis martyrum reſcripſit [k]. Cuius ſanciendæ legis occaſio inde accepta eſt, quod quidam pſeudomonachi cernentes totius Eccleſiæ Catholicæ erga SS. Martyrum reliquias ſtudioſum cultum & propenſiorem amorem, circumeuntes turpis lucri gratia conſueuiſſent eas venditare, vt S. Auguſtinus [l] affirmat.

XII. CHRYS. ORDINATVR PRESBYTER.
m Socr. lib. 6 c. 3.

Hoc item anno Ioannes Chryſoſtomus presbyter ordinatus eſt, non quidem ab Euagrio Antiocheno Epiſcopo (vt vult Socrates [m]) qui nondum hoc tempore ſucceſſerat Paulino; ſed à Flauiano alterius partis Catholicorum eiuſdem ciuitatis Antiſtite, ſicut teſtantur reliqui Græcorum hiſtorici: quibus & nos accedimus, quod cōſtet ipſum communicationis fuiſſe Flauiani. Nec tamen ideo illum quis putet ſchiſmaticorum ſacerdotem à ſchiſmatico ordinatum. Numquam enim eo illud ſchiſma Antiochenum progreſſum eſt, vt anathemati Flauianus ſubiectus fuerit; quippe quod ſpe concordiæ res tolerata, eo modo quo cœperat ad plures annos producta eſt. Annuiſſe vero diuinum numen eiuſdem Chryſoſtomi ſacerdotio; & cum ab Angelo iuſſum eſſe ordinari, tum in ipſa ordinatione albam columbam (ſymbolum Spiritus Sancti) repente deuolantem ſtetiſſe ſupra caput eius; qui res ab eo geſtas fideliter ſunt proſecuti teſtantur, & inter alios Leo Auguſtus in oratione de eius Vita; vbi & multa ſubdit miracula tunc Antiochiæ ab eodem presbytero facta.

EIVS ORDINATIO SIGNIS PROBATA

XIII.
n Marcel. in Chron.
o Pallad. in dial.

Eum autem hoc anno creatum fuiſſe presbyterum, colligimus ex eodem Leone Auguſto ac Marcellino [n] Comite, & ante hoc ex Palladio [o], dum aiunt ipſum duodecim annos exegiſſe in presbyteratu, antequam crearetur Epiſcopus Coll'Honorio quartum & Eurychiano, anno Domini trecenteſimo nonageſimo octauo; ex quibus & illorum error refellitur, qui quadriennium tantum eidem ipſius presbyteratui tribuunt. Suſcepta vero à Flauiano docendi populi functione, egregias illas habuit *ad Populum Antiochenum* inſcriptas orationes; cum tamē longe plures ibi dixiſſe oportuerit toto illo duodecim annorum ſpatio, quo Antiochiæ manſit. Feruntque [p] quod cum ſublime dicendi genus arripuiſſet, redargutus à pia muliercula, quod eius orationes ſimplicioribus infrugiferæ eſſent, mutauerit e veſtigio iuuenilis animi, cuius eſt alta petere, inſtitutum, & dictionem faciliorem imis auribus accommodauerit. Qua ex parte illud eſt conſecutus, vt publicis frequentibuſque acclamationibus CHRYSOSTOMVS, hoc eſt *Os aureum* diceretur: quod perinde ac inditum diuinitus nomen, in eius ſcriptis hactenus perſeuerat, eodemq; vulgo ab omnib. nominatur, Quan-

p ap. Metaphr. in Vit. Chryſoſt.
VNDE DICTVS CHRYSOSTOMVS.

Digitized by Google

tos vero inſuper labores inſumpſerit ad extirpandos tum alios hæreticos, tum Marcionitas qui Antiochiæ latebant; itemq; ad expugnādos Gentiles, & deſtruenda ipſorum templa; ſatis docent varia ipſius tunc edita ſcripta, necnon eiuſdem Vitæ Acta.

XIV. CYRILLI HIEROS. OBITVS. q Hieron. de Script. Eccl. in Cyril. t Id. ep. 61.

Hoc eodem anno, qui & octauus Theodoſij Imperij numeratur, S. Cyrillus Hieroſolymitanus Epiſcopus (vt auctor eſt S. Hieronymus q) ex hac vita migrauit: de quo quidem, quod (vt idem ait) ſæpe pulſus ac ſæpe in ſedem receptus à Conſtantij temporib. fuerit, quantum temporis ſederit haud exploratum haberi poteſt. Cuius monumenta ingenij extant Catecheſes, quas in adoleſcentia elaborauit. Huic ſubrogatus eſt *Ioannes*, quem tempore perſecutionis ſub Valente Catholicos auerſatum eſſe, & cum Arianis ac Macedonianis communicaſſe, non obſcure teſtatur aduerſus eum ſcribens idem S. Hieronymus t. Sed & ſub nomine Prætextati ipſum ſugillat, redemptumque ab hæreſi pollicitatione Epiſcopatus affirmat. At de ipſo plura inferius.

VALENTIN. II. 12. THEODOSII 9.

IESV CHRISTI AN. 387.

SIRICII AN. 3.

I. IVSTINA AVG. AMBROSIVM VEXAT. a Paulin. in Vit. Am. & ipſe Ambr. in Auxent. poſt ep. 32.

ANno Chriſti trecenteſimo octogeſimo ſeptimo, Valentiniano Auguſto tertium & Eutropio Coſſ. Iuſtina Auguſta vna cum eodem Valentiniano filio, q̄ anno ſuperiori aduerſus S. Ambroſium perſecutionem concitare cœperat, maioribus proſecuta eſt incrementis. Ac primo quidem cum fruſtra tentaſſet a ſecreto illū extra prouinciam deportare, promiſſis amplis dignitatib. iis qui ipſum de eccleſia raptū ad exilium perduxiſſent (quod cum multi conarētur, vnus ceteris infelicior nomine Euthymius, domo ſibi iuxta eccleſiam conducta, & curru ad eumdem abducendum parato, cum diutius fruſtra expectaſſet, tandem ipſemet poſt annum, eodem die quo Ambroſium abripere cogitauerat, ex eadem domo, eodemque curru deportatus eſt in exilium, ipſo Ambroſio ei quæ ad victū neceſſaria erant ſubminiſtrante) omniaq; incaſſum fieri cerneret, demum aperto poſtea marte eumdem aggreſſa, edictum publicari curauit, quo iuberentur Catholici ſacerdotes Auxentio aliiſq; Arianis eccleſias tradere, aut occidi. Aduerſus quos omnes conatus mire eluxit, tum ipſius Ambroſii ingens animus in conſeruandis baſilicis, & Eccleſiaſtica libertate aduerſus auctoritatem Imperialem defendenda, tum populi Mediolanenſis vigilantiſſimum ſtudium in cuſtodiendo diu ac noctu eodem Præſule ſuo, ab inſultibus furentium Arianorum & militum prætorianorum.

II. b Amb. ib. c Id. ep. 33. d Soc. lib. 5. c. 11. e Soz. lib. 7. c. 13. f Damaſ. orat. 2. de Imag. EGREGIA FIDES MEDIOLANENSIVM.

Ea vero cuncta quomodo geſta fuerint, fuſiſſime ipſe Ambroſius proſecutus eſt in concione b quam ad populum habuit in Auxentium, & in epiſtola c eodem tempore ad Marcellinam ſororem ſcripta: ex quibus & illud conſtat, eadem geſta eſſe Dominica Palmarum, atque aliquot præcedentibus ſubſequentibuſque diebus. Errant autem Socrates d, & Sozomenus e, qui hæc referunt ad tempora necis Gratiani Imperatoris. Scripſit vero etiam de eadem re Ambroſius litteras ad omnes Italiæ Epiſcopos, quæ penitus excidere; tantumque ſupereſt breue fragmentum, quod S. Ioannes Damaſcenus f ex iis recitat de viſione B. Pauli, qui eidem Ambroſio in tantis anguſtiis conſtituto apparuit confortans eum. Ceterum qui ipſum Ambroſium prædicta narrantem legerit, prorſus mirabitur vniuerſum populum Mediolanenſem Epiſcopo potius pro Eccleſiaſtica libertate pugnanti, quam Imperatori perperam ſibi ius in res diuinas & Eccleſiaſticas arroganti, tanto periculo ſuorum capitum atque bonorum ſtudere ardentiſſimis conatibus delegiſſe: mercatores vt fidem tuerentur contemſiſſe lucra; nobiles prætuliſſe Crucis ignominiam Regiæ Pharaonis; ac denique milites qui ad expugnandam baſilicam acceſſiſſent momento temporis conuerſos eſſe in defenſores.

III. MAXIMVS AGIT PRO SACERD. CATHOL. g To. 1. epiſt. Rom. Pont. h Amb. in Aux. i Theod. lib. 5. c. 14.

Sed quod nec ſi quidem emolliretur obduratus Iuſtinæ animus, Deus pro Ambroſij defenſione Maximum Imp. commouit: qui litteris quæ hactenus extant g Valentinianum monuit, vt à vi in ſacerdotes abſtineret, atque religioni paternæ inhæreret. Ex quibus etiam plane apparet, non Mediolanenſem duntaxat Eccleſiam, ſed omnes exiſtentes in prouinciis Valentiniano ſubditis, vexatas eſſe edicto illo in fauorem Arianorum promulgato. Quin & iam antea Iuſtinæ arbitrio contigiſſe videtur, vt Catholicorum Eccleſiis tributum indiceretur ex agris; quod licet indebitum, perſoluere Ambroſius h ſecundum Chriſtianam manſuetudinem non recuſauit, dūmmodo fidei Orthodoxæ & Catholicæ communionis baſilicis parceretur. Ceterum meminit quoque litterarum Maximi Theodoretus i; additque eum minatum eſſe Valentiniano bellum, ſi non obtemperaret.

IV. INVENTIO MARTYR. GERVASII ET PROTASII. k Amb. ep. 85. ad Marcel. ſoror. l Aug. 9. Confeſ. 7. & lib. 22. de ciuit. c. 8. m Paulin. in Vit. Amb. n Amb. ſer. 91. Paulin. in Vit. Amb. o Aug. de cur. pro mort. ag. DÆMONES AB AMBROSIO TORTI.

Cum vero necdum petulantia Iuſtinæ compeſceretur, longe nobilius è cœlo Ambroſius præſidium ſuſcepit, dum eodem tempore diuinitus per viſum admonitus de loco vbi laterent corpora SS. martyrum *Geruaſii & Protaſii*, ipſe illa è terra refoſſa, digno cum honore in Baſilicam Ambroſianam tranſtulit; vnde tum multa alia eorumdem virtute miracula in confirmationem fidei Catholicæ ſunt edita, quæ idem Ambroſius k, necnon Auguſtinus l qui Mediolani tunc aderat, ex parte referunt; tum illud quod omnium ferme fuit maximum, vt ex eo tempore (ſicut Paulinus m ſcribit) ſedari cœperit perſecutio quæ Iuſtinæ furore accendebatur; licet Ariani n eorumdem Sanctorum claritudinem miraculorum obſcurare niterentur. Sed quæ palam Ambroſium perſequi deſtitit, iterum furiis agitata, paulo poſt eumdem clam per ſicarium intra cubiculum interficere pertentauit: cumque ſicarii dextera ad percutiendum eleuata obriguiſſet (quæ ſanata eſt ſceleris confeſſione) demum ipſos dæmones per quoſdam maleficos ad eumdem Ambroſium necandum immiſit; qui tantum abeſt vt illud exequi valuerint, vt nec ad fores domus ipſius appropinquare potuerint, quod ignis inſuperabilis totum illud ædificium communiret, vt etiam longe poſiti vrerentur. Hæc omnia Paulinus. Quo etiam auctore & ſuffragatore S. Auguſtino o, conſtat ipſos dæmones, cum ab iis quos vexarent, virtute ſacrarum reliquiarum SS. Geruaſii & Protaſii expellerentur, clamore ſolitos, ſe non à martyribus tantum, ſed etiam ab Ambroſio torqueri.

V. AMBROS. ROGATVR A IVSTINA LEGATIONEM OBIRE AD MAXIMVM. p Ambr. ep. 27. q Paulin. in V. S. Am. r Con. Taurin. c. 5.

Verum adhuc parua hæc Deo viſa ſunt, ſacerdotē ſuum amplioribus honoribus proſequenti. Factum enim inſuper voluit, vt qui mille nocendi artibus ipſum appetiiſſent, iidem mox adirent eum ſupplices, ſuæq; ſalutis arbitrum, & ſeruatorem Imperij profiterentur. Cum enim Maximus Imp. in Italiam venturus nunciaretur; Ambroſius in Gallias proficiſci à Valentiniano ipſiusq; matre Iuſtina rogatus eſt, vt (quod alias ante experti fuerant) legatione ſua Maximum talia conantem coerceret. At non vt prior, ita poſterior hæc Ambroſij legatio feliciter ceſſit; nimirū quod iuſta fuiſſet iam diuina ſententia definitum, eos qui de pellendis Catholicis ſacerdotibus ab Eccleſiis promulgaſſent edictum, à ſuo ipſorum fore expellendos Imperio: vt ſic poſteri intelligerent Principes, quanto periculo laceſſant Eccleſias & Sacerdotes. Quid autem in ea legatione Ambroſius egerit, ſcripta ab ipſo epiſtola p ad Valentinianum declarat, qua ſingularum rerum tūc Treueris cum Maximo geſtarum exacta relatio continetur. In cuius fine ait, ſe quod abſtinuiſſet ab Epiſcopis communionis Maximi, qui deuios licet à fide ad necem petebant, ab eodem Maximo iuſſum eſſe ſine mora Treueris recedere. Et hoc eſt quod Paulinus q ſcribit, Ambroſium à communionis conſortio ſegregaſſe Maximum; nimirum quod nec cum ipſo voluit communicare, nec cum Epiſcopis ei communicantibus; quod ſcilicet eſſent partis Ithacianæ, de qua ſuperius, aduerſus quos & litteras dediſſe, idque ipſum feciſſe Siricium Papam, expreſſum habetur in Concilio r Taurinenſi. Porro vltimo loco ſuæ Relationis Ambroſius Valentinianum monuit, vt ſibi caueret à Maximo pacis inuolucro bellum tegente.

VI. MAXIMVS IRRVMPIT IN ITALIAM.

At negligens ille imprudenter nimis eiuſmodi admonitionem, alium ad eumdem Maximum Legatum miſit, Dominum natione Syrum, ſummæ apud ipſum Valentinianum auctoritatis. Qui vanis deceptus Maximi illecebris immenſiſq; muneribus, partem etiam ipſius exercitus ſecum in Italiam reduxit, quam Maximus Valentiniano ſimulabat auxilio mittere aduerſus barbaros Pannoniis imminentes. Sicque ipſe Dominus viam reddidit faciliorem Maximo: qui mox eum cum reliquo exercitu ſecutus, magnaque celeritate Italiam nemine præpediente ingreſſus, Aquileiam copias duxit. Quo repentino caſu Valentinianus oppreſſus, naui Theſſalonicam aufugit cum matre Iuſtina: vbi Theodoſius Imp. honorifice eos excepit: accepitq; in vxorem *Gallam* Valentiniani Senioris ex eadem Iuſtina filiam. Hæc omnia plurib. Zoſimus [s]. Quantis autem laboribus & impenſis Theodoſius Valentinianum reſtituere in regnum ſtuduerit Auguſtinus [t] eius in ea re commendans pietatem, docet, & dicetur inferius ſuo loco. Hanc vero contigiſſe vindictam ob contemptum, atque perſecutione exagitatum S. Ambroſium, Ruffinus [u] poſt eum alii æque confirmant. Factumq; inſuper diuino conſilio Pacatus [x] ait, vt Maximus innocentis Gratiani ſanguinis reus, ſceleri ſcelus adderet, quo Theodoſio in eum pugnandi vincendique neceſſitas imponeretur: daretque tandem ille de cruenta violentaque tyrannide pœnas.

VALENT. FVGIT AD THEODOS.

s Zoſ. lib. 4.
t Aug. 5. de ciuit. 26.
u Ruff. lib. 2. c. 15.
x Pacat. paneg. Theod.

VII.

y Socr. lib. 5. c. 12.

Interea auctor eſt Socrates [y], eundem Maximum legatos miſiſſe ad ipſum Theodoſium: à quo nec excepti nec excluſi fuerint: cum tamen ad vindicandum ſcelus tacite expeditionem pararet. Sed & maxima clade à Maximo Italiæ partem illam quæ poſt Alpium deſcenſum occurrit, affectam eſſe: nobileſq; ciuitates Placentiam, Rhegium, Mutinam, Bononiam, & alias dire exagitatas, Pacatus affirmat, meminitque Ambroſius [z]: qui quod teſtetur hoc anno vitam produxiſſe ad annum ætatis quinquageſimum tertium, inde quamdiu vixerit facile poteſt colligi. Sed mira quadam diſpenſatione factum eſt, vt quamuis in eundem Maximus perinfenſus eſſe videretur, nihilominus nec ei nec eius Eccleſiæ Mediolanenſi quicquam negotii in tanta vicinarum ciuitatum vexatione faceſſitum appareat. Qua ipſe pace bene vſus, totus fuit in ſubleuandis egenis, atque redimendis captiuis, quorum cauſa ſacra etiam vaſa confregit: vnde ab Arianis arrepta oblatrandi occaſione, ab ea ſe accuſatione defendit [a] Laudaſſe autem S. Auguſtinum illud factum, atque imitatum eſſe, Poſſidius [b] tradit.

z Am. ep. 8. & 7.

AMBROS. VASA SACRA CONFREGIT REDIM. CAPTIVIS.

a Id 2. Offic. 28.
b Poſſid. in vit. S. Aug. c. 24.

VIII. MAXIMVS STVDET OMNIVM CAPTARE BENEVOLENTIAM.

Ceterum Maximus cum tantum timorem vniuerſis incuſſiſſet, vt nullum ſibi iam aduerſari videret; Imperatoris aggreſſus eſt perſonam agere, non tyranni: & quo ſibi cum Senatum tum populum conciliaret, cunctis morem gerere etiam plus æquo ſtuduit; atque inter alia, Gentilibus ſacrificia, ſublatamque in Capitolio Aram Victoriæ reſtituit, (vnde & à Symmacho laudatus eſt libro eo argumento conſcripto, coram ipſo, vt ait Socrates [c], recitato) Iudæiſq; [d] multa indulſit: & ne hæc ex parte Catholicos concitaret, quam acerrimum ſe fidei Catholicæ exhibuit defenſorem, vt patet ex epiſtola, [e] quam dedit ad Siricium Papam.

c Socr. lib. 5. cap. 14.
d Ambr. ep. 29.
e Ext. to. 2. epiſt. Rom. Pontif.

VALENTIN. II. 13. THEODOSII 10.

IESV CHRISTI AN. 388.

SIRICII AN. 4.

I.

ANTIOCHENI DEIICIVNT STATVAS IMP.

a Theod. 5. c. 19.
b Soz. lib. 7. c. 23.
c Zoſ. lib. 4.

ANno Chriſti trecenteſimo octogeſimo octauo Theodoſio Auguſto ſecundum & Cynegio Coſſ. ipſo anni exordio idem Imp. aduerſus Maximum expeditionem parans, eius cauſa tributum nouum indixit: quod cum inter alios permoleſte ferrent ciues Antiocheni, proſilientes in forum, veſano impetu irruerunt in ſtatuam æneam Flaccillæ Auguſtæ iam biennio ante vita functæ, eamdemque loco emotam cum ignominia per vrbem protraxerunt. Hæc quidem Theodoretus [a]; quamuis & Sozomenus [b] atque Zoſimus [c] eadem quoq; contumelia ipſius Theodoſij ſtatuas affectas narrent; idque ex oratione [d] Flauiani coram eodem Imperatore habita veritus demonſtretur. Quod autem iidem Theodoretus & Sozomenus, hæc referunt ad tempus poſterioris aduentus Theodoſij in Italiam aduerſus Eugenium tyrannum; eis aduerſatur inprimis Zoſimus, qui tempore expeditionis in Maximum ea contigiſſe refert: itemque S. Ambroſius [e], dum ad Theodoſium ſcribens eo tempore quo Maximum expugnauit, meminit de indulgentia conceſſa Antiochenis.

d ap. Chryſ. ad pop. hom. 20.
e Ambr. ep. 28.

II. THEODOS. VLCISCITVR IN ANTIOC.

Porro Theodoſius ob illud facinus vehementer in Antiochenos commotus, miſit eo Iudices cum exercitu, qui primum omnium ciuitatem illam nobiliſſimam metropolis totius Syriæ dignitate ſpoliauere (Translatam enim fuiſſe Syriæ metropolim in Laodicenſem ciuitatem, Scriptores affirmant) & omnia loco publica, puta balnea, theatra, fora, & alia id genus clauſere: inde vero ciuium complures, qui admiſſi ſceleris vel auctores videri poterant, vel ſocii aſſectatoreſque, captiuos abduxere; cum interim ceterorum pars magna fuga ſibi conſuleret, & pauci qui remanerent in continuo metu eſſent: quos Ioannes Chryſoſtomus Antiochenus presbyter aſſiduis concionibus conſolans, habuit tunc orationes illas, quas Græce (vt teſtatur Suidas [f]) *Andriantas* nominant, nempe de Statuis; ex quibus [g] illius vrbis deploratiſſimus ex omni parte ſtatus abunde cognoſci poteſt. Sed mox in opportunum auxilium properans è montibus proximis magna ſanctiſſimorum multitudo monachorum, id tandem precibus ac monitionibus ſuis apud Iudices effecerunt, vt ſententia de nece ſontium differretur, donec quid de his decernendum eſſet ab Imperatore ſignificaretur.

f Suid. verb. Flauian.
g Vide præcipue homil. 2. & 13 ad pop. Antioch.

III. FLAVIANVS OBTINET VENIAM ANTIOCH.

Verum inter hæc qui ſimulac dirum illud à ciuibus facinus fuerat perpetratum, Flauianus Epiſcopus Antiochenus legationem pro populo libens volenſque ſuſceperat Conſtantinopolim ad Theodoſium Imperatorem, egregia illum oratione iam longo itinere meditata omnino placauit; vt teſtatur Chryſoſtomus [h] homilia poſt eiuſdem ſui Antiſtitis reditum habita, qua ipſius legationis narrationem inſtituit, ipſamque eamdem Flauiani ad Imperatorem habitam orationem recitauit: additque de Imperatoris in eumdem humanitate, & cura de celeri ipſius Antiochiam reditu ad conſolandos ciues, & à metu liberandos ante imminens feſtum Paſchale, quod cum omni gaudio celebrare deberent. Cum igitur conſtet, oratione Flauiani Theodoſium fuiſſe placatum; commentum putamus quod Sozomenus [i] habet de adoleſcentibus ad menſam Imperatoris canere ſolitis; nempe quod eis Flauianus perſuaſerit pronunciare cantilenas, quæ in Antiochenſium ſupplicationibus erant, eoque facto Imperatorem iram poſuerit. Nihil enim prorſus de his Chryſoſtomus, quæ primo loco fuerant collocanda. Sed & quod idem Chryſoſtomus [k] philoſophis tunc Antiochiæ agentibus exprobat, quod vniuerſi ſuos ciues ipſamque ciuitatem omnino deſeruerint; plane redarguit grande mendacium Zoſimi [l], quo tradit Libanium vna cum Hilario pro ſalute ciuitatis legationem ſuſcepiſſe ad Theodoſium. Cum & alioqui Libanium alii ſub Valente defunctum tradant, alij vix ad initium Imperij Theodoſij perueniſſe conſentiunt. Denique cum Antiocheni à neſcio quo Gentili orationem de conſolatione in his ærumnis audiſſent, grauiter in eos inuectus eſt Chryſoſtomus [m], quod qui Ethnicos docere debuiſſent, ipſi ab illis doceri ſuſtinuiſſent. At de rebus Antiochenis hactenus.

h Chryſoſt. hom. 20. ad pop.
i Soz. lib. 7. cap. 23.
k Chryſ. hom. 17 ad pop.

MENDACIA ZOSIMI.

l Zoſ. lib. 4.

NON AVDIENDI SERMONES INFIDELIVM.

m Chryſ. 16.

IV. INSIGNE CERTAMEN THEODOSII CVM OLYMPIADE.

Hoc quoque tempore, antequam Theodoſius cum exercitu in Occidentem aduerſus Maximum proficiſceretur, contigit Conſtantinopoli nobiliſſimus alius conflictus eiuſdem Imperatoris cum *Olympiade* clariſſima femina, Anyſii Secundi (vt habet Menologium [n] Græcorum; ex quo Palladium corrigas, apud quem [o] pro Secundo Seleucus legitur) filia, Ablauii illius, penes quem ſumma rerum fuit temporibus Conſtantini, nepte: quam viduam ſimulq; virginem, ac locupletiſſimi heredem patrimonij relictam à Nebridio C. V. alterius Nebridii ſub Conſtantio Præfectura Prætorio [p] inſigniti filio, cui ad-

n Menol. 8 Cal. Aug.
o Pallad. in Lauſiac. c. 4.
p Ammian. lib. 27.

modum iuuenis nupta fuerat, Theodoſius Imperator conatus eſt coniungere in matrimonium Elpidio cognato ſuo Hiſpano homini. Sed illa renuente, quod Deo tantum vacare inſtituiſſet; idem Imperator omnem eius ſubſtantiam (ex qua pauperes ipſoſque Epiſcopos inſigniores ſuſtentare conſueuerat) Præfecto Vrbis in cuſtodiam dedit, quo his anguſtiis coacta coniugalem eligeret vitam: verum poſtea cum vidiſſet ipſam his magis oblectari, tantumque petere vt ea pauperibus diuiderentur; poſt ſuum à bello reditum, eiuſdem tolerantiam laboremque admiratus, in ſua in omnibus libertate eſſe iuſſit, quæ demum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ diaconiſſa creata munus illud, ad quod nondum annis apta erat, magna totius Eccleſiæ laude expleuit: de qua ſæpe inferius agendum. Hanc porro de illa hiſtoriam pluribus referunt Palladius in Dialogo, ac Leo Auguſtus in rebus geſtis S. Ioannis Chryſoſtomi. Eaque ipſa eſt Olympias, ad cuius nuptias cum ingens inuitata accurreret Epiſcoporum multitudo; quod ipſe Gregorius Nazianzenus intereſſe minime valeret podagra laborans, ad Anyſium patrem ſcripta epiſtola [q] ſe excuſauit, ſed donum miſit carmen parænetícum loco epithalamij nuptialis, quod hodieque extat.

q Greg. Naz. ep. 57.

V. THEOD. CONSVLIT SERVOS DEI DE BELLO.

Ceterum Theodoſius profecturus contra Maximum diuerſis modis ſibi à Deo ſuppetias implorare laborans, inprimis legatos in Ægyptum miſit ad ſanctos ibi agentes anachoretas, quos pro ſe certantes precibus habere voluit propugnatores. Atque inter alios, *Ioannem* ſanctiſſimum monachum à S. Hieronymo [r] magnopere commendatum, quem idem Imperator prophetandi ſpiritu præditum fama crebreſcente didicerat, de belli euentu conſulens; ab eo nuncium victoriæ certiſſimum accepit, ſicut tradunt Auguſtinus [s], Ruffinus [t], & Euagrius [u]. Habentque inſuper Acta [x] Cyri & Ioannis, de *Senuphio* magni nominis Ægypti anachoreta, quod cum ab eodem Theodoſio per Theophilum Alexandrinum Epiſcopum rogaretur ad ſe venire, ipſe ſumma humilitate ſe excuſans, poſtquam Deum orauit vt ſuperhumerali & baculo ſuo daret, vt tantum poſſent quantum ipſe Senuphius ſi illic adeſſet; miſit ea ad Imperatorem, vt cum pugnandum eſſet aduerſus hoſtes, ſuperhumerale capiti ſuo imponeret, ac baculum manu geſtaret. Quod & Imperatorem feciſſe, eadem Acta referunt, atq; his auxiliis glorioſiſſimam victoriam ſine labore ac ſuorum ſanguine reportaſſe. Recitat eadem breuiter Glicas [y]: ſed quo potiſſimum tempore, num aduerſus Maximum hoc anno, an aliis bellis id acciderit, penitus ignoratur.

r Hier. ad Cteſiph. cont. Pelag.
s Aug. 5. de ciuit. 26.
t Ruff. lib. 2. cap. 32.
u Euagr. Vit. SS. Patr. c. 1.
x ap. Metaph. 31. Ianuar.
y Glic. Ann. par. 3.

VI. THEOD. RESCRIBIT ADVERSVS HÆRET.

Eodem item huius expeditionis tempore, idem Imperator aduerſus quoſcumque hæreticos, varia ſub iiſdem huius anni Coſſ. Theſſalonicæ atque Stobis reſcripta [z] dedit, quibus qualeſcumque vbique conuentus agere publicos vel priuatos, aliaque adire munera Eccleſiaſtica, necnon de Religione diſputare prohibuit. Ex quibus cum Marcellinus arguitur, dum ſub anni ſuperioris Coſſ. Theodoſij in Occidentem aduentum collocat; tum Socrates [a], qui affirmat eumdem Theodoſium, exceptis Eunomianis, reliquis hæreticis, puta Arianis & Nouatianis, conceſſiſſe priuatos conuentus agere, & eccleſias extra ciuitates conſtruere. Nam & in his tum Arianorum & Appollinariorum expreſſa fit mentio, tum ceteri omnes hæretici generali nomine comprehenduntur: & in aliis pariter ſuperius recenſitis atque inferius recenſendis eiuſdem Imperatoris ſanctionibus, idem obſeruare licet.

z l. 14. 15. 16. C. Th. de hæret. l. 2. C. Th. de his quæ ſub tyrann. cont.
a Socr. lib. 5. cap. 20.

VII. VICTORIA THEODOSII DE MAXIMO.

Accidit autem proſpere Theodoſio, vt cum manu altera aduerſus hæreticos pugnaret, altera hoſtes deuicerit; nempe Maximum Sciſſiæ in Pannonia, eius vero fratrem Marcellinum apud Petauionem; quos ingentibus pollentes exercitibus, duobus maximis prælis ſuperatos fugauit. Sed & cum Maximus Aquileiam ſe recepiſſet, ibi mox ab eodem Theodoſio obſeſſus eſt; ac paulo poſt à ſuis ipſius militibus captus, atque ad Theodoſium vinctus perductus, confeſtim ab iiſdem (cum viderent Theodoſii animum flecti ad miſericordiam) nequid, vt ait Pacatus, licere poſſet clementiæ, inter innumeras manus raptus eſt ad mortem ſexto Calendas Septembris. Nec ita poſt in Sicilia Andragathius eiuſdem Maximi claſſis præfectus, olim Gratiani proditor, audita eius nece ſe præcipitem dedit in fluctus: ſecutaque eſt mors *Victoris* Maximi filii, à patre iam Auguſti nominati; quem Arbogaſtes Comes proditione confecit, puerulum apud matrem relictum in Galliis. Hæc à Zoſimo [b] copioſius quam aliis deſcribuntur: narrantur vero etiam à Pacato, [c], Socrate [d], & aliis [e]; meminitque Ambroſius [f], qui & ait ingentes illas victorias Theodoſium reportaſſe ope Francorum atque Saxonum. Pro victoria vero de Maximo parta, Romanos quolibet poſtea anno feſtum agere conſueuiſſe, teſtis eſt Procopius [g]. Porro Theodoſius erga reliquos hoſtes maxima clementia vſus, & Valentiniano Occidentale rurſum relinquens Imperium, magnam apud omnes conſecutus eſt laudem [h]: ſed maiorem inde meruit, quod eumdem Valentinianum Catholicæ [i] reddidit diſciplinæ, docens ipſum ea de cauſa commeruiſſe à Maximo depelli, quod inhærens matri Iuſtinæ (quæ his diebus defuncta [k] eſt) fidem Catholicam deſeruiſſet. Manſit vero hoc anno Theodoſius Aquileiæ & Mediolani; vbi datis reſcriptis [l] acta ſub Maximo infirmauit.

MAXIMVS NECATVR CVM SVIS.

b Zoſ. lib. 4.
c Pacat. paneg. Theod.
d Socr. lib. 5. ca. 14.
e Paul. diac. Greg. Tur. & alii.
f Ambr. ep. 29. ad Theod.
g Procop. de bel. Vandal. lib. 1.
h Pac. & Ambr. ibid. Aug. 5. de ciu. 26.
i Suid. in Valentin. Ambr. ep. 34. ad Theod.
k Soz. lib. 7. c. 14.
l l. 6. & 7. C. Th. de his quæ ſub tyran.

VIII.

Cum ex altera parte Conſtantinopoli falſis diſſipatis rumoribus de maxima clade eidem Imperatori per Maximum illata; Ariani [m] animis reſumptis, Nectarij Epiſcopi domum iniectis facibus incenderunt. Sed paulo poſt accepto nuncio de Ingenti Imperatoris victoria, multo timore concuſſi, interceſſione [n] Arcadij Theodoſii filij veniam ſceleris impetrauerunt. Nec prætereat, quod hoc ipſo anno antequam Maximus victus eſſet, Theophilus [o] Epiſcopus Alexandrinus miſit in Italiam Legatum Iſidorum (olim Nitriæ monachum [p], poſt ea presbyterum Alexandrinæ Eccleſiæ factum, virum ſpectatum valde ac prædiuitem, ſed qui omnia Chriſti amore in pauperes fuerat elargitus) cum litteris atque muneribus, vt alterutri qui vinceret ea traderentur. Qua fraude Romæ per eius lectorem detecta, ipſe Iſidorus metu perculſus mox Alexandriam profugit: de quo rurſum inferius agendum erit.

m Socr. lib. 5. cap. 13. Soz. lib. 7. c. 14.
n Ambr. ep. 29.
o Socr. l. 6. c. 2.
p Pallad. in Lauſia. cap. 1.

IX. AVGVSTINI BAPTISMVS.

Hoc ipſo anno S. Auguſtinus, cum trigeſimo primo (vt diximus) ſuæ ætatis anno conuerſus eſſet, ac biennium catechumenus perſeueraſſet; iam anno trigeſimo quarto ſuæ ætatis, Paſchali [q] tempore Mediolani à S. Ambroſio baptizatus [r] eſt, vna cum Alipio Hipponenſi amico cariſſimo, & Adeodato filio ſuo naturali, adoleſcente tunc annorum ferme quindecim, ſed miro ingenio & præſtanti pietate prædito; qui poſt paucos annos in Africa defunctus eſt. Porro fertur Ambroſij nomine ſermo [s] de baptiſmo S. Auguſtini, ſed qui nec apicem habeat Ambroſij. Nam vt de diſſimilitudine ſtyli dicere prætermittamus, imperitus ille fictor impoſturæ perfacile arguitur, cum ait Auguſtinum Carthaginenſem fuiſſe, atque ex Gentilium cultu factum Chriſtianum; denique in ipſo baptiſmo cucula nigra fuiſſe indutum: cum tamen certo ſit certius, Auguſtinum Tagiſtenſem fuiſſe, nec vmquam Getulem, licet ſectator fuerit Manichæorum; ac denique moris fuiſſe inuiolabilis baptizatum quemlibet albis indui veſtimentis. Poſt ſuſceptum vero baptiſmum, idem Auguſtinus haud diu Mediolani paſſus eſt detineri; ſed vna cum ſancta matre, filio, Alpio atque Euodio Agente in rebus nuper & ipſo ad fidem conuerſo, reuerſurus in Africam Romam ſe contulit: vbi vſque ad ſequentis anni tempus nauigationi commodum remanſit, complura ſcribens cum aduerſus Manichæos, tum de aliis rebus, vt ipſemet [t] alibi enumerat.

q Poſſid. in Vit. Aug.
r Aug. 9. Confeſſ. 6. & cont. Petil. lib. 3. c. 9.
s ap. Ambr. ſer. 92.
t Aug. 1. Retract. c. 5.

X. DE SYNAGOGA IVDÆORVM ET LVCO VALENTINIANORVM INCENSIS A CHRISTIANIS.

Eodem item anno, Theodoſio Mediolani agente, accidit [u] vt in partibus Orientis à Chriſtianis ſynagoga Iudæorum, & lucus ac fanum Valentinianorum hæreticorum incenſa ſint, quod ij monachis Chriſtianis, cum cantibus ad celebritatem Machabæorum martyrum proceſſionaliter ex conſuetudine vſuque veteri Chriſtianorum pergentibus, inſultaſſent. Qua de re certior factus Theodoſius, præcepit vt ſynagoga ab eius loci Epiſcopo reædificare-

u Paulin. in Vit. S. Ambr.

caretur, qui auctor incendij ferebatur. Sed quod indecens eſſet, ſynagogas Iudæorum à Chriſtianis inſtaurari; ne id fieret S. Ambroſius [x] obſtitit, magna dicendi libertate ac vigore ſacerdotali & litteris abſens & verbis præſens apud Imperatorem vſus; veniamque tandem Chriſtianis illis & Epiſcopo impetrauit. Idemque legationi Gentilium Senatorum, petentium ab Imperatore vt Aram Victoriæ à Maximo reſtitutam ſineret permanere in Capitolio, ſeſe fortiter opponens, illum ab eiuſmodi conceſſione reuocauit [y].

x Amb. ep. 29. ad Theo. ep. 11. ad ſor. Paul. vod.

y Idem ep. 11. edit Sixt. ad Eug.

XI. z Zoſ. l. 4. QVID THEOD. IN CAVSA LVCIFER. SCHISMAT.

Hoc item anno Cynegium, qui vna cum Conſulatu Præfecturam Prætorij adminiſtrabat, ex hac vita migraſſe auctor eſt Zoſimus [z], in eiuſque locum Tatianum ſuffectum fuiſſe. Porro ad eumdem Cynegium eodem fungente magiſtratu, Theodoſius Imperator pro ſchiſmaticis Luciferianis reſcriptum dedit, quod extat in libello Marcellini ac Fauſtini eiuſdem ſectæ presbyterorum. Cuius quidem ea præceſſit occaſio, quod iidem Marcellinus ac Fauſtinus ex ſchiſmate Vrſicini inhærentes ſchiſmaticis Luciferianis, aduerſus Orthodoxos librum conſcripſiſſent, quem [a] Theodoſio obtulerunt: quo lecto Imperator, vel ignorans ipſos fuiſſe ſchiſmaticos, vel quod perperam putaſſet reperiri fidem in ſchiſmate, cum & qui obtulerunt in omnibus profiterentur ſeſe Catholicæ fidei defenſores, ob eamque cauſam plurimum vexari à Catholicis vel hæreticis Arianis; Theodoſius voluit prędicto ſuo illos fouere reſcripto. Res autem ſic ſe habuit, donec hæc ipſa Epiſcopis Catholicis innotuere: qui cum quod verum eſſet Theodoſio ſignificaſſent, omnes ipſorum conatus prorſus irritos reddiderunt; adeoque ſchiſma diſciſſum fuit, vt poſthac nulla amplius mentio reliqua fuerit Luciferianorum ſchiſmaticorum: qui vero apud eos ſanioris fuere conſilii, Eccleſiæ ſe Catholicæ coniunxerunt: vt inter alios *Gregorius* Bæticus Eliberi Epiſcopus, cuius meminit S. Hieronymus in Scriptoribus Eccleſiaſticis, cuiuſque hactenus extat liber *de Trinitate ad Gallam Placidiam*, titulo prænotatus; nomenque eius inter Sanctos [aa] relatum habetur.

a Gennad. de Script. Eccl. c. 16.

SCHISMA LVCIFER. PENITVS DEIICIT.

aa Martyr. Rom. 24. Ap.

XII. DE QVIB. EPIST. COMMENTITIIS.

Fertur etiam Chromatii Epiſcopi Aquileienſis & Heliodori Altinenſis nomine epiſtola ad S. Hieronymum ſcripta, qua dicitur hoc anno ſimul ac Theodoſius Imperator Mediolanum ingreſſus eſt, conuocaſſe ad ſe omnes Italiæ Epiſcopos in cauſa quorumdam Epiſcoporum Arianorum; in quo conuentu laudatus traditur ab eodem Imperatore alius *Gregorius* Epiſcopus Cordubenſis, quod diebus ſingulis etiam ieiunii tempore illorum martyrum memoriam recoleret, quorum natalitia contigiſſent; deque his ipſos Chromatium & Heliodorum ad S. Hieronymum dediſſe litteras, quibus eum rogarent vt Martyrologium conſcriberet: eiautem epiſtolæ, veluti ad eam redditæ ab eodem Hieronymo ad ipſos litteræ ſubiiciuntur. At ſicut illas ſpurias eſſe alibi [b] demonſtrauimus; ita è contra merito affirmamus auctoritate Caſſiodori [c], ipſum San. Hieronymum per breuem Sanctorum collectionem elaboraſſe, eamque ad eoſdem Chromatium & Heliodorum miſſam toto Chriſtiano Orbe vulgatam eſſe.

b In a trill. de Tyro. Martyrol. c Caſſiod. Inſtitution. ad c. 32.

XIII. DE PALLADIO GALATA. d Pallad. in Lauſiac. c. 1.

Hoc eodem anno, nempe ſub Conſulatu Theodoſii ſecundo, *Palladius* Galata (vt ipſe teſtatur [d]) Alexandriam petiit; qui tum ex iis quæ ibi eremum Ægypti peragrans vidit, tum ab aliis audiuit, ſcripſit poſtea commentarium ad Lauſum Præfectum, quem ideo interdum *Lauſiaca* appellarunt; cui & *Paradiſi Heraclidis* titulus præfixus alicubi reperitur. Manſit hic in eremo cum Euagrio Pontico aliquot annis: cuius conſuetudine, Origenis erroribus imbutus, eos poſtea in Palæſtina docere conatus eſt; ideoque cum cauendum, S. Epiphanius [e] Ioannem Hieroſolymitanum Epiſcopum quamprimum admonuit. Inde vero recedens in Bithyniam, Catholici hominis perſonam induens, Epiſcopus Helenopoleos creatus eſt; inque Iohannis Chryſoſtomi amicitiam ſe inſinuans, ob eiuſdem defenſionem multa etiam paſſus [f] eſt: eodemque tempore, cum vigeret vehementior in Chryſoſtomum perſecutio, idem ex Oriente recedens, Romam [g] ſe contulit ad Innocentium Papam, vt etiam dicetur ſuo loco.

e Ap. Hier. ep. 60.

f Pallad. ib. c. 22. g Id c. 43.

XIV. DE EVAG. PONTICO. h Hier. ad Cteſiph.

Quod vero ad *Euagrium* ſpectat; ſuit is origine Iberus citra Pontum Euxinum, quem ob id *Hyperboritam* appellat S. Hieronymus [h]: qui quidem à S. Baſilio Lector ordinatus, & à S. Gregorio Nazianzeno Conſtantinopoli factus diaconus, Nectarioque commendatus, inde cum diuino impulſu coactus eſſet recedere, Hieroſolymam ad Melaniam ſe contulit: vbi corporis mala valetudine diu affectus, pœnitentia anteactæ vitæ ductus, & ex clerico monachus redditus in Nitriæ monte Ægypti ad decimum ſextum vſque annum degit; prout idem qui ei inhæſit Palladius [i] tradit. Scripſit autem præter Vitas Patrum multa alia, quorum meminere Hieronymus [k], Sozomenus [l], & Socrates [m]; necnon Gennadius [n], qui erga Pelagianos & ipſe Pelagianus propenſior, tribuit falſus auctor Euagrio ſigna atque prodigia; quorum tamen Palladius illius ſocius, rerumque ab eo geſtarum ſcriptor nullo modo meminit. Sic namque Euagrius ſectatus eſt Origenis errores, vt ſententia Hieronymi [o], Epiphanii [p], Theophili Alexandrini, & aliorum Orthodoxorum, idem ipſe Pelagianis materiam præparauerit delirandi. Et qui Indolentiam Stoicam in Eccleſiam introducere conatus eſt; hominemque ſtatim ad culmen perfectionis euehi à ſe poſſe, ſcriptis ſuis pollicebatur; eo nomine ab aliis [q] deriſus eſt.

i Pallad. ib. c. 86. k Hier. praef. aduer. Pelag. l Soz. l. 6. c. 30. m Socr. l. 4. c. 18. n Gennad. de vir. illuſt. c. 11.

EVAGR. ORIGENISTA MATERIAM PRÆPARAVIT PELAGIO. o Hier. de praef. p Epiph. ap. Hier. ep. 60. q Io. Climach.

IESV CHRISTI AN. 389.

VALENT. II. 14. THEODOSII II.

SIRICII AN. 5.

I. OBITVS S. MONICÆ.

ANNO Domini trecenteſimo octogeſimo nono, Timaſio atque Promoto Coſſ. Auguſtinus cum hiemaſſet Romæ, ad Oſtia Tiberina deſcendens inde ſoluturus in Africam, retardatus eſt Monicæ matris ægritudine: ea vero ibidem defuncta anno ætatis ſuæ quinquageſimo & ſexto, poſt oblatum ex more Chriſtianorum pro eius anima ſacrificium incruentum, ſicut etiam illa moriens iuſſit, ceteraque perſoluta religioſa funeris officia; ſecunda nauigatione cum ſociis Carthaginem appulit: vt hæc omnia pluribus ipſe [a] deſcribit. Sed quod habet textus, ipſum tunc fuiſſe ætatis annorum triginta trium; corrigendus eſt vt legatur triginta quinque, ſecundum ea quæ de ipſius ætate dicta ſunt ſuperius. Rediens vero idem mox vna cum iiſdem ſociis ſuis Alipio & Euodio in patriam, quem condixerant vitæ ſtatum cum adhuc in Italia eſſent, exercere cœperunt. Siquidem rus ſecedentes, triennio [b] ibi permanſere, ieiuniis, orationibus, boniſque operibus dediti, ac legem Domini meditantes die ac nocte: vbi & ipſe Auguſtinus multos tunc libros conſcripſit, antequam presbyter fieret, quos ipſe alibi [c] recenſet.

a Aug. 9 Confeſſ. 8 & ſeqq.

AVGVSTINI VITÆ INSTITVTIO IN AFRICA.

b Poſſid. in Vit. S. Aug. c. 3.

c Aug. Retract. l. 1.

II. GREGOR. NAZ. OBITVS.

Hoc item anno, nona die menſis Maii, *S. Gregorius* Nazianzenus cognomento Theologus, diem clauſit extremum. Cum enim de eo dicat Hieronym. in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, obiiſſe ante ferme triennium ex quo is eumdem librum ſcriberet, conſtetque ſcriptum fuiſſe anno Theodoſii imperii decimoquarto (teſtatur id enim ipſe in fine) plane aſſerendum eſt, vndecimo eiuſdem Imperii anno, hoc ipſo nimirum, eum ex hac vita deceſſiſſe. Ex quibus erroris redarguitur Proſperi Chronicon, in quo eiuſdem Gregorii obitus recenſetur anno tertio ipſius Theodoſii ſub Conſulatu Eucharii atque Syagrii. Itemque Suidas, dum ait eumdem obiiſſe anno eiuſdem Imperatoris decimo tertio, ipſius vero Gregorii ætatis nonageſimo; cum tamen quem vidimus [d] ipſiuſmet teſtimonio, anno Domini trecenteſimo quinquageſimo quarto natum annos triginta, dicendus ſit obiiſſe anno ætatis ſexageſimo quinto.

d Sup. ann. 354. reſ.

III. EXERCITIA GREG. NAZ. IN SENECTVTE.

Fuiſſe ipſum robuſto corpore, verum aſſiduis podagræ, aliarumque ægritudinum moleſtiis fractum, ſæpius ipſe teſtatur: qui detentus in lectulo, cygneis ſe diuturni ge-

neris carminibus ſolabatur, quorum pleraque hactenus extant: interque alia, quibus indicat ſe non morbo tantum vexatum corporis, ſed diris à diabolo [e] impugnatum eſſe ſtimulis carnis: quos cum olim iuuenis facili negotio ſuperaſſet, illibatam à pueritia virginitatem cuſtodiens, vix ſenex multis lacrymis, vigiliis orationibus, ieiuniis, aliiſque aſperrimis macerationibus, futurique iudicii meditationibus, atque exacta cuſtodia monaſticæ diſciplinæ coercere potuit. Linguam inſuper loquaciorem ſentiens perpetuo [f] eam quadraginta dierum ſilentio domuit. Denique & ab inuidis monachis aliquando ad altare Dei ſacrificans lapidibus appetitus, diuina fultus gratia immane periculum euaſit. Cuius graſſationis meminit ipſe in epiſtola [g] ad Theodorum Epiſcopum Tyanenſem, in eoſdem monachos ſcelus vindicare paratum, quem ab eo reuocare conatur. Hic vero illud obiter attingendum; Gregorium hanc & alias plures epiſtolas ſcribentem ad eumdem Theodorum Epiſcopum Tyanenſem in Cappadocia, calumniam paſſum eſſe à poſteris, qui aſſeruerunt ſcripſiſſe litteras ad Theodorum Mopſueſtenum hæreſiarcham. Sed cum mille modis redargui poſſit calumniantiū vel dolus vel imperitia; ſatis illud ſit tibi, Iuſtinianum Imperatorem in edita à ſe de Fide Catholica ſanctione [h], ipſum ab hac calumnia liberaſſe. His igitur Gregorius tam præclaris auctus in ſenectute coronis, feliciter migrauit in cœlum.

e Greg. Naz. car. aduerſ carnē. carm. de calam. animæ ſuæ & ep. 196. ad Valer.
f Id carm. in ſilent. 40.
g Id ep. 21. edit. B.ſ.
CALVMNIA IN GREG.
h Ext. to. 2. Conc.

IV. GREG. EFFIGIES.
i Num. 149.

Extat in Græco [i] codice Vaticano eius effigiei deſcriptio, qua dicitur fuiſſe ſtatura mediocri, aſpectu blando & ſuaui; ſubpallidus tamen, ſubcaluus, barba non promiſſa, ſed denſa, depreſſo naſo, ſuperciliis in rectum protenſis, dextro oculo cicatrice aliquantum cōtracto: quibus quidem conſentiunt quæ ipſe de pallore [k] ſuo & macie, oculi [l] cicatrice, atque caluitie [m] teſtatur. Tanto autem tum viuens tum etiam poſt mortem nominis ſplendore effulſit, vt tam Græcorum quam Latinorum inſignibus præconiis celebretur: quem & laudauerint etiam Eccleſiæ hoſtes, vt inter alios Euſtorgius, qui Baſilio atque Apollinari Gregorium prætulit. Repræſentauit eum quaſi viuentem poſt mortem veneranda ipſius imago [n], non pictura tantum, ſed & ſculptura reddita; quę in eccleſia collocata, magna Fidelium veneratione pie culta fuit, ex qua & miracula diuinitus edita prodiere, vt ſuis dicetur locis. Compoſuit ipſe ſibi Epigramma, ſeu potius vitæ epitomen, continens epitaphium, quod hactenus extat [o]. Eius vero corpus Roma tandem accipiens nobiliſſimo condidit tumulo in baſilica Vaticana.

k Greg. orat. in Max.
l Id. carm. de reb. ſuis.
m Id orat. ad Arian.
n Cedr. in Mich. Balb.
o Greg. Naz. Epitaph. & Epitom. vit. ſuæ.

V. TESTAM. GRE. NAZ.

Confecit & Teſtamentum [p] iam tunc cum eſſet Conſtantinopoli, vt præſefert titulus, Eucherio & Syagrio Coſſ. quo omnia ſua Eccleſię Catholicę Nazianzi in vſum pauperum reliquit, exceptis paucis quibuſdam legatis in fauorem propinquorum aut domeſticorum ſuorū. Ipſum vero mox executioni fuiſſe mandatum, eandemq. Eccleſiam Nazianzenam adeptam eſſe poſſeſſionem eorū quæ ipſe ei reliquiſſet, perſpicue declaratur carmine ad Iulianum Tributorum Exæquatorem, quo eius Eccleſiæ bona ei commendat, quæ olim (vt ait) ipſius Gregorii fuiſſent. Meminitque ſæpe aliis locis de abdicatione à ſe facta omnium diuitiarum, retento ſibi vbi degeret paruulo tantum horto cum fonte: quod teſtatur cum in quoſdam monachos hypocritas iuſte inuehitur.

p Deſcripſit Baron. Ann. to. 4. hoc an. ex Bibl. Vatic. duobus codd. Gr. n. 311. 592. Extatq. in formis Beſſenij, ſed valde corruptum & mutilum.

VI. GREG. PERPETVAM COLVIT VIRGINITATEM.

Ceterum quod in eo Gregorii teſtamento fit mentio de Alypiana, quam *filiam* vocat, itemque Eugenia & Nonna eiuſdem Alypianæ ſororibus; necnō de Meletio, quem item *generum* ſuum nominat: nihil eſt quod exiſtimes eumdem Gregorium filias habuiſſe, aut generum; cum ſæpe ſæpius ipſemet teſtetur [q] ſe perpetuam coluiſſe virginitatem. Sed fuerunt illæ filiæ Gorgoniæ ſororis ipſius Gregorii, quæ nupta Vitaliano ex eo genuit prædictas filias, itemque filios Petrum & Phocam, vt idem ipſe Gregorius teſtatur in carmine filiorum ad ipſum Vitalianum ſcripto. Alypiana vero nupta fuit inſigni viro Nicobulo, ex quibus ortus eſt Nicobulus iunior, cuius nomine ad eius patrem extat Gregorii carmen, nec non aliud patris nomine ad ipſum filium redditum, & aliæ complures epiſtolæ.

q Greg. Naz. carm. de ſeipſo. carm. de calam. ſuis. carm. de Virginit. carm. de Vit. ſua. carm. de reb. ſuis, carm. de calam. anim. ſuæ, carm. in monach. hypocr. in Epitaph. ſuo, in præcept. ad Virg.

VOCE GENERI VENIVNT AFFINES.

Quod ſiquis omnes quos idem Gregorius ſuis ſcriptis filios vel filias nominat, ex coniuge eſſe ſuſceptos vellet aſſerere; pluſquam quingenti (vt ita dicam) ex eo geniti reperirentur, quos (vt fit) propter ſuam in eos beneuolentiam, aut propter iuniorem ætatem, aut denique propter affinitatem, eiuſmodi honeſtauit nominibus. Quod vero Meletium appellet *generum* ſuum; vox quidem illa in Græco legitur γαμβρὸς. cuius etſi frequentior vſus eſt, vt generum exprimat; ſignificare tamen poſſe interdum affinem quemlibet; extra [r] controuerſiam eſt: ſicut & apud Latinos idem in voce *generi*, loquendi vſum obtinuiſſe, vt alios prætermittamus, Iuſtinus [s] hiſtoricus fidem facit, dum generum vocat virum ſororis. At de Gregorio Theologo hactenus.

r Vid. Theſ. ling. Gr.
s Iuſt. l. 18.

VII. THEODOS VNA CVM VALENT. TRIVMPHAT.
t Soz. l. 7. c. 14.

Iiſdem huius anni Coſſ. (vt habet Marcellinus Comes in Chronico) Theodoſius Imperator menſe Iunii Vrbem ingreſſus eſt: agenſque de liberato Imperio Occidentali triumphum (ſicut narrat Sozomenus [t]) ſocium gloriæ habere voluit Valentinianum Auguſtum, quod ſplendidioris triumphi ipſi conciliauit honorem. Tuncque Latinus Pacatus nobilis orator Gallicanus, cum Romæ præſens eſſet, Theodoſium in Senatu luculenta oratione laudauit, quæ hactenus extat. Sicut & Symmachus clariſſimus Senator & orator, ſed Gentilis (de quo ſuperius actum eſt) tempori inſeruiens, qui prius Maximum celebrauerat, nunc quoque Theodoſium in Conſiſtorio oratione laudauit. Sed cum eadem petiiſſet vt Ara Victoriæ in Senatu reſtitueretur, ipſum ſtatim Theodoſius à ſuis aſpectibus pulſum, in centeſimo lapide, rhedæ non ſtratæ impoſitum ea die manere præcepit, vt ait S. Proſper [u], cui potius credendum eſt, res ſui temporis in Occidente geſtas ſcribenti, quam Socrati [x] longe poſt hæc in Oriente eadem aliter in fauorem ſuorum Nouatianorum referenti, dum ait Theodoſium dediſſe Symmacho veniam in gratiam Epiſcopi Nouatiani Romæ agentis. Verum (vt addit) ſcribens idem Symmachus ad Imperatorem Apologeticum, non veniam tantum eſt conſecutus, ſed & maiorem apud eum gratiam nactus; vſqueadeo vt etiam Conſulatu ordinario anno poſt ſequentem ab eo auctus fuerit.

SYMMACHVS INCVRRIT IRAM THEOD.
u Proſp. de promiſſ. l. 3. c. 38.
x Socr. l. 5. c. 14.

VIII.
y Prud. aduerſ. Sym. l. 1.

Agens vero Prudentius [y] in carmine contra eumdem Symmachum ſcripto, de Theodoſij Romam aduentu, ait nihil eum antiquius habuiſſe, quam vt Vrbem à profano idolorum cultu penitus liberaret; ita cum Romanis tranſigens, vt ſacrificia omnia, feſtique dies abolerentur, & ipſę idolorum ſtatuæ frangerentur; niſi quod illas quæ ab excellentioribus artificibus confectæ eſſent, ad Vrbis ornatum, non etiam ad cultum, exponi permiſit. Vt ex his videas, confractionem nobiliſſimorum artificum operum, Gothis potius quam Chriſtianis adſcribendum eſſe: quibus fortaſſe Deus tradidit Vrbem, vt eam penitus expurgarent à deorum Gentilium ſimulacris. Ceterum de expoliatione templorum, & cōfractione idolorum à Theodoſio iuſſis, eorumque cæremoniis obliteratis, meminerunt que quoque Proſper [z], Auguſtinus [a], & Ambroſius [b]. Vnde ſine diis Capitolium, nempe templa ibi ſita, ſemiruta & ſquallore obducta fuiſſe, Hieronymus [c] tradit. Sed & ſcribit Zoſimus [d], cum Theodoſius Romam venit, hoc ſcilicet anno, Stiliconem Ducem vtriuſque militiæ, è foribus Capitolii laminas aureas abſtuliſſe; eiuſque vxorem Serenam detraxiſſe è collo Rheæ deorum matris mundum muliebrem, ſuoque ipſius illigaſſe. Qui tamen præter Scriptorum omnium ſententiam, ait eos poſtea ob hæc perpetrata male perijſſe. Nam omnes alij cauſam necis Stiliconis, proditioni Imperii tribuerunt, de qua dicetur ſuo loco. Sed eſt iuſta de iiſdem in eo querela Zoſimi, quod eiuſmodi ſpolia à templis deorum ablata ſibi ſumpſerunt: cum apud antiquæ probitatis Chriſtianos nefas [e] duceretur ſic in idola graſſari, vt in vſum priuatum ipſorum aliquid ex iis conuerteretur; ne ſcilicet ardore auaritiæ potius quam zelo pietatis viderentur in ea inſurgere. Cremaſſe inſuper Libros Sibyllinos eumdem Stiliconem, luxit Gentilitas [f]; quamuis hoc potius ſub Honorio Imp. contigerit.

DE SPOLIATION TEMPLORVM.
z Proſp. d. c. 38.
a Aug. 5. de ciuit. 26.
b Ambr. orat. in fun. Theod.
c Hier. ep. 7 ad Læt. & 2 cont. Iouin.
d Zoſ. l. 5.
e Aug. ep. 154 ad Publ. Mercator. Vit. S. Porphyr. Gaz. Epiſc. 26. Febr.
f Rutil. Itin. lib. 2.

Vrbem

IX. DISTRVCTÆ MVSCIPVLÆ INSONTIVM.

g Socr. l. 5. c. 18.

Vrbem quoque Socrates [g] ait Theodoſium expurgaſſe furum latibulis, in quę plerique incauti ſecretis quibuſdam machinis ad piſtrina præcipitabantur: itemque lupanaribus, quibus mulieres in adulterio deprehenſæ, includi ſolitæ, ad tintinnabulorum ſonitum ſcortari cogebantur, vt iis qui in proximo adeſſent illarum turpitudo innoteſceret. Hæc quidem Socrates. At vero hanc fuiſſe Romæ conſuetudinem, apud neminem memini legere: ſiquidem ibi lex Iulia ſemper vigens extitit vindex aduerſus adulteros. In multis autem Italiæ, aliarumque prouinciarum locis, ſcimus hactenus in more eſſe, vt viduarum ad vota ſecunda tranſeuntium matrimonia hoc tintinnabulorum ſonitu derideantur. Sed quod pertinet ad Vrbis expurgationem; reperitur quoque Theodoſius hoc eodem anno Romæ ſanctionem [h] edidiſſe aduerſus maleficos.

TINTINNABVLA IN NVPTIIS VIDVARVM.

h l. 11. C. Th. de malef.

X.

i Soz. l. 7. c. 14.

k l. 18. C. Th. de hæret.

QVID THEOD. ROMÆ DE REL. RELIG.

Quod vero ſcribit Sozomenus [i], eumdem Imperatorem Romę multa pro ſaluberrimo Eccleſiarum ſtatu conſtituiſſe; liquet inprimis, cum aduerſus Manichæos tam in Vrbe quam in reliquo Orbe commorantes reſcripſiſſe [k], vt vndique pellerentur. Id autem feciſſe inſtante Siricio Papa, ſignificant labores ab illo ea de cauſa ſuſcepti, qui deſcribuntur in libro de Romanis Pontificibus. Sed & eumdem imperatorem excitatum fuiſſe aduerſus Flauianum Epiſcopum Antiochenum ab eodem Pontifice in fauorem *Euagrii*, ſuffecti nuper in locum Paulini alterius Catholicorum partis in eadem ciuitate Epiſcopi, adeo vt idem Flauianus poſtea ab Imperatore iuſſus fuerit Romam proficiſci, licet tergiuerſationis cauſas quæſierit; pluribus narrat Theodoretus [m], ſed ſatis confuſe, atque haud adeo ſincere, quippe nimis propenſior erga Flauianum. Cui quidem dicenti, Paulinum adhuc viuentem ſibi ipſi contra canones ſucceſſorem ordinaſſe Euagrium, repugnant omnino Socrates [n] & Sozomenus [o], affirmantes nonniſi poſt obitum Paulini auditores eius tentaſſe ſubrogare Euagrium.

m Theod. l. 5 c. 23.

n Socr. l. 5 c. 15.

o Soz. l. 7 c. 15.

XI.

p Ambr. ep. 78.

Aliquid tamen vitii in ordinatione Euagrii interceſſiſſe, S. Ambroſius [p] inſinuat in epiſtola de his altercationibus ſcripta ad Theophilum Alexandrinum: ex qua multa cognoſcuntur ſtatuta in Occidente, quæ prætererunt Græcos hiſtoricos: nimirum poſt querelas Siricii aduerſus Flauianum, in eadem cauſa indictam fuiſſe (quamuis annus certus ignoretur) SYNODVM *Capuæ*, ad quam Flauianus vocatus minime venerit, ſed ab Imperatore petierit Concilium agi in Oriente, ad quod ipſe cauſam dicturus accurreret. Interea vero Synodum Capuenſem, ne aliquo diro ſchiſmate ea de cauſa Chriſtianus diſcinderetur Orbis, illud inprimis ſtatuiſſe, vt neutrius partis ſectatoribus Catholicis communio denegaretur: deinde vt eiuſmodi diſſenſiones omnino ſedarentur, cauſam inter Euagrium & Flauianum cognoſcendam delegaſſe Theophilo Epiſcopo Alexandrino (tum ob ſedis illius principalem in Oriente auctoritatem, tum etiam quod ipſe à neutrius partibus ſtaret) vt cum ſibi ſubiectis Ægypti Epiſcopis illam iudicaret; ita tamen vt ipſorum iudicium poſtea confirmandum eſſet à Romanæ Sedis Antiſtite: ſed rurſum horum iudicium Flauianum refugiſſe. Hæc quidem conſtant ex prædicta Ambroſii epiſtola. Quid autem poſt hæc vſque ad ſecundum Theodoſii in Italiam aduentum factum fuerit, ignoratur: illud tantum ex Socrate [q], fuſte commotum eſſe Romanum Pontificem (quem ipſe perperam Damaſum vocat, quem conſtat longe ante creationem Euagrii defunctum eſſe) aduerſus Flauianum; ſed per Theophilum actum eſſe, vt ob vniuerſalis Eccleſiæ pacem illi reconciliaretur, & communicationem vt prius impertiret. Ceterum ad breue poſt hæc tempus vixiſſe Euagrium, cum eodem Socrate Sozomenus [r] affirmat; cum tamen nec ſic ea diſcordia finem acceperit: Siquidem etſi Euagrio nullus ſit datus ſucceſſor; nihilominus qui eius communionis erant, priuatos conuentus agentes, communicare cum Flauiano penitus recuſarunt.

CONCIL. CAPVAN. IN CAVSA EVAGRII ET FLAV. EPISCOP. ANTIOCH.

q Soc. l. 5 c. 15.

r Soz. l. 7. c. 15.

XII. BONOSVS

In eadem quoque Synodo Capuenſi, actum eſt de *Bonoſo* cuiuſdam in Macedonia ciuitatis Epiſcopo, hæreſis accuſato, quod auderet Dei-Genetricis virginitatem poſt partum negare: cuius cauſæ cognitione delegata [s] Anyſio Epiſcopo Theſſalonicenſi, ab hoc ille damnatus [t] eſt. Porro à Bonoſo dicti ſunt *Bonoſiani* hæretici; iidemq; Photiniani hæreſis ſectatores, vt Gennadius [u] tradit. Damnaturque à Gelaſio [x] Papa Bonoſiani, vna cum Photino & aliis illi ſimilibus: nam & Photini hæreſim ſectatum fuiſſe Bonoſum, Innocentius [y] æque ſignificat. Denique fuit in eadem Synodo Capuenſi ſtatutum [z], ne fierent rebaptizationes, reordinationes, & Epiſcoporum tranſlationes.

HÆRET. DAMNATVR.

s ep. Ambr. ep. 79.

t Innocent. PP. c. 22.

u Gennad. de vir. ill. Ruff. in Audent.

x c. Sancta Rom.

y Innoc. ep. 20. c. 11.

z Canone à Carth. c. 38. & ep. Theod. Balſ. can. 12.

Recedens hoc eodem anno Calendis Septembris (vt habet Marcellinus Comes) Theodoſius Imperator ab Vrbe, Mediolanum petens in itinere reſcripto [a] vetuit, *ne ſacratis Quadrageſimæ diebus ſupplicia fierent corporum, quibus abſolutio expectatur animarum.* Idemq; Mediolani menſe Nouembris, alio reſcripto [b] omnibus hæreticorum clericis conuentus omnino prohibuit.

XIII.

a l. 4. C. Th. de quæſt.

b l. 19. C. Th. de hæret.

XIV. DEMOLITIO TEMPLI SERAPIDIS ALEXANDR.

c Ruff. l. 2. c. 22.

d Vit. SS. Patr. par. 2. c. 11.

e Eunap. Sard. in Vit. philoſ. in Æd.

Hoc item anno (vt idem Marcellinus ſcribit) celeberrimum illud, totoq; Orbe terrarum notiſſimum templum Serapidis Alexandriæ, iuſſu eiuſdem Imp. funditus exciſum eſt; occaſione (vt tradit Ruffinus [c]) turbarum à Gentilibus in Chriſtianos motarum, ob detecta quædam nefanda eorumdem Gentilium myſteria. Prædixerat illam, & aliorum in Ægypto templorum idolorum demolitionem, Beſſarion [d] Abbas. Sed quod eadem ab Antonino quoque Ethnico philoſopho, ſeu verius mago, prædicta fuiſſet, vt auctor eſt Sardianus [e]; inde Gentiles, cum in templi iactura erubeſcerent imbecillitatem ſuorum deorum, tamen quod iidem iſta prænunciaſſent, eorum rurſum prædicare cœperunt potentiam: cuius rei occaſione compulſus S. Auguſtinus (vt ipſe teſtatur [f]) ſcripſit commentarium *de Diuinatione dæmonum*. Quod vero demolitis templis, expurgatiſque rite, ibidem erigerentur eccleſiæ, & loco ſacerdotum Gentilium monachi ſubſtituerentur, ac pro idolis ipſis Reliquiæ martyrum illuc deferrentur; maiore æſtuans ira idem Sardianus, multa in eoſdem monachos & reliquias martyrum debacchatur: quæ cum à dæmone per Ethnicum hominem eructata, nihil hæreticis huius noſtri temporis aduerſus Catholicam religionem proficere valeant; proficiunt tamen aduerſus illos ex parte Eccleſiæ Catholicæ, cum antiquus Monaſticæ vitæ vſus, ac ſolitus à Chriſtianis exhiberi cultus ſacris martyrum Reliquiis, ex eiuſdem Eunapii blaſphemiis egregie reſeratur.

f Aug. de diuin. dæm. c. 1.

EVNAPIVS ETHNICVS ASSERTOR MONACHISMI ET CVLTVS RELIQVIAR.

XV. DE TEMPLO ET IDOLO SERAPIDIS.

g Ruff. l. 2. c. 22. & ſeqq.

Porro templi Serapidis demolitionem edito libro Sophronius huius temporis ſcriptor haud ignobilis, teſtimonio Hieronymi commendatus, fuſiſſime explicauit: ſed periit commentarius ille: Eamdem autem breuius tractauit Ruffinus [g]; ſimulque deſcripſit ipſum magnificentiſſimum templum, flagitioſaque in eo peragi ſolita myſteria, ac fraudes occultas ad illuſionem populorum; necnon & ingens Serapidis idolum; quod factum olim eſſe à Seſoſtre Rege per Bryaxem artificem, ex omnibus generibus metallorum lapidumque pretioſorum tritorum & in vnum commixtorum, auctor eſt Clemens [h] Alexandrinus. Agunt vero inſuper de eiuſdem templi demolitione Socrates [i], Sozomenus [k], & alii. Agitque poſtea Ruffinus de ridiculi dei Canopi, aliorumq; delubrorum demolitione. In loco autem vbi Serapidis templum erat, ait erectam fuiſſe baſilicam, & illatas in eam per Theophilum Alexandrinum reliquias S. Ioannis Baptiſtæ; vt S. Athanaſius ante prædixerat, cum ad ipſum perlatæ fuere quando ſub Iuliano Apoſtata diſperſæ ſunt. Verum ipſa ædificatio eccleſiæ ſub Theodoſio facta eſt; Reliquiarum autem collocatio ſub eius filio [l] Arcadio Imperatore, cum dedicata eſt quarto [m] Calendas Septembris, quo die in vniuerſa Eccleſia S. Ioannis Baptiſtæ Decollationis ſolemnitas celebratur.

h Clem. Alex. ad Gent.

i Socr. l. 5. c. 16.

k Soz. l. 7. c. 20.

l Eadem in temp.

m ... S. Io. Bapt. ...

XVI. IOSEPH PATRIARCH. CREDITVS SERAPIS.

Quod autem inter alias dei Serapidis originis ſententias Gentilium, & hanc Ruffinus profert, quod illud ſimulacrum fuerit formatum in honorem *Ioſeph* Patriarchæ, ob diuiſionem frumenti qua famis tempore ſubuenit Ægyptiis; ea quidem opinio haud ſpernenda eſt: ſiqui-

dem

Geneſ. 41. dem ex diuinis literis n conſtat, Pharaonem Ægypti Regem mutaſſe nomen Ioſeph, ac vocaſſe lingua Ægyptiaca *Saluatorem mundi.* Et quamuis ſciamus, antiquos ſcriptores nomen Serapis, ex Græcis deducere vocibus, *σορὸς Ἄπιδος*, Sepulchrum Serapis: tamen Iulius Maternus non ignobilis ſcriptor, qui claruit temporibus Conſtantini, & poſt illius obitum ad eius filios commentarium illum ſcripſit *de Errore prophanæ religionis*, ait o nomen Serapis deductum eſſe à *Σάῤῥας*, hoc eſt, à Sara Abrahæ vxore, cuius Ioſeph pronepos erat. Sed haud facile mihi perſuadeo, populum Ægyptium deos patrios peregrinis vocibus nuncupaſſe. Quamobrem tota vis in eo poſita eſſe videtur, quidnam apud Ægyptios vox *Serapis* ſignificaret: nam ſi idem erat, quod *Mundi Saluator*, non alium certe quam Ioſeph ipſos ſignificare voluiſſe certum redditur. Sane fertur ab antiquis Serapidis oraculum, Ioſeph patriarcha digniſſimum, à noſtris etiam decantatum, ſic Latine redditum,

o Iul. Firm. c. 14.

Principio Deus eſt, tum Verbum, his Spiritus vnus eſt.

Congenita hæc tria ſunt, cuncta hæc tendentia in vnum.

quod quidem oraculum, ex eo quod eumdem cum Plutone eſſe Serapidem Heraclides Ponticus tradidit (quæ fuit etiam aliorum ſententia) idcirco Plutoni illud ipſe tribuit. Certe non frumentum tantum, ſed veram Dei cognitionem Ioſeph tradidiſſe Ægyptiis, aſſerit Scriptura p, dum ait, Pharaonem *conſtituiſſe eum, vt erudiret Principes ſicut ſemetipſum*, &c. vt iure dici poſſit, eam de Sacroſancta Trinitate ſententiam fuiſſe Ioſephi. Traduntque inſuper à Serapide inuentam eſſe ſymbola quædam, quibus ab obſeſſis dæmones pellerentur; quod Hebræorum ſapientiæ conuenit. Denique quod addit Socrates q, in imo diruti Serapidis delubri lapides repertos eſſe inciſos ſigno Crucis, adeo vt Gentiles dicerent aliquid eſſe Serapidi commune cum Chriſto; illud de eius origine ex Ioſeph magis confirmat.

p Pſal. 104.

q Socr. l. 5. c. 17.

XVII. GENTILES INSVRGVNT IN CHRIST.

Accidit vero plane, vt tam ingenti fragore collapſa in Ægypto idolatria, vnde tanquam è fonte riui in totum fere Orbem terrarum ſuperſtitio dimanarat, Gentiles vbique concuſſi fuerint, atque pro defenſione deorum ſuorum concurrerint; multos etiam occiderint Chriſtianos, necnon & Epiſcopos; interque alios *Marcellum* Apameæ in Syria Epiſcopum, cum famoſiſſimum eiuſdem ciuitatis Iouis templum demoliendum curaret; cuius martyrium deſcribit Sozomenus r. Addit vero Theodoretus s, dæmones eius templi ruinam impedire conantes, aqua ſigno Crucis ſanctificata fugatos fuiſſe. Ceterum qui zelus perrigit Orientis Epiſcopos ſub Principe maxime pio idola demoliri, æque Occidentales impulit id ipſum præſtare. Siquidem à S. Martino plurima in Gallis diruta fuiſſe deorum templa, magnaq; ab eo edita miracula, quibus Ethnici eiuſmodi demolitionibus reſiſtentes ad fidem conuerſi ſunt, Seuerus t narrat: ex quibus coniecturam capere poſſumus, quid à ceteris vbique ſanctis Epiſcopis geſtum ſit. Quod quidem hoc anno cœptum, ſequentibus agi perſeuerauit indeſinenter. Nullibi autem maiori ſtudio, quam Romæ delubra proſtrata eſſe, Hieronymi u ſententia conſtat.

r Soz. l. 7. c. 15.
s Theod. l. 5. c. 21.
TEMPLA IDOLOR. VBIQ. DIRVTA.
t Seuer. Vit. S. Mar. c. 10.
u Hier. proœm. l. 2. comment. in ep. ad Gal.

IESV CHRISTI AN. 390.

VALENT. II 15. THEODOSII 12

SIRICII AN. 6.

I. THEODOS. IMP. AB AMBROS. ECCLESIA PVLSVS.

ANno Domini trecenteſimo nonageſimo, Valentiniano Auguſto quartum & Neoterio Coſſ. Theodoſius Imperator ob cladẽ Theſſalonicenſium à S. Ambroſio repulſus eſt ab Eccleſia. Errant qui hæc contigiſſe dicunt a poſt ſecundum Theodoſii in Italiam aduentum, poſtque debellatum Eugenium; cum longe plures referant b ad tempus poſt debellatum Maximum. Itemque qui ſcripſerunt, cladem illam accidiſſe cum Theodoſius eſſet Theſſalonicæ; cum certum ſit Imperatorem tunc temporis in Italia extitiſſe.

a Soz. l. 7. c. 24.
b Ruff. l. 2. c. 18. Paulin. in vit. S. Amb. Theod. l. 5. c. 17.

II. DE CLADE THESSALONIC.

Res porro ita ſe habuit: Theſſalonicenſes Bothericum apud Illyricos militum Præfectum ſeditione facta interfecerunt, quod noluiſſet aurigam ſuum eius artis peritiſſimum, ob facinus aliquod in vinculis detentum, dimittere ad ſolemnem equeſtrem concertationem. Qua re nunciata Imperator excandeſcens, ab Ambroſio tamen aliiſque Epiſcopis Mediolani agentibus placatus indulgentiã Theſſalonicenſibus promiſit. Sed Comitibus ſecreto cum Imperatore agentibus de vindicta tanti facinoris, in eius executionem ad Circenſes inuitatus populus, à circumfuſis militibus ſine diſcrimine nocentes & innocentes obtruncati ſunt: moxque ab iiſdem per vrbem diuagantibus, obuiorum quorumcumque, ſiue ciuium, ſiue etiam peregrinorum, tanta eſt edita ſtrages, vt ſeptem millia hominum ſpatio trium horarum cæſa fuerint. Hac autem immani clade Mediolani Ambroſio, aliiſque Epiſcopis qui Synodi cauſa conuenerant, nunciata; idem Ambroſius pro omnibus Theodoſium ſeuerioribus primo litteris appetens, ſignificauit ipſum ob patratas Theſſalonicenſium cædes indignum ſe Eccleſiaſtica communione penitus reddidiſſe: poſtea vero cum idem Imperator magnopere perculſus animo, Mediolanum acceſſiſſet remedium ſalutis petiturus, inconcuſſo ipſum ſacerdotali robore ab ingreſſu eccleſiæ publice repulit; quouſque poſt octo menſium pœnitentiam publicam, eumdem in eam admiſit in feſto Natalis Domini: hoc inſuper ei iniuncto, vt legem conſcriberet, qua deinceps executiones ſententiarum de cæde & publicatione bonorum, ad triginta dies differrentur, vt illo temporis ſpatio mature examinari poſſent.

III. c Ruff. [illegible] d Aug. [illegible] e Ambr. ep. [illegible] PŒNITENTIA THEODOSII.

Hæc quidem omnia ſummatim deſumpta ſunt ex Ruffino c, Theodoreto, Paulino, Sozomeno, atque etiam Auguſtino d, ipſoque Ambroſio e. Refertque Paulinus, quod cum Theodoſius ſe excuſaret exemplo Dauidis, qui homicidium quoque perpetraſſet; Ambroſius illico reſponderit, *Qui ſecutus es errantem, ſequere corrigentem.* Quod & ipſe adeo humiliter adimpleuit, vt (quod ait Theodoretus) cum ab Ambroſio in eccleſiam receptus eſſet, minime auſus Deũ ſtans aut genibus flexis precari; pronus humi abiectus, cum multis lacrymis veniam petens verſum illum Dauidis recitauit f, *Adhæſit pauimento anima mea, viuifica me ſecundum verbum tuum.* Nec minori eſt obſeruatione dignum, quod cum Imperatores Conſtantinopoli conſueuiſſent, dum ſacris intereſſent ſedere intra cancellos, idque etiam Mediolani Theodoſius obſeruare vellet; Ambroſius conſiderans eam conſuetudinem vel ex aſſentatione, vel ex ordinis inſcitia eſſe natam, iuſſit Imperatorem exire, & cum reliquis Laicis conſiſtere, quod ad loca interiora ſolis clericis pateret aditus: eamque admonitionem adeo lubenti animo Theodoſius excepit, vt nõ ſolum in Italia, ſed etiam cum rediit Conſtantinopolim eandem perpetuo obſeruarit, licet inuitaretur ab Epiſcopis intus manere. Narrant hæc iidem Theodoretus atque Sozomenus. Iſte autem addit, hanc optimam Ambroſii conſtitutionem, quam Theodoſius approbauit, ſucceſſores quoque Imperatores confirmaſſe, ac ſuo etiam tempore obſeruatam ſe vidiſſe.

f Pſal. 118. HAVD PERMISSVM IMPP. SEDERE CVM CLERICIS.

IV.

Quod vero pertinet ad ipſam eiuſdem Imperatoris pœnitentiam; viguit vigebitque ſemper eiuſmodi exemplum in Eccleſia Dei, tanquam nobile quoddam trophæũ erectum ex illuſtri victoria quam de ſeipſo Imperator cõſecutus eſt: quam quidem tum alii omnes, tum SS. Ambroſius g & Auguſtinus h magno præconio celebrarunt. Ceterum poſt illam enarratam Paulinus mox adiungit, per idem tempus duos potentiſſimos ac ſapientiſſimos viros Perſarum, ad famam Ambroſii veniſſe Mediolanũ, deferentes ſecum plurimas quæſtiones vt ex eis probarent ſapientiam viri; ac poſt longam cum eo diſputationem, admirãtes diſceſſiſſe Romam, vt illic pariter cognoſcerent potentiam Probi; eaque cognita, ad propria reuertiſſe. Fuit autem iſte *Anicius Probus*, promotor olim Ambroſii Præfecturæ prouinciæ, longa (vt docet Ammianus) Prætorii Præfecturæ propagatione laſſatus: cuius conſtat auguſtiſſimas fuiſſe Romæ ędes, eiuſdemque tantas opes,

g Amb. orat. in fun. Theod. h Aug. l. 5. de ciuit. c. 26. & hom. 49. PRINCIPES PERSÆ CONVENIVNT S. AMBROSIVM, ET ANICIVM PROBVM.

Digitized by Google

i Zoſ. l. 6.

vt & Zoſimus [i] eis inuidens ſcribat, ſolam Aniciorum familiam omnium propemodum Romanorum diuitias poſſediſſe.

VI. LEX THEODOS. DE DIFFERENDA SENTENTIA. k l. 13. C. Th. l. 20. C. de pœn.

Sed quod ſpectat ad legem illam Theodoſii de dilatione ſententiarum triginta diebus; extat [k] ipſa in Codice Theodoſiano & Iuſtinianeo. Verum quod ante annos octô data ponatur Veronæ viuente adhuc Gratiano, nimirum decimoquinto Calendas Septembris Antonio & Syagrio Coſſ. eiuſmodi mendum in eam irrepſiſſe neceſſe eſt; cum nulla penitus memoria extet, Theodoſium ante expeditionem in Maximum veniſſe in Italiam, ac prorogatio triginta dierum nõ niſi lege Theodoſij conceſſa habeatur; quam poſtea conſtat abrogatum fuiſſe per Nicephorum Botoniatem Imperatorem.

VI. SORTIGIVN EXEMPL. PVBLICÆ PŒNIT. l Hier. ep. 30.

Quam autem vigeret in Eccleſia hoc tempore ſeueritas publicæ pœnitentiæ, plane declaratur alio exemplo clariſſimæ feminæ Romanæ, Fabiolæ nomine, quæ cum diuortio facto cum priori viro, neſciens prohibitionem Euangelicam, ſecundas nuptias iniiſſet, poſt mortem ſecundi viri (inquit hæc narrans Hieronymus [l]) in ſemetipſam reuerſa, ſaccum induens vt errorem publice fateretur & tota Vrbe ſpectante Romana, ante diem Paſchæ in baſilica quondam Laterani, ſtans in ordine pœnitentium, Epiſcopo, presbyteris, & omni populo collacrymantibus, ſparſum crinem, ora lurida, ſqualidas manus, ſordida colla ſubmittens, poſt immenſos ipſius fletus & lamenta, recepta eſt in communionem. De cuius poſtea peregrinatione Hieroſolymam, & piis poſt reditum operibus, atque ſancto fine, multa plane egregia refert ibidem Hieronymus.

VII. m Ambr. ep. 28. CONCIL. MEDIOL. ADVERS. IOVIN.

Quoniam autem ex epiſtola quam diximus S. Ambroſii [m] ad Theodoſium poſt cladem Theſſalonicenſem, liquet hoc ipſo anno collectam eſſe Mediolani SYNODVM Epiſcoporum Gallorum, de ea modo agendum eſt. Nam cum (vt ſuperius vidimus) ex monaſterio Mediolanenſi eiectus fuiſſet cum ſociis impietatis *Iouinianus*, toleratus fuit aliquamdiu, vel quod eius expectaretur correctio, vel potius quod contemnendus videretur, qui adeo vana atque inſulſa quæ retulimus, priuatim in aures aliquorum ſuſurrans ingereret. Sed cum eo temeritatis progreſſus eſſet, vt etiam eodem argumento à ſe ſcriptos commentarios ederet; licet ei barbarie (vt ait Hieronymus [n], qui eos ad ſe Bethleem agentem Roma miſſos, duobus libris egregie refellit) & plurimis vitijs ſpurciſſimo ſermone cõpoſiti eſſent: tamen non amplius ipſorum auctorem tolerandum eſſe iudicatum eſt. Delatus [o] itaque Siricio Papæ per Pammachium nobiliſſimum Senatorem & Romanorum doctiſſimum, fideique Catholicæ ardentiſſimum propugnatorem, atque per alios Fideles: idem cum ſociis impietatis ab eodem Pontifice damnatus eſt, & extra Eccleſiam eiectus. Hoc enim declarat ipſe Siricius [p] epiſtola, quam ea de re ad Eccleſiam Mediolanenſem ſcripſit per tres Legatos presbyteros Eccleſiæ Romanæ: quos eo miſiſſe putatur, vt illorum auctoritate Synodus Epiſcoporum aduerſus eoſdem hæreticos ibi cogeretur, vbi cœperant hæreſum venena ſpargere. Quod & factum eſſe ſecundum præcedens ipſius Siricii Papæ iudicium, teſtantur litteræ [q] ad eundem Pontificem à S. Ambroſio & Synodo Mediolanenſi redditæ. Hocque ipſo anno Theodoſius Imperator reſcripto [r] Veronæ dato, eoſdem hæreticos licet è monaſteriis eiectos, habitu tamen monaſtico vagantes; ab vrbibus recedere & ad deſerta loca proficiſci iuſſit: quamuis nec ſic coerciti, deſtiterint poſtea negligentia magiſtratuum extra vrbes ſuburbanos conuentus habere.

n Hier. aduerſ. Iouin. lib. 1.
o Id. ep. 50. ad Pam.
SIRIC. PP. DAMNAT IOVINIAN.
p Siric. ep. 2. To. 1 epiſt. Rom. Pont.
q Ext. ib.
r l. 1. C. Th. de monach.

VIII. HIERON. SCRIPTA CONTRA IOVIN. QVOMODO ACCEPTA.

Ex alia vero parte, cum Iouiniani ſcripta Hieronymus (vt dictum eſt) confutaſſet, ipſa eiuſdem Hieronymi reſponſio Romam perlata, impugnata eſt non leuiter cum ab aliis, tum ab ipſo Romano Pontifice Siricio, quod cum totus eſſet in commendatione virginitatis quam Iouinianus deprimebat, viſus eſſet cum Manichæis nuptias deſpexiſſe: qua de re admonitus è Domnione & Pãmachio, cum amplius iidem ipſius libri reuocari non valerent, quod eſſent iam vbique diuulgati, coactus eſt pro iiſdem apologiam [s] edere. Etenim Manichæorum (quorum etiam hæreſis vrgebat hoc tempore magnopere Eccleſiam Dei) cauſam eos agere qui virginitatem nuptiis præferebant, iactare ſolitum Iouinianum, Auguſtinus [t] quoque tradit. Qui quod ſciret Hieronymum inde paſſum eſſe calumniam (quantumlibet pie ſancteque ſcripſiſſet, conteſtatuſque eodem ipſo in Iouinianum ſcripto eſſet, ſe & Marcionis & Manichæi atque Encratitarum dogmata deteſtari) ipſe cautior aduerſus eundem Iouinianum alia via agendum ſibi propoſuit, ſicut teſtatur [u]; nempe vt quantum liceret nuptias laudibus celebraret, ac ſimul præconia virginitatis extolleret: ſicque elaborauit commentarium illum *De bono coniugali* aduerſus Iouinianum. Quod vero ſordidæ huiuſmodi Iouiniani hæreſes inuexiſſent in Vrbem deformes omnis generis libidines, Theodoſius Imperator lege [x] hoc ipſo anno lata nefandum peccatum Sodomiticum flammis vindicibus expiari ſanciuit.

s Hier. ep. 51. 52.
t Aug. de nupt. & concup. l. 2. c. 23.
AVGVST. SCRIBIT CONTRA IOVIN. u Id. l. 2. Retr. 22.
x l. 6. C. Th. ad l. Iul. de adult.

IX. y Socr. l. 5. c. 9. z Soz. l. 7. c. 16. DE SCELERE A DIACONO PERPETRATO CONSTANTINOP. a Sup. an. 361 n. 9. 10. 11.

Quod ad res pertinet Orientis; ſub huius anni Coſſ. (non autem ſequentis, vt à Socrate [y] ponitur) accidit Conſtantinopoli ſcelus illud immane, quod ab eodem auctore & Sozomeno [z] recenſetur, de Diacono illius Eccleſiæ, qui nobilem viduam diaconiſſam (talem enim fuiſſe Sozomenus ſignificare videtur) conſtuprauit: cum (vt aiunt) propalato facinore, Nectarius eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus mancipatum audiendis confeſſionibus presbyterum dimouit. At de veritate huius hiſtoriæ, deque Nouatianorum auctorum mendaciis, actum eſt ſuperius [a] alia occaſione. Sed quod eius facti cauſa Sozomenus addit, Theodoſium Imperatorem edixiſſe ne mulieres, niſi liberos haberent, & annum ſexageſimum exegiſſent, diaconiſſæ munus obirent; extat ipſa lex [b] ſub huius anni Coſſ. menſe Iunio promulgata Mediolani. Quod vero etiam vidua illa exhauſiſſet bona ſua ditando diaconum; inde factum eſt vt Imperator eadem lege cauerit, ne viduæ quouis titulo vel Eccleſiæ, vel eius miniſtris, aut pauperibus bona relinquerent. Sed hanc eiuſdem ſanctionis partem, qua periclitabatur Fidelium erga Deum religio, & erga pauperes miſericordia, Ambroſius Eccleſiaſticæ libertatis vindex exurgens, alia lege [c] duobus poſt menſibus, nempe menſe Auguſto Veronæ lata, compulit Theodoſium penitus abrogare.

b l. 27. C. Th. de Epiſc.
LEX THEODOS. ADVERSARIA ECCL. LIBERTATI.
c l. 28. eod.

X. d Vict. in Theodoſ. e Amb. ep. 66 ad Peter. f l. 2. C. Th. de inceſt. nupt. g l. 1 eod.

Laudatur quoque ab Aurelio Victore [d] lex alia Theodoſii, qua conſobrinarum coniugium vetaretur; cuius & meminit Ambroſius [e]. Periit tamen illa, extatque [f] tantum quæ Conſtantio tribuitur. Eius autem Theodoſij legis ſeueriſſimam pœnam, nimirum ignis atque bonorum proſcriptionis, Arcadius & Honorius eius filii poſtea mitigarunt [g]. Sane quidem vt Romani ducerent conſobrinas, nequaquam antiquo iure factum, ſed recentiori; idq; gratia potius populari, quam libere decernente Senatu, Plutarchus [h] eſt auctor. Græcos vero antiquarum legum Solonis & Lycurgi auctoritate, necnon Ægyptios ex antiquo more iureque patrio, non à conſobrinis tantum, ſed neca ſororibus, Lacedæmonios vterinis, Athenienſes eodem patre prognatis, Ægyptios vtriuſque, coniugio abſtinuiſſe, docet Philo [i]. Quæ turpitudinum mala in Orbe Romano lex vna Theodoſij in Ethnicis ſancte curauit, quæ in Chriſtianis ipſa religionis profeſſio procul amouerat. Sed illud quidem perperam factum; vt quod Chriſtiani Principes vetuerint ſanctionibus ne inter conſobrinos matrimonium iniretur, ijdem id faciendi aliquando licentiam impertirent: quem vſum vſque ad Gothos Reges in Italia regnantes perſeueraſſe, declarat formula diſpenſationis à Caſſiodoro [k] conſcripta.

DE NVPTIIS CONSOBR. ET SOROR. h Plut. quæſt. Rom. 6.
i Philo de ſpecial. leg.
k Caſſiod. 7. Formul. 46.

IESV CHRISTI AN. 391.

VALENT. II 16. THEODOSII 13.

SIRICII AN. 7.

I.

ANno Chriſti trecenteſimo nonageſimo primo, Tatiano & Symmacho Coſſ. Theodoſius Imperator

pro-

promulgatis legibus aduerſus Ethnicos [a], apoſtatas [b], & quoſcumque [c] hæreticos, omnibuſque rectè in Occidente ſtabilitis; tandem ex Italia recedens Conſtantinopolim peruenit quarto Idus Nouembris, vt auctor eſt Socrates [d].

II. TRANSLATIO CAPITIS S. IOAN. BAPT. IN HEBDOM.

Quo cum aduentaſſet, nihil antiquius habuit, quam vt abſoluta baſilica quam in honorem S. Ioannis Baptiſtæ in Hebdomo ſumptuoſè erigendam curarat, inuentum ſub Valentis Imperatoris tempore Caput eiuſdem Baptiſtæ, in eam ex Coslai vico prope Chalcedonem poſito transferret. Sed hanc hiſtoriam cum Sozomenus [e] à Macedoniano hæretico mutuatus ſit, variis illa commentis in eorumdem hæreticorum laudem apud eum deprauata noſcitur. Itaque reliquis exploſis, illud vnum quod retulimus, ratum firmumque ex Sozomeno habeatur; id etiam affirmantibus ex Latinis eiuſdem temporis Proſpero, & qui poſt ipſum ſecuti [f] ſunt; ex Græcis Cedreno [g] atque Nicephoro [h]. Error tamen irrepſit in Proſperum, dum eiuſmodi tranſlationem factam tradit anno ſuperiori; cum omnium liqueat aſſertione, Theodoſium non ante præſentem annum Conſtantinopolim rediiſſe, reuerſum autem iſtud curaſſe. Quamobrem nec audiendum Cedrenum putamus, qui eiuſmodi tranſlationem ad annum ſextum Theodoſij refert, vel qui ad poſteriora reponunt tempora. Quod autem aliæ factæ tranſlationes eiuſdem Capitis S. Ioannis Baptiſtæ Alexandriam & in Gallias, ab aliis incertis auctoribus referuntur, dictum eſt de his alibi [i]. Tam vero apud Græcos quam Latinos, publicis monumentis duplex memoria anniuerſaria die peragitur duplicis eiuſdem Præcurſoris Capitis Inuentionis; quarum prior illa dicitur facta ex ruderibus antiquæ Herodis Regiæ, poſterior ex agro Emeſæ Conſtantinopolim.

III. AVGVST. PER VIM RAPTVS ORDINATVR PRESB.

Annus hic tertius numeratur poſt Auguſtini reditum in Africam: quo idem à S. Valerio Epiſcopo Hipponenſi, petente populo, inuitus & lacrymás creatus eſt Presbyter annos natus triginta ſeptem. Vigebat namque mos ille, vt quem eruditione & moribus inſignem populus noſſet, eundem vi raptum, reclamantem licet, offerrent Epiſcopis ordinandum: quod plane contigiſſe Auguſtino, ipſemet [k] teſtatur, narratque Poſſidius [l] in eius Vita. Eundem vero creatum presbyterum, idem S. Valerius Epiſcopus iuſſit ſe præſente Euangelium populo prędicare, quod ante nullus Africanorum Epiſcoporum attigerat, apud quos (vt idem Poſſidius [m] teſtatur) moris hactenus fuiſſet, vt presbyteri non loquerentur in eccleſia coram Epiſcopis. Sugillat eam prauam conſuetudinem alibi Hieronymus [n], docens ex Apoſtolica [o] inſtitutione manare vt presbyteri etiam in præſentia Epiſcoporum loqui poſſint in eccleſia.

VSVS ECCLESIÆ AFRIC. NE PRESB. PRÆDICARINT CORAM EPISCOPIS SVBLATVS.

Ceterum cui coactus fuit derogare Valerius, quod ipſe homo Græcus, nec adeo Latina lingua & litteris eruditus, adminiſtrationi verbi minus incumbere poſſet; eamdem antiquam Africanorum conſuetudinem mox & apud alios in deſuetudinem abiiſſe, inde conſtat, quod in ipſa metropoli totius Africæ Carthagine, Aurelius nuper ex diacono creatus eius Eccleſiæ Epiſcopus, exemplo Valerij presbyteros verbum Dei prædicare ſe pręſente compulerit: qua de re litteris [p] ei congratulati ſunt Auguſtinus & Alipius.

AVGVST. INTVLIT MONACHISMVM IN AFRICAM.

Quod vero idem Auguſtinus primus monaſticæ vitæ inſtituta quæ in Italia didicerat, inuexiſſet in Africam, conſtructis illic monaſteriis [q] tam virorum quam feminarum; eademque pariter primus ipſe ſeruare cœpiſſet; inde accidit vt Donatiſtæ vel ipſum *Monachi* nomen execrantes [r], inuidenteſque monaſticæ vitæ per totam Africam propagationem, eundem Auguſtinum inſimulauerint quaſi eius generis vitæ auctorem: qui tamen eos refellens [s], docuit illud toto iam tunc Orbe receptiſſimum fuiſſe.

a l. 10 & 11. C. Th. de pagan. b l. 4 & 5 C. Th. de apoſt. c l. 20 C. Th. de hæret. d Socr. l. 5 c. 19. e Soz. l. 7 c. 21. f Sigeb. in Chron. & alii. g Cedr. in comp. h Niceph. l. 12 c. 49. i [illegible] k Aug. de diuerſ. ſer. 49 & ep. 225. ad Albin. l Poſſid. vit. Aug. c. 4. m Id. c. 5. n Hier. ep. 2. ad Nepot. o 1 Cor. 14. p Aug. ep. 77. q Ibid. & ep. 109. r Id. in Ioan. tract. 97. s Id. l. 3. cont. lit. Petil. 40.

IESV CHRISTI AN. 392.

VALENT. II. 17. THEODOSII 14.

SIRICII AN. 8.

I. LEGATIO GENTILIVM AD VALENT.

ANno Chriſti trecenteſimo nonageſimo ſecundo, Arcadio Auguſto ſecundum & Ruffino Coſſ. cum iam Theodoſius eſſet in Oriente. Gentiles Senatores Romani, inter quos Symmachus eminebat, publica legatione Valentinianum Imperatorem in Galliis agentem conuenerunt, vt ab eo impetrarent vetera ſacra, quę pluribus legibus editis idem Theodoſius abſtulerat. Verum reſtitit illis Ambroſius, vt Paulinus [a] docet, quamuis iſtam poſteriorem eorumdem legationem confundens cum priore illa ſub Symmachi Præfectura, de qua ſuperius actum eſt. Ceterum ipſius teſtificatione Ambroſii [b] demonſtratur, nouiſſimam hanc miſſam eſſe ad Valentinianum hoc anno paulo ante eius obitum; quem & ait petitionem illam Gentilibus denegaſſe.

II.

Quod vero pertinet ad mortem Valentiniani; corrigendum eſt Marcellini Chronicon, vbi recenſetur ſub anni ſuperioris Coſſ. Eam enim ſub his Coſſ. Idibus Maii in ipſa vigilia Pentecoſtes accidiſſe, Epiphanius [c] aſſerit: ſubque hoc eodem anno illam recenſet Proſper in Chronico, idemq; Zoſimum ſenſiſſe apparet: cum & alioqui omniũ ſententia conſtet Theodoſium Imperatorem ab Italia ad finem anni ſuperioris recedentem, reliquiſſe Valentinianum incolumem. Fuiſſe autem ferro confoſſum ab Arbogaſte Comite natione Franco, quod ei ob illius in ſe arrogantiam exercitus adminiſtrationem abrogaſſet, idem Zoſimus [d] aſſerit: verum non ferro confoſſum, ſed laqueo ſtrangulatum in palatio, teſtatur idem Epiphanius, necnõ Socrates [e]: Sozomenus [f] autem male, dum ſpontaneo laqueo periiſſe eum affirmat, quod ſcilicet hęc de eius obitu cubicularii ipſius leui fama ſparſiſſent: vt etiam indicare videtur Hieronymus [g], dum ait necatum eſſe, & cadauer exanime ſuſpendio infamatum. Ruffinus [h] autem tradit, cauſas cur laqueo vitam finierit ignoratas, & num ipſe ſibi vel alii inieccerint. Sed Ambroſius [i] rerum etiam ſecreto geſtarum probe conſcius, longe ab hac abhorret ſententia, vt ſibi ipſi adoleſcens manus conſciuerit; probe ſciens id dolo Arbogaſti factum, quem præſentia ſua placare ſe potuiſſe affirmat ſi illic adeſſe contigiſſet; quippe quem Paulino conſtet auctore omni obſeruantia cultum fuiſſe ab Arbogaſte: hunc vero robore corporis, & odio auaritiæ, necnon grauitate morum præſtitiſſe, Suidas ſcribit; vt non mireris ſi & ipſe ab Ambroſio diligeretur, ac frequenter etiam conuiuio exciperetur, vt idem Paulinus teſtatur.

III. VALENT. LAVDATVS PVBLICA ORAT. AB AMBROS.

Ceterum erat tunc Valentinianus cum necatus eſt adhuc catechumenus; qui paulo ante obitum profecturus cum exercitu aduerſus barbaros in Italiam irrumpentes, cupidus ante eam expeditionem initiari ſacro baptiſmo, Viennæ cum eſſet in Gallia, S. Ambroſium Mediolano, vt ab illo quem patris loco habebat baptizaretur, accerſiuit: ſed illo adhuc in itinere conſtituto proditorum appetitus inſidiis occiſus eſt. Hæc pluribus ipſe refert Ambroſius oratione habita in funere eiuſdẽ Valentiniani, vbi egregios ipſius mores ac ſummam pietatem miris effert laudibus. Cuius etiam aſſertione cum ſalus animæ eius teſtata reddatur, ad eam ſignificandam non ſolum baptiſmi votum atque petitio interceſſit, ſed præceſſit nupera fidei Chriſtianæ fortis confeſſio, cum Gentilibus pro reſtitutione ſuorum rituum inſtantibus conſtanter (vt diximus) reſtitit. Quod autem eadem Ambroſii oratione dicitur obiiſſe decimo octauo regni ſui anno, mendoſa eſt lectio, cum ex iis quæ dicta ſunt de eius aſſumptione ad Imperium, conſtet imperaſſe vſque ad diem necis ſuæ annos tantum ſexdecim & menſes ſex, minus octo diebus, necatum vidimus anno ætatis vigeſimo ſeptimo inchoato, quem natum vidimus anno trecenteſimo ſexageſimo ſexto. Eius corpus delatum Mediolanum Theodoſii Imperatoris iuſſu [k], & S. Ambroſii cura, humatum eſt honorificentiſſime

a Paulin. in vit. Ambr. b Amb. ep. [illegible] c Epiph. de [illegible] d Zoſ. l. 4. e Socr. l. 5 c. 24. f Soz. l. 7 c. 22. g Hier. ep. 3. h Ruff. l. 2 c. 31. i Ambr. in fun. Valent. k Vide an. 34 ad Theod. imp.

tiſſime in ſacro phago porphyretico: in cuius depoſitione idem Ambroſius panegyricam habuit orationem.

IV. Evgenivs tyrannvs.

Qui vero poſt Valentinianum regnare cœpit in Occidente, fuit Evgenivs, nomen ſibi tyrannus ſumens Auguſti, elatus in Imperium à Valentiniani interfectoribus: quem obſcurum genere, rhetoricis facultatibus quas publice profeſſus erat tantummodo clarum, in aula verſatum, Rhicomeri Duci notum, & eius commendatione ab Arbogaſte in familiaritatem acceptum tradunt [l]: vnde clientem & famulum Arbogaſtis eum nominat Claudianus [m]. Eumdem autem ita ſublimatum in Imperium, legationem pro pace ad Theodoſium miſiſſe, Zoſimus ait: additque Ruffinus miſſos etiam legatos ſacerdotes, qui Arbogaſtem culpa purgarent. Cum inter hæc Theodoſio de expeditione aduerſus Eugenium paranda cogitare incipiẽte, ipſe Eugenius Gentilium vatum (quod tradit Sozomenus) de futura victoria deceptus promiſſis Victoriæ & ſumptus cæremoniarum, homo alioqui Chriſtianitatis ferens imaginem, iiſdem Gentilibus conceſſit: vt tradit Paulinus, ipſeque S. Ambroſius in epiſtola, quam Florentia (quo inuitatus à ciuibus libens ſeceſſerat, vt vitaret conſpectum ſacrilegi Eugenij Mediolanum aduenientis) ad eundem tyrannum conſcripſit [n], libere illum de eiuſmodi conceſſione redarguens. Permanſit vero Florentiæ (vt putatur) ad biennium; quippe quem eodem auctore Paulino conſtat non reuerſum Mediolanum, quam Theodoſius in Italiam aduenerit contra Eugenium. Ibidem autem Florentiæ interceſſit ei cum S. Zenobio eius ciuitatis Epiſcopo familiaritatis vſus, pluribus inter vtrunque officijs declaratus, quæ Paulinus recenſet, ſicut & præclara miracula Apoſtolis digna ibidem edita.

l Zoſim. l. 4. m Claud. paneg. de 3. & 4. Honor. Conſul.

Favet gentilibvs.

n Amb. ep. 11. ad. Siur.

Argvitvr ab Ambr.

V. Theod. rescribit advers. gentil. et hæret.

Qui quidem Theodoſius, cognita conceſſione illa Eugenij, quod ſibi non adhuc integrum eſſet his malis occurrere, quibus valuit modis contrarijs legibus repugnare niſus, aduerſus idolorum cultores hoc eodem anno ſanctionem [o] edidit, quâ penitus omnimoda ſacrificia vbique illis interdixit. Sed & religionem Chriſtianam cupiens ab hæreſum inquinamentis liberam reddere, inter alia hoc eodem tempore data aduerſus eos reſcripta, illud eſt cuius ſæpius meminit Auguſtinus [p], quo hæreticos omnes quicumque vel ordinarent clericos vel ordinarentur, denis libris auri mulctauit. Cum autem illibatę in omnibus conſeruandum voluerit ius Eccleſiarum, ne tamen id fieret damno alterius curauit; de debitoribus ad eas confugientibus ſanciens [q], vt aut illico extraherentur, aut pro eis Epiſcopi qui eos occultaſſent debitum ſoluerent. Quæ plane ipſa lex eſt, cuius vigore compulſus aliquando S. Auguſtinus perſoluere quod debebat qui confugerat ad eccleſiam, pro eius debiti diſſolutione de collecta facienda in populo literas [r] dedit.

o l. 12. C. Th. de pagan. p Aug. ep. 50. ad Bonif. ep. 68. ad Ianuar. & l. 3. cont. Creſcon. 17. q l. 1. C. Th. de his qui confug. ad eccl.

r Aug. ep. 215.

VI. Dispvtatio Avgvstini contra Fortvnatvm.

Sed quod rurſum ad Auguſtinum pertinet; idem hoc ipſo anno quinto Calendas Septembris, expetente & ſpectante populo, Hippone regio publica diſputatione contulit de origine mali (ſuper quam totus cardo hæreſis Manichææ vertebatur) cum *Fortunato* veternoſo hæretico Manichæo, multos oſtentatione doctrinæ decipiente: cuius diſputationis extant apud eundem Auguſtinum [s] Acta à Notarijs tunc excepta; & ex eis apparet, Fortunatum ita ab Auguſtino arctatum fuiſſe, vt quid amplius reſpondere non habens, collaturum ſe cum ſuis dixerit, & animæ ſuæ conſulturum. Addit vero Poſſidius [t], eundem Fortunatum tanta confuſione affectum eſſe, vt Hippone recedens numquam amplius auſus ſit illuc reuerti. Scripſit autem poſt hæc idem Auguſtinus dum adhuc presbyter eſſet, plurimos commentarios, contra eoſdem Manichæos, necnon aduerſus Donatiſtas, quos ipſe alibi [u] enumerat. Atque inter alios, miſeratus imperitam plebeculam ab iiſdem Donatiſtis antiquis ſchiſmaticis deceptam, Pſalmum Abecedarium qui eis cantaretur, per Latinas literas compoſuit, qui hodieque extat; quo ſchiſmatis in primis origo cantatur, ſed & diluuntur calumniæ à Donatiſtis illatæ in Catholicos, ac denique demonſtratur eos qui non iunguntur Romanæ Petri cathedræ, in Eccleſia eſſe non poſſe.

s Aug. cont. Fortun.

t Poſſid. in Vit. S. Aug. c. 6.

Alia scripta Avgvstini.

u Aug. l. 1. Retract. 18. & ſeq.

VII. De scriptis Hieronym.

Eſt quoque vt & S. Hieronymi ſingulas lucubrationes in hunc vſque decimumquartum annum Theodoſij editas perfacile enumeres, ſi quæ ad finem habet commentarij *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* legas. Scripſit illum ad Dexterum V.C. Præfectura [x] Prætorij aliquando decoratum, qui & ipſe antea ad eundem Hieronymum omnimodam hiſtoriam ſcripſerat, quæ perijt. In hoc autem commentario edendo, Hieronymi is fuit ſcopus (quem ipſe in præfatione teſtatur) vt Chriſtianæ religionis Scriptorum monumenta enumeraret aduerſus Celſum, Porphyrium, & Iulianum, qui Chriſtianos omnes imperitiæ arguerant. Verum aliquot prætermiſſos in illa ſerie Scriptores Eccleſiaſticos, vidit etiam tunc Auguſtinus ad ipſum ea de re ſcribens [z]. Quod monuiſſe voluimus, ne ſuſpecta ſit fides auctoris alicuius, qui non reperiatur in eodem catalogo ſcriptus. Nam & ipſummet Hieronymum, licet ibidem aſſerat ſe lucubrationes ſuas ipſius omnes editas vſque ad præſentem annum recenſere, ex eis tamen aliquas numerare prætermiſiſſe, conſtat ex dinumeratione illarum quas recenſet in epiſtola ad Pammachium [a] ſcripta paulo poſt miſſum ad eum Apologeticum, quem ante hoc tempus ſe ſcripſiſſe teſtatur in eodem commentario de Viris Illuſtribus. Adeo vt dici plane de eo poſſe videatur, quod iactari ſolet de valde abundante diuitijs homine, ita prædiuitem fuiſſe, vt numerum neſciret diuitiarum ſuarum. Ceterum in eodem libello aliquid amplius deſideratum ab ipſo, nempe vt cum adnumerat hæreticos inter ſcriptores Eccleſiaſticos, in quibus cauendi eſſent admonuiſſet; Auguſtinus [b] eidem ſignificauit, idque vt alio libello præſtaret vehementer rogauit.

x Hier. Apol. cont. Ruff. & Id. de Script. Eccl.

z Aug. ep. 9. ad Hier.

a Hier. ep. 52.

b Aug. d. ep. 9.

VIII. Contentiones inter Ioan. Hier. et Epiphan.

Quod autem ex diuerſis eiuſdem S. Hieronymi [c] ad Pammachium literis colligitur, hoc ipſo anno datam eſſe S. Epiphanij epiſtolam ad Ioannem Hieroſolymorum Epiſcopum; de huiuſmodi magni momenti hiſtoria, ſed perplexa difficultatibus multis breuiter agendum eſt. Hic *Ioannes* (vt ex S. Hieronymo [d] patet) monachus ſecta Macedonianus, ſpe illectus Epiſcopatus Hieroſolymitani, abdicata hæreſi illo tandem potitus, Origenis errorum ſe patronum exhibuit, Origeniſtarumque Ruffini, Palladij, Iſidori, aliorumque fautorem: atque ob eam cauſam adeo infenſus fuit ſibi aduerſantibus ſanctiſſimis viris Epiphanio, Hieronymo, atque Theophilo Alexandrino, vt nullam prætermiſerit occaſionem iiſdem moleſtiam faceſſendi. Cum vero idem Ephiphanius, etſi non ſub Ioannis parochia, in Palæſtina tamen, in monaſterio vbi tunc agebat in Eleutheropolitano territorio, ſanctum virum Paulinianum S. Hieronymi fratrem, primo diaconum, deinde presbyterum ordinaſſet: hanc diu quæſitam arripiens Ioannes occaſionem contra Epiphanium agendi, maximas aduerſus eum turbas concitauit, quod eiuſmodi ordinationem in aliena diœceſi præſumpſiſſet. Addebat & aliam irarum cauſam, nimirum quod quando Epiphanius ſacrificium offerret, ſoleret pro Ioanne dicere, *Domine, præſta Ioanni vt recte credat.*

c Hier. ep. 61. 101.

d Id. ep. 61. 62.

IX. Epiphan. se excvsat.

His igitur prouocatus Epiphanius, ad eundem Ioannem illam quam diximus dedit epiſtolam [e]: in qua de duabus illis accuſationibus agens, de poſteriori quidem ſe explicat; priorem vero excuſat ex penuria ſacerdotum quibus indigebat monaſterium, itemque ex conſuetudine Eccleſiarum Cypri, vbi eiuſmodi ordinationes promiſcue in alienis parochijs fieri ſolerent: cum alioqui ſi quid in eo perperam geſtum eſſet, non Ioannes, ſed Epiſcopus Cæſareæ maritimæ, quæ metropolis totius Palæſtinæ erat, cui & ipſa Hieroſolymorum Eccleſia, decernente Sacroſancto magnoque Nicæno Concilio, ſubiaceret, expoſtulare debuiſſet: poſtremo docet prætextus inanes eos eſſe, veramque Ioannis indignationis cauſam hanc præceſſiſſe, quod cum ipſe Epiphanius coram redarguiſſet hæreſum Origenis, monuiſſetque ab eis recedere. Quæ vero poſthæc de iſta altercatione ſecuta ſint, dicetur inferius ſuis locis.

e ap. Hier. ep. 60.

X. Sancti viri horrebant onvs sacerdotii.

Illud autem hic minime omittendum, quod eadem epiſtola S. Epiphanius teſtatur, Paulinianum adeo inuitum ordinatum fuiſſe diaconum atque presbyterum (quia in-

dignum ſe his gradibus eſſe conteſtabatur) vt ingenti difficultate tenēdum fuerit os eius, ne forte liberari ſe cupiens, adiuraret ipſum Epiphanium per nomen Chriſti. Vſque eo enim ſanctiſſimi viri horrebant pondus ſacerdotij, vt vix paterentur ordinari (ſicut de pluribus alijs iam dictum eſt ſuperius, diceturque inferius) & qui ordinati eſſent vererentur illud munus exercere: quemadmodum de S. Hieronymo & Vincentio presbyteris Epiphanius eadem epiſtola tradit, eos propter verecūdiam & humilitatem refugiſſe debita nomini ſuo exercere ſacrificia, & laborare in hac parte miniſterij, quæ (vt ait) Chriſtianorum præcipua ſalus eſt.

XI. Fictio de conſciſſo ab Epiphanio velo imaginem habente.

Porro additamentum illud, quod habetur in fine eiuſdem S. Epiphanij epiſtolæ, de *Velo picto imaginem Chriſti vel Sancti cuiuſdam habente*, quod idem Epiphanius in eccleſia Ioanni ſubiecta appenſum pro foribus conſcidiſſe diceretur, quaſi contra religionem Chriſtianam eſſet in eccleſijs appendi Imagines, ab aliquo impio conſarcinatum eſſe nullum eſt dubium. Sic enim & plura alia nomine Epiphanij ſcripta, ab Iconoclaſtis ſuppoſita iam olim fuiſſe, in Nicæno poſteriori Concilio [f] ipſius Epiphanij defenſor, item Epiphanius nominatus, pluribus exemplis docet, & validis rationibus eundem S. Patrem ab eiuſmodi calumnijs vindicat: ſicut & id ipſum alias præſtitit S. Ioannes [g] Damaſcenus. Vnde & aliud validiſſimū argumentum aduerſus iſtud additamentum colligitur. Quid eſt enim quod ab ijſdem Iconoclaſtis, qui omnia omnium ſcripta tanta ſolicitudine ſcrutabantur, quo aliquid aduerſus imagines dictum reperirent, vt & multa falſa ſupponerent; prætermiſſa tamen fuerit hæc ad Ioannem epiſtola, quam vbique diffuſam Hieronymus [h] teſtatur, niſi quod illa eo tunc additamento careret? Deinde quomodo id tacuiſſet Ioannes, qui de multo leuioribus conqueſtus eſt? Certe enim maioris audaciæ, & ipſi Ioanni grauioris contumeliæ facinus videri potuiſſet, in eccleſiam ipſi ſubditam Epiphanium violentas inieciſſe manus, quam in monaſterio alienæ parœciæ ſacros ordines miniſtraſſe.

f Conc. Nic. Sec. Act. 6.
g Damaſc. orat. 1. de Imag.
h Hier. ep. 101.

XII. Velor. et imag. vſus antiquus.

Denique quomodo Epiphanius voluiſſet vel valuiſſet prohibere, quæ in Eccleſia Catholica ſcirentur vbique recepta? Nam præter ea quæ iam alias abunde ſunt dicta de recepto ſacrarum Imaginum vſu, præterque S. Paulini [i] & Venantij [k] Fortunati eiuſdem temporis ſcriptorum auctoritatem, qua eiuſmodi Velorum ſacris Imaginibus ornatorum vſus probatur; illuſtrem hiſtoriam de ſimili velo, Imaginibus S. Crucis & S. Stephani inſignito, diuinitus exhibito, & appenſo in eccleſia eiuſdem protomartyris in Vzalenſi ciuitate, eius loci Epiſcopus Euodius (cuius fidem probat S. Auguſtinus [l]) ſcriptis [m] prodidit. Quamobrem ſi eam veli ſciſſionem ab Epiphanio re vera factam quis omnino contendere velit, tunc verba illa quibus id declaratur, nimirum *Velum depictum, pendens in foribus eccleſiæ, habens imaginem hominis quaſi Chriſti vel Sancti cuiuſdam*, ita accipienda fuerint, vt ipſe iuſte excanduerit in prauum facinus, quo alicuius profani hominis imago in ſacro velo depicta, quaſi Chriſti eſſet vel alicuius Sancti, ad limen religioſe fuiſſet. Quo ſenſu verba accepta, Iconoclaſtas potius impugnent, quam eis faueant.

i Paulin. Natal. 3. 6. 10.
k Ven. Fort. lib. 2. carm. in hon. S. Cruc.
l Aug. ſer. de diuerſ. 32. 33. & lib. 22. de ciuit. cap. 8.
m Euod. de miracul. S. Steph. lib. 2. cap. 4. ap. Aug. to. 10.

IESV CHRISTI AN. 393.

Theodoſii 15.

SIRICII ANN. 9.

I. Honorius creatur Imp.

ANNO Domini trecenteſimo nonageſimo tertio, Theodoſio Auguſto tertium & Abundantio Coſſ. idem Theodoſius, HONORIVM filium Imperatorem creauit quarto Idus Ianuarij, vt tradunt Socrates [a], Proſper [b], & Marcellinus [c]. Eodemque anno circa ſacros dies Pentecoſtes, quarta hora diei eclipſato mirifice ſole tantas tenebras factas eſſe, vt omnes iam iamque venturum Iudicem formidarent, cum ijdem auctores tradunt, tum S. Hieronymus confirmat in epiſtola ad Pammachium aduerſus Ioannem Hieroſolymitanum Epiſcopum, quam poſt paucos (vt ait) menſes ſcripſit.

a Socr. lib. 5. cap. 24.
b Proſp. in Chron.
c Marcell. in Chron.

II. De Ioannis Hieroſol. et Hieronymi aduerſis epiſt.

Cum enim ex literis ad eundem Ioannem ab Epiphanio anno ſuperiori ſcriptis, is magis magiſque commotus alias aduerſus ipſum Epiphanium, tum ad Theophilum Epiſcopum Alexandrinum, tum ad Occidentales prouincias miſiſſet, quibus inter alia calumniam ei hæreſis Anthropomorphitarum impingeret: rogatus à Pammachio V. C. Hieronymus (qui & ipſe ob Paulinianum fratrem ab Epiphanio ordinatum, & quod Ioannem ob errores Origenis nonnihil perſtrinxiſſet, eundem ſibi patiebatur infenſiſſimum) inſignes pro defenſione S. Epiphanij dedit literas [d], quibus eas quas Ioannes ſcripſiſſet, omneſque ab eo illatas in Epiphanium contumelias, necnon errores ab eo deſumptos ex Origenis libris περὶ ἀρχῶν, acriter abundeque refellit. Quos quidem errores cum Ioannes ac tota illa Origeniſtarum ſchola, nempe Ruffinus, Palladius, & alij complures in Ægypto monachi, ſummæ ſapientiæ oſtentatione exponerent: ſiquos ſcirent ſecus ſentire, eoſdem (vt ait ibidem Hieronymus) rudes ac ſimplices, & plane animales homines nominabant, necnon *Piloſiotas* (non Peluſiotas, vt deprauate legitur) quod Catholici crederent mortuos reſurrecturos cum pilis, alijſque ſingulis corporis membris; cum illi inter alios errores ex Origene ſuſceptos, corpora cum ſuis membris reſurrectura negarent.

d Hier. ep. 61.

Cathol. dicti ab Origen. Piloſiotæ.

III.

Illud præterea eadē Hieronymi epiſtola cōſtat Theophilum Alexandrinum egiſſe ſequeſtrem vt diſſidia inter Ioannem & alios Epiſcopos, ipſumq; Hieronymum componeret; eaque de cauſa legatum Hieroſolymam miſiſſe Iſidorum presbyterum ac monachum Alexandrinum: qui cum erga Iohannem propenſior eſſet, ac ſtuderet Origeniſtis (quod huc vſque Theophilus ignorauerat) confeſtim ex Legato ſe detexit Origeniſtarum anteſignanum, & quod Hieronymum acerrimum illorum aduerſarium expertus eſſet, literas à Theophilo ad ipſum ſcriptas adiuratus à Ioanne ei reddere noluit; prout ea de re Hieronymus queritur, ſimulque aduerſus Ioannem expoſtulat, quod mandaſſet clericis ſuis, vt ſi quis Paulinianum ab Epiphanio Epiſcopo conſecratum presbyterum diceret, eccleſiam prohiberetur intrare, atque inde ipſi Hieronymo interdictus fuiſſet ingreſſus Sepulchri Domini. Alia vero epiſtola [e] ad Theophilum ſcripta ſimiliter obijcit Ioanni, quod eidem ipſi Hieroymo poſtulaſſet & impetraſſet exilium. Quod enim ſciret Hieronymus, Theophilum Ioannis literis male perſuaſum, exiſtimare ob rem friuolam, nempe ordinationis Pauliniani cauſa, non autem tuendæ Catholicæ fidei, eos ſic inter ſe fuiſſe altercatos; ipſe ad eumdem ſcriptis literis, rerum geſtarum veritatem ſignificauit; ſeque pacem quam Theophilus per Legatos obtulerat optare, modo veram pacem, quæ ſcilicet compendio, non autem diſpendio fidei Catholicæ compararetur. Quibus Theophilus intellectis, poſt hæc (vt dicetur) fauit eorum cauſæ aduerſus Ioannem & alios Origeniſtas.

Iſidorus Origeniſta.

e Id. ep. 62.

Hieron. certiorem reddit Theophilum Alex. de omnibus.

IV. Hieron. cur ſcripſerit de opt. gen. interp.

Inter hæc autem ſubreptam fuiſſe à quodam pſeudomonacho aduerſariorum arte ſubmiſſo, epiſtolam Epiphanij ad Ioannem ſcriptam, atque ab Hieronymo in Latinum tranſlatam; indeq; ipſum Hieronymum calumniam falſarij paſſum eſſe, quaſi non recte quædam verba tranſtuliſſet; ipſemet pluribus declarat ac ridet in epiſtola illa, quam ea occaſione anno ſequenti. *De optimo interpretandi genere* ad Pammachium [f] ſcripſit. Qua cum in primis ſe purget ab illata calumnia, inuehaturque in chartarum ſubreptores, & quam acres ac ſeueras leges ſæculi vindices haberet pluribus demonſtret exemplis; demum aperte docet eius architectos fuiſſe Ruffinum & Melaniam, de quibus dictum eſt ſuperius, qui ob hæreſes Origenis, quarum præcipuos ſe patronos exhibuerāt ab eiuſdem ſe Hieronymi amicitia diſiunxerant. Opera tamen, vt puto, Theophili Alexandrini (qui multum in his medendis Eccleſiæ vulneribus laborauit) inita eſt poſtea concordia [g] inter eoſdem Hieronymum & Ruffinum: & exiſtimare fas eſt, alios quoque Hieronymi aduerſarios pari fœdere eidem copulatos, Origenis erroribus ſilentio condemnatis. Sed quomodo male obducta cicatrix, ſerpente intrinſecus tabo iterum in vlcus eruperit, dicetur ſuo loco.

f Id. ep. 101.
g Id. ep. 66. ad Ruff.

Hoc

V. Concil. Hippon. [illegible]

Hoc eodem anno iiſdemque Coſſ. octauo Idus Octobris [a] Hippone regio in Africa celebratum eſt Concilivm generale ex totius Africæ collectis Epiſcopis, cuius plerique in locis [illegible] reperitur. Quod vero de [illegible] quadraginta canones attinet, conſtat [illegible] Breuiarium, quo [illegible], habentque [illegible] in Concilio tertio Carthaginenſi. Eius autem celebrandi Concilij talem [illegible] præceſſiſſe cauſam profeſſi ſunt Patres, quam vt collapſam diſciplinam Eccleſiaſticam in integrum reſtituerent, quod quidem [illegible] efficaciter præſtiterant, vt ceteræ quæ poſtea in Africa celebratæ ſunt Synodi, ex Hipponenſi itaque [illegible] archetypo quodam, complura ſumpta [illegible]. In eadem autem coram [illegible] Epiſcopis, de Fide & Symbolo diſputaſſe Auguſtinum tunc presbyterum, Poſſidius [b] tradit, cuiuſque tractationis idem ipſe meminit Auguſtinus [c], quam & iiſdem petentibus Epiſcopis in librum conuertit, acceptumque ab omnibus magni habitum. Vnde Valerius Hipponenſis Epiſcopus, timens ne [illegible], & adiſcendum [illegible] alterius vacantis ſedis Epiſcopum, cogitauit [illegible] eum ſibi, eaque de re contulit cum Aurelio Carthaginenſi Epiſcopo, ac tandem perfecit, vt dicetur poſtea [illegible].

b Poſſid. in Vita S. Aug. cap. 7. c Aug. 1. Retract. l. 17.

VI. Theodoſii et Eugenii contrarii apparatus ad bellum.

Hoc tempore [illegible] Theodoſius Imperator expeditionem parans aduerſus Eugenium tyrannum, doctus exemplo [illegible], quam antea hoſtes debellari ſolere [illegible] per Ioannem celeberrimum illum anachoretam, quem & alias conſuluiſſe vidimus, feliciter tam victoriæ [illegible] promiſſionem accepit, ſed cum plurima ſanguinis effuſione. Cum ex altera parte Eugenius, licet foris præferens Chriſtianum, intus tamen Paganum gerens, ex fibris victimarum & inſpectione extorum & ipſe de victoria ſecurus fuit redditus, idque maxime perſuaſionibus Flauiani Præfecti viri quidem eximij & eruditi, ac in rebus politicis prudentis habiti, ſed idololatriæ addictiſſimi, & in Chriſtianam religionem infenſiſſimi, ideoque Symmachi Conſularis pernecessarij, cuius ad eum ſcriptæ extant complures epiſtolæ. Ceterum prædicta tam de illo, quam de Theodoſij & Eugenij contrarijs conſilijs & apparatibus, teſtantur Ruffinus [m] atque Sozomenus [n]. Nec vero de futuro tantummodo exitu belli vaticinatum eſſe Ioannem anachoretam, ſed & poſt obtentam victoriam proximum fore propalaſſe obitum Theodoſij, Euagrius [o] atque Theodoretus [p] affirmant. Addit autem Ruffinus, multis inſuper ieiunijs, orationibus, vigilijs, cilicijs, ac proceſſionibus ad loca ſancta, eundem Imperatorem ſe præparaſſe ad bellum. Cedrenus quoque, eundem incognitum alieno habitu peregrinatum Hieroſolymam ad inuiſenda loca ſancta: at hoc ignorauere antiquiores hiſtorici.

m Ruff. lib. 2. c. 32. n Soz. lib. 7. c. 22. o Euagr. [illegible] p Theod. l. 5. cap. 24.

VII. Theodoſii prudens lex cum clementia.

Præterea recens indictas à Præfecto Prætorio exactiones populo remiſit: multiſque leges præſcripſit, ne quid à ſuis hoſpitibus quocumque nomine exigerent [q]: ac denique reſcripſit, vt qui ipſi imperatori maledixiſſent poena [illegible], *Quoniam* (vt inquit egregie) *ſi id ex leuitate proceſſerit, contemnendum eſt; ſi ex inſania, miſeratione digniſſimum; ſi ab iniuria, remittendum.* Ea tamen ad Imperatorem referri iuſſit, vt ex perſonis hominum dicta penſarentur. Qua quidem in lege admireris Theodoſij cum pietate prudentiam, dum quando viſus eſt ſeueritatis ſoluere diſciplinam, tunc magis eam ſtabilia editæ legis adſtruxit. His itaque præmiſſis ſanctiſſimis legibus hoc eodem anno Conſtantinopoli promulgatis, idem Imperator ad ſequentis anni auſpicandum bellum certam ſibi ſtrauit ad victoriam viam.

q [illegible]

THEOD. 16.

IESV CHRISTI AN. 394

SIRICII ANN. 10.

I. Theod. [illegible]

ANno Chriſti trecenteſimo nonageſimoquarto, Arcadio tertium & Honorio ſecundum Coſſ. iiſdemque Auguſtis & fratribus, Theodoſius Imperator eorumdem parens, cum exercitu tam ſuorum militum quam barbarorum fœderatorum, profectus eſt in Occidentem aduerſus Eugenium tyrannum præmiſſo ſigno Crucis quod micabat in Labaro. Quod vbi Eugenius [illegible], conſilium [illegible] iniit cum ſuis exercitus Ducibus, Arbogaſte Comite & Flauiano Præfecto, vt occupandis [illegible] Alpium iugis collocatis ibi ſimulacris Iouis Fulminis, exercitu que præeunte Herculis ſigno progrediente. Tradit vero Paulinus in Vita S. Ambroſij, recedentes Mediolano Eugenianos minatos eſſe, cum victores reuerterentur ſtabulum ſe facturos in baſilica Mediolanenſi, atque clericos ſub armis probaturos, quod munera Eugenij qui ſe ſacrilego communicauerat ab Eccleſia reijcerentur, nec [illegible] Eccleſia [illegible]. Sed [illegible] S. Ambroſius [illegible] vt iidem Mediolano exceſſerunt [illegible] ad Tuſciam receſſit, vt Theodoſium [illegible] exciperet.

Iſcitur aduerſus Eugenium. a Paulin. in Vit. S. Amb.

II. Mirifica Theodoſii victoria.

Porro Theodoſius inopinato ſuo aduentu hoſtes terruit, Alpiumque præter omnem ſpem potitus, ad planitiem poſtea pugnã [illegible], primo [illegible] congreſſu multis ſuorum militum amiſſis, poſtero in prælio inſignem atque mirabilem obtinuit victoriam octauo Idus Septembris ad [illegible] flumen nomine Frigidum. Sed hæc omnia, aliaque præclare eo bello geſta pluribus deſcripſere Ruffinus [c], Theodoretus [d], Oroſius [e], Socrates [f], Sozomenus [g], aliique [h] Chriſtiani auctores, & ex Ethnicis Claudianus, atque Zoſimus. Iſte tamen (præterquam quod defectum illum Solis, quem anno ſuperiori contigiſſe demonſtrauimus, hoc ipſo prælij tempore accidiſſe falſo ait) more ſuo, quod ferret victoriam Theodoſij in deorum ignominiam & gloriam Chriſti cedere; quam negare non poterat, ſic obſcurauit, vt non Chriſti virtuti, ac pietati Theodoſij aſcribenda eſſet, ſed potius Eugenij oſtentatæ. Cum tamen eam non de fidem hominum, acerrime & obſtinatiſſime pugnantium, ſed diuinitus impertitam fuiſſe precibus Theodoſij, quas medio prælio cum [illegible] videret acies ad fugam conuerſas, in edita rupe, vnde & conſpicere & conſpici ab vtroque poſſet exercitu, proſtratus fudit ad Deum; adeo vt exorto cœlitus in hoſtium facies vehementiſſimo vento, cuncta tela ab eis miſſa in eoſdem ipſos retorquerentur, & immenſa pulueris copia oculos occludere cogeret; omnes ſupra nominati auctores Chriſtiani, ipſeque Claudianus Ethnicus affirmant. Quin etiam SS. Ioannem Euangeliſtam & Philippum Apoſtolum eidem Imperatori in viſione apparẽtes, animum dediſſe redintegrãdi ſecunda die prælium Theodoretus narrat: extatque hactenus ea de re nobile antiquitatis monumentum, prægrande numiſma [k] aureum, ex altera parte repræſentans effigiem Theodoſij, ex altera vero SS. Iohannis & Philippi ſtatura elevata & ſacerdotali antiquo ornatorum habitu, iiſdemque omnibus dextra manu volumen (nempe Euangelij, vt puto) ſiniſtra Crucem apponens, quibus armis ſuperaſſent confidentem dijs Gentium exercitum. Ceterum Arbogaſtem quoque hoſtilium partium Comitem in ipſo certamine ad Theodoſium tranſeuntem, magnam extitiſſe victoriæ partem Oroſius atque Theodoretus aſſerunt.

c Ruff. lib. 2. c. 33. d Theod. l. 5. c. 24. e Oroſ. lib. 7. c. 35. f Socr. lib. 5. c. 24. g Soz. lib. 7. c. 24. h [illegible]

Auxilia diuina Theodoſio impertita.

k Habet [illegible] Annal. [illegible]

III. Eugenii et Arbogaſtis interitus.

Ipſum vero Eugenium tyrannum, captum ac vinctum ad Theodoſium ductum, pœna mortis affectum eſſe cunctis [illegible] auctores affirmant: ac de Arbogaſte ſcelerum omnium auctore tradunt, fuga ſe ſubducentem e pugna, vbi nullam vitæ ſpem ſibi reliquam intellexit, proprio ſe enſe confodiſſe. Reliquis autem omnibus qui bello confecto fuere ſuperſtites, veniam à Theodoſio impertitam fuiſſe, teſtantur Oroſius & Auguſtinus [l]: & qui ad eccleſias confugiſſent [illegible] S. Ambroſium ea de cauſa Aquileiam ad Imperatorem accedentem, indulgentiam impetraſſe, Paulinus ait. Vnde & Syneſius [illegible], qua agit cum Arcadio de ſeruanda clementia [illegible] ingens exemplum; illudque [illegible] Theodoſio prædicat, quod victor hoſtium [illegible] generoſitatemque [illegible] ad indulgentiam [illegible]. Sicut & eandem ipſius virtutem magnis patris laudibus extulerunt æque externi homines, Claudianus, atque

l Aug. de ciu. [illegible]

Theod. clementia prædicata.

Themiſtius philoſophus, qui & ſub Theodoſio prouecta admodum ſenectute vixit, ipſique etiam Imperatori carus extitit. Ceterum hanc Theodoſij victoriam eadem ipſa die qua accidit, indicatam fuiſſe Conſtantinopoli à dæmonibus, Sozomenus refert: eodemq; tempore in Thebaidis Ægypti ſolitudine à magno illo monacho, qui bis Theodoſio de auſpicandis prælijs ventura prædixerat, nunciatam Euagrius [m] narrat.

m Euagr. Vit. SS. Pat. c. 1.

IV. EXPIATIO OB CÆDEM BELLICAM.

n Ambr. in fun. Theod. o Plin. l. 15. cap. vlt. p Virg. Æn. 2. q Baſil. ep. ad Amphiloc. c. 13.

At vero poſt adeo inſignem victoriam Theodoſium, quod hoſtes in acie ſtrati eſſent, abſtinuiſſe à Sacramentorum conſortio, donec Domini circa ſe gratia exprimeretur aduentu filiorum, quos literis Conſtantinopoli Mediolanum acceſſiſſet, S. Ambroſius [n] teſtatur: & hoc quidem ritu Chriſtianorum; quamuis ſciamus fuiſſe apud Gentiles luſtrationes à cæde hoſtium, ſuffitu [o] lauri, vel aqua [p] fluminis. Sed de ritu Chriſtianorum eſt etiam canon [q] S. Baſilij, vt trium annorum communione abſtineant. Verum haud eum fuiſſe vſu receptum, hac ratione Theodorus ait, quod nunquam daretur militibus ſacra participare, vtpote quod ante abſolutum triennium ijdem pugnare iterum atque iterum compellerentur. Eius tamen auctoritate repreſſum ab Epiſcopis Phocam Imp. tradit, cum vellet cæſos bello Romanos milites haberi martyres. Apud Latinos extat canon pœnitentialis in antiquis libris Ritualibus vndecimus ordine, vt qui in bello cædem feciſſent, abſtinerent quadraginta diebus. Certe diuina veteri lege [r], qui, licet mandato Dei homines occidiſſent, ſeptem diebus extra caſtra manentes, luſtrabantur tertio & ſeptimo die.

r Num. 31.

V. TERRÆMOTVS IMMENSI.

s Marcellin. Chron. t Ambr. in fun. Theod. u Hier. aduerſ. Vigil.

Poſt hæc autem, elementa varie perturbata fuiſſe, ac nonnullas regiones terræmotu quaſſatas, Marcellinus [s] & Ambroſius [t] referunt, præſagia exiſtimantes proximi Imperatoris obitus. Sed inter alias Orbis regiones, Palæſtinam diro tunc vexatam eſſe tremore terræ, meminit S. Hieronymus [u] occaſione impuriſſimi Vigilantij: qui ex Hiſpania Hieroſolymam profectus, necdum ibi detectus hæreticus, cum Catholicis communicabat: ſed qualis intus eſſet omni pudore vacuus occaſio foris manifeſtauit, cum (vt ait Hieronymus) ſubito terræmotu noctis medio omnibus de ſummo excitatis, ille & tunica & fide nudus, & aliquid habens nocturnæ crapulæ, omnium oculis obſcœnam partem corporis ingeſſit. Sed de Vigilantio plura inferius.

VI. SYNOD. CONSTANTINOP. IN ENCÆNIIS.

Hoc eodem anno iiſdemque Coſſ. apud Theodorum Balſamonem celebrata ponitur tertio Calendas Octobris *Synodus Conſtantinopolitana* in cauſa vertente inter Agapium & Gebadium, vtrumque ſibi vendicare ſatagentem Epiſcopatum Boſtrenſem. Sed cum in ea tam Patriarchæ Alexandrinus & Antiochenus, quam ceterarum Orientis primarum ſedium quamplurimi conſediſſe dicantur Epiſcopi, nec tamen eiuſmodi tanti Concilij vlla penitus apud antiquos reperiatur mentio, exiſtimo eum conuentum non conuocatum eſſe vel Eccleſiaſticorum dogmatum cauſa, vel diſciplinæ Eccleſiaſticæ corrigendæ, vt in ceteris Concilijs fieri conſueuit, vel litis vnius Eccleſiæ terminandæ ſtudio; ſed vt nouam Apoſtolorum Petri & Pauli nomine erectam à Ruffino Præfecto Prætorio, penes quem ſumma erat, Theodoſio præſertim abſente, in toto Orientali Imperio auctoritas, baſilicam dedicarent: huncque ipſum eſſe conuentum Epiſcoporum, cuius Palladius [x] res ſuorum temporum ſcribens meminit, cum agit de Euagrio Pontico, qui vna cum Ammonio & alijs magni nominis anachoretis ex Ægypto vocatus à Ruffino, ad eandem baſilicæ Ruffinianæ dictæ dedicationem Conſtantinopolim venit, & ipſum Ruffinum proprijs manibus ſuſcepit ſacro fonte mundatum. Certe quidem ad magnarum Eccleſiarum dedicationes vocari ſolitos è remotiſſimis quoque regionibus Epiſcopos, quæ dicta ſunt ſuperius de Antiochenæ ac Hieroſolymitanæ Encænijs docent. Porro meminit eiuſdem à Ruffino erectæ baſilicæ Sozomenus [y], aitq; ædificatã fuiſſe trans mare prope Chalcedonem in loco dicto, Ad quercus, vbi ab eodem Ruffino ſumptuoſa villa extructa erat, erectæque regiæ ædes, ipſaque Baſilica in honorem præcipuorum Apoſtolorum Petri & Pauli dedicata, dicta quoque nomine communiori *Apoſtoleum*.

x Pallad. in Lauſ. c. 1.

y Soz. lib. 8. cap. 17.

VII. ACTA CONCILII.

His igitur cauſis præcedentibus, vt præcipuarum ſedium Epiſcopi inuitati à Ruffino Conſtantinopolim ſe cõferrent; ibi cum eſſent, controuerſiam quoque inter duos illos Epiſcopos obortam definiuere, eo modo quo Acta declarant ibidem à Theodoro narrata; nimirum ex ſententia Theophili Alexandrini definitum, non licere deponi Epiſcopum à duobus vel tribus alijs Epiſcopis, ſed maioris tantum Synodi arbitrio nempe eiuſdem prouinciæ Epiſcoporum ſententia. Cum autem inter alios magni nominis Epiſcopos in eadem Synodo conſidentes, reperiantur quoque duo illa lumina Orientalis Eccleſiæ poſt Baſilium & Gregorium Nazianzenum, nempe Baſilij frater *Gregorius* Epiſcopus Nyſſenus, & *Amphilochius* Iconienſis, erroris arguuntur, qui eos longe ante hæc tempora obijſſe tradunt. Nam & S. Hieronymus anno ante ſuperiorem, quo (vt vidimus) edidit commentarium de Scriptoribus Eccleſiaſticis, de ijſdẽ adhuc viuentibus & ſcribentibus meminit. Sed quod Amphilochij nonniſi commentarium de Spiritu S. recenſet, tamen complura alia ipſum ſcripta ediddiſſe, fidem facit Theodoretus, qui multa ac diuerſa in ſuis dialogis ab eodẽ mutuatus, ea citat. Sed & cum ex eorundem Epiſcoporum catalogo conſtet, *Theodorum* Mopſueſtenum in Cilicia Epiſcopum vna cum alijs in eadem Synodo cõnſediſſe; apparet quoque ipſum adhuc Catholicum perſeueraſſe, communicantem cum Catholicis, necdum hæreſim qua in diuinis Quaternitatem aliaſque nefandas blaſphemias introducere conatus eſt, publice profeſſum eſſe.

THEODORVS MOPSVESTENVS.

VIII. CONCIL. ADRVMET. CATHOL.

z Aug. 3. cont. Creſcon. c. 56.

CONC. BAGAIENSE DONAT. IN CAVSA SCHISMATVM.

Hoc item eodem anno iiſdemq; Coſſ. *Adrumeti* in Africa celebrata eſſe reperitur SYNODVS Catholicorum: ſed quæ ibi decreta fuerint, haud apparet, quod diuerſorum Conciliorum Canones in vnum collecti, ſimul ſub vno titulo Concilij Africani habeantur admixti. Porro Donatiſtæ quoque in Numidia his iiſdem Coſſ. (vt docet Auguſtinus [z]) Generale CONCILIVM Epiſcoporum trecẽtorum decem celebrarunt, BAGAIENSE dictum, quod Bagai eiuſdem prouinciæ ciuitate fuerit collectum: in quo cauſa Primiani & Maximiani definita eſt. Cũ enim mortuo Parmeniano, quem poſt Donatum vidimus Carthaginenſem Epiſcopum partis Donatiſtarum, in eius locum ſuffectus eſſet ab aliquibus eorum *Primianus*; aduerſus eum poſtea ab alijs Donatiſtis creato *Maximiano*, maximum inter eos conflatum eſt ſchiſma: Cumque iam antea duo alia celebrata eſſent Concilia à Maximianiſtis contra Primianiſtas; modo in hoc generali Baiaienſi idem Maximianus abſens damnatus eſt cum ſuis, ac Primianus confirmatus. Narrat hæc omnia fuſe S. Auguſt. [a]: quo etiam auctore conſtat, Primianiſtas tanto ardore in Maximianiſtas ferri ſolitos, vt & ad iudicia publica traherent, & cædibus atq; incendijs ea occaſione omnia replerent. Quod igitur eadem cauſæ ſuæ proſecutione ipſi aduerſus Maximianiſtas ea omnia præſtarent (immo & longe atrociora) quæ ijdem atque ceteri Donatiſtæ à tempore Conſtantini Magni atque filij eius Conſtantis, ſe à Catholicis paſſos eſſe effuſo ore iactare non deficiebant; ſicque ſuis ipſorum ſe armis confodi negare nõ poſſent (quod eis crebertime idem S. Auguſtinus exprobrat) inde factũ eſt, vt in Concilio Carthaginenſi poſtea à Catholicis celebrato Vincẽtio & Frauita Coſſ. decreuerint [b] Patres, ad perpetuã rei memoriã è publicis Actis excipienda eſſe cuncta, quę inter Primianiſtas & Maximianiſtas penes Proconſules verſata eſſent.

a Id. in Pſ. 36. & cont. Creſcon.

b Conc. Afric. c. 14.

IX. DE LITERIS AVG. ET HIERON. ALTERVTRVM DATIS.

c Aug. ep. 8. & ep. Hier. ep. 86.

Hoc ipſo anno S. Auguſtinus, de S. Hieronymi ſtatu certior factus per Alipium Tagaſtenſem, eiuſdem Auguſtini in vitę inſtituto collegam, (qui anno ſuperiori Hieroſolymam peregrinatus, ſequeſter extiterat vt inter eoſdem Sanctos amicitiæ vinculum ſtrictius necteretur) literas cuidã Profuturo ad eundem Hieronymũ dedit, poſtquã hoc ipſo anno idẽ Alipius promotus eſſet in Epiſcopũ Tagaſtenſem, familiares illas [c] quidẽ, ſalibus tamen acrioris correctionis aſperſas. Nam vnde ſibi ſuppetere poterat haud mediocre argumentum Hieronymi commẽdandi, quod ſolus ac primus inter Latinos potuiſſet reſerare fon-

tes Hebraicos; inde cum ſugillandi arripiens occaſionem, quaſi otioſe hæc tentaſſet ab eo ſtudio diuellere conatus eſt, fructuoſiuſque ipſum laborare, nomine (vt ait) totius Eccleſiæ Africanæ rogauit, in vertendis in Latinum Græcis ſcriptoribus Eccleſiaſticis: ac deinde inculcauit reprehenſionem de perperam facta ab Hieronymo interpretatione loci illius in Epiſtola ad Galatas, quo Paulus ait à ſe obiurgatum eſſe Petrum. Sed de hoc quàm rectè ſenſerit Hieronymus, abunde ſuperius [d] demonſtratum eſt, cum de illa inter [e] Paulum & Petrum controuerſia diſputaretur.

d an. 31. n. 7. & ſeq.
e Aug. ep. 10. ap. Hier. 11.

X.

Accidit vero vt hæ primæ Auguſtini literæ in Africa retentæ, ob promotionem Profuturi in Epiſcopum eo ipſo tempore quo Hieroſolymam petere decreuerat, vix poſt annos duodecim ad Hieronymum peruenerint. Cũ interea Hieronymus earum penitus ignarus, ad Auguſtinum alia occaſione alias officioſas ſatis mittens (quæ licet non extent, agit tamen de illis Auguſtinus [f]) inter alia eum admonuit de cauendis in Origenis lectione eius erroribus. Quam quidem admonitionem non alia de cauſa factam puto, niſi quod cum Alipij Hieroſolymam aduentus tunc contigiſſet cum excitatæ nuper controuerſiæ de Origenis erroribus vigerent, timeret ne Auguſtinus relatione Alipij de omnibus certior redditus, aduerſariæ partis fortaſſe defenſor inſurgeret. Certe quidem ſubodorari mihi videor, tantos viros penes quos ſumma rerum Hieroſolymis eſſet, quorumque prætenſa ſanctitas videbatur toto iam Orbe ſpectata, nempe Ioannem, Ruffinum, Melaniam, alioſq; Origenis fautores aduerſus Hieronymum aliqua falſa Alipij auribus inſuſurraſſe, eademque ipſum, aduerſariorum ignorantem dolos, in Africam redeuntem Auguſtino narraſſe; qui eis nonnihil permotus, bona fide rectoq; animo paulo licentior primis illis literis à reprehenſione ſcriptorum Hieronymi aggreſſus ſit. Acceptis vero quas Hieronymus ſcripſerat, alias ipſe rurſum ad eumdem dedit eodem prorſus quo priores argumento.

f Ibid. ep. 9. & 17.

XI.

Sed iterum accidit dolo aduerſariorum (ac præcipue Ruffini, vt alibi non obſcure Hieronymus [g] indicat) vt nec iſtæ Auguſtini literę ad Hieronymum perlatæ fuerint, ſed exſcripta ex eis exemplaria in Italiam miſſa, ſparſaque non ſine graui Hieronymi nota: quorum vnum nactus Syſinnius [h] diaconus, tandem poſt annos (vt diximus) duodecim à priorum literarum ſcriptione, Hieroſolymam [i] ad eumdem Hieronymum attulit. Quapropter ex his ipſe nonnihil ſtomachatus, brebis ad Auguſtinum miſſis literis, de iniuria accepta conqueſtus eſt. Auguſtinus vero alijs rurſus ad eũ ſcriptis [k] per Cyprianum diaconum, nouas addidit reprehenſiones operum Hieronymi: & ex altera parte Hieronymus validam aduerſus eas Apologiam contexuit, qua cum ab omnibus obiectis cauſam ſuam defendiſſet, redarguit inſuper Auguſtinum quod eius ſententiæ viſus eſſet aſſertor, qua diceretur, Iudæos ad Christum conuerſos vti licite legalibus potuiſſe; quod affirmare nihil aliud eſſet, quam Cherinthi, Ebionis, & Nazaræorum hæreſi adſtipulari: ſed ab his poſtea Auguſtinus prolixiori ſe purgauit epiſtola. Porro cuncta hæc, aliaque eiuſmodi, his alijſque literis vltro citroque ab iiſdem datis ad annos ferme quatuordecim, quibus hæ controuerſiæ inter ipſos agitatæ ſunt, pluribus pertractata apud eoſdem inſpicere licet. Ex quibus omnibus & illud videas, Deo dilectos, filios pacis, Eccleſiæ magiſtros, eo animo in altercando fuiſſe, vt inter ipſos verborum grauiores verberibus ictus, ſe tamen mutuo complecterentur, laudibuſque efferrent, atque furtiuis charitatis oſculis peterent: adeo vt tandem veritate in vtroque vincente, firmiori concordia iuncti fuerint. At de his hactenus; quę cuncta in vnum ſummatim congeſſiſſe volumus, ad rerum geſtarum faciliorem intelligentiam.

g Hier. Apol. aduerſ. Ruff. lib. 2.
h Id. ep. 97. ap. Aug. 14.
i Id. ep. 91. & 92.
k Aug. ep. 17. ap. Hier. 93.

CHARITAS ILLIBATA SERVATA IN DISSENSIONIB. AVG. ET HIER.

XII.

PAVLINVS RENVNCIAT SÆCVLO.

Hoc eodem anno *Pontius* PAVLINVS V.C. antiquæ nobilitatis decus, vna cum Theraſia coniuge, ampliſſimo patrimonio in pauperes erogato, monaſticæ vitæ inſtitutam arripiens, in Nolanum agrum ſeceſſit, ætatis annum (vt ex ipſius anno ſequenti ad Auguſtinum data epiſtola [l] conſtat) emenſus quadrageſimum. Quanti vero ea res momenti fuerit, talem virum ex tali familia atque proſapia ortum, tantaque eloquentia præditum; tale de ſe ſpectaculum Vrbi & Orbi exhibuiſſe, declarat Ambroſius [m] in illa epiſtola quam ad iſtud ipſum ſignificandum ad Sabinum Placentinum Epiſcopum ſcripſit. Qui quod ibidem ait, Paulinum in partibus Aquitaniæ ſplendore generis nulli fuiſſe ſecundum; ad ampliſſimum de quo mox agit, patrimonium alluſit, quod ille in Aquitania haberet (vſu nimirum antiquo, hoc etiam tempore vigente [n], vt nobiles Romani in prouincijs longe poſitis latifundia poſſiderent) vbi & habitare ſæpe ſoleret, vt ex varijs Auſonij epiſtolis patet. Cum alioqui eumdem Paulinum ampliſſimum fuiſſe Senatorem; familia nobiliſſima, ac Romana proſapia, ex iiſdem Ambroſio & Auſonio manifeſtum exiſtat.

l ep. Aug. ep. 31.
m Amb. ep. 10.
n Vid. Hier. ep. 27. Aug. ep. 114. Symmach. 7. ep. 66.

XIII.

PAVLINI PRIMORDIA ET PROGRESSVS.

Burdigalæ tamen natus eſt (pluribus namque Romanis contigiſſe in prouincijs, diuerſis occaſionibus naſci, multa exempla ſuppetunt; vt recens de Ambroſio, qui natus eſt in Gallis cum parens eius in eis gereret Præfecturam (ibique ab eodem Auſonio Gallo) illic publice profitente, rhetoricis atque poeticis nobiliter inſtitutus facultatibus, paterniſque frequentatus officijs, prout declaratur eorumdem ad inuicem datis [o] literis: quibus [p] & illud conſtat, Paulinum ante Auſonium fuiſſe inſignitum Conſulatu ordinario. Eumdem vero etiam Præfecturam Vrbis ſub Conſulatu Gratiani quinto & Theodoſij geſſiſſe, certum redditur ex duobus reſcriptis [q] ad eum ſub iiſdem Coſſ. datis. Omnia tamen hæc propter Chriſtum miſſa fecit; ſicut & multo ſtudio antea quæſitas cultaſque muſas, cum licet ſæpe prouocatus ab Auſonio [r], tacere nihilominus ſtatuit: & ablegatis terſis illis compriſque, retinuit ruſticam atque raucisonam, quæ ſatis viſa ad laudes Deo canendas, qui cordis potius quam chordarum numeris delectatur, & magis fide quam fidibus collaudatur. Baptizatum quoque ſe fuiſſe Burdigalæ à Delphino Epiſcopo, apud Barcinonam vero Hiſpaniæ per vim inflammatæ ſubito plebis, licet vxoratum (de quo more dictum eſt alias) à Lampio Epiſcopo presbyterum ſacratum, ipſemet [s] teſtatur, addens inſuper, ſe poſtea Mediolani à S. Ambroſio cooptatum eſſe in clerum eiuſdem Eccleſiæ; fortaſſe, quod Ambroſius cuperet eum poſt ſe habere in ſede ſucceſſorem, cum more maiorum de gremio eligi Epiſcopi conſueſcerent. Sed dum adhuc in Hiſpania conſiſteret, S. Felicem martyrem qui Nolæ in Campania colebatur, quemque ipſe olim recedens ab Italia inuiſerat, ſuaque ei vota [t] dicarat; iugibus precibus frequentaſſe, & apud eum reſidere ſtatuiſſe; tradit ipſe primo eiuſdem Sancti Natali, quod in Hiſpania iam propemodum diſceſſurus cecinit.

o Auſon. ep. 20. 23. Paulin. ep. 39. ap. Auſon. ep. 1.
p Auſon. ep. 2. & 24.
q l. 4. & 5. C. Th. de Senat.
r Vid. ep. Auſon. 21. 25. & Paul. 30. 41. quæ ſunt ap. Auſon. 1. & 3.
s ep. Aug. ep. 35.
t Paulin. in Natal. 2. S. Felic.

XIV.

PAVL. PATITVR INVIDIAM ROMÆ OB INGENTES HONORES EI EXHIBITOS.

Romam igitur repetens vt inde Nolam ſecederet, ibi (vt ipſe queſtus eſt epiſtola, quem anno ſequenti ſcripſit [u] ad Seuerum cum iam annum Nolæ egiſſet) ſenſit inuidiam quorumdam clericorum, ipſiuſque etiam Vrbici Papæ, vt vocat, hoc eſt Sirici Romani Pontificis; commotam (vt puto) quod aduenienete Paulino Romam poſt tam longum ſpatium temporis, omnium oculi in ipſum conuerſi fuerint, obſtupeſcentium præ miraculo cum viderent Conſularem virum presbyterum factum; mox in monachum transformandum celebri concurſu (vt ipſemet ait) tum ciuium tum exterorum, monachorum, Antiſtitum, clericorum, atque etiam ſæcularium, frequentatum officijs ac legationibus. Quamobrem ipſe pacis filius, ſic male affectis liuore animis nullo opportuniori remedio (vt addit) occurrendum putauit, quam matura ab Vrbe diſceſſione. Vbi vero acceſſit ad agrum Nolanum, totus obſequio S. Felicis deditus, hoc ipſo anno abdicauit ſe grauiſſima ſarcina rerum temporalium. Quas cum erogaret in pauperes, ex eis illam ſubduxit partem, qua erigeret Fundanam baſilicam; quam picturis ornandam, & cũ Reliquijs SS. Apoſtolorum ac martyrum dedicandam curauit [x]. Quam autem arduum arripuerit viuendi genus, docent aliæ ipſius ad eumdem Seuerum conſcriptæ epiſtolæ [y]. Fuiſſe quidem profeſſos tum Paulinum, tum ſeorſum Theraſiam coniugem, vitam monaſticam, teſtis eſt S.

u Id. ep. 1.

PAVL. SECEDIT IN AGRVM NOLANVM.

x Id. ep. 12. ad Seuer.
y ep. 1. 7. 24.

Hieronymus [a] in literis ad illum ſcriptis de Inſtitutione monachi. Sed lōge alius ab hoc: Paulinus eſt ille ad quem ſcribit idem Hieronymus epiſtolam [a] de Libris diuinæ Scripturæ: ſiquidem illum alium hortatur ipſe Hieronymus proficiſci Hieroſolymam, hunc autem Nolanum multis de cauſis ab eo propoſito varijs rationibus procul reuocat: cum & alioqui plura ſint alia, quæ eoſdem Paulinos inter ſe diſcriminent. At de Nolano ruſum continget infra ſæpius mentionem fieri.

a Hier. ep. 1. a Id. ep. 103.

XV. Accidit porro eodem ferme tempore, aliud Paulino perſimile exemplum edi ab eodem ipſius amico *Seuero Sulpitio*, ciue Romano in Gallijs agente, & monaſticum vitæ genus arripiente: viro (vt Gennadius [b] ait) genere & literis nobili, & paupertatis atque humilitatis amore conſpicuo, de cuius ſumma laude digno eiuſmodi conſilio, egit idem Paulinus prima illa quam diximus ad eum data epiſtola. Inhæſit vero is S. Martino, eiuſque Vitam ac Miracula conſcripſit. Sed & *Tetradij* V. C. atque Proconſularis, admiratione digna fuit conuerſio, cum ex faſtuoſiſſimo Ethnico factus eſt humillimus Chriſtianus, viſo miraculo ab eodem S. Martino edito in expulſione nequiſſimi dæmonij è corpore vnius ex ſeruis ipſius Tetradij: quam hiſtoriam idem Seuerus [c] narrat in Vita S. Martini. Ceterum claruiſſe in Gallia his temporibus præter S. Martinum alios complures inſignes ſanctitate Epiſcopos idem qui ſupra Paulinus [d] teſtatus eſt: videlicet *Exuperium* Toloſæ, *Simplicium* Viennæ, *Amandum* Burdigalæ, atque alibi alios quos recenſet: quibus addendus eſt *S. Mauritius* Epiſcopus Andegauenſis, à S. Ambroſio Lector ordinatus, & à S. Martino monaſtica inſtitutione excultus, & presbyter conſecratus, ac deinde inuitus ordinatus Epiſcopus: cuius extant [e] Acta mirifica.

SEVERI SVLPITII DIGNVM EXEMPLVM. b Gennad. de Vir. illuſt. cap. 61. TETRADII CONVERSIO. c Seuer. c. 16. d ap. Greg. Tur. l. 2. hiſt. Franc. 13. INSIGNES EPISCOPI IN GALLIIS. e ap. Sur. 13. Sept.

XVI. Corollarium vero eiuſdem argumenti, rebus hoc anno geſtis ex Sozomeno [f] addimus; qui ad finem Imperij Theodoſij in quo verſamur, dicens hoc tempore multos multis in locis per orbem terrarum præclaros extitiſſe Epiſcopos: de ſanctiſſimo viro *Donato* Epiſcopo Euoreæ in Epiro ait, cum inter infinita alia miracula, draconem ingentis magnitudinis (cui videlicet extincto extrahendo, octo iuga adhibenda fuere) homines & animalia quæcūque rapientem, ſolo ſigno Crucis digito aduerſus eum in aere inſcripto, & ſputo in os eius iniecto confeciſſe. Subdit & de alijs Epiſcopis, de quibus nos alibi opportunius.

f Soz. l. 7. c. 25. DONATVS EPISC. IMMENSVM DRACONEM SIGNO CRVCIS NECAT.

IESV CHRISTI ANN. 395.

SIRICII AN. II.

ARCADII ET HONORII AN. I.

I. ANNO Chriſti trecenteſimo nonageſimoquinto in auſpicijs Cōſulatus duorum germanorum fratrum, Olybrij atque Probini, Claudianus carmen panegyricum [a] cecinit, idque meritis patris Probi, de Imperio Romano optime meriti, conſecutos eſſe fratres adoleſcentes pluribus tradit, natoſque eſſe ex Probo & Proba parentibus confirmat. Ceterum ex Anicio Probos atque Olybrios genus accepiſſe, Hieronymus [b], Prudentius [c], atq; idem Claudianus [d] docent: eamque familiam nobilitate, opibus, virtutibus Chriſtianis ac religione illuſtriſſimam, tot frequentatam fuiſſe Conſulatibus affirmant, vt nullus aut rarus in ea fuerit qui non meruerit ampliſſimam illatam dignitatem. Additque Caſſiodorus, vere eam nobilem dictam, quando ab ea actionis probitas non receſſit. *Probus* autem horum Conſulum pater, is fuit qui cum eſſet Præfectus Prætorio (vt vidimus) Ambroſio delegauit prouincias Æmiliam atque Liguriam: qui & ipſe Conſulatum geſſit, vna cum Gratiano Imperatore anno Domini trecenteſimo ſeptuageſimoptimo: ac tantæ fuit potentiæ, vt ad eam cognoſcendam (quod dictum eſt ſuperius) e Perſide ſapientes Romam accerſerint.

a Claud. de Conſul. Olyb. & Prob. DE CLARISS. FAMILIA ANICIORVM. b Hier. ep. 8. c Prud. aduerſ. Symm. l. 1. d Claud. ibi. PROBVS CIVIS ROM. POTENTISS.

II. Proba vero eius coniux, nobiliſſima item atque ſanctiſſima fœmina, trium Conſulum Ordinariorum mater, eademq; Conſulum item Ordinariorum filia & vxor, ab iiſdem auctoribus, necnon Auguſtino, Chryſoſtomo, alijſq; mirum in modum laudata: viuente adhuc viro, centonem illum de Teſtamento Nouo & Veteri ſcripſit. Itaque cum ex antiquis monumentis appareat, Faltoniam Probam poetriam vxorem fuiſſe Probi: vnde nam recentiori Iſidoro [e], eadem Adelphij Proconſulis coniux extitiſſe dicitur? & vnde rurſum illis qui ſentiunt cum Iſidoro, eſt quod dicant Probo fuiſſe cognomentum Adelphium? Certe in antiquis monumentis & inſcriptionibus quæ permultæ erant Romæ de familia Proborū, nullatenus reperiri datur ita dictum eſſe, ſed tantum Anicium Sextum Petronium Probum. Porro horum filio Olybrio huius anni Conſuli nupſit Iuliana clariſſima fœmina ac pientiſſima, & ex eo matrimonio nata eſt Demetrias Chriſtianæ pudicitiæ decus: de quibus agendum erit inferius. Iam vero ad præſentis anni res geſtas oratio ſe conuertat.

PROBA INSIGNIS PIETATE ET DOCTRINA FEMINA. e Iſid. de vir. illuſt. 5.

III. Hoc igitur anno iiſdemque Coſſ. [f] Theodoſius Imperator cum filios Arcadium & Honorium Conſtantinopoli venientes Mediolani excepiſſet, eoſque S. Ambroſio [g] cōmendaſſet, prohibitis [h] rurſum Gentilium ſacrificijs, & relaxatis eſt teſtamēto annonarijs tributis: ibidem Mediolani [i] magno totius Orbis damno, ex hac vita migrauit decimoſeptimo [k] Calendas Februarij, cū imperaſſet [l] annos ſexdecim, & duobus diebus decimū ſeptimum attigiſſet, annum agens ætatis [m] quinquageſimū. Errat enim Socrates dum illum aſſerit vixiſſe annos ſexaginta: Itemq; dum vna cum Sozomeno [n] tradit, filios aduenietes reperiſſe patrem morbo laborantem in lecto: Necnon Zoſimus [o], dum refert Theodoſium Conſtantinopolim redeuntem in itinere vita functum. Nam quæ ſummatim de eius obitu dicta ſunt, ea teſtificatione probatiſſimorum auctorum qui hoc ipſo tempore in Occidente, vbi ea fieri contigerunt vixere, firmata conſtant. Corpus autem eius pollinctum temporariæ mandatum eſt ſepulturæ, poſtea vero tranſlatum Conſtantinopolim hoc eodem anno ſexto Idus Nouembris, vt Socrates tradit: non tamen ſecum vexit illud Arcadius; qui ſtatim poſt patris obitū, ne quid inopinata morte Imperatoris turbarum oriretur in Oriente, quam citiſſime reuerti laborauit Cōſtantinopolim: ipſumque duntaxat Honorium interfuiſſe quadrageſimæ funeris functioni, S. Ambroſius in ea quam coram ipſo tunc in laudem Theodoſij habuit, oratione indicat.

THEODOSII IMP. OBITVS. f Proſp. in Chron. Marcel. in Chro. Socr. l. 5. cap. 25. g Paulin. in Vit. S. Amb. h Ambr. in fun. Theod. i Oroſ. l. 7. c. 36. Vict. in Theod. ſ. k Socr. ibid. l Marcel. ibid. Ruf. lib. 2. m Vict. ibid. n Soz. lib. 7. c. 28. o Zoſ. l. 4. CORPVS EIVS TRANSLATVM CONSTANTINOP.

IV. Ceterum cum Theodoſij laudes, tam ex prudentia in Imperio gubernando, quam ex pietate in fide Catholica integerrime conſeruanda; ſanctiſque moribus cuſtodiendis, omnium veritatem amantiū ore omnibus ſint ſæculis conclamatæ, vnus infelix repertus eſt Zoſimus, qui more ſuo Chriſtianæ religionis odio, eumdem mollitiei & ſocordiæ, profuſionis, & nimiarum deliciarum carpſerit in ſua hiſtoria, mendaciorum textrina. Sed quod ſciret facta eius celeberrima cunctis eſſe perſpicua, illud vafri ingenij conſilium iniit, vt pacis tempore eius facta condemnet, laudet vero labores in bello. Verum ad confutandum oblatrātem hominem, omiſſis quæ noſtri de eodem in omnibus laudatiſſimo Principe referunt, ſatis erit ſi vel ea legantur quæ ipſi auctores Ethnici, Chriſtianorumque hoſtes, ſed veritatis ſtudioſi, de eis publicis priuatiſque moribus ingentibuſque virtutibus habent, puta Symmachus [p], Themiſtius [q], & Aurelius Victor [r], qui quidem illum etiam longe Traiano præfert. Denique aduerſus omnes Ethnicorum calumnias multo potentiorem nactus eſt Theodoſius poſt mortem patronum, Pontium Paulinum, literis clarum, famaq; celebrem, de quo ſuperiori anno dictū eſt, qui luculentā edidit pro Theodoſio lucubrationem, cuius meminit ipſe ad Seuerum [s], laudatq; valde eamdem Hieronymus, [t] Gennadius vero vocat Panegyricum ſuper victoriam tyrannorū. At de Theodoſio hactenus: de quo illud vere dici poteſt, nullam vmquam Romanorum Imperatorum, qui nō hæreditario iure parenti Auguſto ſucceſſerit, ita legitime, ita opportune, ita fructuoſe atque fideliter, ad regimen Romani eſſe cooptatum Imperij.

LAVDES THEODOSII. p Sym. 2. ep. 13 ad Flauian. q Themiſt. orat. 5. r Vict. in Theodoſ. s Paulin. ep. 9. t Hier. ep. 13 ad Paulin.

V. Eo defuncto, iidem qui diuerſis temporibus Imperatores ab ipſo creati fuerant, ARCADIVS & HONORIVS eius filij, ſoli imperare cœperunt, ille in Oriente, iſte in Occidente, cum annum ille ætatis decimumoctauum, hic

ARCADIVS ET HONORIVS IMP.

decimum ageret, imperaſſetque ille vna cum patre annos duodecim, iſte duos, vt ex Marcellino [u] & alijs colligitur. Quos quidem ambos iam ante baptizatos fuiſſe, & à S. Arſenio in baptiſmo ſuſceptos, in vitis [x] SS. Patrũ habetur expreſsũ. Porro quod eos moriens Theodoſius ſub protectione reliquiſſet Comitis Stiliconis Magiſtri militiæ vtriuſque Imperij, quem & loco parentis (vt Ambroſius [y] eſt teſtis) ipſos habere voluit, quippe cuius, licet genere Wandali, in multis fidem & religionem probatam inuenerat, eundemque arctiori vinculo nuptiarum obſtrinxerat, iuncta illi coniugio Serena Honorij fratris ſui filia: his inuidiæ facibus *Ruffinus* natione Gallus incenſus æmulus (cui recedens Conſtantinopoli Theodoſius, tum Arcadium tum ipſum Orientem commendauerat) eueſtigio aduerſus Imperium conſpirare cœpit. Hanc enim eius commotionis cauſam cecinit Claudianus in carmine inuectiuo quod in eundem Ruffinum conſcripſit: cum tamen Suidas & alij aſſerant, pari poteſtate Ruffinum atque Stiliconem relictos eſſe tutores Imperij, Orientalis illũ, iſtum Occidentalis. His vero nouam addit cauſã Zoſimus [z], nempe quod cum idem Ruffinus filiam ſuam Arcadio Imperatori in matrimonium iamiam ſe collocaturum ſperaret; factum fuerit arte Eutropij Eunuchi cubiculi Imperatoris Præfecti, vt Arcadius duxerit *Eudoxiam* eximiæ pulchritudinis virginem, neptem Promoti viri Conſularis, quem idem Ruffinus occidi à barbaris curauerat. Quod vero Eudoxiam nonnulli (vt eſt apud Nicephorum [a]) opinati ſunt fuiſſe Gratiani filiam, alij autem Bautonis Conſularis, iidem ex Zoſimo refelluntur. Sicut etiam ex numino [b] antiquo certũ redditur, eidem cognomentum fuiſſe *Liciniam*, non Iuliam, vt alij tradiderunt.

u Marcel. in Chron.
x Vit. SS. Pat. par. 1. cap. 16.
y Ambroſ. in fun. Theod.
RVFFINVS MEDITATVR DEFECTIONEM.
z Zoſ. li. 5.
ARCADIVS IMPER. DVCIT EVDOXIAM.
a Nic. l. 13. cap. 4.
b Hab. Baro. Annal. to. 5. hoc an.

VI. RVFFINI GENVS, ET VITA FLAGITIOSA.

Sed quod ad *Ruffinum* ſpectat, fuit ipſe Eluſæ in Aquitania humili loco natus. Qui Conſtantinopolim profectus, adeo ſe in amicitiam inſinuauit Theodoſij Imperatoris, vt non Magiſtrum tantum egerit Officiorum, ſed & Conſulatum Ordinarium, & nobiliſſimam omnium Prætorij Præfecturam obtinuerit: in omnibus tamen plura edens crudelitatis atq; rapacitatis exempla [c], quem & magiæ inſigniter peritum fuiſſe, Claudianus ſignificare videtur. Tandem vero eo prouenit arrogantiæ, vt generum habere conaretur Imperatorem, immo ea (vt tradunt) via Imperium ſibi ſumere. Ceterum ſpe nuptiarum deiectus, nihil tamen minus de Imperio cogitans, cœpit occulte Gothos aliosque barbaros in Arcadij necem & vtriuſque Imperij cladem ſollicitare. Conſtant hæc quidem omnia ex auctoribus ſuperius citatis.

c Vid. Zoſ. l. 4. & Claudian. in Ruff. lib. 1.

VII. ARCADIVS PIETATE VITAT INSIDIAS.

Quo tempore iſta neſciens Arcadius, ſibi tamen atque periclitanti Imperio proſpexit: dum ipſo ingreſſu in Imperium, parentis exemplo nihil antiquius habens quam Chriſtianam religionem, ipſamque fidem Catholicam ſartam tectam ſeruare, tum ad ipſum Ruffinum Præfectum Prætorio, tum ad alios magiſtratus, hoc ipſo anno aduerſus hæreticos & Gentiles plura dedit reſcripta [d], quibus omnes quas idem Theodoſius pater aduerſus eos ſtatuiſſet pœnas confirmauit, & quæcunque eis eſſent ſpe correctionis indulta reuocauit; quos rurſum, ſicut & Iudæos, ſequentibus annis varijs modis exagitare non deſtitit, prout patet ex ipſius reſcriptis, quæ hactenus extant ſub diuerſis titulis [e] in Codice Theodoſiano. Quemadmodum & ipſius frater Honorius his iiſdem Imperij ſui primordijs, legibus [f] ſancitis confirmauit priuilegia omnia à prædeceſſoribus Imperatoribus Catholicæ Eccleſiæ collata. Itaque factum eſt diuino plane miraculo, vt dum Arcadius aduerſus impietatem ſolerti ſtudio leges armaret, eodem tempore diſſipauerit Deus conſilia gentium, ipſeq; Ruffinus dignas exectandi ſceleris pœnas luerit. Quem quidem auctor eſt Zoſimus [g] & hac quoque arte Romanum Imperium prodidiſſe, vt cum eius eſſet, tamquam Præfecti Prætorio, quos vellet prouincijs Præſides dare, coniuratos ſibi creauerit earum Rectores, & inter alios Græciæ Proconſulem deſignauerit Antiochum, & Thermopylarum anguſtias cuſtodiendas Geruntio tradiderit, vt eas ambo cederent aduenientibus Gothis ſub duce Alarico militantibus: quod & ipſi præſtitere.

d L. 26. 27. 28. 29. C. Th. de hæret. l. 13. de Pagan.
e de hæret. de apoſtat. de Iudæ. de pagan.
f L. 29. 30. C. Th. de Epiſc. & cler.
g Zoſ. lib. 5.

VIII. BARBARORVM GRASSATIO IN ROM. IMPER.

Agens porro Claudianus [h] de clade Europæ à Gothis illata, ait eos palabundos diſcurrentes ad Hadriaticum vſque mare veniſſe, & in Græcia conſediſſe: ſed & eo progreſſum eſſe ipſorum furorem, vt deuaſtantes Thracias, auſi quoque fuerint Conſtantinopolim obſidere. Quod vero de eadem Græciæ clade Zoſimus agens, Athenas totamq; regionem Atticam permanſiſſe tradit intactas, beneficio armatæ Mineruæ, Achillisque ad prælium parati apparentis: manifeſti mendacij arguitur tum à S. Hieronymo [i] de his agente, tum ab ipſis Ethnicis Claudiano [k] & Eunapio [l], quorum omnium teſtificatione conſtat, æque Athenas cum alijs nobiliſſimis Græciæ ciuitatibus, hac Gothorum ſub Alarico incurſione deuaſtatas eſſe. Ceterum ad Aſiæ cladem à Ruffino vocatos eſſe Hunnos, idem Claudianus [m] affirmat. Teſtaturque etiam Sozomenus [n], eoſdem hoc ipſo tempore in Armeniam irruiſſe, ac nonnullas alias Orientalis Imperij regiones deuaſtaſſe. Sed expreſſius Hieronymus [o] tunc Hieroſolymis exiſtens, ait ab vltima Mœotide inter glacialem Tanaim & Maſſagetarum immanes populos, vbi Caucaſi rupibus feras gentes Alexandri clauſtra cohibent, erupiſſe *Hunnorum* examina, quæ pernicibus equis huc illucque volitantia, & famam celeritate vincentia, cædis pariter ac terroris cuncta compleuerunt, non religioni, non dignitatibus, non ætati parcentia: peruenisse quoq; in Syriam, ipſamque Antiochiam aliaſq; plurimas vrbes obſediſſe, atque ipſis Hieroſolymis, vniuerſæq; Palæſtinæ, Arabiæ, Phœnici, Ægypto, timorem incuſſiſſe. Vt merito doluerit Claudianus, Imperium Romanum tanto quæſitum ſeruatumque ſanguine, quod mille ducum peperiſſent labores, quod tot annis contextum fuiſſet; proditoris vnius inertis anguſto tempore ſubuerſum eſſe.

h Claud. l. 2. cont. Ruff.
i Hiero. ep. 3. ad Heliod.
k Claud. l. 2.
l Eunap. in Maxim.
m Claud. l. 1.
n Soz. l. 8. c. 1.
o Hier. ep. 3. & 30.
HVNNORVM INCVRSIONES.

IX. RVFFINI PRODITIO.

Cum igitur his tam diris atq; funeſtis Orientale exagitaretur Imperium, Stilico gemino pollens exercitu, quam citiſſime (vt Claudianus docet) ſubuenire ſatagens, Gothos apud Theſſaliam agentes inuenit: ſed arte Ruffini proditoris prærepta eſt ei certa victoria, cum iſte timens ne Gothis deuictis Stilico in ipſum arma converteret, egit apud Arcadium mille ſuadendi modis vt Orientalem exercitum Conſtantinopolim reuocaret, derelictis ſub barbarorum iugo victis prouincijs. Itaq; coactis ab inuicem diuelli duobus illis victoribus exercitib. qui iunctis in vnum armis & animis Eugenium tyrannum vicerant, & Occidentale Imperium liberauerant: Stilico cum Occidentali in Italiam mœrens rediit, Gainas Gothus cum Orientali minas in Ruffinum ſpirans Conſtantinopolim verſus iter cœpit: eique vrbi cum appropinquaſſet, data ſuis teſſera de his quæ acturi eſſent, aduentum ſuum Imperatori ſignificauit, exigens ab eo quod moris eſſet, obuiam procedere exercitui, atque eum ſalutare.

X.

Quo tempore Ruffinus, coniurationis conſortibus in vnum conuocatis, de parando militibus donatiuo conſilium iniit, vt ſic ipſe totius exercitus voce die ſequenti eo occurſu Imperator acclamaretur. Quin & parata purpura, aulaque diſpoſita quæ nouum exceptura eſſet Imperatorem, atque epulis adhiberi iuſſis ſplendidioribus, & ipſius denique Ruffini imagine cuſis aureis numiſmatibus, quibus donarentur ex more poſt menſam conuiuæ, idem in campum vna cum Arcadio conuenturus exercitum, ſtipatus turma ſuorum proceſſit. Vbi ſalutatis primo ſignis Cruce decoris ab Arcadio Imperatore, ac ſubinde à Ruffino, hiſq; reſalutatis fauſtis vocibus ab exercitus ducibus, data mox condicta teſſera: qui denſo agmine coagmentati in vnum erant milites, in longum quam cito diſtenti, atque reflexi in orbem, Ruffinum cinxere atque incluſere medium. Cum ille rei ignarus, tempus adeſſe ratus quo acclamaretur à militibus Imperator, vrgens Arcadium vt ipſe prius eum conſortem declararet Imperij, infelix appetitus ex inſperato eſt gladio militis, Stiliconis nomine ictum vibrantis, vulnuſque lethale inferentis: quem ſecuti alij atque alij, mille eundem Ruffinum vindicibus gladijs confoderunt, eiuſdemq; inter ſe membra diſpertita, pro trophæis cum pompa in vrbem retulerunt, eminente inter ea capite pilo impoſito. Sed & iucun-

RVFF. OCCIDITVR.

iucundum afflicto populo ſpectaculum Ruffini rapacitatis, ſecta eius dextera præbuit, cum quæ neruorum qui mouent articulos attractione vel remiſſione, claudi apta eſſet & aperiri, miles eandem panſam tendẽdo mendicare Ruffinum obolum dictitaret, oblatoque palmæ obolo, tractis neruis ſtrictiſque digitis, cum à Ruffino auide acceptum ſignificaret. Deſcripſere iſtum ludum Claudianus [p], Zoſimus [q], Hieronymus [r], Marcellinus [s], atq; alij plures.

p Claud. in Ruff. lib. 6. q Zoſ. lib. 5. r Hier. ep. 3. s Marcell. in Chron.

XI. t Pſal. 65. u Theod. l. 5. cap. 17.

Vere terribilis [t] Deus in conſilijs ſuper filios hominũ, dum qui innocentium ſanguinem ſparſerat Ruffinus, & in Theſſalonicenſium necem (vt docet Theodoretus [u]) exercitum in Circum immiſerat, ipſe ab exercitu circumdatus, militum omnium confoſſus eſt armis; quique inſatiabili cupidine auri, prouinciarum exhauſerat facultates, obolos mendicare coactus eſt mortuus; atque ambiens iniuſtam homo purpuram, proprio mox ſanguine apparuit purpuratus: ac denique ſuper omnes exaltatum caput diademate exornandum, ceteris omnibus eminentius pilo Conſtantinopolim geſtatum eſt. Facta vero ſunt iſta (vt docent Marcellinus, & Socrates [x]) ijſdem huius anni Coſſ. Olybrio atque Probino, quinto Calendas Decembris. Cumque haud pridem, nempe ſexto Idus Nouembris, Magni Theodoſij corpus ex Italia fuiſſet delatum Conſtantinopolim, redijſſe viſus eſt ipſe rediuiuus in Orientem, vt de iniquiſſimo proditore pœnas ſumeret, filiumque in Imperio ſtabiliret. Hocque fortaſſe numiſmata [y] illa Arcadij declarant, cum eidem Imper. ætate iuniori cœlitus corona hominis manu demiſſa porrigitur; quibus quidem ſummo Deo curæ fuiſſe Arcadij Imperium monſtratur. Sed & In quibuſdam Crux ſeorſum inſculpta reponitur, ea de cauſa quod cum poſt obitum Theodoſij, cuius timore quieuiſſent, Perſæ negotium Chriſtianis apud eos agentibus faceſſere aggreſſi eſſent: Arcadius (inquit Proſper [z]) religioſus Princeps, ne traderet ad ſe confugientes Armenos, bellum cum Perſis confecit, eoque ſigno, antequam potitus victoria, iam coeuntibus in prælium militibus: aeriæ Cruces in veſtibus paruere. Vnde etiam victor auream monetam cum eodem ſigno Crucis fieri præcepit, quæ in vſu totius Orbis, & maxime Aſiæ perſtitit. Hæc Proſper: quæ quidem poſtea contigerunt.

x Socr. lib. 6. cap. 1. y Hab. Bar. Annal. to. 5. hoc an. z Proſper. de prædict. l. 3. c. 34.

XII. QVID ACTVM DE RVFI. PROPINQVIS.

Hoc vero tempore extincto Ruffino, auctor eſt Zoſimus Eutropium Cubiculi Præfectum facultates eius ſibi maiori ex parte vendicaſſe; vxori autem eius, filiæque, ad Eccleſiam Chriſtianorum metu confugientibus, conceſſiſſe vt ad Hieroſolymorum vrbem nauigarent: Timaſium Conſularem, ex Ruffini comitibus ad omne ſcelus paratiſſimum adminiſtrum, in Oaſim Ægypti, teterrimũ omnium exilij locum deportari: & Abundantium, Conſulem item Ordinarium nobiliſſimum, Sidonem Phœniciæ relegari curaſſe: licet hunc poſtremum Hieronymus [a] apud Pithyuntem exulare iuſſum ſcribat. Denique ſororem quoque Ruffini, nomine *Siluiam*, virginem Chriſto dicatam, egregia ſanctitate atque eruditione conſpicuam, vixiſſe Hieroſolymis, & peregrinatam eſſe in Ægyptum, auctor eſt Palladius [b]. Quamuis porro nec Ruffini tyrannidem affectantis, res hac ex parte in tutum repoſitæ fuerint: haud tamen ſubmoti ſunt barbari, ab ipſo in diuerſas prouincias Imperij Orientalis immiſſi: qui cum eas vt hoſtes palabundi ingreſſi eſſent, iam vt indigenæ colere cœperunt, Romanas vires contemptui habentes, eiſdemque inſolentiſſime inſultantes: vt de his iuſtæ ſunt querelæ Hieronymi, Chryſoſtomique [c].

a Hier. ep. 3. b Pallad. in Lauſiac. ca. 55. c Chryſ. ad Vid. iunior.

XIII. S. AVG. CREATVS EPISCOP. HIPPON.

Hoc item anno ijſdemque Coſſ. Olybrio atque Probino, AVGVSTINVS (inquit Proſper in Chronico) Hippone regio in Numidia Epiſcopus ordinatur: cum videlicet ageret annum ſuæ ætatis quadrageſimum primum, vt ex ſupputatione ſuperius inita annorum eius certa ratione colligitur. Quod autem ordinatus fuerit adhuc viuente Valerio eiuſdem ciuitatis Epiſcopo, Poſſidius [d] eiuſmodi cauſam adfert, quod cum cerneret Valerius Auguſtinum à diuerſis Eccleſijs ad Epiſcopatum quæri, metueret ne ſibi tandem eriperetur. Quare primo ipſum ad locum ſecretum tranſire curans, occultatumque à quærentibus minime inueniri faciens, deinde ſecreto egit apud Primatem Africæ Carthaginenſem Epiſcopum, vt cum ipſe iam corpore infirmo, & graui eſſet ætate, eundem coepiſcopum acciperet Auguſtinum: hocque impetrato, adueniente paulo poſt ad viſitandam Eccleſiam Hipponenſem tunc Primate Numidiæ Megalio Calamenſi Antiſtite Catholico, idem Epiſcopis qui forte tunc aderant, vniuerſæ plebi ſuam inſinuauit voluntatem, adeoque factum eſt, vt gratulantibus omnibus, atque id perfici ingenti deſiderio clamantibus, ipſe diu repugnans ab eodem Megalio ordinatus fuerit Epiſcopus. Quod tamen fieri non debuiſſe, vt viuo Epiſcopo ſuo ad eandem Eccleſiam ordinaretur, & dixit poſtea & ſcripſit [e], propter Nicæni Concilij prohibitionem, quam ſe tunc, ipſumq; Valerium ignoraſſe excuſat. Vnde etiam ſategit, vt Concilio Carthaginenſi celebrato Cæſario & Attico Coſſ. ſtatueretur [f], vt ordinandis Epiſcopis vel clericis prius ab ordinatorib. decreta Conciliorum recitarentur, ne quid contra ea feciſſe pœniteret. Ceterum ſolemnis remanſit Hipponenſibus more maiorum dies illa qua talem tantumque ordinatum meruerunt obtinere Epiſcopum: eaipſe Auguſtinus de eadem ſua ordinatione homilias [g] habere conſueuit ad populum. Qui & ſcriptis literis [h] ad Paulinum & Theraſiam, qui in agro Nolano vitam monaſticam excolentes iam annum exegiſſent, ait paſſum ſe ordinari coepiſcopum, quod tanta Valerij charitate, tantoque populi ſtudio Dominum id velle credidiſſet, nonnullis iam exemplis præcedentibus, quibus ipſi omnis excuſatio clauderetur.

d Poſſid. in Vit. Aug. c. 8. e Aug. ep. 110. f Conc. Carthag. III. c. 3. CANONŨ SCIENTIAM REQVIRI IN ORDIN. EPIS. g Aug. hom. 24. 25. h Id. ep. 34.

XIV. CONSVETVDO LITTER. INTER AVGVST. & PAVLIN.

Porro eiuſmodi literarum conſuetudo, quæ inter ſanctos Dei viros Paulinum & Auguſtinum interceſſit, hoc ipſo anno cœpta eſt, cum prioribus Paulinus literis [i] Auguſtinum ſalutaſſet adhuc presbyterum, cuius acceperat quinque libros contra Manichæos ſcriptos, dono Alipij Epiſcopi Tagaſtenſis, atque ex ijs quantus Auguſtinus eſſet, leonem (vt ait) ex vnguibus intellexerat. Cum autem plurimas inuicem, quoad ſuperſtites extiterunt, literas ſcripſerint, tamen nonniſi duæ ab alterutris [k] datæ hoc ipſo anno extant, & commentarius ille Auguſtini, ab eodem Paulino expetitus, *De cura pro mortuis agenda*. Quod vero *Paulini* nomen, claritudine generis & ampliſſimorum magiſtratuum functione vbique notum atque conſpicuum, abdicatione rerum temporalium longe celebrius eſſet redditum: non Alipij tantum & Auguſtini, ſed & aliorum in Africa Catholicæ Eccleſiæ Epiſcoporum permouit animos, & excitauit affectus: adeo vt ijdem ipſum literis legationeq; miſſa ſalutauerint, quarum ipſe [l] meminit ſcribens ad Romanianum & ad Seuerum: quantoque ijdem tenerentur videndi eum deſiderio, S. Auguſtinus [m] ad illum ſcribens & inuitans in Africam declarat.

i ep. Aug. ep. 31. k Ibid. ep. 32. 33. 34. LEGATIO AFRIC. EPISCOP. AD PAVLIN. l Paulin. ep. ad Aug. ep. 13. Id. ep. 1. ad Seuer. m Aug. ep. 34.

IESV CHRISTI ANN. 396.

ARCADII & HONORII AN. 2.

SIRICII ANN. 12.

1. ECCLESIÆ IMMVNITATVM VIOLATORES DANT POENAS.

ANno Chriſti trecenteſimo nonageſimo ſexto, Arcadio quartum & Honorio tertium Augg. Coſſ. cum idem Honorius in vrbe Mediolanenſi ex more Libycarum ferarum munus exhiberet, miſſique ab Stilicone Comite milites Ariani Creſconium quendam grauiſſimorum criminum reum, qui ad Eccleſiam confugerat, fruſtra renitente Ambroſio rapuiſſent, accidit vt dimiſſi ad ludum leopardi, ſaltu celeri aſcendentes locum in quo raptores munera ſpectaturi conſederant, eoſdem miſere dilaniauerint: qua de re motus Stilico, Ambroſio abunde ſatisfecit. Narrat hæc Paulinus, qui Vitam Ambroſij conſcripſit. Subditque de quodam eiuſdem Stiliconis ſeruo, quẽ cum idem Ambroſius à dæmonio liberaſſet, rurſum eundem compertum falſarium tradidit ſatanæ in interitum carnis, à quo ſtatim miſere diſcerpi cœpit.

II. Reginæ Marcoman. conuerſio.

Sed & per idem tempus *Fritigildis* quædam Regina *Marcomannorum*, audita eiuſdem S. Ambroſij ſanctitatis fama, Chriſto credidit, miſiſq; muneribus, ab eo petijt qualiter credere deberet informari. Ad quam ille epiſtolam ſcripſit in modum catechiſmi, eandemque monuit, perſuadere viro ſuo Romanis pacem ſeruare. Quod cum ipſa præſtitiſſet, perrexit etiam Mediolanum vt S. Ambroſium videret: ſed cum iam de hac luce migraſſe reperit. Habet iſta idem qui ſupra Paulinus: quæ quidem hoc anno eſſe cœpta tranſigi, inde conſtat quod obitus Ambroſij accidit anno ſequenti menſe Aprilis. Ceterum periiſſe dolemus adeo nobile ſcriptorum Ambroſij monumentum, quo vnico Spiritus telo indomitos hactenus barbaros ſubiugauit. Præſtitiſſe vero in ſuſcepta fide Chriſti Marcomannos, ſemelq; initam cum Imperatore Romano pacem firmiter cuſtodiſſe, certo argumento eſt, quod inter alios quamplurimos à S. Hieronymo[a] recenſitos diuerſarum nationum barbaros, qui eruperunt in Gallias ſub eodem Auguſto Honorio, Marcomanni haud nominati inueniuntur.

a Hier. ep. 11.

III. Ingens terror vrbis Conſtantinop.

Iiſdem Coſſ. Marcellinus & Proſper prodigium memorabile illud ſignant, quo ardente deſuper cœlo, atque terra tremente deorſum, Conſtantinopolitanæ vrbis cōflagratio, eiuſque extremus interitus timebatur: quam rem certis teſtibus confirmatam fuſius deſcribens Auguſtinus[b], ait Deum volentem terrere ciuitatem, & terrendo emendare, ſeruo cuidam ſuo fideli viro militari dixiſſe in reuelatione: ciuitatem venturo de cœlo igne perituram: eumque admonuiſſe vt Epiſcopo diceret. Dictum eſt: Epiſcopus allocutus eſt populum, & conuerſa eſt ciuitas in luctum pœnitentiæ. Tamen ne putarent homines, illum qui dixerat vel falſitate deceptum, vel fallaciter decepiſſe, adueniente die quem Deus fuerat comminatus, intentis omnibus & exitum cum timore magno expectantibus, noctis initio viſa eſt ignea nubes ab Oriente, primo parua, deinde paulatim, vt accedebat ſupra ciuitatem, ita creſcebat donec toti vrbi ingens terribiliter immineret. Videbatur horrenda flamma pendere, nec odor ſulphuris deerat. Omnes ad Eccleſiam confugiebant, nec capiebat multitudinem locus. Baptiſmum extorquebat quiſque à quo poterat, non ſolum in Eccleſia, ſed etiam per domos, per vicos ac plateas. Verū vbi exhibuit Deus fidem reuelationi ſerui ſui, cœpit vt creuerat minui nubes, paulatimq; conſumpta eſt. Populus ſecurus paululum factus, iterum audiuit omnino eſſe migrandum, quod ciuitas eſſet proximo ſabbato peritura. Migrauit itaque cum ipſo Arcadio Imperatore tota ciuitas; nemo in domo remanſit, nemo domum clauſit, ſed relictis cariſſimis ſedibus voce miſerabili valefecit. Et aliquot millibus tanta illa multitudo progreſſa, vno tamen loco fundendis ad Deum orationibus congregata, magnum fumum ſubito vidit, & vocem magnam emiſit ad Deum. Tandemq; tranquillitate conſpecta miſſis qui renunciarent de rerum ſtatu, cum ſalua cuncta conſiſterent, omnes cum ingenti gratulatione redierunt, ac nemo de domo ſua quicquam perdidit patente. Hæc Auguſtinus. Cuius etiam prodigij cum fit mentio in Hiſtoria Miſcella[c] (quæ falſo tribuitur Paulo diacono, cum verus eius auctor extiterit *Theophanes* ſcriptor Græcus, inſignis nominis monachus, de quo dicetur ſuo loco: quam Anaſtaſius S. R. E. Bibliothecarius in Latinum vertit.) Arcadij precibus ac populi, tribuitur ciuitatis ab imminente clade ſalus, aliaque ingeruntur de eiuſdem Imperatoris commendanda fide ac pietate. Ac merito ſane: ſiquidem his Imperij ſui primordijs multa optimi atque Chriſtianiſſimi Principis teſtimonia edidit. Vtinam non Herodias, Ioannis hoſtis, eius lateri inhæſiſſet, quæ poſtea ipſum à recto tramite æquitatis abduxit. Sed de his inferius.

b Auguſt. de excid. vrb. c. 6.
c Miſcel. l. 13.

Arcadii Imp. pietas.

IV.

Hoc eodem anno, qui ſequens eſt ab Hunnorum atque aliorum barbarorum egreſſu, S. Hieronymus (vt ipſe[d] teſtatur) de Nepotiano presbytero ſui amantiſſimo (ad quem *De Vita Clericorum* libellum ſcripſerat, cum ille relicta ſæculi militia, in qua clarus apud Imperatorem vigebat, vitæ ſe clericali addixiſſet) iam vita functo, Epitaphium ſcripſit ad Heliodorum Altinenſem Epiſcopum eius auunculum, quo eiuſdem virtutes perpetuæ memoriæ conſecrauit, ob quas illum tota (vt ait) luxit Italia. Porro ex eadem epiſtola illud notandum eſt, quod de propagato longe lateque apud barbaros Chriſti nomine Hieronymus agens, *Indos* etiam, *Perſasq;*, *Gothos*, atq; *Beſſos* enumerat: & in epiſtola ad Lætam[e] eodem ferme tempore ſcripta, *Hunnos* quoq; & *Scythas* iiſdem adiungit. Sicut & S. Paulinus[f] in epiſtola ad S. Victricium Epiſcopum Rothomagenſem, meminit *de Morinis*, alijſque Neruici littoris ad Oceanum Borealem poſitis populis, hoc eodem tempore per eundem Victricium ad fidem conuerſis: vbi & multa habet de nobilitate Eccleſiæ Rothomagenſis, ex ſtudioſo cultu Chriſtianæ obſeruantiæ comparata.

d Hier. ep. 3.

Propagatio fidei Chriſt. apud barbar.
e Id. ep. 7.
f Paul. ep. 26.

V. S. Nicetas barbaros multos conuertit.

Quonam autem prædicante Hunni ceterorum omnium ferociſſimi, ſubiecerint indomita colla iugo Chriſti, plane neſcitur. Niſi dixerimus, eundem illis acceſſiſſe Apoſtolum magnum illum *S. Nicetam* Dacorum; Epiſcopum, quem Beſſos, Dacos, Getas, Scytasq; hoc tempore ad fidem conuertiſſe, idem S. Paulinus[g] tradit, cum eiuſdem in Italiam pietatis ergo peregrinationum meminit. Vel forte dicendi Hunni ad fidem conuerſi à *S. Theotimo* Scyta Tomienſium Epiſcopo, viro eruditione & ſanctitate præſtantiſſimo: quem his iiſdem temporibus omni officiorum genere eoſdem Hunnos demereri curaſſe, auctor eſt Sozomenus[h]: qui & ait, eundem ab illis *Deum Romanorum* vocari ſolitum, ob diuinas quas in eo virtutes experti eſſent. Quod quidem mireris in gente ſemper vaga, & omnem prorſus modum feritatis in vita & moribus excedente; vt eam pluribus deſcribit Ammianus[i]: quos & eleganter S. Ambroſius[k] tradit; cum omnibus bellum inferrent nationibus, fœneratoribus tamen fuiſſe ſubiectos, & cum ſine legibus viuerent, aleæ ſolius legibus obediuiſſe: atque ideo numquam belli ſtudia depoſuiſſe, quod victi aleæ ludo, cum totius prædæ munus amiſiſſent, ludendi ſubſidia requirerent bellandi periculo. Sed & frequenter tanto ardore rapi conſueuiſſe, vt cum ea quæ ſola magna æſtimarent, victi arma tradidiſſent, ad vnum aleæ iactum vitam ſuam poteſtati vel victoris vel fœneratoris addicerent: adeo vt reperti fuerint, qui pretium ſeruitutis quam ſibi tali ſorte ſuperati intuliſſent, ſupplicijs imperatæ mortis exſoluerint. Hæc S. Ambroſius. Porro Hunnos fuiſſe itidem impudicos, Saluianus[l] affirmat: & Ammianus, infidos & inconſtantes, nullius religionis vel ſuperſtitionis reuerentia alia diſtrictos, externa prædandi auiditate flagrantes immani. Quæ quidem eo conſilio à nobis ſunt relata, vt videas & admireris Crucis potentiam, quæ indomitum omne genus perdomuit barbarorum, adeo vt qui tam feri & omnis prorſus humanitatis expertes deſcribuntur tam à noſtris quā ab externis auctoribus, ſub iugum tandem Chriſti redacti, pij, humani, benigni, omnique ex parte ſanctiſſimi euaſere: atq; etiam enituere ex eis Reges, qui maximo Chriſtianæ religioni decori fuerunt & ornamento.

g Id. de redit. Nic. in Dac.
h Soz. lib. 7 c. 25.
S. Theot. dictus Roman. Deus.
i Amm. lib. 31 inspr.
k Ambr. de Tob. c. 11.
Hunnorum mores.
l Saluian. de prouid. lib. 4.

IESV CHRISTI ANN. 397.

Arcadii et Honorii an. 3.

SIRICII ANN. 13.

I. Origenis errores inferuntur in Vrbem.

ANNO Chriſti trecenteſimo nonageſimo ſeptimo, Cæſario & Attico Coſſ. hæreſes Origenis per *Ruffinum* presbyterum Aquileienſem è Palæſtina illatæ ſunt Romam. Hunc enim indiuiduum Melaniæ comitem, eiuſdem in Vrbem redeuntis aſſectatum eſſe veſtigia, Palladij[a] atque Paulini[b] teſtificatione exploratum habetur. Porro Melaniam, quam Hieroſolymam migraſſe vidimus anno Domini trecenteſimo ſeptuageſimoſecundo, hoc præſenti anno rediſſe Romam, nimirum poſt quinque luſtra, hoc eſt viginti quinq; peregrinationis annos, eiuſdem Paulini[c] aſſertione certum redditur: apud quem ipſa,

a Pallad. in Lauſiac. c. 31
b Paulin. ep. 9. ad Seuer.
c Id. ep. 10.

puta

pata ſibi ſanguine coniunctam, in reditu Nolam diuertit: licet Palladius viginti ſeptem numeret annos. Sed is & ex eo refellitur, quod conſtet hos adhuc ſuperſtite Siricio Papa repetijſſe Romam, quem videbimus anno ſequenti menſe Februarij ex hac vita migraſſe.

II. Accepit tunc idem Paulinus à Melania perbreue ſegmentum Ligni ſanctiſſimæ Crucis, miſſum ſibi à Ioanne Hieroſolymorum Epiſcopo, vt teſtatur ipſe, cum ex eo quid modicum ſumptum, nomine Theraſiæ ſuæ miſit ad ſocrum Seueri Baſſulam. Vbi & meminit [d] de eiuſdem Ligni erogatione Hieroſolymis fieri ſolita ab eius ciuitatis Epiſcopo, qui illud Paſchali tantum tempore (vt ait) exhibebat populo adorandum. Cuius plane exemplo illa in reliquas Occidentalis Orbis Eccleſias conſuetudo & ritus manaſſe putantur, vt eodem Paſchali tempore Lignum Crucis cum Imagine Crucifixi populo adorandum aperiatur, quod ante erat velo obductum: illud Epiſcopo tertium præcinente præconium, *Ecce lignum Crucis, &c.* reſpondente & imitante choro, *Venite adoremus.* Et in illis quidem Eccleſijs, in quibus ineſſe contingeret aliqua pars ſanctiſſimæ Crucis, illud ipſum, ſicut fiebat Hieroſolymis, proponebatur populo adorandum: quæ autem Eccleſiæ illo carerent, loco eius exhibebant (vt fit) alterius ligni Crucem cum Imagine Domini Crucifixi. Ex eo porro quod à Melania delatum eſt Paulino, ingens plane contigit edi poſtea miraculum, quod perpetua memoria conſecrandum ipſe verſibus [e] cecinit: nimirum cum incendio flagrante fœno referta caſa, in Paulini ipſius hoſpitium conuerſa flamma cuncta impetu violento depaſceret, oblato ab ipſo globis igneis eodem ligno Crucis, incendium protinus reſiliit, ac penitus extinctum eſt.

d Id. ep. 11

VETVS CONSVETVDO ADORANDÆ CRVCIS PASCHALIS TEMPORE.

e Id. Natal. 10. S. Felic.

III. Ceterum qui diu ab Vrbe abſentes, Hieroſolymis tanquam in ſpiritali quadam academia, vt veram excolerent ſapientiam quinq; luſtris conſederant Melania atq; Ruffinus, cum primum in Italiam aduenerunt, omnium animos præ admiratione in ſe conuerterunt, cum viderent eoſdem quam ex Origenis libris didicerant, Stoica indolentia perfectiſſimæ & ad omnes numeros abſolutæ vitæ Chriſtianæ ſpecimen edere. In tantum, vt etiam ab ipſo ſanctiſſimo viro Paulino [f] immenſis præconijs celebrati reperiantur. Quapropter hac opportune arrepta occaſione, qui ad hoc venerant, vt ſi poſſent Origenis errores ipſi etiam Romanæ Sedis Antiſtiti, ac per eum vniuerſæ perſuaderent Eccleſiæ: confeſtim vt Romam appulerunt, ac ſe ingenti exiſtimatione apud omnes eſſe cognouerunt (perpaucis eruditis exceptis, quos antea S. Hieronymus literis monuiſſet) ijſdem impietate referta allata ſecum ſcrinia reſerantes, deprompſerunt inde peſtiferas merces, ſed ita fallacijs obuolutas, vt etiam bene prudentes decipere potuiſſent.

RVFF. ET MELANIÆ ÆSTIMATIO ROMÆ.

f Id. ep. 9. & 10. ad Seuer.

IV. Ac primum ne ipſis eſſet impedimento, quod apud nonnullos Origenis nomen male audiret, idem Ruffinus Apologiam pro Origene ab Euſebio Cæſarienſi ſcriptam, nomine tamen martyris Pamphili, à ſe vero Latinitate donatam edidit [g], addiditque pro eodem recens à ſe item volumen elaboratum *De adulteratione librorum Origenis.* Quibus præmiſſis defenſoribus, ſic περὶ ἀρχῶν ipſius, hæreſibus refertiſſimum, à ſe translatum voluit edi, vt præfationi ei affixæ nomen ſuum [h] ſilentio prætermitteret, quo & nomen interpretis haberetur incognitum. Vt autem ſuſpectum Origenis nomen, teſtificatione S. Hieronymi venerandum faceret, idem prædicta ſua præfatione [i], quæcunque ab adeo celebri auctore Hieronymo aliæ eiuſdem Origenis lucubrationes eſſent hactenus Latinitate donatæ, recenſuit, eiuſque de ipſo elogia recitauit: ac demum profeſſus eſt, eius ſe in interpretando, atque ab erroribus expurgando Origene, affectatum eſſe veſtigia. Ex quibus alterum de duobus euenturum præſentiret; vel, vt ita Origenis περὶ ἀρχῶν auditus acceptum ab omnibus probaretur; vel ſi contingeret ob blaſphemias reſpui, in Hieronymum antiquiorem Origenis interpretem ac laudatorem infamia verteretur. Hiſque atque alijs eiuſmodi appoſitis dolis, adeo profecit mali operis peior interpres, peſſimusque præfator, vt permulti ſe clerici imprudentes in Origenis errores præcipitauerint: potuiſſetque iure timeri Romanæ Eccleſiæ caſus, niſi qui pro ea continuo vigilat Deus, dormitantibus ijs quorum muneris erat ſtare pro muro domus Iſrael, excitaſſet ſpiritum feminæ, nouæ Deboræ, per quam phalangas euerteret Chananæorum.

QVOMODO RVFF. INTRODVCERE CONATVS FVERIT ERRORES ORIG.

g Teſtatur Hier. Apol. 1. aduerſ. Ruff.

h Hieron. ep. 66 ad Pamm.

i Ext. apud Hieron. to. 9.

V. Fuit ea S. *Marcella*, ſpectata ſcientia & virtutibus matrona Romana, monaſticam excolens diſciplinam, ad quam plurimæ extant Sancti Hieronymi de varijs quæſtionibus epiſtolæ [k]: quæ quidem (vt ipſe [l] ait ſcribens ad Principiam eiuſdem Marcellæ filiam) cum diu ſe cohibuiſſet, ne per æmulationem quippiam facere videretur, poſtquam ſenſit fidem Apoſtolico ore laudatam in pleriſque violari, ita vt ſacerdotes quoque & nonnullos monachorum, maximeque ſæculi homines in aſſenſum ſui Ruffinus traheret, ac ſimplicitati illuderet Romani Epiſcopi, qui de ſuo ingenio ceteros æſtimabat: publice reſtitit, atque damnationis hæreticorum principium extitit, dum adduxit teſtes, qui prius ab eis eruditi, & poſtea ab hæretico fuerant errore correpti: oſtenditque multitudinem deceptorum atque impia Periarchon ingeſſit volumina, quæ emendata manu ſcorpij monſtrabantur. Deniq; eo negotium prouexit, vt ipſi hæretici negare coacti fuerint Periarchon ſua ipſorum opera in Latinum eſſe conuerſum, ſeque cum Origene ſentire: ac præſeferentes Catholicam diſciplinam, quæſierint à Romano Pontifice communicatorias literas, vt communicantes Eccleſiæ diſceſſiſſe viderentur. Iſta ex Hieronymo: quibus videas quam egregie diuino iudicij pondere certamen fuit æqua lance penſatum, dum per feminam diſſipari delegit, quod duce femina (ſcilicet Melania) per ſuos diabolus fuerat machinatus.

k Hieron. ep. 135. 137. 138. 147. 148.

l Id. ep. 16.

S. MARCELLA DETEGIT ORIGENISTAS.

VI. Sed quod ad Ruffinum ſpectat: etſi profecturus Aquileiam ſolum patrium petierit & impetrauerit à Siricio Papa communicatorias literas, Catholicis tantum impertiri ſolitas, haud tamen id ceſſit culpæ Siricio. Nam cum ipſa hæretica interpretatio Periarchon Origenis, nomine careret auctoris, nec à quo præfatio illa eſſet ſcripta liqueret; nihil eſt quod Ruffinum hæreticum nondum detectum immo Catholicum ſe clamantem, ab Eccleſia extorrem facere deberet. Sugillat tamen (vt vidimus) S. Hieronymus eiuſdem ſimplicitatem, quod minime adduci poſſet, vt crederet in Chriſtianis adeo fama conſpicuis hæreſis occultari venenum; ex probitate animi ſui neſciens (vt ait) mala exiſtimare de alijs. Factumque eſt, vt quod haud cito periclitanti occurrit Eccleſiæ, ipſe citiſſime, nempe anni ſequentis exordio, ex hac vita ſublatus fuerit, erectusque ſuper Cathedram Petri acerrimus oppugnator Origeniſtarum Anaſtaſius Papa. Frequentibus ſiquidem atque pauendis eſt demonſtratum exemplis, Pontifices illos qui cauſam fidei paulo ſegnius tractarent, à Chriſto primario omnium paſtore fuiſſe quam celeriter ſubtractos: inuigilante iugiter ſuper Romanam Eccleſiam diuina prouidentia, ne qua vel leui ſuſpicione hæreticæ contagionis aſpergeretur.

SIRICIVS EXCVSATVR DE NON DAMNATO RVFFINO.

VII. Hoc eodem anno, pridie Nonas Aprilis, ipſa vigilia Paſchæ, S. Ambroſius Archiepiſcopus Mediolanenſis in eadem ciuitate ex hac vita migrauit: ea quippe die natalis eius Catholicæ Eccleſiæ monumentis adſcriptus habetur. De anno vero expreſſam fidem facit Marcellinus Comes in Chronico: confirmatque Paulinus eius Vitæ ſcriptor, dum ait ab obitu Theodoſij Imperatoris vſque ad Ambroſij mortem non interceſſiſſe triennium. Sed & cum ex Concilio Carthaginenſi Tertio [m] miſſa fuerit legatio hoc anno ſub dictis Coſſ. Cæſario & Attico menſe Septembris ad Siricium Papam & Simplicianum Epiſcopum Mediolanenſem: plane ſignificatur, iam ante illud tempus Ambroſium ex hac vita deceſſiſſe. Ex quibus & colligere vales, ipſum S. Ambroſium ſediſſe annos viginti duos, menſes quatuor, minus tribus diebus, quem creatum diximus anno Domini trecenteſimo ſeptuageſimo quarto, ſeptimo Idus Decembris. Hæc autem cum adeo perſpicuis argumentis appareant, habes vnde redarguas Gregorium Turonenſem, dum tradit ante Sanctum Am-

S. AMBROSII OBITVS.

m Conc. Carthag. III. c. 48.

broſium defunctum eſſe S. Martinum, quem iiſdem Coſſ. deceſſiſſe ait. Sed in vtroq; ipſum errore lapſum, ſatis alias [n] demonſtratum eſt.

n Bar. Notat. in Ro. Mart. 27.4. April. & 11. Nouemb. ſed & in his annal. ſup. & inf. ſuis locis.

VIII. DIVINA SIGNA IN NOVISSIMIS AMBROSII.

Porro & ipſum præuidiſſe, prædixiſſeque diem ſui obitus, & Dominum IESVM eidem ægrotanti apparuiſſe atque arriſiſſe: ac demum ſuſcepto viatico Dominici corporis, confeſtim expiraſſe: ſed & plura alia admiranda tum eiuſdem obitum præceſſiſſe, tum in eo contigiſſe, ſubſecutaque eſſe: docet ea cuncta narrans idem Paulinus (longe diuerſus à Nolano, licet plerique vtrumque in vnum confuderint) qui adfuit, eique à manu fuit, atque eius Vitam ſumma fide conſcripſit, petente (vt ipſe teſtatur) S. Auguſtino. Illud vero inter alia memorandum, quod de viſione quadam ante paucos dies, quam Ambroſius lectulo detineretur, accidiſſe tradit: nimirum quod cum pſalmum quadrageſimumtertium dictaret, ipſo Paulino excipiente: ſubito in modum ſcuti breuis, ignis caput eius cooperuerit, atque paulatim per os ipſius tamquam in domum habitator ingreſſus ſit, ac poſt hæc facta fuerit facies eius ſicut nix, ac demum reuerſa ſit ad ſpeciem ſuam: quo die ſcribendi dictandique finem fecit, inabſoluto relicto eodem pſalmo. Hæc Paulinus: extatque adhuc ipſa poſtrema S. Ambroſij lucubratio in pſalmum quadrageſimumtertium relicta imperfecta, duobus vltimis verſibus prorſus intactis. Iſta porro viſione voluit Deus, velut ſigillo appoſito conſignaſſe, tantum Eccleſiæ Doctorem non pro humani ſenſus arbitrio, ſed ex ore Domini diuino afflatum Spiritu, docuiſſe, diſſeruiſſe, ſcripſiſſe, atque dictaſſe ea, quibus vel populum erudiuit, vel hæreticos confutauit.

IX.

Addit inſuper idem Paulinus, cum pluribus diebus Sanctus Ambroſius detineretur in lectulo, querente Comite Stilicone quod tanto viro decedente de corpore interitus immineret Italiæ, ideoque eum per ipſius familiares rogante vt ſibi viuendi peteret à Deo commeatum, Ambroſium reſpondiſſe: *Non ita inter vos vixi, vt pudeat me viuere: nec timeo mori, quoniam Dominum bonum habemus.* Sententia digna quidem Ambroſio; quam à Sancto Auguſtino laudatam, qui eam declarat Poſſidius [o] tradit. Ceterum haud falſum vatem Stiliconem fuiſſe, miſerandus Italiæ euentus poſtea probauit. Habet quoque Paulinus, eundem poſt obitum perductum ad Eccleſiam maiorem, viſum eſſe à plurimis infantibus recens baptizatis ſedentem in cathedra, & tribunali, ab alijs vero in cœlum aſcendentem: ac rurſum ab alijs ſupra corpus eius ſtellam conſpectam eſſe: itemq; dæmonum turbam, ab illo ſe torqueri eiulatu maximo publice faſſam eſſe. Sed & qua obijt die, ipſummet in Oriente apparuiſſe orantem cum alijs, & imponentem illis manus: & apud Florentiam in Tuſcia ſæpius ad altare viſum eſſe orare: auxilio etiam multis extitiſſe, ac nonnullos qui aduerſus eum obloqui non eſſent veriti, grauiter à Deo punitos eſſe. Hæc omnia pluribus idem Paulinus.

o Poſſid. in Vit. S. Aug. c. 27.

AMBROSII SANCTITAS DIVINITVS CONFIRMATA POST OBITVM.

X.

Quod autem ad eius ætatem ſpectat; cum ipſe literis ad Seuerum ſcriptis tempore quo Maximus tyrannus ex improuiſo Italiam inuaſit, teſtetur ſe tunc fuiſſe ætatis annorum quinquaginta trium, cum Honorio & Euodio Coſſ. annus Domini volueretur trecenteſimus octogeſimus ſextus: numerando ab eo tempore vſq; ad præſentem annum eius vitæ curſum ſexageſimum quartum vix inchoatum numerari contigit.

XI. DE EIVS SCRIPTIS.

De lucubrationibus vero ipſius, præter eas quæ extant eiuſdem Paulini teſtificatione conſtat ſcriptum ab eo catechiſmum ad Fritigildem Reginam Marcomannorum, & de puerilis ætatis inſtitutione libellum ad Panſophium puerulum Florentiæ ab eo reuocatum à mortuis. Meminit quoque Auguſtinus [p] commentarij eiuſdem aduerſus quoſdam nebulones, qui de Platonis libris Dominum profeciſſe iactarent. Et Caſſiodorus [q] recenſet eius elucidationes in Prophetas, & homilias in Sapientiam Salomonis, & ſuauiſſimam (vt vocat) expoſitionem in omnes Pauli Epiſtolas. Qua quidem expoſitione iam eiuſdem Caſſiodori tempore deſiderari cœpta, poſteaq; plane deperdita: in locum eius, alterius auctoris, eiuſdem facultatis opus Ambroſij nomine apparet fuiſſe ſuppoſitum. Sed & quamplurimos certum eſt Sermones eiuſdem Sancti eſſe deperditos, quem conſtat ſingulis diebus Dominicis & celebritatibus Martyrum, conciones ad populum habuiſſe: cum alioqui complures S. Maximi Epiſcopi Taurinenſis, Ambroſij nomine habeantur inſcripti. ſicut & alia nonnulla S. Proſperi, & aliorum, vtinam & non Pelagij etiam, cuius epiſtola ad Demetriadem ſcripta Ambroſij nomine hactenus lecta fuit: vt prætermittam alia ab eo alieniſſima, quæ tamen eius titulo cuſa leguntur: à quorum diſcriminationis labore liberaſſet nos Paulinus, ſi ſingula ab eo ſcripta opera edito Indice poſteris crediediſſet. Ceterum quæ à nobis conſcripta eſt eius Vita, præfixa editioni Romanæ Operum eius: ea ad ſcripta de eodem in Annalibus, cum quid diuerſum inuenietur (quod poſteriores cogitationes meliores eſſe ſoleant) conformanda eſt.

p Aug. ep. 14. in fin.
q Caſſiod. diuin. inſtit. lib. 1. c. 3. & 5.

Hoc item anno paulo poſt S. Ambroſij obitum, celebratum apparet CONCILIVM TAVRINENSE, in quo lectæ [r] ſunt tum Romani Pontificis Siricij, tum etiam ipſius Ambroſij literæ. ſcriptæ haud pridem ad Synodum pro recipiendis in ſanctæ pacis conſortium illis qui non communicarent Felici in Gallia Epiſcopo, ordinato olim ab Ithacianæ partis Epiſcopis ſanguinarijs, de quibus ſupra in hiſtoria Priſcilliani; cui idcirco reliqui Galliarum Epiſcopi communicare recuſarent. Sed quid cauſa Priſcillianiſtarum ad Mediolanenſes Epiſcopos, vt tum in iſta Synodo, tum in Toletana Prima ſub Stiliconis Conſulatu, literæ S. Ambroſij de ijs legi debuerint; eodemque Toletano Concilio ſcribendum de iiſdem Priſcillianiſtis fuerit ad S. Simplicianum eiuſdem Ambroſij ſucceſſorem? Nempe hoc factum conſtat, quod cum infeſtarent quoque eiuſmodi peſtes Mediolanenſem Eccleſiam, ijdem condemnati illic fuerint in Synodo auctoritate Siricij Papæ celebrata: ſicut publice ijdem Toletani Patres profeſſi ſunt, eodem ſuadente Siricio ea per S. Ambroſium ſcripta eſſe. quod etiam de eius ſucceſſore Simpliciano dicendum eſt; in quem conceſſa S. Ambroſio auctoritas, per eundem Siricium & eius ſucceſſorem Anaſtaſium propagata cognoſcitur. Iam enim temporibus Damaſi Papæ in eadem cauſa (vt vidimus) idem S. Ambroſius ſe iudicium Damaſi ſequi profeſſus fuit, dum quos à Damaſo reiectos audiuit Priſcillianum ac ſocios, ipſe æque audire penitus recuſauit.

XII. CONCIL. TAVRIN.

r Conc. Taurin. c. 5.

Sedatæ ſunt item altercationes inter Arelatenſem & Viennenſem Epiſcopos, de primatu certantes; eaque dignitas illi ciuitati decreta, quæ ſe eius prouinciæ metropolim oſtenderet; atq; interim ad pacem conſeruandam vtilius iudicatum, vt vnuſquiſque eorundem Antiſtitum viciniores ſibi ciuitates vendicaret. Sed & prouinciæ Narbonenſis Secundæ primam eſſe ſedem Maſſilienſem Eccleſiam, pariter declaratum eſt: ciuſque tunc ſedis Epiſcopum Proculum (inſignem nomine & ſanctitate virum) Metropolitanum eſſe habendum Antiſtitem.

XIII. DE METROP. GALL. NARB. ET VIENNEN.

Iiſdem inſuper huius anni Coſſ. Calendis Septembris celebrata habetur ſub Aurelio Epiſcopo Carthaginenſi totius Africæ Primate, SYNODVS [s] CARTHAGINENSIS, *Tertia* dicta; non quidem quod in ea ciuitate tria tantum in hanc diem fuerint celebrata Concilia, cum longe plura ibidem habita numerari contingat: ſed quod eorum collector ab illis numerare exorſus, quæ poſt tempora Conſtantini potuit reperiſſe, hoc ordine Tertium numerauit. Secundum vero nominauit, quod ante iſtud collocauit, celebratum (vt ponitur) ſub Conſulatu Valentiniani quarto & Theodoſij. Sed manifeſtus eſt ibi error in Conſulum nota: ſiquidem nuſquam reperitur Valentinianus Auguſtus geſſiſſe Conſulatum cum Theodoſio, ſed cum Neoterio anno Chriſti trecenteſimo nonageſimo. Nec eſt quod dici poſſit, pro Neoterio ſcriptum eſſe Theodoſium: etenim Alipius qui in ea Synodo nominatur Tagaſtenſis Epiſcopus, adhuc presbyter tunc tantum erat; quem conſtat creatum fuiſſe Epiſcopum anno Domini trecenteſimo nonageſimoquarto.

XIV.

s To. 1. Concil.

CONCIL. CARTHA. TERTIVM DICTVM DICEND. SECVND.

Quod

XV. DE TEMPORE SEDIS GENEDII CARTHAG. EPISC.

In quo nihil placuit mutare de ſententia Illuſtriſſimi Baronij: cũ tamẽ certis alijs argumẽtis haud eſſet adeo difficile demonſtrare Genedium ſediſſe ante Aurelium; ſed & Concilia Carthaginẽſia, quorum ſeriem ipſe immutauit, ſuo ordine in vulgatis editionibus recenſeri. Sed nõ, hæc enim ea, vel alia eiuſmodi, in Epitome tractanda.

Quod autem pluribus notis qui huic Secundo dicto Concilio præfuit *Genedius*, abſque controuerſia cognoſcatur fuiſſe Carthaginenſis Epiſcopus totius Africæ primas; vt eius tempus ad poſteriora tempora referamus, hac inprimis euidenti ratione vtimur, quod interfuiſſe huic Synodo reperitur Valentinus Numidiæ primas, qui non ante Sextam dictam Synodum Carthaginenſem, potuit eam eſſe conſecutus dignitatem: ſiquidem ante ipſum in Concilio Mileuitano celebrato anno Domini quadringenteſimo ſecundo, ſub Conſulatu quinto Arcadij & Honorij Augg. cum alijs ſediſſe Numidiæ Primatem Xantippum, eiuſdem Concilij Acta ſignificant: Sexta autem dicta Synodus Carthaginenſis, habita eſt anno quadringenteſimo decimo octauo ſub Conſulatu Honorij duodecimo & Theodoſij octauo. Immo & ipſum Concilium ſub Genedio, habitum fuiſſe poſt Africanum (ita dictum, vt in eius exordio declaratur, quod quæcunque Concilia ſub Aurelio Carthaginenſi collecta, illic per epitomen ſint recenſita) quod tempore Cæleſtini Romani Pontificis celebratum eſſe, conſtat ex Synodali epiſtola ab eodem Concilio ad eum data, ipſius Cæleſtini anno primo, nempe ſub Conſulatu Caſtini atque Victoris; inde ducimus argumentum, quod in eiuſdem Concilij ſub Genedio canone ſecundo, in quo agitur de continentia clericorum, citetur canon alterius Concilij, qui eſſe reperitur trigeſimus ſeptimus eiuſdem Africani; pariterque tertio canone citetur canon de non reconciliandis à presbyteris publice pœnitentibus, qui decimus eſſe reperitur Africani. Quod autem illud ſignatum habetur his Coſſ. nempe Valentiniani IV. & Theodoſij; ſcias vitio librariorum inuerſum ordinem, vt loco Theodoſij Iunioris XI. & Valentiniani, qui geſſerunt Conſulatum poſt Caſtinum & Victorem, ſecundo anno Cæleſtini Papæ, poſuerint Coſſ. Valentinianum & Theodoſium; & loco Iunioris, IV. poſuerint vt numeri notam. Quare his de tempore eius Concilij accurate perſpectis, intelligere poſſumus quid ſit quod primo loco *Genedius* tanquam vere Carthaginenſis Epiſcopus ponitur, & ſecundo loco *Aurelius*, quem hactenus fuiſſe Primatem, primumque locum in omnibus tenuiſſe conſtat: nimirum nihil aliud eſſe quod dici poſſit, quam ipſum iam ſenio fatiſcentem refudiſſe in Genedium onus Epiſcopatus, vt Valerium in Auguſtinum, & ipſum Auguſtinum in Eradium, atq; alios feciſſe conſtat: ſicq; ſederit Aurelius cum Genedio honoris cauſa, conceſſa ab alijs ipſi prærogatiua ſuffragij.

XVI. CONFVSIO SYNOD. CARTHAG.

Sed & ex prædictis illud inſuper habes, Synodum Carthaginenſem hoc anno celebratam, quæ dicitur *Tertia*, potius debere dici *Secundam*; quæ vero *Secunda* hactenus dicta eſt, *Sextam* magis nuncupandam eſſe. Si autem attendas quæ de eadem huius anni, in Concilio Africano poſita leguntur, eam longe ante præſcriptum diem Calendarum Septembris cœptam inuenies: nam de non nauigando abſque Formata ſancitus canon ibi [t] legitur his Coſſ. ſexto Calendas Iulij. Rurſum vero de recenſitis ſub eodem Concilio quinquaginta canonibus, haud omnes in hac Synodo ſanciti probãtur, ſed diuerſis alijs Concilijs Carthaginenſibus: vt inter alios, quo ſacrorum Librorum certus numerus definitur [u]; quem quidem ex eiuſdem canonis verbis exploratum ſatis redditur, decretum eſſe in Concilio Carthagin. tempore Bonifacij Papæ.

t Conc. Afric. circa princ.

u Conc. Carthag. III. c. 47.

XVII. DE TITVLIS EPISCOP. PROHIBITIS IN CONC. CARTH.

x Ibi c. 26.

Quod autem inter alia in eodem ſtatuta Concilio, prohibetur [x], *Vt primæ ſedis Epiſcopus non appelletur Princeps ſacerdotum, aut Summus ſacerdos, aut aliquid eiuſmodi, ſed tantum Primæ ſedis Epiſcopus*; ſcias ita in omnibus antiquis ſcriptis exemplaribus legi, & in Græce redditis apud Theodorum eiuſdem Concilij canonibus eadem tantummodo eſſe verba: vt non dubites, quæ mox ſequuntur in Decretorum libro, *Vniuerſalis autem nec etiam Romanus Pontifex appelletur*, eſſe Gratiani; nec quidem appoſita ad canonis illius declarationẽ, ſed tanquam epigraphum ad ſequentium rerum tractationem. Quæ ignorantes Nouatores [y], magno canonem præconio extulerunt, quo ſancitum dixerunt ne Romanus Pontifex Vniuerſalis appellaretur: quaſi Africanæ Eccleſiæ iuris fuerint, de Romana Eccleſia, cui ipſa ſubiacebat, ſancire leges. At vero cur Romani Pontifices *vniuerſales* interdum dici renuerint, opportunius alias dicendum: Cur autem Africani Epiſcopi prohibuerint, nequis ipſorum diceretur Princeps Sacerdotum, aut Summus Sacerdos; (cum alioqui vox illa Prior, communis [z] eſſet omnibus Metropolitanis cuiuſuis ſedis Epiſcopis; poſterior vero illis etiam Epiſcopis [a], qui Metropolitano ſubditi eſſent Antiſtiti.) Theodorus notat fuiſſe ad tollendam nominum arrogantiam, non autem quod re vera tales non eſſent. Quæ cum quis non conſideret, in quamplurimos errores præcipitem ferri neceſſe ſit.

y Centur. 5. c. 9. col. 168.

z Vid. Th. Balſ. in Conc. Carth. c. 43.

a Zoſ. Pap. ep. ad Heſych. Epiſc. Salon. Ambroſ. ep. ad Felic. Com. Gaudent. ſer. de ſuo ordin. Aug. q. ex vtroq. 10. Sidon. l. 5. ep. 14. & 6. ep. 10. & 9. ep. 11. Conc. Aurel. an. 1. c. 3. Cõc. Agath. c. 6. Conc. Tolet. VI. in pr.

XVIII. CONVIVIA ECCLES. SVBLATA.

b Conc. Carthag. III. c. 30.

c Aug. ep. 64.

Quod vero eadem Synodo [b] de Conuiuijs in eccleſia fieri ſolitis ſtatutum reperitur; id quidem ex ſuaſione S. Auguſtini qui interfuit, factum videtur, quippe qui iam antea commonuiſſet [c] Aurelium Carthaginenſem, vt exemplo Eccleſiarum tranſmarinarum ea auferenda curaret, ob prauum illorum vſum. Cum autem etiam eiuſdem Auguſtini hortatu, Aurelius ſuſtuliſſet eiuſmodi ambitioſas comeſſationes, quæ nõ ſolum in memorijs SS. martyrum, ſed etiam in ſepulchris defunctorum exhiberi ſolerent; (quod tamen ita Auguſtinus [d] ſuaſit, vt nihilominus conſultum vellet pijs oblationibus pro animabus defunctorum; nempe vt quæ ad eorum ſepulchra ferrentur, erogarentur in pauperes) ex eoque accidiſſet vt populus ab omni pro defunctis piorum officiorum frequentatione ceſſaret; idcirco viſum eſt poſtea iiſdem Africanis [e] Patribus, ad eaſdem defunctorum oblationes præſtandas populum ſub pœna excommunicationis compellere. Tanti enim exiſtimarunt, populum in antiquo pietatis officio retinere.

d Ibid.

POPVLI COACTI AD OBLATION. PRO DEFVNCT.

e Conc. Carthag. IV. c. 95.

XIX. CÕSVLTATIO AD SIRIC. ET SIMPLIC.

f Cõc. Carth. III. c. 48.

Miſſa eſt ab hac etiam Synodo ad Siricium Romanum Pontificem, necnon ad Sanctum Simplicianum Epiſcopum Mediolanenſem Ambroſij ſucceſſorem, de baptizatis in infantia, de his quæ ambigua videbãtur conſultatio [f]: ad Siricium quidem, quod ſcirent Catholicæ Eccleſiæ præſidere Epiſcopum atq; ſe doctorem; ad Simplicianum autem, tum ob egregiam ipſius ſcientiam atque probitatem, cuius nos ante meminiſſe ſufficiat: tum etiam quod occaſione Sancti Ambroſij toto Orbe nominatiſſimi Præſulis, ea Eccleſia in magna laude apud omnes haberetur, & maxime apud Africanos Epiſcopos, quorum duo eius temporis lucidiſſima lumina, Auguſtinus & Alipius, qui his Africanis Concilijs nunquam fere deeſſe, immo eorum pars maxima eſſe conſueuerant, ibidem Mediolani ab eodem Sancto Ambroſio inſtructi in fide ac baptizati fuiſſent. Ideoque & in alia Synodo Carthaginenſi celebrata poſt Conſulatum Stiliconis, ſimiliter ad Anaſtaſium Papam & Venerium Mediolanenſem Epiſcopum, prædictorum Siricij & Simpliciani ſucceſſores decreta legitur legatio, vt Africanæ Eccleſiæ ſacris miniſtris indigenti conſulerent.

XX. NECTARII OBITVS.

g Socr. l. 6. c. 2.

h Soz. l. 8. c. 2.

IO. CHRYSOST. ELIGITVR EPISCOP. CONSTANTINOP.

Iiſdem Coſſ. (inquit Socrates [g]) quinto Calendas Octobris Nectarius Epiſcopus Conſtantinopolitanus diem obijt. Eiuſque rei cauſa, nempe vt ei ſucceſſor eligeretur, celebratum eſſe CONCILIVM Epiſcoporum, tradit Sozomenus [h]. Itaque cum alij alium ad id muneris quærerent, tandem placuit IOANNEM Antiochiæ preſbyterum, ab eloquentia cognomento CHRYSOSTOMVM, de quo ſæpe ſuperius, acceſſere; fruſtra aduerſus eum ſatagente Theophilo Alexandrino: qui vocatus ab Imper. Conſtantinopolim, ex iure prætenſo à Patriarchis Alexandrinis in electione Epiſcopi eius ciuitatis, conatus eſt Iſidorum ſuæ ipſius Eccleſiæ presbyterum ad illum Epiſcopatum euehere. Sed nimis perterritus Eutropij Eunuchi, potentiſſimi Præfecti cubiculi Imperatoris, metuque ſubeundi iudicij de nonnullis criminibus ei obiectis, & ipſe eundem Ioannem deſignauit Epiſcopum: cuius ordinationem in ſequentis anni menſem Februarium productam eſſe conſtat.

ARCADII, HONORII AN. 4.

IESV CHRISTI AN. 398.

ANASTASII AN. I.

SIRICII PP. OBITVS

a Bed. in Martyrol. b Antiq. In ſcript. in Ap pend. pag. 1171. num. 16. c Iſid. de vir. illuſtr. c. 3.

ANNo Chriſti trecenteſimo nonageſimo octauo, Honorio Auguſto quartum & Eutychiano Coſſ. octauo Calendas Martij, *S. Siricius* Papa, cum ſediſſet annos tredecim, menſem vnum, & dies quatuordecim, ex hac vita migrauit. Ita enim apud Indices omnes; licet apud Bedam [a] ſexto Calendas Decembris Siricij ponatur obitus; & in nuper reperto indito antiquitus eius ſepulturæ epitaphio [b] idem d.catur ſediſſe quindecim annos. Sepultus eſt auté in cœmeterio Priſcillæ via Salaria. De ſcriptis ab eo ad diuerſos diuerſis de cauſis Epiſtolis Decretalibus, mentio eſt apud Iſidorum [c]: ſed errare plane videtur, dum eum ſub Theodoſio & Valentiniano Imperatoribus vita functum affirmat. Vacaſſe vero ſedem poſt eius obitum dies viginti, habent Indices Vaticani, necnon liber de Romanis Pontificibus, qua ratione dicendus eſt in locum eius ſubrogatus pridie Idus Martij, ANASTASIVS patria Romanus, patreque Maximo presbytero, vt habetur in ipſius epitaphio [d], & in militiæ Dei officijs natus.

ANASTASIVS PAPA

d Antiq. In ſcript. pag. 1165. num. 7.

II.

e Hier. ep. 26

f Id. ep. 99.

Hoc ipſo anno S. Hieronymus ad Pammachium conſolatoriam dedit epiſtolam [e] cum ex hac vita iam ante migraſſet eius vxor Paulina, filia S. Paulæ Cõſularis feminæ; quæ nobiliſſimo vtrinque genere orta [f], vna cum filiabus atque cognatis, ipſius olim S. Hieronymi vſu, Chriſtianam perfectionem eſt adepta, & domus eius velut in eccleſiam commutata. *Pammachius* autem eius gener, prognatus ex Camillorum antiquo ſtemmate Furiano, ipſeque inter primos Senatores emicans Conſulum pronepos, vir doctrina & pietate inſignis, ſolutus iam vinculo coniugali, egregium Chriſtianæ virtutis ſpecimen de contemptu ſæculi edidit, dum bona ſua erogans in pauperes, monaſticum amplexus eſt inſtitutum; quem ideo multis præconijs extulit eadem Epiſtola S. Hieronymus.

PAMMACHII V.C. RENVNTIATIO SAECVLI.

III.

ANAST. PP. S. PAVLINVM AMPLECTITVR.

Quo eodem tempore Anaſtaſius Papa, cum non ignoraret Paulo illiberaliter cum S. Paulino Nolano Siricium Papam prædeceſſorem ſuum egiſſe; ſimulac ipſe in thronum Pontificium euectus eſt, officioſiſſimas litteras ad Epiſcopos Campaniæ pro eodem Paulino dedit; ac deinde ipſum Romæ, cum ſolemni conſuetudine ad SS. Apoſtolorum natalem veniſſet, honorifice accepit: vt teſtatur ipſe Paulinus [g] ad Delphinum ſcribẽs. Quæ etiam recenſuiſſe voluimus, ad demonſtrandam ſolemnem conſuetudinem (vt ipſe vocat) ad nata'em diem Apoſtolorum Romam, nulla habita æſtiuorum calorum ratione, concurrendi. Verum & de ea ſunt pariter aliæ antiquæ teſtificationes; vt inter alias illæ nobiles Gallæ Placidæ Auguſtæ ſcribentis [h] ad Pulcheriam æque Auguſtam, & Valentiniani [i] Auguſti ad Theodoſium Iuniorem Imperatorem; aliæque inſuper ipſius Paulini [k] ad Seuerum.

g Paulin. ep. 16.

VETVS CONCVRSVS AD NATALEM DIEM APOSTOLORVM.

h To. I. Concil. ante Concil. Chalced. i Ibid. k Paul. ep. 11.

IV.

l Aug. 18. de ciu. 53.

FALSVM ORACVLVM DE TERMINO CHRISTI RELIG.

Hoc item anno ſcribebat [l] S. Auguſtinus aduerſus falſa Gentilium in vulgus iam antehac fruſtra iactata oracula, quibus illi huius anni termino finem accepturam Chriſtianam religionem, quo idolorum cultores in officio continerent, affirmabant; excogitatis neſcio quibus verſibus Græcis, tamquam conſulenti cuidam diuino oraculo effuſis, vbi Chriſtum quidem ab huius tamquam ſacrilegij crimine facerent innocentem, Petrum autem maleficia feciſſe ſubiungerent, vt coleretur Chriſti nomen per trecentos ſexaginta quinque annos; completo autem eo numero, ſine mora ſumeret finem: ſumpto videlicet annorum initio à tempore quo miſſus eſt Spiritus Sanctus, id eſt per Idus Maias; à quo numeratis Coſſ. trecenti ſexaginta quinque anni reperiuntur impleti per eaſdem Idus Maias Conſulatus Honorij & Eutychiani. Hæc Auguſtinus. Quam quidem eius ſupputationem noſtræ chronographiæ optime conſentire cognoſcis: ſiquidem quem nos numerauimus Domini annum trigeſimum quartum, ipſe à die Pentecoſtes numerat primum. Porro numero trecentorum ſexaginta quinque annorum ſi addas triginta tres, vtique reperies à naſcente Domino vſq; ad dictos præſentis anni Coſſ. Honorium & Eutychianũ, recte numerari annos trecẽtos nonaginta octo. Ceterum ſtultæ prædictioni contraria prorſus obueniſſe contigit: & tantum abfuit religionem Chriſtianam defeciſſe, & deorum cultum reſtitutum fuiſſe; vt quæ reliqua eſſent templa Gentilium, ſequenti anno diruta fuerint: quod ipſe Auguſtinus demonſtrat, diceturq; ſuo loco.

RECTE INSTITVTA TEMPORVM CHRONOGRAPHIA.

V.

LEX HONORII IMP PRO PERSONIS ET REB. ECCL.

m l. 31. C. Th. de Epiſc. & cler. Ret. mid Greg. PP. II. ep. 51.

Rurſum vero quod ad res Africanæ eccleſiæ pertinet; Honorius Imperator Mediolani exiſtens, ad comprimendam ſceleratorum audaciam, ſexto Calendas Maij reſcriptum [m] dedit; quo præcepit inferentes iniuriam perſonis eccleſiaſticis, & locis ſacris Catholicorum, capitali ſupplicio puniri; voluitque cunctis liberum eſſe, factas atroces ſacerdotibus alijſque miniſtris Eccleſiaſticis iniurias, veluti publicum crimen inſequi. Hanc porro legem nondum in Africa promulgatam fuiſſe, quando Sanctus Auguſtinus ſcripſit commentarios contra litteras Petiliani, partis Donatiſtarum Conſtantinienſis in Numidia Epiſcopi, ſuæ ſectæ hominum huius temporis eloquentia facile principis; ex eo demonſtratur, quod ipſe ijſdem commentarijs [n] neget, aliquam legem ab Imperatoribus latam eſſe, vt tumultuãtes Donatiſtæ occiderentur. Quod autem meminerit Anaſtaſij Papæ in cathedra Petri ſedentis; ex his colligas eoſdem commentarios elaboratos eſſe ante eius legis promulgationem, ſed tamen hoc ipſo anno poſt Anaſtaſij electionem.

n Aug. cont. lit. Petil. l. 2. c. 51.

VI.

SCELERA DONATIST. IN CATHOL.

Vt vero Donatiſtæ huiuſmodi lege coercendi eſſent, cum hactenus nonniſi decem librarum auri pœna (vt idem Auguſtinus teſtatur) in ipſorum facinoroſiſſimos ſtatuta fuiſſet; effecere immaniſſimæ graſſationes Circumcellionum, aliorumque eiuſmodi furentium Donatiſtarum, in Catholicorum Epiſcopos & clericos, eorumdemque domos & eccleſias; quarũ aliquas idem Sanctus varijs locis [o] recenſet: ſuntque etiam de ijs eiuſdem epiſtolæ [p] ad Donatum Proconſulem Africæ, & Marcellinũ itidem in Africa magiſtratum agentem; quibus eos rogat, nonnullis Circumcellionibus homicidis in vinculis detentis, iamque vltimo ſupplicio plectendis ignoſci; ſperans eiuſmodi Chriſtiana manſuetudine eos ad meliorem frugem perducere. Quin etiam quamdiu ſpes aliqua fuit, eiuſmodi genus hominum rationibus poſſe conuinci, indefeſſam nauauit operam cum verbis & ſcriptis, tum rebus & factis, vt eos ad eccleſiæ Catholicæ vnitatem perduceret. Sed cum econtra (prout Poſſidius in eius Vita narrat) illi his eius officijs irati, furioſa aduerſus eum loquerentur, atq; vt ſeductorem deceptoremq; animarum & priuatim & publice condemnarent, adeoque vt lupum occidendũ eſſe dicerent & tractarent, ac vias armati, cum ille ad viſitandas plebes Catholicas iret, aduerſus eum obſiderent: his inquam, alijſq; poſtmodum exemplis edoctus, eos deteriores euadere; & ipſe recantãs palinodiam, præclaram ad Vincentium dedit epiſtolam [q], qua diſſeruit per magiſtratus cogi debere hæreticos, & illorum pertinaciam ſæculari potentia retundi: atque inſuper eiuſdem argumenti duos ſe ſcripſiſſe libros, quorum eſſet titulus *Contra partem Donati*, ipſe alibi teſtatur [r].

o Aug. ep. 50 ad Bonif. Com ep. 65. ad Ianuar. Donat. l. 3. cont. Creſcon. c. 48. p Id. ep. 127. 159.

HAERETICI COGENDI A MAGISTRAT.

q Id. ep. 48.

r Id. 2. Retract. 5.

VII.

CONCIL. CARTHAG III.

Hoc eodem anno, nimirum poſt Conſulatum Cæſarij & Attici (vt ex ſcripto addimus codice) ſexto Calendas Iunij, habita eſt *Carthagine* SYNODVS ſeptuaginta trium Epiſcoporum, quæ *Quinta* dicta reperitur; dicenda autem, ſecundum illa quæ de his dicta ſunt anno ſuperiori, *Tertia*, quæ vero *Quarta* numeratur, & eſt, celebrata fuit (vt videbitur) hoc eodem anno menſe Nouembri. Mendoſus autem numerus huic priori inhæſit notæ Eræ trigeſimæ octauæ, ſicut & in alijs pleriſq; locis: nam & noſcitur habita anno ante edictum Imperatoris de reliquijs idololatriæ tollendis in Africa; quod ab Imperatoribus petendum, eadem Synodo Patres [s] decreuerunt conſtatque datum anno ſequenti. Inculcatum eſt autem in ea, inter alia ad Eccleſiaſticam ſpectantia diſciplinam, de [t] diaconorum, presbyterorum, & Epiſcoporum continentia

s Conc. Carth. V c. vlt. t Ibid. c. 13.

u Can. 6. x Can. 9. DEFENSORES ECCLESIÆ. y Poſſid. Vit. S. Aug. c. 12.

iteratum ſæpe præceptum: inſuperq; de [u] baptizandis infantibus. Sed & decreta [x] eſt Legatio ad Impp. pro petendis afflictatis pauperibus aduerſus potentias diuitum *Defenſoribus*; proq; delēdis (vt diximus) reliquijs idololatriæ. Quæ quidem omnia Patres obtinuiſſe videntur. Nam de Magiſtratu in Africa qui dicebatur *Defenſor Eccleſiæ*, Poſſidius [y] in Auguſtino meminit: & perſeueraſſe in poſterum eiuſmodi in eccleſia magiſtratum, S. Gregorius Papa pluribus epiſtolis fidem facit. Aduerſus autem idololatriæ reliquias, reſcriptum ab Honorio Imperatore ſequenti anno datum eſſe, dicetur ſuo loco.

VIII. z Claud. de laudib. Stilic. l. 1. NVPTIÆ HONORII IMP. a Id in carm. de nupt. Honor.

Eodem hoc anno *Bellum Gildonianum* confectum eſſe, auctor eſt Marcellinus in Chronico; & non antea, ſatis ex Claudiano [z] intelligitur, dum tradit ſtatim poſt nuptias Honorij, de Gildone tyranno in Africa ſuperato fuiſſe gaudia geminata. Hoc namq; anno idem Honorius Auguſtus inchoaturus annum ætatis decimum quartum, menſe Septembris, *Mariam* coniugem duxit, filiam Stiliconis Ducis ex Serena fratris Theodoſij filia: eaſque contractas nuptias mandato ipſius Theodoſij, idem Claudianus [a] affirmat.

IX. b Am. l. 29. DE BELLO GILDONIANO.

Sed quod ad bellum ſpectat Gildonianum; præſtat hic ipſius Gildonis originem ex Ammiano [b] præfari: qui ait, Nubelem potentiſſimum inter nationes Mauricas Regulum, plures genuiſſe filios, inter quos enituere Firmus, Gildo, & Maſcezil. Horum *Firmus*, occiſo fratre ſuo nomine Zamnac, Romanis magiſtratibus acceptus, tyrannus in Africa in Romanum Imperium inſurrexit: aduerſus quem Theodoſius Senior, Theodoſij Imperatoris pater, Magiſter equitum bello egit; cui & Gildo aduerſus germanum inhæſit. Sed extincto Firmo, in Imperatorem euectus Theodoſius, Gildonem creauit Comitem [c], & in Africa conſiſtentis Magiſtrum vtriuſque militiæ. Verum auctor eſt Claudianus [d], cum tempore belli Eugeniani palam deſciuiſſe ab Imperio Romano, cum vocatus ab eodem Theodoſio cum auxiliarijs copijs, venire renuit, quem tamen longo etiam antea tempore tyrannidem arripuiſſe, ſed pacem aliquam interceſſiſſe, aſſerere cogi videmur, quod idem auctor [e] duodecim illum annis Africam infeſtaſſe tradit. Scribit autem Zoſimus [f], ſolicitatum quoque ab Eutropio Cubiculi Arcadij Præfecto Gildonem, vt Africam in ditionem transferret Arcadij Imperatoris. Sed quod addit, id ab eo præſtitum eſſe, haud probatur. Id quidem ipſum molitum eſſe, quadam permotum inuidia, Oroſius [g] eiuſdem temporis ſcriptor ex quorumdam ſententia refert. Vt vt ſit, hoc certum habetur, ſub tyrannide Eccleſiam Africanam ab *Optato* quodam Donatiſtarum Epiſcopo, ſæuiſſimo inhærente eidem Gildoni ſatellite, per decennium admodum afflictatam eſſe; id teſtante pluribus locis, ac deplorante S. Auguſtino [h].

c Conſtat ex reſcript. l. 9. C. Th. ad l. Iul. de adult. d Claud. in ſext. Conſul. Honor. e Id. de bel. Gild. f Zoſ. l. 5. g Oroſ. l. 7. c. 36. h Aug. cont. lit. Petil. l. 1. c. 24. & l. 2. c. 23. & 85. & cont. ep. Parm. l. 2. c. 2.

X. i Marcel. in Chron. k Claud. de bel. Gild. l Id. ibid. & Symmach. l. 4. ep. 4. ad Stilic.

Ceterum qui hactenus toleratus fuerat Gildo (homo licet Ethniciſmo [i] deditiſſimus, quique militibus ſuis [k] ad impuras exercendas libidines, rapinas, & crudelitates abuteretur) haud vlterius perferendus viſus eſt, cum impedire [l] cœpit ne frumentum ex Africa deferretur in Vrbem annona laborantem. Itaque decretum eſt ex Senatuſconſulto bellum aduerſus eumdem *Gildonem*; placuitque præfici legionibus *Maſcezilem* ipſius germanum, ſed hoſtem eidem infenſiſſimum ob necatos ab eo crudeliter filios, quos Maſcezil Italiam petens apud Africanam militiam reliquerat. Rem geſtam narrat idem qui ſupra Oroſius: additque, Maſcezilem iam inde à Theodoſio ſcientem, quantum in rebus deſperatiſſimis oratio hominis per fidem Chriſti à clementia Dei impetraret; Caprariam inſulam adijſſe, indeque ſanctos aliquot monachos ſecum in Africam duxiſſe (ſiquidem hanc, aliaſque Tyrrheni, necnon Etruſci maris inſulas, ipſoſque reconditos curuorum littorum ſinus iam hoc tempore choris ſanctorum monachorum fuiſſe refertos, teſtes ſunt etiam SS. Hieronymus [m] & Auguſtinus [n], necnon Rutilius [o] Numatianus poeta Ethnicus) & vna cum illis, orationibus, ieiunijs, pſalmis dies ac noctes continuantem, ſine bello victoriã meruiſſe, ac ſine cæde vindictam: dum ſcil. ipſe cum millibus quinq; militum contra ſeptuaginta millia hoſtium caſtrametatus, in locum munitiorem tranſgredi volens, nocturna viſione roboratus S. Ambroſij nuper defuncti Epiſcopi Mediolanēſis, iubentis vt eodem loco conſiſteret atq; pugnaret; poſt noctem orationibus hymniſq; peruigilem, ab ipſis cœleſtium ſacramentorum myſterijs in hoſtem circumfuſum proceſſit; & cū ad eos qui primi occurrerant pia pacis verba iactaret, ſigniferum quemdam inſolenter obſiſtentem, & iam iamque pugnam excitantē, gladio percuſſit in brachio, eumq; manu debilē ipſo vulnere coegit pronum inclinare vexillum. Quo viſo reliquæ cohortes, deditionem iam fieri priorum exiſtimantes, certatim ſeſe ad Maſcezilem ſignis tradidere conuerſis. Barbari autem, quorum magnã multitudinem Gildo ad bellum deduxerat, defectu militum deſtituti in diuerſa fugerunt. Sed & ipſe Gildo fugam molitus, arrepta naui, vt in altum prouectus ac deinde reuocatus in Africam eſt, poſt aliquot dies ſtrãgulatus interijt. Hæc Oroſius; eademq; ferme in hiſtoria [p] Miſcella Theophanis, quæ falſo Paulo diacono tribuitur. Claudianus [q] quoque, licet Ethnicus, ad confecti belli celeritatem obſtupeſcens, eandem victoriam Deo tribuit; ſed Gildonem in Sicilia obtruncatum tradit [r]. Zoſimus [s] autem, eundem ne veniret in manus hoſtium, ſibi iniecto laqueo, ſpontaneo exitu finem viuendi feciſſe. Ceterum eo extincto, bona ipſius quæ quidem erant ampliſſima, Fiſco ſunt adiudicata; ſuperque eis nouus inſtitutus magiſtratus, dictus *Comes Gildoniaci patrimonii*, cuius eſt mentio in Notitia prouinciarum: de iiſdem vero bonis extãt plura reſcripta in Codice [t] Theodoſiano. Et quod mirum eſt, viguit ad decem ſaltem annos perſecutio vindictæ aduerſus eos qui Gildonem cōſectati fuerant: vt apparet ex reſcripto [u] Imperatorum dato ſub Conſulatu Philippi & Baſſi, qui incidit in annum Domini quadringenteſimum octauum.

m Hier. ep. 30. ad Ocean. n Aug. ep. 81 ad Eudox. o Rutil. Itiner. l. 1.

MASCEZILIS PIETAS ET INSIGNIS VICTORIA DIVINITVS OBTENTA. p Miſcel. l. 13 q Claud. de bel. Gild. r Id. l. 1. praef. s Zoſ. l. 5. t L. 7. & 9. de metat. l. 16. 19 de bon. proſcript. u L. 19. C. Th. de pœn.

XI. MASCEZILIS INTERITVS OB VIOLATAM ECCLESIAM.

Quod vero ad *Maſcezilem* victorem ſpectat, tradit Oroſius ipſum rerum ſecundarum elatum inſolentia, poſthabito ſanctorum conſortio, cum quibus antea Deo militans vicerat, etiam Eccleſiam temerare auſum eſſe nonnullos ab ea ad pœnam extrahendo: verum ſequente pœna ſacrilegium, iiſdem ſuperſtitibus atque inſultantibus quos protraxerat, poſt aliquantum tempus, ſolum ipſum punitum eſſe atque occiſum. Habentur hæc ipſa in hiſtoria Miſcella. Zoſimus autem ait, Stiliconis inuidiã iuſſum Maſcezilem à militibus per pontem in flumen præcipitari.

XII. VXOR, SOROR, ET FILIA GILDONIS RELIGIOSISS. FEM. x Hier. ep. 9 y Ibid. & ep. 11. ad Ager.

Porro Gildoni, licet Ethnico, fuiſſe vxorem ſanctiſſimam fœminam, necnon ſororem quæ perpetuam virginitatem Deo dicauerat, teſtis eſt Hieronymus in Epiſtola [x] ad *Saluinam* eiuſdem Gildonis filiam, qua ipſam ad viduitatem ſeruandam hortatus eſt: quippe quæ nupta ante patris obitum Nebridio nobiliſſimo atque religioſiſſimo adoleſcenti, genito ex ſorore Auguſtæ, Arcadijque & Honorij Imperatorum conſobrino (vt hæc omnia idem S. Hieronymus [y] ſcribit) poſt eiuſdem Nebridij immaturum obitum, adoleſcentior vidua relicta eſt cum duobus paruulis ex eo ſuſceptis: cuius in eccleſia Cōſtantinopol. magna pietate in officio diaconiſſæ deſeruientis, mentio habetur apud Palladium in dialogo de Vita S. Ioannis Chryſoſtomi.

XIII. z L. 7. C. de epiſ. aud. a Sup. an. 57. num. 10. 11. 12. & an. 319. inf.

Hoc eodem anno Honorius Imperator interceptam, neſcio quo caſu, iudicandi inter laicos Epiſcoporum auctoritatem, lege lata [z] reſtituit. Qua quidem nihil omnino iuris tribuit Epiſcopis: ſed illud ab ipſo Chriſto Domino originem ducens, & ab Apoſtolo ſtabilitum, atque à Conſtantino Magno confirmatum (ſicut alias demonſtratum eſt [a] ſuperius) voluit eſſe liberum.

XIV. CONC. CARTHAG. IV.

Iiſdem quoque huius anni Coſſ. ſexto Idus Nouembris celebrata eſt in Africa SYNODVS CARTHAGINENSIS, nomine & tempore *Quarta*. Sublato enim Gildone tyranno qui Africam perturbabat, data eſt facultas copioſiori numero Epiſcoporum, nempe ducentorum & quatuordecim, in vnum conueniendi, vt de reſtituenda in integrum Eccleſiaſtica diſciplina diligentius ageretur: quod & ipſi egregie præſtiterunt, centum & quatuor

tuor cenſitis regulis de ijs quæ tum Epiſcopis, tum alijs inferioris ordinis clericis obſeruanda eſſent: quarum exempla tam reliquæ Occidentales Eccleſiæ, quam etiam Orientis Epiſcopi mutuati eſſe noſcuntur. Extitit enim huiuſmodi Carthaginenſe Concilium veluti Eccleſiaſticæ promptuarium diſciplinæ, non quidem recens inuentæ, ſed ab antiquioribus vſu receptæ, atque ad priſtinam conſuetudinem reuocatæ; niſi in quibus noua emergente cauſa, nouæ ſanciendæ legis neceſſitas incubuit: vt quod in principio, vbi de Epiſcoporum ordinatione agitur, ob emergentes nouas Origeniſtarum hæreſes, in Fidei profeſſione quam publice emittere ſolerent Epiſcopi ordinandi, additæ ſunt aſſertiones ſententiarum fidei Catholicæ, quas ijdem hæretici impugnarent.

Quàm copioſum iſtud concil.

XV. Placuit [b] item Apoſtolicam inſtitutionem de opere manuum clericorum, quo ſibi victum & veſtitum quærerent, in obſeruationem reuocare. Cuius rei ſanciendæ occaſionem præbuerunt, emergentes quidam ex ſchola Euchaitarum & Maſſalianorum hæreticorum, qui omnino negarent monachis & clericis eſſe manibus operandum; vnde & contentiones orirentur, inter ipſos laicos, quibus Eccleſia turbaretur, alijs illud defendentibus. Quamobrem & ea occaſione, vt *de Opere monachorum* librum conſcriberet, compulſum ſe fuiſſe Auguſtinus [c] teſtatur. Sed & quod idem prolixa ac muliebri [d] incederent coma, ideo ille à Synodo canon [e] editus eſſe videtur, vt clerici nec comam nutrirent nec barbam. Licet enim nonniſi de coma Auguſtinus aduerſus eos ſcribens agat; Synodus tamen, cui & ipſe Auguſtinus interfuit, addidit quoque de barba minime nutrienda: quamuis nonnulla exemplaria habeant additamentum illud, *Sed radant*, vel *tondeant:* tamen non nutriendam eſſe, communi codicibus omnibus lectioni concordat. Vt ex his ſatis conuinci poſſit, ipſum Auguſtinum & alios Epiſcopos, nec non Africanæ Eccleſiæ clericos, minime geſtare conſueuiſſe promiſſam barbam; ſed ſi non raſam, ſaltem præciſam & ex parte aliqua decurtatam, quo omnis ſuſpicio impenſi in ea nutrienda laboris omnino ceſſaret. Sed dicet aliquis: Cur in Synodo de clericis, & non de monachis mentio habetur? quod ſcilicet in Eccleſia Africana monachiſmus iam aſcitus in Clerum, ſimulque coniunctus eſſet; & in eadem Eccleſia clericorum nomine etiam monachi continerentur, vtpote Dei ſeruitio arctioribus vinculis mancipati: cum alioqui vel clerici monachorum amplecterentur inſtitutum, vel ex eius ſolum plurimi cooptarentur in clerum, de quibus eſt reſcriptum [f] Imperatorum hoc anno datum, Vt ſi quos Epiſcopi deeſſe ſibi clericos arbitrarentur, ex monachorum numero ordinarent. Indeq; S. Auguſtinus ſuos clericos interdum monachos appellat.

Opus manuale præſcriptum clericis. b *Conc. Carthag. IV. can. 51. 52. 53.* c *Aug. 2. Retract. 21. & de oper. monach.* d *Epiph. hær. 89.* e *Eo. Concil. c. 44.* *De tonſura capillorum et barbæ.* *Monachi in Africa aſciti in clerum.* f *l. 32. C. Th. de Epiſc. & cler.*

XVI. Rurſum quod ad eiuſdem decreta Concilij pertinet; & illud notandum eſt, quod Patres ſtatuerunt [g], *Vt Epiſcopus nullum prohibeat ingredi Eccleſiam, & audire verbum Dei, ſiue Gentilem, ſiue hæreticum, ſiue Iudæum, vſque ad Miſſam catechumenorum.* Ex quibus plane intelligas, S. Auguſtinum inter concionandum ad populum, pro audientium diuerſa conditione aptare conſueuiſſe ſermonem; nimirum interdum hæreticos Arianos, Manichæos, vel Donatiſtas vrgere, interdum vero Gentiles, & ſæpe Iudæos. Sed de Synodo hactenus. Iam ad res Eccleſiaſticas Orientis hoc anno geſtas tranſeamus.

g *Eod. Concil. c. 84.*

XVII. Cum defuncto Nectario Epiſcopo Conſtantinopolitano, poſt de ſucceſſore deligendo controuerſias, tandem in Ioannem presbyterum Antiochenum cognomento Chryſoſtomum ſuffragia conſpiraſſent, vt dictum eſt anno ſuperiori; quod ſciretur eum haud facile inuito populo fore Antiochia abducendum, ſcripſit Arcadius Imperator ad eius ciuitatis Præfectum vt abſque ſtrepitu vllo ipſum mitteret Conſtantinopolim: Præfectus vero eumdem deductum extra portam, quaſi ad viſitanda Martyria, impoſitum rhedæ publicæ Magiſtro militum tradidit ad Imperatorem deducendum. Hæc quidem ita eſſe geſta, tradit Palladius in dialogo de vita eiuſdem Ioannis. Addunt vero alij [h], innotuiſſe tunc etiam ex literis Imperatoris ad Flauianum Antiochenum Epiſcopum datis, electionem factam Chryſoſtomi populo Antiocheno, populumque reſtitiſſe ne abduceretur, ſed à Præfecto ea qua diximus arte deluſum eſſe. Simulac igitur Ioannes Conſtantinopolim peruenit, ordinatus eſt eius ciuitatis Epiſcopus: quod hoc anno die vigeſima ſexta Februarij contigiſſe, Socrates [i], Sozomenus [k], & Marcellinus [l] affirmant.

Io. Chryſ. abducitur Antiochia Conſtantinopolim. h *Leo Aug. & Metaphr. in Vita Chryſoſt.* i *Soc. l. 6. c. 2.* k *Soz. l. 8. c. 2.* l *Marcel. in Chron.*

XVIII. Porro in ſublimem thronum Ioannes euectus, primum omnium curauit vt Catholicæ fidei in omnibus proſpectum eſſet: auctorque extitiſſe putatur, vt ſeueriſſima lex [m] aduerſus Eunomianos, deteſtabiliores ceteris hæreticis, & Montaniſtas, poſt dies ſex à ſua ordinatione ſanciretur, nimirum quarto Nonas Martij; qua non ſolum ipſorum conuentus omnino prohibiti, ſed & eorundem clerici vrbibus pelli, ac codices igni comburi iuſſi ſunt; & quod nunquam hactenus aduerſus vllos hæreticos decretum fuerat, eorumdem receptoribus & occultatoribus capitale ſupplicium eſt irrogatum. Poſt hæc vero (vt tradit Sozomenus [n]) ad pacem in Eccleſia Antiochena conciliandam idem Ioannes adijciens animum, egit cum Theophilo Alexandrino, vt Legatio Romam mitteretur, quo Flauianus Epiſcopus Antiochenus in gratiam Romani Pontificis reduci poſſet: ad quod negotium electi Acacius Berœenſis, & Iſidorus ille, cuius nomine Theophilus ordinationi Ioannis obſtiterat; legatione pro votis functi ſunt. Hæc quidem Sozomenus. Sed Theodoretus [o] longe ante hæc tempora legationem Acacij, & Romani Pontificis ac Flauiani concordiam contigiſſe ſignificat. Quicquid ſit illud exploratum eſt, vſque ad Innocentij Papæ tempora Eccleſiam Antiochenam perfectam pacem non obtinuiſſe.

m *l. 34. C. Th. de hæret.* *Lex aduerſus hæreticos.* n *Soz. c. 3.* o *Theod. l. 5. c. 23.*

XIX. Ipſo quoque primo ſuo ingreſſu Ioannes, cum inueniſſet clericos Conſtantinopolitanos, alioſque viros, pietatis quodam intuitu ſacras virgines ſecum in domibus ſuis retinere, quas vocabant *ſorores adoptiuas*; multus fuit in ijs corrigendis, vt tam ex Palladio [p] conſtat, quam ex duobus libellis [q] eodem argumento ab ipſo Ioanne conſcriptis. Quem prauum eiuſmodi virginum vſum (quæ à charitate, ἀγάπη, nomen trahentes, quaſi ſpirituali amore coniunctæ, dicebantur *Agapetæ* ab illis penes quos habitabant) grauiter itidem redarguit S. Hieronymus [r], poſt hæc vero eumdem Ioannem, victum quoque luxurioſum clericorum caſtigaſſe; ſed & ſuperfluos Eccleſiæ ipſiuſque Epiſcopi Conſtantinopolitani ſumptus reſecaſſe, & ad infirmorum ſolatia tranſtuliſſe; viduas inſuper luxuriantes in vitæ integritatem reſtituiſſe, potentium faſtum inſectatum eſſe omneſque omnis generis ac conditionis laicos varijs admonitionibus erexiſſe; atque his geſtis odium ferme omnium in ſe concitaſſe, narrat Palladius. Additque Socrates [s], plurimos ex clero iam ab ipſo Epiſcopatus eius initio eum tamquam nimis iracundum vitare cœpiſſe; & cum multos varijs ex cauſis ab Eccleſia eieciſſet, eoſdem contra illum conſpirare, & ad populum falſo criminari non deſtitiſſe.

Agapetarum virg. prauus vſus ſublatus a Chryſ. p *Pallad. dial. de Vit. Chryſ.* q *Ext. to. 5. oper. Chryſ.* r *Hier. ep. 22. ad Euſtoch.* *Chryſ. corrigit mores cleri.* s *Socr. l. 6. c. 4.*

XX. His quoq; Coſſ. ſexto Calendas Auguſti, agente [t] Eutropio Cubiculi Præfecto, ſancita reperitur ab Arcadio Imperatore, occaſione Pentadiæ clariſſimæ feminæ (coniugis Timaſij Conſulis, quem idem Eutropius ob coniurationem cum Ruffino, in Oaſim relegauerat) quæ ad Eccleſiam confugiſſet, conſtitutio [u]; qua præceptum eſt, ne quis omnino ad Eccleſiam confugeret, & vt per magiſtratus extraherentur qui iam ad eam confugiſſent. Sed accidit magno diuinæ prouidentiæ iudicio, vt qui eius ſanciendæ auctor extitit Eutropius, idem anno ſequenti (vt videbitur) ad Eccleſiam confugere neceſſitate compulſus, in ſe primum ſæuientem experiri legem ſuam coactus fuerit.

t *Socr. l. 6. c. 5. Soz. l. 8. c. 7. & alij in Vit. Chryſ.* *Lex Arcadii aduerſ. immunit. eccleſiaſt.* u *l. 3. C. Th. de his qui ad eccl. confug.*

XXI. Rurſum vero eodem ipſo die, quo aduerſus Eccleſiæ immunitatem Arcadius reſcripſit, aliud quoque promulgauit edictum [x], ad coercendam inſolentiam clericorum & monachorum, qui quaſi vi publica ab apparitoribus raperent reos cum ad ſupplicium ducerentur. Quam quidem licentiam ex Epiſcopis conſtat in clericos atque mo-

x *l. 16. C. Th. de pœn. l. 7. C. Iuſtin. de Epiſc. audient.*

nachos, quorum ad hoc illi opera vterentur, fluxiſſe occaſione edicti Conſtantini Magni (de quo alias) iubentis iniquas ſententias Præſidum ab Epiſcopis poſſe reſcindi. Ceterum ſanctos Epiſcopos haud nouimus abuſos eſſe huiuſmodi impertita ſibi auctoritate; ſed precibus ſcimus egiſſe pro reis ſub Præſidum gladio periclitantibus. Hoc autem tempore Conſtantinopoli magnam, Eutropij cuius nutu omnia gerebantur, vna cum iniquitate crudelitatem, quia etiam manifeſte innocentes ad ſupplicium duci iuberet, id à clericis atque monachis, tamquam vindicibus læſæ veritatis atque iuſtitiæ, extorſiſſe par eſt credere. Eiuſmodi enim caſibus, cum quid à Præſidibus tyrannicè ageretur, ſacerdotes infracto vigore eiſdem reſtitiſſe, res geſtæ S. Nicolai Myrenſis Epiſcopi in Euſtathium Proconſulem Aſiæ, S. Athanaſij in Præfectum Libyæ, S. Ambroſij aduerſus Theodoſium Imperatorem, S. Baſilij aduerſus Modeſtum Præſidem, S. Chryſoſtomi in Eudoxiam Auguſtam, S. Auguſtini in Bonifacium Africæ Comitem, Syneſij Epiſcopi in Libyæ Præſides, & aliorum plurimorum Sanctorum Acta teſtantur, de quibus etiam his Annalibus agitur.

EPISCOPI LEGITIMI VINDICES PRÆSIDŪ INIVSTITIÆ.

XXII.

Accidit porro, vt quo magis res Eutropij vndiquaque florentiſſimæ maioribus progreſſibus ſurgerent, adeo, vt ipſe videretur in omnibus imperare Imperatori; eo amplius inuidiæ id ſtimulos acuerit, cum aulicorū omnium indigne ferentium eunuchum ceteris anteferri, tum præcipue Gainæ Gothi Ducis exercitus, cuius opera Ruffinus extinctus, Arcadius in Imperio ſtabilitus fuiſſet. Itaque vt eum de medio tollere poſſet, egit inprimis cum Tribigildo Gothorum duce ſanguine ſibi coniuncto, vt Aſiæ regiones infeſtaret: aduerſus quem & ipſe profectus, turpi colluſione non ſolum pugnare detrectauit, ſed & cum ſibi viſum eſt opportunum, detegi & ipſe voluit perduellis Imperij. Cuius quidem, ſimul & Tribigildi clades hoc anno illatas in Aſiam, cum Sozomenus [y] & Socrates [z], tum etiam Zoſimus [a] pluribus proſecuti ſunt. Ex quibus intelliges, quam opportune periclitanti Conſtantinopolitanæ ciuitati vna cum vniuerſo Orientali Imperio, conſuluit Deus præficiendo illi eccleſiæ hoc anno S. Ioannem Chryſoſtomum, qui melius quam Simon [b] Oniæ filius deorſum iam labentem ſuffulſit domum, & ruinam minans corroborauit templum.

GAINÆ TYRANNIS.

y Soz. l. 8. c. 4. z Socr. l. 6. c. 6. a Zoſ. l. 5. b Eccli. 50.

IESV CHRISTI ANN. 399.

ARCADII, HONORII ANN. 5.

ANASTASII ANN. 2.

I. LAVDES MANLII THEODORI CONS.

ANNVS Chriſti trecenteſimus nonageſimus nonus Coſſ. habuit Manlium Theodorum & Flauium Eutropium. Quorum *Theodorus* in Occidente creatus, idemque ex Manlia priſca gente ortus, & Chriſtianus erat, & mente atque virtutibus præſtantiſſimus, adeoque eruditus, vt eloquentia inter omnes eius ætatis celebres oratores eniteret facile princeps; vt tum ex S. Auguſtino [a] apparet, qui ad eum, apud Mediolanum tum dum ageret, librum ſcripſit *de Vita beata*, tum ex Claudiano in Panegyrico de ipſius Conſulatu, vbi etiam quaſdā recenſet eiuſdem excultiſſimas lucubrationes, quas dolemus eſſe deperditas. Qui autem in Oriente ab Arcadio Conſul creatus eſt *Eutropius*; quod eunuchus eſſet, ſeruiliſq; generis, & perditis moribus, minime dignus habitus eſt vt Latinis Conſularibus Faſtis adſcriberetur. Videasque in antiquis marmoribus inciſis inſcriptionibus, hunc annum nominis Theodori Conſulatu ſignari; ſicut & Imperatorum reſcripta, atque alia vetera monumenta. Sed nec penes Orientales, Conſulatus eius memoria reliqua fuit; quod eo paulo poſt damnato, ipſius quoque è Faſtis expunctum fuerit nomen, vt Claudianus [b] & Socrates [c] affirmant, declaratque ipſa eiuſdem damnatio, de qua inferius.

a Aug. de ret. lib. l. 1. c. 2.

EVTROPII EVNVCHI CONSVLATVS PROSCRIPTVS

b Claud. in Eutrop. l. 2. c Socr. l. 6. c. 5.

II.

Ipſum autem primum omnium ex eunuchis ad dignitatem Conſularem euectum fuiſſe, notarunt etiam Socrates & Sozomenus [d]: idq; pro monſtro habitum fuiſſe, Claudianus ait. Ante Conſulatum autem, cum & pro arbitrio habenas moderaretur Imperij, adeo eminebat ille ſummæ potentiæ ſplendore conſpicuus, vt etiam (quod ait Suidas [e]) aureæ ſtatuæ ei paſſim collocarentur, & ædificia extruerentur ſplendidiſſima tota vrbe: immo & genus eunuchorum propter illius auctoritatem adeo creuerit, vt nonnulli iam barbati cum eunuchi fieri vellent, & ſe Eutropios fore ſperarent, vita priuati ſint vna cum teſtibus, etiam Eutropio annuſo. Potentiæ vero addita ſæuitia, totum plane Orientale peſſumdedit Imperium. Tolerauit tamen omnia iſta Deus, quouſque profanus ſacra non tetigit: cum vero & ad altare miſeros confugientes crudelitas & impietas eius inuaſit, protinus diuinam in ſe vindictam ſenſit armatam. Etenim (quod Zoſimus, & alij teſtantur) etſi antehac Gainas dux exercitus in Arcadium Imperatorem parum æquo eſſet animo, quam ob cauſam tot tumultus per Tribigildum excitaſſet: idem tamen, audito Eutropium ſibi infenſiſſimum ad Conſulatum vſque prouectum eſſe, maiori exæſtuans ira, furore barbarico debacchatus eſt in Aſiam: eoque tandem deſperationis res Imperij Orientalis adegit, vt Arcadium coegerit quas ipſe vellet pacis conditiones ſubire. Earum porro præcipuam fuiſſe Zoſimus docet, vt malorum omnium auctor Eutropius ſibi dederetur, in quem ipſe ſtatueret quicquid vellet. Quibus auditis Arcadius, & acceſſiuit Eutropium, & abrogata dignitate dimiſit. Eutropius autem curſu ad Chriſtianorum Eccleſiam, perrexit. Hæc ille: ex quibus vides, magno Dei iudicio opus habuiſſe confugere ad Eccleſiam, qui haud pridem ius Eccleſiæ ſuperba licentia violauerat.

d Soz. l. 8. c. 7.

e Suid. verb. Eutrop.

SVMMA EVTROPII POTENTIA.

EVTROP. PETITVR A GAINA AD NECEM.

III.

Poſtquam autem Arcadius cognouit eum ad aſylum Eccleſiæ ſe recepiſſe, depoſcentes illum ad necem ingenti fremitu milites, oratione habita ab inuaſione loci ſacri dimouit; quem antiquis priuilegijs omnino gaudere voluit, abrogata lege illa quam anno ſuperiori in eius contumeliam intulerat. Sed cum nihilominus populus infeſto agmine per plures dies in eundem Eutropium inſilire non deſiſteret; tandem Ioannes Chryſoſtomus illius ciuitatis Epiſcopus, ſuggeſtum conſcendens, inſignem illam habuit concionem, qua tota dicendi arte in eo primum verſatus eſt, vt in Eutropium acriter inuectus, eum omnium hominum miſerrimum oſtentaret, quo populum ad eius commiſerationem inflectens, cogeret eum pro eius vita rogare Imperatorem: quod & accidit. Socrates autem, ſiue alij quianimi Chryſoſtomi conſilium, eiuſque verba minime perpenderunt; ſane imprudenter arrogantiæ ſancto Epiſcopo notam inurere tentarunt, quaſi ſuperbe nimis in miſerum humi proſtratum & altaris prenſantem baſim Eutropium inſultarit. Porro hoc plane admiratione dignum ille prudentia ſua effecit, vt Eccleſiæ immunitate integra illibataque conſeruata, obtinuerit etiam vt Eutropij capiti parceretur, in quod iam poſt Gainam & rebellem exercitum, Imperator primum, mox eius milites, inde populus ardentiſſimis ſtudijs conclamaſſent; nec ſiuit eum ab Eccleſia abſtrahi, niſi iuramento à magiſtratibus exhibito de vita ei ſecura conſeruanda. Extat vero eiuſdem damnationis ſententia ab Arcadio lata, publicisque locis affixa, qua tum Conſulatu, tum omnibus alijs dignitatibus bonisque ſpoliatus eſt; eiuſq; vniuerſa acta reſciſſa, ac nomen è Faſtis expunctum: omnes quoq; eiuſdem ſtatuæ tam priuatis quam publicis locis vbiq; aboleri iuſſæ, ac denuum ipſe in Cyprum inſulam relegatus. Sed quod huius ſententiæ reſcriptum datum ponitur decimoſexto Calendas Februarij huius anni, plane error ineptus, cum ex Chryſoſtomi oratione quam diximus, appareat etiam poſt dies Paſchatis contagium Eutropij in Eccleſiam contigiſſe.

CHRYS. ORAT PRO EVTROPIO.

f L. 17. C. Th. de pœn.

Quod autem pertinet ad eius exitum: narrat Zoſimus, vrgente Gaina, & ad cædem eius Arcadium impellente, qui Principis negotia tractabant, iuſiurandum Eutropio præſtitum cum abſtraheretur ex Eccleſia, per cauillationem eludentes, eum è Cypro reuocaſſe; & quaſi iuraſſent non ſe morte mulctaturos ipſum quamdiu Conſtantinopoli foret, Chalcedonem miſſum interfeciſſe,

IV. INTERITVS EVTROPII.

quem

quem & ſecuri percuſſum eſſe, Socrates quoque & Sozomenus tradunt. Sed quod eadem oratione Ioannes Chryſoſtomus teſtetur, milites in eum concitatos fuiſſe ob offenſam Imperatoris, nihilque de Gainæ petitione & pactis cum Arcadio conuentis meminerit; eius rei hanc cauſam reddit Nicephorus [g], quod Eutropius præter alia conuicia in Eudoxiam Auguſtam illata, ei minatus eſſet breui fore vt ex Imperiali aula abductam ipſe domum remitteret. Nec etiam tacendum (quod licet alij dicere prætermiſerint, grauiſſimus eiuſdem auctor ſæculi S. Proſper [h] aſſerit) fuiſſe Eutropium anima & mente Paganum. Vnde amplius habes, quo efferas Chriſti præconia, dum Chriſtianorum & Eccleſiæ hoſtem, vt necem effugeret, ad Chriſti altare profugum, compulit confiteri Chriſti potentiam, & Eccleſiæ clementiam, quæ infeſtatorem ſuum obiecto ſcuto protegeret. Denique eſt animaduerſione dignum, extare aliam eiuſdem Chryſoſtomi homiliam in pſalmum quadrageſimum quartum, cui præfixa eſt inſcriptio, qua ſignificatur, eam habitam cum Eutropius extra eccleſiam deprehenſus eſt. Verum alium omnino potius quam Eutropij caſum ibi apparet deſcriptum eſſe; cum is de quo agitur, ſubducens ſe ab Eccleſia ad quam confugerat, captus eſt; atque in ipſum etiam Imperatorem commotæ ſunt turbæ à populo, & Chryſoſtomus multis iam annis ei ſedi præerat: quæ omnia vides quam huic tempori & occaſioni parum conueniant.

g Nic. l. 13. c. 4.
h Proſp. de prædict. par. 3. c. 38.
EVTROP. FVIT ETHNICVS.

V. CHRYS. DECLAMAT ADVERSVS SPECTACVLA.

Ex miſerando porro Eutropij caſu, ſatis opportunum eidem Chryſoſtomo ſuppeditatum eſt argumentum, concionibus inſectandi tum alias mundi illecebras, tum illa potiſſimum turpia populo exhiberi ſolita Spectacula: effecitque vt ſpectaculum obſcœnum *Maiuma* dictum, penitus aboleretur, quo deteſtandæ [i] adulteriorum fabulæ in Orcheſtra peragerentur, & obſcœniſſima à ſcortis verba proferrentur. Quæ quidem ſpectacula olim ſublata, deinde ante triennium ab Arcadio Imperatore ſic fuerant reſtituta [k], vt quæ turpia eſſent & inhoneſta ceſſarent. Sed vt facilius eſt à voluptate penitus abſtinere, quam ea conceſſa intra honeſti limites contineri; eædem iterum erumpentes obſcœnitates, fuere rurſum omnino vetandæ: quod hoc anno contigit, edito ea de re ab eodem Imperatore reſcripto [l], impulſore haud dubium Chryſoſtomo. Quam autem fœda ea ſpectacula eſſent, inde, licet capere argumentum, quod Iulianus Apoſtata in Miſopogone Antiochenis (apud quos ea maxime vigebant) probro obijcit, quod in Maiumæ ferias pecuniam effunderent, & à ſacrificiorum impenſis ſe penitus continerent. Sed quod pertinet ad *Maiumæ* nomen, reiecta Suidæ & aliorum ſententia, qua dicunt fuiſſe feſtum agitari ſolitum Romæ ad Oſtia Tiberina menſe Maij, vt & inde Maiumæ appellationem fuerit conſecutum (nulla quippe eius nominis feſta, antiqua Gentilium continẽt Calendaria, neq; feſtorum eius menſis ſolemnium Romanis vllum erat, in quo aliquid, quod prohibet Imperator, actitaretur fœdum & indecorum) opinamur eſſe dictum à ciuitate Palæſtinæ maritima Maiuma nomine, vbi erat nauale Gazæ. Conſtat enim eo in loco coli conſueuiſſe Venerem, eiuſque ſimulachrum impudicum adhuc integrum extitiſſe hoc tempore, ſed paulo poſt deiectum; vt auctor eſt Marcus diaconus in Rebus geſtis [m] S. Porphyrij Gazenſis Epiſcopi. Sed de Maiuma pluribus actum in Notis ad Romanum Martyrologium.

i Vid. Chryſ. hom. de Dauid. & Saul. & hom. 7. in Matth.
k l. 1. C. Th. de Maiuma.
l l. 2. ea.
MAIVMA SPECTAC. QVALE, ET VNDE.
m Ap. Sur. 18. Febr.

VI. HIERONYMI TRANSLATIO PERIARCH. ORIG.

Dum autem hæc in Oriente gererentur; quæ ex Origenis Periarchon translatione à Ruffino perperam facta, haud mediocre paſſa fuerat Romana Eccleſia detrimentum, reſpirauit ad miſſam in Vrbem ad Pammachium & Oceanum clariſſimos atque doctiſſimos viros, eorum precibus [n] elucubratam à S. Hieronymo germanam eiuſdem commentarij verſionem, vna cum præfatione [o] qua omnes qui in eo ſparſi ſunt Origenis errores redderet omnibus manifeſtos, ac dolum pariter eius qui male verſum ediderat aperiret. Hæcque eo conſilio ſe elaboraſſe profitetur [p], vt qui in ſuſpicionem criminis à Ruffino vocatus fuerat, ea ſe labe purgaret. ad quem inſuper adiecit eodem tempore epiſtolam [q], qua (vt ait) amice potius expoſtulare voluit, quam laceſſitus publice deſæuire.

n Ap. Hier. ep. 64.
o Ibid. ep. 65.
p Id. Apol. 1. aduerſ. Ruff.
q Id. ep. 66.

VII. CONCIL. ALEXAN CONTRA ORIGENIST. SVB THEOPH.

Accidit vero etiam eodem tempore, vt cum in monaſterijs Nitriæ Ægypti quidam monachi hæreſes Origenis ſeminare ſtuderent, Theophilus Alexandrinæ ſedis Epiſcopus, collecta SYNODO, ex omnium ſententia eoſdem errores eorumque ſectatores condemnauerit, omneſque Origenis ſtudioſos diligenter perquiſitos ex Ægypto expulerit: ac de his omnibus Synodicas, alio nomine Generales dictas; literas miſerit, per alios ſanctiſſimos Nitriæ monachos, tum Romam ad Anaſtaſium Papam, tum in Cyprum ad Sanctum Epiphanium, & in alias prouincias ad diuerſos Epiſcopos; agens pariter cum eodem Epiphanio, vt ipſe eaſdem literas Conſtantinopolim, Hieroſolymam, & ad alias Orientis Eccleſias perferendas curaret: prout de his omnibus conſtat ex varijs literis ea de re tunc ſcriptis, quæ habentur inter epiſtolas Sancti Hieronymi [r], ad quem etiam Hieroſolymis agentẽ idem Theophilus iterum ſcripſit. Hæc autem præſenti anno geſta eſſe, nempe ante annum quam prima Paſchalis epiſtola ab eodem Theophilo ſcriberetur, docet idem S. Hieronymus ad Pammachium & Marcellam ſcribens [s].

r Ibid. ep. 67. 69. 70. 71 72. 73.
s Ib. ep. 78.

VIII. RES GESTÆ ALEXANDRIÆ A POSTHVMIANO RELATÆ.

Hiſtoria vero de altercatione Epiſcoporum Ægypti cum monachis Origeniſtis, deque monachorum damnatione, recitatur quoque apud Seuerum ex relatione Poſthumiani illius, qui cum Gallo dialogum egit; qui ſoluens Narbona in Africam ad inuiſendum Sancti Cypriani tumulum, inde Alexandriam appulit. Hieroſolymam peregrinaturus viſitandorum cauſa locorum ſacrorum; poſteaque ſex menſibus in Bethleem apud Sanctum Hieronymum permanſit; ac rurſum Alexandriam repetens, inde ad ſuperioris Thebaidis perluſtranda monaſteria conceſſit. Sed quod ait Ægypti, monachos à Theophilo alijſque Epiſcopis paſſos eſſe preſſuram, coercenda eſt freno veritatis hyperbole. Nam nonniſi Origeniſtas monachos, vt turbarum auctores, expulſos eſſe, literæ eiuſdem Theophili ſignificant. Cæterum & ipſum quoque Sanctum Epiphanium, literis à Theophilo acceptis, CONCILIVM Epiſcoporum Cypri celebraſſe, & in eo lectionem librorum Origenis prohibuiſſe; deque ea re ad Sanctum Chryſoſtomum Conſtantinopolim, vt & ipſe idem præſtaret, ſcripſiſſe, teſtantur etiam Socrates [t] & Sozomenus [u]. Sed de hoc rurſum inferius, cum agetur de eiuſdem Epiphanij Conſtantinopolim aduentu.

EPIPHAN. AGIT CONTRA ORIGEN.
t Socr. l. 6. c. 9.
u Soz. l. 8. c. 14.

IX. TEMPLA IDOLOR. DIRVTA.

Hoc eodem anno, ſequenti ſcilicet ab eo qui Gentilium deorum reſponſis fatalis prædictus erat, vt Chriſtiana religio penitus exciſa deficeret; Dei prouidentia factum eſt, vt deorum templorum, & in eis conſiſtentium idolorum, facta fuerit vbiq; demolitio, contra vero Chriſtianæ religionis res magna creuerint acceſſione. Quod quidem tum alibi, tum maxime Carthagine in Africa Gaudentium & Iouium Comites Honorij Imperatoris, decimoquarto Calendas Aprilis huius Manlij Theodori Conſulatus [x] affirmat. Ceterum cum de templis diruendis manaſſent ab Imperatoribus edicta, populuſque Chriſtianus conferto agmine impetum faceret in excelſa & auguſta quæque eiuſmodi ædificia, non ſine vrbium (vt videbatur) immenſa deformitate; placuit Honorio poſterioribus huius ipſius anni reſcriptis [y] iubere, vt vbique populus à diruendis publicis ædificijs abſtineret; itemq; vt ſpectacula minime haberi prohiberentur, quæ tamen eſſent ab omni ſacrificio & Gentilitia ſuperſtitione pura. Sed & Arcadius in Oriente reſcripſit [z], vt illa templa idolorum diruerentur quæ eſſent in agris. Quæ vero in vrbibus, licet ab eorum demolitione vetiti fuerint Chriſtiani, ijſdem tamen potiri conceſſum eſt, diruptiſq; idolis eadem vſui veræ religionis vendicare.

x Aug. 18. de ciuit. vlt.
y l. 15. 17. 18. C. Th. de pagan. l. 3. & 4. C. Iuſtin. eo
z l. 16. C. Th. eo

X. CÆLESTIS TEMPLVM MVTATVM IN ECCL. CHRIST.

Id enim inter alia, de ampliſſimo ſimul & magnificentiſſimo atque celeberrimo nominatiſſimæ *Cæleſtis* Deæ Carthaginenſis templo contigiſſe; atque in eo Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum cathedram ſuam poſuiſſe, narrat S. Proſper [a], qui tunc adoleſcens præſens extitit rei geſtæ. Magnaque plane Chriſti victoria factum eſt, vt

a Proſp. de præd. l. 3. c. 38.

Digitized by Google

vbi Cæleſtis idolum (quod ait Capitolinus in Pertinace) reddebat oracula, illic audire ab Epiſcopo prædicari Euangelium veritatis: ac leo ille Cæleſtis (ſiquidem hoc idolum leoni inſidens pingi & ſculpi conſueuerat) Epiſcopali throno ſuccumberet; quod in Eccleſia moris eſſet, vt innumera de his cernuntur exempla, ſedes Pontificum ſculptorum leonum tergis imponi; myſticum illud referans, ſuperbiam ſæculi aduerſariam Chriſti dæmonisque potentiam, Crucis virtute ſubactas. Cum vero etiam Luciani [b], Apuleij [c], Herodiani [d], aliorumque auctoritate conſtet, idem Cæleſtis deæ ſimulachrum non vnius tantum, ſed diuerſorum ac ferme præcipuorum totius Orbis numinum nomina continuiſſe; atque, vt ait ex noſtris Sanctus Ambroſius [e], à diuerſis populis pro diuerſitate nominis, non pro numinis varietate cultum fuiſſe: æque apparet, in eius demolitione etiam alia omnia Gentilitiæ ſuperſtitionis eſſe numina debellata. Immo, quod maioris fuit gloriæ Chriſti, de illo tunc potentiſſimo triumphatum eſt dæmone, qui Salomonem [f] ſapientiſſimum omnium Regum viciſſet, Hebræumque Dei populum [g] ſub iugo duxiſſet impietatis: ipſa nimirum Aſtarthe, nuncupata Regina cœli, dea Sidoniorum; quam eandem fuiſſe, quæ à Carthaginenſibus diceretur Virgo Cæleſtis, ijdem Lucianus atque Herodianus, & ex noſtris Philaſtrius [h] teſtantur.

b Lucian. de dea Syr. c Apul. de Aſin. l. 11. d Herod. l. 5.
DE CVLTV CÆLESTI. DEÆ.
e Ambr. ad ver. Symmachi.
f 3. Reg. 11.
g Hierem. 7. & 44.
h Philaſtr. de hær. c. 16.

XI. GENTILES AFRIC. INSVRGVNT IN CHRISTI. FIDELES.

Accidit autem tunc temporis illud lugubre in eadem Africa, vt in Colonia Suffectana Gentiles ſimulacri ſui Herculis iacturam paſſi, aduerſus Chriſtianos arma corripientes, ex eis trucidauerint ſexaginta: ijdemque Calamæ, in opprobrium promulgatarum in ipſorum deos legum, pariter aduerſus Chriſtianos inſurrexerint, Eccleſiam ſæpius lapidarint, & ædificijs Eccleſiaſticis ignem iniecerint. Quæ omnia conſtant ex epiſtolis Sancti Auguſtini [i] ad eos ea de cauſa ſcriptis. Quænam autem aduerſus ea quæ reliqua eſſent ſigna idololatriæ, vbique locorum ſub Romano Imperio à Chriſtianis hoc anno geſta fuerint, ſcriptorum inopia ſilent. Illud vero ex eodem qui ſupra Proſpero conſtat, templa deorum omnia cum ſuis adiacentibus ſpatijs, fuiſſe Eccleſijs ab Honorio Imperatore collata. Tuncque plane accidit, vt cum diſiectis quæ in aperto erant idololatriæ veſtigijs, ipſa penetralia ſecretosque aditus Fideles curioſius perſcrutarentur; detecta quoque fuerit impoſtura efficti draconis in ſpecu latentis, de quo alia occaſione ex eodem Proſpero dictum eſt ſuperius [k]. Reſerata tunc pariter eſſe Romæ Appollinis Palatini abſconſa, repertosq; libros Sibyllinos, in quibus crederentur fatalia Vrbis ineſſe præſcripta, eoſdemque à Stilicone in opus incumbente ſucceſos fuiſſe, tradit, lugetque Gentilis poeta eius temporis ſcriptor, Rutilius [l] Numatianus.

i Aug. ep. 202. 267.
k Sup. ann. 311. num. 9.
CARMINA SIBYLLINA COMBVSTA.
l Rutil. Itin. l. 2.

XII. IVDÆOR. COLLECTAS VETAT HONORIVS.
m l. 14. C. Th. de Iudæ.

Sed & qui Gentiles hoc anno exagitauit Honorius, idem quoque Iudæos [m] collectis ſuis & exactionibus totum ferme Imperium depaſcentes repreſſit; iubens vt quicquid ab ipſorum Apoſtolis collectum eſſet, ad Imperatoris ærarium deferretur. Dicebantur enim *Apoſtoli* Iudæorum, qui ipſorum *Patriarchæ* aſſidebant tamquam conſultores, & ab eo certis temporibus mitti ſolebant in prouincias, vbi Iudæi habitarent; ad exigendum ab eis aurum & argentum decimarum ac primitiarum nomine, & prædicto Patriarchæ deferendum: vt conſtat tam ex S. Epiphanio [n] Iudaicarum rerum callentiſſimo, quam etiam ex prædicta Honorij lege, qua eiuſmodi (vt vocat) prædationis functionem omnino prohibuit. Meminit quoque S. Hieronymus [o] eiuſdem præſcriptæ à Iudæis conſuetudinis, vt ipſorum doctores ſynagogarum & totius Orbis fouerentur miniſterijs. Vetus autem ea querela in Iudæos, etiam ante Chriſti aduentum: qui cum vbique terrarum diſperſi eſſent, ſicut ipſi ſuis primatibus aurum vectigale pendere cogebantur, ita ijdem ab earum prouinciarum hominibus in quibus agebant, mille inuentis modis pecunias corradebant; ſic hatque vt vniuerſi propemodum Imperio ſubditi in Iudæorum ærarium æs conferrent: prout hæc in illos Cicero exaggerat in oratione pro L. Flacco, qui iuſſus erat cauſam dicere, quod vetuiſſet Iudæos collectam in Aſia pecuniam deferre Hieroſolymam. Ad quæ etiam ſpectare videtur recens huius temporis querela Rutilij [p], optantis numquam Iudæos deuictos fuiſſe à Tito, quod victores ſuos ea gens victa premeret. Ceterum quod hoc anno eis Honorius ademptum voluit, paulo poſt reſtituendum [q] putauit. Extat tamen de eadem re Theodoſij Iunioris reſcriptum [r], quo ſibi vendicat quæ ab ipſorum Patriarchis ab eiſdem exigi conſueuerant.

n Epiph. hær. 30.
o Hieron. aduerſ. Vigilant. in fin.
IVDÆI VBIQVE INFESTI.
p Rutil. Itin. l. 1.
q l. 17. C. Th. de Iudæ.
r l. vlt. eo.

XIII. HONOR. ECCLESIÆ PRIVILEGIA FIRMAVIT.
s l. 35. C. Th. de hæret.
t l. 34. C. Th. de Epiſc. & Cler.

Hoc item eodem anno, Honorius Imperator Manichæos [s] ſordibus ſuis Eccleſiam Africanam inficientes, nouis edictis compreſſit. Sed & Eccleſiæ priuilegia firmauit [t]; occaſione legationis ad ipſum miſſæ a CONCILIO Carthaginenſi, hoc anno, nimirum P. C. Honorij quartum & Eutychiani, quinto Calendas Maij celebrato; qua petierunt confirmari priuilegia de non extrahendis ad Eccleſiam confugientibus, cum Maſcezil (vt vidimus anno ſuperiori) eam immunitatem Eccleſiaſticam violaſſet.

IESV CHRISTI ANN. 400.

ARCADII HONORII AN. 6.

ANASTASII ANN. 3.

I. ANAVNENSIVM MARTYR. PASSIO.
a ap. Mombrit.

ANNO Chriſti quadringenteſimo, Conſulatum inierunt Stilico & Aurelianus. Cuius quidem Stiliconis Conſulatu conſignata inuenimus Acta [a] ſanctorum Martyrum Anaunenſium, *Siſinnij*, *Martyrij*, & *Alexandri*, quorum primus genere Cappadox Diaconus erat, Martyrius Lector, Alexander Oſtiarius: qui quidem progreſſi, vt Gentilibus ruſticis vallis Anauniæ prope Tridentinam ciuitatem fidem prædicarent; erecta ibi Eccleſia, cum eos ab impietate abducere conarentur, ab ijſdem interfecti ſunt atque combuſti quarto Calendas Iunij, tempore Luſtrationis ſegetum, quæ *Ambarualia* [b], quaſi ab ambiendo rura maiores dicere conſueuerant. Meminerunt horum martyrum, eorundemque reliquiarum tranſlationis Mediolanum & in alias Eccleſias, nec non miraculorum ad illas editorum, Paulinus [c], Gaudentius [d], Auguſtinus [e], & alij; extatque [f] de illorum agone epiſtola Vigilij Epiſcopi Tridentini ad Simplicianum Mediolanenſem. Porro diuinam mox impij ruſtici ſenſere vindictam, cum atra nube ad terram vſque cœlo contecto, vibrantibus hinc inde fulminibus conterriti, ſe primum in ſanguinem innoxium peccaſſe cognouere. Miſſis vero à prouinciæ Præſide militibus, tenti ſunt omnes; iamque ſupplicio damnandi, pro ijſdem intercedentibus apud Honorium Imperatorem Epiſcopis, liberati ſunt; quod docet idem Auguſtinus. Denique effecit tandem SS martyrum ſanguis, quem dæmones exhorreſcebant, vt aliquo intercedente temporis ſpatio, idololatria ex ea regione penitus extincta fuerit, eorumdemque Memoriæ ibidem erectæ frequenti fidelium cœtu frequentarentur.

b Ex. Feſt. ap. Macrob. l. 3. c. 5.
c Paulin. in Vit. Ambr. in fin.
d Gaudent. tract. de Concil. ſanct. dedic.
e Aug. ep. 158.
f Ap. Sur. 29. Maij.

II. DE VIGILIO TRIDENT. EPISC. ET MARTYR.

At de Vigilio Tridentino Epiſcopo, eodemque martyre, vt dicamus, & ratio temporis & neceſſitas poſtulat argumenti. Nam Vſuardus, cuius ex veteribus monumentis & antiquioribus Martyrologijs facta in dies ſingulos Sanctorum collectio, haud mediocris auctoritatis eſt, de eodem S. Vigilio ſexto Calendas Iulij habet, cum apud Tridentinam vrbem ſub Stilicone Conſule pro Chriſti nomine magno imbre lapidum percuſſum, martyrium impleſſe. Addit vero Churterius in Vita eius, id accidiſſe ab ijſdem ruſticis, cum ipſe Vigilius poſt trium dictorum martyrum trophæa, ad comminuendum eorumdem Gentilium idolum eo perrexiſſet. Quæ quidem ſi referas ad primum Stiliconis Conſulatum, vtique nondum menſe exacto à nece martyrum, dicendum eſſet ipſius Vigilij martyrium contigiſſe. Si vero ad ſecundum, poſt annos quinque id factum oportuit. Vtut ſit, redargui quidem huiuſmodi auctoritate certum eſt, tum eiuſdem Churterij tum aliorū ſententiam, qui dixerunt martyrium Vigilij Tridentini Epiſcopi contigiſſe poſt an-

DE VIGIL. SCRIPTORE ECCL.

num

num ferme centeſimum ab hoc tempore, nempe ſub Anaſtaſio Imperatore; ea quidē perſuaſione adducti, quod eum exiſtimauerunt vnum eumdemque eſſe cum illo qui aduerſus Eutychen hæreſiarcham ſcripſit. Vnde & delirantia quædam de eo ſcripſere [g], corruptis eius Actis nequid eſſe poſſet impedimento quo minus id aſtruerent. Cum tamen nihil obſtet, quin duo dicantur fuiſſe Vigilij Tridentini Epiſcopi, quorum alter his diebus martyr obierit, alter poſt centum annos inter ſcriptores Eccleſiaſticos celebris extiterit: & alioqui ſciamus, huius centenarij ſpatio plures alios memoria celebres vixiſſe Vigilios.

g Vita Vigil. ante eius opera, tom. 5. Bibl. S. & ap. Sur. to. 7. & Galeſ. in Not.

III. CONC. TOLET. I.

Hoc eodem anno [h] ſub Stiliconis Conſulatu, Era quadringenteſima trigeſima octaua menſe Septembri, celebratum eſt Primum CONCILIVM TOLETANVM decem & nouem Epiſcoporum, præſidente Patrono. In quo præter profeſſiones Hiſpaniæ Epiſcoporum, qui partem Priſcilliani ſectati palinodiam modo recantarunt, & de illis definitionem Synodi; ſanciti reperiuntur [i] viginti canones ad recte componendam Eccleſiaſticam diſciplinam accommodati: qui autem in appendice habetur canon vigeſimus primus, pertinere cognoſcitur ad tempora S. Leonis Papæ. Quod vero in decimoſeptimo ponitur *de Concubina*, intellige ſecundum ea quæ S. Auguſtinus habet libro de Bono coniugali capite quinto. Porro qui eidem Concilio reperitur ſubſcriptus cum alijs Epiſcopis *Olympius*, licet cuius Eccleſiæ Epiſcopus fuerit non dicatur, ſicut alij ibidem nominati Antiſtites; fuit tamen celebris fama & clarus inter ſcriptores Eccleſiaſticos. De Olympio enim Epiſcopo his temporibus in Hiſpania florente, agit Gennadius [k] recenſens eius librum Fidei aduerſus Manichæos; citatque ſæpe magno præconio aduerſus Pelagianos eiuſdem ſcripta S. Aug. [l]

h Egit de hoc Concilio Baron. an. 405. ſub Secundo Stiliconis Conſulatu: ſed poſtea monuit, referendum eſſe in hunc annum, primumq; eiuſdem Stiliconis Conſulatum.
i To. 1. Concil.

OLYMP. INSIGNIS EPISCOP.

k Gennad. de vir. illuſt. c. 14.
l Aug. cont. Iulian. l. 1. c. 3. & 7. & l. 2. c. 10. l. 3. c. 17.

IV. CORRIGVNTVR AVCTORES HISP. DE CONCILIIS TOLETANIS.

Quod autem Ambroſius Morales & Ioannes Mariana viri eruditi, & de Eccleſiaſticis antiquitatibus rerum Hiſpanicarum optime meriti, Concilium hoc Primum Toletanum, quod ſub Anaſtaſio Papa habitum conſitentur, volunt idem eſſe cum eo ad quod extat Innocentij Romani Pontificis epiſtola [m], eamdemque datam in ipſo eius Pontificatus ingreſſu cum Anaſtaſio ſucceſſit; haud in eo poſſumus eis aſſentiri. Nam cum certa teſtificatione maiorum, & ex rerum geſtarum neceſſaria deducta temporis ratione inferius demonſtraturi ſimus, Anaſtaſium non ſito ſui Pontificatus anno tertio (vt ipſi cum alijs volunt) diem obijſſe, ſed ad quintum perueniſſe, ſuffectumque in eius locum Innocentium anno Domini quadringenteſimoſecundo: quæ ratio patitur, vt vnum idemque dicamus eſſe Concilium Toletanum quod anno tertio Anaſtaſij celebratum eſt, cum eo ad quod Innocentius decretalem dedit epiſtolā? Cum & præterea; ex ipſo eiuſdem Innocentij epiſtolæ exordio plane appareat, non ſtatim vt ipſe ſubrogatus eſt in locum Anaſtaſij, ſed cum plures iam ſediſſet annos eam ab ipſo eſſe conſcriptam. Neq; eſt inſuper quod dici poſſit, Concilium ſub Innocentio idem eſſe cum illo ſub Anaſtaſio celebrato, ex eo quod in ipſo quoq; de perperam factis ordinationibus actum ſit: Nam & longe ante Primum Toletanum de ijſdem tractatum eſt à Siricio Papa in literis ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum. Diu enim multumque eiuſmodi in ſacris ordinibus corruptio diſciplinæ, exagitauit Hiſpaniarum Eccleſias; adeo vt in ſchiſma vlcus eruperit. Porro Innocentius eaſdem ordinationes hactenus factas tolerandas eſſe putauit, ne grauiorem pati Eccleſia Hiſpaniæ ſciſſuram cogeretur. Sed nihilominus irritam reddidit ſententiam illam, qua dicebatur, coniugium ante baptiſmum initum ſic per baptiſmum obliterari, vt ducens aliam poſt baptiſmum, bigamus nunime efficeretur. Quod ſenſit aliquando S. Hieronymus [n]; ſed poſtea excuſauit [o]. At hæc modo ſatis de duabus inter ſe inuicem diſtinctis Synodis Toletanis, ſub Anaſtaſio & Innocentio Romanis Pontificibus celebratis.

m Innoc. ep. 24. to. 1. Concil. & ep. 13. to. 1 Epiſt. Rom. Pont.

BIGAMIA CONSTITVITVR EX CONIVGIO ANTE BAPTISMVM.

n Hier. ep. 83. ad Ocean.
o Id. Apol. 1. cont. Ruff. l. 1. in fi.

V.

Iam quod ad res ſpectat Origeniſtarum in Occidente; hoc ipſo anno (ſequenti ſcilicet poſt Synodum Alexandrinam, in qua eoſdem à Theophilo eius ciuitatis Epiſcopo damnatos diximus) cum iam pluribus ac manifeſtis probationibus, atque potiſſimum S. Hieronymi ſcriptis Romam miſſis, Origenis commentarij περὶ ἀρχῶν errores ſinguli cunctis innotuiſſent: Anaſtaſius Papa, vir (vt eum vocat idem Hieronymus [p] de his agens) ditiſſimæ paupertatis, & Apoſtolicæ ſolicitudinis, ſtatim noxium percuſſit caput, & ſibilantis hydræ ora compeſcuit, dum Apoſtolica auctoritate earumdem Origenis hæreſeon damnationem promulgauit. Docet hoc idem S. Hieronymus [q] epiſtola hoc ipſo anno ad Pammachium atq; Marcellam data. Cuius etiam aduerſus [r] Ruffinum agentis teſtificatione conſtat, ea de re conſcriptas eſſe per Orbem Catholicum ab eodem Anaſtaſio Pontificē literas; ijſque factum eſſe, vt collectis vbique à præcipuarum Eccleſiarum Epiſcopis tam in Oriente quam Occidente SYNODIS, atque inter alios à Venerio (qui S. Simpliciano nuper defuncto ſucceſſerat) Mediolani, Chromatio Aquileiæ, pari omnium ſententia Origenes denunciatus fuerit hæreticus: ac denique ſanctionem Imperatorum ſecutam eſſe exinde Epiſcoporum iudicium. Quod autem peculiariter actum ſit in eumdem Ruffinum, qui has Romam merces inuexerat, dicetur anno ſequenti. Iam vero ad res Orientales ſe oratio conferat.

p Id. ep. 8. ad Demetr.

ANAST. PP. DAMNAT ORIG. ERRORES.

q Id. ep. 78.
r Id. Apol. 1. & 2.

DAMNATVS VBIQ. ORIGENES.

VI. GAINAS EVERSVRVS IMP.

Truculentus barbarus, ſceleſtiſſimuſque proditor Gainas, haud exatiatus ſanguine totius ferme Minoris Aſiæ, nec placatus Eutropij Conſulis nece, fretus Tribigildi & Gothorum copijs, iuratæque pacis nullam ducens penitus rationem, Chalcedonem veniens contumelioſo animo imperare aggreditur Imperatori, nouaſque ac duriores pacis conditiones præſcribit. Namque in primis poſtulauit, vt Arcadius ipſe eum conueniret: cumque in hoc etiam Imperator aſſenſus eſſet, tunc petijt Aureliani præſentis anni Conſulis, ac Saturnini viri Conſularis, necnon Ioannis qui erat Arcadio à ſecretis, capita ſibi dari. Cui pariter, nimis licet tyrannico poſtulato acquieſcens Imperator, eoſdem viros, libenti & ipſos ſe animo pro ſalute Reipublicæ deuouentes, barbaro tradidit: qui eis gladium admouens, eatenus tamen vt cutem tantummodo ſtringeret, ſatis habuit exilium eiſdem irrogare. Habet hæc Zoſimus [s]: cui concordant Socrates [t] & Sozomenus [u]; niſi quod viros illos nihil mali à Gaina paſſos affirmant: ſed refelluntur etiam Chryſoſtomi auctoritate, qui æque illos exilio mulctatos aſſerit oratione ea de re habita.

s Zoſ. l. 5.
t Socr. l. 6. c. 6.
u Soz. l. 8. c. 4.

VII. CHRYS. RESISTIT GAINÆ.

Iurata rurſum poſt hæc pace, permiſſus Conſtantinopolim accedere barbarus, audens & maiora, eccleſiam ſibi Arianiſq; ſuis in eadem ciuitate dari poſtulauit. Sed cū ea de re Arcadius Imperator Chryſoſtomum Epiſcopum conſuluiſſe, iſte non ſolum id fieri debere negauit, ac ſatius eſſe Imperio cedere quam domum Dei prodere inculcauit; ſed etiam præſente ipſo Imperatore cum Gaina cōgreſſus, eidemque beneficia ab Arcadij patre Theodoſio accepta exprobrans, atque alijs vtens efficaciſſimis rationibus, ipſum penitus coegit à cœptis deſiſtere: ſicut rem geſtum narrant pluribus Theodoretus [x] & Sozomenus [y]. His porro magis exacerbatus perfidus barbarus, incendium Palatij Imperatorij, vrbiſque expilationem atque ſubuerſionem meditatus eſt. Quo tempore, has inſidias portendens cometes maximus ſupra ciuitatem apparuit, ad ipſam vſque terram ferme pertingens, qualis antea nuſquam viſus eſſet. Cum vero qui noctu milites à Gaina miſſi ſunt ad incendendum Palatium, videre ſibi viſi eſſent multitudinem armatorum vaſtis corporibus formidabilium: idque ipſum alijs ſequenti nocte miſſis, ipſique etiam poſtremo Gainæ accidiſſet: tunc ille ratus Imperatorem nouum exercitum in vrbem introduxiſſe. (Ceterum hos Angelos cuſtodes vrbis fuiſſe, cum præter milites Prætorianos nullos alios tunc ciuitas contineret, cunctis redditum exploratum fuit) ſimulans ſe à dæmone vexari, relicta in vrbe maxima barbarorum parte, ipſe vrbem egreſſus eſt, quaſi oraturus ad eccleſiam, quam in honorē S. Ioannis Baptiſtæ Theodoſius Imperator in Hebdomo cōſtruxerat ſeptimo ab vrbe lapide. Hæc quidem ita Sozomenus & Socrates. At decedēdi ab vrbe Gainæ illud conſilium fuiſſe Zoſimus tradit, vt Romanos milites, quibus ipſe recens ab Imperatore Præfectus con-

x Theod. l. 5. c. 32.
y Soz. l. 8. c. 4.

VRBS CONSTANTINOP. DIVINITVS CONSERVATA AB INCENDIO GAINÆ.

firmatus fuerat, inde abduceret, atque per diuerſa loca diſpergeret, ne vrbi à barbaris inuadendæ præſidio eſſent.

VIII. GAINAS SVPERATVR ET OCCIDITVR.

Verum vt rem contraham, coniuratione detecta, Gainas ab Imperatore hoſtis Reipublicæ declaratus eſt, omneſque Gothi qui in vrbe relicti ad eccleſiam confugerant, furore militum & populi vna cum ipſa eccleſia ſuccenſi ſunt: ipſeque Gainas in Orientem pergens, poſt acceptas terra mariq; ab exercitibus Imperatoris varias clades, quibus etiam nonnumquam diuina acceſſerunt miracula, tandem vna cum ſuis interemptus eſt. Deſcripſerunt hæc pluribus ijdem Socrates atque Sozomenus, adſtipulantibus Euſebio Scholaſtico & Ammonio: ex quibus emendes quæ à Zoſimo eiſdem haud congruentia narrantur; qui & inſuper, vtpote Ethnicus, tanta à Deo præſtita beneficia, dijs Gentium tulit accepta. Scribit vero etiam Theodoretus [z], tunc cum Gainas infeſto exercitu oppida Thraciæ peruaderet, omnia cæde atque incendio miſcens, ad eiuſmodi auertendam populorum cladem, legatum miſſum fuiſſe S Ioannem Chryſoſtomum, ipſumque à Gaina maximo honore ſuſceptum. Porro iſthæc omnia geſta eſſe hoc ipſo Stiliconis & Aureliani Cõſulatu, prædicti auctores tradunt: quæ Marcellinus ſuperiori anno confuſe poſuit; niſi quod mortem Gainæ in ſequentem retulit, cum caput eius miſſum eſt Conſtantinopolim.

z Theod. l. 3. cap. 11.

IX. MONACHI ORIGENISTÆ VENIVNT CONSTANTINOP.

Contigit hoc quoque anno, monachos Origeniſtas pulſos (vt vidimus) à Theophilo Alexandrino ex Nitriæ Ægypti monaſterijs, eoſdemque rurſum è Palæſtina, quo abierant, eiectos, peruenifſe Conſtantinopolim. Quinam autem ij fuerint, idem Theophilus ad S. Epiphanium ſcribens [a], anteſignanorum nomina referat, nempe *Ammonium*, *Euſebium & Euthymium*. His, vero Socrates [b] & Sozomenus [c] addunt *Dioſcorum*; eoſque omnes fratres fuiſſe aſſerunt, ac dictos cognomine *Longos*. Addunt inſuper & *Iſidorum* illum, cuius nomine Theophilus ordinationi Chryſoſtomi obſtiterat: eundemque cauſam extitiſſe ſimultatum, quæ inter Theophilum & monachos ortæ ſunt, nempe quod iſti defenſionem ſuſcepiſſent Iſidori, quem Theophilus iniuſte admodum Eccleſia expuliſſet. Ita quidem prædicti auctores. Sed quod ipſi erga Origeniſtas in hoc procliuiores ſeſe eſſe declarent; equidem ab aliquo Origeniſtarum, vel alio Theophili aduerſario ab eis accepta eſſe, facile poſſumus intelligere: atque inter alia, dum ipſum Theophilum Anthropomorphitarum hæreſis defenſorem aſtruunt; quem rectæ in omnibus doctrinæ adhæſiſſe conſtat, egregiaque eruditione excelluiſſe; immo & inſectatum eſſe Anthropomorphitas, Caſſianus [d] & Gennadius [e] affirmant. Verum meminiſſe debemus quod ſuperius dictum eſt, peculiare in primis fuiſſe Origeniſtis, impingere Catholicis hæreſim Athropomorphitarum (quam & S. Epiphanio, quod Origeniſtas inſectaretur, ab Ioanne Hieroſolymitano fauente tunc Origeniſtis, obiectam vidimus) ex eo vtique quod cum ipſi eo dementiæ perueniſſent, vt nec corporibus noſtris poſt reſurrectionem membra tribuerent, ſed transformanda illa in lucidos aereos globos, ex Platonis ſententia ab Origene accepta aſſererent ſi Orthodoxi diuinæ Scripturæ auctoritate, inſtar Chriſti reſurgentis, in reſurrectione ſingulis corporibus membra ſingula fore dicerent; illi mox aſtuta tergiuerſatione dicebant, ea eſſe intelligenda ſicuti ceteræ eiuſdem diuinæ Scripturæ loca, quibus Deo per alluſionem membra tribuuntur: qui vero diuerſa ſentirent, eoſdem craſſioris Mineruæ homines ac rudes ridebant; atque etiam *Piloſiotas* appellabant, quaſi non membra tantum, ſed & pilos tribuerent corporibus reſuſcitatis. At hæc Hieronymus in epiſtolis [f] ad Pammachium ſcriptis aduerſus Ioannem Hieroſolymitanum, & Origenis errores, pluribus confutauit.

a ep. Hier. ep. 67.
b Socr. l. 6. c. 7.
c Soz. l. 8. c. 11.
d Caſſ. collat. 1.
e Gennad. de vir. ill. c. 33.
ANTHROPOMORPH. HÆRESIS AB ORIGENISTIS IMPINGITVR CATHOLICIS.
f Hier. ep. 61. 65.

X. FALSÆ ORIGENIS CAVSATIONES

Ex eadem autem Origeniſtarum officina deprompta fuere commenta illa, quæ ijdem auctores Socrates atque Sozomenus referunt de cauſa indignationis Theophili in Iſidorum, ac fratres Longos, alioſque Ægypti monachos. Namque hos ſtudentes erroribus Origenis iuſte pieque indignationem Theophili meruiſſe: neque illos fraudulenter vocatos (quod illi dicunt) ab ipſo eſſe Alexandriam ad pacem, ſed poſt ipſorum damnationem in Synodo factam, quæſitos in eremo fugatos fuiſſe; non ab Ægypto tantum, ſed & è Palæſtina: auctoritate S. Hieronymi, Poſthumiani, & aliorum quos antehac citauimus indubitatum habetur. Quomodo vero Iſidorus Alexandrinus fuerit Origeniſtarum anteſignanus, dictum eſt ſuperius: vt non mireris, ſi quem adeo carum Theophilus habuerat, eumdem ipſe Origeniſtarum acerrimus oppugnator, Origeniſtam detectum cum alijs eiecerit. Porro ijdem monachi Longi, quod ſcirent Theophilum per ſe ſuoſque familiares Epiſcopos, & inter alios Epiphanium, tum ad alias diuerſas prouincias, tum Conſtantinopolim miſiſſe Legatos vna cum epiſtolis, quibus ipſorum damnatio in Synodis Epiſcoporum tam Alexandriæ quam in Cypro ſignificabatur eſſe decreta: anteuertere conati eos, Conſtantinopolim ad Arcadium Imperatorem (ceterorum more hæreticorum, à Iudicio Epiſcoporum ad ſæculare tribunal prouocantes) vna cum alijs plurimis eiuſdem farinæ monachis nauigarunt: cum quibus etiam Iſidorum fuiſſe, Socrates & Sozomenus dicunt: ſed refelluntur auctoritate literarum, quas Theophilus ad Epiphanium ſcripſit. Eadem autem ferme quæ à Sozomeno & Socrate, & alia eiuſmodi, inuenies etiam à Palladio Epiſcopo Helenopoleos, & ipſo iamdudum (vt vidimus) Origeniſta, eſſe conſcripta: qui in Lauſiacis, necnon in Dialogo de Vita Chryſoſtomi, in quo ipſe interloquitur cum Theodoro S. R. E. diacono, totus eſt in laude Iſidori ac conſodalium monachorum, adeo vt etiam miracula eiſdem falſo tribuerit.

ADVERSVS THEOPH. ALEX.

XI. CHRYS. QVOMODO SE GESSERIT IN CAVSA ORIGENISTARVM.

Cum autem res hactenus geſta fuerit inter Catholicos & Origeniſtas, poſthac vero cum pro ipſis, licet non cum ipſis, ſtetiſſe compertum ſit ſanctiſſimum virum Ioannem Chryſoſtomum Conſtantinopolitanum Epiſcopum; mutata iam rerum facie, oratio ipſa in aliud argumentum ſe transferat opus eſt, quo ſanctorum aduerſus ſanctos (quod pro monſtro habitum) dira cõflictatio deſcribenda eſt; cum tamen haud ideo dicendi ſint ab inſita probitate excidiſſe; quippe qui falſis ſubreptionibus decepti, ad ea quæ egerunt recto ſinceroque mentis delati ſunt intuitu. Cum igitur prædicti monachi Conſtantinopolim perueniſſent, ijdum ſanctorum virorum ad decipiendum compoſita forma ſibi ſuperinducta, procumbentes ad genua Chryſoſtomi, rogarunt vt opem ferret calumniam paſſis à Theophilo, conteſtantes quod ſi & ab ipſo deſpicerentur, recurrendum eſſe ad Imperatorem: nihil vero aliud ſe petere, quam vt ipſis per omnia innocentibus permitteretur in Ægypto commorari. Quibus auditis Chryſoſtomus, ratus facile ipſos in gratiam Theophili redire poſſe, libenter hanc curam ſuſcipiens, illis interea manſiones in quadam eccleſia tribuit, non tamen victum ſuppeditauit, quem ipſi tum ex labore manuum ſuarum, tum ex liberalitate Olympiadis potentis viduæ, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ diaconiſſæ, exiſtimantis illos probos eſſe viros, ſuſceperunt. Hæc quidem ex narratione Palladij [g]. Ceterum peregrina tantum communione eos à Chryſoſtomo dignatos eſſe, qua ſacrarum ſolummodo precum communicatio, nõ autem vſus ſacramentorum impertitur; Sozomenus [h] eſt auctor. Vigebat namque illa vetus in Eccleſia conſuetudo, de qua alias, vt peregrinis ſe Chriſtianos profitentibus, in ijs quæ ſunt naturæ & hoſpitalitatis exuberetur humanitas; ijdemque ad communes dumtaxat Eccleſiæ preces admitterentur, nequaquam vero ad ſacramentorum participationem, niſi cum ſe eſſe Catholicos, fide certa Formatiſque literis docuiſſent. At nec peregrina quidem hi communione dignandi fuiſſent, ſi literæ ſcriptæ è Concilio Alexandrino de eorumdẽ damnatione, Conſtantinopolim perueniſſent.

g Pallad. dialog. de Vita Chryſ.
h Soz. l. 8. cap. 11.
DE PEREGRINA COMMVNICATIONE.

XII. CAVSA THEOPHILI ET CHRYSOS. DE ORIGENISTIS.

Subdit vero Palladius, eodem tempore quoſdã Theophili clericos Conſtantinopoli extitiſſe, qui & ipſi teſtimonium apud Ioannem monachis perhibuerint de iniuria à Theophilo eis illata, rogarint tamen eumdem ab illorum aliquandiu communione abſtinere, ne Theophi-

lum contriſtaret. Verum hæc ab eo calumnioſe prolata eſſe ſatis conſtat ex ijs quæ de hac cauſa dicta ſunt ſuperius: aut certe aſſerendum legatos Theophili ad hoc miſſos vt excommunicati Origeniſtæ vndique pellerentur, prævaricatores extitiſſe mandati. Pergens porro Palladius, ait Chryſoſtomum per literas rogaſſe Theophilum vt eoſdem monachos in gratiam reciperet; Theophilum autem miſiſſe rurſum aduerſus eos Conſtantinopolim varias atque atroces accuſationes; ſed & ipſos pariter monachos eidem Chryſoſtomo libellos contra Theophili tyrannidem porrexiſſe: cum Chryſoſtomus de his rurſum monuiſſet Theophilum, hunc reſcripſiſſe haud eſſe Ioannis cognoſcere de cauſa ipſius Theophili, prohibentibus Nicæni Concilij canonibus Epiſcopum iudicare cauſam extra terminos ſuos. Iſta ex Palladio: quæ vero poſt hæc ſecuta ſunt, dicentur ſuis locis. Interim ex prædictis videas, iuſtam cauſam Theophilum fouiſſe, cui in expellendis Origeniſtis totus ferme Oriens & Occidens conſentiret: Chryſoſtomum autem deceptum à monachis, negantibus ſe hæreticos eſſe, priuataſque prætextentibus Theophili inimicitias, operæ pretium facturum exiſtimaſſe ſi inter eos ſequeſter accederet, ne maius inde in detrimentum Eccleſiæ ſchiſma naſceretur.

XIII. Cauſa Aſian. Epiſcoporum.

Hoc item anno (vt ex eiuſdem Palladij, qui his præſens extitit, ſupputatione colligitur) idem Ioannes Chryſoſtomus Epheſum migrauit, vt res Eccleſiæ Aſianæ male diſpoſitas componeret. Cum enim ipſe iam anno ſuperiori, nempe (vt idem auctor ait) decimatertia Diſtributione (hoc etiam nomine Indictio dicta reperitur) collecta Conſtantinopoli Synodo viginti duorum Epiſcoporum, libellos accuſationum aduerſus Antoninum Epiſcopum Epheſinum Synodo præſentem, ſuſcepiſſet ab Euſebio Valentiniopolitano Epiſcopo, quibus inter alia recenſentur accuſationum capita, Antoninus inſimulabatur, quod cum vxori propriæ abrenunciaſſet, rurſus ei congreſſus eſſet (vnde & certior fias eorum quæ ſuperius inculcata ſunt etiam in Orientali Eccleſia coniugatos electos Epiſcopos, nonniſi vxore dimiſſa ordinari ſolitos, nec amplius ea vti) & quod ordinationes Epiſcoporum vendere conſueuiſſet pro modo redditunm: cumque delegati à Synodo Epiſcopi duo cauſæ cognitores miſſi in Aſiam, ob colluſionem partium nihil operari potuiſſent; ſed tantum Euſebium accuſatorem, teſtes in Antonium producere negligentem, excommunicatum denunciaſſent, ſiue vt deſertorem, ſiue vt detrectatorem; atque inter hæc Antoninus ipſe diem obijſſet: his inquam, iam antea geſtis, demum præſenti anno idem Ioannes Chryſoſtomus rogatus ab Aſianis periclitanti Eccleſiæ ſuccurrere, licet mala corporis valetudine tentus, ſæuienteque hieme, perrexit Epheſum.

XIV. Synodus Epheſ. ſub Chryſoſt.

Vbi in Synodo ſeptuaginta Epiſcoporum tractata cauſa ſimoniacorum Epiſcoporum, quos Antoninus pretio ordinaſſet, ijdem conuicti ac crimen confitentes depoſiti ſunt, ſubrogatis alijs in locum eorum; facto tamen à Synodo decreto, vt ab Antonini heredibus pretium eis quod dederant reſtitueretur. Hæc omnia pluribus Palladius; qui ſex tantum ponit Epiſcopos à Chryſoſtomo tunc exauctoratos, cum tamen Sozomenus [i] tredecim numeret: à quo & Nicomedienſem Epiſcopum, *Gerontium* nomine, depoſitum aſſerit; qui olim clericus exiſtens Mediolanenſis Eccleſiæ, à S. Ambroſio magiæ conuictus, eiectus fuerat, ſed cum medicinæ peritiſſimus eſſet & eloquio præſtantiſſimus, Conſtantinopolim profectus paulo poſt aulicorum fauore eam ſedem obtinuerat; tantoque ciuium ſtudio & amore, ob plurima præſtita ab ipſo in eos beneficia conſeruatus ac defenſus hactenus fuerat, vt nec Ambroſij ad Nectarium Ioannis prædeceſſorem ea de re ſcribentis ſolicitatione, nec ipſius Nectarij voluerit inde conatibus expellli. Ceterum in locum Antonini defuncti ſubrogatum fuiſſe Heraclidem Cyprium, & in locum Gerontij depoſiti Panſophium qui pædagogus fuerat Eudoxiæ Auguſtæ, teſtantur Socrates [k] & Sozomenus.

i Soz. l. 8. c. 6.

k Socr. l. 6. c. 11. Soz. vbi ſupra.

XV.

Cum vero inter hæc Ioannes Chryſoſtomus audiſſet, Seuerianum Gabalenſem in Syria Epiſcopum res nouas Conſtantinopoli moliri; factum eſt vt qui hactenus detentus fuiſſet in Aſia, tum ob Epiſcoporum depoſitionem, tum ob [l] Nouatianos & Quartadecimanos hæreticos, quibus & multas ademit Eccleſias; Conſtantinopolim quantocyus properauerit. Erat iſte *Seuerianus*, ſicut & *Antiochus* Epiſcopus Ptolemaidis Phœniciæ, æmulus Ioannis Chryſoſtomi eloquentiæ. Et quidem Antiochus, cum prior Conſtantinopolim veniſſet, tantam in dicendo laudem conſecutus eſt, vt & ipſe *Chryſoſtomus*, hoc eſt aurei oris homo à quibuſdam nominaretur; qui multis pecunijs collectis ad ſuam Eccleſiam reuertit. Ad cuius imitationem Seuerianus poſtea veniens, tametſi aſperitatem linguæ Syrorum retineret, ſententijs tamen & Scripturarum teſtimonijs præſtantior habitus, beneuolumque Ioannem Chryſoſtomum nactus, cum frequenter in eccleſia concionaretur, in admiratione & honore fuit; in tantum vt Ioannes in Aſiam proficiſcens, Eccleſiam illi Conſtantinopolitanam commendauerit. Sed cum impenſius auditoribus gratificari, & populum verbis demulcere ſtuderet: certior ea de re Ioannes redditus per Serapionem eiuſdem Eccleſiæ Archidiaconum, eo quamprimum reuerti curauit. Narrant hæc Sozomenus [m] & Socrates. Ceterum ſiue quod Ioannes diſſimulandum putauerit, ſiue quod re vera qualem optaſſet ſui ſtudioſiſſimum populum nactus ſit; ſequenti à reditu die orationem habuit, qua tum ea de re populum laudauit, tum etiam quod paſtore ſuo abſente aduerſus hæreticos ſtrenue decertaſſet.

Seuerianus res nouas molitur aduers. Chryſ.

l Socr. ibid.

m Soz. l. 8. c. 10. Socr. vbi ſup.

XVI.

Contentiones inter Aria. et Cath. pro cantu hymnor.

Nam cum referta admodum eſſet hæreticis, ac potiſſimum Arianis, ciuitas illa iugis viguit aduerſus eos contentio, quod licet conuentus in vrbe agere Imperatorum legibus interdicti eſſent, nihil tamen prætermitterent negotij faceſſendi Fidelibus. Accidit vero vt cum inter alia, ijdem diebus feſtis quaſdam cantilenas hæreſi Arianæ aptatas, & aduerſus fidem Conſubſtantialis contumelioſas, noctu intra vrbem, & mane ad ſuos conuentus proficiſcentes publice alternatim concinerent; verituſque Ioannes ne aliqui ex ſimplicioribus Catholicis eiuſmodi cantilenis ab Eccleſia abducerentur, alios & ipſe hymnos in Conſubſtantialis laudem compoſitos longe maiori decore & apparatu ſimiliter decantari præcepiſſet: æmulationis ardore incenſi Ariani, noctu Catholicos adorti aliquos ex ijs occiderint. Quare Imperator vehementer commotus, Arianis penitus interdixit ne hymnos in publico canerent. Hæc quidem pluribus Socrates [n] & Sozomenus [o]: hic vero etiam addit perſeueraſſe in poſterum eiuſmodi hymnorum cantionem tunc à Chryſoſtomo inſtitutam, in Eccleſia Conſtantinopolitana feliciter. Sed quod ad legem ab Arcadio Imperatore aduerſus Arianos ſancitam: cum vna eiuſmodi data reperiatur [p] ſub Conſulatu quarto eiuſdem Arcadii, anno videlicet Domini trecenteſimo nonageſimoſexto, biennio antequam Eccleſiæ Ioannes eligeretur Epiſcopus: omnino videtur dici debere, ob Arianorum procacitatem eaſdem cantilenas contra vetitum repetentium, neceſſe fuiſſe eamdem prohibitionem ſæpius edicere.

n Socr. l. 6. cap. 8. o Soz. l. 8. cap. 8.

p l. 30. C. Th. de hæret.

XVII. Hæretici pulſi Conſtantinop.

Porro omnes tandem hæreticos agente Chryſoſtomo, eiuſdem Imperatoris mandato ab vrbe penitus pulſos eſſe, aſſerit Metaphraſtes [q]: additque Marcus [r] diaconus, qui hæc ibidem Conſtantinopoli vidiſſe potuit, Arcadium Imperatorem cum intellexiſſet complures ſuorum, vel in aula militantium, vel magiſtratibus fungentium, eſſe hæreticos, ſed extrinſecus ſpeciem prætuliſſe Catholicorum, eoſdem è magiſtratibus pulſos, pecuniaque mulctatos, penitus reieciſſe. Quo tempore ingens illud contigit prodigium quod Sozomenus [s] deſcribit, vt cum ſectator quidam hæreſis Macedonianæ Chryſoſtomum audiens de fide diſſerentem, conuerſus eſſet, hortareturque vxorem, vt & ipſa fidem amplecteretur, aut à ſe abſcederet: mulier ſe facturam promittens, compoſita cum famula ſua fraude, tempore communicationis acceptam ex more manu, ſiue linteo, ſanctiſſimam

q Metaphr. in Vit. Chryſ.

r Marc. in Act. S. Porphyr. Gaz. Epiſc. ap. Sur. & Metaphr. 26. Februar.

s Soz. l. 8. c. 4.

Eucha-

Euchariſtiam velut abſumptura procumbens, furtim à famula aliam accepit ritu Macedonianorum conſecratam: quam ſimulac dentibus admouit, ſenſit in lapidem induruiſſe. Tuncque timore conſternata, nequid ſibi grauius eueniret, cum feſtinatione ad Epiſcopum accurrens, ſeipſum prodidit, ac lapidem oſtendit, manifeſta veſtigia morſus, ſed materiam ignotam & inuſitatum colorem referentem: cumque profuſis lacrymis veniam impetraſſet, cum marito deinceps concors vixit: ipſe vero lapis in tanti miraculi memoriam repoſitus eſt in Theſauro Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. Hæc Sozomenus, & alij poſt eum. Præter quæ ipſum Ioannem Chryſoſtomum Scythas in caſtris Imperatoris militantes, ab hæreſi Ariana ad fidem Catholicam conuertiſſe, ſed & ad eos qui dicuntur *Nomadæ*, propter Iſtrum incolentes, ſalutemque ſitientes, direxiſſe viros ſanctiſſimos qui ipſos inſtruerent; teſtis eſt Theodoretus[t]. Reliquos autem pro fide Catholica labores ab eo ſuſceptos, inferius ſuis locis relaturi ſumus.

MIRACVLVM DE EVCHARIS.

NOMADÆ AD FIDEM CONVERSI.
t Theod. l. 5. c. 30.

IESV CHRISTI AN. 401.

ARCADII HONORII AN. 7.

ANASTASII ANN. 4.

I.

ANNO Chriſti quadringenteſimo primo, Coſſ. Vincentio atque Frauitta, ſiue Frauito, aut Flauito Gotho (qui ob ſtrenuam pro Romanis aduerſus Gainam nauatam operam[a], hanc dignitatem conſecutus eſt Anaſtaſius Papa, qui anno ſuperiori Origenis errores condemnauerat, audiens ea de cauſa grauiter Ruffinum ſcriptis ſuis aduerſus Hieronymum obſtrepere; hic enim, quod ea quæ S. Hieronymus contra Origeniſtas ſcripſiſſet, in ſe vnum conuerſa ex male affectis præcordijs dijudicaret: trium annorum ſpatio tres aduerſus eumdem Sanctum, vt idem[b] teſtatur, libros elucubrauit, quorum adhuc duo priores ſuperſunt[c], tertius perijſſe videtur) eumdem Ruffinum ſcriptis publicis literis cauſam dicturum Romam vocauit. Cum ille male ſibi conſcius, diſſimulans, prætexenſque quaſi non eſſent Anaſtaſij literæ, ſed ab ipſo Hieronymo aut aliquo alio nomine Anaſtaſij confictæ, itemque neceſſitatem obtendens Aquileiæ commorandi parentum vel affinium gratia omnino Romam venire neglexit. Vt tamen Anaſtaſio ſatisfaceret, ſcripſit ad eum Apologiam[d], cui fidei ſuæ profeſſionem adiunxit quo ſe Catholicum eſſe monſtraret: ſed quod in ea nulla fieret mentio de Origenis erroribus, quorum vehementer accuſabatur, haud eſt recepta. Quapropter habito de eo iudicio, quod venire vocatus neglexerit, quodque de obiectis criminibus minime ſatisfecerit, iure meritoque ſententiam damnationis accepit. Quæ quidem ita hoc eodem anno geſta eſſe docet tum literæ ab eodem Pontifice anno ſequenti ad Ioannem Hieroſolymitanum datæ, tum ipſe Hieronymus Apologia aduerſus eumdem Ruffinum conſcripta.

a Socr. l. 6. c. 6. Sozom. l. 8. c. 4. Coſm. l. 5.
RVFFINI CAVSA AGITVR ROMÆ AB ANAST. PP.
b Hier. Apol. 1 & 2. Cap. Hier. 11.9.
RVFFINI SVBTERFVGIA.
d Ext. ibid.
EIVS DAMNATIO.

II.

Hoc item anno, nimirum Poſt Conſulatum Stiliconis, menſe Iunij, habita eſt SYNODVS[e] prouincialis *Carthagine*, qua decretum eſt de legatione mittenda Romam ad Anaſtaſium Papam, ac Mediolanum ad Venerium eius ſedis Epiſcopum, vt Africanæ Eccleſiæ ſacris miniſtris indigenti conſulerent. Extantque in Africano Concilio, triginta duo canones in hoc Carthaginenſi editi: inter quos & ille inſertus eſt[f], quo in Eccleſia Paſſiones martyrum anniuerſaria illorum die legi conceduntur: qui æque reperitur in Synodo Carthaginenſi dicta Tertia[g], ſed pertinet ad tempora Bonifacij Papæ. Porro illum vſum legendi Paſſiones martyrum in eccleſia, licet in alijs non improbauerit Romana Eccleſia, haud tamen ipſa recepit, quod ſcilicet (vt teſtatur Gelaſius) ex eis aliqua ab idiotis, aliqua etiam ab hæreticis probarentur fuiſſe compoſita. Sed hęc intellige de prolixioribus Actis ſanctorum Martyrum quorum vix pauca reperiri contingit eo quo ſunt ſcripta candore niteſcere: de quorum improbatione eſt etiam canon nomine[h] Sextæ Synodi Oecumenicæ: Ceterũ compendioſæ illæ Paſſiones martyrum, quas continent Martyrologia, anniuerſaria quaque die qua paſſi ſunt, tam apud Latinos quam Græcos antiquo vſu ſemper in Eccleſia recitari conſueuerunt.

e To. 1. Concil.
CONC. CARTHA. PRO PETENDIS SACRIS MINISTRIS.
f Conc. Carthag. c. 13.
g Conc. Carthag. III. c. 47.
DE LEGENDIS IN ECCL. PASSIONIB. MARTYRVM.
h Sext. Syn. c. 63. ap. Theod. Balſam.

III.

Quod autem attinet ad prædictæ Synodi Carthaginenſis petitionem ſacrorum miniſtrorum, annuiſſe ei Anaſtaſium Papam, miniſtros Eccleſiæ in Africam mittendo, argumento eſt quod & his maiora curauit. Scribens enim ad Africanos Epiſcopos, de reducendis in Eccleſiam Donatiſtis prouinciam perdifficilem ſolicitus curandam admonuit, de qua mox dicetur. Sed Venerium eorumdem fauiſſe votis, ex eo exiſtimamus, quod peculiaris ille auctor Vitæ S. Ambroſij *Paulinus*, eiuſdem Mediolanenſis Eccleſiæ quondam Lector, in Africam amandatus apparet, conſediſſeque Carthagine apud Fortunatum diaconum, ac S. Auguſtini petitione ſcripſiſſe eaſdem S. Ambroſij res geſtas, ea ſcriptione ipſe confirmat. Quem inſuper & illum putamus eſſe Paulinum, qui auctus poſtea diaconatu, in eadem Eccleſia Africana acerrimus inſurrexit impugnator hæreſis Pelagianæ, dum Carthagine primus omnium aduerſus Cæleſtium in Epiſcoporum Concilio[i] ſtrenue decertauit, de quo dicetur ſuo loco.

DE PAVLINO SCRIPTORE VITÆ AMBROSII.
i Aug. de pec. orig. cont. Pelag. lib. 2. cap. 11.

IV.

Quod igitur Anaſtaſius Papa de Eccleſia vniuerſali curam gerens, ſcienſque Africam ex Donatiſtarum ſchiſmate magnopere laceratam, de vnitate procuranda literas hoc anno dediſſet ad Aurelium Epiſcopum Carthaginenſem, alioſque Africanos Antiſtites: ijdem vt eius ſatisfacerent monitis, Generale CONCILIVM[k] ex omnibus Africæ prouincijs *Carthagine* celebrarunt Idibus Septembris huius ipſius anni Coſſ. Vincentio & Flauito. In quo illud in primis actum eſt, vt in vniuerſas Africanas prouincias ad ipſarum Prefectos ac Iudices, penes quos Acta publica ſeruarentur, literæ ſcriberentur, vt curarent exquiri omnibus locis in quibus Maximianiſtæ à prioribus Donatiſtis auulſi haberent Eccleſias, res inter eos geſtas quæ in publica monumenta relatæ eſſent, idque idcirco, vt ex ijſdem Actis ipſi Donatiſtæ manifeſti conuincerentur erroris, fruſtraque ſe cernerent obijcere in Catholicos, quæ ipſimet ſæpius perpetraſſent contra Maximianiſtas; eoque magis debere ipſos ob pacem totius Chriſtiani Orbis Catholicis reconciliari, eorum baptiſmum recipere, etiam ſi verum eſſet eos communicatione Lapſorum olim inquinatos fuiſſe, quo & ipſi Donatiſtæ ob bonum pacis Donatianæ partis eoſdem Maximianiſtas qui ab illis ſchiſma feciſſent in communionem recepiſſent, acceptaſſentque baptiſmum quem ijdem ab ipſis ſæpe damnati & excommunicati dediſſent.

CONCIL. CARTHA. ADVERSVS DONAT.
k Extat inſertum Conc. Afric. cap. 33. To. 1. Concil.

V.

Sed & illud decretum eſt, vt ad ipſum inprimis Anaſtaſium Apoſtolicæ Sedis Epiſcopum, ceteroſque tranſmarinos Antiſtites ſcriberetur, vt Donatiſtis redire volentibus ad Eccleſiam indulgeretur in ijſdem ordinibus & honoribus apud ſuos ante ſuſceptis (ſi hoc recipiens Epiſcopus conducere exiſtimaret) perſeuerare: quod quidem olim ſub Melchiade Papa in Romano Concilio, cũ eiſdem Donatiſtis fuiſſe tranſactum vidimus, ſed poſtea in tranſmarina Synodo, ob eoſdem Donatiſtas in ſchiſmate obſtinatius perſiſtentes reuocatum fuerat. At in præſens Africani Epiſcopi id illis concedi poſtularunt, quod vniuerſali Eccleſiæ paci & vtilitati id maxime profuturum intelligerent: conceſſumque ab Anaſtaſio & congregatis cum eo Epiſcopis fuiſſe, certum illud eſt argumentum, quod conſtet[l] Africanos Epiſcopos ea vſos eſſe indulta auctoritate. His autem in Concilio Carthaginenſi ſtabilitis, quatuordecim reperiuntur ſtatuti canones ad diſciplinam Eccleſiaſticam recte inſtituendam, reſtituendamque ex antiquioribus regulis: vt de cælibatu clericorum, de baptizandis infantibus, & alijs quæ relinquimus diſquirenda lectori. Ad poſtremum illud additum eſt decretum, vt literæ Legatorum qui vel tunc vel alias ex Concilio mittendi eſſent, ſcriberentur omnium nomine ab Epiſcopo Carthaginenſi.

CONCEDITVR DONATISTIS REDIRE AD ECCL. CVM HONORIBVS.
l Aug. 2. cont. Creſcon. 11. & 12.

VI.

Quod ad res Orientales ſpectat, ijſdem huius anni Coſſ. quarto Idus Aprilis (vt auctores ſunt Socrates[m], Sozomenus[n], Marcellinus[o], & alij) Arcadius Imperator auctus

m Socr. lib. 6. cap. 6.
n Soz. lib. 8. cap. 4.
o Marcel. in Chron.

THEODOS. IVN. NASCITVR.

auctus eſt filio, quem patris ſui nomine *Theodoſium* in baptiſmo nominari voluit: ſequentis vero anni initio ſolemni ritu Imperatorem proclamauit, cum in ipſo ortu natus in purpura acclamatus eſſet Auguſtus, prout docet Marcus diaconus, de quo mox dicturi ſumus.

VII. PORPHYRIVS GAZEN. AGIT APVD IMP. ADVERS. GENTILES.

Contigit enim eodem tempore, aduentus Conſtantinopolim *Porphyrij* Gazenſis in Palæſtina Epiſcopi, inſignis pietate viri, patria Theſſalonicenſis, profeſſione monachi, qui cum olim Hieroſolymam videndorum cauſa locorum ſanctorum peregrinatus eſſet, poſt multa ibi edita vitæ ſanctiſſimæ exempla, à Cyrillo tunc eius Eccleſiæ Epiſcopo inuitus creatus eſt presbyter, cuſtoſque Ligni ſanctiſſimæ Crucis factus: idemque poſtea à Ioanne Cæſarienſi Palæſtinæ Metropolitano diuino monitu accerſitus, reluctans diu ordinatus eſt Gazenſis Epiſcopus, ibique mira edidit patientiæ exempla in tolerandis multo tempore Gazenſium Gentilium (qui numero Chriſtianos longiſſime ſuperabant, atque idolorum ſuperſtitioni deditiſſimi nullis non modis eoſdem iugiter inſectari conſueuerant, vt etiam alias dictum eſt) tam in ſe quam in ſuos inſultibus: antiquaque renouauit in eorumdem Gentilium conuerſionem miracula. Cum vero nihilominus maxima illorum pars in obſtinatione permanentes, quo magis viderent multiplicari Chriſtianos, eo magis efferrentur; nec ſinerent eos obire officia ciuilia, ſed & alias grauiſſimas eis inferrent iniurias, demum idem eius Eccleſiæ ſanctiſſimus Præſul Porphyrius, adito Ioanne Cæſarienſi ordinatore ſuo egit cum illo vt ambo ad Arcadium Imperatorem Conſtantinopolim nauigarent, petituri tum ceteram omnimodam Gentilium coercitionem, tum maxime demolitionem famoſiſſimi Gazenſium templi idoli *Marnæ*, quem Iouem eſſe dicebant. Sed quomodo hæc ſingula ſe habuerint, fuſe deſcribit Marcus [p] eiuſdem Gazenſis Eccleſiæ diaconus qui comes itineris eidem Porphyrio Epiſcopo ſuo adhæſit, cunctaque intexuit Actis rerum ipſius geſtarum: cum & ipſe, ſicut ibidem narrat, iam ante biennium eadem ex cauſa ad eumdem Imperatorem ab eodem Porphyrio miſſus legatus, quæ petierat impetraſſet, ſed res ob miniſtri illius auaritiam, cui negotium ab Imperatore mandatum fuerat, haud integrum effectum ſortiri valuiſſet.

p ap. Metap. & Sur. 26. Febr.

VIII.

Porro vt hæc tanta breui ſermone contraham, ijdem Ioannes & Porphyrius hiemis tempore Conſtantinopolim nauigantes, diuinis præcedentibus reſponſis, conſilio S. Ioannis Chryſoſtomi illius ciuitatis Epiſcopi, & opera Eudoxiæ Auguſtæ: omnibus quæ petijſſent ab Imperatore in gratiam recens nati Theodoſij pueri obtentis, multiſque à ijs donis ac muneribus honeſtati, Gazam felici nauigatione reuerſi ſunt menſe Aprilis: quos mox ſecutus cum cohortibus militaribus Cynegius V.C. ab Imperatore ad opus peragendum commiſſus, frementibus licet Gazenſibus Ethnicis, omnia deorum templa quæ tum in ipſa ciuitate tum in eius ditione erant, vna cum omnibus idolis penitus diruit atque confregit. Cum vero ipſum præcipuum Marnæ templum ita obſeratum intus fuiſſet ab idoli ſacerdotibus, vt adiri non poſſet, indicto ab Epiſcopo ieiunio fuſiſque ad Deum precibus, vt quid de eo faciendum eſſet reuelare dignaretur, accidit vt puer ſeptennis repente exclamans, Syriaca primo patriaque lingua, poſtea vero (vt appareret ipſum non ex ſe loqui) Græca tum ipſi tum omnibus eius loci incolis penitus ignota, modum plane extraordinarium edixerit quo vellet Deus templum comburi, inque eius locum eccleſiam ædificari: quod & ſtatim effectum eſt, diruto funditus Marnæo, & in eius locum nobiliſſima extructa in formam Crucis eccleſia impenſis Eudoxiæ Auguſtæ. Sed hæc omnia fuſiſſime Marcus, aliaque plurima ſcitu digniſſima, tam de ingentibus miraculis quæ in vniuerſo iſto negotio contigerunt, ex quibus magna facta eſt acceſſio Gentilium ad fidem Chriſtianam, quam de varijs antiquis ritibus Eccleſiaſticis, interque alia de frequenti vſu Proceſſionum præuio ſigno Crucis, Vigilijſque, ac Genuflexionibus: necnon de nobili quadam fœmina Antiochena, nomine Iulia, religione Manichæa,

MIRANDVM DE PVERO DOCENTE MODVM DESTRVENDI MARNII.

quæ cum Gazam aduenisset vt recentes Chriſtianos in ſuam ſectam traduceret, diſputare etiam auſa cum S. Porphyrio Epiſcopo, repente verbo eius extincta miſere perijt. Ceterum quod ſemel ipſe Porphyrius viam aperuiſſet ad egregia idolorum delubra ſternenda; pari æmulatione incitatos Phœniciæ Epiſcopos id ipſum ab Arcadio petijſſe obtinuiſſeque, & executioni mandaſſe, eodem patrocinante Chryſoſtomo qui magno pietatis zelo in opus incubuit; ſatis licet ex Theodoreto [q], ac literis ea de re ab ipſo Chryſoſtomo [r] cum poſtea in Armenia exularet ſcriptis colligere.

q Theod. lib. 5. cap. 29. r Chryſ. ep. 123. 126.

IX. CHRYS. AGIT PRO IVSTITIA CONTRA EVDOXIAM AVG.

Quoniam autem ex prædicto Marco diacono, fideliſſimo auctore, ac quæ vidit ſcribente, certum prorſus redditur, iam eo tempore quo ipſe cum Palæſtinis Epiſcopis Conſtantinopolim aduenisset, atque etiam antequam natus eſſet Theodoſius Arcadij filius, Eudoxiam Auguſtam abalienatam fuiſſe ab amicitia S. Ioannis Chryſoſtomi quod eam arguiſſet ob quandam poſſeſſionem iniuſte ereptam; ex eo ſatis arguuntur erroris, qui rem geſtam ad tempus referunt quo aduerſus eumdem Chryſoſtomum Synodus Conſtantinopoli cogeretur. Ceterum qui res eiuſdem Sancti oratione proſecutus eſt Leo Auguſtus, id accidiſſe ait quod Imperatrix vineam abſtuliſſet viduæ Theognoſti cuiuſdam V.C qui iniqua bonorum publicatione atque relegatione damnatus fuerat ſimul cum vxore & liberis; cumque monita reſtituere recuſaſſet, eamdem ab ipſo Chryſoſtomo prohibitam fuiſſe ingreſſu eccleſiæ. Habet idem auctor & de alio patrocinio, quod idem Sanctus ſuſcepit alterius cuiuſdam viduæ Alexandrinæ, quam eadem Auguſta certa pecunia debita fraudare conaretur. Itemque de Theodorico quodam Patricio, qui quod eſſet ditiſſimus ab eadem appetitus inſidijs, conſilio Chryſoſtomi omnia ſua bona diſtribuens pauperibus ſanctè illuſit auaritiæ Imperatricis, quam quidem non noſtri dumtaxat, ſed externi [s] turpis auaritiæ infamarunt. His autem quæ Leo habet, ceteri [t] quoque conſentientia tradunt: ex ijſque maximum ipſam Auguſtam aduerſus Chryſoſtomum concepiſſe odium affirmant.

s Zoſ. lib. 5. t Metaph. & alij.

X. DE SIDIO INTER CHRYSO. ET SEVERIAN. ORTA.

Sed illud valde auctum eſt ex diſſenſione, quæ hoc eodem anno poſt natum Theodoſium ſubſecuta eſt inter eumdem Chryſoſtomum & Seuerianum Gabalenſem in Syria Epiſcopum, de quo ſuperius, concitata ipſa per Serapionem diaconum. Qui cum Ioannis fretus gratia aduerſus omnes inſoleſcens, aliquando etiam ipſi Seueriano ad locum vbi ille cum alijs erat accedenti minime aſſurrexiſſet, eaque de re indignatus Seuerianus exclamaſſet, *Si Serapion moriatur Chriſtianus, Chriſtus numquam homo factus eſt*: hac arrepta occaſione Serapion, prius ſententiæ membrum ſupprimens, ſubornatis teſtibus, retulit Chryſoſtomo Seuerianum aſſeruiſſe Chriſtum numquam factum fuiſſe hominem. Quapropter confeſtim Chryſoſtomus Seuerianum à ciuitate eiecit, vixque precibus Eudoxiæ Auguſtæ Seueriano fauentis induci potuit vt eum in amicitiam reciperet. Iſta quidem ſic Socrates [u], & alij [x]. Quod vero ſubdit, etiam reconciliata inter eos amicitia, rubiginem tamen odij haud fuiſſe prorſus exterſam, id quidem ex parte tantum Seueriani contigiſſe liquet: nam in his quæ poſt hæc aduerſus Ioannem concitatæ ſunt turbæ, cum contra Ioannem ſtetiſſe Palladius [y] tradit. Sed quod ad Ioannem tantum aberat vt ipſe in Seuerianum indigno remaneret animo, vt econtra populum in eum; infenſum oratione [z] habita omni adhibito ſtudio delinire laborauerit.

u Socr. lib. 6. cap. 10. x Soz. in lib. 8. cap. 10. Niceph. l. 13. cap. 9. y Pallad. dial. de Vit. Chryſ. z Chryſ. hom. de recip. Seuer.

IESV CHRISTI ANN. 402.

ARCADII, HONORII AN. 8.

INNOCENTII AN. 1.

I. MONACHI ORIGEN. AGVNT CONSTANT. ADVERS. THEOPH.

ANNO Chriſti quadringenteſimoſecundo, Arcadio & Honorio Auguſtis quintum Coſſ. recrudeſcentibus Conſtantinopoli odijs Origeniſtarum cauſa ſuſceptis, de quibus dictum eſt ante annum; eius hæreſis ſectatores monachi ab Ægypto & Palæſtina fugati, cum viderent fruſtra S. Ioannẽ Chryſoſtomum eos Theo-

philo

philo Alexandrino reconciliare ſtuduiſſe, deſperata concordia libellum aduerſus eumdem Theophilum Arcadio Imperatori dederunt, & quidem adeo grauibus refertum criminibus, vt Theophili caput in diſcrimen videretur adduci. Quod quia creditum eſt eos impellente Chryſoſtomo peregiſſe; ea diſſipata longe lateque fama idcirco illum S. Hieronymus, tacito proprio ob tanti viri reuerentiam nomine, ſub Barnabæ voce ex Pauli [a] ſententia grauiter ſugillauit in epiſtola ad Principiam [b], dum ait ipſum non ſolum ductum eſſe in illam ſimulationem, ſed & in apertum parricidium, quod non viribus, ſed voluntate commiſit. Inter hæc autem & ſanctos monachos olim legatos à Theophilo miſſos, dediſſe pariter aduerſus prædictos Origeniſtas Imperatori libellos, auctor eſt Palladius [c]; qui fauens (vt dictum eſt) Origeniſtis, eos calumniarum à Theophilo confictarum refertos fuiſſe tradit, ideoque factum eſſe vt id faſſi ijdem monachi Theophili, in carcerem truſi male perierint; miſſuſque ab Imperatore Alapius Alexandriam fuerit, qui Theophilum inde Conſtantinopolim perduceret iudicandum. Sed de Theophili aduentu dicetur anno ſequenti.

a Gal. 2.
b Hier. ep. 16.
c Pallad. dial. de Vit. Chryſ.

II. DISSIDIA INTER CHRYSO. AT EPIPH.

Interea vero hoc ipſo anno ibidem Conſtantinopoli, eadem ex cauſa concertationes haud leues eidem S. Ioanni Chryſoſtomo interceſſerunt cum S. Epiphanio. Qui quidem cum primus aduerſus Origeniſtas vexillum erexiſſet, ac poſtea Synodale decretum Concilij Alexandrini de anathemate Origeniſtarum, in alia Synodo habita in Cypro firmatum, Conſtantinopolim miſiſſet; vbi ſe nihil profeciſſe, ſed eos Conſtantinopoli foueri cognouit, confeſtim aduerſus eos cominus pugnaturus, ſponte eo ſe contulit. Verum in rebus illic ab eo geſtis magna adhibenda eſt cautio, quod paſſim vera falſis admixta inueniantur; cum alij vel fauentes nimis Chryſoſtomo, vel ſtudentes Origeniſtis in odium Theophili complura quoque in Epiphanium falſa coaceruarint. Vnus Palladius ceteris in hoc prudentior viſus eſt eſſe, qui licet fauerit Origeniſtis, res tamen geſtas Epiphanij Conſtantinopoli ſciens volenſque prætermiſit; & quamuis non ignoraret illum aduerſatum fuiſſe Ioanni, eumdem tamen ob excellentiam meritorum non potuit non laudaſſe, cum alioqui in ceteros omnes Ioanni aduerſantes ſtylum maledicentiæ exacuerit.

III. EPIPH. QVID CONSTANTINOPOLI.
d Socr. lib. 6. cap. 11.

Quamobrem vt multa prætereamus conficta in Epiphanium, quæ ſatis ex ijs quæ iam ſuperius ſunt dicta refelluntur, illud tamen minime eſt omittendum, quod Socrates [d] & nonnulli alij dicunt, eumdem Epiphanium ex Cypro traijcientem, cum in locum appuliſſet Conſtantinopoli vicinum, quem Hebdomon appellabant, illic ordinaſſe quemdam diaconum, quod non licebat in diœceſi non ſua præſumere; de re tanta cum ne verbum quidem Sozomenus (Socrate longe accuratior, vt Photius multis oſtendit) iter ipſius relegens habeat, licet & ipſe, vt & ille & alij, Origeniſtarum fautor extiterit, & in Chryſoſtomum aduerſus Epiphanium propenſiſſimus, id commentum fuiſſe, non eſſe dubitandum. Nimirum loco, Ioannis Epiſcopi Hieroſolymorum, acceperunt illi Ioannem Conſtantinopolitanum Antiſtitem: ab eo enim de ordinatione diaconi ab ipſo Epiphanio in illius diœceſi facta controuerſiam motam eſſe, ſuo loco dictum eſt: nec vllo modo veriſimile eſt, virum ſanctiſſimum bis in idipſum impingere voluiſſe. Habet autem Sozomenus, cum Ioannes ingredientem in vrbem Epiphanium totius cleri proceſſione veneratus eſſet, Epiphanium manifeſte præſetuliſſe, quod calumnijs aduerſus illum ſtructis conſenſiſſet, quandoquidem inuitatus, vt in ædibus Epiſcopalibus diuerſaretur, non acquieuit. Hæc ipſe. Ceterum vitandi communionem Chryſoſtomi, cauſa illa interceſſerat, quod ante literis (vt vidimus) monitus de damnando Origene, eiuſque errorum ſectatoribus, Ioannes ab Epiphanio, minime ex cauſis ſuperius recenſitis obtemperaſſet.

IV. ERRORES, NON

Sed & quod idem Sozomenus, atque alij omnes S. Ioannis Chryſoſtomi defenſores, vel Origeniſtarum fautores, ad inuidiam commouendam in eorumdem aduerſarios, vno ferme ore prædicant, Epiphanium tum antea in Synodo Cypria, tum poſtea in literis ad Chryſoſtomum ſcriptis, tum denique modo Conſtantinopoli conuocatis alijs Epiſcopis qui ibi reperti ſunt, contendiſſe vt damnarentur libri Origenis: quodque apud Seuerum [e] æque traditur, Synodo Alexandrina vetitum ne quis legeret Origenis libros, vel eos penes ſe haberet: hæc inquam, omnia quam procul à veritate abhorreant, ſatis apparet ex eiuſdem Epiphanij litteris ad Ioannem Hieroſolymitanum ſcriptis, quas magna ex parte S. Hieronymus epiſtolæ [f] ad Pammachum aduerſus errores eiuſdem Ioannis inſeruit: vbi declaratur, magno ſtudio Epiphanium curaſſe, vt Ioannem auocaret ab erroribus Origenis, non autem à lectione librorum eiuſdem: ſicut & in epiſtolis [g] vltro citroque datis inter ipſum atque Theophilum ſimulque Hieronymum, nihil præterea actum eſt, niſi vt Origenis errores vna cum auctore ac ſectatoribus damnarentur. Nec Hieronymus de ijſdem frequentius agens, de damnatione librorum omnium Origenis ſermonem aliquando miſcuit: immo ad Tranqu[illinum] [h] ſcribens, eos abſque crimine legi poſſe, dummodo vitentur errores, ſignificauit. Ac denique vt quis libros Origenis omnino damnandos eſſe ſenſerit, neminem præter Fauſtinum quemdam inuenimus, cuius ibidem Hieronymus meminit: quamuis non hæreſes tantum Origenis, ſed ipſarum auctorem Origenem tanquam hæreticum ab Eccleſia exp[l]odendum, idem S. Hieronymus ex ſententia Epiphanij atque Theophili, abſque vlla dubitatione conſenſerit [i].

LIBRI ORIGENIS DAMNATI.
e Seuer. dial. lib. 1.
f Hier. ep. 61.
g Ibid. ep. 67. & ſeq.
h Id. ep. 76.
i Id. Apol. 2. aduerſ. Ruf.

V. PERIARCHON LECTIO VETITA.

Quod vero in epiſtola Anaſtaſij Papæ ad Ioannem Hieroſolymitanum (de qua poſtea) habetur, damnatam fuiſſe Imperatoris reſcripto Origenis lectionem: ea vtique intelligenda eſt libri Periarchon, de quo totus eſt ille ſermo Anaſtaſij cum Ioanne, cuius operis editionem Latine redditam à Ruffino, Romæque vulgatam magno Fidelium detrimento, idem Anaſtaſius proſcripſit vna cum eius auctore Ruffino. Deque eodem Origenis Periarcho, errorum fonte, intelligendum puto quod reperitur in Rebus geſtis S. Pachomij, ipſum execratum eſſe monachos legentes libros Origenis. Nam & Papa Gelaſius [k] Origenis opera quæ Hieronymus non repudiaſſet, legi poſſe decreuit, ceteris vna cum auctore reiectis. Ac denique his conſentaneam fuiſſe Græcorum Patrum qui Origenem impugnarunt ſententiam, vt præter errores cetera eiuſdem auctoris ſcripta retinerentur, teſtatur Socrates [l]: ſed illud perperam, dum eos ſugillat quaſi ambitioſe captare conatos laudem ex Origenis vituperatione. Sicut & illud omnino falſum quod de S. Methodio ſubdit, eum ante quidem vituperaſſe Origenem, ſed poſtea palinodia recantata ſummis laudibus extuliſſe: cum econtra auctore ipſo Euſebio Cæſarienſi [m] Epiſcopo eiuſdem Origenis patrono, aperte conſtet, accidiſſe vt cum Methodius Origenem antea laudaſſet, poſtea contra ipſum commentarium elaborauerit: cuius lucubrationis meminit quoque S. Hieronymus [n]: citatque plurima ex ea S. Epiphanius [o], dum errores confutat Origenis. Ex quibus plane intelligis, Socratem Nouatianum, æque fuiſſe Origeniſtam, & quidem audaciſſimum, vtpote nouæ inuentorem Apologiæ Methodij nomine exornatæ, quam omnes Origenis defenſores, Euſebius, Ruffinus, & alij penitus ignorarunt. Sed quæ ſunt reliqua rerum geſtarum Epiphanij Conſtantinopoli proſequamur.

k Gelaſ. in Tom. Concil. can. 1. de lib. apocry.
l Socr. lib. 6. cap. 12.
m ep. Hier. Apol. 1. in Ruf.
n Hieron. de Script. Eccl. in Method.
o Epiph. hær. 64.
SOCRATES NOVATIANVS ET ORIGENISTA.

VI. INTER S. EPIPH. ET EVDOX. AVG. CONFLICTVS.
p Soz. lib. 8. cap. 15.

Interceſſiſſe quoque inter ipſum & Eudoxiam Auguſtam altercationem quamdam, Sozomenus [p] tradit etiam ſcilicet ob cauſam quod rogante Imperatrice vt Epiphanius pro filio ſuo morbo correpto oraret, negauerit ille ſe facturum, niſi prius ipſa Longos fratres ceteroſque monachos Origeniſtas vrbe pelleret. Additque, Imperatricem grauiter ideo in Epiphanium commotam, noluiſſe quidem monachos eijcere, ſed eos iuſſiſſe ad ipſum accedere, ſciſcitari qua de cauſa in eos cõmoueretur, cumq; faſſus ipſe eſſet, auditu dumtaxat de ipſorum hæreſi reſciuiſſe poſtea ſuſcepta ipſorum iuſta defenſione eumdem

facti

factipœnitentem Conſtantinopoli receſſiſſe. Hæc Sozomenus: ſed quæ facile vnuſquiſque cernat in fauorem Originiſtarum eſſe conficta. Ceterum Leo Auguſtus oratione de rebus geſtis S. Ioannis Chryſoſtomi, ait Eudoxiam ideo commotam fuiſſe in Epiphanium, quod cum ipſa Chryſoſtomum accuſans de hæreſi, petiiſſet ab Epiphanio vt in eum ſententiam damnationis pronunciaret, reſponderit Epiphanius, ſiquidem haberet Eudoxia vnde Chryſoſtomum hæreſis conuincere poſſet, vocaretur ille vt cauſam ſuam ageret, ſin autem ea proferret contumeliæ tantummodo cauſa, ſe minime ei aſſenſurũ: tuncq; commotam illam, minatam eſſe ſi Epiphanius impedimento eſſet, quominus Chryſoſtomus mitteretur in exilium, ſe aperturam templa idolorum, & effecturam vt ea adorarentur, eamque blaſphemiam non valentem ferre Epiphanium protinus abſceſſiſſe. Iſta Leo, quæ & fuſius apud Metaphraſtem narrata habentur. Idem vero, æque ac Socrates & Sozomenus (ſed omnes ex incertis rumoribus, ideoque fides ſit penes auctores) ſcribunt, quod cum Epiphanius & Chryſoſtomus inter ſe litigarent, Epiphanius quidem Chryſoſtomo prænunciauerit Epiſcopatus amiſſionem & mortem in exilio, Chryſoſtomus autem Epiphanio obitum in mari antequam ad Eccleſiam ſuam perueniret: idque de Epiphanio aiunt hoc ipſo anno accidiſſe, cum nauigans in Cyprum defunctus eſt in via. Cur autem ante aduentum Theophili receſſerit Conſtantinopoli, illã quidem exiſtimo cauſam, quod quæſtio illa de Origene & Origenis erroribus, iam tranſlata videretur in mutuas criminum accuſationes, quarum cauſa Theophilus ab Imperat. iuſſus eſſet Conſtantinopolim ſe conferre: cuius agitando iudicio minime intereſſe voluerit. Vel potius dixerimus, quod ſciret ex aduerſo Theophilum ad deponendum è ſede Chryſoſtomum iam parare iudicium, ne & ipſe in eum cogeretur calculum ferre, antea mature diſceſſiſſe.

Chryſoſtomi et Epiph. propheticæ prædictiones.

VII. S. Epiph. obitus.

Cum autem quo diſceſſerit anno, licet præſentem auctores prædicti ſignent, haud ſit adeo exploratum: certe decrepitum ætate obiiſſe, inde apparet, quod ante ferme decennium Hieronymus [q] de eo aſſeruerit, perueniſſe iam tum in extremam ſenectutem. Triginta autem & ſex annos ſediſſe Epiſcopum, Palladius [r] tradit. Et qui celebris in Eccleſia vixit, virtutibus, ſcientia, zeloque potiſſimum fidei Catholicæ commendatus, poſt obitum quoque relatus fuit tum à Græcis tum à Latinis inter Sanctos anniuerſaria memoria celebrandus. Monuimus autem iam antea lectorem, Vitam illam Epiphanii quam recitat Metaphraſtes, ſcatere erroribus: inter quos ille, qui ad hæc tẽpora ſpectat, adnumerandus, cum dicitur Epiphanius accerſitus Romã ab Arcadio & Honorio Imperatoribus, vt ſorori ægrotanti ſuppetias ferret, atque eam curaſſe, filiumq; ipſius extinctum ad vitã reuocaſſe. Etenim nec Arcadius Imperator Romæ cum Honorio vmquam degit, neque quis probare poterit Epiphanium aliquando Romam veniſſe, niſi ipſo Theodoſii Senioris exordio, vt ſuo loco dictum eſt. Suntq; & alia ibi plane delira, quæ prudens lector ex iis quæ de eo ſuperius ſunt enarrata facile dignoſcere poterit. Quod vero ad ſcripta pertinet: præter Panarium & eiuſdem Epitomen, & Anchoratum, & de Gemmis libros, & Res geſtas S. Hilarionis, quorum eſt certa mentio apud S. Hieronymum & alios, eiuſdem quoque nomine ac titulo notantur libri de Menſuris atque Ponderibus, necnon de Vita & obitu Sanctorum Prophetarum: meminitque Caſſiodorus [s] Commentarii ab eodem editi in Cantica Canticorum.

q Hier. de ſcript. Eccl. in Epiph. r Pallad. in Dial. de Vit. Chryſ.

Apocryphæ Acta Epiph.

Eius ſcripta.

s Caſſiod. de diuin. lect. c. 5.

VIII. t Ext. tom. 1. Epiſt. Ro. Pont. & ap. Hier. to. 9.

Ioannes Hieroſolymitanus reſipuit.

Hoc eodem anno Anaſtaſius Papa interpellatus litteris Ioannis Hieroſolymorum Epiſcopi de cauſa Ruffini Aquileienſis presbyteri, reſcripſit [t] ad eum de iis quæ tum ab ipſo Ruffino, tum aduerſus ipſum hactenus Romæ geſta eſſent, de quibus nos ſuperius egimus. Quod vero eumdem Ioannem Anaſtaſius multum ea epiſtola laudet, inde videas ipſum abeuntem olim poſt errores Origenis, iam meliori frugi redditum, fide Catholica vbiq; his temporibus ſaltem exterius nituiſſe: quod etiam confirmatur auctoritate S. Auguſtini [u] ſcribentis contra litteras Petiliani, necnon ipſius S. Hieronymi [x] reſpondentis ad epiſtolam Theophili Alexandrini, cum eum antea eadem ex cauſa acriter (vt vidimus) exagitaſſet. Verum eumdem Ioannem haud in eiuſmodi recta ſententia perſtitiſſe vſq; in finem, quæ dicentur inferius declarabunt. Meminit autẽ prædictæ ad eum ſcriptæ Anaſtaſii epiſtolæ frequenter Hieronymus, & tamquam telo potenti vtitur in Apologiis ſuis, quas hoc eodem anno (vt ſatis indicat) elaborauit aduerſus maledica ſcripta à Ruffino in ipſum promulgata. Sed quod nõ ſtatim ac edita ſunt integra Ruffini ſcripta, ſed auditu tantum quædam eorum capita percepta, Paulianus Hieronymi frater ad ipſum agentem Bethleem detuliſſet, vberiorem pollicitus eſt eorumdem confutationem, cum in manus ſuas perueniſſent quæ catenus auctor publice prodere metuiſſet, & tantum confœderatis legenda eſſe decreuiſſet. Id enim ipſe Hieronymus priori Apologia teſtatur. Vt non mireris ſi plura legeris in Ruffini inuectiuis, quæ haud inuenies in aduerſariis Hieronymi reſponſionibus confutata.

u Aug. cont. lit. Petil. l. 2. cap. 51.

x Hier. ep. 70.

Hieron. ſcribit Apologias in Ruff.

IX.

Qualis Hieron. in hæreticos.

Porro tum his, tum aliis in eumdem Ruffinum exaratis ſcriptis videas ipſum ſanctiſſimum virum omnia in ſe iactata retorquere iacula in aduerſarium erectaque ac plane inflexibili ſtantem ceruice (ſicut & quandocumq; aduerſus hereticos agendum fuit magnis ſemper atque vehementibus ſpiritibus inſurrexit: quem alioqui præ ceteris virtutibus ſumma præditum fuiſſe animi demiſſione, quam vſitatiori vocabulo dicimus humilitatem, tum res ab eo geſtæ, tum alia ſcripta manifeſte declarant: quem vtinam imitati eſſent, qui eum faſtus & ſuperbiæ ſumma arrogantia & immenſa temeritate redarguunt) eximia cum eloquentiæ vi exagitare, deprimere, deridere interdum dicteriiſque deludere, & accommodatis ad mores hominis nominibus appellare: veluti cum illum ſæpe *Grunnium* vocat, quod res nullius pretii ſcriberet, alludens nimirum [y] ad illum Grunnium Carocottam, cuius teſtamentum Porcelli ſolerent cachinnantes pueri in ſcholis ludibrio proſequi. vel cum eumdem *Alecto* [z] nominat ob furorem: *Luciumque Lauinium*, & *Aſinium Pollionem*, ob æmulationem, quod alter ipſorum Terentium, Ciceronem alter fuerit æmulatus: itidemque aliquando *Calphurnium Lanarium*, ob dolos & fraudes. Et quidem non detegendi, ſed potius contegendi cauſa ipſius crimina, conſueuiſſe alieno nomine ſæpe homines appellare, ipſe alibi [b] declarat.

Nomina Ruffino tributa ab Hier.

y Hieron. proœm. li. 11. in Iſa. z Id in Aggæ cap. 3. a Apol. 1. & 2.

b Præf. in Hierem. li. 4.

X.

Ruffinus in deterius lapſus.

Quod vero ad Ruffinum pertinet, tantum abfuit vt parato à S. Hieronymo antidoto curaretur, vt etiam immenſo furore percitus, cum accepiſſet in ſe editos ab eo duos prioris Apologiæ libros, tunc ad eum libros ſuos miſerit, epiſtolamq; addiderit acerbiſſimam, qua niſi taceret mortem ipſi minatus fuerit ſimulque tribunal ſæcularium iudicum, acturus ſaltem in eum actione iniuriarum: quod teſtatur ipſe Hieronymus Apologia ſecunda. Eoque tandem idem prolapſus eſt Ruffinus, vt poſt Origenis errores quos fouit, Pelagianæ hæreſis aſpides ex eis obortos, percaram ſibi ſobolem enutriuerit: quod proprium eſt hæreticorum, ſemper in deterius ferri quouſq; in imum impietatis prolabantur, iuſto Dei iudicio condemnati, vt ipſi ſibi malum inferant, quod nec ab hoſtibus paſſuri eſſent. Quomodo autem hæc acciderint, patebit ſuo loco.

XI. Anaſt. PP. obitus.

Hoc eodem anno S. *Anaſtaſius* Romanus Pontefex ex hac vita migrauit, vt Marcellinus Comes & S Proſper docent, dum ſub huius anni Coſſ. Innocentium eidem ſuffectum ponunt. Sed & quæ S. Hieronymus in prædictis Apologiis hoc anno conſcriptis de eodem Anaſtaſio habet ad hunc ſaltem ipſum vixiſſe annum perſpicue demõſtant: necnon Concilium Carthaginenſe anno ſuperiori Idibus Septembris celebratum, vbi de viuente adhuc Anaſtaſio fit mentio. Denique cum omnium ſententia conſtet, defunctum eſſe in fine menſis Aprilis, certe ex omnibus prædictis arguendi ſunt erroris, qui anno ſuperiori eum obiiſſe, quiue tres dumtaxat annos ſediſſe tradunt: quem habita ratione temporis quo ſedere cœpit, nimirum anno Domini trecenteſimo nonageſimo octa-

Digitized by Google

uo pridie Idus Martias, & obitus eius quem hoc anno contigiſſe ponimus quinto Calendas Maii (vt habet liber de Romanis Pontificib.) dicendum eſt ſediſſe annos quatuor menſem vnum & dies tredecim. Sepultus autem eſt in Cœmeterio ſuo ad Vrſum Pileatum.

XII. DIACONOR. AC PRESBYTEROR. ROMÆ DISSIDIA.

Quod autem in eodem Libro de Rom. Pontif. inter alia ab eodem ſtatuta, traditur ab eo decretum eſſe, vt dũ Euangelium in eccleſia recitaretur, ſacerdotes non ſederent, ſed curui ſtarent, inde eiuſmodi ſanciẽdi decreti occaſio fluxiſſe videtur, quod graui Romæ his temporibus inter preſbyteros & diaconos oborta contentione, dum hi adminiſtrantes res Eccleſiæ ſupercilio elati ſpernerẽt preſbyteros, preſbyteri autem ex conſuetudine Romanæ Eccleſiæ, ipſis in eccleſia ſedentibus diaconos ſtare debere contenderent: eo vſque contentio pertinax progreſſa eſſet, vt etiam cum ſtantes diaconi coram populo legerẽt Euangelium, preſbyteri minime è ſeſſione conſurgerent: quod vt enorme factum Anaſtaſius Papa emendandum ſancito eo decreto putaui. Porro de huiuſmodi inter preſbyteros & diaconos diſceptationibus, quamque contra ius faſque diaconi Eccleſiæ Romanæ aduerſus presbyteros inſoleſcerent, adeo vt inter eos ſedere, atque etiam in domeſticis conuiuiis benedictiones eis dare præſumerẽt, pluribus diſſeritur apud SS. Auguſtinum [c] & Hieronymum [d]. Quod enim illud in omnibus Eccleſiis commune diaconis eſſet, vt bona Eccleſiæ adminiſtrarent, eius rei cauſa pariter contingebat, vt non Romæ tantum, ſed vbique diaconi à populo maiori frequentarentur quam ſacerdotes obſequio. Hincq; obortas videas querelas illas Honorati Archidiaconi Salonitani apud S. Gregorium [e] Papam, cum queſtus eſt degradari ſe potius quam prouehi cum ab eo in preſbyterum ordinari tentaretur. Quamobrem ad huiuſmodi procaciam diaconorum retundendam, Magnum Concilium Nicænum diaconi nequid præter ius, faſque præſumerent, atq; vt inferi[o]res preſbyteris ſe agnoſcerent, edito canone [f] ſanciuit. Quem & ipſum eadem ex cauſa Eccleſia Africana inſeruit Concilio [g] Carthaginenſi Sexto dicto. Et cum exciſis ramis malum ſæpe repullularet, ſæpe quoque Eccleſiaſticæ cenſuræ ſecuri ſuccidi oportuit, ac pręſertim Romana Synodo [h] ſub Gelaſio Papa, & in Gallicanis Conciliis [i] Arelatenſibus & Andegauenſi [k].

c Aug. q. ex vtriſq. mixt. 161.
d Hier. ep. 85. ad Euagr.

EX BONOR. ADMINISTRATIONE ORTA DIACONOR. SVPERBIA.

e Greg. Pap. 1. ep. 14. 15. 16.
f Conc. Nic. c. 1.
g Conc. Cart. VI. c. 18.
h Conc. Rom. ſub. Gelaſ. c. 9. 10.
i Conc. Arel. I. c. 18. & II. c. 15.
k Conc. An[deg.] c. 1.

[X]III. DE EPIST. ANAST. PP.

Sed vt ad Anaſtaſium Papam redeamus, duæ eius nomine habentur ſcriptæ Epiſtolæ Decretales: ſed quarum prior, cum data reperiatur Coſſ. Arcadio atque Bautone, ante annos ab eiuſdem Anaſtaſii ingreſſu quatuordecim, plane apparet (ſi legitimam, & non ſuppoſitam eam eſſe velimus) aliis Pontificibus quam Anaſtaſio adſcribenda: cum & alioqui maxima eius pars, vbi agitur de Manichæis, reperiatur apud S. Leonem Magnum in epiſtola ſecunda data ad vniuerſos Italiæ Epiſcopos. Scimus tamen Anaſtaſium complures epiſtolas conſcripſiſſe, in cauſa præſertim Origeniſtarum & Donatiſtarum, & inter alias, ad Vrſinum de Incarnatione Filii Dei, cuius tria habentur fragmenta in appendice ad Breuiarium Liberati diaconi. Ceterum poſt obitum Anaſtaſii cum ſedes vacaſſet dies viginti vnum, decimo quinto Calendas Iunii INNOCENTIVS Albanus Innocentii filius creatus eſt Romanus Pontifex.

INNOCENTIVS PAPA.

XIV. S. MARTINI OBITVS.

l ſup. an. 351. num. 6. 7. 8. & an. 375. num. 1.

Hoc eodem anno tertio Idus Nouembris, eximium illum atque mirificum S. MARTINVM Turonenſem in Gallia Epiſcopum diem extremum clauſiſſe, ex teſtificatione Seueri atque Gregorii, aliiſque certis notis iam ſatis eſt ſuperius [l] in eius baptiſmo & Epiſcopatu demonſtratum, cum ſediſſet annos viginti ſex menſes quatuor & dies viginti ſeptem, vixiſſetq; annos octoginta ſex. Ex quibus erroris arguuntur, qui Cæſario & Attico Coſſ. ſuæ ętatis anno octogeſimo primo, S. Martinum obiiſſe tradunt. Siquidem & Franci veteres Scriptores, qui ab eius obitu annos numerare conſueuerunt, aſſertionis noſtræ adſtipulatores eſſe conuincuntur, dum ab hoc anno quadringenteſimo ſecundo annorum numerum deduxiſſe noſcuntur: atque (vt prætermittamus alios) idem Gregorius Turonenſis Epiſcopus, licet Conſulatu Cæſarii & Attici obitum Martini referat, tamen dum Clodouę Francorum Regis mortem contigiſſe dicit ab obitu S. Martini anno centeſimo duodecimo, plane ab hoc tempore numeri exordium ducit, cum conſtet ipſum Clodoueum perueniſſe ad Pontificatum Hormiſdæ Papæ, ad quem coronam dono miſit. Putatur quidem irrepſiſſe mendum apud ipſum Gregorium [m], dum S. Martinus deceſſiſſe aſſeritur anno quadringenteſimo duodecimo à Paſſione Domini, cum numerandi fuiſſent (vt dictum eſt) à Natali Domini anni quadringenti duo. Nam & rurſum hoc eodem anno contigiſſe eius obitum, ex S. Proſpero etiam ſibi vendicat Sigebertus in Chronico: verum errore labitur, dum pro quinto Arcadii Conſulatu quo obiit, quintum eiuſdem ponit Imperii annum: ſicut & cum ętatis Martini numerat annos octoginta vnum, necnon cum eumdem deceſſiſſe refert ante S. Ambroſium, quem luce clarius vidimus ante annos quinque ex humanis deſiiſſe, vnde & quod Gregorius tradidit, interfuiſſe per viſum S. Ambroſium adhuc viuentem Sancti Martini funeri, euaneſcere videtur.

m Gre. Tur. 1. hiſt. 48.

XV. SEVERI SCRIPTA DE S. MARTINO.

Ceterum Sulpitius Seuerus, qui S. Martini adhuc viuẽtis res geſtas conſcripſit, de eius ad cœlum conſcenſu per viſum certior redditus, ad Aurelium diaconum epiſtolam ſcri[p]ſit, itidemque de obitu atque funere extãt ipſius ad Baſſulam ſocrum [l]itteræ. Edidit & poſtea de rebus geſtis eiuſdem Sancti, ſimulque de nonnullis Ægypti monachis, tres Dialogorum libros, ſed qui haud eo accepti ſunt plauſu, quo Vita ipſius ab eo ſcripta: ſiquidem illam toto pene orbe mox diffuſam [n] fuiſſe conſtat, hi autem plura habent emendatione digna, in quibus S. Hieronymus [o] deprehendit errorem Millenariorum, vt etiam meruerint à Gelaſio [p] Papa inter apocrypha recenſeri. Teſtatur etiam Gregorius [q] Turonenſis, Res geſtas eiuſdem Sancti ſcriptas eſſe carmine à S. Paulino Nolano Epiſcopo quinque libris, eumdemque adieciſſe ſextum librum de miraculis poſt obitum editis: idque ipſum affirmaſſe videtur Venantius [r] Fortunatus. At ſi verum eſt quod idem Gregorius [rr] ait, Paulinum mutuatum eſſe à Perpetuo Epiſcopo Turonenſi quæ libro ſexto de miraculis S. Martini conſcripſit, plane aſſerendum erit, alium iſtum eſſe Paulinum ab illo Nolano, cum ab obitu S. Martini vſq; ad ſedem Perpetui, ex ſupputatione eiuſdem Gregorii anni numerentur ſexaginta quatuor, ad quod tempus minime Paulinum perueniſſe conſtat, qui defunctus eſt anno Domini quadringenteſimo trigeſimo primo ſub Conſulatu Baſſi & Antiochi. Sed & Paulini ipſius Vitæ Martini auctoris euidenti aſſertione ſatis exploratum habetur, ipſum alium eſſe ab illo mirifico Nolano, dum ſe exemplo illius curatum à S. Martino lumine oculorum tradit [s]. De Seniori enim Paulino Nolano, à S. Martino oculo infirmo curato, teſtis eſt etiam Seuerus. Sicut autem Paulinus iſte iunior, inſtar illius ſenioris, æger oculis curatus miraculo S. Martini, pro gratiarum actione rependit de eius vita & miraculis carmen heroicum ſex libris diſtinctum: ita & Venantius Fortunatus, pariter ſanatus oculis iam caligine penitus obductis, vngens eos oleo quod ritu antiquo in lychno ad Imaginem eiuſdem Sancti ardebat, ſcribendi itidem carmine heroico ipſius Sancti Vitam quatuor libris conſilium iniit, vt ipſe teſtatur ad finem operis.

n Seuer. 1. dial. 16.
o Hieron. Ezech. cap. 36 lib. 11.
p Gelaſ. de lib. apocr.
q Greg. Tur. 1. de mirac. S. Mar. cap. 2.

SCRIPTORES ALII [R]ERVM S. MART. N.

r Fortu. Vit. S. Mart. lib. 1. & 2. in pręfa.
rr Greg. ibid. c. 2.

PAVLINI PLVRES.

s Paulin. in Vit. S. Mar. lib. 2.

XVI. CONCIL. MILEVIT. PRIMVM.

t Tom. 1. Concil.

Hoc eodem anno, ſexto Calendas Septembris in Numidia celebratum eſt ab Epiſcopis totius Africæ Generale CONCILIVM [t] MILEVITANVM, præſide Aurelio Carthaginenſi Epiſcopo omnium Primate, eidemque aſſiſtente Xantippo Epiſcopo Conſtantinæ, Numidiæ Primate: quod quidem Mileuitanum Primum dicendum eſt, cum aliud inueniatur celebratum ſub Siluano poſt annos quatuordecim: vt ex litteris Innocentii Papæ ad eamdem Synodum intelligi poteſt in notatis ibi Theodoſio Auguſto & Palladio Coſſ. Oborta tamen eſt librariorum, ſeu potius collectorum vitio, vtriuſque confuſio, ex eo quod præfatio iſtius prioris præfixa fuit poſteriori. Sciendumque eſt, apud Concilium Africanum [u] hic haberi intexta Acta quædam huius Mileuitani Con-

CONFVSA GESTA DVÆ SYN. MILEVIT.

u Conc. Afri. c. 52.

cili, vt tamen cum amborum Imperatorum ponitur Conſulatus, quotus ille fuerit minime exprimatur, ſed ſic tantum poſiti legantur, *Glorioſiſſ. Impp. Arcadio & Honorio Augg. Viris Clariſſ. Coſſ.* vbi errore imperitorum librariorum, loco V. C. numeri notæ, qua exprimitur quintus eorumdem Conſulatus, ſcriptum fuit *Viris Clariſſimis*: cuiuſmodi nomenclatura abhorret ab Imperatoribus, ſolita tantum poni, vbi alii ſub Imperatoribus conſtituit nobiliſſimi viri, eadem Conſulatus dignitate donabantur.

XVII. De primatu Numidiæ controverſia deciſa.

Quod autem pertinet ad eiuſdem Acta Concilii, poſt confirmata Synodalia decreta, diuerſorum Epiſcoporum atque presbyterorum cauſæ in medium ſunt allatæ: atq; inter alias, deciſa controuerſia duarum ſedium in Numidia poſitarum: quænam potior habenda eſſet. Cum enim in duas prouincias diuideretur Numidia, eædemque duæ dictæ Numidiæ, vt Acta Synodi Carthaginenſis [x] Sextæ dictæ demonſtrant, ob idque altercatio oborta eſſet inter Xantippum Epiſcopum Conſtantinæ, Numidiæque Primatem, & Victorinum Epiſcopum alterius ciuitatis, primatum eiuſdem vniuerſę prouinciæ ſibi vendicantem (de qua etiam altercatione mētio habetur in epiſtola ad eumdem Victorinum à S. Auguſtino [y] ſcripta) hac Mileuitana Synodo Patres [z] cauſam adiudicarunt Xantippo, ſedique Conſtantinianæ. quam & Iuſtinianus [a] Imperator primam ſedem Numidiæ eſſe nouit, ſicut in prouincia Mauritaniæ Cæſaream, in Bizacena Capſam, in Tripolitana Leptim.

x Conc. Carthag. VI. in præf.
y Aug. ep. 217.
z Conc. Afric. c. 53.
a l. 2. C. de off. P. P. Afric.

Arcadii Honorii An. 9.

IESV CHRISTI AN. 403.

INNOCENTII AN. 2.

I. Conſpiratio advers. Chryſoſt.

ANno Chriſti quadringenteſimo tertio, Theodoſio puero Auguſto & Rumorodio Coſſ. Theophilus Alexandrinus Epiſcopus Conſtantinopolim venit, vocatus (vt vidimus) ab Arcadio Imperatore, vt reſponderet libellis aduerſus ipſum oblatis à monachis Origeniſtis. Cum autem eo iam ante ipſum aduenilſet Acacius Epiſcopus Berœenſis, fama notiſſimus tum ob monaſticam anteactam vitam in Syriæ ſolitudine, tum etiam ſacrarum peritia litterarum, hunc Palladius [a] ait indignatum aduerſus Ioannem Chryſoſtomum, quod non honeſtum ipſi datum eſſet diuerſorium, coniunctum Seueriano Gabalenſi & Antiocho Ptolemaidis Epiſcopis (æmulis in dicendo eiuſdem Ioannis eloquentiæ, de quibus dictum eſt ſuperius) Antiochiam primum communi conſilio miſiſſe, vt adoleſcentiæ Ioannis crimina ſtudioſe inquirerent; ſed cum nihil reperire potuiſſent, Theopilum Alexandria acerſiſſe. His vero eodem tempore acceſſit, vt cum Ioannes pro concione mulieres acerbe exagitaſſet, & aliquando opportuna data occaſione ab illo Regum [b] exordium ſumpſiſſet, *Congregate ad me ſacerdotes dedecoris, qui comedunt menſam Iezabel, &c.* hæc vt dicta aduerſus Eudoxiam Auguſtam, quæ eoſdem Seuerianum, Antiochum & Acacium Conſtantinopoli aleret, interpretati aduerſarii, effecerint vt quæ in Ioannem alioqui iam antea perinfenſa eſſet, his nunc acrius commota, de eius depoſitione per Theophilum machinanda ſedulo cogitauerit. Quæ cum Socrates [c] & Sozomenus [d] ante Theophili aduētum acta velint: Leo [e] Imperator & Metaphraſtes [f] poſt eiuſdem aduentum referunt: quod ſi verum eſt, certe quidem inter ſacerdotes Iezabel Theophilum adnumeratum oportuit.

a Pallad. in dial. de reb. geſt. Chryſ.
b 3. Reg. 18.
c Soc. lib. 6. c. 14.
d Soz. lib. 8. c. 16.
e Leo Aug. in Encom. Chryſ.
f Metaphr. in Vit. Chryſ.

II. Theoph. Alex. adventus Conſtantinop.

His igitur, aliiſque eiuſmodi caſibus factum eſt, vt qui ad dicendam cauſam vocatus fuerat Theophilus, idem in itinere multis collectis Epiſcopis, quaſi triumphum agens aduenerit Conſtantinopolim: vbi nautarum Alexandrinorum, aliorumque qui tunc ibi repetti ſunt, lætis acclamationibus exceptus (nemo enim ex clericis obuiam ei proceſſit) ingreſſus vrbem, diuertit in Palatium Imperiale. Narrant hæc pluribus Socrates, Sozomenus, & Palladius. Sed ipſe Chryſoſtomus epiſtola ad Innocentium Papam, Theophilum in ſuburbio manſiſſe tradit, nec ciuitatem ingredi voluiſſe. Porro accidit plane Theophilo, vt bene currenti pedibus in via lapſo, cum in decliuum præceps adactus ruina alterius, caſu grauiore corruerit.

Theoph. mutatus in deterius.

Siquidem cuius laudandus fuit impetus ille quo Origeniſtas perſecutus eſt (id quidem pleno ore SS. Hieronymus, Epiphanius, Anaſtaſius Papa, ac denique omnes Occidentales, magnaque Orientalium pars, ſummis laudibus prædicarunt) cum prætermiſſa cauſa publica inimicitias priuatas in S. Ioannem Chryſoſtomum, talem ac tantum virum, exercere cœpit, aperuit calumniantibus ianuas obtrectandi, & optimos quoſque à ſe abalienauit, redditus etiam poſteris eo nomine odioſus. Ait igitur Palladius, remoratum Conſtantinopoli Theophilum tres dierum hebdomadas, neque cum Ioanne Chryſoſtomo congreſſum eſſe, neque omnino propinquaſſe eccleſiæ, ſed perſtitiſſe certantem nocte ac die vt eumdem Ioannem pelleret, ac vita etiam priuaret, corruptis auro potentibus, & ſpe maiorum dignitatum attractis ad ſe pleriſque clericis ipſius Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, alioqui parum erga ſuum ipſorum Epiſcopum ob duras eius reprehenſiones æquis, iunctiſque ſibi Epiſcopis illis quos in Aſia vidimus à Ioanne depoſitos, necnon prædictis Seueriano, Antiocho, & Acacio, itemque Cyrino Epiſcopo Chalcedonenſi omnium factioſiſſimo.

III. Concil. ad Quercum advers. Chryſ.

His igitur omnibus ſimul cum ira Auguſtę aliarumque clariſſimarum feminarum concurrentibus, idem Theophilus cum triginta ſex factionis ſuæ Epiſcopis, conuenientes in vnum Chalcedone in ſuburbio Ruffini, loco Ad Quercum dicto (trans pontum enim Synodum celebrandam delegerunt, ob turbas euitandas populi Cōſtantinopolitani in Ioannem propenſiſſimi, hocq; tempore diu noctuq; ſolicite pro illo excubias agentis) ſuſceptis aduerſus eumdem Ioannem accuſationum libellis, oblatis à duobus clericis quos ille ob patrata ſcelera ab Eccleſia expulerat, ipſum per tres Epiſcopos Cōſtantinopolim miſſos citarunt, vt de obiectis criminibus reſponſurus Chalcedonem accederet. Erant tunc cum Ioanne quadraginta Epiſcopi, ex variis prouinciis Conſtantinopolim acerſiti ad iudicium de Theophilo agendum: qui eiuſmodi ſeſe opponētes citationi, per alios tres ex ſuo ipſorum numero Epiſcopos & duos presbyteros Theophilo reſcripſerunt, vt ipſe potius Conſtantinopolim veniret, vbi maior numerus Epiſcoporum eſſet, iudicandus de ſeptuaginta capitibus criminum quæ prius in ipſum oblata fuiſſent, nec contra Nicæni Concilii canones, quos ipſemet pro ſe antehac in ſimili cauſa protuliſſet, præſumeret cauſas Epiſcoporum extra terminos ſuos cognoſcere.

Chryſ. reſpon. ad citationem Synodi.

Hæc quidem Epiſcopi qui cum Ioanne erant: at vero ipſe Ioannes ſuo peculiari nomine iis qui ad Quercum erant, reſcripſit, ſe quocumque ipſi vellent proceſſurum, modo iudices non experiretur, quos iniuſte inimicos atque accuſatores patiebatur, Theophilum, Acacium, Seuerianum, & Antiochum. Poſt quę Legatis Synodi exeuntibus, confeſtim ingreſſus eſt Notarius Imperatoris (quem & ipſum Eudoxia Auguſta in Ioannem commouerat) cum edicto regio, per quod Ioannes etiam inuitus trahi iuberetur ad iudicium: ac denique poſtquam ei quoque reſponſum eſſet, mox duo ipſius Ioannis presbyteri adfuerunt cum pariter ad Synodum citantes; quibus & eadem facta eſt reſponſio. Hæc omnia pluribus Palladius in Dialogo de Vita eiuſdem Ioannis; qui & ipſe inter quadraginta illos Epiſcopos ei tunc aſtitit, puta Helenopoleos in Bithynia Epiſcopus. Socrates [g] vero atque Sozomenus [h] addunt, iam quarto à Synodo Quercus ad iudicium Epiſcoporum vocatum Ioannem: demum poſt alia prouocaſſe ad Synodum Oecumenicam: Clerumque Conſtantinopolitanum ad eamdem Synodum eſſe pariter vocatum, comminatione depoſitionis ſi venire detrectaret.

g Socr. l. 6. ca. 14.
h Soz. lib. 8. c. 17.

IV. Aſcititius canon des Eccleſ. Conſt. arguitur.

Ceterum cum tam ab Epiſcopis qui cum Ioanne erant, quam ab ipſo Ioanne plures cauſæ fuerint allatæ, cur haud teneretur ſe Synodali illi ſiſtere iudicio; certe quidem minime prætermiſſum eſſet, cum & tēpus peropportunum & vrgens neceſſitas imperaſſet, Conſtantinopolitanæ Oecumenicæ Synodi illum citare canonem (ſi re

vera ſancitus fuiſſet, & nõ per impoſturam annexus) quo decernitur, ſedem Conſtantinopolitanam primum poſt Romanam tenere debere locum; ac proinde nihil iuris ſibi Theophilum vendicare potuiſſe in Ioannem, ſi inferior Ioanne fuiſſet. Sed quod alia iura noua deficerent, ad antiquum dumtaxat canonem [i] Nicæni Concilii prouocatum eſt, quo limites Eccleſiarum fuerant definiti: vt plane intelligas, nullam penitus penes Ioannem eiq; adhærentes Epiſcopos fuiſſe canonis illius ſuppoſititii cognitionem.

i Conc. Nic. ca. 6.

V. — k Phot. in Biblioth. — ACCVSATIONES IN CHRYSOST.

Quod vero ſpectat ad accuſationes in Ioannem intentas, eiuſdem Synodi Acta ſummatim Photius [k] colligens, quadraginta ſex earumdem recenſet capita, quorum viginti nouem ab ipſius Ioannis clericis obiecta fuerint, vnum à Ioanne quodam monacho, ſexdecim ab Acacio Berœenſi; ob quæ tradit eumdem Ioannem fuiſſe depoſitum à quadraginta quinque Epiſcopis qui ei Conciliabulo interfuerunt, in quo (vt ait) accuſatores iidem teſtes & iudices extiterunt. Verum ſubiit interdum animum meum haud leuis ſuſpicio de Actis iſtis quæ Photius recitat, quod ſpuria ſint & ab aduerſariis S. Ioannis Chryſoſtomi poſt eius obitum conficta: Quandoquidem in eis deſiderari videntur, quæ in ſe ab illis Epiſcopis obiecta fuiſſe ipſemet Chryſoſtomus ſcripſit ad Cyriacum Epiſcopum cum à ſede deiectus eſt: nimirum quod ad communionem non ieiunos recepiſſet; itemque quod cum muliere dormiuiſſet. Habentque & alii eiuſdem Synodi Actorum capita, quæ in Photii Actis minime ſit reperire: veluti quod Sozomenus [l] habet de monachis Origeniſtis pœnitentibus, à Theophilo in communionem receptis. Palladius vero de male habitis Epiſcopis illis, quos Ioannes & qui cum ipſo erant Antiſtites ad eamdem Synodum Quercus miſiſſent.

l Soz. lib. 8. c. 18.

VI. — CHRYSOS. PELLITVR CONSTANTINOPOLI.

Porro depoſitionis ſententia per contumaciam ac cauſæ detrectationem in Ioannem lata, eademq; ad Imperatorem perlata, (vt Palladius narrat) idem Eccleſia pulſus miſſo ad hoc Comite cum auxilio militum, Pretenum Bithyniæ emporium è regione Nicomediæ ſitum ſe recepit. Cuius quidem exturbationem profundo iam veſpere factam eſſe, ac per milites violenter abductum, iniectumq; in nauem, proſequente cum omni plebe lamentatione miſerabili, idem ipſe Ioannes docet epiſtola quam ſequẽti anno ad Innocentium Papam ſcripſit. Ex qua arguendi ſunt qui id meridie factum, ipſo ſe aduerſariis offerente clam populo, qui eum vigilantiſſimo ſtudio cuſtodiebat ne abduceretur, Socrates & Sozomenus tradunt. Addũt vero de ingenti ſeditione à populo concitata, eademque ex eo magis aucta, quod Seuerianus in concione palam dixiſſet, Ioannem licet nullius alterius criminis eſſet conuictus, iure tamen propter ſuperbiam & arrogantiam ipſius abdicatum eſſe: itaque Eudoxiam Auguſtam, ipſumque Imperatorem, populi ſeditione precibuſq; commotos, ſine mora Ioannem reuocandum curaſſe, miſſo ad eum Briſone Auguſtæ eunucho, qui eum à Preteno Conſtantinopolim reduxit. Hæc illi. Sed habet inſuper Leo Auguſtus, terræmotum quoque factum eſſe, quo cubilis Imperatoris pars collapſa eſt; eoque ipſum perterritum, continuo Ioannem reuocaſſe. Palladius autem meminit tantum leuioris terræmotus, qui in ſuburbio Conſtantinopolis factus eſſet. At vero Theodoretus [m] eius veritatis certior adſtipulator, ait cum noctu terræmotus factus eſſet, & terror inde Imperatrici incuſſus; prima luce miſſos eſſe legatos ad Ioannem, oratum vt quamprimum in vrbem rediret, eamque à periculo impendenti liberaret; poſtque hos rurſum alios miſſos eſſe, atque iterum alios, adeo vt Boſphor. refertus eſſet Legatorum turba: vbi vero populus id intellexit, oſtium Propontidis nauigiis operuiſſe, omnes cum cereis accenſis obuiam Ioanni procedentes.

STVDIA POPVLI PRO CHRYSOS.

m Theod. l. 5. c. 34. — REVOCATVR CVM HONORE.

VII. — INTRODVCITVR IN VRBEM.

Addunt inſuper Socrates & Sozomenus, Chryſoſtomum ad ſuburbium Conſtantinopolis aduenientem, decreuiſſe non prius in vrbem ingredi, quam maioris Synodi iudicio innocens probatus eſſet: ſed à populo coactũ, non ſolum in ciuitatem intraſſe, ſed & eodem actius vt gente in Eccleſia ſedem Epiſcopalem conſcẽdiſſe, ac populo benedixiſſe, concionemque habuiſſe: quod poſtea illi (vt dicetur) crimini verſum eſt. Ipſum vero petiiſſe ab Imperatore, ſuam cauſam tractari in legitima Synodo, habet ipſemet in nuper citata ad Innocentium Papam epiſtola. Quod autem Sozomenus addit, eumdem à ſexaginta Epiſcopis Conſtantinopolim conuenientibus abſolutum fuiſſe, irritaq; reddita Acta Synodi ad Quercum: hæc ex iis quæ Palladius ſcribit improbantur, dum ait poſtea Theophilum canone Antiochenæ Synodi egiſſe aduerſus Ioannem, quo iubebatur, vt à Synodo depoſitus Epiſcopus non poſſet niſi à maiori numero Epiſcoporum reſtitui. Quod ſi verum eſſet reſtitutum fuiſſe Ioannem à Synodo ſexaginta Epiſcoporum, nullus poterat eſſe locus obiectioni à Theophilo factæ, cum à longe minori numero Ioannes fuiſſet depoſitus. Ceterum ipſe Ioannes dicta epiſtola tradit, ſe quidem à triginta Epiſcopis reductum eſſe: ſed nihilominus non deſtitiſſe legitimam Synodum ad vlciſcenda facinora ab Imperatore expetere: eamq; futuram timentem Theophilum, fugam cum ſuis arripuiſſe Alexandriam verſus; ac vocatum litteris Imperatoris, venire contempſiſſe, plebis Conſtantinopolitanę furorem prætexentem excuſationis loco. Rurſumq; eadẽ declaratur, Ioannem reſtitutum in Eccleſiam, ſediſſe vſq; ad anni ſequentis Paſchale tempus, quo iterum expelli cõtigit. Ipſam autem Synodum ad Quercum habitam fuiſſe hoc anno circa tempus Quadrageſimæ, ſatis probatur ex iis quæ dicentur in eadem poſteriore ipſius condemnatione; Sed quid in reditu acciderit Theophilo apud oppidum Geras cum Nilammone monacho, qui mortem à Deo expetiit, obtinuitq; ne Epiſcopatum eius vrbis ſuſcipere cogeretur, quo ſe indignum eſſe præ animi modeſtia cenſebat, Sozomenus [n] pluribus deſcripſit.

n Soz. lib. 8. 19.

VIII. — CONCIL. CARTH. GENERALE PRO RATIONE CONVENIENDI DONATISTAS.

Quod autem ad res huius anni Imperii Occidentalis attinet: his iiſdem Coſſ. octauo Calendas Septembris, celebratum eſt in Africa CONCILIVM CARTHAGINENSE, Generale dictum, quod ex omnibus Africæ prouinciis legationes in eo affuerint. Cum enim ante annum (vt vidimus) ex alia Carthaginenſi Synodo in cauſa reconciliationis Donatiſtarum habita, inter alia decreta fuiſſet Legatio ad Romanum Pontificem, pro aſſequenda indulgentia vt liceret Donatiſtis ad Eccleſiam Catholicam reuertentibus, eamdem quam apud ſuos accepiſſent dignitatem retinere: idque conceſſum eſſet ab eodem Romano Pontifice: hoc anno Legatis Romam reuerſis, huiuſmodi celebratum eſt Concilium [o], vt coram omnibus ſignificarent quæ obtinuiſſent. Actum preterea in eo eſt de modo vnitatis procurandæ cum Donatiſtis; exarataq; formula [p], qua iidem ex parte Catholicorum conueniendi eſſent. Porro conuentos eos eſſe, ſed conferre cum Catholicis detrectaſſe, quaſi fugientes cum peccatoribus loqui, teſtis eſt S. Auguſtinus [q]; qui & ipſe Proculianum Hipponenſem partis Donati Epiſcopum fruſtra [r] conuenit. Nec ſolum verbis, dolo, maledictione, & amaritudine plenis eos aduerſus Catholicos vſos eſſe: ſed & minas mortis addidiſſe, immo & arma & ſanguinolentas graſſationes adhibuiſſe, idem Auguſtinus teſtatur, dum præcipue recenſet quid [s] acciderit Poſſidio Calamenſi Catholico Epiſcopo conuenienti, atque conuincenti de hæreſi Criſpinum eiuſdem ciuitatis Donatiſtarum Epiſcopum; itemq; Maximiano [t] Vagienſi ſiue Bagaienſi; quorum vterque ab iiſdem Donatiſtis plagis & contumeliis affectus eſt: ex quibus pariter quid reliquis Catholicis reſponſum, quidue aduerſus eos commiſſum fuerit, intelligi datur. Coercitos tamen fuiſſe legibus Imperatorum, & iuſſos ad iura legum earumdem contra hæreticos latarum vbique teneri, ſcribit idem ipſe Poſſidius [u] in Vita S. Auguſtini: extantq; ea de re Honorii reſcripta, de quibus dicetur anno ſequenti.

o Conc. Cart. ſub Innocen. in praef. & Conc. Afric. c. 57 To. 1. Concil.
p Ibid. c. 59.
q Aug. 2. retr. (reſt. 45. & ep. 166.
r Id. ep. 68. 147.
s Id. 3. cont. Creſc. 46. & ep. 166.
t Id. ep. 50.
u Poſſid. Vit. S. Aug. c. 12.

IX. — x Claud. de 6. Conſul. Honor. — y ap. Smet. pag. 8. n. 1.

Hoc eodem anno, qui præceſſit ſextum Imperatoris Honorii Conſulatum, idem Auguſtus (vt habet Claudianus [x]) audito rumore Getarum, ſiue Gothorum, nouis mœniis Vrbem Romam circumdedit: extatque [y] hactenus de eiuſmodi erectione murorum, vetus inſcriptio

ſuper

DE BELLO POLLENTINO ADVERS. ALARICVM.

ſuper Portuenſem portam Tranſtiberim. Sed quinam fuerit hic Gothonim rumor timorque; equidem exiſtimo fuiſſe aduentum *Alarici* in Italiam cum ingenti exercitu: qui cum per multos iam annos poſtquam Iſtrum tranſiiſſe vidimus, diuerſas Imperii Rom. prouincias deuaſtaſſet, Græciaſq; inuaſiſſet, & ad Illyricum vſq; deſcendiſſet, maiora quoq; auſus, immenſo æſtuabat ardore potiundæ Romæ, ſemper id animo oreq; verſans. Verum accidit, vt idem apud Pollentiam Liguriæ ciuitatem victus fuerit à Stilicone Comite, ipſo Alarico fuga lapſo: Cuius belli hiſtoriam idem qui ſupra egregie proſecutus eſt Claudianus li. 4. de Bello Getico. Ex quo, & aliis, corrigas Caſſiodori Chronicon, vbi anno ſuperiori ponitur prælium illud Gothicum, & inuerſa ſententia Stilico ab Alarico ſuperatus. Fuit vero plane iuſta poſt detectos dolos & inſidias Stiliconis, omnium illius temporis Scriptorum querela, proditione ipſius Alaricum Romano vallatum exercitu permiſſum tunc abire liberum reſumere vires, & iterum aduerſus Romanos pugnare, immo & vincere, cum qui Chriſti nomine inuictus erat exercit⁹ Romanorum (ſiquidem & hanc Pollentinam victoriam partam fuiſſe Chriſti ope præuiis Crucum ſignis, Prudentius[z] aduerſus Symmachum cecinit) præpoſito ei poſtmodum Duce Ethnico, Saulo dicto, idem turpiter eſt paulo poſt ſuperatus ob contemptum diei Paſchatis, quo cedentes propter religionem hoſtes idem Saul pugnare compulit, vt Oroſius[a] ſignificauit. Sed de eodem Alarico maiora moliente & operante, deque Stiliconis proditione, pluribus inferius.

PRODITIO STILICONIS.

z Prud. adu. Sym. lib. 2.

a Oroſ. lib. 7. cap. 37.

ARCADII HONOR. AN. 10.

IESV CHRISTI AN. 404.

INNOCENTII AN. 3.

I. LVDI SÆCVLARES RESTITVTI.

a Claud. de vi. Co. ſul. Honor. & alii.

ANno Chriſti quadringenteſimo quarto, Honorio Auguſto ſextum & Ariſteneto Coſſ. Sæculares Ludi, à ſuperſtitione introducti Gentilium, Conſtantini vero Magni religione neglecti ac prætermiſſi, non ſine dedecore Chriſtiani nominis editi[a] ſunt. Male enim perſuaſus Honorius, quod hos fatales eſſe æternitatis Vrbis, & felicis eius ſtatus conciliatores, Gentiles dicerent; eorumdem ſuaſione ſeductus, eos imprudens reſtituit. Scimus illum excuſari, quod voluerit haud ritibus Gentilium ipſos agi, ſed indulſerit tantum, vt Theatrales atque Circenſes ludi exhiberentur. At quæ ſine ſuperſtitione ſpectacula taut quis putat occini prætermiſſa Sibyllina illa carmina, in eis edendis ludis ſolemnia?

II. GLADIATORES RESTITVTI.

b Prud. adu. Sym. lib. 2.

c Theod. lib. 5. c. 26.

Quinimmo & tot Chriſtianorum Imperatorum legibus vetita Gladiatorum cruenta munera, his temporibus ſub Honorio rurſum exhibita fuiſſe, atque ad ea ſpectanda prodire ſolitas cum pompa virgines Veſtales, teſtis eſt Prudentius[b]. Eoq; pertinere videtur; quod apud Theodoretum[c] legitur de *Telemacho* monacho; qui ſub Honorio Imp. ab Oriente Romam ſe conferens, vt ludos gladiatorios abolēdos curaret, dum ſceleratum illud ederetur ſpectaculum in ſtadium ingreſſus vt dimicationem ſedaret, à furentibus ſpectatoribus lapidibus obrutus eſt; quem & ait ea re cognita Imperatorem adſcripſiſſe in numerum martyrum (hoc eſt curaſſe, vt Eccleſiaſtica auctoritate à Romano Pontifice id fieret) ac crudele illud ſpectaculi genus penitus ſuſtuliſſe. Verum quod Præfecturam Vrbanam Alipii, ſub qua in tabulis[d] Eccleſiaſticis *Almachius* occubuiſſe ponitur (ita enim vocant, quem Theodoretus Telemachum, quamuis in illis idem martyr non à populo, ſed à gladiatoribus occiſus dicatur) ſub Theodoſio patre Honorii contigiſſe Inſcriptiones[e] antiquæ demonſtrent, nec ſciatur vtrum idem Alipius eamdem ſub Honorio exercuerit: verius fortaſſe dicetur id accidiſſe ſub Theodoſio, ſub quo ſiluiſſe videntur ſpectacula illa cruenta, quæ ſub Honorio reſtituta ſunt. Ceterum hæc facinora Romano ſanguine voluit Deus expiari: ipſeque Honorius paulo poſt magno damno ſuo, atque iactura ipſius Vrbis cuius felicitati & æternitati

d Martyrol. Rom. die 1. Ianuar.

e ap. Smet. pag. 155. nu. 67.

VINDICTA DIVINA OB LVDOS RESTIT.

mala ſuperſtitione conſulebatur, expertus eſt quantum ex perperam facto iuſtam Dei vindictam commouerit: de quo dicetur ſuo loco.

III. CHRYS. INVEHITVR IN ALIOS LVDOS.

Hoc item anno aliorum occaſione Ludorum, S. Ioannes Chryſoſtomus, vrgente Eudoxia Auguſta Arcadii Imp. Coniuge in exilium pulſus eſt, ob ſtatuam argenteā eidem Auguſtæ erectam ſuper columnam prophyreticā iuxta Eccleſiam, ad quam ludi populares, ſicut moris erat in regiarum Imaginum dedicatione, celebrari cœpiſſent. Porro cum idem Ioannes à Socrate[f], Sozomeno[g], aliiſq; dicatur factam eiuſdem ſtatuæ dedicationem habita ad populum cōcione reprehendiſſe; aliquid in ea admiſſum putatur, quod & legitimo cultui eiuſmodi ſtatuis adhibēdo (qualis ille deberet eſſe, Gratianus & Theodoſius Iunior pii Impp. editis ſanctionibus[h] definierunt) & religioni Chriſtianæ aduerſaretur: aut certe, vt habent alii, quod ludi præ Eccleſiæ foribus agerentur, non ſine magna rerum diuinarum contumelia & turbamento, ideo iuſte commotus Ioannes, vehementi inuectiua eiuſmodi eſt ſpectacula inſectatus; qui & alioqui aduerſus quæcūq; ſpectacula & ſpectatores acerrime declamare[i] conſueuiſſet. Sed illa verior atq; iuſtior cauſa eius commotionis intercesſit (qua etiam ſcimus perturbatum nonnihil fuiſſe Honorium Imperatorem cum audiuit, eoque nomine reprehendiſſe[k] fratrem Arcadium quod adeo nefanda æquo animo pertuliſſet) dum ſcilicet non modo Conſtantinopoli venerationi ſimulacrum Eudoxiæ expoſitum eſſet, ſed idem per prouincias deferretur, non ſecus ac olim Cybeles circumferre ſolerent Ethnici idolum.

f Socr. l. 6. cap. 16.

g Soz. lib. 8 c. 20.

h L. vn. publ. lat. C. lib. 12. l. vn. C. Th. de imag. Imp.

i Chryſ. ho. in Pſal. 118. hom. de Dauid & Saule. hom. 6. in Matth. &c.

k Extat. inter ea de re epiſt. tom. 1. ep. R. Pont. inter epiſt. Innoc. Papæ poſt ep. 16.

IMAGO EVDOXIÆ AVG. CIRCVMDVCTA.

IV. EVDOXIA FVRIT IN CHRYSOS.

His igitur Eudoxia, quæ priſtinum in Ioannem conflatum odium pettertefacta vi numinis remiſiſſet potius quam dimiſiſſet, veluti œſtro percita, minata non depoſitionem tantum, ſed & necem, pertractoque facile ad ſua vota Arcadio Imperatore; litteras quamprimum ad Epiſcopos ſcripſit, ſolicite curans vt omnes Conſtantinopolim accelerarent, atq; inprimis Theo[illegible]l. Alexandrinus, quem experta eſſet in eiuſmodi rebus curandis ſolertiſſimum; qui tamē venire noluit, ſed ſuo loco tres alios Epiſcopos miſit, vt Palladius narrat. Porro iſta aduerſus Ioannem iam anno ſuperiori cœpta eſſe, ſatis indicat idem Palladius qui præſens omnibus extitit; dum ait, poſt duos menſes à priori inflicta plaga, iterum aduerſus Ioannē tumultuatum eſſe, miſſaſq; litteras ad Epiſcopos: ac nouem poſtea aut decem fluxiſſe menſes vſque ad tempus Quadrageſimæ, cum imminente Paſcha Ioannes condemnatus eſt. Sed & Socrates atq; Sozomenus aperte declarant, iam ante diem Natalis Domini Epiſcopos omnes aduerſus Ioannem vocatos Conſtantinopolim aduenifſe. Ipſam vero poſteriorem eius expulſionem hoc anno ſub Conſulatu Honorij & Ariſteneti accidiſſe, expreſſis verbis idem Socrates ſcribit; ſignificauitque Maraphraſtes[l], dum ait integrum fluxiſſe annum à priori expulſione vſq; ad poſteriorem condemnationem. Marcellinus[m] autem omnia in vnum colligens, ſub anni ſuperioris Coſſ. ea referre videtur.

l Metaphr. in Vit. Chryſ.

m Marcel. in Chron.

V. CONCILIAB. CONSTANTINOP. IN CHRYSOS.

n Pallad. de Vit. Chryſ.

Quod autem ad rem geſtam attinet; narrat Palladius[n] acceſitos ex variis Orientis prouinciis Epiſcopos (inter quos etiam fuere Acacius, Seuerianus, Antiochus, & Cyrinus, qui ſuperioris anni iudicio interfuerant) Conſtantinopolim aduenientes Ioanni communicaſſe, ne ipſe, quod in priori iudicio fecerat, de inimicitia eorum exciperet. Addunt vero Socrates & Sozomenus, quod cum priores eius accuſatores rurſum producti, propter eius animi confidētiam animis cadere viderentur; Epiſcopi dixerunt, non de alio crimine quæri, ſed hoc ſolum in iudicium adduci oportere, quod poſt abdicationem abſque Concilii ſententia ſe ipſe in ſedem Epiſcopalem intruſiſſet: producentes aduerſus ipſum, quem Theophilus miſerat canonem Antiocheni[o] Concilij in Encæniis, quo iubebetur vt ſiquis ſiue iuſte ſiue iniuſte depoſitus, abſque maioris numeri Synodo in Eccleſiam rediret, iterum expelleretur. Sed cum ex parte Ioannis exciperetur, eum canonem ab Arianis ſancitum fuiſſe aduerſus S. Athanaſium (de quo dictum eſt ſuo loco) multo tempore his alterca-

o Conc. Antioch. in Encæn. c. 12.

tionibus (vt ait Palladius) inſumpto; tandem agentibus aduerſariis apud Arcadium Imperatorem, vt eumdem Ioannem quaſi conuictum iminente Paſcha iuberet expelli; eorum importunitate fatigatus Imperator, mandauit Ioanni vt Eccleſia exiret: Cum vero Ioannes reſpondiſſet, ſe à Deo Eccleſiam ſuſcepiſſe, vt ſalutem populi curaret, ideoque nec eam deſerere poſſe niſi vi expelleretur; miſſi quidam ab Arcadio, modeſte eum depulerunt, mandantes vt interim in Epiſcopatus habitatione moraretur. Adueniente autem magni Sabbati die, cum Ioannes veſpere in Eccleſiam ingreſſus eſſet, vt ex more Vigilias celebraret, & Baptiſmum petentibus adminiſtraret; rurſum ei mandatum eſt vt Eccleſia exiret, miſſique ſunt milites qui populum ad vigilias & baptiſmum conuenientem exturbarent: quod ipſi tanto ſacrilegio, tantaque ſæuitia præſtiterunt, vt omnis generis, ſexus, ac conditionis homines tam ſæculares quam Eccleſiaſticos, qui Epiſcopo ſuo inhærerent, fuſtibus atque armis expulerint, diſtraxerintq; adeo vt & ipſum Baptiſterium cruore repletum fuerit. Narrat hæc omnia pluribus Palladius; quæ inſcio Arcadio Imperatore, Epiſcoporum factione geſta eſſe ait. Habetque eadem ipſe Chryſoſtomus epiſtola ad Innocentium Papam ſcripta: ac præterea addit, quod dum ſanctiora quæque milites ad prędam perſcrutarentur, ipſe etiam ſacratiſſimus Chriſti Sanguis (aſſeruari tunc adhuc temporis in Eccleſia ſolitus) in tanto tumultu in eorumdem militum veſtimenta fuſus fuerit; omniaque non ſecus ac in captiuitate, barbarica facinora paſſim admiſſa: ac demum narrat, populum omnem extra vrbem excubare coactum eſſe; ſimulque & amplius quadraginta Epiſcopos qui eidem Ioanni adſtabant, ſine aliquo iudicio pulſos; & ipſa illuceſcente S. Paſchatis die, viſam eſſe ciuitatem omnem extra vrbis mœnia ſub arboribus & frondibus feſtiuitatem celebrare. Hæc & alia Ioannes ea epiſtola.

SACRILEGA GRASSATIO MILITVM IN FIDELES ET ECCLESIAM.

SANGVIS CHRISTI EFFVSVS A MILITIB.

VI. Qui enim nullam ſpem reliquam eſſe cognoſceret, vt meliori ſtatu res collocarentur; haud diutius diſſimulandum ratus, ad vnicum ſibi relictum confugium conuolauit, nimirum ad Romanum Pontificem, quem ſciret perperam facta aliorum Epiſcoporum poſſe corrigere. Quē cum præuenire ſtuduiſſet Theophilus Alexandrinus, ne in caput ſuum talia tantaq; præſumpſiſſet; legatum prius ipſe Romam miſit Alexandrinæ Eccleſiæ Lectorem, cum litteris quibus ſignificauit quæ in Synodo aduerſus Ioannem geſta eſſent. Ipſe vero Ioannes legationem honorificam quatuor Epiſcoporum & duorum diaconorum ad eumdem Innocentium Papam direxit, qua ipſum contra iudicium Theophili & aliorum Epiſcoporum appellauit, ſcribens pariter de iiſdem ad Venerium Epiſcopum Mediolanenſem, & Chromatium Aquileienſem: iiſq; additæ ſunt aliæ litteræ Epiſcoporum quadraginta ipſius communionis, necnon Cleri Conſtantinopolitani, ad eumdem Innocentium, confirmantes quæ à Ioanne ſcripta eſſent. Eſt enim horum omnium locuples teſtis in Dialogo Palladii, alter interlocutor Theodorus tūc temporis Romanæ Eccleſiæ diaconus, qui eadem præſens cuncta perſpecta habuit, à quo etiam recitatur epiſtola p Ioannis ad Innocentium. Eam vero ſtatim poſt Paſcha miſſam eſſe ex eo aſſeri poſſe videtur, quod cunctas res geſtas ordine temporis narrans orationem in iis quæ in ipſa illuceſcente eiuſdem feſtiuitatis die acta ſunt clauſit. Magna porro prouidentia ſiuit Deus hæc inter tantos Epiſcopos agitari, vt certo iudicio exploratum poſteris redderetur, quinam in Eccleſia Catholica principem locum teneat, quēque tam Iudices iudicantes quam rei damnati pariter inſpicere debeant; illi quod ſcirent eminentius ſupra ſe ſtare tribunal; iſti magno ſolatio intelligerent aliquod reliquū eſſe confugium, quod iniquam ſentētiam paſſi ſecuri peterent. Subdit autem his Theodorus, Innocentium Papā omnibus perſpectis, vtriuſque quidem tam Theophili, quam Ioannis communionem admiſiſſe; ſed tamē Theophili iudicium irritum eſſe decreuiſſe, donec Ioannis cauſa iterum tractaretur in Synodo tam Occidentalium quā Orientalium Epiſcoporum, ad quam ipſum etiam Theophilum inuitauit litteris quas idem q recitat. Quas autem ad Ioannem Innocentius dedit, non extant: affirmat tamē Palladius, Demetrium Epiſcopum vnum ex Legatis à Ioanne miſſis, litteras ab Innocentio pro illius communione ſcriptas vulgaſſe magno præconio per Orientales Eccleſias.

CHRYSOS. APPELLAT ROMAN. PONTIFICEM.

p ap. Pallad. in Dialog. Extat etiam to. 1. Epiſt. Rom. Pont. poſt ep. Innocētii.

ROM. PONTIFEX SVPREMVS OMNIVM IVDEX AGNITVS.

INNOC. PP. QVID IN CAVSA CHRYSOS.

q ap. Pallad. ibid. & Innoc. ep. 10.

VII. Interea vero Conſtantinopoli qui Ioannem iniuſtiſſime damnarant, eoſdem in necem ipſius ſicarios mercede conduxiſſe; ſed his à populo tentis, ipſum Ioannem eiuſmodi periculum effugiſſe, teſtatum habetur apud Palladium atq; Sozomenū r. Licet autem poſt hęc noctu diuq; idem Ioannes à populo cuſtodiretur in ædibus Epiſcopalib. tamen poſtmodum factione aduerſariorum Epiſcoporum, Acacii, Antiochi, Seueriani, & Cyrini, conteſtantium apud Imp. ſe damnationem eius ſuper caput ſuum ſuſcipere, eumdem ab Imp. iuſſum illinc egredi, tandem abſceſſiſſe maximo omnium eiulatu, atq; vinctum à militibus abductum eſſe, diſperſis pariter in diuerſa loca, aut in carcerem coniectis Epiſcopis ei fauentibus; pluribus narrat idem Palladius qui aderat Ioannis autem expulſionem contigiſſe his Coſſ. duodecimo Calendas Iulii Socrates s eſt auctor.

r Soz. l. 8. c. 21.

CHRYSOS. VINCTVS AB VRBE ... EXPELLITVR.

s Socr. lib. 6. c. 16.

VIII. Subdit vero Palladius de igne, qui confeſtim poſt Ioannis egreſſum, ipſo meridie de medio throno in quo ille in Eccleſia ſedere conſueuerat, repente proſiliens, primo ſedem ipſam depaſtus, inde arboris inſtar tectum petens, ipſum quoque penitus incendit; ac poſtea interſtitio plateæ ſepoſitas Senatus ædes, per mediam populi multitudinem innoxie tranſiliens, inuaſit ac in cineres redegit vna cum adiacentibus ædificiis ſoli parcēs ædiculæ in qua ſacrorum vaſorum multitudo fuerat condita, ne videlicet obtrectatoribus præberet mendacii locum, vt S Ioannem inſimulare poſſent quod pretioſæ ſupellectilis aliquid aſportaſſet. Hæc fuſius Palladius, qui præſens cuncta inſpexit. Eiuſmodi autem incendium prodigioſum fuiſſe, & haud humana opera excitatum, poſt eumdem auctorem Marcellinus & complures t alii affirmarunt. Sed ea de re conflictatum eſſe inter fautores Ioannis & Theophili, altera parte alteri illud contentioſe impingente, Sozomenus tradit. Quod quidem Socrates tribuit Ioannis fautoribus, quaſi indignantibus de iis quæ geſta eſſent aduerſus eum: Credidit que itidem Zoſimus u, publica quadam fama ſparſum ex habitis de Ioannis ſectatoribus publicis quæſtionibus, cum de eo incendio non ſolum in miniſtros Eccleſiæ; ſed & in diaconiſſas clariſſimas feminas diriſſima eſt quæſtio x ab Optato vrbis Conſtantinopolitanæ Præfecto homine Gentili habita, adeo vt etiam nonnullorum ex iis nomina habeantur in tabulas y Eccleſiaſticas titulo martyrii relata. Sed quod nemo z inuentus ſit, qui de perpetrato ſcelere vel leuiſſimam ſuſpicionem fecerit; plane ad alios prorſus, ſi non ad miraculum ob numen offenſum, pertinere perpetratum facinus docuere.

INCENDIVM COELITVS MISSVM ECCLES. ONSTANT.

t Leo Aug. in Encom. de reb. Chryſ. Metaphr. in Vit. Chryſ. & alii.
u Zoſ. lib. 5.

QVÆSTIONES DE INCENDIO.

x Vid. Pallad. in dial. Soz. lib. 8. c. 24. Chryſ. ep. 5. & 7. ad Olym. piad & ep. 94. ad Pentad.
y Martyrol. Rom. 12. Ianuar.
z l. 37. C. Th. de Epiſ. & cler.

IX. Eiecto Ioanne, mature eius aduerſarii aliquem in ipſius locum ſufficere conati ſunt, quo omnem ei ſpem reſtitutionis auferrent. Itaq; elegerunt *Arſacium* eius Eccleſiæ preſbyterum, fratrem Nectarii qui ante Ioannem eidem Eccleſiæ præfuerat, virum (vt ait Palladius) quem piſces facundia, & cantu ranæ ſuperarent: qui & periurus eam acceptauit, cum fratri Nectario ſub iureiurando fuiſſet pollicitus, numquam ordinationem Epiſcopatus admiſſurum, cum illi exprobraret quod noluiſſet Tarſenſi Eccleſiæ præfici. Quamobrem magno plane & occulto Dei iudicio accidit, vt in locum eloquentiſſimi viri ſuccederet homo penitus infantiſſimus, decrepitus ſenex, & ſpiritalis exercitationis ignarus; qualem omnes fuiſſe ferunt Arſacium. Euenitq; tunc idem quod ante ſub Theodoſio Maiore itidem Conſtantinopoli accidiſſe vidimus, nempe in ſedem Magni Greg. cognomento Theologi ſuffectum fuiſſe eumdem Nectarium hominem catechumenum, ſacrorumque dogmatum penitus imperitum; ſicq; duos ampliſſimos viros, quorum vix vmquam pares viſa eſt habuiſſe Catholica Eccleſia, tales poſt ſe & abs ſe longe diſſimiles conſecutos eſſe Epiſcopos ſucceſſores.

ARSACIVS ELIGITVR SVCCESSOR CHRYSOS.

X. Quanto autem mœrore affecti ſint pii omnes, cum viderent

DIRA PERSECVTIO IN PASTORES CHRYSOS.

deret adeo diſparem in ſede Ioannis ſedere Antiſtitem, quantiſque tum in ipſa ciuitate Conſtantinopolitana, tum vbique per vniuerſum Orientem malis, pœniſque carcerum, verberum, exiliorum, amiſſionum bonorum atque omnimodarum facultatum, immo & cædium, afflictati fuerint tam Clerici atque Epiſcopi quam aliæ religioſæ & ſæculares cuiuſcumque ſexus & ordinis perſonæ, quod Arſacio communicare recuſantes, Ioanni licet exuli adhærerent (quos ideo *Ioannitas* vocabāt) ea facile vnuſquiſque intelligere poterit ex paucis quæ de iis retulere Palladius [a], Socr. [b], Sozom. [c], & alii rerum Chryſoſtomi ſcriptores; ipſeque Chryſoſtomus [d] in epiſtolis ad Olympiadem atque Pentadiam clariſſimas feminas Conſulares, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ diaconiſſas, & tum & ipſæ eadem de cauſa diriſſima à Præfectis paſſæ eſſent: ac denique ex ipſis hoc eodem anno promulgatis Arcadii Imp. [e] conſtitutionibus, quibus iuſſum eſt Præfecto Prætorio & prouinciarum Rectoribus, conuentus eorum arcere, qui Orthodoxorum religione ſuffulti relictis Eccleſiis alio conuenirent, eoſque Epiſcopos atque ſacerdotes Eccleſiis ſuis pellere qui diſſentirent à communione Arſacii Conſtantinopolitani, Theophili Alexandrini, & Porphyrii Antiocheni Epiſcopi; quem hoc ipſo anno quo Ioannes in Armeniam deportatus eſt, in locum Flauiani poſt viginti tres ſedis annos defuncti, ordinatum eſſe ab inimicis S. Ioannis, Acacio, Seueriano, & Antiocho, teſtatur Palladius, eiuſdem *Porphyrii* probroſam vitam & perditiſſimos mores, eiuſque ſedis fraudulētam inuaſionem ac violentam retentionem pluribus deſcribens; aſſerenſque Innocentium Rom. Pontif. numquam ei communicare voluiſſe. Palladio vero cum & alii huius temporis ſcriptores aſſentiantur in recenſendis eiuſdem Porphyrii vitiis; à veritatis ſcopo longius aberraſſe arguitur Theodoretus [f], dum eum laudibus extulit. Sed quod ad rem de qua agitur attinet; teſtatur quoque idem qui ſupra Theodorus [g] Romanæ Eccleſiæ diaconus, aliud edictum ab Arcadio Imp. promulgatum eſſe aduerſus eos qui aliquem clericum vel Epiſcopum ab eorumdem Epiſcoporum communione abhorrentem occultaſſent; quod & hactenus extat [h]. Pariterque Zoſimus ingentem monachorum numerum, & alios id genus homines captos, & dira ob non communicationem cum Arſacio paſſos eſſe tradit.

a Pallad. in dial.
b Socr. lib. 6. c. 16.
c Soz. lib. 8. c. 23. 24.
d Chryſ. ep. 5. 7. 14.
e l. 5. & 6. C. Th. de his qui pro relig. cont.

DE PORPHYRIO PSEVDOEPISC. ANTIOCH.

f Theod. l. 5. c. 35. ep. Pallad. ibid.

g l. 37 C. Th. de Epiſc. & cler.

XI. LEGATIONES AB VTRAQ. PARTE MISSÆ AD INNOC. PP.

Quomodo autem his omnibus acceptis Romæ Innocentius Papa, quamprimum valuit his occurrere conatus eſt, idem Theodorus enarrat; ſingulaſque legationes recenſet, tum ab Epiſcopis partis Ioannis, tum ab eius etiam aduerſariis, atque item à Clero Conſtantinopolitano ad eumdem Pontificem, tamquam ad ſupremum omnium Iudicem, hoc anno poſt expulſum Ioannem miſſas: ſed & nonnullos enumerat Epiſcopos, qui fuga lapſi ad cōmune aſylum Eccleſię Romanę ſe receperunt; inter quos fuit & ſæpe nominatus Palladius Helenopoleos Epiſcopus rerum Chryſoſtomi enarrator. Qui vero inter Legatos à Clero Conſtantinopolitano miſſos, recenſetur, *Caſſianus* diaconus Ioannis, eum quidem putamus illum cuius ſunt *Collationes Patrum*: nam & Gennadius [i] eum à Ioanne Chryſoſtomo diaconum ordinatum tradit. Errore autem, mea ſententia, lapſi ſunt, qui ſcripſere [k] hunc ipſum à Ioanne Chryſoſtomo diaconum ordinatum, atque poſt aliquot annos ab eodem expulſum, Maſſiliamque profectum, illic ordinatum eſſe presbyterum.

i Gen. de vir. illuſt. c. 61.
k Trith. in cata. vir. illuſt. & alii poſt eum.

XII. DE IOANNE CASSIANO SCRIPTORE ECCL.

Sed quando hic expulſus à Chryſoſtomo dici poteſt qui etiam poſt eius exilium in ipſius obſequio perſeueraſſe cognoſcitur, & pro eo functus legatione ad Innocentium? Cum autem nullus antiquorum notam huiuſmodi Caſſiano inuſſiſſe legatur; puto occaſionem aliis errandi inde manaſſe, quod qui pro Ioanne, ſicut ceteri eius Eccleſiæ clerici partis Ioannis, eſſe reperitur expulſus, eumdem per Ioannem eiectum exiſtimarint. Denique ipſe Caſſianus in libris quos de Chriſti incarnatione conſcripſit, erga memoriam Ioannis Chryſoſtomi propenſiorem ſe oſtēdit, dum eum ſæpe laudibus haud vulgaribus celebrat & quod maius videri debet, quicquid ipſe ſciret liberaliter eidem acceptum [l] refert. Ceterum poſt hæc Caſſianus profectus in Ægyptum, ibi monaſticam vitam excolere cœpit, indeque ſcribendi Collationes Patrum hauſit argumentum: Extatque Iſidori Peluſiotæ, ipſius quoque Chryſoſtomi diſcipuli, ad eumdem Caſſianum epiſtola cum aggreſſus eſſet vitam monaſticam profiteri, qua eum inprimis coercere linguam admonuit. Porro idē vſitatius cognomine quā nomine, à maioribus vocitari ſolitus fuit: nam Gennadius, Caſſiodorus, aliique, nonniſi *Caſſianum* nominant; cum tamen auctore S. Proſpero [m] ſciamus, appellatum eſſe *Ioannem*, cognomento vero *Caſſianum*.

l Caſſian. de incar. lib. 7. c. 31.

m Proſp. in Chron.

XIII. INNOCEN. PP. ET HONOR. IMP. AGVNT PRO CHRYSOST.

Sed vt ad Legationes redeamus; conſtat quidem, iis acceptis Innocentium Papam ſtatuiſſe vna cum Epiſcopis Italiæ, communicandum eſſe cum Ioanne Chryſoſtomo, quod violenter eiectus eſſet, non autem cum Arſacio intruſo, donec ea de cauſa congregatis vtriuſque partis Epiſcopis, Synodus generalis haberetur, in qua quæ eſſent alterutri potiora iura decerneretur. Hæc enim explorata reddūtur ex relatione [n] Theodori S. R. E. diaconi, epiſtolaque [o] Honorii Imp. ad Arcadium fratrem ſcripta (admonitione Innocentii Papæ, vt Theodorus ſignificat) qua omnia quæ hactenus impie in ea cauſa geſta eſſent expro brans commemorat; admodumq; pie monet, vt à cœpto furore deſiſtens pacem Eccleſię procuret. Sed & eumdem Innocentium ad Ioannem Chryſoſtomum conſolatorias ſcripſiſſe litteras, pariterque ad Clerum Conſtantinopolitanum partis Ioannis de celebranda Oecumenica Synodo; teſtis eſt inter alios Sozomenus [p], qui eaſdem recitat. Quæ autem hæc ſecuta ſunt, dicentur anno ſequenti: iam ipſum inuiſamus Chryſoſtomum, inter manus militum exiſtentem.

n ap. Pallad. in dial.
o To. 1. ep. Rom. Pont. poſt ep. Innoc. 16.

p Soz. lib. 8. c. 26. Innoc. ep. 14. 15. 16. 1. ep. Rom. Pont.

XIV. CVCVSVM OPPIDVM LOCVS EXILII CHRYSOS.

Cucuſum oppidum ab Eudoxia Auguſta præſcriptum ei fuiſſe locum exilii, tum ipſe, tum alii omnes teſtantur; aſperrimum plane locum, ſed nobilitatū ante exilio ſanctiſſimi viri Pauli Epiſcopi pariter Conſtantinopolitani, & martyris ſub Conſtantio Imperatore. Ceterum quod omnes ferme in Armenia oppidum illud conſtituunt, ipſe Chryſoſtomus epiſtola ad Cyriacum [q] Epiſcopum poſtea ſcripta, in Cilicia ſitum ponit. Quomodo autem illuc proficiſcenti, ex diuerſis prouinciis agmina Fidelium vtriuſq; ſexus omniſque conditionis in occurſum properantes, per vias, per vicos, per vrbes ſeſe effunderent: & lacrymarum imbres præ dolore funderent, quamque ægra valetudine toto itinere laborauerit, continuis febribus & ſtomachi ſolutione: quanta inſuper paſſus ſit Cæſareæ Cappadociæ mala à Pharetrio eius ciuitatis Epiſcopo inuidia percito, quod vidiſſet ipſum Chryſoſtomū ab omnibus ciuibus, & clero, ac monachis vtriuſq; ſexus magna veneratione haberi, & eximia humanitate foueri: quantas præterea itinerum difficultates pertulerit; quantaq; latronum Iſaurorū [r], vniuerſas illas regiones diriſſime infeſtantium, pericula euaſerit: ſed & quomodo Cucuſum adueniens (quod accidit mēſe Auguſti huius anni) humaniſſime ibi tam ab Epiſcopo, quam aliis eiuſdem loci ac totius regionis incolis ſuſceptus fuerit, atque ob ingentem ipſorum liberalitatem ac ſolicitudinem, etiam ſi oppidulum illud deſertū eſſet, & nec forum nec venale aliquid haberet, omnibus tamen rebus abundauerit: ac denique cum de ſede firma exilii innotuiſſet, quodāmodo ad eum cōfluere vndique cœperint quibus hoc conceſſum eſſet amici, abſentes vero legationibus eum ac litteris frequentauerint. Hæc inquam omnia & alia eo ſpectantia, pluribus ipſemet Ioannes narrat in epiſtolis quas multiplices tam ex itinere quā ex ipſo exilii loco ad diuerſos ſcripſit, ac præcipue ex prædicta ad Cyriacū, aliiſq; duabus [s] quas inter alias ad Olympiadem diaconiſſam, cuius ſuperius facta eſt mentio; quæ & ipſa ob communionem Chryſoſtomi, poſt alia certamina etiam exilio mulctata eſt. Habent autē Chryſoſtomi tunc ſcriptæ litteræ eam energiam, vt quiſque perlegens, non ſolum ingentem vim illius dicendi admiretur, ſed obſtupeſcat ad eius celſitudinem animi; dum innumeris licet atque immenſis obrutus anguſtiis, tantum tamen abfuit vt aliena indigeret conſolatione, vt potius omnes diuerſis attritos moleſtiis, & vel in vinculis vel in exilio ipſius

q Chryſ. ep. 125.

ITER CHRYSOSTOMI AD LOCVM EXILII.

r Meminere etiam Iſaurorum graſſationum Zoſ. li. 5. Sozom. lib. 8. c. 25. Marcel. in Chron. Extatque Theodoſii Iunior. Impr. poſt annos aliquot datum reſcriptum l. vbi C. Th. de quaſ. quo iubetur Præſides prouinciarum, in Iſaurorum quæſtionibus nullā dare vel venerabili in Paſchali die exceptionem.

s Chryſ. ep. 13. 14.

QVALIS IN EXILIO CHRYSOS.

cauſa conſtitutos Epiſcopos, clericos, alioſque ita conſolatus fuerit, vt maiora ſubeundi tormenta immenſum iniiceret deſiderium quas ſingulas perlegendo, magnam lector capiet cum vtilitate animi voluptatem.

XV. PERSECVTORES CHRYSOS. MALE PEREVNT.

t Socr. lib. 6. c. 17.
u Soz. li. 8. c. 27.

Quod autem ſpectat ad perſecutores Ioannis, & calumniarum aduerſus eum miniſtros, damnationiſque architectos; eos omnes horribilibus & incurabilibus diuerſis morbis diuinitus affectos, teſtis eſt Palladius, ſingulorum ferme infortunia recenſens: quorum etiam meminerunt ex parte Socrates [t] atque Sozomenus [u]. Sed & cum grando (inquit idem Socrates) magnitudine inuſitata in ſuburbiis Conſtantinopoli ſub huius ipſius anni Coſſ. pridie Calen. Octobris forte decidiſſet; percrebuit ſermo, iſtud Deo irato propter Ioannem abdicatum contigiſſe. Eumq; ſermonem Imperatricis mors, quæ quatriduo poſt delapſam grandinem inſecuta eſt, vehementer auxit. Hæc Socrates; eademque Sozomenus: quibus æq; aſſentitur S. Proſper [x]; dum affirmat iiſdem Coſſ. Eudoxiam diem obiiſſe; idq; ipſum tradit Marcellinus. Cedrenus [y] autem genus mortis deſcribens, ait cum vterum ferret, iamq; partui eſſet vicina, fœtum in vtero extinctum eſſe, totoſq; dies quatuor mortuum retentum computruiſſe; cumq; nec exiret, nec dolorum Auguſtæ finis eſſet, quemdam ei litteras magicas ſuperpoſuiſſe; ſicque eamdem ſtatim mortuum fœtum eieciſſe, ac ſimul animam miſerrime efflaniſſe. Nicephorus [z] vero addit vrnam cui eius cadauer impoſitum eſt, perpetuo motu agitari viſam; Deo videlicet eum qui per illam concitatus fuerat in Eccleſia motum oſtendente. Denique nec Arcadius, quamuis iunioris eſſet ætatis, diu ſuperſtes fuit, vixque ad quadriennium vitam propagauit. Vt plane vlciſcente numine palam factum ſit, quanto periculo Principes inſequantur eos, de quib. illata terribilis præceſſit comminatio Chriſti [a], *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.*

x Proſp. in Chron.
y Cedr. in comp.
EVDOXIÆ AVG. INFELIX EXITVS.
z Nic. lib. 13. ca. 36.
a Matt. 12.

XVI. DE TEMPORE OBITVS EVDOXIÆ.

Quod autem in controuerſiam adduci poteſt, illud eſt, num reuera hoc anno (vt citati auctores teſtantur) cótigerit Eudoxiæ obitus: ſiquidem ſuperuixiſſe etiam poſt biennium. Græci omnes qui vitam conſcripſere S. Ioannis Chryſoſtomi, ac pariter recentiores Græci hiſtorici affirmant, puta Leo Auguſtus, Metaphraſtes, Nicephorus, Cedrenus, Zonaras, Glicas, & alii: & quæ maiora his omnibus teſtimonia videri debent, tum Innocentii Papæ litteræ ad Arcadium Imperatorem poſt obitum Ioannis datæ, tum Arcadii ad eum redditæ, adhuc eo tempore eamdem ſuperſtitem fuiſſe ſignificant. Denique ſi verum eſſet, eam hoc anno adeo prodigioſo interitu extremum clauſiſſe diem; quomodo Palladius, cum recenſet ſeriatim omnes qui ob perſecutioné Chryſoſtomi à Deo male mulctati ſunt, de malis illatis Eudoxiæ ne verbum quidé, quæ ante omnia fuerant recenſenda? plane ſignificans ea nondum hoc tempore cótigiſſe. Sed de his modo hactenus: quæ autem poſtea acciderint, ſequenti anno dicturi ſumus. Iam enim res Occidentales ad ſe orationé euocát.

XVII. CONCIL. CARTH. CONTRA DONATISTAS.

b ap. Conc. Afric. c. 60.

Hoc eodem anno iiſdemq; Coſſ. Honorio ſextum & Ariſteneto, ſexto Calendas Iulii habita eſt *Carthagine* SYNODVS, ex qua [b] miſſi ſunt duo Epiſcopi Legati ad Honorium Imp. contra Donatiſtas, vt Imperatoria cogerentur auctoritate pacifice agere, qui fraterna conuentione, qua ad pacem & concordiam fuerant à Catholicis inuitati, contempta, in eos conuenientes Epiſcopos armata manu graſſati eſſent, vt pluribus dictum eſt anno ſuperiori. Interea vero vt dum iidem redirent legati conſultum eſſet Catholicorum ſecuritati, ex eadem Synodo ſcriptum eſt ad Iudices, vt patrocinium eorum ſuſciperent: additæque legatis litteræ commendatitiæ ad Romanum Pontificem, vel alios Epiſcopos ciuitatum illarum in quibus Imperatorem morari contigiſſet. Quem autem exitum hæc ad Imperatorem legatio habuerit, dicetur anno ſequenti.

XVIII. DISPVT. AVGVST. CVM FELICE MANICHÆO.

c ap. Au. to. 6.

In eadem quoque Africa iiſdem Coſſ. (vt Acta [c] publica à Notariis excepta docent) S. Auguſtinus Hippone-regio in Eccleſia ſua biduo coram populo diſputauit cum Felice Manichæo, qui ad hoc eo venerat vt errores Manichæorum diſſeminaret: quæ diſputatio feliciſſimum eiuſdem Felicis conuerſione ad Catholicam veritatem nacta eſt finem. Quo vero ritu recipi Manichæi ſolerent in Eccleſiam, quaque forma ſuam hæreſim anathematizarent, extat ea de re Commonitorium [d] eiuſdem S. Auguſtini, nouem complectens anathematiſmos. Ceterum Felice conuerſo hæreſis Manichæa adeo debilitata eſt, vt nullus poſthac inuentus ſit qui publice eius patrocinium ſuſcipere auſus fuerit; iam ante Fauſto inde ſubmoto [e], cum erroris conuictus in iudicio, à Præſide eſt relegatus in inſulam, à qua tamen non multo poſt relaxatus fuit.

CONVERSIO FELICIS.
d Rec. Baron. Annal. to. 5. hoc an.
e Aug. 5. cont. Fauſt. 8.

XIX.

f Innoc. ep. 1. To. 1 epiſt. Rom. Pont.

Iiſdem pariter Coſſ. decimo quinto Calendas Martii, Innocentius Papa epiſtolam [f] ſcripſit, quam *Decretalem* appellant, maiores vero *Conſtitutum* dixere, ad S. Victricium Rothomagenſem in Gallia Epiſcopum; quam ille expetiiſſet, vt in his quæ ſpectant ad Eccleſiaſticam diſciplinam, ab ipſa Apoſtolica Sede normam acciperet. Hic námque ille magnus *Victricius* ætate longæuus, iam olim Iuliani Apoſtatæ temporibus miles, Chriſti Confeſſor, miraculis egregie nobilitatus, de cuius certamine ſuo loco facta eſt mentio. Ex quib. videas, doctrina & ſanctitate ſpectatos vbiq; Epiſcopos, quantumlibet ipſi ad informandam Eccleſiaſticis inſtitutis plebem fidelem ſatis ſibi eſſe videri poſſent; ex fonte tamen ſolitos originario haurire aquas, quod firmioris ſcirent eſſe roboris, maiorique ſuſcipi reuerentia, quod ab Apoſtolica ſede conſtaret eſſe petitum. Nam & quod hoc anno Victricius egit, id ipſum præſtitit ſequenti Sanctus Exuperius Epiſcopus Toloſanus, & alii aliis temporibus ſemper, vt conſtat ex horum Annalium lectione.

SANCTISS. EPISCOPI SOLITI CONSVLERE SEDEM APOSTOL.

XX.

g Hier. ep. 27. ad Euſtoch.
HIERON. VERTIT REGVLAS MONACHOR.
h Genn. de Vir. illuſtr. c. 7. 8. 9.

Denique iiſdem Coſſ. S. Hieronymus [g] conſignat obitum Hieroſolymis S. *Paulæ* clariſſimæ atque ſanctiſſimæ feminæ Romanæ, de qua ſuperius facta eſt mentio. Quo quidem obitus tempore, ſe quoque Regulas monachorum à SS. Pachomio, Orieſio, & Theodoro ſcriptas (quarum etiam meminit Gennadius [h]; extant vero in appendice ad Caſſianum) profuturum, vt ait, Latinis ſuis, in Latinum conuertiſſe, ipſe in præfatione illis affixa teſtatur.

IESV CHRISTI AN. 405.

ARCADII HONORII AN. 11.

INNOCENTII AN. 4.

I.

a Vid. Theodoſ. SS. Patr. c. 8.
b Chryſ. ep. 147.
c Socr. lib. 7. c. 1.

ANnus Chriſti quadringenteſimus quintus Coſſ. habuit Stiliconem ſecundo & Anthemium: qui quidem *Anthemius* in Oriente creatus, ob inſignem pietatem à Patribus dignis elogiis [a] prædicatur, ac præcipue à S. Ioanne Chryſoſtomo in epiſtola [b] quam ad eum, ſimulac auditum eſt Conſulem creatum eſſe, Cucuſo ſcripſit. Vnde videas, haud ipſum maiorum ſuorum voluiſſe offundi tenebris, & perperam geſtis infamari, cum illius Philippi nepos fuiſſe dicatur, qui Arianorum nequiſſimus S. Paulum Epiſcopum Conſtátinopolitanú è throno expulit, & Cucuſum item relegatum, ſtrangulandú curauit.

II. CHRYSOS. MVTAT LOCVM EXILII.

His igitur Coſſ. idem Chryſoſtomus rigore aſperrimæ hiemis grauiſſimo morbo affectus, adueniente vere Iſaurorum latronum, cuncta deprædationibus, incendiis, cædibus miſcentium pericula ſubiit. Itaque factum eſt, vt quibus eius cuſtodia mandata erat, rati minus tutum locum eſſe Cucuſum, cum exegiſſet (vt ait Palladius) ibi annum in Arabiſſum magis munitum Armeniæ oppidum, ipſum non ſine magno periculo tranſtulerint. Teſtatur hæc ipſemet in pluribus eo tempore ad Olympiadem [d] diaconiſſam, alioſque amicos [e] ſcriptis epiſtolis, quib. etiam quæ Arabiſſi pateretur incommoda deſcripſit. Prolixiorem inſuper ad eamdem Olympiadem [f] exarans, meminit ad finem de *Pelagio* monacho recens detecto hæreſiarcha; iubetque cogitare, quot quantiſq; coronis digni ſint qui forti animo in acie ſteterint, cum viri tam pie ac ſancte, tantaque cum tolerantia viuentes, abripi, atque in fraudem impelli cernerentur. Ex quibus probe intelligere poſſumus, hoc potiſſimum anno eumdem Pelagium, in Oriente diu in veſtitu ouinæ pellis deliteſcentem, iá qualis intus eſſet ab aliquib. lupum fuiſſe detectum: Eademq;

d Chryſ. ep. 815.
e Id. ep. 69. 130. 131. 135.
f ep. 4.
PELAGIVS HÆRESIARCHA DETEGITVR.

epiſtola mittere ſe ait lucubrationem, *Quod qui ſe ipſum non læſerit, à nemine alio lædi poßit*, à ſe elaboratam, quo ipſius Olympiadis immenſis afflictum ærumnis animum recrearet, & ad altiora erigeret. Extat [g] hactenus ea ſcriptio, cui inconſulte præfigitur inſcriptio Homiliæ, cum nequaquam ad populum in Eccleſia habita ſit, ſed in cubiculo elaborata: & quidem huiuſmodi, vt ipſa ſola ſatis eſſe poſſit ad abſolutiſſimum philoſophum efformandum: nouiſſimus ſane tanti Patris partus, quem dolore conceptũ, morte etiam nobili conſecrauit. Proſpexiſſe inſuper Eccleſiis Phœniciæ, & Gothorum, miniſtris indigentibus, teſtantur aliæ ipſius epiſtolæ [h]. Atque ex pecuniis, quas tum alii multi afferebant, tum prædicta Olympias mittebat, indigenarum ſubueniſſe egeſtati, & captiuos ab Iſauris redemiſſe, auctor eſt Sozomenus [i].

g To. 5. oper. Chryſ. — VLTIMA LVCVBRATIO CHRYSOS.
h Id. ep. 51. & ſeqq.
i Soz. lib. 8. c. 27.

III. ROM. SYNODVS PRO CHRYSOST.

At quid Romæ interim in eius cauſa actum ſit, hęc habentur ex Theodoro Romanæ Eccleſiæ diacono apud Palladium: nimirum ibidem congregatos in SYNODO Italiæ Epiſcopos, Honorium Imp. rogaſſe, vt ſcriberet fratri Arcadio pro celebrando Concilio Theſſalonicæ, quo facilius vtræque partes Orientis & Occidentis concurrere poſſent: Honorium vero id magna diligentia præſtitiſſe, miſſis litteris [k] ſuis per quinq; Epiſcopos, duoſque preſbyteros, & vnum diaconum Romanæ Eccleſiæ, quos Patres Synodi cum aliis litteris Conſtantinopolim delegarunt. Quod vero idem Theodorus affirmat, legatos nõ ſolũ Innocentii Papæ & Honorii Imperatoris, ſed aliarum ſedium in Italia Epiſcoporum, ſecũ litteras attuliſſe: conſtat quidem eoſdem omnes non pacificis tantum, ſed etiam communicatoriis vel formatis cum Ioanne communicaſſe. Quamuis enim eorum litteræ minime reperiantur, id tamen intelligitur ex compluribus quæ ad ipſos datæ extant ab eodem Ioanne, atq; inter alios ad Chromatium [l] Aquileienſem, Venerium [m] Mediolanenſem, & Aurelium [n] Carthaginenſem. Ceterum etſi hoc anno decreta eſt legatio ad Orientem, haud tamen eo venit niſi tranſacta hieme, cum iam non amplius Arſacium pſeudoepiſcopum, ſed Atticum inuenerunt eidem ſubſtitutum in ſede Conſtantinopolitana. Siquidem contigit Arſacium hac vita defungi ſub his Coſſ. tertio Idus Nouembris, vt auctor eſt Socrates [o], cum annos vitæ exegiſſet octoginta vnum, occupaſſet vero ſedem (vt ait Palladius) annum vnum & menſes duos: eidemque poſt quatuor menſes, vt habet Sozomenus [p], ſuffectus eſt *Atticus*, de quo anno ſequenti.

k Rom. Pel. lud. ... — LEGATIO INNOC. HONOR. ET OCCIDENT. EPISC. AD ARCAD. PRO EO DEM.
l Chryſ. ep. 155.
m Rec. Bar. to. 5. hoc an.
n Chryſ. ep. 149.
ARSACII OBITVS.
o Socr. lib. 6. c. 18.
p Soz. lib. 8. c. 27.

IV. HONOR. EXAGITAT DONATISTAS.

Quod autem ad res ſpectat Africanæ Eccleſiæ; Honorius Imp. recepta legatione ex Concilio Carthag. ad ipſum anno ſuperiori miſſa, qua rogaretur legibus à Theodoſio ante ſancitis cohiberi debere perfidos Donatiſtas: idem Imperator hoc anno ſecundum diuerſa libelli accuſationis capita, diuerſas contra eoſdem Donatiſtas edidit ſanctiones [q]. Quantum autem emolumenti earumdem ſeueritas Catholicæ attulerit vnitati, quantaq; ſecuta fuerit ex Donatiſtis acceſſio ad Eccleſiam, ſatis compertum redditur tum ex diuerſis S. Aug. ſcriptis, ac potiſſimum epiſtola [r] ad Vincentium, tum ex Actis CARTHAGINENSIS [s] SYNODI, hoc anno iiſdemque Coſſ. decimo Calendas Septembris habitæ: in qua nihil præterea geſtum reperitur, niſi vt quæ reliqua eſſent ad perfectam vnitatem pertinentia, per Legatos quamprimum perficerentur, ageretur que de iis publica legatione Honorio Imp. gratiarum actio. Non tamen ita vnitas proceſſit, vt Donatiſtæ omnes ad Catholicam ſint reuerſi Eccleſiam: remanſerunt enim multi obſtinatiores, quos nec ratio, nec metus corrigere valuit: quorum etiam nonnulli deſperatione adacti, armis in Catholicos graſſari cœperunt; alii vero qui modeſtiores eſſe viderentur, ſcriptis egere, expoſtulantes aduerſus Catholicos quod legibus Imperatorum inuitos pertraherent ad vnitatem. Inter alios autem qui iſta iactarent, fuit *Vincentius* Donatiſta, ſcripta eo argumẽto ad S. Auguſtinum epiſtola; cui fortiorem ipſe reddidit Apologiam [t], qua pluribus diſputauit bene conſuli ſchiſmaticis & hæreticis, ſi legum ſeueritate ad Eccleſiam redire compellantur: egitque de iiſdem ad diuerſos, & inter alios ad Bonifacium [u] Comitem, & nomine clericorum Hipponenſium [x] ad Ianuarium Donatiſtarũ Epiſcopum. Sed & haud poſt multum temporis, eumdem compulſum eſſe ſcribere aduerſus Creſconium Grammaticum, Donatiſtarum acerrimum defenſorem, ipſe eodem tractatu [y] indicat.

q L. 4. C. Th. ne ſanct. bapt. iter. L. 2. de relig. L. 38. 39. de hæret.
r Au. ep. 48.
s Conc. Afr. c. 61.
CONCIL. CARTHAGIN. PRO VNITATE CONSVMMANDA.
HÆRETICI LEGVM SEVERITATE AD ECCLESIAM COMPELLENDI.
t Au. ep. 48.
u Id. ep. 50.
x ep. 68.
y Id. 3. cont. Creſc. 47. & 2. Retr. 26.

V. INNOC. EP. AD S. EXVPERIO EPISCOP. TOLOS.

Iiſdem quoq; huius anni Coſſ. decimo Calendas Martias Innocentius Rom. Pontif. de nonnullis Eccleſiaſticis reb. ſcripſit [z] ad S. Exuperium Epiſcopum Toloſanũ, à quo de iis fuerat conſultus. Hunc autẽ *Exuperium* eumdem eſſe putam' (licet ſint qui negent) quem Auſonius [a] Burdigalẽſem fuiſſe, clarumq; inter eius temporis oratores, poſt Præfecturam Hiſpaniarum ad trãquillitatis portum receſſiſſe tradit: quem & in Eccleſia Burdigal. meruiſſe presbyterum ex Paulino [b] intelligi poteſt. Factus autem Epiſcopus Toloſanus, qualis quantuſque extiterit, egregia vitæ ſanctitate conſpicuus, & erga pauperes largitionibus effuſiſſimus (adeo vt etiam cũctis vaſis Eccleſiæ diſtractis, Corpus Domini caniſtro vimineo, Sanguinẽ portaret in vitro) pluribus locis declarat S. Hieronymus [c]: qui etiam ad ipſum anno ſequenti ſcripſit commentarios in Zachariam, cum idem Exuperius litteras ad eum miſiſſet per Siſinnium monachum integerrimis vitæ moribus præditum, quem in Orientem legauit cum ingenti pecunia, vt Palæſtinæ & Ægypti monachis penuria admodum laborantibus, ad vitam ſubſidia miniſtraret. De quo equidẽ puto, eum diuino ſpiritu prænouiſſe proxime ventururum Galliarum excidium, dedendamq; ipſam Toloſam barbaris; ob idq; feſtinaſſe conferre in ſanctos, quod ablaturi eſſent paulo poſt barbari niſi ante caueret. Sed de barbarorum incurſione, dicetur poſt annum ſequentem.

z Innoc. ep. 2.
a Auſon. epigr. in commem. profeſſ. 18.
b Paulin. ep. 20. ad Amand.
c Hier. ep. 4. 10. 11.

IESV CHRISTI AN. 406.

ARCADII HONORII AN. 12.

INNOCENTII AN. 5.

I. RHADAGAISI SCYTHÆ BELLVM, ET INTERITVS.

ANNO Chriſti quadringenteſimo ſexto, Arcadio Auguſto ſextum & Anicio Probo Coſſ. Theodoſius Iunior (inquit Marcellinus) Quinquennalia edidit: & Rhadagayſus Paganus natione Scytha, cum ducẽtis millibus ſuorum totã Italiam inundauit: ſed eum Huldin & Sarus Hunnorum Gothorumque Reges continuò confecerũt, ipſius capite amputato, captiuos eius ſingulis aureis diſtrahentes. Hæc Marcellinus breuiter; quæ S. Proſper anno ſuperiori ponit. Sed vt Marcellino potius aſſentiamur, perſuadẽt reſcripta [a] Honorii Imp. data hoc anno ad Prouinciales, quibus ob imminentes vndique hoſtiles neceſſitates, iuſſit etiam armari ſeruos & ingenuis militantibus ſtipendium auxit. Ceterum rem geſtam Oroſius [b] huius temporis ſcriptor paulo diſtinctius recenſens, ait Rhadagayſum Paganum & Scytham, omnium antiquorum præſentiumq; hoſtium longe immaniſſimum, cum incredibili pluſquam ducentorum millium Gothorum multitudine, repentino impetu totã inundaſſe Italiam, & (vt mos erat barbaris eiuſmodi gentibus) omnem Romani generis ſanguinem diis ſuis propinare deuouiſſe. Cum itaq; Romanis arcibus immineret, cœpiſſentq; omnes in Vrbe Pagani continuo de repetendis ſacris celebrandiſq; tractare, querẽtes Vrbem deorum ſuper deorum cultorem perituram, quia Deos & ſacra perdidiſſet: Dei iudicio factum eſſe, vt cum duo tũc populi Gothorum cum duobus potentiſſimis ſuis regibus per Romanas prouincias baccharentur, quorum alter Chriſtianus (nempe *Alaricus* ſecta Arianus) Paganus alter (videlicet *Rhadagayſus*) eſſet; perierit Paganus, qui iam receptus ſinu Italiæ Romam è proximo trementem terrore quaſſabat; Chriſtianus autem paulo poſt præualere permiſſus fuerit, vt Pagani blaſphemantes Romani, & illo confunderentur perdito, & hoc & punirentur immiſſo. Namque cum *Huldin & Sarus* Hunnorum & Gothorum duces præſidio Romanorum aduenıſſent, conterritum diuinitus Rhadagayſum in Feſulanos montes ſe recepiſſe; vbi abſque vllo prorſus certamine aut aliqua ſanguinis effuſione, ingens ille exer-

a L. 16. & 17. C. Th. de tyron.
b Oroſ. l. 7. c. 37.
VIII. PARTIO BARBARI VENDITI.

citus inedia atq; languore confectus, ipſeq; Rhadagayſus clam ſuis aufugiens, captus atque interfectus fuerit; ac tanta denique multitudo captiuorum extiterit, vt viliſſimarum pecudum modo ſingulis aureis paſſim greges hominum venderentur; ſed & eoſdem ipſos qui emebãtur, illico mortuos eſſe, nequid de eo populo ſupereſſet, quẽ ad reſtituendum deorum cultum Rom. Ethnici miſſum iactaſſent. Iſta ex Oroſio.

II.

c Aug. ſerm. 35 in Luc. & 5. decimis. 23.

d Vide Bar. Annal. to. 5. hoc an.

DE NVMERO HOSTIVM, ET ERRORE ZOSIMI.

Extãt vero tantæ victoriȩ diuinitus impertitæ præclara etiam S. Auguſtini c elogia: eamdemque ope S. Ambroſii per viſum apparentis obtentam eſſe, Paulinus eius Vitæ ſcriptor ſignificat: aliuſque Paulinus Nolanus Epiſcopus, Apoſtolorum Principibus Petro & Paulo, Vrbiſque martyribus tribuit, cuius ea de re decem verſus ex Natali duodecimo S. Felicis recitat d Dungalus contra Claudiũ Taurinenſem. Quod vero ad numerũ exercitus Rhadagayſi; modeſtius agere viſus eſt Auguſtinus, ne fidem minime poſteris facturus videretur loqui hyperboles, dũ ait multo amplius quam centum millium fuiſſe: quem tamẽ Oroſius pluſquam ducentorum millium extitiſſe tradit: pariterque Zoſimus, & quidem Paganus (nequis inuidioſe Oroſium mentitum putet) ſcribit quadraginta barbarorum millia hoc in bello ſub Rhadagayſo militaſſe collectorum ex trans-Iſtranis, trans-Rhenanis, Celcicis & Germanicis nationibus. Sed plane, vt Paganus, rem tantam perfide obſcurare conatus, ait trans Iſtrum antequã cum copiis in regiones Romano Imperio ſubditas Rhadagayſus ſe inferret, à Stilicone imparatum offenſum ac ſuperatum: cum teſtibus Proſpero & Caſſiodoro, iam ante quinque annos ſub Conſulatu primo Stiliconis & Aureliani iidem deſcenderint in Italiam; & Paulino, Oroſio, Auguſtino, atque Proſpero auctoribus, idem Rhadagayſus fuerit diuina virtute in Tuſcia ſuperatus, captus, atque necatus.

III.

e Socr. lib. 6. c. 18.

ATTICVS CREATVR EPISC. CONSTANTIN.

f Sozom. lib. 8. c. 27.

Sed iam res Orientalis Eccleſiæ videamus. Sub huius namque anni Coſſ. (vt auctor eſt Socrates e) *Atticus* ex Sebaſtia Armeniæ oriundus, à puero ad religionem inſtitutus per monachos hæreſis Macedonianæ, à qua poſtea ad Eccleſiam Catholicam tranſiit, & Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ factus presbyter, vnus fuit ex inſidiatoribus Ioannis Chryſoſtomi; prudentia magis naturali, quam doctrina valens, in rebus agendis ſolers, in locum defuncti Arſacii, quatuor poſt menſibus creatus eſt Epiſcopus Cõſtantinopolitanus. Hæc ex Socrate, atq; Sozomeno f.

IV.

LEGATI INNOC. ET HONORII QVÆ PASSI CONSTANTINOPOLI.

Interea vero cum Legati Roma miſſi (vt dictum eſt anno ſuperiori) Conſtantinopolim properarent, ſcientes aduerſarii Ioannis, ſi iiſdem eo appellarent, fore vt populus pro Ioanne ſollicitus cum eis conſpiraturus eſſet; conſilium illud iniere ſceleſtum, ne eos ſinerent Conſtantinopolim ingredi. Cum itaque iidem ad portum appuliſſent, ab iis quibus eiuſmodi cura demandata fuerat, retro repulſi, concluſi ſunt intra caſtellum quoddam maritimũ, atque variis contumeliis cruciatibuſq; affecti. Cumq; vt litteras quas ab Honorio Imperatore, & ab Innocentio Papa, aliiſq; Occidentalibus Epiſcopis deferendas acceperant darent, exigeretur ab eis, iidemq; obfirmato animo recuſarent eas niſi ipſi Arcadio Auguſto ad quem dirigebantur tradere, adueniens Tribunus quidam, perfracto vnius ex Epiſcopis Legatis pollice, eaſdem per vim abſtulit. Poſtridie vero venerunt ad eos, qui tria millia nummûm darent, vt communicarẽt cum Attico nuper electo Epiſcopo, & de Ioannis Chryſoſtomi iudicio omnino tacerent. Sed & id ipſi penitus agere recuſantes, ab eodem Tribuno iniecti ſunt in nauim vetuſtam & putrem, dato precio nauclero vt perderet nauigantes: verum ijdem diuino adiuti auxilio Lampſacum appellentes, inde mutata naui in Italiam peruenerunt poſt quatuor menſes quam in Orientem profecti fuerant. Quæ quidem adeo immaniter geſta, refert apud Palladium Theodorus Eccleſiæ Romanæ diaconus ex relatione eorumdem ipſorum legatorum. Eodemq; inſuper Palladio auctore conſtat, illos Epiſcopos Orientales, quos Romam aduenìſſe ſuperius vidimus, & ipſos è Concilio Romano in Orientem cum aliis Legatis miſſos, atq; in idem caſtellum Thraciæ maritimum incluſos; poſt legatorum Italorum emiſſionem, in exilium ad diuerſa remotiora & barbara loca ductos eſſe: idque ipſum aliis quamplurimis Epiſcopis & Eccleſiaſticis viris Ioanni communicantibus accidiſſe tradit, eoſdemque; paſſim diriſſime habitos eſſe. Porro hæc eadem omnia, qui res Ioannis perſecuti ſunt, cum dicant facta eſſe ante Eudoxiæ Auguſtæ obitum, diuerſam ſecuti ſunt ſententiã ab iis qui dixerũt eã anno ſuperiori defunctam.

ALII FAVTORES CHRYSOS. DIRE VBIQVE HABITI.

V.

CHRYSOS. EPISTOLA VLT AD INNOC. PP.

g Chryſ. ep. 2. ex ſeptem to. 5. oper. eius Ext etiam to. 1. ep. R. Pont. poſt Innoc. ep. 16.

ATTICVS ET THEOPHIL. EXCOMMVNICATI AB INNOCENTIO PP.

Hoc item anno, quo abſolutis exilii annorum duorum periodis, tertium menſe Iulii inchoauit S. Ioannes Chryſoſtomus; idem mittens Romam Ioannem presbyterum & Paulum diaconum, litteras g ad Innocentium Papam dedit, quib. inprimis pro ſedulo & indefeſſo in ſua cauſa exhibito ſtudio ingẽtes gratias egit; inde vero pro perſecutoribus rogans, ſuaſit mitius agere aduerſus canonũ proculcatores, ne ab Eccleſiæ communione, ob periculum vniuerſalis in toto Orbe conflandi ſchiſmatis, eos expellat, ſed expectet ſi forte reſipiſcant. Ita quidem Chryſoſtomus: Conſtat tamen tum ipſum Innocentium, tum reliquos Occidentalis Eccleſiæ Epiſcopos, poſtquam accepiſſent de ſcelere plane execrando aduerſus ipſorum legatos Conſtantinopoli perpetratum, Atticum pſeudoepiſcopum Conſtantinopolitanum, & Theophil. Alexãdrinum, alioſque tanti ſceleris architectos, à communione Fidelium extorres declaraſſe; vt ex iis quæ dicentur inferius apparebit. Porro ipſe Ioãnes, qui primo anno Cucuſi, & ſequenti vſque in præſens Arabiſſi exulauit, in hoc vſq; tempus haud priuatus eſt commercio litterarum quas mutuo acciperet & redderet. Sed quod nullæ amplius ab eo datæ legantur, interceptus creditur commeatus, ipſeque nequid ſcriberet cuſtoditus ab aduerſariis; inuidia tabeſcentibus (vt ait Sozomenus) quod viderent vniuerſam Eccleſiam Occidentalem pro illo eſſe ſolicitam.

VI.

HIERON. SCRIBIT ADVERS. VIGILANTIVM.

h Hier. adu. Vigil. ad fi.

i Id. ep. 53.

VIGILANTII PRIMORDIA ET PROGRESSVS.

k Gennad. de Script. Eccl. c. 35.

l Paul. ep. 2. ad Seuer.

m Hier. ep. 13. ad Paulin.

n Id. ep. 75. aduer. Vigil.

o Id. Apol. 2. adu. Ruff.

Hoc eodem anno iiſdemque Coſſ. S. Hieronymus aduerſus VIGILANTIVM hæreſiarcham nuper obortum ſcripſit vnius noctis (vt ait h) lucubrationem; quam Siſinnio monacho, à S. Exuperio Toloſano Epiſcopo in Orientem (vt dictum eſt) miſſo, perferendam in Gallias, vbi ſuum virus ſerpens euomuerat, paratum antidotum dedit; cum de eiuſdem Vigilantii erroribus certior redditus eſſet litteris Riparii & Deſiderii presbyterorum Gallorum, per eumdem Siſinnium ipſi perlatis. Teſtatur hæc quidem ad finem eiuſdem commentarii idem Sanctus. Vbi etiam cum fateatur ſe ante biennium ab eodẽ Ripario de horrẽdis Vigilantii blaſphemiis certiorem factum eſſe (ad quẽ ea de re extant eiuſdem Hieronymi reſcriptæ i litteræ) inde dici poteſt, Vigilãtium qui hactenus inter ſanctos perfidus latuiſſet, iam palam quas diu in pectore occultaſſet hæreſes, ante duos annos propalare cœpiſſe. Fuiſſe vero nationes. Hiſpanum, patria Calaguritanum, idẽ S. Hieronymus tradit; ex quo Genadius k redarguitur, qui quod ſciret hominem verſatũ in Gallia, Gallum vtiq; fuiſſe exiſtimauit, ſed Hiſpaniæ Barcinonenſis parochiæ eccleſiam tenuiſſe. Vſu igitur & conſuetudine Barcinonenſis Eccleſiæ eundẽ S. Paulinus, qui ibidem ordinatus eſt presbyter, pernecesſarium aliquando habuit, & vt virum pium probumq; laudauit l, atq; apud ſe ægrotantem fouit. Proficiſcentem quoque Hieroſolymam S. Hieronymo plurimum commendauit, à quo in gratiam Paulini maxima auiditate m ſuſceptus eſt: ſed mox ab eo qualis eſſet detectus n, haud poſtea ceſſauit, tam in Palæſtina, quam in Ægypto, aliiſq; quas peragrauit prouinciis, in eũdem S. Hieronymum impulſus o etiã ad id hortationibus Ruffini oblatrare, atque ipſum Origenis hæreſeos accuſare, quod eius opera aſſidue legeret: denique in Occidentem reuerſus; quas multo tempore congeſſerat blaſphemiarum ſordes, ſed pallio obuoluerat ſanctitatis cœpit in Gallia primum ante biennium (vt diximus) explicare.

VII.

VIGILANTII HÆRESES.

Impugnabat cultum Reliquiarum ſanctorum Martyrum, & qui eas ſuſciperent appellabat *Cinerarios* & *idololatras*, qui mortuorum hominũ oſſa venerarentur: ſignaq; apud eas fieri ſolita, dæmonum aſſerebat eſſe præſtigias; eaſdemq; inutiles omnino eſſe, quod ſigna non Fidelium, ſed Infideliũ, cauſa fieri debeant. Et cum Baſilicas marty-

rum

rum declinandas, eſſe diceret. Catholicos qui ibi ex more orationes celebrarent, quaſi immundos fugiendos eſſe docebat. Iouinianum quoque hæreſiarcham ſecutus, impugnabat Virginitatem, atq; Cælibatum clericorum, Ieiuniaq; Fidelium. Damnabat præterea, diei tempore cereos ac lampades in Eccleſia incendi ſolitas, itemq; ex quibuſdam apocryphis ſub nomine Eſdræ libris, poſt mortem nullũ pro alio deprecandi facultatẽ habere dixit. Improbat quoque Vigilias in S. Eccleſia celebrari ſolitas; præter ſolemnes S. Paſchatis, quas dumtaxat retinẽdas eſſe dicebat, reliquas vero obtentu publicæ honeſtatis, ne tenebrarum occaſionem captantibus ad delinquendum via aperiri videretur, eſſe abolendas. Sicut & illud addidit, nonniſi in Paſchate Alleluia canẽdum, Eleemoſynas quoque ſolitas mitti ad loca ſancta damnabat; aſſerebatq; eos melius facere qui vtuntur rebus ſuis, & paulatim fructus poſſeſſionum ſuarum pauperibus diuidunt, quam illos qui poſſeſſionibus ſuis venumdatis ſemel omnia largiuntur. Atque item auſus eſt dicere, montem, de quo abſciſſus eſt in Daniele [p] lapis ſine manibus, eſſe diabolum, & lapidem Chriſtum.

p Dan. 2.

VIII.

Hæc omnia ore ſacrilego effutiiſſe Vigilantium, teſtis eſt Hieronymus in ſcriptis [q] aduerſus ipſum editis: quibus videas impiiſſimum hæreſiarcham conatum eſſe diſſoluere omnem Eccleſię diſciplinam, ac ſanctas traditiones deſtruere, ſacroſque ritus peſſumdare: adeo vt non ſit mirãdum, ſi idem S. Hieronymus ingenti quo ſemper aduerſus hæreticos efferbuit Catholicæ fidei zelo, haud parcens verbis (quod notauit S. Gregorius) vehementiori impetu viſus ſit in eumdem Vigilantium inſurrexiſſe: quem & rectius *Dormitantium* appellandum eſſe ait, quod vigilans dormiret, & dormiens adeo ſacrilega ſcriberet. Recenſitiſque diuerſis, quæ diuerſis temporibus & regionibus in orbe terrarum viſa ſunt hæreticorum monſtris, ingemuit etiam huius temporis infelicem Galliæ ſtatum, quod cum hactenus eiuſmodi monſtra non habuiſſet, ſed viris ſemper fortiſſimis & eloquentiſſimis abundaſſet, tandem & ipſa paſſa fuerit Vigilantium qui immundo ſpiritu pugnauit contra Chriſti Spiritum.

q Hier. adu. Vigil. & ep. 53. ad Riparium & in Iſa. 4b. 10.

GALLIC. ECCLESIÆ INTEGRITAS TENTATA.

IX

QVOMODO COMPRESSA HÆRESIS VIGILANTII.

Ceterum eius impietates adeo nullo negotio idem S. Doctor araneorum filorum inſtar diſrupit, vt os eius obſtruxerit, extinxeritq; penitus antę propemodum quã naſcerentur infames hæreſes; ita vt nullus labor incubuerit ſanctis Epiſcopis Concilia celebrandi ad eas condemnandas. Vnde magis mireris impudẽtiam eorum, qui eas hoc noſtro tempore iterum promulgare non erubuerunt. Quamuis vt illæ tunc ſiluerint, nec amplius ad multa ſæcula auditæ fuerint, non ſolum effecerit breuis illa Hieronymi ſcriptio; ſed terribilis Deus in conſiliis ſuper filios hominum, vocauerit gentes ab extremis terræ, immiſeritque in Gallias, vt dicetur anno ſequenti atq; in eam potiſſimum partem graſſari iuſſerit, in qua hæreſis nefanda plãtata fuit, cum ipſa Toloſa ciuitas capta eſt à barbaris, vniuerſaque Aquitania, & Narbonenſis ac Lugdunenſis prouinciæ penitus deuaſtatæ (quam cladem ipſe [r] Hieronymus alibi luxit) adeo vt ſub barbarico gladio magis de vita tuenda, quam de dogmatibus licuerit diſputare. Creduntur porro à barbaris illi eſſe ſublati hæretici, quorum nulla vmquam fuit poſtea vox audita: ſiue potius iidem ſic male ſeducti, iam facti mentis compotes reſipuerint. Ecce autem tibi quid ſoleant vehere ſecum, vel poſt ſe ducere hæreſes; clades nimirum prouinciarum: quod multis exemplis ſæpe omnibus ſæculis, & hoc ipſo quo viuimus infelicius contigit demonſtrari.

r Hier. ep. 11. ad Ageruch.

XI.

TRANSLATIO RELIQVIAR. SAMVELIS PROPH.

Interea vero hoc ipſo anno, quo illa aduerſus Vigilantium S. Hieronymus ſcripſit, contigit transferri Arcadii Imp. iuſſu ex Palæſtina Conſtantinopolim, Reliquias *Samuelis* Prophetæ in ſerico & vaſe aureo ab Epiſcopis ac tãta lætitia (quod idem Sanctus, hæc aduerſus eumdem Vigilantium narrans, ait) eis ab omnium Eccleſiarum populis in itinere occurſum eſt, vt de Palæſtina vſq; Chalcedonem iungerentur populorum examina, & in Chriſti laudem vna voce reſonarent. Vt plane voluerit Deus, tunc maiori honore frequentari Sanctorum reliquias, quando ab impuro hæretico eædem eſſent grauiori affectæ dedecore. Quod vero ad tempus ſpectat; cum ſub Arcadio id geſtum eſſe Hieronymus qui proxime conſpexit, aſſerat; & ſub Attico Conſtantinopolitano Epiſcopo æque id cõtigiſſe Theodorus Lector [s] habeat: haud quidem in alium annum referri poteſt quam præſentem, quo Atticus ei ſedi præfectus eſt, & Hieronymus ea aduerſus Vigilantium ſcripſit. Meminit autem de templo Samuelis apud Conſtantinopolim iuxta Hebdomum erecto; nõ ſolum Theodorus, ſed & Procopius [t]. Ante vero iampridem, viuente adhuc Theodoſio Seniore Imperatore, reperta fuiſſe itidem in Palæſtina veneranda corpora SS. Prophetarum Habacuc & Michææ, reuelataq; diuinitus Sebenno Epiſcopo Eleutheropolis, auctor eſt Sozomenus [u].

s Theod. Lect. collect. lib. 2.

t Procop. de ædif. Iuſtin. lib. 1. in fi.

u Soz. lib. 7. c. xix.

IESV CHRISTI AN. 407.

ARCADII HONORII AN. 13.

INNOCENTII AN. 6.

I.

HONORIVS HÆRETICOS EXAGITAT.

ANno Chriſti quadringenteſimo ſeptimo, Honorio ſeptimum & Theodoſio ſecundum Augg. Coſſ. idẽ Honorius acceptorum diuinitus aduerſus Gothos beneficiorum memor, quod nihil diuinitati gratius eſſe ſciret, quam ſi illius hoſtes hæreticos debellaret, octauo Calendas Martias nouum promulgauit edictum [a], qua præter Donatiſtas, etiam Manichæos, Phrygas, & Priſcillianiſtas, bonorum publicatione proſecutus eſt, eiſq; nihil ex moribus, vel ex legibus, commune eſſe voluit cum ceteris hominbus: iuſſitque publicum eſſe crimen, quia quod in religione diuina committitur, in omnium fertur iniuriam. Ex quib. pii Imperatoris obſequiis; haud imparia prioribus conſecutus eſt à Deo beneficia, cum inſidiis Stiliconis anno ſequenti (vt dicetur) ereptus eſt.

a l. 40. C. Th. & l. 4. C. Iuſtin. de hæret.

II.

GALLIÆ MISERE DEVASTATÆ À BARBARIS QVAMPLVRIMIS NATIONIB.

Interea vero hoc ipſo anno Galliæ miſere deuaſtatæ ſũt ab Wandalis & Alanis, qui tranſito Rheno eas inuaſerunt. Referunt quidem id anno ſuperiori Proſper [b], Caſſiodorus [c], & Zoſimus [d]: ſed quod idem S. Proſper horum malorum inſpector, nonniſi pridie Calendas Ianuarias illius anni eorumdem barbarorum ingreſſum ponat; cladem ipſam qua deuaſtatæ ſunt Galliæ, minime ante præſentem annum cœptam eſſe apparet. Porro iiſdem barbaris permixtos quoque fuiſſe Suenos, Oroſius [e] & Zoſimus ſcribunt: & Hieronymus [f] eamdem lugens cladem, Quados addit & Sarmatas Gipedes, Herulos, Saxones, Burgundiones, Alemannos; & Pannonios: quos ait quicquid inter Alpes & Pyrenæum eſt, quod Oceano & Rheno includitur, deuaſtaſſe omneſque ferme ciuitates diripuiſſe. Eaſdem autem barbaras omnes gentes proditione Comitis Stiliconis, ex VVandalis ducentis originem, ſatagentiſque in Eucherium filium ſuum Romanum transferre Imperium, accitas eſſe & immiſſas in Gallias, Oroſius atque Marcellinus [g] diſertis verbis affirmant, confirmatque S. Hieronymus, necnon Rutilius [h] Numatianus Ethnicus poeta; qui & ipſe iiſdem barbaricis bellis coactus è Gallia patrio ſolo fugere, reuerſurus tandem per mare nauigans, *Itinerarium* illud ſuum metro cecinit. Sed de proditione Stiliconis pluribus inferius. Eiectos autem fuiſſe, Romanos magiſtratus à Galliis ipſis in barbaros arma ſumentibus, teſtatur Zoſimus. Quam vero ſoluta eſſet in Galliis magna ex parte Eccleſiaſtica diſciplina; exundantibuſque vbique vitiis eædem prouinciæ meruerint tradi barbaris deuaſtandæ; Saluianus [i] Maſſilienſis Epiſcopus pluribus docet, qui viuens his temporibus ob oculos habebat quæ ab oculis excuterent iugiter lacrymas; nouus plane ſui temporis Hieremias: qui (quod deterius eſt) luget eoſdem ſuos Gallos, hiſce flagellis haud moribus emendatos, ſed potius deteriores redditos.

b Proſp. in Chron.
c Caſſiod. in Chron.
d Zoſ. lib. 6.
e Oroſ. lib. 7. cap. 38.
f Hier. ep. 11.

g Marcel. in Chron.
h Rutil. Itiner. lib. 2.

CORRVPTÆ MORES GALLIÆ.

i Saluian. de ver. iudic. l. 6. & 7.

III.

CONCIL. CARTH. ADVERS. DONAT. ET PAGANOS.

Hoc eodem anno Idibus Iunii celebratum eſt ab Epiſcopis Africæ CONCILIVM [k] CARTHAGINENSE: vbi inter alia decreta eſt legatio ad Honorium Imperatorem, pro defenſione rerum Eccleſiaſticarum aduerſus Donatiſtas & Paganos: ſancitumque [l], vt quicum-

k Conc. Afr. can. 62. & c.
l Ibi. can. 71.

que ad Comitatum ire vellent, Formatam acciperent ad Romanum Pontificem, & ab hoc aliam ad Imperatorem, idque ideo ne hęretici Catholico nomine velarentur, ſicut apparet ex iis quæ de Formatis alias [m] dicta ſunt. Hac vero Synodo id amplius præceptum eſt, vt in eis dies Paſchæ illius anni apponeretur; quod ſi nondum definitus ſciretur (quippe literas ea de re, vt vidimus, dari contingeret) tunc apponeretur dies anni præteriti, Poſt diem Paſchæ ſcilicet, ſicut ſoleret in publicis Geſtis, Poſt Conſulatum adſcribi. Quod autem ſtatutum [n] eſt, vt de diſſenſione Romanæ Eccleſiæ atque Alexandrinæ ad S. Papam Innocentium ſcriberetur, quo vtraque Eccleſia inter ſe pacem teneret: ex his plane ſignificatur, ipſum Romanum Pontificem Ioannis Chryſoſtomi cauſa aduerſus Theophilum Alexandrinum mirum in modum fuiſſe commotum, & in omnes alios Epiſcopos qui cum illo aduerſus eum conſpiraſſent; eoſq; ſuſpendiſſe, nec voluiſſe miſſas ab eis recipere litteras: quod quidem epiſtola [o] eiuſdem Innocentii ad Alexandrum Epiſc. Antiochenum poſtea data, de Acacio eius functionis anteſignano demonſtrat. Sed & Theodorus [p] diaconus expreſſe teſtatur fuiſſe hanc Romanæ Eccleſiæ ſententiam, non communicare in finem vſque Orientalibus Epiſcopis, donec in Vniuerſali Synodo de ea cauſa iudicatum eſſet.

m Sup. an. 42. & 185.
n Conc. Afr. can. 68.
o Innoc. ep. 18.
p ap. Pallad. in dialog.

IV. CHRYSOS. OBITVS.
q Socr. lib. 6. c. 19.

Porro eodem anno iiſdemq; Coſſ. ipſum S. Ioannem Chryſoſtomum, ærumnis confectum, Comanis apud Pontum Euxinum ex hac vita migraſſe, ſcribit Socrates [q]: ſed error apud eum irrepſit, dum ponitur obiiſſe decimo octauo Calendas Decembris, quem decimo octauo Calendas Octobris in cœlum migraſſe omnes affirmant, & tabulæ Eccleſiaſticæ fidem faciunt. Quæ autem ipſius obitum præceſſerint, Palladius narrat: nempe pertæſos eius aduerſarios frequentem ad eum populorum acceſſum, & vt ægra valetudine laborantem longiſſimis difficillimiſque peregrinationibus fatigatum exhalare animam cogerent; illud conſilii iniiſſe, vt eum Arabiſſo Pityuntem, locum omnino deſertum ad ripam maris Pontici, transferre curarent; eaque deportatione, poſt trimeſtris temporis difficilimum iter, quo peſſime à militibus qui eum ducebant habitus eſt, cum in templo quodam Comanis propinquo pernoctaret, ipſa nocte martyrem loci, *Baſiliſcum* nomine, qui Nicomediæ ſub Maximiano paſſus fuerat cum eſſet Comanenſis Epiſcopus, apparentem ei dixiſſe, *Confide frater Ioannes, cras enim ſimul erimus*: ipſumque de oraculo confidentem, poſtridie candida ſe induentem veſtimenta, ſumptiſque cœleſtibus ſacramentis, & poſt orationem ſigno ſe Crucis munientem, animam Deo reddidiſſe; eiuſque corpus poſitum eſſe in eadem cum Baſiliſco Eccleſia: ac tantam multitudinem virginum, monachorum, & aliorum ſanctorum virorum, ex Syria, Cilicia, Ponto, & Armenia, ad eius funus accurriſſe, vt plurimi putarent eos ex condicto aduenisse: Hæc pluribus Palladius. Vixiſſe autem illum annos quinquaginta duos & menſes octo, Leo Auguſtus habet in eius Encomio; & de quinquaginta duobus annis reliqui omnes qui de his egerunt, ſunt aſſertores. Epiſcopatus vero vſq; in diem qua obiit, numerantur anni nouem menſes ſex & dies viginti.

EIVSDEM FVNVS.

V. EIVSDEM SCRIPTA.
r Caſſiod. praf. de diuin. lect.
s Suid. verb. Io. Chryſ.

Quod ad eius ſcripta pertinet, teſtantur Caſſiodorus [r] & Suidas [s], eum vniuerſam Scripturam tam Veteris quam Noui Teſtamenti commentariis illuſtraſſe. Quod ſi verum eſt, vide quam pauca ex ingentibus theſauris nobis ſint reliqua: cum & alioqui nonnulla ſpuria eius nomine edita hactenus habeantur. Inter quæ haud æquo animo pati poſſumus, adſcriptas fuiſſe ſanctiſſimo viro quinquaginta quatuor homilias in Matthæum, quas vt diſtinguant à conſummato in eumdem Euangeliſtam commentario nonaginta vnius homiliarum, *Opus Imperfectum* nominant: quod ne pilum quidem Chryſoſtomi, vel in dictione, vel in ſententiis, vel in dogmatibus habet; ſed ſparſas hæreſes Manichæorum, Montaniſtarum, Arianorum, ac Donatiſtarum continet. Teſtantur autem Theophanes atque Cedrenus, ſub Conſtantino & Irene Imperatoribus Patriarchium Conſtantinopolitanum incenſum fuiſſe, abſumptaſque cameras vbi repoſita erant vniuerſa ſcripta quibus ſacram Scripturam S. Io. Chryſoſtomus fuerat interpretatus.

VI. S. PAVLVS APOSTOLVS DOCET CHRYSOSTOMVM.

Porro habuiſſe ipſum in ſacris litteris peculiarem Doctorem S. Paulum Apoſtolum, cuius immenſo tenebatur amore, fidem fecit S. Proclus, qui poſtea eiuſdem Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ creatus eſt Epiſcopus: qui cum Chryſoſtomi eſſet diſcipulus, vidit ſæpius ipſum S. Paulū inclinatum poſt ſedem illius ſcribentis, & os admouētem eius auri dextræ, & cum eo colloquentem. Teſtantur hæc Leo Auguſtus, Metaphraſtes, & alii omnes qui de Ioanne ſcripſerunt atque inprimis Ioannes Damaſcenus [t] ex antiquioribus Actis Vitæ eius. Contigiſſe vero viſionem, cum epiſtolam Pauli ad Galatas interpretaretur, in qua ſeipſum ſuperaſſe cognoſcitur, haud improbanda opinio eſt. S. quoque Nilus in epiſtola ad Anaſtaſium de eodem refert, ipſum omni ferme tempore conſueuiſſe videre Eccleſiam refertam Angelorum cœtu, & tunc potiſſimum cum incruentum ſacrificium offerretur; quo tempore iidem Angeli è cœlo deſcendentes, ſtolis induti ſplendidiſſimis, nudis pedibus, intentis oculis proni altari magno cum ſilentio & reuerentia, quoad myſterium illud expletum eſſet, circumſtare viſebantur ab illo. Omittimus autem hic innumera SS. Patrum de eodem S. Ioanne Chryſoſtomo elogia, Satiſque ad laudem, quod poſt eius obitum, paucis exceptis quos liuor infecit, tam Oriens quam Occidens, & vniuerſus Catholicus Orbis, ipſum ſanctiſſimum prædicauit; quem etiam conſtat complura poſt obitum ediſſe miracula. Sed viſionem illam de gloria ipſius apud Dei thronum poſt mortem euecti, quæ narratur in Prato [u] Spirituali; tamquam omni fide carentem, immo & quædam falſa continentem, inter ſpuria reiicimus. Non enim indigent Sancti noſtris illuſtrari mendaciis, qui propriis virtutibus decorantur. Illud vero ex eodem Prato [x] haud omittendum de moribus eiuſdem S. Ioannis; cum ex quo baptiſmum ſuſcepiſſet, numquam omnino iuraſſe, neque aliquem iurare compuliſſe, neque mentitum eſſe, neque alicui maledixiſſe, neq; ſcurrilia locutum eſſe, nec iocos admiſiſſe.

t Damaſc. orat. 1. de Imag.

VISIONES CHRYSOSTOMI.

u Prat. Spir. cap. 128.
x Ibid. c. 191.

VII. INNOC. PP. QVID IN ARCAD. IMP. ET EVDOX. AVG.

Audita eius morte Innocentius Papa, primo quidem eius memoriæ ita conſultum voluit, vt nomen eius referretur in ſacra Diptycha (hoc eſt tabulas Eccleſiaſticas, in quibus nomina Epiſcoporum in Catholica communione defunctorum deſcribi ſolerent, & inter Miſſarum ſolemnia relegi, vt docet epiſtola [y] Ægyptiorum Antiſtitum ad Anatolium Conſtantinopolitanum contra Timotheum Alexandrinæ ſedis inuaſorem: perſtititq; in ſententia, vt nunquam niſi id fieret communicare vellet cum Orientalibus Ioannis aduerſariis Epiſcopis; vt auctor eſt Theodoretus [z]. Deinde vero litteris ad Arcadium Imperatorem ſcriptis (ſunt ipſæ quidem Græcis notiſſimæ; quas Gennadius, Nicephorus [a], atque Glicas [b] recitant) ob facinora in eumdem Ioannem perpetrata, tum ipſum Imperatorem, eiuſque vxorem Eudoxiam à communione Eccleſiæ reiecit; tum Arſacium, licet iam mortuum, qui in eiuſdem Ioannis locum intruſus fuerat, & omnes qui conſulto cum eo communicaſſent, pariter exauctorauit; ac denique Theophilum Alexandrinum anathemati ſubiecit, graduque depoſuit. Huic vero Innocentii epiſtolæ ſubicit Glicas Arcadii ad eumdem Pontificem reſponſionem, qua excuſans ſe de ignoratione eorum quæ aduerſus Ioannem iniuſte per Epiſcopos geſta eſſent, aſſerenſq; Eudoxiam grauiter à ſe ea de re correptam graui detineri ægritudine, enixe rogauit vt ipſos à cenſuris liberare dignaretur. Ac demum his idem auctor aliam ſubdit Innocentii ad Arcadium, qua eius excuſationes accipiens, tam ipſum quam eius vxorem Eccleſiaſticæ communioni reſtituit. Sed & quam codex Vaticanus continet Arcadii ad Innocentium reſponſio, habet amplius excuſationem de iis quæ geſta eſſent Conſtantinopoli, ipſo Imperatore prorſus inſcio, aduerſus Legatos Apoſtolicæ Sedis. Extatque [c] inſuper in eodem codice Epiſtola Honorii Imperatoris ad eumdem Arcadium fratrem,

y Ext. inter ep. viror. illuſtr. pro Conc. Chalced.
z Theod. lib. 5. c. 34.
a Nic. l. 13. cap. 14.
b Glic. Annal. par. 4. Extant etiam To. 1. ep. Ro. Pont. ep. Innoc. 17.

ARCADIVS EXCVSAT, ET RESTITVITVR.

c Rec. Bar. Annal. to. 5. hoc anno.

qua

qua eum grauiter obiurgauit de ijſdem quæ tum in ipſum Ioannem tum in eoſdem Legatos perpetrata fuiſſent. Ceterum poſt obitum Ioannis nondum tribus menſibus elapſis, contigiſſe prodigioſum ac plane miſerandum interitum Eudoxiæ Auguſtæ, eo modo quo ſuperius dictum eſt, Zonaras & alii teſtantur.

VIII. Honor. cogitat de inferendo bello fratri.

d Zoſ. lib. 5.

Sed quod ad Honorium ſpectat; haud quaquam ipſe prædictis ſcriptis litteris conceptum ob indigna facinora dolorem exhaurire valens, inſuper & bello decernere aduerſus fratrem in animum duxit. Iamque ad illud peragendum Rauennę expeditio parabatur, cum hoc præcipuum interceſſit impedimentum (vt auctor eſt Zoſimus [d]) quod certior factus eſt, *Conſtantinum* perduellem, ex inſula Britannia tranſuectum iam ad Tranſalpinas gentes acceſſiſſe. Hæc enim de tyrannide Conſtantini (quem alii *Conſtantium* nominant) hoc anno contigiſſe, idem auctor non obſcure ſignificat, dum ait exacto poſt autumno deſignatos eſſe Coſſ. Baſſum atque Philippum, quos anno ſequenti nomen dediſſe omnes affirmant; ſub quibus etiam Proſper Conſtantini tyrannidem contigiſſe refert; eumdemq; infimæ militiæ militem, ob ſolam ſpeciem nominis acclamatum fuiſſe Imperatorem. Nempe cum primo (vt Zoſimus [e] & Sozomenus [f] tradunt) iidem milites Britannici MARCVM quemdam acclamaſſent Imperatorem, huicque breui ab ipſiſmet ſublato ſuffeciſſent GRATIANVM; iſto etiam poſt quatuor menſes interempto, CONSTANTINVM elegerunt, quod putarent eum ex nominis ſui præſagio Imperium optime adminiſtraturum, & à barbaris illud vbicumque deprædantibus liberaturum, ſicut fecerat olim Conſtantinus Magnus & ipſe genere Britannus: cum & ad ſpem augendam illud acceſſiſſet, vt æque ac Conſtantino Magno, huic quoque filius eſſet CONSTANS appellatus; quem & ſimulac ad Alpes Cottias peruenit, Cæſarem dixit, & ad obtinendas Hiſpanias miſit.

e Zoſ. lib. 6. f Soz. lib. 9. c. 11.

Tyranni in Britannia exorti.

IX. Theoph. curat exules restituendos.

Poſt obitum quoque S. Ioannis Chryſoſtomi, viſum eſt Theophilo Epiſcopo Alexandrino, iis qui ob initam cum Ioanne communicationem proſcripti fuiſſent, vel voluntario exilio contigiſſet eſſe factos extorres, omnib. ad propria redeundi licentiam impertiri, cunctiſq; obortis diſſenſionibus obliuione deletis, vnitatem in Eccleſia redintegrari. Quem quidem ea de re libellum ſcripſiſſe ad Atticum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, teſtantur litteræ Syneſij Epiſcopi Ptolemaidis in Ægypto, ſcriptæ ad eumdem Theophilum, cum ipſum conſuluit de Alexandro Baſianopolis in Bithynia Epiſcopo communionis Ioannis, quem exulem idem Syneſius apud ſe recepiſſet. At licet iſta curarit Theophilus, non tamen propterea meruit communionem Romani Pontificis, quod vſq; ad vltimam horam numquam conſenſerit nomen Ioannis in Diptycha reſtitui. Sicut nec Atticus, licet crebras miſerit legationes ad eamdem obtinendam, valuit vmquam illam adipiſci, quouſque poſt mortem Theophili id præſtitit; ſicut teſtatur Theodoretus [g].

g Theod. lib. 5. c. 34. in fin.

Honorii 14. Theodosii II. 1.

IESV CHRISTI AN. 408.

INNOCENTII AN. 7.

I. Arcadii Imp. obitus.

ANno Chriſti quadringēteſimo octauo, Baſſo & Philippo Coſſ. Calendis Maii, Arcadius Imperator offenſi numinis indignationem ob S. Ioannis Chryſoſtomi perſecutionem expertus, ex hac vita morbo ſubreptus eſt: præmature quidem, annum tantum ætatis agens trigeſimum primum; cum imperaſſet vna cum patre annis duodecim, poſt obitum tredecim, menſibus trib. & diebus quindecim. Teſtantur hæc de tempore obitus Proſper [a], Marcellinus, Socrates [b], & alii. Reliquit vero poſt ſe liberos, Theodoſium, Pulcheriam, Placillam, Arcadiam, & Marinam. Sed quod ſciret Honorium fratrem ſibi eſſe perinfenſum, timens ne inſidias THEODOSIO puerulo octauo tantum annorum moliturus eſſet; eumdem Regi Perſarum Iſdegerdi, quo cum fœdus inierat, commendatum reliquit: qui quidem fideliter eius ſuſcepta tutela, Antiochum quemdam prudentiſſimum virum ſuo loco Conſtantinopolim miſit, ipſius curam acturum. Teſtatur enim iſta Theophanes [c], qui Græce ſcripſit Hiſtoriam illam quæ inſcribitur Miſcella, & ſub titulo Pauli Diaconi errore circumfertur, quam Anaſtaſius Bibliothecarius Latinam fecit. Idemque Antiochus, Legatus etiam ad Honorium Imp. ab eodē Rege Perſarum, miſſus Romam creditur ad eum cum Theodoſio conciliandum. Namque ait Sozomenus [d], eumdem Honorium commiſeratione ductum, Conſtantinopolim properare decreuiſſe vt fidos Præfectos conſtitueret Theodoſii ſaluti atq; Imperio; ſed Conſtantini tyrannidem eum à cœpto itinere reuocaſſe: & cum antea deſtinatus fuiſſet Stilico tum exercitu mitti in Orientem; detectis eius inſidiis, quibus filio Eucherio parabat Imperium, retentum fuiſſe. Porro Theodoſio inſuper acceſſiſſe Imperij curatorem Anthemium Præfectum, virum laudatiſſimum, quem ante triennium Conſulatum geſſiſſe vidimus, Socrates [e] tradit. Sed & Maior natu ſoror *Pulcheria*, cum grandioris ætatis effecta eſt (quam tempore obitus patris, nonniſi annorum fuiſſe ætatis decem, Marcellino auctore liquet) æque Imperii regimen ſuſcepit; de cuius prudentia, pietate, ceteriſque virtutibus, ſæpe dicendum inferius.

a Proſp. & Marcell. in Chron. b Socr. lib. 6. 21.

Theodos. puer Imp. commendatur Regi Persarum.

c Miſcell. l. 13

d Soz. lib. 9 cap. 4.

Curatores orient. imperii.

e Socr. lib. 7. c. 1.

II. Fœdus centum annor. ictum cum Persis.

f Id. l. 7. c. 8.

Religio Christ. propagata in Perside a S. Marutha.

Quod autem rurſum ad Perſarum Regem ſpectat; auctor eſt Sozomenus, ad centum annorum ſpatium ſancitum fuiſſe fœdus inter ipſum atq; Romanos. Ex quo quidem factum eſt, vt non tantum ſecuritati Imperii bene proſpectum eſſet, ſed & propagandæ in Perſide fidei, quā mirum in modum amplificatam eſſe prædicationibus & miraculis S. MARVTHÆ Epiſcopi Meſopotamiæ, pluribus docet Socrates [f]: cum videlicet idem Sanctus ab Imperatore Legatus ad Regem miſſus, adeo carus ei extitit, quod ipſum grauiſſimo ac diuturno capitis dolore precibus ſuis liberaſſet, & ab ipſius filio dæmonem expuliſſet; vt frementibus licet Magis, omniaque in contrarium per dolos ac fraudes ſatagentibus, non ſolum Eccleſias vbique ædificandi licentiam ab eodem obtinuerit, ſed & parum abfuerit quin & ipſummet fidem profiteri compulerit. Extat vero etiam S. Ioannis Chryſoſtomi [g] epiſtola ad Olympiadem, qua perſpicue intelligitur, per eumdem Marutham conuerſionem Perſarum ipſum Chryſoſtomum iam procurare cœpiſſe. Ex quibus intelligas, eum, cum in conuentu ad Quercum ſtetiſſet contra eumdem Chryſoſtomum (vt ex eodem Socrate [h] atque Sozomeno [i] conſtat) poſtea in eius partes tranſiiſſe. qui quidem magnæ ſanctitatis nomine glorioſus, tam Græcis quam Latinis publicis notis [k] anniuerſaria memoria in Eccleſia perſeuerat.

g Chryſ. ep. 14.

h Socr. lib. 6. c. 14. i Soz. lib. 8. c. 16. k Martyrol. & Menol. 4. Dec.

III. Stiliconis proditio detegitur.

Dum autem hæc in Oriente gererentur, interim in Occidente hoc eodem anno Stiliconis inſidiis res admodum turbatæ ſunt; cum qui pluribus annis occultaſſet in animo proditionem Imperii, & aliquibus interdum eamdem ſignis patefeciſſet, iam aperta luce in Honoriū egit. Quod indignum facinus, & ipſa quoque elementa bruta clamare viſa ſunt, quando ſub huius anni Coſſ. (vt Marcellinus ſcribit) Romæ in Foro Pacis per dies ſeptem terra mugitum dedit. Inſeruiebat Alaricus Gothorum Rex ſtudiis Stiliconis; qui cum eo pluribus prœliis ſæpe colludens, ac præcipue (vt vidimus) apud Pollentiam, eumdem ad terrendam terendumq; Rempublicā reſeruauerat; quaſique pro Romano militaturum Imperio diu publicis ſtipendiis aluit, ea ſpecie quaſi eo vſurus iam eſſet ad inuadendam ditionem Arcadii Imperatoris. Teſtantur hæc Zoſimus [l], Oroſius [m], & alii. Accidit autem, vt cum Alaricus per legatos ſtipendia ſuis militibus peteret, ob moras in Epiro contractas cum expectaret mitti in Orientem, eaq; de re Imperatore Honorio in Senatu Patrum ſententias rogante, num videlicet pecunia Alarico danda, vel bello aduerſus eum eſſet decernendum, ex Stiliconis ſententia eadem pro redemptione pacis quatuor millia li-

l Zoſ. lib. 5. m Oroſ. l. 7. cap. 38.

Auro pax redempta ab Alarico.

biarum

brarum auri decreta eſſent; (reſiſtente tamen Lampadio V. C. qui patria libertate illud in faciem Stiliconi obiecit, *Non eſſe iſtam pacem, ſed pactionem ſeruitutis*) his inquam, aliiſque nonnullis eo modo agitatis, accidit vt ab Olympio duce in Stiliconem, ceu proditorem Imperii, animo Honorii commoto, eiuſque operâ occiſis magiſtratibus Stiliconis ſtudioſis; ipſe Stilico, cuius præcipue vita appetebatur, Rauennam ſe cum ſuis contulerit; ibique rebellante aduerſus ipſum Saro Hunnorum duce, & occiſis ab eo reliquis Stiliconis ſatellitibus, tunc & ipſe Stilico ſibi timens, intempeſtâ nocte ad Eccleſiam confugerit. Habet hæc omnia pluribus Zoſimus.

IV. Stilico confugit ad Eccleſiam. n l. 2. C. de his qui ad eccl. confug.

Hic autem obſerua, quantum delatum fuerit Eccleſiaſticæ immunitati, vt nec perduelles quidem Imperii vllus inde vi abſtrahere auſus fuerit. Quam & adeo ratam eſſe voluerunt Honorius & Theodoſius Imperatores [n], vt & crimen maieſtatis eſſe iuſſerint, quemquam ab Eccleſia abducere. Itemque obſerua, quam acciderit congrue (ſicut & de Eutropio potentiſſimo Orientalis Imperii ſub Arcadio adminiſtratore dictum eſt) vt qui violare ius Eccleſiæ tempore S. Ambroſii Stilico non eſt veritus, idem ipſe Honorii Imperatoris bis ſocer, & in tantam potentiam euectus (inquit Sozomenus [o]) vt vniuerſos Romanos ac barbaros ſibi haberet obſequentes; neceſſitate compulſus, ius Eccleſiæ implorarit. Ita enim Deus ſuperbos in res ſacras cornua erigentes deprimere conſueuit. Verum qui nô vi eſt ab Eccleſia auulſus, dolo tamen paſſus eſt ſponte ſe inde abduci; cum (vt Zoſimus narrat) illuceſcente die ingreſſi milites Eccleſiam, Epiſcopo præſenti iureiurando fidem feciſſent, non imperatum ſibi eſſe ab Imperatore vt eum necarent, ſed tantum vt cuſtodirent. Sed cum primum egreſſus ex Eccleſia ſub cuſtodia militum eſſe cœpiſſet, aliis ex parte Honorii ab eodem, qui priores de illo cuſtodiendo attulerat, redditis litteris, quibus eidem Stiliconi ob delicta in Rempublicam pœna capitis irrogabatur; tunc ductus infelix, capite truncatus eſt ab Heracliano, ſub iiſdem huius anni Coſſ. Baſſo atq; Philippo decimo Calendas Septembris Eucherius autem ipſius filius fuga lapſus, Romam ſe contulit; cuius occiſio cum Serena matre & aliis, anno ſequenti contigit, quo de iis agendum.

o Soz. li. 9. c. 4.

Stil. capite truncatur.

V. Hæc porro cuncta ex Zoſimo (vt diximus) deſumpta ſunt, quod ex aliis qui adeo exacte res geſtas fuerint proſecuti, accipere minime licuerit: quem tamen ſcimus priuatis ſtudentem affectibus pro animi ſententia res interuertere, dum quem omnes perduellem Imperii Stiliconem ſugillant, ipſe laudibus prædicat; contra vero Olympium ducem pietate inſignem (vt inter alia patet egregiis S. Auguſtini [p] teſtimoniis) vindicem diuturnæ proditionis, hypocryſis infamat. At de his ſummatim agens Marcellinus [q] Comes, ait Stiliconem (cuius duæ filiæ, Maria & Thermuntia, ſingulæ vxores Honorii fuiſſent vtraque tamen virgo defuncta) regnum inhiantem, Alanorum, Sueuorum, VVandalorumque gentes, donis pecuniiſque illectas contra Imperium Honorij excitaſſe: Eucheriumque filium ſuum, Paganum, & aduerſus Chriſtianos inſidias molientem, Cæſarem ordinare cupientem, dolo detecto occiſum eſſe. Id etiam & poſt Oroſium atque Sozomenum, reliqui omnes. Quamobrem optime conſultum eſt Chriſti Eccleſiæ nece Stiliconis; cuius proditione, in Ethnicum hominem, perſecutionem (vt ait Oroſius) iam à puero atque priuato meditantem, & vt conciliaret ſibi fauorem Paganorum reſtitutione templorum & euerſione Eccleſiarum imbuturum ſe regni primordia minantem, Imperium Romanum deferendum eſſet.

p Aug. ep. 142. 129. q Marcel. in Chron.

Stil. necis cauſa.

VI. Stilicone igitur ſublato de medio, aduerſus eius quoque fautores Honorius Auguſtus complures ſanctiones [r] edidit. Illudque ex Senatuſconſulto factum in eum, quod aduerſus alios tyrannos fieri conſueuit; nimirum vt publica quæque atque priuata monumenta, quæ in eius honorem fuiſſent erecta, penitus diſiicerentur; eiuſque nomen quibuſcumque titulis appoſitum abraderetur. quod quidem pluribus exemplis antiquæ eiuſdem docent inſcriptiones, quæ adhuc extant, & expuncto leguntur nomine Stiliconis. Contra vero eos qui illum inſecuti eſſent, idem Imperator beneficiis afficiendos curauit [s]; dum inter alios Heraclianum eius interfectorem Præfectura Africæ prouinciæ donauit, & Olympium totius operis architectum Magiſtrum Officiorum creauit. Denique reſcripto [t] ad eumdem Olympium & Valentem Comitem Domeſticorum dato, Palatium repurgauit ex eis, quos fidei Catholicæ aduerſarios in eo Stilico poſuerat aulicos.

r l. 20. C. Th. de pœn. l. 20. 21. 22. C. Th. de bon. proſcript. l. 1. C. Th. de lit. & itin. cuſtod.

s Zoſ. lib. 5.

t l. 42. C. Th. de hæret.

VII. Adgauiſus eſt S. Auguſtinus de noua dignitate collata Olympio, duabus ad eum hoc anno datis epiſtolis [u]. Verum ad poſteriorem ſcribendam, longe grauior impulit eum cauſa; quod videlicet poſt necem Stiliconis, in Africa Gentiles & Donatiſtæ falſo rumore iactarent, latas contra ipſos leges nequaquam ex voluntate extitiſſe Honorij Imperatoris, ſed opera Stiliconis; & quaſi earumdem auctoritas vna cum ipſo eſſet extincta, in Catholicos inſurrexiſſent, atque nonnullos etiam Epiſcopos necaſſent. Cuius enormis ſceleris cauſa, *Conuenientes* Epiſcopi *Carthagine* tertio Idus Octobris ſub huius anni Coſſ. [x] legationem aduerſus eoſdem Paganos atque hæreticos ad Imperatorē decreuere: Cum iam antea ſub iiſdem Coſſ. menſe Iunii ibidem congregati Epiſcopi, eadem ex cauſa contra eoſdem tumultuantes ad eumdem Imperatorem aliam legationem miſiſſent. Ceterum nauaſſe quam diligenter operam Olimpium, vt iidem Legati impetrarent quod peterent; docent ipſius Imperatoris data decimoſeptimo Calendas Decembris reſcripta [y], quibus ſignificauit quodcumque aduerſus Donatiſtas & alios hæreticos, necnon Gentiles ſtatutum eſſet, id ex ſua ſententia factum, firmum ratumque in omnibus eſſe velle. Qui etiam de iudicio Epiſcoporum edixit [z], vt inuiolatum haberetur quod ex conſenſu partium Epiſcopi iudicaſſent; nec ab eorum ſententia appellare liceret.

u Aug. ep. 129. 130.

Concil. Carth. ad reprimendos tumultuantes hæret.

x Conc. Afric. can. 73.

y l. 43. C. Th. de hæret. l. 19. C. Th. de Pagan.

z l. 9. C. de Epiſ. aud.

VIII. Sed quod vno ex prædictis reſcriptis [a] iuſſit, cum Donatiſtis æque exagitari *Cælicolas*; quinam hi fuerint, exquirendum eſt. Exiſtimaui aliquando hos fuiſſe Gentiles, in Africa, ſic dictos à cultu Cœleſtis idoli Carthagine poſiti, de quo dictum eſt ſuperius. Sed quod ex ſententia Auguſtini [b] iidem etiam baptizarentur, Chriſtianitatem præſetuliſſe viſi ſunt. Verum & quod vult alia eiuſdem Imperatoris ſanctio [c], hos cogendos ad Chriſtianitatem ſeruandam; quodque inſuper tam in Theodoſiano quam Iuſtinianeo Codice, non ſub titulo *de hæreticis*, ſed *de Iudæis*, ponantur Cælicolæ; ac deniq; quod idem S. Auguſtinus in commentario ad Quoduultdeum relegēs omnes quæ ab exordio Chriſti Eccleſiæ hæreſes extitere, vſque ad hæreſim Pelagianorum, quæ poſt hoc tempus innotuit, nullam ibi de Cælicolis mentionem habeat: ex his inquam, intelligi poteſt, hos fuiſſe quidem Chriſtianos, ſed tamen apoſtatarum nomine cenſendos potius quam hæreticorum. Et quantum colligere fas eſt ex eadem Honorii ſanctione [d], illos apparet appellatos eſſe Cælicolas, qui ex Chriſtiana fide tranſirent ad Iudaiſmum; ita tamen quod cum ſcirent Iudaicum nomen abominabile cunctis eſſe, non Iudæi, ſed Cælicolæ dici potius voluerint; nec ſub Iudæorum degerēt Patriarchis, ſed aliis ſibi propoſitis Præfectis, quos *Maiores* nominarent, vt ex S. Auguſtino [e] apparet, necnon reſcripto [f] Conſtantini Magni. Qui vero præterea alius de Cælicolis ſermonem habeat, ex veteribus inuenimus neminem. Sed ad eos ſpectat, quod poſt dies nouem à reſcripto dato ab Honorio aduerſus hæreticos atque Cælicolas, idem Imperator octauo Calendas Decembris ſub his iiſdem Coſſ. aduerſus eoſdem promulgauit edictum [g], quo Donatiſtas pariter & Iudæos, noua in Religionem Catholicam tentantes (nempe Cælicolarum ſectam introducere) coercuit.

a l. 43. Cælicolæ hæretici qui: b Aug. ep. 163. ad Eleuſ. c l. 19. C. Th. & l. 12. C. Iuſtin. de Iudæ. & Cælic.

d l. 19. ſeu 12.

e Aug. ep. 163. & 284 f l. 1. C. de Iudæ. & Cælic.

g l. 44. C. Th. de hæret.

IX. Sed & hoc eodem anno iiſdemque Coſſ. quarto Calendas Iunii, Theodoſius Imperator Iudæos, pariter ritus Chriſtianorum adulterantes, data lege [h] compeſcuit; qui videlicet (vt ait) quodam feſtiuitatis ſuæ ſolemni, Aman ad pœnæ quondam recordationem incendere, & S. Crucis aſſimulatam ſpeciem in contemptum Chriſtianæ fidei

h l. 18. C. Th. de Iudæ. Iudæorum mulctatum ſacrilegium.

næ fidei

Digitized by Google

næ ſidei ſacrilega mente exurere conſueuiſſent. Ex quibus intelligis quid præſumpſerint Iudæi ſceleſtiſſimi, nimirum Crucifixum vna cum Cruce incendere; & ne ſacrilegi conuinci poſſent, illud prętexere conſueuiſſe, ſe nō Chriſtum Crucifixum, ſed Aman Iudæorum hoſtem tali ſupplicio [i] affectum, ob Dei gloriam repræſentare. At quid admirandum Deus oſtenderit his temporibus Conſtantinopoli, de Iudæo paralytico per ſanctum baptiſmū ſanitati reſtituto, deque pluribus Gentilibus ad ſuſcipiendum baptiſmum tali miraculo inductis, reliquis Iudæis in obſtinatione permanentibus; tu conſule Socratem [k]: qui eiuſmodi narrationi aliam ſubiicit de Sabbatio ex Iudæis oriundo, facto Nouatiano, ſed ſchiſmate ob Epiſcopatum non adeptum reſilente. Porro ex iſto Sabbatio, *Sabbatianos* nominatos eſſe Nouatianos ab aliis ſchiſmate diuiſos, reſcripta [l] Principum docent. Toleratos autem diximus Nouatianos, tamquam qui in reliquis de fide eadem cum Orthodoxis ſentirent: ſed Romæ ab Innocentio Papa primum expulſos eſſe, idem Socatres [m] affirmat.

i Eſth. 7.

IVDÆVS PARALYT. PER BAPTISM. SANATVS.

k Socr. lib. 7. c. 4.

SABBATIANI HÆRETICI.

l [illegible]

m Socr. lib. 7. c. [illegible]

X.

Contigit inter hæc mori Porphyrium illum ſceleſtiſſimum, qui poſt Flauianum ſedem inuaſit Antiochenam; cui numquam (vt dictum eſt) Roman. Pontif. communicare voluit. Quo defuncto, affulſit primus pacis radius poſt tot procellas Eccleſiæ Antiochenæ. Etenim communi omnium conſenſu electus [n] eſt *Alexander*, vir laudatiſſimus, & ab ineunte ætate vitam monaſticam egregie profeſſus: qui vno vinculo communicationis in vnū continuit, qui erant ex parte Paulini iam à tempore Concilii Alexandrini ſub Iuliano Apoſtata, cum aliis qui erant ex parte Meletii, ſeparatos ab inuicem quadraginta quinque iam annis: tot enim numerant ab eo Concilio vſq; in præſentem annum. Si quis autem numeret à tempore reſipiſcentiæ Meletii, quando ex Ariano Catholicum ſe publice profeſſus eſt, quō cum tamen (vtpote ab Arianis ordinato) renuerunt communicare Catholici qui ab illo Magno Euſtathio denominati erant Euſtathiani (quod contigiſſe vidimus anno Chriſti trecenteſimo ſexageſimo) plane adhunc vſque annum reperiet ſchiſmatis annos quadraginta octo. Denique ſi illud accipias ab eiectione ipſius Euſtathii facta anno trecenteſimo quadrageſimo, quo tempore ſcindi primum cœpit in duas partes Eccleſia Antiochena; annos numerabis ſexaginta octo. Quamobrem manifeſtum redditur, illapſum omnino eſſe errorem apud Theodoretum [o], dum anni numerantur eiuſdem Eccleſiæ diſſidii octoginta quinque; quandoquidem illud ſpatium longe tranſgreditur tempora Alexandri Epiſcopi Antiocheni & Innocentii Romani Pontificis, ſub quibus pacem eidem Eccleſiæ redditam eſſe tum ipſe Theodoretus, tum alii omnes affirmant. Laudat vero inſuper eumdem Alexandrum idem Auctor, quo ipſe omnium illorum Orientalium primus, Magni Ioannis Chryſoſtomi nomen in tabulas Eccleſiaſticas referendum curauerit.

n Theodor. [illegible]

ALEXANDRO [illegible] ECCLESIÆ ANTIOCHENÆ [illegible] EPISC.

o Id. lib. 5. c. 35.

XI.

INNOC. PP. AVCTOR PACIS ANTIOCH.

Verum tam huius rei, quam pacis Eccleſiæ Antiochenæ, auctorem ei fuiſſe Innocentium Romanum Pontificem, qui Alexandro legationem ex more Romam mittenti ad obtinendam Catholicam communionem, eam ipſi illis conditionibus impertiit; declarant eiuſdem Innocentii litteræ [p] ad Bonifacium presbyterum, legatione fungentem apud Theodoſium Imperatorem Conſtantinopoli; necnon aliæ [q] ad eumdem Alexandrum de pace Eccleſiæ ſcriptæ. His vero & illud conſtat, Acacium quoque Berœenſem Epiſcopum, Catholicam ab eodem Romano Pontifice communicationem, iam diu ob cauſam Chryſoſtomi interceptam expetiiſſe: eamque ipſum certis legibus obtinuiſſe, teſtantur litteræ quas ad eum Innocentius [r] reddidit.

p Innoc. ep. 2.

q Id. ep. 18.

r Id. ep. 22.

XII.

MELANIA [illegible]

s Pallad. in Lauſiac. c. 117. 47.

Hoc item anno qui Vrbis obſidionem præceſſit, Melania Romana vidua, de qua ſæpe ſuperius, antiqui vaticinii ante annos quadringentos (vt ait Palladius [s]) editi memor, diſtractis prædiis, vna cum Melania nepte, Pinianoque eiuſdem Melanię Iunioris viro, & Albina nuru, ereptura cum illis imminentem Vrbis cladem, Roma recedens Hieroſolymam ſe iterum contulit. Addit inſuper Palladius, eiuſmodi Prophetico oraculo ab ea Romæ euulgato atque ſæpius inculcato, complures Romanorum ciuium ad rerum temporalium contēptum inductos eſſe. Nam & maior vis inerat adhæc ſuadenda Melaniæ orationi, quod dictitaret (vt exiſtimabat) vna cum Vrbe Orbē pariter rediturum. Ceterum illam cum ſuis in itinere Carthaginem appuliſſe, indeque Tagaſtam ad S. Alipium, & Hipponem ad S. Auguſtinum profectam eſſe; ſed & in eadem ciuitate Hippone, Piniano vim factam eſſe à populo, haud tamen conſcio Auguſtino, vt presbyter fieret (de cuiuſmodi populorum cōſuetudine dictum eſt ſuperius) at ipſum certis promiſſionibus populum eluſiſſe, atque inde clam receſſiſſe: hæc inquam, omnia, & quomodo ea ſe habuerint, ſuſe pertractata habentur in epiſtolis ipſius Auguſtini [t] ad eoſdem ſcriptis.

t Aug. ep. 225. 227.

XIII.

u Paul. ap. Aug. ep. 249.

MELANIÆ AC EIVS PEREGRINATIO, AC VITÆ INSTITVTVM.

x Ap. Metaph. & Sur. 31. Ianuar.

Quod autē ipſa Melania Senior hoc tempore, SS. Auguſtini atq; Paulini [u] Nolani præconiis laudata reperiatur, argumento eſt ipſam maculas quæ ei ex patrocinio errorum Origenis inhæſiſſent, penitus diluiſſe, poſtquam iam illos Romæ ab Anaſtaſio Papa damnatos comperit. Nauigaſſe autem poſt hæc Hieroſolymam, & ab ipſo illuc aduentu poſt dies quadraginta defunctam eſſe, Palladius tradit. Pinianum vero cum nuru & vxore remanſiſſe in Africa, ac poſt aliquot annos Hieroſolymam & ipſos nauigaſſe, teſtantur Acta [x] Melaniæ Iunioris. Ex quibus etiam conſtat, peregrinatam eamdem eſſe cum marito in Ægyptum, ad viſendos ſanctos monachos eremi accolas, relicta Albina matre ob ingraueſcentē ætatem Hieroſolymis: inde vero redeuntes Hieroſolymam, ſeorſum à coniuge Pinianum excoluiſſe vitam monaſticam, Melaniam autem ad annos quatuordecim apud montem Oliueti clauſam in cella perſeueraſſe, egiſſeq; vitam Angelis ſimilem; quæ omnia videtur ignoraſſe Palladius [y], dum ait eos vitam duxiſſe in Campania & in Siciliæ. Sed de iis rurſum inferius.

y Pallad. in Lauſiac. c. 49.

HONORII 15. THEOD. II. 2.

IESV CHRISTI AN. 409.

INNOCENTII AN. 8.

I.

VRBIS OBSIDIO PER ALARICVM.

a Zoſ. lib. 5.

EVCHERIVS FILIVS STILIC. OCCIDITVR CVM MATRE.

ANno Chriſti quadringenteſimo nono, Honorio octauum & Theodoſio tertium Augg. Coſſ. Roma ab Alarico Gothorum Rege obſeſſa eſt [a]. Qui enim Stiliconi addictiſſimus erat, ob necem eius in Imperatorē commotus, exercitum in Vrbem mouit, quam diu ante ſitiuerat. Cum interea Eucherius filius Stiliconis detentus captiuus, mandato Honorii Rauennæ agentis interfectus eſt eiuſque mater Serena Stiliconis coniux, ipſiuſque Honorii conſobrina, ex Senatuſconſulto iuſſa eſt pariter laqueo interfici; adnitente Placidia Honorii germana, eo prætextu quod in ſuſpicionē adducta eſſet, eius nutu barbaros ad Vrbis obſidionem ſe contuliſſe: ratis nimirum Senatoribus, poſtquam Serena foret è medio ſublata, illos pariter ſoluturos obſidionem ablata ſpe de proditione Vrbis: quod tamen minime ſucceſſit. Dediſſe vero meritas illam pœnas, quod & ipſa inſano ardens deſiderio creandi filii Imperatoris, eaſdem cum Stilicone ſtruxiſſet Imperio Honorii inſidias, affirmant licet Zoſimus Ethnicus ad iuſtam numinis vindictam eius necem accommodet, quod aliquando è Rheæ ſimulacri collo mundum pretioſum abſtractum ſuo colligaſſet.

II.

VRBIS OBSIDIO AVRO SOLVTA.

Cum autē obſidio arctior perduraret, fame atq; peſte populo Romano vexato, vi adacti ciues pacem redemerunt, perſolutis Alarico quinquies mille libris auri & tricies mille libris argenti, quater mille tunicis ſericis, ter mille pellibus coccineis, piperis pondere quod ter mille libras æquaret. Sed quod Ærarium eſſet exhauſtū, & priuatorum opes haud in promptu eſſent ad dictam ſummam perficiendam; decretum eſt ſpoliari deorum ſimulacra auro & gemmis, quibus recens fuerant fauente Eucherio exornata, conſtariq; nonnulla quæ adhuc ſupererāt auro & argento facta ſimulacra: quod valde deplorat

DEOR. ORNAMENTA SVBLATA.

Zoſimus. Notam vero etiam Innocentio Romano Pontifici inurit, quod religioni ſuæ ſalutem Vrbis anteponens, Gentilitia ſacra fieri, ſecreto conſenſerit, quando vrgente obſidione iactãtibus Tuſcis quibuſdam aruſpicibus, barbaros ſe per ritus Ethnicos fulminib. ac tonitruis abacturos ſicut in alio oppido feciſſe dicebant; qui in Senatu adhuc Pagani erant, tam in Capitolio quam in reliquis Vrbis delubris ſacrificia publice celebrarunt. Sed quod nihil ex ſententia ſucceſſit, erubeſcẽs Zoſimus infirmitatem deorum, excuſat ex eo quod nemo auſus fuerit participare de ſacrificiis. Ceterum Sozomenus & ipſe Græcus ſcriptor, & ſui temporis res proſecutus, quamuis ſecta Nouatianus extiterit, & aduerſus Innocentium Papam, quod primus omnium (vt vidimus ex Socrate [b]) Nouatianos eiecerit ab Vrbe, nonnihil commotus; tamen dum eamdem hiſtoriam recenſet, [c], nequaquam de eius conſenſu Gentilibus exhibito meminit.

INNOC. PP. DEFENDITVR A CALVMNIA ZOSIMI.

b Socr. lib. 7. cap. 9. c Soz. lib. 9. ca. 7.

III. Ac certe tantum abſuit vt Innocentius eiuſmodi ſcelus admiſerit, vt contra cum innocentiſſimus eſſet, ne periret cum noxiis, tamquam Loth (inquit Oroſius [d]) è Sodomis occulta prouidentia Dei ſubtractus fuerit: Cum videlicet quamuis ſoluta obſidione, haud tamen pace cum Honorio ſtabilita, quod is omnibus Alarici poſtulatis minime ſatisfeciſſet, aliaſq; ipſe Alaricus poſtea adieciſſet conditiones, & maxime vt vtriuſque militiæ dux copiis Honorii perficeretur, cui Imperator acquieſcere noluit; inter hæc bis miſſis à Senatu ad eumdem Alaricum apud Ariminum agentem Legatis pro pace inter ipſum & Honorium ſancienda, inter quos fuit etiam Innocentius (vt iidem Zoſimus atq; Sozomenus teſtantur) & Alarico re infecta rurſum ad obſidionem Vrbis properante; ipſe Innocentius apud Honorium Imperatorem Rauennæ conſtitit, ne (vt ait Oroſius) peccatoris populi videret excidium. Quod autem ad Alaricum ſpectat; cum reparatæ aduerſus Vrbẽ expeditionis mox eũ pœnituiſſet, Epiſcopos quoſdam ad Honorium pro pace moderatis admodum conditionib. legauit. Sed quoniam imprudenti ſuaſione Iouii Præfecti Prętorio magiſtratus iurauerant numquam ſe de ineunda cum Alarico concordia acturos, atque ad idem iuſiurandum Imperatorem adegerant dum paulo ante Alaricus reſiliiſſet; Epiſcopis re infecta redeuntibus, Alaricus cœptum iter proſecutus eſt, Romamque ſecunda cinxit obſidione. Iſta pluribus Zoſimus atque Sozomenus. Quæ autem poſt hæc ſecuta ſunt, dicentur anno ſequenti.

d Oroſ. lib. 7. cap. 39.

VRBS ITERVM OBSIDETVR AB ALARICO.

IV. Ceterum cum in his omnibus factum videatur, vt Honorius ab aulicis prauo conſilio deceptus, nonnulla perperam egerit; quando & Olympium adeo pium virum, de quo ſupra in ordinem redegit, qui ſe contulit in Dalmatiam; & latam legem ne Gentiles militiæ cingulo honeſtarentur, quo Generidum quemdam ducem barbarũ, qui ea cauſa militare deſierat, ad militiam reuocaret, abrogauit, omnibuſq; ſimul Ethnicis ad militiã viã aperuit, inuitus licet, vt Zoſimus ipſe teſtatur: nihilominus tamen inter tot tantaſq; perturbationes conſtitutus, Catholicæ Eccleſiæ neceſſitatibus conſulere minime prætermiſit, dũ inter alia pia reſcripta hoc anno promulgata, Mathematicos [e] & hariolos in errore perſtantes ab omnibus ciuitatibus expelli iuſſit; & aduerſus Donatiſtas, Paganos, Iudæos & Cæ icolas conſentientes illis quas ſuperiori anno promulgaſſe vidimus, ſanctiones [f] edidit; ac reos [g] carceratos iuſſit omnibus diebus Dominicis ſub fida cuſtodia educi, vt eis à Chriſtianis laicis vel ſacerdotib. ſubſtantia ſiue alimonia præberetur, pariterque iiſdem dieb. ad balnea religionis contemplatione deduci. Ex quibus, aliiſque eiuſmodi piis Honorii edictis, plane apparet (quod ait S. Hieronymus) non eius peccatis exigentibus, ſed Gentilium obſtinata perfidia, deditam Vrbem barbaris. Id enim & ipſe Alaricus teſtatus eſt cum Vrbem obſideret, nimirum ſe numine impellente nolentem licet & inuitum ad interitum Vrbis ferri, exiſtente quodam qui ſe obtundendo vrgeret, ac præciperet vt Romam euerteret, quod narrant Sozomenus [h] & Socrates [i].

HONORII IMP. MINVS RECTE FACTA.

e l. 12. C. Th. de malef. f l. 46. C. Th. de hære. l. 39. C. Th. de Iudæ. & Cælic. g l. 7. C. Th. de cuſt. reor.

PIÆ LEGES HONORII HOC ANNO LATÆ.

ALARICVS IMPVLSVS A NVMINE AD CLADEM VRBIS.

h Soz. li. 9. cap. 6. i Socr. li. 7. cap. 10.

V. His iiſdem Coſſ. VVandalos Hiſpanias occupaſſe, ſcriptum habetur in Chronicis S. Proſperi & Caſſiodori. Eoſque introductos eſſe à Conſtantino tyranno per Conſtantem filium, aduerſus Didymum & Verinianum fratres, cognatos Honorii Imperatoris, qui Hiſpanias tutabantur, iiſque occiſis, illas in præmium datas eſſe barbaris deprædandas; ſicque patefacta fuiſſe clauſtra Pyrenæi reliquis barbaris qui in Gallia erant; tradit Oroſius [k] homo Hiſpanus, res patrias non ignorans. Nã & pręter VVandalos, Alanos, quoq; atque Sueuos in Hiſpanias ingreſſos eſſe, Iſidorus affirmat. Hi vero ſic inter ſe eas partiti ſunt, vt Alani Luſitaniam & Carthaginenſem prouincias, VVandali cognominati Silingi Bæticam poſſiderent: Hiſpani autem per ciuitates & caſtella reſidua, barbaris dominantibus ſe ſubiunxere. Porro Gundericus primus Rex VVandalorum ſucceſſit, regnans in Galiciæ partibus annis ſexdecim; de cuius miſerabili obitu dicetur ſuo loco. Quam autem graue diſpendium paſſæ ſint Hiſpaniarum Eccleſię ab huiuſmodi incurſionibus, intelligi poteſt ex reſcripta à S. Auguſtino [l] epiſtola ad Honoratum, qui eum conſuluerat num Epiſcopo harum perſecutionum tempore fugere liceret. Iſta autem omnia mala à Deo in Hiſpanos immiſſa eſſe ob grauiſſima illorum ſcelera, ac præcipue impuriſſimam libidinem; ideoque VVandalis potiſſimum, infirmiſſimis illis quidem & ignauiſſimis, ſed pudicis, ſubiugandos tradi meruiſſe; defleuit Saluianus [m]; ea præ oculis habens, Maſſilienſis Epiſcopus.

BARBARI HISPANIAS OCCVPANT.

k Oroſ. lib. 7. cap. 40.

l Au. ep. 180.

CVR TRADITI HISPANI BARBARIS.

m Salu. de prouid. lib. 7.

IESV CHRISTI AN. 410.

HONORII 16. THEODOSII II. 3.

INNOCENTII AN. 9.

I. ANNO Chriſti quadringenteſimus decimus, vnius tantum Varanes legitimo Conſulatu in Oriente creati, Faſtis adſcriptus habetur. Romæ enim obſidio repetita, ab alterius Coſſ. creatione Honorium Imperatorem dimouit. Creatus eſt tamen Tertullus [a], ſed eius nomen à Faſtis abiectum, quod eam à tyranno dignitatem accepiſſet. Cum enim Alaricus Rex Gothorum Vrbem oppugnaret, coegit Romanos vt *Priſcum* ATTALVM Vrbis tunctemporis Præfectum, ſecta Arianum, crearent Imperatorem: qui mox Alaricum æque Arianum, vtriuſque Militiæ ducem, Tertullum vero Gentilem hominem creauit Conſulem, aliiſque pariter Ethnicis & Arianis alios nobiliſſimos magiſtratus diſtribuit; ac denique orationem ad Senatum habuit, qua iactabundus promiſit ſe patria omnia illi conſeruaturum, & vniuerſum Orientis Imperium Italis ſubiecturum. Cum vero Alaricus recte ei conſuleret, vt Drumam cum barbarorum copiis in Africam mitteret, qui Heraclianum Præfectum Honorio fauentem minimo negotio potuiſſet inde expellere: Attalus contra deluſus falſis deorum vatumque reſponſis, promittentium citra pugnam Africæ totius adeptionem; Alarici ſpreto conſilio, Conſtantinum quemdam, ſeu Conſtantem, abſque idoneis copiis, eo miſit, qui ab exercitu Heracliani mox cum ſuis interfectus eſt.

a Zoſim. lib. 6. Oroſ. lib. 7. cap. 42.

ATTALVS CREATVS IMP. AB ALARICO.

II. Interea vero Attalus plane ſibi perſuadens iam in partes ſuas Africam conceſſiſſe, ipſe aduerſus Honorium Rauennæ agentem mouens Romanorum ac barbarorum exercitum, Ariminum acceſſit. Qua re perculſus Honorius, cum per litteras ei atque legatos regni conſortium obtuliſſet, eo tumoris elatus eſt Attalus, vt negans ſe Imperii conſortem admiſſurum eſſe, iuſſerit Honorium eligere inſulam, aliumue locum in quo priuatus degeret. Itaq; in eo cardine rebus exiſtẽtibus, vt & naues iam Honorius paratas haberet ad nauigandum ad Theodoſium fratris filium, ex improuiſo magnus militum numerus Oriente noctu Rauennam appulerunt, quibus fretus Ra-

ATTALVS DEDIGNATVR HABERE HONORIVM IMPERII CONSORTEM.

uennæ conſiſtere decreuit, quouſque rerum Africanarum ſtatus nunciaretur. Factumque eſt vt cum Heraclianus occiſo Conſtantino, frumentum Romam ex Africa vehi prohibuiſſet, diraq; inde fames Vrbem inuaſiſſet, Attalus eo reuocatus fuerit, vt medelam ei malo afferret. Hæc quidem omnia æque referunt Zoſimus [b] & Sozomenus [c]. Sed de Fame Sozomenus ait, illam eo inualuiſſe, vt caſtaneis pro frumento vterentur, ac nonnullos etiam carnes humanas guſtaſſe ſuſpicarentur. Zoſimus vero etiam affirmat, tunc temporis Romæ in exhibitis ex more Circenſibus ſpectaculis, populum fame tabeſcentem conclamaſſe ad nouũ Imperatorem vt pretium poneret carni humanæ. Ac denique S. Hieronymus [d] ſcribit, ad nefandos cibos erupiſſe eſurientium rabiem, & ſua inuicem membra laniaſſe, dum mater non parceret lactenti infanti, & ſuo reciperet vtero quem paulo ante effuderat. Poſt famem vero, grauiſſimam Peſtem ſecutam eſſe, Zoſimus tradit, lugetque. Sed quis, rogo, in has redegit anguſtias Vrbem, niſi Gentilium factio ſcelerata? Vt plane deſipuiſſe arguantur, qui cladem eius adſcripſere Chriſtianis; cum ex deorum falſis reſponſis hæc omnia factitata eſſe, ipſe deorum cultor Zoſimus compulſus ſit confiteri.

b Zoſ. l. 6. c Sozo. l. 9. ca. 8.
DIRA FAMES VEXAT VRBEM.
d Hiero. ep. ad Princip.

III. Poſt hæc autem Alaricus, qui hactenus laboraſſet vt ciuitates Italiæ ſubditas Attalo redderet, iam ob contrariũ rerum euentum in Attalum commotus, tum extra vrbem Ariminum in qua tunc morabatur, productũ, diademate ſpoliauit, & purpura exuit; iiſque ad Honorium Imperatorem miſſis; eumdem Attalum in omnium oculis ad priuatam conditionem redegit; apud ſe tamen vna cum Ampelio filio retentum, donec pace cum Honorio conſtituta vitæ ſecuritatẽ eis impetraſſet: cum & Placidia quoque ſoror Honorii apud Alaricum obſidis loco maneret, ſed omni honore cultuque regio fruens. Hæc iidem Zoſimus atque Sozomenus. Sed de Attalo rurſum poſt aliquot annos eorumdem Gothorum opera Imperium reſumente, atque iterum deſerente, dicetur ſuo loco. De quo egregie Oroſius [e] ait, *In eo Alaricum Imperatore facto, infecto, ac defecto, ritum his omnibus factis pene quam dictis, mimum riſiſſe, & ludum ſpectaſſe Imperii.* Porro iſta de Attali depoſitione, circa menſem Iulii huius ipſius anni facta eſſe, intelligi poteſt ex Honorii Imperatoris reſcripto [f] dato octauo Idus Auguſti Rauennæ ſub Conſulatu Varanes, quo ob liberatam Rempublicam à tyrannidis iniuria, omnium criminum reos relaxari præcepit; nimirum illos qui tyrannũm Attalum ſecuti eſſent. His autem plane conſternatos animo eſſe deorum cultores Romæ, cum res Attali Imperatoris ſui collapſas penitus intuiti ſunt, qui adeo magna de eo conceperant, teſtis eſt Sozomenus. Sed licet ſic humiliati, non ſunt tamen compuncti: factumque eſt, vt qui admiſſi ſceleris nulla afficerentur pœnitudine, eumdem Alaricum, quem in patrocinium aduocarant, perpetrati quoque facinoris ſæuum experirentur vltorem.

ATTALVS DEPONITVR AB ALARICO.
e Oroſ. lib. 7. cap. 42.
f l. 12. C. Th. de indulg. crim.

IV. Qui quidem cum ad locum Rauennæ proximum, veniſſet, & cum Imperatore de pace communicaret Sarus Hunnorum dux, de quo ſuperius, Alarico iam antea ſuſpectus, conſiderans ſibi nequaquam vtilia fore inter Romanos Gothoſque percuſſa fœdera, repente cum trecentis ſuis ſtrenuis militibus irruens, nonnullos ex Gothis Alarici interfecit. Vnde metu ſimul & ira aduerſus Honorium percitus Alaricus, eadem mox via reuerſus eſt ad obſidionem Vrbis. Scribit iſta Sozomenus: eademque Zoſimus, cuius hiſtoria fine carens hic definit. Subdit vero Sozomenus, reuerſum Alaricum Romam obſidione cinctam per proditionem cepiſſe. Sed à quibus iſta proditio? Narrat Baptiſta Egnatius [g] ex Procopii fragmento (vt profitetur) fabulam quamdã de biennali obſidione Vrbis, Honorio Imperatore nihil min⁹ quam de eius ſalute ſolicito; quam cum Alaricus expugnare non poſſet, regreſſum in patriam ſimulantẽ, trecentos validiſſimos iuuenes ibi reliquiſſe Romanis principibus donatos; qui condicta die, cum Romani ſomno vel otio meridie torpeſcerent, portam Aſinariam interfectis cuſtodibus occupantes, per eam Alaricum, circa Vrbem variis prætextibus moras protrahentem, introduxerunt. Sed ſiue Procopius, qui poſt centum annos vixit, ſiue Egnatius hæc confinxerit; refelluntur ea tum ipſius fabulæ vanitate, tum ex iis quæ his contraria ex probatis huius ipſius temporis auctoribus referuntur. Scimus etiam alios iactaſſe, Vrbẽ Alarico traditam proditione Probæ Faltoniæ vxoris Adelphi Senatoris, commiſeratæ Romanos longa obſidione vallatos fame & peſte perire. At quomodo id fieri potuit longioris obſidionis obtẽtu, cum (vt apparet) nouiſſima obſidio iſta perpaucis tantum diebus perdurauit? Et quod Probæ ex proditione compendium, quam bonorum iacturam paſſam, vixque temulẽtorum barbarorum manus euaſiſſe [h] conſtat? Exploſis igitur his figmentis, pro arbitrio abſque antiquorum teſtificatione vulgatis, cuncta ſerio expendenda ſunt.

VRBS CAPTA AB ALARICO.
g Egnat. Rom. Princ. lib. 1.
FABVLA DE VRBIS PRODITIONE.
h Hier. ep. 8.

V. Ac primum ingreſſum eſſe hoc anno Alaricum in Vrbem nono Calendas Septembris, Theophanes [i] in Hiſtoria Miſcella dicta, quæ Pauli diaconi eſſe perperam fertur: quem ſequi potius quam recentiores quoſdam aſſerẽtes Vrbem Calendis Aprilis captam, iuſte decernimus. Siquidem id in primis ſuadet citatum Honorii reſcriptum [k] de Republica ab Attali tyrannide liberata; quod cum datum ſit octauo Idus Auguſti, conſentiantque omnes captam Vrbem poſt pulſum Attalum, haud potuit Calendis Aprilis id accidiſſe. Nam & Concilium Carthaginenſe hoc anno (vt dicetur) decimo octauo Calendas Iulii celebratum, æque ante Vrbis excidium habitum eſſe conſtat. Sicque quod ad tempus attinet, cum antiquiorib. affirmamus, hoc anno Domini quadringenteſimo decimo, ſub Conſulatu Varanes, Alaricum Gothum Arianum Romam cepiſſe, à tempore poſtquam ea fuit condita, ſecundum Varronianam ſupputationem, anno milleſimo centeſimo ſexageſimo ſecundo. Quibus elucidatis, reliqua facilius innoteſcunt: vt quod ait Sozomenus, Alaricum ob iniuriam acceptam à Saro, ad expugnandam Vrbem quantocyus reuerſum eſſe, atq; eamdem obſidione cinctam proditione cepiſſe, ex quibus appareat, hæc omnia confecta eſſe menſe Auguſti poſt datum illud Honorii reſcriptum. Quinetiam ſi inſumpti itinere temporis ratio habeatur, dicendum ſit eamdem Vrbem vt acceſſit, Alaricum ex improuiſo ingreſſum eſſe. Quod quidem S. Hieronymus [l] noctu contigiſſe ſignificat. Sed quorumnam proditione, niſi amicorum, nimirum eorum qui cum Attalo conſpirarant? Hinc enim videas S. Proſperum in Chronico dicere, Attalum priuatum regno, illud ceſſiſſe Gothis. Indeq; & illud intelligas, quod ob inopinatum Alarici ad Vrbem reditum, & in eam ingreſſum, contigiſſe dicitur de Honorio; nempe quod accepiſſet repentino nuncio Romam perditam, putauerit hoc de gallo gallinaceo, Roma nominato, eſſe renunciatum. Sane quidem ſiquis ea in mentem reuocet, quæ ſuperius dicta ſunt de immenſo Alarici olim concepto potiundæ Vrbis deſiderio, in eam plane ſententiam veniet, cuncta quæ antehac geſta ſunt de Attalo ignauo homine in Imperium prouehendo, eodemque priuando, deque pace cum Honorio ſancienda; ab eodem Alarico proditorie peracta eſſe, vt voti diu concepti compos fieret; atque pacis inuolucro Honorio ſecuro iam reddito & incauto, ita proditionem perfidus occultaret.

TEMPVS CAPTÆ VRBIS.
i Hiſt. Miſcel. lib. 13.
k l. 12. C. Th. de indulg. crim.
l Hier. ep. 16.
QVANTA CELERITATE VRBS CAPTA.

VI. Porro vt de his quæ contigerunt cum Alaricus in Vrbem ingreſſus eſt, aggrediamur hiſtoriam; illud primum occurrit, quod Oroſius [m] ait Alaricum iam antea præceptum militibus dediſſe, vt ſiqui in ſancta loca, præcipueque ad SS. Apoſtolorum Petri & Pauli baſilicas confugiſſent, hos imprimis inuiolatos ſecuroſq; eſſe ſinerent: tum deinde in quantum poſſent prædæ inſiſtentes, à ſanguine temperarent. Accidit vero vt diſcurrentibus per Vrbem barbaris, forte vnus Gothorum ſacram Deo virginem iam ætate prouectam in quadam Eccleſiaſtica domo reperérit: cumque ab ea aurum argentumque honeſte expoſceret, & illa fideli conſtantia omnia protuliſſet; (erant hæc vaſa ſacra in cuſtodiam accepta, quæ haud abſque inſtinctu Spiritus Sancti barbaro reuelanda putauit) attonitũque barbarum videret magnitudine eorum ac pulchritu-

m Oroſ. lib. 7. cap. 39.
CONFVGIENTES AD ECCLESIAS INTACTI A GOTHIS.

VASA SACRA SOLEMNITER RELATA IN ECCLESIAM S. PETRI.

dine, *Hæc* (inquit virgo) *Petri Apoſtoli ſacra miniſteria ſunt. Præſume, ſi audes, de facto tu videris*: Quibus barbarus motus, ab illis abſtinens Alarico nunciauit, hic vero continuo reportari ad S. Petri baſilicam vniuerſa imperauit; virginem etiam, ſimulque omnes qui ſe ei adiungerent Chriſtianos, eodem cum defenſione deduci. Itaq; magno omniũ ſpectaculo, diſpoſita per ſingulos ſingula, omnia illa vaſa magna pompa ad eccleſiam portata ſunt, exertis vndique ad defenſionem gladiis hymnoſque Deo Romanis barbariſque concinentibus. Hæc Oroſius, qui eiuſmodi ingens diuinæ prouidentiæ miraculum, quod Deus per barbaros, eoſdemque Ariana hæreſi infectos, ac proinde Catholicis infenſiſſimos exhibere voluit, multis amplificat exclamationibus: eamdemque rem geſtam Caſſiodorus [n] enarrat. Vt clare vel hinc proſpicere liceat, haud aliã ob cauſam à Deo ingredi permiſſum in Vrbem Alaricũ, quam vt in ignominiam idololatrarum pararet nobilem religionis Chriſtianæ de Gentilitate victa atque proſtrata triumphum. Quapropter & multos Paganos ea re attonitos Chriſtianitatem profeſſos eſſe idem Oroſius tradit. Addit vero ad pompam triumphi Iſidorus [o], quicumque extra eccleſias a militibus reperiebantur, dũmodo Chriſti nomen vel Sanctorum nominarent, & ipſis hoſtilem furorem pepercisse: ſicque multa millia Romanorum periculum euaſiſſe. Et in eamdem pariter ſententiam Auguſtinus [p] in ipſos ingratos atque obſtinatos Gentiles ſcribens affirmat quamplurimos ex iis in Martyrum loca & baſilicas Apoſtolorum ſeſe recipiẽtes, mortem effugiſſe.

n Caſsiod. 12. Var. 20.

SALVS VICTIS IN CHRISTO.

o Iſid. de Mund.

p Aug. 11. de ciu. c. 1. & 7.

VII. Contigit autẽ vt cum Gentiles modis omnibus Gothi vexarent, nonnulli etiam Chriſtianorum, veluti Gentiles religionem ſimulantes, male habiti fuerint: ſicut accidit S. Marcellæ, inſigni illi atq; clariſſimæ feminæ, cuius ſuperius facta eſt mentio, quæ vna cum Principia filia incognitæ quænã eſſent, à barbaris tentæ fuere; ipſaq; Marcella (quæ monaſticam amplexata diſciplinam, voluntaria paupertate ampliſſimis diuitiis renunciauerat) fuſtibus flagelliſq; cæſa cũ poſceretur aurum: cognitæ vero ambæ dimiſſæ ſunt, atq; ſaluæ fierent in baſilicam S. Pauli deductæ. Narrat hæc S. Hieronymus [q]. Habetq; ue & aliud inſigne exemplum Sozomenus [r], perductæ à iuuene quodã milite barbaro ad S. Petri baſilicam Chriſtianæ mulieris formoſiſſimæ, atque caſtiſſimæ, vt viro ſuo conſeruaretur intacta. Quotquot autem fugam arripere barbaris Vrbẽ ingreſſis valuerunt, eam protinus quaquauerſum capeſſiſſe, teſtis eſt idẽ Hieronymus [s], dum de iis qui Hieroſolymam aufugerunt agit in cõmentariis ſuper Ezechielem prophetam, quos hoc tempore elucubrare aggreſſus eſt. Sed haud feliciter clariſſimis feminis, de quibus alias facta eſt mentio, Probæ & ipſius nurui Iulianæ ambabus viduis, atq; Demetriadi eiuſdem Iulianæ filiæ (quæ & ipſæ à Gothis tentæ, poſtquam Chriſtianæ agnitæ ſunt, liberæ dimiſſæ fuere) Africam patuiſſe ad fugam, queritur idem Sanctus [t] dum illam ipſarum peregrinationẽ enarrat, multum eadem re inuectus aduerſus Heraclianum Comitem, qui ſub ſpecie tutandi Imperij contra barbaros, tyrannidem Africæ arripuit, & cum in alios omnes ſæuiſſimas exercuit rapinas ac crudelitates, tum prædictas matronas nonniſi magno perſoluto pretio permiſit Carthagine habitare.

q Hier. ep. 16. ad Princip.

r Soz. li. 9. cap. 10.

FVGAM ARRIPIVNT MVLTI.

s Hier. praf. lib. 3. & 7. in Ezech.

t Id ep. 8.

VIII. Ceterum quod non omnium Gothorum eadem eſſet humanitas atque religio, vel metus Alarici vt eius edicto de liberis dimittendis omnibus Chriſtianis obtemperarent; nõ omnibus in tot miſeriis ea felicitas obtigit, vt apprehenſi dimitterentur: nam & complures etiam ſacras virgines eoſdem barbaros ſecum abduxiſſe, ſed & ſtupra addidiſſe, ibidem S. Hieronymus & alibi S. Auguſtinus [u] docẽt. Vnde cum de capta Vrbe, ac malis ibi perpetratis, inuidia ſumma aduerſus Chriſtianos à Gentilibus vbiquẽ locorum conflaretur; neceſſitas compulit Chriſtianos Epiſcopos, calumnioſe obiecta refellere. Inter quos S. Auguſtinus præter peculiarem quem eo argumento [x] habuit tractatum, quam locupletiſſime de his egit libris viginti duobus [y] *de Ciuitate Dei*, quos anno ſequenti [z] cœptos plurimorum annorum ſpatio ad finem perduxit; eo

u Aug. 1. de ciu. c. 16.

x Ibid. lib. 1.

GENTILIVM IN CHRIST. OBTRECTATIO.

y Id. de exc. Vrb.

z Id. ep. 102 ad Euod.

quod (vt ait [a]) multa alia intercurrerent, quæ differre non oporteret. Iis vero docuit, longe grauiora damna Romanum populum à ſuis ipſius ciuibus olim accepiſſe, quam modo Gothi intulerint; & impietate Gentilium talia pati commeruiſſe Vrbem, cum econtra religionis Chriſtianæ cultu factum ſit ne penitus interiret.

a 2. Retract. 43.

IX. TRIDVVM CLADIS VRBIS.

Quantum vero temporis ipſum Vrbis excidium perdurarit, miraberis cum audieris. Etenim cum in perquirendis exhauriendiſq; ampliſſimis omnium diuitiis, nec triennij ſpatium ſatis eſſe ſufficiens videretur; tamen triduana Gothi deprædatione contenti, protinus diſceſſere. Id enim diſertis verbis teſtatur fide dignus temporis illius ſcriptor Oroſius [b], confirmatq; Miſcellæ [c] auctor. Vnus eſt tantum qui diſcrepat Marcellinus [d], dum ait ſexto die ex quo Vrbem Alaricus eſt ingreſſus, diſceſſiſſe. Adeo vt dici quidem potuerit hæc comminatio potius, quam illatum flagellum; qua Romani ſint perterriti, non proſtrati. Vnde & ipſe poſt diſceſſionem Alarici populus (vt ait Oroſius [e]) adeo paruo quodam & leui motu hæſitaſſe erga ſe parumper conſuetudinem voluptatum indubitatiſſime conteſtatus eſt; vt libere conclamaret, ſi reciperet Circum, nihil eſſe ſibi factum; hoc eſt, nihil egiſſe Romæ Gothorum enſes, ſi concedatur Romanis ſpectare Circẽſes. Qui ergo totius Romani Imperii capite, ipſa Vrbe potitus Alaricus, totum ſibi ferme vẽdicare potuiſſet Imperium; quadam veluti amentia percuſſus, nec Vrbem quam ceperat, tenuit, vel recedens cuſtoditã ſibi curauit, neq; exercitum in Honorium Imperatorem imparatum & inermem mouit: ſed ab Vrbe numine cogente exire cõpulſus, potiuſquam ſponte progreſſus, palabundo milite magis quam ordine compoſitis turmis Campaniam, Lucaniam Brutioſq; peruaſit [f]. Qui autem putant, hoc ipſum tempus fuiſſe, cum S. Paulinus inſignis ille Nolanus Epiſcopus ductus eſt in Africã pro viduæ filij redemptione captiui; errore labuntur: ſiquidem nulli hoc tempore in Africa barbari, ſed longe poſt Wandali ea ſunt potiti, ſub quibus illud de Paulino accidiſſe dicetur. Tẽtum quidem ipſum dum oppugnata eſt à barbaris hac incurſione Nola, Auguſtinus [g] eſt auctor ſed ita vt (quemadmodum alibi [h] tradit) protegente cum alioſque ciues patrono ipſorum S. Felice; nihil mali paſſi fuerint. Quem vero tandem Alaricus exitum habuerit, dicetur anno ſequenti.

b Oroſ. lib. 7. cap. 39.

c Theoph. l. 13. Miſcel.

d Marcel. in Chron.

e Oroſ. l. 1. c. 6.

LARICI IMPRVDENTIA.

f Pallad. dial. l. 11.

g Aug. 1. de ciuit. 10.

h Id. de cur. pro mort. ag. cap. 16.

X. Interim cum in hunc modum Gothorum eſſet tumultibus agitata Italia, totuſque mundus (vt ait Auguſtinus [i] epiſtola hoc ipſo tempore ad Victorianum data) tantis affligeretur cladibus, vt pene nulla pars terrarum eſſet, vbi non ſimiles barbarorum incurſiones committerentur atque plangerentur; Africana vero Eccleſia pace frueretur: hoc ipſo anno, nempe poſt Conſulatum Honorij VIII. & Theodoſii III, congregatum eſt CONCILIVM CARTHAGINENSE [k] decimo octauo Calendas Iulij; ex quo decreta eſt legatio quatuor Epiſcoporum ad Honorium Imperatorem aduerſus Donatiſtas. Cum enim Attalo tyranno Africam tentaturo, idem Honorius Heracliani Comitis vel Macrobii Proconſulis Africæ conſilio, reſcriptum dediſſet, quo Donatiſtæ ſinerentur eam quam vellent religionem amplecti, ne legibus in eos antea latis exagitati, iidem pro partibus Attali dimicarent, ac ſic actum eſſet de Africa: eodem iam Attalo exauctorato, Epiſcopi Africani Catholici, quod viderent Honorii reſcriptum in magnum Chriſtianæ religionis diſ[illegible]endium vertere, hac cum legatione rogarunt vt illud reuocaret. Porro eorum petitioni annuiſſe Imperatorem, ipſius hoc anno eadem re miſſum ad eumdem Heraclianum reſcriptum [l] demõſtrat: quod cum datum reperiatur poſtridie eius diei quo Vrbs capta eſt, nempe octauo Calendas Septembris; inde vt opinor, accidit vt imminentem Vrbi extremam cladem magno Deus miraculo propitiatus diſtulerit.

i Id. ep. 122.

k Conc. Afric. can. 73

CONCIL. CARTH. ADVERS. DONATIST.

l l. ſi C. Th. de hæret.

XI. PARATVR COLLATIO INTER CATHOL. ET DONAT. IN AFRICA.

Sed parum viſum eſt Honorio legem lege conuellere: verum & adiiciens animum vt Donatiſtas omnimode Eccleſiæ Catholicæ reſtitueret; id fieri poſſe ratus, ſi ad publicam eos Collationem cogeret, huic rei perficiẽdæ miſit in Africã Marcellinum Tribunũ & Notarium. Quod quidem Epiſcopos Catholicos ab eodem Imperatore ex-

Digitized by Google

m Aug. l. cont. ſe ..ni. n Poſſid. in Vit. S. Aug. cap. 13.

petiiſſe, haud obſcure S. Auguſtinus [m] ſignificat; imo per ipſum Auguſtinum fuiſſe procuratum, perſpicue tradit Poſſidius [n]. Id autem eo conſilio factum idem Sanctus tradit, quod Donatiſtarum furor vniuerſam iam Africam occupaſſet, nec prædicari à Catholicis veritatem contra ſuum paterentur errorem; violentis aggreſſionibus, latrocinationibus, itinerum obſidionibus, rapinis, ignibus, cædibus multa vaſtantes, cuncta terrentes. Hæc igitur (vt ait) neceſſitas Catholicos ad eandem Collationem petendam compulit, vt ſaltem Geſtis in ea confectis (quibus haud dubium Donatiſtæ cauſa caderent) illorum Catholici contunderent inuerecundiam, & reprimerent audaciam. Verum (vt addit) ſicut ſumma curatum fuit induſtria, vt ad illam Donatiſtæ licet renuentes compellerentur: ita eandem expetentes Maximianiſtæ, ramus præciſus à reliquis Donatiſtis, ab Epiſcopis Catholicis repulſi ſunt; quod qui contempti ab omnibus eſſent paucitate ſua, magis de certamine nominari deſiderarēt, quam formidarent in certamine ſuperari. Quid autem in ea Collatione actum fuerit, dicetur anno ſequenti.

XII. RVFFINI OBITVS.

Hoc eodem anno Ruffinus Aquileienſis presbyter, in Sicilia, profugus extra patriam ob cladem Aquileienſibus ab Alarico illatam, ex hac vita deceſſit. Peruenisſe quidem illum ad Alarici tempora, eius præfatio ad Chromatium Aquileienſem Epiſcopum, quam præfixit ſuæ tranſlationi hiſtoriæ Euſebii Cæſarienſis, plane demonſtrat. Agit itaque de ipſius obitu S. Hieronymus in præfatione libri primi commentariorum in Ezechielem, quos (vt dictum eſt) hoc anno elaborabat [o] ſed Scorpii nomine eum notans (ſicut & alias [p] ſæpe) quod perſeuerasſet hactenus in perfidia, ob quam meruerat ab Anaſtaſio Papa condemnari. Quemadmodum & alibi [q] conſueto eum *Grunnii* nomine deſignans, præcurſorem ait fuiſſe Pelagii; quem appellat *ſtolidiſſimum Scotorum pultibus prægrauatum*, quod (vt ait [q]) progeniem haberet Scoticæ gentis, idemque (vt docet epiſtola ad ipſum ſcripta Iſidori [r] Peluſiotæ) voluptuoſus eſſet monachus. Ac pariter idem Sanctus ſcripturus aduerſus eumdem Pelagium, in eius operis præfatione vna cum aliis ipſius præcurſoribus primum ponit Grunnium, hoc eſt Ruffinum, vt qui ex Origenis cœnoſo fonte in Eccleſiam eiuſmodi deriuaſſet ſpurcitias. Denique Cæleſtius ipſe Pelagii collega, publice in Concilio Carthaginenſi poſt ſequentem annum habito, profeſſus eſt didiciſſe à Ruffino negare Peccatum originale. De Libero item arbitrio eundem Ruffinum male ſentiſſe, ex hocque à S. Hieronymo iure reprehenſum, Gelaſius [s] Papa haud obſcure demonſtrat.

o Hier. ep. .. & 59. p Id praf. l. 1. in Hierem. RVFFIN. PRÆCVRSOR PELAGII. q Id praf. l. 4. in Hierem. r Iſid. Peluſ. l. ep. 314.

s Gelaſ. in Conc. Rom. decr. de lib. apocryph.

XIII. IMPOSTVRA RVFFI. DE LIBERIS XYSTI PYTHAG.

Ad eiuſmodi vero roborandas impietates, idem Ruffinus præter Origenis Periarchon ab ipſo male tranſlatum, & Euagrii Pontici libros virulentos Latinitate donatos, illam adiecit execrabilem impoſturam, vt Xyſti ſeu Sexti Pythagorici hominis Ethnici commentarium à ſe tranſlatum, ſub titulo Xyſti martyris Eccleſiæ Rom. Pontificis ediderit; ex eoque præpotentes elicuit ſententias, quibus, quaſi Romani Pontificis eſſent, reluctari nefarium duceretur. Hæc enim in eum ſcribens obiecit S. Hieronymus [t]. Editæque adhuc habentur ex eodem libro excerptæ ſententiæ ſub nomine Xyſti Papæ & martyris, quarum nonnullas citatas à Pelagio, S. Auguſt. tunc ignorans ſtropham Ruffini, tituli auctoritate perculſus in rectum ſenſum interpretando inflectere conatus eſt: ſed rem demum edoctus (monitus, puto, à ſcriptis S. Hieron.) aperiens impoſturam, quod ante dixerat retractauit [u]. Verum eam ipſius retractationem haud legiſſe certum eſt auctorem illum de Viris Illuſtribus Iſidori nomine editum, dum ait [x] Xyſtum illum fuiſſe Romanum Pontificē eumdemque martyrem, id auctoritate ſibi vendicans Auguſtini; cum tamen eum librum ab hæreticis eſſe deprauatum affirmet. Quemadmodum & cum Gelaſius Papa ſuppoſitum nomine Xyſti martyris librum reiicit; id quidem ab hæreticis præſumptum dicit, nec Gentili eam ſcriptionem tribuit, quod Ruffinus tranſferens, pluraque addens more ſuo ex diuinis Scripturis, videri fecit librū potius hominis Chriſtiani quam Ethnici. Sic enim in

t Hier. lib. 4. in Hierem. & ep. ad Creſiph.

u Aug. 2. Retract. 42. x In eod. Valic.

Euſebii Pamphili hiſtoria Latinitate donanda (vt recentior bene oculatus interpres inſpexit) multa prætermiſit, de quo ſuo nonnulla miſcuit, atq; complura quaſi non recte collocata mutauit, vt eam reddiderit propemodum aliam. Duobus vero libris quos addidit, quibus res geſtas à tempore Nicæni Concilii vſque ad obitum Theodoſij proſecutus eſt, quam ieiune & haud in omnibus tuta fide cuncta percurrerit, quæ variis locis dicta ſunt ſuperius facile monſtrant. Sed de illo hactenus.

SCRIPTA RVFFINI QVALIA.

XIV. y l. 48. 49. .. C. Th. de hæret. MACEDONIANI HÆRETICI EXAGITATI. z Socr. lib. 7. c. 3.

Quod ad res Orientales pertinet; hoc anno Theodoſius Imperator pluribus reſcriptis [y] hæreticos Montaniſtas, Priſcillianiſtas, atq; Eunomianos, diuerſis pœnis exagitauit. Quam vero etiam Macedoniani vexati ſint hoc tempore à Theodoſio Synnadorum vrbis Phrygiæ Pacatianæ Epiſcopo, Socrates [z] deſcribit: ſed illud parum conſulte, quod ait eum non de more Orthodoxæ Eccleſiæ exagitaſſe perſonas ipſas hæreticorum; cum tamen à temporibus Chriſtiani Imperatoris Conſtantini, ſexcenta ferme edicta aduerſus eaſdem perſonas promulgata legantur. Quod autem ſordeſceret, non animarum lucri cauſa, ſed cupiditate rerum temporalium, Epiſcopos exagitare illos qui extra Eccleſiam praua docerent (quod Theodoſium illum Epiſcopum egiſſe, ideoq; ſede priuatum eſſe, Socrates deſcribit) prudentius Syneſius [a] ſic ſuos docuit presbyteros, magno animi zelo Eunomianos inſectari, vt tamen à rapina bonorum ipſorum abſtinerent; cum his & aliis recte ſancitis ſui Epiſcopatus primordia conſecrauit. Hoc enim anno ipſum ordinatum eſſe à Theophilo Alexandrino, Epiſcopum Ptolemaidis in Pentapoli Ægypti, nempe anno tertio à reuocatis exulibus Epiſcopis Ioannis Chryſoſtomi fautoribus, conſtat ex epiſtola ab ipſo ad Theophilum ſcripta in cauſa Alexandri Epiſcopi; cum delegaret ei Theophilus prouinciæ illius negotia & lites vertentes inter Epiſcopos.

a Syneſ. ep. 50.

XV. DE SYNESIO EX PHILOSOPHO EPISCOPO. b Id epiſt. c Euagr. l. 1. cap. 15.

Fuit iſte *Syneſius* celeberrimus huius temporis Philoſophus, patria Cyrenenſis, Alexandriæque verſatus, vbi vxorem duxit & filios genuit: ex quo autem genere ortus ſit, & inſtitutum vitæ eius probe compoſitum, ipſe [b] hæc omnia pluribus. Illum autē etiam Chriſtiani magnæ haberent admirationi, cœpiſſe quoque ei perſuadere vt baptiſmo ac ſacerdotio initiaretur, auctor eſt Euagrius [c]: qui quæ attingit de conteſtationibus ab eodem factis antequam fieret Chriſtianus & ordinaretur Epiſcopus (cum videlicet à Clero Ptolemaidis electus, & poſtulatus à populo Epiſcopus; ille publice conteſtatus eſt ſe haud cælibatum, vt alii ſacerdotes, ſeruaturum, ſed cum coniuge permanſurum, ſuſcepturumque ex ea liberos; nec adduci poſſe, vt contra Philoſophiæ præceptum, ex fide Chriſtiana eſſet crediturus fore aliquando mundi occaſum; corporumque reſurrectionem, vel ante corpora formari animas) ea idem Euagrius hauſiſſe viſus eſt ab ipſius Syneſii epiſtola ad Euoptium fratrem ſuum, quæ hodieq; extat tum inter alias eius [d] epiſtolas, tum à Nicephoro [e] exſcripta, vbi plenius eadem pertractatur. Sed errore maxime labuntur, qui putant hæc ſerio fuiſſe ab eo inculcata. Etenim quomodo Theophilus Epiſc. Alexandrin. adduci aliquando valuiſſet, vt credere obſtinata contradictione nolentem, baptizandum fore cōſenſerit, nedum ſummo ſacerdotio imbuendum contra Euangelicam Apoſtolicamq; doctrinam, ipſaſq; Eccleſiæ ſacras leges, quarum Theophilus conſultiſſimus eſſet? At vero hæc omnia Syneſium conteſtatum eſſe, vt Epiſcopatus onus quoquo modo effugeret, cui ſe imparem iudicaret; ipſemet abunde declarauit, cum ſimul ac creatus eſt Epiſcopus ſcribens [f] ad ſuæ Eccleſiæ presbyteros, teſtatus eſt omnimodam ſe adhibuiſſe artem vt munere Epiſcopali indignus cenſeretur, adeo vt etiam expeterit mori potius quam Epiſcopus fieri. Idipſum quoq; aliis rurſum contra Andronicum ſcripta epiſtola [g] inculcauit. & vt ſentio, haud aliud ipſe præſtitit verbis, quam quod S. Ambroſium factis exhibuiſſe ſuperius vidimus, dum ne Epiſcopus ordinaretur, adulter & ſanguinarius ab omnibus credi voluit.

SYNESII ARTES IN FVGIENDO EPISCOPATV.

d Syneſ. ep. 105. e Niceph. l. 14. cap. 55.

f Syneſ. ep. 11.

g Id. ep. 57.

HONORII 17. THEOD. II. 4.

IESV CHRISTI AN. 411.

INNOCENTII AN. 10.

I. ALARICI OBITVS.

ANno Domini quadringenteſimo vndecimo, Theodoſio Imperatore quartum Conſule abſque collega (nullum enim Occidentale Imperium dedit, quod afflictatum eſſet graſſationibus) Alaricus Gothorum Rex traiicere exercitum in Siciliam tentans, apud Conſentiam ſubita morte defunctus eſt: quem Gothi Baſentio amne captiuorum labore de alueo ſuo deriuato, in ipſo medio alueo cum multis opibus ſepelierunt; amnemq; meatui proprio reddentes, nequis locū ſcire poſſet, captiuos qui interfuerant extinxerunt. Hæc Theophanes in Miſcella [a]. Qui addit, *Athaulphum* Alarici affinem, Regem ab eiſdē Gothis cōſtitutum, Romam rediiſſe, ac iterum deuaſtata illa, Gallam Placidiam Theodoſii Senioris filiam, Honorii Imperatoris ſororem, ſibi coniugio ſociaſſe. At de poſteriori hac Vrbis inuaſione, apud nullū alium me legiſſe memini. Oroſius [b] autem tradit, in ea quæ facta eſt ſub Alarico, Gallam Placidiam ab Athaulpho captam: Zoſimus vero, & alii, ipſam iam antea ſub Alarico cuſtoditam fuiſſe. Cæterum id diuina factum diſpenſatione, quo ipſa Athaulphum ab extrema Imperii clade ſuis blandimentis auerteret, iidem Oroſius & Miſcellæ auctor affirmant: in tātum vt Athaulphus [c] militare fideliter Honorio Imperatori, ac pro defendenda Romana republica, & in priſtinum ſplendorem reſtituenda, impendere vires Gothorum peroptauerit, cumque animo, viribus, ingenioq; nimius exiſtens, inprimis ardenter inhiaſſet, vt obliterato Romano nomine, Romanum omne ſolum Gothorum Imperium & faceret & vocaret, eſſetq; *Gothia* quod Romania fuiſſet, fieretque deinceps *Athaulphus* quod quondam Cæſar Auguſtus: tamen vbi multa experiētia probaſſet, neq; Gothos vllo modo parere legibus poſſe propter effrenatam barbariem, neque Reipublicæ interdici leges oportere; elegerit gloriam ſibi de reſtituendo in integrum, augendoque Romano nomine Gothorum viribus quærere. Hæc de illo Oroſius: cætera vero poſtea. Habet autem idem auctor, Gothos ſub Alarico in Siciliam tranſire conatos, in conſpectu ſuorum miſerabiliter demerſos eſſe.

a Miſcel. l. 13.

b Oroſ. l. 7. cap. 40.

c Id ca. 43.

ATAVLPHI REGIS CONSILIVM.

II. COLLATIO CARTHAG. INTER CATHOL. ET DONATIST.

Hoc eodem anno Carthagine in Africa celebrata eſt famoſiſſima illa COLLATIO inter Catholicos & Donatiſtas, diu expetita, ſæpe tentata, numquam autem, reſilientibus iſtis, conſummata, niſi hoc anno, poſtquā ad hoc ipſum perficiendum ab Honorio Imperatore ſuperiori anno miſſus eſſet Marcellinus. Poſt Conſulatum quidem Varanes nempe hoc anno eam habitam eſſe, ex Actis antiquitus ſcriptis Balduinus ſumma fide teſtatur [d]. Extant vero eadem ipſa Acta (quorum etiam Auguſtinus compendium breuiſſime ſcripſit, ea de cauſa *Breuiculum Collationis* ab ipſo nuncupatum) ex quibus conſtat [e], ex parte Catholicorum totius Africæ conueniſſe Epiſcopos ducentos octoginta ſex, cum ferme centum viginti in ſuis Eccleſiis ſenectute & morbis præpediti remanſiſſent, eſſentque eo tempore ſexaginta ſedes Epiſcopales paſtoribus orbatæ: ex parte vero Donatiſtarum, licet ipſi (ne hac etiam ex parte Catholicis cenſerentur inferiores) ſe plures quam quadringentos eſſe numero, ſed detentos illos domi diuerſis corporis infirmitatibus, falſo iactarent: ſed & licet in ſubſcriptionibus literarum nomina ipſorum numerata eſſent ducenta ſeptuaginta nouem, tamen deprehenſa eſt falſitas, cum pro abſentibus multi ſubſcripſiſſent: atque re ipſa in Collatione reperti ſunt tantummodo centum quinquaginta nouem. Porro eoſdem omnes vocatos fuiſſe per Tractorias (quibus publicæ concederentur vecturæ) Auguſtinus [f] teſtatur. Iiſdemque & alia plurima, quo illos demulceret, Marcellinus edicto ſuo conceſſit ſine iuſſione Imperatoris. Qui quidem ad oſtentandam numeroſitatem ſuam, ingreſſi ſunt vna ſimul Carthaginem (inquit Auguſtinus [g]) cum tanta ſpecioſi agminis pompa, vt tam magnæ ciuitatis oculos in ſe conuerterent: cum econtra ad euitandam oſtentationem, Catholici ſeorſum ſinguli ingreſſi ſint.

d Balduin. Not. ad Op. de Donat.

e Aug. Breuic. coll. di. 1. c. 14. & ad Donat. poſt Collat. c. 24.

NVMERVS EPISC. VTRIVSQVE PARTIS.

f Aug. poſt Col. c. 24.

g Id. c. 25.

III. ORDO COLLATIONIS.

Ad tumultum autem auertendum ex tanta numeroſitate oboriri ſolitum, Marcellinus edicto [h] cauit, vt ex vnaquaque parte decem & octo deligerentur qui ſeſſionis locum ingrederentur: quorū officia ita inter ſe partita eſſent, vt ex iis ſeptem deputarentur ad diſputandum, totidem cum opus eſſet ad conſulendum, reliqui quatuor Actis conſcribendis atq; cuſtodiendis præeſſent, nequid addi aut detrahi ab aliquo poſſet. Addiditque ex vtraque parte Notarii quatuor, vt bini cum exceptoribus Iudicis alternarent, ne aliquis ſe dixiſſe cauſarentur quod non fuiſſet exceptum. Inter illos autē Epiſcopos ſeptem ad diſputandum delectos, primum locum ex parte Donatiſtarum prærogatiua ſedis [i] obtinuit *Primianus* ipſorum partis Epiſcopus Carthaginenſis: poſt eum vero nominati reperiuntur *Emeritus* [k] Epiſcopus Cæſareæ Mauritanæ *Gaudentius* [l] Tamugadenſis, *Petilianus* [m] Donatiſtarum diſertiſſimus, tres reliqui hactenus incogniti mihi ſunt: ſicut & ſeptem Catholici, præter *Aurelium* Carthaginenſem, *Alipium* Tagaſtenſem, *Auguſtinum* Hipponenſem. Sed & ex Actis eiuſdem Collationis, quæ antiquitus ſcripta recenſet Balduinus, illud proditur, huic Collationi inter Epiſcopos Donatiſtas ſediſſe Felicem quemdam Romanum dictum Epiſcopum: nimirum quod (vt ex Optato [n] dictum eſt alias) conſueuiſſent Donatiſtæ Africani, ad ſuos qui in Vrbe agerent mittere ordinatum Epiſcopum, quem Romanum appellabant, ſicque captioſe gloriarentur Romanum Epiſcopum ſuæ ipſorum eſſe communionis ac ſectæ.

h Id. Breu. di. 1. c. 3. & 4. & 19. ad Donat. poſt Colla. in pr.

i Ibid. di. 3. c. 4.

k 2. Retract. 51.

l Ibid. c. 39. & lib. cont. duas Gaud. epiſt.

m l. 1. cont. lit. Gaud. ep. c. 37.

n Opt. l. 2. cont. Parm.

IV. MARCELLINVS COGNITOR. IVDICES COLLAT. IVDICES COGNITORES.

Cum Epiſcopis autem ingreſſus eſt etiam *Marcellinus* in locum ad Collationem paratum: qui quidem non ſolum Tribunus militaris erat, ſed & Notarius Imperatoris, vt conſtat ex titulo epiſtolæ [o] Catholicorum ad ipſum ante Collationem ſcriptæ. Erant autem [p] *Notarii* Principi à ſecretis, eique muneri Senatoria inerat dignitas, & Spectabilitatis honor. Nec tamen in Collatione illa, Iudicis ſimpliciter, ſed *Cognitoris* nomen præſetulit. Ita enim nominare conſueuit antiquitas Iudices ſæculares, quorum arbitrio cuncta diſponerentur: ſed ita vt integrum iudicium Epiſcopis relinquerent, nec aliquid ipſi ſibi vſurparent, niſi quod ad pacem ac quietum congreſſum pertineret, vtque in omnibus pacta conuenta conſeruarentur: in quibus rite ordinandis, eiuſdem, interloquendi facultas eſſet: atque demum cuius alterutrius partis potiora iura eſſent, ex æquo pronunciare deberent: vt de his omnibus conſtat cum ex ipſis Actis præſentis Collationis, tum ex aliis diuerſarum Synodorum, ac præſertim Oecumenicarum Geſtis. Immo & cum aliquid mere Eccleſiaſticum ſecundum canones agendum eſſet, id à ſolis Epiſcopis excluſis Iudicibus fieri conſueuiſſe, docetur in Actis Magnæ Synodi [q] Chalcedonenſis: vbi citatus Dioſcorus cum excuſaſſet abſentiam Iudicum Cognitorum, reſponderunt Legati Synodi, *Quando quedam regularia negotio examinantur ſecundum canones, neque Iudices alios, vel laicos intereſſe oportere.*

o Op. An. de Coll. cum Emer.

p Caſſiod. c. 6 mini. 16.

q Con. Chalced. Act. 1.

V. ACTA COLLATIONIS.

Omnibus igitur rite diſpoſitis, cœpta eſt ipſa Collatio Calendis Iuniis in Thermis Gargilianis in ipſo ciuitatis Carthaginenſis meditullio conſtitutis. Quid vero ſingulis trium illorum dierum quibus diſputatum eſt, geſtum ſit, quibuſque futilibus ſubterfugiis Donatiſtæ vſi fuerint, ne ad diſceptandum de cauſa veniretur: ſed & quantis probris ac contumeliis Catholicos affecerint, adeo vt cum eis ſedere obſtinatiſſima pertinacia renuerint, quod prohibeat Scriptura ſedere cum impiis: cum econtra Catholici omnibus eos modis demulcere ſtudentes, eoſdem vt fratres amplecterentur: quomodo denique de cauſa tandem à Marcellino agere coacti, manifeſtiſſimis probationibus de ſchiſmate & hæreſi conuicti fuerint (in eo enim totius quæſtionis cardo vertebatur, apud quos eſſet Catholica Eccleſia, & vtrum ex peccatis hominum Eccleſia Catholica illud detrimentum pati poſſit, quod aſſerebant Donatiſtæ, vt ipſa Sancta atque Catholica eſſe

deſinat)

Digitized by Google

deſinat) ac tandem Marcellini ſententia damnati, Actiſque ſubſcribere compulſi: hæc inquam omnia fuſe Auſtinus, cum in eodem quod diximus Breuiculo Collationis, tum in libro inſcripto *Ad Donatiſtas poſt Collationem*; quas lucubrationes edidit anno ſequenti; eademque pariter Marcellus memorialis compendioſa breuitate receſſit: & habentur inſuper in epiſtola Synodali[r] Concilii Cirtenſis eodem anno ſequenti à Catholicis in Numidia celebrati, vt occurreretur calumniis Donatiſtarum, quibus conabantur irritam reddere prædictam Collationem, dum inter alia mentiebantur Marcellinum præmiis fuiſſe corruptum à Catholicis nullamque eius ſententiam eſſe dicendam, quam ipſe noctu pronunciaſſet. Conſumpſerat enim variis tergiuerſationibus diem vltimum, adeo Marcellinus in eos noctu pronunciare coactus eſſet. In quos Auguſtinus plura: & inter alia de more Iudicum, vt ad noctem iudicium ſæpe protraherent.

r Ap. Aug. ep. 152.

VI. DONAT. MVLTI RESIPISCVNT.

Cæterum etſi perditiſſimis iſtis nebulonibus Collatio nihil attulit emolumenti, immo detrimentum, cum ex ea iidem redditi ſint ditiores, tamen ex plebe, & ex eis qui Circumcelliones dicebantur, multa millia ad vnitatem Eccleſiæ tranſiiſſe, idem Auguſtinus[s] contra Gaudentium poſtea ſcribens teſtatus eſt. Vt autem iugis memoria de geſtis Collationis penes Catholicos perſeueraret, eademque ſemper recens dimanaret in aures hæreticorum: illud etiam factum eſt (inquit idem Sanctus[t]) apud omnes diligentes Eccleſias Africæ, vt annis omnibus per ieiuniorum dies, id eſt Quadrageſima ante Paſcha, quando populis maxime ieiunantibus vacat audire, eadem Geſta Collationis vniuerſa à capite in finem ex ordine recitarentur. Quæ autem alia hanc Collationem ſecuta ſunt, dicentur anno ſequenti.

s Aug. cont. Gaudent. l. 1. cap 29.

t Id. de geſt. cum Emer.

VII.

Sed & in his illud maxime obſeruandum, quod Oroſius[u] conſiderat: Honorium Imperatorem, ob eximium religionis exemplum quod hoc anno exhibuit (dum licet vndique obrutus bellis, & à tyrannis oppreſſus, nihil tamen antiquius habuit quam Eccleſiæ conſulere opportunitatibus) mirifica eſſe ob id beneficia conſecutum, cum ipſe Deus Optimus Maximus eodem ferme tempore, præter Alaricum, crudeliſſimos quoque alios tyrannos Imperii inuaſores, Conſtantinum, Conſtantem, Gerontium, Iouinum, Sebaſtianum, Sarum aliosque variis locis exurgentes, diuerſis modis extinxit, opera maxime Conſtantii & Vulphilæ Honorii ducum: quorum quidem tyrannorum infauſtas cædes idem Oroſius, necnon Proſper[x] & Sozomenus[y] deſcribunt. In quibus & illud diligenter conſiderandum eſt, quod cum Conſtantinus Conſtantem, filium iam profeſſione monachum (vt ait Oroſius[z]) vt crearet Cæſarem eduxiſſet è monaſterio: ipſe ne occideretur (vt ſcribit etiam Sozomenus) compulſus fuerit confugere ad Eccleſiam, ac presbyter ordinari: ſed mala vterque nece periit, qui Deum poſthabuit tyrannidi.

u Oroſ. li. 7. cap. 42.

RELIGIO IISDEM PENSIO LOBUR IMPERII.

x Proſp. in Chron.
y Soz. li. 7. c. 12. 13. 14. 15
z Oroſ. lib. 7. cap. 40.

VIII. HIERON. SCRIBIT ADVERSVS PELAG.

Hoc eodem anno, cum nondum auctoris nomine PELAGIANA hæreſis vulgaretur, ſed eius praua dogmata quæſtionum velamentis ſpargerentur (quod enim timeret Pelagius hæreſis condemnari, clanculo rem cum ſuis agebat, huc & illuc paſſim vagans vt ſuos errores vbique diſſeminaret) Sanctus Hieronymus rogatus per epiſtolam à Cteſiphonte vt quæſtioni reſponderet, quam huius promulgatores hæreſis de Impaſſibilitate & Impeccantia proponere conſueuerant, affirmantes poſſe in homine non ipſa tantum vitia, ſed affectus vitiorum omniumque radicem peccati conuelli, vt ne minimum quidem fomitis in eo reliquum eſſet: hos errores reddita ad eumdem Cteſiphontem epiſtola refellit: qua quidem etſi nomina taceat Pelagii & Cæleſtii, illius hæreſis præcipuorum aſſertorum, patriæ tamen nomine deſignat, dum Britanniæ tyrannorum fertilis, & Scoticæ gentis meminit. Auctores quoque vnde iidem errores dimanarent in medium profert, dum eos de ſchola Stoicorum deductos fuiſſe demonſtrat, atque primum introductos per Origenem, Euagrium Ponticum, Ruffinum, & alios Origeniſtas. A Manichæis quoque acceptos eſſe & à Priſcillianiſtis, quibuſcum iidem hæretici communicationis fœdere iungerentur: itemque cum Iouiniano commune aliquid interceſſiſſe (dum ſcilicet diceret, eos qui plena fide in baptiſmate renati eſſent, à diabolo non poſſe ſubuerti) aperte demonſtrat.

PELAGI HÆRESIS VNDE PRODIERIT.

IX.

Dum autem hæc in Oriente aduerſus eos ageret Hieronymus, S. quoq; Auguſtinus in Occidente, Hilarii poſtea Arelatenſis Epiſcopi litteris[a] è Sicilia interpellatus de eiuſmodi Pelagii erroribus Syracuſis diuulgatis: reſcripſit ad illum Epiſtolã[b], qua accurate ac copioſe refellit quod iidem hæretici aſſererent, Poſſe eſſe hominem ſine peccato, & mandata Dei facile cuſtodire per ſolum liberum arbitrium abſque auxilio diuinæ gratiæ: Infantem non baptizatum, morte præuentum, non poſſe perire merito; quoniam ſine peccato naſcitur: Diuitem non poſſe ingredi regnum Dei, niſi omnia ſua vendiderit: Non debere iurari omnino, &c. Qui & hoc eodem tẽpore aduerſus eoſdem errores tres ſcripſit libros, quorũ eſt titulus *De peccatorum meritis & remiſſione, deq; Baptiſmo paruulorum.* In quibus tamẽ omnibus locis quod ipſi auctores blaſphemiarũ adhuc latere cuperent, noluit eos propalaſſe, ſic facilius poſſe corrigi ſperans, immo & non ſine honore Pelagii meminiſſe, quia vita eius à multis adhuc prædicabatur: vt ipſemet alibi[c] hanc eius conſilii ſui rationem reddidit.

a Ap. Aug. ep. 88.
b Id. ep. 89.
AVGVST. SCRIBIT CONTRA PELAG.

c 2. Retract. 33.

X. MILLENARIORVM ERROR RENOVATVS.

At non vna hæc tantum peſtis lento inficiebat tabo Fideles in Occidente, ſed & *Chiliaſtarum* ſiue *Millenariorum* vetus error complurium mẽtes inuaſerat: vt patet ex Hieronymo in præfatione ad librum decimumoctauum in Iſaiam, quem his temporibus habuit præ manibus. Qui quod alio loco affirmat[d], eiuſdem ſententiæ aſſertorem fuiſſe Seuerum: admiratione plane dignum eſt, hominem S. Martini diſcipulum, Sanctiq; Paulini amicum intimũ, in eiuſmodi deliramentis inſaniſſe, poſtquam ea doctiſſimorum virorum ſententiis ac ſcriptis (vt vidimus) exploſa fuiſſent. Cæterum quod aduerſarentur Millenarii Origeniſtis, qui nec cum humanis membris reſurrectionem futuram dicebant: cautius ipſi S. Hieronymo (vt teſtatur[dd]) fuit incedendum, vt media incedens via non declinaret ad dexteram neq; ad ſiniſtram; ne cum aduerſus Origeniſtas aſtrueret in reſurrectione omnia in corpore fore membra, etiam vſum illorum more Millenariorum videretur aſſerere: & dum negaret aſſertum à Millenariis membrorum vſum, videretur cum Origeniſtis concordare. Sed eiuſmodi Millenariorum inſaniæ cum vbique iam reiicerentur, exaruerunt penitus: nec poſthac niſi deliri quidam iis fabulis traduci comperti ſunt.

d Hier. in Ezech. 36.

dd Id. præf. li. 18. in Ezech.

XI. SYNODVS PTOLEMAID. ADVER. ANDRON. PRÆF.

Hoc item anno cum Syneſius Epiſcopus Ptolemaidis nondum in Epiſcopatu annum exegiſſet (vt ex ipſius ſcriptis conſtat) celebrata eſt SYNODVS ibidem *Ptolemaide* in Pentapoli Ægypti, occaſione potiſſimum Andronici eius prouinciæ Præfecti, qui præter horrendas crudelitates nouis tormentorum inſtrumentis in ſubitos commiſſas, Eccleſiam, ipſumque Chriſtum Dominum ſæpiſſime factis ac verbis contumelioſis publice affecerat: atque inter alia impiiſſimum illud verbum aduerſus Epiſcopos ſibi obſiſtentes protulerat, *Quod nullus hominum Andronici manus effugere poſſet, etiamſi ipſius Chriſti pedem teneret.* Quibus omnibus in Synodo propoſitis atque probatis, idem communi omnium ſententia, dira excommunicationis pœna mulctatus eſt: cuius formam hic deſcribemus ad antiquos inſinuandos ritus: *Ptolemaidis Eccleſia ad omnes vbique terrarum ſorores ſuas hæc demandat: Andronico & ſuis nullum templum aperiatur: omnis ſacer cœtus, omne ſacrum templũ concluſum ſit. Non eſt diabolo portio in Paradiſo. Qui etiamſi clandeſtine ingreſſus fuerit, expellatur. Admoneo igitur & priuatum quemque & Principem, vt neque ſub eodem tecto cum ipſo habitet, neque eadem menſa participet: Sacerdotes autem præcipue vt neque viuentes ipſos alloquantur, neque mortuos ſimul deducant. Si vero quis velut paruæ ciuitatis Eccleſiam reprobauit, & excommunicatos ab ipſa ſuſceperit, velut neceſſe non ſit pauperi obedire: ſciat ſe ſcindere Eccleſiam, quam vnam Chriſtus eſſe vult. Talis autem ſiue Leuita eſt, ſiue presbyter, ſiue Epiſcopus, à nobis in Andronici ſorte locabitur, & neque porrigemus ipſi dexteram, neque vnquam de eadem menſa cum ipſo cibum capiemus; Multũ*

SENTENTIA EXCOMMVNICATIONIS IN ANDRON.

autem abeſt, vt in arcano myſterio communionem habituri ſimus cum his qui cum Andronico & ſuis ſortem habere voluerint.

XII. Andronici pœnitentia.

At poſt hæc Andronicus veniam enixe petens, eã obtinuit poſtquam ſe plane ſatisfacturum pollicitus eſt: cum & inter alia pœnitentiæ iniunctæ capita, idem ab ipſis Epiſcopis depoſitus eſt tribunali in quo tanta in Deum & homines deliquiſſet. Hæc vero cuncta manifeſta fiunt cũ ex literis Synodalibus, tum ex aliis ea de re ſcriptis à Syneſio [c] totius huius operis ſapientiſſimo architecto: quippe qui inter alios illos Epiſcopos principem locum teneret, ipſi Eccleſiæ metropolitanæ præfectus Antiſtes: cuius egregia Epiſcopalis functio ſuper conſtantiam philoſophicam ſtabilita, multis antiquorum ſententiis commendata habetur. Numerat Suidas [f] eius lucubrationes, ſed quam vt plurimum ante Epiſcopatum elaborauit ad grãmaticam & philoſophiam ſpectantes, necnon Panegyricas orationes, & alia plura quæ non extant. Præter quæ ſcripſiſſe libros venatorios, & commentarium de Inſtrumento Aſtronomiæ, ipſe [g] ad Orum affirmat.

c Syneſ. ep. ... f Suid. in Syneſ. g Syneſ. ep. ...

XIII. Elegans hiſtoria de philoſopho chirographum poſt mortem agente. h Prat. Spir. ca. 195.

Eſt vero in Prato [h] Spirituali, omni fide teſtata digna de illo huiuſmodi hiſtoria. Habuit is amicum Euagrium nomine, philoſophum ethnicum: quem cum Syneſius Chriſtianum reddere conaretur, excipiebat ille de multis dogmatibus Chriſtianorum creditu difficilibus, atq; inter alia de receptione poſt hanc vitam à Chriſto centuplicis remunerationis bonorum quæ hic diſperguntur in pauperes. Sed cum etiam in his ſatisfeciſſet ei Syneſius, Euagrius tandem factus Chriſtianus dedit ei auri tria centenaria vt in pauperes erogaret, ea tamen conditione vt Syneſius ipſi cautionem manu propria ſcriberet, quod Chriſtus redderet illud aurum in futuro ſæculo. Factum eſt, & poſt aliquot annos philoſophus moriens præcepit filiis ſuis vt vna cum ipſo cautionem illã ſepelirent. Tertia poſt die apparuit ipſe Syneſio quieſcenti, iuſſitque recipere chirographum ſuum, quod à Chriſto ſatisfactum ipſi eſſet abunde. Cum autem Syneſius aperto ſepulchro chirographum reciperet, reperit in eo confeſſionem accepti debiti recenti manu philoſophi ſcriptam. Hæc ibi. Ex quibus videas (quod & alias diximus) philoſophiam, licet in multis aduerſari videatur Chriſtianæ religioni, conducere tamen plurimum ad eandem capeſſendam: ſicut & quamplurimis exemplis quæq; tempora demonſtrarunt, quibus ſinguli celeberrimi philoſophi Chriſto nomen dedere: cum quos veri amantes philoſophia ſurſum è vulgo abreptos altius ſubleuaret, vitaque ſapientiæ conſona comprobaret, non deſpexit Deus, ſed cœleſti deſuper lumine quo fidei ſacramenta perciperent illuſtrauit. Qua de re eſt etiam huic affine exemplum apud Auguſtinum [i] de Gennadio rerum naturaliũ ſcientia apprime imbuto, & in eleemoſynis feruentiſſimo: qui cum dubitaret de immortalitate animæ diuinitus in ſomnis eam eſt mirifice edoctus. Accidit q; pariter noſtris temporibus, vt cum Michael Mercatus & Marſilius Ficinus philoſophiæ Platonicæ ſtudiis & amicitia coniuncti, ſibi inuicem promiſiſſent, vt qui prior ex hac vita decederet (ſi liceret) alterum de alterius vitæ ſtatu redderet certiorem, interlapſo breui temporis ſpatio Marſilio defuncto, idem Michaeli apparuerit aſſerens vera eſſe illa quæ fides Chriſtiana de animæ immortalitate doceret. Referuntur & alia plurima ab aliis eiuſmodi exempla. Sed hæc modo ſatis occaſione Syneſii. Qui quamdiu ſederit, ignoratur: ſed poſt eius obitũ, in Eccleſia Ptolemaidis reperitur ſubrogatus eius germanus Euoptius vir pereruditus, ad quem extat ſcriptio S. Cyrilli contra reprehẽſiones Theodoreti.

i Aug. ep. 100 ad Euod. Immortalitas animæ probata.

XIV. Theodotus Epiſc. Antioc.

Hoc quoq; anno defuncto Alexandro Epiſcopo Antiocheno, cum ſediſſet annos ferme quatuor, in locum eius ſubrogatus eſt *Theodotus*. Id enim inprimis admonent literæ [k] Attici Conſtantinopolitani Epiſcopi, datæ anno ſequenti ad Cyrillum Alexandrinum mox vt Theophilo ſucceſſit, in quibus de ipſo Theodoto iam Epiſcopo Antiocheno mentio habetur. Vnde intelligas eos errare, qui ad Bonifacii Papæ tempora Alexandri vitam producunt. Porro Theodotum virum fuiſſe manſuetudine ac probitate inſignem, Theodoretus [l] affirmat.

k Ext. ap. Niceph. l. 14. cap. 28. l Theod. l. 5. cap. 37.

IESV CHRISTI AN. 412.

INNOCENTII AN. 11.

Honorii 18. Theod. II. 5.

I.

ANno Chriſti quadringenteſimo duodecimo, Honorio nonum & Theodoſio quintum Augg. Coſſ. tertio Calendas Februarii idem Honorius Rauennæ exiſtẽs, omnis ſexus ac conditionis Donatiſtas, qui poſt euictam in proxima Collatione à Catholicis cauſam, adhuc in ſchiſmate pertinaciter remanerent, ſeueriſſimis pecuniarum & exilii pœnis mulctandos præcepit. [a] Sed tantum abfuit vt eis illi adigi potuerint è ſchiſmate redire ad Eccleſiam, vt maiori obdurati obſtinatione crudelius ſæuierint in Catholicos, ea patrantes facinora quæ recenſet Auguſtinus duabus hoc anno ad Marcellinum Cognitorem datis epiſtolis [b], quibus eum abſtinere à gladii aduerſus eos pœna pluribus exorauit: cuius etiam eodem argumento extant aliæ duæ ad Proconſulem [c] Africæ Donatum & Apringium [d] Iudicem ſcriptæ epiſtolæ, quas & petiit à Proconſule, ad futuram memoriam Actis iungi, vt ſciretur qualis fuiſſet ipſius animus erga perditos Donatiſtas. Quin etiam adeo cupiuit mitius cum eis agi, quod putaret eiuſmodi lenitatem multum Eccleſiæ profuturam, vt ea de re ad Marcellinum ſcribens, poſtquam pluribus argumentis & obteſtationibus id ab eo obtinere conatus eſt, demum addiderit, *Si non audis amicum petentem, audi Epiſcopum conſulentem, quamuis quoniam Chriſtiano loquor, maxime in tali cauſa, non arroganter dixerim, audire te Epiſcopum conuenit iubentem.* Ex quibus videas (vt & plurib. aliis exemplis demonſtrauimus) Epiſcoporum eſſe Præfectis quę pia ſunt & Chriſtianę legi cõſentanea imperare.

a l. 52. C. Th. de hæret. b Aug. ep. 158. 159. c ep. 127. d ep. 160. Epiſcopi imperant Præfectis.

II. Manſuetudo Chriſtianorum erga reos.

Cæterum exhibebantur eiuſmodi manſuetudinis officia tum à Iudicibus, tum inprimis ab Epiſcopis, vt quos ſcirent ſeueritate legum obſtinatius obrigeſcere, comitate & benignitate eos demerere laborarent. Vnde & aliquando Macedonius iudex ius gladii habens eumdem Auguſtinum literis interpellauit, num acquieſcendum eſſet precibus Epiſcoporum reis pœnam dimitti poſtulantiũ, præſertim ſi probabilis eſſet coniectura eoſdem in deterius prolapſuros. Extant illæ Macedonii literæ [e], aliæque ab Auguſtino eo argumento redditæ: quibus ſi lubet addere poteris S. Ambroſii eadem tractantis epiſtolam [f] ad Studium ſcriptam. Illud tamen Auguſt. curauit à Marcellino agi, vt confecta Acta publica de Donatiſtarũ confeſſis criminib. publice exponerentur ad ipſorum ignominiam, vt ſic manifeſtatione ſuorum ſcelerum erubeſcerent.

e Aug. ep. 53. 54. f Ambr. ep. 76.

III. Concil. Citrenſe.

Interfuit quoq; hoc eodem anno idem Sanctus Auguſtinus SYNODO prouinciali, quæ celebrata eſt menſe Iunii *Cirtæ* in Numidia ſub Siluano eius prouinciæ Primate, de qua actum eſt anno ſuperiori occaſione prædictæ Collationis. Quid autem in ea decretum fuerit, eſt Synodalis epiſtola [g] ad populum Donatiſtam ſcripta, quæ id doceat. Sed illud in ea emendandum, vt loco Octaui Honorii Imperatoris Conſulatus, reponatur nonus: cum epiſtolam conſtet ſcriptam eſſe anno poſt Collationem, nempe præſenti octauus autem Honorii Conſulatus inciderit in annum ante Vrbis excidium. In itinere vero Cirtam verſus, Auguſtinus Tibuſicum ciuitatem cum Alipio perueniẽs, publicam habuit diſputationem cum Fortunio eius Epiſcopo Donatiſta: in qua quid actum ſit, idem Auguſtinus literis [h] ad Donatiſtas ſcriptis declarat.

g ap. Aug. ep. 152. h Ibid. ep. 163.

IV.

Qui & inſuper, præter alia quæ de reb. geſtis in Collatione hoc ipſo anno ſcripta edidit, de quib. dictum eſt ſuperiori: elaborauit eodem tempore librum, ſiue epiſtolam [i] ad Honoratum de quæſtionib. quinq; ab eo ipſi Auguſtino propoſitis: quarum vna erat ſpectans ad hæreſim Pelagianam de Gratia Noui Teſtamenti. Carthaginem n. eiuſmodi quæſtiones per ſceleſtũ Cæleſtiũ primarium Pelagii diſcipulum, ſunt allatæ hoc ipſo anno, atq; pugnaciter defenſæ in diſputatione habita cum Paulino diacono: ſed cũ ipſo auctore, iudicio Eccleſiaſtico ibidem condemnatæ. Cuius quidem Epiſcopalis Iudicii ſupereſt tantummodo fragmentum, à S. Auguſt. [k] contra Pelagium & Cæleſtiũ recitatũ de peccato originali. Ex quo illud maxime notes,

i ep. 120. Cæleſtius damnatus Carthagine.

Cæleſtium in ea diſputatione faſſum, ſe eam hæreſim qua traducem peccati negaret, à Ruffino didiciſſe: vt hoc vno teſte ſatis poſſit intelligi, quam iuſte Sanctus Hieronym. in hominem ſæpe commotus ſit. Quod vero demum eodem fragmento Cæleſtius ait, hæreſes à ſe editas, aſſertiones fuiſſe quæſtionum, & non hæreſes: attendendum eſt vafrum ipſius, Pelagijque conſilium: qui vt ſuas prauas opiniones facilius introducerent, nec tamen hæreſis damnari poſſent, ita (donec palam detecti fuere) agere conſueuerunt, quaſi per quæſtiones veritatem inquirerent.

VAFRICIES PELAGII ET CAELESTII.

Cæterum geſta hæc Carthagine aduerſus Cæleſtium hoc anno fuiſſe, inde conſtat quod Synodus Carthaginenſis celebrata anno Domini quadringenteſimo decimoſexto, ſub Theodoſii ſeptimo Conſulatu cum collega Palladio, in epiſtola Synodali [l] data ad Innocentium Papam, dicat ante annos ferme quinq; ab illa ſcripta iudiciũ ſuper Cæleſtio agitatum fuiſſe. Damnatus autem eo iudicio Cæleſtius, ſubterfugia captans appellandum putauit Innocentium Romanum Pontificem: verum hæc ſpecie tenus; ne illo iudicio ſtringeretur. Nam & quod ſciret Innocentium æque ſibi aduerſantem fore experturum, appellationem minime proſecutus eſt: ſed eo defuncto, ad eius ſucceſſorem Zoſimum ſe contulit, vt ſuo loco dicetur.

l Id. ep. 90.

V. PELAGII HÆRESIS PRIMO DAMNATA ROMÆ.

Quod vero audis de Cæleſtii Carthagine primo iudicio: haud velim exiſtimes ipſam Pelagianam hæreſim in Synodo Carthaginenſi primum fuiſſe damnatam. Etenim Sanctus Proſper [m] hæc ſpectans oculis, conſtanter affirmat primitus contigiſſe Romæ damnari: more nimirum maiorum, de quo ſæpe ſuperius, vt noua emergens hæreſis primum omnium à prima Sede examinaretur, & damnaretur. Hanc autem Pelagianam hæreſim, fuiſſe Romæ olim damnatam in Iouiniano primario hæreſiarcha, à quo illam Pelagius ſumpſiſſet, Hieronymus [n] teſtatur. Vnde & in ipſum eundem Iouinianum iuſte commotus Honorius imperator, ſub huius anni Coſſ. reſcriptum [o] dedit de eius relegatione in inſulam Boam, poſitam in Dalmatiæ littore, qui ad hæc vſque tempora magno Eccleſiæ detrimento, licet ſæpe reiectus, permanſerat: tamen in Italia, ſacrilegos agens, etiam extra muros Vrbis, conuentus. Poſtquam autem in Inſulam deportatus eſt, nunquam amplius auditus eſt. Qui cum voluptatum & libidinum prædicator extitiſſet, eundem inter luxurioſas epiſtolas [p] animam eructaſſe, Gennadius [p] ex Paulo presbytero tradit. Curæ fuit præterea pio Imperatori, aduerſus [q] reliquos in Africa exiſtentes hæreticos pœnam proſcriptionis & ſanguinis decernere, reſcripto ad Heraclianum Comitem Africæ dato quod licet notatum habeatur Cõſulatu Honorii decimo, tamen nouum reponendum eſſe euidens redditur, quod ante decimum Heraclianus (vt dicetur) iam tyrannus factus è medio ſublatus eſſet. Sicut è contra accidiſſe videmus, vt reſcriptum [r] Honorii de nece Heracliano inferenda, datum inueniatur ſub huius anni Coſſ. cum conſtet eius tyrannidem nequaquam cœptam, niſi cum ipſe Conſulatum geſſit anno ſequenti.

m Proſp. carm. de ingrat.
n Hieron. Pelag. l. 2.
o l. 53. C. Th. de hæret.
IOVINIANVS DELEGATVS IN INSVLAM.
p Gennad. de Vir. illuſ. c. 75.
q l. 56. C. Th. de hær.
r l. 11. C. Th. de pæn.

VI.

Adiecit vero idem Imperator, pro rebus & perſonis Eccleſiaſticis dare reſcripta [s]: ne ſcilicet bona Eccleſiaſtica diuerſis aliis præter canonicam penſionem tenerentur obligata muneribus: neue clerici apud alios Iudices quam Epiſcopos iudicio poſtularentur. Porro non clerici tantum, ſed & laici, & qui inter eos magiſtratibus fungerentur, ſi quid in Deum peccaſſent, vel iura Eccleſiaſtica violaſſent, habebant Epiſcopos Iudices. Cuius rei egregium exemplum vidimus anno ſuperiori de Andronico Pentapoleos Præfecto à Syneſio Epiſcopo condemnato: extantque alia apud S. Auguſtinum in epiſtolis ad Auxilium [t] & Bonifacium [u] Comitem. Sed quod in his verſamur, illud quoque huius temporis Eccleſiaſtici Iudicii moris inſinuandum putamus: Cum criminis accuſatus, haud adeo plene vt damnari poſſet conuinceretur, neque eius innocentia ita perſpicua appareret vt abſolui penitus poſſet: conſueuiſſe huiuſmodi tum reum tum actorem, per iuramentum purgandos ad ſepulchra Sanctorum Martyrum mitti, illorum præſertim quorum virtus in miraculorum editione omnibus nota eſſet. Huius enim in Africa, itemque Mediolani conſuetudinis meminit idem Auguſtinus [x]: eamdemq; Romæ perduraſſe temporibus Gregorii Papæ, ipſe ſuis [y] ſcriptis fidem facit, confirmatq; Gregorius [z] Turonenſis: atque ſunt alia innumera de his exempla.

s l. 40. 41. C. Th. de Epiſc. & cler.
IVDICIA EPISCOP. ADVERS. OMNES IN DEVM DELINQVENTES.
t Au. ep. 75.
u dep. 6. & 7 ...
PVRGATIO IVRAMENTI AD RELIQVIAS MARTYRVM.
x Id. ep. 137. ad Hippon.
y Greg. hom. in Euang.
z Greg. Tur. de glo. mar. cap. 39.

VII. GOTHI INVADVNT GALLIAS.

Hoc eodem anno iiſdemque Coſſ. Proſper. & Caſſiodorus tradunt Gothos ab Italia penitus recedentes, ſub Athaulpho rege Gallias inuaſiſſe. Magna quidem Dei vindicta contigit hoc ſæculo, cum vniuerſum ferme Romanũ Imperium, tum maxime Gallias dedi barbaris gentibus incurſandas: quæ vel vocatæ à tyrannis, vel aliis ipſę occaſionibus ex diuerſis partibus eo confluentes, eaſdem miſere depaſtæ ſunt. Verum huius diuini Iudicii pondus, etſi graue videri poſſit, ſi tamen vbiq; delinquentium ſcelera in alteram libræ lancem conijciamus, nihil erit quod miremur. Quæ vt aperte percipiantur, prouoco te rurſum ad Saluianum Epiſcopum Maſſilienſem, de quo dictum eſt ſuperius, qui octo libris hoc argumento hoc ipſo tempore hacque ex cauſa conſcriptis, miro affectu luget deprauatiſſimos mores, cum omnium in genere populorum, tum præcipue Gallorum ſuorum & Aquitanorum, tam virorum quam fœminarum. Stragem autem in ipſa Aquitania editam à Gothis & Wandalis, deplorat pariter Aquitanicus vir ſanctiſſimus Proſper carmine lugubri eodem argumento edito: necnon alius nobiliſſimus Aquitanus Paulinus Conſularis in carmine Euchariſtico [a], cui titulus falſo habetur inſcriptus nomine S. Paulini Nolani Epiſcopi. Hic enim auctor carminis Euchariſtici, licet & ipſe Burdigalæ educatus diuq; verſatus ſit: maiores tamen Vaſatis ortos habuit, fuitque nepos ſororis Auſonii Coſſ. & incenſa patria ex ditiſſimo factus pauperrimus, neceſſarijs egens, profugus cum ſuis Vaſatas conceſſit: vt hæc omnia ipſe eodem carmine declarat. Ex quo & illud conſtat, duo illi accidiſſe parum digna nobilitate ſua: nimirum cõſpirationem cum Attalo tyranno à quo creatus fuerat Comes priuatarum largitionum: & diuerſionem ad hæreſim, puto Priſcillianiſtarum, quam iis in locis viguiſſe diximus: quorum errorum primum eodem carmine excuſauit, alterum (vt ait) pœnitentia purgauit.

a Extat ſ. Bibl. ...
DE PAVLINO ITERO ...

VIII. THEOPHILI ALEX. OBITVS.

Iiſdem Coſſ. decimoquinto Calendas Nouembris, vt habet Socrates [b], Theophilus Alexandrinus Epiſcopus ex hac vita migrauit, cum ſediſſet annos viginti ſeptem: De cuius obitu mirum illud ex Iſidoro diacono Ioannes Damaſcenus [c] refert nimirum ob illud peccatum, quod nunquam Sancti Ioannis Chryſoſtomi nomen paſſus eſſet in Eccleſia recitari, cum non potuiſſe animam agere donec allatam Imaginem Chryſoſtomi adoraſſet. Reliquit ingenii ſui monumenta, quæ Gennadius [d] & Trithemius [e] receñſerit, aduerſus Origeniſtas & Anthropomorphitas hæreticos, necnon de Paſchali recurſu, ac libros de fide. Scripſit item de Sacris myſteriis, vel de Sacris Supellectilibus Eccleſiæ Dei: quem quidem librum Eccleſiæ vtiliſſimum fuiſſe; cum exciderit ipſe; intelligi poteſt ex fragmento epiſtolæ [f] S. Hieronymi ad ipſum Theophilum datæ, cum illum commentarium Latinitate ab eodem rogatus donauit. Extantque plures eiuſdem Eccleſiaſtici canones, treſque Paſchales epiſtolæ à S. Hieronymo Latinæ factæ: illæ ſcilicet quas aduerſus Origenem edidit, cum alioqui per ſingulos annos ſingulas dare ſoleret, vt ex Syneſii [g] ad illum literis apparet, qui eas Panegyricas orationes nominat. Sed poſtquam is Romano Pontifici de inferendo Diptychis Ioannis Chryſoſtomi nomine obniti cœpit, abſtinuiſſe penitus cognoſcitur S. Hieronymus ab eiuſdem poſt editarum epiſtolarum, quam cœperat, verſione. Accidit tamen vt licet ei ob eam Chryſoſt. cauſam fuiſſet à Romano Pontifice communio denegata: tamen quod conſtiterit in obitu emendaſſe quod viuens pertinax deliquiſſet commemoratione rerum aduerſus Origeniſtas, aliarumque ab eo bene geſtarum, retenta eſt poſt obitum eius memoria apud poſteros [h] magna æſtimatione, tituloque ſanctitatis.

b Socr. lib. 7. c. 7.
c Damaſ. l. 3. de Imag.
d Genn. de Vir. illuſ. c. 33.
e Trith. de viris ill.
THEOPHILI SCRIPTA.
f Extat ... Hieroſolym.
g Syneſ. ep. 9.
h Leo Pap. ep. 52. & 64. Paul. Emeſ. in Orat. ad pop. Alex. Vit. SS. Pat. de compunct. Tyar. Spl. c. 193. & aliis.

IX. CYRILLVS ELECTVS EPISC. ALEXAND.

Poſt triduum autem ab eius obitu, ſubrogatus eſt *Cyrillus* ipſius ſororis filius (vt eſt apud Theodoretũ [i] & Iſido-

i Theod. l. 5. c. 35.

rum [k] Peluſiotam) ſed non abſque controuerſia, quod alii peteret Timotheum Archidiaconum, cui fauebat Abundantius Præfectus militum. Id enim teſtatur Socrates [l]: qui addit, Cyrillum in ſede Epiſcopali collocatũ, maiorẽ principatum quam vnquã Theophilus habuiſſet, ſibi aſſumpſiſſe: atque ex eo tempore Epiſcopum Alexandrinũ præter ſacri Cleri dominatũ rerum quoq; ſæculariũ principatum acquiſiuiſſe. Quapropter eundem ſtatim Nouatianorum Eccleſias quæ erant Alexandriæ occluſiſſe, nec modo omnem ſacrum theſaurum qui in illis eſſet penitus abſtuliſſe, ſed & ipſorum Epiſcopum omnib. ſuis fortunis priuaſſe. Iſta ſubinfenſe Socrates, ſed ob eius ſectæ patrocinium fide ſuſpectus. Cum autem viuente Theophilo, cuius quodammodo vinculis tenebatur adſtrictus, Atticus Epiſc. Conſtantinop. ob non receptum nomen Chryſoſtomi, & ipſe ſecluſus à communicatione Rom. Pontificis permanſiſſet: eo defuncto faciliorem ſe præbẽs (admonitus nouo Theophili caſu, & periculo recens ea de cauſa concitati in ipſum populi Conſtantinopolitani) non ſolum eiuſdem Chryſoſtomi nomen ſacris Diptychis reddidit, ſed ad id quoq; faciendum Cyrillum incitauit: qui diutius infenſiſſimo animo reluctatus, tandem eiuſdem Attici, necnon Iſidori Peluſiotæ, aliorumque hortationibus, ac demum viſione diuinitus oſtenſa commotus, (qua & ipſe ſibi viſus eſt à Ioanne, diuino comitatu circumdato, ab eccleſia expelli: & Matrem Domini pro eodem Ioanne enixius orantem conſpexit) ipſe quoque cum omnibus Epiſcopis ſibi ſubditis eiuſdem Ioannis Chryſoſtomi nomen in ſacro albo repoſuit: factumq; eſt, vt totius pariter Orbis Eccleſiæ mutuo inter ſe pacis fœdere iungerentur. Hæc omnia pluribus ex Niceta Nicephorus [m]: qui & ipſas Attici atq; Cyrilli ea de cauſa vltro citroq; datas literas, aliaſq; Iſidori [n] ad Cyrillum recitat. Quæ quidem hoc anno, ipſius Cyrilli ſedis exordio cœpta, in ſequentem etiam propagata videntur.

k Iſid. Peluſ. l. ep. 310.
l Socr. l. 7. c. 7.

CHRYS. NOMEN RESTITVTVM IN DIPTYCHA.

m Nic. l. 14. c. 26 27. 28.
n Nic. l. 14. c. 51 & ep. Iſid. l ep. 370.

HONORII 19. THEOD. II. 6.

IESV CHRISTI AN. 413.

INNOCENTII AN. 12.

I. HERACLIANI CONSVLATVS, ET TYRANNIS, ATQ. EXITVS.

ANNVS Chriſti quadringenteſimus decimus tertius, vnius tantum Lucii Conſulatu in faſtis reperitur adſcriptus, necnon in reſcriptis Imperatorum: quod nimirum ipſius collegæ, *Heracliani* Comitis in Africa, cum tyrannus euaſiſſet, expunctum eſt nomen è publicis monumentis: ſicut alias factum ſæpe vidimus. De Conſulatu enim Heracliani hoc anno geſto, aſſertores ſunt Proſper [a] & Oroſius [b], ſuorum temporum ambo ſcriptores: ipſeq; Honorius Imperator reſcriptis [c] aduerſus eum datis cum patefactus eſt tyrannus, quibus eum hoſtem publicum declarat, & cum ſuis interfici iubet, eiuſq; nomen ab omnibus tam priuatis quam publicis Actis deleri. Sed Oroſius eius rebellionis hiſtoriam paulo fuſius proſecutus, inter alia ait ipſum Africana annona extra ordinem retenta, cum incredibili claſſe trium millium & ſeptingentarum nauium Romam adnauigaſſe, ſed littore egreſſum, occurſu Comitis Marini territum eſſe, & in fugam verſum, arreptaq; naui ſolum Carthaginem rediiſſe, atq; ibi continuo militari manu interfectum eſſe. Verum eius interitum anno ſequenti ſub Conſulatu Conſtantii & Conſtantis, Marcellinus ponit in Chronico. Cuius gener *Sabinus*, & in tyrannide ſocius, Conſtantinopolim fugiens, inde poſt aliquantum temporis retractus, exilio damnatus eſt, vt Oroſius eſt auctor.

a Proſp. in Chron.
b Oroſ. l. 7. c. 42.
c l. 13. C. Th. de infirm. his quæ ſub tyran. l. 21. de pæn.

II. MARCELLINVS INNOCENS OCCIDITVR.

Sed illud poſt hæc accidit lugubre, quod idem Marinus Dux exercitus traiiciens in Africam aduerſus perduelles Imperij, *Marcellinum* illum Tribunum & Notarium, Cognitorem miſſum & ſequeſtrem Conciliationis inter Catholicos & Donatiſtas, virũ eruditione, & pietate inſignem: proditione hæreticorũ Donatiſtarum in ipſum infenſiſſimorum, calumniam paſſum ſtuduiſſe parti Heraclianæ, innocentem occidi iuſſerit: vt Hieron. [d] docet. Ob quam cauſam & ipſe titulo martyrij in Eccleſiaſticas [e] tabulas referri meruit: & Marinus eius interfector, qui ob Rempublicam à tyranno liberatam, nobilem fuiſſet iure conſecuturus triumphum: non ſolum eo priuatus eſt, ſed (vt ſcribit Oroſ.) continuo reuocatus ex Africa, factuſque priuatus, vel ad pœnã vel ad pœnitentiam conſcientię, dimiſſus eſt. Et quod putarent Donatiſtæ, ſe vna cũ Marcellino abolere potuiſſe quæ eo præſente confecta eſſent aduerſus ipſos Acta publica: voluit Honorius Imperator reſcripto ad Iulianum in Africa Proconſulem anno ſequenti miſſo, eadem habere perpetim firmitatem.

d Hier. l. 3. cont. Pelag.
e Martyr. Rom. 6. Id. Apr.
f l. 55. C. Th. de hæret.

III. DEMETRIAS VIRGO RENVNCIAT SPONSO ET SÆCVLO.

Hoc eodem tempore contigit à *Demetriade* Iulianæ filia, Probæ nepte, edi Carthagine (quo eam vna cum matre & auia appuliſſe vidimus) egregium Chriſtianæ pudicitiæ ſpecimen: cum ipſa nobiliſſima Romana virgo, oppignerata æque nobiliſſimo ſponſo, appropinquante nuptiarum die, derepente mutato habitu profeſſa eſt vitam monaſticam, matre & auia gaudio exultantibus, cunctiſque reliquis vbique admirantibus, & quamplurimis aliis exemplum eius imitantibus: quæ & præparatam ei à parentibus ingentem dotem, ac pretioſiſſimum ornatum, diſperſit pauperibus. Hæc autem pientiſſimæ virginis generoſiſſima facta egregie deſcripſit, & mirifice laudauit S. Hieron. [g] epiſtola ea de re poſtea ad eandem ipſam Demetriadem ſcripta. Cui quidem eius ſanctiſſimi vitæ generis capeſſendi auctorem extitiſſe S. Auguſt. ipſemet Auguſt. [h] teſtatur ſcribens ad matrem Iulianam: cuius etiam aliæ extant ad matrem & auiam, cum ipſum quamprimũ de voto virginis certiorem reddidiſſent, gratulatoriæ literæ [i], quibus ſummis effert laudibus eiuſdem virginis propoſitum. Idq; ipſum præſtitit S. Proſper epiſtola ad ipſam Demetriadem ſcripta, quæ habetur inter epiſtolas S. Ambroſii. [k] Ex quarum omnium lectione intelligas, eo ſemper pretio in Eccleſia extitiſſe ſanctam virginitatem, vt ſublimis quæque nobilitas decorem ex ea accipere credita fuerit & ornamentum.

g Hier. ep. 8.
h Aug. ep. 141.
i Id. ep. 179.
k ap. Amb. ep. 84.

IV. PELAGIVS CLANDESTINA INFVNDIT VENENA.

Quin & Pelagius, licet in præcone ipſius Cæleſtio ibidem Carthagine (vt vidimus) hæreſis eius damnata fuiſſet, ipſe tamen adhuc ſub ſanctitatis pallio latere ſatagens, congratulaturus nouæ Chriſti ſponſæ, epiſtolam parænecticam, ſeu dixerimus potius librum (ita enim nominat Auguſt.) ad eandem Demetriadem miſit. quæ hactenus extat: & quod ea nomine Pelagii careret, eademque inter opera SS. Hiero. & Auguſt. edita reperiretur, à ſimplicioribus vel Hieronymi vel Auguſtini credita eſt: quam quidem vere Pelagii eſſe, non ſolum ipſius errores in ea poſiti indicant, ſed teſtificatione Sancti Auguſti [l], immo & ipſius Pelagii [m] habetur expreſſum: quod & olim intellexit Beda [n]. Quamobrem idem S. Auguſt. continuo vt hæc accepit, ne hauſtum ex epiſtolæ illius lectione venenum mortem Demetriadi ac parentibus eius afferret, antidotũ propinauit, ſcribens ad Iulianum quæ ab ipſius Auguſtini ore pendebat, epiſtolam [o] qua ſparſas in illo Pelagii ſcripto hæreſes confutauit: idque ipſum rurſus præſtitit in libro poſtea ſcripto aduerſus Pelagium & Cæleſtium de Gratia Chriſti. Sicut & Sanctus Proſper in literis quas diximus ad Demetriadem, nihil aliud conatus eſt quam Pelagii aſſertionibus aduerſariam ſtabilire Catholicam veritatem. Ac deniq; Innocentius ipſe Papa, per breui ad Iulianam ſcripta epiſtola [p] æque illam in fide Catholica de gratia Chriſti cõfirmare ſtuduit. Vnde eueniſſe putamus, vt ſcribens poſtea S. Hieron. [q] ad eandem virginem Demetriadem, magnopere hortatus fuerit vt eiuſdem Innocentii teneret fidem, nec peregrinam (quamuis ipſa ſibimet prudens callidaque videretur) doctrinam reciperet: Quod igitur hoc anno Pelagius quid ſentiret, penitus innotuerit, inde accidit vt ſub anni huius Lucio Conſule S. Proſper [r] tradat ipſius hæreſim innotuiſſe: quam tamen in Cæleſtio vidimus anno ſuperiori Carthagine damnatam.

l Aug. de grat. Chr. l. 1. cap. 22.
m ap. Aug. ibid. cap. 37.
n Bed. Præf. in Cant.
o Aug. ep. 134.
p Inn. ep. 11.
q Hier. ep. 8.

PELAGII HÆRESIS PENITVS DETECTA.

r Proſp. in Chron.

V. BVRGVNDI OBTINENT PARTEM GALLIAR.

Hoc eodem anno *Burgundiones*, Germaniæ populos [s] bellicoſiſſimos, multitudine ac viribus præſtãtes, qui gloriari ſolerent ſe ſobolẽ Romanorum, partem Galliæ Rheno proximam obtinuiſſe, Proſper teſtatur & Caſſiodorus: de quorũ à Burgis denominatione Oroſium [t] conſule, quamuis dicta ab eo haud omnibus placeant. Sed & de eorundem Chriſtianitatis tempore, haud ei cõuenit cum Socrate [u], dum hic ad tempora Valentiniani Tertii qui

s Ammian. l. 18. & 28.
t Oroſ. li. 7. c. 32.
u Soc. lib. 7. c. 30.

ſucceſſit

Digitized by Google

DE BVRGVND. CHRISTIANITATE.

ſucceſſit Honorio, Oroſius vero (cui magis aſſentiendum eſt, puta ſub Honorio, ac de rebus vicinorum ſcribenti) ad præſens ipſius Honorij Imperium refert. Verum ea & ante Anaſtaſium Papam dicenda eſſet contigiſſe, ſi in omnibus legitima demonſtrari poſſet, quę extat eius nomine epiſtola ad Epiſcopos Germaniæ & Burgundiæ.

VI. Hoc item anno in Oriente Theodoſius Imperator Eunomianos ſæpe damnatos, nouo reſcripto [x] exagitauit: ſimulq; *Anabaptiſtas* vltimo ſupplicio afficiendos decreuit. Idemque Nouatianos illos [y], qui recens ab aliis hæreticis Nouatianis diuiſi, in hoc cum Eccleſia Catholica concordabant vt Paſcha in azymis celebrarent, ob idque *Protopaſchitarum* ſibi nomen impoſuiſſent (quos & *Sabbatianos* ab auctore Sabbatio appellatos, ſuperius vidimus) proſcriptione & deportatione damnauit. Sed & diuino quoque iudicio hoc eodem tempore omnes Nouatiani oſtēſi ſunt eſſe repulſi, miraculo illo quod à Sancto Paulino deſcribitur in carmine [a] ad Cytherium cum Nouatiani hominis nauis abſq; aliqua maris tempeſtate ſoluta compagibus, ebibens vndam abſorpta eſt à mari, Nouatianis omnibus atque cæteris Infidelibus qui in ea erant pereuntibus, Catholicis Fidelibus tantummodo liberatis, & qui iis inhæſerunt credentes: ita vt magno prodigio caſus ipſe omnes diſcreuerit, qui pii, quiue impii eſſent.

x l. 7. C. Theo. ne ſanct. bapt. iter. l. 2. C. Iuſtin. eod.
y Vid. Socr. 7. c. 5.
NOVATIANI TERRA MARIQVE EIECTI.
z l. 6. C. Th. eo.
a Paulin. ep. 42.

IESV CHRISTI AN. 414.

INNOCENTII AN. 13.

HONORII 20. THEOD. II. 7.

I. GOTHI IN HISPANIAS.

ANNO Christi quadringenteſimo decimoquarto, Conſtantio & Conſtante, patre & filio Coſſ. anno quarto à capta per Gothos Vrbe, idem Conſtantius eoſdem Gothos Narbona expulit, atque abire in Hiſpaniam coegit: vbi apud Barcinonem ipſorum Rex Athaulphus ſtudioſiſſime paci petendæ inſiſtens, dolo ſuorum occiſus eſt. Hæc Oroſius [a]: ſed necem Athaulphi ſequenti anno Proſper ponit. Extat [b] vero ipſius epitaphium, ad eius ſepulchrum ibidem Barcinone poſitum, quo conſtat vna cum ipſo ſex quoque eius filios à Gothis peremptos eſſe. Quod autem Romani in Gothos, quos pacis ſtudioſos & auxiliarios habere cœperant, copias mouerint, illa pręceſſiſſe cauſa videtur, quod Attalus ille tyrannus, qui ab eiſdem Gothis Imperium deponere coactus fuerat, hoc anno (vt idem Proſper ait) eorumdem auxilio tyrannidem reſumpſit in Galliis. Qui ruſum anno ſequenti in Hiſpaniam ab iiſdem deductus, moxque relictus, captus in mari, Conſtantio Comiti viuus traditus eſt: idemque poſtea ab Honorio in triumphum ductus, ac Liparæ viuere iuſſus truncata prius manu. Hæc iidem auctores.

a Oroſ. lib. 7. c. 43.
b ap. Amb. Moral. l. 11. Chro. Hiſp.
ATTALI TYRANNI FINIS.

II. Subdit vero Oroſius de *Segerico* ſucceſſore Athaulphi, paulo poſt ſimiliter à ſuis necato, quod & ipſe ad pacem pronus eſſet. Cui ſucceſſor electus *VVallia* vt pacem infringeret, nihilominus eam magis confirmauit. Quippe territus maxime iudicio Dei, quia cum magna Gothorum manus traiicere in Africam moliretur, in freto Gaditano tempeſtate correpta miſerabili exitu perierat: memorque illius acceptæ ſub Alarico cladis, cum Gothi in Siciliam tranſire conati ſubmerſi ſunt, pacem optimam cum Honorio Imperatore datis obſidibus pepigit: ac Placidiam ipſius ſororem relictam Athaulphi, honorifice apud ſe habitam fratri reddidit. Deniq; Romanæ ſecuritati periculum ſuum obtulit, vt aduerſus cæteras gentes quæ per Hiſpanias conſediſſent, ſibi pugnaret & Romanis vinceret. Quamuis & cæteri Alanorum Wandalorum, Sueuorumq; Reges, eodem cum Romanis placito depacti forent, mandantes Honorio Imperatori, vt ipſe cum omnibus pacem haberet, omniumq; obſides acciperet, dum ipſi inter ſe confligerent, ſibiq; pereuntes Imperatori vincerent. Hæc Oroſius: quæ iſto & duobus ſequentibus annis geſta, Proſper quoq; attigit. In quibus illud in primis obſeruandum, Gothos illos qui Romam deprædati ſunt, duplici naufragio breuiſſimi temporis ſpatio fuiſſe punitos, præter alias clades quibus confecti ſunt. Iſtud enim plane aliis poſtea diuerſis temporibus accidiſſe eiuſdem Vrbis inuaſoribus & prædatoribus, accuratus lector inueniet: nimirum qui id facere auſi ſunt, ſemper Dei vindicta haud ſera male periiſſe. Sed hæc prolixiorem requirunt ſermonem.

BARBARI QVÆRVNT INTER SE DIGLADIARI PRO SECVRITATE RO. IMPERII.

INVASORES ROM. VRBIS MISERE PERIRE SOLITI.

III. Vt vero reliqua tanta quæ diximus, adeo proſpere gererentur in vtilitatem Imperii, ipſe Honorius Auguſtus religione ſua promeruit, dum pro fide certans hæreticos atque Gentiles ſingulis ferme annis exagitare non ceſſauit. Qui quidem hoc ipſo anno aduerſus Donatiſtas reſcribens [c], eoſdem inteſtabiles, infameſque declarauit: Epiſcopiſque ac reliquis clericis exilium irrogauit, atq; illorum occultationem ſub iiſdem pœnis vetuit: laicos autem pecuniaria pœna pro conditione cuiuſque mulctauit: ac deniq; ipſorum conuentuum loca Eccleſiis Catholicorum tribuit. Miſiſſe vero huius legis executorem in Africam, Dulcitium, Tribunum & Notarium, Sanctus Auguſtinus [d] docet. Quo etiam auctore [e] conſtat, pecuniariam illam pœnam laicis inflictam ſic exigi ſolitam, vt tamen eiſdem reddenda ſeruaretur, ſi ad Eccleſiam Catholicam redire vellent. Cum autem permulti eorum Epiſcopi decreuiſſent [f] potius mori quam Eccleſias ſuas deſerere, adeo vt ſibi ipſis nonnulli [g] violentas manus inferre non dubitarent, ſic rati fore vt vel à ſuis colerentur vt martyres, vel Iudicum commiſeratione ſinerentur in ſuis Eccleſiis permanere; anceps Dulcitius quid in his ſibi agendum eſſet, literis conſuluit Auguſtinum. Qui cum videret quamplurimos Donatiſtas Honorii reſcripti vigore ad Eccleſiam Catholicam redire: melius eſſe reſpondit [h], paucos quoſdam ſuis ignibus, aut aliis eiuſmodi excidiis perire, quam ſi vniuerſi ſempiternis ignibus gehennarum arderent. Mitius tamen cum eis eſſe tranſactum, nec omnes Donatiſtarum Epiſcopos ſolum vertere iuſſos, quæ inferius dicenda ſunt, demonſtrabunt.

c l. 54. C. Th. de hæret.
HONORIVS IMP. EXAGITAT DONATISTAS.
d Au. 2. Retract. 59.
e Id. l. 1. cont. Gaudent. c. 18.
f Ibid. c. 37.
g Id. ep. 204. ad Donat.
QVOMODO CVM OBSTINATIS HÆRET. AGENDVM.
h Id. ep. 61.

IV. Hoc eodem anno contigit Pauli *Oroſii* preſbyteri Hiſpani (cuius hiſtoriam ſæpe citare contigit) legatio ab Eutropio & Paulo in Hiſpania Epiſcopis ad Sāctum Auguſtinum in Africam. Cuius decernendæ in cauſa fuere hæreſes, quæ tunc temporis dire Hiſpanias infeſtabant. Nam præter Priſcillianiſtarum errores, quos ſingulos idem Oroſius in libello [i] cōſultationis Auguſtino oblato enumerat: nouas addit hæreſes nuper inuectas, ex Origene & Victorino quodam prognatas, allatas vero in Hiſpaniam à duobus *Auitis* hominibus Hiſpanis, altero Hieroſolymis, Roma altero redeuntibus, itemq; à Baſilio quodam Græco. Itaque Auguſtinus breuiter quidem, ſed plane diſertiſſime, aduerſus Priſcilliani atq; Origenis errores diſputauit, edito commentario ad eundem Oroſium, vt inſcriptio præfert. Repreſſit vero alibi [k] Catholicos illos homines, qui ad inquirendos Priſcillianiſtas mendaciorum atque periuriorum inuolucris deliteſcentes, dicebant artem arte deludendam, & mendaciis licere mendacia prodere: nempe mentiri ſe quoq; Priſcillianiſtas, vt qui vere eiuſmodi eſſent detegerent, ſicque ab eorum prauis fruticibus expurgare poſſent Eccleſiam: pluribuſq; docuit, Chriſtiano homini nec in leuibus mentiri licere. Permanſit autem hoc anno Oroſius apud S. Auguſtinum cupiditate diſcendi, ſequenti vero (vt dicetur) nauigauit Hieroſolymam. Cui quidem Auguſtinus iniunxit opus, vt hiſtoriam ſcriberet aduerſus Paganos: quod ille officioſiſſime præſtitit, vt eiuſdem docet præfatio libris affixa: quos (vt declarat [l]) abſoluit anno ab initio Mundi quinquies milleſimo ſexcenteſimo decimooctauo, hoc eſt ſecundum initam ab eo rationem, anno Chriſti quadringenteſimo decimoſeptimo.

i Ext. ap. Aug. ante lib. aduerſ. Priſcil.
ORIG. ET PRISCIL. HÆRESES ILLATÆ IN HISPANIAS A DVOBVS AVITIS.
k Id. 2 Retr. 60. & lib. cont. Mend.
OROSII HISTORIA.
l Oroſ. lib. 7. c. vlt.

V. Accidit vero poſt hæc, vt quamuis prominens peſſimæ plantæ truncus ex Origenis Periarchon productus ſcriptis Sanctorum Patrum & decretis ſacrorum Conciliorum iam ſucciſus eſſet, pullulauerint tamen ex eo hinc inde virgulta, Sancti Auguſtini falce ſuccidenda. Etenim quod ait Oroſius in dicto Conſultationis libello, de damnatorum ſaluatione poſt aliquam purgationem, deq; etiam ipſius diaboli reſtitutione, ex Origene per Auitos in Hiſpania prædicatis: licet in ſaluatione dæmonum minime aſſenſum eis populi præbuerint, tamen in venia damnatorū plures habuerunt ſectatores: ſed ita vt pro diuerſi-

DE SALVATIONE DAMNATOR. PLVRIMI ERRORES.

tate animorum, diuerſæ eſſent eotundem aſſertiones dũ alii crederent, omnes omnino damnatos fore aliquando ſaluandos: alii vero non omnes, ſed tantum Chriſti baptiſmate ablutos, qui participes facti eſſent corporis eius, in quacunque hæreſi vel impietate vixiſſent: alii rurſum, non omnes baptizatos, ſed ſolos Catholicos, quantumuis male viuentes: alii demum reliquos omnes præter illos qui pro peccatis ſuis facere dignas eleemoſynas negligerent, adeo vt qui facerent, quamuis inter ipſas ſuas eleemoſynas nefarie ac nequiter viuerent, ſaluandi eſſent poſt aliquam purgationem. Recenſet hæc iſtorum omniũ deliramenta S. Auguſtinus, quæ & ſacrarũ auctoritate Scripturarum ipſos defendiſſe tradit: eadem vero ipſe egregie confutauit in libris [m] de Ciuitate Dei, quos his diebus ſcribebat.

m *Aug de ciuit. Dei, l. 21. c. 17. vſq. ad 27.*

VI. SYNODVS IN MACEDONIA.

n *Innoc. ep. 17.*

TRANSLATIO SS. RELIQVIARVM.

Hoc item anno collecta eſt prouincialis SYNODVS in Macedonia, ex qua pro confirmatione rerum geſtarum miſſa eſt legatio ad Innocentium Papam: vt conſtat ex litteris [n] eiuſdem Romani Pontificis ad eos redditis, quarũ exordio ipſe eos nonnihil reprehendit, quod certa quædam ſemel impertita à Sede Apoſtolica iterare cogerent mandata. Eodemque anno die vigeſima octaua Iulii, facta eſt à Cyrillo Epiſcopo Alexãdrino translatio partis Reliquiarum Sanctorum Marci Euangeliſtæ, & martyrum Cyri atque Ioannis, in Canopum: quo facto penitus extinctæ ſunt iuges dæmonum ibi adhuc vigentium (licet à Theophilo, deſtructo famoſiſſimo illic templo, Eccleſia ſupererecta fuiſſet) infeſtationes, quod ſatis apertum habetur ex Actis eorundem Sanctorum martyrum Cyri & Ioannis, in poſteriore Concilio Nicæno cognitis, & à Sancto Ioanne Damaſceno & aliis comprobatis.

IESV CHRISTI AN. 415.

HONORII 21. THEOD. II. 8.

INNOCENTII AN. 14.

I. INVENTIO RELIQVIAR. S. STEPHANI PROTOM.

a *Ioan 3.*
b *Act. 5. 12.*

ANNO Chriſti quadringenteſimo decimo quinto, Honorio decimũ & Theodoſio ſextum Augg. Coſſ. magnus ille Protomartyr STEPHANVS rurſus in miraculis rediuiuus apparuit, cum eius venerandæ Reliquiæ, vna cum Gamalielis & Nicodemi (de quibus in Euangelio [a] & Actis [b] Apoſtolorum) atq; Abibi ipſius Gamalielis filii corporibus, diuinitus in ſomnis ab ipſo Gamaliele reuelatæ ſunt *Luciano* presbytero Eccleſiæ Caphargamala in territorio Hieroſolymorum, vbi eadem corpora condita primo fuerant: à quo admonitus Ioannes Epiſcopus Hieroſolymitanus, corpus S. Stephani tranſtulit magna pompa Hieroſolymam ſeptimo Calendas Ianuarii. Extat de eiuſmodi inuentione eiuſdem Luciani libellus, ſiue epiſtola ad omnes Fideles ſcripta cui adſtipulantur Marcellinus [c], Nicephorus [d], & alii recentiores auctores Græci, Latinorumque plurimi, ſed qui inſtar omnium eſt, Gennadius [e], cum hæc ſua ætate facta potuerit certius cognouiſſe. In ea igitur epiſtola cum eiuſdem Inuentionis tempus notetur Conſulatu Honorii decies & Theodoſii ſexies, qui hoc ipſo anno extitit: idque ipſum Marcellinus abſq; vlla dubitatione confirmet apparet irrepſiſſe mendum in Bedam [f], & erraſſe alios eum ſecutos, dum anno ſeptimo Honorii id factum habent: ſicut ex iiſdem corrigendus eſt Nicetas [g] Philoſophus qui ad tempora Conſtantini refert. Ceterũ cum aperta eſt theca Reliquiarum S. Stephani, terræmotum factum eſſe; & ſuauitate miræ odoris fragrantiæ inde emergentis, ipſo eodem momẽto ſeptuaginta tres homines variis grauiſſimis languoribus detentos, quorum etiam nonnulli erant dæmoniaci, integram ſanitatem recuperaſſe, narrat idem Inuentionis libellus. Additque quod cum eodem tempore ingens ſiccitas vniuerſam Palæſtinam vexaret, in ipſa tranſlatione earundem ſacrarum Reliquiarum pluuia magna deſcenderit, & abundanter terram imbuerit, immenſo omnium gaudio. At hæc adeo multa & inſignia, pauca & perexigua eſſe intelliges, ſi conferas cum illis quæ in Orbe Occidentali earundem virtute Reliquiarum voluit Deus edi, de quibus dicetur anno ſequenti.

c *Marcel. in Chron.*
d *Nic. li. 14. ca. 9.*
e *Genna. de vir. ill. c. 46.*
f *Bed. de 6. at. Sigeb & alii.*
g *Nicet. de mar. & invent. S. Step. ap. Metaph. & Aug. & Lipom. to. 6.*

MIRACVLA EX IISDEM RELIQ.

II. DEI CONSILIVM IN REVELATIONE RELIQVIARVM.

Noua vero hæc & plane admiranda bella elegit Dominus, ad expugnandos & confundendos aduerſarios ſuos. Qui enim expugnauit Antiochiæ impietatem Iuliani Apoſtatæ reliquiis Sanctæ Babilæ martyris, proſtrauit Mediolani Arianam audaciam reliquiis Geruaſii & Protaſii martyrum, extinxit in Ægypto idololatriam reliquiis Sãcti Marci Euangeliſtæ & Sanctorum martyrum Cyri & Ioannis, confudit impuritatem Vigilantii reliquis Sancti Samuelis Prophetæ: (vt de his omnibus vidimus ſuperius ſuis locis: extantque innumera alia eiuſmodi omnium temporum atque prouinciarum exempla, deuictorum virtute ſacrarum Reliquiarum diabolicorum conatuum, de quorum etiam nonnullis vel iam à nobis dictum eſt, vel dicendum erit,) idem in Sanctis ſuis mirabilis Deus iiſdem modo armis vſus eſt tum ad reliquos Ethnicos & hæreticos atque ſchiſmaticos expugnandos, tum ad cogendum impium Pelagium nuper emerſum è puteo inferni hæreſiarcham, errores proprios ſaltem in ſpeciem condemnare.

III. CONCILIVM DIOSP. IN CAVSA PELAGII HÆRES.

h *Aug. 2. Retract. 47. & li. 1. cont. Iulian. ca. 5.*

Cum enim in dicta ſacrarum Reliquiarum Inuentionis epiſtola Lucianus dicat, contigiſſe vt eo tempore Ioannes Hieroſolymorum Epiſcopus, eſſet in Synodo Epiſcoporum apud Liddam, quæ & Dioſpolis dicta eſt ciuitas Palæſtinæ: agens de eodem DIOSPOLITANO CONCILIO Sanctus Auguſtinus [h], ſimul & quatuordecim qui interfuerunt Epiſcoporum nomina recenſens (quorum primus ordine ponitur Eulogius Cæſarienſis Palæſtinæ Metropolitanus, ſecundus vero idem qui ſupra Ioannes Hieroſolymitanus) docet ibi præſentem Pelagium, damnantem ſuas hæreſes, & fidem Catholicam profitentem, fuiſſe abſolutum. Verum quod id doloſe egerit, eũdem conuentum S. Hieronymus [i] *miſerabilem Synodum* appellauit. Cuius etiam Acta de purgatione Pelagii, Innocentium Romanum Pontificem noluiſſe confirmare, idem Auguſtinus [k] teſtatur: ipſeq; poſtquam ea accepit, ſcripſit [l] de iis librum ad Aurelium Epiſcopum Carthaginenſem, ne (vt ait) Pelagio velut abſoluto, eius quoque dogmata putarentur Iudices approbaſſe. Conſtat enim in eo Concilio tunc erectum eſſe trophæum de proſtrata hæreſi Pelagiana: in quo licet Pelagius dolo pœnam anathematis effugerit hæreſes tamen eius ſunt penitus ab ipſo etiam earum auctore anathemate damnatæ.

i *Hier. ep. 79. ad Alip. & Auguſt.*
k *Aug. 2. de pec. orig. 8. & 9.*
l *Ibid. c. 14. & l. 2. Retract. c. 47.*

IV. ERRORES PELAGII AB IPSO IN CONC. DAMNATI.

Aſſertiones vero quas Pelagius ibi damnare, ne ipſe damnaretur, compulſus eſt, inuenimus in Collectione Creſconiana recitatas poſt epiſtolã Aurelii Carthaginenſis ad Epiſcopos prouinciæ Bizacenæ: ſuntque duodecim numero; nempe 1. Adam mortalem factum eſſe, adeo vt ſiue peccaſſet, ſiue non, mortuus eſſet. 2. Peccatum Adæ, ipſum ſolum læſiſſe, & non genus humanum. 3. Infantes nuper natos, in illo ſtatu eſſe, in quo Adam fuit ante præuaricationem. 4. Per mortem vel præuaricationem Adæ, non omne genus hominum mori, nec per reſurrectionem Chriſti omne genus humanũ reſurgere. 5. Infantes, etſi non baptizarentur, vitam æternam habere poſſe. 6. Diuites baptizatos, niſi omnibus abrenuncient, ſi quid boni viſi fuerint facere, non reputari illis, nec eos habere poſſe regnum Dei. 7. Gratiam Dei atque adiutorium non ad ſingulos actus donari, ſed de libero arbitrio eſſe, vel in lege atque doctrina 8. Gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari. 9. Filios Dei non poſſe vocari, niſi omnimodo abſque omni peccato fuerint effecti. 10. Non eſſe liberum arbitrium, ſi Dei indigeat auxilio: quoniam in propria voluntate habet vnuſquiſque facere aliquid vel non facere. 11. Victoriam noſtram non eſſe ex Dei adiutorio, ſed ex libero arbitrio. 12. Petentibus veniam, non dari ſecundum gratiam & miſericordiam Dei, ſed ſecundum merita & laborem eorum qui per pœnitentiam digni fuerint miſericordia. Atque hæc fuerunt capita, quæ Pelagius compulſus eſt damnare quæ eadem Auguſtinus [m] agens de peccato Originali, recitat ex Actis eiuſdem Synodi Dioſpolitanæ: additque alios errores ab eodem Pelagio aſſertos: nempe, Legem ſic mittere ad regnum, quemadmodum & Euangelium: itemq;, Fuiſſe homines ante aduentum Chriſti ſine peccato. Ac denique alibi [n] recenſet

m *Id. 2. de pec. orig. 11. & ep. 106. ad Paulin.*

ALII PELAGII ERRORES.

n *Id. de hæreſ. c. 88.*

cenſet aliud caput eiuſdem hæreſis corollarium, quo deſtrueret orationes quas facit Eccleſia, ſiue pro infidelibus & doctrinæ Dei reſiſtentibus, vt conuertantur ad Deum: ſiue pro Fidelibus, vt augeatur in eis fides, & perſeuerent in ea: quippe hæc non à Deo homines accipere, ſed à ſeipſis habere, Pelagiani contenderent gratiam Dei, qua liberamur ab impietate, dicentes ſecundum merita noſtra dari.

V.

Erant & aliæ blaſphemiæ Pelagii ſcriptis inſertæ, quæ non ſunt ad publicum illud examen productæ, quas recitat S. Hieron. in tribus illis dialogorum libris, quos cõtra Pelagianos conſcripſit poſt dictam Synodum Dioſpolitanã, vt S. Proſper [o] teſtatur in carmine quod de proſtrata in eadem Synodo hæreſi cecinit. Qui quidem Hieronymus cum vidiſſet verſutum Pelagium captioſis artibus Synodum decepiſſe, prudẽs illud excogitauit inuentum, vt Dialogos ſcriberet, & ſub Critobuli nomine Pelagium ſignificaret, quem Catholicus homo Attici nomine exquiſitiſſimis interrogationibus cogeret latens intus vt venenum in medium poroferre: ſicque palam demonſtraret, qualis ille eſſet qui errores damnans videri voluiſſet probatus Catholicus Vbi etiam prudentiſſime illud egit, vt numquam eius Synodi expreſſe voluerit meminiſſe: ne ſi ab illa acta probaſſet, Pelagium in ea abſolutũ probaſſe pariter videretur, vel ſi damnaſſet, ipſe potius damnandus videretur, qui damnantem hæreſes Synodum argueret.

o Proſp. de Ingrat.
HIERONYMI CONSILIVM IN SCRIBENDO DIAL. CONT. PELAG.

Quæ autem præterea ex eiuſdem Pelagii ſcriptis eruta idẽ Sanctus omnibus patefecit, hæc ſunt præcipue: Quod cum ille ad Impeccantiam ſuam aſſereret opus eſſe diuinę legis ſcientia, hanc quoque fœminas habere debere diceret, eaſdemque debere in Eccleſia Deo pſallere: itemque, Quod iactaret, eſſe hominis vt liberi arbitrii, non tantum non peccare, ſed etiam non tentari: ac quamuis mulierum velaretur agminibus, nullam habere concupiſcentiam: ac demum, quod omnes homines tam viros quam feminas, craſſioribus, vt monachos, vti vellet veſtibus, aſſereretque nitorem veſtium & ornamentorum Deo eſſe contrarium. Quę quidem aliaque eiuſmodi ex Pelagii ſcriptis allata, poſtquam Hieronymus abunde contutauit: poſtremo ad exterrendos aduerſarios, validiſſimum plane commilitonem, qui iam ante aduerſus eandem graſſantem impietatem, gladium ſpiritus exeruiſſet, oſtentat, ipſum nimirum ſanctiſſimum atque doctiſſimum Auguſtinum, cuius recenſet aduerſus Pelagianos ſcriptos commentarios.

ALIA PELAGII DOGMATA.

VI.
PELAGIVS QVAS DAMNAVIT, HÆRESES REPETIT.
p Au. de cap. 18.

Sed quomodo qui hoc anno in Palęſtina Synodo ſuas damnauit hæreſes, & Catholicas aduerſus eas aſſertiones profeſſus eſt Pelagius, rurſus auſus eſt eadem virulenta dogmata prædicare? Nempe (vt ait Auguſtinus [p], de ipſo atque Cæleſtio primario eius diſcipulo agens) cum increpatus à Synodo quod nihil tribueret gratiæ Dei ad eius mandata facienda, correctioni eorum hactenus ceſſit, vt non eam libero arbitrio præponeret, ſed infideli calliditate ſupponeret: dicens ad hoc eam dari hominibus, vt quæ faceret per liberum iubentur arbitrium, facilius poſſint implere per gratiam: dicendo vtique, *Vt facilius poſſint*, voluit credi etiamſi difficilius, tamen poſſe homines ſine diuina gratia facere iuſſa diuina. Illam vero gratiam Dei, ſine qua nihil boni poſſumus facere, non eſſe dicebant niſi in libero arbitrio, quod nullis ſuis præcedentibus meritis ab ill[illegible] accepit noſtra natura: ad hoc tantum exiſtimantes ipſum adiuuantem per ſuam legem atque doctrinam, vt diſcamus quæ facere & quæ ſperare debeamus. Hæc & alia Auguſtinus: affirmans inferius, eumdem Pelagium contrariis ſcriptis iis quæ in Synodo Palæſtina damnaſſet, quæ ibi profeſſus fuerat deſtruxiſſe. Accidit autem vt cum in dicta Synodo idem Pelagius receptus eſſet, Ioannes Hieroſolymitanus, quod diceretur amicus eius factus eſſe, apud Occidentales male audire cœperit. Vnde ipſi Sancto Auguſtino ſuppeditatum eſt poſtea argumentum, eumdem Ioannem monendi [q], vt lupum caueret ſub ouina pelle latentem, expoſcendique eiuſdem Concilii Acta, ad quem etiam ipſius Pelagii ſecretum librum illum, quem ab eius diſcipulis Timaſio atque Iacobo haud pridem ad fidem ab ipſo Auguſtino conuerſis acceperat, miſit cum aduerſaria reſponſione à ſe edita, cui titulum fecit *de Natura & Gratia*: vt ex his Pelagius Orientalibus plenius innoteſceret, detectumque omnes cauerent, quam etiam ſuam lucubrationem idem Auguſtinus miſit [r] ad Innocentium Romanum Pontificem vna cum ipſo Pelagii libro cui reſponſum eſſet.

q Id. ep. 111.
r Id. ep. 95.

VII.
QVÆST. DE ANIM. ORIG. HIERONYMO SOLVENDAM MITTIT AVGVSTINVS.

Hoc item anno Oroſius presbyter (de quo ſuperiori dictum eſt) à Sancto Auguſtino Hieroſolymam ad Sanctum Hieronymum miſſus eſt, conſulturus illum de perdifficili his temporib. agitata quæſtione, ab eodem Oroſio ipſi Auguſtino propoſita, *de Animarum origine*: de qua Auguſtinus Chriſtiana modeſtia ſententiam ſuam ſuſpẽdens, eam Sancto Hieronymo refudit: quem iam antea, ſicut & ipſum Auguſtinum, Marcellinus [s] eadem quæſtione pulſauerat. Quæ quidẽ ea occaſione oborta eſt, quod Origenes delirasset animas in cœlo ſicut Angelos peccaſſe, atq; ideo in corpora ad luendum ſupplicium tamquam in carcerem quemdam demitti. Extat vero epiſtola tunc ab Auguſtino [t] ad Hieronymum data: qua cum multa diſertiſſime de ea quæſtione diſputaſſet, ad finem tamen ſe neſcire profeſſus eſt. Sicut & eadem modeſtia vtens Hieronymus ne doctorem docere videretur, tacuiſſe voluit, excuſans [u] apud Auguſtinum, quod impedito aliis rebus in enodationem quæſtionis minime ſibi incumbere licuiſſet: cum alioqui (vt ait) timeret, ne ſi diuerſa inter ſe ſentirent, hæreticis daretur occaſio detrahendi. Sed Auguſtinus verecundiam verecundia compenſauit, dum viuente Sancto Hieronymo noluit quicquam amplius de ea quæſtione ſcribere, expectans fore aliquando, vt tantus Eccleſiæ Doctor ſuæ petitioni ſatisfaceret: prout huius ſui conſilii rationem ipſe poſtea reddidit [x]. Cæterum non Auguſtino tantum aut Hieronymo viſa eſt ea quæſtio perdifficilis: ſed & ante eos Gregorius Theologus eam eiuſmodi eſſe exiſtimauit, quam non ſatis ſint humanæ vires vt aſſequi valerent: cum quid de ea definiret totus ambiguus, rem integram Deo committendam tradit [y], qui ipſas creauit animas. Et quod magis mireris, eadem adhuc Gregorii Magni Papæ temporibus adeo indeciſa remanſerat, vt nec quid de ea eſſet definiendum, ipſe auſus ſit [z] proferre ſententiam. Porro in ſententiam Hieronymi Sancti Eccleſia viſa eſt eſſe propenſior, qua dicitur eaſdem recens à Deo creari atque infundi corporibus: quod profeſſus eſt ipſe epiſtola [a] ad Marcellinum: licet eã ſententiam haud affirmare ſed audere, ipſe Auguſtinus in epiſtola ad eundem Hieronymum [b] profeſſus eſſet. Veruntamen & ipſum poſtea in ſententiam Hieronymi abiiſſe conſtat: quam & contra ei aduerſantes doctiſſime propugnauit, ſcriptis [c] eo argumento quatuor libris.

s Vid. Hier. ep. 82. Aug. ep. 7.
t Au. ep. 28.
u Hie. ep. 92. ep. Aug. ep. 30.
x Au. 2. Retract. 45.
DIFFICILLIMA QVÆSTIO DE ORIG. ANIM.
y Gre. Naz. car. de anima.
z Greg. Pap. 7. ep. 53.
a Hie. ep. 82.
b Au. ep. 28.
c Id. 2. Retr. 56. & de orig. anim.

VIII.
d Socr. li. 7. c. 13 & c.
TVRBA ALEX. IVDÆOR. CAVSA.

Iiſdem huius anni Coſſ. ponit Socrates [d] magnas Alexandriæ ſeditiones & clades, à Iudæis in Chriſtianos excitatas: quarum cauſa omnes Iudæi opera Cyrilli Epiſcopi eiecti penitus Alexandria fuerint, qui vſque ab Alexandro Magno eam incoluerant. Multa inſuper habet de inimicitiis inde ortis inter eumdem Cyrillum & Oreſtem illius vrbis Præfectum, quæ magnarum aliarum turbarum occaſionem præbuerint. Itemque de *Hyppatia* fœmina celeberrima, atque doctiſſima omnium huius ſæculi philoſophorum (ad quam extant plures Syneſii epiſtolæ, quibus eam & Dominam & Magiſtram ſæpe vocat: quam & Suidas virginem æque caſtiſſimam prædicat) furore populi necata, ob ſuſpicionem quod eumdem Oreſtem dimoueret à reconciliatione cum Cyrillo ineunda. Monendus tamen es, lector, huiuſmodi rerum hiſtoriam à Socrate Nouatiano hominę, in Cyrillum parum æquo ob pulſos (vt dictum eſt) Alexandria Nouatianos, perinſenſo, animo ſcriptam eſſe: vt non mireris ſi ab eodem auctore legas Cyrillum ſæpe perſtringi nimiæ præſumptionis & ſuperbiæ, atque etiam in crimen ſcelerum vocari. Quod vero præterea addit de reſcripto ab Imperatoribus aduerſus Iudæos dato, quoniam in loco Immeſtar ad Antiochiam præter alia impia facinora puerum Chriſtianum Cruci alligaſſent, atq; in ſublime ſuſpenſum verberibus vſque ad mortem cruciaſſent: licet reſcriptum

IMMANE SCELVS IVDÆORVM.

illud non appareat, extat tamen à Theodoſio aliud hoc anno datum [c], quo iuſſit Præfecturam honorariam abrogari Gamalieli (hunc autem illum exiſtimo Patriarcham Iudæum, cuius eſt mentio apud Sanctum Hieronymum [f]) aliaſque iiſdem Iudæis pœnas infligi. Sicut & id ipſum paulo poſt Honorius in Occidente aduerſus Iudæos magiſtratibus fungentes, vel militantes ſanciuit [g]. Etenim quod Chriſtiani Principes de perfido hominum genere curaſſent bene mereri, iidem faſtu elati adeo nefanda aggredi auſi ſunt.

c l. 12. C. Th. de Iud. — f Hier. ep. 101. — g l. 24. C. Theo.

IX. Occaſione vero prædictorum tumultuum Alexandrinorum, reſcripſit [h] anno ſequenti Theodoſius Imperator, ne corpus eorum qui ibidem Alexandriæ adſcripti erant ægrotantium curæ, excederet numerum quingentorum, eoſdemq; non ex diuitibus, ſed pauperib. allegẽdos: quos & vetuit publicum quodlibet adire ſpectaculum, neue ad Curiam accederent, niſi ſinguli, & vrgente neceſſitate. Fuiſſe autem hos minoris ordinis clericos, exordiũ eiuſdem reſcripti inſinuare videtur, dum prohibet Imperator, aliquid commune eſſe Clericis cum publicis Actibus vel ad Curiam pertinentibus. Sed quod pertinet ad vocem *Parabolanos*, qua eoſdem Imperator nuncupat: vel, vt habet Iulius Firmicus, *Parabolarios*: ſiue *Parabolos*, vt eſt apud Socratem, & ex eo apud Caſſiodorum: conſentiunt recentiores deriuari à voce Græca παράβολος, qua ſignificatur homo ad ſubeunda pericula præceps quales putabantur qui curæ omnis generis ægrotantium peſtis quoque tempore præeſſent. Verum quod ex charitate eiuſmodi primo manauit officium, qua nulla maior videri poterat cum poneret quis animam ſuam pro amicis ſuis, trãſiuit in factionem, cum iidem pro Epiſcopis pugnaturi negotium faceſſerent quoque Præfectis: cuius auertendæ rei cauſa, Theodoſius ea aduerſus illos ſtatuere opus habuit. Qui vero diſſidia inter Cyrillũ Epiſcopum & Oreſtẽ Præfectum ignorarunt, pariter hallucinatos eſſe oportuit in quærẽda alia prædictæ ſanctionis interpretatione. Cæterum qui per illã ad quingentorum numerũ reſtricti fuerant, eoſdem quod curæ infirmorum non ſatis viderẽtur, ad ſexcentos poſtea idem Imperator excreſcere voluit [i], quibus præeſſet in omnibus Epiſcopus Alexandrinus.

h l. 42. C. Th. de Epiſ. & cler. — DE PARABOLANIS RESCRIPTVM IMP. — i l. 43. ea.

X. Hoc pariter anno (vt Marcellinus [k] eſt auctor) idem Theodoſius Imperator nouo facto hactenus intentato nobilitauit Imperium, cum maiorem natu ſanctam ſororem, virginem Deo dicatam, nomine PVLCHERIAM, prudentia & religione præſtantiſſimam, in Imperii conſortium allegens, creauit Auguſtam, agentem annos ſexdecim, vt idem auctor aſſerit, dum natum ait ſub Conſulatu Theodori & Eutropii, nempe anno Domini trecenteſimo nonageſimo nono: licet tantum quatuordecim Sozomenus [l] ei tribuat, cum habenas capeſſiuit Imperii: quod quam prudenter rexerit, quamque recte pieque omni virtutum genere Theodoſium fratrem inſtituerit, apud eumdem Sozomenum atque Socratem [m] abunde videre licet. Ex quibus plane intelligas quantum valeat in recte adminiſtrando Imperio erga Deum pietas: cum tantam molem puer vnus atque puella ſumma tranquillitate ab omni barbarorum & tyrannorum timore ſecuram (quod nec temporibus bellicoſiſſimorum Imperatorum conceſſum) feliciter rexerint. Cui haud dubium rei multum profuit, diuinumque auxilium Orientali Imperio conciliauit, quod reliquæ filiæ Arcadii Imperatoris, ipſius Theodoſii ſorores, *Placilla*, *Arcadia*, atque *Marina*, omnes paribus votis auctrice atque hortatrice ſorore Pulcheria, vt idem Sozomenus [n] teſtatur, excoluerint cælibem vitam, virginitatem Deo dicantes, atque in Palatio perinde ac in monaſterio monaſticam vitam agentes.

k Marcellin. Chron. — PVLCHERIA CREATVR AVGVSTA. — l Sozo. li. 9. c. 1. — m Soc. lib. 7. c. 12. — FILIÆ ARCADII OMNES VIRGINITATEM SECTATÆ. — n Soz. lib. 9. c. 1 & 3.

XI. Sed & illud ad bonorum cumulum acceſſit additamentum (quod idem [o] auctor iure conſiderat) dum præclara Sanctorum corpora Deus ad opitulationem Fidelium voluit è terra emergere, atque non ſecus ac viuos perennes gratiarum fontes erumpere. Quod in mirabili inuentione Corporum Zachariæ Prophetæ & Stephani protomartyris illo tempore accidiſſe ait: agitque de eiuſdem Zachariæ corporis reuelatione, facta ab eodem ipſo Propheta cuidam ſeruo nomine Calimero, præfecto villæ Cophar in territorio Eleutheropolis Palæſtinæ, in qua ipſe conditus erat: qui etiam ita integer inuentus eſt, ac ſi adhuc viuus fuiſſet. Deſideratur autem quod idem auctor de inuentione S. Stephani ſe fore dicturum pollicitus fuerat. Sed de illa nos ſatis ſuperius. Nec vero iſta tantum operi Sozomeni deeſſe, ſed plurimorum annorum res geſtas, ex eo conſtat, quod in præfatione ipſe teſtetur, perduxiſſe hiſtoriam vſque ad Conſulatum decimum ſeptimum Theodoſii Imperatoris, nempe ad annum Chriſti quadringenteſimum trigeſimum nonum.

o Ibid. c. 16. 17. — IMPERIVM THEODOSII FELIX OB SS. RELIQVIAR. INVENTIONEM. — HISTORIÆ SOZ. TERMINVS.

IESV CHRISTI AN. 416.

HONORII 22. THEOD. II. 9.

INNOCENTII AN. 15.

I. ANNO Chriſti quadringẽteſimo decimo ſexto, Theodoſio Auguſto ſeptimum & Palladio Coſſ. celebrata ſunt in Africa aduerſus Pelagium & Cæleſtium CONCILIA, *Carthaginenſe* ſub Aurelio eius ciuitatis Epiſcopo Africæ Primate, & *Mileuitanum* ſub Siluano Numidiæ Primate idque (vt appareat [a]) tam occaſione rerum in Synodo Dioſpolitana ſuperiori anno aduerſus Pelagianos geſtarum, quas Oroſius hoc anno Hieroſolymis in Africam reuerſus retuliſſet: quam etiam occaſione literarum ab Heroте & Lazaro Epiſcopis Gallis aduerſus eoſdem hæreticos ſcriptarum, quas idem Oroſius ad ſe miſſas Africanis Epiſcopis dedit pariter inſpiciendas. Cæterum in iiſdem Conciliis damnatos eſſe Pelagium atque Cæleſtium, conſtat tum ex Synodalibus epiſtolis ab illis per Iulium Epiſcopum ad Innocentium Papam miſſis, quibus Auctorum confirmationem petierunt: tum etiam ex aliis priuatis Aurelii, Alipii, Auguſtini, aliorumque Epiſcoporum nomine ad eundem Pontificem ſcriptis: ac denique ex ipſius ad eos omnes reſponſionibus, Actorumque Synodalium confirmationibus quas cunctas reperire eſt apud eoſdem Innocentium [b] & Auguſtinum [c]: ſicut & de iis ſcripſit etiam ad Paulinum Nolanum idem Auguſtinus [d]: inter alia docens ipſum Innocentium ita in his omnibus ſe geſſiſſe, vt fas erat atque oportebat Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem: quod & alias [e] ſæpe repetiit vt vel hinc videas, meram fuiſſe calumniam, quam cæterorum more hæreticorum Pelagiani, vt gloriarentur ſe primæ Sedis Epiſcopi communione fulciri, ſparſerant in vulgus de tacita eiuſdem Innocentii cum Pelagio conniuentia, cuius fit mentio in prædictis Epiſcoporũ priuatis ad ipſum litteris [f]. Quam enim acerrimus Pelagianorum inſectator fuerit Innocentius, abunde etiam docet S. Hieronymus [g], dum Pelagii epiſtola pulſatam virginem Demetriadem monet, fidem ſectari Innocentii Romani Pontificis. Laudatque inſuper S. Proſper [h] eiuſdem Papæ integritatem in fide incorrupta ſeruanda: cuius etiam aſſertione liquet, ſententia Innocentii damnatos fuiſſe Pelagium & Cæleſtium, eandemque à ſucceſſoribus comprobatam: quod & Gennadius [i] teſtatur. Sed in re non ambigua haud amplius immorandum.

CONCILIA CARTH. ET MILEV. ADVERS. PELAG. — a Ep. Synod. Conc. Carth. quæ eſt 90. ep. Aug. — b Innoc. ep. 22. 23. 24. To. 1. epiſt. Rom. Pont. — c Aug. ep. 90. 92. 93. 95. — d Aug. ep. 106. — e Id. ep. 47. lib. 1. cont. Iul. cap. 4. li. 2. de pec. orig. c. 8. lib. 2. Retract. c. 50. — CALVMNIA PELAG. IN PP. INNO. — f Ap. Aug. ep. 95. — g Hier. ep. 8. — h Proſp. aduer. Coll. — i Genn. de vir. illuſt. c. 43.

II. Vt autem præſenti anno eadem Concilia Carthaginẽſe & Mileuitanum eſſe habita affirmemus, inde euidens ſuppetit argumentum, quod ipſa Innocentii iiſdem reſcribentis epiſtola [k] data habeatur ſexto Calendas Februarii anni proxime ſequentis ſub Conſulatu Honorii atque Conſtantii. Ex quibus corrigas qui putarunt Mileuitanum Concilium contra Pelagium atque Cæleſtium, celebratum eſſe Arcadio & Honorio Augg. quintum Coſſ. anno Chriſti quadringenteſimo ſecundo. Nam Mileuitanum illud longe diuerſum ab iſto eſt, vt ſuo loco vidimus: quo tempore nulla erat Pelagii vel Cæleſtii in Africanis Eccleſiis mentio. Sed accidit Collectorum incuria, vt ambo ſimul in vnum conflata fuerint: immo & diuerſorum additi Conciliorum Africanorum canones: quæ niſi quis accurate perſpexerit, in ambages in-

k Inn. ep. 25. — DVO MILEVIT. CONCILIA IN VNVM CONFVSA.

Digitized by Google

extricabiles incidat neceſſe eſt. Porro adeo vehementi ſtudio ad expugnandam Pelagianam hæreſim incubuere Patres Africani, vt poſt eadem duo Concilia, Sancto Auguſtino qui Mileuitano interfuit, delegauerint[l] opus vt ſuis ſcriptis eam penitus inſectaretur, quod ipſe adeo accurate impleuit, vt cum in aliis ſcriptis alios ſuperet, in tractatibus contra Pelagianos ſeipſum ſuperaſſe noſcatur. Quod denique in Epiſtola Carthaginenſis Concilii, ſeptuaginta ſeptem tantummodo recenſiti habentur Epiſcopi, & in literis Mileuitani ſexaginta & vnus: putamus haud omnes numeratos eſſe, cũ S. Proſper[m] de iiſdẽ Conciliis agens, à trecentis Epiſcopis ea definita fuiſſe ſcribat.

l Au. ep. 110. AVGVSTINVS A DVOB. CONC. PRÆFICITVR SCRIPTIONI ADVERS. PELAG.
m Proſp. de Ingrat.

III. OROSIVS PRIMVS RELIQVIAS S. STEPHANI IN OCCIDENTEM INVEXIT.

Poſt hæc autem Oroſius, de quo nuper actum eſt, cum ex Oriente rediens, Luciani Epiſtolam de Inuẽtione corporis Sancti Stephani Protomartyris, ab Auito quodam presbytero Hiſpano è Græco in Latinum conuerſam, ſimulq; ipſas eiuſdem Sancti reliquias, ab eodem Auito[n] ad Balchonium Bracarenſem Epiſcopum deferendas accepiſſet, hac occaſione ipſe primus omnium eaſdem literas, Reliquiaſque, hoc anno in Occidentem intulit. Id enim Marcellinus[o] & Gennadius[p] diſerte affirmant: Sanctique Auguſtini[q] teſtificatione certum eſt, ante hæc tẽpora numquam eiuſmodi Reliquias viſas vel auditas in Occidentalibus oris, præter vnum ex lapidibus quibus idem Protomartyr percuſſus occubuit, à nauta allatum Anconam ad mare Hadriaticum ſitam Italiæ ciuitatem, vbi multa edi ſolita eſſent miracula. Hoc vero tempore acceperunt ex iiſdem Reliquiis partem ab Oroſio traditã, idem Sanctus Auguſtinus, aliique, nonnulli Epiſcopi Africani: quorum ipſe meminit[r], agens de variis Eccleſiis cũ à ſe ipſo Hippone, tum ab aliis alibi Epiſcopis in eiuſdem Protomartyris memoriam erectis, quando & earundem virtute Reliquiarum, innumera ac plane mirabilia edi cœpta ſunt miracula ſanitatum: ſeptemque etiam mortuos reuocari ad vitam, alioſque à morte animæ (quod maius videri poteſt) ad gloriam ſempiternam: vt de his omnibus locupletiſſimus eſt idem teſtis Auguſtinus[s]: qui incredibili eorum multitudine victus, cum multa recenſuiſſet, excuſans quod plura notiſſima prætermitteret, ait quod ſi miracula tantummodo ſanitatum, quæ per eumdem Sanctum martyrem facta eſſent in ſolis duab. ciuitatib. Hippone & Calama, ſcribere vellet, plurimi conficiendi eſſent libri, nec tamen omnia colligi poſſent.

n Ext. [illegible]
o Marcell. in Chron.
p Genna. de Scrip. [illegible]
q Au. de ciuit. ſer. 31.
r Id. 22. de ciu. c. 8.
MIRACVLA AD RELIQVIAS S. STEPH.
s de cap. 8 & ſer. 32. 33.

IV.
t Ap. Aug. [illegible]
u Euod. de Mirac. S. Steph. li. 1. c. 1 & 7.

Extant[t] inſuper duo libri ad Euodium Epiſcopum Vzalenſem, cuius eſt ibidem apud Sanctum Auguſtinum honorifica mentio, conſcripti (ad eum enim conſcriptos, non ab ipſo, quomodo vulgo citantur, accuratus lector[u] inueniet) de miraculis in Vzalenſi Memoria Beati Stephani, ad reliquias eiuſdem fieri ſolitis. In quibus item libris permulta alia ſuppetunt memoria digna vetera monumenta, de quibus etiam tractari contigit aliis occaſionibus ſuperius: puta de Cereis ad memorias martyrum accendi ſolitis: de Puluere adiacente locis vbi ſacræ reliquiæ conderentur, colligi ſolito ad ſanandos languores: de Feneſtellis fieri conſuetis ad altaria vbi eædem reliquiæ ſeruarentur, vt per eas dimitterentur velamina, aliæue res admouendæ capſulis in quibus ſacra pignora clauderentur, per quas Deus ex virtute ſacrarum reliquiarum operari ſoleret miracula: de Oleo ſanctificato ad curationem morborum: de vſu ſacrarum Imaginum diuinitus comprobato: & aliis eiuſmodi. Eſtque pariter obſeruatione dignum, quod vox *Domnus* & *Domna* ab eorundem librorum auctore frequentius reperitur tributa clariſſimis viris ac fœminis, necnon etiam ſanctis, vt ipſi Sãcto Protomartyri, qui ſæpe *Domnus Stephanus* nuncupatur: cum vero de Deo dicendum eſt, ipſe *Dominus* ponitur: vt appareat antiquo vſu loquendi, vocem *Dominum* tribui ſolitam Deo tantum: *Domnum* vero communem fuiſſe Sanctis vel clariſſimis viris ac fœminis, non Epiſcopis ſolum vel cæteris clericis, vt alii putauerunt: quamuis nec id ipſum ſemper vbique & ab omnibus obſeruatum.

DE NOMINIS DOMNI ET DOMNÆ.

V.

Cæterum qui Reliquias Sancti Stephani perlaturus in Hiſpaniam Oroſius acceperat, cum ſicut illuc reuerti minus expediſſe ſiuim, certum eſt: de quo etiam conſtat, nauigatione appuliſſe in Minoricam Inſulam, vnam ex Balearibus, eiuſdemque Epiſcopo Seuero ex eis partem aliquam reliquiſſe: quarum virtute facta eſt in eadem Inſula cum ſignis & prodigiis, quingẽtorum & quadraginta Iudæorum intra octiduũ ad fidem Chriſti conuerſio: ſicut rem geſtam vniuerſo Orbi Chriſtiano idem Seuerus Epiſcopus notam fecit literis ſuis Circularibus[x], quas inter alios accepiſſe prædictum Euodium Vzalenſem, & publice in Eccleſia recitare feciſſe, traditur in iiſdem libris[y] ad ipſum ſcriptis. Vt plane Dei conſilio factum appareat, quod tepeſcente per Orbem Chriſtiana fide, vnius Chriſtiani ante quadringentos ferme annos vita functi, tenuis puluis & oſſa tot tantaque præſtarent, vt ea ſola ſatis efficacia eſſe potuiſſent non tantum ad titubantes conſolidandos, ſed & Infideles omnes ad Chriſtianam religionem, reluctantes licet omnino pertrahendos. Ex quibus omnibus perſpicias, quanto Hagiomachi noſtri temporis ſint quorumuis Infidelium miſerrimi & obſtinatiſſimi, qui tot ac tantis miraculis à tot ac tantis viris ad Gentiles & Iudæos confundendos publicis ſcriptis omni fide traditis, nec mouentur nec credunt.

CONVERSIO IVDÆOR. MINORIC. EX MIRACVLIS RELIQVIAR. S. STEPH.
x Rec. [illegible] Annal. to. 5. an. 418.
y Euod. vbi ſup. li. 1. c. 2.

VI. IOANNIS HIEROS. OBITVS.
z Theod. li. 5. c. 37.

Hoc item ipſo anno mortuus eſt Ioannes Epiſcopus Hieroſolymitanus, cum ſediſſet annis triginta. In cuius locum (vt teſtatur Theodoretus[z]) ſubrogatus eſt *Praylius*, cuius extant literæ anno ſequenti ad Romanum Pontificem datæ. Ex quibus corrigas Nicephori Chronicon, vbi loco Praylii legitur *Paulinus* Ioannis ſucceſſor: vel alios emendes, qui pro Praylio dixerunt *Cyrillum*, qui iam ante Ioannem ſederat.

IESV CHRISTI AN. 417.

HONORII 23. THEOD. II. 10.

ZOSIMI AN. 1.

I. PELAGIVS DOLOSE PVRGARE SESTVDET APVD INNOCEN. PAP.

ANNO Chriſti quadringenteſimo decimoſeptimo, Honorio Auguſto vndecimum & Flauio Conſtantio ſecundum Coſſ. Pelagius hæreſiarcha cum audiſſet non eſſe receptam ab Innocentio Romano Pontifice purgationem ſuam habitam in Concilio Dioſpolitano, ſed priori apud eum aſtrictum teneri damnatione: eumdem quoque fallere in animo habens, literas ad illum è Palæſtina dedit, quibus profiteretur ſe eſſe vere Catholicum: quarum Sanctus Auguſtinus aliqua fragmenta recitat in libris de Peccato Originali & de Gratia Chriſti: docetque[a] illas quidem ad Innocentium miſſas fuiſſe, acceptas autem eo tunc defuncto ab eius ſucceſſore Zoſimo.

a Au. de pec. orig. c. 17. & 21 de grat. Chriſt. lib. 1. c. 30.

II. INNOCENTII PP. OBITVS.
b Li. de Rom. Pont. & Mar. Rom. eo die.
c Innoc. ep. 32.

Hoc namque ipſo anno, quinto[b] Calendas Auguſti idem *Sanctus Innocentius* Pontifex diem obiit, cum ſediſſet annos quindecim menſem vnum & dies decem: ſepultuſque eſt in cœmeterio Priſcillæ ad Vrſum pileatum. Licet enim quidam eum ſuperiori anno defunctum tradant: ad hunc tamen annum peruenisse, docent literæ[c] eius ſub huius anni Coſſ. datæ ad Concilium Mileuitanum ſexto Calendas Februarii quarum ſuperius facta eſt mentio: quibus accedit Marcellini Comitis auctoritas; dum collocat ſub iiſdem Coſſ. Zoſimum Innocentio ſubrogatum: extantque inſuper aliæ eiuſdem Zoſimi literæ hoc ipſo anno (vt videbitur) ſcriptæ: vt nec poſt hunc annum vixiſſe Innocentium dicere poſſis. Cæterum quod in Libro de Romanis Pontificibus, inter alia ipſius geſta traditur, eundem damnantem hæreticos Pelagium & Cæleſtium, conſtituiſſe vt qui natus fuerit de Chriſtiana, denuo naſci debeat per baptiſmum, quod (vt ibi aſſeritur) Pelagius damnabat: hæc quidem perperam dicta videri poſſunt, ſi ipſum Pelagium auſcultemus, qui vt refert Auguſtinus[d] ſuis ad Innocentium ſcriptis literis conqueſtus eſt de eiuſmodi in ſe calumniis. Quamobrem quod ibi dicitur, negaſſe Pelagium baptiſmum infantium, ſic accipiendum eſt, quod ſi non verbis, re ipſa tamen damnaſſe videri poterat, dum peccatũ negaret Originale, cuius cauſa neceſſarium infantibus baptiſmum eſſe ſemper Eccleſia

d Aug. vbi ſup.
QVOMODO DICENDVS PELAG. DAMNASSE BAPTIS. PARVVL.

tenuit, & Innocentius decreto firmauit. Sicut & illud quod in eodem libro ſubijcitur, eundem conſtituiſſe vt Sabbato ieiunium celebraretur: haud ſic accipiendum eſt, vt ipſe eius ieiunij auctor fuerit, ſed quod de his reſcripſerit ad Decentium Epiſcopum Eugubinum, qui ieiunij Sabbati cauſam edoceri expetierat. Sed de eo Ieiunio dictum alias fuſius.

III. *Zosimvs Papa creatvr.*

Poſt Innocentij porro obitum interlapſis diebus viginti, ZOSIMVS natione Græcus Abrahami filius, ſubrogatus eſt die decimanona menſis Auguſti. Cuius ſedis exordio, Cæleſtius Pelagii anteſignanus (quem tamquam nouæ hæreſis promulgatorem iam diu ante damnatum ab Epiſcopis Africanis in Concilio Cartluginenſi, appellaſſe vidimus ſedem Apoſtolicam) Innocentio ſibi aduerſante defuncto, Romam ad ſucceſſorem illius Zoſimum ſe contulit, aduerſus accuſatores querelas illaturus. Quod vero non ignoraret, & ab ipſo Zoſimo fore damnandum, ſi qualis eſſet detegeretur hæreticus: ea arte concinnauit ſcriptum à ſe libellum, vt licet in eo ſatis indicaret ſe negare peccatum Originale, non poſſet tamen à Zoſimo reiici: vtpote qui poſt enarratam de fide ſententiam, eiuſmodi apponeret verba, *Si forte (vt hominibus) quiſpiam ignorantiæ error obrepſerit, veſtra ſententia corrigatur.* At vero adiecit prudenter Zoſimus ad explorandam hominis fidem, interrogare eum quam exactiſſime, an aſſentiretur epiſtolæ aduerſus errores Pelagij ab Innocentio ſcriptę: quod cum ille profeſſus eſſet, tunc lenius quidem cum eo ſpe conuerſionis ipſius Zoſimus agens, minime tamen adhuc à vinculis excommunicationis ſoluendum exiſtimauit, ſed ex abundanti in Africam ſcripſit. vt ſi quid haberent contra eum, Romam mitterent. Hæc enim omnia ita ſe habuiſſe, conſtat ex diuerſis Sancti Auguſtini ſcriptis [e]: qui & ipſe Zoſimum excuſans, docet haud eum errаſſe, dum ſcripſit illum Cæleſtii libellum eſſe Catholicum. Extantque in veteri codice Vaticano literæ [f] ipſæ eiuſdem Zoſimi ad Epiſcopos Africanos ſub huius anni Coſſ. ſcriptæ: atque aliæ æque ad eoſdem datæ vndecimo Calendas Octobris in cauſa Pelagii. Qui eadem erant fuligine tincti, eadem ambo vſi ſunt ad fallendam Sedem Apoſtolicam arte: dum ſicut Cæleſtius, ita Pelagius in litteris quas datas diximus ad Innocentium, & eo defuncto acceptas à Zoſimo, nihil magis conatus eſt, quam ipſo Romano Pontifice videri atque probari Catholicus: addens & ipſe in fine libelli [g] confeſſionis fidei eidem oblato, hæc verba, *Hæc eſt fides quam ſemper tenuimus: in qua ſi minus perite aut parum caute aliquid forte poſitum eſt: emendari cupimus à te, qui Petri & fidem & ſedem tenes.* Quibus perſuaſus Zoſimus, ſicut fecerat de Cæleſtio, ita etiam de Pelagio iam Catholico (vt videri poterat) reddito, illas dedit literas ad eoſdem Epiſcopos Africæ, quibus illum Catholicum, eius vero accuſatores, ac præcipue Herotem atque Lazarum Epiſcopos Gallos, calumniatores, & multorum atrocium criminum reos (ſicut illos iidem impii hæretici mendaciter depinxerat) declarat. Quomodo vero vtriuſque, Pelagii ac Cæleſtii, detecta poſtea fraus, ab eodem Zoſimo damnata fuerit, dicetur anno ſequenti.

Quomodo ſe geſſerit Zoſ. in cauſa Cæleſtii, et Pelag.

e Aug. de pec. Orig. ca. 6. 7. 8. & li. 2. cont. ep. Pelag. ca. 3. & li. 6. con. Iulian. Pelag. cap. 12.
f Rec. Baro. 11 & ſubſequentes Annal. to. 5. hoc an.
g Rec. Bar. vbi ſup.

IV. *De priuilegiis Eccleſ. Arelat.*

Extant præterea eiuſdem Zoſimi Papæ hoc ipſo anno datæ ad vniuerſos Galliarum Epiſcopos literæ, de Priuilegiis Eccleſiæ Arelatenſis conſeruandis: quæ tamen in edita nuper Bibliotheca Floriacenſi recitantur iiſdem verbis Silueſtri Papæ nomine, in fine additis nonnullis quæ faueant Eccleſiæ Viennenſi. At vero eas potius Zoſimi eſſe, hac ſaltem ratione perſuademur, quod tunc temporis non Paſchaſius, cuius ſit in eis mentio, Viennenſi præeſſet Eccleſiæ, ſicut nec Claudius quem vult Ado: ſed Verus, vt conſtat ex Actis Concilii Arelatenſis Secundi celebrati ſub ipſo Papa Silueſtro. Cæterum quod Euangelium in Gallias per Sancti Petri Apoſtoli diſcipulum Sanctum Trophimum allatum fuerit, & per eundem ſedes Arelatenſis erecta eade cauſa hęc Eccleſia primaria olim in Gallia habita eſt, cum & eius Epiſcopi non ſolum pallium acciperent à Romano Pontifice, ſed & vicem eius agerent, eiuſdemque Vicarii dicerentur. Teſtantur id plures epiſtolæ Romanorum Pontificum, ex eiuſdem Eccleſiæ ſcripto antiquitus codice acceptæ, omni fide conſcriptæ [h]: idque ipſum confirmat Sanctus Gregorius Papa in ſuis epiſtolis [i] ad Virgilium Epiſcopum Arelatenſem, & ad vniuerſos Epiſcopos Galliæ. Sic igitur Zoſimus ea epiſtola ex antiqua conſuetudine, iuſſit, vt nullus Eccleſiaſticus ex qualibet Galliarũ parte in aliam quamlibet prouinciam venire præſumeret, abſque literis Formatis Arelatenſis Metropolitani: addiditque vt ſublatæ ab eadem Eccleſia prouinciæ Viennenſis, & Narbonenſes Prima & Secunda, eidem ruſus ſubiacerent. Quo pacto irritum reddidit, quod in Concilio Taurinenſi ante viginti prope annos ſtatutum fuerat, vt Narbonenſis Secunda ſubeſſet Epiſcopo Maſſilienſi.

h Recitat has, aliaſque plures eiuſdem argumenti epiſ. Zoſimi. Baron. Annal. to. 5. hoc an. & ſeq.
i Gre. 4. ep. 51. 52.

V. *Eccl. Viennen. reſiſtit Arelat.*

Verum poſt hæc Zoſimum, de iuribus Eccleſiæ Viennenſis per Legatos admonitum, reuocaſſe ſententiam ſuam aduerſus eam datam, donec plenior de cauſa cognitio haberetur: donec alia eiuſdem epiſtola [k] ad Simplicium Viennenſem Archiepiſcopum. Et qui Zoſimo ſucceſſit Bonifacius Papa, ſcribens ad Hilarium Epiſcopum Narbonenſem, ex auctoritate Concilii Nicæni iuſſit eius prouinciæ Metropolim integre conſeruari, neq; ad Arelatenſis Antiſtitis iura pertinere, in cuius pariter ſententiam ſucceſſor Bonifacii Cęleſtinus [l] abiit: necnon poſt multum tempus S. Leo, ac cæteri fere Romani Pontifices, cum eiuſmodi controuerſia ſæpe ſopita, iterum in iudicium reuocata eſt: vt conſtat tum ex aliis, tum præcipue ex plurimis eorundem Pontificum ea de re ſcriptis litteris, quæ habentur [m] in dictis codice Arelatenſi & Bibliotheca Floriacenſi.

k Rec. in Biblioth. Floria. par. 2. li.
l Celeſt. ep. 1. c. 4.
m Rec. Bar. Annal. to. 6 variis annis deinque ſeqq. tomis, ſecundum tempora quibus eæ ſcriptæ ſunt.

VI. *Error lapſus de Paſchatis die.*

Hoc eodem anno, vt Paſcha non ſuo legitimo die celebraretur, errore ſupputationis factum eſt. At diuino miraculo compertum eſſe errorem, vt non ſiuerit Deus quicquam in Eccleſia perperam agi, narrat Paſchaſius Epiſcopus Lilybæi in epiſtola quam ad Sanctum Leonem [n] Romanum Pontificem poſtea dedit: vbi ait quod cum in Eccleſia quadam baptiſterium nocte Paſchali ex ſe repleri ſoleret, & baptizatis qui ſe offerebant, vt aqua venerat ita ex ſeſe dilaberetur: hoc præſenti anno cum die qua perperam Paſcha celebrari iuſſum erat, nempe octauo Calendas Aprilis nulla aqua veniret, error eſt cognitus, quia multis poſt diebus, videlicet decimo Calendas Maii, cum re vera Paſchalis dies acceſſiſſet, fons ſacer ex ſolito repletus eſt. Porro alia quoque eiuſmodi Fontium baptiſmalium, diebus Paſchalibus ſponte repleri ſolitorum, miracula variis Occidentis Orientiſque locis exhibita, videre licet apud Cilliodorum [o], Gregorium [p] Turonenſem, & in Prato [q] Spirituali: vt plane inſanire deprehendantur Nouatores, dum baptiſmalis aquæ benedictionem derident, quam tanto miraculo annis ſingulis repetito Deus voluit in Eccleſia Catholica, vt ſibi perplacitam conſignari; imo & aliis miraculis [r] ab incredulorum irriſionibus vindicari.

n Ap. S. Leon. ep. 65.

Miracula de fontibus baptiſm.

o Caſſiod. 8. ep. 33.
p Greg. Tur. lib. 1. de glor. Mart. c. 24.
q Prat. Spir. cap. 214. 215.
r Vid. Greg. Tur. ibid.

IESV CHRISTI AN. 418.

Honorii 24. Theod. II. 11.

ZOSIMI AN. 2.

I. *Concil. Carth. in cauſa Pelag. et Cæleſt.*

ANno Domini quadringenteſimo decimo octauo, Honorio duodecimum & Theodoſio octauum Augg. Coſſ. CONCILIO (inquit Proſper in Chronico,) apud *Carthaginem* habito ducentorum ſeptemdecim Epiſcoporum (ſiue, vt apud eundem alibi [a] de his agentem legitur, ducentorum quatuordecim) ad Romanum Pontificem Zoſimum Synodalia decreta perlata ſunt: quibus probatis, per totum mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt. Hæc ille breuiter. Sed quoniam eodem tempore, Romæ iterum cognoſcebatur cauſa Pelagii atque Cæleſtii; de his pariter nobis agendum eſt.

a Proſp. contra Collat. c. 41.

II.

Quod igitur litteris anni ſuperioris, Zoſimus Papa Africanis Epiſcopis ſignificauerat; inſtaurandum fore Romæ iudicium in cauſa Cæleſtii, qui ab eis olim damnatus recurrerat ad Apoſtolicam Sedem; ille quidẽ ipſi Epiſcopi Afri-

Digitized by Google

Concil. Carthag. ſequitur Innoc. PP. decretum.

pi Africani qui conuenerunt Carthaginem profeſſi ſe Innocentii Papæ amplecti decretum, quod anno ſuperiori diximus promulgatum, non ſolum litteras ad Zoſimum ſcripſere aduerſus Pelagium atque Cæleſtium, verum & libellum inter alia miſere Paulini diaconi (quem in alia Synodo Carthagineſi aduerſatum eſſe Cæleſtio vidimus) contra eundem Cæleſtium, quo capita omnia continebantur de quibus foret interrogandus. Quæ ipſi Romæ oſtenſa cum omnino ſubterfugiſſet damnare, idem Zoſimi quoque ſententia demum damnatus eſt. Hæc quidem omnia manifeſta fiunt, cum ex Auguſtini[b] diuerſis ſcriptis, tum ex ſecundo Paulini libello oblato Zoſimo pro gratiarum actione de eiuſdem Cæleſtii ab ipſo facta condemnatione. Sed & Pelagium ab eodem Pontifice damnatum eſſe, litteraſque ea de re ad vniuerſas Eccleſias miſſas, teſtantur iidem Auguſtinus[c] & Proſper[d], necnon Cæleſtinus[e] Papa, Gennadius[f], atq; Poſſidius[g]. Eaſdem vero ſedis Apoſtolicæ litteras mox conſecutū eſt Honorii Imperatoris reſcriptum[h] ad Palladium Præfectum Prætorio, datum pridie Calendas Maii ſub iiſdem huius anni Coſſ. aduerſus eoſdem hæreſiarchas, ipſorumque ſectatores, quo exilii pœnam eis omnibus irrogauit: quod quidem teſtificatione Poſſidii[i] cōſtat latum fuiſſe poſtquam iidem Romæ damnati eſſent. Poſt hæc autem, Calendis Maii facta eſt editio canonum prædicti Concilii Carthaginenſis hoc anno celebrati, repetitaque ibidem decreta Synodi Mileuitanæ aduerſus hæreſim Pelagianam.

b Aug. de pec. orig. cap. 5. & 8. & li. 2. cont. ep. Pelag. c. cap. 3.
c Id. de pec. orig. cap. 8. & 21. & epiſt. 2.
d Proſp. cont. Collat.
e Cæleſt. ep. ad Epiſc. Gal.
f Gennad. de Eccleſ. dogmat.
g Poſſid. in Vit. Auguſt.
h Rec. Bar. Annal. To. V. hoc an.
i Poſſid. ibi. cap. 18.

III. Sixtus presb. validè agit advers. Pelag.

Porro qui primus aduerſus eoſdē hæreticos, poſtquam Zoſimi ſententia damnati ſunt, palam inclamauit anathema, fuit *Sixtus* Romanus presbyter, qui poſtea Pontifex Cæleſtino ſucceſſit, quod Sanctus Auguſtinus[k] in epiſtola ad ipſum reddita, ea de cauſa factum ab eo docet, vt dilueret calumniam, quam iidem more ſuo mentientes ſparſiſſent quod ille ipſis faueret. Quem & illud ad ſui purgationem adieciſſe, vt aduerſus eos commentarium ſcripſerit, idē Sanctus Auguſtinus[l] teſtatur. Sed & cum iam vbique locorum contra illos anathema inclamaretur; qui in errore obſtinatius perſiſtere, non habentes quid iam detecti facerent, æque ad calumnias concinnandas ſtylum exacuerunt, præſtititq; id inprimis Iulianus Epiſcopus Capuanus, qui inter alia, de quibus dicetur anno ſequenti, cum Zoſimum Romanumque Clerum, tum Auguſtinum præuaricationis accuſare non erubuit, quaſi ipſi olim cum Pelagio ſenſiſſent, ac poſt ea ſententiam mutaſſent: cuius impudentiam egregie Sanctus Auguſtinus retudit. Qui quidem ſanctiſſimus Eccleſiæ Doctor, dum contra illam hæreſim (vt ait Poſſidius) decem annos infatigabili ſtudio laborauit, hoc eodem anno, nempe poſt illam Romæ damnatam (ſicut ipſe[m] teſtatur) duos ſcripſit libros, vnum *de Gratia Chriſti*, alterum *de Peccato Originali* amboſque ad Albinum, Pinianum, & Melaniam Iuniorem, ſibi olim in Africa notos, tunc vero Hieroſolymis degentes; vt vbi Pelagius de ſua purgatione ſecurius ſedem conſtituerat, quo maiori facilitate hæreſi ſua Orbem inficeret (illuc enim religionis ergo Chriſtiani vndique frequenti cœtu concurrere conſueuerant, ibi ad ſalutem omnium paratum aduerſus venena diſtraheretur antidotum: atque eo maxime quod iidem Albinus ac ſocii ſcripſiſſent[n] ad Auguſtinum, ſe egiſſe cum Pelagio vt quæcumque aduerſus eum dicerentur ſcripto damnaret. Quapropter eas miſit ad illos lucubrationes, vt oſtenderet impii hæreſiarchæ fallacias.

k Aug. ep. 105.
l Id. ep. 105.
Iuliani Pelag. calumniæ in Zoſim. Pap.
m Id. 2. Retract. 50.
Auguſt. ſcribit advers. Pelag.
n Id. de grat. Chr. lib. 1. ca. 1.

IV. Aug. ſcribit pro lib. arb. et grat.

Sed & cum adeo aduerſus Pelagianos pugnandum fuit aliud quoq; plane contrarium priori certamen incubuit, aduerſus eos qui negantes penitus Liberum Arbitrium, omnia Dei Gratiæ tribuerent. Erant hi ex monaſterio Adrumetino; qui (inquit ipſe Auguſtinus) quod grauius eſt, negabant in die iudicii Deum eſſe redditurum præmia ſecundum opera hominum. Contra vero alii ſic defendebant Liberum arbitrium, vt negarent Dei gratiam, aſſerentes, eam ſecundum merita noſtra dari. Ad vtramque igitur partem confutandam, duos commentarios ſcripſit ad eoſdem monachos; alterum *de Gratia & Libero arbitrio*, alterum *de Correctione & Gratia*.

V. Concil. Telepteñse.

Hoc item anno qui primus eſt poſt Conſulatum Honorii vndecimum & Conſtantii ſecundum, ſexto Calēdas Martias celebratum habetur Concilium Teleptense, non (vt mendoſe legitur) Telenſe. Erat enim *Telepte* prima ſedes prouinciæ Bizacenæ in Africa, cuius erat Epiſcopus Donatianus, qui ei Concilio præfuiſſe legitur, eundemq; inuenies ſubſcripſiſſe Concilio Mileuitano, necnon Carthaginenſi præſenti anno celebrato. In hoc autem Teleptenſi nihil præterea factum reperitur, niſi quod ad cauſæ de qua controuerſia vertebat definitionem, iuſſa eſt recitari decretalis epiſtola Siricii Romani Pontificis ad Africanos Epiſcopos data: ſicut & aliis Conciliis, primo loco legi conſueuiſſe litteras ab eadem ſuprema Sede miſſas, ibidem teſtatum fuit.

VI.

Hoc inſuper anno, à Papa Zoſimo iniuncta eſt legatio ob quaſdam Eccleſiaſticas neceſſitates, S. Auguſtino & aliis Epiſcopis in Cæſaream Mauritaniæ: qua eidem Auguſtino[o] contigit habere cum Emerito eius vrbis Epiſcopo Donatiſta, coram Epiſcopis prouinciæ & plebe ciuitatis, diſputationem de religione, eumdemque mutum reddere: cuius extant Acta[p] integra, conſignata huius anni Coſſ. duodecimo Calendas Octobris. Sed & eadem ciuitate idem Auguſtinus monitionibus ſuis (vt[q] ipſe ait) de cordibus & moribus ciuium auulſit crudeles atque inueteratas pugnas ciuiles, vel potius pluſquam ciuiles, quas Catervas nominabant; quibus non ciues tantum, ſed & propinqui & fratres, poſtremo parentes ipſi ac filii, lapidibus inter ſe, in duas partes diuiſi per aliquot dies continuos certo tempore anni ſolemniter dimicabāt, & quiſque vt quemque poterat occidebat. Irrepſerant & alii ex Gentilium ritu in Africanam Eccleſiam praui vſus, quos idem Sanctus verbi Dei falce ſuccidit[r]: puta Balationes (vt vocāt) & ſaltationes ante baſilicas in feſtis Sanctorum exerceri ſolitas; Lunæ per clamorem reuocationes quando obſcuratur; Votorum redditiones ad fontes & arbores; ſortilegiorum inquiſitiones; Phylacteriorum & characterum diabolicorum, herbarumque atque ſuccorum in aliquibus corporis partibus appenſiones; diei Iouis obſeruationes; & in feſtis SS. martyrum vſum ciliare, conuiuia, atque choreas, aliaque eiuſmodi. Inſectatuſque eſt pariter eos qui negligenter audirent Miſſas, vel recederent antequam abſoluerentur, aut ſermones in eccleſia miſcerent, ac denique cogerent presbyteros ad eorum libitum abbreuiare Miſſarum cantum. In quo obſerues morem priſtinum canendi omnes Miſſas: & conſideres vnde introductum ſit, vt eædem etiam voce ſubmiſſa dicantur. Sed de his hactenus.

o Id. ep. 157. ad Opt. & 2. Retract. 51. Poſſid. in Vit. Aug. ca. 14.
p Aug. de geſt. cum Emer.
q Id. 4. de doctr. Chr. 24.
Auguſt. corrigit multos pravos uſus eccl. Afric.
r Aug. de temp. ſer. 215. de diuerſ. ſer. 115. de S. Cypr. ſer. 3.
Abbreviatio Miſſarum vnde.

VII. Zoſimi Papæ obitus.

Ad calcem vero huius anni, nempe ſeptimo Calendas Ianuarii, S. *Zoſimus* Papa diem obiit, cum ſediſſet annum vnum menſes quatuor & dies ſeptem: ſepultuſque eſt via Tiburtina apud corpus Sancti Laurentii martyris, vt apparet ex libro de Romanis Pontificibus. Eum enim haud poſt præſentem annum fuiſſe ſuperſtitem, tum Acta Concilii Carthaginenſis anno ſequenti celebrati ſub Bonifacio Zoſimi ſucceſſore, tum eiuſdem Bonifacii epiſtola eodem anno data ſatis manifeſte declarant, quamobrem certum eſt errare eos qui Zoſimo ſedi tribuunt tres annos, eumq; non ante ſequentem annum deceſſiſſe volūt: cum & in eodem libro de Romanis Pontificibus, ipſum nonniſi annum ſediſſe & menſes duos ac dies vndecim, legatur; quamuis & vbi errorem in tempore ineſſe, quæ dicta ſunt de obitu Innocentii demonſtrent. Quod vero ibidem dicitur Zoſimum conceſſiſſe licentiam per parochias benedicendi Cereum Paſchalem: haud intelligas, primo inuentum eſſe à Zoſimo eius vſum: ſed tantum conceſſiſſe, vt idē cereus qui in maioribus dumtaxat baſilicis incendi ſoleret, æque ſingulis parochiis permitteretur. Etenim antiquiorem fuiſſe in Eccleſia, Paſchalis cerei benedictionem & ſymbolicum ſacramentum, Prudentius qui de eo hymnum cecinit, docet.

Alii eius res geſtæ.

VIII.

Conſtat inſuper, eumdem Zoſimum hoc anno tres Legatos à latere miſiſſe Carthaginem, ob diſſenſionem quamdam ortam de proſecutione Appellationum ad Sedem Apoſtolicam. Sed quoniam inter hæc contigit

 ipſam,

ipſum mori, quid in ea cauſa geſtum ſit, dicetur anno ſequenti ſub eius ſucceſſore.

IX. BONIFACII PP. CREATIO, ET EVLALII ADVERSVS EVM SCHISMA. a Rec. Baron. t. vel. to. 5 eduo. an.

Mortuo itaque S. Zoſimo, vna tantum die ſedes vacauit; non autem vndecim, vt aliqui dixerunt: nam litteræ Symmachi Vrbis Præfecti ad Honorium Imperatorem de BONIFACII electione, datæ hoc anno quarto Calendas Ianuarii, id ſatis euidenter demonſtrant. Extant ipſæ [a] in Codice Vaticano, vna cum aliis ſecundum ordinem temporis vltro citroque datis de ſedanda diſſenſione in clero oborta; cuius pars minor facto ſchiſmate elegit *Eulalium* Archidiaconum, contra Bonifacium presbyterum. Porro ex Symmachi litteris ſatis apparet, ipſum fauiſſe Eulalio; dum non ſolum potiora fuiſſe iura Eulalii quam Bonifacii, ſed tamquam res in aperto eſſet, eumdem Eulalium legitimum eſſe Romanum Pontificem, Bonifacium vero ſpurium, Honorio ſignificauit. Quæ autem iſta ſecuta fuerint, dicetur poſtea.

X. PLACIDIVS VALENTINIANVS NASCITVR. b Soz. lib. 9. cap. 16.

Hoc eodem anno iiſdemque Coſſ. ſexto Nonas Iulii (vt Marcellinus habet in Chronico) natus eſt *Placidius Valentinianus* ex Galla Placidia ſorore Honorii Imperatoris & Conſtantio Cæſare viro eius. Nam cuius potiſſimũ virtute, eiuſdem Conſtantii Magiſtri militiæ, idem Honorius tyrannos debellauerat; ipſum premii loco (inquit Sozomenus [b]) tum ſorore, tum corona, tum purpura, tum Imperii conſortio honorauit.

IESV CHRISTI AN. 419.

HONORII 25. THEOD. II 12.

BONIFACII AN. 1.

I. QVID IN CAVSA SCISMATIS ECCLESIÆ ACTVM AB HONORIO IMP.

ANno Chriſti quadringenteſimo decimo nono, Monaxio atque Planta Coſſ. cum Eulalius ſchiſmaticus fauore Symmachi Vrbis Præfecti (vt nuper dictum eſt) extolleretur, Bonifacius legitimus Romanæ Eccleſiæ Põtifex vehementer depreſſus eſt, coactuſque deſerere S. Petri baſilicam, & cum ſuis extra Vrbem ad S. Pauli ſeccedere. Cum & Honorius Imperator mendaci Symmachi relatione commotus, tertio Nonas Ianuarii reſcriptum Rauenna ad illum dedit, vt Bonifacium, ſi Eulalio cedere nollet, Vrbe pelleret: cuius virtute reſcripti, Eulalius in S. Petri Baſilicam intruſus eſt. Qui autem erant ex Bonifacii parte, quod ſcirent Imperatorem falſis præuentum eſſe relationibus, litteris ad eum ſcriptis res geſtas certa fide narrarunt: nimirum Bonifacium antiquum Presbyterum, in lege doctiſſimum, ac bonis moribus comprobatum, inuitum ac reluctantem, acclamatione totius populi, ac conſenſu optimatum ciuitatis, à ſeptuaginta presbyteris & nouem Epiſcopis, diuinæ inſtitutionis ordine conſecratum fuiſſe: Eulalium vero Archidiaconum, circumuẽtis diaconis & pauciſſimis presbyteris, ac multitudine turbatæ plebis, in locum ſibi non debitum incuſtodito religionis ordine per ambitum proruiſſe. Petieruntque vt Honorius vtraque parte ad ſe vocata, de alterutrius iure decerneret. Conſenſit Honorius, ac iuſſis Rauennam accedere Bonifacio & Eulalio; tamen quod noſſet Imperator maxime pius, res Eccleſiaſticas ab Eccleſiaſticis viris eſſe tractandas, plures in eamdem ciuitatem conuenire iuſſit Epiſcopos de ea re iudicaturos. Cum autem inter eos, propter diſſentientes ſententias non potuiſſet tunc cauſa terminari, Imperator eam differens, interim propter dies qui imminebant S. Paſchæ, vtroſque Bonifaciũ & Eulalium ab Vrbe iuſſit abſtinere, & Spoletinum Epiſcopum Achilleum Romæ ſacra myſteria celebrare: datis ea de re litteris ad eumdẽ Antiſtitem, nec non ad Symmachum & ad Senatum Populumq; Romanũ Idibus Martii.

II.

Ex altera vero parte pleniorem Synodum ad dirimendam totam cauſam conuocare conſtituens, aliis litteris non Italos tantum Epiſcopos, ſed & Africanos & Gallos ad Idus Iunii Spoletum conuenire mandauit. Sed vt indicta Synodus fuerit intermiſſa, Eulalii fecit temeritas, iuſtoque accidit Dei iudicio, vt ipſe ſuis operibus abſque tot Patrum fatigatione, in ſemetipſum ſententiam ſuæ repulſionis licet nolens proferret. Cum enim contra decretum Imperatoris ſe in Vrbem intruſiſſet, & publicæ ſeditionis præbuiſſet occaſionem, qua & ipſe Præfectus Symmachus periclitatus eſt; Honorius ea re commotus, eidem Symmacho per reſcriptum octauo Calendas Aprilis iuſſit vt Eulalium Vrbe pelleret, clericoſque qui poſt eius reſcripti publicationem ei communicare præſumerent, eadem mulctaret pœna; laicos vero honeſtiores proſcriptione, ſeruos capite puniret. Eulalio itaque, licet pertinaciter renitente (quod Symmachus Imperatori ſignificauit) Vrbe pulſo, aliud mox, nempe tertio Nonas Aprilis, ad eumdem Symmachum Honorius reſcriptum dedit, vt Bonifacius in Vrbem deduceretur, Eccleſiamque Romanam tamquam vetus & legitimus paſtor regeret. Quod cum maxima tam Cleri quam Senatus Populique Romani conſenſione factum eſſe, Symmachus retuliſſet; Imperator pacata cuncta ſedataque cernens, confeſtim ne Epiſcopi Africani & Galli ad indictam Synodum venire fatigarentur, reſcripſit ſeptimo Idus Aprilis.

EVLALIVS SCHISMATICVS VRBE PVLSVS.

BONIFACIVS VERVS PONT. INTRODVCTVS.

III.

Bonifacius autem regreſſus in Vrbem, illud inprimis ſolicita cura efficere conatus eſt, vt omnes in mutuam cõcordiam reſtitueret. Sed cum poſtquam in his plurimum laboraſſet, in morbum incidiſſet grauem; & ex eo aliquãtulum conualeſcens, experimento didiciſſet male conſolidatam eſſe pacem: de ea in futurum ſolicitus, ne poſt ſuum obitum grauiori ſciſſura Romana Eccleſia diſtraheretur, illam enixius Honorio Imperatori commendauit litteris ad eum Calendis Iulii datis: ad quas Imperator reſcripſit, effecturum ſe vt ſi duo deinceps ſimul ordinarentur, nullus ex illis futurus eſſet Epiſcopus, ſed ille quem (vt ait) ex numero clericorum noua ordinatione diuinum iudicium & vniuerſitatis conſenſus eligeret. Hæc autem omnia de cauſa Bonifacii & Eulalii ſummatim hactenus relata, cum luce clariora fiant ex citatis epiſtolis ac reſcriptis, quæ continentur [a] in codice Vaticano, cuius ſuperius mentionem egimus: riſum contine, lector, dum audis quod qui inter Nouatores prouidentur [b] hiſtoriæ, patres, aiunt Eulalium à maiori parte cleri & populi electum, tantæ fuiſſe modeſtiæ vt ſponte cederet; Bonifacium vero ſuperbum & impium, alienam ſedem inuaſiſſe: quem etiam cum præter alios ſanctiſſimos atque doctiſſimos viros, ſæpe Auguſt. æque ſanctiſſimum atque doctiſſimum prædicet; iidem tamen cum ignoratione rerum geſtarum, tum obſtinata ad detrahendum ſemper Romanis Pontificibus malitia, eumdem carpunt, atque etiam deterius peturgentes, frigida nominis inuerſione *Malefacium* nominant; ſicut & Innocentium ipſius prædeceſſorem, *Nocentium*, ſucceſſorem vero Cæleſtinum, *Infernalem* (vt de aliis modo taceamus), fatuis deriſionibus appellant. Sed ſinamus eos ad libitum deſipere; ac cæcos & duces cæcorum in his & aliis innumeris qualibet ferme pagina delirare. Quod vero rurſum ad Eulalium attinet; licet de eo expellendo, vt dictum eſt, Honorius iuſſerit; tamen ex Synodo ducentorum quinquaginta duorum Epiſcoporum fuiſſe depoſitũ, habet liber de Romanis Pontificibus; verum non ex tranſmarinis Eccleſiis, vt declaratum eſt, ſed ex Italia ac ceteris vicinioribus. Eumdemque poſtquam vna cum ſuis apud Antium non longe ab Vrbe exul aliquamdiu egiſſet, Nepeſinæ Eccleſiæ factum eſſe Epiſcopum, traditur eodem Pontificali volumine.

a Rec. etiam Tar. Annal. To. 5. ... an.
b Illyr. in ſua inſ.
DELIRAMENTA CENTVRIATORVM.

IV. c Aug. lib. 1. cont. Iul. Pelag. cap. 12.
DE IVLIANO PELAGIANO HÆRETICO, EIVSQ. CALVMNIIS ET SCRIPTIS ADVERS. AVG.
d Lib. 1. cont. Iul. c. 4.
e Ep. 131.

Ceterum hanc ipſam diſſenſionem Romani Cleri in nouo creando Epiſcopo poſt Zoſimum Pelagiani hæretici in Catholicos obiectare conſueuerunt, & inprimis Iulianus Epiſcopus Capuanus, quem in eo, ſicut in aliis quę contra Catholicos ſcripſit, Auguſtinus [c] egregie refellit. Sed quod in eo vt paululum immoremur, tamquam illius ſectæ poſt Pelagium & Cæleſtium anteſignano, ratio tẽporis exigat; primo fuiſſe hunc *Iulianum* honeſto loco natum patre Memorio Epiſcopo, qui cum S. Auguſtino nõ paruam inierat amicitiam colloquio litterarum, ipſe teſtatur [d] aduerſus eumdem Iulianum; patetque ex eiuſdem Sancti ad ipſum Memorium ſcripta olim epiſtola [e], qua etiam rogat vt ad ſe mittat Iulianum iam tunc dia-

conum,

conium, quem multum amaret, eiuſque magno deſiderio teneretur. Videtur autem ipſe Memorius fuiſſe Capuanus Epiſcopus, atque filium ſuum eidem Eccleſiæ mancipatum diaconum ordinaſſe, quem tamen non ſacris (vt ex eadem epiſtola apparet) ſed ſæcularibus imbuendum curaſſet diſciplinis, quas vetus loquendi vſus Liberales appellat. Hic igitur adhuc iuuenis ſede auctus nobili (nempe eadem Capuana, vt tradit Gennadius: ſed Proſper[f] eumdem vocat Atellanenſem, ab oppido inter Capuam & Neapolim ſito, forte à patria, vel quod poſtea ſedem mutauerit) (faſtu tumidus, literarumque ſæcularium inflatus ſuperbia erumpens in maledicta, ſanctiſſimum ſenem Auguſtinum ipſius amantiſſimum cœpit exagitare: primumque omnium quatuor[g] libros ſcripſit aduerſus eiuſdem Sancti commentarium de Nuptiis & concupiſcentiis, quem, (vt ipſe tradit[h]) poſt damnatum Pelagium atque Cæleſtium monente Valerio Comite delaborauerat, ab illis prouocatus, ne dum aſſertor eſſet originalis peccati, damnaſſe nuptias videretur, quod Pelagiani impudentiſſime Catholicis obiiciebant. Porro cum Auguſtinus eoſdem Iuliani libros à Claudio Epiſcopo acceptos[i], aliis ſex libris cõfutaſſet, rurſum Iulianus, qui duorum librorum numero ſe ſuperatum videret, hæretica arrogantia aduerſus ſex illos Auguſtini, octo conſcripſit, vt ipſe aſſerit Auguſtinus[k]; ex quo erroris arguuntur Gennadius[l] & Honorius[m], dum ſeptem tantum numerant. Sed rurſum & hos octo ab Alipio Roma miſſos, Auguſtinum contrariis ſcriptis refellere cœpiſſe, ipſe[n] teſtatur: non tamen perfeciſſe, inde apparet quod citans ex illis fragmenta quædam (cum alioqui ipſum opus perierit) Beda in Collectaneis ſuper Epiſtolas Pauli, citet titulo Operis Imperfecti contra Iulianum.

f Proſp. ſub Coſſ. an. 419.
g Aug. 2. Retract. 53.
h Id. cont. duas epiſt. Pelag. cap. 5
i Id. 2. Retract. 62.
k Id. ep. 2. ad Quod vult d.
l Gennad. de vir. ill. c. 45.
m Honor. de Script. Eccl. c. 45.
n Aug. de q.

V.

Cum vero præter eiuſmodi libros, Iulianus[o] duas alias epiſtolas ſcripſiſſet, earumque alteram Romam, alteram nomine decẽ & octo ſuæ ſectæ Epiſcoporum Theſſalonicam miſiſſet, quib. Eccleſiam Catholicam portentoſis errorum calumniis infamauit; accidit opportune, vt cum eas Romam allatas Bonifacius Papa in manibus haberet, Alipius Epiſcopus Tagaſtenſis in Africa Auguſtini amiciſſimus, Rauennam (vt idem Auguſtinus[p] teſtatur) ad Honorium imperatorem pergens, Romamque diuertens, ab eodem Bonifacio eaſdem acceperit ad Auguſtinum perferendas, vt confutaret: quod ipſe nauiter impleuit ſcriptis aduerſus illas libris quatuor diſertiſſimis, quos ad ipſum Bonifacium Papam Romam miſit, vt eius (quod ait[q]) examinarentur iudicio, & vbi forſitan aliquid diſpliceret emendarentur. Quantis autem eædem epiſtolæ refertæ eſſent mendaciis, ex ipſorum refutatione ab Auguſtino facta intelligi poteſt: nempe in epiſtola Romã miſſa[r] inprimi: effutiiſſe, Catholicos omnes aſſerentes ex Adæ peccato naturam eſſe corruptam, ſapere cum Manichæis: atque inſuper eoſdem aſſerere, nuptias non eſſe ex Deo, & prolis generationem ex diabolo eſſe; itemque Patres veteris Teſtamenti numquam à peccato fuiſſe per emendationem liberatos, ſed & Apoſtolos immoderata libidine pollutos, ipſumque etiam Chriſtum non fuiſſe immunem à peccato, ac denique baptiſmum non dare omnem indulgentiam peccatorum. In epiſtola vero ad Theſſalonicenſes[s], excitare conatus eſt omnes Orientales Epiſcopos, vt aduerſus Manichæos (ita enim Catholicos nominabat) inſurgerent: & quo ad hoc magis eos pelliceret, tum Zoſimum Papam, tum Romanum Clerum (vt dictum eſt ſuperius) præuaricationis redarguit: adiecitque, Catholicos negare liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum; & aſſerere fatum ſub nomine gratiæ: Deum quoque acceptatorem facere perſonarum, ac dicere legem datam non eſſe ad hominis inſtitutionem, ſed ad maiorem damnationem; ac Spiritum Sanctum non fuiſſe auctorem virtutis in veteri Teſtamento; nec item Prophetas & Apoſtolos extitiſſe ſanctos, ſed comparatione aliorum minus malos; ac demum in futura reſurrectione homines Dei mandata incœpturos implere. Hæc & alia impius ille vaniloquus calumnioſe Orthodoxis impingere non eſt veritus; & ad poſtremum queſtus eſt nomine coepiſcoporum ſuorum, Pelagii dogmata à ſimplicibus quibuſdam Epiſcopis propriis in locis abſque conuentu Synodali eſſe damnata, ſeq; quærere vt Orientales & Occidentales ad hæc exacte inſpicienda in vnam vniuerſalem Synodum ſimul conuenirent. Sed hæc omnia Sanctus Auguſtinus pleniſſime diſcuſſit, cunctaſq; obiectas calumnias planiſſime diluit. De eodem vero Iuliano Gennadius habet, eum ad aliam artem conuerſum, quos non poſſet doctrina ſeducere, hypocriſi decepiſſe; dum tempore famis & anguſtiæ indigentibus omnibus ſuis prærogatis multos miſerationis ſpecie, nobilium præcipue & religioſorum illiciens, hæreſi ſuæ ſociauit. Quæ autem reliqua ſunt de illo, dicentur alio loco.

o Id. ad Bonif. l. 1. c. 1.
p Id. lib. 2. de Nupt. & concup. cap. 1.
q Id. cont. duas epiſt. Pelag. lib. 1. c. 1.
r Id. cont. ep. Pelag. ad Bonif. lib. 1.
IVLIANI CALVMNIÆ IN CATHOLICOS.
s Ibid. lib. 2.

VI. ALIPII LEGATIO AD HONOR. IMP. ADVERS. OCCVLTOS PELAG.

Sed quod pertinet ad dictam Alipii legationẽ ad Honorium Imperatorem; licet ipſius cauſa minime habeatur expreſſa, tamen ex iis quæ ſecuta ſunt conïicere poſſumus, tantum Epiſcopum pro rebus grauiſſimis illuc eſſe profectum; & quidem puto, pro extirpandis latitantib. in Africa Pelagianis. Erant enim nonnulli, qui quamuis Pelagianos ſe eſſe minime profiteri auderent, tamen quæ ex ea hæreſi deducerentur, interdum aſſerere non dubitabant. Sit in exemplum, quod ex Sancti Auguſtini litteris exploratum habetur de *Vitali* Carthaginenſi, qui licet Pelagii nomen horrere videretur, ex eius tamen doctrina dogma illud impium deducebat, vt diceret non eſſe orandum pro idololatris vel aliis non credentibus vt crederent; ſed tantummodo illis eſſe proponendam doctrinæ veritatem; ceterum credere, vel non credere, ex eorumdem pendere arbitrio, non autem ex præueniente eos diuina gratia. Ad quem curandum Sanctus Auguſtinus eruditam ſatis dedit epiſtolam[t], quam illo titulo *Auguſtinus Chriſti ſeruorum ſeruus*, inſcripſit. Cum vero eiuſdem hæreſim impugnat, priſtinum Eccleſiæ morem inſinuat, quo publice orare conſuetum erat in Eccleſia (ſicut hodieque ſeruatur) pro infidelibus ac catechumenis. Quod igitur periculum immineret, ne eiuſmodi morborum contagionibus Africana Eccleſia inficeretur, nullum reliquum iam videbatur remedium eſſe, niſi vt qui proterue nimis deſpicerent tot aduerſus ipſos celebrata vbique Eccleſiaſtica iudicia, iiſdem legibus coercerentur Imperatoriis: quod eſſe curatum Alipii legatione putamus. Extat enim Honorii Imperatoris, in Africam miſſum ad Aurelium Epiſcopum Carthaginenſem & Auguſtinum Hipponenſem, reſcriptum[u] his ipſis Coſſ. datum Rauennæ quinto Idus Iunias, quo latentes Pelagianos exagitauit, omneſq; Epiſcopos qui damnationi eorumdem ſubſcribere recuſarent, ſedibus ſuis pelli iuſſit.

VITALIS HÆRET. PRODIT.
t Id. ep. 107.
MOS ANTIQVVS ORANDI PRO CATECHVM. ET INFIDEL.
u Rec. Bar. Annal. To. V. hoc an.

VII. CONCIL. CARTHAG. V. IN CAVSA APPELLAT. AD SED. APOST.

Hoc eodem anno, nimirum Poſt Conſulatum Honorii XII & Theodoſii VIII. die octaua ante Calendas Iunii habita legitur SYNODVS CARTHAGINENSIS dicta vulgo *Sexta*[x]: ſed ſi eiuſmodi numerandi rationem à Collectore ſuſceptam obſeruare velis (cum alioqui multo plura in hanc diem in eadem ciuitate, vt vidimus, celebrari contigerit) dicenda ordine *Quinta*, cum quæ hactenus *Secunda* nuncupata eſt, referenda ſit ad tempora Cæleſtini Papæ, eademque *Sexta* appellanda, vt dictum eſt ſuperius. Huic autem Quintæ, vna cum Aurelio eiuſdem ciuitatis Epiſcopo, interfuerunt ex omnibus prouinciis Africanæ Eccleſiæ delecti Iudices, ſiue Legati, omnes numero viginti duo. Quod vero habetur in fine, ſubſcripſiſſe eidem Synodo Epiſcopos ducentos ſeptemdecim; ſic intelligendum eſt, vt ipſi poſtea in ſuis Eccleſiis ſubſcripſerint decretis, quibus ſuos Legatos ſubſcripſiſſe ſcirent.

x To. 1. Concil.

VIII. LEGATI APOST. SED. AD CONCIL.

Sed quod Synodo interfuiſſe legantur Apoſtolici Legati, *Fauſtinus* Epiſcopus Potentinus in Piceno, atq; *Philippus* & *Aſellus* presbyteri; hi quidem anno ſuperiori à Zoſimo miſſi fuerant, creato vero Bonifacio cauſam proſecuti ſunt. At quid vero miſſi eſſent, ex eiuſdem Concilii Carthaginenſis Actis intelligi poteſt; necnon ex ipſo Commonitorio (ita appellabant mandata Legatis tradita in ſcriptis) à Zoſimo iiſdem Legatis tradito[y]: videlicet vt potiſſimum agerent de Appellationibus Epiſcoporum Africanorum ad Romanæ Eccleſiæ Pontificem, ac de presbyterorum & diaconorũ cauſis tractandis apud finitimos

y Extat in Synodal. epiſt. ad Bonif. in Conc. Afric. can. 101. & in Conc. Carthag. VI. c. 1. & 6.

Epiſco-

Epiſcopos, ſi à ſuis excommunicati perperam eſſent. Cum vero primum illud de Appellationibus, Zoſimus auctoritate Nicæni Concilii canonis (qui re vera eſſet Synodi[a] Sardicenſis) firmari profeſſus eſſet, nec tamen id Patres Africani reperiſſe inter canones Concilii Nicæni, factum eſt vt ea de re conqueſti ſint apud Zoſimi ſucceſſores Bonifacium & Cælestinum; indeq; huius noſtri temporis Nouatores occaſionem ſumpſerint inclamandi, Zoſimū ſummo ſcelere ſurripere tentaſſe Romanæ primatum Eccleſiæ mendacio & falſatione Nicęnorum canonum. Quę vt facilius calumniæ diluantur, cunctas res in hac cauſa geſtas, licet ad plures annos productæ fuerint, tamen vt melius intelligantur, in vnum colligere placuit, quod de cauſa magni momenti agatur.

a Conc. Sardic. cap. 7.

IX. VNDE ORTA QVÆSTIO DE APPELLATIONIB.

Ac primo quidem præceſſiſſe Legationem à Zoſimo miſſam, appellationes quaſdam ad Romanam ſedem Epiſcoporum Africanorum, itemque Apiarii presbyteri ab Epiſcopo ſuo Vrbano Sicenſi excommunicati; cum ipſum Zoſimi Commonitorium, tum litteræ[a] Epiſcoporum Africanorum ad Bonifacium & Cæleſtinum datæ, non obſcure ſignificant. Ex quibus & illud conſtat, quod ad caput de Appellationibus attinet, eoſdem Epiſcopos Africanos in Concilio hoc anno habito decreuiſſe omnia iura integra ſeruare, quouſq; de Nicænis canonibus (quibus illud contineri ſcripſerat Zoſimus) fieret exactior exploratio: itemq; Apiarium, quem ab Epiſcopo ſuo appellantem Romanus Pontifex communioni reſtituerat, licet multa magnaque ſcelera, quorum cauſa excommunicatus fuerat, ipſemet tandem confeſſus eſſet quæ antea negauerat, tamen & ipſum ab eadem Synodo ad communionem admiſſum eſſe, ſed ita vt à Sicenſi Eccleſia in aliam tranſmigraret. Ac de his quidem primo Zoſimum, poſtea vero eo inter hæc defuncto etiam Bonifacium, iidem Africani Epiſcopi certiorem litteris[b] ſuis reddidere.

a Ap. Conc. Afric. c. 101. 105.

b d. c. 101.

X. CANONES NICÆNI PERQVISITI ABPATRIS.

Rebuſque ſic ſtantibus, decreti ſunt ab eadem Synodo Legati in Orientem, nempe Conſtantiopolim, Antiochiam & Alexandriam, pro fideliſſimis habendis exemplaribus Nicæni Concilii canonum. Antequam autem Legati redirent, contigit Bonifacium mori, & in eius locū ſufficí Cæleſtinum: Tuncque reuerſis Legatis, nec inuento in vllis Nicæni Concilii exemplaribus canone à Zoſimo citato; iidem Epiſcopi Africani datis ad Cæleſtinum litteris[c], non quidem (vt hodie Nouatores) arguerunt Zoſimum impoſturæ, dolumue malum proclamarunt; ſed ſubmiſſo animo rogarunt, vt maiori cautela Romani Pontifices ex Africa querelas ingerentes ſuſciperent, atque maturiori iudicio cauſas tractarent, ne ſic iudicia rite ac probe facta perirent: ac nec quidem prohibuerunt appellationes ad Romanam ſedem, ſed tantum monuerunt, vt non facile vel abſque vrgente neceſſitate admitterentur.

c d. c. 105.

XI.

Quod enim minime illas omnino tollere voluerint, cum ex multis aliis exemplis conſtat quæ Sanctus Auguſtinus[d] in cauſa Antonii Fuſſalenſis in Numidia Epiſcopi recenſet; tum maxime ex eiuſdem Antonii cauſæ hiſtoria, quæ hoc eodem tempore contigit. Fuerat hic ob enormia quædam ſcelera, agente contra eum eodem Auguſtino qui ei ſedi ipſum præficiendum curauerat, ab Epiſcopis illius prouinciæ depoſitus ab adminiſtratione, relicto ei ſolo ſedis titulo. Appellauit ipſe ad Bonifacium Romanum Pontificem ſimulque vafer homo ex Africa proficiſcens, elicuit litteras à Primate Numidiæ quibus velut innocens excuſaretur. Is acceptis Bonifacius, magna cautela pro Antonio reſcribens illud adhibuit temperamentū ſi nulla in eius narratione ſubreptio interceſſiſſet. Contigit autem inter hæc Bonifacium mori, & cauſam integram relinqui eius ſucceſſori Cæleſtino: apud quem contra ſuum Epiſcopum Fuſſalenſibus cauſam proſequentibus, cum ab Antonio iactaretur fore miſſurum Cæleſtinum executores, qui publica etiam poteſtate & vi militari ipſum in ſedem reſtituerent; Auguſtinus ad eumdem Cæleſtinum ſupplices litteras[e] dedit, quibus poſt recenſita omnia quæ hactenus geſta eſſent, cum deprecatus eſt, vt Fuſſalenſium admiſſa iuſta querela, ſuo eis iudicio aduerſus Antonium ſubueniret, abſtineretque à violenta eiuſmodi dominatione quam Antonius minabatur. Hocque ipſum eſt, quod Concilium Carthaginenſe ad eumdem Cæleſtinum[f] ſcribens, voluit verbis illis, *Executores etiam clericos veſtros quibuſque petentibus nolite concedere, ne fumoſum typhum ſeculi in Eccleſiam Chriſti videamur inducere.* Certe enim de his conquerendi occaſionem dediſſe noſcitur Legatorum nimia in cauſa proſequenda aſperitas; qui & in cauſa Apiarii non iudices, vt Epiſcopi Africani[g] aiunt, ſed eiuſdem patronos ſe oſtenderunt, diuerſas etiam ipſis inferentes iniurias.

d Aug. ep. 261. ad Cæleſt.

EPISCOPI AFRI NON INTENDERVNT DEROGARE IVRI APPELLATIONVM.

e d. ep. 261.

f d. c. 105.

g d. c. 101.

XII. DE QVO CONTROVERSIVM SIT INTER EPISC. AFRIC. ET SEDEM APOSTOL.

Proinde quod eadem ad Cęleſtinum epiſtola iidem petierunt Epiſcopi vt vbi ſunt exorta, ibi ſint finienda negotia, ob difficultatem proſecutionis iudicii tranſmarini; neque hoc per Legatos à Latere fiat, ſed per cauſæ delegationem, ipſis Africanis Epiſcopis: hæc inquam, manifeſte quoque declarant ipſos non quidem negaſſe appellationem, ſed ægre tuliſſe proſecutionis modos, quibus vt plurimum Pontifices vterentur, ſiue cum Romæ ſumma difficultate producendi eſſent teſtes, ſiue in Africa per Legatos à Latere & clericos executores proterue nimis foret agenda cauſa. Nam de modo tantum proſequendæ appellationis obortum eſſe diſſidium, non etiam de ipſo iure Appellationum, vel ex eo euidenter apparet, quod in ipſo Zoſimi Commonitorio, vbi agitur de primo mandato, nō de iure appellandi citatus eſt canon Concilii Nicæni (ſeu potius Sardicenſis) ſed de proſequendæ appellationis modo; quo ſcilicet cauetur[h], vt ipſe Romanus Pontifex duplici via poſſit, ſi velit, appellantium ſubuenire iuſtitiæ, nimirum vel committendo cauſam Epiſcopis finitimæ regionis vel mittendo Legatos à Latere; quorum ſolum poſteriorem modum Epiſcopi Africani refugiſſe noſcuntur.

h Conc. Sardic. c. 7.

XIII.

Cum igitur ex his omnibus ſatis liqueat, Zoſimum Papam haud quicquam alieni iuris vſurpare conatum eſſe, quo & prædeceſſores omnes abſque vlla controuerſia potiti eſſent; quænam ſubeſſe potuit ratio doli mali & impoſturæ, vt ſuppoſuerit Nicæno Concil. canonem Sardicenſem cum pręſertim qui ab eo citatus eſt canon, non minoris eſſet auctoritatis ac ſi eſſet Concilii Nicæni, quandoquidem ambo fuerunt Oecumenica, immo hoc amplius Sardicenſe à Nicæno habuit, quod Nicæno ex Africanis Epiſcopis vnus tantum Cæcilianus interfuiſſe reperiatur, Sardicenſi vero cum Grato Epiſcopo Carthaginenſi triginta quinque (vt Athanaſius[i] docet) eiuſdem prouinciæ Epiſcopi præſto fuerint; adeo vt ſalua pace Catholica nequaquam potuiſſent Sardicenſis Concilii canones non recipere? Itaque licet opinari, id egiſſe Zoſimum, vel quod canon ille Nicæni Concilii fuerit cum aliis tranſlatus in Sardicenſe, ſicut de aliis ſuo loco notauimus: vel quod cum id celebratum ſit pro corroboratione Nicæni Concilii, idem reputatum cum illo fuerit: hoc enim apud veteres adeo conſtans fuit, vt cum recenſerent Concilii Generalia, poſt Nicænum ponerent Conſtantinopolitanum, prætermiſſo penitus Sardicenſi, quod tamen fuiſſe Oecumenicum liquet.

i Athan. Apol. 2.

QVOMODO CANON SARDIC. CITATVS SVB NOMINE NICÆNI.

XIV. DE EPIST. CONFICTA BONIFACII PP. II. NOMINE.

Porro qui ſemel errore ductus, ſibi perſuaſit hoc tempore ſciſſam fuiſſe Africanam Eccleſiam à Romana, quam enorme excogitauit commentum? Fluxit Bonifacii Secundi Papæ nomine epiſtola ad Eulalium Epiſcopum Alexandrinum, de reconciliatione Eccleſiæ Carthaginēſis cum Romana; itemque ab alio Eulalio Epiſcopo Carthaginenſi libellum ad ipſum Bonifacium pro reconciliatione datum; necnon interceſſiſſe ad rem perficiendam litteras Iuſtini Imperatoris. Egimus de eius impoſtura (quiſquis fuerit) in Notationibus[k] ad Romanum Martyrologiū, ac demonſtrauimus, nec vnius quidem horę momento, nedū centum & amplius annorum qui interceſſerunt ab hoc tempore ad Bonifacium Secundum, interciſam fuiſſe Africanæ cum Romana Eccleſia communionem: quod & tibi notius fiet ex iis quæ inferius ſingulis ferme annis dicturi ſumus. His adde quod tempore Bonifacii Secundi, non Eulalius Eccleſiæ Alexandrinæ præfuit, ſed Timotheus hæreticus & à Romana Eccleſia alienus:

k Not. in Martyrol. Rom. 16. Octobr.

NVLLA SCISSIO ECCL. AFRIC. A ROMANA.

Digitized by Google

nec item alius Eulalius Eccleſiæ Carthaginenſi, cum eo tempore regnante Gelimere Wandalorum Rege nec vnus eſſet reperiri in Africa Catholicæ communionis Epiſcopus: ac denique non Iuſtinus, ſed Iuſtinianus regnaret in Oriente. At de his hactenus. Iam reliqua Concilii Carthaginenſis abſoluamus.

XV. Canonem Scripturæ diuinæ confirmat Rom. Pont. (l Conc. Carth. III. c. 47.)

In Concilio Carthaginenſi, ſiue hoc, ſiue alio ſub eodem Bonifacio celebrato, editus eſt canon de Libris Canonicis diuinæ Scripturæ, idem prorſus qui noſtro ſæculo in Concilio Tridentino confirmatus eſt. Extat adhuc, ſed neſcio quomodo relatus ſub Concilio Tertio [l] Carthaginenſi: vbi ad finem additum eſt de confirmatione canonis à Bonifacio Papa petenda. Ex quibus videas quantum deferrent Africani Epiſcopi Romanæ Eccleſiæ, dum eodem tempore quo ea agitabatur controuerſia, nihil remiſerunt ſubmiſſionis erga Romanum Pontificem. Sed & illud conſideres, quod ſi in hagiographis ſuſcipiendis auctoritatem requiſierint Apoſtolicæ Sedis; quantum abſit vt ob cauſam aliorum canonum voluerint ab ea ſeparari.

XVI. Chriſti apparitio mirifica ſuper montem Oliueti. (m Marcel. in Chron. n Dan. 7. o Zach. 14. p Act. 1. q Ap. Aug. ep. 79. r Ibid. ep. 80. s Matt. 24.)

Hoc item anno iiſdemque Coſſ. multæ Palæſtinæ ciuitates villæque terræmotu collapſæ ſunt: ac Dominus noſter Iesvs Chriſtus ſuper montem Oliueti Hieroſolymæ vicinum ſeſe de nube manifeſtauit. Quo viſu audituque multæ nationes Gentiles perterritæ Chriſtianam fidem amplexi ſunt: omniumque baptizatorum in tunicis Crux Chriſti extemplo preſſa refulſit. Hæc Marcellinis [m], & alii. Cuius quidem rei adeo admirabilis occaſione, de tempore vltimi aduentus Domini ad iudicandum, cœpti ſunt vbiq; miſceri ſermones; quod Danielis [n] prophetia prænunciatus eſſet aduentus Filij hominis in nubibus; & Zacharias [o] de ipſo loco eius aduentus ſuper montem Oliueti prædixiſſet, Angelique apud Lucam [p] confirmaſſent. Quapropter & eadem occaſione ſcripſiſſe videtur Heſychius [q] ad S. Auguſtinum de nouiſſima die; quæ, cum præceſſiſſent tot ſigna, iam videretur inſtare: cum Auguſtinus [r] epiſtola ad eum reddita, curioſos nimis de his exploratores redarguit; illumque diem haud inſtare demonſtrauit ex ſignis, cum longe abeſſet vt impletum dici poſſet quod prædixit Dominus [s] de prædicatione Euangelii in vniuerſo Orbe antequam veniat conſummatio innumeris adhuc exiſtentibus populis qui non accepiſſent verbum Dei.

XVII. (t Socr. lib. 7. cap. 17.) De aſſerto miraculo Iudæi ſæpius baptizati.

His item Coſſ. defuncto Chryſantio Epiſcopo Nouatiano Conſtantinopoli, in locum eius ſuffectum eſſe Paulum, Socrates [t] ſcribit; ac ſub iſto contigiſſe, vt cum quidam Iudæus qui ſimulata Chriſtiana fide à variarum ſectarum Epiſcopis ſæpius baptizatus fuiſſet, multaſque ex ea fallacia pecunias corraſiſſet; tandem & ad Paulum Nouatianum ſe conferens, æque ab eo baptiſmum peteret, eumque illi Paulus dare vellet; ſemel atque iterum aqua baptiſterii euanuerit, atque eo miraculo Iudæus præuaricator agnitus fuerit. Verum licet demus Socratem, & ipſum ſecta Nouatianum, haud eſſe mentitum (cum alioqui ſuſpecta ſit omnis de ſuis dogmatiſtis hæreticorum narratio) nihil eſt tamen vt Epiſcopo Nouatiano adſcribatur miraculum, quod potius tribuendum eſt virtuti ſacramenti: quandoquidem verum fuiſſe Nouatianorum baptiſmum, cum veri aſſertores eſſent ſanctiſſimæ Trinitatis, nullum eſt dubium, adeo vt ceſſerit miraculum in confirmationem Catholicæ veritatis, non ad Pauli merita illuſtranda.

XVIII. Supplicia pro edocta arte conficiendi naues. (u l. vlt. C. Th. de pœn.)

Contigit itidem hoc ipſo anno in eadem ciuitate Conſtantinopolitana, vt cum capitalem plurimi pœnam luituri eſſent, quod conficiendi naues incognitam ante peritiam barbaros docuiſſent; agente pro eis apud Theodoſium Imperatorem Aſclepiade Epiſcopo Cherſonenſi, omnes liberati ſint: qua de re extat eiuſdem Auguſti reſcriptum [u]. Hoc quidem tempore ruptum fœdus inter Romanos Perſaſque fuiſſe conſtat; de quo dicetur anno ſequenti.

.

ESV CHRISTI AN. 420.

BONIFACII AN. 2.

Honorii 26. Theod. II. 13.

I. Conſtantius creatus Aug. (a Rec. Baron. Annal. To. V. hoc an.)

Anno Chriſti quadringenteſimo vigeſimo, Theodoſio Auguſto nonum & Conſtantio Cæſare tertium Coſſ. idem Constantivs auctus Imperio ab Honorio, ex Cæſare Auguſtus eſt nominatus; vt habet Proſper in Chronico. Idemque mox reſcripto ad Voluſianum Præfectum Vrbi dato (quod extat [a], meminitq; eiuſdem Photius in Bibliotheca) pœnam exilii renouauit in impium Cæleſtium, qui iterum ſeſe audax inferret in Vrbem, & contra omnes eius ſectatores. Sed & ſub eodem Conſtantio idem S. Proſper [b] contigiſſe ait in Africa, vt cum à quodam Pagano falſum vaticinium, velut Cæleſtis idoli olim Carthaginenſis proferretur, quo rurſum templa priſco ſacrorum ritui reddenda eſſent; econtra, Vrſo inſiſtente Tribuno, omnia illa templa ad ſolum vſque euerſa fuerint, ſolumque in ſepulturam mortuorum conuerſum. Denique inſtante eodem Vrſo Tribuno, domus Regiæ procuratore, apud eandem Carthaginem turpitudines Manichæorum execrabiles, quibus ad excipiendum & commiſcendum concumbentium ſemen farina ſubſternebatur, vnde non ſacramentum ſed execramentum conficeretur, detectas eſſe à quibuſdam feminis, quę propter hoc ſceleſtum myſterium violatæ fuiſſent; narrat S. Auguſtinus [c], quem Eccleſiaſticis Actis tunc ea de re confectis interfuiſſe, Poſſidius [d] in eius Vita teſtatur.

(b Proſp. de prædict. par. 3. cap. 38.) Gentiles et Manichæi exagitati in Africa. (c Aug. de hæreſ. ca. 46. d Poſſid. Vit. S. Aug. cap. 16.)

II. De Vincentio Victore hæreſiarcha. (e Aug. lib. de anim. ad Vincet. Vict. 1. cap. 2. & 2. Retract. 56. f Aug. de Orig. anim. g Lib. 2. Retract. 56. h Gal. 6.) Vincentius reſipiſcit.

Eodem quoque tempore in eadem Africa noui erroris aſſertor emerſit Vincentivs Victor, qui de Animarum origine noua commenta excogitauit; nempe eas non ex nihilo, ſed ex diuina creatas eſſe ſubſtantia. Fuiſſe vero hunc olim Donatiſtam, vel potius Rogatiſtam; ac poſtea Catholicam fidem ſimulantem, nihilominus adeo Rogatiſtis addictum permanſiſſe, vt etiam cognominari voluerit *Vincentius*, quod Rogati ſucceſſorem eo nomine dictum tamquam magnum & ſanctum virum ſuſciperet; eundemque in viſione (vt iactabat) ab illo Vincentio admonitum adiutumque aduerſus Auguſtini tractatum de Origine animarum, quem in Mauritania Cæſarienſi inueniſſet, duos libros ſcripſiſſe, idem Auguſtinus [e] tradit: qui mox contrarijs ſcriptis eos refellens [f], ipſum quoque illorum compoſitorem Vincentium Victorem (quod mireris in auctore erroris) victum ſe fatentem, atque emendationis ſuæ litteras ad Auguſtinum ſcribentem (vt ipſe [g] teſtatur) fidei Catholicæ reſtituit. Ita quidem, quod (vt ait) eum non præpropere deteſtandum, ſed adhuc docendum, quanta potuiſſet lenitate tractaſſet. Fuit enim S. Auguſtini praxis in agendo cum hæreticis, vt cum recens progredientibus, antequam deſperata obſtinatione obduruiſſent, ex Apoſtolica [h] admonitione in ſpiritu lenitatis ageret; cum inueteratis vero & obſtinatis, ſeuere agendum exiſtimaret; vſque adeo vt docuerit etiam eſſe eos vi compeſcendos, Principum & Magiſtratuum auxilio implorato; de quo dictum eſt alias. Cæterum eodem quo Vincentius miraculo, atque eodem ferme tempore (certus autem annus ignoratur) hæreticorum omnium audaciſſimus, dicendus & ipſe hæreſiarcha (quippe qui non ſolum Pelagianam hæreſim ſectatus fuerit, ſed & Neſtorio auctor extiterit ſuæ ipſius hæreſis) Leporivs, primum monachus, deinde presbyter, apud Gallos aſſertor prædictarum hæreſeon, à Gallicanis doctoribus admonitus, & in Africa per Auguſtinum emendatus, ad fidem Catholicam perfecte conuerſus eſt, libellumq; pœnitentiæ ad omnes Epiſcopos Galliarum ex Africa miſit: vt tradit Gennadius, [i] ac fuſius Caſſianus [k], qui & ipſe eiuſdem Leporii conuerſionem adiuuit.

Leporius Italus hæreſiar. conuerſus ab Auguſt. (i Gennad. de vir. illuſtr. in Lepor. cap. 9. k Caſſian. de Incar. Chr. lib. 1. & 7.)

III. Perſecutio in Perſide. (l Socr. lib. 7. c. 20. in fi. m Theod. l. 5. cap. 38.)

His item Coſſ. Persecvtio aduerſus Chriſtianos in Perſide ſæuiit, vt Marcellinus teſtatur in Chronico: quam perduraſſe vſq; ad biennium, nempe Conſulatum Honorii XIII. & Theodoſii X. Socrates [l] ſcribit; Theodoretus [m] autem, prorogatam eſſe vſque ad triginta annos. Sed & à quonam Rege Perſarum indicta fuerit, diſſen-

tiunt ab inuicem, dum Socrates poſt mortem Iſdigerdis amici Romanorum, excitatam eſſe tradit ab ipſius filio Vararane, ſeu Gororane dicto; Theodoretus ab ipſo Iſdigerde inchoatam, & à Vararane continuatam; cui adſtipulatur Cyrillus monachus in Rebus geſtis [n] S. Euthymii. Cauſam autem perſecutionis inferendæ, hanc idem Theodoretus adfert, quod Audas Epiſcopus Pyreum (nempe templum in quo Ignis, Perſarum Deus colebatur) demolitus eſſet, nec à Rege monitus illud reædificare voluiſſet. Quapropter tum ipſe Regis iuſſu neci traditus eſt, tum omnes Chriſtianorum eccleſiæ dirutæ, & crudeliſſima in omnes Chriſtianos Perſecutio concitata, quam multiplicibus & exquiſitiſſimis tormentis Perſæ, Magorum ſuorum impulſu exercuerunt. Deſcribit ea Theodoretus, ſimulque nonnullos ex præcipuis qui tunc ſunt paſſi recenſet; quibus & alios addit Nicephorus [o], de eadem agens perſecutione. Cum vero plurimi Chriſtianorum ea oppreſſi, ad Romanos confugerent; Theodoſius Imperator maxime pius tam pro defenſione religionis, quam in vltionem aliarum quarumdam iniuriarum à Perſis illatarum, atrox bellum aduerſus eoſdem Perſas ſuſcepit: quod & feliciter per Ardaburium ducem, diuino auxilio Angelorumque adminiſtratione confecit; vt videre eſt apud eoſdem Socratem [p] & Theodoretum [q].

n Ap. Metaphr. & Sur. 20. Ianuar.
CAVSA PERSECVT. ET BELLI PERSICI.
o Nic. li. 14. c. 19. 20. 21.
p Socr. lib. 7. c. 18 19. 20
q Theod. lib. 5 c. 36.

IV.

Sed & eodem bello vſus alio vincendi genere *Acacius* Amidæ Epiſcopus, ſeptem millia captiuorum Perſarum fame prope aliiſque miſeriis conſumptorum, diſtractis conflatiſque vaſis eccleſiæ, redemit, fouit, & in patriã remiſit. quam rem Peſarum Rex admiratus, eundem Acacium videre cupiuit. Narrat hæc Socrates [r]. Quomodo vero ex eodem bello & perſecutione manauerit occaſio, vt apud Saracenos ob aliam exhibitam miſerationem fides Chriſtiana propagaretur, Cyrillus monachus qui eodem ſæculo claruit, omni fide poſteris tradidit: dum in vita S. Euthymii agit de *Aſpebeto*, viro clariſſimo & diuitiis inſigni, qui ſub Iſdigerde militans Præfectus Saracenorum, cum adhuc Gentilis eſſet, tamen quod contra Regis prohibitionem Chriſtianis in perſecutione facultatem ad ditionem Romanorum confugiendi præberet; quæſitus à Rege, & ipſe cum tota familia & facultatibus ad Romanos transfugit: vbi ab Anatolio Præfecto Orientis præpoſitus in Arabia Saracenis qui Romanis ſuberant, poſt aliquod tempus miraculo motus ſanati filii ſui Terebonis dicti à grauiſſima paralyſi per Euthymiũ archimãdritã ſola impoſitione figuræ Crucis, baptizatus eſt cum ſuis, ac *Petrus* nominatus: idemque aliquibus poſt annis, cum pleniſſimæ Chriſtianæ fidei dogmatibus eruditus eſſet, ac Saracenorum in Palæſtina creſceret numerus qui Chriſto nomen darent, à Iuuenale Epiſc. Hieroſolymitano dignus eſt habitus, qui primus illorum in ea prouincia ordinaretur Epiſcopus. quæ cuncta pluribus proſecutus eſt Cyrillus. Hique fuere fructus Perſicæ perſecutionis, & ex fuſo martyrum ſanguine conſueti omni tempore in Eccleſia Dei copioſi prouentus.

r Socr. lib. 7. c. 21.
PROPAGATIO FIDEI APVD SARACENOS.

V.
S. HIERONYMI OBITVS, ET ÆTAS.

Hoc eodem anno iiſdemque Coſſ. magnum illum Eccleſiæ Doctorem, hæreticorum inſatigabilem hoſtem, Chriſtiani Orbis oraculum, *S. Hieronymum* è vita deceſſiſſe pridie Calendas Octobris, anno ætatis ſuæ nonageſimo primo, S. Proſper teſtatur in Chronico. Idq; in Bethleem, vbi & ſepultus eſt, accidiſſe Marcellinus [s] tradit. Sed de annis ætatis diſſenſiſſe à Proſpero videntur nonnulli [t], qui nonaginta octo vel nonaginta nouem ei tribuunt. Eoſdem autem omnes æque ac ipſum Proſperum, lõge à ſcopo veritatis aberraſſe, Hieronymumque annos tantum ſeptuaginta octo vel ſeptuaginta nouem vixiſſe, ſatis ipſiuſmet teſtificatione demonſtratum eſt ſuperius [u]. Quanta vero effulſerit poſt obitum gloria in Eccleſia Dei elogia SS. Auguſtini [x] & Proſperi [y], necnon Caſſiani [z], Marcellini [a], atq; Caſſiodori [b] (vt ceteros prætereamus) perſpicue oſtendunt; dum illum omnes vno ore inter alia *Magiſtrum Catholicorum, & Lampadem mundi* nominant. Quęnam autem reliquerit ſcriptorum monumenta, haud laborandum quęrere, cum eorum extet catalogus, eorundemque ſpuria à veris diligentia Mariani Victorii Epiſcopi Reatini ſegregauerit, & præter illa, ſcripſiſſe librum de Hæreſibus, aliumque de Reſurrectione carnis, teſtis eſt Auguſtinus [c]: idemque ipſe Hieronymus [d] meminit homiliarum triginta in Euangelium Lucæ, & tractatuum ſeptem in pſalmos à ſe editorum, necnon tranſlationis viginti octo homiliarum Origenis. quæ omnia periiſſe dolemus, ſicut & plurima alia quæ Caſſiodorus [e] recenſet.

s Marcell. in Chron. Coſſ. Arcad. & Ruffin.
t Bed. Vſuar. Ado, in Martyr. Sigeber. in Chron.
u Sup. an. 372. nu. 11.
x Aug. 1. cont. Iul. 4.
y Proſp. de Ingrat.
z Caſſian. de Incar. lib. 7.
a Marcell. vbi ſup.
b Caſſ. Inſt. diuin. lect. c. 21.

HIERO LAVDES ET SCRIPTA.
c Aug. de hæreſ. ad Quoduult. in fin. & 261 ad Oceam.
d Hier. lib. cont. Iouin. & de Script. Eccleſ. in ſ
e Caſſ. vbi ſup. c. 2. & 9.

VI.
VITA S. HIER. MENDACIS CONCINNAT. CVR LEO PINGATVR CVM HIER.

Porro vita illa eiuſdem Patris quæ ſine auctoris nomine circumfertur, tot ſcatet mendaciis, vt nulla ſit ei fides adhibenda: ſicut & prorſus ſpuriæ noſcuntur epiſtolæ Euſebii, vel Auguſtini, aut Cyrilli nomine, de eius rebus geſtis confictæ. Quibus omnibus exploſis, tu Lector non aliunde eius vitam requiras, quam ab eodem Mariano, qui eam tibi ex ipſis illius ſcriptis deprompſit, his tamen emendatis, quæ iure emendanda ſuperius tibi noſtri ſuggeſſerunt Annales. Quod autem eiuſdem Sancti imago, vna cum leonis effigie antiquitus cõſueuit in Eccleſia pingi, id hieroglyphicum eſt eius in hæreticis inſectandis infracti roboris, & vehementis in eos, inſtar leonis rugitus, clamoris. Nam quod tradunt de leone ab ipſo curato; id non Hieronymo, ſed Geraſimo Abbati viro ſanctiſſimo in Palæſtina contigiſſe, vere narratur in Prato [f] Spirituali.

f Prat. Spir. c. 107.

IESV CHRISTI AN. 421.

HONOR. 27. THEOD. II. 14.

BONIFACII AN. 3.

I.

ANno Chriſti quadringenteſimo vigeſimo primo, Agricola & Euſtathio Coſſ. Conſtantius [a] Auguſtus ex hac vita migrauit; cum antea meditatus [b] eſſet bellum inferre Theodoſio, quod ſuam imaginem cum eſſet creatus Auguſtus, perlatam ex more Conſtantinopolim recipere noluiſſet. Quo etiam anno [c] idem Theodoſius Imperator *Eudociam* Atticam Leontii philoſophi filiam (Athenaim antea dictam [d], ſed in baptiſmo ab Attico Epiſcopo Conſtantinopolitano Eudociam nominatam) liberalibus diſciplinis excultam, ſibi in matrimonium iunxit: quę in laudem Theodoſii egregium poema à ſe conſcriptum de bello Perſico edidit.

a Proſp. in Chron.
b Nic. li. 14 c. 6.
c Marcel. Chron.
d Socr. lib. 7 c. 21.
THEOD. IMP. EVDOCIAM VXOR. DVCIT.

II.

Hocque ipſo anno, perſuaſione (vt creditur) eiuſdem Attici Epiſcopi, idem Theodoſius inductus eſt ad legem [e] illam ſanciendam, qua iura Epiſcopatus Conſtantinopolitani ad Illyricum quoque extendi debere conſtituit: idque (vt ait) ex priſtinis Eccleſiaſticis canonibus; quos ſcilicet commentitios ei ſuggeſſit Atticus. nunquam enim antea vel in aliquo definitum conſtat fuiſſe Concilio, vel vſu rerum monſtrari poteſt eſſe ſeruatum, vt Illyricorum Eccleſiæ ſubiectæ fuerint Epiſcopo Conſtantinopolitano: neque id illum obtinere potuiſſe permultos poſt annos, pluribus locis inferius apparebit. Quod vero eadem conſtitutione traditur, Conſtantinopolim Romæ veteris prærogatiua lætari; id quidem non de his quæ ad iura Eccleſiæ, ſed Imperii pertinẽt, nec Patrum canones, ſed Imperatorum leges conſtituerunt: adeo vt iſta vſurpare ſibi tentantes Epiſcopi Conſtantinopolitani, ſemper obſiſtentes ſenſerint Romanos Pontifices, vt dicetur pro ratione temporum ſuis locis.

e l. 6. C. de Sacroſ. Eccl. l. 45. C. Th. de Epiſc. & cler.
ATTICI VSVRPARE CONATVR AVCTORITATEM IN ECCL. ILLYRIC.

IESV CHRISTI AN. 422.

HONOR. 28. THEOD. II. 15.

BONIFACII AN. 4.

I.
PATROCLI EPISC. ARELAT. TEMERITAS COERCETVR A BONIF. PP.

ANno Domini quadringenteſimo vigeſimo ſecundo, Honorio decimum tertiũ & Theodoſio decimũ Augg. Coſſ. Bonifacius Papa Patroclum Epiſcopum, qui olim fauore Conſtantii tunc Magiſtri militum, cuius idem Patroclus familiaris erat (vt hæc ſcribit S. Proſper [a]) pulſo Herote viro ſancto & S. Martini diſcipulo, ſedẽ vſurpauerat Arelatẽſem, & adhuc alienæ Metropolis iura peruadens, in Narbonenſi prouincia vacantis paſtore ſedis auſus fuerat Epiſcopum ordinare, repreſſit; datiſq; quin-

a Proſp. in Chron. Coſſ. Honor. 9. & Theod. 5.

b *Bonif. ep. 3.*

to Idus Februarij litteris [b] ad Hilarium Narbonenſem Epiſcopum, iuſſit vt iure Metropolitani & præceptione Apoſtolicæ Sedis ad locum accedat, & quæ agenda ſint, videat, Sediqꝫ referat Apoſtolicæ. Quod cum ex præſcripto Nicænorum [c] canonum ſe agere doceat; ex iis quam perſpicue vides, ſic ex Nicæno Concilio quibuſcumque Metropolitanis ſuas ſeruatas cuſtoditaſque eſſe prouincias, vt tamen ſuper omnes Apoſtolica Sedes ius diceret. Nulla enim verior atque certior eſſe poteſt canonum interpretatio, quam quæ vſu rerum iugi obſeruatione probata cognoſcitur.

c *Conc. Nic. ca. 6.*

II.

d *Au. ep. 70.*

Sub iiſdem pariter Coſſ. (vt ait Proſper) cum Caſtinus Dux Honorii Imperatoris exercitum in Hiſpaniam aduerſus Vvandalos duceret; qui cum illo erat Bonifacius Domeſticorum [d] & Africæ Comes, vir bellicis artib. præclarus, genere Thrax, Caſtini ſuperbiam ferre non valens in Africam ſe recepit; vbi vitam plane Chriſtiano dignam duce agens, ſe in Auguſtini amicitiam inſinuauit, quæ poſtea enutrita & aucta eſt conſuetudine litterarum [e]. Illæ autem quæ perbreues extant in appendice epiſtolarum Auguſtini, eorundem nomine datæ, licet Auguſtini non eſſe ob Laconicum ſcribendi genus præter ipſius morem, ab aliquibus ſit creditum: eaſdem tamen germanas eſſe, ab omni procul fictione remotas, haud dubium eſt; ab aliquo forte alio Africanorum Epiſcoporum conſcriptas, puta Aurelio Carthaginenſi, vel Alipio Tagaſtenſi. Ex vna [f] vero illarum conſtat, eumdem Bonifacium priuatum fuiſſe ab Auguſtino communione Eccleſiæ, quod hominem quendam morte digniſſimum, confugientem ad Eccleſiam, inde abſtrahi iuſſiſſet, eundemque magna humilitate veniam implorantem, hominem illæſum confeſtim reſtituiſſe. Quibus etiam diſcas, quanta obſeruantia Principes atque Præfecti prouinciarum olim coluerint ſanctos Antiſtites & loca ſacra. Sed de Bonifacio rurſum inferius.

e *Id ep. 50. & 205.* DE BONIFACIO DVCE IN AFRICA.

f *Ep. 6 & 7. in append.* EXCOMMVNICATVR, ET RESTITVITVR AB AVGVST.

III.

PROCACIA ARIANORVM IN AVGVST.

g *Poſsid. in vit. Aug. ca. 17*

h *Aug. cont. Maximin. l. 2. & ep. 73. & 54.*

Accidit inſuper, vt dum Gothi ſub eodem Bonifacio militarent in Africa, Ariani ibidem inualeſcerent. Etenim cum Gothi ipſi Ariani eſſent; vna ſecum quoque ducebant qui ſacra iis miniſtraret Arianum Epiſcopum. Erat hic Maximinus nomine, qui eo temeritatis progreſſus eſt, vt auſus fuerit S. Auguſtinum apud Hipponem ad diſputationem de fide laceſſere. Sed & prouocauit alio tempore eumdem Sanctum apud Carthaginem Paſcentius Comes in Africa Exactor rerum fiſcalium, itidem Arianus. Agit vero de vtriuſqꝫ hæretici procacia Poſſidius [g]: ſed tutius illorum diſputationes percipi poſſunt ex ipſius S. Auguſtini [h] aduerſus eos editis ſcriptis.

HONORII 29. THEOD. II. 16.

IESV CHRISTI AN. 423.

BONIFACII AN. 5.

I.

HONORII IMP. OBITVS.

a *Socr. li. 7. c. 22. alias in Chron.*

HONOR. RELIGIONE POTENS.

ANno Chriſti quadringenteſimo vigeſimo tertio, Mariniano & Aſclepiodoto Coſſ. Honorius Imperator ex hac vita migrauit decimooctauo Calēdas Septembris, vt Socrates [a], Proſper, Marcellinus, & Caſſiodorus affirmant: addit Miſcellæ auctor, eſſe defunctum Romæ, poſitumque in Mauſoleo iuxta corpus S. Petri Apoſtoli. Imperauit ab obitu Theodoſii patris annos viginti octo, menſes ſeptem minus duos dies: Vixitque annos triginta nouem & menſem vnum expletum. Sugillant eum aliqui, quod nunquam viſus fuerit in procinctu, per ſuos duces bella gerens. Sed id à Rege non requiritur, ſatis vero ſuperque ad laudem Honorii, quod nullus Imperatorum Chriſtianorum inuentus eſt, qui per ſuos duces extinxerit plures in Imperium graſſantes tyrannos, nec qui ingruentes barbaros ſæpius vicerit: vt plane fuerit in ipſo perſpicue declaratum, longe præſtare Imperatorem religione pollere quam armis: quandoquidem vt tanta præſtiterit, nequaquam ducum virtuti tribuendum, quos ferme omnes expertus eſt infidos & proditores; aduerſus quos rurſus copiæ ducendæ fuerint, & ancipiti pugnandum certamine; ſed plane diuinæ protectioni, quam ipſe bene culta pietate demeruit.

II.

Quod autem ante ſuum obitum hoc ipſo anno (vt habent Proſper & Caſſiodorus) Gallam Placidiam Auguſtam ſororem ſuam, cum eiuſdem filiis duobus, Valentiniano & Honorio ex Conſtantio ſuſceptis, ob ſuſpicionem inuitatorum hoſtium, miſiſſet in Orientem; adeoqꝫ ipſo defuncto nullus in Occidente eſſet, qui iure cognationis Imperium gubernandum ſuſciperet: IOANNES quidam, quem anno ſuperiori Imperatorium reſcripta [b] Præfecturam geſſiſſe Prætorii demonſtrant; vilis natalib. homo, qui inter Notarios ante militauerat, Imperium arripere auſus eſt, ac per legatos poſtulare à Theodoſio vt Imperator declararetur. At vero Theodoſius illos in cuſtodiam tradens, exercitum aduerſus Ioannem miſit; de quo agetur anno ſequenti. Hæc vero ita ſe habuiſſe, Socrates [c] narrat. Ioannem autem ipſo Principatus exordio æque aduerſus Dei Eccleſiam bellum paraſſe, atque omnia ſimul ab ea priuilegia abſtuliſſe, quæ à Chriſtianis Imperatoribus tam perſonis quam locis Eccleſiaſticis collata fuerant, patet ex Valentiniani poſtea editis ſanctionib. [d], quibus ea reſtituit. Contra vero Theodoſius exemplo aui ſui, ad Occidentale Imperium è tyranni manibus vindicandum, arma primum ſpiritualia Deo potentia præparauit; dum hoc eodem anno edictis ſuis exagitauit omnium ſectarum hæreticos [e], itemque Iudæos [f], atque Paganos [g]: adeo vt quod ad ipſos Gentiles ſpectat, ſcribat Theodoretus [h], eumdem mandaſſe ita omnia funditus euerti, vt ne veſtigium quidem eorumdem erroris reſtaret poſteris ad intuendum. Sicut & poſt biennium, rurſum prohibito [i] ſub pœna mortis omni Gentilitio cultu, cuncta eorumdem fana, templa, ac delubra, ſiqua reſtarent integra, omnino deſtrui, collocationeqꝫ venerandæ Chriſtianæ Religionis ſigni expiari præcepit. De Iudæis vero, licet vetuerit eos ſynagogas nouas ædificare, veteres tamen retinere conceſſit.

IOANNES TYRANNVS INSVRGIT. b *l. 2. C. Th. de pagan. l. 1. quod iuſſu* [illegible]

c *Socr. vbi ſupr.* IOANNES IVRA ECCLESIÆ TOLLENS PRIVATVR IMPERIO. d *l. 45. & 47. C. Th. de Epiſc. & cler.* e *l. 59. 60. 61. C. Th. de hæret.* f *l. 25. 26. 27. C. Th. de Iudæ.* g *l. 22. 23. 24. C. Th. de pagan.* h *Theod. lib. 5. c. 36.* i *l. vlt. C. Th. de pagan.*

III.

k *lib. de Ro. Pont.* BONIF. PAPÆ OBITVS.

Hoc eodem anno, octauo [k] Calendas Nouembris, S. *Bonifacius* Papa diem obiit. Id enim S. Proſper & Marcellinus indicant, dum his Coſſ. ingreſſum referunt ſucceſſoris; ex quibus plane corrigendi ſunt, qui ſedi eius triennium tantum vel paulo amplius tribuunt; cum ex tempore, quod diximus eius electionis vſque ad diem obitus, conſtet eum ſediſſe annis quinque minus duobus menſibus & tribus dieb. Sepultus eſt via Salaria in cœmeterio S. Felicitatis martyris iuxta corpus eius. Porro citat Beda [l] libellum de miraculis Bonifacii Papæ; ſed cuius Bonifacii [illegible] dicit. Recitatque miraculum de puero Iudæo à patre in ignem iniecto, quod Euchariſtiam cum Chriſtianis ſuſcipiens, Spiritus ardore incenſus clamauerit ſe optare fieri Chriſtianum; deque eius matre puero opem ferente, itidem in ignem à marito iniecta; & ſeruatis ambobus illæſis. Ceterum cum Bonifacii vacaſſet [m] ſedes dies nouem, fruſtra quibuſdam petentib. reditum Eulalii ſchiſmatici, tertio Nonas Nouembris creatus eſt CÆLESTINVS patria Romanus ex patre Priſco fuiſſe quidem pacificam eius electionem, ſatis declarant litteræ [n] S. Auguſtini, quas ad ipſum mox ſcripſit, auxilium Apoſtolicæ ſedis implorans aduerſus Antonii Epiſc. Fuſſalenſis (de quo ſuperius) illegitime factam ordinationem. Et tamen qui Eulalii factionis erant, in eadem ſciſſione perſeueraſſe, nec vllo pacto cum Cæleſtino communicare voluiſſe; ſignificant Valentiniani reſcripta [o] poſt annum ſequentem aduerſus eos data.

l *Bed. in Collectan. in fin.* MIRACVLVM DE PVERO ET FEMINA IVDÆIS.

m *lib. de Ro. Pont.* CÆLESTINVS CREATVR RO. PONT. n *Aug. ep. 261.*

o *l. 62. 63. 64. C. Th. de hæreti.*

IV.

THEODORETVS CREATVS CYRI EPISC.

p *Theod. ep. ad Leon.* q *Id. ep. 113.* r *Id. ep. 81. ad Nomum Conſ.*

Hoc eodem anno *Theodoretus* Cyri in Syria ciuitatis, octingentas (vt teſtatur [p]) parœcias ſub ſe habentis, creatus eſt Epiſcopus. Id enim colligitur ex eo quod ipſe in litteris [q] ad Leonem Papā datis (vt ſuo loco dicetur ex certa Coſſ. nota) anno Domini quadringenteſimo quadrageſimo nono, ſcribat eo tempore habuiſſe iam in ſede Epiſcopatus annos viginti ſex. Cum autem (vt alibi [r] refert) ante ſuam ipſius conceptionem à genitoribus Deo votus eſſet, & ab incunabulis oblatus, in monaſterio permanſit, quouſque inuitus ordinatus eſt Epiſcopus. Tuncque primum à Theodoto Epiſcopo Antiocheno, deinde à Ioanne eius ſucceſſore, ac demū Domno in locum Ioannis defuncti ſubrogato, Antiochiæ plerumque retentus eſt vt

pro concione populum edoceret. Pollebat enim mira dicendi facundia, diuinis litteris necnon externis apprime imbutus, vt egregia ipſius contra Gẽtiles, aliaque ſcripta apertam fidem faciunt: cum alioqui de homiliis quas ad populum habuit, nec vna ſuperſit.

V. THEODORETI IMMENSI LABORES ADVERS. HÆRET. IVD. GENTIL.

Cum vero & Eccleſiam ſuam (vt par erat) ſæpe viſitaret, eamque regionem Marcionitis hæreticis confertam videret; ad eos ab errore liberandos adiiciens animum, pluſquam decem millia ipſorum (vt ſcribit s) ad Eccleſiam Catholicam conuertit; cum tamen vnum ex eis lucrari quaſi miraculum videri poſſet: nam facilius inuenire Marcionitam à Gentilibus olim occiſum, quam à Chriſtianis Eccleſiæ redditum. Recenſet autem ipſemet Theodoretus t ſua ipſius quædam certamina contra eoſdem hæreticos inita, quibus aduerſus cõtrarios diaboli conatus diuinam expertus eſt opem, virtute Reliquiarum Sanctorum martyrum, ac protectione S. Ioannis Baptiſtæ, precibuſque Iacobi anachoretæ, in cuius Vita à ſe deſcripta hæc ipſe fuſius narrat. Nec vero ſolum cum Marcionitis fuiſſe illi confligendum, ſed etiam cum Arianis atque Eunomianis, Gentilibus item atque Iudæis, eoſque ſimiliter debellaſſe, & quamplurimos Eccleſiæ reſtituiſſe, ſed non ſine ingentibus periculis, quibus ſæpe ſanguinem ſuum fudit, ſæpe etiam lapidatus fuit, & ſæpe ad portas mortis peruenit; idem u alia occaſione ad Leonem Papam, ac Nomum Conſulem ſiue Conſularem, coactus eſt de ſe prædicare, cum grauiſſimarum procellarum impetu quateretur, de quibus dicetur ſuo loco.

s Id ep. 146. ad eãd. vit. monaſt.
t Id hiſt. SS. Patr. c. 21.
u Id. ep. 113. & 81.

THEOD. II.17.

IESV CHRISTI AN. 424.

CÆLESITINI AN. 1.

I. CASTINI CONS. FVGA IN AFRICAM.

ANno Domini quadringenteſimo vigeſimo quarto, Caſtino & Victore Coſſ. idem Caſtinus calumniis inimicorũ appetitus, ex Italia profugus in Africam nauigans, ad Bonifacium Comitem ibi cum copiis Gothorum agentem coactus eſt confugere: idque magna diuini iudicii diſpenſatione, cum ipſe (vt dictum eſt anno ſuperiori) eundem Bonifacium ſub ſe militantem adeo deſpexiſſet, vt ab exercitu recedere compuliſſet. Expunctum autem è Faſtis nomen eius, reſcripta a Theodoſii Imperatoris hoc anno data demonſtrant, dum ea Victoris tantum collegæ Conſulatu notata leguntur. Hocque eodem anno, Ioannis tyranni, iungere ſibi Africam tentantis exercitum, ab eodem Bonifacio Comite repulſum eſſe, Proſper b tradit. De Caſtini vero fuga, & Ioannis in Africam conatibus, extant c etiam binæ ipſius Bonifacii ad S. Auguſtinum, totidemque Auguſtini ad eum litteræ.

a l. 36. de erog. milit. annon. l. 14. de cohort. l. 5. de donat. &c.
b Proſp. in Chron.
c ep. Aug. in Append. ep. 4. 5. 10. 11.

II. ARDABVR DVX THEODOSII IMP. CAPTVS A IOANNE TYRAN.

Inter hæc autem cum aduerſus eumdem Ioannem Theodoſius Imperator exercitum miſiſſet in Occidẽtem ſub duce ſeclectiſſimo Ardaburio d; hic Salonis vrbe Dalmatiæ Aquileiam nauigans, vento aduerſo flante in manus tyranni delatus eſt, & ab eo in cuſtodia tentus Rauennæ. Quomodo vero ab Aſpare filio liberatus fuerit, & tyrannus extinctus, dicetur anno ſequenti.

d Soc. lib. 7. c. 23.

THEOD. II.18. VALENT. III.1.

IESV CHRISTI AN. 425.

CÆLESTINI AN. 2.

I. IOAN. TYRAN. DIVINITVS SVPERATVR, ET OCCIDITVR.

ANno Chriſti quadringenteſimo vigeſimo quinto, Theodoſio Auguſto vndecimum & Valentiniano Cæſare eius conſobrino Coſſ. Ioannes tyrannus ingentibus barbarorum copiis ſtipatus Rauennæ ſecurus degens, ibidem extinctus eſt ab Aſpare Ardaburii filio, aduerſus eum poſt captum patrem miſſo; cui Angelus Dei in habitu & forma paſtoris ducem itineris ſe præbens, eũdem per ſtagnum Rauennæ adiacens: aqua diuinitus exhauſta, cum copiis ſuis in ciuitatem introduxit. Narrãt hęc Socrates z, prudenter ea non Aſparis ducis virtuti, ſed Theodoſii Imperatoris pietati ac religioni adſcribens. Etenim conſtat tum Ardaburium (qui à tyranno ſuperiori anno captus, iam à filio liberatus eſt) tum ipſum Aſparem eius filiũ Magiſtros militiæ ſecta Arianos; de quib9 dicendum pluribus inferius. Theodoſius autem (vt idem auctor ſubdit) cum eius rei nuncium in ludis Circenſibus accepiſſet, inſigni pietatis exemplo iuſſis ceſſare ludis populum ad eccleſiam perduxit ad gratias Deo agendas. Hicque finis tyranni, qui cum dominationis ſuæ primordia ab imminutione iurium Eccleſiæ auſpicatus eſſet, Spiritu Dei flante repente extinctus eſt.

z Socr. vbi ſup.

PIETAS THEODOSII IN GRATIARVM ACTIONE.

II. SCYTHÆ CÆLITVS EXTINCTI.

Nec tamẽ hic finis belli. Siquidem poſt extinctum Ioannem, confligendum adhuc fuit in Oriente contra immenſam Scytharum multitudinem, qui traiecto Iſtro Thraciam populari inceperant, iamque ipſi Conſtantinopoli minabantur: ſed eos Deus ipſius Imperatoris Theodoſii precibus, ferme omnes vna cum ipſorum ducibus, fulminibus, peſte, & igne cœleſti extinxit; vt narrant Theodoretus b & Socrates c, laudibus celebrantes miram Theodoſii manſuetudinem, pium erga Deum cultum, quorũ cauſa tot tantaque meruerit conſequi beneficia. Eius vero manſuetudinis & tranquillitatis animi, hoc etiam Theodoretus adfert exemplum, quod cum aliquando à quodam audaciori monacho, ob neſcio quid ei non cõceſſum, interdictus cõmunione fuiſſet; quamuis ab Epiſcopo Conſtantinopolitano moneretur non curandam eſſe eiuſmodi excommunicationem, tamen ille noluerit cibum ſumere quin ab eodem monacho, magno labore conquiſito, communioni reſtitutus fuiſſet. Porro idem hoc ipſo anno Calendis Februarii ſcriptum dediſſe reperitur d, de ſacris Feſtis diebus religioſe ſanctèque abſque ſpectaculorum hilaritate ſeruandis.

b Theod. l. 5. c. 36.
c Socr. lib. 7. c. 41. 42.
THEODOSII RELIGIO ET MANSVETVDO LAVDATA
d l. 5. C. Th. de ſpectac.

III. AETIVS HVNNOR. DVX.

In Occidente quoque poſt tyrannum extinctum, pugnandum fuit cum *Aetio* fortiſſimo Duce, ſub ſe habente e ſexaginta millia Hunnorum; magnaque vtrimque cæde peracta, ſic res inter eos compoſitæ ſunt, vt Aetius auctus Comitatus dignitate ab Imperatore reciperetur, Hunni vero auro donati ad propria remitterentur. Sicque Dei ope factum eſt vt maximi motus Orbis breui temporis ſpatio feliciter ſedati fuerint, Galla Placidia Auguſta ſumma pace regnante cum Valentiniano paruulo filio; quem f hoc ipſe anno decimo Calendas Nouembris Theodoſius ipſius conſobrinus Imperatorem Occidentis, miſſa ei corona renunciauit. Qui & ipſe Valentinianus pro acceptis tot inſignibus à Deo muneribus, in gratiarum actionem pias valde confeſtim edidit Aquileiæ ſanctiones g; quibus hæreticos & ſchiſmaticos, necnon Gentiles Ioannis fauore rurſum capita erigere incipientes compreſſit; & priuilegia ab eodem tyranno ablata Eccleſiis reſtituit; ac præcipue clericos à ſæcularibus iudiciis exemit, *Fas enim non eſt* (inquit) *vt diuini muneris miniſtri temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio.*

e Proſp. in Chron.
VALENTINIANVS PLACIDIÆ DECLARATVS AVGVSTVS.
f Proſp. & Marcell. in Chron. Soc. lib. 7. c. 24. 25.
g l. 62. 63. 64. C. Th. de hæret. l. 46. 47. C. Th. de Epiſ. & cler.

IV. ATTICI EPISC. CONST. OBITVS.

His iiſdem Coſſ. Atticus Cõſtantinopolitanus Epiſcopus ſexto Idus Octobris ex hac vita migrauit, vt refert Socrates h; qui illum cum ob multas alias res præclare geſtas laudat, tũ ob munificentiã erga pauperes ac præcipue illos qui mẽdicare erubeſcerent, nec hæreticos quidẽ ab accipiendo excludens, cum opus haberent naturæ neceſſariis. Quem & modum inimicis Eccleſiæ benefaciendi, laudauit aliquando S. Gregorius i Papa. Eidem vero Attico tãtum tribuit idem Socrates, vt obitus ſui diem prædixiſſe affirmet. Laudatur inſuper à Sanctis Cyrillo k Alexandrino, Cæleſtino l Papa, Auguſtino m, atque Proſpero n de inſigni Orthodoxia, & hæreticorum ac maxime Pelagianorum exagitatione. Sed quod eius ſedi apud Socratem tribuantur anni viginti vnus, error eſt: ſiquidem illum decem & nouem tantummodo annos menſes ſeptem minus tres dies ſediſſe, conſtat ex eodem Socrate o atque Sozomeno p, dum oſtendunt ſedere cœpiſſe ſub Coſſ. anni Chriſti quadringenteſimi ſexti tertio Idus Martii, & hoc anno ſexto Idus Octobris mortuum eſſe. Quis autem ei ſuffectus fuerit, dicetur anno ſequenti.

h Socr. lib. 7. c. 25.
i Greg. l. 2. ep. 32. ad Ioan. Rauen.
k Cyril. Alex. ep. cont. Neſt.
l Cæleſt. ep. ad Neſt.
m Aug. l. 1. cont. Iul. 1.
n Proſp. cont. de Ingrat.
o Soc. lib. 6. c. 18.
p Sozom. l. 8. c. 27.

V.

Hoc eodem anno Theodoſius Imperator tertio Calendas Martii gymnaſium literarium Conſtantinopoli in meliorem formam reſtituit q; vetuitque inprimis neminem publice docere, qui nõ probatus eſſet, & ad hoc

q l. 3. C. Th. de ſtud. liber.

inunus

munus delectus: profitentiumque vnamquamque artem atque ſcientiam, certum numerum definiuit, nempe vt eſſent Romanæ eloquentiæ tres Oratores, decem Grammatici; Græcæ vero facundiæ Sophiſtæ quinque, ac decem Grammatici: item Philoſophus vnus, ac duo Iuris & Legum profeſſores. Alia vero Idib. eiuſdem menſis Martii edita ſanctione [f], eos qui viginti annorum curſum docendo expleſſent, Comitiuæ ordinis primi dignitate honeſtari voluit.

THEOD. SANCTIONES DE PROFESSORIB. LITTERAR.

THEODOS. II. 19. VALENT. III. 2.

IESV CHRISTI AN. 426.

CÆLESTINI AN. 3.

I. SISINNIVS CREATVS EPISC. CONSTANT.

ANno Chriſti quadringenteſimo vigeſimo ſexto, Theodoſio duodecimum & Valentiniano ſecundum Augg. Coſſ. cum de ſucceſſore in locum Attici nuper defuncti Epiſcopi Conſtantinopolitani eligendo diu certatum eſſet, tandem pridie Calendas Martii vniuerſo petente populo *Siſinnius* ordinatus eſt. Narrat hæc Socrates [a], eiuſdem extollens pietatem, & erga pauperes benignitatem: quem pariter commendat Marcellinus, virum ſanctæ ſimplicitatis & ſimplicis prędicans ſanctitatis: ſed quod præ ceteris æſtimandum eſt, eumdem ſummis laudibus ornat Cæleſtinus Romanus Pontifex in epiſtola ad Neſtorium poſtea ſcripta.

II. PHILIPPI SYDITÆ HISTORIA.

Fuiſſe eius competitores Philippum Syditam & Proclum eiuſdem Eccleſiæ preſbyteros, ambos olim S. Ioannis Chryſoſtomi diſcipulos, Socrates tradit: additque [b] de Philippo, edidiſſe poſt hæc aduerſus Iuliani Imperatoris Apoſtatæ libros, opus quod *Hiſtoriam Chriſtianam* inſcripſit, in multos libros diſpertitum, ſed rebus inanibus inflatum, quo ſe doctrina philoſophorum & humaniori litteratura excultum oſtentaret: adeo vt cum ex ea parte, tum ex maledicentia qua Siſinnium, eiuſque ordinatores Epiſcopos ac poſtulatores laicos periſtrinxit, eandem hiſtoriam Socrates valde improbet. Quod & fecit poſtea Photius in Bibliotheca, dum eam diſceptationem potius quã hiſtoriam fuiſſe dicit. Quod vero ad Proclum alterum competitorem ſpectat; tradit Socrates [c], ipſum à Siſinnio ordinatum eſſe Epiſcopum Cyzicenum, ex auctoritate legis qui iuberet nequis Epiſcopus deſignaretur abſque ſententia Epiſcopi Conſtantinopolitani: ſed Cyzicenos illo ſpreto alium accepiſſe, quod dicerent legem illam in fauorem dumtaxat Attici factam fuiſſe: ſicque Proclum repulſum Conſtantinopoli permanſiſſe, ibique magnam laudem docendo adeptum eſſe. Ex quibus videas, neque in ipſo Helleſponto ius vllum ex aliqua Synodo Oecumenica vendicaſſe ſibi Epiſcopos Conſtantinopolitanos; ſed Attico id tantum fuiſſe conceſſum, neſcio cuius legis auctoritate; ac forte eadem qua Illyricanam Eccleſiam ſibi ab Imperatore ſubiici procuraſſe ſuperius vidimus.

PROCLVS REPVLSVS A CYZIC.

III. AVGVST. COADIVTOREM SIBI ERADIVM ELIGIT.

Huius quoq; anni Coſſ. die vero ſexto ante Calendas Octobris conſignata habentur Acta [d] Eccleſiaſtica publice à notariis excepta, de re geſta per S. Auguſtinum apud Hipponem, cum aſſiſtentibus ſibi duobus aliis Epiſcopis, vniuerſo clero populoq; præſente atq; conſentiente allegit ſibi coadiutorem in Epiſcopali functione *Eradium* preſbyterum, quem & optauit ſibi poſt mortem ſuccedere; cuius rei recens præceſſiſſet exemplum de Seuero Epiſcopo Mileuitano, qui ſibi viuens ſucceſſorem deſignauerat. Erat autem Auguſtinus hoc tempore annum ætatis agens ſeptuageſimum ſecundum, Epiſcopatus vero trigeſimum ſecundum; vixitque poſt hęc annos quatuor. Porro licentia iſta deſignandi ſibi ſucceſſoris, bene vſi ſunt complures Sancti Epiſcopi: excreſcente vero hominum iniquitate, cum ſucceſſionem Antiſtites refunderent in propinquos, quos carnalis affectio non meritorum excellentia commendaret, eadem poſtea (vt videbitur) proſcripta eſt ſacris canonibus & decretis Summorum Pontificum.

IV.

Poſt hæc autem Auguſtinus, quod diu ante meditatus [e] fuerat, hoc anno [f] & ſequenti omnia ſua ſcripta relegens, duos illos *Retractationum* libros conſcripſit. Cum interim non deſiſtens alia quoque multa, à multis hinc & inde interpellatus [g], tractanda ſuſcipere; inter alia ſcripſit [h] *De prædeſtinatione ſanctorum*, & *De bono perſeuerantiæ*, aduerſus Pelagianos, qui ipſius de Vocatione & pœnitentia electorum, deque Gratia præueniente, & aliis eiuſmodi, ſcripta inſectari cœperant; prout de iis fuerat admonitus litteris Proſperi Aquitani & Hilarii Arelatenſis, tunc adhuc preſbyterorum; poſtea autem Epiſcoporum, quorũ prior commercio litterarum iam ei notus erat, poſterior etiam ipſius diſcipulus extiterat; vnde & aduerſus eoſdem eius obtrectatores, defenſionem ipſius promptiſſimo animo ſuſceperant: ad quos idem Auguſtinus prædictos ſuos tractatus conſcripſit: de quibus rurſum dicendum inferius.

V.

His ipſis Coſſ. (vt habet Proſper in Chronico) Patrocl' Arelatenſis Eccleſiæ inuaſor, de quo ſupra diximus, ambitionis ſuæ pœnas luens, à Tribuno quodam barbaro vulneribus laniatus, occiſus eſt occulta iuſſione Felicis Magiſtri militum: cuius etiam impulſu *Titus* diaconus Roman' interfectus, eo nomine adſcriptus eſt [i] inter ſanctos Martyres. Ipſe vero Felix ob hęc nefanda tandem poſt triennium diuino iudicio pœnam talionis paſſus occiſus eſt cum vxore ab Aetio Magiſtro militum. Porro in locum Patrocli ſuffectus eſt *S. Honoratus* Abbas & fundator cœnobii Lerinenſis, quem ideo S. Eucherius [k] primo *Inſulanum*, inde vero *Magiſtrum Eccleſiarum* appellat. Cuius res præclare geſtæ, deſcriptæ ab eius in vita monaſtica diſcipulo, & in ſede Epiſcopali ſucceſſore S. Hilario (quod teſtatur Gennadius [l], & alii poſt eum) oratione funebri de illo habita, prodierunt haud pridem in lucem: ex quibus refellantur fabulæ, ſeu potius dicenda deliria incerti auctoris tribus conſcripta libris; quæ talia habent, vt non ſine nauſea legi poſſint, niſi ab eo cuius ſit ſtomachus ferreus, & ignorantiæ obductus rubigine. Ex ipſo vero Hilario conſtat, fuiſſe illum Senatoria ac Conſulari familia ortum, patria Arelatenſem; eumdemque duce S. Capraſio ſene conuerſum in monachum, vitandæ cauſa humanæ laudis iter arripuiſſe Orientem verſus: ſed defuncto in Achaia itineris comite ipſius germano Venantio nomine, ipſum haud leuiter ægrotantem in patriam remeaſſe: ac primum omnium, conſilio Leontii Forojulienſis proxime degentis Epiſcopi, incoluiſſe inſulam Lerinenſem à ſerpentibus obſeſſam; illicque, cedentibus illis, eccleſiam & monaſterium erexiſſe, excepiſſeque à ſæculo profugos ad vitam monaſticam excolendam.

S. HONORATVS ELIGITVR EPISC. ARELAT.

HONORATI GENVS, ET VITÆ INSTITVTVM.

THEOD. II. 20. VALENT. III. 3.

IESV CHRISTI AN. 427.

CÆLESTINI AN. 4.

I.

ANno Domini quadringenteſimo vigeſimo ſeptimo; Coſſ. Hierio & Ardaburio (ſiue Artabure, vt eſt in veteri inſcriptione baſilicæ S. Pauli Romæ) Bonifacius Comes in Africa cum exercitu agens, inſidiis ac dolo Felicis Magiſtri militum (vt habet S. Proſper [a]) ſiue (vt volũt Procopius [b], & auctor Miſcellæ Theophanes, qui Paulus diaconus falſo inſcribitur) Aetii æque Magiſtri militum, apud Placidiam Auguſtam & Imperatorem Valentinianum affectatæ tyrannidis accuſatus, publico bello appetitus eſt à ducib. Mauortio, Galbione, & Sinoce. Sed huius vltimi proditione duobus illis, cum Bonifacium obſiderent interemptis, ipſoq; poſtea Sinoce à Bonifac o occiſo; eiuſdem belli cura Sigiſuulto Comiti cum valentioribus copiis delegata eſt. Itaq; Bonifacius propriis diffidens viribus, furore percitus transfretans in Hiſpaniam [d], Wandalos, Arianorum omnium perditiſſimos, quiq; iam in ipſa Hiſpania [e] Catholicos variis pœnis atq; ſupliciis diuexaſſent, inde in Africam duxit; qui eam ferro, flamma, rapinis crudeliſſime deuaſtantes, inſuper Catholicam fidem Ariana impietate ſubuerterũt: vt videbitur ſuis locis. Porro anſa Bonifacium accuſandi, & in ſuſpicionem adducendi apud Imperatores, ea inuidis tributa eſt, quod

BONIFACIVS DVX VVANDALOS IN AFRICAM DVCIT.

cum eidem iuſſu Valentiniani proficiſcendum fuiſſet in Hiſpaniam, ibi affinem Wandalorum Regem vxorem duxiſſet. Quamuis & alioqui deſciuiſſet iam miſer à priſtina illa pietate morumque probitate, in qua ſe hactenus S. Auguſtini aliorumque ſanctiſſimorum Epiſcoporum monitis cōtinuerat: in vitia prolapſus enormia, quæ idem Auguſtinus [f] modeſte exprobrauit, litteris ſuis illum ad meliorem frugem reuocare ſtudens. Quæ vero poſt hæc geſta ſunt, dicentur anno ſequenti.

f Aug. ep. 70.

II. g Marcell. in Chron. h l. 1. C. nem. hic. ſig. Cruc. 1 Sert. lib. 7. c. 18.

Hoc eodem anno contigit [g], vt S. Ioannis *Chryſoſtomi* memoria ritu ſolemni in Eccleſia anniuerſaria die celebrari cœperit. Iiſdemque Coſſ. duodecimo Calendas Iunias Theodoſius & Valentinianus Imperatores ſanciuerunt [h], ne ſanctum Crucis ſignum humi inſculperetur vel pingeretur: videlicet cauentes ne pedibus calcaretur. Ac ſub finem anni, nempe nono Calendas Ianuarii, Siſinnius Epiſcopus Conſtantinopolitanus ex hac vita migrauit, de cuius ſucceſſore dicetur anno ſequenti.

III. k Phot. in Biblioth. CONCIL. CONTRA MASSALIANOS HÆRET.

Hoc item anno in Oriente (ſed quo loco neſcimus) celebratum eſt [k] CONCILIVM aduerſus Maſſalianos hæreticos, alias ſæpe damnatos: quo ſancitum eſt, vt iidē quantumlibet imaginem pœnitentium præſeferrent, non amplius in Eccleſiam reciperentur, quam iam ſæpiſſime relapſi eluſiſſent. Celebrem quidem huiuſmodi fuiſſe Epiſcoporum Conuentum, inde poſſumus intelligere, quod interfuiſſe eidem & ſubſcripſiſſe reperiantur inter alios Siſinnius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, & Theodotus Antiochenus; vt Photius, cum agit de eodem Theodoto tradit. Ex quo erroris arguitur Nicephorus in catalogo Antiochenorum Epiſcoporum, dum eidem Theodoto annos dumtaxat quatuor in ſede tribuit; quem ad annum vſque decimum ſextum vixiſſe Epiſcopum, cum ex eodem Photio, tum ex Cyrilli Alexandrini litteris euidenter apparet.

IV. IOANNES EPISC. ANTIOC. ELIGITVR.

Defuncto autem paulo poſt eodem Theodoto laudato ſatis Epiſcopo, ſubrogatus eſt hoc ipſo anno in locum eius *Ioannes*, ex ſchola (vt exitus demonſtrauit) THEODORI Epiſcopi Mopſueſteni nefandiſſimi hæretici; qui cum diu latuiſſet inter Catholicos, erupit tandem in horrendam blaſphemiam, qua in diuinis Quaternitatem conſtituit, aliaque nefanda delirauit, quæ recenſentur in Conſtituto Vigilii Papæ, & Edicto Iuſtiniani Imperatoris, de quibus ſuo loco. Cuius etiam adeo ſtudioſus fuiſſe Theodoretus perhibetur, vt credendi occaſionem dederit, quod ab eo nomen deriuando dici voluerit Theodoretus. Quapropter & ipſius obitu ac laudibus hiſtoriam à ſe ſcriptam clauſit [l], & maxima ob id eam omnium ſententia ignominia affecit. Sicut pariter Sozomeni hiſtoria eadem occaſione laudum Theodori, à S. Gregorio [m] Papa reſpuitur: quæ tamen hodie non reperiuntur apud eumdem Sozomenum, quod (vt vidimus) multa ex ea exciderint, & illa ipſa tempora quibus de eodem Theodoro tractandi ſe ingerebat occaſio. Quod non attendens Melchior [n] Canus, auſus eſt eumdem Magnum Gregorium hiſtoriæ ignorantiæ ſugillare: quem nos alibi [o] pluribus redarguimus. Porro hic Theodoretum hiſtoriæ ſuæ finem impoſuiſſe ea ex cauſa reor, quod noluerit attingere Neſtorii tempora æque eiuſdem Theodori diſcipuli, qui anno ſequenti creatus eſt Epiſcopus Conſtantinopolitanus; ſcientem videlicet per ſcabra ſibi incedendum fore, quando in ſeipſum opus fuiſſet conuertere ſtylum. Sed vt paucis habeas totam ipſius Theodoreti vitæ periodum; qui à parentibus Deo dicatus, numeros magna cum laude monaſticæ inſtitutionis abſoluit, conſuetudine Theodori Mopſueſteni tantam gloriam obumbrauit, obnubilauit vero ex Neſtorii amicitia, obſcurauitque penitus ex ſuſcepto aduerſus S. Cyrillum eiuſdem hæreſiarchæ patrocinio. Sed rurſum ſpirante diuini Spiritus aura fugatis denſis nubium globis, iterum decorus apparuit, & in communicatione Catholicæ Eccleſiæ; atque amicitia S. Leonis Papæ diem clauſit extremum: ſicut hæc omnia ex iſtorum Annalium ſerie perſpicua fient.

THEODORI MOPS. VEST. LAVDATORES. l Theod. lib. 5. c. vlt. m Greg. 6. ep. 31. SOZOMENI HISTORIA MVTILATA. n Melch. Can. l. 11. Theol. lib. 2. c. 6. o Baro. Not. in Mart. Ro. die 23. Dec. THEODORETI VITA PERIODVS.

IESV CHRISTI AN. 428.

CÆLESTINI AN. 5.

THEOD. II. 21. VALENT. III. 4.

I. CVR AFRICA MERVERIT WANDALIS TRADI. a Saluian. li. 7. b Procop. lib. 1. de bel. Wandal.

ANNO Chriſti quadringenteſimo vigeſimo octauo, Tauro atque Felice Coſſ. Africa VVandalorum Alanorumque graſſatione ſub eorum Rege Genſerico miſere deuaſtata eſt; compulſo Deo iuſto iudice, cum aliis ingentibus Afrorum criminibus, tum maxime nefandiſſimis impudicitiis (ſicut inter alios fuſe ac flebiliter queritur Saluianus [a], magni nominis horum temporum Maſſilienſis Epiſcopus) vt hoſtiles plagas excitatas pene ab vltimis terræ finibus, in eos immitteret. Teſtatur enim Procopius [b], *VVandalos* populos fuiſſe circa Mæotidem paludem conſidentes, eoſdemque fame preſſos, in Germanos illos irrupiſſe, qui *Franci* dicuntur. Addit vero Saluianus, inde eos in Gallias, mox in Hiſpanias, ac demum in Africam penetraſſe, ad punienda earum nationum flagitia; cum & ipſi faterentur, non ſuum eſſe quod facerent, ſed agi ſe diuino iuſſu, ac perurgeri. Sicut & S. Auguſtinus paucis his diebus quibus ſuperuixit, cum cladem barbaricam nonniſi ob exundantem peccatorum copiam Afros pati teſtatus eſt, iam in profundum illud ſcelerum eos perueniſſe demonſtrauit, quod à diuina Scriptura [c] verbis illis ſignificatur, *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Quod eodem tempore, quidnam paſtoribus populorum faciendum eſſet, fugiendumne, vel vna cum ceteris VVandalorū operiri catenas & gladios, cum hac de re controuerſia verteretur, à duobus Epiſcopis Quoduultdeo & Honorato conſultus idem Auguſtinus, reſcripſit [d] nec eos eſſe prohibendos qui ad loca munita migrare deſiderant; & miniſterii vincula, ne Epiſcopi Eccleſias deſerant, quibus ſeruire debent, non eſſe rūpenda.

c Prov. 18. EPISCOPI AN FVGERE DEBEANT. d Aug. ep. 180. ad Honor.

II. e Vict. Vtic. de perſec. Wandal. lib. 1. in princ. DIRA CLADES AFRICÆ.

Ceterum Victor [e] de VVandalorum progreſſu agens, ait calliditate Genſerici ducis, vt famam terribilem ſuæ faceret gentis, omnem multitudinem numeratam eſſe; ac repertos ſenes, iuuenes, paruulos, ſeruos, vel dominos, octoginta millia, tantum numerum vbique diuulgaſſe. Inuenientes autem pacatam prouinciam, vniuerſam terram depopulatos eſſe, incendioque & homicidiis totum exterminaſſe; ſed nec arbuſtis fructiferis omnino pepercisſe, ne forte quos antra montium, aut prærupta terrarum, vel ſecluſa quæque occultauerant, poſt eorum tranſitum illis pabulis nutrirentur; nullumque ab eorum crudelitate remanſiſſe locū immunem. Interim vero Bonifacius Comes, qui eoſdem barbaros prouocarat in Africam, per amicos ſuos in amicitiam Placidiæ Auguſtæ atq; ipſius filii Valentiniani Imperatoris redintegratus; initam cum VVandalis ſocietatem deteſtans pecunia primum, poſtea prælio eos pellere tentauit; ſed victus ab ipſis, Hipponem Regium ſe recepit, ciuitatem Numidiæ maritimam ac munitiſſimam, S. Auguſtini ſedem, quam poſtea (vt dicetur) VVandali obſederunt. Hæc autem de Bonifacio narrat Procopius [f]; quorum etiam meminit Poſſidius in Vita S. Auguſtini: cetera autem poſtea.

f Procop. li. 1. de bel. Wandal.

III. g Proſp. in Chron. FRANCI IN GALLIA VICTI.

Sub iiſdem Coſſ. (inquit S. Proſper [g]) pars Galliarum propinqua Rheno, quam FRANCI poſſidendam acceperant (præerat illis hoc tempore CLODIO) Aetii Comitis armis recepta eſt. Eadem Caſſiodorus in Chronico; necnon Sidonius Apollinaris in Panegyrico de Conſulatu Maioriani, qui ſub Aetio tunc eques pugnauit contra Francos ad vicū Helenam. Nam bene vſus Aetius opportunitate tēporis, adortus eos ex improuiſo dum choreas ducerent in nuptiis cuiuſdam nuptæ Franco claræ puellæ; & illam cepit, & ceteros in fugam egit nouo caſu perculſos. Perſimili plane olim modo Francos imparatos offenſos, leui negotio à Iuliano Apoſtata ſuperatos fuiſſe Ammianus [h] tradit. Porro quod iidem Franci tam à Gentilibus quam Chriſtianis antiquis ſcriptoribus [i], reperiuntur dicti *Fidifragi*; tales quidem ipſi cum adhuc eſſent idololatræ, & humanas cæderent hoſtias: ſed exculti Chriſtianis moribus, eo religionis & fidei atque conſtantiæ peruenerunt, vt inter Chriſtianos omnes & obſeruantiſſimos fidei populos, inuenti ſint maxime pii atque ii-

h Ammian. l. 6. 10. i Vopiſ. in Procul. Saluian. l. b. 4. & 7. MVTATI IN MELIVS FRANCOR. MORES.

ueres

Digitized by Google

deles defenſores Eccleſiæ, cuſtodeſque Catholicæ veritatis & diſciplinæ. Quod vero de Francis dicimus, de aliis quoq; dicendum nationibus; quæ cum antequam fidem Chriſtianam ſuſciperent, deprauatis feralibuſque eſſent moribus, vbi ſacro initiati ſunt baptiſmo, nouum hominem induentes, manſueti & pii ſunt redditi; ſicut pluribus demonſtrat Theodoretus in libro de Legibus. Vt vel ex hoc vno cernere ſit Catholicæ fidei veritatem, cum hoc minime inuenire detur apud hæreticos: quos tãtum abeſt Ethnicos vmquam ad vitam excultiorem perduxiſſe, vt ipſimet ex quo à ſinceritate fidei defecerunt, redditi ſint barbaris omnibus ſceleſtiores, quantumlibet nonnulli ad tempus conati ſint tegere lupũ ouina pelle. Quod quidem de Francis, de quibus eſt ſermo, noſtro tempore ſatis euidenter apparuit, dum ſi de vere Catholicis agitur, vix in Orbe ſit inuenire illis æquales probitate & conſtantia; ſi de peruerſis in hæreſes, haud facile ſit reperire hæreticos nequiores.

IV.

k Caleſt. ep. 1. to. 1. epiſt. Rom. Pont.

Sed quod ad ſtatum pertinet huius temporis Eccleſiarum Galliæ Nabonenſis & Viennenſis; turbatum illum fuiſſe ab innouatoribus, intelligi poteſt ex litteris [k] Cæleſtini Papæ hoc anno ad eorum Epiſcopos ſcriptis: emerſiſſe nimirum qui in veſtitu clericorum nouum vſum inducerent nempe vt incederent palliati, ac præcincti renibus, eo quod Dominus [l] ſuos admonuiſſet, *Sint lumbi veſtri præcincti &c.* Quos reprehendens Cæleſtinus, iuſſit clericos illum quem à maioribus accepiſſent retinere habitum, nec à peregrinis peregrinum acciperent; quod præſtaret moribus magis quam indumẽtis, ſacerdotalem præſeferre decorem. Redarguit etiam eos de aliis quibuſdam perperam geſtis, atque inter alia de probroſa Danielis cuiuſdam, ſanctimonialium olim in Oriente corruptoris, facta ab ipſis ad Epiſcopatum promotione: in cuius etiam negotio videas, maioris momenti cauſas tam ab Oriente quam ab Occidente deferri ſolitas ad cognitionem iudiciumque Romani Pontificis.

l Luc. 12.

Nova habitvs inventio vetita Clericis.

V.

Sub iiſdem Coſſ. cum ageretur de ſubrogando in locum Siſinnii Epiſcopo Conſtantinopolitano, multique, Philippum, complures Proclum deſignatum cuperent; viſum eſt Theodoſio Imperatori de conſenſu populi, Nestorivm Antiochiæ acceſſere, oriundum ex Germanica vrbe Syriæ, magnique nominis Eccleſiæ Antiochenæ presbyterum ex monacho, & quod lingua diſertus eſſet aptum docendo populo iudicatum. Narrat hæc Socrates [m]; eumque ordinatum tradit quarto Idus Aprilis. Caſſianus [n] vero ait, quod cum Eccleſia Conſtantinopolitana olim ab Antiochena ſanctiſſimum atque doctiſſimum nacta fuiſſet Antiſtitem Iohannem Chryſoſtomum, inde alium ei ſimilem recepturam ſe credens, Neſtorium delegerit. Qui ſimulac ordinatus fuit, oratione ad Imperatorem habita, eum aduerſus hæreticos commouens, hanc ſententiam tantopere poſtea decantatam coram vniuerſo populo protulit, *Mihi, ô Imperator, terram hæreticis tu purgatam tribue, & ego tibi cœlum retribuam. Tu mihi in profligandis hæreticis ſubueni, & ego tibi in profligandis hoſtibus ſubueniam.* Paucisque poſt diebus eccleſiam Arianorum, in qua clam preces fundebant, demolitus eſt; alioſque quoſcumque hæreticos inſectari cœpit; interque illos, etiam Nouatianos, vnde Socrati homini Nouatiano orta occaſio, nimiæ illum præcipitationis arguendi, cum econtra plurimum laudis ab eiuſmodi hæreticorum exagitatione meruerit accipere. Cuius etiam incenſo zelo Theodoſius Imperator, alioqui ſua ſponte bene currens, vehementius excitatus, cum omnes hæreticos (quorum quamplurimorum nomina recenſet) variis ſubiecit pœnis, tum etiam turpes perſonas edictis [o] ſuis repreſſit. Porro de Neſtorii ordinatione ſcripſiſſe ex more Epiſcopos qui interfuerunt, ad Cæleſtinum Romanum Pontificem & Cyrillum Epiſcopum Alexandrinum, vitam eius & doctrinam multum prædicantes, conſtat ex litteris eorumdem Cæleſtini [p] atque Cyrilli [q].

Nestorivs electvs Episc. Constant.

m Socr. lib. 7. c. 29.

n Caſſian. de Incar. lib. 7.

De pellendis hær. Nestorii egregivm dictvm.

o l. 65. de hæret. l. 2. de lenon. C. Th.

p Caleſt. ep. ad Neſtor.

q Cyril. et Theod. to. 5. Conc. Epheſ. edit. Pet.

VI.

Verum ipſe plene iam potitus honore, cui ſimulata olim vitæ ſanctitate inhiauerat (vt egregie illum poſtea depinxit Theodoretus [r]) infelix ſubito ex paſtore conuerſus in lupum (inquit Vincentius [s] Lerinenſis) gregem Chriſti lacerare cœpit; cum hi ipſi qui rodebantur, ex magna adhuc parte paſtorem crederent, ideoque morſibus eius magis paterent: quippe qui vni hæreſi ſuæ aditum patefaceret, cunctarum hæreſeon blaſphemias inſectabatur, & noxios quoque Iudæorum atque Gentilium confutabat errores. Hic igitur talis his ipſis Coſſ. (vt habent Proſper [t] & Liberatus [u]) prædicare cœpit ex Maria hominem tantum & non Deum natum, eique diuinitatem collatam eſſe pro merito. Cuius quidem hæreſim deducit Caſſianus [x] è fæculentis fontibus Ebioneis, deriuatque per lutulentos eorum cuniculos qui Chriſti negauerunt diuinitatem, ac demum per Pelagianorum eſſe productam cloacas tradit. Sed contra Socrates [y], qui ſe in Neſtorii libris verſatum ait, negat eum Pauli Samoſateni aut Photini opinionem ſectatum eſſe, aut Chriſtum ſolum hominem dixiſſe; ſed vocem dumtaxat *Deiparam*, præ inſigni inſcitia & ignoratione reieciſſe: licet enim eloquentia polleret, imperitum tamen fuiſſe: & ſeipſum efferentem, veterum ſcripta legere neglexiſſe, in quibus alioqui vocem *Deiparam* ſæpius vſurpatam reperire potuiſſet.

r Theod. ep. ad Sporad.

s Vinc. Lerin. c. 16.

Nestor. in pravvm mvtatvs.

t Proſp. in Chron.

u Liber. in Breu. c. 1.

x Caſſian. de Incar. verb. lib. 1. & 5.

Nestor. qvos sectatvs hæresiarchas.

y Socr. lib. 7. c. 32.

VII.

Aſſentimur & nos Socrati, recte primarium edocenti fontem vnde omnes hæreſes manare ſolent, ex quo & Neſtorius venena hauſit, nempe ex tumore mentis, neglectuque SS. Patrum, atque contemptu antiquarum Eccleſiæ traditionum. Sed quod negat Neſtorium Pauli Samoſateni veſtigiis inſtitiſſe, haud res ab eo exacte videtur eſſe conſiderata; cum omnes qui de Neſtorio ſcripſerunt, ſecus ſentiant, atq; inprimis S. Cæleſtinus Papa ad ipſum Neſtorium ſcribens: ſicut & S. Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus demonſtrat, Neſtorium quindecim capitibus eadem cum Paulo hæreſiarcha ſenſiſſe. Denique Neſtorium fuiſſe Pauli Samoſateni nepotem, Suidas teſtatur: vt vel hinc veriſimile ſit, eius errores ipſum inſtaurare conatum eſſe. Certe quidem longe ante Neſtorium, inter Latinos Patres S. Ambroſius [z] non alium quam Paulum Samoſatenum eiuſque ſectatores ſugillauit, cum dixit nonnullos aliud Dei Verbum, alium verum Dei Filium credidiſſe. Quam ſententiam Neſtorium accepiſſe, quis non videt? At ſi altiorem petas originem, inuenies eamdem poſitionem Ario tributam [a] ab Alexandro Epiſcopo Alexandrino. Sic igitur cum negari non poſſit, Neſtorium complura ex Paulo mutuatum; tamen certũ eſt, verſipellem hæreſiarcham, ſcientiam male audire in Eccleſia nomen eiuſdem Pauli, ſimulaſſe illum pariter deteſtari; adeo vt in ipſum iactarit, *Sic pereat Paulus Samoſatenus qui nudam nobis Dominicam delirauit humanitatem.* Et alioqui inter illos huiuſmodi ponitur differentia, quod Neſtorius negarit in vtero ſanctiſſimæ Virginis Chriſtum fuiſſe Deum, Paulum autem ſemper. Nec qui tradunt Neſtorium ſecutum eſt Paulum, vel alios impios negantes hypoſtaticam vnionem carnis cum Verbo, eumdem cum illis omnia ſenſiſſe aſtruunt: quandoquidem in eo potiſſimum ab iis omnibus Neſtorius diſcrepabat, quod ſe Nicænæ fidei aſſertorem eſſe gloriaretur, cui ille penitus aduerſaretur.

z Ambr. de Incar. verb. c. 6.

a ap. Socr. lib. 1. c. 3.

VIII.

Sed vt viciniorem attendamus canalem, ex quo in ipſius agrum praua dogmata fluxerunt; conſtat Neſtorium diſcipulum fuiſſe Theodori nefarii illius Mopſueſteni Epiſcopi, teſtante id Euagrio [b] & aliis: ac Quinta Synodus [c] Oecumenica, necnon Iuſtinian. Imperator edicto [d] de Fide Catholica, damnaſſe reperiuntur ipſum Theodorum veluti ducem Neſtorii. Aſſeritque inſuper Cyrillus [e], præceptorem habuiſſe Diodorum Tarſenſem Epiſcopum. Porro eamdem doctrinam Diodori fuiſſe, quæ fuit & Theodori, Theodoretus [f] affirmat. Quænam vero fuerit Diodori, Cyrillus tradit illum cum primo Spiritus Sancti impugnatori extitiſſet, eiuſmodi poſtea deponentem Macedonianæ perfidiæ maculã, in alteram recidiſſe, ſenſiſſeq; alterum eſſe Filium ſeorſum qui de ſemine Dauid & S. Virgine natus eſt, & alterum proprie Filium Dei Patris: eumdemque ouina pelle lupum contegentem, ſimulaſſe quidem vnum ſe Chriſtum docere, hoc nomen tantummodo vt Patris Verbo Filio vnigenito tribuentem; gratiam vero & huic deputantem qui eſt ex ſe-

b Euagr. lib. 1. c. 2.

c Conc. Oecu. 5. Coll. 4. &c.

d Ext. to. 2. Concil.

e Cyril. de incar. vnig. & ep. ad Succeſſ.

f Theod. 5. hiſt. vlt.

Diodori Tarsen. hæreses.

mine Dauid, quem & Filium vocaret, tamquam vnitum; ei qui ſecundum veritatem eſt Filius, vnitum autem iuxta ſolam dignitatem & auctoritatem & honoris æqualitatem. Cuius diſcipulus Neſtorius ſimulauit quoque ſe vnum Chriſtum etiam Filium & Dominum confiteri; verum & ipſe duos in vnum indiuiduumque partitus eſt, hominem dicens Deo Verbo æquiuoca nuncupatione & honore & æqualitate atque dignitate coniunctum. Hæc de ambobus Cyrillus.

IX. Diodor. quam diu vixit, latuit. qualis eſſet.

Ceterum DIODORVS ex monachorum Abbate, præfectus olim Tarſenſi Eccleſiæ à Meletio Antiocheno, quamdiu vixit, non latuit tantum hæreticus, ſed & claruit inter magni nominis Epiſcopos & Orthodoxę fidei acerrimos propugnatores; laudatus à S. Baſilio, & qui eumdem Diodorum nactus fuerat in eremo inſtitutorem S. Ioanne Chryſoſtomo, necnon Cyrillo, & aliis; vt omittamus dicere de Theodoreto, qui mirificis eum ſemper præconiis extulit: poſt mortem vero, qualis intus fuiſſet, ex ipſius depromptum eſt ſcriptis, cum ea de cauſa damnatus eſt vna cum ſocio impietatis & ſimulationis Theodoro Mopſueſteno, quando dogma ſuum Neſtorius ex eorum doctrina confirmare cœpit: vt horum omnium teſtis eſt inter alios Leontius [g], diceturq; inferius ſuis locis. Denique Neſtorium fauiſſe Pelagianis, conſtat ex Cæleſtini Papæ ad eum poſtea reddita epiſtola: Neſtorianoſque ex Pelagianis eſſe progenitos, ac ſymbola interceſſiſſe, inter vtramque hæreſim, plane detegit Caſſianus [h] ſecretorum Pelagianorum optime conſcius.

g Leont. de Sect. Act. 4.
h Caſſian. de Incarn. Verb. lib. 1. c. 3.

X. Neſtorii progreſſus impii.
i Socr. lib. 7. c. 32.
k Euagr. lib. 1. c. 2.

Qui igitur hos habuit impietatis magiſtros Neſtorius, ad eam promulgandam inprimis vſus eſt miniſterio *Anaſtaſii* cuiuſdam presbyteri (vt Socrates [i] & Euagrius [k] tradunt) ſectatoris dogmatum Iudæorum, qui vna cum eo Antiochia Conſtantinopolim venerat, eique in rebus gerendis conſiliarius ſemper extiterat, itemque (vt Cyrillus ad Cæleſtinum Papam ſcripſit) *Dorotheo* Epiſcopo, quem Marcianopolis Myſiæ antiſtitem fuiſſe conſtat, viro quæſtus cauſa adulationi impenſe dedito: quorum vterque (vt iidem auctores aiunt) publice pro concione ibidem Conſtantinopoli coram frequentiſſimo populo auſus eſt negare MARIAM dici debere Θεοτόκον, ſiue DEIPARAM, quod (vt dicebat) ipſa homo eſſet, & ab homine Deus naſci non poſſet; & anathema illis dicere qui eã *Deiparam* aſſererent: horrente quidem populo, & acclamante contra tantam blaſphemiam; ſed approbante illam & confirmante Neſtorio, qui iam antea eiuſmodi impietatem ſæpe orationibus ſuis ſubdole immiſcuerat, & poſtea apertius proferre non erubuit, eum qui ſpatiis menſtruis, hoc eſt bimeſtri, & trimeſtri, & ita deinceps adoleuiſſet, Deum non eſſe appellandum. Atque hæc fuere initia malorum: quæ vero ſecuta ſunt, dicentur ſuis temporibus.

THEOD. II. 22. VALENT. III. 5.

IESV CHRISTI AN. 429.

CÆLESTINI AN. 6.

I. S. Germani Antiſiodor. legatio in Britanniam.
a Proſp. in Chron. & adu. Collat. inſr.
b Bed. 1. hiſt. Angl. 14. & 17.

ANNO Domini quadringenteſimo vigeſimo nono, Florentio & Dionyſio Coſſ. Cæleſtinus Papa actione Palladii diaconi Germanum Antiſiodorenſem in Gallia Epiſcopum, in Britanniam vice ſua miſit, vt deturbatis hæreticis Pelagianis, qui eius Inſulæ Eccleſias dogmatibus ſuis corruperant, eas ad Catholicam fidem dirigerent: vt tradit ſub his Coſſ. S. Proſper [a] res ſui temporis deſcribens. Ex quo Bedam [b] corrigas, dum ſub anno octauo Theodoſii Imperatoris miſſionem ponit Palladii, legationem vero S. Germani poſt eiuſdem Theodoſii obitum ſub Marciano Auguſto. Duæ namque fuerunt iſtæ legationes, nimirum Palladii altera, altera S. Germani ſed poſterior ex priore, ambæque ex vno eodemque prodeuntes fonte, nempe à Cæleſtino Romano Pontifice, vt ex eodem Proſpero conſtat.

II.
c ap. Sur. to. 4.
d Iſi. de vir. Illuſtr. ca. 5.

Ceterum extant [c] ipſius S. *Germani* Acta, omni fide à Conſtantino tunc presbytero poſtea Epiſcopo (cuius etiam meminere Sidonius Apollinaris & Iſiodorus [d]) ſcripta ad S. Patientem Epiſcopum Lugdunenſem & Cenſurium Antiſiodorenſem, qui hoc ipſo ſæculo floruerunt. A quibus, ſimulque ab ipſo Beda cum aſſeratur, S. Germanum in Britanniam à Synodo Gallicana miſſum eſſe; Proſperi vero auctoritate conſtet, à Cæleſtino Papa id factum: potuit contigiſſe, vel vt quem mittendum Synodus illa delegiſſet, Pontifex cõprobaſſet, vel qui ad eam prouinciam legari deberet, ipſe Cæleſtinus arbitrio Gallorum Epiſcoporum reliquiſſet. Certe quidem cladem illatam Britannorum Eccleſiæ ab ipſorum gentili Pelagio ac eius diſcipulis, prius innotuiſſe Epiſcopis Galliarum legatione Catholicorum Antiſtitum Britannorum, ex Conſtantino liquet. Ab iiſdem vero Gallis additus item eſt S. Germano collega vir ſanctiſſimus *Lupus* Epiſcopus Trecenſis, qui [e] ducta olim vxore Pimeniola, ſorore Hilarii Arelatenſis, poſt ſeptennium ambobus amore perfectioris vitæ ſe ab inuicem ſeparantibus, ipſe Lupus ſub S. Honorato Abbate cœnobii Lerinenſis vitam monaſticam excolens, indeque à Trecenſibus ad Epiſcopatum aſſumptus, mira ſanctitate claruit: ad quem iam nouem luſtra in Epiſcopatu perfunctũ, Sidonius [f] Apollinaris ſcribens, inter alia laudum præconia, vocauit ipſum *Patrem patrum, Epiſcopum Epiſcoporum*, & *alterum ſeculi ſui Iacobum.* Porro eius cum S. Germano in Britanniam nauigatio, incolarumque tam hæreticorum ad fidem Catholicam, quam adhuc Gentilium ad Chriſtianitatem facta per multos labores multaque miracula conuerſio, fuſius deſcribitur in iiſdem S. Germani Actis [g]. In quibus etiam narratur, quomodo in itinere apud Pariſios S. virginem *Geneuefam* S. Germanus præſcius futurorum vocatam Deo deſponderit, nummumque caſu repertum Cruce impreſſum eidem in memoriam geſtandum dederit.

e Act. S. Lup. ap. Sur. 29. Iulii.
De Lupo insigni Episc. Trecensi.
f Sidon. 6 ep. 1.
g Act. S. Germ. lib. 1 cap. 19. &c.
S. Genouefæ diuina vocatio.

III.
h Trithem. de Script. Eccl.
De Palladio Apoſtolo Scotorum.

Quod autem pertinet ad *Palladium* diaconum, Græcum fuiſſe hominem cum dicant, vane putauit aliquis [h] ex recentioribus, huncillum fuiſſe Palladium Ioannis Hieroſolymitani perneceſſarium: nam illum non diaconum, ſed Epiſcopatum, non expugnatorem Pelagii, ſed propugnatorem fuiſſe, ſuperius demonſtratum eſt. Sed quem fuiſſe putamus, conſtat his temporibus vixiſſe Palladium diaconum S.R.E. qui reperitur ſcripſiſſe haud pridem ſub Zoſimo Papa res geſtas S. Ioannis Chryſoſtomi, nempe Dialogum illum alterius Palladii Epiſcopi Helenopoleos cum Theodoro itidem R.E. diacono: qui quidem apud Trithemium numeratus inter ſcriptores Eccleſiaſticos, præter Vitam Ioannis Chryſoſtomi aſſeritur compoſuiſſe librum aduerſus Pelagianos, & ad Cæleſtinum Epiſtolarum librũ vnum, aliaq; Græco ſermone. Duas vero fuiſſe ipſius legationes in Britanniã, S. Proſpero auctore liquet, priorem ſcilicet hoc anno, occaſione hæreſis Pelagianæ, poſteriorem autem poſt ſequentem annum, cum ex diacono creatus Epiſcopus, ad Scotos miſſus eſt à Cæleſtino Papa. Namque *Scotos* ab eodem PALLADIO ad Chriſti fidẽ conuerſos fuiſſe, & ex munere Apoſtolico conſecutum quoque eſt nomen, vt *Apoſtolus Scotorum* fuerit nuncupatus, vna omnium cum Proſpero eſt ſententia. Quod tamen intelligendum eſt, vt Cæleſtinus primum illis Epiſcopum Palladium ordinauerit, qui Scotos illos qui adhuc Gentilitio ritu viuebant reddiderit Chriſtianos, omneſque ſub vno paſtore vnoque ouili collegerit: cum alioqui ipſam Scotiam iam à tempore Victoris Papæ martyris, Euangelium ex parte accepiſſe, plerique conſentiant. Nauigaſſe quoque eumdem Palladium ad Hibernos, & illic Euangelium prædicaſſe mandato eiuſdem Cæleſtini, Probus teſtatur in Rebus geſtis S. Patricii; qui & nominat eumdem Palladium, Archidiaconum Cæleſtini. Ceterum morte præuento Palladio, S. Patricius cœptum ab eo abſoluit opus; de quo ſuo loco dicendum.

IV. Neſtorius libros ſuæ hæreſis ad diuerſos mittit.

Hoc item anno Neſtorius, quam promulgaſſet hæreſim Conſtantinopoli, cupiens per totum Orbem dilatari, ſuos pro ipſius defenſione ſcriptos a ſe libros per diuerſas partes ad diuerſos miſit, & inter alios ad Ægypti monachos; quos vt deciperet, ſe nõnulli Nicænæ fidei profeſſorem eſſe iactauit, & ex eo factum eſt vt nonnulli ex ipſis ei adhæſerint. Quorum cauſa magni inter eoſdem mo-

Digitized by Google

nachos excitatis turbis, ad eas ſedandas Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus primam ſcripſit epiſtolam [i], in qua ex Patrum qui Nicæno interfuerunt Concilio, & ex ipſo inprimis S. Athanaſio, docet ſanctiſſimam Virginem Θεοτόκον, hoc eſt, *Deiparam* appellatam eſſe. Eodemque tempore, ne ipſius Neſtorii venena in animos Auguſtorum & Auguſtarum illaberentur, in aulamq; ac reliquos magiſtratus ſerperent, commentarios eodem argumento ad ipſos Imperatores atque Reginas conſcripſit; quibus tamen à Neſtorii nomine adhuc abſtinuit, ne ex eo Theodoſii animus offenderetur, qui eum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ præficiendum curauerat. Sed & paulopoſt monitus à Cæleſtino Romano Pontifice, ad quem eadem Neſtorii ſcripta peruenerant, de iiſdem erroribus diligenter inquirere (quippe cui impoſſibile quodammodo videbatur talia de Neſtorio credere, de quo nuper Orientalium Epiſcoporum litteris præconia acceperat) idem Cyrillus binas ad ipſum Neſtorium dedit literas [k], quibus eum hortatus eſt in fide Patrum permanere. Cum totidem ad eum reſcribens Neſtorius [l] arrogantia ſumma refertas, illud amplius præſtitit, vt circuitores homines mitteret [m], qui vbiq; locorum aduerſus eundem probra diſſeminarent; cum econtra Cyrillus quanta poſſet patientia & manſuetudine cum ipſo ageret. Verum his omnibus ferocior redditus impius hæreſiarcha, multa inſuper alia dira & violenta aduerſus Clerum populumq; Conſtantinopolitanum, ac monachos Orthodoxos eius communionem auerſantes commiſit, quæ manifeſta fiunt ex libello [n] Baſilii Archimandritæ Theodoſio poſtea oblato, necnon ex epiſtola Cæleſtini Papæ ad ipſum Neſtorium reddita cum qui in ceteros ita ſuperbiret, ad Romanum Pontificem plenas humilitatis dedit literas, ratus (vt ſcribit Cyrillus [o]) poſſe illum in ſuam ſententiam pertrahere: de quo dicetur anno ſequenti. Quantum vero ipſius ſcripta nefaria, ingrata fuerint ipſi Dei-genitrici MARIÆ vniuerſiſq; cælitibus declaratum [p] eſt etiam per viſum aliquando ſanctiſſimo anachoretæ Cyriaco.

i Cyril. ep. 1.

CYRIL. ALEX. AGIT ADVERSVS ILLOS.

k Ext. ep. Conc. Epheſ. edit Pelt. 10. 1. & Cyril. ep. 2. & 8.
l ep. Cyril. 3. & 9.
m Vid. Cyril. ep. 6. 7. 8. 14.
n Ext. ep. Conc. Eph.
o Cyril. ep. 16. ad Iuuenal.

VISIO DE SCRIPTIS NESTORII.

p Vid. Prat. Spir. c. 66.

Hoc ipſo tempore defuncto Prailio Epiſcopo Hieroſolymitano, in locum eius ſubrogatus eſt *Iuuenalis*. Haud enim ad longioris temporis ſpatium ſedem propagaſſe Prailium, conſtat ex S. Cyrilli [q] Alexandrini litteris anno ſequenti ad Iuuenalem Hieroſolymitanum Antiſtitem datis; ex quibus corrigas Nicephori Chronicon, vbi ſedi Prailii anni viginti adſcribuntur; cum habita ratione obitus eius prædeceſſoris, nonniſi annos tredecim ſediſſe dicendus ſit.

V. IVVENALIS ELIGITVR EPIS. HIEROSOL.

q Cyril. ep. 18.

THEOD. II 23. VALENT. III 6.

IESV CHRISTI AN. 430.

CÆLESTINI AN. 7.

I. NESTORII ET CYRILLI LITERÆ AD CÆLEST. PP. ALLATÆ.

ANno Domini quadringenteſimo trigeſimo Theodoſio decimumtertium & Valentiniano tertium Augg. Coſſ. Cæleſtinus Papa litteras à Neſtorio, vna cum aliis eius ſcriptis ad ſe per Antiochum virum illuſtrem miſſis, accepit. Cum paulo poſt opportune contigit aduentus Romam Poſſidonii Eccleſiæ Alexandrinæ diaconi, qui eidem Pontifici cum litteras Cyrilli dedit, tum etiam volumina ab ipſo elucubrata aduerſus Neſtorii execranda dogmata. Extant eædem vtriuſque, Neſtorii [a] ſcilicet atque Cyrilli [b], tunc ad Cæleſtinum datæ litteræ; quibus quidem quod Cyrillus poſt alia cuncta narrata addidit, quod licet Neſtorii opinionem omni eſſe execratione dignam cenſeret, non tamen prius eius communionem auſus ſit deſerere, quam ipſe Romanus Pontifex ſuam ea de re ſententiam pronunciaſſet: in his videas egregiam confirmationem priſtini moris, ab ipſo exordio Eccleſiæ in his Annalibus demonſtrati, nimirum ſolius eſſe Cathedræ Petri quæſtiones de fide definire, & emergentes hæreſes cum earum auctoribus primum condemnare.

a Ext. Baro. annal. to. V. hoc an.
b To. 1. epiſt. Rom. Pont. poſt ep. 1. Cæleſt.

II.

Cæleſtinus igitur his viſis Cyrilli Neſtoriique litteris, eorumque vltro citroque exaratis ſcriptis; habita (vt idem Cyrillus [c] docet) Epiſcoporum SYNODO; omnium ſententia fuere Neſtorii blaſphemiæ condemnatæ; ipſi vero ad reſipiſcendum decem dierum poſt denunciationem conceſſum ſpatium, eadem damnatione feriendo niſi aſſertos errores aperta & ſcripta confeſſione damnaret. Qua de re extat eiuſdem Cæleſtini ad Neſtorium epiſtola [d], ſcripta huius anni Coſſ. tertio Idus Auguſti, dataque Poſſidonio diacono Alexandriam perferenda ad Cyrillum, & per hunc Neſtorio mittenda: quam quidem Patres Concilii Epheſini poſtea præconiis extulerunt, & Euagrius [e] pro dignitate argumenti & auctoritate ſcribentis, diuinam appellat. Scripſit pariter eodem tempore Cæleſtinus Cyrillo [f], ſuas ei vices in hoc negotio delegans. Sed & ſcripſiſſe ad Ioannem Antiochenum, Rufum Theſſalonicenſem, Iuuenalem Hieroſolymitanum, & Flauianum Philippenſem, eoſque de ſua in Neſtorium lata ſententia certiores feciſſe, teſtatur iiſdem ad Cyrillum datis litteris: extantque adhuc quas ſcripſit [g] ad Ioannem; (quibus etiam verbis & reliquiæ conceptæ fuere) necnon quas eodem argumento dedit ad Clerum [h] Conſtantinopolitanum.

c Cyril. ep. ad Neſtor. in 1. Conc. Epheſ. to. 1. c. 2. & 15.

CONCIL. RO. CONTRA NESTORIVM.

d Cæleſt. ep. 11. ep. Rom. Pont.
e Euag. lib. 1. c. 4.

CÆLEST. PP. SCRIBIT ADVERS. NESTOR.

f Cæleſt. epiſt.
g Id. ep. 6.
h Id. ep. 4.

Tradit vero Theodorus [i], ad eundem Cyrillum à Cæleſtino miſſum fuiſſe Phrygium, ipſum nempe pallium, quo ſignificatur plena poteſtas, eoque Cyrillum eſſe vſum in Epheſino Concilio, & in ſacris ſolemnis more Rom. Pontificis; ac denique illud priuilegium propagatum eſſe ad Alexandrinos Epiſcopos ſucceſſores. Nicephorus [k] autem mitram qua Romani vterentur Pontifices à Cæleſtino miſſam affirmat, necnon nomen Papæ, ſed & conceſſum vt appellaretur vniuerſi Orbis Iudex. Verum de *Papæ* nomine aliter ſe res habet, quod conſtat olim commune fuiſſe reliquis Epiſcopis: ſed nec de nomine *Iudicis Vniuerſalis* ſatis liquet. Certe quidem nihil præterea Cyrillo conceſſum à Cæleſtino, quam concedi ſoleat iis quibus creditur Vicaria Præfectura, vel Legatio à Latere, exiſtimatur: vt autem eadem poteſtas propagaretur ad poſteros, non in inſignibus dumtaxat, ſed etiam in auctoritate, exemplum extare neſcimus.

III. CYRILLVS CREATVR VICARIVS CÆLEST.

i Theod. Balſ. in Nomocan. Phot. tit. 8. c. 1.
k Nic. li. 14. c. 34.

Acceptis autem à Cyrillo prædictis omnibus, à Cæleſtino per Poſſidonium miſſis litteris, idem quæ ad alios directæ erant ex ipſius Cæleſtini admonitione mittens, ſuas etiam peculiares [l] ad Ioannem Antiochenum & Iuuenalem Hieroſolymitanum addidit, quibus eos ad hoc negotium diligenter amplectendum hortatus eſt. Tuncque Iohannes eaſdem ad Neſtorium Conſtantinopolim mittens, adiecit & ſuas [m], quibus tam ſuo quam aliorum quorumdam inſigniorum Syriæ Epiſcoporum qui ſimul tunc Antiochiæ aderant (inter quos etiam Theodoretus recenſitus habetur) nomine ſuaſit ſanctiſſimam Virginem Theotocon, cum omnibus antiquis Eccleſiaſticis Doctoribus agnoſcere, ac pacem Eccleſiæ recantando palinodiam amplecti. Qua quidem in re præſtitiſſe viſi ſunt iidem Antiſtites, quod Catholicos decebat Epiſcopos, numeroſque expleſſe verorum amicorum: ſed contra pietatem & amicitiæ iura deinde peccarunt, cum renitentem hominem ſalubri obedire conſilio; adhuc amicum retinuerunt atque fouerunt, cum iactura fidei & communionis Catholicæ, vt videbitur ſuo loco.

IV. QVID IN ORIENTE ADVERS. NESTOR.

l Cyril. ep. 13. & 16.
m Ext. in Conc. Eph. lib. 1. c. 31.

Inter hæc autem, qui cogere Synodum vſque ad Cæleſtini Romani Pontificis cognitionem, Cyrillus Alexandrinus (vt ipſe teſtatur in litteris ſuperius memoratis ad eum ſcriptis) fuerat retardatus; idem delegata iam ſibi ab ipſo Cæleſtino in proſequenda cauſa Neſtorii vice ſua, confeſtim collegit Alexandriæ SYNODVM: è qua inprimis quattuor decreti ſunt Legati, nempe duo Epiſcopi ac totidem Alexandrinæ Eccleſiæ miniſtri, delaturi Conſtantinopolim ad Neſtorium litteras Cæleſtini, vna cum decreto ipſius damnationis niſi intra decem dierum præſcriptum terminum reſipiſceret: additaque eſt Synodalis ad eundem Concilii epiſtola [n], vna cum fidei Orthodoxæ confeſſione, & duodecim anathematiſmis aduerſus totidem ipſius hæreſis capita, quibus ille ſubſcribere deberet: ac denique adiecerunt & alias [o] Synodales ad Clerum Conſtantinopolitanum, & patres monaſterio-

V. CONCIL. ALEX. CONTRA NESTOR.

n Conc. Eph. edit. Pelt. to. 1. c. 14.
o Ibid. c. 15. & ep. Cyril. ep. 11. & 19.

QVID LEGATI CONCIL. ALEX. EGERINT CVM NEST.

rum eiuſdem ciuitatis, quibus eos de ijſdem rebus certiores redderent, & vt viriliter aduerſus Neſtorium agerent, exhortarentur; ac pariter declararent, in ſuam, hoc eſt totius Eccleſiæ Catholicæ communionem recipi, qui ab eo fuiſſent cauſa fidei ſeparati. Cum vero Legati Conſtantinopolim acceſſiſſent, inque ipſa eccleſia die Dominica cum Synaxis perageretur, vniuerſo præſente clero, multiſque adſtantibus proceribus, litteras Neſtorio obtuliſſent; idem iuſſos poſtridie ipſum priuatim conuenire, aduenientes aditu interclulit (vt conſtat ex eorundem relatione [p] poſtea facta in Concilio Epheſino) Theodoſium vero Imperatorem commouit aduerſus Cyrillum (quod teſtatur Liberatus [q]) compulitq; ad eum ſcribere velut inquietum & ſcandala ſuſcitantem: ſed hoc (vt ex ipſa Imperatoris epiſtola [r] conſtat) poſt Synodum ab eo publicis litteris conuocatam.

p Ibid to. 2. c. 6.
q Liber. Breuiar. c. 4.
r Act. Conc. Eph. to. 1. c. 7.

VI. ANATHEMATISMI ADVERSVS NESTOR.

Quod vero duodecim illa Capitula, ſiue Anathematiſmi, eiuſmodi ſint, vt ſingula Neſtorii hæreſis capita ab eis iugulentur, operæpretium duximus hic illa recenſere, quo facilius eiuſdem Neſtorij errores, eiſq; contraria Eccleſiæ Catholicæ doctrina innoteſcat. Iis enim anathema proclamatum eſt.

Primo aduerſus eos, qui Emmanuelem Verbum Deum, & ob id ſacram Virginem Theotocon eſſe non confiterentur. Genuit enim illa incarnatum Dei Verbum ſecundum carnem.

Secundo aduerſus eos, qui Dei Patris Verbum carni ſecundum hypoſtaſim vnitum, & vnum tantum vna cum ſua carne Chriſtum eſſe, eumdem nimirum Deum ſimul & hominem confiterentur.

Tertio aduerſus eos, qui poſt vnionem hypoſtaſes in Chriſto diſtinguerent, eaque dumtaxat coniunctione inter ſe necterent, quæ eſt ſecundum dignitatem, vel auctoritatem, vel poteſtatem, & non ea potius quæ eſt ſecundum naturalem vnionem.

Quarto aduerſus eos, qui duabus perſonis, vel hypoſtaſibus, eas voces attribuerent, quæ in Euangelicis & Apoſtolicis ſcripturis paſſim occurrunt, quæue à Sanctis de Chriſto, aut ab ipſo quoque Chriſto de ſeipſo dictæ ſunt; & alias quidem homini ſeorſum à Dei Verbo conſiderato adſcriberent, alias vero tamquam in diuinam maieſtatem conuenientes ſoli Verbo, quod ex Deo patre eſt, accommodarent.

Quinto aduerſus eos, qui dicerent Chriſtum non eſſe verum Deum, ſed hominem tantum Deiferum, vtpote vnum naturalemque Filium, quatenus nimirum Verbum caro factum carni & ſanguini perinde ac nos communicauit.

Sexto aduerſus eos, qui Dei Patris Verbum, Chriſti Deum vel Dominum eſſe dicerent, neque poſt Verbum ſecundum Scripturas incarnatum, vnum eundemque Deum ſimul & hominem eſſe confiterentur.

Septimo aduerſus eos, qui Ieſum Chriſtum, hominem tantum, diuini Verbi vi actum eſſe dicerent, aut illuſtrem illam Vnigeniti gloriam illi ipſi homini, veluti alteri cuipiam ab ipſo Verbo aduenifſe comminiſcerentur.

Octauo aduerſus eos, qui hominem aſſumptum vna cum ipſo Dei verbo adorandum, vna cum illo glorificandum, vna cum illo tanquam alterum in altero exiſtentem Deum appellandum eſſe dicerent (quippe hunc intellectum particula *Cum* adiecta perpetuo ac neceſſario afferre conſueuit) & non vna potius adoratione Emmanuelem honorarent, vnamq; hactenus illi glorificationem attribuerent, quatenus Verbum factum eſt caro.

Nono aduerſus eos, qui vnum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum à Spiritu Sancto tanquam à virtute ab ſe aliena glorificatum dicerent; efficaciamque qua contra immundos ſpiritus vteretur, & diuina inter homines miracula operaretur, ab ipſo eodem accepiſſe prædicarent, & non proprium naturalemque eſſe illius Spiritum, per quem diuina ſigna edidit.

Decimo aduerſus eos, qui (cum Chriſtum Ieſum noſtræ confeſſionis Pontificem & Apoſtolum extitiſſe, eundemq; ſemetipſum pro nobis in odorem ſuauitatis Deo Patri obtuliſſe, diuina Scriptura commemoret) dicerent, Pontificem & Apoſtolum noſtrum non eſſe ipſum Dei Verbum, poſteaquam caro & homo nobis ſimilis factum eſt, ſed hominem illum qui ex muliere natus eſt, quaſi alterum quempiam ab ipſo diuerſum: Aut qui Chriſtum pro ſeipſo quoque, & non ſolum pro nobis, ſacrificium obtuliſſe affirmarent. (Haud enim ipſe oblatione opus habuit, qui nullum peccatum commiſit.)

Vndecimo aduerſus eos, qui ipſam Domini carnem viuificam, ipſiuſq; Verbi quod ex Patre eſt, propriam eſſe negarent; ſed alterius cuiuſpiam ipſi Verbo ſecundum dignitatem tantum coniuncti, aut diuinam tantum inhabitationem ſortiri, eſſe dicerent; neque vere rurſum viuificam, vt modo meminimus, eo quod Verbi, quod omnia viuificat, facta ſit propria, confiterentur.

Duodecimo aduerſus eos, qui inficiarentur Dei Verbum ſecundum carnem paſſum, ſecundum carnem crucifixum, mortemq; ſecundum carnem guſtaſſe, & primogenitum tandem ex mortuis factum eſſe, quatenus videlicet vita eſt & viuificum, vt Deus.

VII. NEST. EXCITAT SVOS CONTRA CYRILLVM.

His autem Neſtorius lectis Anathematiſmis, tantum abfuit, vt eis ſubſcripſerit (quod ab eo imprimis requirebatur) vt contra tum ipſe eoſdem carpere cœperit, labemque hæreſis in Cyrillum eorum auctorem ex illis inferre ſtuduerit, quaſi eis Cyrillus, dum immoderate occurreret Neſtorio, in ſectam ipſe Apollinaris declinaſſet: tum vt alii idipſum præſtarent, effecit; ac præcipue Ioannes Epiſcop. Antiochenus, qui (vt auctor eſt Liberatus [s]) Theodoreto Epiſcopo Cyrenſi, & Andreæ Samoſetano mandauit, vt contra eadem duodecim Capitula ſcriberent, tamquam Apollinaris dogmata inſtaurantia. Sed hæc poſtea, cum iam ipſe Cyrillus, etiam antequam illi in ipſum conſcripſiſſent antitheſes, aduerſus cunctas eiuſmodi calumnias edidiſſet Epheſi declarationem duodecim illorum ſuorum Capitulorum: qui & rurſum aduerſus eorundem oppoſitiones ſcripſit Apologeticum & Commentarium ad Euoptium: quæ omnia eius opera adhuc extant. Interim vero factum eſt, vt ſententia in Neſtorium lata haud valuerit executioni mandari; cum qui eius executor præpoſitus erat Cyrillus, æque hæreſis accuſaretur.

s Liber. Breuiar. c. 4.

VIII. THEOD IMP. AGIT CVM CÆLEST. PP. DE COGENDA SYN. OECVMEN.

Quapropter Theodoſius Imperator rem eo progreſſam ratus, vt opus eſſet Vniuerſali Concilio, egit apud Cæleſtinum Romanum Pontificem, per virum illuſtrem Petronium (vt eius Vitæ Acta quæ Sigonius reſtituit, declarant) poſtea creatum Bononienſis Eccleſiæ Epiſcopũ, de conuocanda Epheſi in annum ſequentem Vniuerſali Synodo, quam quidem non ſolum Cæleſtinus in litteris ad ipſos ſcriptis, ſua voluntate collectam eſſe profeſſus eſt; ſed etiam præſcriptam formam ab illo fuiſſe, Firmus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus in eadem Synodo confirmauit: cum alioqui nemo inficias ierit, conuocatum fuiſſe Theodoſii Imperatoris litteris, quæ extant [t] his ipſis Coſſ. decimotertio Calend. Decembr. ſcriptæ ad Cyrillum (iiſdemque verbis ad ceteros ſingulos Metropolitanos, eo quod illæ publicæ eſſent) ad conueniendum Epheſum in feſto Pentecoſtes anni ſequentis. Porro non Orientales tantum, ſed & Occidentales inſignioris nominis aduocans; inter alios S. Auguſt. acceſſendum curauit, miſſo ad hoc anno in Africam Ebagnio Magiſtriano (vt ſcribit Liberatus [u]) qui Carthaginem adueniens, audiuit à Capreolo tunc vrbis illius Antiſtite, eundem S. Auguſtin. ex hac vita migraſſe. Cum autem iſta de Concilio conuocando geſta fuerint hoc dumtaxat anno; ex his videas confirmari, eundem S. Auguſt. ad hunc quoq; annum vitam propagaſſe. Cuius etiam obitum cum ſub ijſdem Coſſ. S. Proſper ponat; ex his omnibus erroris redarguitur Marcellini Chronicon, dum illum biennio ante ſub Conſulatu Felicis & Tauri recenſet.

t to. Act. Eph. to. 1. c. 25 edit. Rom. & ap. Cyril. ep. 17.
u Liber. Breuiar. c. 5.

S. AVGVST. OBITVS TEMPVS.

IX. OBSIDIO HIPPON. VRBIS.

Obſidebatur tunc temporis Hipponenſis ciuitas, Auguſtini ſedes à Wandalis Alaniſque, cum Bonifacius Comes ab illis victus in eam (vt vidimus) ſe recipiens, illuc eos prouocaſſet. Quatuordecim autem menſes obſidionem perduraſſe, teſtatur Poſſidius [x]: cuius primo tem-

x Poſſid. in Vit. S. Aug. c. 29.

pore

pore more contigit Auguſtinum, mœrentem & deplorantem miſerum eius temporis Africæ ſtatum, cum exceptis tribus ciuitatibus, Carthagine, Cirta & Hippone, reliquæ omnes ab hoſtibus iam captæ eſſent, magna hominum ſtrage, maiori Eccleſiarum clade, & maxima diuini numinis contumelia. In ipſa vero obſidione Hipponenſi, Auguſtinus nihil prætermittens curæ paſtoralis (inquit Poſſidius) Verbum Dei vſque ad ipſam extremam ægritudinem imprætermiſſe, alacriter & fortiter, ſana mente, ſanoque conſilio in eccleſia prædicauit: rogans interim Deum, vt aut ciuitatem liberare dignaretur; aut ſi aliud ei videretur, ſuos ſeruos ad perferendam ſuam voluntatem fortes faceret, aut certe vt eum de hoc ſeculo acciperet. Illarum vero tunc ab ipſo habitarum concionum, vna y tantum nobis reliqua eſt perbreuis ac lacrymis plena, quę lugubrem tunc Africanæ prouinciæ faciem nobis reddat. Tertio demum obſidionis menſe, decumbens lecto febribus defatigatus (qui etiam antea frequenter ægrotare z conſueuiſſet) ægrotum quendam à Deo in ſomnis admonitum, vt ab Auguſtino ſanitatem peteret, impoſitione manuum ſanauit. Quod quidem miraculum, extremo vitæ articulo Deus per eum operari voluit, vt quodam veluti ſigno tum res geſtas tum ſcripta eius conſignata relinqueret. Cumque dicere ſoleret, Chriſtianos & ſacerdotes abſque digna & competenti pœnitentia exire de corpore non debere; ipſe quoque prohibitis omnibus ad eum ingredi, niſi iis tantum horis quibus medici ad inſpiciendum intrarent, vel cum eius inferretur refectio (videlicet ne intentio eius à quoquam impediretur) per decem integros dies ante mortem iugi orationi vacauit, pſalmos pœnitentiales multis cum lacrymis recitans. Sicque tandem membris omnibus ſui corporis incolumis, integro aſpectu atque auditu, orans obdormiuit in pace; ac pro eius commendanda corporis depoſitione, ſacrificium Deo oblatum eſt. Hæc omnia idem Poſſidius a Epiſcopus Calamenſis, qui interfuit, cum Wandalorum fugiens incurſiones, vna cum aliis coepiſcopis Hipponem ſe recepiſſet, locum munitum; & Auguſtini poſtea vitam deſcripſit, cum quo (vt teſtatur) quadraginta ferme annis vixiſſet ſumma concordia. Cui ideo credendum eſt, dum ait ipſum vixiſſe annos ſeptuaginta ſex. Porro in Epiſcopali functione annos triginta ſex habuiſſe, ea quæ à nobis de ſedis eius exordio dicta ſunt, ſatis certo demonſtrant. Dies autem obitus in tabulis Eccleſiaſticis ſcriptus eſt anniuerſaria memoria repetendus, quinto Calendas Septembris.

y Aug. ſerm. 195. de temp. & 1 ep. 36. ieſ 138. 149. 217. 251. 262.

Avg. ægrotans ſanat ægrotvm.

Præparati ejus ad obitvm.

a Poſſid. in vi. S. Aug. c. 28. 29. 30.

X. De ipſius autem ſupellectili, addit Poſſidius b nullum ab eo teſtamentum factum eſſe, quia vnde faceret pauper Chriſti non haberet Eccleſiæ bibliothecam & omnes codices diligenter poſteris cuſtodiendos ſemper iuſſiſſe. Siquid vero Eccleſia vel in ſumptibus vel in ornamentis habuit, fideli presbytero qui ſub eodem domus Eccleſiæ curam gerebat dimiſiſſe. Nec ſuos conſanguineos, vel in propoſito vel extra conſtitutos, in ſua vita & morte more vulgi tractaſſe: quibus dum adhuc ſupereſſet, id, ſi opus fuit, quod & ceteris erogaſſe, non vt diuitias haberent, ſed vt aut non vt minus egerent.

b Ibid. c. 31.

XI. Scriptorum vero eius idem Poſſidius c confecit Indiculum; quæ tot ac tanta fuiſſe dicit, vt ea omnia vix quiſque ſtudioſorum noſſe & perlegere ſufficiat. Quæ quidem cum in ipſa Hipponenſis ciuitatis anno ſequenti conflagratione à Wandalis facta, illæſa permanſiſſent, Angelica quidem, ſi non humana, vallata cuſtodia, eadem à calumnioſis hominibus poſtea impugnata ſunt; quaſi in ijs quæ aduerſus Pelagianos ſcripſerat, à fide deuiaſſet. Quod non ſolum illi qui ipſo adhuc viuente eiuſmodi certamen in Gallia (vt vidimus) aggreſſi fuerant, iam eo mortuo acrius inſtaurarunt, quindecim ſcribentes obiectiones aduerſus eoſdem ipſius commentarios in Pelagianos; ſed & Vincentius quidam rem priuatim agens, ſexdecim in eoſdem propoſuit obiectiones; & Camillus ac Theodorus presbyteri Genuenſes decem dubia obiicere, ac denique Caſſian. Eccleſiæ Maſſilienſis presbyter cognomento Collator, aduerſus eandem Auguſtini doctrinam aliqua intulit: cum tamen ijdem omnes haud ſe Pelagii errores fouere profiterentur, ſed vt Catholici verſarentur inter Catholicos, & in ipſos Pelagianos declamare præſeferrent. Ceterum contra eos omnes pro S. Auguſt. viriliter ſteterunt SS. Hilarius Arelatenſis & Proſper Aquitanus, de quibus iam dictum eſt ſuperius: cuius quidem Hilarij ea de re ſcripta perierunt; Proſperi autem adhuc ſuperſunt, aduerſus illos omnes exarata. Sed & anno ſequenti ijdem ſanctiſſimi viri Romam petentes, apud Cæleſtinum Papam egerunt vt eiuſmodi nugatoribus ora obſtrueret. Quod ipſe præſtitit, ſcriptis ea de re ad Epiſcopos in quorum Eccleſiis illi presbyterio fungerentur litteris d, quæ laudantur ab eodem Proſpero e, Vincentio f Lerinenſi, atque etiam Photio g.

c Ibid. c. 18. De Scriptis Avg. adverſus impugnatis, et ab aliis defenſis.

d Cæleſt. epiſt. 1. e Proſp. adv. Collator. prope f. f Vinc. Lir. c. 43. g Phot. in Biblioth.

XII. Inter alios vero quos diximus presbyteros Pelagii fuligine denigratos, fuit *Seuerus Sulpitius*, ille diſcipulus & ſcriptor Vitæ Sancti Martini, & Sancto Paulino Nolano amicitia coniunctiſſimus, de quo ſæpe dictum ſuperius; quem Gennadius h ait in ſenectute ſua à Pelagianis deceptum fuiſſe. Verum idem magno Dei beneficio reſipuit tandem, atque in ſe ipſum vindex inſurrexit erroris: agnoſcens enim (quod addit Gennadius) loquacitatis culpam; ſilentium vſque ad mortem tenuit; vt peccatum quod loquendo contraxerat, tacendo penitus emendaret. Quod autem hunc Seuerum, Epiſcopum fuiſſe aliqui dicant Bituricenſem, errant: cum nemo id antiquorum dicat, immo cum idem Gennadius collega eius atq; gentilis nonniſi presbyterum nominet, & in eo ordine pœnitentem aſſerat eſſe defunctum. Seuerus enim Epiſcopus Bituricenſis longe poſtea ſub Gunthranno Rege vixit, interfuitque Concilio Matiſconenſi.

h Gennad. de vir. illuſt. Severi pœnitentia de ſecuto Palagio.

IESV CHRISTI AN. 431.

THEOD. II. 24. VALENT. III. 7.

CÆLESTINI AN. 8.

I. Annus Domini quadringenteſimus trigeſimus primus, celebris memoria Oecvmenicæ Synodi Epheſinæ, conſignatus eſt Conſulatu Anicij Baſſi & Flauii Antiochi. Hic ille Antiochus Patricius ex eunucho, cuius claræ memoria extat in collectione Codicis a Theodoſiani: qui poſtea delatus apud Theodoſium Imperatorem, redactus in ordinem, inter clericos profeſſus eſt, vt Suidas teſtatur: eiuſque occaſione editam ait à Theodoſio ſanctionem, ne amplius Eunuchi inter Patricios militarent.

De conſulatu Antiochi Evnvchi. a l. 1. de C. Th. auctor. Nouel. tit 1.

II. Antequam vero Synodus Epheſina hoc anno celebraretur, contigit vt cum expulſis clericis Orthodoxis Neſtorius ſibi cunctas eccleſias quæ erant Conſtantinopoli vendicaſſet, vna ipſarum cæde hominum turpiſſime profanata fuerit à ſeruis præpotentis cuiuſdam viri genere barbari; qui cum heri ſui feritatem ferre non valentes, ad eccleſiam confugiſſent, vno interfecto clerico alteroque vulnerato, quod eos ab altari, cuius ſacris miniſteriis impedimento eſſent, abſcedere rogaret, ad extremum ſibi ipſis necem conſciuerunt: quod omen mala quæ poſtea ſecuta ſunt portendiſſe, Socrates b eam narrans hiſtoriam tradit. Eamdemque cædem hoc ipſo anno Marcellinus c, ſed paulo diuerſe refert; dicens barbaros in ea vi ac nutritos, ad eccleſiam Chriſtianorum hoſtili ritu confluentes, ignem in eam ad comburendum altare dum infeſti iacerent, inuicem ſeſe, reſiſtente Deo, trucidaſſe. Subditque, hoc eodem tempore ob tritici penuriam Theodoſium Imperatorem à populo lapidibus impetitum fuiſſe. Quod vero ad Eccleſiæ profanationem ſpectat; idem Theodoſius conſulturus in poſterum, hoc ipſo anno ſanctionem d edidit de Eccleſiaſtica immunitate latioribus terminis dilatanda, vt non minus tuti eſſent qui intra eccleſiæ extremas fores forent, quam qui ipſum altare tenerent. Qua quidem cum arma intra eccleſiam ferre iiſdem confugientibus prohibuerit, egregium eſt quod de ſe ipſo appoſuit; nimirum quod cum Imperatoriam maieſtatem ſine armatis ſtipatoribus eſſe non conueniret; ta-

Infauſta cædes in Eccl. Conſtantinop.

b Socr. lib. 7. c. 33. c Marcell. in Chron. d l. 4. C. Th. l. 3. C. Inſtit. de his qui ad eccleſ. confug. Habetur verò integra in Act. Conc. Epheſ. edit. Tom. 5. c. 22.

Theod. Imp. modeſtia in Eccleſia.

ret; tamen cum eccleſiam ipſe ingreſſurus eſſet, foris arma relinqueret, atque ipſum etiam diadema Regiæ maieſtatis inſigne humiliter deponeret, & ſacra altaria munerum tantum offerendorum cauſa accederet, iis vero oblatis ad extimum communeque atrium mox ſe reciperet, quicquam ex propinqua diuinitate ſibi arrogaret. Ceterum hanc ſuam conſtitutionem in iis, quæ ad confugientes pertinent, ſequenti anno nouis caſibus idem Imperator ex parte corrigere [e] coactus eſt.

e l. ult. C. Theod.

III. SYNODVS OECVM. EPHES. ... LEGATI MISSI AD SYNODVM ...

Acturis autem iam nobis de EPHESINO CONCILIO, dicendum primum de Legationib. eo miſſis: ſiquidē (vt habetur in Relatione [f] Philippi Apoſtolicæ ſedis Legati) omnes Orientales & Occidentales, vel per ſe, vel per ſuos legatos ſacerdotali ei conſeſſui interfuerunt. Illa vero præcipua fuit Legatio, quæ nomine omnium Occidentalium, Africanis exceptis, in Synodo ea de cauſa Romæ [g] habita, decreta eſt à Cæleſtino Romano Pontifice, qui eam credit *Arcadio* & *Preiello* Epiſcopis, ac *Philippo* S. R. E. presbytero: quorum quidem Epiſcoporum priorem, illum putamus eſſe Arcadium qui reperitur interfuiſſe poſt annos octo Concilio Regienſi in Gallia Narbonenſi; poſteriorem vero Proiectum Forocornelienſem Antiſtitem, cuius meminit cum laude Petrus Chryſologus [h] qui his quoque temporibus claruit Rauennas Epiſcopus. Quo minus autem ſolemnis ex more legatio mitteretur ab Epiſcopis Africanis Vvandalorum graſſatio fuit impedimento. Nec tamen defuit officio Capreolus Epiſcopus Carthaginenſis, quin miſerit ſaltem vnum diaconum Eccleſiæ Carthaginenſis, *Baſſulam* ſeu Beſulam nomine, cum litteris [i] excuſationis ad Synodum: cuius etiam Capreoli extat alia egregia de Verbi Incarnatione ſcripta epiſtola [k], ſed fine carens.

h Chryſol. ...

i Ext. in Act. Eph. to. 2. c. 9.
k Recit. Bar. Annal. To. V. hoc an.

IV.
l Act. Eph. to. 2. c. 14.

Sed & Cæleſtinus Romanus Pontifex, per eoſdem ſuos & Occidentalis Eccleſiæ Legatos Epheſum miſſos, litteras [l] ad Oecumenicam Synodum dedit octauo Idus Maii præſentis anni: quæ cum ex more ſcriptæ fuerint Latino ſermone, inde vero in Græcum tranſlatæ, ac rurſum è Græco Latinitati reſtitutæ, eædem diuerſe editæ repetiuntur, haud ſine magno præiudicio germanæ ſinceritatis: Latinum vero exemplar [m] vetuſtiſſimum exhibet Creſconiana Collectio, cuius nulla de impoſtura poſſit eſſe ſuſpicio. Ceterum ex ea Cæleſtini epiſtola illud exploratum redditur, ſic miſſos eſſe illos Legatos, non vt cauſam Neſtorii nouo ſubiicerent examini, ſed potius vt ſententiæ in eum anno ſuperiori Romæ latæ executores eſſent: ſicut etiam nihil quicquam, præter ſententiam Cæleſtini, ſibi arrogaſſe Oecumenicam tantam Synodum conſtat. Scripſit vero etiam Cæleſtinus per eoſdem Legatos ad Theodoſium Imperatorem epiſtolam parenęticam, ad res fidei ſolicite curandas: aliamque ad S. Cyrillum Alexandrinum, de recipiendo Neſtorio ſi reſipiſceret, etiamſi induciarum tempus anno ſuperiori ei propoſitum iam emenſum eſſet. Atque hæc de Legationibus Occidentalis Imperii.

m Haec & alias ſub. ... epiſt. ... exemplar. Annal. To. V. hoc an.
AD QVID MISSI LEGATI APOSTOL.

V. PRÆCIPVI ANTISTITES ORIENT. QVI CONVENERVNT EPHESI.

Inter Orientales autem Epiſcopos ad eamdem Synodum litteris Theodoſii euocatos, *Cyrillus* primæ poſt Romanam prærogatiua ſedis, & ipſius omnium Primæ Vicaria (vt vidimus) præfectura reliquos omnes antecellens, morum etiam egregia ſanctitate, atque eximia diuinarum rerum ſcientia enituit. Interfuerunt pariter alii magni nominis Epiſcopi; puta Armenia *Acacius* Melitinæ ciuitatis Antiſtes; itemque *Cyrus* Aphrodiſiæ Cariæ, & *Petrus* Saracenorum, quem ex milite Pagano Chriſtianum Epiſcopum factum ſuperius vidimus; cui & ad Synodum profecturo idem ille Euthymius qui eum baptizauit, vt iiſdem Cyrillo & Acacio in omnibus inhæreſceret, perſuaſit. Accurrit [n] etiam inter primos *Neſtorius*, vt ſingulos eo aduentantes Epiſcopos pertentaret [o], ſi in ſuas poſſet aliqua arte pellicere partes: quem quidem Socrates: [p] ait, ſtatim poſt diem Paſchatis cum magna populi multitudine Epheſum profectum eſſe. Cum autem præſcripta dies litteris Imperatoris qua conuentus agi deberet aduenisſet, humanitate quadam viſus eſt omnibus expectandus *Ioannes* Epiſcopus Antiochenus, qui vna cum aliis ſibi ſubiectis Epiſcopis dolo malo moras in itinere nectens (ne videlicet alterum de duobus pati compelleretur, aut ferre calculum in damnationem Neſtorii cui ſecreto fauebat, vel ſi ſecus faceret eamdem cum illo ſubire damnationis ſententiam) ad Cyrillum ſuæ cunctationis excuſatorias litteras [q] dederat: ſed poſt quindecim dies, Metropolitani qui cum ipſo erant aduenientes Epheſum, ipſius nomine Synodo nunciarunt [r], omnino non eſſe eius aduentum expectandum.

n Nic. li. 14. c. 33. Cyril. monach. in Vit. Euthy. ap. Sur. to. 1.
o Cyril. Alex. ep. 20 & 31. & Apol. ad Theod. ... & in Act. Epheſ. to. 1. c. 27. & to. 2. c. 6.
p Socr. lib. 7. c. 35.

q Act. Eph. ...
r Cyril. Apol. ad Theod.

VI. NVMERVS EPISCOP. SYNODI.
s Act. Eph. to. 2. c. ...
t Cyril. ep. 14.

Interfuiſſe porro in vniuerſum eidem Synodo pluſquā ducentos Epiſcopos, vna eademque omnium reperitur aſſertio, ipſiſque Synodicis teſtificationibus firmatur, videlicet epiſtola [s] à Concilio ad Clerum Conſtantinopolitanum, aliaq; ad Imperatores data: immo & litteris [t] Cyrilli ad ſuos Alexandrinos poſt Neſtorii damnationem ſcriptis, traditur fuiſſe illic congregatos Epiſcopos vltra ducentos, fere plus minus trecentos; adeo vt non ſit curandum, ſi qui hodie in Actis Synodi ſubſcripti inueniuntur, expleant dumtaxat centum quinquaginta trium Epiſcoporum numerum. Adfuerunt quoque *Irenæus* Comes, quem Neſtorius ſibi fauentem ſecum duxerat; & *Candidianus* Comes Domeſticorum, & ipſe Neſtorianus, miſſus à Theodoſio Imperatore, non quidem (quemadmodum ipſe Imperator ſuis ad Synodum ſcriptis litteris [u] conteſtatus eſt) vt conſultationibus Epiſcoporum ſe immiſceret, ſed curaret ex more vt omnia ibidem ſumma agerentur tranquillitate.

MVNVS LEGATI IMP. IN SYNODO.
u Act. Eph. to. 1. c. 32.

VII. ORDO CONSESSVS.

Collecta eſt autem Synodus in eccleſia Sanctiſſimæ Dei genitricis MARIÆ, Mariana ob eam cauſam appellata: ac primum omnium, vt Chriſtum præſidere ſignificarent, ſacroſanctum Dei Euangelium ex inſolita conſuetudine in conſpicua ſede poſuere in medio collocata; prout Cyrillus [x] Apologia ad Theodoſium deſcribit, & habetur in epiſtola Synodali ad eundem Imperatorem. Quod vero ad reliquum ſedendi ordinē ſpectat; Cyrillū vicem agentem Rom. Pontif. primum obtinuiſſe locum, inde vero Arcadium Legatum miſſum à Cæleſtino, vbi aduenit, poſtea Iuuenalem Hieroſolymitanum, & Theodotum Ancyranum, agentes patronos Synodi; ſubinde vero duos alios ſedis Apoſtolicæ Legatos, Proiectum Epiſcopum & Philippum presbyterum, ac reliquos demum Epiſcopos; ex Creſconiana Collectione vbi ponitur ſubſcriptio Epiſcoporum colligitur. Quæ autem diebus ſingulis facta ſint, ſat erit præcipuarum rerum hic ſummam referre, cum extent Acta ipſa Concilii, quæ ſingula fuſius doceant.

x Cyril. Apol. ad Theod. quæ ext. in Act. Eph. to. 1. c. 2. & ap. Cyril. to. 4. oper.

VIII. NESTOR. CITATVS A SYNODO, RENVIT ACCEDERE.
y Act. Eph. to. 2. c. 2.

Cum igitur omnium conſenſu vigeſima prima die mēſis Iunii iudiciali ordine res inchoata eſſet, miſſi ſunt à Patribus quatuor Epiſcopi inuitare ſeu potius citare Neſtorium ad diei ſequentis futurum in publico omnium cōſeſſu iudicium. At ille faſtuoſe hoc tantum reſpondens, *Conſiderabo & videbo*; poſtera die vigeſima ſecunda Iunii, qua Primam Seſſionem haberi contigit [y], idem ſecundo ac tertio per alios Epiſcopos in domo ſua conuentus, cum nunquam eos ad ſe admittere voluiſſet, aſſumptis etiam armatis militibus, qui domum ſuam cuſtodirent ne vllus omnino qui à Synodo miſſus eſſet ad ipſum ingredi permitteretur, hocque tantum ſemel reſponſum eiſdem per alios dari iuſſiſſet, tunc ſe Synodo adfuturum cum omnes Epiſcop. ſimul conueniſſent (intelligens videlicet de Ioanne Antiocheno, qui ex compoſito moras necteret) his ad Sanctam Synodum relatis, cum nulla amplius ſpes eiuſdem Neſtorii acceſſus eſſet, immo & vocandi eum denuo omnem aditum præcluſum viderent, animum Patres ad rem deliberandam conuertentes, lecta ac laudata Cyrilli epiſtola ad Neſtorium, huius vero ad Cyrillum reſponſione, vt hæretica, vna cum auctore magnis omnium conclamationibus anathemati ſubiecta, poſt item lectas comprobataſque Cæleſtini Romani Pontificis, eiuſdemque Cyrilli de ipſius Neſtorii antea Romæ facta damnatione litteras, auditaſque aliorum Epiſcoporum relationes de eiuſdem blaſphemiis: ac rurſum poſt prolata Scripturæ & SS. Patrum teſtimonia, quibus demonſtraretur, Verbi Incarnationem indiuiſe & inconfuſe in v-

tero

Digitized by Google

tero Virginis factam, duarumque naturarum coniunctione vnam tantum redditam eſſe perſonam, Chriſtum Iesvm, Deum & hominem, poſt deniqueque lectos, & cum execratione auditos, Neſtorii Quaterniones eidem Orthodoxæ doctrinæ repugnantes, aliaque eiuſmodi ad rem neceſſaria peracta: tandem damnationis, ſediſque priuationis, in eumdem Neſtorium lata eſt ſententia [z], cui omnes Epiſcopi ſubſcripſerunt, numero (vt habent Acta) pluſquam ducenti, eamque ipſi Neſtorio ſignificari, eumdem vocans *Nouum Iudam*, Synodus iuſſit [a].

Neſtorii damnatio.

z Act. 1. c. 10.

a Ibid. cap. 11.

IX. Triumphus ciuium Epheſinorum de damnato Neſt.

Perduraſſe vero vniuerſum ciuitatis Epheſinæ populum à mane vſque ad veſperam, S. Synodi iudicium expectantem, vt autem audierunt infelicem Neſtorium eſſe depoſitum, cœpiſſe omnes vna voce prædicare Synodum, & Deum glorificare, factaque multa lætitia luminaria per totam ciuitatem fuiſſe accenſa, atque adeò & ipſas mulieres adolentes thymiamata cum thuribulis progredientes è tanta victoria Patres præceſſiſſe, teſtantur Cyrilli tunc temporis ad ſuos Alexandrinos ſcriptæ litteræ [b]. Sed & per publicos præcones damnationem Neſtorii Epheſi promulgatam & proclamatam fuiſſe, Candidianus Comes in Conciliabulo poſtea teſtatus eſt. Sequenti vero die nempe vigeſima tertia menſis Iunii, Secunda Actione cum in vnum conuenisſent Epiſcopi, Cyrillus habita ad populum homilia in laudem SS. Dei. Genitricis, inuectus eſt acerrime in Neſtorium: ac poſtea ſcriptæ ſunt à Synodo litteræ [c] ad Theodoſium Imperatorem de rebus ibidem geſtis, quibus etiam petierunt Neſtorii doctrinam ab Eccleſiis ſubmoueri, eiuſdemque libros vbique flammis abſumi: additæque aliæ [d] de eiuſdem damnatione ad Clerum Conſtantinopolitanum Sed occluſis à Candidiano Comite (qui ex pacis publicæ curatore à Theodoſio conſtituto, effectus eſt Neſtorii patronus) cunctis terræ mariſque viis, ne Synodi litteræ perferrentur, ipſe ad Imperatorem ſcribens aduerſus Cyrillum & reliquos, calumniatus eſt eos, quod præpropere nimis, non expectato Ioanne Antiocheno, pluribuſque aliis minime vocatis, conueniſſent, & ipſi qui aderant haud inter ſe conſenſiſſent: aliaq; eiuſmodi mentitus eſt, quæ refert Cyrillus in epiſtola [e] poſtea data ad Comarium & Potamonem Epiſcopos. Additque Neſtorius ſuas [f] eodem argumento ad Imperatorem litteras, nouis refertas mendaciis, quibus inter alia queſtus eſt de vi à Synodo ſibi allata morteque intentata, petiitq; vt aliam legitimam cogi iuberet Synodum, abſq; tamen Ægyptiis, in qua duo ex vnaquaque prouincia adeſſent Antiſtites: cui ipſius epiſtolæ ſubſcripſerunt nouem qui cum eo erant Epiſcopi.

b Cyril. ep. 14. to. 4. oper.

c Act. Ep. to 1. cap. 22. ep. Cyril. ep. Synod. 1. to. 2. c. 12.

Candidian. comes tyrannidem in Epiſcop. exercet.

e to. 1. c. 18. & ep. Cyril. ep 20. f to. 3. ca. 10.

X. Ioannis Antioch. aduentus cum tyrannide.

Cum vero poſt hæc Ioannes Antiochenus, ira & inuidia aduerſus Cyrillum æſtuans ob recentem amici ſui Neſtorij condemnationem & antiquum Antiſtitum Antiochenorũ aduerſus Alexandrinos diſſidium, quod Alexandrinus primus poſt Romanum in vniuerſa Eccleſia exiſtens, ita ſibi vendicaret totius Orientis Eccleſiarum, refragrantibus Epiſcopis Antiochenis qui illi ſubijci indigno ferebant animo: cum inquam, his impulſis odij occaſionibus, Ioannes Epheſum vna cum ſuis aduenisſet vigeſima ſeptima menſis Iunii, nempe die quinta à Neſtorij damnatione (vt Euagrius [g] auctor eſt, teſtanturque ipſa Acta [h] Epheſina, & Cyrillus in Apologetico: ex quibus plane erroris arguuntur [i], qui poſt biduum vel triduum aduenisſe Ioannem affirmant) eidemque honorifice occurriſſent in via Epiſcopi à Synodo Actione Tertia delegati, qui ei manifeſtarent, quod deberet à Neſtorii iam à Synodo damnati colloquio abſtinere: primum ipſe eos miniſterio Irenæi Comitis iniurijs ac plagis affectos dimittens, mox eadem ipſa die qua aduenit antequam puluerem ex itinere contractum excuſſiſſet, nondum depoſito pallio, collectis in ipſo diuerſorio quibuſdam Epiſcopis Neſtorianæ factionis (quorum alij extorres vagabantur nullas Eccleſias habentes, alij grauibus de cauſis à Metropolitanis ſuis depoſiti fuerant, alii vero Pelagianam profitebantur hæreſim) poſtquam in eo conuenticulo Candidianus Comes de his, quæ hactenus Epheſi

g Euagr. lib. 1. cap 3. h Act. Eph. to 1. cap. 1. i Liber. Breuiar. cap. 6. Niceph. li. 14 c. 37.

Conciliabulum Neſtorii et Ioan. aduers. Cyril. et S. Synod. decum.

geſta erant, vt ſibi viſum prælocutus eſt, idem Ioannes ſuas querelas aduerſus Synodum protulit, quod ab ea minime expectatus eſſet: ac confeſtim, de Neſtorij hæreſi ne verbo quidem facto, accuſationibus propoſitis aduerſus Memnonem Epiſcopum Epheſinum & Cyrillum Alexandrinum, iidem vt hæretici condemnati ſunt atque depoſiti, Cyrillus quidem, quod ſcriptis ſuis ad Neſtorium Conſtantinopolim miſſis hæreſes admiſcuiſſet, Memnon vero, quo Cyrilli capitula promulgaſſet, Neſtorioque omnes Eccleſias Epheſi clauſiſſet, ac multa alia contra canones peregiſſet: reliquos autem Oecumenicæ Synodi Epiſcopos (quos æque variis hæreſib. infectos eſſe, cœtus ille ſatanicus affirmauit) excommunicationi ſubiectos eſſe voluerunt; quouſque Cyrilli capitula condemnarent.

XI.

Hæc quidem omnia manifeſta fiunt partim ex epiſtola Memnonis [k] ad Clerum Conſtantinopolitanum, & Synodica [l] ad Papam Cæleſtinum, partim ex ipſa ab eiſdem ſchiſmaticis lata ſententia [m]; libelloque ea de re ad Cyrillum & reliquos Synodi Epiſcopos (vt præſefert) ſcripto; cui quadraginta tres Epiſcopi ſubſcripti reperiuntur, & inter eos Theodoretus Cyrenſis & Paulus Emeſenus qui cum Ioanne aduenerant. Sed noua fraude, licet ea ad Synodum Oecumenicam appareant eſſe conſcripta, nequaquam tamen miſſa fuere: quin potius clanculum rem agentes, eadem litteris [n] ad Imperatorem & ad Clerum Conſtantinopolitanum miſerunt: ſicque factum eſt, vt in remotioribus ciuitatibus ex eorundem ſchiſmaticorum litteris Synodus Oecumenica magnopere infamaretur, cum ipſi Epiſcopi Orthodoxi qui erant Epheſi nihil penitus horum ſcirent.

k Act. Eph. to. 4. c. 13. l ep. Cyril. ep. Synod. 1. m to. 3. c. 1. & 2.

n to 3. c. 4. & ſeqq.

XII Neſtoriani reſtituunt Pelag. hæreſim.

Nec his contenti nefarii, illi in gratiam quoque Pelagianorum qui aderant, reſtituerunt Pelagianam hæreſim ſæpius ante damnatam, illud impie ſancito canone decernentes. Adæ animam minime per peccatum mortuam eſſe priuatamque vitæ gratia, neque peccatum Originale eſſe propagatum in poſteros. Quæ cum ſiue dolo malo, ſiue librariorum incuria, admixta iam olim fuiſſent Actis legitimæ Synodi Oecumenicæ ibidem Epheſi celebratæ, & in quibuſdam codicibus inter Catholicas Synodi ſanctiones ſpurium illud Pelagianum lateret decretum, detexit impoſturam atque damnauit Sanctus Gregorius Papa, cuius ea de re extant litteræ [o] ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinum, Anaſtaſium, Antiochenum, & Narſetem Comitem. Atque hic finis Concilij malignantium, ex quo malorum omnium fluxere principia. Verum ipſorum aliquos paulo poſt ſanioris mentis effectos, Catholicam fidem profeſſos eſſe, teſtatur Synodica [p] per Palladium ad Imperatorem miſſa. Indeque videas: cum numerentur in hoc ipſorum primo conuentu Epiſcopi quadraginta tres, poſtea cenſeri [q] tantummodo triginta ſeptem, ac demum triginta vnum.

o Greg. PP. 6. ep. 31. 7. ep. 47. 5. ep. 14.

p Act. Eph. to. 4. c. 10. q Ibid. c. 7. & 10.

XIII. Legati Rom. aduentus Epheſum.

r to. 2. c. 13. 14. 15.

Poſt hæc autem [r] duodecim diebus elapſis, nimirum decima Iulii, Legati à Cæleſtino Papa & Occidentalibus miſſi, tempeſtate maris tamdiu detenti, appulerunt Epheſum; qui licet minime aduenisſent, tamen Synodo ſatis viſum fuerat rem aduerſus Neſtorium agere, quod adeſſet Cyrillus vicem & ipſe agens Romani Pontificis. Porro Legatis eadem die in Synodum introductis, litteræ Cæleſtini Latino quo ſcriptæ erant ſunt recitatæ ſermone, ob dignitatem Apoſtolicæ Sedis Latine ſcribentis, inde Græce redditæ, iterumque lectæ, omnium ſententia Catholicæ ſunt prædicatæ, & fauſtis acclamationibus acceptæ. Qua de re laudatis Patribus à Philippo S. R. E. preſbytero, vno ex Legatis, quod ſcilicet (vt et iidem tamquam membra Eccleſiæ, eiuſmodi exhibuiſſent officium ſuo ipſorum capiti Cæleſtino, quæcumque hactenus in Synodo geſta eſſent, coram ipſis Legatis recitata ſunt, & Neſtorii iterata damnatio. Atque ita abſoluta eſt Quarta Seſſio. Vndecima autem Iulii, Quinta nimirum Actione, iidem Legati Apoſtolicæ Sedis in damnationem Neſtorii ſuum calculum addidere [s], quorum primo loco Philippus presbyter ſubſcripſit, poſtea duo reliqui Epiſcopi: quibus intelligas, quod etſi præſtare dignitate certum

s to. 2. c. 16 Cardinal. R. E. dignitas

ſit Epi-

ſit Epiſcopos presbyteros, eos tamen qui proxima connexione capitis *Cardinales presbyteri* nominantur, aliquid habuiſſe quo interdum præferrentur Epiſcopis. Deinde vero ſcripta eſt de his epiſtola [t] Synodalis ad Theodoſium Imperatorem, aliaque [u] ad Clerum Conſtantinopolitanum. In quibus quidem cum nulla habeatur mentio de rebus geſtis per aduerſariorum conciliabulum, euidens eſt argumentum (quod diximus) omnia ab eis clanculum ſub ſilentio actitata.

[t *Ibid. c. 17.* u *cap. 21.*]

XIV. Cum autem poſtmodum ea innotuiſſent Catholicis Epiſcopis, iidem decima ſexta menſis Iulii Sextam habuere Seſſionem [x]. Ex qua, poſt auditas querelas Cyrilli & Memnonis, ſemel atque iterum miſſi ſunt tres Epiſcopi ad citandum Ioannem Antiochenum, qui à militibus vetiti ad eum accedere, ſed & opprobrijs onerati, vix tandem per eoſdem milites à Ioanne reſponſum acceperunt, ipſos, quod excommunicati eſſent, haud dignos eſſe reſponſo: cum tamen ſaltem ob reuerentiam Apoſtolicę Sedis, eiuſque Legatorum, debuiſſet ad purgationem obiectorum accurrere, vt poſt auditam eius proteruiam, Iuuenalis [y] Epiſcopus Hieroſolymitanus optime coram Synodi Patribus intulit, ex eo quod (vt ait) Apoſtolica ordinatione & antiqua traditione, Antiochena ſedes perpetuo à Romana dirigeretur iudicareturque. At vero idem Ioannes crimen adiiciens crimini, confeſtim chartas publice iuſſit affigi, quibus Cyrillus declararetur eſſe ſectæ Apollinaris hæreticus. Qua de calumnia Cyrillus in Septima Seſſione, habita die decimaſeptima Iulii, queſtus, in eumdem Apollinarem & alios omnes hæreſiarchas anathema protulit. Placuit vero Sanctæ Synodo Ioannem tertio per tres alios Epiſcopos citari: qui iterum à clericis Ioannis male excepti, illud ab eiſdem reſponſum habuerunt, Ioannem decreta ſuæ Synodi ad Imperatorem miſiſſe, eiuſque reſponſum expectare. Quare S. Synodus Oecumenica, haud diutius diſſimulandum rata, in ipſum Ioannem, & Epiſcopos qui cum eo erant, anathematis ſententiam tulit, nomina ſingulorum exprimens, numero triginta quinque, inter quos recenſitus reperitur Theodoretus. Scriptaque [z] eſt de his Synodalis ad Theodoſium Imperatorem, aliaque Encyclica ad vniuerſos Chriſti Fideles: cui adiecere ſex canones aduerſus eos qui communicare præſumerent Neſtorio, Ioanni vel Pelagianis, aut qui res geſtas per Sanctam Synodum conarentur irritare; & vt qui à Neſtorio, eique adhærentibus, depoſiti eſſent, ſuum reciperent locum.

[x *to. 4. c. 1. 2. 3. 4.* — IOANNIS ANTIOC. PROTERVIA. — y *Ibid. cap. 4.* — IOANNIS AC SOCIORVM DAMNATIO. — z *to. 4. c. 8. & 9. & ap. Cyril. ep. Synod. 5. & 6.*]

XV. Quinque autem poſt diebus, nimirum die vigeſima ſecunda Iulii, Octauus [a] habitus eſt Congreſſus: in quo aduerſus Neſtorianos, qui decipere ſimpliciores ſolerent, exhibendo illis à ſe ſcriptam nouam fidei confeſſionem, velut Nicænum Symbolum; ſtatutus eſt canon, vt nemo ſubſcribendam offerret aliam fidei profeſſionem, quam Nicænam abſque vllo additamento. Sequenti vero die damnata eſt Nona Seſſione hæreſis Pelagiana, ipſiuſque ſectatores, ex præſcripto commentariorum Romæ conſcriptorum ſub Cæleſtino Papa aduerſus eoſdem hæreticos; dataque epiſtola [b] Synodalis ad eumdem Cæleſtinum, qua eum de omnibus in Synodo hucuſque peractis certiorem reddidere, integroſque Actorum commentarios miſere. Ac poſt iſta, diuerſis Conſeſſibus damnati [c] ſunt pariter hæretici Maſſaliani, Euchytæ & Enthuſiaſtæ, aliæque priuatæ cauſæ in Synodo productæ. Sed & Iuuenalem Epiſcopum Hieroſolymitanum tentaſſe totius Syriæ Paleſtinæ, ſibi & ſucceſſoribus ſuis arrogare primatum, cum graui Eccleſiæ Cæſarienſis præiudicio, cui tum ex traditione, tum ex Concilii Nicæni decreto debebatur, verum cum vniuerſam pene Synodum ad ſua vota traxiſſet, Sanctum Cyrillum ei reſtitiſſe: S. Leo Papa docet epiſtola [d] ad Maximum Epiſcopum Antiochenum ſcripta. Quod autem ad hæreſim Pelagianam ſpectat; ponit etiam Proſper in Chronico ſub huius anni Coſſ. eius damnationem cum Neſtorii erroribus factam in Synodo Epheſina. Qui & compoſuit [e] elegans epitaphium de eadem ſepulta cum ignominia: atque, ea in Synodo damnata, ciues Epheſios ardore fidei Catholicæ æſtuantes, haud pati potuiſſe Pelagianos Epiſcopos intra ciuitatis mœnia contineri, ſed populari vi atque tumultu protinus expuliſſe.

[a *to. 2. act. 28. & ſeqq.* — PELAG. ALIOR. Q. HÆRET. DAMNATIO. — b *to. 4. c. 17. & ap. Cyril. ep. Synod. 12. & to. 2. Append. c. 1. 2. 3. 4.* — IVVENALIS HIER. PRIMATVM QVÆRIT PALÆST. — d *Leo ep. 62.* — e *Proſp. car. de Ingrat.*]

XVI. Cum vero his omnibus rite abſolutis, S. Synodus rurſum litteras [f] ad Theodoſium Imperatorem ſcripſiſſet, quibus peteret Epiſcopis, iam mala valetudine & inopia laborantibus, dari ad propria remeandi licentiam: econtra accidit, vt cum & illæ, ſicut aliæ ab ipſis iam antea ſcriptæ, interceptæ fuiſſent dolo Candidiani Comitis, omnia ad nutum Neſtorianorum agentis; perueniſſent vero quam citiſſime Conſtantinopolim, quas Neſtoriani conſcripſiſſent; idem Imperator tertio Calendas Auguſti (non autem vt alicubi legitur, decimotertio Calendas Iulii) Epheſum reſcribens [g] per Palladium *Magiſtrianum* (ſic vocabant Tabellariorum præfectum) præcepit acta contra ordinem ſuumque mandatum, ſiue aduerſus Neſtorium, ſiue alios, eſſe penitus irritanda; integrandumque iudicium, vt cuncta rite fierent: & ob id iuſſit Epiſcopis omnibus, ne quis eorum vllo pacto Epheſo recedere auderet, & Præfectis prouinciarum, ne quempiam in Eccleſiam ſuam redire permitterent. Verum cum eas litteras, Palladius vtriuſq; partis Epiſcopis reddidiſſet, mox & ipſe ad ſtudia Candidiani Neſtoriique abreptus, tantam prætulit redeundi ad Imperatorem celeritatem, vt noluerit expectare litteras [h] Orthodoxę Synodi ad eum ſcriptas, ſubſcribi ab omnibus Epiſcopis tunc aſtantibus, ſicque Conſtantinopolim abſque illis rediit. Vnde iidem Epiſcopi Catholici, cum ipſis plane innotuiſſet, miſſas à ſe litteras ſemper interceptas fuiſſe, opportunum in re adeo deplorata conſilium nacti, fidum hominem mendici habitu miſerunt, loco baculi arundinem geſtantem, cui & has ipſas litteras, & alias omnes ab ipſis antea ſcriptas incluſerunt. Quo tandem modo cum illę Conſtantinopolim perueniſſent, cognitis inſidiis tyrannicis quas iidem Epheſi paterentur, Archimandritæ Conſtantinopolitani (ad quos etiam Synodus litteras dederat) zelo æſtuantes, vniuerſamque ciuitatem ad fidei Catholicę defenſionem commouentes, omnia Imperatori palam fecerunt [i]: qui & ipſe hactenus à ſuis domeſticis ac magiſtratibus deceptus, nonnulla in fauorem Neſtorii peregiſſe viſus eſſet, iam veritate perſpecta, decretis Synodi de Neſtorii damnatione acquieuit, ad ſedandas autem alias controuerſias inter partes Ioannis & Cyrilli, facultatem tribuit eidem Oecumenicæ Synodo, quos vellet Conſtantinopolim mittere, qui ſibi omnia referrent.

[f *Ret. Baron. Annal. To. V. h[illegible] an.* — THEOD. IMP. DECEPTVS AB HÆRET. QVID EGERIT IN CAVSA SYNODI. — g *Act. Eph. to. 3. c. 17.* — h *Ext. ap. Cyril. ep. Synod. 4. & [illegible] Act. to. 4. c. 10.* — ARCHIMANDR. CONST. [illegible] AGVNT PRO S. SYNODO. — i *to. 2. c. 19. 20. 24.*]

XVII. Verum cum eodem tempore & ſchiſmatici legaſſent Irenæum Comitem cum litteris [k] ad Imperatorem, quibus multa inuidioſa admiſcuiſſent: eademque Irenæus confirmans, magnam ea de re haberet [l] diſceptationem Conſtantinopoli cum Legatis Catholicis, ex quibus perplexus redderetur Imperatoris animus: rurſum importune nimis adfuit procuratum à ſchiſmaticis officium Acacii Epiſcopi Berœenſis, de quo plura ſuperius, qui quod natus annos centum & decem, præ ingraueſcente ſenecta ſe conferre ad Synodum excuſaſſet, Paulo Epiſcopo Emeſeno [m] ſuas vices delegans, quem conſtat aduerſus Orthodoxos inhæſiſſe Ioanni, eo ab iiſdem ſchiſmaticis adactus eſt delirus ſenex, vt aduerſus Cyrillum & Memnonem ſcriberet ad Imperatorem, qui neſciens eiuſmodi technas, ac fama commotus Acacii, ſecundum ipſius ſuaſionem, ſententias ab Epiſcopis Epheſi aduerſum ſe inuicem latas ſtatuit eſſe ſeruandas, quouſque res inter ſe ipſi componerent: miſitque [n] ſequeſtrem pacis Ioannem, quem Imperatori ab eleemoſynis fuiſſe aiunt, pro priori titulo *Comitem* dictum *Sacrarum Largitionum*. Qui quidem magna celeritate Epheſum perueniens, prima die patefactis litteris Imperatoris, declarauit Neſtorium, Cyrillum, atque Memnonem iure depoſitos, eoſque omnes, ne diſſidia maiora concitarentur in populo, carceri quemque ſuo voluit mancipatos, cuſtodeſq; milites appoſuit ceteris Epiſcopis Orthodoxis, qui nollent communicare cum Ioanne Antiocheno [o]: atque vt rem ſe bene geſſiſſe ſignificaret, ſcribens ad Imperatorem, tur-

[k *to. 2. c. 16.* l *to. 3. c. 14.* — QVID RVRSVM THEOD. IMP. IN REB. DVBIIS. — m *to. 3. c. 19.* — n *Ibid. c. 15.* — OMNES MINISTRI IMP. CONSPIRANT ADVERS. S. SYNOD. — o *Vid. plura de his, in Act. Eph. to. 3. Appen. c. 1. & 8. ac. to. 4. c. 6. 12. 14. 15. 18. 21.*]

Digitized by Google

piter mentitus eſt vniuerſam Synodum aſſenſam eſſe in damnationem Cyrilli: adeo vt iam de loco, in quem eſſet deportandus conſuleretur. Quibus omnibus, aliiſque eiuſmodi nefarie perpetratis, ſcripſerunt clam Orthodoxi ad Clerum Conſtantinopolitanum de rerum ſuarum ſtatu miſerando, petieruntq; vt agerent apud Imperatorem, reddi Synodo Cyrillum, & Memnonem, ac dari ipſum adire poſſe, ſin minus, liberum eſſe vnicuique in patriam reuerti.

XVIII. CLADES ROM. EXERCITVS IN AFRICA.

Interea vero dum barbarico more Catholica fides, vna cum defenſoribus ſuis, Epheſi vim pateretur, eodem quoque tempore iuſto Dei iudicio, qui terribilis eſt in conſilijs ſuis ſuper filios hominum, Romanus exercitus à barbaris trucidatus eſt. Hoc enim ipſum tempus eſſe, quo Theodoſius Imperator miſſo Aſpare inuictiſſimo duce, iunctiſque copiis Occidentalis Imperii quas Bonifacius Comes regebat, bellum geſſit aduerſus Genſericum VVandalorum Regem Africam occupantem, inſinuat libellus [p] ſchiſmaticorum paulo poſt eidem Theodoſio oblatus. Sed accidit vt Romanus exercitus omnino deletus fuerit, Aſparque Conſtantinopolim, & Bonifacius Romam ſe recipientes (quam cladem Procopius [q], atque Theophanes Miſcellæ [r] auctor deſcribunt) totam Africam VVandalis reliquerint. Porro Bonifacius, de quo ſæpe ſuperius, accepta Magiſtri militum dignitate, cum reſiſtentem Aetium, qui olim ei fuerat inſidiatus, prælio ſuperaſſet, paucos poſt dies ipſe morbo extinctus eſt, vt tradit anno ſequenti Proſper. Theophanes autem ſingulari certamine à Bonifacio victum Aetium ſcribit. Et Marcellinus [s] vulnere ab Aetio inflicto Bonifacium perijſſe narrat. Poſt cuius obitum Aetius Hunnorum auxilio, ad quos in Pannoniam profugerat (vt idem Proſper tradit) pacem Principum, dignitatemque priſtinam obtinuit.

p Ibid. to. 3. Append. c. 4. & ap. Cyril. in Apol. q Procop. de bel. Wandal. l. 1. r Miſcell. l. 14. BONIF. ET AETII DVCVM PVGNA. s Marcel. in Chron. anno ſeq.

XIX.

Ceterum ea tam graui clade in Africa ſuſcepta Theodoſius perterrefactus, inſuperque expergefactus acerrimo Orthodoxorum, qui Conſtantinopoli partes Synodi Oecumenicæ tuebantur, libello [t] ipſi oblato, necnon Pulcheriæ [u] Auguſtæ ſororis ſuæ, deuotiſſimæ ac prudentiſſimæ virginis, precibus fatigatus, pro fide Catholica, cuius alioqui & ipſe ſtudioſiſſimus erat, ſolertius agere cœpit, qui hactenus (quod natura clementiſſimus eſſet) cum fidei hoſtibus mitius videretur egiſſe. Quapropter meliora tandem conſilia iniens, ſcripſit [x] ad Ioannem Comitem Epheſi adhuc agentem, vt ſeptem ab vtraque parte Epheſo Conſtantinopolim mitterentur Epiſcopi, qui coram ipſo de rerum ſumma tractarent. Miſſique ſunt ex parte Catholicorum, cum Philippo S. R. E. presbytero Apoſtolicæ Sedis Legato (qui & primus omnium ante Epiſcopos nominatur in Commonitorio [y] ipſis à Synodo Oecumenica dato) ſeptem alij Epiſcopi, nempe Arcadius & ipſe Apoſtolicæ Sedis Legatus, Iuuenalis Hieroſolymitanus, Flauianus Philippenſis Macedoniæ, Firmus Cæſarienſis Cappadociæ, Theodotus Ancyranus Galatiæ, Acacius Melitenus Armeniæ, Euoptius Ptolemaidis Pentapolis: ex parte vero ſchiſmaticorum, Ioannes Antiochenus, Paulus Emeſenus, Himerius Nicomedienſis, Macarius Laodicenſis, Apringius Chalcidenſis, Theodoretus Cyrenſis, Helladius Ptolemaidis Phœniciæ: nomen vero octaui deeſſe videtur: ſiquidem octo legatos fuiſſe, litteræ [z] eorum teſtantur: ſicut & octo ab Orthodoxis miſſos eſſe conſtat, licet de ſeptem tantum aliqui affirmarint. Porro ab vtraque parte data fuere ſuis Commonitoria [a] de ijs quæ Conſtantinopoli apud Imperatorem agenda eſſent. Qui vero Epheſi relictus eſt Cyrillus, ſcripſit Apologiam [b] ad eundem Imperatorem, qua purgauit ſe de omnibus à ſchiſmaticis contra ſe calumniis in hunc vſque diem illatis. Ac cum Legati Epheſo receſſiſſent, mandato eiuſdem Imperatoris iuſſu [c] eſt Neſtorius recedere Epheſo, & quo vellet pergere, nulla amplius ſpe reuertendi ad ſedem Conſtantinopolitanam, è qua iuſte fuiſſet depoſitus.

t Act. Ephe. to. 4. c. 16. u S. Leo ep. 19. & 45. ad Pulcher. THEOD. DETEGIT CALVMNIAS HÆRETICOR. x to. 4. c. 22. y to. 4. c. 19. LEGATI AB VTRAQ. PARTE MISSI CONSTANTINOP. z to. 3. c. 13. in fi. a Ext. to. 3. c. 19. & to. 4. c. 19. b to. 3. c. 2. c to. 3. Ap pend. c. 5. NESTORIVS DIMISSVS PRIVATVS EPISCOPATV.

XX.

Cum autem Legati Conſtantinopolim appropinquarent, idem Theodoſius Auguſtus vrbis tranquillitati conſulens, quod ſciret ciues in ſchiſmaticos Neſtorii fautores infenſiſſimo eſſe animo, Legatos omnes primo iuſſit ſubſiſtere apud Chalcedonem [d], paulo vero poſt Orthodoxis Conſtantinopolim admiſſis, Neſtorianos ad propria redire iuſſit, Actaque ab his aduerſus Cyrillum & Memnonem vniuerſamque Synodum, penitus aboleri. Verum eorumdem ſchiſmaticorum multiplicibus libellis inductus, ipſos quoque tandem intra vrbem admiſit: vbi quinquies cum Orthodoxis coram ipſo Imperatore congreſſi ac poſt multas de duodecim Cyrilli capitulis, aliaſque eiuſmodi diſputationes, impii iam detecti, omnino iuſſi ſunt ad propria reuerti. Inter eos autem Theodoretum acerrimum ſe Neſtorii propugnatorem aduerſus Cyrillum geſſiſſe, ipſemet ſatis oſtendit [e] litteris tunc Chalcedone ad Alexandrum Hierapolitanum Epiſcopum datis, & homilia ibidem ad populum habita. Atque hunc tandem finem accepit hæreticorum & ſchiſmaticorum factioſa rebellio.

d Quæ tunc Chalcedone & Conſtantinopoli inter vtriuſque partis Legatos geſta ſunt, pluribus continentur in Act. Eph. to. 3. Append. c. 2. & ſeqq. SCHISMATICI REPULSI AB IMP. e ap. Cyril. in Apolog. & Act. Eph. to. 3. Append. c. 9.

XXI.

At licet ſancita à Patribus damnatio hæreſis Neſtorianæ cum auctore ſuo Neſtorio, firmum vigorem obtinuerit; quæ tamen à Synodo ſtatuta fuerant aduerſus Ioannem Antiochenum, atque collegas ſacerdotio ac ſede priuatos, haud adeo propere viſa ſunt Imperatori executioni mandanda, ſed ſpe pacis ineundæ ſunt retardata, ne cum Ioanne totius Syriæ Epiſcopi ab Eccleſia Catholica ſepararentur. Quod quidem diuino conſilio factum eſſe, exitus declarauit, cum anno ſequenti diſſidentes ad concordiam ſunt reuocati, Eccleſiiſque tranquillitas reddita. Neſtorius autem cum ſuis in monaſterio Sancti Euprepii apud Antiochiam permiſſus [f] agere ad quadriennium, ſi forte ab inſania reſipiſceret, cum eſt compertus maiori obſtinatione obriguiſſe, relegatus eſt in teterrimam ſolitudinem Oaſenam, vt dicetur inferius.

f Euagr. l. 1. c. 7.

XXII. MAXIMIANVS ELIGITVR EPISC. CONSTANTIN.

Interea vero hoc ipſo anno, octaua Nouembris, vt Socrates [g] habet, creatus eſt in locum eius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, *Maximianus* (vt ait [h] Liberatus) vita monachus, ordine presbyter, conſtantis vir fidei, ſed idiota ſermone, & qui idcirco vitam quietam agere delegerat. Eadem fere de illo Socrates [i]. Is autem confeſtim ac Epiſcopus factus eſt, epiſtolam [k] ad Cyrillum ſcripſit, qua inſignem eius confeſſionem, ac toleratos pro fidei defenſione labores, meritis laudibus extulit. Cui vero primæ deberentur tantæ partæ de proſtratis hæreſibus gloriæ, Cæleſtinus Romanus Pontifex (quem, præter alia quæ de eo iam dicta ſunt, Gennadius [l] ait decreta Synodi aduerſus Neſtorium dictaſſe, volumenque deſcriptum ad Orientis & Occidentis Eccleſias dediſſe) hoc elogio à Sancto Proſpero [m] laudatur, quod *per eum omnes Orientales Eccleſiæ gemina peſte purgatæ fuerint quando Cyrillo Alexandrinæ vrbis Antiſtiti, glorioſiſſimo fidei Catholicæ defenſori, ad exterminandam Neſtorianam impietatem Apoſtolico auxiliatus eſt gladio: eodemque Pelagianos, dum cognatis confœderarentur erroribus, iterum proſtrauit.* Quæ quidem non ignorantes ipſi Patres Epheſi conuenerunt, necnon Maximianus ipſe recens creatus Epiſcopus, atque etiam Theodoſius Imperator, legationem miſerunt ad eumdem Cæleſtinum, ei de his gratulantes. Sed quod hanc conſtet Romam perueniſſe ipſo die Natalis Domini, agetur de illa anno ſequenti.

g Socr. l. 7. c. 36. 40. h Liber. Breuiar. c. 9. i Socr. ibid. c. 14. k ap. Cyril. ep. 24. Act. Eph. to. 4. c. 24. l Gennad. de Script. Eccl. c. 54. CÆLEST. PAPÆ ELOGIVM DE PROSTRATIS HÆR. m Proſp. cont. Collat. prope fi.

XXIII. CVLTVS SS. VIRGINIS MATRIS AVCTVS.

Denique poſt inſignem illam adeptam victoriam de Eccleſiæ perduellibus, vbique locorum à Chriſtianis trophæa erecta ſunt, & Sanctiſſima Virgo MARIA (quæ, vt canit ſancta Eccleſia, cunctas hæreſes interemit in vniuerſo mundo) MATER DEI omnium ore cantata eſt atque prædicata. Tuncque additamentum illud accepiſſe creditur Angelica ſalutatio, SANCTA MARIA MATER DEI ORA PRO NOBIS, &c. Factumque eſt, vt licet frequens antea eſſet ipſius cultus, poſthæc diuino excitante Spiritu, frequentior fuerit atque celebrior, vixque reperiri eſſet, qui abſque Dei-Genitricis titulo nominaret Sanctam Mariam. Sed & Pulcheria Auguſta virgo ſanctiſſima, cuius maxime opera [n] Regina Virginum, Mater Dei, à Ne-

n S. Leo ep. 39. ad Pulcher.

o Niceph. l. 14. c. 2. p Procop. de ædif. Iuſtin. or. 1.

ſtorii vindicata eſt blaſphemiis, exſtauit[o] ampliſſimum tantæ victoriæ monumentum, nempe ſub nomine eiuſdem Dei Genitricis auguſtiſſimum templum in Blachernis iuxta mare: quod ſua poſtea mole labans, Iuſtinianus[p] Imperator reſtituit.

XXIV. Theod. Imp. punit Comites qui faverant hæreticis.

Adiecit vero ad hæc omnia Theodoſius Imperator, vt Irenæum Comitem profectum cum Neſtorio Epheſum, ob ſtudium erga eum impenſum aduerſus Catholicam fidem, exauctorarit, eumdemque ab Epiſcopis Syris, vt patronum, ordinatum Epiſcopum Tyri. etiam deponi curarit, vt dicetur ſuo loco. Sed & parem irrogatum fuiſſe pœnam in Candidianum, Palladium, atque Ioannem Comites, qui mendacibus relationibus ludificaſſent Imperatorem, & de ſanctis Epiſcopis adeo male meriti eſſent, poſſumus intelligere, nimirum vt par ſententia percelleret eos, quos par delictum obnoxios eidem ſupplicio reddidiſſet. Adeo vt cum Neſtoriani præter ſpē vidiſſent Theodoſium, per Pulcheriam Auguſtam ab eorum fallaciis eductum, ſtrenue pro fide Catholica peregiſſe quæ Chriſtianum decerent Imperatorem, in vtrumque commoti, quod aliter non valerent, calumniis ambos vehementiſſime exagitarint, dum (quod narrat Suidas) rumorem ſparſeruit, eo inuiſum eſſe Pulcheriæ Neſtorium, quod illam inceſtūs cum fratre Theodoſio criminatus eſſet. Sed quid mirum, ſic in Chriſti virginem inſaniſſe, qui in Chriſti Matrem adeo contumelioſi extitere? At de his, deque rebus Orientalibus huius anni hactenus. Iam Occidentales inuiſamus.

Historia Neſt. calumniæ in Theod. et Pulcher. Augg.

XXV.

His ipſis Coſſ. Sanctus Proſper miſſum ait Palladium (de quo ſuperius) ordinatum primum Epiſcopum ad Scotos: quem perductum etiam ad Hiberniam Inſulam, ſed cito mortuum, Probus ait in Rebus geſtis Sancti Patricii. Hibernorum quidem conuerſionem Deus eidem S. Patricio reſeruauit: qui (vt tradunt) Scotus genere, natus ex Sancti Martini Turonenſis Epiſcopi ſorore, ab eo clericus ordinatus, quadriennium ſub eius inſtitutione tranſegit, inde à Sancto Germano Antiſiodorenſi ſacris litteris imbutus. Vocatus autem à Deo ad Hibernorum conuerſionem, non prius illuc ſe contulit, quam Romam ad Cæleſtinum Papam acceſſerit, accepturus ex more ab Apoſtolica Sede ad eius gentis conuerſionem Apoſtolatum. Hæc vero, aliaſque res ab eo in eiuſmodi Apoſtolatu geſtas, ſcriptaque exarata, Probus, Sigebertus[q], aliique conſcripſere. Sed Probus ab Amatore Epiſcopo ordinatum ipſum tradit Scotorum Antiſtitem: quod Sigebertus ait Romæ factum à Cæleſtino, vnde in patriam rediens, Hibernos ad Chriſti fidem ſuſcipiendam conuertit.

De S. Patricio Hibernor. Apoſtolo.

q Sigeb. in Chron.

XXVI. S. Paulini Nolani obitus.

r ap. Sur. 22. Iunij.

Hoc item anno, decimo Calendas Iulii diem obiiſſe magnum illum Sanctum Paulinum Nolæ Epiſcopum, de quo ſæpe ſuperius, auctor eſt Vranius[r] ipſius diſcipulus, qui obitum potius quam vitam eius proſecutus eſt, vt profitetur in præfatione ad Pacatum inſcripta, aitque eum in morbo viſitatum fuiſſe à SS. Ianuario martyre Neapolitano & Martino Turonenſi Epiſcopo, qui longe ante hæc tempora defuncti fuerant, & in ipſius obitu cellulam eius ingenti terræmotu concuſſam eſſe. Porro eiuſdem ſanctiſſimi atque doctiſſimi Antiſtitis laudes, ſcriptis ſuis celebrarunt æque ſanctiſſimi atque doctiſſimi viri Hieronymus in Oriente, Ambroſius in Italia, Auguſtinus in Africa, Proſper & Eucherius in Galliis, hoc ipſo ſæculo, poſtea vero Sanctus Gregorius Papa, & alii. Reliquit vero ipſe poſt ſe nobiliſſimi ingenii monumenta, epiſtolas & carmina, cum numquam voluerit attingere interpretationem diuinæ Scripturæ, non quidem tenuitate ingenii, ſed potius admiranda animi ſubmiſſione. Nam & quæ reperiuntur ipſius epiſtolæ, non eius ſtudio, ſed induſtria Sancti Amandi Epiſcopi Burdigalenſis ſeruatæ fuere, vt ipſe Paulinus docet epiſtola ad eum ſcripta, quam habet Codex Vaticanus atque Nolanus: & quæ carminibus ceciniſſe, pieque ſtatiſſe videmus, eadem amicorum diligentia cuſtodita putamus. Memoria autem eius indelebili nota in tabulis Eccleſiaſticis inſcripta habetur.

Laudes, et ſcripta Paulini.

XXVII.

s Greg. 3. dialog. 1.

Quod autem apud Sanctum Gregorium[s] ex eiuſdem Vranii antiquiſſima narratione, quæ habetur in ipſius codice manuſcripto, traditur eumdem Sanct. Paulinum ſeſe obſidem dediſſe pro filio viduæ Regi VVandalorum in Africa, & poſt eiuſdem Regis obitum remeaſſe Nolam, atque ibi defunctum eſſe: id nequaquam intelligi poteſt de Genſerico, qui primus regnauit in Africa, cum conſtet[t] eum cum Regno vitam propagaſſe capta Carthagine, annis triginta ſeptem, ſicque perueniſſe ad annum Domini quadringenteſimum ſeptuageſimum ſextum. Paulinum autem, qui ex annis ætatis eius ſuperius ſupputatis, his Coſſ. reperitur fuiſſe annorum ſeptuaginta octo, haud diutius vixiſſe putamus, vel aptum fuiſſe qui regium hortum colere valuiſſet. Nec item intelligi poteſt de Alarico Gotho (quod alii volunt) cum is nihil penitus de Africana prouincia ſibi vendicauerit. Sed poterit facile referri ad fratrem Genſerici Guntharium, filium legitimum Godigiſcli, ac regni ſucceſſorem (Genſericus enim nothus fuit) quem cum ipſo Genſerico in Africam traieciſſe, Procopius[u] & auctor Miſcellæ[x] Theophanes (qui Paulus diaconus falſo, vt ſæpe diximus, inſcribitur) affirmant, eumdemque paulo poſt dolo Genſerici è medio ſublatum: licet ad vitandam fraternæ cædis infamiam, à poſterioribus VVandalis traditum fuerit (quod referunt Procopius, & Iſidorus[y]) Guntharium nequaquam tranſiiſſe in Africam, ſed in Hiſpania à Germanis captum, paloque infixum, vel ab inuadente eum prauo dæmone, quod capta Hiſpali irreuerenter in eius ciuitatis eccleſias manus extendiſſet, necatum eſſe. Sed dum aiunt primo id VVandalorum Regi in Hiſpania regnanti contigiſſe, plane de eius parente eſſe intelligendum apparet, quem primum inuaſiſſe Hiſpaniam tradunt omnes, eumque regnaſſe ibi annos ſexdecim, Iſidorus affirmat.

De Paulino ſe vicarium dante pro redemptione filii viduæ.

t Vict. Vtic. de perſec. Vandal. l. 1. in fi.

u Procop. l. 1. de bel. Vandal.

x Theoph. l. 14.

y Iſid. in hiſt. Vandal.

IESV CHRISTI AN. 432.

Theodoſii II. 25. Valent. III. 8.

SIXTI III. AN. 1.

I.

Annus Chriſti quadringenteſimus trigeſimus ſecundus, quo Faſti Proſperi & Caſſiodori Flauium Aetium & Valerium Coſſ. ponunt, illuxit plane ſui exordio Romanæ Eccleſiæ lætus, cum ſuſcepta legatione Orientalium, Cæleſtinus Papa litteris à ſancta Synodo Epheſina, Theodoſio Imperatore, Maximiano Epiſcopo Conſtantinopolitano, ac Clero & populo eiuſdem ciuitatis, per Ioannem presbyterum & Epictetum diaconum, qui ipſis Natalis Domini diebus anni ſuperioris Romam peruenere, ad ſe ſcriptis, certior factus eſt de impii Neſtorii deiectione, atque eiuſdem Maximiani ſubrogatione. Qui per eoſdem legatos ad prædictos omnes alias[a] reddidit Idibus Martij ſub eiſdem huius anni. Coſſ. quibus de rebus bene geſtis eiſdem gratulatus eſt, & quæ in Synodo aduerſus Neſtorium geſta eſſent comprobauit, ac quomodo futura mala caueri poſſent ſalutaria monita impertiuit, demumque vehementer exhortatus eſt, vt Neſtorius Antiochia pelleretur, longiuſque ablegaretur, ne cauſa ibi eſſet multorum ruinæ, vbi ipſe labare cœperat. Ex quibus quidem omnibus, alijſque multis de eodem Cæleſtino ſuperius dictis inſuperque ex Actis Epheſinæ Synodi, & quampluribus alijs huius temporis & ſequentium monumentis, abunde ſatis apparet, quam miſere lapſus ſit Laurentius Valla[b] grammaticus, & Eccleſiaſticarum rerum penitus ignarus, dum neſciens quam magna ſit differentia inter Cæleſtinum Papam & Cæleſtium collegam Pelagij, deceptus infelix ſimilitudine nominum, effutijt Cæleſtinum Papam infectum fuiſſe errore Neſtorii, cuius ipſe damnationis auctor ab omnibus prædicatur. En quas patiatur infeſtas muſcas Eccleſia.

Epiſtola Cæleſt. PP. in Orientem poſt Synodum.

a Recitat omnes Bar. Annal. to. V. hoc anno nunquam antea cuſas.

b Valla de falſ. donat. Conſtant.

Inſcitia Laur. Valla de Cæleſt. PP.

II. Cæleſt. Papa obitus.

Ceterum viginti duobus diebus poſt datas illas ad Orientales epiſtolas, nimirum octauo Idus Aprilis, idem

ſanctus Pontifex *Cæleſtinus* cæleſtem quam diutius concupierat gloriam cum Sanctis omnibus participaturus, ex temporali vita tranſcendit ad ęternam, pontificia adminiſtratione optime perfunctus per annos octo mẽſes quinque & dies tres, vt colligitur ex tempore ipſius creationis: quamuis in eius epitaphio [c] antiquitus ſcripto, ad decimum dicatur annum perueniſſe. Sepultuſq; eſt in cœmeterio Priſcillæ via Salaria. Quem quidem Gennadius [d] inter Scriptores Eccleſiaſticos recenſet: ac liber de Romanis Pontificibus de eodem tradit, inter multa alia conſtituiſſe, vt pſalmi Dauidis centũ quinquaginta ante ſacrificium pſallerentur antiphonatim ex omnibus: quod (vt ait) antea non fiebat, ſed tantum epiſtolæ Pauli recitabantur, & ſanctum Euangelium.

c Antiq. Inſcript. in Append. pag. 1171 n. 5. d Gennad. c. 54.

III. SIXTVS PP. TERTIVS ELIGITVR.

Poſt eius obitum cum ſedes vacaſſet (vt idem liber habet) dies viginti, ſexto Calendas Maii SIXTVS patria Romanus ex patre Sixto, creatus eſt Romanus Pontifex eius nominis Tertius: quod quidem hoc anno factum eſſe, tam Sanctus Proſper quam Marcellinus in Chronicis meminere. Illud vero conſtat ex litteris Sancti Cyrilli [e] ad Acacium Melitenum datis, atque aliis, ipſum Sixtum, ſimul ac regimen Apoſtolicæ Sedis eſt conſecutus, nihil antiquius habuiſſe quam quæ à Sancto Concilio Oecumenico Epheſino decreta fuiſſent, ſtabili firmitate conſolidare. Sicque qui olim Neſtorianorum patriarchas Pelagianos (ex his enim eos fuiſſe progenitos, ſuperius demonſtratum eſt) adhuc presbyter fuerat inſectatus, vt vidimus, ipſos etiam Neſtorianos Epiſcopus factus penitus damnauit. Sed quod ſciret Petri etiam muneris eſſe fratres confirmare, & collapſos erigere, in id quoque totus incubuit, vt qui reſtitiſſent Epheſinis Actis Orientales Epiſcopi, eoſdem Catholicæ fidei redderet obſequentes: eaque de cauſa ad ipſum etiam Neſtorium omnium malorum auctorem, necnon ad primarium eius fautorem Ioannem ſcripſit, vt de litteris ad Neſtorium teſtis eſt Gennadius [f], ac de ſcriptis ad Ioannem Vincentius [g] Lerinenſis.

e Cyril. ep. 17. Act. Eph. to. 3. c. 7.

SIXTVS PP. QVÆRIT CVRARE NESTORIVM.

f Gennad. de vir. ill. c. 54. g Vinc. Lerin. ...

IV. THEOD. IMP. LABORAT PRO PACE ORIENT. ECCL.

At non Sixtus tantum, ſed & Theodoſius Imperator hoc eodem anno, & viuente adhuc Cæleſtino, nauiter egit pro pace concilianda, vſus ad hoc conſilio Maximiani Conſtantinopolitani Epiſcopi, & aliorum qui cum eo erant Epiſcoporum Orthodoxorum, ac fideli miniſterio Ariſtolai Tribuni & Notarii, operaque Acacii Epiſcopi Berœenſis, qui Orientalium machinationis præ ſenii grauitate, & rerum agendarum vſu atque peritia conſultor habebatur, necnon magni illius SIMEONIS STYLITÆ anachoretæ: qui primo paſtor ouium, poſtea viſionibus diuinis vocatus ad arctiſſimum vitæ monaſticæ inſtitutum, inde diu incluſus ingenti tolerantia permanens, tandem columnam in ſolitudine in finibus Syriæ Ciliciæque conſcendit: vbi licet incomparabili admirandæ ſanctitatis exemplo vitam parem cœlitibus in terra, vel potius in ipſo cœlo duceret, tamen curam Dei Eccleſiæ maximam agens, zeloque pietatis exæſtuans, nullam vnquam prætermitteret occaſionem ei conſulendi: cuius nomen ob ipſius plane mirificas virtutes, ingentiaque miracula, & inſigne prophetiæ donum, non in Oriente ſolum vbi degebat, ſed in Occidente fuiſſe percelebre, nec tantum apud viciniores Orientis populos, ſed etiam apud Iſmaelitas, Perſas, Armenos, Æthiopas, Indos, Scythas, Nomadaſque, & alios remotiſſimos, atque in Occidente Italos, Gallos, Britannos, Hiſpanos: adeo vt ex omnibus terrarum Orbis partibus ad eum inſtar fluminis populi concurrere cernerentur, vel vt ſanarentur à languoribus, vel vt inſtruerentur in fide, aut aliam conſolationem acciperent: eumdemque maximi Principes literis ac legationibus frequentarent, quin & in ipſa Vrbe Roma, in officinarum omnium veſtibulis & porticibus paruas eius imagines ponerent, inde ſibi præſidium & tutelam parantes: vt de his omnibus teſtis oculatus eſt Theodoretus [h], eiuſdem prouinciæ accola, ipſique familiaris redditus.

DE SIMEONE STYLITA.

h Theod. Hiſt. ... 26

V.

Huius igitur talis tantique viri, aliorumque quos diximus opera vſus Theodoſius Imperator, effecit [i] tandem apud Ioannem Antiochenum, vt is vocatis ad ſe Epiſcopis Syriæ qui aduerſus Cyrillum ſibi præſto fuerant, conſilium cum illis inierit ratam habere damnationem hæreſis Neſtorianæ, ipſiuſque Neſtorii, ſicque redintegrare communicationem cum Romano Pontifice, atque Cyrillo Alexandrino, & Maximiano Conſtantinopolitano, omnique ſimul Eccleſia Catholica, à qua hactenus ſchiſmate præciſi eſſent. Qua de re cum mox ad Sixtum Romanum Pontificem Synodalem dediſſent epiſtolam [k], tamen cum Cyrillo, aduerſus quem acerbiſſimas inimicitias exercuiſſent, aliter ſibi agendum putarunt: nimirum vt quaſi daturi eſſent ei legem, ab eo, velut in ſuſpicionem adducto hæreſis Apollinaris, exigerent Catholicæ fidei confeſſionem, qua ſua Capitula tamquam erronea condemnaret. Verum cum ſe his minime conſenſurum, idem Cyrillus litteris ſuis declaraſſet, tunc iidem Paulum Epiſcopum Emeſenum legatum Alexandriam miſerunt, qui ſi poſſet, ab eodem Cyrillo quod petitum erat extorqueret, ſin minus, ei de damnatione Neſtorii litteras ſcriptas redderet. Quod vltimum præſtitit Paulus, poſtquam multis licet vſus perſuaſionibus, nulla ei ſpes reliqua fuit vt in ſuam ſententiam Cyrillum perduceret: ſicque abſque vlla Capitulorum ſuorum damnatione, cuncta arbitrio Cyrilli geſta ſunt. Habuitque tunc idem Paulus concionem ad populum Alexandrinum: qua cum Sanctiſſimam MARIAM, *Deiparam* appellaſſet, & duas perfectas in vno Chriſto profeſſus eſſet naturas, ſummo exceptus eſt à populo plauſu, & fauſtis tam ipſe, quam Cyrillus qui eum talia docuiſſet, acclamationibus ſublimatus.

i Act. Eph. to. 5. c. 3. 10. 15.

IOANNES ANTIOCH. PACEM INIT CVM RO. PONT. ET CYRILLO ALEX.

k Ibid. c. 17.

VI.

Porro cum hæc omnia ita geſta eſſe, omni fide conſtantia teſtimonia [l] certiſſimum reddant, inde aperte arguuntur impoſturæ, cum Theodoretus [m] in eam vſque diem Cyrillo infenſiſſimus, tum alii Neſtorii [n] fautores, dum in vulgus ſparſerunt, Cyrillum in omnibus conſenſiſſe Ioanni, ac ſua damnaſſe Capitula, nempe quod cum in confeſſione Catholicæ fidei, quam ad Ioannem Antiochenum miſit ſubſcribendam antequam ipſum in ſuam communionem reciperet, feciſſet mentionem Capitulorum ſuorum, ideo viſus eſſet illa damnaſſe. Quapropter plane diuerſe in hoc negotio accidit, vt & nõnulli ex iis qui Neſtorium ſectati eſſent, haud ratam habuerint pacem inter eoſdem Ioannem & Cyrillum ſtabilitam, quod Cyrillus abſque ſuorum Capitulorum damnatione in communionem receptus fuiſſet: ac rurſum aliqui ex parte Cyrilli haud inferioris ordinis viri, puta Acacius Melitenſis, Valerianus Iconienſis, & alii in ipſum commoti fuerint, quod de eo accepiſſent, iniquis conditionibus communicaſſe cum Orientalibus: prout hæc narrat Liberatus [o] in Breuiario. Quin etiam illud additum eſt à Neſtorianis, vt epiſtolam nomine Cyrilli confinxerint, qua ſe palinodiam recantare ipſe ſignificaret, & quæ Epheſi facta eſſent reſcindere: aliamque nomine Philippi S.R.E. presbyteri, & in Synodo Oecumenica Sedis Apoſtolicæ Legati, qua ſignificaretur, Sixtum Romanum Pontificem ægro animo tuliſſe damnationem Neſtorii. Teſtatur enim hæc ipſe Cyrillus [p] litteris ea de re ad prædictos Epiſcopos ſcriptis, aliiſque, quibus & ſe à calumniis defendit, & quæ à Sixto aduerſus Neſtorium geſta eſſent declarat. Extantque [q] eadem de re ipſæ Sixti Papæ litteræ ad Cyrillum ſcriptæ anno ſequenti (quarum idem Cyrillus meminit) aliæque ad Ioannem Antiochenum, quibus aperte oſtenditur, eumdem Pontificem magnopere execratum eſſe Neſtorium, lætatumque de inita inter Orthodoxos concordia. Denique re probe cognita, & Theodoſius Imperator quæcumque aduerſus Cyrillum ſcripta fuiſſent, abolenda penitus eſſe, ſancita lege [r] decreuit, & in Quinta Synodo, ipſius Theodoreti aduerſus eumdem ſcripta, æque omnium Patrum fuere ſententia condemnata: ac demum ipſummet Theodoretum, licet poſt hęc Neſtorii amicitiam aliquamdiu coluiſſe reperiatur, tamen horum omnium poſtea pœnitentem, non ſolum vehementius eidem eiuſque hæreſibus aduerſatum, ſed & æquio-

l Act. Eph. to. 5. c. 4. 5. 6. 7. 16. & to. 6. c. 13. 14. 15. & ep. Cyril. ep. 28. 29. 30. 38.
m Theod. ep. 112. ad Domn. & ep. ad Ioan. quæ habetur V. in Synod. Collat. 5. ad fi.
n Vid. ep. nomine Ibæ ſcriptam, ep. Act. Conc. Chalced. Act. 10.

CALVMNIÆ VARIÆ DE PACE INITA INTER IOAN. ET CYRIL.

o Liber. c. 7

CALVMNIA IN SIXTVM PP.

p Cyril. ep. 29. 32. Act. Eph. to. 3. c. 7. 8. & to. 6. c. 17.
q Rec. Baron. Annal. To. ... an. 435
r Act. Eph. ...

THEODORETVS RESPVIT NESTORIVM.

æquiori animo fuiſſe erga Cyrillum, conſtat ex diuerſis ipſius ſcriptis [t].

[t] Theod. ep. 2. ad Sponſ. 83. ad Dioſcor. & hær. fab. l. 4. in Neſtor.

VII. ACEPHALORVM SECTA VNDE ORTA.

Ceterum quod (vt diximus) hoc tempore complures eſſent, qui neque Cyrillo neque Ioanni inhæreſcerent, ſed ſeorſum abſque capite ſynaxes agerent: nouam ex iis ſectam eſſe conflatam, quam ACEPHALORVM nominauit antiquitas, Liberatus [t] exiſtimauit. Verum receptior illa ſententia eſt, vt nonniſi poſt Chalcedonenſem Synodum Acephali hæretici cœpti ſint nominari: quod inter alios teſtatur Leontius [u] Scholaſticus. Itaque de ijs dicetur ſuo loco.

[t] Liber. breuiar. c. 9. 10 ſ.
[u] Leont. de Sect. c. 5. To. 9. Bibl. S.

VIII. IVDÆI SEDVCTI IN INSVLA CRETA RESIPISCVNT ET CREDVNT.

Hoc item ferme tempore [x] multi Iudæi in Creta Inſula Chriſti fidem receperunt, cum impoſturam detexiſſent Iudæi cuiuſdam veteratoris, qui Moyſem ſe ſimulans de cœlo demiſſum vti illos per mare in continentem traduceret, indeque in terram promiſſionis, pleroſque induxerat, bona ſua occupare volentibus relinquere, ac ſe cum vxoribus & liberis è promontorio in mare præcipites dare, quaſi pede ſicco illud traiecturos: è quo periculo à Chriſtianis piſcatoribus aliiſque multi extracti ſunt, ac per totam Inſulam plurimi ea clade impulſi ad fidem Chriſti ſe tranſtulerunt. Quæſitus vero impoſtor ad necem, nec vſquam inuentus, à multis creditus eſt malus fuiſſe dæmon.

[x] Socr. l. 7. c. 36. Miſcel. l. 14. Niceph. l. 14. c. 40.

IX. S. BRITIVS TVRON. EPISC. APPELLAT RO. PONT.

Quod ad res ſpectat Occidentales, hoc eodem anno Sanctus *Britius* Turonenſis Epiſcopus, oppreſſus aduerſariorum calumniis, ipſum adulterii accuſantium, cum licet duobus editis in confirmationem ſuæ innocentię inſignibus miraculis, nihilominus ſede pulſus à ciuibus eſſet, idem ad Romanum Pontificem appellans, reſtitutus eſt ab eo. Narrat hæc fuſius Gregorius [y], eiuſdem poſtea Eccleſiæ Turonenſis Antiſtes. Appellare vero conſueuiſſe Gallicanos Epiſcopos quam frequentiſſime ad Apoſtolicam Sedem, docet etiam S. Leo [z] in epiſtola ad Epiſcopos prouinciæ Viennenſis.

[y] Greg. Tur. l. 2. de geſt. Franc. c. 1. & l. 10. c. 31.
[z] Leo ep. 89.

X. PETRVS CHRYSOL. EPISC. RAVEN.

Hoc item Redemptoris anno ex hac vita migraſſe ponitur *S. Ioannes* Rauennę Epiſcopus, cuius præclara eſt memoria inter ſanctos Rauennates Antiſtites: cui datus eſt à Sixto Romano Pontifice ex diuino monitu ſucceſſor, *Petrus* diaconus Forocornelienſis cognomento *Chryſologus*, clariſſimus ſanctitate & doctrina, vt eiuſdem Eccleſiæ antiqua monumenta docent ab Hieronymo Rubeo edita. Quod autem in eis ad eumdem Ioannem datum legitur Valentiniani Imperatoris reſcriptum, quo Rauennati Eccleſiæ conceſſit vt eſſet Archiepiſcopatus, ipſiuſque Antiſtites perpetuum haberent vſum pallii; licet multa ſint alia, quæ illud reſcriptum ſpurium demonſtrent (tunc, vt putamus, compoſitum, cum poſtea Rauennates Epiſcopi ſchiſmate diuiſi fuere ab Apoſtolica ſede) illud extra controuerſiam eſt, nonniſi à Romanis Pontificibus Pallium Archiepiſcopis fuiſſe ſolitum impertiri, ab Imperatoribus numquam.

PALLIVM DARE, NON EST IMPP.

Quin & ipſos Rauennates Epiſcopos profeſſos eſſe, tum pallium tum alia priuilegia ſe accepiſſe ab Apoſtolica ſede, Sanctus Gregorius [a] Papa docet. Neque factum, vt conceſſo ſemel pallio Eccleſiæ Rauennati, illud abſque noua conceſſione Romani Pontificis ſuperinducerent ſucceſſores; ſed ſingulos, ceterorum more Metropolitanorum, ſibi concedi petiiſſe, demonſtrat exemplum Maximiani eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopi, ſubrogati in locum alterius Ioannis; cui illud petenti Gregorius [b] Papa miſit. Sciant tamen omnes nihil ob id detractum eſſe nobiliſſimæ illi ſedi, ſi ſpuriis exufflatis, ipſe purus demonſtratus eſt fons primarius, vnde in eam priuilegia effluxere, nempe ab ipſa Rom. Eccleſia, à qua & reliqui Metropolitani ſe idem iuris conſecutos eſſe congaudent.

[a] Greg. l. 2. ep. 54. ad Ioan. Rauen.
[b] Id. l. 5. ep. 8.

IESV CHRISTI AN. 433.

THEODOSII II. 26. VALENT. III. 9.

SIXTI III. AN. 2.

I. ANNO Chriſti quadringenteſimo trigeſimo tertio. Theodoſio Auguſto decimumquartum & Anicio Maximo Coſſ. menſe Auguſti (vt Sanctus Proſper [a], Marcellinus; & Socrates [b] ponunt) maxima pars vrbis Conſtantinopolitanæ, per biduum triduumue tali incendio flagrauit, quale numquam antea viſum auditumue fuiſſet.

[a] Proſp. & Marcel. in Chron.
[b] Socr. l. 7. c. 38.

INCENDIVM CONSTANTIN.

Quod quidem affirmari poſſe videtur ex eo commeruiſſe pati, quod aduerſus Epheſinum Concilium qui erant rerum arbitri Neſtorio fauiſſent; & damnatū licet complures in S. Euprepii monaſterio exiſtentem variis non deſiſterent afficere honoribus, & donare pręmiis: vt ex litteris ipſius Euagrius [c] narrat. Ex quibus, aliiſque inferius de eo dicendis, apparuit, quanto demum Eccleſiæ & Imperii damno Theodoſius Auguſtus diſtulerit parere Cæleſtino Romano Pontifici, hortanti (ſicut vidimus) vt idem Neſtorius longius ablegaretur. Sed quod ad incendium vrbis regiæ ſpectat; quod narrat Socrates, miraculo Pauli tunc temporis Nouatiani Epiſcopi accidiſſe vt Nouatianorum eccleſia non conflagrarit; ſæpe ſuperius demonſtratum eſt, nullius eſſe momenti fidem hæretici, ſectę ſuę hominibus miracula adſcribentis, neque vlla vmquam fuiſſe vel eſſe potuiſſe miracula hæreticorum.

[c] Euag. l. 1. c. 7.

II. DE CASSIANI SCRIPTIS HÆRESIB. REPERTIS, ET PVRGATIS.

Hoc item anno S. Proſper reuiuiſcenti in Occidentę hæreſi Pelagianæ, ſe validis ſcriptis oppoſuit. Cum enim Ioannes Caſſianus Eccleſiæ Maſſilienſis presbyter (de quo dictum eſt ſuperius) Neſtorio adhuc Conſtantinopoli ſedente, monitu [d] Leonis Romanæ Eccleſiæ tunc Archidiaconi, poſtea vero Pontificis, aduerſus eumdem Neſtorium luculentum atque perutile de Incarnatione Verbi commentarium edidiſſet, eodemq; volumine Pelagium atque Pelagianos velut eius hæreſis primarios auctores, vehementer exagitaſſet; atque inde accidiſſet, vt nonnulli calumnioſe factum exiſtimarent, quod idem Caſſianus eiuſdem Pelagianæ hæreſis à Catholicis viris in crimen adductus eſſet; ac proinde editas antea ab ipſo Collationes Patrum abſque erroris ſuſpicione Fideles legerent, efficerenturque ea ſaltem ex parte Pelagiani, qua aduerſus Gratiam ab eo Liberi arbitrii vires prædicarentur: his inquam, latentibus malis vt occurreret S. Proſper, aduerſus Collatorem librum hoc ipſo anno (vt ex eius præfatione colligitur) conſcripſit, & quidem eruditione inſignem; licet illum Gennadius, & ipſe presbyter Maſſilienſis ſectaque Pelagianus damnet, Caſſiani vero Collationes laudet. Porro cum has ipſas Collationes, alioqui valde proficuas vitam exultiorem ſectantibus, nonnullos alios inſignes viros emendaſſe conſtet (puta S. Eucherium [e] Lugdunenſis Eccleſiæ tunc presbyterum, Victorem [f] Martyritanum in Africa Epiſcopum, & Caſſiodorum [g]; qui Caſſiani opera expurgantes, quæ vtilia viderentur in epitomen accurate redegerunt, & quæ minus erant addiderunt) inde falli non dubites, qui ex eo quod præ manibus habetur Collationum opere Caſſiani, defendunt ipſum fuiſſe omni ex parte Catholicum: morboſum enim olim extitiſſe, ex medicorum in eo impenſa diutius arte certo certius intelligere potes: vt non immerito eiuſdem Caſſiani opuſcula Gelaſius [h] Papa inter apocrypha reiecerit.

[d] Gennad. de vir. illuſt. c. 61.
[e] Id. c. 63.
[f] Caſſiod. Inſt. diuin. lect. c. 29.
[g] Ado in Chron. an. 425.
[h] Gelaſ. decr. de l. apocry.

III. CONCIL. ROM. IN CAVSA SIXTI PP. ACCVSATI DE STVPRO.

Ad finem præſentis anni, nempe menſe Decembris, euolutis iam anno vno & menſibus octo à creatione Sixti Romani Pontificis, celebratum eſt Romæ in baſilica Heleniana in atrio Seſſoriano, CONCILIVM in cauſa eiuſdem Sixti: qui turpi calumnia ab Anicio Baſſo Exconſule & Mariniano Patricio infamatus de ſtupro ſacræ virgini illato, voluntariæ ſe ipſum purgationi ſubiiciens, in eadem Synodo, præſente Valentiniano Imperatore, cum vniuerſo Clero atque Senatu, & quinquaginta ſex Epiſcopis, innocens declaratus eſt; Baſſus autem & Marinianus calumniatores condemnati, atque proſcripti, bonis eorum Eccleſiæ adiudicatis. Narrat breuiter iſta Anaſtaſius in libro de Romanis Pontificibus; quæ fuſius deſcribuntur in eiuſdem Synodi Actis [i]. Sed quod ea nimia antiquitate corrupta ſint & maxime in Coſſ. appoſitis; tutius de tempore inhæremus eidem libro de Romanis Pontificibus. Sicut & quę poſt eadem Acta, apponuntur tranſacta inter eumdem Sixtum Papam & Polychronium quemdam aſſertum Epiſcopum,

[i] To. 1. Conc.

ACTA SIXTI CVM POLYCHRONIO CVIVS FIDEI.

pum Hieroſolymitanum; licet ea vt legitima citentur à Nicolao Romano Pontifice in epiſtola ad Michaelem Imperatorem, & à Petro Damiano ſcribente ad Henricum Rauennatem; atque ab alijs poſtea recentioribus, de illis minime dubitantibus: tamen cum multa in iis reperiantur, quæ numquam valuerim ad veritatis lineam reuocare, licet in eis plurimum laboris inſumpſerim: conſultius exiſtimaui abſtinere ab illis recenſendis: cum præſertim qui ea cupiunt, habeant alibi vbi legere poſſint.

IESV CHRISTI AN. 434.

Theodoſii II. 27. Valent. III. 10.

SIXTI III. AN. 3.

I.

Proclvs eligitvr episc. Constant.

ANno Domini quadringenteſimo trigeſimo quartò, Aſpare & Areobinda Coſſ. pridie Idus Aprilis Maximianus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, cũ annos duos & menſes quinque ei Eccleſiæ præfuiſſet, ex hac vita deceſſit. In cuius locum, Imperatoris Theodoſij impulſu *Proclus*, diſcipulus olim S. Ioannis Chryſoſtomi, vir ſpectatiſſimus ſuffectus eſt. Quam rem geſtam narrat Socrates [a]: qui & id factum ait ex diſpenſatione Romani Pontificis, cum antea Proclus creatus eſſet Cyzicenus Epiſcopus, prohiberent autem canones eiuſmodi in alias ſedes Epiſcoporum translationes.

a Socr. l. 7. c. 39.

II.

Volvsianvs incentidii difficvltate redditvs christianvs.

Quo eodem tempore S. Melania Iunior, antiqua parentum nobilitate, & admirabili ſanctitate ſua vniuerſo Orbi Chriſtiano notiſſima, Hieroſolymis (vbi vitam monaſticam agere vidimus, à patruo ſuo, ſeu auunculo, *Voluſiano* Conſtantinopolim accerſita eſt, cum is Romanæ agens Vrbis Præfectum, eo Legatus adueniſſet. Qui quidem cum inter Romanos nobilitate ac doctrina nulli ſecundus eſſet, tamen cultui deorum adeo inflexo animo ad hæc vſque tempora inhæſit, vt nec olim cum in Africam vna cum Tribuno Marcellino nauigaſſet, & à matre ſua, religioſiſſima femina, commendatus per eumdem Marcellinum Sanct. Auguſtino eſſet, vllis tanti Doctoris quantumlibet potentiſſimis rationibus valuerit adduci ad fidem Chriſti amplexandam. Extant [b] enim litteræ tunc vltro citroque ea de re ſcriptæ, quæ pro dignitate argumenti meruerunt primum locum inter multiplices eiuſdem San. Auguſtini epiſtolas obtinere. Ex quibus etiam cum appareat, fuiſſe Voluſianum Apollonii Tyanæi & Apuleii magorum ſtudioſum; haud mirum videri debet, ſi tardius, & nonniſi in extremo vitæ ſpiritu, contigerit ipſum fieri Chriſtianum. Præſtitit autem illud hac peregrinatione infatigabili ſtudio Melania; cum tam per ſeipſam, quam per alios piiſſimos viros & precibus ad Deum, & hortationibus ad ipſum Voluſianum, perfecit demum vt idem Conſtantinopoli in morbum incidens, agnita veritate baptiſmum à Proclo Epiſcopo ſuſceperit, & paulo poſt munitus pretioſiſſimo Chriſti Corporis viatico decedens in pace vitam æternam conſecutus fuerit. Narrant vero hæc pluribus Acta ipſius S. Melaniæ [c]; quę in his confirmantur à Photio in ſua Bibliotheca. Habent inſuper, eamdem S. Melaniam Catholicæ fidei zelo æſtuantem, ceterorum quoque ab illa deuiantium ibidem Conſtantinopoli curam egiſſe, ac multos eorum qui Neſtorii erroribus decepti eſſent, feruentiſſimis diſputationibus conuictos ad fidem Chriſti reduxiſſe; nihilque retardatam vanis dæmonum illuſionibus, miniſque, nec item depreſſam acerrimo dolore coxendicis à dæmone inflicto, bellum Domini ſtrenuiſſime confeciſſe: ſed & ipſis Theodoſio Imperatori & Eudociæ Auguſtæ plurimum profuiſſe, ac demum Hieroſolymam regreſſam eſſe.

b ep. Aug. 1.2.3.4.5

c ap. Metaphr. & Sur. 31. Ianuar.

III.

Sub huius quoque anni Coſſ. S. Proſper [cc], dum agit de ſignis Antichriſti, & eius præcurſoribus pſeudoprophetis & impoſtoribus, accidiſſe ait Carthagine, vt virgo quædam iuuencula natione Araba, ancillæ Dei habitum geſtans, cum in balneo lauans ſimulacrum quodam Veneris impudice reſpiceret, & ſe ipſam, eiq; ſe conſimilans, domicilium ſe diabolo præbuerit: à quo per octoginta duos dies, occupatis faucibus impedita ne aliquem cibum aut potum traiceret, niſi quod noctis medio auis quædam ei ore neſcio quid infunderet (cum tamen nullis indiciis diuturni ieiunii fœdata, nulloque pallore ſeu tabe vel debilitate confecta, quin potius robuſta eſſet ſucco viſcerum, ac mole membrorum) deducta tandem in monaſterium puellarum, in quo ſitę erant reliquię S. Stephani, ibi communione ſacri Corporis Domini liberata eſt.

cc Prosp. de prom. & prædict. Dei dimid. temp. c. 6.

Virgo a dæmone obsessa liberata commvnione corporis Domini.

IV.

Vincentivs Lerinen. scribit contra hæreses.

Hoc item ipſo anno *Vincentius* natione Gallus, monaſterii Inſulæ Lerinenſis presbyter, cum aduerſus omnes hæreticos tum præcipue ad ſepeliendas penitus recens emerſas Pelagii, Cæleſtii, atque Neſtorii hæreſes, pro defenſione antiquæ Patrum fidei ſumma induſtria diſertiſſimum ſub nomine Peregrini elucubrauit commentarium, his temporibus apprime accommodatum, & in Eccleſia Catholica aduerſus quoſcumque Nouatores ſemper profuturum: quem vna cum auctore laudauerunt olim Gennadius [d] & S. Eucherius [e]. Porro illum hoc anno elaboraſſe, nempe tertio ab Epheſina Synodo, teſtatur ipſemet eius ſcriptor Vincentius [f]. Qui quod de ſe dicat, aliquamdiu variis ſæcularis militiæ turbinibus agitatum, tandem ſe in portum religionis condidiſſe, vt ibi depoſitis vanitatibus ac ſuperbiæ flatibus, Chriſtianæ humilitatis ſacrificio placaret Deum: in eam adducor ſententiam, vt hic ille ſit Vincentius Galliarum aliquando, viuente San. Martino, Præfectura nobilitatus; quem Seuerus [h] mirifice laudat, factaq; eſt mentio de eo ſuperius. Florebat plane his temporibus illud cœnobium, illuſtris ſanctorum domus inſulę Lerinenſis in prouincia Narbonenſi; ex qua plurimi inſignes Epiſcopi prodierunt, de quorũ iam nonnullis actum eſt, de aliis vero agendum erit. Ideoq; ipſum quoque cœnobium velut ſanctiſſimorum Epiſcoporum ſeminarium, egregiis laudibus extulere Sidonius [i] Apollinaris, Cæſarius [k] Arelatenſis, Eucherius [l] Lugdunenſis, aliique multi.

d Gennad. de ſcrip. Eccl. c. 64.
e Eucher. præf. ſub. Inſtruct. ad Salon.
f Vinc. Lerin. c. 42.
g Id. in præf.
h Seuer. dial. l. 1.
i Sidon. carm. Euchar. ad Fauſt.
k Cæſar. Arel. hom. 20. ad monach.
l Eucher. de laud. erem.

IESV CHRISTI AN. 435.

Theod. II. 28. Valent. III. 11.

SIXTI III. AN. 4.

I.

Libri Nestorii damnati.

ANno Chriſti quadringenteſimo trigeſimo quinto, Theodoſio decimumquintum & Valentinian. quartum Augg. Coſſ. cum Neſtorius totum illud tempus quo in monaſterio S. Euprepii apud Antiochiam permiſſus eſt degere, impendiſſet in conficiendis libris aduerſus Catholicam doctrinam, indeque iuges in Eccleſia Orientali controuerſiæ agitarentur: Theodoſius Imp. vt diſcordiarum tolleret ſeminarium, ipſos Neſtorii libros damnans, tertio Non. Aug. edita ſanctione [a] illos vbique conquiri & comburi iuſſit, ac nequis deinceps legere, aut retinere, aut in diſputationibus allegare auderet prohibuit, adhibita pœna publicationis bonorum. Quomodo vero fuerit & ipſe relegatus, dicetur anno ſequenti quo id accidit.

a L. vlt. C. Th. de hæret. extatque ſanctio in Act. Epheſ. to. 5. c. 11. & 14.

II.

Libri Theodori Mopsvest. et Diodori Tars. prodvntvr.

Porro qui blaſphemiarum fluenta ſic exſiccata viderunt Neſtoriani, ipſum fontem aperuere vnde illa primitus deriuarant; nimirum Theodori Mopſueſteni & Diodori Tarſenſis Epiſcoporum (à quibus, vt vidimus, veneno propinatus Neſtorius fuerat) libros vbique legendos exponentes, & quo latius ſpargerentur, eoſdem in Syrorum, Armenorum, atque etiam Perſarum linguam transferentes; quodque deterius eſt, Catholicos eſſe probare conantes, eo quod eſſent aduerſus Eunomium atque Apollinarem conſcripti: cum tamen ipſi ſanctiſſimam Trinitatem ſic vnius eſſentiæ prædicarent, vt Chriſtum Dominum vnum ex Trinitate nullatenus confiterentur, quod ſcilicet duas in eo naturas inter ſe diuiſibili coniunctione vnitas affirmarent; quæ duas conſtituerent perſonas; ſicque quatuor perſonas in Trinitate aſtruerent,

ſtruerent, duos Dei Filios introducentes. Narrat hæc Liberatus [b]; qui pluribus de his agens, quædam etiam Concilia in Armenia & Antiochiæ, in hac eorumdem librorum cauſa habita, multaque à Proclo Conſtantinopolitano, Cyrillo Alexandrino, Ioanne Antiocheno, aliiſque ſcripta fuiſſe tradit. Extatque [c] ipſius Procli epiſtola ad Armenos ea de re conſcripta, quam tranſtulit in Latinum Dionyſius ille magnus, ſed cognomento Exiguus, occaſione erroris Theodori ſuo tempore iterum pullulantis. Caute vero legendus Liberatus, dum (ex aliquo haud dubium Neſtoriano eam mutuatus hiſtoriam) aſſerit probatos fuiſſe libros eiuſdem Theodori Mopſueſteni ſcriptis Ioannis Antiocheni; ipſiuſque rurſum Theodori laudes, non ſolum ab Imperatore, ſed etiam à Cyrillo, immo & à Synodo Chalcedonenſi approbatas eſſe. Quam enim hæc falſa ſint, ſatis eorumdem Patrum ſcripta demonſtrant: cum alioqui eo ſtatu hoc tempore in Eccleſia ſcripta Theodori eſſent, vt non omnino vetita haberentur; ſed ab aliis impugnata, ab aliis vero ita defenſa, vt patentes qui in eis continerentur errores, negarent eſſe ipſius: quæ poſtea diligentiori de iis facto examine damnata fuere in Quinta Synodo, vt dicetur ſuo loco.

b Liber. Breuiar. c. 10. CONCILIA CELEBRATA IN CAVSA EORVNDEM LIBR. c To. 1. Bibl. S.

III. S. GERMANVS ANTISIOD. AGIT PRO ARMORICIS.

Hoc eodem anno (vt tradit Proſper) Gundicarium Burgundionum Regem intra Gallias habitantem, Aetius Magiſter militiæ Occidentalis Imperii bello obtinuit, pacemque ei ſupplicanti dedit. Pollebat namque Aetius copiis Alemannorum: quorum etiam Regi Eocharich homini Ethnico, Gallos illos, quos ad Oceanum vergentes vocant Armoricos, ab Imperio Romano deficientes, conceſſit crudeliter nimis deuaſtandos. Factumque omnino eſſet, niſi S. Germanus Antiſiodorenſis Epiſcopus, de cuius priori in Britanniam legatione ſuperius egimus, rurſum ab alia in eamdem Britanniam, à quibuſdam Pelagianis iterum vexatam, ac denuo ab ipſo liberatam, legatione rediens; ad eoſdem Alemannos rogatus progredi precibus, increpationibus, & auctoritate ſua, eos inde intactis Armoricis regredi compuliſſet. Poſt quæ idem Sanctus, noua rurſum pro impetranda iiſdem Armoricis venia ad Imperatorem Valentinianum ſuſcepta Rauennam legatione; multis in itinere ac in illa vrbe ingentibus editis miraculis, de tranſitu ſuo per viſum certior factus, ibidem obiit: cuius capſulam Reliquiarum, quas ſecum idem Sanctus deferre conſueuerat, Placidia Auguſta Imperatoris mater ſibi ſumpſit: veſtimenta vero eiuſdem, reliquiarum loco inter ſe Epiſcopi diuiſerunt: corpus autem aromatibus conditum, in Gallias (vt petierat) Imperatoris ſumptibus, euectione publica, ad ipſius Eccleſiam remiſſum eſt, miraculis vbique fulgens. Sed hæc omnia pluribus Conſtantius eorum temporum ſcriptor, in eiuſdem S. Germani à ſe fideliſſime conſcripta Vita [d].

EIVSD. OBITVS, ET MIRACVLA. d ap. Sur. 30. Iul.

IV. CODICIS THEOD. PROMVLGATIO. e Nouel. Theodoſ. tit. 1. f l. 1. C. Th. de reſp. prud.

His iiſdem Coſſ. facta eſt promulgatio [e] *Codicis Theodoſiani* decimoquinto Calendas Martii. Cuius compactoribus cum viſum fuerit, nonniſi confirmari & interſeri eas conſtitutiones, quas Principes Chriſtiani ſanxiſſent, incipientibus à Conſtantino Magno: iidem tamen priſcorum Gentilium Iuriſconſultorum haud voluere ſperni reſponſa, quę iam alia non ita pridem ſanctione [f] confirmata fuerant. Verum præter Theodoſianum Codicem, Gregorianus erat atque Hermogenianus: in quibus eiuſmodi Iuriſconſultorum ſententiæ digeſtæ erant, & Principum placita. Quibus omnibus non dedignatos eſſe Romanos Pontifices vti, in iis quæ contra Chriſtianam religionem minime verterentur, S. Gregorius Papa exemplo declarauit ſcribens [g] ad Ioannem Defenſorem. Quomodo vero hæc à diuerſis diuerſo ordine diſpoſita, ſub Iuſtiniano Imperatore ſint meliori congeſta ordine, & aucta, dicetur ſuo loco.

g Greg. PP. l. 11. ep. 30.

IESV CHRISTI AN. 436.

SIXTI III. AN. 5.

THEOD. II. 29. VALENT. III. 12.

I. NESTORIVS DEPORTATVR IN EXILIVM.

ANno Chriſti quadringenteſimo trigeſimo ſexto, Iſidoro & Senatore Coſſ. cum Neſtorii fautores Orientalem Eccleſiam maioribus in dies miſcerent turbis, Theodoſius Imperator, ſero licet, tandem malorum omnium auctorem ipſum Neſtorium è monaſterio S. Euprepij probe Antiochiam, vbi hactenus quadriennium poſt damnationem honorifice tranſegerat, Petras in Perpetuum exilium deportari, omniaque eius bona Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ fiſco addici, reſcripſit [a] ad eumdem Iſidorum, agentem hoc anno vna cum Conſulatu Prætorii Præfecturam. Fuiſſe autem Petras locum in Oaſena Ægypti prouincia poſitum, inde poſſumus intelligere, quod eumdem Neſtorium in Oaſim, deportationum omnium famoſiſſimam atque deterrimam, relegatum eſſe, ſcribunt Theodoretus [b] & Socrates [c], necnon ex ipſis Neſtorii litteris Euagrius [d]; qui & multa illic mala paſſum ob ſæpe mutata exilii loca, demum ad extremas Thebaidis oras lingua vermibus exeſa, cum huius vitæ miſeriis ad grauiora ſempiterna ſupplicia migraſſe tradit; quæ ab amanuenſi ipſius Neſtorii, & ex eius querulis ac minacibus epiſtolis ad Præfectum Thebaidis ſcriptis, accepiſſe teſtatur. His autem conſentientia cum ceteri quoque habeant, addit Theodorus [e] Lector, cum lingua totum ipſius computruiſſe corpus: idque ipſum affirmant Cedrenus [f], atque Nicephorus [g]. Corrigendus vero Euagrius [h], dum ſubdit, poſt mortem Neſtorii ſubrogatum eſſe Maximianum Conſtantinopolitanæ ſedi, ac deinde Proclum: nam viuo Neſtorio, immo necdum in exilium acto, hos eam Eccleſiam gubernaſſe, ſuperius liquido demonſtratum eſt. Quoto autem exilii anno extinctus fuerit, haud ſatis exploratum habetur.

a Ext. in Act. Eph. to. 5. c. 26. b Theod. ep. 1. ad Sporad. & har. fab. l. 4. c Socr. l. 7. c. 33. d Euagr. l. 1. c. 7. EXECRANDA EIVS MORS. e Theod. Lect. in Collectan. f Cedren. in Compen. in Theodoſ. Minor. g Nic. l. 14. c. 36. h Euag. l. 1. c. 8.

IESV CHRISTI AN. 437.

SIXTI III. AN. 6.

THEODOSII. II. 30. VALENT. III. 13.

I. PERSECVTIO IN AFRICA SVB GENSERICO.

ANno Domini quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo, Aetio & Sigeſulto Coſſ. dira *Perſecutio* à VVandalis illata Africanam exagitauit Eccleſiam: cum, vt ait S. Proſper [a], Gensericus eorum Rex fidem Catholicam (à qua olim ad Arianiſmum apoſtataſſe Iſidorus [b] tradit) Ariana volens impietate ſubuertere, multos Epiſcopos Orthodoxos quorum inuicta conſtantia nullis ſuperbiſſimi Regis terroribus cederet, eccleſiis ciuitatibuſque expulit. Martyrium vero ſanguinis ea perſecutione primi omniū ab eodem Proſpero paſſi ponuntur quatuor nobiles Hiſpani, *Arcadius, Probus, Paſchaſius*, & *Eutychius*: qui (vt ait) dudum apud Genſericum merito ſapientiæ & fidelis obſequii, clari habiti, cum ab eo vt copulatiores ſibi faceret, in Arianam ſectam tranſire iuberentur, illi facinus conſtantiſſime reſpuentes, excitato in rapidiſſimam iram barbaro, primum proſcripti, deinde in exilium acti, tum atrociſſimis cruciati ſuppliciis, ad poſtremum diuerſis mortibus interempti, illuſtri martyrio miſerabiliter occubuerunt. Puer autem *Paulillus* nomine, frater Paſchaſii & Eutychii, pro elegantia formæ atque ingenii admodum Regi acceptus, à profeſſione fidei Catholicæ cum nullis minis deturbari poſſet, diu fuſtibus cæſus, ad infamem ſeruitutem damnatus eſt: nec ideo, vt apparet, interfectus, ne de ſuperata ſæuitia impii Regis etiam illa ætas gloriaretur. Hæc Proſper.

a Proſp. in Chron. b Iſid. in hiſt. Wandal. MARTYRES AFRIC.

II. c To. 1. Bibl. Sanct.

At illorum vero martyrum anteſignanum *Arcadium*, diuitiis ac gloria ſæculari conſpicuum, atque etiam coniugatum, extat [c] egregia *Antonini* Epiſcopi Conſtantinæ Africæ ciuitatis epiſtola, ipſum hortantis vt forti perferret

ferret animo; quæ fidei cauſa dirus tyrannus mala inferret: quamuis cum eiuſdem ad Arcadium ſcriptæ epiſtolæ Gennadius [l] meminit, non Antonium, ſed Honoratum nominet Epiſcopum illum Conſtantinæ ciuitatis. Porro celebris iſtorum martyrum memoria in Eccleſia ſingulis annis repeti conſueuit Idibus Nouembris. Quæ quidem prætermiſſa ſunt à Victore, quod ipſe Wandalicas clades, in Numidiam aliaſque Africæ prouincias illatas, ſcribere haud admodum laborans, rebus tantum Eccleſiæ Carthaginenſis vbi agebat intentus fuit; qui & poſt captam duntaxat Carthaginem, quæ ibi contigerint narrare aggreſſus eſt.

l Gennad. de vir. ill. c. 91.

III. VALENT. IMP. DVCIT VXOREM EVDOXIAM.

Sub huius quoque anni Coſſ. (inquit Proſper) Valentinianus Auguſtus ad Theodoſium Imperatorem Conſtantinopolim profectus eſt, filiamque eius *Eudoxiam*, cognomento *Liciniam*, in matrimonium accepit. Eadem Marcellinus: qui & addit, Valentinianum cum vxore Italiam repetentem, Theſſalonicæ hiemaſſe, ſequenti vero anno Rauennam veniſſe. At iſta omnia Socrates [c] ad anni ſuperioris Conſules refert.

c Socr. l. 7. c. 43.

IESV CHRISTI AN. 438.

THEOD. II. 31. VALENT. III. 14.

SIXTI III. AN. 7.

I. TRANSLATIO CORP. S. IO. CHR. A LOCO EXILII CONSTANTINOPOLIM.

ANNO Chriſti quadringenteſimo trigeſimo octauo, Theodoſio Aug. decimumſextum & Fauſto Coſſ. ſexto Calendas Februarii, venerandum corpus S. Ioannis Chryſoſtomi, Comanis vbi exul vitam finierat, celebri pompa translatum eſſe Conſtantinopolim, tradunt Socrates [a] atque Marcellinus [b], meminitque Theodorus [c] Lector, ſed ante omnes Theodoretus [d]. Præceſſiſſe vero, vt cum Proclus Epiſcopus Conſtantinopolitanus anniuerſaria die tranſitus eiuſdem S. Ioannis, panegyricam ex more luculentam ad populum orationem [e] haberet, ita vniuerſi Ioannis amore incaluerint, vt acclamationibus indeſinentibus Proclum pulſantes, concionem ad finem perduci minime ſiuerint, petentes reddi ſibi Ioannem; hiſque permotus Proclus, ab Imperatore petierit eius Reliquiarum translationem; Coſmas Veſtiarius ea oratione quam habuit de eius translatione, Nicephorus [f], aliique teſtantur. Socrates autem tradit, id curaſſe Proclum propter vnionem eorum, qui ex parte Ioannis exiſtentes adhuc ſeparatim conuentus agebant. Sed potuit vtraque cauſa in vnum concurriſſe.

a Socr. l. 7. c. 45.
b Marcel. in Chron.
c Theod. Lect. Collectan. l. 2. in fi.
d Theodor. l. 5. c. 36.
e Rec. Bar. Annal. To. V. hoc an.
f Nic. l. 14. c. 43.

II. THEOD. IMP. SCRIBIT AD CHRYS. DEFVNCTVM.

Addunt vero iidem Coſmas atque Nicephorus, cum Senatores qui miſſi fuerant ad eum transferendum, minime valuiſſent eius corpus loco mouere, Theodoſium Imperatorem ex conſilio Procli aliorumque ſanctiſſimorum virorum, ad ipſum Ioannem tamquam ſi adhuc vixiſſet literas dediſſe, ſupplicis inſtar libelli, quibus de admiſſis in ipſum à parentibus peccatis veniam petens, rogaret vt Conſtantinopolim redire dignaretur: iiſque litteris ſuper pectus Ioannis collocatis, factum eius corpus mobile, in theca argentea humeris ſacerdotum, præcedentibus ac præcinentibus clericis & monachis, atque vndique confluentibus incenſas faces geſtantibus qui ſequebantur & præcedebant populis; translatum eſſe primo Chalcedonem, inde vero ab Imperatore ac Proclo Epiſcopo, vniuerſoque Clero, Senatu, ac populo Conſtantinopolitano, ipſum Boſphorum nauibus & ardentibus cereis tegente, hymnoſque concinente, Conſtantinopolim ad eccleſiam SS. Apoſtolorum perductum, atque ibi petente populo in throno ſuo collocatum, circumſtantibus dixiſſe *Pax vobis*; ac demum ad baſim ſacræ menſæ templi SS. Apoſtolorum conditum fuiſſe vigeſima ſeptima die Ianuarii. Hæc omnia pluribus Coſmas, quæ breuiori ſtylo complexus eſt Nicephorus. Sed ex eorundem narratione illud non omittendum, cum Imperator in ſuam triremem ſacrum corpus Ioannis excepiſſet, ſubita exorta maris tempeſtate, quæ naues omnes diſperſit, eamdem Imperialem triremem ruptis funibus velut diuina gubernatam manu appuliſſe

TRIVMPHVS TRANSLATIONIS.

ad agrum illum viduæ, cuius cauſa Ioannes indignationem Eudoxiæ Auguſtæ incurrens coactus fuerit exulare: vt vel ſic Deus æquitatem demonſtraret ſententiæ Ioannis, & iniquitatem ipſius exilii: hocque facto, ſerenitatem ruſum aduenifſe, & collectis omnibus nauigiis magno triumpho ad vrbem deuentum eſſe. Addunt quoque de precibus ab Imperatore ad ſacram vrnam pro parentibus ſuis peractis, ac ſeorſum pro ceſſatione continui motus tumuli matris, de quo dictum eſt ſuperius; quem & confeſtim conſtitiſſe tradunt.

THEOD. ORAT PRO PARENTIBVS.

III. DE INVENTIONE RELIQ. SS. XL. MART.

Sub Proclo etiam Conſtantinopolitano Epiſcopo (quoto autem anno neſcitur) Pulcheriæ Auguſtæ factam eſſe à Thyrſo martyre reuelationem in ſuburbio eiuſdem ciuitatis, *Reliquiarum SS. Quadraginta martyrum*, quos ſub Licinio Imperatore paſſos in Armenia vidimus; tradit Sozomenus [g], qui ſe earumdem tunc factæ ſumma pompa translationi interfuiſſe commemorat; locellumque in medio habuiſſe foramen, per quod ſolerent ipſæ ſacræ Reliquiæ tangi (quale etiam vidimus in theca Reliquiarum S. Stephani protomartyris, & æque de aliis apud antiquos frequentiſſime obſeruat licet) ex quo etiam fragrantiſſimus odor ſpiraret, qui omnes laborantes recreauit.

g Soz. l. 9. c. 2.

IV. EVDOCIA AVG. PEREGRINATVR HIEROSOLYMAM.

Hoc inſuper ipſo anno, qui ſequens eſt ab Eudoxiæ cum Imperatore Valentiniano nuptiis, Eudocia eius mater Theodoſii Auguſti vxor peregrinata eſt Hieruſalem, voti ſoluendi cauſa, quod conceperat Theodoſius (vt tradit Socrates [h]) pro matrimonio eiuſdem filiæ ſuæ. Ibi autem per annum ferme integrum commoratam, multa erexiſſe monaſteria, quæ vocarent *Lauras*, ſed & mœnia ciuitatis refeciſſe, Euagrius [i] eſt auctor. Additque Socrates, eamdem eccleſias Hieroſolymorum, & aliarum vrbium Orientalium, per quas eundo & redeundo tranſiuit, variis ornamentis honorifice illuſtraſſe. Porro perſuaſione quoque S. Melaniæ Iunioris, cum illa (vt vidimus) eſſet Conſtantinopoli, Eudociam eiuſmodi peregrinationem ſuſcepiſſe; eamdemque ipſi Imperatrici tunc Hieroſolymis præſto fuiſſe, atque etiam à pedis luxatione iniuria dæmonis facta ipſam curaſſe; narrant Acta [k] eiuſdem S. Melaniæ. Quantum autem illa ſuperuixerit, non conſtat: ſed illud certum eſt, ipſam monaſtica vita magna obſeruatione perfunctam, & miraculis pluribus illuſtratam, die (quam prænouit) Decembris vltima ad Deum migraſſe, & inter Sanctas relatam anniuerſaria memoria in Eccleſia celebratam eſſe. De ſecunda vero Eudociæ Auguſtæ Hieroſolymam peregrinatione, dicetur ſuo loco.

h Socr. 7. c. 46.
i Euagr. l. 1. c. 20.

EADEM CVRATA A S. MELANIA.

k ap. Metaphr. & Sur. 31. Ianuar.

IESV CHRISTI AN. 439.

THEOD. II. 32. VALENTIN. III. 15.

SIXTI III. AN. 8.

I. TRANSLATIO RELIQUIAR. S. STEPHANI CONSTANTINOPOL.

ANno Domini quadringenteſimo trigeſimo nono, Theodoſio Auguſto decimumſeptimum atque Feſto Coſſ. (vt habet Marcellinus) Eudocia vxor Theodoſii Imperatoris Hieroſolymis Conſtantinpolim rediens, S. Stephani Protomartyris Reliquias ſecum detulit, atque in baſilica S. Laurentii poſuit, vbi eas Fideles venerarentur. Reperiuntur & alia complura, de S. Stephani Reliquiis Conſtantinopolim longe ante hæc tempora translatis, ab aliis ſcripta, quæ quod fide nutent prætermittimus. Eamdem vero Eudociam, ſicut munificentia Imperatoria loca ſancta, vt vidimus, erexit (inter quæ & in ipſius ſanctiſſimi martyris Stephani honorem, eximium prope Hieroſolymam extruxiſſe templum, Euagrius [a] ſcribit) ita à Iuuenale eiuſdem ciuitatis Epiſcopo multis donatam receſſiſſe conſtat.

a Euag. l. 1. c. 21.

II. DE VINCVLIS PETRI APOST. ROMAM MISSIS.

Inter alia vero accepiſſe ab eo dicitur duas illas CATENAS, quibus ab Herode S. Petrus Apoſtolus vinctus fuit: quarum alteram Romam ad Eudoxiam filiam miſit, alteram Conſtantinopoli in eccleſia eiuſdem Principis Apoſtolorum aſſeruari voluit: in cuius rei geſtæ me-

b *Menolog. 1. Ianuar. cap. Ser. 1. Aug.*

moriam, annua dies feſta [b] ſtatuta eſt. Extatque luculenta oratio [c] de eiuſmodi vinculis Petri: non tamen à S. Ioanne Chryſoſtomo (vt præfert titulus) habita, quod nondum Petri Catenæ innotuiſſent Conſtantinopoli: ſed à Proclo potius, cuius tempore eiuſmodi facta eſt earum translatio. In qua item oratione mentio habetur de eiuſdem S. Petri gladio in eadem baſilica cuſtodito, ex quo plurima ſcaturire ſolerent miracula. Romæ vero Eudoxia Auguſta, matri religione non impar, in memoriam Catenæ ad ſe miſſæ & Petri Apoſtoli qui ea vinctus fuit, erexit Deo baſilicam in Exquilino monte, quæ *Titulus Eudoxiæ* nuncupata eſt, dicta etiam S. *Petri ad Vincula*. Vbi non hæc tantum Hieroſolymis miſſa Catena recondita eſt, ſed & diuino miraculo ei illa coniuncta, qua ſub Nerone Romæ vinctus Petrus in carcere Mamertino diu detentus eſt, à Romanis Pontificibus cuſtodita. Habent enim Eccleſiaſtica monumenta, ambas illas ſimul collatas eiuſdem generis & artis inuentas eſſe, ac ſibi inuicem adeo arcte copulatas, vt ex duabus vna effecta fuerit; quarum memoriæ Calendæ Auguſti fuere conſecratæ. Quantis autem conſueuerint Catenæ iſtæ coruſcare miraculis, moremque fuiſſe Romanorum Pontificum pro nobili munere aliquid ex limatura earumdem ad inſigniores perſonas mittere, vel vnus S. Gregorius Papa ſuis ad diuerſos datis epiſtolis locuples eſt teſtis. Extantque hactenus antiquæ [d] Inſcriptiones, tum de eadem quam diximus baſilica iiſdem ſacris vinculis decorata, Vrbe vero Roma ab ipſis corroborata: tum de alia alibi memoria in eorumdem honorem ab Epiſcopo Achille erecta.

MIRACVLA EORVNDEM VINCVLOR.

d *Antiq. inſcript. in Append. pag. 117. 2. num. 7. 8. 9. 10.*

III.

e *Novel. Theod. tit. 3.*

Hoc item anno pridie Calendas Februarii, Theodoſius Imperator aduerſus Iudæos, Samaritas, Hæreticos, atque Gentiles publice etiam præſumentes mactare hoſtias, dignum Chriſtiano Principe promulgauit edictum [e], quo variis eos pœnis ſubiecit. Cuius quidem ſanciendi cauſa illa præceſſiſſe, ex ipſamet ſanctione colligi poſſe videtur, quod cum magna pluribus annis laboratum eſſet inopia frugum, id nonniſi violatæ fidei cauſa Dei iuſta vindicta fieri intelligens Imperator, in eoſdem exiſtimauerit conuertendas eſſe legum minas & vltionem. Quo etiam tempore S. Cyrillus Alexandrinus commentarios eruditiſſimos edidit, ad confutanda Iuliani Apoſtatæ ſcripta in Chriſtianam Religionem elaborata, quibus tamquam potenti telo impii vti ſolerent, eo maxime quod nullus hactenus Chriſtianus doctor ea confutanda ſuſcepiſſet: hac enim de cauſa eam ſe aggreſſum eſſe prouinciam, Cyrillus in operis præfatione ad Theodoſium Imperatorem inſcripta ſignificat. Eodemque pariter tempore Theodoretus, & ipſe impiorum Gentilium pulſatus blaſphemiis, aduerſus eos ſcripſit duodecim illos diſertiſſimos libros, quibus titulum præfixit, *de Curatione Græcarum affectionum*.

PATRES HOC TEMPORE VBIQVE LABORANT ADVERSVS IDOLOLATRAS.

IV.

Sed & quod non tantum Oriens, verum etiam Occidens eiuſmodi eſſet his ipſis diebus Gentilium ſuperſtitione laborans: in eoſdem æque inueniuntur eius temporis viri ſanctiſſimi declamaſſe, & inter alios Petrus Chryſologus Epiſcopus Rauennas, ac Maximus Taurinenſis; qui multi ſunt in redarguendis illis, qui Calendis Ianuarii ex Gentilitia ſuperſtitione perſonati incederent, atque in variis ſe transmutarent formas: Saluianus [f] etiam Maſſilienſis, in reprehendendis illis qui eadem ſuperſtitione exhiberent Circenſia, eaque in Chriſti, non deorum honorem ſe facere affirmarent: idemque de vigente his temporibus in occidente idololatria pluribus queritur. Et quid hoc mirum, ſi & ipſi ampliſſimi magiſtratus (neſcio qua incuria) cultoribus dæmonum tradebantur? Nam in Africa Cyrum, hominem Ethnicum, hoc ipſo tempore quo Carthago capta eſt, ducem egiſſe Romani exercitus, Euagrius [g] tradit; eumdemque amplioribus poſtea auctum eſſe magiſtratibus, Præfectura Prætorii, & Conſulatu videbimus. Et qui Hunnis in Gallia pro Romanis militantibus præerat, Littorium ſtrenuum alioqui ducem, & ſecundæ ab Aetio poteſtatis, fallaciis dæmonum Aruſpicumque reſponſis fidentem, iuſta Dei vindicta à Theoretico Gothorum Rege apud Arelatem victum captumque, Proſper [h] atque Iſidorus [i] teſtantur: idque ipſum abundantius Saluianus [k] deplorat, dum inter alia dicit, eumdem Littorium eamdem vrbem hoſtium, quam eodem die victorem ſe intraturum eſſe præſumpſiſſet, captiuum, intraſſe: ac diuturna in ergaſtulo barbarorum tabe conſumptum, in tantam miſeriam redactum eſſe, vt etiam in miſerationem hoſtium deuenerit. Quapropter apparet hanc plane eſſe infelicitatem Principum, vt exiccare ſcelerum fluenta legum ſpongia fruſtra laborent, cum ipſos obſtruere fontes vnde mala ſolent fluere prætermittant. Sed quam diris iſta cladibus diuinitus vindicentur, Oriens & Occidens his temporibus fidem fecere, dum Imperium Orientale dira diu afflictatum eſt fame, & Occidentale nobiliſſimi ac fortiſſimi paſſum eſt iacturam exercitus.

f *Saluian. l. 6.*

GENTILES HIS TEMPORIS IN HONORE HABITI.

g *Euagr. l. 3. c. 19.*

h *Proſp. in Chron.* i *Iſid. Chr. Gothor.* k *Saluian. l. 7.*

CLADES IMPERII OB CVLTVM IDOLOR.

V.

Sed longe lugubrius atque funeſtius illud acceſſit, dum ad finem huius anni chariſſima omnium ciuitas, Romanæ Vrbis æmula, & licet tandem illi ſubdita, ſplendoris tamen gloria cedere neſcia, CARTHAGO, à VVandalis ipſorumque Rege Genſerico dolo pacis eſt capta. Sub huius enim anni Coſſ. id accidiſſe, S. Proſper [l] & Marcellinus affirmant: hicque diem notat decimum ante Calendas Nouembris, Proſper vero decimumquartum, qui illam omnibus bonis ſpoliatam, ciuibus exhauſtam, ſacerdotibus ac cultu diuino priuatam fuiſſe tradit. Additque Iſidorus [m] eumdem Genſericum Siciliam quoque deprædatum eſſe, Arianamque peſtilentiam per totam Africam intromiſiſſe, ſacerdotes Eccleſiæ expuliſſe, martyres plurimos effeciſſe. Sed cladem Carthaginenſem, VVandalorumque crudeliſſima in eam Eccleſiam perſecutionem, pluribus proſecutus eſt Victor [n] Epiſcopus Vticenſis, qui eam præ oculis habuit: atque inter alia ait, Genſericum poſt cunctas direptas locorum hominumque ſacrorum ac profanorum opes atque facultates, præcepiſſe quoque vt Epiſcopi & laici nobiles de ſuis eccleſiis ac ſedibus nudi penitus eiicerentur: quod ſi exire tardarent, ſerui perpetui remanerent: idque in plurimis Epiſcopis & honoratis laicis factum eſſe, qui in ſeruitutem redacti ſunt: multis ſe in latibula abdentibus, vel ægre libertatem retinentibus, qualiter poterant & vbi poterant diuina celebrantibus myſteria, cum populus licet abſque eccleſiis (quas vbique VVandali Ariani, quas non deſtruxerunt ſuæ religioni manciparunt) ac fere ſine Epiſcopis, conſtans in fide perſiſteret. Habet vero de Quodvultdeo tunc Epiſcopo Carthaginenſi, eum ſtatim poſt captam vrbem cum maxima turba clericorum nauibus fractis nudos impoſitos, miſeratione diuina Neapolim Campaniæ proſpera nauigatione deuectos eſſe: ſanctorum autem atque honoratorum multitudinem, primo exilio crudeli contritos eſſe poſtea tranſmarinas in partes proiectos: denique & plurimos interemptos martyrium conſummaſſe, quorum etiam malorum meminerunt alii Scriptores: ſed ita vt quæ hoc anno fieri cœperunt, in ſequentes fuerint producta: de quibus etiam dicetur inferius pro ratione temporis.

CARTHAGO CAPITVR A VVANDALIS.

l *Proſp. & Marcell. in Chron.*

m *Iſid. hiſt. VVandal.*

ECCLESIA AFRIC. IN MENSA DESOLATIO

n *Victor de perſecut. VVandal.*

VI.

Ceterum hanc immanem Africæ Carthaginiſque cladem, ingentibus cum omnium Afrorum, tum maxime ipſorum Carthaginenſium libidinibus & impuritatibus, blaſphemiis atque impœnitentiæ, merito adſcribit, ea ipſorum vitia pluribus proſecutus, idem qui ſupra ſanctiſſimus Saluianus [o] Epiſcopus: qui hoc ipſo tempore, nec ob aliam cauſam, quam vt diuinam erga homines prouidentiam, & iuſta eius iudicia manifeſtaret, eiuſmodi lugubre ſcribendi argumentum arripuit. Illud vero in his magnopere obſeruandum, perſecutionem illam Catholicos tantum pertigiſſe: Donatiſtas autem vel ad VVandalos Arianos turpiter defeciſſe, vel perſequendo Catholicos eiſdem VVandalis ſe coniunxiſſe: vt ex iis quæ habet Victor [p] in fine operis de Nicaſio Donatiſta, ſatis ſignificatur. Nec id mirum, cum eoſdem Donatiſtas aduerſus Catholicos ſub Conſtantio Imperatore fœdus

CARTHAGINENSIVM VITIA, ET IMPOENITENTIA.

o *Saluian. l. 7. & 8.*

p *Vict. l. 3. in fi.*

cum

VVANDALI IDOLOLATRIAM PENITUS EXTIRPARUNT CARTHAG.

cum aliis Arianis iniiſſe, poſteaque ad Iulianum Apoſtatam legatos miſiſſe, ſuis locis meminerimus. Sed & illud boni ex tot ac tantis malis ſucceſſit, quod VVandali in reliquias idololatriæ quæ adhuc Carthagine ſupererant, vna ferme præſtiterunt die, quod nec plurimis annis, ex quo Chriſtiani cœperant regnare, perficere Imperatores edictis ſuis valuiſſent: dum ædem Memoriæ, & viam Cæleſtis (quod tradit Victor) funditus deleuerunt: adeo vt ne veſtigium quidem ibi relictum fuerit Gentilitiæ impietatis, ad quæ præſtanda opus fuit, iratum Deum gentem barbaram ex remotis Orbis finibus euocare.

VII.

q l. 2. C. vt nemo priuat. r l. 22. C. de Epiſc. & cler. s Nouel. Theod. de lenon.

EGREGIA FLORENTII PROBITAS IN AVFERANDIS LENONIB.

Hoc eodem anno Theodoſius Imperator contra rapacitatem [q] potentium pauperes opprimentium, itemque aduerſus calumniatores [r] Epiſcoporum, reſcripta dedit ad *Florentium* Præfectum Prætorio. Cuius incomparabilis probitas ab eodem Imperatore alio reſcripto [s] hoc eodem anno aduerſus lenones dato, plurimum commendatur: Quippe cum lenones ſæpe vetiti, penſitatione tamen quadam in ærarium conferenda, Conſtantinopoli turpe opus exercere permiſſi eſſent: ipſe Florentius, vt eiuſmodi turpitudinum fæce ciuitatem purgatam redderet, latifundium ſuum donauit, ex quo iidem redditus Reipublicæ ſoluerentur. Fuit inſuper idem Florentius Catholica fide pręſtans, pro qua tuenda adſuit ipſi Theodoſio Imperatori in Concilio poſtea Conſtantinopoli habito, & Marciano item Auguſto in Synodo Chalcedonenſi: vt eorumdem Conciliorum Acta declarant.

THALASSIUS EX PRÆFECTO EPISCOPUS.

t Nouel. Theod. tit. 6. u Socr. l. 7. c. vlt. x Niceph. l. 14. c. 42.

Elucebat pariter hoc tempore inter Magiſtratus, *Thalaſſius* Præfectus Prætorio Illyrici: ad quem hoc ipſo anno extat eiuſdem Theodoſii contra iniuſtas Præfectorum Prætorio ſententias reſcriptum [t]: quem quidem eximiæ ipſius probitatis ergo (vt refert Socrates [u]) Proclus Conſtantinopolitanus Epiſcopus hoc eodem anno in eccleſia derepente manu impoſita, ordinauit Cæſarienſem Cappadociæ Epiſcopum. Addit vero Nicephorus [x], Thalaſſium licet inuite ordinatum Epiſcopum, tamen eam Eccleſiam rite adminiſtraſſe: & cum tam ſubitum Procli factum primo Imperator ægre tuliſſet, mox tamen id ſanctione ſua comprobaſſe.

VIII.

SOCRATIS ET SOZOM. HISTORIÆ FINIS.

Porro iſta ſcribens Socrates, huius anni Coſſ. ſuæ finem impoſuit hiſtoriæ: ſicut & Sozomenus, qui (vt teſtatur in præfatione) ad eumdem decimumſeptimum Conſulatum Theodoſii, ſuam pariter hiſtoriæ ſcriptionem perduxit, cum tamen apud eum plura in fine deſint. Qui quidem ambo ſcriptores, licet Nouatiani fuerint, & in iis quæ ad ipſorum dogmata ſpectant, priuato ſtudio plura mentiti eſſe reperiantur, dum præſertim falſa miracula ſuis tribuerunt: tamen maioris fidei apud Gelaſium Romanum Pontificem eos fuiſſe, quam Euſebium Cæſarienſem, inde poſſumus exiſtimare, quod Euſebii hiſtoriam reiecerit inter apocrypha, Socratis vero & Sozomeni nequaquam.

DE FIDE EORUMD. HISTOR. ET EUSEB.

Verum non ob res geſtas ab Euſebio narratas, ſed ob ſparſos in eis Arianiſmos, ea cenſura certum eſt eius hiſtoriam eſſe notatam; cum Nouatiani diuinitatis Filii Dei eſſent conſtantiſſimi defenſores, atque ob eam cauſam diutius ab Imperatoribus & Epiſcopis tolerati. Nec vero aliam huic contrarium ſenſum S. Gregorius [y] Papa habuit, dum Sozomeni hiſtoriam viſus eſt improbaſſe: loquitur enim de laudibus ab ipſo Sozomeno in Theodorum Mopſueſtenum hæreſiarcham congeſtis: de quo dictum eſt alia occaſione ſuperius.

y Greg. l. 6. ep. 31. ad Eulog. Alexand.

Alioqui nulla eſt cauſa, quin iidem hiſtorici in reliquis quæ ad ipſorum dogmata praua non pertinent, vera dixiſſe credantur: niſi aliunde mendacii conuinci poſſit, ſicut ſæpe à nobis factum vidiſti. Ceterum quamuis Sozomeni hiſtoria maioris apud Photium æſtimationis fuerit, quam Socratis: nobis tamen certe commodior Socratis hiſtoria cecidit, qua per Coſſ. more maiorum tempora diſtinguuntur. Qui vero hos Græcos auctores, ſimulque Theodoretum, primus tradidit Latinitati, fuit Epiphanius vir diſertiſſimus, ad hoc à Caſſiodoro impulſus, vt ipſe teſtatur Caſſiodorus [z], qui ex iiſdem poſtea Tripertitam compaginauit.

z Caſſiod. l. 1. diuin. lect. c. 5. & 17.

IX.

CONCIL. CONSTANT. CAUSA DISTINCTIONIS DIOCES. ALEX. ET ANTIOCH.

Contigit item his Procli Conſtantinopolitani Epiſcopi temporibus, celebrem cogi *Conſtantinopoli* SYNODUM, occaſione Dioſcori Alexandrini diaconi: qui agens illic eius Eccleſiæ Apocriſiarium, veteres exuſcitauit controuerſias de iure diœceſeon, inſtans Epiſcopi eſſe Alexandrini præſidere omnibus Orientis Eccleſiis. Sed refragatus eſt his potiſſimum Epiſcopus Antiochenus, ex auctoritate Concilii Nicæni, à quo fuere ſedes illæ penitus diſtinctæ: & ſecundum illud eſt etiam in hac Synodo iudicatum. Cum vero Theodoretus acerrimus defenſor inſurrexiſſet pro Eccleſiæ Antiochenæ iuribus, inde factum eſt vt Dioſcorus ex hoc tempore eum graui odio fuerit proſecutus: quod maioribus in dies fouens augmentis, creatus poſtea Epiſcopus Alexandrinus in illum egiſſet: vt ipſe Theodoretus [a] queſtus eſt epiſtola ad Flauianum Conſtantinopolitanum poſtea data, vbi hanc de prædicto Concilio hiſtoriam narrauit. Cui quidem haud leue eſſe potuit argumentum de iuribus Eccleſiæ Antiochenæ, quod (vt ait) ea magni Petri thronum obtineret, qui B. Marci ſedis Alexandrinæ magiſtra fuit, & Apoſtolorum chori Princeps. Nam & Innocentius Papa ſcribens [b] ad Alexandrum Antiochenum Epiſcopum, tradit eam vrbem haud ceſſuram Romanę Sedi, niſi quod illa in tranſitu meruiſſet, quod Roma ſuſceptum apud ſe conſummatumque gauderet. Vnde videas Sedem Antiochenam nulla alia ratione poſthaberi Alexandrinæ, niſi quod ita primum Petro per Marcum eam erigenti viſum fuerit.

a Theod. ep. 86.

b Innoc. ep. 10. 10. t. ep. Rom. Pont.

CONCIL. REGIENSE IN GAL. NARBON.

X.

Sub huius quoque anni Coſſ. decimo ſexto Decembris celebrata reperitur à tredecim Epiſcopis SYNODUS REGINENSIS, non quidem Regii Lepidi in Æmilia, ſed Regii Galliarum in prouincia Narbonenſi, ex cuius prouinciæ Epiſcopis collecta noſcitur (quippe qui iidem fere reperiuntur nominari in Concilio Arauſicano, poſt annum ſequentem ſub Conſulatu Cyri in eadem prouincia celebrato) præfuiſſeque eidem Hilarius Narbonenſis Epiſcopus. Præter autem illa, quæ de ordinatione perperam facta Epiſcopi Ebredunenſis (quam ciuitatem olim ſub Viennenſi metropoli fuiſſe, ſubſcriptiones Epiſcoporum Concilii Epaunenſis demonſtrant) deque Epiſcoporum defunctorum exequiis, in eadem tractata ſunt Synodo: de iis etiam actum eſt Epiſcopis, qui ex hæreſi vel ſchiſmate ad Eccleſiam redirent: quibus omnem ſpem recipiendi ſedem Patres ademerunt, hoc experimento probantes qui vere pœniterent vel ficte, idque occaſione quorumdam Pelagianorum Epiſcoporum, qui cum depoſiti fuiſſent, vt Eccleſias ſuas reciperent pœnitentiam ſimulabant.

XI.

IULIANUS PELAG. NON ADMITTITUR IN ECCLES.

c Proſp. in Chron. d Vid. epiſt. Neſtorii ad Caleſtin. ſup. ep. d. ann. Annot. to. V. an. 430. & c. 12. Epheſ. to. 4. c. 17. e Id. de prom. & dimid. temp. c. 6. in fin.

Verum nec eos ad communionem Catholicam, nedum ad ſedes, facile admittendos eſſe, exemplo docuit Sixtus Romanus Pontifex, dum hoc ipſo anno (vt ponit S. Proſper [c]) Iulianum illum immodicum ſui iactatorem Pelagianum, S. Auguſtini antagoniſtam, de quo ſuperius, quem dudum amiſſi Epiſcopatus intemperans cupido exagitabat (adeo vt etiam Conſtantinopolim, auxilium à Theodoſio Auguſto imploraturus, cum aliis æque expulſis ſuæ ſectæ Epiſcopis, commigraſſet [d] eo tempore quo Neſtorius ei ſedi præſidebat, cui & in Synodo Epheſina inhæſiſſe reperitur) multimoda arte fallendi correctionis ſpem præferentem, molitum in communionem Eccleſiæ irrepere: detectis eius inſidiis, omnino repulit quem & rurſum à Leone Papa Sixti ſucceſſore coercitum eſſe idem Proſper alibi [e] tradit. Ex quibus Gennadium redarguas, dum ait Iulianum deceſſiſſe ſub Valentiniano & Conſtantio Imperatoribus, quandoquidem Conſtantium liquet longe ante hæc tempora obiiſſe.

IESV CHRISTI AN. 440.

THEOD. II. 33. VALENT. III. 16.

LEONIS AN. 1.

I.

ANno Chriſti quadringenteſimo quadrageſimo, Valentiniano Auguſto quintum & Anatolio Coſſ. S.

Sixtus

Digitized by Google

ſit Epiſcopos presbyteris, eos tamen qui proxima connexione capitis *Cardinales presbyteri* nominantur, aliquid habuiſſe quo interdum præferrentur Epiſcopis. Deinde vero ſcripta eſt de his epiſtola [t] Synodalis ad Theodoſium Imperatorem, aliaque [u] ad Clerum Conſtantinopolitanum. In quibus quidem cum nulla habeatur mentio de rebus geſtis per aduerſariorum conciliabulum, euidens eſt argumentum (quod diximus) omnia ab eis clanculum ſub ſilentio actitata.

t Ibid. c. 17.
u cap. 23.

XIV. Cum autem poſtmodum ea innotuiſſent Catholicis Epiſcopis, iidem decima ſexta menſis Iulii Sextam habuere Seſſionem [x]. Ex qua, poſt auditas querelas Cyrilli & Memnonis, ſemel atque iterum miſſi ſunt tres Epiſcopi ad citandum Ioannem Antiochenum, qui à militibus vetiti ad eum accedere, ſed & opprobrijs onerati, vix tandem per eoſdem milites à Ioanne reſponſum acceperunt, ipſos, quod excommunicati eſſent, haud dignos eſſe reſponſo: cum tamen ſaltem ob reuerentiam Apoſtolicę Sedis, eiuſque Legatorum, debuiſſet ad purgationem obiectorum accurrere, vt poſt auditam eius proteruiam, Iuuenalis [y] Epiſcopus Hieroſolymitanus optime coram Synodi Patribus intulit, ex eo quod (vt ait) Apoſtolica ordinatione & antiqua traditione, Antiochena ſedes perpetuo à Romana dirigeretur iudicareturque. At vero idem Ioannes crimen adiiciens crimini, confeſtim chartas publice iuſſit affigi, quibus Cyrillus declararetur eſſe ſectæ Apollinaris hæreticus. Qua de calumnia Cyrillus in Septima Seſſione, habita die decimaſeptima Iulii, queſtus, in eumdem Apollinarem & alios omnes hæreſiarchas anathema protulit. Placuit vero Sanctæ Synodo Ioannem tertio per tres alios Epiſcopos citari: qui iterum à clericis Ioannis male excepti, illud ab eiſdem reſponſum habuerunt, Ioannem decreta ſuæ Synodi ad Imperatorem miſiſſe, eiuſque reſponſum expectare. Quare S. Synodus Oecumenica, haud diutius diſſimulandum rata, in ipſum Ioannem, & Epiſcopos qui cum eo erant, anathematis ſententiam tulit, nomina ſingulorum exprimens, numero triginta quinque, inter quos recenſitus reperitur Theodoretus. Scriptaque [z] eſt de his Synodalis ad Theodoſium Imperatorem; aliaque Encyclica ad vniuerſos Chriſti Fideles: cui adiecere ſex canones aduerſus eos qui communicare præſumerent Neſtorio, Ioanni vel Pelagianis, aut qui res geſtas per Sanctam Synodum conarentur irritare; & vt qui à Neſtorio, eique adhærentibus, depoſiti eſſent, ſuum reciperent locum.

x to. 4. c. 1. 2. 3. 4.
IOANNIS ANTIOC. PROTERVIA.
y Ibid. cap. 4.
IOANNIS AC SOCIORVM DAMNATIO.
z to. 4. c. 8. & 9 & ap. Cyril. ep. Synod 5. & 6.

XV. Quinque autem poſt diebus, nimirum die vigeſima ſecunda Iulii, Octauus [a] habitus eſt Congreſſus: in quo aduerſus Neſtorianos, qui decipere ſimpliciores ſolerent, exhibendo illis à ſe ſcriptam nouam fidei confeſſionem, velut Nicænum Symbolum; ſtatutus eſt canon, vt nemo ſubſcribendam offerret aliam fidei profeſſionem, quam Nicænam abſque vllo additamento. Sequenti vero die damnata eſt Nona Seſſione hæreſis Pelagiana, ipſiuſque ſectatores, ex præſcripto commentariorum Romæ conſcriptorum ſub Cæleſtino Papa aduerſus eoſdem hæreticos; dataque epiſtola [b] Synodalis ad eumdem Cæleſtinum, qua eum de omnibus in Synodo hucuſque peractis certiorem reddidere, integroſque Actorum commentarios miſere. Ac poſt iſta, diuerſis Conſeſſibus damnati [c] ſunt pariter hæretici Maſſaliani, Euchytæ & Enthuſiaſtæ, aliæque priuatæ cauſæ in Synodo productæ. Sed & Iuuenalem Epiſcopum Hieroſolymitanum tentaſſe totius Syriæ Paleſtinæ, ſibi & ſucceſſoribus ſuis arrogare primatum, cum graui Eccleſiæ Cæſarienſis præiudicio, cui tum ex traditione, tum ex Concilii Nicæni decreto debebatur, verum cum vniuerſam pene Synodum ad ſua vota traxiſſet, Sanctum Cyrillum ei reſtitiſſe: S. Leo Papa docet epiſtola [d] ad Maximum Epiſcopum Antiochenum ſcripta. Quod autem ad hæreſim Pelagianam ſpectat; ponit etiam Proſper in Chronico ſub huius anni Coſſ. eius damnationem cum Neſtorii erroribus factam in Synodo Epheſina. Qui & compoſuit [e] elegans epitaphium de eadem ſepulta cum ignominia: atque, ea in Synodo damnata, ciues Epheſios ardore fidei Catholicæ æſtuantes, haud pati potuiſſe Pelagianos Epiſcopos intra ciuitatis mœnia contineri, ſed populari vi atque tumultu protinus expuliſſe.

a to. 2. c. 28. & ſeqq.
PELAG. ALIOR. Q. HÆRET. DAMNATIO.
b to. 4. c. 17. & ap. Cyril. ep. Synod. 12. c. to. 2. Append. c. 1. 2. 3. 4.
IVVENALIS HIER. PRIMATVM QVÆRIT PALÆST.
d Leo ep. 62.
e Proſp. car. de Ingrat.

XVI Cum vero his omnibus rite abſolutis, S. Synodus rurſum litteras [f] ad Theodoſium Imperatorem ſcripſiſſet, quibus peteret Epiſcopis, iam mala valetudine & inopia laborantibus, dari ad propria remeandi licentiam: econtra accidit, vt cum & illæ, ſicut aliæ ab ipſis iam antea ſcriptæ, interceptæ fuiſſent dolo Candidiani Comitis, omnia ad nutum Neſtorianorum agentis; perueniſſent vero quam citiſſime Conſtantinopolim, quas Neſtoriani conſcripſiſſent; idem Imperator tertio Calendas Auguſti (non autem vt alicubi legitur, decimotertio Calendas Iulii) Epheſum reſcribens [g] per Palladium *Magiſtrianum* (ſic vocabant Tabellariorum præfectum) præcepit acta contra ordinem ſuumque mandatum, ſiue aduerſus Neſtorium, ſiue alios, eſſe penitus irritanda; integrandumque iudicium, vt cuncta rite fierent: & ob id iuſſit Epiſcopis omnibus, ne quis eorum vllo pacto Epheſo recedere auderet, & Præfectis prouinciarum, ne quempiam in Eccleſiam ſuam redire permitterent. Verum cum eas litteras, Palladius vtriuſq; partis Epiſcopis reddidiſſet, mox & ipſe ad ſtudia Candidiani Neſtoriique abreptus, tantam prætulit redeundi ad Imperatorem celeritatem, vt noluerit expectare litteras [h] Orthodoxę Synodi ad eum ſcriptas, ſubſcribi ab omnibus Epiſcopis tunc aſtantibus, ſicque Conſtantinopolim abſque illis rediit. Vnde iidem Epiſcopi Catholici, cum ipſis plane innotuiſſet, miſſas à ſe litteras ſemper interceptas fuiſſe, opportunum in re adeo deplorata conſilium nacti, fidum hominem mendici habitu miſerunt, loco baculi arundinem geſtantem, cui & has ipſas litteras, & alias omnes ab ipſis antea ſcriptas incluſerunt. Quo tandem modo cum illę Conſtantinopolim perueniſſent, cognitis inſidiis tyrannicis quas iidem Epheſi paterentur, Archimandritæ Conſtantinopolitani (ad quos etiam Synodus litteras dederat) zelo æſtuantes, vniuerſamque ciuitatem ad fidei Catholicę defenſionem commouentes, omnia Imperatori palam fecerunt [i]: qui & ipſe hactenus à ſuis domeſticis ac magiſtratibus deceptus, nonnulla in fauorem Neſtorii peregiſſe viſus eſſet, iam veritate perſpecta, decretis Synodi de Neſtorii damnatione acquieuit, ad ſedandas autem alias controuerſias inter partes Ioannis & Cyrilli, facultatem tribuit eidem Oecumenicæ Synodo, quos vellet Conſtantinopolim mittere, qui ſibi omnia referrent.

f Rec. Baron. Annal. To. V. h. c. an.
THEOD. IMP. DECEPTVS AB HÆRET. QVID EGERIT IN CAVSA SYNODI.
g Act. Eph. to. 3. c. 17.
h Ext. ap. Cyril. ep. Synod. [illegible] 4.c.10.
ARCHIMANDR. [illegible] SYNOD. *to. 2. c. 19. 20. 24.*

XVII. Verum cum eodem tempore & ſchiſmatici legaſſent Irenæum Comitem cum litteris [k] ad Imperatorem, quibus multa inuidioſa admiſcuiſſent: eademque Irenæus confirmans, magnam ea de re haberet [l] diſceptationem Conſtantinopoli cum Legatis Catholicis, ex quibus perplexus redderetur Imperatoris animus: rurſum importune nimis adfuit procuratum à ſchiſmaticis officium Arcacii Epiſcopi Berœenſis, de quo plura ſuperius, qui quod natus annos centum & decem, præ ingraueſcente ſenecta ſe conferre ad Synodum excuſaſſet, Paulo Epiſcopo Emiſeno [m] ſuas vices delegans, quem conſtat aduerſus Orthodoxos inhæſiſſe Ioanni, eo ab iiſdem ſchiſmaticis adactus eſt delirus ſenex, vt aduerſus Cyrillum & Memnonem ſcriberet ad Imperatorem, qui neſciens eiuſmodi technas, ac fama commotus Arcacii, ſecundum ipſius ſuaſionem, ſententias ab Epiſcopis Epheſi aduerſum ſe inuicem latas ſtatuit eſſe ſeruandas, quouſque res inter ſe ipſi componerent: miſitque [n] ſequeſtrem pacis Ioannem, quem Imperatori ab eleemoſynis fuiſſe aiunt, pro priori titulo *Comitem* dictum *Sacrarum Largitionum*. Qui quidem magna celeritate Epheſum perueniens, prima die patefactis litteris Imperatoris, declarauit Neſtorium, Cyrillum, atque Memnonem iure depoſitos, eoſque omnes, ne diſſidia maiora concitarentur in populo, carceri quemque ſuo voluit mancipatos, cuſtodeſq; milites appoſuit ceteris Epiſcopis Orthodoxis, qui nollent communicare cum Ioanne Antiocheno [o]: atque vt rem ſe bene geſſiſſe ſignificaret, ſcribens ad Imperatorem, turpiter

k to 3. c. 15.
l to. 3. c. 14.
QVID RVRSVM THEOD. IMP. IN REB. DVBIIS.
m to. 3. c. 19.
n Ibid. c. 13.
OMNES MINISTRI IMP. CONSPIRANT ADVERS. S. SYNOD.
o Vid. plura de his, in Act. Eph. to. 3. Append. 1. & 3. & to 4. c. 6. 12 14. 15 18. 21.

Digitized by Google

piter mentitus eſt vniuerſam Synodum aſſenſam eſſe in damnationem Cyrilli: adeo vt iam de loco, in quem eſſet deportandus conſuleretur. Quibus omnibus, aliiſque eiuſmodi nefarie perpetratis, ſcripſerunt clam Orthodoxi ad Clerum Conſtantinopolitanum de rerum ſuarum ſtatu miſerando, petieruntq; vt agerent apud Imperatorem, reddi Synodo Cyrillum, & Memnonem, ac dari ipſum adire poſſe, ſin minus, liberum eſſe vnicuique in patriam reuerti.

XVIII. CLADES ROM. EXERCITVS IN AFRICA.

Interea vero dum barbarico more Catholica fides, vna cum defenſoribus ſuis, Epheſi vim pateretur, eodem quoque tempore iuſto Dei iudicio, qui terribilis eſt in conſilijs ſuis ſuper filios hominum, Romanus exercitus à barbaris trucidatus eſt. Hoc enim ipſum tempus eſſe, quo Theodoſius Imperator miſſo Aſpare inuictiſſimo duce, iunctiſque copiis Occidentalis Imperii quas Bonifacius Comes regebat, bellum geſſit aduerſus Genſericum VVandalorum Regem Africam occupantem, inſinuat libellus [p] ſchiſmaticorum paulo poſt eidem Theodoſio oblatus. Sed accidit vt Romanus exercitus omnino deletus fuerit, Aſparque Conſtantinopolim, & Bonifacius Romam ſe recipientes (quam cladem Procopius [q], atque Theophanes Miſcellæ [r] auctor deſcribunt) totam Africam VVandalis reliquerint. Porro Bonifacius, de quo ſæpe ſuperius, accepta Magiſtri militum dignitate, cum reſiſtentem Aetium, qui olim ei fuerat inſidiatus, prælio ſuperaſſet, paucos poſt dies ipſe morbo extinctus eſt, vt tradit anno ſequenti Proſper. Theophanes autem ſingulari certamine à Bonifacio victum Aetium ſcribit. Et Marcellinus [s] vulnere ab Aetio inflicto Bonifacium perijſſe narrat. Poſt cuius obitum Aetius Hunnorum auxilio, ad quos in Pannoniam profugerat (vt idem Proſper tradit) pacem Principum, dignitatemque priſtinam obtinuit.

p Ibid. to. 3. ... q Procop. de bel. VVand. ... r Miſcell. 14. BONIFACII ET AETII DVELLVM PVGNA. s Marcell. in Chron. anno ſeq.

XIX.

Ceterum ea tam graui clade in Africa ſuſcepta Theodoſius perterrefactus, inſuperque expergefactus acerrimo Orthodoxorum, qui Conſtantinopoli partes Synodi Oecumenicæ tuebantur, libello [t] ipſi oblato, necnon Pulcheriæ [u] Auguſtæ ſororis ſuæ, deuotiſſimæ ac prudentiſſimæ virginis, precibus fatigatus, pro fide Catholica, cuius alioqui & ipſe ſtudioſiſſimus erat, ſolertius agere cœpit, qui hactenus (quod natura clementiſſimus eſſet) cum fidei hoſtibus mitius videretur egiſſe. Quapropter meliora tandem conſilia iniens, ſcripſit [x] ad Ioannem Comitem Epheſi adhuc agentem, vt ſeptem ab vtraque parte Epheſo Conſtantinopolim mitterentur Epiſcopi, qui coram ipſo de rerum ſumma tractarent. Miſſique ſunt ex parte Catholicorum, cum Philippo S. R. E. presbytero Apoſtolicæ Sedis Legato (qui & primus omnium ante Epiſcopos nominaretur in Commonitorio [y] ipſis à Synodo Oecumenica dato) ſeptem alij Epiſcopi, nempe Arcadius & ipſe Apoſtolicæ Sedis Legatus, Iuuenalis Hieroſolymitanus, Flauianus Philippenſis Macedoniæ, Firmus Cæſarienſis Cappadociæ, Theodotus Ancyranus Galatiæ, Acacius Melitenus Armeniæ, Euoptius Ptolemaidis Pentapolis: ex parte vero ſchiſmaticorum, Ioannes Antiochenus, Paulus Emeſenus, Himerius Nicomedienſis, Macarius Laodicenſis, Apringius Chalcidenſis, Theodoretus Cyrenſis, Helladius Ptolemaidis Phœniciæ: nomen vero octaui deeſſe videtur: ſiquidem octo legatos fuiſſe, litteræ [z] eorum teſtantur: ſicut & octo ab Orthodoxis miſſos eſſe conſtat, licet de ſeptem tantum aliqui affirmarint. Porro ab vtraque parte data fuere ſuis Commonitoria [a] de ijs quæ Conſtantinopoli apud Imperatorem agenda eſſent. Qui vero Epheſi relictus eſt Cyrillus, ſcripſit Apologiam [b] ad eundem Imperatorem, qua purgauit ſe de omnibus à ſchiſmaticis contra ſe calumnijs in hunc vſque diem illatis. Ac cum Legati Epheſo receſſiſſent, mandato eiuſdem Imperatoris iuſſus [c] eſt Neſtorius recedere Epheſo, & quo vellet pergere, nulla amplius ſpe reuertendi ad ſedem Conſtantinopolitanam, è qua iuſte fuiſſet depoſitus.

t Act. Eph. to. 4. c. 6. u S. Leo ep. 19. & 45. ad Pulcher. THEOD. DEPELLIT CALVMNIAS HÆRETICOR. ... y ... 4. c. 19. LEGATI AB VTRAQ. PARTE MISSI CONSTANTINOP. z ... a Ext. to. 3. c. ... b ... NESTORIVS DIMISSVS TRIVMPHVS ET SCHISMATIS ...

XX.

Cum autem Legati Conſtantinopolim appropinquarent, idem Theodoſius Auguſtus vrbis tranquillitati conſulens, quod ſciret ciues in ſchiſmaticos Neſtorii fautores infenſiſſimo eſſe animo, Legatos omnes primo iuſſit ſubſiſtere apud Chalcedonem [d], paulo vero poſt Orthodoxis Conſtantinopolim admiſſis, Neſtorianos ad propria redire iuſſit, Actaque ab his aduerſus Cyrillum & Memnonem vniuerſamque Synodum, penitus aboleri. Verum eorumdem ſchiſmaticorum multiplicibus libellis inductus, ipſos quoque tandem intra vrbem admiſit: vbi quinquies cum Orthodoxis coram ipſo Imperatore congreſſi ac poſt multas de duodecim Cyrilli capitulis, aliaſque eiuſmodi diſputationes, impii iam detecti, omnino iuſſi ſunt ad propria reuerti. Inter eos autem Theodoretum acerrimum ſe Neſtorii propugnatorem aduerſus Cyrillum geſſiſſe, ipſemet ſatis oſtendit [e] litteris tunc Chalcedone ad Alexandrum Hierapolitanum Epiſcopum datis, & homilia ibidem ad populum habita. Atque hunc tandem finem accepit hæreticorum & ſchiſmaticorum factioſa rebellio.

d Quæ tunc Chalcedone & Conſtantinopoli inter vtriuſque partis Legatos geſta ſunt, plurima continentur in Act. Eph. to. 3. Append. c. 2. & ſeqq. SCHISMATICI REPVLSI AB IMP. e ap. Cyril. Apolog. ... Act. Eph. to. 3. Append. c. 9.

XXI.

At licet ſancita à Patribus damnatio hæreſis Neſtorianæ cum auctore ſuo Neſtorio, firmum vigorem obtinuerit; quæ tamen à Synodo ſtatuta fuerant aduerſus Ioannem Antiochenum, atque collegas ſacerdotio ac ſede priuatos, haud adeo propere viſa ſunt Imperatori executioni mandanda, ſed ſpe pacis ineundæ ſunt retardata, ne cum Ioanne totius Syriæ Epiſcopi ab Eccleſia Catholica ſepararentur. Quod quidem diuino conſilio factum eſſe, exitus declarauit, cum anno ſequenti diſſidentes ad concordiam ſunt reuocati, Eccleſiiſque tranquillitas reddita. Neſtorius autem cum ſuis in monaſterio Sancti Euprepii apud Antiochiam permiſſus [f] agere ad quadriennium, ſi forte ab inſania reſipiſceret, cum eſt compertus maiori obſtinatione obriguiſſe, relegatus eſt in teterrimam ſolitudinem Oaſenam, vt dicetur inferius.

f Euagr. l. 1. c. 7.

XXII. MAXIMIANVS ELIGITVR EPISC. CONSTANTIN.

Interea vero hoc ipſo anno, octaua Nouembris, vt Socrates [g] habet, creatus eſt in locum eius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, *Maximianus* (vt ait [h] Liberatus) vita monachus, ordine presbyter, conſtantis vir fidei, ſed idiota ſermone, & qui idcirco vitam quietam agere delegerat. Eadem fere de illo Socrates [i]. Is autem confeſtim ac Epiſcopus factus eſt, epiſtolam [k] ad Cyrillum ſcripſit, qua inſignem eius confeſſionem, ac toleratos pro fidei defenſione labores, meritis laudibus extulit. Cui vero primæ deberentur tantæ partæ de proſtratis hæreſibus gloriæ, Cæleſtinus Romanus Pontifex (quem, præter alia quæ de eo iam dicta ſunt, Gennadius [l] ait decreta Synodi aduerſus Neſtorium dictaſſe, volumenque deſcriptum ad Orientis & Occidentis Eccleſias dediſſe) hoc elogio à Sancto Proſpero [m] laudatur, quod *per eum omnes Orientales Eccleſiæ gemina peſte purgatæ fuerint quando Cyrillo Alexandrinæ vrbis Antiſtiti, glorioſiſſimo fidei Catholicæ defenſori, ad execrandam Neſtorianam impietatem Apoſtolico auxiliatus eſt gladio: eodemque Pelagianos, dum cognatis confœderarentur erroribus, iterum proſtrauit.* Quæ quidem non ignorantes ipſi Patres Epheſi conuenerunt, necnon Maximianus ipſe recens creatus Epiſcopus, atque etiam Theodoſius Imperator, legationem miſerunt ad eumdem Cæleſtinum, ei de his gratulantes. Sed quod hanc conſtet Romam perueniſſe ipſo die Natalis Domini, agetur de illa anno ſequenti.

g Socr. l. 7. c. 26. & ſ. h Liber. Breuiar. c. 8. i Socr. ibid. c. 14. k ap. Cyril. ep. 24. Act. Eph. to. 4. c. 24. l Gennad. de Script. Eccl. c. 54. CÆLEST. PAPÆ ELOGIVM DE PROSTRATIS HÆR. m Proſp. cont. Collat. prope fi.

XXIII. CVLTVS SS. VIRGINIS MATRIS AVCTVS.

Denique poſt inſignem illam adeptam victoriam de Eccleſiæ perduellibus, vbique locorum à Chriſtianis trophæa erecta ſunt, & Sanctiſſima Virgo MARIA (quæ, vt canit ſancta Eccleſia, cunctas hæreſes interemit in vniuerſo mundo) MATER DEI omnium ore cantata eſt atque prædicata. Tuncque additamentum illud accepiſſe creditur Angelica ſalutatio, SANCTA MARIA MATER DEI ORA PRO NOBIS, &c. Factumque eſt, vt licet frequens antea eſſet ipſius cultus, poſthæc diuino excitante Spiritu, frequentior fuerit atque celebrior, vixque reperiri eſſet, qui abſque Dei-Genitricis titulo nominaret Sanctam Mariam. Sed & Pulcheria Auguſta virgo ſanctiſſima, cuius maxime opera [n] Regina Virginum, Mater Dei, à Ne-

n S. Leo ep. 10 ad Pulcher.

ſtorij vindicata eſt blaſphemiis, excitauit o ampliſſimum tantæ victoriæ monumentum, nempe ſub nomine eiuſdem Dei Genitricis auguſtiſſimum templum in Blachernis iuxta mare: quod ſua poſtea mole labans, Iuſtinianus p Imperator reſtituit.

o Niceph. l. 14. c. 2. p Procop. de ædif. Iuſtin. lib. 1.

XXV. THEOD. IMP. PVNIT COMITES QVI FAVERANT HÆRETICIS.

A ſecus vero ad hæc omnia Theodoſius Imperator, vt Irenæum Comitem profectum cum Neſtorio Epheſum, ob ſtudium erga eum impenſum aduerſus Catholicam fidem, exauctorarit, eundemque ab Epiſcopis Syris, vt patronum, ordinatum Epiſcopum Tyri etiam deponi curarit, vt dicetur ſuo loco. Sed & parem irrogatum fuiſſe pœnam in Candidianum, Palladium, atque Ioannem Comites, qui mendacibus relationibus ludificaſſent Imperatorem, & de ſanctis Epiſcopis adeo male meriti eſſent, poſſumus intelligere, nimirum vt par ſententia percelleret eos, quos par delictum obnoxios eidem ſupplicio reddidiſſet. Adeo vt cum Neſtoriani præter ſpé vidiſſent Theodoſium, per Pulcheriam Auguſtam ab eorum fallaciis eductum, ſtrenue pro fide Catholica peregiſſe quæ Chriſtianum decerent Imperatorem, in vtrumque commoti, quod aliter non valerent, calumniis ambos vehementiſſime exagitarint, dum (quod narrat Suidas) rumorem ſparſerunt, eo inuiſum eſſe Pulcheriæ Neſtorium, quod illam inceſtûs cum fratre Theodoſio criminatus eſſet. Sed quid mirum, ſic in Chriſti virginem inſaniſſe, qui in Chriſti Matrem adeo contumelioſi extitere? At de his, deque rebus Orientalibus huius anni hactenus. Iam Occidentales inuiſamus.

NESTORIANORVM CALVMNIÆ IN THEOD. ET PVLCHER. AVG.

XXV.

His ipſis Coſſ. Sanctus Proſper miſſum ait Palladium (de quo ſuperius) ordinatum primum Epiſcopum ad Scotos: quem perductum etiam ad Hiberniam Inſulam, ſed cito mortuum, Probus ait in Rebus geſtis Sancti Patricii. Hibernorum quidem conuerſionem Deus eidem S. PATRICIO reſeruauit: qui (vt tradunt) Scotus genere, natus ex Sancti Martini Turonenſis Epiſcopi ſorore, ab eo clericus ordinatus, quadriennium ſub eius inſtitutione tranſegit, inde à Sancto Germano Antiſiodorenſi ſacris litteris imbutus. Vocatus autem à Deo ad Hibernorum conuerſionem, non prius illuc ſe contulit, quam Romam ad Cæleſtinum Papam acceſſerit, accepturus ex more ab Apoſtolica Sede ad eius gentis conuerſionem Apoſtolatum. Hæc vero, aliaſque res ab eo in eiuſmodi Apoſtolatu geſtas, ſcriptaque exarata, Probus, Sigebertus q, aliique conſcripſere. Sed Probus ab Amatore Epiſcopo ordinatum ipſum tradit Scotorum Antiſtitem: quod Sigebertus ait Romæ factum à Cæleſtino, vnde in patriam rediens, Hibernos ad Chriſti fidem ſuſcipiendam conuertit.

DE S. PATRICIO HIBERNOR. APOSTOLO.

q Sigeb. in Chron.

XXVI. S. PAVLINI NOLANI OBITVS.

Hoc item anno, decimo Calendas Iulii diem obiiſſe magnum illum Sanctum Paulinum Nolæ Epiſcopum, de quo ſæpe ſuperius, auctor eſt Vranius r ipſius diſcipulus, qui obitum potius quam vitam eius proſecutus eſt, vt profitetur in præfatione ad Pacatum inſcripta, atque cum in morbo viſitatum fuiſſe à SS. Ianuario martyre Neapolitano & Martino Turonenſi Epiſcopo, qui longe ante hæc tempora defuncti fuerant, & in ipſius obitu cellulam eius ingenti terræmotu concuſſam eſſe. Porro eiuſdem ſanctiſſimi atque doctiſſimi Antiſtitis laudes, ſcriptis ſuis celebrarunt æque ſanctiſſimi atque doctiſſimi viri Hieronymus in Oriente, Ambroſius in Italia, Auguſtinus in Africa, Proſper & Eucherius in Galliis, hoc ipſo ſæculo, poſtea vero Sanctus Gregorius Papa, & alii. Reliquit vero ipſe poſt ſe nobiliſſima ingenii monumenta, epiſtolas & carmina, cum numquam voluerit attingere interpretationem diuinæ Scripturæ, non quidem tenuitate ingenii, ſed potius admiranda animi ſubmiſſione. Nam & quæ reperiuntur ipſius epiſtolæ, non eius ſtudio, ſed induſtria Sancti Amandi Epiſcopi Burdigalenſis ſeruatæ fuere, vt ipſe Paulinus docet epiſtola ad eum ſcripta, quam habet Codex Vaticanus atque Nolanus: & quæ carminibus cecinit, pieque ſcripſiſſe videmus, eadem amicorum diligentia cuſtodita putamus. Memoria autem eius indelebili nota in tabulis Eccleſiaſticis inſcripta habetur.

r ap. Sur. 22. Iunij.

LAVDES, ET SCRIPTA PAVLINI.

XXVII. DE PAVLINO SE VICARIVM DANTE PRO REDEMPTIONE FILII VIDVÆ.

Quod autem apud Sanctum Gregorium s ex eiuſdem Vranii antiquiſſima narratione, quæ habetur in ipſius codice manuſcripto, traditur eumdem Sanct. Paulinum ſeſe obſidem dediſſe pro filio viduæ Regi VVandalorum in Africa, & poſt eiuſdem Regis obitum remeaſſe Nolam, atque ibi defunctum eſſe: id nequaquam intelligi poteſt de Genſerico, qui primus regnauit in Africa, cum conſtet t eum cum Regno vitam propagaſſe capta Carthagine, annis triginta ſeptem, ſicque perueniſſe ad annum Domini quadringenteſimum ſeptuageſimum ſextum. Paulinum autem, qui ex annis ætatis eius ſuperius ſupputatis, his Coſſ. reperitur fuiſſe annorum ſeptuaginta octo, haud diutius vixiſſe putamus, vel aptum fuiſſe qui regium hortum colere valuiſſet. Nec item intelligi poteſt de Alarico Gotho (quod alii volunt) cum is nihil penitus de Africana prouincia ſibi vendicauerit. Sed poterit facile referri ad fratrem Genſerici Guntharium, filium legitimum Godigiſeli, ac regni ſucceſſorem (Genſericus enim nothus fuit) quem cum ipſo Genſerico in Africam traieciſſe, Procopius u & auctor Miſcellæ x Theophanes (qui Paulus diaconus falſo, vt ſæpe diximus, inſcribitur) affirmant, eumdemque paulo poſt dolo Genſerici è medio ſublatum: licet ad vitandam fraternæ cædis infamiam, à poſterioribus VVandalis traditum fuerit (quod referunt Procopius, & Iſidorus y) Guntharium nequaquam tranſiiſſe in Africam, ſed in Hiſpania à Germanis captum, paloque infixum, vel ab immundo cum prauo dæmone, quod capta Hiſpali irreuerenter in eius ciuitatis eccleſias manus extendiſſet, necatum eſſe. Sed dum aiunt primo id VVandalorum Regi in Hiſpania regnanti contigiſſe, plane de eius parente eſſe intelligendum apparet, quem primum inuaſiſſe Hiſpaniam tradunt omnes, eumque regnaſſe ibi annos ſexdecim, Iſidorus affirmat.

s Greg. l. dial. c. 1. t Vict. Vtic. de perſec. VVandal. l. 1. in fi.

u Procop. l. 1. de bel. VVandal. x Theoph. l. 14.

y Iſid. in hiſt. VVandal.

IESV CHRISTI AN. 432.

THEODOSII II. 25. VALENT. III 8.

SIXTI III. AN. 1.

I.

ANnus Chriſti quadringenteſimus trigeſimus ſecundus, quo Faſti Proſperi & Caſſiodori Flauium Aetium & Valerium Coſſ. ponunt, illuxit plane ſui exordio Romanæ Eccleſiæ lætus, cum ſuſcepta legatione Orientalium, Cæleſtinus Papa litteris à ſancta Synodo Epheſina, Theodoſio Imperatore, Maximiano Epiſcopo Conſtantinopolitano, ac Clero & populo eiuſdem ciuitatis, per Ioannem presbyterum & Epictetum diaconum, qui ipſis Natalis Domini diebus anni ſuperioris Romam peruenere, ad ſe ſcriptis, certior factus eſt de impii Neſtorii deiectione, atque eiuſdem Maximiani ſubrogatione. Qui per eoſdem legatos ad prædictos omnes alias a reddidit Idibus Martij ſub eiſdem huius anni. Coſſ. quibus de rebus bene geſtis eiſdem gratulatus eſt, & quæ in Synodo aduerſus Neſtorium geſta eſſent comprobauit, ac quomodo futura mala caueri poſſent ſalutaria monita impertiuit, demumque vehementer exhortatus eſt, vt Neſtorius Antiochia pelleretur, longiuſque ablegaretur, ne cauſa ibi eſſet multorum ruinæ, vbi ipſe labare cœperat. Ex quibus quidem omnibus, aliiſque multis de eodem Cæleſtino ſuperius dictis inſuperque ex Actis Epheſinæ Synodi, & quamplurimis aliis huius temporis & ſequentium monumentis, abunde ſatis apparet, quam miſere lapſus ſit Laurentius Valla b grammaticus, & Eccleſiaſticarum rerum penitus ignarus, dum neſciens quam magna ſit differentia inter Cæleſtinum Papam & Cæleſtium collegam Pelagij, deceptus infelix ſimilitudine nominum, exiſtimet Cæleſtinum Papam infectum fuiſſe errore Neſtorii, cuius ipſe damnationis auctor ab omnibus prædicatur. En quas patiatur infeſtas muſcas Eccleſia.

EPISTOLÆ CÆLEST. PP. IN ORIENTEM POST SYNODVM.

a Extant tom. 1. Concil. Ephes. ...

b Vall. de ... Conſt.

INSCITIA LAVR. VALLÆ DE CÆLEST. PP.

Ceterum viginti duobus diebus poſt datas illas ad Orientales epiſtolas, nimirum octauo Idus Aprilis eadem

II. CÆLEST. PAPÆ OBITVS.

ſanctus Pontifex *Cæleſtinus* cæleſtem quam diutius concupierat gloriam cum Sanctis omnibus participaturus, ex temporali vita tranſcendit ad æternam, pontificia adminiſtratione optime perfunctus per annos octo mēſes quinque & dies tres, vt colligitur ex tempore ipſius creationis: quamuis in eius epitaphio [c] antiquitus ſcripto, ad decimum dicatur annum perueniſſe. Sepultuſq; eſt in cœmeterio Priſcillæ via Salaria. Quem quidem Gennadius [d] inter Scriptores Eccleſiaſticos recenſet: ac liber de Romanis Pontificibus de eodem tradit, inter multa alia conſtituiſſe, vt pſalmi Dauidis centū quinquaginta ante ſacrificium pſallerentur antiphonatim ex omnibus: quod (vt ait) antea non fiebat, ſed tantum epiſtolæ Pauli recitabantur, & ſanctum Euangelium.

c Antiq. Inſcript. in Append. pag. 1171. n. 5. d Gennad. c. 54.

III. Sixtvs PP. tertivs eligitvr.

Poſt eius obitum cum ſedes vacaſſet (vt idem liber habet) dies viginti, ſexto Calendas Maii Sixtvs patria Romanus ex patre Sixto, creatus eſt Romanus Pontifex eius nominis Tertius: quod quidem hoc anno factum eſſe, tam Sanctus Proſper quam Marcellinus in Chronicis meminere. Illud vero conſtat ex litteris Sancti Cyrilli [e] ad Acacium Melitenum datis, atque aliis, ipſum Sixtum, ſimul ac regimen Apoſtolicæ Sedis eſt conſecutus, nihil antiquius habuiſſe quam quæ à Sancto Concilio Oecumenico Epheſino decreta fuiſſent, ſtabili firmitate conſolidare. Sicque qui olim Neſtorianorum patriarchas Pelagianos (ex his enim eos fuiſſe progenitos, ſuperius demonſtratum eſt) adhuc presbyter fuerat inſectatus, vt vidimus, ipſos etiam Neſtorianos Epiſcopus factus penitus damnauit. Sed quod ſciret Petri etiam muneris eſſe fratres confirmare, & collapſos erigere, in id quoque totus incubuit, vt qui reſtitiſſent Epheſinis Actis Orientales Epiſcopi, eoſdem Catholicæ fidei redderet obſequentes: eaque de cauſa ad ipſum etiam Neſtorium omnium malorum auctorem, necnon ad primarium eius fautorem Ioannem ſcripſit, vt de litteris ad Neſtorium teſtis eſt Gennadius [f], ac de ſcriptis ad Ioannem Vincentius [g] Lerinenſis.

e Cyril. ep. 27. Act. Eph. to. 5. c. 7.

Sixtvs PP. qværit cvrare Neſtorivm.

f Gennad. de ſcr. eccl. c. 54. g Vinc. Lerin. commonit.

IV. Theod. Imp. laborat pro pace Orient. Eccl.

At non Sixtus tantum, ſed & Theodoſius Imperator hoc eodem anno, & viuente adhuc Cæleſtino, nauiter egit pro pace concilianda, vſus ad hoc conſilio Maximiani Conſtantinopolitani Epiſcopi, & aliorum qui cum eo erant Epiſcoporum Orthodoxorum, ac fideli miniſterio Ariſtolai Tribuni & Notarii, operaque Acacii Epiſcopi Berrœenſis, qui Orientalium machinationis præ ſenii grauitate, & rerum agendarum vſu atque peritia conſultor habebatur, necnon magni illius Simeonis Stylitæ anachoretæ: qui primo paſtor ouium, poſtea viſionibus diuinis vocatus ad arctiſſimum vitæ monaſticæ inſtitutum, inde diu incluſus ingenti tolerantia permanens, tandem columnam in ſolitudine in finibus Syriæ Ciliciæque conſcendit: vbi licet incomparabili admirandæ ſanctitatis exemplo vitam parem cœlitibus in terra, vel potius in ipſo cœlo duceret, tamen curam Dei Eccleſiæ maximam agens, zeloque pietatis exæſtuans, nullam vnquam prætermitteret occaſionem ei conſulendi: cuius nomen ob ipſius plane mirificas virtutes, ingentiaque miracula, & inſigne prophetiæ donum, non in Oriente ſolum vbi degebat, ſed in Occidente fuiſſe percelebre, nec tantum apud viciniores Orientis populos, ſed etiam apud Iſmaelitas, Perſas, Armenos, Æthiopas, Indos, Scythas, Nomadaſque, & alios remotiſſimos, atque in Occidente Italos, Gallos, Britannos, Hiſpanos: adeo vt ex omnibus terrarum Orbis partibus ad eum inſtar fluminis populi concurrere cernerentur, vel vt ſanarentur à languoribus, vel vt inſtruerentur in fide, aut aliam conſolationem acciperent: eumdemque maximi Principes literis ac legationibus frequentarent, quin & in ipſa Vrbe Roma, in officinarum omnium veſtibulis & porticibus paruas eius imagines ponerent, inde ſibi præſidium & tutelam parantes: vt de his omnibus teſtis oculatus eſt Theodoretus [h], eiuſdem prouinciæ accola, ipſique familiaris redditus.

De Simeone Stylita.

h Theod. Hiſt. SS. Patrum c. 26.

V.

Huius igitur talis tantique viri, aliorumque quos diximus opera vſus Theodoſius Imperator, effecit [i] tandem apud Ioannem Antiochenum, vt is vocatis ad ſe Epiſcopis Syriæ qui aduerſus Cyrillum ſibi præſto fuerant, conſilium cum illis inierit ratam habere damnationem hæreſis Neſtorianæ, ipſiuſque Neſtorii, ſicque redintegrare communicationem cum Romano Pontifice, atque Cyrillo Alexandrino, & Maximiano Conſtantinopolitano, omnique ſimul Eccleſia Catholica, à qua hactenus ſchiſmate præciſi eſſent. Qua de re cum mox ad Sixtum Romanum Pontificem Synodalem dediſſent epiſtolam [k], tamen cum Cyrillo, aduerſus quem acerbiſſimas inimicitias exercuiſſent, aliter ſibi agendum putarunt: nimirum vt quaſi datam eſſent ei legem, ab eo, velut in ſuſpicionem adducto hæreſis Apollinaris, exigerent Catholicæ fidei confeſſionem, qua ſua Capitula tamquam erronea condemnaret. Verum cum ſe his minime conſenſurum, idem Cyrillus litteris ſuis declaraſſet, tunc iidem Paulum Epiſcopum Emeſenum legatum Alexandriam miſerunt, qui ſi poſſet, ab eodem Cyrillo quod petitum erat extorqueret, ſin minus, ei de damnatione Neſtorii litteras ſcriptas redderet. Quod vltimum præſtitit Paulus, poſtquam multis licet vſus perſuaſionibus, nulla ei ſpes reliqua fuit vt in ſuam ſententiam Cyrillum perduceret: ſicque abſque vlla Capitulorum ſuorum damnatione, cuncta arbitrio Cyrilli geſta ſunt. Habuitque tunc idem Paulus concionem ad populum Alexandrinum: qua cum Sanctiſſimam Mariam, *Deiparam* appellaſſet, & duas perfectas in vno Chriſto profeſſus eſſet naturas, ſummo exceptus eſt à populo plauſu, & fauſtis tam ipſe; quam Cyrillus qui eum talia docuiſſet, acclamationibus ſublimatus.

i Act. Eph. to. 5. c. 9. 10. 11.

Ioannes Antioch. pacem init cvm Ro. Pont. et Cyrillo Alex.

k Ibid. c. 17.

VI.

Porro cum hæc omnia ita geſta eſſe, omni fide conſtantia teſtimonia [l] certiſſimum reddant, inde aperte arguuntur impoſturæ, cum Theodoretus [m] in eam vſque diem Cyrillo infenſiſſimus, tum alii Neſtorii [n] fautores, dum in vulgus ſparſerunt, Cyrillum in omnibus conſenſiſſe Ioanni, ac ſua damnaſſe Capitula, nempe quod cum in confeſſione Catholicæ fidei, quam ad Ioannem Antiochenum miſit ſubſcribendam antequam ipſum in ſuam communionem reciperet, feciſſet mentionem Capitulorum ſuorum, ideo viſus eſſet illa damnaſſe. Quapropter plane diuerſe in hoc negotio accidit, vt & nōnulli ex iis qui Neſtorium ſectati eſſent, haud ratam habuerint pacem inter eoſdem Ioannem & Cyrillum ſtabilitam, quod Cyrillus abſque ſuorum Capitulorum damnatione in communionem receptus fuiſſet: ac rurſum aliqui ex parte Cyrilli haud inferioris ordinis viri, puta Acacius Melitenſis, Valerianus Iconienſis, & alii in ipſum commoti fuerint, quod de eo accepiſſent, iniquis conditionibus communicaſſe cum Orientalibus: prout hæc narrat Liberatus [o] in Breuiario. Quin etiam illud additum eſt à Neſtorianis, vt epiſtolam nomine Cyrilli confinxerint, qua ſe palinodiam recantare ipſe ſignificaret, & quæ Epheſi facta eſſent reſcindere: aliamque nomine Philippi S.R.E. presbyteri, & in Synodo Oecumenica Sedis Apoſtolicæ Legati, qua ſignificaretur, Sixtum Romanum Pontificem ægro animo tuliſſe damnationem Neſtorii. Teſtatur enim hæc ipſe Cyrillus [p] litteris ea de re ad prædictos Epiſcopos ſcriptis, aliiſque, quibus & ſe à calumniis defendit, & quæ à Sixto aduerſus Neſtorium geſta eſſent declarat. Extantque [q] eadem de re ipſæ Sixti Papæ litteræ ad Cyrillum ſcriptæ anno ſequenti (quarum idem Cyrillus meminit) aliæque ad Ioannem Antiochenum, quibus aperte oſtenditur, eumdem Pontificem magnopere exectratum eſſe Neſtorium, lætatumque de inita inter Orthodoxos concordia. Denique re probe cognita, & Theodoſius Imperator quæcumque aduerſus Cyrillum ſcripta fuiſſent, abolenda penitus eſſe, ſancita lege [r] decreuit, & in Quinta Synodo, ipſius Theodoreti aduerſus eumdem ſcripta, æque omnium Patrum fuere ſententia condemnata: ac demum ipſummet Theodoretum, licet poſt hęc Neſtorii amicitiam aliquamdiu coluiſſe reperiatur, tamen horum omnium poſtea pœnitentem, non ſolum vehementius eidem eiuſque hæreſibus aduerſatum, ſed &

l Act. Eph. to. 5. c. 4. 5. 6. 7. 16. & to. 6. c. 13. 14. 15. & ap. Cyril. ep. 28. 29. 30. 38.
m Theod. ep. 112. ad Domn. & ep. ad Ioan. quæ habetur V. in Synod. Collat. 5. ad fi.
n Vid. ep. nomine Iba ſcriptam, ap. Act. Conc. Chalced. Act. 10.

Calvmnia varie de pace inita inter Ioan. et Cyril.

o Liber. c. 7.

Calvmnia in Sixtvm PP.

p Cyril. ep. 29. 32. Act. Eph. to. 5. c. 7. 8. & to. 6. c. 3.
q Rec. ſuper. Annal. To. V. an. 433.

r Act. Eph. to. 5. c. 19.

Theodoretvs reſpvit Neſtorivm.

æquo o animo fuiſſe erga Cyrillum, conſtat ex diuerſis ipſius ſcriptis [f].

VII. ACEPHALORVM SECTA VNDE ORTA

Ceterum quod (vt diximus) hoc tempore complures eſſent, qui neque Cyrillo neque Ioanni inhæreſcerent, ſed ſeorſum abſque capite ſynaxes agerent: nouam ex iis ſectam eſſe conflatam, quam ACEPHALORVM nominauit antiquitas, Liberatus [t] exiſtimauit. Verum receptior illa ſententia eſt, vt nonniſi poſt Chalcedonenſem Synodum Acephali hæretici cœpti ſint nominari: quod inter alios teſtatur Leontius [u] Scholaſticus. Itaque de iis dicetur ſuo loco.

VIII. IVDÆI SEDVCTI IN INSVLA CRETA RESIPISCVNT ET CREDVNT.

Hoc item ferme tempore [x] multi Iudæi in Creta Inſula Chriſti fidem receperunt, cum impoſturam detexiſſent Iudæi cuiuſdam veteratoris, qui Moyſem ſe ſimulans de cælo demiſſum vt illos per mare in continentem traduceret, indeque in terram promiſſionis, pleroſque induxerat, bona ſua occupare volentibus relinquere, ac ſe cum vxoribus & liberis è promontorio in mare præcipites dare, quaſi pede ſicco illud traiecturos: è quo periculo à Chriſtianis piſcatoribus aliiſque multi extracti ſunt, ac per totam Inſulam plurimi ea clade impulſi ad fidem Chriſti ſe tranſtulerunt. Quæſitus vero impoſtor ad necem, nec vſquam inuentus, à multis creditus eſt malus fuiſſe dæmon.

IX. S. BRITIVS TVRON. EPISC. APPELLAT RO. PONT.

Quod ad res ſpectat Occidentales, hoc eodem anno Sanctus *Britius* Turonenſis Epiſcopus, oppreſſus aduerſariorum calumniis, ipſum adulterii accuſantium, cum licet duobus editis in confirmationem ſuæ innocentiæ inſignibus miraculis, nihilominus ſede pulſus à ciuibus eſſet, idem ad Romanum Pontificem appellans, reſtitutus eſt ab eo. Narrat hæc fuſius Gregorius [y], eiuſdem poſtea Eccleſiæ Turonenſis Antiſtes. Appellare vero conſueuiſſe Gallicanos Epiſcopos quam frequentiſſime ad Apoſtolicam Sedem, docet etiam S. Leo [z] in epiſtola ad Epiſcopos prouinciæ Viennenſis.

X. PETRVS CHRYSOL. EPISC. RAVEN.

Hoc item Redemptoris anno ex hac vita migraſſe ponitur *S. Ioannes* Rauennæ Epiſcopus, cuius præclara eſt memoria inter ſanctos Rauennates Antiſtites: cui datus eſt à Sixto Romano Pontifice ex diuino monitu ſucceſſor, *Petrus* diaconus Forocornelienſis cognomento *Chryſologus*, clariſſimus ſanctitate & doctrina: vt eiuſdem Eccleſiæ antiqua monumenta docent ab Hieronymo Rubeo edita. Quod autem in eis ad eumdem Ioannem datum legitur Valentiniani Imperatoris reſcriptum, quo Rauennati Eccleſiæ conceſſit vt eſſet Archiepiſcopatus, ipſiuſque Antiſtites perpetuum haberent vſum pallii; licet multa ſint alia, quæ illud reſcriptum ſpurium demonſtrent (tunc, vt putamus, compoſitum, cum poſtea Rauennates Epiſcopi ſchiſmate diuiſi fuere ab Apoſtolica ſede) illud extra controuerſiam eſt, nonniſi à Romanis Pontificibus Pallium Archiepiſcopis fuiſſe ſolitum impertiri, ab Imperatoribus numquam.

PALLIVM DARE, NON EST IMPP.

Quin & ipſos Rauennates Epiſcopos profeſſos eſſe, tum pallium tum alia priuilegia ſe accepiſſe ab Apoſtolica ſede, Sanctus Gregorius [a] Papa docet. Neque factum, vt conceſſo ſemel pallio Eccleſiæ Rauennati, illud abſque noua conceſſione Romani Pontificis ſuperinducerent ſucceſſores; ſed ſingulos, ceterorum more Metropolitanorum, ſibi concedi petiiſſe, demonſtrat exemplum Maximiani eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopi, ſubrogati in locum alterius Ioannis; cui illud petenti Gregorius [b] Papa miſit. Sciant tamen omnes nihil ob id detractum eſſe nobiliſſimæ illi ſedi, ſi ſpuria exſufflatis, ipſe purus demonſtratus eſt fons primarius, vnde in eam priuilegia effluxere, nempe ab ipſa Rom. Eccleſia, à qua & reliqui Metropolitani ſe idem iuris conſecutos eſſe congaudent.

f Theod. ep. ad ... ad Dom. ...
t Liber. in breu. c. 9.
u Leont. de Sect. act. 5.
x Socr. l. 7. c. 38. Niceph. l. 14. c. 40.
y Greg. Tur. l. 2. de geſt. Franc. c. 1. & l. 10. c. 31.
z Leo ep. 89.
a Greg. 2. ep. 54. ad Ioan. Rauen.
b Id. 5. ep. 8.

IESV CHRISTI AN. 433.

THEODOSII II. 26, VALENT. III. 9.

SIXTI III. AN. 2.

I.

ANNO Chriſti quadringenteſimo trigeſimo tertio. Theodoſio Auguſto decimumquartum & Anicio Maximo Coſſ. mente Auguſti (vt Sanctus Proſper [a], Marcellinus, & Socrates [b] ponunt) maxima pars vrbis Conſtantinopolitanæ, per biduum triduumue tali incendio flagrauit, quale numquam antea viſum auditumue fuiſſet.

I. INCENDIVM CONSTANTIN.

Quod quidem affirmari poſſe videtur ex eo commeruiſſe pati, quod aduerſus Epheſinum Concilium qui erant rerum arbitri Neſtorio fauiſſent, & damnatū licet complures in S. Euprepii monaſterio exiſtentem variis non deſiſterent afficere honoribus, & donare præmiis: vt ex litteris ipſius Euagrius [c] narrat. Ex quibus, aliiſque inferius de eo dicendis, apparuit, quanto demum Eccleſiæ & Imperii damno Theodoſius Auguſtus diſtulerit parere Cæleſtino Romano Pontifici, hortanti (ſicut vidimus) vt idem Neſtorius longius ablegaretur. Sed quod ad incendium vrbis regiæ ſpectat; quod narrat Socrates, miraculo Pauli tunc temporis Nouatiani Epiſcopi accidiſſe vt Nouatianorum eccleſia non conflagrarit; ſæpe ſuperius demonſtratum eſt, nullius eſſe momenti idem hæretici, ſectæ ſuæ hominibus miracula adſcribentis, neque vlla vmquam fuiſſe vel eſſe potuiſſe miracula hæreticorum.

II. DE CASSIANI SCRIPTIS HÆRESI REPERTIS, ET PVRGATIS.

Hoc item anno S. Proſper reuiuiſcenti in Occidente hæreſi Pelagianæ, ſe validis ſcriptis oppoſuit. Cum enim Ioannes Caſſianus Eccleſiæ Maſſilienſis presbyter (de quo dictum eſt ſuperius) Neſtorio adhuc Conſtantinopoli ſedente, monitu [d] Leonis Romanæ Eccleſiæ tunc Archidiaconi, poſtea vero Pontificis, aduerſus eumdem Neſtorium luculentum atque perutile de Incarnatione Verbi commentarium edidiſſet, eodemq; volumine Pelagium atque Pelagianos velut eius hæreſis primarios auctores, vehementer exagitaſſet; atque inde accidiſſet, vt nonnulli calumnioſe factum exiſtimarent, quod idem Caſſianus eiuſdem Pelagianæ hæreſis à Catholicis viris in crimen adductus eſſet; ac proinde editas antea ab ipſo Collationes Patrum abſque erroris ſuſpicione Fideles legerent, efficerenturque ea ſaltem ex parte Pelagiani, qua aduerſus Gratiam ab eo Liberi arbitrii vires prædicarentur: his inquam, latentibus malis vt occurreret S. Proſper, aduerſus Collatorem librum hoc ipſo anno (vt ex eius præfatione colligitur) conſcripſit, & quidem eruditione inſignem; licet illum Gennadius, & ipſe presbyter Maſſilienſis ſectaque Pelagianus damnet, Caſſiani vero Collationes laudet. Porro cum has ipſas Collationes, alioqui valde proficuas vitam excultiorem ſectantibus, nonnullos alios inſignes viros emendaſſe conſtet (puta S. Eucherium [e] Lugdunenſis Eccleſiæ tunc presbyterum, Victorem [f] Martyritanum in Africa Epiſcopum, & Caſſiodorum [g]; qui Caſſiani opera expurgantes, quæ vtilia viderentur in epitomen accurate redegerunt, & quæ minus erant addiderunt) inde falli non dubites, qui ex eo quod præ manibus habetur Collationum opere Caſſiani, defendunt ipſum fuiſſe omni ex parte Catholicum: morboſum enim olim extitiſſe, ex medicorum in eo impenſa diutius arte certo certius intelligere potes: vt non immerito eiuſdem Caſſiani opuſcula Gelaſius [h] Papa inter apocrypha reiecerit.

III. CONCIL. ROM. IN CAVSA SIXTI PP. ACCVSATI DE STVPRO.

Ad finem præſentis anni, nempe menſe Decembris, euolutis iam anno vno & menſibus octo à creatione Sixti Romani Pontificis, celebratum eſt Romæ in baſilica Heleniana in atrio Seſſoriano, CONCILIVM in cauſa eiuſdem Sixti: qui turpi calumnia ab Anicio Baſſo Exconſule & Mariniano Patricio infamatus de ſtupro ſacræ virgini illato, voluntariæ ſe ipſum purgationi ſubiiciens, in eadem Synodo, præſente Valentiniano Imperatore, cum vniuerſo Clero atque Senatu, & quinquaginta ſex Epiſcopis, innocens declaratus eſt; Baſſus autem & Marinianus calumniatores condemnati, atque proſcripti, bonis eorum Eccleſiæ adiudicatis. Narrat breuiter iſta Anaſtaſius in libro de Romanis Pontificibus; quæ fuſius deſcribuntur in eiuſdem Synodi Actis [i]. Sed quod ea nimia antiquitate corrupta ſint & maxime in Coſſ. appoſitis, tutius de tempore inhæremus eidem libro de Romanis Pontificibus. Sicut & quæ poſt eadem Acta apponuntur tranſacta inter eumdem Sixtum Papam & Polychronium quemdam aſſertum Epiſco-

ACTA SIXTI CVM POLYCHRONIO CVIVS FIDEI.

a Proſp. & Marcell. in Chron.
b Socr. l. 7. c. 39.
c Euag. l. 1. c. 7.
d Gennad. de vir. illuſt. c. 61.
e Idem c. 63.
f Caſſiod. Inſt. diuin. lit. c. 29.
g Ado in Chron. an. 425.
h Gelaſ. in dec. de apocry.
i To. 1. Conc.

pum Hieroſolymitanum; licet ea vt legitima citentur à Nicolao Romano Pontifice in epiſtola ad Michaelem Imperatorem, & à Petro Damiano ſcribente ad Henricum Rauennatem; atque ab alijs poſtea recentioribus, de illis minime dubitantibus: tamen cum multa in iis reperiantur, quæ numquam valuerim ad veritatis lineam reuocare, licet in eis plurimum laboris inſumpſerim: conſultius exiſtimaui abſtinere ab illis recenſendis: cum præſertim qui ea cupiunt, habeant alibi vbi legere poſſint.

THEODOSII II. 27. VALENT. III. 10.

IESV CHRISTI AN. 434.

SIXTI III. AN. 3.

I. ANno Domini quadringenteſimo trigeſimo quarto, Aſpare & Areobinda Coſſ. pridie Idus Aprilis Maximianus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, cũ annos duos & menſes quinque ei Eccleſiæ præfuiſſet, ex hac vita deceſſit. In cuius locum, Imperatoris Theodoſij impulſu *Proclus*, diſcipulus olim S. Ioannis Chryſoſtomi, vir ſpectatiſſimus ſuffectus eſt. Quam rem geſtam narrat Socrates [a]: qui & id factum ait ex diſpenſatione Romani Pontificis, cum antea Proclus creatus eſſet Cyzicenus Epiſcopus, prohiberent autem canones eiuſmodi in alias ſedes Epiſcoporum tranſlationes.

PROCLVS ELIGITVR EPISC. CONSTANT. a Socr. l. 7. c. 39.

II. Quo eodem tempore S. Melania Iunior, antiqua parentum nobilitate, & admirabili ſanctitate ſua vniuerſo Orbi Chriſtiano notiſſima, Hieroſolymis (vbi vitam monaſticam agere vidimus, à patruo ſuo, ſeu auunculo, *Voluſiano* Conſtantinopolim accerſita eſt, cum is Romanæ agens Vrbis Præfectum, eo Legatus aduenisset. Qui quidem cum inter Romanos nobilitate ac doctrina nulli ſecundus eſſet, tamen cultui deorum adeo inflexo animo ad hæc vſque tempora inhæſit, vt nec olim cum in Africam vna cum Tribuno Marcellino nauigaſſet, & à matre ſua, religioſiſſima femina, commendatus per eumdem Marcellinum Sanct. Auguſtino eſſet, vllis tanti Doctoris quantumlibet potentiſſimis rationibus valuerit adduci ad fidem Chriſti amplexandam. Extant [b] enim litteræ tunc vltro citroque ea de re ſcriptæ, quæ pro dignitate argumenti meruerunt primum locum inter multiplices eiuſdem San. Auguſtini epiſtolas obtinere. Ex quibus etiam cum appareat, fuiſſe Voluſianum Apollonii Tyanæi & Apuleii magorum ſtudioſum; haud mirum videri debet, ſi tardius, & nonniſi in extremo vitæ ſpiritu, contigerit ipſum fieri Chriſtianum. Præſtitit autem illud hac peregrinatione infatigabili ſtudio Melania; cum tam per ſeipſam, quam per alios piiſſimos viros & precibus ad Deum, & hortationibus ad ipſum Voluſianum, peregit demum vt idem Conſtantinopoli in morbum incidens, agnita veritate baptiſmum à Proclo Epiſcopo ſuſceperit, & paulo poſt munitus pretioſiſſimo Chriſti Corporis viatico decedens in pace vitam æternam conſecutus fuerit. Narrant vero hæc pluribus Acta ipſius S. Melaniæ [c]; quæ in his confirmantur à Photio in ſua Bibliotheca. Habent inſuper, eamdem S. Melaniam Catholicæ fidei zelo æſtuantem, ceterorum quoque ab illa deuiantium ibidem Conſtantinopoli curam egiſſe, ac multos eorum qui Neſtorii erroribus decepti eſſent, feruentiſſimis diſputationibus conuictos ad fidem Chriſti reduxiſſe: illiuſque retardatam vanis dæmonum illuſionibus, miniſque, nec item depreſſam acerrimo dolore coxendicis à dæmone inflicto, bellum Domini ſtrenuiſſime confeciſſe: ſed & ipſis Theodoſio Imperatori & Eudociæ Auguſtæ plurimum profuiſſe, ac demum Hieroſolymam regreſſam eſſe.

VOLVSIANVS INGENTI DIFFICVLTATE REDDITVS CHRISTIANVS.

b ep. Aug. 1. 2. 3. 4. 5.

c ap. Metaphr. & Sur. 31. Ianuar.

III. Sub huius quoque anni Coſſ. S. Proſper [cc], dum agit de ſignis Antichriſti, & eius præcurſoribus pſeudoprophetis & impoſtoribus, accidiſſe ait Carthagine, vt virgo quædam iuuencula natione Araba, ancillæ Dei habitum geſtans, cum in balneo lauans ſimulacrum quodam Veneris impudice reſpiceret, & ſe ipſam, eiq; ſe conſimilans, domicilium ſe diabolo præbuerit: à quo per octoginta duos dies, occupatis faucibus impedita ne aliquem cibum aut potum traiceret, niſi quod noctis medio auis quædam ei ore neſcio quid infunderet (cum tamen nullis indiciis diuturni ieiunii fœdata, nulloque pallore ſeu tabe vel debilitate confecta, quin potius robuſta eſſet ſucco viſcerum, ac mole membrorum) deducta tandem in monaſterium puellarum, in quo ſitę erant reliquię S. Stephani, ibi communione ſacri Corporis Domini liberata eſt.

cc Prosp. de prom. & prædict. Dei dimid. temp. c. 6.

VIRGO A DÆMONE OBSESSA LIBERATA COMMVNIONE CORPORIS DOMINI.

IV. Hoc item ipſo anno *Vincentius* natione Gallus, monaſterii Inſulæ Lerinenſis presbyter, cum aduerſus omnes hæreticos tum præcipue ad ſepeliendas penitus recens emerſas Pelagii, Cæleſtii, atque Neſtorii hæreſes, pro defenſione antiquæ Patrum fidei ſumma induſtria diſertiſſimum ſub nomine Peregrini elucubrauit commentarium, his temporibus apprime accommodatum, & in Eccleſia Catholica aduerſus quoſcumque Nouatores ſemper profuturum: quem vna cum auctore laudauerunt olim Gennadius [d] & S. Eucherius [e]. Porro illum hoc anno elaboraſſe, nempe tertio ab Epheſina Synodo, teſtatur ipſemet eius ſcriptor Vincentius [f]. Qui quod de ſe dicat, aliquamdiu variis ſæcularis militiæ turbinibus agitatum, tandem ſe in portum religionis condidiſſe, vt ibi depoſitis vanitatibus ac ſuperbiæ flatibus, Chriſtianæ humilitatis ſacrificio placaret Deum: in eam adducor ſententiam, vt hic ille ſit Vincentius Galliarum aliquando, viuente San. Martino, Præfectura nobilitatus; quem Seuerus [h] mirifice laudat, factaq; eſt mentio de eo ſuperius. Florebat plane his temporibus illud cœnobium, illuſtris ſanctorum domus Inſulę Lerinenſis in prouincia Narbonenſi, ex qua plurimi inſignes Epiſcopi prodierunt, de quorũ iam nonnullis actum eſt, de aliis vero agendum erit. Ideoq; ipſum quoque cœnobium velut ſanctiſſimorum Epiſcoporum ſeminarium, egregiis laudibus extulere Sidonius [i] Apollinaris, Cæſarius [k] Arelatenſis, Eucherius [l] Lugdunenſis, aliique multi.

VINCENTIVS LERINENS. SCRIBIT CONTRA HÆRESES.
d Gennad. de ſcrip. Eccl. c. 64.
e Eucher. præfat. lib. Inſtruct. ad Salon.
f Vinc. Lerin. c. 42.
g Idem præf.
h Seuer. dial. 1.
i Sidon. carm. Eucharist. ad Fauſt.
k Cæſar. Arelat. hom. 20. ad monach.
l Eucher. de laud. erem.

THEOD. II. 28. VALENT. III. 11.

IESV CHRISTI AN. 435.

SIXTI III. AN. 4.

I. ANno Chriſti quadringenteſimo trigeſimo quinto, Theodoſio decimumquintum & Valentinian. quartum Augg. Coſſ. cum Neſtorius totum illud tempus quo in monaſterio S. Euprepii apud Antiochiam permiſſus eſt degere, impendiſſet in conficiendis libris aduerſus Catholicam doctrinam, indeque iuges in Eccleſia Orientali controuerſiæ agitarentur: Theodoſius Imp. vt diſcordiarum tolleret ſeminarium, ipſos Neſtorii libros damnans, tertio Non. Aug. edita ſanctione [a] illos vbique conquiri & comburi iuſſit, ac nequis deinceps legere, aut retinere, aut in diſputationibus allegare auderet prohibuit, adhibita pœna publicationis bonorum. Quomodo vero fuerit & ipſe relegatus, dicetur anno ſequenti quo id accidit.

LIBRI NESTORII DAMNATI

a l. 3. C. Th. de hæret. extatque latine in All. Ephes. to. 5. c. 13. & 14.

II. Porro qui blaſphemiarum fluenta ſic exſiccata videbant Neſtoriani, ipſum fontem aperuere vnde illa primitus deriuarant; nimirum Theodori Mopſueſteni & Diodori Tarſenſis Epiſcoporum (à quibus, vt vidimus, veneno propinatus Neſtorius fuerat) libros vbique legendos exponentes, & quo latius ſpargerentur, eoſdem in Syrorum, Armenorum, atque etiam Perſarum linguam transferentes; quodque deterius eſt, Catholicos eſſe probare conantes, eo quod eſſent aduerſus Eunomium atque Apollinarem conſcripti: cum tamen ipſi ſanctiſſimam Trinitatem ſic vnius eſſentiæ prædicarent, vt Chriſtum Dominum vnum ex Trinitate nullatenus confiterentur, quod ſcilicet duas in eo naturas inter ſe diuiſibili coniunctione vnitas affirmarent, quæ duas conſtituerent perſonas; ſicque quatuor perſonas in Trinitate aſtruerent,

LIBRI THEODORI MOPSVEST. ET DIODORI TARS. PRODVNTVR.

Digitized by Google

ſtruerent, duos Dei Filios introducentes. Narrat hæc Liberatus [b]; qui pluribus de his agens, quædam etiam CONCILIA in Armenia & Antiochiæ, in hac eorumdem librorum cauſa habita, multaque à Proclo Conſtantinopolitano, Cyrillo Alexandrino, Ioanne Antiocheno, aliiſque ſcripta fuiſſe tradit. Extatque [c] ipſius Procli epiſtola ad Armenos ea de re conſcripta, quam tranſtulit in Latinum Dionyſius ille magnus, ſed cognomento Exiguus, occaſione erroris Theodori ſuo tempore iterum pullulantis. Caute vero legendus Liberatus, dum (ex aliquo haud dubium Neſtoriano eam mutuatus hiſtoriam) aſſerit probatos fuiſſe libros eiuſdem Theodori Mopſueſteni ſcriptis Ioannis Antiocheni; ipſiuſque rurſum Theodori laudes, non ſolum ab Imperatore, ſed etiam à Cyrillo, immo & à Synodo Chalcedonenſi approbatas eſſe. Quam enim hæc falſa ſint, ſatis eorumdem Patrum ſcripta demonſtrant: cum alioqui eo ſtatu hoc tempore in Eccleſia ſcripta Theodori eſſent, vt non omnino vetita haberentur; ſed ab aliis impugnata, ab aliis vero ita defenſa, vt patentes qui in eis continerentur errores, negarent eſſe ipſius: quæ poſtea diligentiori de iis facto examine damnata fuere in Quinta Synodo, vt dicetur ſuo loco.

b Liber. Breuiar. c. 10.
CONCILIA CELEBRATA IN CAVSA EORVN. LIBR.
c To. 1. Bibl. S.

III. Hoc eodem anno (vt tradit Proſper) Gundicarium Burgundionum Regem intra Gallias habitantem, Aetius Magiſter militiæ Occidentalis Imperii bello obtinuit, pacemque ei ſupplicanti dedit. Pollebat namque Aetius copiis Alemannorum: quorum etiam Regi Eocharich homini Ethnico, Gallos illos, quos ad Oceanum vergentes vocant Armoricos, ab Imperio Romano deficientes, conceſſit crudeliter nimis deuaſtandos. Factumque omnino eſſet, niſi S. Germanus Antiſiodorenſis Epiſcopus, de cuius priori in Britanniam legatione ſuperius egimus, rurſum ab alia in eamdem Britanniam, à quibuſdam Pelagianis iterum vexatam, ac denuo ab ipſo liberatam, legatione rediens; ad eoſdem Alemannos rogatus progredi precibus, increpationibus, & auctoritate ſua, eos inde intactis Armoricis regredi compuliſſet. Poſt quæ idem Sanctus, noua rurſum pro impetranda iiſdem Armoricis venia ad Imperatorem Valentinianum ſuſcepta Rauennam legatione; multis in itinere ac in illa vrbe ingentibus editis miraculis, de tranſitu ſuo per viſum certior factus, ibidem obiit: cuius capſulam Reliquiarum, quas ſecum idem Sanctus deferre conſueuerat, Placidia Auguſta Imperatoris mater ſibi ſumpſit: veſtimenta vero eiuſdem, reliquiarum loco inter ſe Epiſcopi diuiſerunt: corpus autem aromatibus conditum, in Gallias (vt petierat) Imperatoris ſumptibus, euectione publica, ad ipſius Eccleſiam remiſſum eſt, miraculis vbique fulgens. Sed hæc omnia pluribus Conſtantius eorum temporum ſcriptor, in eiuſdem S. Germani à ſe fideliſſime conſcripta Vita [d].

S. GERMANVS ANTISIOD. AGIT PRO ARMORICIS.
EIVSD. OBITVS, ET MIRACVLA.
d ap. Sur. 30. Iul.

IV. His iiſdem Coſſ. facta eſt promulgatio [e] *Codicis Theodoſiani* decimoquinto Calendas Martii. Cuius compactoribus cum viſum fuerit, nonniſi confirmari & interſeri eas conſtitutiones, quas Principes Chriſtiani ſanxiſſent, incipientibus à Conſtantino Magno: iidem tamen priſcorum Gentilium Iuriſconſultorum haud voluere ſperni reſponſa, quę iam alia non ita pridem ſanctione [f] confirmata fuerant. Verum præter Theodoſianum Codicem, Gregorianus erat atque Hermogenianus: in quibus eiuſmodi Iuriſconſultorum ſententiæ digeſtæ erant, & Principum placita. Quibus omnibus non dedignatos eſſe Romanos Pontifices vti, in iis quæ contra Chriſtianam religionem minime verterentur, S. Gregorius Papa exemplo declarauit ſcribens [g] ad Ioannem Defenſorem. Quomodo vero hæc à diuerſis diuerſo ordine diſpoſita, ſub Iuſtiniano Imperatore ſint meliori congeſta ordine, & aucta, dicetur ſuo loco.

CODICIS THEOD. PROMVLGATIO.
e Nouel. Theodoſ. tit. 1.
f l. 1. C. Th. de reſp. prud.
g Greg. PP. 11. ep. 50.

IESV CHRISTI AN. 436.

THEOD. II. 29. VALENT. III. 12.

SIXTI III. AN. 5.

I. ANno Chriſti quadringenteſimo trigeſimo ſexto, Iſidoro & Senatore Coſſ. cum Neſtorii fautores Orientalem Eccleſiam maioribus in dies miſcerent turbis, Theodoſius Imperator, ſero licet, tandem malorum omnium auctorem ipſum Neſtorium e monaſterio S. Euprepij probe Antiochiam, vbi hactenus quadriennium poſt damnationem honorifice tranſegerat, Petras in Perpetuum exilium deportari, omniaque eius bona Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ fiſco addici, reſcripſit [a] ad eumdem Iſidorum, agentem hoc anno vna cum Conſulatu Prætorii Præfecturam. Fuiſſe autem Petras locum in Oaſena Ægypti prouincia poſitum, inde poſſumus intelligere, quod eumdem Neſtorium in Oaſim, deportationum omnium famoſiſſimam atque deterrimam, relegatum eſſe, ſcribunt Theodoretus [b] & Socrates [c], necnon ex ipſis Neſtorii litteris Euagrius [d]; qui & multa illic mala paſſum ob ſæpe mutata exilii loca, demum ad extremas Thebaidis oras lingua vermibus exeſa, cum huius vitæ miſeriis ad grauiora ſempiterna ſupplicia migraſſe tradit; quæ ab amanuenſi ipſius Neſtorii, & ex eius querulis ac minacibus epiſtolis ad Præfectum Thebaidis ſcriptis, accepiſſe teſtatur. His autem conſentientia cum ceteri quoque habeant, addit Theodorus [e] Lector, cum lingua totum ipſius computruiſſe corpus: idque ipſum affirmant Cedrenus [f], atque Nicephorus [g]. Corrigendus vero Euagrius [h], dum ſubdit, poſt mortem Neſtorii ſubrogatum eſſe Maximianum Conſtantinopolitanæ ſedi, ac deinde Proclum: nam viuo Neſtorio, immo necdum in exilium acto, hos eam Eccleſiam gubernaſſe, ſuperius liquido demonſtratum eſt. Quoto autem exilii anno extinctus fuerit, haud ſatis exploratum habetur.

NESTORIVS DEPORTATVR IN EXILIVM.
a Extat in Act. Eph. to. 5. c. 2.
b Theod. ep. 1. ad Sporac. & hær. fab. l. 4.
c Socr. l. 7. c. 34.
d Euagr. l. 1. c. 7.
EXECRANDA EIVS MORS.
e Theod. Lect. in Collectan.
f Cedren. in Compen. in Theodoſ. Minor.
g Niceph. l. 14. c. 36.
h Euag. l. 1. c. 8.

IESV CHRISTI AN. 437.

THEODOSII. II. 30. VALENT. III. 13.

SIXTI III. AN. 6.

I. ANno Domini quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo, Aetio & Sigeſulto Coſſ. dira *Perſecutio* à VVandalis illata Africanam exagitauit Eccleſiam: cum, vt ait S. Proſper [a], Genſericus eorum Rex fidem Catholicam (à qua olim ad Arianiſmum apoſtataſſe Iſidorus [b] tradit) Ariana volens impietate ſubuertere, multos Epiſcopos Orthodoxos quorum inuicta conſtantia nullis ſuperbiſſimi Regis terroribus cederet, eccleſiis ciuitatibuſque expulit. Martyrium vero ſanguinis ea perſecutione primi omniū ab eodem Proſpero paſſi ponuntur quatuor nobiles Hiſpani, *Arcadius, Probus, Paſchaſius, & Eutychius*: qui (vt ait) dudum apud Genſericum merito ſapientiæ & fidelis obſequii, clari habiti, cum ab eo vt copulatiores ſibi faceret, in Arianam ſectam tranſire iuberentur, illi facinus conſtantiſſime reſpuentes, excitato in rapidiſſimam iram barbaro, primum proſcripti, deinde in exilium acti, tum atrociſſimis cruciati ſuppliciis, ad poſtremum diuerſis mortibus interempti, illuſtri martyrio miſerabiliter occubuerunt. Puer autem *Paulillus* nomine, frater Paſchaſii & Eutychii, pro elegantia formæ atque ingenii admodum Regi acceptus, à profeſſione fidei Catholicæ cum nullis minis deturbari poſſet, diu fuſtibus cæſus, ad infamem ſeruitutem damnatus eſt: nec ideo, vt apparet, interfectus, ne de ſuperata ſæuitia impii Regis etiam illa ætas gloriaretur. Hæc Proſper.

PERSECVTIO IN AFRICA SVB GENSERICO.
a Proſp. in Chron.
b Iſid. in hiſt. Wandal.
MARTYRES ARCADIVS ET SOCII.

II. At illorum vero martyrum anteſignanum *Arcadium*, diuitiis ac gloria ſæculari conſpicuum, atque etiam coniugatum, extat [c] egregia *Antonini* Epiſcopi Conſtantinæ Africæ ciuitatis epiſtola, ipſum hortantis vt forti perferret

c To. 1. Bibl. Sanct.

ferret

ferret animo, quæ fidei cauſa dirus tyrannus mala inferret: quamuis cum eiuſdem ad Arcadium ſcriptæ epiſtolæ Gennadius [l] meminit, non Antonium, ſed Honoratum nominet Epiſcopum illum Conſtantinæ ciuitatis. Porro celebris iſtorum martyrum memoria in Eccleſia ſingulis annis repeti conſueuit Idibus Nouembris. Quæ quidem prætermiſſa ſunt à Victore, quod ipſe Wandalicas clades, in Numidiam aliaſque Africæ prouincias illatas, ſcribere haud admodum laborans, rebus tantum Eccleſiæ Carthaginenſis vbi agebat intentus fuit; qui & poſt captam dumtaxat Carthaginem, quæ ibi contigerint narrare aggreſſus eſt.

l Gennad. de vir. ill. c. 91.

III. VALENT. IMP. DVCIT VXOREM EVDOXIAM.

Sub huius quoque anni Coſſ. (inquit Proſper) Valentinianus Auguſtus ad Theodoſium Imperatorem Conſtantinopolim profectus eſt, filiamque eius *Eudoxiam*, cognomento *Liciniam*, in matrimonium accepit. Eadem Marcellinus: qui & addit, Valentinianum cum vxore Italiam repetentem, Theſſalonicæ hiemaſſe, ſequenti vero anno Rauennam veniſſe. At iſta omnia Socrates [c] ad anni ſuperioris Conſules refert.

c Socr. l. 7. c. 41.

IESV CHRISTI AN. 438.

THEOD. II. 31. VALENT. III. 14.

SIXTI III. AN. 7.

I. TRANSLATIO CORP. S. IO. CHRY. A LOCO EXILII CONSTANTINOPOLIM.

ANNO Chriſti quadringenteſimo trigeſimo octauo, Theodoſio Aug. decimumſextum & Fauſto Coſſ. ſexto Calendas Februarii, venerandum corpus S. Ioannis Chryſoſtomi, Comanis vbi exul vitam finierat, celebri pompa translatum eſſe Conſtantinopolim, tradunt Socrates [a] atque Marcellinus [b], meminitque Theodorus [c] Lector, ſed ante omnes Theodoretus [d]. Præceſſiſſe vero, vt cum Proclus Epiſcopus Conſtantinopolitanus anniuerſaria die tranſitus eiuſdem S. Ioannis, panegyricam ex more luculentam ad populum orationem [e] haberet, ita vniuerſi Ioannis amore inculcauerint, vt acclamationibus indeſinentibus Proclum pulſantes, concionem ad finem perduci minime ſiuerint, petentes reddi ſibi Ioannem; hiſque permotus Proclus, ab Imperatore petierit eius Reliquiarum tranſlationem; Coſmas Veſtiarius ea oratione quam habuit de eius tranſlatione, Nicephorus [f], aliique teſtantur. Socrates autem tradit, id curaſſe Proclum propter vnionem eorum, qui ex parte Ioannis exiſtentes adhuc ſeparatim conuentus agebant. Sed potuit vtraque cauſa in vnum concurriſſe.

a Socr. l. 7. c. 45.
b Marcel. in Chron.
c Theod. Lect. Collectan. l. 2. in fi.
d Theodor. l. 5. c. 36.
e Reg. Bar. Annal. To. V. hoc an.
f Nic. l. 14. c. 43.

II. THEOD. IMP. SCRIBIT AD CHRYS. DEFVNCTVM.

Addunt vero iidem Coſmas atque Nicephorus, cum Senatores qui miſſi fuerant ad eum transferendum, minime valuiſſent eius corpus loco mouere, Theodoſium Imperatorem ex conſilio Procli aliorumque ſanctiſſimorum virorum, ad ipſum Ioannem tamquam ſi adhuc vixiſſet literas dediſſe, ſupplicis inſtar libelli, quibus de admiſſis in ipſum à parentibus peccatis veniam petens, rogaret vt Conſtantinopolim redire dignaretur: iiſque litteris ſuper pectus Ioannis collocatis, factum eius corpus mobile, in theca argentea humeris ſacerdotum, præcedentibus ac præcinentibus clericis & monachis, atque vndique confluentibus incenſas faces geſtantibus qui ſequebantur & præcedebant populis; tranſlatum eſſe primo Chalcedonem, inde vero ab Imperatore ac Proclo Epiſcopo, vniuerſoque Clero, Senatu, ac populo Conſtantinopolitano, ipſum Boſphorum nauibus & ardentibus cereis tegente, hymnoſque concinente, Conſtantinopolim ad eccleſiam SS. Apoſtolorum perductum, atque ibi petente populo in throno ſuo collocatum, circumſtantibus dixiſſe *Pax vobis*; ac demum ad baſim ſacræ menſæ templi SS. Apoſtolorum conditum fuiſſe vigeſima ſeptima die Ianuarii. Hæc omnia pluribus Coſmas, quæ breuiori ſtylo complexus eſt Nicephorus. Sed ex eorumdem narratione illud non omittendum, cum Imperator in ſuam triremem ſacrum corpus Ioannis excepiſſet, ſubita exorta maris tempeſtate, quæ naues omnes diſpertit, eamdem Imperialem triremem ruptis funibus velut diuina gubernatam manu appuliſſe ad agrum illum viduæ, cuius cauſa Ioannes indignationem Eudoxiæ Auguſtæ incurrens coactus fuerat exulare: vt vel ſic Deus æquitatem demonſtraret ſententiæ Ioannis, & iniquitatem ipſius exilii: hocque facto, ſerenitatem rurſum aduenitſe, & collectis omnibus nauigiis magno triumpho ad vrbem deuentum eſſe. Addunt quoque de precibus ab Imperatore ad ſacram vrnam pro parentibus ſuis peractis, ac ſeorſum pro ceſſatione continui motus tumuli matris, de quo dictum eſt ſuperius; quem & confeſtim conſtitiſſe tradunt.

TRIVMPHVS TRANSLATIONIS.

THEOD. ORAT PRO PARENTIBVS.

III. DE INVENTIONE RELIQ. SS. XL. MART.

Sub Proclo etiam Conſtantinopolitano Epiſcopo (quoto autem anno neſcitur) Pulcheriæ Auguſtæ factam eſſe à Thyrſo martyre reuelationem in ſuburbio eiuſdem ciuitatis, *Reliquiarum SS. Quadraginta martyrum*, quos ſub Licinio Imperatore paſſos in Armenia vidimus; tradit Sozomenus [g], qui ſe earumdem tunc factæ ſumma pompa tranſlationi interfuiſſe commemorat; locellumque in medio habuiſſe foramen, per quod ſolerent ipſæ ſacræ Reliquiæ tangi (quale etiam vidimus in theca Reliquiarum S. Stephani protomartyris, & æque de aliis apud antiquos frequentiſſime obſeruat licet) ex quo etiam fragrantiſſimus odor ſpiraret, qui omnes laborantes recreauit.

g Soz. l. 9. c. 2.

IV. EVDOCIA AVG. PEREGRINATVR HIEROSOLYMAM.

Hoc inſuper ipſo anno, qui ſequens eſt ab Eudoxiæ cum Imperatore Valentiniano nuptiis, Eudocia eius mater Theodoſii Auguſti vxor peregrinata eſt Hieruſalem, voti ſoluendi cauſa, quod conceperat Theodoſius (vt tradit Socrates [h]) pro matrimonio eiuſdem filiæ ſuæ. Ibi autem per annum ferme integrum commoratam, multa erexiſſe monaſteria, quæ vocarent *Lauras*, ſed & mœnia ciuitatis refeciſſe, Euagrius [i] eſt auctor. Additque Socrates, eamdem eccleſias Hieroſolymorum, & aliarum vrbium Orientalium, per quas eundo & redeundo tranſiuit, variis ornamentis honorifice illuſtraſſe. Porro perſuaſione quoque S. Melaniæ Iunioris, cum illa (vt vidimus) eſſet Conſtantinopoli, Eudociam eiuſmodi peregrinationem ſuſcepiſſe; eamdemque ipſi Imperatrici tunc Hieroſolymis præſto fuiſſe, atque etiam à pedis luxatione iniuria dæmonis facta ipſam curaſſe; narrant Acta [k] eiuſdem S. Melaniæ. Quantum autem illa ſuperuixerit, non conſtat: ſed illud certum eſt, ipſam monaſtica vita magna obſeruatione perfunctam, & miraculis pluribus illuſtratam, die (quam prænouit) Decembris vltima ad Deum migraſſe, & inter Sanctas relatam anniuerſaria memoria in Eccleſia celebratam eſſe. De ſecunda vero Eudociæ Auguſtæ Hieroſolymam peregrinatione, dicetur ſuo loco.

h Socr. 7. c. 46.
i Euagr. l. 1. c. 20.

EADEM CVRATA A S. MELANIA.

k ap. Metaphr. & Sur. 31. Ianuar.

IESV CHRISTI AN. 439.

THEOD. II. 32. VALENTIN. III. 15.

SIXTI III. AN. 8.

I. TRANSLATIO RELIQVIAR. S. STEPHANI CONSTANTINOPOL.

ANNO Domini quadringenteſimo trigeſimo nono, Theodoſio Auguſto decimumſeptimum atque Feſto Coſſ. (vt habet Marcellinus) Eudocia vxor Theodoſii Imperatoris Hieroſolymis Conſtantinpolim rediens, S. Stephani Protomartyris Reliquias ſecum detulit, atque in baſilica S. Laurentii poſuit, vbi eas Fideles venerarentur. Repetheriuntur & alia complura, de S. Stephani Reliquiis Conſtantinopolim longe ante hæc tempora tranſlatis, ab aliis ſcripta, quæ quod fide nutent prætermittimus. Eamdem vero Eudociam, ſicut munificentia Imperatoria loca ſancta, vt vidimus, erexit (inter quæ & in ipſius ſanctiſſimi martyris Stephani honorem eximium prope Hieroſolymam extruxiſſe templum, Euagrius [a] ſcribit) ita à Iuuenale eiuſdem ciuitatis Epiſcopo multis donatam receſſiſſe conſtat.

a Euag. l. 1. c. 21.

II. DE VINCVLIS PETRI APOST. ROMAM MISSIS.

Inter alia vero accepiſſe ab eo dicitur duas illas CATENAS, quibus ab Herode S. Petrus Apoſtolus vinctus fuit: quarum alteram Romam ad Eudoxiam filiam miſit, alteram Conſtantinopoli in eccleſia eiuſdem Principis Apoſtolorum aſſeruari voluit: in cuius rei geſtæ me-

VVANDALI IDOLOLATRIAM PENITVS EXTIRPARVNT CARTHAG.

cum aliis Arianis miſſe, poſteaque ad Iulianum Apoſtatam legatos miſiſſe, ſuis locis meminerimus. Sed & illud boni ex tot ac tantis malis ſucceſſit, quod VVandali in reliquiis idololatriæ quæ adhuc Carthagine ſupererant, vna ferme præſtiterunt die, quod nec plurimis annis, ex quo Chriſtiani cœperant regnare, perficere Imperatores edictis ſuis valuiſſent: dum ædem Memoriæ, & viam Cæleſtis (quod tradit Victor) funditus deleuerunt: adeo vt ne veſtigium quidem ibi relictum fuerit Gentilitiæ impietatis, ad quæ præſtanda opus fuit, iratum Deum gentem barbaram ex remotis Orbis finibus euocare.

VII.

q l. 2. C. vt nemo priuat. r l. 12. C. de Epiſc. & cler. s Nouel. Theod. de lenon.

EGREGIA FLORENTII PROBITAS IN AVFEREN DIS LENONIB.

Hoc eodem anno Theodoſius Imperator contra rapacitatem q potentum pauperes opprimentium, itemque aduerſus calumniatores r Epiſcoporum, reſcripta dedit ad *Florentium* Præfectum Prætorio. Cuius incomparabilis probitas ab eodem Imperatore alio reſcripto s hoc eodem anno aduerſus lenones dato, plurimum commendatur: Quippe cum lenones ſæpe vetiti, penſitatione tamen quadam in ærarium conferenda, Conſtantinopoli turpe opus exercere permiſſi eſſent: ipſe Florentius, vt eiuſmodi turpitudinum fæce ciuitatem purgatam redderet, latifundium ſuum donauit, ex quo idem redditus Reipublicæ ſoluerentur. Fuit inſuper idem Florentius Catholica fide præſtans, pro qua tuenda adfuit ipſi Theodoſio Imperatori in Concilio poſtea Conſtantinopoli habito, & Marciano item Auguſto in Synodo Chalcedonenſi: vt eorumdem Conciliorum Acta declarant.

THALASSIVS EX PRÆFECTO EPISCOPVS. t Nouel. Theod. tit. 8. u Socr. l. 7. c. vlt. x Niceph. l. 14. c. 42.

Elucebat pariter hoc tempore inter Magiſtratus, *Thalaſſius* Præfectus Prætorio Illyrici: ad quem hoc ipſo anno extat eiuſdem Theodoſii contra iniuſtas Præfectorum Prætorio ſententias reſcriptum t: quem quidem eximiæ ipſius probitatis ergo (vt refert Socrates u) Proclus Conſtantinopolitanus Epiſcopus hoc eodem anno in eccleſia derepente manu impoſita, ordinauit Cæſarienſem Cappadociæ Epiſcopum. Addit vero Nicephorus x, Thalaſſium licet inuite ordinatum Epiſcopum, tamen eam Eccleſiam rite adminiſtraſſe: & cum tam ſubitum Procli factum primo Imperator ægre tuliſſet, mox tamen id ſanctione ſua comprobaſſe.

VIII. SOCRATIS ET SOZOM. HISTORIÆ FINIS.

Porro iſta ſcribens Socrates, huius anni Coſſ. ſuæ finem impoſuit hiſtoriæ: ſicut & Sozomenus, qui (vt teſtatur in præfatione) ad eumdem decimumſeptimum Conſulatum Theodoſii, ſuam pariter hiſtoriæ ſcriptionem perduxit, cum tamen apud eam plura in fine deſint. Qui quidem ambo ſcriptores, licet Nouatiani fuerint, & in iis quæ ad ipſorum dogmata ſpectant, peruerſo ſtudio plura mentiti eſſe reperiantur, dum præſertim falſa miracula ſuis tribuerunt: tamen maioris fidei apud Gelaſium Romanum Pontificem eos fuiſſe, quam Euſebium Cæſarienſem, inde poſſumus exiſtimare, quod Euſebii hiſtoriam reiecerit inter apocrypha, Socratis vero & Sozomeni nequaquam. Verum non ob res geſtas ab Euſebio narratas, ſed ob ſparſos in eis Arianiſmos, ea cenſura certum eſt eius hiſtoriam eſſe notatam; cum Nouatiani diuinitatis Filii Dei eſſent conſtantiſſimi defenſores, atque ob eam cauſam diutius ab Imperatoribus & Epiſcopis tolerati. Nec vero alium huic contrarium ſenſum S. Gregorius y Papa habuit, dum Sozomeni hiſtoriam viſus eſt improbaſſe: loquitur enim de laudibus ab ipſo Sozomeno in Theodorum Mopſueſtenum hæreſiarcham congeſtis: de quo dictum eſt alia occaſione ſuperius. Alioqui nulla eſt cauſa, quin iidem hiſtorici in reliquis quæ ad ipſorum dogmata praua non pertinent, vera dixiſſe credantur: niſi aliunde mendacii conuinci poſſit, ſicut ſæpe à nobis factum vidiſti. Ceterum quamuis Sozomeni hiſtoria maioris apud Photium æſtimationis fuerit, quam Socratis: nobis tamen certe commodior Socratis hiſtoria cecidit, qua per Coſſ. more maiorum tempora diſtinguuntur. Qui vero hos Græcos auctores, ſimulque Theodoretum, primus tradidit Latinitati, fuit Epiphanius vir diſertiſſimus, ad hoc à Caſſiodoro impulſus, vt ipſe teſtatur Caſſiodorus z, qui ex iiſdem poſtea Tripertitam compaginauit.

DE FIDE EORVMD. HISTOR. ET EVSEB.

y Greg. l. 6. ep. 31. ad Eulog. Alexand.

z Caſſiod. lib. diuin. lect. c. 17.

Contigit item his Procli Conſtantinopolitani Epiſcopi temporibus, celebrem cogi *Conſtantinopoli* SYNODVM, occaſione Dioſcori Alexandrini diaconi: qui agens illic eius Eccleſiæ Apocriſiarium, veteres exſuſcitauit controuerſias de iure diœceſeon, inſtans Epiſcopi eſſe Alexandrini præſidere omnibus Orientis Eccleſiis. Sed refragatus eſt his potiſſimum Epiſcopus Antiochenus, ex auctoritate Concilii Nicæni, à quo fuere ſedes illæ penitus diſtinctæ: & ſecundum illud eſt etiam in hac Synodo iudicatum. Cum vero Theodoretus acerrimus defenſor inſurrexiſſet pro Eccleſiæ Antiochenæ iuribus, inde factum eſt vt Dioſcorus ex hoc tempore eum graui odio fuerit proſecutus: quod maioribus in dies fouens augmentis, creatus poſtea Epiſcopus Alexandrinus in illum egiſſet: vt ipſe Theodoretus a queſtus eſt epiſtola ad Flauianum Conſtantinopolitanum poſtea data, vbi hanc de prædicto Concilio hiſtoriam narrauit. Cui quidem haud leue eſſe potuit argumentum de iuribus Eccleſiæ Antiochenæ, quod (vt ait) ea magni Petri thronum obtineret, qui B. Marci ſedis Alexandrinæ magiſtra fuit, & Apoſtolorum chori Princeps. Nam & Innocentius Papa ſcribens b ad Alexandrum Antiochenum Epiſcopum, tradit eam vt bis haud ceſſuram Romanę Sedi, niſi quod illa in tranſitu meruiſſet, quod Roma ſuſceptum apud ſe conſummatumque gauderet. Vnde videas Sedem Antiochenam nulla alia ratione poſthaberi Alexandrinæ, niſi quod ita primum Petro per Marcum eam erigenti viſum fuerit.

I. CONCIL. CONSTANTINOP. CAUSA DISTINCTIONIS DIOECES. ALEX. ET ANTIOCH.

a Theod. ep. 86.

b Innoc. ep. 18. tom. 1. epiſt. Rom. Pont.

CONCIL. REGIENSE IN GAL. NARBON.

Sub huius quoque anni Coſſ. decimo ſexto Decembris celebrata reperitur à tredecim Epiſcopis SYNODVS REGINENSIS, non quidem Regii Lepidi in Æmilia, ſed Regii Galliarum in prouincia Narbonenſi, ex cuius prouinciæ Epiſcopis collecta noſcitur (quippe qui iidem fere reperiuntur nominati in Concilio Arauſicano, poſt annum ſequentem ſub Conſulatu Cyri in eadem prouincia celebrato) præfuiſſeque eidem Hilarius Narbonenſis Epiſcopus. Præter autem illa, quæ de ordinatione perperam facta Epiſcopi Ebredunenſis (quam ciuitatem olim ſub Viennenſi metropoli fuiſſe, ſubſcriptiones Epiſcoporum Concilii Epaunenſis demonſtrant) deque Epiſcoporum defunctorum exequiis, in eadem tractata ſunt Synodo: de iis etiam actum eſt Epiſcopis, qui ex hæreſi vel ſchiſmate ad Eccleſiam redirent: quibus omnem ſpem recipiendi ſedem Patres ademerunt, hoc experimento probantes qui vere pœniterent vel ficte, idque occaſione quorumdam Pelagianorum Epiſcoporum, qui cum depoſiti fuiſſent, vt Eccleſias ſuas reciperent pœnitentiam ſimulabant.

II.

IVLIANVS PELAG. NON AD MITTITVR IN ECCLES.

c Proſp. in Chron.

d Vid. epiſt. Neſtorii ad Caleſtinum.

e Proſp. ... l. 4. c. 17.

Verum nec eos ad communionem Catholicam, nedum ad ſedes, facile admittendos eſſe, exemplo docuit Sixtus Romanus Pontifex, dum hoc ipſo anno (vt ponit S. Proſper c) Iulianum illum immodicum ſui iactatorem Pelagianum, S. Auguſtini antagoniſtam, de quo ſuperius, quem dudum amiſſi Epiſcopatus intemperans cupido exagitabat (adeo vt etiam Conſtantinopolim, auxilium à Theodoſio Auguſto imploraturus, cum aliis æque expulſis ſuæ ſectæ Epiſcopis, commigraſſet d eo tempore quo Neſtorius ei ſedi præſidebat, cui & in Synodo Epheſina inhæſiſſe reperitur) multimoda arte fallendi correctionis ſpem præferentem, molitum in communionem Eccleſiæ irrepere: detectis eius inſidiis, omnino repulit quem & rurſum à Leone Papa Sixti ſucceſſore coercitum eſſe idem Proſper alibi e tradit. Ex quibus Gennadium redarguas, dum ait Iulianum deceſſiſſe ſub Valentiniano & Conſtantio Imperatoribus, quandoquidem Conſtantium liquet longe ante hæc tempora obiiſſe.

IESV CHRISTI AN. 440.

THEOD. II. 33. VALENT. III. 16.

LEONIS AN. 1.

I.

ANno Chriſti quadringenteſimo quadrageſimo, Valentiniano Auguſto quintum & Anatolio Coſſ. S.

Sixtus

SIXTI PP. OBITVS.

Sixtus Romanus Pontifex ex hac vita deceſſit quinto Calendas Aprilis, cum ſediſſet annis octo minus diebus triginta. Deceſſiſſe vero eum hoc ipſo anno, & ſubrogatum Leonem, S. Proſper hæc cernens oculis ſcripſit; itemque Marcellinus, & alii omnes. Sepultum vero eſſe via Tiburtina, in crypta iuxta corpus B. Laurentii, Anaſtaſius habet in libro de Romanis Pontificibus: vbi & plurima adduntur de donis ingentibus, atque immenſi pretii ponderiſque argenteis & aureis vaſis, aliiſque ornamentis, tam ab eodem Sixto, quam eius hortatu à Valentiniano Imperatore collatis Romæ diuerſis eccleſiis.

II. SIXTI PP. NOMINE SVPPOSITA SCRIPTA PELAG.

Porro eadem ipſe paſſus eſt poſt mortem, quæ alium pertuliſſe diximus Sixtum Romanum Pontificem atque martyrem. Etenim ſicut eius nomine prodiit, editus ab Origeniſtis liber Sixti ſiue Sexti Pythagorici: ita nomine Sixti huius, non ab aliis quam à Pelagianis, ſcripta fuere tria volumina, haud pridem typis mandata: vnum de Diuitiis: alterum de malis doctoribus, & operibus fidei, & iudicio futuro: tertium de caſtitate: quæ quidem non eius eſſe videntur inde apparet, quod Pelagianiſmis referta ſint, cuius hæreſis ipſum Sixtum acerrimum extitiſſe oppugnatorem vidimus: cum & alioqui nec vllus antiquiorum, auctorem harum ſcriptionum Sixtum Papam aliquando dixerit, vel nutu ſaltem oſtenderit.

III. a Proſp. in Chron.

LEO PAPA CREATVR.

Cum autem poſt eius obitum ſedes vacaſſet quadraginta amplius diebus (inquit S. Proſper [a]: ex quo corrigendus Liber de Romanis Pontificibus, vbi viginti duo tantum dies ponuntur vacationis ſedis) tandem ſexto Idus Maias LEO S. R. E. diaconus ex Galliis rediens, quo inter Aetium & Albinum Romani Duces exercitus amicitiæ redintegrandæ cauſa perrexerat: mirabili pace atque patientia ab omnibus expectatus, legationeq; publica accitus, ordinatus eſt Romanus Pontifex. Quem quidem fuiſſe natione Tuſcum, patre Quintiano, habetur eodem libro de Romanis Pontificibus. Eumdem vero ſic electum, quæ decebant, duo ſimul iunxiſſe in paſtorali functione ad perfectum optimi ſacerdotis exemplar efformandum extrema, nimirum ſummam in ſuæ conſideratione perſonæ animi demiſſionem, & eminentem ſublimemque in eius, cuius ſe eſſe ſucceſſorem intelligebat, animi celſitudinem: ex ipſius dictis geſtiſque perpetuo apparuit.

IV. IOANNIS ANTIOC. OBITVS. b Theod. ep. 81. in Cod. Vatic. Recens. Bar. Annal. to. VI. an. 444. c Nicep. in Chron. d Rec. Bar. to. 6. hoc an. e ap. Sur. 20. Ianuar.

Hoc eodem anno Ioannes Epiſcopus Antiochenus diem extremum obiit, cum ſediſſet annos tredecim, vt etiam diſerte aſſerit Theodoretus [b] ſcribens ad Dioſcorum Alexandrinum, licet Nicephorus [c] annos octodecim illius ſedi tribuat: verum cum & anno præſenti eiuſdem Theodoreti extent [d] ad Ioannis ſucceſſorem Domnum ſcriptæ literæ, haud ad illud tempus perueniſſe perſpicue poſſumus intelligere. Mortuo igitur Ioanne, in locum eius ſubrogatus eſt ipſius ſororis filius *Domnus* monachus, ſed deſertor monaſterii: qui (vt tradit Cyrillus monachus in Rebus [e] geſtis S. Euthymii Abbatis) degens in Laura Euthymii, ipſo inuito & futura mala prænunciante, Antiochiam venerat ſub ſpecie erigendi auunculi ſui à lapſu quo in Neſtorii partes ruerat. Quam autem verus fuerit vates Euthymius, inferius ſuo loco patebit. Ceterum Ioannem poſt pacem initam cum Cyrillo, acerrimum ſe Neſtorii aduerſarium, ac præclariſſimum fidei Catholicæ defenſorem exhibuiſſe, cum ex iis quæ ſuperius de eo dicta ſunt manifeſte apparet, tum multa ſuppetunt antiquorum Patrum, ſcriptorumque teſtimonia, quæ id confirment.

V.

His item Coſſ. Genſericum comparata claſſe Siciliam grauiter afflixiſſe, tradit Proſper; ſed accepto nuncio de *Sebaſtiano* ex Hiſpania in Africam tranſeunte, celeriter Carthaginem rediiſſe, ratum ſibi ac ſuis periculoſum fore, ſi vir bellandi peritus recipiendæ Carthagini incubuiſſet: Verum Sebaſtianum amicum ſe magis quam hoſtem videri volentem, diuerſa omnia apud barbaros, quam præſumpſerat reperiſſe: eamque ſpem cauſam illi maximam & calamitatis & infelicis mortis fuiſſe. Hæc Proſper. Erat autem Sebaſtianus (vt ait Victor [f]) famoſi illius gener Comitis Bonifacii, acer conſilio & ſtrenuus in bello: cuius Genſericus ſicut conſilia neceſſaria habens, ita & præſentiam formidans, occaſionem eius extinguendi à religione quæſiuit. Sed quod ipſius Genſerici ſuaſiones de tranſmutanda fide Catholicâ in perfidiam Arianam, egregia eluſiſſet ſimilitudine panis ſimilacei mundiſſimi, qui ſi in fruſta confractus, & aqua madidatus iterum coquatur, deterior euadit: eumdem alterius generis augmento Genſericus poſtea occidit. Narrat hæc pluribus Victor: ſed quonam mortis argumento vel genere extinctus Sebaſtianus fuerit, non tradit. Illud vero tale fuiſſe oportuit, quod eum indignum reddiderit corona martyrii; cum quæ ceteros omnes, quos recenſet Victor necatos Chriſtianos in Africa à Genſerico, tabulæ receperunt Eccleſiaſticæ celebrandos, ipſum Sebaſtianum excluſerint. Sed ſi vere calumnia illa fuit, & prætextus falſus inuentus eius necis: illum cœli tabulæ, liber vitæ, indebili nota ſcriptum continent. Fuerat autem ipſe inuidia Præfectorum Romani exercitus, quaſi perduellis exiſtimatus Imperii: ob eamque cauſam factus extorris, ex Hiſpania in Africam ad Genſericum ſe contulerat.

f Vict. de perſec. VVandal. l. 2.

SEBAST. COMITIS CONFESSIO ET OBITVS.

IESV CHRISTI AN. 441.

THEOD. II. 34. VALENTIN. III. 17.

LEONIS AN. 2.

I.

ANNVS Chriſti quadringenteſimus quadrageſimus primus, Cyri tantum Conſulatu in Faſtis reperitur inſcriptus, in Oriente creati: Cur autem ex more Imperator Occidentalis ſuum Conſulem non elegerit, minime liquet. Hunc vero ipſum *Cyrum* eſſe ſcias Panoplitam, qui poeticis facultatibus ſeſe in amicitiam Eudociæ Auguſtæ poematum ſtudioſæ inſinuans, ad Præfecturam Prætorio, & Vrbi, Patriciatum, & Conſulatum ordinarium peruenit: vt Suidas de illo refert, atq; Theodoſii conſtitutiones [a] declarant: quem etiam anno quo capta eſt Carthago, Ducem Romani exercitus geſſiſſe vidimus. Sed ingenti ſuo bono, magna Dei prouidentia aliquot poſt hæc annis ad ima è ſummis deiectus, cum eatenus Gentilis perſeueraſſet, vnicum tandem inuenit in Chriſtiana pietate confugium: quando inuidia quadam Theodoſii Imperatoris Præfectura ſpoliatus & bonis, eo prætextu quod Ethnicus eſſet; ipſe ad eccleſiam confugiens, presbyterio initiatus eſt, ac Smyrnæorum creatus Epiſcopus; ſicut pluribus de eo narrat Nicephorus [b]; licet Suidas, & auctor Vitæ [c] S. Danielis Stylitæ, cum Cotyæi in Phrygia factum dicant Epiſcopum: ſed potuit ex vna ſede in aliam transferri. Cuius filiam, vxoremque eius ſuorum agrorum fuerat demandata cura, obſeſſas à dæmone, eiuſdem Cyri iam Epiſcopi rogatu liberatas fuiſſe ab eodem Daniele, & in gratiarum actionem epigramma in Danielis columna Cyrum inſculpſiſſe, idem auctor ſcribit: quæ tamen longe poſt hæc tempora contigiſſe oportuit. Lucubrationum vero nobiliſſimi Cyri ingenii, extat carmen, cuius eſt titulus *Veritas exulans*: quod tempore ærumnarum ſuarum elaboraſſe viſus eſt.

a Theodoſ. Nouel. de Aduxion. Nouel. 2. de ... Nouel. de lenon. l. 9. C. de SS. Eccl.

DE CYRO PANOPLITA CONS.

b Niceph. l. 14. c. 46. c ap. Metap. & Sur. 11. Dec.

II. CONCIL. ARAVSICAN.

Sub eodem Cyri Conſulatu celebratum legitur CONCILIVM ARAVSICANVM in Gallia Narbonenſi: à quo viginti nouem reperiuntur ſanciti canones ad Eccleſiaſticam diſciplinam atque iura ſpectantes. Sed & præſcriptam formam excommunicandi aliquem, & reconciliandi excommunicatum, habet appendix. Ceterum quod eadem Synodus legitur celebrata tempore Theodoſii & Cyri Conſulum: legendum eſt Conſulis: nam Faſti omnes & vetera monumenta, nonniſi vnicum hoc anno Conſulem Cyrum referunt. Nobilis quidem iſta dicenda Synodus, clariſſimorum quindecim Antiſtitum illuſtrata corona ex Galliis Narbonenſi & Lugdunenſi: quæ, ſi quæ aliæ Chriſtiani Orbis oræ, florebant his temporibus Epiſcopis æque ſanctiſſimis atque doctiſſimis. Qui vero primo loco huic Synodo ſubſcriptus habetur *Hilarius*, ipſe ille eſt celebris Arela-

tenſis

latenſis Epiſcopus, qui olim monachus cœnobii Lerinenſis (vt ipſe teſtatur in vita à ſe conſcripta S. Honorati primi cultoris eius inſulæ, & poſtea Epiſcopi Arelatenſis) ac deinde presbyter, vna cum S. Proſpero Aquitano, vt vidimus, inſectatus eſt Pelagianos, & Auguſtini ſcripta defendit, cuius & diſcipulus extiterat.

III. De S. Evcherio Episcop. Lvgdvn.

d Martyrol. Rom.
e Sidon carm. Euch. Hilar. in Vit. S. Honor.
f Claud. de Stat. animæ l. 1.

Qui autem interfuiſſe eidem Synodo reperitur *Eucherius*, æque fama celebris extitit olim Senator [d], poſtea eiuſdem monachus Inſulæ Lerinenſis [e], ac demum Epiſcopus Lugdunenſis: cuius laudes egregias mire Claudianus [f] celebrauit. Dum vero inter alia eius opera, ipſius citat conciones de Statu animæ ad populum habitas, quæ non extant: in eam ſententiam imus, vt eiuſdem Eucherii ſint homiliæ illæ, quæ falſo nomine inſcribuntur Euſebii Emeſeni ſiue Emiſeni Epiſcopi, A Lugdunẽſis enim Eccleſiæ concionatore plurimas illarum eſſe dictas, martyres Lugdunenſes de quibus agit, & alia plura plane demonſtrant: Eucherii vero eſſe, manifeſtat earum ſtylus: cum ipſum Eucherium in perſuadendo efficacem fuiſſe teſtetur Sidonius [g] epiſtola ad eumdem Claudianum, qua ſingulorum ferme Patrum in ſcribendo proprietates notat. Adde & tempora quibus auctor vixit: qui in recens obortas hæreſes Neſtorii & Eutychetis ſæpius inuehitur. Quapropter vindicentur egregiæ conciones ab iniuſto & impio poſſeſſore? Quid enim cum Euſebio Emiſeno auctore Græco, homiliæ quæ Latine noſcuntur eſſe conſcriptæ? Quid cum homine Ariano, conciones, quæ omni ex parte pietatem redolent? Quid denique auctor Gallicanus cum Syro, & Lugdunenſes Martyres cum Emiſenis? Ceterum excidiſſe nonnullas ex eiuſmodi Eucherii cõcionibus, Claudianus certiſſimam fidem facit, dum quam ipſe citat, omnino deſideratur. Cum tamen & alioqui ſciamus, haud omnes illas eſſe vnius eiuſdemque auctoris, ſed diuerſorum Galliarum Antiſtitum. Ac ne adeo nomen *Euſebii* exhorreſcas, ſi auferas *Emiſeni*: reperimus ex recens editis Gallicanis Litaniis verſibus conſcriptis ab Hartmanno Rabani Mauri diſcipulo, nominari inter Sanctos Epiſcopos *Euſebium*, ſed incertæ ciuitatis Epiſcopum.

g Sidon. 4. ep. 3.

Homiliæ Evcherii falso tribvtæ Evsebio Emiseno.

IV. Dvo Evcherii Lvgdvnenses.

Quod vero rurſum ad Eucherium pertinet: duos fuiſſe eius nominis Lugdunenſes Epiſcopos, certum eſt: hunc videlicet, de quo agitur: & alterum, qui ſubſcriptus reperitur Conciliis Arauſicano poſteriori & Carpentoratenſi, celebratis anno Domini quingenteſimo vigeſimo nono; quemque S. Cæſario Arelatenſi eius temporis Archiepiſcopo familiarem fuiſſe, docet Cyprianus in Vita [h] eiuſdem Cæſarii. Nec noua iſta eſt aſſertio: ſiquidem & Honorius [i] Auguſtodunenſis inter Scriptores Eccleſiaſticos, duos pariter Eucherios numerat Lugdunenſes: alterum presbyterum, de quo Gennadius [k]: Epiſcopum alterum: Verum ambos fuiſſe Epiſcopos, cum plura alia, tum Conciliorum ſubſcriptiones ſignificant: & diſerte Claudianus de Seniore, Cyprianus de Iuniore teſtantur.

h ap Sur. 27. Aug. c. 22.
i Honor. de Script. Eccl. c. 63.
k Gennad. de vir. illuſtr. c. 63.

V.

Huic item Synodo Arauſicanæ interfuiſſe *Maximus* reperitur: quem quidem nequaquam illum putamus Regienſem in eadem prouincia Narbonenſi Epiſcopum, de cuius ordinatione extat eiuſdem auctoris, quem dicunt Euſebium [l], homilia: nam ſediſſe illum poſt Proſperum, ſuo loco dicemus. Scimus vero a ium Maximum Epiſcopum Taurinenſem, celebris nominis doctrina & ſanctitate Antiſtitem, his ipſius vixiſſe temporibus: id enim inde liquido colligere poſſumus, quod idem reperiatur præſto fuiſſe Mediolanenſi Synodo celebratæ ſub S. Leone huius temporis Romano Pontifice: & Romanæ ſub Hilaro eiuſdem Leonis ſucceſſore, quibus etiam locis rurſum erit occaſio dicendi de eo. Quod autem hic fortaſſe Taurinenſis ille fuerit, deduci argumentum poteſt ex cõiectura: cum inter decreta [m] Patrum huius Cõcilii, iidem ſe velle ſequi profiteantur quod ſtatutum fuiſſet in Concilio Taurinenſi Eius quidem Eccleſiæ Epiſcopos conuenire conſueuiſſe cum Epiſcopis Galliæ Narbonenſis & Lugdunenſis: parœciamque Taurinenſis Eccleſiæ intra limites Francorum regni propagaſſe terminos, epiſtolæ etiam S. Gregorii [n] Papæ ſignificant. Claruit vero hoc etiam ſæculo alius in Gallia *Maximus* Epiſcopus Toloſanus, qui ex Palatino inuitus renitenſque coactus eſt à populo fieri Epiſcopus: de cuius egregia ratione viuendi agit Sidonius [o] epiſtola ad Turnum.

l Euſ. homil. de Maxim.
De Maximo Tavrinensi Episcopo.
m Concil. Arauſic. c. 21.
n Greg. 7. ep. 121. 122.
o Sidon. 4. ep. 24.

IESV CHRISTI AN. 442.

THEOD. II. 35. VALENT. III. 18.

LEONIS AN. 3.

I. Pax Valentin. Imp. cvm Vvand. Afric.

ANno Chriſti quadringenteſimo quadrageſimo ſecundo, Dioſcoro & Eudoxio Coſſ. cum poſt captam Carthaginem, & occupatam ab VVandalis maximã Africæ partem, quaſdam adhuc eius prouincias, licet, exterminatas (vt ait Victor [a]) Valentinianus Imperator defenderet: hoc anno (vt ponit S. Proſper [b]) ab eodem Imperatore pax confirmata eſt cum Gẽſerico eorumdem VVandalorum Rege, ac certis ſpatiis Africa inter vtrumque diuiſa. Cum vero in eumdem Genſericum, etiam apud ſuos de ſucceſſu rerum ſuperbientem, quidam Optimates ipſius conſpiraſſent, molitione detecta multos ab eo ſuppliciis excruciatos atque extinctos eſſe, idem Proſper tradit. Miſerat quidem anno ſuperiori aduerſus illum, Theodoſius Imperator ab Oriente naualem exercitum ſub Areobindo aliiſq; Ducibus: ſed cum iidem longis cunctationibus (vt idem auctor ſcribit) negotium differentes, Siciliæ magis oneri quam Africæ præſidio fuiſſent: nouo caſu oborto, iidem è Sicilia reuocati ſunt ad defenſionem prouinciarum Orientalium.

a Vict. l. 1. de perſec. VVandal.
b Proſp. in Chron.

II. Attilæ Regi Hvnnor. tribvtvm ab Imp. persolvitvr.

Etenim hoc ipſo anno, ATTILAM Hunnorum Regem Thraciam & Illyricum ſæua depopulatione vaſtaſſe, idem S. Proſper & Marcellinus affirmant. Additque in Miſcella [c] Theophanus, coactum fuiſſe Theodoſium Imperatorem ſex millia librarum auri pro receſſu illorum perſoluere, ac mille librarũ annuum tributum promittere. Verum hoc poſt quadriennium Marcellinus refert, cum interim Attila Imperium Orientale & Illyricum diuerſis cladibus afflixiſſet. Non autem iſta prima eſt *Hunnorum* in Romanos irruptio: ſiquidem iam antea eos ſæpius Imperium inuaſiſſe, atque etiam aliquando pro ipſis Romanis aduerſus alios barbaros decertaſſe, ſuperius vidimus. Et quamuis non iidem prorſus hi fuerint, quos hoc tempore Orientale Imperium deuaſtaſſe iidem auctores tradunt: eiuſdem tamen generis extitere. Fuiſſe vero Attilam ſuperſtitione Ethnicum, nec recens cum ſuis prodiiſſe è Meoticis regionibus (quas primitus Hunnos accoluiſſe, S. Hieronymus [d] & Ammianus [e] teſtantur) ſed cum fratre Bleda in Pannonia conſediſſe, apud dictum auctorem Miſcellæ, & alios eum ſecutos inuenies: cum tamen Marcellinus affirmet, Hunnos iſtos hoc ipſo anno è ſuis finibus egreſſos eſſe: ſicut & quo addit Perſas, Saracenos, Zannos, atque Iſauros: qui Romanorum (vt ait) ſola vaſtarunt. De Hunnis autem Proſper addit, Attilam poſt biennium fratrem ſuum Bledam peremiſſe, atque ita omnibus Hunnis ſolum imperaſſe: de quo ſæpe rurſum agendum erit.

c Miſcel. l. 14. prop. f.
Plvres Hvnnor. in Imperivm incvrsiones.
d Hier. ep. 3.
e Am. l. 31.

III. Concil. Vasense.

Sub eodem Dioſcori Coſulatu celebrata habetur VASENSIS in Gallia Narbonenſi SYNODVS prouincialis Secunda, quam alii Vaſionenſem appellant. Verum ſub ea non vnius tantum canones continentur, ſed triplicis concilii Valenſis: nempe iſtius hoc anno celebrati: deinde illius quod notatum reperitur Conſulatu Decii Iunioris, anno Domini quadringenteſimo ſexageſimo tertio: quod quidem ordine Tertium ponendum eſt: Secundum enim hoc ipſum eſt de quo agitur: Primum autem celebratum eſt ſub [f] Conſtantino Imperatore: cuius illa certa ſunt capita [g] huic Secundo intexta, de canendo Triſagio, & de hymno Glorificationis in omnibus clauſulis adiungendo contra doctrinam Arii. Iſtud autem Secundum, nihil præter notam Conſulatus habet certi, quod confuſi in vnum ſint canones eorumdem trium.

Trivm Concil. Vasens. canones in vnvm conflati.
f Ado. in Chron. an Dom. 337. Item eſt l. 18. ſup. an. 325. n. 17.
g Conc. Vaſ. II c. 3. & 5.

THEOD. II. 36. VALENT. III 19.

IESV CHRISTI AN. 443.

LEONIS AN. 4.

I. MANICHÆI ROMÆ DETECTI.

a Proſp. in Chron. b Leo ſer. 4. de Collect. ſer. 4. in Quadrag. ſer. 4. Epiph. ſer. 5. de ieiun. dec. menſ. c Id ſer. 7. de Natal. Dom.

ANNO Domini quadringenteſimo quadrageſimo tertio, Maximo atque Paterno Coſſ. S. Leo Papa hæreticos Manichæos intra Vrbem latentes perſequi cœpit, eorumq; codices omnes incendit [a]: necnon ſolicitis admonitionibus [b], vt in illis detegẽdis populus inuigilaret, ac certis quæ indicauit ſignis cognitos ad Eccleſiaſticum tribunal deferret, hortatus eſt: cum alioqui decipere ſimpliciores ſolerent fallaciis ieiuniorum, ſordibus veſtium, vultuumque palloribus. Adeo vt cum ex maiorum præſcripto (de quo alias dictum eſt) Chriſtiani Deum adorare conſueſcerent ad Orientem conuerſi: quia tamen id ipſum etiam factitabant, impie Solem colẽtes Manichęi, interdixerit [c] tunc Catholicis, eiuſmodi ad Orientem ſolem vſum adorandi, nequid commune cum Manichæis haberent, & ex eo ipſi Manichæi facilius detegerentur. Cõſtant porro hęc omnia ex Chronico Proſperi, & ipſius Leonis habitis ad populum concionibus, quibus eorumdem hæreticorum nefandas turpitudines & ſceleſta dogmata manifeſtauit; quibus (vt ait) lex eſſet mendacium, diabolus religio, ſacrificium turpitudo. Sed vnde hæ peſtes in Vrbem inuectæ fuerint, indicat idem S. Leo [d], dum ait illatas eſſe ex aliarum regionum perturbationibus: nimirum deuaſtata per Genſericum Africa, ſicut ſucciſa ſilua feræ beſtiæ alio migrant: ita quæ latebant in Africa eiuſmodi monſtra, in Italiam nauigarunt, & in vrbem tamquam Catholici ſe intulerunt commiſeratione digni: quamuis & plurimos adhuc in Africa remanſiſſe conſtet.

d d. ſer. 5.

MANICHÆI VBIQVE PERQVISITI.

Quod vero ad induſtriam & diligentiam Leonis in iiſdem Romæ perquirentis ſpectat: ſcribit Proſper, eam illi curam diuinitus (vt apparuit) inſpiratam, non ſolum Vrbi, ſed etiam vniuerſo Orbi plurimum profuiſſe, dum confeſſionibus in Vrbe captorum, qui doctores eorum, qui Epiſcopi, quiue presbyteri, in quibus prouinciis vel ciuitatibus degerent, patefactum eſt multoſque Orientalium etiam partium Antiſtites, induſtriam Rectoris imitatos eſſe. Sed quæ in hac cauſa poſt hæc geſta fuerint, dicetur annis ſequentibus.

II. e Theodor. ep. 82. ad Euſ. Ancyr.

CALVMNIÆ IN THEODORETVM DE NESTORIANISMO.

Hoc item anno, qui numeratur duodecimus [e] ab Epheſino Concilio, Theodoretus Epiſcopus Cyri cum ex more degeret Antiochiæ, & frequens eſſet in Synodis, in ſuſpicionem adductus eſt, ne qui olim Neſtorio fauiſſet, damnatam eius hæreſim roborare conaretur. Quapropter oblato aduerſus eum ea de re ab aliquo Imperatori libello, idem iuſſus eſt Antiochia recedere, Cyrumq; Eccleſiam ſuam tantummodo curare, nec ab ea diſcedere. Quibus paruit ipſe quidem: magno tamen animi mœrore affectus, quod in crimen, vel etiam in ſuſpicionem hæreſis vocaretur, qui vere Orthodoxus eſſet: ſicut ipſe queſtus eſt pluribus ad diuerſos magni nominis Antiſtites, aliosque clariſſimos viros Conſulares atque Patricios, ſcriptis epiſtolis quæ extant [f] in codice Vaticano: in quibus ſingulis ſuam ſtruit cum rectã fidei confeſſione, defenſionem aduerſus impia Neſtorii dogmata: atque ad eius rei probationem, aduerſarios prouocat ad multiplicia à ſe edita ſcripta quæ enumerat [g], & ad vitæ ſuæ ab ipſis incunabulis inſtitutum [h], ac res in Epiſcopatu pro fidei Catholicæ propugnatione, & hæreſeon oppugnatione, ſuorumque ciuium atque aliorum vtilitate, quas pariter recenſet, pie ac fortiter geſtas. Sed quod iſtæ, aliæque in eum calumniæ, propagatæ ſunt in plures annos: dicetur rurſum de iis inferius.

f Rec. Bar. Annal. To. VI. an. 443. 444. 448. 449. g Theod. d. ep. 82. h Id. ep. 81. ad Nom. Conſ.

THEOD. II. 37. VALENTIN. III. 20.

IESV CHRISTI AN. 444.

LEONIS AN. 5.

I.

ANNO Domini quadringenteſimo quadrageſimo quarto, Theodoſio decimumoctauum & Albino Coſſ. menſe Ianuarii à S. Leone Papa habitum eſt Romæ CONCILIVM aduerſus Manichæos nuper detectos: quo iidem condemnati ſunt, & alii cum pœnitentia recepti, alii vero in obſtinatione perſiſtentes ex legibus Imperatorum à Iudicibus exilio comdemnati. Docet hæc omnia pluribus ipſe Leo [a] in epiſtola, confeſtim poſt abſolutum Synodum ſcripta iiſdem huius anni Coſſ. tertio Calendas Februarii ad omnes Italiæ Epiſcopos: qua eos inprimis monuit, vt ad eiuſmodi indagandos hæreticos, & omnibus modis exagitandos, diligentem nauarent ſolicitudinem: aliaque poſtea ad Turibium [b] Aſturicenſem in Hiſpania Epiſcopum data, cum de Priſcillianiſtis inquirendis atq; damnandis eum admonuit, oſtendens eos eſſe Manichæis affines: ac denique publica concione [c] ad populum ea de re habita. Ex quibus quidem ipſius ſcriptis intelligitur etiam priſtinus mos, in Eccleſia Romana ad præſens vſque retentus, vt Eccleſiaſtico iudicio conuenti & conuicti hæretici, iidem cum ſuis erroribus coram populo pro concione patefierent, vt noſſet populus quod refugiendum ei eſſet ac vitandum. Quod quidem præſtabant olim ipſi Romani Pontifices, poſtea vero per Notarios (per quos & homilias interdum ſuas ex ſcripto annunciabant Fidelibus, cum aliquo detinerentur impedimento) id ipſum, Acta publice legendo perfecerunt. Quapropter & huic quoque ſacro Concilio aduerſus Manichæos celebrato, non Epiſcopos tantum atque presbyteros, ſed & Senatores complures, illuſtreſque viros ac plebis partem, idem S. Leo intereſſe voluit, quo eorumdem hæreticorum ſcelera notitoria cunctis fierent, & execrabiliora redderentur.

CONCIL. ROM. ADVERS. MANICHÆOS.

a Leo ep. 2. b Id. ep. 93. c. 16. c Id. ſer. 5. de ieiun. dec. menſ.

MOS PRISTINVS PATEFACIENDI HÆRETICOS.

II. d Proſp. de promiſ. dimid. temp. c. 6. in fi.

DE FLORO HÆRET.

Porro eodem tempore quo S. Leo Manichæos ſubuerteret, Pelagianos quoque contriuiſſe, & maxime Iulianum: auctor eſt S. Proſper [d], dum agens de huius temporis impoſtoribus, meminit cuiuſdam *Flori* nomine, qui ſpiritu ſeductionis virtutem & meritum ſibi S. Soſii martyris aſſignans, haud procul à Neapolitana ciuitate, in ſubuerſionem animarum quædam promitteret, faceretque illicita: ob quæ à clericis tentus & coercitus, è Campaniæ limitibus pulſus eſt. Verum quod idem S. Proſper affirmet ſe eo tempore verſatum eſſe in eadem prouincia, referatque certamen Leonis Papæ aduerſus Iulianum itidem in Campania agentem: equidem opinor ipſum è Galliis ab eodem Romano Pontifice accerſitum, & illuc aduerſus ipſum Iulianum olim Epiſcopum Capuanum, Pelagianorum loquaciſſimum (de quo ſuperius) eſſe miſſum, qui præ ceteris horum temporum Doctoribus ad eiuſmodi belli genus exercitatior viſus eſſet. Nam & Photius in Bibliotheca teſtatur, pullulantem ſub Leone Pelagianam hæreſim ſæpe exciſam, opera S. Proſperi fuiſſe penitus extirpatam. Quem item ab eodem Leone fuiſſe Romæ retentum, in eo eius opera vſo, in quo Hieronymus Damaſo inſeruierat: quæ ſcribit Gennadius [e] de eodem Proſpero, in argumentum deduci poſſunt.

LEO PAPA VTITVR OPERA PROSPERI ADVERS. HÆRET.

e Gennad. de vir. ill. c. 84.

III. CYRILLI ALEX. OBITVS.

f Conc. Chalced. Act. 3.

Hoc eodem anno, quinto Idus Iunii (vt habent Græci in Menologia) S. *Cyrillus* Alexandrinus Epiſcopus ex hac vita migrauit, cum ſediſſet annos triginta duos, vt Liberatus diaconus tradit, atque Nicephorus, ipſaq; Concilii Chalcedonenſis Acta [f] docent. Latini vero quinto Calendas Februarii, eius memoriam in tabulis Eccleſiaſticis adſcriptam habent: ſed de anno conſentiunt omnes. Eius vero memoria remanſit poſt obitum in Eccleſia vigens iugiter & florentiſſima, ore omnium Orthodoxorum præconiis frequentata. Quod autem pertinet ad eius ſcripta: ex innumeris ferme, quædam tantum refert Gennadius [g]. Quem etiam Caſſiodorus [h] adnumerat inter eos, qui diuinam Scripturam à principio vſque ad finem Græco ſermone explicarunt: qua ratione dicendum eſſet, plurima eiuſdem periiſſe volumina. Iuxta autem numerum annorum ſedis eius, totidem Paſchales Epiſtolas trigintaduas Græce ſcriptas nondum editas Bibliotheca Vaticana cuſtodit. Eſt vero etiam alia haud pridem in lucem edita, ad Caloſyrium Epiſcopum Arſeniotem aduerſus Anthropomorphitas & Maſſalianos ſcri-

DESCRIPTIS CYRILLI.

g Gennad. c. 57. h Caſſiod. Inſt. diuin. praf.

NOVA HÆRESIS DE SS. EVCHA.

pta,

per Cyril. extincta.

pta, qui nequaquam manibus laborandum eſſe dicebant, ſed ſemper orandum: qua etiam recens emergentem hęreſim extinxit, qua quidam aſſeuerabant, Chriſti carnem & ſanguinem in Euchariſtia tunc temporis tantum eſſe, cum à Fidelibus ſumeretur.

IV.

i Syn. V Act. 5.

Conficta epiſtol. de Cyrilli obitu.

Quæ vero legitur in Quinta [i] Synodo, Theodoreti nomine epiſtola hoc tempore poſt Cyrilli obitum ad Ioannem Antiochenum conſcripta, de eius morte exultantis, & in eumdem Cyrillum garrientis: eam quis æquius ſatyram dixerit, quam epiſtolam. Quam quidem ſicut hominis Neſtoriam eſſe non dubitamus, ita adſcribi Theodoreto ad Ioannem Antiochenum, patens eſſe mendacium apparet, tum ex eo quod eumdem Ioannem aliquot iam antehac annis deceſſiſſe ſuperius ſit demonſtratum, extentque [k] inter canonicas epiſtolas diuerſorum Epiſcoporum, ipſius Cyrilli literæ ad Domnum Ioannis ſucceſſorem: tum etiam ex literis ab eodem Theodoreto paulo poſt ſcriptis [l] ad eiuſdem Cyrilli ſucceſſorem Dioſcorum, quibus agit pluribus de reconciliatione amicitiæ à ſe inita cum Cyrillo, vſuque litterarum familiarium quæ magna confidentia mutuo inter ipſos datæ fuerunt. Porro non iſtam duntaxat epiſtolam Theodoreti nomine confinxiſſe Neſtorianos, ſed & alias plures ad ipſum Neſtorium datas, Leontius [m] Scholaſticus tradit, qui Neſtorianorum Theodoretum calumniantium detegit impoſturam.

k ap. Balſ. in addit.

l Theod. ep. 83. Rec. Bar. Annal. To. VI. hoc an.

m Leont. de ſect. Act. 5.

V.

Cyril. an fuerit monachus Carmel.

Sed & hic figmentum illud incerto auctore proditum, cui Trithemius leuiter nimis fidem præſtitit, reſpuimus: quo tradunt eumdem S. Cyrillum Alexandrinum monachum fuiſſe montis Carmeli. Cum enim hoc omnes auctores Cyrilli æquales, eiuſdemque res geſtas deſcribentes latuerit: inſuper apud nullum huius temporis ſcriptorem, quamuis de monachis in Palæſtina degentibus frequentiſſime meminerint, aliqua eſt memoria de culto Carmelo à vitæ monaſticæ profeſſoribus. Vnde & aliam huic ſimilem fabellam exſuffles, qua traditur & Ioannes Hieroſolymorum Epiſcopus Origeniſta, fuiſſe etiam monachus Carmelita: eadem enim iſthæc facilitate refelluntur, qua effinguntur.

Itemque de Ioan. Hieroſol.

VI.

Dioſcorus eligitur Epiſc. Alexand.

Defuncto autem Cyrillo, ſuffectus eſt hoc anno in locum ipſius *Dioſcorus*, cuius ſuperius facta eſt mentio, qui confeſtim legationem ex more miſit ad Romanum Pontificem, qua functus eſt Poſſidonius presbyter: quem ſecum aliquot diebus retentum, S. Leo Eccleſiaſticis functionibus voluit ſemper eſſe præſentem, vt ex inſtitutis Romanæ Eccleſiæ diſceret quid emendandum eſſet in Eccleſia Alexandrina: atque inter alia corrigendum præcepit prauum vſum qui in eam irrepſerat, vt die quolibet fierent ſacrorum miniſtrorum ordinationes, nullo præcedente ieiunio. Patent enim iſta ex redditis ab eodem Leone ad ipſum Dioſcorum literis [n]: quibus apprime intelligas Romanum Pontificem omnibus Eccleſiis præfuiſſe magiſtrum. Sed quod ad Dioſcorum pertinet; ipſe æque ac Neſtorius, ſuperinducta hactenus admirandæ ſanctitudinis larua, adeptus eſt tantæ Eccleſiæ ſedem; cum ſpeciem præſeferens humilitatis atque modeſtiæ, immenſam tamen intus ſuperbiam & arrogantiam occultaret. Quem etiam fuiſſe Origeniſtam, inſuper & Arianum, perfidum, homicidam, & incendiarium, vitaque turpiſſimum, libelli aduerſus eum Synodo Chalcedonenſi [o] oblati declararunt. Simulac autem in thronum euectus eſt, ad conciliandum ſibi vniuerſum populum Alexandrinum (inquit Liberatus diaconus) opprimens Cyrilli heredes, & per calumnias ab eis multas auferens pecunias, piſtoribus & cauponibus ciuitatis dedit, vt mundiſſimum panem & pretioſiſſimum vinum viliori pretio exhiberent. At de illo ſæpe inferius.

n Leo ep. 81.

Dioſcori hypocriſis, et ingentia vitia.

o Conc. Chal. Act. 3.

IESV CHRISTI AN. 445.

LEONIS AN. 6.

Theod. II. 38. Valent. III. 21.

I.

Cyrilli nepotes afflictati a Dioſcoro.

ANno Chriſti quadringenteſimo quadrageſimo quinto, Valentiniano Auguſto ſextum & Nono (quem alii perperam Nonium dicunt) Coſſ. Dioſcorus Epiſcopus Alexandrinus eiuſdem Nomi Conſulis opera vſus eſt ad exagitandos S. Cyrilli prædeceſſoris ſui affines, qui ipſius fugientes perſecutionem Conſtantinopolim ſe recepiſſent: vt conſtant ex libello Athanaſii eiuſdem Cyrilli ſororis filii, Synodo [a] Chalcedonenſi poſtea oblato: ex quo datur intelligi quam tyrannice eos Dioſcorus perſecutus fuerit, & ex ditiſſimis in extremam ferme paupertatem reduxerit. Vetus exemplum frequentius iteratum, de his quæ pati ſoleant, ſiue iuſte, ſiue iniuſte ditati Epiſcoporum affines. Adiecit inſuper prorſus impie & infenſiſſimo in defunctum animo idem Dioſcorus, vt ordinatos à Cyrillo clericos, quos ille cariores habuiſſet, abſque aliqua occaſione è gradu depoſitos in ordinem redigeret.

a Conc. Chal. Act. 3.

II.

Vrbs Conſtant. iſ ex afflictata.

His quoque Coſſ. magnam famem inuaſiſſe vrbem Conſtantinopolim peſtemque illico ſubſecutam: ac templum igne crematum eſſe, Marcellinus refert in Chronico. Qui & antea populari orta in Circo ſeditione, multos ſeſe inuicem trucidaſſe ait, multaque extrinſecus hominum inſtar pecorum corpora periiſſe. Ex quo enim orta ibi eſt Neſtorii hæreſis, & ab eius ſtudioſis foueri (vel ſaltem occulte) non deſtitit, florentiſſimus ſtatus ciuitatis illius, totiuſq; Orientalis Imperii, in deterrimum plane omniumq; miſerrimum mutatus eſt. Abominationem enim hæreſum poſt ſe ducere ſolere deſolationem, tum diuinis literis [b], tum exemplis frequentibus antiquis ac recentibus admonemur.

b Dan. 9. Matt. 24.

III.

Conſtitutio Valentin. contra Manich.

Quod vero ad res Occidentales ſpectat: cum anno ſuperiori (vt vidimus) S. Leo Papa repertos Romæ Manichæos ad publicum perduxiſſet examen, ac eorum vulgaſſet portentoſa facinora: hoc anno, eiuſdem ſolertia Pontificis, Imperator Valentinianus nefandiſſimos hæreticos, eorumque fautores, decimotertio Calendas Iulii edita [c] lege vt ſacrilegos puniri iuſſit, & vt de publico crimine à quibuſuis accuſari permiſit.

c Nouel. Valentin. tit. 2. de Manich.

IV.

Sed & memoria dignum eſt eiuſdem Imperatoris, hoc eodem anno octauo Idus Iunii, eodem expetente Leone Pontifice, ad Aetium agentem in Gallia Magiſtrum militiæ, datum [d] in cauſa Hilarii Epiſcopi Arelatenſis reſcriptum. Sciendum eſt enim, de antiqua quæſtione agitata inter Archiepiſcopos Arelatenſem & Viennenſem, quod ille prætenderet ius ordinandi Epiſcopos prouinciæ Viennenſis, ita Patribus Concilii Taurinenſis viſum fuiſſe, vt eorumdem Antiſtitum vnuſquiſque pacis conſeruandæ cauſa, vicinores ſibi vendicaret ciuitates: ſed minime acquieſcere volentem Arelatenſem (cum & aliquando, poſt dictam Synodum, ei Zoſimus Pontifex fauere viſus eſſet) primatum ſibi ſuper Viennenſem vendicare præſumpſiſſe. Verum cum id poſtea prohibuiſſet Bonifacius [e] Papa, & in eamdem ſententiam ſucceſſor eius Cæleſtinus [f] reſcripſiſſet ad Epiſcopos prouinciarum Narbonenſis & Viennenſis, vt quiſque Metropolitanus ſua prouincia deberet eſſe contentus (quæ omnia iam ſuperius [g] à nobis dicta ſunt) rurſum hoc tempore eadem ferme ad Leonem perlata querela aduerſus Hilarium Arelatenſem (nimirum quod in prouincia Viennenſi ordinatum præſumpſiſſet Epiſcopum deponere, & in locum alterius nondum mortui alium ſubſtituere) idem Hilarius ad dicendam cauſam ſponte ſe Romam conferens, cum de iis conuictus in Concilio ea de cauſa ibidem Romæ habito: haud expectata ſententia, vel obtenta licentia, rediiſſet Arelatum: aduerſus eum hoc anno idem S. Leo ad Epiſcopos prouinciæ Viennenſis epiſtolam [h] dedit, qua irrita reddidit quæ ab eodem iniuſte præſumpta eſſent, ipſamque Viennenſem prouinciam exemptam declarauit à iuriſdictione Epiſcopi Arelatenſis: ac ne maio-

d Inter Nouel. Theod. tit. 24. de Epiſ. ordin.

De antiqua controverſia Epiſc. Arel. et Vien.

e Bonif. ep. ad Hilar. Narbonen.

f Cæleſtin. ep. 2. c. 4.

g Sup. an. 417.

Hilarii Arelat. præſumptio.

h Leo ep. 89.

res tumultus ea de re ab Hilario concitarentur, aduerſus eumdem interpellauit (quod diximus) Imperatoris officium, per Aetium Magiſtrum militiæ exhibendum.

V. Imp. Valentin. agnoſcit auctoritatem Rom. Pont.

Ex cuius quidem reſcripto perfacile videas, agnitam ſemper ab Imperatoribus ſummam Romani Pontificis in omnes vbique Eccleſias auctoritatem: & ad hoc ei Imperatores inſeruire, vt eadem ipſius auctoritas aduerſus refractarios ſarta tecta cuſtodiatur. Sic enim habet inter alia, *Cum Sedis Apoſtolicæ primatum, S. Petri meritum, qui princeps eſt Epiſcopalis coronæ, & Romanæ dignitas ciuitatis, ſacræ etiam Synodi firmarit auctoritas, nequid præter auctoritatem ſedis iſtius inclytum præſumptio attentare nitatur: tunc enim demum Eccleſiarum pax vbique ſeruabitur, ſi rectorem ſuum agnoſcat vniuerſitas. Hæc cum hactenus inuiolabiliter fuerint cuſtodita; Hilarius Arelatenſis, contumaci auſu inclita quadam præſumenda tentauit, &c. His tabulis contra Imperii maieſtatem, & contra reuerentiam Apoſtolicæ Sedis admiſſis, per ordinem religioſi viri Vrbis Papæ cognitione diſcuſſis, certa in eumdem Hilarium ex his quos male ordinauerat, lata ſententia eſt. Et erat ipſa quidem ſententia per Gallias etiam ſine Imperiali ſanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis auctoritate in Eccleſias non liceret? Sed noſtram quoque præceptionem hæc ratio prouocauit, ne vlterius vel Hilario, quem adhuc Epiſcopum nuncupari, ſola manſueti Præſulis permittit humanitas, nec cuiquam alteri Eccleſiaſticis rebus arma miſcere, aut præceptis Romani Pontificis liceat obuiare, &c. Hoc perenni ſanctione decernimus, nequid tam Epiſcopis Gallicanis quam aliarum prouinciarum, contra conſuetudinem veterem liceat ſine viri venerabilis Papæ Vrbis æternæ auctoritate tentare: ſed illis, omnibuſque pro lege ſit, quicquid ſanxit, vel ſanxerit Apoſtolicæ Sedis auctoritas: ita vt quiſquis Epiſcoporum ad iudicium Romani Antiſtitis euocatus venire neglexerit, per Moderatorem eiuſdem prouinciæ adeſſe cogatur: per omnia ſeruatis, quæ diui parentes noſtri Romanæ Eccleſiæ detulerunt, &c.*

VI. Hilarii Arel. virtutes, et ſanctus obitus.

Ceterum licet hoc modo Hilarius, iura ſuæ Eccleſiæ vendicaturus, plus æquo viſus ſit eſſe prolapſus: (Nam & vt quos ordinaſſet Epiſcopos, inuitis etiam quibus intruderet, manum ſibi armatam contrahere, & clauſtra murorum in hoſtilem morem vel obſidionibus cingere, vel aggreſſionibus reſerare conſueuiſſe, reſcripto ſuo teſtatur Imperator) idem tamen poſt hæc cedens, eo peruenit ſanctitatis, vt ore omnium meruerit commendari: quem quidem (vt omittamus repetere quæ de laboribus eius aduerſus Pelagianam hæreſim dicta ſunt ſuperius) S. Eucherius in præclara ad illum de laude Eremi ſcripta lucubratione, & S. Proſper in Chronico, Conſtantius item in vita S. Germani Antiſiodorenſis, Gennadius [i] in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, ac demum ipſæ tabulæ Eccleſiaſticæ [k] in quas nomen eius anniuerſaria memoria celebrandum relatum eſt: ob egregias ipſius virtutes, & ſpectatiſſimam morum ſanctitudinem, laudibus extulerunt: ſcripſitque res eius præclare geſtas Honoratus [l], non Arelatenſis (nam econtra huius, eumdem ipſum Hilarium qui ſub eo in cœnobio Lerinenſi vitam monaſticam excoluerat, ac poſtmodum eius ſucceſſor in Epiſcopatu extitit, Vitam conſcripſiſſe, iam dictum eſt ſuperius) ſed Maſſilienſis Epiſcopus. Denique haud de illo excidat quod idem Gennadius tradit, adeo paupertatis amatorem, & erga inopum prouiſionem, non ſolum mentis pietate, ſed & corporis ſui labore ſolicitum fuiſſe, vt pro reficiendis pauperibus etiam ruſticationem contra vires ſuas homo genere clarus exerceret. Corrigendus tamen ipſe, dum ait eumdem Hilarium ſub Imperatoribus Valentiniano & Marciano obiiſſe: ſiquidem ex duabus S. Leonis Papæ [m] ſcriptis ad Epiſcopos prouinciæ Narbonenſis, & ad Rauennium Arelatenſem epiſtolis, aperte conſtat eumdem Rauennium ſuffectum fuiſſe in locum Hilarii ſub Conſulatu Aſterii & Protogenis, hoc eſt anno Chriſti quadringenteſimo quadrageſimo nono, anno integro antequam Marcianus creatus eſſet Imperator.

i Gen. c. 69.
k Martyr. Rom. 5. Maii.
l Gennad. c. 99.
m Rec. Bar. Annal. To. VI. an. 449.

VII. Chron. Proſperi terminus.

Ad hunc vſque præſentem annum S. Proſperi Chronicon peruenit, quod habetur: vt intelligas ipſum principio & fine decurtatum eſſe: nam auctor eſt Caſſiodorus [n], ipſum Chronica ab Adam ad Genſerici tempora & Vrbis deprædationem vſque perduxiſſe, qui fuit annus Chriſti quadringenteſimus quinquageſimus quintus. Quod etiam confirmat Gennadius [o], dum ait vſque ad Valentiniani obitum ea ſcriptione Proſperum perueniſſe, qui fuit idem annus Domini quadringenteſimus quinquageſimus quintus. Ex his autem redarguas, qui eum ad Leonis Imperatoris tempora ſcripſiſſe tradunt: antiquioribus enim & res ſuorum temporum ſcribentibus maior debetur fides.

n Caſſiod. Inſt. diuin. lect. c. 17.
o Gennad. de vir. illuſt. cap. 84.

IESV CHRISTI AN. 446.

THEOD. II. 39. VALENT. III. 22.

LEONIS AN. 7.

I. Britannia inuaditur a Pictis et Scotis.

ANNO Domini quadringenteſimo quadrageſimo ſexto, Aetio tertium & Symmacho Coſſ. nouis cladibus Romanum eſt Imperium exagitatum. Etenim Africa, Hiſpaniis, atq; Galliis à diuerſis barbarorum gentibus occupatis: quæ ſupererat Britannia à *Scotis* & *Pictis* inuaſa, dira ſtrage vaſtata eſt. Cuiuſmodi luctuoſam tragœdiam lugubri ſtylo proſecutus eſt Gilda Britannus cognomento Sapiens, eamdem immenſis incolarum atque ſacerdotum vitiis tribuens & peccatis. Reſiſtentibus tamen vtcumque Britannis, iidem Picti extremam eius inſulæ partem vi ſubactam habitarunt, nec inde vltra valuerunt expelli. Reſidui vero Britannorum, dum continuo Scotorum impetus formidarent: iam de Romanorum præſidio diffidentes, quod fruſtra ab Aetio aliis bellis detento petiiſſent, Anglorum gentem cum ſuo Rege Vertigerno paulo poſt ad defenſionem patriæ ſuæ inuitauere: quos amice exceptos, verſa in contrarium vice, pro adiutoribus impugnatores ſenſere. Hæc præter Gildam, Theophanes in Miſcella. Sed quos iſte Anglos, Gilda Saxones nominat, alii vtroque iuncto nomine Anglo ſaxones.

II. Terræmotus ingens in orbe.

Sub huius item anni Coſſ. (vt ait Marcellinus) ingenti terræmotu per loca varia imminente, plurimæ vrbes & muri Conſtantinopolis cum quinquaginta ſeptem turribus corruerunt: ac fames, & aeris peſtifer odor, multa millia hominum iumentorumque deleuit. Hicque ille plane eſt pauendus & horribilis terræmotus, quo ad ſex menſes indeſinenter perſeuerante, cum vniuerſus ferme Orbis concuſſus eſſet, & innumerabilibus terra marique horrendis [a] caſibus Orientis pars maxima, Occidentiſque regiones plures affectæ fuiſſent: accidit Conſtantinopoli, vt cum Theodoſius Imperator, vna cum Proclo Epiſcopo, vniuerſoque populo, præ metu ruinarum ædificiorum in Campo habitarent, ac die quadam motu eo vehementius graſſante, cuncti ſimul ex intimo corde cum multis gemitibus miſericordiam diuinam implorarent: ſuperna repente vi puer ſpectantibus omnibus de media turba in ſublime extra viſum hominum raptus, rurſumque priore per aerem via in eumdem locum demiſſus, Patriarchæ, Imperatori, vniuerſæque multitudini ad preces proſtratæ retulerit, ab Angelis ſe diuinum Triſagion in hunc modum decantatum audiuiſſe, SANCTVS DEVS, SANCTVS FORTIS, SANCTVS IMMORTALIS, MISERERE NOSTRI, & vt ipſi eodem modo concinerent, monuerit quod mox vbi populus, iubente Patriarcha, pſallere cœpit, terræmotus omnino quieuit: puer vero animam efflans, in magna eccleſia conditus eſt: ac Theodoſius Imperator vna cum ſorore Pulcheria Auguſta, edita conſtitutione decreuit, vt per totum Orbem hymnus iſte diuinus concineretur: & ex eo tempore Eccleſia CHRISTI eum accepit. Quam quidem rem adeo ingentem, non ſolum Nicephorus [b] ex antiquioribus auctoribus exacte deſcripſit: ſed & conſecratam Græci habent in tabulis Eccleſiaſticis die vigeſima quarta Septembris: confirmantque Aſclepiades Epiſcopus Trallianus, Acacius Conſtantinopolitanus, Iuſtinianus Siculus, Quintianus Aſculanus, atque, ipſe S. Felix Papa Tertius, epiſtolis [c] ſuis aduer-

a Vid. Niceph. lib. 14. c. 46.
Puer ab Angelis Triſagion mirabiliter diſcit.
b Ibid.
c To. II. Concilior. Felic. III.

aduerſus Petrum Fullonem Epiſcopum Antiochenum, eumdem hymnum additione impia corrumpentem: idque ipſum nobili ſcriptione pluribus explicauit S. Ioannes Damaſcenus in commentario de Triſagio, repetiitque in libro de fide [d] Orthodoxa: addens & de eodem Triſagio in Chalcedonenſi Concilio cognito & comprobato: vbi certe decantatum reperitur in fine primæ Actionis, quando damnatus eſt Dioſcorus, eiuſdemque impietatis conſortes hæretici æque reiecti. Magna porrò diuina prouidentia factum eſſe videtur, vt cum Eutyches in ſecreto cubiculo & penetralibus monaſterii, aduerſus diuinitatem pugnaturus arma fabricaret, quam ſicuti humanitatem, paſſum eſſe poſtea dixit: aduerſus ipſum Deum canticum præpararit, quo diuinitatis immortalitas vbiq; gentium caneretur, & per ipſum offenſi numinis conciliatio imploraretur. Sic enim plane diuinæ prouidentiæ eſt, humano conſulere generi: ante parare arma quam inſtet prælium: medicamenta conficere, antequam venenum irrepat in præcordia: & ante venturam famem, horrea frumento replere.

d Damaſc. 3 de fid. Orthod. 10.

CVR HOC TEMP. TRISAGION PROPALATVM.

III. MIRACVLA EX IMAGINIB. B. MARIÆ ET SALVATORIS.

Quod ad reliqua pertinet, inter alia quæ poſt hanc recenſitam hiſtoriam Nicephorus habet, agit de Imagine quadam Deiparæ Virginis, quæ occultata in cupreſſo, immenſo coruſcans lumine ſeſe manifeſtauit, ex qua ingentia edita ſunt miracula. Habet & Romæ vetus codex S. Mariæ ad Martyres eodem argumento rem editam, & recitari Calendis Nouembris in eccleſia conſuetum, de Imagine Saluatoris, quam cum Iudæus quidam Conſtantinopoli furto ablatam è domo Chriſtiani hominis, qui eum in ianua domus ſuæ erexerat, cultro in vultu punxiſſet, ex eo inflicto vulnere continuo ſanguis copioſus manauit, qua de re Iudæus perterritus, eamdem in propinquum puteum coniecit. Cum vero manè facto veniſſent ex more qui ex eodem publico puteo haurirent aquam, ſanguinem pro aqua haurientes, re vulgata, exhauſtoque puteo, inuenta eſt Imago continuum ſanguinem emittens, vſque dum detectus ab vxore Iudæus, rem confeſſus eſt, ac cum vxore baptizatus. Sed quo potiſſimum tempore hoc acciderit, nuſquam mentio: haud tamen puto ante Nicænam poſteriorem Synodum, quod de re tanta nulla ibi memoria extet.

IV. PROCLI EPISC. CONST. OBITVS. e Niceph. l.14.c.47.

Hoc eodem anno vigeſima quarta menſis Octobris, S. Proclus Epiſcopus Conſtantinopolitanus ex hac vita migrauit, cum ſediſſet annos duodecim & menſes tres, vt teſtantur Nicephorus in Chronico, & ipſe Græcorum tabulæ Eccleſiaſticæ: ex quibus emendandus eſt Nicephorus alter Calliſtus [e] dictus, qui ſedi Procli annos tantum vndecim tribuit. De ipſius vero Procli ſcriptis nihil præterea quam Homilias legimus, & de traditione diuinæ Miſſæ perbreue ſcriptum, quo aſſerit Miſſam prolixiorem olim fuiſſe, ſed à S. Baſilio primum, & inde à S. Ioanne Chryſoſtomo, ob ſocordiam & tædium ſtertentium potius quam aſtantium Chriſtianorum, eſſe redditam breuiorem.

V. FLAVIANVS CREATVR EPIS. CONST. f Id. l.14.c.47.

Defuncto autem Proclo, in eius locum ſubrogatus eſt *Flauianus*, ſacrorum donatiorum (vt eum deſcribit Nicephorus [f]) magnæ eccleſiæ Conſtantinopolitanæ cuſtos, dignitate presbyter, vita autem cæleſti. Sed accidit, vt cum ab eo Chryſaphius eunuchus Imperatorii Cubiculi Præfectus, plurimumque apud Theodoſium valens, quod minus gratam haberet ipſius ordinationem, eiuſdem Imperatoris nomine petiiſſet electionis gratia aliquod Imperatori benedictionis loco mitti munus, ac Flauianus panes puros miſiſſet, ruſumque contendenti Chryſaphio aurum debere mitti, reſpondiſſet non ſibi aliud ſuppetere quam templi donaria, quæ Deo & pauperibus eſſent debita, nec in hos eſſent quæſita vſus: his magis offenſus Chryſaphius, nihil non mouerit vt Flauianum è ſede turbaret. Cum vero id omnino, dum Pulcheria Auguſta Imperatoris ſoror, ac Flauiani protectrix, ſummam rerum adminiſtraret, fieri non poſſe videret: Eudociam Theodoſii vxorem, ac per hanc ipſum Theodoſium in eamdem Pulcheriam falſis ſuggeſtionibus concitans, effecit tandem euiratus iſte, vt ipſa certior à Flauiano reddita de conſilio inter eos inito de eadem in ordinem redigenda, & in numerum diaconiſſarum allegenda, recedens ab vrbe diuerterit in Hebdomum, priuatam tranquille vitam actura. Hæc omnia Nicephorus [g]: reliqua vero ab impiiſſimo Chryſaphio in ſanctiſſimum Flauianum, protectione Pulcheriæ deſtitutum patrata, ac quomodo domeſticum huiuſmodi libellum in perniciem fuerit conuerſum Eccleſiarum, dicetur inferius ſuis locis. Sed & ipſum Imperium, iam quadraginta ferme annorum ſpatio Pulcheriæ prudentia quam feliciſſime gubernatum, vbi ſe ipſa ab illius regimine abdicauit, pene interiit, ab Hunnis ferociſſimo Attila duce rurſum hoc & ſequentibus annis deuaſtatum, cui Theodoſius tributum pendere turpiter coactus eſt, vt Marcellinus refert in Chronico, & alii poſt eum: de quo etiam dictum eſt ſuperius in ipſo Attilæ ingreſſu.

CHRYSAPHIVS EVNVCH. CONSPIRAT IN FLAVIAN.

PVLCHERIA AVG. ADMINISTRATIONEM RELINQVIT IMPERII g Ibid.

IESV CHRISTI AN. 447.

THEOD. II. 40. VALENT. III. 23.

LEONIS AN. 8.

I. EPIST. LEONIS PP. AD TVRIBIVM ASTVRIC. ADVERS. PRISCILLIAN. a Leo. ep. 93

ANno Chriſti quadringenteſimo quadrageſimo ſeptimo, Alypio ſiue Callypio & Ardaburio Coſſ. S. Leo Papa S. Turibio Aſturicenſi in Hiſpania Epiſcopo, doctrina & moribus eximio, certior litteris factus de miſero ſtatu Eccleſiarũ Hiſpanicarum, quas idem Turibius zelo fidei æſtuans luſtraſſet, & à Priſcillianiſtis hæreticis varie labefactatas reperiſſet, epiſtolam [a] ad eumdem reſcripſit vndecimo Calendas Auguſti, qua poſt confutata ſingula eiuſdem hæreſis capita, improbatamque librorum lectionem, ac data monita de iis quæ aduerſus Manichæos Priſcillianiſtarum affines Romæ geſta fuiſſent, generalem vniuerſæ Hiſpaniæ indixit *Synodum*, vt eiuſmodi malis ſuccurreretur.

II. b Conc. Bracar. 1 in praef. CONCIL TOLET. ET LVCENSE ADVERS. PRISCILLIAN.

Eam porro celebratam eſſe, inque ea damnatos Priſcillianiſtas, teſtantur inprimis Acta Synodi [b] Bracarenſis. Vbi tamen dum Generale Concilium celebratum dicitur ab Epiſcopis prouinciarum Tarraconenſis, Carthaginenſis, Luſitaniæ, & Bæticæ, nec vlla penitus fit mentio prouinciæ Galliciæ, in qua iuſſu Leonis debuerat Synodus congregari, magna eſt coniectura, Epiſcopos Gallecos conueniſſe apud *Lucenſem* vrbem in municipio Celenenſi ſub Balconio Epiſcopo Bracarenſi Galliciæ Primate: ad quos poſtea illi alii, quos putamus *Toleti* conueniſſe, miſerunt (vt conſtat ex dicta Synodo Bracarenſi) quæ ipſi conſtituiſſent. Vt autem non in vnum locum conuenirent omnes illam potiſſimum cauſam exiſtimamus, quod Gallecì eſſent ſub Sueuorum Rege Rechila tunc regnante, reliquæ autem Hiſpaniarum prouinciæ Gothis parerent Theodorico & eius filio Toriſmundo. Sed tamen quod vna extiterit cauſa vtriuſque conuentus, & eoſdem vna conuocauerit auctoritas, & in vnam eamdemque conuenerint ſententiam: idcirco ambo eadem Concilia in vnum poſtea conflata fuerunt. Immo tria ſimul reperiuntur eſſe coniuncta, nempe duo iſta cum Toletano Primo habito ſub Anaſtaſio Papa, de quo dictum eſt ſuo loco, cuius eſſe noſcuntur Epiſcopi qui eidem interfuiſſe leguntur, & canones illi viginti.

III. c Concil. Tolet. 1. in f. DE SYMBOLI ADDITAMENTO.

Quod autem ſpectat ad Fidei aſſertionem, quæ iiſdem viginti canonibus addita legitur [c], ſub qua probaretur qui vere Catholici eſſent Epiſcopi, & omni labe carerent Priſcillianæ hæreſis, illam in hac Synodo iuſſu Leonis congregata ſtatutam fuiſſe conſtat. In qua quidem magna obſeruatione dignum eſt, quod reperitur illud ab eis primum ſuperadditum Fidei Symbolo de Spiritu Sancto, A PATRE FILIOQVE PROCEDIT. Verum haud ſua ipſi id fecere auctoritate, ſed ex verbis epiſtolæ ad eos ſcriptæ [d] à S. Leone Papa: in qua cum damnatur Priſcillianiſtarum error, quo impie dicerent Patris & Filii & Spiritus Sancti vnam atque eamdem eſſe perſonam: Spiritus Sanctus declaratur de Patre & Filio procedere. Porro ea ſemel verba auctoritate Romani Pontificis ad-

d Leo ep. 93. cap. 1.

dita ab Hiſpanis Symbolo aduerſus Priſcillianiſtas, eidem ſemper inhæſerunt, ac pertranſierunt poſtea ad Vuiſigothos Catholicos, qui & Iudæos ad Chriſtianam fidem venientes, ſub eiuſdem Symboli confeſſione eſſe recipiendos ſuis legibus[e] ſanciuerunt: idemque in aliis Toletanis Conciliis ſub Gothorum Regibus celebratis[f] obſeruatum eſt. Sicut & apud Francos eadem in Symbolum accepta eſſe, apparet ex Symbolo fidei ſub Carolo Magno in Arelatenſi Synodo recitato. licet Romana Eccleſia antiquitatis tenaciſſima, diutiſſime cunctata ſit ea in Symbolum inſerre: donec tandem ſub Benedicto Septimo ad inſtantiam Imperatoris Henrici (vt tradit Berno[g] Abbas Augienſis) admiſſa ſunt, ne Romana Eccleſia videretur ea reſpuere quæ aliis tradidiſſet. Verum de his alias pluribus.

e Leg. Vuiſigoth. l. 12. c. 14. ap. Lindebr. f Conc. Tolet. IV. VIII. XI. XII. XIII.

g Berno de reb. ad Miſſ. ſpectant.

IV. DE SOLEMNI BAPTISMI TEMPORE. h Leo ep. 4. i Vict. de perſec. Vandal. l. 2.

Hoc item anno ad Siciliæ Epiſcopos[h] S. Leo epiſtolam dedit, quæ habet nonnulla ad Eccleſiaſticorum rituum diſciplinam ſpectantia: vt de Baptiſmi ſolemni tempore, nempe Paſchate & Pentecoſte, non autem Epiphania, vt illi ſibi faciendum ſuſceperant ex Africanæ Eccleſiæ vſu, apud quem ſolemnem fuiſſe baptiſmum tempore Epiphaniæ, ſatis indicat Victor[i]. Præcepitque inſuper Leo, vt cum ex antiqua inſtitutione binis annis ſingulis Epiſcoporum deberent fieri Romæ Conuentus, tertii ſemper ex ipſis Siciliæ Epiſcopis ad eos Romam accederent.

V. EPHES. EPISC. DEPOSITVS A ROM. PONT.

Hoc demum anno, qui quartus numeratur ante Concilium Chalcedonenſe, idem Pontifex è ſede depoſuit Primatem totius Aſiæ Baſſianum Epheſinum Epiſcopum, eo quod in illam vacantem propria ſe auctoritate intruſiſſet. Quod teſtatur Stephanus Baſſiani aduerſarius in Actione vndecima eiuſdem Concilii Chalcedonenſis, vbi Baſſiani ſcelera narrantur.

IESV CHRISTI AN. 448.

THEOD. II. 41. VALENT. III. 24.

LEONIS AN. 9.

I. a ap. Act. Conc. Ephe. edit. Telt. to. 5. cap. 19. 20. PORPHYRII ET NESTORIAN. LIBRI VETITI.

ANno Chriſti quadringenteſimo quadrageſimo octauo, Flauiis Poſthumiano atque Zenone Coſſ. Theodoſius Auguſtus cum diuerſis cladibus agitari iamdiu cerneret Imperium, offenſi numinis cauſas rimatus, tum Gentilitiæ impietatis homines, tum Neſtorii ſectatores (vt gratiſſimum Deo ſacrificium) legibus[a] coercendos putauit, libroſque Porphyrii, & contra Cyrilli ſcripta editos commentarios, perquiri ac concremari iuſſit: inſuper & illos qui ſuſpecti eſſent Neſtorianæ hæreſis quod Neſtorio ante fauiſſent, exagitauit, & inter alios Irenæum illum, qui Concilii Epheſini Patribus tantas moleſtias intuliſſet: quem ex Comite ordinatum Tyri Epiſcopum, deponi iuſſit, quod poſt ſecundas nuptias contra canones Epiſcopus creatus eſſet. Sed quod hunc Theodoretus cum aliis Epiſcopis ordinaſſet, deſcendit ipſe[b] eiuſdem bigami promotionem exemplis antiquiorum, quæ illi excuſatio profuiſſe videtur, quod nulla poſthac ea de re aduerſus eum fuerit querela.

b Theodoret. ep. 110. ad Domn. Antioch.

II. EVTYCHETIS HÆRESIS QVA OCCASIONE ORTA.

Hoc vero eodem anno, dum in deſolationem Neſtorianæ hæreſis Catholicis impellerentur, illud plane funeſtum cōtigit, vt vnus ex illis rapido curſu terminum imponere neſcius, infelici audacia nouus veritatis Catholicæ impugnator euaſerit. Siquidem EVTYCHES presbyter, ac monachorum illorum Conſtantinopolitani Archimandrita, qui tempore Epheſini Concilii aduerſus Neſtorianos ceteris præſtantius dimicarant, cum ſummo odio in Neſtorii hæreſim ferretur (de cuius aduerſus eam laboribus indefeſſo ſtudio exantlatis, magna laus eſt in epiſtola S. Leonis[c] Papæ ad ipſum ſcripta, necnon in Actione quarta Synodi Conſtantinopolitanæ ante Chalcedonenſem celebratæ) eo proſiliit, vt non tantum duas eſſe in Chriſto Perſonas, omnino ex Catholicæ fidei præſcripto negaret, ſed etiam nec duas in eo Naturas vellet aſſerere, eoſque Neſtoriano laborare morbo putaret, qui Orthodoxe duas confiterentur in Chriſto inter ſe diſtinctas & indiuiſe abſque confuſione coniunctas Naturas.

c Leo ep. 6.

EVTYCH. DOGMATA.

d Liber. Breuiar. cap. 11.

Ac primo quidem (vt refert Liberatus[d]) prædicauit Chriſtum conſubſtantialem nobis non eſſe ſecundum carnem, ſed de cœlo corpus habuiſſe: rurſum autem varians dixit, ante adunationem duas in Chriſto fuiſſe naturas, poſt adunationem vnam factam. Secundum cuiuſmodi priorem ſententiam, Theodoretus[e] ait, ipſum Eutychetem Valentini hæreſim iam extinctam reſuſcitantem dixiſſe, Deum Verbum nihil humanum ex Virgine ſumpſiſſe, ſed immutabiliter conuerſum, & carnem factum, ſolum per Virginem traieciſſe.

e Theo. hær. fab. l. 4. in fi.

III. CONCIL. CONST. ADVERS. EVTYCH.

Porro cum primo detectum fuiſſe, atque ſæpius amice monitum, ab Euſebio Epiſcopo Dorilæi in Phrygia, idem Liberatus aſſerit, & cum pertinaciter ſuas hæreſes defenderet, delatum fuiſſe ad CONCILIVM Epiſcoporum, qui tunc congregati erant Conſtantinopoli in cauſa Florentii Epiſc. Sardis Metropolis Lydiæ, aduerſus quoſdam Epiſcopos ſub eo cōſtitutos. Verum hoc ipſum fuſe pertractatum habetur in ipſis Actis eiuſdem Conſtantinopolitanæ Synodi triginta duorum Epiſcoporum (inter quos erat ipſe Euſebius) & viginti trium Archimandritarum, habitæ hoc anno menſe Nouembris, præſidente in ea Flauiano eius vrbis Epiſcopo, quæ recitata habentur in Actis[f] Concilii Chalcedonenſis. Ex quibus hæc ſummatim habeto: videlicet Eutychetem ab eodem Euſebio in Synodo accuſatum hæreſeos, à Patribus ter fuiſſe citatum, ſed comparere recuſaſſe, eo prætextu quod inuiolabilem ſibi præfixiſſet legem non egredi è monaſterio ſuo, cum interea conteſtaretur, ſe ſoli Scripturæ diuinæ inhærere velle, nec curare quid in Synodo contra ipſum ageretur. Verum quod etiam cauſatus eſſet morbum, ſeptem dierum inducias petens, impetrauit: ſed mox eadem ipſa die egrediens è monaſterio, acceſſit (vt idem ait Liberatus) ad Theodoſium Imperatorem, egitque cum eo per Chryſaphium eunuchum Imperatorii Cubiculi Præfectum, quem ipſe Eutyches ſuſceperat in baptiſmate, quemque ſciebat infenſiſſimo (quod vidimus) in Flauianum eſſe animo, vt vna ſecum Patricius Florentius Concilium ingrederetur, quod timere ſe diceret Flauiani calumnias.

f Conc. Chalced. Act. 1.

IV. EVTYCH. CORAM SYNODO SVAS PRODIT BLASPHEMIAS.

Adueniente vero præſcripto ſeptem dierum termino, idem Synodum ingreſſus cum Florentio, cauſamque dicere iuſſus, ac reſpondere propoſitis aduerſus ipſum accuſationibus, cum multa fruſtra ſubterfugia captaſſet, coactus tandem prodere quid ſentiret, aſſeruit ſe confiteri ex duabus Naturis fuiſſe CHRISTVM ante adunationem, poſt vero adunationem vnam tantum Naturam agnoſcere. At cum rurſum immenſam eiuſmodi blaſphemiam damnare vrgeretur tum à Patribus Synodi, tum etiam ab ipſo Florentio Patricio, id ſe haud ſponte profeſſurum ſignificans ad poſtremum edixit, *Qui non diceret ex duabus Naturis, & duas Naturas, haud recte credere:* quapropter exclamans vniuerſa Synodus, *Qua ex neceſſitate eſt, fidem non eſſe*, idem Eutyches damnatus eſt, ac presbyteratu & monaſterii adminiſtratione priuatus; & qui cum eo communicarent, excommunicationi ſubiecti; pronunciante ſententiam Flauiano, ac ſubſcribentibus omnibus Epiſcopis & Archimandritis. Sicque Synodus abſoluta eſt, quæ ſeptem Actionibus conſtitit. Repetitus eſt autem anno ſequenti itidem Conſtantinopoli eorundem Patrum conuentus, de quo dicetur ſuo loco.

EVTYCH. DAMNATVR.

V. FLAVIANVS ET EVTYCHES SCRIBVNT AD ROM. PONTIF.

Interea Flauianus de re tanta, more maiorum, literis certiorem reddidit S. Leonem Romanum Pōtificem, cupiens ab eo haberi rata quæ ſtatuta eſſent contra Eutychetem. Sed & Eutyches non ignarus in eam partem vniuerſam Catholicam Eccleſiam inclinaturam, in quam Summus eius Pontifex propenderet, feſtinauit & ipſe ad illum dare literas (immo & ſtudio regiorum miniſtrorum effecit vt ſuæ citius Romam peruenirent) ſed refertas plane dolis, dum ſe à Synodo Conſtantinopolitana damnatum appellaſſe Romanum Pontificem, ſed appellationi minime delatum, metitus eſt, ceterum blande promittens, ſe paratum fore corrigere quicquid ipſe Ponti-

Pontifex reprehenſione dignum edixiſſet. Teſtantur hæc enim Flauianus in literis [g] ad S. Leonem ſcriptis, ipſeque S. Leo [h] in ſuis ad eum redditis; aliiſque ad Theodoſium & pſeudoſynodum Epheſinam anno ſequenti Idibus Iunii conſcriptis. Idemque inſuper Eutyches Imperatori libellum obtulit, quo Synodalia Acta eſſe falſata conquereretur: ac per ipſam vrbem Conſtantinopolitanam publicis propoſitis ſcriptis, ſe paſſum eſſe iniuriam populum conteſtatus eſt, vt Liberatus, aliique referunt. Illud denique per Chryſaphium curauit, vt in odium Flauiani hoc item anno darentur à Theodoſio Imperatore literæ pro eodem Eutychete ad Leonem Papam, quarum mentio habetur in aliis ab eodem Pontifice [i] ſequenti anno Calendis Martii ad eumdem Auguſtum redditis. Quæ vero ſecuta ſunt, dicentur inferius pro ratione temporis.

g ep. Leon. poſt ep. 6. h Leo ep. 8. 12.15.

EVTYCH. SVBTERFVGIA.

i Id. ep. 7.

VI. CONCIL. TYRI ET BERYT. IN CAVSA IBÆ EPISC. EDES.

Sub iiſdem quoque huius anni Coſſ. duo habita CONCILIA leguntur, ſeu potius Epiſcopalia dicenda Iudicia, in cauſa *Ibæ* Epiſcopi Edeſſæ in Syria alterum *Tyri* menſe Februarii, *Beryti* alterum menſe Septembris, quæ pariter recitata habentur in Actis [k] Concilii Chalcedonenſis. In quibus tamen huc vſque Latine excuſis; dum iidem Conuentus leguntur habiti. Poſt Conſulatum Zenonis atque Poſthumiani, reſtituendus eſt textus, vt legatur Sub Conſulatu eorumdem: contra vero vbi ponitur pſeudoconcilium Epheſinum cœptum eſſe menſe Auguſti ſub Conſulatu Zenonis & Poſthumiani Indictione tertia, reſtituendum eſt vt dicatur, Poſt Conſulatum eorumdem Indictione ſecunda. Quis enim neſciat ante iſtud præceſſiſſe Iudicia Tyrii Conuentus atque Berytenſis, in quibus Ibas eſt abſolutus, deinde vero ſubſecutum Epheſinum eſſe, in quo idem eſt condemnatus, teſtantibus id ipſis Synodalibus Actis?

k Conc. Chal. Act. 9.10.

VII. CAVSA IBÆ, EIVSQVE IN OMNIBVS IVDICIIS ABSOLVTIO.

Quod vero ad *Ibæ* cauſam ſpectat, quæ tot poſtea turbarum cauſa extitit, cum is olim vna cum aliis Syriæ Epiſcopis ſtetiſſet pro Neſtorio cum Ioanne Antiocheno contra Cyrillum, vſque ad tempus quo per Paulum Emeſenum res vtrimque compoſitæ ſunt, quando & ipſe Ibas communicare cum Cyrillo & Eccleſia Catholica cœpit, accidit poſtea, vt quatuor presbyteri Eccleſiæ Edeſſenæ, ab eodem ipſorum Epiſcopo Iba ſententia excommunicationis affecti, prouocantes ad Antiochenum Antiſtitem Domnum, ei libellum accuſationis aduerſum Ibam obtulerint. Sed cum is à Domno citatus, Antiochiam acceſſiſſet: viſum eſt duobus ex illis presbyteris, quo vitarent iudicium Domni erga Ibam (vt ipſius videbatur) propenſioris, proficiſci Conſtantinopolim ad Imperatorem, à quo alios ſibi dari Iudices petierunt: cum interea celebrata ob eam cauſam Antiochiæ Synodo, accuſatores Ibæ damnati ſunt. Ruſumque miſſo ab Imperatore Damaſcio Tribuno & Notario Iudice Cognitore, vt quæ Photius Tyri, Euſtathius Beryti, & Vranius Himeriæ Epiſcopi delecti à ſe in ea cauſa Iudices definirent, executioni mandaret, (cum quo etiam Flauianus miſit Eulogium diaconum ſuum) actum eſt hoc eodem anno menſe Februarii primæ Indictionis, eius cauſæ *Iudicium Tyri*, in quo tres illi Iudices Epiſcopi primum omnium diligentiſſime præſtiterunt, vt Ibas, cuius accuſatus erroris potiſſimum erat, hæreſim Neſtorii & omnes ad eam ſpectantes execraretur, fidemque Catholicam ſincere integreque profiteretur, poſtea vero pacis ſequeſtres accedentes, eoſdem presbyteros accuſatores cum ipſo conciliauerunt.

VIII.

At vero ceteris clericis Edeſſenis, qui aduerſantes erant Ibæ, haud ſtantibus initæ concordiæ, ſed præter quatuor illos presbyteros, alios etiam mittentibus Conſtantinopolim, qui aduerſus eumdem Flauiano varias criminationes offerrent, cum ruſum placuiſſet Flauiano ac Theodoſio Imperatori, vt eadem cauſa iterum tractaretur Beryti coram iiſdem qui Tyri conſederant: conuenientes illuc ipſi menſe Septembri ſecundæ inchoatæ Indictionis, ceteris nullo negotio calumniis dilutis, in eo, aduerſariis vrgentibus, magis inſtiterunt, quod obiiceretur, vocatum fuiſſe ab Iba Cyrillum Alexandrinum hæreticum, etiam poſt declarationem ab eodem Cyrillo factam ſuorum ipſius Capitulorum, & reconciliationem initam. Verum negante hoc Iba, & cōſiderata quam in eius rei probationem aduerſarii proferrent epiſtola ab Iba ad Marim Perſam ſcripta; tantum abeſt vt ex ea Ibas damnatus fuerit, vt contra probatus ſit Orthodoxus, & ab omnibus à criminatione aduerſariorum abſolutus: ſicut & eamdem ipſius abſolutionem deinde Patres Concilii Chalcedonenſis comprobarunt. Vnde poſtea factum eſt, vt multi occaſionem acceperint calumniandi tam Berytenſe Iudicium, quam Chalcedonenſe Concilium; quod illam Ibæ epiſtolam ſuſcepiſſent, quam conſtaret multis refertam eſſe blaſphemiis & in Cyrillum calumniis: & alii contra, vt eadem excuſarent, ipſam epiſtolam minime fuiſſe Ibæ dixerint [l], ſed aſſertam Ibæ.

l Greg. Pap. 7. ep. 54. ad Secund. Epiſc. in Nic. II. Conc. Act. 6.

IX. IBAS EXCVSATVR, ET CATHOLICVS PROBATVR.

Ceterum, Acta germana cum Iudicii Berytenſis, tum Concilii Chalcedonenſis, habent Ibam ingenue confeſſum eam epiſtolam eſſe ſuam, & vt Ibæ receptam eſſe à Patribus. Nec tamen ideo illi damnandi ſunt, aut in ſuſpicionem adducendi. Longe enim diuerſum eſt, dicere epiſtolam probari Catholicam, & quæ in ea ſcripta ſunt vera eſſe, vel dicere, ex ea Ibam probatum fuiſſe Catholicum. Etenim cum illa non ab Iba, ſed ab aduerſariis contra Ibam prolata eſſet, eademque hiſtoriam contineret rerum geſtarum inter Ioannem Antiochenum & Cyrillum Alexandrinum; tam ante, quam poſt pacem initam, nihil aliud inde acceperunt Patres, niſi Ibam, licet aliquando cum Ioanne atque aliis Neſtorii fautoribus Cyrillo infenſus fuiſſet (quod nec Ibas negabat) tamen quando illam ſcripſit epiſtolam, nimirum poſt reconciliationem factam, fuiſſe vere Catholicum, & cum Cyrillo communicaſſe, Neſtoriumque cum ipſius hæreſi damnaſſe. Quibus inſuperadditis, quæ eſſe dicta ab Iba pro veræ fidei confeſſione, Acta [m] Synodalia docent; non potuit ille non probari Catholicus, & abſolui. Sed quod ruſum eadem epiſtola Neſtoriani abuterentur, falſoque aſſererent à Patribus in Concilio Chalcedonenſi eſſe receptam, ac proinde ab eiſdem, cum Theodori Mopſueſteni laudes ei inſertas, tum Cyrilli damnationem, atque alia quæcumque eadem continerentur eſſe approbata, ideo fuit ipſa poſtea in Quinta [n] Synodo damnata, ob eaſdem ſcilicet Theodori laudes tunc penitus agniti hæretici aliaſque blaſphemias, ac Cyrilli criminationes, quas ſe ante reconciliationem Ibas protuliſſe in ea referret. At de Ibæ cauſa hoc anno tractata hactenus. Quomodo vero eadem poſtea iterum atque iterum ventilata fuerit, dicetur ſuis locis.

m in Conc. Chal. Act. 10.

QVA RATIONE EPISTOLA IBÆ PROBATA ET IMPROBATA.

n Quint. Syn. collat. 6.

X.

Sub huius item anni Coſſ. data extat Leonis Papæ epiſtola [o] ad Dorum Beneuentanum Epiſcopum, qua eum vehementer redarguit, quod aduerſus regulas Patrum auſus eſſet recens ordinatos presbyteros ſuper alios antea creatos collocare: laudatque Paulum presbyterum, quod non paſſus ſit ab Epiſcopo loco moueri, ſed conqueſtus ſit apud ipſum Leonem Papam.

o Leo epiſt. 5.

XI.

Hocque præterea anno, Sueuis in Hiſpania regnantibus, ipſorum Regem Recciarium redditum fuiſſe Chriſtianum Catholicum, qui res Hiſpaniarum proſecuti ſunt [p] tradiderunt: poſtea vero eoſdem Sueuos à fide Catholica deficientes, inhæſiſſe Arianis; atque demum iterum Catholicam religionem profeſſos eſſe, cum Theodemirus eorum potitus eſt regno; Iſidorus [q] teſtatur.

p Vaſæ Chr. Hiſp. Mariana rer. Hiſp. l. 5. q Iſid. hiſt. Sueuor.

IESV CHRISTI AN. 449.

THEOD. II. 42. VALENT. III. 25.

LEONIS AN. 10.

I. QVID LEO PP. IN CAVSA EVTYCH.

ANno Chriſti quadringenteſimo quadrageſimo nono, Aſterio atque Protogene Coſſ. cum literæ Eutychetis, atq; Imperatoris pro eodem Eutychete ad S. Leonem Papam ſcriptæ (vt vidimus anno ſuperiori) maiori tabellariorū induſtria præueniſſent eas quas S. Flauianus Epiſcopus Conſtantinopolitanus conſcripſiſſet, idem

Pontifex eis acceptis, ad Imperatorem primum reſcripſit [a] Calendis Martii, laudans eum de ſolicitudine Chriſtianæ religionis, ſeque mirari addens quod nullas à Flauiano (vt par erat) cepiſſet, eaſque expectandas eſſe ait, vt omnibus rite conſideratis cauſa Eutychetis perageretur. Cum vero ſcripſiſſet [b] pariter eodem argumento ad ipſum Flauianum duodecimo Calẽdas Maii, mox Flauianus ad eum reſcribens [c], cuncta temere tentata per Eutychetem palam fecit, & ſcripta ab eo ad Leonem mendacia redarguit, ſimulque petiit literis ipſius Leonis confirmari damnationem à Synodo Conſtantinopolitana in eumdem Eutychetem illatam: ſic enim fore, vt ea hæreſis, & turbæ quæ propter eam factæ eſſent, facile deſtruerentur, & Concilium quod fieri diuulgaretur, remoueretur. Hæc Flauianus: quibus intelligis, tantam ipſum vim literis Romani Pontificis tribuiſſe, vt poſſent hæreſes funditus euertere, & Concilio Oecumenico opus non eſſet, vbi eædem aliquid definiiſſent. Illudque etiam attendas, ex veteri inſtituto abſque controuerſia profiteri eoſdem inter ſe a certantes Flauianum & Eutychetem, legitimum & præcipuum Iudicem Eccleſiaſticarum controuerſiarum eſſe Romanum Pontificem, ad quem tam actor quam reus ſponte currant ſua iura proſecuturi.

Leo ep. 7. — *b Id. ep. 8.* — *c ap. Leon. ante ep. 7.* — SVPREMA RŌ. PONT. AVCTORITAS.

II. — CONCIL. II. CONSTANT. IN CAVSA EVTYCH.

Interea vero Conſtantinopoli, nullum non mouens lapidem Chryſaphius eunuchus, vt Acta eiuſdem Synodi Conſtantinopolitanæ irrita redderet, & ipſum Flauianum damnationis pœnam conuerteret, inſuperque iudicium S. Leonis, quod parabatur, eludere cogitans: perſuaſit Imperatori, vt rurſum in eamdem vrbem aliam SYNODVM conuocaret, quæ cauſam Eutychetis cognitura eſſet: conuocatiſque triginta Epiſcopis hoc anno ad quintum Idus Aprilis, quem vellet Eutyches vt præſideret Theodoſius Epiſcopus Cæſareæ Cappadociæ ſua dexteritate confecit, cui etiam Imperatoris nomine interfuit Patritius Florentius. Quæ autem ab iis geſta ſint, ipſa Acta declarant, quæ intexta leguntur primæ Actioni Magni Concilii Chalcedonenſis. Ex quibus inprimis conſtat, quod licet contra ius faſque conceſſum eſſet ab Imperatore Eutycheti (fruſtra excipientibus Patribus de peruerſo ordine iudiciario) per procuratores ſuam cauſam in Synodo agere: Euſebio vero Epiſcopo Dorilæ ipſius accuſatori nequaquam: nihilominus cognitis quæ per eoſdem procuratores idem Eutyches multis mẽdaciorum anfractibus diuerticula quæritaret, quaſi non omnia quæ ipſe in priori Concilio Conſtantinopolitano dixiſſet, in Acta relata fuiſſent, comprehenſus fuerit in omnibus vaniloquus atque doloſus. Quæ quidem cum plus ſatis eſſe potuiſſent ad proſcriptionem impii hæreſiarchæ, & ab eo proditæ impietatis: tamen dum Chryſaphius priuata contra Flauianum ſtudia fouit, atque in eadem pertraxit Imperatorem (neque enim odio Catholicæ Fidei, ſed Flauiani, hæc omnia Theodoſium atque Chryſaphium molitos eſſe conſtat) maximum parauit Eccleſiæ luctum, ipſique Imperio cladem, vt exitus patefecit. Sed & eadem Seſſione illud memoria dignum contigit, quod cum Macedonius Tribunus & Notarius, Imperatoris nomine ſuggeſſiſſet Epiſcopis qui præcedenti Synodo interfuiſſent, ſub ſacramento dicerean vera eſſent Acta quæ ab vtraque parte proferrentur, reſpondente Baſilio Seleuciæ Epiſcopo, hactenus inauditum fuiſſe, iuramentum Epiſcopis eſſe oblatum, eiuſdem interceſſione factum fuerit, ne iurare Epiſcopi cogerentur.

IVRAMENTVM EPISCOPIS NON DEBERE OFFERRI.

III. — SECVNDA CONCILII ACTIO.

Abſoluta itaque Prima Seſſione, rurſum eiuſdem menſis Aprilis die vigeſima ſeptima Conuentu à Patribus habito, Silentiarius Imperatoris qui ſuperioris anni Synodo interfuerat, teſtatus eſt ſe, antequam Synodi Actio celebraretur, audiuiſſe à Flauiano iam Eutychetem eſſe damnatum, ſcriptumque damnationis libellum, quem Synodo ſubſcribendum porrecturus eſſet. Sed & teſtificatione Aſterii presbyteri dictum eſt, ipſa eiuſdem ſuperioris Synodi Acta fuiſſe à Notariis immutata. Verum poſtquam diſcuſſis Geſtis (vt de his agens addit Liberatus [d]) inſtantibus Notariis cum aliis Epiſcopis Catholicis, nihil de illorum falſitate probari potuit, tunc Imperator poſtulauit à Flauiano confeſſionem fidei manu propria ſcriptam, quod Eutyches eum calumniatus eſſet eadem ſapere cum Neſtorio. Cum vero talem Flauianus obtuliſſet, qua & ipſi Neſtorio & eius ſectatoribus anathema diceret, poſtquam ſe nihil ex ea parte Eutyches efficere vidit, demum vrgere cœpit apud Imperatorem Vniuerſale fieri Concilium, cui præſideret Dioſcorus Epiſcopus Alexandrinus.

d Liber. c. 11.

IV. — INDICITVR SYNODVS EPHESI IN CAVSA EVTYCH. — *e Niceph. l. 14. c. 47.* — *f Liber. c. 12*

Factum eſt igitur molitione Chryſaphii (vt habet Nicephorus [e]) vt ad Calendas Auguſti indicta fuerit Synodus Epheſi: dirigenſque (inquit Liberatus [f]) Imperator Sacram (ſic vocabant litteras Imperatorum) Dioſcoro Alexandriam, præcepit vt decem Metropolitanos Epiſcopos quos voluiſſet ipſe eligeret, & congregato Epheſi Concilio Eutychetis cauſam diſcuteret, iubens Barſumam Archimãdritam Syriæ intereſſe, & vicem agere omnium monachorum qui Orientales Epiſcopos accuſarent hæreſis Neſtorianæ: Theodoretum vero Cyri Epiſcopum adeſſe Concilio interdixit, & in ſua ciuitate permanere iuſſit, cum iam & Ibam Edeſſenum, ne Synodo adeſſet, per Chryſaphium Eutyches exilio relegaſſet. Hæc de indicta Synodo ex Liberato, & ex ipſius Theodoſii ea re ſcriptis ad eoſdem Dioſcorum & Barſumam litteris [g]. Sed & eumdem ad alios Orientalis Eccleſiæ Metropolitanos Epiſcopos conſcripſiſſe, Synodalia Acta fidem faciunt.

g Ext. in Conc. Chalced. Act. 1.

V. — QVAM PERPERAM IN HIS SE GESSERIT IMP.

Ex his autem vides, intentatum hactenus ſibi ius Theodoſium Imperatorem arrogaſſe, dum celebrandæ Synodo Oecumenicæ qui præeſſet Epiſcopum delegit: quod quidem Romani eſſe Pontificis, docent quæ acta dictaque ſunt in reliquis antehac celebratis. Sed & obſerua dolum aduerſariorum, quam caute egerint, ne quis eorum qui conſtantiſſime eſſent aduerſus Eutychetem propugnaturi fidem Catholicam de duabus in Chriſto Naturis (puta Ibas & Theodoretus) ad indictum Concilium admitterentur, ea rectitudinis ſpecie quod eſſent hæreſis Neſtorianæ fautores: contra vero qui Eutychetis ſtudioſiſſimi eſſent, Synodo præeſſe & intereſſe iubentur, eo colore quod eſſent hoſtes eiuſdem hæreſis Neſtorianæ: quaſi non contra emergentem nouam hæreſim, ſed contra Neſtorium bellum ſuſcipiendum eſſet. At Deo vindice, vbi tot ac tanta Theodoſius præſumpſit, cito priuatus eſt Imperio & vita, vt dicetur anno ſequenti.

VI. — CONSILIVM THEOD. IMP. DE VOCANDO AD SYNOD. LEONE PP. — *h Leo ep. 15.* — *i Id. ep. 15.*

Quod vero ſciret nullum fore Concilium quantumuis Oecumenicum, abſque Romani Pontificis auctoritate, hanc reuerentiam diuiņis detulit inſtitutis (inquit Leo in epiſtola [h] poſtea ad ipſam Synodum ſcripta) vt ſanctæ diſpoſitionis effectum auctoritatem Apoſtolicæ Sedis adhiberet. Sed quod ſatis intelligeret ipſum Leonem Romanum Pontificem Eutycheti aduerſaturum, illud conſilium iniit, ita eum vocare vt tamen caueret ne adeſſet: videlicet adeo anguſto termino tempus claudens, vt nonniſi magno incommodo accedere poſſet, prout ipſe Leo queſtus eſt ad Pulcheriam Auguſtam. Qui etiam quod mala præſagiret quæ eſſent ex huiuſmodi Concilio ventura, primum perſuadere Imperatori [k] conatus eſt vt illud haberi ſineret in Italia, ac deinde illam ipſam Epiſcoporum coitionem diſſuadere, eo quod in re adeo perſpicua ſuperuacaneum eſſet tantam conſultationem adhibere.

k ep. 9. — *l ep. 17.*

VII. — LEGATI MISSI A LEONE PP. — *m Id. ep. 10. 12. 13. 15.* — *n Ita ap. Marian. Scot. in Chron.* — *o Leo ep. 10.* — LEONIS EPIST. DE VERBI INCARNAT. MIRE AB

Cum autem neutrum impetrare valuiſſet, tandem ne fidei cauſa diſpendium aliquod pateretur, idem Pontifex Epheſum ad Concilium Legatos à Latere miſit [m], *Iulianum* Epiſcopum [n] Puteolanum, *Renatum* presbyterum Cardinalem tit. S. Clementis, *Hilarum* S. R. E. diaconum Cardinalem, ac *Dulcitium* Notarium: iiſdemque celebrem illam dedit Idibus Iunii ſub huius anni Coſſ. ad Flauianum Conſtantinopolitanum Epiſtolam [o], qua non ille ſolum, ſed vniuerſa Synodus, totuſque Oriens, quid de Verbi Incarnatione ſentiendum eſſet, ex ſententia Euangelicæ veritatis acciperet: quam & Occidentalibus quoque omnibus Circularem eſſe voluit (eam Græci

dicunt

OMNIBVS PRÆDICATA.

dicunt Encyclicam) tamquam ad nouæ emergentis hæreſis paratum antidotum: qua inprimis duas in Chriſto Naturas vnitas indiuiſe & inconfuſe in vnius Perſonæ ſubſiſtentia inſeparabiles docuit. Eſtque illa eiuſmodi, vt eamdem omnes ſumma obſeruatione exceperint, ac Gelaſius [p] Papa, Synodus [q] Chalcedonenſis, Theodoretus [r], Epiſcopi [s]. Galliarum in Concilium ea de re conuocati, & alii innumeri, diuinis plane laudibus proſecuti fuerint: adeo vt quædam etiam prodigioſa accidiſſe, à nonnullis [t] ſit creditum, cum illam S. Leo ſcripſiſſet. Conſtatque ex ſcripto codice peruetuſto Sanct. Mariæ ad Martyres, morem fuiſſe Romanæ aliarumque Occidentalium Eccleſiarum, eamdem legere publice in eccleſia menſe Decembris ante Domini Natiuitatem, quod ea Dominicæ Incarnationis doctrinam abſolutiſſimam continere. Porro illam dictatam fuiſſe à S. Proſpero Aquitano, à multis creditum, Marcellinus tradit in Chronico ſub Conſulatu Olybrii & Ruſtici: idque ipſum putauit Gennadius [u]. Verum nonniſi S. Leonis eſſe dixerim: etenim eamdem dictionem quæ eſt in epiſtola, vtique agnoſco in eiuſdem Sermonibus.

p Gelaſ. in Conc. Rom. de libr. authent. q Conc. Chalced. Act. 6. r Theod. ep. ad Leon. s Epiſc. Gal. ep. Leon. poſt ep. 51. t Prat. Spir. c. 147. 148. u Gennad. de vir. ill. c. 84.

VIII. x Leo ep. 11. & ſeqq.

LEO PRÆSCRIPSIT SYNODO SENTENTIAM DE EVTYCHETE.

Eodem vero die quo illa data legitur, nempe Idibus Iunii, alias [x] quoque per eoſdem Legatos dedit ad Theodoſium Imperatorem, Pulcheriam Auguſtam, Iulianum Coenſem Epiſcopum virum diſertiſſimum & Catholicæ veritatis acerrimum defenſorem, alioſque, ac præcipue ad Synodum ipſam, iubens omnino Eutychetem debere prius ſuam hæreſim condemnare, quam aliquomodo de eius reſtitutione tractaretur. Quæ quidem haud minima fuit Romani Pontificis indulgentia facta Synodo, vt de reſtitutione hæreſiarchę tractare poſſet. Siquidem auctores hæreſum non recipiendos eſſe ad priſtinum gradum etiamſi mille offerrent libellos pœnitentię, legibus Eccleſiaſticis, ſancitum eſſet, & in Eccleſia iugiter obſeruatum. Sed id Leo Eutycheti præſtandum eſſe voluit, quod (vt iiſdem, aliiſque litteris teſtatur) libellum is Romam miſiſſet, quo polliceretur, ſiquid erraſſet ſeſe ex ipſius Romani Pontificis arbitrio correcturum.

IX. y ep. Conc. Chalced. Act. 1.

SYNODVS II. EPHESINA.

Quæ igitur ad Calendas Auguſti indicta SYNODVS fuerat, [y] cœpta eſt quarto Idus Auguſti huius anni, cui interfuiſſe numerati ſunt Epiſcopi centum viginti octo, præter paucos aliquos qui per ſuos vicarios interfuerunt: præſto etiam fuere Apoſtolicæ Sedis Legati ſuperius nominati: adfuitque, & præfuit, licet indebite, auctoritate Imperatoris *Dioſcorus* Alexandrinus. Conuenerunt pariter inter primos, *Domnus* Antiochenus, *Iuuenalis* Hieroſolymitanus, *Flauianus* Conſtantinopolitanus, *Thalaſſius* Caſarienſis Cappadociæ, *Stephanus* Epheſinus, aliique: & in ipſa Seſſione, Flauianus nō poſt Antiochenum ſedere Antiſtitem à Dioſcoro permiſſus eſt, ſed poſt Hieroſolymitanum. Cum autem omnes conſediſſent, Legati Apoſtolicæ Sedis excuſauerunt Leonis Papæ denegatum aduentum in Synodum, ad quam præſens vocatus fuerat, eo quod moris non eſſet, niſi per Legatos extra Vrbem Romanos Pontifices Synodis intereſſe.

X. LITERÆ LEONIS A DIOSCORO NON ADMISSÆ. z Ibid. Act. 1. & 3.

Poſt hæc iidem Legati obtulere ſcriptas ad Synodum & ad Flauianum literas eiuſdem S. Leonis, quas Dioſcorus ſuſcipi iuſſit: verumtamen nec lectas, immo neque ſuſceptas fuiſſe, teſtatum poſtea fuit in Concilio [z] Chalcedonenſi, ſed lectione aliarum literarum Imperatoris à cœptis per Legatos ſermonibus diſceſſum eſſe, ex compoſito quidem, vt vitaretur lectio illarum quas S. Leo ſcripſiſſet, cum tamen id inſtanter petentibus Legatis, Dioſcorus iuramento eſſet pollicitus ſe facturum: ſed numquam præſtitit. Vnde & ſcandalum atque læſionem Sanctæ Dei Eccleſiæ per totum Orbem terræ perlatam eſſe ibidem aſſertum eſt. Poſt hæc vero ſuggeſtione facta, de Fide agendum eſſe, negauit Dioſcorus, aſſirmans ex decreto Imperatoris tractandum eſſe de cōtrouerſiis obortis Conſtantinopoli inter Flauianum & Eutychetem. Itaque ingreſſus Eutyches, libellum fraudulentiſſimum obtulit: cumque Flauianus peteret dari locum Euſebio Epiſcopo Dorilæi accuſatori Eutychetis, repulſus eſt, eo prætextu quod non eſſet Flauiani aliquid petere, qui olim iudex, hac autem in Synodo reus aſſiſteret iudicandus vna cum eodem Euſebio.

XI. NEFANDA PSEVDOSYNODI GESTA.

Sed ne diutius immoremur in recenſendis ſingulis praue geſtis hoc conuentu Satanico, qui ſcire cupierit, quibus violentiis ope Comitum ac militum Imperatoris Dioſcorus vſus fuerit, vt non ſolum Eutyches abſolueretur, ſed & impio eius dogmati ſubſcriberetur, damnarenturque Flauianus, Euſebius, Ibas, Theodoretus, aliique Eutychetis hæreſeos aduerſarii, tam abſentes quam præſentes quaſi fautores Neſtorii eſſent, ac nonnulli eorum aduerſus Cyrillum ſcripſiſſent: quomodo item eodem prætextu damnatus æque fuerit Domnus Epiſcopus Antiochenus, licet & ipſe in Flauianum & Euſebium impiorum decreto coactus ſubſcripſiſſet: Hæc, inquam, omnia fuſius pertractata reperiet in Actis Synodi [a] Chalcedonenſis, in qua iſtius Epheſini Conuentus cuncta geſta retractata fuere atque condemnata. Sed & eadem pſeudoſynodo in Flauiani locum à Dioſcoro ſubrogatum eſſe *Anatolium*, ipſius Dioſcori Conſtantinopoli Apocriſarium, pro Domno vero Antiocheno ſuffectum eſſe Maximum, pro Iba Nonnum, pro aliis item depoſitis alios, ex Liberato [b], Euagrio [c], aliiſque conſtat. Sicut & literis [d] Pulcheriæ Auguſtæ ad Leonem Papam declaratur, Epiſcopos qui ſubſcribere recuſarunt Eutychetis abſolutioni & Flauiani damnationi, iuſſos eſſe à Dioſcoro per milites in exilium deportari. Ac denique ipſum Flauianum, quod Sedem Apoſtolicam primo viua voce, deinde etiam ſcripto libello appellaſſet, eiuſdem impiiſſimi Dioſcori & ſceleſtiſſimi Barſumæ Archimandritæ opera, plagis contuſum & catenis conſtrictum perductum eſſe in exilium, ibique multis aliis preſſuris & ærumnis confectum, paulo poſt nobiliſſimam pro egregia defenſione Catholicæ fidei, ac generoſa prouocatione ab Oecumenica Synodo ad Romanum Pontificem, martyrii coronam promeruiſſe, certum redditur ex Concilio [e] Chalcedonenſi, Menologio [f] Græcorum, Marcellino [g] Comite, Liberato [h] diacono, Nicephoro [i] Calliſto, aliiſque auctoribus.

a Ibid. Act. 1. & 3. ANATOLIVS INTRVDITVR EPISC. CONSTAN. b Liber. c. 12. c Euagr. l. 1. c. 10. d Infra amb. Conc. Chalc. S. FLAVIANI VEXATIO ET MARTYRIVM. e Conc. Chalced. Act. 3. & 4. f Menolog. 18. Febr. g Marcel. in Chron. hoc an. h Liber. Breuiar. c. 12. i Niceph. 14. hiſt. 47.

XII. APOSTOL. SEDIS LEGATI QVAM MALE HABITI.

Et quod ad ipſos Apoſtolicæ Sedis Legatos, conſtat eoſdem his impietatibus fortiſſime reſiſtentes, peſſime habitos fuiſſe, ac vix vnum ex illis Hilarum diaconum clam fuga lapſum, per incognita & inuia loca Romam perueniſſe, & omnia Leoni Papæ renunciaſſe. Id enim teſtantur eorumdem ipſorum Leonis & Hilari ad Pulcheriam Auguſtam ea de re ſcriptæ literæ [k]. Cuius etiam Hilari extat hactenus de fuga ſua, & liberatione ope S. Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ, antiquiſſimum monumentum in ædicula ab ipſo eidem liberatori ſuo erecta Romæ in Baptiſterio Conſtantini. Laudatque pariter Theodoretus [l] alium ex iiſdem Legatis, Renatum presbyterum, de feruenti zelo quo arguit & repreſſit audaciam Dioſcori eiuſque ſectatorum. Sed & quanta mala ab iiſdem Eutychianis reliqui ſanctiſſimi Epiſcopi Confeſſores eadem ex cauſa damnati, perpeſſi fuerint, ex iis meditari poſſumus, quæ vnus ex illis Ibas poſtea queſtus [m] eſt ſe paſſum eſſe: nimirum per quadraginta manſiones per diuerſos ad inuicem ſuccedentes ordines deductum eſſe in exilium, ac viginti & amplius carceres mutaſſe.

k Leo ep. 26. Hilar. ad Pulcher. in præfat. Conc. Chalc. l. l Theo ep. 116. ALIOR. EPISCOP. ORTHOD. PRESSVRÆ. m In Conc. Chalced. Act. 10.

XIII. QVALIS EA SYNODVS EPHES.

Huncque tandem conſecuta eſt finem Epheſina Synodus Oecumenica Poſterior, quam improbatam à Sanct. Leone Romano Pontifice, iure maiores noſtri *Prædatoriam* appellarunt, vel LATROCINIVM EPHESINVM: In qua nihil niſi per vim & metum, catenaſque & gladios, tentatum & extortum, perfiduſque hæreſiarcha errores ſuos ſtabiliuit: & de qua iidem ipſi qui ſubſcripſerunt Orientalis Eccleſiæ Epiſcopi, repleti ſunt vndique lachrymis, quod tam ignauiter fidem Catholicam prodidiſſent, infamem hæreſiarcham reſtituiſſent, & innocentiſſimum Flauianum vna cum aliis SS. Epiſcopis condemnaſſent. Fuerunt autem illi, ſuperius recenſiti præcipuarum ſedium Antiſtites, aliique, quorum nonaginta ſex numero ſubſcriptiones magna cum ignominia recitatæ ſunt poſtea in Concilio [n] Chalcedonenſi, cum cauſati ſunt, ſe nolentes ſubſcribere, vſque ad veſperam tentos fuiſſe re-

n Ibi. Act. 1.

cluſos in eccleſia, ac demum à militibus cum fuſtibus & gladiis coactos fuiſſe. Quomodo vero Deus hæc tanta facinora in auctores eorum vltus fuerit, dicetur inferius ſuis locis.

XIV. THEODORETVS APPELLAT SEDEM APOSTOL.

Inter hæc autem Theodoretus Epiſcopus Cyri, cum abſens audiſſet ſe ab ea pſeudoſynodo fuiſſe depoſitum, appellans (vti Flauianus fecerat) Romanum Pontificem, quem vnicum eſſe ſciret legitimum Iudicem, qui perperam à Synodis etiam Oecumenicis facta reſcindere poſſet, honorificam ad eum legationem miſit Hypatij & Abramij Corepiſcoporum atque Alypij Archimandritæ, per quos ſcripſit tum ad alios quoſdam, tum inprimis [o] ad ipſum Leonem Papam, ac Renatum S. R. E. Cardinalem presbyterum, quem vnum vidimus ex Legatis Epheſinis, enixe rogans, vt quandoquidem ipſe, poſt tot ac tantos labores aduerſus Gentiles, Iudæos, & omnis generis hæreticos, totis viginti & ſex annis quibus hactenus Eccleſiæ ſuæ præfuiſſet, etiam cum ſanguinis effuſione & frequentibus vitæ periculis, pro fidei Orthodoxæ, quam ſemper & vbique profeſſus eſſet, ac multiplicibus ſuis ſcriptis vniuerſo Orbi manifeſtam feciſſet, defenſione exantlatos, abſens iniuſtiſſime damnatus eſſet: idem Leo Papa dignaretur ipſi appellanti eius rectum iudicium, opem ferre, & Apoſtolica auctoritate præcipere vt Romam conuolaret, etiamſi ab Imperatore prohibitus eſſet egredi è Syria: *quippe quod haberet ſanctiſſima Romana Sedes omnium per Orbem Eccleſiarum principatum, cum multis alijs de cauſis, tum maxime quod hæretica labis ſemper immunis permanſiſſet, & Apoſtolicam gratiam immaculatam ſeruaſſet.* Ac demum obteſtatur, vt quamprimum Leo reſcribat, vtrum ipſe Theodoretus iniuſtæ ſuæ depoſitioni acquieſcere deberet, an non: obtemperaturum enim ſe illius cuicumque ſententiæ, quandoquidem non hęc ipſe ob honorem & gloriam quæreret, ſed ob ſcandalum Eccleſiæ, & ne hæreticus cenſeretur.

o Theod. ep. 113. 116. Red. Bar. Annal To. V I. hoc an.

XV.

Hæc & alia Theodoretus tam ijſdem quampluribus alijs ea de re datis ad diuerſos in Occidentem, atque etiam Conſtantinopolim literis, quas habet codex Vaticanus, omnes haud dubium ab eo ſcriptas antequam à Theodoſio Imperatore pro confirmatione pſeudoſynodi promulgatum eſſet edictum [p], quo inter alia multa auditu execrabilia, ipſius Theodoreti, perinde ac ſcelerati Neſtorii, & impuriſſimi Porphyrii, ſcripta fuere omnino vetita, incendioque damnata, ſubque ſpecie confirmandę Nicænæ fidei, ac damnandæ Neſtorianæ perfidiæ (ſicut factum fuerat in eodem Conciliabulo) damnati ſunt quoque immeriti, probataque poſterior æque ac prior Synodus Epheſina, ac proinde Eutychiana hæreſis validata. Si enim ante datas à Theodoreto ſuperiores litteras fuiſſet eiuſmodi ſanctio promulgata, quos non ipſe clamores iiſdem edidiſſet, & lugubres querelas addidiſſet: Porro edidit eam Theodoſius Eutychianorum artibus circumuentus, inprimis vero eorumdem anteſignani Chryſapii eunuchi, qua omnem gloriam, quam ob pietatem hactenus ſincere ſeruatam idem Auguſtus fuerat conſecutus, penitus labefactauit. Quanta vero conſtantia hæc omnia Theodoretus pertulerit, nempe damnationem, ſedis abrogationem, exilium quoque (vt ipſe teſtatur in litteris ad Anatolium [q] Patricium, & Alexandram [r] clariſſimam feminam) ſcriptorumque ex Imperatoris edicto iacturam, ex aliis pluribus ab ipſo ad diuerſos hoc tempore ſcriptis ea de re litteris intelligi datur. Adeo vt plane quicquid tempore prioris Oecumenici Concilii Epheſini deliquerat, aucto fœnore in hoc tumultuario Epheſino conuentu perſoluerit, ſtans ante alios in ſuſcepto certamine indefeſſus fidei Catholicæ propugnator. Quem quidem à Sede Apoſtolica fuiſſe abſolutum, & in ſedem ſuam reſtitutum, apparet ex Actis Concilii [s] Chalcedonenſis: ſicut & Euſebium Dorilæi, qui Romam ſe receperat. Priuilegium namque fuit ſolius Romanæ Sedis, tamquam quæ præeſſet Orbi terrarum (vt loquitur Theodoretus ad Leonem) vt depoſitus à Synodo Epiſcopus, abſque alia Synodo maioris numeri reſtitui poſſet à Romano Pontifice, quod aliis ſedibus inconceſſum fuiſſe liquet.

p Ext. ap. Conc. Chalc. Act. 1.
IMPIVM THEODOSII IMP. EDICTVM PRO PSEVDOSYN. EPHES.

THEODORETI CONSTANTIA IN PERSECVTIONE.
q Theodor. ep. 139.
r Idem ep. 100.

s Conc. Chalced. Act. 1. & 8.

XVI. CONCIL. ROM. PRO ABROGATIONE PSEVDOSYN. EPHES.

Sed & Leonem Papam, de cunctis rebus Epheſi geſtis certiorem factum, habita menſe Octobri huius ipſius anni SYNODO Epiſcoporum Occidentalium, omnia quæ more prædonum perfidi illi Eutychiani, tam aduerſus rectam fidem, quam contra Flauianum alioſque ſanctiſſimos Antiſtites præſumpſiſſent, Pontificio decreto reſcidiſſe, irritaque penitus eſſe declaraſſe, conſtat ex litteris [t] ea de re ad Pulcheriam Auguſtam ab Hilario diacono ſcriptis: licet de ea damnatione nulla prorſus mentio habeatur in Synodalibus ab ipſo Leone [u] Papa ad Theodoſium Imperatorem eamdemque Pulcheriam, & ad alios miſſis eodem menſe Octobris. Quod quidem eo factum putamus, quia Leo voluit ad tempus ea obtegi ſilentio, quod ſperaret Vniuerſali Synodo in Italia cogenda (quam ſuis illis litteris ab Imperatore expetiit) omnem Orientalium Eccleſiarum ruinam fore reſarciendam. Cumque opportune pariter contigiſſet, eodem tempore celebratæ Romanæ Synodi, in Vrbe eſſe Imperatorem Valentinianum, vna cum Eudoxia coniuge & Placidia matre, viſitandi gratia Apoſtolorum ſacra Limina; iidem quoque vt pii Principes exhorreſcentes quæ Epheſi tyrannice facta eſſent, ad illud immane facinus deſtruendum ſinguli ſingulas dedere ad Theodoſium literas, quæ ante Concilium Chalcedonenſe relatæ habentur, vna cum ipſis Theodoſii reſponſionibus, ex quibus videas quam difficile ſit Principes, cum ſemel tuendam ſuſceperint iniuſtam cauſam, oſtenſa licet veritate in rectum iter reuocari.

t Extat ep. ... Conc. Chalced.
u Leo ep. 23. 25. 26. 28. 29.

VALENTIN. IMP. SCRIBIT ADVERSVS GESTA EPHES.

XVII. GALLÆ PLACIDIÆ AVG. VIRTVTES, ET OBITVS.

Ceterum quod de eadem *Galla Placidia* Auguſta Valentiniani Imperatoris matre, nulla poſt hac mentio vſquam habeatur, haud diutius creditur fuiſſe ſuperſtes: femina quidem magni conſilii, & diuerſis agitata caſibus, in qua potiſſimum enituit Chriſtiana religio: quam & conſtat fuiſſe filiam, ſororem, vxorem, matrem, ac materteram Imperatorum Romanorum. Maximo vero damno Valentinianum tali orbatum fuiſſe matre, eius poſteriora in deterius prolapſa, & in interitum tandem deducta, facile declararunt. Sed & ſub huius anni Coſſ. defunctam eſſe *Marinam*, Arcadii Imperatoris filiam, habet Marcellinus in Chronico: verum mendoſe ibi legitur, vxor Theodoſii, dicenda ſoror. Eudocia enim vxor Theodoſii fuit, eique ſuperuixit. Porro Marina in ſanctæ virginitatis profeſſione cum ſororibus educata conſenuit; admirante plane Orbe terrarum (quod dictum eſt ſuperius) ipſam Regiam Conſtantinopoli conuerſam fuiſſe in Monaſterium.

XVIII. DIOSCORI HORRENDVM FACINVS IN EXCOM. ROM. PONT.

Interea vero nefarius Dioſcorus cum reuerſus eſſet Alexandriam, perinde ac ſi ad hoc vnum natus eſſet, vt mortales omnes peccando ſuperaret, & ſcelera perpetraret quæ nullus perditorum hactenus cogitaſſet; colligens paucos ſecum Epiſcopos, auſus eſt in S. Leonem Papam excommunicationis ſententiam iaculari; vt teſtantur Acta [x] Concilii Chalcedonenſis, atque Liberatus [y]. In quo tamen illud mirum contigit, vt cui aduerſus Flauianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum Ægyptii, Thraces, ac Palæſtini Epiſcopi (vt ſcribit idem Liberatus) adhærerent; tamen cum in Romanum Pontificem agendum fuit, vix decem, eoſdemque coactos (vt in iiſdem Actis continetur libello Theodori) in ſui horrendi facinoris conſortium pertrahere potuerit. Sed quæ poſthæc ſecuta fuerint, dicetur inferius ſuis locis.

x Conc. Chalced. Act. 3.
y Liber. c. 12.

IESV CHRISTI AN. 450.

VALENT. III. 26. MARCIANI I.

LEONIS AN. II.

I. PVLCHERIA AVG. AGIT PRO FIDE CATHOL.

ANnus Chriſti quadringenteſimus quinquageſimus Valentiniano Aug. ſeptimum & Auieno Coſſ. magna illa pietate inſignis Auguſta Pulcheria virgo, cum hactenus ob domeſticas (vt vidimus) ſimultates, vitam agens pene monaſticam procul à negotiis ſeſe in Hebdomo continuiſſet, vbi deeſſe vidit qui pugnarent prælia Do-

mini, mox inſtar Deboræ fide armata proceſſit, nec ceſſauit quouſque religionem proſtratam erexit: Cui quidem, ſicut Neſtorii, ita Eutychetis damnationem S. Leo [a] Papa acceptam tulit.

a Leo ep. 31. 35. 39. 45.

II. THEOD. IMP. SCRIBIT AD LEON. PP.

Sed & Theodoſius Imperator, etſi infelix ab Eutychete atque Dioſcoro deceptus, ratam habuit Flauiani damnationem; haud tamen cum illis eo impietatis demerſus eſt, vt auctoritatem Romanæ Eccleſiæ contemnendam exiſtimarit: immo eamdem ſedium omnium caput intelligens, non prius Anatolium à Dioſcoro in locum Flauiani ſuffectum, ſtabiliendum putauit, quam id eiuſdem Sedis Pontificis proballet aſſenſus: vt conſtat ex redditis ad illum à Leone [b] Papa ſub his Coſſ. decimoſeptimo Calendas Auguſti literis. Sed quoniam non vnius Anatolii tantum exploranda fides erat, cum plurima eſſet lapſorum multitudo, viſum eſt eidem Leoni, ex veteri Romanæ ſedis conſuetudine mittendi Legatos ad erigendam collapſam Orientalem Eccleſiam, dirigere Conſtantinopolim Legatos à Latere, qui eoſdem lapſos ad Eccleſiam Catholicam redire volentes probarent. Fueruntque ad tantum opus delecti *Abundius* Comenſis Epiſcopus doctrina & ſanctitate celebris, *Aſterius* item Epiſcopus, atque *Baſilius* & *Senator* presbyteri; vt de iis omnibus fidem faciunt eædem ad Theodoſium litteræ, aliæque eodem tempore ad Pulcheriam [c] Auguſtam & Archimandritas [d] ab eodem Leone conſcriptæ.

b Idem ep. 33.

LEGATI A LATERE MISSI CONSTANTINOP.

c Ep. 35. d Ep. 34.

III. THEOD. RESIPISCIT.

Interea vero Theodoſius gratia cœlitus emiſſa illuſtratus, ſanctæ ſororis conſiliis acquieſcens, ac remedia ab ea miniſtrata percipiens, multa & admiratione digna in expiationem admiſſi ſceleris præſtitit, quæ narrat Nicephorus [f]. Sed quod ait, ab eo S. Flauiani corpus Epheſo Conſtantinopolim tranſlatum eſſe; erroris arguitur ex epiſtola Pulcheriæ ad Leonem, de qua poſtea, vbi habetur expreſſum, id à Theodoſii ſucceſſore Marciano Auguſto præſtitum eſſe: ſicut neque Epheſi mortuum eſſe Flauianum conſtat, vt inde eius corpus transferri oportuerit. Sed & quod tradit, ab eodem Theodoſio Chryſaphium eunuchum, omnium malorum auctorem, dignitate ac bonis ſpoliatum in inſulam relegatum eſſe, eumdemque ad locum exilii nauigantem in mari merſum occubuiſſe; Marcellinus & Cedrenus hunc Pulcheriæ iuſſu neci traditum affirmant. Porro Eudociam quoque Auguſtam Flauiani aduerſariam ac Pulcheriæ æmulam, ab eodem Imperatore ipſius marito grauiter obiurgatam in Hebdomum relegatam eſſe ſcribit: quam poſtea Hieroſolymam nauigaſſe conſtat. Additque idem auctor [g], paulo ante obitum eumdem Theodoſium Epheſum petiiſſe, S. Ioannem Euangeliſtam honoraturum; templumque illius ingreſſum, orationi vacantem, quis ei in Imperio ſucceſſurus eſſet edoctum à Deo per viſionem fuiſſe; & Conſtantinopolim reuerſum, in venatione lapſum ab equo paulo poſt deceſſiſſe, cum antea Pulcheriam admonuiſſet, Dei voluntatem eſſe vt Marcianus Tribunitius Imperium capeſſeret. Hæc Nicephorus: cui adſtipulatur Cedrenus. Zonaras tamen ex quorumdam ſententia tradit, Theodoſium morbo periiſſe. Theodorus vero Lector in Collectaneis, ipſum ad venationem egreſſum, & in fluuium Album abreptum, ſequenti nocte mortuum eſſe. Sed quod ad tempus ſpectat; conſentiunt omnes contigiſſe eius obitum quarto Calendas Auguſti, anno Imperii ab exitu parentis Arcadii quadrageſimo tertio per tres menſes inchoato, ætatis vero quadrageſimo nono. Qui quidem attemperatam miſericordia Dei vindictam expertus eſt, quod datum illi ſit ante obitum, admiſſum facinus intelligere, ac remedia quærere, & in auctorem vlciſci.

f Niceph. l. 14. c. 49.

VINDICTA IN CHRYSAPH. EVNVCH.

g Idem c. 58.

THEOD. IMP. OBITVS.

IV. MARCIANVS CREATVR IMP.

Defuncto autem ipſo, voluntate S. Pulcheriæ ex Senatusconſulto delatum eſt Imperium MARCIANO, genere Thraci, ex infima militia per gradus ad tantam potentiam deuecto: de cuius primordiis, ac ſignis quæ eius portenderunt Principiatum, plura habet Euagrius [h]. Quod enim nullum hactenus præceſſiſſet exemplum, vt Auguſta ſola habenas moderaretur Imperii, & ipſa Deo (vt dictum eſt) virginitatem vouiſſet, iamque ætate grandior eſſet, vtpote quæ ageret annos quinquaginta vnum, nata [a] ſub Conſulatu Theodori & Eutropii: ſalubre illud conſilium iniit, vt coniugii titulo virum eueheret in Imperium ætate maturum, conſilio grauem, religione eximium, cōtinentia probatum, atque militari virtute vbique ſpectatum: ſicque optimo Imperii regimini opportune conſuleret, vt tamen deuotæ Deo virginitatis integritati eſſet omnino proſpectum: haud immemor facti huius digniſſimum præceſſiſſe exemplum, cum Sanctiſſima Virgo Deipara ita fuit matrimonii legibus iuncta coniugi, vt numquam deſierit eſſe virgo.

h Euagr. l. 2. c. 1.

QVA RATIONE PVLCHERIA NVPSERIT MARCIANO.

V. MARCIANVS AGIT ADVERS. EVTYCHIANOS.

Simulac vero Marcianus creatus eſt Auguſtus, nihil antiquius habens quam hæreticos recens obortos vexare; ipſis Calendis Auguſti aduerſus Eutychianos ſanctionem [i] edidit, qua illos pœnis omnibus ſubiecit, quæ ſuperiorum Imperatorum legibus aduerſus alios hæreticos conſtitutæ fuiſſent. Ruſumque ad præcipuum Eccleſiæ viſibile Caput conuertens oculos, eiuſque nutu cuncta agere ſtatuens, ad S. Leonem Romanum Pontificem literas [k] dedit de electione ſua, ac deſiderio reſtituendæ Eccleſiæ. At cum inter hæc Legati, quos ad Theodoſium idem Leo direxerat, Conſtantinopolim peruenientes ei reddidiſſent litteras quæ ad Theodoſium ſcriptæ fuerant: iis acceptis idem Marcianus iterum ad Leonem reſcripſit [l] de cogenda eiuſdem Pontificis auctoritate Oecumenica Synodo, vocandiſque ab Imperatore in quamcunque ciuitatem ipſi Leoni videretur Epiſcopis, à quibus quæ Catholicæ eſſent fidei, ſecundum eiuſdem Pontificis definitionem declararentur. Inculcauit hæc eadem Pulcheria Auguſta aliis ad eumdem Pontificem datis litteris [m]. Ex quibus omnibus inprimis videas, priſtinum morem Oecumenici cogendi Concilii, ab iiſdem piiſſimis Imperatoribus egregie obſeruatum; vt id abſque auctoritate Romani Pontificis minime fieret, ſed eius arbitrio Imperatores Catholici cuncta decernerent. Nam quid ab aliis quorum non extant literæ, præſtitum ſit in hoc munere, ex iis Marciani & Pulcheriæ quæ extant intelligi datur. Denique eumdem Marcianum totum intentum componendæ Eccleſiæ diſſipatæ, exulantes omnes ex Conciliabulo Epheſino Confeſſores Epiſcopos, ad propria reuocari iuſſiſſe; & quod gratiſſimum Catholicis omnibus extitit, S. Flauiani in exilio defuncti corpus ſolemni pompa Conſtantinopolim transferri curaſſe; iiſdem ſuis literis Pulcheria Leoni ſignificauit. De reſtitutione vero Epiſcoporum, teſtis eſt etiam Theodoretus epiſtolis [n] hoc eodem tempore ſcriptis ad Anatolium Magiſtrum militum, Aſparem Gothicæ militiæ Præfectum, & Vincomalum Magiſtrum Officiorum; quibus eos rogat, vt Imperatori & Auguſtæ ſuo nomine gratias agant de ſolutis exilii vinculis, admonetque quid de futura Synodo eiſdem Principibus ſuggerere debeant.

i L. 4. C. de apoſtat.

k Ext. ante Conc. Chalc.

l Ibid.

MARC. ET PVLCHER. AGVNT APVD LEON. PP. PRO VNIVERS. COGENDA SYNODO.

m Ext. ibid.

MARC. RESTITVIT EPISCOPOS EXVLES.

n Theod. ep. 139. 140. 141. Rec. Bar. Annal. To. VI. hoc an.

VI. CONCIL. CONSTAN. CORAM LEGATIS APOSTOL. ADVERS. NESTOR. ET EVTYCH.

Eodem vero tempore iidem qui ſupra Apoſtolicæ Sedis Legati, ſatagentes Eccleſiæ Catholicæ communioni lapſos reſtituere Epiſcopos, SYNODVM Conſtantinopoli habuere, in qua primum omnium Anatolius eius vrbis Epiſcopus fidei Catholicæ profeſſionem obtulit, ac deinde alii; ſtatutumque eſt, vt abſentes ſuam ſinguli mitterent, vt ab eiſdem Legatis examinaretur quæ qualiſue cuiuſque fides eſſet; ſecundum quod iiſdem Legatis à Leone in mandatis datum fuerat. Præter quæ, extat etiam eiuſdem Synodi Actorum fragmentum in Rebus geſtis S. Abundii Epiſcopi Comenſis vnius ex Legatis, quo eadem confirmantur. Sed & miſſam eſſe ad ſingulos Metropolitanos epiſtolam S. Leonis olim datam ad Flauianum, cui omnes ſubſcriberent, fidem faciunt quæ habentur poſt Actionem Quartam Concilii Chalcedonenſis in Græcis codicibus in cauſa Photii & Euſtathii. Eidemque epiſtolæ ſubſcripſiſſe Anatolium, eædem Pulcheriæ ad Leonem litteræ teſtantur. De Theodoreto vero, Iba, & Aquilino Bibli [o] in Palæſtina Epiſcopo, eidem ſubſcribentibus, teſtis eſt epiſtola Theodoreti ad eumdem Abundium Legatum ſcripta, quæ habetur in iiſdem ipſius Actis. Licet enim iſti, vt hoſtes Eutychianæ ſectæ

o Euag. l. 1. c. 10.

paſſi eſſent exilium; tamen quod aliquando Neſtorio fauiſſent, male adhuc audiebant apud nonnullos Orthodoxorum: atque ideo, quo ſe vere Catholicos eſſe demonſtrarent, illi epiſtolæ ſubſcribere voluerunt. Nam & in hac eadem Conſtantinopolitana Synodo dictum eſſe anathema tam Neſtorio quam Eutycheti, & omnibus ipſorum ſectatoribus, docetur eodem ipſius Actorum fragmento. Sicut & ibidem ſtatutum eſſe, ne in ſacris memorarentur nomina Dioſcori Alexandrini, Iuuenalis Hieroſolymitani, & Euſtathii Berytenſis, quod impœnitentes eſſent anteſignani ſchiſmaticorum; itemque, vt reliquis Epiſcopis in Conciliabulo Epheſino lapſis, ad communionem Eccleſiæ redire volentibus, ſuæ tantum, nondum vero totius Catholicæ Eccleſiæ communicatio concederetur; declarat S. Leo [p] epiſtola ad Anatolium Conſtantinopolitanum anno ſequenti Idibus Aprilis ſcripta; qua iiſdem ſuam & Eccleſiæ Catholicæ communionem indulſit, confirmans quæ aduerſus Dioſcorum ac ſocios ſtatuta eſſent.

p *Leo ep. 40.*

VII. ATTILA RECEDIT AB ORIENTE IN OCCIDENTEM.

VII. His autem feliciter ſub Marciano Imperatore hoc anno geſtis, mox illud magni momenti ſubſecutum eſt bonum, vt qui per multos annos aſſiduis cladibus Orientale Imperium, cum in eo impietas regnaret, Attila Hunnorum Rex labefactaſſet; ſimul ac reſtituta eſt vera religio, ipſe ſponte ab Oriente recedens, copias conuerterit in Occidentem, vbi imbellem ſciret regnare Imperatorem, per Aetium Patricium bella gerentem. Quid autem illic egerit, dicetur anno ſequenti.

VIII. FAMES ET PESTIS ITALIAM VEXAT.

VIII. Hoc interim anno ingentem famem vexaſſe Italiam, adeo vt plurimi parentes rabida fame pereuntes coacti fuerint filios ad cibum emendum vendere; teſtis eſt Valentiniani Imperatoris ſanctio [q] anno ſequenti menſe Ianuario edita, qua præcepit licere parentibus redimere filios. Sed & peſte laboraſſe eamdem Italiam, Gelaſius [r] Papa eſt auctor.

q *Valentin. Nouel. ti. 11. ep. C. Th.*
r *Gelaſ. in Andron.*

IESV CHRISTI AN. 451.

VALENT. III. 27. MARCIANI 2.

LEONIS AN. 12.

I. ANNVS CONCILII CHALCEDON.

I. ANnus Chriſti quadringenteſimus quinquageſimus primus, Marciano Auguſto & Adelphio Coſſ. memorabilis extitit Magni CONCILII CHALCEDONENSIS pacifica celebratione; de qua nobis ordine breuiter agendum eſt. Cum igitur Synodum Vniuerſalem ſumma diligentia à Papa Leone Marcianus Imperator expeteret; idem Pontifex reuocatis Romam prioribus illis Legatis, anno ſuperiore Conſtantinopolim miſſis, alios decreuit mittendos qui Synodo futuræ intereſſent; de quibus dicetur inferius.

II. CONCIL. MEDIOL. PRO CONFIRMATIONE EPIST. LEONIS PP. DE INCARNAT. VERBI.

II. Reuerſis autem prioribus in Vrbem, & inde ad proprias Eccleſias; S. Abundius Comenſis Epiſcopus vnus ex illis, ex litteris S. Leonis Papæ egit cum S. Euſebio Mediolanenſi Epiſcopo, vt prouinciali CONVENTV, quæ ſcripta eſſet ad Flauianum de Verbi Incarnationis doctrina, eiuſdem Leonis epiſtolam publicis ſubſcriptionibus ſe omnes recipere teſtarentur: quod & impigre curatum eſſe, apparet ex litteris [a] Synodalibus ad eumdem Pontificem exaratis; quibus ſubſcripti reperiuntur viginti Epiſcopi, & inter eos *Maximus* Taurinenſis, cuius cum ob præſtantem eruditionem, tum ob inſignem vitæ ſanctitudinem, celebre eſt nomen in Eccleſia Dei. Sed corrigendus de illo Gennadius [b], dum poſt recenſitas eiuſdem lucubrationes, addit ipſum deceſſiſſe Honorio & Theodoſio regnãtibus. Etenim qui huic Synodo Mediolanenſi ſub Leone Papa hoc tempore celebratæ interfuiſſe legitur, immo & quem Romano Concilio ſub Hilario Leonis ſucceſſore præſentem item fuiſſe, eius Acta Concilii declarant; plane longe poſt Honorii tempora ſuperuixiſſe eum oportuit; niſi duos Maximos Taurinenſes poſueris, quod à nemine dictum reperimus.

a *Ap. Leon. poſt ep. 52.*

DE MAXIMO TAVRIN. EPIS.

b *Gennad. de vir. illuſt. c. 40.*

EPISCOPOR. SVBSCRIPTIONES QVO ORDINE FIERI SOLITÆ.

III. Sed quod ad eamdem Synodum Mediolanenſem ſpectat; ex ſerie ſubſcribentium Epiſcoporum obſerua (quod & in aliis quoque Conciliis deprehendere licet) non ſedium prærogatiuæ, ſed temporis quo quiſque Epiſcoporum ſedere cœpit, haberi ſolitam rationem: quod vel hoc vno exemplo intelliges, dum in Concilio Aquileienſi, cui pariter Epiſcopus Mediolanenſis S. Ambroſius interfuit, in ordine ſubſcribentium ante Diogenem Epiſcopum Genuenſem Philaſtrius ponitur Epiſcopus Brixianus; in hac vero Synodo primo ponitur Paſchalis Genuenſis, & poſt alios Octauianus Brixianus: ſicut & Epiſcopus Vercellenſis in imo fere poſitus reperitur, qui in Concilio Aquileienſi quarto loco collocatus habetur. Cur autem Leo voluerit horum Epiſcoporum ſubſcriptionibus firmari doctrinam de Incarnatione Verbi; id eo conſilio factum eſt, vt Legati à Latere ad Oecumenicam Synodum profecturi, de Occidentalium Epiſcoporum ſuffragio eam vere informare poſſent. Siquidem erat priſtino vſu receptum, vt cum Oecumenicum in Oriente Concilium indiceretur, cui haud omnes Occidentales intereſſe poſſent; iidem quo aliquo modo & ipſi ſuum ferrent ſuffragium, vel Romam (ſi pateretur opportunitas temporis) ad Synodum conuocarentur, vel præcipiente Romano Pontifice in ſuis prouinciis conuentus cogerent, & ex iis literas ad eumdem Pontificem darent; qui ſic Legatos à Latere non tantum ſuo, ſed totius Occidentalis Eccleſię nomine dirigeret. Quod & aliis ſuperius exemplis vidiſſe licuit.

VETVS CONSVETVDO DE PARTICVLARIBVS CONVENTIBVS ANTE SYNOD. OECVM.

IV. EPISCOPI CONVENIVNT NICEÆ.

IV. Vt igitur de ipſa OECVMENICA SYNODO agamus; hoc anno, decimo Calendas Iunii, Marcianus Imperator publicam edidit ſanctionem [c] ad omnes Epiſcopos, qua eos *Nicæam* in Bithynia conuenire voluit ad Calendas Septembres. Qui cum eo ad præfinitam diem ſe contuliſſent, pluribuſque diebus expectaſſent Imperatoris aduentum, qui ſe in optatis habere Synodo intereſſe ſignificauerat; dedere ad eum literas, quibus ob infirmitates & anguſtias complurium ipſorum, petierunt vt ſineret ex more conuentus agi. Ipſe vero reſcripſit, viſum eſſe Apoſtolicæ ſedis Legatis, ne abſque Imperatoris præſentia Synodus ageretur; ſeque propediem affore pollicitus eſt. Cum autem inter hęc, perturbari à barbaris Illyricum certior redditus eſſet; idem aduerſus illos expeditionem parans, tamen quod ſciret tunc hoſtes facilius ſuperari, cum primo religioni conſultum eſt, ſuſceptum iam antea inſtitutum de Oecumenico celebrando Concilio implere laborauit. Sed quod haud tutum eſſe videretur ob bellicas neceſſitates, Conſtantinopoli longe recedere; iteratis litteris (quarum poſteriores [d] datę habentur decimo Calendas Octobris) Patres cõuocauit *Chalcedonem*, propinquam Conſtantinopoli eiuſdem Bithyniæ ciuitatem; cui & ipſe commode ſuam præſentiam exhibere poſſet, nequid tumultus ab Eutychianis (quod Patres timere ſignificauerant) moueretur.

c *Ext. ante Conc. Chalc.*

d *Ext. ibid.*

IIDEM VOCANTVR CHALCEDONEM.

V. ATTILÆ MORES, EFFIGIES, ET POTESTAS.

V. Iſti porro improuiſi rumores Illyrici, per Attilam *Hunnorum*, (vt complures maiorum appellare maluerunt) *Chunnorum* Regem excitati fuere. Qui fortiſſimarum gentium (vt habet Theophanes in Miſcella) quas ſubiugauerat præſidio fultus, ad Occidentale demoliendum Imperium intendens animum, ſeptingentorum millium exercitum eo duxit: Vir (vt addit) in concuſſionem Orbis in mundo natus, terrarum omnium metu quoque vulgatus. Namque ſuperbus inceſſu, huc ſe & illuc circumferens, vt elatus potentia ipſo quoque motu corporis appareret: bellorum quidem amator, ſed manu temperans ipſe, conſilio validiſſimus, ſupplicantibus inexorabilis, propitius in fidem ſemel receptis; forma breuis, lato pectore, capite grandiori, oculis minutis, barba raſus, canis reſperſus, ſimus naſo, teter colore, originis ſuæ ſigna referens. Hæc ille auctor de Attila: qui & ſubdens de populis qui ſub ipſo militabant, ait fuiſſe eius ſubiectos dominio Regem Gipedarum Andaricum, ac VValamirem Gothorũ, necnon fortiſſimas gentes Marcomannos, Sueuos, Quados, Herulos, Turcilingos, ſiue Rugos cum propriis Regulis, aliaſque barbaras nationes in finibus Aquilonis commanentes. Horumque omnium Attilam ſuperbum

e *Miſcel. l. 15.*

impe-

imperio; quamquã robore facile ſe adipiſci putaret quod cuperet, tamen aſtutia potius quam armis hoſtes aggredi ſategiſſe. Verum & his barbaris alios quoque Sidonius [f] Apollinaris addit, quos ſecum Attilam duxiſſe ait. Conſtatque eumdem ex prædictione cuiuſdam ſanctiſſimi viri, cognominari voluiſſe FLAGELLVM DEI, quod nimirum à Deo miſſus eſſet vltor ſcelerum peccantium Chriſtianorum, inſtar Aſſur, qui *Virga furoris Domini* [g] eſt nominatus.

f Sidon. Panegyr. de Auito.
ATTILA DICTVS FLAGELLVM DEI.
g Iſa. 10.

VI. Sic igitur ferociſſimus barbarus in Occidentem properans, non quidem ex pactione inita cum Theodorico Veronenſe, & Anthemio Valentiniani Imperatoris genero qui poſtea imperauit, Danubiani limitis Ducibus (quod ſomniauit Auentinus [h], æque impius atque imperitus) ſed numeroſiſſimo truculentorum barbarorum pollens exercitu, inſtar fulminis quæque obuia diſiecit; ac præcipue Gallias diriſſima clade affecit, omnia ſacra profanaque homines & ædificia promiſcue deuaſtans: cum tamen quædam loca fuerint diuerſorum Sanctorum tam in cœlis iam triumphantium, quam adhuc in terris militantium, interceſſionibus illæſa cuſtodita: puta Oratorium [i] Sanct. Stephani Metis, ipſiuſmet Protomartyris precibus; ciuitas Pariſienſis, ſanctiſſimæ Virginis Genouefæ [k] orationibus; vrbſque Trecenſis, interuentione Sanct. Lupi [l] eiuſdem tunc Epiſcopi; quem & Attila magnæ habuit venerationi. Tradunt [m] autem nonnulli, Lupum habitu indutum Pontificali cum multitudine cleri Attilæ ad excidium illius vrbis aduenienti obuiam factum, interrogaſſe quiſnam ipſe eſſet, qui tot deuictis regibus, nationibuſque ac populis proſtratis, & vrbibus euerſis, cuncta ſibi ſubderet; eoque reſpondente, ſe eſſe Flagellum Dei, tunc Lupum dixiſſe, *Et quis mortalium Dei Flagello reſiſtet? Veni igitur Dei mei Flagellum, illoque vtere vt Deus concedit.* atque ad ea verba barbarum emollitum, Trecenſem vrbem illæſam pertranſiiſſe. Sed habent [n] alii, cum ferox barbarus delere omnino ciuitatem propoſuiſſet, diuina virtute tum ipſum tum eius exercitum veluti cæcitate percuſſos, neminem videntes tranſiiſſe per mediam ciuitatem, ſicque vrbem ſaluatam eſſe. Verum de hoc auctorem aliquem veterem non inuenimus.

h Vid. Marc. Velſ. hiſt. Auguſt. Vindel. l. 8.
CLADES GALLIAR. AB ATTILA.
i Gre. Tur. 2. hiſt. Fran. 6.
k Act. S. Genouef. ap. Sur. 3. Ianua.
l Act. S. Lup. ap. Sur. 29. Iul.
m Nicol. Olai in Attil. c. 9.
RES GESTÆ LVPI TRECENS. CVM ATTILA.
n Petr. Catal. l. 6. c. 1. & alij.

VII. De Vaſatenſi quoque vrbe, ab Hunnica clade magno Dei beneficio liberata, teſtis eſt Sigebertus [o]: poſt quod & illud mirabilius accidiſſe tradit, vt cum Epiſcopus pro gratiarum actione Miſſam populo celebraret, viderit ſuper altare quaſi de Camera templi cadere æqualiter tres guttas æqualis magnitudinis cryſtallo clariores; quæ ſimul defluentes in vnum coniunctæ, quaſi vnam gemmam pulcherrimam effecerunt: quam cum in medio Crucis aureæ poſuiſſet, aliæ gemmæ ceciderunt: ſeorſum vero poſita infirmis dabat ſanitatem, adorantibus autem Imaginem S. Crucis augebat deuotionem: quia piis & mundis clara, immundis obſcura videbatur. Hæc Sigebertus; eam aſſerens occaſionem miraculi, quod Arianiſmo regio illa nonnihil ob Gothos illic verſantes infecta eſſet.

o Sigeb. in Chron. an. 451.
MIRACVLVM IN CONFIRMATIONEM SS. TRINIT. VASATIS.

VIII. Ceterum poſt magnas vbique illatas clades, Attila cum tandem Aurelianum obſediſſet, vrbem munitiſſimam; iamque oppugnaſſet, atque etiam (vt Sidonius [p] tradit in eam irrupiſſet: interrumpente repentino Aetii Patricii, Imperatoris Valentiniani in Gallia ducis aduentu, vna cum Theodorico atque eius filio Toriſmundo Regibus Gothorum, & quem hiſtorici Franci addunt, Merouco eorumdem Francorum Rege (quos omnes aduerſus Attilam communem hoſtem, cum Romanis Auitus Præfectus Galliarum fœdere iunxerat) idem Attila non ſolum ab vrbis direptione remotus eſt [q], ſed & poſtea ingenti prælio in campis Catalaunicis debellatus (qua pugna centum octoginta millia ex vtraque parte, atque inter eos ipſum Regem Theodoricum cecidiſſe volunt) fuga ſibi conſuluit. Quæ quidem tanta, orationibus ſanctiſſimi Aniani Aurelianenſis tunc Epiſcopi obtenta eſſe, omnes conſentiunt. Poſt hæc vero Attila collectis copiis quibus abundabat, prudenti conſilio dirimens bellum, Galliamque deſerens, ſe contulit in Illyricum, in Orientem reuerſurus: ſed à Marciani Imperatoris exercitu repulſus, inter fines Veneticos ad ſequentis anni bellum conſedit. Sicque ex inſperato Romano Orbe pacato, ſumma pace celebratum eſt Concilium Chalcedonenſe, de quo iam cœptum erat agi.

p Sidon. 8. ep. 15.
ATTILA VINCITVR IN GALLIA.
q De his vid. Sidon. panegyr. de Auit. Greg. Tur. hiſt. Franc. l. 2. c. 7. Caſſiod. in Chron. Act. S. Aniani ap. Sur. 17. Nouembr. Iſidor. in Chron. Gothor. Theop. Miſcel. l. 15.

IX. Hoc igitur anno, iiſdem Coſſ. Marciano atque Adelphio, Indictione quarta, menſe Octobris CHALCEDONE conuenit ad SYNODVM OECVMENICAM celebrandam ingens numerus Epiſcoporum. Sexcentos triginta fuiſſe, plerique auctores [r] tradunt: Nicephorus [s] etiam ſex addit, vt duplicetur numerus eorum qui Synodo interfuere Nicænæ: S. vero Leo [t] ſexcentos ferme fuiſſe ait. Quapropter cum in prima eiuſdem Cõcilii Actione trecenti quadraginta quinque tantummodo ſcripti leguntur, immo nonniſi trecentorum numerum ſubduxerit qui eadem Acta edidit; dimidiam ferme partem in eis deſiderari certum eſt.

SYNODVS OECVM. CHALCEDON.
r Marcel. in Chron. Liber. Breuiar. c. 13. Phot. de ſept. Synod. c. 4. & alij fere omnes.
s Niceph. l. 15. c. 2.
t Leo ep. 52 ad Epiſ. Gal.

X. Collectum autem fuit Concilium, non intra mœnia ipſius Chalcedonenſis ciuitatis, ſed in ſuburbiis in ampliſſima baſilica S. martyris Euphemiæ; quam Euagrius [u] graphice deſcribit, vna cum eiuſdem Sanctæ miraculis, & guttis ſanguinis atque odore mirifico ex ſacris ipſius Reliquiis procedentibus; de quibus etiam dictum eſt in eius martyrio. Omnes autem Epiſcopos conſediſſe ante cancellos ſacri altaris, eiuſdem Synodi Acta ſæpius docent: quem locum Liberatus [x] *Secretarium*, indeque ſingulas Seſſiones ibidem habitas, *Secretaria* appellat. Moris namque fuiſſe vt in baſilicarum Secretariis Concilia Epiſcoporum celebrarentur, plura demonſtrant exempla Eccleſiæ Africanæ, vbi Concilia Carthaginenſia in Secretariis celebrata eſſe reperies; necnon Romanæ ſub Martino, & aliarum pariter Eccleſiarum. Eumdem vero locum Euſebius [y] & Euagrius [z] *Sanctuarium*, ſiue *Sacrarium* nominarunt. Harum namque ac Secretarii vocum eamdem eſſe ſignificationem, ſed & alia appellatione à Græcis *Diaconium* dici, docent canones [a] Concilii Laodiceni. Eo enim loco diſponi conſueuiſſe ſacra vaſa ad miniſterium, & ſacros codices ad lectionem, oſtendit Paulinus [b]; fuiſſeque intra apſidem, haud obſcure ſignificat. At de loco ſatis.

u Euagr. l. 2. c. 3.
x Liber. c. 13.
SYNODI IN SECRETARIIS.
y Euſeb. 10 hiſt. 4.
z Euag. d. c. 3.
a Conc. Laodic. c. 21. ſecunda edit. & c. 56 pri. edit.
b Paulin. ep. 12. ad Seuer.

XI. Quod vero ad perſonas attinet; inprimis conſtat ex litteris [c] Leonis Papæ, pro Apoſtolica Sede ab ipſo Leone & Occidentalibus omnibus Epiſcopis, Legatos quatuor ex Synodo Romana miſſos, *Paſchaſinum* Lilybæi in Sicilia Epiſcopum, ac *Lucentium* Aſculanum, vna cum *Bonifacio* atque *Baſilio* S.R.E. presbyteris Cardinalibus. Verum quoniam de Baſilio in Actis Synodi Chalcedonenſis nuſquam mentio, neque apud aliquem alium antiquorum ſcriptorum expreſſus habetur; coniectura ducimur, eum ante coactam Synodum defunctum, remanſiſſeque Paſchaſinum, Lucentium, & Bonifacium. Præter quos voluit etiam Leo *Iulianum* Coenſem Epiſcopum, ſolitum in Oriente agere res Eccleſiæ Romanæ, in eadem Synodo Legati munere fungi, vt ex eiuſdem S. Leonis litteris, & Epiſcoporum ſubſcriptionibus liquet. De quo & illud conſiderandum, quod licet homo Græcus, & Græcam linguam egregie [d] callens, atque inter Græcos loquens; tamen per interpretem in Synodo [e] locutus reperiatur. Quod non aliunde accidiſſe certum eſt, niſi quia (vt alias dictum eſt) ob excellentiam Romanæ Eccleſiæ, moris erat Legatorum Sedis Apoſtolicæ, Latine ſemper & vbique loqui.

LEGATI EX OCCIDENTE.
c Leo ep. 41. & 49. ad Marcian. & ep. 47. ad Synod.
d Id. ep. 56. & 69.
e Conc. Chalced. Act. 1.

XII. Sed vt ad Synodi perſonas redeamus haud defuit etiam ex Africana Eccleſia legatio, licet VVandalica perſecutione aſſidue vexaretur: miſſi ſunt enim *Aurelius* Adrumetinus, & *Ruſticus* Epiſcopi. Atque item pro Saracenis Antiſtites adfuerunt *Euſtathius* & *Ioannes*; pro Siculis *Ioannes* Meſſanenſis. Aduenerunt inſuper & hoſtes Catholicæ fidei, qui ſimul conſpirarunt contra S. Flauianum, *Dioſcorus* Alexandrinus & *Iuuenalis* Hieroſolymitanus. Venitque etiam *Domnus* Antiochenus iam priuatus, & qui eius loco ſuffectus fuerat *Maximus*: itemque ſubrogatus in lo-

ALII INSIGNIORES EPISCOPI, QVI SYNODO INTERFVERVNT.

cum S. Flauiani *Anatolius* Conſtantinopolitanus, iam à S. Leone Papa Catholicæ reconciliatus Eccleſiæ. At iure reprehenditur ab Euagrio [f] Zacharias Rhetor, cum affirmat ad hanc eamdem Synodum acceſſitum quoque Neſtorium. Manauit enim inde errandi occaſio, quod inter alios Epiſcopos recenſitus legatur [g] Neſtorius, ſed Phanagoriæ ciuitatis Epiſcopus, longe alius à Neſtorio hæreſiarcha. Deniq; præſto fuit *Marcianus* Imperator, vna cum *Pulcheria* Auguſta, & aliis Imperii Magiſtratibus.

[f] Euagr. l. 2. c. 2.

[g] Conc. Chalced. Act. 1. in pr.

XIII.
[h] Act. 1.
CONSESSVS SYNODI.

Conſeſſus autem ita diſpoſitus reperitur [h], vt inter apſidem atque cancellos Patribus conſtitutis, à læua parte ſederent Apoſtolicæ Sedis Legati, & poſt eos Conſtantinopolitanus, Antiochenus, & alij Epiſcopi; à dextris autem Dioſcorus Alexandrinus, Iuuenalis Hieroſolymitanus, ac ſubinde reliqui: in medio vero ſuper thronum Sacroſancta Euangelia ex more poſita. Imperator autem & Auguſta, vna cum Magiſtratibus, ijſdemque delectis Iudicibus Cognitoribus (de quorum in Synodis functione dictum [i] eſt alias) ſedem habuit ante cancellos. Sed vt intelligas Legatos in ſiniſtra vt nobiliori parte locatos, conſule quæ dicta ſunt abunde ſuperius in Nicæno [k] Concilio de ratione dignitateque ſiniſtræ.

[i] Sup. an. 411. num. 4.

[k] Sup. an. 325 n. 17. & 18.

XIV.
DE NVMERO SESSIONVM ET ACTIONVM.

De tempore porro quo Synodus cœpta & abſoluta fuit; ex eiuſdem liquet Actis, inchoatam eſſe octauo Idus Octobris, abſolutam vero Calendis Nouembris: quo medio tempore, duodecim diebus duodecim Seſſiones, ſiue Secretaria eſſe habita, Liberatus [l] teſtatur. Actiones vero in eis habitas numerat ipſe quindecim: ſed tam Latina quam Græca exemplaria ſexdecim continent; cum tamen ob deprauatos codices, interdum ex Græco corrigendus ſit Latinus textus, & ex Latino Græcus; habeanturque Actiones in codice Græco, quæ in Latinis deſiderentur. Nos autem ex vtroque textu, quid ſingulis diebus geſtum ſit, Seſſionis nomine ſuo ordine recenſentes, tredecim numeramus totidem diebus celebratas: ſed quod ſub vnius diei Seſſione plures interdum inueniantur celebratæ Actiones, extant omnes ſeptemdecim; abſque illa ſpuria & clandeſtina ab Anatolio (vt dicetur) furtim adiecta. Quas vero diuerſis diebus celebratas reperimus Actiones, eaſdem ad confuſionem vitandam ſub ſuis ſingulis reponimus Seſſionibus, ſecuti Liberatum; addentes tamen quæ ipſum prætererunt, ex Græcis codicibus.

[l] Liber. Breuiar. c. 13.

XV.
MARC. IMP. ARBITRIO ROM. PONT. VOLVIT PERAGI SYNODVM.

Quod igitur ad Primam pertinet Seſſionem; Marcianus Imperator primus omnium allocutus S. Synodum, declarauit fidem Incarnationis Domini confirmandam eſſe iuxta doctrinam Nicænorum Patrum, & epiſtolæ S. Leonis Papæ ſcriptæ ad S. Flauianum. Additque, ſe ad confirmandam fidem, non ad oſtendendam virtutem, exemplo Imperatoris Conſtantini, adeſſe Synodo cogitaſſe. Poſtea vero Apoſtolicæ ſedis Legati dixerunt, habere ſe in mandatis ab eodem *Apoſtolico* (vt vocant) *Papa Vrbis Romæ, quæ eſt caput omnium Eccleſiarum*, vt Dioſcorus non ſederet in Concilio, quod auſus eſſet Synodum congregare abſque Sedis Apoſtolicæ conſenſu; quod numquam antea factum eſſet, nec rite fieri poſſet. Quibus auditis, factum eſt interlocutione Iudicum Cognitorum, vt è Patrum conſeſſu dimotus Dioſcorus, reus in medio conſtitueretur [m] iudicium ſubiturus. Admiſſoque poſt hæc in Synodum (reclamantibus licet Ægyptijs, Palæſtinis, & Illyricis Epiſcopis, qui eum Neſtorianum eſſe calumniarentur) *Theodoreto* Cyri Epiſcopo, quem Leo Papa Eccleſiæ ſuæ reſtituiſſet, & Imperator adeſſe ſanxiſſent, ſed & lecto libello Euſebij Epiſcopi Dorilæi aduerſus Dioſcorum; atque recitatis Actis Conciliabuli Epheſini, & Synodi Conſtantinopolitanæ aduerſus Eutychetem: de omnium Patrum ſententia Iudices pronunciarunt damnationem Dioſcori Alexandrini, Iuuenalis Hieroſolymitani, Thalaſſij Cæſarienſis Cappadociæ, Euſebii Ancyrani, Euſtathii Berytenſis, & Baſilii Seleucienſis, qui cum ipſo Dioſcoro præfuerant improbo Epheſino conuentui; atque eorum quos iidem damnaſſent, abſolutionem. Et conſecuta eſt pro gratiarum actione, & Dei laudum celebratione, ſacri Triſagii acclamatio: additæque aliæ fauſtæ pro Imperatore, ac diræ in Dioſcorum. Sicque Prima Seſſio finem accepit.

DIOSCORVS ALEX. IVBETVR REVS CONSISTERE.

[m] Conc. Chalc. Act. 1. Euag. l. 2. c. 4.

DAMNATIO EPISC. PSEVDOSYN. EPHES.

XVI.

Secunda vero, habita ſexto Idus Octobris, tractatum eſt de Fide; lectaque ſunt Concilii Nicæni ac Conſtantinopolitani Oecumenici Symbola, ac binæ S. Cyrilli Alexandrini literæ, necnon S. Leonis ad Flauianum epiſtola, quam mirificis laudibus Patres proſecuti ſunt: ac poſt conclamationes aduerſus Dioſcorum, Seſſio diremptа eſt.

XVII.

Tertia, habita tertio Idus Octobris, fuit tantummodo Epiſcoporum abſque Imperatore ac magiſtratibus ſæcularibus, quos noluerunt Patres ei intereſſe, eo quod in ea tractanda eſſet Dioſcori damnatio ſecundum canones Eccleſiaſticos. Quapropter recitatus eſt primo loco ſupplex libellus Euſebii Dorilæi, quo Acta Epheſina damnari ipſumque Dioſcorum deponi petebat. Et quamuis iſta iam in priori Synodi Actione facta videri poſſent interlocutione Iudicum Cognitorum; vt tamen legitima ſeruaretur ab ipſis Epiſcopis ſecundum Eccleſiaſticas regulas forma Iudicii, idem Dioſcorus citari iuſſus eſt, qui abſens domi erat cuſtoditus à militibus ne fugam arriperet. Cum autem bis per Epiſcopos ad eum miſſos citatus, comparere recuſaſſet, niſi adeſſent in Synodo Iudices ſæculares, qui antea cauſam tractare cœperant; reſpondente Cecropio Epiſcopo Sebaſteno, vno ex iis qui ad ipſum vocandum miſſi fuerant, *Quando quædam regularia, hoc eſt Eccleſiaſtica, negotia examinantur ſecundum canones, neque Iudices alios, vel laicos intereſſe oportere*; (Ex quibus vides, quantum ſibi laici, ipſi Iudices ſæculares, ſiue in Synodis, ſiue in aliis Eccleſiaſticis cauſis deberent vendicare.) poſt eorum ad Synodum relationem, iuſſi ſunt legi varii libelli aduerſus eumdem Dioſcorum à diuerſis clericis aliiſque Alexandrinis oblati Synodo, omnes huiuſmodi inſcriptione notati, *Sanctiſſimo & beatiſſimo Vniuerſali Archiepiſcopo & Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, & Sanctæ & Vniuerſali Synodo Chalcedonenſi.* Quibus cum accuſaretur quod Origeniſta eſſet hæreticus, & blaſphemus in ſanctiſſimam Trinitatem, & homicida, & incendiarius, atque vita turpiſſimus; quodque viuos bonis ac dignitatibus ſpoliaſſet, defunctos conſuetis officiis fraudaſſet; ſed & tyrannidem in Ægypto diuerſis aulibus aduerſus Imperatorem affectaſſet; ac demum Leonem Romanum Pontificem excommunicare præſumpſiſſet: placuit Patribus, vt is adhuc tertio vocaretur per libellum conſcriptum, eiuſmodi reſponſurus accuſationibus. Verum illo penitus refragante, cum nihil reliquum eſſet ad eius excuſationem; tunc Apoſtolicæ Sedis Legati Leonis Papæ nomine ſententiam tulere, qua eumdem Dioſcorum omni Epiſcopali dignitate & ſacerdotali miniſterio ſpoliatum declararunt; eique ſententiæ vniuerſi epiſcopi ſubſcripſere; nempe poſt Legatos primo Anatolius Conſtantinopolitanus, inde Maximus Antiochenus, ac ſubinde reliqui, ſinguli ſingulis impium Dioſcorum perſtringentes ſententiis. Moxque S. Synodus ea de re Synodalem epiſtolam ad Valentinianum & Marcianum Imperatores, & aliam ad Pulcheriam Auguſtam ſcripſit: publicumque propoſuit de Dioſcori damnatione decretum, quod & ipſi Dioſcoro ſignificandum curauit; ac de eodem literas dedit ad Clerum Alexandrinum. Quæ omnia Tertia Actione contenta habentur.

LAICI NON DEBENT INTERESSE IVDICIIS ECCLES.

ROM. PONT. VNIVERSALIS PATRIARCHA.

DIOSCORI ALEX. DAMNATIO.

XVIII.

Quartæ, celebratæ decimoſexto Calendas Nouembris, interfuerunt cum epiſcopis Iudices quoque Cognitores: vbi propoſita rurſum illorum cauſa epiſcoporum, quos cum Dioſcoro in prima Actione damnatos vidimus; iidem veniam petentes, poſt rectæ fidei ſubſcriptionem, damnationemque contrarium ſentientium, admiſſi ſunt ad Synodum, & eccleſiæ reconciliati. Poſt quos ingreſſi epiſcopi Ægyptii anathema vix tandem Eutycheti dicere compulſi ſunt, ſubſcribere vero Leonis epiſtolæ omnino detrectarunt, quouſque nouus Alexandrinus epiſcopus creatus eſſet; eo vſi prætextu, quod moris eſſet Ægyptiis epiſcopis, ſequi in ſubſcriptione Alexandrinum; ſeque magno periculo id tentaturos, ob alios Ægypti epiſcopos: quorum ſupplicibus votis annuit Synodus,

ÆGYPTII EPISC. QVO PRÆTEXTV RECVSENT SVBSCRIBERE LEONIS EPISTOLÆ.

dus, cautione adhibita, ipſos non receſſuros Chalcedone donec electus eſſet nouus Epiſcopus. Sicque clauſa eſt Actio Quarta.

XIX. ARCHIMANDRITA HÆRET. CAVSA.

In Græco vero codice, ante eamdem recenſitam ponitur Actio Synodalis de Archimandritis, qui in pſeudoſynodo fauerant Eutycheti atque Dioſcoro, diſtincta ab alijs vel ſuperioribus vel poſterioribus. Verum Latinis exemplaribus magis in his deferendum putarem, ea potiſſimum ratione, quod non ſit credendum, Archimandritas hæreticos auditos eſſe antequam lapſorum Epiſcoporum cauſa pertractaretur. Quod autem ad eoſdem ſpectat Archimandritas; cum ipſi adhuc pro Dioſcoro preces offerrent, & ſub mentito pallio Nicænæ fidei, omnes alias fidei expoſitiones reſpuere profiterentur; tridui eis ſpatium à Synodo datum eſt ad reſipiſcendum, atque Catholicæ fidei aduerſus Eutychetem ſubſcribendum.

XX.

Habet inſuper Græcum exemplar amplius quam Latinum, Quintam Seſſionem, continentem duas Actiones vna eademque die habitas, nempe decimotertio Calendas Nouembris. In quarum priori actum ponitur de ijſdem Archimandritis Eutychianis, qui libellum Marciano Imperatori obtulerant, vt ſibi liceret de fidei veritate cum Catholicis diſputare coram ipſo Imperatore. Quibus cum Marcianus reſpondiſſet, ipſos debere ad Synodum accedere, vt ab ea diſcerent quid ſequendum eſſet, ſe autem nolle his rebus ſe immiſcere, ſed tantum Synodi decretis ſtare: (Digniſſimum plane exemplum, quod Principes ſequantur cum ab hæreticis frequenter interpellantur de concedendis diſputationibus de Chriſtianæ fidei veritate) his ad Synodum ipſius Imperatoris nomine relatis, magnis ei præconijs (vt par erat) acclamatum eſt.

MARCIANI IMP. RELIGIO.

XXI. CONTROVERSIA DE METR. PHOENICIÆ.

Poſterior autem eius diei Actio tractationem continet obortæ controuerſiæ inter Photium Epiſcopum Tyri & Euſtathium Beryti. Cum enim ſecundum veterem per canones factam prouinciarum diſtinctionem, Tyria Eccleſia præeſſet iure Metropolis Primæ Phœniciæ; accidit vt Imperator contra Nicæni [n] Concilij ſtatutũ, quo iubetur vnum vniuſcuiuſque prouinciæ eſſe debere Metropolitanum Epiſcopum, pragmatica ſanctione aliam fecerit eiuſdem prouinciæ Phœniciæ diuiſionem, ex qua complures ciuitates quæ ſubiacebant Tyriæ, ſub Beryti Eccleſia ponerentur: quæ etiam diuiſio conſumata fuerat iudicio Anatolij Conſtantinopolitani, aliorumque cum eo reſidentium Epiſcoporum. Hic vero in Synodo Oecumenica eodem petente Photio cauſa retractata, res à Patribus, ex conſenſu & approbatione Iudicum Cognitorum, in priſtinum ſtatum reſtituta eſt: non obſtantibus pragmaticis Imperatorum ſanctionibus; quas contra canones nihil valere, acclamatum eſt ab omnibus; ſimulque vniuerſa petente Synodo, ab ijſdem Imperialibus Iudicibus ſtatutum, vt *vbique ceſſarent quæcumque Imperatorum pragmatica, quæ in detrimentum canonum facta eſſent in quibuſcumque prouinciis.* Dignum rurſum plane factum, quod imitari debeant omnes Chriſtiani Principes, ſequi etiam ipſorum Iudices, cum cauſam in iudicio agi contigerit, cui altera ex parte faueant ſæculi leges, repugnet vero ex altera canon Eccleſiaſticus. Habent & ſacræ religionis Antiſtites, non vnius tantum vel alterius Epiſcopi, ſed Synodi Oecumenicæ ſexcentorum amplius Epiſcoporum egregium exemplum, non turpiter adulatione molliri, frangique potentia Imperatorum aliorumque Principum, ſed aduerſus eorum leges pro defenſione ſacrorum canonum acerrimos inſurgere vindices.

n Conc. Nic. cap. 4.

CANONES PRÆVALENT LEGIB. IMP.

XXII.

Sexta Seſſione, celebrata vndecimo Calendas Nouembris, per Aſclepiadem diaconum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ recitata eſt Fidei Catholicæ definitio: quæ quamuis haud hæretica vel erronea eſſet, tamen quod minus perfecta videretur, nec ſatis ſufficiens ad damnandas hæreſes Eutychetis, exploſa eſt inprimis ab Apoſtolicæ Sedis Legatis, vetitaque Actis interſeri. Porro eius conſtruendæ architectus compertus eſt fuiſſe Anatolius Conſtantinopolitanus Epiſcopus adhuc Dioſcori ſui, cuius fuerat Apocriſarius, non oblitus: quippe qui & hac Seſſione coram adeo numeroſo Patrum conuentu, eam effutire ſententiam non eſt veritus, Dioſcorum non propter fidem damnatum eſſe, ſed ob excommunicationem in Romanum Pontificem temere promulgatam. Quamobrem Apoſtolicæ ſedis Legati conteſtati ſunt, niſi à cunctis rurſum conſentiretur Leonis epiſtolæ, fore vt relictis omnibus inde ipſi recederent, atque Synodum Oecumenicam in Occidente celebrarent. Id ipſum pariter Cognitores Iudices confirmarunt; & quod re vera Dioſcorus eſſet hæreticus Eutychianus, prudenter ſunt interlocuti. Eaque re à Patribus vna voce approbata, conſcripta eſt recta & omnibus numeris abſoluta fidei definitio; qua poſt trium Oecumenicorum Conciliorum, Nicæni, Conſtantinopolitani, atque Epheſini, profeſſiones fidei, itemque SS. Leonis & Cyrilli aduerſus Neſtorium & Eutychetem epiſtolas confirmatas, quæſtionem de Duabus Chriſti Naturis in Vna Perſona, ſic Patres expreſſerunt: *Sequentes igitur Sanctos Patres, vnum eumdemque confiteri Filium, Dominum noſtrum* IESVM CHRISTVM *conſtanter omnes docemus, eumdem perfectum in Deitate, eumdem perfectum in humanitate. Deum verum, & hominem verum, eumdem ex anima rationali & corpore, Conſubſtantialem Patri ſecundum diuinitatem, conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem, per omnia nobis ſimilem abſque peccato. Ante ſecula quidem Patre genitum ſecundum Deitatem, in nouiſſimis autem diebus eumdem propter nos & propter noſtram ſalutem ex* MARIA *Virgine Dei-Genitrice ſecundum humanitatem, vnum eumdem Chriſtum Filium, Dominum Vnigenitum in Duabus Naturis inconfuſe, immutabiliter, indiuiſe, inſeparabiliter agnoſcendum: nuſquam ſublata differentia Naturarum propter vnitionem, magiſque ſalua proprietate vtriuſque Naturæ in vnam Perſonam atque ſubſiſtentiam cõcurrentis: Non in duas perſonas partitum atque diuiſum, ſed vnum eumdemque Filium Vnigenitum Deum Verbum Dominum* IESVM CHRISTVM; *ſicut ante Prophetæ de eo, & ipſe nos* IESVS CHRISTVS *erudiuit, & Patrum nobis Symbolum tradidit.*

FIDEI DEFINITIO A PATRIB. EDITA.

XXIII.

Septimæ Seſſioni, habitæ octauo Calendas Nouembris, nimirum ipſa die natali eiuſdem, in cuius baſilica agebatur, glorioſiſſimæ virginis & martyris Euphemiæ, atque Callinici martyris; ob diei celebritatem præſto fuit Marcianus Imperator, ſimulque Pulcheria Auguſta, vna cum Magiſtratibus ſolitis intereſſe Comitijs. Vbi poſtquam idem Imperator perorauit Latine primum (more maiorum, ob Romani Imperij dignitatem, ſicut dictum eſt in Concilio Nicæno) ac ſubinde Græco ſermone, de ſua pro fide Catholica & pace Eccleſiæ ſollicitudine: poſtque fauſtas acclamationes ad eum Imperatorem & Auguſtam à Patribus ingeminatas, lecta eſt definitio Fidei in ſuperiori Seſſione conſcripta, eidemque Epiſcopi omnes ſubſcripſere; & anathema Neſtorio, Eutycheti, atque Dioſcoro dixere. Ipſe autem Imperator pro eiuſdem definitionis cuſtodia & obſeruatione, viuæ vocis oraculo aduerſus diſputantes vel turbas concitantes pœnas appoſuit.

CONCIO MARCIANI IMP. AD SYNODVM, LAT. ET GRÆCE.

XXIV.

Quod vero apud nonnullos Græcos auctores legitur, quod cum eamdem fidei definitionem hæretici ſuſcipere recuſarent, eadem ex partium conſenſu poſita fuerit ſupra Reliquias ſacras martyris Euphemiæ, & ab ea diuinitus confirmata quandoquidem id Conſtantius [o] Epiſcopus atque Nicephorus [p] dicunt accidiſſe tempore ipſius Synodi; ijdem ex eius Actis tunc exacte conſcriptis refelluntur ſatis: haud enim res tanta ſilentio ſepulta prorſus relicta eſſet: longeque inſuper longius abeſt, vt Patres in Concilijs Oecumenicis ex miraculis quæſierint dogmatum veritatem, quam ex diuinis imprimis Scripturis, & antiquis Eccleſiæ Traditionibus, ac demum ex SS. Patrum aſſertionibus, quærere, proponere, & ſtabilire conſueuerunt. Sed quod Zonaras [q] & Glicas [r], poſt Concilium ab Anatolio Epiſcopo Conſtantinopolitano id factum tradunt, ipſis haud penitus refragamur; cum alia plura non deſint eiuſmodi exempla quibus ſæpe à ſanctis viris priuato diuini Spiritus inſtinctu, altercationes inſuperabiles cum hæreticis obſtinatiſſimis ſemel ſuſce-

ASSERTVM MIRACVLVM DE CONFIRMATIONE FIDEI.

o Conſt. Epiſcop. orat. de Inuent. Reliq. S. Euphem. ap. Metaphr. 11. Iul.

p Niceph. lib. 15. cap. 5.

q Zonar. tom. 3.

r Glic. Annal. par. 3.

pæ, eiuſmodi miraculorum virtute fuere extinctæ, & populi titubantes confirmati.

XXV. PETITIONES MARCIANI IMP. A SYNODO.

Ceterum cum poſt eiuſdem fidei Catholicæ Epiſcoporum ſubſcriptionem, & Imperatoris confirmationem, idem Imperator haberet in animo quædã capitula Chriſtianę religioni proficua ſancire; abſtinens tamen ipſe, decorum (vt ait Synodum alloquens) eſſe iudicauit, ea regulariter formari per Synodum, quam Imperatoria lege ſanciri. Fuit autem primum capitulum omni acceptione digniſſimum, quo ad tollendos pſeudomonachos, quorum cauſa adeo peſtilens hæreſis Dei Eccleſiam infeſtaret, decerni petijt eos in omnibus eſſe ſubiectos Epiſcopis, nec monaſteria abſque Epiſcoporum conſenſu ædificare, nec adſciſſere adſcriptitios ſeruos abſque dominorum voluntate, neque immiſcere ſe negotijs Eccleſiaſticis vel Reipublicæ, ſed intra monaſteria vacare ieiunijs & orationibus. Secundum capitulum fuit, vt pariter vetaretur, nequis alienum clericum ſuſciperet: idque ad cohibendam inconſtantiam clericorum, extra Eccleſias ſuas vagantium. Poſtremum vero fuit, vt Chalcedonenſis ciuitas ad honorem S. martyris Euphemiæ, Metropolis conſequeretur nomine tenus dignitatem: abſque præiudicio ciuitatis Nicomedienſis. Quibus omnibus Patres annuerunt: ſicque præſentis diei Actio finem accepit.

XXVI. EPISC. HIEROS. ADEPTVS METROP. PALÆST.

Sub Octaua autem Seſſione, quæ celebrata fuit ſeptimo Calendas Nouembris, tres reperiuntur habitæ Actiones. Quarum prima compoſita eſt controuerſia inter Epiſcopos Antiochenum & Hieroſolymitanum: iudicataque cauſa, datæ ſunt Antiochenæ ſedi duæ Phœniciæ atque Arabia, Hieroſolymitanæ vero tres Palæſtinæ. Ex quibus perſpicue apparet, ius Metropolis Palæſtinæ, quod erat Cæſarienſis Eccleſiæ, in Hieroſolymitanũ eſſe tranſlatum; adeoque Iuuenalem Epiſcopum iam perfeciſſe, quod antea hac in re tentauerat in Epheſina Oecumenica Synodo. Sed quod hoc in præiudicium verteretur aliarum Eccleſiarum, ne id executioni mandaretur interceſſiſſe Leonem Papam, conſtat ex epiſtola ab eo poſtea ſcripta[s] ad Maximum Epiſcopum Antiochenum. Nec ante quintam Synodum, pacifice potuit Eccleſia Hieroſolymitana eiuſmodi gaudere priuilegio. Porro ſecunda Octauæ Seſſionis Actione, Theodoretus Cyri Epiſcopus à Dioſcoro in conuenticulo Epheſino depoſitus, & tamquam ſi Neſtorianus eſſet exulare coactus; poſt anathema Neſtorio dictum, omnium ſententia ſedem recepit, probantibus cunctis Leonis iudicium, à quo fuerat tamquam vere Catholicus in communionem ſuſceptus. Tertia demum Actione, Ibæ Edeſſeni Epiſcopi cauſa, de qua pluribus dictum in Concilio Berytenſi retractari cœpta eſt, ipſeque à Patribus abſolutus; & qui in locum eius poſitus fuerat Nonnus, relictus eſt curæ Maximi Antiocheni. Quod vero Nicephorus[t] tradit, hunc illum fuiſſe *Nonnum*, qui *Margaritam*, primariam vrbis Antiochenæ meretricem, à luxu abductam Deo conſecrauit, pro Margarita *Pelagiam* eam cognominans: extat quidem rei geſtæ præclara hiſtoria, ſcriptis mandata à Iacobo diacono Heliopolis: verum cum ibi dicatur idem Nonnus fuiſſe Epiſcopus Heliopolis Phœniciæ, & (vt multis ſignis oſtenditur) primus eiuſdem ciuitatis Antiſtes; conſterque longe ante hæc tempora eam vrbem habuiſſe Epiſcopos: merito reuocari poteſt in dubium aſſertio Nicephori, hunc illum fuiſſe quem in locum Ibæ Dioſcorus Edeſſæ Epiſcopum conſtituit.

s Leo ep. 62.

THEODORETVS ET IBAS RESTITVTI.

t Niceph. lib. 14. cap. 30.

CONVERSIO S. MARGARITÆ.

XXVII. DE CAVSA DOMNI EPISC. ANTIOCH.

Nona Seſſione habita ſexto Calendas Nouembris, abſoluta eſt cauſa eiuſdem Ibæ Epiſcopi. Eodemque die alia celebrata ponitur (non tamen ſuo loco; nempe ſub Seſſione Septima, quam alia die contigiſſe vidimus) in codice Latino, quæ deeſt in Græco; Actio de *Domno* Epiſcopo olim Antiocheno. Qui cum à Dioſcoro ſede priuatus eſſet in Conciliabulo Epheſino, in locum eius ſubrogato Maximo, & cauſa cognita, cum iuſte meruiſſe damnari S. Leo Papa intellexiſſet, ac Maximi ſubſtitutionem firmaſſet: viſum eſt eidem Maximo, pro miſerationis intuitu, à Synodo petere vt ſibi liceret ex ſuæ Eccleſiæ redditibus Domno exauctorato alimenta præſtare: cui S. Synodus, ob huiuſmodi charitatem laudato annuit.

XXVIII. DE CAVSA EPISCOP. EPHES.

In Decima Seſſione, celebrata quarto Calendas Nouembris, tractata eſt controuerſia inter Baſſianum à ſede depoſitum Epheſina, & Stephanum in locum eius ſubrogatum: ſed cum mutuis ſe criminationibus ijdem lacerarent, in ſequentem Seſſionem res dilata eſt: in qua pronunciatum fuit, vt neuter eſſet illius Eccleſiæ Epiſcopus, ſed alius ordinaretur; ita tamen vt vterque eorum remaneret in Epiſcopali dignitate; ſingulisque præſtandi eſſent ad victum ſolidi ducenti ab eadem Epheſina Eccleſia.

XXIX. DE CAVSA METROP. BITHYN.

Igitur Vndecima, celebrata tertio Calendas Nouembris, poſt abſolutam præcedentis Actionis controuerſiam Epiſcoporum Epheſinorum, agitata eſt etiam cauſa Eunomij Epiſcopi Nicomedienſis cum Anaſtaſio Nicæno. At licet reſcripto Imperatorum Valentiniani atque Valentis, Nicęna Eccleſia cõſecuta eſſet dignitatem Metropolis; nihilominus Epiſcopo Nicomedienſi debere ſubiacere, ex antiquis Patrum regulis decreuit S. Synodus. Porro *Anaſtaſius* qui ibi dicitur Nicænus Epiſcopus, longe diuerſus eſt ab eiuſdem ciuitatis Epiſcopo *Anaſtaſio*, qui ſcripſit librum Diuerſarum Quæſtionum: nam poſt Iconomachos Imperatores eum vixiſſe, ex ipſius ſcriptis intelligi poteſt.

XXX.

Seſſione vero duodecima, habita pridie Calendas Nouembris, *Sabinus* ſiue Sabinianus reſtitutus eſt in Eccleſiam Parenorum, qua fuerat à Dioſcoro ſpoliatus; & qui in eius locum ſubrogatus fuerat Athanaſius, quieſcere iuſſus eſt, apud Maximum Antiochenum iura ſua proſecuturus intra octo menſium ſpatium. Hacque abſoluta cauſa, ſoluta ſunt Comitia; abiereque Iudices, atque Legati Apoſtolicæ Sedis. Remanentes autem callida arte Orientales Epiſcopi, eadem die canones ſanciuere numero viginti ſeptem, vel (vt Græcum habet exemplar) triginta, clanculo ſcriptos. Verum à S. Leone Papa haud recepti videntur: nam nihil præter fidei definitionem eſſe firmatum, ipſe teſtatus eſt epiſtola[u] poſtea ſcripta ad Epiſcopos qui interfuerant Synodo Chalcedonenſi.

SOLVTIO SYNODI.

u Leo ep. 61

XXXI. ALIA CLAM GESTA PRO PRIVILEGIIS ECCL. CONSTANT.

Anatolius igitur totius fraudis inuentor, cum iam expertus eſſet Apoſtolicę ſedis Legatos petitioni ſuæ aduerſantes, eam occaſionem aucupatus eſt, vt illis abſentibus, ac nemine adhuc ſuffecto Epiſcopo Alexandrino in locum Dioſcori qui ipſi contradicere poſſet; clandeſtine atque doloſe eliceret à reliquis, inter alia fieri decretum, vt Eccleſia Conſtantinopolitana primum poſt Romanam locum obtineret. Quod cum Legati accepiſſent, rurſum conuenire Patres die ſequenti voluerunt, nimirum ipſis Calendis Nouembris (non quinto Calendas, vt male habent tam Græca quam Latina exemplaria, quæ ex præcedentium Seſſionum notatis diebus ſatis arguuntur erroris.) Quo die habita Decimatertia, eademque nouiſſima Seſſione, præſentibus ipſis quoque Iudicibus Cognitoribus, & alijs ex more Epiſcopis; ijdem Legati aduerſus ſubdolum factum publice reclamarunt. Sed nihilominus fauentibus Iudicibus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ priuilegijs, itum eſt in ſententiam Anatolij: cui tamen, veluti contra canones Nicæni Concilij exiſtenti, Apoſtolicæ ſedis Legati aduerſariam rurſum proteſtationem appoſuerunt. Quod autem eo canone ſe Græci dixerunt ſequi definitionem Synodi Conſtantinopolitanæ ſub Theodoſio Maiore, qua id veritate fulciatur, dictum eſt in eadem Synodo; ac poſtea ſæpe varijs occaſionibus demonſtratum, numquam hactenus cognitum fuiſſe primatum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſuper Alexandrinam. Quo vero animo iſta tulerit Leo Romanus Pontifex, dicetur ſuo loco.

LEGATI APOSTOL. ADVERSANTVR ANATOLII PRÆSVMPTIONI.

XXXII. EPIST. SYNOD. AD LEON. PRO CONFIRMATIONE ACTOR.

Abſolutis autem rebus omnibus in Synodo propoſitis, nouiſſimo loco Patres Synodalem ad eumdem Leonem Papam de cunctis ibidem pertractatis epiſtolam[x] ſcripſerunt; ſimulq; ipſa miſerunt Acta Synodalia, petentes ab eo cuncta rata haberi atq; firmari. De qua quidem epiſtola illud notandum, quod habet in fine, *Scripſi pridie Calendas Aprilis, feria tertia, Indictione decimatertia*, verba nõ

x Extat in Conc. Chalced. Act. 3. in fi.

eſſe epiſtolæ, ſed librarij qui eam exſcripſit. Etenim ſicut certum eſt, Synodum menſe Nouembris abſolutam, non perueniſſe ad anni ſequentis menſem Aprilis; ita multo certius eſt, nihil pertinere decimamtertiam Indictionem ad Chalcedonenſe Concilium, quod Indictione quarta celebratum eſſe ipſa eius Acta perdocent. Porro ex his quæ in omnibus ferme integre extant Synodi Actis, quid ante in reliquis Oecumenicis fieri conſueuiſſet, vnuſquiſque facile poterit intelligere; nempe à Synodo ſolita mitti ad Romanum Pontificem quæ à Patribus decreta eſſent, vt auctoritate ipſius firmarentur.

XXXIII. Suprema auctoritas Rom. Pont. agnita a Synodo.

Sed & obſerua illud, quod vniuerſi congregati ſexcenti triginta Patres, cognoſcentes in Romano Pontifice ſummum Pontificij culmen effulgere, ſe ipſos licet ordinatione collegas & fratres eſſe ſcirent, filios tamen appellauerint; Vniuerſalis Eccleſiæ Catholicæ eum eſſe Caput intelligentes (quod & ſæpius in ipſius Synodi celebratione agnouiſſe, Acta teſtantur) cuius & eſſet gradus ſummos in Eccleſia diſtribuere. Id enim quoque profitentur, cum obnixe petunt vt concedat Conſtantinopolitanum Epiſcopum primum in Eccleſia locum obtinere poſt ipſum Romanum Pontificem. Cuius & auctoritate tanti æſtimant, vt putent eſſe infirma quæ in duobus Oecumenici Concilijs ea de re decreta eſſe dicerent, niſi accederet Romani Pontificis confirmatio. Quin & ipſi Leoni titulum Oecumenici Episcopi tribuiſſe eamdem Synodum, ſæpiſſime teſtatur S. Gregorius[y] Papa; ne putes dumtaxat Alexandrinos clericos eum titulum in ſuis ipſorum libellis (vt vidimus) indidiſſe. Quamobrem mihi facile perſuadeo, cum nomen *Oecumenicij* deſideretur in Epiſtola Synodali ad S. Leonem, ab ea poſtea eſſe dolo ſubductum. Quod vero S. Gregorius ait, nullum prædeceſſorum ſuorum eo nomine vſum eſſe; ita quidem intelligendum eſt, vt nemo illorum eo titulo ex ſolemni ritu ſemper & in omnibus vſus ſit inſcriptionibus vel ſub reſcriptionibus. Ceterum eo interdum ipſorum aliquem eſſe vſum, ſuperius eſt demonſtratum. Et ne longius progrediamur; ipſe S. Leo in epiſtola[z] quam anno ſequenti dedit ad Marcianum Imperatorem aduerſus Anatolium, vſus eſt titulo Vniuerſalis; quem habet non ſolum Latinus codex epiſtolarum S. Leonis, ſed & Græcum exemplar in appendice ad Concilium Chalcedonenſe.

Vniuerſalis Epiſcopi titulus, tribuitus Rom. Pontifici.

y Greg. 4. ep. 32. 36. 38.

z Leo ep. 54.

XXXIV. Elogia et miracula de Synod. Chalcedon.

Denique abſoluta (vt diximus) ſacra Synodo, Patres ad ſuas ſinguli Eccleſias rediere. Dioſcorus vero Gangram in Paphlagonia ciuitatem relegatus, ac militari manu perductus, ibidem[a] infelix diem clauſit extremum. In tanti autem memoriam à Deo præſtiti beneficij in damnatione perditiſſimæ hæreſis, quæ ſacræ Incarnationis myſterium abolere præſumpſerat, Orientalis Eccleſia eamdem ipſam Synodum anniuerſaria celebritate[b] conſecrauit: quam & S. Leo in epiſtola[c] ad Theodoretum, *Secundam poſt aduentum Domini feſtiuitatem Orbis* appellauit: eamdemque corroborarunt ſanctiſſimorum virorum elogia, & crebra miraculorum[d] editio: quando & Marcianus Imperator audiens eam labefactari calumnijs monachorum Eutychianorum, aſſerentium illum fuiſſe Neſtorianorum conuentum; ſalubre illud conſilium inijt, vt Auxentium ſanctiſſimum anachoretam gratia miraculorum inſignem, omnibuſque fama cognitum, ex ſolitudine aduocaret, vt ſignis ac prodigijs coram populo eum adſtipulari faceret decretis Concilij. Fuitque plane maximi momenti ad continendum in officio complures eremi Palæſtinæ monachos alioſque ſæculares viros, ne ſeducerentur ab ijſdem pſeudomonachis Eutychianis; quod præſtantiſſimi illi Euthymius, Simon Stylita, Saba, Theodoſius, (longe diuerſis ab alio eiuſdem nominis Eutychiano, de quo poſtea) alijque admirandæ ſanctitatis cœnobiarchæ & anachoretæ, probauerunt, & magno gaudio receperunt decretum Fidei Synodi Chalcedonenſis, tamquam vere Orthodoxum. Quænam autem ab Eutychianis concitatæ fuerint aduerſus illam turbæ, dicetur inferius ſuis locis.

a Liber. Breuiar. cap. 14. Euagr. lib. 2. cap. 5. & alij.
b Menolog. 16. Iul.
c Leo ep. 61.
d Vid. Act. Euthym. Abbat. ap. Sur. 20. Ianuar. Act. S. Auxent. 14. Ianuar.

Sollicitudo Marciani Imp. pro confirmatione Synodi.

IESV CHRISTI ANN. 452.

Valent. III. 28. Marciani 3.

LEONIS AN. 13.

I.

Anno Chriſti quadringenteſimo quinquageſimo ſecundo, Herculano atque Sporatio Coſſ. ſeptimo Calendas Februarij Marcianus Imperator pro firmitate Chalcedonenſis Concilij ſanctionem edidit, ne cui amplius liceret publice de Fide diſſerere, ſed omnino ſtaretur eiuſdem Synodi definitioni. Nam (inquit) *vere impius atque ſacrilegus eſt, qui poſt tot ſacerdotum ſententiam opinioni ſuæ aliquid tractandum reliquit: & iniuriam facit iudicio religioſiſſimæ Synodi, ſi quis ſemel iudicata ac recte diſpoſita reuoluere & diſputare contendit.* Quæ quidem ſanctio habetur integra apud eiuſdem Synodi Acta[a], ex parte vero deſcripta in Codice[b] Iuſtiniani: ſed hic mendoſiſſima in nota Conſulum, illic in inſcriptione titulorum Imperatori Valentiniano atque ipſi Marciano adſcriptorum.

Diſputatio de Fide prohibita.

a Conc. Chalced. Act. 3. in fi.
b l. 4. C. de Sum. Trini.

II.

Cum vero adhuc vaniloqui obſtreperent, & Eutychiani hæretici aduerſantes ſacræ Synodo turbas cierent; rurſum idem Imperator tertio Idus Martij aliud aduerſus illos edictum[c] promulgauit, quo miſericorditer cum illis agens; eaſdem tantummodo pœnarum minas iterauit, quæ in priori ſanctione continebantur. Sed ſane tum iſto, tum plurimis alijs exemplis ſatis perſpicuum eſt redditum, numquam profuiſſe Fidei Catholicæ clementiam Principum in remittendis culpis ab hæreticis perpetratis: ea enim abuſi ſemper illi euaſere deteriores; ſicut de iſtis dicetur paulo poſt. Interim vero ex prædictis videas, tam Epiſcoporum ſententia, quam Imperatoris ſanctionibus, damnatum eſſe cum auctore ſuo & ſectatoribus eius Eutychianam hæreſim: aduerſus quam etiam complures Orthodoxi Scriptores ijſdem temporibus ſtylum exeruere; puta Mochinus Meſopotamius, & Iſaac, preſbyteri Antiocheni, Samuel presbyter Edeſſenus, & Theodoretus Epiſcopus Cyri; vt qui de his ſingulis ſcribit, Gennadius tradit. Sed & qui poſtea de Tribus Capitulis tractatus elaborarunt pro Concilio Chalcedonenſi; ijdem Eutychianam hæreſim acerrime inſectati ſunt.

c Ext. d. Act. 3.

Eutych. hæreſis vbiq. damnata.

III.

Cum autem perueniſſent inter hæc Romam ad S. Leonem Papam Legati miſſi Conſtantinopoli cum literis Anatolij Epiſcopi, Marciani Imperatoris, & Pulcheriæ Auguſtæ, *Lucianus* Epiſcopus & *Baſilius* diaconus, proſecuturi cauſam primatus Sedis Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ; idem Pontifex ad Anatolium[d] reſcribens hoc ipſo anno vndecimo Calendas Iunij, ipſum acriter obiurgauit quod inconceſſa tentaſſet, & quæ contraria eſſent ſtatutis Magni Concilij Nicæni de ordine ſedium Patriarchalium. Eodemque argumento ad Marcianum & Pulcheriam æque reſcribens[e], multa habuit de illicita eiuſdem Anatolij ambitione; conteſtatuſque eſt, caſſare ſe & irrita penitus reddere, quæ per Synodum de primatu Conſtantinopolitananæ ſedis eodem Anatolio inſtigante decreta eſſent: ſic plane docens, ſuper arenam erigere molem, qui abſque Apoſtolicæ Sedis, in qua eſt firma petra, conſenſu ædificium conſtruit. Quibus acceptis Anatolius, homo fraudulentus, Leonis litteras occultans, vtpote quę ſuam ipſius decantarent iunctam cum ambitione nequitiam; quod deterius eſt, illud in ſcandalum plurimorum ſparſit in vulgus, Leonem minime recepiſſe Chalcedonenſe Concilium. Hæc quidem hoc anno ita geſta ſunt: quæ autem poſtea ſecuta fuerunt, dicentur anno ſequenti.

Leo Papa irritat geſta Synodi de priuileg. Eccl. Conſt.

d Leo ep. 53.

e ep. 54. 55.

IV.

Hoc enim interea anno, reuerſis Alexandriam Epiſcopis illis qui cum Dioſcoro ad Concilium acceſſerant, iuſſionem Imperatoris afferentibus de creando nouo Epiſcopo Alexandrino in locum eiuſdem Dioſcori, poſt multas altercationes, cum ciues neminem eligere vellent viuente Dioſcoro, tandem in *Proterium* plurimorum ſententia declinauit, cui Dioſcorus commendauerat Eccleſiam, qui & eum Archiepiſcopum fecerat, vt ſcribit Liberatus[f]. De ſeditionibus vero tunc in populo excitatis,

Proterius creatur Epiſc. Alexandr.

f Liber. c. 14.

cum alij Dioſcorum repoſcerent, alij Proterio adhæreſcerent; deque vi ea cauſa Magiſtratibus militibuſque à furente plebe illata, adeo vt vix tandem à Præfectis nouo accepto præſidio ſedari potuerit; pluribus agit Euagrius [g]. Additque Liberatus, tot ac tanta pericula Proterium paſſum eſſe, vt militari pro cuſtodia indigeret auxilio. Conſtatque præterea, Alexandrinos & Ægyptios magna ex parte diu occaſione Dioſcori eſſe tumultuatos; ac Concilium Chalcedonenſe reijcientes, ſchiſmate fuiſſe ab Eccleſia Catholica omnino diuiſos. Id enim teſtatur Damaſcenus [h]; qui ait eoſdem vocatos fuiſſe peculiari nomine *Ægyptios*, itemque *Schematicos* & *Monophyſitas*, eorumque principes extitiſſe *Theodoſium* quemdam Alexandrinum, à quo *Theodoſiani*, & *Iacobum* Syrum, à quo *Iacobitæ* ſunt nominati.

g *Euag. lib. 2. cap. 5.*

h *Damaſc. de hæreſ.*

ÆGYPTII ITA NOMINATI HÆRETICI.

V.

Porro in ijſdem reducendis plurimum laboraſſe maxime pium Imperatorem Marcianum, fidem faciunt ipſius ea de re promulgata poſteà edicta [i], & ſcriptæ literæ [k]; quibus illud inprimis inſinuauit, nihil noui in Concilio Chalcedonenſi eſſe ſancitum, ſed omnia ſecundum Nicænæ fidei regulam, iuxtaque ipſorum Alexandrinorum Epiſcoporum ſententiam, Athanaſij, Theophili, Cyrilli. Sed tantum valuit apud obſtinatiſſimum populum Dioſcori, licet hominis flagitioſiſſimi memoria, vt quorum animos multis popularibus beneficijs ſibi fraudulenter deuinxiſſet, ijdem eum indeſinentibus officijs & ſtudijs frequentatum, religioſo etiam cultu Sanctorum eius poſteri fuerint venerati; & vſque in hanc diem idem perſeuerarit in Chriſtianorum Alexandrinorum & Ægyptiorum fæce delirium. Donec haud ita pridem, nempe anno Domini milleſimo quingenteſimo nonageſimo quarto: miſſa Romam ad CLEMENTEM Papam Octauum ſolemnis Legatio [l] ab Eccleſia Alexandrina & vniuerſa Ægypto, pro impetranda Sedis Apoſtolicæ communione, cum alias omnes hæreſes damnauit, tum præcipue Eutychianam cum ipſo impio Dioſcoro.

i *l. 5. C. de hæret.*
k *Ep. 1. vir. illuſtr. pro Conc. Chalced.*

ÆGYPTII STVDIOSISSIMI MEMORIÆ DIOSCORI.

l *Deſcripſit fuſe hiſtoriam huius Legationis Alexandr. Baron. Annal. To. VI. in Append.*

VI.

MONACHI PALÆSTINI EVTYCHIANI.

Maximi quoque tumultus Palæſtinam inceſſere, concitati à pſeudomonachis Eutychianis ob Concilium Chalcedonenſe; quod cum impudenter nimis aſſererent fuiſſe Neſtorianorum, in ſuam ipſorum ſententiam quamplurimos cum monachos tum ſæculares ſeduxere, adeo vt expulſo qui eis aduerſaretur Iuuenale Hieroſolymitano Epiſcopo, *Theodoſium* quemdam pſeudomonachum (longe alium ab Alexandrino, quem nuper ex Damaſceno diximus) hominem perditiſſimum ac flagitioſiſſimum, in eius locum ſubſtituerint. Qui quidem Theodoſius rapta in ſuam hæreſim Eudocia Auguſta Theodoſij Imperatoris relicta, quæ poſt mariti obitum Hieroſolymam petijt, eiuſdem ope omnia prædonis more agens, totam illam prouinciam miſere deuaſtauit, eos omnes cædibus, tormentis, & exilijs perſequens, quicunque Synodo Chalcedonenſi adhærerent; inter quos etiam fuere plurimi Epiſcopi, alijque diuerſorum ordinum Eccleſiaſtici viri. Quoaduſque tandem poſt viginti menſes quibus illam ſedem occupauit, cum ad Imperatorem iuſſus eſſet perduci, aufugit in montem Sina. Quæ quidem omnia fuſius deſcripta habentur ab Euagrio [m], Nicephoro [n], atque Cyrillo [o] diſcipulo magni illius S. Euthymij anachoretæ, qui aduerſus eumdem Theodoſium egregiam nauauit pro defenſione fidei Catholicæ operam; necnon in literis [p] Marciani & Pulcheriæ Augg. ad eoſdem monachos hæreticos ſcriptis, cum eos pijs admonitionibus conati ſunt ad fidem Catholicam & meliorem frugem reuocare quibus etiam eorumdem fraudulentum conſilium detegitur, quo ipſam quoque Pulcheriam decipere tentarunt, rati ſimul etiam Marcianum ſibi facturos conſentientem, atque ita vniuerſum ſeducturos Imperium. Sed è contrario accidit, vt minime ijs contentus quæ iam aduerſus impios Eutychianos peregiſſet Imperator, rurſum hoc eodem anno res actas in Synodo alijs munire voluerit edictis [q], & quæ eiſdem contraria eſſent, (veluti quæ aduerſus Flauianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, Euſebium Dorilæi, & Theodoretum Cyri, fuiſſent Theodoſij Iunioris lege ſtatuta) deleuerit, ipſoſque Eutychianos ſeuerioribus ſubiecerit pœnis ac libros & ſcripta illorum igne damnauerit.

SCELERA THEODOSII PSEVDOMONACHI.

m *Euagr. lib. 2. c. 5.*
n *Niceph. l. 15. c. 9.*
o *Ap. Sur. 20. Ianuar.*
p *Ep. 2. & 3. vir. ill. pro Conc. Chalced.*

MARC. IMP. RESCRIBIT ADVERS. EVTYCH.

q *Ext. ap. Conc. Chalced. Act. 3. & C. infra. l. quoniam de Epiſc. & cler.*

VII.

FORVM ECCLES. DEMPTVM A VALENTIN. IMP.

At vero inter hæc in Occidente Valentinianus Imperator indignam plane Chriſtiano Principe edidit hoc ipſo anno Romæ decimoſeptimo Calendas Maij ſanctionem [r], qua omne ſuſtulit iudicium Eccleſiaſticum, niſi in his quæ ad religionem pertinent, vel vbi partes ex conſenſu apud aliquem Epiſcoporum ſponte agere delegiſſent: nullamque eſſe voluit clericis fori exceptionem: ac inſuper vetuit curiales clericos ordinari, vel monachos fieri; ſimiliter & originarios inquilinos, colonos, & ſeruos. Sed quam inique & impie hoc præſtiterit, ſeſeque rebus Eccleſiaſticis immiſcuerit, lata à ſucceſſore Maioriano huic contraria ſanctio demonſtrauit, necnon ipſe rerum probauit euentus.

r *Nouel. Valent. tit. 12. de Epiſc. iud.*

VIII.

Hoc namque ipſo anno (vt habent Marcellinus & Caſſiodorus in Chronicis, Theophanes in Miſcella [s], & alij omnes) Attila, quem vidimus anno ſuperiori maxima iactura ſuorum in Gallijs victum, ipſe FLAGELLVM DEI dictus, ex peccatis iam Imperatoris viribus auctus, nobiliſſimas Italiç ciuitates, Aquileiam, Mediolanum, Ticinum, aliaſque expugnauit & diruit perditurus & ipſam Vrbem Romam vna cum Imperio, niſi ille cuius Imperator depreſſerat auctoritatem, diuina fultus potentia reſtitiſſet: nimirum S. Leo Romanus Pontifex, qui Attilæ obuiam factus, vbi Mincius in Padum influit, adeo mitem eum reddidit, vt illico promiſſa pace firmiſſima, vltra Danubium non rediturus abierit. Qui interrogatus [t] à ſuis, cur præter conſuetudinem inflexus eſſet, reſpondit ſe vidiſſe Leone loquente aſtantem alium quemdam habitu ſacerdotali decorum, quid diuinum præſeferentem, minantemque mortem niſi Leoni obediret. Illum autem fuiſſe S. Petrum Apoſtolum, teſtatur Paulus diaconus hæc eadem narrans in hiſtoria rerum Romanarum, quam poſuit appendicem ad Eutropium, quamquam & alij habent, duos viros apparuiſſe, alterum à dextris, à ſiniſtris alterum, nempe Paulum Apoſtolum cum Petro. Deſiderantur vero res ab Attila geſtæ, fuſius ſcriptæ à Priſco Rhetore huius temporis nobili ſcriptore, vt Euagrius [u] tradit.

s *Miſcel. lib. 15.*

ATTILA VINDEX PECCATI IMPERI.

t *Breuiar. Rom. in feſt. S. Leon. 11. April.*

A S. LEONE COERCITVS ATTILA.

u *Euagr. l. 2. cap. 17.*

IX.

ETHNICORVM ROM. INGRATITVDO.

Porro Gentiles qui adhuc Romæ reliqui erant, ne id Deo Chriſtianorum ferrent acceptum, aſtrorum potentia & Fati neceſſitate, ne in Vrbem rueret Attila factum eſſe iactabant. Quæ omnia refellens ipſe S. Leo [x], beneficio Apoſtolorum fuiſſe Vrbi tanta bona conceſſa pro concione exprobrauit ingrato populo, anniuerſaria die huius accepta à Deo beneficij ludis occupato Circenſibus. Vt non ſit mirum ſi denuo tradi barbaris meruerit, nempe Wandalis, de quibus dicetur poſt biennium. Scribit autem Suidas, quod cum Attila Mediolani depictos repeteriſſet imperatores Romanorum ſedentes in aureis ſolijs, Scythas vero ad eorum pedes; ſe in ſolio ſedentem, Romanorum autem Imperatores, ſacros ſuper humeros ferentes & ante pedes ſuos aurum effundentes pingi iuſſiſſe. Vnde magis intelligas haud humanarum fuiſſe virium, adeo truculentum atque ſuperbum barbarum reddere manſuetum. Addunt vero alij, precibus S. Geminiani Epiſcopi Mutinam ab Attila liberatam, & Rauennam orationibus Ioannis Præſulis. Traduntque pariter, ex hac inuaſione Attilæ *Venetiæ* prouinciæ occaſionem manaſſe vt Venetij in Inſulas tranſmigrarint, atq; Patauini occupauerint Riuum altũ; ijdemq; neceſſitate primum impellente, poſtea & ratione ſuadente, ad euitandos frequentes barbarorum incurſus ibi habitare delegerint; vt paulatim creſcentibus ædificijs, ampliſſimæ VENETIARVM ciuitatis condendæ ex ea infelicitate feliciſſima iacta fuerint fundamenta.

x *Leo ſerm. in Octa. Apoſt.*

VENETIARVM VRBIS ORIGO.

X.

Hoc item anno, conſultus S. Leo à Theodoro Foroiulienſi Epiſcopo de pœnitentia his qui in extremo laborarent impertienda, reſcripſit [y] eam tunc petentibus non negandam eſſe. Sed in epiſtolæ exordio, quid conſuetudinis eſſet Eccleſiæ docet nimirum Epiſcopos primum conſulere debere ſuos Metropolitanos: quos ſi ea-

y *Id. ep. 91.*

MOS VETVS DE CONSVLTATIONIBVS EPISC.

dem contingeret ignorare, tunc demum conſulendum eſſe Summum Pontificem; ſicque abſque conſultis ante Primatibus, nihil debere Epiſcopos illis ſubiectis inquirere.

XI. [a] Vict. Utic. de per. Vand. l. 1. DEOGRATIAS CREATVR EPISC.

Quod reliquum eſt huius anni (quantum ex Victore[a] Vticenſi colligitur) Carthaginenſis Eccleſia, quæ à tempore captæ ciuitatis, annis tredecim abſque Epiſcopo fuerat, agente Valentiniano apud Genſericum accepit facultatem creandi Epiſcopum; creatuſque eſt *Deogratias* ita nominatus, vir plane ſanctiſſimus; de quo pluribus dicendum inferius.

VALENT. III. 29. MARCIANI 4.

IESV CHRISTI ANN. 453.

LEONIS AN. 14.

I. ANATOLII CALVMNIÆ IN PAP. LEONEM.

ANNO Domini quadringenteſimo quinquageſimotertio, Opilione & Vincomalo Coſſ. nequitia & Anatolij Conſtantinopolitani Epiſcopi rurſus perturbata eſt Eccleſia. Is enim (quod iam anno ſuperiori dictum eſt) occultans literas Papæ Leonis ad ſe ſcriptas, cœpit primo rumores in vulgus ſpargere, ipſum reſpuere Synodum Calcedonenſem; poſtea etiam grauiori calumnia addidit, eumdem quærere occulta via deprimere defenſores fidei Orthodoxæ, & ſuſpectos hæreſis exaltare: ſed & illud adiecit, vt Archidiaconum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Aetium, quem ſciret eſſe Romani Pontificis ſtudioſum, è gradu deponeret ſub prætextu maioris honoris, & in locũ eius ſubrogaret Andream qui tamquã hæreticus antea eiectus fuerat: ac denique perſequens omnes quos S. Flauianus ordinaſſet, prouexit illos qui Eutychianæ hæreſis fuerant infamati. De quibus Leo (vt docent eius[a] ad Auguſtam Pulcheriam literæ) ab ipſo Marciano Imperatore certior factus, ijs mederi deſiderans, confeſtim ad Synodum Chalcedonenſem (non quod adhuc ea Chalcedone perduraret, ſed ad Epiſcopos omnes qui ad ipſam conuenerant) Circularem[b] epiſtolam dedit duodecimo Calendas Aprilis, de confirmatione & approbatione eorum quæ de Fide decreta eſſent in eadem Synodo; deque damnatione Neſtorij, Eutychetis, & Dioſcori, ipſorumque impiæ doctrinæ. Eodem die ad Marcianum & Pulcheriam ſcribens[c], grauiter de Anatolij nequitia conqueſtus eſt. Sed & Iuliano[d] Coenſi Epiſcopo, quem fideliſſimum ſemper expertus eſſet, Vicariam iterum delegauit præfecturam, vt prouideret in Oriente ne hæreſis Neſtoriana vel Eutychiana in aliqua parte reuiuiſceret: idque (vt ait) quia in Epiſcopo Conſtantinopolitano Catholicus vigor non eſſet, nec multum aut pro ſacramento ſalutis humanæ, aut pro ſua eſſet æſtimatione ſolicitus. Addidit inſuper alias[e] ad Auguſtos literas de cauſa Aetij Archidiaconi, excommunicationem Anatolio niſi id corrigeret minitans. Quomodo vero ad ipſius arbitrium hæc omnia emendata fuerint, dicetur ſuo loco.

[a] Leo ep. 60.
[b] Id. ep. 61. LEO CONFIRMAT FIDEM SYNODI CHALCEDON.
[c] Ep. 59. & 60.
[d] Ep. 56.
[e] Ep. 57. & 58.

II. LEO AGIT PRO CONVERTENDIS MONACH. PALÆST.

Denique vt quæ paſtoralis muneris eſſent numeros omnes expleret, idem S. Leo de conuertendis monachis Eutychianis in Palæſtina tumultuantibus, ſcripſit[f] non ſolum ad eoſdem Iulianum, Marcianum, & Pulcheriam, ſed etiam ad ipſorum fautricem monachorum Eudociam Auguſtam Hieroſolymis agentem; ac demum ad ipſoſmet monachos, oſtendens quæ vera ſit Orthodoxa fides, quæ duas ſimul inter ſe contrarias hæreſes Neſtorianam & Eutychianam iuguler. Cuius ſumma prudentia pro diuerſitate rerum, temporum, ac perſonarum, gregem paſcentis; ſed & ipſius Imperatoris diligentia hæc pia ſolicitudine ſatagentis, ex optato accidit, vt ijdem omnes ſimul ad Eccleſiam Catholicam conuerſi fuerint, ac Iuuenalis Epiſcopus Hieroſolymitanus ſuam ſedem recuperauerit: ſicut teſtatur idem S. Leo[g] epiſtola ad Iulianum ſequenti anno quinto Idus Ianuarij ſcripta.

[f] Ep. 56. 59. 60. 66. 83.
[g] Ep. 61.

III. S. PVLCHERIÆ AVG. OBITVS.

Interea vero hoc ipſo anno eadem S. Pulcheria Auguſta, vita in virginitate ſanctiſſime perfuncta, multiſque exantlatis pro fide Catholica laboribus, anno ætatis ſuæ quinquageſimo quarto migrauit in cœlum; cuius memoria quotannis recolitur tam apud Græcam quam Latinam Eccleſiam ipſa die eius obitus, nempe vndecima menſis Septembris. Eamdem autem ſub his Coſſ. obijſſe, Marcellinus antiquior Chronographus affirmat: cui magis aſſentimur quã Nicephoro[h], ſcribenti id accidiſſe anno ſexto Marciani Imperatoris. Ea vero cum publice ab Eccleſia[i] laudetur, quod multa præclara opera in templorum & hoſpitalium domorum ædificia, contulerit; de ijs agens idem Nicephorus[k], inter alia memorat templum dictum ὁδηγῶν, ab ea erectum, in quo tradit poſuiſſe diuinam *Imaginem Deiparæ Virginis*, quæ à S. Luca depicta traditione maiorum ferebatur: quam quidem ei miſſam dono fuiſſe Hieroſolymis ab Eudocia Auguſta; conciliatæ inter eas amicitiæ ſigno, Theodorus[l] Lector ait. Sed & Saluatoris *Faſcias* ab eadem item Eudocia miſſas, Pulcheriam in eodem templo recondidiſſe tradunt; in quarum memoriam trigeſimaprima dies menſis Auguſti fuit perpetuo conſecrata. Verum quas S. Germanus[m] Conſtantinopolitanus Epiſcopus *Faſcias infantiæ* vocat, Nicephorus *Faſcias Sepulchrales* appellat. Denique ipſam Pulcheriam morientem cuncta ſua bona pauperibus reliquiſſe, hancque eius vltimam voluntatem Marcianum Imperatorem executioni mandaſſe, teſtis eſt idem Theodorus.

[h] Niceph. l. 15. c. 15.
[i] Martyrol. Rom. 11. Sept.
[k] Nic. lib. 14. cap. 2. DE BASILICIS AB EA ERECTIS ET ORNATIS.
[l] Theo. Lect. collect. l. 1.
[m] Germ. ſerm. de faſc. Dom. DE FASCIIS DOMINI.

IV. DE REB. ECCL. ALEXAND.

Hoc item anno perlatas eſſe Romam ad Leonem Papam literas Proterij noui Epiſcopi Alexandrini, continentes ex more fidei Orthodoxæ profeſſionem, quo Catholicam ab eo communicationem mereretur accipere; teſtatur ipſe Leo in prædictis literis[n] anni ſequentis exordio ad Iulianum Coenſem ſcriptis. Conſtatque[o] poſt hæc ab eodem Proterio ibidem Alexandriæ fuiſſe collectum Orthodoxorum *Concilium*, pro reducendis ad Catholicam communicationem Ægyptijs & Alexandrinis, qui hactenus ob hæreſim Eutychianam ſeparati fuiſſent: cumque ille penitus reſtitiſſent, irrogatum in eos eſſe ab Imperatore exilium.

[n] Leo ep. 61.
[o] Vid. ep. Epiſcop. Ægypt. ad Leon. Imp. inter epiſt. vir. illuſtr. pro Conc. Chalced. & ap. Euagr. lib. 2. cap. 8.

V. MAXIMVS AGIT APVD LEON. PRO IVRIBVS ECCL. ANTIOC.

Scripſit inſuper hoc anno Maximus Antiochenus Epiſcopus per legatos miſſos ad eumdem Papam Leonem, de ſtatu Syrorum Eccleſiæ, rogans etiam pro conſeruatione priuilegiorum ſedis Antiochenæ, quæ è gradu ſuo deijci Anatolij ambitu periclitaretur; quippe quæ tertia exiſtens ordine, iam quarta numeranda foret, ſi primatus poſt Romanam concederetur Conſtantinopolitanæ. Eius vero rogationi fauit Leo, & vt cœperat, ſe Anatolij infringere temeritatem nõ defuturum pollicitus eſt redditis ad eumdem Maximum literis[p] tertio Idus Iunij ſub huius anni Coſſ. quas pariter voluit eſſe Encyclicas, communes omnibus, & toti Catholico Orbi proficuas. Teſtatur enim id ipſe in epiſtola eodem tempore ad Theodoretum ſcripta[q], qua eum egregijs honeſtauit præconijs; & quem ſciret inter Orientales omnes Epiſcopos excellere, eumdem vt pergat aduerſus hæreticos Neſtorianos & Eutychianos viriliter agere, hortatus eſt.

[p] Leo ep. 62.
[q] Id. ep. 63.

VI. DE THEODORETI OBITVS TEMPORE.

Porro Theodoretum haud longe poſt hæc ſuperſtitem fuiſſe, ex eo poſſumus intelligere, quod in literis Syrorum Epiſcoporum pro defenſione Chalcedonenſis Concilij ad Leonem Imperatorem poſt biennium datis, nulla eius mentio habeatur, nec ſubſcriptus in illis, aut alijs, ſicut reliqui Orthodoxi, reperiatur. Præter hunc autem magni nominis Theodoretum Cyri Epiſcopum, extitit alius poſt eum *Theodoretus*, qui pariter ſcripſit hiſtoriam Eccleſiaſticam; reperiturque citatus è Theodoro[r] Lectore, dum ex eius hiſtoria receſet effoſſionem reliquiarum Timothei Soloſacioli Catholici Epiſcopi Alexandrini, factam ab impijſſimo Petro Mogo eiuſdem ſedis inuaſore ſub Zenone Imperatore longe poſt hæc tempora: necnon à S. Ioanne Damaſceno[s], dum ex eodem Iuniori Theodoreto refert, ſub Anaſtaſio Zenonis ſucceſſore accidiſſe Conſtantinopoli, vt Olympius quidam ſecta Arianus, ob horrendam prolatam in Sanctiſſimam Trinitatem blaſphemiam, diuina mox eum ſecuta vindicta miſere perierit; aliuſque qui confectam ea de re publicam picturam abſcondiſſet, ſimiliter pœna ſceleris dederit. Narrant vero eadem de Olympio ſacrilego Ado Vien-

[r] Theo. Lect. Coll. lib. 2. ALIVS THEODORET. PARITER HISTORICVS.
[s] Damaſc. orat. 3. de Imag.

nenſis, & Theophanes, ſed in eo corrigendi, dum in Africa id referunt accidiſſe: quę quidem ſub Anaſtaſio (vt diximus) geſta, libuit hic occaſione Iunioris Theodoreti recenſere.

VII. DE DIE PASCHATIS DVBIVM ORTVM.

Hoc eodem anno, idem qui ſuprà ſpeculam pro vniuerſa Eccleſia agebat excubias, S. Leo Romanus Pontifex, quod muneris pariter eius eſſet, cunctæ Catholicæ Eccleſiæ ſequentis anni indicere Paſchæ diem; cum ex Theophili Epiſcopi olim Alexandrini centenario Cyclo Paſchali definitum reperiſſet, eandē anno Domini quadringenteſimo quinquageſimo quinto ad octauum Calendas Maij incidere; contendentibus nonnullis erraſſe Theophilum, quaſi Paſcha nec ante vndecimum Calend. Aprilis, nec poſt decimum Calendas Maias celebrari poſſet: de his conſulere peritos voluit ante annum quam indicendi Paſchatis tempus adeſſet, datis literis [t] Conſtantinopolim ad Marcianum Imperatorem, Hieroſolymas ad Eudociam Auguſtam, & Alexandriam ad Proterium Epiſcopum, cuius præcipue fuiſſe ea de re certiorem reddere Romanum Pontificem dictum eſt alias. Scripſit præterea ad Paſchaſinum Epiſcopum Lilybęi in Sicilia, virum eruditione præſtantem: qui [u] non ſolum ex Theophili cyclo, ſed etiam ex Hebræorum calculo probatam reddidit veritatem, eamdemq; miraculo conſignatam: oſtendens non eſſe abſurdum, vt ad octauum Calēdas Maias Paſcha Domini, in Eccleſia celebraretur. Sicut & Proterium luculentiſſimam eius rei rationem reddidiſſe, Beda [x] teſtatur: ac pariter Marcianum Imperatorem reſcripſiſſe, eamdem eſſe Orientalium ſententiam, teſtatus eſt ipſe Leo in litteris [y] Circularibus ea de re datis anno ſequenti ad Epiſcopos Galliarum & Hiſpaniarum. Ex his autem omnib. videas, quam procul abhorreat vt Romani Pontifices inconſulto, ex animique ſententia proponere conſueuerint in Eccleſia Catholica obſeruanda decreta.

t Leo ep. 64. 65. Bed. de rat. temp. c. 92.
u ap. Leon. poſt ep. 63.
x Bed. ibid.
y Leo ep. 95.

VIII. CONCIL. ANDEGAVENSE.
z Integra huius Concilij Acta, nunquam antea edita, recitat Baron. Ann. To. VI. hoc an.

Hoc item anno ſub eiuſdem Opilionis Conſulatu in Gallijs celebratū reperitur [z] CONCILIVM ANDEGAVENSE, in quo electus eſt Thalaſſius Epiſcopus eiuſdem ciuitatis; aliquotque ſanciti canones circa diſciplinam eccleſiaſticam. Cæterum cum idem Thalaſſius vna cum Victorio, ſiue Victurio Cenomanenſi Epiſcopo (qui æque eidem Synodo interfuiſſe legitur) ſcriptus pariter reperiatur in Concilio Venetico; inde exploratum habetur, quo tempore fuerit dictum VENETICVM CONCILIVM celebratum, nulla Conſulum nota perſpicuum: in quo complura paulo fuſius repetita leguntur, quæ in hoc Andegauenſi ſunt ſtatuta. Sed & illud ex iiſdem intelligitur, non eſſe iſtud congregatum in Venetia Italiæ prouincia, ſed Venetenſi ciuitate in Gallica Lugdunenſi ad litus Armoricum: quod & inde ſtabilitur, quia eiuſdem Venetenſis in Gallia ciuitatis Antiſtes Modeſtus nomine, cum alijs Gallicanis Epiſcopis ſediſſe reperitur in Concilio Aurelianenſi ſub Rege Clodoueo.

TEMPVS ET LOCVS CONCILII VENETICI.

IESV CHRISTI AN. 454.

VALENT. III. 30. MARCIANI 5.

LEONIS AN. 15.

I. AETII ET BOETII INTERITVS.

ANNO Chriſti quadringenteſimo quinquageſimo quarto, Studio & Aetio Coſſ. (inquit Marcellinus in Chronico) idem Aetius, magna Occidentalis Imperij ſalus, & Regis quondam Attilæ terror, à Valentiniano Imperatore vna cum Boetio Præfecto Prætorio ipſius amico, in Palatio trucidatus eſt; atque cum ipſo Heſperium cecidit regnum. Hæc ille. Aetium vero propria Imperatoris manu necatum eſſe, Boetium à circumſtantibus, tradit Caſſiodorus [a], & poſt illū Theophanes in Miſcella [b]; ſed Procopius [c] Aetium abſentem iuſſum eſſe interfici: idemque hæc pluribus narrans, id accidiſſe ait ex falſa ſuggeſtione *Maximi* Romani Senatoris, ex ſtirpe illius Maximi tyranni quem Theodoſius Senior ſuſtulerat: qui iniuriam paſſus à Valentiniano Imperatore in fraudulento ſtupro vxoris ſuæ formoſiſſimæ æque ac pudiciſſimæ, cogitans de vindicta, primo Aetium fortiſſimum ducem, in quo potiſſimum ſpes Romanorum eſſet, è medio tollendum iudicauit, ideoq; illum per Imperatoris Eunuchos eidem Auguſto affectati Imperij ſuſpectū reddidit. Quid autem ſublato Aetio Maximus in ipſum Valentinianum molitus ſit, dicetur anno ſequenti. Hic vero conſidera; quomodo iiſdem inſidijs (licet falſo accuſatus) Aetius pereat, quibus ipſe olim circumuenerat magnum Ducem Bonifacium, cuius occaſione Wandali potiti ſunt Africa; indeq; admirare & diuinam in tarditate ſupplicij patientiam, & æquum in exhibitione vindictæ iudicium. Quod verò vna cum Aetio Heſperium cecidiſſe regnum Marcellinus ſcripſit, eo etiam pertinet quod idem Procopius narrat, ex Romanis quemdam interrogatum ab Imperatore, an vtilis foret Aetij mors, reſpondiſſe, *Hoc ipſe videret, bene an male; ſe tantum ſcire, quod ſibi dexteram altera manu præcidiſſet.* Denique habet idem auctor, adeo Valentinianum libidine flagraſſe, vt etiam incantamentis atque magijs operam daret, hiſce artibus matronarum caſtitatem expugnaturus.

a Caſſiod. in Chron.
b Miſcel. lib. 15.
c Procop. de bel. Vand. lib. 1.

MAXIMVS QVO CONSILIO MACHINATVS FVERIT NECEM AETII.

VNA CVM AETIO CECIDIT IMPERIVM OCCIDENT.

II. S. LEONIS EPIST. AB HARET. FALSATA.
d Leo ep. 69.

Hoc eodem anno S. Leo Romanus Pontifex, ad componendas res Orientalis Eccleſiæ omnem admouens operam, primo quidem pro Alexandrinis rogauit [d] Marcianum Imperatorem, vt quoniam quorumdam hæreticorum verſuta nequitia, ad conturbandam aliorum ſimplicitatē, epiſtolam ipſius Leonis ad S. Flauianum ſcriptā ita falſaſſe perhiberetur, vt commutatis quibuſdam verbis aſſertorem ipſum Neſtoriani erroris faceret; curaret Imperator eamdem epiſtolam per viros idoneos in Græcum ſermonem fideliter transferri, & Alexandriam perferri, vt agnoſcerent hæreticorum fraudes, ſeque nihil aliud de Incarnatione Domini ſentire, quam quod ipſorū etiam Alexandrinorum Antiſtites, Athanaſius, Theophylus, Cyrillus, olim ſcripſiſſent: quē docendi optimum ait eſſe modum, vt paternorum ſenſuum linea dirigantur ad rectitudinem. Hæc Leo planè diuine. Nam hoc vnum exhibitum Eccleſię Alexandrinæ remedium, ſatis eſſe poteſt ad expurgandas hæreſibus omnib. cunctas eccleſias; prouocando nimirum ſingulas ad illos doctores qui in eis doctrina & ſanctitate claruerunt, à quibus & Euangelium vel prædicatum ipſis, vel propagatum fuiſſe conſtet. Paruit vero Marcianus Leoni, atq; ex eius ſententia promulgauit edictum [e] ad ipſos potiſſimum Alexandrinos & Ægyptios, quo ſanxit eos recedere debere ab his quæ à ſacris Oecumenicis Concilijs ſtatuta fuiſſent, & ipſis prędicata à ſanctis ipſorum Epiſcopis. Simulque ſeueriſſimas conſtituit pœnas aduerſus Eutychianos & Apollinariſtas (quorum hæreſes coniunctas eſſe docet) eorumq; libros comburi iuſſit.

SALVBRE REMEDIVM AD CONVINCENDAS OMNES HÆRESES.
e l. 8. C. de hæret.

III. MARCIANI SANCTIO ADVERS. PRIMATVM ECCL. CONSTANTINOP.
f Leo ep. 70.

Sed & cum hoc eodem anno, decimoſeptimo Calendas Maij, idem Leo ad eumdem Marcianum literas [f] dediſſet de Anatolio Epiſcopo Conſtantinopolitano, cum faſtum quo erectus erat demiſiſſe videretur; ijs perſuaſus Imperator, confeſtim publica ſanctione omnibus notum fecit, nihil penitus innouandum de priuilegijs antiquitus conceſſis Eccleſijs. Quin etiam omnia caſſa reddidit, quęcumque ex ambitione Anatolij contra antiquos canones Chalcedone præſumpta eſſent de primatu Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ. Deſideratur ipſa quidem integra ſanctio, cuius dumtaxat fragmentum Iuſtinianeo inſertum eſt Codici [g]. Puto enim dedita opera eam eſſe decurtatā, eo quod ipſe Iuſtinianus contrarium poſtea firmare voluit, cum ſua ſanctione [h] eidem eccleſiæ Conſtantinopolitanæ primatum contulit. Quæ vero de ſua emendatione Anatolius ad Leonem hoc anno reſcripſerit, ex redditis ad eum litteris [i], ſatis poteſt intelligi; nimirum recepiſſe in amicitiam, quē ab Archidiaconatu depoſuerat Aetium, & prouectum in illius gradum Andream Eutychianum in ordinem redegiſſe, itemq; à cœptis deſtitiſſe, quibus primatum quæſierat.

g l. 12. de Sacroſ. Eccleſ.
h Nouel. 131. cap. 2.
i Leo ep. 71.

IV.

Quod autem pertinet ad res Palæſtinas; hoc item anno Iuuenalis Epiſcopus Hieroſolymitanus, cum ad finem ſuperioris (vt vidimus) in ſuam Eccleſiam reſtitutus fuiſſet, Legatos mittens ad eumdem Leonem Romanum Pontificem, ſimul quoque dono dedit particulam Ligni Sanctiſſimæ Chriſti Crucis. Accepit munus grato

k Ib. ep. 72.

anĩmo Leo: ſed reſcribens [k] noluit prætermittere dignam, quam ob res olim aduerſus S. Flauianum pro Eutychete & Dioſcoro perperam geſtas, obiurgationem ille commeruiſſet. Qua excitatus Iuuenalis, prouincialem collegit SYNODVM, in qua fidem Catholicam cunctis ſeruandam propoſuit: cuius extat [l] Synodalis epiſtola ad Archimandritas & monachos eiuſdem prouinciæ Palæſtinæ. Vbi cum primo loco ſubſcriptus legatur ipſe Iuuenalis, ſecundo vero Irenæus Epiſcopus Cæſarienſis Eccleſiæ, quæ decreto Nicæni Concilij confirmata fuerat totius Palæſtinæ Metropolis; videas Iuuenalem aduerſus illud iam ſibi penitus arrogaſſe primatum. Verum eius rei cauſa Leonem ipſi magnopere reſtitiſſe, cum hæc accepiſſet à Maximo Epiſcopo Antiocheno, docet epiſtola [m] ad eundem Maximum reſcripta.

SYNODVS HIEROS. ADVERSVS HÆRETIC.
l int. epiſt. vet. illuſtr. pro Conc. Chalced.
IVVENALIS ARROGAT PRIMATVM PALÆST.
m Leo. ep. 62.

V. DE INTERITV ATTILÆ.

Hoc ipſo anno, Aetio Duce adhuc viuente, Rex Hunnorum Attila eiuſdem Aetij hortatu, noctu mulieris manu cultro confoſſus interijt: quidam vero ſanguinis reiectione eum extinctum perhibent. Hæc Marcellinus ſub his Coſſ. quæ Caſſiodorus anno ſuperiori collocat. Porro feminam hanc recens amatam ab Attila, cum plures nominent Hildiconem, Micholtam alij, Paulus diaconus in ſua rerum Romanarum hiſtoria quam poſuit appendicem ad Eutropium, appellat Indicto, niſi ſit mendum in codice: aitque ipſum, cum ob nouæ nuptæ feſtiuitatem profuſa conuiuia exercens nimio mero indulſiſſet, ſupinum quieſcentem eruptione ſanguinis qui ei de naribus ſolitus erat effluere, ſuffocatum & extinctum eſſe: eademque ipſa nocte apud Conſtantinopolim Marciano Imperatori Dominum in ſomnis apparentem, arcum Attilæ fractum oſtendiſſe.

VI. DE S. SEVERINO NORIC. APOST.
n Ext. apud Sur. 8. Ianu.

Porro ab Attilæ obitu contexuit Eugipius Abbas hiſtoriam [n] de Rebus geſtis S. SEVERINI, Norici Apoſtoli nominati. Sed quod in ipſo exordio dicit, eum de partibus Orientis aduenißſe ad Noricos; haud tamen putes hominem fuiſſe Orientalem. Latinum enim potius extitiſſe (cum alioqui patriam atque genus ſuum, inanis gloriæ vitandæ gratia, celare voluerit: vnde & colligas nobiliſſimum fuiſſe) ſed feruore perfectionis ad quamdam Orientis ſolitudinem profectum eſſe, deinde vero ad Norici Ripenſis oppida Pannoniæ Superiori vicina, diuina compulſum reuelatione veniſſe; idem Eugipius eius diſcipulus teſtatur epiſtola ad Paſchaſium diaconum præfixa ipſius Seuerini Vitæ quam nos manuſcriptam habemus; deſideratur autem in ea quam edidit Surius, ſicut & pleraque alia; cum & ea quæ apud illum extant, inemendata ſatis eſſe noſcantur. Magno vero plane Dei beneficio factum eſt, vt Eccleſia illa Noricorum olim nobilis, ſanctorum martyrum multiplicibus aucta coronis, frequentibus tamen barbarorum incurſionibus valde depreſſa, aduentu Seuerini conſurgeret, fideſque tepeſcens denuo miraculis tanti viri incaleſceret: cum & in ipſo eius aduentu, permulti eiuſdem monitis iram Dei varijs pœnitentiæ actibus auertentes, filiorum Attilæ de ſucceſſione regni inter ſe certantium euaſere furorem, increduli vero male perierunt; vt pluribus docet idem Eugipius.

VII. INGENS PENVRIA, ET PESTIS VEXAT ORBEM.

Hoc item anno qui obitum Valentiniani præceſſit, tanta fuit imbrium paucitas in vtraque Phrygia, Galatia, Cappadocia, & Cilicia, vt homines rerum neceſſariarum penuria coacti, alimentum peſtiferum caperent; vnde etiam lues orta eſt, qua intumeſcentibus corporibus, propter nimiam inflammationem lumina amitterentur, & accedente tuſſi tertio die perirent. Cui quidem peſti etſi nullum potuit omnino remedium inueniri; fames tamen iis quibus vita ſuppetebat, diuina prouidentia leuata eſt: quippe anno illo ſterili & effœto alimentum ex aere, non aliter ac manna olim Iſraelitis, delapſum eſt; & inſequenti anno fructus maturos terra ſua ſponte produxit. Nec vero ſolum hæc mala per Palæſtinam quoque graſſabantur; ſed & aliæ graues calamitates per alias plurimas prouincias pererrabant. Narrat hæc Euagrius [o]; cui & alij adſtipulantur. Quin & Occidentales & Boreales oras, penuria afflictatas deplorat Gelaſius in Andromachum ſcribens. Porro ciuitatem, Fabianas nominatam (quam eam tradunt eſſe, quæ nunc Vienna Auſtriæ appellatur) ſæua & ipſam fame oppreſſam, S. Seuerini Noricorum Apoſtoli precibus diuinitus ſubleuatam eſſe, Eugipius in ipſius Vita deſcribit.

o Euagr. lib. 2. cap. 6.

MARCIANI 6. MAXIMVS.

IESV CHRISTI ANN. 455.

LEONIS AN. 16.

I. VALENTIN. IMP. OCCIDITVR.
a Euagr. lib. 2. cap. 7.
b Marcel. & Caſſiod. in Chron.
c Procop. de bel. Wandal. lib. 1.

ANNVS Domini quadringenteſimus quinquageſimus quintus, quo Valentinianus Auguſtus octauum cum Anthemio Conſulatum inijt, annus fuit vltionis & retributionis. Primo enim idem ipſe Valentinianus Imperator, decimo ſexto Calendas Aprilis, dolo Maximi, cuius (vt vidimus) vxorem conſtuprarat, occiſus eſt Romæ in Campo Martio ab amicis Aetij, quem æque ipſe anno ſuperiori interfecerat. Ita ex Euagrio [a], Marcellino [b] Caſſiodoro, atque Procopio [c]. Tenuit autem Imperium annis triginta, minus menſibus ſeptem & diebus ſex.

II. MAXIMVS INVADIT IMPERIŨ.

Eo vero occiſo, idem MAXIMVS nullo obice inuadens Imperium, ipſam quoque eius vxorem Eudoxiam Auguſtã ſibi iunxit coniugẽ, cum forte antea prima vxor deceſſiſſet. Sed cum (vt ait Procopius) dum vna dormirent, falſus eſſet eius amore ſe Valentinianum interfeciſſe; illa exacerbata, quæ etiam prius de vltione viri cogitabat, iam multo magis ob Maximi verba & animum impudicum detectum, ad vindictam incenſa, mox vbi illuxit, Carthaginem miſit qui Genſericum Wandalorum Regem inde accerſerent. Qui quidem ingenti claſſe in Italiam adnauigans, Romam nullo aduerſante ingreſſus eſt. Maximum vero Romani fugientem inſectati, lapidibus obruere, membratimque diſcerpſere; cum tantum menſes duos & dies aliquot imperaſſet. Extat de eius vita & morte Sidonij [d] Apollinaris egregie philoſophantis epiſtola ad Serranum, qui eum laudauerat, ac feliciſſimũ prædicauerat: qua docet, illum, cuius (vt ait) anterius epiſtolæ, mores, pecuniæ, faſces, pompæ, litteræ, patrimonia, & patrocinia florebant, quique in arcem Præfectoriam, Patriciam, Conſularemque intrepidus aſcenderat; cum tamen venit ad Principalis apicis abruptum, quamdam poteſtatis immenſæ vertiginem ſub corona paſſum, ante crepuſculum ingemuiſſe quod ad vota perueniſſet; nec ſuſtinuiſſe dominum eſſe, qui non ſuſtinuerat eſſe ſub domino.

GENSERICVS REX WANDALOR. CAPIT ROM.
d Sidon. 2. ep. 13.

III.

Porro Genſericus (vt addit Procopius) gazam omnem Imperatoriam, ac ſi qua erant Romæ decora, ſtatuaſque, & Iouis Capitolini tegularum ex ære auratarum partem dimidiam abripuit. Quem & conſtat Hieroſolymitani templi vaſa, olim à Tito Romam tranſlata abſtuliſſe: quæ [e] poſtea in recuperatione Africæ per Beliſariũ Conſtantinopolim aſportata ſunt, ac inde Iuſtiniani Imperatoris iuſſu Hieroſolymam relata. Sed & incenſam à Genſerico Vrbem, Euagrius [f] tradit: verum ſpectacula tantum combuſta, habet Nicephorus [g]: & Theophanes [h] ſcribit, occurſu S. Leonis Papæ mitigatum Genſericum, Vrbem ab incendio, cædibus, atque ſupplicijs immunem ſeruaſſe; omnibus tamen opibus ablatis, multiſq; captiuorum millibus in Africam abductis. Ceterum coercitum pariter ab eodem S. Leone Genſericum fuiſſe, ne in theſauros trium præcipuarum baſilicarum Vrbis, nempe Lateranenſis Conſtantinianæ, Sancti Petri in Vaticano, & S. Pauli via Oſtienſi, reliquas autem prædatum eſſe, fidem faciunt quæ in Leone leguntur in libro de Romanis Pontificibus; nimirũ ipſum Leonem poſt cladem Wandalicam renouaſſe per omnes Titulos miniſteria ſacrata argentea de conflatis hydrijs ſex prædictarum trium baſilicarum, quas Conſtantinus Imp. eis contulerat. Duraſſe vero direptionem Vrbis diebus quatuordecim, Iſidorus in hiſtoria Wandalorum affirmat: ſed illud male, quod habet Valentinianum poſt direptionem Romæ relictum, quẽ liquet ante eſſe necatũ. Sed & perijſſe magna ex parte naufragio direptas opes affirmant: quãuis Procopius ſcri-

e Procop. l. 2. de bel. Wand. Niceph. l. 15. c. 11. Iuſtinia. l. 1. C. de offic. P. P. Afr.
f Euagr. lib. 2. cap. 7.
g Niceph. l. cap. 11.
h Miſcel. lib. 15.
WAND. PEPERCERE PRIMARIIS ECCLESIIS.

bat eam tantum nauem ſubmerſam fuiſſe, in qua erant ſtatuæ.

IV. EVDOXIA AVG. VOCANS WANDALOS, DAT POENAS.

Cum vero truculentus barbarus, vna cum alijs captiuis ipſam quoque Eudoxiam Auguſtam quæ illum introduxerat, eiuſque ex Valentiniano ſuſceptas filias, Eudociam & Placidiam ſecum in Africam abduxiſſet; tradit Procopius, cum Eudociam Hunerico, filio ſuo, Placidiam Olybrio nobili Senatori Romano locaſſe eundemq; poſtea Placidiam ſimul cũ Eudoxia matre, rogante Leone Imperatore qui Marciano ſucceſſit, Conſtantinopolim miſiſſe. Eadem Euagrius; niſi quod nuptias Placidiæ cum Olybrio, non per Genſericum eſſe contractas ait, ſed per Marcianum Conſtantinopoli, cum illuc capta Vrbe Olybrius confugiſſet, & ad eum quam ipſi deſponſatam ſciſſet, Placidiam humaniter Genſericus remiſiſſet. Conſentit quoque his Nicephorus: ſed in eo & ipſe errans, dum viuente Pulcheria ea facta ponit. Denique & Eudociam Placidiæ ſororem, quod parum grata eſſet ei viri coniunctio qui Arianam profitebatur hæreſim, poſt ſexdecim ab Vrbe capta annos clam Hieroſolymam aufugiſſe (genito prius Hulderico filio) ibique pie obijſſe, idem poſtea Nicephorus ſcripſit. Quanta vero charitate reliquos captiuos proſecutus fuerit Deogratias Epiſcopus Carthaginenſis, Victor [i] Vticenſis exacte narrat.

i Vict. de perſec. Wandal. lib. 1.

V. EVDOCIA AVG. EX AFFLICTIONE FIT ORTHODOXA.

Profuit autem grauis iſta captiuitas Eudoxiæ Auguſtæ & filiarum eius, ad Salutem matris Eudociæ itidem Auguſtæ, vxoris quondam Theodoſij Iunioris Imperatoris, Hieroſolymis agentis. Etenim cum ita imbibiſſet Eutychianam hæreſim, vt reſipiſcentibus ceteris ipſa obſtinata perſiſteret; his attrita flagellis, tandem reddita menti (id inprimis operantibus [k] magnis illis ac ſanctiſſimis viris Simeone Stylita & Euthymio, de quibus ſupra) quam hactenus fouiſſet hæreſim, penitus abhorruit, & aliquot poſt annis ſancto fine diem clauſit, multis relictis pietatis operibus.

k Vid Cyril. in Vit. S. Euthy. ap. Sur. 20. Ianua. & Niceph. lib. 15. cap. 13.

VI. AVITVS CREATVR IMP.

Hoc eodem anno, à cæde Maximi elapſo interſtitio viginti octo dierum interregni, in Gallijs AVITVS (qui Præfectura Prætorij Galliarum à Valentiniano donatus, & Magiſter militum à Maximo creatus, tunc Legatum pro fœdere pacis agebat apud Theodoricum, qui occiſo Toriſmundo fratre regnum Gothorum ſuſceperat) ab exercitu, adnitentibus Gothis, ipſoque inprimis Rege Theodorico, Imperator acclamatus eſt inuitus atq; reluctans: Vir quidem domi militiæque ſpectatus, nobiliſſimo ortus genere, orator egregius, iuriſque conſultiſſimus, ac laboris bellici haud expers: cuius res geſtas Sidonius Apollinaris paucis perſtinxit in Panegyrico anni ſequentis exordio in Conſulatus eius auſpicatione verſibus edito: eundemque fuiſſe patria Aruernum, Gregorius [l] quoque Turonenſis tradit.

l Greg. Tur. 2. hiſt. Franc. 11.

VII. MARC. IMP. VINDICAT CLERVM IN PRISTINAM LIBERTATEM.

Hoc item anno, mox vt Marcianus Imperator certior factus eſt de nece Valentiniani, cum prudenter conſideraret illum diuinam in ſe iram concitaſſe ſimulac ſanctionem edidiſſet aduerſus Eccleſiaſticam immunitatem, his ipſe monitus, haud ſibi ſatis viſum eſt Catholicæ fidei ſe exhibuiſſe patronum, ſed & perſonas etiam Eccleſiaſticas priſtinæ reſtitui voluit iurium libertati, antiquatis legibus aduerſus eam ab alijs Imperatoribus antea promulgatis, quibus interdicebatur clericis nequid ex teſtamento relictum à viduis aut diaconiſſis caperent. Quam ipſius ſanctionem [m] hoc anno decimo Calendas Maij editam, probauit etiam poſtea Iuſtinianus Auguſtus, ſuoque voluit Codici [n] inteuiſſe.

m Marcian. Nouel. tit. 5.
n l. generali lege. C. de Epiſc. & cler.

IESV CHRISTI ANN. 456.

MARCIANI 7. AVITVS.

LEONIS AN. 17.

I. ANnum Domini quadringenteſimum quinquageſimum ſextum, Faſti Conſulares apud Marcellinum & Caſſiodorum in Chronicis, notatum habent Coſſ. Ioanne atque Varane ſeu Varare: Verum Sidonius Apollinaris huius temporis ſcriptor, alterum Coſſ. Auitum Auguſtum ponit in Panegyrico ipſi dicto Calendis Ianuarij: extatque de eiuſdem Conſulatu vetus inſcriptio Romæ in Baſilica S. Agnetis via Numentana; vt de eo nulla amplius remaneat dubitatio. Sed accidiſſe puto, vt cum Imperio eidem abrogatus fuerit Conſulatus. Hoc enim anno (inquit Caſſiodorus) Placentiæ depoſuit Auitus Imperium, quod tenuerat menſes decem & dies octo. At Euagrius [a] octo tantum menſes ei tribuit. Porro de eiuſdem Imperij depoſitione diuerſæ ſunt ſententiæ: peſte enim extinctum idem Euagrius tradit; Nicephorus [b] fame; Gregorius [c] vero Turonenſis ait, eum luxurioſe agere volentem, ideoq; à Senatoribus eiectum, apud Placentiam Epiſcopum eſſe ordinatum: cumq; adhuc Senatus indignans eum vita priuare vellet, ad ſuos Aruernos ſe recipientem, in itinere diem obijſſe. Ceterum ob odium in Maximum, Auitus qui ab eo electus fuerat Magiſter militum, paſſus inuidiam, Senatui populoque Romano perinfenſius redditus, haud ab eo receptus eſt Imperator: quamobrem eundem ſponte ſe abdicaſſe putamus. Id vero accidiſſe conſtat decimoſexto Calendas Iunij: fuitque interregnum decem menſibus & diebus quindecim. Ne autem errare contingat in nomine & genere, alius Iunior *Auitus* vixit hoc tempore, idemque Sidonio ſanguine propinquus, ad quem extat data ab eo [d] epiſtola.

AVITVS DEPONIT IMPERIŨ, ET CVR.
a Euagr. lib. 2. cap. 7.
b Niceph. li. 15. cap. 11.
c Greg. Tur. hiſt. Franc. lib. 2. cap. 11.
d Sidon. 3. ep. 1.

II. THEODORIC. REX GOTHOR. VINC. SVEVOS IN HISPAN.

Dum autem iſta fierent, interim Theodoricus Gothorum Rex, quod Auito ſumendi Imperij auxilium præbuiſſet, eiuſdem Imperatoris permiſſu cum ingenti exercitu Aquitanias ingreſſus eſt: indeque in Hiſpaniam progrediens; Rectiarium Sueuorum Regem ſibi cum magnis copijs occurrentem deuicit, & in fuga captum occidit; Gallicia que & Luſitania deuaſtatis, dum Emeritenſem vrbem deprædari molitetur, S. Eulaliæ martyris territus oſtentis, alijſque acceptis aduerſis nuncijs, reuerſus eſt in Gallias. Narrat hæc Iſidorus [e]: quæ quidem anno præſenti cœpta, plurimum ſequentium impleuere curricula. Porro hunc Theodoricum, licet Arianum hominem, mirifice celebrauit Sidonius [f], & cum animi tum corporis egregiam effigiem præclare deſcripſit.

e Iſidor. in Chron. Gothor.
f Sidon. 1. epiſt. 2. ad Agric.

III. FRANCI REGNVM STABILIVNT IN GALLIA.

Quod autem is bella in Hiſpanias conuertit, ceſſerunt hæc percommode Childerico Francorum Regi, qui his diebus ſucceſſerat Merouco, quem præceſſerat Clodio, Faramundi ſucceſſor: quinam autem hos anteceſſerint, obſcurum eſt: habuiſſe tamen gentem fortiſſimam ſemper Reges, ex Ammiano, & alijs [g] conſtat. Sic igitur occupatis Gothis in Hiſpania, & abſente Romano exercitu in Italiam ſecuto Auitum; datum eſt FRANCIS, quod ſæpe fruſtra pertentarant, vt firmas tandem figerent in nobiliſſimo Galliarum ſolo feliciter Regni radices. Iam enim diu ante, temporibus Aureliani [h] Imperatoris, ijdem Gallias inuadentes repulſi fuerant: rurſumque tempore Iuliani cum earundem partes extremas attigiſſent, ab eodem repreſſi [i] ſunt. Inſuper (vt alias repentinas ab occaſione oblatas eorundem incurſiones dicere prætermittamus) ſub Valentiniano Seniore vna cum Burgundionibus magno exercitu eaſdẽ inuadentes, æque reiecti ſunt: itemque ſub Valentiniano Tertio, cum extremis occupatis vlterius progrederentur, per Actium atque Maiorianum ſunt victi [k]. Demum vero occaſione Attilæ ſeſe in medias Gallias immittentes, tandem ab hoc tempore illic ſuas penitus firmarunt ſedes, regnumque PARISIIS ſtabilierunt prædicto CHILDERICO regnante: quod præter Sigebertum [m] & alios, teſtantur Acta fideliſſima [n] S. Genouefæ virginis: quibus etiam traditur, eundem Regem, etſi Ethnicum, audita ipſius ſanctitate & ingentibus ab ea conſuetis edi miraculis, ſingulari eam proſecutum eſſe veneratione; adeo vt aliquando cum reos quoſdam capitis pertinaci animi ſententia decreuiſſet occidere, & ne eiuſdem Sanctæ precibus poſſet flecti ad miſericordiam, ex vrbe egreſſus iuſſiſſet portas occludi; tamen reſeratis ſponte ad illius aduentũ portis, reis veniam conceſſerit. Cui quidem pro munere illud videtur à Deo omnium remuneratore largiter impertitum, vt ſicut Ægy-

g Vid. Greg. Tur. lib. 2. hiſt. Franc. c. 9. & alios hiſt. Franc.
h Vopiſc. in Aurelian.
i Caſſiod. in Chron. Coſſ. Valentin. & Valent.
k Sidon. in Panegyr. Maior.
l Id. Panegy. Auit.
CHILDERICVS PRIMVS FRANC. REX IN GALL.
m Sigeb. in Chron.
n ap. Sur. 3. Ianuar.

ptijs

pijs [o] obſtetricibus, ob ſubtractos à nece Hebræorum infantes, domus in præmium fuerunt ædificatæ; ita Regi Francorum Regnum (quod hactenus barbarorum nulli licuerat) in nobiliſſima parte Galliæ ſtabiliretur: permanſurum tamdiu ipſum, quādiu eiuſmodi in cultu Sanctorum pie iacta fundamenta permanſerint; periturum vero omnino, cum eadem impie fuerint hæretica prauitate reuulſa. At de rebus Francorum modo ſatis: quorum egregijs factis Annales noſtros frequentiſſime nobilitaturi ſumus.

IV. Hoc ipſo anno, poſt vita functum S. Deogratias Epiſcopum Carthaginenſem, cum ſediſſet annis tribus, non ſolum nulla facta eſt Catholicis poteſtas alicuius in locum eius ſubrogandi, ſed etiam ipſorum Eccleſia in ea ciuitate, præcipiente impio Genſerico Wandalorum Rege, clauſa eſt, diſſipatis per diuerſa exiliorum loca presbyteris & miniſtris: ac pariter Zeugitanæ, & Proconſulari prouinciæ interdictum eſt Epiſcopos ordinare; quorum cum eſſet numerus centum ſexaginta quatuor, iidem paulatim deficientes, ad tres tantum redacti erant, quando has Victor [p] Vticenſis calamitates deſcribebat: qui & plurima addit nobiliſſima Chriſtianorum per diuerſas Africæ prouincias martyria, & glorioſiſſimas confeſſiones: quarum etiam occaſione cum eorum nonnulli in Interiorem Mauritaniam, quo numquam fides Chriſti penetraſſet, relegati fuiſſent, ingentem barbarorum multitudinem ad Chriſtum conuerterunt, ac pro præmio martyrium conſecuti ſunt. Additum vero eſt ab impijs Arianis, vt Catholicos cogerent miniſteria diuina ac libros tradere, reluctantes autem tormentis cruciarent: iidemque ad tam execranda ſcelera infelices hæretici proceſſerunt, vt etiam Corpus & Sanguinem Chriſti pauimentis ſpargerēt, ac pedibus conculcarent. Porro eorum omnium, quorum meminit Victor, Martyrum & Confeſſorum, annuatim celebratur memoria ab Eccleſia Catholica, indita ſacris chartis. At vero non Africam tantum dira perſecutione ingemuiſſe, ſed & alias Romani Orbis prouincias. Hiſpaniam, Italiam, Dalmatiam, Illyricum, Siciliam, Sardiniam, Epirum, Græciam, cum idem ſæuus barbarus Genſericus annis ferme ſingulis valida claſſe ora maritima infeſtaret; idem Victor, necnon Procopius [q] ſcribunt.

V. Illuſtrabat autem his temporibus prouinciam Mauritaniæ Cæſarienſis, alius *Victor* Cartennæ Epiſcopus; qui (vt auctor eſt Gennadius [r]) inſultantes Arianos egregio ſcripto libro redarguit; eumque ad ipſum Genſericum Regem, paratus oppetere pro fidei defenſione martyrium, legendum miſit. Itemque *Voconius* Caſtellani Epiſcopus; quem pariter aduerſus Arianos, alioſque hæreticos, necnon Iudæos, aliaque ſcripſiſſe, idem auctor [s] tradit. Atque *Pomerius* ſcientia celebris, qui ex Mauritania recedens, Romam primum, inde ſe in Gallias contulit, multaq; ſcripſit quæ idem Gennadius [t] recenſet, laudatque ſimul eius vitæ mores ſanctiſſimos. Extat vero etiam S. Leonis [u] Papæ ad eiuſdem Mauritaniæ Cæſarienſis Epiſcopos epiſtola his temporibus ſcripta, qua inter alia eos admonuit de Eccleſiaſtica obſeruantia, cum in alijs rebus, tum in ordinationibus ſacerdotum exactiſſime cuſtodienda; adeo vt in tanta miniſtrorum Eccleſiaſticorum penuria haud voluerit diſpenſari cum bigamis.

VI. Hoc eodem anno defuncto Maximo Epiſcopo Antiocheno, cum ſediſſet annos ſeptem, ſubrogatus eſt in locum eius *Baſilius*, quem fide Catholica præſtantem extitiſſe, teſtantur literæ [x] Syrorum Epiſcoporum ad Leonem Imperatorem poſtea ſcriptæ.

IESV CHRISTI ANN. 457.

LEONIS AN. 18.

I. ANno Chriſti quadringenteſimo quinquageſimoſeptimo, Conſtantino & Ruſo Coſſ. Marcianus Imperator ex hac vita migraſſe ponitur à Marcellino [a] Caſſiodoro, & alijs: ex quibus corrigendus Euagrius [b], qui eum imperaſſe tradit vſque ad Seuerum in Occidente regnantem, cum tamen haud ei vltra ſeptem Imperij annos tribuat. Sed & de tempore mortis, idem redarguitur ex literis S. Leonis Papæ ad Leonem Imperatorem Marciani ſucceſſorem ante Imperium Seueri conſcriptis. Numerantur vero anni Imperij Marciani ſex, & menſes ſex: quem quidem defunctum eſſe die vigeſima ſexta Ianuarij, cum parans ſe ad bellum aduerſus Wandalos qui Romam diripuerant, egrederetur ad Supplicationes quæ in Campo fiebant; Theodorus [c] Lector ſcribit. Prædicatur autem inter alias eius virtutes ab auctoribus, effuſa ipſius in pauperes largitas, & inprimis inculpata religio, propenſiſſimumque erga fidem Catholicam ſtudium, atque in Imperij adminiſtratione prudentia, legum inſuper inuiolata cuſtodia, & admiranda tum corporis tum animi caſtitas. Vt vix ſit reperiri inter Conſtantinopolitanos Imperatores, aliquis poſt Conſtantinum Magnum, qui cum Marciano conferendus videatur.

II. Eo defuncto, communi Senatus exercituſque conſenſu, LEO Tribunitius, & ipſe Thrax genere, Imperator ſalutatus eſt, & ab Anatolio Epiſcopo Conſtantinopolitano diademate coronatus; annum tunc agens (vt ex Euagrio [d] colligitur) quinquageſimumquartum: per quem olim, diuino Beatiſſimæ Virginis Matris monitu, cæcum quem errantem in via repertum miſericordia motus ducendum ſuſceperat, illuminatum fuiſſe, & tamquam in mercedem illius pietatis Imperium ipſi ab eadem Dei Genitrice prædictum fuiſſe, Nicephorus [e] tradit.

III. De eius autem electione S. Leo Romanus Pontifex certior factus, confeſtim ad eum literas gratulatorias dedit, quarum meminit in alijs [f] ad eumdem ſecundo datis; hortatuſque eſt ad cuſtodiam fidei Catholicæ, & defenſionem Concilij Chalcedonenſis, quod tantopere hæretici labefactare conarentur. Cui rei diligenter incumbens Imperator, ſanctionem ampliſſimam edidit, qua ſignificauit ſe confirmare omnia à prædeceſſoribus Imperatoribus aduerſus hæreticos promulgata decreta, atque in primis quæ pro firmitate prædictæ Synodi à Marciano ſancita fuiſſent. Adiecitque vt ad Metropolitanos omnes Orientales literas daret, quibus reliqui pariter admonerentur Eccleſiarum minorum Antiſtites, vt cuius eſſent fidei redditis literis facerent manifeſtum; vt vel ſic rurſum confirmarent definitionem Synodi, vel detecti hæretici ſedibus pellerentur. Exciderunt illæ quidem ipſius ſanctio literæque, quibus Deo Imperij ſui primordia conſecrauit: ſed de illis fidem faciunt literæ [g] Cleri Alexandrini & Orthodoxorum Ægypti Epiſcoporum, ad ipſum redditæ occaſione turbarum recens apud eos obortarum.

IV. Accidit enim dum pro firmitate Catholicæ fidei hæc Conſtantinopoli agerentur, Alexandrinam ciuitatem vna cum omnibus Ægypti prouincijs, turbis vehementioribus agitari à factione Dioſcori, ex improuiſo omnem quam per ſeptem ferme annorum ſpatium in ſtomacho continuerat bilem, in ipſum ſanctiſſimum Alexandrinum Epiſcopum Proterium euomente: cum ipſius ſectatores, ſimulac defuncti Marciani nuncium accepiſſent (à quo, poſt condemnationem ipſorum factam à S. Proterio in Synodo, in exilium pulſos fuiſſe vidimus) ſceleſtiſſimo duce vno ex ipſis, *Timotheo* cognomento *Æluro*, olim ex monacho creato presbytero Alexandrino, venientes Alexandriam, eumdem ipſum Timotheum in Pontificium thronum intruſerunt, ac poſt paucos dies ſanctiſſimum *Proterium* intra ipſam eccleſiam, in ipſo baptiſterio, ipſoque die Cœnæ Domini, occiderunt, corpuſque eius per vniuerſam ciuitatem crudeliter tractum membratim diuiſerunt, ac more canum interiora eius deguſtarunt, reliquumque corpus igni, cineres vento tradiderunt. Ac poſt hæc idem Timotheus vrbem Alexandriam, totamque Ægyptum ſæuiſſimis Orthodoxorum omnis generis, ſexus, & conditionis, perſecutionibus, rerumque ac perſonarum ſacrarum profanationibus implens; demum in ipſum

Marginalia (left): o Exod. 1. — Ex cultu Sanctorum ſtabilitum regnum Francorum. — Vetiti eligi Epiſcopi in Africa. — p Vict. de perſ. Wand. lib. 1. — Ex perſecutione fides propagatur in Mauros. — q Procop. de bel. Wand. lib. 1. — Illuſtr. huius temp. Africæ Epiſcopi. — r Gennad. de Script. Eccl. cap. 77. — s Ibid. c. 78. — t Ibid. c. 98. — u Leo ep. 87. — Cum bigamis Leo PP. non diſpenſat. — x Ext. inter epiſt. illuſtr. vir. pro Conc. Chalced. — Leonis Imp. I. Maioriani I. — Marciani

Marginalia (right): ni Imp. obitus. — a Marcel. & Caſſiod. in Chron. — b Euagr. lib. 2. c. 8. — c Theodor. Lect. Collect. lib. 1. — Marciani virtutes. — Leonis Imp. electio. — d Euagr. lib. 2. cap. 11. — e Niceph. lib. 15. c. 25. — f Leo ep. 71. — Leo Imp. Cathol. fidem tuetur. — g Ext. int. ep. ill. vir. pro Conc. Chalced. — Eccleſ. Alexand. turbatur a fautoribus Dioſcori. — Timoth. Ælurus inuadit Eccleſ. Alex. — Hæreticorum rabies in orthodoxos.

ipſum quoque Romanum Pontificem, necnon Conſtantinopolitanum & Antiochenum Epiſcopos, cunctosque Chalcedonenſis Concilij defenſores, anathematis iacula intorſit. Quæ quidem omnia, aliaque eiuſmodi, fuſius pertractata habentur in iiſdem Orthodoxorum Ægyptiorum ad Leonem Imperatorem literis: meminitque eorundem Liberatus [h], necnon Theodorus [i] Lector; qui de eodem Timotheo & hoc amplius habet, eum, antequam occideretur Proterius, nigra veſte indutum cellas monachorum circuire ſolitum, vnumque ſe ex adminiſtratorijs ſpiritibus aſſerere, ad hoc miſſum vt cunctis ediceret ne cum Proterio communicarent, ſed Timotheum Ælurum Epiſcopum deſignarent. Porro tanta paſſi Orthodoxi Ægyptij, non ſolum (vt diximus) ad Imperatorem de ijs ſcripſerunt, ſed etiam ad Anatolium Epiſcopum Conſtantinopolitanum; eoſdemque inter alia rogarunt, vt ea Romano Pontifici, aliiſque Orthodoxis Epiſcopis ſignificanda curarent.

h Liber. Breuiar. cap. 15. i Theod. Lect. Collect. lib. 1.

V. k Ins. epiſt. vir. ill. pro Conc. Chalced.

TIMOTH. ÆLVRI PROCACIA.

Sed nec defuerunt hæretici partibus ſuis. Miſerunt enim & ipſi ad Leonem Imperatorem Legatos, literaſq; [k] dederunt, in quibus de nece illata S. Proterio ne verbum quidem; ſolum in eo inſiſtentes, ſedente Timotheo pacem eſſe redditam Alexandrinæ Eccleſiæ: & quod literis eiuſdem Imperatoris omnes Metropolitani (vt vidimus) exigerentur profeſſionem fidei ſcribere, ijdem hæretici quæ tum ipſi tum Timotheus crederent, magna procacia adiunxerunt; profitentes ſe ſolam fidem Nicænam, ac Synodos Epheſinas (nempe Prædatoriam etiam comprehendentes) amplecti, Chalcedonenſem vero reijcere.

VI. l Extant Leonis & Anatolij inuicem data litera, inter epiſt. vir. ill. pro Conc. Chalced. m Leo Papa ep. 73. & 76. n apud Leon. ep. 74. ad Leon. Imp.

NON SEMPER INDVLGENDVM HÆRETICIS CONCILIA POSTVLANTIB. o Leo ep. 75.

Porro cum vt his tantis malis efficax remedium ab ijs quorum intererat adhiberetur, ea omnia Leo piiſſimus Imperator [l] Anatolio Epiſcopo Conſtantinopolitano, Anatolius autem Romano Pontifici, aliiſque Circularibus literis totius Orbis Chriſtiani Eccleſijs ſignificaſſet, ac rurſum Leo Papa de ijs [m] ad eoſdem Imperatorem & Anatolium reſcripſiſſet: licet Imperator ab eo admonitus, ardentiori animo hæreticis reſtiterit, ſeq; Chalcedonenſis Synodi cuſtodem eſſe publice [n] profeſſus fuerit; tamen quod cuperet omnes ſimul in vnam concordiam vniri, petentibus legatis Timothei cauſam agi debere in Vniuerſali Concilio, aſſenſum præbuit; optanſq; ad terminandas omnes quæ vbique eſſent in Eccleſia lites, præſentiam ſuam Romanum Pontificem exhibere, ea de re ad eum literas dedit. Sed reſtitit huic conſilio S. Leo, atque ad eum reſcribens [o] Calendis Decembris huius anni, pluribus docuit non ita indulgendum eſſe hæreticis, vt ad eorum arbitrium auctoritates, quas Vniuerſalis ſemel amplexa eſſet Eccleſia, infringerentur, eas iterum tractandas proponendo: ſic enim nullum fore colligendis Epiſcopis modum; idq; magis eſſe dilatare, quam ſopire certamina.

VII.

Sed & quod ijdem hæretici fraudulenter dicerent, ſe nihil aliud de fide præter quod fuerat Nicææ definitum ſuſcipere velle, iiſdem literis S. Leo Imperatorem admonuit, haud ſatis eſſe ad perfectam fidei confeſſionem his temporibus Nicænum tantummodo Symbolum profiteri, in quo non de humanitate Chriſti, ſed de diuinitate potiſſimum actum eſſet, in Concilio vero Chalcedonenſi tractatum ſit de vera & perfecta ipſius humanitate: ac proinde ſicut verum Deum & verum hominem Chriſtum vnum confiteri Fideles deberent, ita pariter aſtringi omnes vtramq; Synodum ſuſcipere ac profiteri. Quod autem ad Timothei electionem pertinet; non ipſe ſolum Leo Papa iiſdem literis illam omnino improbauit, ſed etiam (vt ſcribunt Euagrius [p] & Liberatus [q]) omnes Metropolitani, quos tum de Concilio Chalcedonenſi, tum de ea Leo Imperator literis Circularibus conſuluerat: quorum quidem extant [r] triginta ſex epiſtolæ ad eundem Imperatorem eodem argumento reſcriptæ pro confirmatione Synodi, & damnatione Timothei. Et ex omnibus vnus ſolus (inquit Euagrius) Amphilochius Epiſcopus Sydæ, epiſtolam ſcripſit ad Imperatorem, in qua vti contra Timothei creationem grauiter vociferatus eſt, ſic

DAMNATVS AB OMNIB. TIMOTHEVS. p Euagr. lib. 2. cap. 10. q Liber. c. 15. r Epiſt. vir. ill. pro Conc. Chalced.

Concilium Chalcedonenſe improbauit. Quæ vero poſt hæc geſta in his fuerint, dicetur anno ſequenti.

VIII. MAIORIANVS CREATVR IMP. OCCIDEN.

Hoc item anno Rauennæ creatus eſt Imperator Occidentalis Imperij, *Valerius* MAIORIANVS (qui iam olim ob victos Francos & Alemannos, Magiſter militiæ factus fuerat) annuentibus ſimul Senatu & militibus, atq; ipſo etiam Leone Orientis Imperatore: quæ pluribus deſcribit Sidonius Apollinaris in Panegyrico eidem Maioriano dicato.

IX. s apud Sur. 5. Dec. S. SABA INSIGNIS ABBAS.

Hocque ipſo anno, quo Marcianus Imperator obiit, æque defunctum eſſe Iuuenalem Hieroſolymitanũ Epiſcopum, poſtquam ſediſſet annos viginti octo, teſtis eſt Cyrillus monachus in Vita [s] S. Sabæ Abbatis; qui hoc eodem anno in Palæſtinam perrexit ad magnum Euthymium, adhuc adoleſcentulus octodecim annorum: ſub quo adeo profecit, vt egregia vbique ſanctitate poſtea conſpicuus illuxerit, de quo ſæpe inferius. Sed quod ad Iuuenalem ſpectat; ſcripſiſſe illum ex maiorum traditione *de Tranſitu Virginis* libellum, Nicephorus [t] teſtatur. Porro vacaſſe eam ſedem vſq; in annum ſequentem, Acta [u] Quiriaci Anachoretæ nos admonent: vbi qui nonus numeratur annus Leonis Imperatoris, idem Anaſtaſij qui Iuuenali ſucceſſit ſedis recenſetur octauus.

t Niceph. lib. 2. cap. 23. & lib. 15. c. 14. u apud Sur. 29 Sept.

IESV CHRISTI AN. 458.

LEONIS 2. MAIOR. 2.

LEONIS AN. 19.

I. SIDONIVS DONATVR STATVA ET CORONIS.

ANno Chriſti quadringenteſimo quinquageſimo octauo, ambobus Augg. Leone & Maioriano Coſſ. *Sollius Sidonius Apollinaris*, natione Gallus, patria Aruernus, clariſſimus genere, patre Præfecto Prætorio Galliarum, poeticis & rhetoricis literis nulli ſuæ ætatis ſecundus; Romæ tunc agens eiuſdem Maioriani Conſulatum Panegyrico celebrauit, ipſeque eodem tempore publicis meruit monumentis honeſtari, gemina nempe corona ac ſtatua in Foro Traiani; prout idem ad Firminum [a] ſcribens teſtatur. Maiorianus autem ſeptimo Idus Martias publicæ indulgentiæ edidit ſanctionem [b], qua tributa omnia in præſentem vſq; annum non ſoluta, quæ multiplicia erant, penitus relaxauit.

a Sidon. 9. ep. 16. b Maior. Nouel. tit. 4.

II. LEGATI MISSI A LEONE PAPA IN ORIENTEM AD COMPONENDAM ECCLES. c Leo ep. 78.

Alter vero Conſul Leo Imperator, acceptis quas Leo Papa anno ſuperiori ad ipſum literas ſcripſerat, cum quæ eſſet eius de indictione noui Concilij ſententia percepiſſet, mox ad ipſum reſcribens, ſe in omnibus aſſenſurum ei pollicitus eſt; ad componendas tamen res Orientalis Eccleſiæ, petijt ab eo Legatos mitti Conſtantinopolim. Annuit confeſtim Pontifex, redditis ad eundem literis [c] vndecimo Calendas Aprilis: verum conteſtatus eſt, haud ſe miſſurum Legatos ad diſputandum cum hæreticis, quod non eſſet Eccleſiaſticæ dignitatis, nouis diſceptationibus ſubijcere quæ Oecumenicis iam fuiſſent definita Concilijs. Miſſos autem Legatos *Domitianum* & *Geminianum* Epiſcopos, idem alibi S. Leo [d] ſignificat: quorum quidem iſtum putamus fuiſſe Geminianum, ſanctitate illuſtrem Mutinenſem Epiſcopum, quẽ eius Acta habent claruiſſe temporibus Attilæ. Domitianum autem Epiſcopum nullum hoc tempore inuenimus, præter Catalaunenſem, ſanctitudine æque conſpicuum; cuius eſt mentio in Concilio Turonenſi, & apud Venantium Fortunatum. Porro eodem tempore idem S. Leo ſcripſit [e] quoque ad Anatolium Conſtantinopolitanũ; inter alia redarguens eum, quod cum ei vices ſuas delegaſſet, vt pœnitentes hæreticos (quod ſolius erat ſedis Apoſtolicæ iuris) in Eccleſiam reciperet; eis ipſe abuſus nonnullos abſque legitima & perfecta ſatisfactione ſuſcepiſſet. Denique hoc eodem anno ad eundem Leonem Imperatorem idem Pontifex prolixiorem dedit epiſtolam [f] de Verbi Incarnatione, cum appendice ſententiarum SS. Patrum de eadem.

d Id. ep. 100. ad Gennad. Epiſc. Conſtantinop. e Id. ep. 77. f ep. 97.

III. LEO IMP. QVÆRIT

Idem autem Imperator conſulturus in omnibus Catholicæ fidei, etſi anno ſuperiori ex vniuerſo Oriente exegerat ab Epiſcopis Orthodoxam confeſſionem; tamen

ASS. MONACHIS CONFIRMATIO NIM SYNODI CHALCED.

adhuc vtile fore exiſtimans, ad ſimplicium corda potiſſimum confirmanda, ſi ſanctiſſimorum virorũ, quos Deus miraculis illuſtraſſet, ipſum Chalcedonenſe fidei decretum teſtificatione corroboraret (quod quidem plane idem videri poſſet, ac ſi fidem Catholicam omnium ſubſcriptione firmatam, etiam miraculis conſignaret) de ea re ſcripſit [g] ad celeberrimi nominis ſanctos anachoretas, præcipue vero ad magnum illum adhuc ſuperſtitem Simeonem, quem ſuper omnes mortales columnæ incolatus euexerat, ac ſubinde ad Baradatum, & Iacobum Syrum, alioſque vitæ mirifica ſanctitudine ſplendeſcentes, quorum eſt etiam illuſtris memoria apud Theodoretum in Vitis SS. Patrum. Extat [h] autem Baradati ad Leonem Imperatorem reddita epiſtola, qua fidem Calcedonenſem egregie confirmauit, multumque in hæreticos inuectus eſt. Sed & Simeonem Stylitam binas eodem argumento ſcripſiſſe ad ipſum Imperatorem & Baſilium Epiſcopum Antiochenum literas, teſtis eſt Euagrius. Suumque etiam cucullum ad Imperatorem miſiſſe, habent Acta [i] S. Danielis cognomento pariter Stylitæ. Iacobi vero Syri, aliorumque complurium ſanctorum Monachorum litteræ, in eamdem ſententiam ad eumdem Auguſtum datæ, deſiderantur.

g Euagr. lib. 2. cap. 9.
h Inter epiſt. ver. 18. pro conc. Chal.
i ap. Sur. 11. Dec.

IV. Hoc eodem anno defunctus eſt prædictus Baſilius Epiſcopus Antiochenus, anno ſedis eius ſecundo, vt tradit Nicephorus: in cuius locum fuit ſubrogatus *Acacius*; ſub quo, hoc præſenti anno Imperatoris Leonis ſecundo (vt Euagrius [k] ſcribit) memorabilis accidit decima quarta die menſis Septembris hora quarta noctis, clades Antiochiæ ex ingenti terræmotu; cuius etiam meminit Marcellinus anno ſequenti. Additq; Nicephorus, Thraciam quoque, & Helleſpontum, Ioniam omnem, & Cycladas Inſulas eadem tempeſtate concuſſas eſſe.

k Euagr. lib. 2. c. 12.
INGENS TERRÆMOTVS IN ORIENTE.

V. Eodem pariter anno Anatolius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, cum ſediſſet annos octo & totidem menſes, ex hac vita deceſſit. In cuius locum ſubrogatus eſt *Gennadius* eiuſdem Eccleſiæ presbyter, doctrina & ſanctitate atque Catholica fide conſpicuus: ſub quo Theodorus [l] Lector atque Nicephorus [m], à Marciano eiuſdem Eccleſiæ Oeconomo factum ponunt, vt cum maior eccleſia Conſtantinopolitana vſurpare conſueuiſſet Oblationes aliarum minorum ſibi ſubditarum Eccleſiarum, poſthac quique clerici ſuarum Eccleſiarum oblatione fruerentur, ita cohibentibus Gennadio & Marciano primariæ Eccleſiæ miniſtorum auaritiam.

GENNADIVS CREATVR EPISC. CONSTANTINOP.
l Theodoſ. Lect. Collect. lib. 1.
m Niceph. l. 15. cap. 22.

VI. Hoc item anno ſecundo Leonis Imperatoris (vt dictũ eſt in fine ſuperioris) in locum demortui Iuuenalis Hieroſolymitani Epiſcopi, ſuffectus eſt *Anaſtaſius* ex presbytero illius Eccleſiæ vaſorum cuſtode: quem ad eam dignitatem peruenturum, iam olim præuiderat prædixeratque magnus ille Euthymius Abbas: vt in eius Vita pluribus narrat Cyrillus [n] ipſius diſcipulus.

ANASTASIVS CREATVR EPISCOP. HIEROS.
n apud Sur. 20. Ianuar.

LEONIS 3. MAIOR. 3.

IESV CHRISTI ANN. 459.

LEONIS AN. 20.

I. ANNO Domini quadringenteſimo quinquageſimo nono, Ricimere atq; Patricio Coſſ. Conſtantinopoli præſentibus Apoſtolicæ Sedis Legatis, exoptatum diu à Leone imperatore celebratum eſt CONCILIVM; non quidem Oecumenicum, vt ipſe primo petierat, ſed ex proximis tantum prouincijs conuenientibus in vnum ſeptuaginta tribus Epiſcopis; adnitente Gennadio Conſtantinopolitano, fidei Catholicæ & Eccleſiaſticæ diſciplinæ acerrimo vindice, atque obſeruantiſſimo cuſtode: qui & in ea re Sanctos ipſos in cœlo cum Deo degentes habuiſſe coadiutores reperitur [a], dum nec verbis nec verberibus corrigere valens peſſimæ vitæ clericum quemdam Eccleſiæ S. Eleutherij martyris, magna fide interpellans ipſum Martyrem, vt clericum ſuum emendaret, aut præcideret; ſequenti die clericus mortuus inuentus eſt. Inter alias autem deformitates Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, cum nactus eſſet illã ſimoniaca labe deturpatam; ad eam penitus euellendam, alioſque prauos mores extirpandos egregie laborauit. Perierunt quidem eius Synodi Acta, vt nonniſi canon vnus aduerſus Simoniacos [b] reperiri poſſit. Actum vero in ea eſſe (quarum cauſa rerum præcipue conuocata eſt) de abolenda penitus Entychiana hæreſi, ac confirmando Chalcedonenſi Concilio, quis dubitet?

CONCIL. CÕSTAN. CORAM LEG. APOSTOL.
a Trac. Spir. c. 145. Nic. lib. 15. c. 23. Theod. Lect. Lib. 1. Collect.
b ap. Theod. Balſ. poſt. Nomocan. Phot & to. 1. Bibl. Sanct.

II. Eodem porro tempore ab eiſdem Epiſcopis celeberrimam factam eſſe dedicationem nobilis eccleſiæ erectæ à Marciano Oeconomo ſanctiſſimo viro, habent Acta [c] ipſius; qui & iiſdem Encænijs inſigni meruit nobilitari miraculo, ob charitatem cuidam mendico exhibitam. Porro erecta eſt illa eccleſia ſuper ædiculam Anaſtaſiæ, ita nominatum locum illum, vbi primum hoſpitatus S. Gregorius Nazianzenus proſtratam fidem erexit, vnde Anaſtaſiæ nomen accepit; id ipſi Gregorio diuino reuelante Spiritu, fore aliquando vt ædicula illa in baſilicam ingentem conſurgeret.) In eamdem porro eccleſiam ipſius S. Anaſtaſiæ martyris Reliquias Gennadium transferri curaſſe, Theodorus [d] Lector, Nicephorus [e], & alij tradunt. Moris autem fuiſſe celebrare Encænia tempore Synodorum, cum videlicet plurimi Epiſcopi conueniſſent in vnum, frequentibus comprobatum eſt exemplis.

ENCÆNIA ECCL. ANASTASIÆ.
c ap. Sur. 10. Ianuar.
d Theod. Lect. Collect. lib. 2. in fin.
e Niceph. lib. 15. c. 10.

III. Aucta eſt etiam eodem Gennadij Epiſcopi tempore, Eccleſia Conſtantinopolitana nobiliſſimo cœnobio monachorum *Acœmetarum* hoc eſt *Inſomnium*, qui iuges die nocteque peruigiles Deo laudes offerre conſueuerant, ſibi inuicem tripertito tempore ſuccedentes. Noui vero huius cœnobij incolæ, vocati ſunt etiam *Studitæ*, à Studio viro clariſſimo, qui eiuſmodi monaſterium in honorem S. Ioannis Baptiſtæ Conſtantinopoli erexit, cum illuc Roma migraſſet cum bonis ſuis, vbi & ante quinquennium Conſulatum ordinarium geſſit vna cum Aetio. Hæc quidem conſtant ex Nicephoro [f]: ſed haud (quod ipſe videtur aſſerere) fuit eius inſtituti monachorum Marcellus auctor, ſed tantum propagator: nam *Alexandrum* Abbatem, eiuſdemque Marcelli inſtitutorem, religioſum illum cultum inueniſſe, teſtantur Acta [g] eiuſdem S. Marcelli, in quibus plura habentur de eodem inſtituto.

MONASTERIVM ACOEMETARVM, QVI ETIAM DICTI STVDITÆ.
f Niceph. lib. 15. c. 23.
g ap. Sur. 29. Decemb.

IV. Hoc eodem anno Acacius Epiſcopus Antiochenus, cum ſediſſet annum dumtaxat, ex hac vita deceſſit: in cuius locum ſubrogatus eſt *Martyrius*.

MARTYRIVS EPISCOP. ANTIOCH.

LEONIS IMP. 4. MAIORIANI 4.

IESV CHRISTI AN. 460.

LEONIS AN. 21.

I. ANNO Chriſti quadringenteſimo ſexageſimo, Magno & Apollonio Coſſ. Leo Auguſtus Synodicis impulſus decretis Concilij Cõſtantinopolitani anno ſuperiori celebrati, iuſſit inuaſorẽ Alexãdrinæ eccleſiæ Timotheum Ælurum inde eiici, dato ad hoc certo reſcripto ad Ducem Auguſtalem, qui curaret exacte negotium. Teſtatur hæc Liberatus [a]; qui & addit, in huius Timothei expulſi locum, ſubrogatum fuiſſe alium item *Timotheum* cognomento *Solofaciolum*, ſiue *Album*, virum quietum & pacificum, ac fidei Catholicæ profeſſorem. Verum antequam iſta ſubrogatio fieret, Ælurum poſt expulſionem permiſſum fuiſſe venire Conſtantinopolim ſub ſpecie quadam abdicandæ hæreſis, vt ſic ſedem recuperaret, conſtat ex litteris S. Leonis Papæ, quas cum de his certior factus eſſet, ſcripſit [b] ad Leonem Auguſtum & Gennadium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, de eodem penitus amouendo tamquam impiiſſimo parricida, etiamſi alioqui videri vellet Catholicus, atque alio probatiſſimo viro in locum eius ſubſtituendo. Cui obſequens Imperator, eumdem Ælurum relegari præcepit Cherſonam (vt Liberatus habet) ſiue vt alij in Oaſim; ac more priſtino à clero Alexandrino eligi, & ab Epiſcopis Ægyptijs ordinari curauit predictum Solofaciolum,

a Liber. c. 15.
TIMOTH SOLOFACIOLVS ELIGITVR EPISCOP. ALEX.
b Leo ep. 99. 100.
TIMOTH. ÆLVRVS RELEGATVR.

qui cum ſtatim more maiorum, de ſua ordinatione, vna cum Catholicæ fidei profeſſione, litteras dediſſet ad eumdem Romanum Pontificem, præſtitiſſentque id ipſum eius ordinatores Epiſcopi, & Eccleſiæ Alexandrinæ clerus; ad eos ſingulos reddidit. S. Leo [c] litteras ſub his Coſſ. decimoquinto Calendas Septembris. Ex quibus redarguas erroris Marcellini Chronicon, dum hoc anno eius ponit obitum. Cum enim ſit omnium ſententia, ipſum vita functum menſe Aprilis, certum eſt non ante ſequentem annum id accidere potuiſſe.

c Id. ep. 101. 102. 103.

II. Hoc ipſo anno [d] quarto Leonis Imperatoris, magnus ille S. *Simeon Stylita*, Orbis miraculũ (vt eum vocat Theodoretus [e], qui eius vitam ex parte deſcripſit) Orientalibus æque atque Occidentalibus notiſſimus; quem ab Imperatore Marciano ſæpe priuato habitu conuentum Suidas tradit, quemque pij omnes Imperatores, aliique præſtantiſſimi viri literis vndique ac legationibus frequentarunt, de quo plura dicta ſunt ſuperius; ex hac vita migrauit. Quem longe vltra centeſimum annum ætatem propagaſſe, inde facile colliges, quod iam columnam aſcenderat viuente Meletio Epiſcopo Antiocheno; qui mortuus eſt anno Domini trecenteſimo octogeſimo primo; à quo tempore vſque in hanc diem numerare licet annos octoginta. Verum cum eum inuiſit Meletius, haud putamus minorẽ fuiſſe annis triginta. Porro Chriſtianus Orbis, qui viuentis coluit nomen, & eſt veneratus imagines; memoriam defuncti maioribus eſt proſecutus honoribus, annis ſingulis eius diem natalem celebrandum inſtituens; ſiue diem tranſlationis, cum videlicet [f] venerandum ipſius corpus paulo poſt obitum, petente Daniele Stylita, Conſtantinopolim tranſlatum fuit iuſſu Leonis Imperatoris maxime pij, qui & in eius honorem ibi nobilem erexit eccleſiam.

d Cedren. in Comp. e Theod. de Vit. SS. Patr. cap. 26. SIMEONIS STYLITÆ OBITVS. f Act. Dan. Styl. ap. Sur. 11. Dec.

III. At ſicut Elias [g] Eliſæum ſpiritus reliquit heredem, & virtutum imitatorem; ita Simeon *Danielem* monachum, quem prædictionibus & diuinis viſionibus ad eiuſmodi angelicum arripiendum vitæ inſtitutum adhortatus erat, ſibi ſubſtituiſſe viſus eſt ſpiritualis hereditatis legitimum ſucceſſorem. Paulo enim ante eius obitum, ipſo tamen obitus die (quem licet longe abſens, diuina reuelatione præcognouit) idem Daniel inſtar Eliſæi, ſicut ille pallium eſt conſecutus Eliæ, ipſe cucullum Simeonis per Sergium diſcipulum ad Leonem Imperatorem miſſum, ſed ab illo non retentum, accipere meruit: magnaque fiducia conſtructam apud Oſtia Ponti, haud procul à finibus Conſtantinopolis, columnam aſcendit, coluitque per multos annos; comprobante Deo eiuſmodi propoſitum plurimis ingentibuſq; ſignis & miraculis. Sed hæc fuſius ipſius Acta omni fide conſcripta, de quo etiam erit ſæpe occaſio dicendi inferius.

g 4. Reg. 2. DANIEL STYLITA COLVMNAM ASCENDIT.

LEONIS IMP. 5. SEVERI IMP. 1.

IESV CHRISTI AN. 461.

HILARI AN. 1.

I. ANNO Chriſti quadringenteſimo ſexageſimo primo, Seuerino & Dagalaipho Coſſ. Maiorianus [a] laudatiſſimus Imperator apud Dertonam Hiſpaniæ ciuitatem necatus eſt fraude SEVERI; qui poſt eum tyrannice inuaſit Imperium, ope Ricimeris Gothi, cui Magiſtro militum creato, cum tamen hæreticus Arianus eſſet, male crediderat Maiorianus vires Imperij, vt exitus declarauit. Docuit enim ſæpe experimentum, magno damno hæreticos admiſceri Catholicis, quod nulla ſit conuentio [b] lucis ad tenebras.

a Marcell. Caſſiod. in Chron. MAIORIANI MORS, ET SEVERI IMPERIVM. b 2. Cor. 6.

II. Sub iiſdem pariter Coſſ. tertio Idus Aprilis, S. *Leo* Romanus Pontifex, cum ſediſſet annos viginti vnum, minus diebus triginta duobus, ex terrena vita ad cœleſtem migrauit; corpus vero eius ſepultum eſt apud S. Petrum Apoſtolum. Qui quidem ob excellentem virtutem & doctrinam, ac vigilantiſſimum in cura paſtorali ſtudium, à maioribus *Magnus* cognomento iure meruit appellari.

S. LEONIS PAPÆ OBITVS.

Cum autem de eo ſint nonnulla antiquis tradita monumentis, quæ nequeant certis eius annis adſcribi; illud quidem inter alia haud omittendum, quod narrat S. Gregorius [c] Papa, nimirum cum à quibuſdam Græcis dubitaretur de virtute brandeorum, quæ apponi ſolerent ad Apoſtolorum corpora, eumdem Leonem eiuſmodi vnum brandeum forficibus incidiſſe, & ex ipſa inciſione ſanguinem effluxiſſe. Erant vero Brandea, vela quædam, ſeu ſudaria, quæ ſupra SS. Apoſtolorũ Petri & Pauli ſepulchrum poſita à Fidelibus, ita imbuebãtur diuina virtute, vt etiam pondere augerentur, tantæq; per ea virtutes fierent, quantæ fere per ipſa corpora Sanctorum. Cuius rei teſtes ſunt fidiſſimi ambo Gregorij, Papa [d] & Turonenſis [e]. Ex quibus etiam conſtat, eaſdem pariter virtutes operari ſolitum Deum per claues cancellorum ſepulchri eorumdem Apoſtolorum.

c Greg. l. 3. ep. 30. ad Conſt. Aug. MIRACVLVM DE INCISO BRANDEO. d Greg. Pap. ibid. e Greg. Tur. l. Miracul. 28.

III. Rurſum vero in Prato [f] Spirituali de eodem S. Leone legitur, quod cum quadraginta dies perſeueraſſet in vigilijs & orationibus ad ſepulchrum S. Petri Apoſtoli, vt dimitterentur ſibi à Deo peccata ſua; demum apparens ei S. Petrus ſignificarit, eſſe ei omnia peccata dimiſſa, præter quam impoſitionis manuum. Quod quidem, cum peccata quoad culpam non dimittantur ex parte, intelligi debet de pœnis peccatorum quæ perpetraſſent illi qui ab eo indigni promoti fuiſſent ad ordines, quibus ipſe remaneret obligatus. Quod enim facile ſit in his peccare etiam prudentem Epiſcopum, iure etiam Paulus [g] monuit Timotheum, nemini cito manus imponeret, neque communicaret peccatis alienis. Tunc enim dicuntur Præſules communicare peccatis alienis, dum indignis conferunt honores & miniſteria. Porro quæ de eodẽ S. Leone apud nonnullos recentiores irrepſit fabula, de amputata ſibi dextera manu, quod cum formoſa mulier eam eſſet exoſculata, paſſus quid humani eſſet, eademq; ipſi à Sanctiſſima Dei genitrice reſtituta: hæc ſine vlla maiorum auctoritate iactantur, & indigna ſunt prorſus quouis Chriſtiano, nedum adeo ſancto Pontifice; ideoque reijciuntur tanquam garrularum fabulæ vetularum.

f Prat. Spir. c. 149. DE PECCATO INDIGNÆ IMPOSIT. MANVVM. g 1. Tim. 5. FABELLA DE LEONE.

IV. Ad poſtremum inuenimus nobile monumentum, cuſum ex Senatuſconſulto numiſma æreum in eiuſdẽ Pontificis memoriam, cum imagine & nomine S. Petri à parte altera, altera nomine expreſſo ipſius Leonis (quod de alijs ante eum Romanis Pontificibus non reperitur) hoc modo, D. N. LEONI PAPÆ, omnemque præfefert cum antiquitate ſinceritatem, vt nec leuiſſimæ ſuſpicioni ſubiaceat impoſturæ. Quod equidem puto eo tempore cuſum, quo ab Attila, fultus præſidio S. Petri, Vrbem liberauit. Præter iſta vero habetur in Libro de Romanis Pontificibus, nonnulla de ſcriptis ab ipſo ad diuerſos epiſtolis; pluraque de erectis, reparatis, & ornatis varijs eccleſijs Vrbis.

NVMMI CVSI IN HONOREM S. LEONIS.

V. Sed quod in eodem libro traditur, poſt eius obitum vacaſſe ſedem dies ſeptem; pro diebus reponendi ſunt menſes, cum ex Concilio Romano ſub Hilaro eiuſdem ſucceſſore conſtet, ſubrogationem Hilari contigiſſe menſe Nouembris, eiuſque veritatis aſſertorem habeamus, dignum Chronographum Marianum Scotum, qui pridie Idus Nouembris ordinationem Hilari ponit. Fuit autem HILARVS natione Sardus, patre Criſpino genitus: quem olim diaconum idem S. Leo Legatum vna cum collegis, (vt dictum eſt) miſerat Epheſum ad Concilium ibi Oecumenicum ſub Theodoſio celebrandum. Qui quidem ſimul ac in Apoſtolica Sede conſedit, nihil antiquius habens quam quæ tanto labore eſſet contra hæreticos conſtituta, eadem firmare: epiſtolam Encyclicam ſcripſit de damnatione Neſtorij & Eutychetis, & confirmatione trium præcipuarum Synodorum Oecumenicarum, Nicænæ, Epheſinæ, & Chalcedonenſis: vt traditur in ipſo ingreſſu rerum ab eo geſtarum.

HILARVS CREATVR RO. PONTIF.

VI. Quod vero ad res Orientis ſpectat: hoc ipſo tempore, cum S. Danielis Stylitæ miraculorum editione fama celebris innoteſceret, Leo Imperator eum cœpit magno honore habere, & interdum viſitare atque humiliter venerari, à quo etiam aliquando ingenti periculo liberatus eſt,

Leo Imp. obtinet filium. h ap. Sur. 11. Dec.

eiuſdemque ad Deum precibus maſculam prolem ex Verina coniuge pientiſſima fœmina obtinuit: vt narratur in ipſius Danielis Vita [h] Verum haud diu infans ſuperuixit: ſublatus (vt putatur) arte Ariadnæ ſororis, nequiſſimæ fœminæ, Zenonis poſtea vxoris, iam tunc inhiantis Imperio, & malorum omnium quibus afflictata eſt Orientalis eccleſia, ſubdolæ concinnatricis.

Leon. 6. Severi. 2.

IESV CHRISTI AN. 462.

HILARI AN. 2.

I. a Cedren. in Compend. Pictoris profani pœna. b Theo. Lect. Collect. li. 2. c Niceph. li. 15. c. 23.

ANnvs Chriſti quadringenteſimus ſexageſimus ſecundus, Coſſ. habuit vtrumque Auguſtum, Leonem ſecundum & Seuerum: alioqui rerum eccleſiaſticarum ſcriptione ſatis obſcurus. Illud tamē notatu dignum Cedrenus [a] ponit hoc anno ſexto Leonis, Conſtantinopoli pictori cuidam, aggreſſo Chriſtum forma Iouis pingere, manum exaruiſſe: eumq; facinus confeſſum, à Gennadio Epiſcopo Conſtantinopolitano ſanatum eſſe. Quæ eadem habent Theodorus [b] Lector, atq; Nicephorus [c].

Leon. 7. Severi 3.

IESV CHRISTI ANN. 463.

HILARI ANN. 3.

I. a Marian. Scot. in Ch. Hilar. PP. cyclum novum curat per Victorinum. b Genna. de vir. ill. c. 88.

ANno Chriſti quadringenteſimo ſexageſimo tertio, Caſſiodorus Coſſ. ponit Cæcinam Decium Baſilium, & Vibianum; ſed Marcellinus collegam Vibiani habet Felicem: niſi dixerimus eundem Baſilium dictum quoq; fuiſſe Felicem. Quo anno Hilarus Papa [a] conſiderans Theophili Alexandrini Cyclum iam in decliuum labentem, abſoluendum Anno Chriſti quadringenteſimo octogeſimo: de nouo conſcribendo calculo prouinciam iniunxit Victorino Aquitano, qui huius facultatis habebatur omnium hoc tempore facile princeps. Scripſit [b] vero is Cyclum vſque ad annum quingenteſimum trigeſimum ſecundum: expertus tamen poſtea aduerſantem ſibi Victorem epiſcopum Capuanum, cui magis Beda tribuit: ſed de huiuſmodi controuerſijs dicetur ſuo loco.

II. Tranſlatio Eliſæi Prophetæ.

Hoc eodem anno, qui ſeptimus numeratur Leonis Imperij (vt habet Cedrenus) Eliſæi Prophetæ oſſa è Palæſtina tranſlata ſunt Alexandriam.

Leon. 8. Severi. 4

IESV CHRISTI AN. 464.

HILARI AN. 4.

I. Evarici Goth. Regis graſſationes in Gal. et Hiſp. a Iſid. in Chro. Goth.

ANno Chriſti quadringenteſimo ſexageſimo quarto, Ruſtico & Olybrio Coſſ. morte ſublato Theodorico Gothorum Rege, frater eius *Euarix*, ſiue Euaricus, regnum capeſſiuit: qui quidem (vt ait Iſidorus [a]) pari ſcelere quo frater regnans, ſtatim bello cœpit Hiſpanias & Gallias diriſſime affligere: ac prius capta Pampilona, inuaſit Cæſaraugustam, totamque Hiſpaniam ſuperiorem obtinuit, & Tarraconenſem nobilitatem peremit: in Gallias autem regreſſus, Arelatum & Maſſiliam vrbes cepit. Sub quo etiam Gothi Leges ſcriptas habere cœperunt, cum antea moribus & conſuetudine tenerentur. Hæc omnia Iſidorus: paucis complectens Euarici cunctas in regno res geſtas. Verum quod ait de Legibus ab eo primum ſcriptis, erroris conuinci poſſe videtur à Sidonio Apollinare [b], qui meminit legum Theodoricianarum: quas ſcilicet Theodoricus Euarici prædeceſſor iam antea promulgaſſet.

Quando leges Goth. ſcriptæ. b Sido. l. 2. ep. 1. ad Ecdic.

Leon. 9. Severi 5.

IESV CHRISTI AN. 465.

HILARI AN. 5.

I. Prodigioſum incendium Conſt. a ap. Sur. 11. Dec.

ANnus Chriſti quadringenteſimus ſexageſimus quintus, ambos Coſſ. habuit hæreticos: nimirum Baſiliſcū fratrem Verinæ Auguſtæ vxoris Leonis Imperatoris, hæreticum Eutychianum, & hæreticorum in Oriente fautorem præcipuum: atq; Herminericum Gothum Arianum. Quapropter haud mirum eſt, ſi vtrumq; Imperium variis fuerit in vindictam cladibus afflictatum. Nam inprimis ipſa regia vrbs Conſtantinopolis (vt habet Marcellinus in Chronico) maximo inuaſa incendio, miſere fœdata eſt, quod quidem iam antea S. Danielem Stylitam Leoni Imperatori & Gennadio epiſcopo Cōſtantinopolitano prædixiſſe, ac fruſtra de auertenda precibus Dei ira monuiſſe, teſtantur ipſius Acta [a]: in quibus etiam traditur, id contigiſſe menſe Septembri in vigilia Feſti S. Mamantis martyris: eoq; non ſolum quamplurima ædificia publica priuataque, ſacra atq; profana, ſed & ingentem virorum fœminarumq; multitudinem perijſſe. Porro ipſum per malum dæmonem in habitu mulieris, ſiue per mulierem quæ victum manib. quæritaret, immiſſum fuiſſe, Euagrius [b] tradit: qui & illud deſcribens, in eo tantum ab Actis S. Danielis diſcrepat, quod quatuor duntaxat dies perduraſſe dicat, illa vero ſex ponant. Quo etiam tempore baſilica Anaſtaſia, nuper à S. Marciano Oeconomo erecta, dicataque, ingenti miraculo liberata ab incendio eſt precibus eiuſdem Marciani [c], ſacro accepto Euangelio in medijs flammis orantis. Deniq; ne tota periret ciuitas, orationes quoq; SS. Danielis Stylitæ & Marcelli Acœmetarum Archimādritæ à Deo obtinuiſſe, teſtātur eorundem Acta [d].

b Evag. li. 2. c. 13. c Act. Marc. ap. Sur. 10. Ianuar. d ap. Sur. c. 11. & 29. Dec.

II. Conſtitutio de nova ædificandi ratione. e l. 12. C. de privat. ædif.

Huius autem occaſione incendij (quo Euagrius tradit adeo deformatam fuiſſe vrbis faciem, vt nec ab ipſis habitatoribus internoſci poſſent priores locorum ſitus) Zeno poſtea Imperator Leonis ſucceſſor, conſtitutionem [e] de priuatis ædificijs promulgauit, qua iuſſit vt ædificans domum, duodecim pedes ſpatij relinquere deberet inter proprias & vicini ædes, ne ſi cōtingeret domum aliquam conflagrare, vicini quoq; domum continentem flamma depaſceret, & ſic tota vrbs periclitaretur: vbi etiam meminit de Leonis eodē argumento conſtitutione his temporibus edita. Cæterum aliquanto poſt incendium tempore aſperrimam aduenisse hiemem, ſecutamque eſſe vehementiſſimorum imbrium atq; ventorum prodigioſam frequentiam, cum Euagrius [f] atque Nicephorus [g], tum eadem Danielis Acta declarant. Et hæc quidem in Oriente.

f Evag. lib. 2. c. 14. g Niceph. li. 15. c. 20.

III. Severus Imp. necatur.

In Occidente, vero huius pariter anni Coſſ. (vt tradūt Caſſiodorus & Marcellinus) Seuerus Imperator dolo *Ricimeris* Gothi Ariani, potentiſſimi Magiſtri militum, Romæ in Palatio veneno peremptus eſt: cuius perobſcuræ remanſere res geſtæ. Poſt eius autem obitum, factum eſſe interregnum per annum & menſes aliquot, idem Caſſiodorus oſtendit, dum creationem Anthemij poſt ſequentis anni Coſſ. ponit. Obfuitque multum Italiæ eiuſmodi interregnum, & frequens iſta mutatio Auguſtorum: ſiquidem ex eo factum eſt, vt Wandali regnantes in Africa, crebrius Imperij littora incurſarent. Qui & adeo formidabiles facti ſunt piratica claſſe, vt ipſam quoque Alexandriam fuiſſe timore concuſſam, ſed de ea illæſa permanſura Imperatorem ab eodem qui ſupra S. Daniele ſecurum redditum, teſtantur ipſius Acta.

IV. Concil. Rom. in natali Hilari PP. a To. 2. Con.

Hoc eodem anno cum Romam conueniſſent quadraginta octo Epiſcopi, ad natalē diem Hilari Romani Pontificis, hoc eſt ipſius ordinationis; ex more ſolemniter celebrandum, eius occaſione conuentus, idem Hilarus in baſilica S. Mariæ Synodvm habens decimoquinto Calendas Septembris, de varijs egit conſultationibus quæ ad ipſum miſſæ fuerant ab Hiſpanis Tarraconenſis prouinciæ Epiſcopis: quarum tractatio in ipſis quæ [a] extant Synodi Actis videre licet: ac præcipue de Ordinationibus clericorum, & ne epiſcopi ſibi ſucceſſores deligerent.

ORDO SESSIONIS EPISC. SECVNDVM TEMPVS ORDINAT.

Quod vero inter Epiſcopos qui Synodo interfuerunt, primo loco ponitur *Maximus* Epiſcopus Taurinenſis poſt Romanum Pontificem: nō id quidem Accidit ſedis prærogatiua, cum digniores illic eſſent Epiſcopi Metropolitani, vt inter alios Mediolanenſis, ſed prærogatiua ætatis in Epiſcopatu agētis: ex more ſcilicet antiquo, quem iam ſupra notauimus, vt qui plures annos ageret in epiſcopatu vel Archiepiſcopatu, priorem ſibi in Synodis locum vendicaret, ſalua tantummodo Patriarchalium prærogatiua ſedium. Porro de Maximo Taurinenſi dictum eſt pluribus in Synodis Arauſicana & Mediolanenſi ſub S. Leone Papa.

IESV CHRISTI AN. 466.

LEONIS IMP. 10

HILARI AN. 6.

I.

ANnus Chriſti quadringenteſimus ſexageſimus ſextus, vnicum Conſulem Leonem Imperatorem notant Faſti Caſſiodori & Marcellini. In Occidente enim cum nullus eſſet Imperator, nulla eſt à Senatu habita ratio Conſulis deligendi. Et quod à recentiori Chronographo [a] additītius ponitur collega Fabius Titianus: id ex diuinatione fit, abſque aliquo teſte, aut veriſimili coniectura.

a Panuin. in Faſt.

II. LEX DE ECCL. IMMVNITATE.

Hoc porro anno idem Leo Imperator pridie Calendas Martias, de immunitate confugientiū ad eccleſiam, ampliſſimam ac ſeueriſſimam edidit ſanctionem [b]: cum (vt habent Acta [c] S. Marcelli Acœmetarum Archimandritæ) Ardaburio potentiſſimo duce Ariano militē quendam è cœnobio Acœmetarum vi extrahere tentante, qui ad hoc ab eo miſſi eſſent, fulguribus ex Imagine apparentis in faſtigio monaſterij Crucifixi procedentibus, mirabiliter repulſi eſſent: oſtenſumque eſſet, magno periculo aſylum eccleſiæ violari. Huius enim rei tam inſigniter geſtæ occaſione factū putamus, vt Leo prædictam ſanctionem promulgauerit: qua etiam antiquauit veterem illam, cuius facta eſt ſuo loco mentio, qua iubebantur Epiſcopi ſoluere quod creditorib. deberet ad eccleſiam refugiens, niſi eum redderent: addiditque modum, quo in tali occaſione creditores vti deberent.

b l. 6. C. de his qui ad eccl. confug. c ap. Sur. 29. Dec.

FVLMINIB REPELLVNTVR MILITES SACRILEGI.

III. ECDICII ARVERNI VIRTVS.

Hoc item anno Euaricus Rex Gothorum, abſoluto regni ſui ſecundo, poſt Hiſpanias deuaſtatas deſcendens in Gallias, vrbem Aruernum obſedit: cum pro eius defenſione agens vir clariſſimus *Ecdicius* Auiti Imperatoris filius, & ipſe Aruernus, Dei virtute confiſus, magno miraculo ingentem hoſtium numerum, longe diſpari paucitate militum & virium ſæpe ſuperauit atq; fugauit: quæ quidem narrantur in epiſtola, ad eum poſtea ſcripta à Sidonio [d] Apollinare æque clariſſimo viro: quem eiuſdem Ecdicij ſororem nomine Papianillam, vxorem duxiſſe conſtat ex eius literis [e] ad ipſam datis.

d Sidon. 3. ep. 3.
e Id. 5. ep. 16.

IV. S. PROSPERI OBITVS.

Hoc eodem anno S. Proſper Aquitanus (de cuius ſcriptis, alijſque aduerſus hæreticos, ac præcipue Pelagianos, exantlatis laboribus ſæpe actum eſt ſuperius) ex hac vita migrauit, cum Eccleſiam Rhegienſem in prouincia Narbonenſi ſitam gubernaſſet annos ſaltem viginti quatuor. Cui ſucceſſit S. Maximus Abbas Monaſterij Lerinenſis. Mentio eſt de alio ab hoc diuerſo Proſperi apud Sidonium [f], quem dicit fuiſſe Epiſcopum Aurelianenſem: cuius etiam ſanctitatis memoria viget in tabulis Eccleſiaſticis.

f Id. 7. ep. 15.

V. EPIPHANIVS EPIS. TICINENSIS.

Hocque pariter anno vita functo viro ſanctiſſimo Criſpino Epiſcopo Ticinenſi, ſubſtitutus eſt in locum eius ſanctitate non impar, ſed doctrina longe celebrior *Epiphanius*, de quo ſæpe erit inferius dicendi occaſio. De alio vero Epiphanio, quo Caſſiodorus vſus eſt ad conuertendos in Latinum Græcos hiſtoricos, aliaque antiquorum ſcripta, iam dictum eſt ſuperius.

IESV CHRISTI AN. 467.

LEON. 11. ANTHEMII 1.

SIMPLICII AN. 1.

I. ANTHEMIVS IMP.

ANno Chriſti quadringenteſimo ſexageſimo ſeptimo, duobus Flauijs Puſeo atq; Ioanne Coſſ. ANTHEMIVS Iunior, filius Procopij, nepos Senioris Anthemij, creatus eſt Imperator Occidentis. Ita namq; (vt docet Sidonius [a]) tranſactum eſt inter Patricium Ricimerem Magiſtrum militum; cuius nutu pendebat Occidentale regnum, & Leonem Imperatorem, vt Græcus mitteretur Romam Auguſtus, cuius filiam ſibi Ricimer deſponſaret. Sed & Romanum Senatum ad petendum à Leone Anthemium Legatos Conſtantinopolim miſiſſe, auctores ſunt Euagrius [b] atq; Nicephorus [c]. Porro in ipſo eius aduentu Vrbem ingenti laboraſſe peſte, teſtis eſt Gelaſius [d] Papa. Nec quidem id mirum, cum & ſecum Macedonianos quoſdam hæreticos ſibi familiaritate coniunctos adduxerit, qui continuo miſcere cuncta, & conuenticula ſeorſum agere aggreſſi ſunt. Verum (quod idem Gelaſius alibi [e] ſcribit) adeo acriter ei reſtitit Hilarus Papa, vt non ea facienda, etiam cum interpoſitione iuramenti publice in eccleſia B. Petri eundem promittere coegerit. Hocque poſtremum edidit S. Pontifex paſtoralis vigilantiæ ſpecimen.

a Sidon. in Paneg. Anthem.
b Euag. li. 2. c. 11.
c Niceph. li. 15. c. 11.
d Gelaſ. in Androm.
e Gel. ep. ad Dard.

II. HILARI PAPÆ OBITVS.

Eodem namque anno, quarto Idus Septembris, idem ex hac vita migrauit, cum ſediſſet annos quinque menſes decem, minus duobus diebus: vt docent antiqua Martyrologia, in quibus dicta die inter Sanctos eius natale inſcribitur. Sepultus autem eſt in eccleſia S. Laurentij in crypta iuxta corpus S. Sixti. Habet vero liber ſæpiſſime citatus Anaſtaſij Bibliothecarij de Romanis Pontificibus, ex vetuſtioribus accepta monumentis, multa de eximia eiuſdem ſancti Pontificis munificentia erga eccleſias Vrbis, & de ſacris locis ab eo excitatis. Vt plane ex illis ſaltem appareat; quantæ fuerint iam hoc tempore diuitiæ Romanæ eccleſiæ, cuius adeo profuſæ eſſent expenſæ argenti, auri, gemmarum, in vaſis ſacris & ornamentis eccleſiarum. Cum autem poſt eius obitum (vt idem auctor ait) ſedes vacaſſet dies decem, vigeſima Septembris creatus eſt SIMPLICIVS patria Tiburtinus, Caſtini filius.

SIMPLICIVS CREATVR ROM. PONT.

III. Hoc item anno Sidonius Apollinaris, è Gallijs vbi degebat, literis (vt ipſe [f] teſtatur) noui Imperatoris Anthemij vocatus, in Vrbem ſe contulit, nuptijſque interfuit Ricimeris. Quomodo autem in via ægrotans, ſanus factus fuerit, vbi Limina Apoſtolorum ſupplex intrauit, idem narrat.

f Sidon. 1. ep. 5. ad Heron.

IESV CHRISTI ANN. 468.

LEON. 12. ANTHEMII 2.

SIMPLICII AN. 2.

I.

ANnus Chriſti quadringenteſimus ſexageſimus octauus, vnius tantum iterati Conſulatus Anthemij Imperatoris nota habetur inſcriptus, collega enim in primo Conſulatu acceſſerat ante annos tredecim Valentiniano Auguſto octauum Conſuli. In hoc autem eius Conſulatu, Sidonius Apollinaris Romæ carmen habuit Panegyricū, ſuaſione Baſilij Excoſſ. cuius etiam petitione idem Imperator Sidonio Præfecturam contulit, vt ipſe teſtatur ſcribens [a] ad Heronium. Qui & ibidem exiſtens, adſtitit Aruando Præfecto Galliarum conſtituto reo læſæ maieſtatis, quod Galliarum partes Romano ſubiectas Imperio clam prodere tentaſſet Euarico Gothorum Regi, rerum Romanarum Catholicæque pietatis inſenſiſſimo hoſti: de cuius cauſa eſt egregia eiuſdem Sidonij [b] ad Vincentium epiſtola, in qua complura inuenias impreſſa veſtigia antiquorum formæ Iudiciorum.

a Sidon. 1 ep. 9.
b Id. 1. ep. 7.

II. Hoc item anno in Oriente Leonem Imp. ingentem aduerſus Wandalos claſſem paraſſe, Cedrenus tradit: quam ex mille & centum nauibus compoſitam, auctor eſt Nicephorus

c Niceph. li. 15. c. 27. d Procop. de bel. Vand. li. 1.

Ingentes copiæ Imp. perierunt inertia et proditione ducum hæret.

ceephorus [c]: exercitum vero terreſtrem hominum centum millium fuiſſe, Procopius [d] teſtatur. Quibus ingentibus copijs cùm Leo præfeciſſet Baſiliſcum Verinæ coniugis fratrem, ſed hæreſis Eutychianæ ſectatorem: factum eſt huius inertiſſima ſocordia & turpiſſima proditione, vt poſt læta principia eiuſmodi copiæ omnino perierint, & incenſa claſſis fuerit. Porro hæc omnia in gratiam Aſparis & Ardaburij potentiſſimorum Ducum Arianorum (qui cum Leonis videri voluiſſent in Imperium promotores, infenſo tunc in ipſum erat animo) Baſiliſcum operatum eſſe conſtat [e]: cum ita inter eos conueniſſet, vt ijdem Duces Imperium Baſiliſco conferrent (quod implere nequiſſent, ſi ex ſententia Leoni res proſpere ceſſiſſent) ipſe vero Baſiliſcus eis rependeret, vt ſuam ipſorum perfidiam Arianam propagare permitterentur: cuius etiam rei cauſa idem Gothi barbari Genſerico Wandalorum Regi pariter Ariano patrocinati ſemper occulte fuerant. Ex quibus videas quanta iactura ſinantur hæretici in aula verſari: quantoq; grauiori diſpendio, publicarum rerum eiſdem adminiſtratio concedatur: & maximo omnium damnó expeditio bellica, in qua rerum vertitur ſumma, credatur: cùm certum ſit, auerſos ſemel à Deo homines, eccleſiæ perduelles, omnia agere proditorie & hoſtiliter. Cæterum impius Baſiliſcus apertiſſimæ proditionis reus ab omnibus cum reuerſus eſſet Conſtantinopolim conclamatus, ad aſylum Catholicæ eccleſiæ confugit. Quem ſoror eius Verina Auguſta liberauit, amandauitque Perinthum Thraciæ, vt tradit Nicephorus. Imperator autem in auctores ſceleris Aſparem & Ardaburium duxit vlciſci: idq; paulo poſt (vt videbitur) perfecit.

e Niceph. & alii.

Hæretici ab omni prorſus adminiſtratione pellendi.

III. Rex Hunnor. ſuperatus à duce Cathol.

Interea vero alia ex parte, in qua non ab hæretico Duce prælium agebatur, in *Denſicem* Hunnorum Regem Attilæ filium, patrem ferocia ſuperantem, res dextere confecta eſt. Superatis enim Hunnis, eodemq; ipſorum Rege occiſo, eius caput in conto Cõſtantinopolim magna gloria omniumq; lætitia delatum eſt. Attingit hæc breuiter Marcellinus in Chronico. Quod autem non ea diffuſius tractauerint hiſtorici, inde factum puto, quod (vt ait Euagrius [f]) Priſcus Rhetor eius temporis ſcriptor, huiuſmodi bella aduerſus Scythas (quos Hunnos dicimus) quam exactiſſime proſecutus eſſet: ſed perijt hiſtoria ipſa.

f Euagr. li. 1. c. 17. & lib. 2. c. 16.

IESV CHRISTI AN. 469.

Leon. 13. Anthemii 3.

SIMPLICII AN. 3.

I.

ANno Chriſti quadringenteſimo ſexageſimo nono, Zenone & Marciano Coſſ. Leo Auguſtus de Aſparis & Ardaburij proditione (de qua anno ſuperiori) ſumpturus pœnas: quod ob ſummam eorundem potentiam, in opprimendis illis vi aperta, periculoſa alea iaceretur, artem adhibuit. Siquidem quod acceptum ipſis ferret Imperium, tanquam eis remunerationem promiſſam exhibiturus, maioribus eoſdem frequentare cœpit officijs, ipſique filio Aſparis, cui nomen *Patritio*, ſiue Patriciolo, Ardaburij fratri, filiã ſuam ſpopondit cõiugem eundemque Cæſarem nominauit: ſicut teſtantur Marcellinus [a], Cedrenus [b], & Acta [c] ſinceriſſima S. Marcelli Acœmetarum Archimandritæ: licet Euagrius [d] atq; Nicephorus [e] Cæſarem creatum tradant *Ardaburium*. Vt vero tantum diu cupitam dignitatem filio ſuo Aſpar conſequi poſſet, quod impedimento videbatur eſſe Ariana perfidia, tum eam voluit à filio Cæſare creando damnari, tum ipſe ad id ſe perſuaſum eſſe oſtendit: vt ex Cedreno & Nicephoro colligitur. Verum ex Actis S. Marcelli liquet, deſignatum eſſe Cæſarem filium Aſparis cum adhuc eſſet Arianus: & ob eam cauſam magnas turbas excitatas eſſe Conſtantinopoli, quod timerent rurſum iugo Imperatoris Ariani ſubijci. Teſtaturque & Zonaras [f], clericos & monachos conueniſſe Imperatorem, & exclamaſſe contra eum vt Cæſar Catholicus crearetur. Atque hæc quidem anno præſenti geſta ſunt: reliqua ſequenti.

Filius Aſparis creatus Cæſ.

a Marcel. in Chron. b Cedren. in Compend. c ap. Sur. 29. Dec. d Euag. li. 2. c. 16. e Niceph. lib. 15. c. 27.

Tumultus Conſt. ob creatum Cæſ. Arian.

f Zon. to. 3.

II.

Interea vero hoc præſenti anno idem Leo Imperator, ad conciliandam ſibi in ſummo rerum diſcrimine Diuinitatem; Idibus Decembris de ſanctificandis feſtis diebus, prohibendiſque in eiſdem Circenſibus, ſcenicisq; ſpectaculis, ſanctionem [g] edidit. Quod enim animo deſtinaſſet, eam de proditoribus peragendam eſſe tragœdiam in ipſis Circenſibus, noluit ea celebrari die Dominico: ne, licet iuſta eſſet vltio, tamen diem ſacram ignominia videri poſſet labefactaſſe. Qui etiam paulo ante, nimirum octauo Idus Maias, legem [h] promulgauerat aduerſus intrudentes ſe ſimoniaca prauitate in epiſcopatum.

Spectacula prohibita dieb. feſtis.

g l. vlt. C. de fer.

h l. 31. C. de Epiſ. & cle.

IESV CHRISTI AN. 470.

Leonis 14. Anthemii 4.

SIMPLICII AN. 4.

I.

ANnó Chriſti quadringenteſimo ſeptuageſimo, Seuero (ſiue Seueriano) atque Iordano Coſſ. (inquit Marcellinus) Aſpar primus Patriciorum cum Ardabure & Patriciolo filijs, illo quidem olim Patricio, hoc autem Cæſare, generoque Leonis appellato, Arianus cum Ariana prole, ſpadonũ enſibus in Palatio vulneratus interijt. Hæc ille ſuo more breuiter: quæ Caſſiodorus ponit ſub anno ſequenti. Ea vero fuſius proſecutum fuiſſe Priſcum Rhetorem, Euagrius [a] tradit: qui ex ipſo rem attigit, non deſcripſit. At Nicephorus [b] paulo liberalius agens, ait Aſparem cum filijs primum ludis Circenſibus in Hippodromo conuicijs à populo Conſtantinopolitano tumultuante appetitos, metu Chalcedonem traieciſſe, exercitu omni eos inſequente: & ad eccleſiam S. Euphemiæ martyris confugiẽtes, Leonis Imperatoris arte, tam per Gennadium Epiſcopum Conſtantinopolitanum primo ad eos miſſum, quã poſtea per ſeipſum ad eoſdem accedentem, iniuriarum obliuionem pollicentis, inde egreſſos, & ad menſam regiam adhibitos, eiuſdẽ iuſſu à Zenone Iſauro Aſparem cum Ardaburio interfectum eſſe: alterum vero filium Patricium, in exilium miſſum: & quæ ei deſponſata fuerat Ariadna Leonis filia, ipſi Zenoni datam eſſe in coniugem. Hæc Nicephorus: verum alij ambos filios Aſparis occiſos tradunt. Habet vero etiam idem auctor, Ardaburium cum vidiſſet patrem iam capite truncatum exclamaſſe, *Dignum fert exitium ſenex canus, qui fruſtra gloriatus eſt, neque vnquam admonitioni meæ audiens fuit: Perſæpe enim ei dixi, Prius Leonem deuoremus, quam ille nos ſibi in prandio apponat.* Cæterum ex huiuſmodi cæde idem Leo Auguſtus conſecutus eſt nomen, vt *Macelles*, nempe Interfector fuerit cognominatus.

Aſpar cum filiis necatur.

a Euag. li. 2. c. 16. b Niceph. li. 15. c. 27.

Leo Imp. dictus Macelles.

IESV CHRISTI ANN. 471.

Leonis 15. Anthemii 5.

SIMPLICII ANN. 5.

I.

ANno Chriſti quadringenteſimo ſeptuageſimo primo, Leone Auguſto quartum & Probiano Coſſ. Gennadius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, cum ſediſſet [a] annos tredecim ex hac vita deceſſit, ſui deſiderium bonis omnibus relinquens: qui ob commentarios in Danielem elaboratos, & homilias multas compoſitas, adnumeratur inter Scriptores Eccleſiaſticos à Gennadio [b] Maſſilienſi: & à Græcis [c] inter Sanctos relatus habetur. Narrant vero Theodorus [d] Lector, Suidas [e], Nicephorus [f], & alij, cum haud pridem ante eius obitum, dæmoniacum quoddam ei ſpectrum noctu in eccleſia oranti apparuiſſet, illudque ipſe ſigno Crucis fugaſſet: dixiſſe ſpectrum, ſe quidem nunc abire, ſed reuerſurum poſt obitum ipſius Gennadij, & modis omnibus euerſurum eccleſiam. In quo minime mentitum mendacem ſpiritum, euentus oſtendit. Subrogato enim in locum Gennadij *Acacio*, ex Præfecto (vt ait Euagrius [g]) orphanorum collegio, quales turbines exagitarint Eccleſiam,

Gennadii Epiſc. Conſt. obitus.

a Niceph. in Chron. b Gennad. c. 95. c Menol. 25. Aug. d Theo. Lect. Collect. li. 1. e Suid. ver. Gennad. f Niceph. li. 15. c. 23.

g Euag. lib. 2. c. 11.

Acacius Epiſcop. Conſt.

quæ anius ſingulis inferius deſcribentur, facile demonſtrabunt.

II. Sub eodem autem quo Acacius creatus eſt anno, idem Nicephorus [h] accidiſſe tradit, vt cum duo Epiſcopi, alter Arianus dicendi ac diſputandi arte inſtructiſſimus, alter Catholicus, virtute ac fide ornatiſſimus, de religione cōtenderent, proponente Catholico, vt verborum contentione relicta, veritatem igne probarent, ſed renuente Ariano: nihilominus Catholicus in ingentem ſe rogum immiſerit, atq; inde cum hæretico omnino illæſus diſputarit. Sed hæc Cedrenus ad Anaſtaſij Imperatoris refert tempora: quæ quidem licet antiquiores non haberent auctores, ex alijs tamen his ſimilibus caſibus, quos ſæpe alias contigiſſe videbimus, haud incredibilia videri poſſunt. Subdit inſuper Nicephorus de quodam Iudæo, ob concitatum tumultum igni damnato, & inuocatione S. Sergij martyris (ad quem frequens erat his temporibus peregrinatio) mirabiliter è medio igne liberato, atq; baptizato cum duobus filijs ſuis: qui & vniuerſa vendita ſubſtantia, ampliſſimo erecto in eiuſdem memoriam martyris templo, reliqua vitæ parte eius cultui ſe mancipauit.

h Niceph. ibid.

FIDES CATHOL. IN DISPVTATIONE IGNE PROBATA.

IVDÆVS MIRABILITER IGNE LIBERATVS.

III. Hoc eodem anno, Zenone Imperatoris genero creato Comite Orientis, cum is Antiochiam veniſſet, duxit ſecum *Petrum* cognomento *Cnapheum*, eundemq; à prima arte *Fullonem* nuncupatum, olim monachum Acœmetam, & ob hæreſim Eutychianā è monaſterio expulſum, poſtea conſtitutum presbyterum eccleſiæ Baſſæ martyris apud Chalcedonem. Qui cum aduenisset Antiochiam, iungens ſe hæreticis quos illic reperiſſet Apollinariſtis, pluri moſq; è clero ac populo ſeducens, Zenonis fultus fauore, Martyrium eiuſdem ciuitatis Epiſcopum Orthodoxa fide præſtantem, adeo falſis Neſtorianiſmi aliorumque criminum accuſationibus exagitauit, vt ipſum tandem coegerit renunciare Epiſcopatui, hæc altiori voce publice in eccleſia præfatum, *Clero immorigero, & populo rebelli, & Eccleſia contaminata renuncio, ſeruata interim mihi ſacerdotii dignitate.* Poſt eius vero diſceſſionem, *Cnapheus* ſedem Epiſcopalem tyrannice inuaſit. Quibus cognitis ab Imperatore Leone, ex ſuggeſtione Gennadij Epiſcopi Conſtantinopolitani adhuc viuentis, Cnapheum in exilium ablegari iuſſit: ſed is fuga elapſus pœnam euaſit. Hæc quidem Theodorus [i] Lector, Liberatus [k] Diaconus, & Alexander [l] Monachus, licet nonnihil diuerſæ. Quæ vero poſtea ſecuta ſunt, dicentur ſuis locis.

PETRVS FVLLO, SIVE CNAPHÆVS, QVIB. ARTIB. INVASERIT SEDEM ANTIOCH.

i Theo. Lect. Collect. li. 1.
k Liber. Breuiar. ca. 18.
l Alex. Monach. ſerm. de S. Barn. ap. Sur. to. 3.

IV. Sed quod ad politicum attinet ſtatum: pax quæ parta eſt Orientali Imperio, bellum intulit Occidentali. Cum enim qui ſectæ erant Arianæ, ijdemq; barbari, totum ſibi Romanum Orbem ita viderentur eſſe partiti, vt in Oriente quos diximus nuper extinctos, Aſpar & Ardaburius Gothi Ariani, Romæ Ricimer item Gothus & Arianus, in Hiſpaniis ac Galliarum parte Euaricus Rex Gothorum Arianus pariter & perſecutor, ac deniq; in Africa Genſericus Wandalorum Rex Arianorum omnium ſceleſtiſſimus, cuncta pro animi arbitrio moderarentur: ſimul ac Aſparem cū filijs occiſos audiuit Ricimer, illud indigniſſime ferens in Anthemium Imperatorem licet ſocerum, meditari cœpit inſidias: ſed illis detectis, fuga ſibi conſuluit, Mediolanum ſe recipiēs. Vbi aliquamdiu moratus cum ſuis, haud imminutus robore militum, ad aliud ſe barbarus inſidiarum genus conuertit: nempe vt cum ſocero pacem petere ſimularet, eaque obtenta occultiores moliretur inſidias. Atq; vt omnem doli ſuſpicionem auferret, ad hoc miniſtrum delegit, quem ob egregiæ ſanctitatis & eloquentiæ merita omnes venerarentur, videl. Epiphanium Ticinenſem epiſcopum: cuius legatio, & pacis confectio, deſcripta inuenitur ab Ennodio eiuſdem eccleſiæ diacono, qui ipſius Epiphanij res geſtas [m] memoriæ tradidit. Quid vero poſt hæc Ricimer cum Romam veniſſet, in Anthemium admiſerit, dicetur anno ſequenti.

RICIMER MOLITVR INSIDIAS IN ANTH. IMP.

m Ext. ap. Sur. 22 Ianuar ſed correctior est in cod. Vat.

V. Interea hoc eodem anno Marcellinus [n] tradit, Veſuuium Campaniæ montem torridum inteſtinis ignibus æſtuantem, exuſta euomuiſſe viſcera, nocturniſq; in diem tenebris omnem Europæ faciem minuto contexiſſe puluere. Eiuſq; metuendi memoriam cineris poſt hæc annuę octauo Idus Nouembris Conſtantinopoli celebrari ſolitam. Eo enim vſq; violentum perlatum eſſe cinerem, eodemque die annuis Deum placari ſolitum ſupplicationibus, teſtatur etiam Procopius [o]: qui & Tripoli Libyæ: altero & ſubſequenti anno eiuſmodi cinerem elapſum affirmat. Sed & de his Veſuui eructationibus videndus eſt Caſſiodorus [p], dum agit de alia recentiori quæ accidit ſub Theodorico Rege.

n Marcel. in Chron.

INGENS E VESVVIO CINERVM ERVPTIO.

o Procop. de bel. Goth.

p Caſſiod. 4. Var. 50.

VI. Hoc ipſo quoq; anno [q] defuncto Gennadio Rhemenſi in Gallia Epiſcopo, magnus ille Sanctus REMIGIVS, Francorum Apoſtolus nominatus, tunc inter inferiores clericos militans, immaturus æuo, morib. autem ſenior, totius populi voce, omniumq; comprouincialium Epiſcoporum conſenſu, eidem Gennadio ſucceſſor electus, renuit obtemperare ob infirmam viginti duorum tātummodo annorum ætatem: vſquequo diuino accedente ſuffragio, quo cunctis videntibus radio luminis illuſtratus eſt: & ſacra vnctione diuinitus infuſus, coactus eſt eius eccleſiæ adminiſtrationem ſuſcipere. Rem geſtam exacte deſcripſit Hincmarus eiuſdem poſtea eccleſiæ Epiſcopus in Vita [r] ipſius S. Remigij. Quantæ autem eloquentiæ & eruditionis fuerit, Sidonius Apollinaris huius ſæculi Gallicanorum Scriptorum decus & ornamentum, ſatis docet [s] ad eum ſcribens: quamuis ipſe Remigius præ nimia animi ſubmiſſione ſuas lucubrationes noluerit perpetuitati dicari.

q Sigeb. & alii.

S. REMIGIVS CREATVS EPISC. RHEMEN.

r Ext ap Sur. 13. Ianuar.

s Sidon. 1. ep. 7.

IESV CHRISTI AN. 472.

LEONIS 16. OLYBRIVS.

SIMPLICII AN. 6.

I. ANno Chriſti quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Feſto ac Marciano Coſſ. Acacius Conſtantinopolitanus Epiſcopus ad nouas res adijciens animum, reuocare tentauit quod Anatolius fruſtra conatus fuerat ſub Leone Romano Pontifice, tanquam ex duobus Oecumenicis Concilijs, Conſtantinopolitano & Chalcedonenſi, indebite vſurpare, vt ſedes Conſtantinopolitana poſt Romanam locum principem obtineret. Cuius rei gratia, aſtuto conſilio rem pedetentim acturus, Leoni Imperatori factus eſt auctor ſanctionis [a] edendæ, qua cuncta conceſſa eccleſijs priuilegia iam deperdita, ac nominatim eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, reſtitueret atq; firmaret. Verum reſtitiſſe ipſius exordio ſtultæ præſumptioni Acacij Simplicium Romanum Pontificem, miſſo ad hoc Probo Epiſcopo Canuſino Legato Conſtantinopolim, Gelaſius [b] Papa teſtatur ſcribens ad Dardaniæ Epiſcopos. Quænam vero deformiora repulſus Acacius aggreſſus ſit, dicetur ſuo loco.

ACACIVS EPISCOP. CONST. REVOCARE CONATVR PRIMATVM.

a l. 16. C. de SS. Eccl.

b Gel. ep. 11.

II. Hoc eodem anno Anthemius Imperator ſatis laudatus, proditione generi ſui Ricimeris Gothi Ariani necatus eſt Romæ, cum iam idem Ricimer OLYBRIVM Senatorem nobiliſſimum creaſſet Imperatorem. Qui tamen haud diutius peracto ſcelere gloriatus, poſt quadraginta dies defunctus eſt Olybrius quoq; ſeptimo menſe vitam peregit. Hæc Caſſiodorus, Marcellinus, & alij. Quod autem ipſum Ricimerem Gothum, Gothus ſcriptor Iordanus (quem alij Iornandem vocant) laudaſſe reperitur: indulſiſſe cum priuatis gentilitatis affectibus, ipſa facta declarant: quæ nec narrat quidem, relinquens ea ſepulta ſilentio, cum non haberet quod excuſaret. Eundem vero tantæ potentiæ fuiſſe conſtat, vt non ſolum inſtar mancipiorum habuerit Imperatores Occidentis, pro arbitrio eos tollens & ſubrogans: ſed & eccleſiam Sanctæ Agathæ intra Vrbis mœnia ipſis inuitis Romanis Pontificibus ſibi vendicauerit, in quam cum ſuis Arianis conueniret: quæ poſtea à S. Gregorio ſacris expiata, Catholicorum vſui reſtituta eſt.

OLYBRII IMPERIVM, ET INTERITVS.

POTENTIA RICIMERIS GOTHI ARIANI.

III. *Sidonius* quoq; Apollinaris (de quo ſæpe ſuperius) hoc ipſo anno, ipſius ætatis circiter quadrageſimo, vt ex eius [c] ſcriptis colligitur, ſuffectus eſt in locum Eparchij defun-

SIDONIVS CREATVR

EPISCOP. ARVERNVS. c Sidon. 6. ep. 1.

ti, Aruernenſis Epiſcopus, viuente adhuc vxore Papianilla: vir plane nobiliſſimus, gener Auiti Imperatoris, Præfectura & Patriciatus dignitate illuſtris, literiſque excultiſſimus: quem & egregia enituiſſe morum ſanctitate, & ſumma in pauperes miſericordia, docet inter alios Gregorius [d] Turonenſis: licet crebræ ſint ipſius Sidonij querelæ [e], quibus ſe indignum ad Epiſcopatum aſſumptum deplorat. Porro tantæ etiam apud reliquos omnes æſtimationis fuiſſe cognoſcitur, vt oborta contentione in eligendo Metropolitano Bituricenſi, ipſi vni à comprouincialibus Epiſcopis, Clero, & populo, quem vellet eligendi liberum fuerit delatum [f] arbitrium: cum ipſe quanto in diiudicandis hominibus polleret acumine declarauit, deligens Sanctum Simplicium, quem omnes ſummo gaudio ſuſceperunt. Epiſcopum autem factum, nuncium remiſiſſe ſæcularibus iocis, hominem natura lepidum; epiſtolæ ipſius poſt Epiſcopatum datæ declarant.

d Greg. Tur. l. 2. Franc. & l. 3. c. 21. 22. e Sidon. 5. ep. 3. ad Apollin. 9. ep. 3. ad Fauſt. & alibi. f Id. 7. ep. 5. & 9.

LEON. 17. GLYCERIVS.

IESV CHRISTI AN. 473.

SIMPLICII AN. 7.

I.

ANno Chriſti quadringenteſimo ſeptuageſimo tertio, Leo Auguſtus quintum Conſul Faſtis adſcribitur abſque collega. Turbatæ enim vehementer res Occidentalis Imperij, creandi Romæ alterum Conſulem facultatem per aliquot annos ademerunt. Porro hoc anno ibi occiſus eſt Imperator Olybrius: & Gundebaldo hortante GLYCERIVS [a] Rauennæ ſumpſit Imperium, tenuitque vix annum vnum. Atq; in hunc modum magno Reipubl. damno ſæpe mutatis Auguſtis, addita eſt his noua calamitas, cum *Oſtrogothi* ſub Duce Windemiro ex gente Amala, ad damna deſcenderunt Italiæ: alia ex parte Theodomiro ad prædandum Orientem conuerſo. Verum Windemiro mox in Italia defuncto, filiũ eius Windemirum item nuncupatum Glycerius Imperator muneribus datis de Italia ad Gallias tranſtulit: vbi cum ſe parentibus iungeret Wiſigothis, vnum omnium corpus effectum eſt, vt dudum fuerant. Hæc omnia Iordanus [b], ſiue Iornandes.

a Caſſiod. in Chron. GLYCERIVS IMP. OSTROGOTHI INVADŨT IMPERIVM. b Iornand. de reb. Get.

II. LEO IVNIOR NASCITVR.

Hoc eodem anno (vt Marcellinus & Caſſiodorus habent) natus ex Zenone genero Leonis Imperatoris & filia eius Ariadna filius, LEO itidem nuncupatus, ab auo eſt nominatus Auguſtus. Qui à tempore aſſecutæ dignitatis vix decem elapſis menſibus (vt Theodorus [c] ait) infans defunctus eſt, neſciens quid acceperit, quidve moriendo perdiderit. Ex his autem redarguendi videntur, qui ſcripſerunt [d] hunc non infantem, ſed adoleſcentulum, & deprauatis plane moribus fuiſſe in vitijs enutritum: quem conſtat, etiamſi eodem anno quo iuncta eſt Ariadna Zenoni natus eſſet, excedere minime potuiſſe tertium ætatis annum: niſi forte intellexerint de alio quopiam, quem poſt adeptum Imperium Zeno ſuſceperit.

c Theo. Lect. Collect. li. 1. d Niceph. Sui. & aly.

ZENO. I. NEPOS.

IESV CHRISTI ANN. 474.

SIMPLICII ANN. 8.

I. VTRIVSQVE LEONIS IMP. OBITVS. a Marcel. in Chron.

ANno Chriſti quadringenteſimus ſeptuageſimus quartus, Leonis Auguſti Iunioris Conſulatu apertus eſt: eodemque clauſa vita ipſius Senioris Leonis Imperatoris, atque pariter eiuſdem Iunioris. Numerantur [a] Senioris Imperij anni ſeptemdecim & menſes ſex; Iunioris vero eiuſdem Nepotis, Imperij & vitæ menſes tantummodo decem. Superuixit enim hic illi tantum duntaxat, quantum ſatis eſſet vt ampliſſimam transferret in patrem ZENONEM Imperij hæreditatem. Fuiſſet plane Senior inter optimos Imperatores adnumerandus, niſi ſuorum propinquorum ſordibus videri poſſet aſperſus. Licet enim ipſe maxime pius ſemper viſus fuerit, omnique prorſus caruerit hæreticorum erroris contagio: tamen quod cum hæreticis indulgentius egerit, dum Baſiliſco Verinæ coniugis germano pepercit, & Zenonem inexploratum adhuc ſibi hominem, cooptauit generum & adminiſtratorem Imperij, à quibus quamplurima fuere poſtea illata Eccleſiæ mala: haud adeo meruit laudari à poſteris. Remanſerunt autem eiuſdem egregia pietatis monumenta, tam in pluribus religioſis ab eo editis ſanctionibus (vt præter illas quarum ſuis locis facta eſt mentio, conſtat ex alijs abſque die & Coſſ. poſitis [b], de clericis ac monachis ne ad ſæcularia iudicia traherentur, & de priuilegijs Eccleſiarum & hoſpitalium) quam in ſacris ab ipſo erectis ædibus: inter quas duæ illæ principatum obtinuere, quas ſub Deigenitricis nomine conſtruxit [c], alteram ad Fontem dictam, alteram vero erectam ad collocandas in ea eiuſdem Sanctiſſimæ Virginis Matris Veſtem Hieroſolymis [d] tunc allatam, quam innumera decorarunt miracula.

ZENO IMPER.

PIETAS LEONIS SENIORIS. b l. 33. & 36. C. de Epiſcop. & cler. c Niceph. li. 15. c. 25. Procop. de ædif. Iuſtin. d Vid. Nice. li. 15. cap. 24. & Metaph. 15. Aug.

II.

Quod autem ad Zenonem ſpectat: fama fuit filium eius Leonem Iuniorem ab eo malis artibus ſublatum eſſe de medio, vt ipſe ſolus, non vt tutor & procurator, ſed Imperator ſummam rerum adminiſtraret. Reperitur tamen apud nonnullos Latinos [e], eumdem Leonem paruulum ab interfectore à Zenone immiſſo ſubductũ fuiſſe, alio in eius locum ſuppoſito: atq; ſeorſum clanculo educatum, perueniſſe vſq; ad Iuſtiniani Imperatoris tempora: ſed hæc haud fidem ſatis certam inueniunt.

e Marian. Scot. in Chr.

III. f Euagr. lib. 2. c. 16. ZENONIS IMP. LVXVS ET RAPINÆ. g Prat. Spir. c. 175.

Porro Zenonem, iam ab initio ſui regiminis Euagrius [f] teſtatur ita ſe palam libidinibus totum dediſſe, vt à nulla quacunque turpitudine & flagitio continuerit. Cumque cum erga pauperes largum fuiſſe conſtet [g] (adeo vt ferant diuinitus reſponſum fuiſſe mulieri cuidam vltionem de eo expoſcenti, eleemoſynas eius obſtitiſſe quominus tam cito pœnas de ſceleribus ſuis dederit) tamen quas vna manu miſericorditer eleemoſynas erogabat, altera ex ſubditorum bonis immiſericorditer rapiebat: quem barbaro more vniuerſum ſibi ſubditum Imperium ſpoliaſſe, idem Euagrius [h] tradit: ſed & inter alia nefaria, magiſtratus omnes ac cuncta Palatina officia publice venalia expoſuiſſe, auctor eſt Suidas. Quod vero ad religionem ſpectat: ab eo mox vt in Imperium aſſumptus eſt, *Petrum Fullonem* hæreticum Apollinariſtam & Eutychianum ab exilio, in quod ab Imperatore Leone damnatum vidimus, reuocatum eſſe, Eccleſiæque Antiochenæ præfectum, expulſo iterum Martyrio, qui à Fullone olim eiectus, poſteaque reſtitutus, eandem eccleſiam pie regebat: teſtis eſt Alexander [i] Monachus antiquus ſcriptor Græcus. Sed & idem impius Auguſtus pariter ſtatuit, vt Timotheus Ælurus ſacrilegus ille inuaſor Eccleſiæ Alexandrinæ, relegatus pariter ab Imperatore Leone, cum honore reuocaretur: qui etiam vt ſuam, repetere auſus eſt eandem eccleſiam. Sed de his plura inferius.

h Euagr. lib. 3. c. 2. ZENO FAVET HÆRETICIS. i Alex. ſer. de S. Barnab. ap. Sur. to. 3.

IV. k Caſſiod. in Chron. l Euagr. lib. 2. c. 1.

Hoc eodem anno [k] Glycerius Imperator à Iulio Nepote depoſitus eſt in Portu Romano: & ſeruatus ad vitam in clericum attonſus, Solonitanus eſt creatus Epiſcopus, vt teſtatur Euagrius [l]: cum tamen in ipſo Portu Romano ordinatum Epiſcopum, alij Iordano auctore ferant. Eo vero ſublato, ipſe NEPOS moderandum ſuſcepit Imperium: & cum Euarico Rege Gothorum Gallias deuaſtante pacem inijt, intercedente Epiphanio Ticinenſi Epiſcopo, vt fuſius tractat Ennodius in Vita eiuſdem Sancti: vbi etiam docetur, Euaricum ſedem regni ſui conſtituiſſe Toloſæ.

NEPOS IMP.

ZENONIS IMP. 2. AVGVSTVLVS.

IESV CHRISTI AN. 475.

SIMPLICII AN. 9.

I.

ANnus Chriſti quadringenteſimus ſeptuageſimus quintus, vnius tantum Coſſ. Zenonis Auguſti nomine inſcribitur Faſtis iterum. Quo Oreſtes haud pridem creatus Magiſter militiæ, Nepote Imperatore, con-

AVGVSTVLVS IMP.

uerſus in hoſtem, Roma cum exercitu Rauennam veniens, filium ſuum Momilium, AVGVSTVLVM nuncupatum, Imperatorem acclamare fecit. Quod cum Nepos compertum habuiſſet, ac cum Oreſte vniuerſum conſpirare exercitum, in Dalmatiam fugit. Hæc ex Caſſiodoro Iordanus, ſiue Iornandes Gothus. Quod vero ad *Auguſtuli* nomen ſpectat: falli quidem certum eſt, qui cum ita nomine proprio appellatum putarunt, cum re vera non Auguſtulum, ſed Auguſtum fuiſſe nominatum, antiqua[a] numiſm ita declarent. Sed accidit vt contemptus cauſa (quomodo & alijs Imperatoribus, vulgi dicterijs indita ſunt nomina) ex Auguſto fuerit dictus Auguſtulus: cũ præſertim geminatio illa, Auguſtus, Auguſtus hactenus inuſitata, videretur eſſe moleſta. Ita vero plane ſecundũ illud vulgatum, *Omne quod oritur, occidit*, Romanum Imperium cœptum ab Auguſto, defecit in Auguſto.

a Habet Baron. Annal to. VI. hoc an.

II. ODOACER REX ERVLOR. VOCATVR IN ITALIAM.

Qui autem Nepotis ſectati ſunt partes, quo de proditione Oreſtis pœnas ſumerent, *Odoacrem* Erulorum Regem (qui ab extremis Orbis glacialis partibus[b], nouum flagellum à Deo iam ante paratum aduenerat) id ipſum maxime appetentem in Italiam aduocarunt. Quid autem in eam ingreſſus egerit, cum hiſtoricorum nullus proſecutus ſit ſtylo: ex his quæ de clade Ticinenſi ab Ennodio diacono ſcripta ſunt in Rebus[c] geſtis S. Epiphanij eiuſdẽ eccleſiæ Epiſcopi, reliqua funeſta poſſumus cõtemplari.

b Sidon. Apol. 8. ep. 9. ad Lampr.
c Extat Vatic. Nam quæ edita ſunt ap. Sur. 22. Ianuar. mendoſa nonnihil eſſe videntur.

III. GALLIARVM MOTVS.
d Sidon. 1. ep. 7

Fluctuarunt & hoc motu ipſæ Galliæ, quæ tunc Tetrarchijs diuidebãtur: Sidonius[d] enim vnum ex Regibus illis barbaris *Tetrarcham* appellat: dominantibus his ſingulis Gothis, Burgundionibus, Francis, atq; etiam adhuc Romanis: quibus vt pars aliqua, licet minima remaneret, non bellicus labor, ſed inter barbaros Reges æmulatio exorta præſtabat. Cum autem Gothus Rex Euaricus Arianus, haud minus quam regnũ curans propagare[e] perfidiam hæreticam, multis Catholicos perſecutionibus vexaret, & pleraſq; Eccleſias Sacerdotibus orbaſſet, iamq; ſæpe fruſtra tentatam iterum aggredi pararet Aruernenſem ciuitatem: tunc Sidonius illius Epiſcopus, humano deſtitutus auxilio, ad precum ſubſidia conuolauit: quibus potens magna virtute Gothis reſtitit, afflictatis licet populis tum hoſtium armis, tum fame qua hoc tempore Gallia vexabatur.

e Id. 7. ep. 6. ad Baſil. Greg. Tur. 2. hiſt. 25.

IV. DE SACRIS ROGATIONIBVS RESTITVTIS.
f Sidon. 7. ep. 1.

Namque ROGATIONVM vſum in ſuam eccleſiam introduxit, quas (vt ait in epiſtola ad Sanctum Mamertum[f] Viennenſem Epiſcopum) ipſe *Mamertus* iam antea feliciter ac læto ſucceſſu reſtituerat, cum Viennenſis ciuitas terræmotibus, ignibus, alijſq; prodigiorum terriculamentis vexaretur. Fuiſſe namq; etiam prius eiuſmodi Rogationes, ſed valde earum diſciplinam collapſam, idem alibi Sidonius[g] docet atque ex vagis, tepentibus, infrequentibus, & plerumque oſcitabundis, & abſque ieiunio maxime aut imbres aut ſerenitatem deprecaturis, à Mamerto ita reſtitutas eſſe, & auctiori excultas obſeruantia, vt in ijs ieiunaretur, oraretur, pſalleretur, fleretur. Cæterum non Aruernos tantum populos, vel Gallos, ſed & Catholicam Vniuerſam Eccleſiam huiuſmodi ſacrarum Rogationum confeſtim vſum recepiſſe, teſtatur Sanctus Auitus Viennenſis eccleſiæ Epiſcopus (qui poſt Eſychium S. Mamerti ſucceſſorem ſedit) in homilia ijſdem Rogationum diebus habita[h]. Licet autem prima inſtitutio, quando periculum illud ingruit, Paſchale tempus fuiſſet: tamen ne iungerẽtur Reſurrectionis gaudijs luctus orantium, & ieiunãtium afflictatio, triduum illud eſt electum, quod ſacrum præcedit Feſtum Aſcenſionis, vt idem Auitus eadem explicat homilia: quæ etiam citatur à Gregorio[i] Turonenſi, inde petente earundem Rogationũ narrandæ hiſtoricæ veritatis auctoritatem. Extatq; de ijſdem, Aurelianenſis[k] Concilij, hoc eodem tempore celebrati, decretum: quo iubetur, per illud triduum ſeruos & ancillas ab opere relaxari, quo magis plebs vniuerſa conueniat ad eiuſmodi Rogationes, ſiue Litanias, eoq; triduo omnes abſtinere & cibis vti quadrageſimalibus. At de his alibi[l] dictum locupletius.

g Id. 5. ep. 4. ad Apr.
h Ext. to. 7. Bib. Sanct.
i Greg. Tur. 2. hiſt. 34.
k Conc. Aurel. c. 29.
l Baro. Not. in Mart. Ro. 25. Apr.

V. DE CIVITATE ARVERNENSI.

Quod autem ad Sidonium ſpectat, de gregis ſui cura ſolicitum: ipſum ſupplicantem à Deo exauditum fuiſſe, exitus declarauit, cum nunquam valuerit ciuitas Aruernenſis ab hoſtibus capi: licet tandem inter iniquas conditiones initas cum Euarico pro redemptione pacis reliquorum Galliæ proxime degẽtium populorum, eiuſdem quoq; poſita fuerit ciuitatis deditio: de quibus extat ingens Sidonij querela in epiſtola ſcripta[m] ad Græcum, ſiue Græcium, vel Agricium Maſſilienſis vrbis Epiſcopum, vnum ex eiuſmodi pacis compoſitoribus: qua etiam videas nobilitatem Aruernenſium, & præclaras olim res geſtas. De quibus etiam illud minime tacendum videtur, fuiſſe eos adeo caſtitatis cultores, vt Victorius eiuſdem ciuitatis Præfectus ab Euarico conſtitutus, dum nimium eſſet amore mulierum luxurioſus (vt Gregorius[n] Turonenſis loquitur) & ab Aruernis vereretur interfici, Romam aufugerit. Narratque alibi idem auctor[o] de viro & puella, qui coniuncti coniugio, in vno ſtratu quieſcẽtes, perpetuam conſeruauere virginitatem: ac tandem ex conſenſu pari, vir tonſuratus eſt ad clericatum, puella religioſum induit veſtimentum: vnde & miraculis poſt mortem meruerunt glorificari.

m Sidon. 7. ep. 7.
n Gre. Tur. 2. hiſt. 20.
o Id. de glo. Confeſſ. c. 32.

VI. S. PATIENS EPIS. LVGDVNENSIS.

Inter tot vero tantaſq; Eccleſiæ Gallicanæ ærumnas, magna plane Dei prouidentia factum eſt, vt eodem tempore ibidem claruerint multi mirificæ ſanctitatis Antiſtites: atque inter alios S. Patiens Lugdunenſis Epiſcopus, exemplar perfectiſſimi Sacerdotis, cui dedit Deus vt apud Burgundionum Regem qui tunc Lugdunenſibus dominabatur, ſummam gratiam inueniret: qua bene vſus multum profuit afflictatis Catholicis, atque deuaſtatis Gothico furore Galliarum vbique Eccleſijs: ſicut ea pluribus deſcripſit Sidonius[p] epiſtola ad eum ſcripta, quam etiam citat Gregorius Turonenſis, agens de cladibus eccleſiarum Gallicanarum ſub prædicto Euarico Rege: commendatque inſuper liberalitatem Ecdicij Patricij, cognati Sidonij, in ſubueniendo pauperibus fame oppreſſis, vnde & meruit voce de cœlo lapſa laudari.

p Sidon. 6. ep. 12.
q Gre. Tur. 2. hiſt. 24.

VII. TVRBA ALEXANDR. DENVO PER TIMOTH. ÆLVR. EXCITATA

Sed quod ad Orientalis eccleſiæ ſtatum pertinet: hoc eodem anno nefarius & ſacrilegus parricida, inuaſor ſedis Alexandrinæ Timotheus Ælurus, cum per ſuos Eutychianos exilij liberationem (vt vidimus) obtinuiſſet: vehementiori furore accenſus, reuerſus eſt Alexandriam, atq; Timotheum item nomine, ſed cognomento Solofaciolum, Orthodoxum Antiſtitem è ſede remouens, multa nefanda in Catholicos debacchatus eſt. Idemque Conſtantinopolim profectus, fauſtis acclamationibus à ſuis Eutychianis receptus eſt: ſed tumultuante populo Catholico, & reſiſtentibus clericis atq; monachis Orthodoxis, haud valuit cuncta quæ mente conceperat adimplere. Ideoq; vafro conſilio Zenonem Imperatorem aggrediens, vt videretur bonam cauſam fouere, inſtantibus precibus agere cœpit vt iuberet cogi Oecumenicã Synodum. Quo tempore enituit præſertim eorundem clericorum atq; monachorum ſumma animi in reſiſtendo ei conſtantia: dum quærente ipſo cum ſuis aliquam occupare baſilicam, omnes eodem ferme momento fuere ab eis occluſæ atq; defenſæ. Cum vero ad Synaxes priuatim agendas ſeſe conuertiſſet, ijdem ad vnicum & ſolitum remedium confugientes, legationem miſere ad Romanum Pontificem cum literis per Epiphanium virum frugi ad id munus delectum: tacente in his omnibus in gratiam Imperatoris, Acacio epiſcopo Conſtantinopolitano, cuius muneris erat inuadentem gregem lupum ſaltem clamoribus propellere. Quid autem ijs acceptis Simplicius Papa præſtiterit, literæ[r] ab eo anno ſequenti redditæ declarant: ex quibus interim cuncta hæc de Timotheo deſumpta ſunt.

CATHOLICI ALEX. LEGATIONEM MITTVNT AD RO. PONT.
r Simpl. ep. 1 To. 1. ep. Rom. Pont.

VIII.

Cæterum Zeno Imperator, qui impie ſiuit libere agere hæreticum proditorem, cuius errorib. ſecreto faueret: illud ex altera parte laudabiliter publica edita hoc anno cõſtitutione[s] ſanxit, vt quiq; Præfecti atque Iudices poſt functionem muneris abſolutam, quadraginta dierum ſpatio ibidem vbi magiſtratum geſſiſſent commorari deberent, reddituri de ſe omnibus exigentibus rationem.

s L. 1. C. vt omnes Iud.

IX.

Et quod rurſum ad Simplicium Papam pertinet: hoc ipſo, nempe poſt Conſulatum Leonis anno, Gaudentio

t Simpl. ep. 2.

OBLATIONES ECCL. IN QVATVOR PARTES DIVIDENDÆ.

Epiſcopo Auſinienſis Eccleſiæ, ob illicitas ordinationes ab eo habitas, ius ordinandi penitus abrogauit [t], proximo illud Epiſcopo delegans: & male diuidentem redditus Eccleſiaſticos, adminiſtratione prorſus interdixit: cum & more Eccleſiæ conſueto, oblationes quadripartito diuidendas eſſe præcepit, vt ei vna portio deberetur, vna itidem clero, duæ vero in Eccleſiæ fabricam, & in peregrinos ac pauperes erogarentur. Plane autem accidit, vt nulla ferme alia Eccleſiaſtica ſanctio adeo frequens vt iſta, edita, iterata, & inculcata reperiatur à Summis Pontificibus atque Synodis, & quæ minus, auaritia hominum varios in contrarium prætextus excogitante, ſeruata eſſe noſcatur. Vnde mihi facile perſuadeo accidere, vt Dei Eccleſia aſſiduis malis atteratur. *Cognoui enim* (dicam cum Propheta [u]) *quia faciet Dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum.*

u Pſal. 139.

ZENON. IMP. 3. BASILISCI 1. ODOAC. REG. 1.

IESV CHRISTI AN. 476.

SIMPLICII AN. 10.

I.

ANNO Chriſti quadringenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Baſiliſcus frater Verinæ Imperatricis & Armatus creati ſunt Coſſ. amboque in Oriente, quod Occidentale Imperium crebris concuſſionibus agitatum, iam ad proximum caſum vacillans, nullum dederit. Quo tempore ſub Odoacre Erulorum Rege (inquit Caſſiodorus [a]) Oreſtes & frater eius Paulus extincti ſunt: quia Nepote Auguſto rebellantes, Auguſtulo Imperium crediderant: ipſe vero Auguſtulus (vt teſtatur Marcellinus [b]) in Lucullanum Campaniæ prope Neapolim ſitum caſtellum, ab eodem Odoacre relegatus eſt: ſicque Imperium Occidentale collapſum eſt penitus, atque deuolutum ad barbaros. Summam vero rerum conſecutus ODOACER, modeſte tanta vſus felicitate (vt ait Caſſiodorus) à purpura, regalibus indumentis, & nomine Imperatoris abſtinuit. Illudq; plane de eo memoria eſt dignum, quod nullum fecerit negotium rebus ſacris, quantumlibet Arianus eſſet. Sed & multa petentibus Epiſcopis Orthodoxis indulſiſſe teſtatur Ennodius in Vita S. Epiphanij Epiſcopi Ticinenſis: necnon Eugipius in rebus geſtis S. Seuerini Noricorum Apoſtoli, quem inter alios valde coluit Odoacer, quod ei longe antea viliſſimo tunc habitu iuueni regnum Italiæ prænunciaſſet.

a Caſſiod. in Chron.

b Marcel. in Chron.

ODOACER REGNAT IN ITALIA.

II. VNIVERSVS ORBIS SVB PRINCIPIB. HÆRET. AVT INFIDEL.

Porro funeſtiſſima iſta, quæ politicum ſtatum peſſum dederunt, maiori intelliges eſſe digna luctu, ſi Chriſtianæ religionis huius temporis damna perpendas: cum vniuerſus Chriſtianus Orbis ſub hæreticorum Principum dominio conſtitutus, nullum penitus Catholicum Regem alicui ſaltem exiguæ prouinciæ dominantem habuit. Etenim Italiam (vt dictum eſt) Rex Arianus dominio occupauit: Gallias itidem Principes Burgundiones & Gothi, ijdemque Ariani, & Franci adhuc Gentiles partiti ſunt: Hiſpaniæ pariter Gothos Arianos dominos patiebantur: Africa Wandalos æque Arianos: & vniuerſum Orientale Imperium Zenonem Eutychianum hæreticum. Sed manet terra cœloque firmior diuina promiſſio, qua portas inferi, vim omnem ſatanicam, aduerſus Eccleſiam minime præualituram Dominus [c] pollicitus eſt.

c Matt. 16.

III. SIMPLIC. PP. SCRIBIT ADVERS. TIMOTH. ÆLVR.

Sed & qui conſtitutus erat à Domino eiuſdem Rector Simplicius Romanus Pontifex, quo magis pauendum conſpexit rerum ſtatum, eo ſolicitius ad anteuertenda imminentia vndique pericula adiecit animum. Etenim cum anno ſuperiore certior factus eſſet de Timothei Æluri pſeudoepiſcopi Alexandrini geſtis nefandis, fauente clanculum ei Zenone Imperatore: ad eundem Auguſtum huius anni exordio, nimirum quarto Idus Ianuarij, egregiam epiſtolam [d] ſcribens (& quidem tamquam ad Catholicum Principem: prudenter diſſimulans adſcribere ei culpam, quam pœnitentem vellet perpetrati ſceleris fieri deſtructorem) multis adhibitis rationibus hortatus eſt, vt pulſo iterum Timotheo, Eccleſiam Alexandriam in priſtinum ſtatum reſtitueret. Acacio vero Conſtantinopolitano Epiſcopo ſcripſit [e], vt omni conatu eidem obſiſteret Timotheo; agenti apud Imperatorem pro nouo rurſus Oecumenico cogendo Concilio: quippe quod ea (vt ait) non debeant indici, niſi cum noua aliqua hæreſis oritur, aut in aſſertione dogmatum emergit aliquid ambiguum. Ac denique alijs literis [f] clericos & monachos Conſtantinopoli exiſtentes à quibus legationem acceperat, laudauit de ſuſceptis aduerſus Timotheum laboribus.

d Simp. ep. 3.

e Ibid. ep. 5.

f Ep. 4.

IV. BASILISCVS INSVRGIT TYRANNVS.

Verum inter hæc immiſit Deus Conſtantinopolim *Baſiliſcum* tyrannum (fratrem ſcilicet Verinæ Auguſtæ, ipſius Zenonis Imperatoris ſocrus, huius anni Conſulem) aduerſus eundem Zenonem, qui contra ipſum Chriſtum in eam ciuitatem Timotheum carnificem introduxiſſet. A quo Zeno expulſus, abſceſſit cum Ariadna vxore in Iſauriam patrium ſolum: atque cum maxime à Baſiliſco ad necem quæreretur, in deſertis locis vitam duxit incognitus accolis, ob idque coactus interdum, pane deficiente, herbam tamquam alter Nabuchodonoſor ad cibum quærere: ſicut ei antea Daniel Stylita prædixerat. BASILISCVS autem Imperator declaratus, MARCVM filium ſuum Cæſarem, & *Zenonidem* coniugem Auguſtam conſtituit. Hæc antiqui Scriptores [g]: ſed male Marcellinus ſub anni ſuperioris Coſſ. collocat, quæ hoc anno poſt literas à Simplicio Papa ſcriptas contigiſſe ex ijſdem redditur manifeſtum.

ZENO IMP. AD QVÆ EXTREMA REDACTVS.

g Marcel. in Coro. Euag. lib. 3. cap. 3. Theo. Lect. Collect. lib. 1. Act. S. Dan. Styl. ap. Sur. 11. Dec.

V. BASILISC. IMPIOR ZENONE.

Porro qui veluti Dei flagellum ad Zenonem puniendum prodijt Baſiliſcus: nihil tamen ipſe melior Zenone fuit, immo longe deterior, vt exitus demõſtrauit. Etenim etſi antehac ob res perperã geſtas, impietatis notas haud leues contraxerat: mox vt euectus eſt in Imperium, palam perſecutor erupit Eccleſiæ: Zenonide coniuge (inquit Theodorus [h]) ipſum maxime culpabilem contra fidem Catholicam impellente. Quare & peſſimo illi Timotheo Æluro hæretico Eutychiano, Conſtantinopoli conceſſit vt Catholicorum ei pateret Eccleſia. Verum cum is maxima ad eam duceretur pompa, factum eſt magna Dei prouidentia, vt cadens ex iumẽto quo vehebatur, fracto crure domum relatus fuerit, vt ſcribit idem Theodorus. Sæuit autem interea Baſiliſcus aduerſus eos, qui eidem Timotheo reſtitiſſent: & inter alios, Platonem cubicularium cremari iuſſit, cuius meminit Suidas. Sed & per eundem reuocatos fuiſſe hæreticos omnes antea ſede pulſos, eoſdemque eiectis Orthodoxis in ipſorum Eccleſias intruſos: tradit Liberatus [i] diaconus: additque per Timotheum reſtitutum eſſe Eccleſiæ Antiochenæ Petrum illũ Fullonem ſiue Cnepheum, nequiſſimum hæreticorum. Ac deniq; Euagrius [k] ſcribit, eiuſdem Timothei perſuaſione Baſiliſcum ſanctionem Encyclicam edidiſſe (quam & recitat) contra Chalcedonenſe Concilium, quaſi illud diſcordiarum ſeminarium eſſet, multaq; definiſſet contra fidem præcedentium Synodorum. Cui & ait eoſdem Ælurum atq; Cnepheum, necnon Anaſtaſium Hieroſolymitanum, aliosque circiter quingentos Epiſcopos ſubſcripſiſſe, ac Leonis Papæ epiſtolam vna cum Synodo Chalcedonenſi abrogaſſe. Hæc tamen cum ex Zachariæ Rhetoris ſcriptis accepiſſe dicat, haud dubium calumnia conflata fuit ab eodem Zacharia (qui & ipſe Eutychianus exiſtens multa pro ſuæ hæreſis validatione commentus eſt) cum aduerſus alios quamplurimos Epiſcopos tum maxime contra Anaſtaſium: quem teſtificatione ſinceriſſimi ſcriptoris Cyrilli monachi in Euthymio [l], conſtat defenſorem Concilij Chalcedonenſis extitiſſe in omnibus laudatiſſimum: in tantum vt aduerſus ipſum Hieroſolymis ſub eodem Baſiliſco Eutychiani ſibi præpoſuerint Gerontium monachum ſigniferum eorundem hæreticorum. Poſt hæc vero idem Euagrius [m] narrat, Timotheum perrexiſſe Epheſum, Paulumque in ſede Epiſcopali collocaſſe, atque item reddidiſſe eccleſiæ Epheſinæ in Patriarchatus, quod Concilium Chalcedonenſe ei ademerat: ac tandem inde ſoluentem rediſſe Alexandriam.

h Theod. Collect. lib. 1

i Lib. Breu. cap. 18.

k Euag. lib. 3. c. 4 & 5.

CONSTITVTIO BASILISCI ADVERS. CONCIL. CHALCED.

l ap. Sur. 20. Ianuar.

m Euag. lib. 3. c. 6.

VI. ACACIVS VIRILITER AGIT IN BASILISCVM.

At inter tot turbines Acacius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, dudum excitatus literis Simplici Romani Pontificis, Baſiliſco tyranno reſiſtere parans conſiliũ inijt

ipſum quoque Romanum Pontificem, necnon Conſtantinopolitanum & Antiochenum Epiſcopos, cunctoſque Chalcedonenſis Concilij defenſores, anathematis iacula intorſit. Quæ quidem omnia, aliaque eiuſmodi, fuſius pertractata habentur in iiſdem Orthodoxorum Ægyptiorum ad Leonem Imperatorem literis: meminitque coꝛundem Liberatus [h], necnon Theodorus [i] Lector; qui de eodem Timotheo & hoc amplius habet, eum, antequam occideretur Proterius, nigra veſte indutum cellas monachorum circuire ſolitum, vnumque ſe ex adminiſtratorijs ſpiritibus aſſerere, ad hoc miſſum vt cunctis ediceret ne cum Proterio communicarent, ſed Timotheum Ælurum Epiſcopum deſignarent. Porro tanta paſſi Orthodoxi Ægyptij, non ſolum (vt diximus) ad Imperatorem de ijs ſcripſerunt, ſed etiam ad Anatolium Epiſcopum Conſtantinopolitanum; eoſdemque inter alia rogarunt, vt ea Romano Pontifici, alijſque Orthodoxis Epiſcopis ſignificanda curarent.

h Liber. Breuiar. cap. 15.
i Theod. Lect. Collect. lib. 1.

V.

Sed nec defuerunt hæretici partibus ſuis. Miſerunt enim & ipſi ad Leonem Imperatorem Legatos, literaſq; [k] dederunt, in quibus de nece illata S. Proterio ne verbum quidem; ſolum in eo inſiſtentes, ſedente Timotheo pacem eſſe redditam Alexandrinæ Eccleſiæ: & quod literis eiuſdem Imperatoris omnes Metropolitani (vt vidimus) exigerentur profeſſionem fidei ſcribere, ijdem hæretici quæ tum ipſi tum Timotheus crederent, magna procacia adiunxerunt; profitentes ſe ſolam fidem Nicænam, ac Synodos Epheſinas (nempe Prædatoriam etiam comprehendentes) amplecti, Chalcedonenſem vero reijcere.

k Int. epiſt. vir. ill. pro Conc. Chalced.
TIMOTH. ÆLVRI PROCACIA.

VI.

Porro cum vt his tantis malis efficax remedium ab ijs quorum intererat adhiberetur, ea omnia Leo pijſſimus Imperator [l] Anatolio Epiſcopo Conſtantinopolitano, Anatolius autem Romano Pontifici, alijſque Circularibus literis totius Orbis Chriſtiani Eccleſijs ſignificaſſet, ac rurſum Leo Papa de ijs [m] ad eoſdem Imperatorem & Anatolium reſcripſiſſet: licet Imperator ab eo admonitus, ardentiori animo hæreticis reſtiterit, ſeq; Chalcedonenſis Synodi cuſtodem eſſe publice [n] profeſſus fuerit; tamen quod cuperet omnes ſimul in vnam concordiam vniri, petentibus legatis Timothei cauſam agi debere in Vniuerſali Concilio, aſſenſum præbuit; optanſq; ad terminandas omnes quæ vbique eſſent in Eccleſia lites, præſentiam ſuam Romanum Pontificem exhibere, ea de re ad eum literas dedit. Sed reſtitit huic conſilio S. Leo, atque ad eum reſcribens [o] Calendis Decembris huius anni, pluribus docuit non ita indulgendum eſſe hæreticis, vt ad eorum arbitrium auctoritates, quas Vniuerſalis ſemel amplexa eſſet Eccleſia, infringerentur, eas iterum tractandas proponendo: ſic enim nullum fore colligendis Epiſcopis modum; idq; magis eſſe dilatare, quam ſopire certamina.

l Extant Leonis & Anatolij vtriuſque da ta litera, inter epiſt. vir. ill. pro Conc. Chalced.
m Leo Papa ep. 73. & 76.
n apud Leon. ep. 74. ad Leon Imp.
NON SEMPER INDVLGENDVM HÆRETICIS CONCILIA POSTVLANTIB.
o Leo ep. 75.

VII.

Sed & quod ijdem hæretici fraudulenter dicerent, ſe nihil aliud de fide præter quod fuerat Nicææ definitum ſuſcipere velle, iiſdem literis S. Leo Imperatorem admonuit, haud ſatis eſſe ad perfectam fidei confeſſionem his temporibus Nicænum tantummodo Symbolum profiteri, in quo non de humanitate Chriſti, ſed de diuinitate potiſſimum actum eſſet, in Concilio vero Chalcedonenſi tractatum ſit de vera & perfecta ipſius humanitate: ac proinde ſicut verum Deum & verum hominem Chriſtum vnum confiteri Fideles deberent, ita pariter aſtringi omnes vtramq; Synodum ſuſcipere ac profiteri. Quod autem ad Timothei electionem pertinet; non ipſe ſolum Leo Papa iiſdem literis illam omnino improbauit, ſed etiam (vt ſcribunt Euagrius [p] & Liberatus [q]) omnes Metropolitani, quos tum de Concilio Chalcedonenſi, tum de ea Leo Imperator literis Circularibus conſuluerat: quorum quidem extant [r] triginta ſex epiſtolæ ad eundem Imperatorem eodem argumento reſcriptæ pro confirmatione Synodi, & damnatione Timothei. Et ex omnibus vnus ſolus (inquit Euagrius) Amphilochius Epiſcopus Sydæ, epiſtolam ſcripſit ad Imperatorem, in qua vti contra Timothei creationem grauiter vociferatus eſt, ſic Concilium Chalcedonenſe improbauit. Quæ vero poſt hæc geſta in his fuerint, dicetur anno ſequenti.

DAMNATVS AB OMNIB. TIMOTHEVS.
p Euagr. lib. 2. cap. 10.
q Liber. c. 15.
r Epiſt. vir. ill. pro Conc. Chalced.

VIII.

Hoc item anno Rauennæ creatus eſt Imperator Occidentalis Imperij, *Valerius* MAIORIANVS (qui iam olim ob victos Francos & Alemannos, Magiſter militiæ factus fuerat) annuentibus ſimul Senatu & militibus, atq; ipſo etiam Leone Orientis Imperatore: quæ pluribus deſcribit Sidonius Apollinaris in Panegyrico eidem Maioriano dicato.

MAIORIANVS CREATVR IMP. OCCIDEN.

IX.

Hocque ipſo anno, quo Marcianus Imperator obiit, æque defunctum eſſe Iuuenalem Hieroſolymitanũ Epiſcopum, poſtquam ſediſſet annos viginti octo, teſtis eſt Cyrillus monachus in Vita [s] S. Sabæ Abbatis; qui hoc eodem anno in Palæſtinam perrexit ad magnum Euthymium, adhuc adoleſcentulus octodecim annorum: ſub quo adeo profecit, vt egregia vbique ſanctitate poſtea conſpicuus illuxerit, de quo ſæpe inferius. Sed quod ad Iuuenalem ſpectat; ſcripſiſſe illum ex maiorum traditione *de Tranſitu Virginis* libellum, Nicephorus [t] teſtatur. Porro vacaſſe eam ſedem vſq; in annum ſequentem, Acta [u] Quiriaci Anachoretæ nos admonent: vbi qui nonus numeratur annus Leonis Imperatoris, idem Anaſtaſij qui Iuuenali ſucceſſit ſedis recenſetur octauus.

s apud Sur. 5. Dec.
S. SABA INSIGNIS ABBAS.
t Niceph. lib. 1. cap. 23. & lib. 15. c. 14.
u apud Sur. 29. Sept.

IESV CHRISTI AN. 458.

LEONIS 2. MAIOR. 2.

LEONIS AN. 19.

I.

ANno Chriſti quadringenteſimo quinquageſimo octauo, ambobus Augg. Leone & Maioriano Coſſ. *Sollius Sidonius Apollinaris*, natione Gallus, patria Aruernus, clariſſimus genere, patre Præfecto Prætorio Galliarum, poeticis & rhetoricis literis nulli ſuæ ætatis ſecundus; Romæ tunc agens eiuſdem Maioriani Conſulatum Panegyrico celebrauit, ipſeque eodem tempore publicis meruit monumentis honeſtari, gemina nempe corona ac ſtatua in Foro Traiani; prout idem ad Firminum [a] ſcribens teſtatur. Maiorianus autem ſeptimo Idus Martias publicæ indulgentiæ edidit ſanctionem [b], qua tributa omnia in præſentem vſq; annum non ſoluta, quæ multiplicia erant, penitus relaxauit.

SIDONIVS DONATVR STATVA ET CORONIS.
a Sidon. 9. ep. 16.
b Maior. Nouel. tit. 4.

II.

Alter vero Conſul Leo Imperator, acceptis quas Leo Papa anno ſuperiori ad ipſum literas ſcripſerat, cum quæ eſſet eius de indictione noui Concilij ſententia percepiſſet, mox ad ipſum reſcribens, ſe in omnibus aſſenſurum ei pollicitus eſt; ad componendas tamen res Orientalis Eccleſiæ, petijt ab eo Legatos mitti Conſtantinopolim. Annuit confeſtim Pontifex, redditis ad eumdem literis [c] vndecimo Calendas Aprilis: verum conteſtatus eſt, haud ſe miſſurum Legatos ad diſputandum cum hæreticis, quod non eſſet Eccleſiaſticæ dignitatis, nouis diſceptationibus ſubijcere quæ Oecumenicis iam fuiſſent definita Concilijs. Miſſos autem Legatos *Domitianum* & *Geminianum* Epiſcopos, idem alibi S. Leo [d] ſignificat: quorum quidem iſtum putamus fuiſſe Geminianum, ſanctitate illuſtrem Mutinenſem Epiſcopum, quẽ eius Acta habent claruiſſe temporibus Attilæ. Domitianum autem Epiſcopum nullum hoc tempore inuenimus, præter Catalaunenſem, ſanctitudine æque conſpicuum; cuius eſt mentio in Concilio Turonenſi, & apud Venantium Fortunatum. Porro eodem tempore idem S. Leo ſcripſit [e] quoque ad Anatolium Conſtantinopolitanũ; inter alia redarguens eum, quod cum ei vices ſuas delegaſſet, vt pœnitentes hæreticos (quod ſolius erat ſedis Apoſtolicæ iuris) in Eccleſiam reciperet; eis ipſe abuſus nonnullos abſque legitima & perfecta ſatisfactione ſuſcepiſſet. Denique hoc eodem anno ad eumdem Leonem Imperatorem idem Pontifex prolixiorem dedit epiſtolam [f] de Verbi Incarnatione, cum appendice ſententiarum SS. Patrum de eadem.

LEGATI MISSI A LEONE PAPA IN ORIENTEM AD COMPONENDAM ECCLES.
c Leo ep. 78.
d Id. ep. 100. ad Gennad. Epiſc. Conſtantinop.
e Id. ep. 77.
f ep. 97.

III.

Idem autem Imperator conſulturus in omnibus Catholicæ fidei, etſi anno ſuperiori ex vniuerſo Oriente exegerat ab Epiſcopis Orthodoxam confeſſionem; tamen

LEO IMP. QVÆRIT

adhuc

a SS. Monachis confirmatio nem ſynodi Chalced.

adhuc vtile fore exiſtimans, ad ſimplicium corda potiſſimum confirmanda, ſi ſanctiſſimorum virorũ, quos Deus miraculis illuſtraſſet, ipſum Chalcedonenſe fidei decretum teſtificatione corroboraret (quod quidem plane idem videri poſſet, ac ſi fidem Catholicam omnium ſubſcriptione firmatam, etiam miraculis conſignaret) de ea re ſcripſit g ad celeberrimi nominis ſanctos anachoretas, præcipue vero ad magnum illum adhuc ſuperſtitem Simeonem, quem ſuper omnes mortales columnæ incolatus euexerat, ac ſubinde ad Baradatum, & Iacobum Syrum, aliosque vitæ mirifica ſanctitudine ſplendeſcentes, quorum eſt etiam illuſtris memoria apud Theodoretum in Vitis SS. Patrum. Extat h autem Baradati ad Leonem Imperatorem reddita epiſtola, qua fidem Calcedonenſem egregie confirmauit, multumque in hæreticos inuectus eſt. Sed & Simeonem Stylitam binas eodem argumento ſcripſiſſe ad ipſum Imperatorem & Baſilium Epiſcopum Antiochenum literas, teſtis eſt Euagrius. Suumque etiam cucullum ad Imperatorem miſiſſe, habent Acta i S. Danielis cognomento pariter Stylitæ. Iacobi vero Syri, aliorumque complurium ſanctorum Monachorum litteræ, in eamdem ſententiam ad eumdem Auguſtum datæ, deſiderantur.

g Euagr. lib. 2. cap. 9.
h Inter epiſt. ver. ed. pro Conc. Chal.
i ap. Sur. 11. Dec.

IV.

Hoc eodem anno defunctus eſt prædictus Baſilius Epiſcopus Antiochenus, anno ſedis eius ſecundo, vt tradit Nicephorus: in cuius locum fuit ſubrogatus *Acacius*; ſub quo, hoc præſenti anno Imperatoris Leonis ſecundo (vt Euagrius k ſcribit) memorabilis accidit decima quarta die menſis Septembris hora quarta noctis, clades Antiochiæ ex ingenti terræmotu; cuius etiam meminit Marcellinus anno ſequenti. Additq; Nicephorus, Thraciam quoque, & Helleſpontum, Ioniam omnem, & Cycladas Inſulas eadem tempeſtate concuſſas eſſe.

k Euagr. lib. 2. c. 12. Ingens terræmotus in Oriente.

V. Gennadius creatur Epiſc. Conſtantinop.

Eodem pariter anno Anatolius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, cum ſediſſet annos octo & totidem menſes, ex hac vita deceſſit. In cuius locum ſubrogatus eſt *Gennadius* eiuſdem Eccleſiæ presbyter, doctrina & ſanctitate atque Catholica fide conſpicuus: ſub quo Theodorus l Lector atque Nicephorus m, à Marciano eiuſdem Eccleſiæ Oeconomo factum ponunt, vt cum maior eccleſia Conſtantinopolitana vſurpare conſueuiſſet Oblationes aliarum minorum ſibi ſubditarum Eccleſiarum, poſthac quique clerici ſuarum Eccleſiarum oblatione fruerentur, ita cohibentibus Gennadio & Marciano primariæ Eccleſiæ miniſtrorum auaritiam.

l Theodoſ. Lect. Collect. lib. 1.
m Niceph. l. 15. cap. 22.

VI. Anaſtaſ. creatur Epiſcop. Hieroſ.

Hoc item anno ſecundo Leonis Imperatoris (vt dictũ eſt in fine ſuperioris) in locum demortui Iuuenalis Hieroſolymitani Epiſcopi, ſuffectus eſt *Anaſtaſius* ex presbytero illius Eccleſiæ vaſorum cuſtode: quem ad eam dignitatem peruenturum, iam olim præuiderat prædixeratque magnus ille Euthymius Abbas: vt in eius Vita pluribus narrat Cyrillus n ipſius diſcipulus.

n apud Sur. 20. Ianuar.

Leonis 3. Maior. 3.

IESV CHRISTI ANN. 459.

LEONIS AN. 20.

I. Concil. Cõſtan. coram Leg. Apoſtol.

ANNO Domini quadringenteſimo quinquageſimo nono, Ricimere atq; Patricio Coſſ. Conſtantinopoli præſentibus Apoſtolicæ Sedis Legatis, exoptatum diu à Leone imperatore celebratum eſt CONCILIVM; non quidem Oecumenicum, vt ipſe primo petierat, ſed ex proximis tantum prouincijs conuenientibus in vnum ſeptuaginta tribus Epiſcopis; adnitente Gennadio Conſtantinopolitano, fidei Catholicæ & Eccleſiaſticæ diſciplinæ acerrimo vindice, atque obſeruantiſſimo cuſtode: qui & in ea re Sanctos ipſos in cœlo cum Deo degentes habuiſſe coadiutores reperitur a, dum nec verbis nec verberibus corrigere valens peſſimæ vitæ clericum quemdam Eccleſiæ S. Eleutherij martyris, magna fide interpellans ipſum Martyrem, vt clericum ſuum emendaret, aut præcideret; ſequenti die clericus mortuus inuentus eſt.

a Tract. Synt. c. 145. Nic. lib. 15. c. 31. Theod. Lect. Lib. 1. Collect.

Inter alias autem deformitates Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, cum nactus eſſet illã ſimoniaca labe deturpatam; ad eam penitus euellendam, aliosque prauos mores extirpandos egregie laborauit. Perierunt quidem eius Synodi Acta, vt nonniſi canon vnus aduerſus Simoniacos b reperiri poſſit. Actum vero in ea eſſe (quarum cauſa rerum præcipue conuocata eſt) de abolenda penitus Eutychiana hæreſi, ac confirmando Chalcedonenſi Concilio, quis dubitet?

b ap. Theod. Balſ. poſt Nomocan. Phot. & to. 1. Bibl. Sanct.

II. Encænia Eccl. Anaſtaſiæ.

Eodem porro tempore ab eiſdem Epiſcopis celeberrimam factam eſſe dedicationem nobilis eccleſiæ erectæ à Marciano Oeconomo ſanctiſſimo viro, habent Acta c ipſius; qui & iiſdem Encænijs inſigni meruit nobilitari miraculo, ob charitatem cuidam mendico exhibitam. Porro erecta eſt illa eccleſia ſuper ædiculam Anaſtaſiæ, ita nominatum locum illum, vbi primum hoſpitatus S. Gregorius Nazianzenus proſtratam fidem erexit, vnde Anaſtaſiæ nomen accepit; id ipſi Gregorio diuino reuelante Spiritu, fore aliquando vt ædicula illa in baſilicam ingentem conſurgeret.) In eamdem porro eccleſiam ipſius S. Anaſtaſiæ martyris Reliquias Gennadium transferri curaſſe, Theodorus d Lector, Nicephorus e, & alij tradunt. Moris autem fuiſſe celebrare Encænia tempore Synodorum, cum videlicet plurimi Epiſcopi conueniſſent in vnum, frequentibus comprobatum eſt exemplis.

c ap. Sur. 10. Ianuar.
d Theod. Lect. Collect. lib. 1. in fin.
e Niceph. lib. 15. c. 10.

III. Monaſterium Acœmetarum, qui etiam dicti Studitæ.

Aucta eſt etiam eodem Gennadij Epiſcopi tempore, Eccleſia Conſtantinopolitana nobiliſſimo cœnobio monachorum *Acœmetarum* hoc eſt *Inſomnium*, qui iuges die nocteque peruigiles Deo laudes offerre conſueuerant, ſibi inuicem tripertito tempore ſuccedentes. Noui vero huius cœnobij incolæ, vocati ſunt etiam *Studitæ*, à Studio viro clariſſimo, qui eiuſmodi monaſterium in honorem S. Ioannis Baptiſtæ Conſtantinopoli erexit, cum illuc Roma migraſſet cum bonis ſuis, vbi & ante quinquennium Conſulatum ordinarium geſſit vna cum Aetio. Hæc quidem conſtant ex Nicephoro f: ſed haud (quod ipſe videtur aſſerere) fuit eius inſtituti monachorum Marce lus auctor, ſed tantum propagator: nam *Alexandrum* Abbatem, eiuſdemque Marcelli inſtitutorem, religioſum illum cultum inueniſſe, teſtantur Acta g eiuſdem S. Marcelli, in quibus plura habentur de eodem inſtituto.

f Niceph. lib. 15. c. 23.
g ap. Sur. 29. Decemb.

IV. Martyrius Epiſcop. Antioch.

Hoc eodem anno Acacius Epiſcopus Antiochenus, cum ſediſſet annum dumtaxat, ex hac vita deceſſit: in cuius locum ſubrogatus eſt *Martyrius*.

Leonis Imp. 4. Maioriani 4.

IESV CHRISTI AN. 460.

LEONIS AN. 21.

I.

ANNO Chriſti quadringenteſimo ſexageſimo, Magno & Apollonio Coſſ. Leo Auguſtus Synodicis impulſus decretis Concilij Cõſtantinopolitani anno ſuperiori celebrati, iuſſit inuaſorẽ Alexãdrinæ eccleſiæ Timotheum Ælurum inde eiici, dato ad hoc certo reſcripto ad Ducem Auguſtalem, qui curaret exacte negotium. Teſtatur hæc Liberatus a; qui & addit, in huius Timothei expulſi locum, ſubrogatum fuiſſe alium item *Timotheum* cognomento *Soloſaciolum*, ſiue *Album*, virum quietum & pacificum, ac fidei Catholicæ profeſſorem. Verum antequam iſta ſubrogatio fieret, Ælurum poſt expulſionem permiſſum fuiſſe venire Conſtantinopolim ſub ſpecie quadam abdicandæ hæreſis, vt ſic ſedem recuperaret, conſtat ex litteris S. Leonis Papæ, quas cum de his certior factus eſſet, ſcripſit b ad Leonem Auguſtum & Gennadium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, de eodem penitus amouendo tamquam impiiſſimo parricida, etiamſi alioqui videri vellet Catholicus, atque alio probatiſſimo viro in locum eius ſubſtituendo. Cui obſequens Imperator, eumdem Ælurum relegari præcepit Cherſonam (vt Liberatus habet) ſiue vt alij in Oaſim; ac more priſtino à clero Alexandrino eligi, & ab Epiſcopis Ægyptijs ordinari curauit prædictum Soloſaciolum,

a Liber. c. 15. Timoth. Soloſaciolus eligitur Epiſcop. Alex.
b Leo ep. 99. 100.
Timoth. Ælurus relegatur.

qui

qui cum ſtatim more maiorum, de ſua ordinatione, vna cum Catholicæ fidei profeſſione, litteras dediſſet ad eundem Romanum Pontificem, præſtitiſſentque id ipſum eius ordinatores Epiſcopi, & Eccleſiæ Alexandrinæ clerus; ad eos ſingulos reddidit S. Leo [c] litteras ſub his Coſſ. decimoquinto Calendas Septembris. Ex quibus redarguas erroris Marcellini Chronicon, dum hoc anno eius ponit obitum. Cum enim ſit omnium ſententia, ipſum vita functum menſe Aprilis, certum eſt non ante ſequentem annum id accidere potuiſſe.

c Id. ep. 101. 102. 103.

II. d Cedren. in Comp. e Theod. de Vit. SS. Patr. cap. 26. SIMEONIS STYLITÆ OBITVS.

Hoc ipſo anno [d] quarto Leonis Imperatoris, magnus ille S. *Simeon Stylita*, Orbis miraculū (vt eum vocat Theodoretus [e], qui eius vitam ex parte deſcripſit) Orientalibus æque atque Occidentalibus notiſſimus; quem ab Imperatore Marciano ſæpe priuato habitu conuentum Suidas tradit, quemque pij omnes Imperatores, aliique præſtantiſſimi viri literis vndique ac legationibus frequentarunt, de quo plura dicta ſunt ſuperius; ex hac vita migrauit. Quem longe vltra centeſimum annum ætatem propagaſſe, inde facile colliges, quod iam columnam aſcenderat viuente Meletio Epiſcopo Antiocheno, qui mortuus eſt anno Domini trecenteſimo octogeſimo primo; à quo tempore vſque in hanc diem numerare licet annos octoginta. Verum cum eum inuiſit Meletius, haud putamus minorē fuiſſe annis triginta. Porro Chriſtianus Orbis, qui viuentis coluit nomen, & eſt veneratus imagines; memoriam defuncti maioribus eſt proſecutus honoribus, annis ſingulis eius diem natalem celebrandum inſtituens; ſiue diem tranſlationis, cum videlicet [f] venerandum ipſius corpus paulò poſt obitum, petente Daniele Stylita, Conſtantinopolim tranſlatum fuit iuſſu Leonis Imperatoris maxime pij, qui & in eius honorem ibi nobilem erexit eccleſiam.

f Act. Dan. Styl. ap. Sur. 11. Dec.

III. g 4. Reg. 2. DANIEL STYLITA COLVMNAM ASCENDIT.

At ſicut Elias [g] Eliſæum ſpiritus reliquit heredem, & virtutum imitatorem; ita Simeon *Danielem* monachum, quem prædictionibus & diuinis viſionibus ad eiuſmodi angelicum arripiendum vitæ inſtitutum adhortatus erat, ſibi ſubſtituiſſe viſus eſt ſpiritualis hereditatis legitimum ſucceſſorem. Paulo enim ante eius obitum, ipſo tamen obitus diē (quem licet longe abſens, diuina reuelatione præcognouit) idem Daniel inſtar Eliſæi, ſicut ille pallium eſt conſecutus Eliæ, ipſe cucullum Simeonis per Sergium diſcipulum ad Leonem Imperatorem miſſum, ſed ab illo non retentum, accipere meruit: magnaque fiducia conſtructam apud Oſtia Ponti, haud procul à finibus Conſtantinopolis, columnam aſcendit, coluitque per multos annos; comprobante Deo eiuſmodi propoſitum plurimis ingentibuſq; ſignis & miraculis. Sed hæc fuſius ipſius Acta omni fide conſcripta, de quo etiam erit ſæpe occaſio dicendi inferius.

LEONIS IMP. 5. SEVERI IMP. 1.

IESV CHRISTI AN. 461.

HILARI AN. 1.

I. a Marcell. Caßiod. in Chron. MAIORIANI MORS, ET SEVERI IMPERIŪ.

ANno Chriſti quadringenteſimo ſexageſimo primo, Seuerino & Dagalaipho Coſſ. Maiorianus [a] laudatiſſimus Imperator apud Dertonam Hiſpaniæ ciuitatem necatus eſt fraude SEVERI; qui poſt eum tyrannice inuaſit Imperium, ope Ricimeris Gothi, cui Magiſtro militum creato, cum tamen hæreticus Arianus eſſet, male crediderat Maiorianus vires Imperij, vt exitus declarauit. Docuit enim ſæpe experimentum, magno damno hæreticos admiſceri Catholicis, quod nulla ſit conuentio [b] lucis ad tenebras.

b 2. Cor. 6.

II. S. LEONIS PAPÆ DECESSVS.

Sub iiſdem pariter Coſſ. tertio Idus Aprilis, S. *Leo* Romanus Pontifex, cum ſediſſet annos viginti vnum, minus diebus triginta duobus, ex terrena vita ad cœleſtem migrauit; corpus vero eius ſepultum eſt apud S. Petrum Apoſtolum. Qui quidem ob excellentem virtutem & doctrinam, ac vigilantiſſimum in cura paſtorali ſtudium, à maioribus *Magnus* cognomento iure meruit appellari.

Cum autem de eo ſint nonnulla antiquis tradita monumentis, quæ nequeant certis eius annis adſcribi; illud quidem inter alia haud omittendum, quod narrat S. Gregorius [c] Papa, nimirum cum à quibuſdam Græcis dubitaretur de virtute brandeorum, quæ apponi ſolerent ad Apoſtolorum corpora, eumdem Leonem eiuſmodi vnum brandeum forficibus inciſiſſe, & ex ipſa inciſione ſanguinem effluxiſſe. Erant vero Brandea, vela quædam, ſeu ſudaria, quæ ſupra SS. Apoſtolorū Petri & Pauli ſepulchrum poſita à Fidelibus, ita imbuebātur diuina virtute, vt etiam pondere augerentur, tantæq; per ea virtutes fierent, quantæ fere per ipſa corpora Sanctorum. Cuius rei teſtes ſunt fidiſſimi ambo Gregorij, Papa [d] & Turonenſis [e]. Ex quibus etiam conſtat, eaſdem pariter virtutes operari ſolitum Deum per claues cancellorum ſepulchri eorumdem Apoſtolorum.

c Greg. l. 3. ep. 30. ad Conſt. Aug. MIRACVLVM DE INCISO BRANDEO. d Greg. Pap. ibid. e Greg. Tur. l. Miracul. 28.

III. f Prat. Spir. c. 149. DE PECCATO INDIGNÆ IMPOSIT. MANVVM.

Rurſum vero in Prato [f] Spirituali de eodem S. Leone legitur, quod cum quadraginta dies perſeueraſſet in vigilijs & orationibus ad ſepulchrum S. Petri Apoſtoli, vt dimitterentur ſibi à Deo peccata ſua; demum apparens ei S. Petrus ſignificarit, eſſe ei omnia peccata dimiſſa, præter quam impoſitionis manuum. Quod quidem, cum peccata quoad culpam non dimittantur ex parte, intelligi debet de pœnis peccatorum quæ perpetraſſent illi qui ab eo indigni promoti fuiſſent ad ordines, quibus ipſe remaneret obligatus. Quod enim facile ſit in his peccare etiam prudentem Epiſcopum, iure etiam Paulus [g] monuit Timotheum, nemini cito manus imponeret, neque communicaret peccatis alienis. Tunc enim dicuntur Præſules communicare peccatis alienis, dum indignis conferunt honores & miniſteria. Porro quæ de eodē S. Leone apud nonnullos recentiores irrepſit fabula, de amputata ſibi dextera manu, quod cum formoſa mulier eam eſſet exoſculata, paſſus quid humani eſſet, eademq; ipſi à Sanctiſſima Dei genitrice reſtituta: hæc ſine vlla maiorum auctoritate iactantur, & indigna ſunt prorſus quouis Chriſtiano, nedum adeo ſancto Pontifice; ideoque reijciuntur tanquam garrularum fabulæ vetularum.

g 1. Tim. 5. FABELLA DE LEONE.

IV. NVMMI CVSI IN HONOREM S. LEONIS.

Ad poſtremum inuenimus nobile monumentum, excuſum ex Senatuſconſulto numiſma æreum in eiuſdē Pontificis memoriam, cum imagine & nomine S. Petri à parte altera, altera nomine expreſſo ipſius Leonis (quod de alijs ante eum Romanis Pontificibus non reperitur) hoc modo, D. N. LEONI PAPÆ, omnemque præſefert cum antiquitate ſinceritatem, vt nec leuiſſimæ ſuſpicioni ſubiaceat impoſturæ. Quod equidem puto eo tempore cuſum, quo ab Attila, fultus præſidio S. Petri, Vrbem liberauit. Præter iſta vero habentur in Libro de Romanis Pontificibus, nonnulla de ſcriptis ab ipſo ad diuerſos epiſtolis; pluraque de erectis, reparatis, & ornatis varijs eccleſijs Vrbis.

V.

Sed quod in eodem libro traditur, poſt eius obitum vacaſſe ſedem dies ſeptem; pro diebus reponendi ſunt menſes, cum ex Concilio Romano ſub Hilaro eiuſdem ſucceſſore conſtet, ſubrogationem Hilari contigiſſe menſe Nouembris, eiuſque veritatis aſſertorem habeamus, dignum Chronographum Marianum Scotum, qui pridie Idus Nouembris ordinationem Hilari ponit. Fuit autem HILARVS natione Sardus, patre Criſpino genitus: quem olim diaconum idem S. Leo Legatum vna cum collegis (vt dictum eſt) miſerat Epheſum ad Concilium ibi Oecumenicum ſub Theodoſio celebrandum. Qui quidem ſimul ac in Apoſtolica Sede conſedit, nihil antiquius habens quam quæ tanto labore eſſet contra hæreticos conſtituta, eadem firmare: epiſtolam Encyclicam ſcripſit de damnatione Neſtorij & Eutychetis, & confirmatione trium præcipuarum Synodorum Oecumenicarum, Nicænæ, Epheſinæ, & Chalcedonenſis: vt traditur in ipſo ingreſſu rerum ab eo geſtarum.

HILARVS CREATVR RO. PONTIF.

VI.

Quod vero ad res Orientis ſpectat: hoc ipſo tempore, cum S. Danielis Stylitæ miraculorum editione fama celebris innoteſceret, Leo Imperator eum cœpit magno honore habere, & interdum viſitare atque humiliter venerari: à quo etiam aliquando ingenti periculo liberatus eſt, eiuſdem-

Leo Imp. obtinet filium. b ap. Sur. 11. Dec.

eiuſdemque ad Deum precibus maſculam prolem ex Verina coniuge pientiſſima fœmina obtinuit: vt narratur in ipſius Danielis Vita [b] Verum haud diu infans ſuperuixit: ſublatus (vt putatur) arte Ariadnæ ſororis, nequiſſimæ fœminæ, Zenonis poſtea vxoris, iam tunc inhiantis Imperio, & malorum omnium quibus aſſlictata eſt Orientalis eccleſia, ſubdolæ concinnatricis.

Leon. 6. Severi. 2.

IESV CHRISTI AN. 462.

HILARI AN. 2.

I.

a Cedren. in Compend. Pictoris profani pœna. b Theo. Lect. Collect. li. 2. c Niceph. li. 15. c. 23.

ANNVS Chriſti quadringenteſimus ſexageſimus ſecundus, Coſſ. habuit vtrumque Auguſtum, Leonem ſecundum & Seuerum: alioqui rerum eccleſiaſticarum ſcriptione ſatis obſcurus. Illud tamẽ notatu dignum Cedrenus [a] ponit hoc anno ſexto Leonis, Conſtantinopoli pictori cuidam, aggreſſo Chriſtum forma Iouis pingere, manum exaruiſſe: eumq; facinus confeſſum, à Gennadio Epiſcopo Conſtantinopolitano ſanatum eſſe. Quæ eadem habent Theodorus [b] Lector, atq; Nicephorus [c].

Leon. 7. Severi 3.

IESV CHRISTI ANN. 463.

HILARI ANN. 3.

I.

a Marian. Scot. in Ch. Hilar. PP. cyclum novum curat per Victorinum. b Greg. de [illegible] c. 88.

ANno Chriſti quadringenteſimo ſexageſimo tertio, Caſſiodorus Coſſ. ponit Cæcinam Decium Baſilium, & Vibianum; ſed Marcellinus collegam Vibiani habet Felicem: niſi dixerimus eundem Baſilium dictum quoq; fuiſſe Felicem. Quo anno Hilarus Papa [a] conſiderans Theophili Alexandrini Cyclum iam in decliuum labentem, abſoluendum Anno Chriſti quadringenteſimo octogeſimo: de nouo conſcribendo calculo prouinciam iniunxit Victorino Aquitano, qui huius facultatis habebatur omnium hoc tempore facile princeps. Scripſit [b] vero is Cyclum vſque ad annum quingenteſimum trigeſimum ſecundum: expertus tamen poſtea aduerſantem ſibi Victorem epiſcopum Capuanum, cui magis Beda tribuit: ſed de huiuſmodi controuerſijs dicetur ſuo loco.

II. Translatio Eliſæi Prophetæ.

Hoc eodem anno, qui ſeptimus numeratur Leonis Imperij (vt habet Cedrenus) Eliſæi Prophetæ oſſa è Palæſtina translata ſunt Alexandriam.

Leon. 8. Severi. 4

IESV CHRISTI AN. 464.

HILARI AN. 4.

I. Evarici Goth. Regis graſſationes in Gal. et Hiſp. a Iſid. in Chro. Goth.

ANNO, Chriſti quadringenteſimo ſexageſimo quarto, Ruſtico & Olybrio Coſſ. morte ſublato Theodorico Gothorum Rege, frater eius *Euarix*, ſiue Euaricus, regnum capeſſiuit: qui quidem (vt ait Iſidorus [a]) pari ſcelere quo frater regnans, ſtatim bello cœpit Hiſpanias & Gallias diriſſime affligere: ac prius capta Pampilona, inuaſit Cæſaraugustam, totamque Hiſpaniam ſuperiorem obtinuit, & Tarraconenſem nobilitatem peremit: in Gallias autem regreſſus, Arelatum & Maſſiliam vrbes cepit. Sub quo etiam Gothi Leges ſcriptas habere cœperunt, cum antea moribus & conſuetudine tenerentur. Hæc omnia Iſidorus, paucis complectens Euarici cunctas in regno res geſtas. Verum quod ait de Legibus ab eo primum ſcriptis, erroris conuinci poſſe videtur à Sidonio Apollinare [b], qui meminit legum Theodoricianarum: quas ſcilicet Theodoricus Euarici prædeceſſor iam antea promulgaſſet.

Quando leges Goth. ſcriptæ. b Sido. 2. ep. 1. ad Ecdic.

Leon. 9. Severi 5.

IESV CHRISTI AN. 465.

HILARI AN. 5.

I.

ANnus Chriſti quadringenteſimus ſexageſimus quintus, ambos Coſſ. habuit hæreticos: nimirum Baſiliſcũ fratrem Verinæ Auguſtæ vxoris Leonis Imperatoris, hæreticum Eutychianum, & hæreticorum in Oriente fautorem præcipuum: atq; Herminericum Gothum Arianum. Quapropter haud mirum eſt, ſi vtrumq; Imperium variis fuerit in vindictam cladibus aſſlictatum. Nam inprimis ipſa regia vrbs Conſtantinopolis (vt habet Marcellinus in Chronico) maximo inuaſa incendio, miſere fœdata eſt, quod quidem iam antea S. Danielem Stylitam Leoni Imperatori & Gennadio epiſcopo Cõſtantinopolitano prædixiſſe, ac fruſtra de auertenda precibus Dei ira monuiſſe, teſtantur ipſius Acta [a]: in quibus etiam traditur, id contigiſſe menſe Septembri in vigilia Feſti S. Mamantis martyris: eoq; non ſolum quamplurima ædificia publica priuataque, ſacra atq; profana, ſed & ingentem virorum fœminarumq; multitudinem perijſſe. Porro ipſum per malum dæmonem in habitu mulieris, ſiue per mulierem quæ victum manib. quæritaret, immiſſum fuiſſe, Euagrius [b] tradit: qui & illud deſcribens, in eo tantum ab Actis S. Danielis diſcrepat, quod quatuor duntaxat dies perduraſſe dicat, illa vero ſex ponant. Quo etiam tempore baſilica Anaſtaſia, nuper à S. Marciano Oeconomo erecta, dicataque, ingenti miraculo liberata ab incendio eſt precibus eiuſdem Marciani [c], ſacro accepto Euangelio in medijs flammis orantis. Deniq; ne tota periret ciuitas, orationes quoq; SS. Danielis Stylitæ & Marcelli Acœmetarum Archimãdritæ à Deo obtinuiſſe, teſtãtur eorundem Acta [d].

Prodigioſum incendium Conſt.

a ap. Sur. 11. Dec.

b Evag. li. 2. c. 13.

c Act. Marc. ap. Sur. 10. Ianuar. d ap. Sur. c. 11. & 10. Dec.

II. Conſtitutio de nova ædificandi ratione. e Lal. C. de privat. ædif.

Huius autem occaſione incendij (quo Euagrius tradit adeo deformatam fuiſſe vrbis faciem, vt nec ab ipſis habitatoribus internoſci poſſent priores locorum ſitus) Zeno poſtea Imperator Leonis ſucceſſor, conſtitutionem [e] de priuatis ædificijs promulgauit, qua iuſſit vt ædificans domum, duodecim pedes ſpatij relinquere deberet inter proprias & vicini ædes, ne ſi cõtingeret domum aliquam conflagrare, vicini quoq; domum continentem flamma depaſceret, & ſic tota vrbs periclitaretur: vbi etiam meminit de Leonis eodẽ argumento conſtitutione his temporibus edita. Cæterum aliquanto poſt incendium tempore aſperrimam adueniſſe hiemem, ſecutamque eſſe vehementiſſimorum imbrium atq; ventorum prodigioſam frequentiam, cum Euagrius [f] atque Nicephorus [g], tum eadem Danielis Acta declarant. Et hæc quidem in Oriente.

f Evag. lib. 2. c. 14. g Niceph. li. 15. c. 20.

III. Severus Imp. necatur.

In Occidente, vero huius pariter anni Coſſ. (vt tradũt Caſſiodorus & Marcellinus) Seuerus Imperator dolo *Ricimeris* Gothi Ariani, potentiſſimi Magiſtri militum, Romæ in Palatio veneno peremptus eſt: cuius perobſcuræ remanſere res geſtæ. Poſt eius autem obitum, factum eſſe interregnum per annum & menſes aliquot, idem Caſſiodorus oſtendit, dum creationem Anthemij poſt ſequentis anni Coſſ. ponit. Obfuitque multum Italiæ eiuſmodi interregnum, & frequens iſta mutatio Auguſtorum: ſiquidem ex eo factum eſt, vt Wandali regnantes in Africa, crebrius Imperij littora incurſarent. Qui & adeo formidabiles facti ſunt piratica claſſe, vt ipſam quoque Alexandriam fuiſſe timore concuſſam, ſed de ea illæſa permanſura Imperatorem ab eodem qui ſupra S. Daniele ſecurum redditum, teſtantur ipſius Acta.

IV. Concil. Rom. in natali Hilari PP.

Hoc eodem anno cum Romam conueniſſent quadraginta octo Epiſcopi, ad natalẽ diem Hilari Romani Pontificis, hoc eſt ipſius ordinationis, ex more ſolenniter celebrandum, eius occaſione conuentus, idem Hilarus in baſilica S. Mariæ SYNODVM habens decimoquinto Calendas Septembris, de varijs egit conſultationibus quæ ad ipſum miſſæ fuerant ab Hiſpanis Tarraconenſis prouinciæ Epiſcopis: quarum tractatio in ipſis quæ [h] extant Synodi Actis videre licet: ac præcipue de Ordinationibus clericorum, & ne epiſcopi ſibi ſucceſſores deligerent.

h To. 2. Con.

ORDO SESSIONIS EPISC. SECVNDVM TEMPVS ORDINAT.

Quod vero inter Epiſcopos qui Synodo interfuerunt, primo loco ponitur *Maximus* Epiſcopus Taurinenſis poſt Romanum Pontificem: nõ id quidem accidit ſedis prærogatiua, cum digniores illic eſſent Epiſcopi Metropolitani, vt inter alios Mediolanenſis, ſed prærogatiua ætatis in Epiſcopatu agẽtis: ex more ſcilicet antiquo, quem iam ſupra notauimus, vt qui plures annos ageret in epiſcopatu vel Archiepiſcopatu, priorem ſibi in Synodis locum vendicaret, ſalua tantummodo Patriarchalium prærogatiua ſedium. Porro de Maximo Taurinenſi dictum eſt pluribus in Synodis Arauſicana & Mediolanenſi ſub S. Leone Papa.

IESV CHRISTI AN. 466.

LEONIS IMP. 10.

HILARI AN. 6.

I.

ANnus Chriſti quadringenteſimus ſexageſimus ſextus, vnicum Conſulem Leonem Imperatorem notant Faſti Caſſiodori & Marcellini. In Occidente enim cum nullus eſſet Imperator, nulla eſt à Senatu habita ratio Conſulis deligendi. Et quod à recentiori Chronographo [a] addititius ponitur collega Fabius Titianus: id ex diuinatione fit, abſque aliquo teſte, aut veriſimili coniectura.

a Tarnin. in Faſt.

II. LEX DE ECCL. IMMVNITATE.

Hoc porro anno idem Leo Imperator pridie Calendas Martias, de immunitate confugientiũ ad eccleſiam, ampliſſimam ac ſeueriſſimam edidit ſanctionem [b]: cum (vt habent Acta [c] S. Marcelli Acœmetarum Archimandritæ) Ardaburio potentiſſimo duce Ariano militẽ quendam è cœnobio Acœmetarum vi extrahere tentante, qui ad hoc ab eo miſſi eſſent, fulguribus ex Imagine apparentis in faſtigio monaſterij Crucifixi procedentibus, mirabiliter repulſi eſſent: oſtenſumque eſſet, magno periculo aſylum eccleſiæ violari. Huius enim rei tam inſigniter geſtæ occaſione factũ putamus, vt Leo prædictam ſanctionem promulgauerit: qua etiam antiquauit veterem illam, cuius facta eſt ſuo loco mentio, qua iubebantur Epiſcopi ſoluere quod creditorib. deberet ad eccleſiam refugiens, niſi eum redderent: addiditque modum, quo in tali occaſione creditores vti deberent.

b l. 6. C. de his qui ad eccl. confug. c ap. Sur. 29. Dec.

FVLMINIBVS REPELLVNTVR MILITES SACRILEGI.

III. ECDICII ARVERNI VIRTVS.

Hoc item anno Euaricus Rex Gothorum, abſoluto regni ſui ſecundo, poſt Hiſpanias deuaſtatas deſcendens in Gallias, vrbem Aruernum obſedit: cum pro eius defenſione agens vir clariſſimus *Ecdicius* Auiti Imperatoris filius, & ipſe Aruernus, Dei virtute confiſus, magno miraculo ingentem hoſtium numerum, longe diſpari paucitate militum & virium ſæpe ſuperauit atq; fugauit: quæ quidem narrantur in epiſtola, ad eum poſtea ſcripta à Sidonio [d] Apollinare æque clariſſimo viro: quem eiuſdem Ecdicij ſororem nomine Papianillam, vxorem duxiſſe conſtat ex eius literis [e] ad ipſam datis.

d Sidon. 3. ep. 3. e Id. 5. ep. 16.

IV. S. PROSPERI OBITVS.

Hoc eodem anno S. Proſper Aquitanus (de cuius ſcriptis, alijſque aduerſus hæreticos, ac præcipue Pelagianos, exantlatis laboribus ſæpe actum eſt ſuperius) ex hac vita migrauit, cum Eccleſiam Rhegienſem in prouincia Narbonenſi ſitam gubernaſſet annos ſaltem viginti quatuor. Cui ſucceſſit S. Maximus Abbas Monaſterij Lerinenſis. Mentio eſt de alio ab hoc diuerſo Proſperi apud Sidonium [f], quem dicit fuiſſe Epiſcopum Aurelianenſem: cuius etiam ſanctitatis memoria viget in tabulis Eccleſiaſticis.

f Id. 7. ep. 15.

V. EPIPHANIVS EPIS. TICINENSIS.

Hocque pariter anno vita functo viro ſanctiſſimo Criſpino Epiſcopo Ticinenſi, ſubſtitutus eſt in locum eius ſanctitate non impar, ſed doctrina longe celebrior *Epiphanius*, de quo ſæpe erit inferius dicendi occaſio. De alio vero Epiphanio, quo Caſſiodorus vſus eſt ad conuertendos in Latinum Græcos hiſtoricos, aliaque antiquorum ſcripta, iam dictum eſt ſuperius.

IESV CHRISTI AN. 467.

LEON. 11. ANTHEMII 1.

SIMPLICII AN. 1.

I. ANTHEMIVS IMP.

ANno Chriſti quadringenteſimo ſexageſimo ſeptimo, duobus Flauijs Puleo atq; Ioanne Coſſ. ANTHEMIVS Iunior, filius Procopij, nepos Senioris Anthemij, creatus eſt Imperator Occidentis. Ita namq; (vt docet Sidonius [a]) tranſactum eſt inter Patricium Ricimerem Magiſtrum militum; cuius nutu pendebat Occidentale regnum, & Leonem Imperatorem, vt Græcus mitteretur Romam Auguſtus, cuius filiam ſibi Ricimer deſponſaret. Sed & Romanum Senatum ad petendum à Leone Anthemium Legatos Conſtantinopolim miſiſſe, auctores ſunt Euagrius [b] atq; Nicephorus [c]. Porro in ipſo eius aduentu Vrbem ingenti laboraſſe peſte, teſtis eſt Gelaſius [d] Papa. Nec quidem id mirum, cum & ſecum Macedonianos quoſdam hæreticos ſibi familiaritate coniunctos adduxerit, qui continuo miſcere cuncta, & conuenticula ſeorſum agere aggreſſi ſunt. Verum (quod idem Gelaſius alibi [e] ſcribit) adeo acriter ei reſtitit Hilarus Papa, vt non ea facienda, etiam cum interpoſitione iuramenti publice in eccleſia B. Petri eundem promittere coegerit. Hocque poſtremum edidit S. Pontifex paſtoralis vigilantiæ ſpecimen.

a Sidon. in Paneg. Anthem. b Euag. li. 2. c. 16. c Niceph. li. 15. c. 11. d Gelaſ. in Androm. e Gel. ep. ad Dard.

II. HILARI PAPÆ OBITVS.

Eodem namque anno, quarto Idus Septembris, idem ex hac vita migrauit, cum ſediſſet annos quinque menſes decem, minus duobus diebus: vt docent antiqua Martyrologia, in quibus dicta die inter Sanctos eius natale inſcribitur. Sepultus autem eſt in eccleſia S. Laurentij in crypta iuxta corpus S. Sixti. Habet vero liber ſæpiſſime citatus Anaſtaſij Bibliothecarij de Romanis Pontificibus, ex vetuſtioribus accepta monumentis, multa de eximia eiuſdem ſancti Pontificis munificentia erga eccleſias Vrbis, & de ſacris locis ab eo excitatis. Vt plane ex illis ſaltem appareat; quantæ fuerint iam hoc tempore diuitiæ Romanæ eccleſiæ, cuius adeo profuſæ eſſent expenſæ argenti, auri, gemmarum, in vaſis ſacris & ornamentis eccleſiarum. Cum autem poſt eius obitum (vt idem auctor ait) ſedes vacaſſet dies decem, vigeſima Septembris creatus eſt SIMPLICIVS patria Tiburtinus, Caſtini filius.

SIMPLICIVS CREATVR ROM. PONT.

III.

Hoc item anno Sidonius Apollinaris, è Gallijs vbi degebat, literis (vt ipſe [f] teſtatur) noui Imperatoris Anthemij vocatus, in Vrbem ſe contulit, nuptijſque interfuit Ricimeris. Quomodo autem in via ægrotans, ſanus factus fuerit, vbi Limina Apoſtolorum ſupplex intrauit, idem narrat.

f Sidon. 1. ep. 5. ad Heron.

IESV CHRISTI ANN. 468.

LEON. 12. ANTHEMII 2.

SIMPLICII AN. 2.

I.

ANnus Chriſti quadringenteſimus ſexageſimus octauus, vnius tantum iterati Conſulatus Anthemij Imperatoris nota habetur inſcriptus, collega enim in primo Conſulatu acceſſerat ante annos tredecim Valentiniano Auguſto octauum Conſuli. In hoc autem eius Conſulatu, Sidonius Apollinaris Romæ carmen habuit Panegyricũ, ſuaſione Baſilij Excoſſ. cuius etiam petitione idem Imperator Sidonio Præfecturam contulit, vt ipſe teſtatur ſcribens [a] ad Heronium. Qui & ibidem exiſtens, adſtitit Aruando Præfecto Galliarum conſtituto reo læſæ maieſtatis, quod Galliarum partes Romano ſubiectas Imperio clam prodere tentaſſet Euarico Gothorum Regi, rerum Romanarum Catholicæque pietatis inſenſiſſimo hoſti: de cuius cauſa eſt egregia eiuſdem Sidonij [b] ad Vincentium epiſtola, in qua complura inuenias impreſſa veſtigia antiquorum formæ Iudiciorum.

a Sidon. 1. ep. 9. b Id. 1. ep. 7.

II.

Hoc item anno in Oriente Leonem Imp. ingentem aduerſus Wandalos claſſem paraſſe, Cedrenus tradit: quam ex mille & centum nauibus compoſitam, auctor eſt Ni-

cephorus

c Niceph. li. 15. c. 27. d Procop. de bel. Wand. lib. 1.

INGENTES COPIÆ IMP. PEREVNT INERTIA ET PRODITIONE DVCVM HÆRET. e Niceph. & alii.

cephorus [c]: exercitum vero terreſtrem hominum centum millium fuiſſe, Procopius [d] teſtatur. Quibus ingentibus copijs cùm Leo præfeciſſet Baſiliſcum Verinæ coniugis fratrem, ſed hæreſis Eutychianæ ſectatorem: factum eſt huius inertiſſima ſocordia & turpiſſima proditione, vt poſt læta principia eiuſmodi copiæ omnino perierint, & incenſa claſſis fuerit. Porro hæc omnia in gratiam Aſparis & Ardaburij potentiſſimorum Ducum Arianorum (qui cum Leonis videri voluiſſent in Imperium promotores, infenſo tunc in ipſum erat animo) Baſiliſcum operatum eſſe conſtat [e]: cum ita inter eos conueniſſet, vt ijdem Duces Imperium Baſiliſco conferrent (quòd implere nequiſſent, ſi ex ſententia Leoni res proſpere ceſſiſſent) ipſe vero Baſiliſcus eis rependeret, vt ſuam ipſorum perfidiam Arianam propagare permitterentur: cuius etiam rei cauſa idem Gothi barbari Genſerico Wandalorum Regi pariter Ariano patrocinati ſemper occulte fuerant. Ex quibus videas quanta iactura ſinantur hæretici in aula verſari: quantoq; grauiori diſpendio, publicarum rerum eiſdem adminiſtratio concedatur: & maximo omnium damno expeditio bellica, in qua rerum vertitur ſumma, credatur: cùm certum ſit, auerſos ſemel à Deo homines, eccleſiæ perduelles, omnia agere proditorie & hoſtiliter. Cæterum impius Baſiliſcus apertiſſimæ proditionis reus ab omnibus cum reuerſus eſſet Conſtantinopolim conclamatus, ad aſylum Catholicæ eccleſiæ confugit. Quem ſoror eius Verina Auguſta liberauit, amandauitque Perinthum Thraciæ, vt tradit Nicephorus. Imperator autem in auctores ſceleris Aſparem & Ardaburium duxit vlciſci: idq; paulo poſt (vt videbitur) perfecit.

HÆRETICI AB OMNI PRORSVS ADMINISTRATIONE PELLENDI.

III. Interea vero alia ex parte, in qua non ab hæretico Duce prælium agebatur, in *Denſicem* Hunnorum Regem Attilæ filium, patrem ferocia ſuperantem, res dextere confecta eſt. Superatis enim Hunnis, eodemq; ipſorum Rege occiſo, eius caput in conto Cōſtantinopolim magna gloria omniumq; lætitia delatum eſt. Attingit hæc breuiter Marcellinus in Chronico. Quod autem non ea diffuſius tractauerint hiſtorici, inde factum puto, quod (vt ait Euagrius [f]) Priſcus Rhetor eius temporis ſcriptor, huiuſmodi bella aduerſus Scythas (quos Hunnos dicimus) quam exactiſſime proſecutus eſſet: ſed perijt hiſtoria ipſa.

REX HVNNOR. SVPERATVS A DVCE CATHOL.

f Euagr. li. 1. c. 17. & lib. 2. c. 16.

IESV CHRISTI AN. 469.

LEON. 13. ANTHEMII 3.

SIMPLICII AN. 3.

I. ANNO Chriſti quadringenteſimo ſexageſimo nono, Zenone & Marciano Coſſ. Leo Auguſtus de Aſparis & Ardaburij proditione (de qua anno ſuperiori) ſumpturus pœnas: quod ob ſummam eorundem potentiam, in opprimendis illis vi aperta, periculoſa alea iaceretur, artem adhibuit. Siquidem quod acceptum ipſis ferret Imperium, tanquam eis remunerationem promiſſam exhibiturus, maioribus eoſdem frequentare cœpit officijs, ipſique filio Aſparis, cui nomen *Patritio*, ſiue Patriciolo, Ardaburij fratri, filiā ſuam ſpopondit cōiugem eundemque Cæſarem nominauit: ſicut teſtantur Marcellinus [a], Cedrenus [b], & Acta [c] ſinceriſſima S. Marcelli Acœmetarum Archimandritæ: licet Euagrius [d] atq; Nicephorus [e] Cæſarem creatum tradant *Ardaburium*. Vt vero tantum diu cupitam dignitatem filio ſuo Aſpar conſequi poſſet, quod impedimento videbatur eſſe Ariana perfidia, tum eam voluit à filio Cæſare creando damnari, tum ipſe ad id ſe perſuaſum eſſe oſtendit: vt ex Cedreno & Nicephoro colligitur. Verum ex Actis S. Marcelli liquet, deſignatum eſſe Cæſarem filium Aſparis cum adhuc eſſet Arianus: & ob eam cauſam magnas turbas excitatas eſſe Conſtantinopoli, quod timerent rurſum iugo Imperatoris Ariani ſubijci. Teſtaturque & Zonaras [f], clericos & monachos conueniſſe Imperatorem, & exclamaſſe contra eum vt Cæſar Catholicus crearetur. Atque hæc quidem anno præſenti geſta ſunt: reliqua ſequenti.

FILIVS ASPARIS CREATVS CÆS.

a Marcel. in Chron. b Cedren. in Compend. c ap. Sur. 29. Dec. d Euag. li. 2. c. 16. e Niceph. lib. 15. c. 27.

TVMVLTVS CONST. OB CREATVM CÆS. ARIAN.

f Zon. Annal. to. 3.

II. Interea vero hoc præſenti anno idem Leo Imperator, ad conciliandam ſibi in ſummo rerum diſcrimine Diuinitatem, Idibus Decembris de ſanctificandis feſtis diebus, prohibendiſque in eiſdem Circenſibus, ſceniciſq; ſpectaculis, ſanctionem [g] edidit. Quod enim animo deſtinaſſet, eam de proditoribus peragendam eſſe tragœdiam in ipſis Circenſibus, noluit ea celebrari die Dominico: ne, licet iuſta eſſet vltio, tamen diem ſacram ignominia videri poſſet labefactaſſe. Qui etiam paulo ante, nimirum octauo Idus Maias, legem [h] promulgauerat aduerſus intrudentes ſe ſimoniaca prauitate in epiſcopatum.

SPECTACVLA PROHIBITA DIEB. FESTIS. g l. vlt. C. de fer.

h l. 31. C. de Epiſ. & cle.

IESV CHRISTI AN. 470.

LEONIS 14. ANTHEMII 4.

SIMPLICII AN. 4.

I. ANno Chriſti quadringenteſimo ſeptuageſimo, Seuero (ſiue Seueriano) atque Iordano Coſſ. (inquit Marcellinus) Aſpar primus Patriciorum cum Ardabure & Patriciolo filijs, illo quidem olim Patricio, hoc autem Cæſare, generoque Leonis appellato, Arianus cum Ariana prole, ſpadonū enſibus in Palatio vulneratus interijt. Hæc ille ſuo more breuiter: quæ Caſſiodorus ponit ſub anno ſequenti. Ea vero fuſius proſecutum fuiſſe Priſcum Rhetorem, Euagrius [a] tradit: qui ex ipſo rem attigit, non deſcripſit. At Nicephorus [b] paulo liberalius agens, ait Aſparem cum filijs primum ludis Circenſibus in Hippodromo conuicijs à populo Conſtantinopolitano tumultuante appetitos, metu Chalcedonem traieciſſe, exercitu omni eos inſequente: & ad eccleſiam S. Euphemiæ martyris confugiētes, Leonis Imperatoris arte, tam per Gennadium Epiſcopum Conſtantinopolitanum primo ad eos miſſum, quā poſtea per ſeipſum ad eoſdem accedentem, iniuriarum obliuionem pollicentis, inde egreſſos, & ad menſam regiam adhibitos, eiuſdē iuſſu à Zenone Iſauro Aſparem cum Ardaburio interfectum eſſe: alterum vero filium Patricium, in exilium miſſum: & quæ ei deſponſata fuerat Ariadna Leonis filia, ipſi Zenoni datam eſſe in coniugem. Hæc Nicephorus: verum alij ambos filios Aſparis occiſos tradunt. Habet vero etiam idem auctor, Ardaburium cum vidiſſet patrem iam capite truncatum exclamaſſe, *Dignum fert exitium ſenex vanus, qui fruſtra gloriatus eſt, neque vnquam admonitioni meæ audiens fuit: Perſæpe enim ei dixi, Prius Leonem deuoremus, quam ille nos ſibi in prandio apponat.* Cæterum ex huiuſmodi cæde idem Leo Auguſtus conſecutus eſt nomen, vt *Macelles*, nempe Interfector fuerit cognominatus.

ASPAR CVM FILIIS NECATVR.

a Euag. li. 2. c. 16. b Niceph. li. 15. c. 27.

LEO IMP. DICTVS MACELLES.

IESV CHRISTI ANN. 471.

LEONIS 15. ANTHEMII 5.

SIMPLICII ANN. 5.

I. ANno Chriſti quadringenteſimo ſeptuageſimo primo, Leone Auguſto quartum & Probiano Coſſ. Gennadius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, cum ſediſſet [a] annos tredecim ex hac vita deceſſit, ſui deſiderium bonis omnibus relinquens: qui ob commentarios in Danielem elaboratos, & homilias multas compoſitas, adnumeratur inter Scriptores Eccleſiaſticos à Gennadio [b] Maſſilienſi: & à Græcis [c] inter Sanctos relatus habetur. Narrant vero Theodorus [d] Lector, Suidas [e], Nicephorus [f], & alij, cum haud pridem ante eius obitum, dæmoniacum quoddam ei ſpectrum noctu in eccleſia oranti apparuiſſet, illudque ipſe ſigno Crucis fugaſſet: dixiſſe ſpectrum, ſe quidem nunc abire, ſed reuerſurum poſt obitum ipſius Gennadij, & modis omnibus euerſurum eccleſiam. In quo minime mentitum mendacem ſpiritum, euentus oſtendit. Subrogato enim in locum Gennadij *Acacio*, ex Præfecto (vt ait Euagrius [g]) orphanorum collegio, quales turbines exagitarint Eccleſiam,

GENNADII EPISC. CONST. OBITVS. a Niceph. in Chron. b Gennad. c. 95. c Menol. 25. Aug. d Theod. Lect. Collect. li. 1. e Suid. ver. Gennad. f Niceph. li. 15. c. 23.

g Euag. lib. 2. c. 11. ACACIVS EPISCOP. CONST.

quæ annis ſingulis inferius deſcribentur, facile demonſtrabunt.

II. h Niceph. ibid.

Sub eodem autem quo Acacius creatus eſt anno, idem Nicephorus [h] accidiſſe tradit, vt cum duo Epiſcopi, alter Arianus dicendi ac diſputandi arte inſtructiſſimus, alter Catholicus, virtute ac fide ornatiſſimus, de religione cõtenderent, proponente Catholico, vt verborum contentione relicta, veritatem igne probarent, ſed renuente Ariano: nihilominus Catholicus in ingentem ſe rogum immiſerit, atq; inde cum hæretico omnino illæſus diſputarit. Sed hæc Cedrenus ad Anaſtaſij Imperatoris refert tempora: quæ quidem licet antiquiores non haberent auctores, ex alijs tamen his ſimilibus caſibus, quos ſæpe alias conti giſſe videbimus, haud incredibilia videri poſſunt. Subdit inſuper Nicephorus de quodam Iudæo, ob concitatum tumultum igni damnato, & inuocatione S. Sergij martyris (ad quem frequens erat his temporibus peregrinatio) mirabiliter è medio igne liberato, atq; baptizato cum duobus filijs ſuis: qui & vniuerſa vendita ſubſtantia, ampliſſimo erecto in eiuſdem memoriam martyris templo, reliqua vitæ parte eius cultui ſe mancipauit.

FIDES CATHOL. IN DISPVTATIONE IGNE PROBATA.

IVDÆVS MIRABILITER IGNE LIBERATVS.

III.

Hoc eodem anno, Zenone Imperatoris genero creato Comite Orientis, cum is Antiochiam veniſſet, duxit ſecum *Petrum* cognomento *Cnapheum*, eundemq; à prima arte *Fullonem* nuncupatum, olim monachum Acœmetam, & ob hæreſim Eutychianã è monaſterio expulſum, poſtea conſtitutum presbyterum eccleſiæ Baſſæ martyris apud Chalcedonem. Qui cum aduenisſet Antiochiam, iungens ſe hæreticis quos illic reperiſſet Apollinariſtis, plurimoſq; è clero ac populo ſeducens, Zenonis fultus fauore, Martyrium eiuſdem ciuitatis Epiſcopum Orthodoxa fide præſtantem, adeo falſis Neſtorianiſmi aliorumque criminum accuſationibus exagitauit, vt ipſum tandem coegerit renunciare Epiſcopatui, hæc altiori voce publice in eccleſia præfatum, *Clero immorigero, & populo rebelli, & Eccleſia contaminatæ renuncio, ſeruata interim mihi ſacerdotii dignitate*. Poſt eius vero diſceſſionem, *Cnapheus* ſedem Epiſcopalem tyrannice inuaſit. Quibus cognitis ab Imperatore Leone, ex ſuggeſtione Gennadij Epiſcopi Conſtantinopolitani adhuc viuentis, Cnapheum in exilium ablegari iuſſit: ſed is fuga elapſus pœnam euaſit. Hæc quidem Theodorus [i] Lector, Liberatus [k] Diaconus, & Alexander [l] Monachus, licet nonnihil diuerſæ. Quæ vero poſtea ſecuta ſunt, dicentur ſuis locis.

PETRVS FVLLO, SIVE CNAPHÆVS. QVIB. ARTIB. INVASERIT SEDEM ANTIOCH.

i Theo. Lect. Collect. li. 1. k Liber. Breuiar. ca. 18. l Alex. Monach. ſerm. de S. Barn. ap. Sur. 10. 3.

IV.

Sed quod ad politicum attinet ſtatum: pax quæ parta eſt Orientali Imperio, bellum intulit Occidentali. Cum enim qui ſectæ erant Arianæ, ijdemq; barbari, totum ſibi Romanum Orbem ita viderentur eſſe partiti, vt in Oriente quos diximus nuper extinctos, Aſpar & Ardaburius Gothi Ariani, Romæ Ricimer item Gothus & Arianus, in Hiſpanijs ac Galliarum parte Euaricus Rex Gothorum Arianus pariter & perſecutor, ac deniq; in Africa Genſericus Wandalorum Rex Arianorum omnium ſceleſtiſſimus, cuncta pro animi arbitrio moderarentur: ſimul ac Aſparem cũ filijs occiſos audiuit Ricimer, illud indigniſſime ferens in Anthemium Imperatorem licet ſocerum, meditari cœpit inſidias: ſed illis detectis, fuga ſibi conſuluit, Mediolanum ſe recipiẽs. Vbi aliquamdiu moratus cum ſuis, haud imminutus robore militum, ad aliud ſe barbarus inſidiarum genus conuertit: nempe vt cum ſocero pacem petere ſimularet, eaque obtenta occultiores moliretur inſidias. Atq; vt omnem doli ſuſpicionem auferret, ad hoc miniſtrum delegit, quem ob egregiæ ſanctitatis & eloquentiæ merita omnes venerarentur, videl. Epiphanium Ticinenſem epiſcopum: cuius legatio, & pacis confectio, deſcripta inuenitur ab Ennodio eiuſdem eccleſiæ diacono, qui ipſius Epiphanij res geſtas [m] memoriæ tradidit. Quid vero poſt hæc Ricimer cum Romam veniſſet, in Anthemium admiſerit, dicetur anno ſequenti.

RICIMER MOLITVR INSIDIAS IN ANTH. IMP.

m Ext. ap. Sur. 22. Ianuar. ſed correctiori in cod. Vat.

V. n Marcel. in Chron.

Interea hoc eodem anno Marcellinus [n] tradit, Veſuuium Campaniæ montem torridum inteſtinis ignibus æſtuantem, exuſta euomuiſſe viſcera, nocturniſq; in diem tenebris omnem Europæ faciem minuto contexiſſe puluere. Eiuſq; metuendi memoriam cineris poſthac annue octano Idus Nouembris Conſtantinopoli celebrari ſolitam. Eo enim vſq; violentum perlatum eſſe cinerem; eodemque die annuis Deum placari ſolitum ſupplicationibus, teſtatur etiam Procopius [o]: qui & Tripoli Libyæ: altero & ſubſequenti anno eiuſmodi cinerem elapſum affirmat. Sed & de his Veſuui eructationibus videndus eſt Caſſiodorus [p], dum agit de alia recentiori quæ accidit ſub Theodorico Rege.

INGENS E VESVVIO CINERVM ERVPTIO.

o Procop. de bel. Goth.

p Caſſiod. 4. Var. 50.

VI. q Sigeb. & alii.

Hoc ipſo quoq; anno [q] defuncto Gennadio Rhemenſi in Gallia Epiſcopo, magnus ille Sanctus REMIGIVS, Francorum Apoſtolus nominatus, tunc inter inferiores clericos militans, immaturus æuo, morib. autem ſenior, totius populi voce, omniumq; comprouincialium Epiſcoporum conſenſu, eidem Gennadio ſucceſſor electus, renuit obtemperare ob infirmam viginti duorum tãtummodo annorum ætatem: vſquequo diuino accedente ſuffragio, quo cunctis videntibus radio luminis illuſtratus eſt: & ſacra vnctione diuinitus infuſus, coactus eſt eius eccleſiæ adminiſtrationem ſuſcipere. Rem geſtam exacte deſcripſit Hincmarus eiuſdem poſtea eccleſiæ Epiſcopus in Vita [r] ipſius S. Remigij. Quantæ autem eloquentiæ & eruditionis fuerit, Sidonius Apollinaris huius ſæculi Gallicanorum Scriptorum decus & ornamentum, ſatis docet [s] ad eum ſcribens: quamuis ipſe Remigius præ nimia animi ſubmiſſione ſuas lucubrationes noluerit perpetuitati dicari.

S. REMIGIVS CREATVS EPISC. RHEMEN.

r Ext ap Sur. 13. Ianuar.

s Sidon. l. 8. ep. 7.

IESV CHRISTI AN. 472.

LEONIS 16. OLYBRIVS.

SIMPLICII AN. 6.

I.

ANno Chriſti quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Feſto ac Marciano Coſſ. Acacius Conſtantinopolitanus Epiſcopus ad nouas res adijciens animum, reuocare tentauit quod Anatolius fruſtra conatus fuerat ſub Leone Romano Pontifice, tanquam ex duobus Oecumenicis Concilijs, Conſtantinopolitano & Chalcedonenſi, indebite vſurpare, vt ſedes Conſtantinopolitana poſt Romanam locum principem obtineret. Cuius rei gratia, aſtuto conſilio rem pedetentim acturus, Leoni Imperatori factus eſt auctor ſanctionis [a] edendæ, qua cuncta conceſſa eccleſijs priuilegia iam deperdita, ac nominatim eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, reſtitueret atq; firmaret. Verum reſtitiſſe ipſius exordio ſtultæ præſumptioni Acacij Simplicium Romanum Pontificem, miſſo ad hoc Probo Epiſcopo Canuſino Legato Conſtantinopolim, Gelaſius [b] Papa teſtatur ſcribens ad Dardaniæ Epiſcopos. Quænam vero deformiora repulſus Acacius aggreſſus ſit, dicetur ſuo loco.

ACACIVS EPISCOP. CONST. REVOCARE CONATVR PRIMATVM.

a l. 16. C. de SS. Eccl.

b Gel. ep. 13.

II.

Hoc eodem anno Anthemius Imperator ſatis laudatus, proditione generi ſui Ricimeris Gothi Ariani necatus eſt Romæ, cum iam idem Ricimer OLYBRIVM Senatorem nobiliſſimum creaſſet Imperatorem. Qui tamen haud diutius peracto ſcelere gloriatus, poſt quadraginta dies defunctus eſt Olybrius quoq; ſeptimo menſe vitam peregit. Hæc Caſſiodorus, Marcellinus, & alij. Quod autem ipſum Ricimerem Gothum, Gothus ſcriptor Iordanus (quem alij Iornandem vocant) laudaſſe reperitur: indulſiſſe cum priuatis gentilitatis affectibus, ipſa facta declarant: quæ nec narrat quidem, relinquens ea ſepulta ſilentio, cum non haberet quod excuſaret. Eundem vero tantæ potentiæ fuiſſe conſtat, vt non ſolum inſtar mancipiorum habuerit Imperatores Occidentis, pro arbitrio eos tollens & ſubrogans: ſed & eccleſiam Sanctæ Agathæ intra Vrbis mœnia ipſis inuitis Romanis Pontificibus ſibi vendicauerit, in quam cum ſuis Arianis conueniret: quæ poſtea à S. Gregorio ſacris expiata, Catholicorum vſui reſtituta eſt.

OLYBRII IMPERIVM, ET INTERITVS.

POTENTIA RICIMERIS GOTHI ARIANI.

III.

Sidonius quoq; Apollinaris (de quo ſæpe ſuperius) hoc ipſo anno, ipſius ætatis circiter quadrageſimo, vt ex eius [c] ſcriptis colligitur, ſuffectus eſt in locum Eparchij defun-

SIDONIVS CREATVR

EPISCOP. ARVERNVS.
c Sidon. 6. ep. 1.

cti, Aruernenſis Epiſcopus, viuente adhuc vxore Papianilla: vir plane nobiliſſimus, gener Auiti Imperatoris, Præfectura & Patriciatus dignitate illuſtris, literiſque excultiſſimus: quem & egregia enituiſſe morum ſanctitate, & ſumma in pauperes miſericordia, docet inter alios Gregorius [d] Turonenſis: licet crebræ ſint ipſius Sidonij querelæ [e], quibus ſe indignum ad Epiſcopatum aſſumptum deplorat. Porro tantæ etiam apud reliquos omnes æſtimationis fuiſſe cognoſcitur, vt oborta contentione in eligendo Metropolitano Bituricenſi, ipſi vni à comprouincialibus Epiſcopis, Clero, & populo, quem vellet eligendi liberum fuerit delatum [f] arbitrium: cum ipſe quanto in diiudicandis hominibus polleret acumine declarauit, deligens Sanctum Simplicium, quem omnes ſummo gaudio ſuſceperunt. Epiſcopum autem factum, nuncium remiſiſſe ſæcularibus iocis, hominem natura lepidum, epiſtolæ ipſius poſt Epiſcopatum datæ declarant.

d Greg. Tur. hiſt. Franc. li. 2. c. 21. 22.
e Sidon. l. 3. ep. 3. ad Aprum. 9. ep. 3. ad Fauſt. & alibi.
f Id. 7. ep. 5. 8. 9.

LEON. 17. GLYCERIVS.

IESV CHRISTI AN. 473.

SIMPLICII AN. 7.

I. ANno Chriſti quadringenteſimo ſeptuageſimo tertio, Leo Auguſtus quintum Conſul Faſtis adſcribitur abſque collega. Turbatæ enim vehementer res Occidentalis Imperij, creandi Romæ alterum Conſulem facultatem per aliquot annos ademerunt. Porro hoc anno ibi occiſus eſt Imperator Olybrius: & Gundebaldo hortante GLYCERIVS [a] Rauennæ ſumpſit Imperium, tenuitque vix annum vnum. Atq; in hunc modum magno Reipubl. damno ſæpe mutatis Auguſtis, addita eſt his noua calamitas, cum *Oſtrogothi* ſub Duce Windemiro ex gente Amala, ad damna deſcenderunt Italiæ: alia ex parte Theodomiro ad prædandum Orientem conuerſo. Verum Windemiro mox in Italia defuncto, filiū eius Windemirum item nuncupatum Glycerius Imperator muneribus datis de Italia ad Gallias tranſtulit: vbi cum ſe parentibus iungeret Wiſigothis, vnum omnium corpus effectum eſt, vt dudum fuerant. Hæc omnia Iordanus [b], ſiue Iornandes.

a Caſſiod. in Chron.
GLYCERIVS IMP. OSTROGOTHI INVADŪT IMPERIVM.
b Iornand. de reb. Get.

II. LEO IVNIOR NASCITVR.

Hoc eodem anno (vt Marcellinus & Caſſiodorus habent) natus ex Zenone genero Leonis Imperatoris & filia eius Ariadna filius, LEO itidem nuncupatus, ab auo eſt nominatus Auguſtus. Qui à tempore aſſecutæ dignitatis vix decem elapſis menſibus (vt Theodorus [c] ait) infans defunctus eſt, neſciens quid acceperit, quidve moriendo perdiderit. Ex his autem redarguendi videntur, qui ſcripſerunt [d] hunc non infantem, ſed adoleſcentulum, & depratatis plane moribus fuiſſe in vitijs enutritum: quem conſtat, etiamſi eodem anno quo iuncta eſt Ariadna Zenoni natus eſſet, excedere minime potuiſſe tertium ætatis annum: niſi forte intellexerint de alio quopiam, quem poſt adeptum Imperium Zeno ſuſceperit.

c Theo. Lect. Collect. li. 1.
d Niceph. Sui. & aly.

ZENO. I. NEPOS.

IESV CHRISTI ANN. 474.

SIMPLICII ANN. 8.

I. VTRIVSQVE LEONIS IMP. OBITVS.
a Marcel. in Chron.

ANNO Chriſti quadringenteſimus ſeptuageſimus quartus, Leonis Auguſti Iunioris Conſulatu apertus eſt: eodemque clauſa vita ipſius Senioris Leonis Imperatoris, atque pariter eiuſdem Iunioris. Numerantur [a] Senioris Imperij anni ſeptemdecim & menſes ſex; Iunioris vero eiuſdem Nepotis, Imperij & vitæ menſes tantummodo decem. Superuixit enim hic illi tantum duntaxat, quantum ſatis eſſet vt ampliſſimam transferret in patrem ZENONEM Imperij hæreditatem. Fuiſſet plane Senior inter optimos Imperatores adnumerandus, niſi ſuorum propinquorum ſordibus videri poſſet aſperſus. Licet enim ipſe maxime pius ſemper viſus fuerit, omnique prorſus caruerit hæreticorum erroris contagio: tamen quod cum hæreticis indulgentius egerit, dum Baſiliſco Verinæ coniugis germano pepercit, & Zenonem inexploratum adhuc ſibi hominem, cooptauit generum & adminiſtratorem Imperij, à quibus quamplurima fuere poſtea illata Eccleſiæ mala: haud adeo meruit laudari à poſteris. Remanſerunt autem eiuſdem egregia pietatis monumenta, tam in pluribus religioſis ab eo editis ſanctionibus (vt præter illas quarum ſuis locis facta eſt mentio, conſtat ex alijs abſque die & Coſſ. poſitis [b], de clericis ac monachis ne ad ſæcularia iudicia traherentur, & de priuilegijs Eccleſiarum & hoſpitalium) quam in ſacris ab ipſo erectis ædibus: inter quas duæ illæ principatum obtinuere, quas ſub Deigenitricis nomine conſtruxit [c], alteram ad Fontem dictam, alteram vero erectam ad collocandas in ea eiuſdem Sanctiſſimæ Virginis Matris Veſtem Hieroſolymis [d] tunc allatam, quam innumera decorarunt miracula.

ZENO IMPER.

PIETAS LEONIS SENIORIS.
b l. 33. & 36. C. de Epiſcop. & cler.
c Niceph. li. 15. c. 25. Procop. de ædif. Iuſtin.
d Vid. Nice. li. 15. cap. 24. & Metaph. 15. Aug.

II. Quod autem ad Zenonem ſpectat: fama fuit filium eius Leonem Iuniorem ab eo malis artibus ſublatum eſſe de medio, vt ipſe ſolus, non vt tutor & procurator, ſed Imperator ſummam rerum adminiſtraret. Reperitur tamen apud nonnullos Latinos [e], eumdem Leonem paruulum ab interfectore à Zenone immiſſo ſubductū fuiſſe, alio in eius locum ſuppoſito: atq; ſeorſum clanculo educatum, perueniſſe vſq; ad Iuſtiniani Imperatoris tempora: ſed hæc haud fidem ſatis certam inueniunt.

e Marian. Scot. in Chr.

III. Porro Zenonem, iam ab initio ſui regiminis Euagrius [f] teſtatur ita ſe palam libidinibus totum dediſſe, vt à nulla quacunque turpitudine & flagitio continuerit. Cumque eum erga pauperes largum fuiſſe conſtet [g] (adeo vt ferant diuinitus reſponſum fuiſſe mulieri cuidam vltionem de eo expoſcenti, eleemoſynas eius obſtitiſſe quominus tam cito pœnas de ſceleribus ſuis dederit) tamen quas vna manu miſericorditer eleemoſynas erogabat, altera ex ſubditorum bonis immiſericorditer rapiebat: quem barbaro more vniuerſum ſibi ſubditum Imperium ſpoliaſſe, idem Euagrius [h] tradit: ſed & inter alia nefaria, magiſtratus omnes ac cuncta Palatina officia publice venalia expoſuiſſe, auctor eſt Suidas. Quod vero ad religionem ſpectat: ab eo mox vt in Imperium aſſumptus eſt, *Petrum Fullonem* hæreticum Apollinariſtam & Eutychianum ab exilio, in quod ab Imperatore Leone damnatum vidimus, reuocatum eſſe, Eccleſiæque Antiochenæ præfectum, expulſo iterum Martyrio, qui à Fullone olim eiectus, poſteaque reſtitutus, eandem eccleſiam pie regebat: teſtis eſt Alexander [i] Monachus antiquus ſcriptor Græcus. Sed & idem impius Auguſtus pariter ſtatuit, vt Timotheus Ælurus ſacrilegus ille inuaſor Eccleſiæ Alexandrinæ, relegatus pariter ab Imperatore Leone, cum honore reuocaretur: qui etiam vt ſuam, repetere auſus eſt eandem eccleſiam. Sed de his plura inferius.

f Euagr. lib. 2. c. 16.
ZENONIS IMP. LVXVS ET RAPINÆ.
g Prat. Spir. c. 175.
h Euagr. lib. 3. c. 2.
ZENO FAVET HÆRETICIS.
i Alex. ſer. de S. Barnab. ap. Sur. to. 3.

IV. Hoc eodem anno [k] Glycerius Imperator à Iulio Nepote depoſitus eſt in Portu Romano: & ſeruatus ad vitam in clericum attonſus, Solonitanus eſt creatus Epiſcopus, vt teſtatur Euagrius [l]: cum tamen in ipſo Portu Romano ordinatum Epiſcopum, alij Iordano auctore ferant. Eo vero ſublato, ipſe NEPOS moderandum ſuſcepit Imperium: & cum Euarico Rege Gothorum Gallias deuaſtante pacem inijt, intercedente Epiphanio Ticinenſi Epiſcopo, vt fuſius tractat Ennodius in Vita eiuſdem Sancti: vbi etiam docetur, Euaricum ſedem regni ſui conſtituiſſe Toloſæ.

k Caſſiod. in Chron.
l Euagr. lib. 2. c. 1.
NEPOS IMP.

ZENONIS IMP.

IESV CHRISTI AN. 475.

SIMPLICII AN. 9.

2. AVGVSTVLVS.

I. ANnus Chriſti quadringenteſimus ſeptuageſimus quintus, vnius tantum Coſſ. Zenonis Auguſti nomine inſcribitur Faſtis iterum. Quo Oreſtes haud pridem creatus Magiſter militiæ, Nepote Imperatore, con-

AVGVSTVLVS IMP.

uerſus in hoſtem, Roma cum exercitu Rauennam veniens, filium ſuum Momilium, AVGVSTVLVM nuncupatum, Imperatorem acclamare fecit. Quod cum Nepos compertum habuiſſet, ac cum Oreſte vniuerſum conſpirare exercitum, in Dalmatiam fugit. Hæc ex Caſſiodoro Iordanus, ſiue Iornandes Gothus. Quod vero ad *Auguſtuli* nomen ſpectat: falli quidem certum eſt, qui eum ita nomine proprio appellatum putarunt, cum re vera non Auguſtulum, ſed Auguſtum fuiſſe nominatum, antiqua [a] numiſm ita declarent. Sed accidit vt contemptus cauſa (quomodo & alijs Imperatoribus, vulgi dicterijs indita ſunt nomina) ex Auguſto fuerit dictus Auguſtulus: cū præſertim geminatio illa, Auguſtus, Auguſtus hactenus inuſitata, videretur eſſe moleſta. Ita vero plane ſecundū illud vulgatum, *Omne quod oritur, occidit*, Romanum Imperium cœptum ab Auguſto, defecit in Auguſto.

a Habet Baron. Annal to. VI. hoc an.

II. ODOACER REX ERVLOR. VOCATVR IN ITALIAM.

Qui autem Nepotis ſectati ſunt partes, quo de proditione Oreſtis pœnas ſumerent, *Odoacrem* Erulorum Regem (qui ab extremis Orbis glacialis partibus [b], nouum flagellum à Deo iam ante paratum aduenerat) id ipſum maxime appetentem in Italiam aduocarunt. Quid autem in eam ingreſſus egerit, cum hiſtoricorum nullus proſecutus ſit ſtylo: ex his quæ de clade Ticinenſi ab Ennodio diacono ſcripta ſunt in Rebus [c] geſtis S. Epiphanij eiuſdē eccleſiæ Epiſcopi, reliqua funeſta poſſumus cōtemplari.

b Sidon. Apol. l. 1. ep. 9. ad Lampr. c Loco cit. Vtrec. Nam quæ edita ſunt ap. Sur. 22. Ianuar. mendoſa nonnihil eſſe videntur.

III. GALLIARVM MOTVS.

Fluctuarunt & hoc motu ipſæ Galliæ, quæ tunc Tetrarchijs diuidebātur: Sidonius [d] enim vnum ex Regibus illis barbaris *Tetrarcham* appellat: dominantibus his ſingulis Gothis, Burgundionibus, Francis, atq; etiam adhuc Romanis: quibus vt pars aliqua, licet minima remaneret, non bellicus labor, ſed inter barbaros Reges æmulatio exorta præſtabat. Cum autem Gothus Rex Euaricus Arianus, haud minus quam regnū curans propagare [e] perfidiam hæreticam, multis Catholicos perſecutionibus vexaret, & pleraſq; Eccleſias Sacerdotibus orbaſſet, iamq; ſæpe fruſtra tentatam iterum aggredi pararet Aruernenſem ciuitatem: tunc Sidonius illius Epiſcopus, humano deſtitutus auxilio, ad precum ſubſidia conuolauit: quibus potens magna virtute Gothis reſtitit, afflictatis licet populis tum hoſtium armis, tum fame qua hoc tempore Gallia vexabatur.

d Sidon. 1. ep. 7. e Id. 7. ep. 6. ad Baſil. Greg. Tur. 2. hiſt. 25.

IV. DE SACRIS ROGATIONIBVS RESTITVTIS.

Namque ROGATIONVM vſum in ſuam eccleſiam introduxit, quas (vt ait in epiſtola ad Sanctum Mamertum [f] Viennenſem Epiſcopum) ipſe *Mamertus* iam antea feliciter ac læto ſucceſſu reſtituerat, cum Viennenſis ciuitas terræmotibus, ignibus, alijſq; prodigiorum terriculamentis vexaretur. Fuiſſe namq; etiam prius eiuſmodi Rogationes, ſed valde earum diſciplinam collapſam, idem alibi Sidonius [g] docet atque ex vagis, tepentibus, infrequentibus, & plerumque oſcitabundis, & abſque ieiunio, maxime aut imbres aut ſerenitatem deprecaturis, à Mamerto ita reſtitutas eſſe, & auctiori excultas obſeruantia, vt in ijs ieiunaretur, oraretur, pſalleretur, fleretur. Cæterum non Aruernos tantum populos, vel Gallos, ſed & Catholicam Vniuerſam Eccleſiam huiuſmodi ſacrarum Rogationum confeſtim vſum recepiſſe, teſtatur Sanctus Auitus Viennenſis eccleſiæ Epiſcopus (qui poſt Eſychium S. Mamerti ſucceſſorem ſedit) in homilia iiſdem Rogationum diebus habita [h]. Licet autem prima inſtitutio, quando periculum illud ingruit, Paſchale tempus fuiſſet: tamen ne iungerētur Reſurrectionis gaudijs luctus orantium, & ieiunātium afflictatio, triduum illud eſt electum, quod ſacrum præcedit Feſtum Aſcenſionis, vt idem Auitus eadem explicat homilia: quæ etiam citatur à Gregorio [i] Turonenſi, inde petente earundem Rogationū narrandæ hiſtoricæ veritatis auctoritatem. Extatq; de iiſdem, Aurelianenſis [k] Concilij, hoc eodem tempore celebrati, decretum: quo iubetur, per illud triduum ſeruos & ancillas ab opere relaxari, quo magis plebs vniuerſa conueniat ad eiuſmodi Rogationes, ſiue Litanias, eoq; triduo omnes abſtinere & cibis vti quadrageſimalibus. At de his alibi [l] dictum locupletius.

f Sidon. 7. ep. 1. g Id. 5. ep. 4. ad Apr. h Extat to. 7. Bib. Sanct. i Greg. Tur. 2. hiſt. 34. k Conc. Aurel. c. 29. l Baro. Not. in Mart. Ro. 25. Apr.

V. DE CIVITATE ARVERNENSI.

Quod autem ad Sidonium ſpectat, de gregis ſui cura ſolicitum: ipſum ſupplicantem à Deo exauditum fuiſſe, exitus declarauit, cum nunquam valuerit ciuitas Aruernenſis ab hoſtibus capi: licet tandem inter iniquas conditiones initas cum Euarico pro redemptione pacis reliquorum Galliæ proxime degētium populorum, eiuſdem quoq; poſita fuerit ciuitatis deditio: de quibus extat ingens Sidonij querela in epiſtola ſcripta [m] ad Græcum, ſiue Græcium, vel Agricium Maſſilienſis vrbis Epiſcopum, vnum ex eiuſmodi pacis compoſitoribus: qua etiam videas nobilitatem Aruernenſium, & præclaras olim res geſtas. De quibus etiam illud minime tacendum videtur, fuiſſe eos adeo caſtitatis cultores, vt Victorius eiuſdem ciuitatis Præfectus ab Euarico conſtitutus, dum nimium eſſet amore mulierum luxurioſus (vt Gregorius [n] Turonenſis loquitur) & ab Aruernis vereretur interfici, Romam aufugerit. Narratque alibi idem auctor [o] de viro & puella, qui coniuncti coniugio, in vno ſtratu quieſcētes, perpetuam conſeruauere virginitatem: ac tandem ex conſenſu pari, vir tonſuratus eſt ad clericatum, puella religioſum induit veſtimentum: vnde & miraculis poſt mortem meruerunt glorificari.

m Sidon. 7. ep. 7. n Gre. Tur. 2. hiſt. 20. o Id. de glo. Confeſſ. c. 32.

VI. S. PATIENS EPIS. LVGDVNENSIS.

Inter tot vero tantaſq; Eccleſiæ Gallicanæ ærumnas, magna plane Dei prouidentia factum eſt, vt eodem tempore ibidem claruerint multi mirificæ ſanctitatis Antiſtites: atque inter alios S. Patiens Lugdunenſis Epiſcopus, exemplar perfectiſſimi Sacerdotis, cui dedit Deus vt apud Burgundionum Regem qui tunc Lugdunenſibus dominabatur, ſummam gratiam inueniret: qua bene vſus multum profuit afflictatis Catholicis, atque deuaſtatis Gothico furore Galliarum vbique Eccleſijs: ſicut ea pluribus deſcripſit Sidonius [p] epiſtola ad eum ſcripta, quam etiam citat Gregorius Turonenſis, agens de cladibus eccleſiarum Gallicanarum ſub prædicto Euarico Rege: commendatque inſuper liberalitatem Ecdicij Patricij, cognati Sidonij, in ſubueniendo pauperibus fame oppreſſis, vnde & meruit voce de cœlo lapſa laudari.

p Sidon. 6. ep. 12. q Gre. Tur. 2. hiſt. 24.

VII. TVRBÆ ALEXANDR. DENVO PER TIMOTH. ÆLVR. EXCITATÆ.

Sed quod ad Orientalis eccleſiæ ſtatum pertinet: hoc eodem anno nefarius & ſacrilegus parricida, inuaſor ſedis Alexandrinæ Timotheus Ælurus, cum per ſuos Eutychianos exilij liberationem (vt vidimus) obtinuiſſet: vehementiori furore accenſus, reuerſus eſt Alexandriam, atq; Timotheum item nomine, ſed cognomento Solofaciolum, Orthodoxum Antiſtitem è ſede remouens, multa nefanda in Catholicos debacchatus eſt. Idemque Conſtantinopolim profectus, fauſtis acclamationibus à ſuis Eutychianis receptus eſt: ſed tumultuante populo Catholico, & reſiſtentibus clericis atq; monachis Orthodoxis, haud valuit cuncta quæ mente conceperat adimplere. Ideoq; vafro conſilio Zenonem Imperatorem aggrediens, vt videretur bonam cauſam fouere, inſtantibus precibus agere cœpit vt iuberet cogi Oecumenicā Synodum. Quo tempore enituit præſertim eorundem clericorum atq; monachorum ſumma animi in reſiſtendo ei conſtantia; dum quærente ipſo cum ſuis aliquam occupare baſilicam, omnes eodem ferme momento fuere ab eis occluſæ atq; defenſæ. Cum vero ad Synaxes priuatim agendas ſeſe conuertiſſet, iidem ad vnicum & ſolitum remedium confugientes, legationem miſere ad Romanum Pontificem cum literis per Epiphanium virum frugi ad id munus delectum: tacente in his omnibus in gratiam Imperatoris, Acacio epiſcopo Conſtantinopolitano, cuius muneris erat inuadentem gregem lupum ſaltem clamoribus propellere. Quid autem ijs acceptis Simplicius Papa præſtiterit, literæ [r] ab eo anno ſequenti redditæ declarant: ex quibus interim cuncta hæc de Timotheo deſumpta ſunt.

CATHOLICI ALEX. LEGATIONEM MITTVNT AD RO. PONT.

r Simpl. ep. 1 To. 1. ep. Rom. Pont.

VIII.

Cæterum Zeno Imperator, qui impie ſiuit libere agere hæreticum proditorem, cuius erroribus ſecreto fauebat: illud ex altera parte laudabiliter publica edita hoc anno cōſtitutione [s] ſanxit, vt quiq; Præfecti atque Iudices poſt functionem muneris abſolutam, quadraginta dierum ſpatio ibidem vbi magiſtratum geſſiſſent commorari deberent, reddituri de ſe omnibus exigentibus rationem.

s L. 1. C. vt omnes Iud.

IX.

Et quod rurſum ad Simplicium Papam pertinet: hoc ipſo, nempe poſt Conſulatum Leonis anno, Gaudentio

Epiſcopo Auſinienſis Eccleſiæ, ob illicitas ordinationes ab eo habitas, ius ordinandi penitus abrogauit[t], proximo illud Epiſcopo delegans: & male diuidentem redditus Eccleſiaſticos, adminiſtratione prorſus interdixit: cum & more Eccleſiæ conſueto, oblationes quadripartito diuidendas eſſe præcepit, vt ei vna portio deberetur, vna itidem clero, duæ vero in Eccleſiæ fabricam, & in peregrinos ac pauperes erogarentur. Plane autem accidit, vt nulla ferme alia Eccleſiaſtica ſanctio adeo frequens vt iſta, edita, iterata, & inculcata reperiatur à Summis Pontificibus atque Synodis, & quæ minus, auaritia hominum varios in contrarium prætextus excogitante, ſeruata eſſe noſcatur. Vnde mihi facile perſuadeo accidere, vt Dei Eccleſia aſſiduis malis atteratur. *Cognoui enim* (dicam cum Propheta[u]) *quia faciet Dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum.*

t Simpl. ep. 2.

OBLATIONES ECCL. IN QVATVOR PARTES DIVIDENDÆ.

u Pſal. 139.

ZENON. IMP. 3. BASILISCI 1. ODOAC. REG. 1.

IESV CHRISTI AN. 476.

SIMPLICII AN. 10.

I.

ANNO Chriſti quadringenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Baſiliſcus frater Verinæ Imperatricis & Armatus creati ſunt Coſſ. amboque in Oriente, quod Occidentale Imperium crebris concuſſionibus agitatum, iam ad proximum caſum vacillans, nullum dederit. Quo tempore ſub Odoacre Erulorum Rege (inquit Caſſiodorus[a]) Oreſtes & frater eius Paulus extincti ſunt: qui à Nepote Auguſto rebellantes, Auguſtulo Imperium crediderant: ipſe vero Auguſtulus (vt teſtatur Marcellinus[b]) in Lucullanum Campaniæ prope Neapolim ſitum caſtellum, ab eodem Odoacre relegatus eſt: ſicque Imperium Occidentale collapſum eſt penitus, atque deuolutum ad barbaros. Summam vero rerum conſecutus ODOACER, modeſte tanta vſus felicitate (vt ait Caſſiodorus) à purpura, regalibus indumentis, & nomine Imperatoris abſtinuit. Illudq; plane de eo memoria eſt dignum, quod nullum fecerit negotium rebus ſacris, quantumlibet Arianus eſſet. Sed & multa petentibus Epiſcopis Orthodoxis indulſiſſe teſtatur Ennodius in Vita S. Epiphanij Epiſcopi Ticinenſis: necnon Eugipius in rebus geſtis S. Seuerini Noricorum Apoſtoli, quem inter alios valde coluit Odoacer, quod ei longe antea viliſſimo tunc habitu iuueni regnum Italiæ prænunciaſſet.

a Caſſiod. in Chron.

b Marcell. in Chron.

ODOACER REGNAT IN ITALIA.

II.

Porro funeſtiſſima iſta, quæ politicum ſtatum peſſum dederunt, maiori intelliges eſſe digna luctu, ſi Chriſtianæ religionis huius temporis damna perpendas: cum vniuerſus Chriſtianus Orbis ſub hæreticorum Principum dominio conſtitutus, nullum penitus Catholicum Regem alicui ſaltem exiguæ prouinciæ dominantem habuit. Etenim Italiam (vt dictum eſt) Rex Arianus dominio occupauit: Gallias itidem Principes Burgundiones & Gothi, ijdemque Ariani, & Franci adhuc Gentiles partiti ſunt: Hiſpaniæ pariter Gothos Arianos dominos patiebantur: Africa Wandalos æque Arianos: & vniuerſum Orientale imperium Zenonem Eutychianum hæreticum. Sed manet terra cœloque firmior diuina promiſſio, qua portas inferi, vim omnem ſatanicam, aduerſus Eccleſiam minime præualituram Dominus[c] pollicitus eſt.

VNIVERSVS ORBIS SVB PRINCIPIB. HÆRET. AVT INFIDEL.

c Matt. 16.

III.

Sed & qui conſtitutus erat à Domino eiuſdem Rector Simplicius Romanus Pontifex, quo magis pauendum conſpexit rerum ſtatum, eo ſolicitius ad anteuertenda imminentia vndique pericula adiecit animum. Etenim cum anno ſuperiore certior factus eſſet de Timothei Æluri pſeudoepiſcopi Alexandrini geſtis nefandis, fauente clanculum ei Zenone Imperatore: ad eundem Auguſtum huius anni exordio, nimirum quarto Idus Ianuarij, egregiam epiſtolam[d] ſcribens (& quidem tamquam ad Catholicum Principem: prudenter diſſimulans adſcribere ei culpam, quam pœnitentem vellet perpetrati ſceleris fieri deſtructorem) multis adhibitis rationibus hortatus eſt, vt pulſo iterum Timotheo, Eccleſiam Alexandriam in priſtinum ſtatum reſtitueret. Acacio vero Conſtantinopolitano Epiſcopo ſcripſit[e], vt omni conatu eidem obſiſteret Timotheo; agenti apud Imperatorem pro nouo rurſus Oecumenico cogendo Concilio: quippe quod ea (vt ait) non debeant indici, niſi cum noua aliqua hæreſis oritur, aut in aſſertione dogmatum emergit aliquid ambiguum. Ac denique alijs literis[f] clericos & monachos Conſtantinopoli exiſtentes à quibus legationem acceperat, laudauit de ſuſceptis aduerſus Timotheum laboribus.

SIMPLIC. PP. SCRIBIT ADVERS. TIMOTH. ÆLVR.

d Simp. ep. 3

e Id. ep. 5.

f ep. 4.

IV.

Verum inter hæc immiſit Deus Conſtantinopolim *Baſiliſcum* tyrannum (fratrem ſcilicet Verinæ Auguſtæ, ipſius Zenonis Imperatoris ſocrus, huius anni Conſulem) aduerſus eundem Zenonem, qui contra ipſum Chriſtum in eam ciuitatem Timotheum carnificem introduxiſſet. A quo Zeno expulſus, abſceſſit cum Ariadna vxore in Iſauriam patrium ſolum: atque cum maxime à Baſiliſco ad necem quæreretur, in deſertis locis vitam duxit incognitus accolis, ob idque coactus interdum, pane deficiente, herbam tamquam alter Nabuchodonoſor ad cibum quærere: ſicut ei antea Daniel Stylita prædixerat. BASILISCVS autem Imperator declaratus, MARCVM filium ſuum Cæſarem, & *Zenonidem* coniugem Auguſtam conſtituit. Hæc antiqui Scriptores[g]: ſed male Marcellinus ſub anni ſuperioris Coſſ. collocat, quæ hoc anno poſt literas à Simplicio Papa ſcriptas contigiſſe ex ijſdem redditur manifeſtum.

BASILISCVS INSVRGIT TYRANNVS.

ZENO IMP. AD QVÆ EXTREMA REDACTVS.

g Marcel. in Chro. Euag. lib. 3. cap. 3. Theo. Lect. Collect. lib. 1. Act. S. Dan. Styl. ap. Sur. 11. Dec.

V.

Porro qui veluti Dei flagellum ad Zenonem puniendum prodijt Baſiliſcus: nihil tamen ipſe melior Zenone fuit, immo longe deterior, vt exitus demõſtrauit. Etenim etſi antehac ob res perperã geſtas, impietatis notas haud leues contraxerat: mox vt euectus eſt in Imperium, palam perſecutor erupit Eccleſiæ: Zenonide coniuge (inquit Theodorus[h]) ipſum maxime culpabilem contra fidem Catholicam impellente. Quare & peſſimo illi Timotheo Æluro hæretico Eutychiano, Conſtantinopoli conceſſit vt Catholicorum ei pateret Eccleſia. Verum cum is maxima ad eam duceretur pompa, factum eſt magna Dei prouidentia, vt cadens ex iumẽto quo vehebatur, fracto crure domum relatus fuerit, vt ſcribit idem Theodorus. Sæuit autem interea Baſiliſcus aduerſus eos, qui eidem Timotheo reſtitiſſent: & inter alios, Platonem cubicularium cremari iuſſit, cuius meminit Suidas. Sed & per eundem reuocatos fuiſſe hęreticos omnes antea ſede pulſos, eoſdemque eiectis Orthodoxis in ipſorum Eccleſias intruſos: tradit Liberatus[i] diaconus: additque per Timotheum reſtitutum eſſe Eccleſiæ Antiochenæ Petrum illũ Fullonem ſiue Cnepheum, nequiſſimum hæreticorum. Ac deniq; Euagrius[k] ſcribit, eiuſdem Timothei perſuaſione Baſiliſcum ſanctionem Encyclicam edidiſſe (quam & recitat) contra Chalcedonenſe Concilium, quaſi illud diſcordiarum ſeminarium eſſet, multaq; definiſſet contra fidem præcedentium Synodorum. Cui & ait eoſdem Ælurum atq; Cnepheum, necnon Anaſtaſium Hieroſolymitanum, alioſque circiter quingentos Epiſcopos ſubſcripſiſſe, ac Leonis Papæ epiſtolam vna cum Synodo Chalcedonenſi abrogaſſe. Hæc tamen cum ex Zachariæ Rhetoris ſcriptis accepiſſe dicat, haud dubium calumnia conflata fuit ab eodem Zacharia (qui & ipſe Eutychianus exiſtens multa pro ſuæ hæreſis validatione commentus eſt) cum aduerſus alios quamplurimos Epiſcopos tum maxime contra Anaſtaſium: quem teſtificatione ſinceriſſimi ſcriptoris Cyrilli monachi in Euthymio[l], conſtat defenſorem Concilij Chalcedonenſis extitiſſe in omnibus laudatiſſimum: in tantum vt aduerſus ipſum Hieroſolymis ſub eodem Baſiliſco Eutychiani ſibi præpoſuerint Gerontium monachum ſigniferum eorundem hæreticorum. Poſt hæc vero idem Euagrius[m] narrat, Timotheum perrexiſſe Epheſum, Paulumque in ſede Epiſcopali collocaſſe, atque item reddidiſſe eccleſiæ Epheſinæ in Patriarchatus, quod Concilium Chalcedonenſe ei ademerat: ac tandem inde ſoluentem redijſſe Alexandriam.

BASILISC. IMPIOR ZENONE.

h Theod. Collect. lib. 1

i Lib. Breu. cap. 18.

k Euag. lib. 3. c. 4. & 5.

CONSTITVTIO BASILISCI ADVERS. CONCIL. CHALCED.

l ap. Sur. 20. Ianuar.

m Euag. lib. 3. c. 5.

VI.

At inter tot turbines Acacius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, dudum excitatus literis Simplicij Romani Pontificis, Baſiliſco tyranno reſiſtere parans conſiliũ inijt

ACACIVS VIRILITER AGIT IN BASILISCVM.

Conſtantinopolim euocandi ſanctiſſimos quoſque Epiſcopos, necnon monachos in eremo latitantes, quos ob ingentia miracula aduerſarij etiã reuererentur. Sed præcipue magnum Danielem Stylitam, omni adhibita arte, varijſque miſſis Epiſcoporum legationibus, cœleſti denique voce iuſſum è columna deſcendere, in vrbem tandem perduci ſategit. Vbi poſtquam ille ſæpius Baſiliſci impietatem arguiſſet, multiſque editis prodigijs populum in fide Catholica confirmaſſet, & proximum prædixiſſet tyranni interitum, ad columnam ſuam remeauit: ſicut ea fuſius in ipſius [n] Rebus geſtis enarrantur: memineruntque eorundem Theodorus [o] Lector, atque Nicephorus [p]. Iniectum præterea in vrbem conſtat fuiſſe ignem à plebe cõcitata in inuidiam ipſius Baſiliſci: quo florentiſſimam vrbis partem abſumptam eſſe Cedrenus tradit, interque alia Bibliothecam librorum millia centena vicena continentem, in quibus fuit etiam draconis inteſtinum pedes centum viginti longum, cui Homeri Ilias & Odyſſea aureis literis fuerant inſcriptæ cum hiſtoria rerum ab heroibus geſtarum.

n ap. Sur. 11. Dec.
o Theo. Lec. Collect. lib. 1.
p Niceph. li. 16. c. 6.
BIBLIOT. CONST. CCMBVSTA.

VII.

Cum igitur ita aduerſari ſibi expertus eſt Baſiliſcus Senatum populumque, Clerum item, ſanctiſſimoſque monachos, ac ſuper omnes ipſum Acacium Epiſcopum: ſed & Zenonem audiuit è latebris emerſum, conflaſſe exercitum in Iſauria: idem vti imminentem ſibi ruinam vitare poſſet, apparens ex improuiſo Catholicus, vt Saul inter Prophetas, vna cum Zenonide coniuge Acacio ſe & Clero in eccleſia purgauit: & quas antea ſanciuerat aduerſus Catholicam fidem Conciliumque Chalcedonenſe leges, contrario promulgato edicto antiquauit, ac penitus deleuit: quorum quidem meminit Theodorus [q]: ſed ea pluribus deſcripſit Euagrius [r]: ex quo etiam apparet, eadem geſta ſollicita Acacij, ſtrenuiſſime aduerſus tyrannum agentis, cura: ipſum vero ad ea impulſum fuiſſe vigore literarum Simplicij Papæ, tum quæ iam dicta ſunt demonſtrant, tum Gelaſius [s] confirmat, dum ait Baſiliſcum ſcriptis Apoſtolicæ Sedis infractum eſſe, & à plurimis reuocatum exceſſibus. Quæ autem poſt hæc ſecuta ſunt, dicentur annis ſequentibus.

EDICTVM BASILISCI PRO FIDE CATHOL.
q Theod. d. lib. 1.
r Euag. lib. 3. cap. 7.
s Gelaſ. ep. 11. ad Dard.

VIII. THALMVD BABYLONICI COLLECTIO.

Interea dum his flagraret incendijs Oriens, Iudæorum præcipue, Rabbi Aſſe & Rabbi Hammai conferſerunt THALMVD Babylonicum blaſphemijs ſcatens. Quæ quidem tertia fuit collectio: nam prima habita eſt à Iuda Simeonis filio anno centeſimo quinquageſimo ab vltima clade Hieroſolymorum: ſecunda vero à Rabbi Ioannam, anno trecenſimo ab eadem clade. Sed de his pluribus Sixtus [t] Senenſis.

t Sixt. Sen. Bib. lib. 2.

IX. GENSERICI REG. OBITVS.

Hoc eodem anno Genſericus Rex Wandalorum in Africa, vita functus eſt cum regnaſſet (ſecundum ſententiam Victoris [u]) annos triginta ſeptem à tempore captæ Carthaginis: etſi Procopius [x] triginta nouem tribuit. Prædicatur hic Regum omnium feliciſſimus, qui (quod nulli plane vnquam datum fuit) duarum totius Orbis potentiſſimarum Vrbium expugnator fuerit, Carthaginis atq; Romæ, potituſque manubijs de eis erexerit trophæa. Ei vero ſucceſſit *Hunericus* maior filius: qui primordio regni mitiorem ſe Catholicis exhibens, Manichæos hæreticos dire vexauit, ex quibus multos incendit, plurimos diſtraxit nauibus tranſmarinis: vt idem Victor ſcribit.

u Vict. de perſ. Wand. lib. 1.
x Procop. de bel. Wand. lib. 1.

BASILISCI 2. ZENONIS 4. ODOAC. REG. 2.

IESV CHRISTI ANN. 477.

SIMPLICII AN. II.

I.

ANNO Chriſti quadringenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo (quem nullius illuſtrauit Conſulatus: nam nonniſi Poſt Conſulatum inſcribi conſueuit Baſiliſci atque Armati) idem Baſiliſcus tyrannus, Deo hominibuſque, ob ſummam ipſius impietatem atque auaritiam inuiſus, poſtquam imperium occupaſſet annum vnum & menſes ſex, vel octo, vt Cyrillus [a] & Procopius [b] habent: à Zenone tandem Imperatore, quem ipſe expulerat, exercitu petitus eſt. Aduerſus quem cum ipſe Armatum miſiſſet: vbi amborum copiæ in conſpectu fuere, idem Armatus Zenonis Ducibus ſe cum toto tradidit exercitu. Quod audiens Conſtantinopoli Baſiliſcus, protinus in Eccleſiam confugit: ſed inde extractus ab Acacio eiuſdem vrbis Epiſcopo Zenoni traditus eſt. Quem cum vxore ac filijs Zeno in Cappadociam relegans hiemis tempore, iuſſit neque veſte neque cibarijs iuuari: ſicque breui ijſdem fame ac frigore vna ſe complexi corporibus collacrymantes miſere periere. Hæc Procopius, Marcellinus, & alij. Sed Euagrius [c] ait Baſiliſcum in Cappadociam deductum, vna cum vxore & liberis trucidatum eſſe in diuerſorio. Addit Suidas, ipſum quoque Armatum (quem cognatum Baſiliſci, Zenonidis vero ipſius coniugis adulterum fuiſſe ait) poſtea occidi quoque iuſſum, ac cæde eius ciues admodum gauiſos, quod ſub Leone Imperatore Thraces quoſdam ſeditioſos manibus amputatis dimiſiſſet. Porro eum occiſum eſſe quod in ſuſpicionem veniſſet Procopius tradit. Hæc autem omnia ſuperum nutu facta eſſe, intercedente apud Deum pro Zenone ſancta protomartyre Thecla, quæ ei per viſionem apparuit: ideoque ipſi poſtea eundem Zenonem ampliſſimum templum apud Seleuciam Iſauriæ conſtruxiſſe: Euagrius narrat.

a Cyril. monach. in Vit. S. Saba ap. Sur. 5. Dec.
b Procop. de bel. Wand. lib. 1.
BASILISCVS CAPITVR A ZENONE, AC MISERE PERIT.
c Euag. lib. 3. cap. 8.
S. THECLÆ BENEFICIO ZENO RECEPIT IMPERIVM.

II. ZENO POST REDITVM MVLTA PIE AC CATHOLICE AGIT.

Per huiuſmodi autem vexationem nonnihil ad meliorem frugem redditus Zeno, ſimulac peruenit Conſtantinopolim, memor prædictionis ſanctiſſimi Danielis Stylitæ, qua pronunciarat fore, vt ſicut pellendus ita & eſſet paulo poſt reſtituendus, vna cum coniuge ad ipſum in columna agentem perrexit, & de accepto eius precibus tam inſigni à Deo beneficio gratias egit: prout habent ipſius Danielis Acta [d]. Sed & confeſtim epiſtolam ſcripſit ad Simplicium Romanum Pontificem, qua fidei ſuæ in omnibus teſtatam redderet integritatem. Non extat ipſa quidem: ſed de ea mentionem habet idem Pontifex in literis [e] ad illum redditis hoc ipſo anno menſe Octobris: quibus cum ei de recuperato Imperio congratulatur, tum Synodi Chalcedonenſis defenſionem & Eccleſiarum Orientis redintegrationem commendat. Porro ex ſententia Simplicij à Zenone cuncta eſſe impleta conſtat. Atque in primis edictum promulgaſſe, quo literas Encyclicas Baſiliſci abrogauit: ac deinde intruſos ab eodem Baſiliſco hæreticos Epiſcopos expuliſſe, interque alios Petrum Gnapheum Antiochia, & Paulum Epheſo: auctor eſt Euagrius [f]: qui & addit Aſianos Epiſcopos qui Baſiliſci literis ſubſcripſerant, oblatis pœnitentiæ libellis Acacio Conſtantinopolitano Epiſcopo (cui ob rem bene geſtam aduerſus Baſiliſcum, Simplicius [g] legauerat vices ſuas in cura illarum regionum) veniam deprecatos eſſe, quod ad ſubſcribendum coacti fuiſſent.

d ap. Sur. 11. Dec.
e Simpl. ep. 7.
f Euag. lib. 3. cap. 8. & 9.
g Simpl. ep. 17. ad Aca. Gelaſ. ep. 11. ad Dard.

III. TIMOTH. ÆLVRI MORS.

Execrandus vero ille omnium malorum auctor, Timotheus Ælurus pſeudoepiſcopus Alexandrinus, exiſtimans Zenonem in Catholicum vere eſſe mutatum ſpe omni deſtitutus, Iudæ proditoris inſtar, ſibiipſi veneno mortem conſciuit: vt tradit Liberatus [h] ſuorum temporum teſtis. Ex quo redarguas Euagrium [i], qui Zachariæ Eutychiani hiſtorici aſſectatus veſtigia, ait eundem Timotheum ob ingraueſcentem ætatem permiſſum fuiſſe à Zenone pacifice ſedere vſque ad obitum, qui paulo poſt contigit. Cæterum ab illo dicti ſunt *Timotheani* hæretici: qui aduerſabantur [k] Eccleſiæ, docenti Verbum ita carnem factum, vt manente Verbo in ſua ſubſtantia, & homine in ſua natura, ſocietate, non commixtione vnam filij Dei reddiderit perſonã aduerſus quos ait erudite ſcripſiſſe Samuelem Syrum: pro ipſis autem [l], Syrum natione Alexandrinum: meminitque [m] item libelli ab ipſo Timotheo ad Leonem Imperatorem aduerſus Leonem Papam & Chalcedonenſe Concilium valde ſuaſorie ſcripti. Etſi vero hunc TIMOTHEVM dictæ hæreſis conſtet fuiſſe auctorem: ex his tamen quæ ſuperius ſæpe dicta ſunt, ſatis apparet, ipſum præterea eandem quam Dioſcorus & Eutyches, hæreſim ſectatum eſſe.

h Lib. c. 16.
i Euag. lib. 3. cap. 11.
TIMOTHEANI HÆRETICI.
k Genna. de Script. Eccl. c. 82.
l Id. c. 81.
m c. 72.

IV. PETRVS MOGVS EPISC. ALEX. INTRVDITVR.

Quinam autem in locum eiectorum Epiſcoporum fuerint ſubſtituti, Euagrius narrat: nempe Antiochiæ *Stephanum*, de quo plura inferius: Alexandrinos autem propria auctoritate ſubrogaſſe *Petrum* cognomento *Mogum*:

ſed

ſed cum hoc ad aures Zenonis perueniſſet, ipſum morte mulctaſſe Petrum, ac ſedi Alexandrinæ reſtituiſſe *Timotheum* illum alterum cognomento *Solofaciolum*, legitimum S. Proterij ſucceſſorem, quem factione Æluri eiectum vidimus. Verum quod Petrus Mogus morte mulctatus ſit, redarguitur Euagrius à Liberato diacono & alijs hiſtoricis: cumque diu ſuperuixiſſe, quæ inferius dicentur, demonſtrabunt.

V. Hoc eodem anno menſe Ianuario Anaſtaſium Epiſcopum Hieroſolymitanum diem obijſſe (cum ſediſſet, vt ex tempore ingreſſus eius colligitur, annos vndeuiginti) notum fit ex Cyrillo [n], dum ait eum defunctum eſſe anno quinto ab obitu S. Euthymij anachoretæ, quem contigiſſe tradit anno decimoſexto Leonis Imperatoris, nempe Christi quadringenteſimo ſeptuageſimoſecundo: additque in locum Anaſtaſij ordinatum eſſe *Martyrium* monachum genere Cappadocem, vitæ ſanctitate præſtantem, eiuſdemq; magni Euthymij olim in vita monaſtica commilitonem: ſub quo factam, præcedentibus ſignis & prodigijs, & ſorte mirabiliter confirmatam, vnionem ſchiſmaticorum Palæſtinæ monachorum cum Eccleſia Catholica, idem auctor fuſius deſcribit.

MARTYRIVS EPISCOP. HIEROS.

VI. AMBROSIVS BRITANNIÆ VINDEX. Quod autem ad res Occidentales ſpectat: hoc eodem Zenonis Imperatoris tempore *Ambroſius Aurelianus* nobiliſſimus ciuis Romanus in Britannia purpuram ſumpſit, abſque tamen nomine Imperatoris: conatus liberare Britannos ab Anglo ſaxonibus eos aſſidue infeſtantibus: qui quidem vocati olim à Britannis ſub Marciano Imperatore aduerſus Scotos & Pictos, ex auxiliarijs in hoſtes conuerſi, eoſdem Britannos diriſſime affligebant. Quomodo vero Ambroſius eoſdem hoſtes pluribus fatigatos prælijs, tandem penitus vicerit, *Gilda* [o] Britannus cognomento *Sapiens*, qui paulo poſt hæc tempora floruit, enarrat eidem Ambroſio acceptam ferens, cum libertate Britanniæ ab ingruentibus barbaris, reſtitutam Eccleſiaſticam diſciplinam.

IESV CHRISTI AN. 478.

ZENONIS IMP. 5. ODOAC. REG. 3.

SIMPLICII AN. 12.

I. Anno Christi quadringenteſimo ſeptuageſimo octauo, Illus ſine collega Conſtantinopoli creatus eſt Conſul. Caruit enim pluribus annis ſuo Conſule Occidens, quod dum legationes ineundæ pacis cauſa vltro citroque à Zenone atque Odoacre mitterentur, nihil inter hæc Odoacer præſumere, nec Zeno de iuribus Occidentis Imperij ſibi voluit arrogare. Huius ergo anni principio, redditæ ſunt Simplicio Romano Pontifici literæ [a] Acacij Conſtantinopolitani Epiſcopi, de rebus Alexandrinæ Eccleſiæ anno ſuperiore tranſactis, nimirum de morte Timothei Æluri, expulſione Petri Mogi, & reſtitutione alterius Timothei cognomento Solofacioli: quas Simplicius ſcire expetierat.

II. LEGATIO TIMOTHEI SOLOFAC. AD ROM. PONT. Sed & ipſe Timotheus Solofaciolus, eodem tempore honorificam legationem miſit ad eundem Pontificem: qua imprimis rogauit veniam pro antea admiſſo delicto, quod compreſſus gladijs Eutychianorum coactus fuiſſet recitare nomen impijſſimi Dioſcori ad altare: ac præterea notum fecit Petrum Mogum qui fugam captaſſe videbatur, latitare in ciuitate, & ſecreto multos ſeducere: rogans vt apud Imperatorem ageret, quo longius in exilium pelleretur. Præſtitit illud Simplicius, binis hoc ipſo anno ea de re ad Zenonem Auguſtum literis ſcriptis [b], totidemque ad Acacium Epiſcopum Conſtantinopolitanum. Quem inſuper dum certiorem facit de miſſo ad ſe per eumdem Timotheum libello pœnitentiæ eorum quos Ælurus & Mogus ſeduxiſſent, quo peterent à Romano Pontifice veniam admiſſorum delictorum: his fatis confirmat quod alias ſæpe factum vidimus, nimirum abſolutionem à crimine hæreſis reſeruari ſolitam Romano Pontifici, vel iis quibus ipſe eam facultatem delegaſſet. Quod ſi inconceſſum id fuit (vt iam cernimus) primæ poſt Romanam ſedis Antiſtiti, quinam inferiorum ſedium Sacerdotes ſibi id arrogare præſumpſiſſent?

ABSOLVTIO AB HÆRESI PROPRIA ROM. PON.

IESV CHRISTI ANN. 479.

ZENON. IMP. 6. ODOAC. REG. 4.

SIMPLIC. AN. 13.

I. Anno Christi quadringenteſimo ſeptuageſimonono, Zenone Aug. tertium Coſſ. Orientalis Eccleſia, quæ paululum nacta eſſe quietis poſt reditum eiuſdem Imperatoris viſa eſt, rurſum opera Eutychianorum hæreticorum nouis cœpta eſt turbinibus exagitari. Etenim cum Antiochiæ Stephanus Orthodoxus Epiſcopus in magna eccleſia ſacram Synaxim ſolemniter celebraret, Eutychiani conſerto agmine exertis gladijs ingreſſi, ſacerdotes ſæuiſſime trucidarunt, ſanctiſſimumque ipſum Antiſtitem Stephanum calamis ad ſimilitudinem haſtarum præacutis confecerunt, & corpus eius in Orontem amnem proiecerunt; vt ex Ioanne Rhetore (quem ſui temporis hiſtoriam Eccleſiaſticam, nempe à Theodoſio Iuniore vſq; ad finem Zenonis, proſecutum eſſe Photius ait) breuiter narrant Euagrius [a] atque Nicephorus [b]: teſtanturque id ipſum Eccleſiaſticæ tabulæ [c], quæ nomen eiuſdem Stephani martyris adſcriptum habent.

ANTIOC. HÆRETIC. SACRILEGIA

II. Porro iſta immania impulſore geſta ſunt ſceleſtiſſimo illo Petro Fullone, itidem Cnapheo dicto, qui ab eius eccleſiæ throno quem inuaſerat deiectus, inconſulte nimis in ciuitate degere permiſſus fuerat: reclamante licet à longe Romano Pontifice, vt peſtilens homo quam longiſſime deportaretur. Ipſe tamen Imperator in ſacrilegos homicidas, miſſis militibus, tam immane facinus vindicare quamprimum non deſtitit. Qui inſuper vt caueret ne in electione ſucceſſoris Antiſtitis iterum turbæ naſcerentur, eo neceſſitatis adactus eſt, vt quod hactenus fuerat à maioribus intentatum, ipſe primus iuſſerit Antiochenum futurum Epiſcopum eligi Conſtantinopoli. Itaque electo Stephano Iuniore, Stephani martyris ſucceſſore: vt ea cuncta præter regulas Eccleſiaſticas Nicæni Concilij (quibus ſcilicet Epiſcopus Antiochenus à Syriæ Epiſcopis ordinari ſoleret) præſumpta illa vrgente occaſione, rata haberentur à Romano Pontifice: ſcripſit de ijs Zeno ad Simplicium Papam: qui redditis ad eundem Imperatorem literis [d] hoc ipſo anno decimo Calendas Iulij (quibus hæc omnia narrantur) eiuſmodi quidem electionem ratam habuit: ſed ea conditione quam iam ipſe Imperator iureiurando promiſiſſet, nimirum haud ſe aliter ita peregiſſe, niſi ad ſedandas præſentes ſeditiones, ac deinceps omnino permiſſurum vt in vrbe Antiochena, veteri more ſeruato, Epiſcopus Antiochenus à comprouincialibus Epiſcopis ordinaretur. Idque vt omnino fieret, nec poſthac tale quid ab Epiſcopo Conſtantinopolitano præſumeretur, grauiter monuit [e] Acacium eiuſdem vrbis Antiſtitem. Sed & illud vehementius ad Imperatorem inculcauit, vt damnati hæretici è finibus Romani propulſarentur Imperij.

ELECTIO EPISCOPI ANTIOCH. FACTA CONSTANTIN. CONTRA VSVM ANTIQVVM.

III. Hoc eodem anno, quarto [f] Calendas Auguſti, magnus ille Sanctus *Lupus*, de quo ſuperius actum eſt, Trecenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Gallicanæ decus, cuius extant immenſa præconia apud Sidonium [g] Apollinarem: ex hoc mundo migrauit in cœlum, cum iam annis quinquaginta duobus ſuam Eccleſiam rexiſſet: feliciſſimus in diſcipulis inſigni miraculorum gloria illuſtribus, Polychronio Virdunenſi, Seuero Treuerenſi, Albino Catalaunenſi, alijſque: necnon in ſucceſſore Cameliano, ipſius morum imitatore vt docet auctor [h] eius temporis, qui fideliſſime res ab eo geſtas poſteris tradidit.

OBITVS S. LVPI.

IESV CHRISTI ANN. 480.

ZENONIS IMP. 7. ODOAC. REG. 5.

SIMPLICII AN. 14.

I. Anno Domini quadringenteſimo octogeſimo Baſilio Iuniore Coſſ. Hunericus Wandalorum & Alanorum in Africa Rex, accepta legatione Zenonis Imperatoris & Placidiæ relictæ Olybrij, permiſit Eccleſiæ Carthaginenſi, poſt longa ſpatia ærumnoſæ viduitatis annorum viginti quatuor ab obitu ſancti Deogratias Epiſcopi, nouum

EPISCOPVS CARTHA. PERMISSVS HABERE ... CONDITIONIB.

[n] Cyrill. in vita S. Euthym.
[o] Gild. Sap. ...
[a] Extat ... Simplic. ep. 2.
[b] Simpl. ep. 10. 11. 12. 13.
[a] Euag. lib. 3. c. 10.
[b] Niceph. l. 15. c. 21.
[c] Martyrol. 25. April.
[d] Simpl. ep. 14.
[e] Idem ep. 15.
[f] Mart. Rom. ea die.
[g] Sidon. 6. ep. 1. & 9. ep. 11.
[h] ap. Sur. 29. Iul.

nouum ſibi deligere ſponſum: ea conditione, vt Ariani Conſtantinopoli & per alias prouincias Orientis, liberam haberent facultatem ritus ſuos in eccleſijs celebrandi: aut ſi hoc ipſis non concederetur, tunc & Epiſcopus qui Carthagine ordinaretur, & vniuerſus eiuſdem ciuitatis clerus, alij epiſcopi omnes Afri cum clericis ſuis relegarentur inter Mauros. Cum vero clerus his conditionibus recuſaret Epiſcopum accipere: tamen adeo habendi deſiderio paſtoris arſit populus, quod multi eſſent qui nunquam Epiſcopum in throno ſedentem vidiſſent: vt ordinandus ei fuerit *Eugenius* vir ſanctiſſimus, cum alijs omnibus virtutibus, tum maxime eleemoſynarum largitate inſignis hæc Victor [a], qui interfuit. Quæ vero ſecuta ſunt, dicentur inferius pro ratione temporis.

a Vict. de perſ. Wand. lib. 2.

IESV CHRISTI ANN. 481.

ZENONIS IMP. 8. ODOAC. REG. 6.

SIMPLIC. AN. 15.

I. THEODORICI TRIARII OBITVS.

ANNO Domini quadringenteſimo octogeſimo primo, Placido Conſ. cum Theodoricus Gothus, Triarij filius, bellum inferre Zenoni Auguſto decreuiſſet, iamque omnia depopulatus ad quartum lapidem Conſtantinopoli diſtantem perueniſſet, ipſa quoque vrbe mox potiturus: coniuratione ſuorũ in ſe detecta, à cœpto deſtitit: indeque in Illyricum parans iter, dum quadam die in caſtris equum indomitum agitaret, haſtæ ſuſpenſæ ab equo decuſſæ vulnere in latere accepto, paucos poſt dies obijt. Hæc Marcellinus [a], & Euagrius [b]: ex quibus Iordanum, alias Iornandem dictum, redarguas, dum non Theodoricum Triarij filium fuiſſe narrat, ſed Valemirum Amalum Gothorum Regem, fratrem Theodomiri patris Theodorici Amali, qui hoc anno in Gothorum regnum ſucceſſit Zenonique Imperatori cariſſimus factus eſt: de quo plura inferius.

a Marcel. in Chron. hoc an.
b Euag. lib. 3. cap. 25.

II. INITIVM PERSEC. WANDA. SVB HVN.

Hoc item anno, quo numeratur Hunerici Wandalorum Regis quinquennium, Deus multis ſignis atque viſionibus futuram Africanæ eccleſiæ perſecutionem prænunciauit, quo ſe cuncti præpararent ad pugnam. Ac licet perſecutionis furor dilatus ſit ad biennium, præceſſerunt tamen hoc tempore quaſi velitationes quædam aduerſus ipſos Wandalos maximeque Regis domeſticos, qui ad Catholicam Eccleſiam tranſiiſſent, quos Hunericus dire cœpit vexare, ac varijs ſupplicijs afficere. Sed vt cœptam intermitteret perſecutionem, fecit conuerſio ipſius ad cædem ſuorum, quos firmandi ſibi cauſa regni crudeliſſima carnificina ſuſtulit: adeo vt non ſolum fratrem ſuum Theodoricum cum vxore ipſius ac liberis, Comiteſque quamplurimos, & nobiles gentis ſuæ, obiectionibus falſis varijs mortis generibus peremerit: ſed & ipſius ſuæ ſectæ Patriarcham nomine Iocundum incendio concremarit, eo quod in domo Theodorici fratris acceptiſſimus habebatur: ac multos pariter presbyteros & diaconos Arianos incenderit, beſtijſque manciparit. Quorum omnium teſtis eſt, qui ea præ oculis habuit Victor [c] Vticenſis.

c Vict. lib. 2. de perſecut. Wandal.

IESV CHRISTI ANN. 482.

ZENON. IMP. 9. ODOAC. REG. 7.

SIMPLICII AN. 16.

I. CALENDIONE EPISC. ANTIOCH.

ANNO Domini quadringenteſimo octogeſimo ſecundo Seuerino Conſule, Stephanus Iunior Antiochenus Epiſcopus ex hac vita migrauit: ſtatimque in eius locum ibidem Antiochiæ electus eſt *Calendion* vir ſanctiſſimus: ac continuo à collecta ibi Synodo directus eſt Anaſtaſius Epiſcopus ad Romanum Pontificem, ex more, vt eius electionem ratam haberet. Eam vero probaſſe Simplicium papam literæ [a] ipſius ad Acacium Epiſcopum Conſtantinopolitanum hoc anno Idibus Iulij datæ ſignificant. Ex quibus etiam corrigas Nicephori Chronicon, cum Stephano vnum tantum ſedis annum tribuit: quam ad triennium propagaſſe conſtat. Mox vero vt Calendion thronum conſcendit, nihil antiquius habuit, quam vt ſacras Reliquias magni illius S. Euſtathij eiuſdem ciuitatis olim Epiſcopi, qui Nicæno Concilio interfuerat, & fidei cauſa in exilio apud Philippos Macedoniæ vitam finierat, inde Antiochiam [b] magna pompa deferret. Sed plane accidit, vt ſicut qui Prophetam [c] recipit in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipit, ita qui recepit Confeſſorem in nomine Confeſſoris, confeſſionis palmam fuerit conſecutus. Siquidem quod Calendion haud ſicut prædeceſſor factus fuiſſet Epiſcopus ab Acacio, ſed contra eius voluntatem: idem paulo poſt opera ipſius Acacij (vt Gelaſius [d] Papa multiplicibus querelis exaggerat) in Oaſim, deterrimum omnium exilium, relegatus eſt: eo prætextu (vt habet Euagrius [e]) quaſi quibuſdam Imperij perduellibus aduerſus Zenonem Imperatorem fauiſſet. Simul enim ac deguſtaſſet Acacius in electione Stephani, ex neceſſitate (vt vidimus) ſibi credita, primatus dulcedinem: eumdem indefeſſo ſtudio, maliſque artibus arripere ad obitum vſque nunquam deſtitit. Porro poſt amotum Calendionem, in locum eius reſtitutum eſſe impium illum *Petrum Cnapheum*, atque in communionem receptum ab Acacio, teſtantur Euagrius, Liberatus atque alij omnes.

a Simpl. ep. 14.
b Theo. Lec. Collect. lib. 2.
c Matth. 10.
CALEND. RELEGATVS IN OASIM.
d Gelaſ. ep. 13. ad Dard.
e Euag. lib. 3. c. 16.
ACACII CONST. AMBITIO.

II. IOAN. EPIST. ALEX.

Ex eiſdem quoque, quarum meminimus Simplicij ad Acacium datis hoc anno literis, certum habetur, eodem anno diem obijſſe Timotheum Catholicum Epiſcopum Alexandrinum, nimirum cum ſediſſet (vt ait Liberatus [f]) interpolatis tamen vicibus, annos viginti tres ac menſes ſex. Tunc autem coeuntes Ægypti Epiſcopi, ex communi conſenſu elegerunt *Ioannem* ex Oeconomo, cognomento *Talaidam*, eiuſdem Eccleſiæ presbyterum, fide Orthodoxa præſtantem: ſed huic Zeno Imperator impulſu Acacij (inuidia ducti, vt ait idem Liberatus [g], quod de ſua ordinatione Ioannes ad ipſum Synodicas dirigere literas neglexiſſet) aduerſatus eſt, eo prætextu quod diceret ipſum ante iuraſſe nunquam paſſurum ſe in Alexandrinum Epiſcopum eligi. Hiſque idem Imperator addidit longe deteriora non erubuit contra eumdem Ioannem in ſedem reſtituere nefandum illum *Petrum Mogum* hæreticum, antea ab eodem ipſo pulſum. Sicque tam diu ſub Catholico nomine latens Zenonis atque Acacij hypocryſis, omni depoſita verecundia procax exilijs. Quæ ſimul ac Simplicius Papa explorata habuit ex legatione miſſa à Synodo Alexandrina, qua Ioannis electionis confirmationem petijt, itemque ex literis ab ipſo Zenone ad eundem Simplicium miſſis: ipſe de ijs ad Acacium ſcribẽs [h], grauiter eum redarguit, quod de rebus adeo magni momenti nihil ad ſe ſcripſiſſet: ſimulque hortatus eſt vt apud Imperatorem ageret, quo Petrus qui ab Eccleſiæ Catholicæ communicatione alienus eſſet, ſede Alexandrina pelleretur. Ac rurſum cum nec his acceptis literis quicquam Acacius reſcriberet (vtpote qui odio atque ambitione ductus, pro ſubrogandis ac promouendis hæreticis ſolicitus apud Imperatorem agebat) eundem alijs hoc ipſo anno octauo Idus Nouembris, datis literis idem Simplicius [i] excitare, licet fruſtra, conatus eſt.

f Liber. c. 16.
g Id. cap. 17.
PETRVS MOGVS RVRSVM INTRVDITVR IN SED. ALEX.
h Simpl. ep. 17.
i Id. ep. 18.

III. ZENONIS IMP. HENOTICON.

Quinimmo inter hæc eiuſdem Petri Mogi ſuggeſtione, & ipſius Acacij impulſu, idem Zeno Imperator, homo laicus auſus eſt de fide ſancire decretum, & quod magis horrendum apparuit, in omnes Epiſcopos alioſque ipſum non recipientes anathema indicere: dum edictum ad Alexandrinos & vniuerſos Ægyptios ſcripſit, quod HENOTICON, ſeu *Vnitiuum* appellari voluit [k]: quod quidem ſimulans ſe vnionem inter eoſdem varijs partibus diſtractos conciliare velle, certam propoſuit Fidei confeſſionem, cui omnes ſubſcribere deberent: ac fingens ſe trium priorum Oecumenicarum Synodorum, Nicænæ, Conſtantinopolitanæ & Epheſinæ, definitiones ſuſcipere atque Neſtorio & Eutycheti anathema dicere, tacitam immiſcuit abrogationem Concilij Chalcedonenſis. Verum cum eius rei cauſa maximus in ipſum ab Orthodoxis tumultus excitaretur: idem rurſum pietatem forinſecus induens, ne ab ijs proclamaretur hæreticus, ſe vindicem demonſtrare conatus eſt eiuſdem Synodi, atque (vt ex Liberato [l] conſtat) ſimulauit ſe Ioanni Talaidæ Epiſcopo

k Extat. Euag. lib. 3. c. 14.
ZENON. FRAVDES.
l Liber. c. 18.

ſcopo Alexandrino infenſum eſſe, quod ille videtur eam non recipere: cum tamen re vera idem Ioannes validiſſimus eſſet eiuſdem Concilij aſſertor, Petrus vero Mogus qui in locum eius intruſus eſt, manifeſte eidem aduerſaretur: licet & ipſe (vt Euagrius [m] docet) fraudulentiſſimus homo, ad alliciendos Catholicos eius nonnunquam approbator videri vellet. Vnde & idem, cum Zenonis Henotico (cui ſtatim ac publicatum eſt ſubſcripſiſſe, & vt publice ab omnibus Alexandriæ reciperetur curaſſe, idem auctor [n] ſcribit) trium tantum profeſſione Conciliorum teneretur adſtrictus: tamen ad præferendam ſpeciem aliquam pietatis, impudenter nimis epiſtola ad Acacium [o] ſcripta, profeſſorem ſe eſſe Chalcedonenſis Concilij iactauit: idque ipſum alijs literis Simplicio Papæ ſignificaſſe, Liberatus [p] eſt auctor.

m Euag. lib. 3. c. 17.
n Id. cap. 13.
o Ead. ibid. c. 17.
p Liber. c. 18.

IV.

Verum dum ea arte vſus eſt ad Catholicos decipiendos, perdidit ipſe ex ſuis quamplurimos: qui nimio aduerſus Concilium Chalcedonenſe odio impulſi, non potuerunt ferre huiuſmodi ipſius artes: adeò vt quamuis ille poſtea idem Concilium palam damnauerit, ipſi tamen remanſerint in ſuo ſchiſmate, quod ab initio Henoticon approbaſſet, non anathematizata manifeſte Synodo, qui quidem quod ſeorſum à ſuo Patriarcha ſine capite conuenirent, inde ACEPHALI ſunt dicti, vt Leontius [q] tradit. Quæ autem poſt fuerint conſecuta, dicentur ordine temporis anno ſequenti.

ACEPHALI HÆRETICI.
q Leont. de Sect. Act. 5.

V.
r Simpli. ep. 16.
SIMPL. PP. ARGVIT EPISC. RAVEN.

Hoc eodem anno Simplicius Papa ſcripta [r] epiſtola ad Ioannem Rauennatem Antiſtitem, acri eum reprehenſione perſtrinxit, de adhibita vi Gregorio cuidam, promouendo eum ad presbyteratum, non vt honoraret, ſed vt inuidia è loco priſtino dimoueret: minatuſque eſt ablaturum ſe priuilegia Eccleſiæ Rauennati ab Apoſtolica Sede conceſſa (nimirum vt præeſſet Epiſcopis prouinciæ Æmiliæ) ſi illis deinceps abuteretur. Gregorio vero gubernandam tradidit Mutinenſem Eccleſiam, nequid ei Ioannes in poſterum negotij faceſſeret: eidemque triginta ſolidorum redditu um poſſeſſionem ad Rauennatem pertinentem Eccleſiam, dum viueret impertiri iuſſit. Extatque alia eiuſdem Pontificis [s] epiſtola ſine die & Conſule ad Zenonem Epiſcopum Hiſpalenſem, quas ſuas ei vices in omnibus Hiſpaniarum Eccleſijs delegauit.

s Id. ep. 7.

VI.
CONCIL. TVRON. IN TRANSLATIONE S. MART.

Hoc item anno ſub Conſulatu Seuerini decimo octauo Calendas Decembris, habita eſt SYNODVS TVRONENSIS cui præfuit *S. Perpetuus*, ex nobiliſſimo atque ditiſſimo Senatore factus eius ſedis tertius Epiſcopus à S. Martino, ſextus vero Turonenſium Epiſcoporum numeratus à Gregorio eiuſdem poſtea vrbis Antiſtite: qui præter alia quæ de ipſius virtutibus & cura paſtorali habet, recenſet etiam Ieiunia plurima. Vigiliaſque ab eo in eadem Eccleſia inſtitutas, quem & conſtat [t] baſilicam S. Martino dicatam, longe ampliorem atque magnificentiorem reddidiſſe. Eoſque Epiſcopos qui cum eo conuenerunt hoc anno Turone, illud acceſſiſſe ad feſtiuitatem Receptionis (hoc eſt tranſlationis è priori loco perangusto in eamdem ampliorem baſilicam) eiuſdem S. Martini, teſtantur Acta Synodi. In qua ab iiſdem ſanciti reperiuntur canones tredecim, ſpectantes ad Eccleſiaſticam diſciplinam, qui peruij ſunt omnibus.

t Sidon. 4. ep. 18 ad Lucont. Greg. Tur. 2. hiſt. 14.

VII.
S. SEVERINI NORICI OBITVS.
u Ext. ap. Sur. 8. Ian.

Hoc inſuper anno ex hac vita migraſſe clariſſimum illum, à Deo miſſum ad Noricos & alias finitimas nationes Apoſtolum S. Seuerinum, de quo plura ſuperius: colligitur ex Eugipio Abbate ipſius diſcipulo, qui eiuſdem Vitam [u] plane admirandam poſteris tradidit. Sunt qui eum Epiſcopum Noricorum appellent: ſed perperam, cum nunquam voluiſſe Epiſcopatu initiari, idem Eugipius diſertis verbis affirmet. Quænam autem ante obitum, quem Domino reuelante præuidit, ſanctiſſima monita Rugorum Regibus, cum quibus ſæpe ipſi de varijs rebus tractandum fuerat, dederit, idem auctor deſcribit: quæ quidem ſi iidem Reges obſeruaſſent, minime fuiſſent poſt aliquot annos victi, vinctique ab Odoacre in Italiam perducti. Sed & quomodo eadem occaſione, ab eiuſdem ſancti diſcipulis contigerit transferri ipſius corpus adhuc integrum repertum, Neapolim Italiæ ciuitatem, atque ingentibus vbique miraculis clareſcere: idem Eugipius pluribus proſequitur.

IESV CHRISTI ANN. 483.

ZENONIS IMP. 10. ODOAC. REG. 8.

FELIC. III. AN. 1.

I.
IOANNES ALEXAN. APPELLAT RO. PONT.

ANNO Domini quadringenteſimo octogeſimo tertio, Anicio Fauſto Coſſ. Ioannes Epiſcopus Alexandrinus Catholicus, expulſus Zenonis iuſſu anno ſuperiori, Antiochiam primum ad Calendionem tunc adhuc ſedentem Epiſcopum ſe contulit: & ſumptis ab eo interceſſionis literis Synodicis, Simplicium Romanum Pontificem, tamquam legitimum Iudicem appellauit. Hæc ex Liberato [a]. Sed cum appellationē proſecuturus Romam aduenisſet, eundem S. Simplicium defunctum inuenit: quem contigit hoc ipſo anno ex hac vita migrare ſexto Nonas Martij (vt habet Anaſtaſius Bibliothecarius in libro de Romanis Pontificibus) cum ſediſſet annos quindecim, menſes quinque, & dies decem. Sepultuſque eſt in baſilica S. Petri.

a Lib. cap. 18.
SIMPLICII PAPÆ OBITVS.

II.
DE CONVENTV RO. IN SEDE VACANTE.

Eſt vero in Actis Tertiæ Romanæ Synodi ſub Symmacho Papa, cuiuſdam mentio *Conuentus*, habiti apud S. Petrum tempore vacationis ſedis Simplicij, in quo Baſilius Præfectus Prætorio Regis Odoacris, edictum propoſuerit de non eligendo deinceps Romano Pontifice abſque conſultatione Regum Italiæ, & de non alienandis Eccleſiæ Romanæ bonis. Verum hæc omnia, tamquam contra canones geſta, immo veluti conficta, cum res in controuerſiam deducta eſt ſub Symmacho in eadem Romana Synodo, reiecta ſunt.

III.
FELIX PAPA III. ELIGITVR.

Quod autem ad Simplicij ſucceſſorem ſpectat; poſtquam ceſſaſſet (vt habet idem Anaſtaſius) Epiſcopatus eius dies ſex, creatus eſt octauo Idus Martias Pontifex FELIX eius nominis Tertius, patria Romanus ex patre Felice itidem genitus, functus antea presbyterio in Titulo Faſciolæ. Porro hunc confeſtim reieciſſe Zenonis Henoticon, teſtis eſt Theodorus Lector [b]: quod antea præſtitutus Simplicius, morte præuentus rem integram ſucceſſori reliquerat. Idem ſuſcepto pariter Ioannis Alexandrini appellationis ac querelarum libello, vt in re maximi momenti, CONCILIVM quadraginta duorum Epiſcoporum cogens de omnium ſententia Legatos miſit Conſtantinopolim, *Vitalem* Truentinum in Piceno Epiſcopum, & *Miſenum* Cumanum, cum Felice Eccleſiæ Romanæ defenſore: quibus literas ad Zenonem Imperatorem dedit, fortiſſimas ad redarguendum, & efficaciſſimas ad perſuadendum, de proditione Catholicæ fidei in Oriente; aliaſque ad Acacium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, de non defenſa fide, deque ipſius conniuentia cum hæreticis: addiditque libellum ad eumdem Acacium inſtar citationis, vt reſponderet oblatis aduerſus ipſum in Apoſtolicæ ſedis iudicio ab eodem Ioanne Alexandrino obiectionibus; aliumque item ad Zenonem Imperatorem, vt cogeret ipſum Acacium Romam properare, & cum accuſatore experiri iudicio. Conſtant hæc quidem omnia cum ex Liberato [c] & Euagrio [d], tum præcipue ex iiſdem ipſis Felicis Papæ ſcriptis ad Zenonem & Acacium miſſis, quorum iidem auctores meminerunt, quæque reperimus [e] in peruetuſto codice Creſconianæ Collectionis. Ceterum damnatum præterea fuiſſe in eadem Romana Synodo conſtat Petrum Fullonem, eumdemque dictum Gnapheum, intruſum in ſedem Antiochenam poſt eiectum Calendionem. Adeo vt magna plane iſta Synodus dicenda ſit, cui Romanus Pontifex præfuit Iudex, aduenit Alexandrinus Patriarcha actor, citatuſque ex ea eſt Conſtantinopolitanus Epiſcopus, & Antiochenus depoſitus ſententiam damnationis accepit. Ex iiſdemque intuearis Romanæ Eccleſiæ eminētem, ſubijci neſciam auctoritatem, dum licet Romæ ſub Erulis Arianis propemodum captiua videretur, tanto tamen polleret imperio, perinde ac ſi tempora fuiſſent Conſtantini atque Theodoſij Imperatorum, non Romæ tantum, ſed vbique terrarum vbi vigeret Chriſtiana religio.

b Theo. Lec. Collect. lib. 2.
CONCIL. ROM. IN CAVSA RERVM ORIENT.
ACACIVS CONST. CITATVR ROMAM.
c Lib. c. 18.
d Euag. lib. 3. c. 18. & ſeq.
e Res. Baro. Annal. To. VI. hoc an.
PETRVS FVLLO DAMNATVR ROMÆ.

IV. PETRVS FVLLO PALAM DETEGIT HÆRESES SVAS.

Sed quod ad eumdem Petrum Cnapheum attinet; ipſe iam ante hanc Romanam Synodum, ſimulac thronũ conſcendit, quam occultauerat in corde, repentina eruptione in conſpectum omnium hæreſim propalauit; dum ſacro Triſagio cani ſolito in omnibus Orientis Eccleſijs, diuinitus (vt vidimus) hominibus impertito, quo dicitur *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis*, addidit ipſe in hæc verba blaſphemiam, *Qui paſſus es pro nobis*; adſcribens nimirum paſſionem ſanctiſſimæ Trinitati: deque his literas ſcribere auſus eſt ad Acacium Conſtantinopolitanum Epiſcopum. Quo quidem portento edito, ſe primo detexit eſſe Eutychianum, dum vnam in Chriſto aſſirmaret eſſe naturam; deinde Apollinariſtam, cum diceret carnem de cœlo allatam in Verbum eſſe conuerſum; ac denique Sabellianum, dum æque Patri ac Filio Spirituique Sancto paſſionem coniungeret, aſſerens, vnam tantum eſſe totius Trinitatis perſonam: ſicque maiori cumulo reſtituit proſcriptum diu ante nefandum Theopaſchitarum errorem, excitauitque blaſphemias Marcionis, Valentini, Manetis, & aliorum veterum hæreticorum. Hæc autem vbi audierunt Orthodoxi Epiſcopi Orientales, continuo exclamauere. Adeo vt & Acacius, quantumlibet eidem Petro ſtuduiſſet, tamen ad dementem hominem curandum, congregauerit Conſtantinopoli CONCILIVM Epiſcoporum, vbi ab omnibus inſanus Petri damnatus eſt error; ſcriptæque à nonnullis eorum ad illum epiſtolæ obiurgatrices, ac miſſi anathematiſmi, qui hactenus extant [f]. Sicut & extat eiuſdem Petri damnatio, facta Romæ in Synodo quam diximus quadraginta duorum Epiſcoporum; ſcriptæque pariter ab aliquibus illorum ad eumdem impoſtorem literæ, ac directi anathematiſmi aduerſus ſingulas illius blaſphemias, & maxime ab ipſo Summo Pontifice Felice, qui & inſuper [g] Zenonem Imperatorem monuit, vt caueret à communione Petri iam iudicio Eccleſiæ condemnati; eumdemque longius pelleret. Quo etiam tempore Antiochiæ accidit, vt cum idem Petrus Ioannem quemdam Apameæ ordinaſſet Epiſcopum; hic ab ijs non receptus, Antiochiam rediens ipſum Petrum ſede expulerit; ac pro amborum damnatione Acacius ad Romanum Pontificem ſcripſerit: vt tradit Liberatus [h], de quibus rurſum dicetur anno ſequenti.

PET. FVL. DAMNATVR IN CONCIL. CONST.

[f] To. 2. Conc. Felic. Tert.

[g] Ibid. ep. 5.

[h] Lib. c. 18.

V. DIRISSIMA PERSECVTIO HVNERICI IN CATHOL. AFRIC.

Hoc eodem anno palam cœpta eſt in Africa ab Hunerico Wandalorum Ariano Rege, crudeliſſima in Catholicos omnes PERSECVTIO, quem iam biennio ante prænunciatam & tentatam vidimus: cuius initio quicumque in Palatio militarent aut publicis fungerẽtur muneribus, iuſſi ſunt Arianam impietatem profiteri, aut exulare; deinde iuſta prætenſa cauſa inquirendi in mores Catholicorum Epiſcoporum, diriſſimæ habitæ ſunt quæſtiones de ſacris Virginibus, vt ab ijs extorqueretur Epiſcopos & clericos cum ipſis agere conſueuiſſe: ac demum cum nihil inuentum eſſet, vnde ex hac cauſa perſecutio inferri poſſet, aperto furore agi cœptum eſt quod iure expleri non poſſet; traditique ſunt Mauris, in deſertum trahendi potius quam ducendi, quatuor millia nongenti ſexaginta ſex Epiſcopi presbyteri, diaconi, & alij clerici. Inter quos miſerandus plane fuit caſus Felicis Abdiritani Epiſcopi, habentis iam in Epiſcopatu quadraginta quatuor annos; qui cum paralyſi percuſſus, nec ſentiret quicquam nec penitus loqueretur, ex tranſuerſo ſuper burdone vinctus, quaſi quidam ligni truncus toto itinere portatus eſt. Ceterorum quoque plurimi multiplicibus in via anguſtiati afflictionibus, martyrium conſummarunt; reliqui in locum exilij perducti, diriſſime habiti ſunt: quæ Victor aderat, vberiori eodemque admodum lugubri proſecutus [i] eſt ſtilo. Quæ vero poſtea contigerunt, dicentur inferius ſuis locis.

IMMENSVS NVMERVS CLERIC. IN DESERTVM PVLSI.

[i] Vict. de Perſec. Wand. lib. 2.

IESV CHRISTI ANN. 484.

ZENONIS IMP. II. ODOAC. REG. 9.

FELIC. III. AN. 2.

I.

ANNO Chriſti quadringenteſimo octogeſimo quarto, duo creati ſunt Coſſ. nempe Theodoricus Amalus Gothorum Rex atque Venantius. Metuit namque barbarus Rex à Zenone Auguſto, ob debellatos (quod tradit Euagrius [a]) Illum, Marcum Leontium, & Pamprepetem Imperij perduelles (qui ab eodem Zenone iniuſtam perſecutionem perpeſſi, coacti fuere quodammodo in hoſtes conuerti ex amicis de ipſo bene meritis) non triumphum tantum, atque equeſtrem in Foro ſtatuam, ſed & Conſulatum; immo & in filium ab eodem Imperatore adoptari, & in ſpem Occidentalis Imperij euehi; vt geſtarum rerum ſcriptores [b] affirmant. Ceterum præter illos, expertus eſt quoque idem Imperator acerrimum aduerſarium, Marcianum filium Anthemij Imperatoris, generumque Leonis Auguſti: qui poſt neglectam occaſionem occupandi Palatij, deſtitutus à ſuis, ad eccleſiam confugit; indeque vi abſtractus Tarſum Ciliciæ amandatus eſt, ac detonſa coma presbyter deſignatus. Quę narrat Euagrius, ſicut & alia ſupradicta, ex Euſtathio Syro: additque de inſidijs ab eodem Zenone contra Verinam ſocrum ſtructis; quam & poſt varias exilij mutationes mori coegit.

THEOD. REX GOTHO. GRATISSIMVS ZENONI IMP.

[a] Euag. lib. 3. c. 27.

[b] Euag. lib. 3. c. 25. Iornan. & alij.

II.

Hoc eodem anno, cum duo Epiſcopi Vitalis atq; Miſenus Apoſtolicæ ſedis Legati, Conſtantinopolim perueniſſent: perinde ac ſi non ad regiam ciuitatem, neque ad Chriſtianum Imperatorem miſſi fuiſſent, ſed in ſiluarum receſſibus incidiſſent in graſſatores; continuo iuſſu Zenonis tenti, ſublatis quæ ferebant ſcriptis ne Catholicis innoteſcerent, carceri mancipati fuere: ſed poſtea blanditijs illecti Acacij Conſtantinopolitani Antiſtitis, poſt adeptam libertatem grauiori catena præuaricationis aſtricti ſunt, dum contra mandata Felicis Papę, non ſolum eidem Acacio communicarunt, ſed & abſque contradictione audierunt recitari in Eccleſiæ ſacris Diptychis nomen nefandi hæretici Petri Mogi Alexandrinæ Eccleſiæ inuaſoris: ſicque tandem permiſſi ſunt Romam redire. Narrat hæc breuiter Liberatus [c]. Additque de Felice Defenſore eorumdem ſocio Legatorum, cum ægritudine in via detentus haud vna cum ipſis pergere potuiſſet, perueniſſe Conſtantinopolim poſtquam ijdem è cuſtodia dimiſſi fuiſſent, paſſumque ipſum ſublatis Eccleſiaſticis chartis grauiſſimam cuſtodiam, quem quidem fideliſſimum perſeueraſſe, teſtatus eſt poſtea Felix Papa [f] in ſententia excommunicationis aduerſus Acacium lata. Habet autem amplius Euagrius [g] Zenonem Imperatorem reſcripſiſſe ad Felicem Papam, ipſum fruſtra conturbari ob res Alexandrinas; quippe quod Ioannes Talaida occupata contra ſuum ipſius iuſiurandum ea ſede, nullius non ſacrilegij genus admiſiſſet; Petrus vero Mogus haud abſque ſubſcriptione fidei Nicænæ; & approbatione Concilij Chalcedonenſis in eam Eccleſiam introductus fuiſſet.

LEGATOR. APOSTOL. PRÆVARICATIO CONSTANTINOPOLI.

[c] Liber. c. 18.

FELICIS DEFENSORIS CONSTANTIA.

[f] Felix ep. 4.

[g] Euagr. lib. 3. cap. 20.

III.

Ceterum omnibus, vt vere geſta eſſent, Felicis Papæ ſignificatis à quibuſdam monachis Acœmetis, Conſtantinopoli Romam aduenientibus; eumdem Pontificem conuocato Romæ apud S. Petrum CONCILIO, cum iam Vitalis atque Miſenus in Vrbem redijſſent, illos ſententia omnium communione Apoſtolica & ſacerdotio priuaſſe; ijdem autores tradunt. Sed Miſenus poſtea ſub Gelaſio per pœnitentiam reſtitui meruit, Vitale mortuo abſque reconciliatione; vt dicetur ſuo loco.

CONC. ROM. ADVERS. LEGATOS PRÆVARICATORES.

IV.

In eadem vero Synodo cognita inſuper fuit Acacij cauſa, idemque omnium calculo iudicatus hæreticorum participatione pollutus. Ante tamen quam in eum excommunicationis ſententia intorqueretur, literis admonitus vt reſipiſceret; tantum abſuit vt illis obediret, vt contra in odium Apoſtolicæ Sedis, mox Ioannem Apameæ Epiſcopum à Petro Fullone electum, ipſiuſque Petri ſedis inuaſorem (quem eodem Acacio agente vidimus à Felice Papa vna cum ipſo Petro excommunicatum) creauerit Epiſcopum Tyri, Petrum vero confirmauerit in ſede Antiochena. Quæ cum eidem Romano Pontifici atque Synodo innotuiſſent, nec ſpem vllam eſſe reliquam vt reſipiſceret, idem vna omnium ſententia à Catholica, communione eiectus eſt, ipſaque eius damnationis ſententia Conſtantinopolim miſſa: quam cum ille patrocinio fultus Imperatoris ſuſcipere recuſaret; coacti ſunt

ACACII CONST. EPISCOP. DAMNATIO ROMÆ.

qui eam detulerunt, per quemdam ignotum monachum Acœmetenſem, ipſam dum ingrederetur Acacius ad celebranda ſacra, ſuſpendere in eius pallio, & diſcedere. Hæc quidem omnia breuiter Liberatus [h] Sed extant [i] prolixiores literæ Synodales excommunicationis Acacii, ad ipſum hoc anno quinto Calendas Auguſti directæ; itemque aliæ ad clericos & monachos Conſtantinopoli & in omni prouincia Bithyniæ conſiſtentes, de rebus aduerſus eumdem geſtis, & cauſis ipſius damnationis, quibus etiam conſtat, non tantum in Acacium ſententiam ab eadem Synodo prolatam eſſe; ſed & repetitam damnationem Petri Antiocheni & Petri Alexandrini hæreticorum, eoſdemque ſedibus exauctoratos. Denique ſcriptam eſſe ex eodem Conuentu epiſtolam ad omnes Orientales Epiſcopos, qua admoniti ſunt vt Acacii communionem vitarent, eidemque paruiſſe Antiſtites Macedoniæ ac Dardaniæ, teſtatur Gelaſius Papa in epiſtola ad Laurentium & in ea quam ad eoſdem Dardanos ſcripſit.

h Liber. c. 18. i To. 2. Conc. in Felic. III. DAMNATIO ACACII PROMVLGATA IN ORIENTE.

V. Addit vero Liberatus, Acacium numquam ceſſaſſe ſacra peragere, anathematis licet vinculis alligatum. Nicephorus [k] autem, eumdem eo inſaniæ perueniſſe, vt nomẽ Papæ Felicis è ſacro eraſerit Albo; quod nullus ante eum nefas, quamuis complures hæretici illi præfuiſſent ſedi, nec cogitare auſus eſſet. Denique in vrbe Conſtantinopoli: ana monachos cœnobii Dii nominati (nempe ab Archimandrita Dio, qui egregia ibidem claruit ſanctitate) quod comminiſtri Acœmetarum aduerſus Acacium extitiſſent, ab Acacianis carceres, vulnera, mortes, paſſos eſſe, idem Nicephorus tradit: quorum martyrum celebris eſt memoria in tabulis [l] Eccleſiaſticis. Et per vniuerſum Orientem Epiſcopos Orthodoxos ab eodem Acacio ſuis ſedibus pulſos eſſe, alioſque peſſimos ſubſtitutos teſtatur Gelaſius [m]: idque ipſum à Petris Fullone & Mogo præſtitum eſſe, Liberatus & Euagrius [n] tradunt. Quod autem pertinet ad Ioannem Alexandrinum, qui Romam ſe contulerat, cum Felix videret res adeo turbata eſſe in Oriente, vt nulla ſpes eſſet eum in ſedem reſtitui poſſe, ipſum Nolanæ in Campania nobili præfeciſſe Eccleſiæ, Liberatus ſcribit.

k Niceph. li. 16. cap. 17. ACACII NOVA FACINORA IN R. EP. PONT. ET ALIOS CATHOL. l Mart. Rom. 8. Feb. m Gelaſ. ep. 1. ad Dard. n Euagr. lib. 3. cap. 22.

VI. Hoc eodem anno, diram illam Perſecutionem, ab Hunerico VVandalorum in Africa Ariano Rege, aduerſus eiuſdem prouinciæ Catholicos cœptam, Victor [o] ait maioribus vbique incrementis recrudiuiſſe; ac præſertim poſtquam in Collatione quadam inter Catholicos & Arianos Epiſcopos Regis iuſſu facta ad diſputandum de fide, Ariani mox vincendi falſo Regi ſuggeſſiſſent Catholicos tumultuari, nec diſputare velle. Quo prætextu Hunericus ſanctionem edidit, cuius vigore cunctæ Catholicorũ vna die in vniuerſa Africa clauſæ ſunt eccleſiæ; ipſique pœnis ac legibus ſubiecti, quas olim Imperatores aduerſus Arianos ceteroſque hæreticos decreuiſſent; niſi mallent deſerere fidem, & ab iiſdem impiis Arianis, (quod ipſi maxime exigebant) rebaptizari. Epiſcopi vero qui edicto Regis euocati ad eiuſmodi Collationem vndique acceſſerant, omnibus rebus expoliati, aliaque diriſſima paſſi, relegati ſunt in diuerſa loca ad excolendos agros, ligna cædenda & alia id genus vilia ac dura opera exercenda. Eugenius autem Carthaginenſis omnium Primas in deſertum eſt miſſus, vexandus à crudeliſſimo omnium Arianorum Antonio Epiſcopo cuiuſdam ciuitatis proximæ eidem eremo. Poſt quem etiam vniuerſus Clerus Eccleſiæ Carthaginenſis, cæde inediaque maceratus, fere quingenti vel amplius, procul exilio crudeli traditi ſunt. Eo namque maiori in Sacerdotes ira accenſus eſt Rex, quod vidiſſet miracula ab eorum nonnullis edita in confirmationem Orthodoxæ fidei, ac confuſionem impietatis Arianæ; atque inter alia, illuminatum ab eodem Eugenio cæcum.

SÆVIOR PERSECVT. ECCL. AFRIC. o Vict. lib. 2. RELEGATIO EPISCOPORVM.

VII. Quo tempore & illud accidit contrarium miraculum, vt cum Cyrola Arianorum Antiſtitum princeps, Eugenii gloriam æmulatus, hominis Ariani ſuppoſititii, qui ſe cæcum pretio accepto fingebat, aperire oculos videri voluiſſet; eumdem antea quidem optime videntem, ſimulac oculos eius tetigit reuerà cæcum reddiderit: cui fraudem coram vniuerſis detegenti, idem Eugenius viſum confeſtim ſigno Crucis reſtituit. Narrat hanc hiſtoriam Gregorius [p] Turonenſis: ſimulque alia ad hanc ipſam perſecutionem ſpectantia recenſet ex ſacris Martyrum Paſſionibus, qui variis ſuppliciorum generibus ab iiſdem VVandalis ſublati ſunt; quæ deſunt apud Victorẽ, qui eamdem perſecutionem ex profeſſo deſcribendam ſumpſit. Vt plane acciderit, eumdem Victorem rerum ſcribendarum copia nimium exuberante victum (quod ingenue fatetur) multa prætermiſiſſe; vel codicem trium librorum ab ipſo ſcriptorum haud integrum reperiri. Nã & Iſidorus [q] nonnulla alia habet, quæ minime ab eo recitantur.

SIMVLANS CÆCITATEM IN ITXO. [ILLVMINATVS IN] MIRACVLI VERE CÆCVS EFFICITVR. p Greg. Tur. lib. 1. q Iſid. in hiſt. Wandal.

VIII. Pergit tamen idem Victor [r] plurima de Catholicorum omnis generis atque ſexus hominum, eadem perſecutione inſignibus confeſſionibus ac fortiſſimis martyriis enarrare, necnon aliquorum ignauiſſimos lapſus deflere. In quorum pleriſque innouata fuere antiqua veterum ſub Imperatoribus Ethnicis perſecutionum prodigia, de diuinis erga Fideles ſubſidiis & adminiculis, atque in alios vindictis. Sed illud præ ceteris immenſum, quod in Typaſenſi Mauritaniæ ciuitate contigit. Vbi cum iuſſu Regis quamplurimis Catholicis, Ariano eius ciuitatis Epiſcopo communicare detrectantibus, dexteræ amputatæ, & linguæ radicitus abſciſſæ eſſent; nihilominus iidem, Spiritu Sancto præſtante, ita abſque linguis articulate quamdiu vixerunt locuti ſunt, quomodo antea loquebantur. Cuius ingentis totoque Orbe vulgati miraculi, non ipſe ſolum Victor qui ea præ oculis in Africa habuit, aſſertor eſt; ſed & qui alibi nonnullos ex iis itidẽ propriis oculis viderunt, & loquentes audierunt, idem confirmant; nempe Iuſtinianus [s] Auguſtus, & qui ſub eius Imperio floruerunt. Æneas [t] Gazæus Platonicus Philoſophus, Marcellinus [u] Comes, & Procopius [x] Rhetor hiſtoricus: illudque ipſum ab iis qui viderunt acceptum, memoriæ mandarunt SS. Gregorius [y] Papa & Iſidorus [z]. Additque Gregorius, vnum ex iis confeſſoribus poſtea in luxuriam lapſum, iuſto Dei iudicio priuatum fuiſſe dono miraculi; vt qui carnis continentiam ſeruare neglexerat, ſine lingua carnea non haberet verba veritatis. Sed Procopius (apud quem iſta corrupte leguntur) duos lapſos eſſe, & gratia miraculi priuatos ſignificat.

r Vict. lib. 3. LINGVIS EXCISIS CONFESSORES LOQVVNTVR. s l. ſin. de off. P.P. Afr. t Æn. Gaz. de immort. anim. to. 8. Bibl. Sanct. u Marcel. in Chron. x Procop. l. 1. de bel. Wand. y Greg. 3. dial. 32. z Iſid. in hiſt. Wandal.

IX. Subdit autem Victor, poſt hæc factam eſſe incredibilem famem, ſecutamque ſæuiſſimam peſtem; quæ in vltionem offenſæ Diuinitatis totam Africam vna de populatione vaſtarunt. Tandemque ipſum crudeliſſimum tyrannum Hunericum, cum annis ſeptem menſibus decem Africæ tenuiſſet dominationem, nempe hoc ipſo anno, meritorum ſuorum mortem conſummaſſe, ebullientibus vermibus putrefactum atque depaſtum. Sed de eius execrabili obitu tradit Gregorius [a] Turonenſis, ipſum arreptum à dæmone propriis ſe morſibus laniaſſe: Iſidorus [b] vero, vt Ariũ interioribus cunctis effuſis vitam amiſiſſe. Verum prerogatiua antiquitatis atque preſentię, cum hęc omnia oculis Victor intueri potuerit, ei potius præ ceteris deferendum eſſe videtur, vt dicamus vermibus vltricibus truculentum carnificem, inſtar Antiochi, Herodis & Maximini eſſe conſumptum. Ad cuius obitum ſuam idem Victor Epiſcopus Vticenſis perduxit de VVandalica perſecutione hiſtoriam; qui & ipſe particeps paſſionum, iugi confeſſione clarus, titulo ſanctitudinis relatus reperitur in tabulas [c] Eccleſiaſticas.

HVNERICI PORTENTOSVS INTERITVS. a Greg. Tur. lib. 2. b Iſid. in Chron. Wandal. c Martyrol. Rom. 12. Aug.

X. Succeſſit autem Hunerico *Gundabundus* Genzonis, alias Gentonis fratris filius, qui propior genere (vt Procopius tradit) Genſericum attingebat. Eum vero Victor [d] Godagiſum nominat; & ne ſuccedere poſſet in regnum, vna cum vxore ab Hunerico abſque ſolatio ſeruuli aut ancillæ, crudeli exilio relegatum fuiſſe ſcribit. Ipſum autem imitatione ſuorum perſecutum eſſe Eccleſiam Africanam, Procopius [e] ait: ſed ſecus Iſidorus, qui auctor eſt eum pacem ſtatim donaſſe Eccleſiæ, & omnes Catholicos ab exilio reuocaſſe. Nos vtrumque verum dixiſſe putamus: ita vt ad aliquot annos (duodecim enim illum regnaſ-

GVNDABVNDVS REX MITIOR. d Vict. lib. 2. e Procop. li. 1. de bel. Wand.

ſo conſtat perſecutio quieuerit, poſtea recruduerit: quando vero id acciderit, dicetur ſuo loco.

XI. EVARICI REG. OBITVS. f Greg. Tur. l. 2. hiſt. 21. g Iſid. Magn. hiſt. Goth. l. 16. c. vlt.

Hoc pariter anno alius Princeps barbarus, itidemque Arianus, & Eccleſiæ perſecutor, in Gallia mortuus eſt Euaricus Rex Gothorum, haud longe diſſimili fine ab interitu Hunerici. Nam ait Gregorius,[f] illum vltione diuina percuſſum interiiſſe. Ac licet quomodo id acciderit non dicat; inde tamen habes in quo arguas recentiorem auctorem[g], ſuorum Gothorum nimis ſtudioſum, dum perperam ponit, eumdem Euaricum Regem pium è temporali regno ad æternum glorioſa morte migraſſe; quem Arianum fuiſſe, & Eccleſiam Gallicanã crudeliſſime perſecutum, teſtificatione Sidonii, eiuſdemque Gregorii perſpicuum eſt. Ceterum Euarico ſucceſſit in regno *Alaricus* eius filius, quod quidem hoc anno contigiſſe, faccile colligitur ex Concilio Agathenſi, vbi dicitur illud celebratum eſſe anno vigeſimo ſecundo eiuſdem Regis ſub Conſulatu Meſſalæ, quo numeratur annus Domini quingenteſimus ſextus. Ex quo erroris redarguuntur[h] qui Euaricum tradunt regnaſſe annos tantummodo quindecim, quem ab anno Domini quadringenteſimo ſexageſimo quarto, quo cœpit, ad vigeſimum annum regnaſſe liquet.

h Iſid. in Chron.

XII. i Sigeb. in Chron. CLODOVEVS REX FRANCOR.

Hoc item anno[i] defuncto Childerico Francorum Rege apud Pariſios in Galliis regnante, eius filius *Clodoueus* ſucceſſit, quem nonnulli *Hludouicum*, alii etiam aliter nominant. Sic igitur Imperio Romano Occidentali collapſo, barbariſque triplicis generis Gallias occupantibus, nempe Gothis, Borgundionibus, & Francis; diuina demum prouidentia factũ eſt, vt eius tantummodo gentis regnũ ad poſteros feliciter propagaretur, penes quam cultus pietatis foret excellentius effulſurus; cuius in Childerico (vt vidimus) flores apparuerunt, in Clodoueo autem collecti ſunt fructus. Coluit ille quamuis Ethnicus, Sanctiſſimam virginem Genoueuam; ſed eam non tantum veneratus eſt, verum & muneribus frequentauit eius filius Clodoueus: qui licet Gentilis adhuc, magna etiam veneratione proſecutus eſt S. Remigium Rhemenſem Epiſcopum; eique ampliſſimas villas donauit, quas ille erogandas curauit in pauperes: ſicut teſtatum egregie reliquit teſtamento ſuo, quod extat[k].

k ap. Sur. Tom. & formul. lib. 7.

ZENON. IMP. 11. ODOACR. REG. 10.

IESV CHRISTI AN. 485.

FELIC. III. AN. 3.

I.

ANno Chriſti quadringenteſimo octogeſimo quinto, Symmacho Coſſ. abſque collega, in tantis Orientalis Eccleſiæ offuſus vbique tenebris, fecit Deus ad illuſtrationem veritatis ſplendeſcere lumen ſuum; cum poſt expulſionem S. Calendionis Antiocheni Epiſcopi Orthodoxi, & ſubintroductionem impij Petri Fullonis in eam ſedem, veluti rediuiuus collega Pauli Apoſtoli S. BARNABAS Apoſtolus, vna cum S. Matthæi Euangelio ad ipſius pectus appoſito, & ab eodem manu propria olim exſcripto, quo potiſſimum Chriſti vera humanitas comprobatur, in opprobrium Eutychianæ hæreſis tunc graſſantis apparuit in inſula Cypri, ex reuelatione ab ipſomet B. Apoſtolo facta Anthemio Salaminæ Epiſcopo Catholico; certis ſignis, miraculorum virtute, veluti digito vbi Catholica fides eſſet edocens. Cuius quidem Inuentionis extat hiſtoria omni acceptione digniſſima, omniumque conſenſione recepta, ab egregio viro illius temporis Alexandro[a] monacho Orthodoxo conſcripta: quam & breuiter habent Theodorus Lector, Suidas, Nicephorus, atque alii tum Græci tum Latini hiſtorici. Corrigendus tamen Nicephorus[b], dum eiuſmodi Reliquiarum inuentionem factam ſub Anaſtaſio Imperatore recenſet, quam reliqui omnes, ipſaque eius Acta, Zenonis Imperio tribuunt.

CORPVS S. BARNABÆ REPERTVM, ET CVM EO EVANGELIVM S. MATTHÆI.

a Alex. mon. ap. Sur. 11. Iunii.

b Niceph. l. 16. cap. 37.

II. ECCL. CYPRI LIBERA A SVBIECTIONE ANTIOCHENA.

Teſtantur autem eadem Acta, hinc factum eſſe vt Eccleſia Cypri, quam Petrus Fullo ſibi ſubiicere conabatur eo prætextu quaſi prædicatio Euangelii ab vrbe Antiochia ad Cyprum inſulam manaſſet, ab eius ſubiectione libera remanſerit, quod & ipſa Apoſtolum habuiſſet. Verum eiuſmodi controuerſiam inter Patriarcham Antiochenum & Epiſcopum Salaminæ Cypri, etiam ante iſtam corporis S. Barnabæ Inuentionem definitam eodem modo eſſe in Concilio Epheſino Oecumenico, teſtantur eius Acta[c]. Euangelium autem illud S. Matthæi, quod ad pectus S. Barnabæ inuentum eſt, Conſtantinopolim ad Zenonem Imperatorem ipſius petitione allatum, & auro exornatum, in Palatio repoſitum eſſe, & ex eo deinceps ſolitum legi Euangelium in Palatii Oratorio magna Quinta Paſchæ Feria; eadem ipſius Inuentionis Acta tradunt.

c Act. Epheſ. edit. Pet. to. 2 append. 1. cap. 4. EVANGELII S. MATTH. CODEX CONSTANTINOPOLI ASSERVATVS.

III. DE XENAIA AVCTORE ICONOCLASTAR.

Circa hæc item tempora perditiſſimus idem Petrus Fullo, cui in animo nihil magis erat inhærens, quam vt cuncta à Catholicis bene geſta irritaret, ſi poſſet; non tantum iſta aduerſus ſententiam Patrum Concilii Epheſini molitus eſt; verum etiam cum audiſſet vagum quemdam nebulonem Perſam, nomine XENAIAM, fugitiuum ſeruum, agentem ſe vt clericum, ab Eccleſia eiectũ à S. Calẽdione; aſſumpſit ipſe eiuſmodi hominem, atq; *Philoxenum* eum nominans, Hierapolis creauit Epiſcopũ, cum tamen non ſolum ſeruus fugitiuus eſſet, & ſeruilibus parentibus natus ſed & ex Manichæis proueniens necdum baptiſmum ſuſcepiſſet. Res plane monſtroſa, quæ deſcribitur à Nicephoro[d]; recitaturq; ex antiquiori auctore per Anaſtaſium diaconum in poſteriori Niceno Concilio; nempe ex Theodoro Lectore, quo tempore eius hiſtoria integra habebatur. Nam (vt hoc obiter moneam) tradit Suidas, *Theodorum* Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Lectorem ſcripſiſſe hiſtoriam Eccleſiaſticam à Conſtantini temporibus vſq; ad Iuſtiniani Imperium: plane diuerſum opus à perbreuibus duobus illis Collectaneorum libris; quæ fragmenta potius eſſe videntur, quam ordinata rerum tractatio. Porro illum Xenaiam, talem hominẽ (potius dæmonem dicendum, quippe cui nondum pulſus per baptiſmum ſpiritus nequam fuerat) primum omnium hãc blaſphemiam euomuiſſe, vt diceret, Chriſti, Angelorum, atque Sanctorum Imagines non eſſe venerandas; iiſdem locis[e] aſſeritur. Vtinam habeant Iconoclaſtæ, cui laudatiſſimo atque probatiſſimo auctori ſtatuas ipſi erigant, eiuſdemque venerentur ſimulacra.

d Niceph. l. 16. cap. 27.

e Syn. Nic. II. Niceph. ibid.

IV. f Niceph. in Chron. Cyril. in Vit. S. Sab. ap. Sur. 5. Decemb. g Euagr. l. 3. cap. 16. h ap. Sur. 20. Ianuar. SALLVSTIVS EPISC. HIEROSOL.

Hoc eodem anno vita functus eſt Martyrius Hieroſolymitanus Epiſcopus, cum ſediſſet[f] annos octo: cui cum ab Euagrio[g] crimen communicationis cum hæreticis adſcribatur, fraude id factum ſcias Zachariæ Eutychiani, à quo hæc petiit Euagrius; cum honorificentiſſima ſit eiuſdem Martyrii memoria apud Cyrillum monachũ in Rebus[h] geſtis S. Euthymii. Succeſſit autem in eius locum *Salluſtius*, & ipſe Catholicus: quod quidem tunc rarũ fuit inuenire, cum totus ferme Oriens, vel hæreſi, vel cõmunicatione cũ hæreticis eſſet pene diluuio merſus. Ab hoc vero Salluſtio magnum illum *Sabam* anachoretam ordinatum eſſe presbyterum, & à calumniis quibus impetebatur abſolutum; tradit idem ſinceriſſimus auctor Cyrillus in mirifica ipſius S. Sabæ Vita[i] quam deſcripſit.

i Ibid. 5. Dec.

ZENON. IMP. 13. ODOACR. REG. 11.

IESV CHRISTI AN. 486.

FELIC. III. AN. 4.

I. PETRI FVLLONIS OBITVS.

ANno Domini quadringenteſimo octogeſimo ſexto, Longino & Decio Coſſ. perditiſſimus ille, Orientalis Eccleſiæ peſtis, Petrus Fullo inuaſor Eccleſiæ Antiochenæ, ex hac vita ad tremendum iuſtitiæ diuinæ tribunal, ſera licet morte vocatus eſt. Cui ſucceſſit eiuſdem hæreticæ prauitatis Antiſtes *Palladius*, qui communicationem retinuit dum vixit cum nefando Petro Mogo pſeudoepiſcopo Alexandrino. Eum autem hoc anno ſedere cœpiſſe, anni eius inferius numerandi docebunt.

II. a Agit de eo alia occaſione Baron an. 484. to. 6. b Gennad. de Script. Eccleſ. c. 92.

Circa hæc eadem tempora contigit obitus[a] Sidonii Apollinaris Aruernenſis Epiſcopi, de quo ſæpe ſuperius; vir (vt ait[b] Gennadius) tam diuinis quam humanis li-

teris

Digitized by Google

DE TEMPORE OBITVS SIDONII APOLLIN. c Sidon. 9. ep. 12. d Greg. Tur. 2. hiſt. 23.

teris ad integrum imbuti. Etenim non perueniſſe ad tempora Anaſtaſii Imperatoris, idem Gennadius ſignificare videtur, dum ſcribens ipſe ſub Anaſtaſio, Sidonium ſub Leone atque Zenone claruiſſe tradit. Porro ſaltem ad decimum tertium Epiſcopatus ſui annum (fuit is annus ſuperior, Domini quadringenteſimus octogeſimus quintus) perueniſſe, teſtatur ipſemet in epiſtola [c] ad Orentium Tarraconenſem ſcripta, dum ait, vſque ad illud tempus decurriſſe in Epiſcopatu tres Olympiadas. Habet vero de eo Gregorius [d] Turonenſis ipſum ante obitum grauiter vexatum fuiſſe à duobus illius Eccleſiæ presbyteris; qui ablata ei omni poteſtate à rebus Eccleſiæ, arctumque ei victum & tenuem relinquentes, ad ſummam contumeliam redegerunt: ſed non longi temporis ſpatio acerrima Dei vindicta in eoſdem exerta, alterum quidem eo die quo ipſum Sidonium de eccleſia extrahere decreuiſſet, dum in ſeceſſu ventrem purgare niteretur ſpiritum exhalaſſe, ſicque, Sydonium priſtinæ libertati reſtitutum eſſe, ac paulo poſt ſancto fine quieuiſſe: alterum vero poſt eiuſdem obitum Epiſcopatum vſurpare ſatagentem, dum in medio conuiuio, quod ſumptuoſiſſimum ciuibus parauerat, calicem bibendum manu teneret, diuinitus ad experiendam cum Sidonio cauſam citatum, elapſo de manu calice mortuum corruiſſe.

IESV CHRISTI AN. 487.

ZENON. IMP. 14. ODOACR. REG. 12.

a FELIC. III. AN. 5.

I. CONCIL. ROM. IN CAVSA LAPSOR. AFRIC.

ANno Domini quadringenteſimo octogeſimo ſeptimo, Boetio abſque collega Coſſ. (hic ille putatur, qui Anicius familia, Manlius Seuerinus cognominatus eſt, vir clariſſim⁹, de quo inferius) tertio Idus Martias celebrata eſt Romæ in baſilica Conſtantiniana Synodus triginta octo Epiſcoporum in cauſa Africanorum; quorum quamplurimi cum lapſi eſſent in perſecutione Hunerici Regis, & ab Arianis rebaptizati; reddita ſub Gundabundo Eccleſiæ pace, iiſdem reſipiſcentes petierūt recipi in communionem aliorum qui conſtantes permāſerant. Quare ex more ad Romanum Pontificē remiſſa; decreuit [a] ille cum Synodo, vt Epiſcopi, presbyteri, & diaconi lapſi, etiam ſi ſuppliciis ad id fuiſſent impulſi, ad obitum vſque ab omni Fidelium excluſi cœtu, atque etiam à catechumenis ſegregati orantes, laica tantum modo communicatione impertirentur: reliqui autem inferioris ordinis clerici, triennio inter Audientes perſeuerare deberent, ſeptem autem annis inter pœnitentes, peregrinæ tantum communicationis participes facti quod idem de monachis, & laicis, eſt ſtatutum, additumque vt nullus eis vnquam aditus pateret ad clericatum.

a Felix. ep. 6.

II. THEODOR. PERFIDVS ET INGRATVS IN ZEN. IMP.

Eodem anno auctor eſt Marcellinus, Conſtantinopolitanam ciuitatem defectione Theodorici Amali Gothorum Regis in diſcrimen adductam eſſe, plurimaque alia loca igne cremata. Quæ quidem incomperta fuiſſe videntur iis, qui dixerunt Theodoricum veneratum eſſe ſemper Zenonem, huncque illi conceſſiſſe Italiam ab Erulis vindicandam. Nam primum tentaſſe conſtat infidelem & ingratum barbarum (quem Zenonis Auguſti beneficiis ſatiatum, aduerſus eum inſurrexiſſe, idem auctor ſcribit) Orientale ſibi Imperium arripere; ſed ipſe fruſtratum, inuaſiſſe (vt dicetur) Italiam, inuidia præcipue motum, quod Odoacer Rex Erulorum hoc anno (vt tradit Caſſidorus [b]) Rugos populos Septemtrionales debellaſſet, eorumque Regem Phœbam vna cum vxore captiuum Romam duxiſſet; quorum filius Fridericus fuga lapſus, ad Theodoricum ſe contulit in Mœſia agentem. Ex his igitur totam illam Iordani Epiſcopi Gothi orationem Theodorici ad Zenonem, de vindicanda eiuſdem Imperatoris nomine ab Odoacre Italia (ſiue illam ipſe, vt de aliis profitetur, à Caſſiodoro erga eumdem Theodoricum propenſiſſimo accepit; ſiue in gratiam gentis ſuæ idem ipſe confinxit) vt effictum commentum ad contegendam barbari Regis ingratitudinem, explodendum eſſe facile ſentias, ſimulque corrigendos alios ipſum ſecutos.

b Caſſiod. in Chron. Adde Eugip. in Vit. S. Seuer. Nor.

IESV CHRISTI AN. 488.

ZENON IMP. 15. ODOACR. REG. 13.

FELIC. III. AN. 6.

I. OBITVS ACACII EPISCOP. CONST. a Niceph. in Coron.

ANno Domini quadringenteſimo octogeſimo octauo, Dinamio atque Siphidio Coſſ. finem viuendi fecit Acacius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, in anathemate perſeuerans, cum ſediſſet [a] annis ſeptemdecim & menſibus nouem: cuius nomen licet à ſucceſſoribus vna cum ceterorum Catholicorum nominibus, in eccleſia per multos annos recitatum fuerit; tamen agentibus Romanis Pontificibus, ex Diptychis tandem ignominioſe abolitum eſt, vt dicetur ſuo loco. Præter alia vero quæ de ipſius faſtu & arrogantia ſuperius dicta ſunt, tradit etiam Suidas eum adeo inſana gloriæ cupiditate arſiſſe, vt ſineret ſuas ipſius imagines adhuc viuentis (quod de nullo ante eum Epiſcopo legitur) in eccleſiis dedicari.

II. b Niceph. l. 16. c. 18. FLAVITAS MALIS ARTIB. ADIPISCITVR SEDEM CONST.

Succeſſiſſe autem ei *Flauitam* (quem & *Flauianum* alii appellant) malis artibus, narrat Nicephorus [b]: ita nimirum vt cum Zeno Imperator chartā puram in ſacro poſuiſſet altari, Deo ſupplicans vt per Angelum in ea nomen eius ſcriberet quem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ præfici vellet, atque ad eam rem impetrandam quadraginta dierum ieiuniū indixiſſet; egerit Flauitas cum templi cuſtode multo auro, vt in ea charta nomē ipſius Flauitæ ſcriberet. Verum ſic euectus fraudulēter in thronum, diuina agente vindicta (vt idem auctor addit) cum non totos quatuor menſes in ſede tranſegiſſet, morte repentina extinctus eſt; ac fraude detecta, cuſtos templi punitus; liberaque relicta Epiſcopis facultas, vt ei ſucceſſorem idoneum eligerent: quod anno ſequenti fieri contigit.

III. c Gelaſ. commonit. ad Fauſt. d Euagr. l. 3. cap. 21. FLAVITAS EXPETIT COMMVNICARE CVM CATHOL. ET HÆRET. e Liber. c. 18. f Niceph. lib. 16. cap. 19.

Porro nec inter Catholicos fuit Flauitas adnumerandus; vt pote qui Acacii nomen inter ſacra recitari [c] fecit; quem ſciebat à Catholica communione eſſe defunctum extorrem: idemque repertus eſt hoſtis (vt Euagrius [d] teſtatur) Concilii Chalcedonenſis. Affectauit nihilominus dici Catholicus, ob ineundam communicationem cum Romano Pontifice; à qua ſciret magna infamia Acacium excidiſſe. Ideoque non conſenſiſſe abſque auctoritate Romani Pontificis inthronizari, eamque literis requiſiuiſſe, Liberatus [e] eſt auctor. Sed Nicephorus [f] ait eum pariter Petri Mogi pſeudoepiſcopi Alexandrini communicationem expetiiſſe; & quod id facilius ab vtroque illorum conſequeretur, ſcripſiſſe ad Felicem Papam, ſe Petri communicationem aduerſari; ſimiliter Petro ſignificaſſe, ſe Felicis coniunctionem reiicere: Ideoque cum hanc eius nequitiam Felix intellexiſſet, legatos ipſius cum contumelia Roma expuliſſe.

IESV CHRISTI AN. 489.

ZENON. IMP. 16. ODOACR. REG. 14.

FELIC. III. AN. 7.

I. EVPHEMIVS ELIGITVR EPISC. CONST.

ANno Domini quadringenteſimo octogeſimo nono, Probino & Euſebio Coſſ. *Euphemius* ex Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ presbytero, Electus eſt poſt Flauitam eius ciuitatis Epiſcopus: qui mox Concilium Chalcedonenſe probauit, nomen Petri Mogi è ſacris Diptychis expunxit, atque Felicis Papæ nomen ab Acacio abolitum in eaſdem ſacras tabulas retulit, & Synodales ad eum litteras dedit. Ex quibus plane poſſet videri Catholicus: ſed quod reliquerit in eiſdem tabulis nomina Acacii & Flauitæ, factum eſt, vt quamuis ei Felix velut Orthodoxo fauerit, haud tamen illum in Epiſcopalem communionem admiſerit. Teſtantur iſta Euagrius [a], atque Nicephorus [b]. Quapropter quod Liberatus ait, Euphemium ſuſcepiſſe à Felice Romano Pontifice ſcripta; intelligas ea fuiſſe commonitoria, non communicatoria: ſicut & eſſe comperiuntur literæ quas ipſius in ſede ſucceſſor ad eumdem Euphemium ſcripſit, quibus eum admonuit vt nomen Acacii aboleret, ſi vellet conſequi Eccleſiæ Catholicæ communionem. At inter Euphemiū & Petrum Mogum, rem ita ſe habuiſſe idem Euagrius

a Euagr. l. 3. cap. 23. b Niceph. li. 16. cap. 19. EVPH. QVOMODO SE GESSERIT CVM ROM. PONT. ET PETRO MOGO.

& Nicephorus tradunt, vt confirmante Euphemio Concilium Calcedonenſe, Petro autem improbante, mutuo inter ſe digladiari cœperint, cogentes alter aduerſus alterum Synodos, ſeque mutuo anathemate ferientes, vſque in ſequentem annum, quo mori contigit perfidum Mogum.

II. S. DANIELIS STYLITÆ OBITVS. c ap. Sur. 11. Dec.

Hoc vero ipſo tempore, quo Euthymius creatus eſt Epiſcopus, mirificum illum S. *Danielem Stylitam*, octogenarium ex hac vita Angelis comitantibus migraſſe in cœlum, teſtantur eius Acta [c] antiquitus ſcripta.

III. ADVENTVS THEODORICI IN ITALIAM. d Ennod. in Vit. S. Epiph. Ticin.

His etiam Coſſ. (vt habet Caſſiodorus) Theodoricus Amalus Gothorum Rex intrauit in Italiam, & Odoacrũ ipſi cum exercitu occurrentem iteratis prælijs vicit. Quid vero Ticinenſes & Modiolanenſes tunc paſſi ſint, & quæ tranſacta inter S. Epiphanium Ticinenſem Epiſcopum & eumdem Theodoricum Regem fuerint, narrat Ennodius [d] egregiæ famæ Ticinenſis diaconus, qui ſe hoc tempore ætatis annorum ſexdecim fuiſſe aſſerit; quemque Conſulari ortum genere, cõſtat duxiſſe vxorem nobilem ac prædiuitem puellam, ſed poſtea mutuo conſenſu illam profeſſam eſſe cælibem ſanctamque vitam, ipſum autem diaconum ordinatum, ac demum ex diacono factum Epiſcopum Ticinenſem, de quo ſæpe agendum inferius.

ZENON. IMP. 17. ODOACR. REG. 15.

IESV CHRISTI AN. 490.

FELIC. III. AN. 8.

I. a ap. Sur. 1. Ianuar.

ANno Domini quadringenteſimo nonageſimo, Fauſtus Iunior & Longinus ſecundo Coſſ. recenſentur à Marcellino; à Caſſiodoro autem vnus tantum Conſul ponitur Fauſtus. Quo anno (quantum ex Actis [a] *S. Fulgentii* Ruſpenſis Epiſcopi colligere licet) Wandalica recruduit aduerſus Catholicos in Africa Perſecutio; non quidem aduerſus omnes, in eos dumtaxat ſacerdotes, quos eſſet ſuſpicio clanculum Eccleſiæ reconciliare illos qui præcedenti perſecutione lapſi eſſent in errorem. Porro ſcripta ſunt Acta illa ab eiuſdem Fulgentii diſcipulo & exilii comite, ad ipſius ſucceſſorem Felicianum omni fide teſtata. Ex quibus Conſtat, fuiſſe ipſum, familia Senatoria Carthagine oriundum, natum vero Lepte, cum ipſius parentes fidei cauſa patria pulſi bonis priuati fuiſſent; hoc tempore agentem annos ætatis circiter duodetriginta, monaſticamque vitam excolentem, Abbatis nomine præfecturam geſſiſſe monaſterii; ac in iſta perſecutione captum, direque cruciatum, poſtea profecturum in Ægyptum ad inuiſendos anachoretas, retentum fuiſſe in Sicilia ab Eulalio Epiſcopo Syracuſano. Quomodo vero inde Romam nauigauerit, dicetur ſuo loco. Licet autem de iſta perſecutione Wandalica, ea tantum auctor pertingat quæ ad eumdem S. Fulgentium ſpectent; tamen ex eiuſmodi tenui lucis ſpeculo, cetera quæ remanſerunt obſcura poſſumus intelligere.

PERSECVTIO VANDALICA RECRVDESCIT.

S. FVLGENTII GENVS, ET PRIMORDIA.

II. PETRI MOGI INTERITVS.

Hoc ipſo anno mortuus eſt Alexandrinæ ſedis inuaſor, nefandus Petrus cognomento Mogus, cum eam occupaſſet (numerando à tempore obitus Timothei Orthodoxi) annos tredecim. In cuius locum ab hæreticis hæreticus pariter eſt ſubrogatus *Athanaſius*, ſede illa ac nomine prorſus indignus, cognomento vero *Hermoſus*, Palladio Antiocheno æque hæretico communicatione coniunctus: de quo Euagrius, Nicephorus, Leontius Scholaſticus, Liberatus diaconus, & alii hiſtorici veteres meminerunt; licet res ab eo geſtæ, vt pote filii tenebrarum, obſcuræ remanſerint.

III. PELAGIVS PATRIC. INIVSTE OCCIDITVR A ZENONE IMP.

Sub huius quoque anni Coſſ. (inquit Marcellinus) Zeno Imperator in inſula quæ Paganorum dicitur, *Pelagii* gulam laqueo frangi præcepit. Hæc ille breuiter: quæ paulo amplius Cedrenus narrans, ait hunc Pelagium fuiſſe dignitate Patricium, vtrumque præclarum, & carminum ſcriptione inſignem, qui hiſtoriam verſibus ab Auguſto Cæſare exorſam edidiſſet & Homercentra, aliaque egregia quamplurima compoſuiſſet. Fuiſſe autem Zenonis iuſſu interſectum, quod is ſumma prudentia & iuſtitia eiuſdem Imperatoris nefanda facinora homicidiaque libere inceſſeret, ſæpiuſque repreſiſſet; & quod fatuum eius fratrem (hoc eſt Longinum, moribus Zenoni conſimilem, nempe rapaciſſimum ac ſpurciſſimum, vt cũ plurib. deſcribit Suidas) haud permiſiſſet Cæſarem deſignari. Moriturum autem manibus ad cœlum erectis, ſuam innocentiam conteſtatum eſſe demumque precatum vt quamprimum eorumdem ſcelera puniret. Quẽ quidem exauditum eſſe conſtat, cum nondum elapſo anno terribilem Zeno vltionem diuinam ſenſit.

ANAST. IMP. 1. ODOACR. REG. 16.

IESV CHRISTI AN. 491.

FELIC. III. AN. 9.

I. a Marcel. Caſſiod. & alii omnes. b Euagr. l. 3. cap. 29. c Zonar. to. 3. Annal. ZENO IMP. VIVVS SEPVLTVS. d Cedr. in compend. hiſtor.

ANno Domini quadringenteſimo nonageſimo primo, Olybrio Conſule (quem præter auitam eius inſignem nobilitatem, doctrina & pietate claruiſſe, Ennodius Ticinenſis docet in carmine & familiaribus epiſtolis ad ipſum datis) Zeno [a] Imperator, poſtquam annos ſeptemdecim & menſes quinq; imperaſſet, digno impia vita fine extinctus eſt. Quippe morbo comitiali, quo crebro laborabat, arreptus (vt vult Euagrius [b]) ſiue nimia crapula & ebrietate ſopitus (vt habet Zonaras [c]) vel ex alia quapiam ægritudine pro mortuo habitus, viuus ſepultus eſt: cum vero è ſepulchro lamentabiliter domeſticos & ſatellites implorare auditus eſſet; prohibente Ariadna vxore, cui inuiſus eſſe cœperat, nequis monumentum aperiret, miſere periit, ſuis ipſius lacertis & caligis quas geſtabat comeſtis; vt poſt compertũ eſſe Cedrenus [d] narrat. Haud enim recepta eſt ſparſa vulgo ſententia, quam idem auctor recenſet, nẽpe Zenoni à quadã diuina poteſtate ita fuiſſe caput abſciſſum, vt ea res conſpectum hominum fugeret, ſolaque cute caput cum ceruice contingeretur.

II. ANASTASIVS IMP. e Procop. de bel. Perſ. l. 1. f Theod. Lect. Collect. l. 2. EVPHEMIVS EPISC. CONST. EXIGIT PROFESS. FIDEI AB ANAST. IMP.

Cum autem abſque liberis deceſſiſſet, excluſo quoque Longino ipſius fratre perditiſſimis moribus homine, in eius locum ſuffectus eſt Ariadna, ANASTASIVS (vt ſcribit Euagrius) Dyrrachio, quod olim Epidamnum dicebatur, oriundus; cum nondum ad Senatorium ordinem aſcendiſſet, ſed ſolum in ſchola Silentiariorum (quo nomine [e] appellabantur, qui in Palatio Imperatoris militantes, ea quæ ſunt quietis curarent) adſcriptus eſſet: ideoque res tam inopinata ſuſpicionẽ haud leuẽ concitauit, euectum fuiſſe ab Ariadna ad Imperium ob turpem amorum commixtionem. Sed eum (vt auctor eſt Theodorus [f] Lector) Euphemius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ne vi quidem adigi potuit vt coronaret, vocans eum hæreticum, & indignũ qui Chriſtianis imperaret; niſi poſtquam ab eo ſcriptam retulit Catholicæ Fidei profeſſionem, & Chalcedonenſis Concilii approbationem. Et (quod habet Suidas) cum cœtus quoſdam intra eccleſiam agitaret, eidem publice comminatus eſt Euphemius, niſi ab iis deſiſteret; & cum Eccleſia conſentiret, ſe reſecta ipſius coma eum in triumpho ducturum cum populo, hoc eſt in ordinem monachorum redacturum ad pœnitentiam, ſicut de pluribus factum legitur. Quibus quidem ille repreſſus, ſaltẽ ad tempus Catholicum ſe exhibuit; cum alioqui Manichæi & Ariani (vt ait Theodorus) valde lætati eſſent de eiuſdem inauguratione, eò quod ipſius mater Manichæa eſſet, Clearchus vero eiuſdem auunculus Arianus.

III. g Gelaſ. ep. 10. h Cedr. & Euagr. ANAST. PROBE OBSTAT IN PRINCIP. IMP.

Ceterum cum idem metu Euphemii ſe continens, qui olim in priſtino humili ſtatu collocatus, ſpecimen viti optimi in pleriſque vitæ actibus edidiſſet, vt ex Gelaſii [g] Papæ ad ipſum poſtea ſcripta epiſtola, & ex publicis populi acclamationibus apud Cedrenum conſtat; Imperium iam adeptus vt iis reſponderent reliqui ipſius actus, inprimis delatores ex vrbe eiecit [h], antiquumque tributum penitus aboleuit, *Chryſargyrum* dictum, quod magna omnium eiulatione à mendicis, meretricibus, ſeruis, libertis, feminis repudiatis; necnon ab omnibus cuiuſcumque conditionis aut ſexus hominibus, cum in

agris tum in vrbibus, pro ſingulis equis, bobus, mulis, aſinis, canibus, ipſoque fimo abſque aliqua miſeratione exigi conſueuerat, & ſingulis quadrienniis ad primarios magiſtratus, atq; inde in priuatum Imperatoris ærarium deferri. Quinetiam venationes [i] ſuſtulit, & magiſtratus quos venales Zeno fecerat, gratis contulit. Adeò vt non ſolum Imperii ſubditi, ſummâ eleuandæ Reipublicæ ſpem de ipſo recens creato Imperatore conciperent: ſed & ipſe Felix Romanus Pontifex, exiſtimans aduenisſe diem quo præterita infeliciſſima tempora penitus deſinerent, gratulatoriam ſtatim ad eum dederit de ipſius promotione epiſtolam; cuius meminit Gelaſius in commonitorio ad Fauſtum.

i Theod. vbi ſup.

IV. ANAST. CITO MVTATVS IN PRAVVM.

Sed quoniam omne quod non ex animo, ſed ex ambitu procedit, haud diu conſiſtere valet; quamprimum Anaſtaſius Imperium ſibi ſtabilitum vidit, mutatus in deterius (inquit Suidas) vniuerſum Imperium Ariſtocratiam effecit, magiſtratus omnes vendendo, ac delinquentibus ignoſcendo, inexplebili pecuniæ cupiditate incenſus, qua prouincias diripuit ac ſubditos omnes expilauit: cum tamen munificus videri volens, nonnullis quorum bona abſtuliſſet, iiſdem poſtea pietatis nomine diſtribueret; & quarum vrbium incolas nudaret, earum ædificia renouaret. Cuius etiam cum alia extent plurima immenſæ auri cupiditatis & rapacitatis exempla, quorum nonnulla patebunt inferius; ex his videas quo iure tantopere prædicent nonnihil eiuſdem munificentiam, quod Chryſargyrum ceſſare voluerit. Denique talem hominem, ad extremam Orientalis Imperii cladem, & Catholicæ fidei deſolationem, ab impia Ariadna eſſe promotũ, exitus patefecit. Idque exordium ipſum prænunciauit; cum hoc eodem anno quo creatus eſt Imperator (vt Marcellinus teſtatur) bellum plebeium inter Byzantios ortum eſt, parſque vrbis plurima atque Circi combuſta. Quando & accidiſſe creditur, quod Procopius [k] tradit incenſam eſſe auguſtiſſimam domum hoſpitalem S. Samſonis, & nobiliſſimam omnium eccleſiam Sophiam dictam; quam poſtea Iuſtinianus Imperator longe ſumptuoſiorem extruxit.

INCENDIVM A TVRBA EXCITATVM.

k Procop. de ædif. Iuſtin. orat. 1.

V. IOANNES SILENTIARIVS EX EPISC. MONACHVS.

Accidit autem vice verſa hoc ipſo anno, vt cum Anaſtaſius, Silentiarius eſſe deſinens creuerit in Imperatorem; Dei conſilio vir ſanctiſſimus *Ioannes* ex Antiſtite Coloniæ in Armenia euaſerit Silentiarius, cum videlicet agens ætatis annum trigeſimum octauum diuino inſtinctu ſedi nuncio remiſſo, profectus in Palæſtinam ad loca ſancta, ſubiecit ſe diſciplinæ magni Sabæ Abbatis; mutatuſque in monachum, ob incomparabilem ſilentii obſeruantiam *Silentiarius* fuit cognominatus. Cuius egregiam vitam deſcripſit Cyrillus pariter monachus, qui his ipſis vixit temporibus, & magna fide ac diligentia ſcripſit Res geſtas ſanctiſſimorum virorum *Euthymii* (cuius etiam diſcipulus extitit) *Sabæ*, atque Ioannis Silentiarii: eiuſdemque creduntur eſſe vitæ *Theodoſii* Cœnobiarchæ & *Quiriaci* Anachoretæ, qui iiſdem temporibus claruere eximiæ ſanctitudinis viri; quæ tamen quod careant auctoris inſcriptione, feruntur nomine Metaphraſtis, qui poſtremo illas ex antiquioribus monumentis exſcriptas edidit.

VI. l Caſſiod. in Chron. ODOACER MVLTIS PRÆLIIS A THEODORICO VICTVS.

Hoc item Conſule Olybrio [l], Odoacer Erulorum Rex in Italia, iam antea tribus certaminibus, ad Iſontium, Veronæ, & ad Duram fluuium, à Theodorico Amalo Gothorum Rege ſuperatus, rurſum ad pontem Candidum prope Rauennam memorabili prælio deuictus eſt. Verum idem adhuc biennio Rauennæ ſe muniens reſtitit Theodorico, qui interea abſque alicuius obice tota eſt potitus Italia.

VII. OBITVS S. PATRICII.

Sub huius item anni Conſulatu, à Mariano Scoto obitus recenſetur *S. Patricii* Hiberniæ primi Epiſcopi, cum eſſet (vt ait) annorum nonaginta duorum. At Probus qui Vitam eius ſcripſit, eum centum triginta duobus annis vixiſſe tradit: ad quam plane ætatem perueniſſe oportuit, ſi (vt ait) annos triginta natus extitit diſcipulus S. Martini. Porro qui viuens prædicatione, poſt obitum magis illas regiones miraculis illuſtrauit.

IESV CHRISTI AN. 492.

GELASII AN. I.

I. FELICIS PP. OBITVS.

ANno Domini quadringenteſimo nonageſimo ſecundo, Anaſtaſio Auguſto atq; Ruffino Coſſ. quinto Calendas Martias S. *Felix* Papa ex hac vita deceſſit, cum ſediſſet annis nouem minus diebus duodecim: quem S. Gregorii Papæ atauum fuiſſe, ex Martyrologio [a] Romano, ipſoque Gregorio [b] conſtat: ſed de ea re dicetur in Gregorio. Sepultus eſt autem Felix in baſilica S. Pauli Apoſtoli. Ac poſtquam ceſſaſſet [c] Epiſcopatus eius dies quinque, ſubrogatus eſt in locum eius die ſecunda Martii vir doctiſſimus GELASIVS Valerii filius. Qui quod Afer natione fuiſſe ponitur in libro Anaſtaſii de Romanis Pontificibus, repugnare aliquo modo videtur quod ipſemet Gelaſius [d] alibi ſe Romanum natum dicit. Verum cum Africanus fuerit, multis potuit rationibus dici Romanus ciuis natus; ſicut & Paulus [e], Tarſenſis cum eſſet, ſe ciuem Romanum natum gloriatur. De tempore autem eius ordinationis, complures extent ipſius litteræ [f] ſub huius anni Coſſ. datæ, ex iis corrigendus eſt Marcellinus, dum poſt annum ſequentem ponit eius ingreſſum.

a Mart. Ro. 25. Febr.
b Greg. hom. 38. in Euang. & l. 4. dial. c. 16.
c Anaſt. de Rom. Pont.
GELASII PP. CREATIO.
d Gelaſ. ep. 10. ad Anaſt. Imp.
e Act. 22.
f Gelaſ. ep. 1. 2. 9. 10. 1. 17. Rom. Pont.

II. DE LITTERIS INTER EVPHEM. CONST. ET GELAS. PAPAM PRO COMMVNIONE CATHOL.

Simulac autem eius creationem Euphemius Epiſcopus Conſtantinopolitanus accepit, more maiorum epiſtolam ad eum vna cum fidei ſuæ profeſſione ſcripſit: quam etſi Gelaſius veritati conſonam Catholicæ reperit, tamen quod nequaquam Euphemius è Diptychis nomen Acacii prædeceſſoris ſui, ab Eccleſia Romana ob communicationem & participationem cum hæreticis damnati, vt Felix Papa monuerat, expunxiſſet; non communicatorias ad eum, ſed commonitorias potius litteras reddidit, quibus ſignificauit fruſtra ipſum Romanæ adeoque Catholicæ Eccleſiæ communicationem ſperare, niſi abolito Acacii nomine. Cumque Euphemius alia rurſus ad eundem miſſa legatione, perſuadere adhuc niſus eſſet, vt abſque expunctione Acacii condeſcendens fide Catholicis, inde quoque communicatione iungeretur, multiſque ad hoc vſus eſſet argumentis; iterum Gelaſius ad eum reſcribens [g], quam leuia ea eſſent demonſtrauit, & in ſententia denegandæ communicationis perſeuerauit. Quem & honorificis Anaſtaſium Imperatorem litteris ſalutaſſe, licet nullas ab eo percepiſſet, teſtatur ipſe Commonitorio ad Fauſtum, de quo dicetur anno ſequenti.

g Id. ep. 9.

III. ELIAS EPISC. HIEROS.

Hoc item anno ex hac vita deceſſit Salluſtius Hieroſolymitanus Epiſcopus, anno ſedis octauo; & in eius locum ſuffectus eſt Elias vir laudatiſſimus, natione Arabs, profeſſione monachus, ex diſcipulis S. Euthymii. Conſtant iſta ex Cyrillo in Actis [h] S. Sabæ. Qui de hymno Triſagio paulo inferius ait, eumdem Sabam cum apud quoſdam Armenos abolere vellet prauam illam Petri Fullonis additionem, *Qui crucifixus es pro nobis*: illud inſtituiſſe; vt ipſi reliquos quidem hymnos cani ſolitos, propria & vernacula lingua pſallerent, ſed Triſagion Græce tantummodo. Idq; ea ratione, vt audiretur ab omnibus, Catholicos longe aliter hymnum illum occinere, quam docuiſſet Petrus Fullo; & qua lingua ille hæreſim ſacræ cantioni admiſcuiſſet, eadem Catholici illam abſque vllo additamento occinentes, errorem redarguerent hæreticorum, & ſe perſpicue eſſe Catholicos declararent. Quod ſalubri conſilio introductum eſt pariter in Occidentali Eccleſia; vt vbique ſolemni ritu in Paraſceue, cum Sancta Crux adoratur, abſque illo additamento, *Qui crucifixus pro nobis*, Triſagion Græce tantummodo publice concinatur: qui laudabilis vſus hactenus in deteſtationem antiquæ blaſphemiæ perſeuerat.

h Apud Sur. 5. Dec. c. 38.
DE HYMNO TRISAGIO GRÆCE CANENDO.

IV.

Hoc eodem anno, qui ſecundus eſt Imperatoris Anaſtaſii, cœptum eſſe *Bellum Iſauricum*, auctor eſt Marcellinus [i]; quod ſexennio perduraſſe tradit; Theodorus [k] vero quinquennio. Cum ex rebus ipſo exordio proſpere ſuccedentibus Anaſtaſius inſolentior factus, pœnitens ſe dediſſe fidei Catholicæ profeſſionem Euphemio Conſtantinopolitano Epiſcopo eamdem ſibi ab eo teſti-

i Marcel. in Chron.
k Theod. Lect. Collect. l. 2.

l Theod. lib. Coll. in Comp. m Euagr. l. 3. c. 30.

tui [l] coegit : eo quidem prætextu (vt docet Euagrius [m]) quod videret Concilium Chalcedonenſe à nonnullis recipi, ab aliis vero reiici, indeque plurimas oriri vbiq; diſſenſiones: ad quas quodammodo ſedandas, iuſſit vt vnuſquiſque ſecundum conſuetudinem eius loci vbi degeret, de eodem Concilio ſentiret, ceterum de illo nemo diſputare præſumeret. Quibus plane ſignificatur, ipſum Imperatorem nec fuiſſe Eutychianum hæreticum, quippe qui prohiberet damnari Concilium Chalcedonenſe; neque Catholicum, cum haud illud permitteret prædicari. Cuiuſnam ergo hæreſis ſectator dicetur? Acephalorum fuiſſe, habent Acta [n] Theodoſii Cœnobiarchæ: idque ipſum affirmant Cedrenus, & alii. Sed rurſum alii dixere Manichæum, vtpote Manichæa matre natum. Leontius [o] autem inter illos hæreticos recenſet, qui ob id quod neutri duarum aduerſantium ſibi inuicem partium inhærerent, nominati ſunt *Haſitantes*, qui & ipſi quod capite carerent, *Acephali* dicti reperiuntur: eorum vero rationes ac falſos prætextus, quibus detineri ſe dicebant quominus Concilium Chalcedonenſe ſuſciperent, idem Leontius perfacile diſſoluit; ſimulque egregie confutat quod iidem cum Eutichianis eos redarguerent, qui duas aſſererent in Chriſto naturas.

CVIVS HÆRESIS SECTATOR ANAST. IMP. n ep. Sur. 11. Ianuar. o Leont. de Sect. Act. 5. & 6. HÆSITANTES HÆRET.

ANAST. IMP. 3. THEODER. REG. 1.

IESV CHRISTI AN. 493.

GELASII AN. 2.

I.

ANno Domini quadringenteſimo nonageſimotertio, Caſſiodorus Albinum tantum Conſulem ponit, Marcellinus vero addit etiam collegam Euſebium. Quo anno Theodoricus Amalus Gothorum Rex, diutinæ Rauennæ obſidionis tædio affectus, eiuſdem ciuitatis Epiſcopi interuentu ita cum Odoacre intus obſeſſo conuenit, vt ambo æqua ſorte in illa vrbe viuerent, pariterque potirentur Imperio. Quibus conditionibus aliquamdiu vtrinq; ſeruatis, Theodoricus eo prætextu quaſi in ſe machinatus inſidias eſſet, Odoacrem ad epulas fraudulenter euocatum interemit. Hæc breuiter Procopius [a]: quæ proditorie fuiſſe peracta, prætermiſerunt Caſſiodorus atque Iordanus; ille, quia in gratiam Theodorici, cui erat ab epiſtolis, cuncta diſponeret; iſte, quia ſuorum Gothorum ſcriberet hiſtoriam.

ODOACER PRODITORIE OCCIDITVR. a Procop. de bel. Goth. l. 1.

II. THEODORICVS POTITVR ITALIA.

Poſt hæc vero THEODORICVS, reliquis ſibi hoſtibus conciliatis integra potitus Italia, ad ſtabiliendum ſibi regnum, pacem ab Anaſtaſio Imperatore per legatos petiit, & impetrauit. Miſſiſque item ad Clodoueum Francorum Regem Legatis, filiam eius Audeflendam in vxorem obtinuit [b]: & quas ex concubina olim genuerat, duas filias, alteram nuptui tradidit Alarico Vviſigothorum in Gallia Regi, alteram Sigiſmundo filio Gundebaldi Regis Burgundionum in eadem Gallia regnantis. Cumque iam antea [c] cum VVandalis Africæ dominantibus pacem iniuſſet; ſic omnium vbique Principum fœdere ſecurus redditus, rebus politicis moderandis animum penitus addixit; vſus Romanis magiſtratibus, atque inprimis induſtria *Aurelii* CASSIODORI Senatoris ampliſſimi atque doctiſſimi; quem auctum dignitate Patriciatus [d] retinuit apud ſe ad moderandum regnum, leges populis ſanciendas, & conſcribendas ad diuerſos maioris momenti epiſtolas, ex quibus ipſius Caſſiodori libri Variarum confecti ſunt. Quamuis enim Theodoricus Arianus eſſet, bene tamen Catholicis vſus eſt, non tantum nihil negotii illis faceſſens, ſed & indulgens, & omni officiorum genere proſequens: adeo vt ſe indigno animo ferre monſtrarit ſiquis in eius gratiam à Catholica fide in Arianiſmum tranſiret; quem & aliquando tradunt [e] miniſtro amatiſſimo ea de cauſa caput amputaſſe, hæc præfatum, *Si Deo fidem ſinceram non ſeruaſti, quomodo mihi, qui homo ſum, conſcientiam ſanam præſtabis?* Sed & multa alia laude digna ipſo regni ſui exordio præſtitiſſe conſtat; reoſque quamplurimos relaxando, & captiuos redimendo, atq; alia bona ſubditis ſuis procurando, cunctorum ſibi Italorum animos conciliaſſe,

b Iornand. de reb. Goth. c Caſſiod. in Chron. ann. 491 d Id. Var. l. 1. ep. 14. CASSIODORI OPERA VSVS THEOD.

e Niceph. l. 16. c. 35. Theod. Lect. Coll. l. 2. & alii. OPTIMA REGNI THEOD. PRINCIPIA.

vt docet Ennodius Ticinenſis diaconus in Rebus geſtis S. Epiphanii eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, quem Theodoricus valde coluit, & in eius gratiã multa diuerſis induſit.

III. GELASIVS PP. VTITVR OPERA FAVSTI IN CAVSA EVPHEMII CONST. f To. 2. Conc. & to. 1. ep. Ro. Pont.

Ceterum decreta, quam diximus, ab eodem Theodorico Rege ad Anaſtaſium Imperatorem legatione; vni ex legatis Fauſto Magiſtro Officiorum Gelaſius Papa cauſam commendauit Euphemii Conſtantinopolitani Epiſcopi; vt ſi poſſet, ei perſuaderet Eccleſiæ Romanæ æquiſſimis iuſſionibus parere (quod hactenus detrectaſſet) in expunctione nominis Acacii è ſacris Dyptychis. Sed non valuit hæc peragere Fauſtus, refragante Euphemio & maiora rixarum fomenta miſcente, dum qui alioqui Orthodoxæ fidei tenaciſſimus defenſor eſſet, tamen non ſolum Acacii patrocinium ſuſcepit, ſed & eo dementiæ progreſſus eſt, vt ipſam Apoſtolicam ſedem ad iudicium vocare in animum duxerit, multaq; aduerſus eam iactari ab hæreticis & ſchiſmaticis effutiri conſueta; & calumniis eandem apud Anaſtaſium Imp. onerauerit. De quibus omnibus Gelaſius à Fauſto certior redditus, miſit ad ipſum aduerſus eiuſmodi obiectiones calumniaſque egregiam defenſionem, quæ extat [f] tanto Pontifice digna, eademq; *Commonitorii* nomine nuncupata, quod Fauſtum Gelaſius admoneret quonam modo obiecta ab aduerſariis refellere poſſet: in qua & multa legas de auctoritate Romanæ Sedis, ad quam aliæ quæcumq; vniuerſi Orbis, atq; etiam Patriarchales Eccleſiæ appellare ſoleant, ipſa vero nulli prorſus iudicio ſubiaceat. Quemnam autem hæc ſucceſſum habuerint, dicetur poſtea.

IV. g Gelaſ. ep. 3. 4. 5. to. 1. ep. Ro. Pont. GELASIVS INVIGILAT ADVERS. PELAG.

Hoc eodem anno aduerſus Pelagianos Dalmatiam tentantes, Picenum vero adeo iam infeſtantes, vt etiam nonnulli eiuſdem prouinciæ Epiſcopi illis inhęreſcerent; idem Gelaſius Papa literas [g] conſcripſit, quibus acriter Epiſcopos de ipſorum oſcitantia arguit; eoq; magis quod ſuam Piceni prouinciam ſeduci paterentur à Seneca quodam caſtoſo ſene, homine rudi, illiterato, atque ipſius etiam (vt ait) intelligentiæ communis prorſus extraneo, qui & amplius vna eademq; congregatione puellis ſacris miſcebat monachos; tantam vim aſſerens homini etiam ſine Dei adiutorio ineſſe liberæ voluntatis, vt ſi vellet poſſet inter adoleſcentulas verſari, contrectare, & tamen nullatenus inquinari. Ad quam curandam prouinciam, malaque auellenda, Legatum miſit Gelaſius *Romulum* S. R. E. diaconum Cardinalem. Legitur item eiuſdem Pontificis nomine volumen aduerſus Pelagianam hæreſim: at nulla eſt mentio de eo apud Gennadium eiuſdem temporis auctorem, dum Gelaſii ſcripta relegit.

V. APPARITIO S. MICHAELIS IN GARGANO MONTE.

Sed hoc eodem anno Gelaſii Papæ ſecundo ponitur à Sigeberto, factam eſſe inuentionem Cryptæ *Gargani* montis in Apulia, quæ ex Apparitione S. Michaelis Archangeli reddita celeberrima, pio eſt cultui mancipata; atque ob ingentia illic edi ſolita miracula, iugi in poſterum peregrinatione Fidelium frequentata, cum & eandem S. Archangeli apparitionem vniuerſa Occidentalis Eccleſia anniuerſaria ſolemnitate celebrandam ſuſcepit. Quamuis & ante iſtam apparitionem, iam celebrem Romæ fuiſſe cultum eiuſdem S. Archangeli ob aliam eius apparitionem, conſtet ex carmine [h] Drepanii Flori; celebris ætatis ſuæ poetæ, cuius meminit Sidonius [i] Apollinaris. Sed & alias eius generis Apparitiones plures tum in Oriente tum in Occidente, erectaſque in honorem eiuſdem S. Michaelis eccleſias, Græcorum atque Latinorum Scriptores produnt.

h Ex to. 8. Bibl. Sa. Pat. i Sidon. l. 1. ep. 11. ad l. ep.

VI. MOTVS CONST. ADVERS. IMP.

Quod ad res Orientales pertinet, ſub hoc eodem Albini Conſulatu (vt Marcellinus ait) bella ciuilia aduerſus Anaſtaſii regnum apud Conſtantinopolim geſta ſunt: ac ſtatuæ Regis Reginæque funibus per vrbem tractæ. Quæ quidem accidiſſe videntur vulgi furore ſine capite debacchantis; quod indigne ferret excluſum (vt dictum eſt) Longinum germanum Zenonis, hominem (vt teſtantur Suidas, & alii) ob profuſas impenſas plebi intimæ acceptiſſimum. In Lidis autem ſpectans vulgus tumultuatum eſſe, habent etiam literæ Gelaſii Papæ ad Anaſtaſium, anno ſequenti ſuo loco citandæ.

ANAST. IMP. 4. THEOD. REG. 2.

IESV CHRISTI AN. 494.

GELASII AN. 3.

I. ANNO Chriſti quadringenteſimo nonageſimo quarto, Aſterio atque Præſidio Coſſ. remeantibus Romam Theodorici Regis legatis anno ſuperiori Conſtantinopolim miſſis, nunciatiſque Gelaſio Papæ quæ ab Imperatore Anaſtaſio accepiſſent, conquerente inter alia quod ab eo per illos litteras non accepiſſet: ipſe Gelaſius Apologeticam egregiam epiſtolam ad eumdem Auguſtum conſcripſit[a], qua inter cetera Sacerdotalis dignitatis eminentiam demonſtrauit, Sediſque Apoſtolicæ excellentiam extulit; ſed & fidei Catholicæ, atque Concilii Chalcedonenſis obſeruationem multis commendauit; eoſque admodum culpabiles eſſe oſtendit, qui Acacii nomen adhuc retinerent in Diptychis.

a Gelaſ. ep. 10. To. 1. ep. Rom. Pont. Citatur etiam in Capitul. Franc. lib. 5. c. 167.

II. FALSI PRÆTEXTVS EVPHEMII CONST. ET ALIOR. SCHISMATICOR.

Verum nec iſtis quidem Anaſtaſius perſuaderi valuit, vt remoto obice Eccleſiis vnio redderetur: & Euphemius Conſtantinopolitanus Epiſcopus eo obſtinatius in ſententia retinendi nominis Acacii obduruit, quod ipſe contra ingruentes hæreticos in Oriente fidei Catholicæ acerrimum ageret defenſorem, tutareturque Concilium Chalcedonenſe aduerſus primatum ſedium Alexandrinę & Antiochenæ Patriarchas ipſumq; Imperatorem illud cuniculis oppugnantem. Vnde & factum eſt, vt omnes ferme Catholici Orientales Epiſcopi ei communicarent, præſertim cum iactaret, non de fide, ſed tantum de moribus Altercationem eſſe inter ſe & Romanum Pontificem, ac per Apoſtolicam Sedem magis exerceri vindictam quod ab Acacio ſpreta eſſet, quam iuſtitiam defendi. Complures tamen reſilierunt omnino ab illo; veluti Epiſcopi Dardaniæ & Illyrici, qui nullis induci valuere argumentis atque prætextibus, vt ei communione iungerentur: ſicut nec Macedoniæ Antiſtites, excepto Theſſalonicenſi Metropolitano; qui cum alias ſemper aduerſus ſchiſmaticos Orientales Sedi Apoſtolicæ firmiter adhærere conſueuiſſet, tamen Acacianis modo turpiter inhæſit; vt de his omnibus conſtat ex litteris[b] Gelaſii Papæ ad Epiſcopos Dardaniæ & Illyrici, datis per *Cyprianum* atque *Macarium* S.R. Eccleſiæ diaconos, quos ad eoſdem in fide conſolidandos miſit; aliiſque iam antea[c] ad Laurentium Lignidi in Macedonia Antiſtitem ſcriptis.

b Idem ep. 1.

III. CONC. ROM. PRO CONSERVANDA VNITATE FIDEI.

Placuit autem inter hæc eidem Gelaſio, congregato Romæ CONCILIO ſeptuaginta Epiſcoporum, quæcumque ad fidem Catholicam illibate cuſtodiendam, pacemque in Eccleſia reſtituendam ſpectare viderentur, conſtituere. Cuius rei perficiendæ gratia, decretum edidit ab Eccleſia Catholica perpetuo retinendum; in quo poſt recenſitos Canonicos Libros tam Veteris quam Noui Teſtamenti, adiecit de Primatu Eccleſię Romanæ ſupra alias omnes voce Domini inſtituto; deque aliarum poſt eam Patriarchalium ſedium Alexandrinæ & Antiochenæ antiquis iuribus, ad reprimendum Conſtantinopolitanorum Epiſcoporum ſe ſupra eas erigentium præſumptionem. Quibus addidit approbationem quatuor Oecumenicarum Synodorum hucuſque celebratarum, videlicet Nicænæ, Conſtantinopolitanæ, Epheſinæ, & Chalcedonenſis. Ac poſtea delectum habuit Eccleſiaſticorum librorum, qui hactenus editi legi ſolerent, diſtinguens Orthodoxos ad hæreticis. Et tandem damnationem appoſuit omnium hæreſiarcharum & ſchiſmaticorum; inter quos ad poſtremum recenſuit quoque Acacium Conſtantinopolitanum olim Epiſcopum, eadem anathematis ſententia innodatum.

IV. CLOTILDIS NVPTIÆ CLODOVEO FRANC. REGI.

Hoc ipſo anno, qui numeratur decimus Clodouei regnantis in Gallia, idem Rex adhuc Paganus exiſtens, vxorem duxit *Crotildem*, ſiue Clotildem, Chriſtianam feminam, filiam fratris Gundebaldi Regis Burgundiæ; per quam poſtea (vt dicetur) & ipſe factus eſt Chriſtianus. Porro voluit Deus tanti coniugii primitias ſibi offerri, vt vt ſic magis cœleſtibus benedictionibus augeretur; cum videlicet primogenitum ex eo filium natum baptizatum à Clotilde, & Ingomerem nominatum, adhuc in albis poſitum in cœlum accepit, quaſi obſidem & pignus crediturì parentis. Verum Rex ignorans Dei cōſilium, nonnihil in Reginam commotus, quaſi ob impertitū baptiſmum à diis ſuis puer ex hac luce ſubtractus eſſet; vehementius eam increpauit cum natus alius filius (quem eadem baptizatū vocauit Clodomirum) ægrotare cœpiſſet: ſed huic precibus Reginæ ſalus eſt reſtituta. Hæc autem omnia quomodo ſe habuerint, exacte deſcripſerunt qui res Francorum antiquitus proſecuti ſunt, Gregorius[d] Turonenſis, Aimoinus[e], (quem Aimonem alii Aimonium nominant) & qui Vitam S. Remigii conſcripſit Hincmarus.

LIBERI CLODOVEI BAPTIZATI.

d Greg. Tur. de reb. Franc. l. 2. c. 29. 30. e Aimoin. de geſt. Franc. l. 1. c. 13. f Hincmar. ap. Sur. to. 1.

V. S. BENEDICTVS E VRBE ABIIT.

Hoc eodem anno (vt habet vetus hiſtoria Caſſinenſis) magnus ille monachorum Patriarcha, Occidentalis decus Eccleſiæ, BENEDICTVS Nurſiæ nobili genere ortus, ac Romæ literis dans operam, ab Vrbe receſſit, ſublimioris vitæ ſectaturus inſtitutum. At cum de re ipſa liquido conſtet, de anno tamen diuerſæ admodum inter ſe pugnantes reperiuntur ſententiæ. Sed omiſſis aliis, veritati magis conſentiens apparet illa, qua ipſe ponitur ex hac vita deceſſiſſe anno Domini quingenteſimo quadrageſimo ſecundo, quam affert Leo Oſtenſis Epiſcopus ex Caſſinenſi cœnobii antiquioribus monumentis: quibus etiam cum aſſeratur annos vixiſſe tantum ſexaginta duos; ea ratione æque reperitur ipſe natus anno quadringenteſimo octogeſimo, atque præſenti quo ab Vrbe ponitur receſſiſſe, annum ætatis egiſſe decimumquartum. quem vsque adhuc ætate tenerum, nutrix eſt cōſecuta; vt teſtatur S. Gregorius[g] Papa, qui eiuſdem Sancti Patriarchæ præcipuas res geſtas ſcriptis mandauit. Nutricem autem aliquandiu apud ſe retinuiſſe illum, docet tota illa de tritico purgando, & capiſterio fracto reſtauratoque hiſtoria. Quod demum tempore poſt vulgatum editum ab eo grande miraculum, ipſe iam tunc ætate adoleſcens, animoque promptus & viribus, inde aufugiens ſeceſſit ad locum qui Sublacus dicitur, iuxta Simbruinos montes atque in altiſſimam ſpeluncam penetrans, in ea ſic per triennium delituit, vt vnus id ſciret Romanus monachus, quo ad vitæ neceſſitatem miniſtro vtebatur. Sed Dei reuelatione notior factus, & virtute miraculorum redditus vniuerſæ illi regioni conſpicuus; inuidiæ iaculis ab hominibus appetitus, poſtquam vires Satanæ ipſum aggredientis multis modis confregiſſet, ad vitæ ſanctæ æmulationem ſuo exemplo quamplurimos traxit, duodecimque à ſe erecta monaſteria repleuit. Sicque perſeueraſſe vſque ad annum Domini quingenteſimum vndetrigeſimum, atque poſtea migraſſe Caſſinum, ex Chronico Caſſinenſi compertum habetur.

g Greg. l. 2. dial.

S. BENEDICTVS IVVENIS OMNIBVS VIRTVTE MIRACVL.

VI. Sane quidem in tanti viri vocatione, ſumma Dei in conſulendo ſuæ Eccleſiæ innotuit prouidentia: dum quo tempore vniuerſus ferme Chriſtianus Orbis diuerſis infectus eſſet hæreſibus, in tam tetræ noctis obſcuritate eiuſmodi claritudinem lucis immiſit, qua vniuerſus Catholicus orbis illuſtraretur: cum tamen iam ante ipſius tempora, conſtet etiam in omnibus Occidentalis Eccleſiæ prouinciis viguiſſe diuerſa genera monachorum: vt quæ ſæpe ſuperius dicta ſunt certiſſimam fidem faciunt. Vt propterea illi agant, qui S. Benedicto quos non genuit alienos partus ſupponunt; qui inquam, nimio eius Ordinis amore, plurimos fama illuſtres viros etiam qui longe ante S. Benedicti tempora floruerunt; atque (quod magis admireris) ex Orientalibus qui ſub inſtitutis S. Baſilii militarunt, eiuſdem fuiſſe Regulæ profeſſores impudenter nimis affirmant: quod præſtitit inter alios Trithemius, auctorque poſterioribus extitit idipſum faciendi. Illud autem glorioſe prædicare de ipſo liceat, coaleſcente nobili planta, maioribus incrementis in dies magis magiſque dilatatum eſſe eumdem Ordinem, progreſſuque temporis complures alios extitiſſe monachorum Ordines ſub eiuſdem Sancti Regulis militantes.

MVLTI FALSO ASSERTI DISCIPVLI S. BENED.

ANAST. IMP. 5. THEOD. REG. 3.

IESV CHRISTI AN. 495.

GELASII AN. 4.

I. ANNVS Domini quadringenteſimus nonageſimus quintus Conſulatum Viatoris notatum habet in Faſtis Caſſiodori & Marcellini: cui addunt alii collegam Æmilianum.

II. Cuius exordio, nempe ipſis Calendis Februarii Gelaſius Papa prolixam valde atque eruditam epiſtolam dedit [a] ad Dardaniæ Epiſcopos: qui cum Apoſtolicæ ſedi firmiter huc vſque adhæſiſſent, iam ab Euphemio Conſtantinopolitano Epiſcopo tentati vacillare viderentur. Porro hanc Epiſtolam non eis tantum voluit eſſe communem, ſed vbique vulgari, notamque in Oriente reddi tam Orthodoxis quam hæreticis & ſchiſmaticis. Qua inter alia plurima refellens quod Euphemius obiiceret Acacium non fuiſſe damnatum ab aliqua Synodo, ſed à Romano ſolo Pontifice, ideoque non debere memoriam eius execrationi eſſe: pluribus ipſe rationibus, & exemplis ſedium etiam Patriarchalium Orientis, demonſtrat Romanæ Sedis eſſe, non ſolum abſoluendi quos quæuis Synodus damnaſſet, ſed & damnandi noxios abſque vllo Synodali conuentu. Poſt nonnulla vero ridens quod idem Euphemius ſibi primatum ſupra Orientales Eccleſias vendicaret, quod tunc regia vrbs Conſtantinopolis eſſet: eadem ratione infert, Rauennam quoque Mediolanum, Sirmium, atq; Treuiros primatum prætendere poſſe quod apud eos multis temporibus Imperatores conſtitiſſent.

a Gelaſ. ep. 11. EPIST. GELASII PP. AD EPISC. DARDAN. ADVERS. EVPHEM. CONST.

III. At cum ne ſic quidem Euphemius quieſceret, factum eſt iuſto Dei iudicio, vt per hæreticum Principem ſchiſmaticus Epiſcopus repreſſus fuerit. Hoc namque anno ſub iiſdem Coſſ. ipſum Euphemium (falſo licet ab Anaſtaſio Imperatore accuſatum, ac perperam in eius gratiam à quibuſdam Epiſcopis excommunicatum atque damnatum) in exilium ductū eſſe, Marcellinus eſt auctor. Cauſam vero prætenſæ damnationis Theodorus [b] Lector hâc narrat, videlicet quod Euphemius Iſauris fauiſſet, dum aduerſus eos Imperator bellum gereret. Re vera autem ideo expulſus ex Suida intelligitur, quod comminatus eidem Anaſtaſio eſſet depoſitionem ab Imperio, ſi perſeueraret hæreticus. Sicque plane qui glorioſum eſſet confeſſionis titulum ob hæc conſecutus Euphemius; quod ab ipſa Romana Eccleſia minime meruit ad communionem admitti, inglorius deceſſit, eiuſque poſtea (vt dicetur) nomen è Diptychis eſt ſublatum. Addit vero Theodorus, in locum eius ſubrogatum eſſe ab Imperatore *Macedonium* eiuſdem Eccleſiæ presbyterum atque cuſtodem, virum pium ac religioſum, vtpote S. Gennadii eiuſdem olim Eccleſiæ Catholici Antiſtitis ſororis filium, & ab eodem educatum; ac licet populus ſeditionem mouiſſet propter Euphemium, præualuiſſe tamen Imperatoris ſententiam. Sed quod Macedonio idem auctor notam inurit ſubſcriptionis impii Zenonis Henotici, ab horum temporum fideliſſimo ſcriptore Cyrillo [c] redarguitur, dum aſſerit eumdem Macedonium rectam fidem amplexum eſſe, idque non parum ab initio turbaſſe Imperatorem.

EVPHEM. PELLITVR IN EXILIVM.

b Theod. Lect. Collect. lib. 2.

MACEDONIVS ELIGITVR EPISC. CONST.

c Cyril. in Vit. S. Saba, c. 69. ap. Sur. to. 6.

IV. Hoc item anno, ſub eodem Conſulatu Viatoris, menſe Martio celebrata eſt Romæ à Gelaſio Papa SYNODVS quinquaginta quinque Epiſcoporum in cauſa Miſeni Epiſcopi: qui cum depoſitus eſſet in alio Concilio Romano ſub Felice Papa (vt ſuperius dictum eſt) quod miſſus Conſtantinopolim, præuaricatorem ſe conſtituiſſet mandatorum Sedis Apoſtolicæ, in communicando cum Acacio; nunc veniam erroris petens, poſt multam pœnitentiam; poſtque anathematizatum vna cum aliis hæreticis ipſum Acacium, ex conſenſu omnium Patrum abſolutus eſt ac reſtitutus; cum iam antea Vitalis, ipſius in legatione & præuaricatione collega, mortuus eſſet abſque reconciliatione Eccleſiæ. Extant [d] autem germana huius Synodi Acta, in quibus tota rei geſtæ hiſtoria fuſius continetur.

CONC. RO. IN ABSOLVTIONE MISENI.

d To. 2. Conc. & to. 1. ep. Rom. Pont. in Gelaſ.

V. Hoc eodem anno mortuus eſt Gundabundus VVandalorum in Africa Rex, regni ſui anno duodecimo inchoato; poſtquam intermiſſam aliquamdiu perſecutionem inſtaurans, Eugenium ſanctiſſimum Carthaginenſem Epiſcopum, iam in deſerto Africæ exulem, longius in Gallias relegaſſet; quem non ferret qualicumque ſorte in VVandalica ditione degere, quod ſciret ipſum reſtituere lapſos ad pœnitentiam, ſtantes ad martyrium roborare, ſcribereque frequentes (vt Gennadius [e] docet) ad ſuos literas paſtorales, aliaque egregia edere pro fidei Catholicę defenſione aduerſus impietatem Arianam ſcripta, operaque. Ipſum autem in Albigenſi ciuitate diem clauſiſſe extremum, multiſque claruiſſe miraculis, Gregorius [f] Turonenſis ſcribit; ſed perperam hanc eius relegationem ſub Hunerico Gundabundi patre collocans: perueniſſe namque eum ad Anaſtaſii Imperatoris tempora, ex eodem Gennadio, necnon ex Gelaſio [g] Papa conſtat; qui ſub eodem Anaſtaſio ſcribentes, de Eugenio adhuc ſuperſtite meminerunt.

e Gennad. de Script. Eccl. c. 97. S. EVGENII CARTHAG. OBITVS. f Greg. Tur. 2. hiſt. Fran. 3. & 1. Mirac. 58. g Gelaſ. ep. 11. ad Dard.

VI. Ceterum in locum Gundabundi ſucceſſit *Traſamandus* ipſius frater; quem ſapientia & magnitudine animi omnes maiores anteceſſiſſe, Procopius [h] tradit: additque eum Chriſtianos, non pœnis, ſed præmiis ad deſerendam fidem inuitaſſe. Sane quidem S. Fulgentius [i] ad hunc Regem cum libros ſcripſit, eum parente meliorem appellat. Ei vero Theodoricus Italiæ Rex matrimonio iunxit ſororem ſuam nomine Amalaſridam. Eumdemque Anaſtaſio Imperatori amiciſſimum extitiſſe, idem Procopius ſcribit. At de illo ſæpe inferius.

TRASAMVNDVS REGNAT IN AFRICA. h Procop. de b. l. VVand. lib. 1. i Fulg. ad Traſam. lib. 3. in fin.

ANAST. IMP. 6. THEOD. REG. 4.

IESV CHRISTI AN. 496.

GELASII AN. 5.

I. ANNO Domini quadringenteſimo nonageſimo ſexto, Paulo Conſule abſque collega, vndecimo Calendas Decembris S. Gelaſius Papa ex hac vita migrauit, cum ſediſſet (vt habent Indices Vaticani, & Anaſtaſius in libro de Romanis Pontificibus) annos quatuor menſes octo dies decem & nouem: ſepultuſque eſt in Baſilica S. Petri Apoſtoli. Cuius lucubrationes recenſens Gennadius [a], ait eum inter alia aduerſus Eutychetem & Neſtorium ſcripſiſſe grande & præclarum volumen. Vnde crediderunt plerique, libellum illum qui Gelaſii nomine circumfertur ſub titulo *De duabus Naturis aduerſus Eutychetem & Neſtorium*, Gelaſii Papæ eſſe: idq; præcipue hæretici quidam aſſeruerunt, putantes ſe ex illo contra Eccleſiæ doctrinam de ſanctiſſima Euchariſtia colligere poſſe, in ea vna cum Corpore & Sanguine Chriſti remanere ſubſtantiam panis & vini. Verum nec iſtud ex eiuſdem libelli verbis quæ proferunt, inferri vllo modo poſſe, à multis iam Catholicis tractatoribus demonſtratum [b] eſt: nec hunc ipſum libellum Gelaſii Papæ eſſe [bb], vel inde euidenter elici poteſt, quod cum Gennadius grande fuiſſe volumen tradat, ſed & Anaſtaſius [c] Bibliothecarius in quinque libros partitum affirmet; hic tamen commentarius de quo controuertitur, vnius libelli periodo terminetur. Quibus adde, quod cum auctor in fine profiteatur, ſe Catholicorum Patrum teſtimonia afferre, quibus à ſe dicta confirmet; & tamen Græcorum duntaxat auctoritate nitatur vix duob. Latinis ex plurimis in teſtimonium adductis: manifeſte ſe Græcum, non Latinum eſſe ſcriptorem detegit; idque ipſum phraſis Latina ſatis indicat, videlicet è Græco eſſe conuerſum.

GELASII PP. OBITVS. a Gennad. de Script. Eccl. c. 14. DE LIBRO ADVERS. EVTYCH. NOMINE GELASII SCRIPTO. b Agit. etiam de hac ſuſe ipſe Baron. Annal. To. VI. hoc an. bb Ita quidē ſenſerunt & alii plerique haſtenus, nimirū hunc libellum nō eſſe Gelaſii Papæ patrum. Verum illū S. Fulgentius, qui eodem tēpore vixit, & æq; Afer natione fuit, Gelaſio Papæ abſque vlla dubitatione adſcribit, multa ex eo citans Reſp. 2. ad Ferrand. diac. Hæc vero eiuſdē libelli verba, quæ hæretici in ſuum ſenſum detorquēt, aliquid obeſſ: Catholicæ veritati, multi iā docuerunt.

II. Quapropter aliorum omnium omiſſis opinionib. quibus eiuſdē opuſculi diuerſos condunt auctores, equidem illud abſq; vllo dubio aſſeruerim, non alium eius ſcriptorem eſſe quam Gelaſiū illum, quē Photius [d] ait Acta primæ Synodi Nicænæ edidiſſe, quæ & ipſa nuper in lucem ſunt edita, ac de iis diximus in eodem Concilio. Quorum quidē auctor (vt ipſe teſtatur) Cyzici verſatus, aduerſus Eutychianos hæreticos, qui impugnantes Chalcedonenſe Concilium, profeſſor eſſe Magnæ Synodi Nicęnæ vane gloriarentur, edidit quæ reperit a Dalmatio Cyzici Epiſcopo conſcripta Acta Nicæni Concilii; hoc eſt non vere Acta ipſa (vt Photius ait) ſed de rebus geſtis in Synodo hiſtoriam.

QVIS GELASIVS AVCTOR OPERIS. d Phot. in Biblioth.

ſtoriam. Quoniam autem idem Gelaſius vixerit tempore in eius operis præfatione ipſe declarat; nimirum poſt impii Baſiliſci tyrannidem, cum Eutychiani inualeſcerent aduerſus Eccleſiam Catholicam. Sed & cum addat, ſe eoſdem hæreticos diſputando confutaſſe, pariterque auctor libelli illius de duabus naturis in ipſo exordio profiteatur, ob recentem obortam ea de re controuerſiam ſe eſſe opus illud aggreſſum; certe poſſumus intelligere, vnum eundemque Gelaſium vtriuſque tractatus eſſe ſcriptorem.

III. De Gelas. Papæ scriptis. e Caſiod. de diui. lect. c. 1. f Refellit eorũ calumnias Baron. Annal. To. VI. hoc ex quem tacomſulas, ſi libet. nobis enim non licet his immorari, eo maxime quod de his quæſtionibus iã actum ſit aliis locis ſuperius.

Porro haud adeo nouum fuiſſe, vt Gelaſii Papæ nomine ſcripta adulterina, atque etiam hæreſibus conferta diuulgarentur, locupletiſſimus eſt teſtis Caſſiodorus [e] qui eodem ipſo tempore vixit. Quod autem ex veris atque genuanis ipſius ſcriptis, nonnullas alias captant hæretici oppugnandæ veritatis occaſiones, ſiue in afferenda neceſſaria ſub vtraque ſpecie communicatione, ſiue in negando Chriſtianæ religionis Antiſtitibus rerum ſæcularium vſu: ipſi dum notam inurere conati ſunt eiuſdem Pontificis commentariis, ſeſe imperitos [f] penitus demonſtrarunt.

IV. Gelas. ſuſtulit Lupercalia.

Eſt vero inter alia præclariſſima S. Gelaſii Papæ geſta, illud prorſus admirandum, quod Pontificia edita ſanctione, propria auctoritate, nullo ab Ariano Rege Theodorico tunc Italiæ ipſique Vrbi dominante requiſito conſenſu, prohibuit conſeruata hactenus ex Gentilitia ſuperſtitione *Lupercalia*, quæ fuerant ante exordium Vrbis allata in Italiam. Cumque nonnulli reperirentur, etiam Chriſtiani, iidemque nobiles Senatores, atque inter alios Andromachus, qui eidem Pontifici illa penitus extirpare conanti reſiſterent: aduerſus eos ipſe acerrimam ſtruxit Apologiam, qua ſuum ea de re promulgatum decretum, vt ſancte pieque ſancitum, voluit omnino à Chriſtianis omnibus cuſtoditum: inſuperque demonſtrauit, ob eiuſmodi ſuperſtitiones, arteſque magicas à Romanis retentas, Romanum eſſe collapſum Imperium.

V. Spectacula ad tempus ſublata. g Extat to. 2. Concil in Symmach. h Inf. an. 509. i Salu. de ver. iud. l. 6.

Profeciſſe autem Senatum, vt non Lupercalia tantum, in quæ Gelaſius eo modo declamauit, ſed etiam quæ minoris eſſe ſuperſtitionis & maioris oblectamenti videri poterant, *Spectacula* abſtulerit ſaltem ad tempus: & profuſam illam à nouis Coſſ. fieri ſolitam impenſam in editione Ludorum Circenſium, in pauperum fuiſſe veſtimenta conuerſam, docet Ennodius Ticinenſis in defenſorio [g] libello. Sed hæc tantum (vt diximus) ad tempus: cum eadem nefanda quæ prius, paulo poſt reſumpta fuiſſe importune, viſuri ſimus ſub Conſulatu [h] Importuni. Porro & eadem iam ante hac delinita fuiſſe ad tollendam Idololatriæ ſuſpicionem, vt non in deorum honorem, ſed ad Chriſti gloriam Circenſia celebrare dicerent, Saluianus [i] eſt auctor; deplorans inſuper quod & adhuc nouis Conſulibus pulli Gentilium ſacrilegiorum more paſcerentur, & volantis pennæ auguria quærerentur; ac pene omnia fierent quæ etiam quondam Pagani veteres friuola atque irridenda duxiſſent. Vt iam non ſit amplius mirandum, ſi ob eiuſmodi retentas atque defenſas impietates, fruſtra eas abolere conantibus Summis Pontificibus, ipſa Vrbs Roma cum tota Italia atque vniuerſo Imperio meruerit manibus tradi barbarorum.

VI. k Anaſt. de Ro. Pont. in Gelaſ.

Sed vt redeamus ad Gelaſium Papam; præter illa quæ de eo iam dicta ſunt, recenſentur quoque ab Anaſtaſio [k] plurima alia eiuſdem S. Pontificis ſcripta, geſtaq; præclara, cum aduerſus hæreticos, tum circa res rituſque Eccleſiaſticos: atque inter cetera, quod inuentos in Vrbe Manichæos in exilium deportari præceperit, eorumque codices ante fores baſilicæ S. Mariæ incendio concremauerit. Neque enim tantummodo ipſum multa eruditiſſime ſcripſiſſe, ſed & aliorum ſcripta prudentiſſima perſpicacitate tractaſſe, fidem etiam facit eiuſdem cenſura de Libris Authenticis & Apocryphis, quam in Concilio Romano edidiſſe vidimus. Quapropter & cum vſu veniſſet (quem exemplis quampluri̇mis confirmatum vidimus) vt tam ex Oriente quam ex Occidente ad Romanos Pontifices ſcripta de Fide mitterentur, vt quæ eſſent Catholica cognoſcerent, cognitaq; probarent; quippe quod & ſcientiæ

Gelas. iudex ſcriptorum.

clauem apud eam Eccleſiam eſſe maiores omnes Orthodoxi intelligerent: ſic apud ipſum Gelaſium, auctor eſt Photius [l] ex Oriente Ioannem Orthodoxum Epiſcopum Alexandrinum miſiſſe ſcriptam Apologiam aduerſus Pelagianos: & ex Occidente, tradit Gennadius [m] eumdem Gelaſium Papam S. Honorati Maſſilienſis Epiſcopi viri eloquentiſſimi, cognita ſinceriſſima ſcripta ac fidei integritatem, ea per ſcripturam ſuam probaſſe. Nempe Apoſtolicis literis ſignificabãt Romani Pontifices, commentarium illum vt conſentientem in omnibus Catholicæ veritati, ab omnibus abſq; offenſionis ſcrupulo legi poſſe. Imitatus autem ſuum Epiſcopum idem Gennadius presbyter Maſſilienſis dum à ſe ſcriptum de fide librum (vt ipſe teſtatur [n], ſuas recenſens lucubrationes) ad eumdem Gelaſium Papam miſit, haud tamen ſicut ille, ab ipſo probatus apparet; quippe cuius ſcripta eum demonſtrent in illam Pelagianorũ claſſem reiiciendum eſſe, qui intrinſecus fauentes Pelagianis erroribus, exterius voluerunt videri impugnare Pelagium: fuitq; vnus plane ex presbyteris illis Gallicanis, de quibus SS. Proſperum & Hilarium apud S. Cæleſtinum Papam conqueſtos eſſe vidimus. Verum ipſum poſtea in meliorem frugem redditum eſſe, creatumque eiuſdem Eccleſiæ Maſſilienſis Epiſcopum, conſtat ex epiſtola [o] Hadriani Papæ ad Carolum Magnum, vbi etiam titulo ſanctitatis eumdem honeſtat. Sed de Galaſio, Gennadioque hactenus.

l Phot. in Bibl. m Gennad. de Script. Eccle. c. 99. Rom. Pont. conſuluerant examinare ſcripta de Fide. n Ibi. c. 100. o Ext. to. 3. epiſt. Rom. Pontif.

VII. p Anaſt. de Rom. Pont. Anaſt. II. creatur Ro. Pont. q Marcel. in Chron.

Gelaſio autem mortuo, vacauit [p] ſedes diebus ſeptem: ſicque vigeſima octaua menſis Nouembris, in eius locum ſubrogatus eſt ANASTASIVS eius nominis Secundus, patria Romanus, ex Petro genitus. De cuius creationis tempore corrigendus eſt Marcellinus [q], cum poſt annos duos eius in ſedem ingreſſum ponit.

VIII. Flauianus Iun. Epiſc. Antioc.

Eodem pariter anno mortuus eſt Palladius Antiochenus Epiſcopus, inque eius locum *Flauianus* Iunior ſubrogatus: qui quod pro Concilio Chalcedonenſi aduerſus Imperatorem & alios hæreticos ſtetit, meruit poſtea cum aliis confeſſoribus Epiſcopis exilium ſubire; vt ſuo loco dicturi ſumus. Hocque item anno diem obiiſſe S. Epiphanium Ticinenſem Epiſcopum, de quo ſuperius, conſtat ex Ennodio in ipſius Rebus geſtis.

IESV CHRISTI AN. 497.

Anaſt. Imp. 7. Theodor. Reg. 5.

ANAST. II. AN. 1.

I. a To. 2. Con. & To. 1. ep. Rom. Pont. in Anaſt. Legati Anaſt. Papæ ad Anaſt. Imp. pro pace Eccleſiæ.

ANno Chriſti quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo, Anaſtaſio Auguſto iterum Conſule, Anaſtaſius Papa ipſo ſui exordio Pontificatus legationem ad eumdem Imperatorem miſit cum litteris [a], quibus vehementer inculcauit vt Acacii nomen è Diptychis eraderetur, ſicque concordia Orientali Eccleſiæ reſtitueretur. Porro eiuſmodi legatione functi ſunt *Germanus* Epiſcopus Capuanus ſanctitate conſpicuus, & *Creſconius* Epiſcopus Tudertinus vir plane egregius; cum quibus profectus eſt pariter *Feſtus* Patricius. Quos cum ſuſcepiſſet Imperator; bene quidem illos habens, detinuit ſpe pacis vſque ad finem anni ſequentis, doloſe molitus interea ſi quo modo ad ſubſcribendum Henotico Zenonis ipſum Romanum Pontificem poſſet inducere. Id enim per eumdem Feſtum tentaſſe, Theodorus [b] Lector & Nicephorus [c] tradunt. Quorum etiam teſtimonio conſtat, Macedonium Conſtantinopolitanum Epiſcopum erga Romanum Pontificem fuiſſe redditum propenſiorem, ſed votis ſuis paſſim eſſe Imperatorem maxime aduerſarium.

b Theod. Lect. Collect. lib. 2. c Niceph. li. 16. c. 15. Feſtus prodit cauſam Anaſt. PP.

II. Anaſt. P. ſemper ſincerus perſeuerauit.

Quod vero ad Anaſtaſium Papam attinet; cum is iam ante obiiſſet, quam à Feſto eiuſmodi perfidiæ tentaretur (quod iidem auctores affirmant) eum integrum ſincerumque in Catholica fide permanſiſſe, nullum eſt dubium; quicquid poſtea ſchiſmatici Laurentiani contra illum euomuerunt, atque ab ipſis ſparſum, in libro de Romanis Pontificibus leuiter nimis ei crimini datum fuerit de communicatione cum Photino diacono Acaciano, ac

niſu reuocandi Acacii [d]. Siquidem Acacium longe ante hæc tempora obiiſſe conſtat; & communicationem cum Photino non ob aliud fuiſſe, quam quod Photinus periiſſet vt de prauata per vitioſam interpretationem S. Leonis Papæ epiſtola, in germanam integritatem redderetur ex prototypo Archiui Romanæ Eccleſiæ; certũ redditur ex libello Alexandrinorum, de quo mox dicturi ſumus, cuiuſmodi quidem requiſitum Papæ officium, nec hæreticis denegari potuiſſe extra eſt dubium. Quod ſi contentioſe nimis aſſerere quis vellet, Anaſtaſium propenſiorem fuiſſe in reſtituendo ſublato è Diptychis Acacii nomine, ſed morte præuentum id præſtare minime valuiſſe: in hoc eſt quidem quo maxime admireris Dei prouidentiam erga Romanam Eccleſiam, cum titubantem eius rectorem ex humanis ante ſubduxerit, quam quod meditaretur impleret: ſicut & de aliis eiuſdem Eccleſiæ Pontificibus accidiſſe, docent exempla ſuis locis reddita, vel reddenda.

[d] De hac re præter Baron. To. VI. hoc an. Vide etiam Eccl. de Ro Pont. l. 4. C. 10 & Gretſer. in eius Defenſ.

III. Ceterum cum per vniuerſam Eccleſiam Orientalem innotuiſſet, ab Apoſtolica ſede Legatos eſſe miſſos pro pace Eccleſiarum concilianda; Apocriſarii quoque Alexandrinæ Eccleſiæ egerunt cum illis, vt ea Eccleſia in cõmunicationem à Romana reciperetur, libellumque ſupplicem [e] iiſdem obtulere, vna cum fidei ſuæ profeſſione. Sed quod in ea nullum verbum poſuiſſent de Synodo Chalcedonenſi, quinimo nefandiſſimos hæreticos & ſacrilegos, Dioſcorum, Timotheum Ælurum, & Petrum Mogum vellent ſaluos, atque eorum nomina inter Diptycha recitari; haud dubium indignos ſe oſtenderunt qui reciperentur ab Apoſtolica Sede. Cum interea hoc eodem anno defunctus eſt Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus hæreticus, poſtquam ſediſſet annos ſeptem; inque locum eius ſubrogatus, illi non impar *Ioannes* cognomento *Mela*, quem Zenonis Henoticum ſuſcepiſſe, Liberatus & Leontius tradunt.

[e] To. 2. Conc.

IOH. MELA EPISC. ALEXANDRIN.

IESV CHRISTI AN. 498.

ANAST. IMP. 8. THEOD REG. 6.

ANAST. II. AN. 2.

I. ANNO Chriſti quadringenteſimo nonageſimo octauo, Paulino & Ioanne Scytha Coſſ decimotertio Calendas Decemb. *Anaſtaſius* Papa diem obiit, cum ſediſſet annis duobus minus diebus octo: ſepultuſque eſt in baſilica S. Petri Apoſtoli Sed quod in libro de Romanis Pontificibus traditur nutu diuino percuſſus interiiſſe: id ex falſis ſchiſmaticorum calumniis, de quibus dictum eſt anno ſuperiori, in eumdem librum relatum eſſe ſcias. Aut certe quod Anaſtaſio Imperatori poſt aliquot annos accidiſſe cõſtat, vt fulmine percuſſus interierit; hoc prædictus auctor, ob rumores de Anaſtaſio Papa ſparſos, in eius caput nulla veritatis exactiori inueſtigatione facta retorſit.

ANAST. PAPÆ OBITVS.

II. Ceterum cum Anaſtaſio nuperrime mortuo (vt ex Theodoro Lectore atq; Nicephoro vidimus) Feſtus Patricius aduenisset Romam vt præſtaret quod pollicitus fuerat Imperatori, ſuadere Romano Pontifici ſubſcriptionem Zenonis Henotici; elapſa iam occaſione id agẽdi cum Anaſtaſio, ſucceſſorem creare ſategit qui ad id præſtandum induci facile poſſet. Sicq; cum poſt Anaſtaſii obitum die quarto, in eius locum in baſilica Conſtantiniana legitime ex diacono creatus eſſet Romanus Pontifex SYMMACHVS natione Sardus, patre Fortunato: eodem die in baſilica S. Mariæ, id pecuniis [a] agente Feſto, *Laurentius* intruſus eſt ſciſmaticus. Qua de cauſa ortis non ſolum inter Clerum, ſed etiam inter Senatum ingentib. diſcordiis; ſecuta ſunt quoque plurima mala, de quibus dicetur ſuis locis. Cum interea vtraque pars Rauennam pergens ad iudicium Regis Theodorici (vt habet Anaſtaſius in libro de Romanis Pontificibus) hac ſententia ab eo acceptа, vt qui primo ordinatus eſſet, aut à maiori parte, ipſe ſederet; iis etiam conditionibus ſuperior Symmachus euadens, Sedem Apoſtolicam retinuit.

SYMMACHVS ELIGITVR RO. PONT. [a] Theod. Lect. l. 2. Niceph. lib. 15. c. 16. SCHISMA LAVRENTIANVM.

III. Quod ad res pertinet Orientales; ſub huius anni Coſſ. Marcellinus ponit exitium Longini Iſauri, Zenonis Imperatoris germani, de quo ſuperius: qui apud Antiochiam Iſauriæ captus, Conſtantinopolim miſſus eſt, catenatuſq; circumductus ſpectante populo variis deinde cruciatibus apud Nicæam Bithyniæ ciuitatem expenſus eſt. Sicq; pœnas tandem exoluit omniũ turpitudinum, quib. (vt teſtis eſt Suidas) obrutus ſacra profanaq; ſimul fœdauerat. Addit vero idem Marcellinus, Anaſtaſium Imperatorem numiis ſuo nomine figuratis, placabilem plebi commutationem diſtraxiſſe quod ſcilicet Longinus plebi acceptiſſimus fuiſſet (vt vidimus) ob profuſas impenſas.

LONGINI MISERANDVS OBITVS.

IESV CHRISTI AN. 499.

ANAST. IMP. 9. THEOD. REG. 7.

SYMMACHI AN. 1.

I. ANnus Chriſti quadringenteſimus nonageſimus nonus, vno Conſule Ioanne Gibbo notatus ponitur à Marcellino & Caſſiodoro: qui autem addit Aſclepium, non habet vnde acceperit. Antequam autem Conſul Ioannes in Oriente creatus innoteſceret Occidentalibus, ſiue alia de cauſa id acciderit, Poſt Conſulatum Paulini præſens annus reperitur inſcriptus: vt in Romano Concilio hoc anno Calendis Martii apud S. Petrum à Symmacho Papa congregato, non à Theodorico Rege, vt perperam tradidit Theodorus [a] Lector: ipſa enim Acta Synodi id expreſſe declarant.

CONC. RO. DE ELECTIONE RO. PONT. [a] Theod. Lect. Collect. l. 2.

II. Eius autem conuocandæ illud Symmachi conſilium fuit, vt quamuis ſedem ipſe Pontificalem etiam ex ſententia Regis Theodorici dominantis Italiæ & Vrbi, poſſideret, tamen quod non ratio, ſed neceſſitas ingruentis ſeditionis, eum impuliſſet ſubire eiuſmodi Regis Ariani iudicium; iam omnia more maiorum rite fierent, decerneretur que legitime creato Pontifici Vrbis atque Orbis Epiſcopatus; atque inſuper vt ab eadem Synodo canones ſancirentur, quibus poſthac retunderetur procacitas ambientium, quod & factum eſſe, ipſius Acta [b] declarant; nempe decretum eſſe anathema aduerſus omnes, quicumque ſuperſtite Pontifice, eoque inconſulto, tractarent de alterius poſt illius obitum electione, vel ipſum Pontificatum ambirent: Itemque, vt ſi tranſitus Papæ adeo ſubitaneus accideret, vt de ſui electione ſucceſſoris non poſſet decernere; tunc qui ab vniuerſo clero, aut maiori ipſius parte, electus eſſet, conſecraretur; ſic tamen, vt qui priuatis pactionibus ſuffragium adhibuiſſet, ſacerdotio careret. Fuerunt iſta à Synodo conſtituta. Sed quod audis Papam de ſui ſucceſſoris electione decernere, non ſic accipias vt Romani Pontifices ſibi ipſis ſubrogarent ſucceſſores; nũquam enim poſt Petrum id ab aliquo reperitur fuiſſe tentatum: ſed quod modeſtiæ cauſa dignum putarent ſede Petri, vt decedentis Pontificis rogaretur ſententia de ſucceſſore: quæ tamen à Romano Clero, collatis ſuffragiis, num rata eſſet habẽda deliberaretur. Ceterum ſubſcripſerunt huic Synodo Epiſcopi ſeptuaginta duo ex diuerſis Italiæ prouinciis, Romani vero Preſbyteri ſexaginta ſeptem, & Diaconi quinque. Qui autem preſbyterorum primo loco ſubſcripſit, fuit Cælius Laurentius Archipreſbyter tituli S. Praxedis: ille ipſe qui creatus fuerat in ſchiſmate contra Symmachum quem in hoc eodem Concilio intuitu miſericordiæ ordinatum eſſe Epiſcopum Nucerinum, habet Anaſtaſius [c] Bibliothecarius.

[b] To. 2. Conc. [c] Anaſt. lib. de Ro. Pont.

III. Scripſit poſt hæc Symmachus ad Anaſtaſium Imperatorem, vt à communicatione & patrocinio hæreticorum deſiſteret: ſed tantum abeſt vt Anaſtaſius ei obtemperauerit, vt etiam eos qui eſſent in Oriente Catholicæ communionis Antiſtites, & eis ſubditi Orthodoxi, immiſſis militibus cogeret cum hæreticis communicare. Quapropter ita ſimul cum populo delinquente Principe, Deus barbaros in eum mouit. Hoc enim anno gens ignota nomine, ex intimis Borealibus finibus palabunda progreſſa, violento agmine ſeſe infudit in Thracias: videlicet *Bulgari*, qui Romanorum exercitum deleuerunt, vt teſtatur Marcellinus; qui ait, eo prælio Illyricianã virtutẽ militum periiſſe.

BVLGARI INVADVNT THRACIAS.

iiſſe. Sed qui ab eis victus eſt ferro Anaſtaſius Imperator auro victores ſuperare contendit; dum ingenti vi auri perſoluta, ad tempus graſſationem illam à Bulgaris redemit.

IV. Sed vide prouidentiam Dei. Quo enim tempore tam denſæ tenebræ operirent vbique terram, & caligo populos, adeo vt nullus penitus in vniuerſo eſſet Orbe Princeps Catholicus; in Galliis plane diuinitus nouæ lucis fulgidum ſidus apparuit, quo vniuerſa Catholica Eccleſia deberet in infinita ſæcula illuſtrari. Hoc enim ipſo anno, qui Clodouei Francorum Regis numeratur [d] decimus quintus, idem CLODOVEVS continuis S. Clotildis vxoris ſuæ admonitionibus fatigatus vt fidem Chriſtianam amplecteretur, negotium diutius procraſtinans, tandem aliquando cum in acerrimo contra Alamannos prælio conſtitutus vidiſſet ſuos ad internecionem ruere, compunctus corde eleuatis in cœlum oculis, vouit Ieſu Chriſto, quem Clotildis prædicaret Filium Dei viui, ipſius ſe fidem ſuſcepturum dimiſſo deorum cultu, ſi victoriam cõtra hoſtes indulgeret. Itaque eodem inſtanti terga vertentib. Alamannis glorioſiſſima potitus victoria, qua Regem ipſorum interemit, ac reliquos ſuæ ſubiecit ditioni; paulopoſt votum exoluens, à S. REMIGIO Epiſcopo Rhemenſi cum maiori parte ſuorum baptizatus eſt. Hæc quidem omnia, qui res ab eo geſtas ſunt proſecuti teſtantur; ac præcipue antiquior ceteris hiſtoricis Gregorius [e] Turonenſis. Sed & in eiuſdem Regis conuerſione laboraſſe pariter SS. Vedaſtum [f] Epiſcopum Atrebatenſem, atque Solemnem [g] Carnotenſem, editis etiam in fidei confirmationem miraculis, alii auctores tradunt. Verum præ ceteris S. Remigio conuerſionis eius populi atque Regis eſt gloria tributa, ipſeque peculiariter *Francorum Apoſtolus* appellatus. Nam & Hormiſda Papa in litteris [h] poſtea ad eundem datis, cum ei per vniuerſum regnum vices ſuas credidit, teſtatus eſt ipſum plurimis & Apoſtolorum temporibus æquiparandis ſi ignotum miraculis, Clodoueum Regem cum tota eius gente conuertiſſe.

d Hincm. in Vit. S. Remig. ap. Sur. 13. Ianuar. CLODOVEI REG. FRANCOR. CONVERSIO.

e Greg. Tur. l. 2. de geſt. Franc. c. 30. 31. *f Alkin. Hac in vit. S. Vedaſt. ap. Sur. 6. Febr.* *g Sigeb. in Chron. an. 490.* *h Exſt in Vit. S. Remig. ap. Sur. 13. Ianuar.*

V. Sed quod ad miracula ſpectat; duo præ ceteris ab auctoribus rerum Franciarum eximia recenſentur: Vnum quidem, cum [i] ante baptiſmum Regis, inſtruente aliquando eum Remigio coram omnibus aulicis, repente lux copioſa totum repleuit locum, vt claritatem Solis euinceret; & cum luce vox pariter eſt audita, *Pax vobis, Ego ſum, nolite timere; manete in dilectione mea*; ac poſt hæc recedente luce, incredibilis ſuauitatis odor in eadem domo remanſit: vt euidenter oſtenderetur, illuc auctorem lucis, & pacis, atque ſuauitatis veniſſe; quem nemo eorum qui aderant præter ipſum S. Remigium, fulgore luminis perculſi intueri valuerunt: tantaque claritatis gloria ſanctum Epiſcopum perfudit, vt ſplendor ex eo procedens magis conſpicuam domum reddiderit, quam lucernæ ibidem lucentes. Alterum autẽ non minus inſigne miraculum ipſo baptiſmi tempore contigit; cum videlicet [k] AMPVLLA Chriſmatis ore columbæ (figura eſt hæc Spiritus Sancti) cœlitus aduenientis allata eſt, qua tum fons more ſolito, tum etiam Rex ipſe ſacratus eſt: cuius exemplo ſucceſſores Francorum Reges eiuſdem cœleſtis Ampullæ perenni ſacro oleo hactenus conſueuerunt inungi. Huiuſmodi namque tam ingentibus ſignis plane innoteſcere debuit, quantæ molis eſſet vt Reges Francorum cum populo ſuo Chriſtianæ Religioni adnecterentur, columina Eccleſiæ Catholicæ Sediſque Apoſtolicæ poſtea futuri. Baptizatũ autem Regem, aliſque Francorum magnates, ingentia dona, plurimaſq; bonorũ poſſeſſiones per diuerſas prouincias Eccleſiis tradidiſſe, iidem auctores ſcribunt. Ipſeque Remigius in teſtamento ſuo teſtatum reliquit, eundem Regem factum Chriſtianum mox cuncta quæ fuerant belli tempore Eccleſiis ablata, reſtitui voluiſſe; addidiſſeque iiſdem alia magni pretii bona. At de his modo pro inſtituto ſatis.

i Hincm. ibid. INGENTIA MIRACVLA IN CONVERSIONE ET BAPT. REGIS.

k Hinc. ibid. Aimoin. de geſt. Franc. & alii. AMPVLLA COELITVS MISSA.

BONA ECCLESIIS COLLATA.

VI. Hoc eodem anno, quamuis conſlatum in Eccleſia Romana Schiſma, per Synodum nuper celebratam vt leri potuiſſet eſſe ſedatum, acerbiori denuo conatu recrudnit; dum Symmachi Papæ aduerſarii calumnioſe agentes, eumdem maximis quibuſque criminibus apud Theodoricum Regem accuſarunt, id præcipue agentibus Feſto & Probino Senatoribus: à quibus occulte Laurentio ſchiſmatico in Vrbem reuocato, iterum diuiſus eſt tam Clerus quam Senatus, plurimæq; cædes & bonorum expilationes factæ. Quando & illud eorundem ſuggeſtione Senatorum contra canones factum eſt, vt Rex Viſitatorem mitteret Apoſtolicæ Sedis, *Petrum* Altinæ ciuitatis Epiſcopum, qui de criminibus Symmacho impoſitis cognoſceret. Hæc Anaſtaſius [l] Bibliothecarius: qui tamen errat, dum ait ea contigiſſe quarto anno ab electione Symmachi. Nam hoc anno geſta eſſe, cum adhuc Theodoricus Rauennæ ſe contineret, quo libellus accuſationum ad eum miſſus habetur; Caſſiodorus [m] certiſſimam fidem facit, dum anno ſequenti eiuſdem Regis aduentum in Vrbem recenſet. Ad quartum autem annum referenda eſt Symmachi facta in Synodo, Palmari dicta, plenior purgatio, de qua ſuo loco dicturi ſumus. Hiſtoriam autem Viſitatoris a Theodorico miſſi, fuſius deſcripſit Ennodius diaconus in libello [n] defenſorio Symmachi aduerſus ipſi[us] calumniatores: in quos acriter inuehitur, quod auſi eſſent Viſitatorem à Rege poſtulare Romani Pontificis, quem (vt ait) *Deus ſuo ſine quæſtione reſeruauit arbitrio: voluitque Beati Petri ſucceſſores cœlo tantum debere innocentiam; & ſubtiliſſimi diſcuſſoris indagini inuiolatam exhibere conſcientiam; ipſis vero quicquid vbique fidelium eſt ſubmiſit.* Sed quæ ſecuta ſunt dicentur annis ſequentibus.

VI. AVRBANI SCHISM. VISITATOREM ROM. ECC. PETVNT A THEODORICO.

l Anaſt. in Symmach. *m Caſſio. in Chron.* *n Ext. to. 2. Concil. in Symmach.* RO. PONT. NVLLVM IN TERRIS SVPRA SE IVDICEM HABET.

IESV CHRISTI AN. 500.

ANAST. IMP. 10. THEOD. REG. 8.

SYMMACHI AN. 2.

I. ANno Domini quingenteſimo, Patricio & Hipatio Coſſ. Rex Theodoricus (vt ſcribit Caſſiodorus [a]) cunctorum voto expetitus Romam aduenit. Cum enim qui eſſent Romæ Catholici, & tuerentur cauſam legitimi Eccleſiæ Romanæ Pontificis, rei iniquitatem exhorreſcẽtes, nempe miſſum à Rege Viſitatorem aduerſus Symmachum, eundemque contra expreſſum Regis mandatum (vt docet Ennodius in libro defenſorio Symmachi) inſalutato Symmacho, parti Schiſmaticorum adhæſiſſe, apud abſentem adhuc Regem egiſſent, vt fineret res Eccleſiæ Romanæ, more maiorum abſque ignominiæ nota [illegible] modo tractari: annuit iis Theodoricus; idemque cõ[illegible] haud fore Synodum abſque coercitione ſecuram [illegible] ſuam dilatam hactenus, opportuno tempore Vrbi ciuili bello periclitanti exhibere neceſſarium eſſe putauit. Quid vero de Synodis actum fuerit, dicetur annis ſequentibus.

a Caſſiod. in Chron. THEODORIC. REG. ADVENTVS IN VRBEM AD TOLLENDVM SCHISMA.

II. Interim autem ipſum Regem conciliaſſe ſibi regia munificentia Senatum Populumq; Romanum, Caſſiodorus eſt auctor. Sed & ipſum magnis officiis ab iiſdem frequẽtatum eſſe, cum ex aliis intelligi poteſt, tum ex Rebus [b] geſtis Fulgentii: quem hoc ipſo anno contigit pariter ex Sicilia nauigare in Vrbem ad viſitanda ſacra Limina reperireque noui Regis aduentu populum exultantem. Inde vero reuerſus in Africam, arridente tunc temporis pace Eccleſiis ſub Traſamundo Rege, monaſticam vt prius exercuit diſciplinam, eamdemque in alios latius propagauit. Quomodo autem Ruſpenſis creatus fuerit Epiſcopus, dicetur ſuo loco.

b Ap. Sur. 1. Ianuar. S. FVLGENTII ADVENTVS ROMAM, ET REDITVS IN AFRICAM.

IESV CHRISTI AN. 501.

ANAST. IMP. 11. THEOD. REG. 9.

SYMMACHI AN. 3.

I. ANno Domini quingenteſimo primo, Auieno Seniore (cognomento Fauſto, & ex clariſſima Scipionum familia oriundo, vt ex Ennodio Ticinenſi [a] ipſius affine conſtat) atque Pompeio Coſſ. Romæ ſchiſmatici reueriti præſentiam Theodorici Regis, omnia ex æquo agentis, æſtuantes licet furore, ab initio ſiluiſſe noſcuntur. Cum idem Rex ad omnia pacificanda, per

a Ennod. ep. ad Fauſt. Conſ.

Symma-

THEODOR. DE SEDE APOSTOL. BENEMERITUS.

Symmachum Papam egit vt Epiſcopi ad Synodum conuocarentur: qui hoc anno eiuſdem Pontificis litteris cōmonefacti, ſequenti Romam aduenerunt. Hæc enim ita ſe habuiſſe; ipſumque Regem, licet importunis ſchiſmaticorum ſtudiis ſolicitatum, reueritum tamen Sedis Apoſtolicæ culmen (quod admireris in barbaro Gotho, & hæretico Ariano) protectorem ſe potius illius, quam perſecutorem exhibuiſſe; docent Acta Synodalia ſequentis anni.

II. ANAST. IMP. SÆVIT IN CIVES CONST.

Ex altera vero parte Anaſtaſius Imperator, cum ſe ſpecie tenus Orthodoxum profitens, hęc omnia mala in Romanam Eccleſiam per Feſtum Senatorē inuexiſſet; haud diutius ferens ſe à populo Conſtantinopolitano Catholicæ fidei defenſore, dicteriis & contumeliis palam vt hæreticum iactari: eumdem ad ſpectacula ex more intuenda in theatro clauſum inermem, proſilientibus repente militibus enecari iuſſit: qua clade cecidiſſe vltra numerum trium millium, Marcellinus ſub huius anni Coſſ. refert. Felices omnes, & inter martyres recenſendi, niſi labefactati fuiſſent Acacii ipſorum anteceſſoris Epiſcopi communione. Ad eamq; cladem pertinet quod Theodorus [b] Lector ſubdit; nimirum contra ſeditiones populi quæ aduerſus Imperatorem fiebant, hoc Anaſtaſium excogitaſſe, vt Eparchus ciuitatis Litanias populi ſequeretur cum armatis militibus; timentem ſcilicet zelum eorum qui pro Synodo Chalcedonenſi incurſiones faciebant: & hoc deinceps in conſuetudinem abiiſſe.

b Theod. Lect. Collect. lib. 2.

IESV CHRISTI AN. 502.

ANAST. IMP. 12. THEOD. REG. 10.

SYMMACHI AN. 4.

I. ANnus Chriſti quingenteſimus ſecundus, Anieni Junioris (illius qui anno ſuperiori Conſulatum geſſit filii) ac Probi Conſulatu à Marcellino & Caſſiodoro notatur in Faſtis, licet in Synodalibus Actis loco Probi Rufus reperiatur inſcriptus. Quo anno, decimo Calendas Nouembris habita eſt Romæ Quarta SYNODVS ſub Symmacho Papa centum quindecim Epiſcoporum, inter quos ſedium prærogatiua, & vitæ ſanctitate, atque egregia nauata opera ceteris eminuere *Laurentius* Mediolanenſis & *Petrus* Rauennas. Fuit vero eadem cognominata *Palmaris*, à loco vbi habita eſt, nempe à porticu baſilicæ S. Petri, quæ [a] Palmaria dicebatur.

CONC. ROM. PALMARE DICTVM, IN CAVSA SYMMACHI PP.

a Anaſt. de Ro. Pont. in Honor. Pap.

II. Ex eius autem Actis quæ extant [b], patet ante eiuſmodi Palmarem Patrum Conuentum, duas alias hoc eodem anno ab eiſdem Epiſcopis habitas SYNODOS, ſiue potius Synodales Actiones dixeris; quarum prior in baſilica Iulii, poſterior in baſilica Hieruſalem dicta in atrio poſita Seſſoriano, celebrata eſt. Porro rerum in eis geſtarū monumenta penitus exciderunt; quarum duntaxat mentio habita reperitur in Actis Palmaris. Eas vero omnes in vnū conflans Anaſtaſius [c] Bibliothecarius, ait Symmachum à Synodo declaratum eſſe innocentem à criminibus quæ in ipſum ſchiſmatici obiiciebant; Petrum autem Altinenſem, Viſitatorem à Theodorico miſſum, damnatū quod iudicium ſibi in Romanum Pontificem arrogare pręſumpſiſſet: itidemque damnatum eſſe Laurentium ſchiſmaticum, quem à ſuis in Vrbem reuocatum vidimus. Agit quoq; de his Ennodius [d] pluribus. Additq; Theodorus [e] Lector, Laurentium non ſolum depoſitum fuiſſe, ſed & in exilium miſſum.

b To. 2. Concil. in Symmach.

c Anaſt. in Sym.

SYMMACH. ABSOLVITVR, ET LAVRENTIVS SCHISMAT. DAMNATVR.

d Ennod. lib. pro Sym.

e Theo. Lect. lib. 2.

III. Quodnam vero fuerit crimen à Schiſmaticis obiectum Symmacho cum nulla vllibi prorſus extet mentio; ex alio decreto ſcripto ab Ennodio, promulgato vero & præſcripto ſubiectis ſibi Epiſcopis à Laurentio Mediolanenſi Epiſcopo, quo omnes presbyteri & diaconi iuſſi ſunt habere contubernales, quos vocant Cancellaneos, ſeu cellulanos præſentes teſtes; poteſt quaſi per tranſennam videri, ipſum ſanctiſſimum Pontificem pulſatum fuiſſe enormi crimine adulterii. Sed quæ in eius fuere tranſacta abſolutione, fuſius tractantur in Actis Synodi. In quibus videas inſuper audaciam ſchiſmaticorum, qui ipſum Symmachum lapidibus etiam appetierunt, & presbyteros qui cum ipſo erant vulnerauerunt; immo & multos occiſos eſſe, Anaſtaſius aſſerit. Econtra vero admireris modeſtiam Theodorici Regis, licet Ariani hæretici, qui à Patribus conſultus quid vellet agi in cauſa Symmachi, reſpondit, *In Synodi eſſe arbitrio in tanto negotio ſequenda præſcribere, nec aliquid ad ſe præter reuerentiam de Eccleſiaſticis negotiis pertinere:* ſicut non ſolum ex Actis Synodi, ſed etiam ex litteris [f] conſtat ipſius Theodorici, & commonitoriis ad Epiſcopos congregatos directis: ex quibus erubeſcendi habeant occaſionem Principes Catholici, qui aliter ſibi cum Sacerdotibus Dei agendum autumant.

QVOD CRIMEN SYMMACHO OBIECTVM.

THEODORICI MODESTIA.

f Rec. Baron. Annal Tom. VI. hoc an.

IV. Haud tamen putes eumdem Theodoricum ex his meruiſſe, vt à Patribus (prout habetur in iiſdem Actis) vocatus fuerit *Piiſſimus*, vel *Sanctus*, ſecundum variam lectionem: ſicut nec alii æque hæretici, vel alias impii Principes, cum iiſdem vel etiam ſplendidioribus titulis, in Synodorum Actis vel aliis monumentis antiquis inſigniti à Catholicis reperiuntur. Eiuſmodi namque prorſus indignos titulis, hæreſis vel impietas ipſos effecerat: nec exiſtimandum eſt, ea piiſſimos Præſules adulatione ipſos demulcere voluiſſe. Sed in more fuit etiam antiquis ſanctiſſimis Epiſcopis, Ethnicos quoque Principes titulis illis honoris nuncupare, quibus conſueuerant à ſuis inſigniri; adeo vt non pios tantum & ſanctos, ſed & *ſanctiſſimos* appellauerint, ſicut à Dionyſio [g] Alexandrino Valerianum & Gallienum Imperatores nominatos eſſe conſtat; alioſq; item ab aliis: idque exemplo Apoſtoli Pauli [h], cum nefarium hominem, Præfecturam tamen gerentem, conſueta nomenclatura *Optimum* vocauit Felicem.

TITVLI NON EX MERITIS, SED EX COMMVNI VSV DARI SOLITI.

g Ap. Euſeb. 7. hiſt. 10.

h Vid. ſup. 58. num. 15.

V. Sed vt ad Synodum reuertamur; ſciēdum eſt, eam quæ habetur notata titulo *Tertiæ Synodi ſub Symmacho*, huius de qua agimus eſſe Actionem habitam poſt dies quatuordecim, nempe (vt ipſa Acta indicant) octauo Idus Nouēbris in baſilica S. Petri ſub eodem Conſulatu Auieni Iunioris. Sed & ne quis errorem irrepſiſſe in Conſulis nomē cauſari poſſit, ipſa facta ab eodem Symmacho prælocutio coram Synodo de rebus ab ipſis Patribus in præcedenti Actione tractatis, id aperta luce demonſtrat. In ea vero Actione Symmachus decretum illud vere Apoſtolicum ſtabiliuit, quo ab electione Romani Pontificis laicorum præſumptio quauis fulta regia potentia arceretur. Adiecitque decretum de Bonis Eccleſiaſticis non alienandis; caſſa penitus reddita ea conſtitutione, quam Rex Odoacer de iiſdem ſancire præſumpſerat, bona licet, non tamen bene decernente. Atque ita, qui in ſua ipſius cauſa ſumma humilitate ceſſit iuri ſuo Symmachus Papa, ſubiiciens ſe ſponte Epiſcoporum ſententiæ, quam non tenebatur excipere, vt expreſſe etiam teſtata eſt Synodus; idem cum Eccleſiæ cauſa ageretur, erexit ſe ſupra Principes, non in iis tantum, quæ modo diximus; ſed præcipue dum in eadem Synodo aduerſus Anaſtaſium Imperatorem hæreticum anathematis ſententiam protulit. Cuius rei licet Acta Synodalia deſiderentur; patet tamen illa ex eiuſdem Pontificis literis ad ipſum Imperatorem anno ſequenti datis.

DE NON ALIENANDIS BONIS ECCL.

ANAST. IMP. EXCOMMVNICATVR À SYMMACHO PP.

I. Hoc eodem anno, ſub Conſulatu videlicet Probi, data reperitur [i] eiuſdem Symmachi Papæ epiſtola ad Cæſarium Epiſcopum Arelatenſem, qui more maiorum eumdē Pontificem conſuluerat de nonnullis, quæ ex eadem ad illum reddita epiſtola nota fiunt: atque inprimis illud, ne Poſſeſſiones Eccleſiæ diſtrahantur; niſi forte clericis, vel monachis, aut peregrinis concedantur ad tempus; reuerſuræ eædem poſtea ad Eccleſiam. Ex quibus poſſumus intelligere BENEFICIORVM Eccleſiaſticorum originem. Etenim cum ſolerent clerici ab Eccleſia per Epiſcopum menſibus ſingulis victus cauſa meritam ſtipem accipere, vt ex S. Cypriano alibi diximus; poſtea factum eſt, vt, eorum aliquib. Eccleſiæ poſſeſſiones quo ad viuerent ab ipſo Epiſcopo concederentur; quæ *Beneficia* dici cœperunt, eo quod (vt habet Symmachus in ea epiſtola) benemeritis tantummodo eas concedi liceret.

i To. 1. epiſt. Rom. Pont.

BENEFIC. ECCL. ORIGO.

Quod

Digitized by Google

VII. DE CAESARIO EPISC. ARELAT.

Quod vero ad ipſum *Cæſarium* ſpectat; fuerat is nuper ex monacho Lerinenſi ad nobiliſſimæ totius Galliæ Eccleſiæ Arelatenſis adminiſtrationem euectus, ob eximiã claritudinem tam ex doctrina quam ex vitæ ſanctitate comparatam; cui nec profuere latebræ ſepulcrales, quin inde traheretur inuitis ad regimen Epiſcopatus; ſubrogatus nimirum in locum Leontii, qui ſederat poſt Eoniũ Rauennio Hilarij ſucceſſori ſubſtitutum. Extant [k] Res eius præclare geſtæ, ab ipſius diſcipulo Cypriano ſcriptæ ad S. Cæſariam illius ſororem virginem Deo dicatam, quam idem Cæſarius Arelatenſi à ſe conſtructo præfecit, monaſterio virginum: ad quam etiam, reliquumque clerum Eccleſiæ Arelatenſis, conſcriptum extat [l] per modum epiſtolæ ipſius Cæſarii teſtamentum. Eiuſdem vero ſanctiſſimi atque doctiſſimi viri exciderunt nobiliſſima monumenta, vixque reliquæ ſunt quadraginta ſex homiliæ diuerſis temporibus dictæ, ad quas prouoco Gallos illos qui turpiter à fide refugæ, ad hæreticos transfugæ defecere. Videant quæ de Catholicis dogmatibus ſenſerit tantus doctor, miraculiſq; conſignata reliquerit: hoc potiſſimum tempore, quo Franci in Galliis regnantes eamdem fidem Catholicam; in qua & baptizati ſunt, acceperunt. Addantq; inſuper quæ alii nobiles eiuſdem ſæculi ſcriptores Eccleſiaſtici itidem Galli gentiles ſui. Proſper Aquitanus, Hilarius Arelatenſis, Saluianus Maſſilienſis, Eucherius Lugdunenſis, Claudianus Mamertus & Alcimus Auitus Viennenſes, Sidonius Auernus, & alii ſuis ſcriptis, vitæq; ſanctitate, ac miraculorum virtute egregie reliquere teſtata; in omnibus conſentientia illis quæ longe antea diuerſis temporibus Hilarius Pictauienſis, Irenæus Lugdunenſis, atque Dionyſius Pariſienſis, omnes ſanctiſſimi Epiſcopi iiſdem tradidiſſent.

k Ap. Sur. 17. Aug.

l Ext. Baron. Annal. To. VI. an. 508.

ANTIQVA GALLOR. FIDES.

VIII. Sed quod rurſum ad Cæſarium ſpectat; perueniſſe illum vſq; ad annum Domini quingenteſimum quadrageſimum quartum, certiſſimis auctoritatibus demonſtrabitur inferius. Longe vero errat Trithemius, ſiue alii qui eum ad poſteriora tempora retulerunt, vt ſibi vendicent inter monachos Ordinis S. Benedicti; cum tamen longe ante eundem S. Benedictum ipſe Epiſcopus factus fuerit: ſiquidem S. Benedictus nonniſi anno Redemptoris quingenteſimo vigeſimo nono in Caſſino monte cœpit Ordinis ſui fundamenta iacere. Cum autem Trithemius citet eiuſdem Cæſarii Sermonem tertium, quo ſe profitetur S. Benedicti eſſe diſcipulum; nihil tale in Sermonibus Cæſarii recens editis potui reperire: quod ſi in aliquo tamen codice inueniretur, alterius potius auctoris exiſtimãdus eſt ſermo. Fuiſſe vero ipſum profeſſorem antiquiſſimi ac celeberrimi cœnobii Inſulæ Lerini in Gallia Narbonenſi ſub Porcario Abbate, & prædicta eius vitę Acta germana teſtantur, & ipſemet profitetur homilia vigeſima ad monachos. Sed quod frequens ſit apud Venantium [m] Fortunatum de eiuſdem Cæſarii Arelatenſis Regulis editis de Vita Monaſtica, nec extent illæ quidem: putamus eas in S. Benedicti monaſtica inſtituta receptas; ſicut ipſum Lerinenſe cœnobium, cuius idem alumnus fuit, vniuceſſit monachorum eiuſdem Ordinis. At de S. Cæſario modo ſatis, alias inferius de eodem dicturi.

CAESARIVS NON FVIT MONACHVS S. BENED.

m Ven. Fort. lib. 5. & alibi.

IX. Hoc pariter anno Bulgaros iterum deprædatos eſſe Thracias, nullo Romanorum milite reſiſtente, Marcellinus tradit. Verum Anaſtaſius Imperator (quem non ferro, ſed auro infeſtos barbaros propulſare conſueuiſſe, Suidas teſtatur) eoſdem perſoluta pecunia ab Oriente cõuertit in Occidentem; quos poſt annum ſequentẽ Theodoricus Italiæ Rex vicit, recepitque Pannoniam Sirmienſem, quam coniunxit Italiæ, vt Caſſiodorus [n] aſſirmat, confirmatq; Ennodius Ticinenſis in Panegyrico tunc in laudem Theodorici dicto; vbi & Bulgarorum ferociam roburq; bellicum exaggerans, eam præ cæteris Theodorici victoriis celebrat. Cuncta namq; ei bene ceſſere, dum licet Arianus nihil voluit imminutum iurium Eccleſiæ Catholicæ ac Romani Pontificis.

BVLGARI VICTI A THEODORICO.

n Caſſiod. in Chron. & lib. 3. var. 23.

X. Huius denique anni Coſſ. Amidam validum Romanorum præſidium in Meſopotamia, à Cabade Perſarum Rege poſt ſex menſium obſidionem, monachorum proditione captam idem Marcellinus tradit. Sed hoc bellum Perſicum, eamdemque obſidionem fuſius proſecutus Procopius [o], non proditione, ſed ignauia monachorum Amidam captum eſſe dicit. Eaque obſidione accidiſſe ait, vt cum aliquando Iacobus Syrus eximiæ ſanctitatis & abſtinentiæ anachoreta, incluſus habitans prope Amidam, à quibuſdam Perſis ſagittis impeteretur, diuino portento manus eorum arcuſque immobiles viſi ſint conſiſtere: cumque ad tantum miraculum ipſe Rex Perſarum accurriſſet, Iacobus eius annuens precibus ſolo verbo barbaris priſtinum membrorum vſum reſtituerit.

o Procop. de bel. Perſ. lib. 1.

MIRACVLA IACOBI SYRI ANACH.

IESV CHRISTI AN. 503.

ANAST. IMP. 13. THEOD. REG. 11.

SYMMACHI AN. 5.

I. ANNVS Chriſti quingenteſimus tertius, Dexecrato & Voluſiano Coſſ. notatur à Marcellino; ex quo librarii redarguas errorem in Caſſiodoro, apud quem omiſſus anni huius reperitur horum Conſulatus. Acta autem Synodalia abſque certo Conſule, Poſt Conſulatum Auieni notata leguntur: ſed male Indictione nona, cum vndecima ſcribenda eſſet.

II. Ob perturbatum namque Romanæ Eccleſiæ ſtatum à ſchiſmaticis Laurentianis, qui aduerſus ſententiam abſolutionis Symmachi Papæ, à Synodo Palmari ſuperiori anno pronunciatam, complura ſcripto libello obiiciebant; iterum *conueniendi Romam* apud S. Petrum neceſſitas Epiſcopis incubuit, ad tuenda confirmandaque ſua ipſorum decreta. Qui & inſuper maximi ponderis prouinciam Ennodio diacono Ticinenſi tradiderunt; vt aduerſus ſchiſmaticorum obiectiones apologiam ſcriberet: & cum id ipſe fortiter & accurate præſtitiſſet, iidem defenſorium illum ab eo elucubratum libellum [a], non ſolum comprobarũt, ſed etiam inter Synodalia Pontificiaq; iuſſerunt adnumerari decreta: vt declarant ipſa Acta Cõcilii. Rurſum vero rogantibus Patribus vt omnes accuſatores Symmachi damnarentur, vna cum iis qui contra Synodum Palmarem obloqui præſumpſiſſent; obſtitit Symmachus, & vt eis penitus ignoſceretur ſuaſit. Poſt hæc autem vetera Eccleſiaſtica iura reſtituenda propoſuit; quibus caueretur ne populus in Epiſcopum, in paſtorem oues ipſum accuſando inſurgerent, excepta cauſa fidei. Addiditque ad decretum, ante reſtituendos eſſe in priſtinum expoliatos Epiſcopos, quam dicere cauſam coram alii. Epiſcopis cogerentur.

CONC. RO. V. SVB SYMMACHO, PRO CONFIRMATIONE PALMARIS SYNODI.

a Ext. to. 2. Concil. in Sym.

III. His & aliis ſtabilitis, ſubſcripſerunt omnes Epiſcopi numero (vt habet inſcriptio) ducenti decem & octo. Quod vero centum & quinquaginta ferme numerentur Orientalis Eccleſiæ: alicuius alterius Synodi longe antea celebratæ eam eſſe ſubſcriptionẽm, non Romanæ, certum eſt: ſiquidem ibi quamplurimi recenſentur Epiſcopi, qui interfuiſſe leguntur Concilio Oecumenico Chalcedonenſi, ante annos quinquaginta duos celebrato: quorum nulla penitus alibi poſt decem annos à tempore dicti Concilii mentio reperitur. Accidit autem ex optato, vt poſt hanc Synodum Eccleſiæ Romanæ concordia redderetur; cum vt ex eiuſdem ſcriptis Ennodii colligere fas eſt, iidem ſchiſmatici ſuaſione Theodorici Regis ad eos ſcribentis, Symmacho ſe tandem ſubiicere.

PAX REDDITA ECCLESIAE ROM.

IV. Haud vero reticendum quod S. Gregorius [b] Papa ſcribit de Paſchaſio Romanæ Eccleſiæ diacono eximiæ ſanctitatis viro, quod cum ipſe Laurentio vſque ad diem ſui exitus adhæſiſſet, quamuis poſt obitum miraculis claruiſſet, tamen in pœnam participationis ſchiſmatis contra Symmachum, deputatum à Deo fuiſſe ſeruire ad tempus in Angulanis thermis; ſed orationibus Sancti Germani Capuani Epiſcopi liberatum fuiſſe. Verum quod ait, Paſchaſium etiam poſt Synodale iudicium perſtitiſſe in partibus Laurentii vſque ad obitum; excluſiue intelligendum eſt, atque in ipſo exitu facti pœnituiſſe: cum omnium ſit receptum aſſenſu, non poſſe in cœlum admitti, qui in terra ſe ab Eccleſia ſeparauit.

b Greg. 4. dial. 40.

PASCHASIVS DIAC. IN PVRGAT. CONSTITVTVS MIRACVLA EDIT.

V. CALVMNIA ANAST. IMP. IN SYMMACHVM PAP.

c Extat to. 1. Bibl. Sanct.

Porro licet hic finis fuerit Schiſmatis Laurentiani; haud tamen ceſſarunt calumniæ in Symmachum. Siquidem Anaſtaſius Imperator, quem vidimus ab eodem Symmacho anathemate damnatum, cum nullo alio modo videret ſibi licere de iſto experiri vindictam, ad maledicta conuerſus compoſuit in eum contumeliis refertum libellum: contra quem ipſe Symmachus egregiam ſcripſit apologeticam epiſtolam[c], qua etiam rationem reddidit illatæ in Imperatorem excommunicationis ſententiæ. Quod autem ex eadem conſtat, ipſum ab eodem Anaſtaſio infamatum fuiſſe hæreſis Manichæorum; quam id calumnioſe, ſatis apparet ex libro de Romanis Pontificibus, vbi traditur eundem Pontificem Manichæos Romæ repertos exilio relegaſſe, ipſorumque ſimulacra & codices ante fores baſilicæ Conſtantinianæ incendio concremaſſe. Contra vero ipſe Anaſtaſius Imperator, omnium Græcorum hiſtoricorum teſtificatione eo crimine infamatur: vnde non mirum ſi ipſum Symmachus eadem epiſtola Manichæorum patronum appellet.

V. CLADES IMPERII EX HÆRESI IMPERATORIS.

Quod ad res bellicas pertinet; ſub huius anni Coſſ. Marcellinus ponit Romanum exercitum à Perſis cæſum fuiſſe; ſed ab eis immenſo auri pondere pacem Anaſtaſiũ redemiſſe; Amidamq; oppidum recuperaſſe. Itemq; eodem tempore alios barbaros, nempe *Barros*, Pontum inuaſiſſe. Theodorus Lector tradit. Ex quo enim Eccleſiis Anaſtaſius bellum indixit, barbari vndique in eum bella concitauerunt. Addit vero idem auctor, eundem bellis occupatum, ab infeſtatione Orthodoxorum deſtitiſſe; ſed vt modicum quietis à bellicis occupationib. accepit, rurſus contra Eccleſiam armatum eſſe.

ANAST. IMP. 14. THEOD. REG. 12.

IESV CHRISTI AN. 504.

SYMMACHI AN. 6.

I. CONC. ROM. VI. SVB SYMMACH. AD VERS. DETENTORES BONOR. ECCL.

ANno Chriſti quingenteſimo quarto, Cæthego Conſule (ſeu potius Cetego, ad quem Romanæ Vrbis Senatorem ampliſſimum extant Ennodii Ticinenſis literæ) Sexta ROMANA ſub Symmacho SYNODVS habita creditur; celebrata ipſa quidem Calendis Octobris apud S. Petrum. In qua ſancitum eſt, vt vendicantes ſibi indebite bona Eccleſiaſtica, ſiue mobilia ſiue immobilia, niſi ea reſtituerent, velut hæretici manifeſti deberent anathematizari: eaque ſententia declaratum eſt teneri omnes, qui facultates eccleſiæ ſub ſpecie regiæ largitatis obtinuiſſent, eo quod Regum non ſit decernere de bonis Eccleſiæ. Porro non ſpreuiſſe, ſed paruiſſe Theodoricum Regem Concilii decreto, ſatis intelligitur ex iis quæ poſtea reſcripſit[a] pro bonis Eccleſiarum Mediolanenſis atque Narbonenſis, & aliis quæ pro defenſione bonorum & iurium Eccleſiarum ſanxiſſe reperitur. Præſtitit enim plane Arianus Princeps, quæ in pluribus deſiderari poſſint Regibus Catholicis: ſed conſecutus eſt à Deo in hac vita præmium, ex compenſatione frequentium in hoſtes victoriarum.

a Vid. Caſſiod. 2. Var. 29. & lib. 4. ep. 17.

II. EPISCOPI AFRIC. IN SARDINIAM DEPORTATI.

b Ap. Sur. 1. Ianuar.

Hoc item anno perſecutio Wandalorum in Catholicos per Traſamundum hactenus pacificum Regem in Africa excitata eſt, & Epiſcopi in Sardiniam deportati: quæ licet ante ſex annos, Conſulatu Paulini atque Ioannis cõtigiſſe narrẽtur à Mariano Scoto haud ignobili Chronographo; tamen qui his temporibus vixit, & comes exilii S. Fulgentio affuit, Syncellus[b], dum in eius Vitæ Actis accurate & fideliter ſcriptis, ab annis Epiſcopatus ab eodem aſſumpti, tempus huius perſecutionis aſſignat, ſatis indicat eam hoc ipſo anno accidiſſe. Quo Africani Antiſtites ſimul coeuntes, cum proſpicerent quod quamuis ſinerentur Epiſcopi ſuis præeſſe Eccleſiis, quia tamen vetitũ erat à Rege ne quis in locum defuncti ſubrogaretur, breui fore vt deſolarentur omnes Eccleſiæ (nam & eo cõſilio iſta præceperat Traſamũdus, vt abſque exertto ad perſequendum gladio, ipſæ Eccleſiæ paſtoribus orbatæ ſponte conciderent) vna omnes ſententia conſtituerunt, vt cunctis Eccleſiis vacantibus Epiſcopos ordinarent; idque confeſtim opere expleuerunt: quando & S. *Fulgentius* fruſtra ad tempus latitans, ex Abbate monachorum inuitus creatus eſt Epiſcopus nobilis Eccleſiæ Ruſpenſis; cum tamen haud vmquam deſtiterit in victu & habitu rigidam obſeruare monaſticam inſtitutionem. Horum autem omnium certior factus Traſamundus, decreuit cunctos Epiſcopos in Sardiniam inſulam relegandos: quos ſexaginta & eo amplius numero fuiſſe, idem qui ſupra Syncellus ait. At ipſum agere tantum de Byzacenæ, in qua ſita erat Ruſpa, non etiam de aliarum Africæ prouinciarum Epiſcopis, ſatis apparet ex eo quod numerẽt alij[c] Africanos Epiſcopos in Sardinia exules ducẽtos viginti, alii[d] etiã ducentos viginti quinq; cũ & inſuper alios quoq; in alia Africæ aſpera loca deportatos eſſe cõſtet. Erga quos omnes eluxit Symmachi Papę fraterna charitas, dum (vt ſcribit Anaſtaſius) omni anno per Africam vel Sardiniam Epiſcopis exulibus pecunias & veſtes miniſtrauit. Inter alios autem Africanos Epiſcopos huius temporis confeſſione decoros, adnumerandus eſt *Primaſius*, & ipſe doctrina inſignis, qui libris quinque minute, & diligenter (vt ait Caſſiodorus[e]) Apocalypſim B. Ioannis expoſuit.

FVLGENTIVS CREATVR EPISC. RVSPENSIS.

c Theoph. Miſcel. lib. 15.
d Sigeb. Marian. Scot. in Chron.

PRIMASIVS INSIGNIS EPISC. AFRIC.

e Caſſiod. inſt. diuin. lect. c. 9.

III. TRANSLATIO CORPORIS S. AVGVSTINI IN SARDINIAM.

Hoc vero etiam plane tempore accidiſſe perhibetur, vt Hipponenſis Epiſcopus, & alii prouinciæ Numidiæ ſacerdotes, ferrent ſecum venerandum corpus magni illius totius Eccleſiæ Catholicæ magiſtri, Aurelii Auguſtini Hipponenſis olim Epiſcopi, ſimulque eiuſdem ſacri verticis ornamentum mitram Epiſcopalem, & Epiſcopatus inſigne Baculum paſtoralem; ſed & alias plures eueherent Sanctorum Reliquias, cum iam nulla ſpes reliqua videretetur reſtituendæ in Africa Eccleſiæ, tot ac tantis adeoque frequentibus perſecutionibus agitatæ. Cuius quidem tũc temporis factæ corporis S. Auguſtini tranſlationis in Sardiniam, alteriuſque poſt longa tempora ab ea inſula Ticinum ſub Luithprando Longobardorum Rege, hiſtoria, cum plures eius ſint teſtes, nobiliori illo monumẽto conſignata relinquitur quo Oldradus Mediolanenſis Epiſcopus Carolum Magnum id ſcire cupientem ſcripta epiſtola reddidit certiorem.

IV. FVLGENT. REVOCATVS IN AFRICAM AD QVÆS. REGIS DISSOLVENDAS.

Poſt hæc vero Traſamundum Regem, quo Catholicos Afros de expulſione paſtorum ſuorum lugentes deciperet, multas proponentem ineptarum tendiculas quæſtionum, S. Fulgentium tamquam omnium Epiſcoporum doctiſſimum, ad eas ſoluendas ex Sardinia Carthaginem acceriſſe, idem qui ſupra Syncellus tradit, ſimulque egregia recenſet ſcripta quæ cum ipſi Regi, tum ipſius ſacerdotibus varias quæſtiones agitantibus, Fulgentius direxit; quorum hactenus pars quædam ſupereſt, vnde colligere valeas quanta eſſet in eo cum ingenii acumine ſacræ Theologiæ eminens doctrina. Addit que demum idem auctor de Arianis Epiſcopis, quod ipſi cernentes Fulgentii ſuaſionibus non ſolum populum Catholicum in fide confirmari, verum ex ipſis Arianis quamplurimos ad religionem Orthodoxam conuerti; Regi ſuggeſſerint vt eumdem ad exilium Sardiniæ remitteret. Vbi idem vir ſanctus monaſterium extruxit, & cum ſuis in eo degens alios complures ad idem vitę genus excolendum illexit: ſed & multas ad diuerſos ſcripſit inſignes epiſtolas, lucubrationeſque de religione ac fide Catholica, quarum idem auctor meminit; & inter alias de Ieiunio & Oratione ad Probam virginem Deo dicatam; quæ auis atauiſque Coſſ. orta, & deliciis regalibus enutrita, tanta fuit humilitate prædita, vt amore ſubiectionis & vſu ſeruiendi, dominam ſe aliquando fuiſſe neſciret, famemque ſuam ſatiandis faceret deſeruire pauperibus: vt egregie teſtatus eſt ipſe Fulgentius in epiſtola ad Gallam Romanam viduam, quæ & ipſa (vt ait) auo, patre, ſocero, marito Conſulibus, adoleſcentula viro adoleſcente orbata, in monaſterium ſeceſſit, ibique mira humilitate diu vixit: de qua S. Gregorius[f] Papa recitat, quod cum ei valde ignea complexio corporis eſſet, & ipſo viduitatis ingreſſu dicerent medici, quia niſi ad amplexus viriles rediret, calore nimio contra naturam barbas eſſet habitura (quod ita quoque poſt factum eſt), elegerit tamen eam deformitatem

IDEM REMISSVS IN SARDIN.

f Greg. 4. dial. 13.

EGREGIVM PROPOSITVM GALLÆ VIDVÆ.

Digitized by Google

mitatem exterius pati, quam iterum carnalibus nuptiis ſubiici. quæ & feliciter, apparente ei S. Petro Apoſtolo, ad cœleſtem gloriam vocata, ab Eccleſia Catholica inter Sanctas iugi annua commemoratione recolitur. Quod vero pertinet ad S. Fulgentium, cuius occaſione ad hæc diuertimus; quæ reliqua ſunt eius, opportuniori loco dicentur.

ANAST. IMP. 15. THEOD. REG. 13.

IESV CHRISTI AN. 505.

SYMMACHI AN. 7.

I. MANLIVS CONS. FIT MONACHVS.

ANNO Chriſti quingenteſimo quinto Theodoro & Sabiniano Coſſ. idem ipſe *Theodorus* cognomento *Manlius*, nobiliſſimus Senator Romanus, inito cum ſancta coniuge conſilio, & mutuo communicato conſenſu, nuncium ampliſſimæ dignitati ſæculoque remiſit, ac monaſticam vitam amplexus eſt, ſumma admiratione Vrbis & Orbis: ad quem extat S. Fulgentii ex Sardinia data epiſtola [a], eidem de hac re præclariſſime geſta congaudentis.

a Fulg. ep. 6.

II. ANAST. IMP. QVÆRIT TOLLERE MACEDONIVM EPISC. CONST.

b Theod. Lect. collect. lib. 2.

Inter hæc vero Anaſtaſium Imperatorem, ſtabilito cum Perſis fœdere (prout patet ex Marcellino ſub anni ſuperioris Conſulibus) vt modicum quietis à bellicis occupationibus accepit, rurſum contra Eccleſiam, & Macedonium Orthodoxum Conſtātinopolitanum Epiſcopum, armatum eſſe, Theodorus [b] Lector tradit. Quod autem haud liceret eum ſtatim eiicere, qui populi totius præſidio vallaretur; dolo rem agens, ad eum occidendum Acholium quemdam ſubornandum curauit. Qui cum id fruſtra tentaſſet, Macedonius vt manſuetudinem ſuam oſtenderet, munera eidem Acholio dari præcepit; ſicut refert idem Theodorus. Quando vero pulſus fuerit dicetur ſuo loco.

ANAST. IMP. 16. THEOD. REG. 14.

IESV CHRISTI AN. 506.

SYMMACHI AN. 8.

I. CONC. AGATH. PRO RESTITVENDA ECCL. DISCIPL.

ANNO Chriſti quingenteſimo ſexto, Meſſala & Areobinda Coſſ. celebratum eſt CONCILIVM AGATHENSE in Gallia Narbonenſi, ſub Alarico Wiſigothorum Rege, anno regni eius vigeſimoſecundo quinto Calendas Septembris, cui præfuit S. *Cæſarius* Epiſcopus Arelatenſis. Interfuerunt vero Antiſtites triginta quinque, licet viginti nouem tantum nominati habeantur: inter quos aliquot ſanctitate celebres extitere, puta *Firminus* Metenſis, *Quintianus* Ruthenenſis, & alii. Leguntur que ſancti Canones, vel reſtituti iam antiquati, numero ſeptuaginta vnus. quibus pene emortuam Eccleſiaſticam diſciplinam in vigorem priſtinum reſtituere conati ſunt.

PATRES PRO REG. HÆRET. ET INFIDEL.

Ceterum quod dederit facultatem Alaricus Rex Arianus, vt Orthodoxi Epiſcopi in vnum conuenientes Synodum celebrarent; eius præſtiti beneficii memores Patres, in ipſo exordio pro eodem Rege preces Domino obtulerunt: ſicut & id ipſum poſtea eadem ratione egiſſe reperiuntur Patres Synodi Toletanæ dictæ Secundæ ſub Amalarico pariter Ariano Rege; aliique aliis temporibus, pro aliis æque hæreticis vel alias impiis; & olim ſanctiſſimos Epiſcopos pro Ethnicis Principibus factitaſſe conſtat ex Athenagora, Tertulliano, Iuſtino martyre, & aliis qui Apologias antiquitus pro Chriſtianis aduerſus calumnias Ethnicorum ſcripſere. Quod vero ad ipſum Alaricum ſpectat; obſeruatione digna res eſt, quomodo ipſe quamdiu nullum negotium faceſſit Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopis, quam feliciſſime ad viginti duos annos regnum, licet inter æmulos barbaros propagarit: ſimulac autem eumdem S. Cæſarium calumnia oppreſſum exulare coegit, regni pariter cum vita miſerum diſpendium paſſus eſt. Atque quomodo id acciderit, dicetur anno ſequenti.

II. CODICIS T. ...

Ante vero quam hæc Synodus celebraretur, hoc tamen ipſo anno eiuſdem Regis vigeſimo ſecundo, quarto Nonas Februarii, idem Alaricus Codicem Theodoſianum ex nimia prolixitate contractum, auctum vero aliquibus interpretationibus per Anianum Cancellarium ſuum, apud Adurenſe oppidum edendum curauit: ſed viſum antea & examinatum, probatumque ab Epiſcopis; vt declaratur in reſcripto eidem præfixo Toloſæ dato ad Timotheum Comitem.

NOVA AB ALARICO REGE FACTA PROMVLGATIO.

III. TVMVLTVS CONSTANTINOP. OB PROFANAS IMAG. ANAST. IMP.

Quod autem pertinet ad res Orientales; hoc eodem anno decimoſexto Anaſtaſii Imperatoris, Cedrenus tradit magnam Conſtantinopoli à populo Catholico excitatam eſſe ſeditionem, quod idem Anaſtaſius in Palatio ſuo quædam monſtra & ab imaginibus Eccleſiaſticis aliena, pingenda curaſſet. Habet vero etiam Theodorus Lector, eumdem Imperatorem vehementer viſiſſe Macedonium eiuſdem vrbis Epiſcopum, vt damnaret Synodum Chalcedonenſem: eoque reſpondente, nihil ſe facturum abſque vniuerſali Synodo cui Romanus Pontifex præſideret; Imperatorem ira commotum, ademiſſe eccleſiis Catholicorum priuilegia ad eas confugientium, eaque eccleſiis hæreticorum tribuiſſe.

IV. IOAN. MACHIOTA EPISC. ALEX.

Quo eodem anno, defuncto Ioanne Mela Epiſcopo Alexandrino hæretico, cum ſediſſet annos nouem; in eius locum ſubrogatus eſt alius *Ioannes* eiuſdem nominis Tertius, cognomento *Machiota*, idemque hæreticus, qui mox Zenonis Henoticum ſuſcepit; Concilium vero Chalcedonenſe reiecit. Hęc ex Nicephoro in ſerie Epiſcoporum Alexandrinorum, & Liberato [a] in Breuiario.

a Liber. c. 18.

ANAST. IMP. 17. THEOD. REG. 15.

IESV CHRISTI AN. 507.

SYMMACHI AN. 9.

I. ALARICVS REX VINCITVR ET OCCIDITVR A CLODOVEO.

ANNO Chriſti quingenteſimo ſeptimo, Anaſtaſio Auguſto tertium & Venantio Decio Coſſ. Alaricus Wiſigothorum Rex Arianus, cum viginti duobus annis feliciter regnaſſet in Gallia à Rhodano ad Ligerim vſque & Pyrenæos; à Clodoueo Rege Francorum victus occiſus eſt: pœnas luens exilii nuper irrogati S. Cæſario [a] Arelatenſi Epiſcopo (qui tamen paulo poſt reuocatus eſt) & S. Quintiano [b] Ruthenorum Antiſtiti, eo prætextu quaſi ipſi Francorum ac Burgundionum dominium deſideraſſent. Porro belli huius cauſam, ſolum religionis zelum fuiſſe expreſſe teſtatur Gregorius [c] Turonenſis; quod ſcilicet Chriſtianiſſimus Rex indigno ferret animo, in nobiliſſimis Galliis regnare hominem Arianum: quamuis Theodoricus Oſtrogothorum in Italia Rex, multum ſatagens vt Clodoueum ab eiuſmodi conatu auerteret, leuiſſimas diſſenſionis cauſas interceſſiſſe dicat in epiſtolis [d], quas ad ipſos Clodoueum & Alaricum pro ineunda concordia ſcripſit: cum & ad Gundebadum Regem Burgundionum ipſi Clodoueo fœdere iunctum, itemque ad Reges Erulorum, Guarnorum, & Toringiorum ſcripſit, vt omnes ſimul Francorum Regi ſuadere ſtuderent, ne Alaricum bello inſequeretur. Sed cum omnia fruſtra fieri videret, præſto eſſe Alarico gentili ſuo, & eadem Ariana hæreſi coinquinato decernens, dedit quoque ad ſuos Gothos epiſtolam [e] de expeditione aduerſus Francos paranda.

a Cyprian. in Vit. S. Cæſar. ap. Sur. 27. Aug.
b Greg. Tur. l. 2. c. 36.
c Ibid. ca. 37.

BELLVM RELIGIONIS CATHOL. CAVSA SVSCEPTVM A CLODOVEO CONTRA HÆRET.

d Ap. Caſſiod. l. 3. ep. 1. 2. 3. 4.

e Ibid. l. 1. ep. 24.

II.

Interea vero Clodoueus, conciliato ſibi inprimis cœleſti numine & Sanctorum patrocinio, tum erigendo Pariſiis ex conſilio S. Clotildis coniugis ſuæ eccleſiam in honorem SS. Apoſtolorum Petri & Pauli tum monitu S. Remigii Rhemenſis Epiſcopi conuocando in ciuitatem Aurelianenſem SYNODVM (cuius extant [f] Acta, canoneſque triginta tres ad diſciplinam Eccleſiaſticā pertinentes ſumma prudentia in eo ſanciti à totidem Epiſcopis, è quibus notiores extiterunt *Gildardus* Rothomagenſis, *Lupus* Sueſſionenſis, *Melanius* Rhedonenſis, *Quintianus* Ruthenenſis, & *Theodoſius* Autiſiodorenſis, quos inter Sanctos colit Eccleſia Catholica) tum etiam edictum promulgando, ne quid eo bello à militibus damni inferretur eccleſiis, ſacriſue miniſtris, ac perſonis rebuſq; ad eos ſpectantibus: his inquam, præuiis ſanctiſſimis actionibus, a-

f To. 2. Conc. CONCIL. AVRELIA. FACTVM...

ceptaque ab eodem S. Remigio benedictione, necnon pleno vaſe Vini benedicti (quod diuina virtute vſque ad finem belli multiplicatum eſt) aduerſus hoſtes progreſſus, & apud Turonos in eccleſia S. Martini ex pſalmi prophetia auſpicium victoriæ accipiens, atque in agro Pictauienſi prodigioſo S. Hilarii ſigno ſecurior redditus, inito in campo Vocladenſe, decimo ab vrbe Pictauienſi milliario. acerrimo prælio, Alarici exercitum ingenti cæde deuicit, ipſumque Regem manu propria occidit, ſed & maxima ipſius ditionis parte, omnibuſque theſauris potitus eſt. Quæ quidem omnia, præter alios Francicarum rerum ſcriptores, narrãt huic tempori quo ea geſta ſunt viciniores, Gregorius [g] Turonenſis & Hincmarus [h] Rhenenſis. Sed & Procopius Græcus hiſtoricus de iiſdem agens, licet aliquantum diuerſe, tradit inter opes regias Alarici, quas Alaricus quondam Senior cum Romam cepiſſet, abſtulerat, exiſtimatam fuiſſe Salomonis precioſiſſimam ſupellectilem, ingentis pretii gemmis ornatam, quam olim ex Hieroſolymis aduexiſſent Romani. Habetq; inſuper Gregorius, præter alia miracula quæ in ea expeditione diuinitus acciderunt, muros Engoliſmæ ciuitatis munitiſſimæ coram ipſo Clodoueo ad eius obſidionem ſe accingente, ſponte corruiſſe: cum autem idem Rex apud Burdegalam hiemaſſet, rediiſſe Turonos, & multa baſilicæ S. Martini munera obtuliſſe, quod & aliis vbique Galliarum Eccleſiis præſtitiſſe conſtat. Quæ vero poſt hæc ſecuta ſunt, dicentur anno ſequenti.

ALARICVS OCCIDITVR.

g Greg. Tur. 2. hiſt. 37. h Hincm. in Vit. S. Remig. i Procop. de bel. Goth. li. 1.

MVRI ENGOLISMÆ SPONTE CORRVVNT CORAM CLODOV.

III. DE TEMPORE VICTORIÆ CLODOVEI.

Interea redarguendus in tempore Gregorius, dum victum à Clodoueo Alaricum ponit anno quinto ante eiuſdem Clodouei obitum, nempe poſt annos duos: cum & Caſſiodorus huius tẽporis ſcriptor hoc anno id accidiſſe demonſtret, dum ſub ſequentis Conſulibus victoriam ponit Theodorici aduerſus Francos, quam poſt occiſum Alaricum accidiſſe conſentiunt omnes: & S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, res Gothorum duplici ſcripto proſecutus, nimirum Chronico & Hiſtoriæ compendio, triplici chronographia ſub hoc anno Alarici mortem cõſignet, nempe numero Aeræ, annis Imperii Anaſtaſii, & tempore ipſius Alarici regni, dum videlicet tradit ipſum regnaſſe annos vigintitres, deceſſiſſeq; anno decimoſeptimo Anaſtaſii, atque Aera quingenteſima quadrageſima quinta, qui eſt hic ipſe annus Domini quingenteſimus ſeptimus. Addit vero, eidẽ Alarico in portiũculam regni ſucceſſiſſe *Geſilicum*, ipſius ex concubina filium, ac regnaſſe annos quatuor, ſicut genere viliſſimũ, ita infelicitate & ignauia ſummum. Qui poſt multas diſcurſiones per Africam, Hiſpaniam, & Aquitaniam, demũ ab Ebbane Regis Theodorici duce apud Barcinonem ſuperatus eſt in prælio, & captus trans fluuium Druentiam Galliarum, occiſuſque.

IV. DE MVNITIONE DARÆ, ET RELIQVIIS S. BARTHOLA POST.

Quod autem ad res Orientales ſpectat, eodem anno decimoſeptimo Anaſtaſii Imperatoris (vt habet Cedrenus) ab ipſo ædificata eſt munitio cõtra Perſas, quam Daram antea nominatam, Anaſtaſiopolim appellauit: de qua agunt etiam Euagrius [k], atq; Procopius [l]. Theodorus [m] vero Lector addit, eumdem Anaſtaſium cum eam condidiſſet, vidiſſe in ſomnis Bartholomæum Apoſtolum dicentem, ſubuertiſſe ipſum ciuitatis cuſtodiam, quod Reliquias ſuas illo miſſas reprobaſſet. Quo enim Anaſtaſius ſecta Manichæus eſſet, reliquias Sanctorum execrabatur. Ex quibus inſigniter Nicephorum [n] erraſſe comperies, dum putauit ab Anaſtaſio illuc fuiſſe tranſlatas eiuſdem S. Apoſtoli reliquias. Etenim non ipſum, ſed Iuſtinianum Imperatorem coli voluiſſe eodem loco S. Bartholomæum, ei eccleſiam erigentem, Procopius [o] eſt auctor.

k Euagr. lib. 3. cap. 37. l Procop. de bel. Perſ. li. 1. m Theod. Lect. lib. 2. n Niceph. li. 16. ca. 37. o Procop. de ædif. Iuſtin.

ANAST IMP. 18. THEOD. REG. 16.

IESV CHRISTI AN. 508.

SYMMACHI AN. 10.

I.

ANnus Chriſti quingenteſimus octauus, deſcriptus habetur in Faſtis Caſſiodori Conſulatu Venãtii iterum & Celeris: licet Panuinus pro arbitrio addens vel mutans paſſim nomina, pro Venantio ponat Decium Iuniorem, cum tamen nec apud Marcellinum Comitem vlla ſit de eo prorſus mentio. Cum igitur hi Conſules ordinarii in antiquioribus Faſtis poſiti habeantur, plane opinari licet, reſpuiſſe Clodoueum Francorum regem oblatum ei nuper ab Anaſtaſio hæretico Imperatore Conſulatum: quamuis Gregorius [a] Turonenſis, aliique illum acceptaſſe crediderint. Si enim acceptauit, cur non eſt inditum tanti Regis nomen Conſularibus Faſtis? Sed & qui Patriciatu, non Conſulatu putat Clodoueum donatum, mea quidem ſententia fallitur, inferior enim erat Patriciatus dignitas Cõſulatu, & cõmunis pluribus. Deniq; veteres [b] omnes Conſulatum, nõ Patriciatum oblatũ dicunt.

AN CLODOVEVS FVERIT CONSVL.

a Greg. Tur. 2. hiſt. 38.

b Aimoin. li. 1. Hincm. in Vit. S. Remig. & alibi.

II. CVR OBLATVS CONSVLATVS CLODOVEO.

Sed vnde iſtiuſmodi muneris Anaſtaſio Auguſto, hoc potiſſimum tempore exhibendi ratio? Nimirum exortæ erant inimicitiæ inter ipſum & Theodoricum Italiæ Regem, quod hic vendicaſſet ſibi Pannoniam (vt vidimus) quæ ad Orientale ſpectare videbatur Imperium. Perſeueraſſe autem eiuſmodi odium actionibus incrementis, res geſtæ ab Anaſtaſio ſub huius anni Conſulatu declarant, quo (vt ait Marcellinus) in Italiam miſit claſſem armatam ad deuaſtanda Italiæ littora. Pergrato igitur accipiens animo, excitatum potentiſſimum Francorum Regem aduerſus Gothos ſuos hoſtes Anaſtaſi*, audito obtentæ de illis victoriæ nuncio, quo tãtum demerere Principem poſſet, ad eumdem Legatos cum Conſularibus codicillis miſit. Sed (vt dictum eſt) ſpreuit Chriſtianiſſimus Rex Francus ab hæretico Imperatore oblatum munus, vnde opus fuit Anaſtaſio, alium loco ipſius Conſulem ſubrogare, quem diximus nomine Celerem.*

III. DE BELLO INTER THEODORICVM ET CLODOVEVM.

* Quo eodem anno idem Theodoricus Rex Italiæ, cum anno ſuperiori ne quicquam (vt vidimus) laboraſſet vt Francos cum Alarico conciliaret, atque vt gentili ſuo ſuccurreret expeditionem paraſſet, impigra Francorum fortitudine præuentus, poſt rem geſtam, occiſumque Alaricum, ipſe aduerſus eoſdem exercitum mouens, obſidionem quidem Carcaſſonæ ciuitatis Galliç Narbonẽſis ſoluere coegit, permiſit tamen vt ſibi haberent, quam iam occupaſſent, & à qua non valeret eos depellere, eam Galliarum partem quæ eſt præter Rhodanum, ipſeq; ſibi reliquam Alarici ditionẽ vendicauit. Hęc ſincere Procopius [c] de Theodorico & Francis, quos ipſe Germanos vocat. Qui autem impenſius quam par eſt ſtuduere Gothorũ rebus, vt Caſſiodorus [d] qui Theodorico ab epiſtolis erat, atq; Iordanus [e] Gothus, magnam hoc anno cladem Francos à Gothis accepiſſe tradunt. At ſicut non inficias imus, bellum plane deploratum ab ipſo Theodorico reſtitutũ fuiſſe, ita minime conſenſerimus, magnam Francos cladem ſuſcepiſſe. Etenim quomodo potuiſſent iidem victi mox eoſdem Gothos victores (quod ipſe etiam Caſſiodorus [f] teſtatur) obſidere in vrbe primaria ac munitiſſima, ipſa Arelate, ac per biennium & amplius vſque ad tertiam Indictionẽ in eadem obſidione, eiuſdemq; prouinciæ deuaſtatione perdurare? Victoris enim hæc ſunt, non victi.

c Procop. de bel. Goth. lib. 1. d Caſſiod. in Chron. e Iornand. de reb. Get. f Caſſiod. 3. ep. 32. & 40. & 8. ep. 10.

IV. g Ap. Sur. 27. Aug. S. CÆSARIVS PRODITIONIS ACCVSATVR.

Porro meminit etiam eiuſdem Arelatenſis vrbis obſidionis, Cyprianus Epiſcopus in Vita [g] S. Cæſarii eiuſdem ciuitatis Antiſtitis, dum narrat, eumdem Cæſarium proditionis falſo à Iudæis & hæreticis inſimulatum, primo in carcerem à militibus Gothis detruſum, poſtea Rauennã ad Theodoricum Regem miſſum eſſe, ibique tam ab eodem Rege quam ab eius proceribus, cognita ipſius ſanctitate, magnis muneribus donatum (quæ ipſe in alimoniã pauperum, & redemptionem Fidelium captiuorum, cui ſemper ſolicitiori cura, etiam vſque ad diſtractionem vaſorum Eccleſiæ incumbere conſueuerat, impendit) Romam ad Limina Apoſtolorum acceſſiſſe, atque à Senatu Populoque Romano, ipſoque Symmacho Papa, magno cum honore & veneratione acceptũ, poſt nonnulla edita ea peregrinatione miracula, mortuũq; ad vitam reuocatum, ac dęmoniacum liberatũ, tandem Arelatum rediiſſe.

CÆS. MAGNI HABITVS ROMÆ.

V.

Sed quod rurſus ad bellum attinet, tradit Procopius, Theodoricum cum Francis partitum eſſe portionem ditionis Burgundionum, partemq; ſuam potius arte quam armis, pretio perſoluto ab iiſdem Francis accepiſſe. Verum tam ipſe quam alii cum eo videntur errore lapſi,

dum

Digitized by Google

dum ante bellum Clodouei aduerſus Alaricum id contigiſſe affirmant. Etenim integras tunc fuiſſe res Burgundionum, literæ [b] Theodorici ad ipſorum Regem Gundebadum ſcriptæ declarant, cum eum rogat vt in conciliandis inter ſe Alarico & Clodoueo laboret. Ceterum compoſitis rebus bellicis, idem Clodoueus Pariſios profectus, cum laborare cœpiſſet corporis infirmitate, ipſeſque ſalutis fruſtraretur, idem conſilio Tranquillini viri illuſtris & Archiatri, accerſiuit ſanctiſſimum virum *Seuerinũ* Agaunenſis monaſterii Abbatem, miraculorum virtute vbique clariſſimum, qui ſuper ægrotantem Regem, præmiſſis precibus, imponens caſulam qua erat indutus, febrem eius medullis fixe inhærentem fugauit, alioſq; plurimos diuerſis morbis laborantes ſanitati reſtituit, ac demum monitu diuino ad Nantonienſe caſtrum ſe conferens, Deo ſpiritum reddidit: in cuius memoriam poſtea Clodouei filius Childebertus nobile templum extruxit. Quæ omnia copioſe deſcripſit in eius Rebus [i] geſtis Fauſtus preſbyter eiuſdem temporis ſcriptor.

b Ap. Caſſiod. 3. Var. 2.

CLODOVEVS ÆGROTANS SANATVR A S. SEVERINO.

i Ap. Sur. 11. Febr.

IESV CHRISTI AN. 509.

ANAST. IMP. 19. THEOD. REG. 17.

SYMMACHI AN. 11.

I. ANnus Chriſti quingenteſimus nonus Conſulem habuit (vt ponit Marcellinus) Opportunum ſine collega, ſeu verius Importunum, vt habet Caſſiodorus. Hic namque ille videtur Importunus ex antiqua Deciorum familia prognatus [a], quem Theodoricus Rex Italiæ auxit Patriciatus dignitate. Sed fuerunt cruenta eius auſpicia Conſulatus, dum in cõſuetorum exhibitione munerum, & editione Circenſium, fauens Conſul factioni Venetæ, in Praſinos ſe parum æquum exhibuit: cuius rei gratia, ob cædem factam vnius ex Praſinis, factus reus apud Regem, iuſſus eſt vna cum Patricio Theodorico cauſam dicere coram Præfecto Vrbis. Extant enim ea de re plures eiuſdẽ Regis ad diuerſos ſcriptæ [b] literæ: è quibus etiam cognoſcas ritus Ludorum Circenſium, ſimul & Gentilitia eorumdem ſacra, prorſus indigna quæ à populo Chriſtiano frequentarentur: vnde & ſe ea deteſtari Theodoricus demonſtrat, quamuis coactus eſſet permittere (vt ait) neceſſitate populorum imminentium, quibus votum eſſet ad talia cõuenire, dum cogitationes ſerias delectarentur abiicere. Sed de prohibitis ſæpe Spectaculis dictum eſt alias, nunc cetera huius anni proſequamur.

a Ap. Caſſiod. 1. Var. 5. & 6.

INFAVSTA AVSPICIA CONSVLATVS IMPORTVNI.

b Ibi 1. Var. 20.31.32. 33. & lib. 3. ep. 51.

II. Eodem anno, ſecunda currente Indictione, Alamundarus *Saracenorum*, ſiue *Agarenorum* Rex (vtroque enim nomine dicti reperiuntur) collectis copiis incurſans Arabiam & Palæſtinam, ſanctis quoque monachis nonnihil moleſtiæ intulit; quam deſcripſit in Rebus [c] geſtis Sanctorum Euthymii, Sabæ, atque Ioannis Silentiarii, Cyrillus monachus: vbi inter alia memoria digna; agit de vno ex iiſdem Agarenis, quod inſultaſſet S. Sabæ, terræ hiatu abſorpto. Eorum vero monachorum martyrum qui ſub Alamundaro occiſi ſuntglorioſæ memoriæ, dies decimanona Februarii conſecrata eſt in tabulis Eccleſiaſticis. Sed illud mirabilius, quod apud S. Ioannem Damaſcenum [d] recitatur ex Anaſtaſio Sinaita, nempe quod cum apud Damaſcum Saracenus quidam templum S. Theodori ingreſſus, ſagittam in eius Imaginem emiſiſſet, & dextrum ipſius humerum attigiſſet, continuo ſanguis copioſus è vulnere effluxerit. Quibus ſignis commotus Alamundarus, Chriſto poſtea nomen dedit, vt dicetur ſuo loco.

SARACENI INCVRSANT PALÆSTINAM.

c Ap. Sur. 20. Ianuar. 5. Dec. & 13. Maii.

d Damaſc. orat. 3. de Imag.

IMAGO S. THEODORI ICTA SANGVINEM FVNDIT.

III. Hoc vero eodem anno, Occidentalis Eccleſia aucta eſt Catholico Principe, nempe *Sigiſmundo* Burgundiorum Rege, qui patri ſuccedens [e] Gundebado, ſiue Gundebaldo dicto, ex Ariana perfidia ad Catholicam religionem acceſſit, ſuaſione [f] ſanctiſſimi viri *Alcimi Auiti* Epiſcopi Viennenſis, pietate, eloquentia, & præclaris aduerſus hæreticos, aliiſque ſcriptis, apud antiquos [g] auctores & tabulas Eccleſiaſticas celeberrimi: qui cum fruſtra laboraſſet vt Gundebadus pater publice profiteretur Catholicam fidem, quam ſecreto confeſſus erat, perfecit illud in filio Sigiſmundo. Porro de eodem Gundebado eſt quoq; mẽtio apud Agobardum Archiepiſcopum Lugdunenſem, in epiſtola longe poſt hæc tempora ad Ludouicum Imperatorem Pium ſcripta, dum in illum inuehitur quod monomachiam lege lata approbaſſet: teſtaturq; aduerſus eam prædictum S. Auitum ſæpe interceſſiſſe apud eumdem Gundebadum tum verbis tum ſcriptis.

SIGISMVNDI BVRG. REG. CONVERSIO.

e Sigeb. in Chron. hoc an.

f Gre. Tur. 2. hiſt. 34. Ado in Chron.

g Sidon. 3. ep. 1. lib. 7. ... p. 23. Ado. an. 492.

Greg. Tur. 1. hiſt. 34. Epitaph. Auiti. Bibl. S. Martyrol. Rom. Non. Febr. & alii.

IV. Quod vero pertinet ad Sigiſmundum eius filium, ipſe mox vt Arianam paternam impietatem palam exuit, nihil antiquius habens quam vt ditionem ſibi ſubiectam æque ab errorum pollutionib. purgaret, celebrari voluit CONCILIVM EPAVNENSE viginti quatuor Epiſcoporum, cui præfuit idem *S. Alcimus* Auitus, eiuſque germanus interfuit *Apollinaris* Epiſcopus Valentinus æque celebris ſanctitate (filii ambo Ilicii, Senatoris primum, poſtea Epiſcopi Viennenſis) necnon *Claudius* Epiſcopus Veſontienſis, aliique plures in ſacras Eccleſiæ tabulas ob vitæ ſanctitudinem poſt obitum relati: à quibus quadraginta canones ſtatuti leguntur, ad reparandam Catholicam fidem, & abolendam quæ diutius ibi peſtis Ariana coaluiſſet.

CONCIL. EPAVNENSE AD REFORM. ECCL.

IESV CHRISTI AN. 510.

ANAST. IMP. 20. THEOD. REG. 18.

SYMMACHI AN. 12.

I. ANnus Chriſti quingenteſimus decimus Conſules habuit Boetium Seuerinum ſecundo & Eutharicũ: qui quidem *Boetius*, is ipſe eſt qui nobilitate generis nulli ſecundus, prognatus nimirum ex antiqua Manlii Torquati familia, & eo qui Chriſtianitate reſplenduit Anicio gaudens atauo, adoleſcens Athenas, in quibus fuerant literæ philoſophicæ reſtitutæ, petens, variis philoſophiæ peruestigatis dogmatibus, Ariſtotelicis ſeſe totum addixit, decem & octo annos [a] moratus Athenis. Vnde factũ eſt, vt abſque controuerſia primas meruerit inter Latinorum ingenia, qui profundum Ariſtotelicorum ſenſuum penetrauerit, & obſcura quæque perſpicua effecerit, Ariſtotelemque vix nomine hactenus Latinis cognitum (vt ipſe [b] teſtatur) reddiderit Latinum, ac Latinis commentariis illuſtrauerit, multaque alia inſignia in omni ſcientiarum genere præſtiterit, quę recẽſentur in literis [c] à Theodorico Rege ad ipſum ſcriptis. Quem & Theologicis inſtitutionibus apprime fuiſſe imbutum, demonſtrant tractatus eius de SS. Trinitate, & aduerſus errores Neſtorii & Eutychetis.

BOETII CONST. NOBILITAS ET INSIGNIS ERVDITIO.

a Boet. de diſcip. ſchol. ca. 4.

b Id. in Prædicam. Ariſt.

c Ap. Caſſiod. 1. ep. 45. & 2. ep. 46.

II. Ceterum hoc tempore vrbe Conſtantinopolitana in diuerſa diſciſſa, cum populus faueret Macedonio Epiſcopo Orthodoxo, Anaſtaſius autem Imperator cum militibus eidem reſiſteret, ac variis affligeret cladib. idem Imperator, nequis ex ſuis patientiæ ſuæ cauſam de tolerando in ſede Macedonio ignauiæ vel timori adſcriberet, calumnioſe teſtatus eſt (vt ſcribit Nicephorus [d]) ſe id facere quod Macedonius Zenonis Henotico ſubſcripſiſſet. Cũ autem Macedonius hæc intelligens, confeſtim collecta Eccleſia pro concione ſe plane Orthodoxum eſſe demonſtraſſet, edita ſincera fidei profeſſione ex præſcripto Concilii Chalcedonenſis, damnatiſque omnibus quæ ei aduerſarentur hæreticis opinionibus: rurſum Anaſtaſius, quod nihil ea ex parte profeciſſet, ad alias recurrens calumnias, quibus in Macedonium animos omnium concitaret, æq; falſo iactauit (vt tradit Liberatus [e]) ab eo falſatam eſſe diuinam Scripturam in fauorem hæreſis Neſtorianæ. Quid autem poſt hęc egerit, dicetur anno ſequenti.

ANAST. IMP. RVRSVM AGIT ADVERS. MACEDON. EPISC. CONST.

d Niceph. li. 16. ca. 26.

e Liber. cap. 19. Breuiar.

IESV CHRISTI AN. 511.

ANAST. IMP. 21. THEOD. REG. 19.

SYMMACHI AN. 13.

I. ANno Chriſti quingenteſimo vndecimo, Coſſ. Secundino, atque Felice natione Gallo [a] viro laudatiſſimo, & Magni [b] Felicis Conſulis à Camillo originẽ ducentis filio, Anaſtaſius Imperator (vt tradit Marcelli-

a Caſſiod. 2. ep. 1. 2. 3.

b Sidon. carm. 9.

1125

MACEDON. EPISC. CONST. EIICITVR IN EXILIVM.

nus) Macedonium Conſtantinopolitanum Epiſcopum Orthodoxum, cum iam ſediſſet annos quindecim, tam calumniis impudentiſſimis agitatum, quam fraudulenta violentia ſubmotum, per milites in exilium deportari iuſſit, fruſtra obtinente populo Conſtantinopolitano, Catholicæ fidei acerrimo defenſore, quem idem Imperator variis ea de cauſa cladibus, exiliis, bonorumque publicationibus affecit. Idemq; conſciſſo combuſtoq; Chalcedonenſium Actorum libro, quem Macedonius in area ſanctiori depoſuerat (putantur hæc Acta fuiſſe originaria Concilij) mox in locum Macedonii *Timotheum* ſuffecit, nefandum hominem, vitaque impuriſſimum (ideoq; vulgo κύλαυα, & λιτεοβύλω dictum) atq; hæreſis Theopaſchitarum obſtinatiſſimum ſectatorem, licet pro rerum temporumq; occaſione, ceterorum more hæreticorum, conſueuiſſet fidem ad horas mutare. Quomodo vero iſta omnia ſe habuerint, pluribus deſcribunt Theodorus [c] Lector, Euagrius [d], Nicephorus [e], Theophanes [f], aliique: poteſtq; ex eodem Theodoro intelligi, geſta ea eſſe tempore maioris hebdomadæ, quæ Sanctum Paſcha præcedit, more ſuo diabolo ſacris iis diebus maiorem excitante aduerſus Eccleſiam tempeſtatem.

ACTA CONCILII CHALCID COMBVSTA.

c Theod. Lect. Collect. lib. 2. d Euagr. lib. 3. cap. 32. e Niceph. li. 16. cap. 26. f Theop. Miſcel. N. 15.

II. ANAST. VBIQ PERSEQVITVR SANCTISS. VIROS.

Porro non Macedonium tãtum, eoſue qui erant Conſtantinopoli Orthodoxos, expugnare contentus perfidus Imperator, longe etiam poſitos magni nominis ſanctiſſimos viros exagitauit, illos primum blanditiis; nempe muneribus, literis, & ſimulatione tentans, iiſque technis non ſufficientibus, aperta vincula exiliaq; adiiciens. Cuiuſmodi certaminum præclarum extitit exemplum (ex quo reliqua nobis incomperta intelligere valeamus) magnus ille *Theodoſius* Cœnobiarcha, qui his temporibus Palæſtinam inſigni illuſtrauit ſanctitudine, & ingentium miraculorum editione, fidemque Orthodoxam ſumma fortitudine aduerſus quoſcumq; hæreticos, atque ipſum Imperatorem propugnauit, adeo vt etiam aliquando templum ingreſſus, conſcenſo ſuggeſtu, coram vniuerſo populo *anathema dixerit iis qui quatuor ſanctas Synodos non tanti æſtimarent, quanti quatuor Euangelia*. Cuius quidem extant [g] præclaræ res geſtæ, deſcriptæ (vt puto) à Cyrillo monacho, quem ſuperius ſæpe nominari contigit, nobiliſſimo eius temporis auctore, patria Palæſtino.

THEODOSIVS COENOB. MAGNIS ANIMIS VERITATEM PROPVGNAT.

g Ap. Sur. 11 Ianuar.

ANAST. IMP. 22. THEODOR. REG. 20.

IESV CHRISTI AN. 512.

SYMMACHI AN. 14.

I. POPVLVS CONST. INSVRGIT IN ANAST. IMP. PRO DEFENSIONE FIDEI.

ANno Domini quingenteſimo duodecimo, Paulo & Muſciano Coſſ. menſe Nouẽbri populus Conſtantinopolitanus ob defenſionem fidei Catholicæ, aduerſus impiũ Anaſtaſium Imperatorem inſurrexit, quod in eccleſia cantari iuſſiſſet: Theopaſchitarũ Quaternitatem, populumque reclamantem in ipſo eccleſiæ gremio atrioque maxima cæde perculiſſet. Quapropter iidem totam peragrantes ciuitatem, Anaſtaſium monaſtico habitu affectantes ferro flammiſq; interemerunt, & Areobindam ſibi fieri Imperatorem clamitantes, imagines ac ſtatuas Anaſtaſii in terram deiecerunt, Celerem & Patriciũ Senatores ad ſe ſupplicandi ſibi vel ſatisfaciendi gratia miſſos, iactis pluuiæ inſtar lapidibus repulerunt, domoſque Marini, & Pompeii prauitatum omnium auctorum ſuccenderunt: ac deinde in Circum, præuio Euangelio & Cruce Domini, ad Anaſtaſium venientes, ante eius ſoliũ hymnum Trinitatis iuxta morem Catholicum concinuerunt: ſed & monachum quemdam, aliamque monacham, quod eſſent cari Imperatori, necarunt, cadaueraq; raptata cremarunt, clamantes, *Hi ſunt amici hoſtis Sanctiſſimæ Trinitatis*. Quibus omnibus perterritus Imperator, ſolitis periurus ab hæreſi ceſſaturum promittens, aliquamdiu quieuit. Hæc Marcellinus [a] atque Cedrenus [b]. Porro has turbas Conſtantinopolitanas, iam præcedentibus aliquot annis cœptas, numquam plane ſedatas eſſe, ſed ſingulis fere annis quoad vixit Anaſtaſius integratas, quæ antecedentibus ſubſequentibuſque annis Marcellinus ſub ſingulis Conſulatibus tradit, aperte declarant.

a Marcel. in Chron. b Cedr. in Comp.

II. CONCIL. SIDON. HÆRETICORVM ADVERS. CATHOL.

Hocque eodem anno idem Anaſtaſius (inquit Marcellinus) redintegrata prauitate, inſanam & irridendam SYNODVM apud *Sidonem* in Palæſtina octoginta ferme perfidorum Epiſcopis congregatis, aduerſus Orthodoxorum Epiſcopos fieri imperauit, nempe aduerſus Flauianum Antiochenum, & Eliam Hieroſolymitanum, acerrimos Concilii Chalcedonenſis propugnatores, alioſque eis inhærentes. Meminerunt vero de eadem Synodo & alii [c], ex quibus omnibus conſtat, ab eodem malignantiũ conuentu (inter quos præcipui auctoritate & malitia fuere Xenaias ille Perſa, qui & dictus eſt Philoxenus, Epiſcopus Hierapolitanus in Syria, atque Soterichus Cæſareæ Cappadociæ) Flauianum omnino recuſantem anathema dicere Synodo Chalcedonenſi, damnatum eſſe & in exilium pulſum, itemque Ioannem Epiſcopum Palti, & ipſum Orthodoxia inſignem. Elias vero (quem incaute nimis Theodorus Lector, calumniis aduerſariorum nimiũ credulus, ſcripſit in errorem eſſe lapſum, quem certum eſt conſtantiſſimum ſemper Orthodoxæ fidei defenſorem perſeueraſſe) ne idem cum aliis ſupplicium tunc pariter ſubire cogeretur, per magni Sabæ Abbatis legationem, quam in eius Vita [d] Cyrillus deſcripſit, ad Imperatorem præmiſſam anteuertit: licet ad poſtremum & ipſe ab impiis eadem fuerit anno ſequẽti pœna affectus. Quibus autem artibus iidem hæretici aduerſus Flauianum & Eliã vſi fuerint, accuſantes illos Neſtorianiſmi, vt aliquibus ſaltem coloribus è ſede depellere poſſent, docet epiſtola [e] monachorum Orthodoxorum Palæſtinæ ad Alcyſonem Nicopolitanum in Illyrico Catholicum Epiſcopum. Sed & qui tumultus Antiochiæ excitati, quæ vt cædes factæ ob Flauiani expulſionem, pluribus narrat Euagrius [f].

c Cyril. mon. in Saba. Euagr. lib. 3. c. 32. Conc. Nic. II. Act. 1.

d Cyril. in Saba, ap. Sur. 5. Dec. Adde Niceph. lib. 16. c. 32.

e Ap. Euag. lib. 3. cap. 31

f Idem ca. 32

III.

Interea vero Symmachus Romanus Pontifex, cum cognouiſſet exturbato iam anno ſuperiori Macedonio, in reliquos fidei Catholicæ profeſſores eamdem fore perſecutionem in partibus Orientalibus graſſaturam, tamquam Vniuerſalis Eccleſiæ paſtor, datis literis [g] octauo Idus Octobris ad eos qui Romanæ Eccleſiæ communione iuncti erant, eos admonuit ſtrenue pro fide Catholica decertare. Quod enim his perditiſſimis temporibus luctuoſiſſimum fuit, haud omnes qui Orthodoxi erant in Oriente, iidem & Catholicæ erant communionis: ſiquidem Macedonius, & qui illi inhærebant, haud vmquam paſſi ſunt à ſacris tabulis demi nomen Acacii, qui à Romanis Pontificibus ob initam cum hæreticis communicationem ſæpe damnatus fuerat. Vnde accidebat illud plane lugubre, vt qui ab hæreticis preſſuram paterentur, purgarent ſine ſolamine fratrum, & vincerent ſine corona, quam nemo demerere poteſt, niſi qui in caſtris Eccleſiæ Catholicæ legitime decertauerit. Verumtamen reminiſcentes miſeri patres ipſorum, cum eiuſmodi interdum perſecutionem pati contingeret, appellare conſueuiſſe communem omnium patrem Romanum Põtificem tandem & ipſi, qui antea conuenti ſæpe eiuſdem Pontificis literis ſpreuerant ſana conſilia, ſupplices ad ipſum Symmachum ſcripſere literas [h], vna cum Orthodoxæ fidei profeſſione, ob quam deberent in eius communionem recipi. Sed quod primum omnium requiri ab eis videbatur, dicere anathema Acacio non ſolum penitus facere prætermiſerunt, ſed & toti ferme in eo fuerunt, vt ſuaderent non debere ſe ob Acacii peccatum ſubire ſupplicium, cum nonniſi proprium quemquam debeat obligare delictum. Quid vero ad ea reſcripſerit Symmachus, incompertum habetur. Non enim illam cuius nuper meminimus, eius epiſtolam poſt hanc Orientalium (vt quidam exiſtimarunt) ſed ante ſcriptam fuiſſe, ex eo patet, quod nullam prorſus mentionem de ea Symmachus in iiſdem ſuis literis fecerit, nec aptetur ſatis ad petita reſponſi.

g Sym. ep. 9

SYMMA CONSOLATIO ECCL. ORIENT.

h Extat poſt d. ep. 9.

ANAST. IMP. 23. THEODOR. REG. 21.

IESV CHRISTI AN. 513.

SYMMACHI AN. 15.

I. SEVERVS

ANno Chriſti quingenteſimo decimotertio, Probo & Clementiano Coſſ. SEVERVS patria Sozopolitanus

EPISC. ANTIOCH. IMPIISSIMVS.

a Hæc, & alia de Seuero referunt Theo. Lect. lib. 2. Euagr. lib. 3. cap. 33. Liberat. cap. 19. Syn. Conſtant. ſub Men. Act. 1. Niceph. lib. 16. cap. 29.

tanus in Piſidia, fax, lues, atque perditio totius Orientalis Eccleſiæ, monſtrum omnium vitiorum deformitate cõpactum, ex Ethnico mago[a] atque venefico Chriſtianus monachus, moxque hæreticus factus Eurychianus & Acephalus, à quo iam ante Flauiani expulſionem Anaſtaſius Imperator iuramentum acceperat, ſi Antiochenus Epiſcopus fieret, illo ipſo die Chalcedonenſem Synodum anathematare damnaturum: hic inquam, talis Seuerus, eodem Flauiano (vt dictum eſt anno ſuperiori) ob fidei Catholicæ propugnationem in exilium pulſo, eiuſdem Imperatoris iuſſu in ſedem intruſus eſt Antiochenam. Quã ſimulac adeptus eſt, *Conuentum* collegit ex ſibi ſubiectis Epiſcopis qui cum eo ſentirent (plures enim eius communionem deuitaſſe, immo & in ipſum depoſitionis ſententiam protuliſſe conſtat) ex quo Synodales ſcripſit literas, quibus cum ſuæ promotionis abſentes reddidit certiores, tum fidei profeſſionem ex more conſcribens, eam vt amplecterentur admonuit, ita fore ſperans, vt qui ab ipſo diuerſa ſentirent exploratos haberet, & vi tandem adigeret. Quo pacto Eliam Hieroſolymitanum Epiſcopum, illam admittere conſtantiſſimæ recuſantem, vi militari è ſede dimoueri curauit, atque in exilium amandari: quam rem geſtam deſcriptam habes plurib. apud Cyrillum[b] in Vita S. Sabæ, Septimam Synodum[c] Oecumenicam, atque Nicephorum[d].

b Cyril. ap. Sur. 5. Dec.
c Syn. Nic. II. Act. 1.
d Niceph. l. 16. c. 34.

II.
IOANNES EPISC. HIEROSOL. EX HÆRETICO CATHOLICVS, ET INSIGNIS CONFESSOR.

In locum porro Eliæ ſuffectus *Ioannes* filius Marciani, poſtquam Seueri confeſſus eſſet communionem, & ſubieciſſet anathemati Synodum Chalcedonenſem, paulo poſt admonitionibus eiuſdem S. Sabæ Archimandritæ (qui egregiam in his tumultibus pro fidè Catholica cum ſuis monachis impendit operam) reſumens animum, Seueri reſpuit communionem, & Synodum Chalcedonenſem profeſſus eſt, eaque de cauſa in carcerem coniectus à Duce Palæſtinæ, callida arte promittens ſe ipſi obtemperaturum, mox vt è cuſtodia dimiſſus eſt vniuerſum conuocans in Eccleſiam populum, ipſo Duce præſente è ſuggeſtu in Neſtorium, Eurychetem, Seuerum, & Soterichum, eiſq; communicantes anathema pronũciauit: Dux vero populi conſenſum vnanimem veritus, Cæſaream ſe recepit. Sicque Ioannes, quod in ſtrenuum mutatus eſſet propugnatorem fidei Catholicæ, in ſede Hieroſolymitana retentus eſt à Catholicis contra Seuerum & Anaſtaſium Imperatorem. Porro ab hoc impiiſſimo Seuero dicti ſunt hæretici *Seueriani*, eumdemque Acephali pro capite habuerunt: ad cuius conuincendam impietatem, ingentia diuinitus contigit edi diuerſis locis miracula[e], tam circa ſanctiſſimam Euchariſtiam, quam alia, quibus etiam multi ab hęreſi Seueriana conuerſi ſunt ad fidẽ Orthodoxam.

HÆRETICI SEVERIANI.

e Referuntur nonnulla in Prato Spir. cap. 29. 30. 49. 79. 180. 188. 213.

III.
PENVRIA INGENS IN PALÆSTINA.

Sed & ex hoc anno, quo ſanctiſſimus Hieroſolymorũ Epiſcopus à ſua abſtractus eſt ſede, vſque ad obitum Anaſtaſii Imperatoris, vniuerſam illam Palæſtinæ prouinciam integris quinque annis dira fame & penuria rerum omnium neceſſariarum, ſiccitate quoq; & locuſta, aliiſq; grauib. plagis oppreſſam eſſe, teſtis eſt Cyrillus in Vita S. Sabæ: cui ait in tanta neceſſitate, eiuſque monaſteriis, mira Dei prouidentia abunde ſuppeditatam eſſe omnium rerum copiam, cum ab aliis, tum ab ipſo Anaſtaſio Imperatore, cum ad eum ſuſcepiſſet legationem pro ceſſatione iniuſtæ promulgatę legis, qua, ne quid diminutionis vectigalia regia paterentur, ſtatutum fuerat, vt cum multa loca fame ac peſte deſolata habitatoribus carerent, quæ ipſi tributa pendere ſolerent in vicinos reiicerentur. Addit vero Cyrillus, eiuſdem quoq; S. Sabæ precibus ad Deum fuſis, impetratam fuiſſe in vehementi illa diuturna ſiccitate pluuiam monachis, ipſique etiam vrbi Hieroſolymitanæ.

IV.
ALAMVND. SARAC. PRINCEPS AD FIDEM CONVERSVS EGREGIE ILLVDIT LEGATIS SEVERI.

Sed quod rurſum ad Seuerum ſpectar, cum hoc eodem tempore *Alamundarus* Saracenorum Princeps ad fidem conuerſus eſſet, tentauit idem Seuerus per Epiſcoporum legationem cũ ſeducere: ſed Deo eius conatus præueniente, factum eſt vt ab Epiſcopis Catholicæ communionis baptizatus fuerit. Qui etiam ad redarguendum eorumdem Seuerianorum ad ſe miſſorum Epiſcoporum errorem, illud ſagaciter adinuenit, vt fingeret litteras accepiſſe quæ Michaelem Archangelum mortuum eſſe ſignificarent. Cum autem dicerent illi hoc eſſe impoſſibile, tunc ipſe, *Et quomodo igitur ſi duas Naturas Chriſtus non habet, nudam Crucem Deus pertulit, cum ne Angelus quidem pati quicquam, vel mori queat?* Qua arguria confuſi redditi, ad propria receſſerunt. Rem vero geſtam narrant Anaſtaſius[f] Bibliothecarius, Theodorus Lector, Theophanes, Cedrenus, Nicephorus, & alii.

f Anaſt. in Chron.

V.
g Theod. Lect. Collect. lib. 2.

Nec quidem tacendum quod de Rege Perſarum Cabade his præmittit Theodorus[g]; nempe cum idem Rex audiſſet multas in quodam caſtro inter Perſas & Indos ſito pecunias ac gemmas aſſeruari, velletque eius rei veritatem cognoſcere, fuiſſe à dæmonibus eum locum inhabitantibus repulſum: cumque primo ſuorum magorum artem deinde etiam Iudæorum, fruſtra ad expellendos inde dæmones adhibuiſſet, demum ad Chriſtianos qui in Perſide erant recurriſſe & ab illorum Epiſcopo poſt celebratam ſacram Synaxim dæmones ſigno Crucis profligatos eſſe, caſtrumque liberum relictum. Hæc Theodorus: eademque Nicephorus[h], & ante illum Anaſtaſius[i] Bibliothecarius ſub fine Imperii Anaſtaſii: adduntq; ea occaſione quieuiſſe perſecutionem in Chriſtianos excitatam: in qua grandia facta eſſe miracula, tum ipſe Anaſtaſius tum Cedrenus narrant, & inter alia, Chriſtianos abſciſſis linguis expedite locutos eſſe, & conciſis poplitibus rectos ambulaſſe.

DÆMONES NON NISI A CHRISTIANIS FVGARI POSSVNT.

h Niceph. lib. 16. c. 36.
i Anaſt. in Chron.

IESV CHRISTI AN. 514.

ANAST. IMP. 24. THEOD. REG. 22.

HORMISDÆ AN. 1.

I.

ANno Chriſti quingenteſimo decimoquarto, M. Aurelius Caſſiodorus Senator V. C. factus eſt Conſul, ad quod faſtigium per cũcta omnium præcipuarum Romani Imperii dignitatum ſubſellia peruenit quæ ipſe[a] alibi ſingillatim recenſet. Quo anno, decimoquarto Calẽdas Auguſti, *S. Symmachus* Romanus Pontifex ex hac vita ad cœleſtem migrauit, cum ſediſſet annos quindecim menſes octo, minus quatuor diebus: ſepultuſq; eſt in baſilica S. Petri. de quo præter ſuperius recenſita, Anaſtaſius[b] multa habet quæ ſpectant ad ſummam ipſius curam in erigendis ornandiſque eccleſiis Vrbis. Poſt cuius obitum ſeptimo die, Romanus Clerus ſumma concordia in eius locum ſeptimo Calendas Auguſti ex Romanæ Eccleſiæ diacono Pontificem creauit HORMISDAM, natione Campanum, patria Frulinatem, ex patre Iuſto.

a Caſſiod. l. Var. 4.
SYMMACHI PP. OBITVS.
b Anaſt. in R. Pont.

HORMISDA CREATVR ROM. PONT.

II.
c Hincm. in Vit. S. Remig. ap. Sur. 13 Ianuar.
d Anaſt. in Hormiſ.

Cum autem innotuiſſet orbi Chriſtiano, nouum Romanæ Eccleſiæ electum eſſe Pontificem, nouus Francorum Rex Chriſtianiſſimus Clodoueus cunctorum præuenit obſequium, & ſuperauit officia; dum (vt narrant Hincmarus[c] & Anaſtaſius[d]) ſuggerente S. Remigio Epiſcopo Rhemenſi; coronam auream cum gemmis (quæ *Regnum* appellari ſolet) Beato Petro direxit: eoq; munere viſus eſt oppigneraſſe regnum ſuum in Eccleſiæ Romanę prædium, Deoque dicare, atque in perpetuum ſupra firmam petram, Petriq; confeſſionem ſtabiire. Qua etiam occaſione idem Remigius litteris ſuis Hormiſdam ſalutans Pontificem, ſuſcepit pariter ab eo epiſtolam[e], qua ob præclaram meritorum excellentiam, & nobiliſſimæ ſedis prærogatiuam, factus eſt in regno Francorum Vicarius Romani Pontificis.

CLODOVEVS FRANCOR. REX CORONAM MITTIT HORMISDÆ PAPÆ.
e Extat in Vit. S. Remig. ibi.

III.
CONCIL. RHEM. SVB S. REMIGIO.

Vnde nihil ipſe cunctatus, SYNODVM Gallicanorum Epiſcoporum Rhemis collegit ad res Eccleſiaſticas optime dirigendas, & fidem Catholicam ab hæreticorum cõtagione liberandam. In qua inter alia accidit, vt cum Arianus quidam Epiſcopus acerrimus diſputator dialecticis ſuis concluſionibus Catholicis omnibus inſultaret, nimiaque inflatus arrogantia adueniẽti ad locum Synodi S. Remigio aſſurgere cum aliis dedignatus eſſet, tranſeunte ante illum ſancto Præſule, ſola ipſius vmbra mutus prorſus redditus fuerit, nec vltra valuerit aliquid eloqui, niſi poſtquã ad pedes Sancti procidẽs nutib. veniam petiit.

& ab eo iuſſus doctrinam Eccleſiæ confiteri, protinus fidem Catholicam de ſanctiſſima Trinitate & Chriſti Incarnatione profeſſus eſt. Narrat hæc Hincmarus in eiuſdem Sancti Rebus geſtis.

IV. CLODOVEI REG. OBITVS.

f Greg. Tur. 2. hiſt. vlt. Aimoin. li. 1. cap. vlt. Hinc. in Vit. S. Remig.

g Act. S. Genoueſ. in fi. ap. Sur. to. 1.

Haud vero diu poſt idem Rex Clodoueus hoc ipſo anno (vt habet Sigebertus, & confirmant alii) ex hac vita migrauit, ipſæque Chriſtianiſſimorum Regum Francorum primitiæ Deo oblatæ in cœlum ſunt acceptæ. Sepultus [f] eſt Pariſiis in baſilicà S. Petri Apoſtoli, quam ipſe Rex hortante S. Genoueſa [g] virgine à fundamentis cœpit erigere eiuſque vxor Clotildis perficiendam curauit. Inditumq; eius ſepulchro egregium epitaphium, quod etiã Almoinus recitat, à S. Remigio (vt putatur elaboratum verſibus. Vixiſſe autem annos quadraginta quinque, regnaſſe triginta, auctor eſt Gregorius Turonenſis. Ornauerunt tantum Principem res in prœliis fortiter geſtæ, ex quibus cognomentum conſecutus eſt *Belligeri*, quo illum Fortunatus inſigniuit in Epitaphio Dagoberti Regis. Docuitque ipſe primus, quid poſſint Francorum arma, quæ S. Crucis vexilla præcedunt: ſiquidem quam ſæpe ante conſtat Francorum robuſtiſſimam gentem Gallias fruſtra tẽtaſſe, Romanis ſæpe terga vertiſſe, cum finitimis barbaris vario marte pugnaſſe, & inter eos humili fama vixiſſe, arctioribuſq; arctatam limitibus de ſalute ſæpe periclitatam eſſe, vbi Chriſtum nouit, quot eſt ipſa aucta victoriis, & illuſtrata trophæis ex vniuerſis ferme totius Orbis nationibus variis temporibus deuictis? Cui etiam vni datum eſt ex tot barbaris gentibus ſolum patrium relinquentibus, & Romanum Imperium inuadentibus, ſtabiles figere ſedes, latioribuſq; dilatare limitib. regnum, ac longioribus perpetuare fœcunda propagatione ſæculis. Vt plane frequentiorib. experimentis perſpicue patefactum fuerit, idcirco eſſe tanta conceſſa Francis quæ denegata ſunt reliquis exteris nationibus, quod pietate ipſi pollerent, præſtarentque aliis fide Catholica, & pro defenſione Eccleſiæ ardentius quam quo finibus regni tuendis pugnare ſolerent.

FRANCI PIETATE PRAESTANTES.

V.

Quibus quidem officiis plane digni ſunt redditi, illam diuinitus impertitam benedictionem conſequi, quam S. Remigius eorumdem Apoſtolus, antiquorum Patriarcharum more, Sancto afflatus Spiritu, ſuo teſtamento [h] conſignatam reliquit, nimirum vt ex Clodouei genere Reges & Imperatores procederent, qui in præſenti & in futuro iuxta voluntatem Domini ad augmentum ſanctæ ſuæ Eccleſiæ, virtute eiuſdem in iudicio & iuſtitia confirmati & corroborati, regnum obtinere atq; augere quotidie valerent, & in domo Dauid, hoc eſt in cœleſti Hieruſalem cum Domino in æternum regnaturi, ſublimari mererentur. Contra vero quod idem ſanctiſſimus Præſul eodem ſuo vltimo eloquio diram maledictionem iiſdem Regibus imprecatus eſt, ſiqui eorum Eccleſiarum Dei peruaſores, deſtructores, depopulatores, graues aut contrarii exiſtere voluerint, formamque præſcripſit, qua iidem ab Epiſcopis Galliarum, poſt ſeptimam demum admonitionem ſi adhuc contumaces perſeuerarent à corpore Chriſti ſegregari deberent, totumq; eis quod in perſona Iudæ traditoris & malignorum Epiſcoporum Eccleſia decantare ſolet, per ſingulas eis decantetur Eccleſias, vno tantũmodo verbo commutato, nimirum, *Fiant dies eius pauci, & Principatum eius accipiat alter*: His omnibus tã benedictionibus quã maledictionibus ſic diuinitus inſpiratis, Dominus veluti teſtamentarius executor accedens, pro meritis ſingulorum ſucceſſorum Regum eas ipſis partitus eſt: vt quæ erunt ſuis dicenda locis ſignificabunt. Sed illud peculiare præ ceteris aliarum gentium Regibus, Francorum Principibus à Deo Remigii ipſorum Apoſtoli precibus videtur fuiſſe conceſſum, vt (quod plane ſumma ſit admiratione dignum) non ob Regum peccata ad alias nationes fuerit (vt de aliis accidit) ipſorum translatum regnum, ſed veluti diuina promiſſione cum ipſis actum fuerit ſecundum illud Dauidicum [i], *Si dereliquerint filii eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint, ſi iuſtitias meas profanauerint, & mandata mea non cuſtodierint: viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorũ, miſericordiã autem meam non diſpergam ab eo.* At hæc inferius aperta luce videbuntur.

BENEDICTIONES ET MALEDICTIONES A S. REMIGIO IMPERTITAE FRAN. REGIB.

h Ext. ap. Briſſon. Formul. lib. 7.

BENIGNITAS DEI IN REGES FRANC.

i Pſal. 88.

VI. QVATVOR FILII CLODOVEI PARTIVNTVR INTER SE REGNVM.

k Gre. Tur. 3. hiſt. Fr. 1. & lib. 4. c. 22.

l Agath. li. 1.

FRANCOR. LAVDES EX AGATHIA.

Defuncto Clodoueo, regnarunt pro illo quatuor ipſius filii, Childebertus, Clotarius, Theodoricus, & Chlodomirus, qui ita inter ſe diuiſerunt regnum, vt *Childebertus* ſedem conſtitueret Pariſiis, *Clotarius* Sueſſione, *Theodoricus* Rhemis, *Clodomirus* Aureliis, prout ex Gregorio [k] & aliis Latinis conſtat, necnon ex Græco Agathia [l] in ipſo ſuæ ſcriptionis limine à Francorum moribus hiſtoriã inchoante, quos tum ob eorum virtutes, tum ob in alios æquitatem, inter ſeque concordiam, mirum in modum admiratione ac laudibus ſe proſequi & magnificere ait: quoſque inſuper moribus quam optimis præditos teſtatur, & maximũ in modum ciuiles, ac fide Catholica præſtantes, rectiſſimeque inter ceteros omnes opinionis. Sed quod addit, eos à Romanis veſtitus barbarie, & vocis innatæ ſono, linguæque, tantummodo diſcrepare quinam eſſet antiquus nobilium Francorum veſtitus, ornatuſque, deſcriptum habes in Vita Caroli Magni, & editum à Scholiaſte poſt Capitularia Regum Francorum. Agit quoque de eorumdem habitu corporis Sidonius [m] Apollinaris. De Regibus autem Agathias tradit, conſueuiſſe à puero nutrire capillos, eoſque à fronte ſumma arte diſcriminatos, hinc inde diffluentes in terga reĳcere: quod vt decus regium, Regibus tantum fuiſſe conceſſum, ceteris Francis attonſis affirmat. Ac denique quod ſpectat ad militarem eiuſdem gentis fortitudinem, & inuictam conſtantiam, eam Sidonius, paucis multa feliciter comphendens, ita expreſſit.

m Sidon. in Panegyr. Maior.

CAPILLOS NVTRIRE, SOLIS PRINCIP. INTER FRANCOS CONCESSVM.

Non timor: inuicti manent, animoque ſuperſunt
Iam prope poſt animam.

VII. PIETAS FILIOR. CLODOVEI.

Ceterum ſicut filii Clodouei, eius ſucceſſores fuerunt in regnum, ita & pietatis ac fortitudinis heredes, baptizati omnes ab eodem qui patrem baptizarat, S. Remigio, vt ipſe profitetur in ſuo teſtamento. Feruntque eumdem ab illis obtinuiſſe, vt quoties Rhemorũ vrbem aut ingrederentur aut præterirent captiui omnes è vinculis ac carceribus dimitterentur: quod quidem à poſteris etiam Regibus fuit obſeruatũ. Inſuper & S. Leonardum eiuſdem S. Remigii diſcipulum, ab iiſdem impetraſſe vt quos vellet ipſe e carcerib⁹ liberaret: prout habetur in Geſtis [n] ipſius: Quod vero ad Clotildem Reginam eorum matrem attinet, quæ Clodoueo coniugi ſuperuixit, eam Turonos ſe recepiſſe, ibique ſanctiſſime ad baſilicam S. Martini deſeruientem vſque ad obitum moratam eſſe, raro Pariſios viſitantem, tradit Gregorius [o] Turonenſis. Sed de ea rurſum dicendum inferius.

n Ap. Sur. 6. Nouemb.

o Greg. Tur. lib. 2. c. vlt.

VIII. VITALIANVS INSVRGIT ADVERS. ANAST. IMP. PRO FIDE CATH.

Inter hæc in Oriente *Vitalianus* Schytha, aduerſus Imperatorem Anaſtaſium pro defenſione Catholicæ fidei inſurgens, occupata vniuerſa Thracia, Scythia, & Myſia, ducens ſecum Hunnorum & Bulgarorum exercitum, aſſumptoque Romanorum equitum auxilio, Conſtantinopolim vſque proceſſit. Cum Anaſtaſius rebus ſuis deploratis, pacẽ per legatos petens, & ad ſolita Manichæorum periuria homo Manichæus confugiens, promiſit ſe (quod Vitalianus petierat) Macedonium Conſtantinopolitanum & Flauianum Antiochenum Epiſcopos ab exilio reuocaturum, Conciliumque celebraturum, ad quod Romanum etiam Pontificem euocaret. qua ſimulatione eluſus Vitalianus ab vrbe receſſit, factus tamen antea ab Imperatore Magiſter militum per Thraciam, multoque inſuper auro accepto. Hæc ex Cedreno [p], & qui longe ante illum ſcripſit Marcellino [q]: quæ ieiune nimis Euagrius [r], qui ab eo accepit Nicephorus tranſiliit, nullam de cauſa motus Vitaliani ob læſam fidem Catholicam mentionem faciens.

p Cedr. in Comp. an. 21. Anaſt.

q Marcel. in Chron.

r Euagr. lib. 3. c. 43.

IX.

s Zonar. Annal. par. 3.

SPECVLA VSTORIA INVENTA A PROCLO PHILOS.

Illud autem de bello Vitaliani haud omittendũ, quod tradit Zonaras [s], tunc à Proclo quodam celeberrimo philoſopho & excellentiſſimo Mathematico factam fuiſſe machinam, qua claſſis Vitaliani debellata eſt: nimirum ſpecula ex ære fabricaſſe vſtoria, eaque de muro è regione hoſtilium nauium ſuſpendiſſe, in quæ cum radii ſolares impegiſſent, ignem inde inſtar fulminis erumpentem, claſſarios ipſaſque naues combuſſiſſe: quod Archimedem

excogitaſſe Romanis Syracuſas obſidentib. Dion refert. Hæc Zonaras. Hic vero eſt ille Proclus (inquit Suidas) qui alter à Porphyrio, impuram & contumelioſam linguam contra Chriſtianos exacuit ſed Ioannes philoſophus præclariſſime eius propoſitiones refutauit, eumdemque in Græcis etiam quibus efferebatur, rudem & indoctum oſtendit. Ceterum hunc quoque fuiſſe coniectorem ſomniorum Anaſtaſii, Cedrenus docet: vt ex his æque intelligas, qualis eſſet Anaſtaſius, qui inter intimos ac neceſſarios haberet Chriſtianæ religionis hoſtem inſenſiſſimum.

ANAST. IMP. SIMVLAT CONVOCARE SYNOD. OECVM.
f Ext. To. 2. Concil. tot. epiſt. Hormiſd. poſt ep. 3.

Qui etiam, vt ſibi Vitalianum magis conciliaret, & populum in ſe concitatum leniret, verſute ſimulauit Oecumenicam indicere Synodum, Heracleæ celebrandam Calendis Iunii anni ſequentis, ad cuncta auferenda Eccleſiarum diſſidia, atque ad eum Hormiſdam quoque Papam inuitauit litteris f ad eum hoc eodem anno quinto Calendas Ianuarii ſcriptis. Quæ autem hæc ſecuta ſunt, dicentur anno ſequenti.

IESV CHRISTI AN. 515.

ANAST. IMP. 25. THEOD. REG. 23.

HORMIS. AN. 2.

I.
a Ext. ante ep. 2. Hormiſ.
HORMISDA LEGATOS MITTIT IN ORIENTEM AD EXPLORANDVM ANASTASII ANIMVM.
b Hormiſ. ep. 5.
c Poſt ep. 4. Hormiſ.

ANno Chriſti quingenteſimo decimoquinto, Anthemio & Florentio Coſſ. Hormiſda Papa nouis Anaſtaſii Imperatoris litteris a pridie Idus Ianuarii per Patricium V.C. Romam miſſis, prouocatus: Legatos miſit in Orientem, *Ennodium* ex diacono iam Epiſcopum Ticinenſem, atque *Fortunatum* Tudertinum Antiſtitem, vna cum *Venantio* preſbytero & *Vitale* diacono S. R. E. Cardinalib. quibus additus eſt *Hilarus* eiuſdem Eccleſiæ Notarius. Per quos ad eumdem Imperatorem tertio Id. Aug. reſcribens b, petiit vt Neſtorii & Eutychetis hæreſes damnaret, Synodum Chalcedonenſem ſuſciperet, vna cum ſcriptis S. Leonis Papæ: nominaq; Dioſcori, Petri Mogi & Petri Fullonis, nec non Acacii, & aliorum hęreticorum, aut qui eorum communione polluti fuiſſent, è ſacris Diptychis auferri iuberet. Legatiſque valde accuratum de rebus ſingulis ſcriptum dedit Indiculum, ſiue (vt vocant) Commonitorium c, quid ab eo prætereà petere ad perfectam inſtituendam Eccleſiæ pacem, ac quo modo in omnibus ſe gerere deberent. Ex quo etiam intelligitur, non ſic illos ab Hormiſda eſſe miſſos, vt intereſſent Synodo ab Anaſtaſio indictæ, quam nec conſenſit celebrari: ſed potius ad explorandum num res ſerio, an vero ſimulate, vt conſueuerat, ab Imperatore ageretur. Inſuperque ex eodem Commonitorio cognoſcitur, Vitalianum quoque, quem aduerſus Anaſtaſium pro fide Catholica inſurrexiſſe vidimus, ad eumdem Pontificem Legatos literaſque miſiſſe pro pace Eccleſiarum concilianda.

II.
QVID LEGATI CONSTANTINOPOLI.

Profecti porro Legati, feliciter Conſtãtinopolim peruenientes, non ſolum honorifice ſuſcepti ſunt ab Imperatore: ſed & ipſe verſuto animo confeſtim omnibus quæ Hormiſda peteret libentiſſime acquieſcere ſimulauit, vno excepto capitulo, cuius inficiatione magis ſe populi Conſtantinopolitani gratiam conſecuturum cognoſceret, videlicet de abolendo Acacii nomine, cuius idem populus ſtudioſiſſimus erat. Hæc enim ita tranſacta eſſe, litteræ ipſius Imperatoris ad Hormiſdam anno ſequenti per proprios legatos miſſæ declarant: ex quib. redarguas eos, qui ea quæ Anaſtaſius in alios Legatos poſtea (vt dicetur) Conſtantinopolim miſſos commiſit, ad hanc retulere legationem.

III.
OBITVS MACEDONII IN EXILIO.
d Cedr. in Anaſt.
e Miſcel. l. 15.
f Theod. l. 2.

Hoc eodem anno (vt habet Marcellinus) Hunni Armenia tranſmiſſa totam Cappadociam deuaſtantes, vſque ad Lycaoniam peruenerunt. Quo tempore Cedrenus d tradit accidiſſe, vt Macedonius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, in Armenia exul, eiuſmodi incurſionem fugiens Gangram Paphlagoniæ ſe receperit, ibique mortuus fuerit, ac miraculis poſt obitum claruerit. Eadem Theophanes in Miſcella e, & Anaſtaſius Bibliothecarius in Chronico, necnon Theodorus f Lector in Collectaneis, niſi quod de miraculis nihil. Nec quidẽ apud Gręcos coli memoria m eius, ſicut aliorũ Sanctorũ, Menologia quæ vidimus veſtigium vllum reddunt: cuius & nomen expunctum poſtea fuiſſe è ſacris Diptychis, ſuo loco videbitur.

IV.
g Cedr. & Theop.
ALEXANDRINI OBSESSI A DÆMONIB. VEXATI.

Hoc item anno contigiſſe tradunt g iidem qui ſupra auctores, vt Alexandriæ viri plurimi, itemq; mulieres ac pueri, grauiter à dæmonibus verberati, aſſidue latrarent; atque in ſomnis cuidam terribilis aliquis apparens dixerit, ciuibus hæc ob damnationem Concilii Chalcedonẽſis accidere. Quæ quidem haud abſq; fructu contigerunt: ſiquidem addit his Anaſtaſius, eodem tẽpore monachos hæreticos recantaſſe palinodiam, Epiſcopoſq; Illyrici miſiſſe Romam Catholicæ fidei confeſſionem.

V.
HIMERANNOR. CONVERSIO.
h Niceph. l. 15. c. 34.

Denique hoc eodem anno vigeſimo quinto Anaſtaſii Imperatoris, *Himerannos* populos in extremis Auſtralis plagæ ſitos, Perſis tributarios, Theodorus Lector aliique h tradunt ex Gentilibus Chriſtianos factos eſſe, cum ab initio Iudæi extitiſſent.

IESV CHRISTI AN. 516.

ANAST. IMP. 26. THEOD. REG. 24.

HORMIS. AN. 3.

I.
ANAST. IMP. LEGATOS MITTIT AD HORMIS. PP.
a Ext. tom. 1. ep. Rom. Pont. & to. 2. Cõc. in Hormiſ.
b Ext. ibid.
c Hormiſ. ep. 6.

ANno Domini quingenteſimo decimo ſexto, Petro abſque collega Conſule, detentos diu Conſtantinopoli Apoſtolicæ ſedis Legatos, Anaſtaſius Imperator magna ſpe alitos vniendæ Orientalis Eccleſiæ, tandem ita dimiſit, vt ad cuncta perficienda expectare ſe aduentũ Hormiſdæ ſimularet. Vtque id magis perſuaderet, vna cum eiſdem redeuntibus Romam menſe Iulio honorificentiſſimam miſit legationem, nimirum Theopompum Comitem Domeſticorum, & Seuerinum Comitem ſacri Conſiſtorii (quamuis ipſe Papa Hormiſdæ literis ad S. Auitum ſcriptis, de quibus agetur paulopoſt, doluerit non Eccleſiaſticos, ſed laicos fuiſſe viros miſſos ad Res Eccleſiaſticas tractandas) cum litteris a ad eumdem Pontificem humanitatis ac beneuolẽtiæ pleniſſimis: præter illas, quas eiuſdem Hormiſdæ Legatis ad ipſummet dederat b, quib. fidei Catholicæ confeſſionem, ac Concilii Chalcedonenſis approbationem intexuerat negans tamen damnationem Acacii, eo prætextu quod cum eius nomen ab vniuerſo ferme Oriente reciperetur, maiores inde in Eccleſia exorirentur tumultus: ceterum omnia ſimulans ſe ipſius iudicio Pontificis ac futuræ Synodi deferre. Quapropter quod quæ hactenus ipſe egiſſet, nonniſi laude digna extrinſecus viderentur: Hormiſda & ſcriptas litteras & res per Legatos Conſtantinopoli geſtas approbans, alias & ipſe rurſum ea de re ad eumdem Imperatorem literas c dedit, quibus eum rogauit vt conciliandæ Eccleſiæ vehementius incumberet.

II.
LEGATI CONATI TRAHERE HORMIS. AD PARTES IMP.
d Id. ep. 10.

Poſt hæc vero ipſos Legatos Imperatoris, Romæ detectos fuiſſe defenſores hæreſis Eutychianæ, atq; haud leui conatu tentaſſe Hormiſdam ad ſuas ipſorum partes adducere, adeoque re infecta ad Imperatorem redire iuſſos eſſe: ſignificant eiuſdem Pontificis litteræ d, anno ſequenti menſe Februarii ſcriptæ ad S. Auitum magni nominis Viennenſem in Gallia Epiſcopum, de quo ſuperius actum eſt: cum prius ipſe ab Hormiſda petiiſſet certior reddi de iis quæ cum Orientalibus geſta eſſent. quibus idem literis & illud fit manifeſtum, legatione ab Hormiſda in Orientem miſſa, multos Thraciæ, ſed præſertim Dardaniæ & Illyrici Epiſcopos, confirmatos aut reſtitutos eſſe Catholicæ Eccleſiæ Romanæ communioni: atque etiam Ioannem Nicopolitanum in Epiro Metropolitanum cum Synodo ſua ad eamdem Apoſtolicam communionem ſe contuliſſe. Vnde & accidit, vt eo facto irritatus Dorotheus Epiſcopus Theſſalonicenſis, præuaricator eorum quæ cum ipſe tum ipſius anteceſſores pro defenſione ſedis Apoſtolicæ grauiter agere conſueuiſſent: eidem Ioanni Nicopolitano multas iniurias intulerit, quod non expectatis aliis Orientis Epiſcopis ipſe cum ſuis eiuſdem Sedis communionem conſequi anticipaſſet. In quibus componendis controuerſiis laborandum

fuiſſe

fuiſſe Hormiſdæ, docent vltro citroque datæ epiſtolæ, quæ adhuc extant [c].

c Ext. vbi ſupra.

III. Sed vt redeamus ad Anaſtaſium Imperatorem: cum ipſe ea quam vidimus ſublata arte, conciliatum ſibi populum Conſtantinopolitanum ſenſiſſet, iamq; eam ob cauſam vires Vitaliani eſſe debilitatas: eueſtigio exuit eum militari Præfectura, quam Ruffino tribuit. Id enim ſub hoc Petri Conſulatu factum ponit Marcellinus. Vitalianum autem ad tranquilliorem vitam feceſſiſſe, Nicephorus [f] habet. Quem quidem cum poſtea viſuri ſimus fauentem hæreticis Eutychianis, intelligere poſſumus, honeſtiſſimo Catholicæ fidei prætextu obtexiſſe imperandi cupiditatem (quod etiam innuit Euagrius [g]) ideoq; haud permiſſum eſſe à Deo præualere aduerſus Anaſtaſium, licet impiiſſimum hæreticum, quod minime conueniret per hominem fictum Eccleſiam reparari, cum mentita ſanctitas ſit duplex iniquitas. Addit vero Nicephorus, poſt hæc Anaſtaſium multos Epiſcopos Orthodoxos è ſuis ſedibus dimouiſſe: ſed ait Marcellinus, eorum nonnullos ex templo reuerti mandaſſe ad ſuas Eccleſias, ob metum Illyriciani militis Orthodoxi tumultuantis. Cui & Oeniadum quemdam Epiſcopum Orthodoxum, qui doctrina ſua omnibus hæreticis ora obturare conſueuiſſet, cum eum hortaretur ad ſuam factionem deſciſcere, egregie reſtitiſſe, atque impietatem exprobraſſe, Cedrenus [h] narrat.

f Niceph. l. 16. c. 38. VITALIANVS QVO ANIMO IN SVRREXERIT IN IMP. ANAST. g Euagr. l. 4. c. 3. h Ced. in Annal. an. 25. Anaſt.

IV. Hoc item anno Ioannes Machiota hæreticus Epiſcopus Alexandrinus, anno ſedis vndecimo vita functus eſt: vt ex Anaſtaſii Bibliothecarii & Nicephori Chronicis colligitur. Poſt cuius obitum, *Dioſcorus* Iunior, Timothei Æluri conſobrinus, & ipſe hæreticus, præter conſuetudinem Eccleſiæ Alexandrinæ (qua eius Epiſcopos non alibi quam Alexandriæ, nec ab aliis quam ab Ægypti Epiſcopis & Clero eius Eccleſiæ ordinari conſueuiſſe, conteſtati ſunt ſæpe Epiſcopi Ægypti in Concilio Chalcedonenſi) fauore Imperatoris eam obtinuit ſedem: magna ideo à populo excitata ſeditione, multiſque perpetratis cædibus, vt idem Anaſtaſius narrat.

DIOSCORVS IVN. EPISC. ALEX.

V. Hoc eodem anno, octauo Idus Nouembris habita eſt SYNODVS TARRACONENSIS in Hiſpania, in qua à decem Epiſcopis tredecim reperiuntur [i] conſtituti canones ad Eccleſiaſticam diſciplinam reſtituendam conducentes. Quod autem in eius præfatione, ſub Conſulatu Petri anno ſexto Theodorici Regis Synodus peracta dicitur: nequaquam de Theodorici regno Italiæ eſt intelligendum (nam eius hic annus numeratur vigeſimus quartus) ſed potius de regno Hiſpaniæ, quod cœpit (vt S. Iſidorus ſcribit) anno ipſius in Italia regnantis decimo-octauo.

CONC. TARRACON. PRO ECCLES. DISCIPL. i To. 2. Conc.

IESV CHRISTI AN. 517.

ANAST. IMP 27. THEOD. REG. 25.

HORMIS. AN. 4.

I. ANno Domini quingenteſimo decimo-ſeptimo, Anaſtaſio Auguſto quartum & Agapito Coſſ. Hormiſda Papa menſe Aprilis nouam legationem miſit Conſtantinopolim ad eumdem Anaſtaſium, qua functi ſunt idem qui priorem geſſerat *Ennodius* Epiſcopus Ticinenſis, & *Peregrinus* Antiſtes Eccleſiæ Miſenatis in Campania: iiſque litteras [a] dedit ad Imperatorem, necnon ad Timotheum Conſtantinopolitanum Antiſtitem hæreticum, ceteroſque Orientales Epiſcopos extra Catholicam communionem poſitos: non quidem communicatorias, ſed potius commonitorias, quo illos officii ſui admoneret: rurſumque alias ad Catholicæ & Apoſtolicæ communionis Antiſtites, clericos, & monachos, vt eoſdẽ in officio contineret; ac demum priuatas ad *Poſſeſſorem* Africanũ Epiſcopum, pro fide Catholica ab Arianis factum extorrem, qui conferens ſe Conſtantinopolim multum pro ſuit Orthodoxæ fidei hæreticos exagitans. Addiditque & alia iiſdem Legatis mandata circa controuerſiam Dorothei Theſſalonicenſis & Ioannis Nicopolitani, de qua dictum eſt anno ſuperiori. Ne vero (quod hactenus factum fuerat) multi currerent in incertum, dum defendentes Orthodoxam fidem, & non vitantes communionem hæreticorum, vel eorum qui cum illis participaſſent, putarent tamen vere ſe Catholicos: his obuiaturus Hormiſda, iiſdem Legatis libellum [b] dedit Confeſſionis Catholicæ, cui ſubſcribere deberent qui Sedis Apoſtolicæ communionis participes eſſe vellent.

ALIA LEGATIO AB HORMIS. AD ANAST. IMP. PRO PACE ECCL. a Extant omnes To. 1. ep. R. Pont. & To. II. Conc. in Hormiſ. ep. 11. & ſeq. b Ext. ibid. poſt ep. 9.

II. Quem autem exitum hæc tanta cura ornata Legatio ſortita fuerit, breuiter deſcribens Anaſtaſius [c] Bibliothecarius, ait Imperatorem minime aſſentiri voluiſſe libello Hormiſdæ: cumque fruſtra tentaſſet Legatos muneribus corrumpere, eoſdem naui fragili ac periculoſæ impoſuiſſe cum militibus, quibus vetuit ad nullam ciuitatem appellere: ipſos tamen opera quorumdam monachorum Orthodoxorum curaſſe, vt epiſtolæ Hormiſdæ Papæ (ſecundum quod ipſe illis iuſſerat) publice per omnes ciuitates affigerentur: ſed eas Epiſcopos factionis Imperatoris metu illius Conſtantinopolim miſiſſe: tunc que Imperatorem furore repletum, miſſa ad Hormiſdam epiſtola, inter alia ſcripſiſſe ſe iubere velle, non iuberi. At extat [d] ipſa Imperatoris epiſtola qua eiuſmodi proterua verba, Pharaone potius quam Chriſtiano Principe digna inſeruit, ipſumq. Pontificem acriter redarguit nimiæ duritei. Sed non ita poſt euenit; quod neſciens miſer prædixit, nimirum vt potius infeliciter periret, quam pareret iubenti Pontifici.

c Anaſt. in Hormiſ. FVROR ANASTASII IMP. IN LEGATOS APOSTOL. ET IN IPSVM HORMIS. PP. d ap. Hormiſ. poſt ep. 22.

III. Simulac autem audita ſunt foris quæ aduerſus Legatos Apoſtolicæ ſedis geſta ſunt Conſtantinopoli, aduerſarii omnes fidei Orthodoxæ in eius propugnatores vbiq; inſilire cœperunt, eorumque bona diripere, profanare eccleſias, inſtarq; luporum in ouile ouium irrumpentium, mactare & perdere. Ex iis enim quæ in Syria monachi Orthodoxi Eccleſiæ Romanæ communicantes, paſſi ſunt ab impio illo & ſanguinario Seuero Antiocheno & Petro perditiſſimo hæretico Epiſcopo Apameæ, cetera quæ remanſerunt obſcura pernoſcere licet. Quænam vero iidem vulnera, cædeſque ad ipſa etiam ſacra eccleſiarum altaria paſſi ſint, declararunt qui ex illis remanſere, in literis [e] ſupplicibus ad Papam Hormiſdam (quem *vniuerſi orbis terræ Patriarcham* nominant) ſcriptis, cum antea per legatos auxilium Imperatoris fruſtra expertiſſent: ad quos, ſimulq; ad omnes Catholicos Orientales, extat eiuſdem Pontificis conſolatoria atque hortatoria reſponſio, miſſa anno ſequenti menſe Februarii; quam poſtea venerata Synodus Conſtantinopolitana ſub Menna, ſuo optauit recitari [f] conuentui.

PERSECVTIO AB HÆRETICIS ILLATA IN CATH. e Ext. ante ep. 22. Horm. f Syn. Conſt. ſub Menna, act. 1. & Hormiſ. ep. 21.

IV. Interea hoc ipſo anno Timotheus Conſtantinopolitanus intruſus Epiſcopus hęreticus, morte repentina ſublatus eſt de medio, poſtquam ſediſſet [g] ſex annos. Qui autem in locum eius ſubrogatus eſt *Ioannes* Cappadox, populi conatu potius quam voluntate Anaſtaſii Imperatoris electus creditur, Orthodoxæ fidei cultor: cui tamen quamdiu idem Anaſtaſius ſuperuixit, nec licuit reſpirare: eo vero paucos poſt menſes defuncto, quam ſtrenue pro Catholica vnitate laborauit.

g Niceph. in Chron. IOAN. CAPPADOX EPISC. CONST.

V. Hoc item anno, qui ſeptimus numeratur (ſecundum quod dictum eſt anno ſuperiori) Theodorici in Hiſpania regnantis, ſub eodem Agapiti Conſulatu, celebratum eſt *Gerundæ*, Tarraconenſis prouinciæ ciuitatis, CONCILIVM ſeptem Epiſcoporum: à quibus decem ſanciti ſunt canones, ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantes: præſidente *Ioanne* Tarraconenſi Epiſcopo, ad quem extat Hormiſdæ Papæ epiſtola [h] hoc anno data, qua ipſi vices ſuas in Hiſpania Citeriori legauit: ſicut in Vlteriori, nempe Bætica & Luſitania, eaſdem hoc ipſo anno commiſit *Salluſtio* Hiſpalenſi Epiſcopo: & aliis ad Hiſpaniarum vniuerſos Antiſtites ſcriptis litteris, ſolicite curauit vt antiqua Eccleſiæ conſtituta circa Ordinum collationem, Epiſcoporum conſecrationem, & Conciliorum celebrationem, rite obſeruarentur: atque inprimis vt nihil in eos illaberetur Orientalis contagii, hoc eſt vt caute agerent in recipiendis clericis ex Oriente venientibus, quorum recipiendorum eis formam præſcripſit. Laudabilis cum vigebat

CONCIL. GERVND. IN HISP. PRO DISCIPL. ECCL. h Hæc & ſeqq. ep. ext. loc. ſupra in Hormiſ.

ANTIQVVS VSVS PROBANDI FIDEM PEREGRINORVM.

viſus, vt cum ſciretur in aliquibus prouinciis commixtos eſſe hæreticos inter Catholicos, ſiquis inde migraret in remotiores prouincias, non reciperetur abſque fidei Orthodoxæ profeſſione, nec quidem generali dumtaxat, ſed quæ in particulari inſtantes tunc hæreſes condemnaret. Sicut etiam cum quis in prouincias hæreſi infectas peregrinari vellet, ſolitus erat pro viatico ſibi ſumere veræ fidei documenta præmunireque ſe antidoro contra ictus ſerpentium, quos ſciret frequenter in illis regionibus reperiri. Inde enim hoc eodem tempore cum ſub Anaſtaſio Imperatore fides Catholica in Oriente periclitaretur, S. Fulgentio ſuppeditatum eſt argumentum ſcribendi de Fide ad Petrum Hieroſolymam profecturum, vt ipſe libri exordio præfatur. Eum enim librum conſtat teſtificatione antiquorum omnium eſſe Fulgentii, quem male poſtea alii Auguſtino tribuerunt.

QVA OCCASIONE S. FVLGENT. SCRIPSERIT LIBROS DE FIDE.

IVSTINI IMP. I. THEOD. REG. 26.

IESV CHRISTI AN. 518.

HORMIS. AN. 5.

I. ANNVS PACIFICVS.

ANNVS Chriſti quingenteſimus decimuſoctauus Magni atque Florentii Conſulatu, maximus plane ac florentiſſimus illuxit Eccleſiæ, quo vocata frequentiſſime pax exul, tandem rediit poſtliminio, remoto penitus ſchiſmate peruicaci, atq; hæreſi pertinaci compreſſa; cum Oriens ſimul cum Occidente in vnam eamdemq; fidem Catholicę communionis glutino compaginata eſt. Namque Anaſtaſius Imperator præteritorum omnium malorum auctor, fautorue, cum rurſus [a] adeo commotum ſenſiſſet in ſe populum Conſtātinopolitanum, vt ſui commiſerationem excitaturus ad Circum veniens, corona depoſita per præcones proclamarit ſe paratiſſimum eſſe ad ipſius populi nutum Imperio cedere; quo facto populus placatus eſt: breuiſſimo poſt tempore idem Imperator, qui totum ferme Orientem perſecutionis igne exuſſerat, cum iam [b] ante oraculo edoctus fuiſſet igne quoq; ſibi pereundum fore multis fruſtra aduerſus illud mortis genus paratis remediis, multiſque portentoſis territus inſomniis (quorum vno vir quidam terribilis librum manu geſtans ei dixit, *Ecce ob peruerſitatem fidei tuæ, annos quatuordecim vitæ tuæ deleo.*) hoc tandem anno, die nona Iulii, cum tonitrua horrendum in modum reſonarent, & fulgura multa eliderentur, atque ipſe perterrefactus è cœnaculo in cœnaculum deſcenderet, & alios atque alios thalamos ſubiret, demum fulmine ictus interiit, cum regnaſſet [c] annos viginti ſeptem, menſes tres, & dies viginti nouem, vel (vt alii [d] volunt) dies tres. quem Cedrenus ait fuiſſe proceriſſimo corpore, oculis trucibus & mediocriter cæſiis caluaſtrum ac canum.

a Euagr. l. 3. c. vlt. b Hæc omnia de Anaſtaſio plenius deſcribuntur ap. Theoph. Miſcell. l. 15. Zonar. Ann. par. 3. Cedr. in Comp. & alios.

SOMNIVM ANASTASII. ANAST. IMP. FVLMINE ICTVS MISERE PERIT.

c Marcel. in Chron. d Euagr. ib.

II. ELIAS ET FLAVIANVS SS. EPISC. DIVINITVS VOCATI AD IVDICIVM ADVERSVS ANAST.

Cuius obitum cum eodem tempore diuinitus agnouiſſent Elias Hieroſolymitanus & Flauianus Antiochenus Epiſcopi Catholici, ab eodem Anaſtaſio ob fidem Orthodoxam olim in exilium pulſi: iidem quoque poſt dies decem ad tribunal Dei accedere iuſſi ſunt, cauſam ſuam aduerſus eumdem Anaſtaſium acturi: vt de Elia refertur à Cyrillo in Rebus [e] geſtis S. Sabæ, de vtroq; vero in Prato [f] Spirituali. Cui quidem cœleſti iudicio, in terris & illud conſentaneum accidit vt, horum amborum Antiſtitum nomina in ſacras ſuas tabulas Eccleſia Catholica receperit: contra vero Anaſtaſii Imperatoris, ſicut & Zenonis æque impii, nomen è Diptychis abraſerit (vt dicetur) eorumque memoriam execrabilem reddiderit.

e Cap. Sur. 5. Dec. f Prat. Spir. c. 35.

III. IVSTINVS E CARCERE EDVCITVR AD THRONVM IMPERII.

Anaſtaſio igitur ſic extincto, qui depoſuit [g] potentem de ſede, idem exaltauit humilem, & de ſtercore [h] erexit pauperem collocauitque cum principibus populi ſui, vt ſolium gloriæ teneret. Etenim IVSTINVM, genere Thracem, ex ſtabulo (ſi primordia eius repetas) ad Imperii ſublime faſtigium euexit: qui primum ex porcario ſiue armentario factus gregarius miles inde vbi in militia virtutum meritis, fide Catholica præuia, primos duxiſſet ordines, tandem Prætorianorum Præfecturam acceperat. In quo & mirabiliora apparuerunt opera Dei, cum idem è carceris ſordibus in thronum Imperialem tranſlatus eſt. Siquidem ait Zonaras [i], Anaſtaſium paulo ante obitum nunciatis ſibi inſidiis, multos comprehendiſſe, atque inter alios Iuſtinum & Iuſtinianum: cumque in animo haberet eos occidere deterritum eſſe ſomno, quo ei vir terribilis apparens minaciter prohibuit ne quid mali eis faceret, quod vterque ſuo tempore Deo ſeruiturus eſſet. Narrat eadem Cedrenus [k]: additque reliquos ea de cauſa captos ab eodem Imperatore eſſe iuſſos interfici. Iuſtino & Iuſtiniano gladio ſuper eorum ceruices imminenti præter ſpem omnem ereptis.

g Luc. 1. h Pſal. 112. i Zonar. Annal. par. 3 k Cedr. in Comp.

IV. IVST. INVITVS TRACTVS AD IMPERIVM.

Ceterum Iuſtinum inuitum ac renitentem creatū eſſe Imperatorem, atteſtantur eiuſdem literæ ad Hormiſdam Romanum Pontificem ſtatim poſt creationem ſuam miſſæ [l], & aliæ huius ad eum redditæ. Ex quibus omnino redarguas quæ ex Zacharia Eutychiano (vt multa alia abſurda) Euagrius [m] recitat: nempe eumdem Iuſtinum accepta ab Amantio Eunucho Præfecto Cubiculi Anaſtaſii, magna pecuniæ vi quā iis diſtribueret qui poſſent Theocritum quemdam eiuſdem Amantii amicum ad Imperium euehere: eamdem ipſum populo atq; Excubitoribus largitum eſſe, vt ipſemet ab illis Auguſtus crearetur. Quod autem addit de eodem Amantio nequiſſimo Anaſtaſii miniſtro, atque hæreſis Eutychianę propugnatore acerrimo, necnon de Theocrito, aliiſq; per Iuſtinum è medio ſublatis: ea poſt aliquot dies, expoſcente etiam populo contigerunt. Edidit vero ipſo Imperii exordio Iuſtinus non mediocre pietatis ſpecimen, cum ſuam coniugem *Lupicinam* dictam, inſignis pietatis feminam, nomine *Euphemia* illuſtris martyris (in cuius baſilica celebratum fuerat S. Chalcedonenſe Concilium) pietatis ergo appellari [n] voluit, antequam illam Auguſtæ titulo decoraret: vt eo nomine pariter declararet, cum ſe tum illam eſſe eiuſdem Synodi ſtudioſiſſimos.

l Ext. inter ep. Hormiſ. m Euagr. l. 4. c. 1. 2.

IVST. DECLARAT SE CONCILII CHALCED. ASSERTOREM.

n Zonar. & Cedr. in Iuſtin.

V. NOMINA ORTHODOXORVM IN DIPTYCHA RELATA; HÆRETICORVM DAMNATA.

Cum autem decimaquinta die eiuſdem menſis Iulii (quæ fuit Dominica) & ſequenti, ex more iidem Auguſti ad eccleſiam magnam Conſtantinopolitanam perrexiſſent, vna cum Ioanne eiuſdem ciuitatis Epiſcopo: trophæa tunc erecta ſunt de impietate compreſſa, dum poſt multiplices populi exultantis fauſtas acclamationes pro Iuſtino Imperatore, eiuſque coniuge Auguſta atque Ioanne Epiſcopo, necnon conclamationes aduerſus hæreticos: eodem populo petente, ac miro fidei ardore id ſæpius expoſcente, expunctum è ſacris tabulis nomen Sacroſancti Concilii Chalcedonenſis, & abraſa nomina S. Leonis Papæ atque Euphemii Macedoniique Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Orthodoxorum Antiſtitum, in eadem ſacra Diptycha reſtituta ſunt; Seuerus autem impius Antiochenæ Eccleſiæ inuaſor publice condemnatus: vt hæc omnia fuſius recitata habentur in Actis Sinodi Conſtantinopolitanæ contra Antimum poſtea ſub Menna celebratæ. De quibus tamen monendum putamus Lectorem, quod cum ipſa quidem Acta noſcantur omnino legitima, haud tamen dubium in eo fuerint falſata, dum quoties nominatus reperitur Ioannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus, toties additus eſt titulus Patriarchæ Oecumenici. Præterenim quod numquā recepiſſet Romanus Pontifex eiuſmodi Acta, vbi indebitus ille titulus Ioanni tributus eſſet, Pelagius [p] Papa S. Gregorii prædeceſſor, ipſeq; etiam S. Gregorius [q], in Ioannem Conſtantinopolitanum eius nominis Tertium qui ſibi eumdem titulum vſurpauerat, impugnatores inſurgentes, aſſerunt nihil eiuſmodi ab eius prædeceſſoribus Conſtantinopolitanis Epiſcopis aliquando præſumptum fuiſſe. Itemque illud de iiſdem Actis obſerua eamdem fraudulentam manum quæ Conſtantinopolitano Epiſcopo eum titulum addidit, nomen quoque S. Leonis Papæ poſt Conſtantinopolitanos Epiſcopos Euphemium & Macedonium, vltimo loco poſuiſſe: cum alioqui & ſui ipſorum veteres libri Rituales primo loco deſcripta habeant nomina Romanorum Pontificum, inde vero eius Eccleſiæ Antiſtitum.

o Conc. Cōſt. ſub Men. Act. 1. To. 2 Concil.

DE NOMINIS OECVMENICI IMPOSITVRA GRÆCOR.

p Pelag. Pap. ep. 1. q Greg. 4. ep. 36.

VI. Ceterum quod quæ retulimus, expoſcente populo tumultuarie geſta eſſent; vt eadem [illegible] more maiorum in

conuen-

SYNODVS CONSTANTINOPOLITANA PRO CONFIRMATIONE PRÆTERITORVM.

conuentu Patrum agerentur; idem Ioannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus poſt dies quatuor, nimirum die vigeſima Iulii, collegit SYNODVM Conſtantinopoli eorum quos ibi reperiri contigit Epiſcoporum, vel qui proxime degentes cito vocari potuere, numero quadraginta. Cui primũ oblatus eſt à monachis Orthodoxis libellus, quinque continens petitiones: quæ examinatæ in Synodo, totidem elicuerunt ab eadem decreta: videlicet de reſtituendis in Diptycha nominibus Euphemii & Macedonii, de reuocandis ab exilio aliis Epiſcopis Orthodoxis, de relatione Quatuor Synodorum Oecumenicarum in eaſdem Eccleſiaſticas tabulas, deq; in iiſdem reponendo nomine S. Leonis Papæ, ac denique damnatione Seueri Antiocheni: quæ omnia ſimul tam ipſa Synodus quam Ioannes Epiſcopus vniuerſo Chriſtiano Orbi nota fieri voluere, cum publicis, tum priuatis ad diuerſos Antiſtites ea de re ſcriptis litteris [r]. Sed in iis illud conſtat perperam à populo flagitatum, & à Synodo firmatum, vt nomina Euphemii & Macedonii in Diptycha referrentur: qui licet exiliũ aliaque incõmoda ꝓ fide Catholica paſſi eſſent, tamen ſchiſmatici perſeuerantes numquã è ſede Apoſtolica recepti fuiſſent in communionem, ob retentum pertinaciter nomen Acacii eiuſdem ciuitatis Epiſcopi ſchiſmatici & hereticorum communione polluti. Vnde etiam factum eſt, vt & ipſa poſtea agente Hormiſda Papa ab iiſdẽ Diptychis deleta fuerint. Qua in re plane eluxit quanta eſſet in vniuerſa Eccleſia moderanda Apoſtolicæ ſedis auctoritas, dum quæ tantæ ciuitatis tam frequens populus, vno cum monachis & clericis tanta inſtantia petiiſſet, & congregati in Synodo Orthodoxi Epiſcopi ſtabiliſſent, conſentiente Imperatore: vno tantum Romano Pontifice diſſentiente, irrita prorſus reddita ſunt.

r Ext. ap. Synod. Conſt. ſub Men. Act. 1.

VII. FREQVENTES SYNODI IN ORIENTE PRO FIDE CATHOL.

Cum autem ex litteris Synodalibus eiuſdem Concilii Conſtantinopolitani, vniuerſis innotuiſſet Iuſtini noui Auguſti fides Orthodoxa: confeſtim ab Epiſcopis Catholicis, ac præſertim illis qui timore perſecutionis ſub Anaſtaſio vel latebras cap[t]aſſent, vel communicationi hæreticorum ſe turpiter miſcuiſſent, frequentia celebrata ſunt Concilia, & inde Synodales ſcriptæ Conſtantinopolim epiſtolæ: quibus ſe confirmare cuncta quæ ibi geſta eſſent ſignificarunt. Ea namque de cauſa hoc tempore coiuiſſe in ſingulis Orientis prouinciis Orthodoxorum Synodos, ex eo ſatis datur intelligi, quod Ruſticus S. R. E. diaconus Cardinalis eiuſdem ſeculi ſcriptor luculentiſſimus, dum contra Acephalos per dialogiſmum diſputat [s], teſtatur duo mille & quingentos Epiſcopos ſub hoc eodem Iuſtino Imperatore probaſſe Catholicam fidem. Extantq; [t] hactenus epiſtolæ duarum tunc habitarum SYNODORVM, Hieroſolymitanæ atque Tyriæ, necnon Epiſcoporum Secundæ Syriæ, itemque clericorum & monachorum Apameæ & Antiochiæ. quibus omnibus tum fides Catholica probatur, tum impiorum Seueri Antiocheni & Petri Apameani pſeudoepiſcoporum horrendæ in Catholicos perſecutiones, aliaque nefanda ſcelera atque ſacrilegia deſcribuntur, damnanturque.

s To. 4. Bibl. Sanct.

t Act. 1. Syn. ſub Men.

VIII. EPISCOPI DARD. ET ILLYR. REDEVNT AD ECCLES.

Quo etiam tempore Epiſcopi Dardaniæ & Illyrici, qui ab Eccleſiæ Catholicæ communione quam amplexati fuerant, tyrannide Anaſtaſii acerbe nimis exagitati iterum deſciuerant (vnde & meruerunt paulo ante ipſius obitum Anaſtaſii [u], horrendo terræmotu vexari, quo viginti quatuor caſtella vno momento collapſa, plurimique totius prouinciæ montes ſciſſi ſunt, ſaxaque euulſa, & arbores eradicatæ) vbi audierunt ipſum mortuum eſſe, legationem ad Hormiſdam Romanum Pontificem mittentes, in Eccleſiam Catholicam recipi flagitarunt: quibus idem Pontifex communionem impertitus eſt: vt patet ex litteris [x], quas ipſe Hormiſda ſtatim ad S. Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum, vicaria Præfectura Apoſtolicæ ſedis in Gallia tunc fungentem, ſcripſit hoc eodem anno quarto idus Septembris.

u Marcel. in Chron.

x Rec Baro. Annal. To. VII. hoc an.

IX. EDICTA IVSTINI PRO ORTHODOX.

Quod vero ad Iuſtinum Imperatorẽ attinet: ipſe mox Orthodoxorum omnium votis annuens, edictum promulgauit, quo iuberentur exules omnes fidei cauſa ad propria redire, priſtinoſq; gradus recipere: ſubrogatos vero in ipſorum locum hæretici procul pelli, & aliis pœnis exagitari: confirmanſque ſacroſanctum Chalcedonenſe Concilium, præcepit illud ab omnibus obſeruari. Quod quidem edictum licet non extet, meminit tamen eius Cyrillus in Rebus [y] geſtis magni ac mirifici Sabæ anachoretæ: qui & ipſe hoc tempore ex abditis eremi Palæſtinæ exiens, quamuis ſenio iam fatiſcens varias cœpit peragrare prouincias, effici volens præco diuinitus conceſſæ gratiæ, & Imperatorii promulgator edicti. Cui etiam in reſtituenda fide commilitionem acceſſiſſe æque magnum illum Theodoſium Cœnobiarcham, poſtquam ab exilio reuerſus eſt, idem auctor narrat in eiuſdem Vita [z]. Rurſum vero Iuſtinum Imperatorem aliam promulgaſſe ſanctionem aduerſus Seuerianos hæreticos, alioſque Eccleſiæ perduelles, qua à cunctis illos publicis muneribus omnique militia repulit, fidem facit Iuſtiniani ipſius ſucceſſoris conſtitutio aduerſus omnes hæreticos, vbi cauit ne dotalia priuilegia hæreticis mulieribus prodeſſent.

y ap. Sur. 5. Dec.

z Ibid. 11. Ianuar.

X. IVSTIN. IMP. SCRIBIT AD HORMISD.

Vt autem prædicta omnia quæ in Oriente geſta ſunt, ſubſiſtere poſſent: primus omnium ipſe Iuſtinus Imperator hoc eodem anno Calendis Auguſti de ſua creatione, vt Eccleſiæ filius, ex more dedit [a] litteras ad Hormiſdam Romanum Pontificem, à quo cuncta fulcienda erant. Ipſique pariter Orientales Epiſcopi, & præcipue Ioannes Conſtantinopolitanus, intelligentes fruſtra ſe pro Catholica fide inſtauranda laborare, niſi Catholica communione per Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopum impertirentur: hãc vt ab Hormiſda conſequi poſſent, tum aliis eiuſdem Imperatoris, tum ſuis ipſorum literis egerunt: quibus & ſuas inſuper addidit Iuſtinianus Domeſticorum Comes, acerrimus Catholicæ fidei aſſertor, eiuſdemque Iuſtini Auguſti ſororis filius, ac ſumma pollens apud eum auctoritate. Iis vero literis expetierunt omnes, vt Legati ab Hormiſda mitterentur Conſtantinopolim, qui Apoſtolica poteſtate conciliarent Eccleſiis pacem, & lapſos in Eccleſiam reſtituerent. Quibus menſe Decembri acceptis per Gratum V. C. ſacri Conſiſtorii Comitem & Magiſtrum ſcrinii & memoriæ, Legatum ab Imperatore miſſum, idem Papa Hormiſda, actis Deo gratiis, continuo reſcribens ad Iuſtinum Imperatorem & Ioannem Epiſcopum, ſignificauit ſe inconcuſſe cuſtodita velle quæ à prædeceſſoribus ſuis iuſte Orientalibus præſcripta fuerant. Et vt cuncta facilius diſponerentur, retinuit Romæ Gratum vſque ad ſequentem annum, quo ipſe Pontifex ſuos pariter miſit Conſtantinopolim Legatos. Atq; interim more maiorum collecto Epiſcoporum conuentu, omnibus conſideratis quæ iam ante in ea cauſa geſta eſſent, decreuit ita oblatam pacem ab Orientali Eccleſia ſuſcipiendam, ſi Acacii nomen penitus abolerent, & delerent quos appoſuerant ſacris tabulis Euphemium & Macedonium eadem labe reſperſos.

a Ext. inter lit. Hormiſ. To. 1. ep. Rom. Pont. & to. 2. Concil. vna cum aliis inferius recenſendis.

LITERÆ ORIENTALIVM AD HORM.

IESV CHRISTI AN. 519.

HORMIS. AN. 6.

IVSTINI IMP. 2. THEODOR. REG. 27.

I. EVTHARICI CONSVLATVS.

ANno Domini quingenteſimo decimonono Iuſtinus Imperator collegam ſibi adſciuit in Conſulatu Eutharicum cognomento Cillicam, generum Theodorici Regis, patrem vero Athalarici ſucceſſoris Theodorici. Quod enim pax firma eſſet inter Iuſtinum atq; Theodoricum. eius rei gratia mutuis iidem Principes inter ſe certabant officiis, adeo vt adoptionis quoque gratia impertitũ à Iuſtino fuiſſe Eutharicum, conſtet ex epiſtola [a] ab eodem ipſius filio ad Iuſtinum poſtea ſcripta.

a ap. Caſſiod. 8. ep. 1.

II. LEGATI MISSI AB HORMIS. CONSTANTINOPOL.

Quod autem ad anni huius res geſtas pertinet: Hormiſda Papa ad conciliandas res Orientales, ex decreto Synodi Romanæ ſuperiori anno habitæ legationem miſit, qua functi ſunt S. *Germanus* mirificus ille Capuanus Epiſcopus (qui etiam ad Anaſtaſium Imperatorem eodem munere functus olim ſub Anaſtaſio Papa Secundo fuerat) *Ioannes* item Epiſcopus, *Blandus* presbyter, & *Felix* atque *Dioſcorus* diaconi: quibus commonitionem

dedit

Digitized by Google

b Ext. vna cum ſeqq. liter. inter ep. Hormiſ. To. 1. ep. R. Pont. & To. 2. Conc.

dedit in ſcriptis[b] de iis quæ agere deberent, vt ne vel tráſuerſum vnguem à mandatis recederent: ſcripſitque per eoſdem ad Iuſtinum Imperatorem, & Euphemiam Auguſtam; itemque ad Ioannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum, ac clerum eiuſdem Eccleſiæ: nec non ad Iuſtinianum Domeſticorum Comitem, ac Celerem & Patricium clariſſimos aulicos: ſed & ad Præfectum Theſſalonicenſem, alioſque per quos tranſituri eſſent Legati: ac deniqueád Anaſtaſiam & Palmatiam Patricias clariſſimas feminas, quæ tempore perſecutionis Anaſtaſii pro Catholica fide non ſolum ſteterant inconcuſſæ, ſed & virorum ſuorum animos in officio continuerant. Quibus quidem omnibus intueri licet ſummam eiuſdem Pontificis in rebus agendis ſolertiam, ſummumque reconciliandæ Eccleſiæ ſtudium, dum nihil omni ex parte intentatum reliquit, quo miſſa legatio optatam referret concordiam.

III.
c Ibid. int. ep. Hormiſ.
DE RECEPTIONE, ET REBVS GESTIS LEGATORVM.

Porro de iis quæ Legati egerunt, extát[c] relationes quędam atque epiſtolæ ab ipſis ad eumdem Pontificem tráſmiſſæ. Ex quibus hoc ſummatim referimus: videlicet Imperatorem in occurſum Legatorum vſque in Italiam direxiſſe Stephanum & Leontium Viros Clariſſimos: eoſdéque Legatos ingenti vbique plauſu & honore exceptos eſſe, tam ab Epiſcopis aliiſque Eccleſiæ miniſtris, quam à Magiſtratibus Imperatoris atque populis, ac præcipue Conſtantinopoli, quo peruenerunt feria ſecunda hebdomadæ Authenticæ, quam Maiorem Latini dicunt. Sequenti autem die admiſſis ipſis ad Imperatorem præſente cuncto Senatu, eumdem Imperatorem cum grandi reuerentia literas Romani Pontificis ſuſcepiſſe. Deinde vero Ioannem illius ciuitatis Epiſcopum, poſt aliquam dilationem ſubſcripſiſſe fidei libello ab Hormiſda per Legatos miſſo (qui tamquam forma erat præfixa non Ioanni tantum, ſed omnib. qui coniungi vellent Catholicæ Eccleſiæ per Apoſtolicam Sedem) ac ſecundum eiuſdem libelli tenorem anathematizaſſe Neſtorium & Eutychetem hæreſiarchas, atque Alexandrinos olim Epiſcopos Dioſcorum, Timotheum Ælurum, & Petrum Mogum: itemq; Acacium Conſtantinopolitanum, cuius cauſa tot Romani Pontifices deſudarant, necnon eiuſdem Eccleſiæ ſchiſmaticos Antiſtites, Phrauitam, Euphemium, Macedonium, & Timotheum: eorumque omnium nomina è ſacris Diptychis deleta fuiſſe, vna cum nominibus Zenonis & Anaſtaſii hæreticorum Imperatorum: Eidemque inſuper libello atque anathematiſmis ſubſcripſiſſe plures alios Epiſcopos & Archimandritas, cum in itinere antequam Legati Conſtantinopolim perueniſſent, tum in ipſa vrbe Conſtantinopolitana: Vniuerſumque populum, ipſoſque Auguſtos, & cunctos aulicos, ingenti lætitia ac feſtiuitate hanc communicationis Orientalis Eccleſiæ cum Apoſtolica ſede renouationem, ipſis ſanctis Paſchatis diebus factam, celebraſſe: Ac denique eumdem Imperatorem literas ad alias prouincias direxiſſe, quo vniuerſæ Eccleſiæ in eamdem coaleſcerent communionem, & vt qui prædicare renuerent Chalcedonenſe Concilium Epiſcopi è ſuis ſedibus pellerentur.

IV.
d Ext. annect. ibid.

Hæc omnia fuſius continent Legatorum relationes, necnon quæ mox ſecutæ ſunt litteræ[d] gratulatoriæ ad Hormiſdam ſcriptæ, cum ab eodem Iuſtino Imperatore atque Ioanne Antiſtite, tum ab aliis Epiſcopis, Iuſtiniano Comite, ceteriſque viris feminiſque clariſſimis: Ad quos rurſum omnes idem Pontifex reſcribens huius anni menſe Iulii, gratias egit de iis quæ iam peracta eſſent, monuitque laborare pariter pro pace Eccleſiarum Alexandrinæ & Antiochenæ. Sed in literis ad ipſum ſcriptis ab Andrea Epiſcopo Præualitano in Epiro, obſeruandus eſt modus loquendi quo in inſcriptione vtitur, nempe *Angelicis meritis coæquando Patri Patrum Papæ Hormiſdæ*: & in principio epiſtolæ, *commendans me humillime veſtigiis veſtris piiſſimis* &c. Ac pariter Theodoritus Epiſcopus Lignidi, *Veſtris prædicandis & adorandis me præſentare veſtigiis*. Vt videas, quanto etiam antiquis illis temporibus honore conſueſcerent ſanctiſſimi Epiſcopi, Romanorum Pontificum maieſtatem venerari. Sed & quod Ioannes Epiſcopus Conſtantinopolitanus literis ſuis de Iuſtino Imperatore agens, ait omnes Deum glorificaſſe, *quoniam talem verticem* ipſe Ioannes *ſuis manibus tali corona decoraſſet*: ex his etiam videas iam tunc in more fuiſſe, vt Orientalis Imperii electi Imperatores ab Epiſcopo Conſtantinopolitano coronarentur.

OBSEQVIA ORIENTALIVM ERGA RO. PONT.

IMPP. ORIENTALES CORONATI AB EPISC. CONSTANTINOP.

V.
DE IVLIANA ET ANASTASIA CLARISS. FEMINIS.
e Miſcel. l. 15.
f Greg. Tur. de glor. mart. c. 103.

Inter alias autem clariſſimas feminas, quibuſcum fuit in his negotiis eidem Pontifici communio literarum, *Iuliana Anicia* extitit, orta illa ex nobiliſſimo ſtemmate Aniciorum, de quo ſæpe dictum eſt ſupra; ex quo præter Probas, etiam Iulianæ plures claruere. Iſta vero de qua nunc agitur, Conſtantinopoli degens, Orthodoxæ fidei cauſa ab Anaſtaſio Imperatore[e] magnopere exagitata, poſtea Iuſtinianum[f] Auguſtum pia eluſit arte, cum auro ſuo cui Iuſtinianus inhiabat, cameram texit baſilicæ S. Polyeucti martyris. Sed & *Anaſtaſiam* illam, cuius extát ad eumdem Pontificem Hormiſdam, & huius ad eam litteræ, poſt obitum viri ſui Pompeii, eiuſdem Iulianæ conſobrini, abdicato ſæculo ſeceſſiſſe in Palæſtinam, ibiq; in monte Oliueti vitam excoluiſſe monaſticam, & egregia enituiſſe ſanctitate Cyrillus[g] in Saba teſtatur.

g ap. Sur. 5. Dec.

VI.
ANTIOCH. ANTIOCHIÆ ORDINANDVS ANTISTES.
h Ext. in ep. Hormiſ.

Vt autem ad res Legationis Apoſtolicæ redeamus: cum id iam ageretur, vt Eccleſiæ Antiochenæ Epiſcopus Catholicæ communionis crearetur; reſiſtentibus Eutychianis hæreticis, tandem poſt multa & longiora certamina, Imperator ſua auctoritate *Paulum* Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ presbyterum Orthodoxum, Epiſcopum fieri iuſſit: ne tamen Conſtantinopoli ordinaretur (quod Acacium vidimus, ac ſucceſſores Epiſcopos Conſtantinopolitanos vſurpaſſe, vt hoc modo Eccleſiam Antiochenam ſibi ſubiicerent) ſed Antiochiam ſecundum antiquam conſuetudinem, & iuſſionem Hormiſdæ Papæ, ordinandus mitteretur, Legati Apoſtolicæ ſedis effecerunt: vt de his conſtat ex variis ipſorum relationib.[h] ad Hormiſdam menſibus Maii & Iunii miſſis. In quibus præterea tumultuantium monachorum Scythiæ hiſtoria exacte deſcribitur: quæ ſic habet.

VII.
MONACH. SCYTHAR. NOVVS ERROR.

Priuſquam Apoſtolicæ ſedis Legati Conſtantinopolim perueniſſent, quæſtio oborta fuerat inter *Victorem* diaconum acerrimum profeſſorem Chalcedonenſis Synodi, & *Leontium* monachum Scytham, Vitaliani Magiſtri militum æque natione Scythæ affinem, alioſque collegas Scythiæ monachos, qui ſub ſpecie pietatis, quaſi niterentur eamdem roborare Synodum, hæreſim Eutychianam auctam Theopaſchitarum blaſphemia validare ſtudebát. Cum vero iidem Victorem accuſarent hæreſis Neſtorianæ, atque aduerſus eum Conſtantinopoli dediſſent libellum prædictis Sedis Apoſtolicæ Legatis ac Ioanni Conſtantinopolitano Epiſcopo: ipſe Victor, quo ſe Catholicum omnino eſſe monſtraret, profeſſus eſt ſe credere quæcumq; continerentur in Concilio Chalcedonenſi & epiſtola S. Leonis ad Flauianum, pariterque recipere ſcripta Cyrilli aduerſus Neſtorium. At monachis ex aduerſo reclamantibus, hæc non ſufficere: ſed vt quis euacuaretur ab omni ſuſpicione hæreſis Neſtorianæ, addendum eſſe *Vnum de Trinitate eſſe Chriſtum crucifixum*: diſplicuit Legatis cauilloſa eiuſmodi ſuggeſtio, aſſerentibus ſatis eſſe, profiteri Chalcedonenſe Concilium, abſque aliqua additione verborum. Cumque ab iis appellantes monachi ad Romanum Pontificem, Romam ſe contuliſſent: iidem Legati de omnibus certiorem reddentes Hormiſdam, monuerunt etiam non admittendam eſſe eiuſmodi illorum aſſertionem, tum ob periculoſam nouitatem, tum quod fraudem in ea contineri illud euidentiſſime ſignificaret, quod non ſolum Eutyches hæreſiarcha eiuſque diſcipuli eamdem introducere conati eſſent in Synodo Chalcedonenſi, ſed & impius Anaſtaſius imperator illam omnibus recipiendam propoſuiſſet: cum tamen nec ſanctæ Synodi illam agnouiſſent, nec in epiſtolis contineretur S. Leonis Papæ, nec eſſet in conſuetudine Eccleſiaſtica. Hæc Legati, & alia eiuſmodi in ſuis relationibus. Et quidem recte.

NOVÆ LOCVTIONES IVRE SVSPECTÆ.

VIII.

Quamuis enim in aliis bene cognitis Orthodoxis, à quibus omnis impoſturæ ſuſpicio procul abeſſet, ea ſen-

tentia tolerabilis videri potuiſſet: in iſtis tamen monachis iure fuit condemnanda, non ſolum quod eam ad impugnandum Chalcedonenſe Concilium inſerrent, quaſi carens illo additamento eſſet imperfectum, ac proinde ei haud tuto credi poſſet. ſed etiam quod abhorrentes dicere vnam Trinitatis perſonam eſſe paſſam in carne, doloſe conarentur explodere receptum in Eccleſia *Perſonæ* nomen: ac denique quod ſic vnum de Trinitate in carne natum & paſſum dicerent, vt nulla habita proprietatis vocum diſtinctione, ſicuti Deum, ita Diuinitatem natam & paſſam aſſererent. Quam quidem ipſos impietatem ex delitiis Theodori Mopſueſteni deprompſiſſe, datur intelligi ex Dionyſio Exiguo in præfatione ad epiſtolam Procli Conſtantinopolitani ad Armenos, quam rogante Feliciano Paſtore in Latinum vertit. Eadem ergo ratione, qua olim Orthodoxi contradixerunt ne Triſagio additamentum illud apponeretur, *Qui Crucifixus es pro nobis*: reſtiterunt etiam, ne vnus de Trinitate paſſus ſimpliciter diceretur cum Eutychiani per vnitatem, vel ſingularitatem, ſubſtantiam acciperent, & non perſonam. vel ſi perſonam diuinam, certe humanæ expertem naturæ, quam negabant poſt adunationem duarum naturarum in Chriſto; dicentes, ex duabus naturis, & non in duabus naturis Chriſtum conſtare. His igitur & aliis pluribus ex cauſis, quas recenſet Ferrandus diaconus Carthaginenſis huius temporis auctor magnæ æſtimationis, de his fuſius diſputans in epiſtola ad Anatolium S R E. diaconum, qui eum de his conſuluerat: fuerunt hæc omnino in iſtis monachis cauenda. Cum autem res poſtea inter Catholicos tranſacta eſt Catholicum ſenſum ex verbis elicere, additis aliquibus quæ omnem poſſent obſtruere aduerſariis aditum, ratio temporis poſtulauit: vt ſuo loco dicturi ſumus.

CVR ORTHODOXI VITARENT DICERE VNVM DE TRINITATE PASSVM.

IX.

Ceterum monachi illi qui Romam venerant, cum illic diutius detinerentur (eos enim, licet inuitos, ac fugam tentantes, Hormiſdæ detinere placuit[l] vſque ad aduentum Legatorum, à quibus pleniſſime de omnibus inſtrui poſſet) hoc conſilium inierunt, vt ad Africanos Epiſcopos legationem mitterent, vna cum fidei Catholicæ profeſſione ipſis probandæ: impudenter mentientes, ſecum omnes Orientis Eccleſias eadem ſentire. Ne tamen quouis modo deprehendi poſſent quod reuera eſſent hæretici, illud aſtute cogitarunt, vt non eam mitterent, quam Conſtantinopoli Legatis, vel Romæ Hormiſdæ exhibuiſſent fidei confeſſionem, qua dicerent non vnam perſonam de Trinitate, ſed ſimpliciter vnum de Trinitate, eſſe paſſum in carne: ſed *Verbi* nomen appoſuere. Quo modo non potuerunt Epiſcopi Africani eorum confeſſionem non probare ignari motæ in Oriente & Romam delatæ controuerſiæ: cuius nulla prorſus eſt mentio apud S. Fulgentium, cum qui eximius erat huius temporis Eccleſiæ Africanæ doctor, omnium nomine collegarum ad ipſos monachos reſcribens, egregium illud edidit *De Incarnatione Verbi, & Gratia ac Libero arbitrio* commentarium plane aureum: in quo inter alias gemmas, nitet de Primatu Romanę Eccleſiæ iſta ſententia tanto doctore digna, *Duorum magnorum Luminarium, Petri ſcilicet & Pauli, quæ verbis, tanquam ſplendentibus radiis illuſtrata, eorumque decorata corporibus, Romana, quæ mundi caput eſt, tenet & docet Eccleſia, totuſque cum ea Chriſtianus Orbis, & ad iuſtitiam nihil heſitans credit, & ad ſalutem non dubitat confiteri*: qua vna ſententia, veluti cœlitus vibrato fulmine, conatus omnes Nouantium confringantur.

l Hormiſ. ep. 55. ad Legat. & 43. 44. ad Juſtinian.

MONACHI SCYTHAE TENTANT, AFRICANOS.

TESTIMONIVM FVLGENTII DE PRIMATV RO. ECCL.

X.

Quæ autem alii Eutychiani hæretici hoc tempore egerint Theſſalonicæ, ab omni prorſus abhorrent humanitate. Cum enim Ioannes Epiſcopus, vnus ex Legatis Apoſtolicis, Theſſalonicam veniſſet, ad ſuſcipiendam ab eius prouinciæ Epiſcopis ſubſcriptionem fidei libelli ab Hormiſda Papa in Orientem miſſi: Dorotheus Theſſalonicenſis Epiſcopus non ſolum recuſauit ei ſubſcribere, ſed etiam illum publice conſcidit, populumque adeo in Ioannem concitauit, vt ei caput duobus locis fregerint, ac renes diſſipauerint: occidiſſentque penitus, niſi Eccleſiæ ad quam confugit reuerentia vindicatus euaſiſſet: duos vero ipſius ſeruos, atq; hoſpitem qui eum domo ſuſceperat necauerunt. Poſt quæ nefanda patrata, cum idem Dorotheus à Iuſtino Imperatore iuſſus eſſet Conſtantinopolim perduci, ac coram iudicibus delegatis cauſam dicere: idem ipſe nouo grauiorique ſcelere Iudicibus ingenti pecuniarum vi corruptis, qui amandandus erat in Oaſim exilium teterrimum, in proximam tantummodo ciuitatem Heracleam relegatus eſt: ibique paucis diebus detentus, abſque alia pœna ad ſuam Eccleſiam redire permiſſus. Habentur hæc omnia in relationibus[k] ceterorum legatorum Conſtantinopoli commorantium ad Hormiſdam Papam, & in redditis ab eodem Pontifice ad illos ea de re epiſtolis[l] menſib. Octobris & Decembris huius anni. Quæ vero poſtea geſta ſunt, dicentur anno ſequenti.

QVÆ NEFARIA THESSALONICÆ IN LEGATOS ADMISSA.

k Int. ep. Hormiſ.

l Hormiſ. ep. 56. 57.

XI.

Interea hoc præſenti anno (vt ex ſupputatione Euagrii[m] ſatis perſpicue colligitur) nempe ſecundo Imp. Iuſtini inchoato, lata eſt menſe Septembri ab eodem Imp. aduerſus impium illum Seuerum Antiochiæ pſeudoepiſcopum, totius Orientis depopulatorem, ſententia, vt damnati ſæpe hominis lingua, qua Deum iugiter blaſphemabat, præcideretur. At nefarius impoſtor meritas pœnas fuga vitauit: quem Liberatus[n] Diaconus ait Alexandriam ſe recepiſſe, cum iam ibi defunctus eſſet collega impietatis Dioſcorus Iunior, ſubrogatuſque in locum eius ab hæreticis *Timotheus* æque hæreticus. Haud enim eo ſtatu res erant Alexandrinæ Eccleſiæ, vt eis ſicut aliis Imperator facile mederi poſſet, populo ipſo pariter cum ſuis Epiſcopis in hæreſim deducto perſuaſo: nimirum Chalcedonenſe Concilium fuiſſe Neſtorianorum conuentum, ab eoq; deſtrui quæcumque ipſorum Pater S. Cyrillus contra Neſtorium conſcripſiſſet. Et quod magno periculo perturbari res Alexandrinorum, vt pote ciuitatis numeroſiſſimæ ac ſeditioſiſſimæ, exempla plurima docuiſſent: illic ſecuri degere videbantur, qui eo confugiebant hæretici aliunde expulſi.

m Euagr. l. 4. ca. 1. & 4.

SEVERVS PVLSVS ANTIOCHIA.

n Liber Breuiar. cap. 19.

MISERANDVS STATVS ECCL. ALEXANDR.

XII.

Sed quodnam portentum his diebus talium commercio ibidem Alexandriæ proditum fuerit, idem Liberatus recenſet: nimirum quæſtione mota de Corruptibili & Incorruptibili, Seuerum aſſeruiſſe corpus Chriſti Corruptibile, *Iulianum* vero Halicarnaſſeum Epiſcopum (qui & ipſe Iuſtini edicto è ſua ſede pulſus, Alexandriam ſe receperat) Incorruptibile: ſcripſitque libris ambos ſuam ſententiam confirmaſſe: inde vero ſchiſmate conflato, alios dictos fuiſſe: *Corrupticolas*; alios autem *Incorruptibiles* ſiue *Phantaſiaſtas*. Cumque Timotheus Alexandrinus Epiſcopus Seueri opinioni de Corruptibilitate adhæreret, *Themiſtium* eiuſdem Eccleſiæ diaconum aduerſus eum intuliſſe, Si Corpus Chriſti corruptibile eſſet, debere etiam dici Chriſtum aliqua ignoraſſe: cumque hoc Timotheus negaret, Themiſtium ab eius communione diſceſſiſſe, & ab eo dictos eſſe in Ægypto *Themiſtianos*. Hæc Liberatus: de quibus agit pluribus Leontius[o] Scholaſticus, ageturq; inferius ſuis locis.

NOVA HÆRESIS ORTA IN ÆGYPTO.

o Leont. de Sect. Act. 5. & 10.

IESV CHRISTI AN. 521.

IVSTINI IMP. 3. THEOD. REG. 28.

HORMIS. AN. 7.

I

ANNO Chriſti quingenteſimo vigeſimo, Ruſtico & Vitaliano Coſſ. idem[a] Vitalianus quem aduerſus Anaſtaſium Imp ſpecie religionis inſurrexiſſe ſuperius vidimus, menſe Conſulatus ſui ſeptimo, ſeptemdecim vulneribus confoſſus in Palatio interemptus eſt: luens videlicet pœnas de affectato rurſum aduerſus Iuſtinum Principatu, deque auxilio hæreticis præſtito contra Apoſtolicæ Sedis Legatos: quem quidem fautorem ſe præbuiſſe gentilium ſuorum pſeudomonachorum Scytharum, de quibus anno ſuperiori dictum eſt, aſſertione conſtat eorumdem Legatorum in relationibus ad Hormiſdam Papam. Quod autem Euagrius[b] eius necis cauſam Iuſtini Imperatoris adſcribit tyrannidi, timorique quem conceperat ex magna illius potentia: procul dubio ex Zacharia Eutychiano ipſi Vitaliano fauente depromſit.

a Marcel. in Chron.

VITALIANI COSS. CADES.

b Euagr. l. 4. ca. 3.

II. *EXIGIT HORMISDA PP. DEBITAM OBSERVANTIAM AB EPISCOPO CONSTANTINOP.*

Sub principium quoque huius anni mortuum eſſe Ioannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum, litterę [c] Dioſcori vnius ex Legatis Apoſtolicis ad Hormiſdam hoc anno datæ ſignificant. Cum autem electus in eius locum *Epiphanius* preſbyter Syncellus, moram faceret mittendi ex more legationem ad Romanum Pontificem, exegit ab eo debitum Hormiſda [d] litteris ad eum ſcriptis: quibus declarat antiquarum regularum obſeruantiam, & vetuſtę conſuetudinis formam fuiſſe, vt electi Epiſcopi legationem Romam mitterent ad petendam Apoſtolicæ ſedis communionem, qua nomen Catholicum conſequi poſſent, & ſic totius Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopi ipſis communicarent. Quomodo vero Hormiſdæ Epiphanius ſatisfecerit, dicetur paulopoſt.

III. *DE FAVSTI REGIENSIS SCRIPTIS.*

Interea Poſſeſſor Africanus Epiſcopus Conſtantinopoli degens, de quo ſuperius facta eſt mentio, eumdem Hormiſdam (quem caput eſſe ſciret, vt ſuis litteris [e] profitetur, totius Eccleſiæ Catholicæ, atq; in ea præſidente magiſtrum) de noua quæſtione conſulit, quæ recens ibi exorta fuerat de doctrina Liberi arbitrii & Gratiæ Dei, contenta in ſcriptis *Fauſti* Regienſis Epiſcopi Gallicani. Ad quem reſcribens Hormiſda, inter alia magna energia inculcauit, illa tantum admitti ſcripta debere, quæ recipit examen Catholicæ fidei, & cum doctrina Eccleſiæ, ac Patrum Synodorumque præceptis conſentiunt: alludens quoque ad cenſuram Gelaſii Papæ atque Romanæ Synodi, qua eiuſdem Fauſti ſcripta reiecta fuere inter apocrypha.

IV. *HÆRESIS PRÆDESTINATORVM.*

Sed quod in his multum olim laboratum fuerit: vt in iiſdem elucidandis, quando ſeſe occaſio offert, paululum immoremur [f], inprimis in memoriam reuocandum quod ſuperius dictum eſt, poſt S. Auguſtinum prodiiſſe quoſdam qui ex eius ſcriptis male perceptis complures inuexerunt errores, quos eiuſdem S. Auguſtini nomine & auctoritate defendere conabantur: ſed eos pro defenſione ipſius agentem S. Proſperum valide confutaſſe. Dicebantur iſti (vt Sigebertus [g] adnotauit) hæreſis PRÆDESTINATORVM ſectatores, quod ſcilicet de prædeſtinatione & diuina gratia diſputantes, aſſererent nec pie viuentibus prodeſſe bonorum operum laborem, ſi à Deo præſciti eſſent ad damnationem, nec impiis obeſſe etſi improbe viuerent, ſi à Deo prædeſtinati fuiſſent ad vitã: qua aſſertione boni à bonis auocarentur operibus, & mali ſtabilirentur in malis. His autem erroribus detento poſtea *Lucido* quodam magni nominis presbytero ad eum in Catholicam fidem reuocandum, Fauſtus ex Abbate Lerinenſe Epiſcopus factus Regienſis in Gallia Narbonenſi, inſignis apud omnes æſtimationis, epiſtolam ſcripſit vna cum anathematiſmis aduerſus ipſius errores quam cum vt vere Catholicam Epiſcopi Concilii Arelatenſis eadẽ cauſa collecti approbaſſent, eidem etiam ipſe Lucidus reſipiſcens in eodem Concilio ſubſcripſit: aliamque inſuper epiſtolam ad alium Epiſcoporum Conuentum Lugduni eadem occaſione habitum, ſcripſit in deteſtationem eorumdem errorum, quos & pariter anathematiſmis inſectatus eſt.

V. *FAVSTI ERRORES.*

Cum autem & ipſe Fauſtus duos libros eodem argumento [h] ſcripſiſſet de Gratia Dei & Libero arbitrio, deque Præſcientia & Prædeſtinatione, in quibus multos miſcuiſſet errores, & præcipue Pelagianæ hæreſis: ac duarum prædictarum Synodorum monumenta, quibus eius ad Lucidum epiſtola approbata eſſet, iiſdem ſuis libris affixiſſet, vt ſic videri poſſent iam à duabus Synodis eſſe recepti: inde accidit vt de ea quæſtione turbæ motæ fuerint Conſtantinopoli, quæ etiam in Occidente varios excitaſſet tumultus, quod ea arte paratum eſſet venenum, vt decipi etiam prudentes homines poſſent. Sed ſicut in Occidente non ſolum Gelaſius Papa in Synodo (vt diximus) ipſius Fauſti ſcripta inter apocrypha reiecit, & & eadem egregie confutarunt SS. Auitus [h] Epiſcopus Viennenſis, Fulgentius [i] Ruſpenſis, & Cæſarius [k] Arelatenſis: ita in Oriente Ioannes [l] vir eruditus Antiochenus preſbyter eadem contrariis ſcriptis redarguit, & Orthodoxi ferme omnes eis ſeſe oppoſuerunt cum à nonnullis proferrentur in medium. Quinam autem colligantur ex iiſdem errores ſcriptis S. Auguſtini & ſententiæ Catholicæ Eccleſiæ aduerſantes, tu vide illos collectos à Ioanne Maxentio in Reſponſione [m] ad Hormiſdam Romanum Pontificem.

VI.

Sed cum nec his contentus Fauſtus, inſuper ſcripto edito inſulſe aſſeruiſſet Animas eſſe corporeas; iſtud quoq; eius figmentum eruditiſſimus Claudianus cognomento Mamercus ſiue Mamertus, Eccleſiæ Viennenſis preſbyter (Ita enim dumtaxat eum nominant Sidonius [n], Gennadius [o], & Ado: ex quib. redarguas eos, qui hunc ipſum aſſerunt Viennenſem Epiſcopum) frater vero S. Mamerti eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopi, quem ſuperius vidimus egregium ſanctarum Rogationum reſtauratorem: fortiſſime confutauit tribus diſertiſſimis libris ad Sidonium Apollinarem conſcriptis, quos idem Sidonius luculenta laudauit epiſtola [p].

VII. *FAVSTVS RESIPISCIT AT SANCTO FINE QVIESCIT.*

Ceterum quod vſq; ad hæc tempora noſtra eumdem Fauſtum continuerit inter Sanctos Martyrologium Gallicanum, à quo ipſum Molanus primus expunxit: quodq; etiam Eccleſia Regienſis vbi ipſe ſedit Antiſtes, ſemper eumdem vt Sanctum coluerit, celebrans eius natalem decimaſeptima Ianuarii: ibique in eius memoriam antiquitus erecta baſilica eius nominis titulo inſignita hactenus ipſius cultu à Fidelibus frequentetur: quodq; demum tot ſæculis Chriſtiano orbe ſpectante, Eccleſia Romana tacente nemine (quod ſciatur) contradicente, iſta eidem Fauſto exhibita intelligantur: opinari compellimur, de eodem Fauſto accidiſſe quod de multis viris ſanctis aſſeritur, vt aut errorem correxerit, vel ante ſuorum ſcriptorum factam ab Eccleſia damnationem diem obierit (incertus eſt n. eius obitus annus) habens in animo in his ſequi quod ſequendum doceret Eccleſiæ. Ita enim ipſum compoſitum animo fuiſſe, aliiſque innotuiſſe inde facile poteſt intelligi, quem ſemper (vt indicant Acta Conciliorum Arelatenſis & Lugdunenſis ſuperius citata) communicationem habuerit cum Orthodoxis Galliarum Epiſcopis. Porro illud mirari non deſinimus, eumdem à nonnullis redigi in claſſem monachorum Ordinis S. Benedicti: cum antequam iſte Sanctus auſpicaretur vitam monaſticam, iam Fauſtus ſenex ex hac vita deceſſiſſet. Atq; iam de his ſatis: quæ diuerſis temporibus actitata, oportuit hic in vnum collegiſſe, vt illius quæſtionis cauſa facilius percipi poſſet.

VIII. *IMPOSTVRÆ MAXENTII MONACHI.*

Quod vero ex iis quas diximus Poſſeſſoris ad Hormiſdam literis, idem Pontifex intellexiſſet ob Scythas monachos à Legatis repulſos eamdem Conſtantinopolitanam Eccleſiam turbatam eſſe: eadem, ſua ad Poſſeſſorem reddita epiſtola, voluit per ipſum quæ cũ eis Romæ tranſacta fuiſſent, Orientalibus innoteſcere, eorumdem deſcribens mores corruptiſſimos, conſilia praua, turbaſque ab ipſis Romæ concitatas, ac tentatam populi ſeditionem atque ſeductionem: in tantum vt nec monitis, nec manſuetudine, nec auctoritate comprimi potuerint. Quibus litteris cum ſe monachi vehementer perturgeri viderent; ex eis qui videbatur eſſe diſertior, idem quem nuper nominauimus Ioannes cognomento *Maxentius*, aduerſus illa ſcripſit Apologiam: in qua vt liberam dicendi ſibi compararet facultatem, Hormiſdæ eſſe negauit epiſtolam, ab aduerſariis eius nomine ſcriptam affirmans. Non enim eò proteruię peruenerant iſti, in quam prolapſi ſunt infelices noſtri temporis hæretici, vt contra Epiſtolam Romani Pontificis auderent refractarium ſtylum exerere. Ceterum hanc epiſtolam vere Hormiſdæ eſſe, perſpicue intelliget qui reliquas omnes ab eo in hac cauſa eodem argumento atque ſtylo datas perlegerit. Quas cum minime compertas habuiſſet Cochlæus vir doctus, & hæreticorum alioqui valentiſſimus oppugnator, eadem ſcripta Maxentii nactus, & quod adeo doloſis artibus fucata eſſent, vt vere Catholica apparerent, eadem ipſe primus poſt S. Fulgentii opera edidit atque laudauit, ipſamque Hormiſdæ epiſtolam ad Poſſeſſorem ex ipſius Maxentii aſſertione fictam credidit.

IX.

Porro ex iiſdem Hormiſdæ litteris, aliiſque de eadem controuerſia vltro citroque datis [q], eiuſdem Maxentii

c Ext. int. ep. Hormiſd.
d Hormiſ. ep. 68.
e Ext. int. ep. Hormiſ.
f Egit de his Bar. Annal. To. V. ann. 419. & To. VII. an. 521. quæ nos hæc opportunius referenda putauimus.
g Sigeb. in Chron. an. 415.
h Ado in Chron. an. 491.
i Iſid. de vir. ill. c. 14.
k Gennad. de Script. Eccl. c. 86.
l Ado. ibid.
m Ext. to. 4. Bibl. Sanct.
n Sidon. 4. ep. 11. ad Petr.
o Gennad. c.
p Sidon. 4. ep. 3. & in praf. Claud. oper.
q Ext. int. ep. Hormiſ.

aliæ calumniæ facile refelluntur, quibus inter cetera Dioſcorum vnum ex Legatis Apoſtolicis, reliquorum more Eutychianorum Neſtorianiſmi accuſauit: ipſumq; Hormiſdam Papam aſſeruit negaſſe Chriſtum vnum eſſe de S. Trinitate. Accidit autem poſt hæc, vt iam appropinquantibus Romam Legatis, ad quorum vſque aduentum eoſdem monachos Hormiſda detinere voluit: iidem monachi cauſæ diffiſi, opportunitatem temporis nacti, publicas locis publicis ſcriptas conteſtationes affigentes, Roma aufugerint. Legatos vero diſceſſiſſe Conſtantinopoli menſe Iulii huius anni, vt in Vrbem redirent, quo ab Hormiſda [r] reuocati fuerant: ſatis indicant litteræ [s] Iuſtini Imperatoris ad eumdem Pontificem per eos datæ ſeptimo Idus Iulii.

r Hormiſ. ep. 64.
s Int. epiſt. Hormiſ.

X.

Dum autem iſta Romæ gererentur, Epiphanius Conſtantinopolitanus Epiſcopus memor officii quod iure debitum ab eo ſuis litteris Hormiſda exegerat, menſuram appoſuit ſupereffluentē: dum videlicet primum litteras [t] ad eumdem Pontificem vna cum Orthodoxæ fidei ſuæ profeſſione miſit: poſtea vero Legatos addidit cum aliis priuatis ſuis litteris, necnon Synodalibus à *Concilio* Epiſcoporum in eam rem Conſtantinopoli celebrato, ac denique egregiis muneribus Romam perferendis. Quo eodem tempore & ipſe Iuſtinus Imperator ſuam legationem cum literis direxit, & Iuſtinianus æque ſuas ad eumdem Pontificem litteras adiecit, miro ardore res Eccleſiæ curans. Quas quidem omnes diuerſis temporibus datas, peruenisse Romam menſibus Septembris atque Decembris, conſtat ex earumdem ſubſcriptionibus. Docet vero contextus, ipſas ad hoc potiſſimum ſcriptas eſſe vt Hormiſda rogaretur de duabus quæſtionibus in controuerſiam adductis reſpondere: quarum prior erat de aſſerendo vnum ex Trinitate Chriſtum natum & paſſum: poſterior (quam inſtantius vrgerent) de tolerandis in Diptychis Epiſcoporum Orthodoxorū nominibus qui Acacio ſchiſmatico olim communicaſſent: vt ſcilicet, quoniam Eccleſiæ Ponti & Aſiæ, totiuſque ferme Orientis nullis minis aut perſuaſionibus induci poterant, vt nomina ſuorum Epiſcoporum è ſacris tabulis tollerentur, indeque maximum ſchiſma in Eccleſia Catholica conflandum timeretur: idem Hormiſda, temporum rerumq; qualitate conſiderata (cum potiſſimum ab iiſdem tabulis iam eraſa eſſent nomina Acacii, aliorumque auctorum tumultuum) ceterorum nomina retineri permitteret. Sed & quod cauſa Ioannis Hieroſolymitani Epiſcopi, qui pulſo S. Elia ab Eutychianis intruſus fuerat in illam Eccleſiam, licet poſtea conuerſus eſſet in Catholicæ fidei defenſorem populo gratum, tamen ex mala inſtitutione peticlitaretur: pro ipſo quoque Iuſtinus & alii iiſdem ſuis litteris preces Hormiſdæ obtulerunt. Quæ vero ad ea omnia ille reſcripſerit, dicetur anno ſequenti.

t Iſta omnes epiſt. ext. int. Epiſt. Horm.
EPIPHANII EPISC. CONST. ET IVSTINI IMP. LEGATIONES AD HORM. PP.

XI.

Præter autem duas illas recenſitas legationes ad eum miſſas, tertia eodem ferme tempore acceſſit ab Eccleſia Theſſalonicenſi, quæ Dorotheum eius ciuitatis Epiſcopum de nefandis ſceleribus aduerſus Apoſtolicum Legatum (vt vidimus anno ſuperiori) perpetratis excuſaret: quam & ipſam decretam eſſe ordinatione Iuſtini Imperatoris, idem Hormiſda tradit ſcribens [u] ad Epiphanium Conſtantinopolitanum. Iis vero & ipſe Dorotheus, tamquam innocens ſuas litteras [x] excuſationis plenas addidit: ad quem Hormiſda ſatis acriter reſpondit [y] quarto Calendas Nouembris huius ipſius anni. Quid autem præterea decreuerit de ea cauſa, non apparet.

LEGATIO AB ECCL. THESSAL. AD ROM. PONT.
u Hormiſ. ep. 77.
x Ext. in ep. Hormiſ.
y Ibi. ep. 76.

XII.

Hoc item anno cum vbique Eutychiana hæreſis cum ſuis fautoribus exploderetur, accidit in Syria, vt cum ea de re non ſolum Catholici, ſed & Neſtoriani hæretici è diuerſo pugnantes exultarent: iidem Neſtoriani ſolemni ritu Theodoreti Cyri Epiſcopi, qui aliquando Neſtorio fauiſſet, imaginem ſuper currum cum pſalmorum canticis introduxerint Cyrum ciuitatem, atque ibidem memoriam celebrarint Neſtorii, eiuſque magiſtrorum Diodori Tarſenſis & Theodori Mopſueſteni. Quod vbi perlatum eſſet ad Iuſtinum Imperatorem, aduerſus eos reſcriptum dedit tertio Idus Auguſti huius anni, quod recitatum extat in Quinta Synodo [z]. Haud quidem improbandus videri poterat eiuſmodi cultus Theodoreti imaginis, ſi ab Orthodoxis redditus eſſet, cum ipſe licet viſus aliquando hæreticus, tamen poſtea (vt dictum eſt) Catholicus cognitus probatuſque in pace & communione Eccleſiæ Catholicæ ac Sedis Apoſtolicæ quieuerit. Sed quod Neſtoriani id fecille dicantur, haud potuit factum non reprehendi ab Orthodoxis, cum præſertim tantorum dehoneſtata eadem fuiſſet imago conſortio hæreticorum.

THEODORETI IMAGO CVLTA A NESTORIANIS.
z Quint. Syn. Act. 7. in fi.

IESV CHRISTI AN. 521.

IVSTINI IMP. 4 THEOD. REG. 29.

HORMIS. AN. 8.

I.

ANno Chriſti quingenteſimo vigeſimo primo, Occidens Valerium dedit Conſulem, Oriens Iuſtinianum Iuſtini Auguſti nepotem: quem Marcellinus ait, famoſiſſimum hunc Conſulatum præ Conſulibus omnium Orientalium vtilitatibus ediſſe in erogatione pecuniarum, & exhibitione munerum, atque ſpectaculorum, ferarumque. Licet enim gladiatorum dempta fuerint cruenta ſpectacula, retentus tamen cruor fuit in venatione ferarum, & pugna cum beſtiis ab humanitate penitus aliena. In cuius feri atque ferini moris deteſtationem, extat Theodorici Regis Italię epiſtola [a] ad Maximum, qui poſt annum ſequentem Conſul Romæ creatus eſt.

IVSTINIANI CONSVLATVS CELEBERRIMVS.
a ap. Caſſiod. 5. Var. 42.

II.

Sed vt res geſtas præſentis anni aggrediamur: qui ſuperiori miſſi Romam fuerant ab Epiphanio Conſtantinopolitano Epiſcopo, atque Synodo in eadem vrbe habita, ipſoque Iuſtino Imperatore, ad Hormiſdam Papam Legati, Conſtantinopolim remiſſi ſunt ad finem menſis Martii: quibus idem Pontifex ſeptimo Cal. April. litteras [b] dedit ad eoſdem à quibus acceperat, prolixe ipſorum petitionibus reſpondens. Et quidem ad ea quæ petierant, vt linerentur in Diptychis remanere nomina Epiſcoporum, qui cetera Orthodoxi, fuiſſent Acacii communione polluti: demonſtrat id minime concedi poſſe, quod talium communione vniuerſa ſimul inficeretur Eccleſia: ac populos illos qui id expeterent, cogendos eſſe ad remedia ſalutaria, non ſequendos in voluntatibus deprauatis. Ad aliam vero quæſtionem, de vno ex Trinitate paſſo in carne: reſpondet huiuſmodi nouam & ambiguam ſententiam non eſſe admittendam, ob multiplices fraudes quæ ſub ea laterent: cum præſertim abſque illius vſu, doctrina de Verbi incarnatione iam ſatis à maioribus elucidata eſſet. Quibus ita decretis, ſcriptiſque, ſuas vices legauit eidem Epiphanio, vt ea penitus ſeruanda curaret, atque inſuper Eccleſiæ Hieroſolymitanæ prouideret, alioſque vbique lapſos cum libellis reciperet, ita tamen vt (nequid ſubreperet hæreticę communionis fermenti) ſingulorum libellos Romam ad ipſum Pontificem mitteret. Quibus quidem omnibus exemplum plane Hormiſda poſteris tradidit Pontificibus, quod acceperat ipſe à maioribus: non ob gratiam Imperatorum, Regumue, quantumlibet importune inſtantium, non precibus quorumlibet magnorum Antiſtitum, vel etiam Synodorum, non cuiuſuis dignæ cauſæ prætextu quo magnarum etiam reſtitutio prouinciarum expectaretur: debere Romanos Pontifices, quibus cura competit cuſtodiendi depoſitum Chriſtianæ religionis, vel minimum deflecti, cum à moribus accepta fides vel in ambiguitatis anguſtias adducitur, aut traditio ſauciatur, ſeu illibata ſemper exiſtens communicatio Catholica cuſtodita polluitur.

b Hormiſ. ep. 72. 73. 75. 76. 77.
IVSTE NEGAT HORMISDA INIVSTE PETITA AB IMP.

III.

Inter hæc autem Antiochena Eccleſia diu ab hæreticorū anteſignanis poſſeſſa, licet illinc fugato Seuero Catholicus (vt vidimus) Paulus ei datus eſſet Antiſtes, tamen magnopere fluctuauit, dum idem Paulus ita moribus labefactatus apparuit, vt omnes ferme Orthodoxi, immo & proprii ipſius domeſtici ab eius communione deſciſcerent. Quamobrem cum in dies multiplicarentur aduerſus illum querelę, idem male ſibi conſcius miſer ſponte ſe abdica-

PAVLVS ANTIOCH. SE ABDICAT.

abdicauit: vt patet ex litteris [c] quas Iuſtinus Imperator, & Epiphanius Epiſcopus Conſtantinopolitanus ea de re ad Hormiſdam Papam hoc anno Calendis Maii dederunt. Cum vero & paulo poſt idem Paulus diem obiiſſet tradit Euagrius [d] in eius locum Antiochiæ ſuffectum eſſe *Euphraſium* Hieroſolymitanum presbyterum.

c Ext. int. ep. Hormiſ.
d Euagr. l. 4. c. 4. in fi.

IV. ASTERIVS EPISCOP. ALEX. ORTHOD.

Eodem anno iuſſu Iuſtini Imperatoris, haud valentis ferre nobiliſſimam Eccleſiam Alexandrinam Catholico diutius carere Epiſcopo, quæ ſub hæreticis Imperatoribus hæreticis tradita fuerat Antiſtitibus: Orthodoxis datus eſt Orthodoxus Antiſtes, *Aſterius* nomine: hæreticis tamen adhuc impio Timotheo inhærentibus. Habes ergo interciſum eſſe Nicephori Chronicon, in quo deſideratur Aſterius Orthodoxus: quem Acta [e] Arethæ martyris & ſociorum, de quibus dicturi ſumus anno ſequenti, quam fideliſſime produnt.

e ap. Sur. 24. Octob.

V. OBITVS S. BRIGIDÆ.

Hoc inſuper anno S. *Brigida* clariſſima Scota virgo (cuius extant [f] præclaræ res geſtæ) in Hibernia diem clauſit extremum: vt tradit in Chronico gentilis eius Marianus: cui potius aſſentiendum putamus, quam iis qui ante biennium defunctam ponunt.

f ap. Sur. 1. Febr.

IVSTINI IMP. 5. THEOD REG. 30.

IESV CHRISTI AN. 522.

HORMIS. AN. 9.

I.

ANNO Chriſti quingenteſimo vigeſimo ſecundo, creati ſunt Coſſ. Symmachus atque Boetius. Sed Boetii tertius hic numerandus erit, ſi duo qui ſuperioribus temporibus recenſiti habentur Seuerini Conſulatus, vnius eiuſdemque Boetii extiterunt. De ipſius vero doctrina & ſcriptis dictum eſt ſub ſecundo [a].

a An. 510.

II. TRASAMVNDVS REX INSIGNIS MORITVR.

b Procop. de bel. Vand. l. 1.
c Iſid. in Chron.
d Vand. Marian.
e Euagr. l. 4. c. 15.

Sub iſto vero tertio ipſius Conſulatu, Traſamundus Rex Vandalorum in Africa, cum regnaſſet (vt ait Procopius [b]) annos viginti ſeptem, & amplius menſes quatuor (vt addit Iſidorus [c]) ex hac vita deceſſit inſtar [d] Antiochi deſperatione rerum bellicarum ſiniſtre cedentium nimiũ afflictatus: cum videlicet ingenti clade affectus eſſet ab eo quem bello petiiſſet, Cabaone Præfecto Tripolis, Mauro quidem ipſo, ſed diſciplinæ Chriſtianæ minime experte, dum iuſtitia, ieiunio, caſtitate, atque etiam pietate, hoſtes vincendos eſſe haud fruſtra putauit. Rem vero geſtam exacte deſcripſere Procopius & Euagrius [e].

III. REDITVS EPISCOPOR. EXVLVM IN AFRICAM.

f ap. Sur. 1. Ianuar.
g Anaſt. de R. Pont.

Porro defuncto Traſamundo, regno Africæ potitus eſt *Hildericus* filius Hunerici, ex filia Valentiniani Imp. genitus, vt Iſidorus eſt auctor: qui addit, cum, cum à Traſamundo obſtrictus iuramento fuiſſet ne Catholicis eccleſias aperiret, aut priuilegia reſtitueret: antequam regni adminiſtrationem ſuſciperet, ne religionem ſacramenti violaret, omnes Epiſcopos exules ad ſedes ſuas reuocaſſe, & eccleſias aperiri iuſſiſſe. Tuncque accidit reditus in Africam Antiſtitum Catholicorum, per tot luſtra in Sardinia & aliis locis exulantium: qui accurate deſcribitur in Actis [f] magni illius S. Fulgentii Ruſpenſis Epiſcopi, eiuſmodi glorioſi exilii atque triumphalis reditus præcipui participis. Eodemque mox tempore plebs Carthaginenſis Catholica cum clero qui ibi repertus eſt, eiuſdem ciuitatis Epiſcopum Bonifacium creauerunt. Quæ quidem omnia peracta eſſe adhuc viuente Hormiſda Papa, Anaſtaſius [g] quoque Bibliothecarius teſtatur. Poſt hæc autem ab iiſdem Orthodoxis Epiſcopis, ad reſtituendam collapſam diſciplinam & bene inſtituendas Eccleſias, pluribus in locis celebrata ſunt CONCILIA, quorum fit mentio trium in iiſdem Rebus geſtis S. Fulgentii qui eis interfuit, nempe *Byzaceni*, *Vzenſis*, & *Suphetani*.

IV. LAZORVM CONVERSIO AD FIDEM.

h Miſcel. l. 5.

Hoc item anno, qui numeratur quintus Iuſtini Imp. Lazorum populi, Iberis ad portas Caſpias ſitis contermini, ad Chriſtianam fidem cõuerſionem contigiſſe, Theophanes [h] tradit: qui ait, Zatum ipſorum Regem Conſtantinopolim ad hoc veniſſe ad Iuſtinum vt baptizaretur: ab eoq; ingenti gaudio ſuſceptum, ac filium appellatum eſſe, ſed & Imperatoris Lazorum titulo, atque corona & alba chlamyde Imperiali decoratum. Agunt pariter de eadem Lazorum conuerſione Zonaras [i] & Cedrenus [k], necnon Anaſtaſius Bibliothecarius in Chronico; ſed anno ſuperiori: Agathias autem ſub Iuſtiniano Imperatore: atque hos quos Lazos diximus, *Colchos* antiquitus fuiſſe nominatos. Tot ſecum bona vexit reſtituta Catholica fides, quæ ſchiſmatis libera nexibus, iam arctis & anguſtis ſuis neſciens contineri limitibus, ad externos longe poſitos Euangelium propagauit. Quod vero Lazi Perſarum Imperio antea ſubiacerent, Cabades Perſarum Rex hac occaſione Iuſtino infenſus, pacem fregit quæ inter Romanos & Perſas diutius durauerat. De conatu autem eiuſdem Cabadis contra Iberos Lazorum confines, æque Chriſtianos ac Perſis ſubditos, vt eos ad fidem deſerendam compelleret, deque ipſorum ſuſcepta à Iuſtino Imperatore defenſione, pluribus agit Procopius [l].

i Zonar. Annal. par. 3.
k Cedr. in Comp.
l Procop. de bel. Perſ. l. 1.

V. PERSECVTIO IN HOMERITAS CHRIST. ET PAX EIS REDDITA.

m Ext. ap. Sur. 24. Oct.

Sed & populi *Homeritæ* (quæ regio olim Saba dicta eſt, ex qua prodiit Regina illa Salomonis ſapientiam auditurá) penes quos iam à temporibus Conſtantii Imperatoris coaleſcere Eccleſia cœperat, vt ſuo loco dictum eſt: hoc ipſo anno quinto Imperii Iuſtini, cœpti ſunt dire vexari ab impiiſſimo apoſtata *Dunaan*, ex Chriſtiano facto Hebræo, eiuſdem prouinciæ Rege, Chriſtianis infenſiſſimo: eaq; in perſecutione Arethas inſigni pietate vir primarius ciuitatis Nagran, (quam armis diu fruſtra tentatam peſſimo periuri Dunaan ingreſſus eſt) aliique complures omnis ſexus & conditionis homines, illuſtrem martyrii coronam conſecuti ſunt: vt pluribus narrant Fideliſſima ipſorum Acta [m] his ipſis temporibus ſcripta, ſed poſtea Metaphraſtis nomine edita: cum tamen in eis nihil præterea ipſe præſtiterit, quam vt in tomum à ſe collectum Vitarum Sanctorum inſerret. Adſtipulantur autem rei geſtæ veritati Græci auctores Zonaras, Cedrenus, Nicephorus; atque alii. Porro anno ſequenti ipſum Dunaan bello victum atque vna cum omnibus ſuis occiſum fuiſſe, eiuſq; regnum occupatum ab Elesbaan Æthiopum Rege Chriſtiano maxime pio, qui à Iuſtino Imperatore ad vltionem Homeritarum incitatus, inſignem victoriam diuinitus eſt adeptus, eadem ipſa Acta fuſe tradunt: adduntque eumdem Elesbaan poſteaquam optime prouidiſſet tam ciuili quam Eccleſiaſtico Homeritarum ſtatui, miſſo diademate ſuo Hieroſolymam, relictaque regni ſui Æthiopici adminiſtratione, cilicium induiſſe, & vitam monaſticam in monte quodam ſumma auſteritate ad finem vſque vitæ excoluiſſe. De Homeritis autem, eorumque regione pluribus agit Procopius [n].

ELESBÃ REX ÆTHIOPVM FIT MONACHVS.

n Procop. de bel. Perſ. l. 1.

IVSTINI IMP. 6. THEOD. REG. 31.

IESV CHRISTI AN. 523.

HORMIS. AN. 10.

I. OBITVS HORMISDA PP.

a Vid. Caſſiod. l. 5. Var. 42.
b Tab. Vat. antiq. Lect. pag. 287. ſed ea epiſtola, quam tec Bar. Annal. To. VII. hoc an.) vix poterit eſſe Hormiſdæ ipſius, cum in ea fiat mentio tepenti Ioan. Apoſtolici ſaparius autem eius nominis R. Pontifi ſederint poſt ipſum Hormiſdam neceſſe eſt illa tedeſet ſtylã Pontif.

ANNO Chriſti quingenteſimo vigeſimo tertio, Conſule Maximo, quem Roma, [a] dedit, idque (vt habet Marcellinus) abſque collega, licet errore ei ab aliquo collega iungatur Olybrius: hoc inquam, anno, octauo Idus Auguſti, S. *Hormiſda* Papa cum ſediſſet annos nouem, & dies decẽ (vt ex Indicibus Vaticanis conſtat, cum alioqui Anaſtaſius nõniſi annos octo ei tribuat) ex hac vita deceſſit, perfunctus quam optime munere Pontificio: ſepultuſque eſt in Baſilica S. Petri. Sed præter illa quæ de eo dicta ſunt ſuperius, habet plura de aliis rebus eius præclare geſtis Anaſtaſius; atque inter cetera de Manichæis ab eo repertis, & poſt plagas ad extorquẽdam veritatem inflictas in exilium pulſis, ac libris eorum combuſtis: itemque de pretioſis donis ſub eius Epiſcopatu à Iuſtino Imperatore votorum gratia (vt ait) B. Petro in eius baſilica Vaticana oblatis: aliſq; pariter à Theodorico Rege eidem Eccleſiæ collatis, muneribus dixerim, non oblationibus. Solent enim oblationes tãtummodo eſſe fidelium Orthodoxorum, quæ ſolemni ritu in eccleſiam inferri conſueuerunt & recipi: munera vero, quæ nulla habita diſtinctione donãtis, in Eccleſiam tamquam in gazophylacium inferuntur. Extat [b] inſuper eiuſdem Pontificis nomine editum egregium ſcriptorũ monumentum, cum acerrimus vindex

continentiæ clericalis, aduerſus eos qui lapſis laxare viderentur habenas, patentes dedit litteras, Ceterum poſtquam ab eius obitu ſedes vacaſſet dies ſeptem, totius Cleri conſenſu in locum eius ſubrogatus eſt IOANNES Etruſcus Conſtantii filius, ex presbytero Tituli Pammachii.

ficium. Eſt ergo alterius alicuius Hormiſdæ minoris ſedis Epiſcopi: vt manifeſte apparet. IOANNES PP. CREATVR.

II. c L. 12. C. de her. & Manich. MANICHÆI OCCISI.

Quo eodem anno Iuſtinus Imperator aduerſus hæreticos & infideles promulgauit edictum [c], quo Manichæos capite puniri iuſſit: multoſque eorum ſuppliciis affeciſſe Cedrenus tradit. Reliquis vero hæreticis, necnon Paganis, atque Iudæis & Samaritis, eadem lege magiſtratum gerere, & dignitatem habere, atq; militare prohibuit; exceptis Gothis, quibus licet Arianis, ob fœdus cum Theodorico Italiæ Rege parcendũ putauit. Sed & hoc ipſo anno ſexto eiuſdẽ Imperatoris, Cabadem Regem Perſarum Manichæorum (qui in ipſius ditione frequentiſſimi erant, quod inde oriundi eſſent, vnde & plura inter eos & Perſas cõmunia fuiſſe dogmata, Agathias [d] teſtatur) permulta millia vna cum ipſorũ Epiſcopo trucidaſſe, idẽ Cedrenus ſcribit: quod in Miſcella [e] traditur accidiſſe, quia cogitauerant Cabadi regnum adimere vt illud traderent Phatuarſæ eius filio, quem iidem à puero inſtituerant.

d Agath. de bel. Perſ. l. 2. e Miſcel. l. 15.

III. Hoc itidem ſexto Iuſtini Imp. anno, magno damno Catholicæ religionis Euphemia Auguſta ex hac vita migrauit: cui honorifice extrema perſunctus Iuſtinus, aliam accepit coniugem *Theodoram* nomine, quam & Auguſtæ titulo inſigniuit. Hæc Græci [f] auctores.

f Cedr. & alii hoc an.

IESV CHRISTI AN. 524.

IVSTINI IMP. 7. THEOD. REG. 32.

IOANNIS AN. 1.

I. IVST. IMP. ARIANOS EXAGITAT. a Deut. 7. Ioſ. 9. Amos. 2. b Miſcel. l. 15.

ANno Chriſti quingenteſimo vigeſimo quarto, Iuſtino Auguſto ſecundũ & Opilione Coſſ. idem Imperator Catholicę fidei cultor ſtudioſiſſimus, cum hactenus Arianis hæreticis ob fœdus cum Theodorico initum pepercisſet: memor diuinæ [a] legis prohibentis ne cum Dei hoſtibus fœdus aliquo modo ſanciatur: nondum Imperii [b] ſui anno ſexto abſoluto ſub hoc ipſius Conſulatu ſecundo eoſdem Arianos exagitare aggreſſus eſt, & eccleſias ipſis abſtulit.

II. THEODOR. REX AGIT PRO SVIS ARIANIS. c Anaſt. Biblioth. l. de Rom. Pont. in Ioan. d Boet. de Conſol. l. 1. proſ. 4.

Quæ audiens Theodoricus, litteris apud eum queſtus, nihil poſſet conſequi pro libertate ſuorum Arianorum, potentiori remedio rem tantam agere cogitauit: nempe vt impelleret ad legationis ea de re ſuſcipiendum munus, Ioannem Romanum Pontificem, futurum apud Imperatorem pacis mutuæ conſeruandæ ſequeſtrem: comminatus (vt habet Anaſtaſius [c]) niſi id ageret ſe totã Italiam gladio perditurum. Quamquam ex Boetii [d] ſcriptis ſatis datur intelligi, illam præcipue interceſſiſſe legationis ſuſcipiendæ cauſam, quod apud Theodoricum Senatus Romanus criminis maieſtatis reus effectus, in ſuſpicionem adductus eſſet aliqua cum Iuſtino Imperatore moliri ſecreta. Sed de Ioannis profectione, dicetur anno ſequenti quo ea contigit.

III. CONCIL. ARELAT. III.

Sub hoc eodem Opilionis Conſulatu celebratum legitur *Arelate* CONCILIVM, quod Tertium ordine poſitum eſt, in quo multa de Eccleſiaſtica ſeruanda diſciplina in ordinandis Eccleſię miniſtris, aliaque plura ſancita leguntur. Præfuit ei inſignis Cæſarius eiuſdem Eccleſiæ Antiſtes, de quo ſuperius. Vnde corrigas quod alii eamdem Synodum referunt in Conſulatum alterius Opilionis ante annos ſeptuaginta, nempe Domini quadringenteſimo quinquageſimo tertio, quo tempore nondum natus erat Cæſarius. Sed Collector male cautus, ſibi nimis ſapiens viſus, cum inueniſſet hoc Concilium celebratum ſub Conſulatu Opilionis, nec additus eſſet collega (quod ſæpe factum reperitur in monumentis Occidentalibus, prætermiſſo Orientali Conſule poni tantum Occidentalem: itemque in Orientalibus Actis, omiſſo Occidentali recenſeri dumtaxat Orientalem) addendum putauit Vincomalum collegam, qui prædicto anno quadringenteſimo quinquageſimo tertio Conſulatum geſſit cum altero Opilione.

IESV CHRISTI AN. 525.

IVSTINI IMP. 8. THEOD. REG. 33.

IOANNIS AN. 2.

I. LEGATIO IOANNIS PP. CONSTANTINOPOLIM. a Marcell. in Chron.

ANno Chriſti quingenteſimo vigeſimo quinto, Probino atque Philoxeno Coſſ. Ioannes Romanus Pontifex præter morem prædeceſſorum (vt ait Marcellinus [a] Comes) à Theodorico Rege ſubire coactus eſt legationem (de qua dictum eſt anno ſuperiori,) ad Iuſtinum Imperatorem, vna cum Theodoro, Importuno, & Agapeto Excoſſ. & alio Agapeto Patricio, quos ei Legationis comites Theodoricum dediſſe, Anaſtaſius Bibliothecarius hæc narrans teſtatur. Id autem hoc anno accidiſſe, ex epiſtola ipſius Ioannis ſequenti anno ad Epiſcopos Italiæ data [b] colligitur. Porro miracula quæ ipſum ediddiſſe contigit tam in itinere quam in ciuitate Conſtantinopolitana (in cuius ipſo ingreſſu viſum cæco reſtituit) Sanctus Gregorius [c] Papa recitat. Miro autem honore in eadem vrbe exceptum eſſe, dexterumque dextero eccleſiæ ſediſſe ſolio, ac diem Reſurrectionis Dominicæ Romanis precibus celebraſſe, Marcellinus tradit. Additq; Anaſtaſius, occurriſſe illi omnem ciuitatem ad milliarium duodecimum cum cereis & crucibus: atque ipſum Iuſtinum Imperatorem humiliaſſe ſe pronum in terram, & Iohannem adoraſſe, multum exultantem quod videre meruiſſet in ſuo Regno Vicarium ac ſucceſſorem Petri Apoſtoli (Nullum enim hactenus viderat Oriens Romanum Pontificem, præter Sanctum Clementem, cum inde tranſiit relegatus in Cherſoneſum) ideoque eius manibus coronari voluiſſe: licet antea ſimulac electus fuiſſet in Imperatorem, à Ioanne Epiſcopo Conſtantinopolitano diadema ſuſcepiſſet.

b Ext. To. 1. ep. R. Pont.

c Greg. 3. dial. 2. OBSEQVIA ERGA PONT.

II. d Miſcel. l. 15. CALVMNIÆ IN IOANNEM PP. DILVVNTVR.

Omnia porro quæ petiit, Ioannem à Iuſtino obtinuiſſe, ſicq; liberatam eſſe Italiam à Theodorico Rege, idem Anaſtaſius addit. Eademq; ferme omnia quæ ipſe, habet pariter Theophanes in Miſcella [d]. Quod tamen vterque vult, hæc intelligi debere de reſtitutis à Iuſtino in integrũ Arianis: inde ſcimus ſanctiſſimum Pontificem acerbas ſubiri calumnias. At vero licet ea fuerit Theodorici eos Legatos mittentis intentio: quantum tamen ei ex aduerſo acciderit, quamque ea contra hiſtoriæ veritatem ab iiſdem auctoribus ſcripta fuerint, vel illud aperte conuincit, quod ipſum Ioannem è legatione redeuntem vna cum aliis legatis, Theodoricus in carcerem apud Rauennam (vt iidem ipſi Anaſtaſius & Theophanes affirmant) detruſerit, ibique eumdem Ioannem mori compulerit. Illud vero non aliam ob cauſam contigiſſe, Gregorius [e] Turonenſis diſertis verbis teſtatur, niſi quod Ioannes Arianorum eccleſias in Catholicas conſecraſſet. Qui & ipſe Ioannes id vbique ſe in Oriente eadem Legatione feciſſe, aſſeruit in epiſtola Circulari anno ſequenti ex carcere data.

e Greg. Tur. de glor. mart. 1. c. 40.

III. INGENS ANTIOCHENA CLADES EX TERRÆMOTV.

His iiſdem Coſſ. Antiochenam ciuitatem diu hæreticis proſtitutam (inquit Marcellinus) Comes, res ſui temporis ſcribens) repentinus inter prandentium ora terræmotus inuaſit, ac magnam eius partem, ſiniſtris mox ventis vndique flantib. flammaſq; coquinarũ pro tempore æſtuantes ruentia in ædificia miſcentibus, duplex torridum exitium importauit, atque Euphraſium eiuſdem ciuitatis Epiſcopum, dempto eius capite, combuſto ſimul obruit ſepulchro. Hæc ille: quam etiam cladem Euagrius [f] deſcribens, pariter ait eam contigiſſe anno ſeptimo Iuſtini Imperatoris, menſe decimo, quarto Calendas Iunii, die Veneris, in ipſa meridie. Additque [g] eamdem reuelatam eſſe Cæſareæ Palæſtinæ eodem ipſo momento quo contigit, *Zoſimo* Phœnici ſanctiſſimo anachoretæ, miraculis clariſſimo: cui etiam aliquando leo, cum eius aſellum deuoraſſet, in ſarcinis ferendis aſini miniſterium præbuit. Sed & eamdem cladem, ante quam eueniret præmonſtratam diuinitus fuiſſe magno Theodoſio Cœnobiarchæ, Cyrillus in Vita eius [h] aſſerit. Porro illã cum Iuſtinus Imperator accepiſſet, præ dolore exutum purpura & diademate, ſacco ſe induiſſe, aſperſumque cinere multos dies in luctu ſediſſe ſolitariũ, poſtea vero magna vi auri miſeris

f Euagr. l. 4. c. 5. g Ib. c. 7. LEO EXHIBET ASINI MINISTERIVM.

h ap. Sur. 11. Ianuar.

præſto fuiſſe: habetur in Miſcella. De alia autem eiuſdem ciuitatis ſimili quaſſatione, dicetur poſt biennium. Aliaſque pariter Orientis nonnullas Vrbes ijſdem contigiſſe agitari cladibus, idem Euagrius [i] ſcribit.

i Euagr. ibid. c. 8.

IV. Sed quod de Zoſimo anachoreta facta eſt mentio: dū de illo eadem quæ Euagrius, Nicephorus [k] recitat, mox ſubdit de alio eiuſdem nominis cœnobita Palæſtino, qui curam ſuſcepit *Mariæ* illius, *Ægyptiacæ* à patria dictæ, quæ è perditiſſima meretrice facta eſt compluribus aliis eiuſdem libidinis feminis, auſteriſsimæ pœnitentię exemplum: cum (vt ait) diuino nutu ad ſacroſanctum lignum Crucis venerandum excitata, inde tranſito Iordane, in interiorem ſolitudinem ſe abdidit, neque cum aliquo homine prętetquam vno illo Zoſimo loçuta eſt, cibo ſimul & veſtitu abſtinens, ac inter orandum frequentiſſime in ſublime elata: cui etiam poſt ſanctum obitum leo ſepulchrum effoſſum parauit: eius vero Vitam, atque item Zoſimi, Sophronius Epiſcopus Hieroſolymitanus deſcripſit. Hæc Nicephorus. Cognita vero atque probata fuiſſe eiuſdem Mariæ Acta vniuerſæ Eccleſiæ Catholicæ, tum de Orientalibus fidem faciunt Menologia, tum de Occidentalib. Martyrologia. Eademque citata atq; recepta reperiuntur in Secundo Nicæno [l] Concilio Oecumenico, necnon à Sancto Ioanne Damaſceno [m], & aliis tam Græcis quam Latinis auctoribus. Quam vero Grece ſcripſit Sophronius eius Vitam, Paulus Diaconus Neapolis tranſtulit in Latinum quæ prę manibus habetur [n]. Vixit autem iiſdem ferme diebus alia *Maria* Tarſenſis, quæ & ipſa ex meretrice pœnitens in monaſterio vitam tranſegit. Sicut & alius *Zoſimus* [p] Cilix, qui ex inſigni anachoreta factus eſt poſtea Epiſcopus Babylonis, & iterum abdicato Epiſcopatu ad Sinæ monaſterium reuerſus eſt.

k Niceph. l. 17. c. 7. De Maria Ægyptiaca.

l Conc. Nic. II. Act. 4. m Damaſc. orat. 3 de Imag. n Sigeb. de Script. Eccl. c. 49. o Prat. Spir. c. 31. p ibid. c. 124. 127.

V. Eodem anno Ioannes Hieroſolymitanus Epiſcopus, cum ſediſſet annos vndecim mortuus eſt inque locum eius ſuffectus *Petrus*: vt habet Nicephori Chronicon.

IESV CHRISTI AN. 526.

Iuſtini Imp. 9. Theod. Reg. I.

FELICIS IV. AN. 1.

I. ANno Chriſti quingenteſimo vigeſimo ſexto, Conſule Olybrio abſque collega (vt ponitur à Marcellino & aliis) Sanctus Ioannes Romanus Pontifex è carcere in quem apud Rauennam coniectus fuerat à Theodorico Rege epiſtolam [a] dedit ad vniuerſos Italiæ Epiſcopos, qua eos exemplo ſuo hortatus eſt aduerſus Arianos fidē Catholicam defendere, eccleſiaque ab eis vſurpatas ſacro ritu in vnum Catholicorum conſecrare. Defuncto vero illo paulopoſt in eodem carcere, (nimirum vigeſima ſeptima menſis Maii, qua martyrii eius ſolemnitas ab Eccleſia celebratur) corpus eius Rauēna, vt ait Anaſtaſius, Romam tranſlatum eſt, ſepultumque magna gloria in Baſilica Sancti Petri: cum vixiſſet in Pontificatu annos duos, menſes nouem, dies quatuordecim. Ex cuius die obitus corrigendum eſt quod dicta ipſius epiſtola è carcere data habetur tertio Idus Iunii: pro quo reponendum erit, tertio Idus Ianuarii. Sed & quod ſcripta ponitur ſub Conſulatu Maximi & Olybrii, expungendus eſt Maximus: tam enim Maximus, quam Olybrius diuerſis annis abſq; collega Conſulatum geſſerunt. Quæ eiuſdem Ioannis epiſtola ad Zachariam Archiepiſcopum data ponitur decimo quinto Calendas Nouembris ſub Conſulatu item Maximi & Olybrii: ea referenda eſt ad Conſulatum illum Maximi. Poſtquam autem vacaſſet ſedes eius (vt Anaſtaſius habet) dies quinquaginta octo, electus eſt in locum eius die vigeſimaquarta Iulii FELIX eius nominis Quartus, natione Samnita, filius Caſtorii, cum adhuc ſuperſtes eſſet Theodoricus Rex.

Ioannis PP. epiſtola è carcere data. a Extat tom. 2. Concil. & to. 1. epiſt. Rom. Pont. Obitus Ioan. PP. in carcere. Felix PP. creatur.

II. Cuius quidem Regis furor ſemel contra Eccleſiam Romanam conceptus, nequaquam Ioannis Pontificis obitu finem inuenit: ſed quod nullus vnquam Ethnicorū Principum, nedum Catholicorum auſus fuerat, iſte hæreticus meditatus impleuit: nimirum vt redigeret in ſeruitutem ipſam Romanam Eccleſiam, dum Summi Pontificis electionem atque nominationem ſibi procaciter arrogauit. Vt autem ſuæ ipſius voluntati nulla eſſet occaſio refragandi: quem in Romano Clero probatiſſimum nouit virum, Felicem Papam nominauit. Fatale enim quodammodo fuit (ſi ita liceret Chriſtiano loqui) vt quem delegit olim Conſtantius Arianus Imperator, & quem modo Arianus pariter Princeps nominauit, Felix vterque appellaretur. Porro de huiuſmodi à Theodorico facta electione, extat [b] Athalarici Regis (qui hoc anno eidem ſucceſſit) epiſtola ad Senatum Romanum, iam acquieſcentem iniquæ impii Regis conditioni, cui diu fuerat refragatus. Accepiſſe tamen poſtea tanta præſumptio noſcitur moderationem illam, vt ex priſtino vſu Clerus diligeret Pontificem, quem Rex ſuo confirmaret aſſenſu: quam quidem ab Arianis Italiæ Regibus vendicatam ſibi tyrannice auctoritatem, iis de medio ſublatis, Orientalis Orbis Imperatores ſibi pariter (vt videbitur) arrogarunt.

Theodor. Rex arrogat ſibi electionem Summi Pont. b ap. Caſſiod. l. 8. ep. 15.

III. Sed ſuo maximo damno tentauit hæc omnia tyrannus ſacrilegus: dum qui in præſens vſque tempus, triginta tria annorum curricula ſumma regni felicitate tranſegerat, quod toto illo tempore de Apoſtolica ſede bene meritus eſſet: quamprimum illam vexare cœpit, repentina immiſſa cœlitus vindicta proſtratus eſt, & ad inferos perpetuo damnatus: cum & aliis inſuper facinoribus dirum ſibi exitium accelerasset: dum videlicet primo Seuerinum *Boetium*, poſt diuturnum carcerem quo eum Ticini detinuit, poſtea etiam ipſius ſocerum *Symmachum*, à perfidis ingentis eorumdem gloriæ inuidis apud Regem delatos quaſi Romanam Rempublicam in priſtinum ſtatum redigere tentaſſent: idem Rex nulla exactiori habita eiuſmodi accuſationis peruestigatione, capite truncauit: Viros Patricios ambos & Exconſules generis nobilitate, ſapientia ac moderatione animi ceteriſque virtutibus, atque omnium humanarum ſcientiarum, necnon facultatum Theologicarum peritia, inter Romanos & Senatorios viros facile principes.

Quando Rex Theodorici colapſus. De Boetio et Symmacho necatis a Theodorico.

IV. Extant enim hactenus, quæ id de Boetio abunde probent, plurima ipſius opera de quibus etiam dictum eſt in ſecundo ipſius Conſulatu: quorum & nonnulla in vinculis conſtitutus elucubraſſe cognoſcitur, atque inter alia aureos illos libros de Conſolatione Philoſophiæ, in quibus [c] multa habet de accuſatoribus ſuis, de criminibus obiectis, & pœnis eo vſque toleratis: eius vero Vitam erudite conſcripſit Iulius Martianus: habuitque idem ſemper plurimos laudatores, nec deſunt qui præconia augeant, aut aliquando defuturi ſunt. Quod vero ad Symmachum ſpectat, iiſdem ipſum quibus Boetium inſignibus præconiis, dum de vtriuſque nece egit Procopius [d] extulit. Sed & quam eſſet ſacris litteris inſtitutus, ex iis poſſumus intelligere quæ idem Boetius ipſius gener de illo habet in libro de Trinitate, quem è carcere ad ipſum nondum vinculis adſtrictum ſcripſit, cum & inter alia eum arbitrum ſuorum ſcriptorum conſtituit. Eumdemque omnium ſcientiarum doctrinam calluiſſe, locuples eſt teſtis Priſcianus Cæſarienſis Grammaticus (qui hoc ipſo tempore [e] Conſtantinopoli docuit) in libro quem ad eum de Ponderibus atque menſuris inſcripſit. Denique extant plures Ennodii Ticinenſis epiſtolæ, in quibus eiuſdem Symmachi cum ſumma nobilitate & probitate doctrina etiam coniuncta laudatur: quem & Rex ipſe Theodoricus [f] eius occiſor, cum tranquillioris eſſet animi, ſuis literis, ſicut & prædictum Boetium, laudaſſe reperitur.

Boetii et Symmachi excellens doctrina. c Boet. de Conſol. l. 1. proſ. 4. d Procop. de bel. Goth. l. 1. e Caſſiod. de Orthogr. c. 12. f ap. Caſſiod. 4. ep. 51. & 1. ep. 45 & 2. ep. 40.

V. Cum igitur in iſtos tales ac tantos viros truculentus barbarus violentas manus inieciſſet, paucis poſt diebus (inquit Procopius) cœnanti ipſi cum miræ magnitudinis piſcis miniſtri decoctum caput appoſuiſſent, illud ei Symmachi nuper occiſi caput eſt viſum præfixis & extantibus inferiore in labro dentibus, & toruæ intuentibus oculis, furibunde ipſi & acerbe comminari. Vnde monſtri nouitate territus, membriſque præter modum treme-

Theodorici prodigioſus obitus.

bundus & rigens in cubiculum citato gradu ſecedens, identidemque iubens togarum vt ſibi vim magnam ingererent, lecto decubuit, & patratū à ſe in Symmachum & Boetium ſcelus deflēs, haud longe poſt mortuus eſt. Hæc Procopius: quæ parum fideliter Iordanus, ſiue Iornandes dictus, Gothus Epiſcopus prętermiſit, cum eumdē Theodoricum ſenio confectum obiiſſe tradit: addit tamen teſtamento monuiſſe ſuos vt Senatum Populumque Romanum amarent, Orientiſque colerent Imperatorem, inſuperq; deteſtatum quæ ipſe furore percitus perpetraſſet.

VI. THEODORICI DAMNATIO AD INFEROS. g Greg. 4. dial. 30. h Huius Vulcani ollæ deſcriptionem, vide ap. Caſſiod. 3. ep. 48. ad Ioan. curial.

Quomodo vero in infernum detruſus ſit, demonſtratū eſt in viſione ſancto cuidam viro in Inſula Lipari ſolitariam vitam agenti, dum (ſicut à S. Gregorio g Papa narratur) viſus eſt inter Ioannē Papam & Symmachum Patricium diſcinctus & diſcalceatus, & vinctis manibus deductus in vicinam Vulcani ollam h ignem continuum euomentem proiici: ſicque (quod addit Gregorius) à Ioanne & Symmacho iuſte in ignem miſſus apparuit, quos ipſe in hac vita iniuſte iudicarat. Quod autem nulla de Boetio mentio ſit, æque exiſtimare licet cum ante Ioannem & Symmachum eſſe iuſſum occidi, oſtenſos vero in viſu illos nouiſſime à Theodorico iniuſte damnatos. At enim de Boetio non prætereat, quod Iulius Martianus refert in eius Vita i ex traditione Eccleſiæ Ticinenſis, eumdem cum regius ſpiculator lethale vulnus intuliſſet, vtraque manu diuulſum caput ſuſtinuiſſe: interrogatumq; à quonam ſe percuſſum exiſtimaret: ab impiis, reſpondiſſe: atque ita cū in vicinum templum veniſſet, & flexis genibus ante altare ſacra percepiſſet, poſt paululum expiraſſe, extinctumque Sanctorum cultu honoratum eſſe.

i Extat ante oper. Boet. INGENS MIRACVLVM AVVLSI CAPITIS BOETII.

VII. k Anaſt. in Ioan.

Sed quod ad tempus obitus Theodorici ſpectat, fuiſſe comperitur dies ſecunda Septembris, ſi credimus Anaſtaſio k, qui eum defunctum tradit poſt dies nonaginta octo ab obitu Ioannis Papæ, quem contigiſſe vidimus vigeſima ſeptima menſis Maii. De annis vero quibus regnauit corrigendus videtur locus Procopii l, in quo anni triginta ſeptem eius regno in Italia tribuuntur, cum à nece Odoacris non amplius quam triginta quatuor annos numerari contingat inchoatos. Qui quidem plurimis officiis, legibuſque, de Vrbe ipſa & tota Italia benemerius, inter magni nominis Principes fuiſſet collocandus, niſi eum Ariana hæreſis infamaſſet, atq; extrema crudelitas in probatiſſimorum Senatorum necem debacchata fœdaſſet: præter illa quæ impiiſſime præſumpſiſſe vidimus in ipſam Apoſtolicam Sedem, dum vnum eius Pontificem in carcere occidit, & alterius electionem ſibi vſurpauit.

l Procop. de bel. Goth. li. 1. THEOD. IN QVIB. LAVDANDVS ET VITVPERANDVS.

VIII. ATHALARICVS REX ITALIÆ.

Cum autem abſque prole maſcula deceſſiſſet, eius filia *Amalaſuentha* (dicta vulgo Amalaſuntha) pro ATHALARICO filio ſuo, annum dumtaxat octauum agente, regnum adminiſtrandum ſuſcepit, qui natus eſt ipſi ex patre Eutharico cognomento Cillica. Porro de ipſa magni ingenii femina, prudentia & æquitate mirifica pollente, pluribus agit Procopius, necnon de pueri Athalarici educatione: quem cum eadem mater eius litteris etiam imbui vellet, & à ſenioribus inſtrui, obſtitere Gothi, barbare aſſerentes litteris & ſeniorum inſtructionibus homines effeminari ac timidos reddi, ideoque nec Theodoricum vlla ex parte contigiſſe litteras, nec Gothorum liberos ad ludimagiſtros mittendos vllo pacto percenſuiſſe, ſed frequentius dictitaſſe, nequaquam eos quos ferulæ timor inuaſiſſet, gladios ac lanceas parui facturos. Hæc Procopius. Quomodo vero regnum Athalarici, prudentia matris optime vbique ſtabilitum fuerit, docent variæ ipſius nomine ſcriptæ à Caſſiodoro litteræ: ex quibus etiam datur intelligi, ipſum quo omnes vbique ſubditos tam Romæ quam in reliqua Italia, Dalmatia, atque ea Galliarum parte quam poſſidebat, in officio contineret, exegiſſe m ab eiſdem iuramentum quod dicitur fidelitatis. Sed quod attinet ad ea quæ Theodoricus in Gallia poſſederat, ita tranſactum eſt inter eumdem Athalaricum, atque Amalaricum (vt Procopius docet) natum ex filia illius Alarici, quem Clodoueus Rex Francorum extinxit, vt Athalaricus poſſideret quæ cis Rhodanum eſſent loca, Amalaricus quæ trans Rhodanum: qui & inſuper eas prouincias recepit, quas in Hiſpaniis Theodoricus tamquam tutor & moderator adminiſtrandas ſuſceperat, vt conſtat ex Iſidoro.

ATHALARICI EDVCATIO. m Caſſiod. 8. ep. 1. & ſeqq.

IX. BELLVM INTER FRANCOS ET BVRGVNDIONES. n Gre. Tur. 3. de geſt. Franc. 6. o Sigeb. in Chron.

Ceterum poſt obitum Theodorici, Burgundiones Procopius (qui eos Germanos vocat) ſubactos eſſe à Francis ſcribit, idque ipſum affirmat Gregorius n: ex quib. redarguas recentiorem Chronographum o, qui ea refert ad annum Domini quingenteſimum decimumquintum, longe ante mortem Theodorici. Regebant Burgundiones hoc tempore Sigiſmundus & Godomarus fratres, filii Gundebadi ſiue Gundebaldi, de quo ſuperius: aduerſus quos bellum gerens Clodomerus filius Clodouei, Sigiſmundum ad ſaltus Agaunenſes prælio victum, captumque occidit cum vxore & filiis, & in puteum iactari præcepit. Cum autem ne occideretur, interceſſiſſet Sanctus Auitus Abbas Nutiacenſis egregiæ vir ſanctitatis, iuxta eius prædictionem idem poſtea Clodomerus renouato bello Godomarum Sigiſmundi fratrem prælio pariter ſuperatum perſequens, doloſe necatus eſt ab hoſtibus iam in fugam verſis: cum nihilominus reliqui Franci deuictis Burgundionibus, regionem ipſorum in ſuam redegere poteſtatem. Rem geſtam deſcribit Gregorius Turonenſis: ſed Agathias res Francorum proſecutus aliqua recenſet p à Latinis diuerſa.

p Agath. li. 1. hiſt.

X. SIGISM. REX FILIVM NECAT, ET POENITET.

Quem autem ſuperius vidimus Sigiſmundum, ab impietate Ariana ad Catholicam fidem conuerſum à Sancto Alcimo Auito Epiſcopo Viennenſi, idem cum falſis poſterioris coniugis perſuaſus criminationibus filium Sigericum, quem ex priori vxore filia Theodorici Regis Italiæ ſuſceperat, permiſſet, continuo facti pœnitens ad SS. martyres Agaunenſes peregrinatus, enixis precibus expetiit, vt in hoc ſæculo potius quam in futuro pœnas daret admiſſi facinoris: quem & exauditum vidiſti, dum à Clodomero interfectus eſt. Eius vero corpus è puteo in quem coniectus fuerat ſublatum ad Agaunenſe ab ipſo erectum cœnobium delatum eſt, ibique multis claruit miraculis, cum ad eius ſepulchrum ſolerent frigoritici, ſeu quartanarii, priſtinam ſanitatem recipere. Narrat hæc Gregorius q. Acciditque vt miraculorum frequentia idem *Sigiſmundus* dignus ſit habitus, qui in tabulis Eccleſiaſticis reciperetur anniuerſaria vbiq; memoria celebrandus Calendis Maii. Eoque exemplo demonſtratum eſt, quam Deo ſit accepta poſt quodlibet immenſum patratum facinus pœnitentia, quamque præſtet hic à Deo pœnam accipere delictorum, quam in futuro ſæculo condemnari. Sed & quanto ſuo damno non audiant Principes ſeruos Dei monitores, Clodomerus ſuo exemplo aliis demonſtrauit.

q Gre. Tur. de gl. mart. cap. 74. 75.

XI. EPHRÆM COMES ORIENTIS ELIGITVR EPISC. ANTIOCH. r Euagr. lib. 4. c. 6. s Prat. Spir. cap. 37. t Ibid. c. 36.

Hoc eodem anno Eccleſia Antiochena iam ſuperiori deſtituta paſtore, mœrens ob ingētem quam vidimus acceptam ex terræmotu cladem, noui Epiſcopi electione reſpirauit: cum qui ad leuamen tantarum miſeriarum eo acceſſerat inſignis pietate *Ephram* Comes Orientis, velut præmium ſummæ ipſius erga ciuitatem prouidentiæ (vt ait Euagrius r) ab Antiochenis electus eſt Epiſcopus: idque præcedentibus prophetiis, vt narratur in Prato s Spirituali. Quantum autem ſollicitus ipſe fuerit pro reſtituēda firmandaque fide Catholica in Oriente labefactata, vel vno declaratur exemplo quod eodem libro t recitatū habetur, dum videlicet ſciens apud Hierapolim Seuerianum quemdam hæreticum, æmulum gloriæ magni illius Simeonis Stylitæ, columnam conſcendiſſe, & ex ea quaſi ex pulpito docere hæreſes, illuc protinus conuolauit, ac quod rationibus non poſſet, ingenti illum miraculo probatæ per ignem Catholicæ fidei, ab hæreſi reuocauit, populumque ad eum confluere ſolitum ab ipſius ſeductionibus liberauit.

IESV CHRISTI AN. 527.

IVSTINIA. IMP. 1. ATHALAR. REG. 2.

FELICIS IV. AN. 2.

I. ANno Chriſti quingenteſimo vigeſimo ſeptimo, Mauortio abſque collega Conſule, Iuſtinus Impera-

IVSTINIANVS CREATVR IMP.

tor morbo ſenioque grauatus IVSTINIANVM ex ſorore ſua nepotem, Comitem olim Domeſticorum, poſtea Nobiliſſimum, hoc eſt Cæſarem creatum, tandem enixius petente Senatu, magnoque populi applauſu, huius anni Calendis Aprilis annos natum quadraginta quinque, Imperatorem creauit, & ſuis manibus eius capiti diadema impoſuit, ſtatimque eius vxor, *Theodora*, Auguſta eſt appellata. Ipſe vero Iuſtinus quarto poſt menſe è vita deceſſit, cum imperaſſet annos nouem, ac decimum inchoaſſet. Hæc Marcellinus [a], Euagrius [b] Zonaras [c], & alii. Quibus addit Cedrenus [d], ipſum Iuſtinianũ, ſimulac Imperator creatus eſt, cuncta bona ſua quæ hactenus poſſediſſet Eccleſiis donaſſe.

a Marcellin. Chron. b Euagr. lib. 4. c. 9. c Zonar. Annal. par. 3. d Cedren. Annal.

II. DE EPISTOLA AGAPETI AD IVSTINIA. IMP.

Extat, vero ad ipſum, mox vt creatus eſt Imperator, ſatis prolixa egregia epiſtola parænetica articulis diſtincta, ab Agapeto diacono ſcripta de recte adminiſtrando Imperio, quã Græci Regiam Schedam vocant. Sed quiſnam fuerit iſte *Agapetus*, diu multumque quæſitum eſt. Vixit his temporibus Agapetus diaconus S. R. E. qui nominatus cum aliis reperitur in Actis Tertiæ Romanæ Synodi ſub Symmacho Papa, idemque creditus, qui poſtea ſub eodem Iuſtiniano Imperatore creatus eſt Romanus Pontifex, vir ſane doctrina atque pietate inſignis, & apud eumdem Imperatorem magnæ auctoritatis. Verum cum iſta ſcriptio Græce exarata habeatur, & quidem admodũ exculte, non Latinum, ſed Græcum in omnibus auctorem oſtendit. Claruerunt præterea his temporibus Conſtantinopoli duo Agapeti, quorum frequens eſt mentio in Actis Synodi Conſtantinopolitanæ ſub Menna: verũ quod ambo eſſent monaſteriorum Archimandritæ, iſte autem de quo eſt ſermo diaconus indigitetur magnæ Eccleſiæ, diuerſus fuiſſe videtur ab illis. Porro quamdiu eius monitis (quiſquis ille tamdem fuerit) Iuſtinianus aurem præbuit, iuſte recteque in omnibus Imperium adminiſtrauit: vbi vero deflexit, ſibi Orbique Romano ruinam parauit, vt apparebit ſuis locis.

III. LEGATIONES DIVERSOR. PRINCIPVM AD IVSTIN.

Cum primum autem in Occidente cognitum eſt eum Imperatorem creatum eſſe, confeſtim Athalaricus Italiæ Rex, honorifica ad eum legatione miſſa [e] pacem ab eo expetiit, quam & obtinuiſſe ſatis intelligitur cum ex antiquis nummis [f], in quorum altera parte Iuſtiniani nitet imago, in altera vero nomen inſcribitur Athalarici Regis, cum etiam quod dum vixit numquam ei Iuſtinianus negotium faceſſit: hæc omnia ſumma prudentia moderante Amalaſunta Athalarici matre, quæ nouit Iuſtiniani animum officiis aſſiduis demerere, vt quæ ſcribit Procopius [g] in eius obitu demonſtrant. Quo etiam auctore [h] conſtat, Hildericum quoque Wandalorũ in Africa Regem plurimis eumdem Imperatorem legationibus atque muneribus frequentaſſe. Verum ita pacem illum cum iiſdem Arianis Regibus tenuiſſe Cedrenus ſignificat, vt tamen Arianos in Oriente poſitos ſæpe legibus exagitarit. Denique & Franc[illegible]s ad eumdem Legatos poſtea miſiſſe, teſtis eſt Gregorius [i] Turonenſis.

e Caſſiod. 8. ep. 1. f Habet Ba[illegible] Annal. To. 7. [illegible] g Procop. de bel. Goth. li. 1. h Id. de bel. Wand. lib. 1. i Greg. Tur. de glor. mart. lib. 1. cap. 12.

IV. IVSTINIANI IMP. OPTIMA PRINCIPIA.

Sic igitur Deo bene diſponente res Imperii, Iuſtinianus haud ingratus exiſtens, curauit vt quæ eſſent Catholicæ religionis optime perſicerentur. Ipſo namque ſui Imperii exordio, de fide Catholica quam profitebatur ab omnibus cuſtodienda promulgauit edictum [k], quo ſimul omnes hæreſes anathematizauit, pœniſque aduerſus hæreticos conſtitutis ſubiecit. ac præcipue de quibus tunc maxime controuertebatur, Neſtorianam, Eutychianam, & Appollinariam. Eumdemque conſtat alias pariter leges ſanciuiſſe, quibus ſtatũ Reipublicæ pulchre diſponeret: atque inter ceteras illam [l], qua iuſſit Epiſcopos præfectis prouinciarũ Iudicibus præpoſitos eſſe, ne quid ab illis contra iuſtitiæ ordinem admitteretur. Adiecit vero ad diuinum auxilium promerendum, maximam ieiuniorum auſteritatem, & aſſiduas ad Deum preces, itemque eximium cultum ſanctorum Martyrum, venerationem ſacrarum Reliquiarum, erectiones atque reſtitutiones Eccleſiarum & domorũ Hoſpitalium, ac denique prauorũ proſcriptionem morum, & propagationem virtutum: vt de his omnibus liquet, tum ex ipſiuſmet ſcriptis atq; conſtitutionibus, tum ex Procopio [m] aliiſque auctoribus. Factumque eſt, vt eiuſmodi piis iactis Monarchiam adeptus fuerit, expulſis barbaris: contra vero eadem poſtea deſerens, obrutus impietate perierit. Vt in vno Iuſtiniano vniculque Principum ſint exempla propoſita de iis quæ ſectentur vel fugiant, certis ampliſſimiſque notis expreſſa. Agetur de ſingulis inferius ſuis quibuſque locis.

k l. 1. C. de Summ. Trin. l Nouel. 86. m Procop. de ædif. Iuſtin.

V. DE BELLO PERSICO.

Eiuſmodi igitur iactis ad ſtabilitatem Imperii fundamentis, iam auſpicaturus Bellum Perſicum ex more legatos præmiſit ad Regem Perſarum Cabadem, ea petiturus quæ ſibi iure debita eſſe conſtaret: quibus denegatis, Beliſarium Ducem aduerſus eos cum exercitu miſit, cui inter alios Procopium Cæſarienſem conſiliarium iunxit, eumdem ipſum qui præſens cuncta conſpicatus eadem ſcriptis tradidit: quem cõſulat qui ea cupit. Porro ſæpius per quadriennium ope diuina victis Perſis, Narſes Perſa cum fratribus ad Romanos deficiens, donatus eſt à Iuſtiniano Quæſturæ munere. Poſt illud vero quadriennium, vario marte pugnatum eſt, quouſque tandem Cabade Rege defuncto, cum eius filio Coſrhoe iuſtis legibus pacem compoſuit Iuſtinianus anno Imperii ſui ſeptimo.

VI. POPVLI DIVERSI AD FIDEM CONVERSI.

Sed & in hoc bello perficiendo, inter alia diuerſorum populorum auxilia, Imperatorem vſum eſſe copiis *Erulorum, Blemyum*, atque *Nabatæorum*, qui tempore eiuſdem Auguſti ad fidem conuerſi ſunt idem Procopius tradit. De Erulorum vero conuerſione agunt pariter Euagrius [n] atque Nicephorus [o], necnon Theophanes in Miſcella [p], qui inſuper addit de conuerſione ſimili hoc ipſo anno facta *Gordæ* Regis Hunnorum qui ſunt iuxta Boſphorum. Sed & habet idem Procopius [q] de populis *Tzanis* finitimis Armeniæ, ſterilem penitus regionem, ac perpetua hieme oppreſſam, aſſiduiſque niuibus irrigatam incolentibus, qui ab eiuſdem Imperatoris Iuſtiniani ducibus deuicti, Chriſtianam fidem amplexati ſunt & dimiſſis quibus ſolebant viuere latrociniis, humaniorem coluere vitam; ac Romanis aduerſus hoſtes auxilio fuere. De quibus etiam meminit ipſe Iuſtinianus [r] in reſcripto ad Zetam Magiſtrum militum, cum agit de populis interioris Armeniæ: ſed deprauate ibidem Anzitena prouincia, pro Tzanitena ponitur. Memorat quoque ex eodem Procopio Euagrius [s], *Abſagos* ad mitius humaniuſque vitæ genus traductos iiſdem temporibus fidem Chriſtianam recepiſſe, Iuſtinianumq; ex eunuchis aulicis quemdam Abſagum genere ad eos miſiſſe, qui vetaret ne quiſquam in ea gente deinceps eunuchus fieret, cum qui cubiculis Imperatorum inſeruirent, plerumque ex ea ſumi cõſueuiſſent. Porro de his agens Procopius, tradit eos habitaſſe apud montem Caucaſum: ad quos alluſiſſe putamus Iuſtinianum, dum in conſtitutione aduerſus eos qui eunuchos facerent, ait barbaros ſimulatque ipſius de hoc audiſſent mãdata, ea cuſtodiuiſſe, atq; inolitam caſtrandorum puerorum conſuetudinem dereliquiſſe. Denique idem Procopius [t] alio loco meminit de quibuſdam aliis idololatris Ægypti populis, necnon Iudæis qui prope Boreum vrbẽ templum conſtruxerant, per eumdem Iuſtinianum ad Chriſti religionem conuerſis, licet tempus quo ea acciderint, non conſignet.

n Euagr. lib. 4. c. 19. o Niceph. lib. 17. cap. 13. p Miſcel. li. 16. in Iuſt. q Procop. de bel. Perſ. li. 1. & de ædif. Iuſtin. orat. 3. r l. vlt. C. de off. mag. mil. s Euagr. lib. 4. c. 22. t Procop. de ædif. Iuſtin. orat. 6.

VII. ATHALARICI EDICTVM PRO ECCL. R.

Hoc eodem anno Athalaricus Rex Italiæ ſanctionem [u] edidit pro Romana Eccleſia (quæ ſub Gothis antiquorum iurium detrimentum patiebatur) ne illius clerici ad laicalia tribunalia aliquo prætextu traherentur; niſi Romanus Pontifex litigantium petitionibus prouidere contemneret. Qua cõſtitutione cum & alia habeantur in laudem atque venerationem Apoſtolicæ ſedis, ipſius promulgatoris comparatione, hominis licet Ariani, ſi ſeipſos metiantur Principes Nouatores, plane inferiores ipſo quam longiſſime inuenientur.

u Ext. ap. Caſſiod. 8. ep. 24.

VIII. DIONYSII EXIGVI CYCLVS.

Ab huius item anni Conſulatu Mauortii, magnus ille Dionyſius cognomento Exiguus, Paſchalem cyclum exorditus ad nonaginta quinque annos perduxit, cuius fragmentum Marianus Scotus recitat, ſub eodem Conſulatu Mauortii. Fuit iſte *Dionyſius* natione Scytha, profeſſione monachus, in vtraque lingua doctiſſimus, atque ſacrarum litterarum peritiſſimus, cuius mirificas lau-

des &

des, & egregia ſcripta pluribus celebrat Caſſiodorus [x], ipſius æqualis & ſtudiorum conſors. Ipſi autem debemus (vt teſtatur Beda [y]) quod in Cyclo ſuo annos non per Olympiadas, vel Conſules aut Indictiones, aut annos Diocletiani, ſed à CHRISTI Domini noſtri Incarnatione numerari cœpti ſunt: quatenus (inquit Beda) exordium ſpei noſtræ notius nobis exiſteret, & cauſas reparationis humanæ, id eſt Paſſio Redemptoris noſtri, euidentius eluceret. Sed & Alexandrina Eccleſia, vna cum vniuerſa Ægypto deteſtata chronologiam illam, quæ ab impio & immani Chriſtianorum hoſte Diocletiano Imperatore, ex ipſius ea de re edicto promulgato deducebatur, quamque Græci calculatores vt plurimum obſeruabant, illud præſtitit, vt non à Diocletiano, ſed à Martyrum tempore, qui ſub Diocletiani perſecutione paſſi ſunt, annorum computum deriuaret: quem hactenus apud eos vigere viſum, cernere licet in litteris [z] Gabrielis Patriarchæ Alexandrini ad Clementem Papam Octauum.

ANNI NVMERARI CŒPTI A CHRISTI INCARNATIONE.

IX. DE COLLECTIONE DIONYSII.

Quod vero pertinet ad Collectionem & tranſlationem Græcorum Canonum à Dionyſio factam, non id laboris idcirco ab eo ſuſceptum ſcias, quod Latina Eccleſia hactenus caruiſſet iiſdem canonibus Latinitate donatis, ſed quod ſiue vitio Interpretis, ſiue librariorum incuria reperirentur valde mendoſi: vt ipſemet teſtatur in epiſtola ad Stephanum Salonitanum Epiſcopum (à quo petitus, illud opus confecit) quam Creſconius Africanus Epiſcopus retulit in ſuam Collectionem, dum & ipſam Dionyſii collectionem complexus eſt, ſubiecitque eam quam eodem ferme tempore Ferrandus diaconus Carthaginenſis elaborauit, ſed alio plane ordine, dum citando, non recitando, ſub vnoquoque collegit capite omnes canones diuerſorum Conciliorum qui de ea re tractantes reperiuntur, quod opus iure Creſconius Breuiarium appellãdum putauit. Sic igitur habes poſt primam illam mendis ſcatentem canonum veterem collectionem, in idem opus primum omnium laboraſſe *Dionyſium* Exiguum, ſecundo loco *Ferrandum* diaconum Carthaginenſem, poſtea *Martinum* Epiſcopum Bracarenſem, quarto vero loco *Creſconium*. Sed de his, aliiſque recentiorum Canonum Collectoribus rurſum inferius dicendum erit.

VARIÆ CANONVM COLLECTIONES.

X.

His temporibus Franci bella geſſerunt aduerſus Thuringios, quorum Regi Hermenefrido Theodoricus Italiæ Rex nuptui tradiderat neptem ſuam, vt docent datæ ab eo tunc litteræ [a] ad eumdem Regem. Mortuo vero eodẽ Theodorico cuius patrocinio fouebatur, alius Theodoricus & Clotarius Clodouei Francorum olim Regis filii, aduerſus eumdem Hermenefridum ducentes exercitum, eum ſeparatum occiderunt. Agit de his Gregorius [b], & alii recentiores. Iuſte autem hæc ipſum paſſum eſſe ob necem illatam Berthario germano ſuo vxoris Amalbergæ ſuaſu, idem Gregorius pluribus docet. Duxit autem ex præda parta Clotarius ſorte ſibi obtingentem captiuam filiam eiuſdem Bertharii Regis defuncti, eamdemque cum ad annos nubiles perueniſſet ſibi matrimonio iunxit: quæ quidem eſt illa magna *Radegundis* celebris ſanctitate Regina de cuius captiuitate, cuſtodia, ſancta educatione piiſſimis in ipſa infantia moribus, præſagiis eminentiſſimæ exigendæ ſanctitatis perfectionis, ac denique inuitis nuptiis, agit pluribus Fortunatus [c] eiuſdem temporis ſcriptor in Vita ipſius, ageturque etiam inferius de eadem.

DE S. RADEGVNDIS REGINÆ PRIMORDIIS.

IVSTINIA. IMP. 2. ATHALAR. REG. 3.

IESV CHRISTI AN. 528.

FELICIS IV. AN. 3.

I.

ANno Chriſti quingenteſimo vigeſimo octauo, Iuſtiniano Auguſto ſecundum Conſule abſque collega, idem Imperator ſanctiones [a] edidit de electione, ordinatione, & aſſiduitate Epiſcoporum, deq; eorumdem, necnon xenodochiorum bonis ac redditibus, itemque contra raptores virginum, aliarumque feminarum. Quod autem ſingulis fere annis frequentiſſimæ ſint leges de rebus ſacris, Eccleſiaſticiſque perſonis ab eodem Imperatore promulgatæ, non immerito à compluribus arguitur quaſi rerum diuinarum inuaſor, dum diuinis ſe miſcuit qui humanis tantum præfectus eſſet reb. Verum haud incongrue illud fortaſſe quis reſpondebit, quod cum ipſe (vt ait Suidas) homo fuerit rudis omnium litterarum, & quod dici ſolet, analphabetus, cumque & Tribonianus, cuius potiſſimum opera in ſanciendis legibus vtebatur, Ethnicus eſſet, par ſit credere omnes Eccleſiaſticas Iuſtiniani Conſtitutiones, Epiphanii fuiſſe Epiſcopi Conſtantinopolitani, & eius qui in locum ipſius Menna ſucceſſit, quas libentius ipſi edi voluerint nomine Imperatoris, vt validioris eſſent obſeruantiæ. Quibus adde, quod quæ ab eodem Auguſto eo argumẽto ſancita eſſe reperiuntur, eadem ipſe ad ſacras Patrum confirmandas regulas, ſtabiliendoſque canones, ſe agere conſueuiſſe ſæpiſſime eſt conteſtatus: adeo vt plane in his non earum legum conditorem, ſed canonum præſeferret executorem. Neque eſt credibile, ipſum exiſtimaſſe Imperatoria poteſtate ſe poſſe leges præſcribere Eccleſiæ ac ſacerdotibus, qui ab eis (vt ex pluribus ipſius conſtitutionibus apparet) leges requireret, ſuaſque eiſdem ſubiiceret. At vero quæcumque tandem fuerit in his mens ipſius, quam ſobrie rebus ſe immiſcere Eccleſiaſticis Chriſtiani Principes debeant, magnum in exemplum cunctis idem eſſe poteſt Iuſtinianus, dum quiſq; conſiderauit quo demum ipſe peruenerit greſſibus iſtis, pietatem maximam licet in omnibus præſeferentibus. Quod autem accidit, vt cum diutius ſuperuixerit, eaſdemque à ſe leges latas quam exactiſſime obſeruari præceperit, inque ſuum Codicem redegerit: eædem vim quamdam acceperint, atque in canones ferme Eccleſiaſticos frequenti vſu tranſierint: id quidẽ haud quis mirari debet. quæ enim iuſta rectaque nouit ſancita Eccleſia, etiamſi eorum non Chriſtianus Princeps, ſed Diocletianus, aut quiuis alius perſecutor Eccleſiæ, fuerit promulgator, minime reſpuere conſueuit, ſed ea ſuis legibus & decretis probare, niſi cum aliquid aduerſus ſacras leges ac bonos mores ab eis præſumptum eſt.

QVOMODO IVSTINIANVS DE REB. ECCLES. LEGES SANCIVERIT.

ECCLESIA NON RESPVIT LEGES RECTAS AB IMPIIS LATAS.

II.

Hoc eodem anno, qui tertius [b] numeratur à priori terræmotu Antiocheno, rurſum grauioribus impulſibus eadem ciuitas agitata, dire admodũ concuti cœpit, ſed Dei ope ſubuentum eſt, ne funditus periret, dum viſione quidã monitus hæc verba pro foribus inſcriberet, CHRISTVS NOBISCVM STATE: quicumque ea domibus ſuis inſcripſerunt, terræmotum ab eis diſpulerunt, vt tradunt Theophanes [c], Cedrenus [d], Nicephorus [e], & alii. Quorum inſuper, necnon Euagrii [f] omnium antiquiſſimi ſententia illud affirmatur, tunc nouum eſſe inditum Antiochenæ ciuitati nomen, vt *Theopolis* diceretur: ita enim in Conſtitutionibus Iuſtiniani ab hoc tempore promulgatis, aliiſque antiquis monumentis dictam reperies. Verum eadem poſtea ſub eodem Imperatore Iuſtiniano, ab irruente Coſrhoe Perſarum Rege capta eſt, & incendio tradita. Vt plane cognitum ſit, haud fuiſſe ſatis mutaſſe nomen, niſi & doctrinæ ab hæreticis deprauatæ, & morum corruptiſſimorum ſubſecuta eſſet correctio; qua deficiente, eadem omnium Orientalium florentiſſima olim ciuitas, immenſis attrita eſt cladibus, & ſuis ſepulta ruinis.

DIVINITVS REMEDIVM IN TERRÆMOTU ANTIOCH.

ANTIOCHIA DICTA THEOPOLIS.

IVSTINIA. IMP. 3. ATHALAR. REG. 4.

IESV CHRISTI AN. 529.

FELICIS IV. AN. 4.

I.

ANnus Domini quingenteſimus vigeſimus nonus Baſilii Iunioris abſq; collega annotatur in Faſtis Panuini, pro arbitrio mutantis vel addentis nomina Conſulum. Ceterum Caſſiodorus Decium tantum habet, Occidentalem Conſulem ponens, & Marcellinus Orientalem, Iuſtinianum ſolum.

II. DE TEMPORE

Sane quidem hunc illum eſſe Conſulatum Decii Iunioris, quem habent Acta Concilii Arauſicani poſterioris, plura ſunt quæ demonſtrent, quorum ignoratione fa-

clum

x Caſſiod. de diuin. lect. cap. 17.
y Bed. de rat. temp. c. 45.
z Extat in tom. Eccleſ. Alex. ad Clem. VIII.
a ap. Caſſiod. 4. ep. 1.
b Greg. Tur. 3. hiſt. Franc. 4.
c ap. Sur. 13. Aug.
a l. 42. 43. C. de Epiſc. & cler. l. 1. C. de rapt. virg.
b Euagr. li. 4. c. 6.
c Theoph. Miſcel. lib. 16.
d Cedr. in Annal.
e Niceph. li. 17. cap. 3.
f Euagr. l. 4. c. 6.

CONCILII ARAVSIC. POSTER.

ctum eſt, vt Conciliorum Collector & alii male retulerint ad tempora Leonis vel Hilari Romanorum Pontificum. Cæſarium enim Epiſcopum Arelatenſem qui ei præfuit Concilio, haud illis temporibus ſediſſe Epiſcopum, docent quæ ſuperius variis locis de ipſo dicta ſunt: quem & perueniſſe ad annum Chriſti quingenteſimum quadrageſimum quartum, dicetur inferius. Inſuper tempus ipſum Liberii Patricii Præfecti Galliarum, qui huic Arauſicano Concilio ſubſcripſiſſe reperitur, vt error cognoſcatur, admonet. Sed illud inprimis aduertendū, falſo referri eidē interfuiſſe Concilio quatuor Præfectos Prætorio, vt textus deprauatus habet. Nam vt Codex Vaticanus docet, quatuor ſunt illa nomina perſonæ vnius nempe Petrus Marcellinus Felix Liberius, ſicut Lucius Aurelius Atianus Symmachus, & alia plura id genus: & in ipſius Synodi exordio, non quatuor qui interfuerint ibi Præfecti, ſed vnus dumtaxat Liberius Patricius nominatur: ac denique hoc tempore Athalarici Regis, non quatuor Præfectos Galliam adminiſtraſſe, ſed vnum hunc Liberium patet ex eiuſdem Regis [a] epiſtola ad eumdem Liberium data. Qui quidem ille ipſe eſſe Liberius inuenitur, cui Theodoricus Athalarici prædeceſſor eiuſdem Galliarum Præfecturæ faſces antea crediderat, & commendatus ex eo potiſſimum habetur [b], quod Italos Gothis conſociarit, tertia agrorum parte illis conceſſa.

a ap Caſſio. 8. ep. 6.

b Ibid. 2. ep. 15. ad Sena.

III. OCCASIO CELEBRANDI CONC. ARAVSIC.

Quod vero ad ipſum CONCILIVM ARAVSICANVM ſpectat, eius celebrandi auctor fuiſſe videtur Felix Pontifex qui hoc tempore Romanam regebat Eccleſiam, permotus ipſe ſcriptis eiuſdem S. Cæſarii, quæ his diebus miſerat ad ipſum Felicem de Gratia & Libero arbitrio, aduerſus Fauſti Regienſis libros eiuſdem argumenti, de quibus ſupra, quæque agnita ipſe Felix non ſolum probauit, ſed etiam, vt tradit Gennadius [c]) per ſuam epiſtolam roborauit, vulgandaque vbiq; curauit. Non extant illa quidem, ſed quanta fuerint, ex Romani Pontificis addita illis epiſtola conicctare licet. Ea vero de re editi ſunt pariter in eadem Synodo canones viginti quinque, ex antiquorum Patrum definitionibus excerpti, qui maxime conformes reperiuntur doctrinæ S. Auguſtini, cuius etiam Apoſtolica ſedes (vt ſuperius vidimus) ſe profeſſa eſt de Gratia & Libero arbitrio probare ſententiam. Vt autem hoc potiſſimum tempore & Arauſici Patres conuenerint, id inde accidit, quod in eamdem ciuitatem à Liberio Præfecto vocati fuiſſent ad dedicationem eccleſiæ quam ipſe illic conſtruxerat: à quo etiam & aliis viris illuſtribus qui iiſdē ſacris Encæniis interfuere, decreta ſua Patres ſubſcriptione firmari voluerunt, vt ſuo ipſorum obſtricti tenerentur chirographo, ne fallacibus hæreticorum artibus aditus aliqua ex parte pateret.

c Gennad. de Script. Eccl. cap. 86.

IV. CONCIL. CARPENTORATENSE.

Quod autem ferme omnes Epiſcopi qui huic Synodo Arauſicanæ ſubſcripti habentur, iidem & CONCILIO CARPENTORATENSI interfuiſſe reperiuntur [d]; facile conicere poſſumus illud circa eadem tempora collectum eſſe: cum alioqui celebrati conuentus dies deſiderentur & Coſſ. Inter Epiſcopos autem reperitur fuiſſe *Eucherius* Iunior Epiſcopus Lugdunenſis, cuius ſuperius facta eſt mentio cum actum eſt de Seniore. Adfuitque etiam Proſper, ſed longe ab illo diuerſus qui Leonis Papæ fertur vixiſſe temporibus. Ex ipſis vero huius Synodi Actis, illud tantum reperitur ſancitū ibi decretum, de Bonis oblatis Eccleſiis parochialibus, quidnam & quantum ex eis ſibi vendicare Epiſcopis liceat. Sed & Synodalis extat inde data epiſtola ad Agrecium Epiſcopum, qua ſignificatur, ſententia Patrum ipſum eſſe ſuſpenſum per annum à celebratione Miſſarum, ob perperam factam ab eo ordinationem, & quod ad dicendam cauſam vocatus ad Synodum, venire recuſaſſet, nec quemquā ſuo loco miſiſſet.

d De tribus iſtis Conciliis, Arauſic. Carpentor. & Vaſenſi, egerat prius Baron. Annal. To. VI. an. 463. Sed poſtea in Addit. To. X. voluit ea in hunc annum 529. (qui eſt apud eum To. VII.) transferri.

V. CONCIL. VASENSE.

Fuit inſuper tunc eadem prouincia habitum VASENSE CONCILIVM, ſub eiuſdem Decii Iunioris Conſulatu menſe Nouembris, cui itidem Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus præfuit, interfueruntque alii plures ex iiſdem Epiſcopis qui præcedentibus Arauſicano & Carpentoratenſi ſubſcripſiſſe leguntur. Eius autem Acta confuſa fuiſſe cum aliis Vaſenſibus Conciliis, ſat ſuperius dictum eſt.

VI. S. FVLGENTII OBITVS.

Hoc eodem anno ipſis Calendis Ianuarii, ſummum illud ac pene vltimum Africanæ Eccleſiæ decus, Sanctus Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus, doctrina & ſanctitate mirabilis, optatum diu, ante præcognitum, præſenti vitæ finem lætus impoſuit. Qui quidem (vt ait Rerum ab eo geſtarum ſcriptor [e] ipſius diſcipulus) ante annum ferme quam de ſæculo iſto raperetur, profunda cordis compunctione permotus, relictis Eccleſiaſticis occupationibus, ſeceſſit in inſulam, & in quodam breui ſcopulo, vbi iam monaſterium fabricari mandauerat, lectioni & orationi ac ieiuniis plus ſolito vacauit. Inde vero ob murmurantes de eius abſentia Fratres, reuerſus ad monaſterium cui ſe poſt reditum ab exilio incluſerat, incidit repente in corporalis infirmitatis acerrimas paſſiones: vbi ſeptuaginta prope diebus ægritudine fatigatus, hoc ſolum frequenter dicebat, *Domine da mihi modo patientiam, poſtea indulgentiam*: nec ab iſto ſermone aliquando ceſſauit, ſiue dolor affligeret, ſiue febris intenderet, ſiue laſſitudo diſſolueret. Hæc & alia idem ipſius diſcipulus. Eius vero Scripta quæ Iſidori tempore adhuc reſtabant, idem Iſidorus [f] recenſuit, cū plures alias egregias lucubrationes ediſiſſet quæ iam tunc perierant. Conſtatque inſuper teſtificatione Ferrandi diaconi Carthaginenſis qui & ipſe Fulgentii extitit diſcipulus, eumdem in extremis vitæ momentis abſoluiſſe tractatum ad Reginum Comitem; de quæſtione illa famoſa Alexandriæ (vt vidimus) agitata, vtrum Chriſti caro corruptibilis an incorruptibilis ſit.

e ap. Sur. 1. Ianuar.

ÆGROTANTIS FVLGENTII VERBA.

f Iſid. de Script. Eccl. cap. 14.

VII. S. BENEDICTVS CASINVM PETIT.

Hoc item anno magnus ille S. Benedictus, de cuius Initiis dictum eſt ſuperius, ex anguſtiis Sublacenſium montium diuino monitu egreſſus, Caſſinum petens, ad cuius montis radices erat ſita villa Marci Varronis, illic erecto cœnobio monaſticum ordinem (quem iam antea ſatis dilatauerat extructis pluribus monaſteriis) mirifice propagauit, cum iam ille in Oriente magna ex parte per hæreſes & delicias collapſus eſſet. Agit de his Sanctus Gregorius [g] Papa in Dialogis, vbi res ab eodem Benedicto præclare geſtas, obtentaſque aduerſus diabolum victorias, atque ingentia edita miracula recenſet. De tempore vero quo Caſſinum venit, id firmatum habes ex Caſſinenſi veteri Chronico, atque ex Leone Oſtienſi Epiſcopo, itemque ex ſcriptore Auctorum [h] S. Placidi.

g Greg. dial. li. 2.

h ap. Sur. 5. Octob.

VIII. EDITIO CODICIS IVSTINIANEI.

Hoc pariter anno, ſub eodem Decii Conſulatu, Iuſtinianus Imperator quem anno ſuperiori dederat [i] colligendum emendatumque *Codicem* ex tribus antiquis Codicibus Gregoriano, Hermogeniano, & Theodoſiano, abſolutum, ſuoque nomine *Iuſtinianeum* appellatum, confirmauit [k], vulgauitque. Ad quem laborem cum decem viros conſtituiſſet, qui præ ceteris in opus inſudaſſe viſus eſt, fuit *Tribonianus* Quæſtor, Pamphilius genere, quem Procopius [l] & Suidas aiunt, diſciplina quidem omnium artiū nulli ſuæ ætatis fuiſſe ſecundum, ſed pecuniæ ad miraculum extitiſſe auidum, ideoque ius pretio vendere ſolitum, ac præ auctoritate qua apud Iuſtinianum pollebat, leges quotidie pro cuiuſque neceſſitate accepto pretio ad libitum condere vel antiquare. Addit vero Suidas, eum Ethnicum fuiſſe & impium, adeoque Iuſtiniano adulatum, vt perſuadere illi conatus ſit eum non moriturum, ſed cum carne in cœlum aſſumptum iri: quod ipſum teſtatur etiam Heſychius Mileſius, de Philoſophis ſcribens. *Ioannem* autem Patricium ac Præfectum Prætorio, qui primus omnium recenſetur Decemuirorum, genere Cappadocem fuiſſe, artiumque liberalium ac diſciplinæ omnis expertem, impium, auarum, crudelem, ac perfidum, aliiſque omnibus vitiis inquinatum, Procopius [m] eſt auctor. Ex quibus videas, quale homines ſanciuerint Imperio Romano Leges.

i Conſtit. de nouo Cod. fac.

k Conſtit. de Iuſtin. Cod. confir.

l Procop. de b. I. Perſ. lib. 1.

DE TRIBONIANO.

DE IOANNE CAPPADOCE.

m Id. ibid.

IESV CHRISTI AN. 530.

IVSTINIA. IMP. 4. ATHALAR. REG. 5.

BONIFACII II. AN. 1.

I. ANNO Chriſti quingenteſimo trigeſimo, Lampadio atque Oreſte Coſſ. ad quartum Idus Octobris

Sanctus

DEFVNCTVS FELIX PAPA.

Sanctus *Felix* Romanus Pontifex ex hac vita deceſſit, vbi ſediſſet annos quatuor, menſes duos, dies decem & octo: ſepultuſque eſt in baſilica Sancti Petri. Cuius poſtquam ſedes vacaſſet (vt ait Anaſtaſius) tres dies, in baſilica Iulii creatus eſt in locum eius BONIFACIVS huius nominis Secundus, patria Romanus, patre Sigiſvultho: ex quo nomine conicere poſſumus eum, etſi natus ſit Romæ, genere tamen fuiſſe Gothum. Aduerſus quem in ſchiſmate erectus eſt in baſilica Conſtantiniana *Dioſcorus* diaconus: ſed Dei beneficio accidit, vt iſto poſt aliquot hebdomadas morte præuento, extingueretur & ſchiſma. Porro Dioſcorum magnopere ſimoniæ crimine infamatum fuiſſe, eaque de cauſa poſt mortem à Bonifacio anathematizatum, teſtatur Iuſtinianus Imperator in edicto [a] inſcripto ad Ioannem Pontificem, ſed ad Vigilium dato. Quod tamen Bonifacii decretum ab Agapeto poſtea Papa abolitum, Dioſcorumque iniuſte damnatum abſolutum eſſe, Anaſtaſius [b] Bibliothecarius eſt auctor. Quæ vero legitur in Collectione Conciliorum, nomine Iuſtini Imperatoris ad Bonifacium Papam fidei profeſſio, ex multis vitioſa deregitur: ſicut & Epiſtola illa, quæ nomine eiuſdem Bonifacii legitur data ad Eulalium Epiſcopum Alexandrinum, quæ multa abſurda continet.

BONIFACIVS ELIGITVR. DIOSCORVS SCHISMATICVS.

a Ext. To. 2. Concil. b Anaſt. in Agap.

II. HILDERICVS REX WAND. FIT CAPTIVVS.

Hoc eodem anno Hildericus Rex VVandalorum in Africa, à Gilimere fratre conſobrino, Genſonis filio, ac Genſerici nepote, regnandi cupidiſſimo, calumnioſe apud VVandalos accuſatus proditoriæ cum Imperatore colluſionis, ab iiſdem coniectus eſt in vincula cum iam annos ſeptem regnaſſet, ipſeque Gilimer in eius locum Rex electus. Quod vbi Iuſtinianus audiuit, per legatos Gilimerem interpellauit de reſtituẽdo in regnum Hilderico, aut ſaltem Conſtantinopolim mittendo, ac poſtea eidem hæc negligenti bellum comminatus eſt. Hæc fuſius Procopius [c] reliqua inferius.

c Procop. de bel. Vand. l. 1.

III. CONSTITVTIO ... HÆRETICOS.

Sub iiſdem pariter Coſſ. Iuſtinianus Imperator ſanctionem [d] edidit de ſucceſſione bonorum hæreticorum, vt eam ſoli ipſorum filii Orthodoxi ſibi vendicent, hæretici autem omnino repellantur, & vt parentes hæretici cogantur alere filios Orthodoxos. Cum vero ea conſtitutione inter alias hæreticorum ſectas adnumeret *Samaritas* ſeu Samaritanos, plane eiuſdem viſus eſt meminiſſe Cyrillus [e] in Vita S. Sabæ, dum ait eumdem Iuſtinianum de Samaritanis Palæſtinæ legem tuliſſe, ne eſſent alter alterius heredes, ne per ſucceſſiones opes illorum creſcerent: eamque vt promulgaret, Sabam ei auctorem extitiſſe, cum iiſdem Samaritanis, creato ſibi Rege, Palæſtinam Epiſcoporum, aliorumque Eccleſiæ miniſtrorum, atque omnis generis Chriſtianorum cædibus & Eccleſiarum incendiis diriſſime infeſtantibus, ipſe à Patriarcha Hieroſolymitano impulſus, licet iã nonagenari⁹ (quippe qui anno ſequenti mortuus reperitur annos natus nonaginta duos) Iuſtinianum adiit, à quo honorificentiſſime exceptus, quæcumque voluit, obtinuit, cum aduerſus furorẽ hæreticorum, tum in fauorem Catholicorum; atque inter alia, multarum reædificationem veterum eccleſiarum, nouarumque erectionem. At hæc omnia fuſe Cyrillus: Ædificia vero Procopius [f] deſcripſit accuratius, & præcipue conſtructum Hieroſolymis Deiparæ templum magnitudine, & magnificentia nulli ſecundum. Sed quod ad Samaritanos ſpectat, haud hic finis pugnæ Imperatoris aduerſus illorũ improbitatem, quos aliis poſtea opus fuit legibus [g] perurgeri, de quibus dicetur inferius. De eorumdem vero præcedentibus ſub Zenone & Anaſtaſio Auguſtis, ſeditionibus ſceleribuſque, agit etiam idem Procopius [h].

d Cod. de hær. e Cyril. Scyth. in vita S. Sabæ. SAMAR. HÆRETICOR. CELEBRIVS. f Procop. de ædif. Iuſtin. lib. 5. g Nouel. 45. h Procop. lib. 5.

IV. FRANCI POTIVNTVR GALLIA.

Hoc præterea tempore Theodoricus Rex Francorum expeditionem parauit aduerſus Gothos agentes in Galliis: Sigebertique aſſertione expreſſum habetur, hoc anno Francos vendicaſſe ſibi quæ in Gallia Gothi ſub Theodorico Italiæ Rege occupauerant. Verumtamen non hoc tempore id accidiſſe, ſignificare videntur literæ Caſſiodori [i], quas ſcripſit cum ab Athalarico Rege collatum poſt tres annos geſſit ipſe Romæ munus Præfecturæ Prætorianæ, in quod tempus perſeuerauerat pro Gothis in Galliæ Narbonenſis adminiſtratione Liberius Præfectus Prætorio. Denique Procopius [k] diſerte teſtatur, Francos ditione Gothorum in Galliis potitos eſſe ſub Theodato eorumdem Gothorum Rege, qui vt ipſos Francos contra Græcos incitaret, quæ in Galliis poſſidebat ceſſit eis: cum alioqui & VViſigothi qui in Hiſpania regnabant ſub Amalarico Rege, aliam partem poſſideret Galliæ Narbonenſis, ſecundum diuiſionem quam poſt obitum Theodorici vidimus factam inter eoſdem Athalaricum & Amalaricum: quam eamdem iiſdẽ VViſigothis abſtuliſſe Frãcos poſt occiſum Amalaricum, idem Procopius tradit. Sed & quod ex iiſdem Caſſiodori literis quæ ſcriptæ habentur Indictione duodecima, videlicet anno Domini quingenteſimo trigeſimo ſeptimo, plane conſtat ante illud tempus Theodoricum Francorum Regem morbo defunctum eſſe, inde quoque eumdem redarguas Sigebertum, dum illius obitum refert anno quingenteſimo trigeſimo ſeptimo atque alios [l], qui eumdem annos viginti duos vel viginti tres regnaſſe tradiderunt.

i Caſſiod. II. k Procop. de bel. Goth. l. l Greg. Tur. 3. de Geſt. Fran. c. 23.

V. Porro laudatur Theodorici pietas & iuſtitia, cum in aliis rebus, tum aduerſus inuaſores rerum Eccleſiaſticarum, à Gregorio Turonenſi tam in Rebus [m] geſtis Francorum, quam in Vita S. *Nicetii*, quem virum ſanctiſſimum, ac zelo fidei & iuſtitiæ præſtantiſſimum, miraculiſque clariſſimum, Theodoricus præfecerat Eccleſiæ Treuerenſi. Cuius etiam cenſura correctum & emendatum Theodobertum, filium ac ſucceſſorem Theodorici, ac meliori frugi redditum, cum initio male adminiſtrare regnum cœpiſſet, ex variis eiuſdem Gregorii [n] ſcriptis certum redditur. Sed de Nicetio rurſum inferius: videbiſque plane quod mireris, inuictos Francorum Reges à Dei ſacerdotibus tantummodo laudabiliter pati vinci.

m Ibid. c. 11. n Ibid. c. 24. & 34. & in vita S. Nicet. & de glor. Conf. cap.

REGVM FRANCOR. ... IVSTINIA. IMP. 5. ATHALAR. REG. 6.

IESV CHRISTI AN. 531.

BONIFACII. II. AN. 2.

I. ANnus Chriſti quingenteſimus trigeſimus primus, vacuus Conſulibus ordinariis, Poſt Conſulatum præcedentium Coſſ. Lampadii atque Oreſtis inſcribitur. Quo Romæ in baſilica S. Petri à Bonifacio Papa collecta eſt *Synodus*, in qua idem Vigilium diaconum, hoc ambitioſe quærentem, ſucceſſorem ſibi delegit. Narrat hæc breuiter Anaſtaſius. Quod enim (vt ſuperius dictum eſt) Gothorum Reges Italiæ dominantes impie ſibi vendicaſſent Romani Pontificis electionem, vt eiuſmodi præſumptam licentiam ab illis Romana Eccleſia eriperet, hoc prætextu viſus eſt Bonifacius nouam iſtam & à prædeceſſoribus hactenus intentatam viam aggredi. Verum hoc licet ſpeciem iuſtitiæ aliquam præferret, tamen quod contra canones factum eſſet, continuo alia iterum (vt Anaſtaſius addit) facta *Synodo*, tam ab ipſo Bonifacio, quam ab aliis omnibus improbatum eſt atque reſciſſum: in quod etiam poſtea Siluerius [a], aliique ſucceſſores Romani Pontifices declamarunt Sed & quam illud Deo ipſi diſplicuerit manifeſtatum eſt, cum ad aliorum exemplum eumdem *Bonifacium* cito ex hac vita ſubtraxit, nimirum vt idem habet auctor, die decima ſeptima Octobris huius anni, quẽ & ſepultum in Baſilica S. Petri. Quod autem addit, ſedem vacaſſe menſes duos ac dies quindecim, cum ſic dicẽdum eſſet, ſucceſſorem creatum fuiſſe in principio anni ſequentis, erroris ipſe arguitur ex inſcriptione [b] Tituli Eudoxiæ, vbi eius ſucceſſor ponitur ſedere cœpiſſe hoc ipſo anno. qui quidẽ fuit IOANNES huius nominis Secundus, cognomento *Mercurius*. patria Romanus, filius Proiecti de Cœlio monte, ex presbytero Tituli S. Clementis creatus Pontifex.

NON DEBENT ROMANI PONTIF. SIBI ELIGERE SVCCESSORES. a Siluer. ep. ad Vigil. To. 2. Concil. BONIF. PAPÆ OBITVS. b Hab. Sarron. Annal. To. VII. hoc an. IOANNIS II. CREATIO.

II. Hoc eodem anno, quo abſoluitur quintus & vltimus Amalarici Regis Gothorum in Hiſpania (qui à Childeberto Francorum Rege Clodouei filio Pariſiis regnante, bello ſiue in Hiſpania, ſiue apud Narbonem appetitus, quod ſororem eius Crotildem feminam Catholicam Arianus ipſe Catholicis infenſiſſimus vxorem ductam, ob religionem male haberet [c], occiſus eſt) & primus incipit nu-

c Narrat hæc Greg. Tur. 3. de Geſt. Franc. 10. Iſid. in Chro. Goth. necnon Procop. lib. 1. de bel. Goth. qui tamen ea perperam Theodoberto non Childeberto tribuit.

Digitized by Google

pit numerari Theodiſcus eiuſdem Amalarici ſucceſſoris, qui licet Arrianus, tamen bene habuit Orthodoxos, vt S. Iſidorus affirmat. celebratum reperitur CONCILIVM TOLETANVM, dictum Secundum ſub *Montano* eiuſdem ciuitatis Archiepiſcopo, doctrina conſpicuo, & ſanctitate illuſtri, quam & Deus miraculo igneo ad expulſionem infamiæ ipſi illatæ confirmare voluit. Cum eo vero interfuerunt eidem Synodo ſeptem alii Epiſcopi, & ſi numero pauci, virtute atque eruditione præſtantes: inter quos eminet *Iuſtus Vrgelitan*., non ſolum & ipſe clarus inter ſcriptores Eccleſiaſticos, ſed & etiam germanorum itidem Epiſcoporum & æque diſertorum collegio illuſtrior redditus, nempe *Iuſtiniani* Epiſcopi Valentini, *Nebridii* & *Helpidii*: de quorum ſcriptis agens Iſidorus, inter alia ait Iuſtinianum ſcripſiſſe contra *Bonoſiacos* hæreticos, qui Chriſtum adoptiuum & non proprium aſſerebant. Sed periere penitus horum omnium virorum illuſtrium monumenta. Porro ab iis qui prædictæ Synodo interfuerunt, quinque reperiuntur editi canones ad diſciplinam Eccleſiaſticam moderandam, & mores Fidelium informandos. Præter hanc vero, aliam quoque *Palentiæ* in eadem prouincia Toletana celebratam eſſe, docet eiuſdem Montani epiſtola ad Turibium data, vbi de rebus in ea geſtis agitur.

III. CONIVRATIO CONTRA IVSTINIA.

Quod autem pertinet ad ſtatum rerum Orientalium huius anni, Marcellinus refert menſe Ianuario factam eſſe conſpirationem aduerſus Iuſtinianum Imperatorem ab Hypatio, Pompeio, & Probo, genere conſobrinis Anaſtaſii Imperatoris nepotibus, ſingulis Imperium ſibi vendicare volentibus; eoſque per quinque continuos dies vrbem Conſtantinopolitanam rapinis, ferro, igneque, per ſceleratos ciues depopulatos eſſe, quinta vero die dum ad inuadendum accenderent Palatium, captos ac trucidatos eſſe, innumeris paſſim in Circo populis peremptis, & tyrannorum ſociis continuo proſcriptis. Hæc Marcellinus; quæ a Procopio latius enarrantur; affirmatque conſtitutum fuiſſe Iuſtinianum acclamanti populo ſatisfacere in deponendis a magiſtratu Ioanne atque Triboniano, ſed eo ceſſante tumultu eoſdem reſtitutos eſſe: tantam autem fuiſſe, præter incendia & prædam, hominum cædem, vt deſiderata fuerint triginta millia. His autem putamus permotum Iuſtinianum, præcauentem in futurum, Nouellam edidiſſe ſanctionem, qua armorum vſum à priuatis cohibere conatus eſt.

IV. INVENTIO CORPORIS S. ANTON.

Hoc item anno à Mariano Scoto conſignatur Inuentio corporis S. *Antonii* Magni in eremo, & Tranſlatio Alexandriam; licet alii in alios Chriſtianos hæc referant. Sed cum eadè re huius temporis ſcriptorum teſtimonia deſint, cur magis quam dicto auctori aſſentiamus, haud eſt liberum decernere.

IESV CHRISTI AN. 532.

IVSTINIA. IMP. 6. ATHALAR. REG. 7.

IOANNIS II. AN. 1.

I. IVSTIN. BELLVM VVANDAL. PARAT.

ANno Chriſti quingenteſimo trigeſimo ſecundo, abſque nouis Coſſ. creatis Poſt Conſulatum Lampadii & Oreſtis ſecundo notato in Faſtis, quo Iuſtiniani ſextus inchoatur; idem Imperator quem animo conceperat ad bellum VVandalicum apparatum iam palam prodidit, multis ad hoc rationibus, prædictionibus, atque viſionibus incitatus, cum alioqui eſſent quamplurima, quæ illum ab eo conſilio dimouere potuiſſent: laboratumque eſt toto hoc anno in comparandis reb. ad tantam expeditionem neceſſariis, Beliſario nauiter in opus incumbente, quem rei bellicæ peritiſſimum ducem Iuſtinianus exercitui præfecit. Tractantur vero hæc fuſius à Procopio [a]: ſimulq; obſequia deſcribuntur, quibus idem Imperator promereri ſtuduit opem Sanctorum, ac præcipue cœleſtis militiæ principis Michaelis, cæliq; Reginæ Deiparæ Mariæ cuius ſtudioſiſſimus erat.

II.

Hoc eodem anno inualeſcentibus Origeniſtis in Palæſtina, qui per centum annos delituerant, magna facta eſt perturbatio Orthodoxis. Quorum incipiente quibuſdam pſeudomonachis (quorum præcipuus erat Nonnus quidam Palæſtinus), ſpeciem pietatis præ ſe ferentibus: item præter alias hæreſes etiam Gentili more Manichæiſmo, atque etiam impietate haud impari ſectam Byzantinis; & inde longe lateq; ſe extendens, ingentem vniuerſæ Catholicæ Eccleſiæ intulit cladem, vſq; ad Quintam Synodum, in qua ijdem vna cum auctore Origene, necnon Theodoro Mopſueſteno cuius æque dogmata ijdem impii monachi propugnabant, damnati ſunt. Idq; illi profecerunt, vt qui hactenus in Eccleſia toleratus fuiſſet Origenes, cum errores in eius ſcriptis reperti tantummodo a maioribus damnarentur; poſt hæc nomen ipſius execrabile ſit redditum, ipſeq; vt valebant, damnatus à Patribus in Concilio, poſt annos ab eius obitu ferme trecentos: de cuius etiam ad inferos vna cum aliis hæreſiarchis damnatione, oſtenſa [b] traditur hoc ipſo tempore diuinitus viſio. Exordia autem atq; progreſſus motuum ab eiuſmodi pſeudomonachis excitatorum, fuſe deſcripſit Cyrillus in Rebus [c] geſtis SS. Sabæ & Quiriaci, qui cum aliis ſanctiſſimis monachis egregiam nauarunt operam tum iiſdem hæreticis confundendis, & a monaſteriis quæ corrumpere ſatagebant procul expellendis.

III. COLLATIO INTER ORTHOD. ET SEVERIANOS HÆRET.

His quoque temporibus Iuſtinianus Imperator ſollicitus omnes hæreticos ad Eccleſiam Catholicam reuocare, ſciens impiiſſimi Seueri ſectatores Epiſcopos & monachos adhuc in Oriente eius hæreſis eſſe pertinaces defenſores; ad errorem extirpandum, Collationem inter ipſos atque Catholicos habendam cenſuit Conſtantinopoli, ſex ex Seuerianis vocatis Epiſcopis, Orthodoxis vero quinque pro Catholicæ fidei defenſione ex aduerſo ſtantibus: cuius Acta Collationis ab Innocentio Maroniæ Epiſcopo, vno ex Catholicæ partis Antiſtitibus, ſcriptis mandata, iam diu oblinione ſepulta, nuper in lucem [d] prodiere: ex ea vero factum eſt, vt multi ad communionem Eccleſiæ redirent, plurimis tamen adhuc in errore permanentibus.

IESV CHRISTI AN. 533.

IVSTINIA. IMP. 7. ATHALAR. REG. 8.

IOANNIS II. AN. II.

I. LEGATIO A IVSTIN. IMP. AD IOAN. PP.

ANno Chriſti quingenteſimo trigeſimo tertio, Iuſtiniano Auguſto tertium Conſule, idem Imperator auſpicaturus perdifficile bellum VVandalicum, non aliunde niſi quam ex bene cuſtodita Catholica religione, exemplo Theodoſii Senioris maxime pii Imperatoris, conciliare ſibi diuinum numen contendens; eius rei gratia hoc anno ad Ioannem Romanum Pontificem honorificam legationem miſit duorum primariorum Orientis Epiſcoporum, Hypatii Epheſini, & Demetrii Philippenſis; cuius meminit Liberatus [a], qui Romæ tunc aderat; necnon Anaſtaſius Bibliothecarius, qui etiam addit de muneribus à Iuſtiniano tunc ad B. Petrum miſſis. Legationis autem mittendæ hæc fuit occaſio.

II. OCCASIO LEGATIONIS MITTENDÆ.

Cum aduerſus hæreticos Eutychianes, dolis fidem Catholicam inuaderent (vt vidimus ſub Hormiſda) reiectam illam ſententiam Neſtorianam pariter hæreticam dicerent, qua diceretur vnus de Trinitate eſſe paſſus in carne; perinde ac ſi ſecundum ſua impietatum doctrinam duplex aſſereretur eſſe Chriſti perſona, ſicut & naturæ duæ humana atque diuina: & ſic dici videretur paſſus homo, vt negaretur Deus eſſe paſſus in carne: mox illud quaſi ea neceſſaria aſſumptione idem collegerunt, Si non eſt paſſus vnus de Trinitate in carne, ergo nec natus idem in carne, ergo nec vere ac proprie dici poteſt Maria Dei genitrix, quæ ſuerit præcipua Neſtorii hæreſis. Huc accedebat, quod (vt diximus) à latebris emergentes Origeniſtæ inter alias quas proponerent ſententias illam etiam (ſicut habet Cyrillus monachus) vt negarent Chriſtum vnum de Trinitate. His ſe ſi Contra vero Orthodoxi Eutychianos & Neſtorianos & Origeniſtas impugnantes, pie tamen ſeque dicerent vnum de Trinitate eſſe paſſum in carne, itaneta.

eſſe

eſſe dicebant negare ſanctiſſimam virginem MARIAM vere propieque Matrem Dei nuncupandam.

III. DE CAVSA ACOEMETARVM MONACH.

Quibus in hunc modum ſe habentibus, qui Neſtorianæ ſententiæ potiſſimi aſſertores Conſtantinopoli eſſent monachi Acœmetæ, cum ab Imperatore Iuſtiniano, agente Epiphanio eiuſdem ciuitatis Epiſcopo, magnopere vrgerentur, auxilium ab Eccleſia Romana ſperantes, à qua ſcirent eam fuiſſe reiectam ſententiam, qua ab Eutychianis callide dicebatur vnus de Trinitate paſſus in carne, legatos ad Ioannem Papam miſere, Cyrum & Eulogium monachos, rogantes vt quæ ſemel exploſa eſſet ab Apoſtolica Sede ſententia, nullo aduerſariorum conatu reciperetur. Ea vero audiens Epiphanius, effecit, & ipſe apud Imperatorem vt is Legatos ad eumdem Pontificem dictos Epiſcopos mitteret, tanquam ad *Caput omnium Dei ſacerdotum, cunctarumque Eccleſiarum*, vt vocat eum Iuſtinianus literis ſuis tunc ad eum ſcriptis, confeſſionem fidei ſuæ continentib. vna cum approbatione ſanctarum quatuor Oecumenicarum Synodorum, quas aduerſarii ab eo contemni ſpargerent. Ipſæ autem eius literæ quas ſuo [d] Codici inſeri voluit, cum abſque die & Conſule ibi recitentur, tamen in epiſtola [e] quam idem poſtea ſcripſit ad Agapetum Papam iſtius Ioannis ſucceſſorem, dum eaſdem iterum deſcripſit, notatæ leguntur die octaua Iduum Iuniarum ſub hoc ipſius Conſulatu tertio: ſed pro *Iuniarum* reſtituendum eſſe *Ianuariarum*, inde apparet, quod epiſtola eiuſdem Imperatoris [f] eodem argumento ad eumdem Epiphanium ſcripta, qua huius mentionem facit, data reperiatur ſeptimo Calendas Aprilis ſub prædicto Cõſulatu: cum etiam paulo ante (vt iiſdem ad Epiphanium literis teſtatur) promulgaſſet edictum [g], quod extat datum Idibus Martii huius ipſius anni; quo pariter præpoſita Catholica fidei confeſſione, inſuper Neſtorium, Eutychetem, atque Apollinarem anathematizauerat; vt ſic his omnibus tam publice quam priuatim ſæpius inculcatis, ſe in cunctis vere Orthodoxum eſſe ſignificaret. Namque peculiare fuiſſe diximus vt cum quis Neſtorium damnaret à Neſtorianis Eutychianus diceretur, ſiue Apollinariſta, contra vero Eutychetem condemnans, ab Eutychianis appellaretur Neſtorianus.

d l. 8. C. de Summ. Trin. & fid. Cath.
e Extat inter ep. Agap.
f L. 7. C. 10.
g Cont. prætermiſſ. lib. 1. Cod. & L. 6. C. de Summ. Trin.

IV. DIVERSA RATIO QVÆSTIONIS, VTRVM VNVS DE TRINITATE PASSVS.

Ceterum in hac quæſtione ad memoriam illud reuocandum eſt, quod in Hormiſda ſuperius diximus, nunquam quidem eam ſententiam qua vnus de Trinitate paſſus diceretur in carne, fuiſſe reiectam à Sede Apoſtolica tanquam hæreticam, ſed proſcriptam vt nouam atque ſuſpectam, ne ſub ea Scytharum monachorum Eutychianorum fallaciæ occultarentur; re tamen ipſa, ſi dolus abeſſet, recipi poſſet. Quamobrem cum perſonæ mutatæ eſſent, iamque abuterentur Neſtoriani & Origeniſtæ ipſius Hormiſdæ Apoſtolica auctoritate; plane abſq; eius iniuria reuocari poſſe viſum eſt in dubium quod ipſe alias de re illa reſpondiſſet, indeque licentia parta eſt Epiphanio Epiſcopo & Iuſtiniano Imperatori, de eo tractandi apud Ioannem Papam. Quid vero actum ſit poſtquam legationes Acœmetarum & Imperatoris Romæ auditæ fuere, dicetur anno ſequenti. Totum enim huius anni temporis ſpatium in eo inſumptum eſt, vt quid decernendum eſſet quam accuratiſſime quæreretur ab Apoſtolica ſede.

V. FERRANDVS CONSVLTVS AB ANATOLIO DIAC.

Tuncq; Anatolius S.R.E. diaconus conſuluit Ferrandum diaconum Eccleſiæ Carthaginenſis, diſcipulum S. Fulgentii, virum huius temporis doctrina inſignem, quæ ipſius eſſet de propoſita quæſtione ſententia, ad quem Ferrandus prolixam ſatis atque eruditam epiſtolam ſcripſit, qua docuit recte dici vnum de Trinitate paſſum; ſed ſecurius addi, paſſum in carne: & ad omnes obſtruendos aditus impiæ calliditati, eum qui dicturus ſit vnum de Trinitate paſſum, prius addere debere, Omnipotentis Dei vnam eſſe ſubſtantiam, tres perſonas, ex quibus vna perſona, id eſt, Filius, Deus permanens, homo factus, natus & paſſus ſit, neque Patre neque Spiritu Sancto pariter incarnato, quamuis opus noſtræ redemptionis tota fuerit Trinitas operata. Hæc ipſe: qui & inſuper eodem argumento aliam ſcripſit epiſtolam ad Seuerum Scholaſticum Conſtantinopolitanum. Sicut ergo Ferrandus monuit, ita factum à Iuſtiniano Imperatore apparet, vt cum aſſereret vnum de Trinitate paſſum, multa præmiſerit, & rurſus multa ſubiecerit, quæ omnem poſſent de ſubdola captione ſuſpicionem auferre. Vt non ſit mirum, ſi ipſius Imperatoris confeſſio à Romano Pontifice poſt anni vnius agitatam controuerſiam recepta fuerit atque probata, vt ſuo loco videbimus. Quæ quidem omnia ex ſententia pariter Chalcedonenſis Concilii eſſe dicti, Facundus Epiſcopus Hermianenſis in tractatu ad eundem Iuſtinianum de Tribus Capitulis docet. Sed & Dionyſius Exiguus, cuius hoc tempore Romæ ſumma erat æſtimatio, eidem ſententiæ fauit in præfatione ad epiſtolam Procli ad Armenos, quam huius rei gratia tunc in Latinum tranſtulit.

VI. ATHALARICI CONSTITVTIO ADVERSVS SIMONIACOS.

Hoc item ipſo tempore quo Ioannes Papa Pontificiam ſedem obtinuit, quod multa accidiſſent indigna in ipſa Romana Eccleſia Sede vacante, dum videlicet complures ad Pontificatum adipiſcendum malis artibus ſibi aditum præpararent; agente ipſo Ioanne Senatuſconſultum factum eſt, quod edicto ſuo roborauit [h] Athalaricus Rex, contra Simoniacos qui aliquid eo nomine accepiſſent. Non enim iſta aduerſus clericos promulgarunt, quos reliquerunt canonum cenſura plectendos; ſed in eos tantummodo in quos poteſtatem haberent, nimirum laicos, quibus ob poſtulationem alicuius in Epiſcopum, aliquid datum vel promiſſum eſſet. Ex quibus intelligas, quam execrabilis ſemper fuerit in Eccleſia ſimoniaca culpa, aduerſus quem (quod canones non proficerent) Ariani Regis auxilium oportuerit imploraſſe. Addidit vero idem Athalaricus ſummam pecuniæ, quæ pro confirmatione electorum Epiſcoporum, tam ipſius Romani Pontificis, quam aliorum quorumcumque ſub ditione eiuſdem Regis conſtitutorum, quam ipſos Gothos tyrannice vſurpaſſe vidimus, ſoluenda eſſet ſub prætextu eandem in pauperes erogandi.

h ap. Caſſiod. 9. ep. 15. 16

DE PECVNIA IN CONSECRATIONE EPISC. SOLVENDA.

VII.

Hoc ipſo anno cum Iuſtinianus tertium gereret Conſulatum, idem Imperator vbi cum Perſis pacem firmaſſet (quod ſeptimo ipſius Imperii anno, nempe præſenti, contigiſſe Procopius [i] tradit) comparata claſſe aduerſus Wandalos, eademque ex more antequam ſolueret, ab Epiphanio Epiſcopo Conſtantinopolitano benedicta, Beliſarius dux fortiſſimus eidem præfectus eſt. Qui poſt tres menſes ex quo ſoluit Conſtantinopoli ad littus Africanum appellens, prope Carthaginem exercitum duxit die decimaquinta Septembris, qua natalis S. Cypriani eiuſdem olim ciuitatis Epiſcopi anniuerſariæ vigiliæ agebantur. Ac primum debellato & occiſo Ammata Gilimeris tyranni fratre ipſoque Gilimere ab vrbe Carthagine aufugiente, ciues Beliſario maxima cum lætitia portas aperuerunt: deinde vero cum Gilimer collectis copiis, vna cum fratre Zanzone quem ex Sardinia reuocauit, eandem vrbem obſidere pararet, obuiam eis factus Beliſarius, prælio commiſſo Zanzonem occidit, ac Wandalorum caſtra expugnauit, Gilimere fuga lapſo. Quæ omnia hoc anno geſta, fuſe deſcripta habes à Procopio [k], qui ſub Beliſario militans cunctis præſens extitit. Vbi & aliquot recenſet eiuſdem Beliſarii ſummæ iuſtitiæ exempla in exercitu ducendo, quibus & milites in officio continuit, & Africanorum animos ſibi deuinxit, viamque parauit ad vincendos hactenus inuictos hoſtes. Sed & mira diuina prouidentia factum eſſe, alibi idem [l] narrat, vt Wandali omnia propugnacula & loca munita Africæ, excepta Carthagine, mœniis atq; munitionibus ſpoliauerint, ne Africanis rebellandi aliquo modo animus eſſe poſſet. quibus ita inuentis, abſque aliqua obſidione omnibus Beliſarius potitus eſt, eademque mox cingenda iterum muris & munienda curauit.

i Procop. de bel. Perſic. 1.
BELISARIVS DEBELLAT WAND.
k Id. lib. 1. & 2. de bel. Wandal.
l Id. de ædif. Iuſtin. orat. 6.

VIII. VICTORIA DIVINITVS PARTA.

Hæc vero tanta tali facilitate conſummata idem auctor conſiderans, iure admiratus eſt quartum à Genſerico ſucceſſorem venientem, eiuſque regnum opibus multis ac militum robore florens, à quinque millibus hominum aduenarum (hunc enim numerum equitum qui Beliſarium ſunt ſecuti, & toto eo tempore bellum ſuſtinuere,

nuere,

nuere, fuiſſe ait) portu ſtationeque carentium, tam breui tempore ruere potuiſſe. Sed quod dubitat ipſe vtrum fortunæ illa an virtuti ſint tribuenda, haud dubium eſt facta eſſe nutu diuino, cum tot tantiſque piis operibus Iuſtinianus diuinum ſibi numen conciliaſſet; nimirum (vt vidimus) Sanctorum cultum promouendo, fidem Catholicam propugnando, & ius antiquum in priſtinam obſeruantiam reuocando, præter vigilias, ieiunia, alioſque labores, quorum idem ipſe in quadam poſtea promulgata conſtitutione [m] meminit. Ex quibus diſcant Principes, cum bellica tractant, quibus operibus Deum ſibi propitium reddant. Ceterum renunciata hæc fuiſſe Conſtantinopoli antequam præſens annus elaberetur, argumento ſunt conſtitutiones [n] eiuſdem Imperatoris de confirmatione Digeſtorum, datæ ſub hoc eodem tertio ipſius Conſulatu, decimo-ſeptimo Calendas Ianuarii; in quibus cum de recuperata vna cum Carthagine vniuerſa Africa mentio habeatur, ex iis Chronicon Marcellini corrigas, vbi ea geſta ponuntur ſub quarto Iuſtiniani Conſulatu, nimirum anno ſequenti. Iiſdem vero die & Conſule data legitur conſtitutio de Iuris docendi ratione: ſed quæ loco præfationis Inſtitutionum libris præfigitur epiſtola, poſt ſex dies data eſt, nempe vndecimo Calendas Ianuarii (licet vulgata lectio habeat, vndecimo Calendas Decembris) ſub eodem tertio Conſulatu.

m Nouel. 30. in f.

n l. 1. & 2. D. de confir. Digeſt.

IVSTINIA. IMP. 8. THEODATI REG. 1.

IESV CHRISTI AN. 534.

IOANNIS II. AN. 3.

I.

ANNO Chriſti quingenteſimo trigeſimo quarto, Iuſtinianus Auguſtus quartum adiit Conſulatum, nactus collegam Paulinum, quem ortum ex Deciorum antiqua familia his temporibus florentiſſima, Romanus Senatus Athalarici [a] Regis voluntate delegit. Quo anno, Indictione duodecima, ab eodem Athalarico Aurelius Caſſiodorus Senator auctus eſt ampliſſima dignitate Præfecturæ Prætorii; de qua ad eumdem extat [b] eiuſdem Regis epiſtola, vbi multa in ipſius laudem ex magiſtratibus bene perfunctis habentur. Quanta autem vir iſte clariſſimus enituerit pietate, vel ex eo oſtenditur, quod inſignitus tanto munere, Ioannis [c] Romani Pontificis implorauit ad Deum preces pro bono regimine; ac reliquos Italiæ Epiſcopos [d] interpellauit, vt orationibus atque ieiuniis vacantes ita plebem inſtituerent, vt quæ in ea Iudex puniat non inueniat: quibus etiam literis, quid ſæculi poteſtates, ipſi magiſtratus ſibi ipſis, quid populo, quid Epiſcopis, atque inprimis diuino cultui debeant, quid etiam Epiſcopi ipſis magiſtratibus atque populis præſtare teneantur, edocet.

a Caſſiod. l. 9. ep. 22. 23.
CASSIOD. CREATVR PRÆF. PRÆT.
b Ibid. ep. 24.
c Id. 11. ep. 2.
d Ibid. ep. 3.

II.
CONCIL. ROM. IN QVÆST. VNIVS DE TRINIT. PASSI.

Hoc item anno, poſtquam diu multumque diſceptatum eſſet de controuerſia quæ anno ſuperiori Acœmetarum monachorum & Iuſtiniani Imperatoris Legati ad Ioannem Romanum Pontificem retulerant; atque ad conuincendos aduerſantes Catholicæ veritati, curatum eſſet vt etiam à tranſmarinis eruditis viris (quod diximus) ea de re tractatio ſcriberetur: demum habito de his Romæ CONCILIO, ex veteri Catholicæ fidei præſcripto, quid ſentiendum eſſet fuit firmiter ſtabilitum; & ab ipſo Romano Pontifice ſcripta ad Imperatorem octauo Calendas Aprilis epiſtola [e], qua miſſam ab eodem Imperatore fidei profeſſionem in omnibus probauit, Acœmetas autem alioſque omnes contrarium ſentientes, ab Eccleſiæ Catholicæ communione alienos declarauit. Qui & inſuper eodem tempore à doctiſſimis quibuſdam Senatoribus de eadem re interpellatus, aliam ad illos eo argumento ſcripſit epiſtolam [f], qua tum probatur vnam perſonam Sanctiſſimæ Trinitatis dici Chriſtum, eumdemque natum & paſſum in carne, vereque ac proprie MARIAM Virginem Dei matrem dici & eſſe; tum etiam ambæ illæ Iuſtiniani & Ioannis inuicem datæ epiſtolæ (quas & in ſuum Codicem [g] idem Imperator referri voluit) legitimæ declarantur: Vt etiam illas genuinas aſſeruerunt doctiſſimi huius ſæculi Iuriſconſulti Alciatus [h] & Cuiacius [i]; licet id negare præſumpſerint frigidiſſimis quibuſdam ac prorſus imperitis rationibus, leguleii quidam Nouatores [k] ſedis Apoſtolicæ hoſtes, quod in eis mire eluceat Romanæ Eccleſiæ maieſtas, atque in vniuerſam Eccleſiam Catholicam auctoritas: quæ tamen & in aliis paſſim ipſius Iuſtiniani [l]; aliorumque Imperatorum conſtitutionibus, æque aſſerta habetur.

e l. 8. C. de Sum. Trin.
f Ext. to. 4. Bibl. Sanct.
g l. 8. C. de Sum. Trin.
PROBATÆ EPIST. IVSTIN. ET IOANN.

h Alciat. 4. Parerg. 23.
i Cuiac. 12. Obſer. 26.
k Hotoman. i. eiuſdem reſp. 1. quorum imperitiam pluribus refellit Baron. Annal. To. VII. hoc an.
l l. 7. C. de Sum. Trin. Nouel. 9. 42. 131. &c.

III.

Porro cum fidei ſuæ profeſſionem ab Apoſtolica ſede confirmatam Iuſtinianus accepiſſet; vt ea fixius vniuſcuiuſque animis inhæreret, prudenter illud excogitauit, vt eam ad Eccleſiaſtici cantici rhytmos accommodatam inſtar pſalmi Eccleſiis traderet concinendam. Id namque ab ipſo factum anno ſequenti quo eius Imperii nonus incipit, Miſcella habet; quamuis Cedrenus anno ſeptimo actum tradat: ſed magis illi ſententiæ inhæremus, vt non ante id tentatum fuerit quam Imperator acceperit à Romano Pontifice confirmatum fidei ſuæ edictum. Sed & hic opus eſt monere Lectorem, reperiri in Tomis Conciliorum longe prolixius eiuſdem Imperatoris Edictum, immo librum (ita enim appellat Liberatus [m] diaconus) inſcriptum ad Ioannem Romanum Pontificem: quod tamẽ cum de Tribus capitulis diu poſtea in Eccleſia controuerſis exactam contineat diſcuſſionem, referendum eſſe conſtat ad tempora Vigilii Papæ. Eſtque ille ipſe liber, quem aduerſus eadem Tria capitula Theodorum Cæſarienſem Epiſcopum ab ipſo Iuſtiniano edendum curaſſe, idem Liberatus teſtatur, & videbitur ſuo loco.

m Liber. c. 24.

IV.
GILIMER REX WANDAL. SE DAT ROMANIS.

Quod autem pertinet ad res bellicas Africæ; cum anno ſuperiori omnia feliciter illic Romanis ſucceſſiſſent, eadem hoc anno ſunt feliciſſime abſoluta: cum videlicet prælio ſuperatus Gilimer, contulit ſe in montem Numidiæ Papuam dictum, acceſſu difficillimum; ibiq; à Phara Duce iuſſu Beliſarii obſeſſus, poſt trium menſium conſumptum ſpatium, fame vexatus, ærumniſque confectus, dedens ſe Pharæ, per eum Carthaginem ad Beliſarium ductus eſt: ſicque ſuſceptum confectum eſt bellum, vniuerſa Africa à Romanis vindicata poſt annos nonaginta quinque (vt ipſemet Iuſtinianus [n] teſtatur) ex quo Wandali eam occupauerant. Poſt quæ Beliſarius, relicto in Africa Salomone duce exercitus qui aduerſus rebellantes Mauros dimicaret, Conſtantinopolim rediens, ſuperata calumnia quam in eum inuidi parauerant, Imperatoris decreto triumphum egit antiquorum more (niſi quod pedes ambulauit) ampla præferens ſpolia & inſignia trophæa; ipſumq; Gilimerem vna cum omnibus ipſius conſanguineis ac præſtantioribus VVandalis. Qui quidem Gilimer, poſtquam ad Hippodromum in conſpectum Imperatoris perductus, ipſum in alta ſede conſtitutum, populumque circumſtantem conſpexit, ac demum ſeipſum in quam conditionem perueniſſet conſiderauit; nihil queſtus, illud tantum memoraſſe dicitur, *Vanitas* [o] *vanitatum, & omnia vanitas.* Cui Imperator loca quædam in Galatia ad habitandum ſimul cum ſuis propinquis dedit: Patricium autem creare non licuit, quod à ſecta nollet Ariana diſcedere. Hilderici vero quem ille necauerat filios & nepotes; vt ex Valentiniani Imperatoris ſanguine venientes, opibus amplis munerauit: ac Beliſario immenſos præterea contulit honores, quem & anno ſequenti Conſulem ordinarium creauit. Hæc autem omnia pluribus proſecutus eſt Procopius [p], qui interfuit.

n l. 1. C. de off. P. P. Afr.
BELISARII TRIVMPHVS.
o Eccleſ. 1.
p Procop. lib. 2. de bel. Wandal.

V.
PROVIDET IMP. ECCLESIÆ STATVI AFRICÆ.

Poſt hæc idem Imperator ad optimum recuperatæ Africæ regimen adducens animum, conſtitutiones [q] ea de re hoc eodem anno edidit, quibus quanta à Deo fuerit inde conſecutus beneficia abunde recenſet; & ſumma humilitate gratias agit; eaſdemque conſtitutiones voluit inſerri in Codicem ſuum, iam antea quidem ipſum (vt vidimus) editum, ſed ita vt idem ex nouis promulgatis poſtea ſanctionibus, quibus interdum nonnulla iura ſancita emendabantur, & alia addebantur, augeretur. Ipſum enim hoc anno, ſuo Conſulatu quarto, Imperator decimo-ſexto Calendas Decembris edidit iterum auctum & emendatum, recenti quę illud ſignificaret appoſita conſtitutio-

q l. 1. & 2. C. de Off. P. P. Afr. lic.

r l. 1. de emend. Cod. s Nouel. 36. & 37. & poſt Nouel. Iulian. edit. Iulian. pag. 145. 146.

ne r. Qui & inſuper alias ſanctiones s edidiſſe reperitur de his quæ ſpectarent ad res Africanas Eccleſiaſticas moderandas; & vt eam Eccleſiæ quam ſinguli alii, ſua reciperent quæ perdidiſſent ſub Wandalis. Sed quæ idem ſiue ad pietatem ac cultum Dei, Beatiſſimæque Virginis Dei-genitricis (cuius præcipue precum opitulationi hæc tanta accepta ferebat) aliorumq; Sanctorum; ſiue ad decorem, vel munimentum ſpectantia, in Africa ædificia erigenda curauerit, Procopius t diligenter proſecutus eſt: qui & ait Bagaienſem vrbem ab ipſo muris cinctam, nomine coniugis *Theodorianam* appellaſſe, Adrumetum autem pariter munitam ſuo nomine *Iuſtinianam*; qua etiam appellatione ipſam Carthaginem ab eo nuncupatam eſſe, docent litteræ u Synodi Carthaginenſis, & ipſius Iuſtiniani Conſtitutiones x. Sed & illud laude digniſſimum, dum barbaros repertos in Africa quos *Mauros* vocant, Romanis ſubiectos, ex Gentilibus reddidit y Chriſtianos. Reliqui vero Mauri ab eo ſub Duce Salomone & aliis vix poſt decennium ſubiugari potuerunt, plurimis parere recuſantib. in partes interiores Africæ effugatis.

t Procop. de ædif. Iuſtin. lib. 6.

u To. II. Conc. in Agap. x Nouel. 131. &c.

MAVRI REDDITI CHRISTIANI.

y Procop. Ibi. orat. 3.

VI. THEODAHATVS REX ITAL.

z Hub. Gol. Annal. To. VII an. 534. 536.

Hoc eodem anno Athalaricus Rex Gothorum in Italia, corruptis moribus adoleſcens, vbi annos octo in regno abſoluiſſet, mortuus eſt. THEODATVS autem filius Amalafredæ ſororis Theodorici (quem nummi z veteres *Theodahatum* triplici aſpiratione ſecundum Gothicam pronunciationem nominãt) iam ætate prouectus, conſilio Amalaſunthæ regnum ſuſcepit; vir literarum Latinarum ac philoſophiæ Platonicæ ſatis peritus, ſed rei bellicæ prorſus ignarus, & accumulandarum pecuniarum ſtudioſiſſimus. Qui quidem ingrati animi indignum committens facinus, ſimulac liberas nactus eſt regni habenas, eamdem Amalaſuntham vinculis alligatam in inſula ad lacum Vulſinum poſita aſſeruari in carcere iuſſit. Interea vero oratum pacem legatos Conſtantinopolim miſit, literaſq; eiuſdem argumenti ipſam Amalaſuntham, Romanumque Senatum, ad Imperatorem dare coegit. Narrat pluribus hæc omnia Procopius a, literas autem recitat qui ſcripſit Caſſiodorus b. Verum cum poſt hæc geſta idem Theodatus nonnullorum perſuaſione, quorum cognatos olim Amalaſuntha neci tradi iuſſerat, eamdem obtruncandam curaſſet; (ita enim Procopius; ſed Iornandes in balneo ſtrangulatam aſſerit) vbi hoc Iuſtinianus accepit, ad vindicandam Amalaſunthæ fœdere atque amicitia ſibi coniunctiſſimæ necem, aduerſus Gothos bellum parare decreuit dimiſſis re infecta legatis: & aduerſus eoſdem commouere Francos ſategit, iam ante viuente Athalarico concitatos. Quæ vero geſta ſint, dicetur anno ſequenti.

a Procop. de bel. Goth. li. 1. b Caſſio. 10. ep. 2. 3. 4. & lib. 11. ep. 13.

AMALASVNTHA NECATVR.

VII. MARCELLINI COMITIS SCRIPTA.

c Id de diuin. lect. cap. 17. d Ibid. ca. 25.

Hoc anno ſub dictis Coſſ. finem imponit ſuo Chronico Marcellinus Comes, vt ipſe eius operis præfatione teſtatur, atque hoc opus alii cuidam ſuæ ſcriptioni ſubieciſſe: quam illam putamus, cuius meminit Caſſiodorus c, dum ait Marcellinum quatuor libros de temporum qualitatibus & poſitionibus locorum pulcherrima varietate confeciſſe: ſed & eumdem teſtatur d Conſtantinopolitanam & Hieroſolymitanam ciuitates quatuor libellis minutiſſima narratione conſcripſiſſe. At præter Chronicon, reliqua eius ſcripta periiſſe videntur.

IVSTINIANI IMP. 9. THEODATI REG. 2.

IESV CHRISTI AN. 535.

AGAPETI AN. 1.

I. IVSTIN. CONSTITVTIONES PRO OPTIMA ŒCONOMIA ECCLESIÆ.

a Nouel. 3. 5. 6. 7.

ANno Chriſti quingenteſimo trigeſimo quinto, Beliſario abſque collega Conſule, Iuſtinianus Imperator Gothicum Bellum auſpicaturus, præteritorum ſatis doctus exemplo, debellari à Deo feliciter hoſtes cum Imperator pie pro religione laborat, id inprimis egit, vt quæ in ipſa ciuitate Conſtantinopol. aduerſus ſacros canones probitamq; conſuetudinem audiret admitti, corrigenda curaret. Quamobrem quatuor inter alias Cõſtitutiones a ſcripſit menſib. Martio & Aprili ad Epiphanium illius Epiſcopum, nimirum de numero clericorum maioris Eccleſiæ (qui cum amplior eſſet quam redditus Eccleſiæ ferrent, ideoque ipſa ære alieno opprimi cogeretur, atque etiam bona alienare; decreuit eum eſſe debere quadringentorum viginti quinque, nempe ſexaginta Preſbyterorum, centum Diaconorum, nonaginta Subdiaconorum, centum decem Lectorum, viginti quinque Cantorum, & quadraginta Diaconiſſarum; præter centum Oſtiarios) de obſeruantia monaſticæ diſciplinæ, deque illis qui eſſent in monaſteria ſuſcipiendi, de Epiſcoporum & Clericorum electione & ordinatione ſecundum canones agenda; ac de non alienandis permutandiſue bonis Eccleſiarum &c. Aliamque eodem menſe Aprili in ſubditorum ſubleuationem addidit b ad Ioannem Præfectum Prætorio, de Magiſtratibus gratis conferendis: qua inter alia cõſtituit, vt ſingulis Præfectis Epiſcopi imminerent, qui ſiquid iniuſtum ab illis committeretur Imperatori deferrent: inſuperque adiecit, vt Prouinciarum Præfecti iurarent Metropolitanis Epiſcopis, omnia ſeruaturos quæ eſſent Imperatoris legibus conſtituta; eiuſque iuriſiurandi præſcriptam formulam eidem conſtitutioni additam voluit.

NVMERVS CLERICORVM MAIORIS ECCL. CONST.

b Nouel. 8.

II. c Nouel. 9 IVSTIN. IMP. CONSTITVIT DE PRÆSCRIPT. CENTVM ANNOR.

d l. 23. C. de SS. Eccleſ. e Suid. ver. Priſcus.

Quibus ſic probe diſpoſitis, rurſum eodem menſe Aprili noua ad Ioannem Papam data ſanctione c, priuilegium contulit Romanæ Eccleſiæ, aliiſque Occidentalibus omnibus quæ Catholica communione ei coniunctæ eſſent, vt earum prædia atque latifundia non (vt antea) triginta tantum vel quadraginta, ſed centum annorum præſcriptione gauderent: indignum omnino ratus, vt ipſa omnium caput Eccleſiarum, *apud quam* (vt ait) *Summi Pontificatus apex reſideret*, eo priuilegio careret, quod meminerat Orientalibus Eccleſiis conceſſiſſe d ante ſeptennium anno ſecundo ſui Imperii, ſuoque pariter Conſulatu ſecundo quamuis id per fraudem ab eo tunc impetratum fuiſſe, Suidas e innuat. Cum autem hæc ad Ioannem Romanum Pontificem Iuſtiniani conſtitutio, ſub hoc Beliſarii Conſulatu data reperiatur ſexto Calendas Maii; eſt vt ex illa erroris eos redarguas, qui eumdem Pontificem anno ſuperiori defunctum ponunt.

III. f To. 1. epiſt. Rom. Pontif. & To. 2. Cõc. in Agap.

CONCIL. CARTH. PROBE STIDVANDA DISCIPLINA.

Hoc etiam anno data reperitur f ad eumdem Ioannem Papam Synodalis epiſtola ex CONCILIO CARTHAGINENSI, celebrato ſub *Reparato* eiuſdem ciuitatis Archiepiſcopo. Vindicata enim in priſtinam libertatem Eccleſia Africana, ii qui tunc extabant in vnum conuenere ſanctiſſimi Epiſcopi vſque ad numerum ducentorum decem & ſeptem: qui reſtituere conantes collapſam ob longam ſeruitutem Eccleſiaſticam diſciplinam, ad eumdem Ioannẽ Papam legationem miſere per Caium & Petrum Epiſcopos, ac Liberatum diaconum Eccleſiæ Carthaginenſis, qua ipſum inter alia conſuluerunt de modo quo Ariani ad Catholicam fidem ſuſcipi deberent: profitentes ſe minime charitati conueniens exiſtimaſſe, aliquid ea de re decernere, niſi prius vel conſuetudo ipſis, vel definitio Romanæ Eccleſiæ proderetur. Quibus eorum verbis clara lucet Romani Pontificis auctoritas in tranſmarinos Epiſcopos, etiam conuentu Synodali pollentes. Porro iidem Legati Romam aduenientes, inuento Ioanne iam defuncto literas Agapeto eius ſucceſſori dedere; quibus ipſe reſcripſiſſe reperitur g quinto Idus Septembris poſt Conſulatum Paulini, nempe hoc ipſo anno; eorumque conſultationib. reſpondẽs decreuiſſe Arianos Epiſcopos pœnitentes non debere quidem recipi in Eccleſiam cum honoribus, ſed tamen eis alimenta ex charitate præſtanda eſſe. Cum igitur ex prædictis conſtet, ipſum Ioannem Papam ad hunc vſque annum vitam propagaſſe; quo tamen potiſſimum die aut menſe deceſſerit, haud adeo exploratum habetur: licet Anaſtaſius Bibliothecarius id dicat accidiſſe ſexto Calendas Iulii; cui multa aduerſari videntur. Illud quidem certum eſt poſt ſex dies ab eius obitu, poſtque humationem factam in baſilica S. Petri, ſubrogatum ei eſſe Pontificem quem diximus, AGAPETVM patria Romanum, filium Gordiani preſbyterique quem fuiſſe Archidiaconum, eumque apprime eruditum, teſtatur Liberatus h in Breuiario.

g Agap. ep. 1. & 2. To. 1. ep. Rom. Pont.

IOAN. PAPA OBITVS.

AGAPETI ELECTIO.

h Liber. c. 21.

De cu-

IV. De cuius creatione vbi Iuſtinianus Imperator certior factus eſt, confeſtim ad eum more maiorum direxit Catholicæ quam profiteretur fidei profeſſionem [i]; eamdem ipſam, quam olim ad Ioannem Agapeti prædeceſſorem miſerat confirmandam. Sed quod ea priuata eſſet, tractaretque de fidei myſteriis illam recipere ſe atque probare conteſtatus eſt Agapetus ad eundem Imperatorem reſcribens [k], quatenus erat ſacris canonibus conſentiens, non vt erat profecta à laico homine docere in Eccleſiæ præſumente: *Firmamus* (inquit) *laudamus, amplectimur, non quia laicis auctoritatem prædicationis admittimus, ſed quia ſtudium fidei veſtræ Patrum veſtrorum regulis conueniens confirmamus atque roboramus.* Sicque & in ceteris diſcas (quod etiam ſuperius meminimus) ita probatas ipſi Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ, Iuſtiniani vel aliorum Principum de rebus Eccleſiaſticis editas ſanctiones, ſi eædem ſacris canonibus innitantur, ſecus, ſi contra. Quapropter hac Agapeti cenſura prudentior factus Iuſtinianus, non amplius priuatam à ſe editam confeſſionem vſurpauit; ſed ne quid ſibi arrogare viſus eſſet, publicam poſtea prodidit, cum Agapetus Conſtantinopoli anno ſequenti exiſtens Catholicæ fidei profeſſionem ab eo exegit: tunc enim illam ipſam edidit,[l] quam olim Hormiſda Papa miſerat per Legatos Cōſtantinopolim, ſubſcribendam ab iis, qui Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ communionem conſequi vellent.

i Ext. in ep. Agap. To. 2. ep. Rom. Pont.
k Agap. ep. 6.
IMP. CONSTITVTIONES QVÆ PROBATÆ.
l Ext. in ep. Agap.

V. Cum autem aliis etiam literis idem Imperator ab eodem Pontifice petiiſſet, vt iis qui ab Ariana hæreſi ad Catholicam fidem redirent, concederetur retinere dignitates Eccleſiaſticas in quibus fuerant apud hæreticos, & ad alias promoueri: de his reſcribens ad eum Agapetus [m], laudauit quidem ipſius zelum, ſed plurib. Sacræ Scripturæ teſtimoniis docuit, nec eſſe lapſos cum honoribus recipiendos, nec vere pœnitentibus honores curæ eſſe: ceterum mittere ſe Legatos (ſicut Imperator petierat) in Orientem, qui ſuo nomine tam iſta quam alia Eccleſiæ negotia curarent. Ex quibus omnibus intelligis, nonniſi Romani eſſe Pontificis, de recipiendis hereticis pœnitentibus formam præſcribere, & diſpenſare. Quinam vero fuerint miſſi Legati, cum nulla ibi mentio fiat; ex Actis Synodi Conſtantinopolitanæ ſub Menna intelligere poſſumus, fuiſſe eoſdem illos qui ei ſubſcripti reperiuntur, nimirum *Sabinum* Epiſcopum Canuſinum, *Epiphanium* Aſcalanum, *Aſterium* Salernitanum, *Leonem* Nolanum, *Ruſticum* Feſulanum, vna cum *Theophane* & *Pelagio* S.R.E. Diaconis.

m Agap. ep. 1.
LEGATIO AB AGAPETO PP. MISSA IN ORIENTEM AD RES ECCL. ORDINANDAS.

VI. Quod vero etiam petiiſſet Imperator, Epiſcopum ciuitatis Iuſtinianæ Primæ (quam quidem magnifice ab eo recens extructam fuiſſe iuxta locum Taureſiam dictum in Dardania Europæ, vnde ipſe oriundus erat, Procopius [n] eſt auctor) pallio inſigniri, vicéſque gerere Apoſtolicæ Sedis; Agapetus iiſdem ſuis literis totum pariter negotium Legatis commiſit. Neque enim quicquam temere in præiudicium aliorum Metropolitanorum concedere volebat. Sicque re dilata, tantùm poſt Agapeti mortem Vigilius eius ſucceſſor diu vi Imperatoria agitatus, huic ipſius petitioni acquieuiſſe intelligitur ex Nouella conſtitutione [o], vbi agit Imperator de priuilegiis eiuſdem natalis ſui ſoli, quæ alias [p] fuſius enumerauerat. Extantque S. Gregorii Papæ literæ [q] de collato pallio Ioanni Archiepiſcopo Primæ Iuſtinianæ. Porro Secundam Iuſtinianam dictam fuiſſe ab eodem Imperatore, quæ olim apud eoſdem Dardanos vrbs erat nomine Vlpiana; idem Procopius tradit. Cum autem & Carthaginem atque Adrumetum in Africa, æque Iuſtinianas de nomine ſuo appellaſſe, ſuperius dictum ſit; ſed & in ſubſcriptionibus Epiſcoporum Quintæ Synodi Oecumenicæ, quinque aliæ recenſeantur nouæ Iuſtinianæ, treſque aliæ Iuſtinianopoles; iam ex his videas Iuſtinianum valde ſolicitum fuiſſe propagandi ſui nominis tam in Occidente quam per vniuerſum Orientem.

n Procop. de ædif. Iuſtin. orat. 4.
o Nouel. 131.
p Nouel. 11.
q Greg. 4. ep. 11.
PLVRES IVSTINIANÆ VRBES.

VII. Hoc ipſo anno Epiphanius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, validus ſatis Orthodoxæ fidei propugnator, cum ſediſſet annos quindecim ex hac vita deceſſit: in cuius locum, callidis occultiſq; conſiliis Theodoræ Auguſtæ (vt teſtatur [r] Liberatus) *Anthimus* Epiſcopus Trapezuntius in Ponto, qui foris licet Catholicam fidem profiteretur, intrinſecus Eutychianam hæreſim ſectabatur, in ſedem Conſtantinopolitanam intruſus eſt. Hincque malorum origo; hinc ipſi Imperatori atque vniuerſæ Eccleſiæ Catholicæ acerbiſſimarum cladium fons erupit. Quam feliciſſimus Iuſtinianus extitiſſet, & plane cui nullus vmquam vel Gentilium vel Chriſtianorum Imperatorum longo interuallo fuiſſet exæquandus, ſi Catholicam nactus fuiſſet ſibi ſimilem cōſortem Imperii? Quanto enim ille propenſiori ſtudio palam fuit Catholicæ fidei, tanto Theodora callidiori conſilio clam Eutychianæ hæreſi adiumento fuit & augmento. Dum autem plus æquo, & q̄ deceat Catholicum Principem audiuit Iuſtinian. conſiliū hæreticæ vxoris, ſcandalum ſibi tandem & ruinam molitus eſt; vt quæ dicentur annis ſingulis demonſtrabunt.

r Liber. Breu. cap. 20.
ANTHIMVS IMPIVS EPISC. CONST.
IVSTINIANVS LÆSVS A CONIVGE HÆRETICA.

VIII. Hoc item tempore defuncto Timotheo Alexandrino Epiſcopo hæretico, eadem impia Theodora curauit vt in eius locum ſufficeretur *Theodoſius* quidam ſcriptor orationum, & ſectator perditiſſimi illius pſeudoepiſcopi quondam Antiocheni, Acephalorum capitis, & Corruptibilium hæreſis inuentoris Seueri. Quem quidem Theodoſium licet pars magnatum Epiſcopum agnoſceret, reliqui tamen cum monachis & populo *Gaianum* Eccleſiæ Alexandrinæ Archidiaconum, æque hæreticum, ſed Iuliani Halicarnaſſei Incorruptibilium auctoris ſequacem elegerunt: vnde maximæ in ea ciuitate ſeditiones cædeſque inter populum & milites ortæ ſunt. Demum vero Gaiano à Iudicib. poſt quartum ſedis menſem pulſo, nouiſſime & Theodoſius non ferens contra ſe odium populi, de ſede diſceſſit; ſeceſſitque Conſtantinopolim, quo ab Imperatrice Theodora honorifice vocatus fuerat, poſtquam eiuſdem Auguſtæ ope ſedem Alexandrinam violenter occupaſſet annum vnum & menſes quatuor. Quarum rerum hiſtoriam plenius deſcripſere Liberatus [s] diaconus, & Leontius [t] Scholaſticus, ambo huius temporis ſcriptores.

THEODOSIVS ET GAIANVS HÆRETICI ALTERCANTVR PRO SEDE ALEXANDR.
s Id. ibid.
t Leont. de Sect. Act. 5.

IX. Sed quod pertinet ad ſucceſſionem Alexandrinorum Antiſtitum, ex quo ibi præcipuam ſedem hæretici occuparunt, ab ipſis & per ipſos ſucceſſio ſpuria deducta eſt, interrupta vero Catholicorum: cum tamen conſtet & ipſos Orthodoxos, etſi longe inferiores numero hæreticis eſſent, nihilominus Orthodoxum aliquando habuiſſe Epiſcopum cui communicarent. Poſt Theodoſium autem & Gaianum (quorum mutuæ altercationes & expulſiones ad biennium productæ ſunt) qui ſucceſſerunt Epiſcopi Alexandrini, omnes fuere Catholici, quos numerat Leontius, eoſdemque *Synoditas* ob cultum Synodi Chalcedonenſis appellat; nempe *Paulum, Zoilum, Apollinarem, Ioannem & Eulogium* æqualem S. Gregorii. Nec vero illud ex Liberato omittendum, conſuetudinem fuiſſe Alexandriæ, vt qui ſuccedere deberet Epiſcopo defuncto, excubias ſupra defuncti corpus ageret, manumque eius dexteram ſuo capiti imponeret; eodemque manibus ſuis ſepulto, acciperet collo ſuo pallium B. Marci, ac tunc legitime ſederet.

ORTHODOXI EPISCOPI ALEXAND.

X. Quo vero tempore Theodoſius hæreticus Conſtantinopoli degeret, tradit Leontius AGNOITARVM (ſic ab ignoratione dictorum) dogma motū eſſe. Quod enim Dominus dixerit, neminem horam iudicii ſcire, ne Filium quidem, ſed ſolum Patrem, quæſitum eſſe, An Chriſtus eam ignoraret vt homo; magnaque inde orta altercatione, Theodoſium negaſſe Chriſtum ignorare, atq; idcirco à ſuis contrarium aſſerentibus diuiſum eſſe, & aduerſus eoſdem ſcripſiſſe. Hæc Leontius: qui vtrorumq; eorundem hæreticorum circa hæc errores, ex doctrina Catholicæ fidei confutat; diceturque de iis ruſum inferius [u] Sanctus quoque Ioannes [x] Damaſcenus affirmat, eos quia Theodoſio nuncupati ſunt hæretici *Theodoſiani*; poſtea à Iacobo propagatore *Iacobitas*, itemque alio nomine *Ægyptios* eſſe appellatos: Agnoitas autem à Themiſtio quodam eiuſdem ſectæ principe, *Themiſtianos* dictos; hoſque inſuper Chriſtum ignauiæ & timiditatis arguiſſe, & vnam in eo naturam coniunctam aſſeruiſſe.

AGNOITARVM HÆRESIS.
u inf. an. 561.
x Damaſc. l. 3. de hæreſ.
IACOBITÆ HÆRET.

XI. ACEPHALORVM CAPITA MVLTA, ET VARIÆ SECTÆ.

Ità igitur Seueriani omnes iſti profeſſione, hoſteſque Concilii Chalcedonenſis, inter ſe ipſos more hæreticorum pugnaciſſime decertarunt: vt plane acciderit veluti portento quodam, vt bellua ſine capite (ita Acephalorum hæreſis appellata) eadem pluribus prodierit armata capitibus inter ſe pugnantibus. Nam ex primo eorum capite SEVERO (à quo denominati ſunt Seueriani) plura alia pullularunt, nempe GAIANVS, à quo Gaianitæ; THEODOSIVS, à quo Theodoſiani; IACOBVS, à quo Iacobitæ; THEMISTIVS, à quo Themiſtiani: Numerat adhuc aliud caput Damaſcenus, nempe BARSANIVM, ex quo Barſaniani, ſiue Semidalitæ; qui cum omnia Gaianorum & Theodoſianorum decreta defenderent, aliquid tamen præterea addebant de ſuo.

XII. IOAN. PHILOPONI ERRORES.

Porro cum aduerſus iſtas peſſimas Seueri propagines diſputauerint olim plurimi tam Catholici, quam etiam hæretici tractatores; inter primos, degente adhuc Theodoſio Conſtantinopoli, *Ioannes* quidam cognomento PHILOPONVS, grammaticus Alexandrinus, adeo infeliciter iiſdem ſe oppoſuit, vt in Tritheitarum dogma ipſemet lapſus ſit; quemadmodum de illo tradit Leontius ipſius errores refutans, & Suidas eiuſdem multiplicium ſcriptorum mentionem habens; ex quorum etiam nonnullis meruiſſet inter Eccleſiæ doctores adnumerari niſi poſtea ab illius doctrina deficiens, etiam indignum ſe præbuiſſet qui inter Chriſtianos adſcriberetur. Nam & ipſum Photius in Bibliotheca tradit ſcripſiſſe librum contra Synodum Chalcedonenſem, necnon alium commentarium aduerſus Reſurrectionem mortuorum. Quod vltimum ita declarat Nicephorus [y], de eiuſdem erroribus & ſcriptis agens, non vt animas diceret ſine corporibus cœleſti gloria fruituras; ſed eas aliis corporibus, iiſque ex nihilo creatis induendas, quod aſſereret corpora noſtra corrumpi ſecundum formam atq; materiam. Propagata vero eſt iſta Philoponi hæreſis ex Origene, accepta ad poſteros; qua imbutus Eutychius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, confutatus eſt à S. Gregorio, vt ſuo loco dicetur. Addit autem de Philopono Nicephorus, quod licet conſentiret Catholicis duas eſſe in Chriſto vnitas naturas, alteram diuinam, humanam alteram; erraret tamen cum adderet, facta vnione non amplius duas, ſed vnam tantum compoſitam eſſe naturam, vnde *Monoſophytarum* hæreſis pullulauit, & *Monothelitæ* progreſſi ſunt.

y Niceph. l. 18. ca. 47. 48.

XIII. DE IACOBO AVCTORE HÆRESVM ARMEN.

Sed quod pertinet ad *Iacobum* à quo Iacobitarum hæreſim denominatam diximus; idem Nicephorus [z] ſcribit, eum fuiſſe genere Syrum, obſcurum prorſus virum, & ob ſummam tenuitatem cognominatum *Zanzalum*: qui Eutychetis, & Dioſcori, necnon Petri Cnaphei, atq; Seueri recepto dogmate, Monoſophytarum & Theopaſchitarum hæreſes apud Syros propagare magnopere ſtuduerit. Vnde multo exorto diſſidio, eos qui rectæ doctrinæ adhærerent appellatos eſſe *Melchitas*, quod Concilium Chalcedonenſe, & Imperatorem (*Melchi* enim Syris Rex eſt) conſectarentur: qui vero contrarium ſentirent, multa variaque habuiſſe nomina, *Iacobitas* tamen maxime fuiſſe dictos. Eumdem autem Iacobum auctorem quoq; extitiſſe *Armeniorum* ſectæ, quæ fuit veluti hæreſum omnium ſentina, quippe qui cum Ario dicerent, Deum Verbum naturam mutationi obnoxiam habentem, carnem anima carentem aſſumpſiſſe: cum Apollinare, corpus Domini mentem non habere, eique diuinam naturam ſufficere, mentiſque vim operatricem perficere: aliaque plura ab aliis hæreticis deſumpta ſibi ipſis arrogaſſe: ſed & de Incarnatione Verbi multa abſurdiſſima, eademque inter ſe contraria pro tempore effutiiſſe: & vt hæreſes ſuas adſtruerent, plurima diuini Euangelii dicta reſcidiſſe, aliaque rurſum addidiſſe: denique Monophyſitarum, Monothelitarum Aphtharto docitarum ſiue Incorruptibilium & Monothelitarum hæreſes, veluti hæreditarias augere cupientes, Petri Cnaphei additamentum Triſagii valde complexos eſſe. Hæc Nicephorus de Armeniorum dicta hæreſi; quam à Iacobo poſt Seuerum originem hoc ipſo tempore duxiſſe, aperte docet Photius, dum agens de ſcriptis Ephræm Epiſcopi Theopolitani ſiue Antiocheni, qui his diebus ſedebat, ait eum exagitaſſe quoque prædictum Iacobum hominem Seuerianum: à quo ſunt Iacobitæ denominati: vnde nihil eſt, vt ad poſteriora quis tempora eamdem hæreſim referat.

z Id. lib. 18. c. 52. 53.

ARMEN. SIVE IACOB HÆRESES.

XIV. ALIA ACEPHALOR. CAPITA.

At non hic finis portentorum: præter enim recenſita prædictæ beſtiæ capita, ad eumdem Seuerum pertinere tradit Nicephorus [a] *Cantobabditas*, *Angelitas*, & *Damianiſtas*, ita dictos ab Epiſcopis & locis iiſdem nominibus appellatis hæreticos: Itemque *Tetraditas*, *Petritas*, & *Paulitas*, quorum alii Petrum, alii Paulum Seuerianos, ſed ab inuicem diſſidentes conſectabantur. Denique & ipſum aſpidem tot ouis fœcundum Seuerum, hoc eodem tempore cum Anthimus Conſtantinopoli & Theodoſius Alexandriæ ſederent, Conſtantinopolim acceſſiſſe; & cum inueniſſet Anthimum eadem ſecum ſentire, perſuaſiſſe vt ſua dogmata gloriæ terrenæ & Epiſcopatui præponeret, ac de eadem reſcripſiſſe Alexandriam ad Theodoſium; refert Euagrius [b] ex ipſius Seueri epiſtolis Sed hæc tunc acciderunt cum Anthimus (vt paulo poſt dicturi ſumus) factus reus impietatis, abdicare hæreſim quæſitus eſt vt remaneret in ſede. Interea vero ita ſe comprobauit vulpis iſta, Anthimus inquam initio Epiſcopatus ſui, vt cum nefandus hæreticus eſſet, ſtuderet tamen in omnibus apparere Catholicus, dum non ſolum probauit Chalcedonenſe Concilium, ſed & publice coram Imperatore diſertis verbis atteſtatus eſt, ſe in omnibus aſſenſurum iis quæ Apoſtolica ſedes ſentienda præſcriberet; pariterq; ad alios Patriarchas ſcripſit ſe per omnia ſequi eamdem Sedem. Hæc enim de illo intexta habentur in ipſius damnationis ſententia in Synodo poſtea promulgata. At de rebus eius agendum fuſius anno ſequenti.

a Id. cap. 49.

b Euag. l. 4. c. 11.

ANTHIMI EPISC. CONST. FRAVDOLÆ ARTES.

XV. DE SCHOLIS THEOLOGIÆ PERENNIS ROMÆ.

Quod autem ad res Occidentales pertinet, hoc pariter anno Agapetus Papa, hortatu Caſſiodori Senatoris (vt ipſe [c] teſtatur) animo concipiens publicas Romæ ſacrarum literarum Scholas collatis expenſis erigere, bellicis tumultibus ab incœpto reuocatus eſt. Qua in re ſicut admiratione, ita & obſeruatione dignũ eſt non extitiſſe hactenus Romæ doctores qui publice in ſcholis ſacras literas profiterentur: vt ex hoc magis intelligas puritatem Apoſtolici fontis ibidem iugiter ſcaturientis, & in vniuerſum orbem aquas limpidas deriuantis; cum non pro arbitrio diſſerentium, verbiſque pugnantium hominum, ſacra dogmata ea Eccleſia definiret; ſed quæ ab Apoſtolis tradita, à maioribus deducta, à patribus ſeruata accepiſſet, hæc ipſa vniuerſæ Eccleſiæ Catholicæ obſeruanda præſcriberet. At vero poſtea, ne videretur repuliſſe ſcientiam, & examina refugiſſe, ipſa quoque ea quæ docuiſſet, æque in ſcholis diſſerenda propoſuit; occaſione præſertim hæreticorum, aduerſus quos neceſſe fuit Catholicis tractatoribus, cuncta quæ ſunt fidei Chriſtianæ omni genere argumentorum vera firmaque demonſtrare; ſicut & de ſcholis Orientis egregie olim dixit S. Gregorius Nazianzenus oratione in laudem S. Athanaſii.

c Caſſiod. praef. de diuin. inſtit.

XVI. BELLI GOTH. TEMPVS.

Ceterum bellici tumultus, quorum meminit Caſſiodorus, fuerunt ob bellum Gothicum ab Imperatore Iuſtiniano cœpti (vt teſtatur Procopius [d]) anno Imperii ſui nono, nempe præſenti. Quo quidem, felici progreſſu per Mundum Præfectum Illyrici Dalmatiam Gothis ſubiectam inuadens, Salonam vrbem expugnauit: per Beliſarium vero vniuerſam Siciliam recuperauit; qui vltima die Conſulatus ſui, Syracuſas ingenti omnium plauſu triumphans ingreſſus eſt. Ad inuadendam autem Italiam, quam fortiori robore Gothi tenebant, viſum eſt eidem Iuſtiniano Francos ſibi fœdere coniungere; ex pietate potiſſimum ad eos promouendos argumenta deducens, dum quos ſciret Catholicæ fidei ſtudioſiſſimos, hortatus eſt ad expellendos Gothos hæreticos Arianos: vt patet ex literis ad ipſos ea de re ſcriptis, quas Procopius recitat: quos & inſuper magna pecunia donaſſe tradit; maioremque pollicitum eſſe vbi rem bellando geſſiſſent. Pro receptis autem hactenus à Deo beneficiis, idem Imperator aliquam vicem rependens; quod maxime ipſi diuinitati gratum eſſe ſentiret, inter alias hoc ipſo anno latas ab eo multiplices ſanctiones pro

d Procop. de bel. Goth. l. 1.

FRANCI AB IMP. VOCATI ADVERS. GOTHOS.

optimo

PVRGAT ORBEM ABIMMVNDITIIS IMP.

optimo Religionis Catholicæ & Imperii ſtatu, id magnopere curauit, vt ab omni turpitudine emundaret (quãtum fas eſſet) ipſam imperii primariam ciuitatem Conſtantiopolim, & omnes prouincias Romano Imperio ſubiectas; dum Calendis Decembris aduerſus lenones, qui paupertate oppreſſas iuuencułas vndique colligentes, eas poſtea quibuſuis obuiis proſtituebant, ſeueriſſimam edidit ſanctionem [e] atque (Procopius [f] ſcribit) ampliſſimum monaſterium exædificauit, magniſque prouentibus dotauit, ad recipiendas alendaſque miſeras proſtitutas, quæ reſipiſcentes Deo vellent iugi pœnitentia deſeruire.

e Nouel. 14. f Procop. de ædif. Iuſtin. orat. 1.

XVII.

g Rer. Bar. Annal To. VII. hoc an.

Sed vt redeamus ad Agapetum Papam; extant [g] duæ ipſius ad S. Cęſarium Epiſcopum Arelatenſem ſcriptæ hoc eodem anno, poſt Conſulatum Paulini, epiſtolæ; altera de non alienandis bonis Eccleſiaſticis cum ab eo rogatus fuiſſet eorum alienationem permittere ad alendos pauperes: altera de appellatione Contumelioſi, ſic dicti Epiſcopi Gallicani, ad ſedem Apoſtolicam. Quod autem ad priorem ſpectat; quamuis & qui rogaret ſanctus eſſet, & cauſa ipſa neceſſaria videretur, tamen renuit Agapetus; & miſſo ad Cæſarium decreto Romani Concilii Tertii ſub Symmacho, quo prohibitum eſſet ſub anathemate, cuiuſquam neceſſitatis obtentu prædium ruſticum, quantæcumque magnitudinis vel exiguitatis fuiſſent, alienare; firmus perſtitit in præcipienda eiuſdem decreti obſeruatione exemplum poſteris præbens, quam alieni eſſe debeant à rerum Eccleſiæ alienatione quouis obtentu quæſita. Quod vero ad Contumelioſum pertinet; cum is fuiſſet antehac à Ioanne [h] Agapeti prædeceſſore, ad relationem Epiſcoporum Gallorum, ob multa crimina de quibus accuſabatur, priuatus Epiſcopatu, & in monaſterium redactus ad pœnitentiam; idem poſtea ad Agapetum recurrens, obtinuit Iudices denuo delegari, qui de ipſius cauſa iterum cognoſcerent.

NVLLA OCCASIONE ALIENANDA PRÆDIA ECCL.

h Ext. ea de re litera ap. Baron. Annal. To. VII. an. 534.

XVIII. CLOTARIVS REX MVLCTATVR OB OCCISVM NOBILEM INTRA ECCLESIAM.

i Gir. du Hail. hiſt. Franc in Vit. Clotar. Primi.

Occaſione vero aliarum literarum eiuſdem Agapeti ad Clotarium Francorum Regem, inmane ab eodem Rege patratum eſt hoc ipſo anno ſacrilegium (quod deſcribitur in Annalibus [i] Francorum in nece *Gualteri Domini de Yuetot* in Northmannia ſic poſtea dicta Galliarum prouincia. Qui cum ob præclaras animi & corporis virtutes eidem Regi ſumme charus eſſet, factum eſt ſolitis inuidorum aulicorum calumniis, vt amore Regis in odium verſo, idem Gualterus prudenter ſe ab eius furore ſubducens abfuerit è Gallia per decennium; quod quidem inſumpſit in perſequendis & debellandis terra marique Saracenis. Cum autem in patriam redire ſummopere deſideraret, Romam ſe conferens obtinuit ab Agapeto literas ad Clotarium pro ſua ipſius reconciliatione, quas cum Regi ipſa feria ſexta Hebdomadæ Sanctæ in ſacello ſuo ſacris præſenti, iamque ad ſanctiſſimæ Crucis adorationem procedere parato, obtuliſſet; confeſtim eo agnito Rex furore correptus, ipſum Gualterium ibidem gladio peremit. Sed imperata ab Agapeto Papa, ſub pœna interdictionis regni, tanti ſacrilegii ſatisfactione; ſtatuit Rex terram *de Yuetot* ab omni in perpetuum feudo, omnibuſque Regi debitis iuribus immunem fore. Verum poſtea titulus Regni, quo terra illa ad multum tempus potita eſt, mutatus fuit in Principatum, qui adhuc permanet in familia Dominorum du Bellay.

ERECTIO REGNI DE YVETOT IN GAL.

IVSTINIA. IMP. 16. THEODATI REG. 3.

IESV CHRISTI AN. 536.

AGAPETI AN. 2.

I.

ANNVS Chriſti quingenteſimus trigeſimus ſextus, nullius Conſulatu notatus, Poſt Conſulatum Beliſarii in veteribus monumentis inſcriptus habetur; idemque primus annus Belli Gothici in Italia à Procopio numeratur; cum Iuſtiniani Imperatoris decimus inchoatus eſt.

II.

AGAP. PAPA LEGATIONEM COGITVR SVSCIPERE AD IMP.

a Liber. Breuiar. c. 21.

Quo cum Theodatus Rex Gothorum non ſolum bellum indictum accepiſſet; ſed etiam diſpendium (vt vidimus) iam paſſus eſſet Dalmatiæ atque Siciliæ; homo meticuloſiſſimus, qui Platonicis potius diſciplinis quam bellicis artibus inſtructus eſſet pacem quam iam olim petierat, nec impetrarat, nunc per Summi Pontificis legationem obtenturum ſe credidit. Itaque cum literis Rauennæ, vbi degebat, ſcriptis, ipſi Papæ & Senatui Romano (vt loquitur Liberatus [a]) interminatus eſſet, ſe omnes gladio interempturum, niſi egiſſent apud Imperatorem vt deſtinatum exercitum de Italia ſubmoueret; Agapetus Romanus Pontifex eiuſmodi legationem coactus ſuſcepit. Hocque ipſum eſt, quod Procopius [b] de iiſdem agens tradit, Theodatum timore nimio perterritum indigniſſimas pacis conditiones, quas recenſet, ſumma puſillanimitate Imperatori, per ipſius Legatum Petrum ad ſe miſſum obtuliſſe: atq; vna cum illo Conſtantinopolim tranſmiſiſſe Ruſticum, Romanum virum è numero ſacerdotum, & ad eam rem confirmandam peridoneum. Hunc enim certum eſt fuiſſe Agapetum, qui Ruſticus dictus eſt: quem quidem videtur etiam Procopius ignoraſſe fuiſſe Romanum Pontificem, cuius nec amplius vſquam meminit. Extant vero apud Caſſiodorum [c] datæ hoc anno litteræ ab eodem Theodato eiuſque coniuge Gundelina ad Iuſtinianum Imperatorem & Theodoram Auguſtam, continentes exhortationem ad oblatam pacem non reſpuendam. Ac denique recitat Procopius alias priuatas, quibus idem Theodatus pollicitus eſt cedere regno iis quos ad illud ſuſcipiendum Iuſtinianus mittere voluiſſet.

b Procop. l. 1. de bel. Goth.

c Caſſiod. 10. ep. 19. & ſeq.

III.

Agapetus igitur eiuſmodi ſubire prouinciam barbarico coactus imperio, cum pecunias ad expenſas faciendas non haberet, regio Arcario opus habuit vaſa ſacra oppignerare: quæ tamen poſtea Caſſiodori opera reddita eſſe Eccleſiæ S. Petri, à qua ſublata fuerant, patet ex ipſius ea de re ſcriptis ad Arcarios literis [d] Ad quæ quidem prouoco Nouatores, qui ex opulentia creuiſſe Romanæ Eccleſiæ ſummam auctoritatem; non ex Apoſtolica poteſtate, dixere: cum tamen ſit cernere illam, quæ ſub barbarico iugo ad extremam inopiam reducta erat, vix vmquam ſublimiorum maieſtate Orbi Chriſtiano imperaſſe, & maxime in ipſa Imperatoria ciuitate Conſtantinopoli: prout quæ ſuperius dicta, & inferius dicenda ſunt; abunde docent. Cuius etiam Pontifex Agapetus; etſi viſus eſſet ad Imperatorem pro pace roganda miſſus; à Deo tamen proficiſci iuſſus apparuit; vt ægrotanti Eccleſiæ Orientali medelam afferret. Eiuſque rei illud indicium præceſſit, quod ornatus à Deo miraculorum virtute, in itinere conſtitutus, in quodam Græciæ loco mutum & claudum natum per ſanctiſſimi Miſſæ Sacrificii oblationem ambulare & loqui fecit; vt indubitatus eſt teſtis S. Gregorius [e] Magnus. Vt plane illud contigerit Agapeto, quod olim primo Romano Pontifici, eidem Apoſtolorum Principi Petro, dum rogatus à mendico claudo eleemoſynam dare, pro petita pecunia qua carebat, ſanitatem omni pretioſiorem auro contulit.

d Id. 12. ep. 20.

NON EX DIVITIIS, SED EX APOST. AVCTORITATE MAIESTAS ROM. ECCL.

MIRACVLA EDIT AGAPETVS.

e Greg. l. dial. 3.

IV.

f Anaſt. in Agap. g Liberat. c. 21. h Procop. l. 1. de bel. Goth.

DE VAGI GOTH. SPES DEMPTA.

Cum autem Agapetus Conſtantinopolim peruenit, cauſam egit Legationis ſuæ. Sed quod eam feliciter ſucceſſiſſe Anaſtaſius [f] tradit, redarguitur ex Liberato [g] & Procopio [h] huius temporis ſcriptoribus; dum ille ait Imperatorem minime acquieuiſſe Agapeto pacem Theodato petenti, quod magnam pecuniarum vim in exercitu comparando iam inſumpſiſſet, ex Procopio autem intelligitur, dum iſta tractarentur, Gothos qui reſidui erant in Dalmatia, cum Romanis conſerentes manus, priores tuliſſe, occiſo primum Mauritio Mundi filio, ac demum Mundo ipſo qui anno ſuperiori Salonas ceperat: quas hoc anno Gothi itidem recuperauerunt: quibus cum factus eſſet elatior Theodatus, ipſum de promiſſionibus factis pœnitere cœpiſſe; & ex altera ſimiliter parte Iuſtinianum eaſdem reiicientem, confeſtim Beliſarium è Sicilia in Italiam cum exercitu traiicere præcepiſſe. Hæc pluribus Procopius. Sed Eccleſiaſticas Agapeti res Conſtantinopoli geſtas proſequamur:

V. AGAP. DEPONIT ANTHIMVM EPISC. CONSTANTIN.

Ipſe igitur cum eo aduenisset, Anthimum illius Eccleſiæ Epiſcopum intruſum hæreticum, in ſalutationem & communionem ſuſcipere noluit, niſi prius libello oblato ſe Orthodoxum probaret, & ad ſedem ſuam, nempe Trapezuntium, reuerteretur: nec à ſententia dimoueri vmquam potuit, quamuis id vehementer ab ipſo peterent Iuſtinianus Imperator (cui nõdum compertus fuerat Anthimus hæreticus) atque impia eiuſdem Anthimi fautrix Theodora Auguſta; immo & recuſanti exilium minarentur. Sed cum poſt hæc interrogatus ab eodem Pontifice coram ipſo Imperatore Anthimus, renuiſſet confiteri duas in Chriſto naturas, tunc idem Iuſtinianus fraude comperta, *humilitauit ſe* (vt loquitur Anaſtaſius) *Sedi Apoſtolicæ, & adorauit beatiſſimum Papam Agapetum*: Anthimum autem ab eodem depoſitum expulit; atque in eius locum ſuffici curauit *Mennam* genere quidem Alexandrinum, ſed Conſtantinopoli agentem Præpoſitum primarii Xenodochii Samſonis dicti; virum pietate, religione Orthodoxa, aliiſque virtutibus conſpicuum. Hæc quidem omnia ita geſta referuntur apud Liberatum Anaſtaſium, & Theophanem [i]. Narrat vero præterea Zonaras [k], nonnullos è primoribus Epiſcopis Orientis refragatos eſſe Agapeto in gratiam Imperatoris, ſed eos omnes ab eo ſuperatos. Additque Nicephorus [l], Anthimum ab Archimandritis eius vrbis & aliis accuſatum, nec quidem in conſpectum ab Agapeto admiſſum fuiſſe, ſed mox ſede depoſitum. Magis tamen inhærerem ſententiæ Anaſtaſii, dicentis vocatum eum, & diſcuſſione facta cum nollet confiteri duas in Chriſto naturas, damnatum fuiſſe; niſi præter Nicephorum, illud ipſum teſtarentur Acta Synodalia [m] ex libello Archimandritarum oblato Imperatori poſt obitum Agapeti. Vnde intelligere poſſumus, vſum Agapetum plenitudine poteſtatis, cum Anthimum obſtinatum hæreticum per libellos aduerſus eum oblatos agnouiſſet, minime ſeruata ordinaria forma iudicii, nec congregato (vt moris erat) Concilio, ipſum damnaſſe: quod ſcilicet tanta eſſet Apoſtolicæ ſedis auctoritas, vt etiam ſupra omnes canones Pontifex emineret.

i Miſcell. l. 16.
k Zona. Annal. par. 3. in Iuſtiniano
l Nicep. l. 17. ca. 9.
m Conc. Conſt. ſub Men. Act. 1.

VI. QVID DE ANTHIMO AGAP. STATVERIT.

Sic itaque depoſito Anthimo, poſtquam præfuiſſet ei Eccleſiæ (ſicut habet Nicephorus [n]) menſes decem, vel (vt Zonaras) annum vnum; haud tamen extitit eiuſmodi iudicium commiſeratione ieiunum: ſiquidem aditum ei apertum reliquit, vt ſi quando ab errore pœnitens ad Eccleſiam redire vellet, Epiſcopatus priſtinus Trapezuntinus eidem integer ſeruaretur. Sed eam commiſerationem ægre ferentes Orthodoxi Achimandritæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, alio eidem Agapeto oblato libello petierunt, vt præſinitus Anthimo daretur ad reſipiſcendum terminus, quo elapſo nullus ei vltra pateret ad aliquam Eccleſiam aditus. Idq; poſtea eumdem Pontificem, iterata in eum ſententia ſtatuiſſe, & omni prorſus ſacerdotio & communione Catholica priuatum declaraſſe; docetur prædicto Archimandritarum ad Imperatorem libello. Quo minus autem vteretur impertita primo ab Agapeto humanitate, tradit Euagrius [o] impedimento fuiſſe impiiſſimum illum Seuerum caput hæreticorum Acephalorum, qui tũc erat Conſtantinopoli; à quo male ſuaſus, elegit ſede carere quam Chalcedonenſe Concilium profiteri. Verum & præter illum, excommunicatos fuiſſe ab eodem Romano Pontifice eumdem nefandum Seuerum horum omnium malorum architectum eiuſdemque cum eo nequitiæ collegas Petrum Epiſcopum quondam Apamenſem, & Zoaram monachum Syrum, Conſtantinopoli tunc agentes, atque impiæ Theodoræ Auguſtæ ipſius Seueri diſcipulæ protectione fultos, non regiam ſolum vrbem, ſed & totum ferme Orientem facinoroſis ſuis dictis factiſque infeſtantes; traditur in iiſdem ſuperius citatis, aliiſque ab Epiſcopis Orientis aduerſus eoſdem hæreticos oblatis Agapeto, & poſt eius obitum Imperatori libellis [p], in quibus plurima eorumdem ſcelera recenſentur.

n Niceph. in Chron.
o Euagr. l. 4. cap. 11.
ANTHIMVS SEDVCTVS A SEVERO.
p Ext. in Conc. Conſt. ſub Men. Act. 1.

VII. MENNAS SVBROGATVS IN LOCVM ANTHIMI.

Quod autem ad Mennam ſpectat Anthimo ſubrogatum; is antequam Epiſcopus deligeretur, ſuæ fidei profeſſionem publice edere iuſſus, ei ſubſcripſit quam olim præſcripſiſſe diximus Hormiſdam Papam omnibus Orientalibus comunionem Catholicam expetentibus. Simulac vero ab ipſo Agapeto ordinatus eſt, obtulit rurſum more maiorum eidem Romano Pontifici libellum fidei, quo omnes condemnauit hæreſes, & Catholicam fidem profeſſus eſt: cuius poſtea meminit Vigilius [q] Papa in epiſtola ad Iuſtinianum Imperatorem. Hiſque omnibus peractis, idem Agapetus literis ſuis circularibus omnes Epiſcopos Orientales de cunctis reddidit certiores; quarum quidem extat [r] exemplar ad Petrum Hieroſolymitanum: vbi etiam inter Mennæ dignitatis prærogatiuas adnumerat, quod à temporibus Petri Apoſtoli nullum alium vmquam Orientalis Eccleſia ſuſcepiſſet Epiſcopum manibus Romanæ ſedis ordinatum.

q Vigil. ep. 2. To. 1 epiſt. Rom. Pont. & ap. Concil. Conſt. ſub Men. Act. 4. & ep. 3. Agap.

VIII. OBITVS AGAPETI PAPÆ.

Cum vero poſt hæc idem ſanctiſſimus Pontifex (vt tradit Liberatus [s]) in Italiam reuerti diſponeret, accidit vt Conſtantinopoli migraret ex hac vita; & tamquam omnibus rite abſolutis ad quæ Dei prouidentia miſſus erat, poſt opus vocaretur ad præmium. Eius vero corpus (vt ait Anaſtaſius) in loculo plumbeo translatum eſt Romam, ibique ſepultum in baſilica S. Petri duodecimo Calendas Octobris: quem diem ipſius depoſitionis annuatim celebrandum ſuſcepit Eccleſia Catholica. Nam quod ad tempus obitus ſpectat; quo huius anni menſe ac die defunctus ſit, haud ſatis liquido conſtat. Certum eſt tamen, errare eos qui eius obitum ponunt vigeſima prima menſis Maij: ſiquidem ex Actis eius Concilii, quod hoc eodem anno celebratum eſt Conſtantinopoli poſt migrationem Agapeti, redarguuntur, dum eius prima Actio die ſecunda eiuſdem menſis Maij habita legitur; adeo vt opus ſit affirmare, ipſum ante eum mẽſem defunctum eſſe: quem quidem Anaſtaſius tradit ſediſſe tantum menſes vndecim & dies octodecim. Ei vero haud ſcio an ſimilis alius inueniri poſſit, qui adeo breui temporis ſpatio Eccleſiæ Catholicæ præſidens talia tantaque perfecerit; cuiuſque æque apud Occidentales atque Orientales ſint ampliſſima conclamata præconia; ac denique qui cunctis Fidelibus ſui ardentius reliquerit deſiderium.

s Liber. Breuiar. ca. 22.
EGREGIA AGAPETI LAVS.

IX. CHRONOGRAPHIA AB ECCL. RO. CONDITA.

Ceterum extat in Bibliotheca [t] Vaticana, de rebus eius geſtis Conſtantinopoli, deque obitu, ac magnifico funere, vetus monumentum ſcriptum (vt apparet) Latine ab aliquo Latino qui tum in eadem vrbe interfuit cum Agapeto, quod quidem in omnibus conſentit cum illis quæ ex aliis auctoribus dicta ſunt ſuperius. Habet autem præterea quædam alia notatu digna: Atq; inprimis quod numeret annos *ab Ædificatione Romanæ Eccleſiæ*. Sicut enim priſcis Romanis mos fuit ab Vrbe Condita annos recenſendos deducere, ita etiam nonnullis Eccleſiaſticarum rerum tractatoribus viſum eſt, ab Eccleſia Romana condita temporis nota memorias conſignare. Cum vero ait auctor, Agapetum à Theodato Conſtantinopolim miſſum eſſe anno Ædificationis Romanæ Eccleſiæ quadringenteſimo nonageſimo; ei chronographiæ ad amuſſim noſtram cohærere gaudeas. Etenim dum oſtendimus anno Domini quadrageſimo quinto Romanam Eccleſiam ab Apoſtolorum Principe Petro eſſe erectam, plane ab eo tempore abſoluitur hoc anno quadringenteſimus nonageſimus, & inchoatur quadringenteſimus nonageſimus primus, quo vertitur annus Domini quingenteſimus trigeſimus ſextus. Deinde cum idem auctor agens de obitu Epiphanii Epiſcopi Conſtantinopolitani qui Anthimum præceſſit, ait eum fuiſſe vigeſimum illius vrbis Epiſcopum prorſus numerare intelligitur à Metrophane prædeceſſore Alexandri qui vixit tempore Conſtantini Magni: ab ipſo enim vſque ad Epiphanium, demptis hæreticis & ſciſmaticis, totidem numerantur. vt plane appareat Nicephori catalogum, à Stachi (vt ait) ab Andrea Apoſtolo ordinato inchoatum, his temporibus ignotum fuiſſe. Eſt denique illud ibidem notandum, quod ait Agapetum ſacra altaris ſediſque velamina, ſacrilegi Anthimi infecta flatibus, ſuis Catholicis precibus eluiſſe. Quæ verba citantur à Gratiano [u] ad probandum antiquum ritũ, quo Catholica Eccleſia ſemper exhorruit quæ ſunt hæreticorum, non ſolum ipſas Eccleſias, ſed & omnia

t Lib. num. 535. ap. Regeſt. S. Greg. pag. 194. Sec. Eaton. To. VI. hoc an.
SERIES ANTIQVA EPISCOP. CONST.
EXPIARI SOLITA TEMPLA ET VTENSILIA HÆRETICORVM.
u De conſecr. diſt. 1. c. 23.

vtenſilia, nec Illis abſque expiatione ſacra vti ſolere. Sicut etiam eodem ſcripto additur, eumdem Agapetum omnes templi ædes ab inflictis inibi per Anthimum maculis, Orthodoxis obſecrationibus expiaſſe.

X.

Iam vero quæ poſt ſanctiſſimi Papæ deceſſum, antequam ſucceſſor crearetur, Conſtantinopoli fieri contigerit, hic enarranda ſunt. Cum eſſent illic Apoſtolicæ ſedis Legati, quos idem Pontifex præmiſſos anno ſuperiori ad res componendas, decedens nulla imminutos poteſtate reliquit; his cura potiſſima fuit, vt quæ ab eodem viuente conſtituta fuiſſent, iiſdem obſeruandis Orientales Epiſcopi ſuis ipſorum verbis obligarentur. Quapropter communicato conſilio cum Menna Conſtantinopolitano (quem & ipſum vicaria ſedis Apoſtolicæ præfectura ab eodem Agapeto inſignitum fuiſſe, declarant Acta Synodi tunc habitæ) eorum omnium communi opera, hoc anno ſexto Nonas Maii celebrari cœptum eſt CONCILIVM Conſtantinopoli ex vicinioribus Epiſcopis, & iis qui in eadem ciuitate tunc reperti ſunt, omnibus quinquaginta numero: præſidentibus cum Menna iiſdem Apoſtolicæ ſedis Legatis, quos ſuperius recenſuimus, Sabino Epiſcopo Ganuſino, Epiphanio Aſculano, Aſterio Salernitano, Ruſtico Feſulano, & Leone Nolano, necnon Theophane atque Pelagio S. R. E. diaconis. Interfueruntque pariter Menna & Petrus Apoſtolicæ ſedis Notarii, cum quibuſdam ſubdiaconis procuratoribus reliquorum clericorum eiuſdem Sedis: itemque legati ab Antiocheno Patriarcha Ephræmio, atque aliâ Petro Hieroſolymitano, necnon Cæſarea Cappadociæ, Ancyra, & ab aliis locis miſſi. Cuius quidem Synodi cum extent Acta, quinque Actiones ſiue Seſſiones complectentia, recitata in Concilio [x] Hieroſolymitano paulo poſt habito; eorum hâc tibi ſummam deſcribimus; Vt poſt trinam, eamdemque peremptoriam dilationem Anthimo ad reſipiſcendum datam ex indulgentia (vt teſtatus eſt Mennas) Agapeti Papæ, poſtque publicas ipſius proclamationes, cum magna diligentia perquiſitus nuſquam comparuiſſet; tandem ex ſententia totius Synodi, confirmantis eam quam iam antea Agapetus pronunciarat, idem Anthimus declaratus fuerit excommunicatus, & omni ſacerdotio & dignitate, ac nomine Catholico priuatus. In vltima vero eiuſdem Synodi Actione, habita pridie Nonas Iunii (quam Acta Hieroſolymitani Concilii Secundam Synodum vocant, Primam vero eam quam memorauimus contra Anthimium; licet potius dicendæ ſint variæ Actiones eiuſdem Synodi) diſcuſſis multis libellis Synodo atque Imperatori oblatis, confirmata eſt pariter Agapeti ſententia damnationis in Seuerum, Petrum, atque Zoaram, eorumdemque ſequaces omnes.

CONCIL. CONSTANTINOP. SVB MENNA.

x To. 2. Conc.

QVÆ IN SYNODO GESTA.

XI.

Quibus omnibus peractis, dedit literas [y] de damnatione dictorum omnium hæreticorum Mennas, ſimulque Acta Synodi miſit ad Petrum Hieroſolymitanum Epiſcopum. Iuſtinianus autem Imperator pro munimento eorum quæ à Patribus decreta eſſent, ſanctionem [z] contra eoſdem damnatos hæreticos ſcripſit hoc ipſo anno octauo Idus Auguſti, qua inſignibus eos cunctis vrbibus pellens, in ſolitudines relegauit; libroſque & ſcripta ipſorum igni condemnauit; atque omnibus hæreticis ſilentium iniunxit vt nô auderent amplius loqui de fide. Denique Petrus Hieroſolymitanus acceptis Mennæ literis, collegit & ipſe Hieroſolymis CONCILIVM Epiſcoporum quadraginta quinque decimotertio Calendas Octobris; cuius extant [a] Acta, quæ Actiones omnes Conſtantinopolitani continent, & approbatas confirmant. Quæ vero poſt hæc ſecuta ſunt de Anthimo, dicentur ſuo loco. De Seuero autem liquet, haud diu poſt fuiſſe ſuperſtitem: quem & cum præſenti vita, æterna quoque fuiſſe priuatum; Deus cuidam ſeruo ſuo oſtenſum voluit, ad curandum hominem in errorem lapſum; vt certa teſtificatione narratur in Prato [b] Spirituali. Hocque inſuper anno decimo Iuſtiniani (vt auctor eſt Liberatus [c]) Theodoſius Epiſcopus Alexandrinus hæreticus Seuerianus Conſtantinopoli agens, cum omnino ſubſcribere renuiſſet Concilio Chalcedonenſi, in exilium ab Imperatore pulſus eſt; ibidemque Conſtantinopoli ordinatus in locum eius *Paulus* vnus ex Abbatibus Tabennenſibus Ægypti, fide Orthodoxus: procurante hæc omnia Pelagio, qui Conſtantinopoli fuit Apocriſiarius Romanorum Pontificum, Agapeti primum, inde Silueri, ac demum Vigilii.

y Ext. in Syn. Conſt. ſub Men. Act. 1.

z Nouel. 42.

CONCIL. HIEROSOL. PRO CONFIRMATIONE CONSTANTINOPOLITANI.

a To. 2. Conc.

b Prat. Spir. 26.

c Liber. c. 21. & 21.

XII.

Dum autem iſta in Oriente gererentur, cum Romæ auditus eſſet obitus S. Agapeti Papæ, atque iam haberentur more maiorum ſacra comitia de nouo creando Pontifice; Rex Gothorum Theodatus (ſi credimus Anaſtaſio) SILVERIVM natione Campanum, Hormiſdæ quondam Papæ filium, accepta ab illo pro electione pecunia, contradicente licet clero, per vim ac metum ordinari curauit. Ceterum Liberatus [d] qui his temporibus vixit, v bi de Silueiro ex ſubdiacono in Pontificem electo agit nihil penitus habet de violentia Theodati, nec de collata à Siluerio pecunia, vero vim à Gotho tyranno & hæretico Ariano illatam eſſe, facile adducimur vt credamus. Sed datam fuiſſe pecuniam, ne quidem veriſimile fit; dum illud ipſum crimen idem Siluerius Vigilio ſedis ſuæ poſtea inuaſori, in libello ſententię eius damnationis potenter obiiciat: quod haud puto adeo conſtanter facere potuiſſe, ſi eiuſdem ipſe reus criminis extitiſſet. Addit autem Anaſtaſius, ordinato Siluerio ſub vi & metu, quamuis multi ex clero eius electionem antea improbaſſent, tamē poſtea ad euitandum ſchiſma ei ſubſcripſiſſe. Sed quod idem Hormiſdæ Papæ filius à Liberato quoque dicitur; intelligendum eſt haud dubium ex legitimo ſuſceptum matrimonio ante Pontificatum: alias enim ad tantæ dignitatis gradum prorſus fuiſſet inhabilis. Quo autem huius anni menſe vel die eius creatio contigerit, haud quis facile poterit niſi diuinando definire, ꝙ incertus ſit dies mortis Agapeti. Cum tamen ex Anaſtaſio conſtet, id factum eſſe menſe vno atque diebus viginti octo poſt eiuſdem obitum Agapeti; certumque pariter ex Actis Synodalibus ſuperius citatis, Agapetum defunctum eſſe paulō ante tempus Synodi Conſtantinopolitanæ ſub Menna, quæ cepta eſt hoc anno ſexto Nonas Maias: inde colligi poſſe videtur, Siluerii ſuffectionem factam eſſe menſe Iunio.

DE SILVERII PAPÆ CREATIONE.

d Idem. 22.

DE TEMPORE ELECTIONIS SILVERII.

XIII.

Interea vero tradit Liberatus, Theodoram Auguſtam Conſtantinopoli cum Vigilio Agapeti diacono ſecreto egiſſe, vt ipſe promitteret quod ſi in Papam eligeretur, tolleret Synodum Chalcedonenſem, atque Anthimum & Seuerum reſtituens eorum fidem confirmaret: eoque facto promiſſo, Vigilium literas ab Imperatrice ad Beliſarium accepiſſe, vt Pontifex Romanus conſtitueretur, ſeptemq; inſuper auri centenaria ipſi darentur: ſed cum Romam aduenisſet, reperiſſe iam Siluerium in throno ſedentem. Quid autem poſt hæc factum fuerit, dicetur inferius. Hunc autem illum Vigilium eſſe ſcias, qui diu ante iam temporibus Bonifacii (vt vidimus) pertentarat ab eo viuente ſubrogari in ſedem contra leges omnes & conſuetudines Eccleſiaſticas. Vt non debeat mirum videri, ſi gloriæ turbine agitatus in præcipitia ſe dederit.

DE PACTIS CONVENTIS INTER THEODORAM AVG. ET VIGILIVM DIAC.

XIV.

Hoc eodem anno, qui numeratur vigeſimus ſecundus Childeberti Francorum Regis ab obitu Clodouei parentis, celebrata eſt in Galliis nono Calendas Iulii, Secunda SYNODVS AVRELIANENSIS, cui præfuit *Honoratus* Epiſcopus Bituricenſis, interfueruntque vel per ſe vel per vicarios Epiſcopi triginta inter quos plures fuere ſanctitate celebres, quorum nomina ſcripta ſunt in tabulis Eccleſiaſticis; ab iiſque conditi ſunt canones vnus & viginti, ad diſciplinam Eccleſiaſticam & mores Catholicos pertinētes. Qui vero inter eos Epiſcopos recenſetur *Iniurioſus* Turonenſis, præter doctrinam ac vitæ ſanctitudinem, conſtantia quoque excelluit in redarguendis Regibus: de quo & inter alia refert memoria dignum S. Gregorius [e] eiuſdem poſtea Eccleſiæ Epiſcopus, quod cum Rex Clotharius indixiſſet vt omnes Eccleſiæ regni ſui tertiam partem fructuum fiſco ſoluerent, idque reliqui Epiſcopi licet inuiti conſenſiſſent; viriliter hoc Iniurioſus reſpuens, ac ſubſcribere dedignans, Regi dixerit, *Si volueris res Dei tollere, Dominus regnum tuum velociter auferet;*

CONCIL. AVRELIAN. II.

e Greg. Tur. de geſt. Fran. lib. 4. c. 2.

CONSTANTIA INIVRIOSI EPISC. IN REGES.

ferret, quia iniquum eſt vt pauperes quos tuo debes alere horreo, ab eorum ſtipe tua horrea repleantur: & iratus contra Regem, nec Valedicens abſceſſerit; eaque re commotus Rex, timens etiam virtutem S. Martini, cuius Eccleſiæ idem Iniurioſus præſidebat, miſerit ad eundem Epiſcopum munera, veniam petens, & quod fecerat damnans.

XV. ARIANI MILITES REBELLANT IN AFRICA.

Hoc item anno contigit, vt Ariani milites in Africa, mœſti ob templorum prohibitionem ipſis factam à Salomone duce exercitus ex mandato Imperatoris [f] Iuſtiniani: coniurantes in necem eiuſdem Salomonis, Paſchali tempore in hoſtes conuerſi, Africanam prouinciam dira afflixerint clade; electoque ſibi duce *Stoza* tyranno, ab Imperio Romano omnino defecerint: quorum furorem Salomon fugiens, in templo latitans mortem imminentem euaſit. Sed hæc pluribus Procopius [g]: ſubditque de Carthagine ab iiſdem ſeditioſis militibus direpta, ac de accerſito Beliſario Syracuſis in Africam, deque Germano poſt eum ab Imperatore in Africam miſſo, cum idem Beliſarius ad bellum Gothicum reuocatus eſt. Sed male lacunam textus Procopii impleturus quis, addidit id factum anno duodecimo eiuſdem Imperatoris. Etenim cum idem auctor diſertis verbis dicat, tunc accerſitum fuiſſe in Africam Beliſarium Syracuſis agentem, nonniſi hoc anno id factum oportuit: nempe vt qui vltimo ſuperioris anni tempore potitus eſt Syracuſis, ibi degens hoc anno reuocatus fuerit in Africam; ſequenti vero Romam cum exercitu profecturus, Neapolim ſibi obuiam ciuitatem ceperit: quem ab eo tempore ſemper in expeditione Italica perſeueraſſe, idem auctor ſatis oſtendit, dum eius ſingula aſſectatus eſt veſtigia, & quæ duodecimo etiam Imperatoris anno ab eo ſunt geſta fuſius eſt proſecutus.

f Poſt Nouel. Iuſtin. edit. Iul. pag. 246. & Nouel. 137.
g Procop. de bel. Vandal. l. 2.

IVSTINIA. IMP. II. VITIGIS REG. I.

IESV CHRISTI AN. 537.

SILVERII AN. 1.

I.

QVI ſequitur annus Chriſti quingenteſimus trigeſimus ſeptimus, Poſt Beliſarii Conſulatum ſecundus, potitur idem à Procopio [a] ſecundus Belli Gothici & vndecimus Iuſtiniani Imperatoris. Quo (vt idem teſtatur auctor) Beliſarius Syracuſis ſoluens, Romamque cogitans, primum omnium Neapolim ſibi obuiam munitiſſimam in Campania ciuitatem, poſt duram viginti dierum obſidionem in deditionem accepit, & humaniſſime (ſi eidem Procopio credimus) tractauit. Verum ab aliis [b] inuenimus traditum, cum ob nimiam cædem ibi perpetratam, à Silucrio Papa cum Roma potitus eſt acriter reprehenſum eſſe, & pœnitentiam agere compulſum. Et æque Anaſtaſius [c] aſſerit, eundem omnes ciues interfeciſſe; adeo vt nec eccleſiis, nec ſacerdotibus, aut virginibus ſacris pepercerit.

a Procop. de bel. Goth. l. 1.
NEAPOLIS CAPTA A BELISARIO.
b Miſcel. l. 16.
c Anaſt. in Siluer.

II. VITIGES REX GOTHOR.

Porro tanti præſidii amiſſione conſternati Gothi, eoque magis quod Regem haberent omnium ignauiſſimum, imo & de proditione ſuſpectum; quem & viderent non ſolum nihil de bellico apparatu in tanto rerum diſcrimine meditari, ſed de rebus euenturis ſciſcitari Iudæũ quendam magum: iidem nouum ſibi crearunt Regem, VITIGEM Ducem è Dalmatia antea euocatum, virum ſtrenuum, bellicisq; ſudoribus vbiq; ſpectatum; Theodatumque interemerunt, poſtquam regnaſſet annos tres. Verum & ipſe Vitiges Romam ingreſſus, tamen Beliſario victori ad tempus cedere coactus, commonefacto Silucrio Romano Pontifice atq; vniuerſo Senatu vt Gothis de Vrbe benemeritis fideles perſiſterent; relictoque ibidem præſidio quatuor millium ſelectiſſimorum Gothorum ſub Duce Leudere; ipſe cum ceteris ad reparandas vires & res componendas profectus eſt Rauennam. Vbi filiam Amalaſunthæ ibi aſſeruatam, matrimonio ſibi inuitam licet coniunxit; vt ita ſanguinis regii vel ex coniugis ſaltem parte regnum ipſum minime expers eſſet. Conteſtimque legationem ad ſuos qui in Gallia erant Gothos miſit, necnon ad Francos vt eos belli ſibi ſocios iungeret, ac Legatis ſuis dedit in mandatis, vt Regibus Francorum Gallias cederent, & pecuniam à Theodato pactam perſoluerent, vt ſic eos his beneficiis obligaret. At interim veriti Romani ne paterentur quæ Neapolitani, ſuadente Romano Pontifice ſeſe Beliſario dedere, miſſoque qui cum vocaret nuncio, vno eodemque die per portam Aſinariam ingreſſus eſt idem cum exercitu, & ex aduerſa egreſſi ſunt Gothi Rauennam ituri. Potius autem Vrbe Beliſarius, tanquam victoriæ inſignia claues portarum Conſtantinopolim miſit, vinctumque Leuderem Ducem, qui capi quam cum aliis fugam capere delegiſſet. Hiſque peractis, in reparandis Vrbis mœnibus egregiam operam manauit. Hæc omnia fuſe Procopius. Qui tamen cum nihil dicat quonam menſe & die huius anni capta à Beliſario Vrbs fuerit; Euagrius [d] ait accidiſſe ad quintum Iduum Decembris, poſt annos ſexaginta quibus à Gothis occupata fuiſſet. Id ipſum tradit & Nicephorus [e]: Anaſtaſius vero quarto Idus eiuſdem menſis. Quod quidem contigit anno ex quo ab Erulis capta eſt ſexageſimo expleto; ex quo autem à Gothis poſſeſſa [f], quadrageſimo tertio.

ROMA SE BELLISARIO DAT.
d Euagr. l. 4. cap. 18.
e Niceph. l. 17. cap. 13.
f Theoph. Miſcel. l. 16.

III. PAVLVS EPISC. EIICITVR ALEXANDRIA.

Hoc eodem anno Paulus Epiſcopus Alexandrinus Orthodoxus, incaute agens in poteſtate ipſi ab Imperatore tradita, deponendi in Ægypto duces & Tribunos hæreticos, & Orthodoxos ſubſtituendi; reus necis Oeconomi Eccleſiæ Alexandrinæ iniuſte conſtitutus, in exilium eiectus eſt, & Imperatoris iuſſu depoſitus apud Gazam Palæſtinæ à Pelagio S. R. E. diacono & Apocriſario, atque Epiſcopis Antiocheno, Hieroſolymitano, Epheſino, & aliis; inque eius locum ſubrogatus *Zoilus* æque Orthodoxus. quæ cuncta vt ſe habuerint, diligenter proſecutus eſt Liberatus [g]. Teſtatur vero Agatho Papa in Epiſtola ad Imperatores Conſtantinum, Heraclium, & Tiberium, ſcriptum fuiſſe à Iuſtino Imperatore edictum pro fide Catholica aduerſus Acephalos; quod periiſſe videtur. Reperiuntur autem complures aliæ eiuſdem Imperatoris hoc ipſo anno editæ conſtitutiones, tam de perſonis rebuſque ſacris quam profanis; inter quas extat [h] illa data Calendis Septembris, qua in cunctis monumentis publicis apponi voluit nomen Imperatoris, Conſulum, & Indictionis.

g Liber. Breuiar. ca. 23.
h Nouel. 47

IVSTINIA. IMP. 12. VITIGIS REG. 2.

IESV CHRISTI AN. 538.

SILVERII AN. 2.

I. ROMA OBSIDETVR A VITIGE.

COſſ. Ioanne atque Voluſiano aperitur annus Domini quingenteſimus trigeſimus octauus, idemque à Procopio numeratus tertius Belli Gothici in Italia. Quo Rex Gothorum Vitiges, reuocatis in Italiam Gothis qui apud Francos erant, comparatoq; exercitu militum centum quinquaginta millium, aduerſus Beliſarium veniens, Romam menſe Martio obſidere cœpit. Quæ autem crebro inter vtramque partem ſint conflata certamina, qui iterati conflictus, & quam in multis prudentia & bellica fortitudo Beliſarii enituerit; eundem exacte cuncta narrantem, qui præſens fuit, Procopium [a] conſulat qui ea cupit. Illud vero haud omittendum, quod ad pietatem ſpectans ab eodem narratur; nempe mœnium Vrbis partem quandam inter portas Flaminiam & Pincianam, quæ iam iam caſura videbatur (ſicut & vſque hodie viſitur) perpetua S. Petri Apoſtoli cuſtodia ſic aſſeruatã fuiſſe, vt quamuis permeabilis eſſet, tamen licet à Romanis non defenſa, illæſa permanſerit ab hoſtium aggreſſionibus. Sed & illud maioris miraculi obtinet locum, quod cum per annum & amplius Vrbe obſeſſa in ſuburbiis moram Gothi fecerint, iidemque Ariani atq; Romanæ Eccleſiæ hoſtes acerrimi; nihil tamen contumeliæ damniue intulerint Apoſtolorum Petri & Pauli baſilicis extra ciuitatem poſitis, earumve miniſtris, ſed fuerint illic Catholico ritu libere ſacra peragi: prout idem teſtatur auctor. Quibus vehementer redarguas recentes Nouatores, diaboli faces, fæceſque hæreticorum, ſacra Deo dicata vbiq; Sanctorum monumenta rapinis incendiiſque vaſtantes.

a Procop. de bel. Goth. l. 1. & 2.
MVRVS VRBIS SALVATVR S. PETRI CVSTODIA.
GOTHI VENERATI BASILICAS SS. APOST.

Hinc

II. SILVERIVS PAPA PER CALVMNIAS EIICITVR.

Hinc vero oborta ſuſpicione Silverium Pontificem fauere Gothis, ipſum Beliſarius confeſtim tranſmittit in Græciam, ſuffecto ei *Vigilio*, vt breuiter Procopius tradit. Sed doloſæ fraudis fuit iſte prætextus. Eiuſmodi enim velamento obtectum eſt quod impia Theodora Augusta (vt vidimus ex Liberato) cum Vigilio molita fuerat, nempe ſe effecturam vt ipſe crearetur Pontifex, ea conditione vt Anthimum in ſedem Conſtantinopolitanam reſtitueret, eiuſque Seuerianum dogma confirmaret. Ceterum ex eodem Liberato huius rei geſtæ hiſtoriam exacte proſequente, necnon Anaſtaſio liquet, Theodoram à Silverio petiiſſe vt Anthimum reſtitueret; eo vero recuſante, eamdem Beliſario mandaſſe vt quæſitis prætextibus illum deponeret, ac Vigilium ordinari curaret. Inde igitur intentata in Silverium de proditione calumnia, fictæque eius nomine ad Regem Gothorum litteræ, quarum colore Beliſarius ipſum fraudulenter tentum veſtituque indutum monachi, in exilium miſit Pataram Lyciæ ciuitatem, inque locum eius renitente licet clero Vigilium intruſit; cum præter literas Theodoræ ad Beliſarium hac de re datas, idem inſuper Vigilius duo auri centenaria eidem promiſiſſet. Narrantur iſta partim ab Anaſtaſio, partim à Liberato.

VIGILIVS INTRVDITVR IN ROMANAM SEDEM.

III. Addit vero Liberatus, quod cum procurante Pataræ Epiſcopo Imperator iuſſiſſet Silverium Romam reduci, & de literis proditionis iudicium fieri, vt ſi vere ab eo ſcriptæ dignoſcerentur, in alia ciuitate Epiſcopus degeret, ſin autem falſæ fuiſſent approbatæ, reſtitueretur ſuæ ſedi: eius Romam aduentu territus Vigilius, eumdem à Beliſario ſibi traditum in Palmariam inſulam (fœcundam antiquorum martyrum palmis) deduci curauerit: ſcripſeritque ad Theodoram & Epiſcopos hæreticos, ipſorum hæreſim confirmans, & anathema dicens iis qui confiterentur duas in Chriſto naturas. Hæc quidem Liberatus: quæ licet in reliquis vera ſint, in iis tamen quæ de Vigilii ſcriptis ait, dubiæ ſunt fidei, aut potius commentitia, excepta ab eo ex falſo vulgi rumore. Vt enim taceam quod abſurda pleraque, atq; etiam repugnantia, in iiſdem quæ recitat ſcriptis habeantur: ſi ea re vera miſiſſet Vigilius, cur non ex illis poſtea conuentus eſt, cum de reſtitutione Anthimi altercatus eſt Conſtantinopoli cum Theodora; vel cum a Theodoro Cæſarienſi Epiſcopo & Menna Conſtantinopolitano diutius vexatus eſt, quod vtrumque excommunicationi ſubieciſſet? vel cum in eum ſuo furore accenſus Iuſtinianus Imperator, etiam vi agendum putauit? aut demum cum in eumdem Quinta Synodus, quod ad eam accedere renueret, nonnihil commota eſt? Hæc enim omnia publice ſunt ventilata, & publicis Actis excepta: nec tamen de dictis ſcriptis vel nutu vſquam mentio. Sicut nec apud Facundum Hermianenſem in Africa Epiſcopum eiuſdem temporis ſcribentem: qui cum in Vigilium ob Tria Capitula ſubinfenſi ſint, plura alia ei obiicere non dubitauerint, de hoc tamen omnino ſilent. Denique Sextæ Synodi Acta teſtantur, nomine Vigilii ab hæreticis confictas fuiſſe litteras ad Iuſtinianum & Theodoram: eiuſmodi iſtas quas Liberatus recitat fuiſſe, haud eſt dubitandum.

DE EPISTOLA VIGILII NOMINE SCRIPTA.

IV. Sed etſi vere illas ſcripſiſſet Vigilius, nullum tamen ob id inferri penitus præiudicium Apoſtolicæ Sedi poteſt. Siquidem nihil tunc definiuit contra fidem tanquam Pontifex, neque animo hæretico, ſed occulte propter cupiditatem præſidendi, vt Liberatus ibidem dicit, & ex epiſtola ipſius aſſerta apparet: Scribit enim vt caueant ne illam aliquis videat, & vt ſint omnia occulta vſque ad tempus. Nam ſi palam ſe hæreticum profeſſus eſſet, verebatur vtique numquam paſſuros Romanos eum ſedere in Petri cathedra: ſi vero Catholicum, metuebat Imperatricem hæreticam, cuius opera Pontificatum adeptus erat. Itaque in eiuſmodi anguſtiis conſtitutus, rationem iſtam excogitauit, vt Romæ Catholicus ageret, & hæreticum per literas apud Imperatricem hæreticam ſimularet. Immo etſi re vera Vigilius adhæſiſſet ad ſchiſma hæreſim, hoc tamen nihil obeſſet noſtræ cauſæ; quandoquidem id fecit dum adhuc ſuperſtes Silverius; quo viuente illicet in exilio) nemo iure dixerit, Vigilium ſchiſmaticum, alienæ ſedis emptorem & inuaſorem (quæ tegi non poſſunt) vere potuiſſe dici Pontificem Maximum, quamuis in ſede Petri ſederet violenter intruſus. Quomodo vero Apoſtolicæ ſedi inceſtando incumbuerit in eodem Vigilio Dei vindicta; quæ & Beliſarius, qui impiæ feminæ mandatum a ſeo impie executioni mandauit, meritas ab eadem femina luerit inflictas pœnas ſuis locis dicturi ſumus, quamuis & ipſe conſilium poſt ſcelus admiſſum in ſe reuerſus, ad illud expiandum Romæ Eccleſiam erigendam curauerit, eique poſtibus inſcriptionem incidi voluit, pœnitentiæ ſuæ perpetuum monumentum.

LAPSVS VIGILII NIHIL OBEST INTEGRITATI ROM. SEDIS.

V. Cum igitur hoc anno expulſo Silverio ageret Vigilius Romanum Pontificem; quantumlibet ſpurius, quæ tamen Pontificii muneris eſſent, exequi minime prætermiſit. Nam inter alia acceptis Eutherii Epiſcopi Hiſpani literis ad Silverium legitimum Pontificem ſcriptis, ipſe ſub dictis huius anni Coſſ. Calendis Martii reſpondiſſe reperitur ad eiuſdem conſultationem de Priſcillianiſtarum hæreticorum abſtinentia, de Arianorum rebaptizatione, de Glorificationis hymno, de Romanæ Eccleſiæ priuatu, aliiſque rebus ad religionem pertinentibus. Ac quinque poſt diebus, hoc eſt pridie Nonas eiuſdem menſis Martii, pari modo reſcripſit ad Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum de cauſa Theodoberti Francorum Regis: qui cum inceſtuoſas contraxiſſet nuptias cum vxore fratris ſui, factique pœnitens Romanum Pontificem per Legatos conſuluiſſet, cuiuſmodi pœnitentia poſſet illud purgare delictum; Vigilius Cæſario mandauit, vt iuxta compunctionis meritum eidem Regi pœnitentiam iniungat, illud quam maxime præcauendo, ne poſt hac cum illa femina commiſceretur, aut eadem domo habitaret.

VIGILII PONTIFICIA ACTA.

VI. Sed iam his recenſitis, quid interea in Oriente in cauſa Origeniſtarum factum ſit, videamus. Narrat Liberatus, redeunte è Palæſtina Pelagio S. R. E. diacono & Apocriſiario aduenisse pariter cum eo Conſtantinopolim nonnullos eiuſdem Palæſtinæ monachos (ſuaſu videlicet magiſtri Theodoſii Cœnobiarchæ, vt ipſius Acta declarant) ſecum deferentes capitula è libris Origenis excerpta, quæ peterent damnari vna cum ipſo auctore Origene. Quapropter (vt decebat rem tantam, cuius cauſa per multa ſæcula vniuerſus Chriſtianus exagitatus eſt Orbis) Occidentalibus ſimul conuenientibus cum Orientalibus, nempe pro illis Apoſtolicæ Sedis Apocriſiario Pelagio, & pro iſtis Menna Epiſcopo Conſtantinopolitano, & ipſo (vt dictum eſt) vicem agente Romani Pontificis, vna cum aliis Orthodoxis Epiſcopis qui hoc tempore reperti ſunt Conſtantinopoli; magnum actum eſt de Origene iudicium, cui nec defuit maieſtas Imperatoris: quippe qui cum videret omnes in idipſum conſpirare, vt cum erroribus ſuis auctor etiam damnaretur; iuſſit ea de re Sententiam ſcribi aduerſus ipſius errores atque blaſphemias, petitas ex deliriis Paganorum & Manichæorum, aliaſque quamplurimas ab ipſo additas, quibus Ario aliiſque hæreticis materiam præbuit ſuarum ipſorum impietatum. qua quidem Sententia extat valde prolixa; ac multiplici doctrina referta, Patrumq; teſtimoniis roborata; ab iiſdem epiſcopis dictata, ſed ipſius Imperatoris nomine ad Mennam inſcripta; vt petulantes hæretici, nihil facientes Epiſcoporum iudicium, per Imperatoriam conſtitutionem coerceri poſſent: eamdemque ad ſe miſſam confeſtim approbarunt Vigilius Papa, Zoilus Epiſcopus Alexandrinus, Ephræmius Antiochenus, & Petrus Hieroſolymitanus: vt horum omnium teſtis eſt Liberatus. Additi vero ſunt etiam decem anathematiſmi contra eoſdem errores ipſumque eorum auctorem Origenem: quos poſtea in Quinta Synodo recitatos probatoſq; eſſe, Nicephorus tradit. Quod enim ſciretur extra fines eſſe regalis auctoritatis de fide ſancire decreta, eam ob cauſam prædicta nomine Imperatoris ſcripta ad Mennam epiſtola, idem monitus eſt Mennas Synodum habere, à qua iſta omnia confirmarentur: quod & factum eſt, vt videbitur.

SENTENTIA IN ORIGENEM LATA.

Sed quid interim mali ex hac iuſta Origenis damna-

Tot enim fuerunt, vt vix in vnum colligi poſſint. Ego in iis vero & nos ſuperius variis locis de eorum quamplurimis, vt non ſit modo in iis rurſus recenſendis laborandum.
k Rer. Baron. To. VII hoc an.
k Niceph. li. 17. c. 27. 28.

tione emerſerit, Liberatus [l] declarat, dum addit Theodorum Cęſareæ Cappadociç Epiſcopum ſecretum Acephalorum Origeniſque defenſorem, & Auguſtis familiarem charumque, ingenti dolore damnationis Origenis ductum, vtque Pelagio Apocriſario (qui eam quæſtionem in ipſius Theodorici odium mouiſſe exiſtimaretur) vicem rependeret, atq; nouis Eccleſiam Catholicam perturbationibus infeſtaret; & ipſum damnationem molitum eſſe in Theodorum Mopſueſtenum, eo quod ille multa contra Origenem ſcripſiſſet; ideoque opera impiæ Theodoræ Auguſtæ Acephalis fauentis, Iuſtiniano Imperatori fraudulenter ſuggeſſiſſe, omnes Acephalos Synodum Chalcedonenſem facile ſuſcepturos, dummodo vellet Imperator damnationem promulgare contra eumdem Theodorum Mopſueſtenum, cuius laudes quamuis hæretici ea Synodus ſuſcepiſſet; itemque in epiſtolam Ibæ Edeſſeni Epiſcopi, quam licet Neſtorianam Synodus Orthodoxam pronunciaſſet; ac denique aduerſus ſcripta Theodoreti Cyri Epiſcopi contra Cyrillum Alexandrinum, quę tametſi pro Neſtorio auctor edidiſſet, eumdem Synodus in communioné recepiſſet. Quæ quidem TRIA ſunt illa famoſiſſima CAPITVLA Synodi Chalcedonenſis, ex quorum damnatione à Iuſtiniano incaute & imprudenter poſtea promulgata, quamplurima oborta ſunt mala, ipſaque Eccleſia diro ac diuturno ſchiſmate vexata; vt ſuis locis videbitur inferius. Adeo vt ipſe Theodorus Cæſarienſis (quemadmodum ſcribit Liberatus) aliquando publice clamitauerit, *Se & Pelagium viuos incendendos, per quos hoc ſcandalum introiſſet in mundum.* Poſt quæ idem Liberatus finem impoſuit Breuiario ſuo de cauſa Neſtoriana & Eutychiana, collecto (vt ait) ex Eccleſiaſtica hiſtoria è Græco in Latinum translata, & ex Geſtis Synodalibus, atque etiam Epiſtolis ſanctorum Patrum: quod quidem paulo poſt ab eo ſcriptum fuiſſe, ex vltima rerum geſtarum narratione poſſumus intelligere, dum obiter meminit abdicationem & exiliorum, quibus ſequentibus annis mulctati ſunt Epiſcopi qui damnationem Trium Capitulorum ſuſcipere recuſarunt. Ipſum autem ex eorum claſſe fuiſſe qui pro Tribus Capitulis pugnantes, pro Theodoro etiam Mopſueſteno, licet non pro erroribus eius ſcripſere defenſionem; haud obſcure ſuis ipſe ſcriptis [m] ſignificat.

VII
l Liber. c. 24.
DE TRIB. CAPITVLIS CONTROVERSIA ORTA.
m Id. ca. 3. 10. 4.

VIII.
QVÆ FVERINT TRIA CAPITVLA.
n Ext to. 4. Bibl. Sanct.
o l. reddentes C. de Summ. Trin.

Quamuis autem ex iis quæ iam dicta ſunt, & aliis quæ per ſingulos ferme annos dicenda erunt, nulla dubitatio exoriri poſſit, quin hæc quæ diximus Tria fuerint illa Capitula de quibus tantopere controuerſum eſt: tamen hic occurrendum putamus cuidam viro erudito, qui à veraci maiorum ſententia diſcedens, nouam de iiſdem init rationem; dum hæc illa tria putauit eſſe capitula, quorum fit mentio in epiſtola à Ioanne Romano Pontifice [n] ad Auienum aliosque Senatores, quæ eadem habet Iuſtinianus in fidei profeſſione [o] ad ipſum Ioãnem Papam: nempe, Vtrum Chriſtus vna ſit ex perſonis ſanctiſſimæ Trinitatis: Vtrum Deus Chriſtus carne paſſus fuerit, impaſſibili Deitate: & Vtrum Maria Virgo vere & proprie dici poſſit Mater Dei. Verum cum conſtet contentionem de tribus Capitulis eſſe agitatam inter ſolos Catholicos, non autem inter Catholicos & hæreticos, quis vmquam Catholicorum de tribus iſtis quas modo diximus quæſtionibus dubitauit? & non potius pro iis aduerſus Neſtorianos & Eutychianos iunctis manibus animiſque certauerunt? Quæ ergo cauſa, vt ob eaſdem inter ſe inuicem tam in Oriente quam Occidente, Catholici diro ſchiſmate fuerint ſeparati? Accedit quod cum non tempore Ioannis illius, ſed ſub Vigilio orta fuerit quæſtio de Tribus Capitulis, vel inde appareat longe diuerſa illa fuiſſe ab iis quæ recitantur in epiſtola Ioannis. Sed de his hactenus.

IX.
p Procop. l. 2. de bel. Goth.
DACIVS EPISC. CONTRA GOTHOS IMPLORAT AVXILIVM.

Quod ad res bellicas Italiæ pertinet, hoc ipſo anno duodecimo Imperatoris, tertio Belli Gothici (vt narrat Procopius [p]) Dacius Mediolanenſis Epiſcopus vitæ ſanctitate inſignis, ciueſque primores nonnulli Romam venientes, petierunt à Beliſario modicum ad ſe præſidium mitti, quo aſſeuerarent ſe Mediolanum omnemque Liguriam abductam à Gothis poſſe Imperatori recuperare. Quo exemplo ſatis intelligas, non mereri calumniam Epiſcopos illos, qui ne ſub hæretico Principe degant omnem lapidem voluunt. Quomodo autem Beliſarius eadem Mediolanenſi ciuitate totaque Liguria potitus ſit, idem auctor diffuſe narrat.

IESV CHRISTI AN. 539.

IVSTIN. IMP. 13. VITIGIS REG. 13.

SILVERII AN. 3.

I.
a Nouel. 78. vſque 92.
SILVERIVS PP. RELEGATVS DAMNAT VIGILIVM INTRVSVM.
b Ext. To. 2. Conc. & To. 1 Ep. Rom. Pont. in Silu.

ANno Domini quingēteſimo trigeſimo nono, Apione Ægypto abſque collega Conſule (quem complures Imperatoris hoc anno datæ [a] Nouellæ Atinem nominant) eodemque numerato à Procopio Belli Gothici in Italia quarto; Silucrius Papa tertio exacto ſuæ ſedis anno, auctoritate Pontificia, qua licet in Palmaria inſula relegatus detentus pollebat, octauo Calendas Iulii CONVENTV habito quatuor qui eum conuenerant Epiſcoporum, videlicet Terracinenſis, Fundani, Firmani, & Minturnenſis, aduerſus Vigilium Romanæ Cathedræ emptorem & inuaſorem anathematis ſententiam [b] tulit. Cum & præterea congemiſcens vniuerſus Catholicus Orbis ad Vniuerſalis Eccleſiæ Præſulis ignominias, cõmunicaret eius vinculis (vt licuit) ſcriptis epiſtolis: quarum vnicum ſupereſt monumentum *Amatoris* Epiſcopi (quem puto Auguſtodunenſem illum, qui hoc tempore egregia claruit [c] in Gallia ſanctitate) literas [d] ad Siluerium cum muneribus mittentis, vt ea quam patiebatur ipſum leuaret inopia. Sed quæ extat ad eumdem reddita Siluerii nomine epiſtola, ab aliquo otioſo ex Anaſtaſii ſcriptis abſque vllo iudicio conſarcinata eſt, quibus & ipſe ſuas miſcuit fabulas. Mouentibus autem aduerſariorum inuidiam eiuſmodi obſequiis Siluerio impenſis, necnon anathemate ab eo in Vigilium illato; eius rei cauſa factum eſt, vt arctiori cuſtodiæ traditus demum inedia conſumi coactus fuerit: verum id quidem ſenſim, adeo vt in annum ſequentem ærumnoſam vitam produxerit.

c Martyrol. Rom. 16. Nouemb.
d Ext. col. To. 1. epiſt.

II
CLADES ILLATÆ OB EXPVLSIONEM SILVERII.
e Procop. de bel. Perſ. l. 2.

Sed quantis hæc Deus illata in Summum Pontificem mala immiſſis cœlitus cladibus vindicarit, ſatis apparet ex iis quæ Procopius hoc anno decimotertio Iuſtiniani accidiſſe refert: cum in Oriente [e] Hunnorum ingentes exercitus Iſtrum tranſmittentes, multis ciuitatibus expugnatis, omnia vſque ipſius Conſtantinopolis ſuburbana, nullo penitus reſiſtente populantes, immenſos theſauros cum centum & viginti millibus captiuorum abduxerunt; aliiſque ſæpius iteratis incurſionibus talia Imperio mala intulerunt, qualia numquam vlla natio barbara intuliſſet: adeo vt ad ea tandem auertenda, coactus fuerit Imperator annuam ipſis polliceri pecuniam; ſicut & Saracenis. Eodemque inſuper anno Rex Perſarum Coſrhoes à Vitige Gothorum Rege ſollicitatus [f], ſtatuit rumpere fœdus, quod perpetuum fuerat cum Romanis ſancitum; nec vllis potuit ab inſtituto reuocari literis vel legationibus Imperatoris. Atque item in Occidente, quamuis poſt duriſſimam anni integri & dierum nouem Vrbis obſidionem, ea demum ſoluta fuerit; mox tamen hoc ipſo anno quarto belli Gothici iam dira fames vniuerſam vexauit Italiam, vt maxima pars hominum præ inedia interierit; fuerintq; qui fame cogente alterni ſe eſitarent. Nam & feminas duas tunc fuiſſe tradunt, quæ diuertentibus ad ſe peregrinis, noctuque dormitantibus, interfectis diueſcebantur; quouſque decem & ſeptem diuerſis temporibus in cibũ abſumptis, decimus octauus qui ad eas forte diuerterat, ſomno tunc ſubito experrectus verãmq; obtruncauit. Deſcribit hanc famem pluribus Procopius: quem Theophanes in Miſcella coniungit cum ea quam Vrbs paſſa eſt dum obſideretur; tantam fuiſſe aſſerens, & maxime in Liguria, vt pleræq; matres infelicium natorum comederent membra. Sed hæc perperam ponit ſub anno decimoquinto imperatoris; & grauiori errore Cedrenus ſub anno nono: quæ ad hunc præſentem referenda ſunt ex Procopio, qui quæ vidit, ſcripſit. Sub quo pariter idem auctor recenſet cladem ampliſſimæ ciuitatis Mediola-

f Id. de bel. Goth. l. 2.
DIRA FAMES ITALIAM VEXAT, ET PESTIS.
EXCIDIVM CIVITATIS MEDIOL. PER GOTHOS.

diolanenſis; quando à Gothis iterum capta & ſolo penitus æquata eſt, in eaque virorum trecenta millia ſine vllo ætatis reſpectu trucidata, feminę vero ſeruitiorum in morem abductæ, Burgundionibus dono datæ ſunt, vt promeritas eis gratias Gothi redderent pro inita ſecum belli ſocietate. Reparatus autem, qui ad Romanos defectionis cauſa fuerat, minutatim conciſus obiectus eſt canibus vorandus. De Dacio vero Epiſcopo quid factum fuerit, licet nihil Procopius dicat, ipſum tamen fuga lapſum S. Gregorius g Papa teſtatur; dum narrat quomodo Conſtantinopolim pergens, Corinthi domum quamdam ab infeſtatione dæmonum inhabitabilem redditam, priſtino vſui reſtituerit.

g Greg. dial. 4.

IESV CHRISTI AN. 540.

IVSTIN. IMP. 14. VITIGIS REG. 4.

VIGILII AN. 1.

I. CONSVLATVS PAVLINI REDDITVS FASTIS.

ANnus Domini quingenteſimus quadrageſimus, àſcriptus Faſtis reperitur Conſulatu ſolius Iuſtini: tu addas ex Actis Concilii Aurelianenſis Tertii collegam Paulinum, Iuniorem dictum ad dictionem alterius Paulini, qui ante ſex annos vna cum Iuſtiniano Imperatore Conſulatum geſſit. Cum enim in fine eorumdem Actorum celebratio eius Synodi adſcribatur anno vigeſimo ſexto Childeberti Francorum Regis ſub Conſulatu Paulini Iunioris, hic ipſe annus Domini quingenteſimus quadrageſimus demonſtratur: tot enim reperiuntur anni ab obitu Clodouei ipſius patris. Sic igitur libera iam reddita Vrbe, placuit Beliſario hoc afflictis reddere Senatoribus, vt more maiorum ſuum in Occidente crearent Conſulem. Porro idem annus à Procopio, qui per chronologiam Belli Gothici numerat annos, ponitur quintus eiuſdem belli.

II. SILVERII PAPÆ MARTYRIVM.

Quo anno S. *Siluerius* Papa in inſula Palmaria confectus ærumnis, conſumptuſque inedia, diem tandem clauſit extremum duodecimo Calendas Iulii, cum ſediſſet annos quatuor & quintum inchoaſſet: cuius memoriam ſub Martyris titulo quotannis Eccleſia celebrat. De loco autem martyrii, inter Liberatum & Anaſtaſium ea diſcrepantia reperitur, quod ille in Palmaria inſula id accidiſſe ait, iſte vero in Pontia: ſed cum eædem ipſæ ſibi vicinæ ſint, perfacile potuit de altera in alteram transferri; cum alioqui Liberatus, qui iis ipſis temporibus ſcripſit, firmiorem ſibi vendicet fidem. Sepultus eſt autem (vt ait Anaſtaſius) in eodem loco, & ad eius ſepulchrum multitudo concurrens languentium ſanitatem obtinere conſueuit. Quod autem aliqui nec duos annos eius ſedi concedunt; inde id eueniſſe liquet, quod abſurde admodum numerent eius ſedis tempus vſque ad Vigilii intruſionem tantum; quem vſque ad conſummatum martyrium ſemper legitimum perſeueraſſe Pontificem, haud eſt dubium.

III. DE VIGILII SVBROGATIONE.

Cum vero ſubdat Anaſtaſius, ceſſaſſe Epiſcopatum eius dies ſex; hinc intelligi poſſe videtur, quem inuaſiſſe vidimus Vigilium viuentis Siluerii ſedem, ſimulac eumdem defunctum, atque miracula edentem audiuit, ſe in ordinem redegiſſe, probe ſcientem minime legitimum fore dicendum Romanum Pontificem, quem tot crimina deturpaſſent; ſicque hæc conſiderantem, locum præbuiſſe ſacris habendis comitiis. Vtrum autem vere eo animo è ſede deſcenderit, vt prorſus eam dereſeret, an vero fretus potentia Beliſarii ac voluntate Theodoræ Auguſtæ, quod eſſet eamdem mox iterum conſcenſurus, vafre id egerit vt quoquo modo eliceret de ſua electione Cleri Romani conſenſum; hæc relinquimus Dei cordium inſpectoris iudicio. Ipſum vero Clerum putamus in tantis rerum anguſtiis, ad euitandum ſchiſma, quod proculdubio dire vexaturum erat Eccleſiam ſi quemcumque alium eligerent, diuinitus inſpirato conſilio communi ſententia VIGILIVM creaſſe Pontificem; cum præcipue eius perſonam, quam diu ob oculos habuiſſent, ſatis perſpectam haberent, nempe eſſe hominem reuera Catholicum, honoris tantum cupiditate flagrantem; vtpote Senatoria Romana familia ortum, quem Anaſtaſius tradit filium fuiſſe Ioannis Conſulis. Hæc enim cuncta Dei nutu eſſe facta, Romanam Eccleſiam ſolicitius gubernantis, probauit euentus. Siquidem ſtatim vbi legitima electione Petri thronum Vigilius conſcendit, ab hac fidei petra ſacerdotale robur in tantum accepit, vt plane ad confutandas hæreſes viſus ſit habuiſſe à Domino Apoſtolatum. Cum alioqui hæc fuerint illa tempora (quando videlicet clero nō adeo liberum fuit quicquid vellet agere (de quibus dictum eſt à S. Gregorio a) ab Hormiſda Papa vſque ad Vigilium fuiſſe Romanorum Pontificum ordinationes expoſitas.

DEI PROVIDENTIA PRO ROM. ECCL.

a Greg. 7. ep. 33.

IV. IVSTINIANI LEGATIO AD VIGILIVM.

Hoc igitur anno, ſimulac de legitima Vigilii prouectione Conſtantinopolim nuncium perlatum eſt, Iuſtinianus Imperator more maiorum ad eum protinus legatum mittens Flauium Dominicum V. C. Exconſulem & Patricium, literas dedit vna cum Catholicæ fidei confeſſione, præſtititque id ipſum Mennas Conſtantinopolitanus Epiſcopus. Quamuis enim deſiderentur eiuſmodi ipſorum ſcripta; tamen ita omnino factum eſſe, aperte declarant quæ ad eos ab ipſo Vigilio per eumdem Dominicum redditæ ſunt literæ b ſub huius anni Conſulatu Iuſtini, decimo quinto Calendas Octobris. In quibus cum inter alia, de fide Catholica in omnibus ſemper à ſe illibate ſeruata, atque in poſterum ſeruanda, magnifica ac glorioſa prædicet; tum omnem de hæretica ab ipſo ſcripta epiſtola (de qua ſuperius actum eſt) ſuſpicionem abolet; tum etiam omnem prorſus voluit, ſiue Theodoræ, ſiue aliis adimere ſpem implendi quæ fuiſſet aliquando de Anthimi reſtitutione pollicitus: cum & inſuper iiſdem ſuis literis confirmans omnia quæ à prædeceſſoribus geſta fuiſſent, ipſum quoque Anthimum vna cum aliis hæreticis atque ſchiſmaticis, nominatim excommunicauit. Quę vero poſt hæc ſecuta fuerunt, dicentur inferius.

b Vigil. ep. 2. & 3. To. I. Ep. & Rom. Pont.

VIGILII FACTA DIVINITVS MVTATIO.

V. CONCIL. AVREL. III.

Ad hunc eumdem annum (vt vidimus) referenda eſt Tertia SYNODVS AVRELIANENSIS; nobilis ipſa quidem ob ſanctos Epiſcopos qui ei interfuerunt ſiue per ſe ſiue per vicarios, numero viginti quinque ſub *Lupo* Archiepiſcopo Lugdunenſi. A quibus inter alia plura quæ triginta duob. capitulis definierunt, recens fuit conditus c canon aduerſus Iudæos, ne à die Cœnæ Domini vſque ad ſecundum Sabbathi in Paſcha, hoc eſt ipſo quatriduo, procedere inter Chriſtianos, vel Catholicis populis ſe vllo loco aut quacumque occaſione miſcere præſumerent. Cui acceſſit Regis Childeberti edictum ea de re promulgatum, quod citatur à Concilio d Matiſconenſi Primo: vbi & huius ſanciendæ legis ea cauſa narratur, quod Iudæi cernerentur quaſi inſultationis cauſa illo quatriduo per plateas aut forum deambulare. Sed & memoria dignum quod in eodem Concilio Aurelianenſi ſtatutum e eſt (annuentibus haud dubium ipſis Francorum Regibus, quibus cum fide Catholica Eccleſiaſtica immunitas cordi ſemper extitit) vt clericus cuiuſlibet gradus, ſine Pontificis ſui permiſſu nullum ad ſæculare iudicium præſumeret attrahere, nec laicus clericum.

c Conc. Aurel. III. c. 29.

DE IVDÆIS CANON, ET REGIS EDICTVM.

d Conc. Matiſcon. I. c. 14.

e Conc. Aurel. c. 32.

VI. GENEROSA FRANCOR. EXPEDITIO IN ITALIAM.

Hoc eodem anno alius Francorum Rex Theodobertus, filius Theodorici fratris prædicti Childeberti, ingenti animo inuadens Italiam, magnum in Picenum vſque eduxit exercitum; qui lue exagitatus, re infecta redire ad propria coactus eſt. Scimus Procopium ob hanc rem in Francos vt fœdifragos multa iactare: Verum ſi conſulas Agathiam f, haud leuem extitiſſe generoſiſſimę genti belli ſuſcipiendi cauſam cenſebis; dum videlicet teſtatur, haud æquo animo pati potuiſſe Theodobertum, quod Iuſtinianus Græco faſtu in monumentorum publicorum Imperatoriis titulis ponere conſueuiſſet, ſicut VVandalicum & Gothicum, ita & Francicum nomē; perinde ac ſicut VVandalos & Gothos, ita Francos etiam debellaſſet, quos ne attigiſſet quidem. Hæc enim ad inferendum bellum ſatis iuſta viſa eſt cauſa Francis, alieni dominii vel nomine tenus impatientibus, & iugo extraneo ſubdi penitus aduerſantibus. Quod autem idem Procopius calum-

f Agath. li. 1. hiſt.

VINDICANTVR FRANCI A PROCOPII CALVMNIA.

mole de iiſdem tradit, humanas adhuc id temporis hoſtias immolare conſueuiſſe, nullum habet adſtipulatorem, immo contradictorem eumdem Agathiam æque Græcum; qui non ſolum aſſerit (quod & ſuperius alia occaſione dictum eſt) eos fuiſſe Chriſtianos, ſed & rectiſſimæ inter ceteros omnes fidei: habuiſſeque præterea Antiſtites & ſacerdotes, atque feſtos haud ſecus ac alios Catholicos peregiſſe dies: ſed & moribus quam optimis fuiſſe præditos, & maximum in modum ciuiles; æquitate vero ac concordia ceteriſque virtutibus admirabiles.

VII. *Ravenna cum Vitige rege redit a Beliſario.* Quod ad res Gothicas in Italia ſpectat, aliquis tandem diuinæ gratiæ Romano exercitui fauor illuxit, cum nulla Ducum virtute Rauenna ciuitas, ipſeque Vitiges Rex Beliſario deditus eſt. Hæc vero quomodo ſe habuerint, fuſius narrat qui interfuit Procopius [g], ea ſub iſto belli Gothici anno quinto claudens; vnde eos redarguas, qui referunt ad annum ſuperiorem. At non hic finis eiuſdem belli. Parua enim Gothorum manus minime deſpondens animum, nouum elegit ſibi Regem nomine THEODIBALDVM: quem cum ipſo regni exordio vix mille Gothi ſequerentur, iidem tamen poſtea maioribus in annos ſingulos, nouis creatis Regibus, incrementis aucti, res Romanas (vt videbitur) in maximum diſcrimen adduxerunt. Ita enim plane diuina prouidentia moderans res humanas, reuiuiſcere ad tempus permiſit extinctum in Vitige regnum Gothorum, vt Latinis nimium inſultantes Græcos cohiberet: deleuit vero tandem, vt Arianæ hæreſis error, quo nec afflictati cladibus Gothi carere voluerunt, cum ipſa gente pariter tolleretur.

g Procop. de bel. Goth. l. 2

Theodibaldus novus rex Gothor.

VIII. At in Oriente hoc eodem anno Rex Perſarum Coſrhoes in Romanum Imperium mouens exercitum, nullo obice per Meſopotamiam deſcendit in Syriam, eamdemque deuaſtauit, ciuitatibus dirutis, & habitatoribus aut cæſis aut captiuis factis: interque alias vrbes, Antiochia omnium totius Orientis nobiliſſima potitus, cunctos ciues in ea inuentos internecioni, ipſam vero ciuitatem igni tradidit, excepta maiore tantummodo eccleſia, quam pecunia redemptam voluit eſſe ſaluam, antea tamen ornamentis omnibus ſpoliatam. Sed hæc pluribus Procopius [h]. Quorum malorum cauſa haud dubium extitit violatio Catholicæ fidei toties ab Epiſcopis Syriæ facta, inprimis vero Antiochenis quos ſuperius vidimus: vt plane ſicuti experimento cernimus ampliſſima quæque ruere ædificia, cũ ipſorum fundamenta deficiunt; ita etiam neceſſe ſit peſſumdari florentiſſimas ciuitates atque prouincias, quibus Chriſtianæ religionis deficit fundamentum. Clamant enim hæc vera eſſe omnes quæ ſunt in Aſia, Africa, & Europa, Orientales prouinciæ, traditæ feris barbaris ad multa ſæcula deuaſtandæ.

Antiochia capta a Perſis.

h Id. l. 2. de bel. Perſ.

Dei vindicta ob violatam cathol. fidem.

IX. Huius autem Antiochenæ cladis tempore accidiſſe credi poteſt, vt inde Romam tranſlatum fuerit corpus S. Ignatii eiuſdem ciuitatis Epiſcopi. Iſta vero narrans Procopius, meminit etiam ingentis cuiuſdam miraculi de ligno Crucis Dominicæ, quod Apameæ in Syria accidit; cum idem ſacratiſſimum lignum populo ad adorandum ab Epiſcopo oſtenſum, ingenti flamma ignis ſplendentis non comburentis viſum eſt circumdari. Cuius eti m virtute Apameenſes ab inſultu Coſrhois liberatos eſſe, tradit Euagrius [i] qui miraculo interfuit. Denique ſcribit Procopius, Iuſtinianum Imperatorem tanta perpeſſum, magna demum ignominia pacem à Coſrhoe redemiſſe, perſolutis quinquaginta millibus nummum aureorum, totidemque per annos ſingulos dandis loco tributi pactis.

Miraculum de ligno S. Crucis.

i Evag. l. 4. c. 25.

IESV CHRISTI An. 541.

Iustin. Imp. 15. Theod. Rex.

VIGILII AN. 2.

I. *Conſulatus coepti neglecti* ANnus Chriſti quingenteſimus quadrageſimus primus, Baſilii Iunioris ſine collega Conſulatu notatur: nec poſt hæc amplius aliquis Conſulatus reperitur additus Faſtis; etſi non penitus Conſules eſſe deſiiſſe, ex veteribus monumentis apparet. Ita namque plane Iuſtinianus Imperator eiuſmodi per Conſulatus à maioribus deductã chronologiam paulatim antiquare voluit, illam inducens qua per Imperatoris annos tempora notarentur, adderentur vero Conſules ſiqui eſſent. Cuius quidem mutationis cauſa, haud paruam ſibi peperit ab antiquitatis cultoribus inuidiam. Niſi potius ea fuerit conuertenda in legum conditorem Tribonianum, qui ampliſſimam dignitatem, quam ipſe quod Paganus eſſet conſequi non valeret, aliis inuiderit. Verum ab omnibus in ipſum Imperatorem culpa transfertur; faſtu elatum ægro ferentem ſub alieno potius nomine quam Imperatoris tempora numerari: cum tamen ipſi Imperatori vna cum Imperio iugem inhærere voluerit Conſulatum, vt conſtat ex ipſius conſtitutione [a] de Conſulibus.

a Novel. 105.

II. Porro hic ipſe annus, qui & decimusquintus eiuſdem Imperatoris numeratur, idem à Procopio [b] ſextus ponitur belli Gothici; quo Beliſarius ob ingentem ſibi partam gloriam de recuperata Italia, ab æmulis paſſus inuidiam, in ſuſpicionemque adductus affectatæ tyrannidis, Conſtantinopolim reuocatus eſt: quo & ſecum duxit Vitigem Gothorum Regem eiuſque vxorem necnon liberos Theodebaldi noui Gothorum Regis, aliosque quamplurimos præſtantiores captiuos, vna cum pecunia omni, & regia pretioſaque cetera ſupellectile. De cuius gloria, inſignibuſque virtutibus, & in omnes beneuolentia, necnon de immenſo in eum omnium fauore, pluribus agit Procopius [c].

b Procop. l. 3. de bel Goth.

Beliſarius revocatus ab Italia.

c Ibid. l. 3. in pr.

III. Imperator autem tot à Deo beneficiis auctus illud ei ex more rependit obſequium, vt de S. Eccleſia Catholica quibuſcumque valeret ſtudiis bene mereret, pias ſanctaſque tum pro fide [d] aduerſus hæreticos, tum ad diſciplinam Eccleſiaſticam conſeruandam promulgans ſanctiones, quarum plures extant hoc ipſo anno editæ: atque inprimis il a [e], qua celebrati in prouincia Africæ Byzacena *Concilij* ſtatuta, ad priuilegia Eccleſiarum & diſciplinam Eccleſiaſticam pertinentia, confirmauit. Sed & Calendis Maii Nouellam [f] promulgauit conſtitutionẽ, quadraginta quatuor capitulis diſtinctam, de ordinationibus accuſationibus, aliiſque rebus ad diſciplinam Epiſcoporum, clericorum, ac monachorum ſpectantibus. Verum qua mente tum hæc tũ alia ad res Eccleſiaſticas pertinentia, ſoleret ipſe ſancire decreta, cum ſæpe alias (vt vidimus) conteſtatus fuerit, tum maxime hoc eodem anno alia edita decimo Calendas Martij conſtitutione [g], declarauit ſe id minime agere vt leges Eccleſiæ præſcriberet, ſed vt aliorum querelis pulſatus vindicem ſe canonum ac regularum Eccleſiaſticarum præſtaret. Verum accidit, vt cum vehementiori inuigilaret ſtudio ſuper ſacrorum cuſtodiam canonum, dum videret eos ab iis negligi, qui magis obſeruare deberent, Epiſcopis; aliquando canones ipſe conculcauerit, penituſque peſſum dederit Eccleſiaſticam Oeconomiam. Sic enim ex quadam hoc eodem anno Calendis Februarii edita conſtitutione [h] apparet, præter Ius faſque tunc vſurpatum fuiſſe, vt per prouinciarum Præfectos Epiſcoporum iudicia exercerentur, & ab iis ad maiores Præfectos appellaretur, ac rurſum ſi opus eſſet ad Imperatorem: cum tamen non ſæculares Iudices cauſas cognoſcere Epiſcoporum & inferiorum clericorũ, ſed Synodos Epiſcoporum; & ſi ab his eſſet appellandum, non ad Imperatorem, ſed ad maiores Sedes, ac denique ad Romanum Pontificem recurrendum, docerent ſacræ ſanctorum Patrum regulæ, traditio oſtenderet, vſuſque probaſſet: tunc vero laicis conceſſum ſe his immiſcere; cum vel ad hæreticos aut ſchiſmaticos comprimendos, vel aduerſus potentiores aut diſcordes, ab epiſcopis eſſent in auxilium vocati. Ceterum hæc ipſa quæ fuerunt obiter pertractata, æque videntur ab eodem Imperatore eſſe correcta: ſiquidem nulla eius ſanctio reperitur, qua epiſcoporum cauſas à Præfectis cognoſci voluerit, & ab iis ad alios item ſæculares Iudices, ac denique ad Imperatorem appellari.

d Novel. 109 115. 132.

e Ext. in coll. Iuſt. Iulia. prope fi.

Concil. Byzacenum.

f Novel. 123.

g Novel. 137.

Iuſtinianus canonum vindicem agens, aliquando eos conculcat.

h Novel. 123. in pr.

IV. At vero hoc item anno aliam promulgauit [i] decimoquinto Calendas Aprilis, de eccleſiaſticis titulis & priuilegiis,

i Novel. 131.

DE QVATVOR CONCILIIS ET SEDE CONST. QVID IVSTIN. SANCIVERIT.

legiis, aliiſque multis ad Eccleſiarum iura & xenodochia pertinentibus: qua cum de quatuor Synodis primum decreuiſſet, earum dogmata ſicut Sanctas Scripturas accipi debere, & regulas ſicut leges obſeruari; mox de Sede Cõſtantinopolitana addidit, vt primum locum poſt Romanam teneret; ex earumdem Synodorum definitionibus id ſe non definire, ſed definitum promulgare ſeu confirmare teſtatus. Verum cum tam ex Concilio Oecumenico Conſtantinopolitano, quam etiam Chalcedonenſi id ſibi Epiſcopus Conſtantinopolitanus vendicare conatus eſſet, nec valuiſſet reſiſtente (vt vidimus) S. Leone Papa, Iuſtinianus modo id non tam ex iure canonum ſibi arrogauit, quam contra omne ius faſque præſumpſit. Quo item anno Calendis Iunii alia edita conſtitutione [k], antiquauit priuilegium Eccleſię conceſſum de pręſcriptione centum annorum, quod eſſet litium ſeminarium; ſatis exiſtimans fore quadraginta annorum periodum, vt Eccleſia ſua ſibi vendicare valeret.

k Nouel. 111.

V. SVBDOLA SAMARITAN. CONVERSIO.

l Nouel. 129.

Hoc inſuper anno idem Imperator, quem aduerſus Samaritanos Chriſtianorum hoſtes infenſiſſimos leges ſcripſiſſe vidimus, monitus iam à Sergio Epiſcopo Cæſarienſi eos ad meliorem frugem reſtitutos eſſe, nouam edidi, ſanctionem [l], qua pœnas in eos ſancitas antiquauit. Verum conuerſionem ab eis non ex animo factam, ſed ſimulate vt à pœnis quibus affligebantur, liberarentur, atque parentum hereditatum quibus per leges priuabantur participes eſſe poſſent; teſtatus eſt poſtea Iuſtinus Iunior Imperator aduerſus eos reſcribens [m]: de quorum rurſus ſceleribus dicetur ſuis locis. Hoc vero ipſo anno Iuſtiniani decimo quinto, ponit Cedrenus *Auximitarum* in Æthiopia populorum ad fidem conuerſionem, ex voto Adadi ipſorum Regis, quo ſe obligauit Chriſtianam amplecti religionem ſi victoriam referret de Homeritis Damiani Iudæorum Regis ditioni ſubditis; quorum Adadus regionem vna cum Rege cepit ac poſſedit. Sed hæc anno ſequenti contigiſſe in Miſcella narrantur. Ad Homeritas autem iam antea Euangelium perueniſſe, ſuperius vidimus; ſed rurſum ipſorum Rex Damianus apoſtataſſe videtur.

m Nouel. 144.

AVXIMITARVM CONVERSIO AD FIDEM.

VI. DE MARTYRIO S. PLACIDI.

n ap. Sur. 5. Octob.

Hoc pariter anno Domini quingenteſimo quadrageſimo primo, à Gordiano [n] ponitur conſummatum martyrium S. *Placidi* monachi diſcipuli S. Benedicti, & ſociorũ, in Sicilia à piratis illatum. Sed dum illud conſignat anno Iuſtiniani decimo tertio, dicendum eſſet eos paſſos eſſe anno Domini quingenteſimo trigeſimo nono. Ceterum quamuis eos egregi[u]m conſecutos eſſe coronam martyrii, nullatenus reuocari poſſit in dubium (ſiquidem antiquiores Eccleſię [o] tabulæ inter martyres allectos habent) tamen ab auctore qui ſub nomine Gordiani eam conſcripſit hiſtoriam, multis ipſa reperitur erroribus deprauata, qui & temporum rectæ rationi & hiſtoricæ veritati repugnant. Cuius etiam ſunt generis epiſtolæ [p], quæ ſiue Gordiani, ſiue aliorum nomine apud Leonem Oſtienſem in Appendice leguntur Chronici Caſſinenſis; ac præcipue Iuſtiniani Imperatoris nomine, qua vult ſalua eſſe Caſſinenſi monaſterio, quæ Tertullus Placidi parens, quæue Iuſtinus Senior Auguſtus eidem Cœnobio contuliſſet rura, villas, caſtra, oppida, ciuitates; & municipia ibidem recenſita. Non indiget qui eos primus tantus genuit Pater ſanctiſſimus Benedictus, neque ab eo deſcendens ſancta & generoſa poſteritas per cuncta ſæcula in Eccleſia Dei feliciter propagata, eiuſmodi meritis gloriæ titulis, ſiue ex ſanguinis nobilitate, ſiue ex diuitiarũ amplitudine comparatis: qui etſi nec his caruere, ex virtutibus tamen terræ cœloque ſunt redditi celeberrimi.

o Martyr. Rom. 5. Octob.

p De harum epiſt. ſuppoſitione agit pluribus Gallon. in Reſp. ad monach. Bened. pro defenſione eorum, quæ de his dixerat Baron. edita Romæ an. 1604.

DE FALSO IVSTINIANI PRIVILEGIO.

VII. CONCIL. ARVERNENSE.

Hoc eodem anno, qui poſt Conſulatum Paulini Iunioris reperitur inſcriptus, ex conſenſu Theodoberti Francorum Regis, ſexto Idus Nouembris celebrata eſt ſub *Honorato* Archiepiſcopo Bituricenſi, *Aruernis* in Gallia SYNODVS; cui etſi pauci numero, meritis tamen excelſi quindecim interfuerunt Epiſcopi, quorum plerique egregia claruere ſanctitate: interque illos S. *Gallus* eiuſdem tunc Aruernenſis Eccleſiæ Antiſtes, quem patruum ſuum fuiſſe gloriatur San. Gregorius [q] Turonenſis Epiſcopus, dum multa de eo admiratione quidem di[g]na recenſet. Quod vero adfuiſſe etiam eidẽ Synodo reperitur Flauius Rhemenſis Epiſcopus; ex eo velim obſerues, plane errore deceptos, qui S. *Remigij* eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopi obitum referunt [r] ad annum Domini quingenteſimum quadrageſimum quintum. Nam quomodo ad illud tempus potuit perueniſſe, ſi hoc anno ſediſſe Flauius reperitur, quem & præceſſiſſe ponitur Romanus eiuſdem Sanct. Remigij primus ſucceſſor. Par erat (ſi licuiſſet) Antiſtitis celeberrimi, Francorum Apoſtoli, ex hac vita ad Deum tranſitum certis ſignaſſe die & anno. Sed quod quæ de iis ſcripta feruntur, haud immobili veritate ſubſiſtant, inuiti abſtinere cogimur, & nonniſi hic dumtaxat obiter meminiſſe. Gregorij [s] enim Turonenſis teſtificatione, aſſerentis ſeptuaginta annos & amplius eum ſediſſe, & Hincmari ſeptuaginta quatuor tribuenti, inualuit opinio illa, vt qui creatus habetur Epiſcopus anno Chriſti quadringenteſimo ſeptuageſimo primo, idem perueneritad annum quingenteſimum quadrageſimum quintum. Sed Synodalia Acta maiorem ſibi vendicant fidem; ex quibus liquet neque ad annum ſeptuageſimum perueniſſe.

q Greg. Tur. l. 2. de glor. mart. c. 28.

r Sigeb. in Chron. & alij eum ſecuti.

DE OBITV S. REMIGII FRANC. APOSTOLI.

s Greg. Tur. de glor. Confeſſ. c. 79.

VIII. VETITVM RES ET BENEF. ECCLES. ACCIPERE A REGIB.

t Id. in vit. S. Galli.

Ceterum in hoc Concilio Aruernenſi ſexdecim à Patribus conditi reperiuntur canones, ad diſciplinam Eccleſiaſticam reſtituendam conſeruandamque. Interque alia, damnauere illos qui à regibus bona Eccleſiæ vſui pauperum inſeruientia impetrarent, quique Regum fauore potius quam meritis Epiſcopatus adipiſcerentur. Siquidem ait Gregorius [t] Turonenſis temporibus Regis Theodorici parentis Theodoberti, ſub quo hæc Synodus celebrata eſt, illud iniquum germen cœpiſſe pullulare, vt ſacerdotium aut venderetur à Regibus, aut compararetur à clericis. Cuius[mo]di impietatem patris deteſtatus pius filius Theodobertus, ſanciri voluit Eccleſiaſticas leges, quibus iura antiqua Eccleſiis illibata penitus ſeruarentur.

IESV CHRISTI AN. 542.

IVSTIN. IMP. 16. TOTILÆ REG. 1.

VIGILII AN. 3.

I.

ANNVS Chriſti quingenteſimus quadrageſimus ſecundus, abſque nouis Coſſ. inchoatus, Poſt Baſilii Conſulatum inſcribitur, idemque à Procopio Belli Gothici ſeptimus numeratur. Quo in Italia occiſo Rege Theodebaldo, Gothi euexerunt in regnum ARARICVM: eodemque paucos poſt menſes perempto, TOTILAS Theodebaldi nepos, ingenio & viribus pręſtans, in flagellum dominantium in Occidente Græcorum, Rex creatus eſt. Qui hoc ipſo anno non amplius quam quinque millium Gothorum collecto exercitu, bis collatis ſignis Romanorum exercitum ſuperauit: reliqua vero fortiter ab eo geſta, eademque à Procopio [a] enarrata, ſuis locis memorabuntur.

TOTILAS GOTHOR. REX.

a Procop. de bel. Goth. l. 2.

II. ANTIOCHIA READIFICATA.

Hoc eodem anno Iuſtinianus Imperator adiiciens animum vt incenſam à Coſrhoe Perſarum Rege Antiochiam reſtitueret, non ſolum munitiorem illam reddidit, ſed & magnificentiorem eccleſijs, xenodochijs, theatris, balneis, alijſque ædificijs cum publicis tum priuatis, quæ Procopius [b] deſcripſit.

b Id. de ædif. Iuſtin. l. 2. & ſe.

III. FRANCOR. BELLVM IN HISP.

Quod autem ad res Occidentis ſpectat; hoc eodem anno Rex Francorum Childebertus, vna cum fratre Clotario, aduerſus Theudem Gothorum Regem Arianum in Hiſpania regnantem mouerunt exercitum; victoreſque Cæſaraugustam vſque peruenientes; accepta ab obſeſſis illius vrbis ciuibus S. Vincentii martyris ſacra Tunica (cuius per muros in ieiunio & fletu, ac cum pſalmodia Eccleſiaſtica circumductæ, mirabili virtute ciuitas eſt ab eorumdem Francorum inuaſione defenſa) aliiſq; ſacris Sanctorum Reliquiis, in redemptionem obſidionis; ſubacta magna Hiſpaniæ parte, cum ingentibus ſpoliis in Gallias reuerterunt ouantes. De tempore fidem facit Sigebertus:

c Greg. Tur. 3. hiſt. Franc. 29.
d Aimoin. 2. hiſt. Fr. 19.

RELIQVIÆ EX HISP. IN GAL. ASPORTATÆ.

rem autem geſtam exactius narrant Gregorius [c] Turonenſis, & Aimoinus [d]. Hic tamen errare in eo videtur, dũ ſub S. Germano Pariſino Epiſcopo ea geſta ponit, quem longe poſt ſediſſe conſtat. Sub eo tamen S. Germano factum eſt, vt idem Childebertus Rex anno regni ſui quadrageſimo octauo, qui fuit Chriſti quingenteſimus ſexageſimus primus, Sanctorum Reliquias ab Hiſpanis acceptas, aliaſque plures, vna cum parte Ligni S. Crucis, honorifice recondiderit in templo, quod in honorem S. Vincentii ſumptuoſe Pariſiis extruxit, multiſque prouentibus dotauit; vt ex eodem Aimoino conſtat: qui amplius habet eumdem S. Germanum ad eamdem baſilicam aliis quoque ſpiritualibus muneribus locupletandam, ad loca Sancta in Orientem profectum, à Iuſtiniano Imperatore dono accepiſſe partem Coronæ Chriſti ſpineæ, Sanctorumque reliquias Innocentium, & Brachium S. Georgii martyris; eaque in prædicta baſilica collocaſſe. A quo tempore multum viguiſſe S. Vincentii in Galliis cultum, teſtes ſunt etiam Venantius [e] Fortunatus & Gregorius [f] Turonenſis. Conſtatque inſuper, eumdem Childebertum Regem maxime pium, quæ ante expeditionem ædificare vouiſſet templa in honorem SS. Auiti [g] Euſichii [h], quorum prædictione & protectione victoriam reportauit, poſt reditum inſigniter extruxiſſe. Ceterum cum Scriptores veteres, de adepta victoria Childeberti omnes æque teſtentur; quidnam eſt, rogo, quod apud Chronicon Iſidori legitur, Theudem quinque Francorum Reges Cęſarauguſtam obſidentes debellaſſe? Quinam enim quinque iſti Reges? & vnde victor Theudes, quem victum eſſe liquet? Hæc igitur facile (puto) conſenſeris ab aliquo fuiſſe ad Iſidorum appoſita, magis quam ſanctum virum eſſe mentitum.

e Ven. Fort. l. 1. c. 8. & 9.
f Greg. Tur. de glor. mart.
g Act. S. Auit. ap. Sur. 17. Iuny.
h Greg Tur. de glor. Confeſ. c. 82.

IV. DE TEMPORE OBITVS S. BENEDICTI.

IV. Hoc item anno Domini quingenteſimo quadrageſimo ſecundo, ponitur à pluribus obitus *S. Benedicti* in Caſſino monte; idque ipſum aſſeritur in Chronico Caſſinenſi: quod tamen minime nobis probatur. Etenim quomodo hoc anno menſe Martio dicere poſſumus ipſum eſſe defunctum, cum necdum creatus eſſet Totilas Rex Gothorum, quem hoc anno occiſo Theodebaldo præceſſit Araricus; cum tamen ſatis ex S. Gregorio certum ſit, S. Benedictum ſæpius cum eodem Totila regnante miſcuiſſe ſermones? Quare prudentius Leo Oſtienſis aſſerit ipſum defunctum potius anno ſequenti, Domini ſcilicet quingenteſimo quadrageſimo tertio. Qui vero cum tradidit deceſſiſſe anno Chriſti ſexcenteſimo tertio Marianus Scotus, longius errauit. Verum hæc dicta ſunto ad redarguendos potius de tempore eius obitus vulgatos errores, quam ad certum annum nobis incertum ſtatuendum: cum illud quidem certum ſit, plura ab eo poſt hæc præclare geſta eſſe.

IESV CHRISTI AN. 543.

IVSTIN. IMP. 17. TOTILÆ REG. 2.

VIGILII AN. 4.

I. ANnus Chriſti quingenteſimus quadrageſimus tertius, Poſt Baſilii Conſulatum ſecundus inſcribitur, idemque à Procopio octauus Belli Gothici numeratur. Quo (vt ipſe [a] pluribus deſcribit) Totilas Gothorum in Italiam Rex, Samnio; Campania, Apulia, Calabria, aliiſque prouinciis atque ciuitatibus potitus eſt, ipſamque Neapolim poſt longam obſidionem in deditionem accepit. Quid vero ipſi, eiuſque Ducibus in ea expeditione acciderit cum ſanctis aliquibus viris, atque inter alios cum ipſo ſanctiſſimo Benedicto, & quæ miracula tunc ab iis edi contigerit, narrat abunde San. Gregorius [b] Papa in ſuis Dialogis. Tantum autem ex S. Benedicti monitis profeciſſe Totilas reperttus eſt, vt redditus mitior multa in illis regionibus humanitatis & continentiæ exempla ediderit: vnde factum eſt quod de eo ſcribit Procopius; eius vt nomen ſicut fortitudinis & ſapientiæ, ita benignitatis atque iuſtitiæ celebre apud Romanos fieri cœperit.

a Procop. de bel. Goth. l. 3.
b Greg Dial. l. 1. c. 2. l. 2. c. 14. 31. l. 3. c. 1. 5. 6. 12. 18.

TOTILAS S. BENEDICTI MONITIS MITIOR FACTVS.

II. Hoc item anno rurſum rupto fœdere Rex Perſarum Coſrhoes in Romanum Imperium immiſit exercitum: cum Beliſarius in Perſidem miſſus, vno tantum caſtro capto, eodemque poſtea amiſſo, nihil præterea memoria dignum egit; inuadente Romanum exercitum ægritudine, adeo vt vix pars eius tertia ſeruari potuerit: quæ omnia fuſe Procopius [c].

c Procop. de bel. Perſ. l. 2.

IESV CHRISTI AN. 544.

IVSTIN. IMP. 18. TOTILÆ REG. 3.

VIGILII AN. 5.

I. ANnus Chriſti quingenteſimus quadrageſimus quartus, notatus reperitur poſt Baſilii Conſulatum tertio; idemq; à Procopio numeratur Belli Gothici nonus. Quo Totilas Romam cogitans, eam prius litteris ad Senatum ſcriptis, quam armis tentare decreuit: ſed cum Ioannes Præfectus Conſtantinopoli olim miſſus, Senatum reſcribere vetuiſſet; indignatus Totilas, ad Vrbis obſidionem exercitum mouit: cum iſtis admonitus Iuſtinianus, Beliſarium è bello Perſico reuocans, in Italiam miſit. Hæc ſunt quæ pręſenti anno Procopius [a] accidiſſe tradit. Additque, eodem tempore omnes qui Arianę hæreſis Romæ ſuſpecti haberentur, ne proderent Gothis itidem Arianis Vrbem, inde pulſos eſſe: quod opera factum creditur Vigilii Papæ. A quo & illud procuratum eſſe, vt iterum Beliſarius in Italiam mitteretur, innuere videtur *Arator* S. R. E. ſubdiaconus, dum in præfatione ad ipſum Vigilium præfixa nobili heroico carmini, quo luculenter hoc ipſo tempore Acta Apoſtolorum à S. Luca conſcripta cecinit, ait Vigilii opera Vrbem liberatam eſſe.

RVRSVM BELISARIVS MITTITVR IN ITALIAM.

a Procop. de bel. Goth. l. 3.

II. Hoc item anno ponitur à Procorpio [b] tertia Coſrhois in Romanorum ditionem irruptio; cum Sergiopolim tentauit ciuitatem, quæ S. Sergii patrocinio diuinitus defenſa, illæſa permanſit; vt narrat Euagrius [c] & ipſe huius ſæculi auctor.

b Id. de bel. Perſ. l. 2.
c Euagr. l. 4. c. 27.

III. Hoc quoque anno lues magna in Oriente graſſari cœpit, orta ab Ægyptiis qui apud Peluſium habitant, immiſſaque per Angelos malos humana ſpecie hominibus apparentes; cuius multos ac mirandos effectus deſcripſit Procopius [d]: alia vero ab eo prætermiſſa, ſed & nonnulla diuerſa Euagrius [e] addidit; cum videlicet idem morbus progreſſu temporis varias mutationes acciperet. Eum enim ætatem Procopii longe prætergreſſum eſſe oportuit. Siquidem ait Euagrius annos quinquaginta duos (poſt quos hæc ſcriptis mandaſſe ipſe teſtatur) inter homines graſſatum eſſe; neque Orientem ſolum ab eo, ſed vniuerſum ferme terrarum Orbem depaſtum eſſe, nonnullaſque vrbes penitus habitatoribus orbatas. Quod vero tribus tantummodo menſibus (vt Procopius ſcribit) Conſtantinopoli præualuerit, miraculo tribuitur; quod licet nec à Procopio vel Euagrio recenſeatur, haud tamen obliuione ſepultum eſt. Nam tantum beneficium, S. Dei genetricis interceſſione acceptum, ſolemni die feſto in honorem ipſius inſtituto remanſit poſteris perpetua memoria conſignatum die ſecunda Februarii; cuius meminerunt, præter publicas Græcorum [f] tabulas, alii tum Græci tum Latini auctores: qui quidem *Hypapanti* eſt nominatus, nempe humilis Occurſus Simeonis, cum Deipara ſuum Filium Dominum noſtrum IESVM Chriſtum in templum intulit. Eius autem feſtiuitatis in Occidente viſus eſt Gelaſius Papa ieciſſe fundamenta, cum abſtulit Lupercalia, menſe Februario agi ſolita, vt ſcribit Varro [g]. Sed ex Procopio, qui hæc præ oculis habuit, corrigas neceſſe eſt, quod hanc peſtem alii decimo Iuſtiniani anno, alii nono, vel alii alio contigiſſe dixere. Cum vero idem Imperator accepiſſet Perſas quoque ea laborare, miſit aduerſus eos exercitum, qui ab eis ignominioſe fugatus eſt ac trucidatus: quod pluribus narrat idem auctor.

PESTIS IMMISSA PER ANGELOS MALOS.

d Procop de bel. Perſ. l. 2.
e Euagr. l. 4. c. 28.

DEIGENITRIX PESTEM SEDAT CONSTANTINOPOL.

f Menolog. Miſſ. an. 15. Iuſtin Niceph. l. 17. c. 28. Ced. in comp. Sige. in Chron. an. 542.
g Var. de ling. Lat. l. 5.

IV. Hoc quoque anno defuncto S. Cæſario Epiſcopo Arelatenſi, in locum eius Auxanius ſubſtitutus eſt: qui cum

AVXANIVS

ARELAT. VICARIVS FACTVS VIGILII PP. IN GAL.

per legatos pallium petiiſſet à Vigilio Papa, hicque dare diſtuliſſet abſque notitia Imperatoris; tandem anno ſequenti, petente Childeberto Francorum Rege, & conſentiente Iuſtiniano Imperatore, eidem non modo pallium miſit, ſed & vices ſuas in Gallia delegauit: ſicut de his patet ex duabus epiſtolis [b] ab ipſo Vigilio ad eumdem Auxanium, aliaque ad omnes Epiſcopos ſub regno Childeberti conſtitutos, ſcriptis decimoquinto Calendas Nouembris huius anni, & vndecimo Calendas Iunii anni ſequentis, nempe Poſt Conſulatum Baſilii tertio & quarto: quibus etiam eumdem Antiſtitem hortatus eſt, vt pacis fœdera inter Iuſtinianum & Childebertum integra cuſtodiri procuraret.

b Rec. Bar. Annal. To. VII. hoc & ſeq. an.

IVSTIN. IMP. 19. TOTILÆ REG. 4.

IESV CHRISTI AN. 545.

VIGILII AN. 6.

I.

a Miſcel. lib. 16.

DONA OBLATA S. PETRO A BELISARIO.

Annus Chriſti quingenteſimus quadrageſimus quintus, Poſt Baſilii Conſulatum quartus, à Procopio Belli Gothici decimus numeratur: cuius initio Beliſarius iterum in Italiam aduenit: Totilas autem Tibure per proditionem potitus, ciues omnes vna cum Epiſcopo internecioni ſubiecit. Cum quo non valens Beliſarius collatis ſignis decernere, ipſe in Æmilia conſtitutus miſit Romam ex ſuis qui Vrbem pro viribus tutarentur. Quod autem in Miſcella [a] legitur, Beliſarium ipſum ſe Romam contuliſſe, atque crucem auream centum librarum, pretioſiſſimis gemmis exornatam, in qua ſuas victorias deſcripſerat, per manus Vigilii Papæ Beato Petro obtuliſſe: id quidem per ſuos factum oportuit: etenim eum minime eſſe Vrbem ingreſſum, ex Procopio res ſingulas exactiſſime proſequente colligitur. De Cruce vero, aliiſque multis donis à Beliſario oblatis, eſt etiam teſtis Anaſtaſius in Vigilio.

II.

b Procop. de bel. Perſ. l. 2. c Euagr. l. 4. c. 26.

VIRTVTE IMAGINIS CHRISTI EDESSA DEFENSA.

Hoc eodem anno decimonono Iuſtiniani Imperatoris, quarta à Coſthoe aduerſus Romanum Imperium expeditio facta eſt, qua ipſo primo egreſſu obſedit Edeſſam; ſed ita vt non iam contra homines, ſed contra Deum ipſum Chriſtianorum bellum eſſet, vt ſcribit Procopius [b]. Quomodo autem id acciderit, cum Euagrius [c] teſtetur ſe à Procopio accepiſſe, nec tamen apud ipſum Procopium legatur; dicere neceſſe eſt mutilum locum illum Procopii. Narrat autem Euagrius, cum intellexiſſet Coſthoes omnium illius regionis Fidelium ſermone celebrari quamdam promiſſionem à Chriſto factam, quod nunquam Edeſſa ab hoſtibus ſubiugari deberet; ipſum eo animo ciuitatis eiuſdem obſidionem ſuſcepiſſe, quo illam traditionem falſam eſſe conuinceret: verum diuina virtute ſacratiſſimæ Imaginis Chriſti. Non manu-factæ, quam Edeſſeni ab ipſo Domino (vt vidimus) miſſam Abgaro ipſorum Regi ſumma veneratione colebant, machinis Coſthois incenſis atque dirutis, profligatoque exercitu, eumdem illinc ignominioſe receſſiſſe. Hæc pluribus Euagrius, quæ apud Procopium deſiderantur: quamuis & ipſe multa alia habeat, quibus diuina virtus in tuenda ciuitate enituit. Qui & ad poſtremum addit, à Iuſtiniano Imperatore redemptas fuiſſe auro ab eodem Coſthoe quinque annorum pacis inducias.

III.

ERRATVM IN ORIENTE IN DIE PASCHATIS.

d Theod. in Miſcel. an. 19 Iuſtin. Cedr. hoc an. & alij.

CONCIL. AVREL. IV.

Hoc idem anno cum Græci tum Latini hiſtorici [d] tradunt, de Paſchatis tempore ex Iuſtiniani Imperatoris definitione Conſtantinopoli erratum eſſe. Ita namque permittit Deus, vt cum ſacris ſe immiſcent Principes, & quæ ſunt ſacerdotum ſibi vſurpant, in errorem labantur. Porro in Occidente pariter de Paſchatis die huius anni exortam eſſe controuerſiam, intelligi poteſt ex CONCILIO QVARTO AVRELIANENSI hoc tempore celebrato (quamuis enim certus non ponatur eius annus: ei tamen præſentes fuiſſe leguntur iidem ferme Epiſcopi qui ante annos quinque interfuerant Tertio in eadem ciuitate habito) cuius primi duo canones conditi ſunt de tempore Paſchæ, & quis illud indicere deberet (aduerſus temeritatem, vt apparet, Iuſtiniani Imperatoris) nempe Epiſcopus Epiphaniorum die, & ſi quando de eo dubitaretur, tunc per Metropolitanos Sedes Apoſtolica conſuleretur. Quod autem pertinet ad Cyclum Victoris, qui ita commendatur ab ea Synodo, vt tamen vbi aliqua emergeret ambiguitas, eſſet conſulenda Sedes Apoſtolica: auctor illius fuit Victor Epiſcopus Capuanus, doctrina & ſanctitate celebris: quem Beda [e] dicit his temporibus illum ſcripſiſſe ad confutandum Cyclum Victorini Aquitani, qui ſcripſerat tempore Hilari Papæ vt ex Gennadio vidimus. Verum non hoc anno, ſed poſt Conſulatum Baſilii nouies, ex Victoris ſeu Victorini cyclo obortam eſſe aliam controuerſiam, idem Beda [f] affirmat. Qui vero confectus eſt tunc temporis Paſchalis Cyclus ad euitandos errores, anno poſt ſequentem, Chriſti quingenteſimo quadrageſimo ſeptimo: extat, ſed mutilatus ex parte, inter Antiquas Inſcriptiones [g] in Appendice.

QVANDO ET A QVO INDICENDVM PASCHA.

e Bed. de 6. ætat. ſub Iuſtinia.

f Id. de tem. rat. c. 49. in fi.

g Pag. 1161. num. 5.

IV.

TYRANNI IN AFRICA.

h Procop. de bell. Vand. l. 2.

Hoc item anno Iuſtiniani decimonono, miſſus Areobindus maritus filiæ ſororis Imperatoris in Africam: à Guntharide ſibi ſubiecto Duce (ſub quo aduerſus Mauros VVandali militabant) iam effecto tyranno, necatus eſt contra fidem præſtitam. Reparato Epiſcopo Carthaginienſi. Poſt dies vero triginta ſex idem Guntharis dolo necatus, & ipſe eſt ab Artabane Duce, quem conuiuio exceperat. Hæc diffuſe Procopius [h]: poſt quæ finem imponit hiſtoriæ de bello VVandalico in hunc vſque annum conſcriptæ. quod quidem feliciſſime inchoatum, ac pene abſolutum: denuo reſtauratum, difficilimumq; in dies redditum eſt crebris defectionibus populorum, emergentibus nouis tyrannis: poſtquam Imperator, ſiue eius miniſtri, ſacrilege agentes, in Inſula Romanum Pontificem mori impie coegerunt.

IVSTIN. IMP. 20. TOTILÆ REG. 5.

IESV CHRISTI AN. 546.

VIGILII AN. 7.

I.

a Id. de bell. Goth. l. 3.

TOTILA CRVDELITER AGIT IN EPISC. CATHOL.

b Greg. l. 3. dial. 11.

Anno Chriſti quingenteſimo quadrageſimo ſexto, Poſt Conſulatum Baſilii quinto, eodemque Belli Gothici vndecimo à Procopio numerato, Totilas Spoletum in deditionem accepit, Peruſiumque poſt longam obſidionem dolo occupauit. Pluribus hæc Procopius [a]. Sed quomodo tunc contigerit, *S. Herculanum* ciuitatis Peruſinæ Epiſcopum, eiuſdem Totilæ iuſſu ſubire martyrium, San. Gregorius [b] narrat: verum apud eum pro ſeptem annis quibus corrupte legitur duraſſe obſidio Peruſii, reſtituendi ſunt ex Procopio ſeptem menſes. Inde vero mox crudelis barbarus (qui de ferocia ſua monitis S. Benedicti aliquid ad tempus remiſiſſe viſus, eandem duplo reſumpſit) ad Vrbem obſidendam pergens, octauo ab ea milliario *S. Cerbonium* Populanii Epiſcopum, quod milites quoſdam Romanos à Gothorum crudelitate, abſcondendo ſeruaſſet, coram omni populo obiecit vrſo dilaniandum. Sed cum illum viſus intactum relinqueret, immo & adularetur, ac pedes lamberet: ipſe quoque ferus barbarus à fera beſtia humanitatem diſcens, ad eiuſdem Epiſcopi venerationem permotus eſt. Narrat hæc idem S. Gregorius [c]. Porro ipſum Totilam benignum ſe erga cultores agrorum, cum ad Vrbis obſidionem veniret præbuiſſe, ſed obſeſſis ciuibus fame laborantibus omnem commiſerationem denegaſſe, Procopius docet.

c Ibid. c. 11.

II.

IVSTIN. IMP. EDICTVM ADVERSVS TRIA CAPITVLA.

d Lib. Breuiar. c. 24.

Hoc item anno Pelagius S.R.E. diaconus, functus munere Apocriſarii apud Iuſtinianum Imperatorem Conſtantinopoli, accepto ſucceſſore Stephano pariter diacono, Romam rediit: vt Procopius teſtatur, dum ait ipſum haud diu ante Vrbis obſidionem à Totila factam eſſe reuerſum. Cuius abſentiæ nactus occaſionem Iuſtinianus, quod illo reſiſtente minime peragere potuiſſet, cõfeſtim, ex ſententia Theodori Archiepiſcopi Cæſareæ Cappadociæ Pelagii æmuli, aduerſus Tria Capitula compoſitum ab eodem Theodoro Scriptum, propria ſui ipſius nomine promulgauit. Id enim cum Liberatus [d] inprimis tradat,

e Facund. defenſ. Capitul. l. 2.
f Ext. To. 2. Concil. in Vigil.

Facundus [e] etiam Hermianenſis in Africa Epiſcopus, & ipſe res ſui temporis ſcribens aſſirmat, necnon Vigilius Papa in ſententia [f] aduerſus eundem Theodorum poſtea prolata. Hic autem Iuſtiniani nomine ſcriptus libellus, ſiue potius edictum dixerimus, illud ipſum eſt valde prolixum (quippe quod omni genere doctrinæ refertum, omnique ex parte conſtans eſſe Theodorus voluit, additis etiam aduerſus diſſidentes quatuordecim anathematiſmis) quod ſub mendaci appoſita à librario ad Ioannem Papam inſcriptione hactenus lectum fuit: cum ex iis quæ ſuperius dicta ſunt liquido conſtet, non ante præſens tempus potuiſſe eſſe conſcriptum, præcedentibus primum quas vidimus Theodori cum Pelagio diacono controuerſiis, quæ ſub Papa Vigilio & non alio contigerunt.

III. CAVSA TRIVM CAPP. SVMMATIM RELATA.

Quod vero ad ipſius argumentum attinet: etſi demum poſt obortas ea de re quamplurimas controuerſias, Catholica Eccleſia ſententiam Imperatoris contra Tria Capitula ſit ſecuta: hoc tamen exordio propoſitæ quæſtionis, aſſertæque ab Imperatore ſententiæ, contra eadem complures Orthodoxi, immo & ipſe Vigilius Romanus Pontifex, quaſi vindices Chalcedonenſis Concilii, in cuius præiudicium ea viderentur ab Imperatore ſancita, inſurrexere: non quidem vt defenderent errores qui dicerentur reperti in commentariis Theodori Mopſueſteni, aut in epiſtola Ibæ, vel in ſcriptis Theodoreti aduerſus Cyrillum: ſed pro perſonis ipſis agerent, contendentes non eſſe damnandos, Theodorum, quem indemnatum à Patribus in Catholica communicatione conſtaret eſſe defunctum: aut Ibam & Theodoretum, quos damnantes hæreſes, Chalcedonenſis Synodus recepiſſet. Ideoque de perſonis, & non de fide quæſtionem fuiſſe, Gregorius [g] Magnus optime notauit. At cū perſpicue cognitum fuit, nequicquam eſſe derogatum eidem Chalcedonenſi Concilio per damnationem Trium Capitulorum, ipſa inprimis Apoſtolica Sedes, eandem Imperatoris edicto primū promulgatam, & poſtea per Quintam Synodum confirmatam aſſertionem, probauit atque retinuit: & qui deinde ab ea diſſenſere, vt ſchiſmatici habiti ſunt atque reiecti: cum alioqui ante huiuſmodi nouiſſimum Apoſtolicæ ſedis aſſenſum, nō fuerit piaculum pro Tribus pugnare Capitulis. Hæcque eſt ſumma totius hiſtoriæ immo tragœdiæ, vtpote per quam damna plurima Eccleſiæ noſcantur illata, cum ipſi Catholici inter ſe digladiantes (neq; enim, vt diximus, Catholicorum cum hæreticis, ſed Catholicorum tantummodo ipſorum hoc fuit certamen, qui omnes ſaluum vellent Chalcedonenſe Concilium) vix tandem concordiam inire voluerunt.

g Greg. l. 1. ep. 17.

IV. QVINAM CONSENSERINT, VEL RESTITERINT IMP. IN CAVSA TRIVM CAPP.

h Facund. l. 1.

Cum igitur ea omnia velamento quodam pacis cum Acephalis ineundæ (vt ex Liberato ſuperius vidimus, & Facundus [h] confirmat) ab eodē Imperatore agerentur: quod tamen ſuas ſciret de Fide conſtitutiones nullius eſſe roboris, niſi ab Epiſcopis auctoritatem acciperent: hæc ipſe animoſius Præſulibus ſubſcribenda ingerens, effecit vt Mennas Conſtantinopolitanus, Zoilus Alexandrinus, Ephræm Antiochenus, Petrus Hieroſolymitanus, aliique permulti Orientales Epiſcopi, primo quidem ſubſcribere renuentes: ſed poſtea ſiue blanditiis ſiue terroribus compulſi, ei ceſſerint: cui ex altera parte Stephanus Apoſtolicæ Sedis Apocriſarius, vna cum Dacio Epiſcopo Mediolanenſi, & ipſo Conſtantinopoli tunc degente, atque in Occidente Pelagius Romam nuper reuerſus, necnon Africani Epiſcopi, ipſeque inprimis Vigilius Papa, cum verbis tum ſcriptis valide reſtiterunt: adeo vt & iidem ipſi mox Orientales coactam ſuam ſubſcriptionem deteſtantes, Romanum Pontificem conſuluerint, proteſtati ſententiam ſe retractaturos ſi eam ipſe non probaret: quod præcipue Mennas ab Stephano redargutus præſtitit, conteſtatus ſub ea ſe conditione ceſſiſſe, quod iuratum ipſi fuiſſet, ſuum ſe chirographum recepturum ſi ea Romanus Epiſcopus non probaret: prout hæc omnia pluribus narrat Facundus [i].

i Id. l. 2. & 4.

V. VIGIL. PP. ACCERSITVR AD IMP.

Quare cum cerneret Imperator, primarum ſedium Orientalium ſuſpenſam eſſe ſententiam ad Romani Pontificis arbitrium, & ex eius definitione tanquam legitimi Vniuerſalis Eccleſiæ moderatoris cuncta pendere: idem Vigilium Papam ſumma celeritate Conſtantinopolim accedere rogauit: qui nihil remoratus, hoc ipſo anno receſſit ab Vrbe. Cuius profectionis cum alias Anaſtaſius Bibliothecarius cauſas aſſerit, atque ſubtractum violenter ab Vrbe, inſectatumque iurgiis & blaſphemiis tradit: aperti erroris ex Facundo & Procopio ambobus huius temporis ſcriptoribus redarguitur. Sed Vigilii Conſtantinopolim acceſſionem magnum intuliſſe Catholicæ Eccleſiæ damnum, declararunt euenta: quibus etiam demonſtratū fuit, quam prudentiſſime egerint prædeceſſores Romani Pontifices, S. Leo & alii: dum vocati ſæpe ab Orthodoxis licet Imperatoribus in Orientem, nunquam paſſi ſunt ab ipſa fixa Romæ ſede diuelli.

VI. QVID VIGILIVS IN SICILIA.

Hoc igitur anno, qui (vt dictum eſt) à Procopio belli Gothici vndecimus numeratur, Vigilium Papam Roma receſſiſſe, & in Siciliam perueniſſe idē aſſirmat. Ibi vero Dacium Mediolanenſem Epiſcopum Conſtantinopoli venientem obuiam habuiſſe, & legatum ſuſcepiſſe à Zoilo Epiſcopo Alexandrino miſſum: ſed & multas vndiq; prouincias ab eo poſtulaſſe vt nullatenus edicto Iuſtiniani acquieſceret, ideoque ipſum literis libelliſque iis qui conſenſerant comminatum eſſe, atque aliis literis per Legatos ab Imperatore petiiſſe nequid innouari pateretur: hęc inquam, omnia Facundus [k] tradit dum Vigilius in Sicilia ageret geſta eſſe. Procopius autem addit [l], eundem Pontificem diutius illic manſiſſe, indeque vt laboranti fame Vrbi ſuccurreret, magnum nauium numerum frumento onuſtarum Romam tranſmiſiſſe, ſed eas cum ad Portum Romanum appellerent, in hoſtium poteſtatem veniſſe, vectoreſque occiſos, & Valentinum Epiſcopum ibidem inuentum vtraque manu truncatum eſſe. Fuiſſe autem hunc *Valentinum* Epiſcopum Siluæ Candidæ, alio titulo SS. Ruffinæ atque Secundæ, miſſumq; à Vigilio in Vrbem vt ibi Vicarius conſideret: Anaſtaſius tradit. Additque Vigilium in Sicilia commorantem, Catanæ ordinationem habuiſſe menſe Decembri. Dum vero ſubdit, eodem mēſe in Vigilia Natalis Domini perueniſſe Conſtantinopolim, tum ab eadem ſua ipſius aſſertione redarguitur, tum à Procopio, qui docet Vigilium nonniſi poſt exactam hiemem è Sicilia diſceſſiſſe.

k Id. l. 4.
l Procop. de bel. Goth. l. 3.

VII. AVREL. ARELAT. VICARIVS PAPÆ IN GAL.

Hoc eodem anno cum Auxanius Arelatenſis Epiſcopus ex hac vita migraſſet, in locum eius ſubrogatus eſt Aurelianus: quem Vigilius Papa, petente Childeberto Francorum Rege, & conſentiente Iuſtinianeo Imperatore, Vicarium ſuum eſſe decreuit: eodē prorſus modo, quem in Auxanio obſeruatum vidimus: vt patet ex literis [m] ab eodem Vigilio hoc anno poſt Conſulatum Baſilii quinto, vndecimo Calendas Septembris, datis cum ad ipſum Aurelianum, tum ad cæteros Galliarum Epiſcopos ſub regno Childeberti conſtitutos.

m Rec. Bar. Annal. To. VII. hoc an.

VIII.

Hoc item anno Ephræm Epiſcopus Antiochenus ex hac vita migrauit, & in eius locū *Domnus* eius nominis ſecundus eſt ſubrogatus: vt Nicephorus habet in Chronico. Qui autem eum anno ſuperiori diem obiiſſe putarunt: ex his quæ ipſum hoc anno egiſſe cum Iuſtiniano Imperatore ex Facundo vidimus, erroris conuinci videntur. Idemque dicendum de Petro Epiſcopo Hieroſolymitano, quē eadem ratione non ante præſentem annum diem obiiſſe oportuit: in cuius locum ſuffectum eſſe *Macarium* æque eius nominis ſecundum, tam Euagrius quam Nicephorus tradunt. De quo quidem eſt honeſta & prolixa mentio in Vita [n] S. Gregorii Epiſcopi Agrigentini, qui ab eo creatus eſt diaconus: eidemque ſpiritus prophetiæ tribuitur.

n Ap. Sur. 23. Nouemb.

IESV CHRISTI AN. 547.

IVSTIN. IMP. 20. TOTILÆ REG. 6.

VIGILII AN. 8.

I. TOTILAS VRBEM PRODITIONE CAPIT

ANNO Chriſti quingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, Poſt Conſulatum Baſilii ſexto, belli Gothici duodecimo, obſeſſa à Totila Vrbs cum grauiſſima premeretur

inedia

inedia, nec valuiſſet Pelagius diaconus à Romanis ad eundem Regem miſſus, paucorum illis dierum inducias his conditionibus impetrare, vt ſi intra conſtitutum tempus nemo ipſis ſuppetias veniret, iidem ſe vrbemq; ſine mora ei proderent: cumq; in tantum creuiſſet fames, vt cætero omni victu (etiam animalium quorumcunq; immundiſſimorum, atque herbarum impuriſſimarum) deficiente, purgamentis iam & ſtercoribus ciues vterentur, nonnulli etiam manus ſibimet præ deſperatione inferrent: ad poſtremum cum copiæ miſſæ Conſtantinopoli ab Imperatore variis in via bellis detentæ, & à Gothis profligatæ eſſent: tandem milites quidam Iſauri, pacta à Totila mercede, ipſum per portam Aſinariam noctu in Vrbem introduxerunt, plurimis Romanis militibus vna cum ducibus aufugiétibus, paucis ad eccleſias cum ciuibus ſe recipientibus. Quo tempore conſtat è plebe homines ad quingentos tantummodo in Vrbe reſides fuiſſe, cum cæteri omnes iam antea in alias ſe contuliſſent terras, vel fame ac lue abſumpti periiſſent.

II. Quid Totilas cum Romanis.

Cæterum Totilas hac victoria benigne vſus, primum omnium orandi gratia S. Petri baſilicam ingreſſus, Pelagii diaconi victus precibus, licet Vrbis prædam militibus conceſſerit, ciuium tamen vitam (exceptis nonnullis iam antea à militibus occiſis) ac præcipue fœminarum pudicitiam, per omnia cuſtoditam haberi voluit. Tunc vero miſerandum illud accidit, vt Romanorum primores tam viri quam fœminæ, amiſſis omnibus fortunæ bonis, domos circumeundo cibum dari ſibi ſuppliciter precarentur. Poſt quæ miſſi à Totila idem Pelagius, & ex Vrbis rectoribus præcipuus Theodorus, ad Iuſtinianum Imperatorem, pacem ab illo Gothis petituri, cum reſponſum ab eodem accepiſſent, Beliſario ſe liberam dediſſe poteſtatem ea pertractandi quæ ad Totilam pertinerent: exacerbatus barbarus quod ab oblata pace ſe videret excludi, atque interim in Lucania cladem accepiſſet, Vrbem ad ſolum delere decreuit. Verum ipſius Beliſarii, hoſtis licet, literis ac ſalutaribus monitis ab eo cõſilio diſtractus, muris tantum ex parte dirutis, quo videlicet facilius cum vellet ad eam regredi liceret, ipſe aduerſus hoſtes progreſſus, apud Lucanos primum, inde Calabros pugnauit. Cum inter hæc Beliſarius Vrbem aggreſſus ingreſſuſque, muros dirutos (vt licuit) confeſtim inſtaurauit, foſſiſque muniuit: adeo vt reuertentem ad eius oppugnationem Totilam omnino repulerit. Huncque tandem finem res Vrbis animi huius habuerunt: quas omnes diffuſe Procopius [a] deſcripſit.

Beliſar. vrbem recuperat.

a Procop. lib. 3. de bel. Got.

III. Vigil. Pap. aduentus Cóſtantinop.

Hoc item anno tranſacta hieme (vt idem auctor ſcribit) Vigilius Papa è Sicilia ſoluit Conſtantinopolim. Vbi honorifice ab Imperatore ei obuiam facto (vt tradit Anaſtaſius) & à populo cantante, *Ecce aduenit Dominator Dominus, &c.* receptus: dum pro Tribus Capitulis maximam inter Epiſcopos concitatam reperit eſſe diſcordiam, collecta eorum qui aderant Synodo triginta Epiſcoporum, cum nec in ea aduerſæ inter ſe partes cõcordare poſſent, decreuit vt quæ quiſque ſentiret & quibus rationibus comprobaret, ſcriptis proderent. Tuncque opportune accidit, vt inter alios *Facundus* Hermianenſis in Africa Epiſcopus doctrina clarus, Conſtantinopoli eo tempore agens, reſponſionem ederet: moxq; ampliorem commentarium quam diſertiſſimum duodecim libris partitum, pro defenſione Trium Capitulorum compoſitum offerret Iuſtiniano Imperatori, cum adhuc Vigilius Papa aduerſus oppugnatores eorundem Capitulorum laboraret.

IV. Quid Vigil. egerit de tribus cap.

Qui quidem Vigilius ambarum partium defenſionibus acceptis, videns nihil afferri præiudicii Chalcedonenſi Concilio vel Catholicæ fidei, quam quis partem tueretur, cum re vera omnes æque damnarent errores qui fuerant Theudori, Ibæ, atque Theodoreti: ſed maximum damnum accipi ex eo, quod Orientales iamiam in gratiam Imperatoris ſchiſmate eſſent diuidendi: primum quidem, ne ob id Occidentales defenſores Trium capitulorum ſcandalum paterentur, ſecreto libellum conſcripſit in confirmationem edicti Iuſtiniani, demum vero cum eundem libellum ipſo Vigilio inſcio Ruſticus & Sebaſtianus eius & S. R. E. Diacono publicaſſent, indeque tumultuari inciperent Epiſcopi Africani, & iam res eſſet in eo ſtatu repoſita, vt vel paucis Occidentalibus, vel omnibus Orientalibus inhærendum eſſet: conſultius ipſi viſum eſt, Orientalium fauere ſententiæ. Porro ipſum cõprobaſſe Iuſtiniani aduerſus Tria capitula edicto promulgatam ſententiam, ſatis indicant Acta publica latæ poſtea ab eo damnationis [b] in eoſdem Ruſticum Sebaſtianum, necnon ipſa Acta Quintæ & Sextæ Synodorum Oecumenicarum. Cum vero magnæ ob eam cauſam à contrariæ opinionis defenſoribus turbæ cierentur, rurſus Vigilius eandem emiſſam de Trium capitulorum damnatione ſententiam ſuſpendit, ac denuo inita cum Iuſtiniano Imperatore, vniuerſoque Senatu, necnon Menna Epiſcopo Conſtantinopolitano, Theodoro Cæſarienſi, Dacio Mediolanenſi aliiſque tam Græcis quam Latinis Epiſcopis conuentione, aliud decretum edidit, vt de vniuerſa controuerſia penitus taceretur vſque ad proxime cogendam Synodum Vniuerſalem. Hæc enim ita tranſacta eſſe, patet ex lata poſtea ab eodem Pontifice ſententia contra eoſdem Theodorum & Mennam.

b Vigil. ep. 1

V. Vigil. defenditur ab accuſationibus aduerſariorum.

Quod autem iſtud Vigilii conſilium in deteriorem fuerit partem acceptum à defenſoribus Trium capitulorum (ſicut etiam id Facundus in libello contra Mocianum ſugillare conatus eſt, quaſi Vigilius ob timorem Imperatori à cœptis reſiliiſſet) ad eiuſdem Pontificis excuſationem illud ſatis ſuperque eſſe poteſt, quod ſummæ conſtantiæ ſpecimen edidit vbi non cum Catholicis, ſed pugnandum ſibi fuit aduerſus hæreticos, cum quibus minime eſſe diſſimulandum ſciret. Cum enim præter huiuſmodi contentiones, adhuc valde ſolicitaretur (quod tradit Anaſtaſius) à Theodora Auguſta de inſtitutione quam olim promiſiſſet Anthimi in ſedem Conſtantinopolitanam: tantum abeſt vt ei obtemperare voluerit, vt potius auctoritate Pontificia aduerſus eandem Auguſtam inſurgens, excommunicationis eam ſententia perculerit: eadem pariter afficiens pœna hæreticos omnes Acephalos, Seruianos, & Eutychianos: vt harum rerum indubitatam fidem facit S. Gregorius [c] Papa.

c Greg. l. 2. ep. 36. ad Hib.

IESV CHRISTI AN. 548.

Iuſtin. Imp. 22. Totilæ Reg. 7.

VIGILII AN. 9.

I.

ANno Domini quingenteſimo quadrageſimo octauo, Poſt Conſulatum Baſilii ſeptimo, & Belli Gothici decimotertio, nouis cladibus in Italia diuerſis in locis Romanus exercitus à Gothis affectus eſt: additumq; ad alia damna, vt *Sclauinorum* exercitus tranſmiſſo Iſtro Illyricum occuparit. Hæc Procopius [a] pluribus.

a Procop. de bel. Goth. l. 3

II. Schiſma aduerſ. Vigil. ob tria cap.

Quo etiam anno R. E. diaconi Ruſticus atque Sebaſtianus Conſtantinopoli apud Vigilium agentes, vna cum aliis quibuſdam eiuſdem Pontificis clericis, cum vidiſſent ipſum minime condemnaſſe (vt in votis erat) eos qui damnarant Tria capitula, immo & cum illis communicaſſe: iidem ab Africanis impulſi (id præ cæteris operantibus Felice Gillitano Abbate & Lampridio monacho ſchiſmaticis, qui hanc ob cauſam Conſtantinopolim ſe contulerant) aduerſus ipſum Vigilium literas ad diuerſos Epiſcopos dederunt, tanquam præuaricatorem, & impugnatorem Concilii Chalcedonenſis. Hæc enim expreſſa habentur in libello damnationis in eoſdem ſequenti anno prolatæ. Addiditq; his Ruſticus, vt ad ſuam firmandam ſententiam, commentarium per dialogiſmum ſcriberet aduerſus Acephalos: ad cuius finem poſuit pro Tribus capitulis diſputationem. Extat ipſe quidem, ſed diſputatione illa mutilus: opus, ſi ſpinas demas, viro docto dignum. Scripſerunt vero & alii aduerſus Vigilium: ſed de iis dicendum inferius: ſicut & de illis, qui eius patrocinium ſuſceperunt.

III.

Hoc eodem anno Theudis Rex Gothorum in Hiſpania oc-

nia occiſus eſt, vbi regnaſſet (ex ſententia Iſidori) annos ſexdecim & menſes quinque: quod tamen apud eum mendoſe legitur accidiſſe anno Iuſtiniani Imperatoris duodecimo, pro vigeſimo ſecundo: ex quibus etiam corrigas Æræ menda. Paulo vero ante eius obitum, nobilem Hiſpalenſem Eccleſiam *S. Lauriani* martyrio illuſtratam, vetera Eccleſiæ Catholicæ monumenta[b] teſtantur: cum videlicet (vt qui proſecuti ſunt res Hiſpaniæ tradunt) is genere Pannonius, ſed Mediolani presbyteratum exercens, inuectus zelo fidei Catholicæ in Totilam Arianum, & ab eo quæſitus ad necem, fuga lapſus in Hiſpaniam, ibi cognita ipſius ſanctitate poſt Maximum electus eſſet Hiſpalenſis Epiſcopus: ſed rurſum inſtigatione Totilæ, barbarica obſtinatione eum perſequẽtis, à Theude quæſitus Romam aufugit ad Vigilium, ac denuo reuerſus in Hiſpaniam, ab exploratoribus Totilæ mira ſagacitate ſingula eius veſtigia aſſectantibus apprehenſus apud Maſſiliam, capite truncatus eſt. Huncque tandem felicem conſecutus eſt finem vir ſanctiſſimus, ardore fidei & dicendi libertate omnes huius ſæculi Catholicos facile antecellens, & miraculorum operatione nulli ſecundus. Theudi vero Regi ſucceſſit *Theodegiſclus*: quem poſt annum vnum ac menſes ſeptem inter epulas occiſum eſſe, Iſidorus ſcribit: idque ob pœnam (vt Gregorius [c] Turonenſis declarat) offenſi numinis, dum curioſius laborauit diſquirere veritatem inſignis miraculi quotannis fieri ſoliti in Luſitania ad fontem baptiſmatis (quod idem auctor pluribus deſcribit) vt ei detrahere poſſet.

S. LAVRIANI MARTYRIVM.
b *Martyrol. Ro. 4. Non. Iulii.*
c *Greg. Tur. de glor. mar. c. 24. 25.*
INCREDVLVS REX DAT POENAS.

IV. Hoc eodem anno Macarius Hieroſolymitanus Epiſcopus, vbi ſediſſet annos duos, pulſus eſt ob ſuſpicionem (vt ait Euagrius[d]) hæreſis Origeniſtarum: & in eius locum ſuffectus *Euſtochius*. Verum Macarium paſſum eſſe calumniam, conſtat ex narratione quæ de ipſo habetur in Prato[e] Spirituali, necnon ex Actis[f] Vitæ S. Gregorii Epiſcopi Agrigentini qui ab eo creatus eſt diaconus, in quibus eidem ſpiritus prophetiæ tribuitur. Quamobrem & inde factum eſt, vt vbi Origenem damnaſſet (ſicut Euagrius addit) in ſuam Eccleſiam receptus ſit: quem ſediſſe annos quatuor Nicephorus[g] ſcribit. Poſt eum autem rurſum liquet reſtitutum eſſe Euſtochium, qui per legatos Quintæ Synodo interfuiſſe legitur.

d *Euag. li. 4. c. 30.*
e *Prat. Spir. cap. 96.*
f *ap. Sur. 23. Nouemb.*
g *Niceph. li. 17. c. 26.*

V. Huius vero Euſtochii tempore, teſtatur Euagrius[h] vixiſſe prope vrbem Gazam in Palæſtina *Barſanuphium* ſanctiſſimum Anachoretam genere Ægyptium, qui per quinquaginta annos & amplius in ædicula quadam incluſus, neque à quoquam viſus eſt, neque quicquam alimenti vel aliarum rerum in terra cœpit, cum multis interim niteret miraculis: adeo vt cum Euſtochius his minime fidem adhibens ædiculam ipſius perfodere conſtituiſſet, parum abfuerit quin ignis ex ea erumpens omnes qui cum eo aduenerant combureret. Pergit eam idem auctor[i] agere de *Simeone* Emeſeno: qui omnes gloriæ cupiditate abiecta ſtultitiam ſimulans, ideoque vulgo *Salus*, id eſt Stultus nuncupatus, ingentia nihilominus edidit miracula in confundendis dæmonibus & conuertendis hæreticis atque Iudæis, multaque ſpiritu prophetico reuelauit: Cuius extant[k] Res præclare geſtæ fuſius conſcriptæ à Leontio Neapolis Cypri Epiſcopo, quæ probatæ fuere à Patribus Nicænæ[l] poſterioris Synodi.

h *Euag. lib. 4. c. 33.*
DE BARSANVPHIO ANACHOR. INCLVSO.
i *Ibid. ca. 33.*
DE SIMEONE SALO.
k *Ap. Sur. 1. Iul.*
l *Syn. Nic. II Act. 4.*

VI. Hoc item anno Iuſtiniani Imperatoris vigeſimo ſecundo (vt habet Procopius[m]) Theodora Auguſta ipſius coniux ad cladem fidei Orthodoxæ ſolum intenta, ex hac tandem vita ſubducta eſt: ſicque accidit, vt quæ à Vigilio Papa ſauciata primum fuerat diro iaculo anathematis, haud poſt diu vlciſcente numine eiuſdem ſecutus ſit interitus. Eodem quoque tempore, vt idem auctor[n] ſcribit, Ioannes Patricius Cappadox (de quo ſuperius) qui ſemper apud Iuſtinianum primarium locum obtinuerat, à quo & Conſul ordinarius factus fuerat, & ad quem Præfectura Prætorii fungentem extant plurima eiuſdem Imperatoris reſcripta: homo plane in exemplum poſitus rerum mundi huius volubilis ſtatus: ob ſuſpicionem magiſtratu deiectus, boniſque exutus, atque in exilium Cyzicum miſſus, ad vitam retinendam ſacerdotium ſumere compulſus eſt. Sed & paulo poſt reus factus necis Cyziceni Epiſcopi in carcerem primo coniectus, deinde per totam Ægyptum vſque ad Antinoi vrbem circumductus, petere ab obuiis ſtipem coactus eſt: cum nihilominus in tantis ærumnis conſtitutus numquam imperandi ſpem dimiſiſſet, quam olim ex prædictione quorundam conceperat, futurum vt aliquando Auguſti habitum indueret. Eam vero impletam fuiſſe Procopius tradit, dum ſacerdotium ſumens, forte aliis deficientibus, presbyteri cuiuſdam Auguſti nomine habitum induit.

THEODORA AVG. MORITVR.
m *Procop. lib. 3. de bel. Goth. & lib. 2. de bel. Perſ.*
n *Ibi. de bel. Perſ.*
IOANNIS CAPPADOC. MISERANDVM EXITIVM.

IESV CHRISTI AN. 549.

IVSTIN. IMP. 23. TOTILÆ REG. 8.

VIGILII AN. 10.

I. ANno Domini quingenteſimo quadrageſimo nono, Poſt Conſulatum Baſilii octauo, Belli Gothici decimo quarto, Beliſarius Conſtantinopolim reuocatus eſt, cum (vt ait Procopius[a]) per quinquennium ex Italia nuſpiam deceſſiſſet, nec potuiſſet per eam quoquam pacto vagari: ſed tacita quadam fuga deterritus, id omne tempus de loco in locum nauigando conſumpſiſſet. Reuocatum autem fuiſſe amantiſſimæ coniugis precibus, reuerſumque Conſtantinopolim otioſam degiſſe vitam, idem auctor affirmat. Conſiderare vero ne prætermittas, quam diſparis exitus à priore poſterior hic fuerit Beliſarii in Italiam aduentus, & reditus Conſtantinopolim. Ex quo enim in Romanum Pontificem Siluerium violentas manus iniecit, vis omnis ipſius, roburque Romanæ militiæ concidit: addita vero fuit hoſtibus bellica fortitudo, quam innumeræ victoriæ ſunt ſecutæ: vſque adeo vt quæ tanto fuerat parta labore Italia peſſumierit, cum illa iterum potiti ſunt Gothi, ipſaque Vrbs anno ſequenti in eorum ſeruitutem redacta eſt. Pannoniam autem & finitimas regiones *Longobardi* à propriis ſedibus ſuper Iſtrum fluuium poſitis excitati inuaſerunt, graſſanteſque in Dalmatiam & Illyricum cuncta depopulati ſunt. Hæc pluribus Procopius.

a *Procop. lib. 3. de bel. Goth.*
BELISARII REDITVS INGLORIVS.
OCCIDENTALE IMPERIVM COLLAPSVM.

II. Qui ſubdens de aucto hoc eodem tempore Francorum regno, ait Gothos iam ab huius belli principio Galliarum partem ſuæ quondam ditionis effectam, videlicet Maſſiliam, Arelatem, totiuſq; eius oræ maritimæ loca, Francis (quos ipſe Germanos ab eorum prima origine vocat) tradidiſſe, cum minus ſe poſſe exiſtimarent Romanis ſimul ac Francis reſiſtere: poſt Gothos vero, etiam Imperatorem Iuſtinianum vltro conceſſiſſe vt eaſdem ſibi iidem Franci haberent. Ex quibus videas, quam ipſi iuſto titulo illas poſſideant, nempe acceptas ceſſione Gothorum, & confirmatione Imperatoris Romani. Pergens autem Procopius, ad gloriam inſinuãdam Francorum adiicit, eos omnium primos cœpiſſe cudere aureos nummos natiuo & Galliarum metallo, non Romani Imperatoris (vt cæteri ſolerẽt) imagine, ſed ſuorum Regum impreſſa. Siquidem & Perſarum Reges, etſi ad arbitrium numiſma argenteum facerent, auro tamen non eis fas fuiſſe ſuam imponere effigiem, nec barbarorum Principem alium quemquam id facere auſum eſſe ante Francorum Reges.

QVAM IVSTO TITVLO FRANC. GALLIAS POSSIDEANT.
FRANCI PRIMI CVDVNT AVREOS CVM REGIS IMAGINE.

III. Hoc inſuper anno accidiſſe idem auctor tradit, vt Artabanes qui Gunthar idem tyrannum occidiſſet in Africa, vna cum Arſace cognato ſuo aliiſq; proceribus aduerſus Iuſtinianum Auguſtum conſpirauerit: & niſi molitiones detectæ fuiſſent, plane de ipſius Imperatoris vita atque Imperio actum eſſet. Illud interim ſatis admiratione dignum, quod licet tot tantiſque malis obortis vndiq; Romanum fluctuaret Imperium, ipſe tamen Iuſtinianus totus eſſet (vt ſæpius idem auctor queritur) in dogmatibus Eccleſiaſticis perſcrutandis: quibus dum plus quam decet Imperatorem curioſe vacaret, vniuerſum peſſumdedit Imperium.

IVSTINIANVS NIMIS CVRIOSVS DOGMATVM PERDIT IMPERIVM.

IVSTIN. IMP. 24. TOTILÆ REG. 9.

IESV CHRISTI AN. 550.

VIGILII AN. 11.

I. ANno Domini quingenteſimo quinquageſimo, Poſt Conſulatum Baſilii nono, & Belli Gothici decimoquinto, Iuſtiniani vero vigeſimo tertio nondum expleto, die decimaquinta ante Calendas Aprilis, Vigilius Papa ad Valentinianum Tomitanum in Scythia Epiſcopum ſcripſit [a] aduerſus ſchiſmaticos, qui vbiq; literis ſuis vulgarant, ipſum Vigilium Tria damnando capitula impugnare Chalcedonenſe Cõcilium. Cum enim eius rei cauſa complures ab ipſius ſe Vigilii communione disiungerent: qui prudẽtiores eſſent, ad rem apertius cognoſcendã ſcripſerunt ad eundem literas Cõſtãtinopolim, inter quos fuit hic Valentinianus: preſtititq; idipſum S. Aurelianus Arelatenſis in Gallia Epiſcopus, ad quem pariter extat eiuſdem [b] Pontificis de eadem quæſtione in ſui defenſionem epiſtola, conſcripta tertio Calendas Maias hoc ipſo anno Iuſtiniani vigeſimo quarto iam inchoato.

a Vigil. ep. 6. VIGIL. AGIT PRO SVI DEFENSIONE.

b Id. ep. 4.

II. In qua quod meminit de Vrbe nouiſſime à Gothis capta, rogatq; vt de eius incolumitate Eccleſiæq; Romanæ iuribus conſeruandis ſatagat opera Childeberti Francorum Regis, Chriſtianitatis (vt vocat) ſtudioſiſſimi: bene hæc conſentiunt iis quæ Procopius ſub hoc eodem anno decimoquinti belli Gothici narrat, proditione rurſum Iſaurorum Vrbem Gothis ceſſiſſe, Romanis cæſis, iis exceptis qui in eccleſias ſe recepiſſent: additque his quoque abire iuſſis, cum iam deſtitutam habitatoribus Vrbem ac deſolatam relinquendi Totilas conſilium iniiſſet, eundem requiſitum per præfatum Aurelianum à Vigilio, opportuna oblata occaſione à propoſito deſtitiſſe, videlicet quod cum idem Totilas ab Aureliano filiam in matrimonium petiiſſet, ille ſe daturum negauit, eo prætextu quod Vrbem caput Imperii deſtitutam hoſtibus relinquens, ſe ſumma gloria pariter ſpoliaret: ſicque factum eſſe vt reuocatis ciuibus, Vrbem ipſe nouis ædificiis illuſtrarit. Subdit vero poſt hæc Procopius de Sicilia à Totila inuaſa: deque deuaſtatis à Sclauinis iterum Iſtrum tranſmittentibus, Illyrico & Thracia.

RVRSVM GOTHI POTIVNTVR VRBE.

III. Vigilius interim Pontifex, cum cerneret ex literis à diuerſis ad ſe miſſis, quam graue damnum afferret Eccleſiæ vnitati falſus ille rumor ſcriptis ſchiſmaticorum aduerſus ipſum ſparſus: ne grauiora inde mala orirentur, collectis qui Conſtantinopoli tunc erant Italiæ Epiſcopis, contra R. E. clericos ſchiſmaticos, præcipue vero Ruſticum & Sebaſtianum diaconos earundem calumniarum promulgatores, necnon Felicem Gillitanum in Africa Abbatem ſchiſmatis inuentorem, damnationis & depoſitionis ſententiam [c] protulit, qua etiam eorundem alia ſcelera patefecit. Verum cum iſto pacto conflatum ſchiſma magis excitaretur, vnicumq; huiuſmodi diſſidiis videretur remedium, vt Vniuerſalis Synodus haberetur: quæ ſibi conducere poſſent Iuſtinianus parat ſolicitus, interim Mopſueſtenum Concilium agi curauit, miſſo illuc Martanio Comite Domeſticorum, vt aliqua inde afferret de damnatione olim facta Theodori Mopſueſteni.

VIGIL. CONDEMNAT ADVERSARIOS.

c Id. ep. 5.

IV. Hoc igitur anno qui nonus poſt Conſulatum Baſilii numeratur, *Mopſueſtia* in Secunda Cilicia celebrata eſt SYNODVS, cui nouem Epiſcopi interfuerunt, multique viri clariſſimi Comites atque Tribuni: cuius Acta inſerta habentur in Quintæ Synodi Actione quinta. Porro in ea nihil præterea factum eſt, niſi diligens examinatio de nomine Theodori, num in eius Eccleſiæ ſacris Diptychis vna cum aliis Epiſcopis Catholicis fuiſſet vnquam adſcriptum: cumq; nunquam ſcriptum eſſe repeiſſent, ſed eius loco appoſitum nomen Cyrilli Alexandrini: ea de re certiorem reddidere Vigilium Papam Imperatoris (vt aiunt) iuſſione: videlicet ne in futura Generali Synodo Theodorum ipſe damnaret detractaret, quem ſciret fuiſſe iam ante condemnatum.

CONCIL. MOPSVES. IN CAVSA THEODORI MOPS.

V. Ad hunc item annum vigeſimum quartum Iuſtiniani Imperatoris, perduxit Iordanus, ſiue Iornandes Gothorum Epiſcopus, quem ſcripſit commentarium de Regnorum ac temporis ſucceſſione: vt ipſe in præfatione ad Vigilium quemdam, alium à Romano Pontifice, teſtatur. In cuius fine perbelle admonet, hanc nos ex hiſtoriarum lectione conſequi debere vtilitatem, vt mundi huius prauitates & ærumnæ, quibus indeſinenter voluitur & inuoluitur, cum nos contemnere penitus debere & odio proſequi perſuadeant.

DIGNA ADMONITIO IORNANDIS HISTOR.

IVSTIN. IMP. 25. TOTILÆ REG. 10.

IESV CHRISTI AN. 551.

VIGILII AN. 12.

I. ANnus Chriſti quingenteſimus quinquageſimus primus, Poſt Baſilii Conſulatum decimus, & Belli Gothici decimusſextus, Romano Imperio funeſtiſſimus extitit: cum Germanus inſignis ductor exercitus à Iuſtiniano in Italiam miſſus, in quo eius recuperandæ omnis collocata ſpes erat, improuiſa morte ſubtractus eſt: claſſiſq; Imperatoria naufragium fecit in oſtiis Hadriatici maris: & iterum Sclauini graſſantes, apud Hadrianopolim Romanum profligarunt exercitum, atque ad ipſam vrbem Conſtantinopolim appropinquantes, vix repulſi ad propria remearunt. Narrat pluribus hæc omnia Procopius: ex quibus videas pro hoſtibus pugnaſſe Deum, cum à Principibus in religionem peccaretur. Quomodo vero etiam in ipſius religionis Chriſtianæ Summum Antiſtitem graſſatum fuerit, dicendum modo eſt.

NOVÆ CLADIS IMPERII.

II. Inſtigante rurſum Theodoro Cæſarienſi, qui inhærens Iuſtiano Imp. omnium ei malorum auctor acceſſit: contra decretum quod diximus, & emiſſam ſponſionem ſeruandi ſilentii de tribus Capitulis vſque ad Concilium Vniuerſale, Imperator aduerſus eadem Capitula publice appendi iuſſit edictum, cui omnes æque Epiſcopi Orientales aſſenſi ſunt: Zoilumque Alexandrinum quod inhærens olim Vigilio Capitula damnare renuiſſet, ſede priuauit, & in eius locum *Apollinarem* ſubſtituit: ac tantum denique abfuit vt illud edictum rogante per ſuos Vigilio reuocare voluerit, vt etiam maligno actus ſpiritu, præter minas vim quoque adhibens, ſuis mandarit ſatellitibus vt in eundem ipſum Vigilium Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem manus inicerent. Qui quidem è domo ſua ad proximam S. Petri Eccleſiam confugiens, ibique ad aliquod tempus Eccleſiaſtica tractans: decimonono Calendas Septembris huius vigeſimi quinti anni Iuſtiniani, collecto tredecim Epiſcoporum Occidẽtalium qui aderant *Conuentu*, aduerſus eundem Theodorum Cæſarienſem, peruerſorem legum, & euerſorem iurium, occultum hæreticum, manifeſtum ſchiſmaticum, excommunicationis atque depoſitionis: in Mennam vero Conſtantinopolitanum & alios Epiſcopos Imperatori conniuentes, ſuſpenſionis à communione ſententiam [a] intulit: qua hæc omnia geſta narrauit. Verum ipſam ſententiam haud ſtatim promulgauit, ſed apud ſe retinendam aliquamdiu iudicauit, ſperans fore vt aduerſarii reſipiſcerent: ſicut ipſe declarauit in literis Circularibus anno ſequenti ſcriptis.

IVSTIN. IMP. CVM THEOD. CÆSAR. EVERTIT ECCLESIAM.

VIGIL. DAMNAT THEODORVM CÆS. ET MENNAM CONSTANT.

a Ext. To. 1. Epiſt. Rom. Pont. & To. 2. Concil. in Vigil.

IVSTIN. IMP. 26. TOTILÆ REG. 11.

IESV CHRISTI AN. 552.

VIGILII AN. 13.

I. ANno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo ſecundo, Poſt Conſulatum Baſilii vndecimo, Belli Gothici decimo ſeptimo, ſexto Idus Februarii, adhuc anno durante Iuſtiniani vigeſimoquinto (cuius Imperium menſe Aprilis cœpit) idem Auguſtus ſanctionem [a] edidit aduerſus Iudæos, qui ſuos prohiberent ſacræ Legis libros alia tradi doceríque lingua, quam Hebraica: quo fiebat vt ſimplicioribus, quos vellent ipſorum magiſtri pro-

a Nouel. 146. OMNI LINGVA DOCERI LEGEM IVDAEIS CONCEDITVR.

propinarent errores. Quantum autem ex ea ſanctione intelligitur, Hebræi iam vulgo à linguæ Hebraicæ vſu deſciuerant, & nationum lingua, ſiue eà quæ apud eos vulgaris eſſet, vtebantur.

II. VIGILIVS CŌFVGIT CHALCEDONEM.

Eodem vero tempore Vigilius Romanus Pontifex, qui anno ſuperiori Conſtantinopoli vim metuens Imp. ad Eccleſiam S. Petri confugerat: cum nec hoc aſylum videretur tutum, ante oculos Imperatoris poſitum, trans mare quæſiuit effugium, & in baſilica S. Euphemiæ martyris apud Chalcedonem habitare diſpoſuit. Sed antequã ab eccleſia S. Petri recederet, accidiſſe noſcuntur quæ Anaſtaſius Bibliothecarius iungit, imo confundit cum prioribus quæ acciderunt viuente adhuc Theodora Auguſta: nempe vt eidem Vigilio dederit quidam alapam in faciem, vocans eum homicidam, interfectoremque Siluerii Papæ, & filii mulieris cuiuſdam viduæ: tuncq; ipſum fugientem in baſilicam S. Euphemiæ, tenuiſſe columnam altaris. Cæterum vbi Iuſtinianus hanc ipſius fugam accepit, inſuperque eundem mala corporis valetudine laborare: facti pœnitens, dignam tanto Pontifice legationem ornauit, qua eum iuramento præſtito Conſtantinopolim in priſtiuum domicilium reuocaret. Miſſique fuere Calendis Februarii Beliſarius, Cethegus, & Petrus Exconſſ. & Patricii, itemque Iuſtinianus & Marcellinus Exconſſ. & Comites, atque Conſtantinus Quæſtor.

VIGIL. ABOLERI IVBET IMP. EDICTVM.

Verum nec his iuratis Vigilius obtemperare voluit, niſi prius quæ de Tribus Capitulis Imperator appendiſſet edicta, idem protinus reuocaret. Sed & ad vniuerſam Eccleſiam Encyclicam dedit epiſtolam, qua cuncta quæ geſta eſſent innoteſcerent. Extat [b] ipſa quidem, ſed mutila, narrationem continens eorum quæ modo retulimus: ex qua quorumlibet aliorum redarguas ea de re quæcunque ſcriptorum mendacia. Siquidem epiſtolari hiſtoriæ cætera quorumuis ſcripta cedant neceſſe eſt: ac præſertim cum ex illis accepta noſcitur epiſtolis, quæ *Encyclica* dictæ vniuerſo populo Chriſtiano ſcriptæ ſunt. Porro inter plurima alia mendacia, illud maxime redarguas, quo Nicephorus [c] (parum æquus in Vigilium, quod Conſtantinopolitanum Epiſcopum à communione ſuſpendiſſet) aſſerit parem ſententiam aduerſus ipſum à Menna fuiſſe latam. Quod ſi iſte auſus eſſet, neceſſario plane & præcipue de eo habenda mentio fuiſſet in iiſdem Vigilii literis.

b *Vigil. ep. 7.*

c *Niceph. lib. 17. c. 26.*

III. CLADES IMPERII OB TVRBAS ECCLESIÆ.

Turbata autem in hunc modum Eccleſia, rerum naturam æque eſſe turbatam, ea quæ hoc anno accidiſſe Procopius [d] tradit, declarant: nimirum Græciæ ciuitates plures terræmotu exciſas, hiatu terræ loca multa abſorpta, portentoſaſque maris æſtuationes factas, quibus acceſſit Sclauianorum & Hunnorum in Romanum Imperium repetitæ incurſiones: necnon Inſularum Corſicæ & Sardiniæ à Gothis facta occupatio. Concuti namque opus eſt omnia, cum ipſa petra ſuper quam Eccleſia fundata eſt, motibus in diuerſa propellitur. Cum vero vice verſa eadem reponitur in caput anguli, omnia regente firmata quieſcunt, vt quæ ſequuntur declarant.

d *Procop. lib. 3. de bell. Goth.*

IV. IMPERATORIS, ET SVORVM POENITENTIA.

Etenim hoc eodem anno factum eſt, vt Imperator à Vigilio per Legatos monitus, appenſa antea de Tribus Capitulis tolli iuſſerit edicta, & nihil amplius de illis tractari voluerit vſque ad Synodum Generalem: itemq; vt Theodorus Cæſarienſis Cappadox horum omnium maiorum auctor, iam pœnitens facti (quod admireris) libellum ſupplicem Vigilio obtulerit, quo & rectam fidem profeſſus eſt, & de irrogatis in eundem Pontificem contumeliis veniam petiit: ac denique id ipſum præſtiterint alii Orientales Epiſcopi & præcipue Mennas Conſtantinopolitanus: tandemque eiuſmodi præmiſſa ſatisfactione, iidem ab ipſo Vigilio in communionem recepti fuerint, vt de his omnibus conſtat ex eiuſdem Vigilii Papæ Conſtituto anno ſequenti promulgato.

PAX ECCLESIÆ SALVS IMPERII.

Nec vero mora, hanc Eccleſiæ pacem mox ſecuta eſt ſalus Imperii. Siquidem hoc eodem anno (vt pluribus tradit Procopius) Gothi è Sicilia præter omnem ſpem expulſi ſunt, belloq; nauali victi & miſſo in Italiam Narſete fortiſſimo Duce, res Gothorum in deterius dilabi cœperunt. Vt plane perſpicue fuerit demonſtratum, pro ſtatu rerum Eccleſiaſticarum res Imperii à Diuinitate diſponi.

V.

Reſpirante itaq; iam populo Conſtantinopoli & optata pace lætante, publica feſta peracta ſunt, quæ triumphi quandam ſpeciem præſetulerunt: cum hoc eodem anno eiuſdem ciuitatis Epiſcopus Mennas, poſtquam à Vigilio Papa in communionem admiſſus eſt (vt inquit Nicephorus [e]) die vigeſimanona Iunii Encænia celebrans baſilicæ SS. Apoſtolorum, quam Iuſtinianus Imperator magnificentius [f] inſtaurauerat, in ea recõdidit ſacras curru aureo circumuectas SS. Apoſtolorũ Andreæ, Lucę, & Timothei Reliquias. Bene autẽ eidem mox ceſſit, vt hoc ipſo anno feliciter ex hac vita migraret, cum ſediſſet annos ſexdecim de cuius ſucceſſore dicetur anno ſequenti.

e *Niceph. lib. ...*

f *Procop. de ædif. Iuſtin. lib. 1.*

DE PVERO IVDÆO AB INCENDIO SERVATO.

Sub eo vero ingens aliquod miraculum Conſtantinopoli accidiſſe Euagrius [g] refert, de puero Hebræo, qui quod cum aliis Chriſtianis pueris deguſtaſſet particulã Corporis Chriſti, ab impio patre arte vitriario in clibanũ ardentem in quo vitrum formare conſueuerat iniectus, ibidem poſt triduum illæſus inuentus eſt, mirabiliter conſeruatus ope Beatiſſimę Dei-genitricis: qui cum matre baptizatus eſt, pater autem obſtinatus permanens Iuſtiniani iuſſu cruci ſuffixus.

g *Euag. li. 4. cap. 5.*

VI. CONCIL. AVREL. V. OB TRIA CAPP.

Hoc eodem anno, qui numeratur Childeberti Francorum Regis trigeſimus octauus, eiuſdem cohortatione celebrata eſt Quinta SYNODVS AVRELIANENSIS quinquaginta Epiſcoporum, præſidẽte *S. Sacerdote* Epiſcopo Lugdunenſi, ac præſentibus compluribus aliis ſanctitate conſpicuis Antiſtitibus, quorũ memoriam anniuerſario cultu ſuis diebus Catholica recolit Eccleſia: interq; alios, S. Aureliano Arelatenſi, quem ad Vigilium Papam vidimus legationem in cauſa Trium Capitulorum miſiſſe. Eorundem vero præcipue occaſione Capitulorum ipſam fuiſſe Synodum celebratam, canon primus inter viginti tres ibidem conſtitutos admonet, dum eius exordio damnantur hæreſes Neſtorii & Eutychetis.

VII.

Hoc item anno alium Frãcorum Regem Theodobertum eiuſdem Childeberti nepotem inuadentẽ Italiam ex hac vita deceſſiſſe, filiumq; Theodibaldũ regni hæredẽ, & paterni inſtituti proſecutorẽ reliquiſſe, Procopius [h] tradit. Porro de pietate Theodoberti nonnulla habet Vita Sancti Mauri Abbatis, in quem plura idem Rex contulit beneficia. Quomodo autem in venatione occaſio eſt obitus eius exorta, narrat Agathias: ſed Gregorius [i] Turonẽſis morbo interiiſſe tradit: qui & de Parthenio, cui regni ab eo cura commiſſa erat, ſubdit lapidibus illum à populo obrutum eſſe ob tributa prædicti Regis tẽpore impoſita.

h *Procop. lib. 3. de bel. Goth.*

i *Greg. Turon. lib. 3.* TRIBVTOR. EXACTOR IN GAL. OCCISVS.

IESV CHRISTI AN. 553.

IVSTIN. 27.

VIGILII AN. 14.

I. EVTYCH. ORDINATVR EPIS. CONST.

ANno Domini quingenteſimo quinquageſimo tertio, Poſt Conſulatum Baſilii duodecimo, Belli Gothici decimooctauo, in ipſo anni exordio *Eutychius* Monachus doctrina & ſanctitate conſpicuus, miſſus ab Amaſeæ in Ponto Epiſcopo Conſtantinopolim, vt ſuo nomine intereſſet futuræ Oecumenicæ Synodo multis viſionibus à Deo deſignatus, omnium conſenſu ordinatus eſt Epiſcopus Conſtantinopolitanus in locum Mennæ ſub finem anni ſuperioris defuncti. Quomodo autem hæc geſta fuerint, pluribus narrat Euſtathius eiuſdem Eutychii alumnus in ipſius Rebus [a] geſtis. Idem vero cum ſimulac ſacris initiatus eſt myſteriis, fidei Catholicæ profeſſionem [b] more maiorum Vigilio Romano Pontifici obtuliſſet, ab eo in communionem acceptus eſt. Quemadmodum & Apollinaris Alexandrinus, licet ei (vt vidimus) ingreſſum vitioſum pulſo Zoilo Imperator ad Epiſcopatum pateſeciſſet, tamen eodem Zoilo defuncto, cum æque Vigilio fidei Catholicæ profeſſionem obtuliſſet, & ipſe pariter receptus eſt.

a *Ap. Sur. 6. April.*

b *Extat vna cum Vigilii reſp. data 6. Id. Ianuar. Inſerta anno in Quint. Syn. collat. 1. & int. Vigil. epiſt.*

II.

Quanto vero hæc pax Eccleſiæ Romano ſtatim Imperio attulerit bona, ex iis quæ Procopius narrat ſatis intelligi poteſt: cum videlicet hoc ipſo anno Gothorum claſ-

c *Procop. lib. 3. de bel. Goth.*

NARSES VINCIT TOTILAM OPE DEI-GENETRICIS.

ſis Orientem infeſtans, redire coacta eſt cum ignominia: Tarentum à Gothis antea captum, Romanis militibus redditum eſt: præterque opinionem Narſes ab Imperatore miſſus cum exercitu, obſtructis licet ab hoſtibus & obſeratis itineribus, Rauennam peruenit incolumis: ac poſtea Rubiconem fluuium à Gothis cuſtoditum occiſo eorum duce tranſiens, in Tuſcia occurrentem cum ingenti exercitu Totilam prælio ſuperauit, atque occidit, vniuerſiq; cum eo exercitu trucidato. Factumq; Dei opera (cui omne acceptũ Narſes vir maxime pius & æqui amantiſſimus indeſinenter referre conſueuerat) vt bellicoſiſſimus vir Totilas vna cum potentiſſimo exercitu vinceretur à ſemiuiro Narſete (eunuchus enim erat) cuncta nitente Sanctiſſimæ Dei-genitricis ope, à qua cœlitus ſignum accepiſſe tradit Euagrius [d] de tempore quo cum hoſtibus dimicaret. Poſthæc vero tam aliæ nobiliſſimæ Italiæ ciuitates, quam Vrbs ipſa à Narſete breui tempore capta eſt: additumque, vt cum THEIAS Gothorum fortiſſimus poſt necem Totilæ in Regem ab eis electus, compreſſionem diu Romanorum militum fortiter ſuſtinuiſſet, demum & ipſe occideretur. Quæ tanta conſecutus eſt Imperator, dum ſibi imperari à Romano Pontifice paſſus eſt. Iis autem fuſe narratis, Procopius hiſtoriæ ſuæ de bello Gothico finem imponit: cætera in poſterum ab Agathia petenda erunt.

d Euag. lib. 4. c. 23.

THEIAS REX GOT OCCISVS.

III. AGITVR DE COGENDA QVINTA SYNODO.

Dum hæc in Occidente gererentur, interea Iuſtinianus de cogenda Conſtantinopoli Synodo Oecumenica ex Vigilii Papæ ſententia ſatagebat: cum non ob Tria tantum Capitula ſchiſmate videretur Orbis diuiſus, ſed etiam ob damnatum cum ſuis erroribus Origenem. Ad hos enim ſedandos tumultus Synodum vocatum eſſe, Euagrius [e] docet. Leontius [f] autem Scholaſticus, qui his iiſdem vixit temporibus Iuſtiniani, hos cogendæ Synodi dignos prætextus adducit, nimirum vt occulti auerterentur Eutychiani atque Neſtoriani: quippe eo ventum eſſet, vt iidem hæretici ſeſe Neſtorii vel Eutychetis diſcipulos palam profiteri erubeſcentes, eorundem tamen fauere dogmatibus, aliis quibuſdam prætenſis cauſis minime prætermitterent: puta cum Eutychiani ſe minime poſſe dicerent amplecti Synodum Chalcedonenſem ob ea quæ Tribus Capitulis comprehenderentur: qui ob eam cauſam non Eutychiani, ſed *Haſitantes* dicebantur: ſicut iidem vice verſa eos qui reciperent Tria capitula, *Synoditas* nominare conſueuerant. Ad eos igitur ſimul Eccleſiæ Catholicæ vniendos in cauſa Trium Capitulorum Imperatorem ſtuduiſſe dictam Synodum congregare, idem Leontius tradit.

e Id. cap. 37.
f Leont. de Sect. Act. 6.

QVI VICERANT CÕFLICTVS ECCLES.

IV. QVINAM EPISCOPI AD SYNODVM VOCANDI.

Verum ſicut laudabile fuit Imperatorem ex Romani Pontificis ſententia Synodum colligere laboraſſe: ita illud reprehenſione non caruit, dum quos ſciret ſuæ ſententiæ Orientales Epiſcopos aduerſus Tria capitula fauere, eoſdem ad Synodum conuocare, omiſſis occidentalibus, conatus eſt. Siquidem nimis deſiderii ſui tenax ſic Synodum cogi curabat, vt tamen eandem ſibi, ſi liceret, conſentientem faceret. Sed reſiſtente Vigilio, atq; petente vt cum de re ageretur cuius cauſa vniuerſus quoq; ferme Orbis Occidentalis perturbatus eſſet, in Italia aut in Sicilia Synodus haberetur, quo ad eam Occidentales Epiſcopi facilius conuenire poſſent: abnuit hæc quidem Imperator, at inſtante rurſum Vigilio, vt ſaltem ex Italia & Africa Conſtantinopolim accerſerentur, ei hac conditione aſſenſus eſt, vt exæquato numero Occidentales pariter cum Orientalibus adeſſent. Quibus ſic pactis conuentis, cum Vigilius cuncta feſtinaret implere, interea Iuſtinianus à ſe antea conſcriptum edictum de Tribus Capitulis ad eumdem Pontificem miſit, vt quæ de illis ſentiret ſcriptis profiteretur: eoque negante id fieri debere non expectato Epiſcoporum aduẽtu denuo ab Imperatore eiuſmodi moræ impatiente nimis importune rogatus, vix obtentis ob ægram corporis valetudinem viginti dierum induciis, eo temporis interſtitio tum ipſum Imperatoris edictum examinauit, tum etiam aliud quoddam volumen ab eodem per Benignum Epiſcopum Heracleæ Paphlagoniæ ipſi Vigilio miſſum, quo continerentur errores quam plurimi ex Theodori Mopſueſteni ſcriptis excerpti: conſcripſitque ſuper iis rebus Conſtitutum, de quo dicetur paulo poſt: ex quo interim hæc cuncta deſumpta ſunt quæ ad Synodum præfati ſumus: quæ quidem præſtat audire magis, quam quæ ex Nicephoro ad eandem præmittuntur.

VIGIL. EXAMINAT ALIORVM SCRIPTA.

V. DE NVMERO ACTIONVM, ET EPISCOP. SYNODI QVINTÆ.

Sed & præterea de eadem admonendum putamus, ipſa quæ edita in hanc diem Acta eius reperiuntur, eſſe admodum corrupta, atq; etiam decurtata in pluribus: vt ſuis locis fiet manifeſtum. Quod vero ad Actiones pertinet, ſiue Collationes dixeris, ſeu Seſſiones duas duntaxat Nicephorus numerat, alteram aduerſus Tria Capitula, alteram vero contra Origenis errores: verum quæ extant Acta, octo continent Collationes de quibus ſingulis dicturi ſumus. Interfuerunt autem Orientales Epiſcopi numero centum ſexaginta quinque, quorum præcipui fuere *Eutychius* Conſtantinopolitanus, *Apollinaris* Alexandrinus, *Domnuſque* ſiue Dominus Antiochenus: *Euſtochius* vero Hieroſolymitanus per legatos interfuit. Externorum autem *Sextilianus* Tunienſis ſiue Tunetenſis in Africa Epiſcopus præſto fuit, legatus miſſus à Synodo Carthaginenſi & Primoſo tunc eiuſdem ciuitatis Antiſtite totiuſque Africæ Primate.

VI. COLLATIO PRIMA SYNODI.

Ita igitur quarto Nonas Maii huius anni Iuſtiniani Imperatoris vigeſimi ſeptimi, Poſt Conſulatum Baſilii duodecimi, nulla habita Vigilii Papæ adhuc ægrotanis ratione, nec expectatis Occidentalibus Epiſcopis, Orientales vna conuenerunt. Vbi primum lectus eſt libellus Iuſtiniani oblatus Synodo, narrans quæ hactenus circa quæſtionem Trium Capitulorum geſta eſſent, rogans que Patres de iis ferre ſententiam. Lectæ deinceps literæ Eutychii Conſtantinopolitani Epiſcopi ad Vigilium, & huius ad illum reſponſio, de quibus actum eſt ſuperius. Ac poſt hæc Synodus decreuit, eundem Vigilium vt ad Synodum conueniret ſolemni & tantæ Sedis Pontifice digna eſſe accerſendum vocatione: ad quam miſſi ſunt viginti legati, videlicet tres Patriarchæ, Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, & Antiochenus, ac reliqui omnes Metropolitani Epiſcopi; vt Acta ipſa declarant. Qui redeuntes retulere, cauſatum ipſum corporis ęgritudinem, pollicitum eſſe ſcriptis ſe Synodo ſatisfacturum: ſicque Prima Seſſio finem accepit.

VII. COLLATIO II.

Rurſum ad octauum Idus Maias iiſdem conuenientibus Epiſcopis inprimis viginti illi Legati, qui iterum Vigilium conuenerant, retulerunt Synodo eum reſpondiſſe, non poſſe vna cum ipſis conuenire, quod non adeſſent Occidentales Epiſcopi niſi perpauci admodum: ſed & cum Imperator vna cum ipſis Legatis ad eundem denuo accerſendum miſiſſet Beliſarium cum ſex aliis exconſulibus & Patriciis, ipſum inducias poſtulaſſe quo ſuam ſententiam ſcriptis depromeret. Hac vero peracta relatione, Synodus iuſſit mitti tres Epiſcopos, qui Primaſium Epiſcopum Adrumetinum in Africa, Conſtantinopoli tunc agentem vocarent ad Synodum, ſimulq; Epiſcopos quoſdam Illyrici: qui legati redeuntes, dixerunt Primaſium recuſaſſe accedere, eo quod Papa non eſſet præſens in Synodo: Illyricos autem, eo quod non adeſſet eorum Archiepiſcopus Benenatus cui reſpondere deberent. Sed quod ad *Primaſium* ſpectat: hunc illum eſſe putamus, qui clarus habetur inter Scriptores Eccleſiaſticos. Quod vero Trithemius dicit; fuiſſe Epiſcopum Vticenſem, diſcipulumque S. Auguſtini, & Scholiaſtes floruiſſe ait temporibus Theodoſii Iunioris: ſane quidem vtrumque decipi dixerim, quandoquidem & Caſſiodorus [g] Primaſii vt ſui æquales meminit & ipſe Primaſius [h] in ſuis ſcriptis Caſſiodorum citat, quem his vixiſſe temporibus Iuſtiniani nullus ignorat.

DE PRIMASIO EPISC. ADRVMETINO.

g Caſſiod. de diuin. lect. c. 9.
h Primaſ. comment. in ep. ad Hebr.

VIII. COLLATIO III.

Sequenti die à præcedenti Collatione, nempe ad ſeptimum Idus Maias, Tertio Epiſcopi conuenientes, publicam Fidei Catholicæ profeſſionem ediderunt: nimirum ſe credere quæ olim SS. Apoſtoli, quæ & SS. quatuor Synodi tradidiſſent, quæque inſuper SS. Eccleſiæ Doctores tam Græci quam Latini ſcripſiſſent tenere.

Quarta

IX. COLLATIO IV.

Quarta Collatione habita quarto Idus Maij iuſſæ ſunt recitari horrendæ blaſphemiæ excerptæ (vt dicebatur) ex variis ſcriptionibus Theodori Mopſueſteni: aduerſus quas ab omnibus magna fuit deteſtatione conclamatum. Collationem aut. Quintam codex typis excuſus habitam ait octauo Idus Maij: ſed mendum ineſſe conſtat ex notatis diebus præcedentium Collationum: vnde potius pridie Idus Maij, quo & Vigilii Conſtitutum datum repetitur, eam eſſe celebratam dixerimus, In qua primum ea quæ SS. Patres, vel leges Imperiales, aut hiſtorici aduerſus Theodorum Mopſueſtenum conſcripſiſſent, recitata ſunt: ſed & quæ pro eodem ſcripta fuerant, diſcuſſa & confutata. Poſt hæc multorum antiquorum teſtimoniis atq; exemplis probatum, aliquem poſſe damnari poſt mortem. Lectaque deinceps Acta Synodi Mopſueſtenæ ante triennium habitæ aduerſus eundem Theodorum. Inde ad cauſam Theodoreti facto tranſitu, ex ipſius ſcriptis aduerſus S. Cyrillum nonnulla ſunt recitata quæ ab Orthodoxa fide viderentur aliena: hiſque iuncta in Actis legitur epiſtola quædam eiuſdem Theodoreti nomine edita poſt obitum Cyrilli, qua multis dicteriis in defunctum inueheretur. Quibus peractis, laudauit Synodus iudicium SS. Patrum Concilii Chalcedonēſis, quod non prius Theodoretum ſuſcepiſſent, quam ipſe Neſtorium condemnaſſet. Sicque finis impoſitus eſt præſenti Quintæ Actioni.

DE SCRIPTIS THEODORI, ET THEODORETI.

X.

ACTA SYNODI CORRVPTA.

Verum cum ſuperius [i] à nobis in Cyrilli obitu detecta ſit de Theodoreti illa quæ dicitur epiſtola impoſtura: ex iis diſces Acta quæ extant huius Quintæ Synodi haud adeo eſſe legitima, ſed magna ex parte ſuppoſita, aucta in aliquibus, in aliis mutilata. Sic enim & leges illæ Theodoſii Imperatoris aduerſus Neſtorium, recitatæ in iſta eadem Actione quinta aliter ſe habent in Codice Theodoſiano atque in Actis Concilii Epheſini, in quibus nulla prorſus habetur mētio de Theodoro Mopſueſteno. Hæc de ſuppoſitis ſcriptis. De ſublatis vero conſtat, cum in iiſdem publicis Synodalibus Actis deſideretur Vigilii Papæ libellus oblatus Synodo, quem ipſe *Conſtitutum*, hoc eſt decretum appellat: qui ille ipſe eſt, quem de ſua ſententia interpellatus pollicitus fuerat ſe miſſurum ad Imperatorem & Synodum: quem tamen & vniuerſo Orbi Catholico communem eſſe voluit. Idem vero cum in fine notatum habeat diem quo ipſum Vigilius publice edendum curauit, videlicet pridie Idus Maij, anno Imperatoris vigeſimo ſeptimo, poſt Conſulatum Baſilii duodecimo, ad hunc ipſum diem Collationis quintæ pertinere cognoſcitur. In qua quidem ſcriptione valde prolixa [k], illud imprimis videretur Vigilius reſpexiſſe, ne Tria Capitula defendens in ſuſpicionem adduceretur defenſionis errorum Neſtorii ob indemnatum Theodorum Mopſueſtenum. Ideoque primum omnium multus fuit in confutatione ac damnatione ſingulorum errorum qui in ſcriptis eiuſdem Theodori dicebantur inuenti, ſexaginta capitibus comprehenſi: deinde vero quæ de Tribus Capitulis ſua eſſet ſententia fuſius declarans, illud in ſummā ſtatuit, errores quidem Theodori, Ibæ, & Theodoreti, ſiqui eſſent, reiiciendos eſſe & anathematizandos: perſonis autem nullam debere inferri contumeliam, quas Synodus Chalcedonenſis recepiſſet: ac demum decreuit, quæcunq; contra hanc ipſius ſententiam à quibuſuis dicerentur aut ſcriberentur, nullam habitura auctoritatem. Eidem vero pariter ſubſcripſerunt, qui cum ipſo Conſtantinopoli erant ex Oriente, Italia, & Africa ſexdecim Epiſcopi, & tres S.R.E. diaconi.

i Sup. an. 444.

DE VIGILII PAPÆ CONSTITVTO.

k Recitat illum integrum Baron. Annal. To. VII. hoc an. eandemque explicat.

SENTENTIA VIGILII DE TRIBVS CAPP.

XI. COLLATIO VI. DEPRAVATA.

Porro cum (vt vidimus) in præcedenti Collatione actum iam eſſet de cauſa *Theodori*, ac *Theodoreti*, quæ duo erant ex Tribus illis Capitulis: in Sexta demum (quæ celebrata ponitur decimo quarto Calendas Iunii) multum agitatum eſt tertium, nempe cauſa *Ibæ*: tandemq; epiſtola eius ab omnib. condemnata, & dictum iterum anathema Neſtorio ac Theodoro Mopſueſteno. Verum dum falſa quædam aſſerta reperiuntur in Actis huius Collationis, de impoſtura non mediocrem ſuſpicionem inducunt: veluti cum dicitur, Ibam olim negaſſe eam epiſtolam eſſe ſuam, additurque eandem à Synodo Chalcedonenſi fuiſſe damnatam: neutrum enim horum verum eſſe, ſuperius ſuo loco [l] aperte demonſtratum eſt. Sed & in eo corrupta eſſe eadem Acta conſtat, dum in collatione facta epiſtolæ Ibæ cum profeſſione Concilii Chalcedonenſis, additum eſt (quod diutius fruſtra tentaſſe vidimus nonnullos Eutychianę hæreſis ſuſpectos, obnitente Hormiſda Papa ob dolos ipſorum vitandos) *Chriſtum vnum eſſe de S. Trinitate*, quaſi id profeſſa fuerit Synodus Chalcedonenſis: quæ potius vnam dicere maluit perſonam S. Trinitatis, quam vnum de S. Trinitate.

l Sup. an. 448.

XII. COLLATIO VII.

Poſt hæc ad ſeptimum Calendas Iunii conuenientes Epiſcopi, Septimam celebrauerunt Collationem: in qua ex ſuggeſtione facta nomine Imperatoris, lectæ ſunt plures Vigilii Papæ ad diuerſos ſcriptæ epiſtolæ: in eo ex his laborante Imperatore, vt poſſet ipſum arguere, præuaricationis, quaſi antea cōdemnaſſet Tria Capitula quæ poſtea defendiſſet. Ac demū Octaua, eademq; vltima Collatione, celebrata quarto Nonas Iunii, pronūciata eſt ſententia contra eadem Tria Capitula, videlicet aduerſus ipſum Theodorum Mopſueſtenum, Ibæ epiſtolam, & Theodoreti ſcripta aduerſus Cyrillum. Quod vero ſcirent, abſque aſſenſu Romani Pontificis irrita reddi decreta Concilii vtcumque poſſent Vigilii conſenſum ad hanc ipſorum ſententiam prætendere in ea poſuerunt, ipſum antea & ſcriptis & ſine ſcriptis eadem damnaſſe Capitula, tacentes omnino quid ab ipſo per editum Conſtitutum pendente Synodo pro eorum defenſione decretum eſſet. Ad calcem denique ſententiæ, à Synodo poſiti habentur duodecim anathematiſmi contra Neſtorii & Eutychetis hæreſes, & aduerſus Tria Capitula: quæ omnia ſecuta ſubſcriptio centum ſexaginta quinque Epiſcoporum roborauit.

COLLAT. VIII. ET VLT.

XIII. QVALIS ISTA SYNODVS.

Rebus igitur ſic ſtantibus, quas exhibent Acta, plane conſenties hanc Synodum non Oecumenicæ tantum, ſed nec priuatæ mereri nomen: vt quæ non ſolum non præſente Romano Pontifice ſiue per ſe ſiue per Legatos, ſed etiam ipſo reſiſtente fuerit celebrata, & contra ipſius decreta ab ea ſententia dicta. De qua & illud conſiderandum eſt quod tradit Leontius [m], tantum abfuiſſe vt Eutychiani illi hæretici qui dicebantur Hæſitantes, recepe rint (vt promiſſum fuerat) Chalcedonenſe Concilium, Tribus illis quibus offendi videbantur Capitulis condemnatis: vt contra preſſius in errore permanſerint prætextu contrarietatis quæ iam ineſſe videretur inter duo Concilia Chalcedonenſe & hoc Quintum. Vnde euidens relictum eſt poſteris documentum, nihil contra fas hæreticis concedendi ſub ſpecie conuerſionis illorum.

m Leont. de Sect. Act. 6. in fin. & 7. Adde Damaſc. 3. de fid. Orthod.

FRVSTRA CONDESCENDITVR HÆRETICIS.

XIV. DISSENSIONES AVCTÆ EX SYNODO.

At non hæretici tantum minime conuerſi ſunt, ſed & ipſi Orthodoxi ſchiſmate diuiſi: atque ab Imperatore, qui Chriſtianiſſimus ſemper videri & vocari voluit perſecutio excitata aduerſus eos qui damnationem Trium Capitulorum non reciperent: quos in exilium egiſſe, ac pleroſque ad pœnas quæſiuiſſe tam ex Africa, quam ex Illyrico (vbi pro defenſione Capitulorum collectum fuerat *Concilium*) conſtat ex Liberato [n], Iſidoro [o], & Facundo Hermianenſi: qui & ipſe ad pœnas quæſitus eo quod pro Capitulis ſcripſiſſet, e latebris aduerſus Mocianum hæc ipſa exprobrantem libellum conſcripſit. Immunes à perſecutione illi tantummodo fuere, qui non ſub Iuſtiniani degebant Imperio: hincque accidit, vt Venetæ & ei adiacentium regionum Epiſcopi, cum eſſent hoc tempore ſub Francorum dominio (vt præter alios, teſtis eſt etiam Procopius [p]) contra Quintam Synodum cogerent *Concilium* Aquileiæ, cuius meminit Beda. Demumque progreſſum eſt eiuſmodi ſchiſma vſque ad ipſos Hibernos: quos pro Tribus capitulis acriter pugnaſſe, conſtat ex S. Gregorio [q]. Conſtituto namq; Vigilii Papæ freti, hi omnes id ſibi iure licuiſſe arbitrati ſunt. Ipſum vero Vigiliū, cæſum, ac fune collo tractum, carcerique mancipatum, demum in exilium fuiſſe deportatum vna cum clero qui cum eo erat, Anaſtaſius tradit. Quod ſi ita eſt, quomodo verum erit quod affirmant Greci auctores, Euagrius [r], Nicephorus [s], Euſtathius [t], Cedrenus, Zonaras, atq; potius [u] eundem

n Lib. Breuiar. c. vlt.
o Iſid. de viris ill. c. 18. 25.

p Procop. de bell. Goth. lib. 3.
q Greg. 2. ep. 36.

VIGIL. PESSIME HABITVS AB IMP.

r Euag. lib. 4 cap. 37.
s Niceph. lib. 17. c. 27 28.
t Euſtat. in Vit. Eutyc.
u Phot. de Sept. Synod.

Euthym. ... 24.

eundem Vigilium per literas conſenſum iam ante exilium Synodo præbuiſſe? Certe ſi id præſtitiſſet vel pendente ea, vel ſtatim vt eſt abſoluta: nec in exilium eſſet eiectus, & eiuſmodi ipſius literæ tanto emendicatæ labore, Actis Synodi eſſent intextæ, atque Eccleſiæ vniuerſæ notæ factæ.

XV. QVA AVTORITATE QVINTA SYNODVS OECVMENICA FACTA SIT.

Quonam igitur pacto titulum hæc Synodus & auctoritatem obtinuit Oecumenicæ? Nimirum quia ipſius poſtea Vigilii (vt videbitur) aliorumque qui poſt ipſum præfuerunt Apoſtolicæ ſedi, aſſenſu roborata fuit. Sicut & olim accidit Synodo Conſtantinopolitanæ ſub Theodoſio Seniore, quæ licet contra Damaſi Papæ decretum celebrata qui Synodum Romæ habendam indixerat, eius tamen accedente poſtea conſenſu eadem Oecumenica facta eſt. Quod autem dum de Synodis egerunt Patres, non eodem præconio hanc Quintam celebrarunt, ſicut alias quatuor præcedentes: id ea de cauſa contigiſſe S. Gregorius [x] Papa declarat, quia non de fide in hac vt in illis, ſed tantum de perſonis actum eſt. Vnde & accidit vt plerique Synodos recenſentes, hanc prætermiſerint: puta Caſſiodorus [y], & ipſe aliquando S. Gregorius [z], atque etiam Patres Concilii Bracarenſis [a] Secundi. De eius autem approbatione auctoritatem habes eiuſdem S. Gregorii variis ad diuerſos ea de re ſcriptis literis [b]: in quarum etiam nonnullis [c] agit de libro quodam eodem argumento aduerſus Tria Capitula ſcripto à Pelagio Papa ipſius Gregorii proximo prædeceſſore. Eorumque pariter ſucceſſores Romani Pontifices [d], atque alia Oecumenica Concilia poſtea celebrata, eandem de Quintæ Synodi receptione ſententiam comprobarunt.

x Greg. 3. ep. 7. ad Conſt. Mediol.
y Caſſiod. 1. inſt. 11. & 7.
z Greg. 3. ep. 13. & 17.
a Con. Bracar. II. in præf.
b Greg. 1. ep. 24. 2. ep. 30. 5. & ep. 4. 7. ep. 54.
c Id. ep. 36
d Leo II. ep. ad Conſtant. Imp. quæ eſt in VI. Syn. Hadr. I. ep. ad Nectar.

XVI. CONTRARIA SENTENTIÆ DE TRIBVS CAPP. CONCILIANTVR.

Quid ergo? Num Vigilius errauit defendens Tria illa Capitula: an vero tum ipſe tum Pelagius & alii qui poſtea illa damnarunt? Vt hanc quæſtionem ſoluas, primo conſiderandum eſt quod ſuperius eſt pluries dictum, in his diſceptationibus nullam fuiſſe de fide quæſtionem: vt alter ab altero aliter ſentiens dici poſſet hæreticus: rurſumque ex iiſdem quæ dicta ſunt quæque ſæpius repetuntur cum in ipſius Vigilii Conſtituto, tum in Actis Quintæ Synodi intelligendum, vtramque partem in id dumtaxat reſpexiſſe vt conſultum eſſet dignitati Concilii Chalcedonenſis. Cum igitur damnarentur Tria Capitula, nihil derogatum fuit eidem Synodo, ſed tantum aliquid magis perſpicue declaratum. Etenim cum in ea Theodori Mopſueſteni præconia recitata eſſent, & epiſtola Ibæ in nonnullis recepta ac denique Theodoretus acclamationibus laudatus: ne quis tamen exiſtimaret, ob id à S. Synodo eorumdem quoque ſcripta quæ errores inſertos haberent, approbata fuiſſe: placuit poſtea Theodorum ex ſuis ipſius ſcriptis fuiſſe hæreticum demonſtrare, pariterque damnare: itemque Ibæ epiſtolam, ob blaſphemias in ea contentas, vt hæreticam reprobare: ac denique Theodoreti aduerſus Cyrillum ſcripta reiicere. Hæque ſunt cauſæ, quibus Tria illa primum condemnare capitula tum Vigilius & Iuſtinianus, tum ipſa Quinta Synodus ſunt perſuaſi.

CVR VIGILIVS SENTENTIAM MVTARIT.

Vt autem poſtea Vigilius ſententiam aliquando mutarit, id quidem primo inde accidit, quod veluti per cuniculos aditus patefactus videretur ad inuadendum Chalcedonenſe Concilium, cum quæ in eo acta eſſent iterum ad examen reuocarentur: præterea quod ſi concederetur vt in communione Catholica defunctus aliquis poſſet damnari, pateret oſtium vt ex ſuis ſcriptis quiſque Eccleſiæ ſcriptor poſt obitum ſæpe poſſet vt hæreticus condemnari, cum haud facile ſit reperire aliquem qui quantumlibet titulo ſanctitatis atque doctrinæ refulſerit, non ſit erroris alicuius arguendus: ac demum quod videret tum Africanam tum alias plures Occidentales Eccleſias ſchiſmate diuidendas, ſi contra Tria capitula in priori ſententia perſtitiſſet. Sed cum poſtea grauiori damno, vniuerſum Orientem ab Eccleſia Romana diuiſum cerneret: tunc & ipſe Synodo conſenſum præbuit. Quapropter quod nouis emergentibus cauſis in re quæ nihil præiudicii Orthodoxæ fidei afferre poterat, ſententiam ſæpe mutauit: haud magis arguendus eſt leuitatis, quam ipſe ſanctiſſimus Paulus Apoſtolus, cum poſtquam de abroganda circumciſione ſuffragium tuliſſet, deinde noua ſuborta cauſa Timotheum [e] circumcidit, ac rurſum priora ſecutus, Petrum [f] ad tempus diſſimulantem redarguit, pro ratione temporis ac circumſtantiarum factus omnia omnibus vt omnes lucraretur. His deniq; acceſſit & alia vrgentiſſima cauſa recipiẽdæ eiuſdem Synodi: nempe quod in ea (vt mox dicetur) rata habita eſſet damnatio Origenis, & eius errorum qui magnopere in Oriente inualeſcebant: ne eam damnando Synodum, videretur Vigilius Origenis errorib. aliquo modo fauiſſe. Sicut autem ipſe, ita & eius ſucceſſores iiſdem ex cauſis eandem ſuſcipiendam exiſtimarunt: quos & vniuerſa ſecuta eſt Eccleſia, paucis exceptis ſchiſmaticis qui ad aliquod tempus reſpuerunt.

e Act. 16
f Gal. 2.

XVII. ACTA SYNODI MVTILATA AB ORIGENISTIS.

Cæterum multa in Actis Synodi deſiderari, & iam ſuperius demonſtratum eſt, & ex aliis adhuc conſtat. Namque in ea anathemate damnatum eſſe Origenem, Didymum, & Euagrium, vna cum omnibus ipſorum erroribus, teſtantur inter alios Cyrillus in Actis [g] Sancti Sabæ omni fide conſcriptis, atque Nicephorus [h]: qui & decem recitat anathematiſmos aduerſus Origenem tunc ſcriptos, quorum ſuperius facta eſt mentio. At vero in ipſis Actis Synodi, de Origene eiuſque erroribus condemnatis ſit tantum breuiſſima mentio in quinta Collatione & in vndecimo anathematiſmo aduerſus omnes hæreſes. Recitatque inſuper Cedrenus [i] epiſtolam Iuſtiniani Imperatoris ad eandem Synodum de erroribus Origenis: & ex eiuſdem auctoris ſententia, primo de Origene actum eſſe in Synodo ponitur, inde vero de Tribus capitulis. Poſt quæ ſubiicit item aliam eiuſdem Imperatoris ad Synodum datam epiſtolam, continentem hiſtoriam de quatuor Conciliis Oecumenicis: vbi ad calcem plura aduerſus Theodorum Mopſueſtenum. Fuiſſe autem hæc omnia Actis Synodi intexta, ſed inde ab Origeniſtis ſublata (quorum Theodorus Cæſarienſis Cappadox malorũ omnium concinnator, cuius ſumma erat apud Imperatorem auctoritas, patronus extitit) nemo iure dubitauerit. Quin & Vigilium Papam ſeorſum Pontificio decreto damnaſſe Origenem, teſtis eſt Caſſiodorus [k], innuiturque in eiuſdem Synodi Actione quinta. Vbi etiam aperte confirmatur quod Cedrenus dixit, prius in Synodo actum eſſe de Origene quam de Tribus capitulis: dum in recenſione eorum quæ facerent ad damnationem Theodori Mopſueſteni licet defuncti, inter alia eiuſmodi defunctorum damnationis exempla, aſſeritur iam ab eadem ipſa Synodo Origenem fuiſſe damnatum.

g Ap. Sur. 5. Dec. & in VII. Synod. Act. 1.
h Niceph. lib. 17. c. 27. 28.
i Ced. in Comp. Annal.
ORIG. DAMNATVS IN SYNODO.
k Caſſiod. 1 diuin. lect. 1.

XVIII. HIEROS. ECCL. ERECTA IN PATRIARCHATVM.

Illa præterea Acta deeſſe noſcuntur, quibus agebatur de adiectis Patriarchatui Hieroſolymitano Eccleſiis omnibus totius Palæſtinæ (quæ antea ex inſtituto Nicænæ Magnæ Synodi, Cæſarienſi Eccleſiæ ſubiacebant) aliiſque nonnullis ad Patriarchatus Alexandrinum & Antiochenum antea pertinentibus: quod in hac Quinta Synodo peractum eſſe traditur in Bello [l] ſacro, necnon in Vaticanæ Bibliothecæ notiſſimo, cuius eſt Titulus *Liber Cenſuum.* Tentauerat quidem hoc olim (vt vidimus) Iuuenalis Hieroſolymitanus Epiſcopus in Synodo Epheſina, & perfecerat in Chalcedonenſi: ſed quominus illud quia in præiudicium vertebatur aliarum Eccleſiarum, auctoritatem haberet, Leo Papa interceſſerat. Nunc ergo primum Hieroſolymorum Eccleſia Patriarchatu vere aucta cognoſcitur: quamuis & iam antea eo nomine, ſed abſque iuriſdictione gauderet. Porro Iuſtinianus Imperator eandem Cæſarienſem ciuitatem, eiuſmodi auctoritate Eccleſiaſtica ſpoliatam, remunerare voluit [m] reſtituto quem diu ante poſſederat Proconſulatu.

l Guil. Tyr lib. 14. de Bel. ſacr. c. 12.
m Nou. 103.

XIX. SYNODVS CORRVPTA A MONOTHELITIS.

Iam vero Monothelitarum fuit inuentum, vt ſub titulo Quintæ Synodi tanquam ex eius Actis depromptam ediderint epiſtolam quamdam, Mennæ Conſtantinopolitani Epiſcopi nomine ad Vigilium Papam conſcriptam de vnica in Chriſto voluntate: aliaſque duas, eiuſdem Vigilii nomine inſcriptas ad Iuſtinianum & Theodoram de vna in Chriſto operatione. Sed eiuſmodi hæreticorum impoſturæ detectæ ſunt à Legatis Apoſtolicæ ſedis in Sexta [n] Synodo: vbi etiam dictum eſt anathema in eos qui

n Syn. Sext. Act. 14.

quoquo modo Quintam Synodum corrupiſſent, de qua modo hactenus

XX. TERRÆMOTVS IN ORIENTE. o Agat. li. 5. p Miſcel. li. 16. q Cyril. in Vit. S. Sab. ap. Sur. 5. Dec. DE AVARO TERRIBILIS CASVS.

Hoc eodem anno Iuſtiniani vigeſimoſeptimo, Autumnali tempore, per quadraginta dies ciuitas Conſtantinopolitana, aliæque regiones Orientis, ingenti terræmotu concuſſæ ſunt, multis etiam ciuitatibus ſolo æquatis: quod tradunt Agathias [o], Theophanes [p], & Cyrillus [q]. Hæc vero præſagia fuiſſe malorum quæ ſunt prædictam Synodum conſecuta, nemo negare poterit quicunque ab euentis facta nouerit iudicare. Narrat inſuper Cedrenus ſub huius anni periodo, terribilem caſum auari cuiuſdam diuitis Conſtantinopolitani: qui cum vehementer ægrotans triginta libras argenti pauperibus diſtribuiſſet, reſtitutus autem valetudini facti pœnituiſſet: re cum amico communicata, vbi non potuit auerti ab eo prauo dolore, tunc alter ille promittens ei pecuniam reddere, dum vellet in templo dicere haud ſe eam pauperibus, ſed illum alium elargitum eſſe: ſtatim vt hoc auarus præſtitit, in ipſo eccleſiæ exitu mortuus concidit: integram vero pecuniam alius pauperibus erogauit.

XXI. CHROTILDIS REGINÆ OBITVS. r Sigeb. in Chro. & alii eum ſecuti. s Greg. Tur. li. 4. c. 1. & lib. 10. c. 31. t Martyrol. Ro. 3. Iunii.

Hoc etiam anno finem huic vitæ impoſuiſſe magnam illam fœminam *S. Chrotildam*, ſiue Clotildem, Clodouei Regis coniugem, Scriptores [r] tradunt: cui debent Franci, quicquid boni ob ſuſceptam Chriſtianam religionē ſunt conſecuti: vtpote quæ ſuis precib. & hortationibus, cum ipſi Clodoueo tum vniuerſę Francorū genti auctrix fuit, vt Chriſtianam religionem abiecta idololatria ſuſciperet. Quæ viduata viro reliquum vitæ tempus ad ſepulchrum S. Martini Turonis ad obitum vſq; ſanctiſſime perduxit: vnde Pariſios ſolemni pompa deportata, in baſilica Sancti Petri (poſtea Sancti Genouefæ dicta) ad latus Clodouei Regis ſepulta eſt à filiis ſuis Childeberto & Clotario Regibus: quod tradit Gregorius [s] Turonenſis. Proſecuta vero eſt tantæ fœminæ dignam memoriam Catholica Eccleſia, dum inter Sanctos illam adſcribens, diei quoq; natalis eius [t] anniuerſariam commemorationem celebrat.

IVSTIN. AN. 28.

IESV CHRISTI AN. 554.

VIGILII AN. 15.

I. VIGIL. PP. AB EXILIO LIBERATVS. a Liber. c. 22. in fin.

ANno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo quarto, Poſt Conſulatum Baſilii decimotertio, Vigilius Papa precibus Narſetis Ducis (qui ea de re fuerat rogatus à Cleto Romano) ab Imperatore liberatus eſt exilio: quā rem geſtam Anaſtaſius deſcribit. Tunc vero accidiſſe etiam putamus, vt idē Vigilius ex cauſis ſuperiori anno deductis, aſſentiens Imperatori Quintam Synodum comprobarit. Etenim cum de conſenſione Vigilii Græci omnes (vt vidimus) affirment, nec id ante exilium accidere potuerit: neceſſe eſt affirmare id ab ipſo factum eſſe hoc tempore, cum ab exilio ſolutus permiſſus eſt in ſuam redire Eccleſiam, iam vendicata per Narſetem à Gothis Italia. Innuit hoc ipſum Liberatus [a], & ipſe ex eis vnus qui pugnarunt pro Trium Capitulorum defenſione: dum ait Vigilium ob eiuſmodi defenſionem afflictum fuiſſe, nec tamen coronatum: plane alludens ad eius exilium, & poſt exilium à priori propoſito defectionem.

II. b Agath. lib. 2.

Hoc item vigeſimo octauo Imperatoris anno, à Coſrhoe Perſarum Rege aduerſus eundem Iuſtinianum bellum motum eſt, non quidem ex more in Syria, ſed in Colchorum prouincia: vbi Romanus exercitus turpiter victus atque fugatus eſt: quæ pluribus refert Agathias [b].

IVSTIN. AN. 29.

IESV CHRISTI AN. 555.

PELAGII AN. 1.

I. VIGILII PP. OBITVS.

ANno Domini quingenteſimo quinquageſimo quinto, Poſt Conſulatum Baſilii decimoquarto, Vigilius Romanus Pontifex venturus in Italiam Syracuſis in Sicilia calculi morbo diem obiit, cum ſediſſet annos ſexdecim: etſi Anaſtaſius plures tribuit, cui aduerſatur rerū geſtarum ſeries. Quo autem menſe dieue ſit mortuus, nulla apud antiquos mentio: nec nobis de his diuinādum, cum neq; ex eius ſucceſſoris annis poſſint ea ſatis definiri. Eius vero corpus delatū Romam, ſepultum eſt ad S. Marcellū via Salaria. Hicq; tandem finis Vigilii Papæ: vt iuſto Dei iudicio in inſula defunctus ſit cōfectus ærumnis ex morbo, qui coegerat ſanctum prædeceſſorē ſuum Siluerium deportatum in inſulam, illis animam exhalare. Qui q; malis artibus Pontificatum adeptus fuerat, immenſis ſemper agitatus eſt fluctibus: inuiſus Imperatori, cuius gratiā tot ſtudiis demereri ſategerat: haud gratus Epiſcopis Orientalibus, aduerſus quos diu multumq; certauit: & in Occidentalibus defenſoribus Trium Capitulorum execrabilis redditus, quod eorum impugnatoribus inhæſerit.

IVDICIVM DEI IN VIGILIO.

II. PELAGII ELECTIO.

Poſtquam autem ab eius obitu ſedes vacaſſet (vt habet Anaſtaſius) menſes tres & dies quinque, ſubrogatus eſt in locū eius PELAGIVS Archidiaconus, natione Romanus, filius Ioannis Vicariani: ſed quo menſe & die, antiquorum nemo docet. Tradit vero idem auctor, cum ductum eſſe in ſuſpicionem illatæ mortis Vigilio, ideoque ferme omnes tam ex clero quàm ex populo ei communicare recuſaſſe: vt vix Epiſcopi duo, nempe Ioannes Peruſinus & Bonus Ferentinus, inuenti fuerint, qui vna cum Andrea presbytero Oſtienſi eum conſecrarent: ſed eundem poſt cōſecrationem facta proceſſione cum litania à S. Pancratio vſq; ad S. Petrum, ibi cōſcenſo ambone, præſente Narſete Duce & vniuerſo populo, tenentem Euangelium & Crucem ſuper caput ſuum, ſe ab eo crimine purgaſſe: decretumq; promulgaſſe aduerſus eos qui pecunia aut promiſſionibus ad gradus ordineſq; Eccleſiaſticos peruenirent. Porro ipſum non ſine aſſenſu, immo & promotione Iuſtiniani Imperatoris Pontificem creatum eſſe, idem Anaſtaſius [a] ſatis indicat. Iam enim ſibi huiuſmodi auctoritatē, exemplo impiiſſimorum Gothorum Regum Arianorum Imperator arrogauerat: & qui præ cæteris videri voluit pius, ſe maxime impiū præſtitit, dum duriores coegit Romanam Eccleſiam ſubire conditiones, quam tulerat ſub Ethnicis Imperatoribus, de quibus nulla eſt vſquā mentio, quod cōfirmationem electi in Romanum Pontificem ſibi aliquando vſurpauerint. Sicq; ducta eſt in captiuitatem Domina gentium, & Regina prouinciarum facta eſt ſub tributo: ſicut totidem è Hieremiæ [b] Lamentationibus petitis verbis deplorauit iſta S. Gregorius [c] Papa: cum & doluit, non ſine certæ oblatione pecuniæ eiuſmodi fieri ſolitam ab Imperatore probationem Romani Pontificis, vt etiam dicetur opportuniori loco inferius.

a Anaſt. in Vigil. in fin. IVSTIN. IMP. SIBI ARROGAT PROMOTIONEM RO. PONT. b Hierem. Tren. 1. c Greg. in Reg. epiſt. 1. ad ...

III. FRANCI CVM ALEMANNIS INVADVNT ITALIAM. d Greg. Tur. l. 4. e Greg. Tur. l. 3. & lib. 4. c. 9. f Agat. lib. 1.

Hoc eodem anno vigeſimonono Iuſtiniani Imperatoris, qui ſub Theodibaldo Francorum Rege militabant duo fratres germani, iidemq; Alemanni, *Leutharis & Bucellinus* (ſic n. illum Gregorius [d] Papa nominat, quem Turonenſis [e] *Bucellenum*, Agathias [f] *Butilinum*) pro Gothis aduerſus Romanos, inuito licet Theodibaldo, bellū geſturi, cum ſeptuaginta duobus millibus Frācorum & Alemannorum delectis militibus deſcendentes in agrum Campanum, Lucanos, Brutios, omneſq; interiacentes regiones depopulati ſunt. Narrat ea pluribus Agathias: qui & Francorum ſub Bucellino militantium erga res ſacras abſtinentiā commendat, Alemannorū vero ducem Leutharem ſequentium impietatē condemnat: ſubditq; de terribili quā in ſe iram Dei expertus eſt idem Leuthares, dum onuſtus ſacrorum ſpoliis domū rediens, trans Padum ad Venetiæ loca in rabiem verſus, propria membra morſibus dilacerauit, totuſque Alemannorum exercitus variis morbis conſumptus eſt: Bucellinum a. ait apud Capuam ingenti prælio à Narſete ſuperatum & necatum eſſe cum omni Francorū exercitu: adeo vt ex tam immenſo hoſtiū numero, quinq; tantummodo fuerint reperti qui remearint ad propria, quod quidem ipſe tribuit tum pietati ac Iuſtitiæ Narſetis, qui non ante conferere manus cum hoſtibus voluit, quam purgato exercitu: tum etiam iniuſtitiæ Bucellini, obſtinate nimis patrocinium Gothorum hæreticorum & alienæ ditionis inuaſorum ſuſcipientis.

Verum

Verum Gregorius Turonenſis ait, eundem Bucellinum miſſum à Theodoberto Theodibaldi patre, crebris prælijs Beliſarium, ipſumque poſtea Narſetem ſuperaſſe, Italiamq; vniuerſam atque Sicilium ſub ditione Francorum redegiſſe: donec tandem regnante Theodibaldo, à Narſete victus & interfectus eſt, Italiaque recuperata.

IV. Rom. exercitus profligatus a Perſis.

Hoc vero ipſo anno Romanus exercitus qui in Perſide militabat: in quo quinquaginta millia Romanorum erant, fugatus eſt à tribus millibus Perſarum vlciſcente Deo innocentem ſanguinem Regis Colchorum Chriſtiani ac maxime pii, qui à Romani exercitus ducibus fuerat doloſe necatus: quæ pluribus proſequitur Agathias. Eodemque anno Iuſtiniani vigeſimonono, tumultuatum rurſum eſſe à Iudæis & Samaritanis in Palæſtina, ac Cæſareæ multos Chriſtianos interfeciſſe, & eccleſias combuſſiſſe, necnon Præfectum peremiſſe, horumque ſcelerum grauiſſimas poſtea pœnas dediſſe, auctor Miſcellæ narrat.

V. Sed inter hæc dum quæ dicta ſunt de Francis in Italia gererentur, Theodibaldum ipſorum Regem adoleſcentulum morbo ex hac vita migraſſe, Agathias affirmat. At cum ſeptem annos regno eius Gregorius [g] Turonenſis tribuat: ex iis quæ de obitu patris Theodoberti ſuperius dicta ſunt, debuit Theodibaldus ad aliquot adhuc annos vitam prorogaſſe. Eum autem vxorem VVldotradam duxiſſe: hancque vna cum regno eiuſdem Theodibaldi, inceſtuoſo connubio Clotharium Regem magnum eius patruum accepiſſe, ſed reprehenſum à ſacerdotibus dimiſiſſe, idem Gregorius narrat: Qui & iam antea aliud eiuſdem Clotharii ſimile crimen retulerat [h]: nimirum duas ſibi in matrimonium coniunxiſſe ſorores, ex quibus ſeptem ſuſcepiſſet filios.

g Greg. Tur. 4. hiſt. 9.

h Ibid. c. 3.

IESV CHRISTI AN. 556.

IVSTIN. 30.

PELAGII AN. 2.

I. ANno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo ſexto, Poſt Conſulatum Baſilii decimo quinto, debellatis (vt vidimus) Francis, Alemannis lue conſumptis, & Gothis in deditionem acceptis: à bellis Italia tandem quieuit: cum tamen vigeret bellum Eccleſiaſticum de Tribus Capitulis. Quando Pelagius Papa, qui iam Vigilii prædeceſſoris ſui decretum de confirmatione Quintæ Synodi ratum habuerat, vt & ipſos Occidentales Epiſcopos (quorũ maxime refractarios inuenit Venetos, Iſtrios, atque Ligures, interque omnes Aquileienſem & Mediolanenſem) ſibi in his obſequentes redderet, per Narſetem comprimere atque coercere niſus eſt, multis ad eum ea de re ſcriptis [a] literis. Sed quæ geſta ſint per Narſetem, ex Scriptorum inopia latent.

Pelagius PP. conatus aduerſus defenſores Trium Capit.

a Pelag. ep. 2. 3. 4. 5. To. 1. Epiſt. Rom. Pont.

II. Quæ vero reliqua fuerint Pelagii aduerſus ſchiſmaticos ſtudia, poteſt intelligi ex aliis ipſius ſcriptis. Siquidem inter plures quæ extant eiuſdem ad Childebertum Francorum Regem, & Sapaudum, ſiue Sabaudium Arelatenſem Epiſcopum (cui ex more anteceſſorum, cum vſu pallii vices ſuas per vniuerſam Galliam delegauit) variis occaſionibus hoc & ſequenti anno, nempe poſt Conſulatum Baſilii decimoquinto & decimo ſexto, ſcriptę [b] epiſtolæ: illa notatu eſt plane digna, quam ad eundem Regem dedit hoc anno tertio Idus Decembris. Quod enim (vt dictum eſt) Orientalibus conſentiens Pelagius in probanda Quinta Synodo aduerſus Tria capitula, à ſchiſmaticis Occidẽtalibus in ſuſpicionem adductus eſſet de violata fide Catholica: eius rei gratia Rex Childebertus maxime pius Ruffinum legatum Romam miſit, ſciſcitatum à Pelagio an Catholicam Leonis Papæ epiſtolam de fide aduerſus Eutychetem ſequeretur. Cui per eaſdem ſuas literas Pelagius reſcribens, anathematizauit omnes quicunque aliquo modo deuiarent à doctrina epiſtolæ Leonis & Concilii Chalcedonenſis. Cum vero rurſum idem Rex, ad omnem penitus dubitationem tollendam, petiiſſet ab eodem Pontifice exactiorem fidei profeſſionem, eam Pelagius compulſus eſt ad ipſum mittere, quæ habetur inter illas quas diximus epiſtolas. Qui & inſuper, vt tandem omnibus quocunque loco de ipſius ſententia dubitantibus ſatisfaceret, expedire iudicauit de fide Catholica ad vniuerſum populum Chriſtianum circulares eo argumento literas dare, quæ extant ibidem. At licet profuerint iſta multis, qui eidem Pelagio veluti membra capiti ſe ſubdiderunt: non tamen omnibus, cum in pluribus locis diutius eiuſmodi viguiſſe ſchiſmaticos liqueat.

b Rec. Sur. Conc. To. 2. Et an. 556. & 557.

Regis Franc. ſollicitudo pro fide Catholica.

III. Hoc eodem tempore (vt Agathias [c] tradit) regnũ Francorum in maximum diſcrimen adductum eſt, ex bello ciuili conflato inter fratres Reges Childebertum & Clotharium ob diuiſionem bonorum Theodibaldi Regis defuncti ipſorum nepotis. Cui & domeſticum bellum acceſſit, dum Chramnus perditiſſimus Clotharii filius contra patrem arma mouit, quo tempore pater aduerſus Saxones rebellantes in expeditione eſſet. Quando & Gregorius [d] Turonẽſis contigiſſe narrat, vt clerici Diuionenſes quęnam eſſent Chramno obuentura ex diuinarũ Scripturarum oraculis inquirentes, poſitis ſuper altare tribus libris, nempe Prophetarum, Apoſtolorum, & Euangeliſtarum: poſt preces ſuper ea re ad Deum fuſas, in ſingulorum fortuita apertione inuenta ſint vaticinia futuri ipſius excidii, quæ poſtea (vt videbitur) fuere adimpleta. Cum vero his ciuilium diſcordiarum temporibus plerique iniicerent manus in bona Eccleſiaſtica, & immunitates eccleſiarum violarent: nonnulla tunc fieri contigit miracula, quibus diuinæ in eos vltionis ira omnibus nota facta eſt: quæ idem Gregorius [e] recitat.

c Agath. l. 2.

d Greg. Tur. 4. hiſt. 17.

Vaticinia rer. euenienda r. quæſita ex Script.

e Id. 4. hiſt. 16. & 21. & de glor. mar. c. 66.

IV. Hoc eodem anno egregiã diuinitus victoriam (quam Agathias [f] fuſius proſequitur) de Perſarum copiis apud Colchos Romanus exercitus obtinuit: dum qui ſacrificii cauſa Iuſtinus Dux Imperatoris conſanguineus cum mille equitibus in templum quoddam magna veneratione à Chriſtianis habitum abiiſſet, reuerſurus in munitionem hoſtes quibus forte occurrit fugauit, occiditque.

f Agath. l. 3.

Iuſtinus pietati intentus Perſas vincit.

IESV CHRISTI AN. 557.

Iuſtin. an. 31.

PELAGII AN. 3.

I. ANnus Domini quingenteſimus quinquageſimus, ſeptimus, Poſt Conſulatum Baſilii decimusſextus, Conſtantinopolitanis admodum extitit luctuoſus, ob ingentem iterum in ipſa hieme repetitum terræmotum, qui vrbem horrenda & per dies quamplurimos continuata quaſſatione adeo concuſſit, vt tota fere collapſa fuerit: cum & eodem tempore quidam impoſtores maiorem incuſſerunt plebi terrorem, prædictionibus vulgatis de proxime futuro mundi occaſu. Factum eſt tamen, vt his malis territi omnes, non ſolum ſupplicationibus publicis vacauerint, ſed & vitiis depoſitis vitam in melius mutauerint: at vbi periculum tranſiit, confeſtim ad priſtinam rediere plerique conſuetudinem: vt hæc omnia pluribus deſcripſit Agathias [a], poſt recenſitas anni huius reliquas res geſtas: nempe damnatos capite Ruſticum & Ioannem Duces exercitus, ob necem illatam Colchorum Regi Chriſtiano Romani Imperii ſocio: ac bella proſpere confecta aduerſus Myſianos, qui defecerant à Romanis ad Perſas: necnon ſupplicium ſuperbiſſimi Perſarum exercitus Ducis, quem ob male rem geſtam Coſrhoes Rex excæcari iuſſit. Poſt terræmotus vero deſcriptionem, idem auctor addit de reædificatione à Iuſtiniano Imperatore facta plurimorum ædificiorum, ac præcipue ſacrorum: interque hæc, maximi omnium atque præcellentiſſimi templi S. Sophiæ: de quo etiam egit Procopius [b]: ſed & Euagrius [c] mirabilem eius ſtructuram, ſitum, & dimenſiones complexus eſt: Cedrenus autem ſacram eius menſam ex auro, argento, omniſque generis lapidibus, lignis, metallis, cunctiſque rebus tam pretioſis quam vilibus, quas terra fert, mare, & totus mundus (vt ait) conflatam deſcripſit.

Ingens terror Conſt.

a Agath. l. 5.

De Templo S. Sophiæ.

b Procop. de ædif. Iuſtin. lib. 1.

c Euagr. lib. 4. c. 31.

IVSTIN. AN. 32.

IESV CHRISTI AN. 558.

PELAGII AN. 4.

I. ANno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo octauo, Poſt Baſilii Conſulatum decimo ſeptimo, vere iam ineunte (inquit Agathias [a]) derepente & iteratò vrbem Conſtantinopolim peſtilens morbus inuaſit, & infinitam ſuſtulit multitudinem: cum tamen haud prorſus ceſſaſſet, ex quo primum anno Iuſtiniani Imperii quinto increpere cœperat. Porro adhæc auertenda mala, peſtis ſcilicet, & terræmotus, quem nuper vidimus eandem concuſſiſſe ciuitatem, necnon æque ſæuientis famis: Iuſtinianus ad populum ſanctionem [b] edidit de imploranda Dei miſericordia, ac vitandis blaſphemiis, illicitiſq; concubitibus: quorum ſcelerum cauſa tanta obueniſſe mala conqueritur. Nam quod ad hæc attinet: tradunt Glicas & Cedrenus, repertos his temporibus eſſe Conſtantinopoli ciues quamplurimos, & Senatores non paucos, atq; etiam nonnullos Epiſcopos, maſculorum corruptores: quorum aliis vterum amputari iuſſerit Imperator, aliis calamos acutos in meatus genitalium inſeri, eoſque nudos tanquam in triumpho per vrbem circumduci. Verum nec tantæ maculæ tantis ſunt abſterſæ flagellis, quæ olim nonniſi igne [c] cœlitus immiſſo dilui meruerunt.

a Agath. l. 5.
b Nouel. 77.
IVSTIN. IMP. TVRPITVDINES CONATVR AVFERRE.
c Gen. 19.

II. Siquidem his ſucceſſit ineunte iam hieme, noua Hunnorum Cotrigurorum incurſio duce Zaberga, qua poſt tranſitam ab eis celeri curſu Mœſiam Scythiamque, tota pene Græcia atque Thracia nemine reſiſtente miſeranda ſtrage vaſtata eſt: iamque ipſi regiæ vrbi idem periculum imminebat, quando Beliſarius clariſſimus olim Dux, etſi præ ſenectute in curuitatem iam declinatus, armatus Hunnis occurrens magno labore eoſdem ab ea propulſauit: auroq; poſtea penſo, & annuo promiſſo tributo, ad propria remiſit. Hæc omnia fuſius Agathias. Cuius iuſta illa querela eſt, hæc tempora deplorantis, cum theſauris Romani Imperii non florentiſſimi (vt olim) atque copioſiſſimi exercitus nutrirentur, ad Imperii limites ab hoſtium incurſionibus tutandos; ſed iidem in ſcorta, aurigaſque, & homines eiuſmodi vanos atque effeminatos impenderentur. Sicut & iure Euagrius [d] eumdem Imperatorem ſummæ inertiæ arguit, quod in Circi factionibus adeo Praſinis aduerſus Venetos ſtuduerit, vt eis impune permiſerit non ſolum aduerſarios trucidare, ſed etiam in magiſtratus qui eos cohibere vellent inſurgere, & in alienas ædes irrumpere, ſingulorumque theſauros diripere. Ita namque miſer Iuſtinianus à priſtino illo vitæ inſtituto deſciuit, dum ſe ſupra ſanctos Dei ſacerdotes erexit. A quibuſnam enim iniuſtis actibus abſtinuiſſe potuit, qui nec veritus eſt in ſupremum Chriſtianæ religionis Pontificem manum iniicere?

NOVA HVNNOR. INCVRSIO.
d Euag. lib. 4. c. 31.
PRODIGIOSA IVSTINIANI MVTATIO

IVSTIN. AN. 33.

IESV CHRISTI AN. 559.

PELAGII AN. 5.

I. ANno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo nono, Poſt Conſulatum Baſilii decimo octauo inſcripto, *Pelagius* Papa vbi ſediſſet annos quatuor menſes decem dies octodecim, ex hac vita migrauit die ſecunda Martii; & ſepultus eſt in baſilica S. Petri. Ita ex Anaſtaſii commentario, qui ſcriptus habetur in Vaticana Bibliotheca; necnon ex eiuſdem Pontificis Epitaphio, quod ex antiquis Vaticanæ baſilicæ monumentis Manlius collegit. Ex quibus erroris redarguitur impreſſus Anaſtaſii codex, & alii qui eumdem Pontificem annos vndecim vixiſſe ponunt, quiue anno ſequenti obitum eius referunt. Quæ autem extat eiuſdem Pelagii nomine ad Vigilium quemdam Epiſcopum ſcripta epiſtola; dum ad finem data ponitur ſub Conſulatu Narſetis atque Ioannis, impoſturæ ſuſpicionem auget. Etenim cum vetera quæque monumenta, ſignata vbique reperiantur poſt Baſilii Conſulatum toties repetitum (meminit namque Caſſiodorus [a] eiuſdem vicies ſemel repetiti) plane ſignificatur nullum alium interea Conſulem eſſe creatum. Qua etiam ratione & reliquæ epiſtolæ poſt Conſulatum Baſilii datæ, ſed aliorum à Mercatore Conſulum nota ſuppoſitæ, eadem falſitatis ſuſpicione laborant.

PELAGII PP. OBITVS.
a Caſſiod. de comput. Paſch.

II. Ceterum poſtquam vacaſſet Pelagii ſedes menſes tres & dies viginti quinque, Anaſtaſius ait ſubrogatum eſſe in locum eius IOANNEM huius nominis Tertium, patria Romanum, cognomento *Catellinum* natum ex patre Anaſtaſio viro illuſtri. Sed quod ad ſedis Pelagii vocationem ſpectat; ex tempore obitus Ioannis ipſius ſucceſſoris, dicendum eſt potius vacaſſe menſes quatuor & dies viginti quinque ſicque Ioannis electionem contigiſſe die vigeſima ſeptima Iulii. Cuius quidem omnia ferme rerum geſtarum monumenta perierunt.

IOANNES PP. III.

III. Hic quoque eſt annus, quo S. *Euphronius* creatus eſt Turonenſis Epiſcopus; vt ex Gregorio [b] eiuſdem poſtea ſedis Antiſtite colligitur, dum annum ſecundum Regis Sigeberti (qui regnare cœpit anno Domini quingenteſimo ſexageſimo quinto) numerat eiuſdem Euphronii ſeptimum. Vnde affirmare neceſſe erit, cuncta quæ ſub eodem Epiſcopo facta eſſe dicuntur, non ante præſentem annum contigiſſe. Quod & de SYNODO PARISIENSI, cui ipſe præſens extitit, dicendum eſt; quamuis illam alii ante biennium referant. Dignus plane memoria Conuentus, in quo Patres inter alia laudabiliter inſtituta, inſurgentes aduerſus auctoritatem regiam plus æquo ſibi ſumentem, anathemati ſubiecerunt [c] eos qui nomine regiones Eccleſiaſticas inuaderent, aut Epiſcopatus adipiſcentur, aut etiam contra parentum voluntatem vxores ducerent. Cum autem huic Synodo minime ſubſcriptus reperiatur *Saphoracus* eius ciuitatis Epiſcopus, quem interfuiſſe conſtat Synodo Quintæ Aurelianenſi, habitæ anno Domini quingenteſimo quinquageſimo ſecundo; facile mihi perſuadeo, poſterius quod habetur *Concilium Pariſienſe*, in quo idem Saphoracus depoſitus legitur, ante præſens celebratum eſſe: vt & qui huic habetur Germanus ſubſcriptus, ipſe ſit ſanctiſſimus ille Dei Sacerdos Pariſienſis, quem Euſebio ſucceſſiſſe poſt depoſitũ Saphoracum Aimoinus tradit. Sane quidem cum Acta Pariſienſis illius Concilii Secundi dicti; demonſtrent illud poſt Quintum Aurelianenſe habitum eſſe; æque ratio perſuadet, ante præſentem Synodum eſſe collectum. Quod vero pertinet ad S. *Germanum*; ipſum ex Abbate monaſterii S. Simphoriani, ſanctitate vitæ, dignis moribus, & miraculorum editione præſtantem, præcedentibus prophetiis vocatum ad regimen Pariſienſis Eccleſiæ, auctor eſt Fortunatus [d] Pictauienſis Epiſcopus, qui res ab eo præclare atque mirifice geſtas ſcriptis tradidit. Interfuit inſuper huic priori ordinę poſitæ Synodo Pariſienſi S. *Prætextatus* Rothomagenſis Antiſtes, nobilior poſtea redditus corona martyrii: itemque fama ille inſignis, decus Aquitaniæ, *Leontius* Burdegalenſis; aliique ſanctitate illuſtres Epiſcopi, quorum nomina relata ſunt in tabulas Eccleſiaſticas: omnes vero quindecim numerantur; à quibus ſtatuti ſunt canones nouem tantum numero, ſed virtute pollentes; ex quibus non ſolum qui illis vixere temporibus, ſed & Nouatores hodierni exagitentur.

b Greg. Tur. lib. 1 mirac. S. Mart. c. 32.
CONCIL. PARIS. AGIT ADVERSVS REGES ECCLESIASTICA TRACTANTES.
c Concil. Pariſ. I. cap. 1. 6. & 8.
DE TEMPORE CONCILIOR. PARIS.
ILLVST. EPISCOPI GALLI.
d ap. Sur. 28. Maij.

IVSTIN. AN. 34.

IESV CHRISTI AN. 560.

IOANNIS III. AN. 1.

I. ANno Chriſti quingenteſimo ſexageſimo, Poſt Baſilii Conſulatum decimonono, Iuſtiniani trigeſimo quarto [a], valde ægrotans idem Imperator Conſtantinopoli cum vulgo mortuus iactaretur, quaſi in interregno quibuſq; quod vellent agendi licentiam ſibi ſumentibus, eadẽ plane perpetrata ſunt ſcelera quę in vrbis direptione hoſtibus fieri cõſueuerunt; ac præcipue ergaſteria mercatorum

a Theoph. & Cedr.

torum

torum ſunt expiata. Eumdem autem Imperatorem ope ſanctorum Quatuor militum martyrum, ſtatim vbi eorum ſacræ Reliquiæ nuper inuentæ eius corpori impoſitæ fuere, è faucibus mortis erutum conualuiſſe, tum omnes alii referunt, tum ipſe Procopius [b] rerum inſpector: quo etiam auctore conſtat, non ſemel tantum, ſed ſæpius eiuſmodi curationes Iuſtiniano accidiſſe; quippe quem ait SS. pariter martyrum Coſmæ & Damiani beneficio ab alia deſperata ægritudine curatum eſſe. Quo item præſenti anno Sigebertus ponit aliud ingens miraculum de Imagine Saluatoris; quam cum Iudæus quidam de eccleſia furto ſublatam telo transfixiſſet, igneque cremare vellet, tanta ex ea vis ſanguinis exiuit, vt per eius veſtigia Iudæus detectus, à Chriſtianis fuerit lapidatus.

[Margin: ..AT. SA..VS VIRTVTE SS. RELIQVIARVM SANATVS. — b Procop. de ædif. Iuſtin. l. 1. — MIRACVLVM DE CHRISTI IMAGINE.]

II. THEODOMIRI REGIS ARIANI CONVERSIO.

Sed & in Gallicia Hiſpaniæ prouincia, cum regnantes ibi hactenus Sueui impii Ariani, poſt Alaxam apoſtatam haud modicum Catholicæ Eccleſiæ damnum intuliſſent vſque ad præſentem annum, quo regnare cœpit *Theodomirus*: hic tandem ab hæreſi ad fidem Catholicam conuerſus eſt, occaſione reſtitutæ ſalutis Ariamiro ipſius filio, beneficio S. Martini magni illius Turonenſis olim Epiſcopi. Rem geſtam, ſimulque Reliquiarum eiuſdem S. Martini ab vrbe Turonenſi in Galliciam ſolemni pompa translationem ad eccleſiam quam in eius honorem idem Rex extruxit; pluribus deſcribit eiuſdem vrbis Antiſtes Gregorius [c], apud quem tamen idem Rex *Chararicus* nominatus reperitur.

[Margin: c Greg. Tur. de mirac. S. Martini l. 1. cap. 11.]

III. DE MARTINO BRACARENSI.

Accidit autem magna Dei prouidentia, vt iiſdem ipſis diebus quibus eædem Reliquiæ de loco leuatæ ſunt, & in Galliciam appulerunt; pariter alius *Martinus*, & ipſe ex Pannonia magni illius Sancti patria oriundus, vir ſummæ doctrinæ ac ſanctitatis, è patria ſoluerit, & in Galliciam appulerit, Sueuorumque conuerſioni magno fuerit ſtabilimento: vbi etiam Bracarenſis factus Metropolitanus, Eccleſiaſticam diſciplinam optime inſtituit, multaſq; eccleſias ac monaſteria ædificauit: vt hæc omnia Gregorius [d] refert, necnon Iſidorus tum in Chronico Sueuorũ (vbi etiam meminit de eiuſdem Regis Theodomiri conuerſione) tum in tractatu [e] de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

[Margin: d Ibid. & 5. hiſt. Franc. 17. — e Iſid. de Scr. Eccleſ. c. 22.]

IESV CHRISTI AN. 561.

IVSTIN. AN. 35.

IOANNIS III. AN. 2.

I.

ANno Domini quingenteſimo ſexageſimo primo, Poſt Baſilii Conſulatum vigeſimo, & Iuſtiniani trigeſimo quinto, defuncto Domno Iuniore Epiſcopo Antiocheno, vbi ſediſſet annos quatuordecim, in locum eius ſubrogatus eſt magnus *Anaſtaſius* cognomento *Sinaita*, quod in Sina monte vitam monaſticam exercuiſſet; de quo agendum ſæpe inferius. Eodemque tempore, poſt Euſtochium Hieroſolymorum Eccleſiæ ſubſtitutus eſt *Ioannes*; quem tamen alii in locum Macarii iterum reſtituti creatum dicunt.

[Margin: ANASTAS. SINAITA EPIS. ANTIOCH.]

II.

Præſenti pariter anno trigeſimo quinto Iuſtiniani, menſe Nouembri ſtructas fuiſſe inſidias eumdem occidendum Imperatorem; iiſque detectis, in crimen adductum Beliſarium bonis & dignitate exutum eſſe, ſed non ſequenti menſe Martio reſtitutum; habetur apud Theophanem in Miſcella: eumdemq; poſt biennium Byzantii mortuum, Cedrenus tradit. Sed eius reſtitutioni aduerſantur Latini [a] nõnulli, qui eum excæcatum, exutumque omnibus dignitatibus atq; diuitiis, mendicare ſtipem fuiſſe coactum aſſerunt: aduerſus quos dimicat Alciatus [b] ſui Iuſtiniani acerrimus defenſor. Certe antiquiorum vna omnium ſententia fuit, Beliſarium in coniurationis ſuſpicionem adductum, ab Imperatore fuiſſe redactum in ordinem. De reliquis autem varias reperimus ſententias; cum alii dixerint excæcatum, vſque ad finem vitam traxiſſe miſerrimam; alii vero in eo tantum conſentiant vt è ſublimiori ſtatu deiectus, rurſus fuerit in priſtinum reſtitutus. Verum Græci, Zonaras, Glicas, Cedrenus, Conſtantinus Manaſſes, cum bonis & dignitatibus ex inuidia priuatum dicant & doleant, de reſtitutione tamen nihil habent; immo in ſtatu miſerrimo derelictum, nec amplius ſubleuatum ſignificant. Vtrorumque opiniones Ioannes Græcus auctor his iambis retulit.

[Margin: a Crinit. de honeſt. diſcipl. lib. 15. ... Pontan. & alii ... — b Alciat. 4. parerg. 24. — BELISARII DVCIS CALAMITAS.]

Iſte Beliſarius Imperator Magnus,
Iuſtinianeis exiſtens temporibus Imperator,
Ad omnem quadrantem terræ cum explicuiſſet victorias,
Poſtea inuidia excæcatus (ô fortunam inſtabilem)
Poculum ligneum detinens clamabat plebi in ſtadio,
Beliſario obulum date Imperatori,
Quem fortuna quidem clarum fecit, excæcauit inuidia.
Alij dicunt Chronici, non excæcatum fuiſſe hunc,
Ex honoratis autem infamem profecto factum eſſe,
Et iterum ad reuocationem æſtimationis veniſſe prioris.

III. DIVINA IVSTITIA IN BELISARIVM.

Quod autem Altiſſimus [c] ſit patiens redditor, ſeram haud quis iudicabit eſſe vindictam, qua tandem Beliſariũ proſecutus eſt, ob ea quæ in gratiã Theodoræ Auguſtæ olim perpetrauerat aduerſus ſanctiſſimum Eccleſiæ Romanæ Pontificem Silucrium. Cuius ſi ſceleris quis immenſitatem conſideret, haud incuſare poterit, & non admirari potius diuinum iudicium iuſte latum in ipſum, cum experiri coactus eſt, quod (vt ex Procopio vidimus) ſub eodem Iuſtiniano Imperatore pati compulſus eſt Ioannes Conſul atque Præfectus Prætorio inſignis Patricius, qui re vera ob inopiam coactus eſt mendicare. Nam quod his de Beliſario enarratis Alciatus repugnans nullum præterea argumentum afferat, quam de re tanta ſilentium Procopii & Agathiæ; nihil eſt quod ex Procopio aliquid induci poſſit, cum minime ad hæc vſque tempora ſuam hiſtoriam perduxerit. Sed & quod ipſum Suidas aſſerat, poſt hiſtoriarum volumina ſcripſiſſe librum, quo eiuſdem Iuſtiniani Imperatoris & vxoris eius Theodoræ, itemque Beliſarii eiuſque coniugis vituperationes comprehenderit; eo commentario hæc tractata fuiſſe, ratio argumenti cogit exiſtimare. Porro Agathias haud potuit huius anni geſta recenſere, cum eius hiſtoria non excedat annum trigeſimum ſecundum Iuſtiniani Imperatoris. At de his hactenus.

[Margin: c Eccleſ. 5.]

IESV CHRISTI AN. 562.

IVSTIN. 36.

IOANNIS III. AN. 3.

I. CHILDEBERTI REG. OBITVS.

ANno Domini quingenteſimo ſexageſimo ſecundo, Poſt Conſulatum Baſilij vigeſimo primo, religioſiſſimus ac Chriſtianiſſimus Francorum Rex Childebertus, ſanctis operibus clarus ex hac vita migrauit, agens in ſuo regno annos quadraginta nouem. Ad hunc enim vſque annum ſaltem perueniſſe ipſum, docent vetera monumenta [a] de bonis ab eo donatis eccleſiæ ab ipſo erectæ in honorem S. Vicentii anno regni quadrageſimo octauo; ex quibus emendes eos qui nonnulli quadraginta quatuor annos eidem tribuerunt. Sepultus eſt autem (vt iuſſerat) in eadem baſilica S. Vincentii. Eius vero regnum Clotarius [b] ipſius germanus excluſis filiabus arripiens, ſolus totius Francorum regni monarchia potitus eſt. Qui Pariſios veniens, & ob contemptum S. Germani illius ciuitatis Epiſcopi in grauem morbum repente incidens, eiuſdem ſancti viri veſtimentorum ad loca doloris appoſitione ſanatus eſt; vt ſcribit Fortunatus [c] Pictauienſis. Poſt quæ Clotarius cum ceteros viros ſanctos, tum præcipue S. Maurum, qui à S. Benedicto miſſus fuerat in Gallias ad propagandam vitam monaſticam, coluit; multaque erga eius monachos exhibuit pietatis officia, quæ Mauri Acta proſecutus Fauſtus narrat.

[Margin: a ap. Aimoin. lib. 2. c. 20. — b Greg. Tur. 4. hiſt. Fr. 20. — CLOTAR. MONARCHIAM ADEPTVS GALLIAR. — c Fortun. in Vit. S. Germ. cap. 24.]

II. DE MODO INDICTIONIS INVENIENDÆ, ET NVMERANDÆ.

Hoc eodem anno Domini quingenteſimo ſexageſimo ſecundo, Aurelius Caſſiodorus Senator ſcribebat de indictione adinuenienda currente, ac de Epacta, aliiſque ad Paſchalis temporis computum ſpectantibus. Ex quo hæc accurate tractãte, accepto Indictionis inueniendæ numerandæque modo, nos quoque ſingulos poſthæc annos Indictionis nota ſignaturi ſumus; cum præſertim iam nos deſerant Conſules, vel admodum infrequen-

tes reperiantur. Illud tamen notandum eſt, quod etſi numeret Caſſiodorus ab Incarnatione, nos vero à Natali Domini; vnus tamen idemque annus Domini eſt, cum nouem tantum menſes intercedant ab Incarnationis tempore vſque ad Natale, eodemque anno & ſub iiſdem Coſſ. Chriſtus ſit incarnatus pariter & natus. Verum ſi à menſe Septembri more maiorum numerare cœperis indictiones, tunc fiet vt non ſemper eadem ſit Indictio anni ab Incarnatione numerati (quæ accidit vigeſima quinta menſis Martii) & eius qui exorditur à ſequenti Natali Domini. Quanquam nec hoc pacto vllum fiat præiudicium inſtitutæ chronographiæ; cum (vt dictum eſt) idem annus Incarnationis Chriſti ſit & Natalis, curratque idem annus, licet non eadem Indictio, abſoluta priori menſe Septembri, quo & ſequens inchoatur. Quoniam igitur maiores noſtri qui Chriſti annis coniunxere Indictiones, eos non à Natali Domini, ſed ab Incarnatione (vt patet ex Caſſiodoro) incipiunt numerare; nos ad euitandas perplexitates, eodem pariter ordine iungemus Chriſti annis Indictiones; ita vt præſenti anno, veluti ſit ab Incarnatione inchoatus, ex ſententia Caſſiodori decimam ponamus Indictionem, quam æque idem coniungit cum anno Chriſti quingenteſimo ſexageſimo ſecundo, & anno poſt Conſulatum Baſilii vigeſimo primo; in omnibus ad amuſſim noſtræ conſentiens Annalium chronographiæ.

III. De Caſſiodori vita inſtituto, et ſcriptis.

Quod vero ad ipſum CASSIODORVM ſpectat; qui à tempore Theodorici Amali vſque ad Vitigem apud ipſos Gothorum in Italia Reges Præfecturis innumeris illuſtratus florentiſſime vixit, poſt illorum naufragia in exoptatum diu tranquillitatis portum ſeceſſit; nempe in monaſterium à ſe conſtructum, quod Viuarienſe dixit, ſiue etiam Caſtellenſe, omnibusq; rebus ad vitam neceſſariis, atque inſuper egregia plane bibliotheca ornauit; vt docet ipſe in eius deſcriptione, quam reperire eſt in libris de diuinis Lectionibus ipſum vero ſitum fuiſſe in extrema parte Calabriæ, ſiue dixeris Magnæ Græciæ, apud ciuitatem Scyllitanam, vbi famoſus Scyllæ contra Charybdim ſcopulus imminet, ex S. Gregorio [d] Papa intelligi poteſt; licet alii dicant illud in Rauennate fuiſſe territorio collocatum. Certe remotiora videtur quæſiſſe loca, qui ſæculo nuncium omnino remiſit, & non vbi aſſiduo bella vigerent. Ibi igitur Deo & literis vacans, reliquum vitæ tempus ad obitum vſque, ſemper aliquem fertiliſſimi ingenii partum edens, effœtam licet annis, fœcundam frugibus ſenectutem duxit. Suas vero multiplices lucubrationes ipſe [e] alibi recenſet; quarum quæ extant, abunde docent ipſum doctiſſimum æque ac ſanctiſſimum virum extitiſſe. Quantum autem vitam duxerit, incompertum nobis eſt: ſed prope centenarium euaſiſſe, inde poſſumus opinari, quod ipſemet teſtetur [f] ſe de Orthographia librum elaboraſſe anno ætatis ſuæ nonageſimo tertio: poſt quem adhuc conſcripſit [g] commentarium de diuinis Lectionibus, alioſque tractatus. Sic igitur qui vegetiorem ætatem in optima regni gubernatione vtiliter honorificeq; conſumpſit, nec in decrepita ſenectute labores ad res diuinas conuerſos vel minimum intermitteris, in ſuo monaſterio tandem ſancto fine quieuit.

d Greg. 7. ep. 31. & 11. Ind. 1.

e Caſſiod. de diuin. lect. in præf. & c. 5. & in præf. Orthogr. & in præf. Variar. & præf. li. 11. Variar. f Id. in præf. Orthogr. g Id. de diu. lect. cap. 30.

IESV CHRISTI AN. 563.

Iuſtin. an. 37.

IOANNIS III. AN. 4.

I.

ANno Chriſti quingenteſimo ſexageſimo tertio, Poſt Conſulatum Baſilii vigeſimo ſecundo Faſtis inſcripto, numerari cœpto Indictionis vndecimæ, noui de Fide tumultus Eccleſiam Conſtantinopolitanam perturbarunt, cum ſe Iuſtinianus infelix in hæreſim præcipitem dedit. Vidimus ſupra [a] ex Eutychianorum ſecta inter alias plures errorum propagines, duas hæreticorum factiones progreſſas eſſe, quarum altera *Corrupticolarum*, altera *Aphthartodocitarum*, ſiue *Incorruptibilium* vel *Phantaſiaſtarum* nominabatur. Hi quidem ſic incorruptibilem, & paſſionum penitus expertem Chriſti carnem dicebant, vt tamen ſi voluiſſet, eamdem ſubiicere paſſionibus valuiſſet. At contrarium omnino profitetur Eccleſia Catholica, nempe ita aſſumptam à Deo carnem paſſionibus abſque peccato fuiſſe ſubiectam, vt tamen ſi voluiſſet, vel quando voluiſſet, ab eis ſe liberum reddere potuiſſet: itaque qui erant in carne Chriſti eiuſdem naturales affectus, non paſſiones, ſed propaſſiones Theologi Orthodoxi nominarunt; nempe vt cum vellet ipſe tantum inſurgerent, & ſi nollet nequaquam ipſi dominarentur. Ex priori autem ſententia illud deducebatur abſurdum, vt vna tantum eſſet in Chriſto voluntas; ex poſteriori autem recta illa aſſertio, vt ſicut duæ prædicantur in Chriſto naturæ, ita pariter & duæ voluntates affirmarentur. Quamobrem factum eſt, vt ex illa priori ſententia exorta fuerit *Monothelitarum* hæreſis, quæ diu multumq; Eccleſiam perturbauit, vt ſuis locis dicturi ſumus. Contraria vero ſententia, dicentium Verbum corpus ſuſcepiſſe paſſionibus ſubditum, in eo à Catholicis diſcrepabat, quod id ei neceſſitate incubuiſſe traderent, vt etiamſi noluiſſet, illis inſeruire cogeretur: vnde & in illam deteriorem prolapſi ſunt hæreſim, qua ab ignorantia dicti ſunt *Agnoitæ*; vtpote qui dicerent neſciſſe penitus Chriſtum vt hominem, Iudicii diem, quippe quod cum per omnia nobis ſimilis fuerit, ignorātiæ paſſio ita ipſi inhæſerit, vt quod neſciret ſui natura, eadē noſſe minime potuiſſet. Agunt vero pluribus de his omnib. Leontius [b], Damaſcen. [c], Euthymius [d], & alii.

a Sup. an. 519. n. 75. & 535. n. 8. & 9. Contrariæ hæreticor. ſectæ.

b Leont. de Sect. act. 5. & 10. c Damaſc. de hæreſ. l. 3. d Euthym. Panopl. tit. 16. 17.

II. Iuſtin. Imp. lapſus in hæreſim.

Iuſtinianus igitur, vbi ſemel de dogmatibus edicta ſanciendi ſibi arrogauit auctoritatem; ad huiuſmodi pariter dirimendas quæſtiones, haud conſulta more maiorum Orthodoxorum Imperatorum Apoſtolica Sede, aut coacta aliqua prouinciali ſaltem Synodo, ipſe non ſecus ac Antichriſtus in templo Dei erigens ſibi cathedram, Incorruptibilium ſententiæ adhærens, eamdem vniuerſæ Catholicæ Eccleſiæ credendam edicto conſcripto proponere decreuit. Hoc autem ipſum feciſſe ſuaſu perditiſſimi Theodori Cæſarienſis in Cappadocia Archiepiſcopi (quem & famoſam illam de Tribus Capitulis quæſtionem excitaſſe vidimus) non obſcure innuit Euſtathius [e] in Vita S. Eutychii Patriarchæ Cōſtantinopolitani. Cumque Iuſtiniani in hæreſim lapſus tam Græci quam Latini auctores omnes ſint teſtes, omneſq; pariter facinus deteſtentur; vnus tantum Nicephorus [f] crimen attenuans, ait ipſum Aphthartodocitarum hæreſi inhæſiſſe propter ſummum erga Chriſti amorem, nimirum quod ferre non poſſet vt Chriſtus diceretur carnem ſuſcepiſſe paſſionibus obnoxiam. Verum & ipſe hac ex parte Nicephorus nimirum imprudens iudicandus, qui putauit ex nimio in Chriſtum amore poſſe aliquem aduerſus Chriſtum hæreſes promulgare. Ceterum Euagrius [g] poſtquam de eodem Iuſtiniani edicto egit, addit eundem omnes Epiſcopos compellere ſtatuiſſe vt opinioni ſuæ aſſentirentur; eos vero ſe Anaſtaſii Epiſcopi Antiocheni (magni illius Sinaitæ, de cuius promotione dictum eſt ſuperius) ſententiam expectare reſpondendo, primum Imperatoris conatum repuliſſe: cum autem illum fruſtra Imperator tentaſſet, exilium omnibus Epiſcopis contradicentibus comminatum eſſe. Hæc Euagrius: reliqua annis ſequentibus.

e Eup. Sur. 6. April.

f Niceph. lib. 17. c. 29.

g Euagr. lib. 4. c. 38. & 39.

Anaſt. Antioc. repugnat Imperatori.

III.

Interea vero dum Imperator in Oriente à Catholica fide deficiens, in Epiſcopos Orthodoxos perſecutionem inſtituit; in Occidente qui fuerat hæreticus, ad fidem conuerſus Princeps, per Catholicos Epiſcopos Concilium celebrauit quo damnarentur errores. Hoc enim ipſo anno, qui tertius Theodomiri Sueuorum Regis numeratur, idem Calendis Maij colligi curauit SYNODVM BRACARENSEM in totius Galliciæ metropoli ciuitate; in qua, ex præſcripto (vt teſtantur) Apoſtolicæ ſedis, damnati reperiuntur Priſcillianiſtarum, aliorumque hæreticorum errores, & ſtabilita Eccleſiaſtica diſciplina; ſtatutis canonibus quadraginta, quibus octo Epiſcopi ſubſcripſere vna cum Lucretio eiuſdem vrbis Antiſtite. Sed in Actis Concilii loco Theodomiri Ariamirus erronee poſitus eſt, qui Theodomiri filius ac poſtea ſucceſſor extitit. Inter canones autem ille notandus eſt [h], quo Patres ſanci-

Concil. Bracar. contra Priſcillianiſtas.

h Concil. Bracar. c. 32.

ſanciuerunt, vt quicumque in Clero cibo carnium non vterentur, tamen pro amputanda ſuſpicione Priſcillianæ hæreſis, vel olera cocta cum carnibus prægustare cogerentur: quod ſi contemnerent, excommunicati ab omni officio remouerentur.

IESV CHRISTI AN. 564.

IVSTINIANI AN. 38.

IOANNIS III. AN. 5.

I. IVSTIN. IMP. PERSECVTIONEM EXCITAT IN CATHOLICOS.

ANNO Chriſti quingenteſimo ſexageſimo quarto, eodemque poſtremo qui poſt Conſulatum Baſilii numeretur in Faſtis vigeſimus tertius, Indictione duodecima, Iuſtinianus Imperator, vbi elaboratum à ſe edictum reiici ab Orthodoxis percepit, ita exæſtuans magnam aduerſus eos Perſecutionem commouit. Cuius primus paſſus eſt impetum, qui proxime aderat ipſi viriliter contradicens Eutychius Conſtantinopolitanus Epiſcopus: quẽ quidem ridiculis quibuſdam criminibus accuſatum, ac per Conciliabulum quoddam condemnatum, vi per milites ab eccleſia extractum vigeſimo ſecundo menſis Ianuarii, mutato ſæpius exilii loco, tandem Amaſeam in Pontum relegauit ad ſuum ipſius Eutychii monaſterium priſtinum; atque in eius locum ſuffecit *Ioannem* cognomento *Scholaſticum*, ex Apocriſario Eccleſiæ Antiochenæ, hominem plane ſeruum gloriæ, & nundinatorem rerum ſacrarum, quique pretio adulationis eam mercatus eſt dignitatem. Quo modo autem hæc geſta fuerint, fuſe narrat Euſtathius [a] exilii comes, & ſcriptor Vitæ Eutychii: vbi & multa refert inſignia eiuſdem miracula Amaſeæ edita, ad ſtabiliendam fidem Catholicam, confutandamque hæreticam prauitatem: qui poſt mortem Ioannis, duodecimo elapſo exilii anno, iterum reſtitutus eſt, vt dicetur ſuo loco.

EVTYCH. EPISC. CONST. PELLITVR.

a ap. Sur. 6. April.

II. Hoc item anno, qui Clotarii Regis Francorum præcedit [b] obitum, eius filii Chramni ſæpe aduerſus patrem rebellantis [c], & ab eo ſæpe ad veniam recepti, tragœdia finem habuit: cum idem prælio cum patre in minore Britannia commiſſo, victus captuſque iuſſu patris tugurio incluſus eſt, & igne conſumptus vna cum vxore ac filiabus, quas ad rebellionem habuerat impellentes. Reuerſo autẽ ab hoſtium cæde Clotario contigit intereſſe S. *Medardi* Epiſcopi Nouionenſis felici ad Deum migrationi: cuius & corpus, ſuos ipſe humeros feretro ſubiiciens, Sueſſionem tranſtulit. Habet hæc pluribus auctor Vitæ [d] eiuſdem Sancti, qui aſſeritur Fortunatus: ſimulq; deſcribit miraculum ingens, quo poſt obitum eiuſdem Sancti cœli aperti ſunt, & diuina luminaria fere per duarum horarum ſpatium ante illius apparuere præſentiam, de tenebris eum tranſitoriis ad lucem deſignantia tranſiſſe perpetuam: ſubditque de quamplurimis aliis miraculis, quæ dum corpus transferretur, in via fieri cõtigit, ac poſtea in egregia ſuper corpus eius erecta à Sigeberto Clotarii filio eccleſia: cui & monaſterium coniunctum eſt, itidem regia munificentia exædificatum; quod poſtea (vt videbitur) Papa Gregorius munitum à ſe voluit ſedis Apoſtolicæ priuilegiis, vt caput omnium eſſet Galliæ monaſteriorum, nullique ſubeſſet ditioni.

b Greg. Tur. 4. hiſt. Francor. 21. inf.
c Ibid. c. 16. & 20. & de mirac. S. Mart. l. 1. c. 23.
CLOTAR. REX FILIVM REBELLEM IGNI COMBVRIT.
d Ext. ap. Sur. 8. Iun.
S. MEDARDI FVNVS.

III. Porro eadem die qua obiit S. Medardus, pariter exceſſiſſe ex hac vita S. *Gildardum* Rothomagenſem Epiſcopum ipſius germanum, eademque cum ipſo die natum atque ſacratum Epiſcopum, Audoenus eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus verſibus ſuis cecinit. Sicut & Catholica [e] Eccleſia, vna eademque die amborum ad Deum tranſitum celebrat. Quæ tamen intelligenda omnino videntur, vt acciderint quidem iiſdem diebus, ſed diuerſis recurrentibus annis: ſiquidem conſtat Gildardum, qui ſubſcriptus reperitur Synodo Primæ Aurelianenſi celebratæ anno Domini quingenteſimo ſeptimo, longe ante hæc tempora obiiſſe; ſucceſſoremque habuiſſe Flauium, qui interfuit Conciliis itidem Aurelianenſibus Secundo, Tertio, & Quarto; ac denique poſt eum his diebus ei Eccleſiæ præfuiſſe Prætextatum, qui ſubſcripſit Synodo Aurelianenſi Quintæ habitæ anno quingenteſimo quinquageſimo ſecundo, & pluribus poſt hæc annis vixit. Quo vero tempore Gildardus Aurelianenſi Primæ ſubſcripſit, non Medardus Nouionenſem regebat Eccleſiam, ſed Sophronius qui eidem Synodo interfuiſſe reperitur.

DE SS. MEDARDO ET GILDARDO FRATRIBVS.
e Mart. Ro. 6. Id. Iuny.

IESV CHRISTI AN. 565.

IVSTINIANI IMP. AN. 39.

IOANNIS III. AN. 6.

I. ANNO Domini quingenteſimo ſexageſimo quinto Indictionis decimætertiæ, Iuſtinianus Imp. vbi abſoluiſſet ſui Imperii annum trigeſimum octauum, atque nonum ingreſſus eſſet (vt ait Euagrius [a]) per menſes octo, vel (vt Theophanes) menſes ſeptem & dies decem, aut (quod Cedrenus tradit) dies tredecim; ex hac vita migrauit Idibus Nouembris, media nocte, vt habet Corippus huius temporis poeta in carmine de Iuſtini Imperatoris laudibus. Media namque nocte clamor factus eſt, cum ex improuiſo inſtar furis ianuam effringentis, mors eum rapuit ipſi importuna, opportuna vero Romano Imperio ſub Imperatore hæretico titubanti. Vt enim Dei iudiciũ fieret manifeſtius, tunc ſubitanea eſt morte ſubreptus, cum iam indixiſſet exilium Anaſtaſio Epiſcopo Antiocheno, atque ceteris illis inhærentibus Eccleſiæ ſacerdotibus; vt tradit idem Euagrius [b] huius temporis auctor, qui & ipſum ad inferos detruſum affirmat. Sed qui diu poſt Euagrium vixit Nicephorus [c], quamuis & ipſe æque confirmet, Iuſtinianum cum eorumdem Epiſcoporum exilii libellum dictaret, inuiſibili ictum plaga periiſſe; tamen addit eumdem extremo illo ſpiritu facti pœnituiſſe, iuſſiſſeque Eutychium ab exilio reuocari. Quod ex eo (vt puto) argumento deduxit, quia non ſicut aliorum, hæreticorum eius nomen abraſum fuit è ſacris tabulis; vel quia Patres Sextæ Synodi, Romanique Pontifices Gregorius [d] & Agatho [e], elogio Catholico & pietatis titulo, aliiſque poſtea publicis [f] honoribus reperiuntur eius memoriam proſecuti. Verum id accidit, quod quam ipſe coluiſſet hæreſim, ea nullis conſtaret edictorum publicis monumentis (nam etſi ſcripſit, non tamen, vt docet Euagrius [g], promulgauit illud de Incorruptibilium hæreſi edictum) cum econtra eiuſdem fides Catholica pluribus promulgatis ſanctionibus probaretur.

a Euagr. l. 4. c. 40.
IVSTINIANVS DEI VINDICTA, REPENTINA MORTE SVBLATVS.
b Id. l. 5. c. 1.
c Niceph. l. 17. c. 31.
d Greg. 2. ep. 10. 3. ep. 4. 17 ep. 126.
e Agath. ep. ad Heracl. & Tiber. Impp.
f Niceph. ibid.
g Euagr. l. 4. c. 40.

II. Quam autem mortuus ante horrendum maieſtatis diuinæ tribunal, cui nulla poteſt ſpecie ſubrepi, ſententiam acceperit, etſi non ſit hominis iudicare; opinari tamen ſicui licet, facilius eſt inuenire qui Euagrii de eius condemnatione velit ſequi ſententiam, vt pote ſuorum temporum rerum geſtarum ſcriptoris inſignis, atque ex Græcis primi eorum qui leguntur Orthodoxi; quam reliquorum hiſtoricorum qui longe poſt Iuſtiniani tempora res ab eo geſtas, nec ipſi ab hæreſi immunes, ſcripſere; cum præſertim in eamdem proculdubio ſententiam Procopius eiuſdem temporis luculentiſſimus hiſtoricus abiiſſe viſus ſit, dum quem antea ſæpe laudarat, ſcripto poſtea volumine magnopere vituperauit, vt ex Suida iam ſuperiùs dictum eſt. Certe enim quod attinet ad eccleſias, aliaque pia ædificia, quæ ipſe vbique vel erexit, vel reſtituit; aliena id pecunia feciſſe, Euagrius [h] queritur. Et quod item ſpectat ad leges ab eodem promulgatas, è quibus magnum apud omnes nomen adeptus eſt; cum idem tradat auctor, eum tanta arſiſſe auaritia, ac tam turpi rerum alienarum appetitione, vt omnia ſubiectorum bona per ſe aut per magiſtratus expilauerit, diuitibus falſa crimina compingens, & cum ſordidis etiam perſonis calumnioſa lucra participans; eius ſententia, quot à Iuſtiniano nouæ ſancitę ſunt leges & veteres reſtitutæ, tot tenſa dicentur ad extorquendam pecuniam retia. Ceterum quemadmodum quæ ab eo iuſte ſancita reperiuntur (ſicut & aliorum Imperatorum Conſtitutiones, & Reſponſa Prudentum) Chriſtianitas non refugit: ita quæ præter ius faſque obſer-

DE IVSTINIANI POSTREMO IVDICIO.
h Id. l. 4. c. 19.
IVSTINIA. TVRPIS AVARITIA.

uanda præcepit, Catholica Eccleſia reſpuit: veluti quæ ſibi ſuper res perſonaſque Eccleſiaſticas arrogare præſumpſit, quæve de vſuris conſtituit. Sed in his conſule Alciatum[i], licet ei in omnibus minime aſſentiamur.

i Alciat. 6. Pareig. 20.

III. IVSTINVS II. IMPERAT. Simulac autem Iuſtinianus defunctus eſt, eadem ipſa die Senatu hortante inſigni ſuſcepit Imperii IVSTINVS Iunior, filius Dulciſſimi ex Vigilantia ſorore Iuſtiniani: cuius item coniux *Sophia* appellata, neptis fuit. Theodoræ Auguſtæ; vt apparet ex Victoris Tunnenſis ſiue Tununenſis in Africa Epiſcopi Chronico, & Corippo pariter Africano grammatico, qui eiuſdem Iuſtini laudes eleganti carmine diffuſe cecinit. Ex quo etiam conſtat, eumdem ab auunculo iam antea creatum Curopolatem (ita Græci dicunt magiſtratum, cui Palatii cura credita erat) atque Cæſarem diſpoſitum eſſe: ſtatimque poſt coronam acceptam à Ioanne Patriarcha, habita ad populum oratione, eiuſque ſuſceptis querelis aduerſus exactiones auunculi, ſua vnicuique reddi præcepiſſe, & æs alienum Iuſtiniani diſſolui. Addit vero Euagrius[k], eumdem mandatum dediſſe, vt omnes Epiſcopi & ſacerdotes, qui vndique Conſtantinopolim euocati fuerant, ad ſuas ipſorum ſedes ſe reciperent, monens nequis in fide aliquid innouare moliretur. Porro ipſi iam longe antea prædictum Imperium ab Eutychio Conſtantinopolitano, teſtis eſt Euſtathius[l] in eius Vita. Sed ſicut pincerna[m] tardius recordatus eſt Ioſeph in carcere detenti; ita & Iuſtinus ſerius quam par erat Eutychium ab exilio reuocauit, & non antequam qui in eius locum immiſſus fuerat Ioannes ex hac vita diſceſſerit.

k Euagr. l. 5. c. 2.
l ep. Sur. 6. April.
m Gen. 40.

IV. CLOTARII REG. OBITVS. Hoc item anno Clotarius Rex Francorum, cum ageret ab obitu Clodouei patris annos quinquaginta vnum in regno, poſt viſitatum ſepulchrum B. Martini Turonis, & exomologeſim peccatorum factam, inde regreſſus febre in venatione correptus diem obiit Compendii, vnde à filiis Sueſſionas translatus eſt, atque ſepultus in loco quem ipſe delegerat ad baſilicam cōſtruendam in honorem nuper defuncti S. Medardi, quam poſtea filius Sigebertus ædificauit. Hæc Gregorius[n] Turonenſis. Eo vero defuncto quatuor eius filii partiti ſunt regnum; quorum *Charibertus* ſedem tenuit Pariſiis, *Chilpericus* Sueſſionis, *Guntheramnus* Aurelianis, *Sigebertus* Rhemis. Eorum autem omnium religioſiſſimus habitus eſt Sigebertus: qui ſimulac regni habenas ſuſcepit, S. Nicetium Treuerenſem Epiſcopum, à patre in exilium amandatum quod ſæpius ipſum pro iniuſtis operibus excommunicaſſet, poſt iminio reuocauit, ſedique ſuæ reſtituit; vt fuſius idem Gregorius tradit in Vita eiuſdem S. Nicetii.

n Greg. Tur. 4. hiſt. 21.

V. PESTIS INGVINARIA PAVENDA. Hoc eodem tempore peſtis illa vehemens atque vbique pauenda, INGVINARIA dicta, quæ orta fuerat in Liguria, vniuerſam depaſta eſt Italiam, peruaſitque etiam Gallias, & regiones Boreales: quæ antequam locum aliquem occuparet, præcedebant ſignacula per domos, oſtia, vaſa, veſtimenta, quæ ſiquis voluiſſet abluere, magis apparebant. Eiuſmodi vero ſcriptionem à ruſticis in Gallia *Thau* vocari ſolitam Gregorius[o] ait: quo etiam auctore conſtat, vrbes Rhemenſem, Treuerenſem, & Aruernenſem ab eadem peſte liberatas eſſe ope ſanctorum Remigii, Nicetii, & Galli earum Epiſcoporum. Mirabiles autem eius effectus egregie deſcripſit Paulus[p] diaconus in Geſtis Longobardorum: meminitque eiuſdem S. Gregorius[q] Papa.

o Id. 4. hiſt. 5. de glor. Confeſſ. cap. 179. & in Vit. S. Nicet.
p Paul. diac. l. 2. c. 4.
q Greg. 4. dial. 26.

VI. CONVERSIO PICTORVM. Hoc item anno Domini quingenteſimo ſexageſimo quinto, Iuſtini primo, Beda[r] conſignat *Pictorum* in Inſulæ Britanniæ Septemtrionali parte commorantium ad Chriſti fidem conuerſionem, per S. COLVMBANVM presbyterum & Abbatem Hibernum: quem & ait ibidem in quadam inſula nobile conſtruxiſſe monaſterium, ex quo plurima alia poſtea per ipſius diſcipulos in Britannia propagata fuerint; ſed ita vt illud in omnibus teneret principatum; adeo vt illius Abbatis iuri & omnis prouincia & ipſi etiam Epiſcopi ordine inuſitato deberent eſſe ſubiecti, iuxta exemplum eiuſdem Columbani primi doctoris illius prouinciæ, qui non Epiſcopus, ſed presbyter tantum extitit & monachus.

r Bed. de geſt. Ang. l. 3. c. 4.
S. COLVMBANVS PICTOR. APOST.

IESV CHRISTI AN. 566.

IVSTIN. IVN. AN. 1.

IOANNIS III. AN. 7.

I. ANNO Chriſti quingenteſimo ſexageſimo ſexto, Iuſtini Imperatoris primo, inchoato tamen ab anno ſuperiori menſe Nouembri, Indictionis decimæ quartæ, idem Iuſtinus vt populum exhilararet mœſtum ob intermiſſionem Conſulatuum, ipſe Conſul creari voluit, & donatiuum more maiorum dedit, vt ſcribit Corippus[a].

a Corip. l. 2.

II. IVSTINVS IMP. SOLLICITVS DE CATHOL. FIDE. Quod vero periclitantem nactus eſſet ſtatum Imperii, ob fidem Catholicam à prædeceſſore magnopere perturbatam; edictum etiam de recta Fide conſcripſit, quod recitatur ab Euagrio[b], eoque omnes hortatus eſt ad Catholicæ Eccleſiæ doctrinam atque vnitatem amplexandam. Habetque inſuper Theophanes[c], eumdem Imperatorem hoc ipſo anno ad ſedandos obortos Alexandriæ occaſione diuerſarum inter ſe altercantium ſectarum tumultus, eo miſiſſe Photinum Beliſarii priuignum, ſimulque ſumptuoſa munera eccleſiis offerenda dediſſe. Quibus quidem iactis ſtabiliendi Imperii fundamentis, magna ei parta eſt fiducia, vt ingruentes barbaros non timeret. Hoc namque anno cum auſpicatus eſt Conſulatum, idem Imperator auditis legatis Gagani Regis Auarum, qui miſſi erant ad exigendam annuam pecuniam, quam Iuſtinianus ei ſoluere conſueuerat ne incurſionem faceret in Romani Imperii ditionem; non ſolum renuit id præſtare, ſed etiam bellum comminatus eſt ſiquid contra Imperium moliri tentarent. Proſequitur iſta Corippus. Addit vero Photius in ſua Bibliotheca ex Theophanis Byzantii hiſtoria, cœpta (vt ait) à bello Perſico, quod actum eſt poſt fœderis ſolutionem anno ſecundo Iuſtini Iunioris, & producta vſq; ad annum decimum eiuſdem belli; Turcas quoque legationem miſiſſe cum muneribus ad eumdem Iuſtinum, qua peterent ne ſuſciperet Auares ipſis infeſtiſſimos: aitque *Turcis*, fuiſſe populum habitantem apud Tanaim, eoſdemque antiquitus appellatos eſſe Maſſagetas, à Perſis vero ipſorum lingua Chermichiconas. Verum nec eos ignorarunt veteres: ſiquidem Plinius[d] Turcas adnumerat inter eas gentes quæ circa Mæotidem paludem habitabant. Quorum dum huius etiam temporis ſcriptor meminit Agathias[e], ait ipſos fuiſſe horribiles viſu, intonſos, ſordidos, implexos, ſqualidos. Sed & ab illis multa eoſdem Auares Scythicos populos eis confines, his ipſis temporibus perpeſſos eſſe, Euagrius[f] tradit.

b Euagr. l. 5. c. 4.
c Theoph. Miſcel. l. 10.
DE TVRCIS.
d Plin. 6. hiſt. 7.
e Agath. l. 1.
f Euagr. l. 5. c. 1.

III. IVSTINI PRAVI MORES. Sed vt ad Iuſtinum redeamus; felix plane ipſe extitiſſet, niſi auaritia & turpi vita fœdaſſet quæ ipſo ſui Imperii exordio laudabiliter peregiſſet. Ait enim Euagrius, deliciis eum defluxiſſe & mollicie, in voluptatibus obſcœnis volutatum eſſe; alienæque pecuniæ adeo ardenter appetentem fuiſſe, vti omnia iniqui quæſtus gratia, immo & ipſa ſacerdotia plebeiis hominibus venalia palam exponeret. Incontinentis autem animi primum illud publica lege[g] hoc anno Cal. Ianuariis dedit indicium, dum pœnas Iuſtiniani legibus aduerſus illicita coniugia ſancitas ſilere voluit. Atque ſenſim in deteriora lapſus, paulo poſt hoc item anno decimooctauo Calendas Octobris alia promulgata conſtitutione, communi coniugum conſenſu diſſolui matrimonium poſſe ſanciuit. Quæ quidem male inter Iuſtiniani[h] Nouellas adnumerata habetur; cum ipſe eius lator Iuſtinus in ea teſtetur expreſſe, diuerſam Iuſtiniani de ea re fuiſſe ſententiam. Ideoque ea recte in editione Iuliani Anteceſſoris, Iuſtiniano tribuitur. Quod autem eumdem in hæreſim quoque Pelagianam dilapſum poſtea eſſe, Gregorius Turonenſis ſcribit, id minime receptum eſſe videtur.

g Iuſtin. Nouel. 3. ap Iulian.
IVSTINI EDICTVM DE DIVORTIO.
h Nouel. 140

IV. CONCIL. SANTONENSE. Sed quod ad res Occidentales pertinet: cum (vt vidimus) in Concilio Pariſienſi ſtatutum fuiſſet, neminem admittendum ad Epiſcopatum, quem Regis auctoritas abſque canonica electione intruſiſſet; Leontius Burdegalenſis Epiſcopus collecto prouinciæ ſuæ Epiſcoporum CONCILIO Santonis, inter alia decreta Emerium à Clotario au-

ctorita-

ctoritate regia in Epiſcopatum Santonenſem intruſum, ſede priuauit: qui tamen à Rege Chariberto Clotarii filio vi rurſum reſtitutus eſt, mulctatis pecunia Leontio & ipſius coepiſcopis. Hæc fuſius Gregorius [i] Turonenſis. Fuit autem iſte *Leontius* decimuſtertius Burdegalenſis Eccleſiæ Epiſcopus: qui nobiliſſimo ortus genere, diuitiiſque pollens, & egregiis animi virtutibus exornatus, coniugatus licet inuitus ordinatus eſt: cuius vxor *Placidina*, ex Imperatorio ſtemmate procreata, eademque optimis compoſita moribus, etſi diuiſa corpore à ſancto viro, inhæſit tamen ipſi in bonis operibus comes indiuidua: vt hęc carminibus cecinit Venantius [k] Fortunatus ipſi Leontio magna familiaritate coniunctus. Extitit vero & Placidinæ virtutis æmula, ſoror eius nomine *Alchima*; quæ & ipſa Apollinari viro ſuo vt Epiſcopus crearetur indulgens, pariter ad conſtruenda ſanctis Martyribus templa ſe contulit, vt Gregorius [l] narrat. Porro hic Leontius, Iunior dicendus eſt reſpectu Senioris itidem Burdegalenſis Epiſcopi, æque nobilitate & vitæ ſanctitate conſpicui; cuius epitaphium apud eumdem Fortunatum [m] extat à Theodoſio ſcriptum: de quo puto mentionem haberi apud Sidonium [n] Apollinarem.

i Greg. Tur. 4. hiſt. Fr. 26.
DE LEONTIO EPISCOP. BVRDIGAL.
k Fortun. carm. l. 1.
l Greg. Tur. de glor. mar. c. 65.
m Fortun. l. 4. carm.
n Sidon. 6. ep. 3. & 7. ep. 6.

Ad hunc quoque annum pertinere conſtat, quod idem Gregorius [o] factum tradit, vt ipſe tunc diaconus, & alius ipſius clericus, à morbis grauiſſimis liberarentur, poſtquam vna nocte vigilaſſent ad ſepulchrum B. Martini. Vbi etiam addit de Miraculis factis virtute cereorum qui eidem ſepulcbro offerri ſolerent: ſed & longe iis maiora à Sancto edita ſcriptis mandans, quatuor libris diſtinxit. Hæc autem quæ de ſe retulit prætermiſiſſe noluimus, quod ea triplici ſignarit chronographia; nempe anni centeſimi ſexageſimi tertii poſt obitum S. Martini Euphronii Epiſcopi Turonenſis anni ſeptimi, & ſecundi Sigeberti Regis: quæ omnia optime concordant poſitæ à nobis chronographiæ obitus S. Martini anno Domini quadringenteſimo ſecundo, electionis S. Euphronii anno quingenteſimo quinquageſimo nono, & regni Sigeberti anno ſuperiori.

o Greg. Tur. l. 1. c. 32. & de mirac. S. Mart.

VI. CVLTVS SACRAR. RELIQVIAR. VIGET IN GALLIIS.

Ceterum admiratione maxima dignus eſt fidei Chriſtianæ feruor, qui his temporibus erga ſacrarum Reliquiarum cultum adeo exardebat in Galliis, vt licet abundarent illæ prouinciæ ſacris pignoribus ſanctorum Martyrum & Confeſſorum, nihilominus fame inhiarent ad peregrina: quorum gratia in Orientem profectum vidimus S. Germanum Pariſienſem Epiſcopum: & S. Reginam Clotarii Regis quondam coniugem clariſſimam Radegundem (quam magno beneficio Francorum gentis, virginemæque ex Burgundiæ Regibus oriundam, ſicut & Clotildem fidei, Chriſtianæ Francis auctricem, Deus clarere in Eccleſia multis miraculis fecit hoc ſęculo) cum Pictauis monaſticam vitam excoleret in monaſterio à ſe conſtructo, his ipſis temporibus ſæpius legatos miſiſſe in Orientem ad perquirendas ſanctas reliquias; atque inter alia partem Crucis Dominicæ dono accepiſſe ab Imperatore, teſtis eſt Bandoninia, ſiue Bandomina virgo, quæ cum ea in monaſterio coaleſcens quæ vidit quam fideliſſime ſcripſit [p]. Tuncque à Venantio Fortunato eiuſdem S. Radegundis ſtudioſiſſimo (in cuius etiam laudem, & de miraculis ab illa edi ſolitis, tam metro quam ſoluta oratione quamplurima ſcripſit) nobiles illos conſcribi contigit ſacros hymnos, quos ab vniuerſa Occidentali Eccleſia in honorem ſanctiſſimę Crucis cani receptum eſt, qui incipiunt, *Vexilla Regis prodeunt &c.* & *Pange lingua glorioſi prælium certaminis, &c.* Quanta autem & quam frequentia miracula virtute eiuſdem particulæ ligni S. Crucis fieri ſolerent, tum eadem Bandoninia, tum etiam Gregorius [q] Turonenſis abunde teſtantur.

p Bandon. in vit. S. Radegund. l. 2. ap. Sur. 13. Aug.
q Greg. Tur. de gl. mart. c.

VII. VICTORIS TVNNEN. CHRONICON.
r Iſid. de vir. illuſt. c. 25.

Quod autem poſtremo ad hunc annum ſpectat; tradit Iſidorus [r] Victorem Tunnenſem, ſiue Tunonenſem in Africa Epiſcopum (qui alicubi corrupte Turonenſis dictus reperitur) Chronicon ſuum à principio mundi in hunc vſque primum Iuſtini Imperatoris annum perduxiſſe.

IESV CHRISTI AN. 567.

IVSTINI IVN. AN. 2.

IOANNIS III. AN. 8.

I. IVSTINVS IMP. SÆVIT IN NOBILES.

ANNVS Chriſti quingenteſimus ſexageſimus ſeptimus, Indictionis decimæquintæ, Iuſtini Imperatoris ſecundus, ſanguinolentus fluxit nece Senatorum Ætherei & Addæi, qui principem locum apud Iuſtinianum diu tenuerant; quos Iuſtini Imperatoris iuſſu vltimo ſupplicio affectos, omnes hiſtorici tradunt. Eos accuſatos fuiſſe conſpirationis in ipſum Imperatorem, ſed & præterea aliorum criminum noxios extitiſſe, Euagrius [a] tradit: at diuina id vltione factum aſſerit Euſtathius [b] in Vita S. Eutychij Epiſcopi Conſtantinopolitani, quod eum ipſi in exilium trudentes peſſime habuiſſent. Porro ante hos è medio ſublatum eſſe Iuſtinum ipſius Imperatoris cognatum, idem Euagrius docet, virum (vt ait) magnæ apud omnes gloriæ, tum ob rerum bellicarum vſum, tum ob alia ornamenta: quem cum inuidia & timore ductus Imperator, criminibus confictis Alexandriam deportari, ibique paulo poſt noctu in lecto miſere interimi curaſſet; non tamen potuit ipſius furor, eiuſque coniugis Sophiæ ante reſtingui, quam in eiuſdem caput Iuſtini ad ſe delatum calcibus inſultaſſent. Hæc Euagrius, aliique.

a Euagr. l. 5. c. 1.
b ap. Sur. 6. April.

II. DE NARSETE HISTORIA PAVLI DIAC. REIICITVR.
c Paul. diac. de geſt. Longob. l. 2. c. 5.

Sed iam ingens ſtrepitus barbarorum Italiam aggredi parantium, ad ſe nos conuertit. Tradit Paulus [c] diaconus Ticinenſis, Longobardorum ſuorum res proſecutus, Narſetem illum qui Romam, Italiamque vniuerſam à Gothis liberauerat, à Romanis eius diuitijs inuidentibus apud Iuſtinum Imperatorem eiuſque coniugem Sophiam accuſatum fuiſſe magnæ erga ipſos oppreſſionis; eaque de cauſa Imperatorem iratum Narſeti reuocato ſucceſſorem in Italiam miſiſſe Longinum: cumque Auguſta quoque eidem per opprobrium, quia eunuchus erat, mandaſſet vt cum puellis in gynæceo lanarum penſa diuideret; Narſetem reſpondiſſe, *talem ſe ei telam orditurum, qualem ipſa dum viueret detexere non poſſet*: Itaque Neapolim ſecedentem, inde legatos in Pannoniam ad Longobardos (qui olim ex Scandinauia inſula progreſſi Pannoniam occuparant, & iam per quadraginta & amplius annos poſſederant) cum multimodis pomorum, aliarumque rerum generibus, quorum Italia ferax eſſet, miſiſſe, vt pauperrima Pannoniæ rura deſerentes ad poſſidendam Italiam cunctis refertam diuitijs venirent. Hæc Paulus diaconus. Et quod ſpectat ad inimicitias inter Senatum Populumque Romanum & Narſetem conflatas; Anaſtaſius quoque auctor eſt, Ioannem Romanum Pontificem ad eos inter ſe conciliandos acceſſiſſe ſequeſtrem, Neapolimque de ea cauſa profectum, Narſetem in Vrbem reduxiſſe. Sed iſta ab auctoribus conſcripta qui poſt plurimos annos vixerunt, vt in dubium reuocentur haud mirum videri debet; cum præſertim ab huius temporis ſcriptore arguantur. Certe enim Corippus [d] Africanus grammaticus, qui his ipſis diebus Iuſtini Imperatoris laudes Conſtantinopoli ſcripſit, aperte docet Narſetem iam ante præſentem annum reuocatum Conſtantinopolim, magnoſque honores apud Imperatorem conſecutum, dum illum ait præſentem fuiſſe anno ſuperiori cum Iuſtinus Conſulatum adijt, inhæſiſſeque præ cæteris lateri ipſius cum audiuit legatos miſſos ab Au[illegible]ribus barbaris. Quamobrem ea omnia à Paulo diacono, ſiue ab aliis de Narſete aſſerta commenta corruunt, dum volunt minime antehac fuiſſe reuerſum Conſtantinopolim, ſed hoc anno altercatum cum Romanis, & ab Auguſta contemptum.

d Corip. l. 1. & 4.

III. e Paul. diac. l. 2. c. 11. & Anaſt. de Ro. Pont. in Ioan.

Ex his pariter & illud refellitur quod ijdem Latini auctores [e] tradunt, Narſetem cum Ioanne Pontifice Romam reuerſum, ibi extremum diem clauſiſſe; corpuſque eius loculo plumbeo collocatum, vna cum ipſius theſauro Conſtantinopolim tranſlatum eſſe. Non enim ſolum his repugnant quæ Corippus de eo ſcripſit, ſed etiam quod Cedrenus habet anno ſexto Tiberii Imperatoris, Narſetem

Con-

De Narsetis fini diversæ sententiæ.

Conſtantinopolim reuerſum, ſumptuoſa ibi ædificia erexiſſe. Sicut & quod Gregorius [f] Turonenſis aliique tradunt, eundem Conſtantinopoli in domo ſua ciſternam effodiſſe magnam, in qua ingentes theſauros ab Italia exportatos abſcondit, interfectis poſtea omnibus conſciis. Hinc enim intelliges, plures poſt hæc annos ipſum Narſetem fuiſſe ſuperſtitem. Verum & horum ipſorum in eo fides vacillat, dum quem omnes [g] prædicant religione maxime pium, operibuſque probe factis DEO gratiſſimum, ipſi eundem auariſſimum atque crudeliſſimum faciunt. Ceterum cum præter ea quæ diximus, Euagrius qui pleraque de Narſete retulit, ad Mauritii tempora ſuam hiſtoriam perducat, nec de Narſetis obitu vel minimum quidem loquatur; adhuc fuiſſe ſuperſtitem haud leuem ſuſpicionem ingerit. Quo fit vt hunc illum eumdem eſſe putem Narſetem virum inſignem, ſub eodem Imperatore Mauritio domi foriſque ſpectatum, quem omnes [h] Græci auctores eadem pietate imbutum, ipſumque Patricium, & Romani exercitus Ducem celebrant. Quod ſiquis penitus inficias ierit, tunc neceſſe erit affirmare, duos eodem ferme tempore eiuſdem nominis, ordinis, dignitatis, probitatis, & victoriis inſignitos duces vixiſſe Narſetes: quod haud adeo fit veriſimile, cum nulla diſtinctione prior Senior vel Maior, poſterior Iunior vel Minor dictus inueniatur. Quibus inſuper ſuademur, ipſum eumdem eſſe Narſetem Patricium S. Gregorii Papæ obſeruantiſſimum, ad quem eiuſdem Pontificis [i] tres extant epiſtolæ.

f Greg. Tur. 3. hiſt. Fran. 19.
g Procop. l. 3. de bel. Goth. Euagr. l. 4. c. 23. Paul. diac. 2. de geſt. Long. 3. Niceph. l. 17. c. 13.
h Theoph. l. 17. Zonar. in Mauric. Nic. l. 18. c. 20. Conſt. in Annal.
i Greg. l. 2. ep. 65. ep. 14. & 8. ep. 27.

IV. Quæ præostenſa de incurſione Longobardorum.

Porro hoc eodem anno qui præceſſit aduentum Longobardorum in Italiam, terribilia noctu prodigia, igneaſque in cœlo acies, ipſum qui poſtea effuſus eſt humani generis ſanguinem coruſcantes viſas eſſe, auctor eſt idem Sanctus Gregorius [k], & poſt eum Paulus [l] diaconus. Narratque inſuper Gregorius [m], ante hæc S. Redempto Epiſcopo Ferentinati apparuiſſe noctu S. Eutychium martyrem, ac ter hæc verba repetiiſſe, *Finis venit vniuerſæ carnis.* Quod oraculum ne quis putet mendax fuiſſe, ſciat hiſce verbis non ſæculi conſummationem ſignificatam, ſed gentis Italiæ cladem: ſicut cum olim Deus comminatus fuit per Prophetam [n], *Venit finis ſuper quatuor plagas terræ*, non mundi demonſtrauit interitum, ſed imminentes tantum clades. Certe quidem finis quodammodo tunc dici potuit aduenisſe Romani Occidentalis Imperii, cum Longobardi Italiam inuadentes rerum potiti ſunt. Poſt paucos enim Exarchos ab Imp. miſſos, qui Rauennę conſidere conſueuere; iiſdem diu præualentibus Longobardis, Occidentis Imperium penitus collapſum eſt; neque vſque ad Carolum Magnum amplius reſtitutum, vt tamen in Gallias fuerit ipſum translatum. Sed hæc inferius ſuis locis.

k Id. homil. 1. in Euang.
l Paul. diac. l. 2. c. 5.
m Greg. 3. dial. 38.
n Ezech. 7.

V.

Hoc eodem anno, qui eſt ſecundus Iuſtini Imperatoris, defuncto Athanagildo Rege Gothorum in Hiſpania, Liuba regno præfectus eſt, vt tradit Iſidorus [o], apud quem tamen cum hoc loco tum ſequentibus, deprauatus noſcitur numerus Æræ: quod & ſæpiſſime in eiuſmodi notis accidiſſe reperias. Fuerunt autem Athanagildo duæ filiæ, quæ nuptui ſunt traditæ duobus germanis Francorum Regibus, nempe maior natu *Galſuintha* Chilperico regnanti Sueſſionis, minor *Brunichildis* Sigeberto regnanti Rhemis; ſicque pax conciliata eſt inter Francos & Gothos in Hiſpania regnantes. Quod vero hæ ſorores à patre etſi Ariano, Catholicis tamen fauente, eſſent genitæ; perfacile fuit eaſdem, vbi venerunt in Gallias, abiurata Ariana impietate reddi Catholicas. Sed qui tunc temporis cecinit Venantius [p] Fortunatus epithalamium de nuptiis Sigeberti ac Brunichildis, idem poſtea lamentatus eſt Galſuinthæ lugubres elegos. Hęc enim à viro ſuo contempta (qui inter multas, quas præter illam habebat vxores & concubinas, *Fredegundis* amore cæcatus erat) cum ſæpius ea de re quereretur, eiuſdem Chilperici iuſſu ex conſilio Fredegundis noctu extincta eſt in lecto: cuius ſanctitatis ac in cœlum receptionis haud leuia extiterant poſt mortem indicia, quæ præter Fortunatum refert Gregorius [q] Turonenſis: qui & addit poſt paucos dies Chilpericum in matrimonium recepiſſe Fredegundem, indeq; multas exortas eſſe turbas inter ipſum & fratres eius, qui eumdem hac de cauſa regno expulerunt; quod tamen poſtea recuperauit. Ipſa vero Fredegundis quanam arte ſe Chilperico poſt necem Galſuinthæ coniunxerit, Ado Viennenſis narrat; nempe abſente Chilperico Fredegundum Audouerrę Reginæ (ex qua iā tres filios Chilpericus ſuſceperat) fraudulenter perſuaſiſſe vt filiam quam ex eodem viro ſuo habuerat, ex ſacro fonte ipſa per ſe non per aliam ſuſciperet: eaque de cauſa, quod id legibus Eccleſiaſticis prohibitum eſſet, Audoueram à Chilperico dimiſſam eſſe, atque velatam, & Fredegundem in connubium admiſſam: Epiſcopum vero qui filiam baptizauit, & matri eam tenere non prohibuit, exilio damnatum eſſe. Sed hæc poſtea.

o Iſid. in Chr. Goth.
Pax inter Francos et Hiſp. ex fœdere nupt.
p Fortun. carm. l. 6.
De regina Fredegunde.
q Greg. Tur. l. 4. c. 28.

VI. Hiſp. adverſ. Græcos pugnant.

Hoc vero tempore in Hiſpaniis aduerſus Græcos, aſcitos primo contra Francos, ſed poſt pacem à Gothis cum Francis ſancitam, conuerſos in hoſtes, iugiter pugnandum fuiſſe, Iſidorus tradit: cuiuſmodi bellum etiam ſuo tempore adhuc viguiſſe, Sanctus Gregorius [r] Papa innuit. Conuentum namque tradunt hiſtorici inter Iuſtinianum Imperatorem & Gothorum in Hiſpania Reges, vt ſi opem ferret Imperator aduerſus Francos, Hiſpaniæ pars ſub Romani Imperii ditionem hoſte ſuperato rediret.

r Greg. 7. ep. 126.

IESV CHRISTI AN. 568.

Iuſtin. Iun. an. 3.

IOANNIS III. AN. 9.

I.

ANNO Chriſti quingenteſimo ſexageſimo octauo, Indictione prima, Conſulatu quoque Iuſtini Imperatoris ſecundo alicubi [a] notato, *Alboinus* Rex Longobardorum è Pannonia in Italiam magnis potens viribus aduenit, regente illam pro Imperatore Longino. Id enim Paulus diaconus [b] accidiſſe ait hoc ipſo anno Domini quingenteſimo ſexageſimo octauo, Indictione prima, quarto Nonas Aprilis; vel (vt alii volunt) ipſis Calendis eiuſdem menſis: idque ipſum pariter de anno ſatis indicat Gregorius [c] Papa, licet nonnulli anno ſuperiori id factum velint. Quod autem ad ipſum *Alboinum* ſpectat; fuit is formidabilior Romanis, & quod affinitate coniunctus eſſet Francorum Regibus, vt qui Clothoſindam Clotarii filiam olim in vxorem [d] duxiſſet; & quod Hunnos haberet fœderatos, quibus Pannoniam precario conceſſit; ac denique quod Saxones, Gipedas, Bulgaros, Sarmatas, Pannonios, Sueuos, & alios complures eiuſmodi barbaros [e], quorum vel ſinguli faceſſere negotium Romano Imperio potuiſſent, nactus eſſet auxiliares. Accedebat ad tanta hæc memoria rerum ab ipſis Longobardis olim geſtarum, quando Narſes aliquot ex illis vocatos aduerſus Gothos [f], omnino neceſſe fuit magna pecunia donatos quam citiſſime ad propria remittere, quod amicos ipſos direptionibus, incendiis, & libidinibus ſuis crudeliſſime infeſtarent. Quales autem fuerint eorumdem in Italia progreſſus, pluribus tradunt qui eo argumento commentarios conſcripſere.

a Noui. In. ... ad Spe... Eyz. ... ac. ...
Longobardi in fines in Italiam.
b Paul. diac. de geſt. Longob. l. 2. c. 6.
c Greg. l. 4. ep. 34. & 11 ep. 43.
d Greg. Tur. 4. hiſt. 41.
e Paul. diac. l. 2. c. 12.
f Procop. l. 3. de bel. Goth.

II

Quod autem ad res ſpectat Orientales; de Sophia Auguſta dignum Chriſtiana femina facinus Chronographi hoc anno recenſent, nempe eamdem accitis omnibus qui ære alieno obſtricti eſſent, debita eorum creditoribus diſſoluiſſe. Præceſſerant hæc clamores pauperum à potentibus oppreſſorum: pro quibus cum Imperator ſæpius reſcripſiſſet, immo & aliquando conuocatis in vnum potentibus egregia ad eos pro hac re oratione habita ſic eam concluſiſſet, *Quod ſi meis præceptis non parere, ſed in rapiendo veſtris obſequi vultis cupiditatibus, aliam veſtro arbitrio deligite Imperatorem. Ego enim contumacibus, iniuſtis, & aliena violantibus imperare nolo*: cum nec ſic quidem aliquid proficeret, tandem creato qui huius rei curam gereret ſeueriſſimo Vrbis Præfecto, & per iſtum vno ex ſublimioribus magiſtratibus aſpere punito, reliquos in officio continuit. Quomodo autem id acciderit, Cedrenus

g Theoph. Cedr. an. 3. Iuſtin.
Iuſtinus Imp. agit adverſus oppreſſores pauperum.

nus rem egregie geſtam, memoriaque dignam exacte deſcripſit.

IVSTIN. IVN. AN. 4.

IESV CHRISTI AN. 569.

IOANNIS III. AN. 10.

I. ANno Chriſti quingenteſimo ſexageſimo nono, Indictione ſecunda, Liuba Rex Gothorum in Hiſpania anno regni ſui ſecundo collegam ſibi allegit fratrem ſuum Levvigildum; cui & ceſſit Hiſpanias, ipſe contentus regno quo potiebatur in Gallia Narbonenſi. Hæc Iſidorus in Chronico. Quo item anno (quæ eſt Æra ſexcenteſima ſeptima) ipſis Calendis Ianuarii ſub Theodomiro Sueuorum Catholico Rege celebratum [a] eſt in Gallicia Hiſpaniæ prouincia LVCENSE CONCILIVM: in quo rogatione Regis eadem ciuitas noua inſtituta eſt Metropolis, circumſcriptique ſunt Eccleſiarum Galliciæ limites ad lites de finibus euitandas.

a Ambroſ. Moral. de reb. Hiſp. CONCIL. LVCENSE.

II. In Oriente vero, hoc ipſo anno quarto Iuſtini Imperatoris, Tiberius Comes Excubitorum, qui poſtea Auguſtus creatus eſt, Auares barbaros debellauit. Hæc Ioannes Abbas Biclarenſis in Chronico: quorum etiam meminit Corippus in carmine de laudibus Iuſtini.

IVSTIN. IVN. AN. 5.

IESV CHRISTI AN. 570.

IOANNIS III. AN. 11.

I. ANno Chriſti quingenteſimo ſeptuageſimo Indictionis tertiæ, Iuſtini quinto, & in ipſius quadam conſtitutione [a] ſecundo Poſt Conſulatum eiuſdem inſcripto, Apollinaris Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus, vbi ſediſſet annos vndeuiginti (ſecundum Nicephori Chronici rationem) ex hac vita migrauit; in cuius locum ſubrogatus eſt *Ioannes*. Fit vero etiam in Prato [b] Spirituali nobilis mentio de eodem Apollinare, occaſione immenſæ eiuſdem erga pauperes miſericordiæ, necnon ordinationis trium ſanctiſſimorum Epiſcoporum, quorum vnus è mortuis reſurrexerat. Vbi inſuper traditur [c], frequentia Deum his temporibus per Catholicos operatum eſſe miracula ad hæreſes deſtruendas.

a Nouel. Iuſtin. de fil. liber. ap. Iulian. *b Prat. Spir. c. 193. & 124.* *c Ib. c. 213.*

II. Quod ad res Occidentales ſpectat, Paulus [d] diaconus agens de progreſſu Longobardorum in deprædationem Italiæ, refert eos hoc anno tertiæ Indictionis Mediolanum cepiſſe, & omnia vſque ad Tuſciam inuaſiſſe præter Romam & Rauennam, ac nonnulla caſtella maritima. Quo etiam tempore ait Paulinum Patriarcham Aquileienſem vita functum eſſe, Eccleſia regenda Probino relicta.

d Paul. diac. l. 2. c. 12. LONGOB. PROGRESSVS IN ITALIA.

III. Sed quod hic prima fit mentio de *Patriarchatu Aquileis*; ſciendum eſt vſurpatum frequenter etiam in Occidente reperiri his temporibus Patriarchæ nomen pro Archiepiſcopo; nimirum vt qui ſub ſe alios haberet Epiſcopos, ſicut dictus eſſet Archiepiſcopus, idem pariter ex vocis ſignificatione Princeps Patrum, & Græco nomine Patriarcha appellaretur. Sic Gregorius [e] Turonenſis Patriarcham vocat S. Nicetium Archiepiſcopum Lugdunenſem; & in Concilio Secundo Matiſconenſi, Priſcus Lugdunenſis item Epiſcopus Patriarcha pariter nominatur: extantque de his antiquiora etiam teſtimonia; puta cum apud Caſſiodorum [f] Athalaricus Rex Gothorum in Italia ſcribens ad Ioannem Papam Secundum, Metropolitanos vocauit Patriarchas. Vnde & videtur ex Gothis eiuſmodi vocis vſum emerſiſſe: aut fortaſſe ipſos Gothos Arianos id ex ſuæ ipſorum ſectæ conſuetudine deſumpſiſſe; in qua primarios eorum Epiſcopos Patriarchas appellari conſueuiſſe, Victor Vticenſis, Gregorius Turonenſis, & alii docent. Factumque eſt, vt & alii hæretici à Catholica communione diſciſſi, quem ſequerentur erroris principem, eumdem quoque dicerent Patriarcham; ad hoc male vſurpato eiuſmodi nomine, quod olim Apoſtolicarum tantum Sedium nomen erat ampliſſimæ dignitatis. Quod vero ad præſentem cauſam ſpectat; non alio præterito tempore, ſed præſenti, cum videlicet Venetiarum & Iſtriæ Epiſcopi atque Liguriæ (vt vidimus ex epiſtolis [g] Pelagii Papæ) eſſent in ſchiſmate ob quæſtionem de Tribus Capitulis, Paulinuſque Aquileienſis his omnibus præemineret; placuit iiſdem ſchiſmaticis illum ſibi loco Romani Pontificis à quo deſciuiſſent, conſtituere ſupremum Antiſtitem, quem & Patriarcham nuncupauere. Hancque putamus veram germanamque Patriarchatus Aquileienſis originem: quod nomen eidem Eccleſiæ Epiſcopis retinere bono pacis permiſſum poſtea à Romanis Pontificibus fuiſſe videtur. Sed quod rurſum ad eoſdem ſchiſmaticos pertinet; an non ſunt hæc certa diuinę vindictæ impreſſa veſtigia, cum ita eædem prouinciæ traditæ ſunt à Deo ore gladii deuorandæ (quarum clades Paulus proſequitur) vt non ad aliud euocati videri potuerint Longobardi, quam ad ipſas perdendas; cum interea Roma ipſa quamuis à Gothis ſæpe antea capta, à Longobardis tamen minime comprehendi vnquam potuerit?

e Greg. Tur. 5. hiſt. 20. *f Caſſiod. 9. ep. 15.* DE NOMINE PATRIARCHÆ. DE PATRIARCHATV AQVILEIEN. *g Pelag. ep. 1. & 5.*

IV. Hoc eodem anno, qui numeratur ſextus Chariberti Francorum Regis, decimoquinto Calendas Decembris habita reperitur SYNODVS TVRONENSIS Secunda. Cui cum octo tantum Epiſcopi interfuiſſe legantur, nec inter eos ponatur S. Euphronius illius ciuitatis tunc Antiſtes, inde exiſtimo ſeriem Epiſcoporum intercifam eſſe. Hæc autem Synodus in eum finem celebrata noſcitur, vt Eccleſiaſtica diſciplina nonnullorum temeritate proculcata in ſtatum priſtinum reſtitueretur: pro qua re ſanctiſſimi illi Patres canones viginti octo ſtatuerunt obſeruatione digniſſimos. Inter quos ille eſt [h], quo de aſſeruatione ſanctiſſimæ Euchariſtiæ decernitur, vt ea in altari non in Imaginario ordine, ſed ſub Crucis titulo cõponatur. Nempe vt digniorem ſibi vendicaret locum, ſtatutum eſt vt non inter ſacras Imagines ſuper altari poni ſolitas, ſed ſub ipſa Cruce quæ in meditullio altaris collocari conſueuit poneretur. Notauimus etiam ſuperius, eamdem intra columbam argenteam conſeruari conſueuiſſe: ſed illud huic Synodo minime placuiſſe videri poteſt. Ex vtroque autem iſto ritu aperte videas, haud eſſe nouum vt Corpus Chriſti ſuper altare ſeruetur. Nam & præterea Venantius Fortunatus epigrammate celebrauit pereleganſ aureum vas, turris inſtar factum à Felice Epiſcopo Bituricenſi qui huic Synodo interfuit, ad conſeruandam ſacratiſſimam Euchariſtiam.

CONCIL. TVRON. II. PRO ECCL. DISCIPLINA. *h Conc. Tur. II. c. 3.* VBI S. EVCHARISTIA ASSERVARI DEBERET.

V. Inter alia quoque iidem Patres canones condiderunt aduerſus repullulantem [i] Nicolaitarum hæreſim, qua ſacri miniſtri iam relictas reſumebant vxores. Itemque aduerſus [k] inceſtuoſos; idque (vt apparet) ad corrigendum ipſum Regem Charibertum tanto crimine labefactatum, vtpote qui ſororem coniugis ſuæ nefarie ſibi copulaſſet, nimirum Marcoueſam Merofledis vxoris ſororem: vnde & cum nollet corrigi, à S. Germano Pariſienſium Epiſcopo huius canonis vindice cui ſubſcripſerat, fuiſſe excõmunicatione perculſum, auctor eſt Gregorius [l] Turonenſis. Sed & quod accidiſſet frequentium occaſione bellorum, vt cum non eſſet amplius in theſauris regiis vnde Princeps ſatisfaceret militantibus, bona Eccleſiæ iidem inuaderent, ea à Rege petentes, vel ſponte vſurpantes; aduerſus eos qui talia præſumerent, iidem ſanctiſſimi Patres non ſolum excommunicationem, ſed & maledictionem Iudæ traditoris intorſerunt [m]; ſubiicientes & alium ei ſimilem canonem, iam antea in Synodo Pariſiẽſi aduerſus eoſdem regios inuaſores ſancitum. Quos & variis exemplis declarat Gregorius [n] Turonenſis diuinitus puniri conſueuiſſe. Sed & quomodo id ipſum expertus ſit Rex ipſe Charibertus, dicetur in eius obitu.

i Ibid. c. 20. *k can. 22.* CHARIBERTVS FRAN. REX EX COMMVNICATVR A S. GERMAN. PARIS. *l Greg. Tur. 4. hiſt. 26.* *m can. 25. & 26.* *n Greg. Tur. lib. 1. de gl. mart. c. 17. de gl. Conf. c. 71. & alias ſæpe.*

VI. Hoc eodem anno, qui pariter ſextus numeratur Guntheramni Francorum Regis, germani eiuſdem Chariberti, habita legitur SYNODVS LVGDVNENSIS, quæ prima eſt earum quæ in ea ciuitate celebratæ reperiuntur; in qua

CONC. LVGDVN. I. IN CAVSA DVOR. PRAVOR. EP. S.

Eccle-

Eccleſiaſticæ paci atque indemnitati conſultũ eſt, ob ſcandala à quibuſdam malis Epiſcopis illata. Nam tradit Gregorius º Turonenſis, Salonium & Sagittarium fratres, illum Epiſcopum Ebredunenſem, hunc Vapingenſem, ſacrilegijs, homicidiis, adulteriis, comeſſationibus, aliiſque eiuſmodi ſceleribus inquinatos, ac de iis apud Guntheramnum accuſatos; in prædicto Lugdunenſi Concilio eiuſdem Regis iuſſu ea de cauſa congregato, depoſitos eſſe. Sed eoſdem Apoſtolicam Sedem à Concilio appellantes, falſis ſuggeſtionibus à Iohanne Papa litteras ad Regem impetraſſe, eatumque auctoritate ſedibus ſuis reſtitutos eſſe, idem auctor tradit. At de ijs rurſum inferius.

º Id. c. hiſt. Fr. 20.

VII. Hoc item anno regni ſui tertio Liuba Rege Gothorum in Hiſpania mortuo ᵖ, Levvigildus eius germanus in collegam antea aſcitus, ſolus regnare cœpit. Cui cum eſſet vxor Theodoſia Catholica femina, eademque ſoror Sanctorum Leandri, Fulgentii, Iſidori, ac Florentiæ, filia vero Seueriani Carthaginenſem prouinciam moderantis: nihil tamen ex ſancto conſortio profecit Rex impius Arianiſmi tenaciſſimus; de cuius in Catholicos perſecutione dicetur ſuo loco. Ei vero longe diſſimilis Theodomirus Sueuorum itidem in Hiſpania Rex Catholicus maximeque pius, hoc eodẽ anno defunctus, filii Ariamiro (quem precibus S. Martini, ex diuturno atque grauiſſimo morbo ſanum acceperat) vna cum pietate regnum pariter reliquit, quem Sanctorum cultorem eximium fuiſſe, teſtatur Gregorius ᑫ Turonenſis, dum recenſet diuinam vltionem in ipſius mimum bona San. Martino dicata contemptim contrectantem.

ᵖ Iſid. in Chron.

LEVVIGILDVS REX GOTHOR. IN HISP.

ᑫ Greg. Tur. lib. 4. de mirac. S. Mart. c. 7.

IESV CHRISTI AN. 571.

IVSTIN. IVN. AN. 6.

IOANNIS III. AN. 12.

I. ANNO Chriſti quingenteſimo ſeptuageſimo primo Indictionis quartæ, Alboinus Longobardorum Rex Ticinenſi ciuitate poſt obſidionem trium annorum & amplius in deditionem accepta, ab eius quam vouerat direptione magno miraculo auerſus eſt. Paulo vero poſt, vbi regnaſſet in Italia annos tres & menſes ſex, Calendis Octobris peremptus eſt inſidijs coniugis Roſimundæ: cui cum ipſe aliquando apud Veronam in conuiuio hilarior factus, vinum dari præcepiſſet in poculo quod de capite Chunimundi Regis ipſius Roſimundæ parentis fecerat; eadem mox in mariti nece patris cædem vindicatura, Helmigem Regis armigerum, & Peredeum virum fortiſſimum, facta iiſdem ſui copia in Alboini cædem impulit. Poſt quæ ipſa vna cum Helmige Rauennam ad Romanos fugiens, Longini Exarchi ſuaſu, vt ipſi nuberet, eidem Helmigi poculum venenatum propinauit; qui vbi venenum ſenſit, partem eius ipſam Roſimundam bibere coegit: ſicque diuino iudicio ambo vno momento perierunt. Narrat hæc omnia Paulus ᵃ diaconus; qui Alboino ſucceſſiſſe tradit *Clephem* Regem. Corrigendus vero textus Gregorii Turonenſis videtur, vbi præter omnium ſententiam Alboinum regnaſſe in Italia ſcribit annos ſeptem.

ALBOINVS REX LONGOB. NECATVR ARTE CONIVGIS.

ᵃ Paul. diac. lib. 2. de geſt. Longob. c. 13. & 14.

IESV CHRISTI AN. 572.

IVSTIN. IVN. AN. 7.

IOANNIS III. AN. 13.

I. ANno Chriſti quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo Indictionis quintæ, *Ioannes* Papa vbi ſediſſet annos tredecim minus diebus quatuordecim, obijt tertio Idus Iulij, & ſepultus eſt in baſilica S. Petri. Poſt quem cum ſedem vacaſſe menſes decem & dies tres, Anaſtaſius dicat, agetur de eius ſucceſſore anno ſequenti. Extat ᵃ vero abſque tempore data epiſtola eiuſdem Iohannis Papæ ad Edaldum Viennenſem Archiepiſcopum de officio Miſſarum celebrando ritu Romano; qua etiam ſignificat ſe eidem petenti pallium mittere, & de capillis S. Pauli Apoſtoli. Sed quæ fertur alia eiuſdem Pontificis epiſtola ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ aduerſus Corepiſcopos, qui ſibi quæ eſſent Epiſcoporum vſurparent: ea impoſtura facile arguitur, tum ex falſa appoſitione Conſulum, tum quod nomen ipſum Corepiſcoporum iam hoc tempore in Gallijs ſiue in Germania penitus fuiſſe abolitum, certum facit quod nulla eorum mentio fiat in tot Concilijs Gallicanis his temporibus celebratis. Sed & quod eadem dicitur, Linum & Clementem minime fuiſſe reuera Romanos Pontifices, ſed Corepiſcopos tantum, ab omni plane antiquitate & veritate hiſtoriæ alienum eſt. Suntq; inſuper alia ſigna, ex quibus conuincitur eam non fuiſſe Ioannis, ſed ex ſuppoſitis mercibus Mercatoris.

IOANNIS PP. OBITVS

ᵃ In Bibl. Floriac. par. vlt.

SPVRIA IOAN. PP. EPISTOLA.

II. Hoc pariter anno defunctus eſt Charibertus Francorum Rex qui regnabat Pariſijs, vbi tenuiſſet regnum annos octo; vltione id diuina agente, cum idem Rex poſſeſſionem quamdam Eccleſiæ S. Martini vi abſtuliſſet; vt pluribus rem geſtam narrat Gregorius ᵇ Turonenſis: qui & alibi teſtatur, eumdem Regem deceſſiſſe excommunicatum à S. Germano Epiſcopo Pariſienſi, ob inceſtum coniugium de quo dictum eſt ſuperius. Porro ei ſucceſſit in regno *Sigebertus* ipſius frater, qui regni ſedem Rhemis tenuerat.

CHARIB. REX INVADIT SVO DAMNO RES ECCLESIÆ.

ᵇ Greg. Tur. de miracul. S. Mart. li. 1. c. 29.

ᶜ Id. 4. hiſt. Franc. 26.

III. Hoc ipſo anno, Era ſexcenteſima decima, menſe Decembri celebrata reperitur SYNODVS poſterior BRACARENSIS anno ſecundo Ariamiri Regis Sueuorum, ſub S. Martino Metropolitano: in qua ſtatuti ſunt canones decem ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantes. Eademque Era ſexcenteſima decima, eos qui inde cum Nitigio Metropolitano Lucenſi ad propria reuerſi ſunt Epiſcopi, alium *Luci* habuiſſe *Conuentum*, patet ex conſtitutione regia, eadem pariter Era data, quam Ambroſius ᵈ Morales in lucem edidit. Verum quod ea Theodomiri Regis eſſe dicatur; tam ex Era notata, quam ex mentione quæ in ea fit Secundæ Synodi Bracarenſis, conſtat non patris eo nomine appellati, quem iam ante biennium defunctum vidimus, ſed filii Ariamiri eſſe. Quod autem commune fuiſſe reperitur tam patri quam filio, vt *Mirus* vterque nominaretur; commune pariter fuiſſe videtur nomen Regibus Sueuorum: ſed patri *Theodo*, filio *Aria* prænomen fuiſſe cognoſcitur. Ceterum ad hunc Lucenſem Conuentum idem qui ſupra Martinus Bracarenſis collectionem & emendationem Orientalium canonum direxit, quæ extat ᵉ. Eius vero doctiſſimi ac ſanctiſſimi viri alia præclara ac pia ſcripta, Iſidorus ᶠ recenſet.

CONCIL. BRACAR. II.

CONCIL. LVCEN. II.

ᵈ Amb. Moral. Chron. l. 11. c. 62.

ᵉ To. 2. Conc.

ᶠ Iſid. de Script. Eccl. c. 22.

IV. Quod ſpectat ad res Orientales; hoc ipſo anno ᵍ, qui numeratur vndecimus ſedis S. Anaſtaſii Sinaitæ Epiſcopi Antiocheni, ipſe accuſatus de profuſo inutiliter ſacro theſauro ne à Iuſtino Imp. diriperetur, ſed & de aliis criminibus calumniam paſſus, ab eodem Imp. in exilium miſſus eſt; inque eius locum ſubrogatus *Gregorius*, & ipſe monachus Sina montis, quem iſta narrans mirifice laudat Euagrius ʰ. Sed & cum de eodem æque alii auctores multa laude digniſſima tradant; apparet eum minime fuiſſe violenter in ſedem intruſum, ſed legitime electum, cum Anaſtaſius fuiſſet in Synodo ab Epiſcopis, etſi non iuſte aliqua tamen ſpecie prætenſa iuſtitiæ, legitime condemnatur. Ceterum idem Anaſtaſius poſt annos viginti quatuor quibus ſedit Gregorius, Mauritii Imp. tempors iterum (vt dicetur) ſedi ſuæ reſtitutus fuit.

ᵍ Niceph. in Chron.

ANAST. SINAITA PELLITVR ANTIOCHIA.

ʰ Euagr. l. 5. c. 6.

V. Hoc autem primo anno quo Gregorius ſedere cœpit, Chriſtiani incolentes Maiorem Armeniam, cum grauia paterentur fidei cauſa à Coſthoe Perſarum Rege, legatione ſecreto miſſa ad Iuſtinum Imperatorem, pactiſque cum eo certis conditionibus; poſt trucidatos Perſarum Duces, ſe cum ſuis omnibus Romano ſubiecerunt Imperio, à quo olim per Philippum Imp. abalienati fuerant. Cum vero de his Coſthoes apud Iuſtinum expoſtularet, reſpondit Iuſtinus, præfinitum inter Romanos Perſaſque pacis tempus effluxiſſe: nec fas eſſe, vt Chriſtiani Chriſtianos tempore belli ad ſe confugientes deſererent. Hæc pluribus Euagrius ⁱ.

ARMENI À PERSIS OB FIDEM AFFLICTI SE DANT ROMANIS.

ⁱ Id. c. 7.

IESV CHRISTI AN. 573.

IVSTINI IVN. AN. 8.

BENEDICTI AN. 1.

I. BENEDICTVS PP. CREATVR.

ANNO Domini quingenteſimo ſeptuageſimo tertio, Indictione ſexta, vbi Romanæ Eccleſiæ Sedes bellicis tumultibus exagitata, poſt S. Iohannis obitum vacaſſet menſes decem & dies tres; decimaſexta menſis Maij creatus eſt BENEDICTVS cognomento *Bonoſus*, patria Romanus, filius Bonifacij: Græci vero eum non Benedictum, ſed à cognomento *Bonoſum* appellant, vt Euagrius [a].

a *Id. c.16.*

II.

Quo etiam anno, qui fuerat in locum Alboini Longobardorum Regis ſubrogatus Clephis, vbi regnaſſet annum vnum & menſes quinque, à ſeruo occiſus eſt; interregnumque fuit (vt Paulus [b] diaconus ait) annis decem: cum interim triginta ſex militum Duces partiti ſibi quas cepiſſent in Italia ciuitates, eaſdem miſere depopulati ſunt, homines paſſim cædentes, eccleſias ac monaſteria diripientes, & ſacerdotes interficientes; tantoque licentius ſæuientes, quanto ex crudelitate quiſque potentior videri vellet, cum neminem haberet qui patratorum vltor ſcelerum iudex exiſteret: Adeo vt Longobardorum graſſationem S. Gregorius inter alias numeret ſæuiſſimas Eccleſiæ Perſecutiones: cuius & multa exempla varijs mixta aduerſus illam exercentes miraculis, & ipſe ſuis ſcriptis [c] inſeruit, quæ quidem à Paulo diacono prætermiſſa conſtat, tum quod is poſt ducentos annos ſuam de Longobardis hiſtoriam conſcripſerit, tempore videlicet Caroli Magni Imperatoris, tum etiam quod Longobardus & ipſe, vtpote patria Foroiulienſis, diaconus vero Eccleſiæ Ticinenſis, ſuæ genti nimium fauerit, ſæpius eam de benignitate & humanitate laudans. Ceterum Longobardos fuiſſe Chriſtianos, Procopius [d] haud obſcure ſignificat: verum & quamplurimos adhuc Gentiles perſeueraſſe, & qui erant Chriſtiani fuiſſe ſecta Arianos, ex eodem S. Gregorio [e] aperte conſtat.

b *Paul. diac. lib.2.17.*
LONGOBARDI PESSVMDANT ITALIAM.

c *Greg.4. ep. 34.35 dial. 11. 25.27.28. 29. 17. & 4. dial. 21.22. 23 & lib.1. c.4. & lib. 2. c.17.*
d *Procop. de bel. Goth.l.2.*
e *Greg. hom. 1 in Euang. & 3. dial. 26. 27.28.29. 37.*

IIII. ALTERCATVM INTER GAL. ET HISP. DE DIE PASCHA.

Hoc quoque anno auctor eſt Sigebertus altercatum eſſe inter Francos & Hiſpanos de Paſchatis die, quem Hiſpani duodecimo Calendas Aprilis, Franci decimoquarto Calendas Maij celebrarunt: ſed Francos recte celebraſſe per hoc diuinitus apparuiſſe, quod fontes in Hiſpania, qui in Sabbatho Sancto ad baptizandum ſponte repleri ſolerent, non in Hiſpanorum, ſed in Francorum die Paſchatis repleti ſunt. Quod quidem Sigebertus ex Gregorio [f] Turonenſi deſumpſiſſe videtur: qui tamen illud tardius accidiſſe innuit, dum ponit ſub anno Childeberti Iunioris Regis ſecundo, qui eſt Domini quingenteſimus octogeſimus: quamuis & id alias quoque accidiſſe, ex eodem [g] conſtet. De perenni vero miraculo nonnullorum fontium, anniuerſaria die Paſchatis impleri conſuetorum, dictum eſt alia occaſione ſuperius.

f *Greg. Turon. 5. hiſt. 17.*
g *Id. 10. hiſt. 23.*

IESV CHRISTI AN. 574.

IVSTINI IVN. AN. 9.

BENEDICTI ANN. 2.

I. NOVÆ CLADES IMPERII.

ANNO Chriſti quingenteſimo ſeptuageſimo quarto Indictionis ſeptimæ, Iuſtini Imperatoris nono (vt ponit Cedrenus) Orientale Imperium ipſius Imperatoris partim ſocordia, partim præcipitatione, maximam cladem paſſus eſt ab incurſionibus Auarum atque Perſarum, à quibus vniuerſa Syria deuaſtata eſt, ciuitaſque munitiſſima Data in finibus poſita expugnata, atque ipſa Antiochia in magnum diſcrimen adducta: quæ pluribus deſcribit Euagrius [a]. Additum vero ad calamitatem, vt Iuſtinus Imperator, quem crebro ægrotare, ac vertigine vexari conſueuiſſe, Cedrenus tradit; nouo mœrore acceptarum iſtarum cladium in phreneſim inciderit, dilucidis tantummodo interuallis ad modicum temporis ſpatium aliquando reſipiſcens: cum interea Sophia Auguſta precibus à Coſrhoe Perſarum Rege inducias ad triennium obtinuit, quæ omnia pluribus narrant Euagrius [b], alijque. Quomodo vero idem Iuſtinus magicas incantationes aliquando paſſus, diuino præſidio curatus ſit appoſito capiti ſuo freno Conſtantini, in quo connexus erat vnus ex clauis quibus Chriſtus in Cruce confixus eſt; Gregorius [c] Turonenſis recitat.

a *Euag. lib.5. c.9.10.*
IVST. IMP. INCIDIT IN PHRENESIM.
b *lib.5.11. 12.*
c *Greg. Tur. 1. de glor. mart. 6.*

II. SAMARITÆ IN SACRAS IMAGIN. INSANIVNT.

Sed & alia rurſum clade contigit Syriam nonnihil affligi à Samaritis hæreticis, ſæpe repreſſis, ſed denuo in Catholicos inſurgentibus: qui cum poſt Iuſtinianum ab ipſo quoque Iuſtino [d] ciuilibus pœnis mulctati eſſent; rurſum peſſimæ feræ in ſacras Domini noſtri IESV CHRISTI, Sanctiſſimæ Crucis, ac Beatiſſimæ Virginis, aliorumque Sanctorum Imagines graſſati ſunt; vt patet ex egregia epiſtola parænetica Simeonis Stylitæ Iunioris ad ipſum Iuſtinum Imperatorem data, quæ recitata eſt in Actis poſterioris Nicænæ [e] Synodi. Quid vero de his Iuſtinus egerit, nuſquam verbum. Certum eſt autem, eoſdem perfidiſſimos hæreticos, nec minis, nec beneficijs Imperatorum valuiſſe ad fidem conuerti, qui etiam ſub Gregorio [f] Papa noſcuntur viguiſſe in Sicilia. De ipſo vero *Simeone, Stylita*, qui his temporibus vixit vt ille Senior in columna, magniſque claruit miraculis; plura ſcribit Euagrius [g], cui magnus cum eo vſus amicitiæ interceſſit.

d *Nouel. Iuſtini. inter Nouel. Iuſtiniani 144.*
e *Conc. Nic. 2. Act.11.*
f *Greg. 5. ep. 32. & 7. ep. 22. Ind.1.*
g *Euag. l.6. c.22.*

III. DE ORDINATIONE GREGORII TVRON.

Sic igitur tum Oriens tum Occidens eodem tempore, cum plurima ingruerent vndique mala, magna Dei miſericordia viris ſanctiſſimis illuſtrati ſunt. Nam & in Occidente, cum S. Euphronius Epiſcopus Turonenſis ex hac vita migraſſet, *Gregorius* ille cuius ſcripta frequentiſſime in his Annalibus citari contingit, æque ſanctus, ac generis nobilitate præſtans ei ſucceſſit. Quod quidem anno præſenti accidiſſe, optime colligitur ex eodem Gregorio [h], dum aſſerit vigeſimum primum habuiſſe in Epiſcopatu annum, quando S. Gregorius Papa agebat in Pontificatu quintum, qui eſt annus Domini quingenteſimus nonageſimus quintus; itemque dum alibi [i] dicit, ſe ordinatum anno centeſimo ſeptuageſimoſecundo à tranſitu S. Martini, quem anno quadringenteſimo ſecundo obijſſe ſæpe demonſtratum eſt. Menſe vero ſecundo à die ordinationis, in grauiſſimum ac deſperatum morbum incidiſſe, & cum omnia alia remedia inutilia eſſent, hauſtu pulueris ſepulchri S. Martini integram ſanitatem in momento recuperaſſe, ipſemet Gregorius [k] de ſe teſtatur: idemque inferius ex eodem puluere & alios incolumes euaſiſſe tradit; ſicut ex cereolis ad ſepulchrum Sancti incendi ſolitis. Sed & ex contactu veli lignique cancelli eiuſdem ſepulchri, ſanatum ſe ab alijs morbis affirmat [l]: ijſdemque modis & alios plurimos curatos eſſe teſtatur. Quemadmodum & *Venantium Fortunatum*, natione Italum, patria Taruiſanum, Rauennæ in literis inſtructum, à vehementiſſimo oculorum dolore ſanatum eſſe virtute olei lampadis ad Imaginem S. Martini pendentis, teſtatur Paulus [m] diaconus ipſeque Fortunatus tanti beneficij memor, pro gratiarum actione res geſtas eiuſdem Sancti quatuor libris concinuiſſe voluit. Qui ad viſitandas ipſius ſacras reliquias Turonos petens, indeque Pictauos tranſiens, multorum illic Sanctorum geſta partim proſa, partim metro conſcripſit, & poſt aliquod tempus eius ciuitatis primo presbyter, deinde Epiſcopus ordinatus eſt; vir huius temporis poeticis & oratorijs facultatibus excultiſſimus.

h *Greg. Tur. 10. hiſt. vlt.*
i *Id. de mir. S. Mart. lib. 1. c.32. & lib. 2. c.1.*
MIRACVLA EX SEPVLCHRO S. MART.
k *Id. d. c.1.*
l *Ib. lib.4. ca. 1. & 2.*
DE VENANTIO FORTVNATIO.
m *Paul. dial. de geſt. Longob. lib.2. ca. 9.*

IESV CHRISTI ANN. 575.

IVSTIN. IVN. AN. 10.

BENEDICTI AN. 3.

I. TIBERIVS COOPTATVR IN IMPERIVM.

ANNO Domini quingenteſimo ſeptuageſimoquinto Indictionis octauæ, Iuſtini Auguſti decimo (vt ponit Cedrenus) idem Imperator, cum ob phreneſim incapax eſſet adminiſtrationis Reipublicæ, dilucidum conſecutus interuallum, ex conſilio Sophiæ Auguſtæ, *Tiberium* Comitem excubitorum, genere Thracem, collegam ſibi adſciuit ſub nomine Cæſaris; virum omnibus animi corporiſque dotibus præſtantem, bello paceque clariſſimum, religione Catholica pollentem; quem mirifice laudaſſe reperiuntur Euagrius [a], Gregorius [b] Turonenſis, Suidas, alijque. Sed quod idem Euagrius [c] eius cooptatio-

a *Euag. lib.5. c.13.*
b *Greg. Tur. lib.6 c.30.*
c *Euag. c.23.*

d Euagrij ſententiam primo Baronius ſecutus, Tiberij cooptationem collocauerat anno

nem poſt triennium factam ſignificat [d], à reliquis ferme omnibus tam Græcis quam Latinis horum & poſteriorum temporum auctoribus redarguitur, qui eam in hæc anteriora tempora referunt; ſicut etiam apertius patebit ex chronologia ſequentium Imperatorum.

Domini 578. Sed poſtea re accuratius perſpecta, in Append. To. XII. ad an. Chriſti 587. agnouit Euagrium errare in recenſendis annis Imperij Iuſtini. Quamobrem cum ex ſemel conſtituta ipſorum aſſertione, æque errare contigiſſet in collocandis rebus geſtis ſub ſeq. Imp. Tiberio atque Mauritio; iam errore cognito omnia illa quæ pendent ex chronologia eorundem imp. nimirum ab ingreſſu Tiberij, qui contigit hoc anno 575. vſque ad exitum Mauritij, qui incidit in annum 602. fuere neceſſario emendanda, & ſuis locis reſtituenda, quamuis ſciamus nec ſic tolli cunctas huius chronologiæ difficultates, ob auctorum ea de re inconuenientiam. Sed nobis ſatis eſt mentem Baronij ſequi; quippe qui eius epitomen agimus, non nouam hiſtoriam cudimus. Denique etſi aliquid deerit perfectæ rationi temporum, id tamen abſque detrimento fiet cognitionis ipſarum rerum geſtarum, ac præcipue Eccleſiaſticarum quas tractamus.

II.

e Paul. diac. lib. 3. c. 1.
f Greg. Turon. lib. 4. c. 6.
g Id. lib. 4. c. 18.
h Ib. c. 37. & lib. 5. c. 20.

Hoc eodem anno aliquot Longobardorum Duces ad Gallias infeſtandas (quas fruſtra huc vſque tentantes, cum ignominia repulſi fuerant) per Alpes Cottias [e] aditum ſibi facientes, Nicæam deuaſtant aliaſque nonnullas obuias ciuitates. Quam incurſionem à S. Hoſpitio prædictam fuiſſe, Gregorius [f] Turonenſis tradit; multaque narrat de vitæ ſanctitate a. miraculis eiuſdem Hoſpitij, qui ſeipſum voluntarie catenis vinctum in turri ad pœnitentiam recluſerat. Meminit vero præterea [g] de alijs Longobardorum in Gallias eruptionibus aduerſus Burgúdiones: quos cum primo Longobardi maxima clade affeciſſent, poſtea ijdem apud Ebredunum ab illis duce Mummolo Patricio, quem Guntheramnus Rex cum exercitu miſit, ad internecionem cæſi ſunt. In quibus prælijs Salonium & Sagittarium fratres Epiſcopos (de quorum vitijs dictum eſt ſuperius) armatos lorica & palea (cuiuſmodi monſtra tunc primum cœpta ſunt videri) multos manibus proprijs interfeciſſe, idem [h] auctor queritur, dum & alia eorumdem ſcelera pluribus proſequitur.

IESV CHRISTI AN. 576.

IVSTINI IVN. AN. 11.

BENEDICTI AN. 4.

I.

a Greg. Tur. 4. hiſt. Franc. 47.48.49.
CONC. PARIS. PRO SEDANDO BELLO CIVILI REGVM.
b Ibi. & de glor. mart. li. 1. c. 105.
EXPILATORES RER. ECCL. DIVINITVS PVNITI.
c Id. 4. hiſt. 49. & de miracul. S. Mart. lib. 2. c. 5.6.7.

ANNO Domini quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto Indictionis nonæ, ciuili ac fraterno in Gallijs recrudeſcente bello inter Guntheramnum atque Sigebertum & Chilpericum Francorum Reges [a], celebrata eſt prouincialis SYNODVS Pariſijs, ea de cauſa ab eodem Guntheramno maxime pio procurata, vt ſanctiſſimi qui tunc in Gallijs florebant Epiſcopi contentionem obortam ſedarent. Verum vbi ſemel res armis cœpta eſt agi, ſiluerunt Eccleſiaſticæ leges. Accidiſſe namque ait Gregorius [b] inter hæc, vt Chilpericus per filium ſuum Theodobertum ſuperato Gundebalo Duce magnam intulerit cladem Turonenſibus, Pictauienſibus, aliarumque ciuitatum eccleſijs atque monaſterijs: quorum tamẽ expilatores aliquos grauiſſimam diuinitus vindictam expertos eſſe narrat: in cuius paſſim ſcriptis, aliorumque huius temporis auctorum, quamplurima alia eiuſmodi diuinæ iræ inuiolatores rerum Eccleſiaſticarum exempla reperire eſt. Ceterum paulo poſt hæc pacem inter ipſos Reges ex inſperato virtute S. Martini compoſitam, miraculiſque comprobatam, idem auctor [c] ſcribit.

IESV CHRISTI ANN. 577.

IVSTINI IVN. 12.

BENEDICTI AN. 5.

I.

BENED. PAPÆ OBITVS.

PELAG. II. CREATIO.

ANNO Domini quingenteſimo ſeptuageſimoſeptimo Indictionis decimæ, pridie Calendas Auguſti mortuus eſt *Benedictus* Papa, & ſepultus in baſilica S. Petri, cum ſediſſet annos quatuor, menſem vnum & dies viginti octo, vt ſcribit Anaſtaſius: cum tamen ſi ratio habeatur eius creationis & obitus, dicendus ſit ſediſſe annos quatuor, menſes duos dies quindecim. Poſtquam autem ſedes vacaſſet menſes tres & dies decem, decima menſis Nouembris creatus eſt PELAGIVS eius nominis Secundus, patria Romanus, filius Winigildi; ex quo nomine eum potius genere Gothum quam Romanum putamus. Tradit autem Anaſtaſius, eumdem fuiſſe ordinatum abſque iuſſione Principis, eo quod Longobardi obſiderent Vrbem Romam, & multa vaſtatio ab eis in Italia fieret.

IESV CHRISTI AN. 578.

IVSTIN. IVN. AN. 13.

PELAG. II. ANN. 1.

I.

EVTYCHIVS RESTITVITVR IN SEDEM CONSTANTIN.

a ap. Sur. 6. April.

ANNO Domini quingenteſimo ſeptuageſimo octauo indictionis vndecimæ, defuncto Ioanne Cõſtantinopolitano Epiſcopo poſtquam ſediſſet annos duodecim & menſes ſeptem, vt habet Nicephorus in Chronico, & conſentit Euſtatius in Vita Eutychij; Tiberius Imp. memor beneficiorum ab eodem S. Eutychio acceptorum (qui primo ipſum Notarium apud Iuſtinum collocauerat, poſtea etiam Imperium eidem prædixerat) mox eumdem ab exilio reuocatum ſedi Conſtantinopolitanæ reſtituendum curauit: vbi miro populi fauore & magno Imperatorum Iuſtini adhuc viuentis & Tiberij honore tertia die Octobris exceptus eſt: multis magniſque cum in ipſo itinere, tum in aduentu, ac poſtea editis ab eo miraculis: inter quæ illud proficuum omnibus extitit, quo ſupplicationes cum populo faciens liberationem à Deo obtinuit graſſantis à multis annis peſtis. Quæ omnia fuſe proſecutus eſt Euſtathius [a] in eius Rebus geſtis.

IESV CHRISTI ANN. 579.

TIBERII AN. 1.

PELAG. II. AN. 2.

I.

IVSTINI IMP. OBITVS.

a Euagr. li. 5. c. 11.

SOPHIA AVG. IN ORDINEM REDACTA.

b Greg. Tur. 5. hiſt. Fr. 30.
c Paul. diac. l. de geſt. Long. 6.
d Theoph. Miſcel. l. 17.

e Greg. Tur. 6. hiſt. 2.
f Id. l. 5. c. 19.
g Paul. diac. l. 2. 6.

h Miſcel. lib. 17.

ANNO Chriſti quingenteſimo ſeptuageſimo nono Indictionis duodecimæ, menſe Auguſti Iuſtinus Imperator ex hac vita receſſit, poſtquam expleſſet in Imperio annos tredecim ac menſes nouem, licet Euagrius [a] tres amplius annos tribuat: ſed alij ferme omnes noniſi tredecim habent; de quo dictum eſt ſuperius. Qui quidem Iuſtinus proxime moriturus, adſtante Eutychio Patriarcha & vniuerſo Senatu, egregia Tiberium admonitione, quæ omnibus lachrymas extorſit, recitatamque ab Euagrio, Theophane, atque Cedreno, hortatus eſt ad rectam Imperij adminiſtrationem. Verum confeſtim poſt ipſius obitum, Sophiam Auguſtam eius coniugem aduerſus Tiberium conſpiraſſe pro Iuſtiniano Duce Iuſtini nepote, quem in Imperium euehere ambiebat; ſed re comperta Tiberium eamdem in ordinem redegiſſe, Iuſtinianum autem tantummodo obiurgatum maximo in poſterum amore dilexiſſe, eumdemque aduerſus Perſas cum exercitu immiſiſſe, tradunt Gregorius [b] Turonenſis, Paulus [c] diaconus, atque Theophanes [d]. Cedrenus autem indicat Sophiæ aduerſus Tiberium indignationem eueniſſe ex recenti manifeſtatione Anaſtaſiæ Tiberij coniugis, quam & Auguſtam ſalutauit: quippe quod cum Sophia ignoraſſet fuiſſe Tiberio vxorem, effeciſſet vt in Imperium proueheretur, quod poſt obitum Iuſtini ei nuberet. Additque, Tiberio in ſomnis Angelum prædixiſſe nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, tyrannos ipſo regnante Imperium non inuaſuros. Miſſos vero à diuerſis regionibus legatos ad eumdem, & inter alios Chilpericum Francorum Regem id officij præſtitiſſe, Gregorius narrat [e]. Sed quæ habet [f] de ingentibus theſauris ab eo inuentis ob ipſius erga pauperes liberalitatem, quamuis adſtipulatores reperiant, Paulum [g] diaconum & alios recentiores Latinos; tamen miramur nullum ex Græcis eis ſuffragari, præter illa quæ habentur apud Theophanem [h].

II.

i Greg. Pap. 3. dial. 28.
MARTYRES NECATI A LONGOBARD.
SVPERSTITIO DE CAPITE CAPRÆ.
k Id. 7. ep. 7.

Hoc eodem anno, (vt ex S. Gregorio [i] Papa intelligere poſſumus, qui ea ſcribens tertio ſui Pontificatus anno, accidiſſe ait ante quindecim annos) contigit, Quadraginta ruſticos à Longobardis tentos, martyrij coronam adipiſci, quod noluerint carnes immolatitias comedere: itemque alios Quadraginta captiuos eamdem gloriam conſequi, quod recuſauerint caput capræ diabolo ſacrificatum adorare. Porro eſt etiam de eiuſmodi veneratione capitis capræ immolati, eiuſdem Pontificis [k] querela ad Reginam Francorum Bruni-

Digitized by Google

Brunichildem, contra nonnullos Gallos, qui licet Chriſtiani eſſent, in ea tamen impietate perſeuerarent.

III. Interitvs Theodob. et Sigeb. Reg. Fr.

Hoc ipſo anno, cum pax inita inter Francorum Reges noui belli obice turbaretur, conſpirantibus in Sigebertum Chilperico ac Gunthetamno eiuſdem fratribus; prælio Theodobertus filius Chilperici victus occiſus eſt; ſic pœnas luens nefandorum ſcelerum, quæ (vt vidimus) à militibus ſibi ſubditis in Dei eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas perpetrari permiſerat. Victor autem Sigebertus, cetera Rex optimus ac vere Chriſtianiſſimus, ductus furore belli quod ſæpe laceſſitus inuitus ſuſceperat, cum Chilpericum Rothomagi obſideret, eiuſque mortem (diſſuadente fruſtra S. Germano Epiſcopo Pariſienſi) meditaretur, ipſe hoc eodem anno ætatis ſuæ quadrageſimo, regni vero decimoquarto, dolo impiæ Fredegundis Chilperici vxoris, per ſicarios ſimulantes aliquid ei ſecretius ſuggerere, gladijs veneno infectis percuſſus interijt: cui ſucceſſit in regno Childebertus filius. Hæc pluribus Gregorius [l] Turonenſis.

[l] Greg. Tur. li. 4. c. 50. 51.

IV. [m] Id lib. 5. c. 2. 14. De Meroveo inceſtuoſo.

Poſt recuperatum autem per Sigeberti mortem præter ſpem à Chilperico regnum, accidiſſe idem auctor [m] tradit, vt maior natu ex alia coniuge Audouera ipſius filius nomine Meroueus, inceſtuoſum contraxerit coniugium, quo ſibi copulauit Brunichildem patrui ſui Sigeberti relictam vxorem. Cuius rei gratia contra filium inſurgens pater, ipſum armis rem agentem, ſuperatum captumque tonſurari iuſſit, & presbyterum factum relegauit in monaſterium Cenomanicum. Vnde cum aufugiſſet ad Baſilicam S. Martini Turonos, minacique terque Gregorium Epiſcopum coegiſſet ſibi communionem impertiri; mandauit pater Chilpericus, vt inde tamquam apoſtata expelleretur; & negante Gregorio Eccleſiaſticas immunitates violari poſſe, exercitum eo miſit, quo tota regio deuaſtata eſt: cum interea infelix Meroueus, conſulta prius Pythoniſſa quæ proſpera ei cuncta promiſit, poſtea vero appoſitis ſuper S. Martini ſepulchrum ſacræ Scripturæ libris, Pſalterij, Regum, & Euangeliorum, cum poſt tridui ieiunia atque vigilias, in fortuito eorumdem librorum apertione, primi verſus paginarum omnia ſibi infauſta portenderent; idem de rebus ſuis deſperans, fugam ad Brunichildem inijt, ſed ab Auſtraſijs non eſt receptus. Hæc pluribus Gregorius; quæ tamen conſtat geſta ex parte eſſe anno ſequenti. De eodem autem Gregorio illud admonendum, quod cum in reliquis laudandus ſemper extiterit multis de cauſis; in eo tamen haud imitandus ſit, quod communionem impertijt apoſtatæ transfugæ habitusſ clericalis deſertori, ad hominumque cædes parato; cum ipſe maiori polleret auxilio, nempe patrocinio S. Martini, qui ad vlciſcendas illatas perſonis vel locis iniurias continuo ſoleret tunc aſſurgere.

Ex fortvita S. Scriptvræ apertione qvæsita vantvra.

Greg. minime lavdatvs in receptione Merovei.

V. [n] Ibid. c. 8.

Hoc item anno S. Germanum mirificum illum Pariſienſem Epiſcopum in cœlum migraſſe, patet ex eodem [n] auctore: cuius vitam ac miracula deſcripſit Venantius Fortunatus: egregiumque eiuſdem epitaphium à Chilperico Rege conſcriptum Aimoinus [o] habet. Excultum namque fuiſſe ipſum Regem poeticis literis, ſed & addidiſſe Græca elementa Latinis, teſtantur ijdem Gregorius & Fortunatus. Hoc quei nſuper anno contigiſſe conuerſionem Iudæorum qui Aruerni erant, Gregorius [p] tradit; cum videlicet diruta à populo Chriſtiano eorum Synagoga, S. Auitus eius ciuitatis Epiſcopus tam hortationibus quam minis eoſdem ad fidem perduxerit: ex Euangelij (vt putauit) præſcripto, quo Dominus [q] monuit compellendos vi aliqua intrare in Eccleſiam remorantes; licet à S. Gregorio [r] Papa eiuſmodi violentus progreſſus aduerſus Iudæos, incenſioque Synagogarum minime comprobetur: ſed neque à recentioribus Scholaſticis ſcriptoribus, vi extorquendam confeſſionem conceditur; quamuis non deſint qui ex aduerſo obnixe repugnent.

[o] Aimoin. lib. 3. c. 16.

[p] Greg. Tur. lib. 5. c. 11. Ivdæi vi coacti ad fidem Christi.

[q] Luc. 14.

[r] Greg. Pap. lib. 1. ep. 34. & 45. lib. 3. ep. 31. lib. 4. ep. 6. li. 7. ep. 25. & 26. lib. 11 ep. 15.

IESV CHRISTI ANN. 580.

PELAG. II. AN. 3.

Tiberii An. 2.

I. Conc. Paris. in cavsa Prætextati Rothom. Episc.

ANNO Domini quingenteſimo octogeſimo Indictionis decimætertiæ, agente Chilperico Francorum Rege conuocata eſt SYNODVS PARISIENSIS in cauſa Prætextati Epiſcopi Rothomagenſis, cui datum erat crimini à Rege quod Morouεum rebellem ipſius filium cum Brunichilde patrui relicta matrimonio coniunxiſſet, & cum eodem aduerſus ipſum Regem coniuraſſet, ac demum pecunias quaſdam regias ſurripuiſſet. Quæ licet meræ eſſent calumniæ ab impia Fredegunde Chilperici vxore in eum excogitatæ, eas tamen ipſe Prætextatus diu ab aulicis tentatus, tandemque ſpe veniæ deceptus, turpiter nimis confeſſus, poſt verbera relegatus eſt in inſulam. Quomodo vero hæc geſta fuerint, pluribus narrat Gregorius [a] Turonenſis, qui Synodo interfuit, & pars eius magna fuit, cum & aduerſus ipſum Regem magno animo regulas Eccleſiaſticas defendit. Addit autem, Morouεum hoc eodem anno Fredegundis artibus ſpontanea nece defunctum; id ipſo expoſcente à Gaileno familiari, ne in manus inimicorum veniret.

[a] Greg. Tur. 5. hiſt. Fr. 18.

II. [b] Ibid. c. 21. Vinvm S. Marini.

Hoc quoque eodem anno (vt idem refert [b] Gregorius) apud S. Martini ſepulchrum fieri contigit, vt vinum in vaſe quodam poſitum mirum in modum auctum fuerit iniecta vnica gutta aquæ colligi ſolitæ ex eodem ſepulchro. Ex quo miraculo longe lateque vulgato, alijſque eiuſdem generis, accidiſſe videtur vt nomen S. Martini ſuper vinum inuocaretur, illudq; eo modo benedictum, atque mutuæ ſymbolo charitatis inuicem propinatum, in honorem eiuſdem Sancti potarent. Sed quod tum pietas, docuit, prauus vſus labefactauit, vt eius inuocatione non ex vino miracula, vt olim, ſed ebrietates ex luxu ſoleant prouenire. Porro de vino, atque etiam pane, benedictione aliorum ſacerdotum his & ſuperioribus atq; etiam poſterioribus temporibus mirum in modum multiplicatis, extant quoque apud S. Gregorium [c] Papam alioſque exempla quamplurima.

[c] Greg. Pap. dial. lib. 1. c. 9. & lib. 3. c. 37. & vid. ſup. an. 507. num. 2.

III. [d] Rec. Bar. Annal. To. VII. an. 584.

Hoc inſuper anno Tiberij Imperatoris ſexto ex quo cum Iuſtino regnare cœpit, tertio Nonas Octobris Pelagius Papa epiſtolam [d] ſcripſit ad Aunanium ſiue Auxanium Epiſcopum Arelatenſem, vt ſuaderet Francorum Regibus opem ferre Romanæ Eccleſiæ Longobardorum incurſionibus laboranti, & ab illorum confœderatione recedere.

IV. Boioar. conversio ad fidem.

Hoc quoque tempore cœptam conſtat, *Baioariorum*, ſiue Boiorum, aut Bauarorum è Gentiliſmo conuerſionem ad fidem, annunciante illis Euangelium viro ſanctiſſimo RVPERTO Epiſcopo Vangionenſi in Gallia; qui à Bercario loci Comite dira paſſus, ſolumque vertere coactus, Dei nutu ad Borealium conuerſionem populorum accinctus eo penetrauit cum alijs duodecim ſacerdotibus. Quæ quidem cœpta hoc anno Childeberti Regis Francorum ſecundo (vt eiuſdem Ruperti Acta [e] teſtantur) in poſteriores annos propagata noſcuntur. Porro Childebertum, non primum illum Clodouei filium, qui regnare cœpit anno Domini quingenteſimo decimoquarto, intelligendum eſſe (vt putauit [f] qui Annales Boiorum ſcripſit) ſed potius ſecundum, qui poſt patrem ſuum Sigebertum regnare cœpit anno ſuperiori, iam alias [g] teſtati ſumus. Erat tunc Baioariæ Princeps *Theodo* huius nominis Tertius; cuius conuerſionem reliqui ei ſubiecti ſequuti, pariter effecti ſunt Chriſtiani. Vnde factum eſt vt ipſe Rupertus *Baioariorum Apoſtolus* ſit merito nuncupatus, qui remiſſo nuncio Eccleſiæ Vangionenſi, erectaque cœleſtibus præuijs ſignis ſede Salebùrgenſi, atque ibidem extructa eccleſia S Petri, quo Apoſtolicæ ſedi obſequentem eſſe eumdem populum commoneret, eiuſdem eſt nominatus primus Epiſcopus: vbi & ſanctæ ſorori *Erentrudæ* monaſterium Ducis munificentia ædificauit ſub nomine Beatiſſimæ Virginis MARIÆ. Ac denique poſt obitum ab eccleſia inter Sanctos relatus, colitur die ſexta ante Calendas Aprilis.

[e] ap. Sur. 27. Mart.

[f] Valent. Annal. Boior. lib. 3.

[g] Baron. in Not. ad Mart. Rom. 27. Mart.

Rvpertvs Boioar. Apos.

IESV CHRISTI ANN. 581.

PELAG. II. AN. 4.

I. PERSÆ A ROMANIS PENITVS DEVICTI.

ANNO Domini quingenteſimo octogeſimo primo Indictionis decimæquartæ, Tiberius Auguſtus Regem Perſarum Coſrhoen, poſt obitum Iuſtini Imperium Romanum inuadentem, per ſtrenuiſſimos duces Iuſtinianum Iuſtini nepotem, de quo dictum eſt anno ſuperiori, & Mauritium qui poſt Tiberium rexit Imperium, varijs prælijs penitus profligauit, ipſamque Perſidem deuaſtauit; eoque mœroris adegit ſuperbum regem crebris victorijs elatum, vt miſerabiliter mori coegerit; legemque ante obitum ferre ne Rex Perſarum in poſterum cōtra Romanos arma moueret. Cui in regno ſucceſſit Hormiſda ipſius filius Narrant hæc pluribus Euagrius [a] & Agathias [b]: iſte vero addit, Coſrhoen fuiſſe cunctis prædeceſſoribus Perſarum Regibus anteponendum victorijs ſuis, vel ipſi etiam Cyro Cambyſis. Quod autem eum ait regnaſſe annos quadraginta octo; quem Procopius [c] tunc viuens & rerum Perſicarum ſciens, cœpiſſe ponit anno ſeptimo Iuſtiniani Imperatoris, qui fuit Chriſti quingenteſimus trigeſimus tertius; vtique eum hoc anno Domini quingenteſimo octogeſimo primo deceſſiſſe oportuit. Eumdem vero Euagrius [d] ex aliorum relatione tradit, ſub extremum ætatis tempus diuino regenerationis lauacro tinctum fuiſſe.

a Euag. lib. 5. c. 14. 15.
b Agath. lib. 4.
c Procop. l. 1. de bel. Perſ.
d Euag. lib. 4. c. 27.
COSRHOES PERS. REX FIT CHRIST.

II. TVRBÆ ANTIOC. ET CONST. OB IMPIETATEM ANATOLII.

Hoc eodem anno Tiberij Imp. tertio (vt ponit idem Euagrius [e]) Antiochia Syriæ ingenti terræmotu magna ex parte vaſtata eſt, & Daphne tota concidit. Sed & eadem ciuitas, necnon Conſtantinopolis, grauiter exagitatæ ſunt occaſione Anatolij cuiuſdam plebeij hominis, qui malis artibus varios magiſtratus adeptus, Antiochiæ hoſtias ſecreto ſimulacris immolare deprehenſus eſt. Qui vna cum ſceleris conſcijs in quæſtionem raptus, cum liber à Iudicibus dimitteretur, obſtitit populos grauiſſimo excitato tumultu; adeo vt etiam Gregorium eiuſdem ciuitatis Antiochenæ Epiſcopum de tanti ſceleris participatione accuſauerit, ob familiaritatem quam Anatolius cum ipſo habuerat. Quapropter Tiberius Imperator Anatolium cum ſuis Conſtantinopolim accerſens, cum adhibitis aduerſus eos tormentis nihil contra Epiſcopum expiſcari valuiſſet, in ceteros vero eos nonniſi ſententiam exilij tuliſſet; adeo Conſtantinopolitanus concitatus eſt populus, vt tum in eumdem ipſum Imperatorem, tum etiam in Eutychium Patriarcham, alioſque Iudices tamquam aduerſus religionis Chriſtianæ proditores inſurrexerit. Actumque eſt tandem vt ceteris quidem reis viuis à populo combuſtis, ipſe Anatolius beſtijs primum in Amphitheatro expoſitus ac dilaniatus, deinde in crucem actus fuerit: cuius inde corpus lupi in terram diſturbātes (quod numquam viſum fuerat) membratim deuorarunt. Hæc pluribus Euagrius: qui & rem valde admirabilem habet de Imagine Beatiſſimæ Virginis, quæ erat in carcere Antiocheno; nimirum quod cum Anatolius ei ſupplicare velle oſtenderet, ea ipſum veluti ſacrilegum deteſtata, à ſe penitus abiecerit: rurſumque addit, ipſam Deiparam Fidelibus nonnullis tum Antiochiæ tum Conſtantinopoli apparentem, eos contra ſceleſtum illum concitaſſe.

e Id. lib. 5. c. 17. 18. Adde Niceph. lib. 18. c. 3.
S. DEIGENITRIX AVERSATVR ANATOLIVM.

III.

Hoc item anno (vt qui res Eccleſię Mediolanenſis proſecuti ſunt [f], affirmant) Laurentius Iunior poſt Frontonem creatus eſt eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus; moxque ad Pelagium Papam vt in communionem Catholicam reciperetur ſcripſit libellum, quo ſe in cauſa Trium Capitulorum Romanæ inhærere Eccleſiæ profeſſus eſt. Cui quidem libello tum complures alij Senatores, tum ipſe Gregorius qui poſtea fuit Romanus Pontifex, Vrbanam hoc tempore gerens Præfecturam, ſubſcripſere: tamquam videlicet fideiuſſores Laurentij: ex quo intelligas cur idem Gregorius eumdem libellum nominet Cautionem. Hæc autem cum ipſius Gregorij [g] teſtificatione manifeſta ſunt; & ex ijs nullus relinquatur locus aſſerendi ipſum ante præſentem annum quo Vrbanam Præfecturam gerebat potuiſſe eſſe monachum; vides quam longe ab hiſtorica veritate diſcrepet Ioannes diaconus, dum in vita eiuſdem S. Gregorij tradit ipſum à Benedicto Papa Pelagij prædeceſſore creatum ex monacho fuiſſe Diaconum Cardinalem Sacræ Romanæ Eccleſiæ, quem & fingit adhuc monachum exiſtentem, ab eodem Benedicto miſſum eſſe in Britanniam ad conuerſionem Anglorum. Haud enim mirum ſi idem Ioannes in enarrandis S. Gregorij rebus geſtis interdum aberret, quem conſtat poſt Gregorium trecentis ferme annis vixiſſe.

f Tamin. & Galeſin. in ſerie Epiſc. Mediol.
g Greg. l. 3. ep. 2. ad Conſt.
GREGO. POSTEA PAPÆ PRÆFECTVRA VRBIS.

IV. DE S. GREGORII VITÆ PRIMORDIIS.

Aggreſſuri itaque iam nos ordine temporum res eiuſdem mirifice geſtas recenſere; ante omnia de ipſius genere dicimus, fuiſſe [h] ipſi atauum Felicem Romanum Pontificem, non quidem Quartum eius nominis (vt exiſtimauit Iohannes diaconus) ſed Tertium, vt tum ratio temporis perſuadet, tum etiam patria: ſiquidem Quartus Samnita fuit, Tertius vero Romanus, ſicut & Gregorius; cuius pariter progenitores & anteceſſores liquet fuiſſe Romanos. Patrem autem eius Gordianum, matrem Siluiam vocatam eſſe; eoſdemque pietatis cultores, omnes æque conſentiunt: ſed excelluiſſe Siluiam ſanctitate, Eccleſiaſticæ tabulæ fidem faciunt. Ipſum vero excultum fuiſſe bonis literis (quantum illud ferebat ſæculum, ob diuturna bella æruginatum) tum ex ipſius ſcriptis, tum ex Gregorij [i] Turonenſis eiuſdem æqualis teſtificatione manifeſtum ſatis eſt. Sed & iuris ſcientiam apprime calluiſſe, ipſe ſuis poſtea literis [k] declarauit. Sicut & quod inter Senatores militauerit, Præfecturamque Vrbanam hoc eodem tempore geſſerit, ex ipſomet [l] conſtat; cum tamen (vt alibi [m] teſtatur) iam antea intus anhelare cœpiſſet ad ſolitudinem. Quæ illa putamus fuiſſe tempora, quibus ipſe adhuc laicus exiſtens, ſex monaſteria in Sicilia, ſeptimum Romæ erexit in Regione montis Cœlij ad Cliuum Scauri; vt teſtis eſt rerum Gregorij maxime conſcius alter Gregorius [n] Epiſcopus Turonenſis.

h Id. 4. dial. 16. & hom. in Euang. 38. Mart. Rom. in Felic.
i Greg. Tur. 10. hiſt. 1.
k Greg. Pap. 11. ep. 54.
l Id. 3. ep. 1.
m Id. in praef. Moral.
n Greg. Tur. 10. hiſt. 1.

V. DE INSTITVTIONE MONASTICA S. GREG.

In eo pariter redarguendus eſt Ioannes diaconus dum ait ipſum Gregorium vitam excoluiſſe monaſticam primo ſub Hilarione Abbate, inde vero ſub Maximiano. Meminit enim ipſe Gregorius [o] tantummodo Valentini, ſiue Valentionis, qui ſibi in monaſterio ſuo præfuerit: & qui haud diu permiſſus eſt agere in monaſterio, non alium Abbatem poſt Valentinum habuiſſe inſtitutorem putamus. Sed & cum erecto ab ipſo in Vrbe monaſterio, non (vt multi exiſtimarunt) è proxime poſitis Caſſinatibus monachis, quibus poſt deſtructum à Longobardis cœnobium Caſſinenſe, Romæ apud Lateranenſem baſilicam datum [p] fuerat monaſterium: ſed ex prouincia Valeria (atque haud dubium ex monaſterijs S. Equitij, quæ multa in ea prouincia habuit [q]; nec extra ea ibi eo tempore vlla alia fuiſſe reperiuntur) petitum primum illum Abbatem Valentinum, à quo & habitum ipſe Gregorius & regulas monaſticæ conuerſionis accepit, ex ipſius ſcriptis [r] manifeſtiſſime appareat: videant hinc [s], quo iure nonnulli tradant fuiſſe Gregorium inſtitutionis S. Benedicti profeſſorem; cum ipſum S. Equitium conſtet ante S. Benedictum in dicta prouincia monaſteria extruxiſſe, congregaſſeque iam monachos cum S. Benedictus petijt eremum. Ceterum eumdem Gregorium vix dum monaſterium ingreſſum, Pelagius Papa repente illinc inuitum ac nolentem abſtraxit, & diaconum Sacræ Romanæ Eccleſiæ ordinatum, Apocriſarium miſit Conſtantinopolim, vt ex ipſius Gregorij [t] ad Leandrum teſtificatione certum redditur. Non enim niſi diaconis eiuſmodi munus credi conſueuiſſe, idem poſtea ad Phocam Imperatorem ſcribens [u] docet. Liquet tamen eum, arreptum ſemel monaſticum inſtitutum numquam deſeruiſſe: quem & in ea peregrinatione multos ſecum duxiſſe monachos quibuſcum viueret, ipſe ad eumdem Leandrum teſtatur, & reuerſum Romam, in ſuum monaſterium rediſſe viſuri ſumus.

o Greg. Pap. 4. dial. 21.
p Id. lib. 2. dial. in pr. & c. 17. & 4. ep. 34. ad Conſt. Aug.
q Id. 1. dial. 3. in fi.
r 1. dial 4. & lib. 3. c. 21. & lib. 4. c. 21.
s Sciat Lector ea quæ Illuſtriſſimus Baro. in Annal. habet de tempore monachatus S. Gregorij, deque eiuſdem profeſſione ſub inſtituto S. Equitij, non autem S. Benedicti, ac de alijs quæſtionibus eo pertinentibus, acriter impugnata fuiſſe à nonnullis monachis Ordinis S. Benedicti, ſed eadem validiſſime defenſa ab Antonio Gallonio Congregationis Oratorij, Apologia Romæ edita anno 1604. aduerſ. Conſtant. Bellotum, ipſo adhuc Illuſtriſſ. Cardin. ſuperſtite, & approbante.
t Id. praef. in Moral.
u 11. ep. 41.

VI.

Hoc item anno cœpta iam Indictione decimaquinta, euocatione Regis Francorum Gunthramni, ſub

x Conc. Matiſcon. ſub. Concil. Matisc. I.

Priſco Lugdunenſi Archiepiſcopo Calendis Nouembris celebrata eſt Prima Synodvs Matisconensis vt eius Acta [x] teſtantur; licet illic corrupte dicatur coacta anno duodecimo dicti Regis: nam ſi (vt ibidem aſſeritur) decima quinta Indictione celebrata fuerit, non duodecimo, ſed decimo ſeptimo id accidiſſe oportuit. Extant eiuſdem Synodi canones decem & nouem ab vno & viginti Epiſcopis ſanciti; ijdemque omnes ad morum emendationem, Eccleſiaſticamque diſciplinam ſpectantes, complures vero ad Iudæorum petulantiam coercendam. Interque alia actum ibi [y] de Quadrageſima dicta S. Martini, trium dierum in hebdomada, nempe ſecundæ, quartæ, & ſextæ feriæ à feſto S. Martini vſque ad Natalem Domini ieiunijs obſeruanda. Fuiſſe autem in Gallijs huiuſmodi ieiunia primum inſtituta à S. Perpetuo Turonenſi Epiſcopo, Gregorius [z] eiuſdem Eccleſiæ Antiſtes docet. Fluxit vero inde, vt nonnulli Fidelium ipſum integrum tempus Aduentus, quod Natalem Domini diem præcedit, ieiunio continuato tranſigerent.

y ibid. c. 9. De Quadrageſima S. Mart.

z Greg. Tur. 10. hiſt. 31.

VII. Evlogivs episc. Alex.

a Euag. lib. 5. c. 16.

Eodem quoque anno defuncto Ioanne Epiſcopo Alexandrino cum ſediſſet annos vndecim, in locum eius ſuffectus eſt *S. Eulogius*. Hæc ex Nicephori Chronico: deque eodem Euagrius [a], & alij. Sed & meminit eiuſdem cum laude ſæpe in ſuis epiſtolis S. Gregorius Papa; agetur que pluries de eo inferius.

IESV CHRISTI ANN. 582.

Tiberii an. 4.

PELAG. II. AN. 5.

I.

Anno Domini quingenteſimo octogeſimo ſecundo Indictionis decimæquintæ, qui quartus Childeberti Francorum Regis, ac decimus octauus Gunthe ramni ipſius patrui habetur, eiuſdem Gunthramni iuſſu celebrata [a] eſt Prima Synodvs Cabilonensis in cauſa Sagittarij & Salonij Epiſcoporum, de quibus eſt ſuperius actum. Qui in ea Synodo accuſati de adulterijs atque homicidijs, ſed & rei maieſtatis conſtituti & patriæ proditores, ab Epiſcopatu deiecti ſunt.

a Greg. Tur. 5. hiſt. Franc. 27.

Concil. Cabilon. I. in cavsa pravor. Epist.

IESV CHRISTI AN. 583.

Mavritii an. I.

PELAG. II. AN. 6.

I.

Anno Domini quingenteſimo octogeſimo tertio Indictionis primæ, menſe Aprilis die octaua poſt Paſcha, Eutychius Conſtantinopolitanus Epiſcopus ex hac vita migrauit, cum poſt reuocationem ab exilio ſediſſet annos quatuor & ſex menſes; vt præter alios aſſerit qui interfuit Euſtathius [a] in eius Rebus geſtis. Cum vero paulo ante quam in morbum incideret, commentarium edidiſſet de Reſurrectione carnis, quo cum firmiter aduerſus Gentiles & hæreticos eam aſtrueret, ex Origenis tamen erroribus aſſereret fore eam abſque carne palpabili; Gregorius diaconus Apoſtolicæ ſedis Apocriſarius, ipſo conuento atque admonito, poſt multam inter eos diſputationem, interueniente Tiberio Imperatore; liber ille combuſtus eſt, & Eutychius errorem agnouit. Refert hæc pluribus ipſe Gregorius [b], quæ Euſtathius diſſimulauit. Ceterum haud valuit næuus iſte, vel quantauis macula quam cito abſterſit, Eutychij animæ labefactare pulchritudinem; vt non immerito Græci eum vt Sanctum colant, anniuerſariaque die eiuſdem natalem celebrent.

a ap. Sur. 6. April.

Dispvt. inter Greg. Rom. et Evtych. Const. de resvr. carnis.

b Greg. 14. Moral. 29.

II. Ioan. ieivnator hypocrisi sva adipiscitvr sed. Const.

Ei vero ſuffectus eſt Ioannes quidam monachus, cognomento *Ieiunator*; cui tamen (vt Euſtathius tradit) Eutychius adhuc viuens haud voluit ſuo elogio ſuffragari, cum ægrotans ab Imperatore de ſucceſſore requireretur; vtpote qui nihil boni præuideret de homine, qui ex iugi omnibus noto ieiunio popularem captans auram, eadem inflatus intumuiſſet. Cuiuſmodi etiam ductum hypocriſi, cum ad Epiſcopatum quæreretur fugam ſimulans, nonniſi coactus eum ſuſcipere videri voluit; vt ei poſtea S. Gregorius [c] exprobrauit, cum per ſuperbiam ſuam ille Eccleſiam ſubuertere conatus eſt, vt videbitur inferius ſuis locis.

c Id. 1. ep. 4. & 4. ep. 38.

III. Tiberii Imp. obitvs.

d Euag. lib. 5. c. 23.

Vbi autem ab obitu Eutychij quatuor fuiſſent menſes elapſi, mortuus eſt quoque Tiberius Imperator menſe Auguſto, cum regnaſſet ſolus annos quatuor, totidemque cum Iuſtino vno minus menſe; prout teſtatur Euagrius [d], alijque fere conſentiunt. Proxime vero moriturus, Imperium publice Mauritio tradidit; quem iam antea Comitem Excubitorum & Magiſtrum militiæ creatum poſtea etiam victorem à debellatione Perſarum aliorumque barbarorum redeuntem, Cæſarem dixerat: atque vna cum Imperio ſuum quoque nomen ei impertiuit, vt diceretur Mavritivs Tiberivs; ac filiam ſuam Auguſtam, à ſuo pariter cognomine *Conſtantinam* dictam (nam & ipſe, *Tiberius Conſtantinus* dici voluerat) in vxorem tradidit: vt hæc omnia pluribus proſecuti ſunt Euagrius [e], Nicephorus [f], & alij; qui & eiuſdem Mauritij fortitudinem, pietatem, aliaſque inſignes virtutes mirifice laudarunt: præſagia vero diuina futuri eius Imperij recenſet idem Euagrius [g]: illudque ipſum fuiſſe ei prænunciatum à SS. Theodoro Sicæota Archimandrita, & Eutychio Conſtantinopolitano Epiſcopo, teſtantur Acta [h] rerum ab iiſdem Sanctis geſtarum; in quibus æque commendatur eiuſdem eximius religionis cultus. Porro ipſum ab antiqua Roma genus & nomen traxiſſe, ſed ob parentes ex quibus proxime oriundus eſſet Arabiſſum Vrbem Capadociæ patriam agnouiſſe, Euagrius [i] tradit: additque ipſius cum Auguſta Conſtantina nuptijs (quod nulli ante Imperatori eueniſſe aliquando traditum eſſet) vtrumque eiuſdem parentem decora canicie venerandum, ac fratres forma eximios interfuiſſe.

Mavritivs Imp.

e Id. lib. 5. c. 19. & ſeq.

f Niceph. lib. 18. c. 6.

g Euag. ib. c. 21.

h ap. Sur. 6. & 26. Apr.

i Euag. lib. 5. c. 19. & lib. 6. cap. 1.

IV. De tempore ingressvs Mavritii.

Eumdem autem hoc anno imperare cœpiſſe [k], non ſolum quæ de tempore obitus Tiberij ab Euſtathio qui præſens fuit dicta ſunt manifeſte docent; ſed & apertiſſime confirmatur ex eo quod in epiſtolis [l] S. Gregorij Papæ adnotatum eſt anno ſecundo ipſius Pontificatus, ſiue Chriſti anno quingenteſimo nonageſimo primo, fuiſſe ſeptimum annum Conſulatus ſeu Poſt Conſulatum Mauritij, quem certum eſt omnium ſententia incidiſſe anno ſecundo eiuſdem Imperij. Et adhuc apertius ex alijs monumentis publicis, cum apud eumdem S. Gregorium [m], vbi annus Imperij Mauritij decimus tertius iungitur cum Indictione pariter decimatertia; tum apud Bedam [n], vbi æque eiuſdem Imperatoris annus decimus quartus iungitur cum Indictione decimaquarta: cum hoc anno, quo ipſum inchoaſſe Imperium ponimus, fuerit etiam Indictio prima. Aſſerit id ipſum & Gregorius [o] Turonenſis, huius temporis ſcriptor, dum Tiberij exitum & Mauritij ingreſſus ponit anno Childeberti Francorum Regis octauo, idemque ſuperius [p] dixit, eo anno vltimum Ianuarij fuiſſe Dominicum diem, quo Dominicalis litera fuit C. quam certum eſt cadere in præſentem annum Domini quingenteſimum octogeſimum tertium. Sed quod ad annos Childeberti pertinet: apparet errorem illapſum in Gregorium, dum octauus ibi numeratur, qui dumtaxat quintus dici debuit. Denique cum ex ipſa Mauritiana hiſtoria, auctore Theophylacto cognomento Simocato antiquitus ſcripta, aliiſque tam Græcis quam Latinis hiſtoricis, conſtet Mauritium perueniſſe ad annum Imperij vigeſimum; & certum ſit tempus obitus eius, & ingreſſum Phocæ ipſius ſucceſſoris, accidiſſe anno Chriſti ſexcenteſimo ſecundo menſe Nouembri; vtrique affirmandum eſt eum imperare cœpiſſe hoc eodem anno Chriſti quingenteſimo octogeſimo tertio, quo Tiberius menſe Auguſto defunctus eſt.

k Ita correxit Baron. in append. To. XII. Annal. ad an. 586 cum antea ingreſſum Mauritij collocaſſet d. an. 586. De quo diximus ſup. ad an. 575. num. 1.

l Greg. lib. 2. Reg. in pr.

m Id. 4. ep. 44.

n Bed. de geſt. Angl. lib. 3. cap. 13

o Greg. Tur. lib. 6. ca. 30. hiſt. Franc.

p Ibid. c. 25.

V. Concil. Brennac. in cavsa Gregor. Tvron.

Hoc item anno qui quintus (vt diximus) numeratur Childeberti Iunioris Francorum Regis, habita eſt in Gallia Synodvs Brennacensis, cuius aliquot extant apud Gregorium [q] Turonenſem Epiſcopum monumenta: nam celebrata ipſa eſt in cauſa ipſius Gregorij, cum falſo reus factus eſſet quod Fredegundem vxorem Chilperici Regis infamaſſet de commixtione cum Berthetramno Burdegalenſi Epiſcopo. Ea vero de re cum ex ſententia Synodi Gregorius, celebratis Miſſis in tribus alta-

q Id. lib. 5. c. 48 & ſeq.

ribus, & addito iuramento, ſe purgaſſet accuſatores eius excommunicati ac pœnis ſubiecti fuere: Rex vero Chilpericus eidem reconciliatus, ipſius etiam benedictionem [r] expetijt, quem paulo ante reum maieſtatis conſtituiſſet. Scripſit quoque de hac Synodo carmen Venantius [s] Fortunatus, quo & cecinit laudes Chilperici & Fredegundis; & quidem puto intuitu charitatis, vt è domo regia manantem ex impudica Regina fœtorem veluti plurimo effuſo balſamo effugarat. Verum qui non ſecundum faciem iudicat Deus, aduerſus eoſdem Chilpericum & Fredegundem duriſſimam mox ſententiam protulit, qua ipſos duobus filijs [t] Clodoberto & Dagoberto grauiſſima lue tunc Gallias deuaſtante extinctis priuauit: quibus adhuc ægrotantibus, vt ſimulata aliqua pœnitentia eos à periculo Fredegundis liberaret, omnia incendit debitorum iniuſta nomina, idque ipſum agendi Chilperico auctrix extitit. Sed liberis paulo poſt extinctis & ipſa in conſueta peccata recidens, nouercali odio commota in Clodoueum eiuſdem Chilperici ex priori vxore Audouera filium, eumdem in ſuſpicionem adductum quod in eam aliquid moliretur, detruſum in carcerem gladio feriri curauit, euulgans ipſum obnoxium culpæ ſibi necem intuliſſe, quum rem geſtam Gregorius [u] narrat.

r Id. lib. 6. ca. 5.
s Fort. carm. lib. 9.
t Greg. Tur. lib. 5 cap. 34.
FREDEGVNDIS SCELERA.
u Ibid. c. 39.

VI.
x Ibid. c. 37.
S. MARTINI BRACAR. OBITVS.

Hoc eodem anno Childeberti quinto (vt ex eodem Gregorio [x] conſtat) Martinus ille de quo ſuperius, inſignis Bracarenſis Epiſcopus ex hac vita migrauit, poſtquam triginta circiter annos ſediſſet vt idem auctor tradit: qua ratione dicendus eſſet inchoatus eiuſdem Epiſcopatus circa annum Domini quingenteſimum quinquageſimum tertium. Verum alij eius in Hiſpanias aduentum referunt tantummodo ad annum quingenteſimum ſexageſimum: cui ſententiæ magis inhæſimus, quod ex Actis Concilij Bracarenſis Secundi, tum nota Eræ tum numero annorum Ariamiri Regis ſibi vendicet auctoritatem. Dies autem qua tantus vir, cui multum debet Hiſpania, ad cœlum migrauit, celebratur ab Eccleſia ad decimum tertium Calendas Aprilis. De cuius etiam mirificis laudibus extat egregium Venantij [y] Fortunati carmen.

y Fort. car. lib. 5.

VII.
z Greg. 5. hiſt. 38.
PERSECVTIO EXCITATA A LEVVIGILDO.
a Iſid. in Chro. Goth.

Hoc item anno; teſte eodem Gregorio [z], qui (vt numerat) quintus eſt Chilberti Regis, dira perſecutio in Hiſpania excitata eſt à Levvigildo Rege Ariano aduerſus Catholicos; qua (vt ait) multi exilijs damnati, facultatibus priuati, facie decocti, carceri mancipati, verberibus affecti, ac diuerſis ſupplicijs trucidati ſunt. Sed & Iſidorus [a] breuiter & ipſe eamdem perſecutionem perſtringens, multos è Catholicis ait in Arianam perfidiam terroribus impulſos eſſe, ac pleroſque ſine perſecutione illectos auro rebuſque deceptos; nec ſolum ex plebe, ſed etiam ex ſacerdotalis ordinis dignitate, ſicut Vincentium ex Cæſarauguſtano Epiſcopo apoſtatam factum. Quæ vero recentior huius perſecutionis cauſa præceſſerit, idem Gregorius hanc recenſet, nimirum quod cum Levvigildi filius primogenitus nomine Herminigildus, vxorem duxiſſet Ingundem Sigeberdi Francorum Regis ex Brunichilde coniuge filiam; hæcque fide Catholica præſtans, à Goiſuintha Regina (Athanagildi olim vxore, matre vero Brunichildis, ac proinde ipſius Ingundis auia, quæ demum Levvigildo nupſerat) Arianam impietatem amplecti ſæpius ſolicitata, omnino acquieſcere recuſaſſet; ideoque ab eadem peſſime habita ac calcibus etiam ad ſanguinem vſque verberata, denique per vim more Arianorum rebaptizata eſſet: haud tamen ipſa animum à fide diuertens, tantum etiam apud Herminigildum maritum continuis hortationibus ſuis profecerit, vt & ipſe relicta hæreſi religionem Catholicam ſit profeſſus: ea vero de re iratus Levvigildus, bello filium perſequi, ſimulque Eccleſiam vexare cœperit.

INGVNDIS REGINÆ EGREGIA CONFESSIO.

VIII.
HERMINIGILDVS PRO DEFENSIONE RELIG. ARMA PARAT CONTRA PATREM.
b Greg. d. c. 38.

Porro Herminigildus viribus patris impar, non ſolum Græcos qui in Hiſpanijs (vt vidimus) pro Imperio Romano aduerſus Gothos militabant, ſibi ſociauit [b]; ſed etiam ad aliud obtinendum auxilium, Legatum ad Imperatorem Conſtantinopolim miſit S. Leandrum Hiſpalenſem Epiſcopum doctrina & pietate clarum; quem & ipſum Herminigildi conuerſioni plurimum contuliſſe, qui proſecuti ſunt res Hiſpaniarum tradunt, confirmatque S. Gregorius [c] Papa, cui tunc ea ratione contigit eiuſdem cognitionem habere, cum ipſe ageret (vt diximus) apud Imperatorem Sedis Apoſtolicæ Aprocriſarium: quando & eodem adnitente Leandro opus aggreſſus eſt *Moralium expoſitionum in librum Iob*, quod abſolutum primo ſui Pontificatus anno ad illum id expetentem miſit: vt de his omnibus conſtat ex ipſius tunc ſcriptis literis [d].

c Greg. Pap. 3 dial. 31.
d Id. 1 ep. 41. & præf. comment. in Iob.

IX.

Quod autem ad bellum inter patrem filiumque ſpectat; perduraſſe illud varijs caſibus ad aliquot annos, ex Gregorio Turonenſi, alijſque apparet: qui etiam docet quam prauis artibus Levvigildus apud Chilpericum & Fredegundem egerit, ne Childebertus Ingundis frater & Guntheramnus Reges exercitus quos paratos ad inuadendam Hiſpaniam haberent eo dirigerent. Qui vero tandem exitus belli fuerit, dicetur ſuo loco. Sed quam multa eodem tempore & ingentia miracula varijs locis fieri contigerit in confirmationem fidei Catholicæ, & confuſionem impietatis Arianæ, cum & nonnunquam ipſius ſectatores videri vellent æque auctoritatem habere prodigia edendi, idem Gregorius [e] ſcriptis ſuis memorat: recitatque [f] etiam diſputationem, quam ipſe habuit de fide aduerſus Legatum quemdam Arianum miſſum à Levvigildo ad Chilpericum: ac denique de eodem Chilperico addit, quod cum & ipſe ferretur præceps ad inſectandam Arianam hæreſim, tranſgreſſus limitem in Sabellianiſmum impegerit, ſed ab eo mox per ipſum Gregorium & S. Saluium Albigenſem Epiſcopum abductus fuerit, ac rectæ fidei reſtitutus.

MIRACVLA IN CONFIRMATIONEM FIDEI.
e Greg. Tur. de glor. Confeſſ. c. 12. 13. 14. de glor. mart. lib. 1 c. 79. 80. 81.
f Id. 5. hiſt. Franc. 43.

IESV CHRISTI ANN. 584.

MAVRITII AN. 2.

PELAG. II. AN. 7.

I.

ANNO Chriſti quingenteſimo octogeſimo quarto Indictionis ſecundę, qui ſextus numeratur Childeberti Francorum Regis, per Igidium Rhemenſem Epiſcopum & alios collegas legatos compoſitæ ſunt res Francorum, pace inter Reges ſtabilita ea conditione, vt poſt obitum Chilperici Childebertus ei hæres in vniuerſo regno ſuccederet. Habet iſta Gregorius [a].

a Id. lib. 6. ca. 3. & 11.

II.
PELAG. PP. PETIT AVXILIVM CONTRA LONGOB.
b Pelag. ep. 1.

Eodem anno Indictione incipiente tertia, quarto Nonas Octobris, Pelagius Papa admodum fatigatus Longobardorum aſſiduis bellis, poſt fœdus cum illis initum iureiurando perfracto iterum rediuiuis, ab Imperatore auxilium petiturus Honoratum Notarium Conſtantinopolim legauit, eique ea de re ad Gregorium diaconum adhuc ibi Apocriſarium agentem literas [b] dedit. Vnde forte accidit, vt Mauritius Legatos ad Childebertum Francorum Regem miſerit cum pecunijs, ſolicitans eum ad bellum aduerſus Longobardos ſuſcipiendum: cum Childebertus parum liberaliter in his agens, miſſo tamen demum exercitu ad inuadendam Italiam, diſcordia Ducum rem infectam dimiſit, quæ pluribus narrat Gregorius [c] Turonenſis.

c Greg. Tur. li. 6. c. 30. 38.

III.
GR. DIAC ROMAM REVERTITVR.
d Greg. Pap. 4. ep. 38. & l. 2. ep. in pr.
e Ita habet cod. Vatic. nu. 351. pa. 1.
f Greg. Pap. 9. ep. 22. ad Prob.
g Id. 4. dial. 55.

Sed quod ad Gregorium S.R.E. diaconum ſpectat; fuit ipſe poſt hæc reuocatus Romam à Pelagio Pontifice, qui ex more ad nouum Imperatorem Mauritium, nouum Apocriſarium miſit Laurentium eiuſdem Eccleſiæ Archidiaconum; vt ipſe teſtatur Gregorius [d]. Qui quidem ea occaſione Romam rediens, ſecum detulit ab Imperatore dono acceptas [e] ſacroſanctas reliquias Andreæ Apoſtoli & Lucæ Euangeliſtæ, nempe illius brachium, & iſtius caput: quæ monaſterio ſuo Romæ ad Cliuum Scauri ab eo olim erecto recondidit; quod & inde S. Andreæ dictum eſſe [f] conſtat. Sed & ipſummet Romam reuerſum iterum ſe eidem monaſterio incluſiſſe, eidemque vt Abbatem præfuiſſe vſque ad electionem ſuam in Romanum Pontificem, idem ipſe ſatis aperte docet, dum in ſuis Dialogis [g] narrat hiſtoriam de monacho proprietario defuncto, in quem vt Abbas pœnam irrogauit vt ſepeliretur in ſterquilinio.

IV. GREG. SCRIBIT ADVERSVS TRIA CAP.

Interea vero aduerſus ingruentes ob Tria Capitula ſchiſmaticos, iuſſu Pelagij Papæ ſtylum exercens, librum ea de re ſcripſit, quem Pelagius miſit ad Eliam Aquileienſem epiſcopum, Paulini de quo ſuperius ſucceſſorem. Teſtatur id Paulus [h] diaconus qui librum illum Epiſtolam [i] vocat. Eiuſdem enim plane fuiſſe generis viſa eſt, cuius erat epiſtola S. Leonis ad Flauianum; quæ cum epiſtolæ nomine ſcripta eſſet, eadem diceretur & Tomus ob ſui amplitudinem: nam & ipſa Pelagij epiſtola etiam à S. Gregorio Liber eſt nuncupata, cum eandem poſtea ad Hibernos [k] æque ſchiſmaticos tranſmittens, ex modeſtia totam Pelagio tribuit, nihil ſibi arrogans laboris à ſe in ea ſcribenda ſuſcepti. Ceterum Paulus de his agens in eo errat, dum ait Eliam Aquileienſem redargutum eſſe à Pelagio quod nollet ſuſcipere Tria Capitula; cum econtra liqueat eum caput fuiſſe ſchiſmaticorum, qui damnationi Capitulorũ conſentire recuſabant. Sicut & in eo corrigẽdus [l] eſt, dum Eliæ obitum & ſucceſſionem Seueri ad illa refert tempora quibus S. Gregor. Auguſtinum in Angliam miſit, cum id non ſolum auctoribus [m] omnibus, anno Domini quingenteſimo octogeſimo ſexto ponentibus Eliæ obitum, aduerſetur; ſed & ipſi Gregorio, qui Seuerum ſediſſe antequam ipſe Gregorius eſſet Pontifex, ſignificat literis [n] ad eum ſcriptis anno primo ſui Pontificatus.

h Paul diac. de geſt. Long. lib. 3. c. 10.
i Recitatur illam valde prolixam Baron. To. VII. Annal. hoc an. vna cum alijs duabus breuioribus eiuſdem Pelagij Papæ nomine ab eodem Gregorio antea ſcriptis ad eundem Eliam atque ... ſſ... Epiſt.
k Greg. 2. ep. 15.
l Paul diac. lib. 3. c. 12.
m Pannin. Rube. hiſt. Rauen lib. 4.
n Greg. 1. ep. 16.

MAVRITII AN. 3.

IESV CHRISTI AN. 585.

PELAG. II. AN. 8.

I. ANNI MAVRITII IMP. NVMERANTVR ABEIVS CONSVLATV.

ANno Domini quingenteſimo octogeſimo quinto Indictionis tertiæ, Mauritij Imperatoris anno ſecundo cœpto à menſe Auguſti anni ſuperioris, idem Imperator (vt Cedrenus & alij teſtantur) Conſulatum abſque collega ſuſcepit; ita vt reliqui eius Imperij anni ab eodem Conſulatu nomen multiplicato nomine ſortirentur: quod in aliquibus eius temporis monumentis obſeruatum videbis inferius. Quo eodem anno Mauritij ſecundo idem Cedrenus ponit, quoſdam Græcos cum inter prandendum conuicia in ſanctiſſimam Virginem Deiparam iecissent, illico à malis ſpiritibus correptos pœnas dediſſe; domino vero domus in qua prandiſſent, ipſam Deiparam in ſomnis virgula pedes incidiſſe.

BLASPHEMI IN MARIAM VIRG. PVNITI.

II. ANTHARITH CREATVR REX LONG.

Quod ad res pertinet Occidentis; hoc eodem anno Longobardi, cum per decennium ſine Rege ſub Ducibus extitiſſent, regiminis eiuſmodi ſine capite iam pertæſi, initis vna comitijs, Regem vt antea crearunt; delectuſque eſt ex omnibus Clephonis vltimis Regis filius nomine *Antharith*: ſed barbaricum nomen nimis aſperum, cognominis *Flauij* lenitate delinierunt; quo prænomine omnes qui poſtea fuere Longobardorum Reges vſi ſunt. In noui vero Regis, eiuſq; miniſtrorum ſuſtentationem, Duces qui tunc erant omnis ſubſtantiæ ſuæ medietatem regalibus vſibus tribuerunt. Hæc omnia Paulus [a] diaconus. Porro ſub hoc Antharith miraculum illud accidiſſe noſcitur, quod Papa Gregorius [b] narrat de claue aurea S. Petri Apoſtoli; quam cum miles quidam Longobardus Arianus in Tranſpadanis partibus inuentam cultello incidere voluiſſet, illum ipſum cultellum arreptus per ſpiritum ſibi in gutture defigens, miſere perijt. Quo miraculo Antharith conterritus, aliam auream clauem conficiens, eam cum illa priori ad Pelagium Papam tranſmiſit. Hæc Gregorius. Sed quod per clauem poſſeſſio deſignatur, illud per illam clauium miſſionem ſignificatum fuiſſe poſſet ex euentis aſſeri, non tantum à Longobardis Vrbem non capiendam, ſed & ipſos omnes, cum ſua ditione Romano Pontifici parituros. Vnde merito his diebus Venantius [c] Fortunatus laudes celebrans Apoſtolorum Petri & Pauli, inter alia egit de ipſorum patrocinio quo munierunt Vrbem ne à Longobardis caperetur: quod & ingenue alibi idem Gregorius [d] faſſus eſt.

a Paul. diac. 3. de geſt. Long. 8.
b Greg. 6. ep. 23.
DE CLAVI S. PETRI GRANDE MIRACVLVM.
c Fortun. li. 3 carm.
d Greg. 7. ep. 23.

III.

Hoc eodem anno Childeberti Francorum Regis ſeptimo, Chilpericus Rex ad Iudæorum conuerſionem addicens animum, complures eorum ad fidem conuerſos baptiſmo ſuſcepit; ſed dum alios adigere vellet, multarum cædium occaſionem præbuit, quæ pluribus recenſet Gregorius [e] Turonenſis.

e Greg. Tur. 6. hiſt. Fran. 17.

MAVRITII AN. 4.

IESV CHRISTI ANN. 586.

PELAG. II. AN. 9.

I.

ANno Chriſti quingenteſimo octogeſimo ſexto Indictionis quartæ, quo Mauritij Imperatoris annus tertius finitur & quartus inchoatur menſe Auguſti, traditur apud Theophanem [a] & Cedrenum [b], Philippicum Orientis Præfectum Ducemque exercitus, cui Mauritius ſororem ſuam Gordiam in matrimonium collocauerat, admirabilem conſecutum eſſe victoriam aduerſus Perſas ope ſancti ſimæ Imaginis Saluatoris ἀχειροποιήτου, id eſt, Non manu-factæ, quam ad Abgarum Edeſſæ Regem a Chriſto miſſam prodidere veteres; de qua eiuſque miraculis ſæpe dictum eſt ſuperius. Cum & alioqui tanta hæc videri potuiſſet Deus præſtitiſſe Chriſtiano eidemque Catholico exercitui, ad confutandum vanum magorum vaticinium, quo Regi Perſarum victoriam de Romanis polliciti erant; vt ijdem auctores referunt. De Philippici vero ſtrenuiſſimi Ducis rebus aduerſus Imperij Romani hoſtes præclare geſtis, agit etiam Euagrius [c].

a Theoph. li. 17.
b Cedr. in Annal.
INSIGNIS VICTORIA VIRTVTE IMAG. SALVAT.
c Euagr. li. 6. c. 3. 12. 13.

II. PELAG. PP. COMMOVET EXARCHVM ADVERSVS SCHISMATICOS.

Hoc eodem tempore, cum præparatum Gregorij S.R.E. diaconi induſtria aduerſus ſchiſmaticos Trium Capitulorum defenſores pharmacum, de quo dictum eſt ante ſuperiorem annum, Pelagius Papa minime profuiſſe cognouiſſet; idem Pelagium Pontificem Seniorem imitatus, qui eoſdem ſchiſmaticos per Narſetem Ducem compeſcere laborauit, Smaragdum Italiæ Exarchum aduerſus illos excitauit: qui quidem impigre ei obſecutus; Rauenna Gradum properans, Seuerum Aquileienſem Epiſcopum ſchiſmaticorum caput vna cum tribus alijs Iſtriæ Epiſcopis Rauennam deduxit, ac vi compulit communicare cum Ioanne illius ciuitatis Epiſcopo Trium Capitulorum damnatore; ſicque poſt annum ad Eccleſias ſuas redire permiſit: ſed mox ijdem cum iam à reliquis Epiſcopis Iſtriæ ſchiſmaticis, aut à populo minime reciperentur, in priſtinum ſchiſma relapſi ſunt. Habet iſta pluribus Paulus [d] diaconus. Quem tamen hic lector attendat grauiſſime in errorem lapſum (quod & ſuperius attigimus) alijs quoque recentioribus [e] errandi occaſionem fuiſſe, dum hiſtoriæ de Tribus Capitulis penitus ignarus, putauit damnatores Trium Capitulorum fuiſſe ſchiſmaticos. Ex quo factum eſt vt in deuium ſemel immiſſo pede, ijdem implicati teneantur alijs multis erroribus: veluti cum dicunt Ioannem Rauennatem Epiſcopum à communione Eccleſiæ Romanæ defeciſſe, & Smaragdum Exarchum Catholicos Epiſcopos perſecutum eſſe, atque alia eiuſmodi veritati penitus repugnantia; Catholicos vocantes ſchiſmaticos, ſchiſmaticos autem inter Catholicos numerantes: cum tamen præter ea quæ ſuperius à nobis dicta ſunt, conſtet ex epiſtola quam Gregorius [f] Papa ad eundem Iohannem Rauennatem poſtea ſcripſit, ipſum Ioannem ſtrenue laboraſſe aduerſus eoſdem ſchiſmaticos in Italia agentes. Eſt vero etiam libellus [g] eorumdem Epiſcoporum ſchiſmaticorum Iſtriæ & Venetiarum oblatus Mauritio Imperatori aduerſus Gregorium Papam, quo hæc omnia de Smaragdo & Seuero, deque huius prædeceſſore Elia, alijſque rebus eo ſpectantibus, dilucidius explicantur.

d Paul. diac. lib. 3. c. 12.
e Sigon. de reg. Ital. lib. 3. Hier. Rub. lib. 4. hiſt. Rauen.
ERROR PAVLI DIAC. IN HIST. DE TRIB. CAP.
f Greg. 2. ep. 32.
g Rec. Bar. Annal. To. VIII. ann. 590.

MAVRITII AN. 5.

IESV CHRISTI AN. 587.

PELAG. II. AN. 10.

I. CONC. CONSTANTIN. IN CAVSA GREG. ANTIOCH.

ANno Chriſti quingenteſimo octogeſimo ſeptimo Indictionis quintæ, à Ioanne Epiſcopo Conſtantinopolitano celebratum eſt CONCILIVM in cauſa Gregorij Epiſcopi Antiocheni: qui factione Aſterij Orientis Præfecti accuſatus ab Antiochenis de multis criminibus, ad Imperatorem & Concilium prouocans, Conſtantinopolim venerat: ſed Synodi atque Senatus ſententia abſolutus, liber ad ciuitatem ſuam reuerſus eſt. Hæc pluribus Euagrius [a], qui tunc affuit, eidemque Gregorio adſtitit. Ea vero hoc anno geſta eſſe, conſtat ex S. Gregorio [b] Papa, dum ſcribens de eadem Synodo ad Eulogium Alexandrinum & Ioannem Conſtantinopolitanum Indictione decimatertia, numerat à tempore eius celebrationis annos octo. Idem autem ijſdem, alijſque ad Euſebium [c] Epiſcopum Theſſalonicenſem datis literis, ſcribit Ioannem quidem hanc de cauſa Gregorij Antiocheni prætexuiſſe occaſionem cogendæ Synodi; re vera autem vt homo inaniter ſuperbus nomen ſibi *Patriarchæ Oecumenici* arrogaret; idque ex animi ſententia in eadem Synodo perfeciſſe: ſed ea cum Pelagius Romanus Pontifex accepiſſet, cuncta Synodi geſta, præter ſententiam pro Gregorio latam, datis ad eundem Ioannem literis diſſoluiſſe; ſuumque apud Imperatorem Conſtantinopoli agentem Apocriſarium, ne eidem Ioanni in ſacris comunicaret prohibuiſſe. Hæc Gregorius: extantque [d] ipſæ quarum meminit Pelagij literæ eade re tunc ad omnes Epiſcopos (vt habet inſcriptio) qui illicita vocatione Ioannis ad Synodum Conſtantinopolim conuenerant, datæ Calendis Martij huius Indictionis quintæ.

a Euagr. lib. 6. c. 7. b Greg. 4. ep. 36. 38. c Id. 7. ep. 70.

ARROGANTIA IOAN. EPISC. CONST.

d To. 1. ep. Rom. Pont. in Pelag.

II. CONFVTATVR NOVATOR DE NOMINE VNIVERSALIS.

Sed quod in eis dicit, neminem Patriarcharum vti debere nomine VNIVERSALIS, inde *Molinæus* è Iuris profeſſore factus vno momento Theologus, mox infert primatum eſſe in Eccleſia non debere, ac proinde contra Pelagij aſſertam ſententiam Romanos Epiſcopos ſibi eum ſuper omnes Eccleſias vendicare. Sed ignoſcendum miſello, nonniſi ex illatis in Gratiani [e] arcam fragmentis ſtipem mendicanti. Si enim ipſam Pelagij integram epiſtolam perlegiſſet, erubuiſſet certe talia proferre: in qua videlicet tot robuſtis ſententijs elucet primatus Romani Pontificis; dum inter alia aſſeritur, Priuilegia à Chriſto in Petrum collata, eadem in Petri ſucceſſorum Romanorum Pontificum redundare præſtantiam: Ius Generalis Synodi conuocandæ, firmandæque, vnius eſſe tantummodo Romani Pontificis: Romanam Eccleſiam à Domino eſſe inſtitutam caput omnium Eccleſiarum: Ipſos prædeceſſores Ioannis Epiſcopos Conſtantinopolitanos ſæpiſſime profeſſos eorumdem Romanorum Pontificum primatum; ac reliquos omnes Orientales Patriarchas in ambiguis expectare conſueuiſſe Apoſtolicæ ſedis ſententiam; & ad eamdem ex vniuerſo Orbe maiores atq; difficiliores cauſas deferri ſolitas, dum item in ipſum Ioannem, alioſque ei adhærentes fulmen excommunicationis interminatur, ſi quid eiuſmodi inconceſſum præſumerent. Cum igitur tot firmiſſimis rationibus Pelagius ſit aſſertor Primatus Romanorum Pontificum, quis ingenio adeo obtuſus nõ videat, ipſum, dum ait nullum Patriarcham dici debere Vniuerſalem, ad illos Orientales ad quos ſcribit habuiſſe reſpectum? Quæ vero idem Leguleius in ipſum quoque Sanct. Gregorium effutijt, cum res Gregorij proſequemur in eumdem pariter retorquebimus. Denique quod eadem ſua Epiſtola tradat Pelagius, numquam antea aliquem Conſtantinopolitanorum Antiſtitum permiſſum eſſe vti nomine *Oecumenici*, ſed omnes ipſorum conatus retuſos fuiſſe, penituſque repreſſos à Romanæ Eccleſiæ Pontificibus: vel hinc ſaltem poteſt liquido perſpici Græcorum impoſtura (quam & ſuperius attigimus) in Actis Quintæ Synodi, dum in eis paſſim Conſtantinopolitanus Epiſcopus *Oecumenicus* appellatur.

e cap. nullus Patriarch. diſt. 99.

DE PRIMATV ROM. ECCL.

III. DIVINA VLTIO IN POPVLVM REBELLEM EPISCOPO.

Sed vt ad Gregorium Antiochenum redeamus, quam ſeuere vltus ſit Deus Antiochenos, qui adeo dire perſecuti ſunt illum, deſcribit Euagrius [f]: relictumque plane fuit poſteris exemplum poſt multa alia quæ videri poterant exoleuiſſe, magno periculo à luporum parte ſtare oues aduerſus paſtores ſuos. Siquidem poſt reditum Gregorij Antiochiam, cum ipſe Aſterius eius perſecutor pridie Calend. Octob. virginem vxorem duceret, & tota propterea ciuitas feſtum celebraret, ſubitaneo ingenti terræmotu concuſſâ ciuitate, quamplurima tam priuata quam publica, & tam ſacra quam profana ædificia proſtrata ſunt, quorum ruinis ſexaginta hominum millia periere, interque eos ipſe Aſterius: Epiſcopus autem præter omnium expectationem incolumis euaſit, licet domicilium in quo habitabat ruinam paſſum fuerit.

f Euag. lib. 6. c. 8. 9.

IV. CONCIL. LVGDVN. II. PRO DISCIPL. ECCL.

Quod ad res pertinet Occidentales, hoc eodem anno, qui ab obitu Clotarij Francorum Regis numeratur Gunthcramni eius filij regni vigeſimus ſecundus, celebrata eſt menſe Maij Secunda SYNODVS LVGDVNENSIS, cuius extant ſex canones, quibus antiquas regulas Eccleſiaſticas innouantes, hoc de leproſis Patres addiderunt, vt in vnaquaque ciuitate, ipſis ab Epiſcopis ſufficientia alimenta darentur, nec permitterentur alio vagari. Quod & eadem ratione in Synodo Turonenſi [g] ſecunda de omnibus pauperibus ſtatutum fuerat: nimirum vt in vnaquaque ciuitate tam vicini presbyteri quam ciues omnes ſecundum vires ſuos pauperes alerent. Subſcripſerunt vero huic Lugdunenſi Epiſcopi octo, & per vicarios duodecim.

g Concil. Turon. II. c. 5.

DE PAVPERIB. ALENDIS.

V.

Hocque item anno, qui nonus numeratur Childeberti pariter Francorum Regis, miſſâ à Lewigildo Gothorũ in Hiſpania Rege ad Chilpericum itidem Francorum Regem legatione, filiam eius in coniugem filio ſuo Reccaredo petijt, quæ & tandem inuitiſſima in Hiſpaniam ducta eſt. Teſtatur hæc quidem Gregorius [h] Turonenſis: cuius etiam aſſertione conſtat; poſt annos quinque, nempe decimoquarto Childeberti, eumdem Reccaredum mortua forte illa Chilperici filia (cuius nomen haud Gregorius prodidit) iterum vxorem duxiſſe Clodoſuindam [i] filiam Brunichildis & ſororem ipſius Childeberti.

h Greg. Tur. 6. hiſt. Fran. 34. & 45. i Id. lib. 9. c. 16. & 28.

VI.

Hoc etiam tempore cum filius paruulus Chilperici moreretur, Fredegundis Regina exiſtimans à maleficis id factum eſſe, deijſdem diriſſimâ exercuit quæſtionem, quam pluribus deſcripſit Gregorius [k]. Quo item anno Rex ipſe Chilpericus [l] fraude eiuſdem peſſimæ Fredegundis vxoris ſuæ, adulterantis cum Landerico Maiore domus, cum à venatione iam ſubobſcura nocte rediens ab equo deſiliret, gladij ictibus confoſſus eſt. Vocat illum idem Gregorius *Neronem huius temporis*, *atque Herodem*, multaq; habet de eius ſceleribus, ac potiſſimum de odio aduerſus ſacerdotes & eccleſias, direptionibuſque bonorum quæ illis teſtamẽto relinquerentur à Fidelibus: itemque de ipſius libidinibus, necnon crudelitate qua delectabatur maxime in eruendis ſontibus oculis: ac demum recenſet viſionem de eiuſdem ad inferos damnatione oſtenſam Regi Guntheramno ipſius fratri, ſed moribus diſſimillimo. Reliquit vero idem Chilpericus filiolum infantem nondum baptizatum, qui dictus eſt *Clotarius*, de quo ſæpe inferius.

k Id. lib. 6. c. 35. l Id. lib. 6. c. 46. Ado in Chron. & alij.

CHILPER. REX OCCIDITVR ARTE FREDEG. CONIVGIS.

CHILPERICI DAMNATIO AD INFEROS.

VII. CONCIL. ARVERN.

Hoc eodem tempore facta eſt SYNODVS Aruerni, pro ſedandis turbis obortis inter Epiſcopos Rutenorum & Cadurcenſium occaſione diœceſis vſurpatæ. Contigitq; martyrium *S. Lupentij*, Abbatis S. Priuati martyris vrbis Gabalitanæ, qui necatus eſt ab Innocentio eiuſdem vrbis Comite: cuius caput in flumen deiectum, mirabiliter per aquilam è fundo fluminis extractum, ripæ depoſitum eſt, & vna cum corpore ſepultum, ad cuius ſepulchrum multa facta ſunt ſanitatum miracula. Narrat hæc omnia pluribus idem Gregorius [m].

S. LVPENTII MARTYRIVM.

m Id. lib. 6. c. 37. 38.

MAVRITII AN. 6

IESV CHRISTI ANN. 588.

PELAG. II. AN. 11.

I.
n Id. lib. 8. c. 28.
HERMINIGILDI REGIS MARTYRIVM.

ANno Chriſti quingenteſimo octogeſimo octauo Indictionis ſextæ, Childeberti Francorum Regis decimo (vt ponit Gregorius [n] Turonenſis) die decimatertia Aprilis contigit nobile martyrium *Herminigildi* Regis Catholici, de cuius ad fidem conuerſione dictum eſt ſuperius. Qui cum aduerſus Leuigildi patris exercitum pugnaturus, à Græcis quos in auxilium vocauerat pecunia à Lewigildo corruptis proditorie derelictus, in eccleſiam aufugiſſet, accepto pat is iureiurando de ſecuritate, illinc exiens, mox contra fidem datam in carcerem coniectus eſt: cumque omnino recuſaret Arianis inhærere, ipſa nocte Paſchatis Sancti iuſſu patris ſecuri perculſus glorioſum martyrium conſummauit, quod ſtatim plurima ſecuta ſunt miracula. Hæc autem plenius deſcribuntur apud Gregorios Turonenſem [o] & Romanum [p], necnon Adonem [q] Viennenſem. De coniuge vero Herminigildi Iugunde, quæ ipſi auctrix conuerſionis fuerat, idem Turonenſis aſſerit, eam ereptam à Græcis vt cum filio paruulo perducerent ad Imperatorem, in Africa defunctam eſſe.

o Id. 5. hiſt. 38. & lib. 6. c. 43. & lib. 8. cap. 28.
p Greg. Pap. 3. dial. 31.
q Ado in Chron.

II.
PERSECVTIO IN HISP. ADVERSVS CATHOL.

Porro Lewigildus, quamuis (vt ijdem auctores tradunt) viſus ſit pœnituiſſe necis filio illatæ, tantum tamen abfuit vt perfidiam Arianam deſeruerit, vt contra iracundia ex dolore concepta exæſtuans, aduerſus Catholicos acerbiorem perſecutionem excitauerit, relegans Epiſcopos in diuerſa loca, eccleſiaſq; bonis ſpolians. Quo tempore exulaſſe conſtat S. Leandrum, atq; Fulgentium, fratres Epiſcopos, alioſque quorum ex parte meminit Iſidorus [r] dum eorum ſcripta recenſet. Immo & Sueuos in Hiſpania commorantes, qui vna cum ipſorum Rege ante aliquot annos (vt vidimus) ad Catholicam fidem conuerſi fuerat, idem Lewigildus eam deſerere coegit, cum vt refert [s] idem auctor, tonſurato eorum tyranno Audica, qui Eburicum Ariamiri filium ac in regno ſucceſſorē in monaſterium incluſerat) deletum ipſum Sueuorum regnum in Gothos tranſtulit. Verum Sueuos denuo ad fidem reuocatos eſſe per Reccaredum Lewigildi ſucceſſorem, & ipſum Catholicum factum, habent Acta Concilij Toletani Tertij. Nec vero Herminigildi tantum ſanguine illuſtrata eſt hoc tempore Hiſpaniarum Eccleſia, ſed & *Vincentij* Abbatis: qui cernens maximam irrogatam eſſe iniuriam Catholico nomini per Vincentium Cæſarauguſtanum Epiſcopum apoſtatam, è ſolitudine proſiliēs aduerſus Arianam blaſphemiam pugnaturus, cum id ſtrenue vbiq; præſtaret, tandem poſt verbera & carcerem ab Arianis ante fores monaſterij crudeliſſime peremptus eſt Legione vndecima menſis Septembris, qua die ab Eccleſia Catholica anniuerſaria eius memoria celebratur.

r Iſid. de Script. Eccl. c. 28. & 31.
s Id. in Chr. Goth.

VINCENTII ABB. MARTYRIVM.

III.
t To. 2. Conc.
CONCIL. MATISCO. II. PRO OECONOMIA ECCL.

Hoc item anno vigeſimo quarto inchoante Guntheramni Francorum Regis, vndecimo Calend. Nouembr. eiuſdem iuſſu celebrata [t] eſt *Matiſcone* SYNODVS Secunda dicta, eademq; Generalis appellata, quod ex omnib. prouincijs eidē Regi ſubiectis collecta ſit, cui pfuit S. *Priſcus* Lugdunenſis Epiſcopus, idemq; appellatus *Patriarcha* (de qua voce dictum eſt ſuperius) ſubſcripſeruntq; Epiſcopi omnes numero ſexaginta duo, præter eos qui per legatos interfuerunt, quorum plurimi in numerum Sanctorum poſt mortem relati fuere. Ab ijs autem ſtatuti ſunt viginti canones ad œconomiam Eccleſiaſticam eius temporis maxime vtiles: ac præcipue de veneratione quæ à ſæcularibus præſtanda eſſet Clericis, & ne clericorum iudicia agitarentur per ſæculi magiſtratus: (quod quidem non recens inſtitutum, ſed ab ipſo Chriſtianitatis naſcentis exordio ſeruatum eſſe Patres aſſeruerunt) itemque aduerſus Epiſcopos venatores, & ne quis ad eccleſiam confugientes extrahere auderet. Ad quod vltimum iterum ſanciendum Patres inducti fuiſſe videtur, ex ijs quæ hoc ipſo anno, cum de nece Chilperici Regis quæſtio haberetur, Turonis in eccleſia S. Martini, & Agenni in baſilica S. Vincentij martyris fieri illicita contigiſſent in quorum vltionem plura facta ſunt miracula, quæ narrat Gregor. [u]. Ad poſtremum in eadem Synodo illud à Patribus additū fuit, vt quolibet triennio generale Concilium ageretur, quod indici deberet ab Archiepiſcopo Lugdunenſi. Poſt peractam vero Synodum, Rex Guntheramnus ſanctionem [x] edidit memoria digniſſimam, ad Epiſcopos atque Iudices ſcriptam hoc eodem anno quarto Idus Nouemb. quà (vt decebat Chriſtianiſſimum Principem) eoſdem hortatus eſt epiſcopos, Verbi inprimis prædicationi inuigilare, & ne munus epiſcopale per Vicarios, ſed per ſeipſos explerent: Iudices autem admonuit, vt attenderent correctioni morum, & noxiorum punitioni.

DIVINA VLTIO IN SACRILEGOS.
u Greg. Tur. 7. hiſt. 21. 29.
x Ext. To. 2. Concil. poſt Acta Conc. Matiſcon. II.
PIVM GVNTHERAM. REG. EDICTVM.

IV.
INCENDIVM PARIS.

Hoc item anno, qui decimus numeratur Childeberti, maxima pars ciuitatis Pariſienſis (exceptis eccleſiis) igne conflagrauit, cum eiuſmodi incendium aliquot ante diebus mulier quædam ex viſione habita fruſtra ciuibus prædixiſſet. Acciderunt autem eo tempore plura admiranda virtute S S. Martini & Germani, quæ Gregorius [y] narrat. Addit [z] vero poſt hæc eodem hoc anno natum filium Childeberto Regi à Magnetico Treuerenſi epiſcopo baptizatum appellatum eſſe *Theodobertum*, de quo ſæpe dicendum inferius.

y Greg. lib. 8. c. 33.
z Ibid. c. 37.

V.
GREG. ANTIOCH. QVA ARTE CONCILIAVERIT EXERCITVM REBELLEM.

Quod ad res pertinet Orientis, hoc eodem anno Romanum exercitum contra Perſas mi itantem, qui ducibus ſuis in ordinem redactis, & alijs ad libitum electis, diſceſſionem fecerat, vix tandem Gregorius Antiochenus epiſcopus, de quo dictum eſt anno ſuperiori, oratione ad eum genibus flexis cum multis lacrymis habita (vſus videlicet præcipuis ad perſuadendum ex Chriſtiana rhetorica petitis locis) obſequentē reddidit Philippico Orientis Præfecto. Narrat hæc pluribus Euagrius [a], ſimul & bellicos horum temporum aduerſus Perſas progreſſus deſcribens.

a Euagr. lib. 6. c. 4. 5. 10. 11. &c.

MAVRITII AN. 7.

IESV CHRISTI AN. 589.

PELAG. II. AN. 12.

I.
CONCIL. VALENT.

ANno Domini quingenteſimo octogeſimo nono Indictionis ſeptimæ Guntheramni Francorum Regis vigeſimo quarto nondum abſoluto, decimo Calend. Iulij celebrata eſt SYNODVS VALENTINA in Gallia Narbonenſi ſeptemdecim epiſcoporum, in qua pauperum cauſæ ſunt cognitæ, ſed & donationes factæ diuerſis eccleſijs ab eodem Rege, ſiue Regina, atque filiabus eius Deo ſacratis virginibus, auctoritate Apoſtolica confirmatæ, ac eorumdem Antiſtitum ſubſcriptionibus munitæ. Emendandum vero eſt quod in titulo dicti Concilij appoſita eſt Indictio ſecunda: ſiquidem Guntheramni annus vigeſimus quartus incidiſſe noſcitur in Indictionem ſeptimam. Quo eodem anno [a] infeliciter eidem Regi ceſſit bellū, quod ipſe audita morte Herminigildi, neptiſque ſuæ Ingundis, parauerat aduerſus Gothos, qui hactenus in Galliæ Narbonenſis ea parte quæ *Septimania* dicebatur, ſedes ſemel fixas tenebant, Traditque Biclarenſis, Claudium Luſitaniæ Ducem obuiam factum Francis, vix cum trecentis viris ſexaginta millia fere Francorum in fugam vertiſſe, & maximam eorum partem gladio trucidaſſe. Quam tantam cladem idem Guntheramnus apud Gregorium [b], ob militum perpetrata ſacrilegia contigiſſe, egregie philoſophatus eſt.

a Greg. Tur. 8. hiſt. 28 & ſeqq. Iſid. in Chro. Goth.
FRANCI VICTI A GOTHIS.
b Ibid. c. 30.

II.
PRÆTEXTATI EPI. ROTHOM. MARTYRIVM.

Eodem inſuper anno peremptus eſt in Gallia *Prætextatus* Epiſcopus Rothomagenſis, quem inter martyres ſcriptum coluit ſemper Eccleſia Catholica. Is enim diu multumque odio impiæ Fredegundis Reginæ exilijs afflictatus, nihil remittens ſacerdotalis conſtantiæ in redarguendis perperam factis Principum, potiſſimum vero ipſius Fredegundis, quam alteram Iezabelem his temporibus Gallia paſſa eſt, tandem immiſſo ab eadem ſicario, intra ipſam eccleſiam Rothomagenſem ad altare preces agens, gladio percuſſus ſpiritum Deo reddidit. Hæc

pluri-

c Ibid. c. 31. & 41.

pluribus Gregorius [c]: qui addit inſuper de necato ab eadem Regina, ſeniore quodam eiuſdem Eccleſiæ Rothomagenſis, cum ipſe necem ſanctiſſimi Antiſtitis exprobraſſet.

III. INGENS TIBERIS INVNDATIO.
d Greg. Pap. 3. dial. 19.
PESTIS EX SERPENTVM CORRVPTIONE.
e Greg. Tur. l. 10. hiſt. c. 1.
f Paul. diac. l. 3. de geſt. Long. c. 1.
g Ioan. diac. in Vit. S. Greg. l. 1. c. 34. 36.

Romæ quoq; extrema huius anni funeſta admodum extitere, Tiberis inprimis adeo portentoſa alluuione, vt ſuper muros Vrbis (quod teſtatur S. Gregorius [d]) influeret, & cuncta vaſtante inde ſecuta peſte, progenerata ipſa ex multitudine ſerpentum, vna cum ingenti dracone magnitudinem grandis trabis referente, per illius inundationis alueum in mare deſcendentium, qui aquis ſuffocati in littus eiecti ſunt, & aerem corruperunt. Quod cum plures tam antiquiores quam recentiores ſcriptum habeant, id præ alijs recenſuere Gregorius [e] Epiſcopus Turonenſis, & Paulus [f] ac Ioannes [g] diaconi. Corrigendus tamen Gregorij textus, vbi deprauate id accidiſſe traditur ad annum Childeberti Francorum Regis decimum quartũ, cum hic præſens annus ab eodem numeretur dumtaxat eiuſdem vndecimus. Cum enim hanc alluuionem accidiſſe conſtet menſe Nouembri Indictionis octauæ, quæ hoc anno incipit menſe Septembri, nihil eſt vt ad alium eam annum referamus, præſertim cum extra dubium ſit eamdem accidiſſe anno ante creationẽ S. Gregorij Papæ, quæ facta eſt anno ſequenti. Deniq; dum idem Papa Gregorius ſcribens Dialogorum libros anno tertio euoluto ſui Pontificatus, id ante fere quinquennium contigiſſe teſtatur [h], æque ad præſentem annum referre cognoſcitur.

h Greg. Pap. 3. dial. 19.
DE SERPENTE DRACONE.
i Plin. l. 8. c. 14.

Quod autem ad immenſum illum Draconem ſpectat, quem vndis merſum & fluento delatum ad mare ſupradicti auctores tradunt, certum eſt minime eſſe potuiſſe id genus ſerpentum, quos *dracones*, naturalium rerum ſcriptores appellant, ſed vulgo ita appellatas monſtruoſas illas reptantes beſtias, quæ magnitudine ſua reliquos ſerpentes excedũt. Eas Plinius [i] *boas* nominat, quas & aliquãdo viſas in regionibus prope Tiberim poſitis tradit.

IV. INSIGNE MIRACVLVM VERONÆ EDITVM.
k Greg. d. c. 19.
l Greg. Tur. 10. hiſt. 1.

Porro quod contingere ſolet, vt iſtiuſmodi inundationes fluminum in alijs quoq; circum prouincijs ſint communes, hoc item anno Athеſis fluuius Veronæ exundauit: quando mirandũ illud accidit, vt excreſcentia ad Sancti Zenonis martyris atq; Pontificis eccleſiam veniens, licet ianuæ eſſent apertæ, aqua in eam minime intrarit, quæ tamen vſq; ad tectum peruenit. Et quod mirabilius viſum eſt, cum à ſubita inundatione multi intus incluſi reperirentur, ijdem per eamdem portam apertam ad bibendum hauriebant aquam, nec tamen ea intra eccleſiam vllo modo diffluebat. Narrat hæc Gregorius [k] Papa. Peſtem autem cum ſubſecutam tradat, alter Gregorius [l] menſe Ianuario, dicetur de ea anno ſequenti.

MAVRITII AN. 8.

IESV CHRISTI ANN. 590.

GREGORII AN. 1.

I.
a Greg. Tur. 10. hi. Fr. 1.
b Greg. Pap. 4. dial. 36.
PELAG. PP. PESTE MORITVR.
c Bed. de geſt. Angl. l. 1. c. 23.
d Greg. l. 2. epiſt. in pr.

ANno Domini quingenteſimo nonageſimo Indictionis octauæ, poſt immenſam illam Tiberis inundationem & ſerpentium putredinem, ipſo medio mẽſe Ianuario, vt auctor eſt Gregorius [a] Turonenſis, lues Inguinaria Vrbem Romam inuaſit, immiſſa (vt ſigna docuerunt) ex ira diuina: ſiquidem teſtatur Gregorius [b] Papa, viſas eſſe ſagittas cœlitus delapſas in homines, quos mox peſtis improuiſa percuteret. Ea vero primum omnium S. *Pelagium* Papam percuſſum eſſe, ſcribit Turonenſis: quem tamen defunctum tantummodo eſſe ſexto Idus Februarij, Anaſtaſius ponit, ſepultumque in baſilica S. Petri: idque poſtquam ſediſſet annos duodecim menſes duos & dies viginti ſeptem. Manifeſti enim erroris arguuntur, qui alium deprauatum Anaſtaſij textum ſecuti, tribuunt eidem annos dumtaxat decem menſes duos & dies decem: ſicut & illi qui ad alia tempora eius obitum referunt, ac præcipue Beda [c], dum creationem Gregorij collocat ſub anno decimo Mauritij Auguſti, quam hoc anno ſeptimo eiuſdem Imperatoris nondum expleto contigiſſe, certum redditur vel ipſius teſtificatione Gregorij [d], dum ſui Pontificatus anno ſecundo ſeptimum numerat Conſulatus Mauritij, quem geſſiſſe vidimus anno Imperij ſecundo.

II. CONCIL. ROM. SVB PELAG.

Porro inter alias res geſtas ipſius Pelagij, eſt mentio de CONCILIO ROMANO ab eo habito ad res Eccleſiaſticas ſtabiliendas. Id enim ipſemet teſtatur in Epiſtola quam ſcripſit ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ, vbi agit de nouem Præfationibus Eccleſiæ Romanæ, quas eis Pelagius tenendas præcepit. Ceſſauit autem eiuſdem Epiſcopatus (vt Anaſtaſius tradit) menſes ſex & dies viginti quinque, nempe computandos vſque ad conſecrationem ſucceſſoris. Alioqui enim ſtatim poſt Pelagij deceſſum oculis omnium in *Gregorium* conuerſis, vtpote qui ceteris omnibus vitæ ſanctitudine, claritudine generis, ſcientia atque vſu rerum præſtaret, idem totius Cleri conſenſu Summus Pontifex electus eſt.

GREG. PP. ELIGITVR.

III. TYRANNICA VSVRPATIO IMPP. IN ROM. ECCLES.
e Id. in 4. Pſal. pœnit.

Non tamen confeſtim in Petri cathedra ſedere licuit. Etenim quod ſub Arianis Gothorum Regibus præſumptum vidimus, vt electus Pontifex nonniſi perſoluta pecunia confirmatus à Principe ſedere deberet, vindicata poſtea Vrbe cum vniuerſa Italia à Gothorum dominatione per Iuſtinianum Imperatorem; non minori ille tyrannide idem ius confirmandi Pontificem, & pro confirmatione pecuniam exigendi ſibi retinuit. Quod pluribus deplorat ipſe S. Gregorius [e], inter diros Eccleſiæ perſecutores adnumerans Imperatorem talia præſumentem, atque Regis nomine indignum cenſens. Ideoq; & ipſe electionem ſuam irritam reddere laborauit: & qui clero ipſum eligenti, aut populo poſtulanti non poſſet obſiſtere, ad vnicum illud remedium confugit, vt Mauritium Imperatorem (ad quem de electione facta mittebatur à Clero Populoque Romano decretum) literis ſuis dehortaretur à ſui confirmatione.

GREG. CONFIRMATVR A MAVRITIO IMP.
f Greg. Tur. 10. hiſt. 1.
g Ioan. diac. Vit. S. Greg. l. 1. c. 39. 40.

Quæ præſentiens Germanus tunc Præfectus Vrbis, occurrens malo, neſciente Gregorio, eius ad Imperatorem datas literas intercepit, ipſe vero ſuas miſit, quibus eum moneret nihil his perditiſſimis temporibus opportunius cõtingere poſſe, quã vt Gregorij, talis tantiq; viri electio confirmaretur: quod & perfacile fuit Imperatori ſuadere, qui Gregorio Conſtantinopoli olim fuiſſet familiariſſime vſus, vſq; eo vt & compatrem delegiſſet, cum genitum à ſe filium ab eo in baptiſmo ſuſcipi voluit. Narrant hæc omnia Gregorius [f] Turonenſis, & Ioannes [g] diaconus. Quomodo vero ſe habere ſoleret adminiſtratio Romanæ Eccleſiæ, dum qui electus eſſet vetabatur ea quæ ſunt Põtificis munia exercere, donec accedente Imperatoris conſenſu Pontificio initiari daretur, dicetur opportunius infra cum agetur de electione Ioannis Quarti.

IV. LITANIA SEPTIFORMIS TEMPORE PESTIS.
h ep. Greg. 11. ep. 2.

Inter hæc tamen neceſſitate graſſantis Romæ luis, ita eo ſe Gregorius pro Pontifice geſſit, vt ſub finem menſis Auguſti Litanias generales atque proceſſiones publicas tam Cleri quam populi omnis ordinis ac ſexus ad luem auertendam indiceret. Cuiuſmodi *Litaniæ, Septiformis* dictæ, ordo ſic deſcribitur in fine ſermonis [h] quem tunc Gregorius ad populum habuit (qui tamen male relatus eſt in ipſius epiſtolarum librum vndecimum ſub Indictione ſexta), vt per varias diuerſarum perſonarum claſſes ſigillatim ex diuerſis aſſignatis eccleſijs exeuntes procederent ſeorſum Clerici, Viri laici, Monachi, Ancillæ Dei, Feminæ coniugatæ, Viduæ, Pauperes & Infantes. Qui tamen ordo paulo diuerſus reperitur apud Gregorium Turonenſem, dum de his agit ex relatione diaconi ſui, quod cum diuerſis diebus Litaniæ celebrarentur, indeq; diuerſæ affigerentur in eccleſia inſcriptiones, ſingulæ diebus ſingulis, ex alia ipſarum diaconus Gregorij deſcripſerit, & ex alia alius retulerit inter epiſtolas. Cum autem primis Litanijs proceſſum eſſet ad eccleſiã S. Mariæ ad Præſepe, quæ & Maior dicitur, tradunt veteres Rituales libri, vltimis proceſſum eſſe ad baſilicam S. Petri: ſed & ab eodem Gregorio Sanctã Imaginem Deiparæ Virginis (quæ hactenus extat in eadem baſilica S. Mariæ) magna veneratione delatam, Ordo Romanus, quem Vaticana Bibliotheca cuſtodit, affirmat. Quo tempore mirandũ illud accidiſſe tradunt, vt cũ perueniſſet procedendo Gregorius

ANGELVS SVPER MOLEM HADRIANI VISVS.

ad molem Hadriani Tiberi adiacentem, in ſignum reconciliati numinis, viſus fuerit Angelus ſuper ipſam molem nudatum gladium in vaginam recondere, eoque ſymbolo morbum ceſſaſſe ſignificare voluiſſe, quemadmodum (vt vidimus) per ſagittas cœlitus lapſas idem fuerat diuinitus præmonſtratus. Tuncq; licet non ſic penitus lues ceſſarit vt omnino extincta fuerit, maxima tamen ex parte vis eius repreſſa eſt. Cuius rei gratia in Litanijs illis, quæ vſu antiquo annua celebritate in eccleſia recurrũt pro omnibus auertendis malis, idem Gregor. preces indixit[i] cũ gratiarũ actione ꝓ tanto accepto diuinitus beneficio.

i Greg. in Regiſt. in pr. Indict. 10.

V. Sed & idem Pontif. in ſuis Dialogis[k] multas recẽſet hiſtorias, plurimis mixtas miraculis atq; viſionibus, quibus hoc eodẽ anno quo peſtis Romæ graſſabatur, varie oſtẽſum eſt quomodo ſe habeant animæ hominũ tum in ipſo tranſitu tũ poſt obitũ, ſecundũ bona aut mala q̃ in vita geſſerunt opera, ſimulq; detectũ eſt q̃ ſalubre ſit defunctis ꝙ hic ꝓ eis offertur ſacrificiũ incruentũ, ac quo pacto ſoleãt ꝓxime morituri futura prædicere. De quib. ẽt morientiũ diuinationib. agit alibi Cicero[l], earũque tres affert rationes, duas vero Gregorius, nimirũ, ſiue accidere per reuelationẽ, ſiue ꝙ è materia emergere iam animæ inchoãtes, prælibare q̃dam poſſint de ijs q̃ vinculis ſolutæ carnis intelligunt. Sed nec de iſta agẽtes peſte poſſumus non confutare errorẽ, qui nulla veterũ teſtificatione vulgo iactatur, ex hoc tempore ſcil. cum peſtis ingrueret, & homines morbo tacti ſternutãdo mortui caderent, pie introductũ eſſe vt ſternutantẽ quemlibet ſalutemus. Inoleuiſſe enim eiuſmodi vſum apud Gentiles lõge ante, & vt eiuſmodi ſalutationẽ impertiendo deos inuocarent, Plin.[m] teſtatur.

k Id. 4. dial. 26. 36. 37. 47. 53.

PLVRIMÆ VISIONES DIVINITVS OSTENSÆ.

l Cic. de diui. lib. 1.

SALVTANDI VSVS IN STERNVTAMENTO.

m Plin. l. 28. hiſt. 2. post.

VI. Ceterum eodem tempore eamdem Inguinariã peſtem inuaſiſſe pariter Hiſpaniã, indeq; in Galliã deuectam eſſe, Gregor.[n] Turon. affirmat: traditq; Guntheramnũ Franc. Regem pietate inſignẽ, ad eam à ſuo regno auertendam, Rogationes, Vigilias, ac ieiunia populo indixiſſe, ipſumq; eleemoſynas ſolito largius pauperib. erogaſſe: quo etiam tempore gratia miraculorũ in eo cognita fuit, dum virtute fimbriæ ipſius veſtimẽti puer à febre quartana ſanatus eſt, ac per eiuſdem nominis inuocationem laruæ ſæpius fugatæ. Quib. addas ꝙ hoc eodem ann. Childeberti duodecimo (vt Greg.[o] numerat) idem Rex Guntheramnus dum in eccleſia ad altare cõmunicãdi gratia acceſſiſſet à ſicario appetitus diuina ꝓtectione cuſtoditus eſt, gladio mirabiliter de manu ſicarij decidente: ꝓ quẽ detectis ſceleris cõſcijs, ijdem pœnas debitas dederunt, ipſe vero ſicarius verberatus tantum dimiſſus eſt incolumis, digno Chriſtianiſſimi Principis exemplo, qui (vt ait Gregorius) nefas putauit eum qui ab Eccleſia eductus fuerat, vita priuare.

n Greg. Tur. 9. hi. 21. 22

GVNTHERAMNI REG. PIETAS, ET MIRACVLA.

o Id. l. 9. c. 3.

VII. Hoc item anno, die decimatertia Auguſti (inquit idem auctor[p], qui interfuit) S. Radegundis Regina Pictauis in ſuo ꝙ erexerat monaſterio ex hac vita ad cœleſtem ab Angelis ſuſcepta tranſijt. Cuius corporis tactu, dum ad tumulum ferretur, cæcus illuminatus eſt, multaque poſtea ac magna ad eius ſepulchrum edita ſunt miracula, quorũ aliqua refert Greg.[q] qui eius funus curauit. At vero res ab eadem S. Regina cum ante tum poſt mortẽ geſtæ, plenius duob. habentur[r] cõſcriptæ libris, priori Fortunati Pictauienſis Epiſcopi, poſteriori Bandoniniæ monialis ipſius Radegundis alumnæ. Extantq; inſuper eiuſdem S. literæ[s] ab ipſa in ſui monaſterij cõmendationem ac curam de eo habendã, ad epiſcopos paulo ante obitũ ſcriptæ, egregiũ pijſſimæ ac Chriſtianiſſimæ Reginæ monumentum.

p Id. lib. 9. c. 2.

S. RADEGVNDIS OBITVS.

q Id. de glor. Conf. c. 106

r ap. Sur. 13. Aug.

s ap. Greg. l. 9. c. 42.

VIII. Cum autem paucis poſt hæc diebus, Imperatoris literæ de Gregorij Romani electi Pontificis confirmatione in Vrbem delatæ fuiſſent, ipſe latibula captans, & quia palam egredi portas ciuitatis non poterat, diſſimulato habitu negotiatoribus quibuſdam ſe immiſcens, in cauernis delituit: ſed diligẽter à Romanis quæſitus, indicio colũnæ fulgidæ ſuper ipſum iugiter è cœlo depẽdentis inuentus eſt, captuſq; ad S. Petri baſilicã tractus, & in Summũ Pontificem cõſecratus. Narrat hæc Ioan. diaconus in Vita eiuſdem Põtificis, necnon Gregor.[t] Turonenſ. ex relatione cuiuſdã ſui diaconi, quẽ tunc ijs omnib. Romæ intereſſe cõtigit, cũ miſſus ab eo fuiſſet ad petẽdas ſacras Reliquias: ſed & eadẽ ex ipſius pariter Greg. Papæ ſcriptis[u] fidẽ ſibi vendicãt. Quæ igitur adeo mirandis præoſtenſa eſt ſignis ordinatio, celebrata hoc ann. 3. Nonas Septembr. eadem veluti ſacroſancta annis ſingulis in Eccleſia repetenda cõſignata tunc publice fuit in Rom. Eccleſiæ[x] tabulis; q̃ & in vniuerſo Catholico Orbe ſolemnis hactenus pſeuerat in honorem tanti Pontif. ob facta præclara MAGNI, & ꝑfectura totius eccleſiæ MAXIMI. Etſi vero pendẽda ab eo fuerit Imperatori pecunia, q̃ ab ipſius ꝓdeceſſoribus exacta eſt, haud tñ ipſe, ſicut nec illi in crimen adduci potuerũt, quippe ꝙ eis electio legitime facta cõtulerit Pontificatũ, nõ Regũ vel Imperatorũ tyrannice vſurpata confirmatio: ꝓ qua licite pecunia dari potuit, ꝙ nõ redimeretur ea Põtificatus, ſed liberatio à vexatione, cũ aliter nõ liceret munus Põtificium exequi. Nã & hoc tẽpore eo miſero ſtatu conſtitutam fuiſſe Rempubl. vt in ea magiſtratus & dignitates inolita conſuetudine publice venales haberẽtur auctione ꝓpoſita, apparet ex epiſtolis eiuſdẽ S. Greg.[y]

GREG. CONATVS NE ORDINARETVR PONTIF.

t Id. 10. hi. 1.

u Greg. Pap. præf. Paſtor. & 9. ep. 4. vet. edit. ad Cyriac. Epiſc. Conſt.

x Martyrol. Rom. 3. Sept.

DE PECVNIA DARI SOLITA PRO CONFIRMATIONE PONTIF.

y Greg. 12. ep. 17. Indict. 7.

IX. Sed cum inter hæc non ſolum peſtis reliquiæ Vrbem vexarent, ſed etiam ventorum[z] vehementia eadem conquaſſata eſſet, ac Lõgobardorum[a] incurſionibus infeſtaretur, diraq; premeretur[b] fame, ipſe Gregorius quo magis increbreſcere vidit mala, ea fortius ad ea ſuperanda animi virtute ſurgens, hoc ipſo[c] exordio Pontificatus ſui, præclariſſimum *de Paſtorali cura* commentarium elaborauit, occaſione accepta literarum Ioannis Rauennatis Epiſcopi, quibus ab eo redargutus fuerat, quod paſtoralem curam delitеſcendo fugere voluiſſet. Qua in re imitatus Gregorium Nazianzenũ, ſicut ille eadem ex cauſa ſcripſit de ſua fuga Apologeticum, quo periculoſam eiuſmodi ſpiritualem præfecturam oſtendens, ſe haud inſipienter fugiſſe monſtraret: ita hic Gregorius Romanus ſuæ fugæ defenſionem, parans, ſimul oſtendit tanti muneris periculum, & veluti ex eminentiſſima totius mundi cathedra docuit quales eſſe debeant qui in Epiſcopos aſſumuntur, & quomodo aſſumpti ſe gerere debeant. Eodemq; tempore complures reſcripſit cum ad amicos ſibi gratulãtes, tum ad alios Epiſtolas[d], quibus luget miſerrimum quem putabat animæ ſuæ ſtatum, in quem ſub honoris ſpecie ſe videret eſſe coniectum. Sed quod ad ipſius ſcripta pertinet, plane ea admiranda cognoſces, ſi in eis non folia tñ, ſed qui inſint fructus attẽdas. Cumq; tulerit infeliciſſima cõditio huius ſæculi, vt inter barbaros barbariſmis repleta fuerit Latinitas, penè miraculum habitum eſt, Gregoriũ inter tot tenebras aliquo illuceſcere potuiſſet fulgore.

z Id. homil. 1. in Luc. 21.

a 1. ep. 3.

b 1. ep. 2.

c 4. ep. 46. Indict. 11.

QVA OCCAS. GREG. SCRIPSERIT LIBRVM DE CVRA PASTOR.

d Id. 1. ep. 3. 4. 5. &c.

DESCRIPTIS GREG. IVDICIVM.

X. Quantum autem hoc ipſo anno Pontificatus ſui primo laborauerit, tum in alijs rebus, tum vt eos qui ab Eccleſia ſchiſmate diuiſi erant ob controuerſiam Trium capitulorum, atque etiam Arianos Longobardos ad Eccleſiam reduceret, teſtantur plurimæ eiuſdem epiſtolæ[e]. Vrgebat namque & iuſſio Imperatoris, vt eoſdem ſchiſmaticos Epiſcopos deberet eo fine ad Synodum Romam cõuocare, ſicut habetur eiuſdem Gregorij teſtificatione ſcribentis[f] ad Seuerum Aquileienſem eorumdem anteſignanum, dum eum venire ad Synodum iubet. Sed accidit, vt cum Epiſcopi Iſtriæ more præcedentium ſchiſmaticorũ, qui vt ſubterfugerent iudiciũ eccleſiaſticũ ꝓuocare conſueuerũt ad Imperatores, dediſſent libellũ Mauritio Auguſto ne cogerẽtur Romã ꝓficiſci, ſed ipſe dignaretur eos audire, idẽ Imperator querelis eorũ permotus, quib. multa aduerſus Gregor. effutierant, nullo de veritate habito diligẽtiori examine, tyrannice præceperit eidẽ Põtifici ab illorũ cauſæ cognitione deſiſtere: prout de his omnibus cõſtat ex eodẽ ſchiſmaticorum libello, & Mauritij literis q̃ adhuc extant[g]. Sed qui venire Romam cõtempſit Seuerus, meruit paulo poſt ſede ab hoſtibus priuari Aquileia incẽſa, & ipſe ꝓfugus ad ſummam eſt deductus inopiam: vt ſtipem quæreret: ſicut patet ex Gregorij epiſtola[h] ad Ioannem Epiſcopum Rauennatem, vbi inter alia agit de eleemoſyna mittenda incenſæ ciuitati eiuſdem Seueri.

QVOMODO SE GREG. CVM SCHISMATICIS GESSERIT.

e Id. 1. ep. 14. 16. 17.

f Id. ep. 16.

g Rec. Parou. Annal. To. VIII. hoc. an.

h 2. ep. 11. Ind. 10.

XI. Sed & ex alia eiuſdem Pontificis epiſtola[i] ſcripta ad vniuerſos Italiæ Epiſcopos, conſtat Antharit Longobardorum Regem, quod hoc anno Paſchali tempore prohibuiſſet Longobardorum Orthodoxorum filios in fide

i 1. ep. 17.

DIVINA IN ANTHARITH. REG. VLTIO.

Digitized by Google

k Paul. diac. de geſt. Long. l. 3. c. vlt.

Catholica baptizati, diuina vltione extinctum eſſe: quod quidem Nonis Septembris accidiſſe Paulus [k] diaconus affirmat. Eo tamen adhuc viuente, hoc eodem anno quo Gregorius ordinatus eſt, Franci ab Imperatore Mauritio aduerſus Longobardos Galliam Ciſalpinam occupantes ſollicitati, in Italiam deſcenderunt: vbi cum non reperiſſent exercitum Imperatoris ex condicto mittẽdum, nihil magni momenti efficere potuerunt, quod Longobardi in munita loca ſe recepiſſent; ideoque iidem Franci circumquaque palantes, in prædam conuerſi per trium menſium ſpatium, demum morbis afflicti atq; conſumpti cum magna præda multiſq; captiuis in Gallias redierunt. Hæc fuſius Gregorius [l] Turonenſis: quẽ tamen Antharith Regem Longobardorum Gregorius Papa, Paulus diaconus, & alij nominãt, ipſe Apthacharium appellat, quem & hoc anno obijſſe refert.

l Greg. Tur. l. 10. hiſt. Franc. c. 3.

XII. LEWIGILDI REG. OBITVS.

m Idl. 8. c. vlt.

Hoc item anno impius Lewigildus Wiſigothorum in Hiſpania Rex Arianus mortuus eſt, poſtquam regnaſſet (vt Iſidorus habet) annos decem & octo ab obitu fratris Liubæ. Quod quidem anno præſenti contigiſſe, tum aſſerit Gregorius [m] Turonenſis huius temporis ſcriptor, dum Lewigildi obitũ ponit ſub anno Childeberti Francorum Regis duodecimo, qui incidit in hunc Domini quingenteſimum nonageſimum, tum Ioannes fundator & Abbas monaſterij Biclarenſis, idemq; Epiſcopus Gerundenſis in Hiſpania (qui his ipſis temporibus vixit, ſcripſitque perbreuem hiſtoriam à Iuſtino Iuniore vſq; ad annum octauum Mauritij) duplici conſignat chronologia, dũ ingreſſum Regis Reccaredi qui patri Lewigildo ſucceſſit, ponit anno quinto Mauritij Auguſti, & primo Gregorij Papæ. Cui item omnino conſentit Lucas Tudenſis & ipſe huius temporis ſcriptor Hiſpanus, dum æque anno quinto Mauritij regnare cœpiſſe Reccaredum habet, & alia addita nota, id ait accidiſſe Era ſexceteſima vigeſima octaua, nempe hoc ipſo anno Domini quingenteſimo nonageſimo quo Gregorius Pelagio ſucceſſit. Sed quod iidem auctores de anno quinto Mauritij habent, ſuſpectũ omnino erit, niſi accipiatur de annis poſt ipſius Conſulatum, quibus eiuſdem Imperij annos conſignari conſueuiſſe ſuperius diximus. Cum vero anno Imperij ſecundo Conſulatum iniſſe conſtet, ea ratione quintus poſt Conſulatum erit hic præſens, quo ſeptimus Imperij finitur & octauus inchoatur menſe Auguſti. Ex his autem omnibus iſtorum temporum ſcriptorum teſtimonijs corrigendum erit [n] Iſidori Chronicon, vbi Lewigildi exitus, & Reccaredi ingreſſus ponitur Era ſexceteſima trigeſima quinta, ac pariter emendandi alij eiuſdem Eræ numeri, qui repeiuntur in Synodis Hiſpanicis ſub eodem Reccaredo celebratis, cõtrarij huic noſtræ adeo firmiter ſtabilitæ chronologiæ: quod ſemel dictum ſufficiat.

DE TEMPORE REGNI RECCAREDI REGIS.

n Ita hac corrigenda cenſuit Baron. To. VIII. an. 591 Ex cuius ſententia nos Concilia Hiſpanica ſub Reccaredo Rege celebrata ad ſuos annos repoſuimus: quanquam haud iſta in omnibus cohærere videntur.

XIII.

o Greg. Pap. 3. dial. 31.

p Greg. Tur. 8. hiſt. Fr. vlt.

RECCAREDI REG. CONVERSIO AD FIDEM CATHOL.

q Greg. Pap. ibid. Greg. Tur. 9. hiſt. 5.

r Iſid. in Chron. Goth.

Quod autem ambo Gregorij, Romanus [o] & Turonenſis [p], Lewigildum perſecutionis ſuæ pœnitentem deceſſiſſe tradunt, ac S. Leandro Hiſpalenſi Epiſcopo Reccaredi filij ſui conuerſionem commendaſſe, ipſum tamen Catholicum omnino deceſſiſſe, haud ſatis certis probatur aſſertionibus, quippe cuius memoria execrabilis remanſerit poſteris. Verum Reccaredus memor pietatis fratris ſui Herminigildi martyris, vbi regni ſuſcepit gubernacula, *Conuentus* habito tam Catholicorum quam Arianorum Epiſcoporum, cum vidiſſet Arianos nec miraculis nec rationibus Catholicis reſpondere poſſe, ipſe Catholicorum fidem complectens, ad eam quoq; omnes ditionis ſuæ ſubditos perduxit: vt cõſtat ex iiſdem Gregorijs [q], Iſidoro [r], Ioanne Biclarenſe alijſque.

XIV. CONCIL. ANTISIODOR.

s Conc. Antiſiod. c. 1. & 5

Ad hoc quoq; tempus pertinet CONCILIVM ANTISIODORENSE diœceſanum in Gallia celebratum, cui præfuit *Anacharius* eiuſdem ciuitatis epiſcopus ſolus cum Abbatibus & presbyteris diœceſis; in quo ſanciti ſunt canones quadraginta quinque, ad Eccleſiaſticam diſciplinam & monaſticam obſeruantiam ſpectantes, iidemq; magna ex parte ſumpti ex iis quæ ſtatuta fuiſſent in Concilio Matiſconenſi Secundo, cui idem Aunacharius interfuit. De iis tamen monendum, nedum in aliquibus [s] vigilias prohibitas legis, de ſacris quæ in Eccleſijs fierent intelligas, ſed de illis quæ in priuatis domibus (vt ibidem docetur) quæ non nullas haberent admixtas ſuperſtitiones. Quam enim frequens eſſet hoc tempore ſacrarum *Vigiliarum* vſus in Gallijs, illud oſtendit inter alia, quod quemlibet diẽ Dominicum Fideles præcedentibus nocturnis vigilijs agere conſueuiſſe, docet canon primus eiuſdem poſterioris Concilij Matiſconenſis. Quin etiam in hoc ipſo Antiſiodorenſi, vndecimo canone habetur de religioſe ſeruandis Vigilijs Paſchatis.

DE VIGILIARVM VSV HVIVS TEMP.

XV. HORMISDA REG. PERS. INFELIX EXITVS.

t Euagr. l. 6. c. 15.

u Miſcell. l. 17.

Quod ad res Oriẽtales ſpectat, hoc eodem anno Mauritij Imperatoris ſeptimo nondum expleto (quantum ex Euagrio & alijs colligere fas eſt) Perſarum Rex Hormiſda Romano Imperio infeſtiſſimus à ſuis occiſus eſt, ob tyrãnidem (vt idem auctor [t] ait) quam in ſubditos exerceret. Sed quomodo res ſe habuerit, ita apud Theophanem [u] traditur: nimirum cum dux Perſarum Varames male cum Romanis pugnaſſet, Regem ignominiæ cauſa muliebrẽ ad eum veſtem miſiſſe, eumdemque præfectura priuaſſe. Itaque Varame rebellante, ac fictis literis milites in Regem commouente, Bindoen quemdam nobilem Perſam liberatum è carcere per fratrem ſuum, ex improuiſo Regiam cum ſuis inuaſiſſe, Hormiſdamque è ſolio deturbatum in cuſtodiam cõieciſſe, & filium eius Coſrhoem Regem conſtituiſſe, ac poſtea educto Hormiſda è carcere. Perſas nobiles ante oculos eius vxorem & alium filium ſerta diuiſiſſe, ipſique oculos eruiſſe, ac rurſum in ergaſtulum detruſiſſe: cumque benigne ibi à filio Coſrhoe tractaretur, ſed & ipſe ex aduerſo filium conuicijs onerare non ceſſaret, cõculcans quæ ab eo mitterẽtur: Coſrhoen iratum fuſtibus eumdem cæſum mori coegiſſe: ſed tum ob eiuſmodi exhibitam in patrem crudelitatem, tum ob alios quoſdam nobiles ab eodem ex ſuſpicione proditionis occiſos, rurſum milites eo relicto ad Varamen tyrannum tranſijſſe: ipſum vero Coſrhoẽ fugã capeſſentem, dubium ad Chriſtianoſne vel Turcas confugeret, equo liberas laxantem habenas vt quo vellet abiret, ad Romani Imperij ditionem perueniſſe. Hæc Theophanes: iiſque haud admodũ diſſentientia Euagrius [x] affert, cum & pluribus proſequitur quomodo Coſrhoes iuſſu Mauritij honorificentiſſime exceptus fuerit, plurimiſque ab eo muneribus donatus, ac tandem in regnum reſtitutus: ſed de hoc, anno ſequenti.

COSRHOES CONFVGIT AD ROMANOS

x Euagr. l. 6. c. 16. 17.

IESV CHRISTI AN. 591.

MAVRITII AN. 9.

GREGORII AN. 2.

I. COSRHOES IN REGNVM RESTITVITVR.

a Miſcel. l. 17

ANno Chriſti quingenteſimo nonageſimo primo Indictionis nonæ, Mauritius Auguſtus Regem Perſarũ Coſrhoen regno reſtituturus, ei bello præfecit Narſetem ducem, qui incruenta potius victoria feliciter id præſtitit. Narrat hæc Theophanes in Miſcella [a]: additque de quibuſdam Turcis, qui in exercitu rebellium Perſarũ militantes capti, & Conſtantinopolim ducti ſunt, inuentos illos ſtigmate in fronte Cruce ſignatos, ab Imperatore rogatos eſſe quid ſibi id vellet, reſpondiſſeque cum peſte ipſorum prouincia laboraret, illud ſe à Chriſtianis fuiſſe edoctos remedium pro ſalute conſequenda. Agens vero Euagrius [b] de eiuſdem Coſrhois reſtitutione per Romanos facta, addit eum in regnum reſtitutum, Cruces auro & lapidibus pretioſis exquiſite elaboratas, aliaq; egregia donaria pijſſimis inſcriptionibus notata, quæ (vt pfeſſus eſt) Deo Chriſtianorum, ſanctoque martyri Sergio in Oriente celeberrimo, idem regno ſpoliatus atq; in alijs periculis ærumniſque conſtitutus vouerat, tranſmiſiſſe ad Gregorium Antiochenũ Epiſcopum, vt ab eo in eiuſdem Martyris templum honorifice reponerentur. Ex quibus huius temporis Nouatores rubore ſuffundi debeant, cum etiam ab infidelibus & idololatris redarguantur in veneratione ſanctiſſimæ Crucis & cultu ſanctorũ Martyrum: dum talia egit Ethnicus, ſua tamen conſcientia Chriſtianus, veritus publice profiteri quod ſentiret, ne rebellem experiretur populum, quem omnibus demulcere officijs hoc ſui regni exordio ſatagebat.

b Euagr. l. 6. c. 18. & c.

COSRHOIS SACRA DONARIA.

Sane

II.
LEX PERS. CREDITVS CHRISTIANVS.
c Paul. diac. 4. c. 52.
d Greg. Pap. ep. 63.
e Hiſt. Mauric. l. 5.

Sane quidem increbuit hoc tempore per Orbem fama, Perſarum Regem Chriſtianam religionem ſuſcepiſſe: id enim Ioannes Biclarenſis aperte ſcripſit. Verum liquet eſſe mendacium, ſicut quæ de cõuerſione Reginæ Regiſque Perſarum habet Paulus [c] diaconus. Siquidem Coſrhoen Gentilem permanſiſſe, tum Euagrius hanc deſcribens hiſtoriam teſtatur, tum Gregorius Papa ſcribẽs [d] ad Domitianum Epiſcopum Melitinæ Mauritij Imperatoris cognatum, cum fruſtra laboraſſe in conuerſione eiuſdem Regis dolet. Illud quidem aſſertione Theophylacti in hiſtoria Mauritiana [e] eodem tempore ſcripta conſtat, poſt adeptam beneficio Chriſti victoriam eumdem Regem in Iudæos qui Varami fuiſſent adiumẽto gladium exercuiſſe, quos ait ex illis progenitos eſſe qui poſt exciſas Hieroſolymas ad Aſſyrios vnde venerant reuerſi eſſent: additque eam victoriam Perſas conſecutos eſſe auſpice Dei Genitrice, cuius & nomine pro ſymbolo militari in bello vſi eſſent. Ceterum hoc eodem tempore *Naamanem* Saracenorum Principem ad fidem Chriſtianam vna cum ſuis omnibus conuerſum eſſe, Euagrius [f] eſt auctor.

PRINCEPS SARACEN. CONVERSVS AD FIDEM.
f Euagr. l. 6. cap. 21.

III.
g Greg. l. ep. 2.
h Id. l. ep. 24.
GREG. PP. PROFESSIO DE SYNODIS OECVMEN.

Quod autem pertinet ad res Occidentis, hoc eodem anno menſe Februario Gregorius Papa Synodalem epiſtolam (ita enim ipſe appellat [g] alio loco) dedit [h] ad Orientalis Eccleſiæ Patriarchas, cui fidei ſuæ profeſſionem intexuit, conteſtatuſq; ſe ita ſe Quatuor Concilia Vniuerſalia venerari, ſicut S. Euangelij quatuor libros, necnon & Quintum ſe aduerſus Tria Capitula ſuſcipere. Erat enim (vt ſæpe vidimus) illud in more, vt ſimulac quis Romanus creatus eſſet Põtifex, vicinis collectis epiſcopis Synodum ageret, in qua ſe eſſe fidei Catholicæ cuſtodem tenaciſſimum declararet, ex eaq; epiſtola Synodalis tranſmitti ſoleret ad omnes vbiq; Epiſcopos, potiſſimum vero [a] ad præcipuarum Eccleſiarum Patriarchas. Sed quod in inſcriptione eiuſdem epiſtolæ duo nominantur Antiocheni Epiſcopi, Gregorius, & Anaſtaſius, in memoriam reuoca quod ſuperius dictum eſt, Anaſtaſium calumniam paſſum Antiocheno fuiſſe Epiſcopatu deiectum, & in locum eius ſubrogatum Gregorium. Quod vero magna ob ſpiritualem animorum coniunctionem interceſſiſſet olim inter ipſum Gregorium Papam & Anaſtaſium neceſſitudo; nõ ſolum ad eum ſicut ad ceteros Patriarchas eamdem Synodalem epiſtolam miſit, ſed etiam aliam priuatam [i] addidit vna cum munere Clauium S. Petri Apoſtoli, de ſepulchro eiuſdem ſumptarum, quæ (vt ait) ſuper ægros poſitæ multis miraculis ſolerent coruſcare. Cuiuſmodi & alias, habẽtes intus de limatura Catenarum eiuſdem S. Petri, hoc eodem tempore tranſmiſiſſe reperitur [k] ad Andream virum inſignem, & ad Ioannem Patricium & Exconſulem, necnon ad alios poſtea ſæpiſſime, vt patet ex plurimis eiuſdem epiſtolis. Quanta autem & quam miranda conſueuiſſet Deus per eiuſmodi Claues operari miracula, & nos alibi ſuperius meminimus, & ambo Gregorij Romanus & Turonenſis ſæpius referunt.

i Ibid. ep. 25.
DE CLAVIBVS SEPVLCHRI S. PETRI MITTI PRO MVNERE SOLITIS.
k ep. 29. & 30.

IV.

Laborans præterea ſtrenue idem ſanctus Pontifex in miniſterio paſtorali, inter alia præclara quæ hoc eodem anno ſtatuit, præſtititque in vtilitatem & correctionem omnium tam eccleſiaſticorum quam laicorum, & tam Clericorum quam monachorum, quæ in ipſius epiſtolis conſpici poſſunt, ex ſacrorum canonum inſtituto, vetuit [l] clericos cum feminis conuerſari. Cumque in Sicilia prauus ille abuſus obrepſiſſet, vt ſubdiaconi vxorem ducerent (quod prohibitum à Pelagio Gregorij prædeceſſore fuerat, qui & coniunctos ſeparari voluit) ipſe iterum Gregorius ſcribens [m] ad Petrum in Sicilia ſubdiaconum, prohibuit ne in poſterum quis ſubdiaconus ordinaretur, niſi continentiam ſeruare epiſcopo ſpopondiſſet: coniunctos vero ita manere voluit, vt nulla eis ſpes eſſet ad ſuperiorẽ ordinem aſcendendi, niſi ab ea quam acceperant vxore ſe penitus ſeparaſſent. Ex quibus plane refellitur commentum illud, quod Nouatores [n] ex conficta ab aliquo imperito defenſore coniugij clericorum, epiſtola nomine S. Vdalrici Auguſtani Epiſcopi ad Nicolaum Papam deprompſerunt, nimirum quod cum aliquando hic ipſe Gregorius ſuo decreto vxores ſacerdotibus ademiſſet, pauloq; poſt iuſſiſſet ex piſcina ſua piſces aliquot capi, piſcatores ſex millia capitum infantium ſuffocatorum repererint, & cum eam cædem intelligeret Pontifex ex occultis fornicationibus ſacerdotum natam eſſe, continuo illud ſuum decretum reuocauerit.

l l. ep. 50.
MATRIMONIVM PROHIBITVM SVBDIACONIS.
m ep. 42.
n Centur. 6. col. 388. & Cent. 9. col. 540.
FABVLA DE FILIIS SACERDOTVM REFELLITVR.

V.

Verum hæc fabula non ſolum ex ijs quæ dicta ſunt refellitur, ſed ex alijs quamplurimis. Quam enim falſum ſit pœnituiſſe Gregorium eiuſmodi ſui decreti, patet ex eo quod eadem ipſe repetijt poſt tres annos, nimirum Indictione duodecima ſcribens [o] ad Leonem epiſcopum Catanenſem in eadem Sicilia: Itemq; quod in Concilio Romano habito Indictione decimaquarta canonem ſtatuit, vt ſi quis presbyter aut diaconus vxorem duceret, anathema eſſet, pluresque inſuper extant eius epiſtolæ [p], quibus prohibet habitare cum Clericis feminas, niſi quas canon concedit ſanguine proximas. Denique ad Auguſtinum in Angliam miſſum reſcribens [q], illud inter alia decreuit, ne permittat clericos in ſacris ordinibus conſtitutos vxores ducere: quinimmo admonet vt pollutus in ſomnis ſacerdos ex crapula præcedenti, abſtineat à ſacri celebratione myſterij. Hæc quidem quod ad Gregorium.

o Greg. l. 3. ep. 34.
p l. 1. ep. 50. l. 7. ep. 109. l. 11. ep. 40.
q l. 12. ep. 31.

VI.
DE EPIST. S. VDALRICI NOMINE CONFICTA.
r Herm. Contract. & Abb. Vrſp.

Quod vero ad S. Vdalricum ſpectat, cum ex eo quod tradunt auctores [r] ipſum octoginta tres annos vixiſſe, ex iiſque quinquaginta in epiſcopatu egiſſe, epiſcopum autem creatum eſſe anno Domini nongenteſimo vigeſimo quarto, ſequatur eumdem natum eſſe, anno octingenteſimo nonageſimo primo, atq; obijſſe nongenteſimo ſeptuageſimo quarto: quomodo is ad Nicolaum Papam illam ſcribere epiſtolã potuit, cum Nicolaus Primus obierit anno octingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, nempe annis viginti quatuor ante Vdalricum natum: Nicolaus autem Secundus creatus fuerit Papa anno milleſimo quinquageſimo nono, nimirum octoginta quinq; annis poſt eumdem Vdalricum defunctum? Quod enim his demonſtrationib. excluſi Centuriatores, alium effingunt Vdalricum Epiſcopum Auguſtanum: cum hoc abſq; aliquo auctore producant, nec illud Auguſtani ipſi admittant, qui vnicum tantum agnoſcunt ſuæ ciuitatis epiſcopum Vdalricum nomine: id qua facilitate aſſeritur, eadem reijcitur. Denique quod ad ipſam narrationis ſeriem ſpectat: quomodo paulo poſt ſancitum à Gregorio eiuſmodi decretum, potuerunt ſex millia infantium capita reperiri: & nõ ſaltem plures annos oportuit expectare: vt tot furtiui naſcerentur infantes? Sed & quomodo intellectum eſt, illa eſſe capita filiorum clericorum, non laicorum? Denique cur de hiſtoria tam admiranda nihil ſcripſere Ioannes diaconus, Beda, Sigebertus, Ado, Freculphus, alijq; tã multi illorum temporum ſcriptores? Sed de his modo ſatis; quæ etiam alij [s] antehac refellerunt.

s Rellar. Contr. de Cler. l. 1. c. 22. & alij.

VII.
DE ELECTIONE EPISCOP. HVIVS TEMP.
t Greg. l. ep. 55.

Quod ad reliqua pertinet: idem Gregorius Papa hoc ipſo anno multas eccleſias vacantes nouorum epiſcoporum electione curauit implendas. Cuius rei praxis his temporibus ita ſe habuiſſe cognoſcitur, vt ſi diſſentirent eligentes, vel minus idoneos eligere perſeuerarent, tunc Romanus Pontifex [t] quem vellet daret illis paſtorem. Sed & quod hodie fit, vt idem Romanus Pontifex in alijs etiam diœceſibus conferat ſacerdotia curam animarum annexam habentia: tunc pariter cõſuetum fuiſſe, docet eiuſdem epiſtola [u] ad Importunum Epiſcopum. Dedicationem quoq; diuerſarum eccleſiarum fieri conceſſit, quippe quod minime fas eſſet inconſulto Romano Pontifice eccleſias dedicare, vt patet etiam Gelaſij [x] Papæ auctoritate: quod tamen haud intelligendum putamus in prouincijs ſubiectis Patriarchis Orientalibus. Cum autem dedicarentur eccleſiæ præter alia ſolemnibus ritibus exhiberi ſolita, quam magna conſueuiſſent præberi impenſa antiquæ illæ agapes, in quibus pauperes epulari ſolerent: ſatis patet ex eiuſdem Gregorij epiſtola [y] ad Petrum ſubdiaconum ſcripta pro dedicatione oratorij S. Mariæ: pro qua dare iubet ad erogandum pauperibus, *in auro ſolidos decem, vini amphoras triginta, annonæ modios ducentos, olei orcas duas, veruetes duodecim, gallinas centum*: in ſupplemẽtum inopiæ eius quæ dedicaretur eccleſiæ. Porro quã hactenus vidimus Pontificatus ſui exordio ſanctum Antiſtitem

u Id. l. ep. 10.
x Gelaſ. Pap. ep. 1. c. 6. & 27.
DE IMPENSIS IN DEDICATIONIB. ECCL.
y Greg. l. ep. 54.
GREG. PP. VIGILANTISSIMA CVRA.

ſtitem in rebus perſoniſq; Eccleſiaſticis rite componendis ſolicitam impendiſſe curam (cum alioqui nonniſi ex ijs quæ ad publica Eccleſiæ Vniuerſalis negotia ſpectare videntur, quædam dumtaxat delibauerimus) in eamdem ſequentibus etiam annis vigilantiſſimo ſtudio vſque ad obitum continuo incubuiſſe, docent abunde ipſius epiſtolæ, duodecim libris per ſingulas Indictiones probe diſpoſitæ: ex quarum ſingulis verſibus, nonniſi magna; quæcumque ſiue in publicis ſiue priuatis rebus geſſerit ſcripſeritve eſſe, quiſq; prudens intelligat.

VIII. PATRIMONIA ROM. ECCL. IN DIVERSIS PROVINCIIS.

Habebat Romana eccleſia (vt ex eodem Gregorio, alijſque auctoribus patet) locupletiſſima vbique toto orbe terrarum patrimonia, non in Italia ſolum & Sicilia, ſed & in Aſia, & in Gallijs, atque in Africa: ad quæ curanda mos erat ſubdiaconos mittere. Africana vero cum iam cultorum defectu deſtituta pene haberentur, Gennadij Patricij & Exarchi in Africa, viri maxime pij diligentia ad priſtinum cultū reſtituta fuere. Cuius rei Gratia idem à Deo magnas conſecutus eſt victorias aduerſus hoſtes, quos pietate potius quam armis ſubiecit: vt de eo teſtatur Gregorius [a]. Qui bene vſus tanti viri religione, eundem quoque aduerſus Donatiſtarum præſumptionem erexit. Accidit enim, vt quoniam in prouincia Numidiæ vetus illa vigebat conſuetudo, vt Epiſcopus ordinatione antiquior Primas diceretur: cum Epiſcopus quidam Donatiſtarum hoc tempore ceteris ſede antiquior reperiretur, ipſe ſibi primatum vendicaret. Id vero ne vllo modo fieret, S. Gregorius interceſſit ſcribens [a] ad eumdem Gennadium Exarchum, necnon ad Catholicos Epiſcopos Numidiæ.

a Greg. l. ep. 73.

DONATISTÆ REPVLSI A PRIVILEGIIS CATHOL.

a l. ep. 72. & 75.

IX. DE OFFICIO CHARTVLARII, SIVE CHARTOPHYLACIS.

Sed quod in epiſtola ad Epiſcopos meminit Hilarij S. R. E. Chartularij, in Africam miſſi ab ipſius Gregorij prædeceſſore: cum eiuſdem muneris ſæpe & alij mentionem faciant, hic obiter ſciendum eſt, quem Latini *Chartularium* dicebant, Græcos *Chartophylacem* nominaſſe: quorum officium erat præſidere Iudicijs Eccleſiaſticis loco Pontificis, & chartas publicas cuſtodire. Verum in Eccleſia Conſtantinopolitana longe ampliorem fuiſſe eam dignitatem quam in Romana, ſatis intelligitur ex Theodori Balſamonis [b] Reſponſo de duobus officijs Chartularij & Defenſoris. Curabat namq; iudicia quæ iure Pontificatus pertinerent ad Patriarcham, vnde & nuncupabatur os & manus Patriarchæ: eiuſq; erant inſignia, geſtare annulum aureum, & tiaram auro ornatam, atq; ante pectus Patriarchale bulloterium inſtar Rationalis Aaronis: cumq; procedendum eſſet, vehebatur mulo qui (ſicuti Patriarcha vti ſoleret) ornatus eſſet linteo albo. Sed & ipſi ſoli poſt Patriarcham catechiſtico more populum in eccleſia docere licebat: & in iudicialibus vbicumq; adeſſet, perſonam repræſentabat Patriarchæ, magno inſidens tribunali, & cauſas audiens tam ciuiles quam criminales: vnde in ipſius initiatione dabat ei Patriarcha in manus claues, ſummam eo ſigno collatam ſignificans poteſtatem. Denique cum eſſet ordine ſacro tantummodo diaconus in publicis tamen conſeſſibus ſedebat ante Epiſcopos quamuis ſæpe, ſed fruſtra, ab Epiſcopis ea de cauſa fuiſſet reclamatum. In Oecumenicis tamen Synodis neque ſedebat: ſed præſto erat ſuæ functioni, qua præerat Chartophylacio, ſiue Archiuo vbi ſcripta publica aſſeruarentur: indeque promebat quæ in Synodo legenda eſſent, vt patet ex Actis Sextæ [c] Synodi. Ac demum in Reſponſis [d] Ioannis Epiſcopi Citri traditur, eius fuiſſe ſigillum ſcriptis imprimere. Sed de his ſatis.

b Balſ. in Medit. l. 7. Iur. Græc.

c Syn. Sext. Act. 13. 14.
d l. 5. Iur. Græc.

X.

Quod vero pertinet ad reliquas huius anni res geſtas: cum anno ſuperiori (vt vidimus) Antharith Rex Longobardorum mortuus eſſet: Reginaq; Theodolinda, quam nuper acceperat in vxorem à Baioariæ Rege Garibaldo, (vt Paulus [e] diaconus affirmat) Longobardorum conceſſione Regina perſeuerans, delegiſſet ſibi virū Agilulphum ducem Tauritanum, eumdemque nominatum Agonem, ſecta Arianum: idem *Agilulphus* Longobardorum Rex appellatus eſt hoc anno menſe Maio. Qui debellatis, occiſiſque illis quos aduerſarios paſſus eſſet, regnū ſibi ſtabiliuit Italiæ: exceptis enim Roma atq; Rauenna cum alijs ad eas ſpectantibus locis, vniuerſa Italia ab Alpinis montibus Rhegium vſq; Calabriæ illi parebat. Idē vero paulo poſt, per eamdem Theodolindam Reginam, vna cum vniuerſis Longobardis qui Gentilitatis aut Arianiſmi impietatibus irretiti erant, cōuerſus eſt ad fidem Catholicā, & in baptiſmate nominatus Paulus. Hæc pluribus idē auctor [f]. Quibus videas, magno Dei conſilio factum eſſe, vt robuſtiſſimæ eædemq; indomitæ gentes, ſiue Chriſtiano ſiue Catholico nomini infenſiſſimæ, Franci, Gothi, & Longobardi, auitis abdicatis erroribus per feminas conuerſi fuerint ad verū religionis cultū, Franci in Gallia per Chrotildem Burgundam, Gothi in Hiſpania per Ingundem Francam, Lōgobardi in Italia per Theodolindam Bauaram.

e Paul. diac. de geſt. Long. l. 3. c. 14.

AGILVLPHI REG. LONGOB. CONVERSIO.

f Id. l. 3. c. vlt. & l. 4. c. 1. & 2.

FEROCISS. NATIONES PER FEMINAS CONVERSÆ.

IESV CHRISTI AN. 592.

MAVRITII AN. 10.

GREGORII AN. 3.

I.

ANnus Chriſti quingenteſimus nonageſimus ſecundus, Indictione decima, funeſtus fuit Italiæ, & valde ærumnoſus S. Gregorio Papæ, tum foris agitato aſſiduis prælijs Longobardorum ſub Duce Arnulpho omnia deuaſtantium, tum intus morbo vexatus: vt de his patet ex epiſtola [a] hoc anno data ad Ioannem Rauennatem Epiſcopum, qua illum inprimis vrget, vt à Romano Patricio & Exarcho Rauennæ commorante licentiam ſibi impetret, pacem cum eodem Arnulpho æquis conditionibus contrahendi.

a Greg. 2. ep. 32. Ind. 10.

II. GREG. PP. PROVIDET NEGOTIIS ECCL. TOTIVS VRBIS.

Interea vero cum nihil prætermitteret exactiſſimæ curæ paſtoralis, idem acceptis ex Numidia legatis, qui nuntiaſſent Donatiſtas pecuniæ data ab Epiſcopo quodam Catholico impetraſſe vt in ipſius ciuitate fineretur pariter eſſe epiſcopus Donatiſta (quod quidem aliquando bono pacis permiſſum, poſtea ſublatum fuerat) eiq; concederetur iterū baptizare Catholicos: ad hæc tam enormia corrigenda, in Numidiam proficiſci iuſſit Hilarium S. R. E. Chartularium Carthagine degentem: vt coacto Concilio ille deponeretur epiſcopus qui talia permiſiſſet. Eodemque anno ab eodem Pontifice cognitæ ſunt [b] cauſæ Epiſcoporum Thebanæ ciuitatis in Bœotia, & Primæ Iuſtinianæ: itemq; Epidauritani, Agrigentini, Salonitani, Calaritani, & aliorum Ex quibus omnibus probe elucet (q; & alijs quamplurimis exemplis maioris etiam momenti antehac viſum eſt, & poſthac videbitur) præfuiſſe Romanum Pontificem Iudicem primarium totius Chriſtiani Orbis epiſcopis. Praxis autem tunc in his ita ſe habebat, vt ſi quando Epiſcopus apud Romanum Pontificem accuſatus, Romamq; vocatus, damnari minime meruiſſet, tunc ad ſui purgationem iurare compelleretur ſupra corpus S. Petri Apoſtoli: ſecundum ea q̄ & ipſe habet S. Auguſtinus [c]: quod hoc anno factum eſt de Leone [d] Epiſcopo Catanenſi, ac poſtea de Menna [e] Toloſano. Hocq; etiam tēpore epiſcopi Hiberni, qui hactenus ſchiſmati ob tria capitula conflato cōſenſerant, tandem anguſtia preſſi ad Romanam eccleſiam clamarunt. Quos Gregorius ad vnitatem reducere cupiens, literas [f] ad eos miſit vna cum libro ea de re Pelagij Papæ nomine ab ipſo Gregorio (vt vidimus) olim cōſcripto. Porro hos ad Catholicam communionem rediiſſe, inde certū deducitur argumentum, q; poſt hęc ijdem de rebus dubijs, vti ceteri Orthodoxi, eumdem Pontificem conſuluiſſe reperiuntur [g]: quod vtique non feciſſent, ſi adhuc in ſchiſmate permanſiſſent.

b Vid. l. 2. epiſt. Ind. 11.

c August. ep. 137.
d Greg. 2. ep. 33. Ind. 10.
e Id. 11. ep. 8.

HIBERN. SCHISMAT CONVERSIO.

f 1. ep. 35. Ind. 10.

g Id. 9. ep. 61

III. TVNICÆ S. IOAN. TRANSLATIO.

Hoc item anno *Tunicam S. Ioannis* Euangeliſtæ Romam delatam eſſe, ex eodem [h] apparet: quam collocatam eſſe ſub altare S. Ioann. in baſilica Conſtantiniana, multiſque coruſcare ſolitam miraculis, teſtatur Ioannes diaconus [i]: cum præcipue ſiccitatis tēpore foras excuſſa pluuiam cōferret, inundationis vero tempore ſerenitatē reduceret.

h 2. ep. 5. Ind. 11.
i Ioan. diac. in Vit. S. Greg.

IV. MAVRITII IMP. INI-

Quod ad res pertinet Orientales: hoc eodem anno denigrauit Mauritius Imperator nomen ſuum, dum Iuliani Apoſtatæ legem renouauit, qua prohibitum fuerat ne quis miles nondū expleta militia monachus effici poſſet.

Sed

VA LEX S. GREG. CORRIGITVR.

Sed eam ab ipſo Imperatore ad Gregorium Papam miſſam idem Gregorius valide impugnauit, eamdemque ita decreto ſuo correxit, vt in his militibus locum non haberet qui vere pœnitentes probati eſſent. Sed & quod eodē edicto prohibitum fuiſſet, actionibus publicis implicatos nullo pacto recipiendos in monaſterium, ita emendauit, vt ſtatuerit eos eſſe recipiendos cum illis obligationis nexibus ſoluti fuiſſent. Hæc autem omnia manifeſta fiūt, tum ex literis quas ipſe anno ſequenti ad finem indictionis vndecimæ de ea re ſcripſit [k] ad Mauritium, ac Theodorum medicum eiuſdem Imperatoris intimum: tum ex alijs poſtea ad diuerſos Metropolitanos Orientis atque Occidentis conſcriptis [l].

Greg. 2. ep. 1. & 65. Ind. 11. l. 7. ep. 11. Ind. 1.

V. QVOMODO SACERDOTES SVBDITI SINT REGIBVS.

Ex quibus etiam vltimis intelligas, quomodo accipienda ſint quæ abiectæ nimis videri poſſent ab eo dicta in iiſdem ad Mauritium & Theodorum datis: dum inter alia ait, Deum Imperatori conceſſiſſe, vt non ſolum militibus, ſed etiam ſacerdotibus dominaretur: vnde Nouatores probare nituntur ſacerdotium Regibus ſubiectum eſſe. Qui enim cenſor & corrector exurrexit conſtitutionis Imperatoriæ, vt ad rectam Catholicæ Eccleſiæ normam aptaret: haud ſe ſubiectum Imperatori, ſed potius ſuperiorem demonſtrauit. Sic vero Deum ſubieciſſe tradit ſacerdotes Mauritio, vt olim eos ſubiecerat perſecutoribus, Neroni atque Diocletiano, quos etiam gladio in eos agere permiſit. Nam & Gregorium inter eos connumeraſſe Mauritium (ſiue alium Imperatorem, ſub quo velis eum ſcripſiſſe commentarium in Pſalmos pœnitētiales) quod poteſtatis ſuæ iura tranſcendens, Eccleſiam quam ſui ſanguinis pretio redemptam Saluator voluit eſſe liberam, ipſe facere conaretur ancillam, cum eam potius dominā ſuam agnoſcere deberet, eiq; deuotionis obſequium exhibere: ideoque indignum prorſus fuiſſe qui inter Reges haberetur: apertiſſimis verbis idem ſanctiſſimus Pontifex eodem commentario [m] declarauit. Si quid vero nihilominus indignum Apoſtolico vigore prædictæ ipſius epiſtolæ habere videantur, nihil illud veritati aut iuribus Eccleſiæ præiudicare poterit: quandoquidem ipſo illius exordio quam ad Imperatorem ſcripſit, inprimis conteſtatus eſt ſe non vt Epiſcopum eam ei commonitionem impertire, ſed iure priuato qui quidem cum iure publico agendum fuit, eamdem Imperatoris conſtitutionem Pontificia auctoritate (vt vidimus) correxit.

m Idem Pſ. 4. pœnit.

MAVRIT. AN. 11.

IESV CHRISTI AN. 593.

GREGORII AN. 4.

I.

ANno Domini quingenteſimo nonageſimo tertio, Indictione vndecima, Gregorius Papa Conſtantinopolim miſit Sabinianum diaconum Apocriſarium, illum ipſum qui eidem poſtea in Pontificatu ſucceſſit. Cui proficiſcenti literas ad diuerſos amicos [a] viros Illuſtres dedit: itemque ad Ioannem [b] Conſtantinopolitanum Epiſcopum, quem auctoritate Apoſtolica redarguit, & quod alium Ioannem presbyterum, qui iniuriam ab ipſo paſſus Apoſtolicam ſedem appellauerat, adhuc inquietaret: & ꝙ reprehenſionem ab eodem Gregorio ipſi factam de Anaſtaſio item presbytero ac monacho, quem Ioannes fuſtibus puniri iuſſiſſet, non eo quo ſcripta fuerat animo ſuſcepiſſet. Hocque pariter eodem anno Andream Epiſcopum Tarentinum duobus menſibus à celebratione Miſſarum ſuſpendit [c], eo quod mulierem quamdam fuſtibus ſubieciſſet. Vetitum enim erat aliquē fuſtibus ab Epiſcopis cædi: virgis autem ſubijcere reum fuiſſe conceſſum, ex pluribus eiuſdem Pontificis epiſtolis patet. Qua vero auctoritate hos Gregorius coercuit, eadem quoq; res Africanæ eccleſiæ curans, *Cōcilium* generale ab epiſcopis Numidiæ ipſius iuſſu [d] habitum, nullum penitus reddidit [e] atque caſſum, quod in eo aliqua contra canones Eccleſiaſticos accepiſſet fuiſſe ſtatuta.

a Greg. 2. ep. 61. 64. 66. Ind. 11. b Ib. ep. 52. S. GREG. REDARGVIT IOA. CONST.

c 2. ep. 44.

GREG. INVALIDAT GESTA CONCILII NVMID. d 2. ep. 47. 48. e 2. ep. 7.

II.

Hoc item tempore, cum defuncto Laurentio Iuniore Mediolanenſi epiſcopo, idem Pontifex illius ciuitatis clero [f] teſtimonium perhibuiſſet de probitate Conſtantij eiuſdem eccleſiæ diaconi, quem ipſe Conſtantinopoli familiarem habuerat (teſtimonium inquam, tantummodo perhibuit: pro eius vero electione nihil officij impendere voluit, quod, vt ait, iam olim propoſuiſſet numquam pro alicuius perſona in epiſcopum eligenda agere) idem Conſtantius omnium cōſenſu creatus eſt. Qui cum mox aſſenſum præbuiſſet damnationi Trium Capitulorum, tres epiſcopi ei ſubiecti ſe ea de cauſa ab eius communione ſubtrahētes, Theodolindam quoq; Longobardorum Reginam feminam religioſiſſimam in ſchiſma vna ſecum abducere conati ſunt. Quod audiens Gregorius, cōtinuo ad eam cum literis [g] Ioannem Abbatem & Hippolytum Notarium miſit, & ad eumdem Conſtantium [h] ſcripſit vt illis cooperaretur in reparatione periclitantis Reginæ. Eamdem tamen aliquamdiu in ſchiſmaticorum ſententia perſtitiſſe, eiuſdem Gregorij poſtea ſcriptæ litteræ [i] docent.

f 2. ep. 29. Ind. 11.

GREG. REFVGIT AGERE PRO PERSONIS IN EPISCOPOS PROMOVENDIS.

g 3. ep. 4. h 3. ep. 2. i 3. ep. 37.

III.

GREG. SECESSVM PETIT AD SCRIBENDOS DIALOGOS.

Inter hæc autem idem ſanctiſſimus Pontifex laborib. & anguſtijs fatigatus & preſſus, ad modicum temporis ſpatium amicam repetijt ſolitudinem: ita tamen vt in otio eſſet maxime operoſus. Cum enim collegiſſet res præclare geſtas ſanctiſſimorum virorum Italiæ, eorum potiſſimum qui ſua ætate vixerunt, quas vel ipſe probe ſciret, vel à viris fide digniſſimis accepiſſet: diligentiſſimam in his curam impendens, eaſdem per dialogiſmum proſecutus eſt, interlocutorem adhibens Petrum diaconum, virum à pueritia ſibi vſu amicitiæ intimū, quem in eam ſolitudinē ſecum duxerat. Hæc ipſe omnia in exordio operis plurib. aperit. Eos vero Dialogorum libros elaboratos eſſe anno quarto ipſius Pōtificatus (qui ingreditur hoc anno menſe Septemb. vna cum duodecima Indictione) eiuſdem ſæpe in eodem opere teſtificatione certum redditur, dum de peſte agēs quæ Vrbem vexauit eo anno quo ipſe Pontifex creatus eſt, ante trienniū accidiſſe ſemper affirmat [k]. Cum autem ijdem ipſius Dialogi longe poſtea à Zacharia Papa fuiſſent ex Latino in Græcum conuerſi, ita plane expetentibus Græcis: Ioannes [l] diaconus accidiſſe ait vt eorum poſteri eoſdem corruperint, dum quod Gregorius in fine ſecundi libri habet Spiritum S. à Patre Filioque procedere, abſtulerunt ipſi nomen Filij.

k 4. dial. 16. 36. 47. 55. DIALOGI GREG. IN GRÆCVM CONVERSI. l Ioan. diac. in Vit. S. Greg. l. 4. c. 75.

IV.

m Greg. ep. l. 2. Ind. 11. & l. 3. Ind. 12.

GREG. IN SECESSV CVRAM AGIT ECCLESIÆ VNIVERSALIS.

Ceterum ſucceſſionem illam breuem haud extitiſſe Pontificalibus negotijs feriatam, quamplurimæ datæ hoc anno ab eo ad diuerſos epiſtolæ [m] docent: quibus epiſcopos varie peccantes redarguit, puniuit, depoſuitque monachos diſcolos coercuit, puſillanimes hortatus eſt: omniſque conditionis ac ſexus homines in officio cōtinens, qui inter illos afflicti eſſent conſolatus eſt, egeniſque atq; oppreſſis ſubuenit. Puellam [n] ſeruituti obnoxiam, monaſticam vitam amplecti cupientem, redimi Eccleſiæ pecunia voluit, vt voti compos effici poſſet. Illudque aduerſus Iudæos decreuit [o], ne eorum ancillæ vel ſerui ad Eccleſiam confugientes ipſis redderentur: & mancipia Chriſtiana à Naſate Iudæo empta reddi libertati mandauit [p]: ipſumque puniri, quod lucri cauſa captandi Eliæ prophetæ nomine erexiſſet altare, inuitans Chriſtianos ad eius cultum. Cumque audiſſet in angulo quodam Siciliæ adhuc reperiri quoſdam idololatras & Angelorum cultores (quæ Iudæorum hæreſis erat) loci Epiſcopum Eutychium admonuit [q], pro eorum conuerſione ſtrenue laborare. Denique tot ſe occupationibus hoc anno detentum fuiſſe idem ad Narſetem Patricium ſcribens [r] ſignificat, vt (quod ait) ipſe neque legere neque per epiſtolas multa loqui liceret.

n 2. ep. 39. o 3. ep. 9.

p 4. ep. 37.

q 2. ep. 60.

r 2. ep. 63.

V. TVRBÆ IN GALLIA OB DVAS REGIAS MONIALES DISCOLAS.

Hoc eodem anno, qui numeratur Regis Francorum Childeberti decimusquartus nondum abſolutus, contigit vniuerſam Galliam fatigari duarum regiarum monialium cauſa videlicet *Chrodieldis* filiæ Chariberti Regis, ac *Baſinæ* filiæ Chilperici pariter Francorum Regis quæ ſub Sancta Radegunde Regina in monaſterio Pictauienſi profeſſæ virginitatem, poſt obitum eius non patientes ab Abbatiſſa Leubouera, haud paris nobilitatis femina regi, cum ipſæ primatum ambirēt, facta ſeditione foras egreſſæ ſunt, eo prætextu vt apud Reges aduerſus Abbatiſſam

expoſtularent. Verum cum parum apud eos profeciſſent, Pictauos redeuntes ſe intra S. Hilarij baſilicam continuerunt, indeque per armatos nefandiſſimos quoſq; ac perditiſſimos homines cuncta rapinis cædibusq; miſcentes, monaſterium quoq; S. Radegundis diripuerunt, & Abbatiſſam vinculis alligatam abduxerunt: inſuperque plagis intra eccleſiam S. Hilarij tum alios quamplurimos affecerunt, tum ipſum Epiſcopum Pictauienſem nomine Maroucum, necnon Gundegiſilũ Burdigalenſem Metropolitanum, aliosque Epiſcopos prouinciales qui in eam ciuitatem vt his malis mederentur *conuenerant*. Qui quidem Epiſcopi, cum ob eiuſmodi, aliasque horrendas graſſationes eaſdem regias moniales à communione ſuſpendiſſent: hæc ipſorum ſententia approbata eſt ab alio *Conuentu* Epiſcoporum, qui apud Regem Guntheramnum eadem occaſione collecti erant: itemque ab alio rurſum Pictauis celebrato ab Epiſcopis vtriuſq; regni, Childeberti videlicet & Gunthramni: à quibus cauſa exacte diſcuſſa, eædem moniales diſcolæ recuſantes Abbatiſſæ reconciliari, excommunicatæ ſunt, ipſaque Abbatiſſa in monaſterium reſtituta. Hæc omnia pluribus Gregorius [s] Turonenſis, qui eiſdem interfuit: quæ quidem hoc anno cœpta, in ſequentem propagata ſunt. Quo iterum Metis habita *Synodo* (in qua pariter in ordinem redactus eſt Ægidius Rhemenſis Epiſcopus, cõiurationis in vitam Childeberti Regis conuictus) eadem Baſina coram Epiſcopis ſolo proſtrata veniã petijt, eaq; obtenta Pictauos rediens Abbatiſſæ ſe ſubiecit: Chrodieldis autẽ Childeberti Regis precibus in communionem recepta Pictauos item ſed non in monaſterium regreſſa eſt.

PLVRES SYNODI EA DE CAVSA HABITÆ.

s Greg. Tur. 9 hiſt. 39. & ſeqq. & l. 10. c. 15. & ſeqq.

VI.

Hoc item anno, petentibus Francorum Regibus, datum [t] legitur ab eodem Gregorio Papa priuilegium monaſterio S. Medardi Sueſſionenſi in Gallia, quo illud conſtituit caput monaſteriorum totius Galliæ, & nullius voluit ditioni ſubijci, præterquam Sedis Apoſtolicæ. Datum enim ponitur ſeptimo Calendas Iunij anno ab Incarnatione Domini [u] quingenteſimo nonageſimo tertio Indictione vndecima: ſed aduertendum eſt, ſubſcriptionem Epiſcoporum ac Regis Francorum Theodorici eidem priuilegio appoſitam, haud in omnibus congruere his temporibus, ideoque videri poſtea abiectam. Sed & notanda, quam Gregorius addit in fine, ſanctio, dum omnibus Iudicibus, Antiſtitibus, Regibusque ipſis, qui hoc priuilegium in aliquo violare præſumerent, excommunicationem, & dignitatis ſuæ priuationem interminatur: quam eamdem comminationem ab ipſo apponi conſueuiſſe alijs eiuſmodi monaſteriorum vel hoſpitaliũ confirmationibus, conſtat ex alio priuilegio ad inſtãtiam Brunichildis Reginæ conceſſo eccleſiæ, monaſterio, ac xenodochio ab ipſa cõſtructo in ciuitate Auguſtodunenſi, quod extat apud eumdem Gregorium [x]. Idemque à ceteris Summis Pontificibus, æque ijsdem, alijsq; eiuſmodi occaſionibus factitari ſolitum, infinitæ declarant ipſorum conſtitutiones. Quod ſi hæc decernantur in violatores priuilegiorum vnius monaſterij vel xenodochij (ſicut etiam olim argumentatus eſt Gregorius [y] Papa Septimus aduerſus Henricum Imperatorem) quid præſtandum erit in deſtructores ſanctæ matris Eccleſiæ, & fidei Catholicæ oppugnatores.

t Greg. Pap. l. 3. Epiſt. Ind. 11. poſt ep. 38.

u Ita vetere edd. & non. 594. vt habet recens editio.

POENA PRIVATIONIS COMMINATA REGIBVS.

x 11. ep. 10.

y Greg. Sept. l. 4. ep. 21. & l. 8. ep. 21.

VII.

Hic item annus Deo acceptabilis extitit ob conuerſionem Gothorum. Vbi enim Reccaredus Hiſpaniæ Rex Catholicam fidem (vt dictum eſt) profiteri cœpiſſet: ad hoc ipſum hortatus eſt Gothos Epiſcopos, atque magiſtratus & populum: factumque Dei gratia vt perpaucis exceptis, omnes eamdem cum Rege abdicata hæreſi Ariana fidem profiterentur. Cuius rei cauſa, vt cuncta ſolide ſtabilirentur, hoc eodem anno qui numeratur quartus ipſius regni, octauo Idus Maias *Toleti* celebrari voluit CONCILIVM vniuerſale totius Hiſpaniæ, eiuſque etiam Galliæ partis quæ apud Narbonenſem prouinciam ſubiecta adhuc erat Gothis, vt ex Epiſcoporum ſubſcriptione patet. qui interfuerunt omnes numero circiter ſeptuaginta, vna cum ipſo Rege atq; Regina. Quod vero in eius Actis anno quarto Regis Reccaredi iungatur Era ſexcenteſima vigeſima ſeptima, error indubitatus cognoſcitur ex ſtabilito ſuperius eiuſdem Regis ingreſſu. Ipſum autem Concilium auctoritate Apoſtolica celebratum eſſe, ex eo intelligi poteſt dum Lucas Tudenſis ait S. Leandrum epiſcopum Hiſpalenſem, totius Hiſpaniæ hoc tempore celeberrimum, ei interfuiſſe & præfuiſſe, legatione functum pro Romano Pontifice. Quod teſtatur etiam Iſidorus [z]: cum tamen in vulgatis Tomis Conciliorum idem Leander errore omiſſus habeatur, qui primus ſcribi debuerat. Porro extant ipſa Synodi Acta, canonesq; viginti tres in ea editi: itemque Regis oratio fideique profeſſio ſinceriſſima atq; edictum pijſſimum: ac deniq; Gothorũ Catholica aſſertio, & anathematiſmi aduerſus hæreſim Arianam. Verũ & aliquid in eiſdem Actis deſiderari poſſe videtur, cum & regio dicatur [a] ſancitum edicto, vt libri omnes hæreticorum igni comburendi darentur.

CONCIL. TOLET. POST CONVERSIONEM RECCAREDI REGIS.

z Iſid. in Chron. Goth.

a Aimoin. l. 3. de reb. Franc. c. 77.

VIII.

GESTA SYNODI TOLET.

Quod vero ad canones qui reperiuntur ſpectat: inprimis Patres ad integrum cõſequendum conſeruandumq; ſplendorem Hiſpanicarum Eccleſiarum, diu denſo nubilo hæreſis vel ſuperſtitionis Gentilitiæ obſcuratum, ſtatuerunt vt [b] Conciliorum omnium conſtituta, ſimul & Synodicæ SS. Præſulum Romanorũ epiſtolæ in ſuo vigore permanerẽt. Deinde prauum illum abuſum [c] ſuſtulerunt, quo Clerici cõtra antiquam eccleſiæ diſciplinam, relicto tribunali eccleſiaſtico ſe inuicẽ ad forum ſæculare trahebant: idq; ne amplius fieret ſub pœna excõmunicationis prohibuerũt. Ac pariter ex decreto pijſſimi Regis ſtatuerunt [d] vt Iudices ſæculares locorũ, & Actores fiſcaliũ patrimonium ſemel in anno ad Conciliũ prouinciale epiſcoporum cõuenirent, vt ibi diſcerent quã pie & iuſte cum populis agere deberẽt in adminiſtratione ſua: & proſpicerent Epiſcopi qualiter illi cum populis agerent, vt ipſos errantes corrigerent, aut eorum inſolẽtiam Principum auribus inſinuarent quod ſi correptos emendare nequirent, eos & ab eccleſia & à cõmunione ſuſpenderent. Sed & ab epiſcopis deliberaretur, quid per prouincias ſine detrimẽto præſtare deberent Iudices, ſi ad Concilium non venirent. Hæc de ijs canon. At non recens iſtud ab ijs inſtitutum. Siquidem eſt de his antiquior ſanctio Concilij Arelatenſis [e], qua iubentur epiſcopi inuigilare ſuper Præſides prouinciarum, ne quid contra diſciplinã committant: ac ſi id præſumant, eos anathemate percellant. Et antiquiſſimæ ſunt Conſtitutiones imperatorum Chriſtianorum, quibus monentur epiſcopi præeſſe debere Præfectorum tribunalibus. Sed de his dictum eſt ſuis locis.

b Concil. Tolet. III. c. 1.

c Ibid. c. 13.

d c. 18.

EPISCOPI INVIGILARE DEBENT SVPER PRÆS. PROVINC.

e Conc. Arel. c. 7.

Hoc item anno Reccaredi quarto, poſt hoc Concilium Toletanum *Tertium* dictum, celebrata eſt quoque alia SYNODVS [f] *Narbonæ*, cui octo interfuerunt eiuſdem prouinciæ epiſcopi, vna cum Nigetio Narbonenſi Antiſtite: in quo plures renouati ſunt canones antiqui, alijque recens additi ad diſciplinam eccleſiaſticam pertinentes. Pro tantis vero pietatis muneribus, Deus eumdem Reccaredum Regem, cuius opera hæc Concilia celebrata fuerũt, hoc anno eripuit à coniuratione Argimundi ducis exercitus: qui vt Rex fieret, aduerſus eum vna cum pluribus alijs conſpirauerat: quorum ſtudijs Dei nutu detectis, capti omnes meritas de ſe re pœnas. Hæc enim eodem anno quo Concilium Toletanum celebratum eſt, geſta eſſe Ioannes Biclarenſis ponit.

CONCIL. NARBON.

f Huius Concilii Acta nunquã hactenus excuſa, edidit Baron. Annal. To. VIII. an 589. ſede loco non ſuo.

Interea in Oriente hoc eodem anno aduerſus Auares & Slauinos vel Sclauinos, ſub Rege Caiano ſiue Chagano Hunno, Iſtro traiecto Thraciam infeſtantes, varie pugnatum eſſe ab Imperatoris exercitu, & ab eorum incurſionibus Europam liberatã, tum virtute & armis Priſci Ducis, quem primo Imperator à Præfectura depoſitũ poſtea reſtituit, tum eloquentia & perſuaſione Theodori medici, legatione apud eumdem Chaganum pro pace fungentis: pluribus narrat Nicephorus [g]. Quæ quidem præſenti anno contigiſſe, apparet ex literis [h] S. Gregorij Papæ adgaudentis Priſco de ipſius reſtitutione, ſcriptis menſe Iulio Indictionis vndecimæ.

X. DE CHAGANI IRRVPTIONE IN THRACIAM.

g Niceph. l. 18. c. 28. 29.

h Greg. 2. ep. 51. Ind. 11.

Hoc item anno Sigebertus ponit *Tunicam* inconſutilem Domini noſtri IESV CHRISTI in Zaphat non longe ab Hieroſolyma, confeſſione Simeonis Iudæi inuentam,

XI. DE TVNICA SALVATORIS.

trans-

tranſlatam eſſe in eandem ciuitatem à Gregorio, Thoma, & Ioanne Patriarchis Antiocheno, Hieroſolymitano, & Conſtantinopolitano, & publicæ venerationi expoſitam. Hæc ille antiquiorem enim, quem de his citemus auctorem, habemus neminem. Sed ab his diuerſà quodammodo ante hæc tempora ſcripſit Gregorius [i] Turonēſis, dum ait ſe ex quorumdam relatione didiciſſe, eamdem Tunicam magna veneratione iam olim habitam fuiſſe in vrbe quadam Galatiæ.

i Greg. Tur. 1. Mirac. 8.

XII. De Golanduch martyre.

Hoc præterea tempore claruiſſe in Perſide inſignem feminam Chriſtianam nomine *Golanduch*: eamdemque poſt multa tolerata à Magis tormenta, ingentiaque edita miracula, coronā martyrij aſſecutam eſſe: Euagrius [k] tradit. Vocatur ea apud Nicephorum [l] *Colinduch*, vbi & quædam de ea narrantur captu difficilia ex Stephano epiſcopo Hieroſolymitano ipſius vitæ ſcriptore. Sed quidquid ſit, certum eſt eam celebratam eſſe cultu anniuerſario ab Orientalibus, penes quos paſſa eſt.

k Euagr. l. 6. c. 19.
l Niceph. l. 18. c. 25.

IESV CHRISTI AN. 594.

Mauritii An. 12.

GREGORII AN. 5.

I. ANNO Chriſti quingenteſimo nonageſimo quarto Indictionis duodecimæ Gregorius Papa inter alia egregia quæ præſtitit, ſcripſit [a] aduerſus Schiſmaticos Trium capitulorum defenſores pro defenſione Quintæ Synodi, ad Theodolindam Reginā adhuc ijſdem ſchiſmaticis fauentē, & Conſtantium epiſcopum Mediolanēſem perſecutionem ab ijs patientem. Idemq; aduerſus Donatiſtas in Africa inualeſcentes, epiſcopos [b] negligentes incitauit: Dominicum vero Carthaginenſem epiſcopum, qui Concilio contra eos habito ſanxerat, vt epiſcopi qui hæreticos non inquirerent & expellerēt, dignitate ac bonis priuarentur: à nimio hoc impetu [c] reuocauit, quòd maiores videret id concitaturum inter ipſos epiſcopos diſcordias. Ac de conuertendis Iudæis pariter ſolicitus, eos non violētia, ſed ſpe præmij allici debere [d] monuit. Multumq; laborans [e] in Barbaricinis populis qui Sardiniæ montes incolebant (quos olim ex [f] Africa Wandali in eam inſulam expulerant) à Gentiliſmo ad fidem reducendis: id tandem [g] præſtitit. Sed & cū Dalmatiæ [h] Epiſcopi iā anno ſuperiori in Salonitanū Metropolitanum elegiſſent Maximum quemdam virum prauum ac ſimoniacum, quē ipſe Greg. reiecisset: ijdem nihilominus, Imperatoris iuſſione prætenſa eumdem conſecraſſent: eos omnes Gregorius hoc anno à cōmunione ſuſpendit. Ioannē quoq; Rauennatem epiſcopum (quem iam ante redarguerat [i], quòd præter eccleſiaſticam cōſuetudinem, nec tempore nec loco decenti pallio vteretur) iterum hoc anno cum de eadem re tum de alijs prauis moribus corripuit [k]. Deniq; quamplurima alia exhibuit egregia paſtoralis vigilātiæ exempla in epiſcopos negligētes, aut nimium præſumentes: necnon in monachos regulas ſuas tranſgredientes: itemq; charitatis erga pauperes: atq; curæ diuerſarum eccleſiarū, aliorumq; locorum ſacrorum: quæ omnia apud eum [l] videre licet.

a Greg. 3. ep. 35. & 37.
b 3. ep. 32. & 35.
Epiſcopi Carthag. coercetur impetus indiſcretus.
c 4. ep. 1.
d 3. ep. 5. & 4. ep. 6.
e 3. ep. 23. & 133.
f Procop. de bel. Wand. l. 2. Mem. necnon eorumdem Iuſt. l. 2. de off. P. P. Afr.
g Greg. 4. ep. 13. ad Conſt. Aug.
h 3. ep. 15. & 20.
i 2. ep. 54. Ind. 11.
k 4. ep. 15.
l l. 3. Epiſt. Ind. 12. & l. 4. Ind. 13.

II. Illud vero non omittendum, quod cum Auguſta Conſtantina Mauritij Imperatoris vxor in ſuo palatio eccleſiā in memoriam S. Pauli ædificaſſet, & ab eodem Gregorio expetijſſet vt Conſtantinopolim mitteret eiuſdem Apoſtoli caput, ſiue partem aliquam eius corporis: idem Pontifex [m] ſibi id minime licere multipliciter excuſauit, multis additis miraculorum exemplis, quæ edi conſueuiſſent cum quid ex ſacris Reliquijs tranſmutare Romæ quis auderet: ſed earum loco mitti ſolere ait Brandea, per quæ tantæ virtutes fierent, quantæ per ipſa Sanctorum corpora. Pollicetur autem, ſe eidem Auguſtæ miſſurum de catenis quas S. Paulus in collo & manibus geſtaſſet, ex quibus plurima miracula demonſtrarentur: quorum illud non minimum, quod cum frequenter multi peregrini aliquid ex limatura earumdem catenarum peterent, ſacerdos cui ea eſſet cura cōmiſſa, aliquibus petentibus nulla difficultate vel mora de iiſdem ramenta lima excuteret, quibuſdam vero diu per catenas ducta lima nihil penitus excutere valeret.

Greg. caput S. Pauli denegat Auguſtæ.
m 3. ep. 30.
De catenis S. Pauli.

III. Hoc item anno, qui quintus numeratur Reccaredi Hiſpaniæ Regis, pridie Nonas Nouembris celebrata eſt SYNODVS HISPALENSIS, cui præfuit S. Leander eiuſdem ciuitatis epiſcopus. Interfuerunt pariter alij ſeptem epiſcopi: qui tria in Synodo decreta firmata ad Pegaſium Aſtigitanum in eadem prouincia epiſcopum direxerūt. Inter quæ illud memorabile, quò ſtatuerunt Iudices ſæculares (permiſſione tamen epiſcopi) ſeparare debere ancillas, aliaſq; extraneas mulieres à clericis. Quod enim frequentiſſime legibus eccleſiaſticis id fruſtra vetitum videret, voluit S. Synodus laicos iudices inſurgere læſæ ſæpius legis eccleſiaſticæ vindices. Præter autē tres dictos canones collegit ex diuerſis locis, Hiſpalenſis Cōcilij alios vndecim, vir inſignis Garſias Loaiſa in editione quam ſumma elucubrauit induſtria Hiſpanorum Conciliorum.

Concil. Hiſpal.
Mulieres à clericis ſeparandæ per magiſtratus.

IV. Quod ad res pertinet Orientales: hoc eodē anno mortuo Gregorio epiſcopo Antiocheno, in eius locum reſtitutus eſt *Anaſtaſius* Sinaita, qui viginti tribus antehac annis in exilium pulſus fuerat. Hæc Euagrius [n]: cui conſentiunt S. Greg. Papæ [o] ad eumdem Anaſtaſium gratulatoriæ ſcriptæ literæ Indictione decimatertia, quæ cœpta eſt hoc anno menſe Septembri. Addit vero Euagrius, paulo quoq; poſt defunctum eſſe Ioannem Hieroſolymorum Antiſtitem: ſucceſſorem tamē non appoſuit, quia (vt ait) antequam aliquis in locum eius ſufficeretur, ipſe finem hiſtoriæ ſuæ impoſuit, anno duodecimo regni Mauritij Imp. qui inchoatur hoc anno menſe Auguſti. Sed cōſtat [p] Ioanni ſuffectum eſſe *Amos* antea Abbatem. Quiſnam autem alius præter Euagrium, res geſtas ſub Mauritio proſecutus ſit: habes ex Actis Nicænæ [q] poſterioris Synodi, S. Leontium Conſtantiæ in Cypro epiſcopum ſcripſiſſe tribulationes quas his temporibus eccleſia Dei paſſa eſt: ſed hactenus incompertum nobis opus, vel excidit, vel latet. His autem prope diebus emerſit in lucem *Theophylactus* cognomento Simocatus Græcus hiſtoricus, qui Mauritianam ſcripſit hiſtoriam, de qua ſuperius.

Anaſt. Sinaita reſtituitur ſedi Antioch.
n Euagr. l. 6. c. 21.
o Greg. 4. ep. 37.
p Id. 7. ep. 7. Ind. 1. Pra. Spir. c. 149.
q Conc. Nic. II. Act. 4.
Scriptores rerum ſub Maurit. Imp. geſtarum.

IESV CHRISTI AN. 595.

Maurit. An. 13.

GREGORII AN. 6.

I. ANNVS Domini quingenteſimus nonageſimus quintus Indictione decimatertia, vniuerſæ Italiæ calamitoſus extitit: cum recuperatis per Romanum Rauennæ Exarchum quibuſdam ciuitatibus quæ à Longobardis tenebantur, horum Rex Agilulphus furore percitus nō ſolum eaſdem iterum cepit, ſed & ipſum agrum Romanum maxima depopulatione vaſtauit: vt conſtat tam ex Paulo [a] Diacono, quàm ex Gregorio [b] Papa, qui hoc eodem tempore flagitante populo difficillimas Ezechielis Prophetias pro concione interpretabatur. Quod quidem admirati ſunt [c] cordati omnes: vt videl. ſub oneroſo faſce curæ totius Orbis, & in tanto diſcrimine Orbis, potuerit Gregorius in his philoſophari, & populus in eodem periculo conſtitutus conciones tales ab eo exigere: cum præſertim S. Hieronymus nullo paſtorali onere prægrauatus, ſed ſolum ſacris litteris incumbens, teſtetur [d] interpretationem in eum qui quod in Oriente ipſe tunc degens audiſſet Occidentalem Orbem, Vrbemque vaſtari à Gothis. At vero S. Gregorius vix tunc à cœptis eſt violenter abſtractus, vbi vallata Vrbe, vulnera ciuium, vincula, atque cædes eſt oculis contemplatus.

a Paul. diac. l. 4. c. 7.
b Greg. in Ezech. homi. 13. 18. & 22.
c Bernard. de conſid. l. 1. ad fi. & alibi.
Greg. PP. contemplatione et actione præpuus.
d Hier. ep. 92 ad Marcel.

II. Quod autem & antea & præſenti anno graſſantibus Longobardis in omnes Italiæ regiones, Roma fuerit inacceſſa, præſtitit hoc vigilantia Romanorū Pontificum, qui præter iuges excubias in vigilijs, ieiunijs, & orationibus, addiderunt vt Eccleſiæ pecunijs redimerent vexationem: prout idem Gregorius hoc item anno ſcribens [e] ad Conſtantinam Auguſtam teſtatus eſt: qui tamē alibi [f] totum id

Quib. artibus Vrbs libera permanſerit à Long.
e Greg. 4. ep. 34. Indict. 13.
f 7. ep. 23. Ind. 1.

tribuit non largitiomi pecuniarum, ſed Petro Apoſtolo vigilanti ſuper cuſtodiam Vrbis: rurſumq; alio loco [g], lacrymis, orationibus; & diſtrictiſſimæ abſtinentiæ monialium, quarum tria millia in Vrbe tunc fuiſſe teſtatur. Cum nihilominus alia Epiſtola [h] ſatis ſibi virium fuiſſe aſſerat, vt hoſtes internecione deleret ſi voluiſſet; ſed deſtitiſſe, quod ægro animo ferret humanum ſanguinẽ bello fundi. Itaq; nihil vtilius putauit, quam vt cum Agilulpho pax componeretur, quem ab ea non alienum ſciret. Qua de re cum per Seuerum [i] Exarchi Scholaſticam apud ipſum Exarchum egiſſet. Exarchus vero rem ad Imperatorẽ detuliſſet: ipſe Mauritius Auguſtus eumdem S. Gregor. datis ad eum literis vt nimis ſimplicem deriſit, quod adeo facile crederet Regi Longobardorum: pariterq; de pluribus alijs cõqueſtus eſt, nulla Summi Sacerdotij habita ratione: ad quem reſcribens [k] Gregorius, & obiecta diluit, & de honore cultuque quo debeant omnes ex præſcripto legis diuinæ venerati ſacerdotes, ipſum Imperatorem admonuit.

g 6. ep. 23. Ind. 15.
h 7. ep. 1. Ind. 1.
i 4. ep. 29.
k 4. ep. 31.

III. IOAN. EPISC. CONSTANTINOP. INSVRGIT IN GREG.

Sed aliæ maiores eum preſſerunt anguſtiæ. Nam quo magis ipſum deſpectui habitum ſciret ab Imperatore Ioannes Conſtantinopolitanus, eo arrogantius in eumdem inſurgens, ſolita temeritate inſolentius proſequutus eſt quod cœperat aduerſus Apoſtolicam ſedem, Vniuerſalem ſe pontificem vbiq; nominare. Quin etiam eo vſque progreſſus eſt, vt Ioannis presbyteri (de quo ſuperius) acta Romam diſcutienda vt iuſſus fuerat mittens, eaq; in re ſe Romano Pontifici ſubditum agnoſcens: in ijſdem tamẽ Actis ſe pene per omnem verſum, *Oecumenicum Patriarcham* nominaret: quod ipſe Gregorius teſtatur in epiſtola [l] quam hoc eodem anno ſcripſit ad Sabinianum diaconum (ſic enim in inſcriptione corrigẽdum eſt) Apoſtolicæ Sedis Apocriſariũ Conſtantinopoli agentem. Quamobrem qui hactenus aberrantem Ioannem ſumma tolerauerat patientia, ac per Apocriſarios ſuos verbis redarguerat: hoc potiſſimũ anno excitatus in ipſum Gregorius, tum eumdem literis ſuis [m] corripuit, ipſumq; Sabinianum [n] admonuit ne vllo modo cum illo communicaret, ne eius videretur fauere ſuperbiæ: tum ad [o] Mauritium Imperatorem, Conſtantinam Auguſtam, Eulogium epiſcopum Alexandrinum, & Anaſtaſium Antiochenum, alioſque aduerſus eum literas dedit: quibus omnibus cum plura inculcet in deteſtationem ſuperbi illius nominis *Patriarchæ Vniuerſalis*, demum addit [p], ei conſentire nihil aliud eſſe quam fidem perdere: nimirũ quod cum à Chriſto, vni Petro præfectura fuerit gregis vniuerſalis credita, (hac enim in re Petri Apoſtoli cauſam agi docet) [q] ſi quis eiuſmodi ſtabilitam violauerit hierarchiam, aliter ſentire videretur quã ipſe Dominus ſentiẽdum præcepit Ideoq; & alibi [r] oſtendit, eſſe præcurſorem Antichriſti, qui ſuperbum illud ſibi nomen vſurpat. Vt non ſit mirandum, ſi vnius voculæ occaſione adeo Gregorius laborauerit, cum etiam vnius interdum ſyllabæ aut etiam literulæ cauſa fuerit Sanctis Patribus aduerſus Arianos atq; Eunomianos hæreticos diu multumque pugnandum.

l 4. ep. 19.
GREG. SCRIPTIS AGIT CONTRA IOANNEM.
m 4. ep. 38.
n 4. ep. 39.
o 4. ep. 32. 34. 36.
p 4. ep. 39.
q 4. ep. 34.
r 5. ep. 30. ad Mauric. Imp.

IV. DE NOMINE VNIVERSALIS.

Quod autem ad ipſum vocabulum *Vniuerſalis Patriarchæ* ſpectat: cum illud Gregorius in dictis epiſtolis ſingularitatis nomen appellet, per quod (vt ait) vniuerſi alij ſacerdotes honore debito priuarentur: ſatis euidenter conſtat id Gregorium accepiſſe pro ſingulari & vno ſolo, præter quem nemo ſit: ita vt ei reliqui omnes Epiſcopi ſubeſſent vt filij & vicarij, & non vt fratres & in adminiſtratione collegæ. Quo quidem ſenſu ſolus Chriſtus eſt Vniuerſale Eccleſiæ caput: ipſaq; eccleſia Vniuerſalis, dicitur vna toto vrbe diffuſa, extra quã nulla poteſt eſſe eccleſia: eaq; demum ſignificatione negauit Gregorius vllum Romanorum Pontificum illud ſibi nomen vſurpaſſe. At vero alia eſt eiuſdem nominis ſignificatio, qua dicitur Vniuerſale: hoc eſt, quod remanentibus partibus integris, ipſum ceteris ſupereminet: qua ratione vetuit olim Pelagius Papa, ac poſtea Gregorius, inter Patriarchas dici aliquem Oecumenicum: de Orientalibus vtiq; intelligentes, quod nequaquam alteri alterum vellent eſſe ſubiectum. Sed eo ſenſu Leonẽ Papam ſæpe in ipſo Generali Concilio Chalcedonenſi, alioſque alibi Romanos Pontifices dictos reperiri Vniuerſales Epiſcopos, & Vniuerſalis Eccleſiæ Antiſtites, manifeſtum faciunt antiqua monumenta: idque abſque aliquo faſtu cum eo nomine id quod eſt exprimatur, nempe quod ipſis cura paſtoralis vniuerſi gregis totius orbis concredita ſit: quam ſemper vbique & in omnes exercuiſſe, abunde his Annalibus demonſtratur: patetque de ipſo Gregorio ex eius epiſtolis, quibus ſingulis annis quamplurimas ex diuerſis vniuerſæ Chriſtianitatis Eccleſijs ad Apoſtolicam ſedem delatas cauſas decidit. Deniq; (vt egregie Innocẽtius [s] Papa Tertius longe poſtea aduerſus Græcorũ obiectiones interpretatus eſt) cum eccleſia duabus de cauſis Vniuerſalis vocetur, nempe vel quod de vniuerſis conſtet eccleſijs, quæ Græce *Catholica* nominatur: vel quod ſub ſe contineat eccleſias vniuerſas: prima quidem acceptione, eccleſia Romana non eſt vniuerſalis eccleſia, ſed pars Vniuerſalis eccleſiæ, prima videlicet & præcipua, veluti caput in corpore, quoniam in ea plenitudo poteſtatis exiſtit, ad ceteras autem pars aliqua plenitudinis deriuatur. Secunda vero nominis ratione Romana eccleſia, ipſaque ſola Vniuerſalis nuncupatur, quoniam ipſa ſola ſingularis priuilegio dignitatis ceteris eſt prælata.

QVO SENSV ROM. PONT. DICATVR VNIVERSALIS.
s Innoc. III. 2. ep. 198.

V. GREG. PAPÆ HVMILITAS.

Cur autem tãtum Gregorius abhorruerit ipſum quodcumque Vniuerſalis Epiſcopi nomen, declarat ipſe: nempe quod faſtuoſum nimis eſſe videretur, & Chriſtianæ humilitati minime congruens. Vnde nec adeo mireris ſi ſe negat dici velle Vniuerſalem, qui in alia epiſtola [t] ad Mauritium Imperatorẽ hoc eodem anno ſcripta, ſe etiam negat ſacerdotem eſſe: quemadmodum & olim S. Paulus [u] indignum ſe dixit vocari Apoſtolum: Denique vt paucis ſenſum Gregorij ex Gregorij verbis expreſſum habeas: illum abunde patefacit quod alibi [x] ait, ſi qua culpa in Epiſcopis inuenitur, omnes Epiſcopos Apoſtolicæ ſedi eſſe ſubditos: cum vero culpa non exigit, omnes ſecundum rationem humilitatis æquales eſſe. Cuius regulæ perennem praxim obſeruare licet in dictis factiſq; ipſius. Nam & cum hoc ipſo tempore ageretur Romæ cauſa Ioannis & Athanaſij presbyterorum, qui à iudicio eiuſdem Ioannis Epiſcopi Conſtantinopolitani Sedem Apoſtolicam appellauerant: ex alijs ipſius Gregorij literis [y] intelligere poſſumus, Ioannem quidem presbyterum Chalcedonenſem (qui hæreſis iniuſte Conſtantinopoli damnatus fuerat) in Synodo ea de cauſa Romæ habita repertum innocentem, abſolutum eſſe: Athanaſium [z] autem inuentum eſſe aliqua ex parte Manichæum: ſed & eius accuſatorem eſſe pariter conuictum Pelagianum, repertumque falſatum codicem Epheſini Concilij, qui miſſus Conſtantinopoli fuerat. Quando enim in Conſtantinopolitano iudicio fuit ipſe Athanaſius condemnatus, magna tunc accidit vecordia atq; imperitia, ne dixerim malitia Ioannis Epiſcopi, vt apud ipſum ederetur Synodus Secunda Epheſina pro Prima, Conciliabulum videlicet Neſtorianorum pro Oecumenica Synodo Orthodoxorum. Quod non ſemel ab ipſo factum, ſed iterum etiam in cauſa quorumdam monachorum idem Gregorius teſtatus eſt poſtea ſcribens [a] ad Eulogium Alexandrinum & Anaſtaſium Antiochenum, Quibus videas eum qui nimio faſtu vocari voluit Oecumenicus, nimiã ignorantia aut dolo ſub auctoritate Concilij Oecumenici, niſi vetus Epiſcopus Oecumenicus vigilaſſet Gregorius, Pelagianam hæreſim antea ſæpe damnatam rurſum introducturam fuiſſe in eccleſiam.

t Greg. 4. ep. 31.
u 1. Cor. 15.
x 7. ep. 64. Ind. 2.
GREG. COGNOSCIT DE IVDICIIS CONSTANTINOPOL. EPISC.
y 6. ep. 15. & 16. Ind. 14.
z 5. ep. 14.
a 6. ep. 31. & 7. ep. 48.

VI. CONCIL. ROM. IN CAVSA IOANN. PRESB. CHALCED.

Sed quod ad dictum CONCILIVM in ea cauſa Romæ collectum ſpectat: habitum illud hoc anno Mauritij Imperatoris decimotertio, indictione decimatertia, die quinta Iulij, cõſtat ex ſcriptis [b] eiuſdem S. Gregorij. Suntque in eo præterea ſtatuti ſex canones ad diſciplinam eccleſiaſticam pertinentes: quibus ſubſcripſerunt Epiſcopi viginti duo, ac S. R. E. presbyteri triginta quatuor. Inter canones autem quartus eſt, vt corpora Romanorum Pontificum ſine tegmine deferrentur ad ſepulturam: ea nimirũ occaſione, quod cum (vt ait) Dalmaticis tegerentur, ipſas poſtea populus inter ſe partitus loco ſacrarum reliquiarum aſſeruarent: quem monuit, vt è corporibus

b 2. ep. 4. ſubſeq. 44.

potius

potius Apoſtolorum ac Martyrum velamina acciperent. Ita namque ſibi Gregorius viuens conſultum volebat, ne poſt mortem coleretur vt Sanctus. Denique in ſcripto codice Sublacenſi reperimus, in Concilio Romano eumdem Pontificem probaſſe & confirmaſſe Regulam S. Benedicti.

VII. De causa Maximi Salon. — c 4. ep. 14. 5. ep. 1. Ind. 14.

Hoc item anno Mauritius Imperator tyrannice aduerſus eumdem Gregorium agens, Maximum in Eccleſiam Salonitanam intruſum, & à Gregorio cenſuris eiectum, iamque in contemptum Sedis Apoſtolicæ apertius exilientem, per ſuos miniſtros in Eleuſia illa Epiſcopum retinuit. Qua de re cum Augusta Gregorius [c] expoſtulans, multaque inſuper Imperatori inſinuanda Sabiniano [d] Apocriſario ſuo ſcribens: conteſtatus eſt ſe paratiorem eſſe mori, quam B. Petri Eccleſiam ſuis diebus denegare. Cum vero omnino voluiſſet, vt idem Maximus Romam cauſam dicturus accederet: tamen conceſſit poſtea vt Rauennam ſe conferret vbi delegatum à Sede Apoſtolica haberet iudicem Marianum Epiſcopum. Apud quem cum Maximus iuramento præſtito ſuper corpus S. Apollinaris ſe purgaſſet de ſimoniaca labe ipſi impoſita, accepta pœnitentia de inobedientia qua peccaſſet in Sedem Apoſtolicam, Salonas permiſſus eſt redire: cui & expetenti idem Pontifex pallium miſit. Hæc autem conſtant ex epiſtolis [e] ipſius Gregorij datis Indictione ſecunda: vnde appareat cauſam hanc cœptam Indictione duodecima perduraſſe annos quinque.

e 7. ep. 79. 80. 81.

VIII. — f 4. ep. 50. Ind. 13.

Hoc pariter anno cum idem Gregorius pro corrigendis nonnullis quæ aduerſus ſacros canones in Gallijs agerentur, literas dediſſet [f] ad Virgilium Arelatenſem Epiſcopum (cui & pallium miſit, & vices ſuas ex more delegauit) necnon ad [g] alios Galliarum Antiſtites: vt id omnino perfici poſſet, regias manus in Auxilium petens, de ijſdem ad [h] Childebertum Francorum Regem ſcripſit, necnon ad [i] eius matrem Brunichildem Reginam: vbi inter alia de ipſo Francorum Regno atq; Rege hæc habet, *Non immerito contigit, vt cuncta gentium regna præcelleret: quippe earumdem gentium Creatorem & pure colit & veraciter confitetur.* Et rurſum poſtea ap [k] eumdem Childebertum, *Quanto ceteros homines regia dignitas antecedit, tanto ceterarum gentium regna, regni veſtri profecto culmen excellit. Eſſe autem Regem, quia ſunt & alij, non mirum eſt: ſed eſſe Catholicum, quod alij non merentur, hoc ſatis eſt. Sicut enim magnæ lampadis ſplendor in terra noctis obſcuritate luminis ſui claritate fulgeſcit: ita fidei veſtræ claritas inter aliarum gentium obſcuram perfidiam rutilat ac coruſcat*: & alia eiuſmodi. Dedit vero has literas Candido presbytero, quem ad curandum patrimonium S. Petri quod habebat in Gallijs, miſit ad eumdem Regem: & vna cum literis munus dedit rege Chriſtianiſſimo dignum, videlicet Claues S. Petri in quibus de limatura catenarum eius aliquid incluſum eſſet.

g Ibid. ep. 52.

h ep. 51. 15. ep. 5. Ind. 14.

Laudes regni et regis Franc.

k 5. ep. 6.

IX. De Anglor. conversione Greg. cogitat. — l 5. ep. 10.

Sed & cum nouiſſet in Gallijs complures detineri iure belli captiuos Anglos, venaleſque exponi: idem Pontifex gentis Anglorum, quæ Britanniæ Inſulæ magna ex parte domina facta eſſet, ſed Gentiliſmum adhuc coleret, conuerſionem animo verſans: eidem Candido in mandatis dedit [l], vt ex ijſdem captiuis Anglis adoleſcens emeret, qui monaſterijs bene inſtruendi committerentur. Nouiſſe vero antea Anglos Gregorium Romæ venum expoſitos, tradit Ioannes diaconus: admiratumque in eis vultus elegantiam, eoſdem Anglos nominaſſe, emptoſque cenſuiſſe non vt alia mancipia tradendos glebis, ſed inter Angelos collocandos, in monaſterijs ſcilicet ad vitam monaſticam excolendam. Quid vero poſt hæc contigerit, dicetur anno ſequenti.

X. — m 4. ep. 14. Ind. 13. — n 4. ep. 45. — De Mariniano Epis. Raven. — o 4. ep. 54. & 5. ep. 8. — p ap. Rub. hist. Raven. l. 4.

Hoc eodem anno mortuus eſt Ioannes ille Epiſcopus Rauennas, quem ſæpe antea ob alia correptum, proxime quoque irriſorem & faſtu tumentem, duplici animo ambulantem, Gregorius [m] redarguerat: in cuius locum ſubrogatus [n] eſt Marinianus valde ipſi Gregorio probatus, quocum diu in monaſterio fuerat conuerſatus: cui & pallium [o] ſtatutis diebus vtendum, & confirmationem priuilegiorum Eccleſiæ olim Rauennati à Romanis Pontificibus traditorum conceſſit. Fertur [p] autem alia eiuſdem S. Gregorij nomine epiſtola ad eumdem Marinianum ſcripta de priuilegijs eiuſdem Eccleſiæ Rauennatis: ſed quæ ex multis commentitia conuincatur: eadem (vt puto) manu conſarcinata, quæ eodem argumento Valentiniani Imperatoris reſcriptum confinxit, quod ſuperius ſuo loco refellimus. Ceterum quem præſenti anno ſuis literis magnopere laudauit Gregorius Marinianum, eumdem poſtea acriter reprehendere oportuit [q] de auaritia & oſcitantia. Ita namque humanæ conditionis fert inſtabilitas, vt mutatione ſtatus mutari interdum homines, atque virtutes in vitia conuerti facile poſſint. Eumdem tamen rurſum laudaſſe [r] reperitur ac ſi ſanctiſſimus eſſet, & ægrotans ipſe eumdem ægrotantem conſolatus eſſe.

q 5. ep. 28. & 29. Ind. 14. & 8. ep. 9. Ind. 1. — r 9. ep. 28. & 11. ep. 34.

XI. — s Greg. Tur. 10. hist. 25. — De arreptitio impostore in Gallia.

Hoc item anno, qui numeratur à Gregorio [s] Turonenſi Regum Francorum Childeberti decimus ſextus, & Gunthramni trigeſimus, per prauum dæmonem excitatus eſt in Gallijs pſeudopropheta. Quidam enim *homo Bituricenſis*, dum in ſilua ligna cæderet, diaboli nequitia muſcarum circumſeſſus examine, indeque amens redditus, poſt biennium tranſactis vrbibus propinquis, Arelatenſem ac Gabalitanam regiones adijt: ibique indutus pellibus quaſi religioſus viuens, accepta demum à dæmone vaticinandi atque ſanandi poteſtate, in tantum ſe extulit vt Chriſtum ſe profiteretur, aſſumpta ſecum quadam muliere quam Mariam vocaret, & partem Deitatis habere diceret. Cumque iam multitudo ingens populi eum ſequeretur, ipſeque Epiſcopis & alijs à quibus adorari deſpiceretur minas intentaret, atq; etiam ciuitates vi aggredi pararet: idem per miſſos ab Aurelio Epiſcopo Vellauenſe ſtrenuos in medio ſuorum gladijs confoſſus eſt: Maria autem ſupplicijs ſuppoſita, omnes eius præſtigias publicauit. Porro eiuſmodi impoſturæ architectus diabolus æmulatus eſt gloriam Dei, quam hoc eodem tempore conſecutus eſt ex Sancto ſuo *Aredio* Lemouicenſi: qui Spiritus S. gratia per viſibile columbæ ſignum repletus, & ipſe femina, nempe matre ſua S. Pelagia comminiſtra vſus ad ſublime culmen ſanctitatis euectus: deuicto diabolo glorioſus comitantibus Sanctis in cœlum aſcendit: cuius primordia, progreſſus, & exitum, reſque in eis mirabiliter geſtas, idem Gregorius [t] breuiter perſtrinxit. Poſt quorum narrationem, poſtque appoſitam ſeriem Turonenſium Epiſcoporum, ipſe idem S. Gregorius finem hiſtoriæ Francorum impoſuit, propagatæ in quintum vſque annum Gregorij Papæ, qui cœptus eſt anno ſuperiori menſe Septembri. Adiecit vero & catalogum ſcriptorum ſuorum, vna cum graui conteſtatione, ne quis ob ruſticitatem ſermonis eos aboleret vel mutaret.

De S. Aredio Lemovicensi.

t Ibid. c. 29.

IESV CHRISTI ANN. 596.

Mauritii an. 14.

GREGORII AN. 7.

I. De Ioan. Constantinop. obitu.

ANNO Chriſti quingenteſimo nonageſimo ſexto Indictionis decimæquartæ, tumidum illum ſuperbia Ioannem Conſtantinopolitanum is qui ſuperbis reſiſtit Deus ex hac luce ſubtraxit, poſt Epiſcopatus ipſius annos tredecim, vt habet Nicephorus: qui quod ieiunijs & eleemoſynis magnam viuens ſibi laudem comparaſſet, poſt mortem à ſuis ſanctus fa ſo eſt habitus: eaque opinione propagatum eſſe nomen eius ad poſteros, conſtat ex eodem Nicephoro [a]. Subſtitutus autem in locum eius *Cyriacus* Oeconomus optimi vir nominis, ſimulac thronum conſcendit, ad promerendam à Romano Pontifice Catholicam communicationem, Legatos ad Gregorium Papam vna cum literis & fidei profeſſione Romam miſit. Sed licet ad eum reſcripſerit Gregorius [b], reciprocamque miſerit Catholicæ fidei regulam, ac pariter alias reddiderit de eius electione gratulatorias ad Mauritium Imperatorem & Epiſcopos qui eum ordinarant, literas: nihilominus tamen dedit Sabiniano Apocriſario ſuo in mandatis, ne aſſiſteret eidem Cyriaco ſacra Miſſarum ſolemnia celebranti niſi vſurpatum à prædeceſſore illicitum nomen Oecumenici penitus dimitteret: de

a Niceph. l. 18. c. 34.

b Greg. 6. ep. 4. 5. 6. 7. Ind. 14.

Digitized by Google

c 6. ep. 15.
QVINAM PER CHRISTVM LIBERATI FVERINT AB INFERIS.

quo dicetur anno ſequenti. Interea vero poſtquam illos Cyriaci Legatos dimiſiſſet, admonuit [c] eoſdem abſentes adhuc in via poſitos, de quadam ipſorum aſſertione erronea, qua dixiſſent omnes quotquot in inferis confeſſi eſſent Chriſtum Deum, ab eo liberatos eſſe: quam quidem ſententiam diu ante damnatam eſſe demonſtrat aſſertione SS. Philaſtrij & Auguſtini. Quidque de his ſentiat Catholica Eccleſia, paucis declarat: nempe deſcendentem ad inferos Dominum illos ſolummodo ab inferni clauſtris eripuiſſe, quos viuentes in carne per ſuam gratiam in fide & bona operatione ſeruauit.

II.
AVGVST. ET ALII AD ANGLOR. CONVERSIONEM MISSI.

Cum autem Gregorius Angelorum gentis conuerſionem iam antehac (vt vidimus) meditatus eſſet, hoc anno Auguſtinum monaſterij ſui Præfectum, virum ſanctiſſimum, cum alijs quibuſquam ipſi adiunctis ſocijs in eam rem mittit in Angliam. Hi vero cum in Gallias perueniſſent, deſpondentes ob rei difficultatem animum, Auguſtinum Romam remiſerunt qui eiuſmodi cœptum Pontifici diſſuaderet. Sed ipſe operi vehementius inſtans, & remiſit mox Auguſtinum, & eos qui in Gallijs remanſerant inchoatum iter perficere hortatus eſt literis, quas recitat hæc narrans Beda [d] in Rebus geſtis Anglorum: meminitque eorumdem Ioannes diaconus in Vita [e] S. Gregorij. Quæ quidem hoc anno geſta eſſe, tum ex eodem Beda conſtat, dum ea conſignat Indictione decimaquarta, & anno Imperij Mauritij pariter decimoquarto: tum ex multiplicibus literis [f] quas ipſe Gregorius redeunti ad opus Auguſtino commendatitias dedit ad Reges Francorum, & diuerſos Galliarum Epiſcopos, quæ omnes datæ ponuntur menſe Iulio eiuſdem Indictionis decimæquartæ. Sed quid poſt hæc fieri contigerit, dicetur inferius pro ratione temporis. Ex ijſdem vero S. Pontificis ad Francorum Reges tunc ſcriptis epiſtolis colligi poſſe videtur, hoc ipſo anno eiuſdem Indictionis decimæquartæ defunctum eſſe Childebertum Regem, ſuique regni reliquiſſe heredes Theodoricum atque Theobertum filios ſuos: cum videlicet ſexta libri quinti epiſtola ad Childebertum conſcripta ſub eadem Indictione ponatur, rurſumque epiſtola eiuſdem libri quinquageſima octaua ſcripta appareat ſub eadem pariter Indictione ad dictos Theodoricum atque Theodobertum. Atque ex his alij videntur redarguendi Chronographi, qui in annum ſexcenteſimum iſtorum ponunt ingreſſum.

d Bed. de reb. geſt. Angl. l. 1 c. 23.
e Ioan. diac. Vit. S. Greg. l. 2 c. 34.
f Greg. 5. ep. 52. & ſeq. 59.

III.

Hoc item anno, præter conſuetos ſingulorum annorum, iugeſque eiuſdem Gregorij labores pro continendis confirmandiſque Catholicis, & compeſcendis conuertendiſque hæreticis, ſchiſmaticis, atque Iudæis: omnium ex officio curam gerens, illud Epiſcopos magnopere admonuit, ne contentiones haberent cum prouinciarum Præſidibus, ſed eos officijs promereri ſtuderent, eo quod magnopere conduceret ſi cum ſæcularibus miniſtris Epiſcopi concordes eſſent. Eſt de his elegans eius Epiſtola [g] ad Ioannem Epiſcopum Syracuſanum: quem admonet vt ſi opus ſit Miſſas etiam in domo Venantij Præfecturam illic gerentis celebrari faciat, ex quibus intelligas, in domibus etiam priuatis conſueuiſſe dici Miſſas. Sicut nec inuſitatum fuiſſe, quod obijciunt Nouatores, vt in vna eccleſia plura ſint altaria, eiuſdem docet epiſtola [h] ad Palladium Epiſcopum Santonenſem, cum petitas mittens ad eum ſacras reliquias, meminit de eccleſia tredecim habente altaria.

EPISCOPI CONCORDES SINT CVM PROVINC. PRÆSIDIBVS.
g 5. ep. 41.
PLVRA ALTARIA IN VNA ECCLESIA.
h 5. ep. 50.

IV.
CONCIL. CÆSARAVG. II.
RELIQVIÆ IGNE PROBANDÆ.

Hoc inſuper anno celebratum eſt in Hiſpania à quatuordecim Epiſcopis CONCILIVM CÆSARAVGVSTANVM Secundum, ſeptimo nimirum anno (vt ibi ponitur) Reccaredi Regis. Vbi inter alia illud notatu dignum ſancitum reperitur, vt ſacroſanctæ Reliquiæ quæ inuentæ eſſent in Eccleſijs Arianorum, ab Epiſcopis igne probarentur: vt tunc legitimæ cenſerentur, ſi ab incendio illæſæ remanerent.

IESV CHRISTI AN. 597.

MAVRITII AN. 15.

GREGORII AN. 8.

I.
LEGATIO EPISCOPI CONST. AD GREG. PP.

ANNO Domini quingenteſimo nonageſimo ſeptimo Indictionis decimæquintæ, Cyriacus Conſtantinopolitanus Epiſcopus Reſponſales ſuos ex more Romam miſit ad Gregorium Papam, vna cum epiſtola Synodali, qua dum fidei Catholicæ profeſſio contineretur, tunc eoſdem Reſponſales in communionem recipi peteret: quod & Mauritius Auguſtus literis ſuis poſtulauit. Annuit Gregorius, ne quouis modo auctor ipſe ſchiſmatis diffamari poſſet: & quos benigne excepit, eoſdem etiam intereſſe cum Miſſarum ſolemnijs paſſus eſt: ita tamen vt aſſentiri noluerit Apocriſarium ſuum Conſtantinopoli ſacris intereſſe à Cyriaco celebrandis, niſi rixoſum nomen Oecumenici penitus tolleret: ſicut hæc cuncta breuiter narrauit ipſe Gregorius [a] Eulogio & Anaſtaſio Patriarchis Alexandrino & Antiocheno, literis hoc anno ad ipſos datis. Idemque per Anatolium (quem reuocato Sabiniano Apocriſarium ad Imperatorem miſit) Cyriacum [b] monuit, fieri minime poſſe vt concordia mutua intercederet, niſi ſuperbum nomen aboleretur. Quo etiam argumento ad Imperatorem, alioſque quampluriimos ſcripſit [c], cum ab ijs per Sabinianum Romam redeuntem literas accepiſſet.

a Greg. 6. ep. 31.
b 6. ep. 28.
c 6. ep. 22. & ſeq. 30.

II.
d 7. ep. 5 Ind. 1.
PALLIVM ENIXE PETENDVM.

In Occidente quoque reſcribens ad [d] Brunichildem Reginam Francorum, inter alia excuſauit cur non miſerit pallium Syagrio Epiſcopo Auguſtodunenſi: nimirum quod non eſſet ab eo enixe petitum: cum priſca (vt inquit) conſuetudo obtinuiſſet, vt honor pallij niſi exigentibus cauſarum meritis, & fortiter poſtulantibus dari non deberet. Admonuit inſuper eamdem Reginam, vt quæ apud aliquos vigeret idololatria, penitus extirparet: quam quidam haud mireris ſi audis in Gallia iterum pullulare: cum in Italia prope ipſam Vrbem ab aliquibus reuocatam eſſe, idem Gregorius teſtetur in literis [e], hoc eodem anno ad Epiſcopos Spoletanum & Tarracinenſem datis. Id enim ſecum vexit belsorum iugis infeſtatio, vt cum remiſſio fieret Eccleſiaſticæ culturæ, inter bonum ſemen eiuſmodi zizania miſcerentur.

e 7. ep. 2. & 20.

III.
AVGVSTINI ET SOCIOR. APPVLSVS IN BRITAN.

Hoc item anno Auguſtinus ac ſocij, quos ad conuertendam Angliam miſſos à Gregorio vidimus, illuc cum interpretibus quos ex Gallia habuerant appellentes, benigne ab Edilbertho Anglorum in Cantio Rege in ciuitatem Dorouernam, quæ regni ipſius metropolis erat (eadem poſtea dicta eſt *Cantuaria*) ſuſcepti ſunt: nam & antea fama ad eum Chriſtianæ religionis peruenerat, vtpote qui vxorem haberet Chriſtianam ex Francorum regia Progenie, nomine Bertham: quam ea conditione à parentibus acceperat, vt ſuam ſineret in religionis Chriſtianæ ritu viuere, quem & exercebat in eccleſia prope ciuitatem in honorem S. Martini antiquitus facta. Iidem igitur in eam ciuitatem ingreſſi, Crucem pro vexillo ferentes argenteam, & Imaginem Saluatoris in tabula depictam, litaniaſque canentes: obtenta à Rege prædicandi licentia, ingentibus coruſcantes miraculis, & ſecundum ea quæ docebant ipſi per omnia viuentes, multos ad fidem conuerſos baptizarunt: interque primos ipſum Regem, quem deinceps quamplurimi ſecuti ſunt. Hæc cuncta fuſius Beda [f]. Omnes autem hoc anno audientes verbum Dei, ad decem millia baptizatos eſſe ſequenti Natalis Domini die primæ Indictionis, S. Gregorius teſtatur in literis [g] eiuſdem Indictionis menſe Iunio datis ad ſibi cariſſimum S. Eulogium Epiſcopum Alexandrinum, cum ab eo fuiſſet æque ipſe certior redditus de conuerſione hæreticorum qui Alexandriæ erant, & inita Fidelium concordia. Quibus quidem literis cum Gregorius doceat, Auguſtinum iam antequam in Angliam perueniret, factum ſua licentia fuiſſe Epiſcopum: inde corrigendus videtur Beda, dum poſt conuerſionem factam Anglorum tradit miſſum fuiſſe eum in Gallias vt Epiſcopus ordinaretur.

CONVERSIO REGIS ANGLORVM.
f Bed. hiſt. Angl. l. 1 c. 25. 26.
g Greg. 7. ep. 30.

IV.

Hoc quoque tempore *Antiochus* anachoreta, magna inter Ori-

De Anatolio Anachoreta.

ter Orientales omnes ſanctitate vigens, ex hac vita migrauit annum natus centeſimum: qui ſexaginta annorum ſpatio nec vinum, nec oleum, nec aliud huiuſmodi guſtauerat: triginta iam annis panem non comederat, ſed oleribus crudis cum ſale & aceto veſcebatur, aquamque bibebat. Hæc & alia de illo Gregorius in Actis [h] S. Theodori Siccotæ Epiſcopi Anaſtaſiopolitani. Hunc vero Antiochum diuerſum ab illo *Antiocho* item monacho & Abbate Lauræ in Palæſtina fama celebri ſcias, qui eodem ferme tempore, nempe ſub Heraclio Imperatore & Coſthoe Perſarum Rege, vixit clarus inter Scriptores Eccleſiaſticos: cuius ſunt Sermones de diuerſis centum triginta, & Exomologeſis.

h Ap. Sur. 22. April.

IESV CHRISTI ANN. 598.

Mauritii an. 16.

GREGORII AN. 9.

I.

ANNO Domini quingenteſimo nonageſimo octauo Indictionis primæ, pace cum Agilulpho Rege Longobardorum diutius tractata, ſæpius per miniſtros Imperatoris atque Exarchi Rauennæ impedita: tandem vt ad tempus fœdus iniretur, Gregorius obtinuit: cum interea, ne forte dum hæc tractarentur, Longobardi aliquid infauſti in ciuitates Imperatori ſubiectas aggrederentur, idem Gregorius Epiſcopos in diuerſis locis poſitos vt cuſtodiæ earum inuigilarent admonuit [a]: nec à vigilijs murorum voluit excuſari homines Eccleſiaſticos.

Curat Greg. etiam temporalia.

a Greg. 7. ep. 2. 3. 20.

II.

Eodem quoque anno idem Pontifex inter alia quæ circa Eccleſiæ curam geſſit, DEFENSORVM in Vrbe officium Regionarijs adnumerauit. Qui vero *Regionariorum* dignitate ac nomine augebantur, eiſdem patebat aditus vt ad ſacra ſimul cum Pontifice conuenirent, erantque omnes ſeptenario myſtico numero deſignati, vt ſicut Diaconi Regionarij ſeptem, totidemq; Notarij Regionarij, ſimiliter Subdiaconi atque Defenſores ſeptem eſſent numero. Eorum vero priuilegium erat, vt aſſiſterent Pontifici in eccleſia: ita tamen vt eo præſente ſtarent, abſente vero ſederent cum reliquo clero. De quibus eſt hoc anno data epiſtola [b] ad Bonifacium Primum Defenſorem: cum alioqui præter ſeptem Diaconos, Notarios, Subdianos, & Defenſores Regionarios, eſſent inſuper alij complures in Vrbe, & in omni Eccleſia Diaconi, Notarij, Subdiaconi, & Defenſores. Inſeruiebant autem *Defenſores* præcipue pauperum defenſioni & Eccleſiarum: mittique ſolebant à Romano Pontifice in diuerſas prouincias, tum ad curanda patrimonia Eccleſiæ Romanæ, tum ad alia diuerſi generis adminiſtranda negotia: vt docent eiuſdem Gregorij plures ad eoſdem ſcriptæ epiſtolæ. Quorum formulam conſtituendorum, & quomodo in cauſis & patrocinijs Eccleſiaſticis ſe gerere deberent, habes quoque apud eumdem Pontificem.[c]

Decreſcit dignitas Defenſorum.

b 7. ep. 17.

c 4. ep. 25. Ind. 13. 7. ep. 24. & 66. Ind. 2. 9. ep. 12. Ind. 4.

III.

Solicitus etiam, ſicut alias, de monachorum quiete, plura de ijs ſcripſit: priuilegiaque conceſſit [d] monaſterio Claſſenſi ſub diœceſi Rauennate conſtituto: quod cum ab eius Eccleſiæ Epiſcopis dura pati cogeretur, ab eorum in pluribus poteſtate exemit: & à prædeceſſoribus conceſſa priuilegia monaſterijs [e], ſalua voluit. Sic enim occaſione nonnullorum Epiſcoporum monachos opprimentium, manauit vt Summi Pontifices eiuſmodi ſolerent vallare ea priuilegijs.

d 7. ep. 18.

e 2. ep. 13.

Monachor. priuilegia vnde.

IV.

Accepit quoque hoc anno Gregorius vna cum literis ſancta munuſcula à Lucio Exconſule viro maxime pio, nimirum (vt ipſe teſtatur in literis [f] ad eum redditis) oleum S. Crucis, & lignum aloes. Quid vero per oleum S. Crucis intelligere debeamus, ſatis perſpicue indicat Beda [g] in epitome de locis Sanctis: dum agens de S. Crucis ligno Hieroſolymis Conſtantinopolim tranſlato ſub Heraclio Imp. ait de nodis eius ſancti ligni liquorem odoriferum oleo ſimilem profluere conſueuiſſe, cuius virtute omnis generis ægritudines ſanarentur. De eodem quoque apud Cyrillum in Saba tertium mentio habetur, quod Sanctus ille adhibere ſolebat ad fugandos dæmones & edenda miracula.

f 7. ep. 35.

g Bed. Epit. de loc. ſanct. c. 20. & ſ.

De oleo S. Crucis.

V.

Mauritii imp. testamentum.

Quod rurſus pertinet ad res Orientales: hoc ipſo anno Mauritij Auguſti decimoquinto, ægrotans ipſe morbo difficili, teſtamentum condidit, quo Theodoſium filiorum natu maximum iam antehac Imperatorem ab ipſo declaratum, Conſtantinopolis dominum fecit cum adminiſtratione Orientis: Tiberio Romam veterem cum Italia, & Inſulis maris Tyrrheni delegauit: ceteraſque Romanæ ditionis prouincias inter reliquos filios diſtribuit: quibus ætate adhuc immaturis Domitianum cognatum ſuum Eccleſiæ Melitinenſis Antiſtitem, virum rebus agendis dexterum, conſilioque dexteriorem cui Imperator maioris momenti negotia expedienda committere conſueuerat, tutorem deſignauit. Habentur iſta apud Theophylactum in hiſtoria Mauritiana.

VI.

Theod. Siceota episcopatum deserit.

Sed & hoc eodem tempore magnus Theodorus Siceota olim ex monacho Epiſcopus Anaſtaſiopolis in Galatia inuitiſſime factus, cum deſpectui & odio ſe haberi videret (nam & potatus aliquando veneno, exceſſiſſet ex hac vita, niſi MARIA Dei-genitrix Virgo ſuccurriſſet) conſulto diuino Spiritu, ſedi nuncium remiſit: accontradicente ſuo Metropolitano Archiepiſcopo Ancyrano, literis datis ea de re ad Cyriacum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, necnon ad Mauritium Imperatorem, vacationem obtinuit: ſicque ad priſtinæ vitæ ſtatum ſe contulit. Cum vero quam à Deo acceperat gratiam curationum edendis miraculis, petentibus ſæpe communicaſſet: ab iiſdem Cyriaco & Mauritio acceſſitus Conſtantinopolim, ibi dum ad breue tempus moratur, tum Imperatoris filium à lepra mundauit, tum alia ingentia miracula edidit virtute tantum ſigni Crucis, additaque aliquando aqua benedicta: quæ quidem tu ipſe, ſi cupis, in eius Vitæ Actis [h] perlege, quæ fideliſſime ſcripſit, qui à puero cum ipſo coaluit, immo & eiuſdem benedictione conceptus eſt (cum videlicet parentes ſteriles, acceptis zonis quibus ille vir ſanctus benedixerat, eum edidetunt) Eleuſius, qui & Georgius dictus eſt presbyter atq; Theodori monaſterij alumnus.

Eius miracula.

h Ap. Sur. 22. April.

VII.

Concil. Oscense.

Quod vero ad reliquias Occidentalis res Eccleſiæ pertinet: hoc eodem anno celebratum eſt in Hiſpania OSCENSE CONCILIVM. Era nimirum ſexcenteſima vigeſimaſexta: ex quo duo dumtaxat canones reperiuntur, quibus conſultum eſt caſtitati clericorum.

VIII.

Quo etiam anno defunctus eſt Guntheramnus Rex Francorum religioſiſſimus, poſtquam videlicet regnaſſet [i] annos triginta tres. Dum vero qui res Francorum ſunt proſecuti aiunt ipſum reliquiſſe regnum Childeberto, argui poſſe ex Gregorij Papæ epiſtolis, iam ſuperius dictum eſt: ex quibus conſtare videtur, Childebertum biennio ante defunctum eſſe.

i Aimoin. de geſt. Franc. l. 3. c. 81.

IESV CHRISTI ANN. 599.

Mauritii an. 17.

GREGORII AN. 10.

I.

De causa episcopi Byzac.

ANNO Christi quingenteſimo nonageſimo nono Indictionis ſecundæ, accuſato à ſuis Epiſcopis de quodam crimine Primate prouinciæ Byzacenæ in Africa; eius cauſa Imperatore iuxta ſtatuta canonica, ad Gregorium Papam, tamquam ad communem omnium Epiſcoporum Iudicem, remiſſa [a] eſt: ſed perſolutis ab eodem Primate Imperatoris magiſtratibus decem auri libris, ab ijs controuerſia ſopita eſt. Ceterum qui in titulo poſuit hanc cauſam fuiſſe Epiſcopi Conſtantinopolitani, deceptus eſt quod legerit Byzantenum, pro Byzaceno.

a Greg. 7. ep. 64. Ind. 2.

II.

Oecvm. synodus sine consensu Rom. Pon. nulla.

Hoc item anno, cum idem Pontifex Gregorius ſubodoratus eſſet peragi Synodum Conſtantinopoli inſcia ſede Apoſtolica, veritus nequid noui ibi decerneretur de nomine Oecumenici in fauorem Epiſcopi Conſtantinopolitani, ſcribens ad omnes Epiſcopos Orientis, eos admonuit vt ſtatuta vetera nullatenus in ea violari permitterent: cum alioqui (vt addit) ſine Apoſtolicæ Sedis auctoritate atque conſenſu, nullas quæcumq; acta forent vires habitura eſſent: hæc vero eius monita ſpernentibus excõmunicationẽ minatur. Extat [b] eiuſmodi literarum exem-

b 7. ep. 70.

plar

plar, miſſum ad Euſebium Theſſalonicenſem, cuiuſmodi fuere quæ ad alios pariter tranſmiſſa ſunt.

III. ANAST. SINAITÆ OBITVS.

Contigit hoc pariter anno mori S. Anaſtaſium Sinaitam Epiſcopum Antiochenum, cum ſediſſet annos ſex inchoatos poſtquam Eccleſiæ ſuæ reſtitutus eſt. Extitit is clarus inter Scriptores Eccleſiaſticos: cuius adhuc extant nonnulla præclata monumenta, fitque de alijs ab ipſo æque conſcriptis in ijſdem mentio: recenſet vero & alia Nicephorus [e], qui eumdem vocat primarium pręclarumque Eccleſiæ doctorem. Sed & idem ſuſceptum à Gregorio Papa, quem mirifice coluit, de Cura paſtorali librum [d], Græcum reddidit. Ceterum ei in Epiſcopatu alium eiuſdem nominis ſubrogatum fuiſſe *Anaſtaſium*, alter Nicephorus Conſtantinopolitanus Epiſcopus in Chronico tradit. Errat autem Calliſtus, dum illum qui præceſſit nominatum Sinaitam, non hunc qui ſucceſſit, tradit occiſum à Iudæis. Id enim Iuniori Anaſtaſio eſt tribuendum ex ſententia ceterorum omnium Græcorum [e] hiſtoricorum, dum eam Iudæorum ſeditionem ponunt ſub anno ſeptimo Phocæ ad cuius Imperium haud perueniſſe potuit Anaſtaſius Senior, quem hoc anno deceſſiſſe conſtat. Porro ipſum Iuniorem ſimulac creatus eſt Epiſcopus, more maiorum Fidei Orthodoxæ profeſſionem ad Romanum Pontificem miſiſſe, fidem facit epiſtola quam hoc ipſo anno Gregorius [f] Papa ad ipſum reddidit. Ad hunc enim Iuniorem ſcriptam eſſe, ſatis intelligitur ex ipſius contextu.

e Niceph. l. 18. c. 44.
d Greg. 10. ep. 22. Sigeb. de Script. Eccl. c. 42.
DE ANAS. ANTIOC. IVNIORE.
e Theoph. Cedr. Zonar. &c.
f Greg. 7. ep. 48.

IV.

Fuit vero hoc eodem tempore laborandum eidem Gregorio Papæ aduerſus quoſdam in ipſum oblatrantes, quod contra Conſtantinopolitanam Eccleſiam inſurrexiſſet, à qua (vt aiebant) Romana in ſacris ritibus pleraque mutuata eſſet. Qua de re ipſe ſcribens [g] ad Ioannem Syracuſanum Epiſcopum primum obiecta diluit, oſtendens ritus illos aut à traditione Apoſtolorum, aut ab antiquiſſima Romanæ Eccleſiæ conſuetudine vigere: & poſtea ad omnem tollendam inuidiam, profitetur ſe minime dedignari ſibi ſubditarum Eccleſiarum bonas conſuetudines imitari: Conſtantinopolitanam autem Eccleſiam Apoſtolicæ Sedi ſubditam eſſe, probat etiam teſtimonio ipſius Imperatoris, atque Cyriaci [h] eiuſdem ciuitatis Epiſcopi.

g 7. ep. 64.
DE RITIB. A GRÆCIS ACCEPTIS.
h Ita leg. pro Euſebio.

V. MVNERA A RECCAR. ET GREG. AD INVICEM MISSA.

Quo eodem tempore reperitur Rex Hiſpaniæ religioſiſſimus Reccaredus, Abbates quoſdam Romam miſiſſe ad Limina Apoſtolorum cum muneribus S. Petro offerendis: de qua legatione mentio habetur in literis [i] S. Gregorij ad eumdem Regem hoc anno redditis. Cui & alia ipſe remiſit munera, videlicet clauem S. Petri, vna cum ferro de catenis eius incluſo: itemque Crucem, in qua erat particula ligni Dominicæ Crucis, & de capillis B. Ioannis Baptiſtæ. Sed & ſcribens [k] ad S Leandrum Hiſpalenſem Epiſcopum, à quo prius literas accepiſſet, pallium quoque ei tranſmiſit. Quem quidem laboraſſe æque ac Gregorium tunc podagra, ipſe eadem teſtatur epiſtola. Certe ſi numerandos ſuſcipias ſanctitate celebres homines, qui podagræ morbo afflictati ſunt, copioſum conficies catalogum: quo redarguas eos qui voluptuoſos ex podagræ doloribus arguunt homines. Eo vero morbo Gregorium iugiter ab hoc tempore valde afflictatum eſſe vſque ad obitum, adeo vt vix à lectulo aliquando ſurgere poſſet ad ſacra Miſſarum ſolemnia celebranda: ipſe alijs poſtea ad diuerſos ſcriptis [l] literis ſæpius teſtatus eſt: cum tamen nihil vmquam remiſiſſe quotidianæ ſolicitudinis Eccleſiarum omnium, ſatis demonſtrent quamplurimæ eius epiſtolæ tum hoc tum ſequentibus annis conſcriptę. Cum autem his temporibus dira lues vaſtaret Africam, de ea ſcribens [m] ad Dominicum Epiſcopum Carthaginenſem, qualiter ſe gerere debeat monet: non quidem vt ſaluti ſuæ conſulens deſerat gregem, ſed vt pro eo vitam exponat, illum magis ac magis à praui operis perpetratione coercens, & bonorum præmia malorumque pœnas ediſſerens.

i 7. ep. 126.
k 7. ep. 127.
GREG. LABORAT PODAGRA.
l 8. ep. 35. 36. 9. ep. 27. 38. 11. ep. 7.
m 8. ep. 41.

IESV CHRISTI ANN. 600.

MAVRITII AN. 18.

GREGORII AN. II.

I.

ANNO Domini ſexcenteſimo Indictionis tertiæ, *Slaui*, ſiue Sclauini barbari Iſtriam [a] deprædati. Italiam [b] penetrare cœperunt: Atque Chaianus ſiue Gaganus Auarum Rex Venetiam prouinciam inuadens, Forum Iulij inſidijs Romildæ relictæ Agilulphi Ducis qui eodem tunc bello perierat, cepit ac combuſſit: Romildam vero digna impudicitiæ ipſius pœna afficiens, palo publice infigi iuſſit, quod ſpe ſumendi ſibi maritum ipſum Regem, ei ciuitatem prodidiſſet. Cuius filiæ matri diſſimiles, ne ab Auaribus contaminarentur, crudorum pullorum carnes ſibi inter mamillas ſub faſcia poſuerunt: quibus ex calore putrefactis, eiuſmodi fœtorem Auares naturalem eſſe credentes, ab ijs abſtinuerunt. Eædem vero per diuerſas poſtea regiones venundatæ, tandem coronam caſtitatis ſuæ recipientes, vna nupſit Alemannorum Regi, alia Baioariorum Principi. Refert iſta Paulus [c] diaconus.

a Paul. diac. l. 4. c. 14. in fi.
b Greg. 8. ep. 16.
ROMILDA DIGNAM ACCEPIT PRODITIONIS SVÆ POENAM.
c Paul. diac. lib. 4. c. 12.

II. CAIANVS REX AVARVM DAT POENAS SACRILEGII.

Hoc item anno, qui numeratur tertius ante Mauritij Auguſti obitum, cum idem Chaianus Rex Auarum inferiorem Pannoniam ac poſtea Thraciam inuadens, cunctaque vaſtans, iam ipſi vrbi Conſtantinopolitanæ immineret, adeo vt timore ciues correpti conſilium inirent Europam deſerendi & in Aſiam atque Chalcedonem migrandi: ipſe Chaianus merita ſceleris pœnas exoluens, quo S. martyris Alexandri eccleſiam incenderat, eiuſque ſacras reliquias iniurijs affecerat, peſtis Inguinariæ graſſatione magnam exercitus ſui partem amiſit, vnoque die ſeptem filijs ſuis eadem lue abſumptis priuatus eſt. Hæc Theophanes, Nicephorus [d], & alij. Porro cum Mauritius Imperator hortante Senatu legatos ad eumdem Chaianum pro pacę miſiſſet, ipſeque Chaianus captiuos obtuliſſet viritim redimendos vno nummo, poſtea etiam quatuor ſiliquis his conditionibus ab Imperatore recuſatis, Chaianus omnibus occiſis captiuis ad propria rediit. Quomodo vero impium hoc Mauritij facinus, quo tot inſontes perire paſſus eſt, ſeuere admodum vltus ſit Deus, dicetur inferius ſuo loco. Subditur autem poſt hæc apud Theophanem, de legatione ab exercitu Imperatoris miſſa contra Priſcum ſuum ipſorum Ducem. Inter legatos autem Phocas Centurio, cum paulo liberius alloquutus Imperatorem ab vno Patriciorum alapa percuſſus eſſet, & barba euulſus: hinc ei oblata eſt occaſio tentandi noua: de quo dicendum poſtea.

d Niceph. l. 18. c. 28. 29.
IMPIVM MAVRITII IMP. IN NON REDIMEN. CAPTIVIS FACINVS.

III. EVLOGIVS EPISC. ALEX. SCRIPTA SVA COGNOSCENDA MITTIT ROMAM.

Eodem anno, cũ S. Eulogius Patriarcha Alexandrinus Romam ad S. Gregorium miſiſſet cognoſcendum atque probandum commentarium ſuum aduerſus Agnoitas hæreticos ſcriptum, ipſe Gregorius eumdem vt Catholicum laudauit [e]. Ita enim plane Orthodoxorum Scriptorum morem fuiſſe ſuperius demonſtratum eſt, vt aduerſus hæreticos quæ ſcriberent, eadem plerumque cognoſcenda mitterent ad Romanum Pontificem.

e Greg. 8. ep. 42.

IV.

Mortuo item Conſtantio Epiſcopo Mediolanenſi, cum Agilulphus Longobardorum Rex ſucceſſorem ei nominare vellet: eius conatibus reſiſtens Gregorius, Mediolanenſes [f] monuit, vt firmiter manerent in facta per eos electione Deus dedit diaconi in eius ſedis Epiſcopum: quod & excluſa Agilulphi petitione ſtrenue impletum eſt. Ex Annalibus [g] vero Mediolanenſibus proditur, S. Gregorium conceſſiſſe Mediolanenſibus, vt deficientibus Regibus Longobardorum, eius ciuitatis Antiſtes (quiſquis pro tempore eſſet) coacto Concilio Epiſcoporum ſibi ſubditorum, eligeret Regem quem vellet.

f 8. ep. 61.
g Sigon. de reg. Ital. an. 601.
PRIVILEG. DAT GREG. MEDIOLANENSI ANTISTITI, ELIGENTI REGEM.

V.

Miſſo item hoc anno in Italiam adminiſtrare Vrbanam Præfecturam Leontio Exconſule, reuocatus eſt Gregorius: cui redeunti Conſtantinopolim dedit S. Gregorius Papa literas [h] teſtes eius magiſtratus bene perfuncti. Leontius vero per Siciliam tranſiens, Imperatoris iuſſu redegit in ordinem Libertinum V.C. Expræfectum, cæſum ſum bonis ſpoliauit: qua de re eum Gregorius redarguit [i], quod homo liber flagellis minime ſubijci deberet: ip-

h Greg. 8. ep. 54. 55. & 60.
i 8. ep. 51.

ſum autem Libertinum conſolatorijs literis [k] conuenit, atque eleemoſynis fouit: multaque inſuper alia præſtitit circa Vniuerſalis Eccleſiæ curam, quæ in ipſius Regeſto [l] videre eſt.

ep. 31. ... 8. 3.

IESV CHRISTI ANN. 601.

AVRITII AN. 19.

GREGORII AN. 12.

I. ANNO Chriſti ſexcenteſimo primo, Indictione quarta, Gregorius Papa legatione ſuſcepta Maximiani Arabiæ Epiſcopi petẽtis Reliquias Sanctorum, eas ei tranſmiſit [a]: vt intelligere poſſis quam toto Orbe creuiſſet cultus Sanctorum.

a Greg. 9. 27.

II. Qua etiam Indictione quarta Nonis Aprilis idem Pontifex Romæ SYNODVM celebrauit Epiſcoporum viginti, ac Romanæ Eccleſiæ presbyterorum quatuordecim, & diaconorum quatuor: in qua decretum [b] edidit, quod appellari conſueuerat *Conſtitutum*, quo conſuluit monachorum quieti & indemnitati, ne ab Epiſcopis vllas in poſterum moleſtias paterentur, ſiue in bonis ſiue in Abbatum electionibus, aut monachorum inuitis Abbatibus ordinationibus.

CONCIL. ROM. Rec. Baron. t. VIII. ... an. GREG. CONSTITVTVM PRO MONACHIS.

III. Cum vero literis Theotiſtæ ſororis Mauritij Imperatoris Conſtantinopoli ſcribentis, certior factus eſſet, ipſam in ſuſpicionem adductam eſſe quarumdam hæreticarum opinionum: quibus aſſereret, Obtentu religionis coniugia ſolui poſſe: Baptiſma haud penitus peccata auferre: Siquis de peccatis ſuis in triennium pœnitentiam ageret, poſtmodum ei peruerſe licere viuere: ac denique, Siquis neceſſitate compulſus aliquid de quo reprehenderetur, anathematizare ſe diceret, anathematis vinculo ipſum non teneri: de his ad eamdem reſcribens [c] hoc ipſo anno Gregorius, quamuis ipſam paſſam eſſe calumniam æſtimare ſe dicat, admonet tamen eos anathematizare errores, atque ſe iuramento purgare: fœminam alioqui religioſiſſimam habitam, atque ab ipſo Gregorio ſæpius laudatam.

HÆRESES ADSCRIPTA SORORI IMP.

c Greg. 9. ep. 17.

IV. Hoc item anno defuncto Amos Hieroſolymorum Epiſcopo, ſubrogatus eſt in locum eius *Eſychius*: qui more maiorum vt Catholicæ communionis particeps fieret, miſit ſuæ fidei profeſſionem ad Gregorium Papam: Gregorius autem ea Orthodoxa probata, ad ipſum literas [d] reddidit, quibus eum inter alia admonuit de extirpanda Simonia. Vix enim credi poteſt, quantum hoc tempore in vniuerſo Orbe eiuſmodi labe Eccleſia Dei inquinaretur. De qua etiam cum ſæpe redarguiſſet [e] Gallicanos Epiſcopos, hoc item anno aduerſus eoſdem querelas repetijt, ſcribens [f] ad illorum præcipuos, necnon ad Reges, Reginamque Brunichildem. Sed viginti illic nihilominus hæc peſtis, donec tandem opera SS. Eligij & Audoeni per Dagobertum Regem (vt videbitur compreſſa eſt.

d 9. ep. 40. SIMON. HÆRESIS VBIQ. VIGENS. e 7. ep. 111. & ſeq. f 9. ep. 48. vſque 57.

V. Iiſdem vero literis cum à Gregorio commendentur ſacri magiſtri, quos ipſe in Angliam mitteret: ſciendum eſt ex Beda [g], hoc eodem anno nonnullos ex ijs qui cum Auguſtino in Angliam miſſi fuerant, ab eodem Romam redire iuſſos eſſe, vt à S. Gregorio maior numerus verbum Dei annunciantium mitteretur: idque mox præſtitiſſe Gregorium, ſimulque per eos miſiſſe vaſa ſacra, veſtimenta ſacerdotalia, & omnis generis ornamenta eccleſiarum, codiceſque plurimos, ac Sanctorum reliquias. Cuius etiam extant [h] ad ipſum AVGVSTINVM Anglorum Apoſtolum & Epiſcopum primum literæ, quibus ei congratulatus eſt de felici ſucceſſu conuerſionis illius gentis: admonuitque ne ob tam grandia facta miraculaque à Deo per ipſum edita aliquo modo inflaretur. Sed & cum eumdem Gregorium Auguſtinus conſuluiſſet de nonnullis ad Epiſcopale officium pertinentibus, idem ſingulis reſpondens decretalem epiſtolam miſit: quæ licet vltimo loco epiſtolarum ſit poſita, ad hunc tamen annum referenda noſcitur teſtificatione Bedæ, qui ipſam vna cum alijs literis quarta Indictione datam affirmat. Quo etiam tempore ad eumdem Auguſtinum miſit pallium; & Epiſcopatus Angliæ deſignans, quam quiſque auctoritatem habere deberet, diſpoſuit. Scripſit quoque ad Edilberthum Anglorum Regem gratulatorias literas [i] de ipſius ex dæmonum cultu ad veram Chriſti fidem conuerſione: necnon ad [k] Aldibergam Reginam eius coniugem, laudans eam de egregia nauata opera in conuerſione eiuſdem gentis. Quod autem Regem monuerat, vt idolorum templa deſtruere: hæc poſtea, vt ſibi viſus eſt in melius corrigens, ſcripſit [l] ad Mellitum Abbatem, quem hoc anno cum alijs in ſubſidium Auguſtini miſit, vt templa idolorum non deſtruerẽtur, ſed per aquam benedictam purgata in eccleſias Chriſtianorum conſecrarentur, appoſitis Sanctorum Reliquijs: alijque pariter Gentilitij ritus ad pietatem conuerterentur. Addit denique Beda [m], Auguſtinum in Dorouerna regia ciuitate inuentam antiquam Chriſtianorum eccleſiam à Romanis olim erectam, in nomine Saluatoris dedicaſſe: atque ibidem ſibi habitationem ſtatuiſſe, & cunctis ſucceſſoribus ſuis Angliæ Primatibus: feciſſe quoque in eadem ciuitate monaſterium, ipſumque Edilberthum Regem eiuſdem hortatu in eo eccleſiam SS. Petri & Pauli Apoſtolorum conſtruxiſſe, in qua & ipſius Auguſtini & omnium Epiſcoporum Dorouernenſium, ſimul & Regum Cantij poni corpora deberent. Atque hæc ſunt cunabula Eccleſiæ Anglicanæ: de quibus agit pluribus Beda.

g Bed. l. 1. c. 27. & 29. GREGORII CVRA DE REB. ANGLICIS. h Greg. 9. ep. 58. AVGVST. ANGLOR. APOSTOLVS. i 9. ep. 60. k 9. ep. 59. l Ap. Bed. l. 1. c. 29. 30. & Greg. 9. ep. 71. TEMPLA, ET RITVS GENTILIVM AD PIETATEM CONVERTENDI. m Bed. l. 1. c. 33.

VI. Hoc item anno Gregorius Papa ad Siciliæ Epiſcopos circularem epiſtolam [n] mittens, ob imminentia ibi à barbaris pericula, Litanias indixit celebrandas ſingulis ferijs quartis & ſextis omnium hebdomadarum: quod remedium profuiſſe declarauit euentus, cum certum ſit eam Inſulam nullam hoſtium paſſam eſſe incurſionem. Romæ inſuper CONCILIVM habuit: in quo inter alia damnatus [o] eſt *Andreas* Græcus homo, ſub monachali habitu degens apud baſilicam S. Pauli, detectus impoſtor atque falſarius, dum ſermones quoſdam prauos ipſius Gregorij nomine ſuppoſuit, & Euſebij Theſſalonicenſis Epiſcopi literas ad eumdem Gregorium ſcriptas falſauit. Itemque in eodem Concilio data [p] eſt Probo Abbati teſtandi facultas de ijs bonis, quæ ante ſuſceptum monaſticum habitum habuiſſet. Tanti namque momenti æſtimabatur, facultatem teſtandi dare monacho, etiam de bonis ante ingreſſum monaſterij acquiſitis, vt id Gregorius facere noluerit niſi Synodo conuocata. Sicut & alias pariter in Concilio decreuiſſe reperitur [q], vt nullius eſſent ponderis quæ de bonis poſt Epiſcopatum adeptis Epiſcopus teſtamento diſpoſuiſſet in præiudicium Eccleſiæ ſuæ: ſecus vero de his quæ ante Epiſcopatum poſſediſſet.

n Greg. 9. ep. 45. CONCIL. ROM. o 9. ep. 69. ANDREAS IMPOSTOR ET FALSARIVS. p 9. ep. 22. TESTANDI FACVLTAS ABBATI DATA. q 5. ep. 1.

VII. Hoc inſuper anno, qui numeratur duodecimus Reccaredi Regis Hiſpaniæ, celebratum eſt CONCILIVM TOLETANVM ab Epiſcopis ſexdecim: cuius tantummodo canones duo reperiuntur. De caſtitate enim à miniſtrantibus altari ſeruanda illud ſancitum eſt, vt ſiquis eam violaret, non ſolum è gradu excideret, ſed & duro carceri manciparetur.

CONCIL. TOLET.

VIII. Hoc denique anno, qui ſecundum chronologiam ſuperius poſitam numeratur quintus [r] Regum Francorum Theodoberti atque Theodorici fratrum, conflatum eſt ciuile bellum inter eos atque Clotarium filium Regis Chilperici & heredem Gunthramni: magnaque facta vtrimque cæde, ceſſit tandem victoria prædictis fratribus, fugiente Clotario In qua pugna (inquit Aimoinus) Anglus Domini aſtans euaginatum viſus eſt tenuiſſe gladium. Quæ quidem viſio, non ſolum quod tunc fieret, ſed etiam quod poſtea futurum eſſet, haud dubijs demonſtrauit ſignis: ſiquidem ira Dei effuſa ſupra Reges Francorum, effecit vt ſe inuicem bello ciuili conſumerent.

r Aimoin de geſt. Franc. l. 3. c. 87. 88. ANGELVS VISVS IN GAL. EVAGINATO GLADIO.

IESV CHRISTI ANN. 602.

MAVRITII AN. 20.

GREGORII AN. 13.

I. ANNO Chriſti ſexcẽteſimo ſecundo Indictionis quintæ, abſoluto tempore pacis initæ inter Romanos

& Longobardos, ijſdem rurſum vtrimque certantibus, Ariulphus (ita enim vocat Paulus [a] diaconus) Spoleti Dux Paganus prælio Romanos vicit ope diuinitus miſſa S. Martyris Sabini Epiſcopi: ſicuti in vltionem Deus ſæpe vſus eſt Regibus Babyloniæ, alijſque ad plectendos Hebræos delinquentes. Rem geſtam pluribus proſequitur idem Paulus: qui ait, paulo poſt mortuum eſſe Ariulphum. Quo enim vſus erat Deus in puniendis Romanorum peccatis miniſtro, eumdem accepto muneri ingratum, atq; in Gentiliſmo perſiſtentem, eodem anno mortis pœna affecit.

a Paul. diac. l. 4. c. 5.

ROMANOS DEVS PER LONGOB. PLECTIT.

II. Quo eodem tempore Tergeſtinus Epiſcopus à ſchiſmate Trium capitulorum ad Eccleſiæ vnitatem redijt: ad quem extat S. Gregorij epiſtola [b] hoc anno data. Formulam autem fidei & vnitatis profeſſionis, quam facere ſolerent redeuntes ad Eccleſiam, habes in epiſtolis [c] eiuſdem Gregorij: qua *ſub ſui ordinis caſu, & anathematis obligatione, ſponderent iurarentque, ſemper ſe in vnitate S. E. Catholicæ, & communione Romani Pontificis per omnia permanſuros.* Quod vero in ea profeſſione nulla penitus mentio habetur de fidei dogmatibus, quorum cauſa cõflatum eſt ſchiſma, vt non niſi eorum confeſſione facta eſſet quis in Eccleſiam admittendus: deſiderari videtur in ea pars illa [d], qua imprimis Quatuor Synodi recipiuntur & comprobantur, ſicut S. Euangelij quatuor libri: deinde vero Quintum Concilium pari veneratione aſſeritur & approbatur, & illud reijcientibus anathema dicitur. Ceterum vbi Tergeſtinus Epiſcopus reuerſus eſt, blanditijs rurſum tentatus à Seuero Gradenſi Epiſcopo ſchiſmaticorum capite, cum minime acquieſceret, diram ab eo perſecutionem eſt paſſus: cuius rei gratia opus fuit S. Gregorio aduerſus eum implorare [e] anno ſequenti auxilium Smaragdi Exarchi. Iſte autem Seuerus qui dicitur Gradenſis Epiſcopus, haud dubium ipſe idem eſt cum Seuero Aquileienſi, de quo ſuperius: ſed incenſa (vt ex Gregorio [f] conſtat) Aquileia, idem in Gradenſi Eccleſia ſedem collocauit. Immo extant Acta Synodalia ſub Elia Aquileienſi Epiſcopo, tunc Romanæ Eccleſiæ communicante: in quibus recitatur epiſtola Pelagij Papæ ad eumdem Eliam, qua conceditur vt Gradum loco Aquileiæ ipſe teneat, ſitque eadem metropolis, quæ & noua Aquileia ab ipſo eſt nuncupata: vnde euenit vt idem Epiſcopus, & Patriarcha aliquando Aquileienſis, aliquando vero Gradenſis nominaretur. Sed de his rurſum inferius.

b Greg. 10. ep. 36.

c 10. ep. 10.

PROFESSIO SCHISMAT. AD ECCL. REDEVNTIVM.

d Rec. Bar. Annal. To. VIII. hoc an.

e Greg. 11. ep. 10.

PATRIARCHA GRADEN. IDEM QVI ET AQVIL.

f Id. 2. ep. 32. Ind. 10.

III. Fuerunt etiam plura Epiſcoporum iudicia ad Sedem Apoſtolicam hoc anno delata, quæ Gregorius alijs cognoſcenda remiſit. Cauſam enim Pauli Epiſcopi Diaclini delegauit [g] Ioanni Epiſcopo Primæ Iuſtinianæ: iudicium Clementij Primatis prouinciæ Byzacenæ grauium criminum rei, demandauit [h] Concilio Epiſcoporum, quod in eadem prouincia celebrari iuſſit: cauſamque Paulini Regenſis in Numidia Epiſcopi de ſimonia accuſati, ac Donadei diaconi ab Epiſcopo ſuo depoſiti, cognoſci pariter voluit [i] in alio Concilio in eadem Numidia celebrando. Ex quibus videas Apoſtolicæ Sedis auctoritatem adeo vigentem, vt neque bella neque alia incommoda retinere poſſent homines, quo minus tam ab Oriente quam Occidente ex Tranſmarinis Eccleſijs appellationes & alia iudicia deferrentur ad eam, eademque ab ipſa pro libito alijs cognoſcenda committerentur. Quod & ſingulis ferme annis hoc tempore factitatum, fidem faciunt eiuſdem Pontificis epiſtolæ.

g 10. ep. 33.

h 10. ep. 35.

i 10. ep. 8. & 31.

APOST. SEDIS VIGENS AVCTORITAS.

IV. Quod autem ad res Imperij pertinet, hoc eodem anno menſe Nouembri, cœpta iam Indictione ſexta occiſum eſſe Mauritium Imperatorem, publica monumenta apud Gregorium [k] deſcripta teſtantur. Eius vero necem antea diuinitus oſtenſam eſſe S. Theodoro Siceotæ, qui ipſi olim Imperium prædixerat, Acta [l] eius Vitæ habent. Eamdemque prædictionibus alijs atque portentis ſignificatam, ſed & populum in Mauritij ludibrium, Maurum quemdam hominem Mauritio ſimilem ſuper aſinum impoſuiſſe, & corona ex alijs confecta coronaſſe, ac per vrbem circumductum ſannis ac ſibilis inſectatum eſſe, tradunt Cedrenus [m] atque Nicephorus [n]. Adduntque præcognitum ipſi Mauritio fuiſſe, ab eo ſe occidendum, cuius nomen duabus his literis inchoaretur PH. eiuſque rei gratia Philippicum ſororis ipſius maritum in ſuſpicionem adductum, periculum euaſiſſe quod Mauritius diuinitus certior factus eſſet de vero nomine interfectoris ſui. Tradunt etenim eumdem Imperatorem eiuſmodi portentis perterritum maleque ſibi conſcium de tot millibus innocentium Chriſtianorum, quos paſſus eſſet à Rege Auarum immaniter trucidari, cum minimo eos potuiſſet redimere pretio, facti pœnitentem ſcripſiſſe ad omnes Patriarchas & monachos Orientis, vt à Deo peterent vt ipſe de peccatis admiſſis in hac vita & non in futura pœnas lueret: eoque ipſi conceſſo, inſuper in ſomnis ſignificatum eſſe, ſe vna cum vxore liberis ac tota familia per Phocam militem trucidatum iri.

DE NECE MAVRITII IMP.

k 11. ep. 1.

l Ap. Sur. 22. April.

m Cedr. in Annal.

n Niceph. lib. 18. ca. 38.

MAVRITII IMP. POENITENTIA.

V. Accidit autem inter hæc, vt iuſſo exercitu vltra Iſtrum hiemare, milites id ægre ferentes ſeditione facta de nouo creando Imperatore tumultuoſe agere cœperint, quemque audacem ſcirent eſſe PHOCAM Centurionem (de quo ſuperius facta eſt mentio) ſuper ſcutum eleuantes Imperatorem acclamauerint, & Conſtantinopolim deduxerint. Quem aduentare audiens Mauritius, nauem conſcendit cum vxore ac liberis, ſed tempeſtate repulſus eſt ad litus. Cum Phocas iam à Senatu ad Hebdomum exceptus, & à Cyriaco Epiſcopo Conſtantinopolitano, poſt exactam ex more ab eo fidei Catholicæ confeſſionem, coronatus atq; inſignibus regijs decoratus eum ad ſe perduci iubens, mox ante eius oculos quatuor paruulos filios maſculos necari cœpit, nihil aliud Mauritio proferente, quam illud Dauidicum [o], *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Immo cum nutrix vnum è pueris ſubtraxiſſet è nece, & pro illo proprium filium offerret, id Mauritius fieri prohibens, verum ſuum filium prodidit, qui viſus eſt è vulneribus lac dare cum ſanguine. Tandem vero vltimo loco & ipſe occiſus eſt, anno Imperij vigeſimo, ætatis ſexageſimo tertio, omnium autem abſciſſa capita delata in campum iuxta tribunal, ad fœtorem vſque ibi permanſerunt, donec Phocas licentiam ea auferendi atque ſepulturæ mandandi conceſſit. Sed & poſt Mauritium cæſus eſt Petrus ipſius frater, alijque nonnulli proceres. Philippicus autem eiuſdem ſororis maritus, ſacerdotio initiatus eſt, ipſaque eius coniux Gordia eiuſmodi quietum vitæ genus arripuit. Ac demum qui ſolus ſuperfuit Theodoſius, eiuſdem Mauritij filius primogenitus & in Imperio collega, cum ante aduentum Phocæ ad petendum auxilium à Coſdroe miſſus à patre in Perſidem fuiſſet, & ipſe anno ſequenti ab eodem Phoca Nicææ interceptus eſt, ac pariter necatus. Quæ omnia pluribus tractant Theophanes [p], Cedrenus [q], atque Nicephorus [r]. Verum Theodoſij cædes neque tunc credita eſt, ſed alium in eius locum ſuppoſitum fuiſſe iactatum eſt: vnde & nouæ conflatæ ſunt in Phocam inſidiæ, de quibus ſuo loco agendum vna cum Mauritij vxoris ac filiarum cæde. Hæc autem quæ Conſtantinopoli geſta ſunt eodem ipſo momento, diaboli arte per ſtatuas quaſdam æneas Alexandriæ nunciata eſſe, Theophanes narrat.

PHOCAS ELECTVS IN IMPERIVM ADVERSVS MAVRIT.

o Pſal. 118.

MAVRIT. OCCISVS CVM SVIS.

p Theop. Miſcel. lib. 17.

q Cedr. in Annal.

r Niceph. lib. 18. cap. 38 & ſeq.

VI. Scito vero calumniam fuiſſe, quam aduerſa populi pars intulit [s] in Mauritium, quod Marcionis hæreſis ſectator eſſet: ſiquidem eius fidem Catholicam nõ ſolum recepit, ſed & prædicauit ſæpe S. Gregorius [t]. Laudat illum Nicephorus [u] præcipue de cultu doctorum virorum, ac de liberalitate cum erga loca ſancta, tum erga ſubiectos. Equidem inter feliciſſimos Imperatores collocandus erat, ſi quemadmodum fuit Catholicæ fidei tenaciſſimus, fuiſſet pariter & in reliquis æque ſincerus: ſed dum libertatem Eccleſiaſticam conuellere voluit, ac contemptui habuit Pontificem Romanum, aliaque praua opera commiſit, Dei vindictam meruit experiri. Qualis autem eſſet Phocas, Cedrenus docet, dum ait fuiſſe deformem, terribilem aſpectu, rubente capillo, ſupercilijs coeuntibus, mento raſo, cicatrice in mala notatum quæ ipſo iraſcente denigrabatur, vinoſum, mulieroſum, ſanguinarium, in dicendo ferocẽ, à miſeratione alienum, moribus ferum, hæreticum: Vxoremq; eius Leontiam Auguſtam ijſdem fuiſſe

s Niceph. 39.

t Greg. 7. ep. 44. 9. ep. 42.

u Niceph. c. 42.

PHOCÆ ASPECTVS ET MORES.

moribus imbutam. At quod hæreticus dicatur, calumnioſe id paſſus videtur. Habet denique idem auctor[x], quemdam ſanctum monachum à Deo quærentem cur tam impium Chriſtianis dediſſet Imperatorem, reſponſum accepiſſe, deteriorem illo alium inueniri potuiſſe nullum, & hoc meruiſſe Conſtantinopolitanorum flagitia. Quare tam ex eius ſæuiente tyrannide, quam ex aliunde emergentibus malis fuiſſe tempora ipſius Imperii infeliciſſima, idem auctor aliique tradunt, nempe graſſantibus vbique fame, peſte, ac bello, & in tantum ſæuientibus frigoribus, vt congelauerit mare, ac piſces perimet.

x Cedr. an. 1. Phoc.

IESV CHRISTI AN. 603.

PHOCÆ AN. 1.

GREGORII AN. 14.

I. ANno Chriſti ſexcenteſimo tertio Indictionis ſextæ, cum allatæ eſſent Romam ſeptimo Calendas Maii Phocæ & Leontiæ Augg. imagines, iis acclamatum eſt in eccleſia Lateranenſi ab omni Clero atque Senatu: vt habetur apud Gregorium in exordio vndecimi libri Epiſtolarum. Nam dictum eſt alias, Imagines Imperatorum ab ipſis mitti ſolitas, in diuerſas prouincias Imperio Romano ſubiectas, & ad Principis amicos, eaſdemque dici conſueuiſſe *Laurata*, quaſi Laureata: quibus veluti Imperatori præſenti debitus honoris cultus deferri conſueuerat, & in eas peccans, maieſtatis reus efficiebatur. Eſt vero etiam de earumdem veneratione, ampla frequenſque mentio in epiſtola Gregorii Papæ Secundi ad Leonem Iſauricum Imperatorem, & apud poſteriorem Nicænam Synodum, atque Damaſcenum, vel alios qui ſcripſerunt de veneratione ſacrarum Imaginum. Simulac autem S. Gregorium accepit Phocæ euectionem in Imperium, literas[a] gratulatorias ad eum dedit: Cumque & ipſe poſt hæc alias ab eodem recepiſſet, quibus perſolutis quæ ſolerent reliqui Imperatores officiis, queſtus eſſet quod nullum inueniſſet Conſtantinopoli ex more reſidere S. R. E. Apocriſarium: (acciderat enim anno ſuperiori Anatolium mori.) miſit illuc Gregorius Bonifacium diaconum, cum aliis rurſum literis[b] ad eumdem Imperatorem, Leontiam Auguſtam, & Cyriacum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, Phocas vero quinto[c] ab initio Imperio menſe literas ad Coſthoen Perſarum Regem dedit, quibus ex antiqua (vt Nicephorus ait) conſuetudine quæ vigebat inter Romanos ac Perſas, euectionem ſuam ad Imperium eidem ſignificauit. At Coſthoes vindictam in animo voluens de Mauritii nece, à quo ipſe in regnum fuerat reſtitutus, fœdus cum Romanis initum rumpens, funeſtiſſimum Imperio Romano bellum cœpit, de quo inferius ſuis locis.

DECVLTV EXHIBITO IMAGINIB. IMPP.

a Greg. 11. ep. 36.
GREG. SCRIBIT AD PHOCAM.

b 11. ep. 45. 46. 47.

c Niceph. li. 18. cap. 45.

II. Hoc item anno Romæ error ille per S. Gregorium[d] correctus eſt, quo quidam vel ex ſuperſtitione Iudaica, vel ritu Græco, coli debere Sabbatum perinde atque Dominicum diem prædicabant: cuiuſmodi homines vocat prædicatores Antichriſti, qui die Sabbato atque Dominico operari prohibebit: Sabbatum quidem celebrans, quia Iudaizare populum compellet: Dominicum vero diem, quia ea ſe die reſurrecturum mentietur. Sed & inter alia multa, quæ hoc anno in adminiſtratione vniuerſalis Eccleſiæ idem Pontifex peregiſſe reperitur, Paſchaſium Neapolitanum Epiſcopum acriter redarguendum[e] curauit, quod ita quotidie deſpectus cum vno aut duobus clericis diceretur ad mare deſcendere, vt & apud ſuos in fabula eſſet, & extraneis ſic vilis ac deſpicabilis appareret, vt nihil habere Epiſcopalis vel ingenii vel reuerentiæ videretur. Ex quibus intelligas non recens eſſe vt Epiſcopi pluribus ſtipati famulis incedant, ſed quam maxime antiquitus cuſtoditum: adeo vt Pontificia cenſeretur reprehenſione dignus, qui id minus obſeruaret.

d Greg. 11. ep. 3.
ERROR DE CVLTV SABBATI.

e 11. ep. 31. ad Anthem.
GREG. REDARGVIT EPISCOPVM DE VILI INCESSV.

III. Eodem anno cum Arnulphus Longobardus Spoleti Dux Vrbem Romam oppugnaturus, paraſſet exercitum menſe Iunio, & cum proxime inſtaret dies natalis Apoſtolorum moliretur eius excidium, de his Gregorius ſollicitus, literas[f] ſcripſit ad diuerſos Imperatoris Duces per Italiam cōſtitutos, vt ſi Arnulphus Vrbem aggrederetur, ipſi aduerſus eum à dorſo laborarent, & loca eius deprædarentur, quo ita reuocaretur à cœptis. Quin & pro cuſtodia Neapolitanæ ciuitatis miſit Conſtantium Tribunum, literaſque dedit ad milites[g] (non ad Epiſcopos, vt vetus habet editio) vt illi parerent. Ita quidem ipſe, Pontifex cum eſſet, militaria coactus eſt pertractare, & præ auctoritate ſuæ Sedis, militibus etiam ac ciuitati Imperatori ſubditis, vt vellet imperabat; hæcque ſub Phoca tyranno. O tempora hac ex parte felicia! Vtinam modo eſſent integra ipſi ſpiritualia iura, quæ maiori in dies ignominia tantæ ſedis, auerſione contentioſa calcantur. Sed ſuo ipſorum damno, qui talia agunt Deum experientur vltorem. Ceterum Arnulphum hac forte Gregorii vigilantia territum, à cœptis deſtitiſſe conſtat pacemque ſequenti anno confectam iterum eſſe cum Longobardis. Literas autem ab ipſo Gregorio tunc de his ſcriptas, licet in codice ſub Indictione ſeptima collocatæ reperiantur, ſub ſexta reponendas eſſe, ea potiſſimum ratio ſuadet, quod hæc acta dicantur eſſe menſe Iunio quo natalis Apoſtolorum agitur, ipſum vero Gregorium mortuum eſſe conſtet menſe Martio ſeptimæ Indictionis.

f 11. ep. 21. 22. 23.
GREG. TRACTAT MILITARIA.
g 11. ep. 24.

IV. Hoc pariter anno qui numeratur Reccaredi Regis decimus quartus, Calendis Nouembris celebrata habetur *Barcinone* in Hiſpania SYNODVS Epiſcoporum duodecim: cuius quatuor dumtaxat extant canones, duo aduerſus ſimoniacam prauitatem, tertius aduerſus laicorum præpoſteras ordinationes, quartus denique contra monachos atque monachas poſt caſtitatem promiſſam connubia agentes.

CONCIL. BARCINON.

IESV CHRISTI AN. 604.

PHOCÆ AN. 2.

SABINIANI AN. 1.

I. ANno Chriſti ſexcenteſimo quarto, & S. Gregorii decimoquarto inchoato iam anno ſuperiori à tempore exordientis Indictionis ſeptimæ menſe Septembris, idem Pontifex quarto Idus Martii feliciter ex hac vita migrauit. Quantum vero ante obitum hoc ipſo anno in iis quæ ſui muneris erant laborauerit, declarant eius epiſtolæ quæ extant datæ ſub Indictione ſeptima, quamuis ſint aliquæ ibidem collocatæ quæ longe ante ſcriptæ eſſe noſcantur. Quæ autem notatu digniora geſta ſunt, pax eſt inprimis cum Agilulpho Rege Longobardorum renouata. Qua ſancita cum idem Rex auctus fuiſſet filio, cum pia mater Theodolinda Regina nominatum Adaluualdum, in fide Catholica voluit baptizari, de hiſq; certiorem reddidit S. Gregorium, vt conſtat ex literis[a] gratulatoriis ab eodem Pontifice ad eam redditis: quādo & infantulo pro munere filacteria miſit (ſic vocat quas veteres nominare conſueuerant *bullas* ad collum appendi ſolitas) nempe crucem cum ligno ſanctæ Crucis Domini, & lectionem S. Euangelii theca Perſica incluſam: cuius item ſorori tres annulos miſit, duos cum hyacinthis, & vnum cum albula.

a Greg. 12. ep. 7.
MVNERA A GREG. AD INFANTEM REGIVM MISSA.

II. Eodem quoq; anno miſſa eſt à Felice (Epiſcopo, vt puto, Meſſanenſi, ad quem haud pridem S. Gregorius ſcripſiſſe[b] reperitur) de nonnullis ad eumdem Pontificem conſultatio[c]. Cuius mittendæ ea præcipua extitit cauſa, quod multi ſcandalum paſſi eſſent ex eo quod idem Gregorius ſcribēs ad Auguſtinum in Anglia Epiſcopum, conceſſiſſet ratum eſſe matrimonium in quarto gradu affinitatis contractum, cum antiquis Pontificum & Conciliorum decretis prohibitū eſſet etiam in ſeptimo gradu. Verum his reſpondens Gregorius, docuit non eſſe in exemplum adducendum, quod nouellæ Eccleſiæ conceſſum eſſet, ideoque monuit, vt Fideles antiqua ſtatuta cuſtodirent de prohibitione ſeptimi gradus. Porro frigeſcente poſt hæc ſpiritu, cum inualeſceret magis caro, ab Innocētio Tertio Romano Pontifice in Concilio Lateranenſi, ad gra-

b 12. ep. 10.
c Ext. To. 2. Concil.
DE GRADIB. PROHIBITIONIS MATRIMONII.

ſtitem in rebus perſoniſq; Eccleſiaſticis rite componendis ſolicitam impendiſſe curam (cum alioqui nonniſi ex ijs quæ ad publica Eccleſiæ Vniuerſalis negotia ſpectare videntur, quædam dumtaxat delibauerimus) in eamdem ſequentibus etiam annis vigilantiſſimo ſtudio vſque ad obitum continuo incubuiſſe, docent abunde ipſius epiſtolæ, duodecim libris per ſingulas Indictiones probe diſpoſitæ: ex quarum ſingulis verſibus, nonniſi magna, quæcumque ſiue in publicis ſiue priuatis rebus geſſerit ſcripſeritve eſſe, quiſq; prudens intelligat.

VIII. PATRIMONIA ROM. ECCL. IN DIVERSIS PROVINCIIS.

Habebat Romana eccleſia (vt ex eodem Gregorio, alijſque auctoribus patet) locupletiſſima vbique toto orbe terrarum patrimonia, non in Italia ſolum & Sicilia, ſed & in Aſia, & in Gallijs, atque in Africa: ad quæ curanda mos erat ſubdiaconos mittere. Africana vero cum iam cultorum defectu deſtituta pene haberentur, Gennadij Patricij & Exarchi in Africa, viri maxime pij diligentia ad priſtinum cultũ reſtituta fuere. Cuius rei Gratia idem à Deo magnas conſecutus eſt victorias aduerſus hoſtes, quos pietate potius quam armis ſubiecit: vt de eo teſtatur Gregorius [z]. Qui bene vſus tanti viri religione, eundem quoque aduerſus Donatiſtarum præſumptionem erexit. Accidit enim, vt quoniam in prouincia Numidiæ vetus illa vigebat conſuetudo, vt Epiſcopus ordinatione antiquior Primas diceretur: cum Epiſcopus quidam Donatiſtarum hoc tempore ceteris ſede antiquior reperiretur, ipſe ſibi primatum vendicaret. Id vero ne vllo modo fieret, S. Gregorius interceſſit ſcribens [a] ad eumdem Gennadium Exarchum, necnon ad Catholicos Epiſcopos Numidiæ.

z Greg. 1. ep. 72.

DONATISTÆ REPULSI A PRIVILEGIIS CATHOL.

a 1. ep. 72. & 75.

IX. DE OFFICIO CHARTULARII, SIVE CHARTOPHYLACIS.

Sed quod in epiſtola ad Epiſcopos meminit Hilarij S. R. E. Chartularij, in Africam miſſi ab ipſius Gregorij prædeceſſore: cum eiuſdem muneris ſæpe & alij mentionem faciant, hic obiter ſciendum eſt, quem Latini *Chartularium* dicebant, Græcos *Chartophylacem* nominaſſe: quorum officium erat præſidere Iudicijs Eccleſiaſticis loco Pontificis, & chartas publicas cuſtodire. Verum in Eccleſia Conſtantinopolitana longe ampliorem fuiſſe eam dignitatem quam in Romana, ſatis intelligitur ex Theodori Balſamonis [b] Reſponſo de duobus officijs Chartularij & Defenſoris. Curabat namq; iudicia quæ iure Pontificatus pertinerent ad Patriarcham, vnde & nuncupabatur os & manus Patriarchæ: eiuſq; erant inſignia, geſtare annulum aureum, & tiaram auro ornatam, atq; ante pectus Patriarchale bulloterium inſtar Rationalis Aaronis: cumq; procedendum eſſet, vehebatur mulo qui (ſicuti Patriarcha vti ſoleret) ornatus eſſet linteo albo. Sed & ipſi ſoli poſt Patriarcham catechiſtico more populum in eccleſia docere licebat: & in iudicialibus vbicumq; adeſſet, perſonam repræſentabat Patriarchæ, magno inſidens tribunali, & cauſas audiens tam ciuiles quam criminales: vnde in ipſius initiatione dabat ei Patriarcha in manus claues, ſummam eo ſigno collatam ſignificans poteſtatem Denique cum eſſet ordine ſacro tantummodo diaconus in publicis tamen conſeſſibus ſedebat ante Epiſcopos quamuis ſæpe, ſed fruſtra, ab Epiſcopis ea de cauſa fuiſſet reclamatum. In Oecumenicis tamen Synodis neque ſedebat: ſed præſto erat ſuæ functioni, qua præerat Chartophylacio, ſiue Archiuo vbi ſcripta publica aſſeruarentur: indeque promebat quæ in Synodo legenda eſſent, vt patet ex Actis Sextæ [c] Synodi. Ac demum in Reſponſis [d] Ioannis Epiſcopi Citri traditur, eius fuiſſe ſigillum ſcriptis imprimere. Sed de his ſatis.

b Balſ. in Medit. l. 7. Iur. Græc.

c Syn. Sext. Act. 13. 14.
d l. 5. Iur. Græc.

X.

Quod vero pertinet ad reliquas huius anni res geſtas: cum anno ſuperiori (vt vidimus) Antharith Rex Longobardorum mortuus eſſet: Reginaq; Theodolinda, quam nuper acceperat in vxorem à Baioariæ Rege Garibaldo, (vt Paulus [e] diaconus affirmat) Longobardorum conceſſione Regina perſeuerans, delegiſſet ſibi virũ Agilulphum ducem Tauritanum, eumdemque nominatum Agonem, ſecta Arianum: idem *Agilulphus* Longobardorum Rex appellatus eſt hoc anno menſe Maio. Qui debellatis, occiſiſque illis quos aduerſarios paſſus eſſet, regnũ ſibi ſtabiliuit Italiæ: exceptis enim Roma atq; Rauenna cum alijs ad eas ſpectantibus locis, vniuerſa Italia ab Alpinis montibus Rhegium vſq; Calabriæ illi parebat. Idẽ vero paulo poſt, per eamdem Theodolindam Reginam, vna cum vniuerſis Longobardis qui Gentilitatis aut Arianiſmi impietatibus irretiti erant, cõuerſus eſt ad fidem Catholicã, & in baptiſmate nominatus Paulus. Hæc pluribus idẽ auctor [f]. Quibus videas, magno Dei conſilio factum eſſe, vt robuſtiſſimæ eædemq; indomitæ gentes, ſiue Chriſtiano ſiue Catholico nomini infenſiſſimæ, Franci, Gothi, & Longobardi, auitis abdicatis erroribus per feminas conuerſi fuerint ad verũ religionis cultũ, Franci in Gallia per Chrotildem Burgundam, Gothi in Hiſpania per Ingundem Francam, Lõgobardi in Italia per Theodolindam Bauaram.

e Paul. diac. de geſt. Long. l. 3. c. 14.

AGILVLPHI REG. LONGOB. CONVERSIO.

f Id. l. 3. c. vlt. & l. 4. c. 1. & 2.

FEROCISS. NATIONES PER FEMINAS CONVERSÆ.

IESV CHRISTI AN. 592.

MAVRITII AN. 10.

GREGORII AN. 3.

I.

ANnus Chriſti quingenteſimus nonageſimus ſecundus, Indictione decima, funeſtus fuit Italiæ, & valde ærumnoſus S. Gregorio Papæ, tum foris agitato aſſiduis prælijs Longobardorum ſub Duce Arnulpho omnia deuaſtantium, tum intus morbo vexatus: vt de his patet ex epiſtola [a] hoc anno data ad Ioannem Rauennatem Epiſcopum, qua illum inprimis vrget, vt à Romano Patricio & Exarcho Rauennæ commorante licentiam ſibi impetret, pacem cum eodem Arnulpho æquis conditionibus contrahendi.

a Greg. 2. ep. 32. Ind. 10.

II. GREG. PP. PROVIDET NEGOTIIS ECCL. TOTIVS VRBIS.

Interea vero cum nihil prætermitteret exactiſſimæ curæ paſtoralis, idem acceptis ex Numidia legatis, qui nuntiaſſent Donatiſtas pecuniæ data ab Epiſcopo quodam Catholico impetraſſe vt in ipſius ciuitate ſineretur pariter eſſe epiſcopus Donatiſta (quod quidem aliquando bono pacis permiſſum, poſtea ſublatum fuerat) eiq; concederetur iterũ baptizare Catholicos: ad hæc tam enormia corrigenda, in Numidiam proficiſci iuſſit Hilarium S. R. E. Chartularium Carthagine degentem: vt coacto Concilio ille deponeretur epiſcopus qui talia permiſiſſet. Eodemque anno ab eodem Pontifice cognitæ ſunt [b] cauſæ Epiſcoporum Thebanæ ciuitatis in Bœotia, & Primæ Iuſtinianæ: itemq; Epidauritani, Agrigentini, Salonitani, Calaritani, & aliorum. Ex quibus omnibus probe elucet (q; & alijs quamplurimis exemplis maioris etiam momenti antehac viſum eſt, & poſthac videbitur) præfuiſſe Romanum Pontificem Iudicem primarium totius Chriſtiani Orbis epiſcopis. Praxis autem tunc in his ita ſe habebat, vt ſi quando Epiſcopus apud Romanum Pontificem accuſatus, Romamq; vocatus, damnari minime meruiſſet, tunc ad ſui purgationem iurare compelleretur ſupra corpus S. Petri Apoſtoli: ſecundum ea q̃ & ipſe habet S. Auguſtinus [c]: quod hoc anno factum eſt de Leone [d] Epiſcopo Catanenſi, ac poſtea de Menna [e] Toloſano. Hocq; etiam tẽpore epiſcopi Hiberni, qui hactenus ſchiſmati ob tria capitula conflato cõſenſerant, tandem anguſtia preſſi ad Romanam eccleſiam clamarunt. Quos Gregorius ad vnitatem reducere cupiens, literas [f] ad eos miſit vna cum libro ea de re Pelagij Papæ nomine ab ipſo Gregorio (vt vidimus) olim cõſcripto. Porro hos ad Catholicam communionem redijſſe, inde certũ deducitur argumentum, q; poſt hęc ijdem de rebus dubijs, vti ceteri Orthodoxi, eumdem Pontificem conſuluiſſe reperiuntur [g]: quod vtique non feciſſent, ſi adhuc in ſchiſmate permanſiſſent.

b Vid. l. 2. epiſt. Ind. 11.

c Auguſt. ep. 137.
d Greg. 2. ep. 23. Ind. 10.
e Id. 11. ep. 8.

HIBERN. SCHISMAT CONVERSIO.

f 2. ep. 36. Ind. 10.

g Id. 9. ep. 61

III. TVNICÆ S. IOAN. TRANSLATIO.

Hoc item anno *Tunicam S. Ioannis* Euangeliſtæ Romam delatam eſſe, ex eodem [h] apparet: quam collocatam eſſe ſub altare S. Ioann. in baſilica Conſtantiniana, multiſque coruſcare ſolitam miraculis, teſtatur Ioannes diaconus [i]: cum præcipue ſiccitatis tẽpore foras excuſſa pluuiam cõferret, inundationis vero tempore ſerenitatẽ reduceret.

h 2. ep. 9. Ind. 11.
i Ioan. diac. in Vit. S. Greg.

IV. MAVRITII IMP. INI-

Quod ad res pertinet Orientales: hoc eodem anno denigrauit Mauritius Imperator nomen ſuum, dum Iuliani Apoſtatæ legem renouauit, qua prohibitum fuerat ne quis miles nondũ expleta militia monachus effici poſſet.

EA LEX S. GREG. CORRIGITVR.

Sed eam ab ipſo Imperatore ad Gregorium Papam miſſam idem Gregorius valide impugnauit, eamdemque ita decreto ſuo correxit, vt in his militibus locum non haberet qui vere pœnitentes probati eſſent. Sed & quod eodẽ edicto prohibitum fuiſſet, actionibus publicis implicatos nullo pacto recipiendos in monaſterium, ita emendauit, vt ſtatuerit eos eſſe recipiendos cum illis obligationis nexibus ſoluti fuiſſent. Hæc autem omnia manifeſta ſũt, tum ex literis quas ipſe anno ſequenti ad finem indictionis vndecimæ de ea re ſcripſit [k] ad Mauritium, ac Theodorum medicum eiuſdem Imperatoris intimum: tum ex alijs poſtea ad diuerſos Metropolitanos Orientis atque Occidentis conſcriptis [l].

k Greg. 2. ep. 2. & 65. Ind. 11. l l. 7. ep. 11. Ind. 1.

V. QVOMODO SACERDOTES SVBDITI SINT LEGIBVS.

Ex quibus etiam vltimis intelligas, quomodo accipienda ſint quæ abiecte nimis videri poſſent ab eo dicta in iiſdem ad Mauritium & Theodorum datis: dum inter alia ait, Deum Imperatori conceſſiſſe, vt non ſolum militibus, ſed etiam ſacerdotibus dominaretur: vnde Nouatores probare nituntur ſacerdotium Regibus ſubiectum eſſe. Qui enim cenſor & corrector exurrexit conſtitutionis Imperatoriæ, vt ad rectam Catholicæ Eccleſiæ normam aptaret: haud ſe ſubiectum Imperatori, ſed potius ſuperiorem demonſtrauit. Sic vero Deum ſubieciſſe tradit ſacerdotes Mauritio, vt olim eos ſubiecerat perſecutoribus, Neroni atque Diocletiano, quos etiam gladio in eos agere permiſit. Nam & Gregorium inter eos connumeraſſe Mauritium (ſiue alium Imperatorem, ſub quo velis eum ſcripſiſſe commentarium in Pſalmos pœnitẽtiales) quod poteſtatis ſuæ iura tranſcendens, Eccleſiam quam ſui ſanguinis pretio redemptam Saluator voluit eſſe liberam, ipſe facere conaretur ancillam, cum eam potius dominã ſuam agnoſcere deberet, eiq; deuotionis obſequium exhibere: ideoque indignum prorſus fuiſſe qui inter Reges haberetur: apertiſſimis verbis idem ſanctiſſimus Pontifex eodem commentario [m] declarauit. Si quid vero nihilominus indignum Apoſtolico vigore prædictæ ipſius epiſtolæ habere videantur, nihil illud veritati aut iuribus Eccleſiæ præiudicare poterit: quandoquidem ipſo illius exordio quam ad Imperatorem ſcripſit, inprimis conteſtatus eſt ſe non vt Epiſcopum eam ei commonitionem impertire, ſed iure priuato qui quidem cum iure publico agendum fuit, eamdem Imperatoris conſtitutionem Pontificia auctoritate (vt vidimus) correxit.

m Id in Pſ. 4. pænit.

MAVRIT. AN. 11.

IESV CHRISTI AN. 593.

GREGORII AN. 4.

I.

ANno Domini quingenteſimo nonageſimo tertio, Indictione vndecima, Gregorius Papa Conſtantinopolim miſit Sabinianum diaconum Apocriſarium, illum ipſum qui eidem poſtea in Pontificatu ſucceſſit. Cui proficiſcenti literas ad diuerſos amicos [a] viros Illuſtres dedit: itemque ad Ioannem [b] Conſtantinopolitanum Epiſcopum, quem auctoritate Apoſtolica redarguit, & quod alium Ioannem presbyterum, qui iniuriam ab ipſo paſſus Apoſtolicam ſedem appellauerat, adhuc inquietaret: & quod reprehenſionem ab eodem Gregorio ipſi factam de Anaſtaſio item presbytero ac monacho, quem Ioannes fuſtibus puniri iuſſiſſet, non eo quo ſcripta fuerat animo ſuſcepiſſet. Hocque pariter eodem anno Andream Epiſcopum Tarentinum duobus menſibus à celebratione Miſſarum ſuſpendit [c], eo quod mulierem quamdam fuſtibus ſubieciſſet. Vetitum enim erat aliquẽ fuſtibus ab Epiſcopis cædi: virgis autem ſubijcere reum fuiſſe conceſſum, ex pluribus eiuſdem Pontificis epiſtolis patet. Qua vero auctoritate hos Gregorius coercuit, eadem quoq; res Africanæ eccleſiæ curans, *Cõcilium* generale ab epiſcopis Numidiæ ipſius iuſſu [d] habitum, nullum penitus reddidit [e] atque caſſum, quod in eo aliqua contra canones Eccleſiaſticos accepiſſet fuiſſe ſtatuta.

a Greg. 2. ep. 61. 64. 66. Ind. 11. b Ib. ep. 52. S. GREG. REDARGVIT IOA. CONST. c 2. ep. 44. GREG. INVALIDAT GESTA CONCILII NVMID. d 2. ep. 47. 48. e 2. ep. 7.

II.

Hoc item tempore, cum defuncto Laurentio Iuniore Mediolanenſi epiſcopo, idem Pontifex illius ciuitatis clero [f] teſtimonium perhibuiſſet de probitate Conſtantij eiuſdem eccleſiæ diaconi, quem ipſe Conſtantinopoli familiarem habuerat (teſtimonium inquam, tantummodo perhibuit: pro eius vero electione nihil officij impendere voluit, quod, vt ait, iam olim propoſuiſſet numquam pro alicuius perſona in epiſcopum eligenda agere) idem Conſtantius omnium cõſenſu creatus eſt. Qui cum mox aſſenſum præbuiſſet damnationi Trium Capitulorum, tres epiſcopi ei ſubiecti ſe ea de cauſa ab eius communione ſubtrahẽtes, Theodolindam quoq; Longobardorum Reginam feminam religioſiſſimam in ſchiſma vna ſecum abducere conati ſunt. Quod audiens Gregorius, cõtinuo ad eam cum literis [g] Ioannem Abbatem & Hippolytum Notarium miſit, & ad eumdem Conſtantium [h] ſcripſit vt illis cooperaretur in reparatione periclitantis Reginæ. Eamdem tamen aliquamdiu in ſchiſmaticorum ſententia perſtitiſſe, eiuſdem Gregorij poſtea ſcriptæ litteræ [i] docent.

f 2. ep. 29. Ind. 11. GREG. REFVGIT AGERE PRO PERSONIS IN EPISCOPOS PROMOVENDIS. g 3. ep. 4. h 3. ep. 2. i 3. ep. 37.

III.

Inter hæc autem idem ſanctiſſimus Pontifex laborib. & anguſtijs fatigatus & preſſus, ad modicum temporis ſpatium amicam repetijt ſolitudinem: ita tamen vt in otio eſſet maxime operoſus. Cum enim collegiſſet res præclare geſtas ſanctiſſimorum virorum Italiæ, eorum potiſſimum qui ſua ætate vixerunt, quas vel ipſe probe ſciret, vel à viris fide digniſſimis accepiſſet: diligentiſſimam in his curam impendens, eaſdem per dialogiſmum proſecutus eſt, interlocutorem adhibens Petrum diaconum, virum à pueritia ſibi vſu amicitiæ intimũ, quem in eam ſolitudinẽ ſecum duxerat. Hæc ipſe omnia in exordio operis plurib. aperit. Eos vero Dialogorum libros elaboratos eſſe anno quarto ipſius Põtificatus (qui ingreditur hoc anno menſe Septemb. vna cum duodecima Indictione) eiuſdem ſæpe in eodem opere teſtificatione certum redditur, dum de peſte agẽs quæ Vrbem vexauit eo anno quo ipſe Pontifex creatus eſt, ante trienniũ accidiſſe ſemper affirmat [k]. Cum autem iidem ipſius Dialogi longe poſtea à Zacharia Papa fuiſſent ex Latino in Græcum conuerſi, ita plane expetentibus Græcis: Ioannes [l] diaconus accidiſſe ait vt eorum poſteri eoſdem corruperint, dum quod Gregorius in fine ſecundi libri habet Spiritum S. à Patre Filioque procedere, abſtulerunt ipſi nomen Filij.

GREG. SECESSVM PETIT AD SCRIBENDOS DIALOGOS. k 4. dial. 16. 36. 47. 55. DIALOGI GREG. IN GRÆCVM CONVERSI. l Ioan. diac. in Vit. S. Greg. l. 4. c. 75.

IV.

Ceterum ſucceſſionem illam breuem haud extitiſſe Pontificalibus negotijs feriatam, quamplurimæ datæ hoc anno ab eo ad diuerſos epiſtolæ [m] docent: quibus epiſcopos varie peccantes redarguit, puniuit, depoſuitque monachos diſcolos coercuit, puſillanimes hortatus eſt: omniſque conditionis ac ſexus homines in officio cõtinens, qui inter illos afflicti eſſent conſolatus eſt, egeniſque atq; oppreſſis ſubuenit. Puellam [n] ſeruituti obnoxiam, monaſticam vitam amplecti cupientem, redimi Eccleſiæ pecunia voluit, vt voti compos effici poſſet. Illudque aduerſus Iudæos decreuit [o], ne eorum ancillæ vel ſerui ad Eccleſiam confugientes ipſis redderentur: & mancipia Chriſtiana à Naſate Iudæo empta reddi libertati mandauit [p]: ipſumque puniri, quod lucri cauſa captandi Eliæ prophetæ nomine erexiſſet altare, inuitans Chriſtianos ad eius cultum. Cumque audiſſet in angulo quodam Siciliæ adhuc reperiri quoſdam idololatras & Angelorum cultores (quæ Iudæorum hæreſis erat) loci Epiſcopum Eutychium admonuit [q], pro eorum conuerſione ſtrenue laborare. Denique tot ſe occupationibus hoc anno detentum fuiſſe idem ad Narſetem Patricium ſcribens [r] ſignificat, vt (quod ait) ipſe neque legere neque per epiſtolas multa loqui liceret.

m Greg. ep. l. 2. Ind. 11. & l. 3. Ind. 12. GREG. IN SECESSV CVRAM AGIT ECCLESIÆ VNIVERSALIS. n 2. ep. 19. o 3. ep. 9. p 4. ep. 37. q 2. ep. 60. r 2. ep. 63.

V.

Hoc eodem anno, qui numeratur Regis Francorum Childeberti decimuſquartus nondum abſolutus, contigit vniuerſam Galliam fatigari duarum regiarum monialium cauſa videlicet *Chrodieldis* filiæ Chariberti Regis, ac *Baſina* filiæ Chilperici pariter Francorum Regis quæ ſub Sancta Radegunde Regina in monaſterio Pictauienſi profeſſæ virginitatem, poſt obitum eius non patientes ab Abbatiſſa Leubouera, haud paris nobilitatis femina regi, cum ipſæ primatum ambirẽt, facta ſeditione foras egreſſæ ſunt, eo prætextu vt apud Reges aduerſus Abbatiſſam

TVRBÆ IN GALLIA OB DVAS REGIAS MONIALES DISCOLAS.

expoſtularent. Verum cum parum apud eos profeciſſent, Pictauos redeuntes ſe intra S.Hilarij baſilicam continuerunt, indeque per armatos nefandiſſimos quosq; ac perditiſſimos homines cuncta rapinis cædibusq; miſcentes, monaſterium quoq; S.Radegundis diripuerunt, & Abbatiſſam vinculis alligatam abduxerunt: inſuperque plagis intra eccleſiam S.Hilarij tum alios quamplurimos affecerunt, tum ipſum Epiſcopum Pictauienſem nominē Morouеum, necnon Gundegiſilũ Burdigalenſem Metropolitanum, aliosque Epiſcopos prouinciales qui in eam ciuitatem vt his malis mederentur *conuenerant*.

PLVRES SYNODI EA DE CAVSA HABITÆ.

Qui quidem Epiſcopi, cum ob eiuſmodi, aliasque horrendas graſſationes eaſdem regias moniales à communione ſuſpendiſſent: hæc ipſorum ſententia approbata eſt ab alio *Conuentu* Epiſcoporum, qui apud Regem Guntheramnum eadem occaſione collecti erant: itemque ab alio rurſum Pictauis celebrato ab Epiſcopis vtriuſq; regni, Childeberti videlicet & Guntheramni: à quibus cauſa exacte diſcuſſa, eædem moniales diſcolæ recuſantes Abbatiſſæ reconciliari, excommunicatæ ſunt, ipſaque Abbatiſſa in monaſterium reſtituta. Hæc omnia pluribus Gregorius [a] Turonenſis, qui eiſdem interfuit: quæ quidem hoc anno cœpta, in ſequentem propagata ſunt. Quo iterum Metis habita *Synodo* (in qua pariter in ordinem redactus eſt Ægidius Rhemenſis Epiſcopus, cõiurationis in vitam Childeberti Regis conuictus) eadem Baſina coram Epiſcopis ſolo proſtrata veniã petijt, eaq; obtenta Pictauos rediens Abbatiſſæ ſe ſubiecit: Chrodieldis autẽ Childeberti Regis precibus in communionem recepta Pictauos item ſed non in monaſterium regreſſa eſt.

a Greg. Tur. 9. hiſt. 39. & ſeqq. & l. 10. c. 15 & ſeqq.

VI.

Hoc item anno, petentibus Francorum Regibus, datum [t] legitur ab eodem Gregorio Papa priuilegium monaſterio S.Medardi Sueſſionenſi in Gallia, quo illud conſtituit caput monaſteriorum totius Galliæ, & nullius voluit ditioni ſubijci, præterquam Sedis Apoſtolicæ. Datum enim ponitur ſeptimo Calendas Iunij anno ab Incarnatione Domini [u] quingenteſimo nonageſimo tertio Indictione vndecima: ſed aduertendum eſt, ſubſcriptionem Epiſcoporum ac Regis Francorum Theodorici eidem priuilegio appoſitam, haud in omnibus congruere his temporibus, ideoque videri poſtea abiectam. Sed & notanda, quam Gregorius addit in fine, ſanctio, dum omnibus Iudicibus, Antiſtitibus, Regibusque ipſis, qui hoc priuilegium in aliquo violare præſumerent, excommunicationem, & dignitatis ſuæ priuationem interminatur: quam eamdem comminationem ab ipſo apponi conſueuiſſe alijs eiuſmodi monaſteriorum vel hoſpitaliũ confirmationibus, conſtat ex alio priuilegio ad inſtãtiam Brunichildis Reginæ conceſſo eccleſiæ, monaſterio, ac xenodochio ab ipſa cõſtructo in ciuitate Auguſtodunenſi, quod extat apud eumdem Gregorium [x]. Idemque à ceteris Summis Pontificibus, æque ijsdem, alijsq; eiuſmodi occaſionibus factitari ſolitum, infinitæ declarant ipſorum conſtitutiones. Quod ſi hæc decernantur in violatores priuilegiorum vnius monaſterij vel xenodochij (ſicut etiam olim argumentatus eſt Gregorius [y] Papa Septimus aduerſus Henricum Imperatorem) quid præſtandum erit in deſtructores ſanctæ matris Eccleſiæ, & fidei Catholicæ oppugnatores.

t Greg. Pap. l. 1. Epiſt. Ind. 11. poſt ep. 38.

u Ita veteres codi. & non. 594. vt habet recens editio.

POENA PRIVATIONIS COMMINATA REGIBVS.

x 11. ep. 10.

y Greg. Sept. l. 4. ep. 23 & l. 8. ep. 21.

VII.

Hic item annus Deo acceptabilis extitit ob conuerſionem Gothorum. Vbi enim Reccaredus Hiſpaniæ Rex Catholicam fidem (vt dictum eſt) profiteri cœpiſſet: ad hoc ipſum hortatus eſt Gothos Epiſcopos, atque magiſtratus & populum: factumque Dei gratia vt perpaucis exceptis, omnes eamdem cum Rege abdicata hæreſi Ariana fidem profiterentur. Cuius rei cauſa, vt cuncta ſolide ſtabilirentur, hoc eodem anno qui numeratur quartus ipſius regni, octauo Idus Maias *Toleti* celebrari voluit CONCILIVM vniuerſale totius Hiſpaniæ, eiuſque etiam Galliæ partis quæ apud Narbonenſem prouinciam ſubiecta adhuc erat Gothis, vt ex Epiſcoporum ſubſcriptione patet. qui interfuerunt omnes numero circiter ſeptuaginta, vna cum ipſo Rege atq; Regina. Quod vero in eius Actis, anno quarto Regis Reccaredi iungatur Era ſexcenteſima vigeſima ſeptima, error indubitatus cognoſcitur ex ſtabilito ſuperius eiuſdem Regis ingreſſu. Ipſum autem Concilium auctoritate Apoſtolica celebratum eſſe, ex eo intelligi poteſt dum Lucas Tudenſis ait S.Leandrum epiſcopum Hiſpalenſem, totius Hiſpaniæ hoc tempore celeberrimum, ei interfuiſſe & præfuiſſe, legatione functum pro Romano Pontifice. Quod teſtatur etiam Iſidorus [z]: cum tamen in vulgatis Tomis Conciliorum idem Leander errore omiſſus habeatur, qui primus ſcribi debuerat. Porro extant ipſa Synodi Acta, canonesq; viginti tres in ea editi: itemque Regis oratio fideique profeſſio ſinceriſſima atq; edictum pijſſimum: ac deniq; Gothorũ Catholica aſſertio, & anathematiſmi aduerſus hæreſim Arianam. Verũ & aliquid in eiſdem Actis deſiderari poſſe videtur, cum & regio dicatur [a] ſancitum edicto, vt libri omnes hæreticorum igni comburendi darentur.

CONCIL. TOLET. POST CONVERSIONEM RECCAREDI. ...

z Iſid. in Chron. Goth.

a Aimoin. l. 3. de reb. Franc. c. 77.

VIII. GESTA SYNODI TOLET.

Quod vero ad canones qui reperiuntur ſpectat: inprimis Patres ad integrum cõſequendum conſeruandumq; ſplendorem Hiſpanicarum Eccleſiarum, diu denſo nubilo hæreſis vel ſuperſtitionis Gentilitiæ obſcuratum, ſtatuerunt vt [b] Conciliorum omnium conſtituta, ſimul & Synodicæ SS. Præſulum Romanorũ epiſtolæ in ſuo vigore permanerẽt. Deinde prauum illum abuſum [c] ſuſtulerunt, quo Clerici cõtra antiquam eccleſiæ diſciplinam, relicto tribunali eccleſiaſtico ſe inuicẽ ad forum ſæculare trahebant: idq; ne amplius fieret ſub pœna excõmunicationis prohibuerũt. Ac pariter ex decreto pijſſimi Regis ſtatuerunt [d] vt Iudices ſæculares locorũ, & Actores fiſcaliũ patrimonium ſemel in anno ad Conciliũ prouinciale epiſcoporum cõuenirent, vt ibi diſcerent quã pie & iuſte cum populis agere deberẽt in adminiſtratione ſua: & perſpicerent Epiſcopi qualiter illi cum populis agerent, vt ipſos errantes corrigerent, aut eorum inſolẽtiam Principum auribus inſinuarent quod ſi correptos emendare nequirent, eos & ab eccleſia & à cõmunione ſuſpenderent: Sed & ab epiſcopis deliberaretur, quid per prouincias ſine detrimẽto præſtare deberent Iudices, ſi ad Concilium non venirent. Hæc de ijs canon. At non recens iſtud ab ijs inſtitutum. Siquidem eſt de his antiquior ſanctio Concilij Arelatenſis [e], qua iubentur epiſcopi inuigilare ſuper Præſides prouinciarum, ne quid contra diſciplinã committant: ac ſi id præſumant, eos anathemate percellant. Et antiquiſſimæ ſunt Conſtitutiones imperatorum Chriſtianorum, quibus monentur epiſcopi præeſſe debere Præfectorum tribunalibus. Sed de his dictum eſt ſuis locis.

b Concil. Tolet. III. c. 1.

c Ibid. c. 13.

d c. 18.

EPISCOPI INVIGILARE DEBENT SVPER PRÆS. PROVINC.

e Conc. Arel. c. 7.

Hoc item anno Reccaredi quarto, poſt hoc Concilium Toletanum *Tertium* dictum, celebrata eſt quoque alia SYNODVS [f] *Narbone*, cui octo interfuerunt eiuſdem prouinciæ epiſcopi, vna cum Nigetio Narbonenſi Antiſtite: in quo plures renouati ſunt canones antiqui, alijque recens additi ad diſciplinam eccleſiaſticam pertinentes. Pro tantis vero pietatis muneribus, Deus eumdem Reccaredum Regem, cuius opera hæc Concilia celebrata fuerũt, hoc anno eripuit à coniuratione Argimundi ducis exercitus: qui vt Rex fieret, aduerſus eum vna cum pluribus alijs conſpirauerat: quorum ſtudijs Dei nutu detectis, capti omnes meritas dedere pœnas. Hæc enim eodem anno quo Concilium Toletanum celebratum eſt, geſta eſſe Ioannes Biclarenſis ponit.

CONCIL. NARBON.

f Huius Concilii Acta nunquã hactenus excuſa, edidit Baron. Annal. To. VIII. an. 589. ſede loco non ſuo.

Interea in Oriente hoc eodem anno aduerſus Auares & Slauinos vel Sclauinos, ſub Rege Caiano ſiue Chagano Hunno, Iſtro traiecto Thraciam infeſtantes, varie pugnatum eſſe ab Imperatoris exercitu, & ab eorum incurſionibus Europam liberatã, tum virtute & armis Priſci Ducis, quem primo Imperator à Præfectura depoſitũ poſtea reſtituit, tum eloquentia & perſuaſione Theodori medici, legatione apud eumdem Chaganum pro pace fungentis: pluribus narrat Nicephorus [g]. Quæ quidem præſenti anno contigiſſe, apparet ex literis [h] S. Gregorij Papæ adgaudentis Priſco de ipſius reſtitutione, ſcriptis menſe Iulio Indictionis vndecimæ.

X. DE CHAGANI IRRVPTIONE IN THRACIAM.

g Niceph. l. 18. c. 21. 29.

h Greg. l. 2. ep. 51. Ind. 11.

XI. DE TVNICA SALVATORIS.

Hoc item anno Sigebertus ponit *Tunicam* inconſutilem Domini noſtri IESV CHRISTI in Zaphat non longe ab Hieroſolyma, confeſſione Simeonis Iudæi inuentam,

tranſlatam eſſe in eandem ciuitatem à Gregorio, Thoma, & Ioanne Patriarchis Antiocheno, Hieroſolymitano, & Conſtantinopolitano, & publicæ venerationi expoſitam. Hæc ille antiquiorem enim, quem de his citemus auctorem, habemus neminem. Sed ab his diuerſa quodammodo ante hæc tempora ſcripſit Gregorius[i] Turonenſis, dum ait ſe ex quorumdam relatione didiciſſe, eamdem Tunicam magna veneratione iam olim habitam fuiſſe in vrbe quadam Galatiæ.

i Greg. Tur. l. Mirac. 6.

XII. De Golauduch martyre.

Hoc præterea tempore claruiſſe in Perſide inſignem feminam Chriſtianam nomine *Golauduch*: eamdemque poſt multa tolerata à Magis tormenta, ingentiaque edita miracula, coronã martyrij aſſecutam eſſe: Euagrius[k] tradit. Vocatur ea apud Nicephorum[l] *Colinduch*, vbi & quædam de ea narrantur captu difficilia ex Stephano epiſcopo Hieroſolymitano ipſius vitæ ſcriptore. Sed quidquid ſit, certum eſt eam celebratam eſſe cultu anniuerſario ab Orientalibus, penes quos paſſa eſt.

k Euagr. l. 6. c. 19.
l Niceph. l. 18. c. 25.

IESV CHRISTI AN. 594.

MAVRITII AN. 12.

GREGORII AN. 5.

I.

a Greg. l. 2. ep. 31. & 37.

ANno Chriſti quingenteſimo nonageſimo quarto Indictionis duodecimæ Gregorius Papa inter alia egregia quæ præſtitit, ſcripſit[a] aduerſus Schiſmaticos Trium capitulorum defenſores pro defenſione Quintæ Synodi, ad Theodolindam Reginã adhuc iiſdem ſchiſmaticis fauentẽ, & Conſtantium epiſcopum Mediolanẽſem perſecutionem ab iis patientem. Idemq; aduerſus Donatiſtas in Africa inualeſcentes, epiſcopos[b] negligentes incitauit: Dominicum vero Carthaginenſem epiſcopum, qui Concilio contra eos habito ſanxerat, vt epiſcopi qui hæreticos non inquirerent & expellerẽt, dignitate ac bonis priuarentur: à nimio hoc impetu[c] reuocauit, q; maiores videret id concitaturum inter ipſos epiſcopos diſcordias. Ac de conuertendis Iudæis pariter ſolicitus, eos non violẽtia, ſed ſpe præmij allici debere[d] monuit. Multumq; laborans[e] in Barbaricinis populis qui Sardiniæ montes incolebant (quos olim ex[f] Africa Wandali in eam inſulam expulerant) à Gentiliſmo ad fidem reducendis: id tandem[g] præſtitit. Sed & cũ Dalmatiæ[h] Epiſcopi iã anno ſuperiori in Salonitanũ Metropolitanum elegiſſent Maximum quemdam virum prauum ac ſimoniacum, quẽ ipſe Greg. reieciſſet: iidem nihilominus, Imperatoris iuſſione prætenſa eumdem conſecraſſent: eos omnes Gregorius hoc anno à cõmunione ſuſpendit. Ioannẽ quoq; Rauennatem epiſcopum (quem iam ante redarguerat[i], q; præter eccleſiaſticam cõſuetudinem, nec tempore nec loco decenti pallio vteretur) iterum hoc anno cum de eadem re tum de aliis prauis moribus corripuit[k]. Deniq; quamplurima alia exhibuit egregia paſtoralis vigilãtiæ exempla in epiſcopos negligẽtes, aut nimium præſumentes: necnon in monachos regulas ſuas tranſgredientes: itemq; charitatis erga pauperes: atq; curæ diuerſarum eccleſiarũ, aliorumq; locorum ſacrorum: quæ omnia apud eum[l] videre licet.

b 3. ep. 32. & 35.
Epiſcopi Carthag. corrigitur impetus indiſcretus.
c 4. ep. 3.
d 3. ep. 3. & 4. ep. 6.
e 3. ep. 23. & ſeqq.
f Procop. de bel. Wand. l. 2. Memini rerum eorumdem Iuſt. l. 2. de off. P.P. Afr.
g Greg. 4. ep. 33. ad Conſt. Aug.
h 3. ep. 15. & 20.
i 2. ep. 54. Ind. 11.
k 4. ep. 15.
l l. 3. Epiſt. Ind. 11. & l. 4. Ind. 12.

II. Greg. caput S. Pauli denegat Auguſtæ.

m 3. ep. 30.

Illud vero non omittendum, quod cum Auguſta Conſtantina Mauritij Imperatoris vxor in ſuo palatio eccleſiã in memoriam S. Pauli ædificaſſet, & ab eodem Gregorio expetiiſſet vt Conſtantinopolim mitteret eiuſdem Apoſtoli caput, ſiue partem aliquam eius corporis: idem Pontifex[m] ſibi id minime licere multipliciter excuſauit, multis additis miraculorum exemplis, quæ edi conſueuiſſent cum quid ex ſacris Reliquiis tranſmutare Romæ quis auderet: ſed earum loco mitti ſolere ait Brandea, per quæ tantæ virtutes fierent, quantæ per ipſa Sanctorum corpora. Pollicetur autem, ſe eidem Auguſtæ miſſurum de catenis quas S. Paulus in collo & manibus geſtaſſet, ex quibus plurima miracula demonſtrarentur: quorum illud non minimum, quod cum frequenter multi peregrini aliquid ex limatura earumdem catenarum peterent, ſacerdos cui ea eſſet cura cõmiſſa, aliquibus petentibus nulla difficultate vel mora de iiſdem ramenta lima excuteret, quibuſdam vero diu per catenas ducta lima nihil penitus excutere valeret.

De catenis S. Pauli.

III. Concil. Hiſpal.

Hoc item anno, qui quintus numeratur Reccaredi Hiſpaniæ Regis, pridie Nonas Nouembris celebrata eſt SYNODVS HISPALENSIS, cui præfuit S. Leander eiuſdem ciuitatis epiſcopus. Interfuerunt pariter alij ſeptem epiſcopi: qui tria in Synodo decreta firmata ad Pegaſium Aſtigitanum in eadem prouincia epiſcopum direxerũt. Inter quæ illud memorabile, quo ſtatuerunt Iudices ſeculares (permiſſione tamen epiſcopi) ſeparare debere ancillas, aliaſq; extraneas mulieres à clericis. Quod enim frequentiſſime legibus eccleſiaſticis id fruſtra vetitum videret, voluit S. Synodus laicos iudices inſurgere læſæ ſæpius legis eccleſiaſticæ vindices. Præter autẽ tres dictos canones collegit ex diuerſis locis, Hiſpalenſis Cõcilij alios vndecim, vir inſignis Garſias Loaiſa in editione quam ſumma elucubrauit induſtria Hiſpanorum Conciliorum.

Mulieres à clericis ſeparandæ per magiſtratus.

IV. Anaſt. Sinaita reſtituitur ſedi Antioch.

Quod ad res pertinet Orientales: hoc eodẽ anno mortuo Gregorio epiſcopo Antiocheno, in eius locum reſtitutus eſt *Anaſtaſius* Sinaita, qui viginti tribus antehac annis in exilium pulſus fuerat. Hæc Euagrius[n]: cui conſentiunt S. Greg. Papæ[o] ad eumdem Anaſtaſium gratulatoriæ ſcriptæ literæ Indictione decimatertia, quæ cœpta eſt hoc anno menſe Septembri. Addit vero Euagrius, paulo quoq; poſt defunctum eſſe Ioannem Hieroſolymorum Antiſtitem: ſucceſſorem tamẽ non appoſuit, quia (vt ait) antequam aliquis in locum eius ſufficeretur, ipſe finem hiſtoriæ ſuæ impoſuit, anno duodecimo regni Mauritij Imp. qui inchoatur hoc anno menſe Auguſti. Sed cõſtat[p] Ioanni ſuffectum eſſe *Amos* antea Abbatem. Quiſnam autem alius præter Euagrium, res geſtas ſub Mauritio proſecutus ſit: habes ex Actis Nicænæ[q] poſterioris Synodi, S. Leontium Conſtantiæ in Cypro epiſcopum ſcripſiſſe tribulationes quas his temporibus eccleſia Dei paſſa eſt: ſed hactenus incompertum nobis opus, vel excidit, vel latet. His autem prope diebus emerſit in lucem *Theophylactus* cognomento Simocatus Græcus hiſtoricus, qui Mauritianam ſcripſit hiſtoriam, de qua ſuperius.

n Euagr. l. 6. c. 23.
o Greg. 4. ep. 37.
p Id. 7. ep. 7. Ind. 1. Pra. Spir. c. 149.
q Conc. Nic. II. Act. 4.
Scriptores rerum ſub Maurit. Imp. geſtarum.

IESV CHRISTI AN. 595.

MAVRIT. AN. 13.

GREGORII AN. 6.

I.

ANnus Domini quingenteſimus nonageſimus quintus Indictione decimatertia, vniuerſæ Italiæ calamitoſus extitit: cum receperatis per Romanum Rauennæ Exarchum quibuſdam ciuitatibus quæ à Longobardis tenebantur, horum Rex Agilulphus furore percitus nõ ſolum eaſdem iterum cepit, ſed & ipſum agrum Romanum maxima depopulatione vaſtauit: vt conſtat tam ex Paulo[a] Diacono, q̃ ex Gregorio[b] Papa, qui hoc eodem tempore flagitante populo difficillimas Ezechielis Prophetias pro concione interpretabatur. Quod quidem admirati ſunt[c] cordati omnes: vt videl. ſub oneroſo faſce curæ totius Orbis, & in tanto diſcrimine Orbis, potuerit Gregorius in his philoſophari, & populus in eodem periculo conſtitutus conciones tales ab eo exigere: cum præſertim S. Hieronymus nullo paſtorali onere prægrauatus, ſed ſolum ſacris litteris incumbens, teſtetur[d] interpretationem in eum qui quod in Oriente ipſe tunc degens audiſſet Occidentalem Orbem, Vrbemque vaſtari à Gothis. At vero S. Gregorius vix tunc à cœptis eſt violenter abſtractus, vbi vallata Vrbe, vulnera ciuium, vincula, atque cædes eſt oculis contemplatus.

a Paul. diac. l. 4. c. 7.
b Greg. in Ezech. homi. 18. & 22.
c Bernard. de conſid. l. 1. ad E. & alii.
Greg. PP. contemplatione et actione præcipuus.
d Hier. ep. 92 ad Marcel.

II. Quibus artibus Vrbs libera permanſerit à Long.

Quod autem & antea & præſenti anno graſſantibus Longobardis in omnes Italiæ regiones, Roma fuerit inacceſſa, p̃ſtitit hoc vigilantia Romanorũ Pontificum, qui p̃ter iuges excubias in vigiliis, ieiuniis, & orationibus, addiderunt vt Eccleſiæ pecuniis redimerent vexationem: prout idem Gregorius hoc item anno ſcribens[e] ad Conſtantinam Auguſtam teſtatus eſt: qui tamẽ alibi[f] totum id

e Greg. 4. ep. 34. Indict. 13.
f 7. ep. 23. Ind. 1.

g 6. ep. 23. Ind. 15. — h 7. ep. 1. Ind. 1. — i 4. ep. 29. — k 4. ep. 3[?].

tribuit non largitioni pecuniarum, ſed Petro Apoſtolo vigilanti ſuper cuſtodiam Vrbis: rurſumq; alio loco g, lacrymis, orationibus; & diſtrictiſſimæ abſtinentiæ monialium, quarum tria millia in Vrbe tunc fuiſſe teſtatur. Cum nihilominus alia Epiſtola h ſatis ſibi virium fuiſſe aſſerat, vt hoſtes internecione deleret ſi voluiſſet; ſed deſtitiſſe, quod ægro animo ferret humanum ſanguinē bello fundi. Itaq; nihil vtilius putauit, quàm vt cum Agilulpho pax componeretur, quem ab ea non alienum ſciret. Qua de re cum per Seuerum i Exarchi Scholaſticam apud ipſum Exarchum egiſſet. Exarchus vero rem ad Imperatorē detuliſſet: ipſe Mauritius Auguſtus eumdem S. Gregor. datis ad eum literis vt nimis ſimplicem deriſit, quod adeo facile crederet Regi Longobardorum: pariterq; de pluribus alijs cōqueſtus eſt, nulla Summi Sacerdotij habita ratione: ad quem reſcribens k Gregorius, & obiecta dilui, & de honore cultuque quo debeant omnes ex præſcripto legis diuinæ venerari ſacerdotes, ipſum Imperatorem admonuit.

III. IOAN. EPISC. CONSTANTINOP. INSVRGIT IN GREG.

l 4. ep. 30. — GREG. SCRIPTIS AGIT CONTRA IOANNEM. — m 4. ep. 38. — n 4. ep. 39. — o 4. ep. 32. 34. 36. — p 4. ep. 39. — q 4. ep. 14. — r 5. ep. 30. ad Maurit. Imp.

Sed aliæ maiores eum preſſerunt anguſtiæ. Nam quo magis ipſum deſpectui habitum ſciret ab Imperatore Ioannes Conſtantinopolitanus, eo arrogantius in eumdem inſurgens, ſolita temeritate inſolentius proſequutus eſt quod cœperat aduerſus Apoſtolicam ſedem, Vniuerſalem ſe pontificem vbiq; nominare. Quin etiam eo vſque progreſſus eſt; vt Ioannis presbyteri (de quo ſuperius) acta Romam diſcutienda vt iuſſus fuerat mittens, eaq; in re ſe Romano Pontifici ſubditum agnoſcens: in ijſdem tamē Actis ſe pene per omnem verſum, *Oecumenicum Patriarcham* nominaret: quod ipſe Gregorius teſtatur in epiſtola l quam hoc eodem anno ſcripſit ad Sabinianum diaconum (ſic enim in inſcriptione corrigēdum eſt) Apoſtolicæ Sedis Apocriſariū Conſtantinopoli agentem. Quamobrem qui hactenus aberrantem Ioannem ſumma tolerauerat patientia, ac per Apocriſarios ſuos verbis redarguerat: hoc potiſſimū anno excitatus in ipſum Gregorius, tum eumdem literis ſuis m corripuit, ipſumq; Sabinianum n admonuit ne vllo modo cum illo communicaret, ne eius videretur fauere ſuperbiæ: tum ad o Mauritium Imperatorem, Conſtantinam Auguſtam, Eulogium epiſcopum Alexandrinum, & Anaſtaſium Antiochenum, alioſque aduerſus eum literas dedit: quibus omnibus cum plura inculcet in deteſtationem ſuperbi illius nominis *Patriarchæ Vniuerſalis*, demum addit p, ei conſentire nihil aliud eſſe quam fidem perdere: nimirū quod cum à Chriſto, vni Petro præfectura fuerit gregis vniuerſalis credita, (hac enim in re Petri Apoſtoli cauſam agi docet) q ſi quis eiuſmodi ſtabilitam violauerit hierarchiam, aliter ſentire videretur quā ipſe Dominus ſentiēdum præcepit Ideoq; & alibi r oſtendit, eſſe præcurſorem Antichriſti, qui ſuperbum illud ſibi nomen vſurpat. Vt non ſit mirandum, ſi vnius voculæ occaſione adeo Gregorius laborauerit, cum etiam vnius interdum ſyllabæ aut etiam literulæ cauſa fuerit Sanctis Patribus aduerſus Arianos atq; Eunomianos hæreticos diu multumque pugnandum.

IV. DE NOMINE VNIVERSALIS.

Quod autem ad ipſum vocabulum *Vniuerſalis Patriarchæ* ſpectat: cum illud Gregorius in dictis epiſtolis ſingularitatis nomen appellet, per quod (vt ait) vniuerſi alij ſacerdotes honore debito priuarentur: ſatis euidenter conſtat id Gregorium accepiſſe pro ſingulari & vno ſolo, præter quem nemo ſit: ita vt ei reliqui omnes Epiſcopi ſubeſſent vt filij & vicarij, & non vt fratres & in adminiſtratione collegæ. Quo quidem ſenſu ſolus Chriſtus eſt Vniuerſale Eccleſiæ caput: ipſaq; eccleſia Vniuerſalis, dicitur vna toto vrbe diffuſa, extra quā nulla poteſt eſſe eccleſia: eaq; demum ſignificatione negauit Gregorius vllum Romanorum Pontificum illud ſibi nomen vſurpaſſe. At vero alia eſt eiuſdem nominis ſignificatió, qua dicitur Vniuerſale: hoc eſt, quod remanentibus partibus integris, ipſum ceteris ſupereminet: qua ratione vetuit olim Pelagius Papa, ac poſtea Gregorius, inter Patriarchas dici aliquem Oecumenicum: de Orientalibus vtiq; intelligentes, quod nequaquam alteri alterum vellent eſſe ſubiectum. Sed eo

QVO SENSV ROM. PONT. DICATVR VNIVERSALIS.

ſenſu Leonē Papam ſæpe in ipſo Generali Concilio Chalcedonenſi, alioſque alibi Romanos Pontifices dictos reperiri Vniuerſales Epiſcopos, & Vniuerſalis Eccleſiæ Antiſtites, manifeſtum faciunt antiqua monumenta: idque abſque aliquo faſtu cum eo nomine id quod eſt exprimatur, nempe quod ipſis cura paſtoralis vniuerſi gregis totius orbis concredita ſit: quam ſemper vbique & in omnes exercuiſſe, abunde his Annalibus demonſtratur: patetque de ipſo Gregorio ex eius epiſtolis, quibus ſingulis annis quamplurimas ex diuerſis vniuerſæ Chriſtianitatis Eccleſijs ad Apoſtolicam ſedem delatas cauſas decidit. Deniq; (vt egregie Innocētius s Papa Tertius longe poſtea aduerſus Græcorū obiectiones interpretatus eſt) cum eccleſia duabus de cauſis Vniuerſalis vocetur, nempe vel quod de vniuerſis conſtet eccleſijs, quæ Græce *Catholica* nominatur: vel quod ſub ſe contineat eccleſias vniuerſas: prima quidem acceptione, eccleſia Romana non eſt vniuerſalis eccleſia, ſed pars Vniuerſalis eccleſiæ, prima videlicet & præcipua, veluti caput in corpore, quoniam in ea plenitudo poteſtatis exiſtit, ad ceteras autem pars aliqua plenitudinis deriuatur. Secunda vero nominis ratione Romana eccleſia, ipſaque ſola Vniuerſalis nuncupatur, quoniam ipſa ſola ſingularis priuilegio dignitatis ceteris eſt prælata.

s Innoc. III. 2. ep. 198.

V. GREG. PAPÆ HVMILITAS.

t Greg. 4. ep. 31. — u 1. Cor. 15. — x 7. ep. 64. Ind. 2.

Cur autem tātum Gregorius abhorruerit ipſum quodcumque Vniuerſalis Epiſcopi nomen, declarat ipſe: nempe quod faſtuoſum nimis eſſe videretur, & Chriſtianæ humilitati minime congruens. Vnde nec adeo mireris ſi ſe negat dici velle Vniuerſalem, qui in alia epiſtola t ad Mauritium Imperatorē hoc eodem anno ſcripta, ſe etiam negat ſacerdotem eſſe: quemadmodum & olim S. Paulus u indignum ſe dixit vocari Apoſtolum: Denique vt paucis ſenſum Gregorij ex Gregorij verbis expreſſum habeas: illum abunde patefacit quod alibi x ait, ſi qua culpa in Epiſcopis inuenitur, omnes Epiſcopos Apoſtolicæ ſedi eſſe ſubditos: cum vero culpa non exigit, omnes ſecundum rationem humilitatis æquales eſſe. Cuius regulæ perennem praxim obſeruare licet in dictis factiſq; ipſius.

GREG. COGNOSCIT DE IVDICIIS CONSTANTINOPOL. EPISC. — y 6. ep. 15. & 16. Ind. 14. — z 5. ep. 14. — a 6. ep. 31. & 7. ep. 46.

Nam & cum hoc ipſo tempore ageretur Romæ cauſa Ioannis & Athanaſij presbyterorum, qui à iudicio eiuſdem Ioannis Epiſcopi Conſtantinopolitani Sedem Apoſtolicam appellauerant: ex alijs ipſius Gregorij literis y intelligere poſſumus, Ioannem quidem presbyterum Chalcedonenſem (qui hæreſis iniuſte Conſtantinopoli damnatus fuerat) in Synodo ea de cauſa Romæ habita repertum innocentem, abſolutum eſſe: Athanaſium z autem inuentum eſſe aliqua ex parte Manichæum: ſed & eius accuſatorem eſſe pariter conuictum Pelagianum, repertumque falſatum codicem Epheſini Concilij, qui miſſus Conſtantinopoli fuerat. Quando enim in Conſtantinopolitano iudicio fuit ipſe Athanaſius condemnatus, magna tunc accidit vecordia atq; imperitia, ne dixerim malitia Ioannis Epiſcopi, vt apud ipſum ederetur Synodus Secunda Epheſina pro Prima, Conciliabulum videlicet Neſtorianorum pro Oecumenica Synodo Orthodoxorum. Quod non ſemel ab ipſo factum, ſed iterum etiam in cauſa quorumdam monachorum idem Gregorius teſtatus eſt poſtea ſcribens a ad Eulogium Alexandrinum & Anaſtaſium Antiochenum, Quibus videas eum qui nimio faſtu vocari voluit Oecumenicus, nimia ignorantia aut dolo ſub auctoritate Concilij Oecumenici, niſi verus Epiſcopus Oecumenicus vigilaſſet Gregorius, Pelagianam hæreſim antea ſæpe damnatam rurſum introducturam fuiſſe in eccleſiam.

VI. CONCIL. ROM. IN CAVSA IOANN. PRESB. CHALCED. — b Epiſt. 4. ſub ep. 44.

Sed quod ad dictum CONCILIVM in ea cauſa Romæ collectum ſpectat: habitum illud hoc anno Mauritij Imperatoris decimotertio, indictione decimatertia, die quinta Iulij, cōſtat ex ſcriptis b eiuſdem S. Gregorij. Suntque in eo præterea ſtatuti ſex canones ad diſciplinam eccleſiaſticam pertinentes: quibus ſubſcripſerunt Epiſcopi viginti duo, ac S. R. E. presbyteri triginta quatuor. Inter canones autem quartus eſt, vt corpora Romanorum Pontificum ſine tegmine deferrentur ad ſepulturam: ea nimirū occaſione, quod cum (vt ait) Dalmaticis tegerentur, ipſas poſtea populus inter ſe partitus loco ſacrarum reliquiarum aſſeruarent: quem monuit, vt è corporibus

potius Apoſtolorum ac Martyrum velamina acciperent. Ita namque ſibi Gregorius viuens conſultum volebat, ne poſt mortem coleretur vt Sanctus. Denique in ſcripto codice Sublacenſi reperimus, in Concilio Romano eumdem Pontificem probaſſe & confirmaſſe Regulam S. Benedicti.

VII. De caussa Maximi Salon. c 4. ep. 14. d 7. ep. 1. Ind. 1.

Hoc item anno Mauritius Imperator tyrannice aduerſus eumdem Gregorium agens, Maximum in Eccleſiam Salonitanam intruſum, & à Gregorio cenſuris eiectum, iamque in contemptum Sedis Apoſtolicæ apertius exiſtentem, per ſuos miniſtros in Eccleſia illa Epiſcopum retinuit. Qua de re cum Auguſta Gregorius [c] expoſtulans, multaque inſuper Imperatori inſinuanda Sabiniano [d] Apocriſario ſuo ſcribens: conteſtatus eſt ſe paratiorem eſſe mori, quam B. Petri Eccleſiam ſuis diebus denegare. Cum vero omnino voluiſſet, vt idem Maximus Romam cauſam dicturus accederet: tamen conceſſit poſtea vt Rauennam ſe conferret vbi delegatum à Sede Apoſtolica haberet iudicem Marianum Epiſcopum. Apud quem cum Maximus iuramento præſtito ſuper corpus S. Apollinaris ſe purgaſſet de ſimoniaca labe ipſi impoſita, accepta pœnitentia de inobedientia qua peccaſſet in Sedem Apoſtolicam, Salonas permiſſus eſt redire: cui & expetenti idem Pontifex pallium miſit. Hæc autem conſtant ex epiſtolis [e] ipſius Gregorij datis Indictione ſecunda: vnde appareat cauſam hanc cœptam Indictione duodecima perduraſſe annos quinque.

e 7. ep. 79. 80. 81.

VIII. f 4. ep. 50. Ind. 13. g Ibid. ep. 52. h ep. 53. i 5. ep. 5. Ind. 14. Laudes regni et regis Franc. k 5. ep. 6.

Hoc pariter anno cum idem Gregorius pro corrigendis nonnullis quæ aduerſus ſacros canones in Gallijs agerentur, literas dediſſet [f] ad Virgilium Arelatenſem Epiſcopum (cui & pallium miſit, & vices ſuas ex more delegauit) necnon ad [g] alios Galliarum Antiſtites: vt id omnino perfici poſſet, regias manus in Auxilium petens, de ijſdem ad [h] Childebertum Francorum Regem ſcripſit, necnon ad [i] eius matrem Brunichildem Reginam: vbi inter alia de ipſo Francorum Regno atq; Rege hæc habet, *Non immerito contigit, vt cuncta gentium regna præcelleret: quippe earumdem gentium Creatorem & pure colit & veraciter confitetur.* Et rurſum poſtea ap [k] eumdem Childebertum, *Quanto ceteros homines regia dignitas antecedit, tanto ceterarum gentium regna, regni veſtri profecto culmen excellit. Eſſe autem Regem, quia ſunt & alij, non mirum eſt: ſed eſſe Catholicum, quod alij non merentur, hoc ſatis eſt. Sicut enim magnæ lampadis ſplendor in tetræ noctis obſcuritate luminis ſui claritate fulgeſcit: ita fidei veſtræ claritas inter aliarum gentium obſcuram perfidiam rutilat ac coruſcat:* & alia eiuſmodi. Dedit vero has literas Candido presbytero, quem ad curandum patrimonium S. Petri quod habebat in Gallijs, miſit ad eumdem Regem: & vna cum literis munus dedit rege Chriſtianiſſimo dignum, videlicet Claues S. Petri in quibus de limatura catenarum eius aliquid incluſum eſſet.

IX. De Anglor. conuerſione Greg. cogitat. l 5. ep. 10.

Sed & cum noniſſet in Gallijs complures detineri iure belli captiuos Anglos, venaleſque exponi: idem Pontifex gentis Anglorum, quæ Britanniæ Inſulæ magna ex parte domina facta eſſet, ſed Gentiliſmum adhuc coleret, conuerſionem animo verſans: eidem Candido in mandatis dedit [l], vt ex ijſdem captiuis Anglis adoleſcens emeret, qui monaſterijs bene inſtruendi committerentur. Nouiſſe vero antea Anglos Gregorium Romæ venum expoſitos, tradit Ioannes diaconus: admiratumque in eis vultus elegantiam, eoſdem Anglos nominaſſe, emptoſque cenſuiſſe non vt alia mancipia tradendos glebis, ſed inter Angelos collocandos, in monaſterijs ſcilicet ad vitam monaſticam excolendam. Quid vero poſt hæc contigerit, dicetur anno ſequenti.

X. m 4. ep. 14. Ind. 13. n 4. ep. 45. De Mariniano Epiſ. Rauen. o 4. ep. 54. & 5. ep. 3. p ap. Rub. hiſt. Rauen. l. 4.

Hoc eodem anno mortuus eſt Ioannes ille Epiſcopus Rauennas, quem ſæpe antea ob alia correptum, proxime quoque irriſorem & faſtu tumentem, duplici animo ambulantem, Gregorius [m] redarguerat: in cuius locum ſubrogatus [n] eſt marinianus valde ipſi Gregorio probatus, quocum diu in monaſterio fuerat conuerſatus: cui & pallium [o] ſtatutis diebus vtendum, & confirmationem priuilegiorum Eccleſiæ olim Rauennati à Romanis Pontificibus traditorum conceſſit. Fertur [p] autem alia eiuſdem S. Gregorij nomine epiſtola ad eumdem Marinianum ſcripta de priuilegijs eiuſdem Eccleſiæ Rauennatis: ſed quæ ex multis commentitia conuincatur: eadem (vt puto) manu conſarcinata, quæ eodem argumento Valentiniani Imperatoris reſcriptum confinxit, quod ſuperius ſuo loco refellimus. Ceterum quem præſenti anno ſuis literis magnopere laudauit Gregorius Marinianum, eumdem poſtea acriter reprehendere oportuit [q] de auaritia & oſcitantia. Ita namque humanæ conditionis fert inſtabilitas, vt mutatione ſtatus mutari interdum homines, atque virtutes in vitia conuerti facile poſſint. Eumdem tamen rurſum laudaſſe [r] reperitur ac ſi ſanctiſſimus eſſet, & ægrotans ipſe eumdem ægrotantem conſolatus eſſe.

q 5. ep. 20. & 29. Ind. 14. & 8. ep. 9. Ind. 1. 14. ep. 21. & 11. ep. 54.

XI. s Greg. Tur. 10. hiſt. 25. De arreptitio impoſtore in Gallia.

Hoc item anno, qui numeratur à Gregorio [s] Turonenſi Regum Francorum Childeberti decimus ſextus, & Guntheramni trigeſimus, per prauum dæmonem excitatus eſt in Gallijs pſeudopropheta. Quidam enim *homo Biturucenſis*, dum in ſilua ligna cæderet, diaboli nequitia muſcarum circumſeſſus examine, indeque amens redditus, poſt biennium tranſactis vrbibus propinquis, Arelatenſem ac Gabalitanam regiones adijt: ibique indutus pellibus quaſi religioſus viuens, accepta demum à dæmone vaticinandi atque ſanandi poteſtate, in tantum ſe extulit vt Chriſtum ſe profiteretur, aſſumpta ſecum quadam muliere quam Mariam vocaret, & partem Deitatis habere diceret. Cumque iam multitudo ingens populi eum ſequeretur, ipſeque Epiſcopis & alijs a quibus adorari deſpiceretur minas intentaret, atq; etiam ciuitates vi aggredi pararet: idem per miſſos ab Aurelio Epiſcopo Vellauenſe ſtrenuos in medio ſuorum gladijs confoſſus eſt: Maria autem ſupplicijs ſuppoſita, omnes eius præſtigias publicauit. Porro eiuſmodi impoſturæ architectus diabolus æmulatus eſt gloriam Dei, quam hoc eodem tempore conſecutus eſt ex Sancto ſuo *Aredio* Lemouicenſi: qui Spiritus S. gratia per viſibile columbæ ſignum repletus, & ipſe femina, nempe matre ſua S. Pelagia comminiſtra vſus ad ſublime culmen ſanctitatis euectus: deuicto diabolo glorioſus comitantibus Sanctis in cœlum aſcendit: cuius primordia, progreſſus, & exitum, reſque in eis mirabiliter geſtas, idem Gregorius [t] breuiter perſtrinxit. Poſt quorum narrationem, poſtque appoſitam ſeriem Turonenſium Epiſcoporum, ipſe idem S. Gregorius finem hiſtoriæ Francorum impoſuit, propagatæ in quintum vſque annum Gregorij Papæ, qui cœptus eſt anno ſuperiori menſe Septembri. Adiecit vero & catalogum ſcriptorum ſuorum, vna cum graui conteſtatione, nequis ob ruſticitatem ſermonis eos aboleret vel mutaret.

De S. Aredio Lemouicenſi. t Ibid. c. 29.

IESV CHRISTI ANN. 596.

GREGORII AN. 7.

Mauritii an. 14.

I. De Ioan. Conſtantinop. obitu.

ANNO Chriſti quingenteſimo nonageſimo ſexto Indictionis decimæquartæ, tumidum illum ſuperbia Ioannem Conſtantinopolitanum is qui ſuperbis reſiſtit Deus ex hac luce ſubtraxit, poſt Epiſcopatus ipſius annos tredecim, vt habet Nicephorus: qui quod ieiunijs & eleemoſynis magnam viuens ſibi laudem comparaſſet, poſt mortem à ſuis ſanctus falſo eſt habitus: eaque opinione propagatum eſſe nomen eius ad poſteros, conſtat ex eodem Nicephoro [a]. Subſtitutus autem in locum eius *Cyriacus* Oeconomus optimi vir nominis, ſimulac thronum conſcendit, ad promerendam à Romano Pontifice Catholicam communicationem, Legatos ad Gregorium Papam vna cum literis & fidei profeſſione Romam miſit. Sed licet ad eum reſcripſerit Gregorius [b], reciprocamque miſerit Catholicæ fidei regulam, ac pariter alias reddiderit de eius electione gratulatorias ad Mauritium Imperatorem & Epiſcopos qui eum ordinarant, literas: nihilominus tamen dedit Sabiniano Apocriſario ſuo in mandatis, ne aſſiſteret eidem Cyriaco ſacra Miſſarum ſolemnia celebranti niſi vſurpatum à prædeceſſore illicitum nomen Oecumenici penitus dimitteret: de

a Niceph. l. 18. c. 34. b Greg. 6. ep. 4. 5. 6. 7. Ind. 14.

c 6. ep. 15.

QVINAM PER CHRISTVM LIBERATI FVERINT AB INFERIS.

quo dicetur anno ſequenti. Interea vero poſtquam illos Cyriaci Legatos dimiſiſſet, admonuit [c] eoſdem abſentes adhuc in via poſitos, de quadam ipſorum aſſertione erronea, qua dixiſſent omnes quotquot in inferis confeſſi eſſent Chriſtum Deum, ab eo liberatos eſſe: quam quidem ſententiam diu ante damnatam eſſe demonſtrat aſſertione SS. Philaſtrij & Auguſtini. Quidque de his ſentiat Catholi, a Eccleſia, paucis declarat: nempe deſcendentem ad inferos Dominum illos ſolummodo ab inferni clauſtris eripuiſſe, quos viuentes in carne per ſuam gratiam in fide & bona operatione ſeruauit.

II. AVGVST. ET ALII AD ANGLOR. CONVERSIONEM MISSI.

Cum autem Gregorius Angelorum gentis conuerſionem iam antehac (vt vidimus) meditatus eſſet, hoc anno Auguſtinum monaſterij ſui Præfectum, virum ſanctiſſimum, cum alijs quibuſquam ipſi adiunctis ſocijs in eam rem miſit in Angliam. Hi vero cum in Gallias perueniſſent, deſpondentes ob rei difficultatem animum, Auguſtinum Romam remiſerunt qui eiuſmodi cœptum Pontifici diſſuaderet. Sed ipſe operi vehementius inſtans, & remiſit mox Auguſtinum, & eos qui in Gallijs remanſerant inchoatum iter perficere hortatus eſt literis, quas recitat hæc narrans Beda [d] in Rebus geſtis Anglorum: meminitque eorumdem Ioannes diaconus in Vita [e] S. Gregorij. Quæ quidem hoc anno geſta eſſe, tum ex eodem Beda conſtat, dum ea conſignat Indictione decimaquarta, & anno Imperij Mauritij pariter decimoquarto: tum ex multiplicibus literis [f] quas ipſe Gregorius redeunti ad opus Auguſtino commendatitias dedit ad Reges Francorum, & diuerſos Galliarum Epiſcopos, quæ omnes datæ ponuntur menſe Iulio eiuſdem Indictionis decimæquartæ. Sed quid poſt hæc fieri contigerit, dicetur inferius pro ratione temporis. Ex ijſdem vero S. Pontificis ad Francorum Reges tunc ſcriptis epiſtolis colligi poſſe videtur, hoc ipſo anno eiuſdem Indictionis decimæquartæ defunctum eſſe Childebertum Regem, ſuique regni reliquiſſe heredes Theodoricum atque Theobertum filios ſuos: cum videlicet ſexta libri quinti epiſtola ad Childebertum conſcripta ſub eadem Indictione ponatur, rurſumque epiſtola eiuſdem libri quinquageſima octaua ſcripta appareat ſub eadem pariter Indictione ad dictos Theodoricum atque Theodobertum. Atque ex his alij videntur redarguendi Chronographi, qui in annum ſexcenteſimum iſtorum ponunt ingreſſum.

d Bed. de reb. geſt. Angl. l. 1. c. 23.
e Ioan. diac. Vit. S. Greg. l. 2. c. 34.
f Greg. l. 5. ep. 52. vſque 59.

III.

EPISCOPI CONCORDES SINT CVM PROVINC. PRÆSIDIBVS.

Hoc item anno, præter conſuetos ſingulorum annorum, iugeſque eiuſdem Gregorij labores pro continendis confirmandiſque Catholicis, & compeſcendis conuertendiſque hæreticis, ſchiſmaticis, atque Iudæis: omnium ex officio curam gerens, illud Epiſcopos magnopere admonuit, ne contentiones haberent cum prouinciarum Præſidibus, ſed eos officijs promereri ſtuderent, eo quod magnopere conduceret ſi cum ſæcularibus miniſtris Epiſcopi concordes eſſent. Eſt de his elegans eius Epiſtola [g] ad Ioannem Epiſcopum Syracuſanum: quem admonet vt ſi opus ſit Miſſas etiam in domo Venantij Præfecturam illic gerentis celebrari faciat, ex quibus intelligas, in domibus etiam priuatis conſueuiſſe dici Miſſas. Sicut nec inuſitatum fuiſſe, quod obijciunt Nouatores, vt in vna eccleſia plura ſint altaria, eiuſdem docet epiſtola [h] ad Palladium Epiſcopum Santonenſem, cum petitas mittens ad eum ſacras reliquias, meminit de eccleſia tredecim habente altaria.

g 5. ep. 41.

PLVRA ALTARIA IN VNA ECCLESIA.

h 5. ep. 50.

IV. CONCIL. CÆSARAVG. II.

RELIQVIÆ IGNE PROBANDÆ.

Hoc inſuper anno celebratum eſt in Hiſpania à quatuordecim Epiſcopis CONCILIVM CÆSARAVGVSTANVM Secundum, ſeptimo nimirum anno (vt ibi ponitur) Reccaredi Regis. Vbi inter alia illud notatu dignum ſancitum reperitur, vt ſacroſanctæ Reliquiæ quæ inuentæ eſſent in Eccleſijs Arianorum, ab Epiſcopis igne probarentur: vt tunc legitimæ cenſerentur, ſi ab incendio illæſæ remanerent.

IESV CHRISTI AN. 597.

MAVRITII AN. 15.

GREGORII AN. 8.

I. LEGATIO EPISCOPI CONST. AD GREG. PP.

ANNO Domini quingenteſimo nonageſimo ſeptimo Indictionis decimæquintæ, Cyriacus Conſtantinopolitanus Epiſcopus Reſponſales ſuos ex more Romam miſit ad Gregorium Papam, vna cum epiſtola Synodali, qua dum fidei Catholicæ profeſſio contineretur, tunc eoſdem Reſponſales in communionem recipi peteret: quod & Mauritius Auguſtus literis ſuis poſtulauit. Annuit Gregorius, ne quouis modo auctor ipſe ſchiſmatis diffamari poſſet: & quos benigne excepit, eoſdem etiam intereſſe cum Miſſarum ſolemnijs paſſus eſt: ita tamen vt aſſentiri noluerit Apocriſarium ſuum Conſtantinopoli ſacris intereſſe à Cyriaco celebrandis, niſi rixoſum nomen Oecumenici penitus tolleret: ſicut hæc cuncta breuiter narrauit ipſe Gregorius [a] Eulogio & Anaſtaſio Patriarchis Alexandrino & Antiocheno, literis hoc anno ad ipſos datis. Idemque per Anatolium (quem reuocato Sabiniano Apocriſarium ad Imperatorem miſit) Cyriacum [b] monuit, fieri minime poſſe vt concordia mutua intercederet, niſi ſuperbum nomen aboleretur. Quo etiam argumento ad Imperatorem, alioſque quampluri mos ſcripſit [c], cum ab ijs per Sabinianum Romam redeuntem literas accepiſſet.

a Greg. 6. ep. 31.
b 6. ep. 21.
c 6. ep. 22. vſque 30.

II.

d 7. ep. 5. Ind. 1.

PALLIVM ENIXE PETENDVM.

In Occidente quoque reſcribens ad [d] Brunichildem Reginam Francorum, iter alia excuſauit cur non miſerit pallium Syagrio Epiſcopo Auguſtodunenſi: nimirum quod non eſſet ab eo enixe petitum: cum priſca (vt inquit) conſuetudo obtinuiſſet, vt honor pallij niſi exigentibus cauſarum meritis, & fortiter poſtulantibus dari non deberet. Admonuit inſuper eamdem Reginam, vt quæ apud aliquos vigeret idololatria, penitus extirparet: quam quidam haud mireris ſi audis in Gallia iterum pullulare: cum in Italia prope ipſam Vrbem ab aliquibus reuocatam eſſe, idem Gregorius teſtetur in literis [e], hoc eodem anno ad Epiſcopos Spoletanum & Tarracinenſem datis. Id enim ſecum vexit belsorum iugis infeſtatio, vt cum remiſſio fieret Eccleſiaſticæ culturæ, inter bonum ſemen eiuſmodi zizania miſcerentur.

e 7. ep. 2. & 20.

III. AVGVSTINI ET SOCIOR. APPVLSVS IN BRITAN.

Hoc item anno Auguſtinus ac ſocij, quos ad conuertendam Angliam miſſos à Gregorio vidimus, illuc cum interpretibus quos ex Gallia habuerant appellentes, benigne ab Edilbertho Anglorum in Cantio Rege in ciuitatem Dorouernam, quæ regni ipſius metropolis erat (eadem poſtea dicta eſt *Cantuaria*) ſuſcepti ſunt: nam & antea fama ad eum Chriſtianæ religionis peruenerat, vtpote qui vxorem haberet Chriſtianam ex Francorum regia Progenie, nomine Bertham: quam ea conditione à parentibus acceperat, vt ſuam ſineret in religionis Chriſtianæ ritu viuere, quem & exercebat in eccleſia propè ciuitatem in honorem S. Martini antiquitus facta. Iidem igitur in eam ciuitatem ingreſſi, Crucem pro vexillo ferentes argenteam, & Imaginem Saluatoris in tabula depictam, litaniaſque canentes: obtenta à Rege prædicandi licentia, ingentibus coruſcantes miraculis, & ſecundum ea quæ docebant ipſi per omnia viuentes, multos ad fidem conuerſos baptizarunt: interque primos ipſum Regem, quem deinceps quamplurimi ſecuti ſunt. Hæc cuncta fuſius Beda [f]. Omnes autem hoc anno audientes verbum Dei, ad decem millia baptizatos eſſe ſequenti Natalis Domini die primæ Indictionis, S. Gregorius teſtatur in literis [g] eiuſdem Indictionis menſe Iunio datis ad ſibi cariſſimum S. Eulogium Epiſcopum Alexandrinum, cum ab eo fuiſſet æque ipſe certior redditus de conuerſione hæreticorum qui Alexandriæ erant, & inita Fidelium concordia. Quibus quidem literis cum Gregorius doceat, Auguſtinum iam antequam in Angliam perueniret, factum ſua licentia fuiſſe Epiſcopum: inde corrigendus videtur Beda, dum poſt conuerſionem factam Anglorum tradit miſſum fuiſſe eum in Gallias vt Epiſcopus ordinaretur.

CONVERSIO REGIS ANGLORVM.

f Bed. hiſt. Angl. l. 1. c. 25. 26.
g Greg. 7. ep. 30.

IV.

Hoc quoque tempore *Antiochus* anachoreta, magna inter Ori-

De Anatolio anachoreta.

ter Orientales omnes ſanctitate vigens, ex hac vita migrauit annum natus centeſimum: qui ſexaginta annorum ſpatio nec vinum, nec oleum, nec aliud huiuſmodi guſtauerat: triginta iam annis panem non comederat, ſed oleribus crudis cum ſale & aceto veſcebatur, aquamque bibebat. Hæc & alia de illo Gregorius in Actis [h] S. Theodori Siceotæ Epiſcopi Anaſtaſiopolitani. Hunc vero Antiochum diuerſum ab illo *Antiocho* item monacho & Abbate Lauræ in Palæſtina fama celebri ſcias, qui eodem ferme tempore, nempe ſub Heraclio Imperatore & Coſrhoe Perſarum Rege, vixit clarus inter Scriptores Eccleſiaſticos: cuius ſunt Sermones de diuerſis centum triginta, & Exomologeſis.

h *Ap. Sur. 22. April.*

IESV CHRISTI ANN. 598.

MAVRITII AN. 16.

GREGORII AN. 9.

I.

ANNO Domini quingenteſimo nonageſimo octauo Indictionis primæ, pace cum Agilulpho Rege Longobardorum diutius tractata, ſæpius per miniſtros Imperatoris atque Exarchi Rauennæ impedita: tandem vt ad tempus fœdus iniretur, Gregorius obtinuit: cum interea, ne forte dum hæc tractarentur, Longobardi aliquid infauſti in ciuitates Imperatori ſubiectas aggrederentur, idem Gregorius Epiſcopos in diuerſis locis poſitos vt cuſtodiæ earum inuigilarent admonuit [a]: nec à vigilijs murorum voluit excuſari homines Eccleſiaſticos.

Curat S. Greg. etiam temporalia.

a *Greg. 7. ep. 21. Ind. 2.*

II.

Eodem quoque anno idem Pontifex inter alia quę circa Eccleſiæ curam geſſit, DEFENSORVM in Vrbe officium Regionarijs adnumerauit. Qui vero *Regionariorum* dignitate ac nomine augebantur, eiſdem patebat aditus vt ad ſacra ſimul cum Pontifice conuenirent, erantque omnes ſeptenario myſtico numero deſignati, vt ſicut Diaconi Regionarij ſeptem, totidemq; Notarij Regionarij, ſimiliter Subdiaconi atque Defenſores ſeptem eſſent numero. Eorum vero priuilegium erat, vt aſſiſterent Pontifici in eccleſia: ita tamen vt eo præſente ſtarent, abſente vero ſederent cum reliquo clero. De quibus eſt hoc anno data epiſtola [b] ad Bonifacium Primum Defenſorem: cum alioqui præter ſeptem Diaconos, Notarios, Subdiaconos, & Defenſores Regionarios, eſſent inſuper alij complures in Vrbe, & in omni Eccleſia Diaconi, Notarij, Subdiaconi, & Defenſores. Inſeruiebant autem *Defenſores* præcipue pauperum defenſioni & Eccleſiarum: mittique ſolebant à Romano Pontifice in diuerſas prouincias, tum ad curanda patrimonia Eccleſiæ Romanæ, tum ad alia diuerſi generis adminiſtranda negotia: vt docent eiuſdem Gregorij plures ad eoſdem ſcriptæ epiſtolæ. Quorum formulam conſtituendorum, & quomodo in cauſis & patrocinijs Eccleſiaſticis ſe gerere deberent, habes quoque apud eumdem Pontificem. [c]

De officio et dignitate Defenſorum.

b *7. ep. 17.*

c *4. ep. 25. Ind. 13. & ep. 24. & 66. Ind. 2. & 9. ep. 22. Ind. 4.*

III.

Solicitus etiam, ſicut alias, de monachorum quiete, plura de ijs ſcripſit: priuilegiaque conceſſit [d] monaſterio Claſſenſi ſub diœceſi Rauennate conſtituto: quod cum ab eius Eccleſiæ Epiſcopis dura pati cogeretur, ab eorum in pluribus poteſtate exemit: & à prædeceſſoribus conceſſa priuilegia monaſterijs [e], ſalua voluit. Sic enim occaſione nonnullorum Epiſcoporum monachos opprimentium, manauit vt Summi Pontifices eiuſmodi ſolerent vallare ea priuilegijs.

d *7. ep. 18.*

e *ep. 13.*

Monachor. priuilegia vnde.

IV.

Accepit quoque hoc anno Gregorius vna cum literis ſancta munuſcula à Lucio Exconſule viro maxime pio, nimirum (vt ipſe teſtatur in literis [f] ad eum redditis) oleum S. Crucis, & lignum aloes. Quid vero per oleum S. Crucis intelligere debeamus, ſatis perſpicue indicat Beda [g] in epitome de locis Sanctis: dum agens de S. Crucis ligno Hieroſolymis Conſtantinopolim translato ſub Heraclio Imp. ait de nodis eius ſancti ligni liquorem odoriferum oleo ſimilem profluere conſueuiſſe, cuius virtute omnis generis ægritudines ſanarentur. De eodem quoque apud Cyrillum in Saba tertium mentio habetur, quod Sanctus ille adhibere ſolebat ad fugandos dæmones & edenda miracula.

f *7. ep. 15.*

g *Bed. Epit. de loc. Sanct. 20. 15.*

De oleo S. Crucis.

V.

Quod rurſus pertinet ad res Orientales: hoc ipſo anno Mauritij Auguſti decimoquinto, ægrotans ipſe morbo difficili, teſtamentum condidit, quo Theodoſium filiorum natu maximum iam antehac Imperatorem ab ipſo declaratum, Conſtantinopolis dominum fecit cum adminiſtratione Orientis: Tiberio Romam veterem cum Italia, & Inſulis maris Tyrrheni delegauit: ceteraſque Romanæ ditionis prouincias inter reliquos filios diſtribuit: quibus ætate adhuc immaturis Domitianum cognatum ſuum Eccleſiæ Melitinenſis Antiſtitem, virum rebus agendis dexterum, conſilioque dexteriorem cui Imperator maioris momenti negotia expedienda committere conſueuerat, tutorem deſignauit. Habentur iſta apud Theophylactum in hiſtoria Mauritiana.

Mauritii Imp. teſtamentum.

VI.

Sed & hoc eodem tempore magnus Theodorus Siceota olim ex monacho Epiſcopus Anaſtaſiopolis in Galatia inuitiſſime factus, cum deſpectui & odio ſe haberi videret (nam & potatus aliquando veneno, exceſſiſſet ex hac vita, niſi MARIA Dei-genitrix Virgo ſuccurriſſet) conſulto diuino Spiritu, ſedi nuncium remiſit: ac contradicente ſuo Metropolitano Archiepiſcopo Ancyrano, literis datis ea de re ad Cyriacum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, necnon ad Mauritium Imperatorem, vacationem obtinuit: ſicque ad priſtinæ vitæ ſtatum ſe contulit. Cum vero quam à Deo acceperat gratiam curationum edendis miraculis, petentibus ſæpe communicaſſet: ab ijſdem Cyriaco & Mauritio accerſitus Conſtantinopolim, ibi dum ad breue tempus moratur, tum Imperatoris filium à lepra mundauit, tum alia ingentia miracula edidit virtute tantum ſigni Crucis, additaque aliquando aqua benedicta: quæ quidem tu ipſe, ſi cupis, in eius Vitæ Actis [h] perlege, quæ fideliſſime ſcripſit, qui à puero cum ipſo coaluit, immo & eiuſdem benedictione conceptus eſt (cum videlicet parentes ſteriles, acceptis zonis quibus ille vir ſanctus benedixerat, eum ediderunt) Eleuſius, qui & Georgius dictus eſt presbyter atq; Theodori monaſterij alumnus.

Theod. Siceota epiſcopatum deſerit.

Eius miracula.

h *Ap. Sur. 22. April.*

VII.

Quod vero ad reliquias Occidentalis res Eccleſiæ pertinet: hoc eodem anno celebratum eſt in Hiſpania OSCENSE CONCILIVM. Era nimirum ſexcenteſima vigeſimaſexta: ex quo duo duntaxat canones reperiuntur, quibus conſultum eſt caſtitati clericorum.

Concil. Oſcenſe.

VIII.

Quo etiam anno defunctus eſt Guntheramnus Rex Francorum religioſiſſimus, poſtquam videlicet regnaſſet [i] annos triginta tres. Dum vero qui res Francorum ſunt proſecuti aiunt ipſum reliquiſſe regnum Childeberto, argui poſſe ex Gregorij Papæ epiſtolis, iam ſuperius dictum eſt: ex quibus conſtare videtur, Childebertum biennio ante defunctum eſſe.

i *Aimoin. de geſt. Franc. l. 3. c. 81.*

IESV CHRISTI ANN. 599.

MAVRITII AN. 17.

GREGORII AN. 10.

I.

ANNO Chriſti quingenteſimo nonageſimo nono Indictionis ſecundæ, accuſato à ſuis Epiſcopis de quodam crimine Primate prouinciæ Byzacenæ in Africa; eius cauſa Imperatore iuxta ſtatuta canonica, ad Gregorium Papam, tamquam ad communem omnium Epiſcoporum iudicem, remiſſa [a] eſt: ſed perſolutis ab eodem Primate Imperatoris magiſtratibus decem auri libris, ab ijs controuerſia ſopita eſt. Ceterum qui in titulo poſuit hanc cauſam fuiſſe Epiſcopi Conſtantinopolitani, deceptus eſt quod legerit Byzantenum, pro Byzaceno.

De cauſa Epiſcopi Byzac.

a *Greg. 7. ep. 64. Ind. 2.*

II.

Hoc item anno, cum idem Pontifex Gregorius ſubodoratus eſſet peragi Synodum Conſtantinopoli inſcia ſede Apoſtolica, veritus ne quid noui ibi decerneretur de nomine Oecumenici in fauorem Epiſcopi Conſtantinopolitani, ſcribens ad omnes Epiſcopos Orientis, eos admonuit vt ſtatuta vetera nullatenus in ea violari permitterent: cum alioqui (vt addit) ſine Apoſtolicæ Sedis auctoritate atque conſenſu, nullas quæcumq; acta forent vires habitura eſſent: hæc vero eius monita ſpernentibus excõmunicationẽ minatur. Extat [b] eiuſmodi literarum exem-

Oecum. Synodus ſine conſenſu Rom. Pont. nulla.

b *7. ep. 70.*

plar

plat, miſſum ad Euſebium Theſſalonicenſem, cuiuſmodi fuere quæ ad alios pariter tranſmiſſa ſunt.

III. ANAST. SINAITÆ OBITVS.

Contigit hoc pariter anno mori S. Anaſtaſium Sinaitam Epiſcopum Antiochenum, cum ſediſſet annos ſex inchoatos poſtquam Eccleſiæ ſuæ reſtitutus eſt. Extitit is clarus inter Scriptores Eccleſiaſticos: cuius adhuc extant nonnulla præclata monumenta, fitque de alijs ab ipſo æque conſcriptis in ijſdem mentio: recenſet vero & alia Nicephorus [c], qui eumdem vocat primarium preclarumque Eccleſiæ doctorem. Sed & idem ſuſceptum à Gregorio Papa, quem mirifice coluit, de Cura paſtorali librum [d], Græcum reddidit. Ceterum ei in Epiſcopatu alium eiuſdem nominis ſubrogatum fuiſſe *Anaſtaſium*, alter Nicephorus Conſtantinopolitanus Epiſcopus in Chronico tradit. Errat autem Calliſtus, dum illum qui præceſſit nominatum Sinaitam, non hunc qui ſucceſſit, tradit occiſum à Iudæis. Id enim Iuniori Anaſtaſio eſt tribuendum ex ſententia ceterorum omnium Græcorum [e] hiſtoricorum, dum eam Iudæorum ſeditionem ponunt ſub anno ſeptimo Phocæ ad cuius Imperium haud perueniſſe potuit Anaſtaſius Senior, quem hoc anno deceſſiſſe conſtat. Porro ipſum Iuniorem ſimulac creatus eſt Epiſcopus, more maiorum Fidei Orthodoxæ profeſſionem ad Romanum Pontificem miſiſſe, fidem facit epiſtola quam hoc ipſo anno Gregorius [f] Papa ad ipſum reddidit. Ad hunc enim Iuniorem ſcriptam eſſe, ſatis intelligitur ex ipſius contextu.

c *Niceph. l. 18. c. 44.*
d *Greg. 10. ep. 22. Sigeb. de Script. Eccl. c. 42.*
DE ANAS. ANTIOC. IVNIORE.
e *Theoph. Cedr. Zonar. &c.*
f *Greg. 7. ep. 48.*

IV.

Fuit vero hoc eodem tempore laborandum eidem Gregorio Papæ aduerſus quoſdam in ipſum oblatrantes, quod contra Conſtantinopolitanam Eccleſiam inſurrexiſſet, à qua (vt aiebant) Romana in ſacris ritibus pleraque mutuata eſſet. Qua de re ipſe ſcribens [g] ad Ioannem Syracuſanum Epiſcopum primum obiecta diluit, oſtendens ritus illos aut à traditione Apoſtolorum, aut ab antiquiſſima Romanæ Eccleſiæ conſuetudine vigere: & poſtea ad omnem tollendam inuidiam, profitetur ſe minime dedignari ſibi ſubditarum Eccleſiarum bonas conſuetudines imitari: Conſtantinopolitanam autem Eccleſiam Apoſtolicæ Sedi ſubditam eſſe, probat etiam teſtimonio ipſius Imperatoris, atque Cyriaci [h] eiuſdem ciuitatis Epiſcopi.

g *7. ep. 64.*
DE RITIB. A GRÆCIS ACCEPTIS.
h *Ita leg. pro Euſebio.*

V. MVNERA A RECCAR. ET GREG. AD INVICEM MISSA.

Quo eodem tempore reperitur Rex Hiſpaniæ religioſiſſimus Reccaredus, Abbates quoſdam Romam miſiſſe ad Limina Apoſtolorum cum muneribus S. Petro offerendis: de qua legatione mentio habetur in literis [i] S. Gregorij ad eumdem Regem hoc anno redditis. Cui & alia ipſe remiſit munera, videlicet clauem S. Petri, vna cum ferro de catenis eius incluſo: itemque Crucem, in qua erat particula ligni Dominicæ Crucis, & de capillis B. Ioannis Baptiſtæ. Sed & ſcribens [k] ad S. Leandrum Hiſpalenſem Epiſcopum, à quo prius literas accepiſſet, pallium quoque ei tranſmiſit. Quem quidem laboraſſe æque ac Gregorium tunc podagra, ipſe eadem teſtatur epiſtola. Certe ſi numerandos ſuſcipias ſanctitate celebres homines, qui podagræ morbo afflictati ſunt, copioſum conficies catalogum: quo redarguas eos qui voluptuoſos ex podagræ doloribus arguunt homines. Eo vero morbo Gregorium iugiter ab hoc tempore valde afflictatum eſſe vſque ad obitum, adeo vt vix à lectulo aliquando ſurgere poſſet ad ſacra Miſſarum ſolemnia celebranda: ipſe alijs poſteà ad diuerſos ſcriptis [l] literis ſæpius teſtatus eſt: cum tamen nihil vmquam remiſiſſe quotidianæ ſolicitudinis Eccleſiarum omnium, ſatis demonſtrent quamplurimæ eius epiſtolæ tum hoc tum ſequentibus annis conſcriptę. Cum autem his temporibus dira lues vaſtaret Africam, de ea ſcribens [m] ad Dominicum Epiſcopum Carthaginenſem, qualiter ſe gerere debeat monet: non quidem vt ſaluti ſuæ conſulens deſerat gregem, ſed vt pro eo vitam exponat, illum magis ac magis à praui operis perpetratione coercens, & bonorum præmia malorumque pœnas ediſſerens.

i *7. ep. 126.*
k *7. ep. 127.*
GREG. LABORAT PODAGRA.
l *8. ep. 35. 36. 9. ep. 27. 38. 12. ep. 7.*
m *8. ep. 41.*

IESV CHRISTI ANN. 600.

MAVRITII AN. 18.

GREGORII AN. 11.

I.

ANNO Domini ſexcenteſimo Indictionis tertiæ, *Slaui*, ſiue Sclauini barbari Iſtriam [a] deprædati. Italiam [b] penetrare cœperunt: Atque Chaianus ſiue Gaganus Auarum Rex Venetiam prouinciam inuadens, Forum Iulij inſidijs Romildæ relictæ Agilulphi Ducis qui eodem tunc bello perierat, cepit ac combuſſit: Romildam vero digna impudicitiæ ipſius pœna afficiens, palo publice infigi iuſſit, quod ſpe ſumendi ſibi maritum ipſum Regem, ei ciuitatem prodidiſſet. Cuius filiæ matri diſſimiles, ne ab Auaribus contaminarentur, crudorum pullorum carnes ſibi inter mamillas ſub faſcia poſuerunt: quibus ex calore putrefactis, eiuſmodi fœtorem Auares naturalem eſſe credentes, ab ijs abſtinuerunt. Eædem vero per diuerſas poſtea regiones venundatæ, tandem coronam caſtitatis ſuæ recipientes, vna nupſit Alemannorum Regi, alia Baioariorum Principi. Refert iſta Paulus [c] diaconus.

a *Paul. diac. l. 4. c. 14. 16 & ...*
b *Greg. 8. ep. 36.*
ROMILDA DIGNAM ACCEPIT PRODITIONIS SVÆ POENAM.
c *Paul. diac. lib. 4. c. 11.*

II. CAIANVS REX AVARVM DAT POENAS SACRILEGII.

Hoc item anno, qui numeratur tertius ante Mauritij Auguſti obitum, cum idem Chaianus Rex Auarum inferiorem Pannoniam ac poſtea Thraciam inuadens, cunctaque vaſtans, iam ipſi vrbi Conſtantinopolitanæ immineret, adeo vt timore ciues correpti conſilium inirent Europam deſerendi & in Aſiam atque Chalcedonem migrandi: ipſe Chaianus merita ſceleris pœnas exoluens, quo S. martyris Alexandri eccleſiam incenderat, eiuſque ſacras reliquias iniurijs affecerat, peſtis Inguinariæ graſſatione magnam exercitus ſui partem amiſit, vnoque die ſeptem filijs ſuis eadem lue abſumptis priuatus eſt. Hæc Theophanes, Nicephorus [d], & alij. Porro cum Mauritius Imperator hortante Senatu legatos ad eumdem Chaianum pro pace miſiſſet, ipſeque Chaianus captiuos obtuliſſet viritim redimendos vno nummo, poſtea etiam quatuor ſiliquis his conditionibus ab Imperatore recuſatis, Chaianus omnibus occiſis captiuis ad propria rediit. Quomodo vero impium hoc Mauritij facinus, quo tot inſontes perire paſſus eſt, ſeuere admodum vltus ſit Deus, dicetur inferius ſuo loco. Subditur autem poſt hæc apud Theophanem, de legatione ab exercitu Imperatoris miſſa contra Priſcum ſuum ipſorum Ducem. Inter legatos autem Phocas Centurio, cum paulo liberius alloquutus Imperatorem ab vno Patriciorum alapa percuſſus eſſet, & barba euulſus: hinc ei oblata eſt occaſio tentandi noua: de quo dicendum poſtea.

d *Niceph. l. 18. c. 28. 29.*
IMPIVM MAVRITII IMP. IN NON REDIMEN. CAPTIVIS FACINVS.

III. EVLOGIVS EPISC. ALEX. SCRIPTA SVA COGNOSCENDA MITTIT ROMAM.

Eodem anno, cũ S. Eulogius Patriarcha Alexandrinus Romam ad S. Gregorium miſiſſet cognoſcendum atque probandum commentarium ſuum aduerſus Agnoitas hæreticos ſcriptum, ipſe Gregorius eumdem vt Catholicum laudauit [e]. Ita enim plane Orthodoxorum Scriptorum morem fuiſſe ſuperius demonſtratum eſt, vt aduerſus hæreticos quæ ſcriberent, eadem plerumque cognoſcenda mitterent ad Romanum Pontificem.

e *Greg. 8. ep. 42.*

IV. PRIVILEG. DAT GREG. MEDIOLANENSI ANTISTITI, ELIGENTI REGEM.

Mortuo item Conſtantio Epiſcopo Mediolanenſi, cum Agilulphus Longobardorum Rex ſucceſſorem ei nominare vellet: eius conatibus reſiſtens Gregorius, Mediolanenſes [f] monuit, vt firmiter manerent in facta per eos electione Deus dedit diaconi in eius ſedis Epiſcopum: quod & excluſa Agilulphi petitione ſtrenue impletum eſt. Ex Annalibus [g] vero Mediolanenſibus proditur, S. Gregorium conceſſiſſe Mediolanenſibus, vt deficientibus Regibus Longobardorum, eius ciuitatis Antiſtes (quiſquis pro tempore eſſet) coacto Concilio Epiſcoporum ſibi ſubditorum, eligeret Regem quem vellet.

f *8. ep. 61.*
g *Sigon. de reg. Ital. an. 601.*

V.

Miſſo item hoc anno in Italiam adminiſtrare Vrbanam Præfecturam Leontio Exconſule, reuocatus eſt Gregorius: cui redeunti Conſtantinopolim dedit S. Gregorius Papa literas [h] teſtes eius magiſtratus bene perfuncti. Leontius vero per Siciliam tranſiens, Imperatoris iuſſu redegit in ordinem Libertinum V. C. Expræfectum, cæſumſum bonis ſpoliauit: qua de re eum Gregorius redarguit [i], quod homo liber flagellis minime ſubijci deberet: ipſum

h *Greg. 8. ep. 54. 55. & 60.*
i *8. ep. 51.*

k 9. ep. 32. l Epiſt. l. 8. Ind. 1.

ſum autem Libertinum conſolatorijs literis [k] conuenit, atque eleemoſynis fouit: multaque inſuper alia præſtitit circa Vniuerſalis Eccleſiæ curam, quæ in ipſius Regeſto [l] videre eſt.

IESV CHRISTI ANN. 601.

MAVRITII AN. 19.

GREGORII AN. 12.

I.

ANNO Chriſti ſexcenteſimo primo, Indictione quarta, Gregorius Papa legatione ſuſcepta Maximiani Arabiæ Epiſcopi petentis Reliquias Sanctorum, eas ei tranſmiſit [a]: vt intelligere poſſis quàm toto Orbe creuiſſet cultus Sanctorum.

a Greg. 9. ep. 17.

II. CONCIL. ROM. b Rec. Baron. To. VIII. hoc an. GREG. CONSTITVTVM PRO MONACHIS.

Qua etiam Indictione quarta Nonis Aprilis idem Pontifex Romæ SYNODVM celebrauit Epiſcoporum viginti, ac Romanæ Eccleſiæ presbyterorum quatuordecim, & diaconorum quatuor: in qua decretum [b] edidit, quod appellari conſueuerat *Conſtitutum*, quo conſuluit monachorum quieti & indemnitati, ne ab Epiſcopis vllas in poſterum moleſtias paterentur, ſiue in bonis ſiue in Abbatum electionibus, aut monachorum inuitis Abbatibus ordinationibus.

III. HÆRESES ADSCRIPTÆ SORORI IMP.

Cum vero literis Theotiſtæ ſororis Mauritij Imperatoris Conſtantinopoli ſcribentis, certior factus eſſet, ipſam in ſuſpicionem adductam eſſe quarumdam hæreticarum opinionum: quibus aſſereret, Obtentu religionis coniugia ſolui poſſe: Baptiſma haud penitus peccata auferre: Siquis de peccatis ſuis in triennium pœnitentiam ageret, poſtmodum ei peruerſe licere viuere: ac denique, Siquis neceſſitate compulſus aliquid de quo reprehenderetur, anathematizare ſe diceret, anathematis vinculo ipſum non teneri: de his ad eamdem reſcribens [c] hoc ipſo anno Gregorius, quamuis ipſam paſſim eſſe calumniam æſtimare ſe dicat, admonet tamen eos anathematizare errores, atque ſe iuramento purgare: fœminam alioqui religioſiſſimam habitam, atque ab ipſo Gregorio ſæpius laudatam.

c Greg. 9. ep. 17.

IV.

Hoc item anno defuncto Amos Hieroſolymorum Epiſcopo, ſubrogatus eſt in locum eius *Iſychius*: qui more maiorum vt Catholicæ communionis particeps fieret, miſit ſuæ fidei profeſſionem ad Gregorium Papam: Gregorius autem ea Orthodoxa probata, ad ipſum literas [d] reddidit, quibus cum inter alia admonuit de extirpanda Simonia. Vix enim credi poteſt, quantum hoc tempore in vniuerſo Orbe eiuſmodi labe Eccleſia Dei inquinaretur. De qua etiam cum ſæpe redarguiſſet [e] Gallicanos Epiſcopos, hoc item anno aduerſus eoſdem querelas repetijt, ſcribens [f] ad illorum præcipuos, necnon ad Reges, Reginamque Brunichildem. Sed viguit illic nihilominus hæc peſtis, donec tandem opera SS. Eligij & Audoeni per Dagobertum Regem (vt videbitur) compreſſa eſt.

d 9 ep. 40. SIMONIACA HÆRESIS VBIQ. VIGENS. e 7 ep. 111. & ſeq. f 9 ep. 48. vſque 57.

V.

Iiſdem vero literis cum à Gregorio commendentur ſacri magiſtri, quos ipſe in Angliam mitteret: ſciendum eſt ex Beda [g], hoc eodem anno nonnullos ex ijs qui cum Auguſtino in Angliam miſſi fuerant, ab eodem Romam redire iuſſos eſſe, vt à S. Gregorio maior numerus verbum Dei annunciantium mitteretur: idque mox præſtitiſſe Gregorium, ſimulque per eos miſiſſe vaſa ſacra, veſtimenta ſacerdotalia, & omnis generis ornamenta eccleſiarum, codiceſque plurimos, ac Sanctorum reliquias. Cuius etiam extant [h] ad ipſum AVGVSTINVM Anglorum Apoſtolum & Epiſcopum primum literæ, quibus ei congratulatus eſt de felici ſucceſſu conuerſionis illius gentis: admonuitque ne ob tam grandia facta miraculaque à Deo per ipſum edita aliquo modo inflaretur. Sed & cum eumdem Gregorium Auguſtinus conſuluiſſet de nonnullis ad Epiſcopale officium pertinentibus, idem ſingulis reſpondens decretalem epiſtolam miſit: quæ licet vltimo loco epiſtolarum ſit poſita, ad hunc tamen annum referenda noſcitur teſtificatione Bedæ, qui ipſam vna cum alijs literis quarta Indictione datam aſſirmat. Quo etiam tempore ad eumdem Auguſtinum miſit pallium; & Epiſcopatus Angliæ deſignans, quam quiſque auctoritatem habere deberet, diſpoſuit. Scripſit quoque ad Edilberthum Anglorum Regem gratulatorias literas [i] de ipſius ex dæmonum cultu ad veram Chriſti fidem conuerſione: necnon ad [k] Aldibergam Reginam eius coniugem, laudans eam de egregia nauata opera in conuerſione eiuſdem gentis. Quod autem Regem monuerat, vt idolorum templa deſtruere: hæc poſtea, vt ſibi viſus eſt in melius corrigens, ſcripſit [l] ad Mellitum Abbatem, quem hoc anno cum alijs in ſubſidium Auguſtini miſit, vt templa idolorum non deſtruerentur, ſed per aquam benedictam purgata in eccleſias Chriſtianorum conſecrarentur, appoſitis Sanctorum Reliquijs: alijque pariter Gentilitij ritus ad pietatem conuerterentur. Addit denique Beda [m], Auguſtinum in Dorouerna regia ciuitate inuentam antiquam Chriſtianorum eccleſiam à Romanis olim erectam, in nomine Saluatoris dedicaſſe: atque ibidem ſibi habitationem ſtatuiſſe, & cunctis ſucceſſoribus ſuis Angliæ Primatibus: feciſſe quoque in eadem ciuitate monaſterium, ipſumque Edilberthum Regem eiuſdem hortatu in eo eccleſiam SS. Petri & Pauli Apoſtolorum conſtruxiſſe, in qua & ipſius Auguſtini & omnium Epiſcoporum Dorouernenſium, ſimul & Regum Cantij poni corpora deberent. Atque hæc ſunt cunabula Eccleſiæ Anglicanæ: de quibus agit pluribus Beda.

g Bed. l. 1. c. 27. & 29. GREGORII CVRA DE REB. ANGLICIS. h Greg. 9. ep. 58. AVGVST. ANGLOR. APOSTOLVS. i 9. ep. 60. k 9. ep. 59. l Ap. Bed. l. 1. c. 29. 30. & Greg. 9 ep. 71. TEMPLA ET RITVS GENTILIVM AD PIETATEM CONVERTENDI. m Bed. l. 1. c. 33.

VI.

Hoc item anno Gregorius Papa ad Siciliæ Epiſcopos circularem epiſtolam [n] mittens; ob imminentia ibi à barbaris pericula, Litanias indixit celebrandas ſingulis ferijs quartis & ſextis omnium hebdomadarum: quod remedium profuiſſe declarauit euentus, cum certum ſit eam Inſulam nullam hoſtium paſſam eſſe incurſionem. Romæ inſuper CONCILIVM habuit: in quo inter alia damnatus [o] eſt *Andreas* Græcus homo, ſub monachali habitu degens apud baſilicam S. Pauli, detectus impoſtor atque falſarius, dum ſermones quoſdam prauos ipſius Gregorij nomine ſuppoſuit, & Euſebij Theſſalonicenſis Epiſcopi literas ad eamdem Gregorium ſcriptas falſauit. Itemque in eodem Concilio data [p] eſt Probo Abbati teſtandi facultas de ijs bonis, quæ ante ſuſceptum monaſticum habitum habuiſſet. Tanti namque momenti æſtimabatur, facultatem teſtandi dare monacho, etiam de bonis ante ingreſſum monaſterij acquiſitis, vt id Gregorius facere noluerit niſi Synodo conuocata. Sicut & alias pariter in Concilio decreuiſſe reperitur [q], vt nullius eſſent ponderis quæ de bonis poſt Epiſcopatum adeptis Epiſcopus teſtamento diſpoſuiſſet in præiudicium Eccleſiæ ſuæ: ſecus vero de his quæ ante Epiſcopatum poſſediſſet.

n Greg. 9. ep. 45. CONCIL. ROM. o 9 ep. 69. ANDREAS IMPOSTOR ET FALSARIVS. p 9 ep. 22. TESTANDI FACVLTAS AB ABBATE DATA. q 1. ep. 1.

VII. CONCIL. TOLET.

Hoc inſuper anno, qui numeratur duodecimus Reccaredi Regis Hiſpaniæ, celebratum eſt CONCILIVM TOLETANVM ab Epiſcopis ſexdecim: cuius tantummodo canones duo reperiuntur. De caſtitate enim à miniſtrantibus altari ſeruanda illud ſancitum eſt, vt ſiquis eam violaret, non ſolum è gradu excideret, ſed & duro carceri manciparetur.

VIII

Hoc denique anno, qui ſecundum chronologiam ſuperius poſitam numeratur quintus [r] Regum Francorum Theodoberti atque Theodorici fratrum, conflatum eſt ciuile bellum inter eos atque Clotarium filium Regis Chilperici & heredem Gunthramni: magnaque facta vtrimque cæde, ceſſit tandem victoria prædictis fratribus, fugiente Clotario. In qua pugna (inquit Aimoinus) Angelus Domini aſtans euaginatum viſus eſt tenuiſſe gladium. Quæ quidem viſio, non ſolum quod tunc fieret, ſed etiam quod poſtea futurum eſſet, haud dubijs demonſtrauit ſignis: ſiquidem ira Dei effuſa ſupra Reges Francorum, effecit vt ſe inuicem bello ciuili conſumerent.

r Aimoin. de geſt. Franc. l. 3. c. 87. 88. ANGELVS VISVS IN GAL. EVAGINATO GLADIO.

IESV CHRISTI ANN. 602.

MAVRITII AN. 20.

GREGORII AN. 13.

I

ANNO Chriſti ſexceteſimo ſecundo Indictionis quintæ, abſoluto tempore pacis initæ inter Romanos

& Lon-

moribus imbutam. At quod hæreticus dicatur, calumnioſe id paſſus videtur. Habet denique idem auctor[x], quemdam ſanctum monachum à Deo quærentem cur tam impium Chriſtianis dediſſet Imperatorem, reſponſum accepiſſe, deteriorem illo alium inueniri potuiſſe nullum, & hoc meruiſſe Conſtantinopolitanorum flagitia. Quare tam ex eius ſæuiente tyrannide, quam ex aliunde emergentibus malis fuiſſe tempora ipſius Imperii infeliciſſima, idem auctor aliique tradunt, nempe graſſantibus vbique fame, peſte, ac bello, & in tantum ſæuientibus frigoribus, vt congelauerit mare, ac piſces pertinet.

x Cedr. an. vii. Phoc.

Phocæ An. 1.

IESV CHRISTI AN. 603.

GREGORII AN. 14.

I.

De cultu exhibito imaginib. Impp.

ANno Chriſti ſexcenteſimo tertio Indictionis ſextæ, cum allatæ eſſent Romam ſeptimo Calendas Maii Phocæ & Leontiæ Augg. imagines, iis acclamatum eſt in eccleſia Lateranenſi ab omni Clero atque Senatu: vt habetur apud Gregorium in exordio vndecimi libri Epiſtolarum. Nam dictum eſt alias, Imagines Imperatorum ab ipſis mitti ſolitas, in diuerſas prouincias Imperio Romano ſubiectas, & ad Principis amicos, eaſdemque dici conſueuiſſe *Laurata*, quaſi Laureata: quibus veluti Imperatori præſenti debitus honoris cultus deferri conſueuerat, & in eas peccans, maieſtatis reus efficiebatur. Eſt vero etiam de earumdem veneratione, ampla frequenſque mentio in epiſtola Gregorii Papæ Secundi ad Leonem Iſauricum Imperatorem, & apud poſteriorem Nicænam Synodum, atque Damaſcenum, vel alios qui ſcripſerunt de veneratione ſacrarum Imaginum. Simulac autem S. Gregorium accepit Phocæ euectionem in Imperium, literas[a] gratulatorias ad eum dedit: Cumque & ipſe poſt hæc alias ab eodem recepiſſet, quibus perſolutis quæ ſolerent reliqui Imperatores officiis, queſtus eſſet quod nullum inueniſſet Conſtantinopoli ex more reſidere S. R. E. Apocriſarium: (acciderat enim anno ſuperiori Anatolium mori.) miſit illuc Gregorius Bonifacium diaconum, cum aliis rurſum literis[b] ad eumdem Imperatorem, Leontiam Auguſtam, & Cyriacum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, Phocas vero quinto[c] ab inito Imperio menſe literas ad Coſrhoen Perſarum Regem dedit, quibus ex antiqua (vt Nicephorus ait) conſuetudine quæ vigebat inter Romanos ac Perſas, euectionem ſuam ad Imperium eidem ſignificauit. At Coſrhoes vindictam in animo voluens de Mauritii nece, à quo ipſe in regnum fuerat reſtitutus, fœdus cum Romanis initum rumpens, funeſtiſſimum Imperio Romano bellum cœpit, de quo inferius ſuis locis.

a Greg. 11. ep. 38.
Greg. ſcribit ad Phocam.

b 11. ep. 45. 46. 47.

c Niceph. l. 18. cap. 41.

II.

d Greg. 11. ep. 3.
Error de cultu Sabbati.

Hoc item anno Romæ error ille per S. Gregorium[d] correctus eſt, quo quidam vel ex ſuperſtitione Iudaica, vel ritu Græco, coli debere Sabbatum perinde atque Dominicum diem prædicabant: cuiuſmodi homines vocat prædicatores Antichriſti, qui die Sabbato atque Dominico operari prohibebit: Sabbatum quidem celebrans, quia Iudaizare populum compellet: Dominicum vero diem, quia ea ſe die reſurrecturum mentietur. Sed & inter alia multa, quæ hoc anno in adminiſtratione vniuerſalis Eccleſiæ idem Pontifex peregiſſe reperitur, Paſchaſium Neapolitanum Epiſcopum acriter redarguendum[e] curauit, quod ita quotidie deſpectus cum vno aut duobus clericis diceretur ad mare deſcendere, vt & apud ſuos in fabula eſſet, & extraneis ſic vilis ac deſpicabilis appareret, vt nihil habere Epiſcopalis vel ingenii vel reuerentiæ videretur. Ex quibus intelligas non recens eſſe vt Epiſcopi pluribus ſtipati famulis incedant, ſed quam maxime antiquitus cuſtoditum: adeo vt Pontificia cenſeretur reprehenſione dignus, qui id minus obſeruaret.

e 11 ep. 31. ad Anthem.
Greg. redarguit Epiſcopum de vili inceſſu.

III.

Eodem anno cum Arnulphus Longobardus Spoleti Dux Vrbem Romam oppugnaturus, paraſſet, exercitum menſe Iunio, & cum proxime inſtaret dies natalis Apoſtolorum moliretur eius excidium, de his Gregorius ſollicitus, literas[f] ſcripſit ad diuerſos Imperatoris Duces per Italiam cōſtitutos, vt ſi Arnulphus Vrbem aggrederetur, ipſi aduerſus eum à dorſo laborarent, & loca eius deprædarentur, quo ita reuocaretur à cœptis. Quin & pro cuſtodia Neapolitanæ ciuitatis miſit Conſtantium Tribunum, literaſque dedit ad milites[g] (non ad Epiſcopos, vt vetus habet edito) vt illi parerent. Ita quidem ipſe, Pontifex cum eſſet, militaria coactus eſt pertractare, & præ auctoritate ſuæ Sedis, militibus etiam ac ciuitati Imperatori ſubditis, vt vellet imperabat: hæcque ſub Phoca tyranno. O tempora hac ex parte felicia! Vtinam modo eſſent integra ipſi ſpiritualia iura, quæ maiori in dies ignominia tantæ ſedis, auerſione contentioſa calcantur. Sed ſuo ipſorum damno, qui talia agunt Deum experientur vltorem. Ceterum Arnulphum hac forte Gregorii vigilantia territum, à cœptis deſtitiſſe conſtat pacemque ſequenti anno confectam iterum eſſe cum Longobardis. Literas autem ab ipſo Gregorio tunc de his ſcriptas, licet in codice ſub Indictione ſeptima collocatæ reperiantur, ſub ſexta reponendas eſſe, ea potiſſimum ratio ſuadet, quod hæc acta dicantur eſſe menſe Iunio quo natalis Apoſtolorum agitur, ipſum vero Gregorium mortuum eſſe conſtet menſe Martio ſeptimæ Indictionis.

f 11 ep. 21. 22 23
Greg. tractat militaria.
g 11. ep. 24.

IV.

Concil. Barcinon.

Hoc pariter anno qui numeratur Reccaredi Regis decimus quartus, Calendis Nouembris celebrata habetur *Barcinone* in Hiſpania SYNODVS Epiſcoporum duodecim: cuius quatuor dumtaxat extant canones, duo aduerſus ſimoniacam prauitatem, tertius aduerſus laicorum præpoſteras ordinationes, quartus denique contra monachos atque moniales poſt caſtitatem promiſſam connubia agentes.

Phocæ An. 2.

IESV CHRISTI AN. 604.

SABINIANI AN. 1.

I.

ANno Chriſti ſexcenteſimo quarto, & S. Gregorii decimoquarto inchoato iam anno ſuperiori à tempore exordientis Indictionis ſeptimæ menſe Septembris. idem Pontifex quarto Idus Martii feliciter ex hac vita migrauit. Quantum vero ante obitum hoc ipſo anno in iis quæ ſui muneris erant laborauerit, declarant eius epiſtolæ quæ extant datæ ſub Indictione ſeptima, quamuis ſint aliquæ ibidem collocatæ quæ longe ante ſcriptæ eſſe noſcantur. Quæ autem notatu digniora geſta ſunt, pax eſt inprimis cum Agilulpho Rege Longobardorum renouata. Qua ſancita cum idem Rex auctus fuiſſet filio, cum pia mater Theodolinda Regina nominatum Adaluualdum, in fide Catholica voluit baptizari, de hiſq; certiorem reddidit S. Gregorium, vt conſtat ex literis[a] gratulatoriis ab eodem Pontifice ad eam redditis: quādo & infantulo pro munere filacteria miſit (ſic vocat quas veteres nominare conſueuerant *bullas* ad collum appendi ſolitas) nempe crucem cum ligno ſanctæ Crucis Domini, & lectionem S. Euangelii theca Perſica incluſam: cuius item ſorori tres annulos miſit, duos cum hyacinthis, & vnum cum albula.

a Greg. 12. ep. 7.
Munera a Greg. ad infantem regium miſſa.

II.

b 12. ep. 10.
c Ext. To. 2. Concil.
De gradib. prohibitionis matrimonii.

Eodem quoq; anno miſſa eſt à Felice (Epiſcopo, vt puto, Meſſanenſi, ad quem haud pridem S. Gregorius ſcripſiſſe[b] reperitur) de nonnullis ad eumdem Pontificem conſultatio[c]. Cuius mittendæ ea præcipua extitit cauſa, quod multi ſcandalum paſſi eſſent ex eo quod idem Gregorius ſcribēs ad Auguſtinum in Anglia Epiſcopum, conceſſiſſet ratum eſſe matrimonium in quarto gradu affinitatis contractum, cum antiquis Pontificum & Conciliorum decretis prohibitū eſſet etiam in ſeptimo gradu. Verum his reſpondens Gregorius, docuit non eſſe in exemplum adducendum, quod nouellæ Eccleſiæ conceſſum eſſet, ideoque monuit, vt Fideles antiqua ſtatuta cuſtodirent de prohibit[illegible]ne ſeptimi gradus. Porro frigeſcente poſt hæc ſpiritu, cum inualeſceret magis caro, ab Innocētio Tertio Romano Pontifice in Concilio Lateranenſi,

ad grauiora peccata vitanda, relaxata eſt nonnihil fibula diſciplinæ, vt intra quatuor tantum gradus prohibitum fuerit matrimonium.

III. De tempore obitus S. Greg.
d Ioan. diac. lib. 4. ca. 1.

Quod vero ad obitum *S. Gregorii* attinet, de eo certum eſt illos errare, qui dixerunt ipſum ſexta Indictione defunctum. Ioannes[d] enim diaconus eum ſeptima obiiſſe affirmat: idemque aſſeuerat Beda, & omnino certum redditur ex tabula donationis factæ ab eodem Gregorio baſilicæ S. Pauli Apoſtoli plurimorum fundorum pro luminaribus incendendis, quæ data habetur octauo Calendas Februarii anno ſecundo Imperii Phocæ Indictione ſeptima: vt nulla poſſit de his dubitatio exoriri quin ex his etiam habes quod corrigas in Paulo[e] diacono, dum etſi ſub anno ſecundo Phocæ obitum ponit S. Gregorii, tamen ait fuiſſe octauæ Indictionis annum. Porro eiuſmodi donationum diuerſis in Vrbe eccleſiis à S. Gregorio collatarum, alia item inciſa lapidibus extant vetera monumenta, atque inter cetera pro foribus baſilicæ S. Petri, cui prædia contulit cum oliuetis numero triginta quinque; ex quib. intelligas quam abundans in eadem eccleſia eſſe ſoleret copia lampadum incenſarum, quarum dumtaxat vſui tot tantaque inſeruire deberent oliueta. Sed ad eius obitum reuertamur.

e Paul. diac. lib. 4. ca. 6.

IV. S. Greg. obitus.

Sanctiſſimus igitur Pontifex mœroribus ex cura totius Orbis Chriſtiani attritus, atque podagræ doloribus conſumptus, quod tamdiu in optatis habuit, atq; multorum precibus conatus eſt impetrare (quod quamplurimæ eius epiſtolæ teſtantur) vt ex hoc corpore liberaretur, feliciter eſt conſecutus, migrans in vitam æternam, ad quam dum vixit iugiter anhelauit. Sedit annos tredecim menſes ſex dies decem, vtpote qui ordinatus tertia die Septembris, mortuus eſt duodecima Martii, ſicut tabulæ Eccleſiaſticæ perpetua memoria notatum cuſtodiunt. Sepultuſque eſt (vt ait Ioannes diaconus) in extrema porticu baſilicæ S. Petri: vnde poſt ducentos viginti quinque circiter annos à Gregorio Papa Quarto tranſlatus eſt in alium nobiliorem locum intra ipſam eccleſiam. Plura vero quæ extant de ipſo antiquorum elogia, licet hyperbolice quædam videri poſſint dicta, declarant tamen quanta idem Pontifex gloria acceptus fuerit à poſteris. Inter quos Ildelphonſus, ſanctiſſimus ille Toletanus Epiſcopus, in libello de Viris Illuſtribus, quem manuſcriptum Bibliotheca Vaticana cuſtodit, numeraturus eius ſcripta, ex Iſidoro[f] primum dicit ipſum tanto per gratiam Spiritus Sancti ſcientiæ humanæ lumine præditum fuiſſe, vt nullus in præteritis temporibus par ei fuerit vnquam: poſtea vero ipſe addit, eumdem viciſſe ſanctitate Antonium, eloquentia Cyprianum, ſapientia Auguſtinum.

S. Greg. laudes.
f Iſid. cap. 27.

V. Columba ad aurem S. Greg.
g Ioan. diac. de Vit S. Greg lib. 4. cap. 69.

Sed quod ad eius ſcripta attinet, ea diuino potius tribuenda eſſe numini quam humanæ induſtriæ, manifeſta viſio declaraſſe fertur. Etenim columbam (quæ ſymbolũ eſt Spiritus S.) ad ipſum deſuper lapſam cum quid de ſacris litteris ſcribere vellet, viſam à Petro diacono eſſe, eaq; de cauſa columbam in capite ad aurem eius pingi conſueuiſſe, Ioannes[g] diaconus aſſerit. Poſt eius autem obitum, diabolum quibus valuit artibus per miniſtros ſuos conatum eſſe vt eiuſdem lucubrationes ignibus traderentur; idem auctor ex maiorum (vt ait) traditione narrat: nempe quod cum nonnulli calumniatores Gregorium dilapidationis bonorum Eccleſiæ accuſaſſent, iamque in perſonam ſæuire non poſſent, iidem ad comburendos eius libros ſe conuerterint, cumque aliquos combuſſiſſent, ne idem de reliquis fieret obſtiterit Petrus diaconus, iuramento publice facto de eiuſmodi columbæ apparitione, eodemque confirmato miraculo præſentis mortis ipſius Petri, quam ſibi optauit ad conciliandam ſibi dictorum fidem. Verum Ioannis in his vacillat fides, cum nec Iſidorus aut Ildelphonſus, dum recenſent catalogum ſcriptorum eius, immo nec ipſe Paterius eiuſdem Gregorii Notarius (de quo frequens eſt mentio in epiſtolis, & aliis Actis publicis eiuſdem S. Pontificis) dum cuncta diuinæ Scripturæ teſtimonia ab eodem Sancto elucidata in ordinem ſuum redegiſſet (quod ipſius opus hodieque extat) aliquid de exuſtione qua nonnulla Gregorii ſcripta perierint habeant. Sigebertus etiam nullam obſtante Petro diacono factam eſſe librorum exuſtionem teſtatur in Chronico, ſed de Viris[h] Illuſtribus ſecus: vbi & meminit Antiphonarii ab eodem Gregorio Eccleſiæ vſui relicti. Quibus adde Sacramentarium, ſiue librum Sacramentorum, nempe ad ſacros ritus Miſſarumque ſolemnia volumen pertinens, nuper cuſum. Quod autem Ioannes tredecim numerat libros Epiſtolarum, ſecundum annorum numerum quibus in Pontificatu vixit, cum hodie nonniſi duodecim numerentur, non putes vnum ex ipſis eſſe deperditum, ſed eoſdem aliter eſſe numeratos, nempe vel per annos Pontificatus eius, vel ſecundum Indictiones digeſtos. At hæc de ſcriptis S. Gregorii ſatis ſunto, præter illa quæ iidem auctores tradunt, & ipſemet numerauit in epiſtola[i] ante biennium ſcripta ad Ioannem ſubdiaconũ Rauennatem. Res vero ipſius geſtas, non ab alio quam ab eo quem diximus Ioanne diacono ſcriptas fuiſſe certo reperimus: verum ante ipſum à Paulo diacono id factum conſtat, ſed excidit eiuſmodi lucubratio. De nonnullis autem eius miraculis, in promptu eſt quem conſulas eumdem Ioannem. Feruntur que alia præterea ab eo vel inſtituta, vel acta, quæ recentiores ſcriptores congeſſerunt.

De ſcriptis S. Greg.
h Sigeb. cap. 41. & 42.
i Greg. 10. ep. 22 Ind. 5.

VI. Quædam fabulæ de Gregorio explodvntur.
k Plut. 3. nu. 153. in cod. Dial. S. Greg. in fin. codicis.

Quod autem pertinet ad vulgatam illam fabulam, de liberata precibus Gregorii à pœnis inferni anima Traiani Imperatoris, refellimus eam fuſius poſt mortem ipſius Traiani. Qua eadem cenſura reiicenda ſunt, quæ nomine Ioannis & Petri diaconorum eius produntur ex codice[k] quodam Vaticano, de petitione ipſius facta à Deo, vt quicumque deinceps in circuitu eccleſiæ S. Andreæ Apoſtoli, quam in Cliuo Scauri conſtruxerat ac dedicarat, ſe deligeret ſepeliendum, modo fidem tenuiſſet Chriſtianam, non eſſet obnoxius pœnis inferni, deque eiuſdem petitionis à Deo exauditæ facta ipſi per Angelum nunciatione. His enim cum alia plurima in eiuſdem fabulæ narratione contenta aduertentur, quæ recens illud additamentum eſſe demonſtrent: eadem præterea contraria reperiuntur & doctrinæ Catholicæ, & ipſius Gregorii ſcriptis, in quibus ſæpius ipſe docet[l], procul abeſſe vt Chriſtianus homo quem criminalis culpa ſequatur, loco poſſit ſacro iuuari. Riſimus autem qui Gregorio vel anteceſſoribus Romanis Pontificibus pro inſignib. ſcuta tribuunt (vt nunc moris eſt) diuerſis imaginibus & coloribus picta, cum eorum vſus longe ſit recentior. Porro quem Greci vocarunt *Gregorium Dialogum*, hunc Primum intelligi multi arbitrati ſunt, ſed ad Secundum pertinere eiuſmodi appellationem, dicetur ſuo loco.

l Greg. 4. Dial. 51, 53. 54.

VII. Sabinianus creatur Papa.
m Niceph. li. 18. cap. vlt.

Vbi vero poſt S. Gregorii obitum ſedes vacaſſet (vt Anaſtaſius habet) menſes quinque & dies decem & octo, ipſis Calendis Septembris electus eſt in locum Sabinianus, vt tam Latini quam Græci omnes ſcriptores æque affirmant. Ex quibus redarguas Nicephorum[m], dum poſt S. Gregorium ſomniat quemdam *Innocentium* eius ſucceſſorem, omnibus aliis incognitum. Fuit autem Sabinianus natione Tuſcus, patria Volaterranus ex patre Bono: eſtq; ille ipſe, quem ab eodem Gregorio miſſum fuiſſe Conſtantinopolim Apocriſiarium ſuperius vidimus. Sed non caruiſſe eius electionem tumultu indicat ſucceſſoris Conſtitutum de electione Summi Pontificis editum, de quo dicetur ſuo loco.

VIII. De rebus Anglic. Eccl.
n Bed. hiſt. Angl. lib. 2. cap. 2.

Sub hoc pariter Redemptoris anno, Beda recenſet S. Auguſtini in Anglia Epiſcopi obitum, cum prius duas *Synodos* habuiſſet vna cum Epiſcopis antiquæ Britannorum gentis, iam multo tempore à communione Catholicæ Eccleſiæ diro ſchiſmate ante diuiſis, quod inter plura alia quæ contra vnitatem Eccleſiæ obſeruarent, Paſchæ diem non ſuo tempore celebrarent. Sed cum nec rationibus, nec miraculis coram ipſis tunc editis, pertinaciam eorum flectere valuiſſet, minitans eis prædixit fore vt Anglorum armis perirent: quod & poſtea euenit. Hæc pluribus Beda[n]. Qui & addit de ordinatione hoc ipſo anno ab eodem Auguſtino facta duorum Epiſcoporum, *Melliti* quem præfecit ciuitati Londonienſi, vbi Rex Edilbertus eccleſiam nobiliſſimam S. Pauli conſtruxit, & *Iuſti*, quem

miſit

miſit in ciuitatem Roffenſem, vulgato dictam Rotſcheſtrenſem, in qua idem Rex eccleſiam S. Andreæ ædificauit. Defuncto autem paulo poſt Auguſtino ſucceſſit ei in Epiſcopatu Dorouernenſi ac Primatu Angliæ *Laurentius*, quem idem Auguſtinus (vt ait Beda [o]) idcirco adhuc viuens ordinauerat, ne ſe defuncto ſtatus nouæ Eccleſiæ vel ad horam paſtore deſtitutus vacillare inciperet. Verum id S. Gregorii Papæ nutu Auguſtinum feciſſe haud eſt dubium, cum alioqui ne id fieri poſſet canones ante vetuiſſent. Quantum autem Laurentius inſudauerit non ſolum in propaganda inter Anglos fide, ſed & in conuertendis ad vnionem Eccleſiæ antiquis Britannis, necnon Scotis & Hibernis, qui eiuſdem omnes ſchiſmatis eſſent, rei, quem Beda pluribus peregit enarrare.

o Ibid. ca. 4.

IX. Sed quod ad res Orientales pertinet, hoc [p] ipſo anno Rex Perſarum Coſthoë in vltionem necis Mauritii Imperatoris collectum copioſum exercitum aduerſus Phocam immiſit: eodemque tempore Narſes Dux rebellans, Edeſſamq; obtinens, eidem Phocæ bellum intulit. Cumque Phocas Domitium Magiſtrum militum propinquum ſuum aduerſus Coſthoen, Germanum Prætorem aduerſus Narſetem miſiſſet, vtrobique male à Romanis pugnatum eſt, Germano occiſo, & Domitio vix incolumi euadente [q] S. Georgii martyris protectione, & S. Theodori Siceotæ Archimandritæ orationibus.

p Theoph. Miſcel. l. 17. COSRHOES PERS. REX INVADIT IMPERIVM IN VLTIONEM MAVRITII IMP. q Act. S. Theod. Siceot. ap. Sur. 22. April.

PHOCÆ AN. 3.

IESV CHRISTI AN. 605.

SEDES VACAT.

I. ANno Domini ſexcenteſimo quinto Indictionis octauæ, Adalvvaldus paruulus filius Agilulphi Longobardorum Regis, Mediolani creatus eſt à patre Rex, adſtantibus Legatis Theodoberti Francorum Regis, pax firmata eſt perpetua cum Francis. Sed & Seuero Patriarcha Aquileienſis defuncto ordinatus eſt in locum eius Ioannes in ipſa ciuitate Aquileia conſenſu eiuſdem Agilulphi Regis, ex altera vero parte ab Epiſcopis qui erant ſub Romanis, ordinatus eſt in Inſula Gradenſi Candidianus: ex quo tempore cœperunt eſſe duo Patriarchæ. Hæc omnia breuiter Paulus [a] diaconus.

a Paul. diac. lib. 4. ca. 10.

II. Sed quod ad hiſtoriam de duobus his Patriarchis attinet: qui rem geſtam minime ſunt accuratius proſecuti, dixerunt Aquileienſem ab Agilulpho electum, Gradenſem vero à populo Grandenſi, eſq; delata ad Romanum Pontificem, ab eo Ioanne reiecto probatum eſſe Candidianum. Sed hæc ipſi diuinando. Porro veritas rei geſtæ ex Mantuano Concilio proditur, quod celebratum eſt ſub Eugenio Papa, anno quarto Pontificatus ipſius: ex cuius Actis conſtat, quo tempore Longobardi Italiam inuaſerunt, Paulum Patriarcham tunc Aquileienſem ad Gradus Inſulam confugiſſe, non quidem vt ſedem ibi Patriarchalem conſtitueret, ſed vt pro tempore barbarorum immanitatem euaderet. Eo vero mortuo, ſimulque Probino, Elia, atq; Seuero eiuſdem ſucceſſoribus, in Seueri locum Aquileiæ ordinatum eſſe Ioannem, fauente eius electioni Agilulpho Longobardorum Rege, in Gradu autem Inſula Cādidianum fauore Italiæ Exarchi. Hæc ex Actis Synodi Mantuanæ. Vbi tamen dum Candidianus hæreticus appellatur, quem Romanum, nempe communicantem Romanæ Eccleſiæ, Paulus Diaconus vocat, aperte conſtat, eius aduerſarios fuiſſe ſchiſmaticos, qui hæreticos appellare conſueuerant eos qui Tria capitula damnarent, ex quorum ſchiſmaticorū (vt apparet) ſcriptis eiuſmodi narratio illata fuit in prædictę Synodi Acta. Hoc igitur modo duo diuerſi, inter ſeq; contrarii fuerunt eiuſdem prouinciæ Patriarchæ. Hactenus enim qui *Aquileienſis* fuit Epiſcopus, idem & *Gradenſis* dictus eſt, vt vidimus ſuperius ex Gregorio Papa. Factum vero eſt etiam poſtea, vt cum Aquileiēſis ſecuritatis cauſa tempore belli ſeſe ad Forum Iulii contuliſſet, idem quoq; *Foro Iulienſis* ſiue *Iulienſis* Patriarcha nominaretur, ſicut apud VValfridū [b] Strabonem & Marianum Scotum appellatus reperitur. Ceterum ſic res tranſacta eſt, quouſque Aquileienſes perſeuerarunt in ſchiſmate: redditis vero ipſis Eccleſiæ Catholicæ, æque ſuis iuribus integrata eſt à Romano Pontifice & Mantuano Concilio Eccleſia Aquileienſis: de quibus rurſum dicendum inferius.

DE AQVILEIENSI ET GRADENSI PATRIARCHIS.

b VValfrid. Strab. de reb. Eccleſ. cap. 25.

III. Hoc eodem anno octaua Indictione vndecimo Calendas Martii mortuus eſt *Sabinianus* Papa, cum ſediſſet menſes quinque & dies decem & nouem. Ita enim conſentiunt omnes veteres, atque etiam Græci, nempe ipſum eſſe defunctum eodem quo creatus eſt anno. Ceterum ſcripti codices, repentini eius obitus cauſam terribiliorem aſſerunt: cuius rei geſtæ tragœdiam Sigebertus [c] ſummatim complexus, ait eū quod liberalitati Gregorii prædeceſſoris ſui derogaret, ab ipſo Gregorio per viſum ter de tenacia ſua reprehenſum, cum nec adhuc reſipiſceret, quarto terribiliter increpitum, atque inſuper in capite percuſſum eſſe, eoque dolore vexatum, non multo poſt mortem obiiſſe. Hæc ille. Cuius rei gratia accidit vt (quod habet Anaſtaſius) non ex more per medium ciuitatis delatum fuerit cum funebri pompa corpus eius ad baſilicam S. Petri, ſed eiectum extra Vrbem per portam S. Ioannis, perductumque vſque ad pontem Miluium, inde illatum ſit in ipſam S. Petri eccleſiam, vbi eſt ſepulturæ mandatum. Hocque ita factum, quod exaſperatus admodum eſſet aduerſus ipſum populus Romanus, eo quod dira vrgente fame triticum Eccleſię non erogaſſet (vt S. Gregorius conſueuerat) in pauperes, ſed venum expoſuiſſe triginta ſolidis modiū vnum. Addit vero idem auctor, ſedem vacaſſe menſes vndecim ac dies viginti ſex. Nam cum non ſoleret conſecrari electus Pontifex, niſi (vt ferebat iniquitas temporum) poſt Imperatoris ratihabitionem, diutiores eſſe conſueuerunt ſedis Romanæ vacationes. Ex quibus redarguas aliquem ex recentioribus, qui neſcio quomodo vnum duntaxat diem tribuit vacationi ſedis Sabiniani.

SABIN. PP. OBITVS. c Sigeb. in Chron. FVNVS IGNOBILE.

IV. Porro eadem ſæuiente fame, in deteſtationem immiſericordis auaritiæ magnum idem Sigebertus narrat accidiſſe miraculum, vt cum pauper quidam à nautis eleemoſynam petiiſſet, reſpondiſſetque nauclerus ſe nihil præter lapides habere, ſubiiciente paupere, *Omnia ergo vertantur in lapides*, quicquid manducabile in naui erat, in lapides conuerſum eſſe, colore & forma rerum eadem permanēte. Sic enim Sapiens [d] olim admonuit, nō exaſperare pauperem in inopia ſua, quoniam maledicentis illius deprecatio exaudietur. Vt non adeo mirum videri debeat, id factum eſſe quod Sigebertus narrat: ſed potius mirandum, ſi maledictionem pauperum non ſemper ſtatimque diuina vltio ſubſequatur.

CIBARIA IN LAPIDES CONVERSA. d Eccleſ. 4.

V. Quod ſpectat ad res Orientales, cum Phocas [e] Narſetem qui rebellarat, iteratis de ſecuritate iuramētis ad Romanos redire tandem perſuaſiſſet, mox eumdem periurus viuum comburi præcepit. Huncque demum conſecutus eſt finem celeberrimus Dux, Gothorum, Perſarum, & aliorum barbarorum victoriis ſiquis alius ante glorioſiſſimus. Effeceruntq; iſta, vt Phocas tyrannus potiuſquam Imperator ab omnibus haberetur, vtpote qui non hoſtium, ſed Romanorum cæde ſtabilire ſibi conaretur Imperium, eo præſertim tempore, quo Perſæ aduerſus Romanos in dies magis magiſque præualerent.

e Theoph. Cedr. an. 4. Phoc. NARSETIS INFELIX EXITVS.

IESV CHRISTI AN. 606.

PHOCÆ AN. 4.

BONIF. III. AN. 1.

I. ANno Chriſti ſexcenteſimo ſexto, Indictione nona, decimoquinto Calendas Martias, ex diacono [a] Pontifex Romanus creatus eſt BONIFACIVS eius nominis Tertius, qui à S. Gregorio miſſus olim fuerat Conſtantinopolim Apocriſiarius ad Phocam Imperatorem. Accidiſſe enim ſæpius vidimus, vt qui eo functi eſſent munere, iidem in Summos Pontifices eligerentur, cum videlicet Clerus eos eligere ſtuderet, quos ſciret Imperatori fore gratos.

BONIF. PP. III. CREATVR. a Anaſt. de R. Pont.

II. SIMVLTAS INTER PHOC. IMP. ET CYRIAC. EPISC. CONST.

b Theop. Cedr.

Quo tempore interceſſerunt quædam odiorum fomenta inter eumdem Phocam Imperatorem atque Cyriacum Patriarcham Conſtantinopolitanum. Siquidem cum hoc eodem anno ipſius Phocæ [b] quarto, Conſtantina relicta Mauritii Imperatoris cum tribus filiabus, conſilio Germani Patricii ambientis Imperium, ad magnam eccleſiam confugiſſet, ingenſq; inde ſeditio in populo exorta eſſet: Phocas ab eccleſia eas abſtrahere voluit, nec tamen valuit reſiſtente ei acriter Cyriaco pro immunitate Eccleſiaſtica. Verum iuramento à Phoca præſtito de earum illæſione eductæ ſunt, & clauſæ in monaſterio. Hinc igitur in Cyriacum Phocas exacerbatus, in eius odiũ Imperiali edicto ſanciuit, nomen vniuerſalis Epiſcopi decere Romanam tantummodo Eccleſiam, tamquam quæ caput eſſet omnium Eccleſiarum, ſoliq; conuenire Romano Pontifici, non autem Epiſcopo Conſtantinopolitano qui ſibi illud vſurpare præſumeret. Quod quidem hunc Bonifacium Papam Tertium ab Imperatore Phoca obtinuiſſe, cum Anaſtaſius tum Paulus [c] diaconus tradunt. Cyriacus autem (vt creditur) mœrore confectus, hoc eodem anno (vt Annales Græcorum habent) ex hac vita deceſſit, poſtquam ſediſſet annos decem & vndecimum inchoaſſet: in cuius locum ſubrogatus eſt *Thomas* diaconus & Sacellarius magnæ eccleſiæ.

PHOC. CONTRA CYRIAC. FAVET ROMANO PONT.

c Paul. diac. lib. 4. de geſt. Longob.

III. PRIMATVS ROM. ECCL. NON A PHOCA.

Sed quod ad Phocæ edictum attinet, haud eo quidem ipſe (quod garriunt Nouatores) hoc tribuit priuilegium Eccleſiæ Romanæ, vt in Catholica Primatum ageret: hũc enim iam ipſam habuiſſe, ſemperque exercuiſſe ab ipſo ſui principio, non ſolum ſuper omnes alios Patriarchas Orientales, ſed & multo magis ſuper omnium nouiſſimum Conſtantinopolitanum, quamplurimis eſt ſuperius locis latiſſime demonſtratum, nec in eo fuit aliquando cum Epiſcopis Conſtantinopolitanis controuerſia, quippe qui numquam eumdem primatum in dubium reuocarunt: ſed in eo tantum, quod ipſi nuper titulum ſibi Oecumenici vſurpaſſent (quod Romanis Pontificibus tum ab aliis, tum ab ipſis Oecumenicis Synodis iure tributum vidimus, & reclamantibus licet iiſdem Romanis Pontificibus, conſeruaſſent hactenus fauore Mauritii Imperatoris. Hanc igitur cauſam ſententia ſua Phocas decidens, eam adiudicauit Romano Pontifici, vt ipſe ſolus, non etiam Conſtantinopolitanus, diceretur Oecumenicus.

IV. CONCIL. ROM. DE ELECTIONE ROM. PONTIF.

Quod autem ad Bonifacium Papam, is vbi primum ſedem Pontificiam adeptus eſt, ad reprimendam clericorum ambitionem Pontificatibus inhiantium, CONCILIVM in eccleſia Vaticana habuit Epiſcoporum ſeptuaginta duorum, preſbyterorum Romanæ Eccleſiæ triginta quatuor, & reliqui Cleri, aduerſus eos qui ſuperſtite adhuc Romano Pontifice, aut quouis alio alicuius ciuitatis Epiſcopo, de eo qui eſſet poſt eius obitum eligendus in ſucceſſorem, tractarent: quod Synodus decreto ſuo ſub anathemate vetuit facere, niſi tertio die depoſitionis eius. Hæc Anaſtaſius: perierunt enim Acta Synodi, ſicut & alia ipſius Bonifacii. Qui hoc eodem anno (vt idem auctor habet) ex hac vita deceſſit duodecima die Nouembris, vbi ſediſſet menſes tantum octo & dies viginti tres: ſepultuſque eſt in baſilica S. Petri, ac vacauit ſedes menſes decem & dies ſex.

PHOCÆ AN. 5.

IESV CHRISTI AN. 607.

BONIF. IV. AN. 1.

I. BONIF. PAP. IV. CREATVR.

ANnus Chriſti ſexcenteſimus ſeptimus, cœptus eſt Inditione decima. Quo BONIFACIVS ex Valeria ciuitate Marſorum, Ioannis medici filius, ex preſbytero ordinatus eſt eius nominis Quartus Pontifex Romanus die decima octaua Septembris. Qui ſtatim domum ſuam monaſterium erexit, ipſumque reditibus locupletauit. Sed & à Phoca Auguſto impetrauit PANTHEON nobile Romæ delubrum, tot antiquorum ſcriptorum præconiis celebratum, à Marco Agrippa ter Conſule tempore Auguſti Imperatoris erectum, Iouiq; Vindici conſecratum, quod adhuc intactum remanſerat à demolientibus dæmonum ſedes Romanis Chriſtianis. Illudque expurgatum ab antiquæ ſordibus idololatriæ, in honorem Deigenitricis MARIÆ & omnium Sanctorum Martyrum (quorum plurimorum reliquiæ ex cœmeteriis extra Vrbem poſitis eo translatæ ſunt) conſecrauit. Narrat hæc Anaſtaſius, quorum etiam meminit Beda [a].

PANTHEON DEO DICATVM

a Bed. 2. hiſt. Angl. 4.

II. CARNIFICINA CONSTANTINOPOLI OB CONIVRATIONEM DETECTAM.

Turbulentiſſimus vero fuit iſte annus Conſtantinopolitanis, cum detecta coniuratione Conſtantinæ quondam Auguſtæ relicti Mauritii Imperatoris, atque Germani, aduerſus Phocam conſpirantium ſub ſpe vitæ Theodoſii filii Mauritii, quem fama ferebat haud necatum fuiſſe, ſed alium pro eo ipſi ſimillimum, idem Phocas ira exæſtuans, non ſolum ipſam Conſtantinam, eiuſque tres filias in eodem loco vbi Mauritius interemptus fuerat gladio trucidauit, ſed & Germanum, necnon Theodorum Orientis Præfectum, alioſq; plurimos Patricios nobiliſſimos viros occidit. Quæ hoc anno Phocæ quinto geſta, pluribus narrantur apud Theophanem [b], Cedrenum, Nicephorum [c], & alios. Ceterum ex pia Mauritii familia pleræque pietate inſignes extitere feminæ: exornat vero Eccleſiaſticas [d] tabulas tam Græcorum quam Latinorum eiuſdem filia *Sopatra* nomine, ſanctiſſima virgo, vna cum *Euſtolia* & *Romana*. Eſtque præterea mentio in Prato [e] Spirituali de *Damiana* clariſſima femina ſorore eiuſdem Imperatoris, Hieroſolymis vitam degente vna cum nepte ſua ac Mauritii.

b Theoph. Miſcel. li. 17.
c Niceph. li. 18. cap. 41.
d Mart. R. 9. Nouemb.
e Prat. Spir. cap. 127.

III.

f Theoph. ibi.

Dum autem in nobilium cædem ita debaccharetur Phocas, Coſrhoes Perſarum Rex (vt Annales [f] Græcorum habent) totam Syriam deprædatus eſt, nullo ſibi obuiam facto qui reſiſteret. Quo etiam anno idem Phocas manuum pedumque grauiſſimus ægrotans doloribus, ſanatus eſt à S. Theodoro Siceota, cum is à Thoma Patriarcha accerſitus Conſtantinopolim fuiſſet, ad declarandum portentum quod in Gallatia acciderat, dum in quibuſdam publicis ſupplicationibus Cruces quæ geſtari ſolent, per ſe vehementer cõcuſſæ fuerant quod ipſe Theodorus de breui ſecuturis multorum à fide apoſtaſiis, atq; atrociſſimis barbarorum incurſionibus, necnon diuini cultus & Imperii interitu interpretatus eſt. Hæc pluribus Eleuſius Theodori diſcipulus in Actis [g] Vitæ ipſius. Quib. ſimilia de malis obuenturis prædixiſſe S. Gregorium Papam dum viueret, conſtat ex eius epiſtola [h] ad Maximum Salonitanum Epiſcopum. Ea vero ab euentis ipſis paulo poſt confirmata fuere, cum præter immanes Chriſtianorum cædes à graſſantibus vbique Perſis illatas, ſanctamque ciuitatem Hieroſolymam ab eiſdem captam, & ſanctiſſima Cruce ſpoliatam, erupit ab inferis Monothelitarum hæreſis, & nefandiſſimi Mahometis impietas, de quibus omnibus dicetur inferius pro ratione temporis.

PRÆSAGIA MALORVM FVTVRORVM.

g Ap. Sur. 22. April.

h Greg. 8. ep. 16. Ind. 3.

PHOCÆ AN. 6.

IESV CHRISTI AN. 608.

BONIF. IV. AN. 2.

I. INFELIX STATVS IMPERII SVB PHOCA.

a Theoph. li. 17. Cedr. &c.

ANno Domini ſexcenteſimo octauo Indictionis vndecimæ, Phocæ Imperatoris ſexto, Annales [a] Græcorum tradunt factam eſſe mortalitatem atq; penuriam omnis rei, effuſumq; rurſus ſanguinem plurimorum nobilium virorum, quos ob leuiſſimas ſuſpiciones crudelis Phocas occidi iuſſit: adeo vt Priſcus ipſius gener non valens amplius ſuſtinere eius tyrannidem, Heraclium Prætorem Africæ aduerſus ipſum concitauerit. Tradunt præterea, hoc ipſo anno Perſas deuicto Romano exercitu, captiſq; multis Armeniæ, Cappadociæ, Galatiæ, & Paphlagoniæ ciuitatib. reliqua omnia Chalcedonem vſque depopulatos eſſe.

II. SERGIVS ELIGITVR EPISC. CONST.

b Niceph. in Chron.

Quo pariter anno Thomas Conſtantinopolitanus Epiſcopus, vbi ſediſſet [b] annos duos & menſes ſeptem, ex hac vita libens volenſque tantorum malorum pertæſus diſceſſit. in cuius locum ſuffectus eſt *Sergius*, quem magnæ tunc æſtimationis iuuenem fuiſſe, tum conſtat ex carmine Georgii Piſidæ, admirandi huius temporis in poetica facultate viri, quo vitæ huius vanitatem deplorauit

ipſumque Sergium cui opus inſcripſit plurimum commendauit, tum etiam ex Rebus [c] geſtis S. Theodori Siceotæ, vbi Thomæ exitus & ipſius Sergii ingreſſus deſcribitur. Porro eundem Sergium poſtea in tranſuerſum actum caput factum eſſe hæreticorum Monothelitarum, ſuo loco videbitur. Hoc vero item anno Idibus Septembris, defunctus eſt S. Eulogius Epiſcopus Alexandrinus, cum ſediſſet [d] annos viginti ſeptem, vir ſane tum ſanctitate tum etiam doctrina inſignis, de quo ſæpe ſuperius, cuius ſcripta numerantur à Photio in Bibliotheca. Quomodo autem S. Leo Papa ipſi in ſomnis rependerit gratias, quod pro ſuæ aduerſus Neſtorium epiſtolæ defenſione laboraſſet, habetur in Prato [e] Spirituali. Succeſſit vero in eius locum *Theodorus Scribon*.

c Ap. Sur. 22. April.

d Niceph. in Chron.

e Prat. Spir. cap. 148.

III. INVENTIO CORPORIS S. VICTORIS MART.

f Sigeb. in Chron.

g Aimoin. li. 3. cap. 90.

Res autem Occidentalis Eccleſiæ his temporibus ſubobſcuræ, in Gallia tantum inuentione [f] corporis *S. Victoris* martyris qui Soloduri paſſus fuerat, coruſcarunt, cum illud Enchonius [g] Epiſcopus Maurianenſis diuina ſibi reuelatione indicatum, in eccleſia ſuburbani Genabenſis, præſente Theodorico Francorum Rege, reperit in arca argentea iacens, cuius facies eximio diuinitus irradiata ſplendebat fulgore, atque ad eius ſepulchrum multa exinde facta ſunt miracula. Quod quidem in deteſtationem recentiorum eiuſdem ciuitatis Genabenſis hagiomachorum (à quibus ipſa in gehennam mutata eſt) notaſſe voluimus, qui ſciant, teſtes eſſe in cœlo Martyres eorum impietatis, atque eoſdem vindices aſſuturos.

PHOCÆ AN. 7.

IESV CHRISTI AN. 609.

BONIF. IV. AN. 3.

I.

a Niceph. li. 17. Cedr. an. vlt. Phoc. Niceph. lib. 18. cap. 44.

ANASTI. ANTIOCH OCCIDITVR A IVDÆIS.

b Mart. Ro. 21. Nouemb.

ANno Chriſti ſexcenteſimo nono Indictionis duodecimæ, Imperii Phocæ ſeptimo, Antiochiæ [a] Iudæi in Chriſtianos inſurgentes, pleroſque ciuium occiderunt, incenderuntque, interque alios ipſum *Anaſtaſium* Patriarcham, cuius ſecta pudenda in os proiecerunt, corpus vero traxerunt in plateam vrbis, qui ob hæc meruit inter ſanctos Martyres [b] cooptari. Miſſus vero aduerſus eos cum exercitu Bonoſus Orientis Præfectus, plurimos occidit, quoſdam detruncatis artubus in exilium expulit.

II. TVMVLTVS ET CÆDES POPVLI CONST.

Quo etiam anno Phocas crudelis tyrannus plurimos è populo, quod ipſum in Circo Praſini irriſiſſent, variis mortis generibus necari præcepit. Praſini vero coaceruati miſerunt ignem in Prætorium, & incenderunt curiam, & ſcrinia, & carceres, ex quibus egreſſi vincti fugere. Vnde iratus Phocas, eos militia priuauit. Idemque multos Patricios ac præfectos, inſidiarum aduerſus ipſum auctores conſciosue interfecit. Quæ narrat pluribus Theophanes. Eſt verò etiam ad eius ſæuitiam & illud vtiq; addendum, quod cum carcer qui vnicus [c] tempore Conſtantini Magni ædificatus erat Conſtantinopoli, abſque aliquo incremento vſque ad Phocam permanſiſſet, iamque nimis anguſtus eſſet ad capiendos eos omnes quos huius furor in carcerem detruderet, ideoque incluſi fœtore ac pædore valde cruciarentur: hoc tempore nobiliſſima quædam matrona commiſerata eorundem miſeriam, ſuam ceſſerit domum ad carcerem ampliandum.

c Glic. in Annal. in Conſtant. Mag.

CARCER DILATATVS OB CRVDELITATEM PHOCÆ.

III.

Hoc item anno Eſychius Hieroſolymitanus Patriarcha vbi ſediſſet annos octo, ex hac vita migrauit: ſucceſſitque ei *Zacharias*.

IV.

In Occidente, vero, Italia gemebat ſub gladiis Longobardorum, Gallia feruebat bellis ciuilibus, Africa tota in procinctu erat, ob bellum quod inferendum parabatur ab Heraclio aduerſus Phocam tyrannum.

HERACLII AN. I.

IESV CHRISTI AN. 610.

BONIF. IV. AN. 4.

I. HERACLIVS ELIGITVR IMP. ADVERSVS PHOCAM.

ANno Domini ſexcenteſimo decimo Indictionis decimætertiæ, HERACLIVS in Africa Imperator appellatus, cum magno exercitu nauibus Abidum appulit: vbi receptis exulibus principibus à Phoca tyranno relegatis, Heracleam venit, indeq; Conſtantinopolim properans, deuicto ad portum Sophiæ exercitu Phocæ, ciuitate potitus eſt: cum Photinus quidam, cuius vxori Phocas ſtuprum intulerat, in Regiam irrumpens, eumdem Phocam è ſolio deturbatum, nigraque veſte indutum, & numellis conſtrictum, ad Heraclium deduxit. Qui mox illum conſpicatus, *Miſer*, inquit, *itane Rempublicam gubernaſti?* Ad quæ deploratus Phocas, *Tuum eſt* (reſpondit) *rectius eam gerere*. Illico autem Heraclii iuſſu, manibus ei, pedibuſque, atq; pudendis amputatis, tandemque & capite, trunci quod reliquum fuit milites combuſſerunt. Hæc pluribus Theophanes atque Cedrenus. Huius item teſtificatione conſtat, Heraclium Imaginem Saluatoris miraculo effigiatam ſecum vixiſſe ex Africa, quam & poſtea (vt videbitur) aduerſus Coſrhoen profectus detulit: plane enim conſultius experimento cognitum eſt, contra hoſtes eiuſmodi ſacras Imagines ferre, quam more Romano Imperatorum effigies. Quapropter notatur etiam apud Theophanem, Stephanum Cyzici Epiſcopum, cum Heraclius perueniſſet Heracleam, acceptum ſtemma S. Dei genitricis de eccleſia detuliſſe Heraclio.

PHOCAS OBTRVNCATVR.

II. PHOCAS INTER MARTYRES HABERI OPTAVIT NECATOS IN BELLO.

Nec vero illud de Phoca prætermittendum eſt, ipſum dum imperaret contendiſſe magnis ſtudiis, vt ii quos in bello aduerſus Chriſtianæ fidei hoſtes occidi contigiſſet, inter martyres cenſerentur, ſed ab inſtituto penitus ceſſaſſe, cum ei teſtitiſſent Conſtantinopolitanus & alii Antiſtites, vtentes potiſſimum auctoritate S. Baſilii, cuius eſſet ad Amphilochium canon pœnitentialis de iis qui in bello feciſſent homicidium, vt non impertiretur eis ſacra communio abſque præuia pœnitentia. Habet iſta Theodorus [a] Balſamon, dum eiuſdem S. Baſilii canones interpretatur. Hac vero Phocam puto via eneruatum militum robur erigere conatum eſſe, quos videret annis ſingulis à Rege Perſarum ſterni atque fugari: probe ſcientem, non viros tantum, ſed & fœminas ætate tenellas, eiuſmodi ſpe martyrii omnia fortiter tormenta ſuperaſſe.

a Balſ. in can. 13. Baſil. ep. ad Amphil.

III. ANNOR. CHRISTI SVPPVTATIO GRÆCOR. DIVERSA.

Sic igitur Phocas hoc anno occiſus eſt Imperii ſui octauo: cum quo pariter alios fratres eius & neceſſarios enecatos, Zonaras tradit. Sed (quod ſemel admonuiſſe ſat erit) ſcito ſupputationem annorum Domini, quæ apud Græcos reperitur, differre ab ea quæ apud Latinos eſt, aliquot annis: ſiquidem hunc quem octauum Phocæ omnes numerant, eumdem illi ſexcenteſimum ſecundum Domini ponunt; alii [b] etiam ſexcenteſimum vigeſimum quintum: Latini autem recte ſexcentos decem ſupputant. Subdit vero Cedrenus, Heraclium in expeditione aduerſus Phocam adiutum fuiſſe à Criſpo ipſius Phocæ genero: ſed eumdem ab Heraclio Cappadociæ præfectum, cum noua molitetur, ex Senatus ſententia clericum factum eſſe, & in exilium pulſum, vbi mortuus eſt.

b Niceph. li. 18. cap. 26. in fi.

IV. HERACL. IMPERAT.

HERACLIVS igitur, genere Cappadox, ex familia illuſtri ortus, & diuitiis potens, robore ac pulchritudine præſtans, coronatus eſt à Sergio Patriarcha, vna cum *Eudocia* Rogati Afri filia, quam cum iam antea ſibi deſponſaſſet, eo ipſo coronationis die toro copulauit. Hæc Glicas, & Cedrenus: qui & addunt, Heraclium cum antea barbam haberet latam atque prolixam, mox vbi factus eſt Imperator, comam totondiſſe ac mentum raſiſſe, qui erat Imperatorum habitus. Fuiſſet autem plane hic annus in omnibus ex nece tyranni feliciſſimus, niſi Perſarum cladem eſſet expertus; qui eodem ipſo anno [c] menſe Maio Syriam deuaſtantes, Apameam & Edeſſam ceperunt, Romanorumque exercitum eis occurrentem penitus profligarunt.

c Theoph. Cedr.

V.

d Niceph. in Chron.

IOAN. ELEEMOSYNAR. EPISC. ALEXAND.

Hoc item anno Theodorus Alexandrinus Epiſcopus, vbi ſediſſet [d] annos duos mortuus eſt, atque in eius locum creatus *Ioannes* cognomento *Eleemoſynarius*, genere Cyprius, filius Epiphanii eiuſdem Inſulæ Præfecti: cuius res præclare geſtas ſcriptis mandauit S. Leontius Neapolis Cypri Epiſcopus eiuſdem æqualis; quæ omni fide conſcripta recepta fuere in Concilio Nicæno poſteriori; ſed qui ea poſtea exſcripſit ex prototypo Metaphraſtes, para-

phraſtice aliqua eis addidiſſe videtur haud vſquequaque veritate conſtantia. Quomodo autem ipſe Ioannes ab Alexandrinis ardenter expetitus, nolens coactus ab Heraclio Imperatore fuerit curam illius Eccleſiæ ſuſcipere; ſuſceptam autem iam ab ipſo principio optime adminiſtrare cœperit, hæreſes expellendo, ſimonias extirpando, mores corrigendo, Eccleſias ac Xenodochia ædificando, pauperes alendo, omnibus iuſtitiam adminiſtrando; idem Leontius [e] abunde tradit.

e ap. Sur. 23. Ianuar.

VI. CONCIL. ROM. PRO REB. ANG. f Bed. 2. hiſt. 4.

Quod pertinet ad res Occidentales; celebrata eſt Romæ eadem huius anni Indictione decimatertia, viuente adhuc Phoca Imperatore, tertio Calendas Martii, à Bonifacio Papa Quarto SYNODVS; in qua actum eſt de rebus Anglorum, quarum cauſa (vt ait Beda [f]) Mellitus Londonienſis Epiſcopus ad ſedem Apoſtolicam acceſſerat: ſed deſideratur Synodi Acta. Quod autem nuper extra mœnia ciuitatis Londonienſis erectum fuiſſet monaſterium, & in eo ædificata Eccleſia in honorem B. Petri Apoſtoli, quam idem Princeps Apoſtolorum nocte illa quæ ſolemnem eius ab Epiſcopo faciendam dedicationem præcederet, diuinitus ſolitis cæremoniis conſecraſſet (quam rē geſtam pluribus recenſet Ealredus [g] Abbas ſcriptor grauiſſimus, qui res geſtas S. Edvvardi Regis Anglorum ſcriptis tradidit) harum inter alias rerum gratia, nempe pro optima illius monaſterii conſtitutione & vtrum conſecratio Eccleſiæ eo modo peracta, rata haberi deberet, eumdem Mellitum Romam acceſſiſſe putamus.

S. PETRVS SVAM ECCLES. CONSECRAT. g ap. Sur. 5. Ianuar.

VII. CONCIL. TOLET. DE PRIMATV ILLIVS ECCL.

Hoc itidem anno ſexcenteſimo decimo, qui ab Hiſpanis notatur Era ſexcenteſima quadrageſima octaua, decimo Calendas Nouembris celebratum eſt TOLETANVM CONCILIVM anno primo Gundemari Regis, qui tertius regnauit à Recaredo primo ex Gothis Hiſpaniarum Rege Catholico; cui ſucceſſerat Liuba, huic vero VVittericus. In hoc autem Concilio nihil præterea actum apparet ab Epiſcopis prouinciæ Carthaginenſis, qui in vnum conuenerunt numero quindecim; niſi vt profiterētur Eccleſiam Toletanam, non Carpetianæ ſolum regionis, ſed totius Carthaginenſis prouinciæ eſſe Metropolim (quod in controuerſiam à nonnullis deducebatur) eamque antiquitus conſecutam eſſe dignitatem. Hæc ex Actis eiuſdem Concilii; necnon ex ipſius Regis Gundemari in eius decreti confirmationem edita conſtitutione, cui non Epiſcopi dictæ Synodi, ſed ex aliis Hiſpaniæ prouinciis & Galliæ Narbonenſis ſubſcripti habentur numero viginti ſex. Vt autem non vnius Carthaginenſis prouinciæ, ſed totius Hiſpaniæ Toletanus Epiſcopus Primas fuerit, ab Eccleſia Romana eſſe conſecutum certum eſt; neque id ſemel, ſed repetitis ſæpius poſtea priuilegiis perpetuo ſtabilitum. At quando primo huiuſmodi priuilegium conſecutus ſit, incertum eſt. Nam quod aliqui tradunt, id factum fuiſſe ab ipſo Petro Apoſtolo, haud probari poteſt. Quomodo enim id tunc factum potuit, ſi an primatum gereret vnius prouinciæ Carthaginenſis, in controuerſiam deductum fuit hoc tempore?

HERACLII AN. 2.

IESV CHRISTI AN. 611.

BONIF. IV. AN. 5.

I.

ANno Chriſti ſexcenteſimo vndecimo, Indictione decimaquarta, Perſæ ex more irrumpentes in Armeniam & Cappadociam, poſt ingentem prædam hominū, & omnium rerum vaſtationem, potiti ſunt Cæſarea Cappadociæ, populumque captiuum abduxerunt. Quo pariter anno Eudocia Auguſta tertio die Maii filium peperit *Heraclium Minorem*, qui & *Conſtantinus Iunior* dictus eſt: eumdemque filium fuiſſe ſecundum ſpiritum Ioannis Eleemoſynarii Patriarchæ Alexandrini, tradit Leontius in Vita [a] ipſius Ioannis. Cum vero paulo poſt eadem deceſſiſſet Imperatrix, eius pompam funeris puella quædam barbara proſpectans per feneſtram, ſputum imprudens in feretrum deiecit; quæ mox comprehenſa & cremata, Auguſtæ infeliciter parentauit; vt habetur in Annalibus ex Theophane.

HERACL. IVN. NASCITVR. AVGVSTA MORITVR. a ap. Sur. 23. Ianuar.

II. DE S. AVSTREGISILO EPISC. BITVRIC.

Quod pertinet ad res Occidentalis Eccleſiæ; remanſerunt illæ ſcriptorum inopia prorſus obſcuræ: niſi quod Eccleſia Gallicana vita & obitu ſanctiſſimi atque mirifici Præſulis Bituricenſis *Auſtregiſili* claruit: de quo erroris arguas eum qui in annum ſexcenteſimum vigeſimum ſeptimum eius obitum refert, cum conſtet ante Theodoricū Francorum Regem eſſe defunctum, qui poſt triennium ex hac vita migrauit. Extant [b] vero mirabiles eius res geſtę quam fideliſſime conſcriptæ; ex quibus apparet eum deceſſiſſe paulo poſt quam ingenti prorſus animo reſtitiſſet Guarnerio homini ſæuiſſimo, tumidiſſimo, & auariſſimo, quem Rex Theodoricus miſiſſet ad vrbem Bituricenſem ad exigendas pecunias inſuetas. Sub cuius ſucceſſore S. Sulpitio idem Guarnerius inuito Præſule quod cupierat perficiens, ſenſit continuo diuinam vindictam, cum exonerandum ventrem ſecedens inteſtina omnia emiſit: ex quo tempore nemo auſus fuit regiorum miniſtrorum ab ea vrbe illam pecuniam extorquere. Hæc pluribus idem auctor; qui & alia ſubiicit admiranda de S. Auſtregiſilo aduerſus rerum Eccleſiaſticarum inuaſores.

b ap. Sur. 20. Mai.

HERACLII AN. 3.

IESV CHRISTI AN. 612.

BONIFACII IV. AN. 6.

I.

ANno Domini ſexcenteſimo duodecimo, Indictione decimaquinta, ceſſantibus Perſis iam victoriis exatiatis, inuadentes Syriam Saraceni ferro igneque cuncta miſcuerunt; cum interea Heraclius Imp. *Epiphaniam* filiam ſuam anni huius exordio, vergente vero ipſo ad finem HERACLIVM filium ſuum, eumdemq; Conſtantinum cognominatum, Auguſtos nuncupauit, ac per Patriarcham coronari fecit. Hæc ex Theophane.

II. S. COLVMBANI EXILIVM, ET RES INDE GESTÆ.

Quod ad res Francorum pertinet; hic ille eſt annus, quo S. *Columbanus* probatiſſimæ ſanctitatis Abbas (qui iam ante viginti annos ex Hibernia patrio ſolo in Gallias venerat, ac Luxouienſe in Burgundia monaſterium erexerat) Reginæ Brunichildis opera ex eodem ſuo monaſterio eiectus, in exilium pulſus eſt. Cum enim Rex Theodoricus qui Burgundiæ imperabat, familiariſſimus factus Columbano, ab eoque ſæpius redargutus de probroſa vita quam in adulteriis tranſigeret, deliberaſſet tandem concubinis derelictis legitimam ſibi ſumere coniugem, verita eadem Brunichildis eius auia, ne ſic ipſa regni adminiſtratione exueretur quæ tranſitura eſſet in vxorem Theodorici, omnem mouens lapidem effecit vt & Rex ſolitis miſceretur adulteriis, & Columbanus expelleretur. Quo tempore idem Sanctus, cum in exilium duceretur, atque Clotarii filii Chilperici, & Theodoberti fratris Theodorici regna pertranſiret, ab eiſque honorificentiſſime reciperetur, vaticinatus eſt fore vt Theodoricus intra triennium regno priuaretur, & monarchiam totius Galliæ Clotarius obtineret: quod & poſtea (vt dicetur) euenit. Aliquamdiu vero apud Moguntiam commoratus, Sueuorum partem ab idolorum cultu ad veram Chriſti fidem conuertit. Quæ omnia fuſius deſcripta habentur à Iona (non Beda, vt errore aliqui putant) qui his temporibus vixit, vitamque eiuſdem Columbani fideliſſime conſcripſit [a]; innumera recens miracula ab eodem Sancto his aliiſq; occaſionibus edita.

a Ext. ap. Bed. & ap. Sur. 21. Nouem.

III.

Quo eodem anno *Deſiderius* Viennenſis Epiſcopus, ac paulo poſt *Delphinus* Epiſcopus Lugdunenſis, eiuſdem impiæ Brunichildis opera (vt idem auctor, aliique [b] tradunt) crudeli morte peremptī martyrium conſecuti ſunt. Riſimus autem recentiorem auctorem, qui conatus eſt eandem Brunichildem excuſare, quæ ab omnibus hiſtoricis huius temporis ſacrilega, ſanguinaria, & vbique nefaria conclamatur. Licet enim eam aliquando S. Gregorius Papa ſuis epiſtolis laudaſſe reperiatur; non tamen Gregorii laudes ignota crimina, aut poſtea commiſſa purgant.

b Bed. 5. hiſt. 10. Mart. Rom. Ado. &c.

BRVNICHILDIS FRANC. SCELESTISSIMA.

HERACLII AN. 4.

IESV CHRISTI AN. 613.

BONIF. IV. AN. 7.

I. ANno Chriſti ſexcenteſimo decimotertio Indictionis primæ, Heracli Aug. quarto, Perſæ conſueta irruptione Imperium affligantes, Damaſcum [a] ceperunt, & captiuum duxerunt populum. Quo tempore Heraclius Legatos ad Coſthoen ipſorum Regem pro pace mittẽs, promiſit ei tributum annuum ſoluere; ſed deſpexit Coſrhoes, quod iam in magnam ſpem veniſſet totius potiundi Imperii. Eodemq; anno idem Heraclius, defuncta iam ante vxore, inceſtuoſas nuptias contrahens, neptẽ ſuam *Martinam* in matrimonium duxit, Auguſtamq; nominauit, coronatã à Sergio Cõſtantinopolitano Epiſcopo: ſed deteſtandum id facinus graui vindicta à Deo punitum eſſe, docent Zonaras, Cedrenus, atque alii, dum turpia atque nefanda quæ inde paſſus eſt Heraclius referunt.

a Theoph. l. 18.

HERACLII INCESTVOSVM CONIVGIVM.

II. Hic idem eſt annus, quo Theodobertus Francorum Rex prælio victus à Theodorico fratre (inter quos lis erat exorta de regnorum limitibus) & ſuorum proditione captus, ductuſque ad Brunichildem auiam quæ Theodorico fauebat; eiuſdem ſuaſu clericus ordinatus eſt, & non multos poſt dies impie nimis occiſus. Hęc Ionas ſui tẽporis ſcriptor in Rebus [b] geſtis S. Columbani, qui ea omnia ante prædixerat. At recentiores qui proſecuti ſunt res Frãcorum, de Theodoberti clericatu nihil: addunt autem Brunichildem ſæuientem in filios Theodoberti, eos omnes neci tradidiſſe. ſicque periit cum progenie ſua Theodobertus anno regni ſui decimoſeptimo; cum & ipſe eo anno coniugem ſuam occidiſſet.

b ap. Sur. 21. Nouemb.

III. Accidit præterea vt hoc Redemptoris anno, die vigeſima quarta menſis Februarii, primus Rex Anglorũ Chriſtianus Edilberthus ex hac vita tranſiret, cum regnaſſet annos quinquaginta ſex. Cuius filius ac regni ſucceſſor Eadualdus, qui Paganus perdurauerat, eiq; impietati aliud ſcelus recẽs addiderat, vt vxorem patris haberet; occaſionem dedit ad priorem vomitum reuertendi, iis qui ſub imperio ſui parentis vel fauore vel timore fidei & caſtimoniæ iura ſuſceperant. Vnde & diuina vindicta meruit crebram mentis veſaniam, & ſpiritus immundi inuaſionem pati. Quo etiam tempore cum pariter Saberethus Rex Orientalium Saxonum, nepos Edilberthi Chriſtianus deceſſiſſet, eiuſque filii Paganiſmum colerent; hinc orta aduerſus Chriſtianos perſecutione, coacti fuere Iuſtus Roffenſis ac Mellitus Londinenſis Epiſcopi, in partes Galliæ ad tẽpus ſecedere. Quæ omnia pluribus Beda, [c] Sed quod hunc annum conſignat obitus Edilberthi, ex eodem in epitome reponendus eſſet anno Chriſti ſexcenteſimo decimoſexto, vel etiam decimooctauo.

ECCL. ANGLIC. PERSECVTIONEM PATITVR.

c Bed. 2. hiſt. Angl. 5.

HERACLII AN. 5.

IESV CHRISTI AN. 614.

BONIF. IV. VLT.

I. ANno Chriſti ſexcenteſimo decimoquarto, Indictione ſecunda, octaua Maii (quidam habent vigeſima quinta) *Bonifacius* Papa diem obiit, cum ſediſſet annos ſex menſes octo dies tredecim ſepultuſque eſt in baſilica S. Petri. Cumque poſt obitum ſedes vacaſſet menſes quinque & dies duodecim. DEVSDEDIT Romanus, filius Stephani Subdiaconi, creatus eſt Pontifex die decimatertia Nouembris. Hæc ex Anaſtaſio.

BONIF. PP. IV. OBIT.

DEVSDED. CREATVR.

II. Quo pariter anno, cum Laurentius Dorouernenſis Metropolitanus, qui adhuc in Anglia remanſerat, & ipſe illinc recedere deliberaſſet; nocte quadã à S. Petro ob id correptus, & acriter flagellatus, mane facto Regẽ audiens, remque ennarans plagas oſtendit: quibus Rex perterritus confeſtim præter ſpem omnẽ abdicata idololatria ac connubio illegitimo, Chriſtianam fidem pietatemq; amplexus eſt, & Epiſcopos qui in Galliam receſſerant reuocauit. Hæc Beda [d].

LAVRENT. EPISC. FLAGELLATVS A S. PETR.

d Bed. hiſt. Angl. lib. 2. ca. 6.

III. Hoc idem anno adfuit tempus trıennii, vt Columbani vaticinium impleretur de morte Theodorici Francorum Regis, ac Clotarii monarchia. Nam & cum vno dũtaxat anno Theodoricum fratri Theodoberto ſuperuixiſſe maiores tradant, vtique hoc anno ipſum mortuum eſſe dicendum eſt. Porro eumdem diuinitus fulmine ictũ interiiſſe, Ionas [b] Abbas ſui temporis hiſtoriam ſcribens teſtari videtur. Sed veneno necatum dolo impiæ Brunichildis ipſius auiæ, ob inimicitias poſt obitum Theodoberti ortas, teſtatur Aimoinus [c]: qui nihilominus refert & aliorum ſententiam, dicentium eum ex hac vita ereptũ dyſenteriæ morbo, decimooctauo regni ſui anno. Poſt eum vero Brunichildis filium eius illegitimũ Sigebertum in regnum ſuffecit. Cuius regni exordio VValfridus Strabo, magni nominis ſuæ ætatis auctor, in Rebus [d] geſtis S. Galli Abbatis accidiſſe ait, vt *Fridiburga* virgo Gunzonis Ducis filia, ipſiuſque Sigeberti Regis ſponſa, eodem die quo nuptiæ celebrari deberent, omnibus inſciis, depoſitis regalibus veſtimentis ſacrum ſumpſerit velamen, cui ex voto ſe obligarat cum à dæmonis vexationibus per S. Gallum nuper liberata eſſet. Quam piam eius deliberationem pius Rex, licet illam ſumme deamaret, approbans donis illam ingentibus honorauit, præfecitque monaſterio ancillarum Dei, quod in honorem B. Petri Apoſtoli conſtructum erat in ciuitate Metenſi; vbi hæc geſta ſunt.

b Ion. in Vit. S. Columb. & 26. ap. Sur. 21. Nouemb.

c Aimoin. l. 4. cap. 100.

d ap. Sur. 16. Oct. ca. 21.

FRIDIBVRGÆ VIRG. DIGNVM FACINVS.

IV. Cum igitur ex his pium Sigeberti animum colligere poſſis, obfuit tamen ei impietas proauiæ Brunichildis, ac deteſtabilis memoria parentis: quotquot enim aduerſus eos odium conceperant, in Sigebertum illud penitus conuerterunt. Itaque Rex Clotarius ad quem iure deferebatur ſucceſſio regni Theodorici, q̃ ille nullos reliquiſſet filios legitimos, collecto exercitu aduerſus eumdem Sigebertum progrediens, ipſum prælio victũ, captumq; peremit: ſed & quinque fratres eius, Theodorici filios nothos, vna cum ipſa Brunichilde capiẽs, eoſdem ſeparatim interfici iuſſit; Brunichildẽ vero primo per contemptum ſuper camelo circumductam, poſtea cũctis aduerſus eam conclamantibus, crinibus ac brachiis caudæ indomiti equi alligatam; miſerrimo ſupplicio vitam finire coegit. Hæc breuiter Ionas; fuſi [e] Aimoinus [e], & alii, recenſentes cuncta feminæ improbæ ſcelera, cuius opera & conſilio decem Reges extinctos tradunt. Quam quidem tamdiu tolerauit Deus, vſque dum in ſeruos ſuos non eſt furens debacchata.

BRVNICHILDIS REG. INFELIX EXITVS.

e Aimo. lib. 4. cap. 1.

V. Igitur Brunichilde vna cum ſpuria Regum prole è medio ſublata, Clotarius monarchiam totius Galliæ, ſecundum quod S. Columbanus prædixerat, eſt conſecutus. Qui memor viri ſanctiſſimi, legationem ad eum miſit, qua eum ex Italia, in quam ſe prope Mediolanum receperat, erecto monaſterio Bobienſe, reuocaret in Gallias ad locum ex quo eiectus fuerat: verum id perſuadere minime potuit, quod ſciret Columbanus iam imminere ſui corporis diſſolutionem; quæ ſequenti anno accidit nono Calendas Septembris. Interea tamen ſcripſit ad Regem litteras commonitorias, quibus eum intra limites bene inſtitutæ vitæ contineret: quod & diligẽter Rex ſecutus eſt. Habet hæc Ionas in fine Rerum geſtarum eiuſdem Columbani. De Rege vero Clotario illud habetur [f] expreſſum, fuiſſe literis eruditum, miſericordem, Eccleſiarum vtilitatis ſtudioſum, ſeruorumque Dei ac ſacerdotum amatorem, quorum cultu ſciret conciliare ſibi Deum.

CLOTARIVS SOLVS REGNAT IN GALLIA.

f Aimoin. lib. 4. ca. 16. & alii.

VI. Inter alios autem plures ſanctiſſimos viros, qui diebus his floruerunt in Galliis, quorumque opera frequentius Clotarius vſus eſt, S. *Arnulphus* extitit Metenſis Epiſcopus (cuius res geſtas idem Ionas deſcripſit) vitæ moribus & miraculis clarus; cui & filium ſuum Dagobertum Rex inſtituendum tradidit: necnon S. *Lupus* Epiſcopus Senonenſis; quem poſtea cum ex ſubdola malignantium verſutia (vt ait Aimoinus [g], & vt fuſius tradunt [h] eiuſdem ſancti viri Actu) Clotarius Rex in exilium miſiſſet; idem paulo poſt reuocatus ab eodem Rege veniam flexis genibus petente ſummo honore exceptus eſt, ac ſuæ ſedi reſtitutus. Ceterum cum in eiuſdem S. Lupi Actis fiat mentio

DE SS. ARNVLPHO METEN. ET LVPO SENON.

g Ibid. h ap. Sur. 1. Sept.

CAMPANARVM VSVS FREQVENS IN OCCID.

prægrandis tintinnabuli, ſiue campanæ, quæ in Eccleſia Senonenſi erat ad conuocandum populum; ſatis declaratur, iam hoc tempore in vſu frequenti eas fuiſſe in Occidente receptas. In Oriente autem adhuc conſuetudo illa perſeuerabat, pulſandi ligna.

VII.

Hic item annus Siſebuti regnantis in Hiſpaniis quartus numerandus erit, ſecundum Iſidori Chronicon, dum vno amplius anno Heraclium præcedere Siſebutum in regno affirmat: qui & in præfatione tradit, ſe vſque ad Heraclii & Siſebuti tempora ipſum Chronicon perduxiſſe. Cuius poſtremo loco ponit eumdem Siſebutum Iudæos regni ſui ad Chriſti fidem conuertiſſe: ſed violentia quidem adhibita, vt docet id improbās canon quinquageſimus ſeptimus Quarti Toletani Concilii, necnon Tudenſis in Chronico, qui tamen hæc geſta refert in ipſum Siſebuti regni principium. Porro extat [i] lex de his ab eo data, qua ſanxit vt omnes regni ſui Iudæi qui intra annum baptizari noluiſſent, cētum flagella decaluati ſuſciperent, & exilio mulctarentur, facultatibus eorum fiſco delatis. Aitq; Ado Viennenſis, Iudæorum qui baptizari renuerunt nonnullos fuga lapſos migraſſe in Gallias: nonaginta vero millia tunc baptizata fuiſſe, alii [k] tradunt. Hoc autem ipſum factitatum poſtea in Galliis fuiſſe ſub Dagoberto Rege Clotarii filio, hortante Heraclio Imperatore, hiſtorici [l], qui Francorum res ſunt proſecuti confirmant: idemque obſeruatum ab ipſo Heraclio Hieroſolymis, Theophanes eſt auctor, & ex eiuſdē conſtitutionibus [m] liquet; ad hoc videlicet impulſo, tum ob graſſationem Iudæorum in Chriſtianis ibidem Hieroſolymis factam; tum etiam quod [n] per aſtrologiam, in qua apprime fuit eruditus, cognouiſſet à circumciſis gentibus Imperium eſſe vaſtandum. Sed quos ipſe putauit futuros Iudæos Imperii vaſtatores, fuerunt ii Saraceni, iidemque Hebræorum inſtar circumciſi; de quibus poſtea agendum.

IVDÆI VBIQVE IVSSI BAPTIZARI INVITI.

i Leg. Wiſigoth. lib. 12. tit. 3 l 3.

k Aimoin 4. hiſt. Fran. 21.

l Aim. ibid & append. ad Gre. Tur. m Ius Orient. l. 1.

n Append. ad Greg. Turon.

VIII. HIEROSOLYMA CAPTA A PERSIS.

Interea hoc ipſo anno quinto eiuſdem Imperatoris, à Coſrhoe Perſarum Rege Syrias deuaſtante ſacroſancta Hieroſolymorum ciuitas capta eſt, loca ſancta dirupta atque combuſta; & qui in eadem ciuitate erant Chriſtiani, Iudæis vili pretio venundati, ab iis poſt innumera tormēta dire admodum trucidati ſunt: Zacharias vero Patriarcha. vna cum ſanctiſſimo Ligno S. Crucis, aliaque multa præda, in Perſidem abductus eſt. Hæc Theophanes [o]: qui ait numerum occiſorum à Iudæis Chriſtianorum fuiſſe nonaginta millium. Si quæ autem in tanta vaſtitate inueniri potuit conſolatio, ſubminiſtrata eſt ea quidem à magno illo Alexandrino Patriarcha Ioanne Eleemoſynario, qui fugientes Alexandriam magiſtratus, priuatos, Epiſcopos, clericos. ſuſcepit, aluitque: reliquias vero eorum qui remanſerant ex captiuitate, per ſuos viſitauit, rebuſque neceſſariis recreauit, atque etiam captiuos redimere curauit: vt hæc omnia tradit in eius Vita Leontius.

o Theoph. Miſcel. l. 18

IX. ANTIOCHI MONACHI HOMILIÆ.

Sed & *Antiochus* monachus Palæſtinus Abbas Lauræ Sabæ, vitæ ſanctitate mirificus, & doctrina celebris, ſparſim eiuſmodi Hieroſolymitanam cladem, ac S. Crucis captiuitatem in ſuis homiliis deploraſſe reperitur, quas his iiſdem temporibus numero centum vndetriginta [p] compoſuit, vt ſuis prodeſſet monachis non valentibus loco vno conſiſtere, ſed ob barbarorum graſſationes huc atque illuc diuagantibus, ac per loca deſerta ſalutem ſibi quærentibus: vt ſcilicet illi in tanta penuria verbi Dei, haberēt vnde conſolationem acciperent ſpiritualem, atq; in monaſticæ vitæ inſtitutis confirmarentur. Hoc enim fuiſſe animi eius conſilium, declarat ipſe in præfatione ad Euſtathium Abbatem, cuius rogatu ea cōſcripſit: vbi & martyrium enarrat quadraginta quatuor ſanctiſſimorum monachorum, quos ante octo dies quam caperetur Hieroſolyma, Iſmaelitæ ſiue Saraceni in monaſterio ipſius Antiochi crudeliter membratim conciderunt: quorum etiam diem natalem celebrat Eccleſia Catholica decimaſexta menſis Maii. Addit & de miſerando caſu monachi Sinaitæ, qui variis diaboli illuſionibus & inſomniis deceptus, in Iudaiſmum delapſus eſt, & vxorem accepit; ſed tandem vermibus arroſus expirauit. Porro Saracenos vbique graſſari conſueuiſſe in monaſteria, ſunt tiam alibi quamplurima

p Ext. To. 2. Bibl. SS. Pat

MONACHI APOSTATÆ MISERANDVS EXITVS.

teſtimonia. Illud vero omni memoria dignum, quod ex S. Anaſtaſio Sinaita S. Ioannes Damaſcenus [q] exſcripſit; cum ante aliquot annos prope Damaſcum ingreſſis Saracenis templum S. Theodori, vnoque eorum ſagittam in eiuſdem Sancti Imaginem emittente, continuo ſanguis è loco vulneris defluxit; ipſique Saraceni, cum impœnitentes perſeuerarent, omnes intra paucos dies acerbo morbo deleti ſunt.

q Damaſc. or. 3. de Imag.

SANGVIS EX IMAGINE MARTYRIS.

X. S. CRVX CAPTA TERROREM PERSIS AFFERT.

Sed vt ad Coſrhoen reuertamur; plane admiratione dignum illud fuit, impium hominem adeo eſſe reueritum Crucem ſanctam, vt ne auſus fuerit ab ipſa theca qua operiebatur ſignaculum amouēre vt vel eam inſpiceret; ſed timore perculſus, vt in ſacroſancto templi loco aſſeruabatur obſignata, ita in Perſidem voluerit transferre; quo demum prorſus modo omnino intacta Hieroſolymam reportata fuit cum ſigillo integro. Tradit enim iſta Suidas in Heraclio: quibus conſentaneum eſt quod dicitur apud Adonem [r] in Martyrologio, eamdem Crucem ſanctam ſummo honore in Perſide fuiſſe aſſeruatam. Immo & timorem ingentem Perſis incuſſiſſe, quod iactaretur ab ipſis Deum Chriſtianorum in eam prouinciam aduenisſe, teſtantur Acta [s] ſanctiſſimi martyris Anaſtaſii Perſæ; qui eiuſmodi tunc terrore Perſarum commotus, de religione Chriſtiana ſciſcitari cœpit, quam & magno poſtea ardore (vt videbitur) ſuſcepit, conſummauitque.

r Ado in Martyrol. 14. Sept.

s ap. Sur. 22. Ianuar.

IESV CHRISTI AN. 615.

HERACLII AN. 6.

DEVSDEDIT AN. 1.

I.

ANNO Chriſti ſexcenteſimo decimoquinto, Indictione tertia, nullo reſiſtente Coſrhoes inuaſit Ægyptum, excurrenſque Lybiam Carthaginem fruſtra tentauit: quamplurimis vero captiuis abductis, onuſtus præda reuerſus eſt in Perſidem. Hæc Annales [a] Græcorum: de quibus fit etiam mentio apud Leontium [b] in Vita Ioannis Eleemoſynarii Epiſcopi Alexandrini, occaſione egregii ipſius facti, quo accidit vt cum ingenti fame Ægyptum vexante idem Ioannes præter vniuerſos Eccleſiæ theſauros, etiam mille auri libras mutuo acceptas expendiſſet in ſubuentionem egenorum qui Perſas fugientes aduenisſent Alexandriam, nec iam quod amplius erogaret haberet; quidam prædiues clericus qui ſecundas nuptias contraxerat, eidem in has angaſtias redacto obtulerit multa millia frumenti, & auri centum quinquaginta libras, vt ipſum ordinaret diaconum; ille vero eiuſmodi ſimoniacum cum ſua pecunia omnino reiecerit. Vixque eum remiſerat, cum ipſi nunciatum eſt aliquot naues Eccleſiæ in portum appuliſſe, ferentes ex Sicilia multa frumenti millia, quibus ipſe populum pauit. His autem plane oſtēſum eſt, quanta ſuadeat mala prudentia carnis, cum in Deum peccare conſulit potius, quam de eius prouidentia ſpem concipere: quo fit vt res Eccleſię quotidie in deterius prolabantur.

a Theoph. l. 18. Cedr. in Comp. an. 6 Heracl. b ap. Sur. 23 Ianuar.

PRVDENTIA CARNIS ADVERSATRIX ECCLESIÆ.

II. TYRANNI IN ITALIA.

Accidit autem ad mala quibus Romanum Imperium adeo eſſet in Oriente labefactatum, vt etiam in Occidente quod reſiduum erat nutare cœperit, rebellante in Italia *Ioanne* cognomento Compſino Præfecto vrbis Neapolitanæ, qui cæſo Ioanne Exarcho tyrannidem arripuit. Cuius regni gratia miſſus ab Heraclio Imperatore *Eleutherius* Exarchus, Ioannis Exarchi cædē vlciſcens, Compſinum bello captum peremit: ſed tamen & ipſe poſtea in tyrannum erupit. Habet hæc paucis Anaſtaſius in Rebus geſtis Deuſdedit Romani Pontificis, & ſucceſſoribus eius Bonifacii Quinti. Quo etiam auctore conſtat, fuiſſe inſuper hunc annum Italiæ infauſtum ob terræmotus vehementiſſimos, & quæ ſubſecuta eſt, luem elephantiæ. Tuncque accidit, vt cum [c] afflictatæ Vrbi proſpiceret ipſe ſanctiſſimus Pontifex Deuſdedit, præſenſque viſitaret ægrotos, miſeratione commotus vnum ex illis exoſculatus, diuino miraculo ab eodem morbo reddiderit mundum.

c Martyrol. Rom. 8. Nouemb.

DEVSDED. PP. OSCVLO SANAT LEPROSVM.

HERACLII AN. 7.

IESV CHRISTI AN. 616.

DEVSDEDIT AN. 2.

I. ANno Chriſti ſexcenteſimo decimo ſexto, Indictione quarta, mortuus eſt Agilulphus Longobardorum Rex, vbi regnaſſet [a] annos viginti quinque: cui ſucceſſit maior natu filius Adalvvaldus ſub tutela Reginæ matris Theodolindæ: ſub quibus Eccleſiæ reſtauratæ, ſunt, & multæ donationes locis ſanctis factæ. Sed famoſiſſima illa fuit, quam exhibuerunt baſilicæ in honorem S. Ioannis Baptiſtæ ab iiſdem in Modoetia erectæ, qui locus duodecim diſtat millibus à Mediolanenſi ciuitate: à quo tempore (ait Paulus [b] diaconus hæc narrans) Longobardi in omnibus actibus ſuis tam bellicis quam ciuilibus, cœperunt inuocare S. Ioannem, vt illis præberet auxilium virtute Domini noſtri IESV CHRISTI.

[a] Paul. diac. lib. 4. c. 15.

LONGOB. INVOCANT S. IO. BAP.

[b] Ibid. c. 22.

II. Hoc item anno tradunt Annales [c] Græcorum eo vſq; progreſſos eſſe Perſas, vt per Libyam venerint Carthaginem, eamque obſeſſam diu tandem ceperint: cum inter tot tantaque Orbis flagella, Heraclius Imperator ſtupiditate quadam oppreſſus, omiſſa omni de bellicis rebus cura, ad ſuos filios honoribus prouehendos incumberet. Hoc ſiquidem anno creauit Conſulem *Conſtantinum* Iuniorem, qui & Heraclius dictus eſt; inſuper & minorem eius fratrem ex Martina genitum, *Conſtantinum* itidem nominatum, Cæſarem dixit.

[c] Theoph. lib. 18.

III. Quod vero Eccleſia Hieroſolymitana, abducto in Perſidem Zacharia Patriarcha, abſque paſtore relicta eſſet, iniuncta eſt eius adminiſtratio *Modeſto* Abbati: qui licet nondum Epiſcopus (viuebat enim adhuc Zacharias; nec licebat vnius Eccleſiæ Epiſcopos eſſe duos) loco tamen Epiſcopi magno animi ardore non ea tantum quæ ad curam animarum, quietemque monachorum extorrium ſpectare videbantur pertractauit; ſed etiam in reſtituendis igne conſumptis Eccleſiis alterum ſe Zorobabelem exhibuit: cuius rei locuples teſtis eſt Antiochus monachus in præfatione ad homilias ſuas, de quibus dictum eſt ſuperius.

MODESTVS ABBAS CVRAT ECCL. HIEROS.

HERACLII AN. 8.

IESV CHRISTI AN. 617.

DEVSDEDIT AN. 3.

I. ANno Domini ſexcenteſimo decimo ſeptimo, Indictione quinta, S. *Deuſdedit* Papa (ſecūdum Anaſt. rationē. atq; tabulas Eccleſiaſticas) ad cœlum migrauit ſexto Idus Nouembris, vbi ſediſſet annos tres, minus diebus quinque; ſepultuſque eſt in baſilica S. Petri. Extat eius ſcriptorum tantummodo fragmentum apud Gratianum [d], vnius epiſtolæ ad Cordianum quemdam in Hiſpania Epiſcopum ſcriptę, de viris ac mulieribus qui proprios liberos ſuſcepiſſent ex lauacro ſancto; quos idem Pontifex ex prædeceſſorum ſententia omnino iuſſit à carnali copula abſtinere. Adduntur ab aliis alia, nempe reſtituendam eſſe dotem, liberam facultatem nubendi conceſſam poſt annum: ſed neutrum habet Gratianus. Ceterum cum poſt mortem Deuſdedit ſedes vacaſſet menſem vnum & dies ſexdecim (ſiue, vt alii codices Anaſtaſii habent, dies ſex) in eius locum ſubrogatus eſt BONIFACIVS eius nominis Quintus, patria Neapolitanus, die decimaquarta, vel ſecundum alios vigeſima quarta Decembris. Ante tempus autem ipſius ordinationis (inquit Anaſtaſius) Eleutherius Exarchus, cum tyrannide ſumpta Rex Italiæ dici voluiſſet, venturus Romam è militibus Rauennatibus in via occiſus eſt, caputque eius miſſum Conſtantinopolim ad Imperatorem.

DEVSD. PP. OBIT.

[d] 30. q. 1. per nouatad nos.

DE SPIRIT. COGNATIONE DECRETVM.

BONIF. PP. V. CREATVR.

II. Quo tempore monachus quidam Luxbuienſis in Burgundia monaſterii (in cuius regimine S. Columbano ſanctus item Euſtaſius ipſius diſcipulus ſucceſſerat) nomine *Agreſtinus*, qui quondam Theodorici Francorum Regis Notarius fuerat; ſub prætextu fidem gentibus prædicandi, nonnullas abſque vllo fructu peragrās regiones, cum Aquileiam perueniſſet, illic Aquileienſium imbutus ſchiſmate (quo ob Tria Capitula ab Eccleſia Catholica ſeiuncti adhuc erant) in Gallias rediens; alios ſecum præcipites in ruinam abducere tentauit; ſed fruſtra; cunctis videlicet communioni Catholicæ & Apoſtolicæ ſedis (vt decet gentem Chriſtianiſſimam) inhærentibus. Quare ab hoc conatu deſiſtens, aliudque certamen ſuſcipiens, nempe aduerſus monaſtica inſtituta à S. Columbano ſuis relicta, de variis ea defectibus leuiter nimis incuſare cœpit, traxitque ſeditioſus homo ad ſuas partes nonnullos Epiſcopos: vſque adeo ad has turbas comprimendas, Clotario Francorum Regi opus fuerit dare operam vt cogeretur *Matiſcone* CONCILIVM. In quo idem Agreſtinus ab Euſtaſio Abbate valide confutatus; & quod nimis refractarium ſe oſtenderet, ab eodem ad diuinum iudicium, intra annum, cauſam cum S. Columbano dicturus, citatus; demum Epiſcopis Catholicis cogentibus conuerſionem ſimulans ad breue tempus quieuit. Sed paulo poſt iterum monaſteria tentans, multos ſeduxit, aduerſus quos Dei vindicta ſe variis punitionibus exeruit: donec tandem ipſe & Agreſtinus in pertinacia ſua permanens, vt Euſtaſii ad diuinum iudicium citatio præualeret, triginta diebus ante finem vertentis anni à ſeruo ſuo (cuius vxore abuti dicebatur) ſecuri percuſſus interiit. Sicque ceſſauit eiuſmodi ſchiſma, cunctis ipſius fautoribus ad ſaniorem mentem reuerſis. Quæ quidem omnia exacte proſecutus eſt Ionas Abbas huius temporis ſcriptor, in Vita [b] eiuſdem S. Euſtaſii.

DE AGRESTINO MONACHO SCHISMATICO.

CONCIL. MATISC. IN EIVS CAVSA.

[b] Ext. ap. Bed.

III. Quod pertinet ad res Orientales; cum nullam ſibi adeſſe vim reſiſtendi Perſis Heraclius Imperator ſentiret, nouam ad Coſrhoen Regem legationem miſit, qua pacē quibuſuis iniquis conditionibus expoſceret. Sed truculentus barbarus, quem olim vidimus exortem regni, viribus Chriſtiani Romani Imperii reſtitutum; horum immemor, illam pacis conditionem præſcribere non erubuit, vt ipſe Romanus Imperator cum ſuis omnibus Chriſtum abnegaret, & Solis quem Perſæ adorarent cultor fieret. Referunt hæc annales [c] hoc anno. At reſpexit tandem, ſero licet, Deus Chriſtianorum talem Ethnici Regis arrogantiam, eumque dedit in opprobrium gentibus, vt ſuo loco dicetur.

COSRHOES REPELLIT LEGATIONEM HERACL.

[c] Theoph. lib. 18.

HERACLII AN. 9.

IESV CHRISTI AN. 618.

BONIF. V. AN. 1.

I. ANno Chriſti ſexcenteſimo decimo-octauo, Indictione ſexta, Chaianus Rex, Auarum [a] ſub pacis nomine decipiens Heraclium Imperatorem, ſuburbiā ciuitatis Conſtantinopolitanæ eſt deprædatus. Eodemque anno ſui Imperii nono, octauo Calendas Maias, idem Heraclius, exigente Sergio Patriarcha, pragmaticam [b] ſanctionem edidit, qua confirmauit decretum ab eodem Sergio factum, ne quis cooptaretur in clerum: niſi in defuncti locum ſubrogaretur: nempe quod accideret vt procerum fauore tot homines ſeſe intruderent in eam Eccleſiam, vt reditus ad alendos omnes non ſuppeterent.

[a] Theoph. Cedren.

[b] Nouel. Impp. lib. 2. Nouel. 4.

HERACLII SANCTIO DE CLER. ECCL. CONST.

HERACLII AN. 10.

IESV CHRISTI AN. 619.

BONIF. V. AN. 2.

I. ANno Chriſti ſexcenteſimo decimo nono, Indictionis ſeptimæ, quo & ſecundum Iſidori Chronicon nonus numeratur Siſebuti Hiſpaniæ Regis, & Era ſexcenteſima quinquageſima ſeptima, Idibus Nouembris celebrata reperitur in Hiſpania SYNODVS HISPALENSIS octo Epiſcoporum, quibus præfuit S. *Iſidorus*, eius ciuitatis Antiſtes. Ab iis vero controuerſiæ plures diuerſarum Eccleſiarum per tredecim ſunt deciſæ Actiones. In quibus obiter illud notamus, improbari [a] miniſtros Epiſcoporū, quibus in rebus & Iudiciis Eccleſiaſticis vtūtur, eſſe laicos: itemque vetari [b] monachis omnem conſuetudinē

CONCIL. HISPAL.

[a] Conc. Hiſp. act. 9.

[b] Ib. Act. 11.

cum

Digitized by Google

cum Deo dicatis virginibus. Sed & in eadem Synodo,[c] ad rectam fidem conuerſus eſt quidam Epiſcopus Acephalorum natione Syrus; aduerſus cuiuſmodi ſectam vltimus canon editus eſt.

c Act. 12.

II. Porro ipſe Rex Siſebutus hoc eodem anno ſui regni nono defunctus eſt: quem Lucas[d] Tudenſis affirmat non ſolum fuiſſe ſcientiis eruditum, & in bello manu potentem, ſed & moribus ſanctum; adeoque inter cetera clementem, vt poſt victorias adeptas hoſtes à militibus ſuis captos, & in ſeruitutem redactos, pretio illorum dominis dato liberos dimitteret. Succeſſorem reliquit Reccaredum paruulum filium; qui ab obitu patris poſt ſex menſes itidem mortuus eſt: eique ſucceſſit Suinthilla anno ſequenti; qui pulſis iis qui nomine Imperatoris aliquas tenebant in Hiſpania ciuitates, ipſe ſolus monarchia potitus eſt Hiſpaniarum.

d Luc. Tu. derſ. in Chr.

SISEBVTI REG. VIRTVTES.

IESV CHRISTI AN. 620.

HERACLII AN. 11.

BONIF. V. AN. 3.

I. ANno Chriſti ſexcenteſimo vigeſimo, Indictione octaua, Heraclius Imperator inita pace cum Auarum Rege Chaiano, totus exiſtens in expeditione paranda aduerſus Perſas, cum pecunia militiæ neruo careret, nec ſæpe à Perſis ſpoliati ſubditi tributum pendere valerent, eo adactus eſt (quod habet Theophanes) vt ab Eccleſiis & religioſis domibus mutuo quam haberent acciperet, ſed & ſacra earumdem aurea argenteaque vaſa conflaret; quo poſſet militibus, pro templis ipſis, pro fide Chriſti, ac recuperatione ſanctiſſimæ Crucis creatoris ſtipendia ſoluere. Ad quod cum veniſſet Alexandriam ab Imperatore exactor miſſus Nicetas Patricius, dum pecunias Eccleſiæ, non quidem concedente, ſed nec omnino prohibente S. Ioanne Patriarcha, auferret, diuinitus aliæ quas Nicetæ Ioannes donaret ſuppeditatæ fuerunt, cum videlicet eodem momento allatæ ſunt ad ipſum plures mellis amphoræ, quæ omnes auro plenæ repertæ ſunt: quarum cum vnam miſiſſet ad Nicetam, iſte miraculum agnoſcens, non ſolum omnia quæ ſuſtulerat reſtituit, ſed & ipſam amphoram remiſit, ac de ſuo amplius libras auri trecentas addidit.

HERACL. ACCIPIT AVRVM ECCLE. AD BEL. PERS.

AVRVM DIVINITVS SVPPEDITATVM.

II. Cum vero & eundem optaret ad Heraclium ducere, quo percepta à tam mirifico viro benedictione Imperator ſecurior ad Perſicum bellum proficiſceretur; annuenteque ei Ioanne, iam vna perueniſſent in Rhodum inſulam, idem Sanctus reuelatione habita de proxima ſui corporis diſſolutione, Nicetæ permiſſu in inſulam Cyprum patriam ſuam diuertit, ibiq; pie admodum animam Deo reddidit die vigeſima tertia Ianuarii, qua memoria eius anniuerſario cultu ab vniuerſa Eccleſia Catholica recolitur. Inter autem miracula quæ poſt eius obitum ad ipſius ſacras reliquias edita ſunt, illud haud quidem leue, quod cum eſſent eæ deponendæ in capſa, vbi duo alii iam erant conditi Epiſcopi, viſa ſunt horum corpora cultum tribuere corpori Ioannis, atq; ab inuicem ſponte ſeiuncta ipſum medium inter ſe accipere. Habet hæc omnia pluribus Leontius[a] in eius Vita: vbi & teſtamentum ipſius recenſens, ait Deo gratias egiſſe, quod ex mundi bonis nihil aliud ſibi reliquum eſſet, niſi tertia pars nummi, quam & ipſam iuſſit dari pauperibus; cum tamen quando creatus eſſet Epiſcopus inueniſſet in theſauro Eccleſiæ Alexandrinæ octo millia librarum auri, atque ex oblationibus piorum collegiſſet denis millibus plures his pecunias, quas omnes in pauperes erogaſſet. In quibus mireris & diuitias eius temporis Eccleſiarum, & pietatem Fidelium ac liberalitatem tanti Patriarchæ; qui ideo merito & *Eleemoſynarius* dictus eſt, & meruit ſæpius à Deo extra ordinem magnas habere pecunias quas dare pauperibus poſſet. Porro eumdem vixiſſe in Epiſcopatu annos decem, Nicephorus ait, eique ſuffectum eſſe *Georgium*: quem putamus fuiſſe eiuſdem Ioannis conſobrinum, cuius in eius Actis Leontius meminit.

S. IOAN. ELEEMOS. OBITVS.

MIRACVLVM IN EIVS SEPVLTVRA.

a ap. Sur. 23. Ianuar.

IMMENSVM AVRVM ABEO EROGATVM IN PAVPERES.

IESV CHRISTI AN. 621.

HERACLII AN. 12.

BONIFACII V. AN. 4.

I. ANno Chriſti ſexcenteſimo vigeſimo primo Indictionis nonæ, Heraclii duodecimo, die quarta Aprilis, poſt celebratam ſolemnitatem Paſchalem mox ſecunda feria veſperi idem Heraclius Imperator exercitum mouens aduerſus Perſas: Conſtantinopoli nauem aſcendit, relicto in eadem vrbe Conſtantino filio: vna cum Sergio Patriarcha, & Bonoſo Patricio viro prudentiſſimo; eodemque per litteras commendato Regi Auarum Chaiano, cum quo pactus erat amicitiam. Manu vero tenens Imaginem Saluatoris Non-manu-factam, de qua ſæpe ſuperius actum, exercitum hortatus eſt ad fortiter pro Chriſto pugnandum, commonuitque ſectari iuſtitiam & pietatem; atq; eidem iurauit, ſe milites omnes loco filiorum habiturum, & vna cum illis vſque ad mortem ſtrenue certaturum. Hæc omnia ex Theophane. Præter quæ teſtis eſt etiam Cedrenus, eumdem Imperatorem antequam proficiſceretur magnam Eccleſiam ingreſſum, atratum calceos ante altare procumbentem, Deum oraſſe vt proſperam expeditionem ſuam redderet.

HERACLII PERSICA EXPEDITIO.

II. Prius autem quam iſta gererentur, cum Saes Dux Perſa deuaſtato Oriente cum magno exercitu Chalcedonem vſque veniens, Heraclium ſimulata pacificationis ſpe ad colloquium pertraxiſſet, receptis ab eo ſeptuaginta proceribus legatis ad Coſrhoen, eoſdem vinctos in Perſidem miſit. Cui tamen Coſrhoes quod Heraclium vidiſſet, neque retinuiſſet, cutem detrahi, legatos vero cuſtodiri ac male tractari iuſſit. In cuius locum alio miſſo aduerſus Romanos duce nomine Sarbaro, hunc Imperator, poſt peragratas Armeniæ Pontique regiones, ludificatis hoſtibus in Perſidem irruens, Imagine Chriſti præuia inter primos ipſe pugnans iuſto prælio vicit, eiuſq; exercitum penitus deleuit: ſuo vero hac victoria confirmato in Armeniam ad hiberna dimiſſo, ipſe Byzantium rediit. Hæc pluribus Annales[a].

HERACL. VINCIT PERSAS.

a Theoph. Cedr. Zona. & alii.

III. Ceterum aderat in primo illo Perſarum exercitu vna cum Sai militans *Anaſtaſius* nobilis Perſa, filius inſignis magi, ipſeq; eiuſdem artis magicæ ac præſtigiatoriæ peritiſſimus: qui hoc anno ſuos relinquens, amore ſuſcipiendi baptiſmatis, ſe contulit ad Romanorum exercitum, indeque Hierapolim; vbi apud argentarium degens genere Perſam, religione Chriſtianum, fidei rudimenta ſuſcepit; incenſus vero multo magis ad ſubeundum martyrium vbi in Eccleſiarum parietibus picta intuitus eſſet certamina Sanctorum, Hieroſolymam petens, à Modeſto curante illam Eccleſiam baptizatus eſt, mutato priori nomine Magum dat in Anaſtaſium; & poſtea ingrediens monaſterium S. Anaſtaſii, ſub Iuſtino ſanctiſſimo Abbate inſtitutis ſpiritualibus educatus eſt. Sed hæc pluribus eius Acta[b]; quæ quidem non à Metaphraſte ſcripta fuere, ſed deſcripta potius, & ante ipſum cognita probataque in S. poſteriori Nicæna Synodo; & à Latinis vt fide digniſſima recepta, atque emendata à Beda ſi quæ vitio tranſlatoris potuiſſent mendoſa videri.

ANAST. PERSA AD CHRISTIANOS TRANSIT.

b ap. Sur. 22. Ianuar.

IESV CHRISTI AN. 622.

HERACLII AN. 13.

BONIFACII V. AN. 5.

I. ANno Domini ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo Indictionis decimæ, Heraclii decimotertio, idem Imperator in Armeniam ad exercitum properans rurſum per legatos Coſrhoi pacem obtulit: eo vero illam reſpuente, menſe Maio in Perſidem ingreſſus eſt, aggreſſuſque Coſrhoen ipſum, qui apud Gazacoten ciuitatem cum quadraginta bellicoſiſſimorum militum millibus caſtra poſuerat: cumque præmiſſi ab eodem Imp. nonnulli Saraceni qui ſub eo militabant, incidentes in vigiles Coſrhois quoſdam eorum occidiſſent, aliquos vero cum eorum duce captos ad Heraclium perduxiſſent; his territus Coſ-

rhoes, derelicto exercitu in fugam ſe turpiter conuertit. Heraclius autem Gazacoten atque Thebarmam ciuitates cepit, incenditq; vna cum templo Ignis & impoſtura Carbonum, potitusque eſt theſauro Crœſi Lydorum Regis atq; mox Coſthoen per anguſtias Mediæ inſecutus, multas vrbes agroſq; vaſtauit: ac demum ſupplicationibus exercitui iniunctis, vt diuinam reuelationem de iis quæ agenda eſſent accipere mereretur; apertis poſtea ſacri Euãgelii libris, inuenit ſibi mandari vt in Albania hiemaret. Hæc ex Græcorum Annalibus [a]. Frequentem autem fuiſſe his temporibus eiuſmodi conſultationem diuini numinis, per Euangelii, ſiue totius ſacræ Scripturæ codicis fortuitã apertionẽ, quę alias ſuperius dicta ſunt ſatis oſtẽdũt.

Turpis fuga Coſrhois. — [a] *Theoph. & Cedr.* — *Diuina revelatio ex apertura Euangelii.*

II. Hæc vero tot tantaque ab Heraclio geſta S. Crux Chriſti operata eſt vincens Perſas cum captiua detineretur ab eis. Et ſicut magno olim Philiſthinorum & deorum ipſorum damno, illata [b] eſt captiua Arca in templum Dagon; ita plane, ſed longe maiori iactura regni Perſarum & ſuperſtitionis ipſorum, captiua in Perſidem ducta eſt ſanctiſſima Crux, quæ & crucem tandem diriſſimam ipſi intulit capienti. Dum autem in Albaniam Heraclius ſe reciperet, egregium edidit Chriſtianæ miſericordiæ exemplum, cum vehementi adueniente tempeſtate geluque, compaſſus captiuis, quos ad quinquaginta millia habebat in caſtris, omnium vincula ſoluit, ac liberos dimiſit; vt iidem Annales referunt.

[b] *1. Reg. 5.* — *Crux captiva vincit Perſas.*

Heraclii An. 14.

IESV CHRISTI AN. 623.

BONIF. V. AN. 6.

I. ANno Domini ſexcẽteſimo vigeſimo tertio, Indictione vndecima, Heraclius Imp. rurſum in Perſidem irruens, tres Perſarum duces Sarabaclam, Sarbaram, atque Sain, cum totidem validiſſimis exercitibus, variis vſos ſtratagematibus, diuerſiſque commiſſis diu noctuque præliis, penitus deuicit, ingentemque prædam cepit, Sarabacla ipſo occiſo, Sarbara vero nudo vix fuga elapſo: licet antequam hæc tanta perficerentur, Heraclius à Lazis atque Abſagis qui in ipſius militabant exercitu, potentiam Perſarum formidantibus, in patriam ſuam regreſſis deſtitutus eſſet, indeque reliqua pars exercitus in varia non ſemel diſcrimina incidiſſet. Hæc autem cum Theophanes [a], tum reliqui Græcorum Annales pluribus proſequuntur.

Aliæ victoriæ Heracl. — [a] *Theoph. l. 18. Cedr. an. 14. Heracl.*

Heraclii An. 15.

IESV CHRISTI AN. 624.

BONIF. V. AN. 7.

I. ANno Domini ſexcenteſimo vigeſimo quarto Indictionis duodecimæ, Heraclii decimoquinto [a], idem Imperator Tauro monte ſuperato ad Tigrin fluuium peruenit, aduerſoſque Sarbaram Perſarum Ducem exercitium duces. Euphratem vadauit. Inde occupatis Samoſatis, rurſus Taurum tranſiit, Adanaque peragrata Sarum amnem traiecit: cumq; Sarbaras ex altera parte caſtra poſuiſſet, pontemque ex funibus & lana contextum ſuper flumen extendiſſet, Romani fruſtra contradicente Imperatore per pontem incompoſito agmine in Perſas irruentes, multos quidem occiderunt, ſed inſidiis circumuenti in magnũ diſcrimẽ inciderunt, à quo eos Imperator liberauit: quando & gigantem ſingulari certamine è ponte deturbauit, & paucis ſtipatus aduerſus innumeros hoſtes fortiſſime pugnans, eoſdem ſuperauit, fugauitque. Vnde ſibi Sarbaras metuens, retro abiit. Imperator autem ſuos ad Sebaſteam adduxit, ac traiecto Halis flumine ibi hiemauit. Quarum rerum euentu Rex Perſarum Coſthoes furore percitus, Eccleſias omnes quæ in eius dominio erant bonis ac donariis expoliauit: vtque Heraclio moleſtam rem faceret, Chriſtianos omnes ad ſocietatem Neſtorianæ hæreſis adegit. Hæc omnia Annales.

[a] *Ibid.* — *Aliæ præclaræ geſta Heraclii Imp.*

Heraclii An. 16.

IESV CHRISTI AN. 625.

BONIF. V. AN. 8.

I. ANno Chriſti ſexcenteſimo vigeſimo quinto, Indictionis decimætertiæ, quinto Belli Perſici Heraclii Imperii decimoſexto, qui tam ſæpe atque ignominioſe ſuperatum ſe ac fugatum Coſthoes à Romanis vidit, omnes quas tum valuit vires collegit ex ſeruis liberiſque hominibus, omnemque excogitauit artem qua conuerteret bellum è Perſide in Romanum ſolum. Namque inprimis miſſo Sarbara Duce cũ potentiſſimo exercitu, qui pacto fœdere cum Chaiano Auarum Rege fidifrago, ſollicitatiſque Bulgaris, Sclauinis, atq; Gipedibus, omnes ſimul barbaros permoueret ad inuadendam ipſam vrbem regiam Conſtantinopolim; inſuper Sain fortiſſimum totius Perſidis, ducem, cum immenſo peregrinorum ac ciuium, necnon ſeruorum numero, additis quinquaginta millibus ſelectiſſimorum militum, quos præ excellentia Chryſolocas nominauit, quaſi aureum cuneum, aduerſus ipſum Heraclium Imperatorem direxit. Qui quidem Imperator his cognitis, exercitum ſuum in tres partes diuidens, vnam Conſtantinopolim miſit ad cuſtodiam vrbis, alteram tradidit Theodoro fratri ſuo aduerſus Sain; ipſe vero cum minima ad Lazos venit, indeque aduerſus Coſthoen proceſſurus, Turcos Orientales, Gazaros dictos, in auxilium euocans, quadraginta eorum millia à Ziebil eorum Duce accepit, cum prius idem Ziebil diſruptis Caſpiis portis regnum Perſarum à tergo inuadens, omnia ferro igneque vaſtaſſet.

Barbari coeunt aduerſ. Rom. Imp.

II. Porro Sais exercitus in ipſo contra Theodorum certamine, tum grandine miræ magnitudinis à Deo per interceſſionem Beatiſſimæ Virginis immiſſa contritus eſt, tum gladiis Romanorum confoſſus. Quod indigne ferente Coſthoe, Sais mœrore mortuus eſt; cuius cadauer ad ſe delatum, idẽ Coſthoes pluribus præ rabie cõfodit vulneribus. Auares autem vbi decẽ dies Conſtantinopolim obſediſſent, virtute pariter Deiparæ Virginis (cui ab ipſis Conſtãtini temporibus eadem vrbs dedicata fuerat, eiuſque nomine appellata *Ciuitas Virginis*) cum mutuis inter ſe certaminibus, tum vi tempeſtatum terra marique perierunt, paucis domum ſummo cum dedecore reuerſis. Sed nihilominus Sarbaras Chalcedonem obſidione cingens, biennium ibi perdurauit, donec in ſuſpicionem adductus apud Coſthoen quod Romanis conſentiret, interfici iuſſus ipſe re comperta obſidionem ſoluit; paceque cum filio Imperatoris inita in Perſidem remeauit, eodem tempore quo Coſthoes ad extrema redactus (vt videbitur) miſere per filium periit. Habent autem hæc omnia Græcorum Annales, à Theophane primum editi, & ab Anaſtaſio Latinis dati, à Cedreno vero Græcis in compendium redacti.

Barbari vbique diuina ope ſuperati.

III. Dum iſta in Oriente gererentur, Deus vbique mirabilis in Occidentali Eccleſia nouæ plantationis ad multiplices futuras propagationes ſpem auxit; cum hoc anno ad gentem Nordanhumbrorum, hoc eſt Anglorum Borealium, quibus præerat Rex Edvvinus, porta aperta eſt prædicationi S. Euangelii. Accedit enim vt idem Rex Gentilis nuptias appetens Edelburgæ Chriſtianæ virginis, ſororis Eadualdi Cantiæ Regis Chriſtiani, illis hac conditione potitus ſit, vt eamdem coniugem ſuam cum omnibus qui eam comitarentur, cultum religionis Chriſtianæ ſeruare permitteret. Miſſus igitur cum ea *Paulinus* (qui olim à S. Gregorio Papa vna cum Mellito, Iuſto, aliiſque in Angliam miſſus, hoc ipſo anno ab eodem Iuſto Dorouernenſi Archiepiſcopo creatus eſt Epiſcopus Eboracenſis, in qua ciuitate Edvvinus morabatur) multum laborauit, vt & qui Reginam ſequuti eſſent à fide non deficerent, & Pagani ad eam conuerterentur. Quæ cum intellexiſſet Bonifacius Papa, eueſtigio litteras dedit ad ipſum Regem Edvvinum, hortans ad idolorum cultum relinquendum; aliaſque ad coniugem eius Edelburgam, admonens in eo laborare; cum & alias antea vna cum pallio miſiſſet ad Iuſtũ, qui ex Epiſcopo Roffenſi ordinatus fuerat

Anglor. Borealium conuerſio.

anno præterito Archiepiſcop. Durouernenſis, ſiue Cantuarienſis, in locum defuncti S. Melliti. Quas quidem epiſtolas recitat Beda [a], dum & horum omnium quæ ſummatim recenſuimus, hiſtoriam fuſius pertractat.

a Bed. de geſt. Angl. lib. 2. cap. 8. & ſeqq.

IV. BONIF. V. OBITVS.

Ceterum in hunc vſque annum Bonifacium Papam perueniſſe, ex eodem Beda Anaſtaſioque conſtat: quem obiiſſe vigeſima quinta Octobris, ſepultumque eſſe in baſilica S. Petri; ſed & ceſſaſſe Epiſcopatum eius menſes ſex, & dies octodecim, idem Anaſtaſius tradit: ex quibus apparet eum ſediſſe annos ſeptem, menſes decem, diem vnum.

HERACLII AN. 17.

IESV CHRISTI AN. 626.

HONORII AN. 1.

I. HONORII PAPÆ CREATIO.

ANno Chriſti ſexcenteſimo vigeſimoſexto Indictionis decimæquartæ, die decimaquarta menſis Maii, in locum Bonifacii defuncti HONORIVS natione Campanus, filius Petronii hominis Conſularis, vir eruditione Theologiæ præſtans, atque etiam poeticis excultus litteris, creatus eſt Romanus Pontifex. Laudatiſſimus ipſe quidem habetur apud Anaſtaſium, aliosque: res autem ab eo geſtæ ſuis locis recenſebuntur.

II. HERACLII ALIA INSIGNIS VICTORIA DE PERSIS.

Hoc item anno ſexto Belli Perſici, Heraclii decimoſeptimo, hiemis tempore in Perſidem idem Imperator cum Turcis ingreſſus, improuiſo Coſrhoen perterruit; ſed mox à Turcis, vim frigoris & crebras Perſarum incurſiones impatienter ferentibus, derelictus eſt. Qui tamen haud deſpondens animum, quinimmo magna fide ſuos, hortationibus ſuis ſecuros redditos de opitulatione diuina, Deique Genitricis MARIÆ, aduerſus hoſtes educens; incenſis pluribus ciuitatibus, cum non præpotenti Perſarum duce Razate pridie Idus Decembris ingens prælium iniit, quo ipſe inter primos fortiter pugnans, Razatem ipſum aliosque plures manu propria. non ſine vitæ ſuæ periculo occidit; collectiſq; ſpoliis opimis, nimirum auratis Razatis armis, glorioſam admodum victoriam adeptus eſt, cæſis multis Perſarum millibus, Romanorum vero quinquaginta tantum militibus deſideratis cum pugnatum fuiſſet à primo mane vſque ad horam nonam. Cum vero mox contra ipſum Coſthoen qui non longe aberat feſtinaret, eodem Coſthoe fugam capeſſente, Imperator palatiis eius campeſtribus potitus eſt; vbi Romanorum inuenta ſigna bellica in præliis olim à Perſis capta, trecenta numero vindicauit; aliiſque quamplurimis diuerſi generis bonis ad Perſarum delicias ibi poſitis, captis, & maxima ex parte incenſis, ibidem cum exercitu Natalem Domini & Epiphaniam celebrauit, Deo, Deiq; Genitrici, quam in auxilium totius belli aſciuerat, de tot felicibus ſucceſſibus gratias agens. Quæ omnia pluribus narrant ſæpiſſime citati Annales Græcorum.

III. ANASTASII PERSÆ CONFESSIO.

Eodem anno Anaſtaſius Perſa monachus, de quo ſuperius, cum Cæſaream Palæſtinæ adueniens quoſdam Perſas Magos de præſtigiis ſuis redarguiſſet, ab illis delatus, & à Marzabana tentus, quem Coſrhoes Præfectum miſerat in Palæſtinam, egregium ſe Chriſti confeſſorem inter maxima ac multiplicia tormenta præſtitit: quod apud eius Martyrii Acta [a] lector copioſius enarratum inueniet. Eius vero certamen hoc anno cœptum, ſequenti (vt videbitur) conſummatum eſt.

a ap. Sur. 22. Ianuar.

IV. EDVVINI REGIS CONVERSIO.

Sed & qui litteris Bonifacii Papæ de Chriſtiana religione amplexanda commonitus fuerat, Edvvinus Rex Anglorum Borealium, hoc eodem anno poſt ingens euaſum à ſicario periculum, victoriamque de Rege inimico habitam, Paulini Epiſcopi hortationibus fidem Chriſti ſuſcipere decreuit, conſentientibus regni ſui primatibus, ipſiſq; etiam Gentilitatis Pontificibus, quorum omnium ſupremus manum primus adhibuit diruendis idolis, ſubuertendiſque eorum templis. Quomodo autem hæc cuncta ſe habuerint, exacte narrat Beda [b]: doceтq; eumdem Regem anno ſequenti Paſchali tempore baptizatum fuiſſe, vna cum infinita propemodum eius ſubditorum omnis generis multitudine. Ac deinde ſubdit de conuerſione Carpualdi Regis Anglorum Orientalium, eiuſdemque nece à Gentili quodam illata, ac ſucceſſione Siberti viri per omnia doctiſſimi atque Chriſtianiſſimi, cum exulaſſet in Gallia fidem ibi ſuſceperat, eamque in Anglia valde propagauit opera Felicis Epiſcopi natione Burgundi.

b Bed. lib. 2. c. 9. 12. 14. 15.

V.

Hoc pariter anno, qui numeratur Clotarii Francorum Regis trigeſimus nonus ab obitu Chilperici parentis, idem Rex [c] conſortem ſibi regni adſciuit Dagobertum filium ſuum ex Bertrude Regina ſuſceptum, atq; S. Arnulpho Metenſi Epiſcopo (vt diximus) educandum traditum & optimis moribus imbutum.

c Aimoin. lib. 4. c. 1.

VI. REX LONGOB. OB EVERSAM MENTEM PELLITVR.

Eodem tempore Longobardorum Rex Adalualdus, cum iam regnaſſet annos decem, euerſa mente inſaniens (vt ait Paulus [d] diaconus) eiectus eſt regno, & in locum eius ſubrogatus AriouaIdus fauore Epiſcoporum Tranſpadanorum; aduerſus quos ob illud facinus Honorius Papa litteras [e] dedit ad Iſacium Rauennatem Exarchum, laborans vt Adalualdus reſtitueretur, tum quod eius mẽtis euerſio arte venefica procurata, non omnem penitus rationis vſum ademiſſet; tum præcipue quod fide Catholica præſtaret, Ariouldus autem Arianæ impietatis tenaciſſimus eſſet. Verum quamuis Exarchus nonnihil hac in re collaborauerit; tamen conſtat deſiiſſe à cœptis, ac pacẽ cum nouo Rege iniiſſe; nempe quod (vt par eſt credere) viribus Imperii contra Perſas occupatis, haud ſe putauit ſufficere ad bellum contra vniuerſam gentem Longobardorum agendum. Quid autem poſt hæc de iis actum fuerit, haud compertum habetur, cum & Exarchi & Ariouldi res geſtæ remanſerint prorſus obſcuræ, vt Paulus etiam diaconus queritur. Ceterum Ionas Abbas huius temporis ſcriptor in Vita S. Bertolfi Abbatis monaſterii Bobienſis, habet quædam miranda quæ acciderunt nonnullis monachis eiuſdem cœnobii ſub eodem Ariouldo Rege, pro comparatione fidei Catholicæ, aduerſus Arianam perfidiam: ex quibus apparet ipſum Regem; etſi hæreticus eſſe non deſiit, ad meliorem tamen frugem in iis quæ ad mores pertinent reuocatum eſſe. Notandaque eſt à Principibus Catholicis eiuſdem Regis Ariani reſponſio facta cuidam Epiſcopo cum aduerſus monachos interpellanti; *Non eſt meum*, inquit, *ſacerdotum cauſas diſcernere, quas Synodalis examinatio ad purum debet iudicare.* quod tradit idem Ionas.

d Paul. diac. lib. 4. c. 5.
e Extat ap. Ionam.

ARIANI REG. SCITVM DICTVM.

IESV CHRISTI AN. 627.

HERACLII AN. 18.

HONORII AN. 2.

I. ANAST. PERSÆ MARTYRIVM.

ANno Chriſti ſexcenteſimo vigeſimo ſeptimo, Indictione decimaquinta, die vigeſima ſecunda menſis Ianuarii, S. Anaſtaſius monachus Perſa, poſt iteratam ſæpe anno ſuperiori confeſſionem, è Palæſtina à Perſis ad Coſthoen Regem miſſus, magna animi cõſtantia diutinis toleratis diris tormentis, eiuſdem Regis iuſſu aqua ſubmerſus martyrium feliciter conſummauit vna cum aliis ſeptuaginta Chriſtianis; caputque eius ſectum ad Regem delatum eſt. Quæ quomodo ſe habuerint, eius Acta [a] omni fide antiquitus conſcripta docent. Sed deſideratur ſcriptio Georgii Piſide, qua laudationem eiuſdem martyris proſecutum eſſe teſtis eſt Suidas. Eiuſdemque miraculorum alium inſuper extitiſſe librum, conſtat ex fragmento, quod ex eo recitatum habetur in Actione quarta poſterioris Nicæni Concilii: vbi etiam fit mentio de tranſlatione eius corporis Cæſaream Palæſtinæ, aliaque poſtea Romam facta ipſius Capitis atq; Imaginis, ex quibus ingentia prodiere miracula. Extantque adhuc eadem ſacra pignora ibidem Romæ in monaſterio S. Vincentii ad Aquas Saluias, quod & auctum eſt Eccleſia nomine S. Anaſtaſii. Sed de his hactenus.

a ap. Sur. 22. Ianuar.

II. FVGA COSRHOIS.

Quod vero ad Coſthoen Regem attinet; qui victus hoc certamine à martyre fuit, iam faciliori negotio à ceteris vincendus (ſiquidem aduerſus eum pugnaturus

Anaſta-

Anaſtaſius moriens exurrexit, vt probauit euentus) fugiens miſer à facie Heraclii, ſeſe vna cum coniugibus, liberiſque, atque theſauro, Seleuciam recepit vrbem trans Tigrim munitiſſimam. Vbi in dyſenteriæ morbum incidens, cum operam daret vt filium ſuum Mardeſam ex Syria dilecta coniuge natum coronaret; id compertum habens maior natu filius Syroes, cum optimatibus egit de necando parente, vſus etiam ad hoc Romanorum auxilio: ſicque patrem fugientem inſecutus, captum, ac pedibus colloque catenis ferreis vinctum, miſit in domum tenebrarum, ſic dictam quam recens extructam Coſrhoes ad recondendas pecunias muniebat; vbi perparum ei panis & aquæ ad victum tribuens, fame prope enecauit; exprobrans vt comederet aurum, ad quod colligendũ multos fame necaſſet, ac mundum deſtruxiſſet. Miſitque inſuper Satrapas, omneſque eum odio habentes, qui ipſum iniuriis ac contumeliis afficerent, percuterentque, atque conſpuerent: ac deinde Mardeſam alioſque omnes filios coram ipſo interfici iuſſit; demumque poſt quinque dies ipſummet acubus perimi fecit. Hæc Annales [b] Græcorũ de interitu Coſrhois. Quem nonniſi talia plane decuere digna ſupplicia per proprium filium miniſtrata, vtpote nefarium atque ſacrilegum hominem; deſtructorem Orientalis Orbis, ingratum ac perfidum Deo hominibuſque principem, ſæuumque ſuis ac ſanctis tyrannum.

Coſrhoes a proprio filio capitur, illuditur, et necatur.

b Theoph. l. 11. [illegible] an. 11 Heracl.

III. At non caruit tanta victoria glorioſiſſima triumpho. Siquidem idem Coſrhois filius Syroes occiſo patre potitus regno Perſarum, pacem cum Heraclio Imperatore iniens, e veſtigio captiuos omnes Imperatori reddidit, interque eos Zachariam Hieroſolymorum Antiſtitem, ſimulque ſacratiſſimum venerandæ Crucis lignum, illæſum ipſum quidem (vt ſuperius dictum eſt) & intactum, immo nec à Perſis viſum. Quod primũ Conſtantinopolim, ſequenti anno Hieroſolymam ab Heraclio reportatum eſſe, Annales produnt: eo namque glorioſior extitit ipſius triumphus, quo largiori ambitu eſt perductus; accurrentibus ad ſpectaculum vbique Fidelibus cum palmis & oliuis, ſuffitibus atque luminibus, & præ gaudio lacrymas emittentibus, atque ex more hymnos ſacros tantæ victoriæ occinentibus, ipſumque Heraclium eiuſdem venerandæ Crucis recuperatorem magnis acclamationibus excipientibus.

S. Crucis triumphus.

IV. Actum præterea ab eodem Imperatore per Theodorũ fratrem ſuum apud nouum Regem Perſarum, habent Annales, vt quæ hactenus occupatæ fuerant à Perſis Imperii Romani prouinciæ, ipſis recedentibus liberæ eſſe ſinerentur vt prius. Porro de rebus geſtis Heraclii in bello Perſico fideliorem quem ſequeremur inuenimus neminem, niſi Theophanem. Scimus tamẽ ab aliis nonnulla adiici fabuloſa, quæ conſulto præteriiſſe maluimus. Caremus autem ſcriptis illis Georgii Piſidæ diaconi magnę Eccleſiæ Conſtãtinopolitanæ & Chartophylacis, quibus, (vt auctor eſt Suidas) proſecutus eſt hiſtoriam omnem de Heraclio Imperatore, tã de bello Perſico, quam de Auarico, ſoluta oratione: qui & his ferme diebus, pulcherrimis iambis aduerſus Proclum philoſophum hæreticum, ſcripſit Carmen, ſiue Mundi opificium, ad Sergium Conſtantinopolitanum Epiſcopum; ad cuius finem meminit etiam Heraclii de Perſis victoriarum. Extantque [c] pariter antiqui nummi aurei & argentei, repræſentantes Heracliorum patris & filii Imperatorum imagines, & multiplicibus modis Cruces triumphales expreſſas.

Scriptores rerum Heraclii.

c Habet Baron. Annal. To. VIII. hoc an.

V. Sed inter tot læta infauſtum vnum accidit, quod idem Suidas refert; nimirum quod cum Heraclius Sergio Patriarchæ ingentem pecuniam & gemmas pretioſas miſiſſet, ea omnia ſubmerſa ſunt. Nempe erant iſta reſtituenda Eccleſiis illis, à quibus Heraclius ad bellum mutuo acceperat. Verum nolens Imperator ex his vllum Eccleſias ſentire damnum (vt idem auctor ſcribit) conſtituit vt è fiſco & Eccleſiæ & Clero annua pecunia penderetur.

De pecunia, et aliis reb. pretioſis perditis.

IESV CHRISTI AN. 628.

Heraclii An. 19.

HONORII AN. 3.

I. ANno Domini ſexcenteſimo vigeſimo octauo, Indictione prima, Heraclius Imperator recedens Conſtantinopoli (ait Theophanes) ipſo veris initio, profectus eſt Hieroſolymam, pretioſum ac viuificum ſanctiſſimæ Crucis Lignum reportans. Quod quidem factum illuſtri miraculo commendatum fuiſſe, in Eccleſiaſticis Ritualibus traditur: videlicet quod cum Heraclius, vt erat auro & gemmis ornatus, eam in locũ Caluariæ vnde fuerat à Perſis ſublata, ipſe ſuis humeris referret, coactus eſt in ciuitatis porta ſubſiſtere; nec penitus vltra progredi valuit, donec à Zacharia Patriarcha admonitus, relicto Imperiali indumento, detractiſque calceis, plebeio indutus eſt amictu, quo paupertatem & humilitatem Chriſti magis imitaretur; ſicque reliquum itineris facile confecit. Ex eo vero tempore (vt eadem addunt Ritualia) factum eſt vt quod annis Exaltationis Crucis memoria celebraretur, quod ibidem fuerit repoſita ab Heraclio, vbi Saluatori primum fuerat conſtituta. Eſt ea dies decimaquarta Septembris. Verum etſi ea ſolemnitas æq; Græcis atque Latinis celebris eſt; tamen dicta die Septembris celebrant illi Exaltationis nomine Inuentionem ipſam: Latini vero Inuentionem colunt menſe Maio, Septembris autem memoriam reſtitutionis eius ex Perſide Hieroſolymam, quam ſolemnitatẽ nominant *Exaltationem*. Quod autem ſub Zacharia Epiſcopo factum tradunt Annales Græcorum, & (quod magis eſt) communis Eccleſiæ traditio; Suidas [a] ſub Modeſto potiꝰ accidiſſe affirmat; quaſi qui abſente Zacharia Eccleſiam Hieroſolymitanam curaſſet, eo antequam reſtitueretur defuncto, in ipſius locum ſuffectus.

S. Crux ſuo loco reſtituta ab Heraclio.

Feſtum Exaltationis S. Crucis.

a Suid. in Heracl.

II. Poſtquam autem Heraclius Hieroſolymis Deo iuſta perſoluit, Iudæoſque omnes Crucis Chriſtum inimicos ab eadem ciuitate pepulit; quos (vt habent Annales) ad tertium milliarium vetuit ei appropinquare; idem peregrinatus in Orientem, vbi Hierapoli eſſet in Phrygia, cõtigit Syroen nouum Perſarum Regem, cum ageret ſuæ electionis annum vnum, diem obiiſſe, percuſſum à Sarbara Duce, ſiue Adeſer qui & ipſe occiſus eſt menſe ſeptimo, ſubſtituruſque in locum eius Barrazas: quo pariter mẽſe ſeptimo extincto, regnum Perſæ filio Coſrhois Barahani dicto tradiderunt; qui totidem menſibus regnaſſe dicitur, & ſucceſſorem habuiſſe Hormiſdam, hocque à Saracenis pulſo, delatum eſſe regnum ad Arabes. Sic igitur præpotens, formidandumq; Romanis etiam illis antiquis, Perſarum Regnum, iuſta plane Dei ſententia, vbi Cruci dominicæ dominari voluit, penitus extinctum eſt. Cum autem nomen Heraclii, ob ingentes res fortiter geſtas, toto terrarum Orbe celeberrimum eſſet redditum; ad ipſum externi Reges, tam ab Oriente quam occidente legationes cum muneribus decreuere. Id enim Theophanes [b] prodit, inter alios præſtitiſſe Regem Indorum, qui Imperatori gratulaturꝰ ob Perſas penitus debellatos, miſit Legatos cum margaritis & lapidibus pretioſis. Et ex Gallia idem feciſſe Dagobertum Clotarii filium, conſtat ex Aimoino [c]; functoſque ea legatione Seruatium atque Paternum, qui amicitiam ab Imperatore petitam ad Regem retulere.

Perſar. imperium collapſum.

Legationes vndique ad Heraclium.

b Theoph. an. 22. Heracl.

c Aim. lib. 4. cap. 21.

IESV CHRISTI AN. 629.

Heraclii An. 20.

HONORII AN 4.

I. ANno Chriſti ſexcenteſimo vigeſimo nono Indictionis ſecundæ, Heraclii vigeſimo, cum idem Imperator (vt Græcorum Annales [a] habent) Hierapoli eſſet, venit ad eum *Athanaſius* Patriarcha Iacobitarum hæreticorum; de quibus dictum eſt ſuperius; vir quidem acris ſed nequam ingenii; & cum ad Imperatorem habuiſſet de fide ſermonem, repromiſit ei Heraclius Patriar-

a Theoph. eod. an.

Heraclius decipitur ab hæreticis.

chatum Antiochenum ii Chalcedonenſem vellet Synodum ſuſ. ipere. Qua in re ſicut commendatione digna fuit Heraclii recta erga Catholicam fidem intentio; ita culpanda nimia curioſitas, qua damnatum hæreticum Eutychianum ad colloquium prohibente [b] Apoſtolo admiſit; ſic enim factum eſt vt dum putauit imprudens fidei conſulere, prodiderit eam, ſeque ipſum miſer in erroris foueam præcipitem dederit. Hinc enim omne proueniſſe malum Principibus Chriſtianis, Conſtantio, Valenti, Iuſtiniano, Heraclio, aliiſque eiuſmodi, ipſa declararunt euenta.

b Ioan. ep. 2.

II. ATHAN. HÆRET. EVTYCH. SIMVLAT SE CATHOLICVM.

Cõſiderans igitur impius Athanaſius, ſi Patriarcha fieret Antiochenus, omnibus ſe Eccleſiis Orientalibus dominaturum; nihil cunctatus, fidei ſe Catholicæ ſimulauit aſſertorem. Sed vaſre duas confeſſus in Chriſto naturas, verbis tamen doloſis Imperatori vnicam tantum Chriſti Voluntatem inſinuauit, effecitque vt idem Imperator, conſultis Cyro Phaſidis Lazorum Metropolitano ſibi amiciſſimo, necnon Sergio Conſtantinopolitano, & vtroque eiuſdem cum Athanaſio ſententiæ reperto, ipſe quoque eiſdem aſſenſum ſuum præbuerit. Siquidem in Rebus geſtis S. Maximi Abbatis & martyris, præcipui oppugnatoris hæreſis Monothelitarum, de quo ſæpe inferius, iſta de Athanaſio perditiſſimo impoſtore narrantur, & de Heraclio; cuius ſiue ſimplicitatem, ſiue mentis leuitatem cõdemnat, quod putans ſe Athanaſium ad Catholicam fidẽ poſſe perducere, ipſius inuentus eſt eſſe captiuus, triplici funiculo trium Patriarcharum vinctus videlicet eorumdem *Athanaſii* iam Antiocheni facti *Cyri* ab Eccleſia Lazorum tranſlati (vt dicetur) in Alexandrinum & *Sergii* Conſtantinopolitani; qui & ipſe parentibus Iacobitis natus, licet in hanc diem Catholicum ſe exhibuiſſet, vbi tamen Imperatorem vidit ancipitem potiorem illi ruinam operatus eſt. Sicque plane accidit, vt feliciſſimus Heraclius, nactus infeliciſſimos præceptores, MONOTHELITARVM ab eis impietatem acceperit; quæ hoc anno patefacta, miſerrime poſtea Eccleſiam Dei vexauit.

MONOTHELITAR. HÆRESIS EXORDIVM.

III.

Quod enim totus ferme Oriens diuerſis ſcateret hæreticis, potiſſimum vero Eutychianis & iis qui ex eis prouenerãt variis nominibus nũcupatis; inſuper & Neſtorianis, atq. Apollinariſtis: diuinum quodam viſum eſt improbis Eutychianis inuentum, ſi dogma aſſereretur, in quod omnes nominati hæretici pariter conuenirent, ſicque pax inter eos ſanciretur; dum ſcilicet vnica tantum affirmaretur eſſe in Chriſto Voluntas. In id enim conueniſſe Appollinariſtas certum eſt, qui loco animæ vel intellectus; Verbum in Chriſto ponerent: itemque Neſtorianos, qui conſtituerent vnionem Dei & hominis ſecundum ſolum affectum & voluntatem: Eutychianos autem liquet fuiſſe peculiares huius blaſphemiæ aſſertores, cum vnam dumtaxat in Chriſto naturam aſſererent. Quapropter res ita ſe habebat, vt pulchro velamine pacis error impius obtegeretur: adeo vt eiuſmodi iſtorum conatus, potius extirpatio hæreſis, quam eius propagatio exterius videretur; quandoquidẽ præſeferrent Monothelitæ, defenſores ſe eſſe Chalcedonenſis Concilii, hæreſum vero tam Neſtorii, quam Euthychetis, ſiue aliarum euerſores: vnde & contigit, vt toto ferme reliquo tempore quo vixerunt tum Sergius tum Heraclius, iidem perſeuerauerint inter ſuos Catholico nomine, nec per annos plures fuerit eiuſmodi hæreticorum vafricies detecta. Quo autem tenderet ipſorum conatus in aſtruenda vnica in Chriſto Voluntate, æque omnes conſentiunt fuiſſe ad tollendam duarum naturarum in Chriſto vnitarum differentiam, & ad inſtaurandam hac via hæreſim Eutychianam, ac denique ad ſociandos ſibi (vt dictum eſt) alios Orientales hæreticos. Id enim ex Scriptoribus eius temporis, teſtatur idem qui ſupra S. Maximus in Diſputatione habita cum Pyrrho Monothelita, de qua inferius, ac poſt eum S. Ioannes [c] Damaſcenus; & ex recentioribus S. Thomas [d].

MONOTHEL. HÆRESIS TRIPLEX.

MONOTHELITARVM SCOPVS.

c Damaſc. [illegible]

d S. Tho. [illegible] cap. 18. ar. 1.

IESV CHRISTI AN. 630.

HONORII AN. 5.

HERACLII AN. 21.

I. a Theoph. & Cedr.

MAHOMETISMI ORTVS.

ANno Chriſti ſexcenteſimo trigeſimo Indictionis tertiæ, Heraclii vigeſimo primo, defunctus ponitur in Annalibus [a] pſeudopropheta MAHOMETVS, ſiue Mahometes, à quo improba ſecta Mahometanorum oborta eſt. Monſtrum tantum peperit & enutriuit Oriens; cuius deformitati alia cuncta neceſſe ſit cedere, quæ ſiue Danieli, ſiue Ioanni Euangeliſtæ diuinitus demonſtrata fuerunt ad aliquod grande malum ſignificandum. Præcurſorem quidem Antichriſti hunc omniũ ſceleſtiſſimum extitiſſe Ioannes Damaſcenus [b] exiſtimauit. Citati vero Annales tradunt, apud Homeritas hunc, ſiue in Arabia Felice, Hali parente Iſmaelita genitum, pauperem hominem ſuam operam mercede locaſſe; inhæſiſſeq. ſeruitio cuidã potenti viduæ, Cadichæ ſiue Tadigæ dictæ, cuius paſcendos ſuſcepit camelos; & cum vafer eſſet ingenio, inſinuantem ſe dominæ gratiæ effeciſſe tandem vt eam ſibi coniungeret vxorem. Profectus autem in Palæſtinam: ibi verſatus cum Iudæis & Chriſtianis, ab eiſdem aliquid eſt conatus addiſcere: mentemque vanam prurigo cum exagitaret honoris, ex occaſione bene accepta Prophetæ ſibi nomen acquiſiuit. Cum enim & à dæmone exagitaretur & comitiali morbo laboraret; vxorem ſuam indigne id ferentem ea arte demulſit, vt ſe diceret ad conſpectum Angeli Gabrielis ſibi apparentis concidere. Quod cum eidem mulieri confirmaſſet pſeudomonachus quidam Arianus, ob falſam fidem ibidem relegatus, eaque paulatim opinio animis omnium inhæſiſſet; idem ſibiipſi quædam effingens, ea vt diuinitus accepta curioſo populo facile perſuaſit; plenumque vanis figmentis volumen conſcripſit, quod è cœlo delatum mentiens, ſuis tradidit ſectatoribus obſeruandum: ſicque factum eſt, vt error vane conceptus, non miraculorum virtute, ſed vi armorum magis magiſque apud poſteros atque exteros inualeſceret. Ad quem primum accurrerunt Iudæi, exiſtimantes ipſum eſſe quem expectarent, Meſſiam, quod eum circumciſionem amplecti ſciuiſſent: ſed cum eumdem cognouiſſent immunda commedere, nempe cameli carnẽ, à ſententia quidem receſſerunt, non tamen ceſſarunt in Chriſtianos eum commouere.

b Damaſc. de hæreſ. in f.

EIVS ORIGO, ATQVE PROGRESSVS.

II. DOGMATA EIVSDEM NEFANDA.

Excogitauit autem ad ſectam propagandam verſutus nebulo illecebras ex voluptatibus carnalibus comparatas, feminarum multitudinem ſuis concedens in hac vita, & in futura iiſdem conſitum paradiſum; in quo ipſis omnia ad cibum & potum laute abundeque ſuppeterent, & ad coitum præſto eſſet pulcherrimarum multitudo feminarum, his vero potiſſimum potituros fore qui vel hoſtes occiderent, vel occiderentur ab hoſtibus: iſta ſatis aſtute proponens, quo ſuos in bello fortes efficeret. Vt vero populos omnes alliceret, ex cunctis ferme aliqua miſcuit; nẽpe ex Iudæis circumciſionem, Dei vnius cultum, abſtinentiam à carne ſuilla: ex Chriſtianis nomen Chriſti, ita tamẽ vt eum, ſicut Ariani ſiue Neſtoriani, coleret: ex Manichæis, vt nequaquam cruci Chriſtum affixum diceret, ſed vmbram eius, Crucem penitus abominatus. Sed & de eodem Chriſto dicebat (vt refert Damaſcenus) ipſum quidem Verbum eſſe Dei & Filium, ſed creatũ atque ſeruum, eumque fatebatur ex Maria ſine ſemine generatum. Aiebat enim, Verbum ac Spiritum Dei, cum in Mariam introiſſet, genuiſſe filium qui Dei propheta & ſeruus eſſet: Iudæos autem voluiſſe quidem eum contra legem in crucem agere, ſed cum eum tenuiſſent, eius tantum vmbram in crucem egiſſe; ipſum vero nec in crucem actum fuiſſe, nec mortuum; Deum enim ad ſe tranſtuliſſe in cœlum, quod ei eſſet cariſſimus: ibique interrogatum à Deo an ſe filium Dei dixiſſet, id negaſſe, & tantummodo ſe ſeruum Dei profeſſum eſſe. His autẽ, ineptiis alias addidit; nempe ſibi, vt veritatis cultori fideli, tradendas claues paradiſi in die iudicii. Fatumque inſuper aſſeruit, & ſiue ad bonum ſiue ad malum homines deſtinari. Cultum præterea aſtri, quod Cubar dicunt, nempe Luciferi, ſiue Lunę, commiſcuiſſe tradunt, ne Gentilitiæ ſuper-

DE CHRISTO QVID DOCVERIT.

ſutionis ſecta exors exiſteret. Hanc autem de cultu Luciferi fuiſſe Saracenorum antiquam ſuperſtitionem, teſtatur S. Hieronymus in Hilarione. Iſta itaque & alia pudenda confarciens, ad omnium conſeruationem vafrum illud excogitauit, vt quod ſatis intelligeret cuncta quæ ædificaſſet perfacile deſtruenda fore ſi quis illa vellet examinare, de traditis à ſe inſtitutis vetuerit omnino diſputari. Denique de eodem impoſtore centum & tredecim fabellas, ex Euodio monacho Euthymius in ſua Panoplia recenſet; quas ſingulas curioſis relinquimus conſulendas.

III. His igitur commentis & impoſturis, circulator nefandus paulatim conciliauit ſibi Arabum regnum: in quo vbi exegiſſet annos nouem, defunctus eſt in loco quodam, cui nomen *Mecha*. Cuius ſepulchrum ex lapidibus pretioſiſſimis extructum eſſe, & ſublime pẽdere in medio templo, Laonicus [c] tradit; agitque de aſſidua ad illud vndique peregrinatione, quamuis difficillima ob vaſtitatem arenarum, per quas magnetis demonſtrationibus procedendum eſt. Habet & de ſacris in honorem eiuſdem Mahometis quotannis celebrari ſolitis, ac de ritibus cultuque ſuperſtitionis eius; necnon de ipſius diſcipulo & ſucceſſore impietatis *Homare*. Porro eius ſectam cum à Latinis tum à Græcis confutatam ſingulis inuenies ſæculis, miraculiſque plurimis erroris conuictam. Suntque multi qui eiuſdem impoſtoris cunabula progreſſus, obitum leges, atque alia proſecuti, de his volumina confecerunt: cuius & cadauer à canibus ſemeſum ad honeſtandum tale portentum, à ſucceſſore volunt mirificum erectum illi eſſe ſepulchrum. Sed iſta ad Annalium noſtrorum inſtitutum ſatis ſunto; cum & in pleriſque eorum multa fabuloſa immixta inuenerimus. Succeſiſſe vero in regno Mahometi Eububezer, ſiue Abubachar, citati ante Annales tradunt.

c Laonic. lib. 3 de reb. Turc.

IV. Cyrus creatur Episc. Alexandr.

Hoc eodem anno mortuus eſt Gregorius Epiſcopus Alexandrinus, vbi ſediſſet annos decem; & in eius locum ſubrogatus *Cyrus* ex Lazorum Antiſtite; id operante Heraclio Imperatori, qui vtebatur eo familiariſſime.

V. Eodem anno Honorius Papa, deiecto Fortunato hæretico Gradenſi Patriarcha, ſubrogauit in locum eius Primogenium ſubdiaconum Regionarium Eccleſiæ Romanæ: de quibus extant in Chronico Andreæ ad Danduli Ducis Venetiarum ipſius Honorii [d] litteræ ad vniuerſos Epiſcopos per Venetiam & Iſtram conſtitutos. Ne quid autem minus haberet Gradenſis Eccleſia ab Aquileienſi, ipſi Romani Pontifices (vt pluribus ſupra dictum eſt) eamdem Eccleſiam Patriarchæ nomine illuſtrarunt: vnde factum eſt vt perennia inter vtramque odia coaluerint, quæ nutrita ſunt opera ſæcularium Principum, ſtudentibus Longobardis Aquileienſi, Gradenſi vero Exarchis Rauennatibus poſt Romanum Pontificem. Namque pro Eccleſia Gradenſi ſemper inſurrexiſſe ipſos Romanos Pontifices, litteræ Gregorii Secundi & Gregorii Tertii declarant. Quibus etiam conſtat, Venetorum Rempublicam occaſione Gradenſis Eccleſiæ cui fauebat, à Romana Eccleſia plurimum hauſiſſe adiumenti: eiuſque rei ipſam optime conſciam, ad nutum Romani Pontificis paratam ſemper extitiſſe in Longobardos inſurgere: Vnde nec immerito eadem Reſpublica *Chriſtianiſſima* nominata eſt in dictis litteris Honorii Papæ hoc anno ſcriptis: quo ampliſſimo titulo glorioſa potenſque, longe lateque terra marique dominium feliciter propagauit.

d Rer. Rar. T. VIII.

De æmulatione inter Eccl. Aquil. et Gradensem.

Veneta Respubl. Christianissima.

IESV CHRISTI AN. 631.

Heraclii An. 22.

HONORII AN. 6.

I. ANNO Chriſti ſexcenteſimo trigeſimo primo, Indictione quarta, res Orientalis Imperii fluctuare magnopere cœperunt. Ex quo enim Heraclius Imp. eſt naufragatus à fide, mala cuncta Romanum Imperium inuaſerunt; quod dum ille coluit pietatem, florentiſſimum extitit. Qui enim nouit Deus in rebelles fidei Principes excitare gentes vltrices, quibus velut virga furoris iratus plagas illis infligat; excitauit contra Heraclium barbaros Arabas, de quibus nihil tale timuerat. Hoc ſiquidem anno (vt produnt Annales) poſt Mahometis Principis obitum, collapſa iam penitus bellis ciuilibus Perſarum Regum potentia, cœperunt idem Arabes bellum gerere aduerſus Romanos, quos & ingentibus (vt videbitur) affecerunt damnis. Adeo vt minime à ſcopo veritatis aberret, qui dixerit nullum Romanorum Imperatorum maiora damna quam Heraclium in Chriſtianam Rempublicam inuexiſſe, dum non ſolum non accurrit ad extinguẽdum ignem, quem diabolus per Mahometis arma tum adhuc debilia mundo intulit; ſed & alteri incendio ab eodem auctore per Monothelitas inuecto, fomenta interim parauit.

Imperium Rom. labefactatum.

Heracl. pessumdedit Rempubl. Christianam.

II. Hoc item anno, vbi Clotarius Rex Francorum annos quadraginta quatuor regnaſſet, ex hac vita migrauit; eiuſque filius *Dagobertus* ſolus potitus eſt vniuerſo Francorum regno: cuius regimini reliquit Clotarius præfectum Pipinum Ducem Neuſtriæ, quem ſibi in Maiorem domus ob egregias virtutes adſciuerat. Dicendus hic *Pipinus* eius nominis; Primus ex quo duo alii proceſſere, videlicet Secundus ipſius nepos, & Tertius ſecundi nepos, qui & regnum Francorum ſuo tempore adeptus eſt. Accepimus enim iſta ex Stephano Abbate, qui res geſtas [a] S. Modoaldi Archiepiſcopi Treuerenſis proſecutus eſt: vbi ne confundatur hiſtoria, de duobus Pipinis viris clariſſimis genus texitur. Prior enim de quo eſt ſermo, fuiſſe ponitur Carlomanni Senioris filius, qui ex nupta ſibi Itta religioſiſſima femina eiuſdem S. Modoaldi ſorore, liberos ſuſcepit Grimoaldum, Gertrudem, & Beggam, pietate omnes inſignes: ex Begga iuncta matrimonio Anſegiſo filio S. Arnulphi poſtea Metenſis Epiſcopi, ſit natus Pipinus Iunior Senioris nepos, Ex hoc autem natus eſt Carolus cognomento *Martellus*: ex quo tres ſunt geniti filii, Carolus, Carlomanus, atque PIPINVS Tertius ordine, Primus autem eius generis Rex Francorum. Porro prædicti Pipini huius nominis Primi virtutes mirabiliter prædicat idem Stephanus [b]; aſſerens eum fuiſſe probatiſſimæ vitæ ac puriſſimæ famæ, ſapientiæ domicilium, conſiliorum theſaurum, defenſionem legum, munimentum patriæ, decus Curiæ, vim Ducum, & diſciplinam Regum: cumque ſub Clotario ac Dagoberto Maioris Domus dignitate, modicum à ſublimitate rege differente fungeretur; omnia regni negotia prudentiſſima diſpoſitione ordinaſſe, exercentem tam in bello fortitudinem, quam in pace iuſtitiam. De cuius etiam eximia religione, in Rebus [c] geſtis S. VVironis in Scotia Epiſcopi traditur, quod cum accederet ad confeſſionem ſacramentalem, ſolitus eſſet in pœnitentiæ ſignum calceos detrahere. Denique eiuſdem hortationibus Dagobertum æquitati ac iuſtitiæ operam dediſſe, æque Aimoinus affirmat.

De Pipinis principibus.

a Ext. ap. Sur. 12. Maii.

b Ibid. lib. 1. cap. 1 & 34.

Pipini Primi virtutes.

c ap. Sur. 8. Maii.

III. Ceterum Dagoberti regni exordio, S. Arnulphus Metenſis Epiſcopus qui eum educauerat, diuinitus inſpiratus, admonituſque quod Regi ſe non fore proficuum amplius præuideret, eremum petiit, licet eum Dagobertus vi etiam adhibita in Curia retinere conatus ſit: quæ pluribus narrat eius vitæ ſcriptor Ionas Abbas. Eidemque datus eſt ſucceſſor in Epiſcopatu Goericus, magnæ pariter vir ſanctitatis. Præter quem vſus eſt etiam familiariſſime Dagobertus *Chuniberto* Colonienſi Epiſcopo, pari ſanctitatis fama illuſtri; necnon S. *Eligio*, qui ex aurifabro factus Epiſcopus Nouiomenſis, toto orbe miraculorum fulgore coruſcauit; cuius res geſtas copioſiſſime ſcripſit [d] eius æqualis S. Audoenus Epiſcopus Rothomagenſis.

Viri illustres, quibus usus est Dagob. Rex.

d ap. Sur. 1. Dec.

IESV CHRISTI AN. 632.

Heraclii An. 23.

HONORII AN. 7.

I. ANNO Chriſti ſexcenteſimo trigeſimo ſecundo Indictione quinta, Arabes Saraceni ſub Eubuzer Mahometis ſucceſſore inuadentes Gazenſem regionem,

ARABES SARACENI DEPRÆDANTVR GAZAM.

eam deprædati ſunt, occiſo Præſide Palæſtinæ qui armatus eis occurrerat. Quo tempore (vt Theophanes habet) apparuit in meridie cometes gladii formam præſeferens; ſignum videlicet minitantis iræ Dei, atque eorumdem Arabum inualeſcentis Imperii. Sed magna vindicta diuinæ iuſtitiæ factum eſt, vt ibi magis eiuſmodi clades Imperium Rom. ſit depaſta, vbi tum hæreſum tum ſchiſmatum frequentes ſcaturigines erumpentes, quaſi ſulphurei amnes materiam igni diuinę indignationis aſſidue miniſtrarunt: vt quæ annis ferme ſingulis vſque ad præſens noſtræ ætatis ſæculum dicenda erant, perſpicue declarabunt.

II. DAGOB. REX VXOREM REPVDIAT.

Eodem pariter anno Dagobertus Francorum Rex, Gomatrude coniuge eo quod ſterilis eſſet quorumdam aulicorum conſilio repudiata, Nantildem puellam à monaſterio raptam in matrimonium ſibi iunxit. Hæc Aimoinus [a]; quorum etiam meminit Hugbaldus monachus in Rebus [b] geſtis S. Rictrudis omnium fide conſcriptis, cum de S. *Amando* Epiſcopo Traiectenſi agens, ait illum quod vna cum aliis Epiſcopis eiuſmodi impium Dagoberti facinus libere reprehendiſſet, ab ipſo Rege pulſum eſſe in exilium. Ex quo malo illud bonum elicuit Deus, vt idem S. Pontifex in Vaſconiam eiuſdem S. Rictrudis patriam perueniens, multos illic à Gentiliſmo, cui adhuc quibuſdam locis addicti erant, ad fidem conuerterit. Quod idem alio tempore eumdem Tornacenſibus & Gandauenſibus præſtitiſſe, quamplurimis in confirmationem fidei miraculis editis; ſed & traiecto Danubio, ſpe martyrii ad Sclauos populos pertexiſſe, fruſtratum vero ad ſuos rediiſſe; Baudemundus eiuſdem ſæculi auctor enarrat in Rebus [c] geſtis ipſius. Quomodo vero Dagobertus facti pœnitens eumdem in gratiam receperit, ſuo loco dicturi ſumus.

a Aimoin. lib. 4 c. 19.
b Sur. 12. Mai.
S. AMANDI LABORES IN PRÆDICATIONE FIDEI.
c ap. Sur. 6. Febr.

HERACLII AN. 24.

IESV CHRISTI AN. 633.

HONORII AN. 8.

I.

ANnus Domini ſexceteſimus trigeſimus tertius Indictionis ſextæ, tam Romano Imperio quam Eccleſiæ Catholicæ funeſtimus extitit. Imperio quidem, quia cum deceſſiſſet primus Mahometis ſucceſſor Edubezer ſiue Abubachar, Haumarus in locum eius *Amiras* factus (id erat Principatus eorum nomen) inter alias Boſtrenſem ciuitatem cepit, occurrentemq; ſibi cum exercitu Theodorum Heraclii Imp. fratrem prælio vicit: quare in deſperationem coniectus Imperator, præfectis exercitui aliis ducibus, ipſe relicta Syria vbi tunc erat ſublatoque ab Hieroſolymis ſanctiſſimæ Crucis ligno, Conſtantinopolim in locum tutum ſe recepit. Hæc Annales [a] hoc anno eiuſdem Imp. vigeſimo quarto. Cauſa vero aſportandi ſacrum Crucis lingnum, illa interceſſiſſe videtur potiſſima, quod haud falſus coniector Heraclius præuidit Arabes dominaturos locis illis. Quanto autem cultu & veneratione Conſtantinopoli habitum fuerit, declarat Beda [b] agens de eius adoratione fieri ſolita tribus diebus hebdomadæ Sanctæ ab vniuerſo clero & populo, deq; liquore odorifero ex eiuſdem S. Ligni nodis tunc profluere conſueto, quo omnes ægritudines ſanarentur.

a Theoph. & Cedr.
S. CRVCIS LIGNVM TRANSLATVM CONSTANTINOPOLIM.
b Bed. de loc. Sanct. c. 20.

II. MONOTHEL. HÆRESIS PROMVLGATVR A CYRO EPISC. ALEXANDR.
c Syn. Sext. Act. 13.

Quod autem pertinet ad mala quibus Catholica Eccleſia hoc annno mirum in modum exagitata eſt; hic principium ponitur patefactæ hæreſis MONOTHELITARVM: nam Maximus in Diſputatione cum Theodoſio de qua inferius, aſſerit Indictione ſexta eiuſmodi innouationes Alexandriæ incepiſſe per expoſitionem nouem capitulorum hæreticorũ à Cyro illius ciuitatis Epiſcopo factam, & ad Sergium Conſtantinopolitanum miſſam, ab eoque probatam, Idque ipſum Acta [c] Sextæ Synodi fuſius docent: nempe Cyrum collecta Alexandriæ *Synodo* Indictionis ſextæ menſe Maio, Monothelitarum hæreſi aperuiſſe viam, eo ſimulato prætextu quod hæreticos omnes in Ægypto poſitos Eccleſiæ Catholicæ iungere poſſet, ſi duarum *Voluntatum* & *Operationum* voces ſilentio ſupprimerentur; ſatis eſſe dicentem, ſi in Chriſto tantum *Dei virilis Voluntas & Operatio* diceretur, ex qua duarum in Chriſto naturarum exacta profeſſio ederetur, quæ etſi non voces, res ipſæ tamen expreſſæ haberentur.

III. SOPHRO. HIEROS. ADVERSATVR CYRO.

Verum huic ſubdolo Cyri conatui mox aduerſum eſſe Sophronium tunc adhuc tantum monachum, poſtea vero Hieroſolymitanum Epiſcopum; literaſq; dediſſe ad Sergium Conſtantinopolitanum, vt illud de vnica Voluntate & Operatione capitulum Synodi Alexandriæ deleretur, duæq; aſſererentur in Chriſto Volũtates & Operationes; conſtat ex iiſdem Sextæ Synodi Actis. Immo & ipſummet Conſtantinopolim eade cauſa ad Sergium profectum eſſe, Sergius ipſe teſtatur in epiſtola ad Honorium Papam de qua mox agetur. Sed exciderunt priores illæ Sophronii de his ad Sergium litteræ extantq; [d] dumtaxat quas hoc eodem anno ſcripſit ad eumdem, vbi ipſe in locũ demortui Modeſti creatus eſt Epiſcopus Hieroſolymitanus. Quę tamen cum in Græco codice Sextæ Synodi reperiantur ad Honorium Papam inſcriptæ, & ita etiam ſæpe citatæ, ſubque eodem nomine à Photio [e] memorentur; facile crediderim encyclicas eas fuiſſe, ab ipſo Sophronio ex Synodo ſecundum conſuetudinem ſcriptas, & veluti ſuæ fidei cõfeſſionem, vbi creatus eſt Epiſcopus; miſſaſque ab eo ex more tum Romam ad Honorium Papam, tum Conſtantinopolim ad Sergium Epiſcopum.

d Ead. Act. 13.
e Phot. in Biblioth. cap. 231.

IV. SERGIVS CONSTANT. DIIS SCRIBIT AD HONOR. PAP.
f Ext. in Sext. Syn. Act. 12.

Vbi autem priorem illam Sophronii epiſtolam Sergius accepiſſet, mox ad Honorium Romanum Pontificem ipſe litteras [f] dedit, quibus cum de omnibus quæcumque hactenus tam ab Imp. quam aliis circa hanc quæſtionem acta eſſent, certiorem faceret; admoneretque optimum fore ad pacem inter omnes hæreticos conciliandam, ſi de nouis eiuſmodi vocib. ab vtraque parte omnino taceretur, hoc eſt tam ab iis qui Vnam, quam ab iis qui Duas in Chriſto Voluntates atque Operationes aſſererent. Quæ quidem ab Honorio haud potuerunt velut ab hæretico dicta recuſari; quippe quæ nihil habere viderentur aduerſariũ Concilio Chalcedonẽſi, in quod de duabus in Chriſto naturis indiuiſe & inconfuſe coniunctis eſſet contra Eutychetem aſſertio promulgata. Nam & æque Sergius eamdem ſuis litteris inſeruit Orthodoxam doctrinam, ſimulque profeſſionem epiſtolæ S. Leonis; ac demum Honorii ſeſe cenſuræ ſubiicere teſtatus eſt, ſiquid ipſe minus vel amplius in iiſdem ſuis litteris dictum eſſe cognoſceret. Quapropter licet hæc ſubdole ab eo prolata eſſe poſtea detecta fuerint; eundem tamen præſenti tẽpore non tantũ Orthodoxum ab omnibus creditum eſſe, ſed & magnæ exiſtimationis Epiſcopum habitum facile etiam cognoſces ex prædicta ſanctiſſimi Sophronii encyclica epiſtola, ad ipſum Sergium æque atque ad Honorium ſcripta; in qua pręter alia multa in eiuſdem laudem dicta, in fine pręces eius vehementer expoſcit. Vt his omnibus conſideratis, non mireris ſi ad eumdem reſcripſerit [g] Honorius, tamquam ad Catholicum hominem & valde pium; immo ſi patria ſe cum illo de nouarum vocum ſilentio ſentire ſignificauerit.

QVID RESPONDERIT HONORIVS.
g Ext. ead. Act. 12.

V. EXPLICATIO DICTORVM HONORII.

Quod tamen Sergius manifeſtus poſt hæc cognitus hęreticus fuerit atque damnatus; inde etiam complures exiſtimarunt, æque Honorium cenſendum eſſe hæreticum; nullam videlicet rationem habentes temporis diuerſitatis nec rerum. Siquidem (vt diximus) cum iſta ſcriberentur, nec leuis ſuſpicio erat de Sergio quod hæreticus eſſet; nec poterat culpæ adſcribi de vtraque voce ſilentium, immo laudari potius debuit, quod velut pacis ſignaculum eſſet appoſitum, cum & alioqui omnis vocum nouitas ſoleat in Eccleſia eſſe ſuſpecta; & ſatis ſuperque conſultum fidei Catholicæ Verbi incarnatione videretur, ſi in Chriſto duas confiteretur quis naturas indiuiſe, inconfuſe, & inconuertibiliter coniunctas. Hoc autem & ipſe Honorius iiſdem litteris confeſſus eſt, & pariter profeſſus vnum operatorem diuinitatis & humanitatis Chriſtum IESVM; hoc eſt ipſum in vna conſiſtentem perſona, operatum (vt ait) ſecundum duplicem operationem duarum naturarum, humanæ atq; diuinæ. Vt plane rem ipſam prædicaſſe noſcatur, cuius nouas voces merito putauit; ob

Digitized by Google

iam exorta ſcandala; & propoſitam futuram pacem, reticendas eſſe. Neque enim adhuc eo progreſſa res erat, vt non ſine ſcandalo eædem prætermitti poſſent; ſicut poſtea accidit cum ſub Theodoro Romano Pontifice detecta eſt hæreticorum fraus in fabricatione Typi à Conſtante Imp. promulgati, de quo ſuo loco dicẽdum. Nam & Sophronius, licet Cyro reſtiterit tamẽ poſteà acquieuit pariter Sergio, ob bonum pacis eiuſmodi vocum ſilentium ſuadenti; vt conſtat ex eadem prædicta Sergii ad Honoriũ epiſtola. Cum autem in nullam vnquam ipſe ob eiuſmodi conſenſionem, vel minimam hæreſis ſuſpicionem perductus fuerit; cur igitur afferat præiudicium Honorio longius à Sergio abſenti, ſi ei ſe conſentire affirmauerit in iiſdem quæ probarat ante Sophronius?

VI.

Cum autem poſt hæc iteratim Sophronius de cohibenda Cyri temeritate, qua contra id quod conſtitutum fuerat de tacendis ab vtraque parte vocibus controuerſis, vnam procaciter nimis iactaret in Chriſto voluntatem, ad Honorium Papam legationem miſiſſet (vt qui venit hinc miſſus legatus Stephanus Epiſcopus, poſtea etiam teſtatus eſt in Concilio Romano ſub Martino Pontifice, Collatione ſecunda) haud ſegniter in eo agens Honorius, confeſtum ſilentium omnino impoſuit eidem Cyro talia prædicanti, datis ad ipſum eo argumento literis; quæ licet non extent, earum tamen eſt mentio in aliis ad Sergiũ eodem tempore ſcriptis quæ habentur recitatæ in Sexta [b] Synodo. In quibus dum ſe perſtare ſignificauit in ſententia, vt bono pacis ad vitandas turbas & commotiones populorum, de voce vtraque, tam vnius, quam duarum voluntatum & operationum taceretur; quam prudẽtiſſime deſtruxit hæreſim, & firmauit Catholicam fidem; definiens (ſicut & ante fecerat) pro vna operatione oportere vnum operantem Chriſtum Dominum in duabus naturis veridice confiteri, & pro duabus operationibus ipſas potius duas naturas, id eſt diuinitatis & carnis aſſumptæ, in vna perſona Vnigeniti Dei Patris, inconfuſe indiuiſe, atq; inconuertibiliter prædicare propria operantes. Quibus quidem plane inſinuauit, non conuenire perſonæ vnitatem operationis, ſed operantis: ſicut & Ioannes [i] Damaſcenus de his agens, docet non dici poſſe ratione vnius perſonæ vnam voluntatem, ſed vnum volẽtem, ſicut nec vnam operationem, ſed vnum operantem in duabus ſcilicet naturis: quas dum Honorius aſſeruit indiuiſe, inconfuſe, atque inconuertibiliter coniunctas, duas plane neceſſario introduxit operationes & voluntates. Sicq; nihil his magis Catholicum, nihilq; his temporibus ad pacem in Eccleſiis conſeruandam vtilius dici potuiſſe videtur.

Honor. propugnat cathol. fidem.

b Sext. Syn. Act. 13.

i Damaſc. li. 3. l. Orth. 14.

VII. Honor. vindicatur a calumniis adverſariorum.

Quod vero Patriarchæ Conſtantinopolitani hæretici Sergius, Pyrrhus, ac Paulus, aliiq; Monothelitæ, ad confirmandum ſuum ipſorum errorem, oſtẽtare poſtea conſueuerunt Honorii priorem ad eumdem Sergium epiſtolam, quaſi in ea vnicam in Chriſto voluntatem aſſeruiſſet: illam eiuſmodi in Honoriũ illatam calumniam iam olim S. Maximus martyr eiuſdem ſæculi ſcriptor celebris, & Catholicæ fidei præclarus defenſor, aduerſus eumdem Pyrrhum diſputans [k], egregie confutauit: docens inſuper, & ea de re ſatisfactum pariter fuiſſe Imperatori Conſtanti per Ioan. Papam; dum videlicet quod dixerat Honorius de vna voluntate, ita ex ipſius Secretarii qui epiſtolas ſcripſerat ab Honorio dictatas, & tunc ſuperſtes erat, declaratione interpretatus eſt, vt cum Sergius ſcripſiſſet quod quidam duas voluntates in Chriſto contrarias dicerent, reſcripſerit Honorius in Chriſto non duas voluntates cõtrarias extitiſſe, nempe vnam carnis & alteram ſpiritus, ſicut ſunt in nobis poſt peccatum, ſed vnam tantum, nempe ſpiritus, quippe quod caro in Chriſto nihil abſolute appetebat contra rationem. At hæc (vt egregie docet Maximus) ſolam naturam humanam ſignat, non etiam diuinam & humanam. Ex quibus illi erubeſcendi occaſionem habeãt, qui poſtea ſub Catholico nomine eumdem Honorium hæreſis Monothelitarum accuſarunt: cum, vt diximus, & eum iam olim aduerſus hæreticos ſufficientiſſime Maximus defenderit, & in Synodo Lateranenſi centum quinque Epiſcoporum ſub S. Martino Papa & martyre, itemque in alia centum viginti quinque Epiſcoporum celebrata à ſanctiſſimo Pontifice Agathone, in quibus nominatim damnati fuere præcipui eiuſmodi hæreſis auctores atque fautores, nulla prorſus vel leuis mentio quod errauerit Honorius facta fuerit. Quod vero & in Sexta Oecumenia Synodo quæ extat, æque recenſitus cum Monothelitis legatur Honorius; aperiemus impoſturam cum de his ſuo loco opportunius acturi ſumus. Iam ceteras huius anni res geſtas proſequamur.

k De hac Diſput. agetur infra an. 645.

VIII. Honor. curat res Anglor.

Hoc eodem Redemptoris anno menſe Iunio, idem Honorius Papa petitioni annuens Edvvini Nordhumbrorum in Anglia Regis, miſit pallium tum Paulino Eboracenſi Epiſcopo, tum etiam Honorio Dorouernenſi qui Iuſto nuper defuncto ſucceſſerat; eiſdemq; ambobus vices Apoſtolicæ ſedis tribuit, ita vt dum quis eorum obiret, alter in locum defuncti alium poſſet ordinare Epiſcopum, nec eſſet neceſſe ea de cauſſa Romã petere. At vero cum huius ipſius anni mẽſe Octobri idem Edvvinus Rex à rebellante Carduella antiquorum in eadem prouincia commorantium Britannorum Rege, ac Penda Merciorum Rege Pagano, bello impetitus, prælioq; victus, & occiſus fuiſſet, ſed & qui ei ſucceſſerunt. fidem Chriſtianam abiuraſſent (qui ab eodem Carduella impie quidem, ſed iuſta vltione perempti ſunt) ex his valde perturbata eſt Eccleſia Anglicana, quouſque Oſvvaldus anno ſequenti regnum ſuſcepit. Hæc vero omnia quomodo geſta fuerint, Beda [l] prolixe narrat.

l Bed. lib. 2. hiſt. Angl. c. 17. & ſeqq. & lib. 3. c. 1.

IX. Item Scotor.

Sed & cum Honorius Papa didiciſſet Scotos, Chriſtianos antiquos licet, & Euangelicæ vitæ cultores eximios, Paſcha tamen Domini celebrare non eo die quo vniuerſa Eccleſia conſueuit; idem de huiuſmodi aliiſque corrigendis erroribus literas ad eos dedit, vt teſtatur Beda [m]. Nihil tamen ipſum profeciſſe, ex eo perſpicue poſſumus intelligere quod eius ſucceſſoribus Romanis Pontificibus in iiſdem non modicum fuerit inſudãdum. Ceterum non ideo Eccleſia Scotorum à communione Sedis Apoſtolicę ſeparata fuit aliquando. Etenim quamuis error grauis eſſet, vtpote toties in Eccleſia Catholica damnatus; tamen quod circa rit⁹ nõ circa fidei dogmata verſaretur, viſus eſt in gente illa à Sede Apoſtolica tolerandus, donec perfectius poſſet populus imbui veritate. Siquidem eiuſmodi error non in eos irrepſit ex refractaria contentione, vt agere voluerint contra totius Eccleſię Catholicæ vſum, ſed (vt idem teſtatur Beda [n]) ex ignoratione Paſchalis computus quod nemo illis vltra orbem poſitis Synodalia eius obſeruãtiæ decreta porrexiſſet. Quamobrem nec numerandi fuere inter Quartadecimanos, à Niceno Concilio dmanatos; quippe quod non ſicut illi, Iudæorũ more Paſcha Domini luna decimaquarta in qualibet feria accideret, celebrarent; ſed illud ſemper agerent die Dominica, vt & Catholici omnes: verũ in eo ab eis differebant, quod Catholici illum Dominicum diem ſuſciperent, qui à decimaquarta luna ad veſperam vſq; ad vigeſimam primam lunam primus occurreret; Scoti [o] vero eum qui à decimatertia luna vſq; ad vigeſimam: ex quo illud abſurdum interdum contingebat, vt ſi decimaquarta luna occurreret Dominica dies, ipſi eadem die vna cum Iudæis Paſcha pariter celebrarent. Quem errorem apud eos cœptum anno Domini quingenteſimo ſexageſimo quinto, perduraſſe per annos centum quinquaginta, vſque ad annum ſeptingenteſimum decimumſextum quo penitus extinctus eſt, idem auctor [p] ſcribit.

m Id. lib. 3. c. 19.

Error Scotor. de die Paſchatis

n Id. lib. 3. cap. 4.

o Id. lib. 3. c. 17. & 25.

p Eod. c. 4.

X. Concil. Tolet. IV.

Hoc item anno, qui numeratur tertius Siſenãdi in Hiſpania regnantis, Nonis Decembris habita eſt celeberrima Synodvs Toletana, Quarta dicta, eademque Generalis appellata; Erat nimirũ ſexcenteſima ſeptuageſima prima, vt ex veteribus ſcriptis codicib. qui illuſtrauit Eccleſiaſticas Hiſpaniæ antiquitates Garſias Loaiſa teſtatur. Interfuerunt Epiſcopi numero ſeptuaginta, tam ex Hiſpania, quam Galliæ Narbonenſis parte illa quæ adhuc parebat Hiſpaniarum Regibus; quibus præfuit S. *Iſidorus* Hiſpalenſis Epiſcopus. Edita vero ab illis ſunt ſeptuaginta quatuor capita, eademque obſeruatione digniſſima, de his quæ ad doctrinam Catholicam, diſciplinam Eccleſia-

ſticam,& bonos mores ſpectant. Sed & illud memoria dignum, quod in præfatione Synodi Patres docet, ipſum Regem Siſenandum, cum in baſilicam ingreſſus eſſet vbi Synodus haberetur, primo coram Epiſcopis humo proſtratum cum lacrymis poſtulaſſe vt ipſi pro ſe Deum orarent; deinde eoſdem exhortatum eſſe, vt ſecundum paterna decreta omnia agerentur. Poſt hæc autem primo loco à Patribus fidei Catholicæ profeſſio eſt edita; in qua inter alia Spiritum S. à Patre Filioque procedere, ex doctrina antiquorum profeſſi ſunt. Reliqua vero docte, pieque, & nonniſi Spiritus S. illuſtratione ſancita, tu apud Acta conſule.

REX HVMI PROCVMBIT CORAM SACERDOTIB.

XI

Verum præter illa ipſe Iſidorus alibi [q] teſtatur, decretum in eodem Concilio fuiſſe, vt vnus vbique in vniuerſa Hiſpania ſacer ritus ſeruaretur in cunctis miniſteriis Eccleſiaſticis. Fuitque ſententia plurimorum, cui libens ſubſcribo, tunc à Patribus iniunctum fuiſſe onus eidem S. Iſidoro (vtpote earum rerum peritia & ſcientia ceteris excellenti) vt elucubraret volumina Eccleſiaſticorum Officiorum, quibus tum in ſacris Miſſis, tum in horis pſallendis canonicis, vti deberent omnes Hiſpaniarum Eccleſię. Nam & extant adhuc Miſſale & Breuiarium Eccleſiaſticam redolentia antiquitatem, quæ ſub titulo pariter eiuſdem Sancti Iſidori cauſa fugère. Sed cur idem Officium ſacrorum rituum vulgo *Mozarabe* dicatur, libenter aſſentior iis qui dicunt vocem eſſe deprauatam, & loco *Mixtarabum*, dici *Mozarabe*: Nimirum cum poſt Saracenorum tyrannidem facta eſſet Chriſtianorum Hiſpaniæ diuiſio, aliorum videlicet qui viuerent inter Arabes veluti ſerui, & aliorum qui extorres facti aufugiſſent ſiue ad montes ſiue ad exteras nationes; iſtos fuga lapſos, alios gentiles ſuos viuentes inter Arabes, Mixtarabes appellaſſe; ritumque ipſum ſacrorum, quem ex vſu librorum S. Iſidori iidem retinerent, quibus fuga lapſi carerent, eodem pariter nomine Mixtarabum Officium dicere conſueuiſſe, quod eo ſcilicet vterentur Mixtarabes Chriſtiani.

q Iſid. orig. lib. 7.

DE OFFICIO MOZARABE.

IESV CHRISTI AN. 634.

HERACL. AN. 25.

HONORII AN. 9.

I.

ÆGYPTVS OCCVPATVR A SARACENIS

ANno Chriſti ſexcenteſimo trigeſimo quarto Indictionis ſeptimæ, Heraclii vigeſimo quinto, Saraceni mirum in modum inualeſcentes contra Romanos, eoſdem multis prælius vicerunt; Damaſcum aliaſque plurimas Syriæ ciuitates ceperunt; ipſamq; nobiliſſimam Ægyptum, quæ prouincia ab Auguſti temporib. ſub Imperatorum ditione hactenus perſeuerauerat, ſub tributum redegerunt. Hæc pluribus Annales Græcorum. Ex quibus conſtat, pugnaſſe tunc Deum aduerſus Romanũ Imperium pro Saracenis, cum ipſe Imp. pro hæreticis aduerſus Eccleſiam Catholicam bellum ſtrueret; Ægyptioſque ſubiugatos eſſe à barbaris, eo tempore quo in Ægypto per Cyrum Epiſcopum Alexandrinum noua hæreſis communi omnium conſenſu pullularet. Ceterum erant tunc cum Damaſcus capta eſt inter alios ciues, parentes S. Ioannis Manſur, Damaſceni dicti; qui ob inſignia virtutum præconia inter captiuos liberi permanſerunt, adeo vt licet Chriſtiani eſſent ac fide Orthodoxi, tamen ab iiſdem Saracenis (qui nihil negotii Catholicis faceſſerunt) publicis manciparentur functionibus. Hæc enim tradit ſcriptor rerum geſtarum ipſius Ioannis, quem nondum hoc tempore natum idem videtur innuere.

DE PARENTIBVS S. IO. DAMASCENI

II.

Eodem anno in Anglia Oſuualdus ſanctiſſimus Rex Eduuini nuper extincti ex ſorore nepos, venturus ad pugnam contra Carduellam tyrannum, magna fide in eodem loco Crucem ligneam erexit, fuſiſq; apud eam precibus, ipſe cum paruo exercitu ſed fide Chriſti munito, eumdem Carduellam immenſis ſuis copiis fidentem ſuperauit, occiditque. Et vocato ex Scotia (vbi ipſe exulans baptiſmum ſuſceperat) S. Aidano Epiſcopo, antea monacho, viro plane Apoſtolico; per eius prædicationem, cui & ipſe Rex interpretis munere fungebatur, Bernicionum gentem ſibi ſubditam ad fidem Chriſti conuertit: quæ omnia pluribus Beda [a] proſequitur, multa referens de pietate eorumdem Aidani & Oſuualdi, necnon de miraculis ad eamdem Crucem ligneam fieri conſuetis. Addit & eumdem Regem, cum ſuos ſubditos regna cœlorum ſperare docuit, regna quoque terrarum pluſquam vllum maiorum ſuorum à Deo conſecutum eſſe: ſiquidẽ omnes nationes & prouincias Britanniæ, quæ in quatuor linguas (hoc eſt Britonum, Pictorum, Scotorum, Anglorum) diuiſæ erant, in ditione accepit.

OSVALDI REGIS ANGLOR. PIETAS.

a Bed. de geſt. Angl. li. 3. ca. 2. & ſeqq.

IESV CHRISTI AN. 635.

HERACL. AN. 26.

HONORII AN. 10.

I.

SYRIA A SARACENIS OCCVPATA.

ANno Chriſti ſexcenteſimo trigeſimo quinto Indictionis octauæ, Heraclii vigeſimo octauo, Haumar Arabum & Saracenorum Princeps vniuerſam ſubegit Syriam, deleto vna cum exercitu Sergio Romanorum in Palæſtina Duce; ipſaque ſancta ciuitas Hieruſalem obſeſſa eſt. Hæc Annales breuiter; quæ lamentabili voce abunde deplorauit eiuſdem S. ciuitatis Epiſcopus ſanctiſſimus Sophronius, in oratione quam durante obſidione habuit in die Natalis Domini: vbi miſerrimum deſcribens illius regionis ſtatum, cum omnia loca ſancta quæ erant extra Hieroſolymam à feris barbaris poſſeſſa diriperentur, inter alia luget quod non poſſet ſuo loco celebrare cum ſuis Natalitium Domini, nempe in Bethleem quæ in manibus hoſtium eſſet.

II.

FIDEI PROPAGATIO IN ANGLIA.

Sed dum tot tenebræ occuparent Orientem, lux Euangelica fulgentibus radiis coruſcauit in Occidente. Hoc enim anno in Anglia gens Occidentalium Saxonum, qui antiquitus Geuiſſi vocabantur, vna cum ipſorum Rege Cynigilſo fidem Chriſti ſuſcepit, prædicante illis verbum *Birino* Epiſcopo illuc ab Honorio Papa miſſo. Narrat hæc Beda [a]: quæ geſta hoc anno Redemptoris eſſe, conſtat ex ipſius S. Byrini Actis [b]. Vbi inter plura alia quæ ab eodem edita narrantur miracula, illud eſt inſigne, quod aſcenſurus aliquando nauem, cum vrgentib. nautis præ feſtinatione in littore vbi Miſſam celebrarat, reliquiſſet pallam ei ab Honorio Papa datam, ſuperquam in altari Corpus Chriſti conſecrabat, ac pariter idem Corpus Dominicum eadem inuolutum ad collum ſuſpenſum ferre ſemper cõſueuerat (qui mos antiqu' adhuc vigebat) naue plenis velis mare ſulcante, reminiſcens obliti chariſſimi pignoris, ipſe fide armatus in aquam deſcendit, & per illam pedib. incedens, recepto quod reliquerat ad nauem regreſſus eſt, quæ interea immobilis extitit. Ob quæ mira à nautis tamquam Deus adoratus, eoſdem ad fidem Chriſti conuertit.

a Bed. 3. hiſt. 7.
b ap. Sur. 3. Dec.

INSIGNE MIRACVLVM BYRINI.

IESV CHRISTI AN. 636.

HERACL. AN. 27.

HONORII AN. 11.

I.

HIEROSOLYMA CAPTA A SARACENIS.

ANno Chriſti ſexcenteſimo trigeſimo ſexto, Indictione nona, ciuitas ſancta, in qua operatus eſt Deus ſalutem in medio terræ, anno ſecundo obſidionis pactis conuentis dedita eſt Saracenis. Egit namque Sophronius eiuſdem Epiſcopus; vt Chriſtianis in vniuerſa Palæſtina liceret ſecure quæ ſunt Chriſtianæ religionis ſacra peragere. Haumar autem Saracenorum Princeps mox vbi ciuitatem ingreſſus eſſet, ciliciniis ex camelis & ſordidis indumentis amictus, templum Salomonis adiens, vtpote affinis genti Hebræorum, eius deſtructionem luxit, ac poſtea in vſum ſuæ ſectæ reſtaurauit. Sophronius vero non ferens videre ſancta à canib. proculcari, cum ad hanc deſolationem retuliſſet propheriam Danielis de abominatione in loco ſancto, mœrore confectus obiit. Hæc omnia Annales tradunt. Ceterum Hieroſolyma à Saracenis hoc anno capta, ab iiſdem captiua tenta eſt per annos quadringentos ſexaginta tres, videlicet vſque ad annum

Domini milleſimum nonageſimum nonum, quo Francorum pia fortitudine cœleſti munita auxilio, à iugo tyrannico liberata eſt.

II. SERGIVS INVADIT ECCLES. HIEROS.

Poſt Sophronium autem, inuaſiſſe Eccleſiam illam hæreticum hominem *Sergium* quondam Ioppenſem Epiſcopum; apparet ex relatione Stephani Epiſcopi in Synodo Romana ſub Martino Pontifice in Secretario ſecundo. Sed & illud Hieroſolymitana clades attulit detrimentum, quod æque cum ciuitate Sophronii ſcripta naufragium paſſa ſint; præter duas homilias [a], alterā in Natali Domini habitam, de qua anno ſuperiori, alteram de Angelis; itemque epiſtolam [b] vnam aduerſus Monothelitas, de qua pariter dictum eſt ſuperius: ex quibus ſatis intelligi poteſt, qualis quantuſque vir fuerit, doctrina egregie & eloquentia præditus. Qui cum & ſanctitate percelebris innotuiſſet, eius natalis dies in tabulas [c] Eccleſiaſticas relatus eſt.

a Ext. To. 2. Bibl. Sanct. [illegible] b In Syn. Sex. Act. 11.

c Martyrol. Rom. 11. Mart.

III. CONCIL. TOLET. V.

Hoc item anno, Era ſexcenteſima ſeptuageſima quarta, celebratum habetur CONCILIVM TOLETANVM dictum Quintum, Epiſcoporum viginti, anno primo Cinthilani Regis, laudatiſſimi Principis: cuius extant canones nouem, iidemq; pro Regis ſalute regniq; ſtabilitate ſanciti. Quod autē ei minime interfuiſſe reperiatur. S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, qui Concilio Toletano Quarto ante triennium celebrato præfuerat; id accidit, quod hoc eodem anno traditur eſſe defunctus, poſtquā Eccleſiam illam quadraginta ferme annis adminiſtraſſet: vir doctrina ſimul & ingenio pollens, virtutibuſque & ſanctitate, atque etiam miraculis præclarus, & Gothorū ſtirpe progenitus, filiuſque Seueriani Ducis Cartaginenſis, & frater magni illius S. Leandri, de quo ſuperius dictum eſt, olim Hiſpalenſis ſimiliter Epiſcopi. De ciuſdē S. Iſidori admirandis laudibus, plura habent Tudenſis in Cinthilano Rege, & S. Ildelphonſus Archiepiſcop' Toletanus. Sed & iſte ſcripta illis exacte recenſet; quæ ferme omnia adhuc extant. Tudenſis autem de ipſius ſucceſſore *Theodiſco* natione Græco loquens, ait eum fuiſſe ſub ouina pelle lupum rapaciſſimum; qui libros quoſdam S. Iſidori corrupperit, & ob fidei errorem quo Chriſtum filium Dei adoptiuum tantum eſſe dicebat, à Synodo depoſitus ad Arabes tranſierit, & ſectæ Mahometanæ adhæſerit. Quo tempore (inquit Tudenſis) dignitas Primatus ab Eccleſia Hiſpalenſi tranſlata eſt ad Eccleſiam Toletanam.

S. ISIDORI OBITVS, ET VIRTVTES.

EPISCOPVS HISPAL. APOSTATA.

HERACL. AN. 28.

IESV CHRISTI AN. 637.

HONORII AN. 12.

I. ANTIOCHIA CAPTA A SARACENIS.

ANno Domini ſexcenteſimo trigeſimo ſeptimo, Indictione decima, totius Orientis metropolis ciuitas Antiochia à Saracenis capta eſt, cum iam antea ab iiſdem occupata eſſet reliqua pars Syriæ retentaque ab eis eſt vſque ad annum Domini milleſimum nonageſimum octauum, quo Franci eam recuperarunt.

Plane vero his temporibus, quibus ſiue à Perſis antea, ſiue ab Arabibus poſtea, iiſdemque Mahometanis & Saracenis, captæ ſunt nobiliſſimæ ciuitates Orientis, Alexādria, Hieroſolyma, & Antiochia, vna cum eiſdem ſubditis regionibus; accidit vt ſiue habitatoribus in Occidentem commigrantibus, ſiue mercatoribus cum iiſdem gentibus tuto verſantibus, ſiue aliis fidelibus Chriſtianis id curantibus, complura Sanctorum cum Martyrum, tum Confeſſorū corpora tranſlata fuerint in Occidentē, atque in diuerſis locis, Romæ, Venetiis, vel alibi collocata. Romam autem tranlatas tunc fuiſſe venerandas Reliquias Ignatii martyris Antiochia, conſtans fama vetuſque traditio potius quam ſcripta ſignificant. Sed S. Marci corpus longe poſt hæc tempora transferri Venetias contigit; de quo dicetur ſuo loco.

TRANSLATÆ RELIQVIÆ IN OCCIDENTEM.

IESV CHRISTI AN. 638.

HERACL. AN. 29.

HONORII AN. 13.

I. CONCIL. TOLET. VI.

ANno Chriſti ſexcenteſimo trigeſimo octauo Indictionis vndecimæ, Cinthilani Hiſpaniæ Regi ſecundo, Era ſexcenteſima ſeptuageſima ſexta, quinto Idus Ianuarias, celebratum habetur generale, ſiue dixeris nationale CONCILIVM TOLETANVM, Sextum nominatum, cui præfuit *Silua* Epiſcopus Narbonenſis ceteris ſenior, interfueruntque Epiſcopi ſiue per ſe ſiue per legatos numero quinquaginta duo; à quibus ſancita ſunt capita decem & nouem, tum ad fidem Catholicam ſtabiliendam, tum etiam ad Eccleſiaſticam diſciplinam cuſtodiendam elaborata. Quorum tertio, in odium maxime Iudæorum, ex eiuſdem Regis ſententia, atque Optimatum Regni cōſenſu, à Patribus ſancitum eſt, vt qui in Regnum Hiſpaniæ in poſterum vocarentur, non ante thronum conſcenderent, quam inter reliqua conditionum ſacramenta polliciti eſſent, ſe nullo modo permiſſuros in regno ſuo aliquem degere qui non eſſet Catholicus adeo vt ſiquis eorū eius legis ac promiſſionis temerator exſtiteret, (*eſſet* inquiunt Patres) *anathema, maranatha in conſpectu Dei, & pabulum efficeretur ignis æterni: ſimulque cum eo damnatione percelleretur, quicumq; ſacerdotum vel quorumlibet Chriſtianorum eius implicati fuiſſent errori.* Ex quibus quidem apparet, haud indebite tributum eſſe titulum Hiſpaniæ Regibus, vt CATHOLICI cognominentur; vt pote tanto facti titulo digni, quod non ſolum iurent ſe fore Catholicos, ſed neque paſſuros quemquam non Catholicum in ampliſſimo ſuo regno permanere.

REGES HISP. CVR COGNOMINATI CATHOLICI.

II. HONORII PP. OBITVS.

Hoc eodem anno, quarto Idus Octobris, *Honorius* Romanus Pontifex ex hac vita migrauit, vbi ſediſſet annos duodecim ac menſes quinqui, minus tribus diebus: (Ita enim ex Synodalibus Actis Romani Concilii ſub Martino Papa, eſt corrigendum quod apud alios legitur, poſt annos duodecim & menſes vndecim) ſepultuſque eſt in baſilica S. Petri. De cuius erga diuinum cultum reuerentia in diſponendis rebus Eccleſiaſticis, atque munificentia in ædificandis, ornādis dotandiſq; eccleſiis, multa admiranda apud Anaſtaſium inuenies. Sed mirabilius plane; quod in refoſſis nuper egregiis antiquitatū [a] monumētis de eodē Honorio Papa traditur; nempe ab ipſo ſublatum ſchiſma Hiſtrianum de Tribus Capitulis, ſpatio annorum ſeptuaginta inueteratum; ad quod demoliendum fruſtra inſudaſſent prædeceſſores Romani Pontifices, præſertim vero S. Gregorius, vt vidimus ſuperius. Vnde mirifice commendatur ipſius Honorii Pontificatus, omni quidem ex parte laudatiſſimus: quamuis poſtmodum iiſdem ſchiſmatici iterum lapſi in eo permanſerint vſque ad Sergium Papam. Sed & quod iiſdem antiquis monumentis & inſcriptionib. poſt eiuſdem Pontificis obitū confectis, permulta alia de optimo ipſius regimine Eccleſiæ, & ſincera per omnia fidei Orthodoxæ obſeruatione prædicentur; ex iis quoque erubeſcere debeant, qui in ipſum mutire vel audeant.

a [illegible] Antiq. [illegible] pag. 411. Append. antiq. Inſcrip. pag. 1163. n. 3. & pag. 1165. n. 11.

III.

Quod autem ait Anaſtaſius ſedem eius vacaſſe annum vnum, menſes ſeptem, & dies decem & ſeptem; haud ſic intelligendum eſt, vt non ante electus fuerit eius ſucceſſor; ſed potius quod qui iam Romæ canonice electus erat SEVERINVS, cum reſiſteret conſentire Edicto Imperatoris, de quo agetur paulo poſt non fuerit ab eodem Imperatore (vt tunc tyrannice fieri moris erat) confirmatus. Hoc enim colligi poſſe videtur ex ipſo Anaſtaſio, dum agens de eodem Seuerino, ait quod cum ipſe adhuc electus eſſet (hoc eſt nondum ordinatus) Epiſcopium Lateranēſe à Mauritio Chartulario, & Iſacio Italiæ Exarcho (quod numquā antehac factum fuerat à quoquā) Armata manu deuaſtatum fuerit; primateſque Eccleſiæ omnes (hoc hoc eſt Cardinales) eorum violētiæ reſiſtentes in exilium pulſi, ac denique Eccleſia theſauro & ſuppellectilibus ſacris ſpoliata, aliqua etiam prædæ parte Conſtantinopolim ad Heraclium Imperatorem miſſa; poſtmodū vero ordinatus fuerit Seuerinus. Hæc igitur cum pendente Seue-

SEVERINVS PAPA ELIGITVR.

GRASSATIO EXARCHI IN ECCLES. ROM.

Digitized by Google

te Seuerini ordinatione accidiſſe docet Anaſtaſius; putamus Imperatorem diſtuliſſe confirmationem ipſius electionis, quouſque promiſſionem ab eo eliceret de acceptatione Edicti perfidiæ ab ipſo Heraclio promulgati anno ſequenti; & quod illud Seuerinus cum omni clero fuerit execratus, nequaquam ipſum accepiſſe confirmationem, ſed abſque ea ordinatum eſſe: quem idem Anaſtaſius ait fuiſſe moribus ſanctum, benignumq; ſuper omnes homines, & largum in pauperes; patria autem Romanum patreque natum Abieno.

IV. Hoc item anno, Arioualdus Rex Longobardorum Arianus vbi regnaſſet annos duodecim, mortuus eſt; inque locum eius ſubrogatus Rotharis itidem Arianus: cuius temporibus (vt ait Paulus [b] diaconus) pene per omnes ciuitates regni eius duo Epiſcopi fuerunt, vnus Catholicus & alter Arianus. Idemque Longobardorum leges, quas ſola conſuetudine hactenus retinuerant, ſcriptis primo mandauit; codicemque ipſum, Edictum appellari præcepit, anno ſeptuageſimo ſeptimo ex quo Longobardi in Italiam venerant.

[b] Paul. diac. lib. 4. c. 44.

LONGOB. LEGES SCRIPTIS MANDATÆ.

IESV CHRISTI AN. 639.

HERACL. AN. 30.

SEVERINI AN. 1.

I. ANno Chriſti ſexcenteſimo trigeſimo nono, Indictione duodecima, Heraclius Imperator ſemel Deo auerſus, animo induratus, tandem publicum promulgauit edictum, ad ſtabiliendam cui fauebat Monothelitarum hæreſim; quod ECTHESIN, hoc eſt expoſitionem nominauit. Id enim factum eſſe hoc anno, videlicet duodecima currẽte Indictione, docent Acta Romanæ [a] Synodi ſub Martino Papa, in quibus ipſa Ecthesis integre recitata habetur; impia quidem illa, ſed ita concinnata vt fallere poſſet quempiam incautum: quam in eadem Synodo Martinus adſcribit perfidiæ Sergii Conſtantinopolitani Epiſcopi. Sed & poſtquam ea promulgata eſt, ad ipſam confirmandam à Sergio *pſeudoſynodum* celebratam eſſe, pariterque ſcriptam ad eum ab impio Cypro Alexandrino epiſtolam adulatione plenam; conſtat ex tertio Secretario eiuſdem Concilii Romani. Denique eamdem Ecthesin miſſam eſſe ab Imperatore ad Iſacium Italiæ Exarchum, & per hunc ad Romanum Pontificem Seuerinum vt eam probaret, certum redditur ex eadem Cyri ad Sergium epiſtola: Seuerinum autem vna cum vniuerſo Romano Clero illam deteſtatum eſſe, & anathemate damnaſſe; declarauit idem Martinus Papa in prædicta Romana Synodo.

HERACL. IMP. ECTHESIN PROMVLGAT.

[a] Synod. Later. ſub Mart. Secret. 1. & 3.

SEVER. PP. DAMNAT ILLAM.

II. Porro ipſe *Seuerinus* haud diutius ſuperſtes fuit, afflictionibus exagitatus à miniſtris Imperatoris, quod Ecthesin approbare renuiſſet: ſiquidem ea quæ de his anno ſuperiori dicta ſunt, in hunc potius referenda putamus, poſtquam ipſe Imperatori conſentire renuit. Quod vero eiuſdem incerta ſit dies electionis, hinc factum eſt vt nec quamdiu Pontifex perſeuerauerit adeo certo definiri poſſit, quamuis alii pro arbitrio addant & minuant annos, menſes, & dies. Tribuit autem eius ſedi Anaſtaſius menſes duos & dies quatuor; videlicet à tempore ordinationis, non autem electionis. Certe ipſum non prætergreſſum eſſe hunc annum; ex eo liquido intelligi poteſt, quod ſequenti ſediſſe Ioannem conſtet ex Synodo ab eo tunc facta. Sed & quod idem Anaſtaſius dicat eum defunctum eſſe quarto Nonas Auguſti, ſepultumq; in baſilica S. Petri, ac ſedem vacaſſe menſes quatuor & dies viginti nouem: ex hac eius aſſertione dicendum erit, vltima die huius anni ordinatum eſſe in locum eius IOANNEM huius nominis Quartum, natione Dalmatam, filium Venantij Scholaſtici.

SEVER. PP. OBITVS.

IOAN. IV. CREATVR R. PONT.

III. Auctor quoque eſt Beda, hoc anno perlatas eſſe Romam Epiſcoporum Scotorum litteras ad Seuerianum ſcriptas de controuerſia celebrationis die Paſchatis (de qua ſuperius dictum eſt) ac de renaſcente in Scotia Pelagianiſmo: ſed cum iam Seuerinus diem obiiſſet, Clerum Romanum eas aperuiſſe, Scotiſque conſultationum ſuarum reſponſa dediſſe. Cuius litterarum fragmenta cum idem auctor [b] recitet, ex earum præfatione colligi poteſt, quomodo adminiſtrari ſoleret Romana Eccleſia, dum qui electus erat Pontifex vetabatur tyrannice munus ſuum exercere, donec accederet Imperatoris confirmatio. Sic enim ſe habet inſcriptio, *Dilectiſſimis Thomiano &c. Hilarius Archipresbyter & ſeruans locum S. Sedis Apoſtolicæ, Ioannes diaconus & in Dei nomine electus, item Ioannes Primicerius & ſeruans locum S. Sedis Apoſtolicæ, & Ioannes ſeruus Dei Conſiliarius eiuſdem Apoſtolicæ ſedis.* Vnde videas curam Romanæ totiuſq; Vniuerſalis Eccleſiæ non electum Pontificem ſolum geſſiſſe, ſed quatuor ſimul eiuſdem Eccleſiæ præcipuos miniſtros ſacros. Sicut etiam ex epiſtola [c] S. Martini Papæ ad Eliterum intelligitur, in abſentia Pontificis locum ipſius repræſentare conſueuiſſe Archidiaconum, Archipreſbyterum, & Primicerium.

[b] Bed. 2. hiſt. Angl. 19.

QVOMODO ADMINISTRARETVR ROM. ECCL. PENDENTE CONFIRMATIONE IMP.

[c] Martin. Pap. ep. 15.

IV. Hoc eodem anno, turbarum omnium in Oriente auctor & architectus Sergius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, poſt impiam illam Ecthesin in ſua pſeudoſynodo confirmatam, cum ſe ſumma rerum potitum arbitraretur, vocatus eſt à ſummo Iudice reddere rationẽ ad tremendum illud diuinum examen Dei viuentis & videntis. Quem quidem ad hunc vſque annum perueniſſe, quæ nuper ex Synodalibus Actis Romani Concilii ſunt dicta demonſtrant: ex quibus corrigendum eſt Nicephori Chronicon, in quo octo tantum anni & menſes ſeptem tribuuntur eius Epiſcopatui, quem liquet tenuiſſe annis triginta & amplius. Pluris namque ſunt ad fidem certam faciendam epiſtolæ & Acta Synodalia, quouis auctoris Chronico. Ceterum ſublato de medio hæretico Patriarcha, alius ab hæretico Imperatore in eius locum ſubrogatus eſt pariter hæreticus, *Pyrrhus* Chryſopolitanus monachus, Sergio impietate non minor.

OBITVS SERGII EPISCOP. CONSTANT. ET SVBROGATIO PYRRHI.

V. Dum autem ſic in fidem Catholicam iuraretur bellum, aduerſariorum Saracenorum vires in immenſum augebantur; qui Perſarum regnum inuadentes hoc anno potiti ſunt illo, cum ad fugam conuerſus Hormiſda Rex Perſarum, rebus penitus deſperatis regalia quoque dimiſit inſignia.

SARACENI POTIVNTVR REGNO PERS.

VI. Quod ad res Francorum pertinet; hic eſt annus octauus [d] Regis Dagoberti, quo ipſe ad meliorem frugem cõuerſus, dimiſſis concubinis, puellaque Regentrude ſibi in matrimonium collocata, ex ea filium ſuſcepit, quem Sigebertum nominari voluit; reuocato ad eum baptizandum ab exilio S. Amando Epiſcopo Traiectenſi, cuius pedibus proſtratus veniam petiit iniuriæ in ipſum irrogatæ. In baptiſmo autem pueri mirandum illud accidit, vt cum oratione finita nemo forte ex circumſtanti multitudine reſpondiſſet *Amen*, aperuerit Dominus os eiuſdem pueri, qui dies tantummodo quadraginta natus, audientibus cunctis clara voce reſpondit, *Amen*. Cuius tanti miraculi teſtes ſunt præter Aimoinum [e], Baudemundum [f] atque Hugbaldus [g] horum temporum ſcriptores, de quibus iam antea facta eſt mentio.

[d] Aimoin. li. 4. de geſt. Franc. c. 20.

INFANS XL. DIER. IN BAPTISMO RESPONDET AMEN.

[e] Ibid. [f] Act. S. Amand. ap. Sur. 6. Febr. [g] Vit. S. Rictrud. ap. Sur. 12. Mai.

IESV CHRISTI AN. 640.

HERACL. AN. 31.

IOAN. IV. AN. 1.

I. ANno Domini ſexcenteſimo quadrageſimo, Indictione decimatertia, Ioannes Romanus Pontifex collecta SYNODO damnauit promulgatam ab Heraclio anno ſuperiori Ecthesin, vna cum ipſa Monothelitarum hæreſi, quæ eiuſdem Imperatoris auctoritate plurimum inualuerat: idque ipſum præſtiterunt diuerſis habitis *Conuentibus* Eccleſiæ Africanæ. Teſtatur hæc imprimis Theophanes. Ei vero rei magno Africanis adiumento fuiſſe Maximum martyrem, docent Acta rerum ab ipſo geſtarum, quæ habentur ad calcem operum eius in trib. codicibus Vaticanis. Ex quibus ſciendum eſt, fuiſſe hunc *Maximum* patria Conſtantinopolitanum, antiqua nobilitate clarum, litteris philoſophicis ac Theologicis egregie ex-

IOAN. PP. DAMNAT ECTHESIN HERACL.

De Maximo abbate acerr. fidei cathol. propugnatore.

cultum: qui inuitus ab Heraclio Imperatore in Palatium tractus, vt regiis commentariis conſcribendis operam daret, in ea functione factus eſt omnibus dignum virtutum quod imitarentur exemplar. Monothelitarum autem hæreſi ad Regiam acceſſurum habente, ipſe ſibi conſulens Palatium, deſeruit, atq; monaſterium ingreſſus Cryſopolitanum in vlteriore litore ſitum, paulo poſt eiuſdem ſubire coactus eſt præfecturam. Quod autem videret illam hæreſim in Oriente indies augeri, iter dirigens in Occidentem qui tali ſcelere careret, Romam venturus in tranſitu Africanis, aliiſq; finitimarum prouinciarum atq; Inſularum Epiſcopis hortator extitit, vt Synodis vbiq; habitis eamdem Monothelitarum impietatem condemnarent.

II. Heracl. negat Ecthesin eſſe ſuam.

Porro cum ea quę diximus Romæ & alibi in Occidente geſta Imperatori innotuiſſent, ſeq; per ea exec rationi omnibus vbiq; eſſe videret; haud leuiter commotus, illud excogitauit conſilium, vt nouo promulgato edicto omnibus declararet, Ecthesin illam ſuam non eſſe, ſed Sergii Conſtantinopolitani Epiſcopi, qui eam Imperatoris nomine edidiſſet quo maiorem ei auctoritatem compararet. Hæc enim ita ſe habuiſſe hancq; nouam declarationē ab Imperatore ad Ioannem Romanum Pontificem miſſam eſſe, docent Acta publica in Senatu Conſtantinopolitano poſtea confecta, cum ſub Conſtante Imperatore Monothelita cauſa S. Maximi tractaretur. Sed vtinam Heraclius ſicut deſtruxit, ita ædificaſſet; nimirum vt eodem vel alio edicto rectæ fidei confeſſionem promulgaſſet toto orbe terrarum: nam ea plane indigebat, vt ſe ab omni hæreſis ſuſpicione purgaret.

III. Cyri Alex. obitus, et aliorum ſubrogatio.

Hoc pariter anno ex humanis ſublatus eſt peſſimus ille Cyrus Alexandrinus Epiſcopus, poſtquam ſediſſet (vt habetur in Nicephori Chronico) annos decē. Succeſſit illi *Petrus* eiuſdem farinæ homo, hæreſis Monothelitarum propugnator acerrimus. In ſede pariter Antiochena *Macedonius* ſucceſſit perditiſſimo illi Athanaſio hæretico. Sed quando ipſe defecerit ignoratur: nec de Antiochenis Epiſcopis ſucceſſoribus vlla deinceps mentio vſq; ad tempora Sextæ Synodi, quibus ei præfuiſſe Eccleſiæ reperitur *Macarius* hæreticus famoſiſſimus. Sicut & Hieroſolymitanæ Eccleſiæ obſcura eſt ſucceſſio, occupatis regionibus illis à Saracenis.

IV. a Aimon. l. 4. c. 23.

Quod ad res pertinet Occidentales, hoc eodem anno qui numeratur nonus Dagoberti Francorum Regis, veteres[a] ponunt Legatum ab eo miſſum Richarium, ſiue Sicharium, ad Sclauorum Regem pro repetendis mercibus ablatis quibuſdam mercatoribus Francis. De qua legatione illud inſigne narrant, quod cum idem Sclauorum Rex Legato dixiſſet, expetere ſe amicitiam Regis Francorum, iſque reſpondiſſet, *Non eſſe poſſibile vt ſerui Chriſti cum canibus fœdera iungerent*; tunc ad eum ille, *Quandoquidem vos ſeruos profitemini eſſe Dei, & nos ſumus canes, ideo quę vos nequiter contra eius geritis voluntatem, vt inutiles famuli, nobis frequenter conceditur morſibus ipſa vlciſci*: ſtatimq; à ſuo conſpectu Legatum abiecit. Ceterum claruit hoc tempore in Gallia egregiæ ſanctitatis vir *Richarius* nomine, qui paternis monitis ipſum Dagobertum Regem ad meliorem frugem conuertit; cuius res præclare geſtas ſcripſit poſtea Albinus[b] Flaccus ad Carolum Imperatorem.

Regis Sclavorum ſcitum dictum.

b ap. Sur. 26. April.

V. Eccl. Anglic. propagatur. c Bed. lib. 3. c. 8.

Eodem Redemptoris anno Eaduualdum Anglorum in Cantia Regem defunctum eſſe, relicto regni herede filio Earconberto, teſtatur Beda[c]; reſq; Eccleſiaſticas felicioribus progreſſibus auctas tradit. Hic enim (vt ait) primus Regum Anglorum idola vbique deſtrui, Ieiuniumq; quadraginta dierum obſeruari præcipit: cuius & filia Eartongatha monaſticam vitam amplexa, Gallias petens vixit in monaſterio nobiliſſimæ Abbatiſſæ Faræ. Siquidem eo tempore (inquit) necdum multis in regione Anglorū monaſteriis conſtructis, multi de Britannia monaſticæ conuerſationis gratia, Francorum vel Galliarum monaſteria adire ſolebant, & filias ſuas eiſdem erudiendas; ac ſponſo cœleſti copulandas mittebant. Porro *Fara* quā diximus, magni illius S. Columbani Abbatis quondam diſcipula, dicta quoque reperitur[d] *Burgundofora* quaſi Burgunda Fara: quæ & fratri ſuo nomine *Faroni*, viro nobiliſ-

De Burgundofora abbatiſſa. d in Vit. S. Euſtaſ. Abb.

ſimo æque ac prudentiſſimo, perſuaſit vt ampliſſimis Palatii honoribus, Regiſq; Clotari ſingulari amicitia poſthabitis, adhuc vigente iuuentutis flore, conſentiente coniuge, Eccleſiaſtico ordini ſe adiungeret: qui poſtea creatus Epiſc. Meldenſis egregia claruit ſanctitate, vt pluribus habetur in eius Vitæ Actis[e].

e ap. Sur. 28. Octob.

IESV CHRISTI AN. 641.

Constantin. Heracleonas.

IOAN. IV. AN. 2.

I. Heraclii Imp. infelix obitus.

Anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo primo, Indictione decimaquarta, menſe Maio, Heraclius Auguſtus vbi imperaſſet annos triginta vnum, infelici exitū vitam clauſit, confectus ærumnis animi, corporiſq; moleſtiis, ea paſſus quæ pudet referre: ſed & præter alias corporis ægritudines, magnopere hydropiſi laborauit. Qui quidem reliquit de ſe quaſi in tabula egregie effigiatum exemplar; quantum Deo inhærentes Principes poſſint, quantumue ab eo recedentes ſint inualidi, ac Reipublicæ & Eccleſiæ noxii propagata etiam eadem ad poſteros ſuos infelicitate. Etenim qui cum ipſo regnarat & ipſi ſucceſſit CONSTANTINVS, iugi morbo detentus, vix quatuor in Imperio (vt tradit Theophanes) menſes abſoluit; coronatus eadem quam ſecum ad ſepulchrum pater coronam geſtauit, perſoluto pretio templo ſeptuaginta librarum. Creditum vero fuit, venenum ipſi à Martina Auguſta nouerca propinatum. Cuius Martinæ filius HERACLEONAS, adiuuante Pyrrho Conſtantinopolitano Epiſcopo, Imperii habenas regendas ſuſcepit; ſed rebellante Senatu, poſt ſex menſes ab Imperio depoſitus eſt ac mutilatione naſi mulctatus; pariterque eius mater Martina, perfida femina, linguæ abſciſſione punita; ac deniq; ambo in perpetuum exilium eiecti, collato Imperio filio Conſtantini, quem alii Conſtantem, Conſtantium alii, alii Conſtantinum nominant; nos vero ſecuti Theophanem, CONSTANTEM appellabimus: cuius Imperii initium anno ſequenti contigit.

Constans Imp.

II. Ioan. PP. obitus.

Hoc item anno *Ioannes* Papa, vbi ſediſſet annum vnum menſes nouem & dies ſex, ex hac vita migrauit quarto Idus Octobris; ſepultuſque eſt in baſilica S. Petri. Cumque vacaſſet ſedes eius menſem vnum & dies tredecim, hoc eodem anno die vigeſima quinta Nouembris ſubrogatus eſt in locum eius THEODORVS, Theodori Epiſcopi filius, patria Hieroſolymitanus: vt hęc omnia tradit Anaſtaſius. Qui & de eodem Ioanne habet, ipſum per omnem Dalmatiam ſeu Iſtriam multas pecunias miſiſſe, ad redimendos captiuos quos Gentiles deprædati eſſent. Etenim Slaui, ſiue Sclaui, in illas regiones graſſantes magnam multitudinem captiuorum abduxerant, quos Ioannes Papa redemit: qui eo liberior fuit in erogando Eccleſiæ theſauro, quod haud pridem vidiſſet eum in damnū eiuſdem Romanæ Eccleſiæ fuiſſe ab Honorio congregatum; quodq; ſciret aurum Eccleſiam habere (ſicut ait S. Ambroſius[a]) non vt ſeruet, ſed vt eroget, quamuis non ſemper improbanda ſit prudentia, qua in neceſſitates Eccleſiæ pecunia cuſtoditur, ſecundum quod in Sacra Scriptura[b] dicitur, viliorem eſſe ſapientiam cum diuitiis. Sed ſi his Eccleſia careat, certum eſt quod haud Dei tuto præſidio deſtituitur; immo diuinum magis ſibi conciliat patrocinium, cum humanis auxiliis deſtituta videtur: non enim innititur auro, licet auro bene vtatur. Ceterum qui in Dalmatiam pro redimendis captiuis pecunias miſit Ioannes, theſaurum inde longe locupletiorem eſt conſecutus; nempe corpora SS. plurimorum martyrum quæ Romam transferenda curauit (vt habet Anaſtaſius) quod ea in Dalmatia & Iſtria barbarorum paterent in curſibus & incendiis.

Theodorus eligitur.

Ioan. largitas in redimendis captivis. a Ambr. l. 2. offic. c. 28. b Eccleſ.

Digitized by Google

CONSTANTIS AN. 1.

IESV CHRISTI AN. 642.

THEODORI AN. 1.

I. PYRRHVS EPISC. CONST. EXTORRIS FACTVS.

ANno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo ſecundo, Indictione decimaquinta, Pyrrhus Conſtantinopolitanus Epiſcopus in ſuſpicionem adductus conſpirationis cum Martina Auguſta de propinato veneno Conſtantino Imperatori, ſibi timens ſponte receſſit, cum ſediſſet (vt ait Nicephorus) annos duos menſes nouem & dies nouem. Pergens autem in Africam, manſit ibi annos tres; poſt quos profectus eſt Romam, vt dicetur. In eius vero locum, ab hæretico Imperatore Conſtante ſubrogatus eſt *Paulus* æque hæreticus Monothelita. Sicut enim Imperii ita & impietatis heres Conſtans, hæreſim quam ſciebat ab Heraclio auo cœpiſſe originem, mirum in modum propagare conatus eſt, præficiendo Eccleſiis vacantibus Epiſcopos hæreticos, prouinciiſque regendis Præſides deputando eiuſdem erroris aſſertores: vt nunquam turpior apparuerit facies Orientalis Eccleſiæ, quam his temporibus: cum etiam ex altera parte vbique inualeſceret ſecta Mahometana.

CONSTANS IMP. HÆRESIM MONOTHEL. PROPAGAT.

II. a *Bed. li. 3. ca. 9. & 12.* OSVVALDI REGIS OBITVS, RELIGIO, ET MIRACVLA.

Hoc eodem Redemptoris anno (vt ſcribit Beda [a]) Rex Nordhumbrorum pientiſſimus Oſvvaldus in prælio occiſus eſt ab eodem Pagano Rege Merciorum, à quo & prædeceſſor eius Edvvinus peremptus fuerat: qui & eiuſdem caput, manuſque cum brachiis à corpore præciſas, in ſtipitibus ſuſpendi iuſſit: quouſque poſt annum veniens cum exercitu ſucceſſor regni Oſvvinus, ea abſtulit & honorifice condidit. Cæterum eiuſdem Oſvvaldi egregiam ſanctitatem, ſuccedentibus multis miraculis teſtificatione diuina declaratam eſſe, docet idem Beda: qui & multa alia habet [b] de ipſius cultu religionis dum viueret, deque miſericordia & largitate in pauperes, aliiſque eiuſdem virtutibus, memoria digna, & miraculis comprobata: quę tu conſulas.

b *Ibid. ca. 6. & ſeqq.*

CONSTANTIS AN. 2.

IESV CHRISTI AN. 643.

THEOD. AN. 2.

I.

ANno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo tertio Indictionis primæ, Conſtantis Imperatoris ſecundo (vt habent Græcorum Annales, Haumar Princeps Saracenorum erigere ſtudens templum Hieroſolymitanum, cum ædificium cœptum ſæpius corrueret, Iudæi cauſam rogati, aſſeruerunt id accidere virtute Crucis iuxta poſitæ. Itaq; Saraceni crucem quę templo montis Oliuarum impoſita erat, depoſuerunt: ſicque demum ædificia ipſorum firmata ſunt. Ea vero res Chriſtiani nominis inimicis occaſionem præbuit, multas vbiq; Cruces deturbandi. Hæc ex Theophane. Addit autem Guillelmus [a] Tyrius, illud templum, poſtquam iuxta conceptum eleganti forma & opere feliciter conſummatum eſt, eundem Principem multis & infinitis ditaſſe poſſeſſionibus, ad conſeruanda perpetuo eiſdem ſarta tecta, & continuanda luminaria. Illud vero plane mirandum, quod cum tot eſſent inſignia Hieroſolymis Chriſtianorum templa, nullum eorum vendicare ſibi ſint auſi dominantes impii Saraceni: ſed libera omnia prioribus vſibus fuerint iiſdem Chriſtianis relicta, eademque vt antea frequentata à totius terrarum orbis Fidelibus, prout inferius videbitur.

CRVCIS POTENTIA.

a *Guil. Tyr. de bel. ſacr. lib. 1. cap. 2.*

II. EXPILATORES PATRIARCHII LATERAN. MALE PEREVNT.

Inter hæc in Italia *Mauritius* Chartularius, quem ſuperius vidimus expilaſſe Patriarchium Lateranenſe, Romæ in tyrannum erumpens, miſſo per Iſacium Exarchum aduerſus eum Dono Magiſtro militum, ab omnib. derelictus confugit in Eccleſiam B. Mariæ ad Præſepe: ſed inde extractus, miſſuſq; Rauennam, capite truncatus eſt. Paulo vero poſt idem Iſacius, qui & ipſe Patriarchium deprædatus fuerat, percuſſus diuino ictu interiit. Hæc Anaſtaſius in Theodoro. Ita vltor Deus voluit poſteris relinquere ampliſſimis notis declaratam vindictam, quam merentur qui manus ſacrilegas inferunt in ſancta.

III. b *Ext. in Conc. Later. ſub Mart. Secr. 2.* CONCILIVM CYPRI ORTHODOX. ROMAM.

Huius item anni Indictione primæ, ſcripta eſt ab Epiſcopis Cypri in *Concilio* congregatis, Synodalis epiſtola [b] ad Theodorum Romanum Pontificem (quem *Patrem Patrum*, & *Vniuerſalem Papam*, nominant) de Monothelitarum hæreſi ab ipſis damnata. Quo eodem tempore Stephanus Dorenſis Epiſcopus, à Sophronio Hieroſolymitano olim iuſſus, ac denuo poſt eius obitum à Catholicis Palæſtinæ Antiſtitibus delegatus, Romam ſe contulit pro Eccleſia Hieroſolymitana, quam inuaſerant pſeudoepiſcopi, iidemque coniuncti Paulo Conſtantinopolitano hæreticorum acerrimo fautori. Qui quidem Stephanus à Theodoro Papa conſecutus eſt Apoſtolicæ ſedis in illis partibus vicariam præfecturam, qua illorum omnium caput Sergium Ioppenſem Epiſcopum intruſum in ſedem Hieroſolymitanam condemnaret, & ab eo ordinatos Epiſcopos gradu depoſitos in ordinem redigeret: quod & præſtitit. Hæc enim conſtant ex libello eiuſdem Stephani oblato poſtea S. Martino Papæ in Concilio Lateranenſi. Cæterum permiſit Deus ſingulis quibuſq; ſæculis exagitari diuerſarum prouinciarum Epiſcopos, quo aſſiduis rerum geſtarum exemplis innoteſceret, nullum aliud eſſe confugium aduerſus ingruentes hæreticos, quã ad Apoſtolicam ſedem Romanam, ceu diuinum aſylum in quo poſſet quis auxilium experiri.

STEPH. VICARIVS APOST. SEDIS IN ORIENTE.

CONSTANTIS AN. 3.

IESV CHRISTI AN. 644.

THEODORI AN. 3.

I. REX SIGEBERTVS FIT MONACHVS.

ANno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo quarto, Indictione ſecunda, in Britannia admodum propagata eſt Chriſtiana fides per *Furſeum* Hibernum. Et Sigebertus Anglorum Orientalium Rex, relicto regno cognato ſuo, monaſticam vitam profeſſus, à Pagano Merciorum Rege Penda occiſus eſt. Hæc fuſius Beda [a].

a *Bed. lib. 3. c. 4.*

II. DAGOBERTI REGIS MVNIFICENTIA ERGA ECCLESIAS. b *Aim. li. 4. c. 30.*

Hoc eodem anno, quo Dagoberti Francorum Regis decimuſquartus inchoatur, idem Rex omnibus circumpoſitis gentibus nationibuſque ſibi ſubiugatis, vt ſe gratum cœleſtibus in ſe ſupra modum fluentibus beneficiis demonſtraret, conuocatis filiis ac cunctis regni ſui primoribus, vniuerſas pene Galliæ Eccleſias patrimonii ſui hæredes inſtituit: ſingulis multa dona largitus, tam in ſatisfactionem malorum quæ geſſerat, quam vt poſt ſuum obitum pro requie animæ ſuæ ſacrificium vbique ter in hebdomada offerretur: ſimulque Sigebertum ac Hludouicum filios ſuos eodem die Reges conſtituit, quæ omnia pluribus proſequitur Aimoinus [b].

CONSTANTIS AN. 4.

IESV CHRISTI AN. 645.

THEOD. AN. 4.

I. DISPVTATIO MAXIMI ORTHOD. CVM PYRRHO MONOTH.

ANno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo quinto, Indictione tertia, habita eſt in Africa famoſa illa de Fide Catholica Diſputatio inter Pyrrhum Conſtantinopolitanum Epiſcopum extorrem, eundemq; hæreticum Monothelitam, & Maximum Conſtantinopolitanum Abbatem Orthodoxum. Etenim vbi Pyrrhus in Africam perueniſſet, hæreſis ſuæ ſemina vbique iaciens, aduerſantem ſibi maxime habuit Maximum, quem iam antea in eandem prouinciam acceſſiſſe vidimus. Vnde exigentibus Epiſcopis Africanis, ipſoq; prouinciæ Præfecto Gregorio Patricio, conuentum eſt, vt iiſdem præſentib. publica fieret inter eos de publicis controuerſiis diſputatio: quam hoc anno contigiſſe, nempe Indictione tertia menſe Iulio, ipſe titulus Diſputationi præfixus edocet. Extat enim ipſa eadem [a], prout à Notariis tunc excepta fuit, conſeruata integra vna cum aliis pluribus eiuſdem Maximi lucubrationibus atque epiſtolis, in tribus antiquitus ſcriptis codicibus quos Bibliotheca Vaticana [b] cuſtodit. Finis autem diſputationis fuit, vt Pyrrhus erroris ſui conuictus, pœnitens recantarit palinodiam. Romamque

a *Recitat illam integram Card. Annal. To. VIII an. 645. fine in Append. eiuſdem Tomi, Græce & Latine.* b *num. III. 116. 137.*

accedens,

Digitized by Google

accedens, oblato fidei Catholicæ libello Theodoro Papæ, receptus ſit vna cum titulo Patriarchatus in Eccleſiam Catholicam, eidemq; omnia neceſſaria Eccleſiæ Romanæ ſumptibus honorifice ſubminiſtrata. Hæc n. præter Acta eiuſdem Diſputationis, teſtantur pariter ex Græcis Theophanes & Photius, ex Latinis Anaſtaſius Bibliothecarius: conſtantque inſuper ex aliis Actis [c] publicis Conſtantinopoli habitis, cum S. Martinus Papa ibidem in vinculis conſtrictus teneretur: vbi etiam refellitur calumnia, qua hæretici eludere conantes eiuſmodi à Pyrrho factam erroris ſui abiurationem, dixerunt ipſam vi & tormentis ab eo extortam eſſe.

PYRRHUS RECANTAT PALINODIAM.
c Ext. in ep. 6. Mart. ep. Tom. 2. poſt. Rom. ...

II. Sed & cum gloria Maximi ex publica illa diſputatione vbiq; propagata eſſet, cœperunt eum omnes conſulere. Extat [d] enim eiuſdem ad Nicandrum Epiſcopum reſpõſio de dogmatibus Orthodoxis, & aliæ ad diuerſos. Qui & aliquando in crimen à Catholicis vocatus, quod Pyrrhum laudaſſet dum adhuc hæreticus eſſet, & quod tres in Chriſto voluntates aſſeruiſſet, duas ſecundum duas ipſius naturas, tertiam vero ſecundum hypoſtaticam vnionem: opus habuit apologiam texere ad Siciliæ monachos, à quibus de his admonitus fuiſſet. Quomodo vero ſanctiſſimo viro, ob defenſionem fidei Catholicæ glorioſe contigerit obire martyrium, ſuo loco dicturi ſumus.

d In cod. Vatic. vbi ep.
APOLOGIA MAXIMI.

III. Hoc inſuper anno, qui numeratur quartus Conſtantis Imperatoris, Haumar Saracenorum Princeps, qui Hieroſolymam ceperat, Cruceſque depoſuerat: tulit ſui ſceleris pœnam, occiſus per fraudem à quodam Perſa. Cui ſubſtitutus fuit Hoamen eius cognatus. Hæc ex Theophane.

IESV CHRISTI AN. 646.

CONSTANTIS AN. 5.

THEOD. AN. 5.

I. Anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo ſexto, Indictione quarta, quatuor Primates Africani in ſingulis ſibi ſubiectis prouinciis (nempe Byzacena, Numidia, Mauritania, & Proconſulari) *Synodos* conuocarunt, ad confirmanda Catholica dogmata, quæ vidiſſent anno ſuperiori tam valide à Maximo propugnata. Extant enim eorundem Conciliorum monumenta recitata in Synodo Lateranenſi [a] ſub Martino Papa: videlicet Synodales Epiſtolæ, ab ipſis ad Theodorum Romanum Pontificem (quem *Patrem Patrum, & Summum omnium Præſulum Pontificem* appellant) ſcriptæ ea occaſione, quod cum iidem Patres Conſtantinopolim eſſent legationem ad Paulum eius ciuitatis Epiſcopum Monothelitarum principem cõmonendum miſſuri, de ea re prius ipſum Theodorum certiorem reddere voluerunt: quod (vt aiunt) *antiquis regulis ſancitum eſſet, vt quicquid quamuis in remotis vel in longinquo poſitis ageretur prouinciis, non prius tractandum vel accipiendum eſſet, niſi ad notitiam almæ Sedis Apoſtolicæ fuiſſet deductum, vt eius auctoritate iuſta quæ fuiſſet pronunciatio firmaretur, indeque ſumerent cæteræ Eccleſiæ, velut de natali ſuo fonte, prædicationis exordium, & per diuerſas totius mundi regiones puritatis incorruptæ manarent fidei ſacramenta ſalutis.* Hac igitur ratione, & quod Gregorii Præſidis tyrannide (cuius etiam hoc anno Conſtantis Imperatoris quinto meminerunt Annales Græcorum) commercium Africanorum cum Orientalibus fuiſſet penitus interclusum, ipſique etiam Epiſcopi in ſuſpicionem coniurationis cum Gregorio adducti à maleuolis eſſent apud Imperatorem: miſerunt iidem Patres Romam ad Theodorum Pontificem literas, quib. petierunt vt ſua ad Paulum ſcripta [b] per Apoſtolicæ ſedis Reſponſales ei redderentur: rogaruntq; inſuper, vt niſi idem emendaret errorem, ab ipſo Romano Pontifice excommunicationis ſententia damnaretur. Quod autem in nullo dictorum Conciliorum, quibus alii Primates Africanæ Eccleſiæ interfuiſſe leguntur, reperiatur nominatus Epiſcopus Carthaginenſis: id inde accidiſſe ſcias, quod is qui tunc temporis præerat ei Eccleſiæ, nomine Fortunatus, ſiue Fortunius, communicaret [c] Paulo Conſtantinopolitano. Eo vero defuncto, ſiue è gradu depoſito, ſubrogatus eſt in eius locum hac eadem Indictione quarta Victor: qui confeſtim more maiorum fidei ſuæ profeſſionem [d] ſcribens, miſit eam ad Romanum Pontificem.

a Syn. Lat. ſub Mart. Pap. Secr. 2.
SEDIS APOST. SUMMA AUCTORITAS.
b Ext. in eod. Secret. 2. vna cum epiſtola ad ipſum Imp. ab iiſdem Patribus ſcripta.
c Tract. ... Syn.
d Ext. in eod. Secret.

II. Cernens igitur Theodorus, in vnam eamdemq; ſententiam conuenire vniuerſam Eccleſiam Africanam omneſque pariter in Paulum Conſtantinopolitanum conclamare: miſit ipſe Apocriſarios ſuos cum literis acerrimis ad eundem Paulum: quib. poſt admonitionem plurimam & exhortationem plenam rectæ fidei præſcribens formulam, ſubiecit anathema aduerſus omnes qui ab Eccleſiæ Catholicæ ſententia diſcreparent. Non extant ipſæ quidem Theodori literæ: ſed ita rem geſtam eſſe, aliæ à Paulo ad ipſum redditæ docent, quæ deſcriptæ habentur in Actis [e] Synodi Romanæ ſub Martino Papa: quas ſi legeris, mirab eris quæ ſoleat eſſe hæreticorum ad ſua excuſanda ſcelera & operiendos errores fraudulenta locutio. Quid vero poſt hæc factum fuerit, dicetur anno ſequenti.

THEOD. P. MISIT APOCRISARIOS CONSTANTINOPOLIM.
e Ibi. Secr. 4.

III. Hoc eodem anno in Hiſpania celebratum eſt Concilium Toletanum, Septimum dictum, anno videlicet Chindaſuinthi Regis quinto, Era ſexcenteſima octogeſima quarta, cui præfuit *Orontius* Emeritenſis Epiſcopus, ſubſcripſeruntq; ſiue per ſe ſiue per vicarios alii Epiſcopi triginta octo: à quibus omnibus ſtatuti ſunt canones ſex ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinentes. Quæ autem in eo habetur appendix de inuentione librorum S. Gregorii Papæ, ſuo loco [f] ponenda erit.

CONCIL. TOLET. VII.
f Infr. an. 649. infra.

IESV CHRISTI AN. 647.

CONSTANTIS AN. 6.

THEOD. AN. 6.

I. Anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo Indictionis quintæ, Conſtantis Imperatoris ſexto (vt ſcribit Theophanes) factus eſt ventus vehementiſſimus, qui inter alia multos Stylitarum diſiecit monachorum: videlicet eorum qui in columnarum verticibus ſibi habitacula conſtruebant. Eodem anno Saraceni Africam, bello ciuili ob rebellionem Gregorii Præſidis agitatam inuaſerunt: Gregorium victum ex ea pepulerunt, eandemque ſubactam tributariam ſibi reddiderunt.

SARACENI OCCUPANT AFRICAM.

II. Hoc item anno, quo abſoluitur Dagoberti Francorum Regis decimusſextus, idem Rex decimanona Ianuarii defunctus eſt: cuius erga Eccleſias munificentia ex ipſius teſtamento ſuperius eſt demonſtrata. Eius corpus (inquit Aimonus [a]) conditum aromatibus, ſepultum eſt in Eccleſia Sancti Dionyſii, quam ipſe vniuerſis quæ in Galliis tunc temporis erant excellentiorem condiderat, aureiſque atque holoſericis pretioſiſſimis ornamentis decorauerat, & ampliſſimis reditibus dotauerat. Poſt quem duo ipſius filii, Sigebertus, & Clodoueus ſiue Hludouicus, regni adminiſtrationem ſuſceperunt. Quod autem ad ſalutem animæ eiuſdem pertinet: ſcribit idem [b] auctor, ea ipſa hora qua is expirauit, viſionem diuinitus oſtenſam eſſe Ioanni cuidam viro ſanctiſſimo, in parua aliqua inſula prope Siciliam eremiticam vitam excolenti: qua apparuerunt ei haud procul in pelago dæmones vinctum Dagobertum per ſpatia maris agitantes, inflictiſque verberibus ad Vulcania loca trahentes: qui diſtentus cruciatibus, quorundam Sanctorum audiebatur poſtulare ſuffragia: Cum repente aperto cœlo, inter fulmina in fluctus cum fragore ruentia, viſi ſunt deſcendiſſe Sancti illi quos Dagobertus in auxilium euocauerat, nempe Dionyſius atque Mauritius martyres, & Martinus confeſſor (quorum eccleſias plus cæteris idem rex ditauerat) qui arreptam à dæmonibus ipſius animam ſecum ad æthera leuarunt, Deo hymnos concinentes. Quam quidem viſionem Auſoaldus Defenſor Eccleſiæ Pictauienſis, ab eodem Ioanne eremita acceptam, narrauit S. Audoeno olim à Secretis eidem Regi Dagoberto, & poſtea creato Epiſcopo Rothomagenſi, qui eam primus ſcriptis mandauit, ab eo vero Aimoinus excepit: cuius etiam, tanquam indubitatæ, meminit poſt multos annos Ludouicus Imperator in epiſtola

a Aim. l. 4. de geſt. Franc.
DAGOBERTI REG. OBITUS.
b Ibid. c. 30.
VISIO DE ANIMA DAGOB.

ſtola ad Hilduinum Abbatem monaſterii S. Dionyſii, quę habetur præfixa Areopagiticis ab eodem Hilduino conſcriptis. Ac denique eadem hiſtoria hactenus viſitur ad eiuſdem Dagoberti ſepulchrum antiquitus in lapide ſculpta intra eccleſiam S. Dionyſii: vbi habentur dæmones ipſum in cymba per mare agitantes, & Sancti de cœlo deſcendentes, eundemque è dæmonum manibus eripientes. In quibus conſideres, recta diuini iudicii ſententia factum eſſe, vt qui ſe antea multis facinoribus inquinauerat Dagobertus, iis nondum penitus (quod ad pœnam attinet) expiatis, quamuis pluribus bonis operibus poſtea abundaſſet, purgatorii poſt obitum pœna (ad breue licet tempus) aduerſariis ſpiritibus, quibus antea fuerat obſecutus, traditum eſſe cruciandum. Sed & inſuper intelligas, (quod optime notauit Aimoinus) nequaquam à Sanctis ornatum contemni, quem ad eorum memorias deuoti conferunt viri.

TEMPLORVM ORNATVS DEO GRATVS.

IESV CHRISTI AN. 648.

CONSTANTIS AN. 7.

THEODORI AN. 7.

I. ARTES PAVLI EPISCOPI CONST.

ANno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo octauo, Indictione ſexta, (vt notatur in Actis publicis Sancti Maximi martyris Conſtantinopoli habitis) Paulus Conſtantinopolitanus Epiſcopus cum vidiſſet ex literis à Romano Pontifice & à Conciliis Africanis ad ipſum anno ſuperiori ſcriptis, vniuerſam Occidentalem Eccleſiam aduerſus ſe concitatam, hæreſiſque Monothelitarum damnationem publice in valuis Eccleſię affixam eſſe: ad dolos ſe conuertens, auctor extitit Imperatori Conſtanti, edictum [a] proponere, quod TYPVM vocarunt: quo quidem conſueta illa prætenſa cauſa, vt omnes Chriſtiani Orbis Eccleſiæ ſimul in vnam eandemque ſententiam venirentur, ſilentium de excitata controuerſia indictum eſt tam iis qui vnam quam qui duas in Chriſto Voluntates & Operationes aſſererent. Ea id agens Paulus calliditate, vt quoquomodo, vel ſilentio ſaltem damnari videretur de duabus voluntatibus & operationibus ſententia: immo vt Chriſtus non ſolum in humana eius natura, ſed etiam in vtraque omnino ſine voluntate & operatione, hoc eſt abſque natura & eſſentia eſſe denunciaretur; quæ Maniſchæorum fuit hæreſis. Hanc enim ſubdoli fuiſſe hominis mentem, Patres Concilii Lateranenſis [b] ſub Martino Papa declarant, dum eundem ab Imperatore promulgatum, Typum examinandum ſuſceperunt; quem quidem licet foris apparentem æquum & pacis conciliatorem, eius tamen fraude detecta Patres anathemate damnarunt: quod videlicet hæreſi iam vbique promulgata, nullus amplius locus eſſet ſilentio eiuſmodi vocum, vt fuerat tempore Honorii Papæ, quo nondum apparuerat hæreticorum verſutia.

a Ext. in Secre. 4. Conc. Later. ſub Mart.

TYPVS A CONSTANTE IMP. PROMVLGATVS.

b Ibi. Secr. 4. & 5.

II. CONCIL. ROM. PRO DAMNATIONE HÆRESIS MONOTHEL.

Verum & ante illa ſub Martino peracta, nempe hoc ipſo anno. Theodorus Papa collecta pariter SYNODO, cum ipſam Monothelitarum hæreſim, tum eius caput Paulum Conſtantinopolitanum, fruſtra hactenus eiuſdem Pontificis literis commonitum, ſimili anathemate perculit; nec Paulum duntaxat, ſed & Pyrrhum eiuſdem Eccleſiæ olim Patriarcham, qui in errorem relapſus erat opera Olympii Exarchi hæretici audaciſſimi. De Pauli namque damnatione teſtis eſt Anaſtaſius in Theodoro: Pyrrhi vero lapſum poſt pœnitentiam aſſerunt Annales [c] Græci; necnon Anaſtaſius eodem loco, & S. Maximus in epiſtola ad monachos Siculos, ac demum Martinus Papa in Lateranenſi Synodo Actione prima: ex quib. etiam omnibus conſtat, eundem à Theodoro Synodali ſententia damnatum fuiſſe ac depoſitum: Quinimo addunt Annales, Theodorum ad ſepulchrum S. Petri accedentem de ſanguine Chriſti ex calice diſtillato in atramentum, depoſitionem Pyrrhi excommunicati cõſcripſiſſe. Haud tamen aliqua huiuſmodi maledictionis, in ritibus ſacris Eccleſiæ Romanæ reperitur eſſe præſcripta lex, vel factum ipſum aliquo alio quod ſciamus declaratum exemplo: quod apud Græcos aliquoties factum ſuis obſeruauimus locis. Cæterum Pyrrhus poſt præuaricationem ſuam reuerſus in Orientem, & in gratiam Imperatoris receptus, poſt obitum Pauli, pactam in mercedem impietatis Conſtantinopolitanam ſedem reſumpſit, vt dicetur inferius.

c Theoph. an. 20. Heracl.

DIRA PYRRHI RELAPSI EXCOMMVNICATIO.

III. FVROR PAVLI CONST. IN APOCRIS. SED. APOS.

Interdum quæ hoc anno geſta Romæ fuerunt, Conſtantinopoli audita ſunt: furore percitus Paulus, primo quidem altare & oratorium, quod erat in ædibus in quibus Apocriſarii Romanæ Sedis habitare conſueuiſſent, diripuit: deinde aduerſus eoſdem Apocriſarios Conſtantinopoli tunc exiſtentes, necnon cæteros Orthodoxos ipſis inhærentes perſecutionem mouens, quoſdam carceri tradidit, alios in exilium miſit, rurſumque alios verberib. ſubmiſit. Quæ cum ipſe Martinus Papa ſub Theodoro contigiſſe demonſtret in ipſo exordio Lateranenſis Synodi: ex illis erroris redarguitur Anaſtaſius, dum hanc perſecutionem ad eiuſdem Martini tempora refert. Nam Martini Apocriſarios non iſta paſſos, ſed ſeductos fuiſſe ipſemet dolet in litteris [d] ſcriptis aduerſus Paulum Epiſcopum Theſſalonicenſem.

d Mart. ep. 11.

IV. SARAC. OCCVPANT CYPRVM.

Eodem hoc anno, qui ſeptimus Conſtantis Imperatoris numeratur, Saracenorum Princeps inſulam Cyprum inuaſit, captamq; Conſtantiam ciuitatem demolitus eſt. Ita namque ſiniſtra omnia ceſſere infeliciſſimo Imperatori, dum ipſe bellum aduerſus Catholicam fidem in dies magis augeret.

IESV CHRISTI AN. 649.

CONSTANTIS AN. 8.

MARTINI AN. 1.

I. THEOD. PP. OBIT.

ANno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo nono, Indictione ſeptima, *Theodorus* Papa, vbi ſediſſet annos ſeptem menſes quinque dies viginti, pridie Idus Maii ex hac vita migrauit, ſepultuſq; eſt apud S. Petrum: cumque ſedes vacaſſet menſem vnum & dies ſexdecim, in locum eius ſubrogatus eſt die prima menſis Iulii MARTINVS patria Tudertinus in Tuſcia. Hæc ex Anaſtaſio.

MARTINVS CREATVR.

II. CONCIL. LATER. SVB MART. PRO DAMNATIONE TYPI.

Vbi vero Martinus thronum Apoſtolicum conſcendit, Synodum indixit celebrandam hoc eodem anno menſe Octobri, inchoata iam Indictione octaua, & exordio anni noni Conſtantis Imperatoris. Eo namque tempore dictam SYNODVM LATERANENSEM celebratam eſſe; eius Acta diſerte docent in principio. Præfuit ei ipſe Martinus Romanus Pontifex: interfuiſſe vero Epiſcopos centum quinque, in iiſdem Actis habetur; totidemque numerat Anaſtaſius, ſed à Theophane [a] ponuntur centũ decem: qui & ait S. Maximum Abbatem ad Synodum cogendam induxiſſe Martinum: idq; ipſum in rebus geſtis eiuſdem S. Maximi conſcriptum habetur. Quod autem ibi etiam dicitur, ipſum huic Synodo interfuiſſe, nec tamen in Synodi Actis vlla de eo fit mentio, inde accidit, quod etſi Abbates admitterentur ad Synodum, haud tamen facultas eis eſſet, ſicut erat Epiſcopis, dicendi ſententiam, & ſubſcribendi, ſed tantum conſulendi. Porro ob eiuſdem Synodi amplitudinem ac maieſtatem, eam S. Martinus in epiſtola [b] ad S. Amandum poſtea data, *Concilium Generale* nominat. Cuius quidem extant [c] Acta integra, tum Græce tum Latine ſcripta, eo quod non tantum in Archiuo Apoſtolicæ ſedis illa fuerint ſeruata, ſed etiam (vt tradit Anaſtaſius) plurima ex prototypo confecta ſint exemplaria, quæ ab eodem Pontifice miſſa ſunt in omnes prouincias Orientis & Occidentis. Continet autem Secretaria, ſiue dixeris Conſultationes, vel Seſſiones, Actioneſue quinque, ſingulis diebus confectas.

a Theoph. an. 19. Heracl.

b Ext. poſt Act. Concil. Later. ſub Mart.

c To. 2. Con.

III.

Cauſa autem eius cogendæ, non tam fuit vt Sergius, Pyrrhus, & Paulus Conſtantinopolitani Epiſcopi damnarentur, qui iam fuerant condemnati, quam vt recens illa ab Imperatore propoſita credendi formula, *Typus* dicta, omnino proſcriberetur, & anathemati ſubiiceretur. Cum enim mox vt ex vſurpata illa tyrannice auctoritate

Impera-

Digitized by Google

Tentatus ab Imp. Martin. d Act. S. Audoen. c. 1. ap. Sur. 24. Aug.

Imperator Martini electioni conſentiſſet, & quaſi pro quodam gratitudinis præmio ab eo exigere conatus eſſet ſui ſubſcriptionem edicti, literis ea de re ipſum ſcriptis (vt patet ex ſinceris Actis [d] S. Audoeni Epiſcopi Rothomagenſis) eiuſmodi facinus execratus Martinus, tantum abſtiit vt Imperatori conſentire voluerit, vt potius in ipſum inſurgens, indixerit Synodum qua promulgatam eius perfidiam condemnaret. A quo non ſolum deterreri nõ potuit literis Imperatoris, ſed nec ipſius Olympii Exarchi præſentia: qui in Italiam ad promulgandum Typum miſſus, Romam veniens eo ipſo tempore quo Synodus haberetur, primo ſeditionem per exercitum mouere tentauit, & cum fruſtra id fieri videret, Spatharium ſuum impulit, vt dum ipſe Exarchus in Miſſarum ſolemniis ab eodem Pontifice communionem acciperet, eum interimeret; ſed excæcato diuinitus eo tempore Spathario, ab iſto quoque imminenti periculo ereptus eſt Pontifex, ipſe eil Oympius poſtea reconciliatus: quæ omnia tradit Anaſtaſius.

Conatus Exarchi in Mart.

IV.

His igitur nullo modo perterritus S. Martinus Synodum (vt diximus) celebrauit. In qua primo auditæ ſunt variæ legationes, ac lectæ literæ tam Orientalium quam Occidentalium Antiſtitum aduerſus Monothelitarum hæreſim eiuſque ſactatores; deinde producta quæcumque ab eiuſmodi hæreticis aduerſus Catholicam fidem ſcripta eſſe reperirentur, vna cum Ecthesi Heraclii Imperatoris, & Typo Conſtantis Auguſti nomine promulgatis. Primumque omnium lecta ſunt ſcripta *Theodori* Epiſcopi *Pharanitæ*, obſcuri quidem nominis viri, ſed ex impietate optime noti; qui & ideo princeps erroris habitus eſt, quod ex eius ſcriptis omnes qui hæreſim promulgarunt, acceperint. Quare & ex iiſdem cognita ſunt ipſius Monothelitarum hæreſis penetralia, oſtenſumq; (quod poſtea ſucceſſores præ pudore occultare conati ſunt) ex quo fonte blaſphemia flueret de Vna tantum in Chriſto Voluntate & Operatione; nempe quod iſte Theodorus aſſereret incorporaliter ex vtero proceſſiſſe Dominum noſtrum Iesvm Christvm. Ad hæc antem & alia impia hæreticorum dicta confutanda, recitatis Quinque Vniuerſalium Synodorum de fide decretis, & veterum ſanctorum Patrum ſententiis; iuſſa ſuntq; legi antiquorum ſcripta hæreticorum, quo iis conſentire deprehenſi recentiores hæretici, mendaces pariter arguerẽtur, dum vt deciperent ſimpliciores, ſe Patres ſequi & ſacra Concilia tueri mentiti eſſent.

Theod. Epis. Pharan. Princeps Hær. Monoth.

V. Hæretici damnati cum ipsorum scriptis.

His igitur à S. Synodo exacte cognitis atque diſcuſſis; ad veram de Verbi Incarnatione doctrinam declarandam ſtabiliendamque, & ad confutandas cunctas omnium eius aduerſariorum aſſertiones, viginti ex doctrina SS. Patrum ſanciti ſunt Canones, cum totidem additis anathematiſmis aduerſus eos qui ſecus ſentirent: damnatique cum omnes antiqui hæreſiarchæ, à præteritis Synodis Oecumenicis, & aliis ſanctis Patribus, vniuerſaque Eccleſia Catholica reprobati; tum Monothelitarum impietatis auctores, fautoreſque præcipui Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, & Sergius, Pyrrhus, ac Paulus Conſtantinopolitani Epiſcopi, vna cum impiis ipſorum ſcriptis, necnon Ecthesi Heraclii, & Typo Conſtantis, ac denique omnia firmata ſunt cunctorum Epiſcoporum ſubſcriptionibus. Poſtea vero ſcripta eſt à Martino Pontifice & vniuerſo Concilio, Synodalis Epiſtola Circularis ad omnes vbiq; Fideles, de iis quæ ibi geſta eſſent; quæ extat [e], ex ſacris Scripturis magna induſtria concinnata, dignaque plane tanto Pontifice, tantoque Epiſcoporum cœtu.

e Mart. ep. 1. Tom. Epist. Rom. Pont. & To. 2. Concil.

VI. Acta Synodi ad omnes missa.

Sed & cum ea epiſtola pariter miſſa ſunt exemplaria Synodalium Actorum; vt de iiſdem in Africam directis, teſtis eſt ipſe Martinus [f] ſcribens ad Eccleſiam Carthaginenſem & Epiſcopos ei ſubiectos: de miſſis vero iiſdem in Aſiam ad Ioannem Epiſcopum Philadelphiæ fidem faciant aliæ eiuſdem Pontificis [g] ad ipſum alioſq; Orientales ſcriptæ literæ. Eademque pariter miſſa eſſe in Gallias, teſtatur idem Papa in epiſtola ad S. Amandum Traiectẽſem Epiſcopũ; necnõ Acta [i] S. Eligii Nouiomenſis,

f Idem ... Tom. ... Mart. To. ... Sur. 1.

ab eius æquali & æque ſancto Audoeno Epiſcopo Rothomagenſi conſcripta: ex quibus etiam conſtat, eumdem Martinum Legatos ad Reges Francorum Clodoueum ac Sigebertum direxiſſe, vt Epiſcopos doctrina præſtantes è Galliis ad ſe mitterent, quorum adminiculo facilius hæreſis comprimeretur; quibuſque credi poſſet Legatio Apoſtolica, vt pariter in Galliis quæ Romæ geſta eſſent, congregatis prouincialibus Synodis firmarentur. Eadem vero accepta eſſe magno plauſu ab vniuerſo Catholico orbe, adeo vt ad plenam fidei Catholicæ profeſſionem, poſt Quinq; Vniuerſalium Synodorum aſſertionem, huius præterea Romanæ adiicere ſolerent confeſſionem; ſatis intelligitur ex Synodo Angelicana [k] ſub Theodoro Archiepiſcopo Dorouernenſi, de qua dicendum ſuo loco: qui vſus perſeuerauit vſque ad plenam promulgationem Sextæ Oecumenicæ Synodi.

Eadem Synodus vbique accepta.

k Bed. l. 4. c. 17.

VII. Mart. PP. scribit ad Constant. Imp. et alios. l Mart. ep. 3.

Porro qui hæc omnia vigilantiſſima ſolicitudine curauit, ac ſumma conſtantia ante Exarchi Olympii faciem Typum Imperatoris damnauit idem S. Martinus Papa vna cum Synodo de rebus in ea geſtis ſcripſit quoq; literas [l] ad ipſum Conſtantem Imperatorem; ea quidem moderatione, vt nequaquam ei crimini daret Typi editionem, ſed Paulo qui ſuaſerat; verũtamen moneret, vna cum Orthodoxa fide bene cuſtodita creſcere Reipublicę ſtatum, minui vero cum Imperatores & Reges pro aduerſariis fidei pugnant. Scripſit itidem (vt diximus) ad Ioannem Philadelphiæ Epiſcopum; quem & creauit in Oriente Vicarium Apoſtolicæ ſedis, vt Hieroſolymitanæ, Antiochenæ aliiſque earum partium Eccleſiis paſtoribus deſtitutis, vel ab hæreticis miſere labefactatis ſuccurreret: itemque ad alios [m] quoſdam Epiſcopos, Archimandritas, & Viros Illuſtres, vt præſto eidem Ioanni Vicario eſſent, eidemq; morem gererent: quo etiam argumento alias vberiores grauioreſque literas dedit ad omnes qui iiſdem Eccleſiis Hieroſolymitanæ & Antiochenæ ſubiacerent, ſacerdotes, monachos, atque laicos: eoſdem inſuper monens de perperam facta ordinatione Macedonii Antiochiæ & Petri Alexandriæ Epiſcoporum hæreticorum, qui abſque vlla electione canonica eas Eccleſias inuaſerant. Sed acerrimæ illæ fuerunt, quas ad Paulum Theſſalonicenſem Epiſcopum miſit: quem & in hæreſim lapſum, & alios in errorem inducentem (ſiquidem & ipſos etiam Apocriſiarios Apoſtolicæ ſedis, ad eum miſſos, vt ab errore eum reuocarent, ipſe in partes ſuas traxit) necnõ & corruptorem literarum Apoſtolicarum ab eodem Pontifice ad ipſum antea ſcriptarum extra Catholicam communionem eſſe iuſſit, & ſede depoſuit: deque eiuſdem damnationis cauſis ad Theſſalonicenſem Eccleſiam ſcripſit. Quæ autem poſt hæc geſta ſunt, dicentur anno ſequenti.

m Id. ep. 6. vſque 13.

Paulus Episcop. Thessal. damnatur.

VIII. De revelatione librorum Moral. S. Greg. PP.

Hoc eodem anno, qui vltimus cenſetur Chindaſuindi Hiſpaniarum Regis, cum idem Martinus Romanus Pontifex ſedere cœpiſſet, contigiſſe fertur Reuelatio partis librorum Moralium S. Gregorii Papæ, diuinitus à Sanctis Apoſtolis Petro & Paulo facta Taioni Epiſcopo Cæſaraugustano, pernoctanti ad ſepulchrum eorũdem Apoſtolorum, cum is à Rege miſſus Romam ad eoſdem libros petendos, moras pateretur, quod iiſdem haud facile reperiri poſſent inter immenſam librorum multitudinem Archiui Romanæ Eccleſiæ. Res geſta deſcribitur in Appendice ad Septimam Synodum Toletanam. Libros autem Moralium S. Gregorii qui in Hiſpania deſiderarẽtur, fuiſſe tertiam & quartam partem eorundem Moralium, intelligi poteſt ex epiſtola [n] eiuſdem Sancti Gregorii ad Sanctum Leandrum Hiſpalenſem Epiſcopum ad quem opus integrũ ſcripſerat. Cæterum de eodem Rege Chindaſuindo ſcribunt hiſtoriæ Hiſpanorum, cum, vbi regnaſſet annos ſex & menſes octo, hoc ipſo anno ceſſiſſe regnum filio Receſuintho. Eundemque tradunt [o], expulſo in exilium perfido Theodiſco Hiſpalenſi Epiſcopo (de quo ſuperius dictum eſt) obtinuiſſe à Romano Pontifice, vt primatus Hiſpaniæ ab eadem Eccleſia Hiſpalenſi in Toletanam transferretur. Cuius etiam Regis eluxit munificentia in monaſteriis locupletandis.

n Greg. l. 4. ep. 46. Ind. 13.

o Roder. Tol. l. 2. de reb. Hisp. c. 20. & Luc. Tudens. in Chr.

Primat. Eccl. Hisp. translatus Tolet. Tum.

CONSTANTIS AN. 9.

IESV CHRISTI AN. 650.

MARTINI AN. 2.

I. ANno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo, Indictione octaua, vbi Conſtans Imperator nouit quæ Romæ in Synodo aduerſus Typum à ſe promulgatum geſta eſſent, furore repletus SS. Martinum Romanũ Pontificem, & Maximum Abbatem Conſtantinopolitanum in exilium relegauit. Hæc ita præſenti Indictione octaua, Conſtantis Imperatoris anno nono, geſta eſſe breuiter narrat Theophanes, cum anno vigeſimo Heraclii agit de origine ac progreſſu hæreſis Monothelitarum: necnon fideliſſimus ſcriptor Rerum geſtarum ipſius Maximi.

II. MART. PP. IN EXILIVM PELLITVR, ET PESSIME TRACTATVR.

Verum vt de Martino prius agamus: cum non auderet Imperator, ob ſolam Typi ſui damnationem eum Vrbe pellere, ne apud Chriſtianos tyranni & perſecutoris, ſiue hæretici nomen conſequeretur: cauſas effinxit, quibus iuſte videri poſſet expulſus: nempe accuſans eũ, quod mutaſſet traditam à maioribus fidem: quod aduerſus Romanum Imperium aliquid molitus eſſet cũ Saracenis: quod contra Dei-Genitricis MARIÆ cultum neſcio quid eſſet locutus: ac denique quod irregulariter contra canones ſedem ſurripuiſſet. His igitur aduerſus eum confictis criminibus, Calliopas Italiæ Exarchus (qui defuncto nuper Olympio ſucceſſerat) vt voluntatem Imperatoris exequeretur, venit cum exercitu Romam: ingreſſuſq; armatus eccleſiam Conſtantinianam, ac Palatium Lateranenſe, nihil veritus loci ſanctitatem, ſed nec Cleri Romani magnitudinem animi, pro ſui defenſione Pontificis diro anathemate præſentes ferientis aduerſarios: Martinum haud renuentem, immo & rem armis à ſuis agi omnino prohibentem ab eadem Eccleſia exturbauit, & corpore licet ægrum, podagræq; doloribus afflictatum, decimotertio Calendas Iulii noctu ac clanculum (præ metu Romanorum) naui impoſuit: eumdemque crudeliſſime haberi iuſſum (ſicut & habitus eſt) in Orientem aſportandũ militibus tradidit. A quibus cum in inſulam Naxum deductus eſſet, ibi annum integrum agere exul iuſſus eſt, ſemper in corporis ægritudine perſeuerans. Quæ quidem omnia vberius narrantur in epiſtolis [a] quas idẽ Pontifex ad Theodorum & Elitherum poſtea ſcripſit, cum agens Conſtantinopoli rogatus ab illis cuncta recenſuit vt ſe habuerunt: necnon in alia, quam eodem tempore vnus ex ipſius comitibus ſcripſit ad Clerum Romanum: quas omnes, vna cum aliis ab eodem Pontifice in exilio Græce ſcriptis, Anaſtaſius Bibliothecarius reddidit Latinitati, vt nunc ſunt. Fuit autem illud impiorum conſilium, vt anno integro Martinus inter Cycladas inſulas premeretur anguſtiis, quo eius conſtantia frangeretur, tandemq; Imperatori conſentiret: cum tamen è contrario magis ipſum pro tuenda veritate factũ robuſtiorẽ viſuri ſimus inferius.

a Mart. ep. 14.15.16.

III. MAXIMI ABBATIS VINCVLA, ET EXILIVM.

Quod vero ſpectat ad Maximi Abbatis vincula; etſi eũ eodem quo Martinus captus eſt anno, æque ab Vrbe abductum eſſe, cum Theophanes, tum Acta ipſius Vitæ teſtentur: id tamen ei paulo ante quam Martino cõtigit, vtpote quod non adeo difficile fuerit inuentum ſolum monachum peregrinum capere & vinculis mancipare. Quomodo vero ipſe iam ſeptuagenarius Conſtantinopolim naui perductus, ac per vias ibi incalceatus ac ſine amictu tractus, coram Senatu rationem reddiderit calumniarum ipſi obiectarum de proditione Imperii, de odio aduerſus Imperatorem, & quibuſdam ſomniis de eodem habitis, ac denique de hæreſi Origeniſtarum: ſed & multis aliis variiſque modis tentatus, magna animi conſtantia cum Senatui, tum aliis poſtea ad eum miſſis reſtiterit, calumniaſque diluerit: atq; demum impulſu Pauli Conſtantinopolitani Epiſcopi hæretici, ac iuſſu Conſtantis Imperatoris, in Thraciam exul miſſus fuerit, vna cum duobus Anaſtaſiis ipſius diſcipulis, quorum alter fuerat etiam S. R. E. Apocriſiarius hæc inquam, omnia fuſius narrantur in iiſdem fideliſſimis ipſius Maximi Rebus geſtis: cætera vero dicentur poſtea.

IV. Quod ad res Eccleſiæ Gallicanæ pertinet: S. Audoenus Epiſcopus Rothomagenſis in Actis [b] S. Eligii Nouiomẽſis auctor eſt, hoc ipſo tempore quo S. Martinus Papa in exilium abductus eſt (cuius & conſtantiam mire prædicat) quendam hæreticum pulſum à partibus tranſmarinis in Gallias venientem, cœpiſſe Auguſtoduni ſubdole nefanda ſua dogmata prodere: cumq; id in Palatium ad aures S. Eligii perueniſſet, conſilio cum ipſo Audoeno inito (hi enim ambo & præcipuæ erant apud Regem Clodoueum auctoritatis, & arctiſſimæ inter ſe amicitiæ) egiſſe cum Rege, vt ad illum hæreticum refellendum SYNODVS Epiſcoporum *Aureliani* congregaretur: in qua cum idem hæreticus mira in diſputando ſubtilitate omnes Antiſtitum rationes diu eluſiſſet, tandem cuiuſdam doctiſſimi Epiſcopi nomine Saluii induſtria conuictum, communi Epiſcoporum ſententia damnatum eſſe, & cum ignominia à finibus Galliarum eiectum. Hæc Audoenus: quæ plane eadem habentur in ipſius Audoeni Rebus [c] geſtis: ſed quiſnam hæreticus iſte, vel cuius hæreſis fuerit, neutrobi dicitur.

b Ap. Sur. to. 6. Dec. c. 14.

CONCIL. AVREL. PRO DAMNATIONE CVIVSDAM HÆRETICI.

c Ap. Sur. 24. Aug.

CONSTANTIS AN. 10.

IESV CHRISTI AN. 651.

MARTINI AN. 3.

I. ANno Domini ſexcenteſimo quinquageſimo primo, Indictione nona, decimotertio Calendas Septembris, Oſvvinus in Anglia Rex nono regni ſui anno proditione amici occiſus migrauit ad ſuperos. Ita Beda [a], qui eius egregia facta ſcriptis commendata poſteris ſpectanda reliquit. Addit quoque, *Aidanum* Epiſcopum de quo ſuperius dictum, mœrore Regis, quem multum ob ipſius virtutes diligebat, confectum, poſt dies duodecim deceſſiſſe, nimirum pridie Calendas Septembris: cuius & miracula recenſet: ex quibus dignus habitus eſt qui anniuerſario cultu ab Eccleſia Catholica celebretur.

a Bed. lib. 3. hiſt. Angl. cap. 14.

II. S. MART. PP. CERTAMINA IN EXILIO.

Hoc item anno, inchoata iam Indictione decima, S. Martinus Papa cum in Naxo Inſula in ærumnis iam annum egiſſet, ad grauiora ſubeunda pro fide Chriſti à perfidiſſimis hæreticis ſupplicia, menſe Nouembri Conſtantinopolim ductus eſt: ibique licet ægritudine laboraret, nihilominus tam in carcere quam coram Magiſtratibus multis calumniis impetitus, diriſſima paſſus eſt: cum & Pontificiis inſignibus exutus, ac ſeminudus conſtitutus ferreis catenis collo totoque corpore vinctus, publice per vrbem Conſtantinopolitanam à carnificibus tractus eſt: ſed & catenarũ preſſuris laceratus, frigoreque & inedia in horrido carcere conſumptus, omni deniq; ex parte afflictionibus lancinatus, gladio quoque vitam finiiſſet (quod maxime optabat) niſi Paulus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, horum omnium malorum architectus, eodem tempore in peccatis ſuis moriens, conſcientiæ tamen ſtimulis coactus peccatum in Martinum agnoſcere, eius necem Imperatori diſuaſiſſet. Quapropter exulare tantummodo Cherſonam in Ponto Euxino iuſſus eſt: quod vtiq; anno ſequenti accidiſſe conſtat: ſiquidem detentus eſt Conſtantinopoli in carcere ſex integros menſes. Porro iſta omnia quæ ſummatim retulimus, fuſe deſcribuntur in litteris [b], quas ſuperius diximus ſcriptas fuiſſe ad Clerum Romanũ ab vno ex illis qui eidem Pontifici peregrinationis comites adhæſerunt. Quot autem cladibus illatis in Romanum Imperium à Saracenis, vltus ſit Deus tanta hæc in Summum totius Orbis Pontificem patrata facinora, deſcribunt Annales [c] Græcorum.

b Ap. Mart. ep. [illegible]

c Cedr. in Heracl. an. 29.

CONSTANTIS AN. 11.

IESV CHRISTI AN. 652.

MARTINI AN. 4.

I. S. MART. PP. RELEGATVR CHERSONAM. ANno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo ſecundo, Indictione decima, S. Martinus Romanus Pontifex ipſa ſancta quinta feria Cœnæ Domini Conſtantinopoli ſoluens, Cherſonam locum exilio ſibi deſtinatum [illegible] perductus eſt: qui quidem locus [illegible]

ad exilium Sancti viri delectus eſſe viſus eſt, vt ibi fame conſumptus diem extremum claudere cogeretur. Quantis enim incommodis ibi laboraret, vbi nulla incolis charitas eſſet (quippe qui ferme omnes Gentiliſmum colerent) atque omnium rerum penuria tanta eſſet, vt & panis ibi nominaretur tantum, non videretur: ipſemet teſtatus eſt in duabus epiſtolis [a] illinc ſcriptis ad quoſdam familiares ſuos Conſtantinopoli degentes.

a Mart. ep. 7 & 18.

II. Sed quod maiorem viro ſancto dolorem incuſſit, fuit cum ſubrogatum ſibi ſucceſſorem, ſe viuente & pro fide exulante, audiſſet. Hoc enim eodem anno cum exutus ille Pontificatus inſignibus, miſſuſque tam longe apud Gentiles in exilium abſque ſpe vlla reſtitutionis, iam inter mortuos propemodũ collocaretur: Calliopas Exarchus impleuit Romæ quod in mandatis acceperat ab Imperatore, vt in locũ Martini alius ſubrogaretur. Et Romanus Clerus, licet diu reluctatus, ne tamẽ cogeretur ſubire periculum quod imminebat, vt niſi ipſe eligeret, daretur inuitis ab Imperatore Pontifex qui eiuſdem cum eo eſſet hæreſis propagator: elegit tandem (Vicaria tamen, dum Martinus viueret, Præfectura *Eugenium*, patria Romanũ, filium Ruffiniani: qui inde maximam comparauerat ſibi laudem, quod ab ipſis ferme incunabulis vacaſſet rebus Eccleſiaſticis, ſemperque extitiſſet erga pauperes munificentiſſimus. Porro eius electionem contigiſſe hoc annò die nona Auguſti, colligitur ex Anaſtaſio dum eius ſedis tempus recenſet.

EVGENIVS DATVS SVCCESSOR MARTINO AB HIP.

III. Hoc eodem anno, cum (vt diximus) ſuperiori defunctus eſſet impius Paulus Conſtantinopolitanus Epiſcopus; poſt multas de ſucceſſore contentiones, ſubrogatus eſt cui plerique contradicebant, bis impius *Pyrrhus* apoſtata: qui miſer vbi ſediſſet [b] menſes quatuor & dies viginti tres, mortuus eſt, & in locum eius ſuffectus æque impius *Petrus*, ſed anno ſequenti.

IMPII EPISCOPI CONSTANTINOP.
b Niceph. in Chron.

IV. Ad hunc [c] quoque annum, *Emmerannus*, ſiue *Heimerammus*, Epiſcopi Ratiſponenſis martyrium referendum eſſe, liquet ex ipſius antiquitus ſcripto Epitaphio: quod quidem contigit ſub Theodone Bauariæ Principe, cum eiuſdem Principis filia Ota virgo Sigibaldo cuidam cõmixta, ex eo ſtupro concipiens, in vitæ diſcrimen vna cum iuuene adduceretur. Siquidem ipſe Heimerammus, vt eos à nece eriperet (Chriſti exemplo, qui aliena innocens ſuper ſe peccata ſuſcepit libens volenſque) ſibi paſſus illud ſtupri crimen adſcribit: licet poſtquam nocentem à morte liberaſſet, ſuam innocentiam defenderet, & pro cauſæ cognitione ad Romanum Pontificem vna cum accuſatoribus remitti poſtularet: nihilominus à Lantberto Theodonis filio cædi iuſſus, poſt ſingulorum membrorum detruncationem, & oculorum ac linguæ euulſionẽ, truncus relictus, adhuc prophetice nonnulla locutus eſt, ac tandem expirauit, miraculis poſt obitum clariſſimus. Narrant hæc fuſius eiuſdem Acta [d], ſcripta à Cyrino Epiſcopo item Ratiſponenſi, qui eodem ferme tempore vixit. Natalem autem eius, decimo Calendas Octobris in ſacras Martyrum relatum tabulas, anniuerſaria die egregio Catholica Eccleſia celebrat elogio.

c Habet hæc Baron. an. 702: ſed po[illegible] corr[illegible] in Append. To. IX. & in hunc annũ [illegible]
MIRA EMMERAMNI MARTYR. CHARITAS.
d Ap. Sur. 22. Sept.

CONSTANTIS AN. 12.

IESV CHRISTI AN. 653.

MARTINI AN. 5.

I. ANno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo tertio, Indictione vndecima, in Pyrrhi locum ſubrogatus eſt in ſede Conſtantinopolitana ab hæreticis *Petrus*, qui in eadem Eccleſia ſuſcipiẽdorum hoſpitum munere fungebatur, hæreticus & ipſe Monothelita: qui vt faciem ſaltem Catholici hominis oſtenderet, ad Eugenium loco Sancti Martini Romæ ſedentem, quo ab eo in communionem recipi mereretur, literas miſit: ſed cum eæ multis ambagibus inuoluerentur, tumultuante aduerſus eas Clero ac populo, omnino reiectæ ſunt: vt tradit Anaſtaſius in Eugenio.

NON RECIPIVNTVR ROMÆ LITERÆ PETRI EPISCOPI CONST.

II. Hoc eodem anno, quo Receceſuinthus in Hiſpania quintum inchoauit ſui regni, Era ſexcenteſima nonageſima prima, menſe Decembri, celebrata eſt SYNODVS TOLETANA, Octaua dicta, cui interfuerunt Epiſcopi quinquaginta duo præter abſentiũ Vicarios, & Abbates, præfuitque *Orontius* Emeritenſis Metropolitanus cæteris ſenior. à quibus ſtatuti reperiuntur canones duodecim. Exarſit vero potiſſimum zelus Patrum aduerſos ſacros miniſtros carnis inquinamento pollutos: itemque aduerſus quoſcunque Fideles, qui prætextu incommodæ ægritudinis, Ieiunii Quadrageſimæ violatores exiſterent. Sed & illud memoria dignum ſtatuerunt [a] vt Pontificum Hiſpanorum potiſſimum negotium eſſet, accedente aſſenſu maiorum Palatinorum, vt quem Regi defuncto ſuccedere vellent eligerent: eique rei fierent ab ipſis comitia, aut in vrbe regia, aut in loco vbi contingeret Regem mori. Porro ſi hæc de electione Regum Hiſpaniarum ſancire potuerunt Hiſpaniæ Epiſcopi: qui adeo mirandum, primum ſummumque in Eccleſia Catholica Hierarcham de electioribus Imperatorum conſtituiſſe decretum.

CONC. I. TOLET. VIII.
a Conc. Tolet. VIII. cap. 10.
EPISCOPI HISP. CVM OPTIMATIBVS DELIGVNT REGEM.

III. Cum autẽ aduerſus Iudæos querela Regis Synodum interpellaſſet, placuit [b] vt in eos qui poſt Chriſtianam fidem ſuſceptam ad Iudaiſmum reuerſi eſſent leges Siſenandi Regis ſeueræ admodum exercerentur: quarum timore iidem conuenientes, atque; pœnitentiam præſeferentes, ad Receceſuinthum Regem anno ſequẽti ſcripſere libellum [c], quo ſe obſeruantiſſimos Chriſtianæ legis fore iureiurando promiſerunt. Verum ſemper Hiſpaniarum Epiſcopis ſuper huiuſcemodi perfidis hominibus inuigilandum fuit, vtpote qui mille artibus fallere, promiſſis non ſtare, tegereque impietatẽ velamento religionis conſueuerunt: vt vix ſit reperire celebratum poſt hæc ibi Concilium, in quo non fuerit aliquid de his ſtatuendum: cum tamen non inficias ierimus, inter tot vepres lilia naſci ſæpe viſa eſſe, viros inquam ex iis pietate inſignes.

b Ibid. c. 12.
CONTRA IVDÆOS IVGITER FVIT IN HISP. AGENDVM.
c For. Iudic. li. 12. tit. 2. c. 16.

IV. Cæterum in hac Synodo poſt ſcriptos canones ſecuta eſt ſubſcriptio, primum Epiſcoporum, deinde Abbatum, poſtea Vicariorum abſentium Epiſcoporum, ac demum illuſtrium Palatinorum. Qui autẽ quarto loco inter Abbates nominatus reperitur *Ildephonſus*, fuit inſignis ille ſanctitate & doctrina clarus, qui poſtea ſucceſſor extitit Eugenii in Eccleſia Toletana: olim vero diſcipulus fuerat S. Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi, cum adhuc militaret clericus in Eccleſia Toletana, indeque monaſticam vitam profeſſus, Agalienſis cœnobii præfecturam acceperat: de quo plura dicenda inferius.

ILDEFONSVS ABBAS, POSTEA EPISC. TOLET.

V. Hoc item anno propagatus eſt Chriſtianiſmus in Anglia, cum populi Middelengli, id eſt Mediterranei Angli, vna cum Principe eorum Penda fidei miniſteriis ſunt imbuti, occaſione poſtulatæ ab ipſo in vxorem Alchfledæ filiæ Oſuui Regis Nordhumbrorum Chriſtianæ feminæ; quæ pluribus Beda [d] proſequitur. Hocque pariter anno ſignatum habetur martyrium Reginæ *Oſithæ* [e] in eadem Anglia: quæ educata in monaſterio, cum inde contra votum à parentibus tradita eſſet nuptui Regi Orientalium Saxonum, ab eo intacta ſeruata licentiam accepit monaſterium rurſum ingrediendi: vbi feliciter martyrium eſt conſecuta ab irruentibus piratis Danis Gentilibus. Ac denique eodem anno Sigebertus conſignat obitum *S. Iudoci* filii Regis Britonum: qui ſpreto regno & mundo, peregrinus & eremita in pago Pontino quieuit.

PROPAGATA RELIGIO IN ANGLIA.
d Bed. in Epit. hiſt. an. & l. 3. c. 21.
e Ext. eius Acta ap. Sur. 7. Oct.

VI. Quod pertinet ad res Orientales; hoc item anno Conſtantis Imperatoris duodecimo (vt habent ex Theophane Annales Græcorum) Mahuuias Saracenorum Princeps Rhodum veniens, Coloſſum ſiue æneum illud Solis ſimulacrum in portu Conſtitutum, interq; ſeptem mundi miracula numeratum (cuius nimirum tanta magnitudo [f] erat, vt diuaricatis crurib. ſpatium præberet nauibus portum ingredientibus, altitudinem habens centum viginti ſex pedum) iam antea terræmotu diſiectum, confregit, Iudæoque cuidam Emeſeno vendidit, qui nongentos camelos ex eius ære onerauit.

COLOSSVS RHODIVS FRACTVS A SARAC.
f Plin. l. 34. c. 7.

VII. Quo eodem tempore Armenia ab iiſdem Saracenis longe lateque deuaſtata eſt. Eam vero cladem hæc meruit prouincia, quod Manichæorum hæreſis, tot ante Con-

De Manichæis in Armenia degentibus.

ciliis ac legibus Imperatorum ſæpe ſæpius iugulata, ibidem reuiuiſcere cœpit ſubdolis artibus cuiuſdam *Conſtantini* hominis Manichæi: qui tamen quod videret Manichæos capitali vbique ſupplicio puniri, eorumq; libros flammis tradi: fingens ſe Manetis doctrinam reſpuere, quo facilius auditores ſuos in fraudem perduceret, Baſilidis aliorumque antiquorum hæreticorum flagitia amplectens, nouus repente pernicioſæ peſtis ductor exiliit: ſolaque iactans Euangelica & Apoſtolica ſcripta, ſeq; *Siluanũ* illum eſſe mentiens, quem Paulus olim Apoſtolus in Macedoniam miſerat, quamplurimos in errorem pertraxit. Qua de re certior factus Conſtans Auguſtus, aduerſus eos Palatinum quemdam Simeonem miſit, qui pſeudo Siluanum illum ab vno ex cariſſimis ipſius diſcipulis lapidis ictu occidendum curauit. Verum & ipſe poſtea infelix *Simeon* ab iiſdem Siluani diſcipulis miſere ſeductus, eiuſdẽque impietatis ſucceſſor factus: vt nomini ſuo famam eadem qua prædeceſſor arte conciliaret, *Titi* nomen (illius videlicet diſcipuli Sancti Pauli) ſibi vſurpauit, multoſque & ipſe in errorem perduxit: donec occaſione ſchiſmatis inter ipſum & Iuſtum Siluani interfectorem de interpretatione Scripturæ oborti, omnes ferme eiuſmodi hæretici ſub Iuſtiniano Imperatore eius nominis Secundo igne combuſti ſunt: qui tamen rurſum ſub Leone Iſaurico repullularunt, vt dicetur ſuo loco. Hæc autem, quæ multis annis geſta breuiter in vnum congeſſimus, deſumpta ſunt ex veteri hiſtoria Petri Siculi, qui aduerſus Manichæos egregium edidit commentarium ad Archiepiſcopum Bulgariæ, quem nondum editum cuſtodit Vaticana Bibliotheca: floruitq; ſub Baſilio & filiis Imperatoribus anno Christi octingenteſimo ſeptuageſimo, cum adhuc vigerent in Oriente eiuſmodi hæreſes.

IESV CHRISTI AN. 654.

Conſtantis An. 13.

EVGENII AN. I.

I. S. Mart. PP. obitus.

ANNVS Chriſti ſexcenteſimus quinquageſimus quartus cœptus eſt Indictione duodecima: quo *Sanctus Martinus* Papa ærumnis confectus Cherſonæ in Ponto, inchoata iam Indictione decimatertia, ex hac vita migrauit duodecima die menſis Nouembris, qua ab Eccleſia Catholica colitur vt martyr: cuius corpus multis miraculis coruſcans, Romam poſtea (licet tempus ignoretur) tranſlatum eſt, & in Titulo Equitii collocatum. Sed & ab ipſo adhuc viuente cœcum in Oriente illuminatum fuiſſe, fidem facit qui eodem tempore vixit Sanctus Audoenus Rothomagenſis Epiſcopus in Rebus [a] geſtis Sancti Eligii Nouiomenſis, dum eiuſdem Sancti Martini glorioſum martyrium ſummis laudibus prædicat. A populis quoque Septentrionalibus magna veneratione coli eius apud Cherſonam ſepulchrum, variaque curationum ſigna ibidem edi ſolita, & iam olim teſtatus eſt Gregorius Papa Secundus ſcribens ad Leonem Iſauricum Imperatorem: hodieque id ipſum factitari, qui eas regiones peragrarunt tradunt. Vnde in eam ſententiam imus, vt etſi corpus eius Romam delatum eſt, pars tamen aliqua Cherſonæ remanſerit, vendicantibus eum vt ſuum martyrem incolis Chriſtianis. Vbi autem Romæ eius obitus innotuit, nullus alius quæſitus eſt qui ipſi ſuccederet, ſed qui tunc ſedere per imaginem ſaltem EVGENIVS (vt diximus) inuentus eſt, accedente rurſus ſemel antea lato Cleri conſenſu, legitime ſedere cœpit: vt nonniſi ab hoc tempore eius Pontificatus tempus ſit numerandum.

a Ca. 14. ep. Sur. 1. Dec.

Eius ſepulchrum miraculis illuſtratum.

Eugenii legitimus Pontificatus.

II. Imp. vincitur a Sarac.

Hoc eodem anno Conſtans Imperator à Saracenis nauali prælio ſuperatus eſt apud Phœnicem Lyciæ: ipſeq; in maximum vitæ diſcrimen adductus, vix mutata veſte fugiens ſaluus euaſit, & derelictis omnibus Conſtantinopolim ſe recepit. Sicque vox ſanguinis iuſti Abel, Martini inquam, clamauit in perfidum ipſum Imperatorem, qui inſtar Cain nonniſi in fuga nouit ſperare ſalutem. Quomodo autem iſta ſe habuerint, à Theophane [b] narratur pluribus. Qui & ait, quod cum nocte prælium præcedente Imperator ſomniaſſet ſe eſſe Theſſalonicæ: id ei coniectores interpretati ſunt de futura clade, per vocabula inuicem ſeparata, Δὸς ἄλλῳ νίκην *Cede alteri Victoriam.*

b Theoph. an. 3. Conſt. Imp.

III. Violator ſepulchri correptus diuinitus.

Hoc item anno Rotharis Rex Longobardorum Arianus, vbi regnaſſet annos ſexdecim & mẽſes quatuor, moriens regnum reliquit filio Rodoaldo. Quo iuxta baſilicam S. Ioannis Baptiſtæ humato, cum poſt aliquod tempus quidam noctu aperto ſepulchro, omnia corporis ornamenta abſtuliſſet: hic ea de cauſa per viſionem à B. Ioanne grauiter increpitus, quod licet Rotharis Arianus fuiſſet, tamen eidem Sancto ſe commendaſſet, quotieſcumque deinceps ingredi vellet dictam S. Ioannis eccleſiam, confeſtim valide repulſus, retro ruere conſueuit. Narrat hæc Paulus [c] diaconus: ex quibus obſerues, nec impiorum preces interdum deſpicere Sanctos, vel irremuneratas relinquere præmio ſaltem aliquo temporali: ſiquidem & creator omnium Deus ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos.

c Paul. diac. li. 4. de geſt. Longob. cap. 42.

IV. De S. Folliano et ſociis mart.

Hoc eodem Redemptoris anno *Follianus* Foſſenſis Epiſcopus natione Hibernus, qui à S. Martino Papa prædicandi Gentibus Euãgelium auctoritatem acceperat, martyrii coronam ſuſcepit vna cum tribus diſcipulis: quorum Acta tu vide in Martyrologio [d] Belgico, quod Molanus illuſtrauit: ſicut & *Lexini* Gandenſis Epiſcopi, qui eidem comes inhæſit & magiſter extitit: occubuit autem multis vulneribus confoſſus, dum prædicationi Euangelicæ inſtaret apud Eſcham. Etenim ſancta his temporibus pertigit æmulatio Hibernos & Scotos religionis Chriſtianæ cultores. Quod enim ſciſſent, ab Vrbe complures in Britanniam ad Anglorum conuerſionem ſanctos viros miſſos, & ipſi hactenus id non ſine culpa neglexiſſe viſi eſſent, quod ob locorum propinquitatem commodius peragere potuiſſent: complures ex ipſis paternis egreſſi domibus ad prædicandum gentibus Euangelium profecti ſunt, vt ex Beda apparet, & nonnullorum Sanctorum vitæ Actis omni fide conſcriptis. Sed auctor vt ex Hibernia eiuſmodi homines transferrentur in Gallias, vel alias eius regiones, fuit *Vincentius* Comes Hannoniæ, qui vxorem habuit conſanguineam Regis Dagoberti beatiſſimam Waldetrudem: miſſus enim à Francorum Rege in Hiberniam, inde ſecum duxit ſtrenuos fidei prædicatores, Follianum, eiuſq; germanum Furſeum, cum aliis quos egregia ſanctitas decorauit: ſed & ipſe Vincentius excultus manu S. Authberti Cameracenſis Epiſcopi, tandem monaſtico ſuſcepto habitu ſeſe totum Chriſto addixit, & in Sanctorum [f] album poſt obitum relatus eſt.

d Martyr. Belg. 29. Oct.
e Ibid. 12. Nouemb.

Zelus Hibernor. et Scotor.

De S. Vincentio comite Hannon.

f Molan. 14. Iul.

IESV CHRISTI AN. 655.

Conſtantis An. 14.

VITAL. AN. I.

I. Eugenii PP. obitus.

ANNO Domini ſexcenteſimo quinquageſimo quinto, Indictione decimatertia, die ſecunda Iunii Romæ diem obiit Eugenius Papa: ſepultuſque eſt apud S. Petrum. Cuius ſedes cum vacaſſet (vt ait Anaſtaſius Bibliothecarius) menſem vnum & dies viginti nouẽ, ſiue vt habet alia lectio, dies viginti tres: in eius locum ſubrogatus eſt Vitalianus, filius Anaſtaſii, patria Signinus prouinciæ Campaniæ. Qui ex more Apocriſarios ſiue Reſponſales ſuos confeſtim ad Imperatorem Conſtantinopolim miſit, cum Synodica de fidei Catholicæ confeſſione: quos Imperator benige ſuſcepit, confirmatiſq; priuilegiis Romanæ Eccleſiæ, per eoſdem miſit ad Papam ſacroſanctũ Euangeliorũ librum gemmis albis miræ magnitudine exornatum, offerendum baſilicæ S. Petri Apoſtoli. Ita plane callidus Princeps, quo rebus Occidentalis Imperii bene conſultum eſſet, conatus fuit muneribus ſaltem demereri Clerum populumque Romanum, quos ſciret ſibi infenſos reddidiſſe per eiectionem S. Martini Pontificis. Et quamuis Anaſtaſius hæc referens, non dicat illum emiſiſſe fidei Catholicæ profeſſionem: æque tamen id poſſumus intelligere, nihilq; penitus prætermiſiſſe quo Catholicus forinſecus hominibus appareret. Sed & cum eadem

Vitaliani electio.

Fraus Conſtantis Imp. et Petri Epiſc. Conſt.

legatione Vitilianus literas dediſſet ad Petrum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, hortans eum ad fidem Catholicam amplexandam: reſcripſit ille ſe profiteri quæ docuiſſent veteres Patres, quorum etiam adnexuit teſtimonia: ſed quanta id fraude fecerit, detectum eſt poſtea in Sexta [a] Synodo.

a Sext. Syn. Act. 13.

II. PROPAGATVR RELIGIO IN ANGLIA.

Contigit hoc eodem anno latius propagari in Anglia Chriſtianam religionem, cum eam Mercii & Orientales Saxones amplexi ſunt, opera *Oſvui* Regis Nordhumbrorum Chriſtiani, & prædicatione *Cedd* Epiſcopi Apoſtolici plane viri: converſo ab eodem Oſvui, Sigeberto Rege Orientalium Saxonum, & devicto Penda Gentili Merciorum Rege crudeliſſimo, qui cum tricies maiori exercitu adverſus eundem Oſvui proceſſerat: ad quem in prælio obtinendum voverat Oſvui filiam ſuam Domino ſacra virginitate dicandam offerre, & multa prædia ad conſtruenda monaſteria donare quod & præſtitit poſt victoriam adeptam. Rex vero Sigebertus paulopoſt ſuſceptam Chriſtianitatem, necatus eſt à duobus ſuis propinquis, non alia de cauſa (vt confeſſi ſunt) quàm quod ille nimiũ indulgens eſſet in condonandis iniuriis. At per hanc eius mortem innoxiam expiavit Deus aliam veram ipſius culpam, qua communicaverat vni ex iis qui eum occiderunt, quem Cedd Epiſcopus ob illicitum coniugium excommunicaverat. Et quamvis veniam culpæ Rex ab Epiſcopo ſumma humilitate petiiſſet, nihilominus vltus eſt Dominus ſecundum viri ſancti prædictionem eius inobedientiam. Vnde diſcant Principes, aliique omnes, quanto ſuo damno non pateant Sacerdotibus, quantaq; iactura quis communicet excommunicatis. Hæc autem cuncta quomodo ſe habuerint, pluribus deſcribit Beda [b].

REX OCCISVS OB CHRISTIANAM MANSVETVDINEM.

b Bed. hiſt. Angl. lib. 3. c. 22. & 24.

III. CONCIL. TOL. IX.

Hoc item anno in Hiſpania celebratum eſt menſe Novembris TOLETANVM CONCILIVM, Nonum dictum Era nimirum ſexcenteſima nonageſimatertia, Regiſque Receſuinthi anno ſeptimo: cui interfuerunt Epiſcopi ſexdecim, præter Abbates & Vicarios Epiſcoporum abſentium, præfuitque *Eugenius* eiuſdem civitatis Epiſcopus: ac ſanciti ſunt canones ſeptemdecim, de rebus, bonis, & perſonis ad Eccleſiam pertinentibus.

IESV CHRISTI AN. 656.

CONSTANTIS AN. 15.

VITAL. AN. 2.

I. IMP. LABORAT SVBVERTERE MAXIMVM.

ANno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto, Indictione decimaquarta, ab Imperatore Conſtante, & Petro Conſtantinopolitano Epiſcopo, decreta eſt legatio ad Maximum confeſſorem Byziæ in Thracia exulantem, quo eum in errorem Monothelitarum perducerent: miſſique fuere Theodoſius & Paulus Patricii atque alter Theodoſius Cæſarienſis in Bithynia Epiſcopus, vir omnium eius ſectæ doctiſſimus. Hi autem cum diu contuliſſent cum Maximo, tantum abſuit vt eum à cœptis revocaverint, vt contra ipſe eoſdem ſumma potentia veritatis in ſuam ſententiam traxerit: & ad iurandum adegerit ſe abiecta hæreſi Catholicam fidem amplexuros: ſicq; reverſi ſunt ad Imperatorē quo & ipſum in eandem ſententiam perducerent. At vero aſſentiri renuens Imperator, miſit rurſum eundem Paulum Patricium, qui Maximum honorifice Conſtantinopolim duxit, conſtituitque in monaſterio S. Theodori, ſed cum illuc ſtatim ad eum duriorem miſiſſet Imperator aliorum Patriciorum legationem, iidemq; nec verbis, nec factis admodum illiberalibus, eum commovere potuiſſent vt communicaret Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ hæreſi pollutæ: eumdem omnibus rebus exutum, variiſq; calumniis oneratum, Perbera locum Thraciæ deterrimum in finibus Imperii ſitum in exilium amandarunt. Quæ omnia exacte narrantur in ipſis earum rerum Actis, quæ tunc ſcripta fuerunt ab aliquo qui omnibus præſens extitit: quę & poſtea Anaſtaſius Maximi diſcipulus vna cum aliis eiuſdem rebus geſtis ſimul collegit, extantque in codicibus Bibliothecæ Vaticanæ quorum ſuperius facta eſt mentio. Quomodo vero demum martyrium conſummarit, dicetur anno ſequenti.

ALIVD DETERRIMVM MAXIMI EXILIVM.

II.

Interea qui obniti hactenus viſus eſt veritati, Imperatoris favens pravis affectibus, Petrus Patriarcha Conſtantinopolitanus, vbi ſediſſet annos duos (corrupte apud Nicephorum leguntur duodecim) & menſes tres, mortuus eſt: atque in eius locum ſubrogatus *Thomas*. Qui cum in Synodo [a] Sexta aſſeratur fuiſſe Catholicus: in eo depravata eſſe eiuſmodi Acta (quod & in multis aliis eidem Synodo accidiſſe à mala manu Theodori Conſtantinopolitani Epiſcopi, videbitur ſuo loco) ſatis conſtat ex eiſdem S. Maximi ſinceriſſimis Actis, in quibus idem Thomas recenſetur cum Monothelitis adverſus Maximũ ſediſſe.

a Syn. Sext. Act. 16.

III. CONCIL. TOLET. X.

Celebratum eſt hoc eodem anno Calendis Decembris *Toleti* Concilium, quod numeratur Decimum, Era nimirum ſexcenteſima nonageſima quarta, annoq; Receſuinthi Regis octavo: cui interfuerunt Epiſcopi viginti, Vicarii vero abſentium quinque: præfuitque *Eugenius* Toletanus Metropolitanus, ac ſanciti ſunt canones ſeptem. Primoque loco ſtatutum, vt dies feſta Incarnationis Verbi, nempe *Annunciationis* Deiparæ, celebraretur ante octo dies à Natali Domini, eo quod quando re vera myſterium illud incidit, Eccleſia vel Ieiunii Quadrageſimalis pœnitentia, vel celebritate Paſchæ teneri ſoleat occupata. At viſum poſtea ob excellens myſterium, nonniſi ea die qua contigit celebrari debere.

DE DIE CELEBRANDA ANNVNCIATIONIS.

IV. POTAMIVS EPISC. SE IPSVM ACCVSAT.

Poſt conditos vero canones, cognita eſt cauſa Potamii Epiſcopi Bracarenſis: qui (quod mirum viſum fuit) nemine accuſante, ſe ipſe prodens abdicanſque, libellum obtulit ſui lapſus & pœnitentiæ: videlicet confeſſus ſe tactu fœmineo ſorduiſſe, indeque per novem ferme iam menſes ſponte deſeruiſſe regimen Eccleſiæ ſuæ, & ergaſtulo cuidam pro admiſſo flagitio acturum pœnitentiam ſe concluſiſſe. Cuius rei gratia in lacrymas vniverſa converſa Synodus, licet illum antiqui canones honore privari decernerent: tamen eius miſerata, reſervavit illi nomen honoris, quod ipſe ſibi ſui criminis confeſſione iam abſtuliſſet: ſed ita vt iuſſerit eum perpetuę pœnitentiæ inſervire, in ipſius vero locum præpoſuit Eccleſiæ Bracarenſi *Sanctum Fructuoſum* Eccleſiæ Dumienſis antea Epiſcopũ, ex regio Gothorum ſanguine ortum, Ducis filium, multorumq; monaſteriorum conditorem & patrem. Advertendum autem, citatum à Patribus Synodi ad condemnationem Potamii canonem, non aliquem fuiſſe ex canonibus pœnam infligentibus eiuſmodi lapſis: ſed canonem Concilii Valentini Galliæ, adverſus eos qui ſua ſponte proderent culpam: quos quidem omnino damnandos eſſe voluere: nam ſive re vera peccatum admiſiſſent, ob peccatum puniendi vero non admiſiſſent, ob mendacium plectendi forent: de quo dictum eſt ſuo loco.

CANON DE CLERICIS PVBLICE SVA CRIMINA PRODENTIBVS.

IESV CHRISTI AN. 657.

CONSTANTIS AN. 16.

VITAL. AN. 3.

I. S. MAXIMI INSIGNE CERTAMEN PRO FIDE CATHOL.

ANno Domini ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo, Indictione decimaquinta, S. Maximus Abbas amboque Anaſtaſii quos vna cum eo in exilium pulſos vidimus, Conſtantinopolim revocati ſunt ad dicendam cauſam de calumniis quibus à ſuppoſitis teſtibus accuſarentur, quaſi Imperium hoſtibus prodidiſſent, & in Imperatorem dira oblocuti eſſent: illud agentes perfidi Monothelitæ, vt eos à Catholica fide divellerent, & Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ hæreſi pollutæ communioni ſociarent, à qua viderent quamplurimos eorum conſtantia commotos recedere. Cum igitur Conſtantinopolim ducti, ibiq; impulſu potiſſimum Thomæ Patriarchæ, diverſis diebus & in Senatu & alibi interrogati, atque omnibus artibus tentati, nunquam à ſententia dimoveri potuiſſent: tandem Præfecto Vrbis puniendi traditi, Maximus quidem ſeptuaginta iam & quinq; annos natus, ipſiuſque diſcipulus Anaſtaſius, qui ei annis triginta ſeptem comes inhæſerat, primo diſtentis nervis adeo crudeliter

cæſi ſunt, vt nullum membrum à plagis ſanum relictum fuerit: ſicque in carcerem coniecti, poſtero die rurſum educti ambo lingua præciſi ſunt. Cum vero ingenti miraculo nec ſic deſiſterent æque articulate atq; antea loqui, iiſdem crudeliſſime teſtibus tormentiſque laceratis, dextræ manus amputatæ ſunt: ac demum ludibriis atque dicteriis per medium forum circumducti, nudi omnibuſq; omnino rebus deſtituti in exilium rurſum emiſſi ſunt, vna cum altero Anaſtaſio æque ipſius Maximi diſcipulo: quem licet & ipſum flagellis cæciderint, reliqua tamen pepercerunt ei inferre ſupplicia, reſpectu muneris quo functus fuerat Apoſtolicæ ſedis Apocriſarii.

LOQVVNTVR MARTYRES LINGVIS ABSCISSIS.

II. Perductus autem Maximus in quoddam Alaniæ caſtellum Schimarim dictum (nam reliqui duo in diuerſa regionis Abſagorum loca, ab inuicē diſiuncti emiſſi ſunt) ibique concluſus detentus, poſt triennium obitus die diuinitus præcognito, migrauit in cœlum Idibus Auguſti: cuius monumentum tres lucidæ faces ingenti ſplendore illuſtrare viſæ ſunt. Quæ quidem omnia ſummatim recēſita, deſumpta ſunt ex prolixioribus Actis eodem ipſo tēpore ſumma fide conſcriptis, quorum iam ſæpe mentionem habuimus. Quibus inſuper adſtipulantur Theophanes, aliique hiſtorici Græci, ſimul cum Latinis auctoribus ita vt glorioſum Sancti Maximi martyrium tam in Oriente quam in Occidente ſcriptorum omnium monumentis fuerit celebratum, ac tabulis Eccleſiaſticis inſertum. Acceditque ad gloriam tanti martyris, quod ſui nobiliſſimi ingenii & fidei Orthodoxæ permultas atque præclariſſimas poſt ſe lucubrationes [a] reliquit, quas Bibliotheca Vaticana cuſtodit; eſtque earundem ferme omnium apud Photium mentio. Ex iis vero conſtat, quam fuerit Orthodoxæ fidei & paternarum traditionum in omnibus cuſtos tenaciſſimus, atque etiam Romanæ Eccleſiæ obſeruantiſſimus. Sicut de hac re egregium extat inter plurima alia teſtimonium in epiſtola quā ſcripſit ad Marinum diaconum: vbi hæc ipſius reperiuntur verba, *Omnes termini terræ, & quicunq; vbique terrarum Chriſtum Dominum pura mente & Orthodoxa fide confitentur, quaſi ad Solem æterni luminis, ad ſanctiſſimam Romanorum Eccleſiam, & eius confeſſionem & fidem intenti reſpiciunt, ex ipſa rutilantem ſplendorem recipientes ſpiritualium & ſanctorum dogmatum: quemadmodum Sex illæ ſanctæ Synodi ſacra disertis verbis, & magna cum religione expoſuerunt, apertiſſime pronunciantes fidei Symbolum. Ab initio enim aduentus Incarnati Verbi, vniuerſæ vbique terrarum Chriſtianorum Eccleſiæ à ſancta Romanorum Eccleſia originem habuerunt, & fundamentum ſolum & maximum, contra quod nullo pacto portæ inferri praualebunt, iuxta ipſiuſmet Saluatoris [b] noſtri promiſſionem vt habeat ſcilicet Claues orthodoxæ in ipſum fidei & confeſſionis, & aperiat illis qui ad ipſam Romanam Eccleſiam cum pietate accedunt, veram & realem & ſolam pietatem quærentes: & claudat econtra & obſtruat omne os hæreticū, quod loquitur iniquitatem in cœlum, &c.* Hæc ille Theologus ſua ætate præcipuus, & martyrii titulo egregie inſignitus: atque de illo hactenus.

S. MAXIMI CONSVMMATIO MARTYRII.

a Recenſet earum argumenta Baron. Annal. To. VIII. hoc an. ex trib. codd. Vatic. n. 335. 336. 337.

DE ROM. FIDE ET ECCLESIA TESTIMONIVM MAXIMI.

b Matt. 16.

III. Hoc eodem anno, qui & numeratur nonus Reccesuinthi Hiſpaniarum Regis, *S. Eugenius* Toletanus Epiſcopus mortuus eſt Idibus Nouembris: de cuius vita in clericatu & monachatu optime inſtituta, præclariſque lucubrationibus agit S. Ildefonſus [c], qui ex monachorum præfecto ſucceſſit eidem in Epiſcopatu Toletano. Sed & ipſius *Ildefonſi* tanta fuit morum ſanctitas, vt multis miraculis claruerit, atque etiam diuinis Sanctorum apparitionibus honoratus fuerit: interq; alia tanto arſit Sanctiſſimæ Dei-Genitricis amore (cuius laudes cultumque in ſuis opuſculis copioſē proſecutus eſt) vt dignum illum eadem cenſuerit quem præſentia corporali viſitaret, cum eam ipſe aliquando in ſolemnitate Aſſumptionis eiuſdem Sanctiſſimæ Virginis (ſiue vt habet antiqua traditio Eccleſiæ Toletanæ, in die ſolemnitatis Expectationis eiuſdem Deiparæ, quæ ibidem celebrari conſueuit die decimaoctaua Decembris) ante horas matutinas ex more Eccleſiam ingreſſus ad orationem, reperit in cathedra Epiſcopali ſedentem: quæ ei veſtem candidiſſimam dedit, & dona ſpiritualia impertiit, ac vitam æternam promiſit. Cuiuſmodi hiſtoria non ſolum recenſetur in reb. geſtis eiuſdem Sancti Ildefonſi, quas paulo poſt eius obitum Iulianus (non ille Toletanus Epiſcopus, ſed alius eiuſdem Eccleſiæ diaconus) in præfatione voluminis S. Ildefonſi de laude B. Virginis contexuit: (qui & addit, inde factum eſſe vt eam cathedram nullus Epiſcopus adire poſtea tētauerit: præter Siſibertum, qui ſtatim eam perdens exilio relegatus eſt.) ſed eiuſdem inſuper meminit canon vndecimus Cōcilii in Hiſpania ad Pennam Fidelem ſub Ægidio Epiſcopo Toletano habiti anno Domini milleſimo treceenteſimo ſecundo, cum decreuit vt ſolemniori & duplici officio eiuſdem S. Ildefonſi feſtiuitas celebraretur. Hiſq; omnes penitus qui res Hiſpaniarum Eccleſiæ ſcriptis ſunt proſecuti, & (quod magis eſt) Romanum ipſum Martyrologium decimo Calendas Februarii abſque controuerſia adſtipulantur.

c Ildef. de Vir. illuſtr.

S. DEI-GENITRIX APPARET ILDEFONSO.

IV. Hoc item anno, qui numeratur vndecimus Sigeberti Francorum Regis, ipſe ex hac vita migrauit: licet alii decem tantum vixiſſe annos tradant, alii toto cœlo errantes dicant perueniſſe ad annum Domini ſexcenteſimum ſexageſimum ſecundum. Conſtat [d] autem ipſum ob egregias animi virtutes, præclaraque pietatis opera à maioribus relatum eſſe inter Sanctos, colique diē natalem eius Calendis Februarii: de cuius etiam miraculis ſcripſit libellum Sigebertus Gemblacenſis. Qui quidem Rex cum frenum iniiciens indomitæ dominandi cupiditati, paterni regni ipſe maior natu minorem ſibi ſumpſiſſet partem Auſtraſiæ, maiorem vero totius ferme regni ceſſiſſet minori fratri Clodoueo: bene vſus pace, cum ab externis & à ciuilib. bellis quieſceret, ſeſe totum monaſteriis erigendis, aliiſq; pietatis operibus mancipauit. Cum vero reliquiſſet vnicum filium, eundemque adhuc puerum nomine Dagobertum, adoptato iam antea, cum prole careret, Ildeberto filio Grimoaldi Maioris domus: huius arte poſt patris mortem Dagoberto puero in Scotiam amandato, ipſoq; Ildeberto à Clodoueo Sigeberti fratre in bello perempto: idem Clodoueus potitus regno Sigeberti, ipſum Childerico filio ſuo ſecundogenito tradidit, adoleſcenti (vt aiunt) leuiſſimo, & ad omnem prauorum impulſum facile mobili.

OBITVS, ET PIETAS S. SIGEB. FRANC. REGIS.

d Molan. in Natal. SS. Belg. die 1. Febr.

IESV CHRISTI AN. 658.

CONSTANTIS AN. 17.

VITAL. AN. 4.

I. ANno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimooctauo, Indictione prima Thomas Conſtantinopolitanus Epiſcopus, vbi ſediſſet (vt habet Nicephori Chronicon) annos duos & menſes ſeptem, mortuus eſt: & in eius locum ſubrogatus *Ioannes* eiuſdem Eccleſiæ Syncellus & Cuſtos vaſorum. Hic quoque in Sextæ Synodi Actis prædicatur Catholicus: ſed perperam, vt & de eodem Thoma dictum eſt ſuperius.

II. Eodem anno, Conſtantis Imperatoris decimoſeptimo (vt Theophanes habet) pax ſancita eſt inter Romanos & Saracenos: cum Mahuuias iſtorum Princeps ſuorum ſeditione compulſus, ad Imperatorem miſit, pacis nomine in ſingulos dies ab Arabibus mille nummos dependum iri promittens, & equum, & ſeruum.

REX SARACENOR. TRIBVTVM PENDIT IMPERATORI.

III. Hoc item anno [a] *S. Theodardus*, natione Gallus, profeſſione monachus, qui ex Abbate monaſterii Stabulenſis (vnius ex duodecim, quæ erexiſſet in Auſtraſia Rex Sanctiſſimus Sigebertus) inuitus fuerat conſtitutus Epiſcopus Leodienſis in locum defuncti S. Remacli: martyrii coronam adeptus eſt, cum Childericum Regem adiens, vt bona Eccleſiæ à quibuſdam ablata, reſtituenda curaret, ab iiſdem in itinere gladiis confoſſus eſt, & membratim diſcerptus: cuius extant [b] Acta ſcripta, vel reſtituta potius, à Sigeberto Gemblacenſi. Succeſſit vero ipſi *S. Lambertus*, diſcipulus & ipſe S. Remacli, & martyrio pariter coronatus, vt ſuo loco videbitur.

a Sigeb. in Chron. Molan. de SS. Belg.

S. THEODARDI MARTYRIVM.

b Ap. Sur. 10 Sept.

IESV

CONSTANTIS AN. 18.

IESV CHRISTI AN. 659.

VITAL. AN. 5.

I. CONSTANS IMP. FRATREM SVVM DIACONVM OCCIDIT.

ANno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo nono, Indictione ſecunda, Imperator Conſtans anno regni ſui decimooctauo, fratrem ſuum Theodoſium ob quandam offenſam diaconum conſecrari fecit: eundemque paulo poſt nece auferens, fratricidium ſacrilegio magis infamauit. Sed haud impune: exegit enim fuſus ſanguis innocens à Deo vindictam vt omnibus vitæ ſuæ diebus, inſtar Cain, conſcientiæ ſtimulis agitatus, profugus & vagus viueret ſuper terram. Cum enim idem Theodoſius, qui in ſacroſanctis myſteriis poculo Chriſti Sanguinis Conſtantem impertierat, eidem crebro per quietem appareret habitu diaconi poculum ſanguine plenum porrigens, ac dicens, *Bibe frater*: eius viſionis frequentia victus infelix Imperator, ſtatuit in Siciliam ſecedere. Itaque relictis Conſtantinopoli vxore cum tribus filiis, nauem conſcendens, cum ſoluiſſet conuerſus retro vrbem ipſam conſpuit. In Sicilia vero Syracuſas ſibi delegit vbi vitam ageret: quo & ſtatuit Imperium Romanum transferre, quod inuiſus eſſet ob Monothelitarum hæreſim, aliaſque prauas de religione opiniones: ſed cum miſiſſet qui vxorē & liberos adducerent, Conſtantinopolitani eos demittere noluerunt. Hæc Annales [a] hoc anno exhibent. Agit vero Anaſtaſius de Imperatoris Romam aduentu antequam in Siciliam ſe conferret: ſed de eo dicetur inferius. Porro nec in Sicilia inſomnium illud vexare ipſum deſiiſſe, ex iiſdem Annalibus conſtat.

DIVINA VLTIONE EXAGITATVS SECEDIT IN SICILIAM.

a *Theop. & Cedr. an. 18. Conſt.*

II. SARACENI ROBVR SVVM INTVDINT IMPERIVM.

Hoc eodem anno, qui bello ciuili ſuorum depreſſus Mahunias Princeps Saracenorum, pendere delegerat tributum Conſtanti Imperatori: iam exigentibus eiuſdem Auguſti peccatis, æmulo ſuo Hali nece ſublato ſolus abſque timore imperans, aduerſus Perſas primum, inde aduerſus Romanos ſeſe erexit.

III.

Eodem anno Rex Longobardorum Rodoaldus, vbi regnaſſet annos quinq; & dies ſeptem, occiſus eſt à Longobardo homine cuius vxorem adulterio polluerat. Huius tempore illud memoria dignum contigiſſe Paulus [b] Diaconus refert, vt eiuſdem ipſius Regis coniuge adulterii accuſata quidam Reginæ ſeruus Carellus nomine à Rege expetierit, vt cum eo qui Reginæ crimen ingeſſerat, pro eius caſtitate ſingulari certamine dimicare liceret: eaque re impetrata, idem Carellus aſtante cuncto populo calūniatorem ſuperauerit, ſicque Regina priſtinæ dignitati reſtituta fuerit. Qua quidem origine inuexerunt barbari in Italiam, deteſtandam eiuſmodi conſuetudinem vt monomachia iurgia definirent: qua ſicut nihil crudelius, ita nihil ſtultius poteſt excogitari, cum nequaquam ſemper in vnoquoque bello victoria iuſtitiam conſequatur, ſed occulto Dei iudicio declinet interdum ad eum qui cauſam malam foueat. Cæterum ſucceſſit Rodoaldo Regi Aripertus filius Gundibaldi, qui fuerat Germanus Theodolindæ Reginæ.

b *Paul. diac. l. 4. c. 49. 50.*

MONOMACHIA INTRODVCTA IN ITALIAM.

CONSTANTIS AN. 19.

IESV CHRISTI AN. 660.

VITAL. AN. 6.

I. CLODOVEVS FRANCORVM REX INCONCESSA TENTAT.

ANno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo Indictionis tertiæ, qui & numeratur Clodouei Iunioris Francorum Regis decimus quartus, cum vigeret in Gallia grauiſſima fames, idem Clodoueus argentum quo pater eius Dagobertus apſidem ſepulchri S. Dionyſii & ſociorum martyrum operuerat auferri mandauit, eiuſque loci Abbati egenis diſpertiendū tradidit. Hæc Aimoinus [a], eiuſmodi factum pietati adſcribens, quod ab aliis vt ſacrilegium condemnatur. Quid enim Principibus in iis quæ Deo ſemel dicata ſunt? vel cur non ipſe prius regios theſauros diſtrahebat, quam ſacra tangeret? aut ſi tale quid perpetrari neceſſitas ſuaderet, non illæ quidem regiæ manus, ſed ſacerdotales eſſe debuerant: ſicuti ab Ambroſio, Auguſtino, Exuperio, aliiſque ſanctis viris quamplurimis factum ſcimus. Denique tradit Sigebertus, eundem Regem adeo irreuerēter S. Dionyſii corpus diſcoperuiſſe, vt & os brachii fregerit, rapueritq;: ideoque mox in amentiam perpetuam incidiſſe. Verum aſſertio de amentia videtur redargui ex iis quæ adeo dicentur poſt ſequentem annum. Sed quod ad reliqua ſpectat: poſt huiuſmodi facinus, collabi cœpiſſe regnum Francorum, & traditur Appendice ad Aimoinum [b], & patebit ex iis quæ de Clodouei ſucceſſoribus ſcribentur.

a *Aim. l. 4. c. 41.*

QVANDO CŒPIT DEFICERE REGNVM A FAMILIA CLODOVEI.

b *Ibid. lib. 4. c. 44.*

CONSTANTIS AN. 20.

IESV CHRISTI AN. 661.

VITAL. AN. 7.

I. OBITVS S. AMANDI FLANDR. APOST.

ANnus Chriſti ſexcenteſimus ſexageſimus primus Indictionis quartæ, rerum geſtarum inopia tam in Oriente quam in Occidente obſcurus, veluti fatetur magnopere illuſtratur in Gallia natali ſanctiſſimi viri *Amandi* [a] Traiectenſis Epiſcopi, *Flandrorum Apoſtoli* nuncupati: de cuius in conuerſione Gentilium ſuſceptis laboribus dictum eſt ſuperius.

a *Vid. Molan. in Natal. SS. Belg. 5. Febr.*

CONSTANTIS AN. 21.

IESV CHRISTI AN. 662.

VITAL. AN. 8.

I. CONCIL. CLYPIAC.

ANnoDomini ſexcenteſimo ſexageſimo ſecundo Indictionis quintæ, Clodouei Francorum Regis decimoſexto (vt Aimoinus [a] habet) apud villam *Clypiacum* territorii Pariſienſis collecta eſt SYNODVS omnium propemodum Francorum gentis Epiſcoporum & ſæcularium Principum: vbi in expiationem, puto admiſſi quod vidimus aduerſus S. Dionyſium ſceleris, idem Rex omnium conſenſu, ipſiuſq; etiam Epiſcopi Pariſienſis, eiuſdem S. Dionyſii monaſterium, vna cum omnibus poſſeſſionibus ſuis ab eiuſdem Epiſcopi Pariſienſis cui antea parebat, aliorumq; omnium dominio liberum eſſe conſtituit: ita vt nulli (vt ait) præterquam Deo, & Sanctis in quorum honorem ædificatum fuerat, ipſiſque Francorum Regibus, ſubiacere deberet.

a *Aim. l. 4. c. 41.*

PRIVILEGIVM MONASTERII S. DIONYSII.

II. CONCILI. CABILON.

Sed & ſub eodem Clodoueo Rege (quoto autem anno ignoratur) celebrata reperitur [b] octauo Calendas Nouembris SYNODVS CABILONENSIS: cui inter alios Epiſcopos ſanctitate celebres interfuiſſe leguntur, qui etiam in dicto Concilio Clypiacenſi præſentes fuerunt, SS. Audoenus Rothomagenſis, & Eligius Nouiomenſis, præfuitque Gandericus Lugdunenſis: à quibus omnibus conſtituti ſunt canones decem & nouem, ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinentes. Poſt quos legitur etiam epiſtola Synodalis ad Theodorum Epiſcopum Arelatenſem: qui licet publicam iam ageret pœnitentiam ob publica peccata commiſſa, adhuc tamen citatur cauſam dicere ad ſequentem Synodum.

b *To. 2. Concil.*

CONSTANTIS AN. 22.

IESV CHRISTI AN. 663.

VITAL. AN. 9.

I. CONSTANS IMP. VENIT IN VRBEM.

ANno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo tertio, Indictione ſexta Conſtans Imperator quinta die menſis Iulii Romam adueniens ad Limina Apoſtolorū viſitanda, honorifice ſuſceptus eſt à Vitaliano Papa, qui ei cum clero occurrit milliario ſexto ab Vrbe. Pacifice enim adueniens, perſonam prætetulit hominis Orthodoxi: ideoque præcipuas Eccleſias deuote viſitans, dona etiam eis obtulit. Omnia tamen ærea ciuitatis ornamenta, tegulaſque ipſas æreas eccleſiæ S. Mariæ ad Martyres, aliaque ad ornatum Vrbis poſita auferens, Cōſtantinopolim direxit. Cumq; duodecim dies Romæ egiſſet, inde petens

Neapolim, poſtea itinere terreſtri Syracuſas ſe recepit anno ſequenti: vbi per multos annos commoratus, immenſis populos illos explicationibus tam ſacrarum quam profanarum rerum afflixit. Hæc omnia Anaſtaſius in Vitaliano.

II. a Paul. diac. de geſt. Long. lib. 5. cap. 6. 7. 11. VATICINIVM DE REGNO LONGOB.

Quæ eadẽ deſcribens Paulus[a] Diaconus, multa commiſcet de bello ab eodem Imperatore in Italia inaniter geſto aduerſus Grimoaldum Regem Longobardorum, & eius filium Romoaldum Ducem Beneuentanum: quod antequam auſpicaretur, cum eremitam quendam conſuluiſſet qui prophetiæ ſpiritum habere dicebatur, ab eo reſponſum accepit, Longobardos ſuperari non poſſe, quod S. Ioannes Baptiſta pro illis continue intercederet ob baſilicam ab illorum Regina in ipſius honorem in Modoetia conſtructam: futurum autem aliquando vt eadem Eccleſia deſpectui haberetur, tuncque eam gentem perituram. Hæc pluribus Paulus: quæ ex eiuſdẽ auctoris[b] aſſertione ante Imperatoris in Vrbem aduentum contigerunt. Veruntamen Grimoaldum Regem hoc ipſo anno Ariperto ſucceſſiſſe, conſtat ex quodam eius edicto[c], quod datum ponitur anno ſexto ipſius regni menſe Iulio Indictione vndecima. Quem quidem ex Ariano redditum eſſe Catholicum per S. Ioannem Bergomẽſem Epiſcopum & martyrem, traditur in Actis eiuſdem Sancti. Cuius & rei certum reliquit ipſe Rex monumentum, dum ex Paulo conſtat, ipſum erexiſſe baſilicam ſub titulo S. Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi, quem liquet fuiſſe Arianorum acerrimum oppugnatorem. Baſilicam autem eius virtutem, variaſque expeditiones cum aduerſus Græcos, tum contra ſuos rebellantes, deſcribit etiam idem auctor.

b Ibid. c. 34.

c Ext. ap. Sigon. de regn. Ital. li. 2. in Grimoaldo: ex quo idem ... erroris arguitur, dum extra dum ... ponit anno Dom. 661. GRIMOALDI REG. CONVERSIO. CONSTANTIS AN. 23.

IESV CHISTI. AN. 664.

VITAL. AN. 10.

I. a Niceph. in Chron.

ANno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo quarto, Indictione ſeptima, Ioannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus, vbi ſediſſet[a] annos quinque & menſes nouem, mortuus eſt: atque in locum eius ſubrogatus *Conſtantinus* diaconus eiuſdem Eccleſiæ & Vaſorum cuſtos ac Oeconomus: idemque Catholicę communionis. Monothelitis penitus aduerſarius, vt Sextæ[b] Synodi Acta (ſi tamen impoſtura careant) ſignificant. Certe nihil prohibet quin vere potuerit eſſe Catholicus, Imperatore iam in Occidente inter Catholicos apparente Catholico.

b Syn. Sext. act. 14.

II. COLLATIO IN ANGLIA DE CELEBRATIONE PASCH.

Quod ad res Anglicanæ Eccleſiæ pertinet: cum in prouincia Mediterraneorum Anglorum, Nordhumbrorum & Merciorum, ex Scotia petiti præſiderent Epiſcopi: qui etſi in omnibus fide eſſent Orthodoxi, in celebratione tamen Paſchatis minime cum Catholicis (vt ſæpius dictum eſt) conuenirent: huius rei gratia factum eſt, vt hoc ipſo Redemptoris anno ſexcenteſimo ſexageſimo quarto, coram Rege Oſvvi, eiuſque filio Alchfrido (quorum ille Scotorum, iſte Catholicorum partibus inhæreret) inter vtriuſque partis ſacerdotes de ea re diſputatio haberetur: cuius is fuit exitus, vt auditis Catholicorum rationibus, nitentibus præcipue auctoritate Romanæ Eccleſiæ & poteſtate Sancto Petro collata, Rex ipſe Oſvvi cum omnib. ferme aliis relicta Scotorum opinione Catholicis adhæſerit. Deſcribit hæc pluribus Beda[c]: qui & addit, diſputatum præterea fuiſſe de tonſura coronæ clericalis, quam Scoti pariter recipere renuebant. Quomodo vero de eadem Paſchatis quæſtione celebriori conuentu diſputatum poſtea fuerit, ſuo loco dicturi ſumus.

c Bed. 3. hiſ. 25.

III. CLODOVEI II. OBITVS.

Hoc eodem anno Clodoueus Francorum Rex diem obiit, vbi regnaſſet annos octodecim, vt habet vetus Auctor qui appendicem affixit ad Gregorium Turonenſem. Quod autem ait, circa vitæ finem mente captum fuiſſe: de eo dictum eſt ſuperius. Reliquit vero tres filios, nempe Clotarium, Childericum, atque Theodoricum: quibus quæ ventura eſſent demonſtrata fuiſſe in viſione S. Eligio Nouiomenſi Epiſcopo, narrat S. Audoenus Rothomagenſis in ipſius Rebus[d] geſtis. Agemus & nos ſuis locis de iiſdem.

d Ap. Sur. 1. Dec. lib. 2. c. 31.

IV. MARTYRIVM S. AIGVLPHI.

Sub eodẽ Clodoueo (de anno vero non conſtat) contigit *S. Aigulphum* monachum, è Floriacenſi monaſterio ad præfecturam Lerinenſis (in quo collapſa monaſtica diſciplina videretur) vocatum: vna cum ſociis à pſeudomonachis illic degentibus in carcerem primo coniectum eſſe, deinde vero in ignobilem inſulam inter Corſicam & Sardiniam perductum, ibi poſt linguæ abſciſſionem, & erutionem oculorum, ſupplicio capitis martyrium ſubiiſſe. Quo comperto, ſceleris auctores poſt multa tempora iuſſu Clodouei Regis necati ſunt. Habent iſta pluribus eorundem martyrum Acta[e]. Sed & docent (quibus & alii complures Scriptores adſtipulantur) ipſum Aigulphum miſſum antea fuiſſe à Mũmulo Abbate Floriacenſi Caſſinum, ad auferẽdas inde ſacras Reliquias S. Benedicti Abbatis: addunt alii[f], & Scholaſticę ſororis eius in Cenomanis vel Aurelianenſibus eſſe ſublatas. Siquidem ipſum cœnobium iam ante octoginta ferme annos deuaſtatum à Longobardis fuiſſe ipſoſq; monachos maxima ex parte Romam trãslatos, ſuperius vidimus ex S. Gregorio. Sunt tamẽ innumeri qui his translationibus contradicant. Porro antiquiſſimus omnium Paulus[g] diaconus, qui proximo ſæculo vixit, & monachus in dicto Caſſinenſi cœnobio diem extremum clauſit, quæſtionẽ ita dirimit, vt dicat translata oſſa fuiſſe, remanſiſſe vero redactas in puluerem carnes: hocq; modo ipſe intelligit, quod inferius[h] agens de reſtitutione monaſterii Caſſinenſis facta per Petronacem Brixianum, abſque vlla dubitatione tradit corpus ipſum S. Benedicti illic fuiſſe: cuius hac in re auctoritas apud me plurimum valet. Vtcumque ſit, venerari Fideles pie ſancteque corpus integrum, vbi tenuis tantum puluiſculus habeatur alicuius Sancti, quod eiuſdem ſit virtutis cuius & integrum corpus: docet Gregorius Nazianzenus in Iulianum.

e Ap. Sur. 3. Sept. DE TRANSLATIONE S. BENED. IN GAL. f Paul. diac. li. 6. c. 2.

g Id. lib. 2. c. 1.

h Libr. 36. c. 40. miscellan.

V. i Martyrol. Rom. S. GERTRVDIS OBITVS.

Tranſiit hoc eodem anno die decimaſeptima Martii[i] ex hac vita inſignis illa Virgo Deo dicata, Francorum nobilitatis decus, *S. Gertrudis* filia Pipini Ducis: cuius extant Res præcl. re geſtæ, omni fide poſteris traditæ Sed & ipſius mater, *Iduberga* nomine & *Itta* cognomine, viduata Pipino viro, à S. Amando Traiectenſi Epiſcopo ſacrum religionis velamen accipiens, ita vixit vt & ipſa inter Sanctas[k] meruerit adnumerari. Has fixit beata illa familia in cœlo radices, ex quibus Francorum Regum progenies fœcundo cæſpite pullularet, vbi truncus vetus familiæ Clodouei arcicere cœpit auitæ defectu virtutis.

k Molan. Natal. SS. Belg. 8. Mart.

IESV CHRISTI AN. 665.

CONSTANTIS AN. 24.

VITAL. AN. 11.

I. LEGATIO EX ANGLIA AD VITAL. PP.

ANno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo quinto Indictione octaua, ex Anglia à Rege Nordhumbrorum Oſvvi legatio miſſa eſt ad Vitalianum Romanum Pontificem, vna cum vaſis aureis argenteiſque in Baſilicam Sancti Petri Apoſtoli deferendis. Qui enim anno ſuperiori in Collatione habita, accepiſſet illam firmiter tenendam fidem, quam Romana doceret Eccleſia, cui Petrus conſignatum Euangelium reliquit: cum ingruente in Anglia lue, ex hac vita ſubductus eſſet Deuſdedit Epiſcopus Dorouernenſis, initio cum Ecgberto Cantuariorum Rege conſilio, ſucceſſorem ei ex conſenſu Cleri VVighardum presbyterum deligentes, eumdem miſerunt Romam, vt à Summo Pontifice Archiepiſcopatus gradum acciperet, cum poteſtate ordinandi per omnem Angliam Antiſtites. Sed is in Vrbem perueniens, priuſquam conſecraretur Epiſcopus, morte præreptus eſt. Narrat hæc[a]; litteraſque recitat quas ea de re Vitalianus Papa ad eumdem Regem Oſvvi reſcripſit. Quem autem pro VVighardo idem Pontifex in Angliam Epiſcopum miſerit, dicetur inferius ſuo loco.

a Bed. lib. 3. cap. 29.

II. b Sigeb. in Chron. S. ELIGII OBITVS.

Eodem Chriſti anno[b] admirandus ille Nouiomenſis in Gallia Epiſcopus *S. Eligius*, huius ſæculi ſplendore, de quo ſæpe ſuperius, *Flandrorum Apoſtolus* nũcupatus (quippe qui tam in illis, quam aliis vicinis populis ad fidem

Chriſti conuertendis, & optimis moribus informandis, multum inſudarit) in ipſa Nouiomenſi ciuitate ex hac vita migrauit, miraculis & in vita & poſt mortem celeberrimus, & egregiis factis perinſignis; cuius præclaras Res[c] geſtas vir æque ſanctitate clarus Audoenus eius æqualis Rothomagenſis Epiſcopus tribus libris digeſſit. Eius corpus cum Regina Bathildis Clodouei relicta, pientiſſima femina, & ipſius S. Eligii ſtudioſiſſima, quæ cum paruulis filiis regnabat, in monaſterium Calam ab ipſa erectum transferre vehementi cuperet deſiderio, alii vero Pariſios deducere conarentur; neutri ipſum vllo prorſus modo mouere loco potuerunt: ſed cum ab ipſis ciuibus Nouiomenſib. leuari cœptum eſt vt ad ſepulchrum ei in eadem vrbe præparatum transferretur, mira facilitate motum eſt, eiuſq; theca ac monumentum, tam ab ipſa Regina quam reliquis proceribus infinitis aureis argenteiſq; atq; gemmeis donis ornatum. Et quæ ab eo viuente commoneri conſueuerat eadem Regina, poſt ipſius obitum, eiuſdem iuſſu cuidam aulico in viſione apparentis, correpta eſt quod cum eſſet vidua, regalibus tamen indueretur indumentis aureis gemmatiſque. Quapropter mox ipſa illis depoſitis, pauperibuſque diſtributis, vel in alios pios vſus collatis; relicta poſtmodum filiis ſuis adminiſtratione regni, ſumpto habitu monaſtico, in eo ita vixit, vt poſt mortem in Sanctorum[d] album referri meruerit.

c Extat ap. Sur. 1. Dec.

MIRACVLVM DE S. ELIGII CORPORE.

BATHILDIS REGINA DIVINITVS MONITA ABDICARE ORNATVM.

d Martyrol. Rom. 27. Ianuar.

III.

Hoc pariter anno ex hac vita deceſſit magnæ vir ſanctitatis *Wandregiſilus*[e] ſacerdos: qui ex con[...]no genitus Pipini Ducis Auſtraſiorum, Comes Palatinus apud Dagobertum Regem obligatus coniugio, cum vxore virgine & ipſe virgo religionis ergo virginitatem ſeruare pari conſenſu decreuit; attonſuſque eſt in clericum, atque eius vxor velata. Sane quidem videas his temporibus, quibus denſa caligine Oriens obſcurabatur, eluceſcere ſplendoribus Sanctorum Gallias & Britanniam.

e Extant eius Acta ap. Sur. 22. Iul.

DE S. WANDREGISILO.

CONSTANTIS AN. 25.

IESV CHRISTI AN. 666.

VITAL. AN. 12.

I.

ANno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo ſexta Indictione nona, Conſtantinus Patriarcha Conſtantinopolitanus, vbi ſediſſet[a] annum vnum menſes duos & dies ſeptem, mortuus eſt; ſubrogatuſque in eius locum *Theodorus* presbyter Syncellus & Cuſtos vaſorum; hæreticus omnium impudentiſſimus, verſipellis, Monothelitarum ſectæ propugnator audaciſſimus; de quo pluribus inferius.

a Niceph. in chron.

THEOD. IMPIVS EPISC. CONST.

II.

Hoc eodem anno, qui numeratur decimus octauus Reccenſuinthi Hiſpaniarum Regis, Era ſeptingenteſima quarta, celebratum eſt CONCILIVM EMERITENSE duodecim comprouincialium Epiſcoporum Luſitaniæ; cuius ſunt canones viginti tres, ad optimum Eccleſię ſtatum diſponendum ſpectantes. Sed memoria dignum quod iubet canon tertius, vt cum Rex in bello detineretur, quotidie in ſingulis eccleſiis ſacrificium Deo pro ipſius, exercituſque ſalute offerretur. Sed & illud recens inſtitutum[b] eſt, ne niſi presbyteri ab Epiſcopis impedimento aliquo detentis vicarii ad Synodos mitterentur; iiſdemque ſedere à tergo Epiſcoporum concederetur, diaconis autem nullo modo. Itemque illud ſalubriter decretum[c], ne quis defuncto Epiſcopo quoquo modo detraheret, aut malum quicquam de eo loqueretur. Atque etiam, vt cui plures[d] eccleſiæ ob paupertatem ipſarum eſſent concreditæ, in earum ſingulis ſingula ſacrificia Domincis diebus offerre deberet. Reliqua tu conſulas.

CONCIL. EMERITEN.

SACRIFICIVM QVOTIDIANVM PRO REGE DECERNITVR.

b Concil. Emerit. c. 5.
c Ibid. c. 17.
d Can. 19.

CONSTANTIS AN. 26.

IESV CHRISTI AN. 667.

VITAL. AN. 13.

I.

ANno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Indictione decima; *Saporius* Armeniæ Præfectus rebellans aduerſus Imperatorem, à Rege Saracenorum auxilium petiit: ad quem etiam cum eodem tempore legatio ipſius Conſtantis Imperatoris aduenisset, hanc que Saracenus contemnens fauiſſet potius Saporio; ea re indignatus Imperatoris Legatus publice côteſtatus eſt, ſpreto Romanorũ Imperatori Deum auxilio affuturum. Nec fefellit ſpes: ſiquidem cum paulo poſt Saporius Hadrianopolim adueniens, in ipſo portæ tranſitu equum quo ferebatur flagello percuſſiſſet, ſaliens equus caput ipſius in partem ſuperiorem portæ alliſit, vitaque priuauit. Hæc ex Theophane.

SAPORIVS TYRANNVS EXTINCIT, ET CITO PERIIT

II.

Quo eodem anno, inchoata vndecima Indictione, Ioannes Epiſcopus Lappæ in Creta iniuſtitiam paſſus ab Archiepiſcopo Cretenſi, appellans ad Apoſtolicam ſedem Romam venit menſe Decembri: ibique in *Synodo* à Vitaliano Papa ea de cauſa habita, abſolutus eſt. Patent vero iſta ex literis[a] eiuſdem Vitaliani ad Paulum Cretenſem Archiepiſcopum anno ſequenti ſcriptis; quibus eum acriter redarguit, quod appellantem Epiſcopum cohibere contra canones tentaſſet.

EPISCOPVS CRETÆ APPELLAT SEDEM APOST.

a Vital. ep. 1. To. 2. Epiſt. Rom. Pont.

III.

Hoc item anno, decimo Calendas Februarii (vt habet Martyrologium Rom.) magnus ille meritis ſanctus, miraculiſq; & ſcriptis clariſſim⁹, *Ildefonſus* Toletanus Archiepiſcopus ex hac vita migrauit, vbi magna cum laude Eccleſiam illam rexiſſet annos nouem & duos fere menſes. Ita enim habet Vaticanus codex, ſcriptus de Epiſcopis Toletanis ab auctore eius temporis vbi etiam numerantur eius lucubrationes. Sed dolemus magnopere, iniuria temporum, & graſſationibus Saracenorum, tot nobiliſſimi ingenii monumẽta perpaucis exceptis eſſe deperdita.

S. ILDEFONSI OBITVS.

CONST. POGON. AN. 1.

IESV CHRISTI AN. 668.

VITAL. AN. 14.

I.

ANno Domini ſexcenteſimo ſexageſimo octauo, Indictione vndecima Conſtans Imperator Syracuſis in balneo occiſus eſt, anno Imperii vigeſimo ſeptimo, vt Theophanes habet: quem tamen Indictione duodecima necatum eſſe, Anaſtaſius[a] Bibliothecarius & Paulus[b] diaconus tradunt; ipſeque Anaſtaſius diem notat decimam quintam menſis Iulii. Ceterum cum Acta Synodalia Sexti Oecumenici Concilii (quibus haud dubium maior fides adhibenda eſt) menſe Nouembris Indictionis nonæ, numerent Conſtantini annum decimumtertium; omnino dicendum eſt, eum hac indictione vndecima patri ſucceſſiſſe.

CONSTANS IMP. OCCIDITVR.

a Anaſt. in Vital.
b Paul. diac. lib. 5. cap. 11.

II.

Occiſo igitur Conſtante, rebelles *Mezium* quemdam, ſiue *Mezentium* Armenum Imperatorem crearunt. Quo audito, CONSTANTINVS Conſtantis filius in Siciliam venit, tyrannumque occidit, vna cum iis qui aduerſus patrem coniurauerant. Quæ pluribus narrant Annales Grecorum. Suppetias autem miniſtraſſe Vitalianum Pontificem Conſtantino Catholico Imperatori aduerſus tyrannos, idẽ Auguſtus in literis poſtea ad Donum Papam ſcriptis profeſſus eſt. Qui quidem bene diſpoſitis rebus Occidentalis Imperii, regreſſus eſt Conſtantinopolim, fratribuſque *Tiberio* & *Heraclio* in collegas allectis, vna cum eis imperauit. Fuit (vt dictum eſt) Catholicæ religionis profeſſor; idemque ob barbam dictus *Pogonatus*, quod ſcilicet Conſtantinopoli ſoluens tenera adhuc lanugine eſſet, è Sicilia promiſſam barbam (vt Zonaras ait) retuliſſet.

CONSTANTINVS POGON. IMPERAT.

III.

Hoc eodem anno Vitalianus Romanus Pontifex in Angliam ſacrorum miniſtrorum inopia laborantem, miſit Theodorum Tarſenſem Ciliciem, opere & ſermone potentem, moribus probatiſſimum, ac diuina & humana literatura Græce & Latine excultiſſimum: de cuius in Epiſcopum Dorouernenſem ordinatione Romæ hoc anno facta, & honorifico in Angliam anno ſequenti aduentu, vna cum Hadriano Abbate Afro, æque doctiſſimo & monaſterialibus ſimul atque eccleſiaſticis diſciplinis inſtructiſſimo, cooperatore eidem Theodoro dato à Vitaliano; ſed & de magnis in ea Inſula ab iiſdem ſanctiſſimis

THEODORVS TARSENSIS ORDINATVR EPISC. DOROVERN. IN ANGLIA.

viris

uiis factis progreſſibus in docenda fide Catholica, ordinandis ritibus Eccleſiaſticis, informandis moribus, tradendis omnimodis ſcientiis ac diſciplinis, introducendis cantibus Eccleſiaſticis: de his inquam, omnibus agit pluribus Beda [c]; aſſerens Theodorum primum fuiſſe; cui omnis Anglorum Eccleſia manus dare conſenſerit; neque vmquam florentiorem fuiſſe Angliam quam ſub eius regimine: de quo rurſum agetur inferius.

c Bed. lib. 4. cap. 1. & 2. FLORENTISS. ECCLES. ANGLIC. SVB THEOD.

IV. Hoc item anno Clotarius maior natu Francorum Rex mortuus eſt: quatuor namq; eum regnaſſe annos, auctor Appendicis ad Gregorium Turonenſem affirmat, & alii conſentiunt. Succeſſerunt in regnum fratres Theodoricus & Childericus: ſed illo redacto in ordinem, Childericus tenuit annos tres; de quo dicetur inferius. Hunc autem tradunt coegiſſe Ebroinum Maiorem domus regiæ, fieri monachum in Luxouienſi cœnobio, quod fauiſſet Theodorico: idque & in Actis S. Philiberti Abbatis expreſſum habetur. Verum ſponte ipſum ſeceſſiſſe, metu tamen Childerici, rerum ſpectator Vrſinus tradit in Rebus [d] geſtis S. Leodegarii Epiſcopi Auguſtodunenſis & martyris: qui à Childerico domui ſuæ præpoſitus, & ipſe mundorum maleuolentiam deuitans, relicta Curia ſe in idem monaſterium Luxouienſe contulit, vbi vſque ad obitum Childerici manſit, ac poſtea iterum Epiſcopatum ſuum repetiit, & tandem martyr occubuit, vt dicetur ſuo loco.

EBROINVS FIT MONACHVS.

d 1. O. Sur. 2. Oct. S. LEODEGARII SECESSVS.

IESV CHRISTI AN. 669.

CONST. POGON. AN. 2.

ADEODATI AN. 1.

I. VITALIANI PP. OBITVS.

ANno Domini ſexcenteſimo ſexageſimo nono, Indictione duodecima, ſexto Calendas Februarii *Vitalianus* Papa, vbi ſediſſet annos tredecim, menſes quinque, minus diebus quatuor, ex hac vita migrauit; ſepultuſque eſt apud S. Petrum: cuius probitas ita refulſit, vt inter Sanctos Pontifices adſcriptus fuerit Eccleſiaſticis tabulis; licet eiuſdem ſcripta & acta maxima ex parte calamitate temporis deperierint. Ceterum ab eo datum tradunt Epiſcopum primum Ferrarienſibus, vel (vt Rubeo [a] placet) Vicoabentiæ Epiſcopatum Ferrariam tranſlatum.

a Rub. lib. 4. hiſt. Rauen.

II. MAVRI EPIS. RAVEN. CONTVMACIA ET PROTERVIA.

Prodit inſuper idem auctor ex Rauennatis Eccleſiæ monumentis, à Vitaliano Papa excommunicatum fuiſſe Maurum tunc Epiſcopum Rauennatem, quod ab ipſo Romam vocatus cauſam dicturus, adeſſe contempſerit. Qui quidem Exarchi fretus potentia & amicitia, eo veſaniæ progreſſus eſt, vt in Vitalianum eamdem anathematis ſententiam reciprocaret. Eo vero portentoſo facinore perculſi omnes Italiæ Epiſcopi, vna cum Vitaliano coeuntes, eumdem Maurum vt indignum penitus ſacerdotio exuerunt. At ille in furore ſuo perſiſtens, etiam in ipſo ſui tranſitu conteſtatus eſt omnes Rauennatis Eccleſiæ clericos, ne vmquam ſubiicerent ſe Romano Pontifici: qua de re ab omni prorſus Eccleſiaſtica communione, ſuffragiis ſcilicet pro defunctis exhiberi ſolitis, & commemoratione è ſacris Diptychis interdictus eſt à ſucceſſore Vitaliani Adeodato. In eius autem locum ſubrogatus Reparatus, cum & ipſe refractarius laboraſſet perficere per Imperatoris reſcriptum, ne Eccleſia illa ſubiaceret Romanæ; in fine tamen vitæ facti pœnitens obiiſſe dicitur [b]. Huic vero demum ſucceſſit Theodorus Eccleſiæ Romanæ obſequentiſſimus, qui & interfuiſſe reperitur Synodo Romanæ ſub Agathone: immo & non ob aliam cauſam veniſſe tunc Romam, niſi vt ſe Pontifici ſubiiceret, teſtatur Anaſtaſius in Agathone. Atque hactenus de Epiſcopis Rauennatibus, quæ ſimul ſtrinximus occaſione Vitaliani Maurum corripientis.

b. Anaſt. in Dono Pap.

III. ADEODATVS PP. CREATVR.

Cum autem (vt tradit Anaſtaſius) poſt obitum S. Vitaliani Papæ ſedes vacaſſet menſes duos & dies tredecim, in eius locum ex monacho ſubrogatus eſt die nona menſis Aprilis ADEODATVS, patria Romanus patre Iouiniano, gratiſſimus omnibus, & in omnes munificentiſſimus.

IV. Sub hoc Romano Pontifice, vbi Conſtantinopolim profectus eſt Conſtantinus Imperator, inuaſam fuiſſe Siciliam à Saracenis, direque vaſtatam, Anaſtaſius habet: eademque tradit Paulus [c] diaconus. Verum cladem iſtam factam eſſe ſub Vitaliano potius dicendum eſſet, ſi quæ extant nomine monachorum Siculorum Ordinis S. Benedicti ad Caſſinenſes Romæ apud Lateranum degentes, & ipſius Vitaliani Papæ ad eoſdem monachos Siculos ſcriptæ literæ, ſinceræ probare poſſent. Sed eæ nobis parum arrident; ob id potiſſimum quod nonaginta octo ciuitates & villas in Sicilia hoc tempore poſſediſſe monachi dicuntur, quando nec ipſa Romana Eccleſia vel vnius oppiduli domina eſſet vt ipſum poſſideret, imo nec Imperator ipſe Inſulæ dominus tot illic ciuitates haberet.

c Paul. diac. lib. 5. cap. 13. LITERÆ NOMINE MONACHOR. SICVL. SVSPECTÆ.

IESV CHRISTI AN. 670.

CONST. POGON. AN. 3.

ADEOD. AN. 2.

I. ANno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo, Indictione decimatertia, Oſvvi Nordhumbrorum in Anglia Rex pientiſſimus mortuus [a] eſt decimoquinto Calendas Martii: & in eius locum ſucceſſit Ecgfridus ipſius filius. In Belgio autem in pago Cameracenſi *S. Maxellendis* [b] virgo Dei dicata, quod Arduino cuidam nubere recuſaſſet, ab eodem occiſa martyrium conſecuta eſt. Eodemque [c] tempore *S. Proiectus* Aruenienſis Epiſcopus martyrium æque ſubiit ab Hectoris Maſſilienſis Patricii amicis, quod cum proiectus apud Childericum Regem conqueſtus eſſet de pluribus ab eodem Hectore illatis damnis Aruernenſi Eccleſiæ, Rex facinoroſum hominem gladio cædi iuſſiſſet.

a Bed. lib. 4. c. 5.

b Molan. in SS. Belg. 13. Nou.

c Sigeb. in Chro. hoc an. S. PROIECTI MARTYRIVM.

IESV CHRISTI AN. 671.

CONST. POGON. AN. 4.

ADEOD. AN. 3.

I. ANno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo primo, Indictione decimaquarta, Childericus Francorum Rex anno regni ſui tertio, cum nobilium ſuorum animos in ſe concitaſſet ob nimiam in eos ſæuitiam exhibitam; ab vno illorum nomine Bobilone, quem ſeruili ſupplicio ad ſtipitem tentum verberare feciſſet, occiſus [a] eſt; & in locum eius ſucceſſit germanus ipſius Theodoricus. Quo audito Ebroinus, qui illi antea ſtuduiſſet, & eius cauſa in monaſterium (vt vidimus) detruſus eſſet, ex monacho refectus miles, aduerſus eos, quos paſſus eſſet aduerſarios gladium ſtrinxit, nobileſq; complures obtruncauit, reſtitutus à Rege ſummo Magiſtratui Maioris domus regiæ. Ceterum in horum Regum ſucceſſione diuerſi diuerſa ſcripſere: quibuſdam enim aſſerentibus poſt obitum Clotarii eleuatum in regnum Theodoricum, eoque ſublato Childericum ſucceſſiſſe; alii contra affirmant Theodoricum ſucceſſiſſe Childerico: quod & confirmari videtur ex iis quæ ſcribit S. Audoenus huius temporis ſcriptor in Vita [b] S. Eligii, de oraculo ſucceſſionis eorumdem Regum ipſi Eligio propalato. Certe enim Theodoricum diutius tenuiſſe regnum, & ſaltem ad annum decimumnonū peruenſſe, ex Aimoino etiam aliiſq; conſtat.

CHILDER. FRANC. REX OCCIDITVR.

a Append. ad Greg. Tur. Aim. lib. 4. c. 44. EBROINVS EX MONACHO REFECTVS MILES.

b Ap. Sur. 1. Dec.

II. Quod ad res Orientis ſpectat; reddunt Græcorum Annales hoc anno quarto Imperatoris Conſtantini, cœleſti ſigno perterrefactum eſſe orbem, ita vt videretur eius interitus imminere; inuaſamque à Saracenis Liciam atque Ciliciam, & compoſitum ab eiſdem apparatum ad expugnandam Conſtantinopolitanam ciuitatem.

COELESTE SIGNVM TERRIFICVM.

IESV CHRISTI AN. 672.

CONST. POGON. AN. 5.

ADEOD. AN. 4.

I. ANno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſecundo Indictionis decimæquintæ, Adeodati Pontificis

quarto, S. Audoenus Rhothomagenſis in Gallia Epiſcopus, ſenio licet confectus, ad Limina Apoſtolorum peregrinatus eſt, magno Gallorum aliorumque piorum virorum ſtipatus comitatu, ingentiaque ab iis qui cum eo pergere non potuerunt ferens ſecum munera eccleſiis Vrbis, pauperibuſque diſtribuenda; quod ipſe diligentiſſime præſtitit: & cum aliquando ad S. Petri Confeſſionem hunc verſum incœpiſſet, *Exultabunt* [a] *Sancti in gloria*, diuinitus reſponſum eſt, *Lætabuntur in cubilibus ſuis*. Recedens vero in Gallias, multas ſecum retulit SS. Reliquias. Narrant hæc pluribus eius Vitæ [b] Acta.

S. AVDOENVS PEREGRINATVR AD LIMINA APOST.

a Pſal. 149.

b Ap. Sur. 24. Aug.

II.

Hoc inſuper anno menſe Septembri, quo prima Indictio inchoatur, & decimoquinto Calendas Martii numerari incipit annus tertius Egfridi Regis Anglorum, à Theodoro Epiſcopo Dorouernenſi Apoſtolica qua fungebatur auctoritate, congregata eſt in Anglia SYNODVS aliquot Epiſcoporum: in qua decem ſanciti ſunt canones, ad vnitatem Eccleſiæ conſeruandam, & diſciplinam recte inſtituendam; quos ſingulos Beda recenſet [c]. Additque de tranſitu quorumdam ſanctorum virorum Eccleſiaſticorum, ac virginum monialium, quos grauiſſima lues hoc anno Angliam depaſta abſumpſit: Itemque de Sebbi Orientalium Saxonum Rege, qui poſt innocentiſſimam triginta annorum regni adminiſtrationem morbo correptus, ex conſenſu vxoris religioſum monachorum ſuſcepit habitum; ac paulo poſt viſione diuinitus accepta de proximo ſui tranſitu, cum poſt mortem ſarcophago imponeretur breuiori, idem ſarcophagum magno miraculo congruæ corpori effectum eſt longitudinis, ſicut pluribus narrat idem [d] auctor.

CONCIL. ANGLIC.

c Bed. lib. 4. ca. 5.

SEBBI REX FIT MONACHVS.

d Ibid. c. 11.

III.

Hoc eodem anno, qui numeratur quintus Conſtantini Imperatoris, Saraceni ingenti numero traiicientes in Thraciam, & Conſtantinopolim appropinquantes, aſſiduis eam prœliis à menſe Aprili vſque ad Septembrem expugnare tentarunt: tranſactaq; Cyzici hieme, ſequenti anno id ipſum conati ſunt: idemque per ſeptem annos continuos iterarunt annis ſingulis ſed diuina, Deique Genitricis ope, magna accepta clade confuſi receſſerunt, ac demum circa partes Scyllei hiemalibus procellis comprehenſi omnino diſperierunt. Hæc Græcorum Annales [e]. Quo etiam hoc anno tradunt, pugnante alio Saracenorum Duce aduerſus copias Romanorum ſub Floro, Petronio, & Cypriano Ducibus conſtitutas, ex ipſius exercitu triginta millia deſiderata eſſe: adduntque de nouo adinuento Igne, quem marinum dicebant eo quod in mari arderet, quo & naues Arabum combuſſerunt. Sed quod ad obſidioni Conſtantinopolitanæ ſeptennium attinet; errorem eſſe in annorum numero certum eſt: nam anno ab hinc quarto inter Romanos & Arabes pacem eſſe ſancitam, iidem produnt Annales. Eſt vero etiam mentio in decimatertia Actione Sextæ Synodi de obſidione Conſtantinopolis, quæ facta eſt per ſpatiū duorum annorum; ſed ſub Vitaliano Romano Pontifice, ac proinde diuerſo ab iſto tempore. Porro tot tantaque præter ſpem conceſſit Deus Imperatori de fide Catholica bene mereri ſatagenti, ac quotidie animo verſanti quomodo pacem in Eccleſia ſanciret: quod & tandem feliciter præſtitit.

SARACENI OBSIDENT CONSTANTINOPOLIM, SED DIVINITVS REPELLVNTVR.

e Theoph. & Cedr. an. 5. Conſt. Imp.

IV.

Eodem anno Receſuinthus Hiſpaniarum Rex vbi ab obitu patris regnaſſet annos viginti duos & menſes ſex, mortuus eſt Calendis Septembris, deſiderium ſui relinquens, vtpote Regis optimi, Eccleſiæque valde proficui. Cuius cum nulli extarent filii, fratres autem ob nimiam imbecillitatem regni adminiſtrandi incapaces eſſe viderentur; omnium tam populi quam magnatum conſenſu, in eiuſdem locum inuitus ac diu reluctatus, vi adhibita ſuffectus eſt Bamba, ſiue Wamba, vel VVambanus, ex regio Gothorum ſanguine ortus prędeceſſori haud pietate impar: qui cum in Regem vngeretur, è vertice vbi oleum ſanctum perfuſum fuerat, euaporatio quædam fumo ſimilis in modum columnæ ſeſe erexit, & ex ipſo capite apis viſa eſt proſilire, & ad cœlos volare; quæ ſigna fuerunt ſecuturæ ſub ipſius regimine felicitatis. Habet hæc & alia Tudenſis, aliique.

WAMBA HISP. REGIS VNCTIONE MIRACVLVM.

IESV CHRISTI AN. 673.

CONST. POGON. AN. 6.

ADEOD. AN. 5.

I.

ANno Domini ſexcenteſimo ſeptuageſimo tertio, Indictione prima, Grimoaldus Longobardorum Rex diem obiit, poſtquam regnaſſet annos nouem: cui ſuccedens filius eius, quem puerum nouem annorum reliquit, Garibaldus haud diu regnum tenuit. Etenim ab internecione antea elapſus Bertaridus Ariperti Regis filius, cui debebatur regnum, cum iam extorris annos nouem apud Francos egiſſet. & in Britanniam hoc ipſo tempore nauigaret; voce diuinitus è littore emiſſa admonit⁹ de Grimoaldi obitu, mox in patriam rediens exturbato Garibaldo, ab vniuerſis Longobardis menſe tertio poſt mortem Grimoaldi in regnum receptus eſt. Hęc Paulus [a] qui tradit eumdē Bertaridum fuiſſe virū piū, fide Catholicū, iuſtitiæ tenacem, pauperumq; largiſſimum nutritorem: ſed & nō multo poſt eiuſmodi inſperatam regni recuperationem, Ticini in loco vnde fugerat monaſterium conſtruxiſſe virginum in honorem S. Virginis & martyris Agathæ: Reginam vero vxorem eius Rodelindam extra muros eiuſdem ciuitatis in loco ad Perticas dicto magnificam erexiſſe eccleſiam S. Dei-Genitricis. Cur autem *Ad Perticas* locus ille diceretur, ait fuiſſe quod cœmiterium illic eſſet Longobardorum, à quibus poni ibi ſolerent perticę deſuper habentes columbas ligneas, illuc verſas vbi illorum cari vbique obiiſſent, atque vt ſciri poſſet vbi defunctorum corpora quieſcerent.

a Paul. diac. li. 5. c. 33.

BERTARIDI REGIS LONGOB. PIETAS.

II.

Eodem anno nobiles quidam Hiſpani indigno animo ferentes electionem VVambæ Regis, nouas res aduerſus eum moliri cœperunt: primuſque omnium, qui præerat Galliæ Narbonenſi Gothorum adhuc dominio ſubiacenti, Ildericus in tyrannum erupit. Contra quem miſſus à Rege Paulus Dux natione Græcus, & ipſe in eumdem Regem arma conuertens pleraſq; Hiſpanię ciuitates ſuæ ſubdidit poteſtati; Regiſq; nomen vſurpans, coronam aureā, quam gemmis ornatam olim dono dederat Reccaredus S. Felici Gerundenſi martyri, impius ſacrilegus ſuo eſt auſus imponere capiti. Amboque tyranni multa nefanda in alios, & ſacrilega in eccleſias ac perſonas Eccleſiaſticas perpetrarunt: ſed quas pœnas ſcelerum dederint, dicetur anno ſequenti.

TYRANNI EXVRGVNT ADVERSVS VVAMBAM HISP. REG.

IESV CHRISTI AN. 674.

CONST. POGON. AN. 7.

ADEOD. AN. 6.

I.

ANno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo quarto, Indictione ſecūda, VVamba Rex Hiſpaniarum aduerſus tyrannos de quibus anno ſuperiori, Vaſconum Francorumque roboratos auxilio, cum exercitu progrediens (quem in ipſo procinctu ita luſtrauit, vt quos ſciret milites adulteria perpetraſſe, iuſſerit amputari virilibus) diuino adiutus auxilio, Angelorumque cuſtodia munitus, ſex menſium ſpatio eoſdem feliciter debellauit: ac Paulus ſacrilegus in triumphum deductus, Toletum ingreſſus eſt) vna cum ſociis perduellibus, iiſdē pœnas affectis) catenis vinctus, capite decaluato, raſa barba (quod erat apud Gothos perinfame ſupplicium) nudatis pedibus, indutus ſordidis veſtibus, camelo impoſit⁹, corona ex corio facta redimitus: poſt cuiuſmodi ludibria, iidem omnes pariter ſancitū legibus in tyrannos ſuppliciū nouiſſimum ſubiere. Rex autem ſacra vaſa, & alia ornamēta quæ ablata ex eccleſiis comperit, vna cum aliis manubiis vendicatis, iuſſit iiſdem reddi. Tantam vero victoriam haud humanis viribus partam, ſed diuinitus comparatam, perpetuis conſignatā monumētis tradidit poſteris Iulianus, qui ſucceſſit Quirico huius tēporis Archiepiſc. Toletano; cuius de ea re commentariolum totidem ferme verbis maiori ex parte Tudenſis in ſuum Chronicon retulit. Quo etiam auctore conſtat, eumdem Regem ſuo imperio ciuitatem ſubiugaſſe quæ *Carta* vocatur, eamdemque ampliatam, *Bambelunam*, quaſi Bambæ Lunam vocaſſe.

VVAMBA REX OPE DIVINA VINCIT TYRANNOS.

PAVLI SACRILEGI TYRANNI SVPPLICIA.

IESV CHRISTI AN. 675.

CONST. POGON. AN. 8.

ADEOD. AN 7.

I. CONCIL. TOLET. XI.

ANnus Chriſti ſexcenteſimus ſeptuageſimus quintus cœptus eſt Indictione tertia: quo celebratum eſt in Hiſpania ex Epiſcopis prouinciæ Carthaginenſis CONCILIVM TOLETANVM, Vndecimum dictum, Era nimirum ſeptingenteſima decimatertia, anno quarto Wambæ Regis, ſeptimo Idus Nouembris, cœpta iam Indictione quarta: cui interfuerunt Epiſcopi ſeptemdecim, & per Vicarios alii duo, necnon Abbates ſex: à quibus poſt exactā fidei confeſſionem editam, ſanciti ſunt canones ſexdecim, ad ipſorum Epiſcorum aliorumque ſacerdotum mores informandos, diſciplinamque Eccleſiaſticam reſtituendam.

II. DIVISIO SEDIVM EPISCOP. IN HISP. QVANDO FACTA.

Quod vero ab omnibus aſſeritur, in eodem Concilio omnium Hiſpaniarum Eccleſiarum factam eſſe ſedium Epiſcopalium diuiſionem; ſecus ſenſerim: nam aſſertione Tudenſis (qui præſtat fide & antiquitate) conſtat id factum in Concilio generali ſub eodem Rege Wamba itidem Toleti celebrato, cui omnes Hiſpaniarum Archiepiſcopi & Epiſcopi interfuerunt. Quod enim eſſent inter Epiſcopos ob diœceſum fines obortæ diſcordiæ, ad has componendas indicendum fuit Generale CONCILIVM: quod licet non extet, celebratum tamen eſſe, in eoq; terminos Epiſcopatuum ſingulorum diuiſos, atq; omnes omnino Hiſpaniarum ſedes, tam Archiepiſcopales quam Epiſcopales, octoginta numero conſtitutas eſſe, eiuſdem Tudenſis teſtificatione liquet. Reiicimus autem longe longius, quæ eodem argumento ſcripta feruntur [a] nomine cuiuſdam Raſis Arabis, dum tribuit Conſtantino Magno diuiſionem, imo & inſtitutionem ſedium Epiſcopalium in Hiſpania. Quis enim (vt alia plura omittam) dubitet complures Eccleſias ab eodem auctore nominatas, ſiue ab Apoſtolis ipſis, ſiue ab Apoſtolorum diſcipulis eſſe conſecutas Epiſcopos? Sed & Arabis & infidelis eſt ſomnium, vt ab Imperatore darentur Epiſcopi ciuitatibus atque prouinciis vbi non eſſent antea inſtituti. Quapropter faceſſat eiuſmodi commentum: quod ſane miramur à viris prudentibus fuiſſe creditum.

[a] *Recitantur a Io. Mariana, de reb. Hiſp. lib. 6. cap. 16.*

III. CONCIL. BRACAR. III.

Rurſum vero ex Epiſcopis prouinciæ Luſitaniæ celebratum eſt hoc eodem anno CONCILIVM BRACARENSE Tertium, Epiſcoporum octo: qui totidem ſanciuerunt canones ad corrigendos prauos errores, qui in ritus ſacros & bene inſtitutam Eccleſiaſticam diſciplinam irrepſerant. Inter quos ille memoria dignus, quo prohibitum eſt ne procedentes in ſolemnitatibus Martyrum Epiſcopi, diaconorum humeris ſella geſtatoria veherentur, ſuſpenſas collo ſacras Reliquias portantes. Etenim ſella geſtatoria vehi Romani Pontificis tantum fuit inſigne, vel ſicui Patriarcharum ipſe conceſſit; ſed quæ laicorum humeris vectaretur, diaconorum numquam, neque infimi ordinis clericorum. Porro inter alios dignos Præſules qui Synodo huic interfuiſſe leguntur, fuit Iſidorus Aſturicenſis, qui moribus & doctrina enituit, reliquitque ſui ingenii poſteris monumenta.

SELLA GESTATORIA VEHI, QVORVM ESSET.

IV. CLASSIS SARACEN. INCENSA.

Qui autem Dei Eccleſiæ bene inſtituendæ totus intentus fuit, accepit ipſe VVamba Rex inſigne benificium, quod idem Tudenſi paucis enarrat; nempe vt cum Saraceni ingenti comparata claſſe nauium ducentarum ſeptuaginta, Hiſpanias inuaſiſſent, victi iidem fuerint ab eodem Rege maritimo bello, quo & eorum claſſis incenſa funditus deperierit.

IESV CHRISTI AN. 676.

CONST. POGON. AN. 9.

DONI AN. 1.

I. ADEOD. PP. MORITVR.

ANno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Indictione quarta, ſexto Calendas Iulii, *Adeodatus* Papa cum ſediſſet annos ſeptem menſes duos dies ſeptem decem, vt habet Anaſtaſius, moriturus eſt, ac ſepultus apud S. Petrum: quamuis in aliis [illegible] codicibus quatuor tantum ei anni tribuantur. Sed Sigebertus æque ſeptem eiuſdem ſedis annos numerat. Poſt cuius obitum, cum idem Anaſtaſius tradat ſedem vacaſſe menſes quatuor & dies ſex; dicendum eſt, hoc eodem anno Calendis Nouembris creatum eſſe DONVM, ſiue *Domnum* vel *Domnionem*, patria Romanum ex patre Mauritio.

DONVS PP. CREATVR.

II. [a] *ap. Papir. Maſſon in Vit. Rom. Pont.*

Cum autem Adeodati res geſtæ temporis iniuria alto fuerint ſepultæ ſilentio, vix reperitur [a] vna eius epiſtola ex Turonenſi archiuo in lucem vindicata; qua continetur priuilegium conceſſum monaſterio S. Martini, dum illud ex conſenſu Epiſcopi ab ipſius exemit poteſtate: cum alioqui (vt ex eodem ſcripto redditur manifeſtum) iam ceſſaſſent Romani Pontifices eiuſmodi immunitates concedere monaſteriis; idque fortaſſe quod experimento didiciſſent eas obfuiſſe potius quam profuiſſe monaſticæ diſciplinæ. Certe quidem numquam placuit S. Bernardo (quod ex pluribus eius epiſtolis apparet) vt monachi ab Epiſcopali obedientia ſe ſubtraherent: nec gratum fuit S. Franciſco; ſed Fratris Eliæ, hominis non diuino ſpiritu, ſed carnis prudentia nitentis, fuit opus. At de his alio loco dicendum.

EXEMPTIONES MONACHORVM SANCTIS IMPROBATÆ.

III. SARACENI PACEM TRIBVTO REDIMVNT.

Hoc eodem anno, qui nonus Conſtantini Imperatoris numeratur, habent Græcorum Annales, Saracenos metu Mardaitarum, ſiue Maronitarum, qui ipſorum Imperium in Syria & Palæſtina inuaſerant, compoſita cum Romanis pace in triginta annos, conſenſiſſe tributum ipſis annuum pendere trium millium librarum auri, virorum captiuorum quinquaginta, totidemque nobilium equorum. Sed & iſta intelligentes Auares, alioſque Romani nominis hoſtes, ipſos pariter per legatos pacem ab Imperatore poſtulaſſe; ſicque factam eſſe ſecuritatem magnam tam in Oriente quam Occidente. Hæc pluribus Theophanes. Præſtita vero ſunt tanta Catholico Principi, pacem Eccleſiæ reſtituere ſatagenti; ſub cuius anteceſſoribus hæreticis, Imperium florentiſſimum in vltimum diſcrimen perductum fuerat.

IV. STATVS ECCLESIÆ ANGLIC. [b] *Bed. lib. 4. c. 6. & ſeqq.*

Eodem anno Anglorum Eccleſia in prouincia Cantiæ graues bellorum incurſiones ſuſtinere cœpit ab Ediliedo Merciorum Rege, quæ ad aliquot annos propagatæ ſunt, vt eas deſcribit Beda [b]: cum alioqui eodem auctore conſtet, floruiſſe eamdem Eccleſiam Anglicanam his temporibus veluti Paradiſum Domini, abundantem liliis ſacrarum virginum, violis ſanctorum monachorum, & coronis ſanctiſſimorum Antiſtitum.

IESV CHRISTI AN. 677.

CONST. POGON. AN. 10.

DONI. AN. 2.

I. CONATVS THEOD. ET MACARII HÆRET. IN ROM. PONTIF.

ANno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, Indictione quinta, Conſtantinus Imperator ſolutus bellicis curis, ad pacem Eccleſiæ reſtituendam totum adiecit animum: ſed obices mox paſſus eſt Theodorum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, & Macarium Antiochenum, ſigniferos hæreſis Monothelitarum, eoſdemq; acerrimos aduerſarios Pontificum Romanorum. Nam vnius excepto Honorii nomine, quem ab ipſorum partibus ſtetiſſe mentiebantur, aliorum neminem recitandum putarunt in ſacris Eccleſiæ Diptychis: ſolicitaruntq; Imperatorem, vt relatum in eaſdem ſacras tabulas nomen Vitaliani deleretur; quod tamen Imperator omnino faciendum negauit. Hæc enim ita tranſacta eſſe, teſtatur epiſtola ipſius Imperatoris ad Donum Papam anno ſequenti ſcripta. Verum eoſdem poſtea hæreticos Patriarchas, vel inuito, vel inſcio Imperatore, prædicti Vitaliani nomen è Dyptychis amouiſſe, declarant Acta Sextæ [a] Synodi, cum in ea actum eſt vt eius nomen in eadem reſtitueretur.

[a] *Sext. Syn. Actio 1.*

II. [b] *Martyrol. Rom.* S. AVDOENVS OBIT.

Eodem anno, nono [b] Calendas Septembris, *S. Audoenus* admirandus ille Rothomagenſis in Gallia Epiſcopus, de quo ſæpe ſuperius, iam longæuæ ætatis ſenio confectus, pace compoſita inter diſſentientes Francos & Auſtraſios, apud villam Clypiacum ex hac vita migrauit; vt

conſtat ex eius Actis [c], in quibus etiam permulta recenſentur tam ante obitum ab ipſo, quam poſtea ex eius corpore edita miracula.

c ap Sur. 24. Aug.

IESV CHRISTI AN. 678.

CONST. POGON. AN. 11.

AGATH. AN. 1.

I. DONI PP. OBITVS.

ANno Domini ſexcenteſimo ſeptuageſimo octauo, Indictione ſexta, tertio Idus Aprilis *Donus* Papa, cum ſediſſet annum vnum menſes quinque dies decem, ex hac vita migrauit; ſepultuſque eſt ad S. Petrum. Meminit Anaſtaſius cometæ, qui eius temporea apparuit per menſes tres: de quo agens pariter Beda [a], ait ingentem paulo poſt ſiccitatem ſubſecutam eſſe, quæ perdurauit triennio, ita vt numquam imbribus terra maduerit: poſt ſiccitatem vero ſecutam eſſe maximam peſtem; quam à parte Orientis prouenïſſe, Anaſtaſius quoque tradit: ſed de ea inferius. Ad poſtremum addit idem [b] auctor, poſt Doni obitum ſedem vacaſſe menſes duos & dies quinque.

a Bed. lib. 4. cap. 12.

b Anaſt. in Dono.

II. CONST. IMP. AGIT DE PACE.

Verum Donum ad aliquot amplius menſes propagaſſe ſedem, literæ Conſtantini Imperatoris ad ipſum ſcriptæ exiſtimare ſuadent, cum datæ habeantur hoc eodem anno pridie Idus Auguſti Indictione ſexta. Quæ enim ratio patitur, vt poſt menſes quatuor adhuc latuerit Imperatorem obitus Romani Pontificis, & alterius ſubrogatio? Quibus quidem literis pius Imperator eum admonuit de Synodo, quem ad comprimendas Chriſtianorum de religione diſcordias Conſtantinopoli celebrare in animo haberet; hortatuſq; eſt, vt ad eam Legatos ſuos mitteret, aliique ſimul Occidentalibus aliquot Epiſcopi ac monachi accederent: pro quorum omnium ſumptibus iuſſit. Theodorum Italiæ Exarchum omnia neceſſaria ſubminiſtrare. Extant ipſæ integræ Imperatoris literæ ante ingreſſum Sextæ Synodi collocatæ, vtpote ad eam præambulares: in quarum etiam titulo idem Imperator Romanum Pontificem vocat *Vniuerſalem Papam*. Eas vero ad Donum quem adhuc viuere putabat ſcriptas, recepit ſucceſſor eius AGATHO, natione Siculus, ex monacho creatus Romanus Pontifex.

AGATHO P. CREATVR.

III. BVLGARORVM IRRVPTIO PRIMA.

Quod autem iiſdem literis Imperator queritur de perturbationibus ex tumultu bellorum rurſum exortis; ſciendũ eſt, hos fuiſſe BVLGAROS, hoc anno vndecimo Conſtantini Imperatoris in Rom. Imperii prouincias irrumpentes, vt tradit Theophanes: qui eos duplicis generis cõſtituens, videlicet Onogundurenſes, & Contragenſes, ex Septemtrionalibus Euxini Ponti partibus oriundos tradit: dictos autem à Bulga flumine, Cedrenus ſcribit. Porro iniqua conditione annui tributi ſoluendi cum eis tranſegiſſe Imperatorem, vt quies daretur & pacatum tempus celebrandi Concilii, idem Theophanes ſubdit. Interea vero non ferens Theodori Conſtantinopolitani procaciam, qui contra expreſſam ipſius Imperatoris prohibitionem, Vitalianum Papam è ſacris Diptychis eraſerat; eumdem ceſſare protinus voluit, atque in locum eius *Georgium* ſubrogauit, qui poſtea præſens extitit Sextæ Synodo Oecumenicæ. Tu vero corrigas quod apud Nicephorum legitur, ſediſſe Theodorum annos duos & menſes tres; vt loco duorum, ponas duodecim ad hoc namque tempus perueniſſe, docent eædem ipſius Imperatoris ad Donum literæ.

THEOD. EPISCOP. CONST. EIICITVR.

IV. SVDARIVM CAPITIS CHRISTI IGNE PROBATVM.

Hoc item anno vndecimo Conſtantini Imperatoris mortuus eſt Mahuuias Princeps Saracenorum, relinquẽs regni ſucceſſorẽ Gizid filium ſuum. Eiuſdem autem Mahuuiæ tempore inuentum fuiſſe ſacroſanctum SVDARIVM capitis Redemptoris, & ignis probatione ab ipſo Mahuuia controuerſiam de eo diremptam; teſtatur Beda [c] in libello de Locis Sanctis, quem ſcripſit ex relatione Arculphi Epiſcopi Galli, qui his ferme diebus loca ſancta viſitauit.

c Bed. de loc. Sanct. c. 5.

V. FRISIORVM CONVERSIO.

Hoc denique anno *Friſii* fidem receperunt ex prædicatione S. *VVilfridi* Epiſcopi Eboracenſis in Anglia; qui à Rege Ecfrido ob quandam ſimultatem iniuſte ſede eiectus, Romam quo appellauerat pergens, ventis contrariis in Friſiam pulſus eſt. Hæc pluribus Beda [d]; qui & de eiuſdem abſolutione per Agathonem Papam facta, cum Romam anno ſequenti peruenit, teſtis eſt.

d Bed. lib. 5. Angl. c. 20

IESV CHRISTI AN. 679.

CONST. POGON. AN. 12.

AGATH. AN. 2.

I. SYNODI PLVRES CONTRA MONOTH.

ANno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo nono, Indictione ſeptima, cum innotuiſſent Epiſcopis Occidentalibus per Agathonem Papam ea quæ ab Imperatore ſcripta eſſent de legatione Conſtantinopolim ad Synodum mittenda; eiuſdem pariter Pontificis iuſſu iidem *Synodos* congregarunt, quibus vbique condemnata eſt hæreſis Monothelitarum. Id quidem factum eſſe in Italia, Gallia, & Anglia, ipſius Agathonis litteræ ſequenti anno ad Imperatorem datæ declarant. Verum omnium Italiæ Epiſcoporum Conuentũ, ſupereſt tantum memoria de Mediolanenſi ſub *S. Manſueto* magnæ æſtimationis his temporibus eius ciuitatis Epiſcopo, cuius extat Synodalis epiſtola ad Imperatorem, quam tamen ſub nomine Manſueti à S. Damiano Ticinenſi Epiſcopo ſcriptam teſtatur Paulus [a] diaconus. Gallicanorum autem Conciliorum Acta penitus exciderunt. Sed Anglicanæ Synodi hoc ipſo anno decimoquinto Calendas Octobris præſidente *Theodoro* Angliæ Primate habitæ, aliqua adhuc fragmenta ſuperſunt apud Bedam [b]; in quibus inter alia, expreſſe aſſeritur proceſſio Spiritus Sancti ex Patre ſimul & Filio. Celebratam autẽ eam Synodum opera Ioannis Archicãtoris Eccleſiæ S. Petri Romanæ Vrbis & Abbatis monaſterii S. Martini, idẽ Beda [c] aſſerit; quem in Angliã ab Agathone miſſum ait, vt quænam eſſet Eccleſiæ Anglicanæ fides de Chriſti Volũtatibus & Operationibus exploraret. Sed & ab eo tempore eamdẽ Eccleſiam edoctam eſſe cantum Eccleſiaſticum qui Romæ vigebat, idem Beda tradit.

a Paul. diac. li. 6. cap. 4.

b Bed. lib. 4. cap. 17.

c Ibid. c. 18.

II. SACRIFICIVM MISSÆ PROFICVVM VIVIS ATQVE DEFVNCT.

Subdit [d] vero de pace hoc ipſo anno per eumdẽ Theodorum compoſita inter Ecfridem Nordhumbrorum & Edilredum Merciorum Reges, graui bello mutuo confligentes. Quo tempore grande miraculum accidiſſe ait; vt in prælio iuuenis quidam captus, numquam vinculis cõſtringi potuerit quin continuo ea diſſoluerentur, quod germanum haberet presbyterum, qui eumdem defunctum exiſtimans ſæpius Miſſas pro eius anima celebrare conſueuiſſet. Vnde multi (vt ait Beda) accenſi ſunt in fide ac deuotione pietatis, ad offerendas Deo victimas ſacræ oblationis pro ereptione ſuorum qui de ſæculo migrauerunt; intelligentes quod ſacrificium ſalutare ad redemptionem valeret & animæ & corporis ſempiternam. Aliam autem hiſtoriam huic ſimilimam narrat Leontius [e] in Vita S. Ioannis Eleemoſynarii; aliaſque S. Gregorius [f] Papa: quas apud ipſos auctores videre licet.

d Ibid. c. 22.

e ap. Sur. 23. Ian.

f Greg. 4. Dial. c. 57.

IESV CHRISTI AN. 680.

CONST. POGON. AN. 13.

AGATH. AN. 3.

I. CONCIL. ROM. CONTRA MONOTHEL.

ANno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo, Indictione octaua ab Agathone Pontifice Romæ veris tempore aduerſus Monothelitas coacta eſt SYNODVS, Generalis dicta; cui interfuerunt centum viginti quinque Epiſcopi, qui Synodalibus literis ſubſcripti leguntur in quarta Actione Sextæ Synodi, vbi eædem recitantur: inter quos legati reperiuntur miſſi à Synodo in Galliis habita, Felix Arelatenſis, Adeodatus Leucorum Epiſcopus, & & Taurinus diaconus Eccleſiæ Tolonenſis: & ex Britannia S. Wilfridus Epiſcopus Eboracenſis, licet primum non legationis ſed appellationis cauſa (vt dictum eſt) eum anno ſuperiori Romam diuina prouidentia perduxiſſet. De rebus autem in Synodo geſtis, nihil præterea reperitur, niſi epiſtola Synodalis quam diximus, ab Agathone Papa & vniuerſo concilio ſcripta ad Conſtantinum

Digitized by Google

Auguſtum & fratres eius Imperatores Heraclium & Tiberium, de fide Catholica contra Monothelitas; aliaque longe prolixior eodem argumento ad eoſdem Auguſtos ab ipſo Agathone [a] priuatim miſſa. Neque enim canon vllus in ea ſancitus legitur, quod non ob aliud fuerit conuocata, quam ad fidem Catholicam confirmandam, & legationem Conſtantinopolim decernendam ad SYNODVM OECVMENICAM.

[a] Ext. Act. 4. Sext. Syn.

II. LEGATIO DVPLEX MISSA AD SYNODVM OECVM.

Cui quidem Legationi obeundæ delecti ſunt ab vniuerſo Concilio Romano, *Ioannes* Epiſcopus Portuenſis, *Abundantius* Paternenſis, & *Ioannes* Regitanus ſiue Regienſis; ab Agathone vero priuatim *Theodorus* & *Gregorius* preſbyteri, *Ioannes* diaconus, ac *Conſtantinus* ſubdiaconus S.R.E & ab Epiſcopo Rauennate Theodoro ali° *Theodorus* presbyter: cum quibus etiam perrexerunt nonnulli alii clerici ac monachi. Conſtant quidem iſta ex iiſdem literis: quibus etiam cum Agatho, tum Synodus conteſtantur, haud ſe mittere Legatos ad diſputandũ de queſtione controuerſa, tamquam de re incerta; ſed ad docendum quæ eſſet Apoſtolicæ Sedis traditio, adeo vt nihil præſumerent augere, minuere, vel mutare & quicumque eamdem fidem cõfiteri noluerint, eos perpetuæ damnationis reos eſſe declarant. Ceterum in eadem Synodi epiſtola, dum in confeſſione fidei aſſeritur Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedere, malam manum Græcanicam nomen Filii abraſiſſe, conqueſtus eſt in Concilio Florentino Iulianus S.R.E Cardinalis: idq; ipſum longe antea aduerterat Emmanuel Caleca Græcus auctor in commentariis aduerſus Græcorum errores conſcriptis. Quod monuiſſe voluimus; ne mirum adeo videatur, cum in nonnullis aliis Acta Sextæ Synodi à Græcis eſſe deprauata dicentur.

QVOD COMMISSVM LEGATIS.

III. LEGATI PERVENIVNT CONSTANTINOPOLIM.

Sed vt ad Legatos redeamus; quod Anaſtaſius in Agathone ait, eorum Conſtantinopolim aduentum contigiſſe die decima menſis Nouembris, errorem eſſe omnino liquet, ex eo quod ipſius Oecumenicæ Synodi Acta docent eam inchoatam eſſe die ſeptima menſis Nouembris, cum iam ante iidem Legati adueniſſent. Immo cum epiſtola Imperatoris, inſcripta ad Georgium Patriarcham Conſtantinopolitanum, poſt eorum aduentum data (ſiue edictum dixeris, quo ſignificauit vt quantocyus Metropolitani Epiſcopi iuberentur ſe conferre Conſtantinopolim) conſignetur die quarta Iduum Septembris; certe ante illud tempus oportuit eo perueniſſe Legatos. Quam vero honorifice ſuſcepti fuerint ab Imperatore, ex iis quæ idem ſcribit Anaſtaſius intelligi poteſt.

IV. NVMERVS EPISCOP. SEXT. SYN.

Porro numerus Epiſcoporum qui Synodo interfuerint, diuerſus à diuerſis ponitur: ducentos octoginta nouem habent Annales [b] Græcorum; Photius [c] centum ſeptuaginta; Paulus [d] diaconus & Anaſtaſius Bibliothecarius centum quinquaginta; Theodorus Balſamo centum ſeptuaginta vnum: in vltima autem Actione eiuſdem Synodi, numerantur ſubſcripti omnes Epiſcop. cum Legatis presbyteris atque diaconis, centum ſexaginta ſex; verum [e] ipſo Synodi exordio lõge minor numerus habetur, quod Epiſcopi omnes tanta breuitate temporis minime peruenire potuiſſent Conſtantinopolim. Locus autem vbi conuenerunt, fuit (vt habent Acta) Secretarium Sacri palatii quod cognominatum eſt *Trullus*. Quam vocem, in eo quod ad ædificium aliquod pertinet (omittimus enim dicere de Trulla, quæ eſt genus vaſis; ſiue quod ſignificat cæmentariorum inſtrumentum) dictam reperimus tam in feminino genere quã maſculino, pro ſublimi fornice deſuper in altum porrecto & in rotundum concamerato, quem Itali dicunt *Cuppulam*. Sed & admonendus eſt lector, reperiri apud Anaſtaſium in Agathone, Epitomen eiuſdem Synodi, in qua complura inueniantur quæ in ipſis Actis deſiderantur; contra vero deſint multo plura, quæ in Actis ſcripta reperiuntur: de quo dicetur inferius.

[b] Theoph. & Cedr. [c] Phot. de 7. Synod. [d] Paul. diac. de geſt. Long. lib. 6. c. 4. [e] Anaſt. in Agath.

DE LOCO SYNODI, TRVLLO DICTO.

V. SEXT. SYN. QVANDO COEPTA.

Cœpta autem Prima Seſſio, ſiue Actio, fuit ſeptima die menſis Nouembris Indictione nona, hoc ipſo videlicet Chriſti anno ſexcenteſimo octogeſimo, Imperatoris vero decimotertio ab obitu patris, ex quo autem imperare cœpit viuo parente anno vigeſimoſeptimo. At Seſſio ita diſpoſita fuit ſicut in Concilio Chalcedonẽſi, nempe vt digniori loco à ſiniſtris ſederent Apoſtolicæ Sedis Legati, à dextris *Georgius* Conſtantinopolitanus Epiſcopus, *Macarius* Antiochenus, ac *Petrus* presbyter & monachus Legatus Sedis Alexandrinæ. Adfuit quoque pro Eccleſia Hieroſolymitana *Georgius* item presbyter ac monachus, qui ſediſſe reperitur à parte læua poſt Legatos Apoſtolicę Sedis & Occidentalis Synodi. Sed de eiuſmodi Seſſionis ordine dictum eſt ſatis in Concilio Chalcedonenſi. Nam & quod iidem Apoſtolicæ Sedis Legati in hac Sexta Synodo primi ſententiam dixiſſe reperiuntur, primi item ſubſcripſiſſe, aliqua eiuſmodi egiſſe; ex iis abunde intelligitur, primarium illis delatum eſſe honorem more maiorum. Eminentiori vero loco Conſtantinus Imperator cum ſuis Magiſtratibus ſedit; omnibuſq; ferme Actionibus interfuit, vt eas moderaretur. Locus autem medius Synodi ex antiqua conſuetudine datus eſt ſacroſanctis Dei Euangeliis, ſuper ſedem ornatam poſitis, Chriſtum ipſum repræſentantibus.

CONSESSVS QVOMODO DISPOSITVS.

VI. QVÆ IN SEX PRIMIS ACTIONIB. GESTA.

His ita diſpoſitis, Apoſtolicæ Sedis Legati aggreſſi loqui, ſui aduentus cauſam edocuerunt, queſtique ſunt de eo quod quatuor Conſtantinopolitanæ ſedis Epiſcopi, nempe Sergius, Pyrrhus, Paulus & Petrus, itemq; Cyrus Alexandrinus, atque Theodorus Epiſcopus Pharan, nouam induxiſſent hæreſim in Eccleſiam de vna in Chriſto Voluntate & Operatione ac demum petierunt narrari cauſam erroris, & originem nouitatis. Itaque iubente Imperatore cauſam ab aduerſa parte reddi Apoſtolicæ ſedis Legatis; coryphæus eius ſectæ Macarius Antiochenus Epiſcopus, & cum eo alii pro ſede Conſtantinopolitana cauſam agens, reſponderunt nullam à ſe nouitatem introductam, ſed ea tantum prolata eſſe quæ à Sacris Synodis & SS. Patribus eſſent accepta. Quibus auditis Imperator, cum dixiſſet non paſſurum ſe in Synodo eos reſidere, niſi quæ propoſuiſſent omnia probarent; id Macarius pollicitus eſt præſtare. Itaque tam in hac Prima, quam in totis quinque ſequentibus Actionibus reliqua parte huius anni celebratis (quarũ vltima, nempe Sexta, habita eſt duodecima Decembris) nihil aliud actum eſt, niſi quod lecta ſunt trium Oecumenicarum Synodorum Acta. videlicet Epheſinæ, Chalcedonenſis, & Quintæ, necnon teſtimonia quamplurima Patrum, in quibus Macarius vane iactabat aſſeri vnicam in Chriſto Voluntatem: quæ quidem ab Apoſtolicæ ſedis Legatis ac vniuerſa Synodo diligenter examinata, inuenta ſunt falſata, detorta, atque detruncata. Quod autem Actio Septima ſequenti anno celebrata reperiantur, agetur de ea ſuo loco: modo qua reliqua ſunt anni huius digni memoria percurramus.

VII. DIRA PESTIS ITALIAM INVASIT.

Hoc anno poſt Lunæ Soliſque Eclipſin, peſtem ingentem per tres continuos menſes dire vaſtaſſe Vrbem & alias nonnullas Italiæ ciuitates, tradunt Paulus [f] Anaſtaſius [g]. Additque Paulus, multis Romæ viſibiliter apparuiſſe, bonum & malum Angelum noctu per ciuitatem pergere, & quotiens ex iuſſu boni Angeli malus venabulo quod in manu ferre videbatur, oſtium alicuius domus percuteret, tot de eadem domo die ſequenti homines interierint. Tuncque per reuelationem cuidam dictum eſſe, peſtem non prius quieturam, quam in baſilica S. Petri ad Vincula poneretur altare S. Sebaſtiani martyris: eo vero facto, peſtem protinus ceſſaſſe. Hæc ille. Extat autem hactenus integrum ipſum altare, necnon eiuſdem S. Martyris Imago muſiuo opere expreſſa. Sed & ex hoc propagata ad poſteros religio eſt, vt peſtis tempore voti cauſa Imago eiuſdem S. Sebaſtiani diuerſis in locis pingi ſoleret, atque in eius memoriam altaria erigi & eccleſias fabricari.

[f] Paul. diac. lib. 6. hiſt. Long. c. 5. [g] Anaſt. in Agath.

VISIONES ANGELOR.

CVLTV S. SEBAST. CESSAVIT PESTIS.

VIII. WAMBA REX FIT MONACH. NOVO CASV.

Eodem anno Wamba Hiſpaniarum Rex, cum regnaſſet annos octo & mẽſem vnum, nouo exemplo monaſticum amplexus eſt inſtitutum; ita nimirum vt cum Eringius, ſiue Eruigius Comes (natus ex Ardabaſto homine Græco, qui ab Imperatore expulſus in Hiſpaniam ſe receperat, & vxorem acceperat Receſuinthi Regis conſobrinam) eidem VVambæ potionem lethiferam dediſſet, & ex ea Rex à ſenſu alienatus appareiſſet; eo viſo Epiſcopi atque Proceres Hiſpani, ignorantes cauſam mor-

bi, pœ-

Digitized by Google

bi pœnitẽtiam ei ſimilibus caſibus tunc in Hiſpania conſuetam exhibentes, monaſtico illum habitu induerint, atque tonſura initiarint; quod Rex à potione liberatus agnoſcens, ipſe volũtarie ſe monaſterio incluſit. Quæ quidem colliguntur ex Tudenſi, qui ea à Iuliano Toletano accepit, ſed declarantur expreſſius in primo canone Concilii Toletani anno ſequenti celebrati: quo etiam oſtenditur, eumdem VVambam eximia animi magnitudine ſcriptis ſuis pronunciaſſe regni ſucceſſorem eumdem Eruigium veneni propinatorem. Sequenti vero canone ſignificatur, eam tunc in Hiſpaniarum Eccleſiis viguiſſe conſuetudinem, vt cum vrgente ægritudine ſe quis proxime moriturũ putaret, eiuſmodi monaſtici habitus pœnitentiam peteret: quam ſiquis etiam extra mentis integrum ſenſum conſtitutus, ab Antiſtite miniſtratam accepiſſet, imo etiam ſi eam minime petiiſſet, ſed neſciens accepiſſet; haud vlterius ad ſæculum reuerti ipſi liceret, ſed teneretur in perpetuum monachus permanere: licet pœna dignus cenſeretur ſacerdos qui eam non petenti, vel aliquo ſaltem ſigno ſe cupere ſignificanti miniſtraſſet. Sic igitur VVamba Dei iudicio aſſumptus in regnum hominis fraude eo priuatus eſt ingenti ſuo bono: quem in eo vitæ inſtituto tranſegiſſe vſque ad obitum annos ſeptem atque tres menſes tradunt; ſed in nuper citato codice, ex Iuliani anno duodecim ponuntur.

MOS HISP. ECCL. IN SVSCIPIENDO AB INFIRMIS MONACHATV.

CONST. POGON. AN. 14.

IESV CHRISTI. AN. 682.

AGATH. AN. 4.

I. RELIQVÆ ACTIONES SEXTÆ SYNODI.

ANNO Domini ſexcenteſimo octogeſimo primo, Indictone nona, quod reliquum fuit SEXTÆ SYNODI Oecumenicæ expletum eſt. Nam decimatertia die Februarii Actio Septima eſt celebrata: in qua adhuc actum eſt de teſtimoniis Patrum tam ab hæreticis quam Catholicis pro ſua ſententia productis: iuſſaque eſt collatio exactiſſima eorumdem fieri per Georgium Conſtantinopolitanum, & Macarium Antiochenum, cum codicibus Patriarchii. Et ſic finem ea Actio habuit. Sed apud Anaſtaſium traditur (quod quidem in Actis Synodalibus deſideratur) poſt eamdem Actionem rurſum conuentum eſſe decimaquarta, decimaſeptima, & vigeſimaquinta eiuſdem menſis Februarii; actumque de dogmate Monothelitarum, ſubſcripto à Macario, necnon à Theodoro olim Epiſcopo Conſtantinopolitano, reiecto vero à Georgio tunc Patriarcha. Quæ quidem ab eodem Theodoto poſtea cum iterum reſtitutus eſt ei ſedi, abraſa eſſe ex Actis Synodi, quod ex illis ipſe oſtenderetur hęreticus, dicetur inferius.

II. ACTIO VIII.

Octaua quæ numeratur in Actis Seſſione, habita ſeptima die menſis Martii, Georgius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, relatione facta de veritate locorum quæ ex SS. Patribus à Legatis Apoſtolicæ Sedis ptolati fuerant, palam teſtatus eſt ſe cum iiſdem Sanctis Patribus profiteri Duas in Chriſto Voluntates & Operationes: egitque vt Sancti Vitaliani Papæ nomen in Diptycha reſtitueretur, quod ſublatum à Theodoro fuerat. Eius vero confeſſionem alii quoque poſt eum omnes Epiſcopi ſequuti ſunt: non ſine egregio Agathonis Romani Põtificis præconio, cuius ſe definitionem amplecti profeſſi ſunt excepto: vno Macario Antiocheno: qui cum Stephano Abbate obſtinate perſtans in errore, procaciter etiam conteſtatus eſt, ſe ab eo non diſceſſurum, nec ſi membratim præcideretur, & abiiceretur in mare: quinimo impudenter nimis iactare non erubuit, ſe vt ſuam hæreſim ſtabiliret, Patrum ſcripta corrupiſſe. Itaque ab vniuerſa Synodo anathema in eum conclamatum eſt: eidemque pallium: aliaque inſignia Patriarchalia ablata ſunt. Tandemque Actione Nona ſequenti die celebrata, in eumdem Macarium, eiuſque diſcipulum Stephanum Abbatem, ſententia damnationis atque depoſitionis lata eſt. Quo tempore accidiſſe.

PROCACIA MACARII ANTIOC.

DE TELIS ARANEARVM DECIDENTIBVS PORTENTVM.

Anaſtaſius ait, vt quamplurimæ aranearum telæ nigerrimæ in medio populi ceciderint, in ſignum ſordium hæreſeos expulſarum. Tribus autem ſequentibus Actionibus eodem menſe Martio habitis, recepti ſunt libelli quorumdam palinodiam recantantium; lectaque & approbata epiſtola Sophronii olim Epiſcopi Hieroſolymitani ad Sergium Conſtantinopolitanum: atq; idem lecta, ſed damnata Macarii, aliorumque hæreticorum ſcripta. Ac demum Actione decimatertia, celebrata vigeſima octaua eiuſdem menſis, à Patribus ſententia lata eſt aduerſus omnes hæreticos Monothelitas; nominatimque aduerſus Sergium, Pyrrhum, Petrum, & Paulum Epiſcopos olim Conſtantinopolitanos, necnon contra Cyrum Alexandrinum, & Theodorum Epiſcopum Pharan. Poſt quos etiam in Actis vulgatis ſeparatim nomen additur Honorii Summi olim Pontificis, tamquam & ipſe in epiſtola ad eumdem Sergium ſcripta, ipſius adhæſiſſet errori de Vnica in Chriſto Voluntate: quod & alibi ſæpius in iiſdem Actis repetitum legitur.

DAMNATIO MONOTHELITARVM.

III. HONOR. PP. DEFENDITVR A CALVMN.

Sed quam parum iſta de illo cohęreant, conſideremus. Primo enim profitetur Synodus, eorum ſe hæreticorum damnationem confirmare, quos iam prædamnauerat Agatho Papa in epiſtola ad Imperatorem. At tantum abeſt vt in ea Agatho Honorium damnarit, vt contra ſæpius confidenter affirmauerit, Apoſtolicam ſedem Romanam numquã à via veritatis in qualibet erroris parte deflexam eſſe, nec hæreticis nouitatibus ſuccubuiſſe, aut à tramite Apoſtolicæ traditionis deuiaſſe: omneſque eiuſdem Eccleſiæ Pontifices ipſius Agathonis prædeceſſores, ſemper & in proſperis & in aduerſis ſinceram fidei regulam viuaciter tenuiſſe, ac defendiſſe; ſed & viriliter inſurrexiſſe aduerſus quaſcumque hæreſes, ac præcipue contra iſtam Monothelitarum; adeo vt non aliud permiſerit Legatis ſuis ad Synodum Oecumenicam miſſis definire, quam ſecundum traditionem Apoſtolicæ ſedis, vt ab iiſdem prædeceſſoribus ſuis Pontificibus inſtituta eſſet. Quomodo vere hæc tanta adeo intrepide proferre auſus eſſet Agatho, ſi Honorii hæreſis omnibus nuperrime innotuiſſet? Quinimmo ipſum perquam veriſſime illa aſſeruiſſe, teſtatus eſt ipſe Imperator cum vniuerſa Synodo, quando poſt eam abſolutam ſcribens ad Concilium Romæ congregatum, commendanſque dictam Agathonis epiſtolam, ait eam ſe ac totam Synodum Oecumenicam ſuſcepiſſe, quod eſſet omnino conſentiens veritati. Qua igitur ratione dicetur, eamdem Synodum ipſum Honorium inter hæreticos recenſuiſſe?

IV. CONVINCITVR IMPOSTVRA DE HONORIO.

Rurſum ſi ob damnationem Theodori Mopſueſteni, & ſcriptorum Theodoreti atque Ibæ, Orientalium ſub aliis ſedibus conſtitutorum Epiſcoporum, totum Orbem terrarum oportuit commoueri, Conciliumq; Oecumenicum congregari; & non ſine maximo labore id vix tandem obtineri valuit: quomodo accidiſſe dicemus in præſenti Synodo, vt vnius dumtaxat lectione epiſtolæ condemnatus fuerit primariæ ſedis Antiſtes, de qua illa eſſe conſueuit omnium vox in Synodis, *Prima Sedes omnes iudicat, & à nemine iudicatur*? Quomodo lecta epiſtola, antea, cum auctore damnata fuit quam examinata? Sed & ſi examinata fuiſſet, & hæretica inuenta, nonne antequam cum ea damnaretur ipſius auctor, oportuiſſet exacte diſquiri num vſque ad obitum in eadem ſentẽtia perſtitiſſet? quem certe non perſtitiſſe, illud neceſſario demonſtrabat quod ſemper Romæ Catholicus habitus, eiuſq; memoria honorifice cuſtodita extitiſſet. Nõ ſic vel clericulus quiſpiam conſueuit aliquando damnari; non laicus homo defunctus præſertim, ab Eccleſia eiici; dixerim amplius, non famoſus hæreticus, imo nec hæreſiarcha (vt eſt exemplum de Theodoro Mopſueſteno) ita vno impetu condemnari, niſi multo temporis ſpatio antea iudicio ventilato ac ſæpius diſcuſſo. Quæ igitur cauſa vt præcipitata potius quam prolata fuerit à Synodo, de Honorii Summi totius Eccleſiæ Pontificis damnatione ſententia? Deniq; ſi vere in Synodo hęc peracta fuiſſent, quomodo qui præſidebant Apoſtolicæ ſedis Legati minime reclamarunt: cum tamen in omnibus Actionibus, ac pro leuioribus cauſis ſemper interlocuti reperiantur? præcipue cum ſa-

tis ipſis conſtaret, epiſtolam Honorii nihil continere erroris?

V. SYNODI ACTA CORRVPTA A THEOD. CONST.

Sed dices: quomodo igitur in Actiones & epiſtolas Synodales pluribus in locis iſta de Honorio potuerunt irrepſiſſe? Reſpondeo breuiter: Cum Theodorus ille Conſtantinopolitanus Epiſcopus, quem ſuperius diximus à Catholico Imperatore vt hereticum expulſum eſſe, & in eius locum ſubrogatum Georgium qui huic Synodo interſuit, inter Epiſcopos Conſtantinopolitanos hæreticos à Synodo relatus eſſet: (id enim & Anaſtaſius [a] non obſcure indicat, & alioqui cùm de omnibus eiuſdem Eccleſiæ Patriarchis, qui à tempore exortæ Monothelitarũ hæreſis extiterunt, eadem Synodus iudicium habens, aliquos ex eis condemnaſſe legatur [b], quos diximus Sergiũ, Pyrrhum, Petrum, & Paulum, alios vero vt Orthodoxos ſignificaſſe, nempe Thomam, Ioannem, & Conſtantinũ; nulla cauſa adferri poteſt, cur ſolius Theodori nomen inter omnes alios ſiue hæreticos ſiue Catholicos prætermitti debuerit) vt tamen nuſquam in iiſdem Synodi Actionibus inter hæreticos nominatus reperiatur, id inde accidit, quod ipſe poſt mortem Gregorii, quę contigit anno ſequenti, reſtitutus in ſedem Conſtantinopolitanam, nactus Synodalia Acta priuſquam vulgarentur, aut etiam Romam mitterentur; nomen ſuum è damnatorum numero deleuerit, atq; in eius locum ipſius Honorii Papæ nomen variis locis inſeruerit, tum vt iſtam aliaſque ab ipſo factas lituras reſtitueret, tum vt leuiorem Monothelitarũ ſuorum culpam redderet, quod exemplo Romani Pontificis quem ſequi deberent ipſi peccaſſent. Nam ſicut veriſimile ſatis eſt, & alia complura addita pariter & detruncata ab eo fuiſſe: ita deſiderari Acta illa quæ fieri contigerunt in electione ſucceſſoris Macarii à Synodo damnati ac depoſiti, extra dubium eſt. Etenim de eo factam eſſe poſtulationem ab Epiſcopis Syriæ, conſtat ex ipſis Actis [c]; & in locum eius ſubrogatum eſſe *Theophanem* Abbatem Siculum hac ipſa Actione, cum Anaſtaſius Bibliothecarius qui Synodum in compendium redegit expreſſe declarat, tum euidentiſſime conſtat ex eo quod idem Theophanes in ſingulis ſequentibus Actionibus reperitur titulo Epiſcopi Antiocheni nominatus.

a Anaſt. in Agath.
b Sext. Syn. Act. 13.
c Ibid. Act. 18.

VI. MVLTIPLICITER HONOR. COMPROBATVR ORTHOD.

Ceterum ſi needum tot rationibus pro Honorii abſolutione prolatis cedendum quis obſtinatus cenſuerit; in promptu eſt, vt de eo integrari iudiciũ poſſit. Nam quod in ſententia aduerſus eum lata, eius damnationis illa vnica cauſa exprimitur, quod in literis ad Sergium ſcriptis impia eius dogmata confirmaſſet; quam id longe procul fuerit à veritate, dilucide ſatis oſtendimus dum ſuo loco [d] de iiſdem egimus. Extant enim ipſæ adhuc integræ iiſdem Actis intextę, ac Dei magno beneficio conſeruatę, vt qualis Honorius fuerit ex iiſdem probe intelligi poſſet. Adeo vt quamuis concederemus (quod tamen omnino negamus) ipſum re vera in Synodo ob eadem ſcripta damnatum fuiſſe; eſt vt ex iiſdem ſcriptis eadem damnatio retractetur; quandoquidem in iis quæ facti ſunt, vnum quemque poſſe falli nemini dubium eſt.

d Sup. an. 633. n. 3. 6. 7.

VII. ACTIO XIV.

Sed vt ad geſta Synodi redeamus; rurſum die ſecunda menſis Aprilis Actio Decimaquarta eſt habita: in qua lecta ſunt Mennæ Patriarchæ, & Vigilii Papæ ſcripta de vnica voluntate, eademque eſſe ſuppoſita redarguta, atq; anathemati tradita: ſed quæ Athanaſii nomine produxere Epiſcopi Cyprii pro duab. voluntatibus & operationibus, à Synodo probata ſunt.

VIII. POLYCHRONII TEMERITAS.

Actione vero Decimaquinta, celebrata die vigeſimaſexta eiuſdem menſis Aprilis, pertractata eſt cauſa Polychronii cuiuſdam presbyteri & monachi Monothelitæ: qui quidem homo plane inſanus, aſſerens ſe diuinitus admonitum de conſtituenda vnica voluntate in Chriſto, eoque nomine pollicitus ſe mortuum ſuſcitaturum, apponendo ſupra eius corpus chartulam fidei ſuæ confeſſionem continentem; cum eiuſmodi miraculi pollicitatione magnam populi multitudinem poſt ſe traxiſſet, coacta eſt Synodus, ne fidei ſacramentum leuiſſimi hominis petulãtia in diſcrimen adduceretur, eam indignam licet conditionem ſubire. Itaque conceſſit periculum publice fieri, præſentibus etiam ipſis Patribus, necnon Imperatore, atque vniuerſo populo. Sed cum per plures horas mortuo inſuſurraſſet, nec ſuſcitare valuiſſet; aduerſus eum tanquã nouum Simeonem, inclamatum eſt anathema à populo; idemque in locum Synodi redactus, cum nollet hæreſim abiurare, à ſacerdotio depoſitus eſt, & anathematis vinculo ſuppoſitus.

PERICVLVM FIDEI PVBLICE FACTVM.

ALIVS HÆRET. EXPLODITVR.

Rurſumque Actione Decimaſexta, quæ habita reperitur die nona Auguſti, alius procax hæreticus nomine Conſtantinus, presbyter Apameenſis Syriæ, licentia accepta dicendi, ad docendam Synodum ſe veniſſe profeſſus, temperamentum quoddam propoſuit quo cõcordari poſſent Monothelitæ atque Catholici; nimirum hac ratione, vt dicerentur in Chriſto duæ Operationes, Voluntas vero vna; ita videlicet vt Chriſtus aſſereretur humanam voluntatem deſeruiſſe cum carne & ſanguine Crucis tempore. Sed exploſa à Synodo atque damnata eiuſmodi aſſertione, tamquam Manichæorum, ipſe Conſtantinus parem cum ea damnationis ſententiam accepit.

IX. IMP. FRATRES SVOS ABDICAT.

Quod autem ſpectat ad tam longam moram qua iſta Actio poſt ſuperiorem eſt celebrata, Annales Græcorum, licet nullum referant bellum quo fuerit Romanum Imperium laceſſitum, tamẽ hoc anno, cum ſcilicet nondum decimus tertius Imperatoris abſolutus eſſet, domeſticis diſſenſionibus laboratum oſtẽdunt, ob quas Imperator fratres ſuos & collegas Heraclium & Tiberium, in ſuſpicionem rerum nouandarum adductos amouit, ſoluſq; ipſe cum IVSTINIANO filio imperauit. Verum non id factum videtur ante finitam Synodum: ſiquidem in reliquis eius Actionibus, cum Conſtantino nominati reperiuntur iidem ipſius fratres Imperatores Heraclius atque Tiberius.

X. SYNODI DECRETVM FIDEI.

Actione decimaſeptima, habita vndecima menſis Septembris, Orthodoxæ fidei decretum approbatum à Patribus publice lectum eſt: quo Quinq; Vniuerſalia Concilia confirmata ſunt, eorumdemque Symbola recitata; appoſitaque eſt damnatio Monothelitarum hæreticorum, ex præſcripto Epiſtolæ Agathonis Romani Pontificis, atque Synodi Romæ ab eodem coactæ: ac demum de Vno Volente & Operante in Duabus Operationibus & Voluntatibus doctrina, ex Sanctorum Patrum ſententiis eſt approbata: hancque Actionem omnes qui aderant Epiſcopi ſubſcriptione ſua firmarunt. Vltima autem Actio, eaque Decimaoctaua, celebrata eſt decimaſexta eiuſdem menſis Septembris: in qua Imperatori Conſtãtino ibidem præſenti fauſtæ acclamationes dictæ ſunt; iterumq; profeſſa eſt Synodus, in definitione Catholici dogmatis ſequi ſe Epiſtolam Agathonis Papæ, & Synodales literales Romani Concilii. Subditur poſt hæc edictum eiuſdem Imperatoris de fide Catholica. Reperiturque ad finem Actionis, epiſtola ipſius ad Epiſcopos Synodi Romanæ, data tamen illa non eodem die quo celebrata eſt Actio, ſed longe poſtea, nempe decimo Calendas Ianuarii: qua commendans illum qui conuenerant ſtudium in defendenda vna cum Romano Pontifice fide Catholica, eumdem Pontificem vocat *Vniuerſalem Principem Paſtorum*; eiuſq; relationem ſe tamquam S. Petri vocẽ ſuſce, iſſe profitetur. Sed & pergens dicere de impio Macario Antiocheno, eiuſq; diſcipulis, ait illos ex communi Synodi ſententia depoſitos, probationi ſanctiſſimi Papæ traditos eſſe. Cur autem iidem miſſi ſint Romam, cum nulla afferatur in dicta epiſtola cauſa; ex alia eiuſdem Imperatoris ſcripta ad Leonem Pontificem Agathonis ſucceſſorem accipere licet; nempe quod ipſi damnati id petierint, appellantes Romanum Pontificem. Nam quod ait Anaſtaſius [e], eos in exilium Romam miſſos; longe procul eſt à veriſimili. Nullum enim ante hac extare recordamur exemplum, vt exilio relegandis damnatis improbis hæreticis, pro loco exilii decreta fuerit Vrbs, locus videlicet omnib. expetendus; ſed potius Oaſena ſolitudo, vt Neſtorio, aut alia deſerta ac barbara loca.

DE EPIST. IMP. AD CONC. RO.

DAMNATI IN SYNODO OECVM. APPELLANT SEDEM APOST.

e Anaſt. in Agath.

XI.

Hactenus breuiter de Actionibus Sextæ Synodi, quæ reperiuntur tum in Græcis tum etiam Latinis codicibus: in quibus cum multa inuidioſe deprauata inuenerimus,

vnum,

Digitized by Google

vnum quidem certum indubitatumque relictum eſt, nempe damnatam eſſe Monothelitarum hæreſim: quam illorum Patrum ſententiam, vt ſacroſanctam Eccleſia Catholica ſemper cuſtodiuit, hactenuſque cuſtodit. Deſideratur vero etiam inter Acta huius nouiſſimæ Seſſionis, epiſtola Synodalis ab eodem Concilio ſcripta ad Agathonem Romanum Pontificem, quæ inter epiſtolas eius ſucceſſoris Leonis Papæ prima ponitur; ſed quæ huc referenda neceſſario eſt, eo quod S. Synodus potiſſimum petat ab ipſo Romano Pontifice confirmari quæ in eadem Synodo fuerunt conſtituta, tamquam à *Primæ Sedis* (vt vocant) *Antiſtite Vniuerſalis Eccleſiæ ſtante ſupra firmam fidei petram* Quod autem pertinet ad canones, qui nomine Sextæ Synodi à Græcis tempore Iuſtiniani Iunioris conſcripti ſunt; de illis ſuo loco [f] pluribus dicturi ſumus.

CONFIRMATIO SYNODI PETITVR À R. PONT.

f Infr. an. 688.

XII.

Cum autem Anaſtaſius (vt diximus) nonnulla addat, quæ non reperiuntur in Actis Synodi quæ extant; tamen longe plura prætermittit, dum ſex tantum in ea habitas refert Actiones, ipſamque penitus abſolutam ante Paſchale tempus. Ad poſtremum vero poſt damnationem hæreticorum ibidem factam ait abraſa eſſe à Diptychis nomina Patriarcharum hæreticorum, eorumdemque picturas de eccleſiis aliiſque vbique locis ablatas: ſed & Dominica Octauarum Paſchæ ab Epiſcopo Portuenſi in eccleſia S. Sophiæ, præſente Imperatore Patriarcha, Miſſas Latine celebratas eſſe, ac Latinis pariter vocibus acclamationes factas. Addit denique, per Legatos Sedis Apoſtolicæ Romam redeuntes ſcriptam ab Imperatore Conſtantino ad Papam Agathonem epiſtolam, qum *Sacram* vocant, qua ſignificauit liberare ſe Romanam Eccleſiam à penſitatione illa pecuniæ, quam primum impii Gothorum Reges Ariani perſoluendam recens creatis Romanis Pontificibus indixerant, ac poſt illos extinctos Orientales Imperatores exigere conſueuerant; vt ſæpe dictum eſt ſuperius. Idemque auctor in Iohanne Quinto habet, eumdem Pontificem tunc adhuc diaconum & vnum ex Legatis Apoſtolicæ Sedis, retuliſſe Romam Imperatoris iuſſionem pro liberatione cenſuum ac tributorum, quæ Romana Eccleſia pro patrimoniis quæ in Sicilia & Calabria poſſideret, pendere annue conſueuiſſet. Retinuit tamen adhuc Conſtantinus ius confirmationis Romani Pontificis, antiquitus pariter tyrannice vſurpatum. Quando autem & ab hac ſeruitute Eccleſia Romana fuerit ab eodem Imperatore liberata, ſuo tempore dicetur.

QVÆ ANAST. AMPLIVS HABEAT DE ACT. SYN.

ECCL. RO. LIBERATVR A SOLVTIONE PECVNIÆ PRO ORD. RO. PONT.

XIII.

CONC. TOLET. XII. PRO CONFIRMATIONE ERVIGII REG.

Hoc pariter anno menſe Ianuario celebratum eſt in Hiſpania CONCILIVM TOLETANVM numeratum Duodecimum, Era ſeptingenteſima decimanona, anno primo Eruigii Regis; ad hoc (vt apparet) eiuſdem voluntate collectum, vt ipſi regnum Hiſpaniarum confirmaretur ab Epiſcopis; quibus his temporibus in Hiſpania tantum tribuit Chriſtiana religio. vt abſque ipſorum conſenſu (quod ſuperius dictum eſt) non liceret regnare cuiquam, quamuis hæres eſſe defuncti Principis videretur. Præfuit eidem Synodo *Iulianus* Hiſpalenſis Epiſcopus, ſubſcriptique reperiuntur alii triginta quinque, præter Vicarios abſentium, & aliquot Abbates: & ab omnibus ſanciti ſunt canones tredecim. Ac primo quidem fide Regis Catholica cognita, eiuſdem confirmarunt electionem. Poſtea vero de iis egerunt, qui conſentientes ſuſciperent in extremis pœnitentiam per tonſuram ac veſtem religioſam; decreueruntque, eiuſmodi non debere violari vtcumque factam profeſſionem: videlicet ne eiuſdem Regis poſſet labefactari creatio, eſſeve ſpes vlla vt Wamba iterum repeteret regnum, quod per eiuſmodi pœnitentiam amiſiſſe vidimus. Pœnam tamen vnius anni excommunicationis ſtatuerunt ſacerdoti; qui cuilibet non potenti, neque ſentienti, eiuſmodi tribueret pœnitentiam. Sed & nouæ ſedes Epiſcopales iuſſu Wambæ erectæ in diuerſis, locis, ſublatæ [g] ſunt.

DE PŒNITENTIA MONACHISMI APVD HISP.

g Conc. Tolet. XII. c. 4.

XIV.

h Ibid. c. 6.

Actum præterea, vt [h] Toletanus Antiſtes ordinaret quem Rex nominaret Epiſcopum; qui ordinatus ſuo deberet ſe præſentare Metropolitano. Ad quod ſciendum eſt ex veterum [i] Scriptorum monumentis, Gothorum Reges in Hiſpania nominationem ſibi vendicaſſe creandorum Epiſcoporum; quorum nominatio referebatur ad Concilium, vt de perſona inquireret vtrum digna eſſet ſede Epiſcopali. Quoniam autem longæ moræ ſolerent intercedere in his perficiendis, ob idque contingere vacantes ſedes diutius abſque Epiſcopo permanere; id ſancitum eſt in hoc Concilio, vt quem Rex nominaret, vnus Toletanus Epiſcopus poſſet, de perſona habita inueſtigatione ſolita, ordinare. Verum quod hæc res admodum inuidioſa eſſet, quæ videretur ſtatuta in præiudicium reliquarum Archiepiſcopalium ſedium: aduerſus eiuſmodi huius Synodi decretum conſtat fuiſſe ab Hiſpaniarum reliquis Epiſcopis tumultuatum, ab eiſque in cōtrariam partem flexum Regem, ſibi timentem ne ceteri Hiſpaniæ Epiſcopi rebellarent. Actumque eſt ab Epiſcopis ipſis cum Romano Pontifice, *vt nullus Archiepiſcopus Hiſpaniarum ſubderetur alicui Primati, præterquam Romano Pontifici.* Iſta enim ita ſe habuiſſe, docet Tudenſis. Quibus etiam intelligas, arbitrio Romanorum Pontificum pro temporis & perſonarum ratione dari & demi conſueuiſſe Eccleſiis priuilegia; neque quicquam cōſiſtere quod Reges aut Concilia de his ſtatuant, niſi Pontifex Romanus annuerit.

i Ep. Bramb. ad S. Iſid. Conc. Tolet. &c.

DE NOMINATIONE EPISCOP. À REGIB. HISP. VSVRPATA.

EPISCOPI HISP. SVBESSE TANTVM ROM. PONT. VOLVERVNT.

XV.

k Conc. Tolet. XII. c. 5

l ibid. can 9

m can 10.

Redarguti quoque in eadem [k] Synodo fuere, qui plures vno die Miſſas celebrantes, in vltima tantum non in ſingulis communicarent. Sed & aduerſus [l] Iudæos inter alia ſtatutum, ne libros legere auderent quos fides Chriſtiana repudiaret. Indultumque [m] præterea confugientibus ad eccleſiam ſpatium triginta paſſuum foras progrediendi. Reliqua tu conſulas.

XVI.

n Bed. lib. 4. c. 13.

Hoc eodem anno graui fame ac peſte laboratum in Anglia, teſtatur Beda [n]. Tuncque accidit, vt S. Wilfridus Eboracenſis Epiſcopus Roma reuerſus in Angliam, cum recipere ſedem ſuam tyrannice occupatam non valeret, ad prædicandum *Auſtralibus Saxonibus* Euangelium conuerſus, eoſdem ex Gentilibus reddiderit Chriſtianos, ac dira fame liberauit impetrata pluuia, tradita piſcandi arte. Fuerunt item eodem peſtis tempore complures emiſſæ cœlitus viſiones, oſtenſæ veris Dei ſeruis atque ancillis de æternæ vitæ certitudine; quibus veluti lacte quodam nouellos Fideles Deus alere, & tamquam imbrem ſuper plātatam recens Eccleſiam ad eam multiplicandam concedere voluit: ſicut econtra ad terrorem incutiendum malis, eoſdemque ad pœnitentiam reducendos, alias terribiles viſiones de certa nonnullorum morientium ad inferos damnationē, apparere quoque permiſit: & tam has quam illas ſcriptis [o] fideliter poſteris tradi ad excitandam Fidelium tepeſcentium pietatem, æque conceſſit.

VISIONES DE PARADISO ET INFERIS IN ANGLIA.

o Id. lib. 4. & 5. h. ſ. Anglic.

IESV CHRISTI AN. 682,

CONST. POGON. 15.

AGATH. AN. 5.

I.

DE AGAT. PP. OBITVS TEMPORE.

ANno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo ſecundo, Indictione decima, quarto Id[9] Ianuarii *Agatho* Papa ex hac vita migraſſe ponitur: qui & ſepultus eſt apud S. Petrum, & inter Sanctos poſt obitum adſcriptus. Cuius cum Anaſtaſius dicat ſedem vacaſſe annum vnum menſes ſeptem dies quinque; de cauſa tamen adeo longæ vacationis nihil habet. Verum tamdiu eam vacaſſe, ſignificant pariter Acta Decimæ quartæ Synodi Toletanæ celebratæ anno ſexcenteſimo octogeſimo quarto. Etenim cum in ea [a] aſſeratur, tunc adhuc Leonem Papam fuiſſe ſuperſtitem, omniumque teſtificatione certum ſit Leonem non integros vndecim menſes ſediſſe; vtique affirmare neceſſe eſt, eius electionem non ante ſequentem annum contingere potuiſſe. Ceterum cuſa nuper refoſſa monumentis Floriacenſibus [b] epiſtola Agathonis ad Edictum Viennenſem in Gallia Archiepiſcopum, neceſſario affirmare cogit eum diutius vixiſſe, atque poſt reditum Legatorum à Synodo Conſtantinopolitana *Concilium* Romæ centum pene Epiſcoporum habuiſſe, ac de-

a Conc. Tolet. XIV. c.

b Bibl. Flor. par. 1.

inde illam epiſtolam ſcripſiſſe pridie Calendas Martii anni ſequentis. Hæc enim ex eadem epiſtola manifeſte probantur: ex quibus etiam habes, haud tam longo tempore ſedem vacaſſe, vt ab Anaſtaſio ponitur: (cuius adeo inuſitatæ vacationis, nec vllam cauſam alicubi inuenimus) atq; item pro eo, quod Agatho defunctus aſſeritur quarto Idus Ianuarii, legendum eſſe Iunii; vt ſæpe alias ſimilem errorem vitio librariorum accidiſſe comperimus.

II. THEOD. DAMNATVS HÆRESI RESTITVITVR IN SED. CONST.

Hoc autem anno, antequam Legati Apoſtolicæ Sedis Conſtantinopoli recederent, Georgius illius Eccleſiæ Patriarcha (vt in Chronico Nicephori habetur expreſſum) poſtquam ſediſſet annos tres ac totidem menſes, mortuus eſt; inque locum eius reſtitutus *Theodorus Syncellus*, quem ante ipſum fuiſſe ex eodem throno ob Monothelitarum patrocinium depoſitum vidimus: ſed homo verſipellis Catholicam fidem ceu laruam ſuſcipiens, eam aggreſſus foris profiteri, ad Patriarchatum ſibi reditum præparauit: cum vero nactus, par eſt credere quod omnia per quæ in Actis Oecumenicæ Synodi nouit ſibi ob hæreſim infamiam irrogatam, prorſus abſtulerit vt etiam ſuperius dictum eſt: nec eſt vero diſſimile, illud conſentiente etiam Imperatore, Catholico licet perfeciſſe; perſuaſio nimirum vt qui ipſum Theodorum in ſedem poſt rectæ fidei confeſſionem reſtituiſſet, eumdē non amplius pateretur in Synodalibus Actis numerari inter hæreticos: hoc enim & in ipſius Imperatoris verti cōtumeliam, quod talem ad tantam ſedem prouexiſſet, quem Oecumenica Synodus vt hæreticum damnaſſet. Et vt quod prætendebat facilius perficeret, Imperatori ingeſſiſſe putatur (quis enim alius id potuit egiſſe?) vt Legati Romani variis prætextibus diutius Conſtantinopoli detinerentur, atque interim Synodalia Acta inde dimoueri non ſinerentur. Quæ autem poſt hæc ſecuta ſint, ſuo loco dicturi ſumus.

III. CONCIL. ROTHOM.

Hoc eodem Redemptoris anno, Indictione decima Rothomagi in Gallia ſub S. Anſberto eiuſdem ciuitatis Epiſcopo, vitæ probitate ac miraculorum editione clariſſimo, celebratum eſt CONCILIVM generale, cuius Acta deſiderantur: tantum enim mentio de ipſo eſt apud Angradum monachum in eius Sancti Rebus [c] geſtis; actumque inter alia tradit de priuilegio collato monaſterio Fontanellenſi, vt per ſuccedentia tempora, ſecundum S. Patris Benedicti regulam, & conceſſiones præcedentium Francorum Regem, ex ſemetipſis ſibi Abbatem monachi eligerent.

c ap. Sur. 9. Febr.

CONST. POGON. 16.

IESV CHRISTI AN. 683.

LEONIS II. AN. 1.

I. LEO II. PAPA CREATVR. a Anaſt. in Leon. II.

ANNO Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo tertio, Indictione vndecima, mortuo (vt diximus) S. Agathone Romano Pontifice, ſubrogatus eſt in locum eius LEO huius nominis Secundus, natione Siculus, Pauli filius, vir pietate & eruditione præſtantiſſimus, muſicæque peritiſſimus. Cuius ordinatione cum Anaſtaſius [a] tradat interfuiſſe Iohannem Epiſcopum Portuenſem, quem vidimus Legatum adſtitiſſe Sextæ Synodo Oecumenicæ; inde etiam manifeſtus probatur, quod dictum eſt anno ſuperiori de prorogatione vitæ Agathonis vſque ad hunc annum poſtquam iidem Legati redierunt Conſtantinopoli Romam: defunctumque eſſe quarto Idus Iunii; ac poſt eius obitum ſedem vacaſſe menſes duos & dies quinque vſque ad ordinationem Leonis, quæ facta eſt decimaquinta menſis Auguſti.

II. ACTA SYNODI SEXT. CORRVPTA ROMAM MISSA.

Statim autem vt Leo ordinatus eſt, ait Anaſtaſius eum ſuſcepiſſe Sextam Synodum, eiuſque Acta è Græco in Latinum vertiſſe: ſed fuiſſe eadem (quod ſuperius diximus) corrupta à Theodoro Conſtantinopolitano, æque patet ex eodem Anaſtaſio, dum aſſentitur fuiſſe in eis nomen Honorii inter damnatos hæreticos numeratū inuentum, prout ea quæ præ manibus habetur Acta præſeferunt; cum tamen in Agathone dum agit de ſingulis Actionibus eiuſdem Synodi, recenſetque damnatos hæreticos ſingillatim, nullam de Honorio habuerit mentionem. Extant [b] & quædam eiuſdem Leonis nomine ſcriptæ epiſtolæ tam ad Imperatorem Conſtantinum, quam ad Eruigium Regem & Epiſcopos Hiſpaniæ, in quibus pariter Honorii damnatio ſæpius repetitur. Quæ ſi germanæ probari poſſent, tum alterum de duobus oportuit eueniſſe; vel quod eam iniquiſſimam conditionem neceſſitas temporis Leonem ſubire coegerit, vt ſi id non feciſſet, damnata hæreſis iterum reuixiſſet, Actaque Synodalia abolenda fuiſſent: vel quod Leo præteritarum rerum ignarus, neſciſſet ipſa Acta legitima Sextæ Synodi eumque præteriiſſet quæ de ſcriptis Honorii litteris vel per Ioannem Pontificem, vel per Maximum Abbatem declaratio ſiue defenſio præceſſiſſet. Sed horum neutrum in Pontifice culpa caruiſſet: nec ad ea ſubterfugia recurrendum eſt, cum plurimis euidentiſſimis argumentis ſatis appareat eaſdem epiſtolas penitus eſſe adulterinas [c]. Quę ſi veræ eſſent, indigeret potius ipſe Leo apologia, quod cedere viſus eſſet Græcorum impoſturæ de Honorii aſſerta falſa damnatione. Honorium enim neque extitiſſe hæreticum, neque in Synodo damnatum eſſe, aut damnari iure potuiſſe, ſatis ſuperque ſuperius eſt demonſtratum: adeo vt quæcumque aduerſus ea, & à quocumque dicta fuerint, neceſſe ſit prorſus euaneſcere.

b To. 2. epiſt. Ro. Pont. & to. 3. Conc.

c Hoc fuſe demonſtrat Bar. Annal. To. VIII. hoc an. quē tu conſulas: nobis enim hic ſatis, quæ pro defenſione Honorii dicta ſunt ſuperius.

III. QVID LEO EGERIT DE HÆRETICIS ROMAM REMISSIS.

Ceterum de Macario, aliiſque in Sexta Synodo vere condemnatis hæreticis, Romam miſſis, illud ex Anaſtaſio habetur, eos ſcilicet dum nollent à ſuo recedere propoſito; per diuerſa monaſteria fuiſſe à Leone retruſos: Anaſtaſium autem preſbyterum, & Leontium diaconum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, Romam pariter à Synodo remiſſos ad palinodiam recantandam, ab eodem Leone poſt damnatas omnes hæreſes in communionem receptos eſſe.

IV. CONCIL. TOLET. XIII.

Hoc item anno, Era ſeptingenteſima vigeſima prima, pridie Nonas Nouembris, habita eſt SYNODVS TOLETANA, Decimatertia ordine poſita, Eruigii Regis anno quarto inchoato menſe Octobri. In ſequenti Synodo Toletana nominatur iſtud Cōcilium Generale, eo quod ex omnibus Hiſpaniæ prouinciis vna ſimul conueniſſent Epiſcopi quadraginta octo, Vicarii vero abſentium viginti ſeptem, Abbates aut alii in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti octo: & Comites ac Proceres viginti ſex, vna cum ipſo Rege Eruigio. Sanciti autem in eo fuerunt canones tredecim, tam de his quæ Rex ab eis decerni petiiſſet, quā de aliis cauſis Eccleſiaſticis. In quibus plane eluxit modeſtia Regis, cum per Epiſcopos ſanciri voluit, quæ regii viderentur eſſe iuris; nempe de reſtituendis in priſtinos honores & bona, qui tempore prædeceſſoris ſui Wambæ tyrannos fuerant conſectati; & de relaxatione tributorum antea debitorum. Adeo vt nihil tunc magis viderentur cupere Hiſpaniarum Reges, quam ciuilia etiam quæque negotia ad Epiſcopale forum referre: cum è contra hodie nihil ſolicitius ac vehementius prouinciarum Præſides agant, quam vt cauſas Eccleſiaſticas in ſæculare iudicium quibuſuis prætextibus trahant.

MODESTIA ANTIQVOR. REG. HISP.

V. d Conc. Tolet. XIII. c. 7. DE IIS QVI VINDICTAM A SANCTIS EXPETERE SOLERENT.

Inter alia vero de rebus Eccleſiaſticis illud ſancitum [d] eſt, vt non amplius auderet quis ſacerdos, cuiuslibet cauſa doloris, aut amaritudinis fraternarum rixarum, altaria denudare, luminaria extinguere, aut diuina officia ab eccleſiis ſubtrahere. Quod enim aliquando nonnulli Sancti viri magna ex cauſa, nec niſi diuino impellente Spiritu, aduerſus potentiores bona Eccleſiæ inuadentes eo modo conſueuiſſent excitare Sāctos illos quorum eſſent ablata bona, poſt alia remedia fruſtra tentata; accideretque vt propediem vindicta diuinitus immiſſa pertingeret delinquentes: (cuius rei nonnulla videre eſt exempla apud Gregorium [e] Turonenſem) iſti paſſim id ipſum ad priuatas iniurias vindicandas impie vſurpabant: quod ne amplius quis tentare aliquando præſumeret, Patres ſancito canone vetuerunt.

e Greg. Tur. de gl. mart. lib. 1. c. 79. de gl. confeſſ. c. 71. & c.

VI.

Celebrato vero prædicto Concilio, reuerſiſque ad ſuas Eccleſias Epiſcopis, cum allatæ eſſent in Hiſpaniam litteræ

De actis Sext. Syn. Roma. in Hiſpaniam miſſis.

terę Leonis Romani Pontificis, ſimulque Sextæ Synodi Acta ab ipſo miſſa, nec tempus opportunum eſſet ingruente ſæua hieme eos iterum conuocandi; viſum eſt in ſequentem annum differre eius rei tractationem. Ne tamen iſtiuſmodi mora aliquam inobedientię ſuſpicionem poſſet afferre, conſultum fuit vt interim ea per Eccleſias ad Epiſcopos mitterentur; fieretque confirmatio rerum in Oecumenico Conuentu geſtarum, quæ vna cum apologia de dilato negotio ad Romanum Pontificem dirigeretur. Hæc quidem teſtantur Acta Synodi Toletanæ Decimæquartæ, anno ſequenti celebratæ.

Conſt. Pogon. An. 7.

IESV CHRISTI AN. 684.

BENED. II. AN. 1.

I. Leon. PP. obitus.

ANno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo quarto, Indictione duodecima, Leo Papa vbi ſediſſet menſes decem & dies quatuordecim, mortuus eſt quarto Calendas Iulii; qua die in Eccleſiaſticis tabulis inter Sanctos adnumeratus habetur, licet apud Anaſtaſium defunctus ponatur quinto Nonas Iulii; quem & ſepultum dicit apud S. Petrum. Habet quoque, eius temporibus factum eſſe, vt ex iuſſione Imperatoris Eccleſia Rauennenſis reſtituta fuerit ſub ordinatione ſedis Apoſtolicæ; hoc eſt vt defuncto Archiepiſcopo, qui in eius locum eligeretur iuxta antiquam conſuetudinem Romam veniret ordinandus. Additque inſuper eumdem Leonem feciſſe Conſtitutum, vt Archiepiſcopi nihil pro vſu pallii, aut diuerſis officiis Eccleſiæ, perſoluere deberent, quod etiam conſtat iam olim in Concilio Romano S. [a] Gregorium ſtatuiſſe. Denique ait Anaſtaſius, ſedem Leonis vacaſſe menſem vnum & dies viginti duos. Quapropter hoc eodem anno die vigeſima Auguſti BENEDICTVS creatus eſt, eius nominis Secundus, patria Romanus filius Iohannis, pietate, doctrina, virtutibuſque clariſſimus. Cuius tempore Eccleſiam Romanam in priſtinam libertatem reſtitutam eſſe, Anaſtaſius eſt auctor; cum (vt ait) Conſtantinus Imperator ei conceſſit, vt qui deinceps eligeretur in Summum Pontificem, mox nulla expectata Imperatoris confirmatione ordinaretur.

a Greg. 4. ep. 44.

Bened. II. Papa creatur.

Reddita ab Imp. libertas electionis Rom. Pont.

II. De literis Bened. PP. in Hiſp. miſſis.

Feruntur eiuſdem Benedicti iam electi, nondum tamē conſecrati, duæ epiſtolæ, altera ad Petrum Notarium, altera verò ad Regem Eruigium, de miſſione in Hiſpanias Actorum Sextæ Synodi. Sed cum eadem Acta iam antea à Leone illuc miſſa viderimus, eiuſmodi epiſtolæ apertæ conuincuntur impoſturę; non ſolum quod in eis Benedictus illa Acta tunc primum mittere dicatur, ſed maximè quod eſſe reperiantur eædem ipſæ quæ titulo Leonis ad eumdem Regem habentur inſcriptæ; quas æque ſuppoſitas fuiſſe ſuperius vidimus. Scripſit quidem Benedictus litteras ad Hiſpaniæ Epiſcopos; ſed anno ſequenti, poſtquam accepiſſet confirmationem ab ipſis factam Sextæ Synodi in Concilio, quod (vt mox dicetur) celebrarunt hoc ipſo anno. Eſt enim de iis certa teſtificatio in Actis Decimæquintæ Synodi Toletanæ anno Domini ſexcenteſimo octogeſimo octauo. Quibus quidem literis monuit eos Benedictus, vt corrigerent vel declararent nonnulla, quæ ſubduriuſcule vel ambigue ab ipſis dicta viderentur de Subſtantiis & Voluntatibus in Chriſto, aliiſque nonnullis capitulis.

III. Conc. Tolet. XIV. pro confirmatione Sextæ Syn. Oecum.

Hoc igitur eodem anno, qui & quintus Eruigii Regis numeratur, Era ſeptingenteſima vigeſima ſecunda, menſe Nouembri, celebrata eſt SYNODVS TOLETANA ordine Decimaquarta, occaſione receptarum Leonis Pontificis literarum & Actorum Sextæ Synodi. Interfuerunt Epiſcopi ſeptemdecim, atque alii per Vicarios decem, ſexque Abbates. A quibus, præter ea quæ in fine ſuperioris anni dicta ſunt conſtitutum eſt vt poſt quatuor Oecumenicas Synodos, nempe Nicænam, Conſtantinopolitanam, Epheſinam, & Chalcedonenſem, hæc quæ Sexta dicitur, quinto loco poneretur. Quæ ipſi idcirco, nō vt abiicerent Quintam; ſed quod in ea nihil de fide (vt ſæpe dictum eſt) ſed de perſonis tantummodo actum eſſet, eadem prætereunda, vt non neceſſaria ad dogmata, viſa eſt.

IV. Filii Imp. dati in filios Bened. PP.

Hoc pariter anno, qui præcedit obitum Conſtantini Imperatoris, contigiſſe ait Anaſtaſius, vt Benedictus Papa receperit mallones capillorum Iuſtiniani & Heraclii filiorum eiuſdem Conſtantini Auguſti, ab eo ad ſe miſſos. Per *Mallones* autem intelligit cirros capillorum: μαλλὸς enim, idem eſt quod Vellus. Quid autem hoc ſignificaretur ſymbolo, ex Paulo diacono poſſumus intelligere, dum ait [b] Carolum Principem Francorum Pipinum filium ſuum ad Lwithprandum direxiſſe, vt eius iuxta morem capillum ſuſciperet; qui eius cæſariem incidens ei pater effectus eſt. Ex quibus tam his temporibus videas conſuetudinem viguiſſe, vt per eiuſmodi exhibitionem capillorū quis alicui offerretur in filium, & qui eos acciperet patris nomen conſequeretur. Itaque voluit pius Imperator, vt filii ſui ſcirent ſe Romanum Pontificem habere peculiarem parentem, cuius monitis impenſius parere deberent. Eſt vero etiam apud eumdem Anaſtaſium in hiſtorica præfatione ad Octauam Synodum, aliud eiuſmodi capillorum abſciſſionis exemplum, cum de admirabili ſtudio Regis Bulgarorum erga Romanam Eccleſiam agens, ſcribit illum eo vſque pietatis proceſſiſſe, ac tanta veneratione B. Petrum coluiſſe, vt quadam die manu propria capillos ſuos apprehendens, contemplantibus cunctis, Apoſtolicæ ſedis Legatis tradiderit, dicens, *Omnes Primates & cuncti populi Bulgarorum terræ cognoſcant, ab hodierno die me ſeruum fore poſt Deum B. Petri, & eius Vicarii.*

b Paul. diac. l. 6. c. 53. nouæ edit.

Per capillor. exhibitionem ſignificata filiatio adopt.

V. Theod. Epiſcop. Conſt. moritur.

Hoc eodem anno Theodorus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, impius ille malorū omnium fabricator, mortuus eſt cum ſediſſet (vt teſtatur Nicephorus) annum vnum & menſes decem; & in eius locum ſubrogatus *Paulus* ex laico. Quis vero iſte fuerit, & quomodo hæc ſe habuerint, ſcriptorum inopia latet.

VI.

Hoc item anno Ecgfridus Nordh Wmbrorum in Anglia Rex, miſſo in Hiberniam exercitu vaſtauit miſere gētem innoxiam, ita vt nec eccleſiis parceret aut monaſteriis. Sed mox vindice Deo pœnas ſui reatus luit; dum anno ſequenti ipſemet exercitum ad vaſtandos pariter ſine cauſa Pictos ducens, ab iis cum maxima parte militum trucidatus eſt. Hæc pluribus Beda [c]: qui addit, ab hoc tempore cœpiſſe virtutem regni Anglorum diffluere, Pictis & Britonibus magna ex parte ſe in libertatem vindicantibus, terraſque ſuas recipientibus.

c Bed. lib. 4. hiſt. Angl. c. 26.

Regnum Anglor. ex ſacrilegio et iniuſtitia decidit.

Iuſtiniani Iun. 1.

IESV CHRISTI AN. 685.

IOAN. V. AN. 1.

I. Iuſtinianus Iun. Imperat.

ANno Domini ſexcenteſimo octogeſimo quinto cœpto, Indictione decimatertia, Conſtantinus Imperator vbi regnaſſet annos ſeptemdecim, diem obiit, relicto Iuſtiniano filio Imperii hærede: quem Anaſtaſius in Iohanne tradit, hoc anno inchoāte decimaquarta Indictione menſe Septembri imperare cœpiſſe. Quo tempore diuino veluti miraculo factum eſt, vt cum ipſe Iuſtinianus pene puer eſſet, nulliuſque conſilii, & crederetur Orientale Imperium penitus collapſurum; Deus non ſolum continuerit barbaros ne aduerſus eum mouerent exercitus, ſed ſponte ipſi venerint inſtaurare ſancitam cum patre eius concordiam, aucto etiam quod ipſi perſoluendū eſſet tributo. Id enim de Abimelecho Saracenorum Principe Cedrenus [a] teſtatur. Et Theophanes ait, miſſum hoc eodem anno à Iuſtiniano cum exercitu Leontium, Romano Imperio acquiſiuiſſe Armeniam, Iberiam, Albaniam, Hircaniam, atque Mediam, interemptis Saracenis illic exiſtentibus.

a Cedr. in Iuſt. an. 1.

II. Errores Armenorum.

Inuentos autem in Armenia Manichæos Imperatorem igne comburi iuſſiſſe, iam alia occaſione ex Luca Siculo ſuperius retuliſſe meminimus. Verum non his tantum malis eo tempore laborauit Armenia; ſed vt qui diu ſub Saracenis deſederant Chriſtiani, contractis di-

ueꝛſis erroribus, vino tantum in ſacrificio Miſſæ vtebantur nulla admixta aqua; ad ſacerdotium nullum admittebant Iudæorum, niſi qui ex ſacerdotali genere orti eſſent; Quadrageſimæ tempore diebus Sabbati atque Dominicis caſeum & oua comedebant; ac deniq; more Iudaico carnes intra altare aſſabant, eaſque populo comedendas diſtribuebant: vt de his conſtat ex canonibus nomine Sextæ [b] Synodo poſtea ſancitis.

b *Sext. Syn. c. 32. 33. 46. 100.*

III. BENED. PP. OBITVS.

Hoc item anno Benedictus Papa, vbi ſediſſet menſes octo & dies ſeptemdecim, diem obiit ſeptima Maij, qua relatus inter Sanctos reperitur in tabulis Eccleſiaſticis; qui & ſepultus eſt apud S. Petrum. Cum autem ſedes vacaſſet menſes duos & dies quindecim, ſubrogatus eſt in locum eius vigeſima ſecunda Iulii IOANNES huius nominis Quintus, natione Syrus ex prouincia Antiochia, Cyriaci filius, vir optimis moribus ac literis præditus; qui dum eſſet diaconus, miſſus fuerat ab Agathone Papa vnus ex Legatis ad Sextam Synodum. Ipſeque poſt multa tempora, iuxta priſcam conſuetudinem ſtatim poſt electionem non expectata aut petita confirmatione Imperatoris, conſecratus eſt Pontifex, ex conceſſione ſuperiori anno facta à Conſtantino Auguſto. Hæc omnia ex Anaſtaſio.

IOANNES CREATVR.

IV. CONCIL. TYRANNICVM GALLICAN.

Eodem anno Domini ſexcēteſimo octogeſimo quinto, Synodus in Galliis à Rege Theodorico opera Ebroini Maioris Domus celebrata eſt, quæ vere tyrannica dicenda fuit; nempe ad id tantummodo coacta, vt de Epiſcopis quos tempore Childerici Regis ſibi contrarios fuiſſe Ebroinus ſuſpicabatur, ipſe pœnas ſumeret. Itaque multos eorum Epiſcopatu priuauit, alios exilio mulctauit, quoſdam etiam pœnis ſubiecit; interq; alios S. Leodegarium Auguſtodunenſem, quem poſt famem & carceris ſqualorem, poſt oculorum euulſionem, plantarumque pedum conciſionem, ac linguæ & labiorum exciſionem, poſt denique multa alia diuturnaque tormenta, tandem capite truncari iuſſit: ſicque idem ſanctus Dei ſeruus feliciter martyrium conſummauit die ſecunda Octobris. Hæc breuiter Sigebertus [c]; quæ fuſius narrat Vrſinus in Rebus [d] geſtis eiuſdem S. Leodegarii, quas fideliſſime ſcripſit iuſſu Archoaldi Epiſcopi Pictauienſis eiuſdem Sancti æqualis; vbi etiam traditur, *Guarinum* quoque Leodegarii fratrem, eiuſdem Ebroini iuſſu ad palum alligatum fuiſſe lapidibus obrutum: ſed & ipſum Leodegarium poſt linguæ exciſionem vſum loquelæ recepiſſe, eiuſdemque corpus amputato capite ſeſe erigens quaſi horę vnius ſpatio ſtetiſſe; ac deinde multa ad illud edita eſſe miracula, ipſiuſque perſecutores ac percuſſores diram paſſos eſſe diuinam vindictam. Denique omnium malorum auctor impiiſſimus Ebroinus, tertio poſt eiuſdem Sancti martyrium anno, ab Ermenfrido trucidatus eſt; eiuſque anima ad infernum deduci diuina reuelatione audita eſt à cæco, cui idem effoderat lumina: vt Ado Viennenſis eſt auctor.

S. LEODEGARII MARTYRIVM.

c *Sigeb. in Chron. hoc an.*
d *ap. Sur. 2. Oct.*

DIVINA VINDICTA IN PERSECVTORES.

IVSTIN. IVN. AN. 2.

IESV CHRISTI AN. 686.

CONONIS AN. 1.

I. IOAN. PP. OBITVS.

ANno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo ſexto. Indictione decimaquarta, Ioannes Papa vbi ſediſſet annum vnum & dies vndecim (vt Anaſtaſius habet) mortuus eſt die ſecunda Auguſti & ſepultus apud S. Petrum; ceſſauitque Epiſcopatus eius menſes duos & dies decem & octo: ſicque die vigeſima Octobris ſucceſſor eius CONON creatus eſt Pontifex, conſentientibus in eum omnium votis, cum antea ſchiſmate diuiſi eſſent in electione Theodori & Petri eiuſdem Eccleſiæ presbyterorum. Hæc pluribus Anaſtaſius: qui ait eumdem Cononem fuiſſe genere Thracem, educatum in Sicilia, inde vero in Eccleſia Romana inter preſbyteros meruiſſe: quē & multis egregiis virtutibus præditum laudat. Addit porro, illo creato, confeſtim ad Theodorum Exarchum legatos ex more directos fuiſſe, qui eum de his admonerent. Nimirum cum Romani Pontificis tyrannicam confirmationem remiſiſſent Imperatores; eadem tamen tyrannide, vel etiam maiore voluerunt, vt non crearetur abſque Italiæ Exarchi qui propius adeſſet conſenſu; ex quo & illud obortum eſt malum, vt ambientes Pontificatum per Exarchi miniſterium illud quomodocunque conſequi conarentur, ſæpeque ſchiſmata inde conflarentur.

CONONIS SVBROGATIO.

EXARCHI CONSENSVS IN ELECT. PO.

II. IVSTIN. IMP. FIDEI CATHOL. PRODITOR.

Quin & Iuſtinianum Auguſtum qui hoc tempore imperabat, haud ſanæ fidei extitiſſe; ſed & aduerſatum eſſe Cononi Papæ eiuſque Legatos Conſtantinopolim miſſos præuaricari coegiſſe, conſtat ex literis Nicolai Pontificis ad Michaelem Imperatorem. Vnde & quod Cedrenus hoc anno tradit, formam à Conſtantino patre conſcriptam per Iuſtinianum perturbatam eſſe; nihil aliud quam firmatam fidem Catholicam aduerſus hæreticos, per Iuſtinianum emotam intelligere voluiſſe, eiuſdē Imperatoris exitus declarauit: quātumuis ſcribat Anaſtaſius, cum per literas Cononi promiſiſſe, ſe illibatam perēniter conſeruaturum fidem Catholicam. In reliquis vero ſcimus eodem Anaſtaſio auctore, ipſum Iuſtinianum voluiſſe videri de Romana Eccleſia bene mereri, dum ex parte minuit capitationem patrimonii eiuſdem Eccleſiæ.

III. CONSVLENDVS À PONT. CLERVS IN REB. AGENDIS.

Sed quod rurſum ad Cononem ſpectat; illud perperam factum ab eo idem Anaſtaſius tradit, quod cum morte Theophanis vacaret Eccleſia Antiochena paſtore, quorumdam Eccleſiaſticorum perſuaſione, præter conſuetudinem inconſulto Romanæ Eccleſiæ Clero ordinarit Conſtantinum diaconum Eccleſiæ Syracuſanæ, eique pallium ex more conceſſerit. Sed factum eſt, vt cum qualis ille eſſet detectus fuerit, nempe factioſus homo & ad conflandas diſcordias natus; eius rei gratia, arcta cuſtodia idem aſſeruari iuſſus fuerit ab Imperatoris Magiſtratibus qui Siciliam adminiſtrabant.

IV. KILIANVS CONVERTIT FRANCONIOS.

Accidit quoque temporibus iſtis, vt vigente in Hibernia monaſtica diſciplina, nonnulli monachi cupierint Euangelium annunciare gentibus. Inter quos eminens Kilianus nobilibus parentibus natus, ſacris literis probe imbutus, virtutibuſque pariter exornatus; Romam profectus, & à Conone Pontifice Epiſcopus creatus, poteſtatem accepit gentibus prædicandi; qui in Germaniæ prouinciam, dictam Orientalem Franciam, quam iam antea luſtrauerat adueniens, eam gentem vna cum ipſius Duce Goſberto à cultu idolorum ad Chriſti fidem conuertit, in ciuitate VVirtzburg, ſiue Herbipoli dicta ſedem, conſtituēs; vt fuſius narratur in Rebus [a] ipſius geſtis. Quomodo vero martyrium poſtea adeptus fuerit, ſuo loco dicetur. Hic autem monendus eſt lector, diuerſum ab iſto eſſe illum alium Kilianum item Hibernum qui gloria confeſſionis illuſtris claruit in territorio Atrebatenſi; de quo Molanum conſule.

a *ap. Sur. 8. Iul.*
b *Molan. in Natal. SS. Belg. 13. Nouemb.*

V. IVLIANI TOLET. LVCVBRATIONES ADVERSVS IVDÆOS.

Hoc inſuper tempore vexabantur Hiſpaniarum Eccleſiæ multitudine Iudæorum; qui haud valens Regum legibus, Synodalibuſque decretis coerceri, inter alia exprobrare ſolebant Chriſtianis falſam annorum ſupputationem ab origine mundi, ex qua factum eſſet vt ipſi perperam Meſſiam recepiſſent, cuius aduentus nondum tempus adeſſet. Ad quorum procaciam retundendam, Eruigius Rex rogauit S. Iulianum Toletanum Epiſcopū, vt ſuis ſcriptis eoſdem redargueret. Præſtitit id ipſe quam fideliſſime, tres eo argumento libros edens qui adhuc extant, quos ſe abſoluiſſe hoc anno Domini ſexcēteſimo octogeſimo ſexto, Era ſeptingenteſima vigeſima quarta teſtatur [c]. Manifeſto autem errore [d] in huius Iuliani commētariis inſcribitur Iulianus Pomerius: ſiquidem qui Pomerii nomine recenſetur inter ſcriptores Eccleſiaſticos, & natione Maurus, atque ordine preſbyterum tantummodo fuit, ante ducētos ferme annos vixit in Galliis tempore Gelaſii Romani Pontificis, vt auctore Gennadio comperies. Sed inde fluxit erroris occaſio, quod vterque eodem titulo cōmentarios edidit, nempe Prognoſticon; quos tamen multa ab inuicem diſcriminent. Fuit vero & alius inſuper Iulianus diaconus Eccleſiæ Toletanæ cuius eſt præfatio in libros S. Ildefonſi de laudibus B. Mariæ, æque cognomine inſcriptus Pomerius: qui quidem

c *Iul. aduer. Iudæos l. 3. in fi.*
d *Agit de his Baron. pluribus in Not. ad Rom. Martyrol. 8. Mart.*

PLVRES IVLIANI.

cum in ea præfatione meminerit Sisberti Archiepiſcopi Toletani, qui poſt Iulianum defunctum eam Eccleſiam rexit, vtique ſe diuerſum omnino ab eo conſtituit.

IVSTIN. IVN. AN. 3.

IESV CHRISTI AN. 687.

CONONIS item. 1.

I. CONON. PAPÆ OBITVS.

ANnus Chriſti ſexcenteſimus octogeſimus ſeptimus cæptus eſt Indictione decima quinta. Quo mortuus eſt Conon Papa die decimatertia menſis Octobris, inchoata iam à menſe Septembri Indictione prima, cum ſediſſet menſes vndecim & dies viginti tres, vt Anaſtaſius tradit; quem potius ſequimur, quam alios qui Anaſtaſio antiquiorem non habent aliquem cui inhęreant. Sepultus eſt autem ad S. Petrum; & ceſſauit Epiſcopatus eius menſes duos ac dies tredecim.

II.

SERGIVS PAPA CREATVR.

Quo tempore dirum conflatum eſt ſchiſma inter *Theodorum* Archipresbyterum & *Paſchalem* Archidiaconum, populo pro illis in duas Factiones diuiſo; donec maxima pars Cleri cum Optimatibus ac Iudicibus conuenientes, vno conſenſu vigeſima ſexta menſis Decemb. Pontificem crearunt SERGIVM presbyterum, natione Syrum, patria Antiochenum, ex patre Tiberio, virum inſignis probitatis & doctrinæ, qui diu in Sicilia vixerat, ac poſtea ab Adeodato Papa in Clerum Eccleſiæ Romanæ cooptatus fuerat, & à S. Leone presbyter ordinat' Tituli S. Suſannæ. Cui cum ſtatim Theodorus Archipresbyter ceſſiſſet, Paſchalis quoque pudore coactus id ipſum publice egit; ſed clanculum Iohannem Exarchum promiſſis centum auri libris Rauenna Romam accerſiuit: qui repertis omnibus in perſonam Sergii conſenſiſſe, & ipſe Paſchali ſuffragari erubuit; verumtamen centum auri libras ab eo ſibi promiſſas, ab Eccleſia S. Petri, fruſtra reclamante Sergio, immitiſſime extorſit. Paulo vero poſt ſceleratus Paſchalis ſortilegiis & idololatriæ attendere detectus, Archidiaconatus dignitate priuatus eſt, & monaſterio incluſus; vbi poſt quinquennium impœnitens mortuus eſt.

PASCHALIS SCHISMAT. MISERAB. FINIS.

Hæc omnia ſummatim ex Anaſtaſio. Sed ex eiuſdem Sergii ſepulchri epitaphio, quod ex veteribus monumentis Vaticanæ baſilicæ Manlius edidit plane intelligitur, prædictum THEODORVM cognitum fuiſſe Pontificem, nec niſi eo mortuo ſediſſe Sergium Quod quidem reliquos ſcriptores penitus prætenit.

THEODORVS SEDIT ANTE SERGIVM.

III. EGICAN. HISP. REX.

Hoc idem anno contigit mori Eruigium Regem Hiſpaniarum, anno regni ſui octauo inchoato, inque eius locum ſubrogari Egica, ſiue Egicanem, VVambæ olim Regis conſobrinum, ſiue (vt alii volunt) filium, ipſius vero Eruigii generum; prætentis Eruigii filiis, quod minus iuſte eorum pater regnum adminiſtraſſet. Hæc ex Tudenſi, & Concilio Toletano anno ſequenti habito.

IV.

Hoc eodem anno, decimotertio Calēdas Aprilis mortuus eſt ſanctitate celebris, Anglorum decus, Cudbertus Epiſcopus Lindisfarnenſis; cuius vita ab infantia ad ſenectutem virtutibus micans, nec obitu potuit obſcurari, illuſtra diuinitus eius ſanctitate miraculis, quæ Beda [a] recenſet in Rebus geſtis Anglorum, copioſius autem cum eiuſdem vitam proſecutus eſt carmine atque ſoluta oratione.

a Beda geſt. Angl. lib. 4. c. 27. & ſeqq.

IVSTINIANI IVN. 4.

IESV CHRISTI AN. 688.

SERGII AN. 1.

I. CONCIL. TOLET. XV.

ANno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo octauo, Indictione prima, Era ſeptingenteſima vigeſima ſexta, menſe Maio, celebratum eſt in Hiſpania CONCILIVM TOLETANVM numeratum Decimumquintum: cui interfuerunt Epiſcopi ſexaginta vnus, per Vicarios verò quinque, Abbates vndecim, & Comites ſeptemdecim. In quo primum ea quæ antē biennium fuerant à Benedicto Papa in ipſorum Epiſcopum Hiſpaniæ literis adnotata (ob quod paulo licentius Iulianus Toletanus, cui omnia huius Concilii ſcripta tribuuntur, in eumdem Benedictum inſultauit) examinantes, recte piteque, & ex Patrum ſententia eſſe prolata docuerunt, elucidantes quæ à ſe ambigue dicta viſa eſſent: quam eorum declarationem Romam miſſam eſſe, & à Sergio Pontifice comprobatam, Rodericus teſtatur. Poſtea vero ex humillima Regis Egicanis maxime pii & religionis tenaciſſimi ſuggeſtione, actū eſt de duob. ſibi in ſpecie aduerſantibus eiuſdem Regis iuramentis, altero facto Eruigio Regi, de filiorum eius & vxoris omnimoda aduerſus omnes protectione atque defenſione; altero vero populo præſtito, de miniſtranda illi iuſtitia abſque aliqua perſonarum acceptione. Quibus vna conciliatis, finis Synodo impoſitus eſt.

DISCREPANTIA IVRAMENTI REGIS EGICAN. CONCILIATA.

Sunt tamen rerum Hiſpaniæ ſcriptores, qui eumdem Egicanem odio plus æquo indulſiſſe tradant, vt qui filiam Eruigii nomine Cixilonem in coniugem acceptam repudiauerit, vindictamq; ſumpſerit de nobilibus compluribus, quorum arte fuiſſet VVamba regno priuatus. Verum quod ad repudium attinet; ſi factum eſt, non niſi ex cauſa ſacris legibus approbata factum oportuit: quæ enim vigebat Hiſpanorum Epiſcoporum vigilantia in cuſtodia ſacrorum canonum, & in Regem præſcripta auctoritas, id exiſtimare nos cogit. Quod vero ad reliqua, etiam teſtificatio Synodi Toletanæ [a] Decimæſextæ eum liberum immunemque reddit, dum inter alias virtutes extollit miſericordiam in aduerſarios ſuos.

a Conc. Tolet. XVI c. 1.

II. THEOD. FRANC. REG. OBITVS.

Hoc eodem anno mortuo Theodorico Francorum Rege, quem regnaſſe tradunt annos vndeuiginti, ſucceſſit eius filius Clodoueus huius nominis Tertius. Reiiciunt vero alii obitum Theodorici in annum ſuperiorem, ſed magis huic chronologiæ aſſentiri videtur Angradus monachus in Vita [b] S. Ansberti Rothomagenſis Epiſcopi, dum annum decimumtertium eiuſdem iungit anno Domini ſexcenteſimo octogeſimo ſecundo & Indictioni decimæ. Porro iam ipſi Francorum Reges, ſiue quod puerili ætate regnum caperent, ſiue ſocordia, vel voluptuoſæ vitæ cupidine, imbelles penitus redditi, procul aberant ab adminiſtratione curaq; regni: adeo vt in Maioribus Domus (vt vocare conſueuerant) totum eſſet regimen collocatum. quod ita permanſit vſque annum Domini ſeptingenteſimum quinquageſimum.

b ap. Sur. 9. Febr.

IVSTIN. IVN. 5.

IESV CHRISTI AN. 689.

SERGII AN. 2.

I. CEADVALLÆ REG. ANGLOR. PIETAS, PEREGRINATIO, ET OBITVS.

ANno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo nono, Indictione ſecunda, S. Ceadualla Rex Occidentalium Saxonum cū genti ſuæ præfuiſſet duobus annis ſtrenuiſſime, relicto regno propter Deum, peregrinatus eſt Romam ad Limina Apoſtolorum: ibique ex voto baptizatus à Sergio Pontifice, adhuc in albis conſtitutus exoptatum diem clauſit extremum anno ætatis trigeſimo: ſepultuſque eſt in eccleſia S. Petri Apoſtoli, cuius & nomen in baptiſmo ſuſceperat. Hæc pluribus Beda [a]. Eumdem vero in itinere in Minorem Britanniam nauigio venientem, inuiſiſſe S. VVlmarum Abbatem; & ab eo de rebus diuinis abunde eruditū eſſe, traditur in Actis [b] S. VVlmari. Inſuperque auctor eſt Paulus [c] diaconus eumdem Regem Romam pergentem exceptum hoſpitio fuiſſe à Cuniberto Longobardorum Rege, quem iam antea Bertharidus pater in conſortium regni adſciuerat. Ceterum quem Beda *Ceaduallam Regē Saxonum* dixit alii plerique omnes qui res Britannorum ſunt proſecuti nominant *Ceduall dradum*, aiuntque fuiſſe non Saxonum Regem, ſed Britannorum, eumdemque eius gentis nouiſſimum. Quibus conciliandis dici forte poterit, fuiſſe quidem reuera Britannorum Regem, ſed ob deuictos Saxones (quod de ipſo teſtatur [d] Beda) partemque regni illis ademptam, ad maiorem gloriæ titulum Regem Saxonum dici voluiſſe. Porro & complures alios Anglos omnis generis ac conditionis homines, huius Regis imitatos exemplum, abdica-

a Bed. l. 5. c. 7.

b ap. Sur. 20. Iul.

c Paul. diac. l. 6. c. 15.

d Bed. l. 4. c. 15. 16.

abdicato ſæculo conuolaſſe ad Limina Apoſtolum, idem Beda teſtis eſt.

II.
e Martyrol. Rom.
KILIANI ET SOC. OR. MARTYRIVM.

Hoc eodem anno octauo[e] Idus Iulii tribus martyribus Germania illuſtrata eſt. Cum enim S. Kilianus, de quo ſuperius, VVirtzburgenſis ſiue Herbipolenſis Epiſcopus Gosbertum Franconiæ Ducem iam Chriſtianum redditum admoneret, vt relinqueret vxorem fratris ſui, quam ante baptiſmum ſibi coniunxerat: eiuſdem feminæ (cui Geilæ nomen) odium in ſe acerbiſſimum concitauit. Ideoq; Gosberto ad quoddam bellum profecto, eadem ipſum *Kilianum* Epiſcopum, iam de proxima morte diuinitus admonitũ vna cum *Colomanno* preſbitero & *Totnano* diacono, noctu per ſicarios ſecreto interfici curauit: & nequis rem geſtam ſcire poſſet, in loco vbi ſepulti ſunt ſtabulum equorum fieri. Quare diu ipſorum morte occulta reddita, exiſtimantibus cunctis eos ad ſolitas peregrinationes abſceſſiſſe: tandem vno ex percuſſoribus: ipſaque Geila à dæmonibus correptis, ac miſere extinctis, tum facinus detectum, tum corpora reperta fuere: atque in diuinæ vindictæ cumulum, ipſe quoque Dux Gosbertus à ſuis interemptus eſt, ipſiuſque filii & cognati ab eius prouinciæ adminiſtratione expulſi. Hæc omnia pluribus eorumdem Martyrum Acta[f], antiquitus fideliter ſcripta.

f ap Sur. 8. Iul.

Quorum quidem necem hoc anno Domini ſexcẽteſimo octogeſimo nono accidiſſe diſerte teſtatur vet⁹ inſcriptio eorum ſepulchro indita, quam poſuit in ſuis Notis ad eadem Acta Nicolaus Serarius Societatis IESV: ex qua erroris arguitur Sigebertus: dum hæc ad alium annum refert.

IVSTIN. IVN. AN. 6.

IESV CHRISTI AN. 690.

SERGII AN. 3.

I.
NOVI APOSTOLI IN GERMANIAM.

ANNO Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo, Indictione tertia, Deus nouos Apoſtolos decreuit ad Germanorum conuerſionem: quibus etſi iam olim Euangelium illuxiſſet, iidem tamen variis morib. ſæpius agitati in priſtinas fere tenebras reciderant: cum & adhuc plures illic eſſent populi, quibus numquam fuiſſet Verbum Dei prędicatum, ac præcipue Friſones & Saxones. A quibus cum ortum ducerent Angli atque Saxones qui Britanniam occupatam incolebant: horum nonnulli pietate erga progenitores ducti, auctore & impulſore potiſſimum S. Ecberto Anglo qui monaſticam in Hibernia diſciplinam propenſiſſimo ſtudio excolebat; omnes numero duodecim, iidemque presbyteri (vno excepto Adelberto diacono, filio Regis Deirorum) è Britannia proficiſcentes, primo in Gallias diuerterunt ad Pipinum de Herſtallo Maiorem Domus: qui cum nuper expulſo Rege Radbono Friſones bello perdomuiſſet, in fauorem horum duodecim edicto vetuit, nequis illis prædicantibus quicquam moleſtiæ inferret. Deinde vero qui inter illos auctoritate ac merito præfulgebat Wilbrord⁹, ſiue VVillebrordus, Romam pertexit ad Sergium Papam, vt ab eo tamquam ſupremo Eccleſiæ paſtore, impetrata pro omnibus ex more Apoſtolatus licentia ac benedictione, felicius opus ſuſceptum aggrederentur. Hæc pluribus Beda[a]; itemque Marcellinus[b], & ipſe vnus ex illis duodecim, in vita S. Swiberti vnius pariter ex eorumdem numero. Quæ autem poſt hæc ſecuta ſunt, ſuis locis dicturi ſumus.

a Bed. lib. 5. c. 10 & ſeqq.
b ap. Sur. 1. Mart.

II.
c Bed lib. 5. c. 8.
THEODORI DOROVERN. OBITVS.

Hoc quoque anno[c] magnus ille Theodorus Tarſenſis, Dorouernenſis in Anglia Archiepiſcopus, ſanctitate clarus, doctrina eximius, poſtquam ſediſſet annos viginti duos menſes tres dies viginti, mortuus eſt anno ætatis octogeſimo octauo, die decima nona Septembris, qua relatus habetur inter Sanctos quos Eccleſia Catholica colit. Cui ſucceſſit Berectualdus vir doctiſſimus; quem Romam eſſe profectum vt ordinationem à Sergio Papa acciperet, teſtatur Anaſtaſius.

III.
d Martyrol. Rom. 8. Id. Mart.

Eodemque pariter anno diem obiit S. Iulianus Epiſcopus Toletanus, vbi ſediſſet annos decem menſem vnum dies ſeptem, relatus & ipſe inter[d] Sanctos. In cuius locum ſubrogatus eſt Siſibertus, quem alii Sigebertum, Sisbertum alii nominant; de quo ſuis locis dicturi ſumus.

IV.
e Theoph. & Cedr. an. 6. I. ſtin.
LEVISS. CAVSA RVMPENDÆ PACIS
f Eccleſ. 10.

Quod autem pertinet ad res Oriẽtales; Annales[e] hoc anno referunt, pacem cum Saracenis olim pactam, leui cauſa & magno totius Orientis damno ab Imperatore eſſe ſolutam; quod ſcilicet pecunia ab illis tributi loco pendi ſolita, haud ex more cuſa eſſet ipſius Imperatoris imagine; ſicque nec oblatum in miſſa aurum accipere voluiſſe. Vnde plane expertus nunc Oriens eſt quod habet Eccleſiaſtes[f], *Væ tibi terra, cuius rex eſt puer.*

IVSTIN. IVN. 7.

IESV CHRISTI AN. 691.

SERGII AN. 4.

I.
CONC. CÆSARAVG. III.

ANNO Domini ſexcenteſimo nonageſimo primo, Indictione quarta, Era ſeptingenteſima vigeſima nona, Calendas, Nouembris, celebratum habetur in Hiſpania CONCILIVM CÆSARAVGVSTANVM, Tertium ordine poſitum: in quo canones ſanciti dumtaxat quinq; reperiuntur. Inter alia vero, cum iam antea Toletanum Decimumtertium[a] ſtatuiſſet de vxoribus Regum, ne poſt eorum obitum ad ſecunda vota tranſirent (ne videlicet occaſione nuptiarum Reginę, daretur alicui animus inuadendæ tyrannidis) in præſenti nunc Cæſarauguſtano, quo facilius eiuſmodi pericula euitarentur, additum[b] præterea eſt, vt relicta Regis poſt eius obitum veſtem regiam deponeret, religioſamque induens cum monialibus in monaſterio vitam traſigeret.

a Conc. Tolet. XIII. c. 5.
DECRETA DE VIDVIS REGVM HISP.
b Conc. Cæſaraug. III. c. 5.

II.
c Paul. diac. l. 5. c. 33. & ſeqq.

Hoc item anno mortuus eſt Berthardus Rex Longobardorum laudatiſſimus, pietate, iuſtitia, ac miſericordia præſtans, cum regnaſſet ſolus annos ſeptem, decem autẽ cum filio Cuniperto. Hæc ex ſententia Pauli[c] diaconi. Cunipertus vero iam ſolus regnans, aduerſarium paſſus eſt Alachim Ducem Tridentinum ſubditum ſuum, qui contra Berthardum iam inſurrexiſſet, hominem ſæuum, ac præcipue Epiſcopis & miniſtris Eccleſiæ perinſenſum. Aduerſus quem accingens quoque ſe gladio Zeno diaconus Eccleſiæ Ticinenſis, licet contra tyrannum ac religionis perduellem, exitus tamen declarauit non placere Deo vt ſacri altaris miniſtri pugnent armis, ſed potius agãt apud ipſum precibus: etenim abſque aliquo emolumento idem pugnans, miſere interfectus eſt. Ceterum nefarius tyrannus eo magis aduerſus clericos exaſperatus, barbare atque prorſus impie vouit, ſi victoriam ei Deus contra Cunipertum daret, ſe vnum puteum impleturum de teſticulis clericorum. Sed obſtitit Deus, tum eum in viſione perterrefaciens, tum vt in prælio aduerſus Cunipertum interiret permittens, cum antea, exercitibus ad prælium ex aduerſario exiſtentibus, ſingularem pugnam, quam ei Cunipertus ad euitandam militum occiſionem obtulerat, recuſaſſet, quod (vt aiebat) inter contos Cuniperti videret S. Archangeli Michaelis imaginem, ad quam ei fidelitatem iuraſſet. Narrat hæc omnia pluribus idem Paulus[d].

ALACHIS CONTVMELIOSVS TYRANNVS DAT POENAS.

d lib. c. 40. 41.

III.

Hoc pariter anno, vbi Paulus Conſtantinopolitanus Epiſcopus ſediſſet annis ſeptem mortuus eſt; ac in locum eius ſuffectus *Callinicus* Vaſorum Eccleſiæ cuſtos, homo nouandarum rerum ſtudioſiſſimus; de quo inferius dicturi ſumus.

IVSTINIANI IVN. 8.

IESV CHRISTI AN. 692.

SERGII. AN. 5.

I.
CONCIL. CONST. APPENDIX AD SEXT. OECVMEN.

ANno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo ſecundo, Indictione quinta, celebratum eſt Conſtantinopoli CONCILIVM, ſeu potius *Conciliabulum*, in quo nomine Sextæ Synodi ſanciti ſunt centum & tres canones; quot numquam hactenus in aliquo Concilio conditi reperiuntur. Scimus quidem ab aliis referri in quartum vel quintum annum à celebratione Sextæ Synodi, pu-

a In Sept. Syn. Act. 2.

ta à Tharaſio a ipſo Conſtantinopolitan. Epiſcopo verum ante præſens tempus coactam eſſe, ex tertio eius canone liquido demonſtratur, dum in eo bis celebrata dicitur poſt quartam Indictionem, quę anno præterito elapſa eſt. Ideoq; redargutus eſt idem Tharaſius à Theophane: ſed redarguendus eſt ipſe Theophanes, dum viginti ſeptem annos enumerat ab eadem Sexta Synodo ſub Conſtantino, vſque ad horum canonum ſanctionem ſub Iuſtiniano, referens eos ad annum ſecundum reſtituti eidem Iuſtiniano Imperii. At cum hunc Conuentum collectum fuiſſe conſtet Sergii Papæ temporibus, nequaquam ad Iuſtinianum reſtitutum referri poteſt, cum longe antea Sergius deceſſerit. Quare cum Sextam Synodum abſolutam viderimus Indictione decima inchoante; plane vſque ad hunc præſentem annum quo canones illi ſanciti ſunt, anni dumtaxat intercedunt decem abſoluti.

II. b Bed. de Sext. ætat. & alii. ERRATICA SYNODVS. c Vide abunde eius Synodi ruditates ap. Baro. Annal. To. VIII. hoc an. præter illa qua variis locis de eiſdē dixit præcedentibus Tomis. Adde Bellar. Contr. de Ro. Pont. lib. 2. ca. 27. Turrian. in lib. de Sext. Syn. Can. de loc. Theol. c. vlt. ad arg. 6. PSEVDOSYN. APPENDIX AD DVAS SYNODOS. d Balſam. in Nomocan. Phot.

Porro iuſte à maioribus b eiuſmodi conuenticulum, *Erratica Synodus* dicta eſt; omni penitus auctoritate carés, quippe quæ multa habeat contra iugem Eccleſiæ Catholicæ traditionem, Veterumque Patrum doctrinam, atq; Conciliorum decreta. Quæ omnia, puta ab aliis abunde tractata c, & à nobis fere iam ſuperius diuerſis locis ſecundum rerum diſcutiendarum occaſiones elucidata, vt modo omittamus; quid illud eſt, vt poſt decem annos à ſoluto Concilio Oecumenico, eiuſdem Concilii nomine ab alio illegitime coacto conuentu aliorum Epiſcoporum, canones ſanciantur? Quos ſi ſanciendos aliqua neceſſitas poſtulabat, quænam exigebat vt nomine Synodi ante decennium habitæ cenſerentur? Sed maior illa fatuitas; vt non nomine tantum Sextæ, ſed & Quintæ Synodi ante centum quadraginta circiter annos celebratæ, iidem ſanciti fuerint: nempe ad illarum ſupplementum; vt ſcilicet & in hoc æquiparentur quatuor prioribus, in quibus plures conditi eſſent canones. Hanc enim eius factirationem prætexuiſſe, ipſimet qui conuenerunt Epiſcopi præfati ſunt ad Iuſtinianum Imperatorem; & poſtea declarauit homo ſchiſmaticus, atque ſchiſmaticorum patronus Theodorus Balſamon d, multa in eorundem canonum defenſionem garriens, atque procaciter etiam mentiens eidem pſeudoſynodo interfuiſſe Legatos Romanæ Eccleſiæ (quod videlicet præſentes fuerint nonnulli ex illis Epiſcopis Orientalibus, quibus Romani Pontifices conſueuiſſent delegare vices ſuas, ad audiendos ſiqui eſſent in Oriente qui indigerent Apoſtolicæ Sedis auxilio. Sed hoc longe aliud eſſe, quam decernere Legatos ad aſſiſtendum pro ſede Apoſtolica Oecumenicis Synodis, nemo non videt.) ac denique multum deſudans in conſuendis ficus foliis ad tegendas parentum turpitudines: qui & ideo hanc pſeudoſynodum *Quiniſextam* vocatam fuiſſe ait, quia ſcilicet repleuit quod Quintæ & Sextæ deerat. Ceterum ea talis fuit, vt & ipſos Græcorum Annalium Scriptores illius puduerit: neque enim Theophanes neque Cedrenus, vel Zonaras, non Conſtantinus Manaſſes, non denique Glicas, aut alii de ea vel verbum quidem.

III. SERGIVS PP. DAMNAT CANONES ERRATICÆ SYN. LIBERATVR A FVRORE IMP.

Ipſi tamen eius fabricatores, ad corroboranda quæ inaniter ſtatuiſſent, auctoritatem Apoſtolicam ſubripere tentauerunt, ſine qua nullius illa ponderis eſſe ſcirent. itaque apud Iuſtinianum Imperatorem egerunt, vt eoſdem canones confirmandos mitteret Romam ad Sergium Papam. Verum ſanctus Pontifex paratior mori (vt ait Anaſtaſius de his agens) quam nouitatum erroribus conſentire, ipſos reiiciendos eſſe decreuerit. Quapropter miſit rurſum Imperator Zachariā Protoſpatarium ſuum, qui eumdem Pontificem Conſtantinopolim perduceret. Sed præſto exiſtens diuinum auxilium, effecit vt Italica militia Rauenna & aliunde cum Ducibus ſuis Romam veniens, Sergium à periculo liberauerit, Zachariam autem iniuriis & contumeliis agitatum ab Vrbe expulerit. Hæc enim huius temporis ſcriptores Paulus e diaconus & Beda f teſtantur; quibus ſubſcripſerunt & reliqui qui poſtea hiſtorias conſcripſere, Ado Viennenſis, Marianus Scotus, & alii. Rem vero geſtam fuſius enarrans Anaſtaſius Bibliothecarius, illud inſuper inter alia addit, Zachariam

e Paul. diac. l. 6. de geſt. Long. c. 11. f Bed. de ſex. æt. in Iuſtiniano.

viſis vndique concurrentibus militibus, in cubiculum ipſius Pontificis perfugiſſe, ac præ nimii timoris anguſtia ſe ſub eiuſdem lectum abſcondiſſe, ſenſuumque defectionem paſſum eſſe.

IV. IIDEM CANONES REIECTI AB OMNIB. SEDIB. PATRIARCH.

His tamen nihil deterriti Græcorum Epiſcopi, ſæpius poſtea per eumdem Imperatorem idem obtinere conati ſunt à ſubſequentibus Pontificibus, Iohanne Septimo, & Conſtantino; ſed fruſtra ſemper, vt videbitur ſuis locis. Quin imo teſtificatione Anaſtaſii liquet, tantum abeſſe vt Romana Eccleſia eos canones receperit, vt nec aliqua trium ſedium Patriarchalium Orientalium eos vt reciperet induci potuerit, nimirum quod earumdem Eccleſiarum Patriarchæ nec per ſe nec per ſuos legatos eiuſmodi conciliabulo interfuiſſent. Ita enim vſque ad ſua tempora eos in deteſtatione illorum canonum perſeueraſſe, idem auctor fidem facit in epiſtola nuncupatoria ad Iohannem Octauum, quam præmiſit verſioni à ſe factæ è Græco in Latinum Septimæ Synodi Nicææ celebratæ; vbi etiam legentes admonuit, ne putarent ſi interdum eorumdem canonum Sextæ Synodi in Septima mentio haberetur; eos ab Eccleſia Romana eſſe receptos aliquando. Vnde pariter intelligas, haud obſtare ſi Gregorius Secundus & Hadrianus Pontifices ex iis citaſſe reperiantur canonem octogeſimum tertium, qui eſt de Imagine Saluatoris pingenda in formam hominis: ſiquidem id egerunt dum aduerſus ipſos Græcos, eoſdemq; Iconoclaſtas pugnarent; nempe vt ſuis ipſorum gladiis eos iugularent: quomodo & Paulus Apoſtolus Ethnicorum teſtimoniis vſus eſt; & hæreticorum etiam auctoritatibus vti licere, Gelaſius alibi docuit, & quotidiana Eccleſiæ conſuetudine approbatum eſt.

V. EX QVO TEMPORE GRÆCI IN DETERIVS LAPSI.

Verum quamuis eadem Sacra Romana Eccleſia eos canones ſemper auerſata fuerit, quos traditionibus Patrum & antiquorum Conciliorum decretis contrarios in plurimis eſſe nouit, tolerauit tamen multa in Græcis, puta connubia clericorum, & alia eiuſmodi, quamdiu Catholicæ fidei & Eccleſiæ vnitati non ſunt aduerſati. Sed qui tanta procacia inter alia mala confregere iugum à Patribus cuſtoditum Eccleſiaſtici cælibatus, de quo dictum eſt alias g abunde: iidem & in reliquis ſunt in deterius æque prolapſi; vt vix breuia poſt hęc ſint reperiti interſtitia temporum, quib. vel hæreſi vel ſchiſmate non fuerint ab Eccleſia Orthodoxa diuiſi: adeo vt tandem in vltionem ſcelerum, à Deo vindice poſt longam patientiam meruerint virga furoris Aſſur conteri; cum nihilominus pia mater Eccleſia Catholica & Apoſtolica nunquam deſtiterit eoſdem ſic delinquentes iugiter admonitionibus excitare. Quod enim poſteriores Græci ex mala ſua conſcientia putauerunt, ab ipſo tempore Sextæ Synodi intermiſſam omnino fuiſſe Catholicam communionem Græcorum Imperatorum cum Romana Eccleſia; eiuſmodi falſam opinionem Nicolaus Papa refellit in epiſtola ad Michaelem Auguſtum ſcripta. Namque id longe poſtea ſub Photio Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ pſeudoepiſcopo contigiſſe, dicetur ſuo loco. Porro ipſe Iuſtinianus Imperator, hoc eodem anno, quo iſta moliri cœpit aduerſus Romanum Pontificem, iuſto Dei iudicio per ſuos Duces h prodita Armenia, incœpit pœnas luere impietatis ſuæ: & Callinicus Conſtantinopolitanus Epiſcopus malorum omnium concinnator, poſtea (vt dicetur) ab eodem Auguſto oculis orbatus eſt, & in exilium miſſus.

g Sup. an. 58. nu. 7. vſque ad 13.

h Theoph. & Cedr. an. 8. Iuſtin.

VI. CHILDEBERTVS SVCCEDIT CLODOVEO.

Quod ad ſtatum rerum Occidentalium pertinet; vltimus numeratur hic annus Clodouei Tertii Francorum Regis, qui poſt obitum Theodorici parentis regnauit annos quatuor. Succeſſit in eius locum Childebertus frater ipſius quem tenuiſſe regnum annos ſeptemdecim, habet auctor apud Aimoinum i; cui præ cæteris inhærendum putamus, cum res ſui temporis ſcripſiſſe teſtetur k.

i Aim. lib. 4. c. 49.

k Ibid. c. 51.

IVSTIN. IVN. 9.

IESV CHRISTI AN. 693.

SERGII AN. 6.

I. CONC. TOLET. XVI. IN CAVSA PRODITIONIS ARCHIEP. TOLET.

ANno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo tertio, Indictione ſexta, menſe Maio, habita eſt SYNODVS TOLETANA, dicta Decimaſexta, eademque Generalis nominata, cui in cauſa graui conuocati interfuerunt Epiſcopi quinquaginta nouem, & per Vicaros tres, præter Abbates quinq;, & viros Illuſtres. Accidit enim vt Sisbertus eiuſdem ciuitatis Epiſcopus, oblitus quo fungebatur muneris ſacerdotalis, necnon iuramenti quod dicitur Fidelitatis Regi præſtiti; aduerſus vitam maxime pii ac iuſti Regis Egicanis coniurationem fuerit machinatus. Cuius cauſæ cognitione à Rege Epiſcopis demandata, vt ſacris legibus aduerſus eum ageretur; eumdem Sisbertum Synodus[a] ab Epiſcopatu depoſuit, bona eius Fiſco addixit, excommunicatumq; perpetuo exilio damnauit: inq; eius locum [b] ex Regis nominatione ſuffecit Felicem Hiſpalenſem antea Epiſcopum.

a Conc. Tolet. XVI. c.
b Ibid. c. 12.

II. PRO REGE QVOTIDIE MISSA CELEBRETVR.
c can. 8.

Præſtitit inſuper eadem Synodus illud ſuo Regi laude dignum, vt præceperit [c] pro eo eiuſque liberis, quotidie Miſſas vbiq; locorum in Hiſpaniis celebrari, excepto Paſſionis Dominicæ die, quando (vt aiunt) altaria denudata exiſtunt, nec cuiquam Miſſarum licet ſolemnia celebrare. Quibus verbis agnoſcas veterem Eccleſiarum ritum hactenus obſeruatum, vt ipſa Sexta feria hebdomadæ Sanctæ ſacrificium Miſſæ minime offerretur. Sunt & alia ibidem conſtituta, tanta Synodo digna, quæ tu conſulas.

III. SS. EVVALD. MARTYRIVM.
d Martyrol. Ro. 5. Non. Oct.

Eodem anno duobus ſanctis martyribus, iiſdemque presbyteris, quorum vtrique nomen *Evvaldo*, aucta eſt Germania; quos & colit vniuerſa Eccleſia [d] Catholica: fueruntque ex duodecim illorum numero, quos vidimus ante triennium è Britannia profectos eſſe ad conuerſionem Saxonum. Qui cum in vicum quemdam veniſſent ad fidem prædicandam, cæſi ſunt à ruſticis idololatris; eorum vero corpora in Rhenum fluuium proiecta, per quadraginta millia paſſuum contra impetum aquæ decurrentis translata ſunt in locum vbi ipſorum eſſent ſocii; atque tum è radio lucis eadem illuſtrante, tum reuelatione diuinæ cognita, à Pipino Francorum Duce & Maiore Domus regiæ, Coloniæ ſepulta ſunt. Hæc pluribus Beda [e].

e Bed. li. 5. cap. 11.

IVSTIN. IVN. 10. LEONTII 1.

IESV CHRISTI AN. 694.

SERGII AN. 7.

I. IVSTIN. IMP. TRVNCATVS NASO IN EXILIVM EIICITVR. LEONTIVS IMPERAT.

ANno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo quarto Indictionis ſeptimæ, Iuſtiniani Imperatoris decimo, cum idem Imperator iam omnibus odio factus, tam ob ſæuitiam erga ſubditos, ac præcipue ciues Conſtantinopolitanos, quam ob contemptum rerum ſacrarum; iuſſiſſet quibuſdam ſuis Ducibus vt noctu populum trucidarent, inito facto à Patriarcha aliiſque Eccleſiaſticis: ſub idem tempus LEONTIVS, Præfectus olim Orientis, è carcere in quo per calumniam triennio detentus fuerat, Imperatoris iuſſu eductus vt Græciæ præficeretur; amicorum hortatu ſeditionem in eumdem ipſum Iuſtinianum mouens, à populo Imperator acclamatus eſt; ipſe vero Iuſtinianus captus, præciſis narib. (vnde & poſtea Ῥινότμητος id eſt, *Trunco naſo*, dictus eſt) Cherſonam in exilium relegatus; ac Theodorus pſeudomonachus, & Stephanus Sacellarius, quorum miniſterio diris modis populum vexarat, funibus ad pedes ligatis per vias in forum publicum tracti, atque combuſti ſunt. Hæc Theophanes, Cedrenus, Zonaras, aliiq; Græci: Error tamen eſſe putatur, quod habet Theophanes, Iuſtinianum non naribus tantum, ſed & lingua fuiſſe præciſum: nam conſtat poſtea ipſum eſſe locutum. Porro has tandem ipſe impietatis ſuæ pœnas dedit, quod & Romanam Eccleſiam inſecutus eſt, & Orientalem nouis decretis penitus deformaſſet.

II.

Hoc item anno Hiſpaniæ exagitatæ ſunt perfidorum ac nequiſſimorum motu Iudæorum, conſpirantium aduerſus Regem, regnumque, atq; vniuerſos Chriſtianos, & in ſocietatem adhibentium Iudæos illos qui habitabant in Africa. Quorum cognita coniuratione, eademque relata per Regem Egicanem ad CONCILIVM, quod tunc *Toleti* habitum eſt omnium Hiſpaniæ Epiſcoporum, eamque Hiſpanis ſubditorum Galliæ Narbonenſis Antiſtitum, ac multorum procerum, (videlicet eiuſdem Regis anno ſeptimo, Era ſeptingenteſima trigeſima ſecunda, menſe Nouembri) quod Decimumſeptimum ordine dictum eſt: communi omnium conſenſu aduerſus eoſdem Iudæos ſtatutum eſt, vt redigerentur in ſeruitutem, ac bona fiſco addicerentur. Et quoniam iidem Chriſtianæ religioni nomen dederant, & baptizati fuerant, illud de liberis eorum conſtituerunt, vt cum ſeptem annorum ætatis eſſent, diuellerentur à parentib. & Chriſtianorum ritu educarentur, iiſdemque nuptiarum fœdere iungerentur.

CONCIL. TOLET. XVII. ADVERSVS IVDÆOS.

III. a Conc. Tolet. XVII can. 5. NE MISSÆ PRO DEFVNCTIS, CELEBRENTVR PRO VIVIS

Succiſa eſt pariter in eodem Concilio [a] abuſo illa ſuperſtitioſa, quæ in ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium irrepſerat, dum ſcilicet aliquis aduerſus inimicum ſuum odio flagrans, vt ille citius ex humanis ſubduceretur, pro ipſo offerret, vel offerendum curaret, ſacrificium pro defunctis offerri ſolitum: in quos Synodus excommunicationem & exilium perpetuum decreuit. Erant enim olim, ſicut & hodie peculiares ritus & preces, quæ pro defunctis in pœnis Purgatorii detentis in Miſſæ ſacrificio dicerentur. Statuit vero præterea eadem Synodus alia ad ſacros ritus pertinentia, quæ tu conſulas.

IESV CHRISTI AN. 695.

LEONTII AN. 2.

SERGII AN. 8.

I. FRISIOR. ECCL. EX SANGVINE MARTYR. PROPAGATVR.

ANno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo quinto, Indictione octaua, Eccleſia Friſiorum in Germana feliciter propagata eſt, ſanguine ſanctorum Martyrum irrigata: nam præter duorum Evvaldorum necem ſuperius enarratam, contigit & S. *VVigbertum* vnum pariter ex duodecim illuc miſſis, martyrio coronari iuſſu Radbodi Regis Friſię crudeliſſimi. Nec tamen ideo alii ab opere deſtiterunt; ſed variis locis prædicantes, ſequentibus eos ſignis atq; prodigiis magnos vbiq; progreſſus fecerunt. Ideoq; viſum eſt duos ex illis eligere qui ordinari in Epiſcopos deberent, VVilbrordum ſcilicet, & Svvibertum. De illo dicetur anno ſequenti. *Svvibertus* autem miſſus in Angliam, hoc eodem anno Epiſcopus conſecratus eſt à S. VVilfrido Merciorum Antiſtite; dictuſque poſtea ſpecialiter *Apoſtolus Teiſterbandiæ, VVeſphaliæ, & Boructuariorum*, quod populos illos per multos labores & vitę pericula ad fidē Chriſti conuerterit; multa edens miracula, quib. & mortuos ſuſcitauit, & dæmones effugauit, aliaq; plurima eiuſmodi Apoſtolica ſigna fecit; quæ fuſius, vna cum aliis eius ſociorum rebus geſtis, ipſorum conſocius Marcellinus deſcripſit in Actis [a] eiuſdem S. Svviberti.

S. SVVIBERTI PRÆDICATIO.
a ap. Sur. 1. Mart.

II. b Folchar. & Molan. 9. Sep. S. AVDOMARI OBITVS. c ap. Sur. 9. Sep.

Hoc item anno [b] infinitima prouincia ex hac vita migraſſe conſtat alium pariter Apoſtolicum virum, *S. Audomarum* Morinorum Epiſcopum, prædicatum *Apoſtolum Taruanenſium*, quos iam olim Chriſtianos factos, ſed negligentia Præſulum in idololatriam relapſos, ipſe prædicatione & miraculis perfecte reddidit Catholicos: cuius extant [c] Res præclare geſtæ à Fulchardo conſcriptæ.

IESV CHRISTI AN. 696.

LEONTII AN. 3.

SERGII ANi 9.

I.

ANno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo ſexto, Indictione nona, vir Apoſtolicus VVilbrordus ſine

WILLEBRORDVS ORDINATVR EPISCOP. *a Bed. de geſt. Angl. l. 5. c. 12. b Marcel. in Svvibert. ap. Sur. 1. Mart. c ap. Sur. 7. Nouemb.*

VVillebrordus, ſuperiori anno à ſociis miſſus vt Epiſcopus conſecraretur, iterum Romam veniens ad Sergium Papam, ab eodem nomen *Clementis* accepit, & Archiepiſcopus Friſonum ordinatus eſt: id etiam exigente Pipino Duce & Maiore Domus Franciæ, qui & eidem redeunti ſedis locum dedit Traiectum, olim VViltenburg dictum. Hæc Beda [a], & Marcellinus [b]. Sed & diuina præuia admonitione Sergium ordinaſſe Epiſcopum eumdem VVilbrordum, tradit Albinus Flaccus in Rebus [c] geſtis eiuſdem Sancti.

II. *ABSIMARVS ELECTVS IMP. LEONTIVM EIICIT.*

Hoc eodem anno Leontii Imperatoris tertio, Saraceni ſiue Arabes Africam ceperunt. Vnde mox à Ioanne Patricio illuc à Leontio miſſo expulſi, iidem paulo poſt cum maiori claſſe redeuntes, Ioannem inde pepulerunt. Quare erubeſcentes Romani milites, atque timentes redire Conſtantinopolim, mota ſeditione ABSIMARVM Imperatorem crearunt, cumque TIBERIVM nominarunt. Qui Conſtantinopolim accedens, Leontium captum, naribus præciſis in Dalmatiæ quoddam monaſterium relegauit. Hæc Annales ex Theophane ac Cedreno. Ceterum Africam tentatam ſæpius, deprædatamque, Saraceni ab hoc tempore abſque obice poſſederunt: cum ea non ſolum hæreticis Manichæis atque Donatiſtis refertiſſima eſſet, ſed etiam moribus corruptiſſima, adeo vt ipſi etiam Epiſcopi [d] vxoribus commiſcerentur. Ex quibus quanta eſſent alia mala facile poſſumus meditari, quorum cauſa quemadmodum olim Deus ad eos puniendos immiſit VVandalos, modo eoſdem penitus perdendos tradidit Saracenis.

d Sex. Syn. c. 10.

IESV CHRISTI AN. 597.

TIBER. ABSIM. AN. I.

SERGII AN. 10.

I. *PROPAGATIO FIDEI IN GERMANIA.*

ANNO Domini ſexcenteſimo nonageſimo ſeptimo, Indictione decima, ac ſequentibus pariter annis, Friſia, Hollandia, aliæque Germaniæ prouinciæ, ſumma induſtria excultæ ſunt, & ad fructum vberrimum reſtitutæ, prædicatione & miraculis SS. VVilbrordi Traiectenſis primi, & Svviberti item primi VVerdenſis Epiſcopi, ceterorumque quos ex Anglia & Hibernia co acceſſiſſe vidimus, atque aliorum qui ab iis ad opus admiſſi, miſſique ſunt ex decreto *Concilij* ibidem Traiecti habiti ad res nouellarum eiuſmodi Eccleſiarũ optime diſponendas: quorum immenſos labores, mirabiles profectus, prodigioſa miracula, & ſanctos exitus, vnus illorum Marcellinus presbyter egregie deſcripſit in Vita prædicti Svviberti [a], quem tu conſulas, necnon Albinum Flaccum in Rebus [b] geſtis eiuſdem S. VVilbrordi.

a ap. Sur. 1. Mart. b ap. Sur. 7. Nouemb.

IESV CHRISTI AN. 698.

TIBER. ABSIM. AN. 2.

SERGII AN. 11.

I. *S. LAMBERTI MARTYRIVM.* *a Sigeb. in Chron. hoc an. Molan. in Natal. SS. Bel. 17. Sept. b ap. Sur. 17. Sept.*

ANnus Dòmini ſexcenteſimus nonageſimus octauus, Indictione vndecima inchoatus, illuſtratus eſt martyrio S. *Lamberti* Tungrenſis ſiue Leodienſis Epiſcopi, *Taxandriæ Apoſtoli* nuncupati [a], quod populum illum ab idolorum cultu ad fidem Chriſti per multos labores & anguſtias perduxerit. Extant [b] eius Acta à Stephano Epiſcopo Leodienſi ſcripta in quibus tamen multa deſiderantur, vt (quod inprimis ponendum erat) quæ præceſſit ab eo ſæpius facta obiurgatio Pipino de Herſtallo Maiori Domus Franciæ, ob Alpaidem pellicem ſubintroductam, cum legitimam haberet vxorem Plectrudem: quod abſque controuerſia omnes tum veteres cum recentiores hiſtorici affirmarunt, qui dicunt [c] ipſum pellicis Pipini hortatu ab eiuſdem pellicis fratre Dodone intra eccleſiam SS. Coſmæ & Damiani interemptum fuiſſe, Dodonem vero, omneſque cædis conſcios paulo poſt diuina vindicta acerrime punitos, miſerrime periiſſe. Additurque, adeo inuiſas etiam poſt mortem pellices ipſi S. Lamberto fuiſſe, vt cunctis ſine repulſa ad oſculandum ſuum corpus admiſſis, ſiqua pellex accederet, quaſi turbine quodam exagitatam retrocedere compelleret. Eius vero corpus poſt duodecim annos translatum eſt in Legiam, quæ ex vico creuit in nobilem ciuitatem, ex eiuſdem martyris gloria atque miraculis ibidem iugiter ei ſolitis. Pipinum autem vſque ad obitum vehementi fuiſſe exagitatum dolore ob viri ſanctiſſimi necem, Marcellinus [d] eſt auctor: quamuis numquam miſer deſtiterit à conſortio pellicis, quod ex ea ſuſcepiſſet Carolum Martellum, quem reliquit heredem ſuum. Ceterum hoc item anno Beggam eiuſdem Pipini matrem, ſanctitate claram, ad Dominum tranſiſſe, auctor eſt Sigebertus in Chronico. Sequenti vero idem auctor tradit ipſum Pipinum orbatum eſſe filio Drogone Duce Campanienſium: verum illum ſuperuixiſſe Pipino parenti, Marcellinus affirmat.

c Vid. appen. ad Vit. a Stepha. ſcriptam ap. Sur. ibid.

S. LAMB. ETIAM POST MORTEM REIICIT PELLICES.

d In Vit. S. Svvibert. ap. Sur. 1. Mart. ca. 25.

II. *e Sigeb. hoc an. Bed. de ſex ætat. f Paul diac. l. 5 c. 14.* *CONCIL. AQVILEIENSE.*

Hoc eodem anno [e] celebrata reperitur SYNODVS AQVILEIENSIS, quæ (vt ait Paulus [f] diaconus) ob imperitiam Quintum Oecumenicum Concilium ſuſcipere diffidit, donec à Sergio Papa admonita, & ipſa ceteris Eccleſiis cõſenſit. Porro longe ante hoc tempus reſipuiſſe liquet Eccleſiam Aquileienſem ab antiquo ſchiſmate cauſa Quintæ Synodi orto ob Tria Capitula: ſiquidem eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus Agatho, nomine interfuiſſe & ſubſcripſiſſe repetitur Synodo celebratæ ab Agathone Papa. Quamobrem eamdem iterum in errorem lapſam dicere opus eſt, perfecte vero à Sergio eſſe curatam.

III. *g Theoph. & Cedr. hoc an.*

Eodem anno, Imperii Abſimari ſecundo, tradunt Annales [g] Romanum exercitum Syriam peragrantem ac deprædantem, occidiſſe ducenta barbarorum millia, ingentemque retuliſſe prędam. Mirum autem auditu, quantum gens Saracenorum fuerit his temporibus numeroſa, vtpote quæ Armeniam, Perſidem, Palæſtinam, Ægyptum impleret, & Libyam, Africamque vniuerſam penitus occuparet, inſulaſque & complures, atque iam iam in Europam ſe infundere pararet: & quantumlibet multiplices eorumdem cædes fierent, nulli in viſi ſunt diminutionem ſenſiſſe, necontineri potuiſſe quin illaberentur in exteras regiones.

IESV CHRISTI AN. 699.

TIBER. ABSIM. AN. 3.

SERGII AN. 12.

I. *a Molan. in SS Belg. 3. Nouemb.* *S. HVBERTVS EPISC. LEODIEN.*

ANno Chriſti ſexcenteſimò nonageſimò nono, Indictione duodecima, Sergius Papa diuina præuia admonitione [a] conſecrauit S. *Hubertum* Leodienſem Epiſcopum, dignum S. Lamberti martyris ſucceſſorem, eumdemque nobiliſſimo genere ortum, vt pote filium Bertrandi Aquitaniæ Ducis. Qui vt populum ſibi ſubditum in Catholicæ fidei obſeruantia, & S.R.E. obedientia à qua ſanctum Euangelium accepiſſent, cultu perpetuo firmiter contineret, ac poſteros eodem vinculo obligaret, tradidit illi vrbi ſigillum S. Lamberti imagine ſculptum, atque huiuſmodi inſcriptione notatum, *Sancta Legia Romanæ Eccleſiæ filia*, vt ex Placentio Molanus refert. Extant vero ipſius Sancti Vitæ Acta, quibus inſignes eius virtutes; & in edendis miraculis immenſa gratia prædicantur. Contulitque ipſe in aream Dominicam de prædicatione ad gentes manipulos vberes, ex *Brabantiæ* populo tunc infideli collectos.

II. *SERG. PP. DIVINITVS LIBERATVR A CALVMNIA INCESTVS.*

Quibus etiam temporibus contigit ex frequenti commercio venientium ex Anglia Romam ad Limina Apoſtolorum, innotuiſſe Sergio Papæ S. *Althelmum*, ſiue Aldhelmum, Schireburgenſem Epiſcopum, quem eius virtutibus captus in Vrbem acciuerit. De quo legitur, liberaſſe diuina virtute ipſum Sergium à calumnia progeniti ex inceſſu pueri, ita videlicet vt cum eumdem puerum nouem tantum dies natum coram omnibus in virtute IESV CHRISTI interrogaſſet, num Sergius Papa eo crimine

teneretur, reſponderit clara voce puer, Sergium nihil cōmercii cum feminis habuiſſe. Hæc ita in ipſius Althelmi Actis [b]. Verum quod nuſquam alibi de re tanta mentio habeatur, haud ſatis tuta fides auctoris. De eodem ſancto conſtantiora ſunt quæ Beda [c] refert, qui cum præclaram de eo mentionem faciat, eiuſdem etiam ſcriptorum monumenta memorat, videlicet Librum de Paſchate aduerſus Britonum errorem, aliumque de Virginitate & proſa compoſitum. Cuius hactenus extat de virginitate ſoluta oratione tractatio.

b ap. Sur. 25. Maij.
c Bed. l. 5. hiſt. Anglic. 19.

III. BRITANNIA CORRIGIT ERROREM DE PASCHATE ET TONSVRA.
d Id. l. 5. c. 16 & 22.

Quod vero ad Librum ſpectat de Paſchate, tempus hoc id poſtulabat, vt qui in iis regionibus pollerent ingenio, illud exercerent in euellendo eiuſmodi molitæ conſuetudinis errore, de quo ſæpe dictum eſt ſuperius. Quorum egregia opera, atque inprimis inſignium Abbatum Adamnani & Ceolfridi (quod pluribus Beda [d] proſequitur) factum eſt vt hoc tempore maxima pars Scotorum & Pictorum, Britonumque, Catholicam Paſchæ ac Tonſuræ clericalis obſeruationem ſuſceperint. Additque idem auctor, his ipſis præterea temporibus eumdem Adamnanum librum ſcripſiſſe de Locis Sanctis, ex veridica relatione ipſi facta ab Arcvulpho Galliarum Epiſcopo, qui totum ferme Orientem, ac præcipue Terram Sanctam diligentiſſime perluſtrauerat, & in patriam rediens vi tempeſtatis in Occidentalia Britanniæ litora delatus fuerat. Eſtque is ipſe commentarius, quem poſtea idem Beda in compendium (vt teſtatur [e]) redactum, viginti diſtinctum capitibus edidit, hodieque extat.

COMMENTARIVS DE LOC. SANCT.
e Ib. c. 18

TIBER. ABSIM. AN. 4.

IESV CHRISTI AN. 700.

SERGII AN. 13.

I. DE S. VVLFRANNI AD FRIS. APOSTOLATV.
a ap. Sur. 20. Mart.

ANno Domini ſeptingenteſimo, Indictione decimatertia, S. VVulfranus Archiepiſcopus Senonenſis in Gallia, ad prædicandum *Friſonum* genti ex diuina reuelatione animum induxit: vbi quamplurimis ingentibus editis miraculis, multos ad fidem Chriſti conuertit, vt fuſius in eius Vita [a] narrat Ionas monachus Fontanellenſis huius ſæculi ſcriptor. Eiuſmodi autem miraculis ita veritas Chriſtianæ religionis innotuit, vt libere prædicandi, & qui vellent eſſe, Chriſtianos fieri licentiam partium illarum Princeps Radbodus, infenſiſſimus antea Chriſtianis, impenderit: adeo vt & filius eius id fuerit ab eodem ſancto Pontifice conſecutus.

TIB. ABSIM. AN. 5.

IESV CHRISTI AN. 701.

SERGII AN. 14.

I. SERGII PP. OBITVS.

ANnus Chriſti ſeptingenteſimus primus inchoatus eſt Indictione decimaquarta. Quo Sergius Papa, cum ſediſſet annos tredecim menſes octo & dies quatuordecim, mortuus eſt quinto Idus Septembris, atque ſepultus in baſilica S. Petri. Hæc ex Anaſtaſio, & Romano Martyrologio, in quo eiuſdem Sergii nomen ob meritum ſanctitatis relatum habetur. Porro ex ipſius ſepulchri epitaphio, quod ex veteribus monumentis eiuſdem Vaticanæ baſilicæ Manlius exſcripſit, plane intelligitur, eundem Pontificem multa paſſum, ab Vrbeque pulſum per Ioannem Sedis Apoſtolicæ inuaſorem, ſeptennii fatigatum fuiſſe exilio: quod quidem reliquos omnes Scriptores penitus præteriit. Sed extant alia eiuſdem præclara monumenta apud Anaſtaſium, ad eccleſiarum ornamenta, & ritus Eccleſiaſticos pertinentia. Ex quibus illud haud omittendum, quod ait ipſum ex diuina reuelatione inueniſſe in ſacrario eccleſiæ S. Petri in angulo obſcuriſſimo, capſam argenteam nimia annoſitate nigram, atque intra eam repertiſſe Crucem lapidibus pretioſis ornatam, habentem portionem ſalutiferi Ligni Dominicæ Crucis, quæ ex illo tempore omni populo Chriſtiano die Exaltationis eius, in baſilica Saluatoris Conſtantiniana dicta, oſculanda & adoranda propoſita eſt.

SERG. EXILIVM PASSVS AB INVASORE SED. APOST.

II. BEDA VOCATVS ROMAM A SERG. PP.

Extat inſuper apud auctorem qui poſt Bedam proſecutus eſt res geſtas Anglorum, eiuſdem Pontificis epiſtola ad Ceolfridum Abbatem in Anglia eius monaſterii in quo à teneris annis BEDA coaluerat, creueratque in virum perfectum ſanctitate & doctrina inſignem: qua idem Pontifex ipſum Bedam ad ſe mitti poſtulauit, quem conſuleret de rebus quibuſdam Eccleſiaſticis. In quo quidem ipſius Bedæ commendes modeſtiam, qui cum ſæpe eiuſdem Sergii Papæ meminerit, numquam ſe ab eo vocatum literis tradiderit, ſilentio preſſa relinquens quæ ad laudem ſuam ſpectare poſſe viderentur. An autem Sergium adierit, & hoc ignorauit: ſed potius non iuiſſe putamus. nam ea quæ ad hiſtoriam Anglicanam texendam ipſi opus erant ex Eccleſiæ Romanæ archiuis petere, non à ſe inde allata, ſed opera Nothelmi, qui ſub Gregorio Papa Secundo Romam venit, ſe accepiſſe teſtatur in epiſtola nuncupatoria ad Ceolulphum Regem poſita in fronte eiuſdem à ſe conſcriptæ hiſtoriæ.

III. a ap. Sur. 23. Nouemb. t. 2. c. 27

Sub eodem quoque Sergio Papa contigiſſe obitum ſanctiſſimi viri *Trudonis*, habet Theodoricus [a] Abbas in Rebus geſtis eiuſdem Sancti: qui quidem quod Hasbaniis concionatus eſt Euangelium Chriſti, *Hasbaniorum* meruit *Apoſtolus* appellari: cuius & dies natalis ab Eccleſia Catholica quotannis celebrari conſueuit.

IV. IOAN. VI. PAPA CREATVR.

Cum autem poſt Sergii obitum ſedes Romana vacaſſet (vt habet Anaſtaſius) menſem vnum & dies viginti hoc eodē anno die vigeſima nona Octobris creatus eſt IOANNES eius nominis Sextus, natione Græcus. Quo ipſo anno (vt idem auctor ſcribit) venit è Sicilia Romam Theophylactus Patricius & Exarchus Italiæ, aliquid moliturus aduerſus eumdem nuper electum Ioannem: quænam vero cauſæ nouæ interceſſerint, ignoramus. Tunc autem etiam accidiſſe tradit, quod vidimus eueniſſe ſub Sergio, nimirū vt in defenſionem Pontificis vniuerſa Italiæ militia Romam conuenerit, ab eiuſque furore ipſe Theophylactus per eumdem Ioannem liberandus fuerit. A quo tempore Exarchorum vires admodum tenues reddi cœpere, contra vero Romanis Pontificibus, pro quibus milites ſtarēt, augeri: adeo vt poſt hæc ſupplices, non inſultantes in Italiam mittere Imperatores ſolerent Exarchos. Ceterum quas pœnas dederit Imperator, cum in Romanum Pontificem impie iſta tentauit, dicetur anno ſequenti.

RES IMP. IN ITALIA IMMINVTÆ.

V. IMMENSA FLAGITIA WITIZA HISP. REG.

Hoc eodem anno defuncto Hiſpaniarum Rege Egicane, filius eius VVitiza, qui cum patre annos quinque hactenus regnauerat, ſolus regni habenas moderādas ſuſcepit. Qui per iniuſtitiam & impietatem ſuam ſeruus factus peccati, omnibuſq; aliis ſcatens vitiis, ſe ipſum vna cū ſuis præcipitem dedit, ianuamque late pandidit, qua poſt eius obitum Saraceni, torrentis inſtar influerent in Hiſpanias. Sed quod nec furioſum Regē cohibere conati ſint Hiſpaniarum Epiſcopi, factum eſt vt & defecerit regnum, & ipſi ſimul ducti fuerint in captiuitatem Epiſcopi, Eccleſiæque dirutæ, monaſteria deſolata, atq; omnia deniq; peſſumdata. Et (vt ait iſta deplorans Lucas Tudenſis, antiquus rerū Hiſpanicarum ſcriptor) quia Reges & Sacerdotes Dominum dereliquerunt, cuncta agmina Hiſpaniarum derelicta à Domino perierunt. Tradit enim de VVitiza, multa illum nefanda & horribilia flagitia per Hiſpanias ſeminaſſe, & ad rapinas, luxurias, comeſſationes, ac voluptates carnis, ſe ſuoſque inclinaſſe: nec ipſum ſolum, poſtpoſita omni religione diuina, plures vxores & concubinas habuiſſe Ducibuſque ſuis vt ſimiliter agerent imperaſſe, ſed & effeciſſe, vt æque Epiſcopi, ceteriq; Eccleſiæ miniſtri aſpernarentur Eccleſiaſtica munia atque ſacramenta, & ne aduerſus ipſum inſurgerent, iiſdem vxores & concubinas habere præcepiſſe: immo & ne obedirent Romano Pontifici publico edicto ſub mortis interminatione prohibuiſſe, quæ res (vt ait) pereundi cauſa Hiſpaniæ fuit. Paulo quoq; in exilium Toletano Epiſcopo Iuliano (Rodericus tamen, & alii, non Iulianum, qui Tertius eius nominis eſſet dicendus Toletanus Epiſcopus, ſed Gundericum ſub VVi-

CVR HISPANIA TRADITA SARACENIS.

APOSTASIA AB ECCL. RO.

tiza ponunt) filium ſuum Oppam Archiepiſcopum Hiſpalenſem ſimul ac Toletanum eſſe voluit, vt facilius poſſet per duplicem eiuſmodi auctoritatem, fidei Catholicæ ſtatum conuellere. Iudæos inſuper in Hiſpaniam reuocauit, & ſublatis Eccleſiæ priuilegiis, multas Iudæis immunitates tribuit. Pleroſq; Principes, alioſque nobiliſſimos viros occidit, aut relegauit. Denique in tantam veſaniam proceſſit, vt muros cunctarum vrbium ſui regni (exceptis Toleto, Legione, & Aſturico) ſubuerterit, ne poſſent ſibi reſiſtere ciues cum eos perſequi vellet. Hæc & alia Tudenſis: quæ omnia toto ſui regni decennio ſunt ab eodem VVitiza nefarie perpetrata.

VI. Concil. Tolet. XVIII.

Veruntamen ipſius exordio, vt ſpecimen optimi Principis præſeferret, ex omnibus Hiſpaniarum Epiſcopis Toleti CONCILIVM generale collegit, dictum ordine Decimumoctauum. Cuius Acta cur nequaquam, vt ceterorũ, ſcriptis tradita reperiantur, ea fere omnium ſententia eſt, quod cum in eo complura ſancita fuerint Eccleſiaſticæ diſciplinæ contraria, placuerit æterno ſilentio ſepeliri. Sed cum omnes conſentiant initia VVitizę fuiſſe optima, crediderim potius, quæ fuerant bene in hoc Concilio geſta, poſtea ab ipſo in tyrannum erumpente fuiſſe penitus abrogata, ipſaque eius Acta conſciſſa.

VII. De cauſa defectionis Witizæ ab eccl. Ro.

b Greg. Sept. l.ep.7.& 4. ep.vlt. To.3. Epiſt. Rom. Pont.

Sed cauſam apoſtaſiæ tam inſolentis ab Eccleſia Romana, cum nemo (quod nouerimus) vel antiquorum vel recentiorum hiſtoricorum enarret, nos quænam fuerit, ex certis antiquitatis monumentis in mediũ adducemus. Extant [b] enim Gregorii eius nominis Septimi Romani Pontificis ſanctitate celebris, duæ inter alias epiſtolæ ad Principes qui Hiſpaniam à Saracenis recuperaſſent, ſcriptæ Indictionibus vndecima & decimaquinta, annis nimirum Domini milleſimo ſeptuageſimo tertio & ſeptuageſimo ſeptimo, quibus ſignificat Hiſpaniæ regnum, antequam inuaderetur à Saracenis, fuiſſe Romanæ Eccleſiæ traditum, quantum etiam ad ius & proprietatem, à poſſidentibus ipſum Gothorum Regibus maxime piis, non ita quidem vt eo ipſi caruiſſe voluerint, ſed vt illud annuo perſoluto tributo Eccleſiæ Romanę nomine poſſiderent, ſicut de plurimis aliis contigiſſe noſcitur. Ex iis itaque omnino affirmare neceſſe videtur, eorumdem Regum indigniſſimum ſucceſſorem impiũ VVitizam, cum eiuſmodi donationem iniquo animo ferret, eamdem irritam reddere conatum, illud quod recenſet Tudenſis de non parendo Romano Pontifici ſanxiſſe decretum. Quod enim ipſum à Rege qui Catholicus habebatur, intelligis promulgatum, vtique non fidei, ſed temporariæ vtilitatis cauſa factum agnoſcas oportet. Sed & inde euidenter colligas, quam male conſulant ditionibus ſuis Principes, qui Eccleſiæ iura tollere vel minuere conantur. Etenim vltor exurgens Deus [c], in virga ferrea tamquam vas figuli confringit eos qui adſtiterunt aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius, cupientes proiicere à ſe iugum ipſorum. Paruiſſe vero Hiſpaniæ Reges Gregorio Septimo in reſtituendis Eccleſiæ Romanæ iuribus, videbitur ſuis locis: vt plane fuerit luce apertiſſima declaratum, ſicut inobedientia Principum iactura totius facta eſt regni, ita eorumdem obedientia fuiſſe à barbaris vindicatum & ſtabilitum, atque in exteras etiam gentes dominii auctoritate propagatum.

Quanto ſuo damno reges iura eccl. violent.

c Pſal. 2.

IESV CHRISTI AN. 702.

Tiber. Abſim. An. 6.

IOANNIS VI. AN. 1.

I.

ANno Chriſti ſeptingenteſimo ſecundo, Indictione decimaquinta, Tiberius Imperator, qui anno ſuperiori tentauit deturbare Ioannem Romanum Pontificem, paſſus eſt diuino iudicio dirum aduerſarium à quo ipſe pelleretur Imperio. Siquidem (vt habent Græcorum Annales [a]) hoc ipſo anno Iuſtinianus Rhinotmitus, quem exulem degere vidimus apud Cherſonam, Caiani Lazorum Regis ſorore in matrimonium ſumpta, eiuſdem Regis ope ad reditum arma parare cœpit. Quem tanto vindictæ ardore incenſum ferunt, vt cum maris tempeſtate in ſummo vitæ diſcrimine eumdem conſtitutum monuiſſet vnus ex familiaribus ſuis, vt voueret Deo ſi Imperium recuperaret ſe inimicis ſuis indulturum, reſponderit, *Immo ſi pepercero cuiquam eorum, in hoc loco me Deus demergat.* Sicque Dei iudicio, qui in perfidos vltionem parabat, euadens, legationemque mittens ad Trebellium Bulgarorum Regem, vt eius auxilio poſſet reſtitui in Imperium, iſto libenter annuente, factum eſt vt anno ſequenti per eoſdem Imperium recuperauerit.

a Theoph. Ced. Zonar. & alij.

Iuſtiniani Imp. ardens vindictæ cupido.

IESV CHRISTI AN. 703.

Tiber. Abſim. An. 7.

IOAN. VI. AN. 2.

I. Iuſtin. imperium recuperat, et diram de aduerſariis vindictam ſumit.

ANno Chriſti ſeptingenteſimo tertio, Indictione prima, Iuſtinianus Rhinotmitus in Imperium reſtitutus eſt per Trebellium Bulgarorum Regem, clanculo per aquæductum ingreſſus Conſtantinopolim. Qui cum Tiberium Abſimarum Imperatorem, & eius fratrem Heraclium, alioſque primores ciuitatis fuga ſibi conſulentes, in poteſtatem accepiſſet, mox primores illos, atque Patricios, in muro ciuitatis ſupplicio affecit, Abſimarum autem, atque Leontium qui primus occuparat Imperium, vinctos per Vrbem in pompa duxit, ludiſque Circenſibus eos repræſentans vſque ad ſolutionem primi brauii corũ ceruices pedibus calcauit, vniuerſo populo illud Dauidicum [a] acclamante, *Super aſpidem & baſiliſcum ambulaſti, & conculcaſti leonem & draconem*: inde eos in Cynegium miſſos, capite truncari iuſſit. Innumerabilem quoque multitudinem tam ciuium quam militum extinxit, pluresque ſaccis incluſos in mare proiecit, atque alios cum ad prandium vel cœnam accubitarent, mox vt ſurgerent ceruicum inciſione perdi iuſſit. Sed & Callinicum Conſtantinopolitanum Patriarcham oculis orbauit, Romamque relegauit, ſuffecto in eius locum *Cyro* quodam Amaſtridis inſulæ monacho, qui ei recuperationem Imperii prædixerat. Omnibuſque rebus penitus ſtabilitis, Trebelliũ Bulgarorum Regem muneribus digne donatum ad propria dimiſit: filium vero ſuum TIBERIVM, *Theodoramque* coniugem Imperiali corona pariter inſigniuit. Hæc omnia ex Græcorum Annalibus, Theophane, Cedreno, & aliis: quæ cœpta hoc anno, in ſequentem propagata noſcuntur. Ceterum miro Dei iudicio factum eſt, vt Callinicus qui primus auſus eſſet, abſque conſenſu Romani Pontificis Vniuerſale congregare Concilium, atque in eo canones edere contra traditiones maiorum & Eccleſiaſticam diſciplinam, quique aduerſus Romanam Eccleſiam adeo ardenti animo pellexerat Iuſtinianum Imperatorem ab eodem talia paſſus, ad ipſum Romanum Pontificem remiſſus ſit, ab eo vitæ ſtipem accepturus.

a Pſal. 90.

Callin. epiſc. Conſt. Romam relegatus.

II.

Eodem anno Cunipertus Rex Longobardorum, vir ſatis laudatus, vbi annos duodecim regnaſſet poſt patris obitum, mortuus eſt, relicto regni hærede Luithberto filio paruulo, cui tutorem Aſprandum virum illuſtrem conſtituit. Hinc vero multi ciuiles tumultus pro regno inter Principes orti ſunt, quos pluribus deſcribit Paulus [b] Diaconus.

b Paul. diac. l.6.c.11.

III.

Hoc item anno [c] defunctus eſt S. Benedictus (antea Biſcopus dictus) Abbas in Anglia, miræ ſanctitatis vir, cuius diem natalem celebrat Eccleſia pridie Ianuarii: eo vero monaſteriorum fundatore, propagatus eſt in Anglia mirifice monachiſmus, cuius ipſe regulas Romæ didicerat. Extat Bedæ [d] homilia in eiuſdem die natali dicta, vbi plura de eius laudibus ac virtutibus habet: quem & ait, quod rudis adhuc in gente Anglorum fides & Eccleſiarum inſtituto floreret, ad beatorum Apoſtolorum Limina peregrinaturum aduolaſſe, vt ibi perfectam viuendi formam ſumeret, vbi per ſummos Chriſti Apoſtolos totius Eccleſiæ caput emineret eximium.

c Sigeb. in Chron.

De S. Bened. abbate in Anglia.

d Bed. hom. de Sanct. to. 7.

IESV CHRISTI AN. 704.

IVSTIN. RHINOT. iterum Imp. 1.

IOANNIS VI. AN. 3.

I. a Paul. diac. l. 6. c. 13. ALPES COTTIÆ RESTITVVNTVR ECCLESIÆ ROM.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo quarto, Indictione ſecunda, exagitata eſt Italia bellis Longobardorum ciuilibus, donec Aripertus victor, e medio ſublatis aduerſariis ſolus pacifice regnauit. Hunc tradit Paulus [a] diaconus donationem patrimonii Alpium Cottiarum, quæ quondam pertinuerant ad ius Apoſtolicæ Sedis, ſed à Longobardis multo tempore fuerant ablatæ, reſtituiſſe, & hanc donationem aureis exaratam literis Romam direxiſſe. Quæ quidem ſub Ioanne Septimo, qui anno ſequenti ſedere cœpit, facta eſſe Anaſtaſius Bibliothecarius tradit: eiuſdem vero donationis, ſeu potius reſtitutionis, æque teſtes ſunt Beda, Ado Viennenſis, & alii Chronicorum ſcriptores. Porro Aripertum victoriam ab hoſtibus reportaſſe precibus S. Boniti Aruernenſis, qui dimiſſo Epiſcopatu Romam ad Limina Apoſtolorum pergens, ab eo in itinere amanter exceptus fuerat, traditur in Rebus geſtis eiuſdem Sancti.

II. REGES ANGLOR. SE ABDICANT AMORE VITÆ RELIGIOSÆ.

Eodem anno Chriſti ſeptingenteſimo quarto, Edilredus Rex Merciorum, poſtquam regnaſſet annos triginta vnum, monaſticam vitam amplexus, Coenredo regnum reliquit. Qui & ipſe Coenredus, vita licet innocens ac moribus ſincerus, tamen pro conſequenda delictorum ſuorum pleniori indulgentia, anno ſui regni ſexto abdicans ſe, Romam peregrinatus eſt ad ſancta Limina Apoſtolorum. Hæc ſuis locis Beda in Epitome. Ita plane primitiuæ illius Eccleſiæ Anglicanæ fuit erga ſacram religionem vigens ferueñſque cultus, vt ob frequentiam Deo philoſophantium, fuerit inſula referta vndique monaſteriis, in quibus & Reges ipſi qui fuerant leones in prælio, mox in ſacris ſeptis, cœleſtibus caulis incluſi redderentur agni mitiſſimi.

III. b Bed. l. 5. c. 14. DE MISERANDO INTERITV CVIVSDAM IMPŒNITENTIS.

Porro huius Coenredi temporibus accidiſſe ponit Beda [b], vt nobilis quidam vir, qui quantum pro induſtria exteriori Regi placebat, tantum pro interiori ſuimet negligentia diſplicebat, cum ab eo ſedulo admoneretur vt confiteretur & emendaret ſcelera ſua, priuſquam ſubito mortis ſuperuentu tempus omne pœnitendi & emendandi perderet, ille vero verba ſalutis ſpernens, ſemper in tempus ſequens pœnitentiam remitteret: demum in grauem infirmitatem incidens, rurſum à Rege admonitus vt vel tunc confiteretur, reſpondit non ſe tunc velle id agere, ſed cum ab infirmitate reſurgeret, ne forte exprobrarent ſodales quod timore mortis faceret ea quæ ſoſpes noluerat. Sed miſer paulo poſt, cum & adhuc à duobus Angelis viſitatus, nec ſic ad pœnitentiam moueretur, tandem ſuperueniente malignorum ſpirituum caterua circumdatus in deſperationem incidens, aduenienti denuo Regi rem ſignificauit, moxque deſperans deceſſit è vita. Simile quoddam exemplum de monacho impœnitente narrat idem auctor [c]. Extantque alia quam plurima apud S. Gregorium in Dialogis, & alios rerum Eccleſiaſticarum tractatores: ex quibus diſcant homines pœnitentiam non differre.

c Ibid. c. 15.

IESV CHRISTI AN. 705.

IVSTIN. RHINOT. iterum Imp. 2.

IOAN. VII. AN. 1.

I. IOANNES PAPA VI. MORITVR

ANNO Domini ſeptingenteſimo quinto, Indictione tertia, *Ioannes* Sextus Romanus Pontifex, vbi ſediſſet annos tres menſes duos dies duodecim, mortuus eſt die decima Ianuarii, ac ſepultus ad S. Petrum: ceſſauitque ſedes eius menſem vnum & dies decem & octo. Hæc Anaſtaſius. Ex cuius ſententia liquet, eius ſucceſſorem creatum eſſe ipſis Calendis Martii. Fuit autem is IOANNES eius nominis Septimus, æque natione Græcus, ex patre Platone genitus.

IOAN. VII. CREATVR

II.

Incredibiles enim perſpicias fuiſſe Græcorum artes, quibus niſi ſunt ſibi ſubiicere Romanam Eccleſiam. Quod enim tyrannicæ confirmationi Romani Pontificis tandem renuntiaſſent Imperatores, ſtuduerunt alia via id efficere: nimirum agentes vt in collegium S. R. E. clericorum allegerentur Orientales, iidemque opera Exarchorum crearentur Pontifices. Hincque videas tot his temporibus ſediſſe eiuſdem Eccleſiæ Antiſtites ex Oriente prognatos. Sed factum eſt tamquam miraculum à Deo, vt iidem creati Pontifices Apoſtolicæ ſedis, ſpiritum pariter hæreditarint Apoſtolicum, ſteterintque aduerſus omnes conatus Imperatorum & Orientalium Epiſcoporum. Quod & de ipſo, de quo eſt ſermo, Ioanne Septimo accidiſſe probatur. Siquidem cum ad ipſum Iuſtinianus Auguſtus honorificam legationem duorum Metropolitanorum direxiſſet, vt ſancitos Sergii temporibus Conſtantinopoli Sextę Synodi nomine canones examinaret, & quos conſentientes reperiſſet Catholicæ diſciplinę, confirmaret, ceteros pro arbitrio reiiceret: etſi iuſta hæc petitio eſſe videretur, tamen quod non deceret maieſtatem Apoſtolicę ſedis vel quid minimum comprobare, quod in non legitima Synodo ſtatutum eſſet, ipſe Ioannes conuocato ad hoc Epiſcoporum *Concilio*, recuſauit omnino eoſdem canones vel ex parte approbare: licet nec eos condemnare voluerit, ne commoueret animum Imperatoris. Verum eos non recepiſſe, ſatis videri poterat condemnaſſe. Conſtant autem iſta ex Anaſtaſio in eodem Ioanne.

VNVS SPIRITVS OMNIVM ROM. PONT.

IOAN. PP. AVERSATVR CANONES SEXT. SYN.

III. DE S. WILFRIDO EPISC. EBORAC.

Prædictæ vero ea de cauſa celebratæ Romæ Synodo, interfuit etiam mirificus ille S. VVilfridus Archiepiſcopus Eboracenſis in Anglia, de quo ſuperius, ſed interfuit vt reus. Iterum enim calumniam paſſus, & ſede pulſus, iterum ad ſedem Apoſtolicam ſe contulit: à qua in eadem Synodo abſolutus, in Angliam rediens ægrotauit ad mortem Meldis in Gallia, ſed Archangeli Michaelis viſione recreatus, in patriam adueniens, cum honore ſedi ſuæ reſtitutus eſt: ac poſt aliquot annos in pace quieuit, poſtquam ſediſſet annos quadraginta quinque. Hæc pluribus Beda [a].

a Bed. l. 5. c. 20.

IESV CHRISTI AN. 706.

IVSTIN. RHINOT. iterum Imp. 3.

IOAN. VII. AN. 2.

I. a Ex Theop. & Ced.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo ſexto, Indictione quarta, nihil præterea Annales [a] reddunt, niſi quod non ſine magna ingratitudinis nota, Iuſtinianus Auguſtus, qui armis Bulgaricis fuerat in Imperium reſtitutus, aduerſus eos duxit exercitum: ſed mox dignas tulit pœnas, vt pote qui poſteriores in bello ferens, fuga elapſus vix cum paucis Conſtantinopolim redire valuit.

IESV CHRISTI AN. 707.

IVSTIN. RHINOT. iterum Imp. 4.

IOAN. VII. AN. 3.

I. IOAN. PP. OBITVS.

ANNus Chriſti ſeptingenteſimus ſeptimus cœptus eſt Indictione quinta. Quo *Ioannes* Papa, vbi ſediſſet annos duos menſes ſeptem dies ſeptemdecim, mortuus eſt decimoquinto Calendas Nouembris, inchoata iam Indictione ſexta, ac ſepultus ad Sanctum Petrum: ceſſauitque ſedes eius menſibus tribus: vt hæc omnia habet Anaſtaſius. Ex cuius ſententia, ſucceſſoris creatio prolata eſt vſque in annum ſequentem, quo de ea dicturi ſumus.

IESV

IVSTIN. RHINOT. iterum Imp. 5.

IESV CHRISTI AN. 708.

SISINNIVS. CONSTANTINI I.

I. SISIN. PP. CREATIO ET OBITVS

ANno Domini ſeptingenteſimo octauo, Indictione ſexta, decimoquinto Calendas Februarij, creatus eſt Papa SISINNIVS, natione Syrus ex patre Ioanne: qui (inquit Anaſtaſius) podagrico humore ita tenebatur conſtrictus, vt ſibi cibum propriis manibus exhibere non valeret. Itaque cum tenuiſſet Pontificatum dies dumtaxat viginti, ſeptimo Idus Februarii obiit morte repentina, & ſepultus eſt in baſilica S. Petri. Cumque ſedes vacaſſet menſem vnum, Nonis Martii creatus eſt Pontifex CONSTANTINVS filius Ioannis, & æque natione Syrus. Hæc ex Anaſtaſio.

CONSTANTINVS PAPA.

II. Huius vero Conſtantini Pontificatus exordio contigit creari Rauennatem Archiepiſcopum Felicem: qui Romam ex more ſe conferens vt conſecrationem acciperet ab ipſo Pontifice, profeſſionem fidei edidit, & obedientiæ ſponſionem. Sed rediens Rauennam, ciuium inſtigatione iterum ſe ſchiſmate ab Apoſtolica ſede diuiſit. Cuius rei cauſa in ipſum concitatus Imperator, Rauennam Theodorum Patricium cum exercitu miſit, qui capta ciuitate, rebelles bonis ſpoliauit, ac vinctos Conſtantinopolim miſit, vbi morte puniti ſunt, ipſeque Felix Archiepiſcopus oculis priuatus in Pontum relegatus. Hæc Anaſtaſius. Quæ quidem meruere Rauennates ab Imperatore perpeti, quod Exarchatus confiſi potentia, ſæpius contra Romanam Eccleſiam rebellantes, venia ſæpius obtenta abuſi eſſent. Porro defuncto poſt biennium Iuſtiniano; Felicem liberatum eſſe exilio, & licet cæcum Eccleſiæ ſuæ reſtitutum poſt præſtitam Pontifici Romano ſolitam obedientiam, idem Anaſtaſius tradit. Eumdemque egregia claruiſſe ſanctitate, ac miraculis etiam coruſcaſſe, auctor eſt Hieronymus Rubeus, qui copioſe proſecutus eſt res Rauennates. Ex eoque tempore conſtat eiuſdem ciuitatis Epiſcopos ſemper ſe & in omnibus Eccleſiæ Romanæ Pontificibus obedientiſſimos exhibuiſſe.

RAVENNATES DANT POENAS DE SCHISMATE ADVERSVS ECCL. ROM.

IVSTIN. RHINOT. iterum Imp. 6.

IESV CHRISTI AN. 709.

CONSTANT. AN. 2.

I. IVSTIN. IMP. ACCERSIT CONST. PP.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo nono, ab Indictione ſeptima inchoato, Iuſtinianus Imperator pœnitentiam agens (vt ait Marianus Scotus) acceſſit ab Vrbe Conſtantinopolim Conſtantinum Papam: quod hoc anno menſe Octobri, inchoata iam Indictione octaua, factum eſſe Anaſtaſius tradit, licet Scotus nona Indictione id accidiſſe ponat. Verum Anaſtaſio potius aſſentimur, cui reliqua bene conſentiunt, vt quæ dicentur oſtendent.

II. CONST. PP. ITER CONSTANTINOPOL.

Ceterum Conſtantino ſoluenti è Portu Romano, magnumque ſecum ducenti virorum Eccleſiaſticorum comitatum, hiemandum fuit Hydrunti, vbi honorificentiſſime, ſicut & in omnibus aliis locis in quos appellere cõtingeret, receptus eſt, quod dediſſet Imperator cunctis Magiſtratibus in mandatis, eodem illum honore ſuſcipere, quo ſuſcepturi eſſent in ipſum Imperatorem. Appellenti vero in Siciliam occurrens Theodorus Patricius graui languore detentus, eumdemque magna veneratione ſuſcipiens, confeſtim ſanatus eſt. Cum interim Ioannes Exarchus cognomento Rizocopus veniens Romam, iugulauit Paulum diaconum & Vicedominum, aliosque clericos atque inde pergens Rauennam, pro nefandiſſimis ſuis factis iudicio Dei turpiſſima morte occubuit. Hæc omnia Anaſtaſius.

III. Hoc eodem anno mortuus eſt Childebertus Tertius eius nominis Rex Francorum, vbi regnaſſet annis ſeptemdecim: inque locum eius ſucceſſit Dagobertus Secundus, qui regnum tenuit annis quinque.

IVSTIN. RHINOT. iterum Imp. 7.

IESV CHRISTI AN. 710.

CONSTANT. AN. 3.

I. CONST. PP. VENIT CONSTANTINOP.

ANno Domini ſeptingenteſimo decimo, Indictione octaua, ſoluens Hydrunto Conſtantinus Papa Conſtantinopolim peruenit, ibique ſummo honore exceptus eſt ab occurrentibus ei Tiberio Imperatore Iuſtiniani Auguſti filio, ac Cyro Patriarcha, & vniuerſo Senatu, populoque. Ipſe vero Iuſtinianus Nicææ in Bithynia tunc exiſtens, occurrit ei Nicomediam, quo cum Pontifex aduenisset, Imperator coronam in capite geſtans ſeſe proſtrauit ad pedes eius, eoſque oſculatus eſt, deinde in amplexum mutuum corruerunt: proxima autem die Dominica communicauit à manu eiuſdem Pontificis Miſſas ſolemniter celebrantis. Poſt quæ confirmatis Eccleſiæ Romanæ priuilegiis, ab inuicem diſceſſerunt. Hæc Anaſtaſius: eademque Anſelmus Lucenſis, vbi agit de poteſtate & primatu Romani Pontificis, ac longe ante eum Beda, & Marianus Scotus, aliique.

IMP. PROSTRATVS OSCVLATVR PEDES PONTIF.

II. Quid vero Conſtantinopoli per Conſtantinum Pontificem actum ſit, ſcriptorum inopia latet quidem: ex iis tamen quæ Anaſtaſius ſcribit in Gregorio Secundo Conſtantini ſucceſſore (nempe ipſum Gregorium, cum hoc tempore agens Apoſtolicæ ſedis diaconum, vna cum Summo Pontifice Conſtantinopolim aduenisset, optima reſponſione vniuerſis quæſtionibus de propoſitis capitulis pleniſſime ſatisfeciſſe:) ſatis datur intelligi, Conſtantinum vocatum fuiſſe ab Imperatore in Orientem, vt finis aliquis poneretur controuerſiæ de canonibus ad Quintam & Sextam Synodum ſuperadditis, deque his inter vtramque partem diutius altercatum eſſe, ſed primas retuliſſe Conſtantinum induſtria Gregorii diaconi, conſtitutiones antiquorum Patrum acerrime defendendis. Neq; enim his temporibus vlla alia vertebatur quæſtio inter Orientales & Occidentales, niſi de capitibus illis Synodi Quiniſextæ.

AD QVID VOCATVS CONST. AB IMP.

III. Quod autem ad Iuſtinianum Imperatorem pertinet, liquet ipſum hoc anno variis eſſe concuſſum motibus, ob rebellantes populos Cherſoneſi & Boſphori: de quibus crudeliſſimam vindictam exercuit, nec infantibus parcens, interfectis per diuerſa ſupplicia ſeptuaginta tribus hominum millibus.

DIRA VECTIO IMP. IN CHERSONENSES.

IV. Quo eodem anno, defuncto VVitiza nefario Hiſpaniarum Rege poſtquam regnaſſet nouem annos, ſucceſſit in locum eius Rudericus, ſiue Rodericus, filius Theofredi Ducis Cordubenſis (quem tyrannus VVitiza, ne ſibi poſſet obſiſtere, oculis priuauerat) nepos vero Cindaſvvinthi Regis. Ita quidem ex Tudenſi: qui ait Rudericum conſilio magnatum Gothicæ gentis, regnum ſuſcepiſſe Era ſeptingenteſima quadrageſima octaua, virum quidem belligerum, ſed moribus VVitizæ non abſimilem, facemque totius Hiſpaniæ, de quo dicetur inferius.

PHILIPPICI AN. I.

IESV CHRISTI AN. 711.

CONSTANT. AN. 4.

I. ECCL. SAXONVM ERIGI COEPTA.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo vndecimo, Indictione nona, Eccleſiæ *Saxonum* iaci cœperunt fundamenta per ſanctiſſimum virum Apoſtolicum Svvibertum Epiſcopum, de quo ſæpe ſuperius. Qui diuino monitu Coloniam veniens ad Pipinum Ducem, ab eo impetrauit vicum VVerdam in inſula Rheni conſtitutum, vbi nobili conſtructo monaſterio, inde quaſi ex forti munitione expugnauit refractarios Saxones, ad quos venit in abundantia benedictionis, in ſignis & virtutibus, potenſque in o-

miſſibus opere & ſermone: quæ omnia quomodo ſe habuerint, pluribus proſequitur Marcellinus in Rebus [a] geſtis eiuſdem S. Svviberti & ſociorum.

[a] *ap. Sur. 1. Mart. c. 34. & 35.*

II. Hoc eodem anno vigeſima quarta menſis Octobris, iam inchoata decima Indictione, Conſtantinus Papa Romam ex Oriente rediit, vt habet Anaſtaſius. Qui cum addat, poſt tres menſes ab ipſius reditu allatum fuiſſe nuncium de nece Iuſtiniani Imperatoris, vtique circa anni huius finem eam accidiſſe, poſſumus intelligere.

III. Cum igitur Iuſtinianus diram iam de Cherſonenſium rebellione vindictam ſumpſiſſet, & maiori adhuc excandeſcens ira, ad illorum omnium interitum denuo claſſem paraſſet, aduerſus eiuſmodi furorem ipſi ſe munientes, auxiliumque petentes à Chaiano Lazarorum Rege, nonnullos Iuſtiniani Duces doloſe intra Cherſonam admiſſos interfecerunt, Imperatoremque acclamarunt *Bardanem* PHILIPPICVM, qui à Tiberio Abſimaro ob rerum nouarum molitionem apud Cephaloniam inſulam relegatus fuerat, & poſtea à Iuſtiniano reuocatus vt præficeretur exercitui contra Cherſonenſes, rurſum ob tumultum apud eoſdem Cherſonenſes excitatum eiectus, ad Chaianum confugerat. Cum autem & alii poſt hæc miſſi ab Imperatore Duces, haud valentes debellare Cherſonenſes, ac timentes re infecta ad Iuſtinianum redire, ſe Philippico adiunxiſſent, tunc ille Conſtantinopolim properans, præmiſit Maurum Patricium aduerſus Tiberium Iuſtiniani filium adhuc puerum, & Eliam Ducem aduerſus ipſum Iuſtinianum.

PHILIPPICVS ACCLAMATVR IMP. ADVERSVS IVSTIN.

IV. Qui quidem Maurus inuentum ad Blachernas prope Conſtantinopolim in templo Dei-Genitricis Tiberium, altera manu columnam altaris tenentem, altera lignum S. Crucis, & in collo ſacras Reliquias geſtantem, eumdem inde abſtractum, fruſtra deprecante ipſius auia Anaſtaſia ad pedes Mauri vna cum puero prouoluta, extra limen eccleſiæ gladio iugulauit. Elias autem, qui ſocius exilii Philippico fuerat, cuiuſque filium Iuſtinianus in ſinu matris peremerat, ipſamque eius coniugem coquo natione Indo ignominiæ cauſa in matrimonium collocauerat, aduerſus eum progreſſus, primum promiſſa omnibus impunitate vniuerſum ipſius exercitum ad ſe traxit, mox vero furibunde Iuſtinianum aggreſſus, caput eius amputauit, quod ad Philippicum miſit, hic vero Romam vſque tranſmiſit. Hæc omnia Annales Græcorum. Ex quibus videas Iuſtinianum tamquam feram beſtiam humanũ ſanguinem ſitientem, atque ſupra modum in ſubditos debacchantem, iuſto Dei iudicio ſuo ſuorumq; ſanguine ſupplicium luiſſe. Cum alioqui & ipſe Philippicus Deo multipliciter inimicus eſſet, ob deprauatiſſimos vitæ mores, & hæreſis Monothelitarum propugnationem: quam quidem eo vehementius ſuſcepit, quod cuidam pſeudomonacho incluſo eiuſdem impietatis ſectatori acceptum ferret Imperium, cuius prædictionem ab eo habuiſſet, præmiique loco promiſiſſet Sextæ Synodi Oecumenicę abolitionem: vt conſtat ex narratione Theophanis atque Cedreni. Sed de hoc anno ſequenti.

CADES IVSTIN. ET TIBER. IMP.

PSEVDOMON. SEXTAM SYN. ABROGANDAM PETIT.

V. Quod pertinet ad res Italiæ: Anaſtaſii [b] teſtificatione liquet, veniſſe hoc tempore Romam S. Benedictum Archiepiſcopum Mediolanenſem, cauſam proſecuturum aduerſus Epiſcopum Ticinenſem, quem ſibi vendicare conabatur ſub ſua iuriſdictione Epiſcopum ſuffraganeum: ſed eumdem Benedictum cauſa cecidiſſe ait, eo quod à priſcis temporibus Sedis Apoſtolicæ Ticinenſis Epiſcopus immediate ſubiaceret. Habet illud ipſum Paulus Diaconus. Quam quidem controuerſiam, iterum atque iterum diuerſis temporibus excitatam, ſæpius iudicari contigit.

[b] *Anaſt. in Conſtant.*

LIS INTER EPISCOP. MEDIOL. ET TICIN.

IESV CHRISTI AN. 712.

PHILIPPICI AN. 2.

CONSTANT. AN. 5.

I. ANNO Domini ſeptingenteſimo duodecimo, Indictione decima, Philippicus ſtabilito ſibi Imperio morte omnium qui Iuſtiniano fauiſſent, ſtatim perficere eſt aggreſſus quod promiſerat de abolenda Sexta Synodo, quæ Monothelitarum hæreſim condemnaſſet: ad quod implendum eo maiori ſtudio mouebatur, quod qui ipſi Imperium prædixiſſet, hoc etiam veluti diuinum oraculum adieciſſet, fore & ipſi Imperium diuturnum, ſi id abſque mora ageret. Vt autem facilius hæc exequeretur, primum omnium Cyrum Conſtantinopolitanum Epiſcopum Orthodoxum è ſede dimouit, atque in locum eius ſuffecit *Ioannem* quemdam pſeudomonachum impietatis ſuæ ſocium. (Qui enim in eam ſedem ob mercedem prædictionis prouehendus fuerat, Incluſus ille, eodem ſupplicio quo Elimas [a] magus, à Deo percuſſus eſt cæcitate, magus & ipſe: vt eadem pœna teneret, quem eadem culpa damnaret.) Poſtea vero numeroſiſſimo Orientalium Epiſcoporum collecto *Conuentu*, damnauit Sextam Synodum Oecumenicam, & in ea ſancitam de duabus in Chriſto Voluntatibus & Operationibus ſententiam: contra vero condemnatam in ea Monothelitarum hæreſim & impium errorem de vnica voluntate & operatione confirmauit, & ab omnibus profitendum edixit. Hæc quidem tradunt Græcorum Annales ex Theophane & Cedreno.

PHILIPP.

IMP. AGIT DE ABOLITIONE SEXTAE SYN.

[a] *Act. 13.*

II. Sed & idem in impietate ſua ſibi complacens, cum ex more profeſſionem Catholicæ fidei mittere deberet ad Romanum Pontificem, miſit hæreticam & execratione dignam. Verum non ſolum eam Conſtantinus Papa conſtanter reſpuit: ſed & quas nefandus Imperator ſanctas ſex Synodos Oecumenicas pictura effigiatas Conſtantinopoli abradi præcepiſſet, ipſe Romæ in eccleſia S. Petri eleganti forma depingi curauit. Tantoque fidei zelo vna cum Clero Romano Populus accenſus eſt, vt ſtatuerit nequaquam Imperatoris hæretici nomen, aut diplomata, vel etiam imaginem monetæ inſculptam ſuſcipere: (vnde nec eius effigies ex more in eccleſiam introducta fuit, nec eius nomen ad Miſſarum ſolemnia prolatum.) cumque Petrus quidam Ducatum Romanæ Vrbis ab eodem Imperatore accepiſſet: contra ipſum iungens ſe populus Chriſtophoro veteri Duci, magnas Romæ turbas excitauit, quæ ad obitum Philippici perdurarunt. Habet hæc omnia Anaſtaſius in Conſtantino. Eadem vero de nomine Imperatoris hęretici exoſo & execrabili facto, tradunt Beda, Paulus [b] diaconus, & Ado [c] Viennenſis. Sed & ex iis quoque diſcas, Romanam Rempublicam gubernari his temporibus conſueuiſſe per Duces qui mitterentur ab Imperatore. Vnde & *Romæ Ducatum* dici ſolitum, patebit etiam inferius.

PONT. ROM. CVM CLERO ET POPVLO AGVNT ADVERSVS IMP. PRO FIDE CATHOL.

[b] *Paul. diac. l. 6. c. 33.* [c] *Ado in Chron.*

DVCATVS ROMÆ.

III. Hoc item anno defunctum eſſe Aripertum Regem Longobardorum, habet Francorum Chronicon ad Leges Salicas antiquitus ſcriptas additum: ex quo dicendum eſt, non annos duodecim regnaſſe (vt Paulus Diaconus tradit) ſed tantum octo. Poſt illum Anſprandus regno potitus eſt per tres menſes. Huic vero ſucceſſit Lvvithprandus ipſius filius (quem Inſcriptiones [d] antiquæ Leutbrandum appellant) tenuitque regnum, vt idem Paulus [e] tradit, annos triginta vnum & menſes ſeptem: qui autem ei tribuunt annos tantum viginti quinque, poſt annos quinque eius inchoant regnum: ſed erroris arguuntur cum ex aliis, tum ex eiuſdem Regis edicto de Legibus Longobardorum, lato anno ſequenti pridie Calendas Martii: vbi primum regni ſui annum iungit cum Indictione vndecima, quæ incipit menſe Septembri huius ipſius anni. Habet autem Oldradus Epiſcopus Mediolanenſis in epiſtola ad Carolum Magnum, eumdem Lvvithprandum hoc primo regni ſui anno confirmaſſe donationem, ſiue reſtitutionem, Alpium Cottiarum (in quibus etiam eſſet ciuitas Ianuenſis) ab Ariperto factam Eccleſiæ Romanæ.

[d] *Inſcript. in Append. pag. 1168.* [e] *Paul. diac. l. 6. c. 36.*

DE LVITPRANDI REGNI TEMPORE.

ANAST. II. AN. 1.

IESV CHRISTI AN. 713.

CONSTANT. AN. 6.

I. PHILIP. IMP. EIICITVR.

ANno Chriſti ſeptingenteſimo decimotertio, Indictione vndecima, Philippicus vbi annum & ſex menſes in Imperio habuiſſet, ipſa vigilia Pentecoſtes, poſt magnum conuiuium nobiliorib. ciuibus exhibitum meridie requieſcens, à Patriciis quibuſdam tentus & excæcatus eſt, ac poſtea in exilium eiectus: meritas dans pœnas de audacia, qua manus iniecit in res Eccleſiaſticas. Et quidē de re geſta conſentiūt, tam Græci quam Latini ſcriptores: ſed de tempore diſſentiunt, dum Paulus [a] diaconus vnum tantum annum & ſex menſes (vt diximus) Philippici Imperio tribuit: alii autem, inter quos Theophanes atque Zonaras, annos duos & menſes aliquot. Porro libentius conſenſerim Paulo, vtpote res ſui temporis ſcribenti: Præſertim cum id confirment Acta publica omni fide per Eccleſiæ notarium conſcripta [b], de curatione virginis arreptitiæ Romæ facta in eccleſia S. Ioannis Baptiſtæ ad Aquas Saluias, virtute Reliquiarum S. Anaſtaſii martyris Perſæ, quas illuc tranſlatas fuiſſe ſuperius dictum eſt. In quibus quidem Actis, cum eadem virginis curatio dicatur facta menſe Octobris Indictionis duodecimæ, annoque primo Anaſtaſii Imperatoris: inde manifeſte firmatur tempus expulſionis Philippici à Paulo poſitum.

a Paul. diac. l. 6. c. 34.

b Hæc Acta recitat Baro. Annal To. VIII. hoc anno digna lectu & conſideratione.

VIRGO ARREPTITIA LIBERATA VIRTVTE RELIQ. S. ANASTASII MART.

II. ANAST. IMPERAT.

Ceterum ita habito Philippico craſtino die, nēpe ipſa Pentecoſte, conuocato in magnam eccleſiam vniuerſo populo, coronatum eſſe *Artemium* eidem Philippico à ſecretis, dictumq; mutata appellatione ANASTASIVM, inter Imperatores eius nominis Secundum, Annales tradunt. Anaſtaſius [c] autem S. R. E. Bibliothecarius addit, eumdem confeſtim publicis ſcriptis editis profeſſorem ſe fidei Catholicæ ac Sextæ Synodi declaraſſe, ſuæq; profeſſionis literas ad Romanum Pontificem miſiſſe per Scholaſticum Patricium quem in Italiam legauit Exarchum. Conſtatque ex Theophane, Conſtantinum Papam continuo ad ipſum pro Reſponſis Eccleſiaſticis Apocriſarium direxiſſe Michaelem S. R. E. presbyterum Cardinalem. Pernecesſaria enim eiuſmodi videbatur eſſe legatio, vt Conſtantinopoli eſſet qui auctoritate Apoſtolicæ Sedis conciliaret Eccleſiæ Catholicæ pœnitentes Epiſcopos, qui vi aut metu conſenſiſſent pſeudoſynodo à Philippico celebratæ.

c Anaſt. in Conſtant.

APOCRISARIVS MISSVS CŌSTANTINOP.

III. DE TEMPORE INGRESSVS SARACEN. IN HISP.

Hoc eodem anno accidit multis ſæculis deploratus, vniuerſo terrarum Orbi ſuæ calamitatis immenſitate notiſſimus, ingreſſus Saracenorum in Hiſpaniam. Eſt namque Roderici Toletani Epiſcopi, atque recentiorum rerum Hiſpanicarum ſcriptorum conſtans aſſertio, id factū eſſe hoc ipſo anno. Vnus Tudenſis in ſequentem reiicit, quem numerat Era ſeptingenteſima quinquageſima ſecunda: collocat autem hoc anno ipſas proditorum patriæ & gentis ſuæ molitiones. Rem vero geſtam, quātum ad noſtrum inſtitutum pertinet, ex eodem Tudenſi, vtpote antiquiore, ſummatim narrabimus.

VI. PRODITIO HISP.

Hoc igitur anno, regni ſui tertio, Rudericus Hiſpaniarum Rex iniuriam patris ſui quem Witizas excæcauerat, vleiſcein eiuſdem Witizæ progeniem decernens, duos ipſius filios Furmalum & Erpulionem ex Hiſpania cum ſummo dedecore expulit. Hi ad Iulianum. Tingitanæ in Africa prouinciæ quæ Gothis parebat Comitem, Witicæ olim familiarem, ſe recipientes, cōſilium cum eo inierunt de vleiſcendis iniuriis ſuis per Saracenos qui maximam Africæ partem poſſidebant. Erat namque & ipſe Iulianus offenſus Ruderico Regi, quod idem Rex filia ipſius nomine Caua, quam ſub titulo coniugis à patre accepiſſet, tamquam pellice vteretur. Itaq; Iulianus occulte pariter hortatus Frācos, vt inuaderent Galliam Narbonenſem quæ Gothis adhuc parebat: in Regem ſe propenſiorem ſimulans, fraudulenter ei conſuluit, vt Hiſpaniam armis nudans, quam pleniſſima pace poſſideret, in Gallias ea & in Africam mitteret, vbi præſto eſſent aduerſus Francorum & Saracenorum inſultus. Fauebat & huic proditioni Oppa filius Witizæ, quem pater (vt diximus) præfecerat primariis Hiſpaniarum Eccleſiis Toletanæ & Hiſpalenſi.

V. SARACENI OCCVPANT HISPAN.

His igitur præuiis proditorum molitionibus, primo Vlit fortiſſimus Saracenorum in Africa Rex, Iuliani & filiorum Witizæ ductu Tariſſum Strabonem vnum ex ducibus exercitus ſui cum viginti quinque millibus fortiſſimorum militum in Hiſpaniam præmiſit: qui quidem vrbes muris nudatas inuenientes (eam enim cladem vniuerſæ Hiſpaniæ, tribus exceptis vrbibus, intuliſſe Witizam ſuperius vidimus) magna earū parte potiti ſunt. Aduerſus quos tamen Rudericus Rex arma quæ potuit colligens, per multos dies fortiter dimicauit, multaq; hoſtiū millia occidit. Donec Muza exercitus Africani Regis Princeps, cum infinita equitum peditumq; multitudine in Hiſpaniam irrumpens: poſt multa prælia, ac longam validamque Ruderici defenſionem, Gothos fugauit, & internecione deleuit: ipſoque Ruderico occiſo, vniuerſa potitus eſt Hiſpania: quando ex alia quoque parte Gothi in Gallia commorantes à Francis omnino conſumpti ſunt. Hæc Tudenſis, & poſt eum alii: qui tantam cladem lacrymis atque ſuſpiriis proſecuti ſunt in præſentem ferme diem. Etenim etſi vulnus ſanatum, haud tamen tutum ne male obducta cicatrix iterum recrudeſcat.

VI. QVÆ CAVSA RVINÆ HISP.

Quod autem pertinet ad cauſam tantæ Dei iræ: ſcimus ab omnibus oſtentari Ruderici incontinentiam, atq; iniuriam illatam filiæ Iuliani. Sed decipi penitus ipſos puto: haud enim tunc primum accidit, vt iſtiuſmodi commiſerint ſcelera Principes incontinentes. Altius itaque eadem cauſa petenda videtur: quæ quidem nulla maior afferri poterit, quā quod (vt ſuperius declaratum eſt) auerſione voluntaria deſciuiſſet ab Eccleſia Romana regnum Hiſpaniæ ſub Witiza: nimirum vt qui à ſuauiſſima Apoſtolicæ ſedis obedientia ſe ſubtraxiſſent Gothi, iidem crudeliſſimo Saracenorum iugo ſubderentur.

IESV CHRISTI AN. 714.

ANAST. II. AN. 2.

GREG. II. AN. 1.

I. CONST. PP. OBITVS.

ANno Chriſti ſeptingenteſimo decimoquarto, Indictione duodecima, die nona menſis Aprilis, *Conſtantinus* Papa vbi ſediſſet annos ſex menſem vnum & diem, ex hac vita deceſſit, & ſepultus eſt apud S. Petrum: magna ex Pontificatu bene perfuncto comparata ſibi gloria: quem inter alia quæ ſuperius de eo dicta ſunt, Anaſtaſius tradit penuriæ tempore nihil prætermiſiſſe officii in pauperibus ſubleuandis. Cuius ſedes cum vacaſſet (vt idem auctor ait) dies quadraginta, ſeu verius quadraginta duos, ſumma totius Cleri ac populi concordia, in eius locum ſubrogatus eſt die vigeſima Maii, GREGORIVS huius nominis Secundus, patria Romanus ex patre Marcello, antea diaconus, & S. R. E. Bibliothecarius, doctrina & ſanctitate inſignis. Ipſum autem hoc anno ſedere cœpiſſe, præterquam ex ipſo Anaſtaſio ſatis aperte colligitur, dum numerat ſedis eius annos ſexdecim menſes octo & dies viginti, mortuumque dicit vndecima Februarii Indictione decimaquarta: idipſum inſuper teſtatur Sigebertus, atque alii plures: ex quibus redarguas recentiorem [a] auctorem, qui eiuſdem Pontificatus initium ponit tantum poſt biennium.

GREG. PP. II.

a Tannin. in Faſt.

II. DE SYNODO LONDIN. OB CVLTVM IMAG. FALSA ASSERTIO.

Sub præſenti item anno recentiores quidam Chronographi recēſent *Synodum Londinenſem* in Anglia, de Imaginibus habitam: ſed alii in annum vndecimum, vel duodecimum, alii decimum ſupra ſeptingenteſimum referunt: cum tamen antiquiores ſcriptores, etiam qui res ipſas Anglorum ſunt proſecuti, de eiuſmodi Synodo nec verbum quidem. Sane haud crediderim, hęc præterire potuiſſe Bedam hoc ipſo tēpore ibidem in Anglia viuentem, ſi re vera fieri cōtigiſſent: aut ipſum noluiſſe ſcribere, cū longe minutiora ſcriptis inſeruerit. Sed nec ipſum argumentum ſubſiſtit: vel cauſa probatur tanta fuiſſe, quæ debuiſſet in controuerſiam deduci, vt & de iis conſuleretur Sum-

mus Pontifex Conſtantinus, & Synodus celebraretur. Dicunt enim Egvvinum quemdam monachum, deſignatum Epiſcopum, diuinitus admonitum fuiſſe vt Dei-Genitricis Imaginem in ſua eccleſia collocaret: rem autem in controuerſiam deductam, fuiſſe delatam ad Sedẽ Apoſtolicam: ac miſſum in Angliam à Conſtantino Papa Bonifacium Legatum, Concilium Londini celebraſſe, vbi probata viſione Egvvini, de cultu ſacrarum Imaginũ fuerit promulgatũ decretum. Sed quid oportuit in re in vniuerſa vbique Catholica Eccleſia iam ab ipſo eius exordio (vt vidimus) receptiſſima, hæc tam anxie perquirere? cum præſertim ex Beda [b] conſtet, cum ipſo ingreſſu religionis Chriſtianæ Imaginum ſacrorum vſum fuiſſe in Eccleſiam Anglicanam introductum? Quare cum his rationibus perſuaſi, tum quod iſta (vt diximus) maiorum teſtificatione careant: facile inducimur vt commentum eſſe putemus.

b Bed. hiſt. Angl. l. 1. c. 23.

III. Hoc eodem anno Pipinus de Herſtallo Maior Domus Franciæ, poſtquam eiuſmodi Præfecturam annis viginti ſeptem [c] adminiſtraſſet, mortuus eſt, relicto ſibi ſucceſſore filio ex pellice Alpaide *Carolo* cognomento MARTELLO, licet duos haberet filios legitimos ex Plectrude coniuge ſuſceptos, Drogonem, & Grimoaldum. Fuiſſetque inter Principes maxime pios adnumerandus (Conſtat enim ipſum inter alia præclare geſta, multa Eccleſiis bona contuliſſe, monaſteria erexiſſe, ſanctos viros coluiſſe, fidei propagandæ ſtudioſiſſimum fuiſſe, & alia id genus opera crebrius adimpleſſe) niſi illa de pellice eum valde denigraſſent. Quomodo autem ea ſe habuerint, nullus fidelius quam Marcellinus [d] presbyter, qui ea præ oculis habuit, deſcripſit.

c Aim. l. 4. c. 1. — *CAR. MARTELLVS.*

d In Vit. S. Swvibert. c. 25. ap. Sur. 1. Mart.

IESV CHRISTI AN. 715.

THEODOS IV. AN. I.

GREG. II. AN. 2.

I. S. GERMANVS EPISC. CONSTANTINOP.

ANno Domini ſeptingenteſimo decimoquinto, Indictione decimatertia, Anaſtaſii Imperatoris ſecundo nondum abſoluto, Ioannem Conſtantinopolitanum Patriarcham hæreticum in ordinẽ eſſe redactum, Theophanes affirmat, & in locum eius ſubrogatum *S. Germanum* Calendis Auguſti. Quod quidem hac ipſa huius anni Indictione decimatertia contigiſſe, aperte ex eodem auctore [a] colligitur, dum ait Germanũ ſediſſe annos quatuordecim menſes quinq; & dies ſeptem, deſiiſſe vero ſeptima Ianuarii Indictionis decimætertiæ: videlicet proximæ Indictionum periodi. Ipſum a. translatum fuiſſe tradit à ciuitate Cyzicena Conſtantinopolim, conſentiente vniuerſo Clero, Senatu, ac populo, necnon & Michaele Apoſtolicę ſedis Apocriſario. Delectus n. tãtus vir fuit, ob egregiam ipſius ſanctitatem & eruditionem: cum & inſuper generis nobilitate haberetur inſignis, vtpote natus ex patre Iuſtiniano Patricio: qui cum à Cõſtantino Pogonato Imperatore fuiſſet occiſus, eodem quoq; tempore ipſe Germanus eius filius caſtratus eſt, vt ſcribit Zonaras.

a Theoph. an. 13. Leon. Imp.

II. Inter hæc vero cum Saracenorum claſſis Alexandria in Phœnicem properaret ad ligna cypreſſina conficiendis nauibus incidenda, & Anaſtaſius Imperator claſſem ſuam vt obſiſteret miſiſſet: diſſenſione inter milites apud Rhodum orta, quæ pars præualuit, dum timerent Imperatorem ob admiſſum facinus, reuerſuri ad propria cum peruenilſent Adramyttum ciuitatem maritimam Æolidis, inuentum ibi indigenam hominem Theodoſium nomine, tributorum publicorum exceptorem; inuitum licet & latebras quærentem, Imperatoris nomen aſſumere coegerunt. Qui Conſtantinopolim poſt ſex menſium obſidionẽ proditione admiſſus, Anaſtaſium Imperatorem monaſterio incluſit. Hæc Theophanes, aliique. De quibus etiam agens Anaſtaſius Bibliothecarius in Gregorio, addit eumdem THEODOSIVM electum Imperatorem fuiſſe Catholicæ fidei propugnatorem: ideoq; protinus vt ingreſſus eſt Conſtantinopolim, reſtituiſſe Imagines quibus ſex Oecumenicæ Synodi depictæ erant, à Philippico impio Imperatore deletas: hocq; facto ita cõpreſſiſſe ora hæreticorum, vt omnis de fide quæſtio in ea vrbe ceſſarit.

ANAST. IMP. ABDICATVR, ET THEODOSIVS REGNAT.

III. Quod autem ſpectat ad res Vrbis Romæ: cum Longobardis maxime in votis eſſet ea potiri, Gregorius Papa illam munire mœnibus decreuit: nec tamen opus cœptum perfecit, quod inter hæc Cumano caſtro à Longobardis ſub pacis dolo perſuaſo, ad ipſum recuperandum adiecerit animum: quod & tandem magnis ſumptib. per Neapolitanos vi obtinuit, cum nec munerib. nec cenſuris impelli ad id reſtituendum Longobardi valuiſſent. Hæc pluribus Anaſtaſius, & Paulus diaconus. Ceterum Longobardorum Rex Lvvithprãdus infenſus Pontifici, repetiit ab Eccleſia Romana Alpes Cottias, quas Aripertus ipſi donauerat: verum pœnitentia poſtea ductus, eaſdem rurſus eidem Eccleſiæ confirmauit. Hæc iidem auctores, necnon Beda, aliiq; recentiores: quę Oldradus Epiſcopus Mediolanenſis in epiſtola ad Carolum Magnum facta tradit anno primo eiuſdem Regis Lvvithprandi.

DISCORDIÆ INTER ROM. ET LONGOB.

IV. Hoc eodem anno mortuus eſt Dagobertus Rex Galliæ, vbi imperaſſet annos quinque. In cuius locum Franci eleuarunt in regnum Danielem clericum, quem nominarunt Chilpericum eius nominis Secundum.

DANIEL CLERICVS REX GAL.

IESV CHRISTI AN. 716.

THEOD. IV. AN. 2.

GREG. II. AN. 3.

I. ANno Domini ſeptingenteſimo decimoſexto, Indictione decimaquarta, Gregorius Papa (vt auctor eſt Anaſtaſius) ad monachiſmi collapſi reſtitutionem, monaſteriorumque Romæ dirutorum, ac baſilicarum collabẽtium reſtaurationem adiecit animum. Ad quæ tempora pertinet, quod tradit Paulus [a] diaconus, *Petronacem* ciuem Brixianum diuino amore compunctum Romam veniſſe, hortatuq; Gregorii Pontificis Caſſinum adeuntem, monaſterium B. Benedicti à Longobardis ante centum & quadraginta ferme annos dirutum reſtituiſſe: & ſuſceptis ad ſe vndiq; venientibus monachis, patrem eis effectum, ſub regula eiuſdem Sancti viuere cœpiſſe. Mirum autem dictu, quanta mox fuerint propagata, eo in loco monachorum examina, inſtar apum quæ ex turgeſcentibus aluearììs prodeuntes in diuerſa loca ad fœtus multiplicationem volauerint. Sed & illud aſſeri iure poteſt, nullum vmquam toto Chriſtiano Orbe extitiſſe monaſterium, ex quo tot viri ſanctitate conſpicui atque doctrina, tanta numeroſitate ad regimen S. Apoſtolicæ Sedis adſciti fuerint: vt plane dici poſſit fuiſſe idem aliquando ſeminarium ſacrorum Antiſtitum: prout patebit inferius.

a Paul. diac. l. 6. c. 40. no. ea edit. — *PETRONAX RESTITVTOR MONASTERII CASSIN.*

II. Hoc item anno (vt Anaſtaſius ait) Theodo Dux Baioariorum ad Apoſtoli Petri Limina primus de eadem gente occurrit orationis voto. Cuiuſmodi ipſius peregrinationis meminis etiam Paulus [b] diaconus. Quo eodem tempore *S. Corbinianus* vir meritis inſignis, pariter è Germania Romam veniens ad eadem Limina Apoſtolorum: licet ſolitariam vitam delegiſſet, à Gregorio Pontifice coactus eſt Epiſcopus conſecrari: à quo & Pallium accepit, & Apoſtolatum omnibus vbiq; gentib. prædicandi Euangelium: qui tamen in Germaniam regreſſus, priuatim titulum Friſingenſis Eccleſiæ conſecutus eſt. Hæc autem quomodo ſe habuerint, eius in Epiſcopatu Friſingenſi ſucceſſor Aribo pluribus narrat, in eius Rebus [c] geſtis: quas etiam alius item Friſingenſis Epiſcopus Otho ſummatim eſt proſecutus. At de illo rurſum inferius.

b Id. l. c. 40. — *APOSTOLATVS S. CORBINIANI.*

c Ext. ap. Sur. 8. Sept.

III. Hic pariter annus conſignatur, quo in Anglia longæuum ſchiſma de Paſchatis celebratione ac ritu Tonſuræ clericalis (de quo ſępe dictum eſt ſuperius) à Scotis monachis Hienſis inſulæ, opera S. Egberti inſignis ſacerdotis Hibernenſis, penitus ſublatum eſt: quam rem geſtam fuſius narrat Beda [d]. Quo etiam auctore conſtat, hoc eodem anno mortuũ eſſe Ceolredum Merciorum Regem. Eum vero damnatũ fuiſſe ad pœnas æternas infernis ob ingentia ſcelera in vita commiſſa, ex defuncti homini in vitam reuocari certa teſtificatione narrat S. Bonifacius Archiepiſco-

SCHISMA ANGLIC. SVBLATVM. — *d Bed. l. 5. c. 23.* — *RELATIO HOMINIS REDIVIVI.*

pisco-

c Rec. Bar. Annal. To. IX. hoc an.

piſcopus Mogũtinus & Martyr, in inſigni epiſtola [c] de admirandis eiuſdem rediuiui hominis viſionibus Paradiſi, Purgatorii, & Inferni, ſcripta ad Eadeburgam virginem Deo ſacratam (quæ & Bugga dicta reperitur) affinem Regis Cantiorum.

IV. HISP. VASTATA A SARAC.

Hoc etiam tempore inualeſcentibus Saracenis, peccatiſq; populorum exigentibus, res Hiſpanicæ in deterius dilapſæ ſunt. Siquidem duæ præcipuæ ciuitates hactenus integræ conſeruatæ, Legionenſis & Toletana, ab iiſdem captæ, illa vi, hæc proditione Iudæorũ, miſerrime exciſæ ſunt: reſidui vero Gothi in ardua montium Pyrenæorum, Aſturiorũ, & Galleciæ, ſe receperunt: & Saraceni vniuerſæ iam Hiſpaniæ imperitantes, Cordubam ſibi regni ſedem elegerunt. Hæc ſummatim ex Tudenſi. Quanta porro mala, gens inimica Deo, Chriſtianæ religionis cultoribus, ac præcipue ſacerdotib. intulerit: ex threnis Sanctorũ, qui quę paterentur ſcripſère [f], facile eſt peruidere. Ex quibus & illud conſtat, ſiuiſſe Saracenos quæ remanſerãt templa aperta eſſe, & à Chriſtianis Hiſpanis ad libitum frequentari, quod magnam ex iis pecuniam corraderent: dum videlicet menſtrua ab eis tributa exigerent, vt quicquid in eccleſias conferretur oblatione Fidelium, totum in fiſcum inferretur Saracenorum.

f Vit. Eulog. Memor. Sanct. l. 1. & Samſ. Abbat. ap. Moral. reprof. ad Eulog.

LEON. ISAV. AN. 1.

IESV CHRISTI AN. 717.

GREG. II. AN. 4.

I. LEO ISAVRVS IMP.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo decimo ſeptimo, Indictione decimaquinta, octauo Calendas Aprilis, Theodoſius Auguſtus quietis potius quam regiminis cupidus, conſilio cum Germano Patriarcha & Senatu habito, Imperiũ ceſſit LEONI [a] Iſauro, eius nominis Tertio, eidemq; *Cononi* nominato, qui poſt obitũ Imperatoris Anaſtaſii (à quo fuerat Orientis Præfectura inſignitus) omnia molitus erat vt eo potiretur: quod ipſi adhuc adoleſcenti & humili loco nato impoſtores Hebræi prædixerant, ipſe vero eis pręmii loco iuramẽto promiſerat quicquid ſe facturum quod iidem poſtularent. Hæc Annales [b]: qui eundem Theodoſium vna cum filio ſuo clericum factum tradunt: Epheſiq; defunctum, atq; egregie dum viueret philoſophatum, poſt mortem etiã miraculis coruſcaſſe: ſuoque ſepulchro epitaphii loco hoc vnicum verbum inſcribi voluiſſe, SANITAS: vt videlicet deſignaret, virum fidelem per mortem tantummodo perfectam conſequi ab animæ paſſionibus ſanitatem.

a Baron. Annal. To. IX. ingreſſum Leonis poſuit Indict. 14. anno ſuperiori. Verum ipſum huius anni Indict. one. 8. Cal. Apr. imperare cœpiſſe, diſerte Theoph. ſcribit confirmaturq; ex pluribus epiſtolis Gregorii Papæ Secundi, quæ extant To. 3. Epiſt. Rom. Pont. & Tom. 3. Concil. vbi eadem calculi ratione numerantur anni eiuſdem Imp. cum Indictionibus. Ex quibus omnibus potius corrigenda videtur epiſtola illa, quam Baronius citat, quam ex ea totalis auctoritates mendaces arguantur. b Theoph. Cedr. Zonar.

Interea (vt iidẽ ſubdunt Annales) Maſalmas Princeps Saracenorum deſcendens in Aſiam Minorem, nullo negotio Pergamũ cepit. Decepitq; ciues ab impoſtore mago, horrendum diabolo ſacrificium immolarunt: dum videlicet inciſa muliere iam paritura, extractum paruulum in cacabo coquẽtes, in eiuſmodi deteſtabili ſacrificio omnes qui bellare volebant, dexterę manus ſuæ manicam intinxerunt: vt non ſit mirum, ſi traditi fuerint inimicis.

II. PERGAMENSIVM HORRENDVM SACRIFICIVM.

Quo pariter anno confeſtim ac Leo potitus eſt Imperio, nequid pręteřmitteret quod præſtare ſolerent Orthodoxi Imperatores, coronãdus à Germano Patriarcha, iurauit ſe fidem Catholicam illibatam in omnibus ſeruaturum: epiſtolamq; ſcribens, ad Gregorium Romanũ Pontificem, fidei ſuæ Orthodoxæ confeſſionem adiunxit, & ab eo Catholicam communicationem obtinuit. Cuius etiam ſuſceptæ ſunt Romæ magno honore imagines in prouincias mitti ſolitæ, quas *Laurata* nominare conſuerunt: atq; vt eædem reciperentur à reliquis Principibus Chriſtianis in ſignum pacis & beneuolentiæ, atque eiuſdem Gregorii opera curatum eſt. Hæc enim omnia ita geſta eſſe, teſtis eſt ipſe idem Pontifex in epiſtola quadam ad Imperatorem ſcripta, de qua dicetur ſuo [c] loco.

III. LEO IMP. SCRIBIT AD GREG. PP.

c Inſr. an. 726.

Paulo vero poſt, hoc ipſo anno Conſtantinopolitana ciuitas, obſidione Saracenorum arctiſſima ſub eodem Maſalma eorum Principe, in maximum eſt diſcrimen adducta, ſed liberata (vt ſępe alias) Dei-Genitricis auxilio, cui eam fuiſſe olim dedicatam dictum eſt alibi. Porro famoſa obſidio iſta, tum Græcorum tum Latinorum ſcriptis reperitur eſſe vulgata: quæ ſi Bedæ [d] ac Paulo [e] diacono huius temporis auctoribus credimus, triennio perdurauit: ſi vero Anaſtaſio [f], biennio. Sed viciniores Græci, & præcipue Theophanes, cœptam ponunt Indictione decimaquinta decimonono Calendas Septembris, ſolutam vero decimooctauo Calendas Auguſti Indictione ſequenti: qui quidem Theophanes, non nunc tantum, ſed ferme ſemper cum magnum aliquid à Deo conſecutum eſſe Conſtantinopolitanum populum tradit, id acceptũ precibus Sanctiſſimę Dei-Genitricis affirmat, nõ ob aliã cauſam quã quod celeberrimus illic eſſet eiuſdem cultus. Sed & de admiranda obſidionis ſolutione agens Gregorius Papa in epiſtola ad S. Germanum eiuſdem ciuitatis tunc temporis Patriarcham, ſignificat ſanctiſſimæ Deiparæ venerandam effigiem à ciuibus ſupra muros ſolemnibus ritibus circumductam fuiſſe, ſicque ab imminente periculo vrbem liberatam. Multis autem ac magnis, variiſq; cladibus terra mariq;, tam cœlitus quàm ab hominibus immiſſis, Saracenos tunc dire afflictatos eſſe, iidem auctores declarant. Quinetiam tantam gratiam conſecutos ciues, ſtatuiſſe pro ea celebrare annis ſingulis ſolemnes gratiarum actiones, conſtat ex Menologio Baſilii Imperatoris, vbi die decimaquinta Auguſti eius rei commemoratio ponitur. Sed his lætis alia triſtia Paulus diaconus & Anaſtaſius miſcentes, aſſerunt intra ipſam Conſtantinopolitanam ciuitatem trecenta millia hominum omnis ſexus & ætatis, peſte ac fame interiiſſe.

IV. CÕSTANTINOP. OBSESSA A SARACENIS.

d Bed. de ſex Æt. mu. e Paul. Diac. l. 6. c. 47. f Anaſt. in Greg. Sec.

OBSIDIO SOLVITVR OPE S. DEI GENITRICIS.

INGENS MORTALITAS CONSTANTINOPOLI.

Quod ad res pertinet Occidentales: hac decimaquinta Indictione mirum in modum per dies ſeptem Romam afflictatam eſſe ingenti Tiberis exundãtis alluuione, adeo vt in Via Lata ad vnam & ſemis ſtaturam excreuerit, pleraſque domos euerterit, agroſq; diſſipauerit, Anaſtaſius eſt auctor: meminitq; eiuſdem inundationis Beda [g], cum agit de peregrinationibus, quas his iiſdem temporibus multi Anglorum gentis, nobiles & ignobiles, viri & feminæ, Duces & priuati, necnon & Eccleſiaſtici, Romam ſuſcipere ſolerent ad Limina Apoſtolorum, cum muneribus offerendis S. Petro. Porro Dominum crebris Litaniis & orationibus Romanorũ placatũ, die octauo aquas ad proprium alueum reduxiſſe, idem Anaſtaſius tradit.

V. TIBERIS INVNDATIO MONSTRVOSA.

g Bed. de ſex Æt. ad ſi.

LEON. ISAV. AN. 2.

IESV CHRISTI AN. 718.

GREG. II. AN. 5.

ANno Chriſti ſeptingenteſimo decimo octauo, Indictione prima, Haumar Princeps Saracenorum, qui hoc anno expulſo Maſalma ſuſcepit habenas, adeo manifeſtam expertus Dei indignationem in cladibus ſuperiori ac præſenti anno acceptis, de quibus dictum eſt: vt populum ſibi ſubditum expiaret, omnibus vini potum inhibuit: & quos putabat Dei hoſtes, in Chriſtianos promulgauit edictum, quo recederent ab ipſorum religione, præmio immunitatis tributorũ facientibus, pœna vero mortis detrectantibus appoſita. Quin etiam auſus eſt literis tentare Leonem Imperatorem, vt à fide Chriſtiana recederet. Hæc Theophanes, & alii: qui & teſtantur, quamplurimos Chriſtianos haud conſentientes impietati, potius delegiſſe necari.

PERSECVTIO EXCITATVR A SARAC. IN CHRIST.

Quo pariter anno à Sergio Protoſpatario nouus Imperator *Artemius* erectus eſt in Sicilia. Sed miſſo à Leone Aug. Paulo Chartulario, Artemius igne incenſus extinctus eſt, ſumpto ſupplicio de rebellibus.

II. ARTEM. TYRAN. COMBVRITVR.

Quod ad res Occidentales: hoc eodem anno, vt Tudenſis numerat, Era ſcilicet ſeptingẽteſima quinquageſima ſexta, Aſtures omnes in vnũ collecti, ſuper ſe principẽ cõſtituerunt *Pelagium*, Regis Theodorici Spatariũ: quem in prægrandi ſpelunca loci natura munita degentem, cum Saraceni primum per Oppam Archiepiſcopum Toletanum Witizæ Regis filium blandis verbis, poſtea aperto marte per validiſſimum militum octoginta millium exercitum aperiiſſent: idem viginti illorum milia cum Duce

III. PELAG. REX ASTVR. INGENTI POTITVR VICTORIA OPE S. DEI GEN.

occidit,

occidit, Oppam cepit, reliquos fugauit, qui fere omnes in præruptis montium, & aquarum inundationibus diuinitus oppreſſi ſunt, ope & interceſſione ſanctiſſimæ Dei-Genitricis: cuius ideo memoriæ ſpelunca illa dicata eſt, dictaque *S. Maria de Couadonga*. Tanta vero clade Rex Saracenorum pudore ſuffuſus, ſimulque furore ſuccenſus, in eos quos ſecum habebat Hiſpanos rabiem cõuertens, Iulianum Comitem Tingitanum regni proditorem, & filios duos Witizæ, capite plecti iuſſit: diuino id Iudicio agente, vt ab eodem interficerentur ſcelerati, cui Hiſpanias prodidiſſent. Hæc Tudenſis [a], Rodericus [b], aliique Hiſpanicarum rerum ſcriptores. Eſtq; plane obſeruatione dignum, quod tam in Oriente Leo Imperator, quam in Occidente Pelagius, cum Dei-Genitricem aduerſus Saracenos inuocarunt, inſperatam conſecuti ſunt vtrobique victoriam.

a *Tudenſ. in Chron.*
b *Roder. l. 4. c. 2.*

IESV CHRISTI AN. 719.

LEON. ISAV. AN. 3.

GREG. II. AN. 6.

I. S. BONIFACII APOSTOLATVS AD GENTES.

ANNO Domini ſeptingenteſimo decimonono. Indictione ſecunda, Gregorius Papa *S. Bonifacium*, antea Winfridum dictum monachum & presbyterum natione Anglum, Romam venientem, Apoſtolico munere inſigniuit, quod ei ad prædicandum Gentibus Euangelium per omnem Germaniam credidit. Qui opus ſibi commiſſum exequens, primum Boioariorum fines perluſtrans in Thuringiam peruenit: audita vero Radbodi Friſonum Regis morte (de cuius inſenſiſſimo in Chriſtianos odio ſuperius dictum eſt) in Friſiam nauigauit. Vbi coadiutor accedens magno illi Traiectenſi Epiſcopo Clementi (ita ex Willebrordo à Romano Pontifice nominato) ei triennio in miniſterio verbi fidus comes inhæſit: ſed cum ab eo rogaretur Epiſcopus ipſi ſuccedere, renuens licentia petita receſſit: de quo plura ſuis locis inferius. Hæc modo ſummatim ex auctore [a], qui ex Wilibaldo Epiſcopo eiuſdem Bonifacii diſcipulo ipſius res preclare geſtas proſecutus eſt.

a *Ap. Sur. 5. Iun.*

II. RADBODI FRIS. REG. IMPIA IRRISIO, ET INFELIX EXITVS.

Quod autem de Radbodi Regis morte meminit: hoc anno eius contigiſſe obitum, aſſerit etiam Ionas monachus Fontanellenſis, qui eodem tempore vixit, reſq; geſtas [b] S. Wlfranni Senonenſis Epiſcopi ſcripſit. Ex quibus corrigas Sigebertum, qui ſuperiori anno contigiſſe ponit. Ceterum iſte Radbodus, inſignibus per eumdem S. Wlfrannum editis miraculis nonnihil permotus, vt ex acerbiſſimo Chriſtianorum perſecutore fieret Chriſtianus, cum iam etiam ad fontem ſacrum proceſſiſſet vt baptizaretur, hac arte pedem retraxit: Interrogato namque Wlfranno, vbi eſſet maior numerus Principum atq; nobilium gentis Friſonum, in illa cœleſti regione quam is prædicaret, an in ea quam tartaream vocaret: cum de hac aſſeruiſſet Wlfrannus, reſiliens Radbodus dixit non ſe carere poſſe conſortio prædeceſſorum ſuorum, nec velle cum paruo pauperum numero reſidere in illo cœleſti regno. Hæc Ionas: cui adſtipulatur Sigebertus, & alii auctores. Deniq; multis variiſq; eluſus preſtigiis diaboli miſerrimus homo mortuus eſt infeliciter abſque baptiſmo.

b *Ext. ap. Sur. 20. Mart.*

III. CÕSTANTINI COPRONYMI BAPTISMVS.

De rebus Orientalibus hoc tantum exhibent Annales Græcorum: præſenti anno, qui tertius numeratur Leonis Imperii, ei natum eſſe filium Conſtantinum, baptizatumq; in magna eccleſia octauo Calendas Ianuarias à S. Germano Conſtantinopolitano Patriarcha: cum vero dum baptizaretur ſtercus egeſſiſſet in ſanctum lauacrum, Germanum prophetice dixiſſe, *Conſtat Chriſtianis & Eccleſiæ maximi mali per eum efficiendi hoc ſignum eſſe futurum*. Hæc Theophanes, Zonaras, & alii omnes: aiuntq; eidẽ Conſtantino ob ſtercus ita egeſtum, *Copronymi* cognomen eſſe inditum. Quo pariter anno idem Theophanes tradit, Leonem decollari præcepiſſe Archiepiſcopum Theſſalonicenſem, quod vna cum Artemio aduerſus ipſum Imperatorem rebellaſſet: plurimamque coniuratorum factam eſſe Conſtantinopoli ſtragem.

IESV CHRISTI AN. 720.

LEON. ISAV. AN. 4.

GREG. II. AN. 7.

I. COPRON. INFANS CREATVR IMP. A PATRE.

ANno Domini ſeptingenteſimo vigeſimo, Indictione tertia, Leo Imperator filium ſuum CONSTANTINVM *Copronymum* infantulũ, ipſo S. Paſchatis die creauit Imperatorem: eumdemque ſolemnibus ritibus coronauit S. Germanus Cõſtantinopolitanus Epiſcopus. Quo pariter anno, ſecundo principatus ſui, Haumare Principe Arabum, qui perſecutionem aduerſus Chriſtianos indixerat, mortuo, reddita eſt pax Eccleſiis. Hęc Theophanes.

II. CAR. MARTEL. RES FRANC. MODERATVR.

In Galliis vero, mortuo quoq; hoc eodem anno [a] Raginfrido Maiore Domus Chliperici Regis, Carolus Martellus, potens armis, acer ingenio, animo ferox (cui cum eo iuge bellum pro principatu fuerat) res Francorum pro arbitrio moderans, Theodoricum in regni ſede conſtituit, mortuo iam anno ſuperiore Lothario Rege, cuius Carolus Maior domus erat: ſed aduerſarium magnopere ſenſit Eudonem Aquitanię Ducem cum quo fuit ei ſicut cum Raginfrido diuturnum bellum, quo tandem Eudo ſuperatus eſt.

a *Chron. Franc. ex Bibl. Pith.*

IESV CHRISTI AN. 721.

LEON. ISAV. AN. 5.

GREG. II. AN. 8.

I. CONCIL. ROM. ADVERS. ILLICITA CONIVGIA.

ANno Domini ſeptingenteſimo vigeſimo primo, Indictione quarta, Nonis Aprilis, à Gregorio Romano Pontifice congregata eſt Romæ apud S. Petrum SYNODVS Epiſcoporum viginti duorum: in qua editum eſt Conſtitutum [a], ſiue Decretum, aduerſus illicita ob cognationem ſpiritualem vel carnalem coniugia, & maxime aduerſus eos qui monachas, necnon mulieres Presbyteras & Diaconas (quę ſcilicet ex mutuo cõſenſu à viris ad eiuſmodi ſacros Ordines promotis relinquebantur, quæ & ipſæ tenebantur caſtitatem ſeruare: de quibus dictum eſt alias) vxores ducerent. Quod enim vulgatũ eſſet, Orientales in addititiis ſuis canonib. pſeudoſynodi Quiniſextæ ſtatuiſſe, ne qui aſſumerentur ad ſacros Ordines, cõiuges quas habebant dimitterent: in Occidente vero id non permitteretur: nonnullæ eiuſmodi feminarum, leuitate & procacia muliebri aliis ſe viris iungere præſumpſerunt: quos Synodus anathemati ſubiecit. Eademq; inſuper pœna mulctauit clericos, qui comã relaxarent. Sed de hac Synodo ille corrigendus eſt error, quo aſſeritur ſub Gregorio Tertio celebrata. Appoſitæ namq; notæ Indictionis quartæ, & anni ſecundi Imperii Conſtantini, nequaquam ſub Gregorio Tertio conuenire ſimul poſſunt.

a *Ext. To. 3. Concil.*

II. IMPOSTOR SYRVS MESSIAM SE FINGIT.

In Oriente vero, auctor eſt Theophanes Syrum quemdam impoſtorem ſimulantem ſe Chriſtum, ſeduxiſſe Hebræos, putantes eum vere eſſe Meſſiam. Quas quidem deceptiones ipſos à pſeudoprophetis ſæpe ſæpius paſſos eſſe, quæ ſuperius dicta ſunt docent.

IESV CHRISTI AN. 722.

LEON. ISAV. AN. 6.

GREG. II. AN. 9.

I. LEO IMP. INSECTATVR IVDÆOS ET MANICH.

ANno Chriſti ſeptingenteſimo vigeſimo ſecundo, Indictione quinta, Leo Imperator coegit Iudæos & Montanos baptizari. At Iudæi diluerunt baptiſmum, ſeque Catholicos ſimulantes contaminarũt fidẽ: Montani vero in domibus ſuis erroribus deputatis ſeipſos incẽderunt. Hæc Theophanes, atq; Cedrenus. Sed quinam hi fuerint *Montani* qui adeo baptiſmum exhorreſcerent, nos latet: Non enim intelligi poſſunt priſci illi Montani ſectatores, qui nequaquam baptiſmum reiiciebãt. Niſi forte dicamus Manichæos ſignificari, qui de ciuitatibus pulſi colerent montes. Scimus enim eumdem Imperatorem inſecutum eſſe Manichæos in Armenia degentes, quos

iam antea Conſtantinus Heraclii nepos, & Iuſtinianus Iunior grauiter exagitarant. Illam vero hiſtoriam Lucas Siculus, qui claruit ſub Baſilio Imperatore, & in illis regionibus verſatus eſt, ſtylo Græco proſecutus eſt.

II. Conuerſio Gentilium in German.

Quod ad Occidentalem pertinet Eccleſiam: hic annus eſt tertius quo recedens Bonifacius à Clemente Epiſcopo Traiectenſi, complures Friſorum, Cattorumque (qui contermini ſunt Saxonibus populi) ab idolorum cultu ad Chriſti fidem conuertit, eaque de re Gregorium Pontificem Romanum per literas certiorem fecit: vt hęc pluribus narrat auctor ex Willebaldo in Vita[a] ipſius Bonifacii.

a Ap. Sur. 5. Iunii.

IESV CHRISTI AN. 723.

LEON. ISAY. AN. 7.

GREG. II. AN. 10.

I. S. Bonifacius conſecratur Epiſcopus, et praſtat iuramentum Summo Pont.

ANno Chriſti ſeptingenteſimo vigeſimo tertio, Indictione ſexta, Gregorius Papa certior factus de Bonifacii in prædicatione Euangelii progreſſibus: illum Romam vocatum, poſt cõfeſſionem rectæ fidei & acceptum iuramentum tunc præſtari conſuetum ab omnibus ordinatis Epiſcopis, de obedientia ſibi ſuiſq; ſucceſſorib. Pontificibus Romanis exhibenda, & omni ſacræ fidei traditione exacte obſeruanda: hac ipſa Indictione ſexta, annoq; Leonis Imperatoris ſeptimo, eius vero filii Conſtantini quarto, conſecrauit in Epiſcopum, ac *Bonifacium* deinceps dici voluit, cum antea Winfridus appellaretur: remittenſque in Germaniam, cum litteris ſuis commendauit tum Carolo Martello Francorum regni hoc tempore moderatori, tum omnibus viris Eccleſiaſticis: ipſiſque etiam Principibus populiſque Germanię, tam Chriſtianis quam Gentilibus, illos ad perſeuerantiam fidei, hos ad eamdem ſuſcipiendam exhortans. Quæ omnia fuſius enarrat eius Vitæ[a] auctor ex Willebaldo: cognoſciturque id ipſum ex ſcriptis tunc à Gregorio Papa literis, quæ adhuc extant[b]. Vbi cum tot chronologiis conſignatum habeatur tempus ordinationis Bonifacii: ex iis corrigas eiuſdem Acta nuper edita[c], dum eum ordinatum eſſe à Gregorio Secundo anno ſeptingenteſimo trigeſimo octauo auctor affirmat: quo quidem tempore non Gregorium Secundum, ſed Tertium ſediſſe liquet.

a Ap. Sur. 5. Iunii.
b To. 2. Epiſt. Rom. Pont.
c Ap. Caniſ. Antiq. Lect. To. 4.

II. Origo hæreſis Iconoclaſtarum.

Dum autem hæc arguuntur quam feliciſſime in Occidente, exoritur infeliciſſime in Oriente monſtrum horrendum, quod diu cornibus ventilauit Eccleſiam Dei: nempe hæreſis ICONOCLASTARVM. Hoc enim anno ſeptimo Leonis Imperatoris, dux quidam Iudæorum ex Laodicæa maritimæ Phœnicis oriundus, nomine *Serantapicus*, ſiue *Sarantapechys*, homo pręſtigiator ac maleficus, & Eccleſię Dei hoſtis implacabilis, Gizido Saracenorum Principi, Haumaris ſucceſſori, promiſit effecturum ſe vt is triginta (ſeu vt alii habent, quadraginta) annos Principatũ retineret, ſi ſacras omnes Imagines ab eccleſiis Chriſtianorum quæ ſub ditione eius eſſent, auferri mandaret.

Gizidi princ. Sarac. edictum contra Imag.

Cui credens Gizidus, ſpe & deſiderio longioris vitæ, edictum continuo generale promulgauit, quo omnes omnino Imagines & picturas, ſiue eæ in tabulis, ſiue in opere muſaico, in parietibus, ſiue in vaſis ſacris, aut indumentis, & altaribus eſſent, expungi & auferri iuſſit: omneſq; inſuper ſtatuas, etiam quæ in foris ornatus gratia collocantur, diſiecit: miſſis Hebræis & Arabibus qui eaſdem comburerent, ipſaſque eccleſias, alias quidem calce, alias aliis coloribus dealbarent, vel incruſtarent. Hæc de origine Iconoclaſtarum breuiter ex Theophane, & Ioanne Vicario Orientalium Epiſcoporum in Oecumenica poſteriori[d] Nicæna Synodo. Ex quibus arguas eos, qui ante Leonis Imperium id factum volunt, vt Cedrenus: cum nonniſi ſub Leone illum Regem barbarum regnare cœpiſſe conſtet, nimirum poſt mortem Haumaris, quem ante triennium dumtaxat obiiſſe vidimus.

d Conc. Nic. II. Act. 5.

III. Damaſc. de hæreſ.

Sed de iiſdem Iconoclaſtis Ioannes Damaſcenus[e] agẽs, eos ita dictos ſcribit, quod cum ſanctas Imagines ignominioſe tractaſſent, eaſdem in minutiſſimas partes comminuerint, vel coniecerint in ignem: quæ vero in parietibus eſſent depictæ, partim aqua calida, partim calce, atramentoque obliterarint. Tradunt autem iidem qui ſupra Theophanes & Ioannes. Gizidum ſpe longioris vitę fruſtratum, intra annum & dimidium mortuum eſſe, ac poſt eius obitum in priſtinum honorem Imagines reſtitutas, eiuſq; filium Vlidum nomine, indignatum Iudæo Serantapico tamquã parẽtis interfectori, ipſum turpiſſima morte affeciſſe. Quomodo autem Leo Imperatori in tranſuerſum ipſe actus, eaſdem ſanctas Imagines aboleri iuſſerit, dicetur inferius ſuo loco. Interea vero tu hic conſidera, quibus gloriari poſſint anteſignanis hodierni Iconoclaſtæ, nempe Iudæis perfidis, atque impiis Saracenis.

Vnde dicti Iconoclaſtæ.

IESV CHRISTI AN. 724.

LEON. ISAY. AN. 8.

GREG. II. AN. 11.

I. Propagatio fidei per Bonif.

ANno Chriſti ſeptingenteſimo vigeſimo quarto Indictione ſeptima, S. Bonifacius Epiſcopus ordinatus à Gregorio Papa, rediens in Germaniam fidem Chriſtianam mirifice propagauit: ac præcipue apud Cattos, ſiue Heſſos, Gentilitiam ſuperſtitionem euertit, Thuringios in fide vacillantes confirmauit, hæreſes illic ſerpentes repreſſit, mores deprauatos correxit, eccleſias erexit, monaſteria conſtruxit, aliaque ingentia egit, quæ eius Vitæ ſcriptor[a] ex Wilibaldo diffuſe narrat. Quantis autem laboribus, quantaque omnium rerum penuria, hæc peregerit, teſtes ſunt variæ ab illo tunc temporis ſcriptæ epiſtolæ[b], & ad ipſum ab aliis redditæ, ac præcipue ex Anglia à gentilibus ſuis: quorum etiam ſæpe ſubſidiis veſtimentorum, librorum, aliarumq; rerum neceſſariarum, quibus inter agreſtes illos atque immites barbaros indigebat, adiutus eſt.

a Ap. Sur. 5. Iunii.
b Extant S. Bonifacii, & aliorum ad ipſum epiſtola in codd. m ſ ex quibus plures hoc & ſeqq. annis, necnon & præcedentibus viri de eod. Bonif. agentes, recitat Baronius lectu digniſſimas.

II. Dei vindicta in peccatores relapſos.

Eodem ferme tempore, cum S. Corbinianus Friſingenſis Epiſcopus perfunctus eſſet annis octo Epiſcopatus laboribus, amore quieti Romam venit ad Gregorium Pontificem, vt miſſionem ab eo onere peteret. Sed cum non obtinuiſſet, in Boioariam, rediens, Grimoaldum Ducem filium Theodonis acriter reprehẽdit, quod viduam fratris ſui Theodoaldi ſibi copulaſſet. Quæ quidem antiquæ Herodiadis ſequens exemplum, primo eidem Sancto inſidias ſtruere conata eſt: ſed poſtea pœnitentia vna cum Grimoaldo ducta, ambo ad pedes eius proſtrati, ſeparationem ab inuicem promittentes abſolutionem obtinuerunt. At cum rurſum ad vomitum rediiſſent, vlciſcente numine primo filius Grimoaldi extinctus eſt, deinde ipſe Grimoaldus ab inſidiatoribus interfectus: ſed & qui venenum ſancto Epiſcopo pellicis iuſſu propinare voluerat, lancea percuſſus interiit: ac denique ipſa pellex omni honore ac bonis priuata, vnicum aſellum ad ſubuectionem poſſidens in Italia vitam finiuit: ipſorumque liberi cum multa tribulatione & principatu & vita priuati ſunt. Hæc, aliaque pluribus narrat in Regibus[c] geſtis eiuſdem S. Corbiniani, Aribo ipſius in Epiſcopatu Friſingenſi ſucceſſor.

c Ap. Sur. 8. Sept.

IESV CHRISTITI AN. 725.

LEON. ISAY. AN. 9.

GREG. II. AN. 12.

I. Tranſlatio corporis S. Auguſt. e Sardinia Ticinum.

ANno Chriſti ſeptingenteſimo vigeſimo quinto, Indictione octaua, opera Lvvithprandi Longobardorũ Regis maxime pii, facta eſt Tranſlatio corporis S. Auguſtini ex Sardinia (quo ex Africa tẽpore Wandalicæ perſecutionis portatum vidimus) in ciuitatem Ticinẽſem, ſiue Papienſem: redempto ipſo magno pretio à Saracenis, qui eam Inſulam occupauerant. Rei vero geſtæ ſeries habetur in epiſtola[a] ad Carolum Magnum poſtmodũ ſcripta à Petro Archiepiſcopo Mediolanenſi, qui & Oldradus: vbi tum pompa tranſlationis, tum miracula in ea & poſt edita, necnon ipſius Lvvitphrãdi ſumma deuotio de-

a Rec. Baron. Annal. To. IX. eo an.

ſcribi-

ſcribitur. Ipſi autem translationi ſub Gregorio Papa Secundo factæ (licet de anno diuerſæ ſint ſententiæ) adſtipulantur præter Bedam, etiam Paulus Diaconus, Marianus Scotus, Sigebertus, & alii omnes recentiores hiſtorici. Cuius quidem dies relata in tabulas Eccleſiaſticas, pridie Calendas Martii anniuerſario cultu celebris perſeuerat.

II. Saraceni Gallias inuadentes ingenti prælio vincuntur a Carol. Martel.

Hoc item anno Chriſti ſeptingenteſimo vigeſimo quinto (vt habet vetus Chronicon à Pithœo editum) Eudo Aquitaniæ Dux in odium Caroli Martelli, Saracenos ex Hiſpaniis in Gallias euocauit: qui Burdigalam prætergreſſi, cunctis vbique locis vaſtatis, & eccleſiis igne crematis, baſilicam quoque S. Hilarii Pictauis incenderunt. Cumque pariter eccleſiam S. Martini Turonenſis incendere in animo haberét, occurrens illis cum exercitu Francorum Carolus Martellus, eoſdem maximo omniũ prælio deuicit, quo vna cum ipſorum Rege Abdirama occiſa ſunt trecenta quinquaginta (ſiue, vt alii habent, trecenta ſeptuaginta quinque) Saracenorum millia, Francis dumtaxat mille & quingentis deſideratis. Hæc quidem aſſerta habentur in eodem Chronico, necnon in Appendice ad Gregorium Turonenſem: itemque à Paulo [b] diacono, Anaſtaſio Bibliothecario, Mariano Scoto, aliiſq; recentioribus qui proſecuti ſunt res Francorum. Ex quibus etiam conſtat, hæc de prælio contigiſſe anno ſequenti: ſed & in eo ipſum Eudonem in Saracenos irruiſſe, & quamplurimos occidiſſe: ea puto ex cauſa, quod contra pacta conuenta illi loca ſancta flammis abſumpſiſſent.

b Paul. diac. lib. 6. c. 46. c Anaſt. in Greg. Sec.

III.

In Germania vero Bonifacius (vt habet [d] auctor Vitæ ipſius ex Wilibaldo) videns multam extare meſſem Euangelicam, ſed operarios paucos: ex patrio ſolo, nimirum ex Anglia, atque etiam aliunde, diuerſis temporibus acciuit non modo viros religioſos & eruditos, ſed & probatas ſanctitate feminas, quibus exemplo Apoſtolorũ vteretur velut diaconiſſis, quas præficeret monaſteriis & per quas facilius Gentiles feminæ mutua conſuetudine allicerentur ad fidem. Quinetiam vt quam exactiſſimam monaſticam diſciplinam Germaniæ populus traderet: ad ipſum fõtem, nimirum ad monaſterium Caſſinenſe, miſiſſe Sturmum diſcipulum ſuum, vt eam illic perfectius diſceret: teſtis eſt Rudolphus Rabani diſcipulus in Rebus [e] geſtis S. Liobæ, vnius ex mulieribus, quas Bonifacius ex Anglia in Germaniam accerſiuit.

d Ap. Sur. 5. Iunii.

S. Bonif. monachiſmi inſtitutor in German.

e ap. Sur. 28. Sept.

Leon. Isav. an. 10.

IESV CHRISTI AN. 726.

GREG. II. AN. 13.

I. Leon. Imp. edictum aduerſus ſacras imag.

ANno Chriſti ſeptingenteſimo vigeſimo ſexto, Indictione nona, decimo Imperii Leonis anno, ipſe magno rugitu publicum promulgauit edictum, vt ſacræ vbiq; delerentur Imagines. Scimus Theophanem, Cedrenus, & alios hoc in annum eiuſdem nonum referre: at in Actis Stephani Iunioris martyris, quia apud S. Ioannem Damaſcenum extant omni fide conſcripta, factum dicitur anno decimo: quod & Zonaras teſtatur: redditurq; manifeſtum ex Beda huius temporis ſcriptore accuratiſſimo, dum in libro de Sex Ætatibus, quem perduxit vſque ad nonum eiuſdem Imperatoris annum, nihil penitus habet de eiuſmodi edicto: quod alioqui magno fragore, fulminis inſtar, vniuerſo ſtatim innotuit orbi, eo quod nondum tale quippiam promulgatum eſſet.

II. Ex Hebræis Iconoclaſta.

Qua vero ratione acciderit, vt qui antehac ob omnibus fuiſſet Catholicus exiſtimatus, Leo Imperator, vno veluti momento viſus ſit hæreſiarcha Iconoclaſtarum: omnes æque conſentiunt, id opera factum Hebræorum impoſtorum, quibus ipſe (vt vidimus) in præmium prædictionis Imperii iuramento ſe obſtrinxerat, quicquid ſe facturum quod iidem poſtularent (quamuis ſit in eo diuerſa auctorum ſententia, quod id anno ante promulgatum edictum Hebræos operatos eſſe alii dixerint, alii vero exordio Leonis Imperii ab eis tentatum: ipſumq; eis aſſenſum eſſe, ſed in hunc vſq; annum facinus continuiſſe ſecretum, timentem illud prodere quod præuideret omnibus execrabile futurum: cum & alioqui numquam hactenus accidiſſet in Eccleſia Dei, vt cum multi fuiſſent Imperatores hæretici, ex iis aliquis extitiſſet hæreſiarcha. Porro ipſum hæreſim ſuam præcipue diſſeminaſſe per *Theophilum* Metropolitanum Nacoliæ in Phrygia, querela fuit Orthodoxorum in Nicæno Concilio poſteriori: in tantum vt etiam ab impietate huius ſumpſiſſe originem tradant. Quod quidem ita verum eſt, ſi ratio tantum habeatur Epiſcoporum: ceterum ipſe Imperator primus auctor ab omnibus declamatur: & in Actis S. Stephani ſcribitur, eum accita coactaq; Senatorum claſſe impium illud edictum euomuiſſe: more videlicet hæreticorum Principum, vt in Senatu non in Eccleſia de dogmatibus fidei agant, ac pro arbitrio definiant, inconſultis Religionis Chriſtianæ Antiſtitibus. Ei vero inſuper acceſſiſſe inſignem eiuſdem impietatis complicem, *Beſer* quemdam apoſtatam, ex Chriſtiano factum Arabum dogmatum ſectatorem, Theophanes [a] tradit.

Imperator Hæreſiarcha.

a Theoph. an. 8. Leon.

III. Vanus prætextus Imperatoris.

Habent autem eadem Acta S. Stephani apud Damaſcenum, quod cum ingens à plebe tumultus ob hæc Conſtantinopoli excitatus eſſet: vbi id Imperator ſenſit, excuſauerit non eo ſe ſpectaſſe, vt Imagines prorſus delerentur, ſed ſublimiori loco collocarentur, ne ore quiſquã eas contingeret, atque ita eis quodammodo contumeliam inferret. Qua quidem techna id moliri curabat (ſicut eadem Acta declarant) vt Imagines lõge ab oculis remouendo, paulatim in deſuetudinem honoris inciderent. Oſtendunt enim iſta, fuiſſe eas in Conſtantinopolitanis eccleſiis non ſolum viſui præſentes expoſitas, ſed poſitas deorſum vt exoſculari quilibet eas poſſet. Addunt inſuper, ſanctiſſimum Germanũ Patriarcham fortiter eidem Imperatori reſtitiſſe, ac multis ſuaſionibus tam per ſe, quam per alios conatum eſſe illum à nefando propoſito reuocare, cum econtra Imperator ipſum multis blanditiis ad ſe allicere tentaret.

IV. De oborta hæreſi conſilium Dei.

Acciditq; illud plane mirandum, vt quæ hæreticorum crebrius infecta venenis Orientalis Eccleſia penitus elanguerat, ea mox huius ipſo tantummodo conſpectu impietatis ſpiritus ſumpſerit, aduerſus eam totis viribus certatura. Ex quo quidem certamine licet multi facti ſint deſertores, dicere tamen auſim, numquam eam Eccleſiam viſam eſſe adeo illuſtrem, quam cum aduerſus Iconoclaſtas bellum iniit: quippe quæ numquam tot tantiſque fuerit decorata martyribus. Quinimmo & illud aliud inſigne bonum inde elicuit Deus, vt & alii hæretici pugnantes ſimul cum Orthodoxis aduerſus communes omnium hoſtes, iunxerint ſe Eccleſiæ Orthodoxæ. Siquidem Monothelitæ Orientem iugiter infeſtantes, ex hoc tempore fere ſiluiſſe noſcuntur. Sed & acciderunt hoc itidem anno ibidem portenta, ex quibus, ſi ſapuiſſet, facile potuiſſet Leo tamquam à Deo monitus à cœptis deſiſtere. Etenim æſtiuo tempore inter Theram & Theraſiam Cycladas Inſulas, primo vapor vt ex camino ignis viſus eſt ebullire ex profundo maris per aliquot dies, qui paulatim incraſſatus & dilatatus totus igneus apparuit: poſtea vero petrinos pumices grandes & cumulos quoſdam tranſmiſit per vniuerſam Minorẽ Aſiam, & Leſbon, & Abydum, & maritima Macedoniæ, adeo vt etiam tota ſuperficies maris iiſdem contegeretur: in medio autem tanti ignis noua repente inſula ex terræ congerie facta, inſulæ quæ Sacra dicitur copulata eſt. Narrat hæc Theophanes. Tali vero portento præuio decebat hæreſim, tamquam nouam furiam apparere, quam infernus vna cum globis igneis euomeret.

Portentum igneum in mari.

V. Dira perſecutio in defenſores imag.

Sed nihil melior aut mitior his redditus Leo, ſæuiens aduerſus eos qui pro ſacrarũ Imaginum defenſione eius ſe furori opponerent: cum iidem quoſdam regios homines (inquit Theophanes) qui Saluatoris deponerẽt Imaginem quæ ſuper magnam æneam portam cernebatur, occidiſſent: ipſe multos ex populo membrorum detruncationibus, & flagris & exiliis, & rerum iacturis, maximeque eos qui nobilitate ac verbo clari eſſe viderentur, affecit: ita vt etiam eruditionis ſcholas à Conſtantino Ma-

gno

Digitized by Google

BREVIS AD IMP. BIBLIOTHECARII CŪ BIBLIOTHECA.

gno eo vſque ſeruatas extingueret. Sed hæc de Scholis dilucidius tractans Conſtantinus Manaſſes & ipſe Græcus hiſtoricus, ait eumdem Imperatorem, quod nec minis nec muneribus valuiſſet in ſuas partes trahere Bibliothecarios (quos tantæ auctoritatis fuiſſe tradit, vt ne ipſi quidem Imperatores noui quicquam agendum ſibi putarent illis in conſilium non adhibitis) furore percitum, igne admoto eoſdem omnes incendiſſe, vna cum ipſa Bibliotheca, tricena & tria voluminum millia complectente: inter quæ vnum erat admirabile, confectum ex draconis inteſtino, in quo erant ſcripti libri Homeri tam Ilias tota quam Odyſſea. Hæc Conſtantinus: traduntque eadem Zonaras, Cedrenus, Glicas, & alii. Porro de Imagine Saluatoris, cuius ex Theophane meminimus, Acta S. Stephani Iunioris tradunt, quod cū eam Leo deiiciendam præcepiſſet, iamq; ad hoc facinus perpetrandū miſſus ſatelles impoſita ſcala conſcenderet: diuino zelo incenſæ mulieres arreptam manibus ſcalam in terram ſimul cum ipſo aſcenſore deiecerint, qui eo caſu mortuus eſt: ipſæ vero mulieres vna cum pluribus aliis tam viris quam feminis internecioni datæ martyrium feliciter conſummarunt.

EGREGIVM FACINVS FEMINAR. ORTHODOX.

RELIQVI PRINCIP. CHRIST. RENVNCIANT AMICITIÆ IMP.

Tuncq; & illud memoria dignum contigit (quod tradit Gregorius Papa in epiſtola ad Leonem) vt reliqui Chriſtiani Principes, cum à ſuis qui Legatorum munere Conſtantinopoli apud eumdem Imperatorem fungebantur, accepiſſent eum ſic inſaniiſſe in ſacroſanctā Saluatoris Imaginem: mox omnes conuerſi aduerſus imagines ipſius Imperatoris, eas omnis generis ludibrio & ignominia affecerint, atque in ipſum Imperium commoti fuerint.

VI. GERM. CONST. SCRIBIT AD GREG. PP.

Poſtquam autem Germanus Conſtantinopolitanus Epiſcopus ipſo hæreſis exordio fortiter Imperatori reſtitiſſet, nihil ipſum antiquius habuiſſe, quam vt de iis quæ accidiſſent Conſtantinopoli certiorem redderet Gregorium Romanum Pontificem; conſtat ex litteris Gregorii ad ipſum redditis, quæ recitatæ reperiūtur in poſterīi Nicæna [b] Synodo: ex quibus etiam liquet, longe acriora ſuſcepta fuiſſe ab eodem Germano prælia aduerſus Imperatorem, quibus cum manus dare coegerit: licet poſtea ſic proſtratus maiori furore ſurrexerit. Sed & ad euellenda venenatæ hæreſis germina, Gregorium Romæ SYNODVM conuocaſſe, & in ea pium ſacrarum cultum Imaginum ſancito decreto firmiter roboraſſe: docet vnicum ipſius Synodi, quod extat fragmentum recitatum ab Hadriano Romano Pontifice in epiſtola ad Carolum Magnum. Traditque Zonaras, eodem Concilio dictum eſſe anathema Imperatori, omnibuſq; Iconoclaſtarum hæreſis ſectatoribus.

b *Conc. Nic. II. Act. 4. & inter epiſt. Greg. II.*

CONCIL. ROM. PRO CVLTV SACRARVM IMAG.

VII. GREG. PP. PRO IMPERIO LABORAT.

Sed quod tam ipſe, quam alii Græcorum hiſtorici, affirmant eumdem Pontificem fœdere cum Francis inito, prohibuiſſe ne amplius tributa Leoni ex Italia penderentur: ex odio iſtud atque inuidia in Romanam Eccleſiam dictum eſſe ſcias, ſolitis Græci ſchiſmaticis iacturam factam Occidentalis Imperii in Romanum Pōtificem retorquere. Tantum enim abeſt vt Italos Gregorius ad defectionem contra Imperatorem his temporibus ſollicitauerit, vt potius magnopere laborauerit eoſdem aduerſus Imperatorem ob nouæ hæreſis inuentionem & propugnationem rebellare decernentes, in officio continere: adeo vt aduerſus Luitprandum Longobardorum Regem (qui zelo fidei ductus ſacrilego Imperatori bellum indicens, Rauenna capta, & claſſe deſtructa, ad aliarum ciuitatum inuaſionem properaret) tum alios Italiæ populos tum Venetos commouerit: eorumq; opera & Rauennam Exarcho reſtituerit, & Longobardos ad ſua repulerit: vt de his omnibus perſpicue apparet, tam ex Paulo [c] diacono & Anaſtaſio [d], quam ex literis ab ipſo Gregorio ad Vrſum [e] Ducem Venetiarum, aliiſq; ad eumdem Imperatorem ſcriptis, de quibus poſtea. Sanctiſſimus enim Pontifex cupiens beneficiis potius Imperatoris animum delinire, quam auſteritate cenſuræ Eccleſiaſticæ exaſperare: omne remedium ante experiri tentauit, quam ab Orientali ſcindere Imperium Occidentale.

c *Paul. diac. l. 6. c. 48.*
d *Anaſt. in Greg. Sec.*
e *Ext. in Chron. Andr. Dandulo*

VIII. Sed ingratus imperator, vt impius mala pro bonis rependit. Quod enim ipſum benigne primo commonitum, in errore adhuc perſeuerantem Gregorius paulo acrius corripuiſſet: magno Leo furore cōmotus, literas ad eum reddidit comminatorias fore vt ſicut olim Martinus Papa per Conſtantem Imperatorem relegatus fuerat Cherſonam, ita & ipſe Gregorius relegaretur: adiecitq; inſanus, ſe miſſurum Romam qui Imaginem æneam ſanctiſſimi Apoſtoli Petri confringeret.

LEO RVGIT ADVERSVS GREG. PP.

GREG. RESCRIBIT AD IMP.

Quibus acceptis Gregorius literis, alias ipſe reſcripſit dogmaticas, eaſdemq; reprehenſionib. aculeatas: quo nomine, etiam apud Orientales omnes ſummam ſibi laudē & gloriam comparauit, vt ex Theophane aliiſque patet. Sed periere iſtæ penitus apud Latinos: apud Græcos a. cōſeruatæ [f] fuere Græce, eædemque hac ipſa Indictione nona conſcriptæ, tanto reuera Pōtifice dignæ, ac multa eruditione & doctrina ſacrarum Imaginum refertæ. Corrigendus tamen in earum inſcriptione error (quo etiā pleroſq; Græcos auctores, & poſt eos nonnullos Latinos hallucinatos eſſe reperimus) dum hic ipſe Gregorius nuncupatur *Dialogus*: quod cognomen Gregorii illius Magni eſſe apud Græcos, ex quo Zacharias Pontifex eius Dialogos in Græcum ſermonem cōuertit, cōſtat ex Græcis [g] atq; Latinis [h] auctoribus: nimirum vt à Thaumaturgo, Nazianzeno, Nyſſenoq; diſtingueretur.

f *Recitat binas eiuſmodi literas Gregorii, Baron. Græce & Latine, Annal. To. IX. hoc an. numquam antea excuſas.*
g *Damaſc. orat. de fidel. defun. Euthym. & Euchol. Græc. c. 96.*
h *Sigeb. an. Chr. 605.*

IX. IMP. LEGATOS ROM. PONT. IN EXILIO MORI COGIT MOLITVR QVOQVE NECEM GREGORII.

Ceterum Gregorius de quo modo agitur, non ſolum eiuſmodi literas dedit ad Leonē Imperatorem, ſed & Legatos miſit per quos eum ab errore reuocaret. Verum immitem barbarum contra ius gentium eoſdem detruſos in carcerem exilio damnaſſe, & ibi mori coegiſſe, teſtantur literæ Nicolai Romani Pontificis ad Michaelem Imperatorem. Sed & decernens ipſum Gregorium neci tradere, id non ſemel, ſed ſæpiſſime per varios duces ſuos, ſiue in Italia iam exiſtentes, ſiue illuc Conſtantinopoli miſſos, tum vi tum dolo pertentare non ceſſauit: effeciſſetq; niſi Romani ciues, Venetique, necnon ipſi Longobardi Romanæ alioqui Vrbis perpetui inimici, egregium edentes ſpecimen amoris & obſeruantiæ erga communem omnium parentem, pro ſalute Pontificis inuigilaſſent aduerſus Imperatoris magiſtratus, quorum multos occiderunt, alioſque expulerunt, paucis per ipſum Pontificem, harum violentiarum minime conſcium, ab imminente periculo ereptis. Sed & cum rurſum Imperator rabiem ſuam euomens, Edictum aduerſus ſacras Imagines quod in Oriente promulgauerat, miſiſſet in Occidentem: ipſeque Gregorius ei fortius reſiſtens, de vitanda eiuſmodi impietate omnes vbiq; Chriſtianos literis ſuis admonuiſſet: atque inde vniuerſa Italia Conſilium iniiſſet de eligendo ſibi nouo Imperatore, & iunctis copiis ad exturbandum tyrannicum Principem Conſtantinopolim properando: nihilominus his adhuc conatibus obſiſtēs Pontifex, eorum impetum cohibuit orationibus ipſe quotidianis, ieiuniiſque, & litaniis incumbens pro conuerſione Imperatoris, atque Imperii conſeruatione. Hæc quidem omnia exacte Anaſtaſius [i]: quę non hoc anno tantum, verum & ſequenti eſſe peracta noſcuntur.

GREG. BONVM PRO MALO REDDIT.

i *Anaſt. in Greg. Sec.*

X. GREG. FŒDVS CVM FRANCIS INIT.

Sed cum poſthæc tanta, videret Pontifex ſe fruſtra laborare vt ab hæreſi Imperatorem reuocaret, in deterius iugiter prolabētem: tunc demum accidit quod aiunt Cedrenus, Zonaras, & alii, ipſum Gregorium cum Francis iniiſſe fœdus. Nam & illis conſentiens auctor huius temporis in [k] Appendice poſita ad Gregorium Turonenſem, miſſos ait eadem re legatos, cum muneribus ſacris clauium & catenarum S. Petri, & oblatione Romani Conſulatus, ad Carolum Martellum ingentis nominis Ducem Francorum, vt ſi opus eſſet in Italiam ſe conferret, ſuſciperetque pro Romana Eccleſia defenſionem aduerſus impugnantem eam Imperatorem. In Francis enim erga Romanam Eccleſiam firma fides atque conſtantia ſæpe cognita, vt Carolum ita ſibi conciliaret Pontifici ſuaſerunt. Nec fuit ſpes inanis: Siquidem vbi tantum innotuit Orienti, Francos Romani Pontificis defenſionem ſuſcepiſſe, mox fuit ab eius perſecutione ceſſatum.

k *Append. ad Greg. Turon. c. 110.*

XI. ANGLORVM FREQVENS PE

Dum autem ita omnia perturbaret Leo Imperator, ex alia parte Hvv Rex Britanniæ, Ceadualiæ in regno ſucceſſor, atque in religione imitator: relicto & ipſe regno, ad

PEREGRINATIO AD LIMINA APOST.

l Bed. l. 5. hiſt. c. 7. in fi. m Vid. Act. l. ſt. Canſ. To. 4. Porro agit de his Baron. Annal. Tō. IX. an. 750. ſed poſtea in hūc annum 726. remiſit n ap. Sur. 7. Febr. o ap. Canſ. vbi ſup.

Limina Apoſtolorum Romam peregrinatus, monaſticam ibi vitam amplexus eſt. Teſtatur hoc Beda [l]: idque ipſum his Gregorii Papæ temporibus, plures de gente Anglorum certatim facere conſueuiſſe aſſerit. Inter quos fuiſſe reperitur [m] S. Richardus genere & rebus clarus, pater SS. Wilibaldi & Winibaldi diſcipulorum S. Bonifacii, atque S. Walpurgis virginis: qui nuncio remiſſo ſæculo, primo ad S. Bonifacium Germanorum Apoſtolum, inde Romam adueniens, poſteaque loca magis deuia quærens, tandem poſt multas fortiter toleratas voluntarias ærumnas, Lucæ in Italia ſancto fine quieuit, ac miraculis poſt obitum coruſcauit. Sed perperam in eius epitaphio recētius [n] ſcripto Rex appellatur, quem antiquiora [o] monumenta docent fuiſſe duntaxat nobilem prædiuitem.

XII. S. BONIF. CŌSVLVIT APOST. SEDEM.

p Int epiſt. Greg. III. ep. 4.

Ad huius etiam anni finem, idem Bonifacius Gregorium Papam de nonnullis ſibi dubiis occurrentibus in rerum Eccleſiaſticarum tractatione cōſuluit; ad quæ mox Pontifex reſponſiones ſuas remiſit, quas tu pro libito perlegas. Extant enim ipſæ eius literæ; ſed male poſitæ ſub Gregorio [p] Tertio, quæ ex Indictione & annis Imperatorum in eis poſitis, hoc anno eſſe ſcriptæ reperiuntur, nempe decimo Calendas Decēbris Indictione decima, Imperii Leonis anno decimo, & Conſtantini eius filii ſeptimo.

LEON. ISAV. AN. 11.

IESV CHRISTI AN. 727.

GREG. II. AN. 14.

I. INSVRGVNT IRVERA EX ERCITVS ADVERSVS IMP.

ANno Chriſti ſeptingenteſimo vigeſimo ſeptimo, Indictione decima, Oriētales nauales exercitus Imperii Romani, aduerſus Leonem Auguſtum ob promulgatam hæreſim inſurgentes, & Conſtantinopolim menſe Aprilis accedentes, ſuperati ſunt, ac naues concrematæ, ipſique Duces capite puniti: ſicque Iconoclaſtarum impietas magis in dies creuit; vt pluribus narrat Theophanes. Qui & amplius docet, eoſdem hæreticos non ſolum erraſſe circa Imaginum venerationem, verum etiam circa Sanctorum interceſſiones, ac venerandas Reliquias; nec fuiſſe dumtaxat Iconoclaſtas, ſed & Hagiomachos.

ICONOMACHI, IIDEM ET HAGIOMACHI.

II. SS GERM. CONST. ET IOAN. DAMASC. SCRIBVNT ADVERS. ICONOCLASTAS.

Qui autem reſtiterint in hoc pro Catholica fide certamine Imperatori in Oriente, duo potiſſimum reperti ſunt illuſtres athletæ, videlicet S. Germanus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, & S. Ioannes Damaſcenus doctiſſimus in Syria monachus; quorum vterque ſcriptis ſuis pro facultate ſtuduerunt confodere monſtrum eiuſmodi. De Germano quidem, præter illa quæ ſuperius dicta ſunt, fidem faciunt paucæ ex multis quæ reperiuntur ſcriptæ ab eo epiſtolæ recitatæ in Actione quarta Nicænæ poſterioris Synodi. De Damaſceno vero, præter epiſtolas illas, quarum meminit Ioannes Patriarcha Hieroſolymitanus in Vita ipſius, teſtantur tres editæ inſignes illæ orationes pro ſacrarum Imaginum cultu, quas ſcripſit poſtquam in eremum ſeceſſit, de qua dicetur anno ſequenti. Fuit autem nobilibus parentibus Chriſtianis, de quibus antea egimus, ortus Damaſci (vnde & DAMASCENVS dictus eſt) qui & Romanam fidem ab incunabulis ab Italo homine Coſma nomine, ceu lac purum ebibit. Poſt parentis autem obitum, à Principe Saracenorum in aulam importune vocatus, primarii Conſiliarii dignitate ornatus eſt. Quæ pluribus tractat idem Ioannes Hieroſolymitanus.

IOAN. DAMASCENI GENVS, ET PRIMORDIA.

LEON ISAV. AN. 12.

IESV CHRISTI AN. 782.

GREG. II. AN. 15.

I. LEO IMP. IN IOAN. DAMASC. TENDIT INSIDIAS

ANno Chriſti ſeptingenteſimo vigeſimo octauo, Indictione vndecima, cum Leo Imperator audiuiſſet ſe ſcriptis S. Ioannis Damaſceni fuiſſe haud mediocriter læſum: vt in eum vlciſceretur ad fraudes ſe conuertens, per quoſdam ex ſuis egit, vt aliquam epiſtolam manu eiuſdem Ioannis ſcriptam nanciſceretur: eaque notariis quibuſdam ad imitandos characteres propoſita, aliam confinxit Ioannis nomine, tamquam ad ſe ſcriptam pro ſuſcipienda oppugnatione regiæ Saracenorum ciuitatis Damaſcenæ, eamque ad Principem Saracenorum tranſmiſit. Qua ſibi à barbaro oſtenſa, Ioannes literarum quidem formas ſuis ſimiles eſſe confeſſus eſt, ſed quæ in eis continerentur vmquam cogitaſſe omnino negauit. At magis credens Imperatori barbarus, dexteram Ioannis amputari iuſſit. Qui domum ſe recipiens, in oratorio ſuo ante Imaginem Dei-Genitricis prouolutus, magna fide exciſam manum priſtinæ ſuæ commiſſuræ admouit, ac feruentibus orationibus à B. Virgine eius integram reſtitutionem expetiit, quo poſſet illius miniſterio Chriſti Domini eiuſdemque ipſius Matris laudes ſcriptis celebrare. Nec mora, cum obdormiuiſſet, viſione potius S. Dei-Genitricis, experrectus manum ſanatam reperit, linea tantummodo quadam relicta, qua locus exciſionis demonſtraretur. Quare cognita, cum vellet eum Princeps dignitati priſtinæ reſtituere, ipſe impetrata ægre miſſione, cunctis bonis ſuis, pauperibus, propinquis, & Eccleſiis diſtributis, Hieroſolymam primo profectus eſt, indeque Syriæ petens eremum, apud S. Sabæ Lauram monaſticam vitam egregie excoluit. Habet hæc pluribus Ioannes Patriarcha Hieroſolymitanus in eiuſdem S. Ioannis Damaſceni Vita.

AMPVTATA MANVS IOANNI A S. DEIPARA RESTITVTA.

IOAN. EREMVM PETIT.

II. a Poſuerat hæc Baron. an. 714. ſed poſtea huc referenda iuſſit.

In Occidente vero contigit hoc [a] eodem anno ex hac vita tranſire *S. Hubertum* Leodienſem Epiſcopum: cuius prædicatione omnem Arduennam ab idolorum fuiſſe cultu liberatam, & in Taxandria atque Brachbanto fidem mirifice propagatam, eiuſdem Vitę Acta [b] teſtantur. Quorum etiam auctoritate conſtat, anno decimoſexto ab eius tranſitu, corpus ipſius eleuatum ac translatum fuiſſe à Carolomanno filio Caroli Martelli: (ita enim reſtituendum eſſe apparet, quod aſſerebatur factum eſſe ſub Carolomanno Iuniori filio Pipini Regis) quod quidem ſic omnibus membris integrum inuentum eſt, vt nuper defuncti referret ſpeciem, vultu ſudore perfuſo, ac cæſarie prolixitate & pulchritudine aucta. Eiuſdem vero aliam tranſlationem. Molanus [c] ponit anno redemptoris octingenteſimo vigeſimo quinto. Apud quem etiam eſt mentio *S. Mexonis*, qui & ipſe in Arduenna diutius laborauit, & ibidem à ſicariis occiſus titulum martyrii conſecutus eſt.

S HVBERTI OBITVS. b Ap. Sur. 3. Nouemb.

c Molan. in Natal. SS. Belg.

LEON. ISAV. AN. 13.

IESV CHRISTI AN. 729.

GREG. II. AN. 16.

I. REX LONGOB. REVOCATVR AB INSVLTV IN GREG. PP.

ANno Chriſti ſeptingenteſimo vigeſimo nono, Indictione duodecima, Imperator icto fœdere per Eutychium Italiæ Exarchum cum Luithprando Longobardorum Rege, tētauit Romam ſibi ſubiicere, Gregoriumque Pontificem occidere. Sed appropinquante iam portis Vrbis Luitprando vna cum Exarcho & exercitu, factus ei obuiam Pontifex, primo quidem Regem præ reuerentia pedibus ſe ipſius proſternentem ab eo ſcelere reuocauit, adeoque piis ſuis monitis flexit, vt idem & arma ſua, & coronam auream, ac Crucem argēteam ad Sepulchrum S. Petri depoſuerit: deinde vero eiuſdem Regis Rogatu, Exarchum ad pacis concordiam ſuſcepit: cui & paulo poſt auxiliaribus copiis præſto fuit ad debellandum Tiberium quemdam Petaſium in partibus Tuſciæ tyrannidem affectantem. Hæc pluribus Anaſtaſius [a].

a Anaſt. in Greg. II.

II. DE DISSENSIONE INTER GRADEN. ET AQVILEIEN. EPISC.

Hoc ipſo tempore apud eumdem Pontificem queſtus eſt Donatus Gradenſis Patriarcha, aduerſus Serenum Foroiulienſem Antiſtitem res Gradenſis Eccleſiæ inuadentem cuius rei cauſa reperiuntur [b] à Gregorio ſcriptæ ad vtrumque epiſtolæ: productaque ſunt eadem iſta rurſum in iudicium poſt triennium, cum ſederet Gregorius Tertius. Quæ quidem Leo [c] Nonus, ſcribēs ad omnes Epiſcopos Venetiæ & Iſtriæ, cum adhuc poſt tanta tempora eadem altercatio recruduiſſet, ſic ab vtroq; Gregorio

b In ſcripto Chron. vet. Venet. Andr. Dandali Recitatque Baron. Annal. To. IX. hoc an.

c Leo Non. ep. 2.

definita

definita fuiſſe docet, vt Gradenſis, qui & Nouæ Aquileiæ Patriarcha dicebatur, totius Venetiæ & Iſtriç caput haberetur: Foroiulienſi vero ſubiacerent tantummodo Longobardi: eos intelligentes qui ſub Ducis Foroiulienſis ditione eſſent. Vendicabat autem ſibi iſta omnia tamquam debita Foroiulienſis Antiſtes, eo quod idem (vt alias dictum eſt) & veteris quoque Aquileiæ eſſet atque diceretur Patriarcha, quoniam Aquileienſis habitationem delegiſſet apud Foroiulium: cum nihilominus & ipſa Foroiulii ciuitas peculiarem ſuum haberet Epiſcopum, vt conſtat ex Paulo [d] diacono. Ceterum eiuſmodi horum Antiſtitum altercationes, ſæpius etiam agitatas fuiſſe ſub Stephano Papa Quarto, & Hadriano Primo, Sabellicus [e] eſt auctor: vbi & agit de primo Epiſcopo à Venetis ex SC[to]. ab eodem Hadriano Pontifice petito Riuoaldo, vbi ipſi populo frequentiori conuenerant: primuſque Epiſcopus illi datus Obeliatus filius Eneagri Tribuni.

d *Paul. diac. l. 6. c. 51.*

e *Sabel. l. 8. Ennead. prop. fin.*

III. SIGNA COELESTIA DE SARACENIS GALLIAS INVADENTIBVS.

Hoc eodem Redemptoris anno præceſſiſſe ſigna cœleſtis de imminente clade Saracenorum in Gallias, teſtatur Beda [f] qui vidit: dum ait, huius anni menſe Ianuario per duas fere ſeptimanas apparuiſſe cometas duos circa Solem, quorum vnus fidei, alter noctis præcurrebat ortum, portabantq; ambo facem ignis contra Aquilonem. Quo quidem tempore Saraceni, qui ante annos quatuor à Carolo Martello in Aquitania fuerant dira cæde coniecti, nouos cogentes exercitus, maioriq; impetu Galliam Narbonenſem inuadentes, eam occupauere, ſacra omnia profanaq; cędibus, direptionibus, incendiis complentes.

f *Bed. 5. hiſt. Angl. 24.*

IESV CHRISTI AN. 730.

LEON. ISAV. AN. 14.

GREG. II. AN. 17.

I. GERM. EPISC. CONSTANT. EIICITVR IN EXILIVM OB CVLTVM IMAG.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo trigeſimo, Indictione decimatertia, Leo Imperator Perſecutionem aduerſus ſacratum Imaginum propugnatores renouans, ſeptimo Idus Ianuarii S. Germanum Patriarcham Cōſtantinopolitanum eorumdem Orthodoxorū anteſignanum, quod nec minis nec blanditiis in partes ſuas trahere potuiſſet, Epiſcopatu ſe abdicare (vt ait Theophanes) coegit, ſeu potius (vt ſcribit Damaſcenus [a], qui tunc viuebat) eumdem violenter alapis cæſum, & ignominioſe depoſitum, in exilium relegauit. Vndecimo vero calendas Februarii, in locum eius ſubrogauit *Anaſtaſium* eiuſdem Eccleſiæ presbyterum Syncellum, hęreticum Iconoclaſtam: qui miſſa Synodica ad Gregorium Romanum Pōtificem, ab eo repulſus eſt, atque excommunicatus: vt tradunt Theophanes, & Anaſtaſius [b] Bibliothecarius.

a *Damaſc. orat. 1. de Imag.*

b *Anaſt. in Greg. II.*

II. GREG. PP. EXCOMMVNICAT IMP. ET ITALOS AB EIVS OBEDIENTIA REVOCAT.

Quod vero & ipſe Leo Imperator denuo ab eodem Gregorio monitus, in impietate permanſit: tunc demum factum eſt, vt idem Pontifex ipſum impœnitentem hæreticum cognitum & declaratum, anathemate perculerit, atque Romanos & reliquos Italos ab eius obedientia & tributorum ſolutione recedere penitus fecerit, quos antea id ſponte facere tentantes coercuerat. Id enim & Gręci hiſtorici omnes affirmant, & Theophanes recenſet ſub hoc anno decimoquarto Leonis: traditque Zonaras ea Synodice Romæ facta eſſe, & in ea Synodo Imperatorem anathematis affectum pœna. Sed & Theophanes addit, eodem quoque tempore Ioannem vna cum Orientis Epiſcopis anathemati ſubdidiſſe eumdem Imperatorem: intelligens Ioannem Damaſcenum, quem presbyterum cognomento *Chryſoroam* nuncupatum fuiſſe ait, propter auream fulgidam Spiritus S. gratiam, quæ in ipſo tam eloquentia quam vitæ ſanctitate floruit. Ex his autem omnibus factam eſt, vt vehementius à Leone in Oriente Eccleſia vexaretur.

III. DE OBITV, ET SCRIPTIS S. GERM. CONST.

Sed quod ruſum ad S. Germanum attinet: celebratur in Menologio Baſilii Imperatoris (ita nominatur, quod eius iuſſu collectum eſt) die duodecima Maii eius memoria: vbi & aſſeritur nonagenarius ex hac vita migraſſe. Qui cum multa ſcripſerit; præter illa quæ edita ſunt in Bibliotheca SS. Patrum, extant in Bibliotheca Vaticana varia eius opera [c]: interque alia, Annotationes in Dionyſium Areopagitam: citantque alii alia: nec dubito quin in aliis Bibliothecis alia eiuſdem plura lateant.

c *Recenſet eorum inſcriptiones Baron. To. IX. hoc an.*

IV.

Accidit vero etiam iiſdem diebus, vt Gothorum populus qui incoleret regionem trans Euxinum Pontum, defuncto ſuo ipſorū Epiſcopo, eligerent Ioannem quemdam ſanctis moribus imbutum, & conſecrandum mitterent Conſtantinopolim ad Germanum Patriarcham: ſed ne is pollueretur hæreticorum contagio, miſſus ab eo eſt in Iberiam trans eumdem Pontum, cōſecrandus ab Epiſcopis illius regionis: cuius memoria celebris eſt in eodem Græcorum Menologio die vigeſima ſexta Iunii.

IESV CHRISTI AN. 731.

LEON. ISAV. AN. 15.

GREG. II. AN. 1.

I. S. GREG. PP. II. OBITVS.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo trigeſimo primo, Indictione decimaquarta, tertio Idus Februarii, *Gregorius* Papa ex hac vita migrauit, cum ſediſſet annos ſexdecim menſes octo & dies viginti: ſepultusq; eſt in baſilica S. Petri, ac receptus inter Sanctos quorum anniuerſariam memoriam colit Eccleſia. Cuius ſi ſcripta extarent, reſq; ab eo geſtæ intelligentius exaratæ eſſent, Gregorio Magno haud minorem exiſtimares. Cum autem ſedes vacaſſet dies tantummodo quinque, vt ait Anaſtaſius (apud quem tamen additum inuenimus in quibuſdam exemplaribus menſem vnum, ſed hoc repugnat iis quæ dicuntur ab eodem in Gregorio Tertio) decimoquarto Calendas Martii communi omnium cōſenſu in locum eius ſubrogatus eſt alius GREGORIVS eius nominis Tertius, natione Syrus ex patre Ioanne; de cuius eruditione, pietate, zelo fidei, morum ſanctitate, aliiſque virtutibus plura habet idem auctor. Inter quæ illud veluti inauditum quiddam & nouum, tum ab ipſo Anaſtaſio, tum ab aliis huius temporis Scriptoribus refertur, quod Pſalmos omnes per ordinem memoriter teneret: ex quibus deploret quiſq; huius ſeculi ignorantiam, vt iſtud tanti habendum fuerit.

GREG. III. SVBROGATIO.

II. GREG. PP. LEGATIONEM MITTIT AD IMP.

Porro Gregorius eleuatus in thronum, nihil antiquius habuit quam obortam hæreſim extirpare. Cuius rei gratia ad ipſum Leonem Imperatorem miſit Gregorium presbyterum, cum litteris acerrimis vt ab errore deſiſteret. At hic Gregorius presbyter Leonis cernens rugitus, ac crudelitatem qua his ipſis temporib. multos tam Epiſcopos quam Patricios, omniſq; generis homines in exilium expulit, vel neci tradidit: non auſus dare Imperatori literas Pontificis, re infecta Romam rediit. Qua de cauſa grauiſſime exceptus, fuiſſet etiam in Synodo ea de re celebrata depoſitus, niſi interceſſione Patrum iram Pontifex mitigaſſet: quod tamen ea conditione fecit, vt ipſe iterum cum iiſdem literis Conſtantinopolim peteret. Narrat hæc Anaſtaſius. Sed quod hæc ſecunda legatio contigerit anno ſequenti, ſuo loco de ea dicturi ſumus.

III. DE TEMPORE OBITVS BEDÆ.

Hoc item anno ſuæ hiſtoriæ Eccleſiaſticæ gentis Anglorum, Beda ingentis nominis monachus & presbyter Anglus, finem impoſuit, breui compendio deſcribens ſtatum quo illam reliquit Eccleſiam, quinam Reges prouinciis, & Epiſcopi Eccleſiis præeſſent: Cui mox adiecit appendicem de vita & ſcriptis ſuis vſque ad præſentem annum Domini ſeptingēteſimum trigeſimum primum, quo ipſe ageret ætatis quinquageſimum nonum. Ex quibus Marianum Scotum redarguas, qui eius tranſitum ponit anno Domini ſeptingenteſimo vigeſimo nono: & acrius illos, qui mortuum ponunt anno ſeptingenteſimo. Quod vero Sigebertus hoc anno ſeptingenteſimo trigeſimo primo Bedam defunctum affirmet, æque ex ipſius Bedæ ſcriptis arguitur, dum meminit [a] conſecrationis Tacuini Epiſcopi factæ decima die menſis Iunii, cum omnium conſtans ſit aſſertio deceſſiſſe Bedam menſe Maii. Porro Trithemius eius obitum ponit anno ſeptingenteſimo trigeſimo tertio, ruſumque alii trigeſimo quarto: vt diuerſa omnium reperiatur eſſe ſententia.

a *Bed. l. 5. c. vlt.*

De tivsdem ætate.

Quæ eadem inconſtantia & in eiuſdem ætatis termino locum habuit: dicentibus aliis annos vixiſſe ſexaginta, aliis ſexaginta vnum, aliis plures, Trithemio etiã ſeptuaginta duos. At vero ipſum longius vitam produxiſſe, ex eius ſcriptis certo certius elici poſſe videtur. Etenim in ea epiſtola, quam Bedæ adſcribunt omnes, cuius eſt titulus *De Æquinoctio iuxta Anatolium, &c.* incipitque *Libenter accepi, &c.* diſerte teſtatur ſe illam ſcribere anno Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, quo ait Lunam decimam quartam fuiſſe quinto Idus Aprilis, Dominicum vero diem Paſchatis decimooctauo Calendas Maii. Cum igitur ea Beda ſe ſcribere teſtetur dicto anno Domini ſeptingẽteſimo ſeptuageſimo ſexto, & in appendice de qua ſupra æque affirmet ſe hoc anno Chriſti ſeptingenteſimo trigeſimo primo annos fuiſſe natum quinquaginta nouem: vtique affirmare neceſſe eſt, perueniſſe ſaltem ad annos ætatis centum quinque. Nec eſt quod quis dicere poſſit, errorem in numerum ſeptingenteſimum ſeptuageſimum ſextum irrepſiſſe: quippe idem deſignatus annus ad amuſſim concordat cum tabulis Aſtronomicis in circulo decemnouali decimotertio, vbi dictis diebus æque ponitur Luna decimaquarta & dies Paſchæ. Quod ſi hæc de longa Bedæ ætate non placent, vt noua & hactenus inaudita; tunc incumbet labor his qui negabunt, demonſtrare non eſſe Bedæ citatam epiſtolam, quod nullus adhuc dixit.

IV. De cognom. venerabilis ei indito.

Ceterum de piiſſimo eius ad Dominum tranſitu extat ad finem Operũ ipſius, egregia epiſtola vnius cuiuſpiam ex diſcipulis eius qui interfuit. Sed quod in Vita ipſius quæ à Petro deſcribitur in Sanctorum Catalogo, fingitur de cognomento *Venerabilis* ei indito, ſiue ab Angelo, ſiue à lapidibus quibus ipſe deceptus à diſcipulo cæcutiens prædicaſſet: id quidem vel ex eo ſaltem inane apparet, quod eiuſmodi titulus, communis alioqui presbyteris omnibus, incognitus in Beda maioribus fuiſſe videatur, qui eum non iſto, ſed aliis titulis nominarunt: puta Hilduinus auctor eiuſdem ſæculi in Areopagiticis, *Sanctum presbyterum*: ſicut & Marianus: Albinus Flaccus, & ipſe Anglus, atque eiuſdem temporis ſcriptor, in libro de diuinis Officiis, *Sacerdotem & Doctorem eximium*: Amalarius, qui & ipſe eodem ſæculo vixit, aliquando *Dominum Bedam*: Vſuardus ſimpliciter *Bedam*. Ceterum deeſt apud ipſum catalogus ſcriptorum eius, qui ponitur ad finem Epitomes, ante antiquum auctorem anonymum qui poſt eum res Anglorum eſt proſecutus: ſed edidere alii alios locupletiores. Vitam autem ipſius à Guthberto Abbate ſcriptam fuiſſe, Molanus teſtatur: ſed caremus ea: ſuntque de eodem pleraque illuſtrium virorum elogia atque laudationes: ipſaque ſancta Eccleſia Anglicana tanto Doctore ſemper gloriata eſt. Nec deſunt qui tradant eum vocatum Romam literis Gregorii Secundi Romani Pontificis, ibi diu verſatum eſſe. Sed de illo hactenus.

V. Saraceni in Gallia fvsi.

Quod ad res Francorum attinet: hoc anno (vt veteres ipſorum Annales à Pithœo editi habent) Saraceni, qui infeſto agmine Galliam Narbonenſem occupafant, à Carolo Martello victi ſunt, & ab occupatis munitionibus expulſi: quique fuga lapſi naues conſcenderunt vt redirent in Hiſpaniam, vi tempeſtatis merſi ſunt fluctibus.

VI. S. Evcherii obitvs.

Eodemque anno contigit obitus *S. Eucherii* Epiſcopi Aurelianenſis, miraculis clariſſimi: quem ab exilii tempore (quod ei idem Carolus Martellus inflixerat, ob redargutionẽ de decimis Eccleſiarum in ſtipendia militum cõuerſis, ad bellum aduerſus Saracenos Aquitaniam deuaſtantes) ſex annos ſuperuixiſſe, qui res ab eo geſtas [b] eodem tempore ſcriptis mandauit, affirmat: licet Molanus [c] (neſcimus qua inita ratione) ante annos quatuor eũ mortuum ponat: alii etiam longe poſt hæc deceſſiſſe velint.

b *Ext. ap. Sur. to. Feb. & Molanus Natal. SS. Belg.*

IESV CHRISTI AN. 732.

Leon Isav. an. 16.

GREG. III. AN. 2.

I. Matrimonivm Irenes et Constantini.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo trigeſimo ſecundo, Indictione decimaquinta, Leo Imperator anno decimoſexto Imperii ſui, filiam Chatani Regis Ghazarorum filio ſuo Chriſtiano matrimonio ſociauit, Chriſtianam factam nominans *Irenem*. Quæ cum in fide Catholica inſtructa eſſet, pro ſacris Imaginibus decertans, ſocerum ac maritum impietatis redarguit. Hæc Theophanes. Qui inſuper aſſerit, eumdem Leonem ea qua cœperat impietate perſeuerantem, redditus patrimonii Romanæ Eccleſię, quod in Sicilia & Calabria poſſidebat, in Fiſcum inferri præcepiſſe: ac deſcribi natos mares iuſſiſſe, vt Pharao quondam de Hebræis ſanxerat. Adduntq; alii [a], hoc eodem anno ingẽtem claſſem aduerſus Italos Romanoſque ab eodem paratam, in Adriatico mari naufragio periiſſe. Sed & Gregorium presbyterum (quem vidimus anno ſuperiori cum literis commonitoriis ad ipſum iterum miſſum) feciſſe in Sicilia retineri, ſcripta auferri, & in exilium amandari, Anaſtaſius [b] tradit.

Qvid Leo contra Rom. Eccles. egerit.

a *Cedr. hoc an.*

b *Anaſt. in Greg. III.*

II. Concil. Rom. pro Imagin.

Quibus delatis in Vrbem, Gregorius Pontifex collecto Romæ apud S. Petrum Concilio Epiſcoporum nonaginta trium, præſente etiam reliquo Clero, atque primoribus Vrbis, & populo, primum omnium ad confirmandas antiquas Patrum traditiones de cultu ſacrarum Imaginum, decretum conſtituit (quod *Conſtitutum* appellant) quo diro anathemate ferit omnes qui eidem aduerſarentur. Additumque præterea eſt, vt iterum ex Synodo literæ commonitoriæ ad Imperatorem mitterentur: ſed illæ, vt aliæ præcedentes, ablatæ ſunt in itinere: & qui eas ferret Conſtantinus defenſor arctiſſima cuſtodia per integrum annum detentus, tandem cum ignominia remiſſus eſt. Habet hæc omnia Anaſtaſius. Additque de Gregorio Papa, quod multas valde inſignes atque ſummi pretii erexerit in diuerſis eccleſiis Romæ, Saluatoris, ſanctiſſimæ Dei-Genetricis, Apoſtolorumque, & aliorum Sanctorum Imagines: ſed & in baſilica S. Petri magnificentiſſimum Oratorium cõſtruxerit, ac pretioſiſſimis ornamentis ditauerit: in quo Sanctorum omnium, quas potuit toto orbe Chriſtiano collectas ſacras Reliquias condiderit, & à monachis trium monaſteriorum quotidie per ordinem Officium diuinum, eorumdemque Sanctorum natalitia celebrari inſtituerit. Sicque idem ſanctiſſimus Pontifex, tum ſcriptis, tum factis, aduerſus impietatem Imperatoris obniſus eſt in cultu ſacrarum Imaginum, & veneratione ſanctarum Reliquiarum: quarum plane virtute factum eſt, vt Occidens permanſerit à ſæuiente Leone ſecurus.

Sacræ Imag. svmptvose erectæ Romæ.

Sacræ reliqviæ vbiqve qvæsita ad cvltvm.

IESV CHRISTI AN. 733.

Leon. Isav. an. 17.

GREG. III. AN. 3.

I. Leo magis sævit in cvltores Imag.

ANno Chriſti ſeptingenteſimo trigeſimo tertio, Indictione prima, noui denuo miſſi Legati à Gregorio Papa & vniuerſa Italia ad Leonem Imperatorẽ, cum precibus vt ab impietate deſiſteret, & promiſſis omnimodæ ſubiectionis ſi id præſtaret: & ipſi ſicut præcedentes, in itinere ſpoliati ſunt, & poſt carcerem octo menſium cum ignominia remiſſi: quod ſcribit Anaſtaſius. Cum interim in Oriente idem Leo (ſicut ſingulis conſueuerat annis) complures ſanctos Epiſcopos deteſtantes eius errores in exilium expelleret, quorum plurimorum memoria relata eſt in Menologium Græcorum.

II.

Hoc item anno (vt habet Chronicon Francorum à Pithœo editum) Carolus Martellus Saracenos ingenti numero ex Hiſpania emergẽntes, opem laturos ſuis in ciuitate Narbonenſi cum ipſorum Rege obſeſſis, ad internecionem vſque deleuit.

III. Novvs hæresiarcha a Bonifacio repressvs.

Quo eodem tempore S. Bonifacius Germanorum Apoſtolus viſitans Boioariam, emergentem hæreſim vna cum hæreſiarcha Ermvvolfo nominato, Apoſtolica auctoritate damnauit, & ab Eccleſia eiecit. Quænam autem hæreſis ab illo fuiſſet ſeminata neſcitur, ipſa vna cum auctore ſtatim euulſa.

LEON. ISAV. AN. 18.19.20.

IESV CHRISTI AN. 734. 735. 736.

GREG. III. AN. 4.5.6.

I. ANNo Chriſti ſeptingenteſimo trigeſimo quarto, Indictione ſecunda, Leo Imperator conſuetam perſecutionem ſuam in cultores ſacrarum Imaginum proſequens, multos in exilium miſit, quorũ meminere Theophanes, & alii, necnon Græcorũ Menologium. Sic enim comparatus erat, vt licet ſanguinem ſitiret Orthodoxorum ſibi contradicentium: inuidens tamen ipſis gloriam conſummati martyrii, ab eorum nece ſæpius abſtineret, eos amandans longius in exilium: quamquam nec ſemper ſe continuiſſe ab inferenda nece, docet exempla *Hypatii* Lydorũ Epiſcopi, *Andreæ* presbyteri, & *Gregorii* Limniotæ monachi propemodum centenarii: quos detruſos in carcerem excarnificari præcepit, deinde capitis cutem extrahi, ac deſuper pictas tabellas congeſtas accendi, barbamq; pice liquente conſpergi, atq; incendi: qui eo ſtatu per Conſtantinopolitanam vrbem diſtracti, demum iugulati ſunt, eorumque corpora canibus expoſita. Sed & in eodem Menologio aliorum quoque plurimorum extat memoria, qui poſt dira ac multiplicia tormenta, coronam vitæ in exilio receperunt. Quam quidem perſecutionem in ſequentes quoque annos quamdiu Leo vixit propagatam eſſe conſtat.

PLVRIMI MARTYRES SVB LEONE.

II. Qui & inſuper eadem ſæuitia atque inſcitia Georgium quem Patricium qui his temporibus gerebat Conſtantinopoli Præfecturam Vrbanam, virum æqui amantiſſimum, cædi iuſſit, quod abſoluiſſet quaſdam mulierculas tamquam innoxias, quæ accuſatæ fuerant cædem facere ſolitæ lactentium infantium, eos ex improuiſo ad orientes per fiſſuras aut rimas domorum corporis earum non capaces, vel portis etiam clauſis ſubeuntes. Quam rem geſtam fuſius narrat Ignatius monachus in Vita Taraſii, eos redarguens qui eiuſmodi præſtigias fieri poſſe credunt. Sed de his quæ dicuntur *Striges*, pluribus diuerſi commentariis tractarunt [a].

PHILIPPI PRÆF. IVDICIVM DE STRIGIS.

a *De hac ipſa narratione Ignatii, vide Delrio. Diſquiſ. Magic. lib. 2. q. 27. ſect. 2.*

LEON. ISAV. AN. 21.

IESV CHRISTI AN. 737.

GREG. III. AN. 7.

I. ANno Chriſti ſeptingenteſimo trigeſimo ſeptimo, Indictione quinta, Rex [a] Anglorum Nordanhumbrorum Ceolvvulphus, ille ipſe ad quem Beda ſcripſit hiſtoriam de Rebus geſtis Anglorum, diuino amore ſuccenſus, maiorum ſecutus exemplum, relinquens regnum Eadberto, capillis attonſus monaſticam ſectatus eſt vitam. Ita melius ſancti per fidem vicerunt regna.

a *Bed in Epito. hoc an.*

REX ANGLOR. CEOLVLPHVS FIT MONACHVS.

LEON. ISAV. AN. 22.

IESV CHRISTI AN. 783.

GREG. III. AN. 8.

I. ANno Chriſti ſeptingenteſimo trigeſimo octauo, Indictione ſexta, S. Bonifacius Germanorum Apoſtolus, multa ſtipatus turba Frãcorum, Boioariorum, & Britannorum, Romam aduenit, tum vt Limina Apoſtolorum iterum viſitaret, tum vt Gregorii Papæ conſpectu frueretur & colloquio, quem & ipſo eius ingreſſu literis ſalutauerat, & de nonnullis dubiis circa diſciplinam Eccleſiaſticam, & ferinos illorum populorum mores conſuluerat, palliumque ab eodem non petitum acceperat. Nunc autem tam ab ipſo Pontifice, quam à Romanis ciuibus honorifice ſuſceptus, paulo poſt in Germaniam rediit, multas ſecum referens Sanctorum Reliquias. Accepitque inſuper ab eodem Pontifice literas ad Epiſcopos, Abbates, & omnes Principes, ſiue Optimates, ac populos Germaniæ, ex quibus conſtat, cauſam præterea ipſius Romam aduentus fuiſſe, vt ab ipſo Gregorio doceretur de nonnullis ad curam animarum ſpectantibus. Habet autem hæc omnia Vitæ [a] ipſius auctor ex Wilibaldo Anglo: quem quidem Wilibaldum Bonifacius eodem tempore à Gregorio petitum (cum poſt ſeptennii peregrinationem Hieroſolymitanam, conſediſſet in monaſterio Caſſinenſi) ſecum in Germaniam duxit, vbi & poſtea Eihſtetenſem creauit Epiſcopum; ſicut narratur in Vita [b] ipſius, à Sancta (vt creditur) VValpurga eiuſdem ſorore ſcripta. Sed & S. VVinibaldum eorumdem germanum Romæ degentem, perſuaſum eſſe à S. Bonifacio, vt pergeret in Germaniam, eius pariter Vitæ [c] Acta teſtantur.

DE S. BONIFACII ROMAM ADVENTV.

a *Vit. S. Boniſ. l. 1. c. 25. & 27. ap. Sur. 5. Iunii.*

b *Ext. To. 4. Antiq. Lect. Caniſ.*

c *Ext. ibid.*

II. Quod ad res Hiſpanicas attinet, bene prorſus eis ceſſit, vt Saraceni maximo ſuo damno Gallias bello tẽtarint, vbi ad internecionem ſæpe deleti ſunt à fortiſſimo Duce Carolo Martello: qui & hoc ipſo anno [d] eoſdem è Prouincia regione, quam adhuc occupabant, penitus pepulit. Sic enim per Francorum victorias imminutis Saracenorum viribus, factum eſt vt Hiſpani profugi, non ſolum ſuæ ipſorum ſaluti proſpexerint, ſed ad propagãdum quoque regnum adiecerint animum, ſub Rege Alphonſo Pelagii genero (quem alii Adelfonſum, ſiue Adefonſum, aut Ildefonſum nominant) qui poſt obitum ipſius Pelagii, atque Fauilæ Pelagii filii, hoc ipſo anno (Era nimirum ſeptingenteſima ſexta, vt Tudenſis numerat) regni ſuſcepit habenas. Quod vero ex genere ortus eſſet præclariſſimi illius Reccaredi Gothorum Principis, qui in Epiſcoporum Concilio *Rex Catholicus* fuit quondam acclamatus, ſic iſte Alphonſus æque dici cognomento CATHOLICVS voluit. Quem poſtea intermiſſum à ſucceſſoribus titulum, noſtro ſæculo Ferdinandus Aragonius Hiſpaniæ Rex enixis precibus à Iulio eius nominis Secundo Romano Pontifice impetrauit, vt hereditarius eſſet omnium Regum Hiſpaniæ. Eſt vero cunctorum qui eiuſdem Regis Alfonſi res geſtas ſunt proſecuti, vna eademq; aſſertio, ipſum plurimas ciuitates è Saracenorum manibus vendicaſſe, Gallæciamq; ab eiſdem liberaſſe: ſed & quod Catholici Regis eſt, Catholicam propagaſſe religionem, in omnibus ciuitatibus Epiſcopos ordinari curantem, reſtituentemque Chriſtianum cultum: cum alioqui tanti Regis præclara geſta ſcriptorum inopia obſcura remanſerint.

d *Vetus Chr. Franc. edit. Pith.*

HISPANI ANIMOS RESVMŨT CONTRA SARACEN.

TITVLVS CATHOLICI VNDE REGIB. HISP. PROVENERIT.

LEON. ISAV. AN. 23.

IESV CHRISTI AN. 739.

GREG. III. AN. 9.

I. ANNo Domini ſeptingenteſimo trigeſimo nono, Indictione ſeptima, Vrbs Roma in maximas eſt coniecta anguſtias, occaſione Luithprandi Longobardorum Regis eamdem inſeſto exercitu obſidentis, quod Gregorius Papa & Stephanus Dux noluiſſent reddere Traſamundum Ducem Spoletanum, qui ad eos eodem Rege perſequente confugerat. Soluit tamen paulo poſt obſidionem, & captis aliquot ciuitatibus Ducatus Romani, in ſua ſe recepit: Traſamundus autem cum Romanorum exercitu Spoletum recuperauit. Hæc Anaſtaſius in Zacharia Gregorii ſucceſſore, A quo tamẽ multa prætermiſſa inueniuntur, & inter alia, deprædatio nominatiſſimæ Baſilicæ S. Petri in Vaticanis collibus extra Vrbis mœnia poſitæ, cui olim Gothos hoſtes quantumlibet Arianos peperciſſe vidimus. Extat enim de his epiſtola eiuſdem Gregorii Pontificis ad Carolum Martellum Francorum Principem, ſeu (vt vocat) Subregulum, quem & antea interpellarat vt auxilium ferret Romanæ Eccleſiæ contra Longobardos, quos eo acrius illam opprimere queritur, quod ea ad ipſum Carolum poſt Deum confugium habuiſſet. Luit porro eiuſmodi ſacrilegium Luithprandus maximo ſuo damno, mulctatus amiſſione regni in filio, omniq; gente Longobardorũ: qui quamuis alias ſemper grauib. fuerint delictis obnoxii, tolerati tamẽ à Deo ſunt, quouſq; attingere præſumpſere ſacroſanctam Petri baſilicam omnibus antehac barbaris & hæreticis reuerendam.

VRBS ARCTATVR A LONGOB.

EXPLICATIO BASILICÆ S. PETRI.

IESV CHRISTI AN. 740.

LEON. ISAV. AN. 24.

GREG. III. AN. 10.

I. LEGATIO A GREG. PP. AD CAR. MARTEL. ADVERS. LONGOB.

ANno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo, Indictione octaua, Roma rurſum motu bellico exagitata eſt, parante aduerſus eam iterum obſidionem Luitprando, eo quod Romanorum auxilio Tranſamundus in Ducatum Spoletanũ fuiſſet reſtitutus. Quapropter his preſſus anguſtiis Gregorius Pontifex, ad petendum auxilium à Carolo Martello Francorum Duce, legationem miſit honorificam per Anaſtaſium Epiſcopũ & Sergium presbyterum, cum ſacris muneribus clauium S. Petri, vt conſtat ex Anaſtaſio hæc narrante, atq; ex ipſa epiſtola [a] tunc ad Carolum ſcripta, in qua eum bis CHRISTIANISSIMVM *Filium* appellat: quem honorificentiſſimum titulum, eius regni Reges ex cõceſſione Apoſtolica, ob egregia eorum in Eccleſiam Romanam merita, feliciter in hunc vſque diem propagarunt. Ceterum hanc legationem aduerſus Longobardos ad Carolum miſſam, male nonnulli confundunt cum illa alia, quam ipſius prædeceſſor Gregorius Secundus ad eumdem Carolum cum iiſdem ſacris muneribus clauium aduerſus Leonem hæreticum Imperatorem miſit. Cur autẽ Carolus non cito aduerſus Luithprandum ſurrexerit, ea certior ratio afferri poſſe videtur, quod eumdem Regẽ in difficilimis præliis aduerſus Saracenos fideliſſimum habuerit adiutorem, vt teſtis eſt ſepulchralis inſcriptio ipſius Regis. Sed quoniam eiuſmodi ratio apud Deum minime probaretur, cum religioni ſint iura omnia poſthabenda, inde fortaſſe accidit, quod vindice numine cito & miſerando interitu fuerit ex hac vita ſublatus, vt dicetur anno ſequenti.

a Rec. Baron. Annal. To. IX hoc an. Habentque Centuriatores To. VIII c. 10.

REGES FRANC. DICTI CHRISTIANISSIMI.

II. CONCIL. GERM. SVB BONIF. PRO ECCLES. DISCIPL.

Hoc item anno S. Bonifacius Germanorum Apoſtolus, poſt nonnullos recens creatos in iis regionibus Epiſcopos, Legatione Romani Pontificis & Apoſtolicę Sedis inſignis, ex mandato Gregorii Papę Primam in Germania (ſiue Auguſtæ, ſiue alibi prope Danubium: vtrumq; enim aſſeritur) SYNODVM congregauit, ad optimam inſtitutionem diſciplinæ Eccleſiaſticæ in vnitate & ſubiectione Romanæ Eccleſiæ, vt patet ex Actis eiuſdem, quæ [b] inſeruit ipſe epiſtolę ad Cuthbertum Archiepiſcopum Dorouernenſem in Anglia.

b Rec. Bar. ubi ſup.

III.

ANGLIA OCCIDẼT. FACTA TRIBVTARIA ECCL. ROM.

Hoc pariter anno Occidentalium Saxonum in Britannia Rex Ina, ſanctorum Regum prædeceſſorum ſuorum inſignis deuotionis æmulus, antequam regno ſuo ſe abdicaret (cuius & vxor Edilburga non minoris fortitudinis femina, monaſticam vitam amplexa eſt) perpetuo pietatis monumento fidem ſuam erga Romanam Eccleſiam voluit reliquiſſe teſtatum, dum regni ſui domos ſingulas, ſingulos denarios argenteos annuatim S. Petro pendere ſtatuit, ſic deuincire populum ſuum ſtudens, vt annui cenſus penſitatione dominum ſuum agnoſceret S. Petrum, cuius & fidem firmam illibatamq; iugiter conſeruaret, & auxilium in neceſſitatibus inuocaret. Omittimus de his loquentes ſingulos hiſtoricos recenſere, ſatis putãtes ſufficere auctoritatem Polydori Virgilii, qui res Anglorum ſumma cum laude proſecutus, dum eiuſdem Regis officia pia recenſet, illud de regno ſuo vectigali facto Romano Pontifici, antiquorum teſtimonio confirmat, auctumque poſtea ait ab Ethelvvolpho, ſeu Athulpho Rege, qui totius fere Inſulæ imperium obtinuit. Quomodo vero & Offa Orientalium Saxonum Rex ipſum de ſuo regno pręſtiterit, dicetur ſuo loco. Addit autẽ Virgilius de ſuo tempore (nempe præſenti ſæculo: ſiquidem ſcripſit ad Henricum Octauum Anglorum Regem anno Redemptoris milleſimo quingenteſimo trigeſimo tertio, cum Londini eſſet,) vniuerſam Angliam illud vectigal, pietatis & religionis cauſa Romano Pontifici pendere domeſticatim collatum, ac nummos illos argenteos vocari à vulgo *Denarios Sancti Petri*, quos Pontificius Quæſtor, quem non inſcienter, Collectorem nuncuparent, exigeret: ipſumq; etiam Virgilium eamdem Quæſturam aliquot per annos geſſiſſe, eiuſque muneris obeundi cauſa primum in Angliam veniſſe. Accidit autem illud mirandum, vt confeſtim ac ceſſauit pendi vectigal, vtcumque male redemptum, hæreſum alluuione Anglicana Eccleſia abſorpta fuerit, vna cum ſubiectione temporali perdens & ſpiritualem Vicarii Chriſti.

DENARIVS S. PETRI IN ANGL.

IV. DIRA PERSECVTIO IN ORIENTE.

Quod ad res Orientalis Eccleſiæ ſpectat, cum vbique terrarum Leonis Imperio ſubditarum, Orthodoxis omnibus nonniſi luctus eſſet & dolor, aliis dira morte mulctatis, proſcriptis aliis, diuerſi generis cruciatibus aliis afflictatis, aliis mancipatis carceribus fame frigoreque conſumptis, ſeu ludibriis popularibus expoſitis, aliiſque per publica loca tractis, membriſq; diſtractis atq; aliis diris pœnis affectis, præter multitudinem haud mediocrem illorum, qui è ciuitatibus, relictis bonis omnibus, ſponte migrantes in ſolitudines, voluntario exilio facti extorres, abdita montium & receſſus ſiluarum petiere, quæ omnia ex auctorib. qui horũ temporum res geſtas cõſcripſerunt, manifeſta habentur: dum, inquã, his lætus attenderet Imperator, irato numine totus cõtremuit Oriens, atq; ciuitates cõplures æquatæ ſolo fuere: ſed & Conſtantinopoli corruerunt eccleſiæ & monaſteria, populuſq; multus extinctus eſt, ac quæ erant in eadem vrbe ſtatuæ Imperatorum Conſtantini & Theodoſii, aliorumque, collapſæ ac contritę ſunt, quaſi ipſę ſtare non poſſent vbi ſacrę Imagines proſtratæ eſſent: denique & mare in quibuſdam locis fugit terminos ſuos, perdurante terræmotu menſibus duodecim. Refert hæc Theophanes, apud quem tamen corrigendum eſt, quod ea accidiſſe dicantur anno vigeſimo tertio Leonis: ſiquidem cum ipſe ſubdat ea contigiſſe ſeptimo Calendas Nouembris nonæ Indictionis, cœpta iam ipſa menſe Septẽbri, pręſentẽ plane ſignificat annum vigeſimum quartum eiuſdem Imperatoris, inchoatum ab octauo Calendas Aprilis. Quam autem terribilis fuerit eiuſmodi terræmotus, inde etiam colligi poteſt, quod eius memoria in Menologium Græcorum eadem die quotannis celebranda relata fuerit: vbi tamen is tribuitur anno vigeſimo quinto Leonis.

TERRÆMOTVS MAGNVS IN ORIENTE.

IESV CHRISTI AN. 741.

CONST. COPRON. AN. I.

GREG. III. AN. 11.

I. LEO IMP. MORITVR.

ANno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo primo indictione nona, decimoquarto Calendas Iulii, impiiſſimus Leo Imperator, cum regnaſſet annos viginti quatuor menſes duos & dies viginti, mortuus eſt animę & corporis morte, detruſus videlicet ad inferos. Hæc Theophanes: qui mox deſcribens mores CONSTANTINI Leonis filii, cognomento *Copronymi*, (qui cum iam vna cum patre viginti duos annos inchoatos regnaſſet, ſolus Imperii habenas moderandas ſuſcepit) ait fuiſſe virũ pernicioſiſſimum, & ferum, impie ac tyrannice abuſum Imperio, magicis artibus & luxuriis, cruentiſq; ſacrificiis, & caballinis ſtercoribus atq; lotio delectatum, mollitiebus, ac dæmonum inuocationibus gaudẽtem, omnibuſq; animam corrumpentibus vitiis ab ineunte ætate infectum: quem & hoc primo Imperii anno edictum promulgaſſe contra venerandas Imagines, idem Theophanes, Cedrenus, & alii teſtantur. Sed repreſſus eſt, ne quod cœperat malum modo perficeret: Deo aduerſarium excitante contra eum, ſi forte his monitus malis à cœpto deſiſteret.

CONST. COPRON. QVALIS FVERIT.

II.

ARTABASDVS IMPERIVM ARRIPIT.

Etenim hoc ipſo anno idem Conſtantinus profectus aduerſus Arabes, cum ſuſpectum haberet Artabaſdum Curopalatam, virum Orthodoxum, maritum Annæ filiæ Leonis, atq; ipſius Conſtantini ſororis, primum molitus eſt necem filiorũ eius: ſed malitiam eius intelligens ARTABASDVS inſecutus eum aufugere coegit, ipſeq; pergens Conſtantinopolim, opera Theodori Patricii Vrbis Præfecti, affirmantis Conſtantinum iam eſſe mortuum, Imperator acclamatus eſt, ac filios Conſtantini captos, cæſos, & tonſos carceri mancipauit: quando & Anaſtaſius Patriarcha, licet hactenus ſe exhibuiſſet hæreticum, inſeruiens tempori, vna cum populo deteſtari cœpit, ac diris maledictis inceſſere Conſtantinum, laudibuſque tollere

BLASPHEMA VOX COPRONYMI.

Artabaſdum. Idemque vt ſibi noui Principis gratiam demereret, grande Conſtantini ſecretum, publice ſuper ligno ſanctiſſimæ Crucis iurans, Conſtantinum ſibi dixiſſe, minime filium Dei eſſe quem genuit MARIA, quique dicitur CHRISTVS, ſed purum hominem, quem Maria pepeiſſet, ſicut ipſum Conſtantinum peperiſſet Maria mater ſua. Quibus adeo horrendis blaſphemiis populus valde commotus, probra in eum iacere non ceſſauit. Hæc ex Theophane. Vnde non mireris ſi Leo filiuſque eius Conſtantinus, Chriſti Domini, eiuſque ſanctiſſimæ Matris Imagines odio habuerint, qui nec ipſum Deum eſſe crederent, nec eam Virginẽ: dicendi plane nõ Chriſtiani, ſed Saraceni. Quæ autẽ hæc ſecuta ſint, ſuis locis dicturi ſumus.

III.

Interea vero hoc eodem anno (vt idem breuiter tradit Theophanes) Euelid Rex Arabum, ſucceſſor Gizid auctoris Iconomachorum, in Oriente interfecit Chriſtianos captiuos in omni ciuitate.

IV. GREG. PP. OBITVS.

Hoc pariter anno, cum rurſus Luithprandus Rex Longobardorum bellum pararet aduerſus Romanum Ducatum, quarto Calendas Decembris mortuus eſt *Gregorius* Papa, cum ſediſſet annos decem, menſes nouẽ, dies duodecim, ſepultuſque eſt in Cœmeterio Petri Apoſtoli, vt Anaſtaſius tradit: qui præter illa quæ ſuperius de Gregorii geſtis retulit, multa in fine habet de erectis, reſtitutiſque, atque ornatis ab ipſo ædificiis ſacris, & ingentibus aureis, argenteis, gemmeiſque donariis, necnon redditibus eis collatis ad luminaria & oblationes. Extatque hactenus in baſilica S. Pauli eiuſmodi Oblationum ipſius ad Miſſas celebrandas antiquum monumentum in marmorea tabula, qua & ſub anathemate prohibet ne poſteri eaſdem impẽdere prætermitterent. Sed quas maiores nuncupare conſueuerunt *Oblationes* (de quibus ex parte dictum [a] eſt alias) ipſe *Oblatas* vocat: erantque certa menſura panis & vini, quæ ex eius decreto è Patriarchio per Oblationarium (vt vocat Anaſtaſius. Erant vero diaconi, *Oblationarÿ* nominati, huic vſui inſeruientes.) pro Miſſis celebrandis in altaribus quæ recenſet, in baſilicam S. Pauli diebus ſingulis portaretur, prout etiam hodie in quibuſdam Eccleſiis fieri conſueuit.

a Sup. an. 44 n. 31. & an. 57. nu. 24. & an. 71. n. 12 13.

V. DISCRIMEN INTER OBLATAS ET OBLATIONES ECCL.

Sed quod ad voces ipſas attinet, inter Oblatas & Oblationes differre putamus, ſicut inter genus & ſpeciem: Siquidem *Oblationum* nomine, quicquid Deo offertur cuiuſuis ſpeciei, intelligi debet: *Oblatarum* vero appellatione, quod offertur tantũ pro celebrando ſacroſancto Miſſæ ſacrificio. Cum alioqui panis etiam offerri à populo ſoleret ad Eulogias conficiendas, cum panis ipſe communiori benedictione benediceretur vt in populo diuideretur, qui vſus adhuc in pluribus viget Eccleſiis. Rurſus vero Oblatarum nomen vſurpatum interdum inuenimus pro ipſa Euchariſtia apud antiquos Rituales, ſeb communius pro ipſo pane & vino quod offertur ſacrificii celebrandi cauſa: vt conſtat ex Remigio Antiſiodorenſi, dum agit de celebratione Miſſæ. Ex huiuſmodi autem Oblatis olim ea pars tantum ad ſacræ Euchariſtiæ vſum ſumebatur, quæ ad communicandum populum ſatis eſſet: vt ex S. Cypriano [b] colligitur, dum redarguens diuitem feminam ſine eiuſmodi oblatione ad eccleſiam venientem, hæc improperat, *De ſacrificio, quod pauper obtulit, ſumis.* Et S. Auguſtinus [c]: *Erubeſcere debet homo idoneus, ſi de aliena oblatione cõmunicauerit.* Quæ autem ſupererant, nec conſecrabantur, ex pane & vino, cedebant in vſum ſacerdotum offerentium ſacrificium, & clericorum miniſtrantium. Poſtea autem cum eſt factũ, vt quæ in ſacrificium offerenda eſſent, ſacerdotum diligentia pararentur, omnes illæ diuerſorum Oblatæ, abſque diminutione iiſdem ceſſere miniſtrantibus. At de his ſatis.

b Cypr. de oper. & eleemoſ.
c Aug. ſerm. 215. de temp.

VI. ZACHAR. PAPA CREATVR.

Quod vero ſpectat ad Gregorii lucubrationes, ſcripſit ad Leonem Imperatorem & eius filium Conſtantinum, libros tres pro cultu ſanctarum Imaginum, & reliquit Epiſtolarum librum vnum: ſed his caremus. Cum autem ſedes eius vacaſſet dies octo, electus eſt in locum eius ZACHARIAS natione Græcus ex patre Polychronio, vir (vt ait Anaſtaſius) mitiſſimus, omnique bonitate ornatus, piuſq; & miſericors, etiam in eos qui antea ſui fuiſſent perſecutores. Qui cum inueniſſet totam Italiam armis Longobardorum turbatam, miſſa legatione Luithprandum à cœptis dimouit, commouitque vt quas ciuitates Ducatus Romani abſtuliſſet, reddere promiſerit, quod & poſtea præſtitit. Sed & iunctis cum eodẽ Rege Romanis copiis, Transamundum Ducem Spoletanum, tum Regi tum ipſis etiam Romanis perfidum, coegit ſeſe eidem Regi dedere. Hæc Anaſtaſius: reliqua vero de eo, ſequentibus annis.

VII. CAR. MARTELLI OBITVS.

Hoc item anno, vndecimo Calendas Nouembris, mortuus eſt Carolus cognomento Martellus, cum iam pacem multis ſudoribus partam ſtabilem poſteris reliquiſſet. De anno affirmant omnes tam veteres quam recentiores Chronographi: de die teſtantur Aimoinus [d], & Auctor Appendicis ad Gregorium Turonenſem qui res ſui temporis ſcripſit. Eumdem autem in baſilica S. Dionyſii prope Pariſios eſſe ſepultum, æque omnes aſſentiuntur. Sed quæ ſcripta leguntur, tum in Vitis S. Eucherii [e] Aurelianenſis Epiſcopi, ac S. Rigoberti [f] Rhemenſis Archiepiſcopi, tum ex capitulis [g] ſcriptis (vt præſefert titulus) ab Epiſcopis prouinciarum Rhemenſis & Rothomagenſis ad Ludouicum Regem, de viſione eidem Eucherio oſtenſa animæ Caroli æternis pœnis mancipatæ, quod Eccleſias bonis expoliaſſet: ea haud facile eſt vt ſubſiſtere poſſint. Quomodo enim id videre potuit Eucherius, qui (vt ſuperius dictum eſt) iam ex hac vita exceſſerat ante decenniũ, vel etiam (vt Molanus ponit) ante quatuordecim annos quam Carolus moreretur? Sed & quod de ipſius Caroli pietate ac deuotione erga Sanctos, reperitur Ludouici Imperatoris (ad cuius filium talia fuiſſe ſcripta dicuntur) elogium [h], itemque Lupi teſtimonium [i] de bonis quæ idem Carolus nonnullis Eccleſiis donauit, ſatis id falſitatis arguere videtur. Quibus accedit, quod idem ipſe S. Bonifacius qui aſſeritur, teſtis oraculi de damnatione Caroli, ſcribens [k] poſtea ad Athelbaldum Merciorum Regem in Anglia, hominem ſceleſtiſſimum, vt eum reuocet ad pœnitentiam, dum ingerit exempla Regum ac Principum qui ob violationem Eccleſiarum damnati ſunt ad inferos, nihil tale de Carolo cum eius meminit refert, licet id valde requireret propoſitum argumentum. Ait quidem illũ, quod multa monaſteria euertiſſet, & Eccleſiaſticas pecunias in vſus proprios conuertiſſet, longa torſione & verenda morte conſumptum eſſe. Verum haud abſque exomologeſi deceſſiſſe, quæ de eo Ludouicus Imperator recitat demonſtrant.

d Aimoin. l. 4. c. 57.
e ap. Sur. 20. Febr.
f Ibid. 4. Ianuar.
g ap Gra. 16. q. 1. poſt c. 59.
IMPROBATVR HISTORIA DE EIVS ANIMÆ DAMNATIONE.
h ep. Ludou. ad Hilduin. in Areop. ap. Sur. 9. Octo.
i Inveh. geſt. S. Max. Ep. Treuir.
k Recitat eam epiſt. Baron. Annal. To. IX. an. 745.

VIII.

Vindex enim Deus, ſed non iudicans bis in idipſum, ſic inuaſores iurium Eccleſiarum Principes Chriſtianos pœnitentes interdum miſerando cruciatu & interitu voluit affligi, tum vt poſteris ſint in exemplum non minuendi vel violandi Eccleſiaſticas facultates & immunitates, vtque grauiſſimum hoc eſſe delictum ex portentoſis ab vltore numine illatis pœnis poſſit intelligi, tum etiam vt cum iidem Catholice vixerint, & alia complura bona fecerint, quod peccaſſent in Eccleſiæ iura hic luerent potius, quam perpetuis damnarentur in inferno cruciatib. A quibus Carolum fuiſſe immunem putamus, tam ex iis quæ iam dicta ſunt, quam quod laudata eius pietas reperiatur duorum ſanctiſſimorum Romanorum Pontificum aſſertione, Gregorii Secundi & Tertii, immo & ipſius S. Bonifacii [l] Germanorum Apoſtoli, cum rogauit eius filium Carolomannum vt bene cœpta à parente circa cultum Chriſtianæ religionis proſequeretur: cuius quidem opitulatione centum millia Paganorum Germanorum ad Chriſtianam fidem conuerſa eſſe, teſtis eſt idem Gregorius Tertius ſcribens [m] ad eumdem Bonifacium. Vt plane de ipſo (occulta licet & nobis incognita ſint diuina iudicia) ſalutem cum piis Principibus conſecutum exiſtimare liceat: & ſi peccator extiterit (vt ſolent Principes ſæpe delinquere) ex illa tamen exomologeſi, qua ſuam animam Domino per S. Dionyſium præſentandam (quod Ludouicus Imperator teſtatur) adeo ſolicito ſtudio commendauit, bene de eius ſit ſalute ſperandum. Cum alioqui plane impius conuincatur, qui eiuſmodi ſacrilegiis obnoxios, niſi pœnitentes ſatiſfaciant, pœnas poſſe euadere ſempiternas exiſtimet.

LAVDATVS CAR. A ROM. PONTIF. ET A S. BONIF.
l Vit. S. Bon. l. 2. c. 33. ap. Sur. 5. Iun.
m Ibid. c. 31.

IX. DVO FILII CAR. MARTELLI.

Porro mortuo Carolo, duo eius filii Carolomannus atque Pipinus ſucceſſerunt heredes: ille quidem maior natu in adminiſtratione proprii ipſius Principatus, nempe Auſtraſiæ & Thuringiæ: Pipinus vero in Officio Maioris domus Regum Francorum. Sed Carolomannus nihil antiquius habens, quam iis conſulere quæ ad religionem ſpectarent, S. Bonifacium ad ſe mox acceríendum curauit, vt in Synodo Epiſcoporum rebus Eccleſiaſticis vbique collapſis ſecundum canones conſuleretur. De his enim ipſe Bonifacius teſtis eſt in epiſtola [a] hoc ipſo anno ad Zachariam nuper electum Pontificem Romanum conſcripta, qua ipſi obedientiam pollicitus eſt, ac de quibuſdam circa res Eccleſiaſticas dubiis eumdem conſuluit, ſimulque licentiam ab eo petiit celebrandæ Synodi, quam Carolomannus requiſiſſet.

a Ibid l. 2. c. 1. & To. 3. Concil.

IESV CHRISTI AN. 742.

CONST. COPRON. AN. 2.

ZACHAR. AN. 1.

I. DE REB. POLITICIS ET ECCLES. ORIENT.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo ſecundo, Indictione decima, Artabaſdus Conſtantinopoli imperans, *Nicephoro* filio in Imperii conſortium allecto, aduerſus Conſtantinum in Armenia morantem progreſſus, magna accepta clade in vrbem rediit: ſed & ab eodem miſſus Niceta filius minor, æque male aduerſus Conſtantinum pugnauit. Quo pariter anno, pluuiæ defectus, & terræmotus facti ſunt adeo vehementes, vt alicubi montes vnirentur, & caſtella in terram immergerentur abſorpta. Defuncto quoque Euelid Arabum Principe hoc anno ſecundo Imperii Conſtantini, conceſſit nouus Princeps Hali Eccleſiæ Antiochenæ, poſt quadraginta annos viduitatis ſponſum ſibi Patriarcham accipere *Stephanum* monachum Syrum, agreſtem quidem, ſed religioſum virum. Fauſtumque & illud hoc anno accidit, vt Coſmas Patriarcha Alexandrinus vna cum ſuis, abnegata hæreſi Monothelitarum ad Eccleſiam Catholicam ſe contulerit. Denique *Petrus* Damaſcenus Epiſcopus, quod zelo fidei æſtuans, Arabum ac Manichæorum cognationem palam arguiſſet, ab illis martyrium conſecutus eſt: qui poſt abſciſſam linguam, expreſſiori voce Miſſas celebrauit. Alius autem Petrus apud Mauimenam iiſdem temporibus, cum ægrotans primores Arabum, ſibi antea aſſuetos eo quod eſſet Chartularius, aduocaſſet, *Vos* (inquit) *licet infideles amici ſitis, teſtamenti mei teſtes eſſe volo, quod eſt tale: Omnis qui non credit in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum Conſubſtantialem, & diuinam in vnitate Trinitatem, mortuus eſt anima, & æterno dignus tormento. Talis eſt Mahammath pſeudopropheta veſter, & Antichriſti præcurſor.* Qui ab illis ex morbo præter ſenſum eſſe exiſtimatus, cum paulo poſt conualuiſſet, maiori incipiens voce *Anathema Mahammath, & fabuloſis ſcriptis eius, & cunctis qui obedirent & crederent ei*, inclamare, gladio martyrium adeptus eſt. Hæc omnia Theophanes.

II. CONCIL. GERMAN. SVB BONIF.

a Zachar. ep. 1. To. 2. Epiſt. Rom. Pont. & To. 3. Conc.

Hoc item anno Zacharias Papa, cum accepiſſet quas ſuperiori anno diximus literas à S. Bonifacio Apoſtolo Germanorum, ad ipſum epiſtolam [a] reddidit Calendis Aprilis, qua reſpondit dubiis ab eodem Bonifacio propoſitis, conceſſitque licentiam celebrandæ Synodi in ditione Carolomanni. Quibus acceptis Bonifacius ſolicitus iuſſa Pontificis implere, hoc ipſo anno Domini ſeptingenteſimo quadrageſimo ſecundo, vndecimo Calendas Maii SYNODVM celebrauit præſente Carolomanno, cuius adhuc extant [b] canones ad rectam conſtituendam vel reſtituendam in illis partib. Eccleſiaſticam diſciplinam. Cuncta vero ibidem decreta, Romam ad Pontificem miſſa, ab eo comprobata [c] ſunt.

b To. 3. Conc. & in 1. et. Bonif. l. 1. c. 34. ap. Sur. 5. Iuny.
c Zachar. ep. 7. Vit. S. Bonif. l. 1. c. 6.

III. CONCIL. ROM.

Sed & hoc eodem anno, nondum abſoluto Conſtantini Imperii primo, menſe Martii, idem Zacharias Papa Romæ SYNODVM habuit, cuius Acta miſit in Gallias ad Auſtrobertum Archiepiſcopum Viennenſem per Clementem presbyterum, quem idem Auſtrobertus Romam legauerat, nunciaturum Eccleſiæ ſuæ miſerandum ſtatum à barbaris Saracenis dira paſſæ: pro cuius reparatione fuiſſe diutius ipſius Antiſtitibus laborandum, conſtat ex epiſtolis [d] ea de re conſcriptis.

d Ext. in Eccl. Hist. ...

IESV CHRISTI AN. 743.

CONST. COPRON. AN. 3.

ZACHAR. AN. 2.

I. CONCIL. LIPTIN. IN GERM.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo tertio, Indictione vndecima, Calendis Martii, à S. Bonifacio Apoſtolicæ ſedis Legato *ad Liptinas* congregatum eſt CONCILIVM, cui vna cum pluribus Epiſcopis interfuit Carolomannus Francorum Princeps, eiuſque meminit Benedictus Leuita in proœmio libri quinti Capitularium Regum Francorum, recenſetque nonnulla in eo decreta ad obſeruationem Eccleſiaſticæ diſciplinæ: quæ pariter habentur in Bonifacii Actis [a], ſed permixta cum aliis: quippe auctor cuncta quæ in tribus Synodalibus Conuentibus geſta eſſe noſcuntur, ſub vno congeſſit.

a Act. Bonif. l. 1. c. 34. ap. Sur. 5. Iuny.

II. b Zach. ep. 9.

DVO IMPOSTORES NOVI HÆRET. DAMNATI.

Liquet vero ex iiſdem Actis, & epiſtola [b] Zachariæ Papæ hoc eodem anno decimo Calendas Iulii ad eumdem Bonifacium ſcripta pro confirmatione rerum in Synodo geſtarum, damnatos etiam in ea fuiſſe duos impoſtores hæreticos, *Aldebertum* Gallum, & *Clementem* Scotum, pſeudoepiſcopos: quorum alter ſacerdotium luxuria commaculans, ac publicis relictis eccleſiis Cruces in campis & Oratoriola ſtatuens, falſis ſignis populum ſeduxiſſet, ſibiq; ſanctitatem ac ſecretorum cordium ſcientia vendicans, ſuo etiam nomine eccleſias conſecraſſet, atque vngulas ſuas & pilos pro reliquiis portandos honorandoſque traderet: ſed & multa de mirabili ſuo ortu mentiretur, atque epiſtolam diuulgaret, quam diceret à Domino IESV ſcriptam de cœlo in ciuitatem Hieroſolymam cecidiſſe, & per Archangelum Michaelem inuentam aliis innotuiſſe: ac denique affirmaret ſe Angelorum ſcire nomina, quorum plurima memoraret, veluti Vriel, Raguel, Tubuel, Simihel, aliaq; eiuſmodi monſtra, quæ recitantur in Actis Synodi Romanæ poſtea in eadem cauſa (vt dicetur) habitæ à Zacharia. In quibus pariter, ſicut & in aliis prædictis literis, de altero impoſtore aſſeritur, eum abnegaſſe canones ſacros & expoſitiones Sanctorum Patrũ, ac decreta Synodalia, ſed & impudicitiam ſimul cum ſacerdotio iungentem, affirmaſſe ſe poſt duos filios ex adulterio ſuſceptos eſſe poſſe legis Chriſtianæ Epiſcopum: ac præterea Iudaiſmum introducentem, iuſtum eſſe dixiſſe Chriſtiano viduam fratris defuncti accipere vxorem: demumque aſſeruiſſe, Chriſtum reſurgentẽ ab inferis nullum ibi reliquiſſe, ſed omnes liberaſſe tam fideles quam infideles, atque multa alia horribilia de prædeſtinatione Dei effutiiſſe.

III. PRO PALLIIS NIHIL ACCIPIENDVM.

Decretum fuiſſe præterea in eadem Synodo Liptinenſi, vt pro tribus Metropolitanis Germaniæ Epiſcopis pallia peterentur à Romano Pontifice, ex eadem Zachariæ ad Bonifacium epiſtola conſtat. Sed accidit, vt eum neſcio quo falſo nuncio Bonifacius accepiſſet, pro iiſdem palliis contra canonum ſtatuta perſolutam pecuniam eſſe, exigente Zacharia & Romanæ Eccleſiæ clericis, eius rei gratia ipſe ad eumdem Pontificem confeſtim literas dederit, quibus eum grauiter redarguit ſimoniacæ labis. Sed ei mitiſſime reſpondens [c] Zacharias, aſſeruit nihil tale ſe cogitaſſe, cum nec pro reſcriptis ac diplomatibus quæ ab eius ſcrinio procederent, conſueuiſſet aliquid exigi: quin potius anathematizare ſe omnes, quicumque auſi eſſent donum Spiritus S. venundare.

c Zach. ep. 8.

IV. ZACHAR. PAPA LABORAT PRO RAVENNATIBVS.

Hac eadem vndecima Indictione, cum Luithprandus Rex Longobardorum Exarchatum Rauennæ armis ſibi ſubiicere tentaret: Zacharias Papa Eutychii Exarchi, Ioannis Archiepiſcopi Rauennatis, & vniuerſi eiuſdem ciuitatis ac totius Exarchatus populi precibus rogatus ipſorum liberationem ſuſcipere, miſſis fruſtra ad eumdem Regem Legatis cum muneribus, demum relicto in Vrbe Stephano Duce ad eius curam habendam, adiens ipſe Regem a-

pud

pud Ticinum, honorificentiſſime ab eo exceptus, eumdem ægre ab eiuſmodi Rauennatium oppreſſione demouit: quæ pluribus Anaſtaſius Bibliothecarius deſcribit. Vbi autem à bellis ceſſatum eſt; hoc ipſo anno, inchoata iam Indictione duodecima, annoq; eiuſdem Regis trigeſimo ſecundo pariter inchoato, Romæ in Baſilica S. Petri SYNODVM celebrauit, in qua [d] multa ſtatuta ſunt aduerſus coniugia illicita, & perſonas Eccleſiaſticas qui regulas Patrum tranſgrederentur, deque continentia clericorum, & aliis rebus ad diſciplinam Eccleſiæ ſpectantibus.

CONCIL. ROM.

d Recitatur huius Synodi Acta Baron. Annal. To. IX. hoc an.

V. CONST. COPRON. IMPERIVM RECVPERAT.

Quod ſpectat ad res Orientales, hoc pariter anno, qui tertius numeratur Conſtantini Imperatoris, menſe Septembri quo duodecima Indictio incipit, idem Conſtantinus valido exercitu comparato Conſtantinopolim obſedit, Artabaſdi copias manus ſecum conſerentes vicit, ipſamque ciuitatem penuria maxima laborantem occupauit, captoſque Artabaſdum, ac duos eius filios, oculis priuauit, & quamplurimos ex iis qui eiſdem præſto fuiſſent peremit, vel aliis tormentis affixit, ac deniq; vrbem Conſtantinopolitanam direptioni militum expoſuit: cumque poſt hæc Ludos equeſtres in Hippodromo celebraret, Artabaſdum vna cum filiis & amicis ligatum introduxit, ac ſimul cum iis Anaſtaſium pſeudopatriarcham publice cæſum, & aſini dorſo verſo vultu impoſitum circumduxit, quod ei olim S. Germanus Patriarcha prædixerat. Hęc Theophanes, Zonaras, aliique hiſtorici Græci: qui pariter aſſerant eumdem Anaſtaſium à Conſtantino adeo inſigniter ignominia affectum, ab eodem eſſe rurſum in thronum reſtitutum, quod non eſſet facile reperire alium qui eum æquaret impietate.

LVDVS DE EPISCOPO CONSTANTINOP.

VI COPRON. IMP. QVODAM DONAT ECCL. ROM.

Cum autem idem Conſtantinus accepiſſet res bene nuper geſtas à Zacharia Romano Pontifice pro Rauennæ Exarchatu, quo eum magis demereret, quæ erant iuris Imperii quædam prædia donaſſe Romanæ Eccleſiæ, teſtatur Anaſtaſius. Ceterum Zachariam ſæpius eumdem interpellaſſe vt ab hæreſi reuocaret, ſcripſit Hadrianus Papa in epiſtola [c] ad Conſtantinum & Irenem Augg.

c Ext. in Conc. Nic. II. Act. 2.

IESV CHRISTI AN. 744.

CONST. COPRON. AN. 4.

ZACHAR. AN. 3.

I.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo quarto, Indictione duodecima, defuncto Stephano Epiſcopo Antiocheno vbi ſediſſet annos duos, permiſit Hali Princeps Saracenorum, conſecrari in locum eius *Theophylactum* Edeſſenum, virum (inquit Theophanes) magnæ virtutis, diuiniſque chariſmatibus fulgentem.

II. NON ITERANDVS BAPTISMVS OB FALSAM LATINITATEM.

Hac item Indictione duodecima, & Conſtantini Imperatoris anno quarto, Virgilius atque Sidonius viri religioſi, qui propagandi in Baioaria Euangelii coadiutores Bonifacio erant, cum oborta occaſione opus eſſet eidem cōtradicere, dum ipſi videretur rebaptizandos eſſe, quos miniſter forma ſolita, ſed vitiata Latinitate (nempe hoc modo, *Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritua Sancta*) baptizaſſet, modeſtiæ conſulentes, maluerunt eum monendum eſſe per Romanum Pontificem. Quamobrem de his ſcripſere ad Zachariam Papam: qui acceptis literis, ad Bonifacium reſcripſit [a], non eſſe iterandum baptiſmum ex falſa Latinitate, dummodo is qui baptizat in ipſis baptiſmi verbis non introducat errorem hæreſeos.

a Zach. ep. 4. To. 2. Epiſt. Rom. Pont. & in Rer. Bonif. 1. c. 3.

III. LEGATIO A PIPINO, ET EPISCOPIS AD ZACH. DE DIVERSIS REB. ECCLES.

Quo pariter anno Pipinus Caroli Martelli filius, Carolomanni frater, Maior domus Regis Francorum, ſolicite curans res quæ ad Eccleſias ſpectarent, tam ſuo quam Antiſtitum & Principum Francorum nomine, legationem cum literis miſit per Eobanum presbyterum ad Zachariam Romanum Pontificem, vt ipſum de multis ad ſacerdotalem ordinem, ac ſalutem animarum, illicitaque coniugia pertinentibus conſuleret. Quibus ſatisfaciens Pontifex, ad eumdem *Chriſtianiſſimum* (vt vocat) Pipinū, & Antiſtites reſcripſit epiſtolam [b], viginti ſeptem continentem reſponſionum capita, deſumpta ex canonibus Apoſtolorum, ac decretis Summorum Pontificum & Conciliorum. Atq; vt ea obſeruarentur, Bonifacio [c] reſcripſit Concilium cogere, deque iiſdem canonice cuſtodiendis inter Epiſcopos agere.

b Rec. Baron. To. IX. hoc an.

c Ext. Epiſt. 1. Vit. S. Bonif. l. 2. c. 7.

IV. LVITPRANDI OBITVS ET MORES.

Hoc item anno contigit obitus Luithprandi Regis Longobardorum, poſtquam regnaſſet (vt quidem Paulus diaconus docet in fine hiſtoriæ eius gentis) annos triginta vnum & menſes ſeptem: quem etiam ſub Indictione duodecima fuiſſe adhuc ſuperſtitem, teſtantur Acta Synodi Romanæ anni ſuperioris. Laudat illum idem Paulus de ſapientia, pietate, iuſtitia, caſtitate, fortitudine, aliiſque pacis ac belli virtutibus: eumdemque omni tempore plus orationibus quam armis fidiſſe ait, maximaque ſemper cura Francorum, Auarumque pacem cuſtodiſſe. Nec certe negandum eſt, multa fuiſſe huius Principis laude digniſſima, licet interdum furor in malum præcipitem egerit. Porro ſucceſſit ei Hildebrandus ipſius nepos: qui dominium aſperum in Longobardos exercens, ab iiſdem ſimul conſpirantibus redactus eſt in ordinem, poſtquam tenuiſſet regnum ſeptem tantum menſes: atque in eius locum ſubrogatus Rachis Dux Forojulienſis, quem ob virtutem bellicam, humanitati ac pietati coniunctam, dignum exiſtimarunt qui fortiſſimæ Longobardorum genti præeſſet: ad quem mox Zacharias Papa (vt habet Anaſtaſius) legationem miſit pro pace Italiæ, quæ in annos viginti confirmata eſt.

IESV CHRISTI AN. 745.

CONST. COPRON. AN. 5.

ZACHAR. AN. 4.

I CONCIL. IN GERM. A BONIF.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo quinto, Indictione decimatertia, habitum eſt CONCILIVM in Germania à S. Bonifacio Apoſtolicæ Sedis Legato: vbi ea quæ ſuccreuerant in agro licet ſæpe culto, ſpineta, vna cum collegis Epiſcopis auxilio Chriſtianiſſimorum Principum Carolomanni & Pipini ſuccidit. Actum eſt in eo præcipue de duobus illis hæreticis, Aldeberto atque Clemente de quibus ſupra, qui etſi iam in Synodo Liptinenſi condemnati fuiſſent, tamen adhuc populum ſeducere non deſiſterent viſumque eſt de iis referendum eſſe ad Romanum Pontificem: Sed & Geruilio Epiſcopus Moguntinus exauctoratus eſt, tum ob voluntarium ac fraudulentum homicidium ab ipſo commiſſum in virum, qui olim patrem ipſius æque Moguntinum Epiſcopum in prælio occidiſſet, tum quod auibus & canibus delectaretur, quod Epiſcopo fas non eſſet: inque locum eius, iiſdem adnitentibus Principibus, ſubrogatus eſt [a] *conſactus* ipſe, qui hactenus Apoſtolatui tantum Germaniæ generatim mancipatus, nulli fuerat adſcriptus, certæ ſedi: & vt eius dignitas eſſet eminentior, ſtatuerunt Eccleſiam Moguntinam, quæ tum alteri ſubiecta erat, in totius Germaniæ Metropolim prouehere, miſſaque legatione id à Romano Pontifice impetrarunt. Hæc pluribus in Rebus [a] geſtis eiuſdem S. Bonifacii. Sed pertinet quoque ad hanc Synodum, quod idem Sanctus zelo charitatis exæſtuans, cum ſciret Regem Merciorum in Anglia, Athelbaldum nomine, vitam ſceleſtiſſimam ducere, vt eum ad meliorem frugem conuerteret, nomine non ſuo tantum, ſed & Epiſcoporum qui Synodo interfuerunt, & auctoritate Romani Pontificis, epiſtolam ſcripſit commonitionibus paternis plenam, cuius etiam facta eſt ſuperius mentio in morte Caroli Martelli.

S. BONIF. ELIGITVR EPISCOP. MOGVNT.

a Vit. Bonif. l. 1. c. 17. ep. Sur. 5. Iuny.

II. CONCIL. ROM. CONTRA NOVOS HÆRET.

Vt autem quæ in Synodo aduerſus hæreticos fuere decreta, tenaciori vinculo firmarent, cum idem Bonifacius legaſſet Romam ad Zachariam Papam Deneardum presbyterum, continuo Pontifex hoc ipſo anno menſe Octobri, cœpta iam Indictione decimaquarta, Conſtantini Imperii ex quo cum patre regnare cœpit anno vigeſimo ſexto, coacto Romæ in Patriarchio Lateranenſi CONCILIO, eoſdem hæreticos, eorumq; errores impios ac ridiculos, quos iam antehac retulimus, condemnauit: cuius Acta

Synodi

Digitized by Google

b *Ibid. l. 2. c. 4.*
c *Cap. 7.*

Synodi extant integra in Vita eiuſdem [b] Bonifacii, atque in eis notum illud reperitur, vt ea cauſa tribus vno die habitis ſ...ſſionibus (quod vix alibi factum reperias) abſoluta fuerit. Sed & extat ibidem [c] alia Zachariæ ad Bonifacium epiſtola, qua cetera omnia in Synodo Germanica ſtatuta pariter confirmauit.

CONST. COPRON. AN. 6.

IESV CHRISTI AN. 746.

ZACHAR. AN. 5.

I. MVLTIPLICIA PORTENTA IN ORIENTE.

ANNO Domini ſeptingenteſimo quadrageſimo ſexto, Indictione decimaquarta, anno ſexto Conſtantini ſolius imperantis, à die quarta Auguſti vſque ad Octobris Calendas, in Oriente factæ ſunt tenebræ caliginoſæ, quas ſecuti ſunt terræmotus prodigioſi in Palæſtina, ac tota Syria: & peſtis ingens bubonis dicta, è Calabria & Sicilia orta eſt, quæ Conſtantinopolim adueniens, ita eam per tres annos depaſta eſt, vt pene deſertam reddiderit, & cum repleta cadaueribus fuiſſent omnia monumenta, lacus, vineæ, horti, vix ſupereſſet locus vbi mortui ſepelirentur. Ea vero qui moriebantur, primo in ipſorum veſtimentis cruciculæ inuiſibiliter imprimebantur, moxque lue tacti vitam finiebant: cum & inſuper quamplurimi multis ſpectris & phantaſmatibus miſerabiliter vexarentur, vt aperte cerneretur, has à Deo clades immiſſas eſſe vt homines à peccatis reuocarentur, ipſeque inprimis impius Conſtantinus Imperator his admonitus à blaſphemus ſuis abſtineret. Verum ille, vt Pharao quondam, datus in ſenſum reprobum, obduratus permanſit. Hæc omnia Theophanes: quæ eadem confirmantur in oratione de S. Platone, à S. Theodoro Studita inſignis ſanctitatis & doctrinæ huius temporis monacho, de quo ſæpe inferius.

II. LEGVM LONGOB. PROMVLGATIO.

Hac item Indictione decimaquarta, qua & abſoluitur ſecundus Rachiſis Longobardorum Regis annus, idem Rex *Conuentum* cogens omnium Principum ſuæ gentis, vt publicis initis comitiis vna ſimul agerent de Legibus Longobardorum vel emendandis vel addendis, eas ex ſententia omnium bene diſpoſitas promulgauit, vt conſtat ex præfatione quam illis præpoſuit.

CONST. COPRON. AN. 7.

IESV CHRISTI AN. 747.

ZACHAR. AN. 6.

I.
a *Vit. S. Bonif. l. 1. c. 16. ap. Sur. 5. Iuny.*

CAROLOMANNVS PRINCEPS FRANC. VITAM MONAST. AMPLECTITVR.

b *Vit. Bonif. l. 1. cap. 16. Egin. in Vit. Carol. Mag. Anaſt. Bibl. in Zachar. Rhegin. in Chron. an. 756. Leo Oſtienſ. Chr. Caſsin. l. 1. c. 7. Walafr. Strab. in Vit. ipſius Carol. ap. Sur. 16. Nou. & aly.*
c *Sigeb. in Chron. & Lambert. hoc an.*

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, Indictione decimaquinta, Carolomannus Caroli Martelli filius primogenitus (de quo ſæpe dictum) bello paceque præſtantiſſimus, ſed amore in Deum longe præſtantior, hortante [a] S. Bonifacio Archiepiſcopo Moguntino, relicto Principatu fratri ſuo Pipino, Romam acceſſit, vbi ſuſcepto habitu monaſtico, ac poſtea conſtructo in monte Soracte in honorem S. Silueſtri Papæ, qui illic diutius olim delituerat, monaſterio, ibi aliquamdiu commoratus eſt: ſed importunius interpellatus à nobilibus Francis qui Romam frequenter peregrinarentur, remotiorem locum quærens, nobiliſſimum San. Benedicti Caſſinenſe monaſterium petiit, vbi primo incognitus, poſtea vero miro caſu dum miniſterio coquinæ inſeruiret cognitus, cum in paſcendis ouibus monaſterii, tum in aliis vilibus officiis, ſumma humilitate & obedientia ſanctiſſimam vitam duxit. Hæc omnes antiquiores recentioreſque auctores [b] tradunt, licet in aliquibus paulo diuerſus alter ab altero. Res vero geſtas eiuſdem ſancti Principis fuſius proſecutus eſt VValfridus Strabo. Sed quod ad tempus quo is nuncium remiſit ſæculo, vetus Francorum Chronicon à Pithœo editum, aliique [c] Scriptores, hoc ipſo anno factum ponunt: Ado autem Viennenſis, Rheginio, & alii plures, ſuperiori: cum tamen ex quibuſdam Zachariæ Papæ ad Bonifacium epiſtolis [d], poſt aliquot etiam annos id accidiſſe colligi poſſe videatur. Quot vero annis monachus vixerit, inferius ſuo loco dicturi ſumus.

d *Ext. in Vit. Bonif. l. 2. c. 8. & 10.*

CONST. COPRON. AN. 8.

IESV CHRISTI AN. 748.

ZACHAR. AN. 7.

I.

HÆRESIS NEGANS NECESSITATEM BAPTISMI.

a *Zach. ep. 10. & in Vit. Bonif. l. 1. c. 8.*

b Dubitaſſe de Antipodis, non eſt hæreſis: ſed plures ſtatuiſſe mundos, diuinæ repugnat Scripturæ, ac proinde hæreſis eſſe conuincitur.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo octauo, Indictione prima, S. Burchard. Epiſcopus VVirtzburgenſis, ſiue Herbipolenſis in Germania, Romam ſe contulit: cui ad Zachariam Pontificem S. Bonifacius Archiepiſcopus Moguntinus literas dedit, quibus ex more de multis dubiis eum conſuluit; monuitque de *Sampſone* quodam presbytero genere Scoto, qui negabat ſanctum Baptiſma eſſe neceſſarium ad ſalutem, ſufficere aſſerens Epiſcopalis manus impoſitionem. Ad quæ Zacharias hac ipſa Indictione prima Calendis Maii reſcribens [a], iuſſit vt eumdem nequiſſimum hæreticum ab Eccleſia expelleret. Qui autem ibidem impingitur Virgilio presbytero, Apoſtolico plane viro, error, quod alius Mundus [b] & alii homines ſub terra ſint, aliuſque Sol & Luna; hæc, aliaque nonnulla quæ eadem epiſtola de eodem Virgilio referuntur ad Bonifacium primo, & per eum ad Zachariam perlata, vanum prorſus fuiſſe commentum, prauorum hominum arte contextum, declararunt euenta: ſiquidem & ea vt inania penitus euanuerunt, & ipſe Virgilius auctus Epiſcopatu perſeuerauit in ſuſcepta ſemel Apoſtolica functione, & longe lateque Euangelium in gentes finitimas propagauit; quem & ſolemnibus ritibus inter Sanctos relatum à Gregorio Nono Romano Pontifice, vetera monumenta teſtantur.

II.

c *Leo Oſt. Chron. Caſsin. l. 1. c. 4.*

Sub hac item prima Indictione datæ extant litteræ nomine Zachariæ Papæ (ſed male eiuſdem Pontificatus anno item primo conſignatæ) de priuilegiis conceſſis monaſterio Caſſinenſi: inter quæ fuit illud [c], vt ipſum ab omni Epiſcoporum ditione liberum eſſet, præterquam Romani Pontificis.

CONST. COPRON. AN. 9.

IESV CHRISTI AN. 749.

ZACHAR. AN. 8.

I. DIRI TERRÆMOTVS ET ALIA PORTENTA IN ORIENTE.

ANNO Domini ſeptingenteſimo quadrageſimo nono, Indictione ſecunda, terræmotu ingenti multæ in Syria ciuitates ſubuerſæ ſunt, ac nonnullæ à montanis ad campeſtria cum muris & habitatoribus ſuis integræ & incolumes translatæ ad milliaria ſex & vltra: ſed & Meſopotamiæ terra in altera extremitatum diſrupta fuit ad milliaria duo, & ex profundo eius aſcendit alia terra alba & arenoſa, de cuius medio erupit animal mulinum humana voce loquens, & prænuncians gentis incurſionem ab eremo aduerſus Arabes: quod & factum eſt. Hæc Theophanes, ſui temporis hiſtoriam proſecutus. Quæ quidem portenta & ſpectra Deus oſtendit, cum imperaret Copronymus portentoſus.

II. DAMASC. EXCITATAM HÆRESIM EXTINGVIT.

Sed & additum in Syria, malum, dum Anaſtaſius Abbas monaſterii S. Euthymii extinctam hæreſim perditiſſimi Gnaphei (quæ eo tendebat, vt cum vnam in Chriſto naturam contra Chalcedonenſe Concilium prædicaret, hymnoque Triſagio adderet, *Qui crucifixus es pro nobis*, ſanctiſſimæ Trinitati æque crucem adſcriberet) in lucem reuocare laborauit. Sed quam citiſſime ei occurrens S. Ioannes Damaſcenus, eumque confutans egregia illa atque prolixa epiſtola de Triſagio ad Iordanem Cœnobiarcham; ſui celebritate nominis eamdem hæreſim antequam vulgaretur extinxit.

III. VOTVM NVNCV-

Quod ad res Germanicas ſpectat; hoc item anno Pipinus Maior domus regni Francorũ, Saxones & VVeſtphalos adhuc Gentiles debellauit. Cum vero Coloniam A-

grippinā rediret, & VVeſtphali impatientes dominii Chriſtianorum, congregata noua militum manu ipſius exercitum ex improuiſo prope VVerdam inuaſiſſent; facto à Pipino voto Deo, & S. Suviberto primo VVerdenſi Epiſcopo, Saxonum & Friſiorum appellato Apoſtolo, de viſitando cum ſupplicationibus eius corpore quod ibidē VVerdæ quieſcebat; immenſa continuò lux ſuper Chriſtianorum exercitum ſplendens, tantum Paganis ex ea ferme excæcatis timorem incuſſit, vt ſtatim armis depoſitis ſeſe iterum Pipino ſubiecerint; qui in gratiarum actionem, Sancti ſepulchrum diſcalceatus cum primoribus ſuis viſitauit, & regalia ipſi munera obtulit. Narrat iſta S. Ludgerus primus Monaſterienſis Epiſcopus in epiſtola [a] ad Xixfridum Traiectenſem Epiſcopum de miraculis S. Suviberti.

a Ext. ap. Sur. in Append. ad Vit. S. Suvib. 1. Mart.

CONST. COPRON. AN. 10.

IESV CHRISTI AN. 750.

ZACHAR. AN. 9.

I. RACHIS REX LONGOB. FIT MONACHVS.

ANno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo, Indictione tertia, Rachis Longobardorum Rex licet maxime pius atque pacificus, nulla tamen habita ratione pacis vicennalis ſancitæ cum Romano Pontifice, neſcitur qua occaſione Pentapolitanā inuaſit vaſtauitque prouinciam, atque Peruſiam obſidione cinxit: ſed cum hoc audito Zacharias Papa illum adiiſſet, non ſolum perſuaſit vt à cœptis deſiſteret; ſed & ſalutaribus monitis ita eius animum ad ſpiritualia accendit, vt poſt aliquantos dies regalem exuens dignitatem, Romamque accedens, monaſticum habitum ab eodem Pontifice acceperit, vna cum vxore & filia. Hæc Anaſtaſius [a]. Eadem & Leo [b] Oſtienſis: qui addit, eumdem iuſſu Pontificis petiiſſe monaſterium Caſſinenſe, ac poſt aliquot religioſæ conuerſationis annos feliciter quieuiſſe: ſed & ipſius vxorem Theſiam, ac filiam Rattrudam, haud longe à Caſſino monaſterium conſtruxiſſe, & in ſancto propoſito vitam finiiſſe. Succeſſit autem hoc anno Rachiſi in Longobardorum regno Aiſtulphus eius frater, conſenſu Principum Longobardorum. Etenim cum Leo & alii teſtentur, Rachiſim annos quinque & ſex menſes regnaſſe, vtique in hunc vſque annum propagaſſe regnum apparet.

a Anaſt. in Zachar. b Leo Oſt. Chron. Caſſin. l. 1. c. 8.

CONST. COPRON. AN. 11.

IESV CHRISTI AN. 751.

ZACHAR. AN. 10.

I. REGNVM FRANC. TRANSFERTVR IN PIPINVM.

ANno Domini ſeptingenteſimo quinquageſimo primo, Indictione quarta, Francorum Monarchiæ bene conſulturus Zacharias Papa, ipſorum Regnum, quod ſub Regibus Morouingiis inertibus, & nouiſſime ſub *Hilderi. o Stupido* periclitaretur, Apoſtolica auctoritate in PIPINVM Caroli Martelli filium, Carolomanni germanum, Maiorem domus regiæ, pietate, ac multis contra hoſtes victoriis clariſſimum, tranſtulit; eumdemq; Regem creauit, Hilderico anno ſequenti detruſo in monaſterium.

II. DE TEMPORIBVS TRANSLATIONIS.

Scimus complures auctores in ſuperiorem annum iſta referre: verum id hoc anno factū, perſuadet vetus Chronicon Francorum à Pithœo editum: itemque quod Aimoinus tradit, id accidiſſe poſt decem annos ex quo Pipinus defuncto patri ſucceſſit in regni Principatum titulo Maioris domus. Porro citatum Chronicon non vno tempore hæc eſſe geſta teſtatur; ſed hoc anno contigiſſe legationem à Pipino ad Romanum Pontificem miſſam per Burchardum VVirtzburgenſem Epiſcopum, & VVoltadum ſiue Fulradum Abbatem S. Dionyſii ac ſummum Pipini Capellanū, vt eum de ea re conſulerent: ſequenti vero Zachariam Pontificium decretum miſiſſe in Gallias, & reliqua rite peracta fuiſſe; adeo vt nomen Regis nonniſi ſequenti anno Pipinus fuerit conſecutus. Quod quidem etiam confirmatur ex litteris [a] eiuſdem Zachariæ datis pridie Nonas Nouembris Indictionis quintæ, quæ cœpta eſt menſe Septembri huius anni, ad Bonifacium Archiepiſcopum Moguntinum, de nonnullis ipſius conſultationibus Eccleſiaſticis, ac de priuilegiis conceſſis eidem Eccleſiæ Moguntinæ, necnon monaſterio Fuldenſi ab ipſo Bonifacio nuper conſtructo, & à Carolomanno magnis reditibus locupletato: in quibus litteris nōn Rex, ſed Princeps, vt antea, idem Pipinus cum aliis appellatur.

a Ext. in Vit. Bonif. l. 2. c. 9. 11. 12.

III.

Quod ſpectat ad præſentis anni res Orientalis Eccleſiæ; hoc tantum proditur, quod *Theodorus* creatus eſt Epiſcopus Antiochenus; vt Theophanes auctor eſt, qui eum ſex annos ſediſſe aſſerit.

CONST. COPRON. AN. 12.

IESV CHRISTI AN. 752.

STEPHANVS II. STEPH. III. 1.

I. PIPINVS CORONATVR REX FRANC.

ANno Domini ſeptingenteſimo quinquageſimo ſecundo, Indictione quinta, PIPINVS in Regem Francorum vnctus eſt Sueſſione à S. Bonifacio Archiepiſcopo Moguntino, iubente Zacharia Romano Pontifice: Hildericus vero Rex vltimus Morouingiorum in monaſterium incluſus. Hæc enim veteres Annales à Pithæo editi hoc anno accidiſſe tradunt; quamuis in annum ſuperiorem alii id factum referant, vel ante biennium alii, vt ſuperius dictum eſt. Quod autem ad rem geſtam attinet; eam abſque controuerſia aſſerunt ſcriptores omnes rerum Francicarum, ſiue veteres, ſiue recentiores.

II ZACHARIÆ PP. OBITVS.

Quo pariter anno idem *Zacharias* Papa, vbi ſediſſet annos decem menſes tres & dies decem, decimaquinta Martii ad Deum feliciter migrauit; ac ſepultus eſt apud S. Petrum, & inter Sanctos relatus. Hæc ex Anaſtaſio, & Romano Martyrologio. Habet vero præterea idem Anaſtaſius multa de ædificiis ſacris ab eodem Pontifice erectis aut reſtitutis, & pretioſis ornamentis atque amplis reditibus locupletatis: necnon de capite S. Georgii martyris inuento, ac ſolemni proceſſione tranſlato ad diaconiam eius nominis, vbi multis miraculis coruſcauit. Tradit inſuper, ab eodem Pontifice traductos eſſe in linguam Græcam quatuor libros Dialogorum S. Gregorii Papæ; cuius aſſertionis adſtipulatorem habet Photium tomo ſecundo ſuæ Bibliothecæ. Denique ab eodem Zacharia conceſſam eſſe Pipino Regi Nominationem, quam vocant, ſiue poſtulationem Epiſcoporum pro Eccleſiis vacantibus in regno Francorum, conſtat ex epiſtola quadam Lupi [a] Abbatis monaſterii Ferrarienſis Senonum in Gallia, ad Amulum Archiepiſcopum Lugdunenſem. Vt intelligas, cum legis à Regibus datos Eccleſiis eſſe Epiſcopos, totum id factum non iure proprio (quod nullum penitus in rebus Eccleſiaſticis Reges habent) ſed conceſſione Apoſtolicæ Sedis.

NOMINATIO EPISCOP. CONCESSA PIPINO. a Lup. Ferrar. ep. 81.

III. b ap. Caniſ. Antiq. Lect. To. 7.

Prodiit [b] quoque haud ita pridem vetus auctor *Metellus* monachus Tegerenſis, qui verſibus Quirinalia ſcripſit, nempe Tranſlationem ad Noricos corporis S. Quirini martyris, & miracula eiuſdem virtute edita: ex quo patet, ſub eodem Zacharia Papa Vrbem Romam grauiſſimam deprædationem paſſam eſſe à barbaris Africanis, ac liberatam eſſe per Noricos quoſdam proceres, qui peregrinationis cauſa Romam venerant & meritorum virtutis ergo donati ſunt ab eodem Pontifice venerando corpore S. Quirini.

IV. STEPH. PP. II. ELIGITVR ET MORITVR.

Sed vt ad ſucceſſorem eius deueniamus; poſtquam ab illius obitu ſedes vacaſſet dies duodecim, ſexto Calendas Aprilis ſubrogatus eſt ei ſucceſſor STEPHANVS quidem presbyter, qui tertio creationis die cum à ſomno ſurgeret, & ſedēs cauſas familiares diſponeret, ſubito alienatus obmutuit, & ſequenti die defunctus eſt. Hæc Anaſtaſius. Propter cuius breuitatem temporis, factum eſt vt à pluribus hic Stephanus dimittatur in ſerie Romanorum Pontificum; cum tamen vere Pontifex fuerit. Poſt ipſum autem electus eſt ex diacono Pontifex, alius item STEPHA-

NVS

STEPH. III. CREATVR.

NVS eius nominis Tertius, filius Conſtantini, patria Roman⁹ qui inter alias virtutes, maxime fuit miſericors erga pauperes; adeo vt ſimul ac Pontificatum adeptus eſt, antiqua Xenodochia reſtaurauerit, & noua conſtruxerit; ac reditibus dotauerit: vt teſtis eſt Anaſtaſius.

V. AISTVLPHI REG. LONGOB. CONATVS.

Inter hæc dum bellicis incurſionibus Longobardorum Rex Aiſtulphus Romanam atque Imperialem ditionem deuaſtaret, multaſque iam ciuitates occupaſſet; idem Stephanus Papa mittens ad eum cum muneribus germanum ſuum Paulum diaconum, in quadraginta annos pacem cum eo firmauit. Sed poſt quatuor vix menſes eam Rex periturus infringens, haud vltra valuit à prauis ſuis conatibus, iteratis licet ab eodem Pontifice atque etiam ab Imperatere legationibus dimoueri. Hæc pluribus Anaſtaſius. Porro Aiſtulpho moribus longe diſſimilem eius vxoris fratrem Anſelmum, hoc ipſo anno Nonantulam nobile monaſterium in agro Mutinenſi conſtruxiſſe in honorem Apoſtolorum, Sigebertus & alii teſtantur: eumdemque monaſticam vitam eſſe profeſſum & in Abbatem promotum ducentis monachis præfuiſſe, Ricobaldus aſſirmat.

IESV CHRISTI AN. 755.

CONST. COPRON. AN. 13.

STEPHAN. III. AN. 2.

I. STEPH. PP. LABORAT PRO SALVTE VRBIS ET ITALIÆ ADVERSVS LONGOB.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo tertio, Indictione ſexta, cum properaret Aiſtulphus Longobardorum Rex in Romanæ ditionis vexationem, quam ſibi ſubiicere vehementiſſimo ardebat deſiderio, Stephanus Papa miſſa Conſtantinopolim legatione, Imperatorem hortatus eſt vt ad defenſionem iurium quę ſupererant Imperii Romani in Italia, exercitum mitteret: ipſeque interea frequentibus, atque humilimis proceſſionibus & litaniis, cum vniuerſo Clero Populoque Romano Deum placare contendit. Quod vero minima ſpes eſſe vt Conſtantinus Imperator Italiam defenderet, nec iteratis ſæpe muneribus ac legationibus durus Aiſtulphi animus emolliri valeret; idem Pontifex ad gentem Francorum Romanæ Eccleſiæ amantiſſimam recurrendum eſſe putauit; conſcriptiſque ſecreto per quemdam peregrinum ad Pipinum Regem litteris, petiit vt mitteret qui ipſum Pontificem in Gallias deducerent. Nec mora, Legatos ſuſcepit Rodigangum Epiſcopum; & Authcarium Ducem; qui aduenientes dum ipſa Vrbs Roma obſidione vallaretur, & alia ſimul oppida obſiderentur, eumdem Pontificem, ipſo petente, primum Papiam ad Aiſtulphum Regem comitati ſunt, vt ab eo precibus exigeret reſtitutionem ciuitatis Rauennæ, eiuſque Exarchatus; poſtea vero cum nihil impetrare potuiſſet, eumdem inuito licet Aiſtulpho, & modis omnibus iter ipſius impedire ſatagente, in Gallias incolumem perduxerunt. Vbi tanto illum honore Chriſtianiſſimus Rex Pipinus, obuiam ei cum vxore ac liberis factus excepit, vt non ſolum pedibus eius ſeſe proſtrauerit, ſed & vice ſtratoris iuxta eius equum ambulans aliquantum itineris deduxerit. Hæc omnia fuſius Anaſtaſius; qui hunc ipſorum congreſſum contigiſſe ait apud Ponticonem die ſexta menſis Ianuarii anni ſequentis.

STEPH. PP. ADVENTVS IN GALLIAS.

II. TVRPIS EXITVS EPISCOPI CONST.

Quod ad res Orientalis Eccleſiæ ſpectat; hoc ipſo anno decimotertio Conſtantini Imperatoris, Anaſtaſius (inquit Theophanes) qui ſcelerate Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ præfuit, mortuus eſt corpore ſimul & anima, miſerabili paſſione quæ dicitur Chordapſos fatigatus, qua & ſtercus per os euomuit; dignam exoluens vindictam pro audacia quam contra Deum & contra ſuum magiſtrum S. Germanum exhibuiſſet.

IESV CHRISTI AN. 754.

CONST. COPRON. AN. 14.

STEPHAN. III. AN. 3.

I. DE TEMPORE VNCTIONIS PIPINI REG.

ANno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo quarto, Indictione ſeptima ipſo menſe Ianuarij Stephanus Papa à Pipino Rege Chriſtianiſſimo Pariſios honorificentiſſimè deductus, in monaſterio S. Dionyſii habitationem accepit; vt ait Anaſtaſius. Sed quod addit, eumdem Pipinum, eiuſque filios ab eodem Pontifice tunc eſſe vnctos in Reges Francorum; aduerſantes habet Latinos omnes hiſtoricos, qui vnctionem Pipini iam antea iuſſione Zacharię per S. Bonifacium factam aſſerunt: verum habet Anaſtaſius teſtem Theophanē [a] huius temporis Græcum auctorem, qui æque Pipinum prouectum in Regem per Stephanum tradit. Et (quod maius ceteris teſtimoniū exiſtimari debet) ipſe Ludouicus Imperator Caroli Magni filius, Pipini nepos, in epiſtola ad Hilduinum ſcripta quæ habetur in Areopagiticis, aſſertor eſt vnctionis Regum à Stephano factæ. Denique licet in Regem antea Pipinus prouectus fuerit, tamen nonniſi ab hoc tempore cœptos eſſe numerari annos ipſius regni, docent nonnulla vetera monumenta [b] Francorum.

a Theoph. l. 22.

b lib. 2. rer. S. epitoma. 11. c. 5. ap. Sur. 16. Nouemb ex Wal. ſrido & Iſone monacho.

II. STEPH. PP. SANATVR A S. DIONYSIO.

Præceſſiſſe vero eamdem de vnctione Regum functionem, Stephani Papæ vehementem ægritudinem, à qua diuinitus fuerit ſanatus, auctor eſt Anaſtaſius. Sanatum autem eſſe beneficio S. Dionyſii, hortantibus SS. Apoſtolis Petro & Paulo, qui omnes eidem Stephano oranti apparuerunt, idem ipſe Pontifex docuit publicis ſuis literis [c] ad illuſtrandam eiuſdem San. Martyris gloriam ſcriptis. Habet inſuper S. Lugderus [d] Epiſcopus Monaſterienſis, egiſſe Pipinum Regem cum Stephano Papa de canonizatione magni illius S. Svviberti, cuius ope eumdem hoſtes viciſſe vidimus; ipſumque Pontificem quibuſdam Epiſcopis commiſiſſe vices ſuas, vt de Vita & miraculis eiuſdem Sancti perquirerent; ſed eos propter incurſiones Saxonum rem diſtuliſſe, eleuaſſe tamen eius venerandum corpus Colonienſem Archiepiſcopum, in cuius parochia migrauerat ad Chriſtum. Porro de ipſa eiuſdem ſolemni facta canonizatione à Leone Papa Quarto, dicetur ſuo tempore.

c Ext. ap. Hilduin. in Areop. ap. Sur. 9 Oct.

d Lugder ep. ad XI. ſeqq. Epiſc Traiect. in Append. ad Vit. S. Svvib. ap. Sur. 1. Mart.

III. SACER CANTVS RESTITVTVS IN GAL.

Denique VValfridus [e] Strabo tradit, hoc tempore Eccleſiam Gallicanam à Stephano Papa per Romanos Clericos cantus Eccleſiaſticos perfectius edoctam eſſe. Ex quib. corrigas quod in Rebus geſtis Caroli Magni à monacho S. Galli conſcriptis [f] traditur, non à Pipino, ſed à Carolo Magno petitos mitti Roma Cantores; qui inuidentes glorię Francorum, eos falſa docuerint, eiuſque criminis pœnas dederint, quamuis & certum ſit, ipſum quoque Carolum Magnum dignam nauaſſe operam vt corruptus cantus Gallicanus per Romanos Cantores reſtitueretur; eaque de cauſa duos reliquiſſe ex ſuis apud Hadrianum Papam, ruſumque alios duos expetiiſſe ab eodem Hadriano: id omni fide teſtante Eckerhardo Decano S. Galli eiuſdem temporis auctore in Vita [g] S. Notkeri, necnon Pithœi Chronico [h]; quibus locis plura habentur de eiuſmodi cantus introductione, ac reformatione.

e Walfr. de reb. Eccleſ. c. 25 in fi.

f ap. Caniſ. Antiq. Lect. To. 1.

g ap. Caniſ. ibid. To. 6.

h an. 787.

IV. CAROLOMAN. MISSVS AD PIPIN. AB AISTVLPHO.

Sed vt ad res bellicas accedamus; cum Aiſtulphus impius Longobardorum Rex timeret ſibi à Pipino Rege, idem Carolomannum eiuſdem Pipini fratrem primogenitum à monaſterio Caſſinate extractum coegit Gallias adire, vt eum ab expeditione in Italiam reuocaret. Verum hæc paruipendens Pipinus, eumdem Carolomannum fratrem ſuum non permiſit in Italiam redire, ſed in alio monaſterio in Francia conſtituit; vbi non multo poſt feliciter ex hac vita migrauit. Hæc ex Anaſtaſio. Ceterum ipſum Carolomannum ad hoc iter ab Abbate Caſſinatis monaſterii inuitum compulſum fuiſſe (ne ſcilicet quod alias factum fuerat, idem monaſterium tanto labore reſtitutum, iterum per Longobardos excideretur, id minitante impio Rege) Leo [i] Oſtienſis, atque Aimoinus

i Leo Oſt. l. 1. c. 7. in fi.

k Aimoin. lib. 4. c. 26.

mus[k] tradunt. Additque Oſtienſis, eumdem Pipinum Carolomanni fratris defuncti corpus locello aureo conditum, cum alijs pleriſque muneribus ad monaſterium Caſſinenſe remiſiſſe. Cum autem idem Rex Chriſtianiſſimus hortatu Stephani Papæ legatos ſæpius ad Aiſtulphum miſiſſet, vt omnia pacifice tranſigerentur, nec aliquid ab illo barbaro impetrare valuiſſet; tandem cum exercitu Alpes tranſgrediens, in ipſis montium faucibus eumdem Aiſtulphum prælio vicit, fugatumque inſequens Papiæ obſedit: cum Pontifex nouam timens Chriſtiani ſanguinis effuſionem, eum coegit vt accepto ab Aiſtulpho iuramento, obſidibuſque pro reſtituenda Rauenna alijſque ciuitatibus, ipſe in Gallias regrederetur. Horum quidem teſtis eſt Anaſtaſius.

PIPINVS AISTVLPHVM VINCIT.

V.

Denique ex Areopagiticis Hilduini conſtat, Stephanum Reliquias S. Dionyſij martyris Pariſijs Romam detuliſſe, ac monaſterium in honorem ipſius ædificare cœpiſſe; quod poſtea frater eius & in Pontificatu ſucceſſor Paulus perfecit; conuectiſque illuc compluribus ſanctorum Martyrum corporibus, atque Græcis ibidem conſtitutis monachis, *Ad Sanctos Martyres in Schola Græcorum* appellauit.

VI. CONCILIABVLVM CONST. ADVERSVS IMAG. ET SANCTOS.

Sed ad turbas Orientales iam conuertamus orationem. Hoc anno, quo decimustertius abſoluitur & decimuſquartus inchoatur Imperij Conſtantini, ſeptima Indictione, quarto Idus Februarij, ab eodem Auguſto *Pſeudoſynodus* apud Conſtantinopolim in templo Sanctiſſimæ Dei-genitricis ad Blachernas celebrata eſt, trecentorum triginta octo Epiſcoporum Orientalium ſuæ ſectæ, quæ ſex menſium ſpatio perdurauit. In qua primo Imperator propria auctoritate, nulla præuia Antiſtitum electione, aut examinatione, *Conſtantium* monachum, Sylæi antea Epiſcopum, virum impurum & impium in ſedem euexit Conſtantinopolitanam in locum Anaſtaſij nuper defuncti. Poſtea vero omnium conſenſu decretum eſt, vt ſacras Imagines quilibet *Idola* nuncuparet, earumque cultores *Idololatras*: itemque non ſolum nullos Sanctos, ſed nec ipſam Deiparam Virginem poſt obitum aliquid iuris habere ad intercedendum pro nobis, vel aliquo modo poſſe nobis prodeſſe: ac denique prohibitum eſt, Apoſtolos, vel Martyres, alioſque Confeſſores, aut Virgines, *Sanctos* appellari. Et quo Catholicos in his errare demonſtrarent, dicere impij ſycophantæ non erubuerunt, Orthodoxos omnes eſſe Neſtorianos, Arianos, Dioſcorianos, Eutychianos, atque Seuerianos, ſe autem iudices ſex Oecumenicarum Synodorum profiteri: decreuerunt que vt hoc ipſorum Conciliabulum, *Septima Synodus Oecumenica* diceretur. Quæ omnia ſecutæ ſunt nefandæ impij conuentus, ac populi hæretici acclamationes; quibus inter alia proclamatū eſt, *Hodie ſalus mūdo; quandoquidem opera tua, ô Imperator, idolis liberati ſumus*: additique ſunt anathematiſmi, cum in omnes Orthodoxos ſacrarum Imaginum cultores, tum maxime in Sanctos Germanum Conſtantinopolitanum olim Patriarcham, Georgium Cyprinum, & Ioannem Manſur, dictum à patria Damaſcenum; quem impius Imperator pro *Manſur* (quod eius auitum cognomen erat, ſignificatque Redemptum) ſenſu Iudaico *Manſeron*; hoc eſt nouum Eccleſiæ magiſtrum vocitare conſueuerat. Porro iſta de pſeudoſynodo eiuſque decretis, breuiter habet Theophanes; fuſe ſcriptor Actorum S. Martyris Stephani Iunioris & ſociorum, quæ apud eumdem extant Damaſcenum; fuſiſſime Acta veræ Septimæ Synodi Nicænæ poſterioris, in qua etiam recitatur, damnaturque definitio huius pſeudoſynodi Conſtantinopolitanæ.

ANATHEMATISMI IN ORTHODOXOS.

VII. SEPTIMA PSEVDOSYNODVS DAMNATA A STEPHA. PP. ET ALIIS PATRIARCHIS.

Sed & omnia quæ Conſtantinus contra ſacras Imagines operatus eſſet, ab Stephano Papa reddita eſſe irrita, monitumque literis eumdem Imperatorem vt ab errore deſiſteret, teſtatur Hadrianus æque Romanus Pontifex in epiſtola ad Conſtantinum & Irenem Auguſtos. Quin & ipſos quoque Orientales patriarchas, videlicet Alexandrinum, Antiochenum, & Hieroſolymitanum (quippe quorum nemo aut per ſe aut per legatos prædictæ pſeudoſynodo intereſſe voluit) idipſum vna cum Romano Pontifice fortiter præſtitiſſe, docent eadem Stephani Acta. Cum alioqui ex numero quem diximus, Epiſcoporum qui Conſtantinopoli conuenerunt, ſatis poſſit intelligi quanta fuerit illa ruina Orientalis Eccleſiæ, cum tam ingens numerus repertus ſit lapſorum Antiſtitum. Tuncque plane accidit quod S. Ioannes[l] Damaſcenus ait, vt cum ſacras Imagines ignominioſe tractauiſſent, eaſdem in minutiſſimas partes comminuerent, atque in ignem proijcerent, & quæ in parietibus erant depictæ, partim aqua calida, partim calce, vel atramento obliterarent. Cuiuſmodi enim ab eis poſt pſeudoſynodum vbique patratæ impietatis, teſtis eſt locuples idem Actorum S. Stephani ſcriptor. Tunc & inditum nouum ſectarijs nomen[m], vt *Thymoleontes* dicerentur, quod eos qui ſacras Imagines exciperent, aut ſalutarent, plagis & ſupplicijs ſine modo afficerent.

l Damaſc. de hæreſ. in fi.

SACRÆ IMAG. VBIQVE DELETÆ, ET COMMINVTÆ.

m Ibidem.

VIII. IVRAMENTVM EXIGITVR ADVERSVS IMAG. ET MONACHOS.

Qua autem occaſione ad hanc furoris rabiem Imperator incitatus fuerit, prædicta S. Stephani Acta hanc declarant; nempe quod à nonnullis eximijs ordinis monaſtici viris ipſe reprehenſus impietatis fuiſſet, atque conuictus: eamque ob rem implacabile aduerſus eos bellum excitantem, ſolemni iureiurando ſupra ſacroſanctum Corpus Dominicum, ac venerandam Crucem (haud enim cum alijs ſacris Imaginibus, huius cultum abijcere auſus fuerat) & Sancta Euangelia, populum Conſtantinopolitanum adſtrinxiſſe, numquam ſe ſacras Imagines adoraturos, ſed eas Idola vocaturos; nec monachis communicaturos, aut ſalutantibus quicquam humanitatis viciſſim exhibituros; immo quos obuios haberent, *Tenebricoſos* eos (ab habitu ſcilicet, quem tenebrarum indumentum vocare conſueuerat, σκολιᾶς ἔνδυμα,) & *Immemorandos*, (ἀμνημονεύτους) atque idolorum cultores appellaturos, ac demum lapidibus appetituros. Ex quibus videas, à quo odium in monachos hæreditarint vna cum hæreſi recentiores Iconoclaſtæ: eo tamen ipſi deteriores, quod quem ille retinebat cultum ſanctiſſimi ſacramenti Corporis Chriſti, ac venerandæ Crucis, ipſi etiam abhorreant. His autem ſubiungit idem auctor, poſt hæc indictam fuiſſe pſeudoſynodum de qua dictum eſt: poſt Synodum vero, tum alios Orthodoxos, tum ipſos maxime monachos, furorem Imperatoris fugientes, in varias Orbis partes extra ipſius Imperij ditionem diſperſos eſſe. Quod idem teſtatum habetur in Actis[n] alterius martyris, nempe Andreæ Calabytæ, qui eadem perſecutione (vt dicetur) paſſus eſt: vbi & aſſeritur, ferme deſertas ciuitates relictas eſſe propter multitudinem eorum qui in ſolitudines ſe recipiebant. Quin & eumdem Imperatorem lege lata vetuiſſe, ne quis amplius monachus efficeretur, teſtis eſt Theodorus Studita huius & ipſe temporis ſcriptor, in oratione quam de S. Platone habuit.

n Ext. ap. Sur. 17. Oct.

IESV CHRISTI ANN. 755.

CONST. COPRON. AN. 15.

STEPHAN. III. AN. 4.

I. AISTVLPHI REG. LONGOB. PERFIDIA IN ROM. PONT.

ANNO Domini ſeptingenteſimo quinquageſimo quinto, Indictione octaua, Aiſtulphus Longobardorum Rex fœdifragus atque periurus, nullam habens rationem conuentorum pactorum cum Pipino Rege Francorum, non ſolum non reſtituit quæ ab Eccleſia Romana violenter abſtulerat; ſed & rurſum ingenti comparato exercitu, tum Reliquas Romanæ ditionis ciuitates infeſtauit, tum ipſam Vrbem Romam obſidione cinxit, omnia circum loca tam ſacra quam profana deuaſtans ac comburens. Quibus malis preſſus Stephanus Papa omnem poſt Deum ſpem in Regibus & gente Francorum conſtituens, literas priuato ſuo nomine ad Reges Pipinum (quem *ſpiritualem compatrem* ſuum appellat) ac filios eius Carolum & Carolomannum, Patricios Romanorum, aliaſque tam ſuo, quam Eccleſiæ ac totius populi Romani nomine, ad eoſdem Reges, & vniuerſos tam Eccleſiaſticos quam ſæculares Francos; ac rurſus alias ad eoſdem vniuerſos (quod numquam hactenus factum

LITERÆ S. PETRI NOMINE SCRIPTÆ A STEPH. PP. AD FRANCOS.

viuimus) ipſius Sancti Petri Apoſtoli nomine: quibus omnibus enixius, verbiſque ad excitandam commiſerationem efficaciſſimis petijt, vt ijdem afflictiſſimæ ſuccurrerent Eccleſiæ Romanæ; & quemadmodum (vt ait) omnes gentes quæ ad Francorum fortiſſimam gentem refugiſſent, ſaluæ factæ ſunt; ita ſanctam Dei Eccleſiam, & eius populum ab hoſtium oppreſſione liberare feſtinarent. Extant [a] enim adhuc eædem tres epiſtolæ, quibus iſta fuſius continentur; meminitque eorumdem Anaſtaſius in eiuſdem Stephani Vita.

a Bar. Baro. Annal. To. IX. hoc an.

II. PIPINVS VINCIT AISTVLPHVM.

Porro his acceptis Chriſtianiſſimus Rex literis, comparato ſtatim exercitu in Italiam adueniens, Aiſtulphum ad Alpium anguſtias fugatum Papiæ obſedit; nec veniam vmquam rupti fœderis ei roganti tribuere voluit, quouſque Rauennam cum vniuerſo Exarchatu, aliaſque omnes ciuitates in priori fœdere contentas, Romano Pontifice ipſa tradidiſſet; quas eaſdem Pipinus, PRIMVS AMPLIFICANDÆ ECCLESIÆ VIAM APERIENS (quod ipſius elogium in antiqua tabula conſcriptum Rauennæ adhuc legitur) Romanis Pontificibus perpetuo poſſidendas ſuis diplomatibus conceſſit: licet Imperatoris Copronymi ad eumdem Regem miſſi Legati acrius inſtitiſſent, vt eas Imperiali reſtitueret ditioni. Hæc pluribus Anaſtaſius; qui & ciuitates à Pipino Romanæ Eccleſiæ conceſſas, ſingulis recenſet. Verum Leo [b] Oſtienſis latioribus eamdem donationem extendens terminis, ait donaſſe Pipinum Eccleſiæ Romanæ ciuitates Italiæ, & territoria per deſignatos fines, à Lunis cum Inſula Corſica, inde Suranum, inde in montem Bardonem, Verecetum, Parmam, Rhegium, Mantuam, & Pontem ſilicis; ſimulque vniuerſum Exarchatum Rauennæ ſicut antiquitus fuerat, cum prouincijs Venetiarum & Iſtriæ, cunctumque Ducatum Spoletinum & Beneuentanum: eamque donationem manu propria & filiorum, plurimorumque Optimatum ſubſcriptionibus roboraſſe.

DONATIO PIPINI FACTA ECCLESIÆ ROM.

b Leo Oſt. hiſt. Caſin. l. 1. c. 7.

III. S. BONIF. PRÆDICAT FRISIIS.

Contigit hoc eodem anno, vt Sanctus Bonifacius Moguntinus Epiſcopus, ac Germanorum Apoſtolus, ſediſque Apoſtolicæ Legatus, conuerſionem gentis Friſiorum meditatus (quæ ſæpe ab alijs prædicatum receptumque Euangelium abiecerat, & in Paganiſmum defecerat) relicto Moguntiæ Lullo viro piiſſimo, laborumque ipſius comite fideliſſimo, quem ex conſenſu Stephani Papæ ac Pipini Regis, eiuſdem ciuitatis Epiſcopum ordinauit; ipſe in Friſiam veniens intra breue tempus multa hominum millia baptizauerit. Cum vero quadam die ad Bornam flumen conſtitiſſet, vt ibi baptizatis ſacramentum Confirmationis imperti[r]et, ab iiſdem, ex amicis vno momento barbarice conuerſis in hoſtes, interfectus eſt vna cum Eobano Epiſcopo Traiectenſi, & alijs nonnullis presbyteris, diaconis, ac monachis, quos in opus miniſterij ſecum adduxerat; quorum omnium natalem diem retinent Eccleſiaſticæ tabulæ: apud Bedam autem in Epitome quinquaginta tres numerantur, qui in itinere comites Bonifacij vna cum eo ſubiere martyrium, quorum interfectores, vel mutuis ſe vulneribus confecerunt, vel à vicinis Chriſtianis internecioni ſunt dediti. Bonifacij vero corpus primo Traiectum, inde Moguntiam, ac denique Fuldam monaſterium ab ipſo conditum, vbi ſepulturam delegerat, celebri pompa translatum eſt, ac multis & inſignibus claruit miraculis. Porro hæc de ipſius ac ſociorum martyrio, pluribus habet auctor [c] qui poſt eius diſcipulum Wilibaldum, res ab eo geſtas meliori auctiorique ſtylo proſecutus eſt; qui ea accidiſſe ait hoc Redemptoris anno ſeptingenteſimo quinquageſimo quinto Nonis Iunij, cum Bonifacius egiſſet in Epiſcopatu annos triginta ſex, menſes ſex, & dies totidem: quod quidem intelligendum eſt de munere Apoſtolatus ac prædicationis accepto à Gregorio Papa Secundo Epiſcopatus enim Moguntini nonniſi anni decem numerantur.

MARTYRIVM SVBIT CVM SOCIIS.

c Vit. S. Bonif. lib. 2. ca. 18. ap. Sur. 5. Iunij.

IV. PAVLICIANI HÆRETICI.

Quod ad res pertinet Orientales; hoc anno Paulicianorum & Manichæorum hæreſim in Thracia propagatam eſſe, Theophanes ſcribit. Ita enim Imperator omnem errorem in Orientale induci Eccleſiam paſſus eſt, intentus tantum ipſe ad deſtruendum cultum ſacrarum Imaginum, earumque cultores varijs vbique ſupplicijs ac cruciatibus & exilijs perſequendos.

IESV CHRISTI ANN. 756.

CONST. COPRON. AN. 16.

STEPHAN. III. AN. 5.

I. AISTVLPHI REG. LONGOB. OBITVS.

Anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo ſexto, Indictione nona, impius ac fœdifragus Aiſtulphus Rex Longobardorum, quodam loco (vt ait Anaſtaſius) in venerationem pergens, diuino ictu percuſſus, defunctus eſt; poſteris Principibus relinquens exemplum, maximo ipſorum damno Eccleſiaſtica ab eis iura tentari. Cum vero careret prole quæ euehi poſſet in Regem, orta poſt eius mortem inter Longobardos de ſucceſſore contentione, fauentibus alijs Deſiderio Duci Tuſciæ, alijs Rachiſi ipſius Aiſtulphi fratri, qui olim (vt vidimus) illud regnum pietatis cauſa dimittens monaſticam vitam amplexus erat; Stephanus Papa Deſiderio multa ſpondenti fauens, per legatos ſuos egit vt Rachis relicto quem collegerat exercitu ſe iterum monaſterio includeret, ac Longobardi Deſiderium ſuſciperent; qui mox Eccleſiæ Romanæ ciuitatem Fauentiam, vniuerſumque Ferrariæ Ducatum reſtituit. Hæc ex Anaſtaſio: ex quibus iuſto Dei iudicio factum videas, vt cum Longobardi nollent Romanam Eccleſiam quicquam iurium in Italiæ ciuitatibus poſſidere, ijdem ab ipſa ſupplices regnum peterent. Poſt quæ Stephanus legationem ad Pipinum Regem, compatrem ſuum ſpiritualem (vt vocat) & Patricium Romanorum, in Gallias miſit, cum literis [a] quibus primo gratias agens de liberata per ipſum Eccleſia ab imminentibus hoſtium periculis, deinde rogauit vt Deſiderium moneret de plena reſtitutione omnium ciuitatum ac locorum quæ ad Eccleſiam Romanam pertinerent; & vt cum Græcis ageret, vt fidem Catholicam integram cuſtodirent, atque etiam quæ abſtuliſſent ab Eccleſia Romana reſtituerent. Sed quid de his factum fuerit, inexploratum nobis eſt.

DESIDERIVS OPE ROM. PONT. CONSEQVITVR REGNVM.

a Rec. Bar. Annal. To. IX. hoc an. & Centur. To. 1.

II. CONCIL. IN VERNIS.

Hoc item anno, qui numeratur quartus abſolutus eiuſdem Pipini ex quo à Zacharia Pontifice Rex conſtitutus eſt, ab eodem Rege SYNODVS celebrata eſt menſe Iulij in Palatio *Vernis* dicto; in qua habentur ſanciti canones viginti ſex, ad diſciplinam & iura Eccleſiaſtica reſtituenda. Inter alia vero illud monuit pius Rex, ne quid exigeretur à peregrinis qui religionis cauſa inuiſerent loca ſancta: quod & iam antea in alio Conuentu anno ſuperiori ab eodem Rege conſtitutum fuiſſe liquet. Id quoque hoc Concilio ſancitum, vt bis in anno, nempe menſibus Martio & Octobri, Synodi celebrarentur vbicumque Rex iuſſiſſet, in eiuſque agerentur præſentia; ad quas conuenirent Epiſcopi, Abbates, & presbyteri, quos Metropolitani vellent ſecum eo ducere.

III. MARTYRES SVB HALI SARAC. PRINCIPE.

Quod ad res pertinet Orientales; hoc anno decimoſexto Conſtantini Imperatoris, ſeptimo Idus Martij (inquit Theophanes) terræmotus magnus factus eſt in Palæſtina & Syria; ac Theodorus Antiochenus Patriarcha ab Hali Saracenorum Principe in exilium pulſus, quaſi crebro Imperatori res eorum per literas indicaret. Porro plures monachos, alioſque Chriſtianos ſub eodem Hali coronatos fuiſſe martyrio, conſtat ex Menologio Græcorum.

IESV CHRISTI AN. 757.

CONST. COPRON. AN. 17.

PAVLI AN. 1.

I. STEPH. PP. OBITVS.

Anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo ſeptimo, Indictione decima, ſexto Calendas Maij, *Stephanus* Papa poſt immenſos labores pro Eccleſia Romana honeſte perfunctos, ex hac vita migrauit; ſepultuſque eſt apud S. Petrum: cum ſediſſet annos quinque & dies viginti octo, vt Anaſtaſius habet. Ex cuius pariter ſententia,

aſſeren-

aſſerentis ſedem vacaſſe dies triginta duos, dicere opus eſt eius ſucceſſorem creatum eſſe quinto Calendas Iunij: qui quidem fuit PAVLVS eiuſdem Stephani frater Germanus, egregijs moribus præditus, & maxime pauperum & oppreſſorum atque aſſlictorum commoditatibus intentus.

PAVLI CREATIO.

II. DE EPISTOLIS PAVLI PP.

Qui mox vt ex diacono creatus eſt Pontifex, ad Pipinum Francorum Regem literas dedit, quibus ſuam ordinationem ſignificans, eius amicitiam expetijt, ſuamque obtulit. Fuerunt enim hæ primæ ab ipſo datæ, primoque loco poſitæ in Codice quo continetur Index Epiſtolarum ipſius ad Pipinum & alios in Gallias miſſarum, numero vnius & triginta; quarum duntaxat argumenta videre licuit ſummatim præſtricta & recenſita à Panuino in Vitis Romanorum Pontificum, qui eas integras haberi in Vaticana Bibliotheca teſtatur: verum eaſdem diu quæſitas, nec inuentas, ſeu furto, ſeu alio aliquo modo inde ſublatas exiſtimamus: quarum pariter argumenta Centuriatores [a] recitant, cum pertæſi prolixitatem atque multiplicitatem, vel magis veritatem, noluerunt ipſas integras edere. Cæterum ipſum quoque Paulum Papam multum laboraſſe in conuertendo Copronymo Imperatore à ſua erga ſacras Imagines impietate, tum Hadrianus Papa in epiſtola ad Conſtantinum & Irenem Aug. tum Anaſtaſius Bibliothecarius in eodem Paulo teſtantur: ſed fruſtra id egiſſe, quod perfidus homo in lapidem obduruiſſet, euentus demonſtrauit.

a Centu. To. VIII.

III. ALPHONSI REG. CATHOLICI OBITVS.

Hoc item anno, nimirum Era ſeptingenteſima nonageſima quinta, Alfonſus, ſiue Adefonſus Rex Gallaciæ cognomento *Catholicus*, vbi regnaſſet annos decem & nouem, glorioſus Saracenorum triumphis, aſcendit in cœlum. In cuius obitu auditas fuiſſe in aere voces laudantium Dominum, Tudenſis ait: additque in eius locum ſuffectum eſſe Froilanum (Froilam alij dicunt) ipſius filium: qui Maurorum Ducem Gallæciam inuadentem inſigni victoria deuicit, cæſis Saracenorum quinquaginta quatuor millibus: ac rebellantes Gallæcos, Nauarroſque perdomuit. Qui vero nimiam eiuſdem Regis ſeueritatem in crimen adducunt, obijciunt necem fraternam, qua haud mediocrem nomini ſuo labis notam inuſſit. Laudi autem eius tribuitur, quod egregie laborauerit vt neglectos inter iuges tumultus bellicos, canones Eccleſiaſticos, ac præcipue de continentia clericorum, in veterem vſum reſtituerit: vnde & multa meruit à Deo bona conſequi. Eius vero tempore claruiſſe tradunt in Hiſpania *Verum* Archiepiſcopum Hiſpalenſem, tum ſcriptis tum vita inſignem: ſed & celebrem fuiſſe *Petrum* Præſulem Toletanum, qui de ratione Paſchatis libellum accurate conſcripſit, cum incuria diſciplinæ in Hiſpania in calculo diei Paſchatis erratum eſſet.

FROILA REX STRENVITATE INSIGNIS.

IV. PERSECVTIO SARACEN. IN CHRISTIAN.

Quod autem pertinet ad res Orientalis Eccleſiæ; hoc quoque anno decimoſeptimo Imperij Conſtantini, eam præter continuam tyrannidem eiuſdem ſcelerati Imperatoris, dira inſuper vexatam eſſe perſecutione Saracenorum, Theophanes eſt auctor; cum (vt ait) Habdallas illorum Princeps non ſolum tributa Chriſtianis ampliauit, adeo vt omnes etiam monachos & incluſos, ſub tributo redigeret; ſed & Eccleſias ornamentis ſpolians, ea Iudæis perfidis vendit. Quem etiam Cruces abſtuliſſe, ac prohibuiſſe Chriſtianos vigilias nocturnas celebrare, & literas diſcere, idem auctor alio loco tradit.

IESV CHRISTI ANN. 758.

CONST. COPRON. AN. 18

PAVLI AN. 2.

I. PAVLVS PP. CORPORA SANCTORVM TRANSFERT.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo octauo Indictione vndecima, Paulus Papa, conceſſa Eccleſiæ pace, ad Cœmiteria inuiſenda intentus, quæ ſub Aiſtulpho obſeſſa Vrbe maximum detrimentum à Longobardis acceperant; ne rurſum Sanctorum corpora hoſtilibus incurſionibus paterent, quæcumque illic obuia eſſent, è ſepulchris eleuata intra Vrbem cum hymnis & canticis tranſtulit: quod Anaſtaſius tradit; pluribuſque ipſe Paulus deſcribit publicis ea de re ſcriptis literis [a] è Concilio Romæ celebrato, cum in paternis ædibus Eccleſiam & monaſterium extruxit ſub titulo SS. Stephani Papæ & martyris atque Silueſtri Pontificis & Confeſſoris, in quam tranſtulit complura SS. martyrum corpora tunc ab ijſdem Cœmiterijs eruta. Quod vero tradit Anaſtaſius, in eo monaſterio voluiſſe Paulum pſalmos Græca lingua occini; id inde accidiſſe putamus, quod cum Copronymus impius Imp. vetuiſſet eſſe monachos in Oriente, plurimi eorum ſeſe Romam receperint, quibus illud monaſterium Paulus tradiderit.

a Ext. Bar. Annal. To. IX. an. 761.

II. b ap. Bed. in Epito. REX ANGLOR. FIT MONACHVS.

Eodem anno [b] egregium ſpecimen religioſiſſimi Regis edidit Eadbertus Rex Nordhumbrorum in Anglia, cum Oſvvulfo filio regnum relinquens ipſe inter monachos profiteri cœpit. Sicut & Deſiderius Longobardorum Rex monaſterium monialium erexit in Anſilbergæ filiæ virginis gratiam, quæ ibidem vitam monaſticam profeſſa eſt.

III. PERSÆ MAGI ILLVSI A DÆMONE.

In Oriente vero Perſas quoſdam Magos ita dæmones deceperunt, vt ad cœlum volatum ijſdem ſuaſerint; qui cum nudi ex eminentibus locis ad volatum ſeſe præcipites darent, periere. Porro Habdallas Rex Saracenorum in eorum primores animaduertens, ſectam extinxit. Hæc ex Theophane hoc anno.

IESV CHRISTI ANN. 759.

CONST. COPRON. AN. 19.

PAVLI AN. 3.

I. S. OTHMARVS CALVMNIIS OPPRESSVS.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo nono, Indictione duodecima, *Conciliabulum* in Germania actum eſt; in quo S. Othmarus Abbas monaſterij S. Galli (agentibus Warino & Ruadhardo, quos tunc temporis Alemanniæ curam adminiſtrantes, apud Pipinum Regem de Eccleſiarum expilationibus idem Sanctus accuſauerat) falſi luxuriæ criminis inſimulatus, damnatus eſt, & ignominioſe expulſus: quamuis ipſius accuſator diuina confeſtim vindicta punitus, fraudem delationis propalare non ceſſaret. Quæ omnia pluribus tradit Walfridus Strabo vir doctiſſimus in Rebus [a] geſtis eiuſdem S. Othmari; cuius etiam poſt mortem miracula ſcriptis tradidit.

a Ext. ap. Sur. 16. Nouemb.

IESV CHRISTI AN. 760.

CONST. COPRON. AN. 20.

PAVLI AN. 4.

I. DE TRANSLATIONE CAPITIS S. IOAN. BAPT.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo Indictionis decimæ tertiæ, Imperij Conſtantini vigeſimo, translatum eſſe Caput S. Ioannis Baptiſtæ è monaſterio Spelei in templum ſuum Emeſæ ſitum, Theophanes ait. Qui cum addat, illud ipſum Caput ibidem ſuo tempore ab omnibus honorari, ac miraculis coruſcare ſolitum; inde redarguuntur omnes qui ante hæc tempora eiuſdem Capitis translationem factam referunt in Occidentem.

II. PIPINVS VINDICEM AGIT RER. ECCLES. ADVERSVS DVCEM AQVIT.

Quo item anno (vt docet vetus Chronicon, narratque pluribus Aimoinus) Pipinus Francorum Rex Chriſtianiſſimus bellum mouens aduerſus Waipharium Aquitaniæ Ducem res Eccleſiarum inuadentem, eum ipſarum reſtitutionem facere, exhibito iuramento, obſidibuſque datis, promittere coegit. Sed cum poſtea periurus id præſtare recuſaret, anno ſequenti Pipinus exercitum comparans atque iterum poſt annum aduerſus eumdem bello agens, tandem anno Domini ſeptingenteſimo ſexageſimo quinto eumdem occidit, totaque potitus eſt Aquitania. Sic enim profecit in timore Domini Rex pius, vt cum olim grauiter correptus diuinitus fuiſſet à S. Remigio in ſomnis, atque etiam acriter flagellatus, quod villam quamdam Eccleſiæ Lugdunenſis ſub cenſu perſoluendo retinere vellet (quod ei à Romano Pontifice conceſſum fuerat; nempe vt ablata antea quædam bona Eccleſiaſtica, annuo perſoluto cenſu retinere poſſet) iam aduerſus eos qui eadem bona tentarent inuadere, vindex inſurgeret. Ex quibus vero, quam paſſus eſt diuinam vindi-

CORREPTVS A S. REMIG. PIPINVS OB BONA ECCLES.

ctam (quam recitat Hincmarus in priori tranſlatione ſancti Remigij; vbi & multas alias eiuſmodi ſeueriores vindictas ab eodem Sancto in vſurpatores rerum Eccleſiæ ſuæ inflictas recenſet) diſcant reliqui Principes, alijque homines, quam periculoſe ſiue ſub annuo prætenſo cenſu, ſiue alio modo laicus homo poſſideat res Eccleſiæ, quas ſæpe inuiti ac nolentes, fatigati precibus, vel alijs compulſi occaſionibus, vel decepti falſis ſuaſionibus, Romani Pontifices illis poſſidendas indulgent.

CONST. COPRON. AN. 21.

IESV CHRISTI ANN. 761.

PAVLI AN. 5.

I.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo primo Indictionis decimæquartæ, Conſtantini Augusti vigeſimo primo, primo, recruduiſſe quam acerbiſſime in Oriente perſecutionem ab eodem Imperatore aduerſus Orthodoxos, teſtis eſt Theophanes: qua quidem inter alios, glorioſum martyrium Conſtantinopoli ſubijt *Andreas* ſanctiſſimus monachus, *Calabytes* dictus; quod publice redarguens Imperatoris impietatem, nec verbis nec verberibus, nulliſque prorſus tormentis à ſententia dimoueri vnquam potuerit. Habet hæc breuiter Theophanes; fuſe vero deſcribit auctor [a] Actorum eiuſdem Andreæ martyrij. Quod vero locus eius ſepulturæ Chryſis diceretur, Inde ipſe quoque martyr dictus eſt *S. Andreas in Chryſi*, quo titulo reperitur inſcriptus in ſacris Eccleſiæ tabulis.

ANDREÆ CALAB. MARTYRIVM.

a ap. Sur. 17. Oct.

II. MEMORIA S. VINCENTII MART.

Hoc item anno cum nouis cladibus agitaretur Hiſpania, & Valentia ciuitas in Tarraconenſi prouincia à Saracenis exciſa iam eſſet; Chriſtianique ſacra Vincentij martyris oſſa inde auferentes, deportaſſent in extremam Luſitaniæ partem, in locum qui ex eo poſtea *Promontorium S. Vincentij* eſt appellatus: tunc cœptum eſt eiuſdem S. Vincentij nomine monaſterium perinſigne erigi Oueti, cuius antiquæ memoriæ extant veſtigia apud Ambroſium [b] Moralem: vt plane appareat haud omnino exaruiſſe virorem Chriſtianæ religionis in Hiſpania; factumque eſt vt colentes S. Vincentium, vincendi aliquando penitus Saracenos aperuerint ſibi viam.

b Ambr. Moral. [illegible]

III.

c In Epitom. Append. ad Bed. hiſt.

Hoc pariter [c] anno in Anglia Ecgbertus Archiepiſcopus Eboracenſis, Regis Germanus, ſcientia & ſanctitate clarus, diem clauſit extremum. Fuit iſte magiſter Albini, & qui Alcuinus Flaccus dictus eſt; à quo egregie laudatus reperitur literis ad Carolum Magnum ſcriptis, quod inter alia inſignia opera, publicum literarum ſacrarum gymnaſium Eboraci conſtituiſſet, eamque Eccleſiam nobili valde Bibliotheca ditaſſet.

CONST. COPRON. AN. 22.

IESV CHRISTI AN. 762.

PAVLI AN. 6.

I. COPRONYMI IMP. CONATVS IN STEPH. MONACHVM.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo ſecundo, Indictione decimaquinta, Conſtantinus Imper. immenſo odio flagrans in monachos, quos ſæpe ceteris ſibi in promulganda hæreſi aduerſarios experiebatur; cum audiſſet in Auxentiano monte in Bithynia non longe à Chalcedone poſito, degere magni nominis Stephanum monachum, gratia miraculorum illuſtrem, potentemque ſermone ad confirmandos in vera religione eos qui vndique ad ipſum confugerent; in hunc mouere bellum ſibi neceſſarium ducens, eumdem primo per Calliſtum Patricium, virum eximia dicendi facultate præditum, in ſuas partes allicere tentauit; conſtantem vero repertam, è cella extrahi, ac militum cuſtodiæ tradi iuſſit; paulo vero poſt ob tumultus Scythicos, nempe Bulgaricos, in ſuum monaſterium reduci. Poſt quæ Calliſtus nouis machinis ſanctum oppugnans, calumnias atroces de ipſius in Imperatorem conuicijs & machinationibus, ac cum illuſtri fœmina vidua nomine Anna, quæ ab ipſo monaſticum habitum acceperat, turpi conſuetudine, in eumdem intentauit, opera Sergij eiuſdem Sancti diſcipuli, & cuiuſdam ancillæ Annæ, quos multis vanis promiſſionibus ad eiuſmodi proditionem attraxit. Quæ autem poſt hæc ſecuta fuerint, dicemus anno ſequenti. Iſta vero ſummatim excepta ſunt ex auctore, qui res [a] geſtas eiuſdem Stephani eſt fuſe proſecutus, quique hoc ipſo vixit tempore, & ijs omnibus intereſſe potuit.

a Ext. ap. Io. Damaſc.

CONST. COPRON. AN. 23.

IESV CHRISTI ANN. 763.

PAVLI AN. 7.

I. BELLVM BVLGAR. BENE CONFECTVM.

ANNO ſeptingenteſimo ſexageſimo tertio, Indictione prima, ſeptimo Calendas Iulij, Imperatorem Conſtantinum ad bellum Bulgaricum profectum eſſe tradit Theophanes, deuictiſque hoſtibus Conſtantinopolim triumphantem rediſſe. Cum ingratus pingues hoſtias litans Satanæ, inter alia in odium ſanctiſſimi viri Stephani, de quo dictum eſt anno ſuperiori, ſanctam fœminam Annam calumnijs per proditricem ipſius ancillam oppreſſam, ſed conſtantiſſimam in profeſſione ſuæ & Stephani innocentiæ permanentem, poſt illata ludibria atque tormenta, mori coegit. Cuius ancilla dominæ ſuæ calumniatrix, cum paulo poſt in remunerationem proditionis in matrimonium collocata, gemellos filios peperiſſet; ſub mediam noctem repente conturbati infantes, arreptis maternis mamillis, horrendumque in modum exeſis, eam protinus necauerunt, & vna cum ea viperini illi fœtus extincti ſunt.

II. NOVI CONATVS IMP. IN STEPH. MONACHVM.

Cum autem Imperator ea ſe ſpe fruſtratum videret, vt in Stephanum agere poſſet occaſione delicti cum Anna prætenſi; rurſum ad alias fraudes conuertens animum, cariſſimo ſibi aulico perſuaſit, vt ſimulans fugam abiret ad Stephanum, & inter monachos cooptari peteret. Qui cum poſt importunas preces, fictaſque lacrymas, id ab eodem Stephano extorſiſſet; inde arrepta Imperator occaſione (quod ſcilicet magnis iam antea pœnis agendum ſanxiſſet aduerſus eos, qui in monachum aliquem reciperent) ipſum Auxentianum monaſterium vna cum templo incendi, monachoſque diſpergi præcepit; Stephanum autem varie fruſtra tentatum vt pſeudoſynodo aduerſus ſacras Imagines celebratæ ſubſcriberet, poſt multa ludibria habitus monaſtici, ac mala ipſi illata, in exilium ad Inſulam Proconneſum relegauit. Porro ſanctiſſimus vir, extructa columna, ac ſupra eam anguſtiſſima quadam ædicula, in hac ſeſe incluſit annos natus quadraginta nouem. Quæ quidem omnia tam de Anna, quam Stephano, fuſe deſcribit auctor [a] Rerum geſtarum eiuſdem Stephani. Quomodo vero poſt biennium iterum Conſtantinopolim reuocatus fuerit, ſuo loco dicturi ſumus.

a ap. Dam. in fi.

III. TVRCARVM EGRESSIO E PORTIS CASP.

Hoc eodem anno irruptionem TVRCARVM in Armeniam fieri cœptam, & ſequenti anno rurſus repetitam, Theophanes tradit. Sicque (quod obſeruatione dignum eſt) egreſſio eorum è portis Caſpijs eo tempore ponitur, cum aduerſus ſacras Imagines, & Deo dicatos homines, ſceleſtiſſimi Imperatores efferueſceret indignatio. Monſtroſa quoque tunc portenta, futurorum malorum præſagia, oſtenſa diuinitus eſſe ad compeſcendam graſſantem impietatem, idem auctor qui aderat, ſcribit; nimirum à Calendis Octobris vſque ad menſem Februarium Indictionis ſecundæ, factum eſſe tantum gelu, vt pelagus Ponti vſque ad centum milliaria præ glaciei rigore ad triginta profunditatis cubitos in lapidis duritiem fuerit verſum: cumque huiuſmodi gelu niue fuiſſet coopertum, ſuper alios viginti cubitos creuiſſe: tandem vero in multas diuiſum montium inſtar conſciſſiones, in vrbem ipſam, & vſque ad Propontidem, & inſulas, delatas eſſe. Ingentemque poſt hæc ſecutam eſſe ſiccitatem, ita vt fontes areſcerent; ſignaque de cœlo viſa quibus vltimam imminere diem ſibi homines perſuaderent. Verum Imperator ex tot prodigijs non ſolum nullam eſt conſecutus vtilitatem, ſed & in deterius prolapſus, quem geſtabat in animo Neſtorianiſmum propalare ſtuduit. Itaque illum primo in aures Conſtantini

PRODIGIOSA GLACIES.

COPRON. IMP. NESTORIANVS.

Patriar-

Patriarchæ Conſtantinopolitani ingeſſiſſe, ſed ab eo repulſum quieuiſſe à propoſito hæreſis diuulgandæ, idem Theophanes ſcribit: ratum nimirum, fruſtra ſe in alios laboraturum, poſtquam ipſum de quo adeo bene meruerat, Conſtantinum tam auerſum inueniſſet.

IV. Cosmas apostata excommunicatus ab omnibus patriarchis.

Habet inſuper idem auctor hoc eodem anno Coſmam quemdam Epiſcopum Epiphaniæ Syriæ, quod accuſatus de ſubtractis vaſis ſacris, ab Orthodoxa fide ad perfidiam Iconomachorum tranſiſſet, à tribus Patriarchis Orientis, Theodoro Antiocheno, altero Theodoro Hieroſolymitano, atque Coſma Alexandrino, cum Epiſcopis ſibi ſubiectis, communi ſententia eadem die & hora, nempe ſancto die Pentecoſtes, poſt lectionem S. Euangelij in ſingulis Eccleſiis conſonanter anathematizatum fuiſſe.

Const. Copron. An. 24.

IESV CHRISTI AN. 764.

PAVLI AN. 8.

I. Translatio reliquiar. in Gallias.

ANNO Domini ſeptingenteſimo ſexageſimo quarto, Indictione ſecunda, cum fama increbuiſſet in Gallijs, per Paulum Papam plurima Sanctorum corpora è Cœmiterijs in Vrbem eſſe tranſlata; eorum cupidi Franci, Sanctorum cultus ſtudioſiſſimi, mittentes Legatum Romam Crodogandum Metenſem Epiſcopum, ab eodem Pontifice obtinuerunt corpora (ſeu potius partem corporum) SS. martyrum Gorgonij, Naboris & Nazarij. Teſtatur id Sigebertus in Chronico.

Const. Copron. An. 25.

IESV CHRISTI ANN. 765.

PAVLI AN. 9.

I. Imp. denuo agit contra Steph. monach.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo quinto, Indictione tertia, Imperator Conſtantinus maiori quotidie exæſtuās odio in cultores ſacrarum Imaginum, cum intellexiſſet ingentia miracula quæ ab Stephano Auxentiano monacho (quem ante biennium in Proconneſum relegatum vidimus) ederentur virtute ſanctarum Imaginum Chriſti Domini, ac Deiparæ Virginis; inuidia motus, illum inde Conſtantinopolim reduci iuſſit: vbi poſt longam cum ipſo de ſacrarum Imaginum adoratione diſputationem, eumdem in publicum carcerem Prætorianum detruſit, quo pariter concluſi tenebantur alij trecenti quadraginta duo monachi ex varijs locis collecti, omnes aliquo membro ob ſacrarum Imaginum cultum mutilati, aut alia inſigni infamia notati. Permanſit autem ibi diutius, ſingulis hebdomadis Sabbatho & Dominica à religioſa quadam fœmina ſuſcipiens in victum tantummodo ſex vncias panis & aquæ tria pocula, cum toto vitæ ſuæ curſu numquam adduci potuerit vt cibum aut quid aliud ab Imaginum hoſtibus caperet. Quæ omnia pluribus proſequitur auctor Vitæ ipſius. Verum & multos alios ob eamdem cauſam hoc item anno ab eodem tyranno diuerſis pœnis affectos, iuſiurandumque ab omnibus ſub Imperio ſuo degentibus exactum ne quiſquam adoraret Imagines, Theophanes ſcribit. Sicut & in iiſdem Actis S. Stephani traditur, ab eodem Imperatore Eccleſiam S. Mauræ martyris extra vrbem ſitam ſolo æquatam fuiſſe, & in carnificinam conuerſam, vbi & ipſe fœdera cum dæmonibus occulte ſanciret. Itemque aliam Eccleſiam S. Pelagij martyris ab eodem euerſam, in ſepulchrum reorum Ethnicorum conuerſam eſſe.

Steph. noluit victum capere ab hæret.

II. Sanguis saluifer ex Imag. Saluatoris.

Quo pariter anno Sigebertus collocat ingens miraculum quod Beryti in Syria factum eſt, de *Imagine Chriſti* quæ à Iudæis illuſa & crucifixa, cum etiam lancea in latere percuteretur, continuo ex ea tanta manauit abundantia ſanguinis ſimul & aquæ, vt Orientales & Occidentales Eccleſiæ ex eo vberrim acceperint, quo morbi quicumque ſanarentur; vnde & ſecuta eſt conuerſio Iudæorum Berytenſium. Sed & hoc poſtea accidiſſe autumant ſub Irene & Conſtantino filio. Rei autem geſtæ veritate accurate perſpecta, eadem in tabulas Eccleſiaſticas ad poſterorum fidem perpetuo conſeruandam relata fuit quinto Idus Nouembris. Quæ quidem ab Athanaſio huius temporis Epiſcopo diligenter conſcripta, integre recitata habetur in Actis Nicænæ[a] Synodi poſterioris: quam tu tamen ex eiuſdem Synodi perantiqua Anaſtaſij verſione ſuſcipias, quod in vulgata Suriana admixta quædam habeantur apocrypha.

a Conc. Nic. II. Act. 4. Apud vero de ea Bar. Annal. To. IX. an. 787.

Const. Copron. An. 26.

IESV CHRISTI AN. 766.

PAVLI AN. 10.

I. Imago classis Imp. male perit.

ANNO Domini ſeptingenteſimo ſexageſimo ſexto, Indictione quarta, duodecimo Cal. Februarij, Conſtantinus Imp. quam parauerat aduerſus Bulgaros duorum millium & ſexcentarum nauium claſſem vi tempeſtatis amiſit. Qua immenſa clade nihil melior factus, decimoſexto Cal. Septembris monaſticum ordinem infamans, coegit monachos Conſtantinopoli repertos ſingulas mulieres manu tenentes per medium Hippodromum tranſire, atque iniurijs à populo ad hoc conuocato onerari. In Ludis quoque Circenſibus plurimos viros illuſtres falſorum criminum accuſatos, re vera autem quòd Orthodoxam ſequerentur religionem, publicis pariter populi ludibrijs expoſitos, partim interfici, partim oculis priuatos in exilium deportari, & crudeliter cædi iuſſit. Et tertio Calendas Septembris ipſum Conſtantinum pſeudopatriarcham calumnijs ſimiliter preſſum, in exilium relegauit (credo noluiſſet ipſi acquieſcere in promulgando Neſtorianiſmo) & in eius locum ſubrogauit æque impium *Nicetam* Eunuchum è Sclauis ortum. Præterea omnibus ſub Imperio ſuo poſitis, tam Eccleſiaſticis quam laicis, interdixit Beatæ Virginis & aliorum Sanctorum interceſſiones: atque Duces exercituum & Rectores prouinciarum conſtituit ſuæ hæreſi addictiſſimos, ſimulque in Orthodoxos crudeliſſimos. Denique in ſacras Reliquias vndiq; ablatas in ſecretioribus locis abſcondit, ne Chriſtianorum cultui paterent: atque etiam nobiliſſimum S. Euphemiæ templum in armentarium ac ſterquilinium redigens, ipſum eiuſdem ſanctiſſimæ Martyris corpus (inuidia perennis miraculi, quo ex eodem corpore iugiter profflueret odoriferum ac mirificum vnguentum, quo omnium Fide ſum quilibet morbi ſanari conſueuerant) vna cum loculo in mare proiecit; quod à quibuſdam nauigantibus ſublatum, in inſulam Lemnum delatum eſt, vnde poſt viginti duos annos à morte impij Copronymi, Conſtantinopolim magna gloria reportatum eſt. Hæc omnia Theophanes hoc anno. Sed hiſtoria de proiectione, inuentione, miraculis, & relatione corporis S. Euphemiæ, atque ipſius templi profanatione, & reſtauratione; pluribus deſcribitur ab auctore eiuſdem temporis apud Metaphraſtem[a]: licet in eo Theophane diſcrepet, dum proiectas ipſius reliquias tradit à Leone parente Copronymi.

Diuersi moda persecutio Imp. in cultores Imag. et Sanct.

Derelictis S. Euphemiæ.

a ap. Metap. 11 Iul. l. 100. 16. 6. ead. die.

II. Concil. Gentiliacum de sacris Imagin.

Hoc item anno (vt ponunt Sigebertus & Regino) SYNODVS celebrata eſt in Gallia prope Pariſios in villa *Gentiliaco* dicta, annuente Pipino Rege; vbi diſceptatum eſt de cultu ſacrarum Imaginum, & de ſanctiſſima Trinitate: alij autem anno ſequenti potius eamdem habitam tradunt. Sed vnde manarit occaſio, vt de ſacrarum Imaginum cultu eiuſmodi Synodus haberetur, cum nemo dicat nec quid fuerit in ea definitum ſit vſquam penitus vlla mentio; fortis coniectura ſuadet, vt hæ merces in Gallias per Legatos perfidi Imperatoris Copronymi ad Pipinum miſſos fuerint infeliciter allatæ. Adornatum ſiquidem fuiſſe nobilem legationem ab eodem Imp. ad eumdem Regem veteres Annales tradunt, & inter multa alia dona miſſum organum muſicum, nunquam antea in hiſce partibus viſum. Quæ forte ea fuit Legatio, cuius fit mentio in literis Stephani Papæ Quarti, ad Carolum & Carolomanuum Reges Pipini filios poſt eius obitum ſcriptis[b], dum ait eumdem Imp. niſum fuiſſe perſuadere Pipino, vt filiam ſuam Ghiſilam traderet in matrimo-

b Ext. to. 3. Concil.

nium ipſius Imp. filio: ſed Ppipinum reſpondiſſe, neque Francorum Principes alijs nationibus licere copulari, nec contra voluntatem Apoſtolicæ ſedis Pontificum id ſe aúdere petagere. Porro defenſores fuiſſe Gallicanos Epiſcopos ſacrarum Imaginum, docet Synodus Romana celebrata ſub Stephano Papa, de qua inferius dicturi ſumus: vbi & aſſeritur de cultu ſanctarum Imaginum perlatam fuiſſe Synodalem epiſtolam ab Oriente.

III. De proceſſione Spir. S. quæſtio.

Quod autem ſpectat ad quæſtionem, quæ dicitur inter Græcos & Latinos in huius anni Synodo Gentiliacenſi àgitata de Sanctiſſima Trinitate; Ado Viennenſis docet, fuiſſe de proceſſione Spiritus Sancti; num videlicet dici poſſet, ipſum A PATRE FILIOQVE PROCEDERE. Sicque vides, quo tempore, & à quibus Græcis eiuſmodi quæſtio primum fuerit agitata; nempe ab impijs Iconoclaſtis. Quod enim Occidentales plurima in Conſtantinum Imperatorem, eiuſque ſectatores obijcerent, ac præſertim ea quæ ſpectarent ad ſacrarum Imaginum cultum; illi contra Latinis vitio vertebant, quod adiecíſſent ad Symbolum ea verba FILIOQVE.

Conſt. Copron. an. 27.

IESV CHRISTI AN. 767.

SEDES VACAT.

I. Paul. papæ obitus.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Indictione quinta, *Paulus* Papa vbi ſediſſet annos decem & menſem vnum, tertio Calendas Iulij mortuus eſt in Eccleſia S. Pauli, ibidemque ſepultus: ſed eius corpus poſt tres menſes Romani per flumen Tiberis cum pſalmodijs ad S. Petri baſilicam (locum peculiarem ſepulturæ Summorum Pontificum) detulerunt, poſueruntque in Oratorio quod in honorem B. Virginis idem extruxerat. Hæc ex Anaſtaſio. De tanti vero Pontificis rebus geſtis plura dixiſſemus, ſi epiſtolas ab eo ſcriptas reperire licuiſſet; verum cum (vt dictum eſt ſuperius) earum tantum argumenta habuerimus, ſufficiat illud breuiter ex illis referre; ſub hoc Paulo Papa Conſtantinum Imperatorem tentaſſe Exarchatum Rauennæ armis recuperare; pariterque Deſiderium Longobardorum Regem ſæpius Romanæ Eccleſiæ ditionem deuaſtaſſe: ſed in his atque alijs ejuſmodi anguſtijs, eumdem Pontificem ad Eccleſiæ Defenſorem Pipinum Francorum Regem Chriſtianiſſimum recurrentem, auxilium ab eo petijſſe & ſuſcepiſſe; adeo vt eius armis atque potentia pax vbique Eccleſiæ fuerit reddita.

Pipinus defenſor Eccl. R.

II. Conſtantinus intruſus in ſedem Pontif.

Ceterum poſt Pauli obitum tradit Anaſtaſius vacaſſe ſedem annum vnum & menſem vnum. Cur vero tamdiu Paſtore caruit, in Rebus geſtis Stephani eiuſdem ſucceſſoris hanc fuiſſe cauſam idem auctor docet, quod Toto quidam Dux Nepeſinæ ciuitatis, fratrem ſuum *Conſtantinum*, hominem laicum, per vim in ſedem Pontificiam intruſerit feceritque per Georgium Præneſtinum Epiſcopum ad ordines promoueri, & Pontificem conſecrari, & à conuocato viciniorum Epiſcoporum conciliabulo eius electionem approbari. Sed de eodem Georgio ipſius ordinatore addit, eum non poſt multos, dies violenta ægritudine oppreſſum, immobilem factum eſſe, eiuſque dexteram manum contractam aruiſſe, ſicque miſere languentem vitam finijſſe. Vt videas non poſſe excuſare vim illatam, ad imponendam manum ſuper inuadentem Apoſtolicam ſedem; ſed teneri millies quemlibet vitam prodigere, quam tam immane ſcelus patrare. Vt autem idem Conſtantinus pſeudopapa vſurpatam ſedem ſibi ſtabilire poſſet, ipſo ſui Pontificatus initio duas epiſtolas ſcripſit ad Pipinum Francorum Regem, rogans vt ageret Eccleſiæ Defenſorem, nec de ſe crederet maleuolis: miſitque librum de Rebus geſtis Sanctorum, & Synodicam epiſtolam de cultu Imaginum, ab Oriente ad Paulum miſſam, quem Legati mortuum repererant: eam vero à Patriarchis Alexandrino, Antiocheno, & Hieroſolymitano, ſacrarum Imaginum propugnatoribus, datam eſſe auctor eſt Hadrianus Papa in epiſtola ad Carolum Magnum.

III.

Hoc eodem anno Conſtantinopoli magnus ille Stephanus Auxentianus monachus in carcere detentus, de cuius certaminibus ſuperius actum eſt, præuiſo martyrij ſui tempore, per quadraginta dies ad illud fortiter ſuſtinendum ſe præparauit, abſtinens à conſueto cibo illo tenuiſſimo, & monaſticæ exercitationis rigorem intendens. Poſt quæ cum impius Copronymus Imp. in honorem tertiæ ſuæ coniugis Eudoxiæ Brumalia Gentilium ritu celebrans, audiſſet Stephanum ex carcere Prætoriano monaſterium effeciſſe, nec ceſſare totos dies noctesque à cantandis pſalmis & hymnis diuinis cum alijs ibidem incluſis monachis; maiori excandeſcens ira, eumdem necari præcepit. Qui calcibus, fuſtibus, ſaxis, omnibuſque eiuſmodi ſuppliciorum ac contumeliarum generibus impetitus, ac per vias raptus, glorioſiſſimum martyrium conſummauit; ac rurſum poſt mortem ijſdem ſupplicijs à furente populo, viris, fœminis, pueris, dilaceratus eſt, vt ſic crudeliſſimi Imp. ſæuitiæ ſatisfieret; adeo vt quiſquis in eum dum raptaretur incidens lapidem non iecíſſet, aut aliud contumeliæ genus ſancto cadaueri non intuliſſet, pœnas lueret, atque Imp. hoſtis recenſeretur: demum vero corpus in Ethnicorum eorum foueam proiectum eſt, vbi prius quidem S. Pelagij martyris templum fuerat, ſed vetuſtate labefactatum impius tyrannus (vt vidimus) euerterat, & in ſepulchra Gentilium redegerat. Contigerunt autem iſta anno ætatis Stephani quinquageſimo tertio, quarto Cal. Decembris. Quo eodem tempore is qui lethale vulnus martyri intulit, ſimul ac ferijt, ipſe quoque in terram diabolica plaga percuſſus ruit. Eodemq; die cum ſudum eſſet, oborta ſubito ignea nubes, vniuerſum aerem horrenda caligine obſcurauit; & cum vehementi turbine tam ingens vis prægrandis grandinis circa Palatium dumtaxat regium cecidit, vt multi in diſcrimen vitæ venerint. Hæc omnia pluribus auctor rerum ab eodem ſancto Martyre geſtarum, qui his interfuiſſe putatur: vbi & quædam addit de miraculis ac cultu eiuſdem martyris: necnon de pluribus alijs quos idem crudelis pariter atque impius Imp. neci tradidit; ex quibus conſiderare quis poterit eorum certamina, quæ nota Deo tantum abſque ſcriptorum monumentis ex hominum memoria exciderunt. Relatus eſt autem Stephanus inter ſanctos Martyres in Eccleſia Catholica celebrandus: quem Theophanes, in hoc diſſentiens ab ijſdem Actis, iam anno ſuperiori necatum affirmat.

Stephani monachi Auxent. inſigne martyrium.

Prodigia ob necem Steph.

IV. Conſt. Patriar. ſupplicium.

Paulo vero antequam iſta gererentur, nempe ſeptimo Idus Octobris Indictionis ſextæ, & anni Imperatoris vigeſimi ſeptimi (vt habet Theophanes) cum qui ante biennium exauctoratus fuerat, & in exilium miſſus Conſtantinus Patriarcha Conſtantinopolitanus, quam ſecreto acceperat ab eodem Copronymo ipſius impietatem, qua negabat Chriſtum Deum, eiuſque Matrem eſſe Deiparam nominandam, loco vindictæ (vt Cedrenus, & alij tradunt) omnibus propalaſſet; idem iuſſus reduci Conſtantinopolim, & in ludis Circenſibus populo expoſitus, raſo capite, ac veſte breui & ſine manicis, ſedens ſuper aſinum & caudam eius tenens, quem ducebat eius nepos naſo reciſo; poſt multa ludibria, capite truncatus eſt, corpuſque eius fune tractatus in locum damnatorum; dignam factis mercedem, licet à magis impio Imp. recipiens. Hæc ex Theophane: qui plures alias cædes ſubiungit ab eodem tyranno perpetratas in monachos, alioſque omnis generis Orthodoxos, quicumque aut Imagines colerent, aut Sanctos inuocarent, aut Vigilias agerent, aut Eccleſias frequentarent, aut denique cum religione aliqua viuerent: itemque de monaſterijs tam virorum quam fœminarum euerſis, aut in vſum militum ſuorum conuerſis. Quarum rerum teſtis eſt etiam Theoſterictus, earumdem inſpector in Nicæta[a]: vbi & agit de blaſphemijs horrendis eiuſdem tyranni in Dei-genitricem MARIAM, cuius non ſolum interceſſiones, ſed & nomen ab Eccleſia expellere ſtudebat; aſſerens eam quo tempore Chriſtum in ſe habuit, honorandã fuiſſe, ex quo autem illum peperit, nihil diſtuliſſe à reliquis fœminis. Idq; impijſſimus homo confirmare conabatur exemplo

a ap. Sur. 3. April.

Blaſphemiæ horrendæ in S. Dei-genitricem.

marſu-

marſupij; quod cum aurum in ſe contineret, pretioſum eſſet; cum vero vacuum, vile eſſet. Quas & hodie blaſphemias plerique Nouatores amplectuntur: habituri & ipſi abſq; dubio partẽ cum Copronymo in inferno, niſi dignis pœnitentiæ lacrymis portentoſa ſua dogmata diluant.

IESV CHRISTI AN. 768.

CONST. COPRON. AN. 28.

STEPHAN. IV. AN. 1.

I. PSEVDOPAPA EXPVLSVS.

I. ANno Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo octauo, Indictione ſexta, in fine menſis Iulij Romæ Chriſtophorus Primicerius, ac Sergius Sacellarius ipſius filius, zelo fidei collecta militum manu in Vrbem ingreſſi, Totonem Conſtantini pſeudopapæ fratrẽ occiderunt, ipſum vero Conſtantinum expulerunt, poſtquam ſacrilege ſediſſet annum vnum & menſem vnum. Cum autem in locum eius nonnulli contra ius faſque ſubrogaſſent *Philippum* quemdam presbyterum ac monachum; iſto quoque eiuſdem Chriſtophori opera mox in monaſterium remiſſo, tandem communi totius Cleri, Optimatum, ac populi conſenſu legitimus creatus eſt Pontifex STEPHANVS huius nominis Quartus (quem Anaſtaſius, alijque Tertium dicunt, quod eius nominis Secundum ob breuitatem Sedis inter Pontifices non ponant) natione Siculus ex patre Oliuo presbyter tituli S. Cæciliæ, vir ſtrenuus & diuinis Scripturis eruditus, atque Eccleſiaſticarum traditionum obſeruantiſſimus. Cõſtantinus autem à Concilio epiſcoporum & presbyterorum rite depoſitus, & in monaſterium incluſus, inde paulo poſt à militibus, inſcio quidem Stephano, ſed iuſto Dei iudicio, violenter extractus eſt, ac crudeliter excæcatus; eadem pariter pœna, necnon linguæ abſciſſione, alijs quibuſdam affectis qui ipſi adhæſiſſent. Hæc omnia pluribus Anaſtaſius.

STEPH. IV. CREATVR PONTIFEX

II. EPISCOPI EX GALLIA ACCERSITI ROMAM AD SYNODVM

II. Quo etiam auctore conſtat, Stephanum Papam ipſo ſedis ſuæ principio ad Pipinum, eiuſq; filios Carolum & Carolomannum, Francorum Reges Chriſtianiſſimos, & Romanorum Patricios, legationem direxiſſe, qua petijt vt aliquot ex regno ſuo epiſcopos eruditos & Sanctorum Canonum peritos Romam mitterent, ad Synodum illic agendam pro reſtauratione eccleſiaſticæ diſciplinæ, quam Cõſtantinus pſeudopapa peruertiſſet: ceterum Legatos, cum in Gallias aduenißent, reperto Pipino mortuo, cauſam ſuæ legationis Carolo & Carolomanno expoſuiſſe, ac ſecum in Italiam ex Gallijs duxiſſe duodecim ſceleſtiſſimos epiſcopos doctrina ac pietate præſtantiſſimos. Sed de Synodo dicetur anno ſequenti.

III. DE OBITV PIPINI REG.

III. Ex eo vero quod Pipini obitum Anaſtaſius hoc anno ponit, redargui poſſe videntur qui ante vel poſt eum deceſſiſſe tradunt. De die porro, alij ſcribunt[a] octauo Idus Augusti eſſe defunctum, alij[b] octauo vel nono Calendas Octobris. Illud quidem certum, annos CAROLI MAGNI eiuſdem Pipini filij numerari cœptos eſſe à ſeptimo Idus Octobris huius anni, quando videlicet ipſe coronatus eſt Nouiomi, & Carolomannus ipſius frater Sueſſione. Ceterum Pipinus cum ægrotare cœpiſſet, ad proximum ſe parans obitũ, orationis cauſa inuiſit ſepulchrum S. Martini Turonis; inde reuerſus Pariſios, ad S. Dionyſium reddidit Deo ſpiritum, vbi & ſepultus eſt; cum regnaſſet à tempore quo à Stephano Papa Tertio coronatus eſt, annos quatuordecim, ab vnctione vero per Bonifacium Moguntinum exhibita, annos (vt[c] numerant) quindecim menſes quatuor & dies viginti: licet perperam Ado Vienneņſis tribuat regno eius annos octodecim. Qui quidem cum ob præſtantiam rei militaris, qua ſæpe hoſtes ingenti gloria ſuperauit, tum ob inſitum eius animo religionis cultum, ac munificentiam qua cum omnes tum præſertim proſecutus eſt Romanam Eccleſiam, immortalem peperit ſibi apud homines laudem, & æternam apud Deum gloriam.

a Rhegino, & alij eum ſecuti. b Annal. Fr. à Tith. edit. Aim. lib. 4. ca. 67. Mar. Scot. in Chron.

CAROLVS MAGNVS REGNAT

c Aim. lib. 4. c. 61 in fi.

IESV CHRISTI AN. 769.

CONST. COPRON. AN. 29.

STEPH. IV. AN. 2.

I. CONCIL. ROM.

I. ANno Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo nono, Indictione ſeptima, menſe Aprilis celebratum eſt Romæ CONCILIVM à Stephano Papa in Baſilica Saluatoris iuxta Lateranenſe palatium; cui interfuerunt duodecim Epiſcopi ſelectiſſimi è Gallijs accerſiti anno ſuperiori, & alij plures Tuſciæ, Campaniæque, atque aliarum Italiæ prouinciarum Antiſtites. Cuius licet Acta non extent, tamen loco ipſorum ſuppetunt quæ apud Anaſtaſium in Stephano de ijs habentur ſcripta. Ex quibus illud primo conſtat, eius celebrandi eam cauſam magni momẽti præceſſiſſe, vt corrigeretur impudens factum à Conſtantino pſeudopontifice perpetratum, cum ille inuaſor Apoſtolicæ ſedis, ex laico vno momento tanquam in ſcena prodijt factus Pontifex. Damnauit itaque 6. Synodus vna cum auctore eumdem Sedis Apoſtolicæ inuaſorem: & ne in poſterum talia præſumerent laici, nec ex alio ordine niſi qui per diſtinctos gradus diaconus vel presbyter Cardinalis effectus eſſet; Pontifex creari poſſet, canone ſancito decretum eſt. Acta quoque Conciliabuli, in quo eiuſdem Conſtantini electio fuerat approbata, combuſta ſunt (inquit Anaſtaſius) in medio presbyterii ipſius eccleſiæ: (perperam enim apud Marianum Scotum ex vitioſo textu legitur, ipſos ſacerdotes, atque etiam Conſtantinum, tunc fuiſſe combuſtos) qui vero ab eodem Conſtantino fuerant ordinati, in priſtinum gradum redacti ſunt: ſtatutumque vt omnia quæ idem in eccleſiaſticis ſacramentis ac diuino cultu egiſſet, irrita eſſent, præter Baptiſmum & Confirmationem.

DAMNATIO CONSTANTINI PSEVDOPAPÆ.

II. CONCILIAB. CONSTANTINOP. ADVERSVS IMAG. DAMNATVM. ac. 12. Act. 16.

II. Ad poſtremum, quæcumq; aduerſus ſacras Imagines in pſeudoſynodo Conſtantinopolitana decreta fuiſſent, ea ſanctam iſtam Synodum anathemati ſubieciſſe; ſed & approbaſſe epiſtolam Synodalem trium Patriarcharum Orientalium, ad Paulum Papam ſcriptam pro cultu earumdem ſacrarum Imaginum; conſtat ex eiuſdem Romanæ Synodi fragmentis quæ reperiuntur in tractatione[a] Hadriani Papæ ad Carolum Magnum de Imaginibus. In quibus pariter cum mentio fiat egregiæ ab Epiſcopis Gallicanis in eadem Synodo nauatæ pro ſacris Imaginibus operæ; hinc plane intelligere potes, quid de ijſdem ſacris Imaginibus in Concilio Gentiliaco prope Pariſios haud pridem ſit decretum. Rurſumq; ſiue in hoc Concilio, ſiue ſeorſum, & illud ab eodem Pontifice ſtatutum reperitur apud eumdem Anaſtaſium, vt omni die Dominico à ſeptẽ epiſcopis Cardinalibus hebdomadarijs, Miſſarum ſolemnia, ſuper altare B. Petri celebrarentur. Hicq; prima mentio de SEPTEM EPISCOPIS CARDINALIBVS reperitur; illis ſcilicet qui proximos Vrbi habentes Epiſcopatus, aſſiſterent Pontifici, eidem S.R.E. annexi cardini; de quibus inferius ſæpe dicendum.

SEPTEM EPISCOPI CARDINALES.

III. Paucis vero menſibus poſt hanc Synodum defuncto Sergio Rauennate Epiſcopo, Longobardorum potentia Michael eiuſdem Eccleſiæ Scriniarius, nullo ſacerdotali fungens honore, intruſus eſt: ad quem dimouendum Stephano Papæ fuit plurimum laborandum hoc & ſequenti anno; donec Francorum Regum Legatis adhibitis, idem Michael expulſus eſt, & Romam vinctus miſſus: Leo vero Archidiaconus legitime à Rauennatibus electus, Archiepiſcopus eſt conſecratus. Hæc ex Anaſtaſio.

IV. Hoc item anno Hunaldum Aquitaniæ Ducem rebellantem Carolus & Carolomannus fratres Francorum Reges ſuperatum ceperunt[b]; eumdemq; poſt biennium pœnitentiam ſimulantem, dimiſerunt Romam quaſi ibi perſeueraturum: quem non diu poſt deficientem ad Longobardos, ibi lapidibus obrutum male periiſſe affirmant[c].

b Chron. à Tith. edit. an 771. c Sigeb. in Chron. an. 771.

CONST. COPRON. AN. 30.

IESV CHRISTI AN. 770.

STEPH. IV. AN. 3.

I. DESIDER. LONGOB. REX DIRE INFESTAT ECCL. R.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo, Indictione octaua, Romana Eccleſia vexatione Deſiderij Longobardorum Regis dire fuit exagitata. Cum enim Chriſtophorus & Sergius, qui à Conſtantini pſeudopapæ tyrannide eamdem eccleſiam ſtrenue vendicauerant, rurſum pro ea apud Deſiderium indeſinenter agerent, vt ei priſtina iura ab eodem Rege vſurpata reſtitueret: ea de re aduerſus eos indignatus Deſiderius, conſilio cum Paulo Afiarta cubiculario Stephani Papæ inito, ad Vrbem fraudulenter cum exercitu properans, eumdem Pontificem in colloquium foras euocatum, intra Eccleſiam B. Petri incluſit; & Chriſtophorum ac Sergium tentos, contra fidem datam excæcauit: quo ex dolore Chriſtophorus intra triduum mortuus eſt; Sergius autem in monaſterium intruſus, atque inde in Cellarium Lateranenſe deductus, aliquo tempore vixit; de cuius obitu ſuo loco dicendum. Hæc fuſius Anaſtaſius in Stephano, & Hadriano ipſius ſucceſſore.

II. a Aim. lib. 4 c. 63. Egin. in Vit. Carol. Mag. & alij. BERTA FILIA DESIDERII IVNCTA CAROLO MAGNO. b Rec. Bar. Annal. To. IX. hoc an.

Habent quoque Annales [a] Francorum, hoc anno contigiſſe connubium inter Carolum Regem cognomento Magnum & Bertam filiam prædicti Deſiderij, opera Bertradæ Caroli matris. Quod cum intellexiſſet Stephanus Papa, ſcripta ad ipſum Carolum eiuſque fratrem Carolomannum efficaciſſimis verbis epiſtola [b], ne id fieret ſub excommunicatione admonuit, tum quia iam ijdem ab eorum patre alijs nobiliſſimarum feminarum Francarum nuptijs obligati eſſent, tùm etiā ne præclara (vt ait) Francorum gens quæ ſuper omnes gentes enitet, perfida ac fœtentiſſima Longobardorum gente pollueretur, è qua leproſorum genus originem duceret. Ceterum cum Stephanus ijſdem ſuis literis nonniſi de vna filia Deſiderij Regis mentionem habeat, eas tamen plures fuiſſe & ex eis alteram Carolo, alteram Carolomanno nuptam eſſe, veteres Annales tradunt.

III. CONCIL. WORMAT. c Capitul. Franc. lib. 6. cap. 185. & 186. EPISCOPI NE AD BELLA PERGANT

Hoc inſuper anno in Annalibus Francorum ponitur habitum ab eodem Carolo Magno CONCILIVM in Wormatia ciuitate; in quo poſt dignam fidei confeſſionem, octoginta canones ſubijciuntur. Sed & in [c] Capitularibus Regum Francorum, illud tunc memoria dignum reperitur enixe poſtulatum à populis, & ab eodem Rege decretum, vt poſthac dum aliquod bellum gereretur, Epiſcopi minime cum militibus pergerent, nec prælijs intereſſent vulneribus obnoxij; ſed in ſuis Eccleſijs reſidentes Miſſas celebrarent, ac preces ad Deum pro exercituum incolumitate funderent, & eleemoſynas facerent; ac paucos tantummodo ſacerdotes, eoſdemque pietate & doctrina conſpicuos, cum exercitibus mitterent, ad benedictionem dandam, & periclitantium reconciliationem faciendam: ceterum iura, reſque Eccleſiaſticæ intactæ permanerent, nec fas eſſet aliquibus eas auferre. Sequenti autem capite [d] cum iſta ponantur, *Auctoritas eccleſiaſtica atque canonica docet, non debere abſque ſententia Romani Pontificis Concilia celebrari*: ex ijs intelligas, quotquot ſub ijſdem Francorum Regibus celebrata fuere eorum ordinatione Concilia, ea nonniſi aſſenſu Romanorum Pontificum habita eſſe: quod & alias pluribus oſtendimus.

d Ibid. c. 187.

IV. AVREL. HISP. REX VIRGINES IN TRIBVTVM DAT SARACENIS.

Hoc eodem anno in Hiſpania perempto Froila Rege per Aurelium ipſius patruum, ſiue (vt alij tradunt) germanum, idem Aurelius regnum inuaſit, Era (vt Tudenſis ſupputat) octingenteſima octaua; licet alij vndecim tantum annos Froilæ tribuant, defunctumque ponant anno ſeptingenteſimo ſexageſimo octauo. Huius Aurelij tempore etiam ſeruili bello Regnum flagrauit; cuius cauſa, vt cum Abderrhamano Maurorum Rege fœdus iniret, infamem quoq; illam cōditionem ſubire non renuit, vt numerum quemdam Chriſtianarum virginum loco tributi quotannis Maurorum Regibus perſolueret. Recenſetq; præterea Tudenſis eiuſdem Aurelij aliud per iniquum decretum, vt nobiles Hiſpaniæ feminæ matrimonio iungerentur cum Saracenis.

V. MONACHI IVSSI CONIVNGI CVM MONIALIBVS.

Quo item anno, Copronymi Imperatoris trigeſimo, Epheſi Præfectus ipſius omnes monachos & virgines Deo dicatas in campum educens, edixit vt illico ipſi inter ſe matrimonio iungerentur: renuentes autem (quorum maximus fuit numerus) priuatos luminibus in exilium relegauit. Hæc Theophanes.

CONST. COPRON. AN. 31.

IESV CHRISTI ANN. 771.

STEPH. IV. AN. 4.

I. PERSECVTIO RECRVDESCIT IN MONACHOS.

ANno Domini ſeptingenteſimo ſeptuageſimo primo, Indictione nona, Imperij Conſtantini trigeſimo primo, recrudeſcente ipſius aduerſus monachos perſecutione, per Præfectum Thraciæ cuncta eiuſdem prouinciæ monaſteria tam virorum quam feminarum, vaſa ſacra, libros, pecora, omnia denique ipſorum bona vendidit; cunctaque ſcripta quibus Vitæ monachorum continerentur combuſſit: ſed & venerādas Reliquias vel igni tradidit, vel abſcondit: ipſos denique monachos partim interfecit, partim excæcatos, aut facie crematos (gaudebat enim maxime huiuſmodi tormento, vt ijs qui prolixam barbam geſtarēt, eam pice, ceraue, aut oleo perungerent, ignemque admoueret) in exilium expulit. Quem & alij Præſides in alijs prouincijs imitati ſunt. Hæc ex Theophane.

II. a Annal. Franc. Egin. in Vit. Car. Aim. lib. 4. c. 68. 69. CAROL MAG. REPVDIAT BERTAM. b Rec. Bar. To. IX. an. 786.

Hoc item anno, vt habent Francicarum rerum ſcriptores [a], Carolus Magnus Rex quam ſuperiori anno hortatu matris vxorē duxerat Bertam filiam Deſiderij Regis Longobardorum repudians, patri remiſit: & Hildegardem de gente Sueuorum præcipuæ nobilitatis ac pietatis feminam, in matrimonium accepit. Verum ex Epitaphio [b] ſepulturæ Hildegardis, quod extat in monaſterio S. Arnulphi vrbis Metenſis, putaturque eſſe compoſitum ab Albino ſiue Alcuino, conſtat eam nō nuptam eſſe Carolo niſi poſtquam ipſe Italia potitus eſt cum Vrbe Roma: ſicque eius connubium non ante annum Chriſti ſeptingenteſimum ſeptuageſimum quartum contingere potuiſſe.

III. CAVSA REPVDII BERTÆ.

Quod autem ad diuortium cum Berta ſpectat; eius quidem hanc monachus Sangellenſis in duobus libris Rerum geſtarum Caroli Magni cauſam affert, quod Berta eſſet (vt ait) clinica, & ad propagandam prolem inhabilis, ideoque iudicio Epiſcoporum eam relictam ab illo eſſe velut mortuam. Porro vt iſta epiſcopi illi decreuerint, hæc oportuit cōcurriſſe, nimirum quod reddita eſſet ex morbo penitus impotens ad concubitum, & hoc impedimentum iam fuiſſet ante contractum matrimonium. Ita quidem ex ſententia Iuris Canonici Conſultorum: quæ obſeruata tunc eſſe licet de ſanctiſſimis Epiſcopis & de Rege Chriſtianiſſimo opinari. Niſi etiam dixerimus, cauſam diuortij eam interceſſiſſe, quod Stephanus Papa (vt vidimus) ſub anathemate iuſſiſſet ne Carolus cum ea matrimonio iungeretur, eo quod iam alijs legitimis nuptijs à patre copulatus fuiſſet. Porro quod huiuſmodi cauſæ non omnibus paterent, nonnulli pij viri haud leue paſſi ſunt ſcandalum, cum ſic repudiatam vnam, & aliam ductam viderunt à Carolo, contradicentibus Eccleſiaſticis legibus: inter quos Adelhadus ipſius Caroli conſobrinus ea occaſione ſe ab eiuſdem palatio abdicauit, ac monaſticum inſtitutum amplectens mira claruit ſanctitate: cuius res geſtas [c] deſcripſit Paſchaſius Ratbertus eius temporis auctor.

c Ext. ap. Sur. 2. Ian.

IV. CAROLOMANNI OBITVS.

Eodem anno Carolomannus eiuſdem Caroli frater, pridie Nonas Decembr. in villa Salmuntiaco ex hac vita migrauit, anno regni ſui poſt patris obitum tertio; ſepultuſque eſt Rhemis. Cuius vxor, filia Deſiderij Regis Longobardorum, cum liberis ex eo ſuſceptis in Italiam ad patrem ſe recepit. Carolus autem *Conuentu* Epiſcoporum atque Optimatum Franciæ in villa Carboniaco habito, Regni partem quæ fratris fuerat ſuſcepit. Hæc Francorum Annales [d].

d Annal. Pith. in an. Aim. lib. 4 cap. 68.

IESV CHRISTI ANN. 772.

CONST. COPRON. AN. 32.

HADRIANI AN. 1.

I. ANno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Indictione decima, nouis turbis Vrbs exagitata eſt, dum factione Pauli Afiartæ Stephani Papæ cubicularij, miſer Sergius Secundicerius, qui antea (vt vidimus) eiuſdem Afiartæ opera fuerat excæcatus, è Cellario Lateranenſi vbi ſeruabatur eductus, plurimis cõfoſſus eſt vulneribus. Quod impium facinus poſtea ſub Hadriano Stephani ſucceſſore punitum eſt, vt diffuſe narrat Anaſtaſius in eius Vita. Hæc enim de nece Sergij geſta ſunt cum Stephanus ægrotaret: qui poſt dies octo defunctus eſt Calendis Februarij, cum ſediſſet annos tres menſes quinque dies viginti octo: ſepultuſq; eſt ad S. Petrum, vt ait Anaſtaſius. Quod autem ad ſcriptas ab eo epiſtolas pertinet: in citato ſuperius codice, quinq; ab eo ad Francorum Reges de varijs rebus ſcriptarum argumẽta redduntur. Ex quorum vno cõſtat, ipſum per litteras Carolomanno petijſſe, vt liceret ſibi eſſe Compater & teſtis baptiſmi filij eiuſdẽ Regis. Quemadmodum & Stephanum Papam Tertium fuiſſe antea Compatrem Pipini Regis, ſuperius vidimus. Sed & Hadrianum fuiſſe item poſtea Compatrem Caroli Magni, teſtatur [a] ipſe in epiſtola ad Imperatores Conſtantinum & Irenem.

STEPH. PP. OBITVS.

ROM. PONTIF. COMPATRES REGVM FRANC.

a In Act. Nic. Conc. II. Act. 2. ex vet. Anaſt.

II. Cum autem poſt obitum Stephani Sedes vacaſſet (vt ait Anaſtaſius) diebus octo, die nona mẽſis Februarij ſumma omnium concordia ex diacono Pontifex creatus eſt HADRIANVS ciuis Romanus, nobiliſſimo genere ortus ex patre Theodoro; vitæ ſanctitate, zelo fidei, & diſciplinæ eccleſiaſticæ doctrina, omnibuſq; virtutib. pſtantiſſimus. Sub cuius Pontificatus initio, cum Deſiderius Longobardorum Rex fœdifragus pacem per legatos ſuos Hadriano offerre ſimulans, interim occupaſſet multas ex ciuitatib. Romanæ Eccleſiæ, & nec literis, nec legationibus, nec precibus ſæpius ab eodem Hadriano iteratis, à cœptis dimoueri potuiſſet, quinimmo ſe propediem ad obſidionẽ Vrbis venturum minaretur, tunc idem Pontifex in extremas redactus anguſtias, legationem maritimo itinere ad Carolum Magnum Francorum Regem Chriſtianiſſimũ, & Romanorũ Patricium direxit, qua cum rogauit vt ſicut eius pater Pipinus, ita ipſe ſubueniret S. Dei eccleſiæ, & afflictiſſimis Romanorum rebus. Sed quod hæc legatio miſſa fuerit anno ſequenti, agetur de ea ſuo loco. Quæ vero de Longobardorum infeſtationibus ſummatim hic diximus, fuſe tractat Anaſtaſius in Hadriano.

HADRIANVS PAPA CREATVR.

III. Interea vero dum hæc in Italia gererentur, idem Carolus Magnus Saxones rebellantes iterum ſubiugauit, atque idolorum templa deſtruxit: cui rei dum aliquãdo incumberet, magna ſiti laborans eius exercitus, qua diuinitus ebulliente refectus eſt. SYNODVM quoque Wormatiæ celebrauit, quæ & Secunda eius nominis eſt dicta: cuius extat in Francorum Capitularibus [b] fragmentum de canonica purgatione ſacerdotum, qui fuiſſent accuſati de criminibus non probatis. Ruſumque hoc anno à Taſſilone Bauariæ Duce alia celebrata eſt SYNODVS Epiſcoporum in loco, qui ab accolis Dingoluinga dicebatur; vbi multi ſanciti ſunt [c] canones ad diſciplinam Eccleſiaſticam & politicam pertinentes. Inter quos ille notatione dignus, vt Epiſcopi & Abbates cum de luce migrarent, vnuſquiſque ſuperſtitum pro defuncto in domo ſua epiſcopali vel monaſterio, centum Miſſas ſpeciales, & totidẽ pſalteria cantare faceret, ipſeq; per ſe triginta Miſſas compleret; ſimiliterq; pro presbyteris, ſiue monachis, triginta Miſſas & totidem pſalteria celebrare facerent.

CONCIL. WORM. II.

b Capitul. Franc. lib. 7. cap. 105.

CONCIL. DINGOLVING.

c Recitat huius Synodi Acta & canones Baron. to. IX. hoc an.

MISSÆ PRO DEFVNCTIS EPISC. ET ABBAT.

IV. Quod pertinet ad res Orientales; Chriſtiani degentes in Syria ſubditi Regi Saracenorum Habdallæ, perſecutionem paſſi ſunt ob promulgatum ab eodem Rege Hieroſolymis edictum, vt Chriſtiani omnes atque Iudæi inſcriberentur manibus, quo à ceteris dignoſci poſſent. Cuius rei gratia factum eſt, vt plurimi Chriſtiani, quod ignominiam eiuſmodi ſuſtinere nullatenus vellent, relictis bonis ſuis in Romanorum ſeditionem transferrent. Iſta hoc anno Theophanes.

HABDALLÆ EDICTVM IN CHRIST. ET IVD.

IESV CHRISTI AN. 773.

CONST. COPRON. AN. 33.

HADRIANI AN. 2.

I. ANno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo tertio, Indictione vndecima, cum (vt dictum eſt) Hadrianus Papa legationem aduerſus Deſiderium Longobardorum Regem ad Carolum Magnum miſiſſet; ipſe quoq; perfidus Deſiderius ſuos pariter Legatos ad eundem Carolum direxit, quibus fraudulenter ſignificaret ſe cuncta quæ ad ſedem Apoſtolicam pertinerent, reddidiſſe: nimirum vt hac arte eum detineret, ne cum exercitu in Italiam properaret. Interea vero dum quod vehementiſſime deſiderabat, nullo modo potuiſſet Hadrianum ad ſe allicere, vt ei perſuaderet ab amicitia Caroli diſcedere, ac filios Carolomanni fratris Caroli (quos diximus vna cum eorum matre filia Deſiderij, poſt mortem patris in Italiam remeaſſe) Reges vngere, ſicque capaces reddere paterni Regni quod Carolus occupauerat: Romã ipſe cum exercitu procedere ſtatuit: ſed accepta in ciuitate Viterbienſi, excommunicationis ſententia per tres epiſcopos ad eum à Pontifice miſſa, qua eum conſtrictum declarabat niſi à Romanorum finibus abſtineret: illico idem Rex cum magna confuſione ad ſua reuerſus eſt. Hæc Anaſtaſius: ex quibus videas, etiam apud impios, auctoritatem excommunicationis à Romano Pontifice latæ.

CONATVS DESIDERII REPRESSI TIMORE EXCOMMVNICATIONIS.

II. Ceterum Carolus ſuſcepta legatione Hadriani, nõ ſtatim de inferendo bello conſilium iniit, ſed miſit primo qui explorarent vtrum quæ occupauerat Deſiderius, Apoſtolicæ ſedi, vt ſignificauerat, reddidiſſet: cum autem nihil ab eo præſtitum agnouiſſet, nec cum per iteratas legationes potuiſſet inducere ad eiuſmodi reſtitutionem, licet offerret de ſuo dare magnam auri ſummam: tunc demum exercitum aduerſus ipſum mouens, eumdem diuinitus à cuſtodia faucium montis Ciniſij expulſum, Papiæ obſedit: ſed & durante obſidione Veronam expugnans, vxorem ibi & filios Carolomanni fratris ſui cepit, multaſque alias ciuitates Longobardorum in poteſtatem ſuam redegit. Hactenus ex Anaſtaſio de rebus huius & ſequentis anni vſque ad Paſchale tempus, quo Carolus Romam profectus eſt. Dum vero idẽ auctor ait, à tempore cœptæ obſidionis Papienſis vſq; ad Caroli aduentum in Vrbem, interceſſiſſe ſex menſium ſpatium; plane ſignificat, menſe Octobris contigiſſe ingreſſum eiuſdem in Italiam.

EXPEDITIO CAROLI MAG. CONTRA DESIDER.

III. In Vita autem ipſius Caroli, annis ſingulis per periodos dierum feſtorum Natalis & Paſchatis diſtincta, poſtquam de hac ipſius expeditione actũ eſt, additur hoc ipſo tempore abſente Carolo Saxones iterum rebellantes cõfinia Francorum deuaſtaſſe: ſed dum quandam Chriſtianorum eccleſiam, quam olim S. Bonifacius martyr conſecrauerat, & per Spiritum prophetiæ prædixerat nunquam fore igne cõburendam, incedere vellent; apparuiſſe duos iuuenes in albis, qui ipſam baſilicam ab igne protexerũt, ipſoſque Saxones diuinitus perterritos, nemine perſequente fugam arripuiſſe. Sicque qui anno ſuperiori, dum idoli templum ſterneretur aquam inſperatam dedit, hoc anno vim ignis, ne incenderetur ſancta eccleſia, impediuit; vbiq; mirabilis Deus in omnibus operibus ſuis.

SAXONES FRVSTRA LABORANT ECCLESIAM INCENDERE.

IESV CHRISTI AN. 774.

CONST. COPRON. AN. 34.

HADRIANI AN. 3.

I. ANno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo quarto, Indictione duodecima, cum iam per ſex menſes ſtetiſſet Carolus Magnus in obſidione Ticini ciuitatis; adueniente tẽpore Paſchali, relicto ibi exercitu ipſe Romam ad Limina Apoſtolorum ad feſtum celebrandum venire decreuit.

CAROL. MAG. ROMAM VENIT.

creuit. Quod audiens Hadrianus Papa, omnes Magiſtratus Vrbis obuiam ei ad triginta milliaria cum ſignis militaribus miſit: cùm vero appropinquaſſet ad vnum milliare, direxit vniuerſas ſcholas militiæ, vna cum magiſtris & pueris ramos oliuarum deferentibus, & laudes Regis cōcinentibus. Cum autem obuiam etiam aduenilſent venerandæ Cruces, ſtatim vbi Chriſtianiſſimus Rex illas conſpexit, equo deſcendens pedeſtris ad eccleſiam S. Petri pceſſit; & perueniens ad atrium vbi eum Pontifex cum reliquo Clero operiebatur, oēs gradus ſingillatim deoſculatus eſt; ac demum à Pontifice benigne exceptus, poſt mutuos amplexus tenuit in inceſſu & ingreſſu eccleſiæ dexteram manum Pontificis, cunctis acclamantibus *Benedictus qui venit in nomine Domini &c.* Quod quidem accidit in die Sabbati Sancti. Poſtquam vero & reliquas Vrbis eccleſias viſitaſſet, feſtumq; ſolenniter celebraſſet; quarta poſt Paſcha die monitus à Pontifice, antiquā eccleſiæ Romanæ factam à Pipino patre Exarchatus Rauennatis, aliorumq; dominiorum Donationem, nouis diplomatibus à ſe ſuiſq; magnatibus tam eccleſiaſticis q̃ ſæcularibus ſubſcriptis confirmauit, & ad eiuſdem conſeruationem ſolemni edito ad Confeſſionem S. Petri iuramēto ſeſe ſuoſque obſtrinxit. Hæc omnia pluribus Anaſtaſius: qui, quod ad Donationis confirmationem attinet, in ea eaſdem illas ciuitates atq; prouincias nominatim adnumeratas ponit, quas à Pipino donatas ex Leone Oſtienſi ſuperius retulimus.

RECEPTIO CAROLI IN ECCL. S. PETRI.

DONATIONEM PATRIS CONFIRMAT.

II. CAPTVM DESIDER. IN GAL. DVCIT.

Poſt hæc autem reuerſus Carolus Papiam, paucis poſt diebus eamdem graui iam morbo preſſam, vna cum ipſo Rege Deſiderio in deditionē accepit. Sicq; eccleſia Romana in libertatē priſtinam pleniſſime reſtituta, amplioribuſq; dilatata finibus, ipſe quoq; Carolus vniuerſo Longobardorum Regno potitus eſt: vbi relictis Francorū militum præſidijs, Deſiderium vna cum eius coniuge ſecum in Franciam duxit. Hæc pariter Anaſtaſius. De filio autem Deſiderij Aldágiſo tradunt Annales Francorū, ipſum fuga lapſum Conſtantinopolim petijſſe: habetq; Theophanes, eundē ſequenti anno illuc peruenisſe; & ab Imperatore benigne exceptum, Patriciatus dignitate donatum eſſe.

III. DE COMMENTITIO CONCILIO, QVOD ROMÆ HABITVM ASSERITVR.

Sed quod Sigebertus in Chronico ſcribit, Carolum Papia capta redijſſe Romam, & in Synodo 153. Antiſtitum ab Hadriano Papa celebrata, datum ei fuiſſe ius eligendi Romanum Pontificem, & vt Archiepiſcopi atq; Epiſcopi per ſingulas prouincias ab eo inueſtituras acciperent; hæc cum ab ipſo nonniſi poſt annos trecentos triginta octo ſcripta fuerint, nempe anno Domini milleſimo centeſimo duodecimo, nullo penitus antiquioris æui auctore conſcio, ne ipſis quidem qui Vitam Caroli, vel qui per annos ſingulos res ab eo geſtas, omneſque habitos Conuentus quam diligentiſſime ſcriptis tradiderunt; iure creditur [a], hanc imposturam eo tempore adornatam eſſe in gratiam Henrici Imperatoris ſchiſmatici, cuius & partes totis viribus Sigebertus fouit. Nam quod poſt captam Papiam non Romam venerit iterum Carolus, ſed quam celeriter in Galliam redierit, vt aduerſus rebellātes Saxones expeditionem pararet, omnes auctores aſſirmāt. Imo & Einhardus, ſiue Eginhardus, qui ipſi Carolo fuit à ſecretis, eiuſq; lateri ſemper inhæſit, ac Vitam eiuſdem ſcripſit; expreſſe aſſirmat eum nonniſi quater Romam ſe contuliſſe, primo hoc anno in expeditione aduerſus Longobardos, ſecundo ſoluendi voti cauſa anno ſeptingenteſimo, octogeſimo, tertio aduerſus Ducem Beneuentanum anno ſeptingēteſimo octogeſimo ſexto, quarto ad reſtituēdum Leonē Papam anno octingenteſimo, quādo & creatus eſt Imperator. Vbi ergo quintus à Sigeberto cōfictus, nuſquam alibi aſſertus eiuſdē Caroli in Vrbem aduentus?

a Poſt obitū Illuſtriſſimi Cardinalis BARONII, *Melchior Goldaſtus Caluiniſta* edidit *Rationale* (vt vocat) *Conſtitutionum Imperialium*; vbi profeſſus ſe Rom. Imp. iura aduerſus Baronij Annales elenchos præſcribere; Caluiniſtice (vt nihil aliud dicā) rem agens, modeſtiſſimum ſimul & candidiſſimum, atq; nobiliſſimū hiſtoriæ tractatorē miſere proſcidit. Sed mox prodijt ex aduerſo vigilantiſſimus atque fortiſſimus veritatis Defenſor, cuius laus ingens eſt in Eccleſia Dei, *Iacob. GRETSERVS Societatis IESV Theologus*: qui zelo vere Catholico exardeſcens, Apologiam pro Illuſtriſſ. Cardinale ſuſcepit, & cunctas Goldaſti argumentationes conſueta facilitate & felicitate diſſipauit. Quæ quæ pro ſchiſmatico Sigeberto hæreticus Caluiniſta aduerſus ſanctiſſimum Eccl. Doctorem de hac controuerſia procaciter effudit, tu (ſi libet) vide ab eodem clariſſimæ Societatis nobili Profeſſore egregie diſcuſſa atque diſſecta. Sicut & de alijs præcipuis eiuſmodi Goldaſti criminationibus adnotabitur inferius ſuis locis.

IV.

Accidit tamen vt nullo de impoſtura habito diligentiori examine, creditum fuerit verum eſſe quod ab eo fuiſſet quam mendaciſſime aſſirmatum: vt non ad hæc refellenda ſe conuerterint pij eccleſiaſtici tractatores, ſed laborârint vt oſtenderent iſta ab Hadriano conceſſa Carolo, fuiſſe poſtea reuocata: ex quorum numero fuit Gratianus, qui nimis credulus eandem Sigeberti impoſturam totidem verbis exſcripſit [b]; aliamque inſuper addidit huic parem, æque à Schiſmaticis confictam Leonis Octaui nomine in gratiam Ottonis Imperatoris. Ceterum nec ipſum nomen *Inueſtituræ* ea ſignificatione, vel vſus eius per annuli collocationem (vt tradunt) baculi, apud aliquē eius temporis Scriptorem reperitur: & quod ad Pontificis electionem pertinet, repugnant his praxis & leges aliorum poſt Carolum Imperatorem, de quibus inferius ſuis locis: ac denique tantum abeſt vt Carolus ſibi arrogare voluerit electiones Epiſcoporum, vt potius ſuo promulgato decreto [c] eas ſtatuerit eſſe liberas, atq; ex ſacrorum canonum præſcripto decerni. Sed de his modo hactenus.

b d. 63. c. Hadrianus 2. & c. ſeq.

c Capitul. l. 1. c. 84. & d. 63. c. ſacro. canon.

V.

Porro inter captiuos Longobardos, quos vna cum eorum Rege Deſiderio Carolus duxit in Gallias, fuit *Paulus Diaconus* Aquileienſis, ille qui res geſtas ſuorum Longobardorum ſcriptis tradidit, eratq; deſiderio à ſecretis. Qui quidem (vt ſcribit Leo [d] Oſtienſis) Regi Carolo pro ſua prudētia carus admodum & familiaris factus, cum poſtea accuſatus ab inuidis apud eundem Regem, quod ex affectu Deſiderij inſidias ei pararet: eaq; an vera eſſent interrogatus à Rege, conſtanter reſpondiſſet ſe in fide domini ſui quoad viueret perſeueraturum: ea de cauſa iuſſit primo Rex ei manus abſcindi, ſed mox cōſiderata ipſius ſcribendi peritia & hiſtoriæ cognitione, mutata ſentētia eundem duntaxat in inſulam deportauit. Vnde ipſe cōfugiens ad Adelpergam Deſiderij filiam Arichiſis Ducis Beneuentani vxorem, eius precibus hiſtoriæ Eutropij duos libros adiecit de ijs quæ accidiſſent à tempore Iuliani Apoſtatæ vſq; ad Iuſtinianum Imperatorem: ſed & vniuerſas fere annalis computi lectiunculas rithmo cōpoſuit. Defuncto autem Arichiſe ſumpto monaſtico habitu, in monaſterio Caſſinenſi conſenuit, & longæuus ætate in Domino quieuit: cum antea rogatus ab Abbate ac Fratribus, expoſitionem Regulæ S. Benedicti edidiſſet, hymnoſque de ſingulis eius miraculis compoſuiſſet: quo etiam tempore literas verſibus ſcriptas ad Carolum Magnum remiſit, cum ille prius ei de ingreſſu monaſterij pariter metro gratulatus eſſet. Hæc ſummatim de Paulo ex Leone. Scribunt inſuper Sigebertus [e] & Trithemius, eundem Paulū iuſſu Caroli Magni ex Patrib. collegiſſe atq; ordinaſſe Hiſtorias & Lectiones per totum annum ſingulis feſtiuitatibus Sanctorum congruentes. Sane quidem in ſæculo tam rudi, ipſe claruit inter primos.

d Leo Oſt. Chron. Caſſin. l. 1. c. 17.

QVÆ INTER CAROLVM MAG. ET PAVLVM DIAC. INTERCESSERINT.

PAVLI DIAC. LVCVBRATIONES.

e Sigeb. in Chron. an. 807.

IESV. CHRISTI AN. 775.

CONST. COPRON. AN. 35.

HADRIANI AN. 4.

I. COPRONYMI IMP. MISERANDVS EXITVS.

ANno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo quinto, Indictione decimatertia, Impijſſimus Conſtantinus Imperator in expeditione aduerſus Bulgaros conſtitutus, diuinitus eſt in cruribus plaga percuſſus, quā Græci ἄνθρακα appellant: vnde febre validiſſima correptus, nauigio delatus in caſtellum Strongylum, ibi animæ & corporis (inquit Cedrenus) mortem obijt vociferans *ſe adhuc viuentē inextinguibili igni traditum propter* MARIAM, *iubenſq; eam exinde honorari tanquam ſanctam Virginem, ac vere Deiparam*. Teſtantur iſta pariter reliqui omnes Græci auctores: conſtatque ex Theophane ipſum obijſſe die decima quarta menſis Septemb. cum regnaſſet poſt mortem patris annos triginta quatuor menſes duos dies viginti ſex.

II. DE EIVSDEM COGNOMINIBVS, ET IMPIETATIB.

Porro ſi quis ex ſectis quibus communicauit, eius nomina addiſcere velit: ex ijs quæ ſuperius dicta ſunt, Iudæū ipſum iure vocabit, Neſtorianum, & Manichæum: præter nomina *Iconomachi*, *Copronymi*, *& Caballini*; quorum primum

mum ſortitus eſt ex fecta, ſecundum ex ſtercore quo infans conſperſit ſacroſanctum lauacrum, tertium è ſtercore caballorum aliorumq; eiuſmodi animaliũ, cuius odore tale monſtrum adeo delectatum ferunt, vt & eo ſe illiniret, & ſuos aulicos id ipſum facere iuberet. Hoc enim & Theophanes, & Theoſterictus[a] huius temporis ſcriptores affirmant: ex quibus rideas Glicam, dum Caballinum à Cabala ciuitate refert denominatum. Quid enim Conſtantino cum Cabala, nato ipſi & educato Conſtantinopoli? Quem & præterea magicis maleficijs, & luxurijs, ac dæmonum inuocationib. & ſacrificijs deditiſſimũ fuiſſe, teſtes ſunt idem Theophanes, & auctor Rerum geſtarum S. Steph. Auxentiani martyris. Tanto igitur iam glorientur Nouatores anteſignano; qui quidem dum in ſe latam ſententiã perpetuæ damnationis moriens expreſſit, eandem vtiq; eius ſectarios accepturos fore ſignificauit. Ceterum quod præter perſonam Imperatoris, ageret, pariter Theologum & doctorem eccleſiæ, reliquit etiam ſcriptorum aliqua monumẽta: meminit enim de tredecim ipſius orationibus Theoſterictus, quas & ſe legiſſe teſtatur, & nullam in eius de Sanctorum interceſſione mentionem repperiſſe. Sepultus eſt autem in templo Sanctorum Apoſtolorum Conſtantinopoli, nactus quam non meruerat ſepulturam: qua penitus indignus cum eſſet, iuſto Dei iudicio poſtmodum effoſſus, eius oſſa publice in foro cremata ſunt: vt aſſeritur à Græcis in Menologio.

a Theoſter. in Niceti.

De eius ſepultura & effoſſione.

III. *Leo IV. Imperat.*

Reliquit poſt ſe plures filios, interq; eos LEONEM primogenitum heredem Imperij, eius nominis Quartũ: ſed & filiam nomine *Anthuſam*, à parentis moribus longe diſſimilem: q̃ cum noluiſſet viro copulari, poſt mortem patris omnes ſuas facultates partim pauperib. diſtribuens, partim in eccleſiarum & monaſteriorum ædificationem & ornatum, vel etiam captiuorũ redemptionem impendens, ſuſcepto monaſtico habitu poſt multos annos feliciter migrauit ad Dominum, egregia ſanctitate conſpicua; vt de ipſa traditur in eodem Menol. Græc.

IV. *Leo pius apparere ſtuduit.*

Leo vero ipſo ſui Imperij exordio, quo ſibi conciliaret omnium animos, omnib. morem gerere ſtudens, ingentem repertum à patre[b] abſconditum theſaurum liberaliter expendere cœpit (inquit Theophanes[c]) placuitque tam optimatibus quam populo. Sed & pius viſus eſt, ſanctæq; Dei-Genitricis, & monachorum amicus, adeo vt monachos Metropolitanis ac præcipuis ſedibus præficeret. Quo quidem tempore accidit, vt ipſe *Platonem* ciuem Conſtantinopolitanum: Olympi montis celebrem monachum in Epiſcopum Nicomedienſem prouehendum curaret; ſed renuit vir ſanctiſſimus, non tamen omittens in humili gradu Apoſtolicum obire munus; prout teſtatur Theodorus monachus Studita, qui hoc eodem vixit tempore, & res ab eo geſtas ſcriptis proſecutus eſt. Ceterum licet talem ſe Leo initio oſtenderit, perſeuerauit tamen hæreticus. & vbi habenas Imperij iam ſecure poſſidere ſibi viſus eſt, ruſum ipſos Orthodoxos perſequi aggreſſus eſt, vt quæ dicentur ſuis locis oſtendent.

b Vid. Cedr. in Comp. hiſt. an. *c Theoph. lib. 23.*

V. *Habdallæ Reg. Saracen. mors.*

Eodem quoque anno & menſe (inquit Theophanes) quo obijt Conſtantinus, mortuus eſt pariter Habdalla Arabum Rex, cum ambo iſti velut furibundæ beſtiæ diuturnis temporibus ac crudelitatibus humanum genus in Oriente depaſti eſſent. Huic vero ſucceſſit Madi filius eius, & ipſe acerrimus eccleſiæ perſecutor.

VI.

Quod ad res Occidentales pertinet: SYNODVM à Carolo Magno in Duria habitam; Saxoneſque duobus prælijs profligatos eſſe, docent veteres Francorum Annales, ſub Caroli filio Ludouico conſcripti ab eius domeſtico, in quibus ſingula ſingulis redduntur annis. Et quidem plane obſeruatione dignum eſt, quod antequam ad bellum aliquod Carolus proficiſceretur, ad componendum ciuilem ſtatum, & bene diſponendas res eccleſiaſticas, Conuentum Antiſtitum atq; Optimatum conuocare conſueuiſſet: docens omnes Principes Chriſtianos, qua via ſit incedẽdum, vt maxima quæq; intrepide aggredi, fortiter proſequi, & feliciter valeant conſummare. Porro quæ tot Synodis atque Conuentibus Eccleſiaſticorum ſimul atq; ſecularium Principum, ſingulis annis ab eodem Rege celebratis ſtatuta fuerunt, promiſcue ſimul in librũ vnum congeſſit Auſegiſus Abbas Lobienſis; quo centum ſexaginta octo capita continentur[d].

Quibus præuiis ad bella procederet Car. Mag.

d In Capitul. Reg. Franc.

VII. *Anglia Orient. facta vectigalis Eccl. Rom.*

Hoc eodem anno Offa Rex Merciorum, ſiue Orientalium Saxonum in Britannia, poſt alia pietatis opera ad expiationem ſuorum delictorum adhibita, Romam veniẽs Regnum ſuum vectigal fecit Romanæ Eccleſiæ, vt ſingulæ domus numum argenteum quotannis penderent eccleſiæ S. Petri. Quod ex veteribus Anglicanæ Eccleſiæ monumentis prodidit Polydorus[e] Virgilius. Idq; ipſum iam ante annos 35. feciſſe Inam Occidentalium Saxonum in eadem Inſula Regem, ſuperius ex eodem auctore dictum eſt.

e Polyd. Virg. hiſt. Angl. lib. 4.

VIII. *f Sur. t. 3. Molan. Natal. SS. Belg.*

Hoc item anno[f] martyrio coronatus eſt apud Machliniam in Belgio, S. *Rumoldus* Apoſtolicus vir genere Hibernus: qui à Romano Pontifice Apoſtolatus munere initiatus, Machlinienſem populum ad Chriſtum conuertit.

IX.

Sed & hic eſt annus, qui Era Hiſpanica notatur octingenteſima decimatertia; qua Tudenſis habet defunctum Aurelium Regem Gallæciæ: ſuffectumque in eius locum Silum, ſiue Silonem, ipſius ſororis filium. Referunt tamẽ alij in annum ſuperiorem, auctoritate diplomatis donationis factæ cuidam monaſterio Era octingenteſima duodecima eiuſdem Regni anno primo. In quo quidem diplomate notat nobilis rerum Hiſpanicarum hiſtoricus[g], huiuſmodi contenta eſſe execrationem, vt eius donationis violator iubeatur eſſe ANATHEMA MARRANO ET EXCOMMVNICATVS. Vnde (inquit) intelligitur, *Marrani* vocem vulgarem, non à Mauris quaſi Mauriani, vt quidam ſuſpicantur, factam in Italia Friderici Ænobarbi tempore, cum Mauri plurimi fidem Chriſto datam in baptiſmo, paſſim eiurata quam ſuſceperant religionem violarẽt: ſed potius ex Syriaca voce *Maranatha* deductam, qua anathematis ignominia, execratioq; in diuinis literis continetur. Hæc ipſe. Verum hinc poſtea factum eſt, vt ſicut nomen *Marrano* iure exhorrent Hiſpani, ita & vnde deductum eſt *Marana tha*, ab Apoſtolo[h] introductam in eccleſiam vocem, & à maioribus frequentatam, in eccleſiæ cenſuris ſi apponatur, indigne ferant, & contumeliæ loco accipiant. Tolerãda ſimplicitas, ſi tñ de re potius q̃ de nomine ſit ſolicita, nec peruicax obuerſetur eccleſiaſticæ antiquitati.

g Io. Mariana de Reb. Hiſp. l. 7. c. 6. infra. *Marrani vox vnde deriuetur.*

h 1. Cor. 16.

IESV CHRISTI AN. 776.

Leon IV. An. 1.

HADRIANI. AN. 5.

I. *Leo Imp. coronat Conſtantinum filium.*

ANno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Indictione decimaquarta, cum omnes Cõſtantinopolitani ciues liberalitate Leonis Imperatoris bene erga ipſum affecti eſſent, idẽ Auguſtus feſtis Paſchalibus flagitante populo cum Optimatibus, creauit Imperatorem filium ſuum CONSTANTINVM adhuc puerulum, quem Nicetas Patriarcha coronauit: omnes autem tam Senatus, populuſq; quam milites, ſolemni ſeiureiurando ſuper lignum S. Crucis obſtrinxerunt, ſcriptoq; firmarunt, alios Imperatores non admittendi, præter ipſos Leonem & Conſtantinũ, ac ſemen eorum. Paulo vero poſt Nicephorus Cæſar frater Leonis, poſtulatus reus maieſtatis, ignominiæ cauſa tonſus Cherſonam in exilium deportatus eſt. Hæc pluribus Theophanes, qui eis intereſſe potuit.

II. *Carol. Mag. rurſum Longob. & Saxones debellat.*

Quo item anno Carolus Magnus, cum audiſſet rebellantem Rotgaudum Ducem Foroiulienſem, regnum ſibi Longobardorum vendicare conari: mira celeritate in Italiam veniens, eumdẽ victum occidit: relictiſq; illic Francorum pſidijs, mox in Gallias redijt aduerſus rebellantes pariter Saxones Paganos. Qui cũ caſtrum Sigisburgum à Francis defenſum expugnare vellent, quadam die cunctis videntibus, apparentia diuinitus veluti duo ſcuta colore rubeo flammantia & agitantia ſuper eccleſiam illius loci, tm̃ Saxonib. terrorẽ incuſſerunt, vt fugam arripiẽtes ſeſe inuicẽ confoderint. Quod tm̃ miraculum Carolus Wormatiæ audiẽs, SYNODO ex more habita ad diſponẽdas res Eccleſiaſticas & politicas, ipſemet in Saxoniam ꝑperauit:

vbi

vbi perterritos Saxones in deditionem accepit; quorum & ingens numerus baptizatus. Hæc Francorum Annales [a] hoc anno geſta referunt.

a Vit. Carol. Mag. Annal. Franc. & Chro. Regin

LEON IV. AN. 2.

IESV CHRISTI ANN. 777.

HADRIANI AN. 6.

I. REX BVLGAR FACTVS CHRIST

ANno Domini ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, Indictione decimaquinta, Bulgarorum Rex Telericus, qui aduerſus Imperatorem Copronymum ſæpe pugnauerat, Chriſtianæ religionis amore ſuos deſerens, contulit ſe Conſtantinopolim: vbi baptizatus eſt, & creatus Patricius ab Imperatore; qui inſuper ei conſobrinam vxoris ſuæ in matrimonium collocauit. Hæc Theophanes anno Leonis ſecundo: fueruntque iſtæ primitiæ Bulgaricæ gentis ad Chriſtianam religionem poſtea magna alacritate confluentis.

II. INSIGNE CERTAMEN THEOPHANIS ISACII

Eodem anno, qui & tertius numeratur ante eiuſdem Leonis obitum, Theophanes, idemq; dictus Iſacius, nobiliſſimus adoleſcens Conſtantinopolitanus, accuſatus à ſocero, qui omnem ſuam ſpem in ipſius prole collocauerat, ꝙ minime liberis procreandis operam daret, ſed cum vxore vitam monaſticam exerceret domi, bonaq; ſua pauperibus largiretur; acriter ab Imperatore correptus, cum minis oculorũ effoſſionis niſi à propoſito deſiſteret, miſſus eſt cum munere præclaro Cyzicum, vt rebus publicis vacãs, obliuiſceretur priuatæ pietatis. Qui iter aggreſſus, cum cogitaret de voluntario exilio; apud Sigrianum à venerando ſene Gregorio prophetiæ gratia præſtante; ab hac deliberatione reuocatus eſt, ea ratione ꝙ breui Imperatore & ſocero morituris, facultas illi foret libere petendi monaſterium. Quapropter vna cum ſocijs & ſuppellectile ſua conſidens in loco quem nactus eſt, multis protectionis diuinæ ſignis nobilitatus eſt. Hæc ex Theodoro Studita (vt creditur) in eius Vita.

III CONCIL. PATERBVR.

Hoc pariter anno Carolus Magnus ad ſtabiliẽdam eccleſiam nouellam Saxonum, SYNODVM habuit Paterburnæ; vbi Saxones baptizati iuramento firmauere, ſe Chriſtianam fidem perpetuo ſeruaturos, alioqui paſſuros ob pœnam omnium ſuorum bonorũ diſpendium. Hæc Acta Caroli, Vetus Chronicon, Annales Francorum, & Regino tradunt. Adduntq; excepiſſe Carolum in eodem Conuentu, ab Hiſpania venientes tres Principes Saracenorũ. Etenim bello ciuili Saracenis inter ſe diſſentientibus; qui imperitabat Cæſarauguſtæ ab alijs pulſus, in ipſos Carolũ concitauit. Sed eius expeditio contigit anno ſequenti.

LEON. V AN. 3.

IESV CHRISTI AN. 778.

HADRIANI AN. 7.

I. CAROLI MAG. EXPEDITIO IN HISP.

ANno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo octauo, Indictione prima, Carolus Magnus exercitum aduerſus Saracenos in Hiſpaniam mouens, ſubegit Nauarram, ac ciuitate Cæſarauguſtana potitus eſt: quod veteres rerum Francicarum Scriptores tradunt. Verum ceſſit exercitui infelix exitus, dum à Vaſconibus in ſaltibus Pyrenæis, vſis locorum opportunitate, exercitus extrema cæſa ſunt: inter quos deſideratos eſſe Eggobardum Regiæ mẽſæ præpoſitum, & RVTLANDVM, ſiue Rolãdum, præfectũ Britannici littoris, teſtis eſt Eginhardus in Rebus geſtis Caroli. De qua quidem hiſtoria, vel nimia breuitate ab eo contracta, vel ſub nomine Turpini Rhemenſis Archiepiſcopi nimia fabuloſitate producta, nihil præterea eſt tutum aſſerere. Sed quomodo errore lapſi nõnulli res Hiſpanas proſecuti, eiuſmodi cladem retulerint ad tempora Regis Alfonſi Caſti, dicetur ſuo loco.

ROLANDI OBITVS.

II. SAXONES REBELLANT, ET VINCVNTVR.

At cum in ea expeditione eſſet Carolus, fidifragi Saxones ſuaſione Widichindi vnius ex eorum Principibus rebellantes, quæ obuia habuerunt ad Rhenum vſq; omnia cęde atq; incendio vaſtarunt: ſed non impune. Nam eos Carolus ipſa media hieme per ſuos adortus, in fugam verſus magna ex parte peremit: reliqui vero ſequenti anno poſt aliam acceptam ingẽtem cladem, iterum ſe eidem Carolo ſubdiderunt. Hæc vetera Francorum Chronica & Annales. Quomodo vero tunc Saxonum & Weſtphalorum quidã Duces, pro incenſo S. Swiberti quod in Werda ſitum erat templo, diuinitus puniti fuerint, ac nonnulli inde ad pœnitentiam ducti; fuſius enarrat S. Ludgerus primus Monaſterienſis Epiſcopus in epiſt. [a] ad Xixfridum Traiectenſem ſcripta.

a Ext in Append. ad Vit. Swib. ap. Sur. 1. Mart.

III. DE S. LVDGERO FRISIOR. AP.

Qui idem S. *Ludgerus*, genere Friſius, Friſiorumque Apoſtolus iure dicendus, hoc ipſo tempore virtutibus pollens, eorum conuerſioni, ac fanorum Gentilium deſtructioni gnauiter operam dabat; vt narratur in Actis [b] Vitæ ipſius a Werdenſibus monachis ſcriptæ. Ex quibus etiam conſtat, ipſum ſub diſciplina S. Gregorij diſcipuli S. Bonifacij Germanorum Apoſtoli educatum, miſſum ab eo in Angliam, aliquot annis operam ibi dediſſe Abbati *Albino Flacco*, ſiue *Alcuino*, Eboraci publice ſumma cum laude ſacras literas profitenti: ſed & poſtea ad cœnobium Caſſinenſe peregrinatum eſſe; ibiq; annis duobus & ſex menſibus apprime monaſticis inſtitutis exculrum, eadem propagaſſe in Friſios atque Saxones.

b ap. Sur. 26 Mart.

IV. DE ALBINO, SIVE ALCVINO, ANGLO.

Quod vero Albinum, cuius meminimus, Bedæ fuiſſe diſcipulum plurimi tradunt; refelluntur tum ex ipſomet Albino, qui ſæpius teſtatur [c] ſe magiſtrum habuiſſe Ecgbertum Archiepiſcopum Eboracenſem, virum eo ſæculo doctiſſimum; cum ex Beda [d], qui cum de Albino meminit, eum vt æqualem tantum & amicum, non vt diſcipulum deſignat; cuius etiam impulſu ſe hiſtoriam Anglorũ ſcribere aggreſſum eſſe profitetur. Sed & quod idem Albinus dicitur etiam Caroli Magni fuiſſe magiſter; id quidem de Mathematicis ſcientijs, vel Philoſophicis conceſſerim: ceterum ſacrarum rerum ſcientia adeo Carolum fuiſſe imbutum, vt magiſtri potius quam diſcipuli locum teneret, docent literæ [e] eiuſdem Albini ad ipſum Carolum, quibus eum conſuluit, quid ſibi velit quod eccleſia celebrat Septuageſimam, Sexageſimam, Quinquageſimam, ante Quadrageſimam? ad quem ipſe reſpondens, quam doctiſſime propoſitas elucidauit quæſtiones. Plane miraculũ videri potuit, hoc ſæculo rudi inueniri Regem, eumque in procinctu continuo poſitum, adeo excultum ſacris literis: vt equidem quem MAGNVM dicunt, iure TER MAXIMVM appellarim, nempe bellica fortitudine, ſcientia, & pietate.

c Alb. Flac. in ep. ad Eadbal. Epiſc. Eborac. ap. auct. vet. de reb. geſt. Angl. poſt Bed. c. 9. & in ep. ad Carol. Mag.

d Bed. in praf. hiſt. Angl.

e Ext in Append. ad Alb. li. de diu. Off.

EXCELLENS SCIENTIA CAROLI MAGNI.

V. EIVSDEM SOLICITVDO DE OFFICIIS ECCLES.

Quo nomine eo maiori laude dignus habitus eſt, quod non ſolum ipſe in cultu religionis numeros omnes abſoluit, ſed ceteris auctor fuerit vt ſacri ritus eccleſiæ quam diligentiſſime ab omnibus ſeruarentur. Legendi enim atque Pſallendi diſciplinam ipſum emendaſſe, cum eſſet vtriuſq; admodum peritus, Eginhardus [f] tradit. Quibuſdã vero Archiepiſcopis auctorem fuiſſe, vt Eccleſiaſticorum Veſtimentorum ſignificationem diligenter explanarent; teſtis eſt Amalarius [g] Fortunatus. Quin etiam cum quæ recitarentur in eccleſijs Martyrologia, ſiue S. Hieronymi, ſiue Bedæ, breuia nimis viderentur; iuſſit Vſuardum monachum doctrina præſtantem in his laborare, vt Martyrologium redderet opulẽtius: eſt namq; de his ad Carolum eiuſdem auctoris breuis præfatio. Libros inſuper Albini Flacci de Diuinis Officijs, monitu ipſius Caroli fuiſſe ab eo cõpoſitos, firma eſt omniũ ſententia. Et q̃ ad Officia eccleſiaſtica rite diſponẽda Hadrianus Papa elaborauit (vt Amalarius [h] ait) Antiphonarium atq; Reſponſoriale; ea omnia petitione Caroli ab eo edita eſſe pariter exiſtimantur. Sicut & Lectiones ſingulis feſtiuitatib. cõuenientes, per Paulũ diaconum cõpilaſſe ſuperius diximus. Feciſſeq, & aliã Collectionem ad cõponendos bonos mores regularium pſonarum, cõſtat ex Capitularib. [i] ipſius. Sed & ꝙ præſtat ceteris, eidẽ debemus ingens opus illud, ab eodẽ Albino ſiue Alcuino elaboratum, quo totius diuinæ Scripturæ tam veteris q̃ noui Teſtamẽti vulgata editio, ab exſcriptorib miſere vitiata, emẽdata eſt, eidemq; Carolo oblata: cuiuſmodi vetus Bibliorum codex, Alcuini labor, adhuc in Vallicellana Romana Bibliotheca, velut ingens theſaurus aſſeruatur.

f Egin. in Vit. Carol.

g Amal. de diu. Off. lib. 1 cap. 29.

h Id. de ord. Antiph. in praf. 1. & 2.

i Capitul. Franc. lib. 1 cap. 85.

Sed

VI.
[k] Ex ap. Canſ. Tom. Antiq. Lect.
[l] Alc. ep. 26.
ALCVINVS NASCENTEM HÆRESIM EXTINXIT.

Sed quod rurſum ad eiuſdem Alcuini ſcriptorum monumenta ſpectat; prodierunt [k] nuper ipſius ad diuerſos epiſtolæ ſexaginta ſeptem, varia doctrina refertæ. Ex quib. memorabilis eſt illa [l], quam ad Scotos ſcripſit aduerſus zizania illa peſſima, quæ apud illos tunc primum ſeminari cœperant, hoc vero noſtro ſæculo denſa ſegete Boreales omnes pene prouincias occuparunt; quibus affirmaretur illud infauſtum hactenus inauditum oſtentum, Cõfeſſionem peccatorum non eſſe faciendam ſacerdotibus, ſed ſoli Deo: quæ zizania eadem illa epiſtola idem vir ſanctiſſimus atq; doctiſſimus ita præcidit, immo conuulſit radicitus, vt amplius viſa non fuerint nec audita. Sed & Abbatiam Turonenſem S. Martini fuiſſe ei à Carolo Magno traditam, conſtat ex alia eiuſdem [m] ad ipſum Regem epiſtola.

[m] Id. ep. 7.

Ceterum hoc eodem anno Hildegardis Caroli Magni coniux gemellos ei peperit infantes; ſed altero decedente, alter tantum ſuperſtes remanſit, quem *Ludouicum* ipſe vocari voluit [n].

[n] ap. Aimo. lib. 5. c. 1.

LEON. IV. AN. 4.

IESV CHRISTI ANN. 779.

HADRIANI AN. 8.

I. CAROLI EXPEDITIO IN SAXON.

ANno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo nono, Indictione ſecunda, Carolus Magnus, antequam parata expeditione proficiſceretur in Saxones, in Villa Duria *Conuentum Synodicum* ex more habuit. In ipſo autem procinctu, expoſcente Roberto Abbate SS. Vincentij Martyris atq; Germani Pariſiorum Epiſcopi, confirmauit quæ [a] illi monaſterio pater Pipinus bona contulerat, aliaque ipſe adiecit. Hoſtes deniq; aggreſſus, fugientibus illis incruento bello Saxoniam atque Weſtphaliam debellauit [b]; receptiſque ab ijſdem obſidibus, ac rebus denuo iuramento firmatis, in Franciam redijt.

[a] ap. Aimo. ib.
[b] Annal. Fr. Regin.

CONST. & IREN. 1.

IESV CHRISTI ANN. 780.

HADRIANI AN. 9.

I. EDICTVM MADI REG. SARACEN. IN CHRIST.

ANno Domini ſeptingenteſimo octogeſimo, Indictione tertia, Madi Saracenorum Princeps edictum promulgauit, vt omnes qui ex Iudæis & alijs infidelibus ad Chriſtianam fidem tranſiuſſent (quorũ ingens erat numerus, ex ijs qui ſeruilis cõditionis cum eſſent, religionẽ ſuſceperant Chriſtianam) deſertores efficerentur, alioqui pœnis acerbiſſimis plecterentur: qua de cauſa plurimi vtriuſq; ſexus poſt dira tormẽta glorioſũ ſubiere martyriũ. In vniuerſa quoq; pene Syria eccleſias ſolo æquari iuſſit.

II. LEO IMP. PERSEQVITVR CVLTORES SS. IMAG.

Quo item anno, defuncto Niceta Conſtantinopolitano hæretico Patriarcha octauo Idus Februarij, inuitus ſubrogatus eſt in locum eius *Paulus* genere Cyprius, verbo (inquit Theophanes) & actu coruſcans, intus quidem Orthodoxus, foris vero communicans cum hæreticis ob timorẽ Imperatoris; qui iam media hebdomada Ieiuniorum (vt idem auctor ait) occultã malitiam ſuam detegens, Protoſpatharium ſuum, ac præcipuos aulicorum, alioſq; ſacratum Imaginũ cultores, partim ignominia affecerat, partim ſupplicijs grauiſſimis addixerat: initio perſecutionis [a] orto, ex eo quod in puluinari vxoris ſuæ Irenes pijſſimæ feminæ duas Imagines reperiſſet: qua etiam occaſione ipſam repulit, nec vnquam poſtea rem cum illa habuit.

[a] Cedr. in Comp.

III. LEO IMP. SACRILEGVS DIVINITVS PERCVTITVR.

Sed non diu diſtulit Deus de impio vindictam ſumere: quippe quem hoc ipſo anno menſe Septembri, inchoata iam Indictione quarta, cœlitus percuſſum ſuſtulit. Cum enim inſaniens (vt ait Theophanes) circa lapides pretioſos, coronam magnæ eccleſiæ capiti impoſitam portaret; exierunt carbunculi in capite eius, & captus valida febre mortuus eſt, cum regnaſſet annos quinque, minus dies ſex. Tuncque ſexto Idus Septembris IRENE pijſſima eius vxor, cum filio ſuo CONSTANTINO decem annorum puero, ſuſcepit habenas Imperij: Nicephorum autem Cæſarem regnum affectantem, cum omnibus conſcijs in exilium relegauit; alioſque Cęſares ac Nobiliſſimos, fratres videl. Leonis Imperatoris defuncti, ſacerdotes fieri coegit. Sed & Arabes, audita morte Leonis tumultuãtes, per ſuos duces coercuit. Atq; interea bene proſpiciens eccleſiæ, libertatem omnibus conceſſit monaſticam vitã amplectendi, & Catholicam religionem profitendi. Sicq; miſeratus tandem Deus eccleſiæ Orientalis, tam diu tamq; dira ſub tribus vltimis Imperatoribus paſſæ, mirabilis in operib. ſuis, per feminam & puerum compeſcuit impietatem, reſtituit religionem, firmauit Imperium. Quamuis non ſimul ac Principes Catholici illuxere, impij hæretici dederint manus: ſed eos magnopere reſtitiſſe, conciliabula conuocaſſe, & alia id genus operatos eſſe, ne pietas quæ compreſſa iacuerat aliquo pacto reſurgeret, ſignificet Theodorus Studita in Rebus geſtis S. Platonis.

IRENE ET CONSTANTINVS IMPERANT.

PIETAS RESTITVTA IN ECCL. OR.

IV. PROPHETIA ANTIQVA REPERTA.

Addit vero his Theophanes rem admiratione dignam, quam omnes tam Græci quam Latini hiſtorici æque aſſerunt; nẽpe hoc ipſo anno in longis Thraciæ muris quemdam hominem fodientem inueniſſe arcam lapideam, in eaque virum iacentem, & conglutinatas arcæ literas continentes hæc verba, *Chriſtus naſcetur ex Virgine* MARIA. *Credo in eum. Sub Conſtantino & Irene Imperatoribus, ô Sol, iterum me videbis.*

V.

Quod ad res Occidentales attinet; hoc eodem anno habita à Carolo Magno SYNODO Lippiæ in Saxonia, res eius populi, religionemq; firmauit. Initoq; conſilio proficiſcendi Romam ad Limina Apoſtolorum, acturus gratias de conuerſione Saxonum, ſimulque communicaturus cum Hadriano Pontifice de iis quæ in eadem Synodo ſtatuta eſſent: idem vna cum Regina Hildegarde Autumnali tempore profectus in Italiam, Natalem diem Domini Ticini celebrauit, ſequenti anno celebraturus Paſcha Romæ. Hæc Annales Francorũ ſub Caroli filio Ludouico conſcripti. Præ ceteris namq; locis ſacris coluiſſe eccleſiam B. Petri, eamque innumeris ac pretioſiſſimis donis locupletaſſe, teſtis eſt inter alios Eginhardus. Eundemque, quod inprimis Petri Apoſtoli auxilio niteretur, omnia proſpera habuiſſe, profeſſus eſt Hadrianus in epiſtola ad Imperatores Conſtantinum & Irenem.

CAROLVS MAG. CVLTOR S. PETRI.

VI. SAXONVM ECCLESIÆ CVNABVLA

Quamuis autem quæ decreta fuerint in prædicta Lippienſi Synodo, haud certo conſtet: ex aliis tamen diuerſorum ſcriptorum aſſertionibus intelligere poſſumus, actum eſſe de erigendis ſedibus Epiſcopalibus Saxoniæ. Hoc namque anno prima iacta eſſe fundamenta Eccleſiæ Oſnaburgenſis in honorem S. Petri Apoſtoli, Crantzius [b] teſtatur. Et in Actis [c] S. Meinulphi Diaconi aſſeritur, hoc pariter anno ab eodem Carolo conſtructam eſſe eccleſiã Paderbornæ. Hæcque ſunt cunabula eccleſiæ Saxonum, ſæpe Euangelium profitentium ac deſerentium: qui cum adhuc aliquoties poſt hæc rebellarint, tamen demum armis Caroli in Chriſtiana religione retenti ſunt; penitus abdicato cultu ipſorum idoli nomine Krodo, reddentis formam ſenis ſuper piſcem ſtantis, atq; rotam vtraq; manu tenẽntis; quem Saturnum eſſe dixere Latini. Factumq; eſt, vt cum probe imbuti Euangelio, priſtini erroris pœnitentes & erubeſcentes, in deteſtationem [d] pudendæ impietatis, vſu loquendi receptum fuerit inter eos, vt in execrationem rei nefandæ ſolerent dicere, *Krodo*. Sed quo tardius, eo propenſius quam nouerunt veram religionem poſtea excoluere, vſque ad noſtra tempora, quibus eiurata fide hæretici facti ſunt, ab auitis legibus & eccleſia Catholica alieni, à monacho deſertore & impoſtore ſeducti.

[b] Crantz. Metrop. lib. 1. cap. 2
[c] ap. Sur. 5. Oct.
[d] Crantz. hiſt. Saxon. lib. 1. c. 7.

CONST. & IRENES AN. 2.

IESV CHRISTI AN. 781.

HADRIANI. AN. 10.

I. CAROLI MAG. ADVENTVS ROMAM.

ANno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo primo, Indictione quarta, Carolus Magnus Romam vna cum coniuge ac filijs veniens, ibi ſanctum Paſcha cele-

brauit;& ab Hadriano Papa Pipinum filium baptizari curauit,eumdemq; ſimul & eius fratrem LudouicumReges vngi, Pipinum quidem maiorem natu Longobardorum, Ludouicum autem Aquitaniæ.Hæc & alia Annales Francorum. Additq; vetus Chronicon à Pithœo editum, eodem tempore multa ſigna apparuiſſe, atque inter alia ſignum Crucis in veſtimentis hominum frequentiſſimum viſum eſſe.

II. *Sponſalia inter Conſt. Imp. et filiam Caroli.*

Deſideratur autem in Frãcorum Annalibus, quod hoc anno Conſtantini & Irenes ſecundo Theophanes ponit; nimirum direxiſſe Irenem Legatos ad Carolum Magnũ, quibus filiam eius peteret vxorem Conſtantino Imperatori: contractiſq; ſponſalibus, relictos in Gallia quoſdam Græcos, qui puellam docerent linguam & mores Græcorum. Quam quidem Rotrudim dictam, eamdemq; primogenitam fuiſſe Caroli ex Hildegarde, auctor eſt Eginhardus. Quomodo vero ea dimiſſa, aliam poſtea Conſtantinus duxerit, dicetur ſuo loco.

III. a Theod. [illegible] *Imper. cenſum ſoluit Saracenis.*

Hoc pariter anno [a], occupato in Sicilia exercitu Imperatoris aduerſus Helpidium Præfectum rebellantem, Madi Princeps Saracenorum per iuniorem filium ſuum nomine Aaron (maior enim Moyſes vocabatur) Orientales partes Imperij aggreſſus eſt: cui Irene Auguſta, vt pacem redimeret, præter plurima munera, cenſum annuum pendere promiſit. Helpidius autem tyrannus ſumpto ſecum theſauro fugiens in Africam, à Saracenis vt Romanorum Imperator cultus eſt.

IESV CHRISTI AN. 782.

Conſt. & Irenis An. 3.

HADRIANI AN. 11.

I. *De Ioannicii conuerſione.*

ANno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo ſecundo, Indictione quinta, ab Auguſtis per Stauratium Ducẽ confectum eſt bellum in Græcia aduerſus Sclauos barbaros, qui eam prouinciam cum Peloponneſo occupauerant: ijdemq; redditi ſunt tributarij. Hæc Theophanes. Erat tũc in expeditione iſta inter Excubitores *Ioannicius* miles, ob egregia facta ſpectatus ipſe quidem; qui Iconoclaſta cum eſſet, apud montem Olympum magno Dei beneficio diuinitus per quemdam anachoretam admonitus, hæreſim abdicauit, ac mirifica poſtea claruit ſanctitate; de quo inferius agendũ erit. Porro extant res ab eo præclare geſtæ, ab auctore eius temporis fideliter ſcriptæ: ex quibus colligitur, eum hoc anno egiſſe annum ætatis quinquageſimum ſecundum; quippe quem dicat natum anno decimoquarto Leonis Imperatoris, qui fuit Domini ſeptingenteſimus trigeſimus.

II. *Res Saxonum quem tandem exitum habuerint.*

Hoc pariter anno Carolus Magnus SYNODVM habens Coloniæ, Legatos excepit diuerſarum gentium: cumque interea Widichindo vrgente Saxones rebellaſſent, rurſum à Carolo ſunt victi. Verum ne de his totiens faſti[illegible] lectori afferatur, ſemel ex Eginhardo ſciendum eſt, per triginta tres annos bellum Saxonicum perduraſſe; cum ipſi quotannis fere rebellãtes, ac Chriſtianam religionem abiurantes, totiens à Francis victi ſunt, & datis obſidibus fidem recipere compulſi: donec factioſis profligatis, multa reliquorum millia cum vxoribus & liberis per Gallias & Germaniam diuiſa ſunt. Sicq; tandem bellum quieuit (quod ponunt Annales contigiſſe anno Chriſti octingenteſimo quarto) & qui reſidui fuere, abiecto prorſus dæmonum cultu, Chriſtianæ fidei cõſtantes adhæſerunt, & vnus cum Francis populus facti ſunt. Sed illud haud omittendum, quod Petrus Damiani in epiſtola ad Mainardum epiſcopũ Vibinatem agens de prælijs Caroli aduerſus Saxones ſæpius iteratis, inter alia refert ex hiſtoria Lotharingiæ, quod cum aliquando idem Rex excelſa ſede diſcumberet, pauperes vero quos alebat, ſolo tenus ignobiliter reſiderẽt; Rex Saxonum qui tenebatur captiuus, ac Gentilitatis adhuc detinebatur errore, exprobrans dixerit, *Dũ veſter Chriſtus ſeſe perhibeat in pauperibus recipi, qua fronte perſuadetis noſtra illi colla ſubmitti, quem vos ita deſpicitis?* his autẽ Carolus corde

Scita exprobratio Regis Gentil. de pauperib. Chriſt.

compunctus erubuerit, & ex ore Gentilis hominis Euangelicam prodire ſententiam vehementer expauerit.

III. a Greg. Sept. lib. 8. ep. vlt. *Saxonia oblata S. Petro.*

Sed & hic opportune ingerendum eſt, quod S. Gregor. Papa Septimus [a] in epiſtola ad Petrum Epiſcopũ Albanẽſem & G. Principem Salernitanum, ab eo Legatos in Gallias miſſos, ex antiquis monumẽtis tradit, ipſum Carolũ Magnum cõſcium ſe ope Apoſt. Petri tandẽ indomitos domuiſſe Saxones, obtuliſſe eandem prouinciam B. Petro: inſuperq; vnum denarium per ſingulas domos Galliarum annuatim Romanæ Eccleſiæ perſoluendum indixiſſe; ita vt in tribus locis, ſingulis annis colligerentur mille & ducentę libræ Apoſtolicæ Sedi offerendæ, videl. Aquiſgrani, apud Podium S. Mariæ, & apud S. Ægidium; excepto hoc quod vnuſquiſq; propria deuotione offerebat. Hæc autem cum dicat Gregorius facta à Carolo iam Imperatore, nonniſi poſt cõſummatum bellum Saxonicũ cõtigiſſe putamus.

Galliæ vectigales S. Petro.

IESV CHRISTI ANN. 783.

Conſt. & Iren. An. 4.

HADRIANI AN. 12.

I. *Alfonſ. Caſtus regnat in Hiſp.*

ANno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo tertio, Indictione ſexta, Silo Rex Gallæciæ ex hac vita migrauit, anno nimirum octauo (vt Tudenſis ponit) ſui regni: iamq; ſolus regnare cœpit, quem idem viuens in collegã aſſumpſerat, Alfonſus, ſiue Adelfonſus, Froilæ olim Regis filius; qui poſtea cognomẽto *Caſtus* dictus eſt, quod cum Berta cõiuge, ſorore Caroli Magni, cõtinenter vixiſſe dicatur. Porro ei primum pugnandum fuit ciuili bello aduerſus Maurogatum ſuum ipſius patruum; qui potens Maurorum auxilio (quos fœdo pacto pendendi illis per annos ſingulos centum virgines, quinquaginta ex nobilibus, & ex plebe totidem, ſibi conciliauerat) eumdem Alfonſum è regno expulit.

II. *Adoſindæ Reginæ prudens factum aduerſus Elipandum hæreſ.*

Sed Adoſinda Regina viro Silone viduata, remittens nuncium ſæculo monaſticam vitam profeſſa eſt. Quam cum Elipandus Archiepiſcopus Toletanus, qui Neſtorianiſmum inſtaurare ſatagebat, ad ſuum errorem pellicere conaretur; ipſa ſpecimen edens prudentiſſimæ feminæ, rem detulit ad Etherium Vxamenſem Epiſcopum, & Beatum presbyterum ſanctitate ac doctrina conſpicuum: qui quidem aduerſus renaſcẽtem hæreſim fortiter inſurgentes, cum ab Elipando literis correpti eſſent; ipſi cõtra impiam earum literarum doctrinam duos libros conſcripſerunt, qui adhuc extant ſeruati in Archiuo eccleſiæ Toletanæ, vt fidem facit qui eos legit Ambroſius Morales regius Hiſtoricus, de antiquitatibus eccleſiaſticis eius prouinciæ optime meritus. Nec tamen his monitus Elipandus correxit errorem; aduerſus quem poſt decem annos ea de cauſa Concilium celebrari contigit, de quo ſuo loco dicendum. De *Beato* vero idem qui ſupra teſtatur auctor, ipſum in Hiſpania coli Sanctum: cuius & ait extare Cõmentarium egregium in Apocalypſim, ad ipſius ſocium in certamine S. Etherium inſcriptum.

IESV CHRISTI ANN. 784.

Conſt. & Irenes. An. 5.

HADRIANI AN. 13.

I.

ANno Chriſti ſeptingeſimo octogeſimo quarto, Indictione ſeptima, Paulus Patriarcha Conſtantinopolitanus, hactenus foris habitus hæreticus Iconoclaſta (licet intus, vt diximus, bene conſcius eſſet veritatis) Calendis Septembris abdicans ſe Epiſcopatu, in monaſterium ſeceſſit ad pœnitentiam agendam: vbi publice corã ipſis Imperatoribus & Senatu ad eum accedentibus, communionem hæreticorum deteſtatus, & fidem Catholicam profeſſus, aliosq; ad eam hortatus, paulo poſt ſpiritũ Deo reddidit. Cuius confeſſionis occaſione, vtpote hominis qui omnium ſapientiſſimus ſine cõtrouerſia à cunctis haberetur, factum eſt vt licentia diſputandi aduerſus hæreſim ab Imperatoribus data fuerit, quæ hucuſq; prohibita fuerat à magiſtratib. his laqueis impietatis irretitis.

Confeſſio Pauli Epiſcopi Conſt. in obitu.

Actumque

Actumque inſuper ab ijſdem Augg. vt Pauli defuncti ſucceſſor deligeretur Orthodoxus, qui finem tot contentionibus de religione imponeret.

II. Quod vero haud facile inueniretur, qui ſimul Catholicæ fidei zelo, & auctoritate præſtaret: neceſſitate cogente, votiſque omnium Orthodoxorum conſpirantibus, immo diuino calculo, laicus quidem homo, ſed ſacerdotalibus plane moribus præditus, pietatiſque cultor eximius, electus eſt *Taraſius*, qui erat ijſdem Imperatoribus à Secretis. Verum ipſe omnino electioni ſuæ conſenſum præſtare negauit, quouſq; publicam promiſſionem accepiſſet tum ab ipſis Imperatoribus tum vniuerſo populo, de celebrando ſtatim Concilio Oecumenico, per quod hæreſis damnaretur, & anathemate ipſa Conſtantinopolitana eccleſia ſolueretur. Securus autē ea de re redditus, tūc demum ordinari paſſus eſt: quod accidit hoc ipſo anno octauo Calendas Ianuarij, cœpta iam à menſe Septembri octaua Indictione. Quæ quidem omnia fuſius pertractata habentur tam apud Theophanem, quam in Actis [a] Nicænæ Synodi Secundæ poſt biennium celebratæ, nec non apud Ignatium monachum in eiuſdem Taraſij Rebus [b] geſtis. Hocq; etiam auctore conſtat, fuiſſe Taraſium Patricio genere ortum, patre Georgio præfecturam Vrbanam magna gloria adminiſtrante, matre Encratia dicta æque pietate conſpicua: ipſum vero Taraſium auctum Conſulari dignitate, & ob eruditionem inſignem, morumque egregiam laudem, ad ſecreta curanda adſcitum fuiſſe ab Imperatoribus.

TARASIVS ELIGITVR EPISCOP. CONST.

a Conc. Nic. II. Act. 1.

b Ap. Sur. 25. Febr.

III. Hoc item anno (vt auctor eſt Theophanes) mortuo Moiſe Saracenorum Rege, qui anno ſuperiori Madi patri ſuo ſucceſſerat: ſubſtitutus eſt in locum eius minor ipſius frater, Aaron nomine, vir bellicoſiſſimus: qui diu regnauit, ſemper infenſiſſimus Chriſtianis, quorum plurimi ſub eo martyrium conſummauere. Vnde illud ſumma admiratione dignum, quod nihilominus propenſiſſimo eſſet animo (vt auctor eſt Eginhardus) in Carolum Magnū Francorum Regem Chriſtianiſſimum: quem ſolum inter omnes totius Orbis Principes, honore ac munificentia ſibi colendum iudicauit, miſſis ad eum frequentibus legationibus, atq; egregijs muneribus, & inter alia plurima Elephantem, & horologium admirando opificio elaboratum: quorum etiam meminere reliqui Francorum hiſtorici: vel vſque adeo, vt cum ipſe Carolus Legatos cum donis ad viſitandum ſacroſanctum Domini Sepulchrum miſiſſet, idem Aaron non ſolum quæ peterent agere permiſerit, ſed etiā illum ipſum ſacrum locum vt Caroli poteſtati ſubijceretur, conceſſerit, prout idem teſtatur Eginhardus. Quapropter Rex Chriſtianiſſimus, primus inter Reges Occidentales, legitimus factus eſt dominus ſacroſancti noſtri Redemptoris Sepulchri; pro quo ab impijs iterum vendicando, ſumma gloria eius poſteri riuos ſanguinis profudere.

AARON REX SARAC. COLIT CAROLVM MAG.

S. SEPVLCHRVM CHRISTI CAROLO MAG. DONATVM.

IESV CHRISTI AN. 785.

CONST. & IRENES AN. 6.

HADRIANI AN. 14.

I. ANno Domini ſeptingenteſimo octogeſimo quinto, Indictione octaua, Imperatores Conſtantinus & Irene de creatione & conſecratione Taraſij literas ſcripſerunt, Legatumq; miſerunt Epiſcopum Leontinum in Sicilia ad Hadrianum Romanum Pontificem: idemq; præſtitit Taraſius ipſe mittens fidei ſuæ Orthodoxæ profeſſionem. vt horum teſtis eſt Theophanes. Extantque apud Anaſtaſium in preambulis Nicæni Concilij literæ Imperatorum ad Hadrianum, quibus petierunt vt ipſe, tanquā primus omnium Sacerdos, Conſtantinopolim ſe conferre dignaretur, ad Synodum Oecumenicam agendam: aut ſaltem mitteret literas ſuas & homines doctrina præſtantes qui eius loco Synodo intereſſent. Sed literæ Taraſij ad eumdem Pontificem non extant: niſi dixerimus eaſdem ad eum miſſas eſſe, quæ in Actis Nicænæ Synodi [a] recitantur datæ ad tres Patriarchas Orientales, quib. fidei ſuæ Orthodoxæ profeſſionem expoſuit, eoſdemq; ad Synodum Oecumenicam inuitauit.

LEGATIO AB IMPP. ET EPISC. CONST. AD HADRIAN. PP.

a Conc. Nic. II. Act. 3.

II. Cum igitur hæc accepiſſet Romanus Pontifex, epiſtolam ad Imperatores reſcripſit [b] hoc ipſo anno menſe Octobri, nona iam Indictione inchoata: qua & plurimis ſacræ Scripturæ, atque Sanctorum Patrum auctoritatibus probat venerationem ſacrarum Imaginum: & eoſdem reprehendit, quod contra ſacorum canonum inſtituta, ſeu ſanctorum Patrum traditionum decreta, in ſuis literis Vniuerſalis titulum Taraſio tribuiſſent: additque quod qui eum Vniuerſalem nuncuparet, vel aſſenſum tribueret, alienus eſſet à fidē Orthodoxa, & Sanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ eccleſiæ Romanæ rebellis. Poſtulat etiam, vt ſi veram & Orthodoxam eiuſdem S.R.E. niterentur amplecti fidem, reſtituerēt ei in integrum quæcunq; ab Orthodoxis Imperatoribus, ſeu à cæteris Chriſtianis Fidelibus, oblata atq; conceſſa eſſent patrimonia S. Petri, pro luminarium cōcinnationibus, & alimonijs pauperū: itemq; vt conſecrationes epiſcoporum & Archiepiſcoporum, qui eſſent ab antiquo eccleſiæ Romanæ diœceſis, ei ſecundū priſtinum vſum illibatæ relinquerentur. Hortatur deniq; ad extirpationem hæreſis Iconoclaſtarum: ad quod opus ait ſe mittere in Orientem Petrum S. R.E. Archipresbyterū, & alium Petrum Abbatem S. Sabæ Scripſitq; tunc pariter ad ipſum Taraſium [c], eius quidem confeſſionem fidei laudans, ordinationem vero reprehendens: quam teſtatur ita ſe approbaturū, ſi egerit cum Imperatoribus, vt ſacræ Imagines in ipſa vrbe Conſtantinopolitana, & in omnibus ſubditis prouincijs, in priſtinum honorem reſtituantur.

b Recitatur ex parte in Act. 2. Nic. Conc. II. integra vero habetur ap. Anaſt. in praamb. eiuſdem Conc.

HADRIANVS PETIT RESTITVI ECCLESIÆ ROM. SVBLATA.

c Ap. Anaſt. ibid.

III. Hoc eodem anno Carolus Magnus in Saxonia SYNODVM habuit PADERBVRNENSEM: in qua inter alia ſtatus eccleſiæ Saxonum diſpoſitus eſt, baptizato etiam qui rebellare conſueuerat Widichindo Principe: eo maxime miraculo commoto, quod in communione Paſchali vidiſſet ſacratiſſimam Euchariſtiam ab omnibus ſumi forma pulchelli pueri: prout narrant Annales [d] Saxonum. Vbi & additur, Widichindo ad religionem Chriſtianam conuerſo, cœptas à Carolo Magno varias Cathedrales eccleſias erigi in Saxonia.

WIDICHINDI CONVERSIO EX MIRACVLO EVCHAR.

d Crantz. Metrop. Sax. li. 1. c. 9. & hiſt. Sax. li. 2. cap. 23.

IESV CHRISTI ANN. 786.

CONST. & IREN. AN. 7.

HADRIANI AN. 15.

I. ANno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo ſexto, Indictione nona, menſe Auguſti, cum Oecumenica Synodus Conſtantinopolim conuocata in baſilica SS. Apoſtolorum Petri & Pauli collecta eſſet: milites Prætoriani qui Conſtantino Copronymo adhæſerant, eoq; propinatore medullitus imbiberant Iconoclaſtarum hæreſim, ab epiſcopis eiuſdem factionis inſtigati, ad locum Synodi accedentes, magniſq; acclamationibus pſeudoſynodum Conſtantinopolitanam ſub eodem Copronymo habitam celebrantes, Epiſcopos Orthodoxos violenter exturbarunt. Quamobrem Imperatorum prudentia, haud tunc valentium ſeditioſos cōprimere, eadem Synodus in tempus magis opportunū differri iuſſa eſt. Hæc pluribus apud Theophanem [a], Ignatium [b], & Anaſtaſium [c]. Paulo vero poſt (vt habet idem Theophanes) Imperatores fingentes exercitū mittere aduerſus Arabes: poſtquam Prætoriani vrbe egreſſi longius progreſſi eſſent, eos omnes arma deponere cōpulerunt, & vnumquemq; ad propria dimiſerūt: cōſtitutiſq; alijs ducibus, militibuſq;, rurſum menſe Maio anni ſequentis epiſcopos ad Synodum conuocarunt.

CONCIL. OECVM. EXTVRBATVR AB ICONOCLASTIS.

a Theoph. lib. 23.
b Ignat. in Vit. Taraſ.
c Anaſt. in praf. ad Sept. Syn.

II. Hoc eodem anno Hadrianus Pōtifex Collectionem [d] canonum octoginta à ſe elaboratam, dedit Ingilramno Epiſcopo Mediomatricis ciuitatis tunc Romæ degenti: vt ipſe ijs cōmunitus ad ſua rediens, cauſam ſuam aduerſus falſos accuſatores defenderet. Et quidē ex more tunc celebratam eſſe Synodum exiſtimamus: in qua de iuriſdictione Eccleſiæ Romanæ inſpici canones opus fuerit, aduerſus oppreſſiones à Principibus illatas Epiſcopis, quorum iudicia eidem primariæ eccleſiæ eſſent reſeruata.

d Ext. to. 3. Concil.

COLLECTIO CAN. HADR. PP.

III. e Egin. in Vit. Carol. f Annal. Franc. & Chron. Tiphai. CAROLVS MAG. MVLIEROSVS.

Hoc pariter anno Carolus Magnus Britones e Galliæ populos rebellantes deuicit. Et mox in Italiã proficiſcens, Florentiæ in Tuſcia Natale Domini celebrauit f. Quo etiam anno defunctam conſtat Hildegarden ipſius vxorem pientiſſimã, atq; nobiliſſimam, poſtquam vixiſſet cum eo annos duodecim: vt apparet ex ipſius ſepulturæ epitaphio, de quo dictum eſt ſuperius. Duxit autem poſt eam Carolus Luitgardem, aliaſque decedentibus ipſis: in hoc plane ſe ipſo minor inuentus, cum nec ijs contentus introduxerit concubinas.

CONST. & IRENES. AN. 8.

IESV CHRISTI AN. 787.

HADRIANI AN. 16.

I. CONCIL. VII. OECVM. CELEBRATVR. NICÆÆ

ANno Domini ſeptingenteſimo octogeſimo ſeptimo, Indictione decima, ſcriptis rurſum ab Imperatoribus menſe Maio literis ad Epiſcopos Orientales, hi Nicæam Bithyniæ conuenerunt ad Synodum Oecumenicam celebrandam: quo inter primos aduenit *Taraſius* Patriarcha Conſtãtinopolitanus, cum Legatis Hadriani Papæ (nempe duobus *Petris*, Archipresbytero, & Abbate) necnon cum *Ioanne* & *Thoma* legatione fungentibus ꝓ Patriarchis Orientalibus, videl. Politiano Alexandrino, Theodoro Antiocheno, & Elia Hieroſolymitano: atq; item cum nõnullis Imperatorum Magiſtratib. pietate inſignibus. Hæc ex Theophane & Ignatio. Aduenerunt inſuper alij quamplurimi egregij Confeſſores, tum Epiſcopi tum Abbates, qui tempore Conſtantini Copronymi vincula & exilia paſſi fuerant.

NVMERVS EPISCOP.

Numerum autem omnium qui Synodo interfuerunt, fuiſſe trecentorum quinquaginta epiſcoporũ, eſt communis aſſertio: ſed Photius trecentos ſeptuaginta ſeptem numerat, Menologium Baſilij trecentos ſexaginta ſeptem. Huius autem Synodi, SEPTIMÆ dictæ, triplex è Græco in Latinum diuerſis temporibus facta eſt verſio.

DE VERSIONIBVS ACTOR. SYNODI.

Prima quidem è verbo ad verbum, adeo inconcinna & inepta, vt nec eam quiſq; legere dignaretur. Vnde cum penitus cõtemptui haberetur, Anaſtaſius S. R. E. Bibliothecarius opportunus interpres occurrit, ſenſa ſenſibus quã diligentiſſime reddẽs. Poſtremo qui Anaſtaſij verſionem ignorauit, primam illam exoſus, aliam elaborauit: hæcque ipſa eſt quæ vulgo in Conciliorum Tomis excuſa habetur. Cui quantum præſtet quæ Anaſtaſij eſt, intuebitur quiſquis legere voluerit: cum plura apud Anaſtaſium inuenturus ſit quæ in vulgata deſiderantur, & ea quidem haud parui momenti.

II. ACTIO PRIMA, IN QVA ACTVM DE LAPSIS EPISC.

Conuenientibus igitur Patribus in eccleſia primaria Nicænæ ciuitatis, titulo S. Sophiæ nũcupata, Prima Synodi Seſſio habita eſt octauo Calendas Octobris, cœpta iam à menſe Septembri vndecima Indictione. Vbi poſt expoſitam à Taraſio Patriarcha Conſtantinopolitano cauſam cogendæ Synodi, lectaſq; Imperatorum literas exhortatorias ad eandem miſſas: actum eſt de lapſis Epiſcopis, quorum nonnulli ſponte ad fidem Orthodoxam reuerſi, recipi in eccleſiam petierunt: obtinueruntque inter alios epiſcopos ſedere, poſt condemnationem & anathematizationem ab ipſis voce prolatam, & ſcripto oblatam, hæreſis & hæreticorum Iconoclaſtarum, ac pſeudoſynodi aduerſus ſacras Imagines ſub Copronymo celebratæ, eorumq; omnium qui ſpernerent magiſterium SS. Patrum, & antiquam traditionem eccleſiæ Catholicæ. Reliquorum vero qui diutius in hæreſi præſtitiſſent, quorumque fides haud adeo explorata eſſet, receptionem placuit in ſequentem Actionem differri.

III. ACT. II. ET III. DE IISDEM.

Qua rurſum conuenientibus Patribus ſexto Calendas Octobris habita eſt diligens examinatio de fide Gregorij Neocæſarienſis epiſcopi, qui anteſignanus ferebatur Iconoclaſtarum hæreticorum. Poſtea vero lectæ ſunt literæ Hadriani Papæ ad Imperatores & ad Taraſium, de quibus ſuperius egimus: eæque tam ab ipſo Taraſio quam à reliquis omnibus Patribus, ſingulis elogijs eas laudantibus, ſuſceptæ, & ſubſcriptione probatæ. Ac tertia Actione habita tertio Calend. Octobris, (ita corrigendum ex Anaſtaſij verſione, quod vulgata habet ſexto Calendas Octobris: quo die celebratam iam vidimus Actionem Secundam,) reſtitutus eſt in locum ſuum prædictus Gregorius Neocæſarienſis, poſtquam ex intimis præcordijs ſigna edidiſſet vere pœnitentis. Lectæque ſunt literæ Taraſij ad tres alios Patriarchas Orientales, necnon quas eorundem nomine pro ſacris Imaginibus ei reſcripſiſſent monachi Palæſtinæ: quæ & approbatæ ſunt, & ſubſcriptione firmatæ: illatumq; anathema aduerſus aliter ſentientes. Sed in literis monachorum, quæ integræ reperiuntur in editione Anaſtaſij, duo inter alia magnopere ſunt notanda:

DE AVCTORITATE SACERDOTII ET IMPERII.

Primum, quod de auctoritate Imperij & Sacerdotij in eccleſia agentes, hæc aiunt, *Secundas eccleſiæ portant Imperatores. Nam primum in eccleſia locum Sacerdotes poſſident. Sacerdotium enim Imperij ſanctificatio eſt, & conſtitutio: & Imperium Sacerdotij fortitudo & firmamentum. De quibus ſapiens quidam Princeps, & in ſanctis Regibus beatiſſimus ait: Maximum donum Deus hominibus præſtitit Sacerdotium & Imperium: illud quidem adornans & regens cæleſtia, hoc vero gubernans iſta terreſtria.*

AVCTORITAS ROM. SEDIS.

Secundum vero, quod ijdem excuſantes Patriarchas Orientis quod nõ potuerint intereſſe Sextæ Synodo Oecumenicæ; neque huic Septimæ, ob tyrannidem Saracenorum illic dominantium, aſſerunt nullum ex hoc fieri religioni præiudicium: *præcipue cum ſanctiſſimus Apoſtolicus Papa Romanus concordauerit, & in eadem Sexta Synodo, inuentus ſit per Apocriſarios ſuos, & nunc ſimiliter fiet in iſta Septima.*

IV. ACT. IV. TRACTATA EST ORTHOD. FIDES DE CVLTV SACRAR. IMAG.

Poſt hæc Calendis Octobris (vt eadem tranſlatio habet Anaſtaſij) Quarto cõuenientibus Patribus, omnium ſententia iuſſa ſunt afferri ſacra volumina, ex quibus de cultu ſacrarum Imaginum teſtimonia recitarentur: quæ primum quidem ex diuina Scriptura tam veteris quam noui Teſtamenti prolata ſunt: deinde vero ex Sanctorum Patribus quamplurimæ decerptæ ſententiæ, allata exempla, & propalata ingentia plane ac multiplicia miracula, pro cultu ſacrarum Imaginum diuerſis locis & temporibus diuinitus edita: quæ omnia tu maiori otio perlegas aduerſus hodiernos Iconomachos, veterum illorum aſſeclas. Ad poſtremum S. Synodus inhærere ſe antiquis traditionibus & Patrum ſententijs profeſſa, anathematiſmos contra Iconomachos promulgauit.

V. ACT. V. ET VI. CONFVTATI SVNT HÆRETICI.

Quinta Actione, collecta quarto Nonas Octobris, cum prælocutus Taraſius oſtendiſſet eoſdem hæreticos Iconoclaſtas ſectatos eſſe Iudæos, Saracenos, Gentiles, Samaritas, & Manichæos, inſuper ad veritatis ſacrarum Imaginum comprobationem, alia teſtimonia, rerumque geſtarum hiſtoriæ iuſſæ ſunt recitari: redargutis hæreticorum argumentis, quibus ſuam ipſorum hæreſim cõfirmare niterentur. Poſteaq; patefactæ ſunt fraudes eorumdem hæreticorum, quas tempore vrgẽtis perſecutionis admiſiſſent in corrumpendis, abolendis, & incendendis ſacris codicibus, in quibus de venerando cultu ſacrarum Imaginum mentio aliqua eſſet inuenta: ac denique iterati aduerſus eos anathematiſmi. Rurſumq; die ſequenti (nempe tertio Nonas Octobris, vt ex verſione Anaſtaſii liquet) in Sexta Actione recitata eſt definitio ab iiſdem facta in pſeudoſynodo Conſtantinopolitana: eidemq; per ſingula capita, ſcita ex Patribus appoſita reſponſio: atque in ipſo principio oſtenſum, nullum epiſcoporum cõuentum mereri nomẽ Oecumenicæ Synodi, cui non interfuerit Romanus Pontifex, vel per ſe, vel per Legatos, aut Literas Synodales.

EVCHARISTIA VERE CORPVS CHRISTI, ET NON IMAGO.

Sed & cõfutatum inter alia, quod Iconoclaſtæ ſanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ Imaginem vocaſſent, cum alioqui veritatẽ corporis & ſanguinis Chriſti in Sacramento confiterentur: oſtenſumque ab vniuerſa Synodo, Panem & vinum poſt conſecrationem non Imaginẽ dici debere, ſed vere ac proprie eſſe Carnem & Sanguinem Chriſti: licet nonnulli ex Patribus, eadem ante conſecrationem *Typos* & *Antitypa* vocauerint.

VI. ACT. VII. FACTA EST CATHOL. FIDEI DEFINITIO DE CVLTV IMAG. ET SANCTOR.

Denique tertio Idus Octobris conuenientibus Patribus in Septima Seſſione, ſancita eſt Catholicæ Fidei definitio: in quã primum confirmatio facta eſt reliquarũ Sex Synodorum Vniuerſalium: deinde Catholicum Symbolum recitatum, cum hac de Spiritu S. profeſſione, QVI EX PATRE FILIOQVE PROCEDIT. Ac demum definitionem

Fidei

Fidei de cultu ſacrarum Imaginum his verbis conſcripſegunt: *Sequētes diuinitus inſpiratum SS. Patrum noſtrorum magiſterium, & Catholicæ traditionem eccleſiæ (Nam Spiritus S. hūc eſſe nouimus, qui nimirum in ipſa habetur.) Definimus in omni certitudine & diligentia, ſicut figuram pretioſæ & viuificæ Crucis, ita venerabiles ac ſanctas Imagines proponendas, tam de coloribus, & taxellis, quam ex alia materia, congruenter in ſancti Dei Eccleſiis, & ſacris vaſis, ac veſtibus; & in parietibus ac in tabulis, domibus, & viis: tam videlicet Imaginem Domini Dei & Saluatoris noſtri* IESV CHRISTI, *quam intemeratæ Dominæ noſtræ Sanctæ Dei-Genitricis eius, honorabiliumq; Angelorum, omnium Sanctorum ſimul & almorum virorum. Quanto enim frequentius per Imaginalem formationem videntur, tanto qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad primitiuorum earum memoriam, & deſiderium, & ad oſculum, & ad honorariam his adorationem tribuendam:* Non tamen ad veram Latriam, *quæ ſecundum fidem eſt, quæq; ſolum diuinam naturam decet, impertiendam: Ita & iſtis, ſicut figuræ viuificæ* Crucis, *& ſanctis Euāgeliis, & reliquis ſacratis monumentis, incenſorum & luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur, quemadmodum & antiquis pia conſuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitiuum tranſit: & qui adorat Imaginem, adorat ea depicti ſubſiſtentiam.* (perſonam videlicet.) *Sic enim robur obtinet Sanctorum Patrum noſtrorum doctrina, id eſt traditio Sanctæ* Catholicæ *eccleſiæ, quæ à finibus vſq; ad fines terræ ſuſcipit Euangelium. Sic Paulum qui in* Chriſto *locutus eſt, & omnem diuinum Apoſtolicum cœtum, & priſtinam ſanctitatem ſequimur, tenentes traditiones quas accepimus. Hinc triumphalis eccleſiæ prophetice cantimus hymnos* [a], Gaude ſatis filia Sion, &c. *Eos ergo qui audent aliter ſapere & docere, ſecundum ſceleſtos hæreticos eccleſiaſticas traditiones ſpernere, & nouitate qualibet excogitare, vel proijcere aliquid ex his quæ ſunt eccleſiæ deputata, ſiue Euangelium, ſiue figuram Crucis, ſiue & Imaginalem picturam, ſiue Sanctas Reliquias Martyrū: aut excogitare praue & aſtute ſubuertendi quamcumque ex legitimis traditionibus ſiue eccleſiæ Catholicæ, vel etiam quaſi communibus vti ſacris vaſis, aut venerabilibus miniſteriis: ſiquidem epiſcopi aut Clerici fuerint, deponi præcipimus: Monachos autem Laicos à communione priuari.* Hactenus definitio Fidei ex verſione Anaſtaſij. Poſtquam addita eſt cunctorum Epiſcoporum ſubſcriptio: & ſubſecutæ ſunt fauſtæ Patrum acclamationes pro ſtabilita fide Orthodoxa, & in laudem illius defenſorum ac præcipue Imperatorum Conſtantini & Irenes, quos *nouum Conſtantinum & nouam Helenam* appellarunt: additique in hoſtes ſacrarum Imaginum, tam viuos quam defunctos, Anathematiſmi.

TRADITIO IN FIDE SERVANDA.

a Sophon. 3.

VII. DE CVLTV IMAG. VNA EADEMQVE SCHOLASTICORVM CVM NIC. CONCIL. SENTENTIA.

Sed quod ad id ſpectat, quod Patres definierunt, Imagines ita venerandas eſſe & adorandas, vt tamen nullo modo coli debeant cultu Latriæ, qui ſoli diuinitati competit: illud etiam ſuis ſcriptis ſæpius profeſſus eſt S. Ioannes Damaſcenus, inter hæreticos numerans eos qui Imagini cuipiam dicerent tribuendū eſſe cultum Latriæ: quos & nominat *Chriſtianocatagoros*, hoc eſt accuſatores Chriſtianorum, eo quod ipſorum cauſa Chriſtiani ab aduerſarijs dicerētur idolorum cultores, quaſi vt Deos Imagines colerent: ſicut & eandem hodie calumniam à Nouatoribus Catholici patiuntur. Haud tamen in eorum claſſem coniecerimus Scholaſticos illos, qui Chriſti Imagini, atq; ſanctiſſimæ Cruci, Latriæ cultum tribuendum eſſe dixere. Nam cum & ipſorum conſtantiſſima ſit aſſertio, nulli creaturæ diuinū cultum eſſe impertiendū: vtiq; non proprium per ſe exiſtētem Latriæ cultum Imaginibus tribuiſſe noſcuntur (id enim eſſet re vera idololatria) ſed illum tantum qui fit ob aliud, & per accidens, relatiue ad primum exemplar [a]. Adeo vt à definitione Concilij non re ipſa, ſed verbis tantum & modo loquendi diſcrepent. Verborum autem diſcrepantiam non aliunde accidiſſe putamus, niſi quod cum vera huius Synodi ſententia iiſdem doctis viris minime innotuiſſet: calumniarenturque aduerſarij (prout dicetur inferius) definitum in ea eſſe, cultum Latriæ Chriſti Imaginibus deberi: hoc ipſi verum eſſe putantes, pro ea cauſam ſe agere putarunt, ſi quomodocumque, improprietate licet verborum, quam exiſtimarent eius eſſe ſententiam tuerentur.

a De hac quaſt. Vid. Bellar. Controuerſ. de Imag. c. 20. & ſeqq.

Sed vt ad Synodum redeamus: præter fidei decretum, ab eadem canones ſanciti ſunt viginti duo, ad reparādam ab Iconoclaſtis labefactatam diſciplinam eccleſiaſticam: quos in poſteriori editione Conciliorum poſitos habes ex tranſlatione Heruetiana: eoſdemque Gratianus in Decretorum volumen ſub diuerſis titulis retulit. Quorum quidem tertius maxime notatione eſt dignus: quo decreuit Synodus, vt omnis electio Epiſcoporum aut Sacerdotum quorumcumque à Principibus facta, irrita maneat. Habent tamen aliqui Principes id ex Sedis Apoſtolicæ priuilegio. Demum vero ex eodem Concilio ſcriptæ ſunt literæ Synodales ad diuerſos: imprimiſque ad ipſos Imperatores, atque alia Encyclica ad omnes Eccleſias: tertiaque ad Hadrianum Romanum Pontificem à Taraſio Epiſcopo Conſtantinopolitano ſcripta, quæ ſe habet tāquam recapitulatio omnium rerum geſtarum in Synodo. Ipſa vero dies qua Synodus eſt feliciter abſoluta, relata fuit à Patribus in tabulas [b] Eccleſiaſticas, anniuerſaria memoria celebranda, quo Deo iuges gratiæ agerentur de profligata hæreſi, & ſeruata veteri Eccleſiæ Catholicæ in cultu Sanctarum Imaginum obſeruantia. Sed & eandem ab Imperatoribus Conſtantino & Irene poſtea ſubſcriptione propria roboratam eſſe, cum Taraſius alijque Patres Conſtantinopolim aduenerunt, Ignatius [c] & Theophanes teſtantur: tuncque factum eſt, vt vbique erigerentur ſacræ Imagines, ſuoque honori reſtituerentur. Quæ vero contra ipſam Synodum fuerunt poſtea à nonnullis obiecta, dicentur, diluenturque inferius ſuis locis.

VIII. DE CANONIB. SYNODI.

NE A PRINCIP. ELIGANTVR EPISCOPI.

b Menolog. Græcor. Oct.

c Ignat. in Vit. Taraſ.

Cum autem poſt illam celebratam, Taraſius totus eſſet (vt ſcribit Ignatius) in recipiendis lapſis, eiſdemque in priſtinum gradum reſtituendis: magna inde aduerſus illum inuidia conflata, plerique diſceſſionem ab eo fecerunt, cauſantes alij quod ſimoniace ordinatos reciperet, alij etiā quod ipſe pecuniarias feciſſet ordinationes. Has tamen meras fuiſſe calumnias, Theodorus etiam Studita [d] teſtatur. Quod tamen in ſuſpicionem ea de re fuiſſet ab aduerſarijs adductus: ad eam abolendam, ſimulque eiuſmodi crimen radicitus ab Orientali Eccleſia conuellendum, totis viribus inſurrexiſſe, atq; egregiam in eo operam nauaſſe, Ignatius ſcribit. Reperiturque [e] hactenus eiuſdem Taraſij nomine epiſtola erudita ſatis atque prolixa ad Hadrianum Papā, de Simoniaca hæreſi profliganda. Sed quod in ea & ipſe Hadrianus eadem labe arguatur eſſe pollutus, nec tamen vſquam apud quemlibet alium ſcriptorem aliquid eiuſmodi de ipſo dictum inuenire quis valeat, inde fit vt qui primus illam epiſtolam edidit Theodorus Balſamo, Romanæ eccleſiæ acerbiſſimus hoſtis, in ſuſpicionem adduci facile poſſit impoſturæ. Quod ſi velimus re vera à Taraſio ſcriptam: omnino dicendum erit, aut Hadrianum calumniam ea de re à maleuolis paſſum eſſe apud Orientales: aut Taraſium aduerſus concitatam in ſe ſuſpicionem ſtylum exerentem, quomodocunque & aduerſus quemcumque pugnaſſe videri voluiſſe. Sed de rebus Orientalibus huius anni iam ſatis.

IX. CALVMNIÆ IN TARASIVM EPISC. CONST. DE SIMONIA.

d Theod. Stud. l. ep. 18. ad Arſe. & l. ep. 31. ad Steph.

e Ap. Theo. Balſ. in Append. ad Nomocan. Photij. & ap. Anaſt. in ſ. Sept. Syn.

FALSA ACCVSATIO IN HADRIA. PAP.

Quod ad Occidentales attinet: hoc eodem anno (vt habent Annales Francorum, & qui eos collegit Regino) Carolus Magnus Rex Francorum Chriſtianiſſimus Romam venit: ibiq; paucos dies moratus, inde aduerſus Arichiſem Ducem Beneuentanum genere Longobardū perrexit: acceptiſq; ab eo obſidibus, & iuramento fidelitatis, Romam reuerſus Paſcha ibi celebrauit. Hæc Annales. Addit Leo [f] Oſtienſis, eūdem Regem Romam redeuntem, orationis cauſa diuertiſſe Caſſinum ad corpus S. Benedicti: eiuſq; loci Abbatem Theodomarium ab illo cœpiſſe confirmationem eorum omnium quæ à quibuſcumq; eidem monaſterio conceſſa fuiſſent, ipſumq; Carolum nōnulla de ſuo addidiſſe. Sed & vetus eius Chronicon quod Pithœus edidit, habet Romæ tunc ortam eſſe contentionem per dies feſtos Paſchæ inter cantores Romanorum & Gallorum de cantus eccleſiaſtici præcellentia: verum eam Carolum non ſolum Romanis adiudicaſſe, ſed etiam omnibus eccleſijs Gallicanis Notam Romanam ſequendam [g] iniunxiſſe, ac præcipuum eius magiſterium in ciuitate

X. CAROL. MAG. VENIT ROMAM.

f Leo Oſt. Chro. Caſſi. lib. 1. c. 14.

ALTERCATIO INTER ROM. ET GAL. DE CANTV ECCL.

g Extat etiā hac de re conſtitutio Caroli in Capit. Franc. lib. 1. c. 80.

Metenſi cōſtituiſſe: adductis ad hoc ſecum ex Vrbe Cantoribus, qui inſuper Francos docuerunt artem organandi. Sed de egregia hac in re ab eodem Carolo nauata opera, dictum eſt etiam ſuperius [h] alia occaſione. Additur præterea in eodem Chronico, ipſum tunc Carolum artis quoq; Grammaticæ & Computatoriæ magiſtros Roma in Galliam perduxiſſe, cum nullum hactenus apud Francos ſtudium extitiſſet artium liberalium.

h Sup. an. 754.

XI. *i Bibl. Floriac. par. 2.* LAICOR. IN GAL. INVASIONES BONOR. ECCLES. *k Capitul. Franc. lib. 1. c. 72. 73.*

Ac demum extat [i] Hadriani Papæ ad Bertericum Viennenſem Archiepiſcopum epiſtola, qua eum monet ſecum eodem Rege Carolo egiſſe, vt iura eccleſiarum Metropolitanarum, quæ ab annis ferme octoginta à Francis eſſent conculcatæ, ſed & aliæ ciuitates quæ laicis traditæ eſſent, in priſtinum ſtatum dignitatemque reſtituerentur. Vnde & forte accidit, vt ab eodem Rege promulgatum fuerit poſt biennium Aquiſgrani edictum [k], de bonis eccleſiarū laicis minime dandis; cum (vt ibi traditur) conſueuiſſent tunc laici homines diuidere ſibi omnia Epiſcopia & monaſteria; nec remaneret vlli Epiſcopo, vel Abbati, aut Abbatiſſæ, niſi tantum vt velut canonici & monachi viuerēt. Ad quæ etiam pertinet quod Agobardus [l] Archiepiſcopus Lugdunenſis eiuſdem ſæculi ſcriptor, lugens refert de miſerrima eius temporis ſacerdotum conditione in Gallijs: ita vt pleriq; inuenirentur, qui (vt ait) aut ad menſas nobilium miniſtrarent, aut vina miſcerent, aut canes ducerent, aut caballos quibus fœminę ſedebant regerent, aut agellos prouiderent.

l Agob. de priuil. & iur. ſacerd.

IESV CHRISTI AN. 788.

CONST. & IRENES AN. 9.

HADRIANI AN. 17.

I. *a Theoph. hoc an.*

ANno Christi ſeptingenteſimo octogeſimo octauo, Indictione vndecima, Conſtantinus [a] Imperator Irenes matris impulſu, inuitus holenſq; deſponſatæ ſibi Caroli Magni filiæ, quam deperibat, nuntium remiſit: vxoremque accepit *Mariam* Armenam, humili quidem loco natam, ſed quam ei Irene procurauit ob vitæ ſanctitudinem [b] S. Philareti eiuſdem Mariæ patrui cognomento Miſericordis. Vt autem Irene ſe à Francorum fœdere & affinitate ſeiunxerit, alia non eſt quæ aſſeri cauſa poſſit, niſi quod Carolus Ducatum Beneuentanum inuaſerit, quem vna cum Duce in ſuum patrocinium Imperatores ſuſceperant. Porro vna cum Beneuentano Ducatu, reliqua omnia à Carolo ablata eſſe quæ interiacent vſque ad mare Adriaticum, Eginhardus teſtatur: qui & addit, fuiſſe ſemper Græcis Francorum ſuſpectam potentiam: atque ideo ipſos prouerbialiter de ijs dicere ſolitos, τὸν φράγκον φίλον ἔχῃς, γείτονα οὐκ ἔχῃς: hoc eſt, *Francum amicum habeas, vicinum ne habeas.* Cæterum exæſtuantem ita fœminā, ſicut malo cōſilio diſſoluit fœdera nuptiarum, ita imprudenter aduerſus eundem Carolum hoc ipſo anno bellum mouiſſe in Italia, verum ipſius exercitum deuictum eſſe à Francis, iunctis vna cum Lōgobardis: Regino eſt auctor. Qui vero putarunt, non dimiſſam ab Imperatore, ſed negatum fuiſſe à Carolo filiam Conſtantino: hac de cauſa huiuſmodi bellum conflatum eſſe dixere [c]. Quantum autem ex Theophane colligi poteſt, Aldegiſus filius Deſiderij Regis Longobardorum, quem vidimus Conſtantinopolim aufugiſſe, malorum horum extitit architectus. Sed ſpes eum feſellit: Cum enim in Italiam vna cum Græcis veniſſet, captus in prælio à Francis, interemptus eſt.

b Menolog. Græc. 2. Dec. DISSOLVTA PAX INTER IMP. ET CAROL. MAG.

PROVERBIVM GRÆCOR. DE FRANCIS.

c Annal. ſub Ludou. Pio conſcripti.

II. TASSILO DVX BAVARIÆ DETRVSVS IN MONAST.

Quo pariter anno idem Carolus Magnus Taſſilonem Bauariæ Ducem (qui ſuæ impulſu coniugis, filiæ pariter Deſiderij Regis Longobardorum, ſæpius rebellans veniā obtinuerat) nunc denū in auxilium ſuum Hunnos, quos alij dixerunt Auares, euocantem: maieſtatis reum conuictum, damnatumque legibus, commiſeratione motus exemit à gladio, conceſſitque ingredi monaſterium vna cum filio Theodone. Et qui ab eo ſollicitati ſunt Hunni, duobus comparatis exercitibus, altero Marcam Forojulienſem, altero Baioariam ſunt aggreſſi: ſed vtrobique victi, fugatique, ad ſua ſe loca in Pannoniam recepere. Qui necdum quieſcentes, ſed poſthac per octo continuos annos bellum renouantes, ingentibus affecti ſunt cladibus, vſque ad internecionem fere totius gentis: quorum ſpolijs, ex ruina plurimarum aliarum gentium congeſtis, mirum in modum ditati ſunt Franci, qui vſque ad id temporis pene pauperes viſi fuerant. Hæc ſummatim ex Eginhardo: quæ ſingulis annis deſcribunt Annales Frācorum: ex quibus etiam conſtat, incruentum pene Francis hoc bellum fuiſſe, & proſperrimum exitum habuiſſe, tametſi diutius ſua magnitudine tractum fuerit. Addit vero Ado Viennenſis, Carolum partem theſaurorum ab Hunnis ablatorum Romam dono miſiſſe ad Memoriam Sanctorum Apoſtolorum, partemque eccleſijs alijs diſtribuiſſe. Eginhardus autem, Carolum animoſius quam cætera, & longe maiori apparatu hoc bellum adminiſtraſſe: vna per ſeipſum in Pannoniā, cæteris per Pipinum filium ac Præfectos Prouinciarum expeditionibus factis. Huncq; tandem finem, non minus pietate quàm fortitudine Francorum, eorumq; Regis Caroli (vt videre eſt ex officijs pietatis, quæ tunc ab ijſdem exhibita eſſe hiſtorici tradunt) cōſecuta eſt barbara illa gens Auarum, Orbis terror, quæ Occidentales atq; Orientales innumeris cladibus affecerat, & ipſos Imperatores ſub tributum redegerat. Quorū reliquias ſub ipſorum Rege Thuduino ſeſe Carolo ſubieciſſe tradunt [d]: ipſumq; Thuduinum baptizatum eſſe, ſed poſtea deſertorem factum. Conuerſos tamen poſthæc eoſdem Hunnos, ab eiſque primam erectam eccleſiam S. Dei-Genitricis Mariæ, produnt Annales Hungarici. Cæterum Sclauos quoq; populos ſequenti anno ab eodem Carolo perdomitos eſſe, Francorum hiſtorici tradunt.

BELLVM HVNNICVM FELICITER CONFECTVM A CAROLO MAGNO.

d Annal. Franc. an. 791. Ado. Vien. & alij.

IESV CHRISTI AN. 789.

CONST. & IRENES. AN. 10.

HADRIANI AN. 18.

I. DOMESTICVM BELLVM INTER MATREM ET FILIVM IMPP.

ANno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo nono, Indictione duodecima, Orientale Imperium domeſtica diſſenſione matris & filii Imperatorum admodum exagitatum eſt. Siquidem Conſtantinus cum iam viginti annorum eſſet factus, ægre ferens omnem auctoritatem penes matrem eſſe ſeque præter nudum Imperatoris nomē aliud nihil habere: conſilio cum paucis familiarib. inito, decreuit matrem in Siciliā relegare. Sed præueniens ipſa, comprehenſos omnes filij conſcios, præ ignominia tonſos in exilium expulit: filium vero verbis ac verberibus caſtigatum, diu incluſum tenuit: militeſque ſacramento ſuo adegit. Hæc ex Theophane.

II. THEOPHILI PRÆFECTI MARTYRIVM. *a Martyrolog. 11. Cal. Aug.*

Quo eodem anno (vt idem ait auctor) *Theophilus* præfectus Imperatoriæ claſſis, apud Cyprum à Saracenis in prælio tentus, atq; perductus ad ipſorum Principem Aaron, cum nec donis nec minis flecti poſſet vt Chriſtum negaret, martyrij coronā gladio conſecutus eſt: cuius glorioſam memoriam conſeruant tabulæ [a] eccleſiaſticæ.

IESV CHRISTI AN. 790.

CONST. SOL. AN. 1.

HADRIANI AN. 19.

I. SOLVS CONSTANTINVS IMP. ABSQVE MATRE.

ANno Domini ſeptingenteſimo nonageſimo, Indictione decimatertia, cum legiones Armeniacæ Conſtantinum duntaxat acclamaſſent Imperatorem, earum exemplo qui in alijs degebant prouinciis milites idem egerunt, licet antea Irenæ iuraſſent. Quare Irene ſibi timens, Conſtantinum à ſe dimiſit, quem pene carcere cuſtoditum hactenus aſſeruarat. Sicque annus iſte primus numeratus eſt eiuſdem ſolius Conſtantini abſq; matre regnantis: qui quidem grauiter vltus eſt in Præfectos à matre conſtitutos. Iſta Theophanes.

II.

Eodem anno quo Era Hiſpanica numeratur octingenteſima vigeſima octaua, defuncto Maurogato Regni Gallæciæ vſurpatore, in locum eius ſucceſſit Veremundus diaconus; qui inde magnam comparauit ſibi laudem,

quod

quod optime conſulens rebus Chriſtianorum, & regno iam omni ex parte collapſo, Alfonſum cognomento Caſtum à Maurogato (vt diximus) è Regno eiectum reſtituit, cum ſibi collegam aſſumens. Iſta Tudenſis, & alij: qui multa referunt de inſigni pietate eiuſdem Alfonſi, miraculiſque in eius comprobationem editis: cuius quidem in Regnum reſtitutionem factam tradunt anno ſequenti, nimirum Era octingenteſima vigeſima nona.

Dealfon. ad Caſto gal. lac. reg.

III. Francorum fortitudine Europa à Sarac. iugo ſeruata.

Hoc item anno, Albini reperitur ſcripta eſſe epiſtolæ de rebus Caroli Magni: cuius fragmentum de tempore quo Saraceni Africam & Aſiam inuaſerunt, recitatum habetur libro ſecundo continuationis hiſtoriæ Anglicanæ. Cuius auctor, eiuſdem fragmenti occaſione teſtatur, quod niſi Dei clementia ingenitum robur Francorum Principum animaſſet, iampridem ipſam etiam Europam iidem Saraceni ſubiugaſſent. Ex quibus videre licet, quantum Chriſtianus Orbis debeat Francorum genti: quæ ſola exundanti ex Oriente in Occidentem torrenti, ne vniuerſam obrueret Chriſtianitatem, obicem ſe oppoſuit validiſſimum.

Const. Sol. an. 2.

IESV CHRISTI ANN. 791.

HADRIANI AN. 20.

I. Conſt. Imp. crudelitas in patruos.

ANno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo primo, Indictione decimaquarta, Conſtantinus Imperator progreſſus aduerſus Bulgaros, dum ab aſtronomis pſeudoprophetis certam victoriam pollicentibus deceptus, minus caute bellum gereret, ab hoſtibus ſuperatus eſt: fugatuſque rediit Conſtantinopolim. Qua de cauſa cum milites decreuiſſent Imperatorem conſtituere Nicephorum filium Conſtantini Senioris, patruum iſtius: eundem Conſtantinus oculis, quatuor vero alios patruos ſuos eiuſdem Nicephori fratres linguis priuauit: ac cum iiſdem Alexium Patricium, quem legiones Armeniæ quæſierant prouehere in Imperium, æque luminibus priuauit. Veruntamen non in longum Dei iuſtitia hanc iniuſtam vltionem reliquit inultam: ſiquidem poſt quinquennium, eodem menſe Auguſto, & eodem die Sabbathi, idem Conſtantinus orbatus eſt oculis à propria matre. Hæc omnia Theophanes.

II. Concil. Foroiulienſe in quæſt. de Spir. S. et incarnat. Verbi.

Quo ipſo anno, qui & numeratur vigeſimus tertius Regis Caroli Magni, celebratum eſt in Italia Concilium Foroiulienſe ſub Paulino Patriarcha Aquilenſi pietate & doctrina conſpicuo, ſub cuius Metropoli Foroiulium continebatur. In eo vero actum eſt de proceſſione Spiritus S. à Patre Filioque & de Sanctiſſima Trinitate, atque Incarnatione Verbi: quarum quæſtionum prior in Oriente agitabatur, poſterior in Hiſpania, cum (vt vidimus) Elipandus Archiepiſcopus Toletanus Neſtorianiſmum reſtituere tentaſſet, aſſerens Filium Dei ſecundum humanitatem dicendum eſſe filium adoptiuum, & non proprium ac naturalem: ac proinde duos conſtituens Dei filios in Chriſto, naturalem alterum, alterum adoptiuum. Demum vero, poſt confirmatam de his quæſtionibus Catholicam fidem & confutatas hæreſes: ſanciti ſunt quatuordecim canones ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantes: cuius quam accuratus fuerit reſtitutor & cuſtos Paulinus, vel ex eo quiſque poterit intelligere, dum nec cum permiſſis à Niceno Concilio mulieribus, matre & ſorore, permiſerit ſuos clericos cohabitare.

III. S. Burchardi obitus. a Ext. ap. Sur. 14. Oct.

Hoc eodem Redemptoris anno, migrauit ex hac vita ille Apoſtolicus ſanctitate illuſtris *Burchardus* Epiſcopus Herbipolenſis, diſcipulus S. Bonifacij martyris, cum ſediſſet annos quadraginta: cuius res geſtas [a] proſecutus eſt Egilardus eius monaſterij monachus. Relatus autem inter Sanctos, ab Eccleſia Catholica anniuerſaria commemoratione cœptus eſt celebrari.

IV. Ingens Tiberis inundatio.

In fine item huius anni, nempe menſe Decembri Indictione decimaquinta, mirum in modum exundans Tiberis (adeo vt in Via lata amplius quam duas ſtaturas, vt ait Anaſtaſius, excreuerit) magna Vrbi damna intulit: quo tempore Hadrianus Papa humillimis orationibus Deum placans, ciues quoque vndis obſeſſos per ſcaphas cibis aluit.

Const. Sol. an. 3.

IESV CHRISTI AN. 792.

HADRIANI AN. 21.

I. Concil. Ratiſp. contra Felic. et Elipand. Neſtorianos.

ANno Domini ſeptingenteſimo nonageſimo ſecundo, Indictione decimaquinta, celebratum eſt Concilium Reganesburgi, ſiue Ratiſponæ in Germania: vbi damnatus eſt Felix Vrgelitanus in Hiſpania Epiſcopus, qui Elipando Archiepiſcopo Toletano in reſtituendo Neſtorianiſmo dux, aut ſocius factus, Galliam Germaniamque peragrabat ad ſeminandam ſuam hæreſim: cum ex alia parte Elipandus Aſturias & Gallæciam eodem modo inficere laboraret. Porro Felicem ſic damnatum, Engelbertus, ſiue Angilbertus, Abbas S. Ricarij, gener olim Caroli Magni (de quo Nithardus [a] ipſius filius in hiſtoria, & Albinus Flaccus in præfatione ad Vitam [b] eiuſdem S. Ricarij quam ſcripſit) perduxit Romam ad Hadrianum Pontificem: vbi confeſſione rectæ fidei facta hæreſim damnauit, reſtitutuſque in integrum ad ſuam ſedem remiſſus eſt. Hæc breuiter apud Reginonem, & alios: expreſſius in Annalibus qui ſub Ludouico Imperatore ſcripti ſunt: fuſe vero apud Ionam Aurelianenſem Epiſcopum, qui ſub eodem Ludouico claruit, in ipſo exordio libri primi eorum quos ſcripſit aduerſus Claudium Epiſcopum Taurinenſem: vbi & ait Felicem, cum hæreſim ſuam prædicaret, multos quidem in Septimania ſeduxiſſe, ſed in Gallia & Germania nullum locum inuenire quiuiſſe.

a Nithard. lib. 4. b Ext. ap. Sur. ... April.

Const. Sol. an. 4.

IESV CHRISTI ANN. 793.

HADRIANI AN. 22.

I. Alfon. Caſtus vincit Saracen.

ANno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo tertio, Indictione prima, Alfonſus Caſtus Gallæciæ Rex, anno tertio regni ſui, Era nimirum octingenteſima trigeſima prima, indigno animo ferens proſtitui tributi nomine pudicitiam nobilium virginum Hiſpanicarum: vindex exurgens, licet longe imparibus viribus aduerſus Mauros apud Aſturias pugnans, ad ſeptuaginta eorum millia occidit, vna cum Duce Mugait. Hæc Tudenſis: qui & alia multa ſubiicit prælia cum Saracenis habita, in quibus ſemper Alfonſus victor extitit. Vnde eius nomine reddito celebri, ipſum Carolus Magnus amicum habere voluit, eiq; ſororem ſuam Bertam in vxorem dedit: quod eius æſtimationi plurimum contulit virium. Traditque Eginhardus, adeo Carolum ſibi deuinxiſſe Alfonſum, vt iſte cum ad Carolum literas vel legatos mitteret, non aliter ſe apud illum quam proprium ſuum appellari iuberet. Porro idem Alfonſus gratias acturus Deo pro tanta, quã diximus, obtenta victoria: in honorem Saluatoris nobilem erexit Eccleſiam Oueti, vbi fixerat regni ſedem, in qua duabus lapideis tabulis inciſum ſuæ pietatis reliquit [a] egregium monumentum.

Vxorem accipit ſororem Caroli Magni.

a Vid. Amb. Moral. hiſt. lib. 13. cap. 12.

Const. Sol. an. 5.

IESV CHRISTI AN. 794.

HADRIANI AN. 23.

I. Cauſa Felicis Vrgelit. et Elipandi Tolet. iterum tractatur.

ANno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo quarto Indictionis ſecundæ, Caroli Magni regni vigeſimo ſexto, cum Felix ille Vrgelitanus (quem biennio ante diximus in Synodo Ratiſponenſi damnatum hæreſis Neſtorianæ, & poſtea Romæ ea abiurata liberum dimiſſum) vt canis reuerſus ad vomitum, eandem ſuam hæreſim ardentiori animo diſſeminare cœpiſſet: ſed & Elipandus Archiepiſcopus Toletanus, tantæ blaſphemiæ reſtitutor, auſus eſſet ea de re literas particulares ſcribere ad Carolum Magnum, petens eas Theologis examinandas & diſcutiendas communicari; aliaſque generales ad omnes Galliarum Epiſcopos, quibus eos in ſuam perfidiam trahere conaretur, miſſa perfidiæ ſuæ profeſſione, teſti-

monijs Patrum, necnon auctoritate Ildefonſi aliorumque Toletanorum Epiſcoporum, mendaciſſime more hæreticorum prolatis, confirmata: cum, inquam, iſta ſic ſe haberent, licet Sancta Dei Eccleſia nihil quod de his vel leuiter dubitaret haberet, vtpote quæ in Concilio Oecumenico Epheſino quid de his ſentiendum eſſet pleniſſime definiſſet contra Neſtorium, ac nuper id ipſum profitentem Felicem damnaſſet: tamen ne malum hoc renaſcens longius ſerperet, viſum eſt eidem Carolo Regi Chriſtianiſſimo, explorata primum per Legatos Romam miſſos Hadriani Papæ ſententia, habitoque ipſius conſenſu, vniuerſalem cogere Synodum ex totius Occidentalis Orbis prouincijs.

II. CONCIL. FRANCOFORD. IN QVO IIDEM HÆRETICI DAMNATI FVERE.

Itaque collectis *Francofordiæ* ad Mœnum fluuium in Germania, ex vniuerſa Italia, Gallia, Germania, atque Britannia, circiter trecentis Epiſcopis (vnde ob numeroſitatem Antiſtitum, præſentiamque Apoſtolicæ ſedis Legatorum, hoc CONCILIVM Plenarium reperitur nominatum) præſente in ipſa Synodo Carolo Magno, & de cauſa fidei optime diſſerente ibidemque viſis Hadriani Papæ ea de re ſcriptis ad Epiſcopos Galliarum & Hiſpaniarum literis, necnon commentariolo inſcripto Libello Sacroſyllabo, à Paulino Patriarcha Aquileienſi, tam ſuo quam Petri Mediolanenſis Archiepiſcopi, & aliorum ipſis ſubditorum Antiſtitum nomine, aduerſus eamdem reſurgentem hæreſim elaborato: poſt cuncta rite examinata, demum ipſa hæreſis omnium conſenſu damnata eſt, vna cum eius reſtauratoribus Elipando atque Felice. Viſumque eſt Sanctæ Synodo, vt quæcumque in ea geſta eſſent atque decreta in Hiſpanias mitterentur ad euertendos ſparſos in illis prouincijs errores. Adiecit Carolus, vt priuatas & ipſe ad Elipandum aliosque Hiſpanos Epiſcopos ſcriberet literas, dignas plane tanto Principe qui pietate & doctrina præſtaret: quibus ſuaderet omnibus vt ab errore deſiderent, & Patrum definitionibus inhærerent. Vt non immerito in eorum inſcriptione, vna cum titulis *Regis Francorum & Longobardorum*, ac *Patricij Romanorum*, ſe quoque FILIVM ET DEFENSOREM SANCTÆ DEI ECCLESIÆ nominauerit. Extant [a] adhuc ipſæ integræ, vna cum alijs ſuperius citatis: ex quibus expreſſius diſcere poſſis quæ pertinent ad hanc Synodum Francofordienſem, & hæreſis Neſtorianæ de adoptione Filij Dei in ea confutationem & condemnationem.

CAROL. MAG. FILIVM ET DEFENSOREM S. ECCL. SE NOMINAT.

a To. 3. Concil.

III. DE REBVS GESTIS IN CONCIL. FRANCOF. IN SACRA. IMAG.

Quod vero ſpectat ad damnationem Nicænæ Poſterioris Synodi pro Sanctis Imaginibus celebratæ, quæ in hoc Concilio Francofordienſi facta dicitur: concedimus quidem & nos, id factum eſſe in iſto Concilio: ſed negamus factum eſſe per Concilium: hoc eſt, propoſitum quidem fuit & pertractatum à male ſentientibus, ſed non acceſſit conſenſus eorum quorum fuit ſtatuta firmare. Vt non mireris, ſi quæ ſunt ibi de ea re tunc Acta conſcripta, nuſquam appareant: vtpote abolita, quod ea non probaſſent Legati Apoſtolicæ Sedis, nec qui eos miſerat Hadrianus Papa confirmaſſet. Sane quidem aduerſatos ibi eſſe Legatos ijs quæ contra Nicænam Synodum gererentur, nec ipſi Nouatores [b] negant. Sed & ab Hadriano ijſdem fuiſſe magnopere contradictum, ipſius quæ extat eorumdem confutatio ad Carolum Magnum conſcripta palam oſtendit. Immo & cum Hadriano alios Epiſcopos paria ſenſiſſe, affirmat Hincmarus [c] Epiſcopus Rhemenſis. Quare & ipſius Caroli factum eſſe præcepto exiſtimandum eſt, vt reiectis ijs quæ contra Nicænam Synodum geſta eſſent, ipſa tantum Acta quæ contra Neſtorianos omnium conſenſus firmaſſet integra remanerent: quod probe ſciret piiſſimus & doctiſſimus Princeps, nulla Conciliorum decreta ſubſiſtere, quibus Romani Pontifices contradicerent. Id enim adeo indubitatum ab omnibus ſemper habitum eſt vt & qui aduerſus Nicænam Synodum commentatium ſcripſit qui fertur nomine Caroli, non ſolum negare non audeat, ſed contra id firmiter aſſerat ipſius etiam Francofordienſis Concilij auctoritate, agnoſcentis iudicium vltimum controuerſiarum eſſe ſolius Romani Pontificis: eiuſdemque argumenti virtute reijciat ipſe Septimam Synodum, quaſi ea (quod turpiter mentitur) non fuerit à Romano Pontifice confirmata.

b Magdeb. cent. 8. c. 9. col. 619.

c Hincmar. Rhem. cont. Laudun. Epiſc. c. 20.

IV. CAROLI MAG. NON ESSE LIBRVM CONTRA SEPT. SYNOD. NICAN.

Quod autem eumdem librum Caroli eſſe, qui illi præfatur incertus auctor affirmat ac vulgo creditum eſt: erroris inde videtur occaſio emanaſſe quod eius confutatio ad Carolum ſit ab Hadriano Papa conſcripta: quandoquidem ad eum quis ſoleat reſcribere literas, à quo ſcriptas acceperit. Nec tamen negandum de his ſcripſiſſe Carolum ad Hadrianum: verum faſcem illum contradictionum haud eius fuiſſe, ſed aliorum, eorumdemque plurium auctorum ex ipſius Hadriani reſponſione apertiſſime quiſque colligere poterit: nempe tam ex ipſo contextu libri, varijs ac diuerſis diuerſorum capitulis diſtincti (vnde & ipſum, *Capitulare* Hadrianus nominat) quam quod Hadrianus cum ſæpe acerrime inuehatur in aduerſarios, de ipſo Carolo nec leuiter ſaltem quæritur. Res autem ita accidit, vt qui Nicænam Synodum conuellere laborarent, ſeorſum ſinguli quæ reprehendenda putarent, Concilio Francofordienſi obtulerint: ab hoc vero eadem in vnum faſciculum congeſta data Carolo fuerint, & ab ipſo miſſa ad Hadrianum. Namque huius operis vltimum duntaxat capitulum ipſius Caroli fuiſſe, teſtatur idem Pontifex Hadrianus ad illud in fine reſpondens.

V. QVID PRO DAMNATIONE NIC. SYN. OBIECTVM FVERIT.

Cæterum ad damnandam Nicænam Synodum permoti ſunt Francofordienſes Epiſcopi: non quidem odio Imaginum, quas haud ipſi reſpuebant: ſed quod iidem contradictores duo ei Synodum mendacia obtruſiſſent: vnum, Nicænos Patres ſtatuiſſe Imagines eodem honore & cultu, quo ipſum Deum venerandas eſſe: alterum, decretis eiuſdem Synodi Romanum Pontificem non præbuiſſe aſſenſum. Hæc enim duo perſuaſa fuiſſe, conſtat ex verbis ipſius Capitularis voluminis. Vt non debeat videri mirum, ſi plerique Francofordienſes Patres his duobus mendacijs ſeducti, Concilium Nicænum tamquam profanum repudiauerint: alijque [d] poſtea nonnulli abſque vlla exactiori veritatis diſcuſſione, eidem damnationi adhæſerint. Quod autem vere mendacia ſint, quod Synodus Nicæna caruerit Papæ auctoritate, & quod decreuerit Imagines adorandas eſſe cultu latriæ: certiſſime apparet, tum ex ijs quæ dicta ſunt ſuperius in eadem Synodo, tum ex ipſius Synodi Actis: itemque ex reſponſione Hadriani ad eiuſmodi Capitulare, qua idem Pontifex quæcumque fuerant ab aduerſarijs obiecta pleniſſime diluit. Ex qua pariter abunde refellitur calumnia, qua ſub Ludouico Imperatore, cum hæc quæſtio iterum retractaretur, iidem Nicænæ Synodi aduerſarij, ipſi quoque Hadriano eumdem Imaginum cultum diuinum falſo obiecerunt. Videlicet homines iſti per vocem *Adorationis*, qua Synodus Nicæna decreuerat ſacras imagines eſſe colendas, intellexerunt adorationem latriæ: cum alioqui ipſi quoque docerent, Imagines non ſolum non eſſe iniuria afficiendas, ſed & venerandas eſſe: adeo vt quæſtio potius videatur fuiſſe de modo adorationis, quam de adoratione, ſiue veneratione. Sed iam de his hoc loco ſatis, quæ alibi [e] fuſius tractata habentur.

d Chron. vet. Fran. Ionas Aurel. Walafr. Strab. Annales Hincmar. Ado. Regino. & alij.

e Tractant hac pluribus Baro. To. IX. hoc an. & Bellar. Controuerſ. de Imag. lib. 2. c. 14. & 15. Sunt vero alij multi, qui iſtorum ſententiã de Synodo Francoford. non comprobantes, omnino volunt eamdem Synodum definiſſe veritatem de adoratione Imaginum, & approbaſſe atque confirmaſſe Nic. Concilium: quod & validiſſimis rationibus & antiquorum auctorum teſtimonijs demonſtrant. Inter quos vide (ſi lubet) Vaſq. lib. 2. de ador. Imag. diſp. 7. ca. 5. & ſeq. & Suar. To. 1. diſp. 54. ſect. 3.

Cæterum in ea, quam diximus, ab Hadriano reſcripta ad Carolum epiſtola, illud quoque notandum eſt, quod idem Pontifex agens de ijs quæ in Oriente ſuaſione ipſius geſta eſſent, dum approbat reſtitutionem ſacrarum Imaginum in Concilio Oecumenico factam: quæritur tamen quod iidem ab vno errore reuerſi, in alijs duobus adhuc hærerent: videlicet quod vſurpatas detinerent multas ſedes Epiſcopales & Archiepiſcopales, quæ Romanæ Eccleſiæ diœceſis eſſent, atque eiuſdem patrimonia pro luminarium concinnatione & alimonijs pauperum: de quibus vidimus ipſum antehac literis egiſſe apud Conſtantinum & Irenem Imperatores. Iam vero ad Carolum ſcribit, ſe rurſum de his commoniturum Conſtantinum: & ſi noluerit ea reſtituere, hæreticum eum pro eiuſmodi erroris perſeuerantia declaraturum. Vbi iterum audis, quod & alias ex S. Gregorio Magno audiſti nimirum tranſire in hæreſim, obſtinatam occupationem iurium S. R. E. & vt hæreticum eſſe damnandum, qui eiuſmodi errorem monitus non corrigit.

VI. HÆRETICVS ARGVITVR QVI MONITVS NON RESTITVIT BONA ECCLES.

IESV

CONST. SOL. AN. 6.

IESV CHRISTI AN. 795.

HADRIANI AN. 24.

I. CONST. IMP. REIECTA LEGITIMA VXORE, ALIAM SVBINTRODVCIT.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo quinto Indictionis tertiæ, Conſtantini Imper. ſine matre regnantis ſexto, idem Auguſtus ardore libidinis, abdicata menſe Ianuario, & monaſterio incluſa Maria legitima coniuge, eo falſo prætextu quaſi ea vitæ ipſius inſidiata eſſet, menſe Auguſto *Theodotem* cubiculariam ducens, Auguſtam coronauit. Ex quo ſcelere magnæ ſunt in ea Eccleſia inter Catholicos conflatæ diſcordiæ: alijs turpi adulatione illud approbantibus, alijs vero magnopere deteſtantibus, qui eius rei cauſa perſecutionem ſunt paſſi.

TVRBÆ IN ECCLESIA INDE EXORTÆ.

Fuerunt inter iſtos præcipui, magni illi Abbates Plato & Theodorus Studita: qui quod Imperatorem acerrime de eo ſcelere redarguiſſent, immo & Theodorus (licet ſanguine coniunctus Theodotæ) eumdem publice excommunicatum pronunciaſſet: Plato quidem carcere incluſus, Theodorus verò cum pluribus alijs monachis flagellatus & in exilium pulſus eſt: qui & de his omnibus per literas & tabellarios certiorem reddidit Romanum Pontificem, à quo ob rem præclare geſtam laudari meruit: & ſuo exemplo plurimos alios vicinarum prouinciarum monachos atque ſacerdotes commouit ad anathematizandum eodem modo Imperatorem: cum iam vbique qui cum poteſtate aliqua præerant ciuitatibus, eius impuritatem ſectantes, vxoribus eiectis alias inducerent, & omnia libidinibus implerent.

IMP. A MVLTIS ANATHEMATIZATVR.

II TARASIVS CONST. EPISCOP. QVID IN HOC CERTAMINE.

Reſtitit quoque Imperatoris conatui viriliter Taraſius Patriarcha Conſtantinopolitanus, etiam vſque ad comminationem excommunicationis: adeo vt nulla arte adigi potuerit conſentire expulſioni Mariæ, & nuptijs ac coronationi Theodotes. Verum cum hæc per alium presbyterum Ioſephum nomine, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Oeconomum, peragi curaſſet Imperator: graui anguſtia preſſus Taraſius, veritus ne nimis exaſperando Imperatoris animum (minantis iam, ſe maiorum exemplo ſacras Imagines exturbaturum) faceret eum deſertorem fidei Catholicæ & perſecutorem Eccleſiæ: ſic illum erroris redarguit, vt tamen Eccleſiæ communione non priuauerit, licet pœna illa dignum. Qua de cauſa, & quod non illum qui adulteram coronaſſet ab Eccleſia abieciſſet, idem S. Plato, alijque nonnulli monachi, ab eiuſdem communione abſtinuerunt. Hęc ſummatim ex ijs quæ abunde hac de re tradunt Theophanes in Annalibus Græcorum, Theodorus Abbas Studita in Rebus geſtis S. Platonis, Michael monachus in Actis eiuſdem S. Theodori, atque Ignatius itidem monachus in Vita Taraſij.

III. HADRIANI PP. OBITVS.

Quod ad res Occidentales pertinet, hoc eodem anno, ſeptimo Calend. Ianuarij, cœpta iam à menſe Septembri Indictione quarta, *Hadrianus* Romanus Pontifex ex hac vita migrauit, cum ſediſſet annos viginti tres, menſes decem, dies ſeptemdecim: cuius diuturnior ſedes quam felix fuerit rerum temporalium proſperitate, atque etiam virtute Euangelicæ Crucis, (cum videlicet ea ſub Principibus Chriſtianiſſimis, eidem obſequentibus, defendentibus, locupletantibus, & in omnibus eam venerantibus floruit, aucta noua ſobole conuerſorum ad fidem infidelium populorum, vendicata à Longobardorum perfidia, & protecta à ſuperba Græcorum & illis cohærentium violentia) docent quæ diximus ſuis locis.

EIVS FELICITAS.

Dicenda quoque plura, ſi ſupereſſent quadraginta quatuor ipſius epiſtolæ ad Carolum Magnum ſcriptæ, aliæque item ad alios datæ, quarum breuiſſima tantummodo argumenta [a] continet ille Codex cuius in Paulo meminimus. Quem etiam præter alia ſcripta de quibus dictum eſt ſuperius, conſtat collegiſſe Conciliorum volumen, illudq; miſiſſe ad eundem qui petierat Carolum præfixa præfatione, & epigrammate acroſtichicis verſibus. Eſtque præterea auctor Ioannes diaconus, ab eodem Pontifice ex epiſtolis S. Gregorij Papæ duos conſcriptos libros.

a Recitat. in Baron. Annal. To. IX. hoc an. quæ pariter habentur ap. Magdeb. Cent. 8.

De munificentia vero eius, tum in profundendis erga pauperes eleemoſynis, tum in reparandis atque magnificentiſſime ornandis cunctis Vrbis Eccleſijs ac Cœmeterijs, necnon in reſtaurandis muris & aquę ductibus eiuſdem ciuitatis, prorſus mira habet Anaſtaſius: atque inter alia de *Candelabro* in modum Crucis formato, quod penſile poſuit ante presbyterium eccleſiæ S. Petri, in quo ſuis diſtinctis locis apponi poterant mille trecentæ ſeptuaginta candelæ: conſtituitque vt quater in anno accenderetur, videlicet in Natali Domini, in die Paſchatis, in natali Apoſtolorum & in natali (hoc eſt die electionis) Romani Pontificis.

MIRIFICVM CANDELABRVM.

IV. Obitum eius multis lachrymis defleuit Carolus [b] Magnus, qui eum vt patrem coluerat, & vt amicum plurimum dilexerat. Cuius etiam ſepulchrum in Vaticana baſilica collocatum, regio ipſemet epitaphio decorauit, quod hodieque extat pro foribus eiuſdem baſilicæ, & habetur deſcriptum apud Platinam. Sed & præterea religioſis officijs atq; ſuffragijs eius animam proſecutus, pro ipſa longe lateque per prouincias ſibi ſubiectas, & alias externas, erogauit eleemoſynas: quas etiam in Anglia exercuiſſe, comperitur in epiſtola [c] ad Offam Merciorum Regem ſcripta. Quam multus enim Carolus fuerit in eleemoſynis toto orbe Chriſtiano erogandis, Eginhardus teſtis eſt oculatus: qui ſcribit eas ipſum tranſmittere ſolitum etiam in Syriam, & Ægyptum, atque Africam: ob hoc maxime (vt ait) tranſmarinorum Regum amicitiam expetens, vt Chriſtianis ſub eorum dominatu degentibus ſubuenire poſſet. Extatque titulus in eius Capitularibus, [d] *De eleemoſyna mittenda in Hieruſalem propter Eccleſias Dei reſtaurandas.*

b Eginar. in Vit. Carol.

CAROL. MAGNVS SOLLICITVS DE SEPVLTVRA ET ANIMA HADRIANI.

c Ext. ap. Malmesbur. lib. 2 hiſt. Angl. c. 14.

CAROLI MAGNI ELEEMOSYNÆ TOTO ORBE DIFFVSÆ.

d Capitul. li. 4 in appen. cap. 11.

V. Cæterum poſt obitum Hadriani, neque die integra Sede vacante, eadem qua is obijt creatus eſt eius ſucceſſor *Leo* huius nominis Tertius, patria Romanus Aſuppij filius, antea presbyter, qui ab infantia fuerat in Veſtiario Patriarchi enutritus & educatus: vir (vt ait Anaſtaſius) diuinis Scripturis pollens, omnique Eccleſiaſtica diſciplina inſtructus, caſtus, mitis, facundus, & conſtans, eleemoſynarum largus, & infirmorum aſſiduus viſitator: cuius etiam ſanctitatem probat ipſa omnium conſenſu electis eius quam celerrime facta. Reijcitur vero quæ nulla ſubſiſtit firmitate fabella de Leone, quod ſui exordio Pontificatus paſſus carnis incendium ob formoſam mulierem eius manum exoſculantem, eam ipſe ſibi præciderit, ſtatueritque ne deinceps manus, ſed pedes quis deberet oſculari Pontificis: cum econtra ante hæc tempora reperiatur moris fuiſſe oſculari pedes, manus nunquam: multaque alia habeat eadem fabula, quæ prorſus vt audiatur indignam reddant. Tribuunt vero eam alij Leoni magno: vt ſic inconſtans mendacium inueniatur vbique.

LEO III. PAPA CREATVR.

IESV CHRISTI ANN. 796.

CONST. SOL. AN. 7.

LEON. III. AN. 1.

I. ANNO Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo ſexto, Indictione quarta, in ipſo ſedis ſuæ & anni huius principio, Leo Romanus Pontifex legationem ad Carolum Magnum decreuit cũ muneribus, nempe Clauibus aureis ex Sancti Petri ſepulchro ex more acceptis, atque Vexillo Romanæ Vrbis. Qua ex re Nouatores tradunt, per Claues Carolum in poſſeſſionem immiſſum Romanæ Eccleſiæ: & per Vexillum, Romanæ Vrbis. Ignorantes miſeri, eiuſmodi dona a Pontificibus mitti conſueuiſſe Chriſtianis Principibus: vt de clauibus teſtes ſunt quamplurimæ S. Georgij, aliorumque Pontificum epiſtolæ, de quibus etiam ſæpe dictum eſt ſuperius. De vexillo autem, inuenies pariter inferius [a], à Patriarcha Hieroſolymitano ad eundem Carolum loco benedictionis miſſum Vexillum, vna cum Clauibus locorum ſanctorum. Honoraſſe vero Leonem Pontificem, ipſum Carolum Magnum dono vexilli, eo quod potentiſſimus eſſet Eccleſiæ Romanæ Defenſor, dicere quoque poſſumus. Rurſum autem hoc eodem anno ab ipſo Chriſtianiſſimo Principe Engelbertum Abbatem monaſterij S. Richarij, legatum miſſum eſſe ad Leonem, ad munera deferenda, quæ ex theſauro Hunnorum erepto idem Rex fuerat conſecutus, Annales Francorum affirmant, de quo bello dictum eſt ſuperius.

LEGATIO ET MVNERA A LEONE PP. AD CAROL. MAGN. MISSA.

a Infr. an. 800.

II. Rurſum vero eodem anno miſſa eſt legatio ad eumdem Leonem Pontificem ex Britannia à Rege Merciorum Kemulfo Offæ ſucceſſore, tam ſuo, quam Epiſcoporum, atque magnatum, totiuſque populi regni ſui nomine, cum literis ad eumdem Pontificem: quibus reſpondens Pontifex, conceſſit quæ petierant circa diœceſes illius Regni.

IESV CHRISTI ANN. 797.

IREN. ITER. AN. 1.

LEON. III. AN. 2.

I. CONST. IMP. OBCÆCATIO ET OBITVS.

ANNO Domini ſeptingenteſimo nonageſimo ſeptimo, Indictione quinta, menſe Iulij, Conſtantinus Imperator inſidijs matris Irenes tentus, orbatus eſt oculis: vnde mox ſubſecuta eſt mors: quod pluribus deſcribit Theophanes. Eo vero defuncto (in quo & genus Copronymi prorſus extinctum tradunt: cum paruulus, quem ipſe genuerat ex pellice, puer Leo nomine, iam ante ipſum Calendis Maij huius anni mortuus eſſet) in matrem rurſum Imperium eſt deuolutum. Addit Theophanes, obtenebratum tunc eſſe Solem per dies decem & ſeptem ita vt errarent naues maris: omneſque dicerent, propter obcæcationem Imperatoris Solem obcæcatum radios ſuos retraxiſſe. Verum nonniſi irato in eum numine, vindictam expoſcente de fuſo ab eo innocentium ſanguine, facta hęc eſſe idem auctor aſſerit. Plane ſcelus eſſet omnino execrandum in matre, talia in filium committente, niſi (quod multi excuſant) iuſtitiæ eam zelus impuliſſet, quo nomine eadem poſt hæc meruit à pleriſque eius temporis Orientalibus viris ſanctiſſimis commendari. Quomodo vero ita è medio ſublato Conſtantino, qui ab eo fuerant aut carceribus incluſi, aut in exilium deportati, & inter eos eminentes Plato & Theodorus Archimandritæ, glorioſiſſime reſtituti ſunt: ac Conſtantinopolim aduenientes, Taraſio eiuſdem ciuitatis Patriarchæ (poſtquam Ioſephum presbyterum Theodotes pellicis coronatorem depoſuiſſet) reconciliati fuerint, ideoque ad ſua ſe monaſteria receperint: atque ita pax reddita fuerit vniuerſæ Eccleſiæ: iſta omnia pluribus narrant ipſe Theodorus in Vita Platonis, & Michael in Rebus geſtis eiuſdem Theodori.

SOLIS OBTENEBRATIO.

PAX REDDITA ECCLESIÆ.

II. In Occidente vero Barcinona Hiſpaniæ ciuitas quæ à Francis defecerat, per Zatum Saracenorum Præfectum Carolo Magno reddita eſt. Cum & Habdalla Saracenorum Princeps in Africa, à fratre pulſus ad eundem Carolum confugit, qui eum cum filio Ludouico in Hiſpaniam proficiſci iuſſit. Quo anno pariter res bellicæ eidem Carolo proſpere ſucceſſère. Cum autem degeret Aquiſgrani, ſuſcepit legationem à Conſtantino Imperatore antea miſſam: ſed eius audita nece, omnia vana ceſſere.

IESV CHRISTI AN. 798.

IREN. ITER. AN. 2.

LEON. III AN. 3.

I. ANNO Domini ſeptingenteſimo nonageſimo octauo, Indictione ſexta, in Oriente Arabes Saraceni ſub duce Habdimelech, cum petenti pacem Irenæ Imperatrici negaſſent, infeſto agmine progreſſi Conſtantinopolim vſque, eius ſuburbia deprædati ſunt, onuſtique ſpolijs abierunt. Hæc Theophanes pluribus. Eorum vero occaſione factum eſt, vt Theodorus Archimandrita, de quo ſæpe dictum eſt ſuperius, quo ab horum infeſtatione monachos ſibi ſubditos ſaluos redderet, eoſdem Conſtantinopolim duxerit, atque ampliſſimum Studij monaſterium, iam diu à monachis parum frequentatum, habitare cœperit: vnde & Studitę cognomen conſecutus eſt. Rem geſtam Michael his præſens vnuſque ex illis monachis narrat: qui & numerum monachorum ad decem peruenisſe centenaria affirmat: & occaſione laboris operum manuum ſingulis præſcriptorum, deſcriptioniſque librorum ab ipſis fieri ſolitorum, agit de ſcriptis eiuſdem Theodori (præter libros quinque Epiſtolarum ad diuerſos) quæ tam metro quam ſoluta oratione aduerſus hæreticos Iconoclaſtas, & ad monaſticas regulas, aliaſque res Eccleſiaſticas ſpectantia edidit: quæ quidem magna ex parte deſiderari videntur.

THEOD. STVDITA CONSTANTINOPOLIM SE RECIPIT.

II. Miſiſſe hoc item anno Irenem Auguſtam Legatos ad Carolum Magnum, veteres tradunt Annales Francorum: auditoſque ab eo Aquiſgrani: ac redditum illis quem peterent Siſinnium fratrem Taraſij Patriarchæ, olim in bello captum. Quo pariter anno (vt vetus habet Chronicon à Pithœo editum) Hadofuns, ſiue Adefonſus, aut Alfonſus, cognomento Caſtus, Gallæciæ & Aſturiæ Rex, per Legatos Papilionem miræ pulchritudinis, & ex prædata Vlyſſippona inſignia victoriæ ſuæ, loricas mulos captiuoſque Mauros, eidem Carolo miſit: quocum magna ei interceſſerat neceſſitudo, ambobus Regibus pietate inſignibus.

MVNERA ALFONSI CASTI AD CAROL. MAG.

IESV CHRISTI AN. 799.

IREN. ITER. AN. 3.

LEON. III. AN. 4.

I. ANNO Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo nono, Indictione ſeptima, nepotes Hadriani Romani Pontificis, Paſchalis Primicerius, & Campulus Sacellarius Eccleſiæ Romanæ, inuidia tabeſcentes ob Leonis electionem: cum ſeptimo Calendas Maij idem Leo Papa ſolemni ritu Litanias Maiores cum vniuerſo Clero ac populo celebraret, ijdem in ipſo itinere armati cum ſuis ſequacibus occurrentes ante monaſterium Sanctorum Stephani & Siluestri, populum inermem exturbarunt, Leoni vero crudeliter cæſo, oculos eruerunt, & linguam præciderunt: eumdemque intra eccleſiam monaſterij tractum, ante ipſum altare plagis diuerſis proſciderunt, ac ſemiuiuum cuſtodiæ tradiderunt. Sed cum rurſum inde noctu in monaſterium Sancti Geraſimi ad arctiorem cuſtodiam ductus eſſet, accidit eadem nocte ingenti diuino miraculo, per interceſſionem Sanctorum Apoſtolorum, vt viſum receperit, & lingua ei reſtituta fuerit. Quapropter inde ſuorum quorumdam induſtria clam in Vaticanum abductus, mox cooperantibus Legatis Caroli Magni, ab Spoletano Duce Winigiſo, qui repente cum exercitu aduenerat, ductus Spoletum, paucis poſt diebus ad eumdem Regem Chriſtianiſſimum properauit: à quo honorificentiſſime Paderburnæ in Saxonia ſuſceptus, poſt aliquod tempus cum ampliſſimo Francorum Antiſtitum & Optimatum comitatu Romam redijt in fine menſis Nouembris.

QVAM EXECRANDA IN LEONEM PP. COMMISSA.

LEO RECVRRIT AD CAR. MAG.

II. Rem autem geſtam, præ ſceleris immanitate declamato vbique facinore, tam Occidentales quam Orientales hiſtoriarum ſcriptores ſunt proſecuti: quam exactius deſcripſerunt veteres Francorum Annales, & Anaſtaſius. Sed fuit eadem tunc carmine egregie ſcripta ab Alcuino (vt ſtylus arguit nuper vero edita [a]: in qua nonnulla habentur quæ prætermiſſa noſcuntur ab alijs, quorum delecteris ſicut veritate, ita & rerum tunc temporis varietate: Porro conſtat habitam Romæ à delegatis Caroli Magni quæſtionem de ijs qui tam enormia ſcelera perpetraſſent: capitiſque in eos ſententia lata, ipſius Pontificis petitione exilio duntaxat mulctatos eſſe. Verum huius cauſæ cognitionem plerique in ſequentem annum referunt, poſtquam Carolus Romam venit: quando & actum eſt de quibuſdam criminibus, ab ijſdem peſtiferis viris Leoni obiectis.

[a] Ap. Caniſ. Antiq. Lect. To. 1.

IESV CHRISTI ANN. 800.

IREN. ITER. AN. 4.

LEONIS III. AN. 5.

I. ANNO Chriſti octingenteſimo, Indictione octaua Carolus Magnus, celebrato Paſchali feſto apud Centulum, ſeu Gentulam, in Abbatia S. Richarij per litus Oceani veniens Rothomagum, inde per Sequanam & Ligerim profectus eſt Turonos ad ſepulchrum S. Martini orationis cauſa: vbi & defunctâ pridie Nonas Iunij Luit-

CAROLI MAG. ADVENTVS IN VRBEM.

gardem

gardem coniugem, piam valde fœminam, ſepeliuit. Poſt hæc habuit Conuentum generalem Moguntiæ: inde Italiam verſus iter arripiens, vt Romanam Eccleſiam impiorum factionibus perturbatam in ſecuritatem priſtinam reſtitueret: cum Rauennam perueniſſet, præmiſſo exercitu cum Pipino filio aduerſus Beneuentanos in Romanam Eccleſiam tunc infeſtos, ipſe Romam pergens obuium habuit apud Numentum, ipſum Leonem Papam: & ab eodem mox in Vrbem reuertente, honorificentiſſime ſumma omnium gratulatione exceptus eſt octauo Calendas Decembris. Poſt aliquot vero dies, inquiſitione facta de criminibus quæ Leoni Pontifici ab aduerſarijs obiecta erant, cum nullus ea probaret, ipſe Pontifex coram omni populo, in baſilica S. Petri Euangelium ferens, ambonem conſcendit, inuocatoque S. Trinitatis nomine, de illis ſe iureiurando purgauit. Hæc eſt Annalibus ſub Ludouico Caroli filio ſcriptis, & ex alijs à quibus vita eiuſdem Caroli contexitur.

II. Leo pp. iuramento ſe purgat a criminibus obiectis.

Quomodo autem Leonis Papæ cauſa tractata fuerit, accuratius narrans Anaſtaſius, ait Carolum Magnum congregaſſe in eccleſiam S. Petri Antiſtites omnes Italiæ & Franciæ, necnon Optimates Francorum & Romanorum, vt crimina eidem Pontifici obiecta examinarentur. Omnes vero Antiſtites vno ore proteſtatos eſſe, *ſe Apoſtolicam Sedem, quæ eſt caput omnium Dei Eccleſiarum, iudicare non audere: cum ex antiquo more omnes illa iudicet, & à nemine iudicetur*: tuncque Leonem ambone aſcenſo, coram omnibus ſe iureiurando ſuper ſancta Euangelia ab obiectis purgaſſe: idque factum eſſe Idibus Decembris. Cuius quidem purgationis, totidem verbis concepta formula habetur in libro ſacrorum Rituum Romanæ Eccleſiæ, quem vetuſtas Romanum Ordinem appellauit, his verbis, *Ego Leo Pontifex S. R. E. à nemine iudicatus, neque coactus, ſed mea voluntate impulſus, purgo me præſentibus vobis coram Deo & Angelis eius qui conſcientiam nouit, & B. Petro Principe Apoſtolorum in cuius conſpectu conſiſtimus, neque ſceleratas res quas mihi obijciunt perpetraſſe, neque perpetrari iuſſiſſe: Deum teſtans, in cuius iudicium venturi ſumus, & in cuius conſpectu conſiſtimus. Et hoc facio, non legibus vllis obſtrictus, neque hanc conſuetudinem, aut decretum in Sancta Eccleſia ſucceſſoribus meis, & fratribus Coepiſcopis imponere cupiens: ſed vt certius iniquis vos ſuſpicionibus liberem.*

III. Carolus Mag. coronatur Imperator. Iuramentum Caroli Magni.

Cæterum qui annos Redemptoris à Natali die Domini auſpicari ſunt ſoliti, in ſequentem Chriſti annum octingenteſimum primum reijciunt coronationem Caroli Magni in Imperatorem, quæ ipſo die Natali Domini facta eſt: qui autem à Calendis Ianuarij initium anni ſumere conſueuerunt, (vt & nos facimus) hoc anno Domini octingenteſimo ipſam ponunt. Nam quod Theophanes factam ſcribit ipſis Calendis Ianuarij, Latinos omnes aduerſantes habet. Porro de ipſa agens Anaſtaſius ait, Natali die Domini in Eccleſiam Beati Petri vniuerſo Clero, & populo atque Optimatibus congregatis, dum ante Confeſſionem Beati Petri ab oratione Carolus ſurgeret, Leonem Pontificem proprijs manibus coronam Imperialem eius capiti impoſuiſſe, & Imperatorem Romanorum pronunciaſſe: tuncque vniuerſos adſtantes vna voce ter acclamaſſe, Carolo piissimo Augusto a Deo coronato, Magno Pacifico, Imperatori Romanorum, Vita et Victoria: & mox eumdem Pontificem vnxiſſe eum oleo ſancto. Nec omiſit Imperator iuramento tunc ſe obligare Romanæ Eccleſiæ defenſorem: quod iuſiurandum ijſdem verbis concipi à poſteris etiam ſolitum, ita relatum habetur in eo quem diximus libro ſacrorum Rituum [a], *In nomine Chriſti ſpondeo, atque polliceor ego Carolus Imperator coram Deo, & Beato Petro Apoſtolo, me protectorem ac defenſorem fore huius S. R E. in omnibus vtilitatibus, quatenus diuino fultus fuero adiutorio, prout ſciero poteroque.* Porro dum agit de eadem coronatione Einhardus [b], ſeu Eginhardus qui affuit, eam ipſo Carolo nihil præſciente, immo & cum fieret ægre ferente, confectam affirmat.

a Impugnauit hoc iuramentum irrationabiliter Goldaſtus in ſuo rationali: ſed refellit eius ineptias Gretſerus c. 4. Apologiæ quam pro Illuſtr. Baronio conſcripſit, de qua diximus ad an. 77. nu. 3. b Egin. in Vit. Carol. Mag.

IV. Romani Pontif. auctoritas in reges et Impp.

Haud vero ipſe tantum Eginhardus, aut Anaſtaſius de collata per Leonem Romanum Pontificem Imperiali dignitate Carolo Magno ſunt teſtes: ſed & fatentur id ipſum (vt vno verbo dicam) Latini omnes & Græci auctores. Quod autem eiuſmodi Translatio Imperij ab Oriente in Occidentem, vbi poſthac ſemper ſtetit & hactenus perſeuerat diuino conſilio facta fuerit magno Reipublicę Chriſtianæ emolumento: (vt iam nihil amplius dicam) & Imperij Orientalis deſolatio, & alia euenta ſatis ſuperque demonſtrarunt: Sed & hanc poteſtatem eſſe in Eccleſia Dei, & in ipſo Romano Pontifice ipſius viſibili Capite, ſummo Chriſti in terris Vicario, reſidere: vt poſſit, ſi cauſa neceſſario poſtulet, Apoſtolica pleniſſima poteſtate infeſtos Eccleſiæ Reges, ſiue Imperatores deponere, inque locum ipſorum iuſtos & pios ſufficiendos curare: ex Dei Verbo Iure diuino, & Lege naturæ, neceſſaria aſſumptione probari, exploratiſſimum eſt: quod & pluribus alij [c] tractarunt, & continua praxi in Eccleſia obſeruatum fuiſſe, docent multis exemplis noſtri Annales. Quod vero Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia totum hoc quod acceperunt Occidentalis Orbis Imperatores, alijque plurimi Principes ſe conſecutos intelligant: par eſt vtriſque, Deo & Apoſtolicæ Sedi gratos eſſe, non immemores quod cuius facultatis eſt dare, eiuſdem eſt poteſtatis adimere: & pro Eccleſia ſancta ſua exurgere vindicem Chriſtum Dominum, qui comminatus [d] eſt Hebræis ſe ablaturum ab eis regnum Dei, & daturum genti facienti fructum eius: ſicut & cum eis & cum alijs gentibus ſæpe factum, produnt pariter ſæculis cunctis ijdem Annales. Sed vt ad Carolum Imperatorem redeamus: quæ tunc ipſe poſt coronationem, ingentis pretij donaria obtulerit præcipuis Vrbis baſilicis, addit Anaſtaſius ſuperiori narrationi.

c Baron. Annal. To. IX. hoc an. Sed & de huiuſmodi Translatione Imperij, doctiſſime & copioſiſſime diſputauit Bellarminus in Tractatu proprio quem de ea conſcripſit aduerſus Illyricum & alios Nouatores, negantes eam factam fuiſſe, vel fieri potuiſſe, auctoritate Roman. Pontificis. Quibus adde quæ pro defenſione eiuſdẽ Tractatus, aduerſus alios eius impugnatores egregie ſcripſit Gretſerus Societatis IESV Theologus, To. 2. Defenſ. Bellar. d Matt. 21

V. Claues ſepulchri et ciuitatis Hieruſalem miſſæ ad Carol. Imp.

Eodem autem die quo Leo Pontifex coram populo ſe purgauit: Zacharias presbyter, quem anno ſuperiori Carolus Magnus ad loca ſancta Hieroſolymam cum amplis eleemoſynis miſerat, Romam redijt cum duobus monachis, quos Ioannes tunc Patriarcha Hieroſolymitanus ad eumdem Carolum direxit: qui benedictionis cauſa Claues Sepulchri Dominici ac loci Caluariæ, claues etiam ciuitatis ac montis Oliueti cum Vexillo detulerunt: Hæc ex Annalibus Francorum in Vita Caroli Magni. De quibus monendus lector, quod cum ſit de Carolo ſcriptum, eum recuperaſſe Terram Sanctam, quia eiuſmodi claues recepit: errorem ex eo natum eſſe, vt id factum armis dixerint alij. Sed nonniſi donatione Regis Saracenorum Aaronis id eueniſſe, iam ſuperius ex Eginhardo dictum eſt.

VI. e Agob. cont. ſen. vulgi de grand. & tonitr. inſ. De puluere ſparſo ad inficienda pecora.

Sed & hoc eodem anno quo expeditio Caroli Magni aduerſus Beneuentanos viguit, contigit quod Agobardus [e] Archiepiſcopus Lugdunenſis narrat, diſſeminatam eſſe in Gallijs quamdam ſtultitiam cum eſſet mortalitas boum, vt dicerent Grimoaldum Ducem Beneuentanorum tranſmiſiſſe homines cum pulueribus, quos ſpargerent per campos & montes, prata & fontes, eo quod eſſet inimicus Carolo, & de ipſo ſparſo puluere boues morerentur: ac propter eam cauſam multos comprehenſos fuiſſe, & aliquos occiſos, pler[i]ſque autem affixos tabulis in flumen proiectos: quos ita diabolus excæcaſſet, vt ipſi ſibi eſſent teſtes fallaces ad mortem, aſſerentes ſe habere talem puluerem, & ſpargere. Hæc Agobardus: qui admiratur vulgi ſtoliditatem, credentis fieri potuiſſe tum vt tantus puluis per tam diſſitas regiones portaretur, tum vt eo ſoli boues morerentur, non etiam cætera animalia.

IESV CHRISTI ANN. 801.

Carol. Mag. 1. Iren. Iter. 5.

LEONIS III. A.N. 6.

I. Terræmotus ingens Italiam quatit.

Anno Domini octingenteſimo primo, Indictione nona (vt habent Annales Francorum in Vita Caroli Magni) pridie Calendas Maij hora noctis ſecunda, terræmotus maximus factus eſt, quo & tota Italia grauiter concuſſa eſt, & nonnullæ vrbes atque montes corruerunt. Meminit quoque eiuſdem terræmotus Anaſtaſius, aitq; eo concuſſam eſſe Eccleſiam B. Pauli Apoſtoli: quam Leo Papa in meliorem ſtatum redegit, tantiq; eam, ſicut

& alias Vrbis eccleſias ornamentis atque donarijs ditauit, vt ſtuporem afferant legentibus, quæ de ijs in Vita ipſius narrat Anaſtaſius.

II. Hoc eodem anno Incarnationis Domini octingenteſimo primo, Indictionis nonæ regni Caroli in Francia trigeſimo tertio, in Italia vigeſimo octauo, Conſulatus autem ſiue Imperij primo, editæ reperiuntur [a] eiuſdem Imperatoris Caroli Leges, quæ Mutinæ adhuc legi dicuntur: quibus quidem (vt ait ipſe in præfatione quæ eiſdem appoſita legitur) ea quæ in legibus Longobardorum prætermiſſa eſſent, iuxta rerum ac temporum conſiderationem addere curauit. De quibus etiam agens Eginhardus, ait Carolum poſt ſuſceptum Imperiale nomen, cum aduerteret multa legibus populi ſui deeſſe, cogitaſſe quę deerant addere, & diſcrepantia vnire, atque praua corrigere: verum in his nihil aliud ab eo factum eſſe, quam quod pauca capitula legibus addidit omniumque nationum quæ ſub eius ditione erant, iura quæ ſcripta non eſſent, literis mandari fecit.

a Sigeb. lib. 4. Reg. Ital. hoc an.
PROMVLGATIO LEGVM CAROL. MAG.

III. Porro numerant viginti tria capita legum Caroli Magni, quorum duo reperiuntur recitata à Gratiano: nempe vnum [b] de ijs qui vtuntur literis falſis Romani Pontificis: vbi auream illam ſententiam inter alia poſuit, *In memoriam Beati Petri Apoſtoli, honorandam eſſe Sanctam Romanam & Apoſtolicam Sedem, vt quæ nobis ſacerdotalis mater eſt dignitas, eſſe debeat Eccleſiaſticæ magiſtra rationis: ideoque ſeruandum eſſe cum manſuetudine humilitatem, vt licet vix ferendum ab illa Sancta Sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleramus.* Alterum vero illorum caput eſt de Epiſcoporum Iudiciali Foro: cui quantum Rex & Imperator pius, exemplo Theodoſij Augusti detulerit, docet ipſe legis contextus. Hæc porro Tanti Principis ſtatuta audiant: & erubeſcant illi qui eis penitus aduerſarias leges condunt: timeantq; nequando, ſi iſta facere perſeuerant Deus vindex exurgens virga furoris ferre tamquam vas figuli confringat eos: atque exemplo Caroli diſcant, ex obedientia erga Apoſtolicam Sedem & obſeruantia legum Eccleſiaſticarum, Regna & Imperia propagare ac firmiter ſtabilire. Cæterum quem parciſſimum vidimus in nouis condendis legibus, idem in veteribus reſtituendis multus fuit: colligique iuſſit centum ſexaginta octo capitula legum Eccleſiaſticarum ex ſacroſanctis Concilijs atque decretis Summorum Pontificum, vt per ea in Eccleſię diſciplina vigeret: vbi & imitanda animi ſummiſſione excuſat, non ſe præſcribere leges Epiſcopis, ſed admonere vt ipſi paternas ſanctiones cuſtodiri facerent.

b dist. 19 ca. 3 Extant etiam in Concil. Tribur. c. 30.
SENTENTIA CAROLI MAG. DE OBEDIENTIA EXHIBENDA SEDI ROM. c. 11. q. 1. c. volumus 37 extat integrũ in Capitul. Franc. lib. 5 cap. 281.
QVANTVM CAROLVS DETVLERIT FORO. ECCL.

IV. Hoc eodem anno ponit Sigebertus martyrium S. *Saluij* Engoliſmenſis Epiſcopi, qui prædicationis Euangelicæ cauſa cum Superio ſocio Valentianas progreſſus, ibi martyrium cum eodem ſocio ſuo conſecutus eſt. Quorum corpora in ſtabulo iumentorum defoſſa, Beati quidem Saluij ſubtus, & comitis ex tranſuerſo in formam Crucis) taurus à reliquis animalibus, & ab immunditia conſeruauit: viſaque ſunt etiam à diuerſis luminaria in ſtabulo. De quibus ter ab Angelo diuinitus admonitus Carolus Imperator, vt eorum corpora quæreret: idem illa ex manifeſtis indicijs inuenta, in Eccleſiam Sancti Martini tranſtulit, vbi vſque hodie ſignis & miraculis coruſcant: interfectores autem eorum graui pœna mulctauit, quos & magis vltio diuina perſecuta eſt. Hæc Sigebertus in Chronico, & Nolanus in natalibus Sanctorum Belgij.

S. SALVII EPISC. ENGOLISM. MARTYRIVM.

V. De rebus autem Orientalibus anni huius, illud viſum magni momenti, quod Theophanes ait Irenem piam Imperatricem Conſtantinopoli ciuilia remiſiſſe tributa, quod quidem quanti momenti fuerit, cum antea omnis generis mercatores, opifices, agricolæ alijque eiuſmodi homines grauiſſimo premerentur onere: docet epiſtola [d] Theodori Studitę gratulatoria, tunc ad eandem Auguſtam ſcripta.

IRENE AVG. RELAXAT TRIBVTA
d Theod. Stud. l. ep. 7.

IESV CHRISTI AN. 802.

LEON. III AN. 7.

CAROL. MAG. 2. NICEPH. 1.

I. ANNO Chriſti octingenteſimo ſecundo Indictione decima miſſi ſunt (inquit Theophanes) Conſtantinopolim Legati à Carolo Magno Imperatore & à Leone Romano Pontifice ad Irenem Auguſtam, pro pace & & perpetua concordia ineunda. Fuiſſe autem miſſos Legatos, Ieſſe Epiſcopum Ambianenſem, & Elinigaudium Comitem, Ado tradit anno ſequenti. Auctorque eſt Zonaras, Carolum expetijſſe coniugium Irenes, ipſamque minime abhorruiſſe. Porro quaſi Legati adueniſſent, non ad conciliandas nuptias, ſed ad ſpectandam tragœdiam: omnia ſub eorum oculis continuo mutata ſunt: nam Conſtantinopoli cum adhuc eſſent, pridie Calendas Nouembris (cœpta iam à menſe Septembri Indictione vndecima) NICEPHORVS Patricius & Logotheta generalis, ingenti perfidia atque ingratitudine tyrannidem arripiens, ipſam Irenem in ordinem redegit, & in exilium in Inſulam Lesbum deportauit: quam rem geſtam exacte deſcripſit Theophanes.

IRENE DEPONITVR. NICEPHORVS IMP.

II. Poſt quæ Legati Caroli, acceptis à Nicephoro nouo Auguſto literis pacis, Conſtantinopoli receſſerunt vna cum alijs Legatis ipſius Nicephori, nempe vno Epiſcopo ac tribus Abbatibus: peruenerùntque omnes anno ſequenti ad Carolum in Germaniam: vbi rurſum firmata pace, ijdem Legati Nicephori Conſtantinopolim reuerſi ſunt; vt narrant Ado, & alij anno ſequenti. Quod vero ad fidem Nicephori ſpectat: Catholicus licet haberetur, tamen ter impius ſemper apparuit: quod ſcilicet (vt Theophanes eſt auctor) faueret Iconoclaſtis, probaret Manichæorum hæreſim, derideret colentes diuina mandata, ſacra vt profana haberet, Eccleſiaſticam immunitatem peſſumdaret, maximeque auerſaretur Romani Pontificis communionem: præter impietatem de ijs quæ pertinent ad polyticum ſtatum.

NICEPH. IMP. OMNI EX PARTE IMPIVS.

III. Interea in Occidente hoc pariter anno celebrata reperitur SYNODVS ALTINENSIS ab Epiſcopis eius prouinciæ, præſidente ipſi *Paulino* Patriarcha Foroiulienſi, ſiue Aquileienſi, à quo ſcripta extat [a] Synodalis epiſtola ad Carolum Magnum Imperatorem. Cauſa autem celebrandæ Synodi, fuiſſe videtur immane ſcelus à Ioanne Duce Venetorum perpetratum: cum in Gradenſem furens Patriarcham nomine pariter Ioannem, oppido vi capto, eumdem è turri præcipitem dedit, alióſque eiuſdem Eccleſiæ Sacerdotes interemit: quod videlicet idem Ioannes Patriarcha Chriſtophorum quemdam hominem Græcum rogatu Tribunorum Venetiarum excommunicaſſet, quem Ioannes Dux in gratiam Nicephori Imperatoris Epiſcopum conſtituiſſet Vliuolenſem. Hæc quidem produnt Annales Veneti. Paulini vero ſtudium Carolum Magnum implorantis, illud fuiſſe videtur, vt eum aduerſus Venetos in vltionem tanti ſceleris prouocaret. Quem quidem Paulinum paulo poſt hoc ipſo anno defunctum eſſe, habent veteres Annales Franciæ à Pithœo editi: eumdemque dum vixit, & poſt mortem miraculis claruiſſe, in monumentis Aquileienſis Eccleſiæ legitur.

CONCIL. ALTINEN. OB CASVM PATRIAR. GRADEN.
a Rer. Euro. To. IX. hoc an.
DE S. PAVLINO PATRIARC. FOROIVL.

IV. Laudatiſſimus plane ac doctiſſimus vir: cui cum Albino Flacco huius ſæculi face ſummam interceſſiſſe familiaritatem, teſtantur plures quæ adhuc extant [b] eiuſdem Albini ad eum ſcriptæ epiſtolæ. Fuiſſe vero ante Patriarchatum artis Grammaticę profeſſorem, eumdemque Carolo Magno carum, declarat ipſius Caroli diploma quo ei nobilem villam Laberianum donauit, quod eſt in eius Vita deſcriptum. Docuiſſe namque Grammaticam hoc ſæculo etiam homines Eccleſiaſticos, conſtat ex Eginhardo, [c] & Lupo [d] Abbate Ferrarienſi, huius temporis auctoribus. Quo quidem nomine plurimum Carolo Magno debet hoc ſæculum, quod bonas literas penitus collapſas reſtituit: vt inter alios teſtes ſunt idem Lupus ac Ionas [e] Aurelianenſis Epiſcopus. Traditque Anſegiſus [f] Abbas, & confirmat Concilium [g] Cabilonenſe, eumdem Imperatorem conſtituiſſe in ſingulis monaſterijs & Epiſco-

b To. 1. Antiq. Lect. Caniſ. ep. 59. & ſeq.
c Egin. in Vit. Carol.
d Lup. ep. 1.
BONÆ LITERÆ A CAROLO MAG. RESTITVTÆ.
e Ion. Aurel. præf. comment. aduerſ. Claud. Taurin.
f Anſeg. lib. 1. Capitul.
g Concil. Cabil. c. 3.

Epiſcopis, ſtudia Grammaticæ, Muſicæ, & Arithmeticæ. His addunt alii, Pariſiis tunc Scholas publicas erigi cœptas, atque ſtudio ſucceſſorum Regum præ cæteris maiori claritate fulſiſſe. Sed & conſtitutas eſſe ſcholas literarum Latinarum & Græcarum in Eccleſia Oſnaburgenſi in Saxonia, vt ad vſum legationum in Orientem mittendarum pueri erudirentur: conſtat ex priuilegio [h] ab ipſo Carolo eidem Eccleſiæ conceſſo.

h Ext. ap. Crantz. hiſ. Saxon. li. 1. c. 2.

IESV CHRISTI AN. 803.

CAROL. MAG. 3. NICEP. 2.

LEON. III. AN 8.

I. DE REBVS IMPERII ORIENTALIS.

ANno Chriſti octingenteſimo tertio, Indictione vndecima, menſe Auguſto, mortua eſt in exilio Irne Auguſta, ærumnis confecta Nicephori tyranni ſæuitia: qua etiam plurimi alii viri illuſtriſſimi perempti ſunt. Sed & menſe Iulio *Bardanes* cognomento *Turcus* Præfectus Orientis, inuitus ab exercitu Imperator acclamatus, eo mox nomine depoſito monaſticum habitum ſuſcepit: quem nihilominus paulo poſt contra fidem datam Nicephorus luminibus priuauit: qui vero ipſi adhæſerant omnes principes puniuit, exercitumque ipſum exauctorauit. Præterea STAVRATIVM filium ſuum, Auguſtum coronari per Taraſium Patriarcham fecit: quamuis eſſet inutilis modis omnibus ad tantam dignitatem, tam aſpectu, quam robore & ſenſu. Deniq; idem Niceph. menſe Auguſto aduerſus Arabes pugnans, poſteriores tulit: vixque à diſcrimine vitæ per ſuos ereptus eſt. Iſta omnia pluribus Theophanes hoc anno.

IESV CHRISTI AN. 804.

CAROL. MAG. 4. NICEP. 3.

LEON. III. AN. 9.

I. DE SANGVINE CHRISTI REPERTO APVD MANTVAM.

ANno Domini octingenteſimo quarto, Indictione duodecima, cum eſſet Carolo Magno Imperatori nunciatum, Chriſti Sanguinem in Mantua ciuitate fuiſſe repertum, petiit ipſe à Leone Papa, vt huius rei veritatem inquireret. Qui Mantuam hac religioſa occaſione, adueniens, inde quoque Imperatorem in Gallias conueni: cum quo Natali Domini in villa Cariſiaco celebrato, indeque Aquiſgranum cum eodem progreſſus, non multos poſt dies Romã rediit: honorificentiſſime ab Imperatore ſuſceptus atque dimiſſus. Hæc ſummatim Annales Francorum in Vita Caroli per ſingulos annos digeſta. Sed quod ad ſanguinem Chriſti pertinet: re multum examinata, inuentus eſt & comprobatus ille fuiſſe qui ex Chriſti corpore fluxit tempore Paſſionis eius: non autem ille qui Beryti (vt vidimus) ex ſacra Crucifixi Imagine fluxerat. De qua veritate extare dicuntur ſacra diplomata Romanorum Pontificum: vt de his non ſit amplius dubitandum.

II. RES GESTA LEON. PP. IN GERMAN.

a Ext. ap. Su. 1. Mart. in Append. ad Vit. Suib.

Quod vero ſpectat ad res geſtas à Leone in Germania: prolixe de iis agens qui præſens adfuit, Sanctus Ludgerus primus Monaſtorienſis Epiſcopus in epiſtola [a] ad Xixfridum Epiſcopum Traiectenſem, tradit eum in Germaniam aduenìſſe cum magno comitatu ſuorum Cardinalium, Archiepiſcoporum, & aliorum Antiſtitum, ac Procerum: & tum Aquiſgrani in Palatio, tum in pleriſque aliis Galliæ & Germaniæ locis, eccleſias & altaria conſecraſſe, & vbique multas eis Indulgentias contuliſſe. Sed & VVerdam cum Imperatore accedentem, eiuſdem rogatu Beatum Svibertum poſt lectam ipſius ſanctiſſimam vitam, innumeraque miracula, poſtque actas preces celebrataque ieiunia, de Conſenſu Cardinalium, cæterorumque Prælatorum ſolemni ritu inter ſacratiſſimum Miſſæ officium, ſanctorum Confeſſorum catalogo adſcripſiſſe pridie Nonas Septembris: & inſtituiſſe illum diem ab incolis feſtiue celebrandum, atque ad diuina confluentibus Indulgentias conceſſiſſe: denique multa ab omnibus adſtantibus dona oblata eſſe ad conficiendam pretioſam capſulam, in qua Sancti Reliquiæ collocarentur. Habet inſuper de puero nepote Archiepiſcopi Colonienſis tunc aquis ſubmerſo, & virtute S. Svviberti in vitam reuocato. Ex his autem omnibus corrigendi videntur Francorum Annales, dum aſſerunt Leonem hac peregrinatione nonniſi octo dies apud Carolum manſiſſe: neque enim tot & tanta quæ Ludgerus recenſet, intra adeo breue temporis ſpatium peragi potuerunt.

CANONIZATIO S. SVVIBER.

III. ALCVINI OBITVS, ET ÆTAS.

Hoc item anno (vt ſcribit Odorannus monachus Senonenſis in ſuis Annalibus) Alcuinus, qui & Albinus cognomento Flaccus, de quo plura ſuperius, idemque Abbas S. Martini Turonenſis ciuitatis à Carolo Magno conſtitutus, ex hac vita migrauit, decimo quarto Calendas Iunias, vt traditur in ipſius epitaphio [b] De cuius ſcriptis meminit Sigebert. anno Domini ſeptingenteſimo nonageſimo; pariterque Honorius Auguſtodunenſis, ſed copioſius Helinandus; de quibus & nos iam ſupra diximus. Sed quod ad ipſius ætatem ſpectat; eumdem adhuc longe poſt hæc tempora fuiſſe ſuperſtitem, quæ de eo inferius aſſerentur, affirmare nos cogunt contra Odorannum. Verum cum ex his rurſum maximæ inſurgant difficultates (quandoquidem ſi idem ipſe eſt, quem ſuperius diximus fuiſſe æqualem Bedæ; plane aſſerendum eſſet, ipſum ferme centum quinquaginta annos vixiſſe) illud potius aſſeruerim, aut illum Albinum cuius meminit Beda alium, omnino fuiſſe diuerſum ab eo qui vixit ſub Carolo Magno; aut certe non omnia quæ tribuuntur Albino, eius eſſe.

b Ext. Antiq. Lect. Caniſ. To. VI.

IESV CHRISTI AN. 805.

CAROL. MAG. 5. NICEP. 4.

LEON. III. AN. 10.

I. NICEPH. IMP. TRIBVTVM SPONDET PRINCIPI SARACEN.

ANno Chriſti octingenteſimo quinto, Indictione decimatertia, Aaron Princeps Saracenorum aduerſus Nicephorum Imperatorem duxit exercitũ trecentorum milium armatorum: cui non valens reſiſtere Nicephorus, pactus eſt dare illi tributum annuum tricenorum milium numiſmatum, & tria millia numiſmata in tributum capitis Imperatoris, & tria filii eius. Hæc ex Theophane.

II. CAROLVS MAG. REGEM HVNNOR. RESTITVIT.

Quo eodem anno (vt habent Annales Francorum) Caganus Rex Hunnorum, ſiue Auarum, Chriſtianus exiſtens dictuſque Theodorus (nam *Cagani* nomen commune fuit omnibus eius gentis Regibus) ad Carolum Imperatorem refugit, auxilium petiturus aduerſus Sclauos populos, Behemannos, dictos, à quibus tota Hunnorum regio deuaſtata erat. Cui annuens Imperator, miſſo exercitu per filium ſuum Carolum eoſdem Sclauos deuicit, occiſo eorum Duce nomine Lichone. Defuncto autem illo Cagano, ſucceſſor eius confirmationem Regni ab eodem Imperatore petiit, obtinuitque. Subiiciunt vero iidem Annales de venatione eiuſdem Caroli apud villam Morſellam, vbi erat monaſterium Sanctimonialium S. Gudilæ virginis, cuius reliquiæ ibi quieſcebant: qua venatione, miræ magnitudinis vrſus poſt longam agitationem iam iam capiendus, propero curſu in eccleſiam monaſterii irrupit, & ad ſacras Reliquias ſecurus procumbens, aduenientibus Sanctimonialibus laſciuientium more catulorum blandiri cœpit; atque è ſilueſtri factus domeſticus, ab eo tempore non aliter vixit, quam ab iiſdem Sanctimonialib. iuſſus eſt, quarum ſe perpetuis mancipauit obſequiis.

DE VRSO AD ECCLESIAM CONFVGIENTE.

IESV CHRISTI AN. 806.

CAROL. MAG. 6. NICEP. 5.

LEONIS III. AN. 11.

I. TARASII EPISC. CONST.

ANno Chriſti octingenteſimo ſexto, Indictione decimaquarta, die vigeſima quinta Februarii, Taraſius Cõſtantinopolitanus Patriarcha, cũ ſediſſet annos viginti duos, mortuus eſt ſanctitate clarus, & poſt mortem

Digitized by Google

OBITVS, ET NICEPHORI VEROCATIO.

miraculis illuſtris, quorum pleraq; narrat qui vidit Ignatius monachus in ipſius Rebus præclare geſtis. Suffectus eſt autem in locum eius *Nicephorus* laicus adhuc homo, ſed quem virtutes ornabant; nobilis, ciuis, quiq; diu in curia apud Imperatores militauerat miniſterio illo quod à Sacretis vocatur. Cum vero iam ante Taraſii mortem nuncium remittens ſæculo in ſolitudinem ſe contuliſſet, vt aſſueſceret vitæ monaſticæ quam meditabatur; delectus ab Imperatore, perductus eſt Conſtantinopolim, ac reclamans licet conſecratus Patriarcha. Teſtatur hæc ipſe pluribus in epiſtola ad Leonem Pontificem, de qua ſuo loco inferius.

II. TVRBATVR AB IMP. PAX ECCL. ORIENT.

Paulo vero poſt Nicephori conſecrationem, hoc ipſo anno celebrata eſt ab eo Conſtantinopoli, iuſſu, imo & coactu Imperatoris, *Synodus* paucorum Epiſcoporum qui tunc in eadem ciuitate reperti ſunt: in qua Ioſephus ille, quem olim Taraſius damnauerat quod coronaſſet Theodorem pellicem ſuperinductam Conſtantini Auguſti, tamquam innocens, nulliuſque tranſgreſſionis reus, in priſtinum ſacerdotii gradum reſtitutus eſt, eo prætextu, quod etſi factum à Ioſepho perpetratum illicitum eſſet, tamen per diſpenſationem licite abſque culpa fieri potuiſſet: qua de cauſa magnæ excitatæ ſunt in Eccleſia Conſtantinopolitana turbæ. Verum nequis errore labatur, dum apud Theophanem, imo & apud Thodorum Studitam in Vita Platonis, necnon apud Michaelem in Rebus geſtis eiuſdem Theodori, cum de his agunt, nonniſi vnius Synodi mentionem habitam eſſe inueniet, qua ipſis, SS. Platoni & Theodoro Abbatibus exilium decretum eſt, quod acriter his impietatibus obſiſterent: tamen conſtat eiuſdem Theodori aſſertione in epiſtola ad Leonem Papam, duplicem eſſe Synodum congregatam, quarum priore receptus eſt Ioſephus, poſteriore anathematizati ſunt qui cum illo communicare recuſarent; quam & ſecuta ſunt exilia Sanctorũ. Dicetur de ea ſuo loco. Quod vero ad hanc priorem attinet; nominat illam eadem epiſtola Theodorus *Synodum hæreticorum*, vel *Synodum adulterantium*, quod ſcilicet collecta fuiſſet ex epiſcopis qui adulterium comprobaſſent Conſtantini. Deſtitiſſe pariter eoſdem Sanctos ea de cauſa accedere ad ſacra Nicephori Patriarchæ, quibus intereſſe ſoleret Ioſephus (cum alioqui in publicis ſuorum monaſteriorum precibus, tam eiuſdem Patriarchæ, quam Imperatoris memoriam facerent, & cum iiſdem priuatim communicare non ceſſarent) liquet ex aliis diuerſis eiuſdem Theodori epiſtolis [b]. Sed quæ deinde ſecuta ſunt dicentur poſt ſequentem annum.

a Theod. Stud. l. ep. 33. & ad Colomnenſ.

SYNODVS ADVLTERANTIVM.

b Ibid. l. ep. 26. 28. 30.

III. CAROLI MAG. TESTAMENTVM DIVISIONIS REGNI INTER FILIOS.

Quod ad res ſpectat Occidentalis Imperii; produnt Annales Francorum, hoc anno habitum eſſe *Conuentum* ab Imperatore Carolo in *Villa Theodonis* atque ex teſtamento trib. filiis tripertitum eſſe ipſius Regnum, ſi contingeret eos poſt patris obitum eſſe ſuperſtites. Extat ipſum quidem eiuſmodi *Teſtamentum*, ſiue diuiſionis decretum, appoſitum parergon ad Vitam Caroli: quo quidem *Ludouico* conceſſit Aquitaniam totam à ciuitate Turonenſi excluſiue vſque ad Hiſpaniam, & Gallias Lugdunenſem & Narbonenſem; *Pipino* Italiam, Baioariam, & Alemanniæ partem; *Carolo* vero maiori natu reliquam Galliarum atque Germaniarum partem: multaſque addidit conditiones, atq; præcepta, pro conſeruanda vnione inter ipſos fratres Reges, eorumq; ſubditos: *Super omnia autem* (vt ibi traditur) *iuſsit, vt ipſi tres fratres curam & defenſionem Eccleſiæ Romanæ ſimul ſuſciperent, ſicut quondam ipſius Imperatoris auus Carolus cognomento Martellus, paterque Pipinus, atque ipſe Imperator ſuſcepiſſent: pariterque Eccleſiarum quæ in eorum Regnis eſſent, ſacerdotumque curam haberent.* Porro ipſum diuiſionis decretum, ſubſcriptum ab Optimatibus Francorum, æque Romam miſſum eſt per Eginhardum à Secretis ad Leonem Papam, confirmandum ab eo, atque ſubſcriptione muniendum. Hæc Annales: quibus ſuffragantur Aimoinus [c], & Ado [d]. Sed quod ad Imperium pertinet; de eo decernendum Romano Pontifici reliquiſſe viſus eſt Carolus, cum nullam eius in teſtamento ſuo mentionem habere voluerit; quippe quod non hereditarium

EOSDEM CONSTITVIT DEFENSORES ROM. ECCL.

c Aim. lib. 4. cap. 94.
d Ado Vien. in Chron.

IMPERIVM RELIQVIT DISPONENDVM ROM. PONT.

fieri, ſed Papæ arbitrio electiuum [e] relinqui ſatius eſſe exiſtimauerit.

e Arguere hoc falſò præſumpſit Goldaſtus: ſed eius conuicia atque mendacia, in os retorſit Gretſerus ca. 4. Apol. Baron. de qua ſup. ad an. 774. n. 1.

IV.

In hoc quoque eodem iſtius anni Conuentu Villæ Theodonis, ſtatuti, ſunt quidam canones ad Officium Eccleſiaſticum rite in Eccleſiis peragendum pertinentes; qui habentur in libro ſexto Capitularium: inter quos eſt, vt ſecundum ordinem & morem Romanæ Eccleſiæ cantus fieret. Sed & vrgentibus diuerſorum ſacerdotum accuſationibus, factum eſt vt ex Synodo per Carolum Imperatorem miſſa fuerit cõſultatio ad Leonem Papam, rogatum de ipſis ſacerdotibus criminoſis quid agendum cum probatio certa deficeret. Eſt enim de ea mentio in iiſdem Capitularibus [f] ipſius Caroli; vbi & quid de eo ſtatutum fuerit ſubditur. De alio vero Conuentu in eadem Villa Theodonis celebrato occaſione necis Ioannis Epiſcopi, dicitur inferius conuenientiori [g] loco.

f Capitul. l. 6. c. 13. 14.

g Inf. an. 819.

V. CORPVS S. CYPRIANI DELATVM IN GALLIAS.

Hoc eodem anno oſſa S. Cypriani Carthagine Lugdunum Galliæ translata eſſe cum Reliquiis Scillitanorum martyrum, ac poſita in eccleſia S. Ioannis Baptiſtæ, Ado teſtatur ſui ſæculi res geſtas ſcribens: qua de re eſt etiam carmen Agobardi Epiſcopi Lugdunenſis. Sed & locupletatæ ſunt tunc Venetiæ eodem theſauro Reliquiarum S. Cypriani, cum partem quamdam earum à Carolo dono acceptam, Legati, quos hoc anno ad eum veniſſe teſtantur Francorum Annales, in patriam detulerunt; vbi nobilis erecta eſt in Murano S. Cypriani Memoria, quæ hactenus perſeuerat.

IESV CHRISTI AN. 807.

CAROL. MAG. 7. NICEPH. 6.

LEONIS III. AN. 12.

I. SARACENVS DAMNO IN S. NICOL. PECCANT.

ANno Chriſti octingenteſimo ſeptimo, Indictione decimaquinta, Aaron Saracenorũ Princeps in Oriente, dum comparata claſſe Rhodum peſſumdaret, & Myram Lyciæ ciuitatem aggrediens, arcam Reliquiarum S. Nicolai diſiicere pararet, aliam loco eius ſuppoſitam contriuit: qui ſic illuſus, dedit nihilominus pœnas prauæ ſuæ voluntatis; ſiquidem turbinibus agitata claſſis, magna ex parte obruta eſt; vixque ipſe euadens incolumis, pœnituit facti quod magno ſuo damno diuina temerario auſu tentaſſet.

II. NOVA SCELERA NICEPH. IMP.

Quod pariter anno Nicephorus Imperator ad præteritas iniquitates alia ſcelera adiiciens, vxorem quæſiuit Staurátio filio ſuo, Theophaniam cognatam Irenes defunctæ Imperatricis, alii deſpõſatam viro: Ipſe vero duas virgines pulcherrimas, inter alias ad delectum quæſitas, homo turpiſſimus factus ludibrium cũcto populo deſtorauit, Cruentauit quoque ciuitatem ſanguine nobilium ciuium, procerumque, atque virorum Eccleſiaſticorum, qui aduerſus eum pro vindicanda Republica conſpiraſſent. Hæc omnia ex Theophane hoc anno ſexto eiuſdem Nicephori.

III. MAVRI MALE MVLTATI OB CAPTOS MONACH.

In Occidente vero, hoc eodem anno Carolus Magnus claſſe immiſſa aduerſus Mauros ſub Duce Burchardo, eos in Sardinia & Corſica iterato prælio profligauit: quæ infortunia ea ex cauſa ſibi contigiſſe ipſimet confeſſi ſunt, quod anno ſuperiori piraticam exercentes in Patelaria inſula, ſexaginta monachos captiuos duxiſſent in Hiſpaniam, ac vendidiſſent; quorum aliquos poſtea Carolus Magnus redemit. Hæc auctor ſui temporis ſcribens Annales, à quibus Regino & alii.

IV. LVDOVICVS RESTITVIT DISCIPLINAM IN AQVITANIA.

Interea Ludouicus Caroli filius, cui à patre Aquitaniæ regnum fuerat traditum, illuc profectus collapſam Chriſtianam diſciplinam reſtituere laborauit; erectiſq; quamplurimis monaſteriis, reddit eam ſpiritualium aquarum irriguo tamquam alterum Dei paradiſum: Sed & vndecumque adductis magiſtris, omnium diuinarum & humanarum ſcientiarum ſtudium introduxit, cum antea totius Aquitaniæ qui videbatur Clerus (vtpote ſub variis tyrannis agens) magis equitationi, bellicæ exercitationi, miſſilium librationi, quam diuino cultui operam dare nouiſſet. Adeo vero etiam coaluit antea collapſus monaſticus ordo, vt etiam ipſe Ludouicus Rex idem vitæ in-

ſtitutum amplecti deliberaret, ſed huius deſiderii ne compos fieret, obicem ſe præbuit refragatio patris, vel potius diuinæ nutus voluntatis, quæ tantæ pietatis virum noluit ſub ſuę cura ſolius ſalutis deliteſcere, ſed potius per eum & ſub eo multorum ſalutem adoleſcere. Hæc Aimoinus[a]: qui & alia ſubdit de optima eiuſdem piiſſimi Principis regni ſui adminiſtratione.

a Aim. li. 5. c. 8.

CAROL. MAG. 8. NICEPH. 7.

IESV CHRISTI AN. 808.

LEONIS III. AN. 13.

I. THEOD. STVD. ET ALII SCHISMATIS ACCVSATI.

ANno Chriſti octingenteſimo octauo, Indictione prima, Ioſeph Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, & Theodorus Studita eius frater, atque S. Plato cum ſuis monachis, detrectantes publice communicare cum Nicephoro Patriarcha Conſtantinopolitano, niſi eiecto Ioſepho Oeconomo, qui quamuis contra canones Theodorem pellicem Conſtantino Imperatori Irenes filio copulaſſet, tamen quaſi nihil mali egiſſet fouebatur, ſchiſmatis ſunt accuſati ab eodem Nicephoro: factumque eſt vt his Romæ diuulgatis, iidem à Romano Pontifice aliiſque ſchiſmatici ſint habiti. Hæc quidem omnia conſtant ex plurib. ea de re ab eodem Theodoro, tam ſuo quã Platonis nomine ſcriptis ad diuerſos literis[a]. In quarum vna [b]ad ſuos monachos ſcripta, obſerues ſolemnia verba in benedictione matrimonii tunc apud Græcos proferri ſolita; nempe, *Tu Domine mitte manum tuam ex ſancto habitaculo tuo, coniunge famulo tuo famulam tuam: connecte illos in mutuam concordiam: vni eos in carnem vnam, quos tibi placuit inter ſe copulari Honorabiles nuptias redde: immaculatum eorum thorum cuſtodi: ſine macula ipſorum contubernium permanere concede in puro corde.* Quem autem poſt hæc ſecuta ſunt, dicentur anno ſequenti.

a Theod. Stud. l. ep. 21. [illegible] b Ibid. ep. 31. BENEDICTIONIS MATRIMONII FORMVLA GRÆCOR.

II. RES BELLICA ORIENT.

Hoc eodem anno Crunnus Bulgarorum Dux Sardicam dolo cepit, pluribus militum ac ciuium interfectis millibus: aduerſus quem procedens Imperator, re infecta Conſtantinopolim reddit vrbem cædibus & exiliis repleuit, quod pati nollet populus recens impoſitum vectigal ob Sardicæ reſtaurationem. Hæc ex Theophane. Quo etiam auctore conſtat, hoc itidem anno mortuo Rege Saracenorum Aaron, eius filios Mauhmat & Habdallam de Regno certantes, non inter ſe ſolum cuncta cæde miſcuiſſe; ſed Chriſtianos Syriæ cædibus, incendiis, rapinis adeo inſectaſſe, vt multæ eccleſiæ deſertæ factæ fuerint, & plurima monaſteria deſolata relicta.

III. REX ANG. RESTITVTVS PER LEON. PP. ET CAROL. IMP.

In Occidente vero, hoc pariter anno Ardulf Rex Nordanhumbrorum in Britannia, à ſuis è regno pulſus, Carolum Magnum Imperatorem primo adiens, poſtea Leonem Papam; miſſis tam à Pontifice quam ab Imperatore legatis in Britanniam, ab iis in regnum eſt reſtitutus. Hæc Annales Francorum.

CAROL. MAG. 9. NICEPH. 8.

IESV CHRISTI AN. 809.

LEON. III. AN. 14.

I. MOECHOSYNODVS CONST. QVAM PRAVA DECERNAT.

ANno Domini octingenteſimo nono, Indictione ſecunda, menſe Ianuario (vt auctor eſt Theodophanes) conuocatum eſt ab Imperatore Nicephoro *Conciliabulum* in cauſa Ioſephi Oeconomi; in quo vna cum Epiſcopis conſederunt Magiſtratus, omnia in gratiam Imperatoris facientes. Vt non ſit mirum, ſi adeo pernicioſi in eo canones ſanciti fuerint: videlicet, Anathemati ſubiiciendos eſſe omnes qui ipſorum erroribus non adhæreſcerent: Coniugium Conſtantini cum Theodote, viuente adhuc legitima priori coniuge, ex diſpenſatione dici debere legitimum: Leges diuinas aduerſus Reges nihil poſſe: Epiſcoporum vnumquemque in ſacros canones; præter ea quæ in illis ſtatuta ſunt diſpenſando poteſtatem habere. Poſt quæ SS. Plato, at Theodorus, huiuſque frater Ioſeph Theſſalonicenſis Archiepiſcopus, aliique quamplurimi, recuſantes communicare Ioſepho omnium malorũ auctori, ac Nicephoro Patriarchæ ipſius fautori, in exilium ab Imperatore pulſi, diriſſima paſſi ſunt. Patent hæc omnia ex pluribus eiuſdem Theodori epiſtolis[a] ab exilio ad diuerſos ſcriptis, quibus & dictum Conciliabulũ appellat *Mœchoſynodum*, & qui eius decretis adhærerent, *Mœchianos*: quos & demonſtrat vere eſſe hæreticos. Idemq; literis ad Leonẽ Romanũ Pontificẽ ſcriptis[b] (quibus eum in inſcriptione vocat, *Sanctiſſimum Summum Patrem Patrum, Aequalem Angelis Beatiſſimum, & Apoſtolicum Papam*) enixus rogauit, vt qui *Archipaſtor* eſſet *Eccleſiæ quæ ſub cælis eſt*, manum Eccleſiæ Orientali porrigeret merſæ in hæreſis profundo atque intonaret contra eam hæreſim. *Si enim iſti* (inquit) *arrogata ſibi auctoritate, hereticam Synodum cogere veriti non ſunt, qui ne Orthodoxam quidem abſque cognitione veſtra (vt antiquitus mos obtinet) cogere potuerunt; quãto æquius neceſſarium fuerit, à diuino tuo principatu legitimã Synodum conuocari, vt Orthodoxum Eccleſiæ dogma, excluderet hæreticum?* Hæc & alia Theodorus ad Leonem Papam: quem & rurſum eadem epiſtola vocat *Diuiniſſimum omnium capitum Caput*. Sed de aliis egregiis titulis, quibus tum eumdẽ Pontificem, tum ipſam Romanam Eccleſiam ornat, dicetur inferius.

a Theod. Stud. l. ep. 33. vſque 39. & ep. 48. 50. & ſeqq. b Ibid. ep. 33. 34. SEDIS ROM. SVMMA AVCTORITAS AGNITA A THEOD.

II. SCRIPTA THEOD. ADVERSVS MOECHIA.

Quod vero iidem Mœchiani ſcuto illo Diſpenſationis diuina humanaque iura violarent, dum quod diuina lege eſſet prohibitum, id per diſpenſationem poſſe fieri aſſerebant; præter multiplices illas epiſtolas contra iſtum & alios aduerſariorum errores cõſcriptas edidit idem Theodorus volumen *De Diſpenſatione vniuerſali*, cuius meminit in ſuis literis[c], quo plenius eorumdem argumentationes confutauit. Ipſe namque hoc tempore ceteris eminentior doctrina in Oriente fulgens, tamquam oraculum erat ad quod Orthodoxi omnes eius Eccleſię, cum quid dubitationis in facultatibus Theologicis emergeret, recurrere conſueſcerent. Qui niſi quãtocyus occurriſſet nouæ eiuſmodi hæreſi, totus pene Oriens corruiſſet; cum malorum Epiſcoporum, & peſſimorum Imperatorum conatu, vniuerſum ferme Euangelium in maximum iam diſcrimen adductum eſſet.

c Ibid. l. ep. 50.

III. d [illegible] eoſdem Bar. Annal. To. IX. hoc an.

Hoc item anno, Nicephori Imperatoris octauo, numerat Theophanes decem præcipuas afflictiones[d], quibus idem Tyrannus nouis atque antea inauditis exactionibus, impiiſque ſuppliciis, ciuitatem Conſtantinopolitanam, vniuerſumque Imperium, atque ipſa etiam ſacra loca ad nihilum fere redegit.

IV. CONCIL. AQVISGR. DE PROCESSIONE SPIR. S.

Quod ad res pertinet Occidentales; produnt Annales veteres Francorum, aliiq; omnes, celebratum fuiſſe hoc anno menſe Nouembri CONCILIVM AQVISGRANENSE occaſione motæ quæſtionis de proceſſione Spiritus Sancti. Verum ſciendum eſt, haud ibi tunc dubitatum aut tractatum eſſe, vtrum Spiritus S. à Patre Filioque procederet: ſed quod tum apud Hiſpanos (vt ſuo loco vidimus) tum apud Francos additæ fuiſſent Symbolo Conſtantinopolitano quatuor hæ ſyllabæ, FILIOQVE, quæſitũ modo eſt, num ita auctum Symbolum legitime in eccleſia cani poſſet. Qua re ad Leonem Papam à Carolo Imperatore per Legatos delata, cuſtos ipſe antiquitatis (cum nec adhuc ipſum Symbolum Nicænum, ſiue dixeris Conſtantinopolitanum, in Eccleſia Romana cani mos eſſet) licet permiſerit Symbolum cani, prohibuit tamen ne cum eo additamento caneretur. Conſtant autem iſta ex Zmaragdi ad Carolum epiſtola, in qua inſeritur ipſa amica[e] Diſputatio de ea re habitã Romæ à Legatis Synodi Aquiſgranenſis cum Leone Papa. Ceterum VValfridus Strabo[f] temporis huius ſcriptor tradit, vſum hunc cantandi in Eccleſia Symbolum, à tempore damnatæ Felicianæ hæreſis in Gallia atque Germania fuiſſe frequentatũ; vt vero Conſtantinopolitanum potius quam Nicænum caneretur, ea ratione factum eſſe, quod Conſtantinopolitanum aptius videretur modulis muſicis. Sed cur non potius, quod plenius ſit quam Nicænũ, vtpote quod de Spiritus Sancti diuinitate habeat magis expreſſam ſententiam? Quando autem & qua occaſione illa verba FILIOQVE, itidem auctoritate Romani Pontificis in Ro-

DE CANTANDO SYMBOLO IN ECCL.

e Nec. Cor. Annal. To. IX. hoc an. f VValfr. de Reb. Eccleſ. cap. 22.

mana Eccleſia in Symbolum ſint recepta, ac ipſum Symbolum cani cœperit, dicetur ſuis locis.

CAROL. MAG. 10. NICEP. 9.

IESV CHRISTI AN. 810.

LEONIS III. AN. 15.

I. NICEPH. IMPETAVET MANICHÆIS.

ANno Chriſti octingenteſimo decimo, Indictione tertia, Nicephorus Imperator (inquit Theophanes) militares principes more ſeruorum vti Epiſcopis & aliis clericis iuſſit: adituris Epiſcopia & monaſteria tributum impoſuit: eoque proceſſit, vt aurea & argentea Eccleſiæ vaſa improbaret, & Chriſtianos derideret qui proximos diligerent. Nec quidem mirum; cum (vt idem auctor ait, qui his tunc præſens Conſtantinopoli aderat) ſtudioſiſſimus eſſet Manichæorum eleemoſynas improbantium; qui *Pauliciani* quoque, & *Atingani* vulgo dicebantur, hiſque temporibus admodum vigebant in Oriente, ducem impietatis ſequentes *Sergium* quendam; qui ſe Pauli Apoſtoli diſcipulum Tychicum iactans, immo & Paraclitum ſe, ac lucidam ſtellam mentiens, quamplurima perpetrauit nefanda ſcelera, intulitque Eccleſiæ Orientali damna; quæ pluribus narrat Lucas Siculus, quem iam ſuperius diximus hiſtoriam ſcripſiſſe de renaſcente Manichæorum hæreſi: vbi & tradit, ab hoc Sergio *Baanem* quendam, Epaphroditi ſe dicentem diſcipulum abſceſſiſſe, multoſque in partem ſuam traxiſſe, qui ab eo dicti ſunt *Baanitæ*; qui vero Sergio adhærebant, dictos eſſe *Sergiotas*: cum eſſent etiam alii *Aſtati*, ſeu *Inſtabiles* appellati, pariter eiuſdem Sergii diſcipuli. Quæ autem ſtatuerit aduerſus eiuſmodi nebulones Michael Imperator Nicephori ſucceſſor, dicetur inferius.

VARIÆ SECTÆ MANICHÆOR.

II.

Hoc pariter anno (vt tradunt veteres Annales Francorum à Pithœo editi) Carolus Magnus Imperator Venetiam reddidit Imperatori Nicephoro. Cum enim Carolus (vt in Vita ipſius [a] ab auctore eius temporis per annos ſingulos digeſta traditur) ſubegiſſet ſuo Imperio Dalmatiam & alias circumpoſitas regiones, fruſtraq; Nicephorus bis claſſe miſſa eas recuperare conatus eſſet; accidit vt cum Præfectus claſſis ſecunda vice pacem cum Pipino Italiæ Rege tentaret, aduerſantibus Venetorum ducibus res infecta remanſerit: qua de re iratus Pipinus ipſam Venetiam bello cepit, quæ Imperatoris Orientis dominio ſubiacebat. Poſt hæc autem contigit quod dictum eſt; nempe vt legationibus intercurrentibus firmata pace inter Nicephorum & Carolum, Venetiam Carolus ipſi reddiderit. Hæc ex ſcriptoribus eius temporis: ex quib. haurias, in quo de rebus Venetis recentiores hiſtoricos erroris arguas. Nam & Eginhardus, qui fuit Carolo Magno à ſecretis, aſſerit eumdem Carolum redegiſſe ſub tributo Iſtriam, Liburniam, atque Dalmatiam; exceptis maritimis ciuitatibus, quas ob iunctum cum Imperatore Conſtantinopolitano fœdus, eum habere permiſit.

[a] Vit. Car. Mag. an. 806 & ſeqq.

DE REB. VENETIS SVB CAROLO MAG.

CAROL. MAGN. 11. NICEP. 10.

IESV CHRISTI AN. 811.

LEONIS III AN. 16.

I.

ANno Chriſti octingenteſimo vndecimo, Indictione quarta, menſe Februario, obuiam facti Saraceni Leoni Prętori Armeniacorum, deferenti militare donatiuum, quod erat talentorum ſexdecim, & librarum mille trecentarum; illud abſtulerunt cum ingenti multitudine captiuorum. Quare Nicephorus Imperator aduerſus Bulgaros proceſſurus, iuſſit Nicetæ Patricio & generali Logothetæ, publicos Eccleſiarum & monaſteriorum cenſus imponere, & octo annorum præteritorum redhibitiones à Principum domibus exigere. Qua de re cum omnes grauiſſime quererentur, relatumque id Nicephoro eſſet à Theodoſio quodam Patricio, reſpondit ille, *Si Deus obdurans obdurauit cor meum, vt Pharaonis, quid boni erit his qui ſub manu mea ſunt à Nicephoro? Theodoſi, noli expectare præter quæ à te conſpiciuntur.* Ingreſſus autem Bulgariam inter ſpem metumque, quibuſdam proſperis velitationibus inſolentior factus, pacem petenti Crunno Bulgarorum Regi denegauit; ac multa crudeliſſima tam in hoſtes quam in ſuos perpetrauit. Cum ſubito Crunnus viis intercluſis eum adortus, captum interfecit vna cum plurimis Patriciis ac ducibus, vniuerſoque ferme exercitu: eius vero caput diebus multis in oſtentationem ſuſpenſum, poſtea denudatum argento forinſecus induit, vt eo tamquam poculo Bulgarorum Principes vterentur. Narrat hæc pluribus Theophanes: qui & ait, huius Nicephori Principatu Chriſtianos grauiorem nullo tempore conſecutos eſſe; quippe qui omnes qui ante ſe imperaſſent, ambitione, luxuriis, atque barbaricis crudelitatibus ſuperauerit. Porro qui à Rege Bulgarorum tunc capti ſunt, ab eo cum fidem Chriſtianam negare compellerentur, nec acquieſcerent, necari iuſſi ſunt: quorum extat memoria in Menologio Græcorum die vigeſimatertia menſis Iulii. Agitur etiam de iiſdem in Latino Martyrologio; ſed mendoſe fortaſſe per Nicephorum factum dicitur, quod ſub Nicephoro Bulgari egerunt.

OBDVRATVM COR NICEPHORI IMP.

NICEPH. OCCIDITVR A BVLGARIS.

QVALE NICEPH. IMPERIVM.

II.

Ceterum Stauratius Nicephori filius, ipſiuſque in Imperio collega, multis in prælio acceptis vulneribus Conſtantinopolim ægre relatus, cum & ipſe nouas ibi moliretur cædes. Imperiumque Theophaniæ vxori firmare ſatageret: omnium Principum, ac Senatus, necnon Patriarchæ conſenſu, tertio Nonas Octobris, cœpta iam à menſe Septembri Indictione quinta, MICHAEL Curopalates, cognomento *Rhancabenus*, eiuſdem Imperatoris Nicephori gener, vir multis egregiis virtutibus præditus, coronatus eſt Imperator; præſtito prius iuramento, dataque Patriarchæ fideiuſſione manu propria ſcripta, de recta fide ſeruanda, ac temperando à ſanguine quorumcunque Chriſtianorum, & maxime monachorum, aliarumq; perſonarum Eccleſiaſticarum. Poſtridie vero *Procopia* eius vxor coronata eſt pariter in Auguſtam: ipſeq; immenſa vſus erga Patriarcham & Eccleſias, omniſq; generis homines qui ſub Nicephoro tyranno ſpoliati fuerant, liberalitate, omnium animos ſibi deuinxit: ac deniq; octauo Calendas Ianuarias THEOPHILACTVM filium ſuum ab eodẽ Patriarcha coronari fecit. Stauratius autem mox vt acclamationes pro Michaele audierat, comam tonderat, & monaſticum induerat habitum; cuius & vxor Theophania idem vitæ inſtitutum arripuit. Hæc Theophanes, qui tunc Conſtantinopoli exiſtens cuncta intuebatur.

MICHAEL CVROPAL. IMPERAT.

III.

Addit quoque, Michaelem Imperatorem pacis Eccleſiaſticæ ſtudioſiſſimum, ſanctos Confeſſores Platonem, Theodorum, Ioſephum Theſſalonicenſem, alioſque ab exilio reuocaſſe, eoſdemq; Nicephoro Patriarchæ reconciliaſſe. Verum hanc reconciliationem ipſe Theodorus [a] atque Michael [b] Studita tradunt initam eſſe, poſtquam Patriarcha Ioſephum Oeconomum omnium diſcordiarum cauſam, iterum ab Eccleſia eiecilſet, ac ſe ipſe purgaſſet quod quæcunque antea accidiſſent, Nicephori tyranni violentia geſta fuiſſent. Addit præterea Michael, huiuſmodi Eccleſiæ pacem confirmatam fuiſſe à Leone Romano Pontifice, quem Michael Imperator eius conciliatorem adhibuiſſet. Inſuperq; Michaelis Imperii exordio, Theophanes ſubiicit Nicephorum Patriarcham tranſmiſiſſe Synodicas literas ad eundem Leonem, cum antea id ei non licuiſſet prohibente tyranno. Extantque ipſæ literæ [c] quibus de ſua rationem reddidit electione, ſimulque fidei Catholicæ profeſſionem edidit; ac veniam petiit quod tam ſero ſcripſerit, prohibitus ab impio Imperatore: ſed & munera adiecit, quæ vna cum literis miſit per legatum ſuum Michaelem Metropolitam Sinnaculorum.

PAX ECCLESIÆ ORIENT. REDDITA.

[a] Theod. Stud. in Vit. Plato.

[b] Mich. in Vit. Theod.

LEGATIO A NICEP. EPISCOP. CONST. AD LEON. PP.

[c] Edidit Pol. … ex antiqua tranſlatione … Annal. To. IX. hoc an.

IV.

Antequam vero ab Oriente digrediamur, ſciẽdum eſt etiam, ab huius Michaelis Auguſti Imperio *Ioannem Curopalatam* nobilem ſcriptorem ſuam eſſe auſpicatum hiſtoriam, quam perduxit vſque ad Iſacium Comnenum, qui imperare cœpit anno Redemptoris milleſimo quinquageſimo ſeptimo. Sed & *Leonem Grammaticum* Leonis Sapientis mandato, hiſtoriam ſex ſequentium Imperatorum

DE HISTORIA IOAN. CVROPAL. ET LEON. GRAMMAT.

Digitized by Google

torum totidem fere verbis ſcripſiſſe ad Curopalatam. Verum iſte habetur præ manibus, ille vero adhuc latet in Bibliothecis, Vaticana ſcilicet, & Pariſina Regis Francorum.

V. TESTAM. CAROLI MAG. DE REB. SVIS MOBILIB.

Quod ad res pertinet Occidentales; memorabile eſt *Teſtamentum* Caroli Magni Imperatoris de rebus ſuis mobilibus, quod hoc Redemptoris anno feciſſe auctor eſt Eginhardus in Vita ipſius, dum ipſum integrũ teſtamentum recitat: quo quidem omnia mobilia ſua in tres partes diuidens, illarum duas in viginti vnam alias partes ſubdiuiſas legauit Metropolitanis vni & viginti ciuitatibus, quæ ditioni eius ſubiacebant; ex quibus rurſum Metropolitani tertiam partem ſuis Eccleſiis reſeruarent, duæ reliquæ inter ſuffraganeos diuiderentur. Nomina vero Metropolitanarum ciuitatum, hæc in eodem Teſtamento recenſentur, Roma, Rauenna, Mediolanium, Forum Iulii (ſiue Aquileia) Gradus, Colonia, Moguntia, Saltzburgum, Rothomagus, Treueri, Senones, Veſuntium, Lugdunum, Rhemi, Arelatum, Vienna, Tarantaſia, Ebrodunum, Burdigala, Turones, Bituriges. Sed & reliquam tertiam partem principalẽ voluit ſubdiuidi, poſt ſuam mortem, aut voluntariam rerum ſecularium abdicationem, in quatuor partes; quarum vna accreſceret illis vni & viginti partibus Metropolitanorum, altera cederet liberis ac nepotibus ſuis, tertia in vſum pauperum erogaretur, quarta ſimili modo nomine eleemoſynæ in ſeruorum & ancillarum palatio famulantium ſuſtentatione diſtribueretur. Capellam vero, id eſt Eccleſiaſticum miniſterium, nulla diuiſione ſcindi voluit. Hæc autem conſtituit in præſentia vndecim Epiſcoporum, quatuor Abbatum, & quindecim Comitum, quæ quidem Ludouicus ipſius filius poſt eius obitum quam celeberrime adimplere curauit.

VI. DE LIBERIS CAROLI MAGNI.

Hoc item anno pridie Nonas Decembris, Carolum filium maiorem natu Caroli Imp. ex hac vita migraſſe, tradunt veteres Annales Francorum, & reliqui omnes auctores. Sed & præter duos filios, Carolum & Pipinum, ex teſtamento relictos heredes, obiit etiam anno ſuperiori primogenita filiarum, quam mirifice diligebat, Rothrudis olim Conſtantino Imperatori deſponſata. Pipino autem Bernhardum eius filium in regno Italię ſuccedere iuſſiſſe, Eginhardus teſtatur. Qui & ait, tribus his annis vltimis Caroli Magni, cœlo terraque viſa eſſe ſigna atq; portenta, eius obitus indices; nimirum crebra lunæ ſoliſque deliquia, crebrum Aquenſis palatii vbi degebat, tremorem, fulmina, ruinam Regiæ, incendia, & alia plura huiuſmodi.

CAROL. MAG. 12. MICH. CVROP. I.

IESV CHRISTI AN. 812.

LEON. III. AN. 17.

I. MICHAEL IMP. CONTRA MANICHÆOS GLADIO AGIT.

ANno Domini octingenteſimo duodecimo, Indictione quinta, Michael Imperator reddita Eccleſiæ pace, Manichæos (qui & Pauliciani, & Atingani dicebantur) varias regiones Orientis ſua hæreſi magnopere infeſtantes, hortatu Nicephori Patriarchæ lege aduerſus eos ſancita, gladio necari iuſſit; ipſamq; vrbem Conſtantinopolitanam non Manichæorum tantum, ſed & Iconoclaſtarum, & aliorum hæreticorum colluuie fœtidam, morum etiam peruerſitate laborantem, expurgare ac ſanare conatus eſt. Scribit hæc Theophanes. De Manichæorum vero ex Michaelis edicto fuga ac cæde (qua inter alios nefandus Sergius, de quo ſuperius, aliquando faciendis aſſeribus intentus, à quodam aſcia ex eius manibus extorta peremptus eſt) agit pluribus idem, quem alias diximus, Lucas Siculus huius temporis ſcriptor, in libello quo eiuſdem hæreſis impietatem, & hæreticorum res geſtas eſt proſecutus.

II. CONVENTVS CONST. IN QVÆSTIONE DE REDDENDIS FVGITIVIS.

Eodem anno Calendis Nouembris, habitus eſt Conſtantinopoli *Conuentus* Epiſcoporum & Magiſtratuum, occaſione ſoluendæ quæſtionis, obortæ ex eo, quod cum pax inter Imperatorem & Crunnum Bulgarorum Regem tractaretur, inter alias conditiones à Rege barbaro illa eſſet appoſita, vt fugitiui redderentur. Arbitrati ſunt alii eiuſmodi conditionem bono pacis accipiendam, alii contra aſſeruerunt penitus reiiciendam, vtpote contrariam ſententię Domini [a], *Qui venit ad me, non eiiciam eum foras.* Qui autem has partes tuebantur Principes conſiliarii, ducem habebant Theodorum Studitam: aduerſam vero defendebant cum Imperatore Nicephorus Patriarcha, aliique Epiſcopi: quibus aſſentiebantur ipſi Theophanes Abbas monaſterii Agri, idemque hiſtoriæ quam toties citamus auctor. Qui quidem rem geſtam deſcribens, multiplicique ratione aduerſariis contradicens, illa vtitur potiſſima, quod pluris facienda ſit multorum ſalus quam paucorum, cum raro accideret vt ex Bulgaris aliqui ad Romanos confugerent. Cæterum obtinuit pars negantium ea conditione pacem eſſe accipiendam: ex quo, inquit idem Theophanes, maxima ſunt parta Imperio mala: quæ per prodigia è cœlo, & cometam inuſitatum apparentem, hoc anno ſignificata eſſe ait. Quo eodem tempore, cum non eſſet generalis Princeps Arabum, & in omnibus ipſorum prouinciis homicidia, rapinæ, aliaque nefanda perpetrarentur: Eccleſias quoque Hieroſolymitanas profanatas eſſe, atque monaſteria Palæſtinæ deſtructa, Syriæq; Chriſtianos alios interemptos, alios in varias regiones fugatos, idem auctor tradit.

[a] Ioan. 6.

III. LEGATIO MICH. IMP. AD CAROL. MAG. ET LEON. PP.

Hoc eodem anno peruenerunt ad Carolum Imperatorem Legati, quos initio ſui Imperii Michael Auguſtus ad eum miſiſſet. Cum enim Carolus ad Nicephorum Imperatorem confirmandæ pacis cauſa Legationem honorificam direxiſſet per Hattonem Epiſcopum Baſileenſem, Hugonem Comitem Turonenſem, Aionem Longobardum Foroiulienſem, Leonem Spatharium, & Wilharium Ducem Venetorum: iidem, occiſo Nicephoro, cum Michaele rem egerunt. Hic vero cum eiſdem ſuos Legatos ad Carolum miſit: qui Aquiſgranum peruenientes, cum inter alia in ſua ipſorum oratione AVGVSTI titulo celebrarunt: & in reditu (vt habebant in mandatis) Romam venientes ad Leonem Papam, literas ab eo communicatorias acceperunt. Hęc Francorum veteres Annales: ſed Theophanes addit, Michaelem Auguſtum hac ſua ad Carolum legatione egiſſe quoque de contractu nuptiarum in Theophylactum filium ſuum.

IV. DE ACCEPTA FRANCOR. CLADE IN SALTIB. PYREN.

Ad hæc pariter vltima Caroli tempora, rerum Hiſpanicarum tractatores referunt decantatam Francorum cladem in ſaltibus Pyrenæis ad Rocidam vallem, vulgo dictam Ronciſualle: quam & factam volunt per Alfonſum Caſtum Gallæciæ Regem. Verum iſti quam longe inprimis in his quæ ſunt temporis aberrent, conſtat ex eo quod cladem illam contigiſſe anno Redemptoris ſeptingenteſimo ſeptuageſimo octauo (vbi & nos poſuimus) Chronographi omnes qui per ſingulos annos res Caroli Magni digeſſerunt, iidemque eiuſdem ſæculi ſcriptores, abſque dubitatione pari conſenſu teſtantur. Eamdemque non ab Hiſpanis, ſed à Vaſconibus illatam affirmant, atque inter alios Eginhardus qui fuit Carolo à ſecretis. Dicunt nimirum, Vaſcones Caroli exercitui ab expugnatione multarum Hiſpaniæ ciuitatum redeunti, prædæ cupiditate in ipſius montium anguſtiis inſidiatos, interfeciſſe eos qui nouiſſimo agmine incedentes præſidio præcedentibus erant: atque extremam impedimentorum partem auferens, noctis beneficio ſumma celeritate in diuerſa diſperſos, Caroli vindictam effugiſſe. Rurſum vero quod hæc per Alfonſum Caſtum geſta eſſe, Hiſpani dicunt: quam procul abſit à veritate, ſatis demonſtrat quod inter alios idem Eginhardus auctor eſt, ipſum Alfonſum maxima fuiſſe Carolo amicitia iunctum, eumdemque ſæpius veneratum eſſe muneribus non aliter ſe per literas & Legatos appellant, quam (vt habent Eginhardi verba) proprium Caroli; cuius & ſororem in vxorem accepiſſe vidimus: nec quicquam diſcordiarum inter eos aliquando interceſſiſſe, idem auctor demonſtrat.

V. FABVLÆ TVRPINI REIICIVNTVR.

Porro Hiſpanicarum rerum tractatoribus inde tam grauis erroris prouenit origo, quod qui Turpini nomine (quiſquis ille fuerit) ſomnia ſua ac fabulas contexuit, poſt corporis S. Iacobi inuentionem (quam etiam per

ipſum Carolum factam mentitur) ponit bellum illud contigiſſe, in quo Rutlandus, ſiue Rolandus, inter alios viros inſignes occubuit. Quapropter nulla habita exactiori temporis ratione, iidem ſcriptores Hiſpani re vera tunc bellum illud contigiſſe ſunt arbitrati, quo à fabuloſo auctore poſitum eſt. Quo qui errore ducti ſunt, antiquiores adnumerantur Tudenſis, & Rodericus Toletanus Epiſcopus; eidemque tamquam è cœlo allato oraculo, recentiores omnes firmiter inhæſerunt; vno dumtaxat excepto emunctioris naris auctore Ambroſio [b] Morale, qui hæc odoratus haud imprudens eſt errantes ſequutus, ſed hærens ſubſtitit, vt rem accuratius conſideraret. Eos autem magis admirati ſumus, qui difficultatem hanc ſentientes, vt ſoluerent, duas clades exercitus Caroli Magni in Pyrenæis montibus ſibi finxerunt, & iſtam poſteriorem dixerunt. Sed eos oportet ſuis diuinationibus adiicere, vt pariter affirment Rolandum & ceteros eius ſocios bis occiſos, mortuoſque eſſe, cum hos ipſos in poſteriori clade dicunt eſſe necatos, quos iam diu antea firmiſſima eius temporis Scriptorum auctoritate oſtendimus fuiſſe peremptos. Sæpe ſuorum gentilium nimium ardens amor, plures fallere coegit hiſtoricos, vt abſque delectu perciperent quæcumque ſcripta, quibus ipſi quolibet modo gloriam ſuis compararent.

b Ambr. Moral. ret. Hiſp. lib. 13. c. 48.

IESV CHRISTI AN. 813.

Carol. Mag. 13. Mich. Curop. 2.

LEON. III. AN. 18.

I. *De Leonis acceptione Imperii diverſæ ſententiæ.*

Anno Domini octingenteſimo decimotertio, Indictione ſexta, cum Michael Imperatoris menſe Maio male aduerſus Bulgaros haud procul ab Hadrianopoli vrbe Thraciæ pugnaſſet, Conſtantinopolim fugiens conſilium iniit de Imperio renunciando Leoni Armeno; quem hoc diutius recuſaſſe, quo vſque tandem à Nicephoro Patriarcha & omnib. Patriciis ad id adactus eſt, Theophanes tradit. At Cedrenus & alii diuerſe admodum hæc enarrantes, aſſerunt fugam exercitus factam culpa ac proditione Leonis: qui tamen ex eiuſmodi fuga occaſionem accipiens in Michaelem vt ſegnem & inertem publice declamandi, milites ad defectionem ſollicitarit, ſuiſque artibus adegerit vt Imperator ipſe ab omnibus acclamaretur, ſimulare aliquantum reluctatus. Habet quoque Theophanes, cum ob egreſſum Crunni Regis Bulgarorum menſe Iunii, ingens pauor Conſtantinopolim occuparet, viſum eſſe Nicephoro Patriarchæ more maiorum publicis litaniis implorare diuinam clementiam: & econtra hæreticos Iconoclaſtas ſepulchrum adeuntes impiiſſimi Conſtantini Copronymi, viſum inuocare cœpiſſe vt auxiliarent perditæ Reipublicæ; diſſimaſſeque ipſum ſurrexiſſe ſuper equum ſedentem, & perrexiſſe ad debellandos Bulgaros: quibus quidem inuentionibus perfidi illi viam patefacere conati ſunt eiuſdem hæreſis conſorti Leoni: acciditque ex ſententia, occaſione quam diximus fugæ Michaelis.

II. *Leo Armen. imperat in Oriente.*

Addit vero Cedrenus, Michaelem intellecta Leonis electione, vt erat pacis ſtudioſus, temperantem à bello ciuili, diadema, purpuram, & calceos coccineos (Imperii videlicet inſignia) ad Leonem miſiſſe, & vt ſine vllo metu in vrbem accederet hortatum eſſe: Ipſumque vna cum vxore & liberis, detonſis capillis monaſtica induiſſe veſtimenta, Theophanes quoque tradit: ſequenti vero die, qui fuit quartus ante Idus Iulii; Leonem poſt editam ex more rectæ fidei profeſſionem, publice à Nicephoro Patriarcha coronatum eſſe. Sed habet Cedrenus, quo tempore Nicephorus diadema capiti Leonis imponeret, viſum ſibi fuiſſe ſpinis ac tribulis manum compungi; idque omen malorum quæ poſtea eſſent euentura, interpretatum eſſe. Eodem quoque tempore Hadrianopolim à Bulgaris captam eſſe, iidem auctores ſcribunt. Tuncque contigit, eius ciuitatis Epiſcopum Manuelem manibus amputatis per medium gladio diſſecari, & feris ad deuorandum proiici; cuius eſt memoria in Menologio [a] Græcorum. Vbi & traditur, Crunnum Regem propter hoc peccatum excæcatum eſſe; propriique populi incurrentem odium, funibus ab eo ſuffocatum: ſed Bulgarorum ſuſcipientem Imperium Zocum, omnes captiuos congregaſſe Chriſtianos, tam ſæculares quam Eccleſiaſticos, & quod Chriſti fidem negare noluiſſent, eoſdem diuerſis affectos tormentis crudeliter obtruncaſſe.

Martyres ſub Bulgaris.

a Menol. 20. Ianuar.

III. *De Theophanis hiſtoria.*

Porro ad diem vſque captæ Hadrianopolis Theophanes perducens hiſtoriam, eidem finem imponit. Nec eſt vt dici poſſit, eam interciſam eſſe, quod auctor perorationem nullam (vt moris eſt) appoſuerit. Siquidem Anaſtaſius Bibliothecarius, qui in Latinum eam tranſtulit, teſtatur vſque ad hunc Leonem qui ſucceſſit Michaeli perductam eſſe. Si vero Cedreno credimus, aſſerenti Theophanem vſque ad exitum tantum Nicephori Imperatoris ſuam hiſtoriam produxiſſe; affirmare neceſſe eſt, cuncta quæ ab eo tempore in hunc diem illic ponuntur, alterius auctoris eſſe additamentum: quod equidem exiſtimo verum eſſe; factumque vt aliquis Leonis Armeni ſtudioſus, quæ de eius probitate ibi leguntur commentus ſit. Quod vero ad ipſum *Theophanem* ſpectat; aſſerit Anaſtaſius, ipſum illum fuiſſe Theophanem magni nominis Abbatem monaſterii Agri, ſanctitate celebrem, & miraculis clarum. Sic autem eius hiſtoriam idem Latinitati donauit, vt tamen (ſicut teſtatur) aliqua omiſerit, perſtrinxeritque aliqua breuitate, addiderit vero nihil. Ceterum ipſe integer abſque compendioſa breuiatione, Græcus Theophanes aſſeruatur in Bibliotheca Regis Francorum Pariſiis: noſque aliud eiuſdem exemplar aliunde nacti ſumus. Sed de huius Theophanis, itemque alterius eiuſdem temporis æque monachi, egregiis pro fide Chriſti confeſſionibus, dicetur inferius ſuis locis.

Theophanes qui fuerit.

IV.

Vt vero ad Leonem redeamus; nactus ipſe Imperium, haud ſiuit Michaelem degere Conſtantinopoli, licet priuatim inter monachos profitentem; ſed ipſum vna cum coniuge & liberis relegauit in Inſulam Protam: adiiciens ad crudelitatem, vt filios eius Theophylactum natu maiorem, & Ignatium qui poſtea ſedem Conſtantinopolitanam gubernauit, caſtrare iuſſerit.

V. *Ludouici Imp. coronatio.*

Quod ad res pertinet Occidentales; hoc anno Carolus Magnus, cum iam ſentiret appropinquare ſibi diem extremum, habito generali *Conuentu* Aquiſgrani; omnium conſenſu atque conſilio LVDOVICVM filium ſuum, qui ſolus filiorum coniugis Hildegardis ſupererat, coronauit Imperatorem: vt habet Eginhardus, ac veteres Francorum Annales: ſed exactius rem geſtam, & monitiones ac præcepta Ludouico tunc à patre impertita, de ſeruandis præceptis Dei, Eccleſiis defendendis, ſacerdotibus honorandis, populis diligendis, cœnobiis & pauperibus conſolandis, malis caſtigandis, ac fidelibus miniſtris conſtituendis, proſecutus eſt Theganus ſcriptor eius temporis Chorepiſcopus Treuerenſis, qui de geſtis Ludouici commentarium edidit, cuius etiam meminit Walfridus Strabo. His vero addit, eumdem Carolum totum poſt hæc eleemoſynis & orationibus vacaſſe; itemque librorum correctioni: ſiquidem quatuor Chriſti Euangelia, cum Græcis & Syris collata emendauit.

Præcepta Caroli data filio.

VI. *De quinque Conciliis in Gallia celebratis.*

Addunt præterea Francorum Annales, fuiſſe conſilium Caroli, vt qui eo pacto recte conſuluiſſet rebus Imperii, ſtatum pariter Eccleſiæ relinqueret bene diſpoſitũ: ciuſque rei perficiendæ cauſa, hoc eodem anno menſib. Maio & Iunio quinq; CONCILIA in diuerſis Galliarum locis celebrari voluiſſe; vnum Moguntiaci, alterum Rhemis, tertium Turonis, quartum Cabiloni, quintum Arelate: quorum quidem extant [b] ſingulorum magno numero canones editi; in quibus nihil pene prætermiſſum eſt, quod ad optimam Eccleſiæ inſtitutionem ſpectare poſſe videatur. Illud vero inter alia in Moguntino [c] decretum eſt, vt non amplius Epiſcopi, qui ob bellorum frequentiam iam armis aſſueuerant, ea geſtarent; ſed laicis quia-

b Tom. III. Concil.

c Can. 17.

pud ip-

pud ipſos eſſent, port ire permitteretur, quia (vt aiunt) antiquus mos eſſet qui ad eos vſq; perueniſſet. Quod quidē obſeruatione dignum eſt aduerſus eos qui iſta de laicis impugnare conſueuerunt. In Cabilonenſi vero Synodo, illud quoque magnopere conſiderandum aduerſus auaritiam Eccleſiaſticorum; quo ſancitum eſt, vt ſi quando ſacerdotes, fruges vel quoſdam reditus terræ congregant ac protelant, non ideo hoc faciant vt carius vendant, & theſauros congregent, ſed vt pauperibus tempore neceſſitatis ſubueniant. Actum eſt de Peregrinationibus ſuſcipi ſolitis à Fidelibus ad loca ſancta; quarum hoc tempore celeberrimæ eſſent in Occidente; Romam ad Limina Apoſtolorum, atque Turonum ad S. Martinum: & quod iis complures diuerſis modis abuti ſolerent, definitum eſt quando & à quibus fieri deberent. Denique in Concilio Arelatenſi, ſicut & in Moguntino, præceptum eſt vt Epiſcopis obediant Comites & Magiſtratus ac Iudices ſæculares. Reliqua vero eadem pietate & prudentia à Patribus in iiſdem Conciliis ſtatuta, tu maiori otio conſulas.

Peregrinationum tollendi abuſus.

VII. Electiones Epiſcop. redditæ liberæ.

Sed & in eo potiſſimum idem Carolus intentum animum habuit, vt ipſam Dei Eccleſiam omni ex parte liberam relinqueret: cuius rei gratia Epiſcoporum electionē vſurpatam à prædeceſſoribus id priſtinam libertatem reſtituit; ſancita [d] lege vna cum Ludouico Imperii conſorte, *vt ſecundum ſtatuta canonum à Clero & populo Epiſcopi eligerentur*. Fuiſſe tamen ſolitum, vt Viſitator à Rege mitteretur, qui eiuſmodi electionibus præeſſet; nec ante licuiſſe quicquam agi, eo quod magnæ rixæ in his accidere conſueuiſſent ob diuerſa diuerſorum ſtudia; cōſtat ex epiſtola Hincmari ad Regē Carolum Craſſum poſtea ſcripta. Extat vero apud Agobardū, cuiuſdam Flori qui his temporibus floruit cuiuſque eſt mentio apud Vſuardum in præfatione ad Martyrologium, & ſumma laus apud Walfridum Strabonem in carmine ad eumdem Agobardum Archiepiſcopum Lugdunenſem, fragmentum de antiquis Epiſcoporum electionibus, quo docet haud debere Princeps ſe iis immiſcere. Sed & cum diſertis verbis ait, in Romana Eccleſia vſque ad illam diem, abſque interrogatione Principis, ſolo diſpoſitionis diuinæ iudicio, & Fidelium ſuffragio legitime Pontifices conſecrari; eoſque etiam omnium regionum & ciuitatū quæ illi Eccleſiæ ſubiectæ ſunt, iuxta antiquum morem eadem libertate ordinare atque conſtituere ſacerdotes: ex his, præter illa quæ ſuperius dicta ſunt de libera in Romana Eccleſia Papæ electione; redarguitur itidem mendaciſſimus Sigebertus.

d *Capitul. l. 1. c. 84. & add. 63. c. 34.*

Romani Pontif. electio libera.

Lvdovici I. Leon. Arm. I.

IESV CHRISTI
AN. 814.

LEONIS III.
AN. 19.

I. Leo Imp. hoſtis ſacrar. Imag.

ANNO Chriſti octingenteſimo decimo quarto, Indictione ſeptima, LEO Imperator cum iam omnium ſibi conciliaſſet animos, Imperiumque tyrannice ſuſceptum ſtabiliſſet, latentem animo hæreſim prodens, ſiue (vt alii [a] malunt) ex Orthodoxo, deceptus fraude hæreticorum, hæreticus factus; conſilium cum ſuis iniit de abolendis ſacris Imaginibus. Itaque tentato prius fruſtra Nicephoro Patriarcha Conſtantinopolitano, omnes monaſteriorum Præfectos, interque alios magnum illum confeſſorem Theodorum Studitam (nam maximus ille Plato. Theodori olim magiſter, & in paſſionibus ſocius, iam diem obierat) omneſq; Epiſcopos Conſtantinopoli tunc exiſtentes, vna cum eodem Patriarcha ad ſe accerſens; vt omnia ex æquitate agere videretur, iuſſit eoſdem de veritate cultus ſacrarum Imaginum coram ipſo cum eas negantibus conferre. Id vero cum ipſi conſtanter in faciem ei denegarent, tum quod quæ ſemel in Generali Concilio fuiſſent definita, non eſſent amplius in dubium reuocanda, ſed qui ea negarent execrandi; tum quod ſacerdotum eſſet, & non Imperatoris, atque in eccleſia non in palatio, de fide agere; ac denique quod ipſius Imperatoris cileuauimus obfirmatus in hæreſi, adeo vt non haberet aures ad audiendam veritatem: his ipſorum reſponſis ira furens Imperator, eiſdem domum remiſſis, domeſticatim ſingulis edicto prohibuit, ne quis cum aliis conferre, aut docere, vel de fide prorſus loqui auderet.

a *Cedr. & alii.*

Abnuunt Catholici conferre.

Cum hæret. de rebus ſidei iudicatis.

II.

Cui cum obtemperarent plurimi, ipſeque etiam Nicephorus Patriarcha, quinimmo ſilētium ſcripto polliciti eſſent; fortiſſimus Theodorus intrepide ex aduerſo in facti deteſtationem conſurgens, non ſolum Imperatori renuntiauit non debere in tanto veritatis diſcrimine ſileri, ſed & alios qui ſe continerent, adeo continuis ſuis admonitionibus, literis, clamoribus excitauit, vt & ipſe Nicephorus palam egregius Confeſſor progrederetur. Cuius rei gratia, cœpta in eumdem Patriarcham perſecutione, idem à ſede violenter extractus in exilium eſt amandatus Proconneſum. Quo tempore illud mirabile accidit, vt Theophanes Confeſſor Abbas monaſterii Agri, idemq; (vt vidimus ex Anaſtaſio) hiſtoriæ conſcriptor, in quodam prædio exiſtens, diuinoque inſtinctu ſentiens Nicephorum nauigio prætereuehi, ſuffitu & cereis eum proſecutus fuerit; ſed & Nicephorus eodem momento eleuatis manibus, flexiſque genibus, à nauigio eum ſalutauerit; cum neuter alterum oculis corporeis videret.

Niceph. Epiſcop. Conſt. pellitur in exilium.

III.

Expulſo porro Nicephoro, in locum eius ſuffectus eſt ab Imperatore ipſo Reſurrectionis dominicæ die, *Theodotus* quidam Meliſſenus, cuius fraude ipſe Imperator fuerat in hæreſim perductus, idemq; *Caſſitera* (hoc eſt Stanneus) dictus, ex eorum numero qui Spatarii dicebantur; homo nihili, & totus carnis luxuriis ac voluptatibus deditus. Qui mox *Synodo* hæreticorum conuocata (ad quam Orthodoxi inuitati, aut omnino intereſſe recuſarunt, aut interfuerunt vt ipſos hæreticos redarguerent) impiam illam ſub Conſtantino Copronymo habitam confirmās; Orthodoxam Nicænam poſteriorem anathemate damnauit. Iis vero aduerſantes Epiſcopi & Abbates, in exilium pulſi ſunt; interque Epiſcopos præcipui Theophylactus Nicomedienſis, Ioſephus Theſſalonicenſis, Theophilus Epheſinus, Petrus Nicænus; ex Abbatibus vero Theodorus Studita, Nicetas olim Patricius & Irenes Imperatricis conſanguineus, Theophanes Agrienſis, aliique plurimi ſanctiſſimi viri, in vita & poſt mortē virtutibus atque miraculis clariſſimi. Quæ quidem omnia hactenus recenſita, habentur copioſe pertractata apud Michaelem Studitam in Vita Theodori, Theoſterictum [b] in Niceta, Cedrenum in Leone Imperatore; atque in pluribus eiuſdem Theodori tunc ad diuerſos exhortatoriis, & conſolatoriis; atque etiam dogmaticis ſcriptis epiſtolis [c].

Synodus hæret. aduerſus Imag. Orthodoxi exulant.

b *ap. Sur. 3. April.*

c *Theod. Stud. lib. 2. epiſt.*

IV. Reliquiæ ſacræ miſſæ Venetias.

Sed quod rurſum ad eumdem Leonem ſpectat; qui res Venetorum ſunt proſecuti, & inter alios Sabellicus tradunt ab eo miſſas ad Ducem Venetorum, dictum Angelum, Particiacum, ſacras Reliquias, nempe S. Zachariæ corpus cum parte ſacratiſſimæ Crucis, ac Dominicæ Veſtis, & alterius quæ Deiparæ fuit Virginis. Quod quidem mirum videri debet, vt quas Leo non coleret aliis colendas mitteret: niſi dixerimus, hiſce muneribus deuincire ſibi conatum eſſe animum exteriorum, quæ ipſe contemneret, & ab iis plurimi fieri ſciret.

V. Caroli Mag. obitus.

Quod vero ad res Occidentales pertinet; hoc eodem anno *Carolus Magnus* Imperator Aquiſgrani pleuritide laborans, ſeptimo infirmitatis die, qui fuit quintus ante Calendas Februarii, ſuſceptis conſuetis Chriſtianorum ſacramentis, feliciter ad Deum migrauit, anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſecundo, Regni Francorum poſt mortem Pipini patris quadrageſimo ſeptimo, Imperii vero decimoquarto inchoato: ſepultuſque eſt magnifice eadem die, veſtibus indutus Imperialibus, in Eccleſia B. Virginis quam ipſe in ea vrbe conſtruxerat. Hæc Eginhardus, Theganus, & alii. Sed ſi quæ de ipſo ſcripta ſunt ſpectes, dignum virtutum exemplar intueberis, religioniſque omnibus abſolu-

De virtutib. Caroli.

tum numeris ſimulacrum; cui nec, mea ſententia, qui præceſſerunt vel poſtea ſucceſſerunt Imperatores, æquari penitus valeant. Sed nec in moribus haberet æqualem, niſi coniugalem caſtitatem concubinarum introductione fœdaſſet. Verum poſterior maculas iſtas pœnitentia abſterſit, dum ſenilem carnem ſuam cilicino ſuper nudum corpus inhærente iugiter indumento attriuit. Cuius quidem egregiarum virtutum merito Eccleſia Gallicana eiuſdem natalem diem celebrat: eumdemque ſub Friderico Imperatore poſt annos centum ſexaginta Paſchalis Papa dictus, in numerũ Sanctorum adſcripſit. Sed quod is haud legitimus fuit Pontifex, eiuſmodi canonizatio non eſt recepta ab Eccleſia Romana. Quod tamen non reperiantur legitimi Pontifices eam impugnaſſe, res ſic tacita permiſſione ſiue tolerantia perſeuerat, vt in propria eccleſia vbi ſepultus fuit coleret. Ita enim canonum præcipui interpretes [d] declararunt. Propagatus autem poſtea noſcitur eius cultus in alias Eccleſias Galliæ, Belgii, atque Germaniæ, in quibus idem Carolus ſanctitatis titulo colitur, fauentque ſcripta plurimorum rerum Francicarum hiſtoricorum.

CAROLVS CVLTVS ET SANCTVS.

d Card. Oſt. & Io. Andr. inc. 1 de Reliq. & vener. Sanct.

VI. LVDOVICVS PIVS IMPERAT. IN OCCID.

Poſt obitum Caroli, LVDOVICVS filius eius ob inſignem pietatem dictus cognomento PIVS, Imperator iam ante creatus, ex Aquitania vbi tunc erat Aquiſgranum veniẽs, ſuſcepit etiam ampliſſimi Regni adminiſtrationem: moxque apertis paterni teſtamenti tabulis, legata omnia diſſoluit; & donationes à patre fratribuſque diuerſis Eccleſiis factas confirmauit. Ac ſuſceptis legationibus à diuerſis regionibus, atque etiam ab Imperatore Conſtantinopolitano, ad ipſum hoc anno miſſis alias ipſe pariter ad diuerſos Principes direxit. Hæc ex Thegano rerum ipſius ſcriptore illius temporis: qui & de Carolo Magno habet, ſummum planctum per vniuerſum terram pro eius morte factum fuiſſe; ipſoſque Paganos eum planxiſſe quaſi Patrem Orbis.

LVDOV. 2. LEON. ARM. 2.

IESV CHRISTI AN. 815.

LEON. III. AN. 20.

I. IN LEONEM PAP. CONIVRATIO.

ANNO Domini octingenteſimo decimo quinto, Indictione octaua, Eccleſia Romana ſceleratorum hominum factione preſſuram paſſa eſt. Siquidem Carolo Magno ſublato de medio, qui eius peculiarem protectionem ſuſceperat; quaſi eius morte Leo Pontifex deſtitutus omni remanſiſſet auxilio, rurſum aduerſus eum ex primoribus Romanorum facinoroſi homines conſpirarunt, vt eum neci traderent. Quod ipſe intelligens, in eos lege agi præcepit. Vnde magnis obortis turbis, atque deprædationibus, & incendiis; Ludouicus Imperator miſit in Vrbem Bernhardum, qui loco Pipini eius patris ſucceſſerat in regnum Italiæ; à quo eiuſmodi ſeditio compreſſa eſt. Sed & miſſi à Leone Legati, ipſum Pontificem apud Imperatorem purgatum reddiderunt de omnibus obiectis criminibus. Hæc Annalium ſcriptor huius temporis, ipſius Ludouici domeſticus; necnon qui eius Vitam conſcripſit Adhemarus, & apud Aimoinum appoſuit appendicem; aliique qui res Ludouici ſunt proſecuti.

II. VIS ET FRAVS LEONIS IMP. IN ORTHODOXOS.

Quod vero pertinet ad res Orientales; hoc item anno impius Leo Auguſtus maiori odio in Orthodoxos cœptã anno ſuperiori perſecutionem adaugens, cum videret nihil ſe profeciſſe exilio eorum quos relegauerat; vt facilius eoſdem ad lapſum præſens ipſe cogeret, pleroſque ex Archimandritis Conſtantinopolim reuocatos, in diuerſos eoſque teterrimos carceres coniecit. Sed cum nec aliis tormentis, nec fame, ad ſuam ſententiam pellicere poſſet, fraudem adhibens conditionem propoſuit, nihil aliud ab eis ſe quærere, quam vt ſemel cum Theodoto Patriarcha communicarent, ac de cetero quam vellent fidem ſequerentur: quo diſpenſationis velamento ſimpliciores decepti, ſua receperunt monaſteria. Inter quos Niceta & ipſe ſuaſione aliorum in eamdem prauam ſimulationem delatus, mox facti pœnitens veritatem coram ipſo Imperatore viriliter propugnauit: vnde in inſulam Glyceriam relegatus, arctiſſimo carceri mancipatus eſt; in quo per ſexennium vſque ad Leonis obitum conſtans in iugi martyrio perſeuerauit. Hæc omnia pluribus Theoſterictus in Rebus geſtis eiuſdem Nicetæ.

III. THEODORI STVD. CERTAMINA PRO FIDE CATHOL.

Theodorus autem Studita haud cum ceteris Conſtantinopolim reuocatus, quod nulla ſpes eſſet Imperatori, ipſum in ſuam ſententiam pertrahendi, immo contra timeret ne alios à ſuis fraudibus auocaret; cum audito Archimandritarum lapſu, reliquos omnes è carcere vbi detinebatur in exilio, literis ſuis ad conſtantiam roboraret, eiuſdem Imperatoris iuſſu longius amãdatus eſt, vbi nullam cum aliquo communicationem habere poſſet. Qui cum & virgis minutatim cædi iuſſus eſſet; qui ad id operis delectus eſt Nicetas quidã Alexii filius, vt vidit Theodori corpus, alacriter ad accipiẽda verbera ſe componentis, ætate & ieiuniis ad ſummam maciem redactum, compatiens, ei non ſolum non attingere auſus eſt, ſed & pia fraude quo Imperatoris iuſſa expleſſe à ſociis exiſtimaretur (ſolus enim ingreſſus eſt in carcerem, ob viri, vt aiebat, reuerentiam) ouis pellem recens detractam accipiens, ſuper eam verbera diſtrinxit; & immenſa prorſus charitate, vt guttas etiam ex plagarum cruore profuſas oſtendere liceret, ipſe ſibi ſanguinem ex brachio lanceolæ ictu elicuit, eoque flagrum imbuit. Narrat hæc Michael monachus in Rebus geſtis Theodori. Porro ab eiuſmodi Confeſſorum cædibus abſtinebatur, quod Imperator inuideret eis martyrium, cuius ſciret eſſe cupidiſſimos.

PIA FRAVS NICETÆ.

IV. HISPANI CONFVGIENTES AD FRANCOS BENE HABITI.

Eodem tempore in Occidente, cum Hiſpaniç diro Saracenorum iugo premerentur, complures populi inde in Gallias cum ſuis Comitibus confugerunt. Quos Imperator maxime pius Ludouicus, non vt ſeruos ſuſcipiens, ſed Francis ipſis coæquans, immo & præponens, non ſolum liberos eſſe voluit, ſed & agros in prouincia Septimania (ſic dicta à Septimanorum colonia, quæ olim eam colendam accepit) in Gallia Narbonenſi ſita tradidit, quos in proprium vſum colerent, & à tributis immunes poſſiderent. De quo extat [a] eiuſdem Ludouici diploma, hoc anno Calendis Ianuarii datum. Cum vero paulo poſt iidem à ſuiſmet hominibus Hiſpanis qui inter eos potentiores erant, (quod plane mireris, cum ipſi & extorres eſſent, & precario à Francis ſuſcepti) cultis priuarentur agris, & in ſeruitutem redigerentur: opus fuit vt aliud rurſum aduerſus eiuſmodi tyrannorum audaciam, idem Imperator anno ſequenti quarto Idus Februarii promulgaret edictum; quod & ipſum adhuc extat.

a Ext. in Annal. Franc. à Pith. editis.

LVDOV. 3. LEON. ARM. 3.

IESV CHRISTI AN. 816.

STEPH. V. AN. 1.

I. CONFESSORES PLVRIMI OB DEFENSIONEM SACRAR. IMAG.

ANNO Chriſti octingenteſimo decimo ſexto, Indictione nona, vigente magis perſecutione Leonis Imperatoris, Theophanes (qui & Iſacius dictus) præfectus monaſterii Sigriani, necnon Coſmas Chalcedonenſis Epiſcopus, aliiq; plurimi tam monachi quam monales, carceres, verbera, atque exilia paſſi ſunt pro defenſione ſacrarum Imaginum: de quibus agitur in tabulis [a] Eccleſiaſticis Græcorum & Latinorum, & in epiſtolis [b] Theodori Studitæ. Qui & ipſe Theodorus noua emergẽte cauſa, ob clericum Aſiaticum ex hæretico Iconoclaſta ab eo conuerſum ad fidem Catholicam, iuſſu imperatoris crudeliſſima paſſus verbera, in longe tetriorem carcerem truſus eſt: vbi inter alia ingentia tormẽta, dira fame cruciatus, ſacra dumtaxat vixit Euchariſtia (cuius partes aliquas ſemper habere ſecum, more Orientalium conſueuerat) quouſq; Deus alia ratione ipſius victui mirabiliter prouidit. Quo etiam tempore maxime enituit Imperatricis *Mariæ* certamen; illius quæ nupta Conſtantino Irenes filio, cum ipſe præter ius faſque Theodotem mœchã ſibi in vxorem coniunxiſſet, in monaſterium detruſa fuerat: quæ quidem ea occaſione bene vſa, adeo profecit, vt hoc

a Mart. Rom. 12. Mart. Menol. Græc. 27. Mart. & 12 April.
b Tom. 2 ep. 19. 34. 35.

MARIÆ AVGVSTÆ CERTAMEN.

Digitized by Google

c Theod. l. 1. ep. 182.

vt hoc perſecutionis tempore exilium paſſa, victricem ſibi texuerit coronam: prout docetur ipſius Theodori c epiſtola ad eam tum ſcripta cum eius filia Auguſta tunc regnans matrem Mariam ad ſe ſtuderet vt ſecum degeret euocare: quod fieri non debere, ex Euãgelica lege Theodorus eam monuit, ne cum hæreticis communicaret aliquo modo, vel communicantibus cum hæreticis communicatione vlla temus iungeretur.

II. QVI PRO IMAG. DECERTANT, PRO CHRISTO ET SANCTIS DECERTARE. d Id l. 2. ep. 21. & 23. DE THEODORI EPISTOLIS SCRIPTIS IN CARCERE.

Sed & cum inter hæc aſſererent hæretici, fruſtra gloriari in confeſſione Fideles, longeque procul abeſſe vt pro Chriſto pati dicantur qui pro Imaginibus ſubeant illata ſupplicia; ſed ſicut pro Imaginibus ſuſceptum fuiſſet certamen, ita imaginaria ſpes eſſet de præmio conſequendo: iſta audiens Theodorus, mox occurrens, ad omnes Chriſti Confeſſores vbique degentes egregiam ſcripſit epiſtolam d, aliamque rurſus ad Abbatem quemdam in carcere conſtitutum; quibus abunde ex ſacra Scriptura & ſanctis Patribus oſtendit, Imaginem ſemper ad prototypum relationem habere; & ideo qui pro Imaginibus decertant, pro Chriſto ipſo & Sanctis decertare; ac vere martyres eſſe, qui pro eis ſupplicia ſubeunt. Vixq; credi poteſt, quot hoc tempore literas idem Theodorus ſcripſerit, hortatorias ad martyrium catecheticas ad inſtructionem, dogmaticas aduerſus hæreticorum obiectiones, conſolatorias ad concaptiuos, luctuoſas ad lapſos, canonicas ad reſipiſcentes: Vt plane appareat conſtitutum ipſum à Deo in Eccleſia Orientali fuiſſe, tamquam Patriarcham qui omnium curam gereret, & diuinum oraculum quod omnes conſulerent.

MIRACVLVM EX EPISTOLA THEODORI.

Quanti vero ſint faciendæ ipſius epiſtolæ, Deus inſigni miraculo comprobauit quod refert Michael, dum ingens quoddam incendium, quod nec aqua nec vllis machinis extingui poterat, iniecta in illud à quadam pia femina, cuius facultates ea conflagratione abſumebantur, epiſtola eiuſdem Sancti nuper ad eam miſſa, ſubito reſtinctum eſt. Sed & ſi earumdem ipſius epiſtolarum vim conſideres, totidem eſſe fulmina cœlitus miſſa dies, quibus omnes Hagiomachi & Iconomachi Nouatores perculſi valide, penitus conterantur.

III. LEON. PP. OBITVS.

Quod ad res pertinet Occidentales; hoc eodem anno pridie Idus Iunii, LEO Papa, cum ſediſſet annos viginti menſes quinque & dies ſeptemdecim (vt Anaſtaſius habet) ex hac vita migrauit; ſepultuſque eſt in baſilica S. Petri. Cuius cum recenſeantur nonnullæ res geſtæ abſque nota temporis, hic de iis agendum eſt. Tradunt enim ſcriptores omnes quotquot res Hiſpanicas ſunt proſecuti, huius auctoritate Põtificis factum vt ſedes Epiſcopalis Hirienſis Eccleſiæ transferretur Compoſtellam, id expoſcente per Carolum Magnum Alfonſo Caſto Rege Gallæciæ ab eodem Leone Papa Tertio.

INVENTIO CORPORIS S. IACOBI APOST. e Sup. an. 44. num. 4.

Idque quod reperto Compoſtellæ venerãdo corpore S. Iacobi Apoſtoli fratris Ioannis (de cuius translatione dictum eſt alias e) atq; miraculis inſigniter illuſtrato, Apoſtolici culminis reuerẽtia dignum viſum eſt, vt locus ille ſedis Epiſcopalis inſigniri deberet honore. Ex quo etiam tempore cœptus eſt totius Orbis concurſu frequentari: adeo vt qui ipſum venerandum ſepulchrum vniuerſo patens orbi; miraculorum promptuariũ nominarit, puto veritatis ſcopum attinget.

IV. MISSÆ PLVRES VNO DIE. f Walfr. de reb. Eccleſ. c. 21.

Ad hunc quoque Romanum Pontificem ſpectare certum eſt, quod Walfridus f Strabo huius temporis auctor ſcribit, Leonem Papam qui non longe ante vixiſſet, vna die ſepties vel nouies Miſſarum ſolemnia ſæpius celebraſſe. Sed tractatio de pluralitate Miſſarum vna die agendarum, prolixiorem requirit diſputationem. Leo vero cum eſſet grauiſſimis afflictionibus vexatus, frequentiorem adhibuit ad implorandum diuinum auxilium celebrationem Miſſarum: ſicut & alios ſanctiſſimos viros id ipſum aliquando vſurpaſſe reperimus.

V. DE PRETIOSIS ORNAMENTIS ECCLES. VRBIS.

Sed & idem Leo, quod tot annis quibus in Pontificatu vixit, multiplicibus oblationibus Caroli Magni, & aliorum Regum, ceterorumque Fidelium ad ſacra Limina ex remotiſſimis quibuſque regionibus iugiter peregrinantium, Romana locupletata Eccleſia admodum fuerit: quicquid ſupereſſet cleri atque pauperum alimoniis, accreſci voluit reſtaurationi & ornamẽtis eccleſiarum; quæ quam multiplicata fuerint & quam pretioſa, ſic deſcribit Anaſtaſius. Quem ſi pariter legeris in aliorum Pontificum ſubſequentium ac præcedentium Rebus geſtis, miraberis plane pretioſiſſima ornamenta, atque ingentia dona aurea, argentea, & gemmea, quæ ab iiſdem collata eſſe eccleſiis Vrbis ipſe ſcribit. Atque vtinam vt in huiuſmodi rebus recenſendis ſe exhibuit in Vitis ſingulorum Pontificum ſolertiſſimum, ita diligens fuiſſet ad conſcribendas res geſtas eorum in moderanda Eccleſia Vniuerſali.

VI. STEPH. V. PP. CREATVR.

Ceterum poſt mortem Leonis Sedem vacaſſe dies decem, idem auctor tradit, licet alii habeant dies viginti. Sicque decimo Calendas Iulii ex diacono creatus eſt in locum ipſius, STEPHANVS Papa eius nominis Quintus, dictus Quartus: qui autem ſedem Leonis dies viginti vacaſſe ponunt, creationem Stephani ad quintum Nonas Iulii collocant. Fuit autem Stephanus (vt Anaſtaſius habet) patria Romanus, ex patre Marino nobiliſſimo genere ortus.

g Theg. de geſt. Ludou. Imp. c. 16. 17. 18. STEPH. PP PROFICISCITVR IN GALLIAS, ET CORONAT LVDOVICVM IMP. h Vit. Ludo. c. 38. & 39.

Qui (vt auctor eſt Theganus g) mox vt creatus eſt, populum Romanum ſacramento Ludouici Imperatoris adegit. Ac paulo poſt in Gallias tendens, pro ſtabilienda (vt Anaſtaſius ait) Eccleſiæ pace honorificentiſſime ab ipſo Imperatore obuiam ei facto, & in ipſo acceſſu ter ante pedes ipſius proſtrato, exceptus eſt Rhemis, omniaq; obtinuit quæ petiit. Hæc pluribus Theganus: quorum etiam teſtis eſt auctor incertus h, ſed qui & ipſe ſui temporis res geſtas conſcripſiſſe noſcitur, domeſticus Ludouici, per ſingulos annos vitam ipſius conſcribens. Addit Theganus eumdem Põtificem in eccleſia ante Miſſarum ſolemnia coram clero & omni populo vnxiſſe Ludouicum in Imperatorem, & Irmingardem eius vxorem coronaſſe, Auguſtumq; nominaſſe. Apud Aimoinum autem traditur, Stephanum non duobus poſt conſecrationem ſuam exactis menſibus, quam maximis itineribus, ad Imperatorem contendiſſe; ac tertio poſtquam rediit menſe nondum exacto, circiter octauum Calendarum Februarii deceſſiſſe. Ex quibus patet, ipſum hoc eodem anno ex Galliis Romam rediiſſe ad finem menſis Octobris. De obitu vero dicetur anno ſequenti; ſicut & de eo quod ſub eius nomine fertur, decreto de Electione Rom. Põtificis.

IESV CHRISTI AN. 817.

LVDOVICI 4. LEON. ARM. 4.

PASCH. AN. 1.

I. STEPH. PP. OBITVS.

ANNO Chriſti octingenteſimo decimo ſeptimo, Indictione decima, octauo Calendas Februarii mortuus eſt *Stephanus* Papa, cum ſediſſet menſes ſeptem & dies tres; ſepultuſque eſt in baſilica S. Petri. Hæc ex Anaſtaſio: apud quem error irrepſit, dum pro ſeptem menſibus ſeptem poſiti habentur anni, vel etiam ſeptem anni & ſeptem menſes. Etenim redarguitur quam apertiſſime error ex huius temporis rerum Francorum ſcriptoribus, qui omnes æque teſtantur, poſt reditum ex Gallia Stephanum tribus menſibus tantum fuiſſe ſuperſtitem. Quem & ante obitum illuſtratum fuiſſe miraculis, Theganus tradit.

PASCHALIS CREATIO.

Cum autẽ vix biduo (vt habet Anaſtaſius) ſedes vacaſſet, PASCHALIS patria Romanus ex patre Bonoſo, miro totius cleri & populi conſenſu, ex preſbytero ac monaſterii S. Stephani præfecto creatus eſt Summus Pontifex, vir ſanctus, doctus, & eloquens, magnanimus; & miſericors, omnibus denique virtutibus præditus, atque Eccleſiaſticæ diſciplinæ, iuſtitiæque ſtudioſiſſimus: quem & eo ſanctitatis eſſe euectum vt miracula ediderit, ex eodem Anaſtaſio conſtat. Idem vero mox in Gallias miſſa legatione, confirmationem pacti & amicitiæ (vt habetur in Vita Ludouici Imperatoris, & apud alios eiuſdem ſæculi hiſtoricos) more prædeceſſorum ſuorum ab eodem Imperatore expetiit.

II. CONVENTVS AQVISGRAN. PRO

Hoc item anno, ſexto Idus Iulii, idem Ludouicus generalem habuit Aquiſgrani CONVENTVM Epiſcoporum atque Abbatum. In quo inter alia fuere conſtituta octoginta capitula de recta vitæ Regularium inſtitutione,

ac victus

ac victûs quantitate, in cunctis ditionis ſuæ monaſteriis tam virorum quam feminarum obſeruanda ſecundum Regulam S. Benedicti. Quod teſtatur idem Vitæ Ludouici auctor, & rerum inſpector: habenturq; eadem capitula, prout tunc conſtituta fuerunt, in Additione prima poſt ſeptimum librum Capitularium Francorum: ſed & aſſerit Leo [a] Oſtienſis, eademque illa apud Caſſinenſis monachos perinde fere ac Regulam Sancti Benedicti obſeruata eſſe. Additque inſuper, in eodem Aquiſgranenſi Conuentu Ludouicum confirmaſſe quæcumq; à Pipino auo & Carolo patre donata vel reſtituta eſſent Eccleſiæ Romanæ: quæ quidem Conſtitutio tunc à Ludouico cõſcripta, ex parte recitatur à Gratiano [b], integra autem habetur [c] in codicibus Vaticanis; qua profitetur concedere ſe Romanis Pontificibus ipſam Romanam ciuitatem cum Ducatu ſuo, & omnib. locis quæ eius ditionis eſſent tam in Tuſcia quam in Campania: itemque Exarchatum Rauennæ integrum; necnon Inſulas Corſicam, Sardiniam, & Siciliam: inſuperque Ducatum Beneuentanum & Spoletanum; Neapolim quoque, Calabriam, & alia plura loca quæ continentur eadem publica Conſtitutione; quam tum ſua, tum filiorum, & Epiſcoporum, atque Comitum ſubſcriptione firmatam, per Legatos Paſchalis Papæ qui eidem Synodo Aquiſgranenſi interfuerunt, ipſi tranſmiſit.

REFORMATIONE MONACHOR. &c.

a Leo Oſt. Chron. Caſ. lib. 1. c. 18.

CONFIRMATIO DONATIONIS HONOR. ECCL. RO.

b Dist. 63. c. Ego Ludouicus.

c Rer. Sar. Annal. To. IX.

Quod vero eadem pariter liberam omnino reliquit Clero ac populo Romano electionem & coronationem Summi Pontificis; nec ad aliud teneri voluit qui crearetur, niſi vbi eſſet conſecratus legationem mittere ad Imperatorem, qua eum de ſua promotione faceret certiorẽ ex his datur intelligi, decretum [d] quod recitatur nomine Stephani vltimi Pontificis, ne conſecratio electi fieret niſi præſentibus Legatis Imperialibus; aut omnino non ſancitum fuiſſe (ſicut & aliæ eiuſmodi confutatæ ſunt ſuperius ſchiſmaticorum impoſturæ) vel ab ipſo Ludouico non eſſe acceptatum, cum (vt dictum eſt) ſtatim his contraria eo conſtituta noſcantur. Porro in hoc quoq; Conuentu, à Ludouico filium primogenitum LOTHARIVM coronatum eſſe Imperatorem; Pipino vero Aquitaniam datam, & Ludouico Baioariam; tradit idem auctor Vitæ Ludouici.

III. ELECTIO ET CORONATIO R. PONT. RELICTA LIBERA.

d diſt. 63. cap. 28 quia Sancta.

Poſt quæ, cum ſub finem huius anni Bernardus filius Pipini, fratris ipſius Ludouici Imperatoris, Italiæ Rex, conſilio prauorum quorumdam hominum in eumdem Imperatorem rebellans coniuraſſet, moxque idem Imperator maximum aduerſus eum collegiſſet exercitum; Bernhardus ſe viribus imparem cernens, ad Imperatorem acceſſit, ac pedib. eius prouolutus veniam petiit. Cuius ac complicum atrocis coniurationis exactiori habita diſquiſitione; eoſdem iudicio magnatum Francorũ capitali punitione dignos, Imperator luminibus tantummodo priuari permiſit: Epiſcopos autem eiuſdem coniurationis reos, à SYNODO Epiſcoporum depoſitos, monaſteriis mancipauit. Hæc idem qui ſupra auctor Vitæ Ludouici, aliique Francorum Annales. Addit vero Theganus: Bernhardo die tertio poſt amiſſionem luminum defuncto, Imperatorem maximo dolore affectum, publicam ſeueritatis in eum permiſſæ confeſſionem coram Epiſcopis egiſſe, & ab eis pœnitentiam ſuſcepiſſe, de qua dicetur pluribus ſuo loco. Hæc n. præſenti anno cœpta, in alios ſunt propagata: ſiquidem poſt ſequentis feſtiuitatem Paſchalem excæcatum fuiſſe Bernhardum, iidem auctores tradunt. Qui etiam detonſos, detruſoſque in monaſterium narrant filios Caroli Magni naturales, in eiuſdem criminis ſuſpicionem adductos, Drogonem, Theodoricum, & Hugonem. Sed & Adelhardus Corbeiæ in Saxonia Abbas, eiuſdem Caroli Magni conſobrinus, calumniis impetitus iuſſus eſt exulere; cum tamen vir eſſet ſanctitate conſpicuus, cuius extant Vitæ acta [e] ſcriptis tradita à Paſchaſio Ratberto eius temporis auctore.

IV. CONIVRATIO BERN. REGIS ITALIÆ IN LVDOV. IMP. EIVSQVE SVPPLICIVM.

e ap. Sur. 2. Ianuar.

V.

Hoc eodem anno legationẽ miſſam eſſe à Leone Imperatore ad Ludouicum Auguſtum, pro finibus Dalmatiarum, Romanorum, & Sclauorum; Theganus tradit.

VI.

Sed quod ad Religionis ſtatum pertinet, vbi innotuiſſet in Oriente, Paſchalem in Apoſtolicum eſſe thronum euectum, Theodorus Studita clariſſimus Confeſſor ad eum, pariterque ad alios Patriarchas, Alexandrinum, Antiochenum, & Hieroſolymitanum, literas [f] ſcripſit, quib. eos certiores reddidit de ſæuiſſima perſecutione ab Iconomachis excitata; hortatuſq; eſt ad opem ferendam periclitanti fidei Orthodoxæ. Quo eodem tempore cum ex veteri conſuetudine ipſe etiam impius Theodotus Conſtantinopolitanus Patriarcha ad eumdem Paſchalem miſiſſet Apocriſarios pro reſponſis Eccleſiaſticis, communionem hac via conatus ſubripere ab ipſo Romano Pontifice; audiens Paſchalis eos in Vrbem aduentare, prohibuit ne propius accederent. Contra vero miſſum nuncium à Theodoro & aliis Archimandritis, quam benigniſſime excepit; & quibus potuit modis ſtuduit periclitantibus præſto eſſe, reddens ad eos affectus paterni pleniſſimas Apoſtolicas literas, quibus ii magna ſunt conſolatione affecti & fortitudine roborati. Licet enim careamus literis illis Paſchalis; hæc tamen ita ſe habuiſſe, fidem faciunt aliæ quæ extant [g] ab iiſdem monaſteriorum præpoſitis ad eumdem Pontificem anno ſequenti ſcriptæ. Quas cum citat Gennad. [h] Scholarius Patriarcha Cõſtantinopolitanus, vna cum aliis [i] ad eumdem Pontificem, vel de eo ſcriptis, recitat quoque totidem verbis quæ in eis habentur in laudem Apoſtolicæ Romanæ Sedis; quæ inter alia ibi vocatur *Supremus thronus, in quo Chriſtus fidei claues poſuit: aduerſus quem non præualuerunt vnquam, nec præualebunt vſque ad conſummationem portæ inferi, ora ſcilicet hereticorum; fons Orthodoxæ veritatis, aduerſus omnem hæreticam procellam tranquillus portus Eccleſiæ vniuerſæ, electa ciuitas refugii ſalutis:* ipſe vero Pontifex vocatur *Princeps ſacerdotum primus, Vniuerſalis, Supremum lumen, Apoſtolicũ caput, à Deo præpoſitus, paſtor ouium Chriſti, Ianitor regni cælorum, Petra fidei ſuper quam ædificata eſt Catholica Eccleſia.*

f Theod. Stud. 2. ep. 12. 14. 15. Meminit quoque eorum Mich. in Vit. Theo.

LEGATIONES ORIENT. ANTISTITVM AD PASCHAL. PAP.

g Ibid. 2. ep. 12.

h Gennad. Schol. expoſit. pro Concil. Florent. ca. 5. ſect. 16. & 17.

i ap. Theod. 2. ep. 12. 62. 63. 86. 129.

PRÆCONIA ROM. SEDIS ET PONTIF.

Quid autẽ aliis ſuis litteris ad Patriarchas datis Theodorus profecerit, nulla eſt ipſius affirmatio, imo querela in epiſtola [k] poſtea tempore Michaelis Imperatoris ſcripta ad Hieroſolymitanum: in qua laudat tantummodo nauatam operam à Romano Pontifice, quem ait reſiſtentium impietati mentes ſummopere confirmaſſe, impiorum vero inſolentiam à ſpiritu profecta reprehenſione profligaſſe. Quamquã querela iſta Theodori de Patriarchis quod Eccleſiæ ſuccurrere deſtiterint, magis pertinet ad Alexandrinum & Antiochenum, ſiquidem Hieroſolymitanum cõſtat ſe legiſſe ex S. Sabæ Laura duos egregios monachos, ſanctitate claros, doctrina conſpicuos, Chriſtiana conſtantia firmos, fratres germanos Theodorum & Theophanem; qui miſſi Conſtantinopolim vt Patriarchæ ſui nomine hæreſim oppugnarent, ſub impiis Imperatoribus Michaele & Theophilo quam ſtrenuiſſime certarunt: vt conſtat ex auctore eius temporis, qui amborum pugnas eſt proſecutus; de quibus plura inferius.

VII.

k Ibid. 2. ep. 121.

QVOMODO PATRIARCHÆ IN HIS ECCLESIÆ NECESSITATIB. SE GESSERINT.

IESV CHRISTI AN. 818.

LVDOV. 5. LEON. ARM. 5.

PASCH. AN. 2.

ANno Domini octingenteſimo decimo octauo, Indictione vndecima, aduenerunt Conſtantinopolim Legati miſſi à Paſchale Romano Pontifice, cum litteris aduerſus Iconomachos, quibus iidem erroris arguerentur, & niſi reſipiſcerent oſtenderentur ſeparati eſſe ab Eccleſiæ Romanæ communione. Eſt enim mentio de hac legatione in epiſtola catechetica Theodori [a] Studitæ ad diſperſos fratres contra Iconomachos, aliaq; ad Naucratium diſcipulum ſuum data, qui Conſtantinopoli detinebatur in carcere. Qua quidem legatione illud effectum eſt, vt [b] quamplurimi deteſtati errorem ſint veritatem profeſſi, ex omni hominum genere vtriuſque ſexus: adeo vt & plures qui latebant prodeuntes in lucem tormentis ſe obiicerent. Ea enim occaſione perſecutionem valde recrudui ſſe,

I. LEGATIO A PASCHALE MISSA IN ORIENTEM ADVERSVS ICONOMACHOS.

a Theod. Stud. 2. ep. 62. & 63.

b Ibid. 2. ep. 71.

eruduiſſe, ex multis aliis eiuſdem Theodori literis ſit manifeſtum. Quod vero perſecutores martyrium Orthodoxis inuiderent, haud mortem violentam palam intulerunt, ſed fatigationibus eos frangi, carceribuſque & exiliis confici voluerunt: quorum plurimorum nomina in ſacras Græcorum tabulas martyrii titulo relata ſunt.

II. MONACHI GRÆCI CONFVGIVNT ROMAM.

Quo etiam tempore, vt Græcis monachis Romam fugientibus Paſchalis Papa digne proſpiceret, cum non ſufficerent magno ipſorum numero alia quæ in Vrbe erant Græcorum monaſteria, nouum conſtruxit apud S. Praxedem, quem presbyteralem Titulum nimia vetuſtate collabentem reſtituit, & multis Sanctorum corporibus è Cœmeteriis illuc tranſlatis ditauit; doniſque quamplurimis & reditibus auxit, in ſubſidium eorumdem monachorum Orientalium: vt teſtatur Anaſtaſius, & patet ex inſcriptionibus, quæ adhuc in eadem eccleſia viſuntur.

IESV CHRISTI AN. 819.

LVDOV. 6. LEON. ARM. 6.

PASCH. AN. 3.

I. CONVENTVS AQVISGRAN. PRO STATV ECCL. OPTIME DISPONENDO.

ANno Chriſti octingenteſimo decimonono, Indictione duodecima, Ludouicus Imperator (vt veteres Annales Francorum produnt) hieme *Conuentum* habuit *Aquiſgrani*; in quo multa de ſtatu Eccleſiarum atque monaſteriorum decreta ſunt: additaque capitula quędam antiquis Conſtitutionibus. Porro eumdem Conuentum habitum fuiſſe ad audiendas relationes eorum quos idem Imperator ad reſtaurandum vel confirmandum Eccleſiarum ſtatum miſiſſet; tradit auctor eius temporis in Vita ipſius Ludouici. Etenim Imperator maxime pius, quibus valuit modis conſulere laborans Eccleſiis Gallicanis, per ſingulas prouincias legationes inſtituit ſingulas, mittens Epiſcopum & cum eo Comitem vna cum legum Eccleſiaſticarum capitulis, quæ ſingulis darent deſcribenda & obſeruanda Eccleſiis; quæ adhuc[a] extant. Sed & hoc eodem anno alium habitum eſſe ab eodem Ludouico *Conuentum* æſtatis tempore in villa *Engelheim*, iidem Annales habent; in quo præter illa quæ ad res bellicas ſpectantia tractata ſunt, actum eſt de his qui res ſiue perſonas Eccleſiaſticas infeſtarent: cuiuſmodi decreta recenſet Benedictus Leuita in Collectione Capitulorum[b].

a Capitul. Franc. lib. 2. cap. 24. & 99.
b Ibid. lib. 6. cap. 96.

II. CONCIL. IN VILLA THEODONIS.

Ad hæc quoque tempora pertinet CONCILIVM triginta duorum Epiſcoporum celebratum in *Villa Theodonis*[c], cuius certus neſcitur annus, licet alii in duodecimum ſupra octingenteſimum Saluatoris referant. Verum quod in eo interfuiſſe leguntur Aiſtulphus Moguntinus Epiſcopus & Ebbo Rhemenſis, qui iidem nominati repeniuntur inter miſſos à Ludouico ad prouincias, de quibus nuper dictum eſt: inde euidentiſſime conſtat, eamdem Synodum Villæ Theodonis haud poſſe in ea tempora referri: ſiquidem eo tempore non iſti Epiſcopi eas regerent Eccleſias, ſed Moguntinam Richolphus, & Wolpharius Rhemenſem; vt patet ex Synodis Moguntina & Rhemenſi celebratis paulo ante obitum Caroli Magni, anno Domini octingenteſimo decimotertio. Ceterum iſtud Concilium Villæ Theodonis[d], celebratum eſt occaſione necis Ioannis Epiſcopi: atque in eo aduerſus percutientes Eccleſiaſticos omnes in ſacro ordine conſtitutos, antiquę ſunt renouatæ cenſuræ, & aliæ ſupraadditæ; præſertim verò aduerſus inſidiantes Epiſcopis, viguit Eccleſiaſticæ cenſuræ ſeueritas. Quæ vero eidem Concilio ſubicitur Conſtitutio facta à Carolo Magno & Ludouico filio aduerſus percuſſores ſacrorum miniſtrorum; longe abeſt vt eorum eſſe poſſit, quandoquidem in ea mentio habetur Concilii Tiburienſis, quod celebratum conſtat ſub Arnulpho Rege anno Redemptoris octingenteſimo nonageſimo quinto.

c De hoc Côcil. egit Bar. an. 805. ſed poſtea correxit. Quid vero fraudis in illud cômiſerit Goldaſtus, vide Gretſ. Apol. Bar. cap. 10. de qua ſup. an. 774. n. 3.
d To. 3. Concil.

DECRETA CONTRA PERCVSSORES CLERIC.

III. AVCTORITAS SE-

Sed quod ſpectat ad eas quas diximus, aliaſque leges Eccleſiaſticas, tam ab eodem Ludouico, quam à Carolo Magno ipſius patre, in frequentibus Synodis ab illis habitis editas; eas Romani Pontificis auctoritate ſancitas eſſe Epiſcoporum conſpirante ſententia; nec aduerſus Romanorum Pontificum aliorumque Epiſcoporum decreta, aliquid ipſos præſumpſiſſe; multis in locis deteſtatur idem qui ipſorum leges Capitulares collegit Benedictus[e] Leuita. Quod adnotaſſe voluimus ad confutandam Nouatorum perfidiam, qui exemplo Caroli, Ludouici, & aliorum Chriſtianorum Principum, ius condendarum legum Eccleſiaſticarum tribuunt Regibus & Imperatoribus. Tantum enim abfuit Ludouicus de quo nunc agitur (de ceteris enim dictũ eſt, vel dicetur ſuis locis) à condendis legibus ad Eccleſiæ perſonas & res ſpectantibus; vt etiam nec putauerit licere ſibi ſuiſque Epiſcopis, abſq; auctoritate Romani Pontificis de his quę ſpectant ad Eccleſiaſticas controuerſias, vel tantum pertractare atque diſſerere; vt patet ex ipſius, Epiſcoporumque literis ad Eugenium Papam Secundum poſtea[f] ſcriptis.

-DIS A- POST. SANCTÆ CAPITVLA LVDOVICI IMPERATORIS.
e Capitul. [illegible]
f Infra an. 824. [illegible]

IV.

Hoc eodem anno idem Ludouicus Imperator duxit vxorem *Iudith*, filiam Huelfi Comitis, quam creauit Auguſtam; cum iam anno ſuperiori mortua eſſet Irmingardis Imperatrix. Hæc veteres Francorum Annales. Porro de nobiliſſima ſtirpe Bauarorum fuiſſe Iudith, Theganus affirmat: ſed quanta ex hoc matrimonio mala emerſerint, videbitur infra.

V. THEODORI STVD. NOVÆ PASSIONES.

Abſoluitur item hoc anno diri carceris Theodori Studitæ annus tertius: quo, menſe Februario, iuſſu Leonis Imperatoris (in cuius manus inciderant literæ quædam eiuſdem Sancti, quibus eius amentia atque impietas arguebatur) ad acriora reuocatus tormenta, à Magiſtro militum Orientis duriſſime verberibus fere vſque ad mortem cæſus eſt; ac poſt tres menſes Smyrnam perductus: vbi iterum atque iterum acerrima paſſus verbera, quibus in ſuccum ac ſolis oſſibus inhærens ipſius corpuſculum, centenis per vices ictibus penitus dilacerari conſueuerat; in obſcurum ſub terra carcerem retruſus eſt: poſtea vero blandimentis tentatus, cum nec ſic à fidei confeſſione dimoueri poſſet, arctiori cuſtodiæ redditus eſt. Hæc pluribus Michael in ipſius Vita; quæ etiam conſtant ex eiuſdem Theodori tunc ad diuerſos ſcriptis literis[g], cum magna vigilantia caueretur nequis ad eum accederet, vel cum eo loqueretur.

g Theod. Stud. [illegible]

IESV CHRISTI AN. 820.

LVDOVICI 7. LEON. ARM. 7.

PASCH. AN. 4.

I. LEO IMP. OCCIDITVR IVXTA ALTARE.

ANno Domini octingenteſimo vigeſimo, Indictione decimatertia, multa præceſſerunt de Leonis Imperatoris interitu præſagia & prædictiones: qui tandem in ipſa nocte Natalis Domini, dum Officio Eccleſiaſtico intereſſet, in eccleſia Palatii gladiis coniuratorum appetitus, ad ſacrum altare recurrens, Cruce ictus confodientium diu auertit, donec vndique vulneribus confoſſus ſuccubuit; interfectus à fautoribus Michaelis Ducis, cognomento Balbi; qui quòd multa in ipſum Imperatorem atrocia effutire, licet monitus non deſiſteret, damnatus igni fuerat, mox poſt feſtum Natalis Domini comburendus. Necatus eſt autem Leo, poſtquam regnaſſet ſeptem annos & menſes quinque; & immanior quam vllus anteceſſorum crudelitate atque impietate viſus, diligentiam in Republica procuranda, inque rebus bellicis fortitudinem ſuam obſcuraſſet. Eius cadauer percuſſores in circum traxerunt. Auditaque vocem ſtatim cœlitus editam, quæ lætum de eius morte nuncium multis patefecerit.

II. MICHAEL BALB. IMPERAT. [illegible]

Confeſtim autem poſt eius necem, idem MICHAEL catenis adhuc pedes conſtrictus (ſiquidem catenæ claues ipſe Leo aſſeruabat) Imperatorio ſolio collocatus, Auguſtus eſt acclamatus: ſolutiſq; malleo compedibus, vt erat ſordibus conſpurcatus, impudenter ad magnum S. Sophiæ templum progrediens, manu Patriarchæ coronatus eſt.

tus eſt, & ab vniuerſo populo Imperator ſalutatus. Fuit is Amorii in ſuperiori Phrygia natus: vbi cum ex conſuetudine Iudæorum inualuiſſet quædam hæreſis, quæ ſolum baptiſmum admittens, ac circumciſionem reſpuens, in reliquis omnibus Moſaicam legem amplectebatur; huiuſmodi hæreſi Michael imbutus, aliaſque pariter ſuperinducens nouitates, vere fuit omnis impietatis colluuies. Qui inſuper occiſo Leone, quatuor eius filios in inſulam deportauit, caſtrarique præcepit; ob quam exectionem vnus eorum mutus eſt redditus, & alius vita functus: vxorem vero Leonis monaſterio incluſit. Hæc omnia plurib. refert Cedrenus, ab auctore eius temporis accepta.

III. DE TRANSLATIONE S. MARCI VENETIAS.

Sub eodem quoque Leone Armeno (neſcitur quo ipſius Imperii anno) facta ponitur Translatio corporis S. Marci Alexandria Venetias per mercatores Venetos; qui dum Saraceni cunctas Ægypti eccleſias, aliaque loca, ad palatium ſibi quoddam magnifice conſtruendum, marmoribus ſpoliarent, indeque mœror omnes Chriſtianos occupaſſet; conſilio cum eiuſdem ſacratiſſimi corporis cuſtodibus inito, eorumdem conſenſu illud furtim abſtulerunt; cum iam antea eiuſdem Euangeliſtæ Sedes, dono fuiſſet ab Heraclio Imperatore data illi Reipublicæ, quæ S. Marci ſtudioſiſſima eſſe ſciretur, vt quæ gloriaretur ab eo ſacrum Euangelium accepiſſe antequam Alexandriam mitteretur à Petro. Huius autem corporis translationis cum plures ſint teſtes, prolixe rei geſtæ ſeriem codex Vaticanus [a] continet, vbi & plura narrantur miracula tunc edita. Cum autem ponatur accidiſſe ſub eodem Leone imperatore, atque Iuſtiniano tunc Venetiarum Duce; inde corrigas eos, qui anno Redemptoris octingenteſimo vigeſimo octauo, vel trigeſimo, id factum eſſe dixerunt, annos Ducum haud adeo exacta temporis ratione dinumerantes.

[a] Rec. Bar. Annal. To. IX. hoc an.

IV.

Ceterum cum ingẽtem adeo theſaurum Veneti eſſent adepti, vt caute eum cuſtodirent omnem adhibuerũt induſtriam. Sciebant enim Francos, penes quos erat in Occidente ſumma poteſtas & imperium, Sanctorum corporum cupidiſſimos, venari ea, frequenterq; ex Italia complura in Gallias transferre. Nequid igitur eiuſmodi pati cogerentur inuiti; ita in ſumptuoſa tunc erecta in S. Euangeliſtæ honorem baſilica, eadem ſacra pignora collocarunt, vt vbi locorum in ea poſita eſſent, penitus ab aliis fuerit ignoratum: cum tamen certo ab omnibus ex maiorum aſſertione tradatur, ipſa eadem baſilica contineri.

IESV CHRISTI AN. 821.

LVDOVICI 8. MICH. BAL. 1.

PASCH. AN. 5.

I. DE INVENTIONE CORPORIS S. CÆCILIÆ.

ANno Chriſti octingenteſimo vigeſimo primo, Indictione decimaquarta, à Paſchali Romano Pontifice [a] corpus S. Cæciliæ virginis & martyris, ipſa eadem reuelante, repertum eſt in cœmeterio Prætextati, aureis velatum indumentis ſanguine adhuc infuſis: quod inuentum ſimul cum corporibus SS. martyrum Valeriani eius ſponſi, Tiburtii, Maximi, necnon Vrbani atq; Lucii Romanorum Pontificum, tranſtulit intra Vrbem in eccleſiam eiuſdem S. Cæciliæ nomine nuncupatam, quam & plurimis donis auxit. Quomodo autem iſta ſe habuerint, Anaſtaſius deſcripſit ex ipſius Paſchalis ea de re editis literis [b] Apoſtolicis. Porro eadem ſacra pignorá, diuturnitate tẽporis fere in tenebris iacentia, nouiſſime ſub Clementis Octaui Pontificatu, anno Redemptoris milleſimo quingenteſimo nonageſimo nono, à Paulo Sfondrato Gregorii Decimiquarti nepote eiuſdem Tituli S. Cæciliæ presbytero Cardinale, ita inuenta ſunt in reædificatione eiuſdem baſilicæ, vt fuerant à Paſchale recondita, cum madidis ſanguine velis & veſte auro texta: quæ rurſum ab eodem Clemente Papa ſolemni ritu repoſita fuere.

[a] Sigeb. in Chron. hoc an.
[b] Rec. Bar. To. IX. hoc an.

II.

In Oriente vero Michael, cognomento Balbus, mox vbi eſt potitus Imperio, edictum promulgauit [c], vt omnes Orthodoxi carcere vel exilio ſoluti libere ad propria redire poſſent. Poſtea vero cum plerique Conſtantinopolim aduenisſent, iubente eodem vt Epiſcopi omnes tam Orthodoxi quam Iconomachi vna conueniẽtes, de dogmatibus inter ſe agerent; excuſantes Orthodoxi, non decere in concilium vnum cum hæreticis conuenire, nec audire penitus niſi ad correptionem, id vetantibus Eccleſiaſticis regulis; Imperatorem ſcripto monuerunt, vt ſi ipſe de aliqua re ambigeret, *eius declarationem peteret ab Eccleſia Romana, prout ab initio antiqua Patrum traditione mos fuiſſet, quippe quod ea ſit ſuprema Eccleſiarum Dei, aduerſus quam portæ inferi non poſſint preualere.* Extat enim eiuſmodi ad Imperatorem epiſtola, ex perſona omnium Epiſcoporum & Abbatum ſcripta, apud Theodorum [d] Studitam; qui & ipſe edicto Imperatoris vinculis ſolutus redierat Conſtantinopolim, multis in via editis miraculis quæ narrat Michael in eius Vita: cuius etiam Theodori aliæ ſuperſunt eodem argumento ad Leonem [e] Sacellarium ſcriptæ literæ, de modo conciliandæ in Eccleſia pacis; aliæque [f] rurſum ad ipſum Imperatorem, nomine omnium vbique exiſtentium Orthodoxorum, quibus de fide Catholica quam profiterentur redderent rationem cuique petenti. Addit vero in eius Vita Michael, Orthodoxos Antiſtites Imperatori preces obtuliſſe, vt ſacræ Imagines vbiq; reſtituerentur; illumque eorum petitioni annuiſſe, niſi quod prohibuerit eas Conſtantinopoli erigere, eo quod ipſe hactenus nullam coluiſſet vel adoraſſet: vt tamen extra vrbem erigerentur permiſiſſe.

[c] Mich. in Vit. Theod. Stud.

EXVLES RESTITVTI IN ORIENTE.

ROM. ECCL. IN DVBIIS CONSVLENDA.

[d] Theod. Stud. 2. ep. 86.
[e] Id. 2. ep. 129.
[f] 2. ep. 200.

IMAGINES RESTITVTÆ.

III. PRIMITIÆ MARTYRVM CORDVBENS.

Hic idem pariter annus numeratur [g] primus Habdarraghman Regis Saracenorum in Hiſpania: cuius primordiis Cordubæ, vbi ſedem regni fixerat, coronati ſunt martyrio *Adulphus* & *Ioannes*: vt teſtatur S. Eulogius [h] eiuſdem temporis ſcriptor patria Cordubenſis. Fueruntq; iſti primitiarum manipuli à nobili illa Eccleſia oblati Domino: quos ingens ſecuta eſt meſſis Martyrum falce Saracenorum obtruncatorum, de quibus ſuis locis dicturi ſumus.

[g] Amb. Moral. in Schol. ad Euleg.
[h] Eulog. Memor. Sanct. lib. 2. cap. 8.

IV.

Hocque eodem anno reddunt Annales Francorum in Rebus geſtis Ludouici Imperatoris, Fortunatum Gradenſem Patriarcham Maieſtatis apud eumdem Imperatorem accuſatum, quod nonnullos rebelles conſilio & opere adiuuiſſet, Conſtantinopolim aufugiſſe: quem inde poſt biennium redeuntem vna cum Legatis Michaelis Auguſti Ludouicus Romam iudicandum miſit ad Papam.

IESV CHRISTI AN. 822.

LVDOVIC. 9. MICH. BAL. 2.

PASCHALIS AN. 6.

I.

ANno Chriſti octingenteſimo vigeſimo ſecundo, Indictione decimaquinta, Ludouicus Imperator, qui ſemel inflictum ex morte Bernardi Italiæ Regis nepotis ſui, & ex aliis quæ in fratres ſuos commiſiſſet, conſcientiæ vulnus, numquam ſanare potuiſſet: recens à S. Adelhardo Corbeiæ in Saxonia Abbate, eodemque conſobrino Caroli Magni (quem & ipſum olim exilio mulctatum, nuper reſtituerat) de eadem re [a] monitus, CONVENTVM generalem in vico Attiniaco habuit Epiſcoporum, Abbatum, ac Procerum: in quo fratribus primo reconciliatus, poſteaq; ſe erraſſe palam confeſſus, exemplo Theodoſii Imp. pœnitentiam ſpontaneam ſuſcepit: cum & præſtita omnibus qui læſi viderentur ſatisfactione, plurimas pauperibus eleemoſynas largitus eſt, atq; orationes pro ſe faciendas iniunxit: denique eodem modo Deum ſibi placare ſtuduit, ac ſi quæ ex legum præſcripto in delinquentes commiſſa fuerant, ipſe crudelitate perpetraſſet. Hæc veteres Annales, & alii ferme omnes qui res Francorum ſcriptis ſunt proſecuti. Porro publicam pœnitentiam tunc temporis in diuturno cilicio, ieiuniis, orationibus, eleemoſynis, frequentique manus ſacerdotum impoſitione, fieri ſolitam: colligitur ex pluribus eiuſdem Imperatoris Conſtitutionibus [b]: quibus & ſeipſum adeo contritum dolore cordis ſubiicere voluiſſe, quis dubitet? Meminit vero etiam de eodem Conuentu Attiniacenſi Agobardus [c] Archiepi-

[a] Vit. Adel. ap. Sur. 2. Ianuar.

LVDOVICVS IMP. PVBLICAM AGIT POENITENTIAM.

QVO MODO FIERET PVBLICA POENITEN.

[b] Capitul. l. 5. ca. 58. 59. 62. 63. 71.
[c] Agob. de diuiſ. [illegible]

piſcopus Lugdunenſis, qui eidem interfuit, & ſermonem habuit aduerſus Laicos res Eccleſiaſticas illicitè tractantes, eaſq; in vſus ſuos impie expendentes.

II. De Thoma tyranno, et obsidione Constantin.

Hoc item anno obſidione laborauit Conſtantinopolitana ciuitas, *Thoma* tyranno præſtringente eam: qui ex obſcuriſſimo homine, famuloque viri Senatorii Conſtantinopoli, pœnæ metu ob inuaſum thorum eius, factus tráſfuga ad Saracenos, ibi ad viginti quinque annos eiurata Chriſtiana fide permanſit. Poſtea vero rediens, ſe Conſtãtinum finxit eſſe filium Irenes: eaque arte comparato ſibi perditiſſimorum hominum cœtu, ſub Leone Armeno occupauit Armeniam, & alias prouincias. Ac creato Michaele Balbo Imperatore, maioribus copiis ſimul collectis, terra marique Conſtantinopolim longa obſidione ſtrinxit. Sed Michaeli Rex Bulgarorum ſponte auxilium impẽdens, Thomam cum ſuo exercitu profligauit: quem poſtea Imperator ab Hadrianopolitanis ciuib. deditum, manibus & pedibus mutilauit, lentoque ſupplicio perire voluit vna cum filio eius adoptiuo Anaſtaſio ex monacho. Hæc ex antiquioribus ſcriptoribus Cedrenus; necnon ipſe Michael Imperator in literis, poſt bellum peractum conſcriptis (vt dicetur) ad Ludouicum Auguſtum: ex quibus etiam conſtat, obſidionem Conſtantinopolitanam cœptam eſſe menſe Decembri Indictionis decimę quintæ, eamdemque modo propiorem, modo longiorem, vſque ad vnius anni ſpatium perſeueraſſe; ipſum autem bellum penitus conſummatum fuiſſe Indictione ſecunda.

III. Creta, Insula unde dicta Candia.

Hoc eodem tempore Saracenos Hiſpaniæ obtinuiſſe Cretam inſulam, Græcorum Annales teſtantur apud Cedrenum; eamque vt retinerent, monachi vſos conſilio, in loco tuto Candace nominato vrbem munitam erexiſſe, ex qua vniuerſæ inſulæ dominarentur. Factumque ex hoc eſt, vt loco Cretæ inſula *Candax* cœperit nominari, atq; ſic deinceps vulgo *Candia* dici.

IESV CHRISTI AN. 823.

LVDOVICI ... MICH ...

PASCH. AN. 7.

I. Lotharius coronatur a Pasch. Papa.

ANno Domini octingenteſimo vigeſimo tertio, Indictione prima *Lotharius* Ludouici Imperatoris filius, iam à patre Imperator deſignatus, Romam veniens, à Paſchale Papa die Paſchatis in eccleſia S. Petri coronatus eſt; ac ſtatim in Gallias rediit. Poſt quæ cum Theodorus S. R. E. Primicerius, & Leo Nomenclator, luminibus priuati, ac deinde decollati fuiſſent in Epiſcopio Lateranenſi; ferreturq; id conſenſu Paſchalis factum ob eorum fidem erga Lotharium: miſſi à Ludouico Romam Legati qui ea de re cognoſcerent, redeuntes cum eiuſdem Pontificis Legatis, retulerunt Paſchalem ſe de eo crimine ſacramento purgaſſe. Hæc auctor Vitæ Ludouici: eademq; reliqui eiuſdem temporis auctores. Inter quos qui ad Aimoinum adiecit Appendicem, ait interfectos damnatos fuiſſe à Paſchale reos maieſtatis, interfectores vero extitiſſe ex familia S. Petri; quos quia Paſchalis defenderet, ob id eum in ſuſpicionem adductum eſſe: verum patuit, fuiſſe ipſum eius cædis innocentiſſimum.

II. Prodigia crebra.

Hoc eodem anno tam in Oriente quam in Occidente (vt habent Cedrenus, & Annales Francorum) crebra viſa ſunt atque audita prodigia, ex terræmotibus atq; fulminibus inuſitatis, ex igne de cœlo lapſo pluuia lapidum peſtilentiaque hominum & animalium: habitumq; eſt præterea loco prodigii, quod puella quædam vnius ferme anni ſpatium ſine cibo tranſegerit. Quibus addimus quod habetur apud Aimoinum & alios, de Imagine B. Mariæ Virginis in territorio Comenſe, quæ per biduum mira claritudine (cum tamen præ nimia vetuſtate iam pene abolita eſſet) effulſit. Prodigia autem illa crebris ieiuniis, orationibus, eleemoſynis, atq; incruento ſacrificio, expiari iuſſa à Ludouico Imperatore in *Conuentu* Compendii habito; teſtatur auctor Vitæ ipſius, & habetur in Capitularibus [a] Francorum. Sed & de eodem Compendienſi Conuentu agens Agobardus [b] Archiepiſcopus Lugdunenſis, ait in eo actum eſſe de rebus ſacris illicitè à laicis poſſeſſis: qua de re ſeriam valde ipſe tractationem inſtituit, fortiſſimiſque confirmauit auctoritatibus, laicos in bonis Eccleſiæ nullum ſibi vendicare debere ius & rationem; eoſdemque ſi ſecus faciant, apud Deum ſe ſacrilegii reos conſtituere, puniendos perenni inferni pœna, igne inextinguibili.

b Agob. li. de diſpenſ.

Adversus laicos bona eccl. usurpantes.

III. c Theod. Stud. 2. epiſt. 129.

Quod vero ad prædictas clades attinet; meminit quoque earumdem Theodorus Studita in epiſtola [c] quam ad Leonem Sacellarium ſcripſit, cum Michael Imperator videretur maxime deſiderare vt pax in Eccleſia conciliaretur: qua quidem epiſtola inprimis recenſet iræ diuinæ ſigna, nempe terræmotus, fames, eluuiones maris, atque incendia, ad correptionem hominum à Deo immiſſa: poſtea vero docens quid opus ſit facto ad pacem in Eccleſia ſanciendam, primum omnium ait prorſus excludendum eſſe iudicium ſæculare à rebus fidei: cum nihil aliud Imperatoribus & Præſidibus, de diuinis dogmatibus à Deo traditum ſit, niſi vt opem ferant, & comprobent quæ decreta fuerint ab Epiſcopis, ac reconcilient qui carnaliter diſſident ac diſcrepant: deinde ab vtraq; parte litigantium de fide mittendam eſſe ad primæ Sedis Romanæ Præſulem legationem, & inde fidei accipiendam certitudinem, quippe cui etiam ſumma poteſtas deferatur Synodorum Oecumenicarum.

Quib. modis pax in Eccleſia conſeruari poſſit.

IV. Ebbo, Rhem. prædicat Evangelium Danis.

Hoc item anno, conceſſione Paſchalis Papæ *Ebbonem* Archiepiſcopum Rhemenſem ad Danorum conuerſionem profectum eſſe, eique Halitgarium adiunctum, teſtatur Adam Bremenſis Eccleſiæ canonicus.

V. Basilio redditur loquela.

Accidit item in Oriente, vt filiis Leonis Armenii Imperatoris, nomine Baſilius, qui exectione caſtrationis facta iuſſu Michaelis Balbi vocem amiſerat, ad ſtatuam S. Gregorii Nazianzeni eam receperit, & cum ea Catholicam pariter fidem in cultu ſacrarum Imaginum conſecutus fuerit. Narrant hęc Curopalates, atq; Cedrenus. Sed & matrem eiuſdem Baſilii Theodoram, ſiue Theodoſiam, in monaſterio relegatam, pariter ſe Orthodoxis adiũxiſſe: liquet ex epiſtola quam ea de re Theodorus [d] Studita ad eam iunctim & ad eumdem Baſilium ſcripſit: qua etiam conſtat, ipſum Theodorum rurſum fuiſſe ab Imperatore relegatum in Inſulam, alioſque plurimos ex Patribus fugatos, quod ſolicitius ſatagerent verbis ſcriptis, de reducendis Iconomachis ad fidem Orthodoxam: ſicut & eadem de re conqueſtus eſt alia epiſtola [e], quam ſcripſit ad Thomam Patriarcham Hieroſolymitanum.

d Id. 2. ep. 204.

e 2. ep. 121.

VI. Mich. Imp. oppugnat Orthodoxos. Eiusdem impia dogmata.

Nam quod ad ipſum Michaelem Imperatorem ſpectat: accidit vt qui initio ſui Imperii viſus eſt æquiori fuiſſe in Orthodoxos animo, haud multo poſt (inquit Zonaras) animo ſuo declarato, Orthodoxos oppugnauerit, multoſque exilio mulctauerit, Copronymum in omnibus imitatus. Iudaiſmum quoque colebat; reſurrectionem mortuorum non credebat: Prophetas irridebat: dęmones eſſe negabat: ſcortationem peccatum non iudicabat: iurandum eſſe Deum vniuerſi moderatorem monebat: Iudamq; inter beatos adnumerabat: & Paſcha alieno celebrari tempore aſſerebat. Iſta Zonaras, & Curopalates: eademque Cedrenus in fine Vitæ ipſius: qui & in Theophilo eius ſucceſſore adiicit, ipſius pariter Michaelis edicto ſancitum eſſe, nequis alicui Sanctorum Imagini titulum Sancti adiiceret, quod hoc nomen vnius eſſet Dei. Sed & literaturam adeo auerſatum eſſe, vt pueros non permiſerit illa erudiri, ne ipſius arguerent ignorantiam, qui difficillime & legebat & ſcribebat. Exoſculentur itaque hunc cum aliis Nouatores ſuum Apoſtolum, participes cum ipſo futuri cruciatus æterni.

VII. Theocisti hæresiar. errores.

Sed quod rurſum ſpectat ad nauatam à Theodoro operam in conuerſione hæreticorum: non ipſe aduerſus Iconomachos tantum decertauit: ſed & quotquot à recepta Eccleſiæ doctrina deuiare cognouit, eoſdem ad rectum tramitẽ reducere laborauit. Inter quos fuit THEOCTISTVS quidam eremita, qui aſſerebat Beatiſſimam Virginem non ex viro & femina genitam fuiſſe, ſed ante ſæ-

Digitized by Google

cula exutiſſe: Chriſtum Dominum non fuiſſe crucifixum: Dæmones poſt Iudicium ſaluandos fore, ac futurum vnũ ouile & vnum paſtorem: Monachum vnum poſſe à pœnis inferni eruere centum quinquaginta damnatos: ac denique recipiendum eſſe librum quemdam Antonii dictum, in quo eſſent multa impia & blaſphema. Porro hunc à Theodoro ſæpius admonitum, ſuos tandem pœnitentem abiuraſſe errores, liquet ex ipſius Theodori ad eumdem reddita [f] epiſtola.

f Id. 2. ep. 167.

LVDOV. 11. MICH. BAL. 4.

IESV CHRISTI AN. 824.

EVGEN. II. AN. 1.

I. PASCHAL. PP. OBITVS

Anno Chriſti octingenteſimo vigeſimo quarto, Indictione ſecunda, pridie Idus Maii mortuus eſt *Paſchalis* Papa, cum ſediſſet annos ſeptem, menſes tres, dies ſexdecim: ſepultuſque in baſilica S. Petri. In cuius locum, poſt dierum quatuor ſedis vacationem, ſuffectus eſt decimoquarto Cal. Iunii EVGENIVS huius nominis Secundus filius Boemundi, ex presbytero Tituli S. Sabinæ: doctrina, virtutibus, ac pietate clariſſimus. Iſta ex Anaſtaſio. Porro alium quoq; à magna parte Populi electũ fuiſſe ſed Eugenium vincẽte nobilium parte ordinatum, teſtatur auctor rerum geſtarum Ludouici Imp. per annos ſingulos digeſtarum. Verum eiuſmodi Schiſma haud leuis fuiſſe momenti, idem auctor ſignificat. cum addit ad componẽdas Romanorum implacabiles ea de cauſa contractas diſſenſiones, opus fuiſſe Ludouico mittere Romam Lotharium filium ſuum & in Imperio collegam: qui omnia rite ex beneuola (vt ait) aſſenſione Pontificis Eugenii diſponens, Conſtitutionem [a] promulgauit, qua Pontificum electiones *ſecundum antiquam conſuetudinem, & ex præſcripto ſanctorum Patrum fieri voluit*, atq; politicum Vrbis ſtatum *ex eorumdem Pontificum & Imperatorum Conſtitutionibus* diſponi. In quibus obſerua, primo loco ab eo Romanis præcipi obſeruationem Conſtitutionum Pontificalium, inde vero Imperialium, etiam in rebus politicis & temporalibus.

EVGENII II. CREATIO.

OB SCHISMA LOTHARIVS ROMAM VENIT.

a Ext. ap. Sigon. de Reg. Ital. Multa vero in hanc Conſtitution̅ blaterauit Goldaſtus: cui os obturauit Gretſerus cap. 11. Apol. Bar. de qua ſup. an. 774. nu. 3.

II. LEGATIO A MICH. IMP. AD LVDOVIC. IMP.

Hoc item anno Michael Imperator Conſtantinopolitanus, vna cum filio Theophilo iam & ipſo Imperatore antea creato, menſe Aprilis legationem cum literis ac muneribus miſit ad Ludouicum Imperatorem, pacis cum eo ſtabiliendæ gratia, cum autem Iconomachus eſſet, Catholicus tamen volens apparere, adiecit & alias literas ad Romanum Pontificem, vna cum oblationibus inferendis in eccleſiam S. Petri, vt huiuſcemodi pietatis velamento pios falleret. Patent iſta tum ex auctore rerum geſtarum ipſi9 Ludouici, cum maxime ex Michaelis litteris ad Ludouicum datis, quæ habentur inſertæ Actis Conuentus Pariſienſis celebrati anno ſequenti in eadem cauſa cultus ſacrarum Imaginum. Auditos vero eoſdem Legatos à Ludouico Rothomagi menſe Nouembri, ac poſtea Romam vt in mandatis acceperant proficiſci dimiſſos iidem Francorum Annales aſſerunt. Quo eodem tempore allatos in Gallias per Oeconomum Conſtantinopolitanæ Eccleſię, vnum ex legatis, nominatum in dictis Michaelis litteris Theodorum, libros authenticos S. Dionyſii Areopagitæ Græce ſcriptos, teſtatur Hilduinus Abbas monaſterii S. Dionyſii apud Pariſios conſtituti, in [b] epiſtola reddita ad ipſum Ludouicum Imperatorem, poſtquam eius iuſſu eoſdem in Latinum conuertiſſet: qua & aſſerit eadem die qua iidem libri recepti ſunt, decem & nouem nominatiſſimas virtutes in ægrotorum ſanatione variarum infirmitatum, Deum operatum eſſe interceſſione eiuſdem S. Martyris.

LIBRI DIONYSII AREOP. DELATI IN GAL.

b Hild. in Areop. ap. Sur. 9. Octo.

III. LVDOV. IMP. LICENTIAM A ROM.

Cum vero Michael Imperator hæreticus Iconomachus eadem ſua ad Ludouicum epiſtola multa calumnioſe atque fraudulenter blateraſſet de ſacris Imaginibus: ſimulque petiſſet vt Ludouicus in Occidente operam daret, vt ſublato ſuperſtitioſo earum cultu, Eccleſia pacem & vnionem recuperaret: idem Ludouicus, vt de omnibus diligentiſſima haberi poſſet diſcuſſio, legationem quam primum miſit ad Romanum Pontificem, qua ab eo licentiam peteret colligendi viros doctos, qui priuatim ea de re diſquirerent, & diſputarent. Conſtat hoc namque ex epiſtola ipſius Conuentus Pariſienſis ad Ludouicum ſcripta, & ex alia eiuſdem Imperatoris ad Eugenium Papam: quæ ambæ extant in Actis eiuſdem Conuentus, de quo dicetur anno ſequenti.

PONT. PETIIT INQVIRENDI DE FIDE.

LVDOV. 12. MICH. BAL. 5.

IESV CHRISTI AN. 825.

EVGEN. II. AN. 2.

I. COLLATIO PARIS. DE CVLTV IMAGINVM.

Annus Chriſti octingenteſimus vigeſimus quintus, Indictione tertia inchoatus eſt: quo ipſis Calendis Nouembris (cœpta iam Indictione quarta) prope Pariſios complures qui ceteros doctrina excellere videbantur, iuſſu Ludouici Imperatoris in vnum collecti, ſecundum petitam & acceptam licentiam à Romano Pontifice, de Imaginum veneratione diſſeruere. Sed inprimis, eius actionis titulus redarguendus eſt erroris, dum *Synodus Pariſienſis*, inſcribitur, quam ex ipſius Imperatoris literis quæ eidem inſertæ habentur, expreſſe conſtat fuiſſe tantum ex ſelectis viris eruditis Collationem, ſingulis in eam ſuum ſymbolum conferentibus. Plurimum namque differre inter *Synodum & Collationem*, maioris noſtri ſuis ſcriptis reliquere teſtatum. Porro erubuiſſe viſa ſunt poſteriora ſæcula quæ in hac Collatione ſunt geſta, eaque de cauſa ipſius Acta occultaſſe. Nullus enim vſquam reperitur (quod ſciam) inter tot diuerſorum ſcriptorum examina quibus Gallia abundauit, qui eiuſmodi Collationis vel leuem mentionem habuerit: quæ anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſexto Francofurti cuſa, in lucem prodiit abſque luce, hoc eſt abſque auctoris nomine qui inuenit & edendam curauit, vel ex qua fuerit accepta Bibliotheca. Sed tantum abeſt vt quod voluit aſſecutus ſit auctor qui edidit, vt potius contrarium ſit operatus: cum ex literis quas recitat Ludouici Pii, ipſa pietas in tenebris eluceſcat: nimirum quantum ſit apud Romanos Pontifices in vniuerſa Eccleſia iuris & poteſtatis, & quanta ipſi etiam Imperatores proſequi eos debeant reuerentia.

ACTA COLLAT. A MAIORIBVS OCCVLTATA, MALE PRODITA.

II. ERROR COLLATORVM EX IGNORANTIA ET MALITIA.

Quod vero ſpectat ad eos qui adfuerunt Collatores; ipſi quidem ex male percepto S. Gregorii Papæ ſenſu in epiſtola ad Serenum Maſſilienſem Epiſcopum, colligentes ſacras Imagines in eccleſiis ad inſtructionem duntaxat Fidelium, non ad eas adorandas exponi debere: ex ea falſa ſuſcepta ſemel aſſumtione, in illud ſemel præcipitium ſponte delati ſunt, vt Septimam Oecumenicam Synodum Nicænam eo falſo nomine condemnarint, quaſi in ea latriæ adoratione iuſſæ eſſent Imagines adorari. Sicque occaſione legationis hæretici Imperatoris Michaelis, cicatricem male obductam inſcite, ne dicam nequiter, refricantes, vulnus periculoſius induxerunt: quod antea inflictum in Francofordienſi Concilio, iam fuerat eius Actorum abolitione plene curatum. Sed ſatis ad hæc refellenda ſufficiant, tum quæ ſuperius dicta ſunt cum de eodem Concilio Francofordienſi actum eſt: tum quæ de hac ipſa prætenſa Pariſienſi Synodo alii tractauerunt [a].

III. COLLATORES ... CRIMEN ...

Sed & iidem Collatores cuncta erronee agentes, dum Collationis ſuæ geſta ad Ludouicum Imperatorem miſerunt, iidem pariter inſeruere in formam literarum, quas vellent vt ipſe ſcriberet, tum ſuo ipſius nomine ad Eugenium Romanum Pontificem, tum eiuſdem Eugenii nomine ad Michaelem Imperatorem Conſtantinopolitanum pro Eccleſia pacificanda. Verum quod eas abſque conſenſu ipſius Romani Pontificis Conſtantinopolim mittere non liceret; idem Ludouicus per Legatos ſuos eaſdem Eugenio Papæ inſpiciendas mittens, ſuaſit pariter vt ipſe legationem Conſtantinopolim mitteret, eademque literarum forma ad fuciendam Eccleſiæ pacem vteretur. Atque ita boniſſimi Imperatorem maxime pium pro

arbitrio

arbitrio traducentes, abuſi zelo ipſius, indigniſſima præſtare fecerunt; qui certe niſi tantæ pietatis fuiſſet, vt nec latum vnguem recedere ab Apoſtolicæ Eccleſiæ ſanctionibus ſemper infixum in animo habuiſſet, immenſo ſchiſmate fuiſſet vniuerſa Eccleſia conſcindenda. Siquidem literis illis quas ſcribi vellent, nihil aliud Collectores molirentur, quam vt ſacrarum Imaginum cultum aliquo modo ſub bono paci. damnari per Rom. Pontificem procurarent.

IV. EVGEN. P. INHÆSIT VESTIGIIS PRÆDECESSORVM.

Quod vero ad Eugenium ſpectat; etſi quæ tranſacta ſint cum ipſo à Legatis Ludouici, haud ſcriptis prodita reperiantur: certum eſt tamen, eum nec minimum quidem deflexiſſe à maiorum ſuorũ confirmata traditione. Neq; enim ſi aliquid hac in re innouaſſet, non toto orbe terrarum illud protinus fuiſſet vulgatum. Immo & coniectura eſt ipſum ea qua par erat ſeueritate redarguiſſe Legatos à Ludouico ad ſe miſſos; cum numquam poſt hæc reperiantur ipſi, aut alii Occidentalis Eccleſiæ, ea ex cauſa vel verbum feciſſe. Quodq; directam legationem ſequenti anno ab ipſo Romano Pontifice ad Ludouicum, Francorum Annales teſtentur, nec quid detulerit dicant; veriſimile valde videtur, ad hoc illam miſſam, quo ab aſſertis erroribus Imperator reuocaretur. An autem Legati Imperatoris profecti ſint in Orientem ad Michaelem Auguſtum, vt ſtatuerat ipſe, & hoc ignoratur.

V.

Sed nec ipſi eiuſmodi Ludouici Conſiliarii, more hæreticorum animo obſtinato contenderunt: quinimmo in communione Catholicæ Romanæ Eccleſiæ firmiter perſeuerantes, vni eidemq; capiti iuncti bellum aduerſus Iconomachos conuerterunt. Etenim qui à Ludouico miſſus Romam, functus eſt dicta nuper legatione ad Eugenium, *Ionas* Aurelianenſis Epiſcopus, contra piiſſimum Hagiomachum, Hiſpanum hominem, *Claudium* Taurinenſem Epiſcopum, ſtylum exacuit, egregioſque edidit commentarios qui adhuc præ manibus habentur: ſed & eumdem Claudium ab Imperatore Ludouico damnatum eſſe teſtis eſt VValfridus [b] Strabo his eiſdem temporibus viuens, & ipſe eumdem hæreticum condemnans. Scribit autem Ionas, eum diſcipulum fuiſſe Felicis illius pariter Hiſpani, damnati in Concilio Francofordienſi, inſuperq; Arii, Neſtorii, Vigilantii & Euſtathii hæreſibus infectum fuiſſe; ſed talem dumtaxat detectum, poſtquam à Ludouico præfectus Eccleſiæ Taurinenſi, à Theodomiro Abbate correptus, Apologeticum pro eadem ſua hæreſi cõtra Theodomirum conſcripſiſſet. Verum licet hæc tandẽ beſtia iaculis confoſſa Ionæ interierit; non tamen ideo ipſe Ionas ab Eccleſia Catholica præmio dignus eſt iudicatus: quippe qui etſi pugnauit aduerſus hæreticos Iconoclaſtas, non tamen e caſtris Eccleſiæ Orthodoxæ; à qua diſſenſit errore priſtino, dum ita non confringendas eſſe prædicauit Imagines, vt tamen non eas eſſe colendas aſſereret. Quo perſtringitur & *Agobardus* Archiepiſcopus Lugdunenſis, qui etſi hoſtis acerrimus fuerit Felicis, aduerſus quem & commentarium ſcripſit, quem nuncupauit Ludouico Imperatori: tamen in eo quem de picturis & imaginibus ſcripſit, Iconomachis conſenſit in omnib. pręterquam in cultu ſacratiſſimę Crucis, & quod reliquas ſiue Chriſti ſiue Sanctorum Imagines, memoriæ cauſa, nõ tamen orationis ergo haberi poſſe concedat. Vnde merito idem mox vt apparuit proſcriptus ſit liber, eo quod abſque antidoto prodierit. Erat ſatis, ſi Dungali eiuſdem tẽporis non ignobilis ſcriptoris, vna cum eo cuius fuiſſet commentarius, quem aduerſus eumdem impium Claudium edidit. Ne vero in nomine fallaris, fuit & alius his temporib. inſignis nominis *Claudius* natione Scotus, monachus Ordinis S. Benedicti, diſcipulus quondam Bedæ, & collega Alcuini; qui multa tam carmine quam ſoluta oratione ſcripſit de reb. ſacris, & in Scripturas diuinas, quæ enumerat Trithemius dum agit de eo.

* *

IONAS EPISC. AVREL. SCRIBIT CONT. CLAVD. TAVRIN

b VValfr. de reb. Eccl. c. 8.

CLAVD. TAVRIN. HÆRESES.

c Sũt tamẽ qui Ionam nihil aliud voluiſſe aſſerũt quã Imagines nõ eſſe colẽdas adoratione & cultu latriæ ſoli Deo debito. In quo neminem ſectatorem haberet.

DE SCRIPTIS AGOBARDI EPISC. LVGDVN.

IESV CHRISTI AN. 826.

EVGEN. II. AN. 3.

LVDOVICI 13. MICH. BAL. 6.

ANno Chriſti octingenteſimo vigeſimo ſexto, Indictione quarta, circa Calendas Iunii habitus eſt ex more à Ludouico Imperatore *Conuentus* in loco dicto *Ingelheim*: vbi inter alia auditos eſſe Legatos ab Eugenio Papa ad Ludouicum miſſos, auctor rerum geſtarum eiuſdẽ Ludouici teſtatur. Quæ autem iſti attulerunt, altum vbiq; ſilentium. Eſt vero etiam mentio eiuſdem legationis apud Eginhardum in commentario de Tranſlatione Reliquiarum SS. Martyrum Marcellini & Petri in Gallias. Quod autem eamdem tranſlationem alii [a] inſequentem annum referant, id intelligi poteſt de tranſlatione patris earum facta poſtea ab vrbe Sueſſionenſi Aquiſgranum. Nam alioqui hoc ipſo anno eas fuiſſe Roma deductas, illud eſt euidens argumentum, quod ipſe auctor teſtatur id tunc factum eſſe cum legatio Pontificis iam in itinere eſſet; quam quidem hoc pręſenti anno miſſam eſſe, teſtantur omnes Francorum hiſtoriæ.

I. CONVENTVS INGELHEIM.

a Auct. Vit. Ludou. Ann. Franc. Ann. ...

II. DE EGINHARDO A SECRETIS CAROLI MAG.

Qui autem rem geſtam ſcripſit, fuit *Einhardus*, qui & Eginhardus dicitur, & floruit hoc tempore ſumma claritudine nominis inter primos eruditos: idem ipſe quẽm Caroli Magni, cui erat à ſecretis, Vitam conſcripſiſſe ſæpe ſuperius dictum eſt; qui poſtea inter Ludouici Optimates magna gloria militauit. Quod vero fertur ex ſcripto quodam edito in apparatu tomi prioris rerum Germanicarum, ipſum fuiſſe generum Caroli Magni ducta eius filia nomine Imma olim Regi Græcorum deſponſata; hæc fabula vel ex eo refellitur, quod nec Carolus Magnus eius nominis filiam habuiſſe reperitur; & quam Conſtantino Irenæ filio deſponſauerat, Rotrudem dictam eſſe idem ipſe Eginhardus teſtis eſt. Sed & quod ei figmẽto concinnando anſam præbuit, donationis diploma factum ipſi & eius coniugi Immæ à Ludouico ibidem editum; ex eo potius illud mendacii redarguitur, dum in eo nuſquam mentio fit eiuſmodi Eginhardi vel ipſius Immæ cum Ludouico cognationis. Hic igitur Eginhardus inter alias tanto auctore dignas lucubrationes, reliquit quatuor libros cõſcriptos de Inuentione, ac pio furto, & in Gallias euectione prædictarum ſacrarum Reliquiarum, facta ab iis quos ipſe Eginhardus Romam miſerat ad alias quaſdam ſibi promiſſas auferendas; eaſdemq; reponendas in noua baſilica ab ipſo conſtructa: itemque de ingentib. atq; frequentiſſimis ad eaſdem editis miraculis. Cum quibus allatas quoq; fuiſſe Reliquias SS martyrum Marii, Marthæ, Audifacis, & Abachum, ac rurſum paulo poſt SS. Hermetis, Proti, & Hyacinthi; omneſque miraculis coruſcaſſe, idem auctor tradit: quam tu hiſtoriam lectu iucundiſſimam, ſimul & valde proficuam ad defenſionem fidei Catholicæ, & confuſionem impietatis Hagiomachorum, maiori otio conſulas [b] ac perlegas.

DE TRANSLATIONE RELIQ. SS MARCELL. ET PETRI

b ap. Sur. To. 7. die 2. Iun.

III. TRANSLATIONE RELIQ. S SEBAST.

Sed & hoc eodem anno factam pariter eſſe tranſlationem Reliquiarum S. Sebaſtiani Roma Sueſſionem vrbẽ Galliæ, petente id Hilduino Abbate S. Dionyſii, veteres Francorum Annales docent: quod Sigebertus anno ſuperiori ponit. Porro id de parte tantummodo corporis eiuſdem ſancti intelligendum eſſe, ſignificat Ado Viennenſis. Ad eiuſmodi vero Reliquias magna quoque & multa edita eſſe miracula, omnes æque teſtantur.

IV. CONC. ROM. SVB EVG.

c ...

Quo item anno, Ludouici Imperatoris decimotertio, menſe Nouembri ab Eugenio Papa celebrata eſt Romæ in baſilica S. Petri SYNODVS ſexaginta trium Epiſcoporum: in qua conſtituti ſunt canones [c] triginta octo, ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinentes.

V. REGIS DANOR. CONVERSIO AD FIDEM.

Hoc eodem anno Regem Northmannorum, ſiue Danorum, Arialdum ſiue Haroldum, vna cum coniuge ceteriſque ſuis ad fidem Chriſti conuerſum, Moguntiæ baptizatum eſſe, atq; à Ludouico Imperatore Comitatu in Friſia donatum, quo ſe à Danis è regno expulſus reciperet tradunt qui res eiuſdem Ludouici proſecuti ſunt, vetereſque Francorum Annales: quod Sigebertus ſuperiori anno

collocat. Eiuſmodi autem Danorum conuerſionem factam eſſe EBBONIS Archiepiſcopi Rhemenſis prædicatione, qui illuc ex conſilio Imperatoris, & auctoritate Romani Pontificis ad prædicandum Euangelium acceſſiſſet, traditur apud Aimoinum [c]. Sed quod ipſe Ebbo in eo quem ſuſceperat Apoſtolatu non perſeuerauerit, quodq; molitionibus aduerſus Ludouicum Imperatorem infamatus poſtea fuerit, & priuatus Epiſcopatu, idem penitus priorem gloriam obſcurauit: adeo vt nequaquã ipſe *Danorum Apoſtolus* ſit appellatus; ſed S. ANSGARIVS Corbeiæ in Saxonia monachus, paulo poſt cum ipſo Haroldo illuc miſſus: qui ob exantlatos immenſos in Gentilium conuerſione labores, à Gregorio Quarto (vt ſuo loco dicetur) cõſecratus eſt primus Archiepiſcopus illarum regionum Aquilonarium, ſede tamen in Hamburgenſi ciuitate conſtituta. Cuius res geſtas ſcriptis mandatas eſſe à S. Remberto eius diſcipulo & in Eccleſia ſucceſſore, teſtatur auctor [d] qui res ipſius S. Remberti conſcripſit; de geſtis ſciamus, non extant: pauca vero tantum de geſtis in Apoſtolatu, reperiuntur in Vita eiuſdem S. Remberti, necnon apud Albertum Krantzium in hiſtoria Saxonum, & apud Adamum Canonicum Bremenſem.

c Aim. li. 4. c. 3.

ANSGAR. DANOR. ET OMNIVM AQVILON. APOST.

d ap. Sur. 4. Febr.

VI. THEODORI STVD. OBITVS.

Quod ad res Orientales attinet; hoc ipſo anno (jam inchoata à menſe Septembri Indictione quinta) vndecima die Nouembris, ex hac vita migrauit magnus ille de quo ſæpiſſime actũ eſt, Theodorum Studitarum præpoſitus, confeſſione crebrius iterata clariſſimus, doctrina inſignis, vita admirabilis, & miraculis celeberrimus: condito prius egregio Teſtamento [e], quo fidem ſuam Catholicam, & odium in hæreticos, omnibus patefieri voluit. Subiiciensq; ibidem profeſſionem eorum, quæ ab eius temporis hæreticis impugnabãtur, inter alia de monaſtico inſtituto ait, *Confiteor inſuper monaſticũ ſtatum ſublimẽ eſſe & excelſum, & Angelicum, qui & peccata omnia expurget abſolutè vita perfectione.* demumq; ſanctiſſima addidit monita ad ſuum ſucceſſorem, & alios monachos. Cuius felicem ad Deum tranſitum (qui contigit anno ætatis ſexageſimo ſeptimo) pluribus deſcripſit ipſius diſcipulus Michael eiuſdem cœnobii monachus in eius Rebus geſtis: Eccleſia vero tam Orientalis quam Occidentalis, in tabulas Sanctorum retulit. Corpus autem poſt annos decem & octo, ſolemni pompa à Methodio Patriarcha & pia Auguſta Theodora Conſtantinopolim translatum eſt, integrum ac miro fragrans odore repertum.

e Ext. in lib. ipſius epiſtolar.

MONASTICI STATVS SVBLIMITAS.

VII. MICH. IMP. MONIALEM DVCIT IN VXOREM.

Hoc eodem tempore Michael Imperator ſcelera ſceleribus addens, defuncta coniuge, deſponſatam Chriſto virginem monialem, Conſtantini (vt ferebatur) Imperatoris filiam, nomine Euphroſynam, vxorem duxit, Auguſtamque nuncupauit. Sed tantum ſcelus ſecuta ſunt ingentia mala: ſiquidem ipſius Michaelis exercitus in Cretam miſſus ad expellendos inde Saracenos, ab eis penitus exciſus eſt: & Dalmatia ab Orientali Imperio defecit. Habet hæc omnia pluribus Ioannes Curopalates.

LVDOVICI 14. MICH. BAL. 7.

IESV CHRISTI AN. 827.

VALENTINI AN. 1.

I. EVPHEM. TYRANNVS SARACENOS IN SICILIAM INTRODVCIT.

ANNO Domini octingenteſimo vigeſimo ſeptimo, Indictione quinta, Euphemius Dux in Sicilia, cum & ipſe Michaelem Imperatorem imitatus, virginem Deo dicatam inuitam rapuiſſet, ob querelas tãmen fratrum virginis, eiuſdem Imperatoris iuſſu quæſitus ad pœnas, rebellans fugit in Africam: vbi pactis cum Saracenis conuentis, conſecutus eſt ab eis nomen Imperatoris, ipſeque illos in Siciliam intulit: qua ipſi potiti, Calabriam inſuper, ac pleraſque Italiæ partes occupauerunt. Cum interea idem Euphemius Syracuſas tentans, à duobus fratribus Syracuſanis ſubdole appetitus, capite truncatus eſt. Hæc pluribus Iohannes Curopalates, & ex eo Cedrenus, & alii Græci. Ex quibus redarguas eos [a], qui Siciliæ per Saracenos, ſiue dixeris Agarenos, occupationem ad annum Domini octingenteſimum vigeſimum referunt.

a Leo c. 3. & alii.

II. EVGENII PP. MORTVR.

Hoc pariter anno, vndecima die Auguſti, mortuus eſt Eugenius Papa, cum ſediſſet annos tres menſes duos & dies viginti tres. Ita enim apud Anaſtaſium: licet vitiato annorum numero, annos quatuor ſediſſe in aliquibus codicibus ponatur; quod ab omnibus qui hoc tempore vixerunt rerum Francorum [b] ſcriptoribus redarguitur, dum hoc anno ipſum defunctum eſſe teſtantur. Cum autem vna vix die ſedes vacaſſet, totius Cleri, ac Senatus populique conſenſu, VALENTINVS natione Romanus, Petri filius, vir multis virtutibus præditus, ex Archidiacono inuitiſſimus acclamatus eſt Pontifex. Qui cum dies tantummodo quadraginta ſediſſet (vt quidem Anaſtaſius habet, licet alii dicant vix vnum menſem expleſſe) poſt ſedis ipſius vacationem trium dierum, octauo Calendas Octobris pari omnium conſenſu, GREGORIVS huius nominis Quartus, patria Romanus, genere clarus ex patre Iohanne, vir diuinis humaniſque literis apprime eruditus, pietateque, miſericordia, atque aliis omnibus virtutibus inſignis, ex presbytero Tituli S. Marci pariter inuitus, atque etiam latebras quærens, conſecratus eſt ſolemnibus ritibus Summus Pontifex.

b Aim. li. 4. c. 113. Ann. Fr. Vit. Lud. Imp. &c.

VALENTINVS PP. CREATVR, ET MORITVR.

GREG. PP. IV.

LVDOVICI 15. MICH. BAL. 8.

IESV CHRISTI AN. 828.

GREG. IV. AN. 1.

I. CLADES GALL. OB PECCATA POPVLORVM.

ANNO Chriſti octingẽteſimo vigeſimo octauo, Indictione ſexta, cum Galliæ frugum penuria, peſte hominum & animalium, incurſionibus Bulgarorum ac Saracenorum, & defectionibus quorundam Principum grauiter laborarent; ad ea auertenda mala, quæ in vltionem malitiæ ac ſcelerum illorum populorum à Deo immiſſa eſſe, etiam peſſimus dæmon puellam obſidens, vrgente vi exorciſmi, ac virtute Reliquiarum SS. martyrum Marcellini & Petri inde expulſus, coactus eſt patefacere (quod teſtatur Eginhardus [a] in commentario de miraculis ad eaſdem ſacras Reliquias editis, de quo ſuperius dictum eſt) inuigilans pietas Imperatoris Ludouici (quem & inſuper de multis corrigẽdis, Angelica reuelatione admonitum eſſe idem [b] auctor tradit) Conſtitutione [c] ex conſilio Epiſcoporum promulgata, poſt triduanum ieiunium populo indictũ, quatuor anno ſequenti celebrãdas indixit Synodos, vnam Moguntiæ, alteram Pariſiis, tertiam Lugduni, quartam Toloſæ; in quibus de diſciplina Eccleſiaſtica & morum emendatione tam præpoſitorum quam ſubditorum ageretur.

a Egin. li. 3. c. 15.

b Ibid. c. 13.
c Ext. ante Conc. Pariſ. ſeq. an. To. 3 Concil.

CONCILIA INDICTA AD CORRECTIONEM MORVM.

II. NICEPH. CONST. EPISCOP. OBITVS.

Hoc eodem anno Nicephorus Conſtantinopolitanus Patriarcha Confeſſor, cum ageret in exilio annum decimumquartum, ex hac vita ad Deum feliciter migrauit: cuius natalem diem Eccleſia Latina tertio Idus Martii, Græca quarto Nonas Iunii celebrat: eius autem corpus poſt annos vndeuiginti, ſub Michaele Tertio & Theodora Augg. integrum repertum, à Methodio eiuſdem ciuitatis Patriarcha ſolemni translatione, cui etiam Imperator interfuit facem manu tenens, delatum eſt Conſtantinopolim eodem die quo pulſus ipſe in exilium fuerat, quæ omnia pluribus deſcribit Theophanes presbyter in oratione ad populum de eiuſdem laudibus tunc habita.

LVDOVICI 16. MICH. BAL. 9.

IESV CHRISTI AN. 829.

GREG. IV. AN. 2.

I.

ANNO Chriſti octingenteſimo vigeſimo nono, Indictione ſeptima, quod Saraceni (vt vidim[9]) potiti Siciliæ vniuerſas Italiæ oras infeſtarent claſſe piratica, Gregorius Papa Oſtiam ciuitatem refecit, nouiſque mœnibus muniuit, ac Gregoriopolim appellauit; vt teſtis eſt Anaſtaſius. Sed & eadem ex cauſa, vt baſilicam S. Petri extra Vrbem poſitam tutam redderet, iecisse fundamenta alterius nouæ ciuitatis, quę poſtea à Leone Quarto qui perfecit, Leonina eſt appellata; Sigebertus tradit anno ſequẽti.

II. Mich. Imp. moritur.

Hoc pariter anno ipſis Calendis Octobris, impius Michael Balbus cum imperaſſet annos octo menſes nouem, dies ſeptem, dyſenteriæ morbo ex hac vita migrauit, maledictionibus omnium pro panegyricis infamatus. Corrigendi autem Curopalates, Cedrenus, & alii (niſi potius ſit vitium librariorum) dum apud eos inuerſo ordine legitur, Michaelem imperaſſe annos nouem & menſes octo: quod conſiſtere nulla ratione poteſt ex eorumdem ipſorum ſententia, ſi ratio annorum prædeceſſoris & ſucceſſoris habeatur. Poſt eius vero mortem, THEOPHILVS ipſius filius, qui ad virilem iam peruenerat ætatem, patriũ excepit Imperiũ.

Theophil. imperat.

Qui ipſo ſui initio, iuſtitiæ cultor videri appetens (quam & ſemper coluiſſe in iis quæ ad politicam diſciplinam ſpectarent, hiſtorici tradunt) omnes qui cum patre in Leonis Armeni necem conſpirauerant, parricidarum pœnis affici iuſſit; atque Euphroſynam nouercam, quam Michael à monaſterio extractam vxorem duxerat, ex aula pulſam in idem monaſterium redire coegit. Hæc pluribus Curopalates. Sed quomodo ex parente morbũ Iconoclaſtiæ trahens, Catholicos ſit perſecutus, ſuis locis dicendum erit.

III.

Hoc eodem anno tempore Quadrageſimæ intempeſta nocte, terræmotus validiſſimus totum commouit Aquiſgranenſe palatium Imperatoris, aliaque ciuitatis ædificia. Menſe vero Auguſti celebratus eſt ab eodem Imperatore *Conuentus* VVormatiæ; & conſpiratio in ipſum Imperatorem detecta eſt. Hæc in Rebus geſtis eiuſdem Imperatoris eodem tempore ſcriptis, & in veteribus Francorum Annalibus. Sed de conſpiratione fuſius anno ſequenti.

IV. Conc. Paris. pro recta diſciplina. a Ext. Acta ... Tom. 3. Concil.

Interea vero hoc eodem anno octauo Idus Iunias, celebrata eſt Pariſiis SYNODVS, quam ſuperiori ann. vidimus ab Imperatore indictam in qua duo canonum libelli ab Epiſcopis [a] conſcripti ſunt, de his quæ ſpectarent ad officium Epiſcoporum, quæque à Regibus præſtanda eſſent tum in aliis rebus, tum maxime pro conſeruatione iurium Eccleſiaſticorum quæ ab eis opprimi conſueuiſſent; ac denique quæ ad mores Fidelium optime inſtituendos pertinere poſſe viderentur. Quod autem præter hoc Pariſienſe Concilium, tria alia fuiſſent in aliis Galliæ ciuitatibus eodem tempore celebrati, ipſa non extant. Nam quod Moguntiæ conſtat ſub eodem Ludouico celebratũ, illud longe poſtea habitum eſſe, ſuo loco dicetur.

Ludovici 17. Theoph. 1.

IESV CHRISTI AN. 830.

GREG. IV. AN. 3.

I. Theoph. Imp. perſequitur cultores SS. Imag.

ANno Chriſti octingenteſimo trigeſimo, Indictione octaua, Theophilus Imperator conciliatis ſibi (vt dictum eſt) ſpecie iuſtitiæ omnium animis, ad ſtabiliendam hæreſim Iconoclaſtarum violentus inſurrexit; non quenquam tãtummodo obuium adortus, ſed exquiſita arte ſingulos ſuo ſubiectos Imperio indagans, dedit in mandatis Quæſtoribus, vt cum tributum capitationis exigerent, pariter de cuiuſque fide quæſtionem haberent; & quem Orthodoxum inueniſſent, is ſtatim in carcerem conijceretur, pœnas daturus acerbiſſimas, niſi cultum ſacrarum Imaginum publice deteſtaretur. Eſt de eiuſmodi edicto mentio in Actis S. Ioannicii Anachoretæ, inſignis meritis & miraculis huius temporis Confeſſoris, & fortiſſimi ſacrarum Imaginum cultus propugnatoris.

II. Conſpiratio in Ludov. Imp.

Hoc eodem anno res Francorum maximo ſunt in diſcrimine conſtitutæ. Ingentes enim in Ludouicum Imperatorem conſpirationes detectæ ſunt, exortæ illæ à filiis, atque à ſubiectis Imperatori Principibus, & ſacerdotibus plurimis. Peperit ſiquidem inuidiam omnibus, præſertim aulicis, quod Bernhardum Hiſpanum hominem, Hiſpaniarumque limitum Comitem, tamquam ſibi fidiſſimum defenſionis ſuæ cauſa Imperator vocaſſet in aulam, conſtituiſſetque Præfectum cubiculi. Exinde ſparſus rumor, creditumque à pluribus, eumdem Bernhardum admiſceri Iudith Imperatrici. Id quidem cum filiorum quoq; animos haud leuiter ſauciaſſet, commouiſſet vero amplius odium in nouercam, quod natos ex ea Carolum & Rodolphum Imperator maiori videretur amore proſequi: his fomitibus accenſus Pipinus Ludouici filius, contra patrem parauit exercitum. Cuius timore percitus Imperator, & Bernhardum à ſe dimiſit, & Iudith Lauduni in monaſterio S. Medardi morari præcepit. Sed minime his contenti aduerſarii, eductam è monaſterio Imperatricem promittere coegere, perſuaſuram ſe Imperatori, vt depoſito Imperio retruderet ſe ſua ſponte in monaſterium; idque ipſum ſe eſſe facturam. Itaq; illa ad Ludouicum ſub cuſtodia miſſa, eumdemq; allocuta, monaſticũ ſibi velum impoſuit quã Pipinus in monaſterium S. Radegundis detruſit: Imperator vero tempus ad deliberãdum accepit.

Ludov. perſecutione liberatus.

Cum interea rediens ex Italia Lotharius Ludouici primogenitus, & Imperii collega; ea quidẽ quæ iam eſſent facta probauit, non tamen in patrem quid vlterius peragi paſſus eſt: neque rem armis geri, ſed iure voluit. Sicque *Conuentum* publicum indici iuſſit ex Ludouici Imperatoris ſententia Nomagi: ad quem & ipſe veniret Ludouicus, non armata manu, ſed ſimplici comitatu. Ibi vero cum eſſent, Lotharius à patre ſuaſus eſt obedientem ſe præſtare, & ipſe Ludouicus priſtinam auctoritatem, recepit imperandi: qui tamen ſolita vſus benignitate, criminis reis leuibus dumtaxat mulctatis pœnis, omnino pepercit. Hicque finis rerum geſtarum præſentis anni, quæ hic ſummatim perſtricta, in Vita ipſius Ludouici fuſius enarrantur.

Ludov. 18. Theoph. 2.

IESV CHRISTI AN. 831.

GREG. IV. AN. 4.

I. Auguſta cum matre, in diſcrimen adducta ob cultum Imag.

ANno Chriſti octingenteſimo trigeſimo primo, Indictione nona, Theodora Auguſta Theophili Imperatoris Conſtantinopolitani vxor, & mater eius Theoctiſte, pientiſſimæ feminæ, ex Paphlagonum regione ortæ, cum occulto colerent ſacras Imagines, delatæ apud eumdem Theophilum acerrimum Orthodoxorum perſecutorem, in diſcrimen adductæ ſunt: verum nihil eis mali intulit Imperator, quod valde eas ob egregias ipſarum virtutes reuereretur. Hæc pluribus Ioannes Curopalates.

II. a Amalar. de ord. Antiph. ca. 58. Amalarii legatio ad Greg. PP. pro off. eccleſ.

Quo item anno [a] Amalarius Fortunatus, inſignis doctrina & pietate vir, Albini olim diſcipulus, miſſus eſt à Ludouico Imperatore Romam ad Gregorium Papam, occaſione librorum de Eccleſiaſticis Officiis, quos idem Amalarius à ſe compoſitos miſiſſet ad eumdem Imperatorem: Imperator vero ipſum Romã miſit vt quod deeſſe ad opus videretur, illic addiſceret, atque ex Romana Eccleſia Gallicanos Antiphonarios corrigeret, augeretque quod & ille ſolertiſſime adimpleuit, confecto tunc commentario de ordine Antiphonarii. Sed & eodem tempore Agobardus Archiepiſc. Lugdunenſis in reſtituendo pariter vetere Antiphonario magnopere laborauit: verũ ob nimiam ſuam ſcrupuloſitatem, cum præter diuinam Scripturam admittere in ſacris Officiis nihil vellet, haud quam putauit conſecutus eſt gloriam.

III. De tranſlat. corporis S. Barthol. Apoſt.

Hoc eodem anno Sigebertus tradit, Saracenos Siciliã incurſantes etiam Liparim inſulam deuaſtaſſe, vbi corpus S. Bartholomæi Apoſtoli quieſcebat, quod olim loculo plumbato iniectum, & in mare merſum à Paganis, non ferentib. illud propter nimiam ſignorum claritatem ab omnib. venerari, ab India in eam inſulam vltro delatum fuerat. Cuius oſſa modo à Saracenis huc illucque diſperſa, à quodam monacho, ipſo Apoſtolo reuelante, collecta Beneuentum tranſlata ſunt. Hæc Sigebertus: ſed de tranſlatione ex India in Liparim, diuerſa diuerſorum eſt narratio; ſicut & de tempore tranſlationis Beneuentum.

IESV CHRISTI AN. 832.

GREG. IV. AN. 5.

LVDOV. 19. THEOPH. 3.

I. PERSECVTIO THEOPHILI IMP. MAGIS GRASSATVR.

ANno Domini octingenteſimo trigeſimo ſecundo, Indictione decima, Theophilus Imperator ſemel aggreſſus mouere bellum aduerſus ſacrarum Imaginũ cultores, quotquot eiuſmodi deprehendere potuit, Epiſcopos, monachos, omniſq; generis atq; ſexus homines, gladio, aut exilio, vel diro carcere multauit: Imagines prorſus, niſi forte ferarum & auium, pingi prohibuit: earumque pictores ſæuiſſime puniuit: ipſas vero Imagines ſacras in forum proiecit, hæreticorumque ludibrio expoſuit. Quo tamen tempore reperti ſunt plurimi, qui nihil tot malis deterriti, magno illum animo adeũtes, impietatem ac crudelitatem ipſi in faciem exprobrarunt. Sed in his minime omittendum certamen *Lazari* monachi, pingendi arte celebris: quem obſequiis deuincire tentans Imperator, cum omni adulatione ſuperiorem videret, crudeliſſimis eum tormentis excruciauit, & in carcerem coniecit: cumq; recuperata valetudine rurſum ſacras Imagines depingeret, laminas ferreas ignitas illius palmis iuſſit admoueri: ſed precibus Imperatricis emiſſus è carcere, in templo Præcurſoris occultatus eſt, atque vt ſeſe habebat plagis male affectus, Præcurſoris expreſſit Imaginem, quę diu conſeruata ſanare conſueuit ægrotos. Superfuitq; Lazarus Imperatori, & ſacras Imagines pingere non ceſſauit. Hæc omnia pluribus Ioannes Curopalates, licet quo potiſſimum anno geſta fuerint haud notet. In eo namq; hiſtorico illud deſideratur, quod quæ enarrat ſingula ſingulis nõ reddiderit annis, quod exacte Theophanes obſeruauit. Porro quod tam idem auctor, quam alii plerique aſſerant Theophilum ſtuduiſſe ſuperare impietate prædeceſſores Imperatores, dixerint iſta fortaſſe de his quæ ſpectant ad cultum ſacrarum Imaginum. Verum etſi Iconoclaſta fuit, Hagiomachus tamen nequaquam fuit, vtpote qui Sanctos coleret, atq; Dei-Genitricis eccleſias frequentaret, nouaſque etiam erigeret, prout idem Curopalates ſcribit.

INSIGNIS CONFESSIO MONACHI PICTORIS.

THEOPH. HAGIOMACHVS NON FVIT.

II. Fluctuabant inter hæc in Occidente res Ludouici Imperatoris, quando Pipinus eius filius rurſum alios in patrem commouens, ab eo in carcerem eſt coniectus. Sed cum inde à ſuis noctu ereptus eſſet, ipſum pater Regno Aquitaniæ priuauit, quod Carolo puero ex Iudith nato datum eſt, licet res effectum non ſit conſecuta.

III. SEDES AMABVRGEN. ERECTA IN METROPOL. POPVLOR. SEPTEMTRION.

Hoc pariter anno, idem Ludouicus Imperator habita Synodo, Amaburgenſem ciuitatem Nordambilgorum, ſiue Tranſalbianorum, Metropolim ſtatuit Danorum, Sueonum, Slauorum, & aliorum adiacẽtium populorum Septentrionalium: eiq; præfecit S. *Anſgarium*, earumdem nationum (vt ſuperius dictum eſt) Apoſtolum, qui in eadem Synodo primus illius ſedis ordinatus eſt Archiepiſcopus. Ea vero omnia poſtea confirmata ſunt à Gregorio Papa: qui inſuper Anſgario pallium miſit, inſigne plenitudinis poteſtatis, eumdemq; ac ſucceſſores ipſius, Legatos ac Vicarios Apoſtolicæ Sedis conſtituit in omnibus illis gentibus. Hæc quidem vetus Chronographus, Adam [a] nominatus, Canonicus Bremenſis, hoc Redemptoris anno geſta ponit: ex quo recentiorem corrigas Crantzium [b], dum in annum ſequentem ea refert. Ceterum cum iſta Amaburgenſi Eccleſia, poſtea à Nicolao Papa Bremenſem vnitam eſſe, ad ſedandam diſſenſionem quæ inter eas acciderat, ambo iidem auctores [c] tradunt.

b *Adam. li. 1. cap. 17.* c *Crantz. hiſt. Sax. li. 1. cap. 20.* d *Adã. l. 1. c. 27. Crantz. lib. 1. cap. 36.*

LVDOV. 20. THEOP. 4

IESV CHRISTI AN. 833.

GREG. IV. AN. 6.

I. GREG. PP. FRVSTRA LABORAT PRO COMPONENDA PACE INTER LVDOV. IMP. ET FILIOS EIVS.

ANno Domini octingenteſimo trigeſimo tertio, Indictione vndecima, graui rurſum turbine quaſſatum eſt Imperium Occidentale. Quod enim Pipinus à patre Ludouico Imperatore priuatus eſſet Aquitania, quæ Carolo Iudith filio data fuit, magnam ſibi Imperator cum odio concitauit inuidiam, non Pipini tantum, ſed & aliorũ filiorum, Lotharii ac Ludouici: quo factum eſt, vt ad bellandum pararentur vtrimq; exercitus. Cum interea Gregorius Papa, vt pacem inter eos conciliaret, Roma profectus, ad ea quæ prius obuia habuit filiorum caſtra acceſſit: vbi diutius commoratus, ideoque in ſuſpicionem apud Ludouicum ductus quod filiis faueret, cum ad ipſum poſtea Ludouicum acceſſiſſet, haud eo eſt ſuſceptus honore, quo conſueuerant prædeceſſores Francorum Reges excipere Romanos Pontifices. Conteſtatus autem ſe non aliam ob cauſam eſſe Roma profectum quam vt pacem conciliaret, ab eodem Ludouico dimiſſus eſt ad Filios, rẽ tractaturus cum ipſis. Sed cum nihil ex ſententia eueniret, idem re infecta mœrens reuerſus eſt Romam. Hæc quidem ex Vita eiuſdem Ludouici Imperatoris: quæ auctor qui Appendice auxit hiſtoriam Aimoini, ex eo totidem verbis appoſuit. Ceterum Gregorium Pontificem in huiuſmodi diſſidiis fauiſſe potius Ludouico Imperatori, quam ſceleratis filiorum conatibus, ſatis patebit ex iis quę inferius ſuis locis dicentur.

II. LVDOV. COGITVR SE IMPERIO ABDICARE.

Extãt huius Cõpẽd. Concilii Acta, & capita accuſationũ Ludouici, ac pœnitentię ipſi iniunctæ in Ann. Franc. à Pith. editis: recitatq; ea Baron. An. To. IX. hoc an. Sed & de his omnibus plura extant monumenta apud Agob. Archiep. Lugd. qui vna cum aliis Epiſc. ſedit tũc aduerſ. Ludou. eumdemq; valde infectatus eſt, necnon ipſius coniugem Iudith. Auguſtam.

Poſt ipſius vero receſſum, cum maxima pars exercitus Ludouici ad filios defeciſſet, & ipſe quoque eorumdem ſe poteſtati tradens, ductus eſt Compendium, ibiq; peſſime habitus tum ab iis, tum ab Ebbone Archiepiſcopo Rhemenſi harum turbarum incentore, aliiſque Epiſcopis vel errore adnitentib. vel timore conſentientib. A quib. cum vehementius ſolicitaretur, monaſticum habitum induere, id ipſe omnino renuens, coactus eſt tamen in pleno eorumdem *Concilio* [a] gladiũ deponere, & cilicio ſumpto reum ſe in multis capitibus de male adminiſtrato regno confiteri, atq; pœnitentiam publicam ſuſcipere: Imperiumq; ipſi ademptum, in Lotharium eius filium tranſlatum eſt. Quod facinus non ſolum omnes rerum Gallicarum ſcriptores merito deteſtati ſunt: ſed & ipſum Gregorium Romanum Pontificem eiuſmodi Ludouici abrogationis decretum reſcidiſſe, teſtatur Paulus Æmilius, qui Res Francorum eſt feliciter proſecutus. Omnes vero populos Imperio Francorum ſubiectos, valde pro Ludouico ſollicitos fuiſſe, atq; ſtatim de eius reſtitutione cogitare cœpiſſe, tradit auctor Vitæ eiuſdem Imperatoris.

LVDOV. 21 THEOP. 5.

IESV CHRISTI AN. 834.

GREG. IV. AN. 7.

I. LVDOV. RESTITVITVR IN IMPERIVM AB EPISC.

ANno Domini octingenteſimo trigeſimo quarto, Indictione duodecima, cum vndique conflari eſſe ſcirentur ad liberandum Ludouicum Imperatorem exercitus, Lotharius ſe excuſans cuncta eſſe peracta iudicio Epiſcoporum, relicto patre in monaſterio S. Dionyſii prope Pariſios, Viennam ſe contulit. Ludouicus autem in eccleſia S. Dionyſii per manus Epiſcoporum (neq; enim aliter pius Imperator, licet iniuſte depoſitus, hoc peragi voluit) gladio accinctus eſt, & in Imperium reſtitutus, ingenti omnium populorum lætitia, necnon ipſorum elementorum gratulatione, quæ cum per multum tempus acerbiſſime ſæuiſſent, tunc priſtinam trãquillitatem receperunt. Poſt hæc autem idem Ludouicus filios ſuos, aliosq; rebelles in gratiam recepit. Sed & cum Lotharius in itinere ciuitatem Cabillonenſem quæ ei aduerſabatur expugnans, cuncta ſacra profanaque ferro igneque abſumpſiſſet, vna ſalua miraculo baſilica S. Georgii, omneſq; qui patri ſtuduiſſent occidiſſet, ac ſororem Bernhardi ſanctimonialẽ dolio vinacio incluſam in Ararim fluuium proieciſſet: hęc nefanda deteſtatus Imperator, cum reliquis filiis ſuis caſtra aduerſus Lotharium mouentes, coegerunt eum ſupplicem ad patrem accedere, cui ipſe, eiuſque ſectatoribus indulſit. Hæc omnia in Vita eiuſdem Ludouici, & apud Theganum, leguntur fuſius enarrata. Denique recepiſſe quoq; vxorem ſuam Iudith, quæ à priuignis in Italiam relegata fuerat, iidem auctores tradunt: id vero auctoritate Pontificis factum, Marianus Scotus aſſerit.

NEFANDA LOTHARII SCELERA.

II. His autem peractis, idem Ludouicus tempore Miſſæ S. Martini generalem habuit *Conuentum* in Attiniaco palatio,

Collecta ab Hilduino Abb. monumenta de S. Dionys. Areo. a Ext. ap. Sur. 9. Oct.

latio, pro reſtituendo ſtatu Eccleſiaſtico; atque politico pene collapſo, miſſis per ſingulas ciuitates viris prudentibus qui id curarent. Quod vero in baſilica S. Dionyſii contigiſſet ipſum reſtitui in Imperium, vt aliquam gratiam tanto Martyri rependeret, eiuſdem monaſterii Abbati Hilduino mandauit, vt quæ tum ex Græcis tum ex Latinis fontibus de eodem Dionyſio ſcripta reperire poſſet, in vnum congerens, ſtylo hiſtorico proſequeretur. Extat enim de his eiuſdem Ludouici epiſtola, quæ ab ipſo ad quem ſcripta eſt, Hilduino præfixa eſt Areopagiticis[a] ſuis, ita nominatis lucubrationibus, quas de reb. geſtis S. Dionyſii Areopagitę quæ inueniri potuerunt conſcripſit. Quo eodem tempore (opera haud dubium eiuſdem Hilduini) Michael Syncellus Hieroſolymitanus, egregius Confeſſor, compoſuit orationem encomiaſticam de eodem Dionyſio: & Methodius ſanctiſſimus ac doctiſſimus tunc presbyter, poſtea Epiſcopus Conſtantinopolitanus, inſignis item Confeſſor, multiplicibuſque coronis ſub Imperatoribus Iconomachis pro defenſione ſanctarum Imaginum auctus, & ſub Leone Papa à Nicephoro Patriarcha Orthodoxo Romam legatus, ideoque tam in Oriente quam in Occidente ſpectatus, eiuſdem martyris res geſtas hiſtorice conſcripſit. Sed de rebus iſtis plura dicta ſunt in obitu[b] eiuſdem S. Martyris.

b Sup. an. 109.

III.

Inter hæc in Oriente Theophilus Imperator aduerſus Saracenos progreſſus, ab iis prælio victus eſt, parumque abfuit quin ab illis caperetur. Qua de re iratus Methodio presbytero Conſtantinopolitano, cuius modo meminimus (quem ad bellum ſecum ducere conſueuerat; ſiue propter eximiam ipſius doctrinam vt pleraque obſcura diſſolueret, ſiue timens ne populum ſubmoueret pro defenſione ſacrarum Imaginum) quod non eius adiutus precibus hoſtes viciſſet, occaſione capta ex offenſa religione ob cultū idolorum (ſic ſolitus appellare ſacras Imagines) poſt diram verberum inflictionem, eumdem relegatum in quoddam ſepulchrum cum duobus latronibus includi iuſſit, cui tantum cibi à quodam piſcatore ſubminiſtrari iuſſit, quantum ſufficeret ad vitam in illis miſeriis trahendam: ſicque illic manſit quamdiu Theophilus vixit, vt tradit hæc narrans Ioannes Curopalates: licet Conſtantinus Manaſſes & Glicas æque Græci auctores, aſſerant ipſum viuente adhuc Theophilo ab eodem reuocatum fuiſſe Conſtantinopolim, ad quædam ſoluenda dubia quæ ipſi inter legendum occurriſſent.

S. Methodivs vivvs clavditvr in sepvlch.

IV. Dvcenti monachi martyres.

Hoc item anno, qui Era Hiſpanica notatur octingenteſima ſeptuageſima ſecunda, in Hiſpania apud Caradignam ducenti monachi interfecti à Saracenis conſecuti ſunt coronam martyrii octauo Idus Auguſti, ſepultique in clauſtro eiuſdem monaſterii: vbi Deus locum, Sanctoſque ſuos iugiter annua die illuſtrat admirabili ſigno; vt qua die ſunt trucidati, pauimentum clauſtri appareat ſanguineo colore reſperſum. Porro quamuis iſta ex Eræ numero in hunc annum referenda appareant: tamen quod in inſcriptione eorumdem martyrum ſepulchro appoſita legatur, ſextam Auguſti diem qua ipſi paſſi ſunt, incidiſſe in quartam feriam, ſecundum iſtam ſupputationis rationem, niſi mendoſa ſit inſcriptio, omnino dicendum eſt id contigiſſe anno tantummodo Chriſti octingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, eodemque biſſextili, quo literæ Dominicales fuere F. E. ita vt pro numero Eræ reponendus ſit numerus annorum Chriſti. Quod nouiſſime obſeruaſſe viſus eſt Alfonſus Ciacconus, qui de iiſdem martyribus commentariolum edidit.

Lvdov. 22. Theoph. 6.

IESV CHRISTI AN. 835.

GREG. IV. AN. 8.

I. Conventvs vil. Theod. in cavsa Episcoporum.

Anno Domini octingenteſimo trigeſimo quinto, Indictione decimatertia, in Theodonis villa magnus habitus eſt *Conuentus* Epiſcoporum, & aliorum: in quo Ebbo Rhemenſis Archiepiſcopus, qui auctor fuerat depoſitionis Ludouici Imperatoris, ſuaſione Coepiſcoporum ſeipſum iudicans Epiſcopatu indignum, eo ſe addicauit: reliqui vero qui ei conſentientes fuiſſent, ſe excuſauerunt ob neceſſitatem qua coacti fuerant; quibus venia data eſt. Condemnatus eſt autem Agobardus Archiepiſcopus Lugdunenſis, qui vocatus ad Synodum vt eiuſdem criminis rationem redderet, venire diſtuliſſet. De his vero qui in Italiam confugiſſent, nihil eſt actum, quod viſi eſſent ad Sedis Apoſtolicæ iudicium conuolaſſe. Facta ſunt iſta ante Quadrageſimæ tempus. Sequenti vero Dominica, quæ Quadrageſimæ initium præcedebat (addit auctor Vitæ Ludouici) Imperator vna cum Epiſcopis aliiſque qui eidem conuentui interant, in Metenſem ciuitatem aduenit: vbi inter Miſſarum ſolemnia, ad plenariam ipſius reſtitutionem, ſeptem Archiepiſcopi ſeptem reconciliationis Eccleſiaſticæ orationes ſuper eum cecinerunt.

Epi. qui adversvs Lvdov. conivraverant.

II. De Theodvlphi carcere, et liberatione, ac scriptis.

Sed & his ipſis temporibus Theodulphus Abbas Floriacenſis ob eamdem cōiurationem aduerſus Imperatorem Andegaui detentus in carcere, cum poeticæ facultatis literis præ ceteris eius temporis eſſet excultus, carmen ſcripſit Eccleſiaſticum verſibus elegiacis ad diem Palmarum accommodatum, obſeruanſque tempus cum Ludouicus illac tranſiret, è feneſtra carceris illud cecinit in aures eius: quo mirifice delectatus Imperator, continuo ipſum iuſſit è carcere liberari, ac poſtea prærogatiua non ſolum ipſius ſcientiæ, ſed & pietatis, eumdem ad Epiſcopatum[a] Aurelianenſem promouendum curauit. Scripſit idem Theodulphus plura alia carmina, quorum aliqua adhuc extant, nobilis ingenii monumenta. Legiturque præterea ipſius epiſtola[b] ſatis prolixa ad Clerum ſuę diœceſis cum factus fuit Epiſcopus, qua munus ſacerdotale & animarum cura qualis eſſe debeat, quadraginta ſex capitulis egregie inſinuat, multa inſerens notatu digniſſima ad antiquam diſciplinam Eccleſiaſticam pertinētia. Inter quæ illud maxime notandum, quod quamuis canones matrem, & ſororem, atque eiuſcemodi feminas in quibus nulla eſt ſuſpicio, cum presbytero in vna domo habitare concedant, ipſe tamen hoc modis omnibus prohibuit; quod (vt ait) in obſequio, ſiue occaſione illarum veniant aliæ feminæ extraneæ, quæ eum ad peccandum illicere poſſint. Eſt vero & alia eiuſdem auctoris epiſtola[c] carmine ſcripta è carcere ad Modolinum Epiſcopum: vbi inter alia de miſeriis ſuis quas iniuſte pateretur conquerens, ait quod etiam ſi eas meruiſſet, tamen ipſius cenſura & correctio ad ſolum Romanum Pontificem pertineret.

a Sigeb. in Chron. an. 841. Crantz. hiſt. Saxon. li. 2. ca. 27. & ſ. b Ric. Bed. Annal. To. IX. hoc an.

c Cap. Conſt. ...
d

III. Ioannes scelestis. Constant. episc.

Hoc eodem anno mortuo Theodoto impiiſſimo Patriarcha Conſtantinopolitano, in locum eius ſubſtitutus eſt *Ioannes* Sextus huius nominis, Imperatoris Theophili pædagogus, prædeceſſore longe ſceleſtior (tales enim meruit Iconoclaſtarum ſecta habere patronos Antiſtites) qui antea eiuſdem Eccleſiæ Syncellus exiſtens, ex magiæ peritia, & peluium diuinationibus, ac necromantiis, magnam apud ipſos Imperatores, aliiſque hæreticos conciliarat ſui exiſtimationem: cuius primordia, ſtupra, aliaque ſcelera deſcribit Ioannes Curopalates, à quo recentiores hiſtorici eadem excerpſere.

IV. Theodori ac Theoph. fratrvm insigne certamen pro cvltv imag.

Eodem vero tempore inſignes Confeſſores Theodorus ac Theophanes fratres, Palæſtini monachi, quorum ſuperius eſt facta mentio, cum multa iam pro fide paſſi eſſent, ab exilio in quod eiecti fuerant Conſtantinopolim reducti Imperatoris iuſſu, qui magnopere cupiebat eos in partes ſuas allicere, denuo quod nec minis nec blanditiis abduci potuerint vt Iconoclaſtis communicarent, poſt ſæpius iterata diriſſima verbera, in frontibus inſcriptione affecti ſunt duodecim iamborum (mirum dictu, tot verſus potuiſſe in hominis exarari vultu!) quibus continebatur eos ob praua ſua facinora ita habitos eſſe: poſt hæc vero iterum in exilium pulſi ſunt. Deſcribit hæc pluribus auctor huius temporis, qui glorioſa eorum certamina ſcriptis mandauit: memineruntque eorumdem Ioannes Curopalates, Cedrenus, & alii hiſtorici; addentes inſuper de Michaele Syncello Hieroſolymitano, aliiſque quamplurimis à Theophilo Imperatore ob cultum ſacrarum Imaginum exilio aliiſque pœnis affectis.

V. De feſta die omnium SS in Gal. et Germ. celebranda.

Hoc eodem anno Gregorius Romanus Pontifex (auctor eſt Sigebertus, & alii) monuit Ludouicum Imperatorem vt in Gallia atque Germania Feſtiuitas Omnium Sanctorum Calendis Nouembris celebraretur, quam hactenus Romani ex Bonifacii Papæ inſtituto celebrare cõſueuerant. Quod tum ab ipſo Imperatore, tum ab Epiſcopis omnibus Franciæ atq; Germaniæ mira conſenſione & gratulatione acceptum fuit. Haud enim ante hæc tempora in iis regionibus eiuſmodi ſolennitatem celebratam fuiſſe, docent diuerſorum Conciliorum Canones de feriis ſeruandis ſanciti, in quibus de ea nullum prorſus habetur verbum, ſicut nec apud eos qui de officiis Eccleſiaſticis in hanc diem commentarios conſcripſere. Quapropter quod Albinus, ſiue Alcuinus, eius meminit in libro de diuinis Officiis, eum ad hæc tempora fuiſſe ſuperſtitem, inde videtur poſſe affirmari, quicquid de ipſius obitu ante hac dictum fuerit.

Lvdov. 23. Theop. 7.

IESV CHRISTI AN. 836.

GREG. IV. AN. 9.

I. Devs pvgnat pro Lvdov. dvm ipse tvetvr Rom. Eccl.

ANno Domini octingenteſimo trigeſimo ſexto, Indictione decimaquarta, Lotharius Italiæ Rex in Gregorium Papam infenſus, aduerſus Eccleſiæ Romanæ populum arma mouit: ſed à Ludouico patre per nuncios acerrime correptus, inuitus quieuit. Quo eodem tempore idem Ludouicus Imperator Northmannos in Friſiam irrumpentes, Britoneſq; tumultuantes, nullo negotio fugauit & compeſcuit. Lues vero ingruens, principes ſeditionis aduerſus eumdem Imperatorem nuper commotæ extinxit. Hæc pluribus auctor eiuſdem temporis, domeſticus Ludouici. Ex quibus etiam videas Deum pugnaſſe pro Ludouico, dum ipſe Romanam Eccleſiam tueretur.

II. Concil. Aqvisgran. ad Eccl. et regn. optime diſponendvm.

Hac eadem Indictione decimaquarta, octauo Idus Februarii, eiuſdem Ludouici admonitione celebrata reperitur SYNODVS AQVISGRANENSIS multorum Epiſcoporum: in qua, inculcata cauſſa ex qua tot tantaque mala proueniſſet in regnũ Francorum nempe ex eo quod Reges cõtra fas in cauſas Eccleſiaſticas proſilirent, & ſacerdotes partim negligentia, partim ignorantia, partim ambitione in ſæcularibus negotiis vltra quam deberent ſe occuparent, actum eſt de his quæ ad vitam & doctrinam Epiſcoporum, aliarumq; perſonarum Eccleſiaſticarum ſpectãt, necnon de iis quæ ad ipſum Imperatorem, eiuſque filios, atque miniſtros recte diſponendos, videri poſſent congrua eſſe. Quæ quidem petita magna ex parte noſcuntur ex Concilio Pariſienſi ante annos ſeptem celebrato, eademque in Capitularibus Regum Francorum inueniũtur eſſe deſcripta. Porro cum hæc Synodus celebrata reperiatur Indictione decimaquarta, inde corrigendi ſunt alii numeri ibidem appoſiti annorum Chriſti & imperii Ludouici: nam & auctor domeſticus ipſius Ludouici hoc potiſſimum anno habitam docet. Qua etiam actum tradit de rebus, quas Pipinus Ludouici filius Aquitaniæ Rex multis Eccleſiis abſtuliſſet, eumdemq; à patre ac Synodo commonitum, omnia reſtituiſſe.

III. Convent. Lvgdvn. in cavſa Epiſcop. Vien. et Lvgdvn.

Sed & eodem anno apud Lugdunum alius *Conuentus* habitus eſt Epiſcoporum, cui & idem Ludouicus vna cũ filiis interfuit: in quo agitata eſt cauſa Eccleſiarum Lugdunenſis & Viennenſis, paſtoribus tunc carentium, quod Agobardus Lugdunenſis & Bernardus Viennenſis, conſpirationis contra Imperatorem conſcii, facti eſſent extorres. Ceterum Agobardus vocatus reddere rationem, non venit: qui autem affuit Bernardus, diffidens cauſæ fugam iniit. Subſtiterunt tamen Epiſcopi, detrectantes adhuc in abſentes ferre ſententiam.

IV. Cvm S. Viti reliqviis translata felicitas regni Franc. in Saxon.

Hoc item anno, quo prima Northmannorum in Gallias irruptio ponitur, facta etiam recenſetur [a] Translatio Reliquiarum S. *Viti* Martyris, Pariſiis (quo fuerant ſub Pipino Rege Roma translatæ) in monaſterium nouæ Corbeiæ, haud pridem in Saxonia ab Imperatore Ludouico, ſuaſione Adelhardi propinqui ſui erectum ad exemplar Corbeiæ Galliæ. Cum tantum martyrem Saxones omnes ſuſcipientes in patronum, mira à Deo per eum conſecuti ſunt beneficia, econtra vero poſtquam è Gallia translatus eſt, eadem à ciuilib. vel externis bellis numquam quieuit: ſicut teſtatus eſt Legatus Caroli Simplicis apud VVitichindum. Quanta vero abundantia benedictionis, in miraculorum etiam editione, idem martyrii in Saxoniam venerit, atque permanſerit, liber de eius translatione conſcriptus ſignificat. Eiuſdem autem Reliquias rurſum poſt centum annos petente S. Wenceſlao Boemiæ Duce, trãslatas eſſe Pragam, in Rebus [b] geſtis eiuſdem Wenceſlai prolixior habetur oratio. Denique & hoc ipſo anno translatum pariter eſſe ſacrum corpus S. *Liborii* Epiſcopi Cenomanenſis Paderburnam in eadem Saxonia, atque item ingentib. claruiſſe miraculis, traditur in libello [c] ipſius translationis.

[a] ap. Sur. 15. Iunii.
[b] ap. Sur. 28. Septemb.
[c] ap. Sur. 23. Crantz. hiſt. Sax. lib. 1. cap. 22.

Lvdov. 24. Theoph. 8.

IESV CHRISTI AN. 837.

GREG. IV. AN. 10.

I. Cometæ apparitio.

ANno Chriſti octingenteſimo trigeſimo ſeptimo, Indictione decimaquinta, tempore Paſchali Ludouicus Imperator ingentis apparitione cometæ admonitus, tamquam proxime moriturus orationib. ſe totum atq; eleemoſynis dedit: habitoque generali *Conuentu* menſe Septembri Cariſiaci, filium ſuum Carolum ex Iudith natum Regem Neuſtriç coronauit, quam prouinciam antea poſſederat alius eiuſdem Imperatoris filius iam defunctus, cui pariter nomen fuerat Carolo. Hęc plurib. Aſtronomus ipſe, qui de illo cometa cum Ludouico ſermonem habuit, ac res ab eodem Imperatore geſtas quam fideliſſime conſcripſit.

Lvdov. 25. Theop. 9.

IESV CHRISTI AN. 838.

GREG. IV. AN. 11.

I. Partitio regni Franc. inter filios Lvdovici.

ANno Domini octingenteſimo trigeſimo ſeptimo, Indictione prima, Ludouicus Imperator, defuncto Pipino filio Aquitaniæ Rege, Carolo filio eã tribuit prouinciã: patritoq; inter Lotharium atq; Carolum vniuerſo Imperio, tradidit Ludouico Baioariam. Ex qua diuiſione rurſus obortæ diſcordiæ, Ludouico indignante, & pro Pipino puero Pipini Regis filio nonnullis inſurgentib. nobilibus, eo quod à patris regno videretur eſſe excluſus. Porro reperitur quoq; alias ſæpius diuerſis occaſionibus facta eſſe ab eodem Imperatore regnorum diuiſio: vt inter alias ea, quam ex veterib. monimentis Pithœus edidit, factam inter tres filios, Pipinum, Ludouicum, & Carolum, in qua inter cetera diligenter adſcriptum eſt caput *de cura & defenſione Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ceterarumque Eccleſiarum, maiorum ſuorum exemplo habenda:* quod in omnib. aliis ſuis diuiſionibus æq; inculcatum fuiſſe, dubitari non debet.

Defenſio Rom. Eccleſiæ regib. Franc. debita.

II. De martyrio Frider. Episc. Traiect.

Quod vero hoc eodem anno *Fridericum* Traiectenſem Epiſcopum conſummaſſe tradunt [a] martyrium inſidiis Iudith Imperatricis, ob reprehenſum illicitum ipſius cum Imperatore coniugium: cum in ea narratione valde proſcindatur Imperator, laudentur vero qui eius exauctorationis auctores fuerunt Epiſcopi, multaque etiam haud temporibus conuenientia coacceruentur; putamus hæc conficta fuiſſe ab aliquo Ludouici aduerſario, aliamque potius cædis ſanctiſſimi Epiſcopi præceſſiſſe: quem quidem ſcribunt multum laboraſſe in Walachia contra illicita connubia, & in Friſia contra Arianam perfidiam.

[a] ap. Sur. 18. Iul. Molan. de SS. Belg.

III. Lvpvs Abb. Ferrar.

Hac eadem Indictione prima *Lupus* monachus S. Benedicti, Rabani diſcipulus, vir doctrina & moribus præſtans, vocatus in aulam à Iudith Imperatrice, paulo poſt à Ludouico delectus eſt in Abbatem cœnobii Bethleem, ſiue Ferrarienſis dicti, ſitique in diœceſi Senonenſe; quod ipſe [b] teſtatur in ſuis epiſtolis. Eodem vero anno quo ipſe præfectura monachorum eſt auctus, eius præceptor *Ra-*

[b] Lup. Ferrar. ep. 3. 4. 7.

banus

RABANVS SE ABDICAT. c Lup. ep. 40.

banus Fuldenſis Abbas, abdicans ſe quietis amore, in Hattonem refudit onus: vt ex eiuſdem Lupi ad eundem Rabanum data [c] epiſtola conſtat: idq; ipſum teſtantur Francorum Annales veteres. Hac autem requie frui Rabanus permiſſus eſt vſque ad annum Domini octingenteſimum quadrageſimum ſeptimum, quo creatus eſt Epiſcopus Moguntinus.

LVDOV. 26. THEOP. 10.

IESV CHRISTI AN. 839.

GREG. IV. AN. 12.

I. ANno Chriſti octingenteſimo trigeſimo nono, Indictione ſecunda, Ludouicus Imperator *Cabillonenſem Conuentum* habuit. in quo actum eſt de rebus Eccleſiaſticis atq; politicis componendis. Fuit vero hic annus bellicis tumultibus turbulentior, cum ipſe Imperator aduerſus Ludouicum filium rebellantem exercitum mouit, eumque ad ſpontaneam reconciliationem adegit: ſed & Aquitaniam, ob nepotem Pipinum inofficioſe prꝗteritum commotam, compeſcuit.

II. DE APPELLATIONIB. AD ROM. PONT. a Ext. Baron. To. IX. hoc an. b 2. q. 6. c. 3. 3. q. 6. c. dirrie 1. q. 7. c. 42. cap. 2. diſt. 12. 2. q. 6. c. 14. c. 4. diſt. 41. cap. diſt. 19.

Quod autem & inter Epiſcopos æmulatione exorta, alter in alterius vindictam intenderet. & inter alios Aldricus Cenomanenſis grauem à comprouincialibus Epiſcopis pateretur perſecutionem. Gregorius Papa his cupiens occurrere, aliiſque conſulere, epiſtolam ſcripſit ad Epiſcopos Galliæ, alioſque vniuerſos, qua plura tractans de Romani Pontificis auctoritate, & appellationibus ad Sedem Apoſtolicam, iuſſit eidem Aldrico licentiam dari eam appellandi, & quouſque ab ea iudicatus fuerit, Epiſcopum permanere. Ex qua quidem epiſtola (quæ adhuc extat [a] integra) reperitur Gratianus complura retuliſſe in volumen Decretorum [b].

LVDOV. 27. THEOPH. 11.

IESV CHRISTI AN. 840.

GREG. IV. AN. 13.

I. ANno Chriſti octingenteſimo quadrageſimo, Indictione tertia, Ludouicus Imperator poſtquam in ciuitate Pictauienſi Natale Domini celebraſſet, adueniente tempore Quadrageſimæ, quod totum ſolitus erat pſalmorum decantatione, orationum inſtantia, Miſſarum celebratione, eleemoſynarum liberalitate, cum ſumma deuotione tranſigere, ad pacem reſtituendam coactus eſt in Germaniam properare, quam filius eius Ludouicus iterum rebellans inuaſerat, eo quod in diuiſione regnorum Carolus natu minimus fuiſſet ei præpoſitus. Quare ex incommodis intempeſtiui itineris morbum contrahens, feſtis Paſchalibus Aquiſgrani peractis, cum nihilominus perturbatorem Eccleſiarum eumdem Ludouicum filium fugientem perſequeretur, in vrbe Vangionum, eademque VVormatia dicta, *Conuentum* celebrandum indixit, ad quem & filium Lotharium ab Italia accedere præcepit.

LVDOV. IMP. IN MORBVM INCIDIT.

II. Quo tempore tantum Solis deliquium contigit, vt nihil à nocte dies differre videretur. Tuncque vi morbi creſcente, ſecedens in inſulam quamdam ciuitati Moguntinæ contiguam, peccata ſua confeſſus, per dies quadraginta cibum tantummodo ſumpſit Dominicum Corpus, laudans iuſtitiam Dei, ac dicens, *Iuſtus es Domine. At quia tempus Quadrageſimæ non ieiunans exegi ſaltem coactus idem ieiunium tibi exoluam*. Poſtea diſtributis theſauris ſuis, Eccleſiis, pauperibus, filiiſque, ſed & venia delictorum Ludouico filio abſenti conceſſa, ligno S. Crucis pectus ſuum muniens, in ipſo mortis articulo apparentes ſibi dęmones fugauit, atque elatis ad cœlum oculis lætus ad Deum migrauit duodecimo Calendas Iulii, anno ætatis ſexageſimo quarto, Imperii vigeſimo ſeptimo: cuius corpus à fratre ipſius Drogone Metenſi Epiſcopo, & ſacri Palatii Archicapellano, Caroli Magni filio naturali, quem Ludouicus cariſſimum habuerat, maxima pompa, & totius Cleri ac Procerum comitatu, in eandem ciuitatem Metenſem tranſlatum eſt, atque in eccleſia monaſterii S. Arnulphi ſepultum. Hæc pluribus eius domeſticus, qui ipſius res geſta tunc ſcribebat. Qui autem eidem auctori perperam partiendo ſingulos annos, Ludouici obitum ponit poſt biennium, non ſolum ab ipſius Imperatoris annis vitæ & Imperii redarguitur, ſed & ab Adone, aliiſque antiquioribus omnibus & recentioribus, qui cum hoc ipſo anno defunctum affirmant. Porro ſucceſſit ei LOTHARIVS filius in Imperium: qui quidem Monarchiæ cupidus, mox aduerſus fratres bella mouit, vt dicetur anno ſequenti.

DE PIIS. OBITV LVDOV. PII.

LOTHAR. IMPERAT.

LOTHARI. 1. THEOPHI. 12.

IESV CHRISTI AN. 841.

GREG. IV. AN. 14.

I. ANno Chriſti octingenteſimo quadrageſimo primo, Indictione quarta, ingraueſcẽte in dies magis Theophili Imperatoris aduerſus Orthodoxos perſecutione in Oriente, admirandus ille S. Ioannicius Anachoreta de reddenda quam cito Eccleſiæ pace per mortem Theophili diuinum reſponſum accepit, quo afflictos, iamque omni pene ſpe deſtitutos conſolatus eſt Fideles. Hæc in Rebus ipſius geſtis, ab auctore illius temporis fideliſſime conſcriptis.

II. PER FATIDICAM THEOP. IMP. FVTVRA INQVIRIT.

Quo eodem tempore, ipſe Theophilus Auguſtus futura curioſius inueſtigans, ab anu fatidica ex Agarenis ſuperioribus bellis capta, inter alia accepit, poſt ipſum ſucceſſurum in Imperium ipſius filium, qui ſacras Imagines reſtitueret, poſt illum vero diutius regnaturum Martinatiorum genus. Quare Theophilus Martinatium quemdam virum ſibi dilectum monachum fieri curauit, ſuoſq; horrendis iureiurandis obſtrinxit, ne Imagines reſtitui paterentur. Cum vero poſthæc aduerſus Saracenos proceſſiſſet, Perſarum proditione ab illis victus, & in vitæ diſcrimen adductus, vix ſaluus fuga lapſus eſt, relictis captiuis multis proceribus, qui martyrium à Saracenis conſecuti ſunt: quibus cladibus mœrore confectus, in dyſenteriæ morbum incidit, eoque ſequentis anni principio vitam finiuit. Quæ pluribus narrat Ioannes Curopalates, & alii poſt eum.

III. BELLVM CIVILE INTER FRANCOS.

Eodem anno ciuili bello flagrante Gallia, atque Lothario Imperatore Monarchiæ cupidine aduerſus Ludouicum & Carolum fratres agente, ſeptimo Calendas Iulii inito inter eos acri prælio, ceſſit victoria fratribus: qui cum antea ſæpius crebris legationibus redimere pacem fruſtra laboraſſent, ac tandem in ipſum rem dolis agentem armis conſerere inuiti compulſi fuiſſent, hac quoque victoria modeſtiſſime ſunt vſi. Eo vero vnico prælio idem Carolus, Caluus dictus, relictum ſibi à patre Regnum firmiter ſtabiliuit, qui poſt hæc Sueſſionem adueniens, rogatus à monachis cœnobii S. Medardi nonnulla Sanctorum corpora propriis humeris ſumma veneratione in nobiliorem eccleſiam tranſtulit. Sed quomodo hæc omnia geſta fuerint, qui interfuit cunctis Nithardus nobiliſſimus Francus, Caroli Magni nepos ex Berta filia, fideliſſime ſcripſit: quem [a] otioſus lector conſulat.

a Nithard. lib. 2. & 3.

LOTHAR. 2. MICHA. III. 1.

IESV CHRISTI AN. 842.

GREG. IV. AN. 15.

I. CONVENTVS EPISCOP. AQVISGRANI.

ANno Chriſti octingenteſimo quadrageſimo ſecundo, Indictione quinta, Lotharius Imperator bellum aduerſus fratres renouans, ab illis extra Regnum expulſus eſt. Conuocatis autem à Ludouico & Carolo Epiſcopis Aquiſgranum (quæ tunc prima ſedes erat Regni Francorum) vt deliberarent quid agendum eſſet de Lotharii Regno poſt multam deliberationem, Epiſcopi eumdem Lotharium cum ob multa crimina aduerſus Eccleſiam, patrem, fratreſque commiſſa, tum ob alia quamplurima

impia facinora, iuſto Dei iudicio regno priuatum declararunt. Quod cum iiſdem ipſius fratribus Ludouico & Carolo inter ſe diuidendum adiudicare vellent, exacto prius ab eis promiſſo de recta illius adminiſtratione, tunc demum, *Et nos* inquiunt Epiſcopi, *auctoritate diuina vt illud ſuſcipiatis, & ſecundum Dei voluntatem regatis, monemus, hortamur, atque præcipimus.* Hæc Nithardus, qui interfuit. Ex quibus ſugillandi ſint Pollitici Nouatores, qui in controuerſiam admodum friuole reuocant, num Summus Pontifex potuerit Francorum Regnum ab Hilderico Stupido in Pipinum transferre, conſentientibus omnibus Francis, cum modo ipſi Francorum Epiſcopi iudices ſederint de Regno & Regibus iudicaturi, atque ſua ſententia Lotharii Regnū hæreditarium tranſtulerint in Ludouicum & Carolum, appoſita etiam de his præceptione, quæ mox executioni mandata fuit, diuiſo inter duos fratres Regno arbitrio virorum ad hoc opus ab illis electorum, quorum vnus fuit ipſe Nithardus qui hæc narrat.

EPISCOPI TRANSFERVNT REGNVM LOTHARII IN FRATRES EIVS.

II. THEOPH. IMP. OBITVS.

Quod ad res pertinet Orientales, cum ob acceptas ab hoſtibus clades Theophilus Imperator in lethiferum (vt diximus) morbum incidiſſet, cumque audita morte legati quem pro auxilio petendo ad Francos miſerat, omni ſpe deiectus grauius opprimeretur, vxore Theodora & filio Michaele Senatui ac Proceribus commendatis, tertio Calendas Februarii diem extremum obiit. Quę narrans Ioannes Curopalates (à quo alii exceperunt) tradit eumdem proxime moriturum, Theophobi de affectatione Imperii calumniis imperiti caput truncari iuſſiſſe, ipſumque ſibi delatum per capillos tenentem, ſupremum hoc verbum dixiſſe, *Neq; poſt hac ego ero Theophilus, neq; tu Theophobus.* Ceterum in ipſo fine os eius adeo diductum eſſe, vt viſcera conſpicerentur, ſed & erroris ſui pœnitentem Imaginem ſacram adoraſſe, ac poſt mortem in Iudicium raptum, precibus vxoris Theodoræ pientiſſimæ feminæ, ſanctiſſimi Methodii Patriarchiæ, aliorumq; piorum hominum, miſericordiam à Deo conſecutum eſſe, ex antiquioribus monimentis prodidit Gennadius eiuſdem ciuitatis Patriarcha, in expoſitione pro Concilio Florentino Seſſione quinta.

POENITENTIA THEOPH. ET VISIO DE EIVS ANIMA.

III. MICHAEL III. IMPERAT. ET IMAGINES RESTITVIT.

Poſt obitum Theophili, filius eius MICHAEL huius nominis Tertius, adhuc admodum adoleſcens, omnium conſenſu Imperii ſceptra ſuſcepit cum matre Theodora, tutores ac curatores habens ex teſtamento patris, Manuelem Magiſtrum militum, & Theoctiſtum Logotheā Dromi. Quorum conſilio, atque opera diuinitus promota, paucos poſt dies factum eſt, vt publica diſputatione habita de ſacrarum Imaginum cultu, rectaque parte ſuperiore exiſtente edictum ſtatim promulgatum fuerit de earumdem reſtitutione: quo etiā omnes Fideles ab exiliis & carceribus reuocati ſunt, qui vero hæreſim abiurare noluere, in exiliū pulſi. Quorum vno exiſtente impio Ioanne pſeudopatriarcha Conſtantinopolitano, in eius cum ignominia deiecti locum, continuo ſubrogatus eſt ingenti Orthodoxorum gaudio ſanctiſſimus Confeſſor *Methodius* preſbyter, doctrina & moribus inſignis, de quo ſuperius actum eſt. Hæc pluribus Ioannes Curopalates, & poſt eum alii. Sed iſta de habita pro reſtitutione Imaginum diſputatione, necnon de hæreſis condemnatione, eiectioneque Ioannis, ac ſubrogatione Methodii, nequaquam perfunctoriè facta eſſe, ſed ſecundum canones congregatum fuiſſe CONCILIVM plurimorum vtriuſque partis Epiſcoporum, atque in eo mutante ſententiam maxima hæreticorum parte, Nicænam Oecumenicam poſteriorem Synodum approbatam eſſe, tradit Theophanes preſbyter temporis huius ſcriptor, in oratione de S. Nicephoro Patriarcha. Tuncque etiam inter ceteros Orthodoxos Confeſſores ad ſedes Epiſcopales promotos, alium illum Theophanem Theodori fratrem, vultu literis exaratum, de quo ſuperius, eiuſdem ciuitatis Nicænæ Bithyniæ factum eſſe Archiepiſcopum, teſtatur qui eius, fratriſque certamina ſcripſit, atque alii Græcorum hiſtorici.

S. METHODIVS ELICITVR EPISC. CONST.

IV. HAERESIS ICONOCLAST. PENITVS EXTINCTA.

Sic igitur hæreſis illa, quæ Conſtantinopoli ante centum viginti annos, è portis inferni magno faſtu auctore Imperatore, potens ac furens in Eccleſiæ damnum eruperat, & repreſſa ſæpius rurſum audacius fuerat debacchata, hoc tandem anno penitus extincta eſt, totoque Orientali Imperio deſolatæ Eccleſiæ in priſtinum decorem & cultum reſtitutæ ſunt. In ipſa vero vrbe Conſtantinopolitana, erectio atque reſtitutio ſacrarum Imaginum ſolemni ritu, celebrique facta eſt pompa, conuenientibus Imperatoribus in magnam eccleſiam vna cum Senatu & ſacro Clero, atque venerandorum Ordinibus monachorum, populoque vniuerſo. Statutumque fuit, vt in perpetuum prima Dominica Quadrageſimæ (qua eiuſmodi ſolemnitatem celebrari contigit) iugi memoria tanti à Deo accepti beneficii coleretur: quod & hactenus apud eos feliciter perſeuerat. In qua celebritate inter alias diuinas laudes, ſacra victoriæ egregia cantica duo, in laudem ſacrarum Imaginum, & deteſtationem Iconomachorum, in Eccleſia publice occinuntur: Theophanis Stigmatici Confeſſoris alterum, quod tunc ipſe Conſtantinopoli exiſtens compoſuit, alterum vero Theodori Studitæ titulo prænotatum, ſed ab aliquo eius diſcipulo, ipſius iam olim defuncti nomine eo tempore compoſitum. Præter quæ recitatur pariter ſermo ab eodem tempore haberi ſolitus, qui ſummatim continet cunctam de Imperatoribus Iconoclaſtis hiſtoriam. Quæ quidem omnia deſcripta habentur [a] in Græcorum ſacro libro Triodio nuncupato, quo vtuntur pro diuinis Officiis celebrandis à Septuageſima vſque ad Octauam Pentecoſtes: in cuius liminari pagina legitur, librum illum exaratum eſſe à S. Coſma, auctum vero à Theodoro atque Ioſepho Studitis, & aliis Patribus, inter quos nominatur Nicephorus Calliſtus cognomento Xanthopulus.

ANNVA FESTA DIES PRO RESTITVTIONE SS. IMAGINVM.

[a] *Recitat etiam Bar. To. IX. hoc ar vnacum aliis eiuſdem argumenti ſermone, eadem pariter de ab alio Theophane Archiepiſcopo Tauromenia ad populum dicto.*

V. CANONES POENITENTIALES METHODII PRO LAPSIS.

Qui autem poſt tot Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ naufragia, eius clauum è manibus hæreticorum euulſum, moderandum ſuſcepit Patriarcha Methodius idem ad reuocādos in Eccleſiam lapſos mirifice laborauit. Sed quod hi variæ reperirentur ætatis, diuerſæque conditionis, ne vileſceret Eccleſiaſtica diſciplina, eoſdem omnes diuerſo modo cenſuræ Eccleſiaſticę voluit eſſe ſubiectos, promulgato pro ſalute omnium edicto, quod hactenus extat [b]. De quo quidem Methodio nec illud prætermittendum, quod tradit Glicas, nempe quia eius malæ, ob ſacrarum Imaginum propugnationem, Theophili Imperatoris iuſſu contuſæ ſolutæque fuiſſent, neceſſe habuiſſe vt eas tenui quadam faſcia linea obligaret. Vnde putat idem auctor morem inoleuiſſe, vt Pontifices ab anteriori parte lineas faſcias alligatas haberent.

[b] *Bibl. Sanct. to. 6 & Addit ex Theod. Balſam.*

IESV CHRISTI AN. 843.

LOTHAR. 3. MICH. III 2.

GREG. IV. AN. 16.

I. METHODIVS A CALVMNIA STVPRI MIRABILITER SE PVRGAT.

ANno Chriſti octingenteſimo quadrageſimo tertio, Indictione ſexta, Methodius Patriarcha Conſtantinopolitanus per inuidiam nefarii Ioannis nuper ab illa ſede eiecti, & aliorum hæreticorum, à muliere quadam ad hoc præmiis illecta ſtupri accuſatus: vt tantam calumniam dilueret, coram omnibus pudenda nudans, arida illa & prorſus tabida oſtendit: quod aduerſus carnis incentiua remedium S. Petrus Apoſtolus ipſi petenti per viſionem impertierat, cum is Romam à Nicephoro Patriarcha miſſus aduenïſſet. Cum vero calumniatoribus ſuis impunitatem impetraſſet, Ioannes ille in monaſterium detruſus ad pœnitentiam, cernens in eo ſacras quaſdam Imagines, per diaconum ſuum eis oculos effodit. Quod reſciēs Imperatrix Theodora, ipſum quoque luminibus priuari iuſſit: ſed quorumdam interceſſione piorum virorum ſētentia mitigata, ducenta eidem verbera inflicta ſunt. Hæc omnia pluribus Ioannes Curopalates, & poſt eum alii Græcorum hiſtorici.

II.

Hoc item anno, Ludouicus & Carolus Francorum Reges, à fratre Lothario Imperatore rogati de pace ac Regni ipſi adempti reſtitutione: quietis publicæ ſtudioſi, conſultis primum Epiſcopis, rurſum eum in partem Regni admiſerunt: quod inter illos diuiſum fuiſſe in

tres par-

Digitized by Google

tres partes, narrat Nithardus [a] qui aderat in exercitu Caroli inter primos.

a Nithard. l. 4.

III. GREG. PAP. OBITVS.

Hoc pariter anno *Gregorius* Papa, cum ſediſſet anno ſexdecim, diem clauſit extremum: ſepultuſque eſt in baſilica S. Petri: quod teſtatur Anaſtaſius & veteres Francorum Annales: quamuis ſint qui eius obitum in annum ſequentem abſque veterum aſſertione reiiciant. De eius ædificiis, ac donis collatis Eccleſiis Vrbis, multa habet idē Anaſtaſius: qui tam in eius Vita, quam aliorum Pontificum, ſumma diligentia hæc exſcripſit ex libro rationum expenſarum. Porro inter eiuſdem Pontificis adnumerandum eſt monumenta, quod fulgens temporibus iſtis Germaniæ ſidus, *Rabanus Maurus*, Albini Flacci auditor, vir doctrina valde inſignis, ſcribere aggreſſus S. Crucis myſteria atq; præconia metrico ſtylo canenda egregium opus dedicauit Gregorio: ad quem tum ipſius tum Albini leguntur in liminari pagina ſcripta epigrammata, licet illud opus ad Sergium tantum Gregorii ſucceſſorem anno ſequenti miſſum eſſe, tradant veteres Francorum Annales à Pithœo editi. Vnde coniectura ducimur, his vltimis diebus Gregorii ſcriptum eſſe, ſed & Albinum ad hæc tempora ſuperſtitem fuiſſe.

RABANVS SCRIBIT DE S. CRVCE AD GREG.

IV. MALA ILLATA ITALIÆ PER SARACENOS.

Hic item annus Italiæ fuit lugubris, ex ingenti clade à Saracenis illata vniuerſæ Campaniæ atque Samnitibus, qua illi Beneuentum ceperunt, Capuam incenderunt, atque alia mala innumera perpetrarunt: quæ iſto anno cœpta (vt Nithardus, & veteres Annales Francorum à Pithœo editi fidem faciunt) ad annos ferme triginta in poſterum propagata eſſe, Oſtienſis [b] tradit: cum, vt ait, Ducibus Beneuentanis inter ſe bellis ciuilibus decertantibus, alterutrimque Saraceni ex Sicilia atque Hiſpania in auxilium vocati ſunt. Quæ vero tunc damna paſſum ſit nobile monaſterium Caſſinenſe, idem auctor mox ſubdit [c]: dum ait, Siconulphum (ſiue Sigenulphum) alterum Beneuenti Ducem, mutui ſpecie diuerſis vicibus ſacrilege abſtuliſſe vniuerſos ferè theſauros, quos Francorum Reges, aliique Principes illi monaſterio contuliſſent: videlicet in vaſis aureis, centum triginta libras auri puriſſimi: in vaſis argenteis, circiter nongentas argenti libras: in auro ſignato, triginta & duo millia ſolidorum aureorum: in gemmis, tredecim millia eorumdem ſolidorum. Ex quibus tamen (vt addit) nihil vel ſibi vel patriæ emolumentum quæſiuit: neque ex eo tempore vlla vmquam victoria potitus eſt.

b Oſtien. Chron. Caſſin. l. 1. c. 27.

c Ibid. c. 28. MONASTER. CASSIN. EXPOLIATVR.

IESV CHRISTI AN. 844.

LOTHAR. 4 MICHA. III 3.

SERGII II. AN. 1.

I. SERGIVS PP. II. CREATVR.

ANNO Chriſti octingenteſimo quadrageſimo quarto, Indictione ſeptima, poſt Gregorium Quartum ſubrogatus eſt in locum eius SERGIVS eius nominis Secundus, S.R.E. Archipresbyter, natione Romanus, illuſtri familia ex patre Sergio natus: pietate, eruditione, & moribus inſignis: eiecto *Ioanne* diacono, qui Sedem violenter occupare tentauit. Quæ quomodo ſe habuerint, pluribus narrat Anaſtaſius. Sed quos delectat fabulas veris intexere, hunc primum fuiſſe tradunt Romanum Pontificem, qui creatus Papa nomen ſibi mutauerit, eo quod *Os porci* dictus, nomen indecens tanto ſacerdotio viſus eſſet habere. Verum id ſcias factum in Sergio Quarto, neque id accidiſſe ob turpitudinem nominis, ſed reuerentiæ cauſa, cum Petrus antea vocaretur: vt ſuo loco dictum ſumus. Quamquam & id factum primum ab Octauiano, qui vocatus eſt Ioannes Duodecimus, alii tradunt: vt & ſuo loco dicetur. Sergium autem iſtum Secundum ex paterno nomine à principio Sergium eſſe appellatum, Anaſtaſius eius temporis auctor eſt teſtis.

QVIS PRIMVS IN SVSCIPIENDO PONTIFICATV MVTAVERIT SIBI NOMEN.

II. LVDOVICVS FILIVS LOTHARII MITTITVR IN VRBEM.

Qui addit, Lotharium Imperatorem certiorem factum de conſecratione Sergii, Romam miſiſſe Ludouicum filium ſuum, vna cum patruo ſuo Drogone Metenſi Archiepiſcopo, (Ita enim elatiori titulo vocat eum Anaſtaſius, ob vſum pallii, & Legationem Apoſtolicam in illis partibus ei conceſſam; cum alioqui nonnuiſi Epiſcopatus vmquam fuerit ſedes Metenſis, aliiſque plurimis Præſulibus ac Comitibus. Cur autem miſſus fuerit, Ado [a] Vienneenſis huius pariter ſæculi ſcriptor, ait fuiſſe vt qui iam à patre Rex Italiæ factus fuerat, Imperatoris nomen à Summo Pontifice ſortiretur: quod & factum fuiſſe affirmat. Ex quo redarguas ſchiſmaticum Sigebertum, dum lōge poſt hæc tempora, in gratiam ſchiſmatici Imperatoris ſcripſit, miſſum à Lothario Romam Ludouicum ad confirmandam electionem Sergii Papæ.

a Ado in Chron. an. 841.

III. LVDOVICVS HOSTILITER ADVENIENS, PACIFICE EXCIPITVR.

Porro Ludouicus adhuc iuuenis, ſtimulis exagitatus prauorum conſiliatorum, eorumque Epiſcoporum qui cum ipſo erant, concipiens animo ſibi Romam ſubiicere tyrannide, ſecum duxit exercitum, quo omnia à Bononia Romam vſq; loca deuaſtauit. Cum autem Romam Dominica poſt Pentecoſten aduenīſſet, honorificentiſſime quidem illum Sergius excepit, miſſis obuiam proceribus Romanis, ac Crucibus, id eſt ſignis, ſicut moris erat Imperatorem aut Regem ſuſcipere: ipſeque Pontifex cum Clero eum in atrio eccleſiæ S. Petri opperiens, dextra ab eo ex more deductus eſt: ſed cum ad portas argenteas atrii interioris eiuſdem baſilicæ perueniſſent, claudi eas Pontifex præcipiens, negauit iuſſurum ſe eas aperiri, niſi prius Ludouicus aſſereret ſe beneuolo in Eccleſiam & Rempublicam animo aduenīſſe, quod cum ipſe præſtitiſſet, tunc demum apertis portis ingreſſi ſunt. Habet hæc omnia Anaſtaſius. Qui & amplius notat, quod cum ad eaſdem portas argenteas peruentum eſſet, vnus ex comitatu Ludouici à dæmonio arreptus, in conſpectu omnium valde fuerit vexatus. Quod quidem magna Dei prouidentia accidiſſe innotuit, vt qui hoſtili venerant animo, timore correpti ferociam deponerent, videntes ipſos etiam dæmones, Deo diſponente, inſurgere vindices pro Eccleſiæ defenſione. Sed cum nihilominus exercitus Ludouici deprædatis ſuburbiis Vrbem etiam ingredi vellet, obſtitit Pontifex clauſis munitiſque portis. Ne vero occaſionem præberet eam inuadendi & incendendi: quod à Ludouico exigebatur, vnxit eum ac coronauit Regem Longobardorum. Sed quod etiam Romanos idem Rex ſibi ſacramento vellet adigere prohibuit eos Pontifex niſi in verba Lotharii tantummodo Imperatoris iurare. Hæc idem Anaſtaſius: cum tamen aliorum plurium teſtificationibus aſſeratur, tunc Ludouicum coronatum eſſe Imperatorem. Ceterum quod Acta Rom. Concilii, & ipſa quidem legitima, celebrati anno ſeptimo Leonis Papę Quarti, ac Redemptoris octingenteſimo quinquageſimo tertio, bis ponant eum annum Ludouici eſſe quintum: plane declarant nonniſi anno ſecundo ipſius Leonis, nempe Domini octingenteſimo quadrageſimo octauo, eumdem Ludouicum coronatum eſſe Imperatorem: vt hæc ex parte verum eſſe poſſit quod Anaſtaſius ſcriptor candidiſſimus aſſerit, qui & ipſe eis intereſſe potuit.

LVDOV. CORONATVR REX LONGOBARD.

IV.

Subiungit poſtea de Ebbone olim Archiepiſcop. Rhemenſi necnon Bartholomæo pariter Archiepiſcopo, ob coniurationem contra Ludouicum Pium Imperatorem depoſitis: quod cum veniſſent Romam, vna cum Ludouico Lotharii filio, petiiſſentque à Pontifice reſtitutionem, eos Sergius laica tantummodo communione dignos cenſuerit. Quo eodem tempore (vt idem auctor ſcribit) aduenit Romam Siconulphus Princeps Beneuentanus: vbi ad quod venerat, cum Francis de rebus ſuis egit: ac Summi Pontificis terræ proſtratus pedes oſculatus, ſuſcepta ab eo benedictione, ad ſua ſe recepit: ſed & Ludouicus Papiam regreſſus eſt: atque Vrbs ſummo periculo erepta fuit prudentia Papæ Sergii.

V. DE ADMIRANDA VICTORIA ADVERSVS SARACENOS REGI VIRTVTE HISP. OBTENTA.

Hoc eodem anno, qui & ſecundus numeratur Ranimiri, ſiue Ramiri, Regis Gallæciæ, Oueti regnantis poſt Alfonſum Caſtum (iuxta exactam temporis rationem ab Ambroſio Morale allatam, qua errores plurium corriguntur) contigit admiranda illa, omni Scriptorum genere celebrata victoria aduerſus Saracenos obtenta diuinitus: cum idem Ramirus Rex maxime pius aduerſus eos, ob denegatum infame illud tributum centum puellarum, quod olim Maurogatus tyrannus eis conſtituerat,

immenſo numero arma mouentes, ipſe pariter cum exercitu procedens, per viſionem à Iacobo Apoſtolo præcipuo Hiſpaniarum patrono confirmatus, iuſſuque cum ſuis peccatorum confeſſionem agere, atque ſacratiſſima ſe Euchariſtia munire; ſeptuaginta hoſtium millia vno prælio cæcidit eiuſdem Sancti auxilio, qui perſpicuus omnibus viſus eſt ante aciem equo albo inſidens, deferenſque maximum album vexillum, aduerſus barbaros fortiter dimicare. HISPANIA VECTIGALIS FACTA S. IACOBO. Teſtantur iſta (vt omittam longiſſimam Scriptorum ſeriem texere) vetuſtiſſima monumenta, nimirum eiuſdem Regis diploma, cum pro gratiarum actione eidem B. Iacobo Hiſpaniam reddidit vectigalem, (quod & omnes auctores æque teſtantur) necnon Pontificum Romanorum literæ, quas citant iſta firmantes.

VI. Hoc pariter anno Carolus Francorum Rex Bernhardum Barcinonenſem, à patre Ludouico Imperatore donatum Septimaniæ Ducatu (cuius cauſa, vt vidimus, aduerſus eumdem Imperatorem proprii filii inſurrexerant) incautum, nihilque eiuſmodi cogitantem, occidit. Hoc veteres Annales Francorum à Pithœo editi. Fuit autē Bernhardo VVillelmus filius, magni animi iuuenis: qui patris necem vlturus cum Saracenorum auxilio, omnia quæ potuit cædibus miſcuit: de quo eſt mentio apud Nithardum [b]. Suntque hæc illa infelicia tempora, quæ S. Eulogius Cordubenſis martyr deplorarat in epiſtola ad VViliesindū Pampilonenſem Epiſcopum: ſed male Scholiaſtes ad annum Domini octingenteſimum vigeſimum ſeptimum refert. Nam præter quod certa auctoritate dictorum veterum annalium Francorum redarguitur, Carolus de quo eſt ſermo, tunc temporis nonniſi ſeptem annorum exiſtens (natus nimirum anno octingenteſimo vigeſimo) plane ad eiuſmodi cædem patrandam minus erat idoneus.

b Nithard. hiſt. Franc. l. 3.

LOTHAR. 5. MICH. III. 4.

IESV CHRISTI AN. 845.

SERGII. II. AN 2.

I. BULGARI AD FIDEM CONVERSI. ANno Chriſti octingenteſimo quadrageſimo quinto, Indictione octaua, *Bogaris* Bulgarorum Princeps, cum iam Chriſtianis myſteriis à *Cuphara* quodam viro inſigni captiuo apud eum detento imbutus, rurſumque à ſorore ſua Chriſtiana Conſtantinopoli facta cum illic diutius captiua permanſiſſet impulſus fidem profiteri, adhuc infidelitatem retineret: demum ingenti fame ipſius regionem occupante, per inuocationem Dei Chriſtianorum ab ea liberatus: ſed & pictura excitatus vltimi Iudicii, qua iuſtus coronatos vidit, & impios igne punitos: tandem baptiſmum vna cum maxima ſibi ſubditorum parte ſuſcepit, & Michael dici voluit à nomine Imperatoris, cum quo nuper fœdus renouauerat. Hæc pluribus Curopalates: è quo eadem exſcripſit Cedrenus, & alii Græcorum. Fueruntque iſtæ *Bulgarorum* ad fidem Chriſti venientium veluti primitiæ quædam: integra vero meſſis reſeruata fuit Nicolao Romano Pontifici, vt ſuo loco dicetur.

II. MANICHAEI AB IMP. EXAGITATI, IUNGUNT SE SARACENIS. His autem addunt iidem auctores Græci, Theodoræ Imperatricis optimum conſilium de Manichæis hæreticis iiſdemque Paulicianis dictis, extirpandis: qui ſæpius à prędeceſſoribus Imperatoribus exagitati, nihilominus adeo iam in immenſum creuiſſent, vt nonniſi comparato exercitu tentanda res eſſet. Miſſis itaque aduerſus eos aliquot Ducibus, illi acriter rem agentes, variis pœnarum ac mortis generibus centum eorumdem hæreticorum millia interfecere, publicatis illorum bonis: reliqui vero Saracenis ſe iungentes, multa Imperio male intulere.

III. Quod ſpectat ad res Occidentalis Eccleſiæ: hoc anno Veris initio celebratum eſt in Gallia CONCILIUM BELLOVACENSE: in quo inter alia, Eccleſiæ Rhemenſi conſultum eſt iam annis pluribus legitimo deſtituto paſtore poſt depoſitionem Ebbonis qui aduerſus Imperatorem Ludouicum coniurauerat. CONCIL. BELLOVACEN. IN QUO CREATUS HINCMARUS ARCHIEPISC. RHEM. Cui communi conſenſu Epiſcoporum datus eſt Archiepiſcopus *Hincmarus*, monachus olim cœnobii S. Dionyſii prope Pariſios, ac poſtea præfectus monaſterii S. Mariæ & S. Germani, doctrina & morib. inſignis, Carolo Caluo Regi gratiſſimus. Hæc pluribus Frodoardus huius temporis ſcriptor, in hiſtoria eiuſdem Eccleſiæ Rhemenſis. Quomodo vero de Hincmari electione ingens ſit poſtea mota quæſtio, dicetur ſuis locis.

IV. NORTHMAN. IRRUPTIO IN GALLIAS. Poſt hæc autem maxima perturbatione contigit Regnum Caroli exagitari: cum videlicet Dani, vulgo dicti Nortmanni, id eſt Septemtrionales homines, Ethnici viri Gallias duce Horich ipſorum Rege cum valido nauium apparatu inuadentes, omnia tam profana quam ſacra, cæde, rapina, incendio miſcuere. Qui primum Rothomago potiti, inde per fluuium Sequanæ ſub Duce Ragenario Pariſios peruenerunt ipſo Sabbato Paſchalis feſtiuitatis: quam ciuitatē cum vacuam ferme repeſiſſent (q; incolæ ſubitaneo ipſorum aduentu perterriti in diuerſa loca aufugiſſent, ſecum auferentes omnia Sanctorum corpora, ne à barbaris comburerentur) inter alia ſancta loca monaſterium S. Germani depopulati ſunt. In quo cum Deus mirabilis in Sanctis ſuis, multis ſignis iram ſuam in eiuſmodi ſacrilegos oſtendiſſet, ſed & dyſenteria atque languore eoſdem percuſſiſſet: ipſi accepta à Carolo Rege pecunia, præſtitoque iuramento numquam ſe Regnum ipſius, niſi forte auxiliatores intraturos, ad ſuum Regem redierunt. DIVINA ULTIO IN BLASPHEMOS ET SACRILEGOS. Apud quem cum Regnarius ſe iactaret de capta ciuitate Pariſiorum, & expilato monaſterio S. Germani: adderetque maiorem illic mortuos quam viuos virtutem habere, nullumque ſibi reſtitiſſe præter Germanum ſenem mortuum: tremens illico concidit in terram, horribili voce clamans Germanum coram conſiſtere, ſeque baculo quem manu geſtabat grauiter flagellare: ſicque turgidus immenſum factus, poſt triduum diffuſis viſceribus medius crepuit: licet intolerabilibus tormentis affectus, pœnitens videri volens, præcepiſſet auream ſuæ ſimilitudinis ſtatuam fieri, eamdemque S. Germano deferri, ſpondens ſe ſi euaderet, Chriſtianum deinceps futurum. Sed & reliqui raptores, viſcerum pariter inflatione vel dyſenteria ad vnum omnes miſerrime vitam finierunt: niſi quos Horich Rex timens etiam ſibi aliiſque qui ſecum remanſerant, occidi iuſſit ne eorum contagio inficerentur: qui & inſuper omnes captiuos Chriſtianos liberos ad propria redire permiſit. Hæc breuiter veteres Francorum Annales, & Aimoinus [a] in hiſtoria: fuſe idem, ſiue alius Aimoinus, ſiue Aimonus dictus, earum rerum inſpector, in duobus libris [b] quos iuſſu Caroli Regis de tranſlatione ac multiplicibus tunc editis miraculis S. Germani conſcripſit. Qui tamen cum in annum ſequentem ea referat, aduerſantes habet prædictos veteres Annales, & ipſos ab auctore eiuſdem temporis ſcriptos.

a Aim. l. 5. c. 20.

b Ext. ap. Sur. menſ. Iul.

V. Tradunt præterea iidem, Northmannos in Friſia tribus præliis conflixiſſe, atque in primo victos, in reliquis duobus victores extitiſſe. Pariterque Lupus [c] Ferrarienſis Abbas in epiſtola ad Guenilonem, ſiue VVenilonem Archiepiſcopum Senonenſem, meminit de eruptione eorumdem in Aquitaniam, ac de prælio cum Chriſtianis inito inter Burdegalam & Santones, quo plurimi Chriſtiani ceciderunt. Denique Odo Abbas Cluniacenſis in libello de tranſlatione S. Martini, recenſet incendia quibus iidem duce Haſtingo Ambaſium, aliaque cuncta oppida inter fluuios Ligerim & Karum in cineres redegerunt, ſed ait ciuitatem Turonenſem quam obſederant, liberatam eſſe virtute S. Martini: cuius corpus à ciuibus ad muros dum quaterentur delatum, eoſdem barbaros in fugam conuertit: quos perſequentes Turonici, omnes ferme internecioni dederunt. TURON. CIVITAS LIBERATA A NORTHMAN. OPE S. MARTINI. Quæ autem poſt hæc geſta fuerint, dicentur inferius ſuis locis.

c Lup. Ferrar. ep. 31.

Porro

VI. Porro in tot ac tantis anguſtiis Galliarum Epiſcopi conſtituti, commiſerantes populi afflictiſſimi, Wenilo Archiepiſcopus Senonenſis, Hincmarus Rhemenſis, ac Rodolphus Bituricenſis, cum ſuis ipſorum ſuffraganeis, aliique Epiſcopi, ad prouocandam Dei miſericordiam, correcturi prauos fidelium mores quibus diuina vindicta concitabatur, in vnum *Meldis* [d] conuenerunt hoc ipſo anno Domini octingenteſimo quadrageſimo quinto, Caroli Regis ſexto, decimoquinto Calendas Iulii. Vbi conſuetudine illapſa peccata emendare conantes, illam potiſſimum iræ Dei cauſam manifeſtarunt, quod res Eccleſiaſticæ per Reges traderentur laicis hominibus poſſidendæ. Quæ perperam facta aliaque plura, iidem Antiſtites quamplurimis canonibus conditis libertate ſacerdotali Regi ingeſſerunt corrigenda: cum & qui præ ceteris ſcientia eminebat Hincmarus Rhemenſis, ceteros in ſuam trahens ſententiam, dixit in emendatione peccatorum Eccleſiæ filiorum, ab ipſis Regibus inchoandam eſſe correctionem: quæ ſi negligatur, vanus cedat omnis labor de Eccleſia reformanda ſuſceptus. Ac denique monuerunt inter alia Regem, vt Capitula Eccleſiaſtica à Carolo Magno & Ludouico Pio Imperatoribus promulgata, exacte obſeruari præciperentur. Quæ quidem Capitula, cum iam antehac ab Anſegiſo Abbate Lobienſi collecta, quatuorque diſtincta libellis, in lucem edita fuiſſent, rurſum hoc tempore, id exigente Concilio, Benedictus Leuita collegit quæ deerant, tribuſque aliis libris digeſſit, & Ludouici Imperatoris regnantibus filiis obtulit, Lothario, Ludouico, atque Carolo: quæ tamen nonniſi poſt annos octo, videlicet Domini octingenteſimo quinquageſimo quarto, à Carolo fuiſſe promulgata docet eorum inſcriptio. Sed & eadem Romanorum Pontificum auctoritate confirmata fuiſſe, ne putarentur Reges Eccleſiaſticas ſuo iure ſancire leges: expreſſe affirmat idem Benedictus Collector, & nos ſuperius demonſtrauimus. Quid vero poſt prædictum Concilium Meldenſe geſtum fuerit ab Epiſcopis, dicetur anno ſequenti.

d Concil. Meld. To. 3. Concilior.

CONCIL. MELDEN. PRO REFORMATIONE ECCL. ET REGNI.

CAPITULA EDITA PRO ECCLES. IURIB. CONSERVANDIS.

VII. Hoc eodem anno inuentum in monaſterio Foſſatenſi venerandum corpus S. Mauri Abbatis, diſcipuli S. Benedicti, tranſlatum eſſe ab Auſtrali plaga altaris S. Martini tertio (vt noſtro ſæculo mos eſt) ad Orientalem partem eiuſdem altaris: tradit Odo [e] huius ſæculi ſcriptor. Nec vero ſine magna prouidentia his temporibus monaſteriorum fundatorem Deus voluit apparere, cum monaſtica diſciplina ſoluta, ipſa iam monaſteria laicorum manibus traderentur: vt quaſi vindex videretur exurgere: ſiquidem & eiuſdem virtute, honorum ipſius vſurpatores tunc acerrimam diuinam vltionem expertos eſſe, idem auctor narrat.

TRANSLATIO S. MAURI.

e Extat Bibl. Vatic.

IESV CHRISTI AN. 846.

LOTHAR. 6. MICH. III. 5.

SERGII. II. AN. 3.

I. ANno Chriſti octingenteſimo quadrageſimo ſexto, Indictione nona, Saraceni ex Africa inſtructa claſſe Romam ex improuiſo appellentes, ab Vrbis ingreſſu repulſi, ſacroſanctas baſilicas Principum Apoſtolorum Petri & Pauli, quæ extra muros extabant (à quibus olim VVandali, vt ſuo loco dictum eſt, ex Africa pariter venientes, quæ reuerentia abſtinuerant) auro, argento, gemmiſque locupletiſſimas, penitus ſpoliarunt. Attigit illa potius quam deſcripſit Anaſtaſius in Leone Quarto, Sergii ſub quo ea contigerunt ſucceſſore: quæ vetus Francorum Chronicon à Pithœo editum, eadem quoque breuiter recenſens, hoc anno contigiſſe narrat. Sed Leo [a] Oſtienſis diligentius ea tractans, præter expilationem earumdem Eccleſiarum, ponit inſuper alias eorumdem Saracenorum deprædationes per Italiam tunc factas: necnon Caſſinenſis monaſterii ab eorum manibus diuinitus factam liberationem: ac denique horribile naufragium nauium, prædæ, hominum, quod iidem in Africam redeuntes paſſi ſunt virtute SS. Petri & Benedicti, ipſis in medio mari apparentium. De quo etiam naufragio meminit Anaſtaſius eodem loco.

SARACENI DEPRÆDANTUR BASILICAS SS. PETRI ET PAULI EXTRA VRBEM.

a Leo Oſt. Chron. Caſſ. lib. 1. c. 29.

NAUFRAGIUM SARACENOR.

II. Hoc item anno Calendis Martii, Francorum Epiſcopi, qui anno ſuperiori Meldis conuenerant, & complura ſtatuerant tum Regi tum vniuerſo populo proficua: cum variis ſuperuenientibus caſibus haud fuiſſent ea promulgata, vel executioni mādata: rurſum iidem vna cum Guntbaldo Rothomagenſi Archiepiſcopo, atque ipſius coepiſcopis, Pariſiis SYNODUM habuere, vt ad perfectionem debitam cœptum negotium perducerent, ac non obedientibus iram, indignationem, & tribulationem cum Apoſtolo denunciarent. At hoc enim ipſos conueniſſe, declarant Acta Synodi intextæ Meldenſi Concilio. Verum tantum abeſt vt his correcti fuerint regni Proceres, qui Abbatias & alias res Eccleſiaſticas à Rege Carolo in beneficium accepiſſent: (aduerſus cuiuſmodi illicitas vſurpationes, extant etiam plurimæ Lupi [b] Ferrarienſis querelæ, tunc ad ipſos Reges alioſque miſſæ) vt contra iidem apud ipſum Regem magna importunitate egerint, ne cunctos canones in Concilio Meldenſi ſancitos reciperet. Atque ita factum eſt, vt reiectis aliis, vnde viginti tantummodo obſeruanda promulgauerit, quæ habentur ad finem Capitularium librorum Regum Francorum poſt quartam Additionem. vbi pariter narrantur quæ diximus de Procerum aduerſus eoſdem canones conatibus. Quare hinc accidit quod pronunciauerunt Patres, vt ira, indignatio, tribulatio, ſuper Regem & Principes effunderentur: cum nouis (vt videbitur) Northmannorum incurſionibus regnum Deus affligi permiſit, ipſeq; Rex iniquiſſimas ab eis ſubire leges coactus eſt, qui ab Epiſcopis ſancte pieque ſtatutas recuſauit accipere. Sicut & tam vere quam libere idem Lupus [c] Abbas ſcribens ad Hincmarum, quem Rex Carolus plurimum diligebat, teſtatus eſt nihil proſperum vſpiam ceſſiſſe eidem Regi, ex quo in bona Eccleſiæ manus immiſit.

CONCIL. PARIS. ADVERSUS DETENTORES BONOR. ECCLES.

b Lup. Fer. ep. 11. 42. 45. 60. 63. 64. &c.

COGITUR PARERE REX HOSTIBUS, QUI NOLUIT EPISCOPIS OBEDIRE.

c Id ep. 44.

III. Quod ad res pertinet Orientales: hoc eodem anno quinto Michaelis Imperatoris, quarta die Nouembris magnus ille & ſanctitate celebris, ſermone & opere clariſſimus, quem ſuis ſcriptis adeo laudauit Theodorus Studita, *S. Ioannicius* anachoreta, cuius ſuperius facta eſt mentio: ex hac vita migrauit ad Dominum anno ætatis centeſimo decimoſexto expleto, quippe quem eius Vitæ Acta ſinceriſſime ſcripta, tradant natum eſſe anno decimoquarto Imperii Leonis Iſauri, qui incidit in ſeptingenteſimum trigeſimum Domini. Cuius tranſitum prænoſcens Methodius Patriarcha Conſtantinopolitanus (vt ipſius Acta declarant) conuenit eum vt ſe eius precibus commendaret: à quo & ipſe admonitus eſt de proximo ſui deceſſu, qui contigit octauo poſt illius obitum menſe. Sed & eiuſdem Sancti tranſitum per columnam ignis ſignificatum eſſe iis qui erant in monte Olympo, aliaque multa in eiuſdem obitu & poſt obitum edita eſſe ſanationum miracula, teſtatur idem ipſius Vitæ ſcriptor.

DE S. IOANNICII ANACHOR. OBITU.

IESV CHRISTI AN. 847.

LOTHAR. 7. MICH. III. 6.

LEONIS IV. AN. 1.

I. ANno Chriſti octingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, Indictione decima, Sergius Papa interpellatus literis Lotharii Imperatoris, qui in fauorem Ebbonis olim depoſiti, commotus admodum erat aduerſus electionem Hincmari Rhemenſis Archiepiſcopi: literas ſcripſit ad Carolum Regem, vt Epiſcopos ſui Regni ad Synodum Treuirenſem ire ſineret, vbi coram Legatis Apoſtolicæ Sedis eo mittendis cauſa Ebbonis item cognoſceretur. Sed obice mortis eiuſdem Sergii Papæ Legatis non venientibus, conſenſu eiuſdem Caroli SYNODUS

DE CAUSA EBBONIS DEPOSITI ARCHIEP. RHEM.

Pariſiis eſt celebrata: ad quam vocatus Ebbo, cum nec per ſe, nec per Legatos, nec per literas comparuiſſet, iterum condemnatus eſt, eaque re ad Leonem Sergii ſucceſſorem delata, is Hincmari ordinationem approbans, eumdem pallio donauit. Iſta ex Frodoardi [a] hiſtoria Rhemenſi.

a Frodoard. hiſt. Rhem. l. 3. c. 2.

II. SERGII PP. OBITVS.

Sergius igitur Papa, vbi ſediſſet annos tres & menſem vnum, obiit pridie Idus Aprilis, ſepultuſque eſt in baſilica S. Petri, vt ſcribit Anaſtaſius: qui etiam plures commemorat eccleſias ab eo in Vrbe reſtauratas, atque dotatas: & inter ceteras, Titulum SS. Silueſtri & Martini, in quem plurimas tranſtulit Sanctorum Reliquias: extatque hactenus in eo tabula marmorea, vbi ſtatuta eſt ab eodem Pontifice *Indulgentia trium annorum & trium Quadragenarum* omnibus ad eas certis diebus deuote accedentibus.

III. LEONIS IV. SVBROGATIO.

Eodem vero die quo defunctus eſt Sergius, in locum eius ſubrogatus eſt LEO eius nominis Quartus, patria Romanus, filius Rodoaldi, presbyter Tituli SS. Quatuor Coronatorum, magnæ virtutis & ſanctitatis vir. Quem licet vno omnium Romanorum conſenſu electum eſſe, eidemque omnes antiquo more pedes oſculatos eſſe, Anaſtaſius dicat: addit tamen eoſdem Romanos valde timuiſſe, ne in aliquod hoſtium diſcrimen Vrbs incurreret dum expectaretur eius conſecratio, quæ non poterat fieri abſque auctoritate Imperiali: Porro Leonem obſtitiſſe Lothario & Lodouico Imperatoribus, vendicantibus ſibi ius in electione vel conſecratione Pontificis, euiciſſeque vt iidem conſenſerint ne ea niſi ex canonum præſcripto fieri deberet, conſtat ex decreto [b] eiuſdem Pontificis de his promulgato. Adeo vt ſiquid fuerit; ſiue per populum Romanum metus cauſa iiſdem Imperatoribus male promiſſum, vel ab ipſis peſſime vſurpatum: Leonis Papæ conſtantia irritatum fuerit atque Sublatum. Sicut & vice verſa pollicitus eſt ipſe iiſdem Imperatoribus [c], conſeruaturum ſe præcepta Imperialia. Quod quidem intelligendum eſſe, vt Pontifices in cauſa rerum temporalium Imperialibus vterentur legibus: declaratum inuenies [d] in epiſtola ad Michaelem Imperatorem. Denique conſtat eumdem Leonem ab iiſdem Imperatoribus Lothario atque Ludouico petiiſſe [e], vt ſinerentur Romani ſuis antiquis legibus vti: ipſoſque annuiſſe, docet Lotharii reſcriptum quod extat inter leges [f] Longobardorum, vbi iubet Romanum populum tali lege viuere quali voluerit: ceterum ſi aduerſus eam deliquerit, puniri debere ſecundam diſpenſationem Pontificis & Imperatoris. In quibus obſerua, primo loco ab eo poni legum politicarum vindicem Romanum Pontificem, inde vero Imperatorem. quod & ſeruatum hactenus vidimus, nimirum vt tunc à Romanis Pontificibus aduerſus ciues Romanos delinquentes vocaretur Imperator, cum Romani contempſiſſent ipſis Pontificibus obedire, vel quid moliti eſſent aduerſus eos.

b Diſt. 63. c. 31.

QVID PONTIFEX ET IMP. INVICEM SIBI PROMISERINT.

c Diſt. 10. c. 9. Imp. 4. c. 174. & Pan. l. 6. c. 149.

d Diſt. 10. c. 8. Imp. 4. c. 199.

e Diſt. 10. c. 13.

f Leg. Longob. l. 2. tit. 57.

A QVIB. CORRIGENDA ROMAN. DELICTA.

IV. INGENTIA ORNAMENTA A LEONE PP. COLLATA ECCLESIIS VRBIS.

Cum autem idem Leo Pontifex lugubre ſpectaculum ob oculos poſitum intueretur, baſilicas Principum Apoſtolorum manibus ſacrilegis Saracenorum omni ornatu atque decore ſpoliatas: in hoc adiecit animum, vt quæ ad ſplendorem & cultum earumdem ſpectarent procuraret. quod & ſumma diligentia & immenſo ſumptu præſtitiſſe, Anaſtaſius narrat: qui præter alia multiplicia argentea aurea gemmataque ingentis pretii ac miri operis dona, aliaque pretioſiſſima ornamenta, cum iiſdem tum aliis Vrbis eccleſiis hoc & ſequentibus annis ab eodem Pontifice collata, meminit Ciborii ſuper altare S. Petri poſiti ponderis mille ſexcentarum & ſex librarum argenti puriſſimi, cui ſuperpoſitæ eſſent coronæ aureæ quatuor, & calices item aurei ſexdecim, delphinique quatuor ponderis librarum quadringenta duarum: itemque alterius Ciborii argentei ſuper altare B. Pauli poſiti, ponderis librarum nongentarum quadraginta ſex: ſed & noui pariter constructi Ciborii ex argento puriſſimo, ac deaurati & gemmis ornati, ponderis trecentarum ac tredecim librarum & ſemis, quod poſuit ſuper altare eccleſiæ SS. Quatuor Coronatorum.

V. SERPENS LETHIFER PER LEON. PP. FVGATVS.

Tradunt inſuper, eumdem Leonem hoc Pontificatus ſui initio, precibus ſuis populum liberaſſe à ſerpente lethifero, baſiliſco dicto, qui flatu ſuo & aſpectu interimeret omnes qui ad cauernas vbi in ipſa Vrbe latitaret appropinquarent: ac præterea incendium quod partem quamdam Vrbis depaſceretur, ſigno Crucis extinxiſſe. Sed quod de *Baſiliſco* ait: licet huiuſmodi genus ſerpentis in Cyrenaica tantum regione paſci ſolitum teſtetur Plinius [g], locis arentibus & non humidis: tamen cum Deus punire vult peccata hominum, vniuerſæ vbique obediunt ei creaturæ, vt generent quod gignere non conſueuerunt.

g Plin. l. 8. c. 21.

VI. CONCIL. MOGVNT. I. SVB RABANO, PRO IVRIB. ECCL. VENDICANDIS A MANV LAICORVM.

Hoc item anno Calendis Octobris Moguntiæ SYNODVS celebrata eſt: eademque Prima dicta ſub Rabano, qui hoc anno eiuſdem Eccleſiæ, defuncto Orthgario, Epiſcopus creatus eſt quinto Calendas Iulii: vt habent veteres Francorum Annales à Pithœo editi. Ex quibus redarguas Collectorem Conciliorum [h] dum Synodum iſtam collocat anno Domini octingenteſimo trigeſimo quarto, cum nonniſi hoc anno Rabanus (ſub quo eam habitam, omnium eſt conſenſio) ſedere cœperit. Porro occaſio huius congregandi Concilii, eadem quæ Meldenſis fuiſſe cognoſcitur: nimirum quod cum à laicis bona Eccleſiarum, itemque iura atque perſonæ aſſidue inuaderentur, ac de iis frequentes apud Regem Ludouicũ querelæ eſſent, vt his liberarentur malis Eccleſiæ, iuſſit ipſe eiuſmodi prouinciale Concilium celebrari. Hoc enim colligitur cum ex multiplicibus in eodem Concilio de ea re canonibus cõſtitutis, tum ex Synodali epiſtola ad eumdem Ludouicum Regem miſſa quę habetur ante eoſdem canones. Qui & illud notatione dignum continetur, quod teſtantur Patres ſe decreuiſſe, vt pro ſalute Regis, eiuſque coniugis ac filiorum, per ſingulas diœceſes ab Epiſcopis & clericis, ab Abbatibus & monachis, Miſſæ tria milia & quingentæ celebrarentur, & pſalteria mille ſeptingenta recitarentur.

h To. 3. Conc.

PLVRIMÆ MISSÆ PRO REGE INDICTÆ.

VII. PSEVDOPROPHETISSA PVNITVR.

Pertinet item ad hoc Concilium, quod in iiſdem antiquis Annalibus habetur de pſeudopropheteiſſa, quæ inter alia deliria, certum conſummationis ſeculi diem, ipſumque eodem anno futurum, tamquam diuina reuelatione prædicabat. Vnde permulti plebeii, nonnullique etiam clerici, timore perculſi, munera ei deferentes ſe illius orationibus commendabant, ac magiſtram ſequebantur. Diligenti vero de ea examine in Synodo habito, eadem profeſſa eſt ſe lucri cauſa, auctore quodam presbytero, ea ſparſiſſe: quæ Synodali iudicio publicis cæſa flagellis, cum dedecore ſuis vaticiniis finem impoſuit.

VIII. ETHELVVLPHVS REX ANGLIÆ, DITIONEM SVAM VECTIGALEM FECIT ECCL. ROM.

Eodem anno Rex Occidentalium Saxonum in Britannia Ethelvvlphus, ſiue Athvvlphus, liberatus Danorum Ethnicorum incurſionibus, Romam ad Limina Apoſtolorum voti cauſa peregrinatus eſt: vbi à Leone Papa benigne acceptus, fecit Romanæ Eccleſiæ eam quoque Inſulæ partem quam Egbertus pater ad Regnum adiunxerat, vectigalem: nam & Offam eiuſdem Inſulæ Reges imitatus. de quibus dictum eſt ſuperius ex Polydoro Virgilio: qui hæc ipſa de Ethelvvlpho pariter ex antiquis rerum Angliæ monumentis refert. Sunt [i] tamen qui eiuſdem Regis peregrinationẽ Romam collocent anno Domini octingenteſimo quinquageſimo quarto: à quibus & recitatur donatio ab eo facta Eccleſiæ Anglicanæ, conſilio Epiſcoporum ac Principum, decimæ partis terræ ſuæ liberæ ab omnibus oneribus: fitque mentio teſtamenti quod in obitu condidit, in quo inter alia pia legata, certam pecuniæ ſummam quotannis Romam deferri iuſſit in vſum luminarium Eccleſiarum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, & in eleemoſynas à Summis Pontificibus in pauperes erogandas. Porro illum olim ſacris fuiſſe ordinibus initiatum, nempe ſubdiaconatu: ſed patre ſine alio herede moriente, à Romano Pontifice diſpenſatum vt vxorem duceret, traditur in Vita [k] S. Svvithuni VVintonienſis Epiſcopi: quem vna cum S. Adelſtano ſiue Helinſtano, Polydorus ait auctorem eidem Regi extitiſſe vt optime vitam inſtitueret.

i Matth. Weſmon. an. 854.

ALIA EIVS PIA LEGATA.

k Ext. ap. Sur. 2. Iul.

IX. S. ME-

In Oriente vero hoc ipſo anno S. Methodius Patriarcha Conſtantinopolitanus ex hac vita migrauit die de-

cimaquar-

THODII PATRIARC. CONST. OBITVS.

cimaquarta Iunii, vt habent Acta ſuperius citata S. Ioannicii Anachoretæ: qui pariter tam apud Græcos quam Latinos relatus habetur in tabulas Eccleſiaſticas inter Sanctos. Eum Curopalates ait ſediſſe annos quatuor: ſed ex iis quæ de eo dicta ſunt, reperies ſediſſe annos quinque & menſes quatuor. Porro cum certum ſit, ipſum virum fuiſſe doctiſſimum: ſcriptorum eius nulla vidimus monumēta, niſi qui recitatur apud Theodorum Balſamonem canon de non appetendo Eccleſiaſticam præfecturam: & quod de eo teſtantur Anaſtaſius Bibliothecarius, & Hincmarus Rhemenſis, in epiſtolis [l] ſui ad Carolum Caluum Imperatorem, ab eo ſcriptam fuiſſe vitam S. Dionyſii Areopagitæ, quam idem Anaſtaſius Latinitati donauit.

l Ext. in Areopag. in ſ. ep. Sur. 9. Oct.

X. IGNATIVS FILIVS NICEPH. AVG. CREATVR EPISC. CONST.

Ipſo autem vita functo, ſuffectus eſt in eius locum (ait Curopalates) *Ignatius* Nicephori Auguſti ex filia nepos, filius autem Michaelis Curopalatæ Imperatoris: qui poſt depoſitionem patris à Leone Armenio factam (vt ſuo loco dictum eſt) genitalibus priuatus in monaſteriū detruſus fuerat: vnde modo in ſedem Conſtantinopolitanam euectus eſt. Extantque res geſtæ ipſius, fideliſſime ſcriptæ à Niceta cognomento Dauid huius temporis auctore. De eiuſdem vero legitima promotione, ac virtutibus quibus tanto throno dignus viſus eſt, ſcripſiſſe Michaelem Imperatorem literas ad Leonem Papam, teſtatur Nicolaus Pōtifex in epiſtola ad eumdem Imperatorem poſt annos ferme duodecim data, cum idem Ignatius à Patriarchatu fuit eiectus.

LOTHAR. 8. MICH. III. 7.

IESV CHRISTI AN. 848.

LEONIS IV. AN. 2.

I.

ANno Chriſti octingenteſimo quadrageſimo octauo Indictione vndecima inchoato, Leo Papa agens in Pontificatu annum ſecundum opus ingens à Leone Tertio tentatum aggreſſus eſt, nimirum vt nouam conſtruens ciuitatem, mœnibus ambiret baſilicam S. Petri, ne Saracenorum amplius pateret incurſibus: ad quod opus Imperator Lotharius, ac fratres Reges Francorum, non modicam miniſtrarunt pecuniam: vt tradit de his agens Anaſtaſius, qui huius operis inchoationem refert ad principiū Indictionis duodecimæ, quæ incipit hoc anno menſe Septembri.

II. CONCIL. MOGVNT. II SVB RABANO.

Eodem anno circa Calendas Octobris (vt tradunt antiqui Frācorum Annales à Pithœo editi) iuſſu Regis Ludouici celebrata eſt Secunda SYNODVS MOGVNTINA ſub Rabano Archiepiſcopo: in qua inter aliā damnatus eſt, & à Regno Ludouici excedere iuſſus, *Gotheſcalcus* quidam presbyter, de prædeſtinatione Dei praua ſentiens. Agit pariter de his Trithemius in Chronico Hirſaugienſi: ſed in eo errat, quod ait iuſſu Lotharii Imperatoris conueniſſe Epiſcopos: cum id factum per Ludouicum Regem iidem Annales tradant: quem & aiunt in eodem conuentu Legatos fratrum ſuorum, & Northmannorum Sclauorumque, ſuſcepiſſe, audiuiſſe, & abſoluiſſe. Certum eſt enim, nullam Lotharium facultatem habuiſſe diſponendi aliquid in Regno Germaniæ ſpectante ad Ludouicum.

III. DE GOTHESCALCI MORIBVS ET ERRORIBVS.

m Frod. l. 3. c. 3.

Ceterum de GOTHESCALCO (cuius damnationē Sigebertus ponit anno ſequenti) exactiorem contexens hiſtoriam Hincmarus Rhemenſis Epiſcopus in epiſtola ad Nicolaum Papam, quæ extat apud Frodoardum [m], ait eum ortum ex diœceſi Sueſſionenſe, monachum fuiſſe monaſterii Eccleſiæ Metropolitanæ Rhemenſis, dicti Orbei; hominem animo elatum, quietis impatientem, nouorum verborum cupidum, inſatiabili honoris ambitione incenſum, proteruum, & tumultuoſum: qui ordini ſacerdotali à Decano Rhemenſi contra canones Eccleſiaſticos initiatus, reguliſque monaſticis violatis è monaſterio egreſſus, multas terras peragrauit, vt impietates ſuas latius diſſeminaret. Quibus quidem inter alia, errores renouans antiquorum Prædeſtinatianorum, aſſerebat ſicut Deus quoſdam ad vitam æternam prædeſtinauit, ſic etiam alios ad mortem æternam prædeſtinaſſe: Non eum velle omnes homines ſaluos fieri, ſed dumtaxat eos qui ſaluantur: Chriſtumque pro horum tantummodo ſalute paſſum eſſe, non autem pro redemptione omnium hominum: nec enim poſſe diabolum aliquem eorum pro cuius redemptione Chriſtus mortem ſubiit, ad ſe rapere. His vero illam addebat impietatem, vt aſſereret Deitatem Sanctæ Trinitatis triplicem eſſe. Iſte igitur cum libellum ſuorum errorum in Synodo Moguntiaca Rabano obtuliſſet, ab vniuerſo Concilio damnatus ad ſuum Metropolitanum Rhemenſem remiſſus eſt. A quo in alia SYNODO Epiſcoporum Galliæ Belgicæ, aliarumque prouinciarum, declaratus pariter hæreticus: quia reſipiſcere nullo modo voluit eorumdem decreto, ne amplius ſua praua conuerſatione alios inficeret, in quoddam monaſterium diœceſis Rhemenſis detruſus eſt: ibique captiuus detentus vſque ad Nicolai Papæ tempora quando ad eum hanc epiſtolam iſta omnia fuſius continentem Hincmarus ſcripſit: qui & eiuſdem hæreſiarchæ longe lateque per Gallias diſſeminatos errores, tam carmine quam ſoluta oratione conſcriptis libris (quos enumerat Frodoardus [b]) validiſſime oppugnauit.

GOTHESCALVS ITERVM DAMNATVS.

b Id. l. 3. c. 14.

LOTHAR. 9. MICH. III. 8.

IESV CHRISTI AN. 849.

LEONIS IV. AN. 3.

I. LEO PP. PRÆMVNIT VRBEM AB INCVRSIONE SARACENORVM.

ANno Chriſti octingenteſimo quadrageſimo nono, Indictione duodecima, cum Romæ innotuiſſet, Saracenos ex Africa ingenti comparata claſſe iterum in Italiam ad Vrbis excidiū properare: Leo Papa quæcūque poſſet ad eius defenſionem conferēs, muros dirutos refecit: multa corpora Sanctorum, quibus ſecuriſſime ciuitas cuſtodiretur, è Cœmeteriis eruta intra illam inuexit: eccleſiaſq; variis decorauit ornamētis, quo cultus diuinus decentius celebraretur. Sicque Deo placato, & Sanctis conciliatis, factum eſt mirabiliter, vt appropinquantibus Saracenis ad Romanum Portum, Neapolitani, aliique ipſis vicini populi ſponte accurrerint cum claſſe optime inſtructa ad ſubueniendum Eccleſiæ Romanæ: & maiori adhuc miraculo, vt naues Saracenorum cum illis pugnantes vehementiſſimis obortis ventis omnino diſſipatæ & confractæ fuerint, ipſique barbari naufragio, ferro, fame, ſuppliciis conſumpti; ac qui reſidui fuerunt, cum ad diripiendas eccleſias veniſſent, iiſdem muniendis inſeruierint: ſiquidem qui hæc omnia exacte narrat Anaſtaſius, teſtatur captiuos qui magno numero Romā deducti ſunt vinculis ferreis onuſtos adſcriptos eſſe ædificationi mœnium, quibus Leo ambiendam ſuſceperat baſilicam Vaticanam. Quod & ipſum rurſus noſtris diebus contigiſſe vidimus, cum poſt obtentam ingentem illam ac famoſiſſimā aduerſus Turcas, apud Lepantum naualem victoriam, captiui Turcæ quos accepit in partem ſanctæ memoriæ Pius Papa Quintus auctor ſacri illius Fœderis, ad perficiendum opus munitionis, quod in circuitu eiuſdem baſilicæ Vaticanæ inchoauerat eius prædeceſſor Pius Quartus, in catena cœmentariis ſeruire coacti ſunt. Sed iam reliqua huius temporis proſequamur.

SARACENI DIVERSIS MODIS PERIERE.

II

a ap Frod. h. ſ. Rhem. l. 3. c. 9.

PALLIVM AD VSVM QVOTIDIANVM CONCESSVM HINCMARO.

Inter hæc fertur [a] quod Lotharius Imperator agens literis apud Leonem Pontificem, inter alia ab eo impetrauerit pallium pro Hincmaro Arciepiſcopo Rhemenſi, ſingulari illa prærogatiua vt quotidie illo vteretur, cum iam antea aliud accepiſſet quo diebus ſolemnibus ex more celebraret. At vero Nicolaus Papa de his Hincmarum vt mendaci reſcripto vtentem redarguit, ſicut videbitur ſuo loco.

III.

Hoc eodem anno idem Leo audiens in Britannia Minori Nomenoium dirum inſurrexiſſe tyrannum, qui à Carolo Francorum Rege eam prouinciam curare fuerat miſſus, vaſtareque ſimul humana atque diuina, & ab Eccleſiis expellere Epiſcopos: literas ad eum commonitorias ſcripſit. Sed cum eas homo arrogantiſſimus nec quidem accipere dignatus eſſet, Apoſtolicæ ſedis

Digitized by Google

CONCIL. TVRON. ADVERSVS NOMENOIVM DVC. BRITON.
b ep. Lup. Ferrar. ep. 84.
DE OBEDIENTIA DEBITA SEDI APOST.

dignitatis vindices exurgentes Francorum Epiſcopi, frequenti SYNODO Turonis habita ad eumdem tyrannum alias ſcripſerunt excommunicationis comminatorias, quę extant apud Lupum[b] Ferrarienſem Abbatē, in quib. præcipue inculcarunt, quam graue ſcelus fuerit, Deoque & Sanctis inuiſum, literas Romani Pontificis contempſiſſe: addideruntque, nec fidem, aut quamcumque pietatem vel bona opera prodeſſe, ſine obedientia Sedis Apoſtolicæ, atque Synodi. Ceterum cauſam citius dirimente Deo, idem Nomenoius anno ſequenti iubente Domino ab Angelo percuſſus interiit: vt totidem verbis traditur breuiter in Chronico Engoliſmenſi.

IV. S. VVLSTRANI OBITVS.

Hoc item anno in Anglia occiſus aſſeritur S. *Wlſtranus*, nepos duorum Regum Merciorum: & de loco vbi innocenter occiſus eſt, columna lucis vſque ad cælum porrecta omnibus incolis per dies triginta in ſignum ipſius ſanctitatis ſtetit conſpicua. Hæc Matthæus VVeſtmonaſterienſis.

LOTHAR. 10. MICH. III. 9.

IESV CHRISTI AN. 850.

LEONIS IV. AN. 4.

I. CORDVB. ECCLESIA NOBILITATA MARTYRIBVS.
a Eulog. l. 2. c. 1.

ANno Domini octingenteſimo quinquageſimo, Indictione decimatertia, Era octingenteſima octogeſima octaua, cœpta eſt ſæuiſſima illa Perſecutio, quam Habdarrahgman Saracenorum in Hiſpania Princeps, regni ſui anno vigeſimo nono, mouit aduerſus Eccleſiam Cordubenſem: quamque abunde deſcripſit qui affuit, & pars magna fuit, S. Eulogius eiuſdem Eccleſiæ presbyter & martyr in ſuo Sanctorum memoriali. Qui autem ceteris viam ad martyrium aperuit, fuit[a] *Perfectus* presbyter ac monachus: qui poſt egregiam publicam confeſſionem, diuturnumque carcerem, obtruncatione capitis nobile certamen expleuit decimoquarto Calendas Maii: cuius perſecutor paulo poſt ignita febre intrinſecus aduſtus, effuſis in ſeceſſu viſceribus turpiter expirauit. Perfectum autem ſecutus eſt ad certamen *Ioannes* laicus, venalia expoſita habens: qui publice verberibus per ciuitatem flagellatus, in arctum detruſus eſt carcerem. de reliquis dicetur inferius ſuis locis.

II. RANIMIRI REG. OBITVS.
b Ambr. Moral. in Schol. ad Eulog. 10 ſi. & 13. hiſt. 52.

Hoc item ipſo anno, Era nimirum octingenteſima octogeſima octaua, Calendis Februarii, Ranimirus Rex Gallæciæ maxime pius ex hac vita deceſſit: vt apertiſſime conſtat ex epitaphio inſcripto eius ſepulchro, quod refert Ambroſius[b] Morales: ex quo erroris arguuntur reliqui omnes rerum Hiſpanicarum tractatores, qui eiuſdem Regis ingreſſum ponunt anno Domini octingenteſimo vigeſimo tertio, & annos ſex & menſes nouem regnaſſe tradunt. Porro Ranimiro ſucceſſit eodem die Ordonius filius, regnauitque annis duodecim.

III. NORTHMANNI RECEPTI A CAROLO IN PARTEM REGNI.

Hoc pariter anno (vt tradunt veteres Annales Pithœi) luctus & clamor ingens repetitus eſt in Gallis ex Northmannorum noua incurſione: qui duce Godefrido per Sequanam aſcendentes, Regnum Caroli Calui deprædati ſunt. Ad quorum expulſionem Lotharius in auxilium vocatus cum ſibi cum hoſte pugnandum eſſe putaret, Carolus clam mutato conſilio Godefridum in ſocietatem regni ſuſcepit, & terram eis ad habitandum delegauit, quæ ab eorum nomine dicitur *Normandia*. Hæc Annales: quæ quidem pati meruit Carolus, quod à maiorum pietate, per quam ipſi facti ſunt aduerſus barbaros omnes inuicti, ipſe degener inuentus eſt. Iuſtoque Dei iudicio accidit, vt qui Eccleſiarum bona laicis traderet, coactus ſit ſua largiri Northmannis piratis. Ad quem, præter querelas Patrum Synodorum Meldenſis & Pariſienſis, de quibus ſupra, extant Lupi[c] Ferrarienſis Abbatis plurimę epiſtolæ, quibus eum ad meliorem frugem perducere conatus eſt: qui & alibi[d] docet, ex quo tempore auferri Eccleſiis bona cœperunt & laicis tradi omnia pe[illegible]data eſſe in Francia hoſtibus præualentibus. Sicut econtra vidimus Ranimirum in Hiſpania Regem, de quo nuper actum eſt, cum Regnum ſuum vectigale fecit Eccleſiæ S.

c Lup. ep. 80. 81. 96.
d Id. ep. 42. & 43.
VNDE RVINÆ ET AVGMENTA REGNOR.

Iacobi eoſdem Northmannos, inuictum hactenus genus hominum, ad litus Legionis ciuitatis aduenientes ingenti prælio nauali ſuperaſſe, combuſta ſeptuaginta eorumdem nauibus, & multis acquiſitis diuitiis: vt tradunt Tudenſis, Rodericus & alii rerum Hiſpanicarum Scriptores. Sic enim certis experimētis comprobatum eſt ſæpiſſime, populorum tunc enituiſſe fortitudinem, cum in Regibus cultus pietatis excelleret: elanguiſſe vero, cum defecit, & Eccleſiæ proſtitutæ ſunt: quarum reditibus non ſunt illi roborati vel erecti, ſed eneruati penituſque depreſſi.

IV. BOEMI IN FRANCOS OPERA DIABOLI PRÆVALENT.

Qua pariter ratione & in Germania Rex Ludouicus, hoc ipſo anno à Boemis magna clade affectus eſt: cui prælio (vt ait Sigebertus) ſe præfuiſſe ſpiritus malignus per os arreptitii publice profeſſus eſt, egiſſeque vt Franci terga verterent. Quo etiam anno grauiſſimam famem Germaniæ populos oppreſſiſſe & Rabani Archiepiſcopi Moguntini in ſubleuandis pauperibus munificentiam enituiſſe: tradunt iidem ſuperius citati Francorum Annales, & Sigebertus.

V. CONCIL. TICIN.
c ep. Conſ. Antiq. Leon. To. 3.

Denique hoc eodem Redemptoris anno, in antiquo codice notatur, celebratum eſſe SYNODVM in Regis ciuitate Ticinenſis ſub Angilberto Mediolanenſi Archiepiſcopo: ſed titulus tam in Indictione quam in annis Imperatoris deprauatus eſt. Extant[c] vero eiuſdem canones viginti quinque, & Lotharii atque Ludouici Aug. capita quinque, pro reſtituenda collapſa Eccleſiaſtica diſciplina; quæ pro arbitrio conſulere poteris.

LOTHAR. 11. MICH. III. 10.

IESV CHRISTI AN. 851.

LEON. IV. AN. 5.

I.
a Leo Oſt. l. 1. c. 31.

ANno Chriſti octingenteſimo quinquageſimo primo, Indictione decimaquarta, Ludouicus Imperator Lotharii Imperatoris filius, rogatus Beneuentum venire, prouinciam illam à iugo Saracenorum liberauit, eos omnes internecioni ſubdens. Hæc Ado Viennenſis, ac Leo[a] Oſtienſis in ſuis Chronicis.

II. DE PERSECVT. IN ECCL. CORDVB.
b Eulog. Memor. Sanct. l. 2.

Quo eodem tempore, perſecutione à Saracenis in Hiſpania degentibus aduerſus Eccleſiam Cordubenſem excitata, magis recrudeſcēte; & quod grauius eſt, Recaſfredo quodam Epiſcopo aduerſus Fideles pro iiſdem Saracenis inſurgente, multi omnis ſexus & conditionis homines, generoſa fortitudine ſeipſos prodentes, vel alias proditi, martyrium conſecuti ſunt: plurimis aliis in carceres retruſis. Inter quos fuit *Eulogius* ipſe, qui aliorum paſſiones exactiſſime deſcripſit[b]; quique bene vſus otio carceris (inquit Aluarus eius familiaris in Vita ipſius) metricos, quos adhuc neſciebant ſapientes Hiſpaniæ, pedes perfectiſſime docuit. Ceterum ſub finem huius ipſius anni reddita eſt ex inſperato pax Eccleſiæ redditusque conſuetus cultus eccleſiarum: redemptus ipſe (vt creditum eſt) ſanguine duarum Sanctarum virginum, *Mariæ* & *Floræ*, quæ cum pollicitæ eſſent reliquis Fidelibus, liberationem ipſorum impetrare à Domino vbi ad eum perueniſſent, quinto poſt martyrium conſummatum die id præſtiterunt.

III. MORTVI EXPETVNT SVFFRAGIA VIVENTIVM.

Hoc eodem anno (vt auctor eſt Frodoardus[c]) mortuus eſt Ebbo Rhemenſis olim Archiepiſcopus, cuius cauſam ſæpius ventilatam vidimus. Additque idem auctor, cuidam eius tunc ciuitatis viro per viſum reuelatum fuiſſe, ipſum Ebbonem cum aliis nonnullis Epiſcopis torqueri pœnis Purgatorii; eoſdemque expetiiſſe ſuffragia viuentium, orationes & eleemoſynas, præcipue vero ſacratiſſimum Miſſæ ſacrificium; quibus exhibitis, iidem pœnis alleuiati ferunt.

LOTHAR. 12. MICH. III. 11.

IESV CHRISTI AN. 852.

LEON. IV. AN. 6.

I. DANIES

ANno Domini octingenteſimo quinquageſimo ſecundo Indictionis decimæquintæ, Leonis Papæ ſexto,

idem

Tio novæ civitatis Leoninæ.

idem Pontifex abſoluta quam cœperat noua ciuitate, qua includeret baſilicam S. Petri cum adiacentibus diuerſarum gentium Romam peregrinantium ibi erectis hoſpitalibus habitaculis: eamdem aqua benedicta, multiſque orationibus ſanctificatam, ſolemni ritu Deo dicauit, & à ſuo nomine *Leoninam* dixit, die vigeſima ſeptima menſis Iunii. Quæ quomodo ſe habuerint, pluribus narrat Anaſtaſius Bibliothecarius qui aderat. Qui & ſubiicit de inſtauratis ab eodē Pontifice aliarum ciuitatum mœnibus, deductaq; in vrbem Portuēſem colonia ex habitatoribus inſulæ Corſicæ, qui ob frequentes Saracenorum incurſiones coacti fuerant patriam deſerere. Ac denique inferius addit de ciuitate Centumcellenſi, diu antea ab iiſdem Saracenis diruta, & ab eodem Pontifice loco munitiori diuinitus ei per viſum oſtenſo reſtituta; quam & ſuo nomine Leopolim appellauit, ac ſolemnibus cæremoniis Sanctiſſimæ Trinitati conſecrauit. Sed de his hactenus.

II. Alii martyres Cordubenses. a Euleg. Memor. Sanct. l. 2. c. 9. & ſeqq.

Hoc eodem anno perſecutio Saracenorum in Hiſpania, quæ ad modicum temporis ſpatium quieuerat, in Eccleſiam Cordubenſem acrius renouata, multos martyrii corona donauit, quos S. Eulogius[a] ſingulos recenſet. Cū autem alii complures deficientes à fide, Mahometiſmo adhærerent: ſed & nonnulli Epiſcopi eiuſmodi martyrii gloriam minuere quærerent, atque Fideles ab eo reuocare: horum conſilio Rex Habdarahgman *pſeudoſynodum* omnium regni ſui Antiſtitum conuocauit; qua in eius gratiam decretum eſt, eos qui non quæſiti ſeſe morti offerrent pro fidei confeſſione, non eſſe adſcribendos catalogo Sanctorum; quippe qui viderentur per ſuperbiam fieri parricidæ animarum ſuarum. Extatque inſuper eorumdem, ſiue horum ſimilium, illa ſparſa fallacia non eſſe qui paterentur inter Martyres, computandos, quod miracula, vti olim Martyres, non ederent, neque eorum corpora incorrupta manerent. Quare ad hæc omnia diluenda S. Eulogius egregium commentarium ſcribens, cuius eſt titulus *Memoriale Sanctorum*, eius primo libro in iiſdem valide confutandis verſatus eſt. Idemque poſtea alia occaſione Apologeticum addidit, de quo ſuo loco. Porro cum nonniſi vnus Epiſcopus Cordubenſis apud eum reperiatur detruſus in carcerem, quod refragatus fuerit Regi: ex his lugeas ſtatum reliquarum Hiſpaniæ Eccleſiarum ſub Saracenis conſtitutarum, quarum Rectores eidem tyranno adhæſerunt.

Eulogius inſurgit pro SS. martyrib.

III. Terribilis interitus regis perſecutoris.

Verum accidit inter hæc, vt cum idem Rex quadam die intuitus pendentia quædam ſtipitibus Sanctorum qui ea perſecutione paſſi fuerant corpora, præcepiſſet illa cremari: terribili Dei vindicta repente ore eius obſtructo; lingua Angelo percutiente repreſſa ita hæſerit palato, vt vltra fari non potuerit: ſicq; in lectum deportatus, priuſquam rogus ſanctorum cadauerum extingueretur, ipſe vita defunctus ad æternum inferorum ignem deſcendit: relinquens ſucceſſorem regni Mahomad filium, æque hoſtem Eccleſiæ: cuius perſecutionem ad plures annos prorogatam, & Chriſtianorum vtriuſque ſexus alacritatem in ſpontaneo ſubeundo martyrio, proſequitur etiam pluribus idem Eulogius[b] in ſuo Memoriali: quem tu de his conſulas.

b Ibid. l. 3.

IV. Concil. Mogunt. III. ſub Rabano.

Eodem anno habitam eſſe SYNODVM Moguntiæ (quæ dicenda eſt Tertia ſub Rabano earum quarum mentio inueniatur) & in ea tractatum eſſe de abſoluendis quæſtionibus, tradunt veteres Annales à Pithœo editi. Sed quænam fuerint illæ quæſtiones, nuſquam mentio. Quo item anno Carolum Caluum Francorum Regem filios fratris ſui Pipini, Pipinum & Carolum Regnum inquietantes cepiſſe, & attonſos detruſiſſe in monaſterium, Sigebertus tradit.

Lothar. 13. Micha. III. 12.

IESV CHRISTI AN. 853.

LEON. IV. AN. 7.

I. Concil.

ANno Chriſti octingenteſimo quinquageſimo tertio, Indictione prima, menſe Aprilis, Sueſſione in Gallia habitum eſt CONCILIVM viginti Epiſcoporum, nonnullorumque Abbatum (inter quos fuit etiam Lupus Ferrarienſis, diœceſis Senonenſis, inſignis vir nominis) aliorumque clericorum: cui & Carolus Rex intereſſe voluit. Actum eſt in eo de cauſa illorum qui ordinati fuerant ab Ebbone Rhemenſi Archiepiſcopo: qui primum ſub Ludouico Imp. ſede priuatus; deinde opera Lotharii ad modicum temporis ſpatium reſtitutus, complures in eadem Eccleſia clericos ordinauerat. Sed eo per Carolum Regem abire coacto, eodemque anno ſuperiori defuncto: qui in locum eius iam antea fuerat ſubſtitutus Hincmarus, ordinatos ab eo recipere nolens, hanc Synodum celebrandam curauit, eaque ipſos deponi. Qui vero cum Ebbone poſt depoſitionem communicauerant Epiſcopi, veniam erroris deprecantes, pleniſſime reſtituti ſunt: penituſque confirmata Ebbonis deiectione; Hincmari oſtenſa eſt legitima electio & conſecratio. Hæc pluribus habentur enarrata à Frodoardo[a] in hiſtoria Rhemenſis Eccleſiæ. Extantque[b] eiuſdem Synodi Acta integra: ſed male inter probatas Synodos allecta, cum ea iudicio Apoſtolicæ Sedis ſub Nicolao Papa caſſata prorſus & abolita fuerit: vt dicetur ſuo loco, & vt ipſe Frodoardus eſt teſtis.

Sveſſion. in cauſa ordinatorum ab Ebbone Rhem.

a Frod. l. 3. c. 11. b To. 3. Concil. Acta ſyn. Sveſſ. caſſata.

II. Conatus Hincmari pro confirmatione actor.

Quamuis igitur hæc ſic ibi geſta eſſe ſecundum traditionem & auctoritatem Apoſtolicæ ſedis, Acta teſtentur; tamen cum ſciret Hincmarus ea vix poſſe ſubſiſtere, conatus eſt à Leone Papa iteratis legationibus earum obtinere confirmationem. Quam cum ille denegaſſet, ab eius ſucceſſore Benedicto ſubripuit. Sed quod & hæc non in omnibus placeret: eamdem ipſe interpolando, quædam (nefas!) addidit, quædam vero ſuſtulit: vt perhibent literæ Nicolai, de quibus ſuo loco dicendum. Ceterum præter illa quæ de hac Synodo Sueſſionenſi cuſa habentur, reperiūtur[c] inſuper Capitula quædam, ad corrigenda nonnulla praue geſta, & bona Eccleſiis ac monaſteriis reſtituenda, eademque rite adminiſtranda: quæ ex petitione Synodi, Rex Carolus per vniuerſum Regnum ſuum miſſis legatis ſtatuit nota fieri, atque executioni mandari.

c Rec. Bar. Annal. To. X. hoc an.

III. Northmanni Gallias infeſtant.

Hoc item anno Northmanni per Ligerim fluuium venientes, Nannetenſem, Andegauenſem & Turonenſem, aliaſque in circuitu ciuitates inuaſerunt, omnia tam ſacra quam profana, incendiis, cædibus, ac rapinis depopulantes: interque alia, baſilicam S. Martini toto Orbe nominatiſſimam incenderunt: euerſoque maiore monaſterio, centum illic & ſexdecim monachos peremerunt. Tradunt hæc paucis Annales à Pithœo editi, necnon Regino, Sigebertus, & Otto Friſingenſis: Sed cladem Nannetenſem, qua intra eccleſiam SS. Petri & Pauli perempti ſunt vna cum Epiſcopo Guihardo quamplurimi clerici, monachi, laici, fuſius deſcripſit Bertrandus Argentræus[d] Gallicus ſcriptor, licet contra prædictorum auctorum ſententiam, eam referat ad annum Domini octingenteſimum quadrageſimum tertium: Turonenſem vero Odo Cluniacenſis Abbas, in libello de Tranſlatione S. Martini. Dei enim prouidentia factum eſt, vt antequam ciuitas à barbaris inuaderetur, S. Martini corpus inde ſublatum, ab eiuſdem Eccleſiæ clericis transferretur primo Aurelianum, deinde Antiſiodorum, vbi quamplurimis coruſcauit miraculis. Quando vero rurſum Turones relatum fuerit, dicetur ſuo loco.

d Argent. l. 2. hiſt. Britan. c. 12. Reliquiæ S. Martini liberatæ a furore Northman.

IV. Concil. Rom. pro diſcipl. eccleſ.

Hoc item anno menſe Decembri, inchoata iam à menſe Septembri Indictione ſecunda, anno Lotharii ex quo cum patre imperare cœpit trigeſimo ſeptimo, Ludouici vero ipſius filii quinto (vt habet Anaſtaſius Bibliothecarius) celebrata eſt Romæ in baſilica S. Petri SYNODVS ſexaginta ſeptem Epiſcoporum; cui præfuit ipſe Leo Pontifex, interfueruntque quatuor Epiſcopi Legati eorumdem Imperatorum Lotharii atque Ludouici. In qua poſt recitatos quadraginta duos canones, qui pertinerent ad diſciplinam Eccleſiaſticam & mores Fidelium, eoſdēque obſeruari iuſſos; Anaſtaſius presbyter Cardinalis tituli S. Marcelli vno omnium conſenſu excommunicatus ac depoſitus eſt, eo quod parochiam ſuam per annos quinque contra antiquorum canonum definitiones deſeru-

Anaſt. Cardin. depoſitus ob deſertam parochiam.

deſeruiſſet, & adhuc in alienis moraretur; nec ad duo ipſius cauſa congregata Concilia literis Apoſtolicis accitus, & per tres legatos Epiſcopos inuitatus, accedere voluiſſet. Hæc ita geſta Anaſtaſius Bibliothecarius ſummatim perſtringit: ſed reperiuntur in pluribus antiquis codicibus, tum Anaſtaſii Cardinalis damnatio [e] memoratu digna, tum iidem quadraginta duo canones: quorum triginta ſeptem recitati ſunt ex Synodo item Romæ habita ſub Eugenio Papa, additis tamen ab ipſo Leone nonnullis: trigeſimus autem octauus ex Synodo Romæ habita ſub Zacharia: reliqui ipſius Leonis integri, quorum nonnullos in corpus canonum Gratianus & alii Collectores redegerunt.

e Recitat eã Baron. To. & hoc an.

V. FABVLA DE PAPISSA IOANNA CONFVTATVR.

Hoc ipſo anno à Mariano Scoto falſiſſime ponitur obitus, Leonis Papæ, & ineptiſſime ſubrogata aſſeritur mulier IOANNA nomine. Quoniam autem nullus penitus ante eum inuentus eſt auctor qui de eiuſmodi portento meminerit, illudque ab eo omnes alii poſtea exceperint: primo ſciendum eſt, ipſum poſt ducentos & amplius annos vixiſſe & ſcripſiſſe: qui videlicet natus ſit (vt ipſe teſtatur) anno Chriſti milleſimo vigeſimo octauo, ſæculum reliquerit milleſimo quinquageſimo tertio, & milleſimo quinquageſimo ſexto ex Scotia in Germaniam veniens Coloniæ factus fuerit monachus, & milleſimo quinquageſimo nono Fuldæ ſe incluſerit; vbi ad decennium demoratus, poſtea Moguntiæ eodem vitæ genere perſeuerans vſque ad obitum incluſus permanſerit; quem perueniſſe ad annum milleſimum octogeſimum ſextum, affirmat Dodechindus Abbas, qui ad eius Chronicon Appendicem addidit. Erant ea ipſa tempora, quibus Henricus Tertius Imperator (vt ipſe Marianus narrat) ſchiſmate cum ſuis ab Eccleſia Catholica deſciuerat; cum & promulgato à Gregorio Papa ſeptimo aduerſus clericos concubinarios decreto, complures ex illis (vt ait) delegerunt expelli potius ab Eccleſia, quam concubinas expellere.

VI.

His adiungimus, quod eodem tempore quo ſcribebat Marianus, iam de femina ordinata in ſede Conſtantinopolitana Patriarcha, fama ferretur, vt aperte conſtat ex epiſtola Leonis [f] Noni Romani Pontificis ad Michaelem Patriarcham Conſtantinopolitanum & Leonem Acridanum ſcripta (vt teſtatur) annos poſt mille & fere viginti à Paſſione Chriſti, à Natiuitate vero milleſimo quinquageſimo tertio. Porro ea quæ ita erant fama vulgata de Eccleſia Conſtantinopolitana, conuerſa eſſe in Romanam Eccleſiam à ſchiſmaticis eam odio proſequentibus & calumniis proſcindentibus, atque ita vt accepit ipſe eam fabulam Marianum eodem tempore ſcripſiſſe, quis non intelligat? Sed nec ipſum eam pro certo habuiſſe, teſtantur verba quibus retulit. Licet enim in codice impreſſo Heroldi opera, qui mala fide locum hunc cum aliis multis corrupit, abſolute legatur, *Leoni ſucceſſit Ioanna mulier annis duobus. &c.* tamen in ſcripto codice ex quo prodiit prima editio, ita legitur, *Ioannes; qui, vt aſſeritur, fuit mulier.* Sicut & qui poſt Marianum elapſis triginta ferme annis, Sigebertus & ipſe ſchiſmaticus, in ſua Chronographia eamdem deſcripſit fabulam, nulla aliqua vtitur firma teſtificatione, ſed incerta tantum fama ferri quod ſcribit aſſerit. Ceterum poſthæc factum eſt, vt plures alii eadem ſcripſerint, aliique alia addiderint, vt mendacia vires ſumerent: adeo vt etiam pii viri res maiorum proſecuti, quæ de his inuenerint, abſque delectu deſcripſerint.

f Leo IX. ep. 1. c. 23.

QVOD DE ECCL. CONST. DICTVM, DE ROM. CREDITVM.

INCREMENTVM FAB. L.E.

VII. MVLTIMODA EIVS FALSITAS.

Sed vt rem propius agamus: Quomodo Marianus hoc anno ingreſſum ponit feminæ poſt Leonis obitum, cum conſtet ipſum Leonem vitam adhuc ad duos annos propagaſſe; id teſtante Anaſtaſio Bibliothecario, qui tunc Romæ præſens erat? Quo item modo Ioanna ſucceſſit, cum idem Anaſtaſius aſſerat, Leoni ſtatim poſt ſex dies ſubſtitutum fuiſſe Benedictum? & quicumque hoc tempore quacumque occaſione de ſucceſſione Romanorum Pontificum ſcripſerunt, Benedictum immediate Leoni ſucceſſiſſe ponant, puta Lupus [g] Ferrarienſis Abbas, Nicolaus [h] Papa, & Acta Tullenſis Synodi paulo poſt habitæ? Rurſum vero altum vbique ſilentium tanti temporis, de re tanta, tot emergentibus in tantum nefas declamandi occaſionibus, pluſquam mille dixeris iuratos teſtes ad certam fidem faciendam de fabulę falſitate. Certe quidem tam amici facinus horrendum deteſtando, querendo, dolendo, quam inimici improperando, detrahendo, ſubſannando, centies proclamaſſent. Sed & quomodo Leo Nonus in Eccleſiæ Romanæ hoſtes ea de femina erecta in Patriarcham Conſtantinopolitanum obiicere auſus eſſet, ſi maiori infamia id fuiſſet in Eccleſia Romana perpetratum?

g Lup. Fer. ep. 101.
h Nicol. ep. 1. 589.

VIII. ASSERTORES FABVLÆ EX SE IPSIS CONFVTATI.

Quam autem abſurde fabulæ aſſertores inter ſe varia diuerſaque ſcribentes; alter alterum deſtruit: dum alii ipſam confictam feminam Ioannam, nominatam antea *Agnetem* dixere, alii *Gilbertam*, *Iſabellam* alii, ſeu *Margaritam*, vel etiam *Tuttam*, aut *Dorotheam*: præterquam quod alii natione Germanam, alii dixere Anglicanam. Rurſum quanta diuerſitas in nomine quod confinxerunt vel leuiter crediderunt Papiſſæ Ioannæ, dum alii eã vocant Ioannem Septimum, alii Octauum, alii vero Nonum; cum tamen certiſſime conſtet eoſdem legitimos fuiſſe Romanæ Eccleſiæ Pontifices Iohannem Septimum, Octauum, & Nonum? Sed & in tempore valde ſibi contrariantur, dum alii hoc anno octingenteſimo quinquageſimo tertio, alii ſequenti, alii octingenteſimo quinquageſimo ſeptimo, octauo alii, quidam nongenteſimo quarto; præter eos qui eam ponunt poſt Martinum. Primum anno Domini ſexcenteſimo quinquageſimo tertio, vel poſt Iohannem Quintum anno ſexcenteſimo octogeſimo ſexto. In Sedis vero tempore quanta inter eos repugnantia, dum alii eam ſediſſe tradunt anno vno, & menſe vno, & diebus quatuor; alii annis duobus, totidem menſibus, & diebus quatuor; alii duobus annis cum dimidio; duobus tantum annis alii, alii vero tantum quatuor menſibus? Denique quanta diuerſitas in eiuſdem fabulæ narratione; dum nec vnus quidem reperitur qui conſentiat alteri, imo omnes inter ſe diſſentiant, contradicantque ſibi inuicem? Vt nulla penitus hiſtoria ſit de nomine, loco, tempore, & rebus quæ narrantur, adeo mendax, variaque, & omni penitus veriſimilitudine carens. Sed qui curioſius hæc ſcire deſiderat, præter alios qui hoc immaniſſimum commentum egregie antehac refellerunt, legat locupletem illum commentarium pietate & doctrina inſignis viri FLORIMVNDI RÆMVNDI Aginnenſis Aquitani, Regii Conſiliarii in Parlamento Burdegalenſi, cuius eſt inſcriptio *Error popularis de Ioanna Papiſſa*: quo ſic confecit monſtrum illud, ſcriptorum leuitate formatum, & Nouatorum induſtria phaleratum, vt eos pudeat quæ ſcripſerint vel ſomniaſſe.

FLORIM. RÆMVNDI LIBER DE PAPIS. IOAN.

IX.

Hoc eodem anno mortuus ponitur *Aymo* Epiſcopus Halberſtatenſis ſcientia clarus; cuius extant complura ſcriptorum monumenta ab aliis dinumerata.

IESV CHRISTI AN. 854.

LOTHA. 14 MICH. III. 13.

LEON. IV. AN. 8.

I. BELLO CIVILI DANI CONSVMVNTVR.

ANNO Chriſti octingenteſimo quinquageſimo quarto, Indictione ſecunda (vt habet vetus Chronicon à Pithœo editum) orto ciuili bello inter Horich Regem Danorum ſiue Northmannorum, & filium fratris Guduym, qui regno pulſus piraticam exercebat; iidem miſerabili modo cõciderunt, de regia ſtirpe nonniſi puerulo remanente. Ita Dominus ſanctorum virorum ſuorũ iniurias vltus eſt, & aduerſariis digna factis retribuit.

II. CONCIL. CONST. PRO DAMNATIONE EPISCOPI SYRACVS.

Quod ad res pertinet Orientis; hoc eodem anno Conſtantinopoli ab Ignatio Patriarcha celebratum eſt CONCILIVM, in quo depoſitus eſt Gregorius Epiſcopus Syracuſanus; ita tamen vt aſſenſus Romani Pontificis requireretur: quo per Legatos à Leone Papa petito, diſtulit ille donec pars altera audiretur: atque eodem interea decedente, res ad ſucceſſorem delata eſt. Habet iſta Nicolaus [a] Papa in epiſtola ad Michaelem Imperatorem. Quæ ita vero ex hac Gregorii depoſitione mala exorta fuerint,

a Nicol. ep. 8.

rint, videbitur inferius ſuis locis. Ceterum quod Sicilia inſula ſub iuribus adhuc eſſet Oriẽtis Imperatoris, quamuis occupata eſſet, à Saracenis, primas cauſas vendicauerat ſibi Patriarcha Conſtantinopolitanus; ita tamen, vt ſua Acta confirmatione indigere Apoſtolicæ Sedis non ignoraret.

III. MICHAELIS IMP. CORRVPTISS. MORES.

Hoc item ipſum eſt plane tempus, quo Michael Imperator, poſtquàm excellit ex ephebis, quos habuerat tutores partim à ſe amouens, partim occidens, matrem vero Theodoram Imperii curatricem piiſſimam feminam contemnens: inuentis duobus ad omne malum illectoribus, ſceleſtiſſimo pædagogo, & Barda fratre eiuſdem Theodoræ, redditus eſt nouus Nero, illo antiquo non inferior aurigandi arte, nec libidine impar, perſimilis vero prodigalitate, atque ſæuitia proximus: denique impietate ſuperior, cum cinædos in honore habens, & ſacras eos veſtes induens, cogebat res diuinas peragere, omniaque Pontificia munera etiam publice exercere: quorum principem *Gryllum* nomine, Patriarcham vocitabat, & reliquos vndecim Metropolitas: ſe quoq; vnum è ſacerdotibus faciens, qui Præſul Coloniæ appellabatur: habebantque vaſa inaurata, & pretioſis lapidibus ornata, quæ aceto & ſinapi implentes aliis porrigebant, ad hunc modum ſacroſanctum myſteria irridentes. Qui & aliquando cum in via occurriſſent S. Ignatio Patriarchæ cum ſacro Clero & ſupplicationibus procedenti, non ſolum non ceſſerunt, ſed vehementioribus cithararũ quibus vti conſueuerant plauſibus eos excipientes, maledictis etiam & turpibus probris laceſſerunt. Immo & idem impudentiſſimus Imperator quadam die matrem ſuam piẽtiſſimam feminam accerſiuit, vt à Patriarcha benedictionem acciperet: quæ cum ſumma religione ſe in terram proſtraſſet ad pedes Grylli, quem putabat eſſe Ignatium; nefarius ille ſurgens oppedit, verbaque turpia protulit. Hæc & alia Curopalates.

MYSTERIORVM CHRIST. DERISVS PER IMP.

IESV CHRISTI AN. 855.

LOTHAR. 15. MICHAEL. III. 14.

BENED. III. AN. 1.

I. CONCIL. VALENT. CONTRA HÆRET. a To. 3. Concil.

ANno Chriſti octingenteſimo quinquageſimo quinto, Indictione tertia, menſe Ianuarii celebrata eſt in Gallia SYNODVS VALENTINA [a] quatuordecim Epiſcoporũ, Leone Papa adhuc viuere, quamuis in eius titulo apponatur Benedictus, qui nonniſi menſe Iulio ſubrogatus eſt in locum Leonis. Ceterum occaſio Synodi congregandæ præcipua illa fuit, quod Scoti quidam vagi homines (quorum magiſter Gotheſcalcus ille erat, quẽ damnatum vidimus in aliis Synodis) de prædeſtinatione & præſentia Dei, deque gratia & libero arbitrio prauas opiniones in vulgus ſpargere laborarent. Quibus occurrentes Epiſcopi, nihil præterea in Eccleſiam inducendum cenſuere, quam quod ſanctiſſimi Patres docuiſſent olim in Africa Concilio Carthaginenſi, in Galliis Concilio Arauſicano; nempe bonos nonniſi per gratiam Dei ſaluari, malos per ſuam damnari iniquitatem: nec ipſos malos (quod dicebant illi) ideo perire quia boni eſſe non potuerunt, ſed quia eſſe noluerunt. Poſt hæc autem ad corrigenda mala quæ per laicos Eccleſiis inferrentur conuerſi Patres, in primis ſtatuerunt, ne qui nominarentur à Regibus Epiſcopi, ita indiſcuſſi reciperentur, ſed de eorum doctrina atq; moribus diligentiſſimum haberetur examen. Vetuerunt inſuper, ne vtraq; pars litigantium iurare ſimul compelleretur, cum eſſet neceſſe alteram periurare. Sed & qui creuerat graui animarum damno in populo Francorum abuſus, vt cauſæ ſæpius duello dirimerentur, ne molitum ſcelus vlterius patraretur, canonica cenſura cohibuere, ſtatuentes vt qui alterum occideret, ſeu vulneribus debilem redderet, velut homicida nequiſſimus & latro cruentus ab Eccleſia & omnium Fidelium cœtu, ſeparatus ad agẽdam pœnitentiam modis omnib. compelleretur: ille vero qui occiſus eſſet, tamquã ſui homicida, & propriæ mortis ſpontaneus appetitor, à Dominicæ oblationis commemoratione alienus, nec cadauer eius iuxta ſanctorum canonum decretum, cum pſalmis vel orationibus ad ſepulturam deduceretur. Alia quoque ad curam Epiſcoporum ſpectantia ſtatuerunt, editis in vniuerſum canonibus viginti tribus, quos tu conſulas; ac præſentia ex iis deplores tempora, quibus Eccleſiæ nimia Principum licentia grauiſſime affligarentur.

DVELLA PROHIBITA.

II. b To. 3. Concil. CONCIL. TICIN. PRO LIBERTATE ECCL.

Eodem item anno, menſe Februari, Ticini aliud Epiſcoporum CONCILIVM [b] celebratum eſt Ludouici Imperatoris monitu: in quo inter alia, ab eodem Imperatore reſtituta eſt (ſaltem nomine tenus) Epiſcopis licentia, omnia ſecundum canones diſponendi: cum iſtis calamitoſis temporib. tyrannico vſu veniſſet, vt quæ Epiſcopi vellent in Eccleſia, ordinari non, vt olim ab ipſis ſacerdotali auctoritate conſtituerentur, ſed ea per capita digeſta mitterentur in Palatium probanda à Principibus.

III. LVDOV. IMP. ROMAM VENIT OB DEFENSIONEM MAGISTROR. MILITI.

Poſt hæc vero, cum apud eumdem Ludouicum Imperatorem Daniel quidam Magiſter militum Romæ, inuidia aduerſus Gratianum alium item Magiſtrum militum ductus, ipſum calumnioſe accuſaſſet quod vellet excuſſo Francorum iugo Græcos Romam euocare; his Ludouicus commotus, Romam ſe concito gradu contulit. Vbi in conuentu Romanorum ſimul & Francorum præſente quoque Leone Papa, habita exactiſſima de eadem cauſa quæſtione, Gratianus innocens repertus eſt criminis iniuncti; & Daniel propria confeſſione impoſtor detectus, Gratiano ex libito puniendus eſt traditus, & ab eodem mox Imperatori precario petenti conceſſus. Hæc ex Anaſtaſio, qui interfuit.

IV. LEON. PP. OBITVS.

Cum autem Imperator Ticinum receſſiſſet *Leo* Pontifex non poſt multos dies, decimoſexto Calendas Auguſti ex hac vita migrauit, ſepultuſque eſt in eccleſia S. Petri, cum ſediſſet annos octo, menſes tres, & dies quinque, vt habet Anaſtaſius: qui præter ea quæ ex ipſo de eodem Pontifice ſummatim retulimus aliaque quæ addit de ipſius cultu SS. martyrum, ædificatione ac reparatione eccleſiarum atque monaſteriorum, doniſque eiſdem collatis, necnon de munere prædicationis quo multos ad cognitionem veritatis perduxit; meminit quoque Crucis, quam ex more antiquo Subdiaconi ante equum Romani Pontificis ferre ſolerent; quam (vt ait) Leo renouatam, auro & gemmis ornauit. Additque, ipſum Octauam Aſſumptionis Sanctiſſimæ Dei-Genitricis diem, quam minime Roma antea colebat, vigiliis ſacris, matutiniſque celebrari præcepiſſe. Porro idem Pontifex relatus eſt inter Sanctos in tabulas Eccleſiaſticas. Cuius extãt epiſtolæ [c] quædam de rebus Eccleſiaſticis conſcriptæ: aliarumque fragmenta apud Gratianum, ſeu alios Canonum Collectores: itemq; ſermo, ſiue homilia [d], quam per prouincias ad Epiſcopos miſit, vt ab ipſis in Synodis diœceſanis recitaretur ſibi ſubditis presbyteris animarum curam gerentibus, quo cunctis innoteſceret quæ eſſent ſui muneris. Denique recitat Ioannes [e] Diaconus temporis huius ſcriptor, quædam miranda quæ ſub hoc eodem Leone Papa contigerunt in monaſterio S. Gregorii ad Cliuum Scauri, aduerſus eiuſdem monaſterii Præpoſitum, qui chartulas quaſdam monaſterii diſtrahens, extraneis vendidiſſet: itemque aduerſus alium Præfectum, qui eleemoſynas à S. Gregorio fieri conſtitutas, licet monachorum vtilitati conſulere arbitraretur, diminuiſſet.

DE CRVCE FERRI SOLITA ANTE PONTIF.

c To. 3. epiſt. Rom. Pont.

d Rec. Tab. Annal. To. X. hoc an.

e Ioan. Diac. in Vit. S. Greg. l. 4. c. 66.

V. BENED. III. PAPA CREATVR.

Leone defuncto, totius Cleri, *Senatus*, Populiq; conſenſu, BENEDICTVS huius nominis *Tertius* patria Romanus Petri filius, vir ſanctiſſimus, omnibuſque virtutibus præditus, ex presbytero tituli Calliſti diu reluctatus inuite Summus creatus eſt Pontifex. Verum mox factione Legatorum qui delecti fuerant ad ferendum ex more Imperatoribus decretum electionis Benedicti, aliorumque prauorum omnis generis hominum conatu, ſed & conſenſu Legatorum à Ludouico Imperatore Romam miſſorum *Anaſtaſius* ille presbyter tituli S. Marcelli, quem à Leone excommunicatum in Synodo atque depoſitum ſuperius vidimus, Romam deductus, primo baſilicam S. Petri ſacrilege inuadens, Imagines ſacras extrubauit, confregit, combuſſitque: deinde ad Lateranenſe Patriarchium

ANASTASII PSEVDOPAPA SCELERA, ET ...

chium properans, ſeſe in ſolium Pontificium intruſit, eiecto Benedicto, ac poſt multa conuicia & verbera cuſtodiæ mancipato. Sed reſiſtentibus magna conſtantia Epiſcopis, vna cum Clero populoque Romano: iidem Imperatoris Legati poſt triduum coacti ſunt Anaſtaſium expellere, & poſt indictum pro Eccleſiæ vnitate triduanum ieiunium, Benedicto ſe reconciliare: qui quidem factioſis ad pedes eius proſtratis in gratiam receptis, in baſilica S. Petri conſecratus eſt magna omnium exultatione. Narrantur hæc fuſius ab Anaſtaſio Bibliothecario, qui aderat. Fuit vero iſte peſſimus conatus Ludouici Imperatoris: qui cernens in electione Romani Pontificis nullam haberi rationem ipſius, ſtuduit in odium Romani Cleri liberis ſuffragiis eligentis Pontificem, prouenire in ſedem Apoſtolicam hominem illum perditiſſimum, qui diu multumque iſta molitus fuerat.

VI. LOTHARIVS IMP. FACTVS MONACVS MORITVR.

Eodem anno (vt Regino, & alii tradunt) Lotharius Imperator, relicto Imperio atque Regno filiis diuiſo, Ludouico Imperatori Italiam, Lothario regnum quod in Francia poſſidebat (præter prouinciam Carolo traditam) dedit ceteriſq; rebus cunctis bene diſpoſitis, abdicans ſe ab omnibus humanis curis, Pruniacenſe ingreſſus monaſterium, coma depoſita factus eſt monachus. Demum eodem anno, quarto, ſiue (vt alii tradunt) ſexto Calendas Octobris ſpiritum Deo reddidit. Laudatus inuenitur à Rabano in libro de Anima; & ab Angelomo in præfatione in Cantica.

VII. THEODORA AVG. DETRVSA IN MONASTERIVM.

Quod ad res pertinet Orientales: hoc eodẽ anno Michael Imperator, vt liberas in omnibus malis agendis habenas Imperii poſſideret, matrem ſuam Theodoram Auguſtam, ſanctiſſimam feminam, (quod ea tum ipſum, tum fratrem ſuum Bardam omnium Imperatoris ſcelerum architectum, ſeuere ſæpius reprehenderet) detonſam vna cum filiabus detruſit in monaſterium, poſtquam annos quatuordecim cum ea imperaſſet: omniſq; rerum adminiſtratio ad vnum Bardam delata eſt. Hæc Curopalates.

IESV CHRISTI AN. 856.

LVDOV. II. 1. MICH. III. 15.

BENED. III. AN. 2.

I. PESTILENTIA FAVCIVM.

ANNO Chriſti octingenteſimo quinquageſimo ſexto, Indictione quarta, die quinta menſis Ianuarii, Tiberim fluuium immenſum excreſcentem, Vrbẽ dire vexaſſe, traditur ab Anaſtaſio. Secuta eſt peſtis: quæ quod fluxione guttur obſtrueret, *Peſtilentia Faucium* dicta eſt: cuius etiam meminit Ioannes Diaconus temporis huius ſcriptor, ad finem Rerum geſtarum S. Gregorii Papæ, agens de quibuſdam mirandis quæ tunc in exitu nonnullorum monachorum ibi contigerunt.

II. MICH. IMP. LEGATIO AD BENED. PP. REX LAZOR. ROMAM PEREGRINATVR.

Sed & eodem anno Michaelem Imperatorem, ſecundum antiquam conſuetudinem Legationem Romam ad nouum Pontificem miſiſſe cum muneribus pariterque Regem Lazorum pietatis ergo ad Limina Apoſtolorum venientem, præclara dona S. Petro obtuliſſe: Anaſtaſius tradit. Quo etiam tempore Patriarcha Conſtantinopolitanus Ignatius ad eundem Pontificem miſit Acta Synodalia, quibus probaretur legitime facta Gregorii Syracuſani Epiſcopi depoſitio, de qua ſuperius actum eſt: quam Benedictus, cauſa diligentius cognita, præſente ipſo Gregorio confirmauit: vt patet ex literis Nicolai Papæ ad Photium poſtea ſcriptis.

III. CONVENT. CARISSIAC. PRO REFORM. MORVM.

Interea vero cum in Gallia vndique ebullirent factioctiones, ſubditorumque rebelliones aduerſus Carolum Caluum Regem, increbreſcerentque vbique latrocinia, deprædationes, cædes: ad hæc omnia euellenda, idem Carolus hoc anno menſe Februarii *Conuentum* Epiſcoporum ac Procerum habuit in villa Cariſſiaco: ex quo eiuſdem Regis ſcripta eſt exhortatio [a] ad omnes Epiſcopos & Comites ſui Regni, vt quique in ſuis parochiis & iuriſdictionibus hæc mala emendari, atque hominum mores in melius reformari curarent: miſſaque ſunt Capitula nonnulla ad cõciliandos ſibi populos defectionem parantes, quæ adhuc extant. Reperitur apud Lupum [b] Ferrarienſem Abbatem vna ex illis admonitionibus, quas idem Rex per Epiſcopos ſingulos ad populum ſibi ſubditum ſcribi præcepit, vt abſtineat à peccatis, præcipue vero à factionibus atque deprædationibus. Fuitque etiam in his laborandum Benedicto Papæ: cuius extat [c] epiſtola ad Epiſcopos Regni Caroli aduerſus Hubertum ſubdiaconum; homicidam, adulterum, ac monaſteriorum deprædatorem.

a Rec. Fur. Annal. To. X. hoc an.

b Lup. ep. 100.

c Rec. Bar. ubi ſup.

IV. RABANI OBITVS, ET SCRIPTA.

Hoc eodem anno die quarta Februarii defunctus eſt *Rabanus* Archiepiſcopus Moguntinus, cum ſediſſet annos nouem menſem vnum & dies quatuor. Ita vetus Chronicon à Pithœo editum: ex quo erroris arguitur Trithemii, dum eum defunctum dicit anno ſuperiori Indictione tertia. Emicuit hoc tempore Rabanus vt fulgentiſſimum ſidus: cuius quæ extant ſcripta, tamquam lucis radii excellentiam demonſtrant auctoris. Quem quidem Trithemius aſſerit, præter opuſcula tam carmine quam ſoluta oratione conſcripta vniuerſam Scripturã Sanctam à principio vſque ad finem feliciter explanaſſe: virum plane omni literarum genere egregie excultum, triumq; linguarum Hebraicæ, Græcæ & Latinæ peritiſſimum. Vt merito Germania gloriari poſſit, ſuum haud adeo imparem magnis habuiſſe Doctorem.

IESV CHRISTI AN. 857.

LVDOV. II. 2. MICH. III. 16.

BENED. III. AN. 3.

I. APOLOGETICVM EVLOGII PRO SS. MARTYRIB.

ANno Chriſti octingenteſimo quinquageſimo ſeptimo, Indictione quinta, ſæuiente adhuc perſecutione Saracenorum in Eccleſiam Cordubenſem, cum S. Eulogius iam abſoluiſſet tres libros Memorialis Sanctorum, haberetque in animo recentium Martyrum certamina pariter deſcribere: nonnullorum calumniantium ſtrepitu motus, coactus eſt (vt ipſe teſtatur) hiſtoriam in Apologeticum commutare. Tota namque in illud vis diabolica ſe conuertit, vt qui annis ſingulis illuſtrari ſanguine Martyrum Chriſti Eccleſiam ægre ferret, ore miniſtrorum ſuorum illud in vulgus ſpargeret, hos omnes gladio cæſos nequaquam dignos eſſe qui in numerum Martyrum referrentur, quod non ſicut antiqui martyres à cultoribus idolorum occiderentur, neque dum paterentur miraculis coruſcarent, nec denique diuerſis tormentorum generibus cruciarentur, ſed ictu gladii certamen cito abſoluerent. Quæ omnia ab Eulogio potentiſſime ſunt confutata, ne horum occaſione tepeſceret in cordibus credentium ardor fidei, & fortitudo langueſceret Confeſſorum.

II. CONCIL. MOGVNT. DE IVRIB. ECCLES.

Hoc eodem anno circa Calendas Octobris celebratum eſt CONCILIVM apud Moguntiam, præſidente Carolo Rabani ſucceſſore quo actum eſt de Iuribus Eccleſiaſticis. Sed & præſentata eſt epiſtola Guntharii Colonienſis Epiſcopi ad Altfridum Epiſcopum ſcripta, vbi agebatur de prodigioſo fulmine, ignei draconis inſtar, quod in eccleſiam cadens vbi conferta eſſet immenſa populi multitudo, ex omnibus illis tres homines ad tria diuerſa altaria exiſtentes vno ictu necauit, atque ſex alios eodem impetu proſtrauit. Habent hæc veteres Francorum Annales. Acta vero Concilii exciderunt.

PRODIGIVM FVLMINIS.

IESV CHRISTI AN. 858.

LVDOV. II. 3. MICH. III. 17.

NICOLAI AN. 1.

I. BENED. PP OBITVS.

NICOLAI SVBROGATIO.

ANNO Chriſti octingenteſimo quinquageſimo octauo, Indictione ſexta, *Benedictus* Papa mortuus eſt die decimaſexta Februarii, poſtquam ſediſſet annos duos menſes ſex dies decem, delatuſque eſt ad ſepulturam in eccleſiam S. Petri diaconorũ humeris: inter quos fuit NICOLAVS, qui omnium conſenſu ei ſucceſſit in Pontificatu, natus Romæ ex patre Theodoro nobiliſſi-

mo, viro,

Digitized by Google

mo, viro, præditusque omnibus virtutibus, atque doctrina & ſanctitate inſignis: qui in baſilica S. Dionyſii electus, aufugiens ne conſecraretur, è latebris extractus, apud S. Petrum conſecratus eſt præſente Ludouico Imperatore, & cum hymnis & canticis in Patriarchium Lateranenſe deductus. Habet iſta Anaſtaſius Bibliothecarius, miris Nicolaum laudibus extollens. Addit; præterea de Imperatoris humillimis erga illum obſequiis: nempe quod cum Imperator Vrbe diſceſſiſſet, & ad eum Pontifex viſitationis cauſa aduenisſet, ipſi occurrês Imperator, equum quo is vehebatur pedes ipſo freno duxerit quantum ſagittæ iactus extenditur: idemque rurſum in reditu Pontificis in Vrbem præſtiterit.

Imp. pedes equum Pontif. freno duc.

II. *Legatio Gallor. ad Ludov. Reg. adversus Carol.*

Hoc eodem anno perſeuerante infeliciſſimo ſtatu Galliarum, cum omnia prædonibus factioſiſque hominibus plena eſſent, Edelhattus Abbas & Otho Comes venerunt in Germaniam ad Ludouicum Regem, poſtulantes vt populo periclitanti ſubueniret: quod niſi celeriter faceret, à Paganis cum periculo Chriſtianitatis auxilium quæſituri eſſent, quod tyrannidem Caroli, horum omniũ malorum cauſam diutius ferre non poſſent. Hæc totidem ferme verbis vetus Francorum Chronicon à Pithœo editum, ſed ab auctore huius temporis conſcriptum. Vbi pariter inſinuatur, quod Ludouicus diu anceps, tandem ſuorum conſilio venerit in Regnum Caroli fratris, vt tot malis mederetur. Cum autem primum omnium *Concilium* Epiſcoporum indixiſſet Rhemis: qui ſub Carolo erant Epiſcopi prouinciarum Rhemenſis & Rothomagenſis, ſuſpectum habentes illius aduentum, ſeorſum conuenerunt menſe Nouembri in Villa Cariſſiaco: vnde ad eum ſcripſerunt epiſtolam, qua ſe excuſantes cur non potuerint ad illum accedere, inſigni ſacerdotali libertate egregiam plane ac varia doctrina refertam addiderunt prolixam admonitionem [a], quibus modis qui ad reſtaurationem Eccleſiæ & ſalutem populi aduenisſe iactaret, eam operari deberet, reſque ipſe ſuas ſinque regni curare, quæ non minus emendatione indigerent: multaque ſubiunxerunt de libertate Eccleſiarum, rerumque atque miniſtrorum illarum, diuinitus inſtituta, quam boni Reges intemeratam cuſtodire debeant, non tyrannice meruere vel contemnere.

a Rec. Bar. Annal. To. X. in ... Admonitio Episc. Caroli ad Ludovicum.

III. *Carolus ad Pont. et Imp. queritur adversus Ludov. fratrem.*

Verum minime his acquieſcens Ludouicus, ſed potius factioſis hominibus obaudiens, ſe ad arma conuertit, & aduerſus Carolum potentem duxit exercitum: cui ſe Carolus imparem ſentiens, cum paucis clam ſe à ſuis copiis ſubduxit, quæ mox ad Ludouicum defecerunt. Sed inter hæc nuntiata rebellione Sorabica, idem Ludouicus coactus eſt ad propria reuerti, poſtquam eius aduentus multa mala Regno Caroli; ipſiſque Eccleſiis attuliſſet. Ceterum Carolus reſumptis regni habenis, rebus ſuis conſulturus, Legatos miſit in Italiam ad Ludouicum nepotem Imperatorem, & ad Nicolaum Romanum Pontificem expoſtulans de Ludouico fratre qui non læſus Regnum ſuum aggreſſus eſſet: qui ambo literis Ludouicum Regem monuerunt, nequid in regnum alienum præſumeret, ipſe vero iis receptis, legauit pariter ad eoſdem in Italiam Othonem Fuldenſem Abbatem, qui ſuam rectam in omnibus intentionem inſinuaret. Hæc idem vetus Francorum Chronicon; quæ in annum ſequentem propagata ſunt.

IV. *Ignat. Const. iniuste relegatur.*

Quod ad res pertinet Orientalis Eccleſiæ: hoc ipſo anno cum Ignatius Conſtantinopolitanus Patriarcha duodecimum inchoaſſet ſedis ſuæ annum, quod Bardam Patricium, penes quem ſumma erat adminiſtrationis Imperii, poſt ſæpe fruſtra iteratas monitiones, excommunicaſſet ob vxoris inſontis repudium, & cum cognata ſibi ſponſa conſuetudinem: eiuſdem Bardæ factione calumnioſe accuſatus de conſpiratione aduerſus Imperatorem, è throno impie depoſitus eſt, atque in inſulam Terebinthum relegatus. Vbi cum perſuaderi nuſquam potuiſſet, vt libellum daret renuntiationis ſedis Patriarchalis: poſt multas vexationes, & varios cruciatus, ad extremum in Copronymi ſepulchro incluſus eſt ſub cuſtodia crudeliſſimorum hominum: ſed inde furtim à pio quodam viro ſublatus, iterumque captus, poſt multiplices locorum mutationes, demum in inſulam Mitylenem deportatus eſt. Sed & complures alii Epiſcopi ſimilia pertulere, eo quod nollent alium recipere Patriarcham. Attamen poſtmodum cedentes plurimi minis, multi pollicitationibus illecti, obſecuti ſunt Bardæ, in locum Ignatii Patriarcham ſufficienti *Photium* eunuchum, qui erat Imperatori à Secretis, magnaque apud illum gratia pollebat, quod ipſius Imperatoris ſoror Irene nupta eſſet Sergio Patricio Photii germano. Hæc Ioannes Curopalates, à quo Cedrenus, & alii recentiores exceperunt: ipſi quidem omnia in vnum colligentes, quæ magna ex parte noſcuntur geſta ſequenti anno.

V. *Photius intruditur in locum Ign.*

De quibus diſtinctius agens Nicetas in vita eiuſdem Ignatii, primum de Photio ait, illum nobilitate fuiſſe inſignem, Protoſpatarium dignitate, munere à ſecretis Imperatori, diuitiis pollentem, ſcientiis ſæcularibus diſertiſſimum, atq; etiam antiquis hac ex parte comparandum, ſacrarum vero literarum expertem: hominem gloriæ appetentiſſimum, ſexque diebus ex laico tranſformatum in Patriarcham, nimirum prima die ex laico monachum effectum, ſecunda anagnoſten, tertia ſubdiaconum, quarta diaconum, quinta presbyterum, ſexta denique Patriarcham: conſecratumque eſſe à Gregorio illo Syracuſano excommunicato, de quo ſuperius actum eſt, ipſo die Natalis Domini. Iſta Nicetas: reliqua ſequenti anno. Ceterum hic initium magnæ tragœdiæ, quæ plurimis actibus ad multorum annorum curricula propagata, cuncta gemitibus repleuit atque doloribus.

IESV CHRISTI AN. 859.

Ludov. II. 4. Mich. III. 18.

NICOLAI AN. 2.

I. *SS. Eulogii et Leocritiæ martyrium.*

Anno Domini octingenteſimo quinquageſimonono, Indictione ſeptima, die vndecima Martii, magnus ille promotor martyrum, debellator Mahometanæ impietatis, S. *Eulogius* deſignatus olim Toletanus Antiſtes presbyter vero exiſtens Eccleſiæ Cordubenſis, cuius ſæpe facta eſt mentio, martyrio coronatus migrauit in cœlum: addita ad palmam *Leocritia* virgine, Mahometanæ gentis ſobole, ſed in Chriſto renata, & prædicatione Eulogii ad martyrium roborata. Quæ quomodo ſe habuerint, pluribus narrat Aluarus eius temporis ſcriptor in Vita eiuſdem S. Eulogii: meminitque de ipſius cadauere in flumen proiecto (cuiuſmodi ſupplicium commune ferme fuit omnibus qui hac perſecutione paſſi ſunt) & columba candidiſſima ſuper ipſum quieſcente, deque ſolemniis in funeribus Chriſtianorum exhiberi ſolitis, diuinitus eidem impertitis. Cuius corpus, necnon prædictæ S. Leocritiæ, poſtea ſub Adefonſo Magno Rege Gallæciæ tranſlata fuere Ouetum, & miraculis coruſcauere. Ceterum cum toto ferme Orbe terrarum dominarentur impii Mahometani, nullo alio loco (quod ſciatur) niſi Cordubæ ita enituit frequens in perferendo martyrio Chriſtiana conſtantia, reliquis alibi non audentibus aduerſus Saracenorum obloqui impietatem, ſatis habentibus ſi ab illis permitterentur Chriſtiani viuere.

II. *Legatio episcop. Gal. ad Ludov. regem pro pace inter fratres.*

Quod ad res Francorum ſpectat, hoc eodem anno Ludouicus Rex Germaniæ perterritus literis Epiſcoporum regni Caroli Calui, quibus eum acriter redarguerant de ipſius in Gallias graſſatione, expetiit ab illis vt Legatos mitterent, cum quibus quæ pacis eſſent in commune tractare poſſet, & abſolutionem eorum quæ peccaſſet percipere. Quamobrem iidem Epiſcopi, vna cum illis qui ſub Lothario Imperatoris Lotharii filio erant, in Mediomatricum ciuitatem menſe Maio conuenientes, nobiliſſimam ad eum Wormatiam ornauerunt legationem triũ Archiepiſcoporum, Hincmari Rhemenſis, Gunthari Agrippinenſis, & Wenelonis Rothomagenſis, aliorumque ſex Epiſcoporum, quib. Commonitorium [a] dederunt (ita vocabant, quæ Legatis dabantur ſcripta præcepta) quo modo Ludouicum pœnitentem ac promittentem cum

a Rec. Bar. Ann. To. X. ſiue an.

fratre & nepote pacem ſeruare, factioſoſque homines à ſe expellere atq; vnitatem Eccleſię procurare, abſoluere deberent. Id autem ex parte factum eſſe, docet eorumdem Legatorum relatio Sed & annuiſſe apparet in eo Ludouicum Epiſcopis, vt ad mutuum colloquium conueniret cum Carolo & Lothario. Siquidem vetus Pithœi Chronicon teſtatur, eoſdem præſenti anno in inſula quadam Rheni cum æquo numero Principum ſuorum, ex aduerſa parte nominatim expreſſorum, nauigio vectos conueniſſe, reliquo ſingulorum comitatu ſuper litus ex vtraque parte fluminis conſiſtente: ibique poſt multam vtrimque diſputationem, indicto conuentu in commune habendo ſingulos ad ſua remeaſſe.

REGES CONVENIVNT IN INSVLA.

III. TVLLENSE GENER. CONCIL. IN CAVSA VVENILONIS PRODITORIS, ETC.

Fuit autem interea curę iiſdem Carolo & Lothario Regibus, vt ex duodecim ſibi ſubiectis prouinciis Galliarum, hoc eodem anno menſe Iunio apud Tullum in villa Saponarias dicta celebraretur CONCILIVM, quod ab ipſis vocatum eſt Generale. Cuius cogendi cum multæ cauſę præceſſiſſent, potiſſima fuit proditio Wenilonis Archiepiſcopi Senonenſis, qui deficiens à Carolo ad Ludouicum, hunc aduerſus illum acrius impulerat. Actum tamen antea eſt ex more de fide Catholica, & rurſum condemnati errores Gotheſcalci Prædeſtinatiani, qui in duobus iam antea Conciliis, Moguntino, & Valẽtino, damnatus fuerat. Ait enim Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus in epiſtola nuncupatoria ad commentarium ab ipſo editum contra eumdem hæreticum, in hac Tullenſi Synodo oblata fuiſſe à Remigio Lugdunenſi Archiepiſcopo capita quædam de erroribus Gotheſcalci. Carolo Regi, ipſum vero dediſſe illa Hincmaro, vt reſponderet: quod egregie ipſe præſtitit tribus libris eo argumento conſcriptis. Habenturque præterea apud Frodoardum[b] duæ eiuſdem epiſtolæ valde prolixæ, ad eumdem Regem ſcriptæ de iiſdem erroribus Sed & tractatum eſſe in hac Synodo de reſtauratione pacis inter Ludouicum & Carolum Reges, necnon de vnione ac reformatione Eccleſiarum, conſtat ex ipſius Actis[c], quæ extant.

b Frod. hiſt. Rhem. lib. 3. ca. 11. & 16.

c Rer. Ecc. To. X. hoc an.

IV. ALIA GESTA IN SYNODO.

Quod vero ad VVenilonem ſpectat, aduerſus eũ Carolus ipſe Rex libellum Synodo propria manu obtulit: electique ſunt Iudices in ea cauſa quatuor Archiepiſcopi, Lugdunenſis, Rothomagenſis, Turonenſis, & Bituricenſis, qui ad VVenilonem literas ex Synodo dantes, diem ei dixerunt. Scripſitq; præterea Synodus epiſtolam ad Britanniæ Epiſcopos, qui ſchiſmate ſe diuiſerant à ſuo Metropolitano Turonenſi: itemq; aliam ad ſeditioſos, factioſorumque principes, quorum effreni licentia omnes prouinciæ turbarentur: nihil prætermittentes Patres, quo omnes ad debitam obedientiam & pœnitentiam reducerent. Ac deniq; ſtatuti ſunt canones ſexdecim, ex quibus ſeptem priores mutuati noſcuntur ex Concilio Valentino, reliqui ſuperadditi; inter quos ſaluberrime inſtitutos, ille laude digniſſimus, q̃ de ſcholis ſanctarum Scripturarum, & humanæ litteraturæ inſtituendis eſt conditus, cum necdum impletum eſſet, quod haud pridem in prædicto Concilio[d] Valentino de eadem re fuerat inſtitutũ: ſed cum prædeceſſorum commendetur eo canone hac in re ſtudium Imperatorũ, Lotharium Auguſtum poſt Carolum Magnum & Ludouicum Pium, bene meritum fuiſſe de viris doctis, teſtatur Angelomus in præfatione in commentarium tunc à ſe editum in Cantica Cãticorum.

DE SCHOLIS INSTITVENDIS.

d Concil. Valent. c. 18.

V. GANELONIS NOMEN INFAME REDDITVM.

Porro tanta prædictus VVenilo, ob inſignem aduerſus Carolum Regem proditionem (à quo & Epiſcopatum, & alia omnia quæ haberet acceperat) infamia aſperſus eſt, cũ præcipue ipſe ſolus ex omnibus Regni Caroli Epiſcopis (quod & ſuo libello teſtatus eſt Carolus) ad Ludouicum transfugiſſet, vt cum idem publice vbiq; locorum proditor acclamaretur, exinde nomine *VVenilonis* proditores inſignes nominari conſueuerint. In quo illud aduertendum, quod quem in his Actis Conciliorum VVenilonem appellatum legimus, apud Lupum Ferrarienſem (cuius multæ extant ad eum epiſtolæ) Guenilo ſemper ſcriptus reperitur, vulgo Ganelo, quod nomen vſurpatum inuenitur in Turbini fabulis. Vnde ſcias auctorem illum poſt iſta tempora vixiſſe, vbi iam *Ganelonis* nomen ex auctore Guenilone mutatum, inſignibus proditoribus commune redditum erat.

VI. DE CONTENTIONE INTER ANTISTITES TVRON. ET DOLEN. PRO PRIMATV MINORIS BRITAN.

Quod item pertinet ad res Britannicas in eadem Synodo tractatas, illæ haud modici fuere momenti, vt pote ventilatæ iudicio etiam Apoſtolicæ Sedis per plura annorum centenaria. De quibus hæc breuiter habeto: Doli ciuitatis in Britannia Minori primum Epiſcopum ſediſſe B. Samſonem, omnes conſentiunt: quem narrant Britonicarum rerum ſcriptores, cum ex Anglia profugus in eam oram veniſſet, munuſq; Pontificium in Dolenſi Eccleſia exercere cœpiſſet, pallium ac reliqua Archiepiſcoporum inſignia quæ Eboraci habuerat (vbi Archiepiſcopum antea fuiſſe volunt) retinuiſſe. Inde porro factum, vt eius quoque ſucceſſores pro Archiepiſcopis ſe gerentes, iiſdẽ vſi ſint, quorum etiam ex numero Beſtoualdum à Seuerino, Innemenum ab Hadriano Primo Romanis Pontificibus, pallium obtinuiſſe contendunt: ſed hoc vt ſuſpectæ fidei refellitur in epiſtola Innocentii Tertii, de qua mox dicendum. Quare veriſimilius alii, Archiepiſcopi nomen à Dolenſibus Antiſtitibus vſurpatum negant ante Nomenoium Principem Britonum. Hunc enim ſub annum Chriſti octingenteſimum quinquageſimum, cum proprium ſibi, excuſſo Francorum iugo, Regnum conſtituiſſet, Epiſcopis ſuæ ditionis Dolenſem Metropolitani iure prępoſuiſſe, cum ante id tempus omnes Britanniæ Epiſcopi Archiepiſcopo Turonenſi, tamquam Lugdunenſis Tertiæ Metropolitano paruiſſent. Vt vt ſit, conſtat certę poſt hæc primum tempora natam, agitatamq; de pallio & Archiepiſcopatus iure controuerſiam inter Turonenſem & Dolenſem Antiſtites. Quæ cum poſt plurimas multorum Pontificum ac Conciliorum deciſiones, in fauorem Turonenſis Archiepiſcopi pronuntiatas, adhuc tamen eſſet ſub iudice temporibus Innocentii Tertii, ipſe tandem omnibus quæ ab vtraque parte à prima origine producta fuerant examinatis, anno Chriſti milleſimo centeſimo nonageſimo nono auctoritate Apoſtolica ſanxit, vt Dolenſis Eccleſia cum reliquiis Britanniæ, Turonenſi perpetuo ſuffragarentur. Qua de re extat ipſius epiſtola[e] valde prolixa, quæ ſuperiore ferme omnia Pontificum ac Conciliorum reſcripta atque decreta, aliaque multa ad hanc quæſtionem ſpectantia commemorat, omnem in poſterum de ea re diſceptationem interdicens: adeoque hic finis videtur fuiſſe ancipitis, diuturnæque inter illos Epiſcopos controuerſiæ.

e Innoc. III Regiſt. lib. 2. ep. 79. Adde ep. 168. lib. 2.

VII. SCHOLÆ IN ORIENTE RESTITVTÆ PER BARDAM CÆS.

Deniq; quod ſpectat ad Scholas, de quib. erigendis actũ eſt in Synodo Tullenſi, eodem ferme tempore contigit, bonarũ litterarum ſcholas aperiri Conſtantinopoli opera Bardæ tunc Cæſaris Imperium ex libito moderantis, ac vehementi niſu affectantis, cum interea Michael Auguſtus theatra tantummodo & certamina equorum curaret, ipſeque etiam publice aurigaret. Hæc Curopalates: qui ait ex eo tempore ſcientias in Oriente reflorescere cœpiſſe, quæ iampridem Imperatorum incuria vbique prorſus aruiſſent. Additque de Leone magni tunc nominis philoſopho Conſtantinopoli docente, quem teſtatur diſcipulum fuiſſe in Inſula Andro Michaelis Pſelli viri doctiſſimi. Ex quibus habes, quo tempore vixerit *Pſellus*: ex eoque pariter addiſces, quo ſæculo ſcripſerit *Metaphraſtes*, in cuius laudem Pſellus ipſe orationem habuit, qua aſſerit de eius obitu audiſſe eos qui viderant felicem ipſius ad Deum tranſitum. Quare quod inter Vitas Sanctorum poſitas in tomis ab eodem Metaphraſte collectis, reperiantur aliqui Sancti qui poſt illa vixerunt tempora, id factum aliena dicendum eſt opera, qui ſuis diebus & menſibus allegerunt Sanctos ſingulos qui poſtea vixerunt, ne viderentur extra claſſem vagari. Sicut & quando in iiſdem Sanctorum Vitis, earum ſcriptores iiſdem ipſis vixiſſe temporibus declarantur, omnino neceſſe eſt errore labi, ſiquis eiuſmodi ſcriptionis auctorem eſſe putauerit Metaphraſtem, & cum illo vixiſſe tempore dixerit: cum ſcire debeat Vitas Sanctorum non fuiſſe vt plurimum à Metaphraſte conſcriptas, ſed collectas dumtaxat. Ex tempore igitur Pſelli, melius intelliges tempora Metaphraſtis. Quod & ſi plures Pſellos fuiſſe dixeris,

DE PSELLO, ET METAPHRASTE.

iſto, nul-

Digitized by Google

iſto nullum celebriorem, nec antiquiorem inuenimus.

VIII. IGNATIVS QVANTA PASSVS A PHOTIO.

Hoc item anno, poſt duos menſes ab intruſione Photii in ſedem Conſtantinopolitanam, quam accidiſſe vidimus ipſo die Natalis Domini anni ſuperioris; dira perſecutio ab eodem excitata eſt aduerſus Epiſcopos omnes, qui perſtantes in Ignatii deiecti communione, chirographum obedientiæ ipſi petenti Photio non obtuliſſent. Cumque idem inſuper apud Imperatorem inſimulaſſet Ignatium, quod exul in Imperium res nouas moliretur, eius rei cauſa miſſi iudices, ſæuiſſimam quæſtionem de Ignatii familiaribus habuerunt: ſed cum nihil reperiſſent, tunc vinctum ipſum ex Terebinthi inſula ad Sacram transferentes, vbi eumdem in caprarum ſtabulo concluſerunt. Inde vero alio atque alio deductus, tandem poſt varios carceres, vincula, cruciatus, atque locorum mutationes, in inſulam Mitylenem deportatus eſt: cuncta hæc paſſus, quod libellum renunciationis ſedis tradere recuſaret. Cuius item amici, affecti pariter verberibus, aliiſque cruciatibus, proſcripti in diuerſa loca exules miſſi ſunt. Hæc omnia Nicetas pluribus in Vita eiuſdem Ignatii: ſed & libellus Epiſcoporum, qui poſtea oblatus eſt Sacroſanctæ Oecumenicæ Octauæ Synodo in Actione ſecunda recitatus, multa alia continet dira ſupplicia, quæ tum ipſe Ignatius paſſus eſt à Photio, tum ei cohærentes Epiſcopi: de quibus etiam dictum eſt ſuperius ex Curopalate.

IX.

Poſt hæc vero idem Photius (vt ſcribit Anaſtaſius Bibliothecarius in præfatione hiſtorica ad Octauam Synodum) videns quamplurimos adhuc ſtare pro Ignatio, perſuaſit Imperatori miniſterio Bardæ, vt congregaret *Concilium* ſibi communicantium Epiſcoporum, quo Ignatium damnaret, vt hac arte Epiſcopos atque populum ab eius affectione diuelleret. Verum cum & hoc peracto, permulti nihilominus adhærerent Ignatio, conſilium (ait Nicetas) iniit legationem mittendi ad Nicolaum Romanum Pontificem, petendique vt ipſe Conſtantinopolim Legatos mitteret ſpecie quidem ad extirpandam hereſim Iconomachorum qui iterum reuiuiſcere videretur, re vera autem vt ab iiſdem Legatis extorqueret confirmationem depoſitionis Ignatii, cum & mendacia ſuis ad Nicolaum literis miſcens, ſcripſit Ignatium ob ſenium & infirmitatem Eccleſiæ ſuæ renuntiaſſe, & in cuiuſdam inſulæ monaſterium ſe recepiſſe, vbi cum omni honore & obſequio viueret. Ceterum cum extent [f] adhuc quædam Photii ad Nicolaum literæ, dolis quidem illæ plenæ, mendaciiſque refertæ, quibus & rectæ fidei profeſſionem inſeruit & communicationem Apoſtolicæ ſedis expetiuit: eæ tamen diuerſæ eſſe noſcuntur ab illis quarum argumentum ex Niceta retulimus, cum nihil de Legatis mittendis, vel de Ignatii monaſterio in ipſis agatur. Porro ipſum quoq; Imperatorem Michaelem, Photii ſuaſione ad eumdem Pontificem legationem miſiſſe, vna cum accuſationibus quibuſdam aduerſus Ignatium, petiiſſeq; Legatos mitti Conſtantinopolim ad ſedandum conflatum ſchiſma, idem ipſe Nicolaus teſtatur in literis Encyclicis ad vniuerſos Fideles & Epiſcopos Orientis poſtea (vt dicetur) ſcriptis. Sed & aliam prætexiſſe Imperatorem legationis mittendæ occaſionem, nempe cauſam ſacrarum Imaginum, vt ſua auctoritate Pontifex pullulantem rurſum errorem euelleret; eumdemque multa pretioſiſſima ſacra munera ad S. Petrũ miſiſſe, ſcribit Anaſtaſius Bibliothecarius, qui cuncta oculis ſpectabat. Porro ex his omnibus Apoſtolicæ ſedis auctoritas maxime elucet, dum ad eam vel inuiti coguntur recurrere ipſi aduerſarii, probe ſcientes nihil eorum quæ ipſi agerent quicquam habere ponderis, niſi à Romano Pontifice confirmatur.

LEGATIO A PHOTIO ET IMP. AD NICOL. PP.

[f] Rec. Bar. Annal. To. X. hoc an.

APOST. SEDIS AVCTORITAS AB ADVERSARIIS AGNITA.

IESV CHRISTI AN. 860.

NICOLAI AN. 3.

LVDOV. II. 5. MICH. III. 9.

I.

ANno Chriſti octingenteſimo ſexageſimo, Indictione octaua, Nicolaus Papa auditis Legatis Michaelis Imperatoris & Photii Patriarchæ intruſi, de quib. ſuperiori anno dictum eſt, reb. cunctis quam diligentiſſime examinatis in Conuentu Patrum ad hoc ex more conuocatorum, de omnium ſententia petita legatio decreta eſt Conſtantinopolim, qua functi ſunt *Rodoaldus* Portuenſis Epiſcopus & *Zacharias* Anagninus: iiſque datum eſt in mandatis, vt quæſtionem quidem de ſacris Imaginibus ſæpius iudicatam iterum definirent, de cauſa vero inter Photium & Ignatium inquirerent tantummodo, eius autem definitionem integram referrent ad ipſum Nocolaũ Pontificem: quibus etiam omnino prohibitum eſt ne, vllo pacto cum Photio niſi quaſi cum laico, non autem vt Epiſcopo communicarent, antequam id idem Pontifex decreuiſſet. Hæc quidem teſtatur ipſe Nicolaus in literis [a] Encyclicis ad omnes Chriſti Fideles & Epiſcopos Orientis poſtea ſcriptis. Et in Actione quarta Octauæ Synodi traditur, Nicolaum licet Legatos Photii ad audientiam recepiſſet per ſatisfactionem libelli & iuramenti, haud tamen ad communicationem cum reliquis Epiſcopis admiſiſſe.

LEGATIO MISSA A NICOLAO PAPA IN ORIENTEM.

[a] Nicol. epiſt. 6. & 4. To. 3. Epiſt. Rom. Pont.

II.

Mittens autem Nicolaus Legatos ſuos Conſtantinopolim, dedit eis literas ſeptimo Calendas Octobris, incipiente Indictione nona [b], ad Photium quidem perbreues, prolixiores vero ad Michaelem Imperatorem, quibus plurimum queſtus eſt de Ignatii depoſitione, & Photii laici ſubrogatione, factis contra traditionem Patrum abſque conſenſu Romani Pontificis. Ad quæ omnia inquirenda, ſimulque quæſtionem de Imaginibus definiendam, eoſdem Legatos mittere teſtatur. Addens inſuper querelam de Iuribus Romanæ Eccleſiæ ab Orientalibus occupatis, non ſolum quod prouinciis illis, quas vt peculiares ſuas Romani Pontifices) alioqui totius Orbis Vniuerſales Epiſcopi) per Vicarios regere conſueuiſſent: (puta quas recenſet, vtramque Epirum, veterem ſcilicet & nouã, Illyricum, Macedoniam, Theſſaliam, Achaiam, vtramque Daciam, Ripenſem & Mediterraneam, Myſiam, Dardaniam, & Præualim: quibus, vt ait præfici mos erat Archiepiſcopum Theſſalonicenſem) ſuaſione ſchiſmaticorum Patriarcharum, Imperatores Conſtantinopolitani Romanam Eccleſiam ſpoliaſſent, ſed etiam quod patrimonia quæ in Sicilia & Calabria haberent, ſuſtuliſſent. Peruenientes autem Legati Conſtãtinopolim, cum innotuiſſet Nicolaum Papam haud approbaſſe Ignatii eiectionem & Photii ſubrogationem, minus digne ſuſcepti ſunt, nec per cẽtum dies cum vllis aliis loqui permiſſi, vt eſt de his querela ipſius Nicolai in literis [c] ad Photium poſt ea datis. Sed eiuſmodi inhumanitatem non tam Imperatori adſcribendam eſſe, quam perfido Bardæ Cæſari, & ſchiſmatico Photio: Græci conſentiunt omnes Imperatores enim ludis Circenſibus & ebrietatibus prorſus intenti, duo iſti omnia gerebant, potentiſſimi ex propinquitate quam diximus affinitatis cum Imperatore.

[b] Id. ep. 2. & 3.

DE LITERIS NICOL. AD IMP. ET PHOT.

LEGATI QVOMODO SVSCEPTI CONSTANTINOPOLI.

[c] Id. ep. 6.

III.

Hoc eodem anno Nonis Iunii Francorum Reges Carolus & Ludouicus fratres, nepoſq; ipſorum Lotharius, Confluentiam conuenientes vna cum multis Epiſcopis atque Comitibus, tãdem mutuam inierunt concordiam, capitulaque pacis ediderunt, quæ extant [d] vna cum Actis eiuſdem *Conuentus Confluentiani*: in quo multa ſtatuta ſunt pro optima Regni adminiſtratione, & Eccleſiaſticarum rerum ac perſonarum defenſione. Ceterum Carolum non firmiter ſtetiſſe pactis conuentis, ſed & de inuaſione cogitaſſe alienorum, docent querelæ Ludouici & Lotharii, ad Nicolaum Papam miſſæ per Legatos, literaſque [e] ſumma animi ſubmiſſione, & ingenti erga Sedem Apoſtolicam reuerẽtia ſcriptas, quibus inter alia, eum Dominum ſanctiſſimũ, totiuſq; ſanctæ Dei Eccleſię roſeo Chriſti ſanguine acquiſitæ Pontificem & Vniuerſalem Papam nominantes, Chriſtianiſſimorum Principum more (vt loquuntur) ad ſacra ipſius veſtigia prouoluti, obteſtantur vt nihil ſiniſtri de ipſis credat: eiſdemq; hortantur exemplo prædeceſſorum accedere in Galliam, vt Apoſtolica auctoritate his malis mederetur, & quos nulla pacis fœdera, nulla mouerent fraternæ charitatis viſcera, Apoſtolica inuectio ad cenſuram Eccleſiaſticam venire compelleret.

CONVENT. CONFL. DE CONCORDIA INTER REGES FRANCORVM.

[d] Rec. Baron. Annal. To. X. hoc an.

[e] Rec. Bar. ibid.

VISVM EXEMPLAR SVBIECTIONIS ERGA SED. APOST.

Hoc

IV. Hoc item anno Romæ Tiberim fluuium biſalueum egreſſum (nempe tertio Calendas Nouembris, & ſexto Calendas Ianuarii) maximam partem Vrbis inundaſſe, ingentiaq; intuliſſe damna, Anaſtaſius narrat in Nicolao.

IESV CHRISTI AN. 861.

LVDOV II. 6. MICH. III. 20.

NICOLAI AN. 4.

I. CONCILIABVLVM ADVERSVS IGNATIVM.

ANno Chriſti octingenteſimo ſexageſimo primo, Indictione nona, celebratum eſt Conſtantinopoli in eccleſia SS. Apoſtolorum, à Photio illius ſedis inuaſore *Conciliabulum* numeroſiſſimum Epiſcoporum ei fauentium, cui etiam compulſi ſunt intereſſe iidem qui ſupra Legati Apoſtolicæ ſedis, Rodoaldus, & Zacharias: ad quam vocatus Ignatius legitimus Patriarcha exul (qui poſt varias deportationes, iniurias, damna, & verbera, in inſulam Terebinthum Conſtantinopoli adiacentem reductus fuerat) ibi rurſum falſo accuſatus, quod contra canones fauore Principum eam Eccleſiam obtinuiſſet, rurſum damnatus eſt, ac ſolemni ritu indumentis Pontificis exutus atque exauctoratus: Photiuſque in ſede confirmatus. Quæ quomodo ſe habuerint, pluribus narrat Nicetas in ipſius Ignatii Rebus geſtis. Addit vero Anaſtaſius Bibliothecarius in præfatione hiſtorica ad Octauam Synodum, inſimulatum quoq; fuiſſe Ignatium, quod in S. Methodium prædeceſſorem ſuum contumelioſus extitiſſet: quod etiam quam falſum fuerit, ipſe oſtendit.

II. Ceterum hanc Synodum apud Theodorum Balſamonem, dum illam interpretatur, appellatam inuenies Oecumenicam, tum ob præſentiam Legatorum Romani Pōtificis, tum ob numeroſitatem eius: ſiquidem gloriabātur impleſſe numerum Patrum qui interfuerant Magno Nicæno Concilio, nempe trecentorum decem & octo, vt teſtatur Nicolaus [a] Papa in epiſtola hoc anno reddita ad Michaelem Imperatorem. At vero ipſe Nicolaus in aliis ad eumdem Imperatorem datis poſtea literis [b], *Latrocinalem Synodum* appellauit: idque multiplici nomine. Porro quidem, quod (vt ait) qui ad eam conuenerunt, aut ſuſpecti & inimici Ignatii erant, aut ſubiecti ipſius Photii, quorum nullus perſonam legitimi iudicis habere potuit. Deinde ob illa quæ ab iiſdem ſchiſmaticis ac nefariis iniuſtiſſime geſta ſunt aduerſus Ignatium, alioſque Epiſcopos qui iuſtitiæ ſtudioſi ipſi fauiſſent, quos vna cum ipſo Ignatio crudeliſſime habitos, & abſque interrogatione damnatos eſſe, idem Nicolaus ſuis epiſtolis [c] queritur. Item quod omnia in eodē conuentu facta ſunt ad nutum Imperatoris, qui eidem contra canones tamquam iudex interfuit. Sed & ob ea quæ Legati Apoſtolicæ Sedis perpeſſi ſunt: qui poſtquam centum dies cuſtoditi fuiſſent, ne quis ad eos accederet, neque ipſi ad alios, horrendis inſuper terroribus impulſi ſunt Photio conſentire, cum inter alia minarentur aduerſarii fore vt ipſi in exilium longe longius ablegarentur, vbi famæ preſſi ſuos cogerentur manducare pediculos. Hoc enim teſtatur idem Nicolaus [d] in aliis ad Imperatorem, Photiumque ſcriptis literis. Deniq; quod prolatæ ab iiſdem Legatis literę Romani Pontificis, in multis falſatæ fuerint, Photii ſuorumq; additionibus, ſubtractionibus mutationibus, quas omnes eadem [e] epiſtola cum multis aliis querelis recenſet Nicolaus.

a Nicol. ep. 5. — b Id. ep. 8. — LATROCINALIS IVRE DICTA SYNODVS. — c Id. ep. 7. & 8. — QVÆ LEGATI APOST. SED. PASSI SINT. — d ep. 9. & 6. — e ep. 9.

III. Quæ vero in hac Latrocinali Synodo modo ſtatuta ſunt, poſtea (vt ſuo loco apparebit) repetita fuerunt in alio Photii Conciliabulo, quod Octauum Concilium Oecumenicum appellauit. Huius autem cum duæ fuerint Actiones, quarum prior habita eſt in cauſa Ignatii, altera pro cultu ſacrarum Imaginum: eadem Synodus duplex, hoc eſt Prima & Secunda, noue dicta reperitur apud Theodorum Balſamonem, cum tamen eodem loco, eodem tempore ab iiſdē perſonis celebratæ fuerint. Meditatus quoq; Photius opus, quod *Nomocanon* appellari voluit, continens collectionem ſacrorum Canonum, & Sanctorum Patrum Reſponſiones, poſt Septimæ Synodi canones, attexuit ex illa pſeudoſynodo alios numero ſeptemdecim diuerſorum argumentorum, quibus ſuum labantem & corruentem firmaret Epiſcopatum.

IV. QVÆ POST CONCILIAB. PASSVS IGNATIVS.

Sed non contentus Photius Ignatii exauctoratione, diriſſimis adhuc eum per impiiſſimos homines ſuppliciis vexari curauit, quo propria ſubſcriptione cogeret ſuam ipſius depoſitionem confirmare. Itaque poſt carcerem, famem, vincula, tormenta, ac verbera, eumdem ſuper marmora ad modum Crucis extenſum in faciem per totam noctem ligatum detinentes, ac poſtea lancearum punctionibus conterentes, demum poſt multum effuſum ſanguinem vix ſpirantis tenta vi manu ſignum Crucis in charta ſubſcriptionis vice ſignarunt. Qua ad Photium delata, ſcripſit hæc ipſe in ea, *Ignatius indignus Conſtantinopolitanus conſiteor me ingreſſum eſſe ſine calculis, non canonice videlicet electum, & his annis non ſancte me geſſiſſe, ſed tyrannice.* Poſt quæ domum redire ab Imperatore permiſſum, cum rurſum Photius cogere vellet vt id ipſum voce in eccleſia publice in feſto Pentecoſtes profiteretur, ſed & eidem oculos eruere, & manum abſcindere cogitaret, iamque ad ipſum vi trahendum milites in domum vbi detinebatur irrumperent: tunc idem Ignatius ſumpto ſerui habitu duas ſportas ex vno pendentes ligno humeris ſuſtollens, clā cuſtodibus aufugit, variaſq; circuiuit inſulas ac ſolitudines victum mendicando. Cum interim vniuerſa vrbe Conſtātinopolitana grauiſſimo terræmotu quaſſa, eiuſque cladis cauſa vno omnium ore in iniuſtam Ignatii perſecutionem reiecta, qui poſt initam fugam ad necem vbique curioſiſſime quæritabatur, Michaelis Imperatoris & Bardæ Cæſaris iureiurando ſecurus redditus, ad ſuum rediit monaſterium, & ita terræmotus quieuit. Habet hæc omnia pluribus Nicetas in Rebus ab eodem Ignatio præclare geſtis.

IGNATIVS REDIT AD SVVM MONAST.

V. f Rer. Bar. To. IX. hoc an. LIBELLVS APPELLATIONIS AD SED. APOSTOL.

Extat [f] quoque libellus, Ignatii, & aliorum Epiſcoporum, & Archimandritarum ei adhærentium nomine, ante fug… eius ſcriptus à Theognoſto olim Exarcho, poſtea m… …, tuncq; ob fidem extorre, delatuſq; ab eodem R… & oblatus Nicolao Papæ, quo iidem deplorantes mala quæ paſſi eſſent à Photio, appellarent eiuſdem Romani Pontificis iudicium, tamquam Præſidis (vt vocant) & Patriarchę omnium ſedium, ac Principis Apoſtolorum ſucceſſoris, & Vniuerſalis Papæ. Sed quod Theognoſtus ſerius Romam venerit, quam Legati Nicolai redeuntes in Vrbem, non potuit Nicola' niſi ſero de veritate rerum geſtarum certior reddi, quod Legati cuncta mēdaciis obuoluerent. Miſſum vero etiam eſſe Legatum ab Imperatore Leonem à ſecretis, vna cum literis quibus ab eodem Pontifice peteretur confirmatio depoſitionis Ignatii & promotionis Photii: teſtatur ipſe Nicolaus in epiſtola [g] ad Orientales Epiſcopos poſtea ſcripta. Extantq; [h] inſuper aliæ ſatis prolixæ literæ, quas per eiuſdem Nicolai Legatos Romam redeuntes Photius ſcripſit, & quidē eiuſmodi, vt miretur qui eas legerit, præter dicendi facundiam, ſeruatoſque omnes oratoris numeros, ingentem hominis vafriciem, quod perſecutor Catholicorum, inuaſor alienæ ſedis, ſpirans vndiq; furorem, tam copioſe atque ornate loquatur de mutua charitate, excuſetq; ſuam ex laico promotionem. Quid vero his reſponderit Nicolaus, dicetur anno ſequenti.

DE LITERIS IMP. ET PHOTII AD NICOL. PAP. — g Nicol. ep. 10. — h Rer. Bar. vbi ſup.

VI. i … CONCIL. LATERAN. IN CAVSA IO. EPISC. RAVEN.

Interea hoc eodem [i] anno Romæ celebrata habetur SYNODVS LATERANENSIS in cauſa Ioannis Epiſcopi Rauennatis, omnium hominum arrogantiſſimi, cuius extant apud Burchardum in libris Decretorum tribus Actionibus Acta diſtincta: meminitq; eiuſdem Petrus diaconus Caſſinenſis huius temporis ſcriptor in Rebus geſtis S. Athanaſii Neapolitani Epiſcopi, qui eidem interfuit, parſq; magna fuit. Totius vero rei geſtæ narrationem Anaſtaſius in Nicolao Papa altius repetens, ait eumdem Ioannem, quod plurima intuliſſet Rauennatibus & vniuerſis Æmilienſibus damna, quoſdamque eorum temere excommunicaſſet, ſed & multa aduerſus Apoſtolicæ Sedis auctoritatem nefanda perpetraſſet, ac denique Romam frequentius à Summo Pontifice vocatus, venire detrectaſſet, ab eodem in Synodo communione priuatum eſſe: Cum

vero

vero obtentis iterum à Ludouico Imperatore Papię commorante Legatis, vna cum ipſis arroganti ſpiritu Romam proceſſiſſet, nec tamen cauſam ſuam peragere valuiſſet, tandem quod excommunicatus eſſet, ab omnibus derelictum, coactum eſſe Romano ſe Pontifici ſubmittere, à quo in prædicta Synodo hoc anno habita veniam reſtitutionemque, certis conditionibus obtinuerit. Hæc pluribus Anaſtaſius.

VII. ALFONSVS MAG. REGNAT IN HISP. h Roder. Tolet li. 4 c. 16.

Hoc item anno (vt ex veteribus monumentis conſtat) vita functo Ordonio Gallæciæ in Hiſpania Rege, ſucceſſit in regnum filius eius Alfonſus, ſiue Adefonſus, cognomento Magnus: qui ſui exordio inter cetera pietatis opera, theſauros [h] à patre ſibi relictos pauperibus & Eccleſiis erogauit, eccleſiamq; S. Iacobi quæ terrea erat, quadratis lapidibus conſtruxit, atque alias erexit: idemque multis poſtea aduerſus Arabes victoriis eſt illuſtratus, quas qui res Hiſpanas ſunt proſecuti deſcribunt. Sed de eo rurſum inferius.

IESV CHRISTI AN. 862.

LVDOV. II. 7. MICH. III. 21.

NICOLAI AN. 5.

I. INCENDIVM TEMPLI S. SOPHIÆ, ET TERRÆMOTVS.

ANno Domini octingenteſimo ſexageſimo ſecundo, Indictione decima, incendio conflagrauit Conſtantinopoli baſilica S. Sophiæ, maximoque omnium terræmotu ipſa ciuitas eſt concuſſa, & vox atque ſonus inarticulatus è terra ac mari emiſſus, ingentem cordibus hominum metum horroremque iniecit: hæc omnia in vltionem ſcelerum in eadem vrbe ad ſummum culmen excreſcentium, cum inter alia cœptus olim à Michaele Imperatore iuuenili impietate adhuc vigeret deriſus ſacrorum, quo mimos & ſcurras in ſacerdotes & Pontifices transformans, inhibebat res diuinas imitari: eorumque Patriarcham conſtituens Theophilum quemdam Protoſpatharium, hominem ridiculum & hiſtrionem, atque omnium impuriſſimum, non puduit publice dicere Theophilum ſibi eſſe Patriarcham, Photium Bardæ, Ignatium Chriſtianis. Quas impietates cum auſus eſſet Baſilius Theſſalonicenſis Epiſcopus ſumma charitate apud Imperatorem arguere, eius admonitionibus grauiter offenſus Imperator, optimum ſenem pugnis contundens, dentes excuſſit, adeoque flagris lacerauit vt fere animam exhalauerit. Cum interim Photius non ſolum ad eiuſmodi mimicas impietates obmuteſceret, ſed etiam eas per ſummam adulationem comprobaret, totus intentus in confingendis aduerſus Ignatium criminibus, vt eo vita priuato ſedem ſibi firmius ſtabiliret. Narrat iſta omnia pluribus Nicetas in Vita Ignatii: & quod ſpectat ad rem mimicam, in Actis etiam Octauæ Oecumenicæ Synodi, Photius ſæpe clamatur mimorum res ſacras eludentium Patriarcha.

SACRORVM DERISVS PER MIMICA LVDICRA.

II. NICOLAI PP. LITERÆ ADVERSVS PHOTIVM. a Nicol. ep. 5. & 6. b Id. ep. 4.

Hoc eodem anno Nicolaus Papa dimittens Leonem Michaelis Imperatoris Legatum, de quo ſuperiori anno dictum eſt, dedit ei literas [a] ad ipſum Imperatorem, necnon ad Photium, die decima octaua menſis Martii huius Indictionis decimæ ſcriptas, quibus aperte improbaret Ignatii eiectionem, eiuſdemque Photii promotionem, quem & ideo in inſcriptione epiſtolæ non Epiſcopum, ſed tantum prudentem virum appellauit, vtpote hominem laicum, nulloque ſacro initiatum legitime ordine. Extantque & aliæ eiuſdem Pontificis literæ [b] die decimanona eiuſdem menſis datæ ad vniuerſos Chriſti fideles, quibus præcipue Patriarchas, omneſque alios Orientis Antiſtites admonet, vt abſtinentes à Photii communione adhæreant Ignatio.

III. CONC. R. CONTRA THEOPASCHITAS. c ep. 7. d ep. 10 ad Mich. & Ign. Imp.

Hoc item anno ab eodem Nicolao Papa SYNODVS Romæ eſt habita: in qua, occaſione quorumdam Orientalium, damnata eſt Theopaſchitarum hæreſis iterum pullulans, aduerſus quam duo capitula ſeu canones ſtatuti ſunt, quos ipſe Nicolaus [c] in epiſtola ad Orientales recitat: meminitque alio loco [d] de duobus *Conciliis*, collectis paulo poſt acceptas literas Orientalium per Leonem.

IV.

Sed & eodem anno nouæ tragœdiæ paratum eſt argumentum à Lothario Francorum Rege, dum iuuenili ardore concupiſcentiæ, frena laxauit in amorem Waldratæ, quam ab ipſa infantia conſuetudine puerili amans, vxorem accipere decreuit. Quod vero iam legitimo Theutpergæ Reginæ matrimonio iunctus eſſet, egit cum Epiſcopis Regni ſui, vt conuocata Aquiſgrani SYNODO [e], octo ex ipſis hac eadem Indictione decima, tertio Calendas Maii, Theutpergæ cauſa cognita (quæ falſo accuſata inceſtus cum proprio fratre, referebatur etiam id ſcelus publice confeſſa) matrimonium illud diſſoluerint, ipſiq; Lothario ſe incontinentem profitenti permiſerint aliam vxorē ducere. Sed & ad corroborandam eiuſdem Regis cauſam, nouum excogitatum commentum ab Aduentio Metenſium ſeu Mediomatricum Epiſcopo, quo probare conatus eſt VValdratam iam à tenera ætate Lothario coniunctam fuiſſe matrimonio ab eiuſdem Regis patre Lothario Imperatore, ſed poſt mortem Imperatoris Theutpergam ipſi inuito Regi adhuc adoleſcentulo coniunctam fuiſſe à Theutpergæ fratre Huberto magnæ auctoritatis viro, ac proinde non ipſam ſed VValdradam legitimam eſſe dicendam eiuſdem Regis coniugem.

LOTHAR. REX DIMISSA LEGITIMA CONIVGE, PELLICEM SVBINTRODVCIT. e Conc. in Aquis. Annal. To. 3. hoc an.

V. LOTHAR. FOVET SCELERATOS.

Præter hæc vero cum idem Lotharius Rex, nulla habita ratione diuini vel humani iuris, contemptis etiam ſancitis nuper inter ipſos Francorum Reges de ſeruanda cōcordia legibus, in ſuo Regno nefarios homines multorum criminum reos reciperet, foueretque atque inter alios, Engeltrudem nobiliſſimam natalibus feminam, Matfridi Comitis inter Francos primarii filiam, ſed moribus ignominioſiſſimam, quæ furore agitata libidinis, relicto Boſone marito huc illuc per Gallias diuagans, iam per ſeptem annos alienis viris inhæſerat, & ad proprium maritum redire recuſans à Nicolao Papa excommunicata fuerat: necnon Balduinum quemdam nobilem virum, inde ab Epiſcopis Gallis excommunicatum, quod Caroli Calui cuius vaſſallus erat filiam Iudith nomine, viduam Regis Anglorum rapuiſſet vt vxorem haberet: cumque de his omnibus perlatæ eſſent ad Nicolaum Papam querelæ, idē Pontifex ad eumdem Carolum Lotharii patruum literas dedit commonitorias, vt nepotem ad ſaniorem mentem reduceret. Quapropter Carolus paratus in eum vlciſci, retentus eſt tamen à Rege Ludouico fratre, cuius & ſuaſu magnus habitus eſt *Conuentus* Antiſtitum ac Comitum in villa Sablonarias dicta, tertio Nonas Nouembris huius anni: ad quem conuenientibus iiſdem tribus Regibus, promittenteque Lothario ſe iuxta diuinas leges ex Caroli ſententia cuncta eſſe impleturum, pax eſt feliciter conſecuta.

CONCIL. AD SABLONAR.

VI. LOTHAR. APPELLAT R. PONT.

Sed mox Lotharius vt eluderet Carolum, Romanum Pontificem appellans, rogauit vt Synodum Metis celebrandam indiceret, ad quam Legatos mitteret, qui vna cum Epiſcopis cauſam matrimonii ſui, aliaque cognoſcerent ac iudicarent: nempe fiduciam ipſe habens in Treuerenſi & Colonienſi Archiepiſcopis, quos iam in ſuas partes pertraxiſſet. Annuit Nicolaus, & Legatos ad prædictas res omnes tractandas in Gallias miſit, Rodoaldum Epiſcopum Portuenſem, & Ioannem Ficodenſem, cum plurimis literis ad Reges & Epiſcopos, ac libellis commonitoriis de iis quæ ipſi agere Legati deberent. Quænam autem geſta per illos fuerint, dicetur anno ſequenti. Ita vero hactenus ſummatim relata, fuſius pertractata habentur in Actis & literis ea de re ſcriptis, quæ extant [f], meminerintque Anaſtaſius [g], Regino, & alii.

f Bar. Baron. Annal. To. 3. in ... Synod. ep. 1 ... g Anast. in Nicol.

IESV CHRISTI AN. 863.

LVDOV. II. 8. MICH. III. 22.

NICOLAI AN. 6.

I. CONCIL. ROM. IN CAVSA LEGATOR.

ANno Chriſti octingenteſimo ſexageſimo tertio, Indictione vndecima, cum tandem certis nuntiis Romam perlatis, & ipſius Ignatii ſcriptis per Theognoſtum Nicolao Papæ directis, explorata in omnibus haberetur præuaricatio Legatorum Apoſtolicæ ſedis Rodoaldi atq. Zachariæ Conſtantinopolim miſſorum, idem Ni-

CONCIL. TVRON. ADVERSVS NOMINOIVM DVC. BRITON.

b ep. Lup. Ferrar. ep. 84.

DE OBEDIENTIA DEBITA SEDI APOST.

dignitatis vindices exurgentes Francorum Epiſcopi, frequenti SYNODO Turonis habita ad eumdem tyrannum alias ſcripſerunt excommunicationis comminatorias, quę extant apud Lupum [b] Ferrarienſem Abbaté, in quib. præcipue inculcarunt, quam graue ſcelus fuerit, Deoque & Sanctis inuiſum, literas Romani Pontificis contempſiſſe: addideruntque, nec fidem, aut quamcumque pietatem vel bona opera prodeſſe, ſine obedientia Sedis Apoſtolicæ, atque Synodi. Ceterum cauſam citius dirimente Deo, idem Nomenoius anno ſequenti iubente Domino ab Angelo percuſſus interiit: vt totidem verbis traditur breuiter in Chronico Engoliſmenſi.

IV. S. VVLSTRANI OBITVS.

Hoc item anno in Anglia occiſus aſſeritur S. *Wlſtranus*, nepos duorum Regum Merciorum: & de loco vbi innocenter occiſus eſt, calumnia lucis vſque ad cœlum porrecta omnibus incolis per dies triginta in ſignum ipſius ſanctitatis ſtetit conſpicua. Hæc Matthæus VVeſtmonaſterienſis.

LOTHAR. 10. MICH. III. 9.

IESV CHRISTI AN. 850.

LEONIS IV. AN. 4.

I. CORDVB. ECCLESIA NOBILITATA MARTYRIBVS.

a Eulog. l. 2. c. 1.

ANno Domini octingenteſimo quinquageſimo, Indictione decimatertia, Era octingenteſima octogeſima octaua, cœpta eſt ſæuiſſima illa Perſecutio, quam Habdarrahgmian Saracenorum in Hiſpania Princeps, regni ſui anno vigeſimo nono, mouit aduerſus Eccleſiam Cordubenſem: quamque abunde deſcripſit qui affuit, & pars magna fuit, S. Eulogius eiuſdem Eccleſiæ presbyter & martyr in ſuo Sanctorum memoriali. Qui autem ceteris viam ad martyrium aperuit, fuit [a] *Perfectus* presbyter ac monachus: qui poſt egregiam publicam confeſſionem, diuturnumque carcerem, obtruncatione capitis nobile certamen expleuit decimoquarto Calendas Maii: cuius perſecutor paulo poſt ignita febre intrinſecus aduſtus, effuſis in ſeceſſu viſceribus turpiter expirauit. Perfectum autem ſecutus eſt ad certamen *Ioannes* laicus, venalia expoſita habens: qui publice verberibus per ciuitatem flagellatus, in arctum detruſus eſt carcerem. de reliquis dicetur inferius ſuis locis.

II. RANIMIRI REG. OBITVS.

b Ambr. Moral. in Schol. ad Eulog. in fi. & 13. hiſt. 52.

Hoc item ipſo anno, Era nimirum octingenteſima octogeſima octaua, Calendis Februarii, Ranimirus Rex Gallæciæ maxime pius ex hac vita deceſſit: vt apertiſſime conſtat ex epitaphio inſcripto eius ſepulchro, quod refert Ambroſius [b] Morales: ex quo erroris arguuntur reliqui omnes rerum Hiſpanicarum tractatores, qui eiuſdem Regis ingreſſum ponunt anno Domini octingenteſimo vigeſimo tertio, & annos ſex & menſes nouem regnaſſe tradunt, Porro Ranimiro ſucceſſit eodem die Ordonius filius, regnauitque annis duodecim.

III. NORTHMANNI RECEPTI A CAROLO IN PARTEM REGNI.

Hoc pariter anno (vt tradunt veteres Annales Pithœi) luctus & clamor ingens repetitus eſt in Gallis ex Northmannorum noua incurſione: qui duce Godefrido per Sequanam aſcendentes, Regnum Caroli Calui deprædati ſunt. Ad quorum expulſionem Lotharius in auxilium vocatus cum ſibi cum hoſte pugnandum eſſe putaret, Carolus clam mutato conſilio Godefridum in ſocietatem regni ſuſcepit, & terram eis ad habitandum delegauit, quæ ab eorum nomine dicitur *Normandia*. Hæc Annales: quæ quidem pati meruit Carolus, quod à maiorum pietate, per quam ipſi facti ſunt aduerſus barbaros omnes inuicti, ipſe degener inuentus eſt. Iuſtoque Dei iudicio accidit, vt qui Eccleſiarum bona laicis traderet, coactus ſit ſua largiri Northmannis piratis. Ad quem, præter querelas Patrum Synodorum Meldenſis & Pariſienſis, de quibus ſupra, extant Lupi [c] Ferrarienſis Abbatis plurimę epiſtolæ, quibus eum ad meliorem frugem perducere conatus eſt: qui & alibi [d] docet, ex quo tempore auferri Eccleſiis bona cœperunt & laicis tradi omnia peſſumdata eſſe in Francia hoſtibus præualentibus. Sicut econtra vidimus Ranimirum in Hiſpania Regem, de quo nuper actum eſt, cum Regnum ſuum vectigale fecit Eccleſiæ S.

c Lup. ep. 64. 81. 96. d Id. ep. 42. & 43.

VNDE RVINÆ ET AVGMENTA REGNOR.

Iacobi, eoſdem Northmannos, inuictum hactenus genus hominum, ad litus Legionis ciuitatis aduenientes ingenti prælio nauali ſuperaſſe, combuſta ſeptuaginta eorumdem nauibus, & multis acquiſitis diutius: vt tradunt Tudenſis, Rodericus & alii rerum Hiſpanicarum Scriptores. Sic enim certis experimētis comprobatum eſt ſæpiſſime, populorum tunc enituiſſe fortitudinem, cum in Regibus cultus pietatis excelleret: elanguiſſe vero, cum defecit, & Eccleſiæ proſtitutæ ſunt: quarum reditibus non ſunt illi roborati vel erecti, ſed eneruati penituſque depreſſi.

IV. BOEMI IN FRANCOS OPERA DIABOLI PRÆVALENT.

Qua pariter ratione & in Germania Rex Ludouicus, hoc ipſo anno à Boemis magna clade affectus eſt: cui prælio (vt ait Sigebertus) ſe præfuiſſe ſpiritus malignus per os arreptitii publice profeſſus eſt, egiſſeque vt Franci terga verterent. Quo etiam anno grauiſſimam famem Germaniæ populos oppreſſiſſe, & Rabani Archiepiſcopi Moguntini in ſubleuandis pauperibus munificentiam enituiſſe: tradunt iidem ſuperius citati Francorum Annales, & Sigebertus.

V. CONCIL. TICIN.

c ap. Conſ. Antiq. Leg. To. 1.

Denique hoc eodem Redemptoris anno, in antiquo codice notatur, celebratum eſſe SYNODVM in Regis ciuitate Ticinenſis ſub Angilberto Mediolanenſi Archiepiſcopo: ſed titulus tam in Indictione quam in annis Imperatoris deprauatus eſt. Extant [c] vero eiuſdem canones viginti quinque, & Lotharii atque Ludouici Aug. capita quinque, pro reſtituenda collapſa Eccleſiaſtica diſciplina; quæ pro arbitrio conſulere poteris.

LOTHAR. 11. MICH. III. 10.

IESV CHRISTI AN. 851.

LEON. IV. AN. 5.

I.

a Leo Oſt. l. 1. c. 31.

ANno Chriſti octingenteſimo quinquageſimo primo, Indictione decimaquarta, Ludouicus Imperator Lotharii Imperatoris filius, rogatus Beneuentum venire, prouinciam illam à iugo Saracenorum liberauit, eos omnes internecioni ſubdens. Hæc Ado Vienneniſis, ac Leo [a] Oſtienſis in ſuis Chronicis.

II. DE PERSECVT. IN ECCL. CORDVB.

b Eulog. Mem. Sanct. l. 2.

Quo eodem tempore, perſecutione à Saracenis in Hiſpania degentibus aduerſus Eccleſiam Cordubenſem excitata, magis recrudeſcēte; & quod grauius eſt, Reccafredo quodam Epiſcopo aduerſus Fideles pro iiſdem Saracenis inſurgente; multi omnis ſexus & conditionis homines, generoſa fortitudine ſeipſos prodentes, vel alias proditi, martyrium conſecuti ſunt: plurimis aliis in carceres retruſis. Inter quos fuit *Eulogius* ipſe, qui aliorum paſſiones exactiſſime deſcripſit [b]; quique bene vſus otio carceris (inquit Aluarus eius familiaris in Vita ipſius) metricos, quos adhuc neſciebant ſapientes Hiſpaniæ, pedes perfectiſſime docuit. Ceterum ſub finem huius ipſius anni reddita eſt ex inſperato pax Eccleſiæ redditusque conſuetus cultus eccleſiarum: redemptus ipſe (vt creditum eſt) ſanguine duarum Sanctarum virginum, *Mariæ & Floræ*, quæ cum pollicitæ eſſent reliquis Fidelibus, liberationem ipſorum impetrare à Domino vbi ad eum perueniſſent, quinto poſt martyrium conſummatum die id præſtiterunt.

III. MARTYRES PER SVFFRAGIA VIVENTIVM.

Hoc eodem anno (vt auctor eſt Frodoardus [c]) mortuus eſt Ebbo Rhemenſis olim Archiepiſcopus, cuius cauſam ſæpius ventilatam vidimus. Additque idem auctor, cuidam eius tunc ciuitatis viro per viſum reuelatum fuiſſe, ipſum Ebbonem cum aliis nonnullis Epiſcopis torqueri pœnis Purgatorii; eoſdemque expetiſſe ſuffragia viuentium, orationes & eleemoſynas, præcipue vero ſacratiſſimum Miſſæ ſacrificium; quibus exhibitis, iidem pœnis alleuiati ferunt.

LOTHAR. 12. MICH. III. 11.

IESV CHRISTI AN. 852.

LEON. IV. AN. 6.

I. DEDICA.

ANno Domini octingenteſimo quinquageſimo ſecundo Indictionis decimæquintæ, Leonis Papæ ſexto,

idem

[…]tio novæ civitatis Leoninæ.

idem Pontifex abſoluta quam cœperat noua ciuitate, qua includeret baſilicam S. Petri cum adiacentibus diuerſarum gentium Romam peregrinantium ibi erectis hoſpitalibus habitaculis: camdem aqua benedicta, multiſque orationibus ſanctificatam, ſolemni ritu Deo dicauit, & à ſuo nomine *Leoninam* dixit, die vigeſima ſeptima menſis Iunii. Quæ quomodo ſe habuerint, pluribus narrat Anaſtaſius Bibliothecarius qui aderat. Qui & ſubiicit de inſtauratis ab eodẽ Pontifice aliarum ciuitatum mœnibus, deductaq; in vrbem Portuẽſem colonia ex habitatoribus inſulæ Corſicæ, qui ob frequentes Saracenorum incurſiones coacti fuerant patriam deſerere. Ac denique inferius addit de ciuitate Centumcellenſi, diu antea ab iiſdem Saracenis diruta, & ab eodem Pontifice loco munitiori diuinitus ei per viſum oſtenſo reſtituta; quam & ſuo nomine Leopolim appellauit, ac ſolemnibus cæremoniis Sanctiſſimæ Trinitati conſecrauit. Sed de his hactenus.

II. Alii martyres Cordubenses. [a] Euleg. Memor. Sanct. l. 1. c. 9. & ſeqq.

Hoc eodem anno perſecutio Saracenorum in Hiſpania, quæ ad modicum temporis ſpatium quieuerat, in Eccleſiam Cordubenſem acrius renouata, multos martyrii corona donauit, quos S. Eulogius[a] ſingulos recenſet. Cũ autem alii complures deficientes à fide, Mahometiſmo adhærerent: ſed & nonnulli Epiſcopi eiuſmodi martyrii gloriam minuere quærerent, atque Fideles ab eo reuocare: horum conſilio Rex Habdaralgman *pſeudoſynodum* omnium regni ſui Antiſtitum conuocauit; qua in eius gratiam decretum eſt, eos qui non quæſiti ſeſe morti offerrent pro fidei confeſſione, non eſſe adſcribendos catalogo Sanctorum; quippe qui viderentur per ſuperbiam fieri parricidæ animarum ſuarum. Extatque inſuper eorumdem, ſiue horum ſimilium, illa ſparſa fallacia non eſſe qui paterentur inter Martyres, computandos, quod miracula, vti olim Martyres, non ederent, neque eorum corpora incorrupta manerent. Quare ad hæc omnia diluenda S. Eulogius egregium commentarium ſcribens, cuius eſt titulus *Memoriale Sanctorum*, eius primo libro in iiſdem valide confutandis verſatus eſt. Idemque poſtea alia occaſione Apologeticum addidit, de quo ſuo loco. Porro cum nonniſi vnus Epiſcopus Cordubenſis apud eum reperiatur detruſus in carcerem, quod refragatus fuerit Regi: ex his lugeas ſtatum reliquarum Hiſpaniæ Eccleſiarum ſub Saracenis conſtitutarum, quarum Rectores eidem tyranno adhæſerunt.

Eulogius insurgit pro SS. Martyribus.

III. Terribilis interitus regis perſecutoris.

Verum accidit inter hæc, vt cum idem Rex quadam die intuitus pendentia quædam ſtipitibus Sanctorum qui ea perſecutione paſſi fuerant corpora, præcepiſſet illa cremari: terribili Dei vindicta repente ore eius obſtructo; lingua Angelo percutiente repreſſa ita hæſerit palato, vt vltra fari non potuerit. ſicq; in lectum deportatus, priuſquam rogus ſanctorum cadauerum extingueretur; ipſe vita defunctus ad æternum inferorum ignem deſcendit: relinquens ſucceſſorem regni Mahomad filium, æque hoſtem Eccleſiæ: cuius perſecutionem ad plures annos prorogatam, & Chriſtianorum vtriuſque ſexus alacritatem in ſpontaneo ſubeundo martyrio proſequitur etiam pluribus idem Eulogius[b] in ſuo Memoriali: quem tu de his conſulas.

[b] Ibid. l. 3.

IV. Concil. Moguntin. II. ſub Rabano.

Eodem anno habitam eſſe Synodvm Moguntiæ (quæ dicenda eſt Tertia ſub Rabano earum quarum mentio inueniatur) & in ea tractatum eſſe de abſoluendis quæſtionibus, tradunt veteres Annales à Pithœo editi. Sed quænam fuerint illæ quæſtiones, nuſquam mentio. Quo item anno Carolum Caluum Francorum Regem filios fratris ſui Pipini, Pipinum & Carolum Regnum inquietantes cepiſſe, & attonſos detruſiſſe in monaſterium, Sigebertus tradit.

IESV CHRISTI AN. 853.

Lothar. 13. Michael. III. 12.

LEON. IV. AN. 7.

I. Concil. Sveſſion. in caussa ordinatorum ab Ebbone Rhem.

ANno Chriſti octingenteſimo quinquageſimo tertio, Indictione prima, menſe Aprilis, Sueſſione in Gallia habitum eſt Concilivm viginti Epiſcoporum, nonnullorumque Abbatum (inter quos fuit etiam Lupus Ferrarienſis, diœceſis Senonenſis, inſignis vir nominis) aliorumque clericorum: cui & Carolus Rex intereſſe voluit. Actum eſt in eo de cauſa illorum qui ordinati fuerant ab Ebbone Rhemenſi Archiepiſcopo. qui primum ſub Ludouico Imp. ſede priuatus; deinde opera Lotharii ad modicum temporis ſpatium reſtitutus, complures in eadem Eccleſia clericos ordinauerat. Sed eo per Carolum Regem abire coacto, eodemque anno ſuperiori defuncto: qui in locum eius iam antea fuerat ſubſtitutus Hincmarus, ordinatos ab eo recipere nolens, hanc Synodum celebrandam curauit, eaque ipſos deponi. Qui vero cum Ebbone poſt depoſitionem communicauerant Epiſcopi, veniam erroris deprecantes, pleniſſime reſtituti ſunt: penituſque confirmata Ebbonis deiectione, Hincmari oſtenſa eſt legitima electio & conſecratio. Hæc pluribus habentur enarrata à Frodoardo[a] in hiſtoria Rhemenſis Eccleſiæ. Extantque[b] eiuſdem Synodi Acta integra. ſed male inter probatas Synodos allecta, cum ea iudicio Apoſtolicæ Sedis ſub Nicolao Papa caſſata prorſus & abolita fuerit: vt dicetur ſuo loco, & vt ipſe Frodoardus eſt teſtis.

[a] Frod. l. 3. c. 11. [b] To. 3. Concil.

Acta Syn. Sveſſ. caſſata.

II. Conatus Hincmari pro confirmatione actorum.

Quamuis igitur hæc ſic ibi geſta eſſe ſecundum traditionem & auctoritatem Apoſtolicæ ſedis, Acta teſtentur; tamen cum ſciret Hincmarus ea vix poſſe ſubſiſtere, conatus eſt à Leone Papa iteratis legationibus earum obtinere confirmationem. Quam cum ille denegaſſet, ab eius ſucceſſore Benedicto ſubripuit. Sed quod & hæc non in omnibus placeret: eamdem ipſe interpolando, quædam (nefas!) addidit, quædam vero ſuſtulit: vt perhibent literæ Nicolai, de quibus ſuo loco dicendum. Ceterum præter illa quæ de hac Synodo Sueſſionenſi tuſa habentur, reperiũtur[c] inſuper Capitula quædam, ad corrigenda nonnulla praue geſta, & bona Eccleſiis ac monaſteriis reſtituenda, eademque rite adminiſtranda: quæ ex petitione Synodi, Rex Carolus per vniuerſum Regnum ſuum miſſis legatis ſtatuit nota fieri, atque executioni mandari.

[c] Ree. Bar. Annal. To. X. [illegible]

III. Northmanni Gallias infeſtant.

Hoc item anno Northmanni per Ligerim fluuium venientes, Nannetenſem, Andegauenſem & Turonenſem, aliaſque in circuitu ciuitates inuaſerunt, omnia tam ſacra quam profana, incendiis, cædibus, ac rapinis depopulantes: interque alia, baſilicam S. Martini toto Orbe nominatiſſimam incenderunt: euerſoque maiore monaſterio, centum illic & ſexdecim monachos peremerunt. Tradunt hæc paucis Annales à Pithœo editi, necnon Reginio, Sigebertus, & Otto Friſingenſis: Sed cladem Nannetenſem, qua intra eccleſiam SS. Petri & Pauli perempti ſunt vna cum Epiſcopo Guihardo quamplurimi clerici, monachi, laici, fuſius deſcripſit Bertrandus Argentræus[d] Gallicus ſcriptor, licet contra prædictorum auctorum ſẽtentiam, eam referat ad annum Domini octingenteſimum quadrageſimum tertium: Turonenſem vero Odo Cluniacenſis Abbas, in libello de Tranſlatione S. Martini. Dei enim prouidentia factum eſt, vt antequam ciuitas à barbaris inuaderetur, S. Martini corpus inde ſublatum, ab eiuſdem Eccleſiæ clericis transferretur primo Aurelianum, deinde Antiſiodorum, vbi quamplurimis coruſcauit miraculis. Quando vero rurſum Turones relatum fuerit, dicetur ſuo loco.

[d] Argent. l. 2. hiſt. Brit. [illegible]

Reliquiæ S. Martini liberatæ a furore Northmann.

IV. Concil. Rom. pro diſcipl. eccleſ.

Hoc item anno menſe Decembri, inchoata iam à menſe Septembri Indictione ſecunda, anno Lotharii ex quo cum patre imperare cœpit trigeſimo ſeptimo, Ludouici vero ipſius filii quinto (vt habet Anaſtaſius Bibliothecarius) celebrata eſt Romæ in baſilica S. Petri Synodvs ſexaginta ſeptem Epiſcoporum; cui præfuit ipſe Leo Pontifex, interfueruntque quatuor Epiſcopi Legati eorumdem Imperatorum Lotharii atque Ludouici. In qua poſt recitatos quadraginta duos canones, qui pertinerent ad diſciplinam Eccleſiaſticam & mores Fidelium, eoſdẽque obſeruari iuſſos; Anaſtaſius presbyter Cardinalis tituli S. Marcelli vno omnium conſenſu excommunicatus ac depoſitus eſt, eo quod parochiam ſuam per annos quinque contra antiquorum canonum definitiones

Anast. Cardin. depoſitus ob deſertam parochiam.

deſeruiſſet, & adhuc in alienis moraretur; nec ad duo ipſius cauſa congregata Concilia literis Apoſtolicis accitus, & per tres legatos Epiſcopos inuitatus, accedere voluiſſet. Hæc ita geſta Anaſtaſius Bibliothecarius ſummatim perſtringit: ſed reperiuntur in pluribus antiquis codicibus, tum Anaſtaſii Cardinalis damnatio [e] memoratu digna, tum iidem quadraginta duo canones: quorum triginta ſeptem recitati ſunt ex Synodo item Romæ habita ſub Eugenio Papa, additis tamen ab ipſo Leone nonnullis: trigeſimus autem octauus ex Synodo Romæ habita ſub Zacharia: reliqui ipſius Leonis integri, quorum nonnullos in corpus canonum Gratianus & alii Collectores redegerunt.

e Recitat eã Baron. To. X. hoc an.

V.
FABVLA DE PAPISSA IOANNA CONFVTATVR.

Hoc ipſo anno à Mariano Scoto falſiſſime ponitur obitus, Leonis Papæ, & ineptiſſime ſubrogata aſſeritur mulier IOANNA nomine. Quoniam autem nullus penitus ante eum inuentus eſt auctor qui de eiuſmodi portento meminerit, illudque ab eo omnes alii poſtea exceperint: primo ſciendum eſt, ipſum poſt ducentos & amplius annos vixiſſe & ſcripſiſſe: qui videlicet natus ſit (vt ipſe teſtatur) anno Chriſti milleſimo vigeſimo octauo, ſæculum reliquerit milleſimo quinquageſimo tertio, & milleſimo quinquageſimo ſexto ex Scotia in Germaniam veniens Coloniæ factus fuerit monachus, & milleſimo quinquageſimo nono Fuldæ ſe incluſerit; vbi ad decennium demoratus, poſtea Moguntiæ eodem vitæ genere perſeuerans vſque ad obitum incluſus permanſerit; quem perueniſſe ad annum milleſimum octogeſimum ſextum, affirmat Dodechindus Abbas, qui ad eius Chronicon Appendicem addidit. Erant ea ipſa tempora, quibus Henricus Tertius Imperator (vt ipſe Marianus narrat) ſchiſmate cum ſuis ab Eccleſia Catholica deſciuerat; cum & promulgato à Gregorio Papa ſeptimo aduerſus clericos concubinarios decreto, complures ex illis (vt ait) delegerunt expelli potius ab Eccleſia, quam concubinas expellere.

VI.

His adiungimus, quod eodem tempore quo ſcribebat Marianus, iam de femina ordinata in ſede Conſtantinopolitana Patriarcha, fama ferretur, vt aperte conſtat ex epiſtola Leonis [f] Noni Romani Pontificis ad Michaelem Patriarcham Conſtantinopolitanum & Leonem Acridanum ſcripta (vt teſtatur) annos poſt mille & fere viginti à Paſſione Chriſti, à Natiuitate vero milleſimo quinquageſimo tertio. Porro ea quæ ita erant fama vulgata de Eccleſia Conſtantinopolitana, conuerſa eſſe in Romanam Eccleſiam à ſchiſmaticis eam odio proſequentibus & calumniis proſcindentibus, atque ita vt accepit ipſe eam fabulam Marianum eodem tempore ſcripſiſſe, quis non intelligat? Sed nec ipſum eam pro certo habuiſſe, teſtantur verba quibus retulit. Licet enim in codice impreſſo Heroldi opera, qui mala fide locum hunc cum aliis multis corrupit, abſolute legatur, *Leoni ſucceſſit Ioanna mulier annis duobus, &c.* tamen in ſcripto codice ex quo prodiit prima editio, ita legitur, *Ioannes, qui, vt aſſeritur, fuit mulier.* Sicut & qui poſt Marianum elapſis triginta ferme annis, Sigebertus & ipſe ſchiſmaticus, in ſua Chronographia eamdem deſcripſit fabulam, nulla aliqua vtitur firma teſtificatione, ſed incerta tantum fama ferri quod ſcribit aſſerit. Ceterum poſthæc factum eſt, vt plures alii eadem ſcripſerint, aliique alia addiderint, vt mendacia vires ſumerent: adeo vt etiam pii viri res maiorum proſecuti, quæ de his inuenerint, abſque delectu deſcripſerint.

f Leo IX. ep. 1. c. 23.

QVOD DE ECCL. CONST. DICTVM, DE ROM. CREDITVM.

INCREMENTVM FAB. L.E.

VII.
MVLTIMODA EIVS FALSITAS.

Sed vt rem propius agamus: Quomodo Marianus hoc anno ingreſſum ponit feminæ poſt Leonis obitum, cum conſtet ipſum Leonem vitam adhuc ad duos annos propagaſſe; id teſtante Anaſtaſio Bibliothecario, qui tunc Romæ præſens erat: Quo item modo Ioanna ſucceſſit, cum idem Anaſtaſius aſſerat, Leoni ſtatim poſt ſex dies ſubſtitutum fuiſſe Benedictum? & quicumque hoc tempore quacumque occaſione de ſucceſſione Romanorum Pontificum ſcripſerunt, Benedictum immediate Leoni ſucceſſiſſe ponant, puta Lupus [g] Ferrarienſis Abbas, Nicolaus [h] Papa, & Acta Tullenſis Synodi paulo poſt habitæ: Rurſum vero altum vbique ſilentium tanti temporis, de re tanta, tot emergentibus in tantum nefas declamandi occaſionibus, pluſquam mille dixeris iuratos teſtes ad certam fidem faciendam de fabulę falſitate. Certe quidem tam amici facinus horrendum deteſtando, querendo, dolendo, quam inimici improperando, detrahendo, ſubſannando, centies proclamaſſent. Sed & quomodo Leo Nonus in Eccleſiæ Romanæ hoſtes ea de femina erecta in Patriarcham Conſtantinopolitanum obiicere auſus eſſet, ſi maiori infamia id fuiſſet in Eccleſia Romana perpetratum?

g Lup. Fer. ep. 101.
h Nicol. ep. 1. & 9.

VIII.
ASSERTORES FABVLÆ EX SEIPSIS CONFVTATI.

Quam autem abſurde fabulæ aſſertores inter ſe, varia diuerſaque ſcribentes; alter alterum deſtruit: dum alii ipſam confictam feminam Ioannam, nominatam antea *Agnetem* dixere, alii *Gilbertam*, *Iſabellam* alii, ſeu *Margaritam*, vel etiam *Tuttam*, aut *Dorotheam*: præterquam quod alii natione Germanam, alii dixere Anglicanam. Rurſum quanta diuerſitas in nomine quod confinxerun[illegible] vel leuiter crediderunt Papiſſæ Ioannæ, dum alii eã vocant Ioannem Septimum, alii Octauum, alii vero Nonum; cum tamen certiſſime conſtet eoſdem legitimos fuiſſe Romanæ Eccleſiæ Pontifices Iohannem Septimum, Octauum, & Nonum? Sed & in tempore valde ſibi contrariantur, dum alii hoc anno octingenteſimo quinquageſimo tertio, alii ſequenti, alii octingenteſimo quinquageſimo ſeptimo, octauo alii, quidam nongenteſimo quarto; præter eos qui eam ponunt poſt Martinum. Primum anno Domini ſexcenteſimo quinquageſimo tertio, vel poſt Iohannem Quintum anno ſexcenteſimo octogeſimo ſexto. In Sedis vero tempore quanta inter eos repugnantia, dum alii eam ſediſſe tradunt anno vno, & menſe vno, & diebus quatuor; alii annis duobus, totidem menſibus, & diebus quatuor; alii duobus annis cum dimidio; duobus tantum annis alii, alii vero tantum quatuor menſibus? Denique quanta diuerſitas in eiuſdem fabulæ narratione; dum nec vnus quidem reperitur qui conſentiat alteri, imo omnes inter ſe diſſentiant, contradicantque ſibi inuicem? Vt nulla penitus hiſtoria ſit de nomine, loco, tempore, & rebus quæ narrantur, adeo mendax, variaque, & omni penitus veriſimilitudine carens. Sed qui curioſius hæc ſcire deſiderat, præter alios qui hoc immaniſſimum commentum egregie antehac refellerunt, legat locupletem illum commentarium pietate & doctrina inſignis viri FLORIMVNDI RÆMVNDI Aginnenſis Aquitani, Regii Conſiliarii in Parlamento Burdegalenſi, cuius eſt inſcriptio *Error popularis de Ioanna Papiſſa*: quo ſic confecit monſtrum illud, ſcriptorum leuitate formatum, & Nouatorum induſtria phaleratum, vt eos pudeat quæ ſcripſerint vel ſomniaſſe.

FLORIM. RÆMVNDI LIBER DE PAPIS. IOAN.

IX.

Hoc eodem anno mortuus ponitur *Aymo* Epiſcopus Halberſtatenſis ſcientia clarus; cuius extant complura ſcriptorum monumenta ab aliis dinumerata.

IESV CHRISTI AN. 854.

LOTHA. 14. MICHA. I. 13.

LEON. IV. AN. 8.

I.
BELLO CIVILI DANI CONSVMVNTVR.

ANNO Chriſti octingenteſimo quinquageſimo quarto, Indictione ſecunda (vt habet vetus Chronicon à Pithœo editum) orto ciuili bello inter Horich Regem Danorum ſiue Northmannorum, & filium fratris Guduym, qui regno pulſus piraticam exercebat; iidem miſerabili modo cõciderunt, de regia ſtirpe nonniſi puerulo remanente. Ita Dominus ſanctorum virorum ſuorũ iniurias vltus eſt, & aduerſariis digna factis retribuit.

II.
CONCIL. CONST. PRO DAMNATIONE EPISCOPI SYRACVS.

Quod ad res pertinet Orientis; hoc eodem anno Conſtantinopoli ab Ignatio Patriarcha celebratum eſt CONCILIVM, in quo depoſitus eſt Gregorius Epiſcopus Syracuſanus; ita tamen vt aſſenſus Romani Pontificis requireretur: quo per Legatos à Leone Papa petito, diſtulit ille donec pars altera audiretur: atque eodem interea decedente, res ad ſucceſſorem delata eſt: Habet iſta Nicolaus [a] Papa in epiſtola ad Michaelem Imperatorem. Quæ ita vero ex hac Gregorii depoſitione mala exorta fuerint,

a Nicol. ep. 9.

ſint, videbitur inferius ſuis locis. Ceterum quod Sicilia inſula ſub iuribus adhuc eſſet Oriẽtis Imperatoris, quamuis occupata eſſet, à Saracenis, primas cauſas vendicauerat ſibi Patriarcha Conſtantinopolitanus; ita tamen, vt ſua Acta confirmatione indigere Apoſtolicæ Sedis non ignoraret.

III. MICHAELIS IMP. CORRVPTISS. MORES.

Hoc item ipſum eſt plane tempus, quo Michael Imperator, poſtquàm excesſit ex ephebis, quos habuerat tutores partim à ſe amouens, partim occidens, matrem vero Theodoram Imperii curatricem piiſſimam feminam contemnens; inuentis duobus ad omne malum illectoribus, ſceleſtiſſimo prædagogo, & Barda fratre eiuſdem Theodoræ, redditus eſt nouus Nero, illo antiquo non inferior aurigandi arte, nec libidine impar, perſimilis vero prodigalitate, atque ſæuitia proximus: denique impietate ſuperior, cum cinædos in honore habens, & ſacras eos veſtes induens, cogebat res diuinas peragere, omniaque Pontificia munera etiam publice exercere: quorum principem *Gryllum* nomine, Patriarcham vocitabat, & reliquos vndecim Metropolitas: ſe quoq; vnum è ſacerdotibus faciens, qui Præſul Coloniæ appellabatur: habebantque vaſa inaurata, & pretioſis lapidibus ornata, quæ aceto & ſinapi implentes aliis porrigebant, ad hunc modum ſacroſanctum myſteria irridentes. Qui & aliquando cum in via occurriſſent S. Ignatio Patriarchæ cum ſacro Clero & ſupplicationibus procedenti, non ſolum non ceſſerunt, ſed vehementioribus cithararũ quibus vti conſueuerant plauſibus eos excipientes, maledictis etiam & turpibus probris laceſſerunt. Immo & idem impudentiſſimus Imperator quadam die matrem ſuam piẽtiſſimam feminam acceſſiuit, vt à Patriarcha benedictionem acciperet: quæ cum ſumma religione ſe in terram proſtraſſet ad pedes Grylli, quem putabat eſſe Ignatium; nefarius ille ſurgens oppedit, verbaque turpia protulit. Hæc & alia Curopalates.

MYSTERIORVM CHRIST. DERISVS PER IMP.

IESV CHRISTI AN. 855.

LOTHAR. 15. MICHAEL. III. 14.

BENED. III. AN. 1.

I. CONCIL. VALENT. CONTRA HAERET. a To. 3. Concil.

ANno Chriſti octingenteſimo quinquageſimo quinto, Indictione tertia, menſe Ianuarii celebrata eſt in Gallia SYNODVS VALENTINA[a] quatuordecim Epiſcoporũ, Leone Papa adhuc viuere, quamuis in eius titulo apponatur Benedictus, qui nonniſi menſe Iulio ſubrogatus eſt in locum Leonis. Ceterum occaſio Synodi congregandæ præcipua illa fuit, quod Scoti quidam vagi homines (quorum magiſter Gotheſcalcus ille erat, quẽ damnatum vidimus in aliis Synodis) de prædeſtinatione & præſcientia Dei, deque gratia & libero arbitrio prauas opiniones in vulgus ſpargere laborarent. Quibus occurrentes Epiſcopi, nihil præterea in Eccleſiam inducendum cenſuere, quam quod ſanctiſſimi Patres docuiſſent olim in Africa Concilio Carthaginenſi, in Galliis Concilio Arauſitano; nempe bonos nonniſi per gratiam Dei ſaluari, malos per ſuam damnari iniquitatem: nec ipſos malos (quod dicebant illi) ideo perire quia boni eſſe non potuerunt, ſed quia eſſe noluerunt. Poſt hæc autem ad corrigenda mala quæ per laicos Eccleſiis inſerrentur conueniſſi Patres, in primis ſtatuerunt, ne qui nominarentur à Regibus Epiſcopi, ita indiſcuſſi reciperentur, ſed de eorum doctrina atq; moribus diligentiſſimum haberetur examen. Vetuerunt inſuper, ne vtraq; pars litigantium iurare ſimul compelleretur, cum eſſet neceſſe alteram periurare. Sed & qui creuerat graui animarum damno in populo Francorum abuſus, vt cauſæ ſæpius duello dirimerentur, ne molitum ſcelus vlterius patraretur, canonica cenſura cohibuere; ſtatuentes vt qui alterum occideret, ſeu vulneribus debilem redderet, velut homicida nequiſſimus & latro cruentus ab Eccleſia & omnium Fidelium cœtu, ſeparatus ad agẽdam pœnitentiam modis omnib. compelleretur: ille vero qui occiſus eſſet, tamquã ſui homicida, & propriæ mortis ſpontaneus appetitor, à Dominicæ oblationis commemoratione alienus, nec cadauer eius iuxta ſanctorum canonum decretum, cum pſalmis vel orationibus ad ſepulturam deduceretur. Alia quoque ad curam Epiſcoporum ſpectantia ſtatuerunt, editis in vniuerſum canonibus viginti tribus, quos tu conſulas; ac præſentia ex iis deplores tempora, quibus Eccleſiæ nimia Principum licentia grauiſſime affligarentur.

DVELLA PROHIBITA.

II. b To. 3. Concil. CONCIL. TICIN. PRO LIBERTATE ECCL.

Eodem item anno, menſe Februari, Ticini aliud Epiſcoporum CONCILIVM[b] celebratum eſt Ludouici Imperatoris monitu: in quo inter alia, ab eodem Imperatore reſtituta eſt (ſaltem nomine tenus) Epiſcopis licentia, omnia ſecundum canones diſponendi: cum iſtis calamitoſis temporib. tyrannico vſu veniſſet, vt quæ Epiſcopi vellent in Eccleſia, ordinari non, vt olim ab ipſis ſacerdotali auctoritate conſtituerentur, ſed ea per capita digeſta mitterentur in Palatium probanda à Principibus.

III. LVDOV. IMP. ROM. VANIT OB DEFENSIONEM MAGISTROR. MILITI

Poſt hæc vero, cum apud eumdem Ludouicum Imperatorem Daniel quidam Magiſter militum Romæ, inuidia aduerſus Gratianum alium item Magiſtrum militum ductus, ipſum calumnioſe accuſaſſet quod vellet excuſſo Francorum iugo Græcos Romam euocare; his Ludouicus commotus, Romam ſe concito gradu contulit. Vbi in conuentu Romanorum ſimul & Francorum præſente quoque Leone Papa, habita exactiſſima de eadem cauſa quæſtione, Gratianus innocens repertus eſt criminis inuncti; & Daniel propria confeſſione impoſtor detectus, Gratiano ex libito puniendus eſt traditus, & ab eodem mox Imperatori precario petenti conceſſus. Hæc ex Anaſtaſio, qui interfuit.

IV. LEON. PP. OBITVS.

Cum autem Imperator Ticinum receſſiſſet *Leo* Pontifex non poſt multos dies, decimoſexto Calendas Auguſti ex hac vita migrauit, ſepultuſque eſt in eccleſia S. Petri, cum ſediſſet annos octo, menſes tres, & dies quinque, vt habet Anaſtaſius: qui præter ea quæ ex ipſo de eodem Pontifice ſummatim retulimus aliaque quæ addit de ipſius cultu SS. martyrum, ædificatione ac reparatione eccleſiarum atque monaſteriorum, doniſque eiſdem collatis, necnon de munere prædicationis quo multos ad cognitionem veritatis perduxit; meminit quoque Crucis, quam ex more antiquo Subdiaconi ante equum Romani Pontificis ferre ſolerent; quam (vt ait) Leo renouatam, auro & gemmis ornauit. Additque, ipſum Octauam Aſſumptionis Sanctiſſimæ Dei-Genitricis diem; quam minime Roma antea colebat, vigiliis ſacris, matutiniſque celebrari præcepiſſe. Porro idem Pontifex relatus eſt inter Sanctos in tabulas Eccleſiaſticas. Cuius extãt epiſtolæ[c] quædam de rebus Eccleſiaſticis conſcriptæ: aliarumque fragmenta apud Gratianum, ſeu alios Canonum Collectores: itemq; ſermo, ſiue homilia[d], quam per prouincias ad Epiſcopos miſit, vt ab ipſis in Synodis diœceſanis recitaretur ſibi ſubditis presbyteris animarum curam gerentibus, quo cunctis innoteſceret quæ eſſent ſui muneris. Denique recitat Ioannes[e] Diaconus temporis huius ſcriptor, quædam miranda quæ ſub hoc eodem Leone Papa contigerunt in monaſterio S. Gregorii ad Cliuum Scauri, aduerſus eiuſdem monaſterii Præpoſitum, qui chartulas quaſdam monaſterii diſtrahens, extraneis vendidiſſet: itemque aduerſus alium Præfectum, qui eleemoſynas à S. Gregorio fieri conſtitutas, licet monachorum vtilitati conſulere arbitraretur, diminuiſſet.

DE CRVCE FERRI SOLITA ANTE PONT.

c To. 3. epiſt. Rom. Pont.

d Rec. Tab. Annal. To. X. ...

e Ioan. Diac. in Vit. S. Greg. l. 4. c. 86.

V. BENED. III. PAPA CREATVR.

Leone defuncto, totius Cleri, Senatus, Populiq; conſenſu, BENEDICTVS huius nominis Tertius patria Romanus Petri filius, vir ſanctiſſimus, omnibuſque virtutibus præditus, ex presbytero tituli Calliſti diu reluctatus inuite Summus creatus eſt Pontifex. Verum mox factione Legatorum qui delecti fuerant ad ferendum ex more Imperatoribus decretum electionis Benedicti, aliorumque prauorum omnis generis hominum conatu; ſed & conſenſu Legatorum à Ludouico Imperatore Romam miſſorum *Anaſtaſius* ille presbyter tituli S. Marcelli, quem à Leone excommunicatum in Synodo atque depoſitum ſuperius vidimus, Romam deductus, primo baſilicam S. Petri ſacrilege inuadens, Imagines ſacras extrubauit, confregit, combuſſitque: deinde ad Lateranenſe Patriar-

ANASTASII PSEVDOPAPAE SCELERA, ET EXPVLSIO.

chium properans, ſeſe in ſolium Pontificium intruſit, eiecto Benedicto, ac poſt multa conuicia & verbera cuſtodiæ mancipato. Sed reſiſtentibus magna conſtantia Epiſcopis, vna cum Clero populoque Romano: iidem Imperatoris Legati poſt triduum coacti ſunt Anaſtaſium expellere, & poſt indictum pro Eccleſiæ vnitate triduanum ieiunium, Benedicto ſe reconciliare: qui quidem factioſis ad pedes eius proſtratis in gratiam receptis, in baſilica S. Petri conſecratus eſt magna omnium exultatione. Narrantur hæc fuſius ab Anaſtaſio Bibliothecario, qui aderat. Fuit vero iſte peſſimus conatus Ludouici Imperatoris: qui cernens in electione Romani Pontificis nullam haberi rationem ipſius, ſtuduit in odium Romani Cleri liberis ſuffragiis eligentis Pontificem, prouenire in ſedem Apoſtolicam hominem illum perditiſſimum, qui diu multumque iſta molitus fuerat.

VI. *Lotharius Imp. factus monachus moritur.*

Eodem anno (vt Regino, & alii tradunt) Lotharius Imperator, relicto Imperio, atque Regno filiis diuiſo, Ludouico Imperatori Italiam, Lothario regnum quod in Francia poſſidebat (præter prouinciam Carolo traditam) dedit ceteriſq; rebus cunctis bene diſpoſitis, abdicans ſe ab omnibus humanis curis, Pruniacenſe ingreſſus monaſterium, coma depoſita factus eſt monachus. Demum eodem anno, quarto, ſiue (vt alii tradunt) ſexto Calendas Octobris ſpiritum Deo reddidit. Laudatus inuenitur à Rabano in libro de Anima; & ab Angelomo in præfatione in Cantica.

VII. *Theodora Aug. detruſa in monaſterium.*

Quod ad res pertinet Orientales: hoc eodẽ anno Michael Imperator, vt liberas in omnibus malis agendis habenas Imperii poſſideret, matrem ſuam Theodoram Auguſtam, ſanctiſſimam feminam, (quod ea tum ipſum, tum fratrem ſuum Bardam omnium Imperatoris ſcelerum architectum, ſeuere ſæpius reprehenderet) detonſam vna cum filiabus detruſit in monaſterium, poſtquam annos quatuordecim cum ea imperaſſet: omniſq; rerum adminiſtratio ad vnum Bardam delata eſt. Hæc Curopalates.

IESV CHRISTI AN. 856.

Ludov. II. 1. Mich. III. 15.

BENED. III. AN. 2.

I. *Peſtilentia faucium.*

ANNO Chriſti octingenteſimo quinquageſimo ſexto, Indictione quarta, die quinta menſis Ianuarii, Tiberim fluuium immenſum excreſcentem, Vrbẽ dire vexaſſe, traditur ab Anaſtaſio. Secuta eſt peſtis: quæ quod fluxione guttur obſtrueret, *Peſtilentia Faucium* dicta eſt: cuius etiam meminit Ioannes Diaconus temporis huius ſcriptor, ad finem Rerum geſtarum S. Gregorii Papæ, agens de quibuſdam mirandis quæ tunc in exitu nonnullorum monachorum ibi contigerunt.

II. *Mich. Imp. Legatio ad Bened. PP. Rex Lazor. Romam peregrinatur.*

Sed & eodem anno Michaelem Imperatorem, ſecundum antiquam conſuetudinem Legationem Romam ad nouum Pontificem miſiſſe cum muneribus pariterque Regem Lazorum pietatis ergo ad Limina Apoſtolorum venientem, præclara dona S. Petro obtuliſſe: Anaſtaſius tradit. Quo etiam tempore Patriarcha Conſtantinopolitanus Ignatius ad eundem Pontificem miſit Acta Synodalia, quibus probaretur legitime facta Gregorii Syracuſani Epiſcopi depoſitio, de qua ſuperius actum eſt: quam Benedictus, cauſa diligentius cognita, præſente ipſo Gregorio confirmauit: vt patet ex literis Nicolai Papæ ad Photium poſtea ſcriptis.

III. *Convent. Cariſſiac. pro reform. morum.*

Interea vero cum in Gallia vndique ebullirent factiones, ſubditorumque rebelliones aduerſus Carolum Caluum Regem, increbreſcerentque vbique latrocinia, deprædationes, cædes: ad hæc omnia euellenda, idem Carolus hoc anno menſe Februarii *Conuentum* Epiſcoporum ac Procerum habuit in villa Cariſſiaco: ex quo eiuſdem Regis ſcripta eſt exhortatio [a] ad omnes Epiſcopos & Comites ſui Regni, vt quique in ſuis parochiis & iuriſdictionibus hæc mala emendari, atque hominum mores in melius reformari curarent: miſſaque ſunt Capitula nonnulla ad cõciliandos ſibi populos defectionem parantes, quæ adhuc extant. Reperitur apud Lupum [b] Ferrarienſem Abbatem vna ex illis admonitionibus, quas idem Rex per Epiſcopos ſingulos ad populum ſibi ſubditum ſcribi præcepit, vt abſtineat à peccatis, præcipue vero à factionibus atque deprædationibus. Fuitque etiam in his laborandum Benedicto Papæ: cuius extat [c] epiſtola ad Epiſcopos Regni Caroli aduerſus Hubertum ſubdiaconum; homicidam, adulterum, ac monaſteriorum deprædatorem.

[a] Rec. Bar. Annal. To. X. hoc an.

[b] Lup. ep. 100.

[c] Rec. Bar. vbi ſup.

IV. *Rabani obitus, et ſcripta.*

Hoc eodem anno die quarta Februarii defunctus eſt *Rabanus* Archiepiſcopus Moguntinus, cum ſediſſet annos nouem menſem vnum & dies quatuor. Ita vetus Chronicon à Pithœo editum: ex quo erroris arguitur Trithemi[9], dum eum defunctum dicit anno ſuperiori Indictione tertia. Emicuit hoc tempore Rabanus vt fulgentiſſimum ſidus: cuius quæ extant ſcripta, tamquam lucis radii excellentiam demonſtrant auctoris. Quem quidem Trithemius aſſerit, præter opuſcula tam carmine quam ſoluta oratione conſcripta vniuerſam Scripturã Sanctam à principio vſque ad finem feliciter explanaſſe: virum plane omni literarum genere egregie excultum, triumq; linguarum Hebraicæ, Græcæ & Latinæ peritiſſimum. Vt merito Germania gloriari poſſit, ſuum haud adeo imparem magnis habuiſſe Doctorem.

IESV CHRISTI AN. 857.

Ludov. II. 2. Mich. III. 16.

BENED. III. AN. 3.

I. *Apologeticum Eulogii pro SS. Martyrib.*

ANNO Chriſti octingenteſimo quinquageſimo ſeptimo, Indictione quinta, ſæuiente adhuc perſecutione Saracenorum in Eccleſiam Cordubenſem, cum S. Eulogius iam abſoluiſſet tres libros Memorialis Sanctorum, haberetque in animo recentium Martyrum certamen pariter deſcribere: nonnullorum calumniantium ſtrepitu motus, coactus eſt (vt ipſe teſtatur) hiſtoriam in Apologeticum commutare. Tota namque in illud vis diaboli ſe conuertit, vt qui annis ſingulis illuſtrari ſanguine Martyrum Chriſti Eccleſiam ægre ferret, ore miniſtrorum ſuorum illud in vulgus ſpargeret, hos omnes gladio cæſos nequaquam dignos eſſe qui in numerum Martyrum referrentur, quod non ſicut antiqui martyres à cultoribus idolorum occiderentur, neque dum paterentur miraculis coruſcarent, nec denique diuerſis tormentorum generibus cruciarentur, ſed ictu gladii certamen cito abſoluerent. Quæ omnia ab Eulogio potentiſſime ſunt confutata, ne horum occaſione tepeſceret in cordibus credentium ardor fidei, & fortitudo langueſceret Confeſſorum.

II. *Concil. Mogunt. de iurib. eccles.*

Hoc eodem anno circa Calendas Octobris celebratum eſt CONCILIVM apud Moguntiam, præſidente Carolo Rabani ſucceſſore quo actum eſt de Iuribus Eccleſiaſticis. Sed & præſentata eſt epiſtola Gunthari Colonienſis Epiſcopi ad Altfridum Epiſcopum ſcripta, vbi agebatur de prodigioſo fulmine, ignei draconis inſtar, quod in eccleſiam cadens vbi conferta eſſet immenſa populi multitudo, ex omnibus illis tres homines ad tria diuerſa altaria exiſtentes vno ictu necauit, atque ſex alios eodem impetu proſtrauit. Habent hæc veteres Francorum Annales, Acta vero Concilii exciderunt.

Prodigium fulminis.

IESV CHRISTI AN. 858.

Ludov. II. 3. Mich. III. 17.

NICOLAI AN. 1.

I. *Bened. PP. obitus.*

ANNO Chriſti octingenteſimo quinquageſimo octauo, Indictione ſexta, *Benedictus* Papa mortuus eſt die decimaſexta Februarii, poſtquam ſediſſet annos duos menſes ſex dies decem, delatuſque eſt ad ſepulturam in eccleſiam S. Petri diaconorũ humeris: inter quos fuit NICOLAVS, qui omnium conſenſu ei ſucceſſit in Pontificatu, natus Romæ ex patre Theodoro nobiliſſimo,

Nicolai ſubrogatio.

ſsimo, viro, præditusque omnibus virtutibus, atque doctrina & ſanctitate inſignis: qui in baſilica S. Dionyſii electus, aufugiens ne conſecraretur, è latebris extractus, apud S. Petrum conſecratus eſt præſente Ludouico Imperatore, & cum hymnis & canticis in Patriarchium Lateranenſe deductus. Habet iſta Anaſtaſius Bibliothecarius, miris Nicolaum laudibus extollens. Additq; præterea de Imperatoris humillimis erga illum obſequiis: nempe quod cum Imperator Vrbe diſceſſiſſet, & ad eum Pontifex viſitationis cauſa aduenisſet, ipſi occurrẽs Imperator, equum quo is vehebatur pedes ipſo freno duxerit quantum ſagittæ iactus extenditur: idemque rurſum in reditu Pontificis in Vrbem præſtiterit.

Imperator equum Pontificis freno duxit.

II. *Legatio Galliæ ad Ludov. Reg. adversus Carol.*

Hoc eodem anno perſeuerante infeliciſſimo ſtatu Galliarum, cum omnia prædonibus factioſiſque hominibus plena eſſent, Edelhattus Abbas & Otho Comes venerunt in Germaniam ad Ludouicum Regem, poſtulantes vt populo periclitanti ſubueniret: quod niſi celeriter faceret, à Paganis cum periculo Chriſtianitatis auxilium quæſituri eſſent, quod tyrannidem Caroli, horum omniũ malorum cauſam diutius ferre non poſſent. Hæc totidem ferme verbis vetus Francorum Chronicon à Pithœo editum, ſed ab auctore huius temporis conſcriptum. Vbi pariter inſinuatur, quod Ludouicus diu anceps, tandem ſuorum conſilio venerit in Regnum Caroli fratris, vt tot malis mederetur. Cum autem primum omnium *Concilium* Epiſcoporum indixiſſet Rhemis: qui ſub Carolo erant Epiſcopi prouinciarum Rhemenſis & Rothomagenſis, ſuſpectum habentes illius aduentum, ſeorſum conuenerunt menſe Nouembri in Villa Cariſiaco: vnde ad eum ſcripſerunt epiſtolam, qua ſe excuſantes cur non potuerint ad illum accedere inſigni ſacerdotali libertate egregiam plane ac varia doctrina refertam addiderunt prolixam admonitionem [a], quibus modis qui ad reſtaurationem Eccleſiæ & ſalutem populi aduenisſe iactaret, eam operari deberet, reſque ipſi ſuas ſinque regni curare, quæ non minus emendatione indigerent: multaque ſubiunxerunt de libertate Eccleſiarum, rerumque atque miniſtrorum illarum, diuinitus inſtituta, quam boni Reges intemeratam cuſtodire debeant, non tyrannice inuere vel contemnere.

a Rei Bar. Annal. To. ... Admonitio Episc. Caroli ad Ludovicum.

III. *Carolus ad Pont. et Imp. querit adversus Ludov. fratrem.*

Verum minime his acquieſcẽs Ludouicus, ſed potius factioſis hominibus obaudiens, ſe ad arma conuertit, & aduerſus Carolum potentem duxit exercitum: cui ſe Carolus imparem ſentiens, cum paucis clam ſe à ſuis copiis ſubduxit, quæ mox ad Ludouicum defecerunt. Sed inter hæc nuntiata rebellione Sorabica, idem Ludouicus coactus eſt ad propria reuerti, poſtquam eius aduentus multa mala Regno Caroli; ipſiſque Eccleſiis attuliſſet. Ceterum Carolus reſumptis regni habenis, rebus ſuis conſulturus, Legatos miſit in Italiam ad Ludouicum nepotem Imperatorem, & ad Nicolaum Romanum Pontificem expoſtulans de Ludouico fratre qui non læſus Regnum ſuum aggreſſus eſſet: qui ambo literis Ludouicum Regem monuerunt, nequid in regnum alienum præſumeret, ipſe vero iis receptis, legauit pariter ad eoſdem in Italiam Othonem Fuldenſem Abbatem, qui ſuam rectam in omnibus intentionem inſinuaret. Hæc idem vetus Francorum Chronicon; quæ in annum ſequentem propagata ſunt.

IV. *Ignat. Const. iniuste relegatur.*

Quod ad res pertinet Orientalis Eccleſiæ: hoc ipſo anno cum Ignatius Conſtantinopolitanus Patriarcha duodecimum inchoaſſet ſedis ſuæ annum, quod Bardam Patricium, penes quem ſumma erat adminiſtrationis Imperii, poſt ſæpe fruſtra iteratas monitiones, excommunicaſſet ob vxoris inſontis repudium, & cum cognata ſibi ſponſa conſuetudinem: eiuſdem Bardæ factione calumnioſe accuſatus de conſpiratione aduerſus Imperatorem, è throno impie depoſitus eſt, atque in inſulam Terebinthum relegatus. Vbi cum perſuaderi nunquam potuiſſet, vt libellum daret renuntiationis ſedis Patriarchalis: poſt multas vexationes, & varios cruciatus, ad extremum in Copronymi ſepulchro incluſus eſt ſub cuſtodia crudeliſſimorum hominum: ſed inde furtim à pio quodam viro ſublatus, iterumque captus, poſt multiplices locorum mutationes, demum in inſulam Mitylenem deportatus eſt. Sed & complures alii Epiſcopi ſimilia pertulere, eo quod nollent alium recipere Patriarcham. Attamen poſtmodum cedentes plurimi minis, multi pollicitationibus illecti, obſecuti ſunt Bardæ, in locum Ignatii Patriarcham ſufficienti *Photium* eunuchum, qui erat Imperatori à Secretis, magnaque apud illum gratia pollebat, quod ipſius Imperatoris ſoror Irene nupta eſſet Sergio Patricio Photii germano. Hæc Ioannes Curopalates, à quo Cedrenus, & alii recentiores exceperunt: ipſi quidem omnia in vnum colligentes, quæ magna ex parte noſcuntur geſta ſequenti anno.

V. *Photius intrusus in locum Ign.*

De quibus diſtinctius agens Nicetas in vita eiuſdem Ignatii primum de Photio ait, illum nobilitate fuiſſe inſignem, Protoſpatarium dignitate, munere à ſecretis Imperatori, diutius pollentem, ſcientiis ſæcularibus diſertiſſimum, atq; etiam antiquis hac ex parte comparandum, ſacrarum vero literarum expertem: hominem gloriæ appetentiſſimum, ſexque diebus ex laico transformatum in Patriarcham, nimirum prima die ex laico monachum effectum, ſecunda anagnoſten, tertia ſubdiaconum, quarta diaconum, quinta presbyterum, ſexta denique Patriarcham: conſecratumque eſſe à Gregorio illo Syracuſano excommunicato, de quo ſuperius actum eſt, ipſo die Natalis Domini. Iſta Nicetas: reliqua ſequenti anno. Ceterum hic initium magnæ tragœdiæ, quæ plurimis actibus ad multorum annorum curricula propagata, cuncta gemitibus repleuit atque doloribus.

IESV CHRISTI AN. 859.

Ludov. II 4 Mich. III. 18.

NICOLAI AN. 2.

I. *SS. Eulogius et Leocritia martyres.*

Anno Domini octingenteſimo quinquageſimonono, Indictione ſeptima, die vndecima Martii, magnus ille promotor martyrum, debellator Mahometanæ impietatis, S. *Eulogius* deſignatus olim Toletanus Antiſtes presbyter vero exiſtens Eccleſiæ Cordubenſis, cuius ſæpe facta eſt mentio, martyrio coronatus migrauit in cœlum: addita ad palmam *Leocritia* virgine, Mahometanæ gentis ſobole, ſed in Chriſto renata, & prædicatione Eulogii ad martyrium roborata. Quæ quomodo ſe habuerint, pluribus narrat Aluarus eius temporis ſcriptor in Vita eiuſdem S. Eulogii: meminitque de ipſius cadauere in flumen proiecto (cuiuſmodi ſupplicium commune ferme fuit omnibus qui hac perſecutione paſſi ſunt) & columba candidiſſima ſuper ipſum quieſcente, deque ſolemniis in funeribus Chriſtianorum exhiberi ſolitis, diuinitus eidem impertitis. Cuius corpus, necnon prædictæ S. Leocritiæ poſtea ſub Adefonſo Magno Rege Galleciæ tranſlata fuere Ouetum, & miraculis coruſcauere. Ceterum cum toto ferme Orbe terrarum dominarentur impii Mahometani, nullo alio loco (quod ſciatur) niſi Cordubæ ita enituit frequens in perferendo martyrio Chriſtiana conſtantia, reliquis alibi non audentibus aduerſus Saracenorum obloqui impietatem, ſuis habentibus ſi ab illis permitterentur Chriſtiani viuere.

II. *Legatio Episcop. Gal. ad Ludov. Regem pro pace inter fratres.*

Quod ad res Francorum ſpectat, hoc eodem anno Ludouicus Rex Germaniæ perterritus literis Epiſcoporum regni Caroli Calui, quibus eum acriter redarguerant de ipſius in Gallias graſſatione, expetit ab illis vt Legatos mitterent, cum quibus quæ pacis eſſent in commune tractare poſſet, & abſolutionem eorum quæ peccaſſet percipere. Quamobrem iidem Epiſcopi, vna cum illis qui ſub Lothario Imperatoris Lotharii filio erant, in Mediomatricum ciuitatem menſe Maio conuenientes, nobiliſſimam ad eum Wormatiam ornauerunt legationem triũ Archiepiſcoporum, Hincmari Rhemenſis, Guntharii Agrippinenſis, & Wenelonis Rothomagenſis, aliorumque ſex Epiſcoporum, quib. Commonitorium [a] dederunt ita vocabant, quæ Legatis dabantur ſcripta præcepta, quo modo Ludouicum pœnitentem ac promittentem cum

a Rei Bar. Annal. To. 3 ...

fratre & nepote pacem ſeruare, factioſoſque homines à ſe expellere atq; vnitatem Eccleſię procurare, abſoluere deberent. Id autem ex parte factum eſſe, docet eorumdem Legatorum relatio Sed & annuiſſe apparet in eo Ludouicum Epiſcopis, vt ad mutuum colloquium conueniret cum Carolo & Lothario. Siquidem vetus Pithœi Chronicon teſtatur, eoſdem præſenti anno in inſula quadam Rheni cum æquo numero Principum ſuorum, ex aduerſa parte nominatim expreſſorum, nauigio vectos conueniſſe, reliquo ſingulorum comitatu ſuper litus ex vtraque parte fluminis conſiſtente: ibique poſt multam vtrimque diſputationem, indicto conuentu in commune habendo ſingulos ad ſua remeaſſe.

REGES CONVENIVNT IN INSVLA.

III. TVLLENSE GENER. CONCIL. IN CAVSA VVENILONIS PRODITORIS, ETC.

Fuit autem interea curę iiſdem Carolo & Lothario Regibus, vt ex duodecim ſibi ſubiectis prouinciis Galliarum, hoc eodem anno menſe Iunio apud Tullum in villa Saponarias dicta celebraretur CONCILIVM, quod ab ipſis vocatum eſt Generale. Cuius cogendi cum multæ cauſę pręceſſiſſent, potiſſima fuit proditio Wenilonis Archiepiſcopi Senonenſis, qui deficiens à Carolo ad Ludouicum, hunc aduerſus illum acrius impulerat. Actum tamen antea eſt ex more de fide Catholica, & rurſum condemnati errores Gotheſcalci Prædeſtinatiani, qui in duobus iam antea Conciliis, Moguntino, & Valẽtino, damnatus fuerat. Ait enim Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus in epiſtola nuncupatoria ad commentarium ab ipſo editum contra eumdem hæreticum, in hac Tullenſi Synodo oblata fuiſſe à Remigio Lugdunenſi Archiepiſcopo capita quædam de erroribus Gotheſcalci. Carolo Regi, ipſum vero dediſſe illa Hincmaro, vt reſponderet: quod egregie ipſe præſtitit tribus libris eo argumento conſcriptis. Habenturque præterea apud Frodoardum [b] duæ eiuſdem epiſtolæ valde prolixæ, ad eumdem Regem ſcriptæ de iiſdem erroribus Sed & tractatum eſſe in hac Synodo de reſtauratione pacis inter Ludouicum & Carolum Reges, necnon de vnione ac reformatione Eccleſiarum, conſtat ex ipſius Actis [c], quæ extant.

b *Frod. hiſt. Rhem. lib. 3. ca. 15. & 16.*

c *Rec. Bar. To X. hoc an.*

IV. ALIA GESTA IN SYNODO.

Quod vero ad VVenilonem ſpectat, aduerſus eũ Carolus ipſe Rex libellum Synodo propria manu obtulit: electique ſunt Iudices in ea cauſa quatuor Archiepiſcopi, Lugdunenſis, Rothomagenſis, Turonenſis, & Bituricenſis, qui ad VVenilonem literas ex Synodo dantes, diem ei dixerunt. Scripſitq; præterea Synodus epiſtolam ad Britanniæ Epiſcopos, qui ſchiſmate ſe diuiſerant à ſuo Metropolitano Turonenſi: itemq; aliam ad ſeditioſos, factioſorumque principes, quorum effreni licentia omnes prouinciæ turbarentur: nihil prætermittentes Patres, quo omnes ad debitam obedientiam & pœnitentiam reducerent. Ac deniq; ſtatuti ſunt canones ſexdecim, ex quibus ſeptem priores mutuati noſcuntur ex Concilio Valentino, reliqui ſuperadditi; inter quos ſaluberrime inſtitutos, ille laude digniſſimus, qui de ſcholis ſanctarum Scripturarum, & humanæ litteraturæ inſtituendis eſt conditus, cum necdum impletum eſſet, quod haud pridem in prædicto Concilio [d] Valentino de eadem re fuerat inſtitutũ: ſed cum prædeceſſorum commendetur eo canone hac in re ſtudium Imperatorũ, Lotharium Auguſtum poſt Carolum Magnum & Ludouicum Pium, bene meritum fuiſſe de viris doctis, teſtatur Angelomus in præfatione in commentarium tunc à ſe editum in Cantica Cãticorum.

DE SCHOLIS INSTITVENDIS.

d *Concil. Valent. c. 18.*

V. GANELONIS NOMEN INFAME REDDITVM.

Porro tanta prædictus VVenilo, ob inſignem aduerſus Carolum Regem proditionem (à quo & Epiſcopatum, & alia omnia quæ haberet acceperat) infamia aſperſus eſt, cũ præcipue ipſe ſolus ex omnibus Regni Caroli Epiſcopis (quod & ſuo libello teſtatus eſt Carolus) ad Ludouicum transfugiſſet, vt cum idem publice vbiq; locorum proditor acclamaretur, exinde nomine *VVenilonis* proditores inſignes nominari conſueuerint. In quo illud aduertendum, quod quem in his Actis Conciliorum VVenilonem appellatum legimus, apud Lupum Ferrarienſem (cuius multæ extant ad eum epiſtolæ) Guenilo ſemper ſcriptus repetitur, vulgo Ganelo, quod nomen vſurpatum inuenitur in Turbini fabulis. Vnde ſcias auctorem illum poſt iſta tempora vixiſſe, vbi iam *Ganelonus* nomen ex auctore Guenilone mutatum, inſignibus proditoribus commune redditum erat.

VI. DE CONTENTIONE INTER ANTISTITES TVRO. ET DOLEN. PRO PRIMATV MINORIS BRITAN.

Quod item pertinet ad res Britannicas in eadem Synodo tractatas, illæ haud modici fuere momenti, vt pote ventilatæ iudicio etiam Apoſtolicæ Sedis per plura annorum centenaria. De quibus hæc breuiter habeto: Dolicinitatis in Britannia Minori primum Epiſcopum ſediſſe B. Samſonem, omnes conſentiunt: quem narrant Britonicarum rerum ſcriptores, cum ex Anglia profugus in eam oram veniſſet, munuſq; Pontificium in Dolenſi Eccleſia exercere cœpiſſet, pallium ac reliqua Archiepiſcoporum inſignia quæ Eboraci habuerat (vbi Archiepiſcopum antea fuiſſe volunt) retinuiſſe. Inde porro factum, vt eius quoque ſucceſſores pro Archiepiſcopis ſe gerentes, iiſdẽ vſi ſint, quorum etiam ex numero Beſtoualdum à Seuerino, Innemenum ab Hadriano Primo Romanis Pontificibus, pallium obtinuiſſe contendunt: ſed hoc vt ſuſpectæ fidei refellitur in epiſtola Innocentii Tertii, de qua mox dicendum. Quare veriſimilius alii, Archiepiſcopi nomen à Dolenſibus Antiſtitibus vſurpatum negant ante Nomenoium Principem Britonum. Hunc enim ſub annum Chriſti octingenteſimum quinquageſimum, cum proprium ſibi, excuſſo Francorum iugo, Regnum conſtituiſſet, Epiſcopis ſuæ ditionis Dolenſem Metropolitani iure prępoſuiſſe, cum ante id tempus omnes Britanniæ Epiſcopi Archiepiſcopo Turonenſi, tamquam Lugdunenſis Tertiæ Metropolitano paruiſſent. Vt vt ſit, conſtat certę poſt hæc primum tempora natam, agitatamq; de pallio & Archiepiſcopatus iure controuerſiam inter Turonenſem & Dolenſem Antiſtites. Quæ cum poſt plurimas multorum Pontificum ac Conciliorum deciſiones, in fauorem Turonenſis Archiepiſcopi pronuntiatas, adhuc tamen eſſet ſub iudice temporibus Innocentii Tertii, ipſe tandem omnibus quæ ab vtraque parte à prima origine producta fuerant examinatis, anno Chriſti milleſimo centeſimo nonageſimo nono auctoritate Apoſtolica ſanxit, vt Dolenſis Eccleſia cum reliquiis Britanniæ, Turonenſi perpetuo ſuffragarentur. Qua de re extat ipſius epiſtola [e] valde prolixa, quæ ſuperiore ferme omnia Pontificum ac Conciliorum reſcripta atque decreta, aliaque multa ad hanc quæſtionem ſpectantia commemorat, omnem in poſterum de ea re diſceptationem interdicens: adeoque hic finis videtur fuiſſe ancipitis, diuturnæque inter illos Epiſcopos controuerſiæ.

e *Innoc. III Regiſt. lib. 2. ep. 79. Adde ep. 168. lib. 1.*

VII. SCHOLÆ IN ORIENTE RESTITVTÆ PER BARDAM CÆS.

Deniq; quod ſpectat ad Scholas, de quib. erigendis actũ eſt in Synodo Tullenſi, eodem ferme tempore contigit, bonarũ litterarum ſcholas aperiri Conſtantinopoli opera Bardæ tunc Cæſaris Imperium ex libito moderantis, ac vehementi niſu affectantis, cum interea Michael Auguſtus theatra tantummodo & certamina equorum curaret, ipſeque etiam publice aurigaret. Hæc Curopalates: qui ait ex eo tempore ſcientias in Oriente reflореſcere cœpiſſe, quæ iampridem Imperatorum incuria vbique prorſus aruiſſent. Additque de Leone magni tunc nominis philoſopho Conſtantinopoli docente, quem teſtatur diſcipulum fuiſſe in Inſula Andro Michaelis Pſelli viri doctiſſimi. Ex quibus habes, quo tempore vixerit *Pſellus*; ex eoque pariter addiſces, quo ſęculo ſcripſerit *Metaphraſtes*, in cuius laudem Pſellus ipſe orationem habuit, qua aſſerit de eius obitu audiſſe eos qui viderant felicem ipſius ad Deum tranſitum. Quare quod inter Vitas Sanctorum poſitas in tomis ab eodem Metaphraſte collectis, reperiantur aliqui Sancti qui poſt illa vixerunt tempora, id factum aliena dicendum eſt opera, qui ſuis diebus & menſibus allegerunt Sanctos ſingulos qui poſtea vixerunt, ne viderentur extra claſſem vagari. Sicut & quando in iiſdem Sanctorum Vitis, earum ſcriptores iiſdem ipſis vixiſſe temporibus declarantur, omnino neceſſe eſt errore labi, ſiquis eiuſmodi ſcriptionis auctorem eſſe putauerit Metaphraſtem, & cum illo vixiſſe tempore dixerit: cum ſcire debeat Vitas Sanctorum non fuiſſe vt plurimum à Metaphraſte conſcriptas, ſed collectas dumtaxat. Ex tempore igitur Pſelli, melius intelliges tempora Metaphraſtis. Quod & ſi plures Pſellos fuiſſe dixeris,

DE PSELLO, ET METAPHRASTE.

iſto, nul-

iſto nullum celebriorem, nec antiquiorem inuenimus.

VIII. IGNATIVS QVANTA PASSVS A PHOTIO.

Hoc item anno, poſt duos menſes ab intruſione Photii in ſedem Conſtantinopolitanam, quam accidiſſe vidimus ipſo die Natalis Domini anni ſuperioris, dira perſecutio ab eodem excitata eſt aduerſus Epiſcopos omnes, qui perſtantes in Ignatii deiecti communione, chirographum obedientiæ ipſi petenti Photio non obtuliſſent. Cumque idem inſuper apud Imperatorem inſimulaſſet Ignatium, quod exul in Imperium res nouas moliretur, eius rei cauſa miſſi Iudices, ſæuiſſimam quæſtionem de Ignatii familiaribus habuerunt: ſed cum nihil reperiſſent, tunc vinctum ipſum ex Terebinthi inſula ad Sacram transferentes, vbi eumdem in capratum ſtabulo concluſerunt. Inde vero alio atque alio deductus, tandem poſt varios carceres, vincula, cruciatus, atque locorum mutationes, in inſulam Mitylenem deportatus eſt: cuncta hæc paſſus, quod libellum renunciationis ſedis tradere recuſaret. Cuius item amici, affecti pariter verberibus, aliiſque cruciatibus, proſcripti in diuerſa loca exules miſſi ſunt. Hæc omnia Nicetas pluribus in Vita eiuſdem Ignatii: ſed & libellus Epiſcoporum, qui poſtea oblatus eſt Sacroſanctæ Oecumenicæ Octauæ Synodo in Actione ſecunda recitatus, multa alia continet dira ſupplicia, quæ tum ipſe Ignatius paſſus eſt à Photio, tum ei cohærentes Epiſcopi: de quibus etiam dictum eſt ſuperius ex Curopalate.

IX.

Poſt hæc vero idem Photius (vt ſcribit Anaſtaſius Bibliothecarius in præfatione hiſtorica ad Octauam Synodum) videns quamplurimos adhuc ſtare pro Ignatio, perſuaſit Imperatori miniſterio Bardæ, vt congregaret *Concilium* ſibi communicantium Epiſcoporum, quo Ignatium damnaret, vt hac arte Epiſcopos atque populum ab eius affectione diuelleret. Verum cum & hoc peracto,

LEGATIO A PHOTIO ET IMP. AD NICOL. PP.

permulti nihilominus adhærerent Ignatio, conſilium (ait Nicetas) iniit legationem mittendi ad Nicolaum Romanum Pontificem, petendique vt ipſe Conſtantinopolim Legatos mitteret ſpecie quidem ad extirpandam hereſim Iconomachorum qui iterum reuiuiſcere videretur, re vera autem vt ab iiſdem Legatis extorqueret confirmationem depoſitionis Ignatii, cum & mendacia ſuis ad Nicolaum literis miſcens, ſcripſit Ignatium ob ſenium & infirmitatem Eccleſiæ ſuæ renuntiaſſe, & in cuiuſdam inſulæ monaſterium ſe recepiſſe, vbi cum omni honore & obſequio viueret. Ceterum cum extent [f] adhuc quædam Photii ad Nicolaum literæ, dolis quidem illæ plenæ, mendaciiſque refertæ, quibus & rectæ fidei profeſſionem inſeruit & communicationem Apoſtolicæ ſedis expetiuit: eæ tamen diuerſæ eſſe noſcuntur ab illis quarum argumentum ex Niceta retulimus, cum nihil de Legatis mittendis, vel de Ignatii monaſterio in ipſis agatur. Porro ipſum quoque Imperatorem Michaelem, Photii ſuaſione ad eumdem Pontificem legationem miſiſſe, vna cum accuſationibus quibuſdam aduerſus Ignatium, petiiſſeq; Legatos mitti Conſtantinopolim ad ſedandum conflatum ſchiſma, idem ipſe Nicolaus teſtatur in literis Encyclicis ad vniuerſos Fideles & Epiſcopos Orientis poſtea (vt dicetur) ſcriptis. Sed & aliam prætexiſſe Imperatorem legationis mittendæ occaſionem, nempe cauſam ſacrarum Imaginum, vt ſua auctoritate Pontifex pullulantem rurſum errorem euelleret; eumdemque multa pretioſiſſima ſacra munera ad S. Petrū miſiſſe, ſcribit Anaſtaſius Bibliothecarius, qui cuncta oculis ſpectabat. Porro ex his omnibus

APOST. SEDIS AVCTORITAS AB ADVERSARIIS AGNITA.

Apoſtolicæ ſedis auctoritas maxime elucet, dum ad eam vel inuiti coguntur recurrere ipſi aduerſarii, probe ſcientes nihil eorum quæ ipſi agerent quicquam habere ponderis, niſi à Romano Pontifice confirmatur.

f Rec. Bar. Annal. To. X. hoc an.

IESV CHRISTI AN. 860.

LVDOV. II. 5. MICH. III 19.

NICOLAI AN. 3.

I.

ANno Chriſti octingenteſimo ſexageſimo, Indictione octaua, Nicolaus Papa auditis Legatis Michaelis Imperatoris & Photii Patriarchæ intruſi, de quib. ſuperiori anno dictum eſt, reb. cunctis quàm diligentiſſime examinatis in Conuentu Patrum ad hoc ex more conuocatorum, de omnium ſententia petita legatio decreta eſt Conſtantinopolim, qua functi ſunt *Rodoaldus* Portuenſis Epiſcopus & *Zacharias* Anagninus: iiſque datum eſt in mandatis, vt quæſtionem quidem de ſacris Imaginibus ſæpius iudicatam iterum definirent, de cauſa vero inter Photium & Ignatium inquirerent tantummodo, eius autem definitionem integram referrent ad ipſum Nicolaū Pontificem: quibus etiam omnino prohibitum eſt ne, vllo pacto cum Photio niſi quaſi cum laico, non autem vt Epiſcopo communicarent, antequam id idem Pontifex decreuiſſet. Hæc quidem teſtatur ipſe Nicolaus in literis [a] Encyclicis ad omnes Chriſti Fideles & Epiſcopos Orientis poſtea ſcriptis. Et in Actione quarta Octauæ Synodi traditur, Nicolaum licet Legatos Photii ad audientiam recepiſſet per ſatisfactionem libelli & iuramenti, haud tamen ad communicationem cum reliquis Epiſcopis admiſiſſe.

LEGATIO MISSA A NICOLAO PAPA IN ORIENTEM.

a Nicol. epiſt. 4. To. 3. Epiſt. Rom. Pont.

II.

Mittens autem Nicolaus Legatos ſuos Conſtantinopolim, dedit eis literas ſeptimo Calendas Octobris, incipiente Indictione nona [b], ad Photium quidem perbreues, prolixiores vero ad Michaelem Imperatorem, quibus plurimum queſtus eſt de Ignatii depoſitione, & Photii laici ſubrogatione, factis contra traditionem Patrum abſque conſenſu Romani Pontificis. Ad quæ omnia inquirenda, ſimulque quæſtionem de Imaginibus definiendam, eoſdem Legatos mittere teſtatur. Addens inſuper querelam de Iuribus Romanæ Eccleſiæ ab Orientalibus occupatis, non ſolum quod prouinciis illis, quas vt peculiares ſuas Romani Pontifices (alioqui totius Orbis Vniuerſales Epiſcopi) per Vicarios regere conſueuiſſent (puta quas recenſet, vtramque Epirum, veterem ſcilicet & nouā, Illyricum, Macedoniam, Theſſaliam, Achaiam, vtramque Daciam, Ripenſem & Mediterraneam, Myſiam, Dardaniam, & Præualim, quibus, vt ait præfici mos erat Archiepiſcopum Theſſalonicenſem) ſuaſione ſchiſmaticorum Patriarcharum, Imperatores Conſtantinopolitani Romanam Eccleſiam ſpoliaſſent, ſed etiam quod patrimonia quæ in Sicilia & Calabria haberent, ſuſtuliſſent. Peruenientes autem Legati Conſtantinopolim, cum innotuiſſet Nicolaum Papam haud approbaſſe Ignatii eiectionem & Photii ſubrogationem, minus digne ſuſcepti ſunt, nec per centum dies cum vllis aliis loqui permiſſi, vt eſt de his querela ipſius Nicolai in literis [c] ad Photium poſt ea datis. Sed eiuſmodi inhumanitatē, non tam Imperatori adſcribendam eſſe, quam perfido Bardæ Cæſari, & ſchiſmatico Photio: Græci conſentiunt omnes Imperatores enim ludis Circenſibus & ebrietatibus prorſus intenti, duo iſti omnia gerebant, potentiſſimi ex propinquitate quam diximus affinitatis cum Imperatore.

b Id. ep. 2. & 3.

DE LITERIS NICOL. AD IMP. ET PHOT.

LEGATI QVOMODO SVSCEPTI CONSTANTINOPOLI.

c Id. ep. 6.

III.

Hoc eodem anno Nonis Iunii Francorum Reges Carolus & Ludouicus fratres, nepoſq; ipſorum Lotharius, Confluentiam conuenientes vna cum multis Epiſcopis atque Comitibus, tādem mutuam inierunt concordiam, capitulaque pacis ediderunt, quæ extant [d] vna cum Actis eiuſdem *Conuentus Confluentiani*: in quo multa ſtatuta ſunt pro optima Regni adminiſtratione, & Eccleſiaſticarum rerum ac perſonarum defenſione. Ceterum Carolum non firmiter ſtetiſſe pactis conuentis, ſed & de inuaſione cogitaſſe alienorum, docent querelæ Ludouici & Lotharii, ad Nicolaum Papam miſſæ per Legatos, literaſque [e] ſumma animi ſubmiſſione, & ingenti erga Sedem Apoſtolicam reuerētia ſcriptas, quibus inter alia, eum Dominum ſanctiſſimū, totiuſq; ſanctæ Dei Eccleſie roſeo Chriſti ſanguine acquiſitæ Pontificem & Vniuerſalem Papam nominantes, Chriſtianiſſimorum Principum more (vt loquuntur) ad ſacra ipſius veſtigia prouoluti, obteſtantur vt nihil ſiniſtri de ipſis credat eidemq; hortantur exemplo prædeceſſorum accedere in Galliam, vt Apoſtolica auctoritate his malis mederetur, & quos nulla pacis fœdera, nulla mouerent fraternæ charitatis viſcera, Apoſtolica inuectio ad cenſuram Eccleſiaſticam venire compelleret.

CONVENT. CONFL. DE CONCORDIA INTER REGES FRANCORVM.

d Rec. Baron. Annal. To. X. hoc an.

e Rec. Bar. ibid.

VIVVM EXEMPLAR SVBIECTIONIS ERGA SED. APOST.

Hoc

Digitized by Google

IV.

Hoc item anno Romæ Tiberim fluuium biſalueum egreſſum (nempe tertio Calendas Nouembris, & ſexto Calendas Ianuarii) maximam partem Vrbis inundaſſe, ingentiaq; intuliſſe damna, Anaſtaſius narrat in Nicolao.

IESV CHRISTI AN. 861.

LVDOV. II. 6. MICH. III. 20.

NICOLAI AN. 4.

I. CONCILIABVLVM ADVERSVS IGNATIVM.

ANno Chriſti octingenteſimo ſexageſimo primo, Indictione nona, celebratum eſt Conſtantinopoli in eccleſia SS. Apoſtolorum, à Photio illius ſedis inuaſore *Conciliabulum* numeroſiſſimum Epiſcoporum ei fauentium, cui etiam compulſi ſunt intereſſe iidem qui ſupra Legati Apoſtolicæ ſedis, Rodoaldus, & Zacharias: ad quam vocatus Ignatius legitimus Patriarcha exul (qui poſt varias deportationes, iniurias, damna, & verbera, in inſulam Terebinthum Conſtantinopoli adiacentem reductus fuerat) ibi rurſum falſo accuſatus, quod contra canones fauore Principium eam Eccleſiam obtinuiſſet, rurſum damnatus eſt, ac ſolemni ritu indumentis Pontificis exutus atque exauctoratus: Photiuſque in ſede confirmatus. Quæ quomodo ſe habuerint, pluribus narrat Nicetas in ipſius Ignatii Rebus geſtis. Addit vero Anaſtaſius Bibliothecarius in præfatione hiſtorica ad Octauam Synodum, inſimulatum quoq; fuiſſe Ignatium, quod in S. Methodium prædeceſſorem ſuum contumelioſus extitiſſet: quod etiam quam falſum fuerit, ipſe oſtendit.

II.

Ceterum hanc Synodum apud Theodorum Balſamonem, dum illam interpretatur, appellatam inuenies Oecumenicam, tum ob præſentiam Legatorum Romani Pontificis, tum ob numeroſitatem eius: ſiquidem gloriabatur impleſſe numerum Patrum qui interfuerant Magno Nicæno Concilio, nempe trecentorum decem & octo, vt teſtatur Nicolaus [a] Papa in epiſtola hoc anno reddita ad Michaelem Imperatorem. At vero ipſe Nicolaus in aliis ad eumdem Imperatorem datis poſtea literis [b], *Latrocinalem Synodum* appellauit: idque multiplici nomine. Porro quidem, quod (vt ait) qui ad eam conuenerunt, aut ſuſpecti & inimici Ignatii erant, aut ſubiecti ipſius Photii, quorum nullus perſonam legitimi iudicis habere potuit. Deinde ob illa quæ ab iiſdem ſchiſmaticis ac nefariis iniuſtiſſime geſta ſunt aduerſus Ignatium, alioſque Epiſcopos qui iuſtitiæ ſtudioſi ipſi fauiſſent, quos vna cum ipſo Ignatio crudeliſſime habitos, & abſque interrogatione damnatos eſſe, idem Nicolaus ſuis epiſtolis [c] queritur. Item quod omnia in eodẽ conuentu facta ſunt ad nutum Imperatoris, qui eidem contra canones tamquam iudex interfuit. Sed & ob ea quæ Legati Apoſtolicæ Sedis perpeſſi ſunt: qui poſtquam centum dies cuſtoditi fuiſſent, nequis ad eos accederet, neque ipſi ad alios, horrendis inſuper terroribus impulſi ſunt Photio conſentire, cum inter alia minarentur aduerſarii fore vt ipſi in exilium longe longius ablegarentur, vbi famæ preſſi ſuos cogerentur manducare pediculos. Hoc enim teſtatur idem Nicolaus [d] in aliis ad Imperatorem, Photiumque ſcriptis literis. Deniq; quod prolatæ ab iiſdem Legatis literæ Romani Pontificis, in multis falſatæ fuerint, Photii ſuorumq; additionibus, ſubtractionibus mutationibus, quas omnes eadem [e] epiſtola cum multis aliis querelis recenſet Nicolaus.

a Nicol. ep. 1.

b Id. ep. 8.

LATROCINALIS IVRE DICTA SYNODVS.

c Id. ep. 7. & 8.

QVÆ LEGATI APOST. SED. PASSI SINT.

d ep. 9. & 6.

e ep. 9.

III.

Quæ vero in hac Latrocinali Synodo modo ſtatuta ſunt, poſtea (vt ſuo loco apparebit) repetita fuerunt in alio Photii Conciliabulo, quod Octauum Concilium Oecumenicum appellauit. Huius autem cum duæ fuerint Actiones, quarum prior habita eſt in cauſa Ignatii, altera pro cultu ſacrarum Imaginum: eadem Synodus duplex, hoc eſt Prima & Secunda, noue dicta reperitur apud Theodorum Balſamonem, cum tamen eodem loco, eodem tempore ab iiſdẽ perſonis celebratæ fuerint. Meditatus quoq; Photius opus, quod *Nomocanon* appellari voluit, continens collectionem ſacrorum Canonum, & Sanctorum Patrum Reſponſiones, poſt Septimæ Synodi canones, atexuit ex iſta pſeudoſynodo alios numero ſeptemdecim diuerſorum argumentorum, quibus ſuum labantem & corruentem firmaret Epiſcopatum.

IV. QVÆ POST CONCILIAB. PASSVS IGNATIVS.

Sed non contentus Photius Ignatii exauctoratione, diriſſimis adhuc eum per impiiſſimos homines ſuppliciis vexari curauit, quo propria ſubſcriptione cogeret ſuam ipſius depoſitionem confirmare. Itaque poſt carcerem, famem, vincula, tormenta, ac verbera, eumdem ſuper marmora ad modum Crucis extenſum in faciem per totam noctem ligatum detinentes, ac poſtea lancearum punctionibus conterentes, demum poſt multum effuſum ſanguinem vix ſpirantis tenta vi manu ſignum Crucis in charta ſubſcriptionis vice ſignarunt. Qua ad Photium delata, ſcripſit hæc ipſe in ea, *Ignatius indignus Conſtantinopolitanus confiteor me ingreſſum eſſe ſine calculo, non canonice videlicet electum, & his annis non ſancte me geſſiſſe, ſed tyrannice.* Poſt quæ domum redire ab Imperatore permiſſum, cum rurſum Photius cogere vellet vt id ipſum voce in eccleſia publice in feſto Pentecoſtes profiteretur, ſed & eidem oculos eruere, & manum abſcindere cogitaret, iamque ad ipſum vi trahendum milites in domum vbi detinebatur irrumperent: tunc idem Ignatius ſumpto ſerui habitu duas ſportas ex vno pendentes ligno humeris ſuſtollens, clã cuſtodibus aufugit, variaſq; circuiuit inſulas ac ſolitudines victum mendicando. Cum interim vniuerſa vrbe Conſtãtinopolitana grauiſſimo terræmotu quaſſa, eiuſque cladis cauſa vno omnium ore in iniuſtam Ignatii perſecutionem reiecta, qui poſt initam fugam ad necem vbique curioſiſſime quæritabatur, Michaelis Imperatoris & Bardæ Cæſaris iureiurando ſecurus redditus, ad ſuum rediit monaſterium, & ita terræmotus quieuit. Habet hæc omnia pluribus Nicetas in Rebus ab eodem Ignatio præclare geſtis.

IGNATIVS REDIT AD SVVM MONAST.

V. f Rer. Bar. To. IX. hoc an.

LIBELLVS APPELLATIONIS AD SED. APOSTOL.

Extat [f] quoque libellus, Ignatii, & aliorum Epiſcoporum, & Archimandritarum ei adhærentium nomine, ante [illegible] tus à Theognoſto olim Exarcho, poſtea [illegible], tuncq; ob fidem extorre, delatuſq; ab eodem R[illegible] & oblatus Nicolao Papæ, quo iidem deplorantes mala quæ paſſi eſſent à Photio, appellarent eiuſdem Romani Pontificis iudicium, tamquam Præſidis (vt vocant) & Patriarchæ omnium ſedium, ac Principis Apoſtolorum ſucceſſoris, & Vniuerſalis Papæ. Sed quod Theognoſtus ſerius Romam venerit, quam Legati Nicolai redeuntes in Vrbem, non potuit Nicolaus niſi ſero de veritate rerum geſtarum certior reddi, quod Legati cuncta mẽdaciis obuoluerent. Miſſum vero etiam eſſe Legatum ab Imperatore Leonem à ſecretis, vna cum literis quibus ab eodem Pontifice peteretur confirmatio depoſitionis Ignatii & promotionis Photii: teſtatur ipſe Nicolaus in epiſtola [g] ad Orientales Epiſcopos poſtea ſcripta. Extantq; [h] inſuper aliæ ſatis prolixæ literæ, quas per eiuſdem Nicolai Legatos Romam redeuntes Photius ſcripſit, & quidẽ eiuſmodi, vt miretur qui eas legerit, præter dicendi facundiam, ſeruatoſque omnes oratoris numeros, ingentem hominis vafriciem, quod perſecutor Catholicorum, inuaſor alienæ ſedis, ſpirans vndiq; furorem, tam copioſe atque ornate loquatur de mutua charitate, excuſetq; ſuam ex laico promotionem. Quid vero his reſponderit Nicolaus, dicetur anno ſequenti.

DE LITTERIS IMP. ET PHOTII AD NICOL. PAP.

g Nicol. ep. 10.

h Rer. Bar. this ſup.

VI. i Hieron. Rub hiſt. Rauen. pe[illegible]

CONCIL. LATERAN. IN CAVSA IO. EPISC. RAVEN.

Intereà hoc eodem [i] anno Romæ celebrata habetur SYNODVS LATERANENSIS in cauſa Ioannis Epiſcopi Rauennatis, omnium hominum arrogantiſſimi, cuius extant apud Burchardum in libris Decretorum tribus Actionibus Acta diſtincta: meminitq; eiuſdem Petrus diaconus Caſſinenſis huius temporis ſcriptor in Rebus geſtis S. Athanaſii Neapolitani Epiſcopi, qui eidem interfuit, parſq; magna fuit. Totius vero rei geſtæ narrationem Anaſtaſius in Nicolao Papa altius repetens, ait eumdem Ioannem, quod plurima intuliſſet Rauennatibus & vniuerſis Æmilienſibus damna, quoſdamque eorum temere excommunicaſſet, ſed & multa aduerſus Apoſtolicæ Sedis auctoritatem nefanda perpetraſſet, ac denique Romam frequentius à Summo Pontifice vocatus, venire detrectaſſet, ab eodem in Synodo communione priuatum eſſe: Cum

vero

vero obtentis iterum à Ludouico Imperatore Papię commorante Legatis, vna cum ipſis arroganti ſpiritu Romam proceſſiſſet, nec tamen cauſam ſuam peragere valuiſſet, tandem quod excommunicatus eſſet, ab omnibus derelictum, coactum eſſe Romano ſe Pontifici ſubmittere, à quo in prædicta Synodo hoc anno habita veniam reſtitutionemque; certis conditionibus obtinuerit. Hæc pluribus Anaſtaſius.

VII. ALFONSVS MAG. REGNAT IN HISP. [a] Roder. Tolet. li. 4. c. 16.

Hoc item anno (vt ex veteribus monumentis conſtat) vita functo Ordonio Gallæciæ in Hiſpania Rege, ſucceſſit in regnum filius eius Alfonſus, ſiue Adefonſus, cognomento Magnus: qui ſui exordio inter cetera pietatis opera, theſauros [a] à patre ſibi relictos pauperibus & Eccleſiis erogauit, eccleſiamq; S. Iacobi quæ terrea erat, quadratis lapidibus conſtruxit, atque alias erexit: idemque multis poſtea aduerſus Arabes victoriis eſt illuſtratus, quas qui res Hiſpanas ſunt proſecuti deſcribunt. Sed de eo rurſum inferius.

IESV CHRISTI AN. 862.

LVDOV. II. 7. MICH. III. 21.

NICOLAI AN. 5.

I. INCENDIVM TEMPLI S. SOPHIÆ, ET TERRÆ MOTVS.

ANno Domini octingenteſimo ſexageſimo ſecundo, Indictione decima, incendio conflagrauit Conſtantinopoli baſilica S. Sophiæ; maximoque omnium terremotu ipſa ciuitas eſt concuſſa, & vox atque ſonus inarticulatus è terra ac mari emiſſus, ingentem cordibus hominum metum horroremque iniecit: hæc omnia in vltionem ſcelerum in eadem vrbe ad ſummum culmen excreſcentium, cum inter alia cœptus olim à Michaële Imperatore iuuenili impietate adhuc vigeret deriſus ſacrorum, quo mimos & ſcurras in ſacerdotes & Pontifices transformans, iubebat res diuinas imitari: eorumque Patriarcham conſtituens Theophilum quemdam Protoſpatharium, hominem ridiculum & hiſtrionem, atque omnium impuriſſimum, non puduit publice dicere Theophilum ſibi eſſe Patriarcham, Photium Bardæ, Ignatium Chriſtianis. Quas impietates cum auſus eſſet Baſilius Theſſalonicenſis Epiſcopus ſumma charitate apud Imperatorem arguere, eius admonitionibus grauiter offenſus Imperator, optimum ſenem pugnis contundens, dentes excuſſit, adeoque flagris lacerauit vt ferę animam exhalauerit. Cum interim Photius non ſolum ad eiuſmodi mimicas impietates obmuteſceret, ſed etiam eas per ſummam adulationem comprobaret, totus intentus in confingendis aduerſus Ignatium criminibus, vt eo vita priuato ſedem ſibi firmius ſtabiliret. Narrat iſta omnia pluribus Nicetas in Vita Ignatii: & quod ſpectat ad rem mimicam, in Actis etiam Octauæ Oecumenicæ Synodi, Photius ſæpe clamatur mimorum res ſacras eludentium Patriarcha.

SACRORVM DERISVS PER IMP. INTRODVCTVS.

II. NICOLAI PP. LITERÆ ADVERSVS PHOTIVM. [a] Nicol. ep. 5. & 6 [b] Id. ep. 4.

Hoc eodem anno Nicolaus Papa dimittens Leonem Michaelis Imperatoris Legatum, de quo ſuperiori anno dictum eſt, dedit ei litteras [a] ad ipſum Imperatorem; necnon ad Photium, die decima octaua menſis Martii huius Indictionis decimæ ſcriptas, quibus aperte improbaret Ignatii eiectionem, eiuſdemque Photii promotionem, quem & ideo in inſcriptione epiſtolæ non Epiſcopum, ſed tantum prudentem virum appellauit, vtpote hominem laicum, nulloque ſacro initiatum legitime ordine. Extantque & aliæ eiuſdem Pontificis literæ [b] die decimanona eiuſdem menſis datæ ad vniuerſos Chriſti Fideles, quibus præcipue Patriarchas, omneſque alios Orientis Antiſtites admonet, vt abſtinentes à Photii communione adhæreant Ignatio.

III CONC. R CONTRA THEOPASCH. HÆRET. [c] ep. 7. [d] ep. 70. ad Mich. & Baſil. Imp.

Hoc item anno ab eodem Nicolao Papa SYNODVS Romæ eſt habita: in qua, occaſione quorumdam Orientalium, damnata eſt Theopaſchitarum hæreſis iterum pullulans, aduerſus quam duo capitula ſeu canones ſtatuti ſunt, quos ipſe Nicolaus [c] in epiſtola ad Orientales recitat: meminitque alio loco [d] de duobus *Conciliis*, collectis paulo poſt acceptas literas Orientalium per Leontem.

IV.

Sed & eodem anno nouæ tragœdiæ paratum eſt argumentum à Lothario Francorum Rege, dum iuuenili ardore concupiſcentiæ, frena laxauit in amorem Waldratæ, quam ab ipſa infantia conſuetudine puerili amans, vxorem accipere decreuit. Quod vero iam legitimo Theutpergæ Reginæ matrimonio iunctus eſſet, egit cum Epiſcopis Regni ſui, vt conuocata Aquiſgrani SYNODO [e], octo ex ipſis hac eadem Indictione decima, tertio Calendas Maii, Theutpergæ cauſa cognita (quæ falſo accuſata inceſtus cum proprio fratre, referebatur etiam id ſcelus publice confeſſa) matrimonium illud diſſoluerint, ipſiq; Lothario ſe incontinentem profitenti permiſerint aliam vxorē ducere. Sed & ad corroborandam eiuſdem Regis cauſam, nouum excogitatum commentum ab Aduentio Metenſium ſeu Mediomatricum Epiſcopo, quo probare conatus eſt VValdratam iam à tenera ætate Lothario coniunctam fuiſſe matrimonio ab eiuſdem Regis patre Lothario Imperatore, ſed poſt mortem Imperatoris Theutpergam ipſi inuito Regi adhuc adoleſcentulo coniunctam fuiſſe à Theutpergæ fratre Huberto magnæ auctoritatis viro, ac proinde non ipſam ſed VValdradam legitimam eſſe dicendam eiuſdem Regis coniugem.

LOTHAR. REX DIMISSA LEGITIMA CONIVGE, PELLICEM SVBINTRODVCIT. [e] Rec. e ms. A. Sa Catin. Annal. To. X. hoc an.

V. LOTHAR. FOVET SCELERATOS.

Præter hæc vero cum idem Lotharius Rex, nulla habita ratione diuini vel humani iuris, contemptis etiam ſancitis nuper inter ipſos Francorum Reges de ſeruanda cōcordia legibus, in ſuo Regno nefarios homines multorum criminum reos reciperet, foueretque atque inter alios, Engeltrudem nobiliſſimam natalibus feminam, Matfridi Comitis inter Francos primarii filiam, ſed moribus ignominioſiſſimam, quæ furore agitata libidinis, relicto Boſone marito huc illuc per Gallias diuagans, iam per ſeptem annos alienis viris inhæſerat, & ad proprium maritum redire recuſans à Nicolao Papa excommunicata fuerat: necnon Balduinum quemdam nobilem virum, itidē ab Epiſcopis Gallis excommunicatum, quod Caroli Calui cuius vaſſallus erat filiam Iudith nomine, viduam Regis Anglorum rapuiſſet vt vxorem haberet: cumque de his omnibus perlatæ eſſent ad Nicolaum Papam querelæ, idē Pontifex ad eumdem Carolum Lotharii patruum literas dedit commonitorias, vt nepotem ad ſaniorem mentem reduceret. Quapropter Carolus paratus in eum vlciſci, retentus eſt tamen à Rege Ludouico fratre, cuius & ſuaſu magnus habitus eſt *Conuentus* Antiſtitum ac Comitum in villa Sablonarias dicta, tertio Nonas Nouembris huius anni: ad quem conuenientibus iiſdem tribus Regibus, promittenteque Lothario ſe iuxta diuinas leges ex Caroli ſententia cuncta eſſe impleturum, pax eſt feliciter conſecuta.

CONCIL. AD SABLONAS.

VI LOTHAR APPELLAT R. PONT.

Sed mox Lotharius vt eluderet Carolum, Romanum Pontificem appellans, rogauit vt Synodum Metis celebrandam indiceret, ad quam Legatos mitteret, qui vna cum Epiſcopis cauſam matrimonii ſui, aliaque cognoſcerent ac iudicarent: nempe fiduciam ipſe habens in Treuerenſi & Colonienſi Archiepiſcopis, quos iam in ſuas partes pertraxiſſet. Annuit Nicolaus, & Legatos ad prædictas res omnes tractandas in Gallias miſit, Rodoaldum Epiſcopum Portuenſem, & Ioannem Ficodenſem, cum plurimis literis ad Reges & Epiſcopos, ac libellis commonitoriis de iis quæ ipſi agere Legati deberent. Quæ nam autem geſta per illos fuerint, dicetur anno ſequenti. Iſta vero hactenus ſummatim relata, fuſius pertractata habentur in Actis & literis ea de re ſcriptis, quæ extant [f], memineruntque Anaſtaſius [g], Regino, & alii.

[f] Rec. Bar. Annal To. X. hoc an. Add. Nicol. ep. 17. & ſeqq. itemq; ep. 72. [g] Anaſt. in Nicol.

IESV CHRISTI AN. 863.

LVDOV. II. 8. MICH. III 22.

NICOLAI AN. 6.

I. CONCIL. ROM. IN CAVSA LEGATOR.

ANno Chriſti octingenteſimo ſexageſimo tertio, Indictione vndecima, cum tandem certis nuntiis Romam perlatis, & ipſius Ignatii ſcriptis per Theognoſtum Nicolao Papæ directis, explorata in omnibus habetur præuaricatio Legatorum Apoſtolicæ ſedis Rodoaldi atq; Zachariæ Conſtantinopolim miſſorum: idem Ni-

Pravaricatorvm.

colaus ſumma hieme conuocato Romæ multarum prouinciarum CONCILIO, cœpto ipſo quidem in baſilica Vaticana, ſed propter frigidiorem locum in Conſtantinianam translato, primo eumdem Zachariam Anagninum Epiſcopum præſentem, ſceluſque confitentem (Rodoaldus enim Legatus in Gallias miſſus nuper fuerat) depoſuit & excommunicauit, quod contra mandatum Apoſtolicæ Sedis, Ignatii Patriarchæ Conſtantinopolitani depoſitioni conſenſiſſet, ac Photio intruſo communicaſſet: deinde ipſum Photium alienæ ſedis inuaſorem, & legitimorum Antiſtitum perſecutorem, necnon Gregorium Syracuſanum malorum omnium auctorem, alioſque ipſis adhærentes Epiſcopos pariter depoſuit: Ignatium autem legitimum Patriarcham; alioſque à Photio expulſos, priſtinis ſedibus reſtituit. & ſi quæ præter regulam forte egiſſe perhiberentur, Apoſtolicæ ſedis iudicio reſeruauit: ac denique hæreſim Iconoclaſtarum damnans, eius quoque fautores omnes excommunicauit. Hæc quidem omnia in iſta Synodo peracta recenſet pluribus ipſe Nicolaus [a] in ſuis literis ad Orientales ſcriptis.

Photivs damnatvs.

a Nicol. ep. 7.

II. Photivs dire perseqvitvr catholicos.

Quæ autem perpetrata ſunt à Photio, vbi audiuit ſe damnatum à Romano Pontifice, Anaſtaſius Bibliothecarius in præfatione hiſtorica ad Octauam Synodum narrat: nimirum quod cum eam ob cauſam ab eius ſe communione omnes cateruatim ſepararent, ipſe œſtro furoris percitus, alios bonis, alios honoribus priuauerit, hos in longinqua exilia relegauerit, illos carceribus ac tormentis diuerſis affecerit, adeo vt nullus ſexus, nulla ætas, nulla hominum condito, eius crudelitatem euadere potuerit, adnitentibus cum eo in omnibus Michaele Imperatore, ac Barda Cæſare; denique eo inſaniæ progreſſus fuerit, vt Conciliabulum, præſidente Ipſo Imperatore, falſiſq; hominibus quaſi Vicariis Oriẽtalium ſedium formatis, collegerit, in quo falſa quędam crimina aduerſus Romanum Pontificem producens, anathematis ſententiam in eum protulerit, compoſitoque ea de re libello, mille circiter ei falſarius ſycophanta ſubſcriptiones Antiſtitum inſeruerit, cum tamen nullum prorſus conſentientem ſibi reperiſſet; præter vnum & viginti, eoſq; fautores acerrimos ipſius impietatis, reclamantibus ceteris omnibus non poſſe Summum Pontificem ab inferiori iudicari: Quo vero omnes quocumque modo ad ſe attraheret, perſuaſerit Imperatori præcipere, ne eleemoſynæ quæ à morientibus erogandæ teſtamento relinquerentur, niſi per ipſum Photium diſtribui poſſent: tum vt eas erogando putaretur proprias diſtribuere facultates, ſicq; munificus ab omnibus haberetur, tum vt ſaltem per hoc omnes ei cogerentur communicare, quandoquidem cernerent haud ſe poſſe animarum ſuarum remedia niſi per manus eius operari: ſed & quicumque ad ipſum occaſione externarum diſciplinarum, quibus apprime eruditus erat, confluerẽt, eos proprio chirographo adſtrinxerit ſuæ ipſius fidei adhærere, qui tamen impium olim errorem promulgaſſet, quod ſingulis hominibus duæ ineſſent animæ, licet non eum ſerio docuiſſe aſſereret, ſed tantum vt probaret quomodo Ignatius tunc Patriarcha, eiuſmodi è philoſophia humana petitam hæreſim, philoſophicis argumẽtis quæ parum calleret, deſtruere valeret. Hæc ex Anaſtaſio. Verum Photii audax facinus de inflicto in Nicolaum anathemate, Nicetas in Vita Ignatii referre videtur ad tempus promotionis Baſilii in Imperium.

Photii veſania in Rom. Pontif.

Photii de dvabvs animab. error.

III. Concil. Metèn. dictvm proſtibvlvm.

Hoc eodem anno, quæ fuit indictã ſuperiori, habita eſt in Gallia menſe Iunii METENSIS SYNODVS: in qua corruptis pecunia Sedis Apoſtolicæ Legatis, confirmata eſt expulſio Theutpergæ Reginæ legitimæ vxoris Lotharii Regis, & Waldradæ pellicis ſubintroductio, diſſolutaque ſententia à Sede Apoſtolica lata in Engeltrudẽ libidinoſam Boſonis Comitis vxorem: hæc omnia præcipue agentibus Gunthario Agrippinenſi ſiue Colonienſi, & Theutgaudo Treuirenſi Archiepiſcopis. Sed iidem ad Sedem Apoſtolicam miſſi, vt ea Nicolao Papæ probanda perſuaderent, cum & ſuperbe nimis publice iactarent ſe eorum omnium prauorũ geſtorum auctores extitiſſe: tantum abeſt vt quod vellent obtinuerint, vt contra ab eodem Pontifice in SYNODO eadem in Laterano collecta, ipſi depoſiti fuerint ac communione priuati, Actaq; Synodi Metenſis penitus reſciſſa, & qui ei interfuerunt Antiſtites, eadem cum illis duobus pœna mulctati, niſi citius erroris veniam per legatos peterent: ipſum vero illorum conuentum, Nicolaus non Synodum, ſed tamquam adulteris fauentem, *Proſtibulum* appellari decreuit: ac denique Engeltrudem iterata ſententia damnauit. Narrat hęc Anaſtaſius in Nicolao: quæ quidem hoc anno geſta eſſe, traditur in antiquo Frãcorum Chronico à Pithœo edito, vbi ipſa Acta Synodi Romanæ recitantur, cum de iiſdem agẽs Regino, confundat tempora. Addit vero ipſe, Guntharium & Theutgaudum, vbi damnationis ſententiam accepiſſent, vehementi agitatos furore, ad Ludouicũ Imperatorem Beneuentum vbi tunc erat perrexiſſe, multaq; in Nicolaum blaſphemantes, magnopere aduerſus eum commouiſſe Imperatorẽ. Quem inſuper Rempertus in hiſtoria Longobardorum ait, cum Nicolao per literas perſuaderet non potuiſſe vt illos abſolutos redderet ſuis Eccleſiis: ipſummet ſe in Vrbem contuliſſe, ſed Nicolai conſtantia victum, re infecta Beneuentum rediiſſe.

Conc. Pro ab ſciſſione Metenſi.

IV. Satanicæ calvmniæ Photii pro damnatione Nicol. pp.

Quare perditiſſimi duo illi Epiſcopi, cum deſperatam reſtitutionem viderent, ſchiſmaticis adhærentes quos ſcirent infenſiſſimo eſſe odio in Nicolaum, nempe Photio, eiuſque ſectariis qui in his partibus erant ſub dominio Imperatoris Orientis, miſerunt ad eum epiſtolam, quam ſe ad Nicolaum de ſua ipſorum condemnatione ab eo illegitime facta ſcripſiſſe confinxerunt, calumniis, mendaciis, atq; blaſphemiis refertiſſimam, cuiuſmodi nulli vmquam Gentiles, Iudæi, hæretici, vel ſchiſmatici, aduerſus Apoſtolicæ Sedis Pontificem ſcribere vel cogitaſſent, denique ſpiritu plane ſatanico elaboratam, quæ ab eodem veteris Chronici auctor à Pithœo editi recitatur [b], meminitque eiuſdem Anaſtaſius Bibliothecarius, qui eius auctores non ſolum prædictos Archiepiſcopos fuiſſe tradit, ſed & Haganonem Bergomenſem Epiſcopum æq; aliorum ſcelerum ab eis commiſſorum complicem, fauentibus quoque Ioanne Rauennate Archiepiſcopo, & Gregorio ipſius fratre, multarum præuaricationum reis. Hac autem, quam multo pretio redemiſſet, arrepta Photius occaſione, circularem ſcripſit ad omnes Patriarchas Orientis epiſtolam [c], de cogenda Synodo Oecumenica aduerſus Nicolaum Papam, & Latinam Eccleſiam, quam permultis infamauit calumnioſis criminibus. Conſtat tamen eam nonniſi poſt triennium ſcriptam eſſe.

b Recitat quoque illam Bar. Anno To. X. hoc an.

c Rec. Bar. ibid.

V. Armenorvm errores.

d Bibl. SS. Patr. To. III.

Sed quia ipſo ferme eius exordio mentio habetur de Armenis, ex erroribus hęreticorum ad pietatem redditis, hic opportune ex S. Nicone [d] eorumdem ARMENORVM errores breuiter adducendi ſunt in medium. Dicebant namque diuinam naturam eſſe patibilem, & Trinitatem paſſam eſſe: Spiritum Sanctum Patre & Filio eſſe minorem aſſerebant: in duarum Chriſti naturarum vnione cõfuſionem decernebant: Euchariſtiam ex pane azymo (Iudaizantes videlicet, non autem more Eccleſiæ Latinæ) conficiebant, & in ſanctum calicem aquam non immittebant. Carnem Domini in Mariæ Virginis vtero aliter formatam exiſtimabant, quam Chriſtiani credunt: ſiquidem cum quinto menſis Ianuarii veſpere feſtum Euangeliſmi celebrarent, mane autem Chriſti natalem, & in diuino ſacrificio ſancta Theophania, inde exiſtimati ſunt crediſſe, aut infantem vno die conceptum natumque, aut duodecim mẽſes in vtero manſiſſe. Circumciſionem autem octobris diebus poſt Theophaniam celebrant, neſcientes quod prius circumciſus fuerit Chriſtus quam baptizatus: & alia quædam abſurda in his obſeruabant. Vniuerſalem ſuum Epiſcopum contra canones ordinabant. A ſacris Euangeliis auferebãt verba de ſudore Chriſti ſanguineo, & hiſtoriam de muliere adultera ad eum adducta, nec condemnata negabant, quaſi hæc minus decerent Chriſti diuinitatem atque iuſtitiam. Sabbatis & Dominicis Quadrageſimæ, oua, caſeum, & butyrum comedebant, & in aliis ieiuniorum obſeruationibus ac temporibus multa peccabant. Sacrum celebrantes, non ſolum

capiti tegmen non detrahebant, ſed etiam capiti cucullam adiiciebant. Sacras Imagines non adorabant, nec Crucem ipſam, niſi prius clauum in eam immiſiſſent, eamdemque baptizaſſent. Omnia inſuper fere legalia olim abolita obſeruabant; agnum etiam magno Dominico ſacrificãtes, & pro mortuis ouium & boum ſacrificia peragentes; aliaque impia in his miſcentes, quæ idem S. Nicon recenſet. Ceterum quod Photius eoſdem Armenos ad Catholicam fidem conuerſos eſſe tradit; id vane aſſeruiſſe putatur, cum hoc longe poſtea ipſius S. Niconis opera factum ſcribatur: de quo dicetur ſuo loco.

VI. DE LAPSIS EPISCOP. IN METEN. CONCIL.

Vt vero iam ad excommunicatos Archiepiſcopos redeamus; cum haud leue bellũ in ipſum Nicolaum Pontificem concitaſſent, alter eorum, nempe Theutgaudus, ad ſe reuerſus, magna inſtantia pulſauit diu fores Romanæ Eccleſiæ vt ab ea reciperetur. Sed quod ſicut nemini vere pœnitenti obſerantur eædem ad veniam peccatorum conſequendam, ita ad reſtitutionem honoris priſtini, in atrocioribus facinoribus reſerari ſemper minime conſueuerunt: hoc ipſe petens, reiectus mœrens manſit extorris dum idem Nicolaus vixit à ſacris abſtinens, Guntharius autem maiori in dies auerſione obſtinatior perſeuerauit, conſueta munia ſacerdotalia iniens. At reliqui Cõciliabuli Metenſis Epiſcopi, quorum nõ eſſet tanta culpa, libellos ſupplices eidem Pontifici offerrentes, quibuſdam ab eo acceptis conditionibus veniam ſunt conſecuti. Quod quidem præſtitiſſe inprimis Aduentium Metenſem, literæ [c] tunc ab ipſo ad eumdem Pontificem datæ, & ab hoc ad ipſum redditæ ſignificant. Cum autem prouinciis quæ Carolo Regi ſubiacerent, innotuiſſent quæ geſta eſſent in Metenſi Concilio, exiſtimantes Epiſcopi ex eo quod Legati Apoſtolicæ Sedis omnia confirmaſſent, eadem Nicolai voluntate confecta eſſe ſcripſerunt ad eum literas amariſſimas ex *Synodo Siluanectenſi*, quam menſe Iunio collegerant, quibus eum rogarunt mutare ſententiã. Sed eis ille reſcribens [f], fraudem Legatorum, & quid in ea cauſa ipſe egiſſet ſignificauit, admonuitque vt illud per ipſos vniuerſo populo innoteſceret, ne ſimpliciores inde ſcandalum paterentur.

c *Rec Par. vbi ſupra.*

f *Nicol. ep. 32.*

VII. HINCMARVS SVRRIPIT A NICOL. PP. CONFIRMATIONEM GEST. SVOR.

g *Id ep. 28.*

Hoc eodem anno menſe Aprilis, Hincmarus Rhemẽſis Archiepiſcopus ſurripuit ab eodem Nicolao [g] Papa dolum neſciente, confirmationem Concilii Sueſſionenſis ante decennium celebrati, necnon priuilegiorum Rhemenſis Eccleſiæ, *Saluo tamen in omnibus Apoſtolicæ Romanæ Sedis iure, ac iuſſu, & iudicio; atque ita ſi in nullo negotio eius iuſſionibus eſſet* Hincmarus *inobediens.* Quibus literis acceptis Hincmarus, iam opere perficere aggreſſus eſt, quod mente conceperat aduerſus Rhotaldum Epiſcopum Sueſſionenſem, cuius cauſa prædictum Siluanectenſe Concilium præparauerat; in quo idem Rhotaldus ob depoſitũ ab ipſo quemdam presbyterum, aliaque obiecta crimina, depoſitus eſt; & quantumlibet Sedem Apoſtolicam appellans, in monaſterium detruſus, alio in eius locum Epiſcopo ſubrogato.

VIII. NICOL. IRRITAT GESTA ADVERSVS RHOTAL. SVESSION.

h *Lat. int. epiſt. Nicol. poſt ep. 37.*

Additum vero eſt, vt ab eadem Synodo mitteretur Legatus Odo Belloüacorum Epiſcopus ad Apoſtolicam Sedem, ab obtinendam confirmationem eorum quæ in ea geſta eſſent. Quo eodem tempore miſſus eſt pariter libellus ſupplex querelarum Rhotaldi, de iis quæ iniuſte paſſus eſſet; aliæque inſuper à vicinis compluribus tyrannicum factum deteſtantibus, pro eodem additæ ſunt querimoniæ. Itaque Nicolaus collecta Romæ SYNODO, habitaque diligenti totius cauſæ conſultatione; quod conſentiens eſſe ſacris Eccleſiæ regulis nouit, ad eumdẽ Conuẽtum Siluanectenſem reſcripſit epiſtolam [i], qua prorſus irrita reddidit quæ ipſi geſſiſſent: iuſſitque ſub pœna ſuſpẽſionis à ſacris, vt Rhotaldum gradui priſtino reſtituerent, vel quidam eorum Romam cum ipſo venirent iudicium experturi: atque eadem de re alias dedit literas [k] ſeorſum ad ipſum Hincmarum, eique fauentem Regem Carolum, quibus ipſe antea acceperat. Ceterum Hincmarus magnam ſibi ex iniquo eiuſmodi iudicio notam infamiæ irrogauit; maiorem vero, cum ad triennium vſque refractarius obſtitit Romano Pontifici; ſed & maximam,

i *Ibid. ep. 32.*

k *Id. ep. 28. 29 31.*

HINCMARVS MVLTIPLICIBVS SEMACVLIS ASPERSIT.

dum in eumdem ſecum traxit errorem Carolum Regem, & alios quoſdam Epiſcopos, de quibus extant plures eiuſdem Pontificis in Gallias datæ epiſtolæ: cũ alioqui Rhotaldus valde bonus eſſet ſenex, in officio ſuo magna ſemper cum laude verſatus, vt idem Nicolaus [l] teſtatur. Porro excuſauit ſe poſtea Hincmarus apud eumdem Pontificem epiſtola apologetica prolixa ſatis, quam recitat Frodoardus [m] propenſior erga ſuum Hincmarum; qua plurima continentur obſeruatione digniſſima, præcipue vero de cultu exhibendo erga Sedem Apoſtolicam.

l *ep. 29.*

m *Frod. hiſt. Rhem. lib. 3. cap. 13.*

IX.

Poſt hæc autem accepit Nicolaus ab eodem Rege Carolo literas, quibus inter alia indigno ſe animo tuliſſe ſignificauit, quod Balduinum filiæ ſuæ Iudith raptorem profugum Romæ recepiſſet, atque pro illo preces ad ipſum Carolum adhibuiſſet. Cui ſimilis querela fuit Synodi iam memoratæ Siluanectenſis [n]. Sed reſcripſit Nicolaus, ſe quidem facinus Balduini deteſtatum eſſe, poſtulantem vero ſubſidium Apoſtolorum abiicere non licuiſſe. Nulli autem Regnum graue videri debere, cõſeruo debitum cenſum denariorum dimittere, qui fortaſſe à ſummo Rege Regũ & Domino Dominorum decem millia talentorum ſibi relaxari deſiderat. Ceterum Balduinum tãdem à Carolo receptum fuiſſe in gratiam, & eidem Iudith matrimonio coniunctum, honoribuſque maximis affectum, & ampla ditione in Belgio donatum; docent Francorum hiſtoriæ, ipſæque eiuſdem Pontificis literæ [o] quibus eo nomine gratias egit Regi. Ad quarum etiam finẽ, eidem gratulatus eſt de victoria aduerſus Northmannos conſecuta. Præliabatur enim contra illos per Comitem Ruodbertum; quem præ excellentia & multiplicitate rerum in bellis fortiter geſtarum, veteres Annales Francorum à Photio editi Iudæ comparant Machabæo.

n *Nicol. ep. 30. & 32.*

o *Id. ep. 32.*

IESV CHRISTI AN. 864.

LVDOV. II. 9. MICH. III. 23.

NICOLAI AN. 7.

I. CONCIL. ROM. PRO RODOALDI LEGATI DAMNATIONE.

ANno Chriſti octingenteſimo ſexageſimo quarto, Indictione duodecima, Nicolaus Papa collecta Romæ SYNODO in baſilica in Conſtantiniana aduerſus Rodoaldum Portuenſem Epiſcopum, qui in Oriente primũ, inde in Galliis legatione functus vbique præuaricatorem ſe præbuerat, & vocatus ſæpe, refugerat ſemper, maleque ſibi conſcius latebras quæritauerat: eumdem licet adhuc abſentem, ab Epiſcopatu depoſuit, & excommunicatione mulctauit. Quomodo vero iſta ſe habuerint, ipſe Nicolaus [a] ſuis epiſtolis declarat.

a *Nicol ep. 7. & 10*

II. LAVS ROLANDI ARCHIEP. ARELAT.

Inter tot autem naufragia Epiſcoporum Galliarum, & diſſenſiones eorum, de quibus dictum eſt ſuperius, diceturque inferius maximè commendanda eſt fides erga Apoſtolicam Sedem Archiepiſcopi Arelatenſis. Reperitur enim quod hoc eodem anno Rotlandus illius Eccleſiæ Antiſtes, memor antiquorum temporum, quibus ante omnes Galliarum Epiſcopos, ipſius prædeceſſores ſpeciali prærogatiua à Romanis Pontificibus decorati eſſent, ſcribens ad Nicolaum Papam, laudat inprimis quæ ab ipſo decreta eſſent aduerſus ſacrorum canonum contemptores, pollicens ſe inhæſurum ſemper S. Apoſtolicæ Sedis decretis: ad quem Nicolaus reſcripſit [b] hoc ipſo anno die duodecima Maii.

b *Rec. Par. To. X. Lucæ, ex cod. Arc. Aug.*

III. CONSVLTATIONES FREQVENTES AD NIC. PP.

Sed & auctor eſt Anaſtaſius, his temporibus frequẽtiſſimas ex toto Orbe ad eumdem Nicolaum, cognita ipſius eximia doctrina, conſultationes directas eſſe, eiſque omnibus ipſum ſatisfacere conſueuiſſe: Sardos quoque cenſuris Eccleſiaſticis ab inceſtis & illicitis nuptiis quas frequentarent cohibuiſſe: atque in Vrbe cunctos pauperes ac debiles ingenti ſolicitudine patuiſſe: multamque curam in reſtituendis, erigendis, ornandiſque Eccleſiis adhibuiſſe; aliaque plurima egregia peregiſſe.

LVDOV. II. 10. MICH. III. 24.

IESV CHRISTI AN. 865.

NICOLAI AN. 8.

I. CONC. R. DE REB. GALLICIS.

ANno Chriſti octingenteſimo ſexageſimo quinto, Indictione decimatertia, duodecimo Calendas Februarii, celebrata Romæ in Vaticano SYNODO, Nicolaus Papa inter alia Rhotaldum Sueſſionenſem Epiſcopum (qui iam anno ſuperiori, poſt iteratas eiuſdem Pontificis [a] iuſſiones, Romam miſſus fuerat) cum per octo menſes expectati nulli accederent eius accuſatores, in ſuam Eccleſiam reſtituit, promulgato ea de re decreto [b] publico. Cum eo vero, tum pro ipſius reſtitutione, tum pro abdicanda Lotharii Regis pellice Waldrada, aliiſq; peragendis, Arſenium Hortenſem Epiſcopum Legatum in Gallias miſit. Hæc pluribus Anaſtaſius in Vita eiuſdem Pontificis.

a Nicol. ep. 14. 15. 17. b Id. ep. 19.

II. c Id. ep. 41.

Inter alias autem, quas tunc pro Rhotaldo ad Eccleſiam ſuam remiſſo Nicolaus literas ſcripſit, famoſiſſima eſt illa epiſtola [c], quam dedit ad Epiſcopos Galliarum, qui queſti fuerant quod cauſæ Epiſcoporum iudicandæ in Synodis per Coepiſcopos, aduocarentur ad Apoſtolicam Sedem; ſuiſque literis in dubium reuocarant, num Epiſtolæ illæ Romanorum antiquiorum Pontificum, quæ non eſſent inſertæ in corpore Canonum, ſed ab Iſidoro Mercatore in Collectione ſua deſcriptæ, eſſent in auctoritatem ſicut cęteræ accipiendæ. Quæ vt planiora fiant, ſciendum eſt quod quæ antiquior eſt facta Collectio Epiſtolarum Decretalium Romanorum Pontificum, atque Canonum diuerſorum Conciliorum, id ſibi nomen vendicauit, vt eiuſmodi volumen diceretur Liber ſiue Codex Canonum, aut Corpus Canonum; cui poſtea facta eſt acceſſio Epiſtolarum atq; Canonum ſubſequentium Pontificum & Conciliorum. Quæ autem antiquior & vberior apparuit eiuſmodi Collectio, fuit *Creſtonii*, de qua ſuo loco ſuperius dictum eſt. Cum vero plures aliæ compilatæ poſt eum fuerint; quæ cæteris opulentior edita eſt ab *Iſidoro* cognomento *Mercatore*, continens epiſtolas antiquorum Pontificum Romanorum incipiens à Clemente, longe recentior fuit; teſtante Hincmaro [d] Rhemenſi Archiepiſcopo, non ante Carolum Magnum ab Hiſpania in Gallias delatam fuiſſe per Riculphum Archiepiſcopum Moguntinum. Vnde coniectura eſt, Iſidorum illum haud pridem vixiſſe & ſcripſiſſe. Qui autem ex dictis epiſtolis ab Iſidoro primum editis collegit Capitula, eaque intulit in libros Capitulares Regum Francorum; fuit *Benedictus Leuita*, qui id de ſe ipſo teſtatur in præfatione libri quinti eorumdem Capitularium, ſcripta ad filios Ludouici Pij Imperatoris, Lotharium, Ludouicum, & Carolum Reges.

DE MVLTIPLICIBVS COLLECTIONIBVS CANONVM, ET EPIST. DECRETAL.

d Hincmar. Rhem. ep. ad Hincm. Laudun.

III. COLLECTIO ISIDORI AB ANTIQVIS NON ADEO PROBATA.

Poſt hunc id ipſum præſtitit *Hincmarus* Iunior Epiſcopus Laudunenſis, nouiſſimus vſq; ad hæc tempora Collector: quem Hincmarus Rhemenſis, qui emunctas magis nares habuit, in multis redarguit, ſugillans eam qua Laudunenſis vſus fuerat Iſidori Collectionem. Quemadmodum & ipſe Benedictus Leuita, quamuis ex eadem Iſidori Collectione acceperit multa; tamen bene conſcius auctoritatem Epiſtolarum ſub antiquorum illorum Pontificum nomine promulgatarum haud adeo conſtantem eſſe, ſed in multis nutare; nuſquam aliquem illarum citauit auctorem, vt fecit in reliquis de quibus numquam fuiſſet dubitatum, puta Innocentii, Leonis, Gelaſii, Symmachi, atque Gregorii. Qui autem primus excerpta ex eis decreta, cum titulo edidit Romanorum Pontificum, quorum nomine cenſerentur; fuit prædictus Hincmarus Laudunenſis; vt apparet ex epiſtola, ſeu libro contra ipſum ſcripto ab Hincmaro Rhemenſi, qui eam Laudunenſis lucubrationem (vt diximus) in pluribus arguit. Laudunenſem vero ſecuti poſtea ſunt alii, vt qui ſequenti ſæculo ſcripſit *Burchardus*, & poſt ipſum alii, qui nomina ipſorum Romanorum Pontificum ſingulis capitib. præfixerunt; quod & omnium nouiſſimus ęque præſtitit *Gratianus*. At vero ex multis pleraſq; earumdem Epiſtolarum reddi ſuſpectas, ſatis oſtendunt quę de illis ferme ſingulis, ſuperius ſuis locis dicta ſunt: nec illis indiget S. R. Eccleſia, vt ſi eæ falſitatis arguantur, ſuis ipſa deſtituatur iuribus & priuilegiis; cum ex aliis legitimis germaniſq; ſatis ſuperque corroborata conſiſtat.

IV.

Ceterum quod excerpta ex illis capita Benedictus Leuita primum, vt Canonibus conſentientia probari curaſſet (vt ipſe teſtatur) auctoritate Apoſtolica; idemque à poſterioribus factum eſſet Collectoribus: eadem excerpta vſu potius recipi contigit, quam conſtanti ipſarum Epiſtolarum firmitate. Sed quod his temporibus (cum recens haberetur earum editio, nec perfecte in omnibus cognitæ eſſent) ea ex parte tantum eas recipiendas eſſe negaretur, quod extra corpus canonum ſuo ſeorſum volumine poſitæ haberentur: hanc Francorum Antiſtitum obiectionem magni poſſe eſſe momenti Nicolaus conſiderans, quod eadem pariter ſententia reliquæ omnes Romanorum Pontificum extra poſitæ Decretales abolerentur; idem reſcribẽs [e] ad ſingula capita eius quam ſuperius diximus eorumdem epiſtolæ, primo multis rationibus & auctoritatibus confirmat, maiora omnia negotia (inter quæ etiam numerandæ ſint cauſæ Epiſcoporum) ad Sedẽ Apoſtolicam deferri debere, ex priuilegio à Chriſto Domino ei ſedi tributo: deinde docet Decretales Romanorum Pontificum Epiſtolas æquè omnes ſuſcipiendas eſſe, etiamſi non ſint inſertæ Canonum codici: ac denique iubet Rothaldum à ſe reſtitutum ab omnibus ſuſcipi, pœna excommunicationis refractariis intentata. Sicut & ſcribens [f] ad Carolum Regem, rogat vt faueat Rhotaldo ad ſuam Eccleſiam reuertenti, ac niſi faciat excommunicationem comminatur: aliiſque rurſum literis [g] Hincmarum Rhemenſem Rhotaldi perſecutorem, acerrimis obiurgationibus reprehendit: ac denique ſcripſit ad [h] Sueſſionenſem Eccleſiam, cui legitimum ſuum reſtituit abſolutum Epiſcopum. Porro acquieuiſſe protinus iudicio Nicolai Hincmarum, ipſemet teſtatur in epiſtola ad alterum Hincmarum Laudunenſem apud Frodoardum [i]. Veniamque pariter pro delicto alios Epiſcopos qui interfuerant Concilio Siluanectenſi, exoraſſe ab eodem Pontifice; conſtat ex literis [k] ab ipſo hoc eodem anno redditis ad vnum illorum Franconem dictum, magni eius temporis nominis virum.

QVID AD OBIECTIONES EPISC. GALL. NICOLAVS RESCRIPSERIT.

e ep. 41.

DECRETALES EPIST. AEQVE OMNES SVSCIPIENDAE.

f ep. 46. g ep. 42.

h ep. 43.

i Frod. 3. hiſt. Rhem. 22.

k ep. 45.

V. RES BENE GESTA A LEGATIS SEDIS APOST. IN CAVSA LOTHARII REG. ET ALIOR.

Qui igitur in Gallias peruenit Arſenius Epiſcopus Legatus Apoſtolicæ Sedis, ab ipſis Regibus atque Epiſcopis honorificentiſſime vbique ſuſceptus, non ſolum in reſtitutione Rhotaldi egregiam nauauit operam; ſed etiam propoſita rurſum excommunicationis pœna aduerſus Lotharium Regem, qui variis tergiuerſationibus [l] iudicium Apoſtolicæ Sedis hactenus eluſerat, adeo apud ipſum profecit, vt perſuaſerit Theutpergam vxorem recipere, dimiſſa pellice VValdrada; quam & Romam ire iuſſit reddere rationem Apoſtolicæ Sedi. Laudatur is magnopere hoc nomine à Reginone, & ab auctore huius temporis qui Francorum ſcripſit Annales à Pithœo editos. Additque Regino, eumdem induxiſſe pariter Engeltrudem illam impudicam, vt iuraret ſe Romam acceſſuram ad pœnitentiam ſuſcipiendam: ſed ipſam à cœpto itinere in Gallias receſſiſſe: Arſenium vero acerrimis in eam ad omnes Epiſcopos ſcriptis literis, prohibuiſſe ne ab aliquo ad communionem ſuſciperetur. Præterea pacem inter Francorum Reges compoſuiſſe, iidem Annales teſtantur: pro qua pariter extant Nicolai Papæ ad eoſdem Reges, ipſorumque Regnorum Epiſcopos, ſcriptæ [m] literæ.

l Vid. Nicol. ep. 27.

m ep. 25. 26. 27.

VI. MICHAEL IMP. INDIGNAS SCRIBIT LITERAS AD NICOL. PAP.

Hoc pariter anno Michael Imperator; Michaelem Protoſpatharium Romam miſit Legatum ad Nicolaum Pontificem, literas ſcribens refertas iniuriis, detrectationibus, atque blaſphemiis, auctore haud dubium Photio ipſi Nicolao infenſiſſimo. Non extant illæ quidem (nã Synodali decreto fuiſſe traditas igni, quæ ſumus dicturi ſignificant) ſed hoc anno, nempe Indictione decimatertia fuiſſe ſcriptas teſtantur aliæ eiuſdem Pontificis [n] ad Imperatorem & Epiſcopos Orientis anno ſequenti datæ: extatque rurſum alia [o] hoc præſenti anno, iam ſtante hieme, ab ipſo ægrotante Nicolao ad Imperatorem per eum-

n ep. 9. & 10.

o ep. 8.

DIGNA RESPONSIO NICOLAI AD IMP.

dem Protoſpatharium ſcripta epiſtola valde prolixa, dignaque plane tanto Pontifice; qua omnes eiuſmodi calumnias atque blaſphemias luculenter refellit, Romanæque Eccleſiæ auctoritatem ab ipſo Deo ſtabilitam defendit, & nihil in eam poſſe Imperatores demonſtrat: ad finem tamen indulget, vt iudicata iam ſemel ab Apoſtolica Sede cauſa Ignatii Patriarchæ Conſtantinopolitani, iterum iudicetur Romæ, quo accedere debeant ipſimet Ignatius expulſus, atque inuaſor Photius aut ſaltem legatos pro ſe mittant. Sed & haud ſufficere exiſtimans contrariis literis confutaſſe blaſphemas Imperatoris literas, quin inſuper iudicans eas omnino dignas incendio; id omnino ipſi Imperatori publice faciẽdum aliis [p] literis præcepit; quod ſi negligeret, ſolemni ſe ritu facturum Romæ denunciauit: minatus etiam excommunicationem, ſi in ſuis ſceleribus perſiſteret. Scribenſque id ipſum de literis concremandis ad Clerum [q] Conſtantinopolitanum & Epiſcopos eidem Eccleſiæ ſubiectos, detrectantibus id agere ſimiliter excommunicationem intentat.

p ep. 9. IVBET COMBVRI LITERAS IMP ET MINATVR EXCOMMVN. q ep. 10.

VII. CAMPANÆ INCIPIVNT VSVI ESSE GRÆCIS.

Eodem anno corpora SS. Euſebii & Pontiani in Gallias fuiſſe tranſlata Nicolao annuente, tradit Sigebertus. Sed & ærea inſtrumenta, quæ *Campanas* dicimus, vſui eſſe cœpiſſe Græcis, miſſis ipſis ad Michaelem Imperatorem à Duce Venetiarum Vrſo Patriciaco; aſſerunt ſcriptores proſecuti res Venetas.

LVDOVICI II. 11. MICH. III. 25.

IESV CHRISTI AN. 866.

NICOLAI AN. 9.

I. BVLGARORVM LEGATIO ROMAM MISSA.

ANno Domini octingenteſimo ſexageſimo ſexto, Indictione decimaquarta, nouo populo & nouo Rege Romana augetur Eccleſia. Quo enim tempore in eam armabatur perfidus Michael Imperator, alter *Michael Rex Bulgarorum* magna Dei prouidentia, dato nomine Chriſto honorificentiſſimam legationem menſe Auguſto miſit cum donis ad Nicolaum Papam, à quo & nonnullos mitti in Bulgariam petiit qui populum illum plenius fidem ritusque Chriſtianos docerent. Elegit ad hoc opus Pontifex Paulum Populonienſem, & Formoſum Portuenſem, magnæ ſanctitatis Epiſcopos. Sed & quod per Bulgariam facile terreſtre iter eſſet Conſtantinopolim, idem Pontifex alios cum iiſdem miſit Legatos, videlicet Donatum Epiſcopum Oſtienſem, Leonem presbyterum tituli S. Laurentii in Damaſo, & Marinum diaconum S. R. E. per quos Imperatorem ad meliorem frugem reduceret, & omnibus Orientalibus denuntiaret, quæ fuiſſent in cauſa Ignatii & Photii à Sede Apoſtolica decreta. Hæc ex Anaſtaſio; quorum etiam meminit ipſe Nicolaus [a] ſcribens ad Hincmarum Rhemenſem Epiſcopum. Extantq; multiplices [b] literæ, quas de iis rebus ſecundum quod ſingulos tangerent, per eoſdem Legatos ſcripſit ad Michaelem Imperatorem, eiuſque vxorem Eudoxiam, Bardam Cæſarem, atque Senatum; itemque ad omnes Epiſcopos Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſubiectos, eiuſdemque Clerum; necnon ad ipſos quorum præcipue cauſa vertebatur, Ignatium, & Photium; ac denique ad decus illud & ornamentum ſanctarum feminarum, matrem Imperatoris adhuc ſuperſtitem, ſed ab eo (vt vidimus) detruſam in monaſterium, Theodoram Auguſtam; quam de fide Catholica optime culta egregie laudat, & de tribulationibus ipſius conſolatur. quæ quidem paulo poſt ex hac vita decedens, relata eſt inter Sanctos in tabulas Eccleſiaſticas [c] Græcorum. Porro cum omnes eiuſmodi Nicolai epiſtolæ ſcriptæ reperiantur menſe Nouembris Indictionis decimæquintæ; inde poſſumus intelligere, vltimo huius anni tempore contigiſſe profectionem Legatorum. Quid vero egerint, dicetur anno ſequenti.

NICOL. PP. LEGATOS MITTIT CONSTANTINOP. a ep. 70. b ep. 8. & ſeqq.

THEODORA AVG. INTER SANCTOS RELATA. c Menolog. 11. Feb.

II. DE CHRISTIANITATE BVLGAROR.

Quod autem pertinet ad Chriſtianitatem Bulgarorum; cum ex iis quæ alibi ſuperius dicta ſunt, liqueat iampridem nonnullos ex ipſis conſuetudine Chriſtianorum, abdicato idolorum cultu fidem ſuſcepiſſe; ex literis pariter Nicolai Papæ ad ipſorum conſultationes reſpondendis certum redditur, accidiſſe vt iidem ob diuerſitatem religionis, non ciuili tantum, ſed domeſtico bello inter ſe altercati ſint; ac poxime cum Rex coegiſſet baptizari omnes Gentiles, hi aduerſus eum arma mouerint. Sed & ſubdolos quoſdam operarios, ex Græcis ſiue Armenis aduenientes, eoſdem nonnulla ſuperſtitioſa docuiſſe; oſtendunt eædem Nicolai literæ. Porro in Bulgari licet adhuc rudes ſubodorati, optantes de fontibus Saluatoris aquam haurire puram, ad Eccleſiam Romanam omnium magiſtram legationem quam diximus inſtituerunt, centumque & ſex cõſultationes ad ipſum retulerunt: quibus quidem Nicolaus totidem reſponſionibus ſatisfaciens, vna quoque ad eoſdem plures libros tranſmiſit, qui neceſſarii eſſe viderentur ad imbuendam illam Eccleſiam ſacris dogmatibus: atque præterea iiſdem primus auctor extitit, vt qui hactenus in bello pro inſigni eſſent vſi equina cauda, deinceps S. Crucis vexillo, vt olim Conſtantinus, vterentur.

III LVDOVIC. IMP. SARACENOS DEBELLAT. d Leo Oſt. lib. 1. c. 37. 38.

Hoc eodem anno Ludouicus Imperator, aduerſus Saracenos Campaniam & Samnium infeſtantes ingenti comparato exercitu, eos variis cladibus affecit, vt teſtantur Regino, & Leo [d] Oſtienſis: qui quidem diligentius hæc proſequutus, meminit etiam de donis ab eodem Imperatore collatis monaſterio Caſſinenſi, deque aliis operibus pietatis quibus aditum ſibi patefecit vincendi perfidos hoſtes.

IV. VVALDRADA ITERVM EXCOMMVNICATVR A NICOL.

Eodem anno cum VValdrada Lotharii Regis concubina viſa eſſet eluſiſſe Apoſtolicam Sedem, vtpote quæ pollicita Romam ſe conferre expiationis cauſa delicti, ingreſſa in Italiam retro in Gallias remeaſſet, rurſumque coacta Italiam repetere, nulla ſigna pœnitentiæ oſtendiſſet; ſed & cum ipſa Lotharius traducere videri poſſet Romanam Eccleſiam: Nicolaus Papa conuocata Eccleſia eamdem VValdradam publice excommunicauit quarto Nonas Februarii, eaque de re certiores reddidit omnes Epiſcopos per literas [e] ſcriptas Idibus Iunii iſtius anni. Quæ vt Lotharius accepit, ad placandum Pontificem curauit vt Aduentius Metenſis Epiſcopus, in excuſationem ipſius & Epiſcoporum eius Regni, de his quæ in eos obiiciebantur à Nicolao, ad eum literas [f] ſcriberet efficaciſſimas, quibus aſſeruit eumdem Lotharium renunciaſſe penitus amori VValdradæ, ac Theutpergam Reginam magna dilectione & honore proſequi. Sed & quod minaces valde ad ipſum Lotharium Nicolaus literas ſcripſiſſet, quibus & Regni iacturam fuerat interminatus; ipſe ad eum ſummiſſas admodum & officii plenas reddidit [g] apologeticas, quibus cum ſe inprimis excuſet, & ſubiectum ſe Deo, & Sancto Petro, ceteriſque Sanctis, ac ipſi Nicolao Pontifici profiteatur, Cancellarium Regni ad ipſum direxit qui præſens ei de omnibus ſatisfaceret. Sed hæc omnia ad eludendum Pontificem: ſiquidem adhuc reperitur anno ſequenti idem Nicolaus [h] varias ſcripſiſſe ad Reges & Epiſcopos literas, aduerſus conatus Lotharii, Theutpergam peſſime habentis, & omnibus modis VValdradam ſubintroducere pertentantis.

e Ext. ap. Regin. in Chron. f Ext. Bar. Annal. To. X. an. EXCVSATIONES LOTHARII REG. g Ext. Bar. ibid. h ep. 48. & ſeqq.

V. i Ext. Bar. 1. & ſeq. CONCIL. SVESSION. IN CAVSA CLERIC. RHEM.

Hoc item anno idem Nicolaus ſcribens ad Herardum [i] Epiſcopum Turnenſem, indixit CONCILIVM Sueſſione ab omnibus Galliarum Epiſcopis celebrandum decimoquinto Calendas Septembris, in cauſa VVlfadi, aliorumque quorumdam clericorum ab Ebbone olim Rhemenſi Archiepiſcopo cum eſſet in eam Eccleſiam reſtitutus ordinatorum, ab Hincmaro vero poſtea depoſitorum. Cum autem Sueſſionem conueniſſent magno numero ex vniuerſa ferme Gallia Epiſcopi; atque inter alia ibi tractata, communi omnium conſenſu iidem clerici digni graduum ſuorum receptione pronunciati eſſent: ea de re ſcriptam Synodicam epiſtolam ipſi Antiſtites per Egilonem Archiepiſcopum Senonenſem ad Nicolaum miſerunt octauo Calendas Septembris; ea vero recepta idem Pontifex aliam ad eos reſcripſit [k] octauo Idus Decembris, qua & eorumdem clericorum reſtitutionem confirmauit, & cuncta quæ per Hincmarum, cum aduerſus eoſdem clericos,

k ep. 46.

cum vllis colloqui: ac paulo poſt ſecutam eſſe inſomnii executionem, nempe Bardæ obtruncationem; quæ quidem ſic ſe habuit.

VI. BARDÆ CÆS. MISERANDVS INTERITVS.

Cum aduerſus Cretenſes expeditionem Bardas cum Michaele Imperatore paraſſet, quadamque die ſiue conſulto, ſiue inſcitia, Imperatoris tentoria in loco plano collocata fuiſſent, Bardæ vero in ſupereminente colle, indignatus Imperator (qui eum iam ex aliis ſuſpectum haberet) necem eius machinatus eſt; cuius ſignum ipſius Bardæ gener, Sabbatius Logotheta Dromi, ab Imperatore deceptus, imprudens dedit, Cruce in ore ſuo impreſſa. Cum vero nihilominus differrent coniurati ob Bardæ potentiam, cuius filio Antigono Domeſtici Scholarum Præfecto omnes exercitus duces parerent, demum animante ceteros Baſilio Cubiculi Imperatoris præfecto, gladiis ſtrictis impetu in Bardam facto, ipſum ſubitaneo caſu perterritum ad pedes Imperatoris ſe proſternentem, foras extrahentes fruſtatim conciderunt, eiuſque genitalia haſtæ appenſa per exercitum traduxerunt. Narrat hæc pluribus Curopalates: quæ quidem accidiſſe prima die menſis Aprilis tradit. Sed error apud eundem irrepſit, dum id factum aſſerit Indictione decimaquarta: quod non ante hanc decimamquintam accidere potuiſſe, ſatis conſtat ex epiſtola Nicolai Papæ ad ipſum Bardam data in fine anni ſuperioris, & ex iis quæ Nicetas in Ignatio ſcribit. Addunt autem iidem auctores, rurſum Conſtantinopolim Imperatorem, cum ſolus Rempublicam adminiſtrare non valeret, legitimaque prole careret; ſibi in filium adoptaſſe, eumdem qui ſupra BASILIVM Cubiculi præfectum, atque Imperatorem creaſſe die vigeſimaſexta Maii.

BASILIVS EX CVBIC. PRÆFECT. CREATVR IMP.

VII. PHOTIVS ANATHEMA INFERT IN SVM. PONT.

Quo tempore (vt addit Nicetas) Photius cum ſcriptis ſuis aduerſus Nicolaum Papam promulgatis nihil ſe profeciſſe cerneret, perſuaſit impius eidem impio Michaeli Imperatori, *Synodum* congregare, qua vicem rependens Nicolao, ipſum damnaret à quo fuerat antea damnatus. Itaque collectis vndique ſuæ factionis Epiſcopis, ſuppoſitiſque nonnullis qui locum tenerent aliorum Patriarcharum Orientalium; in eumdem Romanum Pontificem, homo inſanus anathematis ſententiam protulit: quin etiam Legatos miſit in Italiam, per quos eam omnibus notam faceret, ſimulque Ludouicum Imperatorem magnis muneribus induceret vt Nicolaum è ſede deturbaret, promittens etiam ſe proclamaturum ipſum Conſtantinopoli Imperatorem, cum alioqui Imperatores Orientis non reciperent Occidentales vocari Imperatores. Hæc quidem geſta narrat Nicetas: de quibus etiam dictū eſt ſuperius ex Anaſtaſio Bibliothecario. Sed audi præſentaneam Dei vindictam.

VIII. MICHAEL IMP. OCCIDITVR.

Cum enim huiuſmodi impietatibus reſiſteret Baſilius nuper creatus Imperator, ipſumque Michaelem à prauis ſuis & execrandis facinoribus, necnon crudelitate, prodigalitate, & ebrietate, abducere conaretur: non ferens Michael eiuſmodi obiurgationes, deque Baſilio è medio tollendo cogitare incipiens, primo *Baſilicinum* quemdam regii dromonis remigem, Imperatorem creauit; deinde perſuaſit aulico cuidam, vt in venatione tamquam feram impetiturus, Baſilium haſta transfigeret. Sed cum is aberraſſet, cautior Baſilius factus, videnſque alia Michaelem in ſe moliri; conſilio cum aliis quibuſdam communicato, eumdem Michaelem vino ſomnoque ſepultum, in cubiculo, manibus amputatis, aliis poſtea vulneribus confoderunt in palatio B. Mamantis martyris. Hæc Curopalates, Zonaras, Cedrenus, & alii. Meminit & Nicetas, qui ait Michaelis necem addidiſſe initio primæ Indictionis vigeſima quarta die menſis Septembris, poſtquam imperaſſet vna cum matre quindecim annis & menſibus octo, ſolus vero nouem expletis atque decimo inchoato.

IX. PHOTIVS EIICITVR, IGNAT. RESTITVITVR.

Addit inſuper Baſilium ad palatium deductum, Imperatoremque proclamatum, quamprimum miſiſſe qui Legatos à Photio in Occidentem miſſos à cœpto itinere reuocarent: deinde eumdem Photium à ſede deiectum in quoddam monaſterium detruſiſſe; Ignatiumq; honorificentiſſime Conſtantinopolim acceſſitum, ac laudibus cumulatum, poſt nouem integros annos exilii atque certaminis, eadem die qua eiectus fuerat, videlicet vigeſima tertia Nouembris, ſedi Patriarchali ingenti omnium gaudio reſtituiſſe: ipſum vero Ignatium mox Photium, & ab illo ordinatos, eoſque omnes qui ipſi communicauerant, à ſacris ſuſpendiſſe. Hæc Nicetas. Ceterum Zonaras nouam & inauditam finxit Photii eiectionis cauſam; nempe quod is Baſilium homicidii redargutum communione priuaſſet. At vero id factum eſſe, quod à Nicolao Papa ſæpius damnatus fuiſſet, teſtantur ſcriptæ Pontificiæ Epiſtolæ, Acta Synodi Octauæ, Nicetas, ac denique ceteri omnes veteres Græcorum hiſtorici. Zonaras enim longe poſt hæc tempora vixit; idemque ſchiſmaticus Photio fauit auctori ſchiſmaticis, laudans eum, & occultans crimina toto cœlo patentia.

X. RVSSI AD FIDEM CONVERSI.

Quod denique ad Michaelem Imperatorem pertinet; eius quoque tempore accidit, vt *Ruſſi* ſiue Roſſolani populi Scythici ad Arctoum Taurum habitantes, efferi & agreſtes, cum totam Euxini Ponti maritimam regionem deprædati iram diuinam experti eſſent, domum reuerſi legationem Conſtantinopolim miſerint, qua petierunt ſacerdotes mitti qui ipſos baptizarent, fideque Chriſtianam inſtruerent: quod & factum eſſe, Curopalates, Zonaras, Cedrenus & alii teſtantur.

XI. BASILII GENVS, ET PRIMORDIA IMPERII.

Extincto itaque Michaele Imperatore, BASILIVS ab eo antea in collegam aſſumptus, ſolus imperauit. Qui quidem natione fuit MACEDO, & genere ignobili, licet ex Arſacidarum antiqua ſtirpe progenitum adulantes alii prodiderint: cui Michael concubinam ſuam Eudociam in matrimonium collocauerat. Scribit autem Luitliprandus [e] Ticinenſis, eidem Baſilio paulopoſt necem Michaelis Chriſtum Dominū in ſomniis apparuiſſe, & interrogaſſe vt quid interfeciſſet dominum ſuum Imperatorem? eaque re compunctum Baſilium, multis lacrymis peccatum ſuum gementem totum ſe bonis operibus dediſſe, atque inter alia inſignem Eccleſiam in honorem S. Michaelis Archangeli conſtruxiſſe. At vero Baſilium rerum potitum, non ſe fuiſſe conſcium necis Michaelis omnibus ſatisfeciſſe, Anaſtaſius tradit in Hadriano Secundo. Idemque vbi Photium deiecit, Ignatiumque reſtituit, de his ſtatim literas dedit ad Nicolaum Romanum Pontificem, cuius auctoritate ea geſta eſſe ſciret, ac profeſſus eſt; petiitque vt quid agendum eſſet de ſacerdotibus qui Photio adhæſerant inſinuaret, ſuoſque Apocriſiarios Conſtantinopolim mitteret qui cuncta rite diſponerent. Eiuſmodi enim ipſius Imperatoris literæ, vna cum illis quas eodem tempore eodemque argumento Ignatius ſcripſit, inſertæ reperiuntur in laudem tanti Pontificis Actioni Tertiæ Octauæ Synodi. Sed & miſſos tunc fuiſſe Legatos non ſolum ab Imperatore, verum etiam ab Ignatio, ipſoque Photio, vt coram Romano Pontifice cauſam agerent (qui *vnus & ſingularis præcellens*, vt loquitur ſuis literis Ignatius; *atque Catholiciſſimus medicus morborum, quæ in membris ſunt Chriſti, ab ipſo Domino conſtitutus eſſet*) teſtantur eædem Imperatoris literæ, necnon Anaſtaſius in Hadriano Secundo. Ad hunc enim Pontificem peruenerunt iſtæ Legationes, cum inter hæc Nicolaus diem obiiſſet. Functique legatione ſunt, nomine Baſilii Imperatoris Baſilius Spatharius, pro Ignatio Ioannes Metropolita Sylei, pro Photio Petrus Metropolita Sardis: de quibus agetur anno ſequenti.

[e] Luitpr. l. 1. cap. 1.

LEGATIONES AB IMP. IGN. ET PHOT. AD NICOL. PP.

XII. GRAVIORVM DELICTORVM ABSOLVTIO PONTIFICI RESERVATA.

Interea vero non eſt prætermittendum, hoc quoque tempore ex antiquo vſu perſeueraſſe, vt etiam pro grauioribus delictis expiandis Fideles ad Romanum Pontificem ſe conferrent: quod ſub Nicolao dum frequentaretur, inter alios infelix pater trium filiorum necator illuc accurriſſe reperitur; cui ab eodem Pontifice pœnitentia iniuncta eſt, quam retulit Iuo [f] in ſuum librum Decretorum.

[f] Iuo par. 10. cap. 11.

XIII. TRANSLATIO RELIQ. S. CLE. PP.

Hoc item anno qui vltimus Nicolai numeratur, contigit per SS. viros Cyrillum atque Methodium Orientales monachos, deferri Cherſona Romam corpus S. Clementis Papæ. Qui quidem monachi cum menſi-

ſent Romæ vſque ad creationem Hadriani ſucceſſoris Nicolai, ambo ab illo miſſi ſunt ad prædicandum Euangelium Slauis, quorum linguam didicerant. Teſtantur hæc monumenta Eccleſiaſtica, nempe Romanum Martyrologium; vbi in Notis [g] plures alios id aſſerentes citauimus auctores.

[g] Rom. Martyrol. 9. Mart. ſ.

XIV. NICOLAI PP. OBITVS.

Ceterum *Nicolaus* Papa, poſt immenſos pro Eccleſia Catholica labores exantlatos, ex hac vita ad cœleſtem migrauit Idib. Nouembris, cœpta iam à menſe Septembri Indictione prima; cum ſediſſet (vt ait Anaſtaſius) annos nouem menſes ſex dies viginti vnum; ſepultuſque eſt ante fores baſilicæ S. Petri: Sed quod ad diem obitus ſpectat; apud Frodoardum [h] (niſi ſit error in codice) obiiſſe ponitur Idibus Decembris. Laudatiſſimus, ſiquis aliorum Romanorum Pontificum: quem egregiis præconiis extollés Regino, ait nullum ei æquiparandum poſt Gregorium Magnum ſediſſe; quippe qui Regibus & tyrannis imperauerit, ſacerdotibuſq; religioſis manſuetus irreligioſis terribilis fuerit, vt merito alter Elias crederetur. Auctorq; eſt Ioannes [i] Diaconus huius temporis ſcriptor, ex viſione quadam certo conſtitiſſe, ipſum in cœlum receptum fuiſſe in gloria Sanctorum. Quem & ſucceſſor eius Hadrianus ſummis eſt laudibus proſecutus; eumdemque nouum Eliam, nouum Phineem, Orientales [k] alloquens nuncupauit, & quibus aliis laudibus potuit exornauit.

[h] Frod. hiſt. Rhem. lib. 3. c. 25.

NICOLAI VIRTVTIS, ET PRÆCONIA.

[i] Ioan. Diac. in Vit. S. Greg. lib. 4. in ſ.

[k] ap. Anaſt. in Hadr. II.

XV. HADRIA. II. PAPA CREATVR AN. ÆTAT. LXXV.

Poſt eius obitum vſq; ad ſucceſſoris conſecrationem, mẽſis interueniſſe reperitur auctoritate Anaſtaſii Bibliothecarij, qui HADRIANVM conſecratum aſſerit decimonono Cal. Ianuarij. Ait vero fuiſſe patria Romanum, filium Talari poſtea Epiſcopi, ex cognatione Stephani Quarti & Sergii Iunioris Romanorum Pontificum preſbyterum tituli S. Marci, virumque ſummis virtutibus præditum, & in pauperes adeo miſericordé, vt & miraculis in ea actione clarucrit: natum dum conſecratus eſt annos ſeptuaginta quinq; cum iam bis antehac, poſt obitũ Leonis Quarti, & Benedicti Tertii, ab omnibus expetitus in Pontificem, exquiſitis excuſationibus verecunde ſubterfugiſſet. Ceterum cum variæ præceſſiſſent de futuro ipſius Pontificatu prædictiones, eſſetq; vnus omnium conſenſus in eius aſſumptione; tradit tamen Anaſtaſ. indignatos eſſe Legatos Ludouici Imperatoris Romæ commorantes, quod ad eius electionem ipſi minime vocati fuiſſent; ſed hoc reſponſo eius ſatisfactum eſſe, quod non in contemptum Imperatoris id omiſſum eſſet, ſed ne inde in poſterum Legati Principum aliquod ius prętenderent in electione Pótificis: quapropter & ipſum Imperatorem valde gauiſum de eiuſdem electione, ſcripta ad Romanos epiſtola eos de illa collaudaſſe. denique cum eiuſdem conſecrationis tempore, Lampertus Dux Spoletanus Romam aduẽniés, vrbem, Eccleſias, monaſteria deprædatus eſſet, ac puellas nobiles ſatellitibus ſuis diripiendas conceſſiſſet; ob eam cauſam à Ludouico Ducatu priuatum eſſe, tamquam ſedis Apoſtolicæ hoſtem adiudicatum. Hæc Anaſtaſius, ſiue alius auctor in Rebus geſtis Hadriani. Sunt enim qui putent, Anaſtaſium cum Vita Nicolai finem ſcribendi feciſſe; reliqua autem quæ in eius codicę reperiuntur, ſiue de Hadriano Secundo, ſiue de Stephano Sexto ſcripta, eſſe Petri Guilelmi, ſiuè Gulielmi Bibliothecarii. Sed putamus iſtam fuiſſe diuinationem. Panuini. Cum enim conſtet ſuperſtitem diu fuiſſe poſt Nicolaum Anaſtaſium, & adhuc vixiſſe tempore Ioannis Octaui, vt videbitur inferius; haud repugnat, vt ipſe ea quæ poſt Nicolaum acciderunt ſcripſerit.

PRINCIPIS NVLLVM IVS HABERE IN ELECT. RO. PONT.

QVO TEMPORE SCRIPSERIT ANAST. BIBLIOTHECAR.

IESV CHRISTI AN. 868.

LVDOV. II. 13. BASIL. MACED. 2.

HADRIANI II. AN. 1.

I.

ANno Chriſti octingenteſimo ſexageſimo octauo, Indictione prima, Baſilius Imperator filium ſuum CONSTANTINVM in Imperio collegam aſſumpſit. Ex hoc enim tempore pater & filius ſimul inſcribuntur Imperatores; ſed patris, quod præcedat annum, Imperium.

II.

Quo pariter anno Hadrianus Papa bene cœpta à prædeceſſore ſuo Nicolao, proſequenda curauit; atque primum deſignatam ab eo legitimam Dominici & Grimoaldi Epiſcoporum ad Bulgaros, ſed morte eius dilatam, inſtitutum iter aggredi iuſſit: adeoque in omnibus eiuſdem prædeceſſoris ſui veſtigiis inhæſit, vt tradatur apud Anaſtaſium, ipſum ab oſoribus Nicolai vocari ſolitum Nicolaitanum. Verum (vt additur) incõſtans vulgus his mox contraria iactans, eumdem infamare cœpit quaſi omnia quæ Nicolaus zelo religionis ſanxiſſet, ipſe infringere gauderet. Cuius quidem ſpargendi rumoris ea occaſio viſa eſt præceſſiſſe, quod ſtatim poſt ſuam conſecrationem, Theutgaudum Treuerenſem Epiſcopum & Zachariam Anagninum, à Nicolao (vt vidimus) excommunicatos nó recipiendos ad communionem vſque ad horam mortis, ipſe Hadrianus manu ſuá (vt docet Anaſtaſius) communionis ſacræ participes effeciſſet: quodque Lothario Regi aduentum in Vrbem quem Nicolaus [a] denegauerat quod ſciret ipſum ab eo non prætenſum niſi vt Sedem Apoſtolicam in cauſa Waldradæ ludificaret, idem Hadrian. literis ſuis (vt Regino eſt auctor) aperuiſſet. Hiſq; acceſſit, quod intercedente Ludouico Imperatore idem Põtifex VValdradam pellicem à Nicolao pariter excommunicatam, cum ruſum pœnitentiam ſimularet abſoluendam [b] curauit. Quod autem iſta contra Nicolai inſtituta facta viderentur, inde apud eumdem Anaſtaſium accidiſſe traditur, vt omnes Occidentales Epiſcopi pro conſeruanda integra Nicolai memoria ad ipſum Hadrianũ ſcripſerint; nónullique præclari viri Orientales, legatione Patriarcharum vel aliorum Principum apud Sedem Apoſtolicam fungentes, ab eiuſdem communione ſe tacite ſubtraxerint, donec coram illis de eiuſmodi calumnia ſe purgauerit. Qui & accepta legatione Synodi Trecenſis ad finem ſuperioris anni habitæ quę ad Nicolaum directa fuerat, literas [c] ad eam reſcripſit quarto Nonas Februarii, quibus hortatus eſt vt in ſacris Diptychis celebrarent Nicolai memoriam; ſimulque VVlfado, quem vidimus à Nicolao gradui priſtino reſtitutum, iam à Carolo Rege nominato Bituricenſi Archiepiſcopo, pallium conceſſit. Ac denique ad Ignatium Conſtantinopolitanum Patriarcham (qui & ipſe eadem occaſione ſubſtiterat) hoc eodem anno ſcribens [d], profitetur ſe in omnibus approbare quæ ab eodem Nicolao decreta eſſent.

DIVERSA IVDICIA DE AFFECTV HADRIANI IN NICOL. PRÆDECES. SVVM.

[a] Nic. ep. 25.

[b] Reuiſas ea de re literas Baron. Acn. To. X. circ an.

VNIVERSA ECCL. SOLICITA DE MEMORIA NICOLAI DEFVNCTI.

[c] Rec. Baro. ibid.

[d] Ext. in Act. 7. Oct. Syn.

III.

Vbi autem innotuit Conſtantinopoli, Hadrianum ſedere in Cathedra Petri, Baſilius Imperator Legatum ad eum miſit Euthymium Spatharium, pręter illã inſigniorem legationem, quam anno ſuperiori tam ab ipſo quam ab Ignatio & Photio decretam vidimus. De qua quidem Anaſtaſius [e] agens, ait diuino iudicio factum eſſe, vt quod Photius ad nauẽ Eccleſiæ ſediſſet, ſimiliter nauis qua eius Legati ſeparatim veherentur fluctib. maris abſorpta fuerit: ita vt nullus omnino naufragium euaſerit, præter Methodium quemdam monachulum, qui poſtmodum neque Photium à quo, neque Ignatium contra quem, neq; Vniuerſalis Eccleſiæ ad quam miſſus fuerat, iura ſuſcipiens, tertio conuentus, tertio perfidiæ denotatus, ſemel anathematizatus abſceſſit. Hæc Anaſtaſius. Qui de Legatis Baſilii & Ignatii pergens agere, ait eos incolumes Romam aduenientes, Hadriano Papæ eorum à quibus mittebantur epiſtolas ac dona obtuliſſe: ac poſt innumera laudum præconia, quibus immaculatam S. Sedem Apoſtolicam celebrarunt, gratiarumque actionem de reſtitutione Ignatii, & Photii damnatione, ipſius interuentione facta, exhibuiſſe cum maxima deteſtatione, ac pedum etiam conculcatione, immo & gladii percuſſione, Acta Conciliabuli Photii aduerſus Nicolaum ſummum Eccléſiæ Pontificem: quod tamen teſtati ſunt ab ipſo Phótio confictum eſſe, falſatis ſubſcriptionibus Epiſcoporum qui ibi nominati haberentur. Eadem vero Acta, ex ipſius Hadriani in SYNODO hac de cauſa apud S. Petrum habita decreto (repetito prius anathemate in Photium) igni cremata fuere: approbante etiam cœlo, cum videlicet ſuper-

[e] Anaſt. in Hadr. & in praf. Oct. Syn.

DE LEGATIS AB IMP. IGN. ET PHOT. ROMAM MISSIS.

ACTA CONTRA SED. APOST. COMBVSTA.

peruenientc pluuiæ inundatione non ſolum ignis non eſt extinctus, ſed contra vehementius accenſus: exeunte inſuper ex eorumdem voluminum combuſtione magno fœdore piceo. Hæc apud Anaſtaſium in Hadriano. Addit autem idem in præfatione hiſtorica ad Octauam Synodum, pariter in hoc Romano concilio iuſſum eſſe, vt quod factum eſt Romæ de inflammatione ſcriptorum Photii, eodem modo Conſtantinopoli fieri deberet ſiquæ ibi eorum exemplaria reperiri poſſent: quod & antea Nicolaus Papa Michaeli Imperatori præceperat. Quæ autem poſtea acciderunt, dicentur ſequentibus annis.

IV. Lotharii Reg. Romam adventus pro ſua purgatione.

Contigit hoc anno menſe Iulii, Lotharii, Francorum Regis aduentus in Vrbem, ab Hadriano Pontifice impetratus. A quo honorifice ſuſceptus, cum aſſeruiſſet ſe omnia quæ Nicolaus iniunxerat ſic impleſſe ac ſi diuinitus imperata fuiſſent, idemque omnes qui cum ipſo aduenerant proceres affirmaſſent; nec vlla oppoſita perſona inueniretur, quæ aduerſus regiam auctoritatem legitimũ auderet inire iudicii certamen: tunc Hadrianus poſt miſſarum ſolemnia, ſanctam ei communionem porrigens, in hæc verba illum allocutus eſt:

Contestatio Hadriani ad Lothar.

Si innoxium te recognoſcis à prohibito & interdicto tibi à Nicolao adulterii ſcelere, & hoc fixa mente ſtatutum habes, vt numquam diebus vitæ tuæ VValdrada pellici tua dudum à te repudiata miſcearis nefario concubitu; fiducialiter accede, & Sacramentum ſalutis æternæ tibi ad remiſsionem peccatorum profuturum percipe: Sin autem tua conſcientia te accuſat, teque lethali vulnere ſauciatum proclamat, aut iterum redire mente diſponis in mœchiæ volutabrum; nequaquam ſumere præſumas, ne forte ad iudicium & condemnationem tibi adueniat, quod fidelibus ad remedium præparauit diuina prouidentia. Aliorum vero vnicuique qui ipſum Romam comitati eſſent, hæc dixit, *Si domino & Regi tuo Lothario in obiecto adulterii crimine fauorem non præſtitiſti, neque conſenſum tribuiſti, & VValdradæ aliiſue ab hac ſede Apoſtolica excommunicationis nõ cõmunicaſti; Corpus & Sãguis Domini noſtri IESV CHRISTI proſit tibi in vitam æternam.* Cum autem nihilominus & ipſe Rex, & alii ſerme omnes (nonnulli enim eiuſmodi conteſtatione perterriti, timuerunt accedere ad ſacram menſam) auſu temerario communionem ſumpſiſſent; diuina ſe mox vindicta exerente, ipſe Lotharius Roma lætus recedens, morbo in itinere correptus eſt, & Placentiam ægre perductus mẽſe Auguſti infeliciter ſpiritum reddidit: ac ceteri pariter quicumque indigne communicaſſent, omnes eodem anno miſerabiliter interierunt; perpaucis qui ſe à communione ſubtraxerant, vix mortis periculum euadentibus: tantaque facta eſt ſtrages comitatus Lotharii, vt non peſte periiſſe, ſed hoſtili gladio corruiſſe nobilitas totius Regni videretur. Narrat hæc Regino, ſed male anno ſequenti, quod errore ponat obitum Nicolaus anno præſenti. Meminit eorumdẽ Aimoinus [f]; additq; Lotharium à paucis ſuorum qui à clade remanſerunt, in quodam monaſteriolo ſecus ciuitatem Placentiam terræ mãdatum eſſe. Porro eo mortuo, Regni eius proceres excluſo Ludouico Imperatore ipſius fratre, piiſſimo Principe legitimoque ſucceſſore; adhæſerunt Carolo Caluo eiuſdem patruo: cuius rei cauſa plurimum fuit Hadriano Pontifici declamandum, vt dicetur anno ſequenti.

Vltio divina in Lothar. et alios cum periurio communicantes.

f Aim. l. 5. cap. 21.

V. De Theutgaudi obitu.

Subdit vero Regino, eodem quoque tempore contigiſſe in Italia obitum Theutgaudi Archiepiſcopi Treuirenſis, & Guntharii Colonienſis, à Nicolao anathemate damnatorum. Sed de Theutgaudo, quomodo paulo ante obitum è monaſterio S. Gregorii ad Cliuum Scauri, vbi liberalitate Hadriani Papæ manſionem ſuſceperat, ab ipſo Gregorio terribiliter expulſus fuerit, & intra annum vna cum ſuis mortuus fuerit, memorabilem narrant hiſtoriam Ioannes [g] Diaconus qui præſens cuncta perſpexit. Etſi enim Hadrianus Theutgaudo ignouit, Deus non ita; quem diuturnæ contumaciæ voluit hic pœnam luiſſe. Quod vero ad Guntharium pertinet; eum diutius ſuperuixiſſe conſtat ex literis [h] Hadriani ad Ludouicum Germaniæ Regem Indictione tertia.

g Ioan. Dia. in Vit. S. Gre. lib. 4. cap. 94.

h Ber Bar. Annal. To. X. an. 870.

LVDOVIC II. 14. BASIL. MACED. 3

IESV CHRISTI AN. 869.

HADRIANI II. AN. 2.

I. Legati ad Had. P. missi Conſtantinop.

ANNO Chriſti octingẽteſimo ſexageſimo nono, Indictione ſecunda, Hadrianus Papa remittens Conſtantinopolim Legatos Baſilii Imperatoris & Ignatii Patriarchæ, vna cum ipſis miſit quoque ſuos à Latere Legatos, eos ipſos quos ante illuc mittendos deſtinauerat Nicolaus, nempe Donatum Oſtienſem Epiſcopum & Marinum S. R. E. Diaconum, quibus inſuper ſociauit Stephanum Nepeſinum Epiſcopum: eiuſque epiſtolas [a] dedit quarto Iunii ſcriptas ad eoſdem Imperatorem & Patriarcham, quibus primum confirmauit quæcumque geſta fuerant in expulſione Photii & reſtitutione Ignatii; deinde hortatus eſt ad cogendam Synodum Oecumenicam; in qua præſidentibus Apoſtolicæ Sedis Legatis proſpicerentur lapſis qui Photio communicaſſent, & pleniſſime conſuleretur ſtatui Eccleſiæ Orientalis. Profecti igitur Legati, ingenti vbiq; honore recepti ab iis quos obuiam eis Imperator in diuerſa loca miſerat; in ipſa præcipue vrbe Conſtantinopolitana ſolemni ritu ab vniuerſo Clero, Patriciis, aliiſque omnibus Palatinorum ordinibus, & cuncto populo cum cereis & lampadibus procedente, ſuſcepti ſunt decimoſeptimo Calendas Octobris: vt hæc omnia fuſius deſcribuntur apud Anaſtaſium.

a Ext. Act. 1. & 1. Oct. Synod.

II. Octava Synodus ecum. celebrata Conſtantinopoli.

Continuo vero cum Imperatore & Patriarcha agentes de cogenda SYNODO, eam tertio Nonas Octobris, cœpta iam à menſe Septembri Indictione tertia, inchoarunt in Eccleſia S. Sophiæ; vt docent eius Acta quæ extant diligenter excepta. Iis autem præfixa inprimis legitur præfatio, qua infelix Photius iure perſtringitur dum nominatur arbor infructuoſa falce Apoſtolica ſuccidenda, ſimulator, hypocrita, raptor, lupus, graſſator; commendatur vero zelus Nicolai Pontificis aduerſus eum, cuius cauſa alter Elias eſt appellatus. In ipſa vero Synodi Actione Prima, præter nominatos Apoſtolicę Sedis Legatos, & Ignatium Patriarcham Conſtantinopolitanum; recenſentur interfuiſſe qui tenerent locum Patriarcharum Antiochiæ & Hieroſolymorum, nempe pro Patriarchatu Antiocheno (quod ſedes illa vacaret) Thomas Tyri Metropolita, & pro Theodoſio Patriarcha Hieroſolymitano Elias illius Eccleſiæ Syncellus: itemque ipſe Baſilius Auguſtus, vna cum pluribus Patriciis; inter quos fuit Bahanes vir primarius apud Imperatorem, qui geſſit in Synodo munus Iudicis Cognitoris, videlicet definienda proponendi, & rogandi Patrum ſententias. Iis igitur omnibus conſidentibus, ingredi iuſſi ſunt Epiſcopi qui numquam deſciuerant ab Ignatio, glorioſi Confeſſores eius cauſa multa perpeſſi, omnes numero duodecim, & non amplius: vnde plane conſiderare liceat miſerandum Orientalis Eccleſiæ naufragium. Ceterum annumeratis iis qui recantantes palinodiam Synodo ſubſcripſerunt, in fine recenſentur interfuiſſe huic Synodo centum & duo Epiſcopi. Ita Nicetas.

Quinam interfuerint.

III. Res geſta in prima act.

Quod autem attinet ad ceteras res hac Prima Actione geſtas; poſt lectam Baſilii Imperatoris exhortationem ad Synodum, rogati Apoſtolicæ Sedis Legati literas ſuæ delegationis oſtendere, reſponderunt hoc numquam in aliqua Vniuerſali Synodo factum eſſe, vt Legati Romanæ Eccleſiæ ab aliquo perpenderentur, vtrum talem exiſtimationem haberent. Bahanes autem Patricius dixit, haud iſtud peti in dedecus Apoſtolici throni, ſed quod nuper Legati Rodoaldus & Zacharias eos decepiſſent, alia in mandatis habentes, & alia facientes. Quibus perſuaſi Legati obtulerunt legendas literas Hadriani Papæ, quibus eius mandata continerentur: quæ quidem Latine primum lectæ vti ſcriptæ erant, deinde à regio interprete Græce auditæ ſunt legi, & ab omnibus pro tanto beneficio gratiæ Deo redditæ. Deinde lectis quoque literis delegationis Patriarcharum Orientis, iuſſus eſt pariter recitari libellus à Nicolao olim compoſitus, ab Hadriano vero iiſdem ſuis Legatis datus, cui ſubſcribere tenerentur

tur quicumque ex ſchiſmaticis Photii fautoribus recipi in Eccleſiæ Catholicę communionem vellent; quo inprimis continebatur approbatio immaculatæ fidei Apoſtolicæ Romanæ Sedis; itemque anathematizatio omnium hęreſum, & maxime Iconomachorum, atque etiam Photij alienæ ſedis inuaſoris. Lecto libello, eodemque omnium vna voce laudato atque probato, lecta eſt pariter & approbata definitio Legatorum ſedium Patriarchalium iam antea facta, cum ipſi annum integrum illic morati eſſent expectantes Legatos Apoſtolicæ Sedis: quæ quidem non aliud continebat, niſi vt in omnibus obediretur Romani Pontificis decretis. Poſt hæc Legati Apoſtolicæ Sedis recenſuerunt, quomodo rite & auctoritate legitima Nicolaus Papa Photium abſentem damnaſſet: Legati vero Patriarcharum probauerunt, numquam ab vlla Patriarchalium ſedium Orientalium Photium receptum eſſe. Ex quorum reſponſione redargutum eſt falſitatis Conciliabulum Photii aduerſus Nicolaum, cui mentitus fuerat interfuiſſe & ſubſcripſiſſe Legatos ſedium Patriarchalium Orientis. His denique abſolutis, ſecutæ ſunt acclamationes in Synodis fieri conſuetæ; quę & in fine reliquarum Actionum ſingularum repetitæ ſunt.

LEGITIME DAMNATVS PHOTIVS ABSENS A NICOL. PP.

IV. ACTIO II. ET III. DE LAPSIS EPISCOPIS.

Secunda Actione habita Nonis Octobris, plurimi Epiſcopi qui à Sancto Methodio vel Ignatio olim ordinati, lapſi deſciuiſſent in partes Photii, offerentes libellos ſimiles illi quem Romanus Pōtifex miſerat, ritu ſolemni redditis eis inſignibus Epiſcopatus (aliqua tamen iniuncta ieiuniorum & orationum pœnitentia) recepti ſunt vna cum aliis permultis clericis ſimili modo reſtitutis: qui omnes (vt continet eorum libellus) rogarunt admitti per interceſſionem Sanctiſſimæ Dei-Genitricis MARIÆ, & SS. Apoſtolorum, & ſanctiſſimi Papæ Nicolai. Ita enim plane mox poſt obitum Orientales coluerunt eum vt Sanctum. Tertia vero Actione celebrata quinto Idus Octobris, cū alii lapſi Antiſtites noluiſſent libellum à Romano Pontifice miſſum ad ſatisfactionem ſuſcipere, à Synodo non ſunt recepti. Quarta autem habita tertio Idus eiuſdem menſis, quibuſdam Epiſcopis à Photio ad Synodum miſſis, iactantibus tum ipſos tum Photium à Nicolao Papa receptos fuiſſe, oſtenſum eſt à Legatis Apoſtolicæ Sedis id mendaciter ab eis aſſeri, ideoque cum ignominia expulſi ſunt. Sed quod prætextu id ipſi iactarent, in fine Actionis redditur manifeſtum; nimirum quod Romanæ eſſe Eccleſiæ conſuetudinis dicerent, nullum peregrinum Epiſcopum permitti in S. Petri Baſilicam introire, niſi fidei libello prius oblato: quare cum hoc ipſi olim miſſi Romam à Photio feciſſent, ſatis factum putarunt vt dici poſſent communicaſſe cum Nicolao. Verum rurſus oſtenſum eſt, quod & cum alium dediſſent libellum quo declararent atque iurarent ſecuturos ſe Apoſtolicæ Sedis iudicium; nec ſic tamen fuerint cum aliis Epiſcopis ad communionem, eo quod ab eo miſſi eſſent qui thronum inuaſiſſe alienum: quod & ſuperius dictum eſt ſuo loco.

ACT. IV. OSTENSVM EST PHOTIVM NVNQVAM RECEPTVM FVISSE A SED. APOST.

V. ACT. V. VI. VII. INTRODVCTVS PHOTIVS IN SYNODVM, CVM NON RESIPISCERET, DAMNATVR.

Quinta autem Actione celebrata decimoquarto Calendas Nouembris, Photius ipſe præcepto Imperatoris iuſſus eſt inuitus ad Synodum duci: quem vt laicum per laicos vocari voluerunt Apoſtolicæ Sedis Legati. Qui cum vim tantummodo conteſtaretur nihilque ad interrogata reſponderet, affirmans impudenter ſe Chriſti exemplo tacere cum iudicaretur; eidem vndique licet conuicto & condemnato, tempus ad reſipiſcendum à Synodo benigne impertitum eſt: quod tamen ipſe recuſauit accipere. Quinetiam octauo Calendas Nouembris habita Actione Sexta, cui intereſſe voluit Imperator, conati ſunt aliqui Epiſcopi ſchiſmatici eumdem Photium defendere: qui ab Orthodoxis confutati licet, & ab ipſo Imperatore præclara admodum atque humili exhortatione admoniti, nec ſi tamen impelli poterunt oblatum ab Eccleſia Romana ſuſcipere libellum. Quibus nihilominus Imperator haud vinci eorum pertinacia paſſus, adhuc decem dies ad reſipiſcendum dari voluit. Sed cum rurſum conuenientibus Patribus quarto Calendas Nouembris, introductus cum ſuis Photius (qui cum baculo innixus ingrederetur, iuſſus eſt à Martino Apoſtolicæ Sedis Legato illum deponere, quod ſignum eſſet dignitatis paſtoralis) maiorem demonſtraret peruicaciam, recitatæ ſunt damnationes ſæpius aduerſus eum promulgatæ à Romanis Pontificibus; eiſdemque additi anathematiſmi, in eumdem ipſum præſentem atque ſtantem conclamati. Hos vero ſecutæ ſunt acclamationes pleniſſimæ dictæ Imperatori atque Imperatrici, Romaniſque Pontificibus Nicolao & Hadriano, Ignatio item Patriarchæ, & Legatis Apoſtolicis, aliarumque ſedium Patriarchalium. Nec prætermittendum quod habet Nicetas in Vita Ignatii, Epiſcopos ſubſcribentes damnationi Photii, in maiorem hominis deteſtationem (quod factum legimus in damnatione Pyrrhi pſeudopatriarchæ Monothelitæ) intinxiſſe calamum in ſacrum Sanguinem Chriſti: verum de his nihil in Actis Synodi, quæ integra extant.

VI. ACT. VIII. COMBVSTA SCRIPTA PHOTII.

Octaua Seſſione celebrata Nonis Nouembris, præſente atque rogante Imperatore, combuſta ſunt chirographa cuncta quæ ab omni hominum genere Photius extorſiſſet, vna cum omnibus eiuſdem ſcriptis contra Nicolaum Papam & Ignatium Patriarcham: atque detectæ ſunt falſitates, in his ab eodem impoſtore commiſſæ: & aduerſus falſarios, per quos ipſe impoſturas confinxiſſet, à Legatis Sedis Apoſtolicæ iuſſus eſt legi canon Concilii Romani ſub Martino, vt non recipiantur ad pœnitentiam niſi in fine vitæ. Poſtea vero occaſione quorumdam Iconomachorum in Synodum introductorum, prolati ſunt in Iconomachos anathematiſmi. Reliquæ autem duæ Synodi Actiones ſequenti anno ſunt celebratæ: ſed ne diſcrimine temporis ab aliis diuiſæ remanerent, hic eas ſuperioribus iungere conueniens magis viſum eſt.

VII. ACT. IX. ACTVM DE FALSIS TESTIBVS QVI PHOTIO ADHÆSISSENT.

Sequenti igitur anno Redemptoris octingenteſimo ſeptuageſimo, eadem Indictione tertia, pridie Idus Februarii, in Nona Actione receptus eſt in Synodum Legatus à Michaele Patriarcha Alexandrino miſſus, nomine Ioſeph Archidiaconus eius Eccleſiæ: qui præcedentium Actionum Acta probauit. Poſt hæc introducti permulti viri illuſtres, qui ſuaſione Photii, & compulſione Michaelis Imperatoris, contra Ignatium protulerant falſum teſtimonium; confeſſi errorem, pœnitentiam à Synodo perceperunt, agendam in ieiuniis, orationibus, & eleemoſynis, aliiſque quæ ibi recenſentur: data tamen Ignatio facultate diſpenſandi cum ouibus ſuis de diuturnitate temporis, moderandi ſcilicet pro cauſa. Idque ipſum actum eſt cum illis ſacerdotii illuſoribus laicis, quos in vrbe Cōſtantinopolitana ſub eodem Michaele ſacris indumentis progredi conſueuiſſe & ſacra facere, ſuo loco vidimus. Daturque inter alia crimini Photio, quod iſta ſciens non abſtulerit; ob idque Compatriarcha mimi appellatus eſt, aliiſque ignominiæ titulis à Patribus infamatus. Introducti pariter Vicarii ſeu Legati, quos idem in Conciliabulo contra Nicolaum ſuppoſuerat, palam falſitatem confeſſi ſunt; deteſtandæ Synodo ipſius Photii multiplicem iniquitatem.

VIII. LEGATI LVDOV. IMP. INTERSVNT SYNODO.

Inter hæc autem peruenit Conſtantinopolim Legatio miſſa à Ludouico Imperatore Occidentalis Orbis, pro coniugio ineundo inter ipſius filiam atque Baſilii primogenitum, qua functi ſunt *Anaſtaſius* S. R. E. Bibliothecarius, vir diſertiſſimus, (ille ipſe, quem in his Annalibus paſſim citari contigit in rebus geſtis Summorum Pontificum, aliiſque) Suppo Comes conſobrinus Auguſtæ, & Euerardus præpoſitus menſæ regiæ. Habet enim iſtorum nomina ipſe Anaſtaſius notata in exordio Decimę Actionis: qui huius legationis etiam meminit in hiſtorica præfatione ad hanc Octauam Synodum: vt & Aimoinus [b] in geſtis Francorum; atque Baſilium Imperatorem claſſem ante hæc direxiſſe in Adriaticum mare, opem laturam Ludouico in Apulia bellum aduerſus Saracenos gerenti. Quo eodem tempore ex Vrbe reuerſo Petro Michaelis Bulgarorum Regis legato abſque petitionis effectu, decreuit idem Rex Legatos Conſtantinopolim, qui (vt habet Anaſtaſius eadem præfatione) admiſſi ſunt in Synodo conſidere vna cum Legatis Ludouici Imperatoris.

b *Aim. l.* 5. *cap.* 21.

LEGATI BVLGAR. IN SYNODO.

His igi-

IX. ACT. X. ET VLT. LECTI CANONES SANCTI A PATRIBVS SYNODI.

His igitur omnibus præſentibus, celebrata eſt Actio Decima & vltima Synodi, die vltimâ Februarii, in qua primum omnium iuſſi ſunt legi Canones à Patribus conſtituti, omnes numero viginti ſeptem, quibus inprimis Cõſtantinopolitanæ Eccleſiæ opportunitatibus conſultum eſt: Videlicet de confirmatione eorum, quæ pro Ignatio & contra Photium acta eſſent: deque abrogatione cũctorum geſtorum Photii; & collatorum ipſi, & ab ipſo aliis ſacrorum miniſteriorum: & vt qui hactenus obſtinato animo ei adhæſiſſent Epiſcopi, licet conſecrati fuiſſent à Methodio vel Ignatio, vel etiã poſthac reſipiſcerent, nullam penitus ſpem reſtitutionis Epiſcopatus haberent: Item de confirmatione cultus ſacrarum Imaginum; & ne ſacras Imagines anathematizati pingere auderent: Ne laici, niſi prius per decem annos in aliis Eccleſiaſticis ordinibus permanſiſſent, proueherentur ad Epiſcopatus; De condemnatione eorum qui cum Photio crederent duas in vno corpore eſſe animas: Ne à Principibus, vel eorum fauore eligerentur Epiſcopi; nec Epiſcopi indecentia obſequia exhiberent magiſtratibus, nimirum ne obuiam prodeant procul ab Eccleſiis ſuis; non ſe demittant ab equis, vel adorent eos; nec intrent ad Principes hora prandii, vbi, indebita perſoluant obſequia: ſed veneratione digni habeantur, & qui libere errantes Principes valeant redarguere: Ne Principes Conciliis interſint, niſi fortè Oecumenicis: De exhibendo honore & reuerentia omnibus Patriarchis; præcipue verò Romanæ Eccleſiæ Summis Pontificibus, contra quos minimè fas eſſet, nec quidem in Synodis Oecumenicis, audacter ſententiam dicere. His atque aliis permultis ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinentibus, ſtatutis & comprobatis; adhibitaque confirmatione ſeptem præcedentium Oecumenicarum Synodorum; & damnatis omnibus hæreſibus, iteratoque aduerſus Photium & ſocios anathemate: finis Synodo feliciſſimus eſt impoſitus, Baſilio Imperatore nouiſſime conſenſum omnium explorante: qui & inſuper tã tam ad Epiſcopos quam laicos egregias habuit admonitiones, dignas Auguſto maximè pio.

EPISCOPI NON EXHIBEANT PRINCIPIB. OBSEQUIA INDECENTIA.

X. IMP. SVBSCRIBIT POST LEGATOS SEDIVM PATRIARCHAL.

Poſt quæ cum ſubſcribenda Synodus eſſet, iubentibus Apoſtolicæ Sedis Legatis vt primo loco ſubſcriberent Baſilius & filii Imperatores; non acquieuit ille, niſi poſt ſubſcriptionem omnium Legatorum cunctarum ſedium Patriarchalium, ſuam apponere: cui & addidit ſignum Sanctiſſimæ Crucis; ſicut id ipſum Epiſcopos omnes ex more præſtitiſſe, oſtendent quæ ſuo loco inferius dicturi ſumus. Porro ſubſcripſerunt Imperatores literis (vt moris erat) phœniceis ex cinnabrio. Erat quidem magiſtratus in Imperio, cui cura erat Caniculi, cuius mentio fit in Synodi Actis, dum nominatur Chriſtophorus præpoſitus Caniculi, qui dictus Proto à ſecretis. Vocem autem *Caniculi*, exponit Anaſtaſius in ſcholiis ad eamdem Synodum, Atramentum, ſiue potius Rubramentum, ex quo Imperatores literas phœniceas exararẽt ſcribendo. Qui vero poſt Imperatores ſubſcripti numerantur Epiſcopi, nonniſi cẽtum & vnus ſunt: quod videlicet (vt notat in margine Anaſtaſius, qui aderat) nullus in Synodum receptus fuerit Epiſcopatus qui à Photio aut ſuis conſecratus eſſet, ſed tantum qui à piis Patriarchis SS. Methodio & Ignatio conſecrati ſuperſtites reperirentur. Denique poſt Synodum, quaſi appendix poſitæ ſunt epiſtolæ ex Synodo, vel ob Synodũ ab aliis tunc datæ: quarum omnium prima eſt Encyclica ad omnes Chriſti Fideles; qua cunctæ in Synodo res geſtæ narrantur: alia item ſcripta ad Hadrianum Papam qua rogatus eſt à Patribus vt eamdem Synodum confirmet: eædemque miſſæ ſunt ad alios Patriarchas. Quæ vero ſequuntur, poſt diſceſſionem Legatorum datæ reperiuntur, de quibus inferius.

DE PAVCITATE EPISCOPORVM.

XI. SYNODVS DICTA VNIVERSALIS OCTAVA.

Ceterum hanc SYNODVM nuncupandam eſſe ſine vlla contradictione VNIVERSALEM OCTAVAM, aſſerit Anaſtaſius in præfatione ad ipſam: quæ etiam inter alias Oecumenicas annumerata reperitur in Fidei profeſſionib. fieri ſolitis, in tantum vt & ipſi Romani Pontifices, æque ac ſeptem ſuperiores, illam quoque Octauam Oecumenicam Conſtantinopolitanam, ſe recipere profiterentur in ſolemni Fidei profeſſione ab eis recitari ſolita[c] cum in Pontifices electi eſſent iam conſecrandi. Vnd[c] valde miramur, cur Concilium Florentinum, Octaua Synodus Oecumenica dicta & ſcripta in ipſius Actis typis excuſis habeatur. Pace dictum ſit Iuliani Cardinalis, qui in diſputatione habita cum Marco Epheſino Seſſione ſexta Ferrariæ (puto ignoratione rerum geſtarum) ei nimis viſus eſt indulgere, hanc Octauam Conſtantinopolitanam neganti, ac mendaciter aſſerenti eam abrogatam fuiſſe à Ioanne Romano Pontifice, comprobatam verò Photianam poſtea habitam qua damnata eſt Octaua hæc ſub Hadriano celebrata. At in ſequenti Actione eiuſdem Synodi Florentinæ, Andreas Coloſſenſis Epiſcopus vir doctiſſimus æque ac maximè pius, id omnino negauit: quod & inferius cum de Ioanne Pontifice agetur, falſiſſimum eſſe demonſtrabitur. Quoniam autem quæ Marcus aduerſus hanc Octauam legitimam dixiſſet, in Florentinæ Actis remanſiſſent; magna interpres temeritate, æque ac imperitia, (fuit is Abrahamus Cretenſis) nulla habita ratione reſponſionis Andreæ Coloſſenſis, eidem Concilio Florentino indidit nomen, vt Octaua Synodus nominetur: cum tamen nec in eius decretis vel Actis, nec in Eugenii Papæ diplomatibus de ipſa datis aliquid eiuſmodi reperiatur: cumque alioqui, etſi hæc de qua agimus Octaua Synodus fuiſſet abolita (quod dicere ſacrilegium eſt) adhuc tamen nec Florentina Octaua dici poſſit, quod extent plures aliæ ante ipſam celebratæ Synodi Oecumenicæ, quibus eiuſmodi appellatio competat. Quod autem hanc eamdem Octauam legitimam Aimoinus[d] reprehendit, quia in ea confirmatus eſt cultus ſacrarum Imaginum; ex eo plane qualis ipſe fuerit, cuiuſue dogmatis manifeſtatur; nempe ex Gallis illis vnus, quos negaſſe vidimus eumdem cultum ſacrarum Imaginum; de quibus etiam Anaſtaſius meminit in ſæpius memorata præfatione ſua.

c Rec. Bap. Annal. T. X. hoc an.

REDARGVITVR APPOSITVS TITVLVS CONCIL. FLOR.

AIMOINI ERROR.

d Aim. l. 5. cap. 28.

XII. LAVDES OCCIDENTALIS IMP. ORIENTALES NON ADMITTVNT.

Ex veteri autem æmulatione Orientalium Imperatorum in Occidentales, qua iſtis nuncupationem Imperatoris inuidebant, ante factam Synodi ſubſcriptionem turbatio aliqua accidit; quæ quidem Actis Synodalibus inſerta non eſt, ſed narratur apud Anaſtaſium in Vita Hadriani: Nimirum quod cum petitum eſſet, vt oblata ab eodem ipſo Anaſtaſio Legato epiſtola Hadriani in fauorem Ludouici Imperatoris ſcripta, in Synodo legeretur; inuenti ſunt in ea eſſe corraſi verſus illi, in quibus Ludouici nomen Imperatoris, ipſiuſque Ludouici laudes prædicabantur. Qua de re querelam mouentibus Legatis Apoſtolicæ ſedis, & ſubſcribere Synodalibus Actis recuſantibus, niſi epiſtola integre iiſdem Actis inſereretur; contrà verò contendentibus Græcis, non eſſe in Synodo de laudibus Imperatoris, ſed de ſolius Dei tractandum: tandem paci publicæ ſapienter conſulentes Legati, ad finem Actionis decimæ ita ſubſcripſerunt, vt tamen expectandam eſſe ſpecialem voluntatem Romani Pontificis appoſuerint. Ex qua pariter illiberali Græcorum actione, creduntur omnino turbata cœpta fœdera nuptiarum. Et hæc quidem antequam Synodus abſolueretur.

XIII. CONTENTIO EXCITATA DE DIOECESI BVLGAR.

Poſt tertium autem diem quo penitus abſoluta, eſt cõgregatis in vnum Baſilio Imperatore, Apoſtolicæ Sedis & aliarum Patriarchalium Legatis, vna cum Ignatio Patriarcha Conſtantinopolitano, ad audiendos Michaelis Regis Bulgarorum Legatos; magna quoque ibi altercatio habita eſt, vtri Eccleſiæ, Romanæ, an Conſtantinopolitanæ, iidem Bulgari recens ad fidem conuerſi ſubiici deberent: aſſerentibus Græcis ad Conſtantinopolitanam eos pertinere, quod eorum regio antequam ipſi eam occupaſſent Græcorum pareret Imperio, ac Græcos ſacerdotes haberet: contra vero conteſtantibus Apoſtolicæ ſedis Legatis, iura ſedium non ſequi Regnorum diuiſiones; ſed & vtramque Epirum, totamque Theſſaliam, Dardaniam Daciam, & ceteras in Illyrico prouincias in quibus nunc Bulgari habitabant antiquitus ſolitas fuiſſe à Romana Eccleſia immediate adminiſtrari; ipſoſque Bulgaros, qui nihil ad Imperium Græcorum pertinerent, cum fidem Chriſtianã ſuſceperunt ſpon-

INTER LEGATOS SED. AP. ET EPISCOP. CONST.

te ſe

te ſe eidem Romanæ Eccleſiæ ſubieciſſe, ſacros ab ea miniſtros quærentes, quibus in omnibus obedirent: ac denique neque vmquam Græcos eas prouincias iure dominationis poſſediſſe, niſi inquantum ſceptro Romano potirentur, quo nunc priuati eſſent. Sed nihilominus Legati Orientalium ſedium Patriarchalium in fauorem Imperatoris ſententiam præcipitaſſent, qua Bulgarorum Eccleſiam Conſtantinopolitanæ ſubdi debere aſſeruiſſet; Anpoſtolicæ Sedis Legati reclamantes, eorum ſententiam, tamquam ab inferioribus, ideoque haud legitimis iudicibus latam reſpuerunt; totamque cauſam ſupremæ Apoſtolicæ Sedi reſeruantes, interim Ignatium conteſtati ſunt, nec Eccleſię Romanę iura minueret, à qua ipſe propriæ Eccleſiæ reſtitutus eſſet. Narrantur hæc pluribus in Hadriano.

XIV. ARTES GRÆCOR. SVBDOLÆ ADVERSVS LATINOS.

Acceſſerunt ad iſta, quod Græca calliditate ex improuiſo ita conuenti ſint Apoſtolicæ Sedis Legati, vt ipſi carentes proprio interprete, coacti fuerint vti eo qui tunc ſolus aderat interprete Imperatoris, qui nihil retulit eorũ quæ ab vtraque parte dicerentur, niſi quæ videret Imperatori ſuo grata eſſe, & in honorem ſedis Conſtantinopolitanæ vertere. Eſt enim de his iuſta querela ipſius Anaſtaſii Bibliothecarii; qui hanc eamdem contentionem recẽſens in præfatione hiſtorica ad Octauam Synodum, multa addit, probatque fraudibus quibus Græci vti conſueuiſſent tum in aliis rebus, tum præcipue in ſingulis ferme Synodis Oecumenicis. Et quod ad iſtam Octauam attinet, aſſerit quicquid in Latinis eius Actis reperitur (quæ ipſe, vt teſtatur, è Græco in Latinum vertit, & annotationibus marginalibus illuſtrauit, dum eſſet Conſtantinopoli) ab omni eſſe falſitate extraneum; quicquid autem amplius, ſiue de diœceſi Bulgarica, ſiue de aliis quibſcumque rebus in Græco codice forte inueniatur, totum eſſe mendacii venenis infectum. Extat vero adhuc Romæ in Columnenſi Bibliotheca, ipſius Anaſtaſii membraneus codex autographus eiuſdem verſionis cum ſcholiis in margine affixis, quæ non ſine magno labore legi poſſunt ob nimiam codicis vetuſtatem; habitus ipſe ex monaſterio Auellanæ, cui præfuit magnus Petrus Damiani cum eremum coluit.

XV. SVMMA GRÆCOR. INVIDIA IN ROM. ECCL.

Sed non hic finis Græcorum fraudis. Siquidem querentibus quibuſdam apud Imperatorem Baſilium, quod Eccleſiam Conſtantinopolitanam nimis abiecte ſubieciſſet Romanæ, cum permiſit vt nullus lapſorum ad Eccleſiam rediret niſi dato libello Sedis Apoſtolicæ Legatis; eiuſdem Baſilii iuſſu quædam eorum libellorũ pars è domo Legatorum furto ſublata eſt: qui tamen, magnas inde querelas cientibus Legatis paulo poſt reſtituti ſunt. Ex quibus Legati prudentiores facti, omnia eadem ſcripta ſecreto per Anaſtaſium Bibliothecarium, alioſque Legatos Ludouici Imperatoris, Romam tranſmiſerunt: cum quibus idẽ Anaſtaſius detulit pariter Acta Synodi. Quod quidem non ſine magna Dei prouidentia factum eſt; cum Legati Apoſtolicæ Sedis Conſtantinopoli Romam nauigantes, in manus piratarum Slauorum inciderent; à quibus ſpoliati omnibus bonis, ipſum quoque authenticum Actorum Synodi codicem amiſerunt: quibus plane caruiſſet Apoſtolica Sedis, niſi eorumdem exemplar Anaſtaſius ſecum detuliſſet. Hæc idem pluribus in ſcholiis ad Synodum: quorum etiam fit mentio in Rebus geſtis Hadriani Papæ. Sed quod ad Legatos ſpectat; ipſos aliquamdiu captiuos detentos à piratis, tandem Apoſtolicarum & Imperialium literarum auctoritate liberatos eſſe, ac Romam reuertiſſe vndecimo Calendas Ianuarii Indictione quarta traditur in eadem Vita Hadriani, ſiue ab ipſo Anaſtaſio, ſiue alio ſcriptum. Verum in eiuſdem Pontificis epiſtola ad Baſilium Imperatorem poſtea ſcripta, nequaquam ex literis imperatoris, ſed diuino tantum auxilio eos liberatos eſſe, immo non ſine magna Imperatoris culpa in tantum diſcrimen incurriſſe ſignificatur. Sicque huiuſmodi eorum periclitatio, quartum numeratur, ſcelus ab eodem ingratiſſimo Imperatore illiberali nimis animo patratum in Sedem Apoſtolicam, poſt redditam ab ea tanto labore pacem Eccleſiæ Orientali. Atque hactenus de rebus ad Octauam Synodum ſpectantibus; quæ (vt dictum eſt) hoc anno cœpta, in ſequentem propagata eſt.

LEGATI SED. APOST. INCVRRVNT IN PIRATAS.

INGRATITVDO BASILII IMP.

XVI. HADRIANI PP. COMMINATIO AD CARO. CALV. OB VSVRPATIONEM REGNI LOTHAR.

Quod ad res Francorum pertinet; hoc eodem anno, quod Carolus Caluus occupaſſet Lotharii nepotis nuper defuncti Regnum; expoſtulante Ludouico Imperatore, ab Hadriano Pontifice decreta eſt ad eumdem Carolum Legatio duorum Epiſcorum, qua tum ipſum, tum Regni eius Epiſcopos atque proceres, ſub excommunicationis comminatione admonuit vt abſtinerent ab eiuſmodi Lotharii Regno, quod pertineret ad Ludouicum Lotharii fratrem & legitimum ſucceſſorem. Scribit hæc Aimoinus[e]: extantque[f] adhuc quædam Hadriani epiſtolæ ad eos miſſæ (vt notantur) Nonis Septembris. Sed antequam hi Legati perueniſſent ad Carolum, collecto Metis *Concilio* pridie Idus eiuſdem menſis Septembris decernentibus Epiſcopis Regni Lotharii, præſente etiam & ad id ceteros impellente Hincmaro Rhemenſi, idem Rex Carolus ibi præſens coronam eiuſdem Regni accepit: vt patet ex ipſis Synodi Actis, quæ ſuperſunt[g]. Poſtea vero eumdem Regem ad placandum Romanum Pontificem, Legatos in Vrbem direxiſſe cum oblationibus ad Baſilicam S. Petri, inter quas erant duæ coronæ aureæ gemmis ornatæ pro duobus quæ poſſidebat Reginis; auctor eſt Aimoinus. Verum has oblationes haud putamus ab Hadriano eſſe ſuſceptas, cum de his in literis poſtea ad Carolum ab ipſo datis nulla fit mentio, quę alias pręteriri minime conſueuiſſent. Quid autem poſt hæc geſtum fuerit, dicturi ſumus anno ſequenti.

e Aim. l. 5. ca. 24.
f Rer. Baro. Annal. To. X. hoc an. ad 5.

CONCILIABVL. METEN. PRO CAROLO.

g Re. Bar. ib.

XVII. LITERÆ SALOM. REGIS BRITAN. AD HADR. PP. PRO PALLIO ANTIST. DOLEN.

Hoc eodem anno Salomon[h] Rex Minoris Britanniæ literas ſcripſit ad Hadrianum Papam, quibus pallium petiit pro Feſtiniano Antiſtite Dolenſi, quod à Nicolao Pontifice denegatum fuiſſe tradit, quia ipſe Salmon ea de re ad eum ſcribens, ſuum nomen ipſius Nicolai nomini præpoſuerat, & literas abſque ſigilli impreſſione minus etiam idoneo legato deferendas tradiderat. Petiit quoque iiſdem literis ſacras Reliquias pro monaſterio quod ædificabat: muneraque miſit, auream ſtatuam magnitudinis ipſius Hadriani tam in altitudine quam in latitudine, cum lapillis diuerſi generis; aliaque plurima, cum trecentis ſolidis denariorum quotannis deinceps perſoluendis. Ad quem reſcribens Hadrianus, miſit brachium Sancti Leonis Papæ Tertii, diuinitus præmiſſis precibus ac ieiuniis impetratum. Quod vero ad Pallium pertinet; traditur quoque in eadem epiſtola, Hadrianum illud conceſſiſſe; verum eum locum falſatum fuiſſe à Petro quodam Dolenſis Epiſcopi clerico, deprehenſum eſt Gregorii Septimi temporibus in Synodo Santonenſi, vt traditur in epiſtola[i] Innocentii Papæ Tertii ſcripta in controuerſia de & Archiepiſcopatus iure inter Turonenſem & Dolenſem Antiſtes, de qua ſuperius dictum[k] eſt.

h Argentr. hiſt. Brit. an. li. 2. ca. 27.
i Innoc. III. 2. epiſt. 79.
k Sup. an. 859.

IESV CHRISTI AN. 870.

LVDOVICI II 15. BASIL. MACED. 4.

HADRIANI II. AN. 3.

I.

ANno Domini octingenteſimo ſeptuageſimo, Indictione tertia, intentatis à Ludouico Germaniæ Rege minis aduerſus Carolum Caluum fratrem Francorum Regem, pro Regno, Lotharii nepotis ab eo occupato, idẽ Carolus timor perculſus eumdem Ludouicum accepit in partem eiuſdem Regni Lotharii: cuius extant[a] Acta diuiſionis, inter vtrumque confecta Aquiſgrani hoc anno pridie Idus Martii. Ea vero cum audiſſe Hadrianus Papa, nouam in Gallias miſit Legationem (qua functi ſunt tres Epiſcopi, & vnus S. R. E. Cardinalis preſbyter) cum diuerſis literis ad vtrumque Regem, eorumque Epiſcopos atq; proceres ſcriptis quinto Calendas Iulii, pro reſtitutione Regni Lotharii Ludouico Imperatori ipſius fratri, ad quem multis titulis pertinebat. Sed & præter iſtas, alias rurſus dediſſe reperitur ad Epiſcopos in Regno Caroli

a Ext. in m. Ant. Augu. in Bibl. Val.

RVRSVM HADRIA. LABORAT PRO REGN. LOTHAR. ADVERSVS CAR. CAL.

conſtitu-

conſtitutos; quibus eos graui comminatione exagitans, illud maxime inculcauit, vt ſi Carolus Sedi Apoſtolicę obtemperare recuſaret, ipſi ſe ab eius communione ſeiungerent, ſi vellent cum Apoſtolica ſede communicare; alioqui fore vt indignos reſpuendos. Hæc & alia Pontifex; vt quidem reperiuntur in redditis ad eum Hincmari literis [b], quas amaro nimis & furenti animo conſcripſit, quaſi eo pacto ſe Hadrianus pacis perturbatorem oſtenderet: cum tamen nihil aliud idem ſanctiſſimus Pontifex tot fatigationibus quæreret, quam vt ius cuique ſuum tribueretur, & omnes Deo conciliarentur; præſertim cum iura ipſa legitima Regum Francorum antiquitus inuiolabiliter conſeruata, clamarent Regnum Francorum non ex electione aut vſurpatione, ſed & ſucceſſione deberi. Ceterum ipſum quoque Regem Carolum ægro animo tuliſſe reprehenſionem Pontificis, atque re infecta Legatos dimiſiſſe, teſtis eſt Aimoinus [c].

b *De his literis vide late Baro... An. To. X hoc an.* DE HINCMARI AD HADR. VIRVLENTA RESP.

c *Aim. l. 5. c. 26. & 27.*

II. HADR. AGIT PRO LIBERATIONE CAROLOMANNI.

Sed quod rurſum ſpectat ad eoſdem Epiſcopos Legatos ab Hadriano in Gallias miſſos; tradit idem huius temporis ſcriptor Aimoinus, per eos factum eſſe vt Carolus Rex filium ſuum Carolomannum quem detinebat in vinculis liberaret: qui quod noua moliretur, à patre coactus attonderi, clericalemque vitam profiteri, paulo poſt reſilierat, atque ideo Epiſcoporum ſententia damnatus fuerat: ſed Apoſtolicam Sedem appellans, literis [d] ea de re ab Hadriano ad Carolum eiuſque Regni Epiſcopos ac Comites ſcriptis, per Legatos liberatus eſt. Quod quidem ita, quamdiu vixit Hadrianus permanſit; poſtea vero Carolum acrius in filium ſæuiiſſe, eumdemque Gallias prædationibus infeſtantem luminibus excæcaſſe, Frodoardus, Aimoinus, aliique omnes ſcriptores affirmant. Reperitur porro hoc eodem anno ipſe Carolus (quod Politicorum eſt in decretis, vt quo magis Princeps exercet tyrannidem, eo magis religionis culturam affectet) ſcribi ſibi feciſſe aureis literis libellum Precum ſelectarũ, quas quotidiano vſu recitaret: quæ quidem magnam redolentes pietatem, nuper editæ ſunt Ingolſtadii anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo tertio.

d *Rec. Bar. ubi ſup.*

LIBELLVS PRECVM CAROLI CALVI.

III. CONCIL. AGRIPPIN.

Hoc item anno Coloniæ Agrippinæ SYNODVS habita eſt Ludouico Rege agente, ſexto Calendas Octobris; in qua complura ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantia pertractata ſunt, & dedicata ibidem Eccleſia S. Petri. Hæc pluribus in veteri Francorum Chronico à Pithœo edito.

IV. ADMIRANDVM SACRAR. VIRG. FACTVM.

Quo item anno Danis Ethnicis Angliæ fines miſerabiliter deuaſtantibus, nulli parcentibus loco, vel ætati, aut ſexui, & maxime monaſteria deprædantibus, ſacraſque virgines polluentibus; *Ebba* Collinghammenſis cœnobii Abbatiſſa inſtinctu diuino admirabile plane fortitudinis Chriſtianæ facinus auſa, conuocatis omnibus monaſterii ſanctimonialibus, ſibi ipſi nouacula naſum cum labro ſuperiori addentes vſque præcidens, perſuaſit vt & ipſæ idem agerent ne à Danis ludibrio traderentur. Itaque aduenientes poſtridie Dani, horrendo eiuſmodi ſpectaculo perterriti, à virginum quidem pollutione abſtinuerunt, ſed igne monaſterio admoto eaſdem omnes cremauerunt; quæ ab Eccleſia Catholica cultu martyrum celebrantur. Eadem vero perſecutione Eadmundus Angliæ Rex ab iiſdem Danis Paganis tentus; ligatuſque ad arborem, diutiſſime flagellatus eſt: deinde ſagittis confoſſus, tandem capitis amputatione martyrium conſummauit hoc eodem anno duodecimo Calendas Decembris, & ipſe inter Sanctos relatus multis miraculis clarus. Cum quo etiam paſſus eſt *Humbertus* Helmhamenſis Epiſcopus, qui eumdem in Regni faſtigium ſublimauerat, & conſtantiæ inuicti Regis ad martyrium animatus. Narrat hæc omnia pluribus, ex antiquioribus monumentis deſcripta, Matthæus VVeſtmonaſterienſis in ſua Angliæ hiſtoria.

EADMVNDI REG. MARTYR.

HVMB. MARTYR.

V. METROPHANES SCRIBIT DE REBVS PHOTII.

Quod ad res pertinet Orientalis Eccleſiæ præter illa quę ad Octauam Synodum ſpectare viſa ſunt, quæ hoc anno geſta, ſuperiori ſunt recitata; hoc item anno *Metrophanes* Metropolitanus Smyrnæ, inſigni Orthodoxia ſpectatus, cuius ſumma eſt laus in ſingulis eiuſdem Synodi Actionibus, quippe ceteris Orientis Epiſcopis præſtare videretur doctrina atque virtutibus; rogatus à Manuele Patricio & Tabellariorum præfecto, vt totius cauſæ Photii res geſtas hiſtoria breui conſcriberet, præſtitit illud diligenter [e] epiſtola vna ad ipſum Manuelem ſcripta, qua nonnulla etiam expreſſit ab aliis hiſtoricis prætermiſſa.

e *Rec. Bar. ibid.*

VI. BVLGARI DATVR EPISC A GRÆCIS.

Adhuius etiam anni res geſtas pertinet, quod Ignatius Patriarcha Cõſtantinopolitanus in Bulgariam, tamquam ad Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ diœceſim pertinentem, creatum à ſe Epiſcopum vna cum aliis clericis miſit, quem nominatum fuiſſe Theophylactum affirmant: à quo & expulſum eſſe Grimoaldum, qui à Romano Pontifice illuc miſſus fuerat ad prædicandum Euangelium, ex Anaſtaſio in Hadriano intelligi poteſt. Ceterum iſte *Theophylactus* longe alius eſt ab illo item Archiepiſcopo Bulgarorum, cuius extant in ſacrum Euangelium lucubrationes, & alia ſcriptorum monumenta, qui poſt ducentos annos vixit; de quo dicetur ſuo loco.

VII. PHOTIVS MITTITVR IN EXILIVM.

Quod vero ad damnatum in Octaua Synodo Photium ſpectat; conſilium illud fuit, & quidem rectum Imperatoris, obſtinatiſſimum hominem ab aliorum conſortio longe ablegare, quod videret eum pollentem eloquio plurimum poſſe obeſſe tranquillo Reipublicæ ſtatui. Quamobrem totus ad partes Photii minuendas incumbens, & ipſum in exilium damnauit, & eius affines atque amicos vexauit: adeoque ab eo facta res iſſa ſunt, vt etiam conſecratæ ab ipſo Eccleſiæ profanatæ fuerint & dirutæ, ſeruique eius & ſectatii ad quæſtiones vocati, atque alia id genus aduerſus eos commiſſa, quæ idem ipſe querulus enumerat in variis ſuis hoc tempore ad diuerſos ſcriptis [f] epiſtolis: qui & eo veſaniæ deuenit, vt Eccleſiam Dei dira perſecutione vexatam diceret, dum ipſe cum collegis improbis ab Eccleſia arceretur: & cum aliquando graui terræmotu ciuitas Conſtantinopolitana concuſſa eſſet, iactaret ob id Deum permiſiſſe ipſum exulare vt à ruina ſubduceretur periclitantis ciuitatis.

f *Rec. Baron. ibid.*

VIII. DE LIBRIS BASILII IMP.

Hoc item anno in Theophaniæ celebritate, per Ignatium Patriarcham Baſilius Auguſtus alium filium ſuum minorem natu LEONEM nomine, Imperatorem coronari voluit: vt teſtatur qui pręſens aderat Anaſtaſius Bibliothecarius in ſuis Notis ad Octauam Synodum. Quibus conſentientia ſcribens Curopalates in Baſilio, addit inſuper tertium Baſilii filium nomine *Alexandrum*, à patre creatum fuiſſe Cæſarem; quartum vero natu minimum, dictum Stephanum, mancipatum eſſe diuinis officiis; & quatuor filias in monaſterio conſecratas Deo virgines, claruiſſe pietate.

IX. DE IMAGINE SANCTISS. VIRGINIS INCARNATA SVPER LIGNVM.

Hoc pariter anno facta eſt translatio Hieroſolymis Damaſcum, cuiuſdam Imaginis Dei-Genitricis olim Conſtantinopoli depictæ in tabula lignea; ſed poſtea pictura (mirabile dictu) ſuper lignum eſt incarnata, & oleum maxime odoriferum iugiter emittere cœpit, quo languores quicumque quorumcumque hominum, Chriſtianorum, Iudæorum, Saracenorum, pellerentur; ita vt numquam imminueretur quantumcumque inde acciperetur: quapropter Imago ſummæ fuit venerationi non ſolum Chriſtianis, ſed etiam Saracenis, qui & ipſi orationis gratia ad eam confluerent in Aſſumptione & Natiuitate Sanctiſſimæ Virginis. Teſtatur hæc Arnoldus Abbas Lubecenſis, qui vidit cum peregrinatus eſt in Palæſtinam.

IESV CHRISTI AN. 871.

LVDOV. II. 16. BASIL. MACED. 5.

HADRIANI II. AN. 4.

I. LEGATIO AB IMP. ET IGNAT. AD ROM.

ANNO Chriſti octingenteſimo ſeptuageſimo primo, Indictione quarta, Ignatius Patriarcha & Baſilius Imperator miſerunt Romam ad Hadrianum Papam, Theognoſtum Abbatem cum literis [a] ac muneribus, petentes vt quæ Synodo Octaua remanſerant indefinita definiret, atque diſpenſaret in his quæ ibidem ſtatuta eſſent de non

a *Ext. inſ. Oct. Syn.*

PONT. PRO DISPENSATIONE SVPER DECRETA OCTAVÆ SYN.

recipiendis promotis à Photio, vel qui ſubſcripſiſſent illius pſeudoſynodo aduerſus Nicolaum Papam. Ad quæ reſcribens Hadrianus, primo de Legatis Apoſtolicæ Sedis ſugillauit Imperatorem, quod abſque vllo præſidio ita eos remiſerit, vt apud regiones ſub eiuſdem Imperio conſtitutas à piratis capti fuerint: deinde queſtus eſt de Ignatio, quod Bulgaris Antiſtitem à ſe ordinatum mittere præſumpſerit: ac denique negauit ſe diſpenſaturum cum Photianis, niſi noua emergente cauſa, quod non ſit moris Apoſtolicæ Sedis, pro libitu proprio prædeceſſorum ſanctionibus vel Synodorum Oecumenicarum decretis abuti. Ad quam epiſtolam (quæ cum aliis extat in Anaſtaſii codice Octauæ Synodi) in margine tunc adnotauit idem Anaſtaſius, ordinatos à Photio ſine ſpe reſtitutionis depoſitos fuiſſe à Sede Apoſtolica, quod ipſe Photius cum ab excommunicatis atque depoſitis Epiſcopis fuiſſet ordinatus, numquam approbatus eſſet Epiſcopus, ideoque nec potuiſſet alios ordinare. Sed prolixiorem requirerent iſta tractationem; at nos alio pergimus.

II.

b *Has & ſeqq. Photij epiſtolas, recit. Bar. Annal. to. X. hoc an.*

PHOTII AD DIVERSOS EPISTOLÆ AB EXILIO.

Inter hæc autem Photius in exilio conſtitutus, literas [b] ſcribens ad Imperatorem, ſuas deplorauit miſerias; ac præcipue queſtus eſt de fame quam pateretur, & priuatione librorum quos non permitteretur habere. Cum autem fruſtra pulſare ſe noſſet animum Imperatoris, ad Bahanem Patricium ſe conuertens, Proconſulem atq; Præpoſitum, virum primarium apud Imperatorem, & occulte ſibi amicum; binas ad eum dedit literas, quibus eum in ſui patrocinium excitaret: quod & ipſe poſtea (vt dicemus) magno Eccleſiæ malo ei præſtitit. Rurſum autem verſutiſſimus homo, ne in tanto rerum ſuarum naufragio aliquis ex iis quos ſibi tanto labore acquiſierat, ab ipſo deficeret; encyclicam ad omnes Epiſcopos ſuos ſcripſit epiſtolam ſatis prolixam, in qua miro artificio dum vnum nutantem confirmandum propoſuit, omnibus ne vacillent opportuna documenta appoſuit. Atque ita plane ſua incredibili effecit arte, vt eoſdem omnes ſedibus ſpoliatos, innumeraq; alia incommoda perpetientes, continuerit in ſua amicitia, ipſe licet exul, & in cuſtodia conſtitutus, plurimiſque miſeriis preſſus. Sed ſunt & aliæ plures ad hæc ſpectantes ipſius epiſtolæ, quas prætermittimus.

III.

c *Aim. l. 5. c. 28.*

DE CONTROVERSIA INTER BASIL. ET LVDOV. OB NOMEN IMPERAT.

Quod pertinet ad res Occidentales; hoc eodem anno (vt auctor eſt Aimoinus [c]) Ludouicus Imperator Romam veniens, ipſo die Pentecoſtes ab Hadriano Papa coronatus eſt; videlicet in Regem Francorum, vtpote legitimus ſucceſſor Lotharii fratris. Poſtea vero Beneuentum rediens, cum tandem cepiſſet poſſeſſam à Saracenis Barim ciuitatem, quam (vt ait Leo Oſtienſis) annis quatuor obſidione conſtrinxerat, aliaſque clades Saracenis intuliſſet; Baſilius Auguſtus ad eum, Ioannem Patricium Legatum miſit, cum literis increpatoriis, quod nomen vſurparet *Baſilei*, ſiue *Imperatoris* (id enim & ab eius literis abraſiſſe in Synodo Octaua, ſuperius dictum eſt) ſignificans debere ei ſufficere vt diceretur *Riga*. Cuius literis acceptis Ludouicus, & ipſe miſſo ad eum Autprando Legato, acrem ſatis dedit epiſtolam apologeticam; qua inter alia multa ibi tractata, fuſe oſtendit eiuſmodi appellationem Imperatoris, ſiue Baſilei, non eſſe peculiarem Conſtantinopolitanorum, ſed etiam legitime competere Francis, qui eam accepiſſent à Sede Apoſtolica ob egregiam ipſorum fidem in Deum & Eccleſiam Romanam; vereque ipſi iam Romanis imperarent, qui ob hæreſim Græcorum ſe ab eorum Imperio ſubduxiſſent: denique & nomen Riga, idem eſſe quod Regem, Regem autem idem quod Baſileum. Poſtremo hortatur, vt claſſem valentem mittat ad debellandos Saracenos, Siciliamque ab eorum manibus recuperandam; cui expeditioni ſe quoque affuturum pollicetur. Quæ autem hæc ſecuta ſunt, dicentur inferius ſuis locis.

IV.

DE CAVSA HINCMARI LAVDVN. DIRE VEXATI AB HINCM. RHEM.

Hoc eodem anno menſe Auguſti celebrata eſt *Synodus*, immo graſſatio apud *Duziacum* villam in prouincia Rhemenſi: in qua, agente Hincmaro Rhemenſi Archiepiſcopo, damnatus eſt alius Hincmarus Iunior Laudunenſis Epiſcopus illius nepos. Exæſtuabat enim odium patrui in nepotem, eo quod iſte aduerſus illum iura Sedis Apoſtolicæ attenuare conantem, ſcripta collegiſſet quibus eiuſdem Sedis iura corroboraret: itemque quod idem nepos pro literis Apoſtolicis agens, nullo modo conſentire voluiſſet excommunicationi à patruo contra Carolomannum Caroli Regis filium illatæ in præiudicium Sedis Apoſtolicæ, quam Carolomannus appellauerat. Traxit & aliis occaſionibus in hanc cauſam patruus Carolum, tum quod nepos quemdam Northmannum excommunicaſſet, qui bona Eccleſiaſtica accepiſſet à Carolo in beneficium; tum etiam quod aſſereretur ſcripſiſſe ad Romanum Pontificem aduerſus eumdem Regem, contra fidelitatis iuramentum quod Regi iam antea præſtitiſſet. Itaque cum idem Hincmarus nepos aduerſus iſtas accuſationes, aliaque ſibi obiecta crimina, iam in duabus aliis antehac celebratis [d] Synodis apud Attiniacum villam, & in palatio VVermeriæ, Sedem Apoſtolicam appellaſſet: quinimmo vt eoſdem Carolum Regem, & Hincmarum Rhemenſem Metropolitam ſuum placaret, (vt ait Aimoinus [e]) profeſſionem emiſiſſet fidelitatis Regi, & obedientiæ ſuo Metropolitano præſtandæ: quia tamen non iſta ſatis fuere eorumdem furori, non ſolum non eſt permiſſus Romam adire, quamuis à Summo Pontifice vocatus; ſed etiam ad præſentem Synodum Duziacenſem denuo appellatus, cum eo pergeret, in itinere ſpoliatus eſt violentia hoſtili; & ad eamdem Synodum perductus, tyrannice ibi depoſitus eſt ab Hincmaro patruo auctoritate Regis, fruſtra rurſum appellans Sedem Apoſtolicam, fruſtraque ipſis Synodi Patribus proteſtantibus aditum ei ad eam Sedem non eſſe denegandum. Depoſitus vero, eiectus eſt in exilium; vbi ferreis diu detentus vinculis, demum poſt biennium excæcatus eſt. Quæ omnia poſtea coram plena Synodo Trecenſi, præſente Ioanne Papa Octauo, ex eiuſdem Hincmari Laudunenſis libello ſunt recitata.

d De duabus iſtis Synodis egit Baron. an. ſuper. ſed cum tribuiſſet Attiniacenſi, quod in iſta Duziacẽſi factum eſſe conſtat ex libello Hincmari Laudunenſis, oblato Trecis Ioanni Papæ, de quo agetur an. 878. id ipſemet poſtea correxit Baronius.

e *Aim. l. 5. c. 24. & ſ.*

V.

Cum autem iam ſæpius Hadrianus Papa ſcripſiſſet vt idem Laudunenſis Romam mitteretur, nec auditus fuiſſet; iam ex prædicta Synodo Duziacenſi miſſus eſt ad ipſum Actardus Nannetenſis Epiſcopus: quod quidem hoc ipſo anno contigiſſe, intelligitur ex eiuſdem Hadriani redditis ad Synodum litteris, quæ datæ habentur ſeptimo Calendas Ianuarii Indictione quinta. Reſcripſit [f] vero & ad Carolum Regem, excuſans primo ſiquæ acrius in aliis ad ipſum datis literis appoſuiſſet, ſubiicienſque de Actardo Legato creato certis conditionibus Archiepiſcopo Turonenſe, vt Rex ſynoduſque petierant; quem ait ſe *conſtituiſſe Cardinalem Metropolitanum & Archiepiſcopum Turonicæ prouinciæ, per ferulam, pitacium, & anulum, nec non per Apoſtolica auctoritatis literale decretum*: deinde ſecreta ſubaddens promiſſionem Imperii ipſi Carolo conferendi, ſi ſuperuixerit Ludouico Imperatori: ac demum agens de cauſa Hincmari Laudunenſis iuſte proſequenda Romæ, quo ille venire debeat. Sed cum denuo cerneret Hincmarum detineri artibus aduerſariorum, rurſum acriores literas ad Regem ſcribens, auctoritate Apoſtolica iuſſit vt eumdem Epiſcopum Romam mitteret. Quæ Pontificis verba Carolus in deteriorem partem interpretatus, amariſſimas ad eum literas [g] reddidit, quaſi ea contra morem prædeceſſorum Romanorum Pontificum ſcribentium ad Reges Francorum Hadrianus ſcripſiſſet: cum Reges Francorum (vt ait) non Epiſcoporum Vicedomini, ſed terræ domini hactenus fuerint computati: rogauitque vt poſthac talia non mandaret, ne cogeretur ipſe Rex mandata Pontificis & epiſtolas contemnere, & Legatos dedecorare. Cuiuſmodi Caroli reſponſionem, ab iracundia percito Principe minus religioſe profectam, Politici noſtri temporis vt ſerio dictam arripientes, promulgare ſolent tamquam diuinum cœlitus acceptum oraculum; reliquias omnes poſthabentes, & nullius pretii exiſtimantes epiſtolas Regum & Imperatorum Francorum innumeras, quibus ſtudium, pietas, reuerentia, obſequium, omneque demum genus officii erga Apoſtolicam Sedem ac Romanos Pontifices am-

f *Recitat plurimas ad hanc cauſam pertinentes epiſtolas Baron. Annal. To. X. hoc & praeced. an.*

LITERÆ HADR. PP. AD CAROL. REG. IN CAVSA HINCM. LAVDVN.

g *Rec. Bar. verſus ſup. De quibus vide etiam Greſ. in Apol. Baron. c. 14. aduerſus Goldaſt. de quib. an. 774. ad n. 3.*

CAROL. AD HADR. IRACVNDA RESPONSIO.

QVAM OBSEQVENTIS CA-

plissimis

ROL. PRÆDECESSORIB. SVIS. pliſſimis notis expreſſa hactenus integra remanſerunt: adeo vt & Carolus ille Magnus, ſapientia, ſcientia, fortitudine, pietate, ac virtutibus denique omnibus, Carolum Caluum longiſſime antecellens, olim dixerit, *licet* [h] *vix ferendum à S.R. & Apoſtolica Sede Regibus imponeretur iugum, ferendum eſſe, & pia deuotione tolerandum.* Sed de his modo hactenus.

h D. 19. c. 3.

VI. EXEMPLVM CONSTANTIS FIDEI.

Res autem Eccleſiæ Anglicanæ dignum exemplum Regis maxime pii hoc anno exhibent. Siquidem dum exercitus Danorum vniuerſa Orientali Anglia deuaſtata, ad Occidentalem conuerſus eſſet, Æthelredus Rex aduerſus eos progreſſus, aliquando, in tentorio Miſſam audiens, cum ipſis appropinquantibus ſæpe à ſuis inuitaretur ad certamen, conſtanter affirmauit ſe non receſſurum priuſquam presbyter Miſſam compleſſet. Quæ fides multum ei profuit, victis facillime potentiſſimis hoſtibus. Poſt quæ eodem hoc ipſo anno defuncto, ſucceſſit in eius locum Ælfredus ipſius frater, quem vidimus ſuperius Romæ coronatum fuiſſe à Leone Papa Quarto; cuiuſq; præclaras res geſtas ex antiquis Annalibus proſecutus eſt Matthæus VVeſtmonaſterienſis.

IESV CHRISTI AN. 872.

LVDOV. II. 17. BASIL. MACED. 6.

HADRIANI II. AN. 5.

I. LEGATIO MISSA A BASIL. IMP. AD LVDOV. REG.

ANNO Chriſti octingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Indictione quinta, menſe Ianuario, miſſa eſt Legatio honorifica cum muneribus, & parte non modica ſalutiferæ Crucis in cryſtallo miræ magnitudinis auro gemmiſque ornato, à Baſilio Imperatore Conſtantinopolitano ad Ludouicum Germaniæ Regem: vt traditur in antiquo Chronico à Pithœo edito. Cuius legationis is forte fuit finis, vt Ludouicum Regem Baſilius in Ludouicum Imperatorem ipſius nepotem commoueret.

II. LVDOV. IMP. PRODITORIE CAPTVS.

Hoc enim ipſo anno, quo (vt dicetur) Hadrianus Papa defunctus eſt, idem Baſilius offenſus Ludouici Auguſti literis anno ſuperiori ad eum miſſis, Andelgiſum Ducem Beneuentanum ad defectionem ſolicitaſſe reperitur. Cuius turpiſſima proditione ipſe Ludouicus Beneuenti in pal tio ſuo captiuus factus, detruſus eſt in carcerem: nec inde valuit eximi, donec fortiſſimis iuramentis pollicitus ſit ſeruare quæ ipſi pacta firmanda obtulerunt proditores. Hæc pluribus Regino, (qui tamen perperam in annum ſuperiorem refert, quo ponit Hadriani Papæ obitum) Leo Oſtienſis, & alii; diffuſius vero Herempertus antiquus auctor (quem alii Renopertum, alii Erchempertum nominant) qui res Longobardorum Principum Beneuentanorum eſt proſecutus. Vbi addit, hæc Deum fieri permiſiſſe, primo quod cum aliquando Ludouicus Romam veniſſet pro reſtitutione Guntharij atque Theutgaudi Epiſcoporum depoſitorum, quam recuſaret concedere Nicolaus tunc Papa, idemque Pontifex ex more ei obuiam factus eſſet cum Clero; Imperator fuſtibus Clerum cædi, Cruces autem, omniaque ſancta miniſteria pedibus calcari iuſſiſſet, Romamque magna ex parte deprædatus eſſet, atque ipſum Pontificem ſede priuare cogitaſſet: ſecundo quod capta Bari ciuitate, Seodam Ducem Saracenorum flagitioſiſſimum ſeruaſſet; à quo ipſo, iuncto cum Adelgiſo, metuit proditorie captiuus fieri. Quid vero poſt hæc Ludouicus egerit, dicetur anno ſequenti.

DIVINA VINDICTA IN LVDOVICVM.

III. S. ATHANASII EPISC. NEAPOL. OBITVS.

Hoc item anno quo mortuus eſt Hadrianus, pariter ex hac vita migrauit, ſed ante ipſum, nimirum Idibus Iulii, *S. Athanaſius* Epiſcopus Neapolitanus, poſt mortem miraculis clarus; cum à Sergio nepote ſuo Magiſtro militum, ac Duce Neapolitano, homine nequiſſimo, commonitorem patrum non ferente, poſt multa alia mala tolerata, in exilium pulſus eſſet, ac diriſſimam rurſus perſecutionem paſſus vſque ad obitum: vnde & ipſa Neapolitana ciuitas à Summo Pontifice anathemate innodata eſt, cuius florentiſſima fuerat ſub Athanaſio Eccleſia. Proſequitur hæc pluribus, eaque occaſione de excellentia ciuitatis Neapolitanæ, eiuſque Eccleſiæ origine ac pietate, agit Petrus Diaconus Caſſinenſis huius temporis auctor in Rebus præclare geſtis eiuſdem S. Athanaſii.

IV. CONVENTVS APVD GANDVL. VIL.

Quo eodem anno, Indictione quinta, Idibus Septembris *Conuentus* habitus eſt apud Gandulphi villam in ditione Ludouici Regis Germaniæ, præſentibus Legatis Apoſtolicæ Sedis, Formoſo Portuenſi, & Iaderico Velitrenſi Epiſcopis, necnon Engilberga Auguſta Ludouici Imperatoris coniuge. In quo diſſolutis auctoritate Apoſtolica, pactis iuramento firmatis de Regni Lotharii diuiſione facta ab eodem Ludouico Rege cum Carolo Caluo, idem Ludouicus Rex ceſſit Ludouico Imperatori parte eiuſdem Regni quam occupauerat. Narrantur hæc in codice Antonii Auguſtini, & in Annalibus Francorum à Pithœo editis: quæ Aimoinus [a] quoque contigiſſe ponit ſub [b] Hadriano Papa.

a Aim. l. 5. c. 28.

b Ergo in hunc annũ referenda, quo Hadrianus obiit. Nam & appoſita Indictio quinta, in hunc annũ refertur.

V. HADRIANI PP. OBITVS, ET IOANNIS VII. SVBROGATIO.

Hoc denique anno, Calendis Nouembris, cœpta iam à menſe Septembri Indictione ſexta, *Hadrianus* Papa ex hac vita migrauit, cum ſediſſet annos quatuor menſes decem & dies ſeptemdecim: cuius res geſtæ deſcriptæ apud Anaſtaſium, fine carent. Vacauit autem ſedes eius vſque ad decimumnonum Calendas Ianuarii: qua die in eius locum ſuffectum fuiſſe IOANNEM Archidiaconum, huius nominis Octauum, Aimoinus [c] & ipſe huius temporis ſcriptor affirmat.

c Aim. l. 5. c. 29. in fi.

IESV CHRISTI AN. 873.

LVDOV. II. 18. BASIL. MACED. 7.

IOAN. VIII. AN. 1.

I. CONCIL. ROM. IN CAVSA LVDOVIC. IMP.

ANNO Chriſti octingenteſimo ſeptuageſimo tertio, Indictione ſexta, Ludouicus Imperator Romam venit; ibique *Conuentum* celebrans coram Summo Pontifice, multa ſuper Adelgiſi proditione conqueſtus eſt: aduerſus quem hoſtem Reipublicę declaratum, bellum à Senatu Romano decretum eſt. Ipſum vero Imperatorem Ioannes Papa abſoluit iuramento, quod coactus præſtiterat ad mortis periculum euadendum. His auditis Adelgiſus; metu perterritus ſeceſſit in Corſicam. Hæc ex Reginone. Addit vero Aimoinus [a], Ioannem Pontificem compatrem Adelgiſi, ipſum Ludouico id optanti reconciliaſſe; idque factum hoc anno eſſe.

a Aim. l. 5. c. 30. in fi.

II. CAROLVS FIL. LVDOV. REGI A DÆMONE INVADITVR OB CONSPIRAT. IN PATREM.

Quo eodem anno, ſeptimo Calendas Februarii [b], in *Conuentu* Epiſcoporum ac Comitum habito Francofurdiæ à Ludouico Germaniæ Rege, Carolus eius filius natu minimus in conſpectu omnium à malo dæmone inuaſus eſt, iuſto Dei iudicio quod in patrem conſpiraſſet: ſicut & ipſe poſt liberationem faſſus eſt, ſe toties aduerſæ poteſtati traditum, quoties eiuſmodi deliberationi inhæſiſſet. Narrant hæc Annales Francorum à Pithœo editi, & Aimoinus.

b Annal. Pit. Aim. l. 5. c. 30.

IESV CHRISTI AN. 874.

LVDOV. II. 19. BASIL. MACED. 8.

IOAN. VIII. AN. 2.

I. VISIO DE ANIMA LVDOV. I. IMP. ADHVC POENIS PVRGAT. DETENTA

ANNO Chriſti octingenteſimo ſeptuageſimo quarto, Indictione ſeptima, Ioannem Papam, & Ludouicum Imperatorem, & alium Ludouicum Germaniæ Regem, ſimul Veronæ conueniſſe, tradunt veteres Francorum Annales à Pithœo editi: quæ autem ab eis tractata ſint, vbique ſilentium. Sed narratur ibidem viſio facta diuinitus eidem Ludouico Regi, quia ipſius pater Ludouicus cognomento Pius Imperator, cum iam ante triginta tres annos defunctus eſſet, eidem in ſomnis apparens, adiurauit vt ſe à tormentis Purgatorii quibus detinebatur eripiendum curaret: qua de cauſa Rex per vniuerſa Regni ſui monaſteria, preces pro patre fieri mandauit. Vnde (inquit auctor) datur intelligi, quod quamuis memoratus Impe-

rator multa laudibilia feciſſet, plurima tamen legi Dei contraria in Regno ſuo fieri permiſiſſet.

II. REX SARACEN. DAT POENAS SACRILEGI SCELERIS.

Eodem anno cum Abdila Saracenorum Princeps ex Africa cum magno exercitu in Italiam veniens, Salernum obſidione cinxiſſet, eccleſiamque SS. martyrum Fortunati, Caii, & Anthes, ſibi in habitaculum deligens, ſuper ipſum altare ſtratum paraſſet; dum illic reluctantem virginem comprimere conaretur, trabs è tecto delapſa, licet procul ab altaris perpendiculo diſtans, impuriſſimum Arabem extinxit, illæſa penitus virgine. Salernitani vero ab obſidione liberati ſunt ope exercitus Ludouici Imperatoris, à quo iidem Saraceni iterum profligati fuere. Hæc in Rebus geſtis Longobardorum Principum Beneuentanorum apud Herempertum.

III.

Quo item anno Danis ſiue Northmannis rurſum Angliam inuadentibus, Beorredus Rex Merciorum maxime pius, poſt multa prælia tandem coactus cedere Regno, Romam venit; vbi mortuus eſt, ac ſepultus in Schola Anglorum: Regina vero eum ſecuta, mortua eſt Ticini. Hæc, & alia de crudelitatibus Danorum, pluribus Ingulphus, & alii veteres res Anglorum proſecuti.

IESV CHRISTI AN. 875.

LVDOV. II. 20. BASIL. MACED. 9.

IOAN. VIII. AN. 3.

I. LVDOV. IMP. OBITVS.

ANNO Chriſti octingenteſimo ſeptuageſimo quinto, Indictione octaua, menſe Auguſti, Ludouicus Imperator mortuus eſt; ciuſque corpus Mediolanum translatum, & ſepultum in baſilica S. Ambroſii: qui quidem ab eius temporis auctoribus ob pietatem, iuſtitiam, aliaſque virtutes inſigniter laudatur. Sub eo, an ſub Ludouico Germaniæ Rege ipſius patruo, certe ſub Ludouico Secundo, accidiſſe tradit Helmoldus [a], vt egreſſi è cœnobio Corbeiæ in Saxonia quidam monachi ſanctitate inſignes ad Slauorum conuerſionem, eos qui *Rani* ſiue *Rugiani* dicerentur, fidem docuerint, ibique Oratorium in honorem Dei & S. Viti martyris patroni Corbeiæ erexerint: qui iidem Rani paulo poſt in ſuperſtitionem mutati, ipſum S. Vitum vt Deum colere cœperunt, primatum deitatis ei ſpecialiter tribuentes, Flamineſque in eius cultum deſtinantes.

a *Helmold. l. 1. c. 6. & l. 2. c. 12.*

DE CONVERSIONE RVGIANORVM.

II. CAROL. CALVVS CORONATVR IMP.

Defuncto Ludouico Imperatore, ſtatim Ioannes Papa honorificam miſit legationem ad Carolum Caluum Regem Francorum per Iadericum Velitrenſem, Formoſum Portuenſem, Ioannem Alatrinum, & Anſegiſum Senonenſem Epiſcopos, qui Regem inuitarent ad Limina Apoſtolorum, quo fieret Imperator. Quæ quidem Legatio cum longe diuerſa ſit ab ea quæ anno ſequenti ad Concilium Pontigonenſe delata eſt; eas tamen ſimul confudit vetus hiſtoricus Odorannus monachus Senonenſis in ſuis Annalibus. Ceterum CAROLVS Romam ſe conferens, ipſo die Natalis Domini coronatus eſt; vt teſtatur Aimoinus [b], qui annos Chriſti numerans à die Natali ipſius, id factum dicit anno octingenteſimo ſeptuageſimo ſexto. Porro auctor anonymus in antiquis Francorum Annalibus, tradit hunc Caroli in Italiam aduentum tyrannice factum eſſe, & Romanos pecunia corruptos ei aſſenſiſſe, Ioannemque Papam coactum ei coronam Imperatoriam tradidiſſe: Sed & Ludouicum Germaniæ Regem ipſius fratrem, audita eius ad inuadendum Regnum Italiæ profectione, Carolomannum filium ſuum aduerſus eum miſiſſe; ipſum vero cum altero filio ſuo æque Ludouico dicto Regno eiuſdem Caroli inuaſiſſe, vt eum de Italia exire compelleret. Verum Carolum in Italiam à Summo Pontifice vocatum eſſe ad ſumendum Imperium, nec fraudem vllam aut prauam machinationem adhibuiſſe, ſed pacifice & ex totius Cleri, S. P. Q. R. vnanimi conſenſu coronatum eſſe, teſtantur Acta Synodi Romanæ, de qua dicetur anno poſt ſequentem; necnon Aimoinus; & Odorannus. Ludouicum autem Regem Gallias abſente fratre deuaſtaſſe, aſſerit pariter idem Aimoinus [c]. Quo tempore Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus epiſtolam valde prolixam ſcripſit ad Epiſcopos ſuæ prouinciæ, qua eos hortatus eſt vt in hoc diſcrimine confugerent ad arma ſpiritualia, orationum, ieiuniorum, ac ceterorum bonorum operum, & in fide proprii Regis Caroli licet abſentis fortiter perſiſterent; Regeſque libere de ſuis erratis monerent, & ſi parere nollent, excommunicarent; quod eos poſſe facere multis SS. Patrum exemplis probat. Haud vero inanes fuiſſe preces, declararunt euenta. Nam Ludouicum vbi natalem Domini celebrauit Attiniaci, in Germaniam rediiſſe, idem Aimoinus teſtatur.

b *Aim. l. 5. c. 31.*

c *Ibid. c. 32.*

HINCMARI MONITIO DE REDARGVENDIS REGIB.

III. ENGILBERGA AVG. FIT MONIALIS.

Interea Engilberga Auguſta viro deſtituta, Chriſto nupſit, ingreſſa monaſterium monialium Brixiæ profitentium, vbi religionis habitum ſumpſit: ad quam extant complures Ioannis [d] Papæ epiſtolæ.

d *Ioan. VIII. ep. 43. 86. 91.*

IESV CHRISTI AN. 876.

CAROLI I. 1. BASIL. MACED. 10.

IOAN. VIII. AN. 4.

I. CONFIRMATVM CAROLI IMPERIVM.

ANNO Chriſti octingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Indictione nona, cum Nonis Ianuarii (vt ait Aimoinus) Carolus Imperator Roma exiens Ticinum petiiſſet; in eadem ciuitate *Conuentus* Epiſcoporum ac Comitum celebratus eſt, in quo Imperium eidem Carolo Romæ collatum, omnium conſenſu à Ioanne Pontifice ibi præſente iterum confirmatum eſt [a].

a *Obiectionibus Goldaſti Caluiniſtæ aduerſus Baronium de Synodis & Conuentibus, in cauſis imperii Caroli diuerſis locis & temporibus celebratis, accurate reſpondet Gretſerus cap. 13. Apologiæ Baronianæ, de qua dictum eſt ad an. 774 nu. 1*

Poſthæc autem vt etiam ab Epiſcopis Gallicanis eadem omnia firmarentur, *Pontigonenſe* in Galliis celebratum eſt Generale CONCILIVM; cui præfuerunt Apoſtolicæ Sedis Legati, Ioannes Epiſcopus Tuſcanenſis, Ioannes Aretinus, & Anſegiſus Senonenſis, interfuitque ipſe Carolus Imperator. Habentur eius Acta apud Aimoinum [b] diſtincta octo Seſſionibus ſiue Actionibus; quarum prima celebrata eſt vndecimo Calendas Iulii, vltima decimoſeptimo Calendas Auguſti huius Indictionis nonæ. Et Prima quidem Actione, lectis epiſtolis Ioannis Papæ, quibus eidem Anſegiſo Senonenſi Archiepiſcopo vices ſuas ita demandaret, vt is primatum teneret per vniuerſas Gallias & Germanias, tam in conuocandis Synodis, quam definiendis quibuſcumque emergentibus dubiis; reclamarunt alii Galliarum Archiepiſcopi, ac præcipue Hincmarus Rhemenſis, hæc fieri contra antiquos canones & ſedium ſuarum priuilegia. Veruntamen Carolus Anſegiſo fauens, eum ſupra alios omnes ordinatione antiquiores ſedere fecit iuxta Legatos Apoſtolicos. In Secunda Actione confirmata eſt electio Caroli imperatoris, & Acta Synodi ſeu Conuentus Ticinenſis. Tertia, auditæ querelæ quorumdam presbyterorum. Quarta, auditi Legati Ludouici Regis Germaniæ, petentis à Carolo fratre partem Regni Ludouici Imperatoris ipſorum nepotis.

b *Aim. l. 5. c. 31.*

CONCIL. PONTIGON. ACTA.

II.

III. ALIA LEGATIO PONT. AD IMP. ET SYNOD.

Quinta Actione ſuſcepti ſunt alii Legati Ioannis Papæ, videlicet Leo Epiſcopus eiuſdem Pontificis nepos, & Petrus Epiſcopus Foroſemproníenſis, deferentes epiſtolas Imperatori & Synodo. Huius autem nouæ Legationis mittendæ quæ fuerit cauſa cum ab auctore taceatur, ex eiuſdem Pontificis epiſtolis inſpicitur; nimirum vt conceſſa à prædeceſſoribus Francorum Principibus Romanæ Eccleſiæ dona & priuilegia, ab ipſo nouo Imperatore confirmarentur: quod ſe obtinuiſſe, teſtatur in epiſtola [c] ad Gandulphum Epiſcopum Capuanum. Miſſos etiam eoſdem pro neceſſitate Romanæ Eccleſiæ, quam pateretur ab ingruentibus Saracenis, & rebellibus Chriſtianis; idem tradit [d] in epiſtola ad Boſonem Comitem, & alia ad eoſdem Legatos poſtea data. Extantque rurſum aliæ [e] ab eo ad ipſum Carolum hoc item anno, ſed poſt Synodum ſcriptæ literæ, quibus non ſolum de Saracenorum, ſed etiam de Marchionum Chriſtianorum infeſtationibus queritur. Actione Sexta lecta eſt epiſtola eiuſdem Ioannis Papæ de damnatione Formoſi Epiſcopi Portuenſis, Gregorii Nomenclatoris, & conſentientium iis. Cur vero dam-

c *Io. n. ep. 9.*

d *Id. ep. 6. & 7.*

e *ep. 21.*

FORMOSI EPISC. PORT. DAMNATIO.

ro damnatus ſit Formoſus, neſcimus: perſecutionem enim ipſum eſſe paſſum, quæ inferius dicentur oſtendent. Conſtat autem ex ipſo Aimoino, huic Seſſioni intereſſe noluiſſe Epiſcopos Galliarum. Septima iterum interpellati Archiepiſcopi de obedientia præſtanda Anſegiſo Senonenſi, reſponderunt ita ſe ei obedituros, quemadmodum ſui anteceſſores eius prædeceſſoribus regulariter obediſſent; & non alio modo. Octaua demum, poſt renouatam fruſtra quæſtionem de primatu Anſegiſi, & alia quædam peracta, finis impoſitus eſt Synodo cum ſolitis acclamationibus.

IV. CAROL. IMP. INVADIT REGNVM LVDOVICI.

Cum vero poſt hæc geſta Ludouicus Rex Germaniæ quinto Calendas Septembris diem obiiſſet Francofurdi, Carolus Imperator ad inuadendum relictum filiis ab eo Regnum, ingentem comparauit exercitum. Quare perterritus Ludouicus filius prædicti Ludouici, poſtquam multis miſſis legationibus pacem impetrare non valuit, cœpit cum Comitibus ſuis, ieiuniis ac litaniis miſericordiam Dei implorare, irridentibus eos illis qui erant cum Imperatore. Deinde fide pollens magis quam copiis militaribus, inconceſſa tentans præſumpſit conſcientia ſinceræ miracula. Siquidem vt Imperatorem iniuſte plane agere palam oſtenderet, decem homines cum aqua calida, & decem cum ferro calido, & decem cum aqua frigida, ad iudicium miſit coram eis qui cum illo erant, petentibus omnibus, vt Deus in illo iudicio declararet vtrum iure ipſe Ludouicus habere deberet portionem Regni quam ipſi pater dimiſſet: qui omnes illæſi remanſerunt. Demum vero cum nec iis flecteretur Carolus, coactus Ludouicus armis decernere, longe viribus impar vicit eumdem, iam ſolum turpi fuga lapſum ſuæ conſulentem ſaluti. Coacta quoque fugere vxor Caroli Racheldis Auguſta, in fuga ita eſt timore concuſſa, vt proieciſſe ex vtero fœtum, potius quam peperiſſe dici poſſit, infantem haud diu ſuperſtitem futurum. Narrat hæc omnia pluribus Aimoinus[f]. Addunt vero citari conſueti Francorum Annales, in eo certamine contra Carolum cœlitus dimicatum eſſe; ſiquidem apparentibus Ludouici militibus, tantus timor exercitum Caroli inuaſit, vt prius ſe victos putarent quam ad pugnam venirent: ſed & ipſorum equi quamuis calcaribus cruentarentur, immobiles permanſerunt; & armorum acies quaſi retuſæ eſſent neminem penitus læſerunt.

MIRACVLIS PATEFACTA IVSTITIA LVDOVICI.

f Aim. l. 5. c. 35.

CAROL. DIVINITVS SVPERATVS.

V. ANAST. BIBLIOTH. MITTIT AD CAROL. VITAM S. DIONYS.

Hoc eodem anno *Anaſtaſius* Bibliothecarius Vitam S. Dionyſii Areopagitæ à S. Methodio Græce ſcriptam, à ſe autem in Latinum tranſlatam, miſit ad Carolum Caluum Imperatorem. Non extat Vita ipſa, ſed tantum nuncupatoria[g] ad Carolum epiſtola, in cuius fine ait eam ſcriptam eſſe menſe Iunio Indictione nona, anno Pontificatus Ioannis quarto, Imperii Caroli primo: quibus gaudeas noſtram Chronologiam ad amuſſim conuenire. Sed & *Ericus* monachus Antiſiodorenſis, ſcriptos à ſe libros ſex metrico ſtylo de Vita Sancti Germani Antiſiodorenſis Epiſcopi, ad eumdem Carolum iam Imperatorem creatum mittens: in epiſtola nuncupatoria eum laudat de diligenti ſtudio in reparandis collapſis ſtudiis bonarum litterarum; adeo vt vndique viri docti in Gallias ad eum confluerent. Meminit de iiſdem Erici lucubrationibus Sigebertus in libro de Illuſtribus Scriptoribus Eccleſiaſticis ſubnectique de *Milone* monacho S. Amandi ſcientia literarum claro, qui pariter metrico ſtylo ad eumdem Carolum ſcripſit librum de Sobrietate: necnon de *Hubaldo* eiuſdem cœnobii monacho, quem inter alias lucubrationes ſcripſiſſe teſtatur ad eumdem Imperatorem librum trecentorum verſuum in laudem caluorum. Ex quibus videas, omnes huius temporis ſcriptores Carolum iſtum habuiſſe pro Mœcenate, ipſumque de bonis literis optime fuiſſe meritum.

g ap. Sur. 9. Oct. inſ. Areop.

VNDIQVE VIRI DOCTI AD CAROL. CONFLVVNT.

IESV CHRISTI AN. 877.

CAROLI II. 2. BASIL. MACED. II

IOAN. VIII. AN. 5.

I. IOAN. PP. AGIT PRO LIBERAT. ITALIÆ AB INFESTAT. SARACEN.

ANNO Chriſti octingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, Indictione decima, Saracenis vrgentibus in dies magis, rurſum Ioannes Papa ſuis literis[a] menſe Februarii ſcriptis, Carolum Imperatorem monuit auxilium ferre Vrbi periclitanti. Cui & palmas virides benedictas miſit[b]; cum tamen Dominica palmarum, qua in Eccleſia ex antiquo inſtituto benedici conſueuerunt, nõ eſſet: ſed earũ mittendarum ratio iſta ab ipſo deſcribitur; nimirum vt eſſet ei tamquam triumphus aduerſus viſibiles & inuiſibiles hoſtes; optans illum de cunctis aduerſariis triumphare. Interea vero ipſe Pontifex, vt Neapolitanorum, Beneuentanorum, aliorumque finitimorum populorum cum iiſdem Saracenis inita fœdera diſſolueret, poſt[c] miſſos ea de re Legatos præcipuos Eccleſiæ Romanæ Cardinales, Epiſcopos Oſtienſem & Portuenſem, demum ipſemet Traiectum oppidum haud longe à Caieta poſitum perrexit[d]: ex quo facto (vt teſtatur) nonnihil quietis eſt partum regionibus illis.

a Ioan. VIII. ep. 30. & ſeqq.
b ep. 32.
c ep. 36.
d ep. 39.

II. ATHANAS. EPISC. NEAPOL. FRATREM SVVM EXCOMMVN. EXCÆCAT.

Quo eodem tempore Sergius Dux Neapolitanus omnium peſſimus, & quod minus in his obaudiret Pontifici ab eo excommunicatus, à proprio fratre Athanaſio Neapolitano Epiſcopo (quem idem Sergius, expulſo altero Athanaſio patruo ſuo ſanctitate & miraculis inſigni, de quo ſuperius, in locum eius ſubſtituerat) tentus, atque cæcatus, Romam miſſus eſt. Cuiuſmodi facinus (quod etiam Leo[e] Oſtienſis memorat) Ioannes Papa epiſtola[f] ad ipſum Athanaſium ſcripta mirifice laudauit, Moyſis[g] exemplo qui Leuitas à cæde fratrum & filiorum ſuorum reuertentes laudibus extulit. Quantumlibet enim debeat eſſe Chriſti ſacerdotium incruentum, cuius eſt & ſacrificium incruentum: tamen qui ſpiritu oris ſui interfecit[h] Ananiam & Sapphiram Petrus, iſta tunc ſcribere docuit ſucceſſorem. Zelus enim purgat facinus; quo exeſus Dominus Redemptor noſter, percuſſor eſt factus; & Petrus eodem exæſtuans, occiſor euaſit; eodemque ardens Paulus, excæcator.

e Leo Oſt. l. 1.
f ep. 66.
g Exod. 32.
h Act. 5.

III. CONCIL. ROM. PRO CONFIRMAT. IMPERII CAROLI.

Eodem quoque menſe Februarii, quo datas diximus Ioannis Papæ ad Carolum Imperatorem literas, Romæ ab eodem Pontifice habita eſt SYNODVS, pro qua petenda miſſus fuerat ab eodem Carolo Adalgarius Epiſcopus. Quod enim Carolus multos haberet aduerſarios, qui ne auctoritate quidem præcedentium Conuentuum atque Synodorum, induci poterant vt eum pro legitimo Imperatore agnoſcerent: ideo rurſum à Papa coactus eſt poſtulare, vt coronatio & promotio ſua denuo confirmaretur. Quod quidem adeo hac Romana Synodo præſtitum eſt à Pontifice, vt eius perturbatores aut violatores, cuiuſcumque eſſent ordinis, dignitatis, aut profeſſionis, anathemate damnauerit: prout narrat Aimoinus[i], & conſtat ex eiuſdem Synodi actis quæ extant[k]. In quibus etiam expreſſam habes, quam tantopere impugnare conati ſunt Nouatores, Romani Pontificis auctoritatem & poteſtatem in creandis Imperatoribus; vt non nudum exhibeant miniſterium vnctionis & coronationis, ſicut facere ſolerent Patriarchæ Conſtantinopolitani in coronatione Orientalium Imperatorum; ſed vere Imperium ipſum conferant. Nam totidem verbis illic dicitur, ab ipſo Romano Pontifice, de conſenſu omnium *electum fuiſſe Carolum & approbatum, prouectumque ad Imperij Romani ſceptra, & Auguſtali nomine decoratum*, ac demum vnctum & coronatum. Quod ſi res iure ſucceſſionis agenda fuiſſet, non Carolus, ſed Ludouicus Rex Germaniæ frater maior natu præferendus fuerat.

i Aim. l. 5. c. 35.
k Toſ. Annal. Franc. à Pith. edit. & ap. Baron. an ſuper loco non ſuo, vt etiam notauit Greſ. in Apol.

RO. PONT. ESSE ELIGERE ET COMPROBARE IMP.

IV.

Ceterum haud prædeceſſoris in hoc videtur Ioannes ſecutus eſſe iudicium. Siquidem Hadrianus Carolum inuadentem Regnum Lotharii nepotis defuncti, iteratis monitionibus & comminationibus exagitauit: Ioannes autem eumdem pœna dignum, auxit imperio. Ita plane

IOAN. CARPITVR OB ELECTIONEM CAROL.

hæc omnia maleſuada prudentia carnis operata eſſe videtur: dum nimirum fauit Ioannes Carolo, potius quam Ludouico fratri longe præſtantiori Principi: à Carolo magis expectans aduerſus ingruentes Saracenos auxilium, ſiue aliis de cauſis quæ nos latent. Quo ex tempore male cœptum eſt, vt cum præter antiquorum morem, non inſiſterent ita firmo animo ſucceſſores (exceptis iis quę ſpectant ad fidem) prædeceſſorum veſtigiis, innumera ex his parta ſint mala quæ videbis.

V. [l Ioan. ep. 54.] [CONCIL. COMPEND.] Cum autem expectatum ab eo auxilium non adeſſet, ad eumdem rurſum literas [l] ſcripſit, quibus enixius ſubueniri quanto citius rogauit. Cuius quidem ſuſceptis Compendii Legatis, Carolus generalem *Conuentum* habuit Calendis Iunii, in quo diſpoſuit de Regni adminiſtratione per filium Ludouicum cum procerum conſilio gerenda, vſque dum ipſe Romam rediret: tributumque impoſuit non ſolum laicis, ſed & clericis omnibus & eccleſiis, Legatis Apoſtolicæ Sedis haud dubium conſentientibus, immo & procurantibus (vt par eſt credere) quo periclitanti omnium Matri S. R. E. ab omnibus, pręcipue vero ab Eccleſiaſticis perſonis ſubueniretur. Proficiſcens poſt hęc in Italiam, Ioannem Papam obuium habuit apud Vercellas; & recepto eo cum honore maximo, Papiam ſimul perrexerunt. [CAROLVS IN ITALIAM VENIT AD PONTIF.] Vbi cum accepiſſent Carolomannum filium Ludouici Regis Germaniæ infeſto agmine aduerſus eos venire; Tordonam petentes, Carolus proditorie à ſuis deſtitutus, inde aufugit; Ioannes vero Romam ſe recepit: cum etiam Carolomannus, accepto falſo nuncio Imperatorem ac Pontificem cum ingenti exercitu appropinquare; metu diuinitus perterritus, & ipſe fugam confeſtim in Regnum ſuum arripuit. Vbi autem Pontifex Romam venit, non modicam preſſuram accepit à Lamberto Comite Spoletano; qui nomine Imperatoris veniens opem ferre Romanæ Eccleſiæ, obſides Romanorum procerum filios petiit: ſed eos Romani penitus denegarunt, aſſerentes nec id vmquam moris fuiſſe, & ſemper ſe fideles abſque huiuſmodi vinculis Imperatoribus extitiſſe. Eſt enim de his epiſtola eiuſdem Ioannis Papæ [m] [m ep. 61.] ad eumdem Lambertum, qua etiam aſſerit id non fuiſſe ex mente Imperatoris.

VI. [CAROLI OBITVS.] Sed inter hæc inexpectatum accidit, vt eodem anno pridie Nonas Octobris, idem Carolus Imperator veneno potatus à Sedechia medico Hebræo, anno Imperii ſecundo, Regni vero poſt mortem patris trigeſimo octauo, mortuus fuerit in loco Barios dicto, ſepultuſque Vercellis in Eccleſia S. Euſebii; vnde poſt ſeptennium translatus Pariſios, conditus eſt apud S. Dionyſium. Hæc pluribus Aimoinus [n]. [n Aim. l. 5. c. 35. in f.] [LVDOV. BALBVS IMPERAT.] Succeſſit in Imperium eius filius LVDOVICVS, cognomento *Balbus* quod impeditus lingua eſſet. Ad quem patri ſuccedentem Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus, qui eum in Regem vnxerat, de Regno ſuo bene diſponendo, ab eodem rogatus epiſtolam ſcripſit, cuius meminit Frodoardus [o]; [o Frod. hiſt. Rhem. l. 3. c. 19.] extatque ipſa integra ordine prima inter nouem illas ipſius ſelectas, quæ habentur in Spirenſi codice. [HINCMARVS SCRIBIT DE OPTIMA REGNI GVBERNATIONE.] Quo etiam tempore ab eodem illa ſcripta videtur longiſſima, in eodem codice tertia poſita, ad Epiſcopos Franciæ pro noui Regis inſtitutione. In qua primo docet, mundum duplici poteſtate regi, Pontificia & Regali: Epiſcoporum, & Regum, & omnium qui aliis præſunt, officium eſſe, Canones & Leges non ignorare, & iuſtitiam colere. Deinde ex B. Adelhardi Abbatis Corbeienſis, Caroli Magni propinqui & Conſiliarii, libello copioſe exponit, quis ordo & modus in Palatio Regio, & toto Regno adminiſtrando, olim fuerit vſurpatus: tum omnia officia Palatii deſcribit: ac demum declarat, quibus rebus pax Regnorum conſeruata fuerit; nempe binis annuis Comitiis, & eorum Conſiliariorum delectu, qui nihil Deo, ſuæ ſaluti, Regis & Regni incolumitati anteponerent.

VII. [CONCIL. IN NEVSTRIA.] Sed & eodem tempore acta eſt in Neuſtria SYNODVS; vbi inter alia, eiuſdem Ludouici Imperatoris Legati querelas expoſuerunt aduerſus Hugonem Lotharii defuncti Regis filium nothum. Hic enim audita morte Caroli, qui Lotharii Regnum inuaſerat, collecta factioſorum manu, prædicti Ludouici Regnum magnopere infeſtabat: cum vero Ludouicus primum detulit ad Epiſcopos, quibus in ea Synodo Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus præſidebat: hic autem Synodi mandato ad Hugonem literas [p] ſcripſit, [p Agit de ijs Frod. ibid. c. 18. & 25.] quibus poſt multa egregia monita, excommunicationem comminatus eſt niſi reſipiſceret. Quid autem aduerſus eum poſtea actum fuerit, dicetur ſuo loco.

VIII. [ROM. ECCL. COGITVR SOLVERE TRIBVTVM SARACENIS.] Ceterum Ioannes Papa vbi ſe deſtitutum vidit, in quo tantopere ſperauerat, auxilio Caroli Imperatoris: reliquos vero Principes pateretur infenſos, ob id quod adeo Carolo ſtuduiſſet: quo ſe liberaret ab ingruentibus Saracenis iamiam Vrbem inuaſuris, nullam aliam viam inuenit, niſi vt ſummo Chriſtianorum Principum dedecore annui viginti quinque millium mancuſorum argenti (erat genus nummorum huius temporis) penſitatione tributi eos quieſcere faceret. Id enim teſtatur Ioannes ipſe in epiſtola ad [q] [q Ioan. ep. 85] Carolomannum Regem, dum queritur, poſt Saracenos ſedatos, à Chriſtianis Principibus Romanam Eccleſiam pati preſſuram. Adeo namque eſt fatigatus ciuilib. bellis, quæ Lambertus [r] [r Id. ep. 72. & 73.] Comes Spoletanus Romæ enutriret, ſuſcepto Formoſi Epiſcopi Portuenſis, aliorumque à Pontifice depoſitorum patrocinio; vt in Galliam proficiſci [s] [s Id. ep. 68. ad Carolom.] cogitarit: quod & impleuit anno ſequenti.

IX. [BASIL. IMP. AGIT APVD IOA. PP. PRO PACE ECCL. CONST.] Inter hæc vero Baſilius Orientis Imperator, iteratis literis ab eodem Pontifice petiit mitti Legatos Conſtantinopolim, qui Eccleſiam illam ſchiſmate ſciſſam componerent. Qui enim ex parte Photii erant, nullatenus communicare volentes cum Ignatio Patriarcha, quod eſſent numero plurimi turbas vndique concitabant; Ignatio aduerſus eos obnitente, Senatuque ac populo (vt accidere ſolet) in diuerſas factiones diuiſo. De legatione autem miſſa dicetur anno ſequenti.

IESV CHRISTI AN. 878.

LVDOV. III. 1. BASIL. MACED. 12.

IOAN. VIII. AN. 6.

I. [LEGATI MISSI AD VISITAN. ECCL. CONST. ET PRO REB. BVLGAR.] ANno Chriſti octingenteſimo ſeptuageſimo octauo, Indictione vndecima, Ioannes Papa petitam à Baſilio Imperatore legationem ad viſitandam Eccleſiam Conſtantinopolitanam, commiſit Paulo Epiſcopo Anconitano, & Eugenio Oſtienſi; vt eiuſdem Pontificis datæ ad eumdem Auguſtũ hac Indictione vndecima die decimaſexta Aprilis literæ [a] [a ep. 80. & 81] indicant; quibus & manifeſtum redditur, iniunctam iiſdem fuiſſe Legatis viſitationem Bulgariæ Regis, vbi Conſtantinopolitanam Eccleſiam compoſuiſſent. Sed & ſcripſit [b] [b ep. 78.] acres nimis literas ad Ignatiũ Patriarcham Conſtantinopolitanum, ob occupatam ab eo diœceſim Bulgariæ, Romanæ Eccleſiæ immediate ſubiectam: eidemque excommunicationem, & depoſitionem à Patriarchatu denunciauit, niſi intra triginta dierum ſpaciũ inde reuocaret omnes Epiſcopos & ſacerdotes quos eo miſiſſet, & ab omnimoda eiuſdem prouinciæ Eccleſiaſtica adminiſtratione deſiſteret. Scripſit inſuper [c] [c 75. 76. 77.] ad Michaelem Regem Bulgarorum, hortans vt ad Romanã Eccleſiam, quæ eos in Chriſto genuiſſet, reuerteretur: itemque ad Petrũ Comitem, vt hoc eidem Regi perſuaderet: ac deniq; [d] [d Patet ex ep. 78.] ad Epiſcopos omnes & clericos Græcorum in Bulgaria exiſtentes, vt niſi intra triginta dies inde recederent, carerent miniſterii ſacri vſu quo fuiſſent initiati.

II. [INVASA ROMA A TYRANNIS.] Interea cum Lambertus Comes Spoletanus, & Adelbertus Marchio Tuſciæ, Romam cum valida manu ingreſſi eſſent; Ioanneque Pontifice in arctiſſima cuſtodia tento, aliiſq; Epiſcopis, & clericis, atq; monachis, peſſime habitis, atque etiam dum litanias agerent fuſtibus cæſis, Romanos proceres in verba Carolomanni iurare coegiſſent: omnibus rebus in Vrbe confuſis) in tantũ vt per multos dies clauſis portis Eccleſiæ S. Petri, ipſoq; altari cilicio obducto, nullum illic officium diuinum celebratum fuerit; idem Pontifex conſilium iniit proficiſcendi in Gallias.

e ep. 84. & 85. IOAN. PP. ASCENDIT IN GALLIAS.

f ep. 86. & ſeqq.

Tradunt hæc breuiter veteres Francorum Annales ſæpiſſime citati, fuſius vero ipſe Ioannes [e] in epiſtola data quarto Calendas Maii ad Ioannem Archiepiſcopum Rauennatem, aliaque ad Berengarium Comitem ex regia ſtirpe oriundum; vbi præcipue queritur quod ab Vrbe Roma, quam S. Petro Imperatores tradidiſſent, eſſet excluſus; tomq; vt ea cuncta Carolomanno nota faciat, cuius voluntate ſe illi impij cuncta feciſſe iactarent. Scripſit [f] pariter ad ſingulos Francorum & Germaniæ Reges; ac præcipue ad Ludouicum Balbum, cum iam (vt ait) inſulas Imperij ſuſcepiſſet ab Eccleſia Romana; quem & augere ſe tradit dignitate *Conſiliarij à ſecretis* ipſius Pontificis, ſicut & eius pater Carolus Caluus Auguſtus eaſdem fuerat antea honeſtatus.

III.

g Aim. lib. 5. cap. 37.

h ep. 124.

i ep. 93. 94. 95.

Porro recedentem ab Vrbe Pontificem, pretioſiſſimas ſecum tuliſſe Reliquias; & cum Formoſo Epiſcopo Portuenſi captiuo ducto nauem conſcendiſſe, Arelatemque perueniſſe die Pentecoſtes, tradit Aimoinus [g]. At vero ipſe Ioannes, die Aſcenſionis Arelate ſe Miſſam celebraſſe, teſtatur [h] in epiſtola ad Branimirum Principem. Ibidem autem conceſſit pallium Roſtagno [i] eiuſdem ciuitatis Archiepiſcopo; quem & Legatum ſuum in Gallias eſſe voluit, ac per ipſum hæreſim Simoniacam quæ vigeret in Galliis extirpari mandauit. Sed & redarguit errorem quem reperit, quod ante pallij ſuſceptionem, Archiepiſcopi Galliarum conſecrationem facerent Epiſcoporum, Dum a. vlterius intra Galliã progrederetur, in via ad Epiſcopos Galliæ & Germaniæ literas dedit, quibus ad generalem Synodum Trecis celebrandam omnes iuſſit adeſſe.

IV. CONCIL. TRECEN. CORAM IOAN. PP.

k Aim. li. 5. c. 37.

l poſt ep. 124.

Conuenerũt igitur Epiſcopi *Trecis* conſtituta die menſis Auguſti: in qua auctor eſt Aimoinus [k], ab omnibus approbatam eſſe excõmunicationem, quam idem Pontifex Romæ promulgaſſet aduerſus Lambertũ & Adelbertum graſſatores, necnon Formoſum, Gregorium, & cõplices. Septimo vero die ante Idus Septembris, Ludouicũ Francorum Regem coronatũ fuiſſe ab eodem Pontifice, idem auctor ſcribit. Extantq; præterea inter Pontificis epiſtolas [l] nõnulla ex hac Synodo petita, quibus ille tam ab ipſo Ludouico Imperatore, quam ab Epiſcopis omnibus auxilium petiit contra inimicos Eccleſiæ Romanæ. Quid vero ii reſponderint, non inuenitur. Certum tamen eſt, annuiſſe votis Pontificis. Nam cum ipſemet Ludouicus, ob corporis imbecillitatẽ (vt ex Aimonio conſtat) ex recenti morbo cõtractam Pontificem in Vrbem reducere non valeret, Boſonem Comitem [m] cum eo voluit proficiſci: quem quidem Boſonem ab eodem Ioanne Papa adoptatum eſſe in filium, Aimoinus tradit: nimirum vt dum Boſo mũdana adminiſtraret, Ioannes liberius vacare poſſet rebus diuinis. Hanc enim ſuæ adoptionis rationem reddidit ipſe in epiſtola tunc ſcripta ad [n] Regem Carolum cognomento Craſſum Carolomanni fratrem: qua etiam illum redarguit, quod ad Synodum vocatus non acceſſerit. Sed & in eadem Synodo excommunicatum fuiſſe Hugonem Lotharii Regis filium nothum (de quo ſuperius dictum eſt) ac complices, ob vexatos quoſdã Epiſcopos teſtis eſt idem Aimonius. Deniq; ibidem auditam eſſe conſtat [o] lugubrem querelam Hincmari Epiſcopi Laudunenſis: qui cæcus licet, in Synodum ductus, libellum eidem Pontifici obtulit, continentem ea omnia quæ paſſus eſſet à patruo ſuo Hincmaro Archiepiſcopo Rhemenſi quæ nos ſuperius retulimus: eumdemq; reſtitutũ eſſe in ſuam ſedẽ, & permiſſum Miſſam celebrare, ac partẽ reddituum Epiſcopatus habere, reliqua relicta Hedenulpho, qui poſt Hincmari expulſionem ordinatus fuerat eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus, iuſſuſq; adhuc eſt Epiſcopale miniſterium ibidem agere.

m ep. 126. BOSO COMES ADOPTATVS IN FILIVM A SVM. PONT.

n ep. 119.

o Aim. li. 5. cap. 37. Ado. in ſ. Chro.

EPISC. CÆCVS PERMISSVS MISSAM CELEBRARE.

V. INSIGNE PRIVILEGIVM ECCLES. TICIN.

p Ioan. ep. 39.

q ep. 144. INDVLG. PRO VIVIS

Poſt hæc remeans Romam Ioannes, Papiæ cum eſſet, ingens valde illi Eccleſiæ contulit priuilegium: nempe vt quotieſcunque eius Epiſcopus vocaret ad Synodum Archiepiſcopos Mediolanenſem & Rauẽnatem cum ſuffraganeis, venire omnino deberẽt: qua de re extat [p] ipſius ad dictos Archiepiſcopos epiſtola. Scribenſq; tunc etiam ad [q] Epiſcopos ſub Regis Ludouici ditione conſtitutos, indulgentiam conceſſit omnibus quos pro defenſione Sanctæ Dei Eccleſiæ in bello occidi iam contigiſſet, aut poſtea contingeret.

ET DEFVNCTIS.

VI. DE ADONE ARCHIEP. VIENNENSI.

Ad hunc vſque annum, quo celebratum eſt Trecenſe Concilium S. *Ado* Archiepiſcopus Viennenſis perduxit quod ſcripſit Chronicon: vir cum primis ſcientia & ſanctitate clarus. Extat præterea ex eius lucubrationibus inſigne monumentum illud, quo res geſtas SS. Martyrum nouo Martyrologio cæteris fuſius eſt proſecutus.

VII.

INSIGNIS IMPOSTVRA PHOTII.

Quod pertinet ad res Orientales eodem anno videns veterator Photius Ioannem Papam occaſione diœceſis Bulgarorum Ignatio infenſum redditũ: miro artificio ex malis artibus parauit ſibi apud Baſilium Imperatorem beneuolentiam, & reditum ab exilio. Hiſtoriam n. fingens, qua genealogiam Baſilii deduceret à Tiridate magno illorum Armeniorum Regi: cum ſuppoſitis quæ voluit nominibus peruenit ad patrem Baſilii, eius filiũ ſcripſit natiuitate talẽ qualis Baſilius fuit: atq; ex primis literis nominum Baſilii, eiuſque vxoris Eudociæ, filiorumq; Conſtantini, Leonis, Alexandri, & Stephani, compoſita voce nomen ei futurũ finxit *Beclas*: eumdemq; felicitate & annoſitate anteceſſores omnes Reges ſuperaturum, auguratus eſt. Multis etiam mendaciis additis, quibus delectandos noſſet lectores, hanc fabulam in vetuſtiſſimis membranis characteribus Alexãdrinis ſcripſit, eamdemq; antiquiſſimis papyris ab antiquiſſimo libro detractis obuoluẽs, per miniſteriũ Theophanis cuiuſdam regii clerici in Bibliotheca palatii depoſuit. Hic vero Theophanes tempus opportunum nactus, eum librum oſtẽdens Imperatori tamquam omnium ſecretiſſimum, finxit nec ſe nec alium intelligere poſſe, præter vnum Photium. Quamprimũ itaque, miſſus eſt ad Photium: ſed negauit ille arcanum detegere, niſi ei quem liber ſcript⁹ deſignaret, videlicet Imperatorem: cuius curioſitate his artibus magis aucta, continuo illum poſt decennium exilii Conſtantinopolim reuocauit: & facile credita commenti ficta interpretatione, chariſſimum exinde habuit. Hæc ex Niceta in Vita Ignatii: quæ etiam habet Conſtantinus Manaſſes Grecus hiſtoricus. Addit vero Nicetas, Photium varie tentaſſe Ignatium è ſede pellere, aut ſaltem ab eo in communionem recipi: ſed neutrum conſequi valuiſſe.

PHOTIVS REVOCATVS CONSTANTINOPOLIM

VIII. S. IGNATII PATRIARCH. OBITVS.

r Rec. Rom. Baron. Annal. To. X. an. 886.

Sed dum hæc agerentur, contigit luctuoſus bonis omnibus Ignatii Patriarchæ obitus: quem procuratum fuiſſe à Photio, teſtati ſunt ſuis literis Oriẽtales Epiſcopi Stylianus & collegæ in epiſtola ſcripta ad Stephanũ Papam, de quo ſuo [r] loco. Ignatium autẽ autem auctore Niceta liquet, hoc anno (qui decimus numeratur eius ſedis, à tempore quo ab Occumenica Synodo Octaua eſt reſtitutus) annos natũ ſeptuaginta ex hac vita migraſſe, ipſo die quo etiam commemoratio agitur in Orientali Eccleſia Sancti Iacobi Apoſtoli Fratris Domini nuncupati, qui eſt vigeſimus tertius menſis Octobris: quo pariter die cum ipſo Iacobo Græci eiuſdem celebrant commemorationẽ: ſed & eundem tam ante quam poſt obitum multis & inſignibus miraculis claruiſſe, teſtatur Nicetas eorum aliqua recenſens Quod vero dictum eſt ſuperius de excommunicatione ipſi à Ioanne Papa denunciata, niſi intra dies triginta reuocarat à ſe ordinatos Epiſcopos Bulgariæ: quamuis iſta ab Ignatio impleta minime inueniantur, eundem tamen ſemper vſq; ad obitum, & poſt obitum, in Catholica Romanæ Eccleſiæ communione fuiſſe retentum, demonſtrant eiuſdem Ioannis plures epiſtolæ ad diuerſos datæ poſt illius deceſſum. Neque eſt quod ob litem hanc Ignatiũ animo fuiſſe in Apoſtolicam Sedem infenſo quis exiſtimet, cum quæ iuris eſſe putaret ſuæ Eccleſiæ defendere iuramento teneretur obſtrictus, etiam diſpendio æternæ vitæ. Denique ad pleniſſimam ipſius excuſationem illud ſatis, quod prædictus Stylianus Metropolita Neocæſarienſis in epiſtola ad Stephanum quam rerum geſtarum aduerſus Photium hiſtoriam texuit, euidenter affirmat aduentum Legatorum Apoſtolicæ Sedis, Pauli & Eugenii, Conſtantinopolim, contigiſſe poſt obitum eiuſdem Ignatii: ſicque neceſſario oportuit ipſum, antequam recepiſſet ab eis literas peremptorias excommunicationis, iam ex hac vita migraſſe.

EXCVSATVR IGNATIVS DE OCCVPATIONE DIOCES. BVLGAR.

IX. PHOTIVS ITERVM SEDEM CONST. INVADIT, ET ADVERSARIOS DIRE VEXAT.

Tertio die poſt obitum Ignatii, *Photium* Patriarchalem occupaſſe ſedem, Nicetas ait: additque eum rabiem aduerſus Ignatium innouantem, non ſolũ eius ſepulchrum prætextu quærendi theſauri violaſſe (quod tamen magno malo factum eſt eius, cuius miniſterio ea in re vſus eſt Photius) ſed & cunctos eiuſdem familiares, cæteroſque omnes qui ſecum recuſarent communicare, tam per ſe, quam per Leonem cognatum ſuum excubiarum vigiliæ Drungarium, hominem crudeliſſimum, carceribus, exiliis, plagis, aliiſq; calamitatibus afflixiſſe, plurimoſq; interemiſſe: ſecum vero communicantes honoribus ac dignitatibus, tam Eccleſiaſticis quam ſæcularibus auxiſſe: vniuerſam denique Eccleſiam Orientalem varie peſſumdediſſe, hos deponendo, illos transferendo, omnes turbando. Cumq; perſuadere non potuiſſet Imperatori, vt ab Ignatio ordinati deponerentur: illud excogitaſſe, vt eos denuo conſecraret, aut ſaltem ſuper eorum pallia, & oraria, aliaq; eiuſmodi ſacerdotum inſignia, ſecreto domi blaſphemas orationes diceret: Propter hæc vero nefanda facinora à Baſilio Imperatore permiſſa, ira Dei ſuper ipſum deſcendente Conſtantinum eius filium primogenitum, eumdemq; chariſſimum, mox extinctum eſſe, atque Syracuſanam ciuitatem ampliſſimam à Saracenis captam deletamque, & omnes inſulas deuaſtatas. Hæc omnia Nicetas: poſt quæ finem commentario ſuo appoſuit. Sed Syracuſarum excidium pluribus refert Cedrenus ex Curopalate: quod etiam per dæmones in Peloponneſo mox nunciatum eſſe tradit. His enim primus omnium affligi pœnis debuit Photii reſtitutor Baſilius, qui in Magna Synodo dixerat in Sexta eius Actione, *Nonniſi opera eius qui cuncta violat, nempe diaboli, fieri poſſe, vt Photius iterum Conſtantinopolitanam ſedem eſſet conſecuturus.* Quæ vero hęc ſecuta fuerint, dicetur poſtea.

DEI VINDICTA IN BASIL. IMP. FAVTOREM PHOTII.

X. s Ambroſ. Moral. lib. 15. c. 9. ALFONSVS MAG. SOLICITVS DE CONSERVAT. SS. RELIQVIAR.

Hoc eodem anno [s] Adefonſus Magnus in Gallæcia regnans, ad euitãdos improuiſos Northmannorum incurſus, Oueti munitionem conſtruxit: vbi in eccleſia S. Saluatoris, translatas Toleto, & ex aliis Hiſpaniarum Eccleſiis venerandas Sanctorum Reliquias, loco tutiſſimo aſſeruari voluit: aureamque Crucem gemmis ornatã, miræ magnitudinis & pulchritudinis obtulit, anno (vt in eadem Cruce notatum fuit) Regni ipſius Adefonſi decimoſeptimo, Era nongenteſima decimaſexta, qui eſt hic annus domini octingenteſimus ſeptuageſimus octauus.

XI. t Matth. Weſtmonaſt. Flor. hiſt. ÆLFREDVS MAG. RESTITVIT ANGLIAM. u Wil. Malmesbur. lib. 2. cap. 4. Ingulph. hiſt. Anglic. IOAN. SCOTVS MALE AVDIT IN GAL. x Roger. Annal. par. 1. an. 880.

Quo pariter anno [t] Gitro Rex Danorum, qui Angliam fere vniuerſam ſibi ſubiecerat, ſuperatus ab Aelfredo Rege, qui profugus latuerat in inſula quadam, & diuina fretus viſione bellum renouauerat: ab eodem coactus eſt Chriſtianam fidem amplecti, qui & mutato nomine Æthelſtanus eſt dictus. Ipſe vero Aelfredus Magnus merito nuncupatus, Angliam ab Infidelibus liberauit [u]: Eccleſiamque Anglicanam reſtaurauit, viris doctis è Galliis accerſitis, & libris compluribus ex Romana Bibliotheca deſcriptis. Inter alios autem viros doctos, quos è Galliis tũc euocauit, fuit *Ioannes* natione *Scotus*, quem magnopere Galli agitauerãt, præſertim vero Florus, ob errores quoſdam aſſertos in libro quem ſcripſit de Naturæ diuiſione. Quem etiam apud Nicolaum Papam male audiſſe, ex eius epiſtola [x] ad Carolum Caluum demonſtratur. Hæc omnia teſtantur Anglicanarum rerum auctores, qui hic in margine citantur.

IESV CHRISTI AN. 879.

BASIL. MACED. AN. 13.

IOAN. VIII. AN. 7.

LVDOV. BALBI IMP. OBITVS.

ANno Chriſti octingenteſimo ſeptuageſimo nono, Indictione duodecima, quarto Idus Aprilis, mortuus eſt Ludouicus Balbus Francorum Rex atque Imperator Occidentis: qui reliquit poſt ſe filios duos ex Angarda priori coniuge, id eſt Ludouicum & Carolomannum: ex poſteriori vero Adelaide, genuit Carolum poſthumum cognomento Simplicem. Cum autem Ludouici obitum accepiſſet Ioannes Papa, SYNODVM indixit [a] Romæ celebrandam menſe Maii pro electione [b] noui Imperatoris. Quod vero propenſiori eſſet animo erga Carolum cognomento Craſſum, filium Ludouici fratris Caroli Calui, eum vt Romam Legatos mitteret, atque demum ipſe veniret, hortatus eſt [c]: cum tamen adhuc nutans, de aſſumendo eius germano Ludouico agere cœpit, ſcripſitq; de his ad eum [d] literas. Attamen in Carolo deliberatio firmata eſt, vi cogente, quando ipſe armatus irrupit in Italiam, vt ſuo loco dicendum erit: fuit enim vſque ad eius coronationem biennii interregnum, & amplius. Quo tempore quam miſerabilis eſſet Italiæ ſtatus, ſatis apparet ex aliis eiuſdem Pontificis ad diuerſos datis hoc anno literis: cum ſcilicet Saracenorum deprædationibus, aut Chriſtianorum Principum factionibus, atq; etiam Epiſcoporum quorumdam diſſolutionibus, omnia turbata eſſent atque confuſa.

a Aim. li. 5 c. 39. b Ioan. ep. 155. ad Anſpert. Mediol. Epiſ. c ep. 160. 172 d ep. 197.

II. LEGATIONES AB ORIENTE AD ROM. PÕT. PRO CONFIRMAT. PHOTII. e ep. 170.

Huius quoque anni initio decreta eſt legatio à Baſilio Conſtantinopolitano Imperatore ad Ioannem Papam, quæ menſe Aprili Romam aduenit: per quam petiit vt Photium in communionem reciperet, eiuſque ad Patriarchatum reditum ſua auctoritate firmaret. Declarant hæc literæ ipſius Ioannis [e], redditæ hoc anno ad eumdem Imperatorem menſe Auguſti. Aduenit etiam legatio Patriarchæ Hieroſolymitani tribus monachis credita, id ipſum expetentis. Itemque alia ipſius Photii per Theodorum olim monachum, poſtea Epiſcopum, cognomento Santabarenum, hominem peſſimum, ac magicæ arti deditum, eumdemque verſipellem ad fallendum aptiſſimum, atque ideo Photio chariſſimum: quem & ei multos ſimul conceſſiſſe ab eodem concupitos Epiſcopatus, expulſis Epiſcopis, Nicetas tradit ad finem Vitæ Ignatii: atque Photium per eum ſcripſiſſe ad Ioannem Papam, ſe inuitum & magna vi ab Eccleſia & à Republica coactum, ſedem Patriarchalem iterum ſuſcepiſſe: vtq; mendacium hoc magis confirmaret, per Petrum quemdam Arcanorum ſcriptorem, qui deinde pro ſuarum fraudum mercede Sardenſium Eccleſiam accepit omnium Metropolitarum ſigilla ſuffuratum eſſe, necnon ipſos inſcientes adduxiſſe vt libello ſubſcriberent, hac ſpecie illos decipientem quaſi ea fierent pro ſcripta cuiuſdam agri emptione. Hæc ille.

III. CAVSÆ QVIBVS PERMOTVS EST IOAN. PP. FAVERE PHOTIO.

Quod autem nõ (vt par erat) pro Photio cauſam agentes Legati, reiecti fuerint à Ioanne Papa; ſed benigne recepti, præter omnium ſpem quæ peterent impetrauerint, cauſæ plures intercedere potuerunt: nimirum potentia Græcorum in Italia, cum iam Beneuentani atque Capuani à Francis (vt Curopalates teſtatur) defeciſſent ad Baſilium: deinde eiuſdem promiſſiones de liberanda Italia, ac præcipue ipſa Romana Eccleſia ab incurſionibus Saracenorum, & infeſtationibus Comitum vicinorum Romanæ Vrbi: deq; reuocanda ſub Romanã diœceſim Bulgarorum Eccleſia: præterea quod prætexebatur bonum pacis, & vnio Eccleſiarum, quæ ob reiectum Photiũ maximo ſchiſmate diuiderentur: deniq; quod mendaci relatione Baſilius eumdem Ioannem deceperit, dum ſuis literis teſtatus eſt, reſtitutionem Photii deſiderari etiam ab iis qui à SS. Methodio & Ignatio ordinati fuiſſent. Hæc quidem ſunt quę permouere Pontificem potuerunt, vt quod nullus fecerat prædeceſſorum, ipſe maxima omnium admiratione perficere auſus fuerit: ſuadente iſtud prudentia carnis, inimica Deo & Eccleſiæ ſemper aduerſa. Hincque accidere potuit vt ob nimiam animi facilitatem & mollitudinem, abiecta penitus omni virilitate, idem Ioannes non Papa, vt Nicolaus & Hadrianus, qui conſtantiſſime Photio reſtiterant, ſed Papiſſa fuerit contumeliæ loco dictus: vtpote quod qui nec reſiſtere ſciret eunucho Photio, quique vinceretur à ſemiuiro, non vir, ſed eſſet fœmina potius nuncupandus: ſicque nomen contumeliæ tranſierit poſteris rerum inſciis in veritatis opinionem: fueritq; à pluribus decantatum, Ioannem Octauum Papam fuiſſe fœminam. Quanta autem mala eiuſmodi factũ Ioannis ſecuta ſint, nemo puto numerare facile poterit: quippe quæ tunc cœpta ſunt, in hunc vſq; diem infeliciter adhuc perſeuerent, cum tamen haud ipſe Ioannes

VNDE IOAN. OCTAVVS POTVIT DICI FŒMINA.

nes

nes illorum reus ſit criminum, quibus ab eodem Photio aſperſus eſt in Synodo Conſtantinopoli vna cum Legatis Apoſtolicis habita, de qua nunc dicendum.

IV. PHOTII FALSATIONES LITERARVM IOANNIS.

Cum enim Ioannes Petrum presbyterum Cardinalem Conſtantinopolim mittens, vt vna cum aliis miſſis antea Legatis, Paulo Anconitano, & Eugenio Oſtienſi Epiſcopis, rebus illis Eccleſiæ prouideret: dediſſetque ei literas ad Baſilium Imperatorē, & ad ipſum Photium, Clerumque Conſtantinopolitanum, & Patriarchas Orientis, atque ad eos qui Photio communicare recuſarent: quibus Photium in cōmunionem reciperet, & Patriarchatui reſtitueret: ſed iis conditionibus, vt ſatisfaciens coram Synodo miſericordiam ſecundum conſuetudinem poſtularet, & ab omnimoda Eccleſiæ Bulgaricæ adminiſtratione abſtineret: Photius illis omnibus epiſtolis acceptis, qui ſimiles fraudes concinnare ſolitus erat (vt vidimus de literis Nicolai Papę) ab iiſdem non ſolum eas quas diximus conditiones abſtulit, ſed & totum earumdem contextum mutauit, detrahendo quæ in Eccleſiæ Romanæ aut Ignatii laudem, vel in reprehenſionem ipſius Photii dicta eſſent: addendo multa in laudem propriam ipſius, & damnationem omnium Synodorum contra ipſum celebratarum: ac deniq; omnia pro arbitrio confundendo: adeo vt qui ipſas Ioannis epiſtolas (quæ magna Dei prouidentia integræ conſeruatæ ſunt in ipſius Regeſto [f], ad conuincendas Photii impoſturas) cum illarum Græca verſione à Photio concinnata, vt habetur in Actis pſeudoſynodi ab eo celebratæ, conferre voluerit: vix cognoſcat eam Photii verſionem pertinere ad Ioannis epiſtolas. Voluit enim ſceleſtus quaſi ex Ioannis Papæ literis, non ſolum ſuam reſtitutionem firmam roboratamque monſtrare: ſed & probare, eiuſdem Pontificis auctoritate Octauam Synodum Oecumenicam ſub Hadriano Papa celebratam, eſſe damnatam, probatam vero recentem quam ipſe Photius aduerſus illam hoc ipſo anno Conſtantinopoli habuit, pariterque Octauam nuncupauit. In quo etiam adeo faciles reperit Apoſtolicæ Sedis Legatos, vt numquam tam ſordida tamq; indignæ ab eadem Sede Legatio miſſa fuerit, ſi vera eſſe dixerimus & non conficta à falſario Photio, quæ in eadem ipſius pſeudoſynodo leguntur. Cuius quod extent Romæ integra Acta Græce ſcripta, tam in Vaticana Bibliotheca quam in Columenſi: ex iis hæc pręcipua ſummatim producimus.

f ep. 199. & ſeqq.

LEGATI APOSTOLICI SEDVCTI A PHOTIO.

V. PSEVDOSYNODVS PHOTIANA, FALSO DICTA OCTAVA OECVM.

In prima igitur Actione celebrata menſe Nouembri, recitatus eſt numerus Epiſcoporum trecentorum octoginta trium; Photius iactauit ſe quod Ioannes, Papa ſæpius ipſum per Legatos inuiſerit: & Ioannes quidam Heraclęę Thraciæ Epiſcopus multa effutiit cōtra Romanam Eccleſiam, quam omnium illorum quæ acciderant malorum originem eſſe dixit: ad quæ curanda illa eſſet Synodus congregata: multa etiam cōtra Nicolaum & Hadrianum Romanos Pontifices oblatrans, ipſum econtra Ioannem valde laudauit. Inducitq; inſuper Actio illa Legatos Apoſtolicæ Sedis munera Photio deferentes. Secunda habita decimoſexto Nouembris, lectæ ſunt literæ Ioannis Papæ ad Baſilium & Photiū, ex verſione ipſius Photii de qua ſupra, auditæq; palinodiæ tam ſcriptis quam viua voce factæ nomine aliarum ſedium Patriarchalium, de miniſterio exhibito Octauæ Synodo Oecumenicæ: contra quam acriter conclamatum eſt. Tertia celebrata die decimaoctaua eiuſdem menſis, lectæ ſunt reliquæ Ioannis epiſtolæ; & cauſa de diœceſi Bulgariæ reiecta ad Imperatorem, quod ageretur (vt aiebant) de Imperii terminis. Quarta habita menſe Decembris, auditæ aliæ legationes Patriarcharum Orientalium in laudem Photii, & de communicatione mutua cum ipſo ſemper conſeruata, atque denegatione eorum quæ ipſorum nomine facta fuiſſent in Octaua Synodo à falſis atque ſuppoſitis Legatis: ac demum recepta ſunt quædam capitula, tamquam à Romanis Legatis propoſita: inter quæ fuere de abrogatione Synodi habitæ contra Photium, & excommunicatione eorum qui cum ipſo communicare recuſarent.

VI.

Quinta celebrata anno ſequenti die vigeſima ſexta Ianuarii, confirmata eſt Septima Synodus Oecumenica: factaque ſuggeſtio Legatorum Apoſtolicæ Sedis, vt ex ſententia Ioannis Papæ canon conſtitueretur: ne excommunicati vel depoſiti à Romano Pontifice à Photio ſuſciperentur, nec contra. Sicque confectus eſt de iis primus canon: quo quis non videat, ſumma Photii calliditate interceptas eſſe appellationes ad Apoſtolicam Sedem, & recurſum ad eam? Statutus eſt præterea ſecundus canon, Nequis Epiſcopus tranſiens ad ſtatum monaſticum, Epiſcopatum retinendi aut repetendi haberet amplius facultatem. Additus & tertius aduerſus ſæculares magiſtratus, carceri mancipantes, vel verberantes Epiſcopos. Poſtea vero ſecutæ ſunt ſubſcriptiones omnium, & inprimis Legatorum Apoſtolicæ Sedis, cum deteſtatione cunctarum Synodorum ſub Hadriano contra Photium collectarum.

SANCITI IN EA CANONES.

VII.

Sexta Actione habita die decima Martii, non in eccleſia (vt antea) ſed in palatio præſente Imperatore, conſenſu omnium exhibita eſt definitio Fidei comprobata in ſeptem Synodis Oecumenicis: conteſtationibus additis, nequid ab aliquo adderetur vel minueretur omnino: recitatumque eſt Symbolum Nicænum, ſiue Conſtantinopolitanum dictum. Ita quidem ſuggillantes Latinos, quod ei appoſuiſſent verba illa, FILIOQVE. Sicut & eadem de re inuenitur alibi apud Photium, epiſtola Ioannis Papæ nomine ab aliquo nebulone conficta, qua eamdem cum Græcis ſententiam de proceſſione Spiritus Sancti profiteri aſſeritur. Cæterum iis approbatis ab omnibus, ſubſcripſit Baſilius Imperator, expreſſam addens improbationem eorum omnium quæ contra Photium acta eſſent in Octaua legitima Synodo, cui ipſe ſubſcripſerat vna cum filiis: quos & huic pſeudoſynodo pariter ſubſcribere voluit. Septima denique, eademque vltima Actione, celebrata decimotertio Martii, iuſſa eſt legi Fidei definitio in præcedenti Actione probata: additis & multiplicatis anathematiſmis, ſiquis quid ei adderet vel minueret.

VIII.

Sicque abſoluta eſt *Photiana Synodus*: cui non ex more præſederunt Legati Apoſtolicæ Sedis, ſed Photius ſemper primo loco legitur præfuiſſe, aſſiſtentibus iiſdem Legatis. Eam autem OCTAVAM Photius nominauit & GENERALEM, in abolitionem legitimæ Octauæ Oecumenicæ ſub Hadriano Pontifice celebratæ. Ex quo grande malum illud euenit, vt pro germana Octaua, à Græcis maxime ſchiſmaticis accepta ſit Synodus Photiana: qui eam venerantur, & vt diuinum quoddam oraculum obſeruant. Quin & Gratianus male conſultus, ſecundum eiuſdem canonem, tamquam ex legitima Synodo diſcripſit in libro Decretorum [g]; qui plane odio Photii impoſtoris fuerat exſufflandus. Quomodo vero eadem paulo poſt fuerit cum ſuo auctore legitime condemnata, & quæ aduerſus eam tam in Oriente quam in Occidente, & tam à Summis Pontificibus quam ab Imperatoribus, aliiſque ſint declamata, pro ratione temporis dicetur ſuis locis. De qua & illud plane admiratione dignum eſt: quod non ſit aliquis ex Græcorum hiſtoricis res Baſilii Imperatoris proſecutis, qui eius meminerit; cum econtra ferme omnes de Octaua legitima Oecumenica, in qua Photius eſt depoſitus, mentionem faciant. Certe non Curopalates, non Cedrenus, non Zonaras, non Glicas, non Conſtantinus Manaſſes de ea vel verbum vnum: cum tamen ſi talis fuiſſet, tamque numeroſa, & quæ Oecumenicam damnaſſet, haud videri poſſet ſilentio prætermiſſa. Vnde de ea ſuſpicio augetur, vt tota fuerit Photii ſtylo conficta: ſicut ab eo in aliis factum eſſe, ſuperius eſt demonſtratum.

SYNODVS PHOTIANA HABITA A MVLTIS PRO OCTAVA OECVM.

g 7. q. 1. c. 45. in ſeqq.

EA ANTIQVIS HISTORICIS INCOGNITA.

IX.

Interea vero Baſilius Imperator dum Conſtantini filii obitu inconſolabili dolore afficeretur, vt ei blandiretur Theodorus Santabarenus, de quo ſuperius, homo perditiſſimus, quem tamē vt virum ſanctum ac miraculorū effectorem Imperator colebat: præſtigiis ſuis & necromātia effecit, vt idem Cōſtantinus defunctus equo inſidens Baſilio patri occurrere videretur: quem cum amplexus & deoſculatus eſſet Imperator, cum non amplius viderit.

Cum

LEO FILIVS BASILII IMP. PERICLITATVR OPERA SANTABARENI.

Cum autem Leo, alius Baſilii filius, à patre Imperator nominatus, eumdem Santabarenum ob eius malitiam & deceptiones odio haberet: idem Santabarenus eidem Leoni adhuc adoleſcenti, ſimulata beneuolentia fraudulenter perſuaſit, vt cum ad venationem cum patre exiret, pugionem occultum ferret, quo vel feras, vel forte patri inſidiantes confoderet. Obtemperauit adoleſcens dolo non animaduerſo: Santabarenus autem Baſilio denunciauit, Leonem filium ei inſidias ſtruere, & ad eum interimendum pugionem in venatu ferre. Quem cum Baſilius inueniſſet, ardens iracundia, nullamque filii admittens defenſionem, ei oculos eruiſſet inſtigante Santabareno, niſi aſſiduis Senatus precibus ſententiam mutaſſet. Hæc Zonaras, & ante eum Curopalates, & alii. Quomodo vero vix poſt longum tempus, Leo è carcere cui fuit mancipatus, liberatus fuerit, ſuo loco dicturi ſumus.

BASIL. MACED. AN. 14.

IESV CHRISTI AN. 880.

IOAN. VIII. AN. 8.

I.

ANno Chriſti octingenteſimo octogeſimo, Indictione decimatertia, abſoluta (vt dictum eſt) pſeudoſynodo Photiana, Legati Apoſtolicæ Sedis in Vrbem reuerſi ſunt, literas ad Ioannem Pontificem ab Imperatore & à Photio deferentes, quibus de reſtitutione eiuſdem Photii (cuius cauſa tantummodo miſſi erant) ipſe Pontifex certior redderetur, tacerentur vero reliqua quæ de Synodo Oecumenica abroganda fuiſſent conſtituta. His autem reſpondens Pontifex [a] menſe Auguſti, poſt congratulationem de pace illi Eccleſiæ reddita, ad finem caute admodum ſic ſe probare dixit quæ in Synodo acta eſſent de miſericordi reſtitutione Photii Legatis in mandatis data, vt tamen ſiquid ipſi præter voluntatem Apoſtolicæ Sedis plus his operati eſſent, nullius eſſet penitus auctoritatis. Cæterum reſciiſſe ipſum poſtea quæcumque in eadem pſeudoſynodo geſta eſſent: ideoque Marinum, qui ei in ſede ſucceſſit, Conſtantinopolim miſiſſe, vt vir animo conſtantiſſimus quæ perperam tres Legati geſſiſſent irrita redderet: idque Marinum egregie præſtitiſſe, atque ideo multa Conſtantinopoli paſſum eſſe, conſtat ex literis Stephani Papæ eiuſdem Marini ſucceſſoris ad Baſilium Imperatorem datis, de quibus ſuo loco. Sed & poſt hęc ab ipſo Ioanne publice damnatum eſſe Photiū, Formoſi & Ioannis Noni Romanorum Pontificum epiſtolæ [b] ad Stylianum Neocæſareæ Epiſcopum ſcriptæ docent.

a Ioan. ep. 250. & 251.
IOAN. PP. DAMNAT SYN. PHOTIANAM, IPSVMQVE PHOTIVM.
b intel Coinmmenſ. notat num. 41. vbi vna cum quæ ad cauſam Photii pertinent collecta habentur.

II.

Hoc item anno ingenti victoria potitus eſt Baſilius aduerſus Saracenos Orientis oras infeſtantes expugnata eorum claſſe: de qua eſt celebris mētio apud Curopalatem, & alios Græcos hiſtoricos, ſed abſq; nota temporis; porro hoc anno contigiſſe, compertum habetur ex Ioannis Papæ epiſtola ad [c] Carolum Regem data tertio Calendas Nouembris.

c Ioan. ep. 255.

III. S. METHODIVS MORAVOR. APOST.

Eodem anno *S. Methodius* Morauorū Apoſtolus, idemque conſtitutus olim ab Hadriano Papa eiuſdem gentis Archiepiſcopus, Romā venit: eo quidem vocatus [d], quod apud Ioannem calumniam paſſus eſſet, quaſi aliter doceret quam coram Apoſtolica Sede profeſſus fuiſſet. Romæ vero palam exponens quam profiteretur & prædicaret fidem, ab eodem Pontifice verus probatus Apoſtolus ad opus miniſterij redire iuſſus eſt: cui reuertenti menſe Iunio Ioannes literas [e] dedit ad eius prouinciæ Principem, nomine Sfentopulchrum: quibus nouæ coaleſcentis eccleſiæ illius cunabula recenſens, lateque adhuc eamdem nutriens paruulorum, permiſit eoſdem Morauos lingua Sclauonica in eccleſijs vti, adeo vt etiam Miſſas ſi vellent eadem lingua cantarent: hortans tamen vt potius Latina vterentur.

d Id. ep. 194. 195.
e Ep. 247.
MORAVIS CONCESSVM LINGVA SCLAVON. IN ECCL. VTI.

CAROLI III. 1. BASIL. MACED. 15.

IESV CHRISTI AN. 881.

IOAN. VIII. AN. 9.

I. ATHAN. EPIS. NEAPOL. EXCOMMVN. OB FOEDVS CVM SARAC. INITVM.

ANno Chriſti octingenteſimo octogeſimo primo, Indictione decimaquarta, menſe Aprilis, Athanaſius Neapolitanus Epiſcopus de quo ſuperius, olim vir laudatiſſimus, ſed poſtea in tranſuerſum actus (qui etiam poſt Sergium fratrem expulſum, ſæculari dominio eidem ciuitati præerat) ob fœdus cum Saracenis initum, à quo nec literis [a] ſcriptis, nec datis pecuniis, nec denique præſentia Ioannis Pontificis ea de cauſa Neapolim ſe conferentis, dimoueri potuiſſet, ab eodem Pontifice, ex *Synodi* ad hoc Romæ conuocatæ ſententia, damnatus eſt [b], & anathemati ſubditus. Cui quidem poſtea petenti ſcelerum abſolutionem, ita daturum ſe promiſit Ioannes [c], ſi prius Saracenis ab ipſo necatis vel captis, ſic pœnitentiæ ſuæ certa ſigna edidiſſet.

a Ioan. ep. 251. 265. 270. 294.
b Ep. 270.
c Ep. 294.

II. CAROL. CRAS. CORONATVR IMP.

Hoc pariter anno (vt tradit Regino) Rex Francorum CAROLVS cognomento *Craſſus* Italiam vi occupans, Romæ à Ioanne Papa coronatus eſt Imperator: quod in die Natalis Domini factum eſſe, teſtatur Aimoinus [d]. Quamobrem primus annus eius Imperii præſens cœptus eſt numerari in commentariis illorum temporum: vt euidenter conſtat ex diplomate [e] ipſius, quo annus Redemptoris octingenteſimus octogeſimus quartus, anno quarto ipſius Imperii conſignatur. Nempe maiorum exemplo, quo non ab obitu prædeceſſoris Imperatoris anni ſucceſſoris numerarentur, ſed à creatione ac coronatione per Romanum Pontificem facta.

d Aim. l. 5. c. 40.
e Habet Baron. To. X. hoc an.

CAROLI III. 2. BASIL. MACED. 16.

IESV CHRISTI AN. 882.

IOAN. VIII. AN. 10.

I.

ANno Chriſti octingenteſimo octogeſimo ſecundo, Indictione decimaquinta Ioannes Papa cum tam Italiæ Principum, quam etiam Saracenorum graſſationibus admodum premeretur, pluribus literis [a] interpellauit Imperatorem vt valida manu ſuccurreret: miſitque ad eundem pro munere benedictam ex more palmam. Sed & ſcribens eodem argumento ad [b] Richardam Imperatricem, valde deplorat miſerandum ſtatum Romanæ Eccleſiæ. In quo non poſſumus non admirari vehementer conſilium Dei. Quod enim ob auxilium hominum conſequendum, nonnihil viſus eſt deflexiſſe Ioannes à præſcripta à prædeceſſoribus inuiolabili obſeruantia Eccleſiaſticæ cenſuræ in gratiam Principum, ſperans ab eis auxilium (vt ſuperius eſt demonſtratum) plane contrarium accidit: cum non ſolum ab Orientis, ſed nec ab Occidentis Imperatore aliquid præſidii obtinere potuerit, immo multiplicati fuerint hoſtes.

a Ioan. ep. 269. 277. 279. 291.
b Ep. 298.
PRVDENTIA CARNIS MAXIME DAMNOSA ECCLESIÆ DEI.

II. QVÆ HISPANI PETIERINT A IOAN. PP.

In his igitur Ioannes Papa conſtitutus anguſtiis, occaſione legationis ab Hiſpania ad ſe miſſæ à Rege Aldefonſo Magno, & ab Epiſcopis ſub eius regno conſtitutis: redditis ad Regem literis, ab eodem mitti petiit aliquantos (vt ait) vtiles & optimos Mauriſcos cum armis, quos Hiſpani cauallos Alpharaces vocarēt. Ea vero legatione petitum ab ipſo fuit, vt conſecrandi eccleſiam Compoſtellanam ab eodem Rege auguſtiſſime conſtructam, licentia daretur: itemq; vt Ouetenſis Eccleſia dignitate Archiepiſcopatus donaretur: deniq; vt congregandi prouinciale Concilium facultas concederetur. Quæ omnia Ioannes illis permiſit, miſſo etiam ad ipſos Arnaldo Legato ſuo: ſed occaſione ingruentium in Hiſpania bellorum tum ciuilium tum externorum, ipſa dedicatio eccleſiæ Compoſtellanæ dilata aliquam diu fuit.

III. IOAN. PP. OBITVS.

De Ioanne vero Papa illud tātum poſt hæc ex eiuſ epiſtolis [c] proditur, ipſum rurſus in Gallias iter arripere ſtatuiſſe, vt diſſidentes inter ſe Francorum Principes conciliaret, atq; ita eos promptos haberet ad ferendum auxilium

c Ep. 170. ad Supp. Com.

lium Eccleſiæ Romanæ periclitanti. Verum ne id faceret, mors interceſſit. Siquidem in fine huius anni, inter tot tantaſq; ærumnas mœrore conſumptus, mortuus eſt decimo octauo. Calendas Ianuarii, cum ſediſſet annos decem & diem vnum: ſepultuſq; eſt ante baſilicam S. Petri. Cuius res geſtæ deſiderãtur apud Anaſtaſiũ: fortaſſe prætermiſſæ ob odioſam reſtitutionem Photii. Cæterum reperitur in Vaticanæ Bibliothecæ [d] monumentis, eiuſdem Ioannis Papæ Octaui de Iure ac Titulis Cardinaliũ Conſtitutio: qua inter alia ait, Romanum Pontificem Moyſi, ipſos vero S. R. E. Cardinales Septuaginta Seniorũ vices gerere, qui ſub eo cauſarum iudicia diiudicarẽt. Itaq; propter ſolicitudinem Eccleſiarum, & Clericorum diſciplinam, ſiue laicorum querimonias definiendas, bis in hebdomada ad ſacroſanctum Palatium iuxta decreta Leonis Quarti eos conuenire iubet. At de illo hactenus.

Lib. canon. CONSTIT. IOAN. DE CARD. NA... IVS.

IV. MARINVS CREATVR PAPA.

Cum autem poſt ipſius obitum ſedes vacaſſet tredecim diebus, quinto Calendas eiuſdem menſis Ianuarii in eius locum Romanus Clerus *Marinum* Galleſio oppido oriundum elegit: qui maxima laude ter legatione functus fuerat Apoſtolicæ Sedis Conſtantinopolim, vt conſtat ex iis quæ ſuperius dicta ſunt. Quod vero ipſo ſuo ingreſſu Pontificatus Photium cunctaſq; res ab eo geſtas ad munus Epiſcopale pertinentes damnaſſet, Baſilius Imperator furore incenſus Romam ſcribens, obiecit Marinum non eſſe Pontificem, eo quod alterius Eccleſiæ iam fuiſſet Epiſcopus ordinatus: multaq; alia ignominioſa aduerſus eum effutiens ipſum ſolio deponere ſategit: ſed confutauit ea poſtea locupletiſſime Stephanus Papa Sextus, epiſtola ad Imperatorem reſcripta.

BASILII IMP. CONATVS ADVERSVS MARIN.

V.

Mortuus item eſt hoc anno Ludouicus Germaniæ Rex decimotertio Calendas Decembris, vt habent veteres Annales Francorum à Pithœo editi: quod Regino accidiſſe ait decimotertio Calendas Septembris.

VI. *Frod. hiſt. Rhem. lib. 3. 7.* HINCMA. RHEM. OBITVS.

Eodemque anno Frodoardus [e] teſtatur, Hincmarum Rhemenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum, poſtquam ſediſſet annos triginta ſeptem & amplius, obiiſſe in villa Sparnaci trans Matronam fluuium, quoad ſilueſtria loca aufugerat metu Northmannorum totam circum regionem rapinis, gladio, igne, miſere deuaſtantium, cum ciuitas Rhemenſis tunc nondum muris circumdata eſſet: relatum autem corpus Rhemos, ſepultum fuiſſe in monaſterio Sancti Remigii, ei vero ſucceſſiſſe Fulconem virum nobilem, & Palatinis officiis aſſuetum, ſacerdotalique vigore & libertate præſtantem, de quo ſæpe inferius dicendum: cuius pariter vitam idem Frodoardus ſcripſit. Cæterum agit quoque de obitu Hincmari Aimonius [f]: additque de ciuitate Rhemenſi, quod cum eam nec murus nec humana manus defenderet, Dei potentia Sanctorumque meritis defenſa fuerit ab incurſu Gentilium Northmannorum: cum multas alias vrbes, plurimaque monaſteria ea incurſione exciſa eſſe; ex aliis conſtet. Quo tempore Carolus Imperator ab Italia in Gallias properans, opem laturus periclitanti iam populo vniuerſo, Northmannos menſe Iulii obſidens ab eorum expugnatione reuocatus eſt ingenti inuſitatæ magnitudinis grandinis tempeſtate, & hanc ſecuta dira ſuorum ex ægritudine ſtrage: quibus etiam malis afflictis Northmannis, pax inter ipſos contracta eſt, data in matrimonium regia puella (Giſla ea dicta, Lotharii Regis filia) Godefrido Northmannorum Duci, Chriſtiano facto, & ab ipſo Carolo è baptiſmo ſuſcepto: cui & Friſia conceſſa eſt, & multa pecunia data. Hæc Aimonius [g], atque Regino [h]: quæ præſenti anno cœpta, ſequenti ſunt conſummata.

f Aim. lib. 5. 41.

PAX INITA CVM NORT. N.

g Aim. ibid. h Regin.

II. NONGEN. MONACHOR. MARTYR.

Hoc eodem anno incenſum à Saracenis fuiſſe inſigne monaſterium S. Vincentii ad Fontes Vulturni, atq; nongentos monachos ab eiſdem decollatos: pluribus narrat Ioannes monachus eiuſdem monaſterii, qui vixit temporibus Paſchalis Papæ Secundi.

IESV CHRISTI AN. 883.

MARINI AN. 1.

CAROLI III. 3. BASIL. MACED. 17.

I. FORMOS. EPIS. PORTVEN. RESTITVITVR.

ANNO Chriſti octingenteſimo octogeſimo tertio, Indictione prima, Marinus Papa perperam facta Ioannis prædeceſſoris ſui reſcindens, inter alia Formoſum Epiſcopum Portuenſem, Apoſtolatu Bulgarorum, & magnis legationibus inſignem, virum laudatiſſimum, de quo ſæpe ſuperius actum eſt, reſtituit Epiſcopatui: quem damnans (neſcitur cauſa) Ioannes, iurare coegerat ſe in perpetuum laica communione contentum permanſurum.

II.

Hoc item anno idem Marinus Scholam Anglorũ Romæ exiſtentem, Ælfredo Rege deprecante à tributo liberam fecit: qui etiam eidem Regi dona mittens plurima, dedit ei inter cætera portionem non modicam Crucis ſalutiferæ. Hæc Matthæus Weſtmonaſterienſis. Tradit vero Wilhelmus [a] Malmesburienſis, eundem Regem duplicem legationem ornaſſe ad eleemoſynas deferendas, vnam ad Limina Apoſtolorum Romam, ad Indos alteram ad corpus S. Thomæ Apoſtoli. Hæc autem omnia à pio Rege ex nuncupato voto impleta fuiſſe, teſtatur Henricus Huntindonienſis. Sed & plurima alia iidem auctores referunt, quæ ipſe in religione Chriſtiana colenda & propaganda operatus eſt.

a Malmesbur. hiſt. Angl. li. 2. c. 4. PEREGRINATIO IN INDIAM AD CORPVS S. THO. APOST.

III. AQVILEIEN. PATRIAR. CONSPIRATIO CVM PHOTIO ADVERSVS ECCL. LATIN.

Quo eodem tempore legatio miſſa reperitur ab Aquileienſi pſeudopatriarcha ad Photium pſeudopatriarcham Conſtantinopolitanum, à ſchiſmatico ad ſchiſmaticum. Ille enim Aquileienſis (nomen à nobis ignoratur) non ſolum ab Eccleſia Romana auerſus, ſed Latinis omnibus contrarius, ſchiſmaticiſque Græcis inhærens, audaciſſime impugnabat ſtabilitam per ſæcula multa ſententiam de proceſſione Spiritus Sancti. Quod vero ſolus iſta conatus inter Latinos inueniretur: per legationem & literas apud Photium egit, vt ab eo epiſtola redderetur cõtra Latinos, quæ adhuc extat [b] ſatis prolixa ad eumdẽ Aquileienſem inſcripta: qua homo verſutus probare contendens, blaſphemiam eſſe aſſerere Spiritum Sanctum tam à Filio quam à Patre procedere: quotquot inueniſſe potuit ſuis aſſeruiſſe ſcriptis Spiritum Sanctum à Patre procedere (quod nemo Catholicus profiteri non potuit) ſiue id fuerit frequenter repetitum in Symbolis Fidei, ſiue alio quouis modo vel à Summis Pontificibus, vel ab aliis Patriarchis Orientis aſſertum: mox eos omnes contra Spiritus S. à Filio proceſſionem ſentire inclamauit. Probare vero nunquam potuit, vel à Conciliis, vel qualibet alia ſcriptione, quauis occaſione à Patribus vel ſemel dictum, Spiritum S. à Filio non procedere. Cum econtra permulti eiuſdem S. Spiritus à Filio æque ac Patre proceſſionis aſſertores ſeſe expreſſis verbis exhibuerint: ipſeque in primis, quem Photius præcipuum pro ſe adduxit, Leo Magnus Romanus Pontifex in epiſtola ad Turibium Epiſcopum Aſturicenſem: itemq; vniuerſæ Hiſpaniarum & Galliarum Eccleſiæ [c], vt de aliis modo taceam non ſolum Latinis, ſed & Græcis quamplurimis qui eamdem doctrinam profeſſi ſunt: adeo vt etiam in Nicæna [d] Secunda Oecumenica Synodo, communi conſenſu recepta fuerit: licet Eccleſia Romana antiquitatis tenaciſſima diutius recuſauerit additamentum illud, FILIOQVE, Symbolo Nicæno, ſiue dixeris Conſtantinopolitano, quod in Eccleſia cani ſoleret apponere: cum alioqui eandem doctrinam aperte profiteretur ac prædicaret.

b Rec. Bar. Annal. To. X. hoc an. PHOTII EPIST. DE PROCESS. SPIR. S.

c Dubia vid. ſup. an. 447. 809. & alib. d Conc. Nic. II Act. 7.

IV. QVA OCCAS. ROM. PONTIF. ADMISERINT IN SYMBOLVM VOCEM FILIOQVE.

Verum vbi ſchiſmaticorum procacitas eo deuenit, vt Catholicum dogma non impugnarent tantum, ſed & exploderent velut hæreticum: (quod ab eodem Photio in ſua quoq; Synodo [e] magna præſumptione factum vidiſti) tunc Romani Pontifices, non tam inferendas in Symbolum illas quatuor ſyllabas, FILIOQVE, quam diu ante ab Eccleſiis præcipue Hiſpanicis & Gallicanis illatas recipere, ſapientiſſime decreuerunt: quo ſignificaretur: non communicare Catholicæ Eccleſiæ, quia Symbolo a Eccleſia Romana recepto diſſentire inuenirentur. Quiſ-

nam

nam autem Romanorum Pontificum primus id in Eccleſiam Romanam induxerit, viri docti diſquirentes, ad tempora Nicolai vel circa retulerunt. Verum ſi id fuiſſet, haud dubium Photius duabus epiſtolis quibus in Romanam Eccleſiam acerrime inuectus eſt, altius in ipſam declamaſſet: cum tamen nememinerit quidem. Auctor anonymus, qui inter alia Græcorum monumenta poſitus habetur in Vallicellana bibliotheca, id primum factum à Chriſtophoro Papa tradit. Sed Græcorum iſta eſt calumnia, id reiicere conantium in Pontificem, quem noſſent infami ingreſſu turpiſſimum, Apoſtolicam ſedem perbreui tempore tumultuoſe tenuiſſe. Porro rem tantam ſumma tranquillitate, conuocato Romæ Occidentalium Epiſcoporum Concilio, & à Pontifice legitime electo, imminente ob eam rem in Gallia & Hiſpania ſchiſmate, eſſe peractam, abſque controuerſia aſſirmatur tum in Côcilio [e] Florentino, tum in decreto confirmationis eiuſdem Synodi ab Eugenio Papa promulgato. Quinimmo Hugo [f] Ætherianus pluribus id ipſum narrans, recitat etiam partem eiuſmodi Pontificii decreti. Sed quiſnam fuerit iſte Pontifex, ſilentio reliquit obſcurum: qui illis temporibus notus omnibus, etiam abſque aliqua nominis expreſſione ſatis intelligebatur. Cæterum Photii aliorumque Græcorum in redargutionem Catholici dogmatis argumentationes, egregie confutarunt tum idem Ætherianus [g], tum Gennadius, & alii plures qui in eo ſcribendi argumento verſati ſunt.

e Conc. Flor. Seſſ. 7.

f Hug. Æth. de hæreſ. lib. 3. c. 16. Ext. to. 9. Bibl. S.

g Ibid. lib. 2. & c. 15. & ſeqq.

V. Io. SCOT. OBITVS.

Moritur hoc anno (vt ponit Matthæus Weſtmonaſterienſis) magni viri nominis huius temporis *Ioannes Scotus*: quem Willhelmus monachus Malmeſburienſis [h] ſcribit, à pueris quos in eo monaſterio docebat, graphiis perforatum, etiam martyrem æſtimatum eſſe. At vero cauſam cur ea paſſus ſit, vt martyr poſſit haberi, nullus prodit. Eius autem ſcripta erroris fuiſſe redarguta, ſuperius vidimus.

h Malmesb. lib. 2. c. 4.

CAROLI III. 4. BASIL. MACED. 18.

IESV CHRISTI AN. 884.

HADRIANI III. AN. II.

I. MARINI PP. OBITVS.

ANno Chriſti octingenteſimo octogeſimo quarto, Indictione ſecunda, decimoquinto Calendas Februarii, mortuus eſt *Marinus* Papa, vbi ſediſſet annum vnum atque dies viginti: laudabiliter Apoſtolico munere perfunctus. Poſt duos vero dies, nempe decimotertio Calendas eiuſdem menſis, creatus eſt HADRIANVS Romanus, eius nominis Tertius. Qui inhærens ſancti prædeceſſoris ſui veſtigiis, execratus eſt & ipſe Photium, tanquam laicum agentem Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Patriarcham: quamuis à Baſilio Imperatore magnopere rogaretur communionem eidem impertire. Cernens autem fruſtra ſe agere, magna indignatione commotus, hoſtiles plane ad eundem Hadrianum literas ſcripſit, contumeliis plenas: quas tamen Romam ſero perlatas, poſt obitum Hadriani accepit Stephanus ipſius ſucceſſor, vt dicetur ſuo loco.

HADRIANI III. CREATIO.

II. CASSIN. MONAST. A SARAC. INCENSVM.

Hoc item anno Saracenos in Italia igne cædeque miſcentes omnia, perueniſſe ad nobile monaſterium Caſſinenſe illudque totum combuſſiſſe (excepta ſola eccleſia Saluatoris, quæ diuinitus incendium euaſit) atque S. Berthariam Abbatem iuxta altare S. Martini trucidaſſe, narrat Leo [a] Oſtienſis.

a Leo Oſt. hiſt. Caſſin. l. 1. c. 45.

CAROLI III. 5. BASIL. MACED. 19.

IESV CHRISTI AN. 885.

STEPHANI VI. AN. I.

I. HADRIANI PP. OBITVS.

ANno Chriſti octingenteſimo octogeſimo quinto, Indictione tertia, die ſeptima ante Idus Maii, *Hadrianus* Papa vbi ſediſſet annum vnum menſes tres dies nouemdecim, mortuus eſt ſuper fluuium Scultinum in Æmilia, in villa dicta Wilczachara: ac poſt aliquot dies, Romæ admodum inuitus ſuffectus eſt in locum eius STEPHANVS nobilis viri Hadriani filius, ex presbytero SS. quatuor Coronatorum, eius nominis Sextus ordine, ſed dictus Quintus: cuius mira pietas, aliæq; inſignes virtutes enumerantur apud Anaſtaſium. Adduntur vero & miracula: cum ſcilicet Romani, qui multam antea paſſi fuerant famem, aliaque incommoda, ex locuſtarum deuaſtatione, & pluuiæ defectu: ipſo die electionis Stephani maxima inundatione pluuiam optatam acceperunt: ac poſtea aſperſione aquæ ab eodem Pontifice benedictæ locuſtas ab agris ſuis penitus expulerunt. Scribit inſuper idem auctor, ipſum conſentiente patre qui adhuc viuebat, bona parentum ſuorum egentibus diſperſiſſe, quòd Patriarchium Lateranenſe non ſolum ſacrariis & veſtiariis, aliiſque ſacris opibus, ſed & cunctis cibariis ſpoliatum prorſus reperiſſet. Iam enim inoleuiſſe peſſimam illam conſuetudinem, vt mortuo Pontifice inuaderent homines ac deprædarentur Palatium, conſtat ex iis quæ habentur in Synodo ſub Ioanne Nono, de qua inferius.

STEPH. VI. SVBROGATIO.

LOCVSTÆ AQVA BENEDICTA EXTINCTÆ.

II. STEPH. PP. SCRIBIT AD BASIL. IMP. PRO DEFENSIONE SVOR. PRÆDECESSORVM.

Idem quoque Stephanus Papa, cum accepiſſet literas, quas (vt diximus) Baſilius Imperator blaſphemiis atque conuiciis plenas ſcripſerat ad Hadrianum Pontificem nuper defunctum, tam aduerſus eum, quam contra Marinum eius prædeceſſorem: perſtans ipſe cum iiſdem ſuis anteceſſoribus in Photii execratione atque deteſtatione, egregiam reſcripſit ad Imperatorem epiſtolam [a]: qua obiecta diluens, inſuper eum redarguit quod pro eodem Photio excommunicato tantopere laborans, Romanam Eccleſiam adeo aſſiceret contumeliis, cui cum omni veneratione ſubditus eſſe deberet: & ad poſtremum rogat vt opituletur Romanæ Vrbi aduerſus Saracenorum incurſiones.

a Rec. Bar. Annal. To. X. hoc an.

III. FVLCO RHEM. SCRIBIT AD STEPH. PP.

Eodem quoque exordio Pontificatus Stephani, Fulco inſignis Archiepiſcopus Rhemenſis literas ad illum pro priuilegiis Eccleſiæ ſuæ ſcripſit: ſicut & antea ad Marinum & Hadrianum ſcripſiſſe, teſtatur Frodoardus in ipſius Rebus geſtis. Sed in literis ad Stephanum meminit etiam Fulco de Widone Duce affine ſuo, quem idem Pontifex in filium adoptauerat, quique poſtea creatus eſt Imperator. Scripſit & deinceps ſæpius ad eundem de controuerſiis quorundam Epiſcoporum Galliæ, aliiſque rebus: ad quas ſingulas Pontifex reſpondit, vt pluribus narrat Frodoardus [b].

b Frod. 4. hiſt. Rhe. 1.

IV. LVDOV. REX IGNAVVS CVR DICTVS.

Hoc item anno mortuus eſt Carolomannus Rex: cui ſucceſſit eius filius Ludouicus, *Ignauus* cognomento dictus, ſiue quod Regno potitus nihil ſtrenue geſſit, ſiue quod ſanctimonialem quandam Kale monaſterio abſtractam coniugio ſibi copulans, peccatũ quo nullum maius eſſe noſcitur perpetrauit. Ita Aimoinus [c]. Reliquus vero erat ex Ludouici filiis Carolus cognomento Simplex, adhuc puerulus: cuius patrocinium ſuſcipiens Fulco Rhemenſis Archiepiſcopus, literis [d] hortatus eſt Carolum Craſſum Imperatorem vt eius defenſionem ſuſciperet.

c Aim. l. 5. c. 41.

d Frod. in Vit. Fulc.

CAROLI III. 6. LEONIS VI. 1.

IESV CHRISTI AN. 886.

STEPHANI VI. AN. 2.

I. LEO FIL. BASILII IMP. LIBERATVR E CARCERE.

ANno Domini octingenteſimo octogeſimo ſexto, Indictione quarta, Leo Baſilii Imperatoris filius è carcere, cui ante ſeptennium ob calumniam Theodori Santabareni mancipatum fuiſſe vidimus à patre, tandem liberatus eſt hac occaſione. Erat in Regia pſittacus (auis quæ humanam vocem imitari facile diſcit) quæ ſiue edocta, ſiue caſu, ſæpe pronunciabat, *Heu! heu! Domine Leo.* Cum autem aliquando accerſiti Principes Senatus cum Imperatore côuiuarentur, eademq; auis illa verba ſæpius proferret: mœſti ipſi à cibis abſtinuerunt, cauſamque percontanti Imperatori reſponderunt, *Quem cibum, ô Domine comedemus, quibus ab iſta rationis experte aue tale quid dicitur conuicium? Nam ſuum Dominum requirit: nos autem genio indulgentes, dominum qui nihil peccauit obliti ſumus.* Mollitus itaque his verbis Imperator, eumdem Leonem è carcere

eductum

ASIL. IP. MORITVR.

eductum Imperii honori reſtituit. Ipſeque non multo poſt diarrhœæ morbo tabeſcens, eumdem Leonem hæredem ſuum & ſucceſſorem inſtituit: è vita decedēs poſtquam regnaſſet cum Michaele Imperatore annum vnum deinde ſolus vndeviginti. Hæc omnia Curopalates, & alii poſt eum. Quo autem menſe Baſilius obierit, antiquorum nemo (quod ſciam) prodit.

II. PLVRIMA LAVDE DIGNA GESTA A BASIL.

Commendatur ipſius pietas in exædificandis atque reſtituendis Eccleſiis, & exornandis redditibuſq; locupletandis: teſtaturq; Curopalates, eumdem multos Iudæos donis ac largitionibus ad fidem attraxiſſe: Bulgaros in fide confirmaſſe: Ruſſis, inito cum illis fœdere, auctorem fuiſſe baptiſmi ſuſcipiendi, miſſo ad eos Archiepiſcopo, qui miraculo libri Euangeliorum in ardentem fornacem coniecti, & poſt aliquot horas illæſi reperti, ad fidei profeſſionem eoſdem pertraxit. Pro quibus benefactis operibus, multiplicia quoque Baſilius à Deo retulit præmia: ſiquidem tam terra quā mari ſæpe deuicit hoſtes: & Scytharum barbaras nationes, Chrouatas dictos, & Seruios, in ſpontaneam deditionem accepit: quibus ad eum accedentibus, datæ ſunt ad habitandum prouinciæ illæ, quæ ab ipſis nomen accepere, vt Croatia & Seruia dicerentur. Inter alias vero victorias Dei beneficio acceptas, illa magis proficua & memorabilis, qua magna potentia elatos hæreticos Manichæos, ſub Theophrices eorum ciuitate Principe Chryſochire militantes, ſic proſtrauit, vt eorum innumera tunc multitudo collecta tamquam fumus euanuerit. Sed & valde inſignis fuit illa, quam per Andream Ducem piiſſimum obtinuit aduerſus Saracenos Tarſi regnantes: quorum Prince s cum literas miſiſſet ſuperbiæ & conuiciorum plenas aduerſas Chriſtum & ſanctiſſimam ipſius Matrem: Andreas illas appendens Imagini Dei-Genitricis *Vide* (inquit) *ô Mater Dei, tuque ipſius Filius & Deus, qualia exprobrauit barbarus iſte arrogans:* moxque progreſſus aduerſus hoſtes, ingenti eos prælio deuicit. Sed hæc omnia, aliaque eiuſmodi pluribus Curopalates, & alii poſt eum Græcorum hiſtorici.

INSIGNIS FIDES ANDREÆ DVCIS.

III. EGREGIA BASIL. IMP. SCRIPTA.

Præter hæc vero idem Baſilius Imperator ſcribendum curauit librum *de Iure*; ex quo iam deperdito pauca fragmenta remanſerunt in libro Iuris Græcorum, de Officio & definitione Patriarchæ. Sed & ipſum Græcorum *Menologium* ſcribendum pariter curauit, & augendum; atque etiam Imaginibus exornauit, quibus ſingulorum exprimerentur certamina: cuius ipſum autographum vidimus & legimus, conceſſum nobis à Paulo Sfondrato Sancto Cæciliæ Cardinale nepote Gregorii Papæ decimiquarti. Idemque inſuper Imperator vna cum hæreditate, filio ſuo Leoni egregia plane & aurea monita ſcriptis reliquit, ſexaginta ſex capitibus comprehenſa, quorum principes literæ hanc efficiunt ſententiam, *Baſilius in Chriſto Romanorum Imperator Leoni charo filio & Imperii collegæ.* Quæ quidem Leo cuſtodire laborans, conſecutus eſt præ cæteris illud inſigne nomen, vt meruerit cognomento *Sapiens*, ſiue *Philoſophus* appellari. Denique fuiſſet plane Baſilius inter ſummos Chriſtianos Principes numerandus, tum ob pietatem, tum etiam ob res bellicas præclare geſtas: niſi ſeductus à Photio, præuaricator factus eſſet Octauæ Oecumenicæ Synodi cui ſubſcripſerat: & tam ipſius quā Santabareni præſtigiis dementatus, in Romanam Eccleſiam pro eodem Photio inſurrexiſſet. Ita enim ſiquos habuit infelix Græcia præſtantes Imperatores barbaris metuendos, vt Iuſtinianum, Heraclium, atque Baſilium: eoſdem mox vel hæreſis vel ſchiſma inglorios reddiderunt atque funeſtos, opera nefandorum hominum ſanctitudinem vitæ extrinſecus præſeferentium.

QVÆDAM DAMNANDA IN BASIL.

IV. LEO VI. IMPERAT.

PHOTIVS DEPONITVR, SANTABAR. EXCÆCATVR.

Defuncto itaque Baſilio, eadem die LEO eius filius, cognomento *Sapiens*, ſiue *Philoſophus*, Imperium moderandum ſuſcepit. Qui mox occaſione captata quod Photius cum Santabareno conſilium iniiſſet de eligendo in Imperatorem cognato ipſius Photii: eum è throno depoſuit, relegauitq; in monaſterium Armenorum: atq; in eius locum ſubrogandum curauit germanum ſuum *Stephanum* filium natu minimum Baſilii: quem pater, aliis ad Imperium euectis, Eccleſiaſticis functionibus mancipauerat. Impoſtorem vero Santabarenum, flagris cæſum, oculiſq; excæcatum, Athenas miſit in exilium: hominem ſecta Manichæum, profeſſione magum (vt Conſtantinus Manaſſes affirmat) ſimulatione vero Chriſtianum: & impoſturis quibus miracula affectabat, à Baſilio Imperatore creditum ſanctum.

V. LEGATIO ABORIĒT. AD STEPH. PP. PRO DISPENSATIONE.

Sed quod Stephanus ordinatus fuiſſet à Photio diaconus, eſſetque lex Eccleſiaſtica vt ordinati à Photio ceſſarent omnino, nec maiori gradu eleuarentur: idcirco vt cum ipſo diſpenſaretur à Romano Pontifice, miſſa eſt à Leone Imperatore legatio Romam, cum literis quas tum ipſe, tum Stylianus Neocæſareæ Metropolita cognomēto Mapa, nomine tam ſuo quam omnium ſacerdotum Orientis Catholicæ communionis, ad Stephanum Papam ſcripſerunt. Habentur enim iſta aſſerta in Græco codice [a] Columnenſi, in appendice addita contra pſeudoſynodum Photianam: vbi cum deſit ipſa Leonis epiſtola, cuius auctor eiuſdem appendicis meminit, ineſt tamen illa Stylani: qua [b] breuiter repetens ab initio omnia Photii ſcelera, declarat quomodo eum Leo eiecerit: rogatq; vt damnans eum, benigne diſpenſet cum aliis Epiſcopis qui ab eo decepti fuiſſent: vt ita pax omnimoda reſtituatur Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. Cuius quidem epiſtolæ notāda ſunt maxime verba, quibus hoc petitur à Stephano Papa: *Quoniam vero ſcimus* (inquiunt) *quod à veſtra Apoſtolica Sede corrigi, & iuxta canones arripi debemus: hac de cauſa humilibus his noſtris literis tuam oramus venerabilitatem, vt miſericorditer nobiſcum agas:* & alia plura eiuſmodi. Subiicitur deinde in eodem codice reſponſio Stephani Papæ: qua ſuſpendit iudicium de Photio, quod cum Leo Imperator ſcripſiſſet ſponte ſe abdicantem, quietam vitam elegiſſe. Itaque mandat vtriuſq; partis Epiſcopos mitti, quibus auditis poſſit ſententia pronunciari. Nam ſi acquieuiſſet iis quæ ſcripta erant ab Imperatore de Photio ſponte ſe abdicante, eius ſeſſionem illegitimam quodammodo probare videri potuiſſet. Nullus enim poterat eſſe locus renunciationi, ei qui numquam legitime ſediſſet. Et ita quidem actum cum Epiſcopis: ſed cum Stephano germano Imperatoris qui diaconatum ſuſcepiſſet à Photio abſque mora diſpenſatum fuiſſe inde exiſtimare licet, quod cum ipſo idem Stephanus Papa communicaſſe inuenitur.

a Num. 45.

b Rec. Bar. Annal. To. X. hoc an.

SVPREMA AVCTORITAS SED. APOST. AGNITA A GRÆCIS.

VI. SCHISMATICI FRVSTRA LABORANT PRO FAMA PHOTII.

Cæterum eiectus hoc anno penitus Photius, nec amplius reſtitutus, quando obierit, quomodoue, in obſcuro eſt: dolo haud dubium ſchiſmaticorum, auctorem ductoremque ſuum mire colentium. Qui inſuper quod ſcirent ipſum valde perſtringi ex Synodalibus ſcriptis ſub Pontificibus Nicolao, & Hadriano, aliiſq; monumentis rerum geſtarum S. Ignatii vel aliorum, iidem ea omnia abolenda eſſe ſub anathemate ſtatuerunt; ſicut teſtatus eſt Marcus Epheſius in Concilio [c] Florentino. Sed noluit Deus obliuione ea deleri, quibus adeo egregie tanti ſchiſmatis auctor ſuis coloribus depingitur.

c Concil. Floren. Seſſ. 6. Ferrar.

VII. TRANSLATIO SS. RELIQ.

Hoc eodem anno, decimoſexto Calend. Februarii, facta eſt à Stephano Papa ſolemnis Tranſlatio corporum SS. Diodori, Mariani, ac ſociorū martyrum qui paſſi fuerant ſub Stephano Primo, ex Cœmeterio Viæ Salariæ in Vrbem, ipſomet Pontifice humeros feretro ſubiiciente: cum eadem antea diu quæſita hactenus abſcondita permanſiſſent, iam vero diuinitus reuelata eſſent eidem Pōtifici. Cuius rei geſtæ hiſtoria eodem tempore ſcripta, adhuc extat [d] integra, continens etiam miracula quædam ad eaſdem Reliquias edita, & grauiſſimas pœnas inflictas cuidam qui partem earumdem furto abſtulerat: quam quidem hiſtoriam ab Anaſtaſio Bibliothecario conſcriptam autumor.

d ap. Sur. 17. Ianuar.

IESV CHRISTI AN. 887.

CAROLI III. 7. LEONIS VI. 2.

STEPH. VII. AN. 3.

I.

ANno Chriſti octingenteſimo octogeſimo ſeptimo, Indictione quinta, Northmannorum obſidione la-

PARIS CIVITAS OPE SS. LIBERATUR.

borans ciuitas Pariſiorum, Dei miſericordia implorata, precibus Dei-Genitricis (cui ciuitas dedicata eſt) & S. Germani Epiſcopi, atque S. Genoueſæ Virginis, & aliorum Sanctorum eius Eccleſiæ patronorum, liberata eſt: quo tempore maxime nituit eiuſdem S. Germani virtus in edendis miraculis. Cecinit eiuſmodi obſidionem duobus carminum libris Abbo, qui Aimoini hiſtorici fuit diſcipulus, vt ipſe teſtatur in eorumdem librorum præfatione. Fuit & idem Abbas, ad quem Aimonius inſcripſit præfationem ſuarum hiſtoriarum, quas ad hæc tempora produxit.

II. CONCIL. COLON.

Hoc item anno habita legitur SYNODVS COLONIENSIS: in qua actum eſt aduerſus raptores rerum Eccleſiaſticarum, oppreſſores pauperum, & inceſtas nuptias contrahentes. Quo etiam anno laborauit Eccleſia Anglicana tyrannide Haſtingi Dani: qui ſimulate baptiſma ſuſcipiens, eo ad inferendam populo cladem vſus eſt: cuius etiam ſæuitia ingemuere Galliæ.

IESV CHRISTI AN. 888.

LEONIS VI. AN. 3.

STEPH. VI. AN. 4.

I. CAROLVS CRASSVS IMP. MORITVR.

ANno Chriſti octingenteſimo octogeſimo octauo, Indictione ſexta pridie Idus Ianuarii, mortuus eſt Carolus Craſſus Imperator, iam antea repudiatus à ſuis. Magno ſiquidem Dei iudicio factum eſt, vt cum ex leuibus quibuſdam ſuſpicionib. Richardem Auguſtam coniugem ſuam, teſtantem publice ſe licet iunctam Carolo adhuc intactam virginem permanere, contra ius faſque repudiaſſet: idem ipſe menſe Nouembris in *Conuentu Triburienſi* fuerit à ſuis repudiatus, tradito eius Regno Arnulpho Carolomanni filio: adeoque Dei voluntate Carolus ad ima depreſſus eſt, vt victum quotidianum ab Arnulpho ſupplex expoſceret. Hæc pluribus Regino, qui ipſum laudat ex multis. Fertur que[a] libellus eiuſdem Caroli, de viſione ipſi ante triennium oſtenſa de locis infeſtis & purgatoriis, quibus compluſes torqueri vidit Principum & Epiſcoporum, qui bellorum ciuilium fomitem ſuccendiſſent.

a *Ext. in Ann. ſlet ad Be & ap Wil. Malmesbu. li. 2. c. 2.*

II. TYRANNI PLVRIMI IN ITAL. ET GAL.

Cæterum poſt hæc ſciſſio Imperii, malaq; plurima ex tyrannorum plurium ſimul exurgentium factionibus orta ſunt. Nam in Italia Berengarius Dux Forojulienſis in Regem electus eſt: atque *VVido*, ſeu Guido, Lamberti Ducis Spoleti filius, Imperatoris nomen aſſumpſit, vel potius iamdiu ante aſſumptum (vt ex nonnullis antiquis monumentis cõſtat) retinuit. In Galliis Comes Pariſienſis Odo pariter Regnum vſurpauit, cum viueret Carolus Simplex legitimus heres adhuc puer, qui ſolus de regia ſtirpe remanſerat. Sed & Rodulphus Conradi filius, ſibi Regis nomen impoſuit. Sicq; Italia & Galliæ hoc potiſſimum anno ſunt ex iis tyrannis emergentibus magnopere afflictatæ. Et quod deterius videri potuit, ac plane monſtruoſum, illud fuit quod tam Epiſcopi quam Abbates armati ad bella procederent, hoſtes cæderent, & cæderentur ab ipſis. Quod execrandum facinus cum diu inoleuiſſet in Gallis, eius merito accidiſſe putamus, vt externis atque ciuilibus bellis eædem prouinciæ afflictarentur. Sed eo deterius, quod iidem ab eius temporis auctoribus laudati reperiuntur nomine bellicæ fortitudinis: cum tamquam ſacrorum canonum violatores, & muneris paſtoralis deſertores, deteſtandi fuerint.

EPISCOPI ARMATI.

III. CONCIL. MOGVNT. PRO AVERTENDIS MALIS GERM.

Eodem anno occaſione noui Regis Arnulphi, celebrata eſt SYNODVS MOGVNTINA: in qua Patres mala quæ pateretur Germania ab incurſionibus Northmannorum & deprædationibus quorumdam Chriſtianorum publice graſſantium, corrigenda quoquo modo propoſuerunt. Sed & ſtatuerunt canones viginti ſex: quorum tres primi ad Arnulphum Regem ſpectant, quomodo ſe gerere deberet in Regni diſpoſitione. De quo quidem illud conſiderandum eſt, ipſum nunquam ab antiquis ſcriptoribus Imperatorem eſſe nominatum: ſed ſemper Regem: eo quod nefas eſſet Imperatoris nomen tribuere, niſi prius eſſet ab Apoſtolica ſede collatum: quod non niſi poſt plures annos Arnulpho contigit. Quamobrem perperam agere conuincuntur, qui ſtatim poſt obitum Caroli Arnulphum nominant Imperatorem, tanquam hæredem Imperii. Idem vero antiqui ſcriptores VVidonẽ vnctum à Romano Pontifice tradunt[b], ac proinde legitimum Imperatorem: Verum nec id niſi ſub Formoſo Papa contigiſſe, declarant eiuſdem Pontificis ad Fulconem Rhemenſem Archiepiſcopum literæ, de quibus ſuo loco.

ARNVLPH. REGNO, NON IMPERIO SVCCESSIT.

b *Luitpr. & alii.*

IV. c *Adam. li. 1. c. 38 & 39.*

Hoc pariter anno[c] *S. Rembertus* Magnus ille Danorum Apoſtolus, ſucceſſor Sancti Anſgarii in ea functione & imitator egregius, miraculiſq; clarus, ex hac vita diſceſſit in cuius locum ſubrogatus eſt Adelgarius, qui & ipſe pallium accepit à Romano Pontifice.

V. S. STEPH. PATRIAR. CONST. OBITVS.

Eodemque anno, qui tertius numeratur Leonis Imperatoris, Stephanus Patriarcha Conſtãtinopolitanus ipſius frater ex hac vita migrauit: inque eius locum ſuffectus eſt *Antonius* cognomento *Cauleas*. Hæc Curopalates. Relatus legitur in Menologio Græcorum inter Sanctos die decimaſeptima Maii. Ob cuius admirandam innocẽtiam Nicephorus Philoſophus in oratione funebri[d] quam habuit in funere Antonii eius ſucceſſoris, teſtatur eum à faſciis ſanctum fuiſſe. Porro ad eumdem extant complures Leonis Imperatoris Nouellę Conſtitutiones diuerſorum argumentorum, ad ſtatum tamen Eccleſiaſticum pertinentes.

d *Ext. ap. Me. aphr. 12. Febr.*

VI. e *Glab. li. 2. ca. 5.* MIRACVLVM DE IMAG. CRVCIF.

Hoc item anno (vt refert[e] Glaber Rodulphus horum temporum probatus ſcriptor) Aurelianis in Gallia in monaſterio Sancti Petri Virginum ſanctimonialium, Imago Crucifixi per aliquot dierum ſpacium riuum emiſit lacrymarum. Ac paulo poſt in eadem ciuitate, cum cuſtodes maioris Eccleſiæ noctu portas ex more aperuiſſent ad laudes matutinas, lupus eccleſiam ingreſſus funem tintinnabuli ore arripiens, illud inſonuit. Quæ ſigna cladem portenderunt, qua anno ſequenti tota illa ciuitas vna cum ipſis eccleſiis igne cremata eſt. Quo tempore Arnulphus Epiſcopus, genere, doctrina, & pietate præſtans, cum eandem maiorem eccleſiam, in honorem ſanctiſſimæ Crucis Chriſti iam olim dicatam à fundamentis reſtituere intenderet: cæmentarii in ipſis fundamentis ingentem repetere theſaurum, qui magnificentiſſimæ eccleſiæ extructioni ſufficeret.

IESV CHRISTI AN. 889.

LEONIS VI. AN. 4.

STEPHANI VI. AN. 5.

I. HVNNOR. GRASSATIONES.

ANno Chriſti octingenteſimo octogeſimo nono, Indictione ſeptima, Germaniæ & Galliæ ab Hunnorum in eas regiones immiſſionibus per Regem Arnulphum, miſere deuaſtatæ ſunt: atque Italia rurſumque eadem Gallia, digladiantibus inter ſe Principibus, varie vexatæ. quæ omnia fuſius proſequitur, deploratq; Luitprandus hiſtoricus.

II. LEGATIONES AB ORIENTE AD STEPH. PP.

Quo eodem anno, qui tertius numeratur à tẽpore quo à Stephano Papa ſcriptæ ſunt literæ Conſtantinopolim ad Imperatorem Leonem, & Epiſcopos Catholicæ communionis: ab iiſdem Auguſto & Antiſtitib. miſſæ ſunt legationes ad eundem Pontificem quas ipſe mittendas iuſſerat. Teſtantur hæc literæ, Epiſcoporum omnium nomine ab eodem qui ſupra Styliano Neocæſareæ Epiſcopo ad ipſum Stephanum ſcriptæ, quæ recitantur[a] in dicto Græco codice Columnenſi in appendice addita contra pſeudoſynodum Photianam: quibus iidem Epiſcopi rurſum petierunt, vt diſpenſaretur cum iis qui vi aut fraude à Photio ſeducti fuiſſent. Addit vero auctor eiuſdem appendicis, his Epiſcoporum literis reſponſum eſſe à Formoſo Papa, cum Stephanus morte præuentus id præſtare minime potuiſſet: quamobrem eaſdem literas ſero Romam oportuit eſſe perlatas.

a *Rec. Ext. Annal. To. X. hoc an.*

LEONIS VI. AN. 5.

IESV CHRISTI AN. 890.

STEPHANI VI. AN. 6.

I. STEPH. PP. OBITVS.

ANno Chriſti octingenteſimo nonageſimo, Indictione octaua, *Stephanus* Papa cum ad ſextum Pontificatus annum perueniſſet (vt ex eius ſepulchri apud S. Petrum poſiti epitaphio conſtat) defunctus eſt: ſed quo menſe, vel die, incertum. Nam apud Anaſtaſium Bibliothecarium Vita eius mutilata habetur. Reperitur vero in eo codice ſermo [a] quidam eiuſdem Stephani inter Miſſarum ſolemnia ad populum habitus, aduerſus eos qui vaniloquiis & otioſis ſermonibus vacarent in eccleſia, & alios quoſdam qui maleficiis & incantationibus vterentur. Extatq; [b] eiſdem reſcriptum ad Romanum Epiſcopum Rauennatem, de electione Epiſcopi Imolenſis: necnon aliud ad Heribertum Archiepiſcopum Moguntinum, quo aſſeritur non probari purgationem per ferrum candens, & aquam feruentem.

a Rec. Bar. To. X. hoc an.

b 2.ſ. 63. c.12.

II. VOTVM DVCIS BRITAN. AD VICTORIAM CONSEQVENDAM.

Hoc eodem anno Dux Britanniæ Alanus pugnaturus aduerſus Northmannos, vouit ſi victoriam ab iiſdem reportaret, decimam partem omnium ſuorum bonorum Deo & S. Petro Roman deſtinaturum. Omnibuſq; Britonibus idem votum ſpondentibus, tanta ſtrage hoſtes fudit, vt vix quadringenti ex quindecim millibus reſidui fuerint.

III.

Quo pariter anno mortuus eſt Antonius Patriarcha Conſtantinopolitanus, vbi tantum annos duos ſediſſet: vt habetur in ſerie Patriarcharum Conſtantinopolitanorum corpori Iuris Orientis intexta. Claruit egregia ſanctitate: quem pro vnitate Eccleſiæ laboraſſe, eamque feliciter conſecutum eſſe, teſtatur Nicephorus philoſophus ea oratione [c] quam in eius funere habuit, qua contexuit eius vitam, atque poſt obitum edita miracula. Porro ſucceſſit ei *Nicolaus* cognomento *Myſticus*: quod erat nomen dignitatis primæ poſt magnum Chartularium, cuius inſignia fuiſſe tiaram & prætextam virtatam loris, tradit Curopalates in libello de Officiis Conſtantinopolitanæ vrbis.

c ap. Metap. 12. Febr.

LEONIS VI. An. 6.

IESV CHRISTI AN. 891.

FORMOSI AN. 1.

I. FORMOSVS PP. CREATVR.

ANno Chriſti octingenteſimo nonageſimo primo, Indictione nona, (quo vero die, aut menſe, incertum eſt) FORMOSVS ex Epiſcopo Portunenſi creatus eſt Romanus Pontifex, ſubrogatus in locum Stephani Sexti nuper (vt diximus) defuncti. Cuius tamen tumultuariam fuiſſe electionem, oppoſito ipſi à quadam populi parte *Sergio* diacono, teſtis eſt Luithprandus [a] huius temporis ſcriptor. De hoc autẽ Formoſo dicturi, ante omnia opus eſt vt corrigantur errores Mariani Scoti, qui poſt Marinum Papam, *Agapetum* eius ſucceſſorem ſomniat: & poſt Hadrianum, *Baſilium* nunquam viſum vel auditum Pontificem Romanum: ac demum poſt Baſilium ponit Stephanum. Quo eodem errore de Agapeto atque Baſilio imaginariis Pontificibus, abducitur Sigebertus, & ſiqui alii eos ſecuti: qui ex antiquis omnibus Romanorum Pontificum ſcriptoribus, aliiſque auctoribus tam Latinis quam etiam Græcis, erroris arguuntur.

a Luitp. l. hiſt. 7.

II. FORMOS. VIR LAVDATIS.

Quod vero ad ipſum Formoſum attinet; laudatiſſimum cum extitiſſe, tum religione, tum morum integritate, atq; doctrina, Luitprandus aſſerit: quem etiam Anaſtaſius Bibliothecarius in Nicolao, magnæ ſanctitatis Epiſcopum nominat: eſtque eiuſdem ſanctitudinis & doctrinæ, egregium ex epiſtolis Hincmari Rhemenſis Archiepiſcopi quas Frodoardus [b] recenſuit teſtimonium: ac deniq; eiuſdem inſignia merita ſuperius ſuis locis enarrata vidimus. Vt non adeo ſit mirum, ſi bono totius Eccleſiæ Catholicæ, ex Epiſcopatu Portuenſi translatus fuerit (quod minime fieri conſueuerat: & vt in exemplum non aſſumeretur, prohibitum eſt in Synodo Romana ſub Ioanne Nono celebrata) ad moderandas habenas totius Catholici orbis; hoc potiſſimum tempore, quo ipſa Romana Eccleſia adeo affligeretur peſſimorum tyrannorum inuaſione.

b Frod. hiſt. Rhem. lib. 3. c. 20.

III. FORMOS. QVOMODO DISPENSAVERIT CVM PHOTIANIS.

Hic igitur vbi Apoſtolicum thronum conſcendit, literas ab Oriente Romã (vt vidimus) ad Stephanum prædeceſſorem conſcriptas, ipſo defuncto accepit: atque vt in re magni momenti, adhibito fratrum conſilio, ad Stylianum reſcripſit [c] diſpenſare ſe cum laicis qui Photio adhæſiſſent: Epiſcopos autem & Sacerdotes ab eodem ordinatos ita in communionem admitti velle, ſi prius oblatis libellis ſe deliquiſſe faterentur, & pœnitentia veniam deprecarentur. Ad quæ omnia rite peragenda, & in perpetuum cõfirmandam Photii damnationem, Conſtantinopolim miſit (vt iiſdem literis indicat) Legatos à Latere Epiſcopos Landenulphum Capuanum, & Romanum.

c Rec. Bar. Annal. To. X. hoc an. ex cod. Colum.

VVIDONIS I. LEONIS VI. 7.

IESV CHRISTI AN. 892.

FORMOSI AN. 2.

I. VVIDO CORONATVR IMP.

ANno Domini octingenteſimo nonageſimo ſecundo, Indictione decima, WIDO coronatus eſt Romæ Imperator à Formoſo Pontifice: teſtantur literæ eiuſdem Formoſi, quarum ſcriptor huius temporis meminit Frogoardus in Vita Fulconis Rhemenſis Archiepiſcopi eiuſdem Widonis affinis. Quo quidem facto concitauit contra ſeipſum Formoſus inuidiam eorum qui eiuſdem Imperii coronam cuperent, nempe Arnulphi & Berengarii: immo & Romanorum ciuium, vt Luitprandus [a] docet.

a Luitp. lib. 1 c. 8.

II. CONCIL. VIEN.

Eodem anno per Legatos Apoſtolicæ Sedis *Viennæ* in Gallia SYNODVS congregata eſt: cuius nonnulla extant [b] decreta aduerſus ſæculares inuaſores rerum Eccleſiaſticarum, & percuſſores clericorum, atque exactores munerum à presbyteris ad introitum eccleſiarum: inſuperque ſtatutum eſt, vt nemo ſæcularium eccleſiis dare vel offerre, abſque conſenſu Epiſcoporum ad quos ipſæ eccleſiæ pertinerent, præſumeret.

b In cod. Pap. Maſ.

III. DE REGINONE ABBATE.

Hoc item anno Germaniam rurſum Northmanni deuaſtãtes, nobile monaſterium Prunienſe depopulati ſunt: poſt quam cladem *Regino* tunc ibi monachus, electus eſt Abbas à monachis, ſed poſt modicum temporis ſpatium inuidorum perſecutione deiectus. Scribebat tunc ipſe hiſtorias huius temporis perduxitq; (vt in præfatione teſtatur) vſque ad annum Redemptoris nongenteſimum octauum.

IV. CONCIL. RHEM. PRO CONFIRMATIONE REGNI CAR. SIMPL.

Eodem anno Carolus Simplex, filius Ludouici Balbi, Francorumq; Regni legitimus ſucceſſor, quatuordecim tantum annorum puer, in *Conuentu* Epiſcoporum & Procerum Rhemis in Regem prouectus, à Fulcone eius ciuitatis Archiepiſcopo vnctus eſt: reiecto Odone Comite Pariſienſi, qui Regis titulum tyrãnice vſurpauerat. Aduerſus quem grauiter hæc ferentem, idem Fulco literas [c] dedit ad Arnulphum Germaniæ Regem, Widonem Imperatorem, & Formoſum Papam, vt eidem Carolo fauerent. Porro Arnulphum primo præſto fuiſſe Carolo, inde vero Odoni contra Carolum fauiſſe: Regino tradit, & alii aſſentiuntur.

c Frod. hiſt. Rhem. lib. 4. c. 1. & 5. Regin. hoc an.

V. ARNVS MARTYR.

Hoc item anno *Arnum* Epiſcopum Wirzeburgenſem, dum ſacratiſſimum Miſſæ ſacrificium celebraret, ab hoſtibus interfectum, martyrium cum ſuis conſecutum eſſe, Ditmarus [d] eſt auctor.

d Ditm. li. 1

VVIDONIS 2. LEONIS VI. 8.

IESV CHRISTI AN. 893.

FORMOSI AN. 3.

I.

ANno Chriſti octingenteſimo nonageſimo tertio, Indictione vndecima, Formoſus Papa ob graues perturbationes quibus vexaretur Dei Eccleſia, Generalem SYNODVM indixit celebrandam Calendis Martii, ad

a Frod. lib. 4. cap. 2. LAMBERTVS VNGITVR IMP.

quam vocauit etiam Tranſalpinos Epiſcopos, & inter alios Fulconem Rhemenſem Archiepiſcopum. Teſtatur id Frodoardus [a]. Ex quo etiam conſtat, hoc eodem anno, qui ſecundus eſt ex quo Wido eiuſdem Fulconis affinis Imperator coronatus eſt, eius quoque filium LAMBERTVM ab eodem Formoſo vnctum eſſe Imperatorem.

II. BVLGARI SE SVBIICIVNT ECCLESIÆ ROM.

Quod ad res pertinet Orientales: hoc eodem anno bello acerrimo excitato inter Simeonem Bulgarorum Regem & Leonem Imperatorem, eodemque per plures annos propagato, Turcæ & Hunni aduerſus Bulgaros ab ipſo ſunt Imperatore vocati. Ex quo factum eſt, vt diſſoluto inter eos pacis vinculo, æque ſpiritualis præfectura quam Græci ſibi vendicauerant è medio tolleretur, iidemque Bulgari Romanæ Eccleſiæ ſe rurſum ſponte ſubiicerent. De bello autem iſto plura apud Curopalatem inuenies.

IESV CHRISTI AN. 894.

WIDONIS 3. LEONIS VI. 9.

FORMOSI AN. 4.

I. FORMOS. PP. LIBERAT PRO CAROLO SIMPL. REG. FR. a Id. d. c. 2.

ANno Chriſti octingenteſimo nonageſimo quarto, Indictione duodecima, Formoſus Papa rogatus à Fulcone Archiepiſcopo Rhemenſi, ſcripſit ad Odonem & Arnulphum infeſtantes Regnum Caroli Simplicis, vt ab illius infeſtatione deſiſterent: monuitque Epiſcopos Galliarum, vt in his laborarent. Quod ex eiuſdem Pontificis & Fulconis inuicem datis literis narrat Frodoardus [a], dum agit de variis ac multiplicibus rebus inter eos tranſactis. Sed & ſcripſiſſe eundem Fulconem ad Albradum Regem tranſmarinum, aduerſus Nicolaitarum repullulantem in illis partibus hæreſim, idem auctor tradit.

II. CONCIL. ANGLIC.

Quo pariter anno Formoſus Papa pro Eccleſia Anglicana ſolicitus, quæ Danorum incurſionibus ac bellis diuturnioribus pene deſtituta remanſerat Epiſcopis, & in Gentilitatem reciderat: literas ad Regem Eduardum ſcripſit, quibus ei omnibuſque ſubditis eius, excommunicationem denunciauit ob nimiam incuriam rerum Eccleſiaſticarum. Quibus Rex acceptis, *Synodum* conuocauit, cui præfuit Pleimundus Archiepiſcopus Cantuarienſis: in qua multi electi Epiſcopi miſſi ſunt in ſedes vacantes: ipſeque poſtea Pleimundus Romam veniens, Regi veniam, & omnium in Synodo geſtorum confirmationem à Summo Pontifice obtinuit. Hæc ex Wilhelmo [b] Malmesburienſi antiquo hiſtorico: ſed puto vitio ſcriptoris, quod factum eſt hoc anno octingenteſimo nonageſimo quarto, apud eum ſcriptum legi anno nongenteſimo quarto: ad quod tempus certum eſt non potuiſſe venire Formoſum.

b Malmeſbur. de geſt. Angl. l. 2.

IESV CHRISTI AN. 895.

WIDONIS 4. LEONIS VI. 10.

FORMOSI AN. 5.

I. CONCIL. TRIBVR.

ANno Chriſti octingenteſimo nonageſimo quinto, Indictione decimatertia, menſe Maio, opera Attonis Archiepiſcopi Moguntini præſente Arnulpho Rege celebrata eſt SYNODVS [a] TRIBVRIENSIS in Germania viginti duorum Epiſcoporum: qui ad reſtituendam collapſam Eccleſiaſticam diſciplinam, quinquaginta octo canones ſtatuerunt, quibus ante omnia actum eſt de Eccleſiaſtica immunitate inuiolata conſeruanda, & de obedientia præſtanda Epiſcopis, atque de humili cultu erga Romanam Eccleſiam. Actumque quoque de cauſa Bremenſis Eccleſiæ, inter Adelgarium eius Epiſcopum, & Hermannum Archiepiſcopum Colonienſem ſatagentem ſubdere ſibi eam. Cauſa autem diutius ventilata, adiudicata eſt tandem, aſſentiente Formoſo Pontifice, Archiepiſcopo Colonienſi. Rem vero geſtam narrat Adam [b] Canonicus Bremenſis in ſua hiſtoria Eccleſiaſtica.

a De hac Synodo quid commentus fuerit *Goldaſtus Centuriſta*, vide c. 10. Apol. Baro. a Gretſero Soc. IESV conſcriptæ. de qua ſup. ad an. 774. nu. 3. b Adam l. 1. c. 41.

IESV CHRISTI AN. 896.

WIDONIS 5. LEONIS VI. 11.

FORMOSI AN. 6.

I. ARNVL. ROMAM CAPIT, ET CORONATVR IMP. a Luitpr. lib. 1 cap. 8.

ANno Chriſti octingenteſimo nonageſimo ſexto Indictione decimaquarta, Arnulphus Rex Germaniæ iterum Italiam ingreſſus, Romam ex conſenſu Formoſi Papæ armis cepit: vltuſque eſt in Romanos, iniurias ab iis in ipſum Pontificem illatas: ac demum ab eodem Imperator coronatus eſt. Hæc Regino, & Luitprandus [a]. Sed quod Regino addit, matrem Lamberti Imperatoris illic à filio in præſidium relictam, cum ſuis latenter aufugiſſe: putauit ante annum vita functum Widonem Imperatorem: quem tamen cum ex eius diplomate quodam, tum ex Luitprando, adhuc plures vixiſſe annos apparet: Cæterum quod quæ Lamberto legitime collata eſt (vt ſuperius vidimus) vnctio Imperialis, etiam probata fuit in Synodo Romana ſub Ioanne Papa Nono: ea propter nonniſi ex præſcripto ſacrorũ canonum, & auctoritate Apoſtolicę Sedis, omiſſo Arnulpho violento inuaſore, in ſerie Imperatorum Occidentalium Lambertum poſuimus vna cum Patre Widone regnantem: licet Chronographi poſt Carolũ Craſſum poſuerint ARNVLPHVM, nulla penitus de Widone & Lamberto habita ratione: quod priuata ſcriptorum Germanorum affectio, non veritas perſuaſit.

II.

Ex prædictis autem habes, hoc anno quo Arnulphus Romam venit, Formoſum Papam fuiſſe ſuperſtitem: quibus redarguas omnes qui ponunt eum defunctum anno octingenteſimo nonageſimo quinto, ſediſſeque tantum annos quatuor & ſemis. Nam & Adam [b] monachus antiquus Chronographus, teſtis eſt eum ſuperuixiſſe anno ſecundo à Concilio Triburienſi. Mortuus eſt autem hoc ipſo anno, decimonono Calendas Ianuarij.

b Adam l. 1. FORMOSI PP. OBITVS

IESV CHRISTI AN. 893.

WIDONIS 6. LEONIS VI. 12.

STEPHANI VII. AN. 1.

I. BONIF. INVASOR. SED. APOSTOL. PELLITVR A STEP. VII

ANno Chriſti octingenteſimo nonageſimo ſeptimo, Indictione decimaquinta, *Bonifacius* inuadens Sedem, tenuit dies quindecim: non numerandus inter Pontifices, vtpote qui damnatus fuit in Romana Synodo ſub Ioanne Nono: homo nefarius, iam antea bis gradu depoſitus, à diaconatu primum, inde à presbyteratu. Aduerſus quem STEPHANVS Septimus, dictus Sextus, inſurgens, eo pulſo Sedem occupauit. Quæ omnia per vim & metum extorta, maximam irrogarunt ignominiam S.R. Eccleſiæ. Porro quod intruſorum Pontificum alii vt Pontifices poſtea recepti inueniantur, alii vero penitus abrogati: id inde euenit quod illi quantumlibet tyrannice ſedem adepti, tamen accedẽte conſenſu Cleri (ſatius eſſe exiſtimantis, eos qualeſcunque tolerandos, quam Eccleſiam ſchiſmate conſcindendam) vt legitimi Pontifices conſuetis ritibus ſint electi. Hæc enim vt dicamus, illud plane neceſſario cogit, quod vniuerſa Eccleſia Catholica eos vt legitimos Pontifices coluit: quod nequaquam contigiſſet, niſi de facta poſtea legitima creatione conſtitiſſet.

II. a Luitpr. l. 1. c. 8. IMMANE SACRILEGIVM IN FORMOSI PP. CADAVER.

Hoc anno contigere illa nefanda, quæ Luitprandus [a] & alii recenſent, ſed male tribuunt Sergio, quæ Stephano huic Septimo Synodalia ſub Ioanne Nono adſcribunt Acta, quibus fides maior iure ſit adhibenda. Ille igitur Formoſi cadauer è ſepulchro extrahens, atque in ſedem Romani Pontificatus ſacerdotalibus veſtibus indutum collocans: cum tamquam viuenti exprobraſſet, quod nimia ambitione ex Portuenſi Epiſcopo Sedem Apoſtolicam occupaſſet: illud ipſum damnatum, ſacriſq; mox exutum veſtimentis, ac tribus digitis mutilatum quibus benedicere moris eſt, in Tiberim iactauit: cunctoſq; quos idem Formoſus ordinauerat, gradu depoſitos iterum ordinauit. Ita furore percitus homo: non quod iure liceret, ſed quod exæſtuans rabies ſuaderet, implens. Non enim fuit error in fide, ſed violenta tyrannis in facto. Quod fa-

cinus reclamantibus (vt Sigebertus ait) qui aderant perpetratum, deteſtatus eſt pluribus Luitprandus; Sergio factum ſacrilegium adſcribẽs, quod ipſe fuerit ad illud perpetrandum anteſignanus & auctor. Cæterum grauiorem culpam Stephani Papæ fuiſſe liquet, quod nefarium ſcelus Synodo ſuorum collecta probauit: quæ poſtea reſciſſa, igniq; tradita fuit à Ioanne Nono. Ex quibus tot ac tantis eius ſceleris teſtimoniis, aliiſque inferius recenſendis, erroris arguendi ſunt qui illud confictum putauerunt.

III. ECCLESIÆ ROM. PERSECVTIO OMNIVM MOLESTISS.

Hæc ſunt infeliciſſima illa Romanæ Eccleſiæ tempora atq; omnium luctuoſiſſima, quibus ipſam contigit domeſtico bello agitari: quæ nunc cœpta, multo tempore maximo damno eamdem affecerunt: illata ipſi per Adelbertos Marchiones potentiſſimos Tuſciæ. Ita enim nominat eos Luitprandus: non autem Comites, vt alii, Tuſculanos: hi enim poſtea, licet ex eadem radice, prouenerũt. Et quidem iſtum qui Stephanum intruſit, Luitprandus[b] ait tantæ fuiſſe potentiæ, vt inter omnes Italiæ Principes ſolus ipſe cognomento diceretur Diues. Iidem vero munitione S. Angeli, olim mole Hadriani dicta, potiti, quæ non ſunt auſi in Romanam Eccleſiam? Vt abſq; vlla controuerſia dici poſſit, nullam vmquam ſiue à Gentilibus, ſiue ab hæreticis, ſiue à ſchiſmaticis, aliiſue perduellibus, duriorem ac diuturniorem paſſam eſſe perſecutionem, quam pertulit ab iſtiuſmodi Marchionibus. Verum etſi ſæpius deforme valde, turpeq; contigerit apponi ab ipſis Eccleſiæ caput: tolerandum tamen fuit, quod nõ penitus amens ſit inuentum: ſed fide Catholica ſemper ſibi conſtiterit, virtute promiſſionis diuinæ, qua numquam portæ inferi prçualere valeant contra ſedem Petri ſirmiſſimis fundamentis ſtabilitã.

b Ibid. c. 20.

RVINA MYSTICA ECCL. LATERAN.

Quod & myſtice tunc deſignatum videri potuit, cum eodem tẽpore quo execrandum illud ſcelus aduerſus Formoſi cadauer Stephanus cõmiſit, ſacroſancta Baſilica Lateranenſis, primaria Pontificis ſedes, ab altari vſq; ad portas ſolo penitus proſtrata corruit, ſanctuario tantummodo relicto integro, in quo ipſa ſedes Pontificis exiſtebat. Sicut & quantæ pietatis fuiſſet Formoſus inde demonſtratum eſt, quod (vt refert Luitprandus) dum eius corpus à piſcatoribus poſtmodum inuentum ad S. Petri baſilicam deportatum eſſet, Sanctorũ Imagines illud in loculo poſitum venerabiliter ſalutauerint.

IV. CVLTVS ERGA SEDEM APOST.

Licet porro tot tantaque nefaria crimina Stephanum Papam infamarent: nullus tamen fuit principalium ſedium Epiſcoporum, qui ob id ſe ſubtraheret ab obedientia quæ impertiri ſoleret Romanæ Eccleſiæ Pontificibus: probe ſcientes primæ Sedis Põtificem minorum ſedium non ſubiacere iudicio. Narratque de Fulcone magni nominis & auctoritatis Rhemenſis Archiepiſcopo Frodoardus[c], magnam intercurriſſe literarum contextuãmem inter ipſum & eumdem Stephanum Papam: a quo etiam Fulconem ait vocatum ad Synodum Rauennæ celebrandam: ſed ipſum ſe excuſaſſe, quod ob bellorum fragores præſens adeſſe minime poſſet. De qua quidem *Synodo* mentio nuſquam alibi.

c Frod. li. 4. c. 4. & 6.

IESV CHRISTI AN. 898.

VVIDON. 7. LEON. VI. 13.

STEPHANI VII. AN. 2.

I.

ANNO Chriſti octingenteſimo nonageſimo octauo, Indictione prima, in Galliis pace facta, quę paulo ante compoſita inter Odonem & Carolum fuerat, idem Carolus diffidens ſuis viribus, cum Northmannis Ethnicis inire fœdus, eorumq; auxiliis bellum gerere in cõſilio habuit. Sed reſiſtens ſacerdotali conſtantia Fulco Rhemenſis Archiepiſcopus vir præſtantiſſimus, grauiſſima ſcripta epiſtola quam recitat Frodoardus[a], eumdem à prauo illo conſilio reuocauit, multis docẽs quam deteſtabile ſit cum Infidelibus ſocietatem inire: ac demum addens, quod ſi hoc faceret, non ſolum ſe nunquam ei fidelem extiturum, ſed & quoſcumque poſſet ab ipſius fidelitate reuocaturum, & cum omnibus Coepiſcopis ſuis ipſum Regẽ eiuſque ſequaces excommunicaturum, atque æterno anathemate damnaturum. Hæc & alia ille libero ab humano affectu pectore. Procul longe abeſt, vt eidem Regi ſuaſiſſent iſta Politici hæretici noſtri temporis, qui regnandi iure proſternunt omnia, fidem, iuſtitiam, ipſamq; etiam religionem: ita peſſime Regnis & Regibus conſulentes. Quam enim præſter, quamq; proficuum ſit, in regnandi iure, religionis inprimis rationem habere, eamq; ceteris humanis & quas ſuadet prudentia carnis rationibus præferre, præter innumera antehac recenſita, ſatis docet præſens exemplum. Siquidem cum Carolus ſalutaribus monitis ſanctiſſimi Sacerdotis acquieuiſſet, protinus auxiliator adſtans Deus ipſum Odonẽ ab hac vita exemit: quem teſtis eſt Regino (eumdem vocans Ottonem) anni præſentis exordio, nempe tertia Ianuarii, diem clauſiſſe extremum: eoq; defuncto, omnes Principes in vnum congregatos, communi conſenſu Carolum in Regem ſuſcepiſſe.

a Id. lib. 4. c. 5.

CVM INFIDELIBVS NON ESSE INEVNDAM SOCIETATEM.

IESV CHRISTI AN. 899.

VVIDON. 8. LEON. VI. 14.

STEPH. VII. AN. 3.

I. ARNVLPHVS MISERE PERIIT.

ANNVS Chriſti octingenteſimus nonageſimus nonus, Indictione ſecunda cœptus eſt: quo (vt Regino tradit) Arnulphus dictus Imperator diem obiit tertio Calendas Decembris, cœpta iam Indictione tertia à menſe Septembri: idque morbo pediculari, vt habet Luitprandus[a], qui eumdem Arnulphum reum fuiſſe grauiſſimorum criminũ, ac præcipue violationis iurium, rerum, ac perſonarum Eccleſiaſticarum tradit, cum agit de mẽtis deliquio quod eſt paſſus ex ſoporifera potione, quã vxo Widonis Imperatoris eidem propinandam curaſſet.

a Luitp. lib. 1. c. 9.

II.

Porro ipſum quoque Widonem hoc eodem anno defunctum eſſe dum inſequeretur Arnulphum, idem Luitprandus[b] affirmat. Ex quo redarguas Reginonem, dum hoc anno ponens Arnulphi obitum, Widonis refert ante annos quinque.

b Id. c. 10.

IESV CHRISTI AN. 900.

LVDOV. IV. 1. LEON. VI. 15.

STEPH. VII. AN. 4.

I. QVAM INFELIX FVERIT HOC SÆCVLVM.

ANNO Chriſti nongenteſimo, Indictione tertia, nouum inchoatur Sæculum, quod ſui aſperitate ac boni ſterilitate Ferreum, malique exundantis deformitate Plumbeum, atq; inopia Scriptorum appellari conſueuit Obſcurum: quo tantis Apoſtolica Sedes iactata eſt procellis, vt cuncta quæ olim paſſa fuit ſub Gentilibus Imperatoribus, aliiſue quibuſcunq; perſecutoribus, horũ comparatione ſint æſtimãda luſus quodammodo puerorum: idq; ea occaſione, quod Principes ſæculi huius quantumlibet Chriſtiani, hac tamen ex parte dicendi tyranni ſęuiſſimi, tyrannice ſibi Romanorum Pontificum electionem arrogantes, quamplurima horrenda in eam monſtra intulerunt: factionibus ita inter ſe decertantibus, vt modo Romani Proceres, modo Etruriæ Principes intruderent ſæculari potentia quem vellent, & deiicerent quem poſſent Romanum Pontificem à contraria factione promotum. Quæ toto ferme hoc ſæculo ſunt actitata: quouſque Germaniæ Imperatores Ottones medii interceſſere vtrique parti contrarii, ſibi licet & ipſi arrogantes Papæ electionem, atque electi deiectionem.

II. STEPH. PP. INFAMIS INTERITVS.

Et vt de eiuſmodi graſſationibus ab ipſo huius ſæculi principio appareat: hoc eodem anno *Stephanus* Apoſtolicæ Sedis inuaſor, & ipſe pulſus detruſus eſt in carcerem, atque ibi ſtrangulatus. Hoc enim quod temporis obſcuritate à nullo ſcriptore inuenimus enarratum, ex eius ſepulchri apud Sanctum Petrũ poſiti epitaphio fit notum, quod Petrus Manlius qui ſub Alexandro Tertio vixit, vna cum aliis Vaticanæ Baſilicæ veteribus monumentis collegit, edidítq;: poſitum, vt apparet, à Sergio Chriſtophori ſucceſſore. Porro Stephanum vſq; ad poſtrema huius anni tempora perueniſſe, poſſumus intelligere ex di-

Digitized by Google

plomate priuilegij ab ipſo conceſſi monaſterio S. Vincentij ad Fontes Vulturni, quod datum habetur menſe Septembri iam inchoata Indictione quarta.

III. ROMANVS INTRVSVS IN SED. APOST. CITO PERIIT.

Inter hæc autem præualente in Vrbe Romanorum factione aduerſus Adelbertum Tuſciæ Marchionem, poſt necatum Stephanum creauerunt quemdam nomine ROMANVM, patria Galleſianum, patre Conſtantino, quem tradunt vixiſſe tantum menſes quatuor & dies viginti: ſed quonam menſe vel die creatus, aut mortuus fuerit, ex antiquis haud facile poteſt accipi monumentis.

IV. FVLCO RHEM. EPISC. OCCIDITVR.

Eodem anno menſe Iunii laudatiſſimus ille, de quo ſæpe ſuperius, Fulco Archiepiſcopus Rhemenſis, columen Francorum Eccleſiæ ac Regni, iuſſu impii Balduini Flandriæ Comitis (illius quem Caroli Calui Regis filiam Iudith ſibi rapuiſſe in vxorem vidimus) proditorie interfectus eſt, quod ipſum inuadentem res Eccleſiarum, tum priuatis, tum etiam Synodalibus literis arguiſſet; recenſque Abbatiam S. Vedaſti quam ille inuaſerat, per Regem ab ipſo vendicandã curaſſet. Porro Fulconis interemptor Winimarus, ab Epiſcopis Franciæ excommunicatus, mox inſanabili à Deo percuſſus vlcere, putreſcentibus carnibus, & exundante ſanie, viuus deuoratus eſt à vermibus. Hæc omnia pluribus Frodoardus [a], qui eidem Fulconi tradit ſubrogatum fuiſſe hoc eodem anno Heriueum, ſiue Heruеum dictum, virum pariter ab eodem ſatis laudatum de quo inferius ſuis locis dicendum.

a Frod. lib. 4. cap. 9.

V. ENCÆNIA COMPOSTELLANA.

Hoc item anno Eccleſiæ Compoſtellanæ ab Adefonſo Magno erectæ, Encænia ſunt celebrata; quæ licet in aliud tempus facta referant alii, hoc tamen anno contigiſſe, videlicet Era nongenteſima trigeſima octaua menſe Maii, ex diplomate exploratum reddit Ambroſius [b] Morales. Ipſam vero rem geſtam deſcripſit Sampyrus antiquus Chronographus.

b Ambr. Moral. Chron. Hiſp. lib. 15. cap. 20.

VI. LVDOVICVS IV IMP.

Eodem anno de Imperio acerrime in Italia decretum eſt. Defunctis enim anno ſuperiori Arnulpho atque Widone ſibi inuicem aduerſantibus, ruſum eadem ex cauſa in arma ruere Berengarius Dux Foroiulienſis & Ludouicus Boſonis filius. Ac primum (vt ait Luitprandus) Berengarius Papiam accedens, Regnum obtinuit: ſed nouiſſime LVDOVICVS Berengarium fugans, Romam venit, ibique à Summo Pontifice coronatus, Imperator eſt appellatus.

IESV CHRISTI AN. 901.

LVDOV. IV. 2. LEON. VI. 16.

THEOD. II. IOANN. IX. 1.

I. THEODORVS PP. CREATVR, ET MORITVR. IOAN. IX PAPA.

ANno Chriſti nongenteſimo primo, indictione quarta, in locum defuncti Romani Pontificis ſubrogatus eſt THEODORVS eius nominis Secundus, patria Romanus ex patre Photio, qui ſedit tantum diebus viginti: quonam autem die obierit, antiquorum nemo prodit, recentiorum vero fides ex diuinatione comparata vacillat. Sed Theodoro ſubrogatus eſt IOANNES Nonus patria Tiburtinus, patre Rampoaldo, profeſſione monachus, ordine diaconus, qui vltra triennium ſedem prorogauit.

II. LEO IMP. EXCOMMVN. OB QVARTVM INITVM MATRIM.

Eodem anno Nicolaus cognomento Myſticus Patriarcha Conſtantinopolitanus throno depoſitus eſt iuſſu Leonis Imperatoris, cum ſediſſet annos vndecim. Ita habet Græce ſcripta ſeries Conſtantinopolitanorum Epiſcoporum. Quænam autem cauſa præceſſerit eius deiectionis, narrat Curopalates in ipſo Leone Imperatore; nimirum quod cum Imperator tertia vxore defuncta, quartam nomine Zoen ſuperinduceret; quamuis id faceret liberorum quærendorum cauſa, cum nullus ex tribus prioribus ſuſtuliſſet, tamen quod frequens eiuſmodi nuptiarum repetitio contra canones [a] eſſet, immo & contra ipſius Leonis [b] promulgatam olim conſtitutionem, vt qui ad tertium matrimonium conuolarent, pœnis canonum ſubiacerent: has quartas eiuſdem nuptias Patriarcha non ſolum benedicere recuſaſſet, ſed & presbyterum qui benedixit, depoſuiſſet; atque ipſum Imperatorem ab ingreſſu Eccleſiæ prohibuiſſet. Cumque inſuper nollet, quamuis diu rogatus, Imperatorem in Eccleſiam recipere: ipſe exulare iuſſus, relegatus eſt in monaſterium ab ipſo cõditum: inque eius locum ſuffragio Cleri ſubrogatus *Euthymius* genere Iſauricus, profeſſione monachus, dignitate Syncellus Patriarchæ, paterque ſpiritualis Imperatoris; vir pius & ſumma virtute præditus, atque etiam propheticæ dono decoratus; quem & aiunt ſummum ſacerdotium renuentem, diuino fuiſſe oraculo impulſum vt illud ſuſciperet: mox vero vt ordinatus eſt, Imperatorem in communionem recepit. Iſta ex Curopalate (qui ait Nicolaum depoſitum eſſe menſe Ianuarii) & ex Areta Cæſarienſi Archiepiſcopo in oratione [c] funebri in tranſlatione Euthymii habita, necnon ex præambulis Conſtantini Porphyrogeniti ad dictum vnionis: vbi additur ex hac occaſione ſciſſam eſſe Eccleſiam Conſtantinopolitanam, cum alii Nicolao, alii Euthymio inhærerent.

a Con. Neocæ. c. 3. & 7. Baſil. ad Amphil. c. 4. 31. q. 1. de his qui. b Leon. Imp. conſt. 90.

EVTHYMIVS EPISCO CONSANT.

c ap. Lipom. To. 1.

III. d Rec. Bar. Annal. To. X. an 911.

Ceterum in epiſtola [d] eiuſdem Nicolai ad Romanum Pontificem ſcripta, cum ab auxilio reuocatus eſt in ſuam ſedem, multa narrantur quæ in ſuperius citatis monumentis deſiderantur; nimirũ antea à Zoe genitum filium, quam de matrimonio cum ea contrahendo ea fuerint actitata: poſtea vero Imperatorem cogitaſſe illam in vxorem ducere, vt ſic prolem ſuſceptam legitimam redderet cum nulli alii ei eſſent liberi. Cum autem mirum in modum iis nuptiis Nicolaus refragaretur, ab Imperatore miſſam eſſe legationem ad Romanum Pontificem, qui ſuper eiuſmodi matrimonio diſpenſaret: Romanum autem Pontificem miſſis in eam rem Legatis Conſtantinopolim, ipſum quartum contractum matrimonium ratum haberi voluiſſe: Nicolaum vero nihilominus reluctantem, agentibus Apoſtolicæ Sedis Legatis in exilium pulſum eſſe. Sed quod ad Leonis vxores attinet; prima *Theophania* dicta, magnæ ſanctitatis femina habita eſt, adeo vt edidiſſe quoque miracula feratur; quorum gratia poſt obitum inter Sanctos à Græcis annumerata eſt die decima ſexta Decembris: cuius etiam miraculorum Glicas meminit; traditque Curopalates, eumdem Imperatorem in honorem ipſius defunctæ erexiſſe templum pulcherrimum. Quem vero ex quarta vxore Zoe filium ſuſcepit, fuit is *Conſtantinus*, qui poſt eum imperauit.

ROM. PONTIF. DISPENSAT CVM. IMP.

THEOPH. AVG. SANCTA.

IV. LEO IMP. CAPITE PERCVTITVR.

Poſt hæc autem in magnum vitæ diſcrimen adductus eſt hoc eodem anno idem Leo Auguſtus, dum ex antiqua Imperatorum cõſuetudine procedens ſolemni pompa ad eccleſiam S. Mocii martyris, ab homine inſano percuſſus eſt vecte in capite; quo tempore ei prædictum fuit à quodam Marco Abbate, fore vt non moreretur, ſed ad decennium vitam propagaret. Verum ſolemnis illa proceſſio ab ipſo ſublata eſt. Hæc Curopalates, & alii pluribus.

V. CONCIL. OVETEN.

Eodem anno menſe Martii, vndecim elapſis menſibus poſt Encænia Compoſtellana, celebratum eſt in Gallæcia OVETENSE CONCILIVM, quod iam à tempore Ioannis Papæ Octaui fuerat ordinatum, ſed propter ingruentia bella dilatum. In eo vero, inter alia tam ad res Eccleſiaſticas, quam politicum Regni ſtatum pertinentia conſtituta; ex eiuſdem Pontificis conceſſione ipſa Ouetenſis ciuitas, quam Rex Adefonſus Regni ſedem conſtituerat, Metropolitana aucta eſt dignitate, quæ antea inhærebat Eccleſiæ Lucenſi illi proximæ: primuſque omnium Erminigildus eius Antiſtes, Archiepiſcopus eſt appellatus. Interfuit inter ceteros huic Concilio Theodulphus Epiſcopus, Legatus miſſus à Rege Francorum: reliqui vero qui ex propinquis Eccleſiis conuenere; numerati ſunt ſeptemdecim Epiſcopi. Ipſa autem integra eiuſdem Acta à Sampyro antiquo Chronographo exacte deſcripta leguntur; ſed ad maiorem veritatis elucidationem, tu legas quæ ab Ambroſio Morale ſunt declarata.

VI. EDVARDVS REX VINDICEM AGIT SANCTÆ VIRGINITATIS.

Eodem anno Edvvardus Rex Angliæ Ælfredi piiſſimi Regis pius filius, ob ſanctimonialis virginis raptum parauit exercitum aduerſus raptorem Æthelvvaldum Clitonem propinquum ſuum; adegitque eum licet potentem in fugam, ſanctimonialemque in ſuum monaſterium reuocauit. Narrat hæc pluribus ex antiquioribus monumẽtis Matthæus monachus Weſtmonaſterienſis hoc anno.

LVDOV. IV. 3. LEON. VI. 17.

IESV CHRISTI AN. 902.

IOAN. IX. AN. 2.

I. ANNO Chriſti nongenteſimo ſecundo, Indictione quinta (vt colligitur ex Curopalate & Cedreno) contigit expeditio Himerii à ſecretis Leonis Imp. primarii, reique militaris peritiſſimi, aduerſus Saracenos: quando à ſanctiſſimo Simeone anachoreta reuelari contigerunt res admirandæ S. *Theoctiſtes* Lesbiæ; quæ in eremo Paros inſulæ triginta quinque & amplius annorum ſpatio ſola, ac pene nuda vitam duxit, nihil aliud comedens præter paucos lupinos; cuius Vitam deſcriptam habes apud Metaphraſtem [a] & Surium.

S. THEOCTISTE LESBIA.

a *Metaphr. & Sur. 10. Nouemb.*

II. Hoc eodem anno Hunni, vulgo Vngari dicti, è Pannonia in Italiam progreſſi, ingenti affecerunt clade tranſpadanas nobiliſſimas ciuitates, cuncta ſacra ac profana prædaatque incendio peſſumdantes. Berengarium quoque obuium cum immenſo exercitu, præter ſpem aggreſſi vicerunt; nec receſſerunt, quouſq; ingenti pecunia exacta, anno ſequenti ad propria ſunt reuerſi.

HVNNI GALLIAM CISALPIN DEVASTANT.

LVDOV. IV. 4. LEON. VI. 18.

IESV CHRISTI AN. 903.

IOAN. IX. AN. 3.

I. ANnus Chriſti nongenteſimus tertius, Indictione ſexta inchoatus, prorſus obſcurus, nulla alia rerum geſtarum ad inſtitutum ſpectante memoria illuſtratus eſt.

LAMBER. 1. LEON. VI 19.

IESV CHRISTI AN. 904.

IOAN. IX. AN. 4.

I. ANNO Chriſti nongenteſimo quarto, Indictione ſeptima (vt auctor eſt Regino) Ludouicus Imperator captus à Berengario tyranno, oculis ſimul & Imperio priuatus eſt; perſeuerante in Italia LAMBERTO Auguſto, qui à Formoſo (vt dictum eſt) coronatus fuerat anno octingenteſimo nonageſimo tertio. Cuius hic ſit annus Imperii ab eo tempore iam vndecimus inchoatus, ab obitu vero Widonis patris quintus; primus autem ex quo Italiæ Principes eum Italiæ Regem nominarunt, deficientes à Berengario, vt Luitprandus [a] tradit. Sed antequam iſta fierent, contigerat ipſum Berengarium Romam cum exercitu aduenientem, coronam Imperii à Ioanne Papa violenter extorſiſſe: eo vero recedente, vocatum eſſe Lambertum ab eodem Pontifice: habitaque Romæ Epiſcoporum SYNODO, vtriuſque Regis iuribus examinatis, ex omnium Patrum ſententia Ioannem Berengarii coronationem tamquam vi extortam abrogaſſe, Lamberti vero legitimam iudicaſſe. Facta ſunt iſta Romę hoc anno, eademque paulo poſt recitata in Synodo Rauennate ab eodem Romano Pontifice congregata.

LVDOVIC. IMP. CAPTVS A BARENGARIO, OCVLIS ET IMPERIO PRIVATVR.

a *Luitp. l. 2. c. 10.*

CONCIL. ROM. IN PAPIA IMPERII.

II. Quod enim haud liberum ei eſſet Romæ degere, ſtudentibus nonnullis Berengario, conſultius viſum eſt Epiſcopos Rauennam conuocare, vbi complura grauioris momenti tractanda forent coram Lamberto qui interfuit. Meminit huiuſmodi CONCILII RAVENNATIS Sigebertus anno ſuperiori: ad quod ait conueniſſe Epiſcopos ſeptuaginta quatuor, & ex iis aliquos Francos. Extant vero etiam eius Acta [b] in codice Antonii Auguſtini. In quibus primum quæ geſta ſunt in Romana prædicta Synodo recitata habentur; videlicet damnatio alterius Synodi Romæ celebratæ à Stephano Papa aduerſus Formoſum Pontificem, eiuſque Actorum combuſtio: Improbatio electionis Bonifacii, Reſtitutio ordinatorum à Formoſo; & anathematizatio Sergii, aliorumque qui venerandum eiuſdem Formoſi ſepulchrum temerare auſi eſſent: Item conſtitutio de legitima electione Romani Pontificis: Confirmatio Imperii Lamberti, & reprobatio Berengarii: Prohibitio ne decedente Papa (quæ mala conſuetudo irrepſerat) Patriarchium expilaretur; aut alibi pariter obeuntibus Epiſcopis, Epiſcopia iacturam paterentur: Decretum, vt Epiſcopi liberam haberent poteſtatem inquirendi & iudicandi de adulteriis & ſceleribus populi; atque etiam cum opus fuerit, ad comprimendos rebelles & refractarios publicum placitum conuocare. Hęc inquã, & alia quædam ad diſciplinam Eccleſiaſticam & mores informandos in Romana Synodo geſta, in Rauennate ſunt lecta probataque. Actumque præterea inter alia eſt, de confirmatione Legum Eccleſiaſticarum à ſanctis Patribus ſancitarum, & à Carolo Magno aliiſque ipſius ſucceſſoribus Imperatoribus promulgatarum: de confirmatione priuilegiorum S. R. Eccleſiæ: de approbatione eiuſdem nuperæ Romanæ Synodi aduerſus Formoſi violatores: ac denique de reſtauratione eccleſiarum Vrbis, quæ aut dirutæ, aut in maximam egeſtatem erant redactæ. Sed & præter hæc, interpoſita habentur in eodem codice duodecim alia capita [c] alterius cuiuſpiam Concilii, æque de rebus Eccleſiaſticis ac politicis.

CONCIL. RAVEN. DE REBVS AD ECCL. ET IMPER. SPECTANTIBVS.

b *Extat Cas. Annal. To. X. hoc an.*

c *Rec. Bar. vbi ſupr.*

LAMBER. 2. LEON. VI 20.

IESV CHRISTI AN. 905.

BENED. IV. AN. 1.

I. ANNO Chriſti nongenteſimo quinto, Indictione octaua, *Ioannes* Papa vbi ſediſſet annos tres & dies quindecim, obiit, ſepultuſque eſt apud S. Petrum. Recitat eius epitaphium Manlius; ex quo apparet, non duo tantum, ſed tria ab eodem fuiſſe Concilia celebrata: vnde ſummam ſibi laudem comparauit, vtpote qui miſſus à Deo viſus ſit ad deſtruenda quæ à prædeceſſore Stephano male ædificata fuiſſent.

IOAN. PP. OBITVS.

II. Reperitur etiam epiſtola eiuſdem Pontificis ad Heriueum Archiepiſcopum Rhemenſem; qua reſpondens ipſius conſultationi de Northmannis in Gallia nuper ad fidem conuerſis, quorum nonnulli poſt baptiſmum Gentiliter vixiſſent; ait mitius cum iis agendum eſſe, quod tyrones adhuc eſſent in fide; nec contra eos ſeueritatem canonum eſſe extendendam, ne forte inſueta onera portare recuſantes, ad priſtinam impietatem penitus relaberentur. Commendat pariter Frodoardus [a] eiuſdem Heriuei ſtudium exhibitum in conuerſione Northmannorum, donec tandem (vt ait) poſt bellum quod Robertus Comes Carnotenſis contra eos egit, iidem Chriſti fidem ſuſcipere cœperunt apud vrbem Rothomagum: meminitq; eiuſdem conſultationis ad Romanum Pontificem miſſæ ſuper eorum conuerſione. Rurſum vero reperitur eiuſdem Ioannis Noni epiſtola [b] ad Stylianum Neocæſareæ Metropolitam, in codice Columnenſi ſæpe citato poſt octauam Synodum: vbi eius temporis auctor occaſionem eius ſcribendæ fuiſſe ait, quod cum idem Stylianus diutius ab amicis & propinquis ſolicitatus, tandem communicaſſet ordinatis à Photio, Romam ſcripſiſſe vt à Summo Pontifice; id ſibi concederetur. Verum id denegans Ioannes, literis ei ſignificauit ſe in rebus Orientis ſtare decretis ſuorum prædeceſſorum.

DE NORTHMAN. IN GAL. AD FIDEM CONVERSIS.

a *Frod. l. 4. c. 12.*

b *Rec. Bar. To. X. hoc an.*

III. Poſt obitum Ioannis cum vacaſſet Sedes diem vnum, ſucceſſit BENEDICTVS eius nominis Quartus, patria Romanus, filius Mammoli; qui magnam ſibi laudem inprimis ex amore pauperum conciliauit.

BENED. IV. PAPA.

IV. Eodem anno [c] Rex Gallæciæ Adefonſus cognomento Magnus, bene diſpoſitis rebus Eccleſiaſticis, aduerſus Arabes bellum gerens, ingentem de ipſis eſt victoriam conſecutus; cadente in prælio illorum Duce primario Alcaman, à ſuis vti propheta culto.

c *Amb. Moral. Chron. Hiſp. l. 15. c. 18.*

Digitized by Google

LAMBER. 3. LEON. VI.21.

IESV CHRISTI AN. 906.

BENED. IV. AN. 2.

I. TRANSLATIO CORP. S. PRIMI. a. Antiq. Inſcript. in App. 1 pag. 11.6 n 2.

ANNO Chriſti nongenteſimo ſexto, Indictione nona, nihil geſtum reperitur quod ad res Eccleſiaſticas pertineat: niſi quod extat antiqua Inſcriptio [a] de translatione corporis S. *Primi* martyris, facta ab Vrbe Roma per Erembertum illuſtrem virum, conceſſione Sergii Papæ Iunioris (vt ponitur) anno Incarnationis Domini nongenteſimo ſexto, Indictione nona, Calendis Auguſti: ex qua inter tantam offuſam temporum caliginem, quæ irrepſit ex antiquorum ſcriptorum inopia, manifeſtari videtur iam Sergium Tertium hoc anno ſediſſe Pontificem.

LAMBER. 4. LEON. VI.22.

IESV CHRISTI AN. 907.

LEO V. CHRISTOPH.

I. BENED. PP. MORTVO, SVBROGATVR LEO V. LEONE SVBLATO, SEDET CHRISTOPHOR.

ANno Chriſti nongenteſimo ſeptimo, Indictione decima, defunctus traditur Benedictus Papa, ſepultuſque apud S. Petrum: ſubrogatus autem in locum eius LEO huius nominis Quintus, patria Ardeatinus; quem dies tantum quadraginta Eccleſiam gubernaſſe tradunt; pulſum vero atque detruſum in carcerem à CHRISTOPHORO, quem poſt eum ſediſſe affirmant. Sed & Chriſtophorum poſt ſeptem menſes deturbatum à Sergio inuaſore ſcribunt anno ſequenti. Verum cum iam anno ſuperiori Sergium ſediſſe vetus Inſcriptio doceat, nihil plane eſt quod de his certi aſſerere poſſis. Sunt enim tempora inopia Scriptorum obſcuriſſima, & tyrannide Sedem Apoſtolica inuadentium teterrima.

LAMBER. 5. LEON. VI 23.

IESV CHRISTI AN. 908.

SERGII III. AN. 1.

I. CHRISTOPH. EIECTO, SERGIVS SEDEM INVADIT.

ANno Chriſti nongenteſimo octauo, Indictione vndecima, rurſum prauorum turbis & factionibus Romana vehementer perturbata traditur Eccleſia, Chriſtophoro violenter è ſede pulſo, & in carcerem truſo, atque vitam monaſticam amplecti coacto: qui mortuus ſepultus eſt in baſilica S. Petri. Exurrexit autem (ſiue ab aliquo nuper nominatorum Pontificum eiectum, iterum reſtitutum dixeris) factione Marchionis Tuſciæ Adelberti, SERGIVS ille nefandus, quem audiſti in Formoſum Papam ita ſæuiſſe: qui quidem ſedem inuaſit, non Formoſi, vt memoria lapſus aſſerit Luitprandus; ſed Chriſtophori, vt teſtatur quoque Sigebertus [a]: in eo tamen & ipſe corrigendus, dum ordinatum à Formoſo Epiſcopum Sergium dicit, quem Acta Synodalia ſub Ioanne Nono nonniſi presbyterum nominent; eumdemque excommunicatum cum aliis complicibus fuiſſe docent: Luitprandus autem, cum ex diacono arripuiſſe ſibi nomen Pontificis tradit.

a Sigeb. in Chron. an. ſuper.

II. SERGIVS IRRITAT ACTA FORMOSI.

Idem vero adhuc odio furens in Formoſi memoriam, ordinationes eius (vt ait Sigebertus) irritas habuit. Et quæ eiuſdem auctoritate ſtatuta eſſent in Concilio Triburienſi, nimirum vt Bremenſis Eccleſia ſuffraganea cenſeretur Colonienſis; ea Sergium penitus reſcidiſſe, ſcribit Adamus [b] monachus. Hæcque plane ſunt infeliciſſima illa tempora, cum alterius res geſtas intruſus quiſque Pontifex aboleret: quæ deplorans huius temporis auctor *Auxilius* nomine, egregium ſcripſit (vt ait Sigebertus in Scriptoribus Eccleſiaſticis) Dialogum ſub perſona *Inſenſoris & Defenſoris, de ordinationibus, exordinationibus, & ſuperordinationibus Romanorum Pontificum, & ordinatorum ab eis exordinationibus & ſuperordinationibus.* Cum sapiidem prolixiores Auxilii diſputationis, extat [c] ſynopſis ad Leonem Epiſcopum Nolanum ſub titulo, *De ordinationibus à Formoſo factis, quare non ſint irritæ*; triginta continens obiectiones, totidemque defenſiones.

b Adam. l. 1. c. 42.

DE REORDINATIONIBVS PONT. INVASORVM.

c [illegible] Papir. Maſſon.

III. SERGII VITA TVRPISS. d Luitp. l. 2 c. 13.

Sed & iſtius Sergii, præter vim tyrannicam, turpitudo quoque vitæ ab auctoribus eius ſæculi ſcriptis eſt prodita. Luitprandus [d] enim teſtatur, ipſum ex Marozia nobili ſcorto filium genuiſſe Ioannem dictum, qui & ipſe Pontificatum poſtea eius nominis Vndecimus adeptus eſt. Erat vero iſta *Marozia* (eademque Maria, tali indigniſſima nomine, dicta) filia *Theodoræ* nobilis Romanæ feminæ Senatoriaque ortæ propagine; quæ cum excellens eſſet pulchritudine, ingenioque verſutiſſima, conſuetudine potentiſſimorum Tuſciæ Marchionum adeo & ipſa potens eſt reddita, vt cum Romana munitio S. Angeli poſſideretur ab iiſdem Marchionibus, hæc peſſima femina eam inhabitans dominium Vrbis ſit conſecuta, illudque in poſteros propagare curauerit. Acceſſit vero ad potentiam eius, quod eadem ipſius filia Marozia ex Adelberto Marchione filium ſuſceperit nomine Albericum, qui patris potentia Vrbi dominatus eſt: ac demum Adelberto mortuo, loco ipſius regnans in Tuſcia filius eius ex Berta coniuge, VVido nomine, eamdem Maroziam in vxorem acceperit. Conſtant iſta ex Luitprando eius temporis auctore. Hincque tantum inualuit meretricum imperium, vt pro arbitrio legitime creatos Pontifices dimouerent, & violentos ac nefarios homines intruderent. Quę conſiderans, quis non putarit Deum oblitum Eccleſiæ ſuæ: Et tamen magno ipſius miraculo, & peculiari erga Sedem Petri prouidentiæ cura, cum tanta iſta vrgerent toto hoc ſæculo mala, non eſt inuentus qui ea de cauſa ſe ab ipſa Eccleſia Romana abſcinderet ſchiſmate, vel hæreſi eam impugnaret; ſed omnes vbiq; gentium eidem fidei vinculo, & obedientiæ nexu iuncti perſtiterunt. Et quod ad omnium facinoroſiſſimum Sergium attinet; ab eo Colonienſis Archiepiſcopus reperitur [e] petiiſſe & accepiſſe palliũ; & pariter Sanct. Hogerus [f] ſucceſſor Adalgarii in Eccleſia Hamburgenſi, tam ipſe quam præceſſor viri ſanctiſſimi, cui coadiutorem dederat & priuilegia renouauerat.

DE THEODORA ET MAROZIA NOBILIB. SCORTIS.

PROVIDENTIA DEI ERGA R. ECCL.

e Crant. lib. Sax. [illegible] f [illegible] Adam. l. 1.

IV.

Eodem anno tædio longæ præfecturæ Regis Gallæciæ Adefonſi, eius filius primogenitus Garſias nomine, adiuuante matre & fratribus, conſpirauit in patrem: ſed qui Magni nomen digne eſt conſecutus ob debellatos ſępiſſime Arabes, in hoc ipſo plane vt diceretur Maximus dignus fuit, cum nolens ciuili & domeſtico bello exhauriri Regni vires in vtilitatem hoſtium, ſeipſum ſuperans ſponte filio ceſſit. Res tunc geſtas, ex Sampyro, atque Tudenſi. & aliis antiquis monumentis, prodidit inter alios Ambroſius [g] Morales.

ADEFONSI MAGNI MAXIMA VIRTVS.

g Moral. l. [illegible] 10.

LAMBER. 6. LEON. VI. 24.

IESV CHRISTI AN. 909.

SERGII III. AN. 2.

I. CONCIL. SVESSION. AD RESTITVENDAM DISCIPLINAM. a Rer. Burg. Annal. Te. X. [illegible]

ANNO Chriſti nongenteſimo nono, Indictione duodecima, Sueſſione in Gallia in loco *Troſleio* dicto, celebratum eſt ſexto Calendas Iulii ab Heriueo Archiepiſcopo Rhemenſi CONCILIVM vndecim Epiſcoporum, inter quos fuit Archiepiſcopus Rothomagenſis. Extant eius Acta [a], quæ pręter deplorationem miſerrimi ſtatus Eccleſiarum, monaſteriorum, totiuſque Regni Francorũ, quod bello, fame, aliiſque cladibus deſtructum erat; quindecim continent capita multiplicibus canonibus & ſententiis Patrum contexta: vt quot capita, tot dixeris eſſe catecheſes ad reſtituendam collapſam Eccleſiaſticam diſciplinam, & euellendos qui irrepſerant in omnes hominum ordines prauos mores. Inter alia vero, cum ſicut in Vrbe, ita in Galliis ſacrilegii illud genus inualuiſſet, vt defunctis Epiſcopis eorum bona publice ab omnibus diriperentur; ne id fieret amplius, conati ſunt Patres reprimere canonicarum obice ſanctionum.

II.

Cumque etiam accepiſſent ab Apoſtolica Sede admonitio-

Digitized by Google

monitionem de peruerſa Orientalium doctrina auctore Photio, circa proceſſionem Spiritus S. à ſolo Patre; egerunt pariter de eiuſmodi errore, eiuſque auctore Photio profligandis. Quibus quidem inpiimis declaratur, perſeueraſſe illos qui quomodocumque præſidebant Romanæ Eccleſiæ, in Photii deteſtatione & anathemate: deinde vero commendatur reuerentia Gallicanorum Epiſcoporum erga Romanam Eccleſiam, dum haud merita Sergii attendentes, ſed ea tantum quæ ab eo dicerentur, ipſius obedierunt iuſſionibus; quod videlicet ſederet in Cathedra Petri, à qua (vt etiam ibidem fatentur) Catholicam fidem accepiſſent, & hactenus illibatam conſeruaſſent. Quod vero ad Heriueum Rhemenſem Archiepiſcopũ attinet; non ſemel ab eo Synodum celebratam, ſed plane multoties pro pace & religione Eccleſiæ, ſtatuque Regni Francorum, teſtatur Frodoardus [b] in eius Rebus geſtis.

REVERENTIA EPISCOPOR. GALL. ERGA ROM. ECCL.

b Frod. l. 4. c. 13.

IESV CHRISTI AN. 910.

LAMBER. 7 LEON. VI. 25.

ANAST. III. AN. 1.

I. SERG. PP. MORITVR

ANNO Chriſti nongenteſimo decimo, Indictione decimatertia, defunctus eſt *Sergius* Papa: quem haud diutius ſuperuixiſſe, quæ dicenda erunt in Ioanne Decimo, manifeſte demonſtrant. Sicque ipſum non ſeptennio (vt produnt nonnulli) ſed triennio dumtaxat inuaſam ſedem occupaſſe apparet. In eius vero locum ſubrogatus eſt ANASTASIVS eius nominis Tertius, patria Romanus, Luciani filius, qui ſediſſe ponitur annos duos & totidem menſes. De quo aſſeritur [a], quod expoſcente Berengario Ticinenſem Eccleſiam plurimis iiſdemque magnificis decorauerit ornamentis, concedens nimirum vmbellæ vſum; equoque vehi albo, Crucem præuiam in itinere habere, & in Conciliis à læua Pontificis aſſidere.

ANAST. III. CREATVR.

a Sigon. de Regn. Ital. l. 6.

II. Ad hæc etiam tempora propagatum eſſe Lamberti Imperium, ex Luitprando [b] poſſumus intelligere, dum ait quinquennio illi aduerſatum eſſe Reginfredum Mediolanenſem Comitem, cum antea aliquantiſper pulſo Berengario imperaſſet. Vnde corrigas errorem aſſerentium eum longe ante defunctum. Ab Hugone vero Comite Mediolanenſi in venatione occulte necatum in ipſo iuuentutis flore, idem Luitprandus [c] magnopere deplorauit; Principem probatum moribus, ſpectataque virtute clarum; quem & plus Reipublicæ, quam Rempublicam ipſi decoris contuliſſe aſſerit.

b Luitpr. l. 1. c. 10.

LAMBERTI IMP. OBITVS, ET LAVDES.

c Id. l. 1. inf.

IESV CHRISTI AN. 911.

ALEXAN. & CONSTAN. 1.

ANAST. III. AN. 2.

I. LEON. IMP. OBITVS.

ANNO Chriſti nongenteſimo vndecimo, Indictione decimaquarta, die tertia ante Idus Iunii (vt auctor eſt Curopalates) Leo Imperator ventris profluuio ex hac vita deceſſit; quem ad vigeſimum quintum annum Imperii perueniſſe, & per menſes tres vigeſimum ſextum inchoaſſe, teſtantur Zonaras, Conſtantinus Manaſſes, & Glicas.

II. EIVS SCRIPTA

II. Extant eiuſdem Leonis centum tredecim Nouellæ conſtitutiones diuerſorum argumentorum, ad res vel perſonas etiam Eccleſiaſticas pertinentes. Voluit enim imitari Iuſtinianum, vt pro arbitrio ſicut de profanis, ita de ſacris æque decerneret, præſumens quod Summorum Pontificum eſt. Extat [a] præterea eiuſdem epiſtola ad Omarum Regem Saracenorum de Chriſtianæ fidei veritate myſteriis, ac Saracenorum variis hæreſibus & blaſphemiis. In qua inter alia de Sanctiſſima Trinitate doctrinam ingerens, Spiritum S. à Patre ſimul Filioque procedere aperte abſque vlla hæſitatione profitetur. Vnde intelligas eam Orthodoxam doctrinam ab huius temporis viris diſertis receptam eſſe; exclamaſſe tamen eos, quod ſine Oecumenici Concilii auctoritate in Symbolo poſita eſſet. Sed & præter edita iſta, alia inſuper extant in variis codicibus Vaticanæ Bibliothecæ, licet valde deprauata eiuſdem Leonis ſcriptorum monumenta; videlicet Variæ Orationes numero ducentæ & quatuor, aliæque triginta tres in diuerſas Domini ac Sanctorum feſtiuitates: itemque Præcepta moralia; De inſtruendis aciebus; Conſtitutiones Leonis & Baſilii; atque Ænigmata. Inter Orationes autem, maximam eiuſdem Imperatoris pietatem denotat illa [b], ſeu epiſtolam circularem dixeris, qua tamquam præſens vbiq; omnes ſibi ſubditos ad vitam bene inſtituendam hortatus eſt: imitatus in his Epiſcopos, qui huiuſcemodi Encyclicis literis Paſtoralibus populum ſibi ſubditum admonere conſueuerunt. Sed & in commentario quo res bellicas pertractauit, inter alia docet, Ducem curare debere vt pridie eius diei quo certamen ſit ineundum, per ſacerdotem vniuerſus exercitus expietur aqua benedicta, & vt quotidie mane & veſpere dicat hymnum Triſagium. Ne quid demum de eodem Imperatore prætermittamus; ſcribit Curopalates, cum in templum à ſe ædificatum intuliſſe corpora SS. Lazari & Mariæ Magdalenæ: ſed ea Galli Narbonenſes ſe poſſidere, conſtantius profitentur.

a To. 3. Bibl. Sanct.

b Ext. Bar. To. X hoc an.

III. Leone vita functo, ALEXANDER frater eius habenas Imperii ſuſcepit, ſimul regnante CONSTANTINO Leonis filio adhuc puero. Hæc Curopalates: qui tamen in eo corrigendus eſt (ac poſt eum Cedrenus) quod ait eumdem Alexandrum hoc tempore natum tantummodo fuiſſe annos viginti; cum idem ipſe in Baſilio dixerit, tertio anno eius Imperii tertium filium nomine Alexandrum, Cæſarem ab eodem Baſilio creatum eſſe: qua ratione dicendus eſt hoc tempore exceſſiſſe annum quadrageſimum ex quo à patre Cæſar creatus eſt. Qui quidem ſimul atq; peruenit in Imperium (inquit Curopalates) acceerſitum Nicolaum Patriarcham à Leone expulſum, Conſtantinopolitanæ ſedi reſtituit, eiecto in exilium Euthymio; quem addicti Nicolao clerici valde inhumaniter tractantes, pugnis percuſſerunt, colaphis ceciderunt, barbam euulſerunt, aliaque prorſus feralia in ſanctiſſimum ſenem perpetrarunt (ſed non abſque vindicta diuina) quæ narrat Curopalates, ac deplorat Aretas Archiepiſcopus Cæſarienſis in oratione funebri [c] habita in eius tranſlatione. Vbi & cauſam odii clericorum in eum fuiſſe ait, quod illos palam ſimoniæ intentos coercuiſſet.

III. ALEX. IMPERAT CVM CONSTANTINO.

EVTHYM. PATRIAR. EIICITVR.

c Ext. ap. Lipom. To. 5.

IESV CHRISTI AN. 912.

CONST. VIII. Solus I.

LANDO. IOAN. X. 1.

I. ANAST. PP. MORITVR LANDO CREATVR.

ANNO Chriſti nongenteſimo duodecimo, Indictione decimaquinta, mortuus eſt *Anaſtaſius* Papa, ſepultuſque in Baſilica S. Petri: atque in eius locum ſubrogatus LANDO, patria Sabinus, Trani filius. Qui (vt ait Luithprandus [a]) in gratiam Theodoræ potentiſſimi ſcotti Romanæ Vrbi imperitantis, Ioannem quem illa turpiſſime deperibat, ex Rauennate presbytero iam antea creatum Epiſcopum Bononienſem, defuncto tunc Petro Antiſtite Rauennate, in eius Eccleſiæ Archiepiſcopatum tranſtulit. Cum vero modico poſtea interlapſo tempore, ipſe Lando mortuus eſſet, eadem Theodora quo facilius amaſio ſuo Ioanne potiretur, ipſum ex Archiepiſcopo Rauennate in cathedram Petri violenter intruſit. Hæc pluribus Luitprandus: ex quibus videas fœdiſſimam huius temporis Eccleſiæ Romanæ faciem. Porro ad finem huius anni IOANNEM ſedere cœpiſſe, ex Leone [b] Oſtienſi certum colligitur argumentum, dum ingentem victoriam aduerſus Saracenos obtentam ponit menſe Auguſti anni Domini nongenteſimi decimiquinti, Indictionis tertię, inuaſionis vero Ioannis anni tertii.

a Luitpr. l. 2. c. 13.

LANDO MORITVR. IOAN. X. INTRVDITVR.

b Leo Ost. Chron. Caſſin. l. 1. c. 55.

II. Eodem anno ſexta die Iunii (vt tradit Curopalates) Alexander Orientis Imperator, lotus & pranſus vinoque ebrius, poſt meridiem pila ludere volens, exorto dolore in inteſtinis præ cibis quibus ſe ingurgitauerat, reuerſus in

II. ALEX. IMP. OBITVS.

pala-

Digitized by Google

palatium, multo è naribus ac pudendis effuſo ſanguine, poſtridie mortuus eſt. Sed ipſum ita confectum ira Dei ob contemptum diuinitatis, tradit Aretas [c] Cæſarienſis Archiepiſcopus, dum ait ipſum cooperto capite in loca ſancta ingredi aſſueſcentem, cum & quodam die amictum ſacræ menſæ dimouere auſus eſſet, mox inſania correptum numquam poſtea compotem mentis extitiſſe: denique cũ & ſtatuis in Hippodromo poſitis ſolitum Baccho ſacrificium fieri iuſſiſſet, eo nondum peracto ſacrilegio, ipſum diuinitus percuſſum, in cubiculum ſuum aſſportatum eſſe, eodemque quo Herodes [d] caſu periiſſe. Hæc ex Areta; qui eiuſdem Alexandri infauſtum pariter funus pluribus proſequitur. Sed & apud Erempertum in Rebus geſtis Longobardorum huius temporis narratur, eumdem Alexandrum intuitum ſtatuas illas deorum olim Roma Conſtantinopolim delatas, blaſphemam eam emiſiſſe vocem, *Heu, quando vos colebant Romani, potentiſſimi & inuicti perſeuerarunt*, iuſſiſſeque eas ſerico operiri: ſed nocte ſequenti per quietem virum aſpectu lucidum ei apparentem, ſeuerumque admodum arguentem, atque etiam ipſum percutientem dixiſſe, *Ego ſum Romanorum Princeps Petrus*; ſtatimque euigilantem Imperatorem timore vehementi correptum, ſanguinis vomitu extinctum eſſe.

c ap. Lipom. Tom. 3.

d Act. 12.

VOX IMPIA, POENA VELOX

III. CONST. VIII SOLVS IMP.

Defuncto illo, ſolus imperare cœpit, ſed ſub tutoribus, CONSTANTINVS puer ſeptennis [e], Porphyro genitus dictus, Leonis Sapientis filius: inter cuius tutores annumeratus eſt etiam Nicolaus Patriarcha. Sed quod Conſtantinum tunc tantum ſeptennem dicunt, omnino dicendum eſt erratum eſſe in numero; cum ex iis quæ ſuperius dicta ſunt, conſtet eum natum eſſe antequam Nicolaus deponeretur è ſede, quod contigiſſe vidimus anno Redemptoris nongenteſimo primo. Porrò Nicolaus vbi ſedem recuperauit, memor iniuriarum ſub Leone ſuſceptarum, cum ſuadentibus Apoſtolicæ Sedis Legatis in exilium pulſus fuerat; querelis plenam ad Romanum Pontificem ſcripſit epiſtolam [f], qua cum exacte rei tunc geſtæ hiſtoriam narret, pluribus diſſerit aduerſus quadrigamiũ.

f Ep. Bar. Io. X. hoc an.

IV. CONCIL. CONFL.

Hoc eodem anno *Confluentiæ* in Gallia, ſub Herimanno Agrippinenſi Archiepiſcopo habita eſt SYNODVS Epiſcoporum octo, cum Abbatibus, aliiſque quamplurimis ſacri ordinis viris: in qua inter alia optime ſtatuta, prohibitas eſſe nuptias vſq; ad ſeptimam generationem, ſcribit Ivo [g].

g Iuo p. 9. c. 66.

V.

In hunc vſque annum ſuperſtitem fuiſſe Gallæciæ Regem Adefonſum Magnum, cum regnaſſet annis quadraginta ſex (vltra quatuor illos quibus ceſſit Garſiæ filio) ex veteribus monumentis tradit Ambroſius Morales. Qui quidem Adefonſus paulo ante obitum, non vt Rex, ſed vt dux exercitus militans ſub Rege filio, ingenſque animi ſummiſſionis ſpecimen edens, præclara de Mauris victoria potitus eſt, atque dignus à Deo habitus qui triumphare deberet in cœlo. Sed nec diu poſt patris obitum vixit Garſias filius; à Deo vltore poſt triennium ex hac vita ſubtractus, qui non expectata morte patris Regnum inuaſerat.

ADEFONSI REG. SVMMA VIRTVS.

VI. CLVNIAC. ORDINIS INSTITVTIO.

Hoc eodem anno *Berno* Abbas Gigniacenſis ordinis S. Benedicti: *Cluniacenſis* cœnobii & inſtituti Fundator, ex hac vita deceſſit: in cuius locum Odonem hoc pariter anno fuiſſe ſubſtitutum, Sigebertus ponit in Chronicis. Inter Sanctos autem Abbates Cluniacenſes, Odonem primo loco, eiuſque ſucceſſores, Maiolum, Odilonem, Hugonem, numerat S. Bernardus [h]. Ceterum nec primus Odo, nec tantummodo recenſiti egregia ſanctitate floruiſſe narrantur: ſed ante Odonem primus numeratur atq; laudatur Berno Abbas, cui ſucceſſit Odo, & huius ſucceſſor qui ponitur Ademarus; plurimumq; commendatur Hildebrandus, qui bis incitatus vt fieret Abbas, recuſauit, ſemper magis appetens obedire quam præeſſe, vt de illo ſcribit Odilo in S. Maioli [i] prædeceſſoris Rebus geſtis. Vbi originem Cluniacenſem repetens, ait cum monaſticũ inſtitutum in Gallia admodum remiſſum eſſet, fauente Wilelmo Aquitanorum Principe Bernonem in Burgundiæ regione, Matiſconenſi ceſpite, pago Cluniaco, monaſterium extruxiſſe, multoſque illuc monachos collegiſſe: ipſi vero ſucceſſiſſe Odonem, qui antea Turonenſis fuerat canonicus. Ex hoc autem corrigas Sigebertum [k] in libro de Illuſtribus Eccleſiæ ſcriptoribus, dum eumdem Odonem appellat primum Abbatem Cluniacenſem. Sic igitur non Odo, ſed Berno fuit primus inſtitutor & fundator Cluniacenſis monaſterii: qui cum eſſet Abbas Gigniacenſis cœnobii, in cella eiuſdem cœnobii fundauit monaſterium Cluniacenſe ex bonis auit ſuæ Comitiſſæ, & ipſe ex Comite monachus, vt idem Sigebertus [l] teſtatur in Chronicis. Alio namque claruit tempore alius Berno Augiæ Abbas, vir doctrina inſignis, numeratus inter claros Scriptores [m] Eccleſiaſticos. Sed quod rurſum ſpectat ad cœnobium Cluniacenſe; æque in Fragmentis Floriacenſis Chronici traditur, illud fundatum eſſe à VVilelmo Comite Aruernorum & Duce Aquitaniæ: idque ipſum aſſerit Glaber [n] Rudolphus eiuſdem cœnobii monachus his temporibus proximus; qui poſt Bernonem, ſucceſſorem ponit Odonem, poſt hunc Heimardum, inde Maiolum, quem ſecutus eſt Odilo, omneſque egregia ſanctitate conſpicuos extitiſſe; adeo vt fuerit eorum opera Cluniacenſe cœnobium veluti alueare, è quo in diuerſa loca ad monaſteriorum regimen progrederentur coloniæ monachorum, non tantum in Gallias, ſed etiam in Italiam, & Hiſpanias.

h Bernard. ad Guil. Abbat. Cluniac.

i ap. Sur. 11. Maij.

k Sigeb. c. 133.

BERNO FVNDATOR MONAST. CLVNIAC.

l Id. an. 915.

m Id. c. 153.

n Glab. l. 3. c. 4.

VII. CONRAD. REX GERMAN. PRIMVS POST CAROLIGINAS.

Hoc eodem anno defuncto Ludouico Rege Germaniæ, Conradus Dux in Regem eleuatus eſt, regnauitque annus ſeptem. In Ludouico autem finem accepit progenies Caroli Magni in Regibus Germanorum; vt aſſerunt veteres Chronographi, Adam, & alii. Ipſi enim Ludouico Arnulphi filio, Caroli in Gallia regnantis fratrueli, nullus fuit filius; adeo vt opus eſſet ex alia familia Regem quærere.

VIII.

Hoc pariter anno Rollonem Ducem Northmannorum Galliarum inuaſorem, Chriſtianam religionem amplexatum eſſe, docent Annales veteres quos collegit Matthæus VVeſtmonaſterienſis.

IESV CHRISTI AN. 913.

CONST. VIII. AN. 2.

IOAN. X. AN. 2.

I. DE POENITENTIA RAGNERI DVCIS LOTHARING.

ANno Chriſti nongenteſimo decimotertio, Indictione prima, nona die menſis Maii, habetur conſignatum diploma Ragneri Ducis Lotharingiæ pœnitentis. Hic enim cum prius Eccleſiaſtica bona ſæpius deprædatus eſſet, tandem donatione ampliſſimi latifundii ſatisfaciens in fauorem monaſterii S. Matthiæ Treuirenſis; eius diploma confecit, quo ſeipſum perſecutorem ſępe ac prędonem nominans, vere pœnitentis poſteris reliquit exemplum.

IESV CHRISTI AN. 914.

CONST. VIII. AN. 3.

IOAN. X. AN. 3.

I. BVLGAR. BELLVM IN THRACIA.

ANno Chriſti nongenteſimo decimoquarto, Indictione ſecunda, aduerſus Conſtantium Imperatorem Bulgaricum exortum eſt bellum, obſidente Symeone ipſorum Rege Conſtantinopolim; cum repulſus ille, & in Hebdomum reuerſus, à Nicolao Patriarcha tutore Imperatoris conuentus eſt, & ad pacem componendam ſuaſus: qua ſtabilita, idem benedictionem à Patriarcha accepit, impoſito capitio pro corona. Hæc pluribus Curopalates, & alii ex eo. Ceterum haud diu pax conſtans fuit, Bulgaris Thraciam rurſum infeſtantibus, & Hadrianopolim inuadentibus. Poſt hæc autem idem Patriarcha per Zoen Auguſtam matrem Imperatoris è palatio eiectus eſt; qui tamen adhuc per multos annos ſedem Conſtantinopolitanam tenuit.

IESV CHRISTI AN. 915.

BERENGAR.1. CONST. VIII.AN.4

IOAN. X. AN. 4.

I. a Leo Oſt. in Chron. Caſin. IOANNES PRINCIPVM AD VERSVS SARACENOS. b Luitpr. l. 2. c. 14. c Leo Oſt. l. 1. c. 52.

ANNO Chriſti nongenteſimo decimoquinto, Indictione tertia menſe Auguſto [a] Saraceni, qui apud Garilianum in Campania per quadraginta ferme annos ſedem tenuerant maximo Chriſtianorum damno, à Græcis ſimul & Latinis in iiſdem caſtris pugnantibus, ſed & accedentibus copiis Ioannis Papæ, diuino auxilio Apoſtolorum Petri & Pauli debellati ſunt penitus; ita vt nullus remanſerit, qui non trucidatus aut captus fuerit. Rem geſtam pluribus narrant Luitprandus [b], ac Leo [c] Oſtienſis.

II. BERENG. IMP. d ap. Sigon. de Regn. Ital. l. 6. hoc an.

Quo eodem anno BERENGARIVS à Ioanne Papa Imperator munctus eſt menſe Septembri, ſicut eius plura diplomata [d] atteſtantur. Idque factum ab eodem Pontifice putatur ad referendam gratiam ob auxilium collatum in bello aduerſus Saracenos.

III. ORDON. REX LEGION.

Hoc item anno Ordonius filius Adefonſi Magni, defuncto fratre Garſia, regnare cœpit, qui & primus tranſtulit Regni ſedem Oueto Legionem, & appellatus eſt Rex Legionenſis, non amplius Aſturicenſis. Idemque conuocata *Synodo* duodecim Epiſcoporum, ibidem ſolenni ritu ſacram vnctionem qua reges conſueuere Reges accepit, pietate inſignis, dum Regiam in Baſilicam cathedralem conuertit: quæ quidem ſecundo vel tertio Regni ſui anno facta eſſe, Ambroſius Morales exiſtimat.

IESV CHRISTI AN. 916.

BERENGAR.2. CONST. VIII.5.

IOAN. X. AN. 5.

I. PRODIGIA IN SACRILEGOS.

ANNO Chriſti nongenteſimo decimoſexto, Indictione quarta, Vngaris, ſiue Hunnis Saxonum eccleſias deuaſtantibus, interq; alias Bremenſem comburentibus; diuina ſunt oſtenſa aduerſus incenſores prodigia, cum ſubito orta tempeſtas à ſemicremis eccleſiarũ tectis ſcindulas eleuauit, quas in facies Paganorum rotans, eoſdem aut in fluuium præcipitari compulit, aut in manus ciuium concludi. Hæc Adam [a] in Chronico.

a Adam. l. 1. c. 46.

II. b Rer. Eur. tom. 7 a. X. ſecun.

Quod ad res pertinet Orientis; hoc anno, qui numeratur decimusquintus ab exilio Nicolai Patriarchæ Conſtantinopolitani, idem vna cum Imperatore legatos mittit ad Ioannem Papam cum literis [b], pro ineunda perfecta concordia cum Romana Eccleſia. Quid vero inde ſecutum fuerit, dicetur anno ſequenti.

IESV CHRISTI AN. 917.

BERENGAR.3. CONST. VIII.AN.6

IOAN. X. AN. 6.

I.

ANNO Chriſti nongenteſimo decimoſeptimo, Indictione quinta, Vnni virum in Saxonia egregia ſanctitate clarentem, Archiepiſcopum Hamburgenſem creatum, pallium petiiſſe & accepiſſe à Ioanne Pontifice Decimo, teſtatur Adam [a] antiquus Chronographus. Vnde colligas eumdem Ioannem, licet inuaſiſſet Apoſtolicam Sedem, tamen accedente Cleri conſenſu habitum eſſe legitimum Papam: cuius quidem rei argumento ſunt aliæ pariter legationes ex diuerſis Orbis partibus ad eum miſſæ, de quibus agetur ſuis locis. Porro huius quoque Vnni Archiepiſcopi tempore, Vngaros non ſolum Saxoniam, ſed & Lotharingiam & Franciam deuaſtaſſe; Danorum quoque Eccleſiam maximam perſecutionem paſſam eſſe à crudeliſſimo ipſorum Rege Gorm; ſcribit idem Adam.

a Adam. l. 1. c. 48. IOANN. AGNITVS AB OMNIBVS PP. LEGITIMVS.

II.

Eodem anno Indictione quinta die octaua Idus Augusti, in Oriente prælio inito inter Romanos & Bulgaros, victoria potiti Romani mox verſa alea improuiſa fuga eoſdem Bulgaros fecere victores: quorum Rex Symeon Conſtantinopolim obſeſſurus, à ciuibus rurſum in fugam verſus eſt. Rem geſtam pluribus deſcribit Curopalates, à quo alii accepere. At quæ iſta præceſſerunt, vtique magna conſideratione digna ſunt; quippe quod idem Symeon Rex, qui Legatos à Ioanne Romano Pontifice in Orientem miſſos pacis ineundæ cauſa (quod vidimus ab Imperatore & Patriarcha expetitum) & ipſum Regem Bulgarorum poſtea adire iuſſos, non audierit, ſed contempſerit potius; cum ſemper vincere ſolitus eſſet victus cum ignominia fugit. Eſt enim de ea tunc miſſa à Iohanne Legatione epiſtola [b] Nicolai Patriarchæ Conſtantinopolitani ad eumdem Symeonem, qua multis egregiis elogiis prædicat Romanæ Sedis auctoritatem, docetque concordiam initam fuiſſe inter Eccleſiam Romanam & Conſtantinopolitanam.

REX VIGAR. DA. POENAS DE CONTEMPTIS LEGG. A. POST. SED. b Rer. Eur. tom. 7 ep. 8.

III.

Eſt vero etiam alia epiſtola eiuſdem Nicolai Patriarchæ ſcripta ad Principem Armeniæ, de Armenis ex hæreſibus, quibus innumeris à perfidis Seuerianis & Manichæis infecti fuerant, ad fidem Catholicam reuocatis per quemdam virum Orthodoxum qui ad eos diuerterat. Itemque alia ad Principem Saracenorum, de crudelitate ipſorum, qui miſerrimos exagitarent Chriſtianos; cum tamen ipſi Saraceni qui degerent Conſtantinopoli, etiam libero perfrui Oratorio ſinerentur benignitate Imperatoris.

SARACENI HABVERVNT ORATORIVM CONSTANTINOPOL.

IESV CHRISTI AN. 918.

BERENGAR.4. CONST. VIII.7.

IOAN. X. AN. 7.

I. a Ambr. Moral. l. 15. c. 47.

ANNO Chriſti nongenteſimo decimooctauo, Indictione ſexta, legatio [a] miſſa eſt à S. Siſenando Epiſcopo Compoſtellano, & ab Ordonio Rege Legionenſi, cum literis ac muneribus ad Ioannem Pontificem, per Ioannem ſiue Ioannellum presbyterum. Cuius hanc præceſſiſſe occaſionem, vetus hiſtoria Compoſtellanorum Epiſcoporum docet; nimirum quod ipſe Ioannes Papa Legatum antea miſiſſet Compoſtellam ad venerandum corpus Iacobi Apoſtoli, cum literis ad Siſenandum vt iuges preces pro ſe funderet apud eumdem Sanctum Apoſtolum.

IOAN. PP. LEGATIO AD S. IACOB.

II. ORTA CONTROVERSIA DE MISSALI MOZARABI SEDATVR.

Porro legatus Ioannellus digne exceptus ab eodem Pontifice, retentus eſt anno integro Romæ, ſed non otioſe: ſiquidem oborta controuerſia occaſione Miſſalis Mozarabi, quod tunc erat vſui in pluribus Hiſpaniarum Eccleſiis, ipſe illud corrigendi ad formam ſacrorum Romanæ Eccleſiæ rituum ab eodem Pontifice facultatem accepit, eiuſque explendi muneris cauſa factus eſt Apoſtolicæ Sedis Legatus. Itaque multis ab Vrbe receptis libris rediens in Hiſpaniam, & omnibus ſimul collatis; quamuis multa ritu diuerſo, in nullo tamen diſcrepare inueniens à Catholica veritate, Romam iterum reuerſus, viſa ac cognita retulit in Synodo tunc coram eodem Pontifice congregata. Cui viſum eſt, omiſſis reliquis tamquam leuioris momenti, vt Romano ritu ſacratiora illa potiſſimum verba proferrentur quibus ſacrificium incruentum perficitur, quæ aliquibus additis vel mutatis in Miſſali Mozarabi ſcripta eſſent, videlicet, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur, &c. Hic eſt calix noui Teſtamenti in meo ſanguine, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Sicque tunc ea controuerſia definita eſt: quam tamen multos poſt annos (vt ſuo loco dicetur) repeti contigit.

IESV CHRISTI AN. 919.

BERENGAR.5. CONST. cum ROM. 1.

IOAN. X. AN. 8.

I. ROMANVS

ANNus Chriſti nongenteſimus decimusnonus, Indictione ſeptima inchoatus eſt: quo bello ciuili flagrante

COLLEGA CONST. IMP.

grante Conſtantinoppoli, inſurgentibuſque tyrannis aduerſus adoleſcentem Conſtantinum Imperatorem; ad eos euitandos, ROMANVS Patritius claſſis præfectus aſſumptus eſt ab eodem collega Imperii: Zoe vero Auguſta Conſtantini mater in monaſterium detruſa, ac Romani filia Helena in matrimonium data Conſtantino. Hæc cuncta pluribus Curopalates.

II. Eodem anno plures antiqui Chronographi obiiſſe ponunt Conradum Regem Saxonum & Francorum; eumq; tranſtuliſſe Regnum in Henricum filium Othonis Ducis Saxoniæ: quod tamen alii in aliud tempus referunt. Sed cum omnes conſentiant, Henricum annis ſeptendecim regnaſſe, conſtet vero ex Frodoardo huius temporis ſcriptore (cui præterea adſtipulantur Lambertus, Sigebertus, Marianus Scotus, & alii) eum obiiſſe anno nongenteſimo trigeſimo ſexto; vtique hoc eum anno regnare cœpiſſe dicendum eſt. Quem quidem ita electum cum vellet Archiepiſcopus Moguntinus Herigerus vngere; minime ipſe acquieuit, reſpondens ſe vnctione indignum eſſe. Verum ipſam non ſine damno ab eo prætermiſſam; diuinitus in viſione ſignificatum eſt S. Vdalrico Auguſtano Epiſcopo, quando ei ab Apoſtolo Petro oſtenſi ſunt duo gladii, alter cum capulo, ſine capulo alter, dictumque ipſi vt renunciaret Henrico, enſem qui ſine capulo eſſet ſignificare Regem qui ſine benedictione Pontificali Regnum teneret, capulatum autem qui cum benedictione poſſideret. Hæc in Vita eiuſdem S. Vdalrici. Sed & citans eamdem viſionem Ditmarus [a] Epiſcopus Merſepurgius, habet inſuper de eodem Henrico, ipſum viduam velatam duxiſſe vxorem; ſed vocatum ad Synodum à Sigiſmundo Halberſtatenſi Epiſcopo, intercedente Imperatore pro Henrico, rem non eſſe vltra progreſſam; ipſumque Henricum illam feminam deſeruiſſe, ac pœnitentem pedibus Romam petiiſſe; demumque aliam duxiſſe vxorem Mathildem nomine, ex qua tres ſuſcepit filios.

HENRICVS REX GERMANIÆ.

VISIO DE VNCTIONE REGVM.

a Ditmar. li. 1. HENRICI POENITENTIA DE DVCTA VIDVA VELATA.

IESV CHRISTI AN. 920.

BERENGAR. 6 CONST. cum ROM. 9.

IOAN. X. AN. 9.

I. VNIO IN ECCLES. CONST.

ANNO Christi nongenteſimo vigeſimo, Indictione octaua, menſe Iulio, Eccleſia Conſtantinopolitana diuiſa ſchiſmate ab iis qui ſectabantur partes Euthymii, & aliis qui Nicolao fauebant, inita inter eos concordia ſimul vnita eſt; quod tradit Curopalates. Reſtabat tamen adhuc diſquirenda quæſtio illa de polygamia occaſione Leonis Imperatoris exorta; verum & ipſa anno ſequenti terminata eſt. Ceterum facta pace, ipſius Euthymii in exilio defuncti corpus maxima pompa Conſtantinopolim tranſlatum eſt: quam rem geſtam pluribus deſcripſit Aretas Cæſarienſis Archiepiſcopus, in oratione [a] de eiuſdem Euthymii tranſlatione, cui interfuit.

a ap. Lipom. To. 3.

II. Eodem anno rebellantibus Principibus Francorum à Carolo Rege cognomento Simplice, eò quod ipſis contemptis propenſior eſſet erga Haganonem Laudunenſem virum ignobilem; eoſdem Heriueus Archiepiſcopus Rhemenſis non ſine magno labore Carolo conciliauit. Hæc Regino & Frodoardus.

III. VNA CVM RELIQVIIS MARTYR. TRANSLATA A FR. AD SAXON. MAIESTAS REGNI.

Sed & Witichindus Saxo æque huius ſæculi ſcriptor tradit, hoc eodem anno cum Henricus Germaniæ Rex Rhenum tranſiiſſet ad dilatandum ſuper Lotharios Imperium ſuum, eumdem Carolum Regem legationem ad eum pro pace miſiſſe, vna cum S. Dionyſii ſacris pignoribus, nempe manu auro gemmiſque incluſa: tanto munere (vt ait) libere profeſſum, vna cum SS. Martyrum venerandis Reliquiis transferri è Francis in Saxones Regni maieſtatem pariter atque reliqua bona omnia: idq; haud vane iactari, ſed experimento iam perſpicua eſſe demonſtratum, cum vna cum corpore S. Viti martyris, quod ex Gallia in Saxoniam ſub Ludouico Pio Imperatore tranſlatum eſt, ſimul etiam ad Saxones veluti fato quodam (ſi ita dicere Chriſtiano liceret) Francorum gloria commigraſſet. His vero ſubdit VVitichindus narrationem propagationis Regni, per eumdem Henricum factæ in vicinas atque exteras nationes.

IESV CHRISTI AN. 921.

BERENGAR 7. CONST. cum ROM. 10.

IOAN. X. AN. 10.

I ANNO Christi nongenteſimo vigeſimoprimo, Indictione nona, menſe Iulio (vt ſcribit Theodorus [a] Balſamo) promulgatum eſt, quod ſublato in Eccleſia Conſtantinopolitana ſchiſmate de Polygamia anno ſuperiori compoſitum & datũ fuerat, Vnionis edictum, quo Quadrigamia penitus prohibita eſt, ſub pœna excommunicationis, Trigamia vero nonnullis etiam omnino vetita, aliis vero certis occaſionibus permiſſa: quæ videre eſt in ipſo edicto in volumine Iuris Græcorum. Et hæc quidem ita geſta ſunt ex Orientalium vſu. Diuerſam autem de his conſuetudinem ab antiquo tempore eſſe ſeruatam in Eccleſia Occidentali, ſuo loco demonſtratum eſt; in qua ad euitandam fornicationem, nullus poſitus eſt terminus ducendi vxorem. Hæc autem de inita concordia in Eccleſia Conſtantinopolitana, geſta fuerunt ibidem in Synodo ea de cauſa conuocata. Quam etiam conſultam fuiſſe à monachis extra illam vrbem commorantibus, de nonnullis dubitationibus, docent reſponſiones [b] ex eadem Synodo ad eos redditæ. Ceterum licet eiuſmodi diſſidia compoſita per edictum viſa ſint; tamen in maiorem rurſus diſcordiam eruperunt, adeo vt vix poſt annos octoginta fuerint ad vnitatem reuocata. Nec mirum ſi inter ſe diuiderentur, qui à Romana Eccleſia ſciſſi eſſent Photii communione: fruſtra namque cum fratribus pacem quærit, qui à matre, ipſa Catholica Eccleſia alienus, vt inimicus oberrat.

a Balſam. Nomocan. Tit. 13. c. 2. & lib. 4. in ep. Leonis ad Amphil. c. 4. EDICTVM DE POLYGAMIA.

b Ext. to. 6. Bibl. SS. Patr.

II. Hoc eodem tempore Romanus Imperator ſecundo loco nominari (vt par erat) ſolitus in edictis vel aliis publicis monumentis, primo vero Conſtantinus Porphyrogenitus; faſtu tumens primum vendicans ſibi locum, vt ſecundo Conſtantinus nominaretur effecit: ex quo ſibi exitium comparauit, vt inferius ſuo dicetur. plura vero de his Curopalates.

ROMANI IMP. FASTVS.

IESV CHRISTI AN. 922.

BERENGAR. 8. CONST. cum ROM. 11.

IOAN. X. AN. 11.

I. ANNO Chriſti nongenteſimo vigeſimo ſecundo, Indictione decima, Iohannes Papa reiecto Hilduino à Clero electo Tungrenſi Epiſcopo Richarium ante Abbatem ordinauit à Rege Francorum Carolo propoſitum; cum ante annos duos iſta orta contentione, Romam perducta eſſet cauſa ad eumdem Pontificem. Narrat hęc Frodoardus: ex quibus, aliiſque multis apparet, orbem Chriſtianum agnouiſſe Summum Pontificem Ioannem inuaſorem, nemine ſibi arrogante de Apoſtolica Sede iudicium. Tantopere coluere maiores vel ipſum nomen Romani Pontificis.

IOAN. PP. IVDICAT CAVSAM ECCLES. TVNGR.

II. Accidit vero item in Galliis, vt rurſum proceres Francorum Carolo Rege relicto, eadem ex cauſa quod ſpretis ceteris erga vnum Haganonem omnia ipſius ſtudia conuerterentur; elegerint Robertum Comitem Regem, ſolemnique ritu eumdem vnxerit Heriueus Archiepiſcopus Rhemenſis. Narrat hæc Frodoardus; qui Herineum tertia poſt peractam conſecrationem die obiiſſe teſtatur. Additque de ingentibus ac multiplicibus ſanationum miraculis, quæ his temporibus fieri contingeret in territorio Pariſienſi in eccleſia quadam S. Petri in vico Gefedis, virtute barbæ eiuſdem Apoſtoli illuc tranſlatæ.

ROBERTVS VNGITVR REX FRAN. CONTRA CAROL. SIMP.

Digitized by Google

BERENGAR. 9. CONST. cum ROM. 12.

IESV CHRISTI AN. 923.

IOAN. X. AN. 12.

I. S. EVGENIA MARTYRIVM.

ANNo Chriſti nongenteſimo vigeſimo tertio, Indictione vndecima, paſſa eſt Cordubæ in Hiſpania *S. Eugenia* martyr ſub Rege Saracenorum Habdarraghman huius nominis Quarto: qui quidem in odium Chriſtianorum, *Auanxer Abemdin Ala* (vt eſt apud Rodericum Toletanum) ſe vocari præcepit, hoc eſt Legis diuinæ defenſorem; itemque *Amomiramolin*, id eſt, Regem credentium. Hic igitur cum ſæuiſſimus Chriſtianorum hoſtis extiterit, eius tamen perſecutionis periere monumenta, nec niſi de duobus tantum martyribus ab eo neci traditis memoria viget; *Eugenia* inquam, quæ paſſa reperitur hoc anno (Era videlicet nongenteſima ſexageſima prima, decimoſeptimo Calendas Aprilis, vt ex antiquo eius epitaphio acroſtichis exarato Ambroſius Morales detexit) & *Pelagio*, qui poſt ſequentem annum de impio barbaro egregie triumphauit.

II. BELLA CIVILIA GALLOR.

Hoc pariter anno Rex Francorum Carolus Simplex, contra pactas inducias ingentem conflaturus exercitum vt Robertum anno ſuperiori electum Regem profligaret, etiam Northmannos ſollicitauit, ipſumque Robertum imparatum aggreſſus in prælio occidit: ſed paulo poſt ipſe à Roberti filio Hugone victus, fuga ſibi conſuluit, doloque demum Heriberti Aquitaniæ Comitis captus, in carcerem detruſus eſt. Interea vero proceres Rodulphum Richardi filium (quem Frodoardus Galliæ Ciſalpinæ Regem, Luithprandus Burgundiæ Principem vocat) in Regem elegerunt Sueſſione; Roberti autem filia, Emma dicta, Rhemis conſecrata eſt Regina à Seulpho Archiepiſcopo, qui nuper Heriueo defuncto ſucceſſerat, & pallium à Iohanne Papa acceperat. Hæc omnia pluribus Frodoardus. In iis autem Dei iudicium in Carolum conſideres; quo factum eſt, vt qui obediens Fulconis Rhemenſis olim Archiepiſcopi monitis, Northmannos Paganos in auxilium vocare [a] deſiiſſet, Deum habuiſſet adiutorem; econtra modo eoſdem vocans, Regnum penitus cum libertate perdiderit.

FOEDERA CVM INFIDELIB. DAMNOSA.

a Vid ſupr. an. 898.

III. b To. 6 Bibl. Sanct.

Eodem anno defunctus reperitur Galtherus Archiepiſcopus Senonenſis, cuius extant [b] ſalubres canonicæ Conſtitutiones.

IESV CHRISTI AN. 924.

CONST. VIII. cum ROM. 13.

IOAN. X. AN. 13.

I. BERENG. IMP. OBITVS.

ANNo Domini nongenteſimo vigeſimo quarto, Indictione duodecima, Berengarius Imperator à ſuis occiſus eſt: quam rem geſtam pluribus narrat Luithprandus; de tempore vero teſtem habemus Frodoardum accuratum Chronographum. Dignas quidem ſuſcepit Berengarius pœnas, quod fœdere cum Hunnis ſiue Vngaris inito, eoſdem iterum maiori agmine in Italiam intuliſſet in odium Rodulphi electi Francorum Regis, à quo ante annum fuerat bello ſuperatus. Quo tempore præter alias depopulationes Italiæ, teſtatur Frodoardus Papiam vrbem opulentiſſimam ab iiſdem Vngaris igne ſuccenſam eſſe, eccleſiaſque quadraginta tres combuſtas; Epiſcopum vna cum Epiſcopo Vercellenſi qui cum eo erat, igne fumoque necatum; atque ex innumerabili pene ciuium multitudine ducentos tantum ſuperfuiſſe, qui ex reliquiis vrbis incenſæ quas inter cineres legerant, argenti modios octo dederunt Vngaris, vitam muroſque ciuitatis vacuæ redimentes. Deflet eiuſdem vrbis ruinam Luitprandus eius ciuis, qui eam accidiſſe ait hoc ipſo anno, quarto Idus Martii Indictione duodecima; ſubdens pariter de eiuſdem reſtitutione narrationem. Ipſos autem Vngaros in Gallias irrumpentes, à Rodulpho Rege & Hugone Vienenſe fugatos eſſe, Frodoardus tradit. Ex quo etiam conſtat, ægrotantem hoc anno eumdem Rodulphum, cum pene deſperatus eſſet, Rhemos ſe ad Sanctum Rhemigium deportari feciſſe; ibique dona plura largitum, quicquid deinde ſibi, præter vxoris partem, theſaurorum ſupereſſet, per monaſteria Franciæ & Burgundiæ diſtribuiſſe; tandemque penitus conualuiſſe. Sed & ſubiicit de Synodo Epiſcoporum prouinciæ Rhemenſis apud Trosleium menſe Octobri habita ſub Seulpho Archiepiſcopo, in qua Iſaac Comes ſatisfecit pro iis quæ praue aduerſus Eccleſiam Cameracenſem perpetrauerat. Hæc ipſe in Chronico, & in hiſtoria Rhemenſi: quibus addit quædam miracula hoc anno edita.

PAPIA PER HVNNOS DESOLATIO.

RODVLPHVS REX ELEEMOSYN. LARGITIONE SANATVR.

II. S. VDALRICVS EPISC. AVGVST.

Hoc item anno *S. Vdalricus* Auguſtanus, nobili genere ortus (nempe ex Hucbaldo Comite Kyburgenſi, & Ditperga filia Burchardi Ducis Sueuiæ) in quo ab ipſis incunabulis mirificæ ſanctitatis indicia diuinitus fuere patefacta; eiuſdem ciuitatis Auguſtæ Vindelicorum electus eſt Epiſcopus. Res ab eo præclare geſtas, rudi ſtylo [a] illius æqualis eſt proſecutus; quas poſtea politiores redditas ediderunt Gebehardus eiuſdem ciuitatis Epiſcopus, & Berno Augiæ Abbas. In quibus traditur, Vdalrici electionem in Epiſcopum eidem ipſi cum Romam ante quindecim annos veniſſet, prædictam fuiſſe à Marino qui poſtea fuit Papa. Vnde emendandus eſt Sigebertus, dum eumdem ipſius aduentum in Vrbem ſub Pontificatu Marini recenſet anno redemptoris nongenteſimo quadrageſimo ſecundo; quod procul abhorret à veritate.

a Edidit eas Marcus Velſerus Auguſtanus, & [illegible]

III. STATVS RER. HISP.

Hoc item anno Ordonius rex Legionenſis, poſt debellatum ingentem qui ex Africa euocatus fuerat Saracenorum exercitum, mortuus eſt cum regnaſſet nouem annis & menſibus ſex, vt Sampyrus & Tudenſis affirmant. Succeſſit illi frater Froila nominis huius Secundus, nullo iure, ſed inuaſione tyrannica, qui ex nece inſontium cognomen adeptus eſt Crudelis. Quo factum eſt, vt eodem poſt menſes quatuordecim ſublato de medio, rebus ad interregnum deductis, duo fuerint creati Iudices, quibus bellandi aduerſus hoſtes, & iudicandi populum libera eſt conceſſa poteſtas. Poſt annum autem creatus eſt Alfonſus huius nominis Quartus cognomento Monachus, filius Garſiæ vt Tudenſis affirmat, ſiue Ordonii, vt plures conſentiunt: cum ex aduerſo in Aſturia iam quartus filius Alfonſi Magni regnum ſibi vendicaſſet Ramirus.

IV. DIVINA VLTIO IN PERIVRVM.

Hoc pariter anno defuncto Edvvardo ſeniori Anglorum Rege, qui in locum eius ſucceſſit Æthelſtanus, detecta Elfredi cuiuſdam coniuratione, eundem Romam remiſit vt ſe apud Ioannem Pontificem iureiurando purgaret. Qui cum ad altare S. Petri innocentem ſe falſo aſſeruiſſet, mox in terram corruens, poſt tres dies miſere vitam finiuit. Itaque eiuſmodi aduerſario liberatus Æthelſtanus, donationem fecit S. Petro, cui iſtam rem geſtam inſeruit; deſcripſit vero poſtea vna cum rebus ceteris ad eumdem Regem ſpectantibus Wilelmus [b] Malmesburienſis, qui hiſtoriam ſuam ſcribebat anno milleſimo centeſimo quadrageſimo, inter auctores rerum Anglicanarum poſt Bedam præcipuus.

b Malmesbur. l. 2. c. 6.

IESV CHRISTI AN. 925.

CONST. VIII. cum ROM. 14.

IOAN. X. AN. 14.

I. S. PELAG. PVERI INSIGNE MARTYRIVM.

ANNo Chriſti nongenteſimo vigeſimoquinto, Indictione decimatertia, Era nongenteſima ſexageſima tertia, ſexto Calendas Iulii contigit Cordubæ in Hiſpania martyrium *S. Pelagii*; qui in Gallæcia natus cum ab Ermogio Epiſcopo à Saracenis capto cuius ſobrinus erat, obſes datus eſſet, ac Cordubam ductus, puer elegantiſſimæ formæ, atque ſpectatæ virtutis, ab Habdarraghman Rege de turpitudine & fidei abnegatione fruſtra tentatus, poſt multos cruciatus tandem in fruſta ſectus, glorioſum

conſummauit martyrium annos dumtaxat tredecim na-
tus. Quam rem geſtam cum plures alii, tum antiquior ce-
teris qui tunc vixit Raguel conſcripſit; cuius ſcriptionem,
appendicem poſitam ad Eulogium, Ambroſius Morales
ſcholiis illuſtrauit, reliqua addens quæ ſpectant ad factam
poſtea translationem & cultum Martyris celeberrimi.
Cecinitque præterea eiuſdem Pelagii laudes virgo Saxo-
na, quæ his temporibus claruit, poetria præclariſſima
Rhoſvvinta nomine.

II. In Galliis vero, qui hoc tempore poſt Regem emine-
ret Heribertus Comes Aquitaniæ, Rhemenſi inhians Ec-
cleſiæ, quæ ceteris præſtare videbatur quod apud eam ſa-
cra Regum vnctio ſeruaretur, ſicque in eius Antiſtite
quaſi collocata eſſe videretur poteſtas conſtituendi Re-
gem: opportuna ablata occaſione, pro ea liberanda ab in-
feſtatione eam inuadentium dominorum, pactum iniiſſe
traditur cum eiuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopo Seulpho,
vt ipſius Heriberti filius poſt eumdem Seulphum illi pre-
ficeretur Eccleſiæ: ſed Heriberti miniſtri moræ impatien-
tes, propinato veneno Seulpho, è medio ſuſtulere hoc i-
pſo anno, qui tertius numeratur eius ſedis. Poſt cuius obi-
tum illud plane tunc primum contigit in Eccleſia Dei vi-
deri monſtrum, numquam hactenus viſum vel auditum,
immo nec puto mente conceptum; cum videlicet filius
Heriberti Hugo nominatus, puer nondum quinquen-
nis, nondum alicuius inferioris ordinis capax, vixque lo-
qui ſciens, curante patre ab Abbone Epiſcopo Sueſſio-
nenſi, & Bonone Catalaunico, necnon clero populoque
Rhemenſi, eiuſdem ciuitatis electus eſt Archiepiſcopus.
Quod factum comprobans Rodulphus Rex, præfato-
rum Epiſcoporum conſilio eumdem Epiſcopatum ipſi
Heriberto regendum commiſit. Quin etiam re ad Ioan-
nem Papam delata per eumdem Abbonem alioſque eiuſ-
dem Eccleſiæ Legatos, idem Pontifex eiuſmodi electio-
nem confirmans, quæ ſunt Epiſcopalis miniſterii ipſi Ab-
boni interim curanda delegauit. Hæc cuncta plurib. Fro-
doardus [a], eiuſdem Rhemenſis Eccleſiæ filius; qui & hac
cauſa ab Heriberto cum aliis multis expulſum ſe queri-
tur, quod noluiſſent intereſſe ipſius filii electioni. Notan-
dum autem, qualis auctoritate Pontificis ingens iſtud ma-
lum primum fuerit introductum in Eccleſia Dei, in qua
poſtea varie eſt propagatum, hodieque adhuc viget: vide-
licet Ioannis Decimi, quo turpior nullus; cuius ſicut in-
greſſus in Cathedram Petri infamiſſimus, ita & exitus ne-
fandiſſimus extitit.

PVER NONDVM QVINQVENNIS ELECTVS ARCHIEP. RHEM.

a *Frod. hiſt. Rhem. l. 4. c. 17. & 18.*

IESV CHRISTI AN. 926.

CONST. VIII. cum ROM. 15.

IOAN. X. AN. 15.

I. HVGO REX ITALIÆ.

ANNO Chriſti nongenteſimo vigeſimo ſexto, Indi-
ctione decimaquarta, Hugo filius Bertæ Rex Romæ
ſuper Italiam conſtituitur, expulſo Rodulpho Ciſalpinæ
Galliæ Rege, qui Regnum illud peruaſerat, & alteri femi-
næ viuente vxore ſua ſe copulauerat. Hæc Frodoardus in
Chronico. De quibus pariter agens Luitprandus, hunc
Hugonem tradit fuiſſe Comitem Prouinciæ, ſiue Arela-
tenſium; quem (vt ait) tum ipſe Ioannes Papa, tum omnes
Italiæ Principes Regem ſibi popoſcerunt: ideoque cum
Papiam veniſſet, cunctis ad eum cõuenientibus Regnum
ſuſcepit: paulo vero poſt Mantuam accedenti Ioannes Pa-
pa occurrens, fœdus cum eo percuſſit.

IESV CHRISTI AN. 927.

CONST. VIII. cum ROM. 16.

IOAN. X. AN. 16.

I. CONCIL. TROSLEIEN.

ANNO Chriſti nongenteſimo vigeſimo ſeptimo, In-
dictione decimaquinta, in Gallia apud Troſleium
rurſum eſt SYNODVS congregata; in qua Herluinus Comes
publicam egit pœnitentiam, eo quod duxiſſet vxorem
alia ſuperuiuente. Quo pariter anno ob ſimultatem ex-
ortam inter Heribertum Aquitaniæ Comitem atque Ro-
dulphum Regem Francorum, ab eodem Comite eductus
eſt è carcere Carolus Simplex Rex; quod vt faceret Ioan-
nes Papa literis comminatoriis iuſſerat. Verum pace rur-
ſum compoſita cum Rodulpho, Carolus anno ſequenti
reductus eſt in carcerem, cum iam antea Ioannes Papa
depoſitus eſſet atque defunctus. Hæc ex Frodoardi Chro-
nico.

II. Alia item SYNODVS hoc eodem anno celebrata poni-
tur [a] apud Duisburgenſes occaſione Bennonis; qui ante
biennium, dum vitam eremiticam in Alpibus duceret, e-
lectus Metenſis Epiſcopus, hoc anno ab ipſis Metenſibus
excæcatus fuerat: cuius ſceleris auctores omnes in hac
Synodo excommunicati ſunt. Porro Benno patienter om-
nia tolerans, cognominatus eſt Benedictus, cuius memi-
nit anno ſequenti Frodoardus.

CONCIL. DVISBVRG.

a *In addit. ad Chro. Regin.*

III. Hoc item anno Adefonſus Rex Legionenſis ſponte ſe
abdicans, vitam monaſticam amplexus eſt, Ramiro relin-
quens Regnum: ſed cum rurſum operam recuperationi
daret relicti Regni, ab eodem Ramiro captus eſt, atque o-
culis orbatus: qua pariter pœna mulctati ſunt poſtea tres
filii defuncti Regis Froilæ, quod aduerſus eumdem Rami-
rum inſurrexiſſent. Poſt quæ Ramirus patratæ ſæuitiæ pœ-
nitens, delictum bonis operibus expiare curauit, mona-
ſteria exigens, multaque donans Eccleſiis. Hæc pluribus
qui ſunt proſecuti [b] res Hiſpaniarum.

ADEFONS. REX MONACHVS.

b *Vid. Ambroſ. Moral. l. 16. c. 7. 9. 10.*

IESV CHRISTI AN. 928.

CONST. VIII. cum ROM. 17.

LEONIS VI. AN. 1.

I. IOAN. PP. IN CARCEREM DETRVDITVR.

ANNO Chriſti nongenteſimo vigeſimo octauo, Indi-
ctione prima, contigit *Ioannem* Papam è ſede deponi,
& in carcerem detrudi, opera Maroziæ ſcorti Romæ im-
peritantis, & Widonis ipſius mariti Tuſciæ dominantis,
fratris vero Hugonis Regis Italiæ: idque propter inuidiam
in Petrum fratrem Papæ, quem etiam ante oculos ipſius
Pontificis interfecerunt. Rem geſtam narrant Luitpran-
dus [a], atque Frodoardus [b]: eamque cum iſte aperte teſte-
tur accidiſſe hoc anno, errare eos certum eſt, qui quatuor-
decim dumtaxat annos numerant ſedis Ioannis. Sic igitur
dignum ſuis ſceleribus finem accepit inuaſor Sedis Apo-
ſtolicæ; vt qui per Theodoram impudicam feminam eam
arripuit, per Maroziam æque impudicam eiuſdem Theo-
doræ filiam, ea ſimul cum vita caruerit. Porro in locum e-
ius ſubrogatus eſt LEO huius nominis Sextus, Chriſto-
phori Primicerii filius.

a *Luitpr. l. 3. c. 12.*
b *Frod. in Chron.*

LEO VI. PAPA.

II. Quo item anno menſe Septembri, inchoata Indictio-
ne ſecunda, iterum Symeon Rex Bulgarorum Macedo-
niæ ac Thraciæ grauiſſima intulit damna. Sed & Con-
ſtantinopolim accedens, multa ſacra profanaque loca
incendit: donec Romanus Imperator cum eo ad collo-
quium congreſſus, piis admonitionibus delinitum ad pa-
cem impulit, multis ei muneribus impertitis. Rem geſtam
narrat diligenter Curopalates: additque, ipſo Chriſti Na-
tali huius anni eumdem Romanum Imperatorem duobus
filiis ſuis coronam impoſuiſſe, *Stephano & Conſtantino*, ter-
tium vero Theophylactum in clericum à Patriarcha eſſe
tonſum, ac dignitate Syncelli auctum factum eſſe ſubdia-
conum.

PAX CVM BVLGARIS.

IESV CHRISTI AN. 929.

CONST. VIII. cum ROM. 18.

STEPH. VIII. AN. 1.

I. ANNO Chriſti nongenteſimo vigeſimo nono, Indi-
ctione ſecunda, Carolus Rex Francorum cognomen-
to Simplex in carcere mortuus eſt, relicto filio Ludoui-

a Frod. in Chron. hoc an.

co, qui educabatur in Anglia apud Æthelſtanum Regem auunculum ſuum. Hæc Frodoardus [a]. Quo etiam auctore conſtat, ad hunc annum peruenisſe Ioannem Papam detentum in carcere, obiiſſeq; miſere miſerum diem; quem quidem ceruicali ſuffocatum fuiſſe, Luitprandus ait. Eodemque anno, qui in locum eius fuerat ſubrogatus Leo, & ipſe detruſus in carcerem, ibi defunctus eſt poſtquam ſediſſet ſex menſes & dies quindecim. Cui ſucceſſit STEPHANVS eius nominis Octauus, dictus Septimus, natione Romanus, Theudemundo patre genitus. Ita vetus Codex Vaticanus de Romanis Pontificibus.

LEO PP. MORITVR SVBROGATVR STEPH. VIII.

II. DE SACRA LANCEA QVAM REX HENR. EST ADEPTVS.

Eodem anno *Lanceam* ex Chriſti clauis confectam, quæ dicebatur fuiſſe Conſtantini Magni Imperatoris, à Samſone Comite donatam Rodulpho Burgundionum & Italiæ Regi, Henricus Rex Germaniæ ab eodem Rodulpho partim minis partim muneribus, tradita etiam magna parte prouinciæ Sueuiæ, tandem extorſit; eamque ad inſigne & tutamen Regni poſteris reliquit. Hęc breuiter Sigebertus; quod paulo fuſius refertur in Rebus [b] geſtis S. Gerardi Abbatis Broniensis, qui hoc tempore egregie cl[aru]it ſanctitate, proſapia nobilis ex Auſtraſiarum Ducibus ortus: qui ſolitariam primo vitam eligens, poſtea ad reſtituendam collapſam monaſticam diſciplinam à Deo vocatus, vtiliter hoc eſt functus munere, miraculorum etiam patrator inſignis. In iiſdem vero eius Rebus geſtis traditur, illa præeunte Lancea tam ipſum Henricum quam eius ſucceſſorem Othonem ſæpius hoſtes fugaſſe. Eademque habet Luitprandus [c], dum recenſet ingentem eiuſdem Othonis victoriam prædictæ Lanceæ virtute partam. Verum quod ea dicitur ex Clauis Domini confecta, verius puto eſſe dicendum, ex aliqua parte Claui alio ferro coniuncta illam elaboratam: nam de clauis Domini alijs locis poſitis, & ad alium vſum adhibitis, ſuo loco ſuperius dictum eſt. Ceterum in hiſtoria de geſtis [d] Anglorum, eſt pariter aſſertio de alia Lancea quæ Caroli Magni fuiſſet, ferreturque eſſe eadem quam Centurio lateri Chriſti Domini impegiſſet: deque Enſe Conſtantini Magni, in cuius capulo affixus eſſet vnus ex clauis Chriſti: ac denique de Vexillo S. Mauritii Ducis Thebææ legionis, aliiſque pretioſis muneribus, eidem Henrico ab Hugone in Gallia regnante miſſis. In quibus eſt quod admodum laudes Henrici pietatem in cultu ſacrarum Reliquiarum exhibitam.

b ap. Sur. 3. Oct.

c Luitpr. l. 4. c. 12.

d Pol. Bed. l. 2. c. 8. SACRA MVNERA MISSA AD HENR.

IESV CHRISTI AN. 930.

CONST. VIII. cum ROM. 19.

STEPHANI VIII. AN. 2.

I.

ANno Chriſti nongenteſimo trigeſimo, Indictione tertia, (vt ſcribit Sigebertus) Henricus Germaniæ Rex Northmannorum & Abroditarum Reges à ſe deuictos & tributarios redditos, Chriſtianos fieri coegit. Tuncque factum eſſe Adamait, vt cum idem Rex Principes Daniæ ſibi feciſſet obſequentes, ibi prædicatione ſanctiſſimi viri Vnni Archiepiſcopi Hamburgenſis, Chriſtianitatem quam conſecuti olim fuerant à S. Anſgario Dani, ſed rigore perſecutionum deſeruerant, iterum receperint: idemque etiam Suecones & Gothi præſtiterint.

DANOR. ECCLESIA REFLORESCIT.

II.

Hoc eodem anno Conſtantinopoli defuncto Nicolao Patriarcha, in locum eius ſubrogatus eſt Stephanus Archiepiſcopus Amaſeæ: vt auctor eſt Curopalates.

IESV CHRISTI AN. 931.

CONST. VIII. cum ROM. 20.

IOAN. XI. AN. 1.

I. STEPH. PP. OBITVS. IOAN. XI. INTRVSIO. a Luitpr. l. 3. c. 12.

ANno Chriſti nongenteſimo trigeſimo primo, Indictione quarta, Stephanus Papa cum ſediſſet annos duos menſem vnum & dies quindecim, ex hac vita migrauit. In eius locum potentia [a] Widonis Tuſciæ Marchionis & Maroziæ eius coniugis intruſus eſt IOANNES eius nominis Vndecimus, Sergii infamiſſimi Papæ ex dicto ſcorto Marozia filius; quem adhuc ætate fuiſſe iuniorem oportuit cum matrem adhuc haberet amoribus aptam, & pulchritudine florentem.

IESV CHRISTI AN. 932.

CONST. VIII. cum ROM. 21.

IOAN. XI. AN. 2.

I. CONCIL. ERFORD.

a Ext. Bur. Annal. To. X hoc an.

ANno Chriſti nongenteſimo trigeſimo ſecundo, Indictione quinta, Calend. Iunii celebratum eſt apud Erpesfurd, alias Erfordiam, CONCILIVM Epiſcoporum: cuius extant [a] quinque canones de recta obſeruatione Feſtorum atq; Ieiuniorum; & vt nullus eccleſiam petens orationis cauſa, aut inde rediens, alicuius publicæ poteſtatis banno capi poſſet.

II. ARNVLDI BAIOAR. DVC. SACRILEGIA ET MORS.

Eodem anno (vt habet Sigebertus) Arnoldus Baioariæ Dux aduerſus Hugonem Italiæ Regem progreſſus, ab eo repulſus eſt. Porro eumdem Arnoldum, quem alii Arnolphum nominant, San. Vdalricus Auguſtanus Epiſcopus puer quietem vidit in cōcilio Sanctorum accuſari & iudicari vti ſacrilegum, deſtructorem monaſteriorum, & eorum bona laicis diuidentem: qua de re eſt quoque Othonis [b] Friſingenſis ſimilis in eum accuſatio. Idem vero vbi eius completa eſt nequitia, poſt deprædatam ciuitatem Auguſtanam occiſus eſt.

b Friſing. l. 6. c. 8.

IESV CHRISTI AN. 933.

CONST. VIII. cum ROM. 22.

IOAN. XI. AN. 3.

I. IOAN. PP. DETRVDITVR IN CARCEREM.

ANno Chriſti nongenteſimo trigeſimo tertio, Indictione ſexta, infauſtus Ioannes Papa ſicut violenter Romanam ingreſſus eſt Sedem, ita violenter deiectus eſt, & in carcerem detruſus vna cum matre Marozia, ab Alberico ipſius Marozię filio, quem ex Adelberto Marchione ſuſceperat. Hæc Frodoardus occaſione Artaldi Rhemenſis Archiepiſcopi, de quo mox dicetur. Porro horum Vrbis motuum cauſam Luitprandus [a] iſtam refert. Mortuo Widone Maroziæ marito, eiuſdemque Adelberti ex Berta coniuge filio, eadem impudentiſſima Marozia Hugonem Italiæ Regem, ipſius Widonis ex Berta fratrem, Romam acceſſiuit ſpe potiundæ Vrbis: qui cum aduenisſet, & ab ea receptus eſſet in munitionem S. Angeli quam ipſa occupabat, inceſtuoſum quoque cum ea coniugium conſummauit. Vbi vero iuſſu Maroziæ Albericus filius aquam manibus Hugoni fundens, ab eodem Hugone in faciem cæſus eſſet quod immoderate aquam fudiſſet; Albericus in eius iniuriæ vindictam Romanos aduerſus Hugonem concitans, eumdem Roma expulit, ipſeque Vrbis monarchiam ſibi vendicauit. Hæc ex Luitprando: apud quem reliqua de ſequuto poſt hæc carcere Ioannis Pontificis & Maroziæ deſiderantur; quæ Frodoardus excepit ex relatione Legatorum Rhemenſis Eccleſiæ, quos ad eumdem Ioannem pallium ſuo nomine petituros miſerat Artaldus, ante biennium ex monacho ob inſignem animi virtutem factus Rhemenſis Archiepiſcopus, eiecto Hugone puero.

a Luitpr. l. 3. c. 12. INFELIX STATVS VRBIS.

II. HENR. REX PIETATE SVPERAT HVNNOS.

Eodem anno iteratos motus Vngarorum in Germaniam Frodoardus recenſet; quos (vt ait) Henricus REX ad internecionem deleuit, triginta ſex millibus occiſis, ceteris captis, aut flumine abſorptis. Sed hæc pluribus Witichindus [b] Saxo; qui & piiſſimam recitat orationem ab eodem Henrico ad ſuos milites ante pugnam habitam, qua ſibi propitium numen reddidit. De eadem vero inſigni victoria agens quoque Luitprandus [c], tradit vouiſſe Henricum, ſi Hunnos vinceret, de ſuo Regno Simoniacam hæreſim euulſurum, quæ altas in eo radices fixerat prædeceſſorum conniuentia.

b Witich. l. 1. de reb. Saxon.

c Luitpr. l. 2. c. 9. & ſeq.

III. TEMPORANEVS PATRIARCH. CONST.

Quod ad res Græcorum ſpectat; eodem hoc anno defunctus eſt Stephanus Conſtantinopolitanus Patriarcha, cum præfuiſſet Eccleſiæ illi annos duos & menſes vndecim; vt Curopalates & alii teſtantur; & in Græco Catalogo Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum habetur expreſſum. Quo tempore res accidit quæ numquam in ea Eccleſia fuerat audita, vt poſt Stephanum non alius niſi temporaneus ſubſtitueretur Antiſtes, nempe *Tryphon* monachus, qui ſedit vſque dum Theophylactus filius Romani Imperatoris adoleſcens tunc ſexdecim annorum, legitimæ eſſet ætatis vt poſſet fieri Patriarcha. Quem tamen hoc anno re vera creatum fuiſſe Patriarcham, ex Curopalate conſtat, dum numerat annos ſedis eius viginti tres; ſed loco ipſius Tryphonem conſtitutum eſſe adminiſtratorem eius Eccleſiæ, alioqui dicendum eſſet, duos vno tempore Patriarchas vnius eiuſdemque Eccleſiæ eſſe creatos.

CONST. VIII. cum ROM. 23.

IESV CHRISTI AN. 934.

IOAN. XI. AN. 4.

I. IOAN. PP. CONCEDIT IN PERPETVVM PALLIVM EPISCOPIS CONST.

ANno Chriſti nongenteſimo trigeſimo quarto, Indictione ſeptima, opera Alberici Romæ tyrannidem exercentis, graue Eccleſiæ Romanæ inflictum eſt vulnus; cum (vt refert Luitprandus in relatione ſuæ Legationis) idem à Romano Conſtantinopolitano Imperatore muneribus corruptus, coegit Ioannem Papam quem incluſum tenebat, Theophylacto eiuſdem Imperatoris filio eunucho, conſtituto (vt vidimus) Patriarchæ Conſtantinopolitano, omnibuſque Romanorum Pontificum permiſſu vteretur palliis. Ex quo turpi commercio (addit idem auctor) vituperandus mos inoleuit, vt non ſolum Patriarchæ, ſed etiam Epiſcopi totius Græciæ palliis vtantur.

II. QVÆ MIRANDA ACCIDERINT RHEMIS.

Hoc item anno recenſet Frodoardus quædam ſanationum miracula, Rhemis in eccleſiis Sanctiſſimæ Dei-Genitricis & S. Hilarii edita: itemque hominem mortuum ope eiuſdem Beatiſſimæ Virginis & S. Martini, Virduni reuocatum ad vitam, poſtquam diuerſa ſuppliciorum vel refrigerii loca videre permiſſus eſſet.

CONST. VIII. cum ROM. 24.

IESV CHRISTI AN. 935.

IOAN. XI. AN. 5.

I. CONCIL. AD S. MACRAM.

ANNO Chriſti nongenteſimo trigeſimo ſexto, Indictione octaua, Rhemis apud S. Macram Synodus celebrata eſt, præſente Artaldo Archiepiſcopo: in qua prædones & Eccleſiaſticarum rerum inuaſores ad correctionem vocati ſunt. Hæc ex Frodoardo.

CONST. VIII. cum ROM. 25.

IESV CHRISTI AN. 936.

LEONIS VII. AN. 1.

I. HENRICI REG. OBIT.

ANno Chriſti nongenteſimo trigeſimo ſexto, Indictione nona, mortuus eſt Henricus Rex Germaniæ Chriſtianæ religionis decus, relicto Regno filio ſuo Ottoni, patri pietate atque fortitudine militari non impari. Quod quidem hoc anno contigiſſe, teſtis eſt Frodoardus; firmatque Ditmarus, addens & diem, nimirum ſextum Nonas Iulii, anno ipſius ætatis ſexageſimo, regni decimo ſexto: cui ſuperuixit Mathildis eius coniux, & ipſa pietate inſignis.

II. LVDO. REX FRANC.

Quo pariter anno mortuo in Gallia Rodulpho Rege, coactus eſt Lauduni *Conuentus* Epiſcoporum & Procerum; in quo receptus & ab Artaldo Archiepiſcopo Rhemenſi Rex Francorum inunctus eſt Ludouicus filius Caroli Simplicis, ex Anglia acceſſitus, vbi hactenus apud Regem Æthelſtanum eius auunculum conſeruatus fuerat ob inuaſores Regni tyrannos. Hæc pluribus Frodoardus hoc anno.

III. IOAN. PP. MORITVR SVBROGATVR LEO VII.

Sed & eodem anno mortuus eſt *Ioannes* Papa intruſus, poſtquam ſediſſet annos quatuor & decem menſes; & in eius locum ſubrogatus LEO quidam Dei ſeruus, huius nominis Septimus. Hugo quoque Rex Italiæ Romam obſidione niſus capere, exercitu ſuo fame afflicto, pacem iniit cum Alberico, cui filiam ſuam Aldam in matrimonium dedit. Hæc item Frodoardus hoc anno. At de Hugonis Romam aduentu, & pace cum Alberico contracta, Luitprandus [a] pluribus agit. Fuiſſe autem ſequeſtrem huius componendæ pacis, Odonem Abbatem Cluniacenſem, à Leone Papa vocatum vt collapſam in Vrbe monaſticam diſciplinam reſtitueret, teſtis eſt in ipſius Vita [b] Ioannes eius diſcipulus & inſigni monaſterio S. Pauli Romæ ab ipſo præfectus; qui & amplius recenſet complures ſancti viri cum in via tum in Vrbe præclare res geſtas, cum ingentibus etiam miraculis coniunctas. Hinc vero factum eſt, vt Cluniacenſe nomen per eius monaſterii alumnos in diuerſas prouincias diſpertitos, fuerit breui tempore mirifice propagatum.

a Luitpr. l. 4. c. 1. 2. 3.

b ap. Sur. 18. Nouemb.

IV.

Per idem tempus (vt idem Luitprandus ſubiicit) in Ianuenſi vrbe fons ſanguinis largiſſime fluxit, ſubſecuturam ruinam inſinuans; cum eodem anno Pœni eamdem vrbem inuadentes, cunctos pueris exceptis ac mulieribus trucidarunt, omneſque ciuitatis & eccleſiarum theſauros abſtulerunt.

V. MANASSES PLVRES SIBI VENDICAT EPISCOPATVS.

Sed & quod nouum immenſum malum Dei Eccleſiam deturpare tunc cœperit, præter alia multa quibus hoc deplorato ſæculo eſt mirum in modum afflictata, idem Luitprandus narrare pergit; cum videlicet Manaſſes Arelatenſis Epiſcopus, Hugonis Regis Italiæ affinis, contra ius faſque ab eo Veronenſem, Tridentinum, & Mantuanum Epiſcopatus accepit; ſperante Hugone ſecurius ſe regnaturum, ſi affinitate coniunctis beneficia & dignitates largiretur. Cum tamen nec his contentus Manaſſes, Eccleſiam poſtea Mediolanenſem inuaſerit. Et vt aliquo velamento nefarius homo peccatum obtegeret, admodum inepte id ſe agere tradebat exemplo Principis Apoſtolorum qui Antiochenam, Romanam, & Alexandrinam poſſediſſet Eccleſias. Denique & Marchiam Tridentinam ab eodem Rege obtinuit; & armis indutus in eiuſdem regis exercitu militauit. Quem impiiſſimum hominem, Dei legumque contemptorem, pluribus redarguit idem auctor.

VI. VNNI ARCHIEP. HAMBVR. OBITVS.

Hoc eodem anno (vt Adam [c] ait) ex hac vita migrauit magnus ille ac ſanctiſſimus Vnni Hamburgenſis Archiepiſcopus, Borealium illarum partium Euangeliſta, potens opere & ſermone, de quo ſuperius: cui ſucceſſit [d] genere, forma, moribus, doctrina, & pietate illuſtris Adaldagus; qui pallium ſumpſit à Papa Leone Septimo, ſeditque annos quinquaginta tres.

c Adam. l. 1 c. vlt.

d Id. l. 2 c. 1.

CONST. VIII. cum ROM. 26.

IESV CHRISTI AN. 937.

LEONIS VII. AN. 2.

I

ANNO Chriſti nongenteſimo trigeſimo ſeptimo, Indictione decima, Vngari Italiam ingreſſi Campaniã deuaſtarunt; ſed à Marſis & Pelignis inſidiis circumducti, ferme omnes peremti ſunt, paucis ad ſua reuertentibus. Hæc pluribus Leo [a] Oſtienſis. Eodemque anno alia pars ipſorum inuadens Gallias, ingentem cladem intulit: quo tempore plura facta eſſe miracula pro conſeruatione rerũ ac perſonarum Eccleſiaſticarum, Frodoardus eſt auctor.

a Leo Oſt. l. 1. c. 58

II. OTTO REX GERM. VNGITVR.

Eodem anno Aquiſgrani Conuentus Generalis habitus eſt Procerum & Epiſcoporum Germaniæ: in quo Otho (qui poſtea ob res præclare geſtas, Magni cognomentum obtinuit) à patre Henrico relictus Regni heres, nouis co-

uis comitiis confirmatus, ab Hildeberto Archiepiſcopo Moguntino factis ſolemnibuſque ritibus vnctus eſt ac coronatus; quos exacte Witichindus [b] Saxo eius temporis auctor deſcripſit. Ab hoc autem anno; cœptum eſſe numerari tempus Regni eius, teſtatur Rotgerus [c] monachus in Vita S. Brunonis eiuſdem Ottonis germani.

b Witich. l. 2. c ap. Sur. al. Oct.

Const. VIII cum Rom 27.

IESV CHRISTI AN. 938.

LEONIS VII. AN. 3.

I. Ingens victoria de Arab. in Hisp. pietate prævia.

ANno Chriſti nongenteſimo trigeſimo octauo, Indictione vndecima, die ſexta Auguſti, ipſo natali SS. martyrum Iuſti atque Paſtoris Hiſpanis inprimis ſolemni, Ramirus Rex Legionenſis de Arabibus Hiſpaniam & Africam incolentibus, qui iunctis armis exercitum centum quinquaginta millium peditum, equitum quinquaginta millium, aduerſus Chriſtianos eduxerant; votis nuncupatis conciliato numine, præuiis Angelis ſub forma equitum, victoriam plane ingentem eſt conſecutus, cæſis octoginta hoſtium millibus, ducto captiuo Rege Mauro nomine Abenain Cæſarauguſtæ regnante, ceteris fuga diſperſis, ipſoque Rege Abderragham Cordubæ regnante vix elapſo. Scripſerunt hæc Sampyrus atque Tudenſis; quæ & ipſi Arabes ſuis Annalibus intexuere. Ea vero exacta temporis multipliciter ratione deducta, hoc anno contigiſſe Ambroſius [a] Morales egregie teſtatum reliquit. Addunt nonnulli, ipſum Abderragham vbi Cordubam reuerſus eſt, magnam aduerſus Chriſtianos ſibi ſubditos perſecutionem excitaſſe, tuncque paſſos SS. *Victorem & Euphroſynam.*

a Amb. Moral. Chron. Hisp. l. 14.

II. Wenceslaus princeps Boem. martyr

Hoc ipſo anno Princeps Boemiæ *S. Venceslaus* à fratre ſuo Bosleslao occiſus eſt, ambitione potiundi Principatus: qui inter martyres ab Eccleſia relatus habetur. In cuius vltionem à Rege Ottone bello ipſi Boleslao indicto, longa inter eos concertatio per annos quatuordecim perducta eſt. Hocque eodem anno rebellantibus aduerſus Ottonem Henrico fratre, Euerardo Duce Francorum, atque Giſleberto Duce Lotharingiæ; Otto precibus ad Deum fuſis, potius quam armis, incruenta obtenta victoria potentiſſimum eorum exercitum debellauit. Vt autem iſta ſe habuerint, VVitichindus [b] Saxo, Luitprandus [c] Ticinenſis, & alii [d] deſcribunt.

b Witich. l. 2. c Luitpr. l. 4. c. 11. d Sigeb. hoc an.

Const. VIII. cum Rom. 28.

IESV CHRISTI AN. 939.

LEONIS VII. AN. 4.

I. Ottonis victoria pietate parta.

ANno Chriſti nongenteſimo trigeſimo nono, Indictione duodecima, rurſum Otto Rex in Alſatia circumdatus potentiſſimo exercitu aduerſariorum, inſperata potitus eſt noua Deo miniſtrante victoria; qua Euerhardus occiſus eſt, Giſlebertus Rheni vndis ſubmerſus, Henricus vero eiuſdem Ottonis frater, rebellionis princeps, ſupplicibus votis veniam obtinuit. Deſcribunt hæc pluribus Luitprandus [a], atque Witichindus. Sed quibus egregie factis idem Otto ad tantam victoriam conſequendam abſque labore, in ſummo diſcrimine poſitus aperuerit ſibi viam, diſces ab eodem Luitprando, dum ait quod cum à multis ex ſuis deſereretur, Comes quidam qui ei aderat cum ſelecta militum manu, captans occaſionem extorquendi ab eo in tanta neceſſitate quod alio tempore ſciret minime poſſe adipiſci, petiit ſibi dari quamdam Abbatiam prædiis ditiſſimam, vt quod ſibi deerat militibus ſuis miniſtrare valeret. Cui Rex populo circumſtante, *Non eſt* (inquit) *dandum ſanctum canibus. Tibique tam procaciter iniuſta petenti ſub teſtimonio totius populi teſtificor, nec hoc nec aliud vmquam te à me accepturum eſſe. Si cordi tibi eſt cum ceteris infidelibus auolare; quanto citius, tanto melius.* Quibus auditus Comes rubore ſuffuſus, ad eius ſe pedes proiiciens, ſe grauiter deliquiſſe confeſſus eſt. Hæc Luitprandus: qui & ſubiicit ingentes gratiarum actiones ab Ottone Deo actas vbi de victoria nuntium accepit, cum ad eccleſiam tunc temporis cauſam ſuam commendaturus accederet.

a Luitpr. l. 4. c. 15. 16.

Egregium factum Ottonis.

II. Steph. PP. IX.

Eodem anno defuncto *Leoni* Papæ cum ſediſſet annis tribus & ſex menſibus, ſubrogatus eſt STEPHANVS Nonus, dictus Octauus, patria Germanus.

Const. VIII. cum Rom 29.

IESV CHRISTI AN. 940.

STEPH. IX. AN. 1.

I Steph. pp. vultu deformatus.

ANno Chriſti nongenteſimo quadrageſimo, Indictione decimatertia, Stephanus Papa natione Germanus, cum à Romanis, poſthabitis Cardinalibus, eſſet electus opera Ottonis Regis; tyrannorũ odium in ſe concitauit, adeo vt à quibuſdam ſacrilegis fuerit crebris ictibus facie deformatus; qui idcirco à publico abſtinuit congreſſu hominum. Hæc verus liber de Romanis Pontificibus; ex quo reliqui accepiſſe creduntur.

II. Eadmundus Rex periclitatur ob electum S. Dunst. a ap. Sur. 19 Maij.

Hoc etiam anno defuncto Æthelſtano Anglorum Rege, ſucceſſit Eadmundus eius frater: qui cum mox S. Dunſtanum virum prudentiſſimum ſuum conſiliarium elegiſſet, ſed ſuaſione æmulorum eieciſſet, die poſt tertia venatum exiens in maximum incidit vitę periculum; à quo, voto nuncupato, liberatus ſtatim eumdem Dunſtanum in curiam reuocauit; actaque coram eo pœnitentia, veniam cum humilitate poſtulauit. Rem geſtam exacte narrat Osbertus [a] monachus in Vita Dunſtani.

III. Concil. ad Font. coopert.

Hoc pariter anno apud Narbonam in oppido cui nomen Fons coopertus, CONCILIVM celebratum eſt; in quo agitata controuerſia de finibus diœceſum, decretum eſt vt Pallaria vrbs peteret ſacra ab Vrgelitano Epiſcopo. Quę præterea acta fuerint, ignoratur.

Const. VIII. cum Rom 30.

IESV CHRISTI AN. 941.

STEPH. IX. AN. 2.

I Concil. Suession. in causa Archiep. Rhem.

ANno Chriſti nongenteſimo quadrageſimo primo, Indictione decimaquarta, SYNODVS Sueſſione habita eſt in cauſa duorum qui de Archiepiſcopatu Rhemenſi contenderent; Hugonis videlicet, qui puer (vt dictum eſt) in gratiam patris eius Aquitaniæ Comitis electus fuerat, & Artaldi qui eo pulſo in illam ſedem ex monacho fuerat cooptatus. In qua Synodo idem iuſſus eſt ceſſare Artaldus, eo quod olim iuraſſet numquam ſe in eum Archiepiſcopatum intromiſſurum: Hugoque receptus, eo quod Clero populoque petente vocatus eſſet. Itaq; Rhemos profecti Epiſcopi, in eccleſia San. Remigii eumdem Hugonem conſecrarunt, cui anno ſequenti à Stephano Romano Pontifice miſſum eſt pallium, à Rhemenſibus publica legatione petitum. Hæc omnia Frodoardus [a]: qui cum fuiſſet ab Heriberto Comite Hugonis patre pulſus, ab eodem Hugone ſtatim ac ſedem recepit ab exilio eſt reuocatus.

a Frod. in Chron. hoc an. & 4. hist. Rhem. 27.

II.

Quo item anno (vt ſcribit Regino) Fridericus Archiepiſcopus Moguntinus, iterum poſtulatus iudicio defectionis & coniurationis initæ cum Henrico Ottonis fratre, & aliis Principibus, in quos Otto animaduertit; purgauit ſe publica teſtificatione per Corporis & Sanguinis Chriſti perceptionem. Addit autem his VVitichindus [b], grauem perſecutionem iiſdem temporibus in monachos ortam eſſe à quibuſdam Epiſcopis, affirmantibus ſatius eſſe paucos vita claros, quam plures negligentes ineſſe monaſteriis: indeque factum eſſe, vt plures propriæ infirmitatis conſcii, depoſito habitu & relictis monaſteriis, graue onus ſacerdotum deuitarent: ſed cum hæc prædictus Fridericus odio Abbatis Fuldenſis, potius

b Witich. l. 2 prope fi. Persecutio in monach.

Digitized by Google

quam zelo diſciplinæ intentaſſet, ea haud vlterius proceſſiſſe.

III. RVSSOR. CLASSIS SVPERATA A GRÆCIS.

Quod ad res pertinet Orientales; hac decimaquarta Indictione, Iunio menſe, tradit Curopalates Ruſſorum claſſem ab Imperatore ſuperatam eſſe, ac penitus profligatam; ita vlciſcente numine aduerſus eos qui Chriſtianis immenſa intuliſſent mala, dum plurimos in crucem egiſſent, alios clauis in terram affixiſſent: aliosq; rurſum quaſi ſcopos propoſitos ſagittis petiiſſent; ſacerdotalibus autem viris capita acutis clauis traieciſſent, ac ſacra templa non pauca combuſſiſſent. Meminit quoque Luitprandus [c] eiuſdem glorioſæ victoriæ; ſed quos Græci Ruſſos vocant, ipſe Northmannos appellat: verum ea ratione omnes populi Boreales eſſent appellandi Northmanni, quod ea vox ſignificat virum Aquilonarem.

c Luitpr. l. 5. c. 6.

CONST. VIII. cum ROM. 31.

IESV CHRISTI AN. 942.

STEPH. IX. AN. 3.

I. STEPH. PP. AGIT PRO LVDOV. REGE IR.

ANNO Chriſti nongenteſimo quadrageſimo ſecundo, Indictione decimaquinta, Hugone Principe, aliiſque Francorum proceribus aduerſus Ludouicum Regem rebellantibus, Stephanus Papa per Legatos & literas ſub excommunicationis interminatione præcepit vt eidem Regi ſuo obedientes eſſent; qui mox Pontificis iuſſionibus paruerunt. Hæc pluribus Frodoardus hoc anno.

II. a Luitpr. l. 5. c. 1.

Cum autem inter hæc iugi bello Hugo Rex Italiæ Albericum Romanum Principem, fracta ſæpius pace hoſtiliter impeteret [a], omniaque ferro & flamma deuaſtaret; hoc anno S. Odonem Abbatem Cluniacenſem pro pace rurſum inter eos concilianda (cuius & ſequeſter antea fuerat) ab Stephano Papa Romam iterum reuocatum eſſe tradit Frodoardus. Porro ipſum & Romam veniſſe, & illic ad vltimum fere ſpiritum ægrotaſſe; ſed B. Martini ope ſanitati diuinitus reſtitutum, & in Gallias reuerſum, Turonis diem extremum obiiſſe decimoquarto Calendas Decembris; teſtatur qui fideliter eius res præclare geſtas conſcripſit [b], Ioannes eius diſcipulus, monaſterii S. Pauli in Vrbe Abbas, comeſque peregrinationis. Cuius quidem tranſitum hoc eodem anno contigiſſe, aſſerit Frodoardus huius temporis auctor: ex quo redarguas Sigebertum, qui eum deceſſiſſe ponit anno Redemptoris nongenteſimo trigeſimo ſeptimo. Succeſſit autem ipſi in monaſtica Cluniacenſi præfectura Adamarus, quem beatæ ſimplicitatis & innocentiæ filium nominat Odilo in Vita [c] S. Maioli, quem in monaſterio ſucceſſorem aluit in Chriſto. Maiolo vero ſucceſſit poſtea idem ipſe Odilo. Ceterum non Odo tantum in reſtitutione monaſticæ diſciplinæ hoc tempore laborauit, ſed & valide incubuit in opus Adelberto Metenſis Epiſcopus, frater Frederici Ducis, collaborante Agenoldo Abbate Gorzienſi: vt teſtatur Sigebertus [d] Gemblacenſis in Vita quam edidit S. Guiberti; qui ex nobili militia ad illud monaſterium fugiens, monaſticam regulam amplexus eſt, atque inter alia egregia ſanctitatis monumenta, erexit in Gallia nobile monaſterium Gemblacenſe.

S. ODON. CLVN. OBITVS.

b ap. Sur. 18. Nouemb.

c ap. Sur. 11. Maij.

ADELBERO METE. EPISC. RESTITVTOR MONAST. DISCIPL.

d ap. Sur. 23. May.

III. PRIVIL. MONAST. S. VINC. AD FONT. VVLTVRNI.

Hoc eodem anno menſe Aprilis datum habetur priuilegium à Conſtantinopolitanis Imperatoribus Romano, Conſtantino, & aliis Romani filiis, monaſterio S. Vincentii ad Fontes Vulturni fluminis in territorio Beneuentano; quod vna cum aliis plurimis diuerſorum Pontificum ac Principum monumentis ad idem ſpectantibus, Ioannes eiuſdem cœnobii monachus intexuit in ſuo Chronico, quod ab exordio mundi vſque ad tempora Paſchalis Papæ Secundi perduxit. Flagrantia enim in Italia bella ciuilia effecerant, vt Conſtantinopolitani Imperatores potirentur Calabria, Apulia, atque ea Campaniæ parte quam Vulturnus aluit, poſita antea ſub ditione Longobardorum Ducum Beneuenti & Capuæ.

CONST. VIII. cum ROM. 32.

IESV CHRISTI AN. 943.

MARINI II. AN. 1.

I. STEPH. PP. OBITVS, ET SVBROGATIO MARINI II.

ANno Chriſti nongenteſimo quadrageſimo tertio, Indictione prima, *Stephanus* Papa vbi ſediſſet annos tres, menſes quatuor, dies quinque, ex hac vita migrauit. In cuius locum ſubrogatus eſt MARINVS (quem alii Martinum nominant) eius nominis Secundus, patria Romanus. Habet hęc vetus Codex Vaticanus de Romanis Pontificibus: quoto autem menſe vel die acciderint, non dicit. Sed Marinum ad principium huius anni ſedere cœpiſſe, aperte intelligitur ex ipſius priuilegio conceſſo monaſterio S. Vincentii ad Fontes Vulturni, à Ioanne monacho recenſito, quod datum habetur menſe Martio Indictione ſecunda, eiuſdem Pontificatus anno pariter ſecundo. Porro idem omiſſis inſanabilibus bellicis tumultibus, totum ſe tradidit ad componendam Eccleſiam, tam in Cleri quam in monachorum reformatione, & in baſilicarum reſtauratione, & cura pauperum: literiſque egit vt inter Chriſtianos Principes mutuo decertantes pax componeretur. Quem quidem iam olim fuiſſe dono prophetię imbutum, dictum eſt ſuperius ex Rebus geſtis S. Vdalrici Auguſtani Epiſcopi.

CONST. VIII. cum ROM. 33.

IESV CHRISTI AN. 944.

MARINI II. AN. 2.

I. TRYPHON PATRIAR. CONST. DEPOSITVS.

ANno Chriſti nongenteſimo quadrageſimo quarto, Indictione ſecunda, poſt celebratam Conſtantinopoli *Synodum*, in qua Tryphon Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui exacto definito tempore quo pollicitus fuerat cedere Theophylacto Romani Imperatoris filio, recuſaret id præſtare, doloſe circumuentus depoſitus eſt; *Theophylactus* cum iam ad annum ætatis vigeſimum quintum perueniſſet, menſe Februario Patriarcha eſt conſecratus. Rem geſtam pluribus narrat Curopalates.

II. FILIA HVGONIS REG. IVNCTA FILIO CONST. IMP.

a Luitpr. l. 5. c. 6.

Eadem quoque Indictione ſecunda, miſſam fuiſſe legationem à Conſtantino Imperatore ad Hugonem Italiæ Regem, vt filio ſuo Romano filiam eius Bertam iungeret matrimonio; idque factum eſſe intercurrente pariter ab ipſo Hugone ad eumdem Imperatorē legatione pro mittenda claſſe aduerſus Saracenos; Curopalates, & Luithprandus [a] teſtantur. Addit vero iſte, eamdem Bertam ex concubina fuiſſe genitam, miſſamque Conſtantinopolim per Sigefredum Parmenſem Epiſcopum, à Græcis mutato nomine Eudoxiam eſſe dictam: ſed & Conſtantinum claſſem miſiſſe, quæ omnes Saracenorum naues exuſſit; Hugonemque eoſdem Saracenos Fraxineto expuliſſet: verum mox timentem Berengarium Marchionem Eporregiæ ciuitatis, tyrannum Italiæ, cum iiſdem Saracenis fœdus iniiſſe, atque ex eo tempore omnia ipſi infeliciſſime ad obitum vſque ceſſiſſe.

III. IMAGO CHRISTI NON MANVFACTA CONSTANTINOPOL. TRANSLATA.

Sub eadem pariter Indictione ſecunda Curopalates tradit Edeſſenos obſidione grauiter oppreſſos, eius ſolutionem ab Imperatore petiiſſe, pollicitos pretium daturos ſanctam Chriſti EFFIGIEM (illam videlicet famoſiſſimam miraculo expreſſam ipſo Chriſto viuente, & ad Abgarum miſſam, de qua ſæpe dictum eſt) ſolutaque obſidione traditam eſſe Imaginem, & Conſtantinopolim maxima pompa perductam. Cuius quidē tranſlationis prolixam narrationem Conſtantinus ipſe Porphyrogenitus Imperator (non pater, ſed filius eiuſdem cum patre nominis, atque etiam cognominis: omnes enim qui nati purpura induebantur, vel in Porphyro palatio naſcebantur, Porphyrogeniti dicebantur) contexuit in oratione [b] quam poſtea habuit de eadem ſacra imagine: cum qua etiam tranſlatum ait Epiſtolam ipſam, quam vna cum imagine Chriſtus Dominus propria manu ſcriptam ad

b Ext. ap. Metaphr. 16. Aug.

eumdem Abgarum miſiſſet: ſed & miraculo Dei voluntatem de eiuſmodi Conſtantinopolim translatione declaratam eſſe, ingentiaque alia miracula ad eaſdem ſacratiſſimas Reliquias edita tam in itinere quam in vrbe Conſtantinopolitana, quo delatæ ſunt decimoſeptimo Calendas Septembris: quæ dies ex eo tempore fuit apud Græcos perpetua ſolemnitate conſecrata. Denique contigit ſub eodem Conſtantino Porphyrogenito, vt cum S. Paulus in Latro (à monte in cuius vertice habitabat, ita nominatus ſummæ ſanctitatis anachoreta) à Photio Patricio ad ipſum ab Imperatore miſſo, petiiſſet vt eidem S. Imagini æquale velum lineum applicaret, & ad ſe mitteret; eo tactu Chriſti effigies in eo linteo ad amuſſim expreſſa fuerit: quod tradit fideliſſimus auctor Vitæ ipſius S. Pauli. Ceterum poſtea bellis ingruentibus, ipſaque ciuitate Conſtantinopolitana ſæpe capta & ab hoſtibus direpta, ac primum à Catholica communione diſciſſa; Dei prouidentia factum eſt, vt eadem veneranda Imago Romam perlata fuerit, vbi hactenus colitur in Titulo S. Silueſtri.

EADEM S. IMAGO ROMAM TRANSLATA.

IV. ROM. ET FILII EIVS IMPERIO PRIVATI.

Hoc eodem anno, decimaſexta Decembris, inchoata iam tertia Indictione, Romanus imperator qui ex collega in quem à Conſtantino Porphyrogenito aſſumptus fuerat, iam prope in dominum mutatus erat; à Stephano proprio filio, Imperatore ab ipſo pariter declarato, captus & attonſus in monachum, relegatus eſt in inſulam. Sed & poſt triginta quinque dies elapſos, nempe vigeſima prima Ianuarii, idem Stephanus & Conſtantinus ipſius frater, inter ſe mutuo de Imperii primatu certantes, ambo in menſa tenti, in inſulas deportati ſunt. Sicque vt prius, vni Conſtantino Porphyrogenito, Leonis Philoſophi filio relictum eſt Imperium. Præſtitit hoc ipſi in ſuæ Imaginis aduentu IESVS CHRISTVS qui ſemper exaltauit humiles, & ſuperbos è ſede depoſuit. Hæc autem pluribus deſcripſit Curopalates, & ex eo alii Græcorum hiſtorici; ex Latinis vero Luitprandus [c] profuſius.

c Luitpr. lib. 5. cap. 9. 10. 11.

V. ABSCISSA MANVS RESTITVTA CVIDAM HOMINI

d Witich. lib. 2.

De rebus Germanicis valde mirandum, quod hoc quidem contigiſſe anno Frodoardus narrat de quodam homine; cui cum manus ferro abſciſſa eſſet, poſt aliquod tempus eadẽ reſtituta eſt ipſi dormienti. Witichindus [d] & ipſe ſui temporis ſcriptor, eamdem hiſtoriam recenſens, addit pro ſigno miraculi ſanguineam lineam loco coniunctionis relictam eſſe. Subdit autem Frodoardus de igneis globis per aerem volitantibus, qui crucibus oppoſitis cum benedictione Epiſcopali & aqua benedicta repellebantur.

CONST. VIII. AN. 34.

IESV CHRISTI AN. 945.

MARINI II. AN. 3.

I. REX à DEO REIECTVS OB FOEDVS CVM INFIDELIB.

ANno Chriſti nongenteſimo quadrageſimo quinto, Indictione tertia, Hugone Rege Italiæ à ſuis pulſo; eius filius Lotharius in Regnum ſuſceptus eſt. Hæc Frodoardus ſatis ad temporis notam conſignandam; atque ſignificandum à Deo fuiſſe reiectum Regem, ſimul ac fœdus iniit cum Saracenis. Sed & qui Manaſſi affini ſuo plures (vt vidimus) dederat Epiſcopatus, vt eo modo (quod putabat) Regnum ſibi ſtabiliret; idem iuſto Dei iudicio cum primum rebellem ſenſit, cupiditate illectum potiundi Archiepiſcopatu Mediolanenſi à Berengario Marchione ſibi promiſſo: ſicque eidem Berengario Italiam repetenti aperuit oſtium, & vt alii Principes Italiæ ab Hugone deficerent procurauit. Itaque Hugo Regno pulſus, in Prouinciam vnde venerat Arelatenſis Comes, reuerſus eſt, nec diu poſt vixit. Quæ omnia pluribus proſecutus eſt Luitprandus [a]. Habet vero amplius Leo [b] Oſtienſis de eodem Hugone, ipſum in Burgundia monaſterium perquam magnificum conſtruxiſſe ſub titulo S. Petri; ibique omni theſauro ſuo tradito, monachum effectum eſſe.

a Luitpr. lib. 5. cap. 13.
b Leo Oſt. l. 4. cap. 64. in f.

HVGO REX MONACHVS.

II.

Eodem anno rurſum recrudeſcentibus bellis in Galliis inter Ludouicum Regem atque Hugonem Francorum Ducem, idem Ludouicus dolo Hugonis comprehenſus eſt à Northmãnis, quos putabat ſibi fideles; & per annum integrum detentus in cuſtodia, nec ſolutus niſi dato Hugoni quod petierat caſtro Laudonenſi. Hæc Frodoardus anno præſenti atque ſequenti. Qui & hoc anno habet de plaga Ignis in homines Pariſienſis territorii cœlitus immiſſa; ex qua ſanari eos contigit, qui ad Sanctorum loca, ac præcipue ad eccleſiam B. Mariæ Pariſiis ſe reciperent.

PLAGA IGNIS CÆLITVS IMMISSA.

CONST. VIII. AN 35.

IESV CHRISTI AN. 946.

AGAP. II. AN. 1.

I. MARINO PP. MORTVO, SVBROGATVR AGAPITVS II.

ANno Chriſti nongenteſimo quadrageſimo ſexto, Indictione quarta, *Marinus* Papa deceſſit; ſucceſſitque ei AGAPITVS huius nominis Secundus. Hæc breuiter Frodoardus. Quoto autem menſe vel die id acciderit, apud veteres vbique ſilentium: ſediſſe autem Marinum annos tres menſes ſex dies tredecim, habet vetus codex Vaticanus de Romanis Pontificibus. De cuius geſtis, præter ea quæ diximus, nota tantum habentur, quæ cum magna eiuſdem Pontificis laude refert Leo [a] Oſtienſis de rebus quorumdam monaſteriorum ab ipſo probe diſpoſitis.

a Leo Oſt. lib. 1. cap. 60. 61. 62.

II.

b Luitp. lib. 6. cap. 1.

LVITPRANDI LEGATIO CONSTAN.

c Ibid. cap. 1. 2. 3.

Eodem tempore (vt ait Luitprandus [b]) Conſtantinus Imperator literas dedit in Italiam ad Berengarium Principem, quibus ei commendauit Lotharium Regem fratrem nurus ſuæ. Ab ipſo vero Berengario ad eumdem Conſtãtinum miſſus eſt idem Luitprandus hiſtoricus, qui ſuam ipſius legationem deſcribens [c], multa admiratione digna narrat, quæ vt curioſa ad inſtitutum noſtrum minus ſpectantia prætermittimus.

CONST. VIII. AN. 36.

IESV CHRISTI AN. 947.

AGAP. II. AN. 2.

I. CONCIL. VIRDVN. IN CAVSA EPISCOP. RHEM.

ANnus Chriſti nongenteſimus quadrageſimus ſeptimus inchoatus eſt Indictione quinta. Quo habita eſt SYNODVS Virduni, veteri in cauſa Hugonis & Artaldi contendentium pro Archiepiſcopatu Rhemenſi, cum Artaldus olim pulſus, anno ſuperiori à Ludouico Rege in ſedem illam fuiſſet reſtitutus. Ad illam autem Synodum cum vocatus Hugo venire recuſaſſet, ipſa Synodus Artaldo Archiepiſcopatum adiudicauit. Hæc Frodoardus; quæ geſta ait hoc anno menſe Nouembri, præſidente in Synodo Roberto Treuirenſi Archiepiſcopo. At quoniam negotium perarduum haud videbatur poſſe per prouinciales Epiſcopos terminari, placuit anno ſequenti plenum Concilium conuocari ex Epiſcopis Galliæ atque Germaniæ. Interea vero Hugo nuncium ad Agapitum papam miſit, cum falſis literis nomine Epiſcoporum prouinciæ Rhemenſis conſcriptis, quibus petebatur vt Epiſcopatus eiuſdem Eccleſiæ ipſi Hugoni ab Apoſtolica ſede confirmaretur. Quarum fide ab eodem Pontifice ſurreptæ ſunt literæ ea de re ad Epiſcopos Galliæ atque Germaniæ. Sed quid poſtea ſecutum fuerit, dicetur anno ſequenti.

II.

a Ambr. Moral. 16. Chron. Hiſp. 11.

Celebrata hoc pariter anno [a] Aſturiæ in Hiſpania traditur ſub Salomone eius ciuitatis Epiſcopo SYNODVS; in qua nonnulla de rebus ad Chriſtianam diſciplinam bene diſponendam & conſeruandam tractata fuerunt: ſed deſiderantur Acta.

III. S. ÆDITHA REGINA.

b Dit. lib. 2.

Eodemque anno, qui vndecimus Ottonis Germaniæ Regis numeratur ſeptimo Calendas Februarii mortua eſt eius coniux *Æditha* Regina ſanctitate præclara; quam & poſt obitum claruiſſe miraculis, Ditmarus eius temporis ſcriptor affirmat [b]

CONST. VIII. AN. 37.

IESV CHRISTI AN. 948.

AGAP. II. AN. 3.

I.

ANno Chriſti nongenteſimo quadrageſimo octauo, Indictione ſexta, Agapitus Papa Legatum à Latere *Marinum* Epiſcopum miſit in Galliam, tum ad ſtabiliendum Ludouici Regnum, quod factione Hugonis Ducis variis nutabat tumultibus; tum etiam ad cognoſcendam cauſam Rhemenſis Eccleſiæ, quiſnam eius legitimus eſſet Epiſcopus, Artaldus, vel Hugo.

II. CONCIL. AD CASTR. MOSOMI IN CAVSA EPISCOP. RHEM.

Et primo quidem ante Marini aduentum alia celebrata fuit Idibus Ianuarii SYNODVS ad caſtrum Moſomi à Roberto Archiepiſcopo Treuirenſi, ceteriſque eius diœceſeos Epiſcopis, & aliquibus Rhemenſis: ad quam rurſum vocatus Hugo cum venire contempſiſſet, Artaldo iterum adiudicatus eſt Rhemenſis Archiepiſcopatus. Cum vero nec huic Synodi definitioni Hugo acquieſceret, fretus literis ſurreptitiis Apoſtolicæ Sedis; de quibus diximus: tandem adueniente Marino Legato, SYNODVS Generalis Epiſcoporum Germaniæ & quorumdam Gallorum (fuerunt omnes numero vnus & triginta) habita eſt in palatio *Engelenheim* ſeptimo Idus coram eodem Legato, præſentibuſque Regibus Ottone & Ludouico. In qua primum Ludouicus queſtus eſt de iniuriis ſibi ab Hugone Duce illatis; conteſtatuſque eſt, quod ſiquis obiiceret eas ſibi illatas eſſe ſuorum facinorum cauſa, paratus eſſet purgare ſe iuxta Synodale iudicium, & Regis Ottonis præceptionem, vel certamine ſingulari defendere. Deinde vero Artaldus litem expoſuit, quæ verſabatur inter ipſum & Hugonem æmulum; prolatæque ſunt à diacono Hugonis literæ Agapiti Papæ in fauorum eiuſdem Hugonis conſcriptæ. Sed cum illæ oſtenſæ eſſent ſubreptitiæ, ac proinde nullius vigoris: tunc Artaldo, quod numquã Synodale iudicium refugiſſet, communi decreto confirmata eſt poſſeſſio Archiepiſcopatus Rhemenſis: Hugo vero eiuſdem Eccleſiæ inuaſo excommunicatus, donec pœnitentiam ageret. Præter quæ actum eſt etiam in eadem Synodo de inceſtis coniugiis, & ſimoniacis Eccleſiarum venditionibus, aliiſque illicitis laicalibus vſurpationibus tollendis; deque aliis rebus ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinentibus.

CONCIL. GENER. ENGELHEIMAN EAD. CAVSA.

III CONCIL. TREVER. IN CAVSA REG. FRANCOR.

Cauſa vero Ludouici Regis & Hugonis Ducis, delata eſt ad Synodum Treueris hoc eodem anno celebrandam; ad quam interim idem Hugo vocari deberet literis Marini Apoſtolicæ Sedis Legati. Collecta autem eadem Treuirenſi SYNODO, cũ Hugo diu expectatus, nec per ſe nec per Legatos adeſſe curaſſet; tandem Synodi ſententia, ob mala tam Eccleſiis & Epiſcopis, quam regno Regique illata, excommunicatus eſt donec de cunctis ſatisfaceret. Pariterque excommunicati duo pſeudoepiſcopi ab Hugone inuaſore Rhemenſi poſt ipſius expulſionem atque damnationem ordinati; aliique nonnulli ob alia facinora damnati. Quæ quidem omnia de prædictis Synodis hoc anno celebratis recenſita, pluribus narrat Frodoardus.

CONST. VIII. AN. 38.

IESV CHRISTI AN. 949.

AGAP II. AN. 4.

I. CONCIL. ROM. PRO CONFIRMAT. SYNOD. GALLICAN.

ANno Chriſti nongenteſimo quadrageſimo nono, Indictione ſeptima, celebrata eſt Romæ SYNODVS apud S. Petrum ab Agapito Papa, in qua damnationem duorum Hugonum, tam Ducis quam Epiſcopi, in Conciliis ſuperiori anno habitis decretam confirmauit. Hæc Frodoardus.

II. a Adam lib. 2. c. 1. & 3.

Eodem anno debellatis ab Ottone Germaniæ Rege magna victoria Danis & Slauis, iiſdemque in Chriſtianam religionem à qua deſciuerant reductis, & Eccleſiis in eorum regionibus ordinatis, Agapitus Papa eorum Metropoli Hamburgẽſi gratulatus, eidem priuilegia à prædeceſſoribus data innouauit: quæ facta eſſe hoc anno, numeratur duodecimus ſedis Adaldagi Archiepiſcopi, teſtatur, Adam [a] vetus Chronographus. Ceterum Haraldum Danorum Regem, miraculo ferri candentis à clerico Chriſtiano abſque læſione diu tenti, ad fidem Chriſtianam capeſſendam inductũ eſſe, Witichind [b] tradit: cui etiam adſtipulatur Ditmarus [c] Habent vero, idem omnes, de multis populis ab Ottone imperio ſuo ſubiugatis; adeo vt omnia ferme regna quæ poſt mortem Caroli Magni defeciſſent, iterum recuperauerit.

REX DANOR. EX MIRACVLO CONVERSVS AD FIDEM. b Witich. 2. c Ditmar. Chron. l. 2.

III. BERENGARII EXPILATIO ECCLES. d Luitpr. lib. 5. cap. 15.

Hoc item anno Vngaris rurſus Italiam inuadentibus, Berengarius decem modios numorum, non ex propria pecunia, ſed ex Eccleſiarum ac pauperum collectione dedit; eademque occaſione multam aliam pecuniam ab omnis ætatis ſexuſque hominibus collegit, ſibiq; retinuit: vt hæc damnans Luitprandus [d] narrat.

CONST. VIII. AN. 39.

IESV CHRISTI AN. 950.

AGAP. II. AN. 5.

I. a Leo Oſt. lib. 1. cap. 4. FINIS IMPERII FRANCOR IN ITALIA.

ANno Chriſti nongenteſimo quinquageſimo, Indictione octaua, Lothario Rege Italiæ veneno ſublato è medio, Berengarius vendicauit ſibi Regnum. Hæc Frodoardus. Leo [a] autem Oſtienſis ait ipſum Lotharium in ſubitam phreneſim incidiſſe, atque in ipſo finem accepiſſe Imperium Francorum in Italia: eoque defuncto vxorem eius Adelaidem, filiam Rodulphi Regis, ſeſe in Canuſinam munitiſſimam arcem recepiſſe, atque inde literis Ottonem Regem propinquum ſuum in Italiam ad ſui liberationem vocaſſe. Sed & Agapiti Romani Pontificis epiſtola vocatum eumdem Ottonem, vt liberaret Italiam à Berengarii tyrannide, teſtatur Anonymus qui olim ſcripſit Vitas Romanorum Pontificum. Equidem cum ſanctiſſimus Pontifex vidiſſet tyrannum manus miſiſſe in res Eccleſiaſticas (quod ſuperius vidimus) auxilium à Rege maxime pio expetendum putauit; quod & feliciter conſecutus eſt, vt dicetur anno ſequenti.

II. b Ambr. Moral lib. 16. cap. 19. & alii. FELIX EXITVS RAMIRI REG.

Quo pariter anno [b] Ramirus Rex Legionenſis in Hiſpania, religione, & bellica fortitudine inſignis, piiſſime ex hac vita migrauit, cum regnaſſet annos viginti duos expletos. Qui quidem moriturus; facta confeſſione Epiſcopis & Abbatibus qui ſecum aderant, deuote ſuſcepit Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini IESV CHRISTI: eoque facto ſe à regno abdicauit, proclamans cum lacrymis, *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc: Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.* Succeſſit ei Ordonius ipſius filius, huius nominis Tertius: quem toto quinquennio quo regnauit, ciuili bello magis quam externo contigit fatigari, rebellantibus aduerſus eum Sancio fratre cum Caſtellæ Comite: quæ pluribus proſequuntur rerum Hiſpanicarum auctores.

CONST. VIII. AN. 40.

IESV CHRISTI AN. 951.

AGAP. II. AN. 6.

I. a Leo Oſt. lib. 1. cap. vlt. b Frod. in Chron. hoc an.

ANno Chriſti nongenteſimo quinquageſimo primo Indictione nona, Otto Rex Germaniæ in Italiam veniens, fugatis Berengario Regem agente & eius filio Adelberto, Adelaidem Reginam Lotharij anno ſuperiori extincti coniugem, accepit vxorem. Hæc Leo [a] Oſtienſis, & Frodoardus [b] Iſte vero addit, Saracenos meatum Alpium obſidentes, viatoribus Romam peregrinantibus tributum impoſuiſſe, vt libere permitterentur tranſire.

II. VLTIO DIVINA IN TYRAN. SACRILEGVM.

Eodem anno Amalaphus tyrannus in Anglia, cum adeo inualuiſſet vt illius Regni partem dimidiam poſſideret, vbi aggreſſus eſt incendio tradere eccleſiam S. Balteri, mox numine vindice repentina morte percuſſus eſt: ſicque factum abſque armis eſt, vt vniuerſa Angliæ mo-

narchia [c] pius Rex potiretur Eadredus, qui iam antehac ſubrogatus fuerat in locum defuncti fratris ſui Eadmundi.

c Flor. hiſt. Monarchia Angl. [illegible]

CONST. VIII. AN. 41.

IESV CHRISTI AN. 952.

AGAP. II. AN. 7.

I. CONVENTVS AVGVST.

ANno Chriſti nongenteſimo quinquageſimo ſecundo, Indictione decima, menſe Auguſti, Auguſtæ Rætiæ prouinciæ publicus habitus eſt *Conuentus* Epiſcoporũ, necnon Principum Francorum, Germanorum, & Longobardorum; cui & Otto Rex interfuit, rogatus ab Epiſcopis: conditique in eo ſunt canones vndecim, qui extant [a]. Sed & Berengarius cum filio Adalberto ſeſe ſubiiciens eidem Ottoni, ab eo vt ſubditus recepit regendam Italiam. Qui tamen vbi illuc rediit, ad prauos ſuos actus reuerſus, Epiſcopos & Principes male habere cœpit, eorumque omnium inimicitiam in ſe conuertit: vt teſtatum habetur apud Reginonẽ hoc anno. Otto autẽ pro acceptis à Deo beneficiis gratias ipſi rependens, inter alia hoc ipſo anno [b] multa donauit Eccleſiis.

a Antiq. lect. Caniſ. to. 3.

b Crantz. Metro Sax. lib. 3. c. 25.

CONST. VIII. AN. 42.

IESV CHRISTI AN. 953.

AGAP. II. AN. 8.

I. OTTO INCONCVSSA SVO DAMNO TENTAVIT.

ANno Chriſti nongenteſimo quinquageſimo tertio, Indictione vndecima, Otto Rex gratiam Adelaidis coniugis, eius matri Bertæ contra ius faſque Abbatiam dedit Merenſtein appellatam; ſed ſuo graui damno: tunc enim in eum conſpirationes ipſius filii Lutholphi, & Chunradi Ducis ſunt cœptæ, omniaque turbata. De his plura apud Reginonis Appẽdicem, & Witichindum, atque alios res geſtas Ottonis proſecutos.

II. BRVNO EPISCOP. COLON.

Inter hæc vero Romam pro pallio accipiendo legatio miſſa eſt à Brunone Archiepiſcopo Colonienſi, ipſius Ottonis fratre, viro doctrina & pietate inſigni, qui hoc eodem anno (vt auctor eſt Frodoardus, & alii) defuncto Wicfredo legitima lectione ſubrogatus eſt. Miſſus itaq; Romam Abbas Fuldenſis, pallium ab Agapito impetrauit; quo Bruno vti permiſſus eſt, non ſolum (ex more) diebus ſolemnibus, ſed quoties vellet: vt teſtis eſt Rotgerus monachus in rebus [a] præclare geſtis eiuſdem Brunonis.

a Ap. Sur. to. 6. Oct.

CONST. VIII. AN. 43.

IESV CHRISTI AN. 954.

AGAP. II. AN. 9.

I.

ANno Chriſti nongenteſimo quinquageſimo quarto, Indictione duodecima, Alberico Patricio Romanorum defuncto, filius eius Octauianus, cum eſſet clericus Principatum adeptus eſt: qui defuncto pariter Agapito Papa, Pontificatum poſtea occupauit. Hæc Frodoardus, iſta intuitus ſcriptor huius temporis: ex quo mendacii arguas omnes qui dixerunt, per patrem Albericum, Octauianum eſſe promotum ad Pontificatum.

II. CORPVS S. MATTHÆI TRANSLATVM SALERNVM.

Eodem anno corpus S. MATTHÆI Apoſtoli, quod primo in Æthiopia vbi paſſus eſt, poſtmodum in Bithynia per multa tempora quieuerat, eiuſdem ipſius S. Apoſtoli reuelatione repertum eſt, atque Salernum translatum. Hæc Leo [a] Oſtienſis.

a Leo Oſt. lib. 2. c. 5.

III. PAX INTER OTTON. ET FILIVM.

Accidit hoc item anno, vt S. Vldaricus Auguſtanus Epiſcopus ad Ottonem Regem, ac filium eius Luitholphũ, habentes in conſpectu aduerſarios exercitus ad pugnam vtrimque paratos, ſequeſter pacis accedens, eoſdem inter ſe mutuo conciliauerit; quam rem geſtam deſcribit auctor ipſius Vitæ, & ex eo Berno Abbas: eamdemque accidiſſe hoc anno decimoſexto Calendas Ianuarii, Marianus affirmat. Rotgerus [b] vero ſcribit, opera inſuper Brunonis Colonienſis Archiepiſcopi Ottonis fratris factum eſſe, vt pater filio reconciliatus, eidẽ Italiæ Regnum delegauerit.

b Rotger. in Vit. Brun. c. 27.

IV.

Quo pariter anno mortuus eſt Ludouicus Francorum Rex: cuius filius Lotharius puer, apud S. Remigium Rex conſecratus eſt ab Artaldo Rhemenſi Archiepiſcopo, fauente Hugone Principe, & Brunone Archiepiſcopo Coloniæ, ceteriſque Præſulibus & Proceribus Franciæ, Burgundiæ, & Aquitaniæ. Hæc Frodoardus.

V. WILLELMVS ARCHIEPISC. MOGVN.

Defuncto quoque Friderico Archiepiſcopo Moguntino, electus eſt in locum eius Willelmus filius Ottonis Regis ex priori coniuge, eodem ipſo die quo pax inter ipſum Ottonem & filium eius Lutholphum ſancita eſt, nimirum (vt eſt apud Marianum Scotum) decimoſexto Calendas Ianuarii: ordinationem vero accepit nono Calendas eiuſdem menſis: cuius magna eſt laus apud Petrum Damiani, aliosque antiquos ſcriptores.

VI. CONCIL. NOVIOMEN. PRO FERIANDO DIE S. HVNEGVNDIS.

Eodem anno celebrata eſt à Rodulpho Nouiomenſi Epiſcopo *Synodus*, & ſtabilitum de feriando dies *S. Hunegũdis* virginis, quæ egregia claruerat ſanctitate ſub S. Eligio eiuſdem ciuitatis Antiſtite; eius vero corpus nuper inuentum fuerat, & innumeris coruſcauerat miraculis. In non ſeruantes autem hoc S. Synodi decretum, rurſus diuina ſunt oſtenſa prodigia, cum inter alia ex ſpicis à meſſoribus eo die collectis copioſus ſanguis profluxit. Recitantur hæc, aliaque de eadem S. Virgine, in Rebus [c] eius geſtis ab auctore illius temporis ſcriptis.

c Ap. Sur. to. 5. die 25. Aug. ad [illegible] Vit.

VII. DE RATHERIO EPISC. VERON.

Hoc eodem anno *Ratherius* vir magni nominis inter ſcriptores huius temporis, idemque Epiſcopus Veronenſis, iam antea inuidorum perſecutione pulſus ab Eccleſia, à Brunone Archiepiſcopo Colonienſi ſuſceptus, præfectus eſt Leodienſi. Cum vero & à Leodienſibus eiectus eſſet, fauentibus ordinationi cuiuſdam Baldrici ex magnatibus illius regionis; egit Bruno cum Ottone Rege, vt idem Ratherius reſtitueretur in ſedem priſtinam Veronenſem: è qua tamen rurſum ob falſas in eum illatas calumnias pulſus eſt. Agit de his Rotgerus in Brunone [d]. Sed de triplici ſua eiectione Ratherius luſit hoc verſu, *Veronæ præſul, ſed ter Ratherius exul.* Reuerſum autem poſt tertium exilium in ſuum monaſterium Lobienſe vnde progreſſus erat, obiiſſeque ibi diem extremum anno primo Ottonis Secũdi, qui numeratur nonageſimus ſeptuageſimus tertius, Sigebertus affirmat. Henricus autem ſcribit, humilitatis ergo hæc ſcribi in ſuo tumulo voluiſſe, *Cõculcate pedes hominum ſal infatuatum*, quem & multas reliquiſſe præclari ingenii ſui lucubrationes [e] conſtat.

d Rotger. c. 38.

e Rat. [illegible] Tom. X. [illegible]

VIII.

Eodem anno (ait Ditmarus [f]) cruces in veſtibus apparuerunt; quod ſignum digne accipientibus profuit, irridentibus autem obfuit.

f Ditmar. l. 2. [illegible]

CONST. VIII. AN. 44.

IESV CHRISTI AN. 955.

AGAP. II. AN. 10.

I. AGAP. PP. OBITVS.

ANno Chriſti nongenteſimo quinquageſimo quinto, Indictione decimatertia, ingens perturbatio Eccleſiam Romanam inuaſit; cum defuncto *Agapito* ſanctiſſimo Pontifice, poſtquam ſediſſet annos nouem menſes ſeptem dies decem, ipſe quem diximus anno ſuperiori, *Octauianus* Alberici filius, iam antea ex clerico factus Vrbis Princeps, Apoſtolicam Sedem inuaſit, ſuggerentibus (vt ait Frodoardus) Romanis. At licet omnia quæ conueniunt ad legitimam electionẽ ſuppetiiſſent, ex ætate tamẽ longe diſpar vt legitime electus. An enim ipſe hoc tẽpore plenam pubertatẽ expleuerit, ex his quæ apud Luitprandum [a] qui cuncta habebat præ oculis ſcripta reperiuntur, poſſumus dubitare, dum recitantur Ottonis Imperatoris verba de ipſo cũ iam octauum ageret in Pontificatu annũ dicentis, *Puer eſt, facile bonorum mutabitur exemplo virorum*; excuſantis videlicet in adoleſcentulo audita ſcelera. Sed & cum ex eodẽ Luitprando & aliis cõſtet, patrẽ eiuſdem Octauiani Albericũ duxiſſe vxorẽ Aldã Hugonis Regis filiã anno nongẽteſimo trigeſimo ſexto circa finẽ eius; etiam-

a Luitpr. l. 6. c. 6.

II. ÆTAS OCTAVIANI SEDEM INVADANTIS.

ſi Octa-

ſi Octauianus primogenitus fuerit, tamen non potuit naſci ante annum nongenteſimum trigeſimumſeptimum qua ratione dicendum eſſet, ipſum ad ſummum nonniſi annos octodecim habere potuiſſe cum inuaſit Pontificatum. Abortiuum iſtum tunc parturiit Romæ tyrannis Pontificem, qui nec ætate diaconus eſſe potuit. Attamen accedente conſenſu, hunc tolerandum vtcumque perditiſſima illa tempora ſuaſerūt magis, quam Eccleſiam ſchiſmate ſcindere; cuius vitandi cauſa, vtpote mali omnium peſſimi, vniuerſa Eccleſia Catholica eum eſt venerata Pontificem, vt ex ſequentibus apparebit. Hic autem re vera primus inuentus eſt, qui mutauit ſibi nomen; vt qui ex Octauiano voluerit nominari IOANNES; vel quod eo nomine eius patruus Ioannes Papa Vndecimus ſit appellatus, vel vt in nomine ſaltem bene poſſet audire in adulatoriis acclamationibus quibus male vſurpatum proferri ſoleret ſacrum illud elogium, *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes.*

IOAN. PP. XII. PRIMVS MVTAT NOMEN.

II. VNGARI INGENTI PRÆLIO AB OTTONE DEBELLATI.

Hoc eodem anno cum Hunni, ſiue Vngari, in Germaniam numeroſiſſimo exercitu irrupiſſent, & poſt alia multa illata damna Auguſtam ciuitatem obſediſſent, cerneretque Rex Otto non poſſe illos humanis viribus ſuperari; ad preces, ieiunia, ac vota ſancta conuerſus, ſicque virtute Dei roboratus prælium fortiſſime cum eis commiſit; tantamque ſtragem edidit, vt ex infinito ferme eorum numero, ſex aut ſeptem fugientes euaſerint, Regibus captis, & in ignominiam laqueo ſuſpenſis. Quam quidem victoriam longe ante fuiſſe à S. Vdalrico diuina reuelatione præcognitam, egregiamque ab eodem in ſuæ ciuitatis obſidione nauatam operam, qui res ab eo geſtas fideliter eſt proſecutus affirmat. Celebrata vero eadem reperitur omnium [b] ore, quam obtentam tradunt die S. Laurentii. Denique nunquam apud noſtrates talem eſſe auditam, tradit apud Reginonem ſcriptor qui Actuarium ad eius hiſtoriam appoſuit. Pro qua ingentes gratiarum actiones ab Ottone repenſas Deo, Deique Genitrici, & & omnibus Sanctis, qui res Saxonum proſecutus eſt Crantzius [c] ſcribit.

b Fred. Ditm. Luitp. Vit. Vdal. Rotger. in Brun. Cranz. & alii rerum huius temporis ſcript.
c Crantz. 4. hiſt. Sax. 6. 7.

III.

S. DVNSTANVS EPISCOPVS REGEM À MEDIO IMPVDIC. FEMIN. ABSTRAHIT.

Hoc pariter anno defuncto in Anglia optimo Rege Eadredo, poſtquam regnaſſet annos nouem, inque eius locum ſubrogato Eduino filio Eadmundi prædeceſſoris ipſius Eadredi, voluptuoſo homine, ſacrarumque legum contemptore; Eccleſia Anglicana nonnihil perturbata eſt, S. Dunſtano optimo Regni adminiſtratore in exilium relegato, eo quod cum Eduinus ipſo die coronationis ſuæ à loco conuiuii in quo vna cum Epiſcopis ac Principibus ſederet, relictis illis ſeceſſiſſet ad duas feminas impudentiſſimas quas deperibat, eum Dunſtanus ab aliis Epiſcopis ac Principibus ad hoc delegatus, è medio illarum nolentem violenter abſtraxiſſet. Quam rem geſtam pluribus narrat Osbertus [d] monachus eius temporis auctor in Vita eiuſdem S. Dunſtani, necnon alii rerum Anglicanarum ſcriptores. Quomodo autem vindice Deo Rex ob ſcelus in virum ſanctum commiſſum pellendo eum à Regno, & ipſe è regno ſit expulſus, quæque cauſa Dunſtani exilii fuerat ſceleſtiſſima femina, ab iiſdem Regis perſecutoribus necata ſit, idem auctor inferius narrat.

d Osbert. in Dunſt. cap. 21. ap. Sur. 19 Maii. Flor. hiſt. Matth. Weſtm. hoc an.

IV.

Eodem anno defuncto Ordonio Rege Legionenſi, relicto filio Veremundo adhuc impubere, Regni habenas moderandas ſuſcepit Sancius Craſſus ipſius Ordonii frater. Quod vero fertur de ingenti victoria, monitu Pelagii eremitæ hoc tempore obtenta per Ferdinandum Gundiſaluum, an veritate ſubſiſtat, conſule Ambroſium Moralem, ceteris hiſtoricis rerum Hiſpanicarum præferēdum.

IESV CHRISTI AN. 956.

CONST. VIII. AN. 45.

IOAN. XII. AN. 1.

I. THEOPHYL. PATRIARCH.

ANno Chriſti nongenteſimo quinquageſimo ſexto, Indictione decimaquarta, tertio Calendas Martii mortuus eſt Theophylactus Conſtantinopolitanus Patriarcha, cum ſediſſet annis viginti tribus, diebus viginti quinque, homo omni ex parte turpiſſimus, qui & venales proponebat Eccleſiaſticos ordines, & creationes Epiſcoporum, tantoque inſaniebat equorum amore, vt ad duo millia ſibi comparaſſe dicatur, eoſque aluiſſe pinorum fructibus, amygdalis, piſtaciis, & dactylis, itemque croco, cinnamomo, & balſamo, aliiſque fructuum & aromatum generibus, odoratiſſimoq; vino. Feruntque, cum aliquando magna quinta Dominicæ Cœnæ die, ſacra in magna eccleſia celebraret, accepto nuncio de cuiuſdam inſignis equæ ſuæ partu, diuina officia deſerentem ad ſtabulum cucurriſſe, vt pullum videret, rurſumque ad ſacra perficienda in eccleſiam rediiſſe. Primus quoque induxit morem, Dei & Sanctorum feſtiuitates cantibus impuris & ridiculis celebrare. Cum igitur ſic viueret, temere quadam die equitans ad murum illiſus, ſanguinem ex ore expuit, eoque morbo biennium laborans, cum in hydropiſim incidiſſet, mortuus eſt die qua diximus. Tertio vero Nonas Aprilis, in locum eius Patriarcha electus eſt ab Imperatore Conſtantino, *Polyeuctus* monachus, ſapientia & ſimplicitate morum inſignis: qui tamen quod non ex more ab Heraclææ Epiſcopo (erat enim hic Imperatori quadam ex cauſa inuiſus) ſed à Cæſarienſi conſecratus fuerit magnam ſibi infamiam acquiſiuit: licet non deſtiterit praua etiam facta ipſorum Imperatorum ſacerdotali libertate redarguere, vnde & cœpit Conſtantinus occaſionem quærere ipſum è ſede deturbandi, nec ante obitum ab eius odio deſtitit. Hæc omnia Curopalates, & alii ex eo.

CONST. INSANVS AMOR EQVORVM.

POLYEVCTVS PATRIARCH. CONST.

II. TRANSLATIO MANVS S. IO. BAPT. CONST.

Quo eodem anno (vt idem ſubdit auctor) tranſlata eſt Antiochia Conſtantinopolim Manus S. Ioannis Baptiſtæ, à quodam diacono furto rapta, ac ſolemni pompa ab Imperatore & Patriarchia collata eſt in Regia.

III.

Eodem item anno [a] grauiſſima peſtilentia vexauit Boreales prouincias, prodigioſis antea in veſtibus crucibus apparentibus. Qua tactus [b] & ipſe Rex Otto, S. Viti martyris interceſſione liberatus eſt.

a Ap. Regin.
b Witich. l. 3. de reb. Sax.

IESV CHRISTI AN. 957.

CONST. VIII. AN. 46.

IOAN. XII. AN. 2.

I. S. DVNSTANVS ORDINATVR EPISCOPVS.

ANno Chriſti nongenteſimo quinquageſimo ſeptimo, Indictione decimaquinta, Anglia depreſſa ob regimen Eduini Regis, eo pulſo, & ſubſtituto in Regni partem Edgaro, reſpirare cœpit. Hic enim ſtatim reuocauit ab exilio S. Dunſtanum, inuitumque præfecit Epiſcopum Eccleſiæ Wigornenſi: in cuius conſecratione illud accidit mirandum, vt S. Odo Cantuarienſis Archiepiſcopus Angliæ Primas, omiſſo Eccleſiæ Wigornenſis titulo, cōſecrauerit eum in Cantuarienſem Archiepiſcopum, prophetice quod eſſet futurum præſignans, ſicque Apoſtolico more ſecundum præcedentes prophetias ad ſumum illum thronum ſuo tempore aſcendit. Hæc ex Osberto in Dunſtano [a].

a Ap. Sur. Maii.

II. PRESB. APOSTATA IVNCTVS SARACENIS.

Accidit quoque his diebus in Oriente, vt cum Saraceni in Herculis vicum irrupiſſent, quidam presbyter Themel dictus ſacrificium incruentum peragens, ita vt erat indutus manibus geſtans Eccleſiæ myſterium, ſic eos qui inuaſerant propulſauerit, vt & multos vulnerauerit, atque etiam interfecerit, reliquis in fugam verſis: quamobrem interdictus ab Epiſcopo, cum non poſſet impetrare veniā, ad Saracenos ſe conferens Chriſtianam fidem abiurauit, multaque poſtea detrimenta Eccleſiæ Imperioque intulit. Hæc ex Curopalate.

IESV CHRISTI AN. 958.

CONST. VIII. AN. 47.

IOAN. XII. AN. 3.

I.

ANno Chriſti nongenteſimo quinquageſimo octauo, Indictione prima, defuncto anno ſuperiori Luitholpho Ottonis Regis filio, à patre in Italiam miſſo ad coer-

cem iam tyrannidem Berengarii, tyrannus ſolutus timore, abſque delectu profana ſacraque impune vaſtare cœpit, inſtigante præcipue Willa eius vxore, impudicitiæ, ſæuitiæ, cunctorumque vitiorum infamia laborante, quam inter omnium feminarum nequiſſimam Luitprandus, [a] appellat.

a Luitpr. li. 4. cap. 5.

II. PROPAGATIO FIDEI IN TVRCIS.

Quo pariter anno (vt auctor eſt Sigebertus) idem Otto in Slauos ducens exercitum, eos debellauit occiſo eorum Regulo. Sed & ſcribit Curopalates, eumdem Ottonem hoc tempore, Turcarum Regem ſiue Ducem nomine Boleſodem, Conſtantinopoli baptizatum, atque muneribus & Patriciatus dignitate auctum, ſed poſtea fidei Chriſtianæ deſertorem factum, cum non ſolum in Græcos, ſed & in Francos irrueret, cœpiſſe, ac patibulo ſuſpendiſſe. Verum de ea re apud Latinos nuſquam mentio. Addit autem Curopalates, alium quoque Turcarum Ducem nomine Gylam, Conſtantinopolim acceſſiſſe vt baptizaretur; paribuſque & ipſum muneribus & honoribus affectum diſceſſiſſe, ac ſecum duxiſſe Hierotheum quemdam pium monachum, delectum à Patriarcha Conſtantinopolitano Turciæ Epiſcopum, qui multos barbaros ad fidem conuertit.

III. EALSINI ARCHIEP. CANTVAR. POENA DE SACRILEGIO.

Eodem anno defuncto S. Odone Cantuarienſi in Anglia Archiepiſcopo, nequiſſimus homo Ealſinus, ſiue Edelſinus, datis muneribus ex Wentano Epiſcopo factus eſt illius Sedis inuaſor: qui cum primo introitus die eiuſdem S. Odonis tumulum pedibus conculcans, verba contumelioſa in eum effutiiſſet, ſequenti nocte vidit eum in ſomno iniuriam ſibi improperantem, & velox exitium comminantem, ac paulo poſt Romam ad petendum pallium contendens, frigore miſerrime vitam finiuit. Hæc Matthæus Weſtmonaſterienſis monachus.

CONST. VIII. AN. 48.

IESV CHRISTI AN. 959.

IOANNIS XII. AN. 4.

I. FICTA CHRISTIANITAS RVSSORVM

ANno Chriſti nongenteſimo quinquageſimo nono, Indictione ſecunda, Legati Helenæ Reginæ Rugorum, ſiue Ruſſorum, quæ Conſtantinopoli baptizata fuerat, ficte (vt poſt claruit) ad Regem Ottonem venientes, Epiſcopum eidem genti petierunt. Hæc apud Reginonem hoc anno: ſequenti vero ait, Sibutium monachum ab Adaldago Hamburgenſi Epiſcopo eorumdem Ruſſorum Epiſcopum ordinatum eſſe, huic vero anno ſequenti defuncto ſucceſſiſſe Adalbertum pariter monachum, qui male ab illis populis acceptus, vix fuga lapſus euaſit, occiſis nonnullis ex ſuis.

II.

Hoc eodem anno perfectam pacem obtinuit Eccleſia Anglicana, defuncto Eduino Rege, & ſuccedente in monarchiam Regni totius Edgaro. Hæc Osbertus [a] & alii qui proſecuti ſunt res Anglorum. Porro precibus S. Dunſtani quem afflixerat, ne penitus ad inferos damnaretur, animam eius ereptam, idem narrat Osbertus.

a Osbert. in Dunſt. ap. Sur. 19. Maii.

CONST. VIII. AN. 49.

IESV CHRISTI AN. 960.

IOANNIS XII. AN. 5.

I.

ANno Chriſti nongenteſimo ſexageſimo, Indictione tertia, Ioannes Papa tyrannidem Berengarii haud amplius ferens, aduerſus eum Legatos miſit ad Ottonem Regem, de quibus aliiſque tam Epiſcopis quam Principibus ſæcularibus ex Italia pari occaſione ad eumdem Regem concurrentibus, apud Reginonem agitur: eoſdemque recenſet auctor Luitprandus [a] aſſertus, licet diuerſus ab eo, quiſquis ille fuerit qui capita illa à ſexto vſque ad vndecimum libri ſexti, Appendicem ad Luitprandum appoſuit: quem quidem Ottoni addictiſſimum fuiſſe conſtat, & priuato ſtudio ea ſcripſiſſe in ipſius gratiam, odium vero Ioannis Papæ. Porro ſic vocauit Ioannes Ottonem in Vrbem, vt tamen ille antea Legatis Apoſtolicæ Sedis ſeſe iuramento obligaret de conſeruandis integris ipſius Pontificis, Romanæque Eccleſiæ iuribus: cuius iuramenti forma recitata extat [b] apud Gratianum. Quando & vice verſa ipſe Ioannes per eoſdem Legatos ſuos promiſit Ottoni Imperii titulum ex more exhibendum, ſimulque ea omnia tam ſuo quam ſucceſſorum nomine præſtiturum, quæ Eugenius & Leo Pontifices ſponte promiſiſſent Imperatoribus. Quænam vero ea fuerint, intexta habentur in ipſius Ottonis diplomate donationis factæ eidem Ioanni Papæ, de quo agetur inferius ſuo loco.

a Ap. Luitp. lib. 6. cap. 6.

OTTONIS REG. PROMISSIO IVRATA IOANNI PP.

b Diſt. 63. c. 33. Tibi domino.

II. S. DVNST. IN VRBEM PRO PALLIO VENIT

Eodem quoque anno S. Dunſtanus ab Eccleſia Wigornenſi ad Cantuarienſem totius Angliæ metropolim tráſlatus, Romam venit ad Ioannem Pontificem vt ab eo pallium acciperet: antiquo videlicet more, quo Archiepiſcopi Cantuarienſes non per alium, ſed per ſeipſos Romam adire & pallium petere conſueuerant, vt Matthæus Weſtmonaſterienſis monachus, aliique antiquiores rerum Anglicanarum ſcriptores teſtantur. Quomodo vero idem Dunſtanus honorificè à Ioanne exceptus, accepto pallio, & Legatione Apoſtolica ex anteceſſorum conſuetudine auctus, in Angliam reuerſus fuerit, narrat Osbertus [c] monachus in eius Vita.

c Ap. Sur. 19 Maii.

III. CONST. IMP. A FILIO VENENO POTATVS.

Hoc eodem anno, die nona Nouembris Conſtantinus Imperator Porphyrogenitus veneno ſublatus eſt, quod illi propinauit Romanus filius tædio diuturnioris ipſius Imperii. Regnauit enim ab Alexandri obitu annos quadraginta nouem inchoatos: vixit autem quinquaginta quatuor & menſes duos. Hæc plunbus Curopalates: qui eius reprehendit violentiam, & in rebus publicis adminiſtrandis oſcitantiam, necnon ſæuitiam in puniendo, & in deligendis magiſtratibus neglectum maximum: Econtra vero laudat eiuſdem liberalium artium ſcientiam, & excellentem philoſophiæ cognitionem, curamq; artium mechanicarum, quas ad magnum incrementum perduxit, necnon pietatem erga Deum, & liberalitatem, quippe qui nunquam ſine donis ad eccleſias acceſſiſſet. Sed & ſupereſt [d] adhuc eiuſdem Imperatoris admonitio præclara ad Romanum filium ſuum de non ineundo connubio cũ externis gentibus: quod fragmentum eſſe videtur, excerptum ex prolixiori eiuſdem ſcriptione, Cuius quidem admonitionis ſuæ fundamentum præcipuum ſumit ex antiqua Conſtantini Magni Conſtitutione, quam in ſacra menſa eccleſiæ S. Sophiæ deſcriptã aſſerit, qua idem Conſtantinus ſeueriſſime ſanciuiſſet, ne vnquam Romanorum Imperatores affinitatem cum nationibus contraherent diuerſis moribus vtentibus, maxime vero quæ alterius fidei eſſent, præterquam cum ſolis Francis, propter antiquam gentis claritudinem atque nobilitatem. Ceterum defuncto Conſtantino Porphyrogenito, ROMANVS eius filius ſuſcepit Imperii habenas: qui & eodem anno *Baſilium* filium ſuum per Polyeuctum Patriarcham voluit in Imperatorem coronari.

d Rec. Bar. Annal. To. X. hoc an.

FRANCORVM ANTIQVA NOBILITAS.

ROMANVS IMPERAT.

ROMANI AN. I.

IESV CHRISTI AN. 961.

IOANNIS XII. AN. 6.

I. OTTO ABSQ. OBICE ITALIÆ REGNVM CONSEQVITVR.

ANno Chriſti nongenteſimo ſexageſimo primo, Indictione quarta, Otto Rex Germaniæ vocatus (vt vidimus) in Italiam legationibus Ioannis Papæ, & aliorum, antequam recederet è Germania, VVormatiæ Comitia habuit, in quibus filium ſuum Ottonem ex Adelaide genitum, creauit Regem, eumdemque VVillelmo Moguntino Archiepiſcopo, ſuo pariter, ſed ex priori vxore filio, nutriendum commiſit. His vero peractis, nullo obice in Italiam venit, atque Papiæ conſtitit. Habentur iſta apud Reginonem hoc anno: de quibus etiam agens auctor Luitprandus [a] aſſertus, ait Ottonem eo facilius expuliſſe Berengarium tyrannum, eiuſque filium Adalbertum, quo omnibus innotuit eum commilitones habuiſſe SS. Apoſtolos Petrum & Paulum. Quomodo autem res geſta fuerit, docet hiſtoria Longobardorum Ducum Beneuentanorum.

a Ap. Luitp. lib. 6. ca. 6.

Digitized by Google

II.

Hoc eodem anno ab eodem Ottone Rege tranſlatum it iſſe Magdeburgum corpus S. Mauritii Ducis Thebæorum regionis, & aliorum quorumdam ipſius ſociorum, ibique decenti honore eoſdem Martyres cultos eſſe, teſtatur Ditmarus [b] huius temporis ſcriptor.

b Ditm. li. 2. Chron.

III. S. NICONIS APOSTOLATVS.

Hoc item anno Indictione quarta, tradit Curopalates Cretam inſulam, poſtquam annis ferme quadraginta à Saracenis fuiſſet occupata, à Nicephoro Phoca, eiuſque germano Leone armis recuperatam eſſe. Cum autem longa poſſeſſione Saracenorum propemodum iam in ea Chriſtianitas defeciſſet ad Mahometiſmum, conſilium Dei fuit vt ad tantam deſolationem inſtaurandam S. Niconem mitteret, monachum genere Armenum, *Pœnitentiam agite* vulgo dictum, quod illud Ioannis vbique iugiter inclamaret Μετα νοεῖτε Qui quidem vbi primũ Orientis peragraſſet regiones, Apoſtolatus ſui primitias in conuerſione Armenorũ ab innumeris quibus detinebantur erroribus, Deo conſecrauit, poſtea vero diuino monitu miſſus in Cretam, eam inſulam bene inſtituit in fide Chriſti, indeque vniuerſam Græciam pœnitentiam prædicando peragrauit, plura miracula operans, & vberes fructus ex ſua prædicatione colligens. Cuius extant [c] res in Græcia præclare geſtæ, Græce conſcriptæ ab Abbate monaſterii eiuſdem S. Niconis, nuper etiam in Latinum conuerſæ.

c Roma in bibliotheca Sfort.

IESV CHRISTI AN. 962.

OTTON. 1 ROMANI 1.

IOANNIS XII. AN. 7.

I. OTTO MAG. CREATVR IMP. CONFIRMAT ET RESTITVIT BONA RO. EC.

ANno Chriſti nongenteſimo ſexageſimo ſecundo, Indictione quinta, OTTO Rex, ob res tam in bello quam in pace præclare geſtas *Magnus* dictus, Romam veniens, ibique perhonorifice exceptus, acclamatione Cleri Populique Romani à Ioanne Papa Imperator vnctus eſt, vt de tempore teſtantur Frodoardus & Regino. Sed his additur apud Luitprandum, præter alia ingentia largita tunc munera gemmarum, auri, & argenti, ab eodem Ottone reſtituta eſſe Eccleſiæ Romanæ omnia quæcunque antea propria eius fuiſſent: nempe quæ Pipinus & Carolus Magnus olim ei contuliſſent, ſed poſtea tyranni per vim abſtuliſſent: quibus & alia Otto recens addidit pro remedio animæ ſuæ, ſuorumque parentum ac liberorum, vt conſtat ex ipſo autographo diplomate [a] quod aſſeruatur adhuc Romæ in Caſtello S. Angeli aureis exaratum literis, & tam ipſius Ottonis, quam eius Epiſcoporũ & Comitum ſubſcriptionibus firmatum, datumq; hoc ipſo anno Domini nongenteſimo ſexageſimo ſecundo, Indictione quinta, die decimatertia Februarii, Ottonis Regni anno vigeſimo ſeptimo. Cui quidem hanc inter alias inſeruit Otto conditionem, vt ſecundum quod in pacto Eugenii Pontificis, ſucceſſorumque illius continetur, omnis clerus, & vniuerſa populi Romani nobilitas, ad Pontificum irrationabiles erga populum ſibi ſubiectum aſperitates retundendas, ſacramento ſe obligarét, quatenus futura Pontificum electio canonice fieret, & vt qui electus eſſet non antea conſecraretur, quam talem in præſentia Legatorum Imperatoris, vel Regis ipſius filii, & totius populi, faceret promiſſionem pro omnium ſatisfactione atque futura conſeruatione, qualem Leo Papa ſponte feciſſe dignoſceretur: Itemque vt Legati Pontificis, ſeu Imperatoris, annuatim eidem Imperatori renunciarent, qualiter ſinguli Duces ac Iudices à Pontifice conſtituti populo iuſtitiam facerent. Quæ quidem vt decernerentur, vis præcedentium tyrannorum effecit, aduerſus quos Imperatoris opus fuit auxilium implorare.

a Rec. Baron. Annal. To. X hoc an. Sed multa aduerſus illud blaterat *Goldaſtus* quæ refellit *Greiſerus* cap. 10. Apol. Baron. de qua ſup. ad an. 774. num. 3.

DE PONT. ROM. ELECTIONE.

II. CONCIL. MELDEN. IN CAVSA EPISC. RHEM.

Eodem anno celebrata eſt in Gallia SYNODVS MELDENSIS tredecim Epiſcoporum ex Rhemenſi ac Senonenſi diœceſi, occaſione vacantis ſedis Rhemenſis defuncto anno ſuperiori Artaldo. In qua cum à nonnullis Epiſcopis ageretur de reſtitutione Hugonis olim intruſi, ſed per alias Synodos, ipſumque Agapitum Papam eiecti & excommunicati, re denuo ad Papam remiſſa reſcripto Ioannis ab eiuſdem Hugonis reſtitutione ceſſatum eſt, faventeque Lothario Francorum Rege, electus eſt Archiepiſcopus Odalricus illuſtris clericus Hugonis cuiuſdam Comitis filius. Hæc Frodoardus hoc anno.

IESV CHRISTI AN. 963.

OTTONIS 2. NICEP. PHOC. 1.

IOANNIS XII. AN. 8.

I. DISSENSIO INTER IOAN. PP. ET OTTON. IMP.

ANno Chriſti nongenteſimo ſexageſimo tertio, Indictione ſexta, Ottone Imperatore Papiæ exiſtente, Ioannes Papa motus quod ille duos Cardinales rebelles ſuſcepiſſe, & Papæ ſubditos ſibi ſacramento adſtringere diceretur, quodque ea quæ Eccleſiæ eſſent reſtituere cunctaretur, ab eo deficiens adhæſit Adelberto Berengarii filio, qui huc illucque diſcurrens, quoſcumque poterat ſibi aduerſus Ottonem attrahere ſatagebat. Ponit iſta hoc anno Regino, quæ fuſius deſcripſit auctor Luitprandus [a] aſſertus, de quo ſuperius dictum eſt, ea mirum in modum aduerſus Ioannem in fauorem Imperatoris exaggerans. Ait autem, Ottonem miſſis ad Pontificem Legatis ſe de obiectis interpoſito iureiurando excuſaſſe, mandaſſeque vt ſi Papa non crederet iuramento, id duello verum eſſe probarent: Papa vero neutram ſatisfactionem admittente, ipſumet Imperatorem cum exercitu Romam aduenientem, Papa fuga elapſo, à ciuibus ſuſceptum eſſe, atq; ab eiſdem fidelitatem ei promiſſam, iuratumque numquã ſe Papam electuros aut ordinaturos, præter conſenſum aut electionem ipſius Ottonis Imperatoris, eiuſque filii Ottonis Regis. At cuius ponderis eſſe potuit iſta promiſſio, ſiue à Romanis laicis, ſiue à Cardinalibus (nam & eorum aliquos iuraſſe, idem auctor ſignificat) facta abſque conſenſu tum exiſtentis Romani Pontificis, cum præſertim nondum damnatus atque ceſſare iuſſus eſſet Ioannes?

a Ap. Luitpr. lib. 6. cap. 6.

II. CONCILI AB. ADVERSVS IO. PP.

Poſt hanc vero promiſſionem addit auctor, eumdem Imperatorem rogantibus Epiſcopis ac plebe, ibidem Romæ apud S. Petrum CONCILIVM menſe Nouembri celebraſſe Epiſcoporum Italiæ nonnullorumque Germanorum, & totius Cleri procerumque Vrbis: atque in eo variis atrocibuſque obiectis in Ioannem criminibus, homicidii, periurii, ſacrilegii, inceſtus, aliorumque nefandorum ſcelerum, cum ipſe citatus à Synodo vt de iis ſe purgaturus accederet nihil aliud reſcripſiſſet, niſi excommunicare ſe Omnes Epiſcopos ſi vllum alium Papam eligere præſumerent: nihilominus eoſdem, annuente ipſorum petitioni Imperatore, in locum eius ſubrogaſſe, & conſuetis ritibus conſecraſſe, *Leonem* eiuſdem Eccleſiæ Protoſcriniarium. Hæc ille pluribus: qui & recitat [b] Acta huius pſeudoſynodi. In quibus quam multipliciter peccatum [c] fuerit, vix dici poteſt. Primo enim, cum iidem omnes qui ei interfuerunt, Ioannem agnoſcerent vt verum Vniuerſalem Papam, ſicut ſuis ad eum ſcriptis literis ſunt profeſſi, vnde ipſis cogendi Concilii facultas contra Romanum Pontificem abſque eius conſenſu? Rurſus in quanam Synodo, licet contra aliquem hæreſiarcham conuocata, non præceſſit damnationem citatio trina? At Ioannes bis dumtaxat vocatus eſt, nec niſi ſemel repertus. Sed & cui reorum, quamuis vili homuncioni, non ante ſententiam aliqua data à iure perendina dilatio? Ioannes tamen eadem qua ſecundo citatus eſt die, damnatus eſt. Deinde in quanam alia vmquam Synodo petierunt Epiſcopi, vt Imperator homo laicus virum Eccleſiaſticum condemnaret, & non potius ab Imperatore poſtulatum eſt vt à Synodo id ageretur? Et tamen illud in hoc Concilio factum eſt. Præterea quis aliquando accuſatus hæreſiarcha, vel infamiſſima quæque perſona conuicta in Synodo abſque ſententia lata, omniumque ſubſcriptione firmata, legitur è throno depoſita. At hic nulla prorſus in Ioannem ſcripta vel dicta ſententia, ſed ſimplici rogatione Imperatoris ſucceſſor eſt ei datus. Et rurſum qualis ſucceſſor? quem videlicet Sigebertus ait, laicum adhuc fuiſſe cum electus eſt Pontifex, contra omnia antiqua [d] decreta.

LEO PSEVDOPAPA INTRVDITVR.

b Ibid. cap. 6. & 7.
c Goldaſtus contra Baron. contendit, hoc fuiſſe legitimum Concilium: ſed refellit eius nænias Greiſ. cap. 17 Apol. de qua dictum eſt ad an. 774. num. 3.

d Ap. Grat. diſt. 79. c. 3. 4.

Quini-

III. [...]ma [...]ſa mine [...]ica[...]

Quinimmo etſi cuncta rite peracta fuiſſent, nonne ſua ſponte ſtatim corruunt, cum ab excōmunicatis ab eo quē ipſimet verum Pontificem agnoſcerent, conſtet eſſe peracta? Et vbi vmquam auditum, vt ab Orthodoxis Epiſcopis Prima Sedes, ipſeq; Romanus Pontifex, iudicaretur? quod nec accuſationibus aduerſus ipſos Marcellinum atque Symmachum, alioſque præſumptum eſt, immo & in Conciliis tam prouincialibus quam Oecumenicis declaratum eſſe, Sedem Apoſtolicam à nemine poſſe iudicari, & in his quæ ad mores ſpectant totam cauſam Deo reſeruandam eſſe, in Damaſi Papæ iudicio comprobatum fuiſſe ſuperius demonſtratum eſt. Denique quis dubitet, hæreticum eſſe dogma, aſſerere propter peccata auferri à Pontificibus clauium poteſtatem, ligandi atq; ſoluendi à Deo traditā facultatem? Et tamen ipſi expreſſis verbis id profeſſi ſunt in literis ad Ioannem poſt eius in ipſos latam excommunicationem reſcriptis. Ex his ergo probe intelligitur, nulla ex parte ſubſiſtere potuiſſe de condemnatione Ioannis eiuſmodi ſpurium & ſacrilegum iudicium Synodale, ſicut nec ſubrogationem Leonis, licet iſte & inter Romanos Pontifices numeratus reperiatur ſub nomine Leonis VIII. & à pleriſque legitimus aſſeratur. Scriptorum enim error nullum afferre poteſt veritati præiudiciū, nec numerata Leonum ita nominatorum Pontificum ſeries, eſſe faciet quod nō eſt. Ceterum quæ poſt hanc pſeudoſynodum geſta fuerint dicetur anno ſequenti.

IV. Hoc eodem anno decimaquarta Martii mortuus eſt Romanus Imperator Conſtantinopolitanus, anno ætatis vigeſimo quarto, ſiue exhauſto corpore turpiſſimis & voluptuariis rebus, ſiue veneno peremptus. Cui licet filii ſucceſſiſſent, Baſilius, & Conſtantinus pueri tamen affectantibus aliis Imperium, NICEPHORVS PHOCAS clarus victoriis ab exercitu Imperator acclamatus eſt, & Conſtantinopolim veniens decimaſexta Auguſti à Polyeucto Patriarcha coronatus. Qui nihilominus paulo poſt ab eodem Polyeucto Eccleſia pulſus eſt duplici cauſa, primo quod cum olim aliam vxorem habuiſſet, iam ſecundas nuptias iniiſſent cum Theophane Auguſta relicta Romani Imperatoris, abſque vlla peracta pœnitentia, deinde quod aſſereretur in baptiſmo ſuſcepiſſe filiū eiuſdē Theophanes. Ceterum cum magnæ hinc orirentur contentiones, habito Conſtantinopoli Epiſcoporum & Senatorum *Conuentu*, iureiurando Imperator affirmauit ſe eum non ſuſcepiſſe puerum, ſicque à Patriarcha, inuito licet, in communionem receptus eſt, condonata ei pariter ſecundarum nuptiarum pœna à canonibus ac legibus impoſita. Hæc omnia Curopalates pluribus.

[N]iceph. [P]hocas [i]mperat. [a]b Eccleſia [p]ellitur [p]er Patriarcham.

V. Qui addit, eumdem Nicephorum miſiſſe Patricium Manuelem cum exercitu aduerſus Saracenos Siciliæ, vt Oriētale Imperium eximeret à penſitatione tributi, quod ſoluebat Saracenis à tempore Baſilii Macedonis Imperatoris. Verum ob imperitiam Ducis male pugnatum eſt, ipſeque cum exercitu interemptus, erectis eo maxime Saracenorum animis aduerſūs Græcos, quod legiſſent in vaticiniis Hippolyti Epiſcopi in Sicilia, Saracenos non vincendos & conterendos à Græcis, ſed à Francis. Hæc Luitprandus in Relatione ſuæ legationis, de qua inferius dicendum.

[V]aticinium de Saracenis vincendis a Francis.

IESV CHRISTI AN. 964.

Otton. 3. Niceph. Phoc. 2.

IOANNIS XII. AN. 9.

I. Romani contra Otton. Imp.

ANno Domini nongenteſimo ſexageſimo quarto, Indictione ſeptima, menſe Ianuarii, Romanis in Ottonem Imperatorem & in Leonem ab eo iuſſum creari Pōtificem, arma parantibus. idem Otto ingētem de illis ſtragem edidit. Cumque poſt hæc Spoletum petiiſſet aduerſus Adalbertum, iidem Romani Leonem expellentes, Ioannem Papā in Vrbem reuocarunt, à quo malé habiti quidam Epiſcopi & Cardinales, ad Ottonem refugerunt, qui reparato exercitu, Romam redire depoſuit. Hæc pluribus Regino hoc anno, & auctor qui aſſeritur Luitprandus [a].

a Ap. Luitp. li. 6. cap. 11.

II. Concil. Rom. pro damnatione rerum contra Ioan. PP. geſtarum.

Sed prætermittit vterque alias res geſtas à Ioanne cum eſt regreſſus in Vrbem, quæ à Sigeberto narratur in Chronico: nempe quod idem Pontifex SYNODO collecta, Leonem intruſum depoſuerit, & eius ac pro eo geſta cuncta caſſauerit. Extantque ipſa huius Synodi Acta integra, quę etiam Nouatores [b] deſcripſere, quibus conſtat eam habitam eſſe Romæ in baſilica S. Petri, anno Domini nongenteſimo ſexageſimo quarto, Ottonis tertio, Indictione ſeptima, die vigeſima ſexta Februarii, poſitis in medio ſacroſanctis Chriſti Euangeliis, præſidente vero ipſo Summo Pontifice Ioanne XII. præſentibuſque plurimis Epiſcopis, ac Cardinalibus tam presbyteris quam diaconis. Eius autem Actione Prima, omnium vna voce damnatum eſt pſeudoconcilium ab Ottone habitum pro electione Leonis, ipſeque Leo curialis, ac neophytus, & periurus, ſchiſmaticus intruſus, perpetuo anathemati cum ſociis ſuis atque fautoribus ſubiectus. Actione Secunda actum eſt in eiuſdem Leonis ordinatoribus, ſed eorum cauſæ definitio remiſſa in Seſſionem Tertiam. Damnati quoque qui pecunias pro impoſitione manuum eidem Leoni dediſſent, decretumque vt minor maiori ſuo gradum tollere non præſumat. Tertia demum Actione, Sico Epiſcopus Oſtienſis ordinator Leonis excommunicatus eſt, & à Leone ordinati depoſiti atque in priſtinos gradus reiecti. Quæ omnia ſubſecutæ ſunt ſubſcriptiones Patrum.

b Centur. 10. col. 444.

III. De ipſo autem Ioanne Papa idem auctor qui aſſeritur Luitprandus [c] (quiſquis ille fuerit, aduerſarium fuiſſe liquet, ac ſchiſmaticorum complicem) ſcribit eum quadā nocte extra Romam dum cuiuſdam viri vxore oblectaret, in temporibus adeo à diabolo eſſe percuſſum, vt intra octo dierum ſpatium eo vulnere ſit mortuus. Quæ ſi vera ſint, non quia iuſte damnatus & iniuſte receptus (vt idem auctor nugatur) ſed quia tot tantiſque vexationibus à Deo admonitus, minime à peccatis conſuetis abſtinuit, iuſte meruit à Deo tandem puniri. Contigiſſe autem eius obitum pridie Idus Maii, apud Reginonem aſſeritur: vbi & dicitur, in eiuſdem Ioannis locum à Romanis ſuffectum eſſe BENEDICTVM quemdam R. E. diaconum. Sed eo audito Ottonem cum exercitu Romam aduentaſſe, ac poſt aliquot hebdomadarum obſidionem, eam fame laborantem in deditionem accepiſſe nono Calendas Iulii in vigilia Ioannis Baptiſtæ. Aſſertus vero Luitprandus ait, confeſtim à Leone pſeudopontifice per Imperatorem reſtituto, celebratam eſſe in eccleſia Lateranenſi *Synodum*, in qua Benedictus eſt depoſitus & exauctoratus: eumdemque veniam petentem, precibus Ottonis diaconum quidem vt prius remanere permiſſum; ſed tamen in exilium pulſum eſſe. Huc uſque auctor male inſcriptus Luitprandus, finem ſuæ imponens hiſtoriæ, niſi mutilata remanſerit. Porro ſicut in Ioannem, ita & multo magis in Benedictum ſe oſtendit iniquum, fauens plus ſatis Ottoni, quem Germaniæ ſcriptores integerrimi, hoc nomine (vt dicetur inferius) reprehendunt. Quomodo vero ſcelus ſtatim vendicauerit Deus, apud Reginonē ſubiicitur, dum dicitur, Imperatore poſt feſtum Apoſtolorum Roma recedente, ſæuiſſimam exercitum eius peſtem & mortalitatem inuaſiſſe, qua innumera multitudo tam nobilium quam gregariorum militum, itemque Antiſtitum, ac denique omnis generis hominum, extincta fuerit. Eam vero cladem paſſum eſſe Imperatorem ob iniurias illatas Benedicto Papæ, teſtatur etiam Ditmarus Epiſcopus Merſeburgius, huius temporis ſcriptor nobiliſſimus, in Chronico [d] quod incipiens ab Ottone perduxit ad annum vſque milleſimum decimum octauum, quo tempore ſe vixiſſe tradit.

c Ap. Luitp. ibid.

Ioan. PP. obitus.

Bened. eligitur, et paulo poſt eiicitur.

Peſtis in exercitu Imp. ob expulſum Bened.

d Ditm. li. 2.

IV. Fertur autem apud Gratianum [e] inconſiderate nimis iſta tractantem, iſtius pſeudoſynodi ſub Leone, pſeudopontifice celebratæ, canon de facultate ab ipſo data Ottoni Imperatori, eiuſque ſucceſſoribus Italiæ Regibus, eligendi atque ordinandi Pontifices Romanos, aliiſque Archiepiſcopis atq; Epiſcopis inueſtituras tribuendi. Quam quidem Conſtitutionem, etiamſi vere fieri contigerit, nullius tamen eſſe roboris conſtat, quod à non legitimo

e Diſt. 63. c. 23. in Synod.

Leonis nomine conſtitutiones falſi redarguuntur.

f Pro aſſertione tam iſtius, quam alterius quę mox ſubſequitur, Conſtitutionis, multa oblocutus eſt in Baronium Goldaſtus hæreticus: ſed egregie veritatem defendit ... Catholicus cap. 18. & 19. apol. Baron.
g Sup. an. 774.

Papa ſit promulgata, quidnis agente in gratiam eius qui ipſum intruſerat. Ceterum & ipſam adſcititiam eſſe atque confictam [f], ſatis demonſtratum eſt ſuperius [g], vbi egimus de ſimili conceſſione à Sigeberto prolata nomine Hadriani Papæ primi in gratiam Caroli Magni. Iſta vero Leonis, vel ex eo manifeſtioris impoſturæ arguitur, quod in fine ſancitū habet, vt vltimo afficiatur ſupplicio ſi quis eius inueniatur eſſe tranſgreſſor: quod quam abhorreat à Romanorum Pontificum Conſtitutionibus, liquet omnibus.

V.
h Extat apud Crantz. Metrop. Saxon. lib. 4. cap. 10.
IMPOSTVRA DETEGITVR IMPOSTVRAM.

His quoque adde euidentem falſitatem alterius, eiuſdem Leonis Octaui nomine confictæ Synodalis Conſtitutionibus [h] (ſic enim fraus fraudem aperit) qua ipſe profitetur reſtituere Ottoni Imperatori, eiuſque ſucceſſoribus Italiæ Regibus, quæcunque de rebus Italiæ tam Pipinus & Carolus Francorum Reges, quam Iuſtinianus Imperator & Aritpertus Rex donaſſent Eccleſiæ Romanæ, Inuentum haud dubium eorumdem illorum qui tempore ſchiſmaticorum Imperatorum fauebant ipſis: ſed ita inſulſum ineptumque, vt omnibus deridendum pateat. Ac primum de his quæ ad rationem temporis ſpectant, data habetur eiuſmodi Conſtitutio tertio Calendas Maii in Lateranenſi Palatio. At ex auctore huius temporis conſtat, Ottonem Imperatorem vna cum Leone non eſſe Vrbem ingreſſum hoc anno ante nonum Calendas Iulii in ipſa vigilia Natiuitatis Ioannis Baptiſtæ. Ita enim diſertis verbis apud Reginonem notatum inuenies, quod & ſuperius diximus, qui annus non ſecūdus Ottonis & Leonis (vt commentitia Conſtitutione dicitur) ſed tertius Ottonis, Leonis vero primus fuit. In ſubſcriptione autem Epiſcoporum, quanta falſitas? nam prorſus omnes diuerſi ſunt nomine ab illis qui anno ſuperiori itidem Romano Concilio interfuerunt in exauctoratione Ioannis Papæ earumdem Eccleſiarum Epiſcopi. Sed nec hoc fingi poteſt: quippe (vt de vno tantum dicamus) Ioannes Narnienſis qui interfuit Concilio anni ſuperioris, non potuit diem obiiſſe, & ſuffectus eſſe Martinus qui huius anni Concilio interfuiſſe fingitur: ſiquidem ille ipſe Ioannes Narnienſis creatus poſtea reperitur Romanus Pontifex, & dictus Ioannes XIII. Hiſque adde quod eamdem diuerſitatem inuenies in nominibus Cardinalium, inſuper & procerum Romanorum, vt ne vnus quidē ſit inuenire qui cum illis concordet, cum tamen iidem eſſe debuiſſent qui in vtraque Synodo ſederunt eiuſdem Leonis fautores. Sed quid eſt quod dicitur reſtitui à Leone quæ Iuſtinianus Romanæ donauit Eccleſiæ, qui ne glebam quidem terræ ei contuliſſe reperitur? Præterea quomodo inter Titulares Cardinales nominati reperiuntur presbyteri tituli Lateranēſis, & S. Petri, & S. Mariæ ad Præſepe? quando vmquam eiuſmodi primariæ Patriarchales Eccleſiæ reperiri potuerunt vel antea vel poſt in Titulos annumeratæ? Sed prætermittimus & alias plures verrere quiſquilias & ſordes, quas per ſe lector quiſque deprehendet.

VI.
FINIS BERENGARII

Inter hæc autem (quod ad res bellicas pertinet) idem Otto Imperator victo Berengario, expugnatoque caſtello S. Leonis (eſt locus in Vmbria munitiſſimus, in vertice montis altiſſimi vndequaque prærupti poſitus, in quem Berengarius cum Willa vxore ſua ſe receperat) ipſum vna cum coniuge exulatum in Baioariam miſit, vbi vſque ad obitum permanſerunt. Vuilla vero quæ Berengario ſuperuixit, poſt eius mortem velum ſanctimoniale aſſumpſit, vt tradit auctor qui apud Reginonem Auctarium iunxit. Adelbertus interim eorum filius fuga lapſus manus euaſit Imperatoris.

VII.
QVIBVS FACINORIBVS NICEPH. IMP. GLORIAM SVAM DENIGRARIT

Quod ſpectat ad res Orientalis Imperii, hoc & ſequenti anno Nicephorus Imperatorē manibus Saracenorum vendicauit Inſulam Cyprum, alibique variis locis amplius quam centum vrbes armis ab eis ſuſtulit, interque alias Antiochiam Syriæ. Hæc pluribus Curopalates: qui & rationem reddens, cur Nicephorus adeo de Republica bene meritus, omnibus tamen eſſet inuiſus, id accidiſſe ait, quod militibus nimium indulgens, eoſdem populum vexantes non coerceret, ipſeque expenſarum in bellis agendarum prætextu, eumdem populum nouis tributis grauaret, ſed & donaria Eccleſiarum auferret, ac præter ius faſque in res & perſonas Eccleſiaſticas auctoritatem vſurpans, Synodo adulantium Antiſtitum habita, electionem Epiſcoporum ſibi vendicaſſet, & mortuorum ſpolia raperet, atque Eccleſiis tributa imponeret. Quod autem omnia ad militum vtilitatem, libertatem, gloriamque referret, illud præterea in Synodo decernendum propoſuit (quod & Phocas olim tentauerat) vt milites qui in bello occubuiſſent, pro Martyribus haberentur. Verum Patriarcha aliique reſiſtentes, eum ab incœpto coercuere. Nummum inſuper imminuit, & alios inæquales cudit, quorum grauiores in tributorum ſolutionibus exigeret, ac leuiores in erogationibus expenderet. Palatium denique in munitionem tyrannicam conuertit, quod ei prædictum eſſet intra illud ei moriendum eſſe: aliaque eiuſmodi egit, quibus animos omnium à ſe alienauit: quæ omnia recenſentur à Curopalate, & poſt eum à Cedreno, Zonara, Glica, & aliis recentioribus Græcis auctoribus.

IESV CHRISTI AN. 965.

OTTONIS 4. NICEPH. PHOC. 3.

BENED. V. AN. 1.

I.
DE SANCTO FINE BENEDICTI PP.
a Adam lib. 2. cap. 6.

ANno Domini nongenteſimo ſexageſimo quinto, Indictione octaua, in Saxoniam rediens Otto Imperator multa corpora Sanctorum ſecum detulit, collocauitque in eccleſia Magdeburgenſi recens erecta. Sed & Benedictum depoſitum Papam ſecum deductum, Adaldago Archiepiſcopo Hamburgenſi cuſtodiendum commiſit. Scribit hæc Ditmarus: qui & eumdem Imperatorem reprehendit, quod Benedictum (*quem, inquit, nullus abſque Deo iudicare potuit*) iniuſte accuſatum deponi conſenſiſſet: additque, ob eiuſdem exilium peſtem cœlitus immiſſam eſſe. Sicut & Adam canonicus Bremenſis vetus Chronographus, teſtatur eumdem Benedictum virum fuiſſe ſanctum, & dignum ſede Apoſtolica atque ab Hamburgenſi Epiſcopo magno honore detentum: cumque iam Romanis poſcentibus ab Imperatore reſtitui deberet, ibidem Hamburgi in pace quieuiſſe quarto Nonas Iulii: quoto autem anno non ſcribit. Porro ipſum ante obitum multa prophetice prædixiſſe, quæ poſtea contigerunt: ſed & eiuſdem oſſa ſub Ottone Tertio huius Ottonis nepote eiuſq; iuſſu, per Epiſcopum Bremenſem Romam tranſlata eſſe, auctor eſt Ditmarus [b]. Vt plane, licet ſero, cognitus fuerit legitimus Eccleſiæ Romanæ Pontifex. Nam ſchiſmatico digne punito, & in exilio mortuo, qui tantus poſt mortem honor, vt eius venerandæ reliquiæ ab extremis Germaniæ finibus transferrentur in Vrbem Imperatoris auctoritate per Epiſcopale miniſterium? Quod ſi fuit is legitimus: Leo ſane qui Apoſtolicam tunc ſedem occupabat, inter ſpurios & ſchiſmaticos eſt numerandus. Ceterum exploditur iure fabula [c] de Benedicto iſto, quod à Ludouico Imperatore ad prædicandum Euangelium ductus ſit in Germania, inde vero Wandalorū incurſu fuerit trucidatus vna cū ſexaginta presbyteris. Alia enim ratione dicendus eſt Martyr, nempe quod à Leone pſeudopontifice tam dira ſit paſſus, & exul ipſe legitimus Eccleſiæ Pōtifex ſit defunctus, vt ſancti martyres, iidemque Summi Pontifices, Pontianus atq; Martinus in exilio vita defuncti. Quod autem vt martyr coleretur Benedictus, ne ob id Ottonis nomini notā inureretur, fingendi aliam cauſam martyrii occaſionem datam eſſe exiſtimamus.

b Ditm. Chron. lib. 3.
c Crantz. in Metrop. Sax. lib. 1. cap. 20. & ſeqq.

II.
IOAN. PP. XIII.

Hoc item anno *Leonem* pſeudopapam diem obiiſſe, affirmat auctor Appendicis ad Reginonem: ſubditque Romanus ad Imperatorem legatos miſiſſe, pro inſtituendo quem vellet in locum eius, ipſum autem ea de cauſa in Vrbem direxiſſe Otgerum Spirenſem Epiſcopum, & Luitprandum Cremonenſem, electumque eſſe à populo Romano IOANNEM Narnienſem Antiſtitem, qui in Summum Pontificem creatus, dictus eſt eius nominis XIII. ſed cum ſtatim male tractare cœpiſſet quoſdam Romano-

Digitized by Google

rum proceres, eumdem à Rotfredo Vrbis præfecto expulſum eſſe, & in Campaniam amandatum. Hæc auctor Appendicis. Meminit vero etiam de eiuſdem Ioannis exilio Leo [d] Oſtienſis: quem ait honorifice ſuſceptum digneque habitum fuiſſe à Pandulpho Principe Capuano. Ceterum quamdiu vixit Benedictus (niſcitur autem certus eius obit⁹ annus) nullus alius potuit dici legitimus Romanus Pontifex cum eius damnatio nullus fuerit momenti.

d Leo Oſt. chron. Caſin. lib. 2. cap. 9.

III. POLONI AD FIDEM CONVERSI. e Tertul. cont. Iudæ.

Hic ipſe notatur annus, quo accolæ antiquæ Sarmatiæ Slauorum propago, recentiori nomine *Polonii* nuncupati, Chriſtiano ſunt nomine inſigniti: cum alioqui Sarmatas antiquitus Chriſti Euangelium penetraſſe, Tertullianus [e] ſit teſtis. Quonam autem Euangelium prædicante iſti hoc tempore crediderint, haud ſatis exploratum haberi poteſt. Illud tantum indubitatum, commercio propinquorum Chriſtianorum Boemorum, Meiſconem ſiue Meiſcam, quem alii Miezislaum nominant, Polonorum Ducem ad meliorem frugem conuerſum eſſe, abdicatis à ſe concubinis ſeptem, è quibus nullam prolem conſequi potuiſſet: duxiſſe autem legitimam vxorem Boleslai primi Bœmorum Ducis filiam, eamdemque Chriſtianam, nomine Dambron Wcham, ſiue (vt alii [f] vocant) Dabrauam, vel Dobberam, ſed ea lege vt ipſe fieret Chriſtianus quod & magno animo perfecit, & alios ſibi ſubditos idipſum præſtare curauit, idola confringens, & reliqua ad ipſorum cultum ſpectantia comburens. Qua de re cum certiorem reddidiſſet Romanum Pontificem, petiiſſetque ab eo aliquem mitti qui eam prouinciã Chriſtianis ritib. imbueret: Ioannes Papa continuo ad ipſos miſit *Ægidium* Tuſculanum Epiſcopum Legatum à Latere, qui credentem Regem cum populo ſtabiliuit in fide, & Epiſcopatus diuerſos erexit, atque in iis ſacerdotes & reliquos miniſtros ad omnes erudiendos conſtituit. Deſcripſit vero hæc pluribus Chromerus [g] aliique rerum Polonicarum auctores. Sicque Polonorum Regnum hactenus obſcurum, nec nominatum, diuinæ lucis radiis illuſtratũ, Chriſtiana religione ſuſcepta mox cœpit eſſe toto Orbe Chriſtiano conſpicuum, de quo ſæpe dicendum inferius. Verũ prædictum Ducem Miezislaum, poſt obitum Dabrauæ vxoris pientiſſimæ feminæ, iunxiſſe ſibi monialem, Odam nomine atq; ex ea tres filios generaſſe, habet Ditmarus [h].

f Ditmar. lib. 4.
g Chron. li. 3.
h Ditm. li. 4.

IV. IOAN. PP. MITTIT PRÆDICATORES IN VVANDALIAM. i Ap. Sanker. de Viſib. Monum. 695.

De alia quoque Legatione per eumdem Ioannem Papam XIII. in Wandaliam (quæ & ipſa pars eſt ampliſſimæ Slauoniæ regionis) miſſa ad petitionẽ Meiſconis monarchæ, meminit Stanislaus [i] Orichouius Roxolanus, qua functos ait quam plures inſignes viros, qui illius regionis populos fidem Chriſti docuerunt, Eccleſiaſque erexerunt.

V. k Auctar. ad Regin. l Ap. Sur. 11. Oct. m Ditm. li.

Eodem [k] anno quinto Idus Octobris, Bruno Archiepiſcopus Colonienſis germanus Ottonis Imperatoris obiit cuius extat [l] Vita conſcripta à Rotgero monacho. Laudatur magnopere à Ditmaro [m], qui cũ interceſſione S. Pauli Apoſtoli receptum tradit in cœlum. Addens vero de eius ſucceſſore, fratre ipſius, nomine Gerone, affirmat in eius conſecratione viſos eſſe S. Petrum Apoſtolum & S. Ambroſium fundentes oleum: Regem autem detrectantem adhibere conſenſum, ab Angelo minis exterritum eſſe. Cuius & mater Hidda peregrinata Hieruſalem, illic clara virtutibus ſancto fine quieuit.

IESV CHRISTI AN. 966.

OTTON. 5. NICEPH. PHOC. 4.

IOANNIS XIII. AN. 1.

I. IOAN. PP. REVOCATVR ROMAM.

ANnus Chriſti nongenteſimus ſexageſimus ſextus, Indictione nona inchoatus eſt: cuius autumnali tempore Otto Imperator in Italiam rediit, non propter Adelbertum ſolum adhuc Regium nomen gerentem, & omnia perturbantem, ſed propter Ioannem Pontificem, quẽ à Romanis eiectum acceperat. Tuncque Romani (vt ait auctor qui apud Reginonem Auctarium iunxit) Imperatoris metuentes aduentum, eumdem Pontificem Romã reuocarunt, & ſedi ſuæ reſtituerunt. De his vero quæ ſpectant ad Ottonis vindictam aduerſus hoſtes eiuſdem Põtificis, in alio Auctario ad Anaſtaſium traditur, præter pulſos Conſules ex Italia, & Tribunos necatos ſuſpendio, Præfectum Vrbis qui ſucceſſerat Rotfredo Ioannis expulſori, nudatum & aſino impoſitum, vtriqueque redimitum ad ludibrium circumductum fuiſſe, atque virgis cæſum: cadauer autem Rotfredi è ſepulchro extractum, & in diuerſa loca diſſipatum.

IESV CHRISTI AN. 967.

OTTON. 6 NICEPH. PHOC. 5.

IOANNIS XIII. AN. 2.

I. CONCIL. RAVEN.

ANno Chriſti nongenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Indictione decima, Otto Imperator (vt in Apppendice ad Reginonem legitur) vbi Natalem Domini Romæ celebraſſet, profectus eſt vna cum Ioanne Papa. Vbi celebrato Paſchate, SYNODVS Epiſcoporum eſt habita, in qua multa ad vtilitatem Eccleſiæ ſunt conſtituta. Ipſeque Otto Imperator Ioanni Papæ vrbem & terram Reuennatium, aliaque complura multis retro temporibus Romanis Pontificibus ablata reſtituit: eumdemque inde Romam cum magna lætitia remiſit, ipſe vero in partes Tuſciæ receſſit. Hæc ita apud Reginonem. Verum illa de reſtitutione ablatorum, facta iam fuiſſe vidimus vbi Otto à Ioanne XII, coronatus eſt Romæ. Quamobrem quæ modo in Concilio Rauennate facta dicuntur, fuit tantum cõfirmatio præteritæ conceſſionis, cum aliquo forte additamento,

II. OTTO IVNIOR CORONATVR IMP. a Ap. Witich. l. 3. in f.

Quo item anno eumdem Ottonem Auguſtum miſiſſe ad Wilelmum Archiepiſcopum Moguntinum, & alios Germaniæ Principes, vt filiũ ſuum Ottonẽ in Italiam mitterent ad Imperiales infulas ſuſcipiendas, auctor eſt Lambertus: eumdemq; anno ſequenti Romę coronatum eſſe, Sigebertus affirmat. Sed in fine anni huius ipſo die Natalis Domini id accidiſſe, docere videntur literæ [a] ipſius Ottonis Magni ad ſuos Duces Germanos anno ſequenti ſcriptæ: necnon diploma antiquum monaſterii S. Felicitatis Florentiæ ſub Sichelmo eius ciuitatis Epiſcopo, quod ponitur datum menſe Septembri inchoante Indictione prima, annoque Magni Ottonis vndecimo, Ottonis vero filii quinto.

III. b Ambr. Moral. 16. Chron. 30.

Quod pertinet ad rerum Hiſpanicarum ſtatum: mortuus eſt hoc anno [b] Sancius cognomento Craſſus Rex Legionenſis, poſtquam regnaſſet annos tredecim: qui quidẽ vrgentibus bellis ciuilibus (Ordonio cognomento Malo aduerſus eum erecto) ad Arabum opem implorandã confugit. Sicq; diſcordia Chriſtianorum, potentia Saracenorũ ſub prædeceſſorib. Regib. inclinata, magis ac magis inualuit. Succeſſit aũt Sancio eius filius Ramir⁹ huius nominis Tertius, quinque annorum puer ſub tutella matris Tereſiæ.

IESV CHRISTI AN. 968.

OTTONIS 7. NICEPH. PHOC. 6.

IOANNIS XIII. AN. 3.

I. a Ap. Witich. l. 3. in f. DE REB. GEST. OTTONIS IMP. ADVERSVS GRÆCOS. b Leo Oſt. 3. Chron. 62.

ANno Chriſti nongenteſimo ſexageſimo octauo, Indictione vndecima, Otto Imperator coronato filio Ottone Iuniore in Campaniam proficiſcens apud Capuã Legatos Nicephori Imperatoris Conſtantinopolitani audiuit: quos pro pace quærenda aduenniſſe, declarant eiuſdem Ottonis literæ [a] inde ad ſuos duces Germanos decimoquinto Calendas Februarii ſcriptæ. De rebus autem ab eo geſtis hoc tempore aduerſus Græcos Apuliã & Calabriam occupantes, quarum ipſe in dictis ſuis literis meminit, plurib. agit antiquus auctor qui res Longobardorũ Principum Beneuentanorum eſt proſecutus, Renopertus nomine, quem Erchempertum Leo [b] Oſtienſis apellat. Quod enim principes Beneuentanum & Capuanum deficientes à Nicephoro recepiſſet Otto in tutelam, ſuam eius rei cauſa Nicephorum valde cõmotum eſſe in Ottonem,

Digitized by Google

affirmat Luitprandus Cremonenſis Epiſcopus in relatione ſuæ Legationis: cum videlicet ab eodem Ottone miſſus eſt Conſtantinopolim cauſa nuptiarum inter ipſius Ottonis filium & Annam filiã Romani Imperatoris Conſtantinopolitani, priuignam vero Nicephori. Eam autem Legationem præſenti anno contigiſſe, inde conſtat, quod cum Curopalates aſſerat ingentem hoc anno exortam eſſe in Oriente penuriam (quam & ait Nicephorum Imperatorem in ſuum lucrum conuertiſſe, dum frumentum regium ſordide carius æquo vendidit: ideoque auctum eſſe ciuium in eum immenſum odium) ſimiliter Luitprandus in ſua Relatione narrat ingentem reperiſſe Conſtantinopoli penuriam. Sed & cum Solis deliquium hoc anno accidiſſe Curopalates ſcribat; idem etiam Luitprandus affirmat. Denique cum ipſe teſtetur, eo anno quo ea functus eſt legatione incidiſſe diem ſanctum Pentecoſtes ſeptimo Iunii: ex reuolutione Aſtronomicarum tabularum, & Eccleſiaſtico computo, nonniſi hoc anno eam oportuit cõtigiſſe, quo cucurrit Aureus numerus 19. & littera Dominicalis E. D. Ex eadem autem relatione & illud conſtat, hoc pariter anno à Ioanne Papa miſſos eſſe Legatos ad eumdem Nicephorum pro iiſdem quas diximus nuptiis contrahendis.

LEGATIO LVITPR. CONSTANTINOPOLIM.

II. LEGATIONIS OCCASIO.

Sed cauſa cur tam illos quam Luitprandum ab Ottone miſſum Niceph⁹ ſpreuerit, immo & peſſime habuerit, ex ipſa Relatione hæc fuiſſe cognoſcitur; nimirum quod & ipſe Otto ſe Imperatorem nominaret, & Ioannes Papa in ſuis literis ipſum Nicephorum vocaſſet Imperatorem Græcorum, Ottonem vero Romanorum. Magis autem fuit in Ottonem commotus, quod (vt diximus) Principes Beneuentanum & Capuanum, necnon Salernitanum, ab ipſo Nicephoro diuulſos in ſuam tutelam recepiſſet. Porro hæc omnia fuſius ipſa Relatio continet, quæ hactenus conſeruata[c] eſt, paucis quæ deſunt exceptis: digniſſimum egregii viri monumentum, ac lectu iucundiſſimum; quo varios huius temporis Græcorũ mores, ritusq; atq; tam ipſorum quã Nicephori cum faſtũ tum inſolentiam pluſquam barbaricam intelligere valeas. Quæ autem hæc ſecuta ſunt, dicentur anno ſequenti.

c Ext. in Antiq. lect. Caniſ.

III. CAPVANA CIVITAS AVCTA ARCHIEPISCOPATV.

Hoc eodem anno cum Otto Imperator Capuæ moraretur, & vna cum eo eſſet Ioannes Papa; idem Pontifex memor beneficiorum olim in eadem ciuitate acceptorũ cum illic exul degeret, gratitudinis ergo ipſam Capuanam Eccleſiam Archiepiſcopatus dignitate inſigniuit, eique primum Archiepiſcopum præfecit Ioannem Pandolphi Capuani Principis fratrem. Atque ita prima omnium (quod inuenerim) Eccleſia Capuana Archiepiſcopatu in Regno Neopolitano fuit illuſtrata. Quod vero ad tempus ſpectat: id hoc anno contigiſſe, ex Leone[d] Oſtienſi ſatis redditur exploratum, dum ait factum eſſe anno decimonono Aligerni Caſſinenſis Abbatis; quem ex eodem[e] autore liquet, anno Redemptoris nõgenteſimo quadrageſimo nono Abbatem fuiſſe creatum.

d Leo Oſt. Chron. Caſſin. l. 2. c. 9. e Id. l. 1. c. 3. & 5.

IV. CAMPANARVM BENEDICTIO.

Cum vero poſt hæc Ioannes Papa in Vrbem rediiſſet, contigit primariam Lateranenſis eccleſiæ Campanã miræ magnitudinis recens ære fuſam ſuper campanile eleuari: quam prius idem Pontifex ſacris ritibus Deo conſecrauit, atque *Ioannis* nomine (puto Baptiſtæ, cuius eccleſiæ eſſet viui) nuncupauit. Qui ſacer ritus in Eccleſia perſeuerauit, vt eo modo campanę in eccleſiis collocandę, Deo primum, impoſito eis nomine dicarentur, quod teſtantur veteres codices Rituales: licet errore vulgi pro arbitrio vtentis vocibus, dicantur baptizari campanæ, cum eiuſmodi benedictionem & nomen (ſicut in baptiſmo nomen infantibus imponitur) ab Epiſcopis accipiunt.

V. NORTHMANNI INVADVNT GALLÆCIAM.

f Sampyr. Fundenſ. Roder. Ambr. Moral. l. 16. c. 31. & alii.

Hoc eodem anno, qui ſecundus numeratur Ordonii Tertii Regis Legionenſis in Hiſpania (vt veteres omnes atque recentiores Chronographi[f] teſtantur) Northmanni ſub Gunderedo duce claſſe centum nauium comparata, inuaſere Gallæciam, & cuncta ferro igneque miſcentes, biennali prælio eam prouinciam valde afflixere, atque inter alias Compoſtellanam ciuitatem deſtruxere, occiſo in prima acie Siſenando Epiſcopo eius ſedis inuaſore, arma potius quam ſacra tractare aſſueto. Sed vicinarum prouinciarum exeũtes armati Fideles ſub duce Gundiſaluo Sancio Caſtellæ Comite, præuio S. Iacobo Apoſtolo, eoſdem Northmannos præda onuſtos inuadentes improuiſi, omnes vel peremere cum ipſorum duce, vel duxere captiuos aut profugos cum paucis ab incendio relictis nauibus ad propria remeare coegere.

IESV CHRISTI AN. 969.

IOANNIS XIII. AN. 4.

OTTONIS 8. NICEPH. PHOC. 7.

I. GRÆCI DOLO APPETVNT LATINOS.

Anno Domini nongenteſimo ſexageſimo nono, Indictione duodecima, Nicephorus Imperator legationem ad Ottonem Auguſtum Græca fraude miſit, ſub falſo prætextu nuptiarum, quarum occaſione anno ſuperiori Legati miſſi fuerant Conſtantinopolim; reuera tamen vt eum nuptiis occupatum bello appeteret, imparatumque ſuperaret. Quod & accidit, neci tradita exercitus parte, quam Otto tamquam ad excipiendam nurum ad condictum locum miſiſſet. Sed non diu vindicta dilata, idem fidifragi Græci paulo poſt ab aliis Ottonis Ducibus ad internecionem cæſi ſunt, & Calabria atque Apulia eis ſublata: qui vero capti fuere, obtruncatis naribus Conſtãtinopolim remiſſi ſunt. Itaque Conſtantinopolitani à ſuis audientes male pugnatum, aduerſus Nicephorum inſurgentes, eumdem adiuuante ipſius coniuge, ac miniſterio Ioannis Zemiſcis occiderunt; moxque in eius locum, ipſum eius interfectorem IOANNEM ſubrogarunt. Qui continuo ad Ottonem in Italiam miſit puellam regiam, quam ipſe filio ſuo Ottoni petierat. Hæc omnia Witichindus[a] Saxo. Hanc vero puellam, Theophanem, ſiue Theophaniam dictam, à Ioanne Papa coronatam eſſe Imperatricem Sigebertus teſtatur, ab eodemque Pontifice ſacris ritibus Ottoni Iuniori coniunctam. Curopalates autem pluribus proſecutus Nicephori necem, eam accidiſſe ait hoc anno, vndecima menſis Decembris; qua ratione non ante ſequentem annum dictæ nuptiæ contigiſſe potuerunt.

NICEPH. IMP. OCCIDITVR, ET IOAN. ZEMISCES IMPERAT. a Witich. l. 3.

II. DIVINA VLTIO IN SACRILEGOS.

Hic finis Nicephori, rerum Eccleſiaſticarum inuaſoris qui antequam eiuſmodi ſe ſacrilegiis inquinaret, credi vix poteſt, quot & quantas paucis diebus fuerit de Saracenis victorias conſecutus: ſed vbi in bona Eccleſiæ manus iniecit, omnibus ſe malis obuoluit, atque Deum ſeuerum expertus eſt vindicem. Siquidem & Græci omnes hiſtorici tradunt, ipſum ob eiuſmodi ſacrilegia male periiſſe: qui ſuo exemplo reliquit ſancitam Principibus diſciplinam. Quod autem exempla Regum perfacile propagentur in magiſtratus; poſt Nicephori quoque obitum, aduerſus ſacra loca, Deoque dicatos viros, inſiliiſſe ſæpe regiorum miniſtrorum tyrannidem; ſed ſicut ille vlciſcente numine pœnas dedit, ita in hos diuinam inuigilaſſe vindictam, docent Acta Vitæ S. Niconis monachi Armeni, qui ſub eodem Nicephoro Phoca claruit in Græcia. Quod vero ad nouum Imperatorem Ioannem attinet; tradit Curopalates, eum ab ingreſſu eccleſiæ à Polyeucto Patriarcha repulſum fuiſſe ob necatum Nicephorum. Cum autem excuſaret, quod non propriis manibus eum interfeciſſet; Patriarcham iuſſiſſe interfectores in exilium mitti; ipſamque Theophanam Auguſtam, cuius iuſſu id perpetraſſent, è palatio eiici, & in inſulam relegari: hiſq; peractis; ſed & conſciſſo impio Nicephori decreto, quod ad confundendas res Eccleſiæ propoſuerat, inſuperque pollicente eodem Ioanne ſe ob admiſſum facinus ad placandum Deum pauperibus facultates, quas priuatus poſſidebat diſtributurum; tunc demum ei Polyeuctum ingreſſum eccleſiæ conceſſiſſe, & in Natali Domini coronam impoſuiſſe.

PATRIARCHA RESISTIT IMPERATORI.

III. DVORVM PATRIARCHARVM NECES.

Hoc item anno (vt idem Curopalates ſcribit) Saraceni poſt expugnatas in Syria & Cilicia vrbes, Ioannem Patriarcham Hieroſolymitanum viuum combuſſerunt, quod eius monitis putarent fore vt ipſos Nicephorus inuaderet: qui & pulcherrimum Dominicæ ſepulturæ templum incenderunt. Idemque fecerunt Antiochenſes, interfecto ſuo Patriarcha Chriſtophoro.

Grande

IV. MIRACVLVM DE CATENA S. PETRI

Grande quoque miraculum hoc anno Romæ contigiſſe de dæmoniaco ſanato virtute Catenæ S. Petri: ac Theodoricum Metenſium Epiſcopum Imperatori ſanguine coniunctum, anulum eiuſdem ſacratiſſimæ catenæ, multaſque alias diuerſorum Sanctorum Reliquias Roma ſecum in Gallias tranſtuliſſe, & in eccleſia S. Vincentii à ſe conſtructa collocaſſe: auctor eſt Sigebertus.

OTTON. 9 IOAN. ZIMIS. 1.

IESV CHRISTI AN. 970.

IOANNIS XIII. AN. 5.

I.

ANno Domini nongenteſimo ſeptuageſimo Indictione decimatertia, Polyeuctus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, cum ſediſſet annos quatuordecim, ex hac vita migrauit, poſt triginta quinque dies ex quo Ioannem Imperatorem coronaſſet: In cuius locum *Baſilius* monachus Scamandrenus, boni nominis vir ſubrogatus eſt. Ita Curopalates, & alii. Cedrenus addit, eumdem Ioannem Imperatorem Antiochenæ pariter Eccleſiæ præficiendum curaſſe *Theodorum* quemdam monachum, virum inſignem qui ei prædixiſſet Imperium. Ac denique eorumdem teſtificatione auctorum conſtat, Saracenos ſuis omnibus vndique comparatis viribus obſidentes Antiochiam, ab eodem Imperatore profligatos eſſe: & Roxolanos, ſeu Ruſſos, aliorum barbarorum copiis annitentes, exercituque militum trecentorum & octo millium pollentes, pariter ſuperatos eſſe.

BARBARI SVPERATI A IOAN. IMP.

II. CONCIL. ANGLIC. CON. RA INCONTINENTIAM CLERICOR.

Celebratum vero in Occidente hoc item anno eſt à S. Dunſtano Cantuarienſi Archiepiſcopo, auctoritate Ioannis Romani Pontificis, generale CONCILIVM omnium Angliæ Epiſcoporum, aduerſus incontinentiam clericorũ quo ſtatutum eſt, moxque executioni mandatum (approbante eodem Summo Pontifice, & adiuuante Edgaro Rege; qui non ita pridem de incontinentia ſua humillimam pœnitentiam egerat) vt aut iidem clerici vitam mutantes caſte viuerent, aut ab Eccleſia pellerentur, ſubſtitutis in eorum locum monachis. Quam rem geſtam pluribus deſcribunt Osbertus [a] in Vita S. Dunſtani, & auctor Rerum [b] geſtarum S. Oſvvaldi Epiſcopi Wigornienſis, vitæ ac mortis admirandæ viri: qui & ipſe vna cum Ethelvvaldo Wintonenſi, tam in prædicto Concilio, quam in eius decretorum executione, egregiam nauauit operam.

MONACHI IN LOCVM CLERICOR INTRODVCTI.

a ap. Sur. 19. Maii. b ap. eun. 15. ...

OTTONIS 10. IOAN. ZIMIS. 2.

IESV CHRISTI AN. 971.

IOANNIS XIII. AN. 6.

I CONCIL. ROM.

ANno Chriſti nongenteſimo ſeptuageſimo primo, Indictione decimaquarta, habita eſt Romæ à Ioanne Papa SYNODVS Generalis: ad quam inter alia miſſa eſt Legatio ab Edgaro Angelorum Rege, & à S. Dunſtano Archiepiſcopo Cantuarienſi, ſiue Dorouernenſi, vt à Pontifice confirmarentur priuilegia conceſſa ab eodem Rege monaſterio S. MARIÆ Glaſtingebiri: quod & factum eſt, vt pluribus docet Wilelmus Malmesburienſis, qui hiſtoriam ſuam ſcribebat anno milleſimo centeſimo quadrageſimo, inter ſcriptores rerum Anglicanarum poſt Bedam præcipuus.

II.

a Leo. Oſtien. Chron. Caſin. l. ... Luitp. Longob.

Eodem anno Otto Imperator firmato fœdere cum Ioanne Græcorum Imperatore, & Pandulpho [a] Beneuentano Principe reſtituto, qui captiuus à Nicephoro detinebatur; receſſurus ab Italia, vna cum Adelaide coniuge Rauennam peruenit. Vbi à S. Vdalrico Auguſtano Epiſcopo, poſt viſitata Limina Apoſtolorum ab Vrbe redeunte conuentus, eidem expetenti conceſſit vt adminiſtratio negotiorum ſæcularium Eccleſiæ ipſius, ſimulque promiſſio futuræ poſt eius mortem ſucceſſionis in ea, daretur Adalberoni eiuſdem Vdalrici ſororis filio. Quod tamen factum, & ipſemet Vdalricus iam proxime moriturus valde deteſtatus eſt, cum ad ſupremum Iudicium raptus per viſum, accepit, ea ſe de cauſa (nimirum quod affectu carnali indulſiſſet nepoti ſuo id obnixius expoſtulanti: cum alioqui idem Adalbero dignus haud dubium cenſeretur ob doctrinam ac virtutes ſuas tanto munere) pœnis aliquamdiu mancipandum purgatoriis: & idem eius nepos infeliciter luit, vt dicetur anno ſequenti. Ceterum hæc omnia de S. Vdalrico ſummatim dicta, ſimulque eiuſdem Auguſtam reditum, pluribus deſcripſit auctor [b] qui primus res ab eo geſtas proſecutus eſt.

S. VDALRICI ACTIO DE SVBROGANDO SIBI NEPOTE IMPROBATA.

b Vit. Vdal. c. 21. & ſeqq.

III. CIVITAS ET ECCL. MAGDEBVRG. ERIGITVR.

c Adam l. 2. c. 7. & ſeq.

Hoc eodem anno Otto Imperator Magdeburgenſem ciuitatem à ſe conditam, Metropolim conſtituens Slauoniæ, eidem primum Archiepiſcopum præficiendum curauit Adelbertum ſummæ ſanctitatis virum: vt tradit Adam Bremenſis Chronographus [c], deſcribens ampliſſimæ Slauorum regionis populos, quos omnes ait virtute Ottonis Imperatoris ad Chriſtianitatem conuerſos eſſe. Porro illum Adelbertum diuerſum eſſe ſcias ab alio eiuſdem nominis paulo iuniori Pragenſi Epiſcopo & martyre, de quo inferius: quos nonnulli conflant in vnum.

IV. IOAN. IMP. OPE SS. SVPERAT HOSTES.

Quod ad res pertinet Orientales, teſte Ioanne Curopalate, & aliis qui ex eo quæ narrant deſcripſere, Ioannes Imperator diuina SS. martyrum Georgii & Theodori ope quibus tutoribus ac propugnatoribus contra hoſtes vti conſueuerat, ingenti gloria Ruſſos, & Bulgaros, Scythas, Turcas, & alios barbaros aduerſus Romanos ſimul fœdere iunctos numero trecentorum triginta millium militum, iteratis ſummo labore atque periculo ſæpe prœliis ſuperauit: cum & capto Rege Bulgarorum Boriſſe vna cũ vxore & liberis, Bulgarorum Regnum extinctum eſt, eiuſque prouinciæ primaria ciuitas Paraſthlaba dicta, mutato nomine ab Imperatore Ioannopolis nuncupata. Rediens vero Conſtantinopolim, eadem qua vicerat religione triumphauit, dum ipſe equo albo vectus, venerandum Sanctiſſimæ Virginis Imaginem, vt ciuitatis patronæ, in curru triumphali ſuper Bulgarorum veſtibus impoſitam deferri iuſſit. Noua inſuper templa conſtruxit, doniſque ditauit, ac partem tributorum populo remiſit: primuſque omnium Imperatorum ſolidos aureos, oboloſque, Saluatoris Imagine ſignari voluit, & in eorum altera parte hæc verba inſcribi, CHRISTVS REX REGVM: quod & ſubſequentes obſeruarunt Imperatores. Hæc omnia Curopalates: qui eiuſmodi bellum ab Imperatore confectum accurate deſcripſit, à quo & alii ceperunt.

TRIVMPHVS RELIGIOSVS IMP.

OTTON. 11 IO. ZEMIS. 3.

IESV CHRISTI AN. 972.

DONVS.

I. IOAN. PP. OBITVS. DONVS CREATVR, ET MORITVR.

ANno Chriſti nongenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Indictione decimaquinta, octauo Idus Septembris *Ioannes* Papa diem obiit, ſepultuſque eſt in eccleſia S. Pauli, cum ſediſſet annos ſex menſes vndecim dies quinque: vt colligitur ex epitaphio ipſius ſepulchri, quod adhuc viſitur in eadem baſilica. In eius vero locum ſuffectus eſt duodecimo Calẽdas Octobris DONVS ſiue Domnus, aliter Domnio (apud diuerſos enim diuerſe ſcriptus reperitur) patria Romanus: qui ſedit tantũ menſes tres, obiitque decimoquarto Calendas Ianuarii. Sequenti autem die in locum eius ſubrogatus eſt BENEDICTVS huius nominis Sextus, patria Romanus, filius Hildebrandi.

BENED. PP VI.

II. CONCIL. INGELH.

Eodem anno Otto Auguſtus vna cum filio item Imperatore reuerſus in Germaniam, ad componendas res Eccleſiarum SYNODVM per Epiſcopos congregauit in Ingelheim: in qua inter alia geſta, cum S. Vldalricus renunciare vellet Epiſcopatui Auguſtano in fauorem nepotis ſui Adalberonis, ipſeque monaſticam regulam & habitum S. Benedicti ſuſcipere: non eſt permiſſus ab Epiſcopis, in eumdem Adalberonem commotis quod auſus eſſet baculum paſtoralem, tamquam verus eſſet Epiſcopus, alio viuente geſtare. Flexi tamen eiuſdem Adalrici precibus, polliciti ſunt eumdem Adalberonem poſt ipſius obitum ei ſucceſſorem ordinare. Et quidem ita iudicauit Synodus ex conſenſu Imperatorum qui aderant; ſed præ-

S. VDALRICI CONATVS PRO SVBROGANDO NEPOTE, IRRITVS REDDITVS.

iudicauit Deus ne Adelbero ſuccederet Vldarico in Epiſcopatu quem tanta animi anxietate petierat; effecitque vt antea nepos quam auunculus moreretur, idque morte ſubitanea priuſquam volueretur anni illius curriculum. Quæ omnia fuſius narrata habentur in Vita eiuſdem S. Vdalrici.

OTTONIS II. IOAN. ZEMIS 4.

IESV CHRISTI AN. 973.

BENED. VI. AN. 1.

I. OTTON. IMP. OBIT.

ANno Domini nongenteſimo ſeptuageſimo tertio, Indictione prima. Nonis Maii Otto Magnus Imperator ſubitaneo morbo in Saxonia interceptus, poſt ſumptam ſacratiſſimam Euchariſtiam feliciter ad Deum migrauit: cum paulo ante diem obiiſſet Wilelmus Archiepiſcopus Moguntinus ipſius filius vir ſatis laudatus, necnon Mathildis eiuſdem Imperatoris mater pientiſſima femina, quæ & inter Sanctos[a] eſt relata. Porro de piis iſtorum funeribus, pluribus agit Witichindus[b]: cui concordat Ditmarus de die obitus Imperatoris, additque ad eius laudem, quod nullus poſt Carolum Magnum ſit inuentus dignus Imperator, niſi ipſe Otto Magnus. Quod vero longe poſt hæc tempora Petrus Damiani ad Deſiderium Abbatem ſcribens, ait eumdem Ottonem paulo ante mortem excommunicatum eſſe à prædicto Wilelmo Archiepiſcopo ipſius ex priori coniuge filio: quod poſtea Adelaidem commatrem ſuam vxorem duxiſſet; & ipſe hæc dubitans ſcripſit ex aliorum relatione, nec ab vllo eius temporis auctore prodita ſunt. Denique nemo, quod ſciam, tradit Adelaidem fuiſſe commatrem Ottonis: ſed etſi fuiſſet, debuiſſent iſta ipſo initio obiici cum eam Otto duxit vxorem, & non poſt annos viginti duos cum iam quatuor ſuſcepiſſet ex ea filios, interque alios Ottonem Iuniorem Imperatorem, quem idem ipſe Wilelmus Archiepiſcopus educauit, fouit, & ad Imperium cuſtodiuit; tantum abeſt vt ex inceſtuoſo ortum coniugio ipſum putarit. Ceterum defuncto Ottone Magno, eius filius OTTO Iunior ſolus imperare cœpit, qui iam cum patre inchoauerat annum ſextum. Adelais autem ipſius mater peruenit ætate vſque ad annum Salutis milleſimum, quo defuncta aſſeritur: cuius quidem extat[c] Vita ſcripta (vt puto) ab Odilone Abbate Cluniacenſi, vbi eadem titulo Sanctitatis inſignitur: apponunturque publicæ preces dicendæ in Miſſa ipſius & Horis canonicis: vnde colligas eam poſt obitum ritu ſolemni à Summo Pontifice fuiſſe inter Sanctos collocatam.

a Martyrol. Rom. præd. Id Mart.
b Witich. l. 3. in fi.
OTTO IMP ASSERITVR EXCOMMVN. A FILIO OB INCESTVM
OTTO II. IMPERAT.
c ap. Caniſ. To. V. Anti Lect.

II. S. VDALRICI OBIT.

Hoc item anno, quarto Nonas Iulii. S. Vdalricus Epiſcopus Auguſtanus mortuus eſt anno ætatis ſuæ octogeſimo tertio, iam viuens & poſt mortem clarens miraculis. Quem poſt viginti annos, videlicet Redemptoris nongenteſimo nonageſimo tertio, Indictione ſexta, menſe Februarii, Ioannes Papa XV. anno Pontificatus ſui octauo retulit in Sanctorum numerum, publicoque diplomate decretum Pontificium in Synodo Romæ habita factum, bene teſtatum poſteris tradidit: quod Marcus Velſerus nobilis Auguſtanus nuper edidit[d], vna cum Vita ac miraculis eiuſdem S. Vdalrici ſcriptis antiquitus ab auctore eius temporis. Extatque perbreuis epiſtola Gregorii Papæ [e] Septimi, qua petenti Patriarchæ Aquileienſi conceſſit vt in die natalis S. Vdalrici pallio vti poſſet: vnde innoteſcit quam celebris eſſet cultus eiuſdem Sancti: quem qui deſpexit quidem ruſticus laborans in ipſius feſto die, mox diuinam vindictam expertus eſt.

d Rec. Bar. To. X. an. 993
e Greg. VII. ep. 18. l. 6.

OTTON. II. 1. Io. ZEMIS. 5.

IESV CHRISTI AN. 974.

BENED. VI. AN. 2.

I. BENED. PP STRANGVLATVS A BONIF. INVASORE.

ANno Chriſti nongenteſimo ſeptuageſimo quarto, Indictione ſecunda, *Benedictus* Papa Sextus, vbi ſediſſet annum vnum menſes tres & dies aliquot, à Bonifacio cognomento Francone, ſed patria Romano, Ferrutii filio, diacono Cardinale, ſceleſtiſſimo viro, violenta manu captus, & in carcerem detruſus, ibi ſtrangulatus eſt. Ipſe vero Bonifacius Sedem Apoſtolicam inuaſit, quam tenuit annum vnum ac menſem, dictuſque eſt *Bonifacius* Septimus; verum vti tyrannus ab antiquioribus non numeratur inter Romanos Pontifices. Nam Leo[a] Oſtienſis Benedicto Sexto immediate ſucceſſiſſe tradit Benedictum Septimum, de quo agetur anno ſequenti.

a Leo Oſt. l. 2. c. 4.

II. S. ROMVALDVS EREMITARVM INSTITVT.

Hoc item anno, quo quartus[b] inchoatus eſt Honeſti Rauennatis Epiſcopi, olim Abbatis Claſſenſis famoſiſſimi monaſterii S. Apollinaris prope illam ciuitatem, vir ſanctiſſimus ROMALDVS Rauennas, nobiliſſima Ducum oriundus ſtirpe, nuncium remittens ſeculo, in eodem Claſſenſi cœnobio ab eodem Honeſto monaſticum ſuſcepit habitum. Ex quo factum eſt, vt admirandis progreſſibus ſanctitatis ex cœnobio ad vitam tranſiens anachoreticam, ita fœcundus in prole Sanctorum fuerit, vt Occidentalem Eccleſiam ſanctis repleuerit Anachoretis: quorum aliqui Apoſtolatum ad Gentes meruere, & inſigni corona martyrii decorari. Agetur ſæpius de illo inferius. Res autem ab eo præclare geſtæ, ſcriptæ[c] ſunt à Petro Damiani æque patria Rauennate, & ſanctitate atq; doctrina notiſſimo, qui his temporibus proximus vixit.

b Rub. in hiſt. Rauen. hoc an.
c ap. Sur. 19. Iunii.

OTTONIS II. 2. IOAN. ZEMIS. 6.

IESV CHRISTI AN. 975.

BENED. VII. AN. 1.

I. BENED. PP VII.

ANno Chriſti nongenteſimo ſeptuageſimo quinto, Indictione tertia, Benedictus Romanus ex Albericis[a] proueniens, exagitans vrgenſque Bonifacium tyrannum inuaſorem Sedis Apoſtolicæ, eum abire coegit. Qui nefandiſſimus homo antequam ab Vrbe recederet, Baſilicam Vaticanam omnibus ornamentis ſpoliauit, & ſacrilega onuſtus præda nauigauit Conſtantinopolim. In cuius locum omnium ſuffragio idem BENEDICTVS ex Sutrino Epiſcopo creatus eſt Romanus Pontifex. Quod quidem hoc anno contigiſſe, ex ipſius ſepulchri[b] inſcriptione redditur manifeſtum: vbi dicitur defunctus eſſe die decima Iulii Indictionis duodecimæ, poſtquam ſediſſet annos nouem. Vnde redarguas eos, qui aliam rationem in eius numerandis annis inierunt.

a Leo Oſt. l. 2. c. 4.
b Ext. in Baſil. S. Cruc. in Hieruſal.

II. MARTYRES IN HISPANIA.

Hoc eodem tempore, Chriſtiani qui capta & diruta à Saracenis Hiſpaniam occupantibus ciuitate Septimacenſi, immani ciuium cædi ſuperfuere, ducti captiui Cordubam, poſt biennalem carcerem cum non adduci potuiſſent fidem abnegare, gladio necati martyrium conſecuti ſunt. Quos pene obliuione ſepultos, ex Archiuo Compoſtellano Ambroſius[c] Morales in lucem edidit ex autographo deſcripto diplomate Regis Veremundi, quod confecit Era milleſima decimatertia (qui eſt præſens annus Domini nongenteſimus ſeptuageſimus quintus) de donatione facta Eccleſiæ S. Iacobi Apoſtoli, bonorum vnius ex illis Martyribus per Ranimirum Regem occupatourm.

c Ambr. Moralis Append. ad Eulog.

III. IOAN. ZEMISCE VENENO SVBLATO, BASIL. ET CONST. FRATRES IMPERAT.

Hoc pariter anno, ingenti damno Reipublicæ Orientalis Ioannes Zemiſces Imperator cum in Syriaca eſſet occupatus expeditione, iamque victor perueniſſet Damaſcum, veneno potatus mortuus eſt Conſtantinopoli quarta die menſis Decembris. Eademque die ſucceſſere filii Romani Iunioris, BASILIVS & CONSTANTINVS, quorum ille vigeſimum, hic decimumſeptimum agebat ætatis annum: reuocata pariter eorum matre Theophane in ſolium, è quo fuerat exturbata, & in Proconneſum relegata. Hæc omnia Curopalates, & ex eo alii recentiores. Quibus etiam auctoribus conſtat, hac eadem Indictione tertia (ideoque ante mortem Ioannis Imperatoris) Conſtantinopoli *Synodum* celebratam eſſe; in qua Baſilius Patriarcha criminis accuſatus, depoſitus eſt, & in locum eius ſubſtitutus *Antonius* Studites.

IV. d Matth. Weſtmon. in Flor. hiſt.

Hoc item anno[d] defuncto Angliæ Rege Edgaro, cum regnaſſet à tempore monarchiæ adeptæ annos ſexdecim,

ac de

ac de nouo Rege eligendo magna inter Principes orta diſſenſione, petentibus aliis Eduardum defuncti Edgari primogenitum, aliis vero Ethelredum eiuſdem ex ſecunda vxore filium; generali habito *Conuentu* Præſulum ac Procerum, Eduardus (vt pater eius moriens iuſſerat) electus eſt, ac in Regem vnctus. Eodemque tempore Eccleſia Anglicana nonnihil perturbata eſt factione clericorũ, inſurgentium in monachos qui in eorum incontinentiũ locum (vt ſuperius dictum eſt) ſuffecti fuerant. Qua de re cum à S. Dunſtano Cantuarienſi Archiepiſcopo SYNODVS VVintoniæ congregata eſſet: in medio conflictu diſputationis, deprecante ipſo Rege *c pleriſque Epiſcopis vt iidem clerici reſtituerentur, ſuſpenſis omnibus ad reſponſum Dunſtani, mirandum illud contigit, vt Imago Crucifixi in edito eccleſiæ affixa audientibus cunctis dixerit. *Non fiet, non fiet, Iudicaſtis bene, mutaretis non bene*: quod omnes clericos, eorumque fautores confuſos reddidit & elingues. Recitat hanc hiſtoriã breuiter Matthæus Weſtmonaſterienſis; ſed expreſſius narratur ab Osberto in Dunſtano, qui tamen potius ſub dicto Rege Edgaro eam referre videtur. Verum hoc præſenti anno celebratum eſſe Concilium, etiam vetuſtiora de rebus geſtis Anglorum monumenta ad Bedam addita fidem faciunt; in quibus pariter recitatur eadem de ſacra Christi Imagine hiſtoria.

CONCIL. WINTON. IN CAVSA CLERIC. ET MONACHOR.

IMAGO CRVCIFIXI LOCVTA.

IESV CHRISTI AN. 976.

OTTON. II. 3. BASIL. & CONST. 1.

BENED. VII. AN. 2.

I.

ANNO Domini nongenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Indictione quarta, ſub Imperatoribus iuniorib. moderante habenas Imperii Orientalis Baſilio Præfecto Vigilum, qui è medio Ioannem Imperatorem ſuſtulerat, eodemque Bardam Sclerum cognomento Phocam Ducem Orientis quem ſuſpectum haberet in ordinem reducere conante: ipſe *Bardas* ſuorum conſilio militum, vaticinioque fretus cuiuſdam monachi, Imperatoris nomen & inſignia aſſumpſit, magnaque diu affecit calamitate Imperium. Cuius rebellionis timore percitus Antonius Studites Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſponte ſe abdicauit: ſicque ea ſedes vacauit annis quatuor. Non enim datus eſt ei ſucceſſor, quouſque vixit. Hæc omnia Curopalates, & alii ex eo.

BARDAS TYRAN. IN ORIENTE.

II.

Porro iidem Baſilius & Conſtantinus Impp. ad regendas oras Occidentales, Calabriæ videlicet regionem, inter alios miſere Eupraxium Præfectum, de quo eſt mentio in Vita ſanctiſſimi Patris Nili: cuius ope idem morbo incurabili ſanatus, ex faſtuoſiſſimo factus eſt humillimus, & habitum monaſticum ſuſcepit. Fuit autem *Nilus* iſte ab origine Græca Roſſani in Calabria ciuitate natus, doctrina eximius & pietate inſignis, ab infantia Dei cultor egregius: qui poſt matrimonium vitam monaſticam ſectatus, breui omnes eius inſtituti profeſſores facile antecelluit: notus vbique tam in Oriente quam in Occidente virtute miraculorum, & à Principibus, atque etiam Imperatoribus, ipſiſque Summis Pontificibus, honore cultus. Cuius res geſtæ Græce conſcriptæ ab eius diſcipulo, nuper etiam Latinitati ſunt traditæ. Meminit vero eiuſdem Leo [a] Oſtienſis, dum narrat quomodo poſt quatuor abhinc annos præuidens ille venturos in Calabriam Saracenos, à Græcis aduerſus Latinos vocatos, eoſdemque eam prouinciam miſere vaſtaturos: vna cum ſuis receſſerit ad Caſſinates, & ab eis honorificentiſſime ſuſceptus, incolendum accepit monaſterium S. Michaelis Archangeli, Vallis lucis nuncupatum: quam etiam rem geſtã ille eius diſcipulus fuſius eſt proſecutus. Ita enim plane hic vir ſanctus ſe ſuoſque ad monaſticam vitam compoſuit, vt nuſquam firmas fixerit ſedes, ſed peregrinantium more vbi quodam loco aliquamdiu manſiſſet, aliqua occaſione captata vna cum ſuis alio tranſmigraret: ita expedire iudicans ad omnes numeros perfectiſſimæ monaſticæ obſeruantiæ exoluendos, vt affectus liberos ab omnibus terrenarum rerum compedibus conſeruaret.

DE S. NILO ABB.

a *Leo Oſt. Chron. Caſſ.* 17.

S. NILI VITA INSTITVTVM.

IESV CHRISTI AN. 977.

OTTONIS II. 4. BASIL. & CONST. 2.

BENED. VII. AN. 3.

I.

ANNO Chriſti nongenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, Indictione quinta, S. Romualdus vbi triennium exegiſſet in Claſſenſi cœnobio, vitam æmulatus Anachoreticam, adeo ſub Marino viro ſanctiſſimo profecit, vt exemplo ſuo ad eamdem ſectandam attraxerit, inter alios, Petrum Vrſeolum Ducem Venetiarum. Hic enim cum ad eius faſtigium dignitatis idcirco perueniſſet, quod deceſſoris ſui Vitalis Candiani tyrannidem affectantis peremptoribus, ea lege fautor extitiſſet, vt ipſe poſt illius necem Ducatum adipiſceretur: idem eius facinoris compunctione diuinitus tactus, conſilio cum Marino & Romualdo inito ſe ſponte abdicans, vna cum ipſis, ac Ioanne Gradenico æque nobili Veneto inſtituti ſui conſcio, in Gallias ſecreto ſeceſſit: ducem ſecutus Guarinum quemdam Abbatem Gallum Aquitanum virum ſanctiſſimum, qui orationis gratia per diuerſas mundi regiones peregrinari ſolitus erat. A cuius haud longe monaſterio iidem in Gallia vitam agentes anachoreticam, victumque ſibi labore manuum comparantes, magna auſteritate carnem domuerunt per plura annorum curricula.

DVX VENET. PETIT EREMVM CVM ROMVAL. ET ALIIS.

II.

Poſtquam autem vita iam bene perfuncta Petrus Vrſeolus migraſſet in cœlum, iidem Guarinus, Ioannes, Marinus, & Romualdus, eodem à quo impulſi fuerant in deſertum monente Spiritu, reuerſi ſunt in Italiam: quos & ſecutus eſt Olibanus quidam Comes ex eadem Aquitaniæ prouincia, qui enarrata quaſi per confeſſionem S. Romualdo vita ſua, cum ab eo audiſſet ſe aliter ſaluari nõ poſſe, niſi monaſticum ſuſciperet inſtitutum, relicto ſæculo ad cœnobium ſe Caſſinenſe cum multis diuitiis S. Benedicto offerendis contulit. Habet hæc omnia fuſius Petrus [a] Damiani in Vita eiuſdem S. Romualdi. Meminitque de Petri Vrſeoli abdicatione & in Gallias ſecreta ſeceſſione, etiam Sabellicu in Rebus geſtis Venetorum: qui tamen in eo differt à Petro Damiani, quod non Vitalem Candianum, ſed Petrum eius patrem à ciuibus opera Petri Vrſeoli necatum tradit. Eadem vero de Olibano Comite, habentur pariter in Chronico Caſſinate à Leone [b] Oſtienſi Epiſcopo conſcripto.

OLIBANI COMITIS CONVERSIO.

a *ap. Sur. 19. Iun{ꝫ}.*

b *Leo Oſt. l. 2. c. 19.*

IESV CHRISTI AN. 978.

OTTONIS II. 5. BASIL. & CONST. 3.

BENED. VII. AN. 4.

I.

ANNO Chriſti nongenteſimo ſeptuageſimo octauo, Indictione ſexta, Otto Imperator offenſionem paſſus à Lothario Francorum Rege, eum perſecutus eſt vſque Pariſios [a]. In reditu autem, cum inſequentes eius exercitum Franci, in fluminis cuiuſdam tranſitu cum nullo negotio deleturi eſſent, adfuit precibus ad Deum fuſis S. Wolfgangus Epiſcopus Ratiſponenſis, qui Ottonis exercitum præiens trans flumẽ incolumem mirabiliter perduxit: quam rem geſtam narrat auctor qui tunc viuebat, & eiuſdem Sancti intimus erat. Quin etiam eam partem exercitus quæ acrius inſequeretur Ottonem, male periiſſe ad flumen, Aimoinus [b] habet.

a *Lambert. & Sigeb. hoc an.*

S. WOLFGAN RATISPON. CLARET.

b *Aim. l. 5. c. 44.*

II.

Eodem anno, vt antiqua Eccleſiæ Anglicanæ monumenta [c] docent, *Eduardus* Rex cum in venatione ſiti afficeretur, ſolus diuertens ad nouercam ſuam, eiuſdem inſidiis dum ab ea potum acciperet ſica confoſſus interiit: id agente ſcelerata femina, vt eius filius Ethelredus puer decem annorum Regnũ conſequi poſſet. Porro ita innocentiſſimus Rex necatus, miraculis coruſcans cultus eſt ab Anglis vt martyr. Extant [d] Acta necis & miraculorũ eius,

c *Append. ad Bed. de geſt. Angl. l. 2. c. 12. Flor. hiſt. Matt. Weſt. ſup{?}e hoc an.*

S. EDVAR. REX INSIDIIS NOVERCÆ NECATVR.

d *ap. Sur. 18. Mart.*

ab incerto auctore conſcripta: in quibus tamen diuerſa ab aliis aſſeruntur de eius necis tempore, cum eam accidiſſe ponãt anno redemptoris nongenteſimo octogeſimo primo. Sed & viſis ingentibus diuinis miraculis quæ ad corpus eius fierent, eandem eius nouercam nomine Elſdritham mire pœnituiſſe, ac per multa tempora magna auſteritate vixiſſe, ibidem traditur. Fuit vero etiam eiuſdem S. Edvuardi ſoror nomine *Edita*, alumna S. Ethelvuoldi Wintonenſis Epiſcopi: quã & ipſam inſignibus poſt obitum claruiſſe miraculis, conſtat ex Actis [c] Vitæ ipſius.

c ap Sur. 26. Sept.

III. DIVINA VLTIO IN INVASORES RER. ECCLES.

Eodem tempore Carolus Dux Lotharingiæ frater Lotharii Francorum Regis, pugnans aduerſus Hermenſredum occupatorem rerum Eccleſiaſticarum, accepit ab eo corpus S. Gudilæ virginis, & Bruxellas intulit: inuaſores autem poſſeſſionum illius, & deſcendentes heredes diuina vindicta eſt iugiter proſecuta, vt omnes miſerando vitam finirent interitu. Hæc ex appendice [f] ad Reges eiuſdem Sanctæ.

f ap Sur. 8. Iannar.

IESV CHRISTI AN. 979.

OTTONIS II.6. BASIL.& CONST. 4.

BENED. VII. AN. 5.

I.

ANno Chriſti nongenteſimo ſeptuageſimo nono, Indictione ſeptima, Calendis Maii à SS. Archiepiſcopis Dunſtano Cantuarienſi & Oſuualdo Eboracenſi, aliiſque Eccleſiæ Anglicanæ Antiſtitibus, Ethelredus puer decennis Rex Angliæ coronatus eſt: in qua coronatione idem S. Dunſtanus prophetiæ afflatus ſpiritu eidem Regi prædixit, ob iniuſtam necem S. Eduuardi ab ipſius Ethelredi matre procuratam, non defecturum gladium de domo eius, quouſque Regnum transferretur in Regem alienum, cuius ritum & linguam gens Anglorum non noſceret. Poſt quam prophetiam, nubes per totam Angliam, nunc ſanguinea, nunc ignea viſa eſt. Narrat hæc Mattheus Weſtmonaſterienſis hoc anno: eademque ferme Osbertus in Dunſtano, & auctor qui martyrium Eduuardi Regis deſcripſit.

S DVNST. VATICINIVM DE REGNO ANGL.

II. CONCIL. CALNEN. IN CAVSA CLERICOR ET MONACHOR.

Porro cum adhuc idem Rex Ethelredus puer eſſet, collectum eſt CONCILIVM Calnæ, cum Clerici aduerſus S. Dunſtanum reclamarent ob pulſos ipſos ab eccleſiis, & ſubſtitutos monachos. In qua Synodo illud mirandum accidit, vt conſidentibus Epiſcopis, aliiſque Regni Senatoribus, in media ipſa diſceptatione ſolarium ſubito totum diſſolutum fuerit: eoque caſu omnibus qui aderant eliſis, ipſiſque etiam cunctis aduerſariis vel extinctis vel penitus contritis, ſolus Dunſtanus qui Synodo præſidebat illæſus euaſerit, ſtans ſuper vnam quæ ſuperſtes erat trabem. Hæc Matthæus Weſtmonaſterienſis anno nongenteſimo ſeptuageſimo quinto, multa in vnum iungens: eademque auctor Appendicis [a] ad Bedam. Sed Osbertus tradit, non ſolum Dunſtanum incolumem euaſiſſe, verum etiam omnes illos qui eius adhærentes ſententiæ à monachis ſtarent.

a de geſt. Angl. l. 2. c. 11.

IESV CHRISTI AN. 980.

OTTONIS II.7. BASIL.& CONST. 5.

BENED. VII. AN. 6.

I.

a Lamb. & Sigeb. hoc an. & alij.

S. ADALBERTVS CREATVR EPISC. PRAGEN.

ANno Chriſti nongenteſimo octogeſimo, Indictione octaua, Otto Imperator [a] in Italiam venit: & cum Veronæ eſſet, *S. Adalberto* viro nobilitate, diuitiis, ſcientia, & probis moribus inſigni, electo Pragenſi in Boemia Epiſcopo, per virgam paſtoralem tradidit eius Eccleſiæ poſſeſſionem, quam vocabant Inueſtituram. Nominatũ hunc primo Voicechum, inunctum vero ſacro chriſmate à S. Adalberto primo Archiepiſcopo Magdeburgenſi, ab ipſo ſuo nomine vocatum Albertũ, tradit [b] qui res ab eo præclare geſtas conſcripſit auctor eiuſdem temporis. Extant tamen & alia eiuſdem Vitæ Acta manuſcripta, in quibus non Voicechus, ſed Wentius in baptiſmate vocatus aſſeritur. Quem quidem tradũt, cum audiſſet nuper defunctum Pragenſem Epiſcopũ moriendo clamantem ſe à nigris ſpiritibus deportari: inde immenſo horrore correptum, magnum emendationis vitæ ſtudium concepiſſe: habitis autem Comitiis ad eligendum nouum Epiſcopũ, omnes conueniſſe in ipſum Adalbertum, quem ſe valde timere dæmon ab energumeno eadem die expulſus faſſus eſt. Sed de tanto Vngarorum & Pruſſiorum Apoſtolo martyrio inſignito, huius perditiſſimi ſæculi decore maximo, dicetur rurſum inferius.

b ap Sur. 23. April.

II. HARALDI REG. DAN. MARTYRIVM.

Eodem anno S. *Haraldus* Rex Danorum, qui primus Danis Chriſtianitatem indixerat, totumque Septemtrionem prædicatoribus & eccleſiis repleuerat; poſtquam regnaſſet annos quinquaginta, à proprio filio Suen dicto, acerrimo Chriſtianorum hoſte, bello appetitus, atque in prælio victus & ſauciatus, poſt dies aliquod in feſtiuitate Omnium Sanctorum ex eodem vulnere deficiens, gloriam martyrii acquiſiuit: quo nomine ab illa Eccleſia perpetuo cultus eſt. Cum autem poſt eius obitum, Suen aduerſus Chriſtianos perſecutionem concitaſſet: diuina illum inſequente vltione, ipſe bis in prælio à Slauis captus, totienſque à Danis ingenti auro redemptus, rurſumque ab Herico Sueonum Rege Chriſtiano ſuperatus, regno pulſus eſt: vnde factus profugus ſuper terram, ad Northmannos primum, deinde ad Anglos confugiens, & ab vtriſque repulſus, demum apud Regem Scotiæ locum delitеſcendi inuenit: vbi quatuordecim annis commoratus, poſt obitum Herici in regnum regreſſus, iterum eodem pulſus eſt ab Olaph Herici filio. Quo tempore de peccatis ſuis tandem pœnitens, cum Deo in gratiam rediit: moxque ab eodem Olaph reſtitutus, Chriſtianitatem propagans, à Northmannis bello appetitus, victis ipſis eorum regno potitus eſt, ac Chriſti fidem in Noruegia ſuſcipi edicto iuſſit: ſed & in Angliam transfretans, Regem Ethelredum iuxta vaticinium S. Dunſtani expulit: & Angliæ Regno auctus, poſt tres menſes occubuit. Hæc omnia pluribus Adam [c] Bremenſis vetus Chronographus illis temporibus proximus: quæ multis annis confecta hic ſummatim in vnum congeſſimus, quo exemplo vnius hominis, quam Deus ſit iuſtus & miſericors atque longanimis intelligatur.

VLTIO DIVINA INSEQVITVR REGEM PERSECVTOREM.

c Adam. l. 2. Chron. c. 18. 21. 25. 28. 29. 36.

IESV CHRISTI AN. 981.

OTTONIS II.8. BASIL. & CONST. 6.

BENED. VII. AN. 7.

I.

NICOL. CHRYSOBERGAS PATRIAR. CONST.

ANnus Chriſti nongenteſimus octogeſimus primus, Indictione nona cœptus eſt: quo mortuus eſt Antonius Studites Patriarcha Conſtantinopolitanus: & in eius locum ſuffectus *Nicolaus* cognomento *Chryſoberges*. Ita Curopalates. Recenſet vero poſt hæc Bulgarorum eruptionem in Græciam cum Imperatorum exercitus occupati eſſent aduerſus *Sclerum* tyrannum ſub Samuele ipſorum Rege bellicoſiſſimo: qui Chriſtianus exiſtens, & Sanctorum egregius cultor (quorum etiam nonnullorum ſacras Reliquias in patriam ſuam tranſtulit) eorumdem patrociniis noſcitur pluribus potitus victoriis.

II. S. NICONIS PRÆCLARÆ RES GESTÆ.

Meminit quoque huius Bulgarorum inuaſionis auctor Rerum geſtarum S. Niconis Μετανοεῖτε cognominati, de quo iam ſuperius dictum eſt. Cuius etiam precibus eamdem à Peloponneſo propulſatam eſſe tradit. Illic enim apud Lacedæmonem habitabat tunc idem Sanctus, Deo chariſſimus, & miraculorum patrator egregius, atque vnica hoc tenebroſo tempore fax Orientis: qui & circa hoc ipſum tempus eamdem vrbem Lacedæmonem, rogatus à ciuibus grauiſſima peſte liberauit, ea lege vt omnes Iudæi (quos adeo auerſabatur, vt nec lingua nec auribus vſurpare nomen illorum vellet) vrbe pellerentur: quod & factum eſt.

IESV CHRISTI AN. 982.

OTTONIS II. 9. BASIL. & CONST. 7.

BENED. VII. AN. 8.

I. ANnus Chriſti nongenteſimus octogeſimus ſecundus, Indictione decima, nulla certa rerum geſtarum ad inſtitutum pertinentium memoria perſpicuus, penitus remanſit obſcurus.

IESV CHRISTI AN. 983.

OTTONIS II. 10. BASIL. & CONST. 8.

BENED. VII. AN. 9.

I. ANno Chriſti nongenteſimo octogeſimo tertio, Indictione vndecima, Otto[a] Imperator expeditione parata aduerſus Græcos, & quos hi in auxilium aduerſus Latinos vocauerant Saracenos, in Calabriam venit: quem quidem præceſſerant vaticinia ſatis infauſta, cum oſtenſum eſt, offenſo numine in Sanctis ſuis, ingentem eius exercitui parari cladem. Deplorarunt Scriptores huius temporis, eiuſdem Ottonis mores, vtpote nonnihil degeneres à parentis vita cui ſucceſſerat Ottonis Magni. Inter alios vero auctor qui Res geſtas S. Adalberti Pragenſis Epiſcopi conſcripſit[b], valde conqueritur quod defuncto hoc ipſo anno[c] altero S. Adalberto Magdeburgenſi Archiepiſcopo, & qui in locum eius ſuffectus fuerat Othrico viri inſigni: idem Otto Giſelerum Meſburgenſem Antiſtitem, virum æque ſanctum[d], qui nouellos Winulorum populos doctrina & virtutibus illuſtrauit, Magdeburgenſi Eccleſiæ præfecerit, extincto prorſus Epiſcopatu Merſburgenſi, & transfuſo in Archiepiſcopatum Magdeburgenſem. Ita enim rem ſe habuiſſe, idem auctor tradit: cui conſentiunt Lambertus[e], & Ditmarus[f] eiuſdem Merſburgenſis Eccleſiæ poſtea Epiſcopus: ex quibus redarguas Adamum Bremenſem, qui cum vidiſſet aduerſus huiuſmodi Ottonis factum conclamatum fuiſſe, putauit in eo eſſe peccatum, quod qui translatus eſt ad Magdeburgenſem Eccleſiam, idem retineret etiam priorem Epiſcopatum. Ceterum inde factum eſſe, vt Otto ab hoſtibus fuerit debellatus, ſcribit idem auctor Vitæ S. Adalberti: vlciſcente videlicet S. Laurentio martyre (in cuius honorem Eccleſia Merſburgenſis dicata erat) illatam Eccleſiæ ſuæ ignominiam: quod & in viſione cuidam viro ſancto declaratum eſſe ait.

OTTONIS IMP. BELLVM INFAVSTVM ADVERSVS GRÆCOS.

a Leo Oſt. l. 2. c. 9.
b ap. Sur. 23. April.
c Adam. l. 2. Chron. c. 7.
d Ibid. c. 14.
e Crantz. in Metrop. Saxon. l. 2. c. 28.
f Ditm. l. 3. Chron.

OTTONIS PECCATVM IN S. LAVRENTIVM PVNITVR.

II. Cum igitur (vt diximus) Otto in Calabriam veniſſet pugnaturus aduerſus Græcos & Saracenos vna iunctos, ab eis ipſe deuictus eſt ingenti prælio nauali: quo quidem vniuerſo eius exercitu cæſo, atque omnibus pene proceribus, nonnulliſque Germanis Epiſcopis & Abbatibus (qui & ipſi præter ius faſque in eodem prælio militarunt) interfectis: ipſe quoque Imperator natando nitens euadere, à nautis captus eſt: ſed ab iis haud cognitus, mox ab Auguſta coniuge redemptus eſt. Agunt de hac clade hoc ipſo anno accepta, Marianus Scotus, Sigebertus, Lambertus, Leo[g] Oſtienſis, atq; auctor rerum geſtarum S. Vdalrici: ſed prolixius Ditmarus[h], cuius auunculus Vdo (vt ipſe teſtatur) in eodem bello peremptus eſt. Addit vero, poſt cladem acceptam Ottonem mœrore confectum, de eligendo Rege filio ſuo Ottone Tertio Comitia habuiſſe Veronæ: inde vero Romam veniſſe, ibique mortuum eſſe Septimo Idus Decembris: ſepultumque ad introitum Paradiſi eccleſiæ S. Petri, hoc eſt (vt interpretatur Leo Oſtienſis) in atrio eiuſdem eccleſiæ: vbi & hactenus eius ſepulchrum porphyreticum cernitur ad læuam introitus atrii. Subiicit denique Ditmarus, Ottonem Tertium qui electus Rex fuerat Veronæ, coronatum fuiſſe Aquiſgrani die Natalis Domini huius ipſius anni: eoque officio adimpleto, veniſſe nuncium de obitu patris. Ceterum ex iis quæ dicentur inferius ſuis locis, conſtat Ottonem hunc Tertium Imperii ſui annos numerare cœpiſſe, non à tempore quo parenti ſucceſſit Imperatori, ſed ab eo potius quo coronatus eſt à Romano Pontifice; antea vero non Imperatorem, ſed Regem dumtaxat more maiorum[i] nominari voluiſſe.

OTTONIS EXERCITVS CADITVR.

g Leo Oſt. l. 2. c. 9.
h Ditm. l. 3. Chron.

OTTO IMP. MORITVR. OTTO III. REX.

De hac insolita consuetudine diximus variis locis: ſed tu vide, i copios. plurima eiuſdem exempla in monum. collecta ap. Goldaſt. in Apolog. Baron aduerſ. Goldaſt. c. 26.

III. Eodem anno perturbans Ethelredus Anglorum Rex Eccleſiam Roffenſem, pro redemptione pacis ab eius Epiſcopo argenti centum libras accepit: nihil veritus comminationem, atque prædictionem S. Dunſtani de venturis inde ei malis. Expertus eſt tamē ea poſt aliquot annos, cum ab infeſtantibus Angliam Danis decem millibus librarum pacem redimere coactus eſt. Hæc ex antiquioribus monumentis Matthæus[k] Weſtmonaſterienſis. Sed de incurſione Danorum dicetur pluribus ſuo loco.

DAMNO SVO REGES ECCLESIÆ BONA CVPIVNT.

k Matth. Weſtmon. Flor. hiſt. hoc an.

IESV CHRISTI AN. 984.

BASIL. & CONST. 9.

IOAN. XIV. AN. 1.

I. ANno Chriſti nongenteſimo octogeſimo quarto, Indictione duodecima, die decima menſis Iulii mortuus eſt *Benedictus* Papa; vbi ſediſſet annos nouem, vt ex ſepulchrali eius inſcriptione manifeſtum redditur, quæ hactenus extat Romæ in baſilica S. Crucis in Hieruſalem dicta. In cuius locum ſubrogatus Petrus Epiſcopus Papienſis, nominatus eſt IOANNES eius nominis Decimusquartus: quem fuiſſe Archicancellarium Ottonis Imperatoris, conſtat ex diplomate quodam eiuſdem Imperatoris dato anno ſuperiori in gratiam monaſterij S. Vincentij ad Fontes Vulturni. In quo etiam illud obſeruandum; quod cum datum dicatur anno Imperii Ottonis decimoſexto, non numerentur anni ab obitu patris, ſed à tempore quo coronatus eſt Imperator anno nongenteſimo ſexageſimo ſeptimo.

BENED. PP. OBITVS.

IOAN. XIV. CREATIO.

II. Hoc eodem anno Romæ contractum eſt Sodalitium plurimorum ſacerdotum, inter quos & Epiſcopi nonnulli ſunt adſcripti, ad hoc, vt poſt obitum ſinguli cōſodalium, ſuperſtitum ſacrificiis iuuarentur. Cuius inſtituti adhuc extat diaconi SS. Martyrū Coſmæ & Damiani monumentum in tabula marmorea, inciſum (vt ponitur) tempore Ioannis Papæ XIV. Indictione duodecima, anno Dominicæ Incarnationis nongenteſimo octogeſimo quarto.

SODALITIVM ROMÆ INSTITVTVM PRO ANIMAB. DEFVNCT.

III. Eodem anno Rex Otto, ſuaſu piæ matris, corrigendum curauit delictum, quod patri exitium intulerat, de ſublato ab Eccleſia Merſburgenſi Epiſcopatu. Qua de cauſa valde commendatur à Ditmaro[a] eadem Ottonis mater Auguſta Theophanes Græca mulier, necnon quod tres filias pie admodum educatas, contemptrices carnalium nuptiarum, cœleſtium vero cupidas effecerit; quarū duæ, Adelais, altera Sophia dicta, in duobus monaſteriis vitam monaſticam ſunt profeſſæ. Sicut & eiuſdem Auguſtæ in Rebus geſtis S. Adalberti Pragenſis Epiſcopi laudatur ſolicita cura & iuges ad Deum preces, continuæque eleemoſynæ, pro redemptione animæ Ottonis Imperatoris mariti ſui erogatæ. Obiiſſe vero traditur anno Redemptoris nongenteſimo nonageſimo primo, regni filii ſui ſeptimo.

a Ditmar. Chron. l. 4.

THEOPHANES AVG. PIETAS.

IESV CHRISTI AN. 985.

BASIL. & CONST. 10.

IOAN. XIV. AN. 2.

I. ANno Chriſti nongenteſimo octogeſimo quinto, Indictione decimatertia, nefandus Bonifacius Apoſtolicæ Sedis olim inuaſor, qui necato Pontifice Benedicto Sexto, & expilata baſilica Vaticana, fugerat Conſtantinopolim: vbi res innouatas accepiſſet, deceſſiſſe nimirum Benedictum Septimum qui eum ſede expulerat, & Ottonem Imperatorem æque eſſe defunctum cuius patrocinio Eccleſia Romana fouebatur; Romam rediit: vbi ſuorum factione potens, Ioannem Papam vinculis alligatum detruſit in S. Angeli munitionem, quæ tenebatur à

BONIF. INVASOR IOAN. PAPAM FAME NECAT.

ſuis;

ſuis, ibique quatuor detentum menſibus fame perire coegit, ac mortuum expoſuit ſpectandum omnibus pro foribus munitionis. Quæ quidem accepimus ex veteri Vaticano codice Romanorum Pontificum: quibus conſentiunt Scriptores omnes. Ioannem autem extinctum eſſe die vigeſima Auguſti, ſepultumque apud S. Petrum, declarat inſcriptio eius ſepulchri.

II. BONIF. DAT POENAS. Qui vero poſt eius necem ſacrilegus prædo Sedem iterum Apoſtolicam inuaſit *Bonifacius*, Deo vltore poſt quatuor menſes repentina morte percuſſus eſt: quē ſui ipſius fautores, poſt terræ animæ exhalationem cæſum & lanceis confoſſum, nudum per pedes tractum inſepultum abiecerunt, licet eum quidam clerici poſtea ſepelierint. Hæc ex eodem Vaticano codice, aliiſque auctoribus. Quibus videas, parum conſulere veritati, & S. R. Eccleſiæ dignitati, qui hunc nefandum parricidam inter Romanos Pontifices referunt; annumerandum potius inter famoſos latrones.

III. IOAN. PP. XV. Quo ſublato, legitimus creatus eſt Pontifex IOANNES eius nominis Decimusquintus, natione Romanus filius, Leonis presbyteri poſt matrimonium facti: quem quidem nonniſi ad finem huius anni creatum oportuit. Sed cum eo tempore nouus exurgens in Vrbe tyrannus Creſcentius Numentanus, munitionem S. Angeli titulo Conſulatus poſſidere aggreſſus, inde nonnihil infeſtare cœpiſſet eumdem Pontificem, ille timore perterritus, ſecedens in Tuſciam, Legationes ad Ottonem Regem mittere frequentauit: cum memores Romani quæ ea de cauſa, ob iniurias nimirum illatas Pontificibus, paſſi eſſent tum ab Ottone Primo, tum etiam à Secundo; e veſtigio honorifica legatione eumdem Ioannem reuocarunt in Vrbem, & piis obſequiis ſe illi ſubiecerunt.

IV. a Amb. Moral. l. 16. c. 46. Hoc pariter anno Ramirum Regem Legionenſem eſſe defunctum, Ambroſius [a] Morales ſcribit. Cuius ea ex parte memoria damnatur, quod iniens fœdus cum Arabum Rege, totius belli vis conuerſa eſt aduerſus Caſtellæ Comites & Veremundum in Gallia regnantem: ſicque plura loca munita ab Infidelibus capta ſunt, cæſiq; Chriſtiani, atque eorum eccleſiæ deſolatæ. Inter alia vero, cum ciuitatem Compoſtellam vocati à Ruderico Comite Arabes diruiſſent, mœnibuſque nudaſſent; abſtinuerunt tamen magno miraculo ab Apoſtoli Iacobi ſepulchro: quod non ſolum ab Apoſtolo ſeruatum eſſe illæſum, ſed & ipſos hoſtes graui immiſſo morbo omnes interiiſſe, tradit Sampyrus Epiſcopus ſui temporis res geſtas proſecutus, & alii poſt eum. (ECCLESIA S. IACOBI DIVINITVS SERVATA.) Porro Ramiro defuncto, Veremundus in Legionenſe Regnum ſucceſſit, huius nominis Secundus, filius Ordonii Tertii: cuius primordia fuerunt laude digniſſima, cum non ſolum leges ciuiles pene vſu contrario abolitas, ſed & Eccleſiaſticas, atque Romanorum Pontificum decreta, in obſeruantiam reuocauit, & Eccleſias priuilegiis muniuit: poſtea vero ob iniuſtam perſecutionem illatam Athaulpho Compoſtellano Epiſcopo infamatus, inter malos Principes à maioribus numeratur; vnde & diram à Deo vindictam perpeti meruit: quæ omnia pluribus narrant Hiſpanicarum rerum ſcriptores.

BASIL. & CONST. 11.

IESV CHRISTI AN. 986.

IOAN. XV. AN. 1.

I. ANno Chriſti nongenteſimo octogeſimo ſexto, Indictione decimaquarta, ſexto Nonas Martii Lotharius Rex Francorum obiit, cum regnaſſet annos triginta vnum relinquens Regni heredem Ludouicum filiū, quem commendauit Hugoni Duci. Hæc Odorannus, qui hoc tempore vixit.

II. TERRÆMOTVS IN ORIENTE. Quo eodem anno menſe Octobris inchoata Indictione decimaquinta, ingentem terræmotum concuſſiſſe ciuitatem Conſtantinopolitanam, & ex eo plura templa corruiſſe, Curopalates ſcribit. Verum non eam tantummodo ciuitatem, ſed & Græciæ prouincias eodem terræmotu mirum in modum quaſſatas eſſe, teſtatur auctor Rerum geſtarum S. Niconis, obiter de illo mentionem habens, dum agit de eiuſdem ſanctiſſimi viri imagine ſixo diuinitus impreſſa, cum pro auertenda illa clade à Lacedæmoniis oraret.

BASIL. & CONST. 12.

IESV CHRISTI AN. 987.

IOAN. XV. AN. 2.

I. LVDOV. FRANC. REX VLTIMVS CAROLINOR. MORITVR. ANnus Chriſti nongenteſimus octogeſimus ſeptimus, Indictione decimaquinta cœptus eſt: quo Ludouicus Francorum Rex nouiſſimus Carolinorum diem obiit, anno vix vno regno potitus. Cumque ſine liberis deceſſiſſet, Regnum Francorum non collatum eſt Carolo Lotharii Regis defuncti fratri: ſed magis eo contempto ad remotiores, vel omnino extraneos, eſt delatum, nempe ad Hugonem Ducem Pariſienſem. De tempore fidem faciunt Odorannus & Glaber monachus Cluniacenſis, eius temporis Scriptores. Cur autem à Francorum proceribus repudiatus Carolus fuerit, ea potiſſimum ratio affertur, quod ipſe nimis eſſet Germanorum Principibus adductus, Franci vero haud facile paterentur exteris eſſe ſubiecti.

II. HVGO CAPETVS EX GENERE CAROLI MAG. IVSSE. Porro quod ad genus ſpectat HVGONIS, cognomento *Capeti*, ſiue Caputii; ex iiſdem temporis Scriptoribus Odoranno & Glabro, aliiſque recentioribus patet, ipſum quidem ex patre natum Hugone Magno, auo Roberto Principibus; ex materno vero ſtemmate, ex ſorore Ottonis Senioris Imperatoris genitum: adeo vt vanitati poeticæ nullus ſit locus fingendi eum viliſſimo patre natum. Sed nec progeniem Carolinam defeciſſe in Ludouico, vel in Caroli fratris Lotharii filio; quin & hunc ipſum Hugonem Magni Hugonis filium ex eadem fuiſſe progenie, demonſtrat Chronicon Wilelmi Mangii monachi S. Dionyſii quod in lucem Pithœus edidit: idque ipſum affirmat auctor eodem volumine contentus, qui texuit genealogiam S. Arnulphi, ex quo Carolinum manauit genus. Et Innocentius Papa ſcribens ad Ludouicum Regem eius nominis Sextum, aſſerit genus ipſius, quod deriuaretur ab Hugone Capeto, proceſſiſſe ex progenie Caroli Magni. Denique Abbo Floriacenſis Abbas, vir doctrina & ſanctitate inſignis, huius ipſius temporis auctor, in libro Apologetico quem ad Robertum Regem Hugonis filium & ſucceſſorem ſcripſit, eum atauis Regibus ortum prædicat. Addit inſuper Mangius, eumdem Hugonem ex repromiſſione Sanctorum Ricarii & Valerici accepiſſe Francorum Regnum; (EX PROMISSIONE SS. REGNVM IN HVGONEM TRANSLATVM.) dum quo tempore Hugo Magnus Comes Pariſienſis ipſius Capeti pater, eorumdem Sanctorum corpora metu Northmannorum Gallias deuaſtantium à ſuis eccleſiis in Flandriam apud S. Audomarum tranſtuliſſet, iidem Sancti in viſione ei apparentes, prædixerunt fore vt propter exhibitam ipſis pietatem, genus eius potiretur in perpetuū Regno Francorum. Ceterum vbi Hugo eſt vnctus in Regem ad euertenda bella ciuilia, Carolum Lotharii fratrem coniecit in carcerem Aurelianis: ſed id poſt annum tertium belli initi. Ipſum vero filium Caroli Ludouicum patri ſucceſſiſſe in Ducatum Lotharingiæ, idem auctor tradit: cum alii aſſirment eumdem Ducatum Ottoni eiuſdem Caroli filio eſſe traditum.

BASIL. & CONST. 13.

IESV CHRISTI AN. 988.

IOAN. XV. AN. 3.

I. ANNO Chriſti nongenteſimo octogeſimo octauo, Indictione prima, Ioannes Papa dedit pallium Libentio Archiepiſcopo Hamburgenſi, viro laudatiſſimo,

ſucceſſori Adaldagi: qui vbi ſediſſet annos quinquaginta tres, hoc anno quarto Calendas Maii mortuus eſt, ab omnibus collaudatus. Agit vero de his fuſius Adam[a] Bremenſis.

a Adam l. 2. c. 19. 20.

II. S. DVNSTANI OBITVS.

Eodem pariter anno migrauit in cœlum mirificus ille S. Dunſtanus Cantuarienſis in Anglia Archiepiſcopus, de quo ſæpe ſuperius: poſt cuius mortem plane accidit, quod & vaticinatus fuerat, vt multa mala Angliam occuparent.

IESV CHRISTI AN. 989.

BASIL. & CONST. 14.

IOAN. XV. AN. 4.

I. DE S. ADALBERTO PRAGEN. EPIS. ET VNGAROR. APOST.

ANno Chriſti nongenteſimo octogeſimo nono, Indictione ſecunda, *S. Adalbertus* Pragenſis in Boemia Epiſcopus, cum iam quinquennium Romæ tranſegiſſet nobiliſſimo in monaſterio SS. Bonifacii & Alexii ad montem Auentinum, quod ſanctiſſimis tunc monachis florebat, & frequentibus nobilitabatur inſignibus miraculis, cui idem Sanctus permiſſione Pontificis ſe incluſerat, cum Boemos nimis refractarios & in vitiis ſuis obſtinatos expertus, eos deſeruiſſet: iterum à Pragenſibus requiſitus, ex decreto *Synodalis Conuentus* Romæ ea de cauſa habiti, derelictam eo coactus eſt inuitus licet Eccleſiam repetere. Sed cum rurſum Pragenſes ad ſua ſcelera, maxime vero ad luxuriam reuerſi, eius monitis obaudire tam laici quam clerici detrectarent: eoſdem ipſe rurſum deſerens, ad Vngarorum à Paganiſmo ad fidem Chriſti conuerſionem ſe tranſtulit. Habent hæc omnia fuſius Acta[a] eiuſdem Adalberti. Eius vero ad Vngaros Apoſtolatum prolixe pertractauit Cartuitius Epiſcopus in Vita[b] S. Stephani Regis Vngarorum ſcripta ad Colonanum Regem; qua ſtylo fideliſſimo proſecutus eſt cunabula Vngaricæ Eccleſiæ ſub *Geiſa* eorum Principe, qui factus Chriſtianus ab ipſo initio meruit ex repromiſſione diuina habere filium, cui pariter, ex reuelatione S. Stephani protomartyris matri facta, inditum eſt nomen Stephani: de quo pluribus dicendum inferius. Porro S. Adalbertus his recte cœptis, Romam rurſus ad dilectum ſibi S. Bonifacii monaſterium reuerſus eſt: vbi cum aliud quinquennium tranſegiſſet, accepto à Romano Pontifice ad Gentes Apoſtolatu, rurſum iuſſus eſt ad ſuum Epiſcopatum reuerti, vt dicetur ſuo loco.

a ap. Sur. 23. April.
b ap. Sur. 25. Aug.
GEISA PRIMVS PRINCEPS VNGAR. FACTVS CHRIST.

II. GEBEHARDVS EPISC. CONSTANTIEN.

Hoc item anno, quo quartus abſoluitur & quintus inchoatur Ioannis Papæ, Indictione ſecunda, contigit San. Gebehardum Conſtantienſem Epiſcopum veniſſe Romam, vt Reliquias S. Gregorii Papæ acciperet à Summo Pontifice, collocandas in Monaſterio quod ædificaſſet in honorem eiuſdem Sancti. Qui cum ſacrum eius caput à Pontifice obtinuiſſet, in reditu perſequentibus cum Romanis pro ſublato capite, miraculo liberatus eſt ab eorum manibus. Proſequitur hæc pluribus auctor[c] qui eiuſdem S. Gebehardi res geſtas deſcripſit. Sciendum autem hunc Gebehardum dici debere Seniorem, reſpectu alterius Gebehardi eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, qui ſub Gregorio Papa Septimo eius partes contra Henricum Regem ſumma cum laude ſecutus eſt; de quo dicetur ſuo loco.

c ap. Caniſ. Antiq. Lect. T. 6.

IESV CHRISTI AN. 990.

BASIL. & CONST. 15.

IOAN. XV. AN. 5.

I. Matth. Weſtmon. lib. 1. hiſt. Will. Malmesbur. l. 2. geſt. Ang. c. 10.

ANno Chriſti nongenteſimo nonageſimo, Indictione tertia, à Ioanne Romano Pontifice ad Ethelredum Angliæ Regem, atque Richardum Ducem Northmannorum in Gallia degentium, miſſus[a] eſt Legatus Leo Viceepiſcopus Treuerenſis, vt eos inter ſe inuicem diſſidentes in concordiam reuocaret: quod & præſtitit.

II. CONCIL.

Eodem anno celebrata eſt in Gallia SYNODVS SILVANECTENSIS hac occaſione. Cum Arnulphus Rhemenſis Archiepiſcopus fauore Hugonis Francorum Regis promotus fuiſſet ad eam dignitatem (ita viſum Hugoni, vt hunc licet non legitimum, regio tamen ſtemmate ortum, vtpote Lotharii Regis filium, & Caroli adhuc regnantis nepotem, ætate iuniorem, his beneficiis in ſuis partibus contineret) accidit vt cum vix ſex menſes ea ſede potitus eſſet, proditione cuiuſdam Adalgeri Rhemenſis presbyteri ea ciuitate Carolus potiretur, ipſeque Arnulphus captiuus abduceretur. Quod vero ſuſpicio non leuis eſſet, eius iuſſu ciuitatem Carolo patruo eſſe proditam; ipſe aduerſus omnes qui illam inuaſiſſent atque ſpoliaſſent, & ſacra profanaſſent ſeueriſſimam anathematis ſententiam intorſit, atque vt idem facerent alii Galliarum Epiſcopi hortatus eſt: quod & ipſi egregie præſtiterunt, collecti in vnum in Synodo Siluanectenſi. Recitantur autem iſta pluribus in alia Rhemenſi, poſt annum ſequentem (vt dicetur) celebrata atque inde in ſuum commentarium à Gerberto[b] tranſlata. Plane vero factum eſt, quod diro anathemate imprecati ſunt Patres. Siquidem paulo poſt captus eſt ab Hugone Carolus: tuncque penitus ex ſtemmatis eius ramo exciſum eſt Regnum Francorum, cum (vt ibidem queſti ſunt Patres) hæreſis pullulare cœpiſſet, qua dicerent Caroli ſtudioſi omnia licere Carolo etiam in Eccleſiis. Quare videant quam male conſulant Principibus Nouatores noſtri temporis, hæretici inquam Politici, eadem quæ hoc tempore ſunt cœpta doceri profitentes.

SILVANECTENS. IN CAVSA INVASIONIS CIVIT. RHEM.

b Gerb. in Conc. Rhem. c. 12. & 14. & inter al. Ep. Ant. Epiſc. Argent.

CYRACAROLINIS DIFFECERIT ET GNVM ER

IESV CHRISTI AN. 991.

BASIL. & CONST. 16.

IOAN. XV. AN. 6.

I. DE CAVSA ARNVLPHI RHEM. EPISC.

ANno Chriſti nongenteſimo nonageſimo primo, Indictione quarta, increbreſcente aduerſus Arnulphũ Rhemenſem Archiepiſcopum ſparſo rumore de proditione Rhemenſis ciuitatis, Hugo Rex cum ſubiicere Synodali iudicio cogitans, cum id ſciret inconſulta Sede Apoſtolica fieri non poſſe, penes quam eſſent iudicia Epiſcoporum deferenda: tum ipſe aduerſus eum literas ſcripſit ad Ioannem Papam, tum etiam curauit vt aliæ ſcriberentur ab Epiſcopis Rhemenſis Prouinciæ, quibus petitum eſt vt idem Pontifex in Arnulphum ob eius proditionem, aliaq; obiecta crimina, damnationis ſententiam proferret. Ad quem econtra pro Arnulpho miſſi ſunt pariter Legati ab Heriberto Comite ſocero[a] Caroli Regis. Quæ quidem huius anni exordio geſta eſſe docet Gerbertus[b] qui interfuit, dum octodecim menſes tradit interceſſiſſe ab eo tempore vſque ad Synodum Rhemenſem habitam anno ſequenti menſe Iunii.

a Aim. l. 5. c. 44. 45.
b Gerb. vbi ſup.

II. c Ibid. c. 2.

Si vero eidem Gerberto[c] in cauſa propria credendum eſt, præuenerunt Legati Heriberti, iidemque muneribus præoccuparunt Ioannem Papam: Legati vero Regis & Epiſcoporum per triduum ante palatii ianuas defatigati, nec admiſſi, infecto negotio in Galliam redierunt. Ita enim Gerbertus, dũ eiuſdem Pontificis auctoritate iuſſus ab occupata poſtea ſede Rhemenſi ignominioſe deponi, nihil in eumdem atque ipſam Sedem Apoſtolicam remiſit iniuriarum; elaboratis eius argumenti diuerſis ſcriptorum generibus, quæ idcirco: tamquam ingens theſaurus inuentus, à Nouatoribus in odium Romanæ Eccleſiæ duplici[d] editione vulgata fuere. Sic enim qui monachus quondam Benedictinus Auriacenſis cœnobii, liberalibus artibus potius quam Theologicis literis excultus, ſub ſpecie inſtituendi filium Hugonis Regis Robertum, cum monaſterio monaſticam quoque verecundiam miſſam feciſſet, idem curialibus artibus homo ignobilis (vt Glaber[e] teſtatur) ad Rhemenſem primo Archiepiſcopatum, inde ad Rauennatem, ac demum ad Summum Eccleſiæ Romanæ Pontificatum ſibi aditum præparauit: de quibus agetur ſuis locis.

d Centur. 10. c. 9. & ſeorſum an. 1000. Francof.
GERBERTI PRIMORDIA.
e Glab. l. 1. c. 4.

BASIL. & CONST. 17.

IESV CHRISTI AN. 992.

IOAN. XV. AN. 7.

I. PSEVDOS. RHEM. CONTRA ARNVLPHIVS CIVIT. EPISC. a vbi ſup.

ANno Chriſti nongenteſimo nonageſimo ſecundo, Indictione quinta, menſe Iunii celebrata eſt apud Rhemos in Galliis *pſeudoſynodus* aduerſus Arnulphum illius ciuitatis Archiepiſcopum: cuius cum habeantur duæ editiones [a], eædemque in aliquibus de tempore inter ſe diſſentientes: dum tamen in priori id factum ponitur anno Ottonis nono, in poſteriori vero anno Hugonis quinto, præſentem quidem annum demonſtrant: quod ex iis quæ ſuperiori anno dicta ſunt firmius adſtruitur. Quod autem ipſius Acta non alia extent, quam quæ à Gerberto in ſui defenſionem contra Romanum Pontificem ſcripta fuere, ad eiuſdem conciliabuli roborandam auctoritatem, ex quo ipſe exauctorato Arnulpho conſecutus eſt Rhemenſis Eccleſiæ Archiepiſcopatum: vel quæ ſunt in lucem prodita à fidei Catholicæ perduellibus ad infamandum Romanum Pontificem, in quem multa falſiſſima congeſſerunt, iis quanta ſit fides adhibenda, quiſque conſideret. Sed & etſi vera omnia eſſent, nihil eſt tamen quod de iis lucrum capiant Nouatores: quippe quæ à poſteriori Synodo Rhemenſi, cui cum Gallicanis Epiſcopis Legatio interfuit Apoſtolica, abrogata fuerint, conſentientibus etiam ipſis Francorum Regibus Hugone atque Roberto: vt videbitur ſuo loco.

II. Vbi igitur reuerſi ſunt miſſi ſuperiori anno Legati ad Romanum Pontificem, atque ſe ab eo non fuiſſe auditos retulerunt; quaſi ex eo ſilentio intelligi deberet, iudicandi facultatem in Francorum Epiſcopos deuolutam, tam Rex quam Epiſcopi celebrandæ aduerſus Arnulphum *Synodi* conſilium inierunt. Ad quam ſæpe vocatus Arnulphus, cum excuſaret quod à Carolo Rege Lauduni detineretur in vinculis; factum eſt inter hæc, vt proditione Laudunenſis Epiſcopi ab Hugone Rege eadem ciuitas, & qui in ea erat Arnulphus caperetur; quem Rex iudicandum deduci iuſſit ad collectam Rhemis Synodum. Cum ergo decimoquinto Calendas Iulii conueniſſent diœceſani Epiſcopi ſex, præter plurimos aliarum Galliæ prouinciarum Antiſtites: decem ex illis delecti ſunt ad iudicandum; tres vero Abbates admiſſi pro defendenda Arnulphi cauſa (inter quos nominatus reperitur Abbo Floriacenſis) ſummæ ſanctitatis atque ſcientiæ viri: qui tamen non pro Arnulpho dumtaxat aſtitiſſe noſcuntur, ſed potiſſimum pro Apoſtolica Sede, ſine cuius auctoritate conteſtati ſunt eiuſmodi iudicium peragi non poſſe: quippe quod Epiſcoporum, & aliæ maiores Eccleſiaſticorum negotiorum cauſæ, ad eam deferendæ eſſent. Verum multa aduerſus iſta Arnulphus alius Aurelianenſis Epiſcopus deblaterans [a], demonſtrare conatus eſt Romanos Pontifices, ob prauos mores & ignorantiam excidiſſe ab omni Pontificia auctoritate, quam alioqui agnoſcit reſidere in eadem Apoſtolica Sede: ac denique ex eo quod ab ipſis Gallicanis Epiſcopis Romani miſſi Legati non fuiſſent auditi, ſubintulit licere eiſdem Arnulphi cauſam tractare atque prolata ſententia definire: Itaque his pro arbitrio comprobatis, idem Arnulphus reus inductus, & de proditione quam negaret ciuitatis Rhemenſis redargutus teſtimonio Adalgeri presbyteri, iam confeſſi ſe ipſius mandato portas aperuiſſe hoſtibus: cum & poſt hæc quatuor Epiſcopis ſecreto multa alia crimina confeſſus eſſet, damnationis ſententiam à Synodo accepit. Hæc omnia fuſiſſime tractat ſtylo ſuo Gerbertus [b].

a Recitat, & confutat Bar. Annal. To. X hoc an.

ARNVLPH. AVREL. AGIT CONTRA SED. APOST.

a Gerb. in Act. Syn. Rhem. & in ep. ad Wilderod. & in alia ad Reg. Otto. ſcripta, quã recitat hic Baronius.

III. GERBERTVS INTRVDITVR EPISC. RH.

Tacet vero mala fide tam ſui factam in Arnulphi locum ſubrogationem, quam præcipue reclamationem interpoſitam à primario iudice Seguino Archiepiſcopo Senonenſi, quam ex legitimis publiceque conſeruatis huius Synodi Actis recenſet Eginaldus, cuius eſt adiectum ad Aimoinum [c] Auctarium; dum videlicet ait, reliquos quidem Epiſcopos, licet inuitos, ob metum Regis Hugonis conſenſiſſe Arnulphi degradationi, & Gerberti ſubrogationi: at enim Seguinum non ſolum non conſenſiſſe, ſed etiam acriter ipſum Regem ea de cauſa redarguiſſe, indeque eius odium in ſe concitaſſe: Arnulphum autem poſt hæc alligatum detruſum eſſe in carcerem in ciuitate Aurelianenſi, vbi & Carolus Rex detinebatur, nuper & ipſe ab Hugone captus: ea vero omnia cum Ioannes Papa intellexiſſet, valde indignatum ſacris interdixiſſe omnibus Epiſcopis qui Arnulphum deieciſſent & Gerbertum ordinaſſent. Hæc Eginaldus. Porro Apoſtolicis hiſce literis exacerbatus admodum Gerbertus; in ipſum Romanum Pontificem ad eumdem Seguinum Archiepiſcopum literas [d] dedit, equidem virulentas & Catholico homine prorſus indignas; quibus totus in eo verſatus eſt, vt excommunicationem Romani Pontificis contemnendam eſſe demonſtraret. Quo etiam argumento aliam prolixam ſatis epiſtolam ſcripſit ad Wilderodum Argentinæ ciuitatis Epiſcopum; in qua præter illa quæ de Arnulphi cauſa diſputat, multus eſt in eo vt Decretalium Epiſtolarum Romanorum Pontificum auctoritatem minuat: vſus etiam ad hoc auctoritate & argumentis Hincmari olim Rhemenſis Archiepiſcopi. Arguendus plane ex his omnibus ſchiſmaticus, vel etiam hæreticus, niſi tandem in ſequenti Rhemenſi Concilio longa diſputatione conuictus à Leone Abbate Sedis Apoſtolicæ Legato, acquieuiſſet. Sed & aduerſus Arnulphum Aurelianenſem, cuius titulo tot blaſphemias Gerbertus eructauit, tunc quoque ſcriptus eſt liber ab Abbone Abbate Floriacenſi, quem diximus pro Apoſtolica Sede in eo iudicio ſteriſſe; cuius lucubrationis meminit Trithemius.

c Aim. l.5. c. 45.

RECLAMAT SEGVINVS SENONEN. PRO APOSTOL. SED.

d Recitat, & confutat Bar. vbi ſup. ſicut & ſequentes ad Wilder.

GERBERTI EPISTOLÆ CONTRA ROM. PONT.

BASIL. & CONST. 18.

IESV CHRISTI AN. 993.

IOAN. XV. AN. 8.

I. INCENDIA PRODIGIOSA.

ANno Chriſti nongenteſimo nonageſimo tertio, Indictione ſexta, admirandæ flammarum eruptiones è monte Veſuuio, crebraque per Gallias & Italiam prodigioſa ciuitatum incendia contigerunt. Cumque Vrbs ipſa Roma iam maxima ex parte conflagraſſet, baſilica Vaticana incendi pariter cœpta, à Sanct. Petro Apoſtolo diuinitus eſt liberata; vt de his omnibus teſtis eſt Glaber Rodulphus monachus Cluniacenſis his temporibus proximus.

II. MAIOLI ABB. CLVNIAC. OBITVS.

Quo etiam anno (vt mox ſubiicit) *S. Maiolus* Abbas Cluniacenſis admirandæ vir ſanctitatis, vocatus ab Hugone Francorum Rege vt S. Dionyſii monaſterium in melius reſtauraret, Pariſios petens mortuus eſt apud Siluiniacum quinto Idus Maii, ac plurimis poſt obitum claruit miraculis: quæ pluribus narrat S. Odilo eius diſcipulus & ſucceſſor, in eiuſdem rebus [a] geſtis. Teſtatur id ipſum. Sigebertus in Chronico, & alii plerique.

a Extat ap. Sur. 2. Maij.

BASIL. & CONST. 19.

IESV CHRISTI AN. 994.

IOAN. XV. AN. 9.

I. LEGATIO HVGON. REG. FR. AD IOAN. PAP.

ANno Chriſti nongenteſimo nonageſimo quarto, Indictione ſeptima, Hugo Rex Francorum legationem iterum miſit ad Ioannem Papam, qua eum inuitauit in Gallias ad componendas diſcordias Rhemenſis Eccleſiæ: literiſque [a] ſuis conſuetam Francorum Regum erga Sedem Apoſtolicam propenſionem ſignificans, eius ſe ſuoſque iudicio ſubiecit. Quid autem ad hæc Ioannes reſcripſerit, ignoratur: certum tamen eſt, ipſum in Gallias non eſſe profectum; ſed tantum miſiſſe Legationem, de qua agetur anno ſequenti.

a Rec. Bar. To. X. hoc an.

II. SISINNIVS PATRIAR. CONST.

Quod ſpectat ad res Orientalis Eccleſiæ: hoc eodem anno cœpta iam Indictione Octaua (vt affirmat Curopalates) mortuus eſt Nicolaus Chryſoberges Patriarcha Conſtantino-

ſtantinopolitanus, cum ſediſſet annos duodecim & menſes octo. In cuius locum ſuffectus eſt *Siſinnius*. Sed quod idem auctor huic Siſinnio tribuit concordiam diſſenſionis ob quartum matrimonium, quæ ante annos ferme centum tempore Leonis Philoſophi Imperatoris orta in Eccleſia Conſtantinopolitana, poſtea compoſita iterum recruduerat, vt ſuperius ſuis locis dictum eſt: iſta inquam concordia non Siſinnio, ſed eius prædeceſſori Nicolao tribuitur in Actis Synodalibus hac de re tunc confectis, quæ extant in codice Iuris [b] Orientalis. Hic autem plane videre eſt verſutum Satanæ conſilium, in his controuerſiis detinentis Orientales, ne quod longe maioris momenti erat attenderent, nempe ſe manere diſciſſos à communione Catholicæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ Sedis; quod tanti fecere maiores ipſorum, & vniuerſi qui Catholici dici voluerunt filii Dei & Sanctæ Matris Eccleſiæ.

b *Iur. Orient.* l. 1.

IESV CHRISTI AN. 995.

BASILII & CONSTANT. 20.

IOAN. XV. AN. 10.

I. CONCIL. MOSOM. IN CAVSA RHEM. EPISC.

ANno Chriſti nongenteſimo nonageſimo quinto, Indictione octaua, miſſus à Ioanne Papa Legatus in Gallias Leo vir ſanctiſſimus Abbas celeberrimi monaſterii S. Bonifacii in Vrbe, primo habuit *Moſomi* (eſt oppidum in Belgio diœceſis Rhemenſis) SYNODVM quarto Nonas Iunii: in qua Gerbertus Rhemenſis Eccleſiæ pſeudoepiſcopus, patientiſſime (vt tradit Maſo [a], ex ipſius Gerberti ſcriptis hiſtoriam huius Synodi texens) auditus, orationem habuit coram Patribus pro ſua ipſius defenſione aduerſus Arnulphum, eamque ſcriptam Leoni Legato porrexit: à quo plenior fuit Synodus Rhemis indicta in Calendas Iulias, vt vbi Arnulphus fuiſſet depoſitus, ibi eius cauſa cognoſceretur; interim vero Gerberto interdixit diuino officio.

a *Papir. Maſ. Annal. Fr.* l. 3.

II. CONCIL. RHEM. IN EAD. CAVSA.

Sic igitur hoc eodem anno cum ſumma diligentia vocati Epiſcopi Rhemos ſe contuliſſent, ibidem Calendis Iulii habita eſt SYNODVS. De qua agens Eginaldus qui Auctarium appoſuit ad Aimoinum [b], ait eidem vna cum Leone præfuiſſe quoque ex mandato Sedis Apoſtolicæ Seguinum Archiepiſcopum Senonenſem: ac poſt multam ac valde vtilem diſputationem habitam inter Leonem & Gerbertum, tandem hunc illi ceſſiſſe, ac pœnitentiam oſtentantem confeſſum eſſe iniuſte ſe Pontificalem ſuſcepiſſe dignitatem: ideoque ipſo depoſito, ex iuſſione Apoſtolica reuocatum eſſe Arnulphum de cuſtodia in qua detinebatur apud Aurelias, & cum honore magno ſedi ſuæ reſtitutum. Hæc Eginaldus, quæ ex legitimis Actis quæ citat ſumpſiſſe videtur; atque ideo maiori ſunt habenda fide, quam quæ ex epiſtolis Gerberti ſuam ipſius cauſam agentis produntur. Ceterum Arnulphi reſtitutionem ipſe Aimoinus Floriacenſis monachus tunc viuens, nonniſi ſub Gregorio Papa & Roberto Rege, Ioannis & Hugonis ſucceſſoribus, collocat in Vita [c] quam ſcripſit Abbonis Floriacenſis Abbatis: quem ait à Roberto miſſum ad Gregorium, eo quod idem Pontifex ob iniuſtum carcerem Arnulphi vniuerſo Francorum Regno anathema ſe inuecturum comminatus eſſet: eumdemque Abbonem poſt reditum ex Italia, Arnulphum cuſtodia exemptum pontificatui reſtituiſſe, palliumque illi à Papa directum reddidiſſe, licet id nonnihil ægre ferret Robertus, quod in Gerbertum præceptorem ſuum propenſior eſſet. Extatque [d] inſuper eiuſdem Gerberti epiſtola ad Adelaidem Imperatricem Roberti ſocrum, quæ hoc ipſo tempore eſſe ſcripta cognoſcitur, nempe poſt adiudicatam à Leone ſedem Arnulpho; ex qua colligitur, ipſum à Leone ad maiorem Synodum prouocaſſe; cuius adhuc iudicium ſibi expectandum eſſet. Qui quidem doloſis artibus inſinuans ſe Ottoni Germaniæ Regi, relicto Francorum Rege ſe totum ei addixit, eumdemque comitatus eſt in Italiam, vt dicetur anno ſequenti. Quod autem ad Ioannem Papam attinet; cum ex ipſis Synodalibus Actis, & ſcriptis epiſtolis ab huius temporis auctoribus, liquido conſtet eum hoc anno adhuc fuiſſe ſuperſtitem: ex iis redarguas eos, qui ante biennium deceſſiſſe tradunt.

b *Aim.* l. 5. c. 45.

GERB. DEPONITVR, ET ARNVLPH. RESTITVITVR.

c *Ext. in Bib. Floriac.*

d *Rec. Bar. Annal. To. X. hoc an.*

GERB. SE CONFERT AD OTTON. IN GERMAN.

III. DIVINA VINDICTA IN MANSONEM ABB. CASSIN. ET ALBER. MARSOR. EPISCOP.

Hoc eodem anno menſe Nouembri, ſcelerum vltor Deus memorandum exercuit iudicium aduerſus quemdam voluptuoſum Abbatem Caſſinenſem, necnon aduerſus Marſorum Epiſcopum eiuſdem Abbatis excæcatorem. Cum enim Abbas nomine Manſo, laudatiſſimi Aligerni indigniſſimus ſucceſſor, vigeſimus octauus ordine Abbatum Caſſinenſium poſt S. Benedictum; (quem ideo vt indignum qui S. Benedicti ſucceſſor diceretur expunxerunt poſteri ex Abbatum catalogo, quem Leo Oſtienſis ordine temporum texuit; ſubducto ex Chronicis Caſſinatibus in cuſo codice capite duodecimo libri ſecundi, in quo de eius ingreſſu agebatur: cuius nec nomen quidem ſciretur, niſi obiter ab eodem Leone [e] alibi inferius memoraretur.) hic inquam, Abbas cum luxurioſe admodum & ſeculariter nimis viuens, arcem quoq; conſtruxiſſet, qua illius regionis tyrannidem ſibi vendicare velle videretur: accidit vt Albericus Marſorum Epiſcopus homo nequam, cum filio ex meretrice procreato Epiſcopatum tradidiſſet, Caſſinenſis ipſe monaſterii dominatus adipiſcendi deſiderio teneretur. Itaque cum quibuſdam nequiſſimis monachis certa pecuniæ ſumma pactus vt eumdem Abbatem excæcarent, ac monaſterium ipſi Alberico traderent: eis promiſſæ pecuniæ partem dimidiam præ manu tradit, reliquam daturus cum Abbatis oculos teneret in manibus. Iidem vero perfidi monachi, deducto fraudulenter Capuam Abbate Manſone prætextu reconciliationis cum Capuanis ineundæ, quorum ille odium in ſe concitauerat: mox vt in monaſterium Capuanum introduxere, eidem oculos eruerunt, quos inuolutos linteo ad Albricum Epiſcopum tranſmiſerunt. Sed nuncii cum Marſiam adueniſſent, repererunt eadem hora mortuum eſſe Epiſcopum, qua prædictus Abbas luminibus fuerat orbatus. Recitat hanc hiſtoriam idem Leo [f] Oſtienſis.

e *Leo Oſt.* l. 2. c. 22. & 30.

f *Id.* l. 2. c. 16.

IESV CHRISTI AN. 996.

OTTONIS III. 1. BASILII & CONSTANT. 21.

GREG. V. AN. 1.

I. IOAN. PP. OBITVS.

ANno Chriſti nongenteſimo nonageſimo ſexto, Indictione nona, Nonis Maii defunctus eſt *Ioannes* Papa, vbi ſediſſet annos decem menſes quatuor & dies duodecim: ſepultuſque eſt in baſilica Vaticana S. Petri. A cuius obitu poſt menſem vnum & dies ſex, in locum ipſius pridie Idus Iunii ſubrogatus vir Germanus appellatus Bruno, Ottonis Imperatoris conſanguineus, commendatus ſatis à Ruperto [a] Abbate Tuitienſi, aliiſque auctoribus, mutato priori nomine, dictus eſt GREGORIVS eius nominis Quintus. Quomodo autem iſta ſe habuerint vt intelligamus, quæ præceſſerunt ſunt in medium adducenda. Cum enim tyrannis Creſcentii, de qua ſuperius eſt facta mentio, magis inualeſceret: ad tantam propulſandam calamitatem Otto Rex Germaniæ Romam venire rogatus, deſcendens in Italiam cum exercitu, Rauennæ aliquantiſper conſtitit. Vbi cum inueniſſet eius ciuitatis Archiepiſcopum ex hac vita migraſſe, in locum eius ſubrogandum curauit Gerbertum, quem vidimus anno ſuperiori depoſitum ab Eccleſia Rhemenſi. Vt autem qui hactenus de Sede Apoſtolica fuerat peſſime meritus, iam ad tantam Eccleſiam proueheretur, dicere opus eſt eumdem ad meliorem frugem conuerſum talem extitiſſe, qui non ab Ottone ſolum, ſed à populo in Rauennatis Eccleſiæ Epiſcopum peteretur (quod huius temporis auctor apud Aimoinum [b] tradit) & ſic ab ipſo Gregorio Romano Pontifice ordinaretur.

a *Rupert. in Herib.* c. 5. *ap. Sur.* 16. *Mart.*

GREG. V PAPA.

GERBERT. CREATVS EPISCOP. RAVEN.

b *Aim.* l. 5. c. 45.

II.

Cum autem poſt hæc Romam ſe contuliſſet Otto, eiuſque audito aduentu Creſcentius ſe cum ſuis in S. Angeli munitione clauſiſſet: contigit mori Ioannem Papam XV. (vt dictum eſt) & poſt triginta ſex dies in locum eius ope Regis ſuffici Gregorium Quintum. Ita quidem

apud Ditmarum [c], ſed deprauata lectione. Plurium enim aſſertione conſtat, antequam Romam ſe Otto conferret, iam creatum fuiſſe Gregorium, & poſt hæc contra eum fuiſſe eleuatum in Sedem per Creſcentium, alium Ioannem Epiſcopum Placentinum, natione Calabrum patria Roſſanenſem, appellatum *Icannem* XVI. ſicque duobus ſimul creatis Pontificibus eſſe Schiſma in Eccleſia conflatum. Hæc enim inter alios narrat Glaber [d] Rodulphus monachus Cluniacenſis his temporibus proximus, vtpote qui ſub Henrico Primo Francorum Rege claruit, & ab hoc tempore vſque ad milleſimum quadrageſimum quintum Redemptoris annum hiſtoriam ſcripſit ad S. Odilonem Abbatem ſuum. Additque, Ottonem comperta expulſione Gregorii propinqui ſui, & introductione Ioannis, ita accenſum cum permaximo exercitu Romam properaſſe, & Ioannem comprehenſum manibus auribuſque truncaſſe, atque oculis priuaſſe. De Creſcentio vero ait, eum arctiſſima obſidione circumdatum in turri munitiſſima Sancti Angeli, cum nullam euadendi viam cerneret, quadam die conſciis nonnullis Ottonis militibus ab eadem munitione latenter exeuntem ad pedes Ottonis improuiſo corruiſſe, ac veniam petiiſſe: ſed Ottonis iuſſu reductum in turrim vi expugnandum, tandem poſt acrem pugnam captum à ſummitate turris deiectum eſſe, & tergoribus boum alligatum, hincque & inde raptatum, eſſe denique in excelſa trabe ſuſpenſum. Hæc quidem de fine Creſcentii Glaber. Veruntamen iis vehementer repugnant quæ ſcripta ſunt in Vita S. Romualdi [e] à Petro Damiani (ſic vocato, vt Euſebius Pamphili) temporis huius & ipſo ſcriptore: nempe Creſcentium in munitione inexpugnabili ſe continentem, inde nonniſi iuramento firmata promiſſione deduci potuiſſe ab Ottone; ſed de ita decepto ſumptum fuiſſe capitis truncatione ſupplicium: quod etiam teſtatur Leo [f] Oſtienſis. Additque Petrus Damiani; Ottonem de eo crimine confeſſum S. Romualdo (quem ipſe nuper Claſſenſi S. Apollinaris monaſterio apud Rauennam ſito præfecerat) pœnitentiam iniunctam ſuſcepiſſe, vt nudis pedibus ad Garganum montem Apuliæ ad Memoriam S. Michaelis Archangeli peregrinaretur. Quem & tradit per totam Quadrageſimam in eodem Claſſenſi monaſterio, paucis ſibi adhærentibus manſiſſe; ibique ieiunio & pſalmodiæ intentum, cilicio ad carnem vſum eſſe, & in ſtorea dormiuiſſe, ac denique Romualdo promiſiſſe relicto Imperio monaſticum ſuſcipere habitum.

c Ditm. l. 4.

IOAN. PP. SCHISMATICVS.

d Glab. l. 1. c. 4.

e ap. Sur. 19. Iun.

f Leo Oſt. l. 2. c. 18.

OTTONIS IMP. POENITENTIA DE PERIVRIO.

III. QVAM MALE HABITVS PAPA SCHISMAT.

Quod vero ad Schiſma inter Gregorium & Ioannem pertinet: idem Petrus Damiani de eo agens epiſtola ſecunda ad Cadaloum pſeudopapam, ait eumdem Ioannem, cum ingentis collatione pecuniæ Pontificatum inuaſiſſet eiecto Gregorio, à reſipiſcentibus paulo poſt Romanis præciſum eſſe manibus, auribus, naribuſque atque oculis priuatum: moxque aſello impoſitum vultu in caudam verſo, tenere eamdem aſini caudam compulſum, et per publicas Vrbis vias perductum clamare, *Tale ſupplicium patitur, qui Romanum Papam de ſua Sede pellere nititur.* Mentio quoque eſt de iiſdem Ioannis ſuppliciis in Actis S. Nili, qui miſeratione ductus conciuis ſui, (erat enim, vt dictum eſt, & ipſe patria Roſſanenſis) vt eum ab illis eximeret Romam venit, nec tamen valuit impetrare. In quibus etiam Actis traditur, eumdem Ioannem proprio nomine ante vſurpatum Pontificatum nominatum fuiſſe Philagathum.

IV. g Glab. l. 2. c. 4.

Ad hunc ipſum Ioannem Pſeudopontificem, dum Romæ aduerſus Gregorium ſederet, ſpectat quod Glaber [g] ſcribit de legatione in Gallias ab ipſo miſſa. Cum enim Fulco Comes Andegauenſis egregiam erexiſſet eccleſiam, nec inducere potuiſſet Henricum Archiepiſcopum Turonenſem in cuius diœceſi erat erecta, vt eam cōſecraret, niſi prius Fulco reſtitueret bona Eccleſiæ quæ rapuiſſet: Romā ſe Fulco conferens, à Ioanne multis muneribus impetrauit, vt aliquem mitteret qui eam ipſius Pontificis nomine conſecraret: miſſuſque ad hoc eſt Petrus S.R.E. Cardinalis, qui ſolemni ritu illud confecit: verū eodem ipſo die ſuperueniens vehementiſſimus turbo, eam eccleſiam funditus diruit. Hæc ſincere Glaber: ſed in definienda cauſa eiuſmodi repentinæ ruinæ valde hallucinatus errauit, dum eam fuiſſe ait quod Romanus Pontifex præſumpſiſſet in aliena diœceſi eccleſiam conſecrare: etenim non ſolum hæc ipſum poſſe, ſed & omnimodam in omnibus diœceſibus auctoritatem habere, Eccleſiaſticæ leges, vſque ipſe, & antiqua traditio docet, eſtque ſuperius infinitis exemplis demonſtratum. Verior igitur illa ruinæ templi cauſa extitit, quod oſtenderit eo ſigno Deus oblationes ſacrilegi & impœnitentis Comitis ſibi non eſſe gratas, nec placere quæ per ſchiſmaticum Pontificem mandata eſſent.

ERROR GLABRI HISTORICI.

OBLATIONES SACRILEGOR. DEO INVISÆ.

V. OTTO III. CORONATVR IMP.

Sed vt ad legitimum Pontificem redeamus, conciliata Eccleſiæ pace, antequam OTTO Roma recederet, Gregorius eum coronauit Imperatorem. Hoc enim anno eius coronationem referunt Lambertus, Odorannus, & alii veteres Chronographi: nec temporis ratio patitur vt ante facta fuerit, cum omnes eam Gregorio Quinto tribuant: ſicut etiam ex omnibus eiuſdem Ottonis publicis monumentis apparet annos Imperii ab eo cœptos eſſe numerari ab hoc tantummodo tempore quo eſt coronatus à Romano Pontifice, antea vero non Imperatorem, ſed Regem dumtaxat nominari voluiſſe. De reliquis autem rebus ab eo Romæ geſtis, tradit Glaber quod cum idem ſuggerentibus quibuſdam piis viris cogitaret expellere è baſilica S. Pauli monachos praue viuentes, & in eorum locum introducere Canonicos apparuit ei noctu per viſum Sanctus Paulus Apoſtolus, monuitque ne monachos expelleret: non enim expedire cuiuſque Eccleſiaſtici ordinis, quamuis ex parte deprauati, propoſitum vmquam abiici, ſeu immutari: in eo namq; ordine vnumquemque iudicandum eſſe, in quo ſe primitus vouit Deo ſeruire, ac tantum reemendari licere corrupto cuique in eadem propriæ vocationis ſorte. His igitur repreſſus Imperator, deſtitit à propoſito monachos expellendi, atque ad ipſorum tantummodo emendationem animum applicauit.

IN QVA VOCATIONE QVIS VOCATVS EST, IN EA AMBVLET.

VI. CONCIL. ROM.

h ap. Sur. 26. April.

Poſt hæc vero Gregorius Papa, eiuſdem Imperatoris conſilio ad ſtabiliendum Eccleſiæ ſtatum animum adiiciens, CONCILIVM Epiſcoporum Romæ collegit: cuius licet Acta perierint, extant tamen eorum fragmenta quædam, atque inter alia in Vita [h] Sancti Adalberti Pragenſis Epiſcopi ab auctore huius temporis conſcripta. Vbi ſignificatur, in ea Synodo agitatam eſſe cauſam eiuſdem Adalberti iudicio poſtulati ab Archiepiſcopo Moguntino de reſidendo in ſua Eccleſia, quam relinquens ad monaſterium Sancti Bonifacii Romam ſe receperat: additurque, ex Concilii ſententia ipſum iuſſum eſſe Pragam redire: ita tamen vt à Gregorio Papa facultatem impetrauerit, ſi Pragenſes in ſua cordis duritie perſiſterent, eundi ad incultas & barbaras gentes prædicare fidem Chriſti. Sicque ipſe hoc eodem anno vna cum Ottone Imperatore deceſſit ab Vrbe: ſed antequam rediret in Boemiam, diuertit in Gallias ad viſitandum corpus S. Martini, inde vero Floriacum veniens, S. Benedicti venerandas Reliquias coluit, vt teſtatur auctor qui tunc præſens adeſſe poterat, in eiuſdem Adalberti Vita.

VII. DE ELECTORIB. IMPERII.

Quod autem maioris eſt momenti, ad hoc ipſum Concilium à Gregorio Quinto celebratum referri debere videtur, quod de Imperatoris ELECTORIBVS ab eodem Pontifice multorum aſſertione traditur conſtitutum. Siquidem res magni ponderis, nonniſi conſultis Patribus, collectis Epiſcopis in Synodo, fieri conſueuerunt. At quod ſciamus rem iſtam magna eſſe controuerſia agitatam, negantibus Nouatoribus ius illud accepiſſe Electores à Romano Pontifice, ſed ab illo de quo agimus Ottone Imperatore Tertio; aliis vero aſſerentibus id non eos accepiſſe à Gregorio Quinto, ſed Decimo: de his eſt nobis accuratius agendum.

VIII. i Cent. 10. c. 10. col. 545. & c. 16. col. 780.

Quod pertinet ad Nouatores, cum iidem ipſi in Centuriis ſuis [i] veritatem libere profeſſi, iterato aſſeruiſſent Gregorium Papam ſuam patriam inſigni aliqua dignitate ornaturum, ſanxiſſe vt penes ſolos Germanos eſ-

ſe ius

Digitized by Google

ſet ius eligẽdi Regem, qui poſt diadema à Romano Pontifice acceptum Imperator & Auguſtus appellaretur: poſtea tamen illorum anteſignanus Matthias Illyricus, primus ab aſſerta & profeſſa multoties veritate recedens, *De translatione Imperii* ſeorſum edidit commentarium, in quo inter alia impugnauit impudenter eamdem quam vna cum ceteris collegis defenderat prius veritatem. Sed cum id nonniſi affectatis, pudendiſque mendaciis peregerit, ea fortis ſpectanda aperta luce expoſuit, ac potenter valideque confutauit, veritate firmius ſtabilita, fortis antagoniſta doctiſſimus S. R. E. Cardinalis Bellarminus [k], eodem titulo ſcripto contradictorio commentario.

k Adde etiam Defenſionẽ Bellarmini, elaboratam à Gretſero aduerſus alias hæreticorum de hac re cauillationes.

IX. ELECTORES IMPERII A R. PONT. IVS ILLVD HABVISSE.

Ceterum cum firma ſit & in omnib. conſtans aſſertio, ſicut Imperium auctoritate Romani Pontificis ex Oriente in Occidentem translatum eſt, ita ius eligendi Imperatorem Germanis conceſſum, vel dixerimus Regem in Imperatorem promouendum, æque à Romanorum Pontificum auctoritate & conceſſione manaſſe. nos omiſſis innumeris teſtibus hiſtoriarum ſcriptoribus, quorum aliquibus & ipſi Nouatores in eadem veritate aſtruenda ſunt vsi, id ipſum abunde ſatis probamus ex publicis eorum quorum maxime intereſt teſtimoniis, Romanorum Pontificum Electorum ipſorum, atq; etiam Imperatorum. Id namque diſerte profeſſus eſt Innocentius Tertius Papa [l] ſcribens ad Ducem Caringiæ ſiue Thuringiæ, necnon Clemens [m] Quintus in Concilio Viennenſi. Id quoque Electores ipſi teſtati ſunt, non vnus aut alter, ſed omnes literis ſuis ad Romanum Pontificem ſcriptis: quæ licet diuerſis locis, ſicut & diebus, datæ reperiantur, tamen non ſolum vnum idemque earum argumentum eſt, ſed eadem quoque ſunt verba, vt appareat certam quamdam præſcriptam fuiſſe ab eis formam, qua id vniuerſo Chriſtiano Orbi voluerint innoteſcere. Extant [n] inquam, literæ Marchionis Brandeburgenſis vnius ex Electoribus, datæ anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo nono pridie Idus Septembris, anno Sexto Rodulphi Imperatoris: itemque aliæ Ioannis & Adalberti Ducum Saxoniæ, eodem anno, die vero decimaquarta Cal. Aprilis ac denique Ludouici Comitis Palatini Rheni, eadem die datæ & anno: iuxta quam præſcriptam ab ipſis formam & reliqui Electores ſcripſere. Quibus omnes pariter confirmantes donationes factas vel innouatas Romanæ Eccleſiæ à Rodulpho Romanorum Rege, & aliis prædeceſſoribus Imperatoribus, æque teſtantur ſe ius Electoratus ſui percepiſſe ab Eccleſia Romana. Habentur ipſæ in ſcripto codice eodem tempore, vna cum aliis monumentis de donationibus & priuilegiis à diuerſis Eccleſiæ Romanæ collatis, quæ aſſeruantur ſeorſum à Vaticana Bibliotheca, Romæ in caſtello S. Angli loco tutiori, vbi ſelecta maioris momenti monumenta recondita ſunt ne pereant. Deniq. id ipſum cognouiſſe Imperatores ipſos, conſtat ex literis valde prolixis quæ in eodem ſcripto codice reperiuntur, ab Alberto Imperatore eiuſdem Rodulphi filio ſcriptæ ad Bonifacium Octauum Romanum Pontificem anno Domini milleſimo trecenteſimo tertio decimoſexto Calendas Auguſti: quibus inprimis (quod ad rem præſentem ſpectat) agnoſcit Romanum Imperium per Sedem Apoſtolicam à Græcis in Germanos translatum, deinde ab eadem ius eligendi Romanorum Regem, in Imperatorem poſtmodum promouendum, Electoribus eſſe conceſſum: ac poſtea ſubiicit iuramentum fidelitatis ab ipſo exhibitum eidem Bonifacio Papæ, & confirmationem priuilegiorum omnium per alios prædeceſſores Imperatores Eccleſiæ Romanæ conceſſorum.

l Innoc. Tert. ext. de elect. 6 Venerabilem. 14.
m Clement. de iureiur. cap. 1.

n Rec Bar. To X. hoc anno adiectus cum nic oggan ... Goldaſtus Caluiniſta, ſed vide Apolog. Gretſer. c. 28. de qua dictum eſt ſup. ad an. 774. nu. 3.

X. GREGORIVM V. ELECTORES INSTITVISSE.

Porro his de re ipſa generaliter dictis, agendum modo eſt de Gregorio Quinto, à quo id Electoribus conceſſum diximus. Sane quidem dum Otto Romæ fuit, tractaſſe inter alia, quæ ad Regni iura pertinent, Sigebertus [o] affirmat. Quod ſi Romani Concilii de quo agimus extarent monumenta, nobis haud laborandum eſſet in perquirendo qualis fuerit iſta à Pontifice Electoribus tributa conceſſio, num ſcilicet fuerit omnibus Germaniæ Principibus generatim collata, an tantum ſex vel ſeptem certis nominatiſque (vt nunc ſunt) Eccleſiaſticis atque laicis. Et quidem generalem ſaltem conceſſam omnib. Germaniæ Principibus eiuſmodi facultatem, etiamſi alia quæq; deeſſent teſtimonia, facta ipſa aſſerere cogunt. Vt autem non ab alio quam ab ipſo Gregorio Quinto conceſſa fuerit, docet inprimis ipſe rei vſus, cum poſt eumdem Gregorium Ottone Imperatore defuncto, per Electores conſtet fuiſſe ſucceſſores electos: prout ſcriptores omnes affirmant, & quæuis vetera monumenta teſtantur, ipſique etiam refractarii Nouatores profitentur. Cuius rei decernendæ Gregorio ipſe Otto Imperator fuiſſe auctor videri poteſt, quod abſque liberis eſſet, & ſpes omnis dempta vt in filium (quod fecerant ex indulgentia Romanorum Pontificum ipſius auus ac pater) transferret Imperium. Ita tamen id ipſis Electoribus conceſſum eſt, vt non protinus quem iidem in Regem elegiſſent, Romanus Pontifex cõpelleretur probare atque vngere Imperatorem, ſed liberam haberet facultatem ipſum electum reiiciendi, ſi aliqua cauſa intercederet quæ illum redderet indignum tãto honore: vt expreſſis verbis Innocentius [p] Tertius ex ipſorum Electorum confeſſione inſinuat. Quo etiam caſu Romanum Pontificem reſeruaſſe ſibi facultatem, in locum indigni alium ſubrogandi prout opportunitas poſtularet, declarat quem ſuperius diximus, Glaber [q] Rodulphus Aluniacenſis monachus huius ſæculi probatus auctor.

o Sigeb in Chron. ann. 1002.

ROMAN. PONT. NON ADSTRINGITVR ELECTORVM IVDICIO.

p Ext. de elect. ca. Venerabilem.

q Glab. lib. 1. ca. 5.

XI. DE NVMERO ELECTORVM.

Iſta igitur de Electoribus auctoritate Pontificia conſtitutis cum ſint certiſſima, illud reperitur magnopere controuerſum, num ſeptem tantum Electorum ſelectio, fuerit eiuſdem Gregorii Quinti, vel alterius Romani Pontificis. Scimus Panuinium elaboraſſe commentarium de Comitiis Imperatoris, vt probaret ſeptem Electores non à Gregorio Quinto inſtitutos fuiſſe, ſed à Gregorio Decimo. Verum cum nullum aliũ habeat ſuæ ſententiæ quem ſequatur auctorem, niſi infectam hæreſis ſcabie beſtiam videlicet Auentinum [r], quem indigne nimis ipſe homo Catholicus pectine ſcalpit eburneo, eoſdem ambos turpiter errantes egregie correxit, quem iure laudauimus collega noſter Bellarminus [s], oſtendens (quod ipſos latuit) complures fide integros auctores ante Gregorium Decimum ſcripſiſſe de ſeptem Electorib. iam antea conſtitutis.

r Auent. lib. 5. Annal. Boior.

s Bellar. de Translat. Imp. lib. 3.

XII. OMNES PRINCIPES FEVDATARII IMPERII IIDEM ELECTORES.

Sed quod ad ipſum numerum attinet, ſane quidem nemo iure inficias ire poterit, poſt Tertii Otthonis Imperatoris obitum ducentis & amplius annis, quotquot electi fuerunt Romanorum Reges, Imperatores deſignati, eoſdem non ſeptem dũtaxat Electorum, ſed omnium Principum Imperii feudatariorum, tam Eccleſiaſticorum quam ſæcularium qui ad Comitia conueniſſent, ſuffragiis fuiſſe ad regium culmen electos. Id enim præter ſingulorum promotiones, perſpicue ſatis edocent quæ adhuc extent de ipſis promouendis literæ diuerſorum Romanorum Pontificum ad Germaniæ Principes datæ, & inter alias, quas Gregorius [t] Septimus ſcripſit ad omnes Epiſcopos, Duces, atque Comites Teutonicos, de noui Regis electione facienda, ſi Henricus in Synodo excommunicatus non reſipiſceret, oſtendens patrum omniũ fuiſſe ius in eligendo Rege in Imperiũ promouendo. Atque ita etiam perſeueraſſe tempore Innocentii Papæ Tertii anno Redemptoris milleſimo ducenteſimo, cum mortuo Henrico dicto Sexto Imperatore Principes ſciſſi ſunt inter ſe, eligentib. aliis Ottonem Quartũ, aliis vero Philippũ, literæ ambarũ partiũ ad Innocentium datæ ſignificant [u]: quibus manifeſte apparet, non penes ſeptem tantum fuiſſe ius eligendi, ſed penes omnes tã Eccleſiaſticos quam laicos feudatarios Imperatoris in vtraque Germania Principes, cum in iiſdem recenſeantur Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Duces, Marchiones, Comites, & Barones, qui ad Comitia conuenerant electionis faciendæ cauſa, imo & aliorum abſentium meminerint, qui per literas conſenſum præſtitiſſent. Ex quib. redarguas Oſtienſem, dum interpretatur decretalem illam [x] Innocentii, qua reſpondet literis alterius partis, eos quos idem Papa redarguit, exiſtimauit fuiſſe illos ſeptem vulgatos ore omnium Electores.

t Greg. Sept. 4. epiſt. 1.

u Extat ſcriptus tunc codex omnium illarũ epiſtolarũ vtriuſque datarũ, aſſeruaturque in Archiuo Apoſtolicæ ſedis in caſtello S. Angeli in Vrbe. Ex quo recitat quæ ad rem faciunt Baro. Annal. To. X. hoc an.

x cap. Venerabilem de Elect.

res. Quinimmo neque id mutatum eſſe, cum anno milleſimo ducenteſimo decimooctauo poſt Ottonem Fridericus Secundus creatus eſt Cæſar, apparet ex Comitiis tunc ea de cauſa habitis.

XIII. CERTA FIDES DE TEMPORE QUO CONSTITUTUS EST NUMERUS VII. ELECT.

Verum licet hæc ita ſe habeant, nihilominus haud vſq; ad Gregorium Decimum fuiſſe Septem Electorum dilatam creationem, ſed & à quonā Romano Pontifice fuerit ea primitùs decreta, & vbi locorum, & qui electi fuerint, certò certius ex Synodalibus Actis in promptu eſt demonſtrare. Vixit temporibus illis Matthæus Paris monachus S. Albani in Anglia, qui Anglicanam hiſtoriam aggreſſus eſt ſcribere ab anno Redemptoris milleſimo ſexageſimo ſexto, perduxitque vſque ad milleſimum ducēteſimum quinquageſimum, vt ipſemet in fine teſtatur. Editus eſt eius liber Londini in Anglia anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo primo, cum antea latuiſſet in angulo. A quo ſiquis demat calumnias, inuectiuas, dicacitates, & blaſphemias in Apoſtolicam Sedem, eiuſque Pontifices (niſi probra illa fuerint additamenta potius eius qui primus edidit hæretici hominis. cum peculiare ſit illis, libros quos potuerint deprauare) aureum ſane dixerit Commentarium, vtpote quod ex epiſtolis Romanorum Pontificum, Imperatorum, Regum, aliorumq; Principum, necnon ex Conciliorum Actis aliiſque publicis monumentis totidem verbis redditis egregie contextum & coagmentatū inueniatur In eo autem inter alia nobilia monumenta, habentur Acta Concilii Lugdunenſis Oecumenici, cui interfuerunt inprimis ipſe qui induxit Innocentius Papa Quartus anno Redemptoris milleſimo ducenteſimo quadrageſimo quinto, ſimulq; duo Patriarchæ Orientales Conſtantinopolitanus & Antiochenus, necnon Imperator Conſtantinopolitanus, præter alios Principes, Regumque Legatos, poſt Præſides diuerſarum Eccleſiarum. In quo quidem poſt alia complura optime conſtituta, titulus eſt additus de Electionibus ob litium deciſionem, in eoque ſimul Septem definiti ab eodem Pontifice Electores Imperatorum, videlicet Eccleſiaſtici tres, Archiepiſcopi Colonienſis, Moguntinus, & Salsburgenſis, laici quatuor, Duces Auſtriæ, Bauariæ, Saxonum, & Brabantiæ.

XIV. QUINAM SEPTEM ILLI PRINCIPES, QUI HABENT IUS ELIGENDI.

Stetit numerus conſcriptus, perſeuerauitque in futurum, perſonæ autem quatuor mutatæ nempe vt pro Salsburgenſi poſitus fuerit Archiepiſcopus Treuirenſis: proque tribus illis Ducibus Auſtriæ, Bauariæ, atque Brabantiæ, fuerint ſubrogati Comes Palatinus Rheni, Marchio Brandeburgenſis, atque Rex Boemiæ, qui potius locum teneret definitoris ſi diſcrepent Electores, quam vnius ex Electoribus ipſis. A quonam autem, retento Electorum ſeptenario numero, facta fuerit iſta mutatio, num ab eodem Innocentio, vel alio aliquo ex ſucceſſorib. eius, hoc fatemur nos latere. Ex conſenſu autem Germaniæ Principum id eſſe ſancitum, qui ſui temporis Chronicon ſcripſit Albertus Abbas Stadenſis aſſerit. Qui cum perduxerit Chronicon ſuum vſque ad annum Domini milleſimum ducenteſimum quinquageſimum ſextum, inde colligi poteſt, vel ab ipſo Innocentio Quarto poſt Lugdunenſe Concilium factum eſſe, vel ſub eius ſucceſſore Alexandro Quarto, cuius annus ſecundus incidit in eumdem annum Domini milleſimum ducenteſimum quinquageſimum ſextum. Non autem ab ipſis Principibus factum ſua ſponte dici poteſt: nam cuius fuit de Septem Electoribus legem condere, non alterius quam ipſius eſſe potuit eam aliquo modo mutare, vel quomodolibet moderari. Quod vero qui ab Innocentio electi Principes Electores Duces Auſtriæ, Bauariæ, & Brabantiæ ceſſerint aliis, inde prouenisſe videri poteſt, quod magis cuperent eligi quam eligere Imperatores. Ceterum ante hæc tempora nullum hiſtoricorum inuenire eſt, qui vel nomine tenus Septem Electorum meminerit. Qui autem primus eorum meminiſſe reperitur, Martinus Polonus (qui & ipſe claruit ſub eodem Innocentio Papa Quarto) in Ottone Tertio de iſtis agit his verbis, *Et licet iſti tres Ottones per ſucceſſionem generis regnauerint, tamen poſtea fuit inſtitutum vt per Officiales Imperii Imperator eligeretur, qui ſunt ſeptem, videlicet primi tres Cancellarii, Moguntinus Germaniæ, Treuirenſis Galliæ, Colonienſis Italiæ, Marchio Brandeburgenſis Camerarius eſt; Palatinus Dapifer, Dux Saxoniæ Enſem portat, Rex Boemus Pincernam agit.* Hæc Martinus, in Ottone Tertio referens quæ poſtea ſuo tempore facta eſſent: vnde irrepſit error, vt ſub eodem Ottone Tertio, ſub quo id ab eo ſcriptum inuenerunt, multi putauerint [y] ſeptem fuiſſe creatos Electores à Gregorio Papa Quinto, cum tamen illud *Poſtea*, non ad tempora Ottonis Tertii, ſed ipſius Martini ſit referendum. At de his modo ſatis.

[y] S. Th. de reg. Princ. l. 3. ca. 19. aliique poſtea

IESV CHRISTI AN. 997.

OTTONIS III. 2. BASILII & CONSTANT. 21.

GREG. V. AN. 2.

I. S. ADALBERTI MARTYRIUM.

ANno Chriſti nongenteſimo nonageſimo ſeptimo, Indictione decima, *S. Adalbertus* Pragenſis Epiſcopus prohibitus à Boleſlao Boemiæ Rege ad ſuam redire Eccleſiam, accepti à Romano Pontifice Apoſtolatus numeros expleturus, ad Pruſſios perrexit. Vbi deriſione, & verberibus exceptus, & abire iuſſus, cum ad vicinos Luiticos populos profectionem arriperet, reuerſurus rurſum opportunius ad Pruſſios, ab iiſdem ligatus eſt vinculis, & ad ſupercilium montis ductus, ibi ſeptem confoſſus lanceis præuiſum iam antea martyrium feliciter conſecutus eſt die vigeſima tertia Aprilis, quod eodem tempore per viſum reuelatum fuit Romæ in monaſterio S. Bonifacii, necnon S. Nilo Abbati, & cuidam presbytero ſacrificanti, aliiſque. Deſcribit hæc pluribus qui res ab eo præclare geſtas eſt proſecutus [a] eius temporis auctor. Quæ quidem hoc anno contigiſſe, teſtatur Cartuitius in Vita [b] S. Stephani Regis Vngariæ, necnon Lambertus in Chronico, & alii recentiores. Qui vero proſecuti ſunt res Polonorum, tradunt [c], corpus eiuſdem Sancti redemptum fuiſſe æquali auri pondere à Pruſſis, illudque translatū in Gneſnenſem Eccleſiam immenſis ibi claruiſſe miraculis. Sed & poſt mortem illud fecit in Gentium conuerſione, quod viuens facere concupiuit: ſiquidem teſtatur Petrus [d] Damiani, barbaros peperciſſe S. Bonifacio prædicanti in Ruſſia, quod timeret ne ſi fieret martyr ſicut Adalbertus, miraculis cœlitus illuſtratus ad fidem Chriſtianam populos illos conuerteret.

[a] ap. Sur. 23. April.
[b] ap. Sur. 20. Aug.
[c] Petr. Damian. in Romuald. ca. 23
[d] Ibid. c. 29.

II. S. BONIFACII APOSTOLATUS IN RUSSIAM

Accidit enim eodem tempore, vt cum paulo ante *Bonifacius* conſanguineus Ottonis Imperatoris, eidemq; ita charus vt Imperator illum non alio vocaret nomine, niſi Anima mea, vir liberalibus artibus apprime inſtructus, Romæ in eccleſia S. Bonifacii martyris, exemplo ſui æquiuoci ad martyrii deſiderium prouocatus, relicto ſæculo Romualdum ſequens vitam monaſticam eſſet amplexus, qua bene inſtitutus valeret ad martyrii coronam pertingere: idem audiens Adalbertum iam coronatum, impatiens moræ licentiam acceperit à Sede Apoſtolica prædicandi Gentibus Euangelii, conſecratuſque Archiepiſcopus in Ruſſiam venerit. Tradit hæc Petrus Damiani in Romualdo. Porro iam diu ante Euangelium in Ruſſia fuiſſe prædicatum, dictum eſt ſuo loco: ſed cum ingruentibus iugiter bellis vix aliqua Chriſtianitatis memoria reſidua eſſet, cœpit rurſum ea prouincia Bonifacii prædicatione atq; miraculis bene culta floreſcere, aucta vero eſt magno frugum prouentu, cum meruit ipſius Bonifacii Martyris ſanguine irrigari, de quo dicturi ſumus ſuo tempore.

III. S. STEPH. DUX VNGAR.

Hoc eodem anno (vt auctor eſt Cartuitius [e] Epiſcopus) Geiſa primus Dux Chriſtianus Vngariæ, ex hac vita migrauit in cœlum: cui ſucceſſit S. Stephanus eius filius. Qui ætate licet adoleſcens, ſapientia canus, atque inprimis religione præſtans, quod ſimulac pater deceſſit ciuile bellum Chriſtianæ cauſa fidei exortum eſt, ſub auſpiciis SS. Martini Pontificis & Georgii Martyris pugnans extinxit, atque ex ſpoliis hoſtium, in honorem eiuſdem Sancti Martini in monte Sacro (vbi idem ſanctiſſimus Pontifex cum in Pannonia degeret, precari ſolitus erat) monaſterium conſtruxit, quod ampliſſimis redditib. do-

[e] Cartuit. in Vit. S. Steph. Reg. Vngar. ca. 4. ap. Sur. 20. Aug.

tauit,

tauit, eidemque omnium rerum decimas conſecrauit. Hæc pluribus Cartuitius.

OTTONIS III. 3. BASIL. & CONST. 23.

IESV CHRISTI AN. 998.

GREG. V. AN. 3.

I. ROBERTVS REX FRANCOR. EXCOMMVN. OB ILLICITVM CONIVGIVM.

ANno Chriſti nongenteſimo nonageſimo octauo, Indictione vndecima, mortuo Hugone Francorum Rege Robertus eius filius, qui cum patre iam aliquod annis regnauerat, ſolus ſumma rerum potitus eſt. Hic cum ex permiſſione adulantium ſibi Epiſcoporum, illicitum contraxiſſe coniugium cum Berta commatre atque affine ſua: reclamante Gregorio Papa illud eſt diſſolutum, & delinquentes Epiſcopi pœnitentia caſtigati. Eſt de his epiſtola Leonis Papæ Noni ad Henricum Roberti filium, quam recitat Iuo Carnotenſis Epiſcopus in Panormia. Petrus autem Damiani in epiſtola ad Deſiderium Abbatem Caſſinenſem, de eiuſdem Roberti Regis agens coniugio, oſtendit Epiſcopos Galliarum ita coercitos à Summo Pontifice, poſtea Regem excommunicaſſe: indeque factum, vt ab eius ſocietate vniuerſi recederent, nec præter duos ſeruulos ad neceſſarii victus obſequium remanerent, qui tamen & ipſi omnia vaſa in quibus Rex edebat & bibebat, abominabilia iudicantes mox igni traderent: hiſq; Regem coarctatum anguſtiis, diuortium cum Berta feciſſe, legitimamque vxorem duxiſſe Conſtantiam filiam VVilelmi Comitis Arelatenſis. Ceterum ex priori eiuſmodi illicito coniugio monſtrum natum eſſe, anſerinum collum & caput habens, non idem tantummodo Petrus aſſerit, ſed etiam habetur in Aquitanicæ hiſtoriæ Fragmentis ex Pithœi collectione editis. Denique ſuaſione Abbonis Floriacenſis Abbatis magnæ ſanctitatis viri, Robertum dimiſiſſe prædictam commatrem & affinem ſuam, ac poſt hæc pie ac ſancte vitam duxiſſe, teſtatur Helgaldus eiuſdem cœnobii monachus, texens res ab eodem Rege præclare geſtas.

MONSTRVM EX ILLICITO CONIVGIO.

II. Quod ad ſtatum pertinet rerum Hiſpaniarũ, eę in hunc vſque diem ſub Veremundo Rege magis ac magis labefactatæ, miſerando interitu ita ſunt attritæ, vt amiſſo Legionenſi Regno, & Gallæciæ ciuitate Compoſtella exciſa, eccleſiiſque dirutis, vix ſepulchro S. Apoſtoli virtute Dei illæſo ſeruato, in vltimum diſcrimen eſſent adductæ: cum exiguæ vires Chriſtianorum Principum in vnum collectæ Almanzorem Regem Arabum numeroſiſſimo pollentem exercitu ſuperauere quam feliciſſime, deſideratis ex peditibus eius ſeptuaginta millibus, equitum vero quadraginta millibus, cuius & ipſe exercitus dux ex deſperatione abſtinens cibo noluit tantæ cladi ſupereſſe. Porro nullam hac victoriaglorioſiorē vel ceſſiſſe vtiliorem, vel opportuniori tempore à Deo conceſſam eſſe, tum veteres, tum recentiores affirmant. Ipſe autem Rex Veremundus anno ſequenti deceſſit, Era milleſima trigeſima ſeptima, multis bonis operibus pro ſuis expiãdis delictis ante pręmiſſis. Cui ſucceſſit eius filius Aldefonſus huius nominis Quintus, puer annorum quinque. Iiſdem vero temporibus, ſub Garſia Fernando Caſtellæ Comite aduerſus item Arabes pugnante, accidit vt cum in ipſo dimicandi procinctu, pietate ac fide nobilis vir Ferdinandus Autolinus in eccleſiam ſe recepiſſet, vt precibus victoriam ſuis impetrarēt, idque ei æmuli ignauiæ ac timori tribuerent, manifeſtis voluerit Deus ſignis oſtendere, pietate potius quam armis parari victoriam. Siquidem eiuſdem Ferdinandi ſpecie viſus eſt Angelus ante alios adeo fortiter pręliari, vt à cunctis ipſi victoria tributa fuerit, cuius etiam equus & arma inuenta ſunt diuino miraculo ſanguine conſperſa. Tradunt hæc veteres rerum Hiſpanicarum ſcriptores.

ARABES PROFLIGATI AB HISPANIS.

PIETAS VINCIT HOSTES.

III. Inter hęc autem Imperator Otto rurſum in Italiam venit. Falluntur enim qui vnum tantum eius in Italiam aduentum ponunt: quem ſæpius eo veniſſe, ex iis quæ dicta ſunt, dicenturque inferius conſtat. Hoc autem ſecundo eius aduentu accidiſſe traditur [a], vt cum Mutinam perueniſſet, & iuxta illam ciuitatem in villa Amula dicta hoſpitio ſuſceptus eſſet, ibi coactus fuerit Auguſtam vxorem ſuam, Mariam nomine, filiam Regis Aragonum, publice cremandam iudicare. Nempe coniecerat femina procax oculos in Comitem quemdam forma pulcherrimum, ſed vita caſtiſſimum: ideoque paſſa ab eo repulſam, eumdem præ rabie de pertentata pudicitia calumnioſe accuſauit apud Imperatorem, hic vero facile nimis vxori fidem adhibens, Comitem morte damnauit. Quem capite amputatum audiſſet ipſius vxor, doloris impatiens Ottonem conuenit pro tribunali ſedentem, proiectoque capite viri in medium, magno eiulatu ipſum Imperatorem reum ſanguinis innocentiſſimi, apud eumdem ipſum iura reddentem accuſauit. Probationem per cõtrectationem ferri candentis obtulit, eoq; conſentiente, ferrum ipſa candens contrectauit inuſta atque prorſus illæſa. Tuncque magna audacia victrix femina vindictam in ipſum Imperatorem è gladio exegit imperantis. Faſſus ille culpam, ſpopondit iugulum, ſed popoſcit inducias. Interim accurrentes Proceres, pro vita feminam exorarunt Imperatoris: ſed cum ſiniſtra diu laboratum eſſet, tandem ea eſt conditione tranſactum, vt auctrix ſceleris Auguſta flammis cõburenda daretur. Quo facto ſuam redemit vitam iuſtiſſimus Imperator, qui viduam inſuper Comitis tribus caſtris donauit. Hoc tantæ tragœdiæ eſt argumentum, quod Goteſridus [b] Viterbienſis carmine cecinit, alii vero ſoluta oratione deſcripſere.

a CVSPIN. ...

IVSTVM IVDICIVM IVSTISSIMI IMP.

b GOTFR. VITERB. ...

IV. Poſt hæc vero cum Imperator ad Samnites ſe contuliſſet, vt Principes Longobardos in officio contineret, religionis quoque ergo ad Caſſinenſe monaſterium acceſſit, cui tunc præerat Ioannes vir egregiæ ſanctitatis, nuper diuinitus ad illam præfecturam vocatus: & priuilegia monaſterii confirmauit, duaſque argenteas coronas B. Benedicto obtulit, vt Leo Oſtienſis eſt auctor.

V. Quod ad res ſpectat Orientis, ſub hoc anno Curopalates ponit Ioannem Malacenum illuſtrem virum Lacedæmonium accuſatum fuiſſe apud Baſilium Imperatorem, quod Bulgarorum partibus fauiſſet, eaque de cauſa vocatum eſſe Conſtantinopolim: quæ autem ſecuta fuerint, ſilentio obuoluta reliquit. Sed in Rebus geſtis S. Niconis, de quo ſuperius traditur, nõ ſolum ipſum ab eiuſmodi ...[illegible] calumniis abſolutum eſſe, ſed etiam adeo honoribus auctum, vt principem in Senatu locũ obtineret, virum equidem prudentem & eloquentia inſignem: cui hæc omnia ex prædictione S. Niconis accidiſſe narrantur. Ceterum cum idem Sanctus Malaceno Conſtantinopolim abeunti promiſiſſet fore vt is vultum ſuum denuo videret, & tamen eo adhuc Conſtantinopoli degente Nicon ad cœleſtem vitam migraſſet, dolore æſtuans Malacenus, ſed fide confirmatus, vt veram aliquo modo redderet Sancti prophetiam, pictori vultum eius & corporis lineamenta omnia deſignans, depingere iuſſit. Sed cum non valeret pictor, arte licet manuque inſignis, eum ad veram ſimilitudinem exprimere, accidit vt ei in his anguſtiis exiſtenti, in ipſo quod depingere eum conabatur cubiculo appareret Nicon ſolito habitu veſtitus: à quo pictor iuſſus in eum reſpicere, idemque eo circumſpecto ad tabulam reflexus vt eius formam imitaretur, ſtatim eiuſdem Imaginem in tabula ſuis lineamentis ſuapte expreſſam ſponte vidit, qui miraculo obſtupefactus, ad Sãctum iterum conuerſus vt eum veneraretur, reperit illum iã abceſſiſſe. Porro delata Malaceno Imago, eadem poſtea ſuſpenſa eſt in ſacro eiuſdem Sancti templo. Narrantur hæc fuſius in iiſdem S. Niconis Actis. Ex quibus etiam conſtat, ſolitum ex Sancti loculo vnguentum ſacrum colligi, quod ſanctificationi, maliſque & morbis omnibus depellendis proficuum eſſet.

IMAGO S. NICONIS MIRABILITER EFFIGIATA.

VI. Subnectit autem his quæ de Malaceno narrauit mox Curopalates, eumdem Baſilium Imperatorem, quo ibi Veneti ... conciliaret, eorum Duci in matrimonium iunxiſſe Argyri filiam, Romani poſtea Imperatoris ſororem: quam illam putamus, de cuius ambitioſa molitie ac delicato victu plura narrat Petrus Damiani in epiſtola

DVCI VENETIARVM ... IMP. SOROR.

ad Blancam Comitiſſam, adeo vt inter alia communibus aquis ſe abluere dedignans, rore cœli vndique collecto lauaret. Sed factum diuino iudicio Petrus tradit, vt eius corpus totum computreſcens tantum fœtorem ediderit, vt nec ipſius ſerui illum ferre poſſent, eoque languore diutius cruciatam miſere diem obiiſſe.

VII.

Hoc item anno cœpta Indictione duodecima, defuncto Siſinnio Patriarcha Conſtantinopolitano cum ſediſſet annos tres, ſubrogatus eſt in locum eius *Sergius* Abbas ex progenie Photii ſchiſmatis auctoris, cuius & ipſe ſecutus veſtigia, eo amplius obfuit quo diutius præfuit, propagato ſedis tempore vltra vigeſimum annum. Huius nomine contra Occidentales inuenitur alicubi ſcripta epiſtola, quam ipſius Photii vere eſſe ſuperius dictum eſt.

OTTONIS III. 4. BASIL. & CONST. 24.

IESV CHRISTI AN. *999.*

SILVESTRI II. AN. 1.

I. GREG. PP. V. OBITVS

ANno Domini nongenteſimo nonageſimo nono, Indictione duodecima, *Gregorius* Papa diem obiit pridie Nonas Februarii, vt Ditmarus ait, ſed verius duodecimo Calend. Martii, vt apparet ex ſepulchrali eius inſcriptione quæ extat apud S. Petrum vbi conditus eſt: idque cum ſediſſet annos duos menſes octo dies ſex. In cuius locum ſtatim ſubrogatus eſt Gerbertus Archiepiſcopus Rauennas, antea Rhemenſis, de quo plura ſuperius dicta ſunt, qui mutato nomine dictus eſt SILVESTER Secundus.

GERBERTVS ELECTVS ROM. PONT. DICTVS SILVESTER II.

Teſtantur hæc Ditmarus, Hermannus, Lambertus, Marianus, eiuſdē ſæculi ſcriptores, ac ceteri omnes. Ne enim Pōtificatus quo perfunctus fuerat Germanus homo Gregorius, in Romanum aliquem relaberetur (ſuſpectam enim, & nuſquam tutam fidem Imperator Otto expertus fuerat Romanorum) ipſum Gerbertum mox Summum Pontificem eligendum curauit, hominem alioqui aſtutū, & in gratiam ſe Principum inſinuandi maximum artificem, tanta ſede (vt libere fatear) indigniſſimum; vtpote cuius hoſtis extitiſſet inſenſiſſimus, eumdemque ſuis ſcriptis dire proſcidiſſet. Iſta adeo indigna pati coacta eſt Romana Eccleſia, cū per Principes ſæculi factæ ſunt electiones ipſius Pontificum. Et tamen illū, adulatus Ottoni Romanus populus, dicitur [a] poſtulaſſe. De quo Helgaldus in Vita Roberti Regis tradit, eum de ſe ita in R. litera luſiſſe,

a ep. Aim. lib. 5. cap. 45.

Scandit ab R. Gerbertus in R. poſt Papa viget R. quod videlicet rexiſſet Eccleſias Rhemenſem, & Rauennatem, ac demum Romanum Pontificatum adeptus eſſet.

II. QVÆ DE SILVESTRO CONFICTA.

Porro eius tam cita tamque inopinata promotio, & cōtinuata proſperitas, viri præſertim qui (vt vidimus) in cōuentu Epiſcoporum iudicio Apoſtolicæ Sedis redactus fuerat in ordinem, occaſionem præbuit de ipſo opinandi atque ſcribendi eum magicis incantationibus ad Apoſtolicæ Sedis culmen prouectum eſſe, pacta pro mercede diabolo anima, quam ſtatuto loco Hieroſolymis (ſic nuncupata in Vrbe Sanctæ Crucis eccleſia) exactor violentus extorſerit. Ad quæ ſimplicium auribus ingerenda additū eſt argumentum non leue, quod in tam rudi ſæculo Mathematicæ ſcientiæ, præcipue vero Aſtrologiæ hic ſcientiſſimus eſſet. Fuerunt enim iſti colores, quibus ad tam abſurda ac monſtruoſa de illo fingenda, impudens homo Benno eſt vſus, qui ſe Cardinalem Archipreſbyterum nominauit; cum ex ſchiſmate nomen ſibi tantæ dignitatis abripuiſſet, quando poſt annos octoginta aduerſus Gregorium Septimum Henricus Imperator ſchiſmaticus bellum geſſit. Iſte inquam, primus extitit fingendæ fabullæ architectus, vt etiam tradit ex eius ſcriptis quæ vidiſſe teſtatur, eaque improbat Papirius [b] Maſo. Certe quidē nullus ante eum de Silueſtro ea ſcripſiſſe reperitur, qui etiam eadem malitia & alios Gregorii Septimi prædeceſſores magiæ accuſauit, & vt maleficos damnauit. At contra qui Silueſtri tempore vixerunt, honorificā de eo mentionem habuere, vt Ditmarus [c] ſcriptor grauiſſimus Epiſcopus Merſeburgius in Saxonia, & quem diximus Helgaldus monachus Floriacēſis, qui ſumma fide Vitam ſcripſit Roberti Francorum Regis, cuius hic Gerbertus magiſter extitit. Et quod prorſus fabulam illam falſitatis arguit, epitaphium eſt [d] eius ſepulchro inſculptum Romæ in baſilica Lateranenſi, auctore Sergio eius ſucceſſore Papa, plane dignum quouis magnæ nominis Romano Pontifice: vt omnino impoſſibile videatur, tam probroſo exitu qualē Benno poſuit, palam extinctum Pontificem potuiſſe tali elogio commendari, eo præſertim loco vbi talia fieri contigiſſent.

BENNO PSEVDO-CARD. AVCTOR FABVLÆ.

b Maſ. de Epiſc. Vrbi in Silueſt. & in Greg. Sept.

c Ditm. li. 6.

d Rec. Ba. Annal. To. XI. an 1009

III. RECENTIOR. AVCTORVM ERROR DE GERBERTO.

Rerum tamen ignarus Sigebertus, qui poſt annos ducentos ſuum Chronicon ſcripſit, aliique recentiores ſcriptores, adeo Bennonis perculſi ſunt teſtimonio, vt reuocarint in dubitationem num eſſet inter Romanos Pontifices Silueſter annumerandus, quem crederent à diabolo fuiſſe promotum, an vero quem alii (inquit idem auctor, ſed neſcimus quos) numerant Agapertum, de quo nuſquā alibi mentio quod his tēporib. ſederit. At non ita qui præſenti ſeculo claruere Ditmarus, Glaber, Helgaldus, Lambertus, Hermanus, & Marianus Scotus, rerum ſuæ ætatis quas cominus ſunt intuiti ſcriptores, qui abſque vlla vel leui dubitatione, poſt Gregorium Quintum, Silueſtrum recenſent legitimum Papam. Sed etſi tot manifeſtæ probationes deeſſent, nonne ſatis ex ſeipſa fabula conuincitur vanitatis, dum de theſauro abdito in campo Martio narratio adiicitur, qualem vetula rotans fuſum ſimplicibus ſolet ne dormiant narrare puellis ad lucernæ lumen? Prudens igitur Lector vno falce conſtringat hoc commentum cum illo de Ioanna Papiſſa, niſi quod illud leuitas excogitauit, iſtud nequitia.

IV. PELATEBRA IMP. ET FRANCONIS EPISCOPI VVORMA.

Eodem tempore Ottho Imperator in multa alia, pia opera quorum extat apud Scriptores memoria, cum adhuc Romæ eſſet pœnitentiam agens de peccatis ſuis, aliquando vna cum Francone Epiſcopo VVormatienſi viro ſanctiſſimo ſibique chariſſimo, ſpeluncam quamdam iuxta Sancti Clementis eccleſiam clam cunctis intrauit: vbi ambo induti ciliciis, pedibus nudis, in orationibus, ac ieiuniis, vigiliiſque, quatordecim dies latuerunt, & vt fama fuit viſionibus & allocutionibus diuinis honorati fuerunt. Hæc auctor eius temporis in Vita Burchardi. Qui poſt hæc narrare pergit, quomodo cum idē Franco Epiſcopus paulo poſt ibidem Romæ diem, quem antea ex reuelatione diuina prædixerat, clauſiſſet extremū, Imperator vbi reuerſus eſt in Germaniam, certo diuinæ voluntatis iudicio, *Burchardum* eiuſdem Franconis germanum, lucidum eius temporis Germaniæ ſolē, eidem VVormatienſi Eccleſiæ, ſicut & Franco expetierat, præfecerit.

OTT. IMP. PEREGRINATIO AD SEPVLCHRVM S. ADALB.

Tradit quoque Ditmarus, eumdem Imperatorem auditis miraculis quæ ad ſepulchrum S. Adalberti martyris olim Pragenſis Epiſcopi fierent, orationis gratia eo peregrinatum eſſe, quamplurimum à longe vidiſſet Gneſnam Poloniæ vrbem, in qua eiuſdem Sancti corpus reconditum erat, nudis pedibus ſuppliciter adueniſſe, digne exceptum à Boleſlao Poloniæ Duce, & magnis muneribus donatum.

OTTONIS III. 5. BASIL. & CONST. 26.

IESV CHRISTI AN. 1000.

SILVESTRI II. AN. 2.

I.

ANno Chriſti milleſimo, Indictione decimatertia Otto Imperator ex Polonia Romam rediens, ſacras Reliquias Adalberti Martyris ſecum detulit, videlicet manus quibus vbi collocarentur erigendam curauit eccleſiam in Inſula Tiberina, loco Vrbis famoſiſſimo. Agitur vero de ea translatione in Appendice ad Vitam eiuſdē martyris: aſſeriturque alia quoque Martyrum corpora ex variis Italiæ partibus ſummo religionis affectu eſſe ab eodem Imperatore in eamdem eccleſiam tranſlata. Sed & cum pœnitentiæ gratia quam illi (vt dictum eſt) Romualdus Abbas indixerat, in montem Garganum in Apulia ſitum peregrinatus Beneuentum adiiſſet, inde quoque corpus S. *Bartholomæi* Apoſtoli necnon celeberrimi Confeſſoris Paulini. Nicolani Epiſcopi, Romam tranſtulit. Id enim hoc ipſo anno factum eſſe, Leo [a] Oſtienſis ex anti-

CORPVS S. BARTH. APOST. TRANSLATVM ROMAM.

a Leo Oſt. li. 2. ca. 24.

quis Caſſinatis monaſterii monumentis affirmat: quamuis in eo quod ait à Beneuentanis aliud corpus loco S. Bartholomæi tunc fuiſſe ſuppoſitum plures habeat contradictores, aſſerentes, omnino eiuſdem Apoſtoli corpus in eccleſia in honorem S. Adalberti extructa certo certius aſſeruari. In cuius teſtimonium veritatis adducuntur Romanorum Pontificum ſacra diplomata, atque Friderici Imperatoris conſtitutio data anno milleſimo centeſimo ſexageſimo ſeptimo: quibus accedunt Acta Synodalia ſub Alexandro Tertio, necnon ipſa inſcriptio, quam in eiuſdem eccleſiæ reſtauratione in ſuperliminari portæ maioris, Paſchalis Secundus appoſuit anno milleſimo centeſimo decimotertio, quæ & hodie legitur. In qua cum pariter aſſeratur, eam tranſlationem factam eſſe ab Ottone Tertio, manifeſti erroris redarguuntur, qui ſub Ottone Secundo eamdem poſuere. Denique anno Domini milleſimo centeſimo quinquageſimo ſeptimo, poſt maximã Tiberis inundationem aperto ſarcophago, inuentæ ſunt intus tabulæ æreæ ſcriptæ literis Græcis & Latinis, quæ ſignificarent ipſum eſſe corpus S. Bartholomæi ab Ottone tranſlatum: quam rem geſtam narrat Robertus qui ad Sigebertum adiecit appendicem, aſſerens tamen pellem eiuſdem Sancti Apoſtoli remanſiſſe Beneuenti. Porro factum eſt, vt illatione corporis S. Bartholomęi in eccleſiam ſub titulo S. Adalberti martyris inchóatam, tranſierit ipſa in nomen & cultum eiuſdem Apoſtoli, memoriaque Adalberti hoc modo fuerit paulatim obliuione deleta. — *Eccl. S. Bartholomæi.*

II. — *Corona regia parata Polon. duci, Dei monitu data Vngar. duci.*

Hoc item anno, qui numeratur quartus S. Stephani Pannoniæ Ducis idem Stephanus Aſtricum Colocenſem Epiſcopum, eumdemque Anaſtaſium dictum, Legatum mittit ad Romanum Pontificem, petitum vt recens conuerſæ Pãnoniæ benedictionem impertiret, Strigonienſem Eccleſiam Metropolim conſtitueret, reliquos Epiſcopatus firmaret, atque ipſum Ducem Regio diademate cohoneſtaret, vt eo fultus honore quæ diuinæ gratiæ adiutorio cœpiſſet, ea magis magiſque promouere ac ſtabilire poſſet. Cumque per idem tempus Polonorum Dux legatos pariter ſuos Romam miſiſſet, vt Pontificis benedictionem ac Regium titulum adipiſceretur, iamq; aſſentiens Pontifex coronam egregio opere confici curaſſet quam ei mitteret, nocte eius diei quo eam Legatis daturus, erat apparens ei Angelus Domini iuſſit vt coronam quam Duci Polonorum parauerat, daret iis qui poſtera die ab ignota gente ad eum venirent. Itaque cum hora ab Angelo prædicta aduenissent Legati Vngari, ipſe iiſdem coronam cum nomine Regio tradit, inſuperque conceſſit vt Crux ante Regem, ceu Apoſtolatus inſigne deferretur, quod eius opera multi Infideles populi ad Chriſtum conuerſi eſſent, necnon vt idem Rex vice Romani Pontificis Eccleſias ſui Regni diſponeret. Hæc omnia pluribus habet Cartuitius [b] Epiſcopus in Vita eiuſdem S. Regis. — *b ap. Sur. 20. Aug.*

III. — *c Chron. l. 3. in Bolesl.* — *Polon. duci non data corona ab Ottone Imp. ſed a Rom. Pont.*

Sed indigne ferentes rerũ Polonarum Scriptores [c] coronam paratam Duci Poloniæ, Dei monitu datam Duci Vngarorum, tradunt regium nomẽ ac diadema Duci Poloniæ datum eſſe ab Ottone Imperatore, cum in Poloniã (vt dictum eſt) ad S. Adalberti martyris viſendum corpus profectus eſſet. Verum in his minime ipſis aſſentiri poſſumus: Si enim accepiſſent ab Ottone, cur opus fuit poſtea quærere à Romano Pontifice poſt Ottonis obitũ regnante Henrico Imperatore? quod diſerte teſtatur ſæculi huius ſcriptor Petrus [d] Damiani Epiſcopus Oſtienſis, S. R. E. Cardinalis laudatiſſimus, ac veritatis in omnibus amantiſſimus, occaſione martyrii duorum diſcipulorum S. Romualdi, qui cum à Duce Polonorum rogati fuiſſent ea de cauſa Romam proficiſci, à furibus in ſua cella necati ſunt, & poſt mortem ſuis interfectoribus liberationem à pœnis quas patiebantur impertierũt. A quo etiam cum hæc geſta dicantur ſub Boleslao Poloniç Duce (qui tamen apud eũ corrupte legitur Buſclauus) ex eo corrigas Cartuitium, qui ea facta ponit ſub Meiſca Boleslai patre: Nam & eidem repugnat quod Ditmarus [e] huius temporis auctor grauiſſimus Meiſcæ obitum accidiſſe ponit anno octauo Regni Ottonis, qui incidit in annum Domini nongenteſimum nonageſimum primum. Cur vero Stephanus Rex — *d Pet. Dam. in Vit. Romuald. c. 32. 34.* — *e Ditm. l. 4. Chron.*

Vngarorum tantam diuinitus reuelatam gratiam promouerit, vt alteri paratam coronam acceperit, ex epiſtolis Gregorii Papæ [f] Septimi cauſam poſſumus intelligere eam fuiſſe, quod ipſe Regnum Vngaricum Romanæ Eccleſiæ donarit. — *f Greg. Sept. l. ep. 13. 63. 7. & l. ep. 13.* — *Regnum Vngariæ oblatum Apost. ſedi.*

IV. — *De Leutardo hæretico.*

Porro qui his rebus geſtis diuina luce coruſcus illuxit præſens Millenarius annus, ad veſperam arte diaboli obſcurari nubeculis viſus eſt, ſed quæ ſtatim euanuerunt. Etenim circa finẽ eius, homo plebeius in Gallia apud Vicum Virtutis in pago Catalonico, *Leutardus* nomine, cum in agro ſolus aliquando labore depreſſus obdormiuiſſet, apum viſione illum dire exagitantium à dæmone illuſus, fatigatus exurgens, quaſi ex præcepto Euangelico dimiſit vxorem eccleſiamq; velut oraturus ingreſſus, Crucem & Saluatoris Imaginem contriuit. Perſuadens vero ruſticis hæc ſe ex Dei reuelatione patrare, docenſq; inſuper decimas dare inane eſſe, & Scriptura homo maniſſimus ad libitum abutens maximam traxit ad ſe vulgi partem. Sed cũ illum accerſitum vir eruditiſſimus Lebuinus Epiſcopus, in cuius diœceſi erat, diſputatione cõfudiſſet, populumq; deceptum ſanæ fidei reſtituiſſet, miſer ille pſeudoapoſtolus deſperatione adductus in puteum ſe præcipitauit.

V. — *De Vilgardo alio hæretico.*

Quo etiam tempore apud Rauennam Italiæ ciuitatem quidam *Vilgardus* Grammaticus, deceptus præſtigiis dæmonum ipſi apparentium ſub ſpecie poetarum Virgilii, Horatii, & Iuuenalis, cœpit multa turgide contra fidem effutire, aſſerereque dictis poetarum per omnia eſſe credendum. Sed eo per Petrum eius ciuitatis Archiepiſcopum damnato, plures quoque eius diſcipuli cum gladio tum incendio puniti ſunt. Denique ex Sardinia Inſula eodem tempore aliqui egreſſi qui populum in Hiſpania corrumperẽt, & ipſi à viris Catholicis mox exterminati ſunt. Hæc autem omnia de eiuſmodi diaboli conatibus per inſanos homines hæreſes diſſeminare conantis, deſcribit pluribus Glaber [g] Rodulphus Cluniacenſis monachus, temporis huius auctor teſtiſque fidelis. — *g Glab. l. 2. cap. 11. 12.*

IESV CHRISTI AN. 1001.

Ottonis III. 6. Baſil. & Conſt. 26.

SILVES. II. AN. 3.

I. — *Vana aſſertio de aduentu Antichriſti.*

ANNVS Chriſti milleſimus primus Indictione decimaquarta notatus, quo nouum Sæculum inchoatum eſt, nonnullorum vana aſſertione prænunciatus fuerat mundi poſtremus, vel ipſi propinquus: de quo videlicet Abbo Floriacẽſis Abbas, vir doctrina & ſanctitate inſignis, in libro Apologetico quem ad Robertum Francorum Regem ſcripſit, teſtatus eſt ſe cum adoleſcentulus eſſet, ſermonem coram populo in Eccleſia Pariſiorum audiuiſſe, quod ſtatim finito mille annorum numero Antichriſtus aduenirer, & non longo poſt tempore vniuerſale iudicium ſuccederet. Nam fama (inquit) per totum mundum impleuerat, quod quando Annuntiatio Dominica in Paraſceue contigiſſet, abſque vllo ſcrupulo finis ſæculi eſſet. Cui errori tradit ſe ex Euangeliis, & Apocalypſi, & libro Danielis reſtitiſſe. At quod ad eiuſmodi prænuntiationem pertinet; quę proxime accidiſſent anno ſuperiori, tantæ cladis videri poterant eſſe prænuntia. Nam (inquit Sigebertus) multa prodigia viſa ſunt: terræmotus factus eſt permaximus; cometes apparuit Calendis Ianuarii circa horam nonam aperto cœlo, quaſi facula ardens cum longo tractu, fulguris inſtar illapſa eſt terris tanto ſplendore, vt non modo qui in agris erant, ſed etiam in tectis, irrupto lumine ferirentur. qua cœli ſciſſura ſenſim euaneſcente, interim viſa eſt figura quaſi ſerpentis, capite creſcere cum cæruleis pedibus. Hæc Sigebertus.

II. — *a Glab. l. 5. cap. 6.* — *Corruptiſſimi hominum mores.*

Sed & ad iſta credenda de aduentu Antichriſti & fine mundi, ſatis eſſe videbantur Romanæ Eccleſiæ tot ſæpe iterata naufragia; necnon corruptio morum, quam magnam valde hoc tempore fuiſſe in hominibus, præſertim Eccleſiaſticis, Glaber [a] ea videns deplorat: inſuper, & quod Ferreum hoc ſæculum ob malorum exereſcentiam, auctore Ditmaro, & diceretur, & re vera eſſet; quod

videlicet (vt ait Glaber) deficeret religioſitas Pontificum, & marceſceret diſtrictio regularis Abbatum, ſimulque monaſterialis diſciplinæ vigor tepeſceret, ac per illorum exempla cetera plebs mandatorum Dei prçuaricatrix exiſteret. Qualis vero interea eſſet ipſius Vrbis Romæ ſtatus; intelligi poteſt ex huius temporis ſcriptore fideliſſimo Arnulpho[b] Comite; qui agens de Ottonis Imperatoris nouiſſimo in Vrbem aduentu, qui contigit hoc anno; ea oblata occaſione de eadem Vrbe plura egregia referens, inter alia ait quod pro ruinis murorum & veterum fanorum ſurgerent quotidie innumera çdificia Eccleſiarum ſiue monaſteriorum, è quorum numero tunc viginti poſſiderentur à ſanctimonialibus, quadraginta à monachis, ſexaginta à canonicis, exceptis iis quæ extra ciuitatem eſſent, & in aliis Eccleſiis ſiue capellis quæ in eadem Vrbe abundarent. Ex quibus videas, quod de ea quæ typum tenebat Eccleſia, arca Noe ſcriptum in diuinis[c] literis reperitur, *Multiplicatæ ſunt aquæ, & eleuauerunt Arcam in ſublime,* in Romana Eccleſia reipſa apparere expreſſum, vt in diuino cultu exiſteret eminentior, cum exiſtimari potuiſſet exteſcentium malorum obruta fluctibus. Sed ad res geſtas huius anni tranſeamus.

b *Arnulp. ap. Caniſ. Antiq. Lect. To. 2.*

STATVS VRBIS QVALIS.

c *Gen. 7.*

III. DE TEMPORE OBITVS OTTON. IMP.

Scimus quamplurimos non mediocris æſtimationis auctores hoc anno ponere obitum Ottonis Tertii Imperatoris, & ſubrogationem Henrici Bauari; atque inprimis Germaniæ Scriptores Ottonem Friſingenſem, Abbatem Vrſpergenſem, & Hermannum Contractum, quos ſecuti ſunt recentiores nonnulli. At veriorem eſſe eorum aſſertionem, qui dixerunt anno ſequenti illum obiiſſe, puta Mariani Scoti, Lamberti, Sigeberti, atque Ruperti Abbatis Tuitienſis in Heriberto; tum alia plurima demõſtrant, tum omnem dubitationem tollit eiuſdem Imperatoris priuilegium[d] conceſſum Eccleſiæ Nouarienſi, quod datum ponitur Papiæ decimo Calendas Iulii anno Dominicæ Incarnationis milleſimo primo Indictione decimaquarta, anno Tertii Ottonis Regni decimoſeptimo, & Imperii quinto nondum perfecto. Nam cum omnes cõſentiant, Ottonem defunctum eſſe menſe Ianuarii, vtique in annum ſequentem eius obitus referendus eſt: quod ipſum & alia vetera monimenta indicant, de quib. in ſucceſſoris electione dicendum.

d *Rec. Bar. Annal To. XI. hoc ann.*

IV. OBITVS HVGONIS MARCH. ETRVR.

Obiiſſe quidem hoc anno menſe Decembri, antequam Otto moreretur, inſignem virum Hugonem Marchionẽ Etruriæ, & Ducem Vrbis (præcipuus hic erat magiſtratus) docet inſcriptio eius ſepulchro inciſa Florentiæ in monaſterio Sanctæ Mariæ, ab eodẽ præter multa alia conſtructo, necnon Petrus Damiani in epiſtola ad Godefredum Tuſciæ Marchionem eiuſdem Hugonis poſtea ſucceſſorem: ex quibus corrigas quæ de eius obitu dicuntur apud Sigebertum anno ſequenti. Sed & quod idem Petrus illius temporis ſinceriſſimus auctor, aſſerit eumdem Hugonem filium fuiſſe Vberti, ſiue Alberti, filii naturalis Hugonis olim Regis Italiç, ex eo pariter redarguas auctorem qui poſtea eiuſdem Hugonis Vitam ſcripſit, dum inter alia plurima mendacia tradit ipſum fuiſſe Principem Magdeburgenſem, Etruriç vero ab Ottone Tertio prçfectum: quibus præter Petrum aduerſantur Luitprandus, Glaber, & alii eius temporis Scriptores, dum oſtendunt hunc nón Germanum, ſed Italum, auitaque hereditate poſſediſſe Principatum Etruriæ. Laudat autem mire eumdum Petrus de pietate in Deum, religione ac liberalitate in Sanctos & loca ſacra, manſuetudine in ſubditos, aliiſque eiuſmodi virtutibus. Dignumque memoria eſt, quod de eius ortu narrat; nimirum quod cum Vbertus pater eius indignationem Primi Ottonis incurriſſet, ac ſubinde relicta neſciens coniuge grauida (erat illa, vt ait, Willa Bonifacii Marchionis filia) in Pannoniam profugus exulaſſet, poſt multum vero tempus reſumptus in gratiam rediiſſet; coniugem cum grandiuſcula prole reperiens, negauerit ſe eius eſſe parentem, quouſque re diutius ventilata, ſic inter eos conuentum eſt, vt puer in medio magnæ religioſarum perſonarum multitudinis conſtitueretur, inter quas & pater quem numquam ipſe viderat, nulla à cæteris varietate diſtinctus ſederet; tuncque ſi patrem puer blandiens adiret, ab omni ſuſpicione matrem purgaret: quod etiam ex optato contigit. Sed de Hugone ſatis: quem Glaber[e] cum agit de eius obitu, vocat Marchionum optimum: extatq; [f] inſuper nobile eius epitaphium (vt ea ferebat conditio ſæculi) acroſtichicis noui generis verſibus egregia concinnatione deſcriptum.

HVGO MATREM A CRIMINIS SVSPICIONE PVER LIBERAT.

e *Glab. li. 2. ca. 7.*
f *Rec. Bar. To. XI. an. 1002.*

V. IMP. PROMITTIT MONASTICAM VITAM AMPLECTI.

Recedens Papia Otto Imperator Rauennam ſe contulit; vbi eum (inquit alibi Petrus[g] Damiani) Romualdus protinus adiit, & acceptæ promiſſionis exactor (qua illum vidimus in expiationem patratæ necis Creſcentianæ, eidẽ Romualdo ſe obſtrinxiſſe) vt monachus fieret inſiſtere vehementius cœpit. At Imperator facturum ſe quidem quod exigebatur aſſeruit, ſi tamen prius Romam quæ ſibi rebellabat impeteret, & ea deuicta Rauennam cum victoria remearet. Verum Romualdus aperiſſime illi mortem propinquam denuntians, quia eum reuocare nõ potuit, ab eo receſſit. Hæc Petrus: de obitu vero Ottonis dicetur anno ſequenti. Interim autem conſidera, quomodo homines verſutus aſſidue decipiat cacodæmon, vt quos à bono non poteſt auertere ne facere meditentur, ſaltem vt differant prætextus ingerit varios neceſſitatis colore fucatos; & ſic diſtineat miſeros donec improuiſa mors irrepat, quam ipſi mox ſequantur ſæuiſſimi peccatorum vltores.

g *Petr. Dam. in Romual. ap. Sur. 19. Iunii.*

VI. TVMVLTVS IN VRBE ADVERSVS IMP.

Quænam autem fuerint turbæ illç Romç aduerſus Imperatorem concitatæ, licet nobis exploratæ non ſunt; ex his tamen quæ poſtea acciderunt, intelligere poſſumus Romanorum potentiores infenſo tuliſſe animo imperiũ Germanorum, ob idque tumultuatos eſſe in eos qui tutarentur partes ipſius Imperatoris. Quid enim facere in eos prætermitterent longe remoto Imperatore, qui in eum præſentem inſurgere non ſunt veriti? ſiquidem ipſum à factioſis Romanis, duce quodam Gregorio reliquis tunc Romæ potẽtiore, ipſiq; etiam Imperatori valde charo, inſidiis appetitum eſſe, Vrbeq; aufugere coactum, Ditmarus[h] eſt auctor: verum addit, eumdem mox collectis vndique copiis Romam redeuntem, de proditoribus ſeueriſſimam ſumpſiſſe vindictam. Sed & in illis tumultibus præſto ei fuiſſe Hugonem Marchionem, tunc adhuc viuentem; ac liberaſſe eum à coniuratione factioſorum Romanorum, teſtatur Sigebertus. potens quippe erat, & ſummæ in Vrbe auctoritatis Ducatum gerens.

h *Ditm. l. 4.*

VII. S. HERIB. FIDELIS MONITOR OTTON. IMP.

Habebat vna ſecum Otto S. Heribertum Archiepiſcopum Colonienſem monitorem & conſultorem in rebus agendis; cuius res præclare geſtas ſcripſit Rupertus[i] Abbas Tuitienſis ex antiquiore ſcriptore collectas. Profecit autem tantum eius conuerſatione Imperator, vt tradat Ditmarus, quod quamuis exterius vultu ſe ſemper hilari ſimularet, tamen conſcientiæ ſecreto plura ingemiſcens facinora, noctis ſilentio, vigiliis & orationibus intentis, lacrymarum quoque riuis ablueret. At felix quidem Otto, ſi in omnibus eiuſdem ſancti viri monitis paruiſſet; contra ipſius enim conſilia iunxit ſibi nobilem coniugem Romanam feminam ac formoſiſſimam, quæ fuerat Creſcentii vxor, Ioanna dicta. De qua quidem diuerſorum eſt aſſertio diuerſa: dum Glaber[k] ait, eam cum leuiter in vxorem accepiſſet, paulo poſt dimiſiſſe diuortio: Leo[l] vero Oſtienſis non in vxorem ſed in concubinam accepiſſe ſignificat: cui & Rupertus conſentire videtur, cum de his agens nullam penitus habet de coniugio mentionem; & in eamdem ſententiam iure pedibus abiiſſe recentiores viſi ſunt plures.

i *ap. Sur. 16. Mart.*
k *Glab. lib. 1. cap. 4.*
l *Leo l. 2. cap. 24.*

IESV CHRISTI AN. 1002.

BASILII & CONST. 27.

SILVES. II. AN. 4.

I. OTTHON. III. IMP. OBITVS.

ANno Chriſti milleſimo ſecundo Indictione decimaquinta, ipſo menſe Ianuarii Otto Imperator ex hac vita deceſſit. Id enim hoc tantummodo anno contigiſſe, præter ea quæ dicta ſunt anno ſuperiori, probatur etiam ex priuilegio quodam Henrici Regis ſucceſſoris Ottonis,

dato

Digitized by Google

dato monaſterio S. Vincentii ad fontes Vulturni; quo cũ annus Domini milleſimus decimusquartus notetur eiuſdem Henrici regni duodecimo, Imperii vero primo; vtique aſſerere neceſſe eſt, ipſum hoc anno regnare cœpiſſe. Sed & ex iiſdẽ pariter intelligis, annos Imperii eius nõ ab hoc anno, vt ponunt multi, ſed more maiorum ab eo quo à Romano Pontifice coronatus eſt, numerari cœptos. Quod pariter conſtat ex alio item priuilegio Eccleſiæ Nouarienſi conceſſo, quo idem annus Domini milleſimus decimusquartus notatur eiuſdem Henrici Regni decimotertio vtique inchoato, Imperii vero primo. Ceterũm Ottonem mortuum eſſe Romæ, Rupertus [a] tradit: ac Petrus [b] Damiani, ab vrbe digreſſum in itinere apud Paternum defunctum ſcribit: item & Ditmarus [c]. Quod autem ad diem obitus ſpectat: cum Marianus Scotus quinto Calendas Februarii contigiſſe tradit Hermannus vero decimo, plures duodecimo, Ditmarus nono. Cum quo diſceſſiſſe ab Vrbe Silueſtrum Pontificem, auctor eſt Sigebertus.

a Rup. in Henr. 16. Mart. b Pet. Dam. in ſeminal. ap. Sur. 19. Iunii. c Ditm. l. 4.

II. DE CAVSA OBITVS OTTONIS.

Necis autem illatæ veneno eam aſſerunt cauſam quod eius receſſu ſpe fruſtrata Creſcentii quondam vxor, quæ ex amatoriis pollicitationibus Imperatoris nuptias animo conceperat, vltionis ſtimulis agitata, veneno chirothecis infuſo, eas ei quaſi pignus amoris dederit, quibus ille vſus morbo lethali confectus interiit. At vero Rupertus nihil de chirothecis agens, ait tantummodo eum intra cubiculum dormientem ab eadem relicta Creſcentii veneno infectum eſſe. Sed & Ditmarus qui his diebus vixit, & per dies ferme ſingulos quæ tunc acciderunt fideliſſime ſcripſit, nihil prorſus de commixione Ottonis cum relicta Creſcentii habet, nec veneno eſſe defunctum: ſed tantum tradit, cum paulo ante eiuſdem Imperatoris obitum, Duces & Comites Germaniæ, conſciis etiam Epiſcopis, multi contra eum conſpirare cœpiſſent, ipſum Roma cedentem vt huic malo mederetur, in Paterna vrbe puſtellis interiora prementibus, & interdum paulatim erumpentibus, infirmatum eſſe, ac paulo poſt diem obiiſſe.

III. OTTONVM STEMMA DEO VINDICE EXTINCTVM.

In eo porro extinctum eſt penitus ſtemma regnantium Ottonum, nonniſi in nepotem Magni Ottonis propagatum: ita diuinitate vlciſcente delicta quæ in Sedem Apoſtolicam perpetrarunt, pro arbitrio amouendo atq; ſubrogando Pontificis, quamuis nonniſi pietatis intuitu id agere præſeferrent. Magno ſiquidem damno, quouis prætextu pietatis, à laicis quibuſcumque ſacra tentari & ipſæ ſacræ Scripturæ [d] de Salue, Oza, Ozia, aliiſque demonſtrant; & nos ſæpe de multis Regibus ſuperius oſtendimus, ea de cauſa male periiſſe, & ad extraneos tranſlata eſſe ipſorum Regna. Porro corpus Ottonis, ex ipſius vltima voluntate Aquiſgranum ſepeliendum eſſe delatum tradunt: inteſtina vero Auguſtæ Vindelicorum relicta eſſe, ne ipſis corruptis reliqua pars corporis tabo inficeretur. Sed de his, ceteris omnibus locupletius atque ſincerius Ditmarus agit: pariterque de Henrici Ducis Bauariæ in regnum Germaniæ erectione, factaque Moguntiæ inauguratione ab Archiep. Willigiſo tertio Idus Iunii: necnon de eiuſdem vita optime inſtituta ſub educatione S. VVolfgangi Ratiſponenſis Epiſcopi; ac de iis quos poſt electionem paſſus eſt aduerſarios, cui quidem ex prædictione eiuſdem VVolfgangi regnum delatum eſſe, teſtatur eius temporis auctor qui res ab eodem Sancto præclare geſtas conſcripſit.

d 1. Reg. 13. 2. Reg. 6. 2. Paralip. 26.

HENRICVS REX SVCCESS. OTTON.

IV. HVNGAR. ECCL. SVB S. STEPH. REGE FLORET.

Quo tempore Hungarica Eccleſia ſub Rege Stephano, & Griela ſiue Giſla Regina, quam filiam Henrici Regis in vxorem accepit, mirifice culta floruit, variis Epiſcopatib. & Abbatiis inſtitutis & ampliſſimis redditibus locupletatis, necnon Eccleſiis inſigniter ędificatis atque ornatis: vt hæc omnia pluribus deſcribit Cartuitius Epiſcopus in Rebus [e] geſtis eiuſdem ſanctiſſimi Regis. De cuius etiam eximio cultu erga Dei-Genitricem agens, ſeipſum, regnumque ſuum per votum & oblationem in eius tutelam contuliſſe tradit: tamque celebrem fuiſſe teſtatur apud Hungaros eiuſdem ſacratiſſimæ Virginis honorem & gloriam, vt feſtum Aſſumptionis eius, tacito proprio nomine, ſua lingua *Diem Dominæ* appellarent. Subdit & de monachorum cœnobio ab eodem Rege Hieroſolymis conſtructo, & de mirifica Eccleſia Conſtantinopoli erecta: deque collegio canonicorum ſub protomartyris Stephani titulo Romæ condito, ac domibus & hoſpitiis Hungarorum qui orationis cauſa Romam ad Beati Petri Limina peregrinarentur exædificatis. Quibus, & aliis eiuſmodi egregiis operibus (quod idem auctor ſcribit) meruit vt iure ſuæ ditionis ſit Apoſtolus appellatus. Etſi enim (inquit) ille ſibi euangelizandi munus non ſumpſit; attamen ceu quidam concionatorum dux & magiſter, defenſionis & ſuſtentationis ſolatia eis ſuppeditauit. Qui quidem adeo pietate inſignis, haud inferior militari fortitudine, hoc eodem anno laceſſitus, à Giula Tranſiluaniç Principe auunculo ſuo ob diſparẽ cultum religionis; comparato exercitu Tranſiluaniam petiit profligatoque hoſte, atque vna cum ſuis captiuo ducto, eam ſibi prouinciam ſubiugauit, quam & Chriſtianam reddidit. Simulque ipſe Giula Princeps, cum vxore & filiis exemptus vinculis, Chriſti fidem (licet inuite, vt aſſeritur) amplexatus, ab Stephano fuit Regio more tractatus. Iſta pluribus Annales [f] Hungarici. Poſt hæc autem eidem Regi certandum fuit cum Bulgaris Hungariam inuadentibus; quos non ſine magno labore Deo impendente auxilium ſuperauit.

e ap. Sur. 20. Aug. cap. 9. & ſeq.

TRANSILVANI AD FIDEM CONVERSI.

f Bonf. dec. 1. l. 1. Annal.

V.

g Leo l. 2. c. 38.

Hoc eodem anno (vt ex Leone [g] Oſtienſe hæc narrante colligimus) Northmanni quadraginta numero, peregrino habitu Hieroſolymis, quo orationis cauſa perrexerant, redeuntes, Salernum applicuerunt vir & ſtatura proceri, & ſpecie venuſti, & armis præcipui Qui cum eam ciuitatem à Saracenis obſeſſam reperiſſent, accenſis virtute diuina animis, à Guaimario Principe equos armaque poſcentes, ſubito in illos irruerunt; plurimiſque peremptis, & reliquis in fugam verſis, mirabili victoria potiti ſũt. Cum vero magnis muneribus à Principe inuitarentur vt cum eo manerent; illi amore tantum Dei, & Chriſtianæ fidei aſſertione hoc ſe feciſſe dicentes, & dona reſpuerunt; & manere ſe poſſe denegarunt. Quare prędictus Princeps cum eis Legatos ſuos in Northmanniam direxit, & ex fructibus terræ, aliaque militaria munera mittens, eos ad ſe inuitauit. Hæc Leo de prima Northmannorum in Italia facta notitia, & miſſa ad eos legatione; quæ penitus effectu non caruit, cum iiſdem alia occaſione aditus patuit in Italiam veniendique tandem ac dominandi. Quod autem ad peregrinationem Hieroſolymitanam ſpectat; his quidem temporibus fuiſſe frequentiſſimam, conſtat ex iis qui res tunc geſtas ſcripſere. Inter quos Glaber [h] Rodulphus agens de Northmannis qui in ea Galliæ parte quæ ab ipſis nomen accepit degebant, ait Principes eorum hoc tempore magna religione viuentes, egenorumque ac peregrinorum aſſiduam curam gerentes, inſuper dona ampliſſima ſacris Eccleſiis per vniuerſum fere Orbem miſiſſe; ita vt etiam è monte Sina per ſingulos annos monachi Rothomagũ veniẽtes, plurima auri & argenti munera ab eis acciperent ſuis deferenda: ſed & Hieroſolymam ad ſepulchrum Saluatoris ingentia dona mittere conſueuiſſe; ac quouſque cupientes illuc deuote peregrinari, donis iuuiſſe immenſis.

NORTHMANNI PRIMVM ITALIÆ INNOTVERE MAGNA VIRTVTE.

h Glab. l. 1. cap. 1.

NORTHMANNOR. PIETAS.

IESV CHRISTI AN. 1003.

BASILII & CONST. 28.

IOANNIS XVIII. AN. 1.

I. SILVESTRI PP. OBIT.

ANno Chriſti milleſimo tertio, Indictione prima, *Silueſter* Papa vbi ſedis ſuæ annũ iam quintum inchoaſſet, obiit die duodecima mẽſis Maii, vt ex epitaphio eius ſepulchro à Sergio Põtifice appoſito apparet, quod hactenus in baſilica Lateranenſi ſeruatur integrum. Porro nugas illas de eo vulgatas, ab homine mendaciſſimo Bennone ſchiſmatico primum excogitatas, in ipſius ingreſſu confutauimus. Quod vero ad ipſius ſcripta attinet; præter epiſtolas centum quinquaginta nouem perbreues (dicendi enim Laconice arripuit inſtitutum) ante Rhemenſem adeptum Archiepiſcopatum ab eo ſcriptas;

& alias

Silueſtri ſcripta, et priora ſtudia.

& alias quarum ſuperius facta eſt mentio, vel ſeorſum datas de rebus Eccleſiæ Rhemenſis; & Vitam S. Adalberti martyris Pragenſis Epiſcopi; nihil præterea vidimus: cum alioqui ex iiſdem ipſius epiſtolis conſtet plures reliquiſſe ingenii ſui indices lucubrationes, partas illas prioribus vitæ temporibus, de Rhetorica, Geometria, Aſtronomia Mathematica, & aliis eiuſmodi artibus atque ſcientiis: quarum cauſa ingentem ſibi vndique comparare bibliothecam indefeſſo ſtudio laborauit. Quod vero etiam eius laudi cedit; ex eiuſdem epiſtolis conſequi licet, cultorem fuiſſe Sanctorum virorum tunc viuentium, cupidumque monaſticæ obſeruantiæ, atque malorum acerrimum correctorem, necnon egregium defenſorem Iurium Eccleſiæ. Denique ipſum plane primum extitiſſe qui ſacræ Militiæ claſſicum occinuerit, teſtatur eius quæ extat Hieroſolymorum Eccleſiæ nomine *ad Vniuerſalem Eccleſiam ſceptris regnorum imperantem* (vt habet inſcriptio) Epiſtola parænetica pro ferendo eidem ſub iugo barbarorum laboranti ſubſidio. At de Silueſtro hactenus.

Bellum ſacrum conclamat.

II. Eius vero tempore, traditur in monaſterii Sublacenſis Chronico, *Petrum* vigeſimum ſecundum eius loci Abbatem paſſum eſſe martyrium, quod noluiſſet tradere caſtrũ quoddam eiuſdem monaſterii ſæcularibus dominis illorum locorum, & poſt mortem miraculis claruiſſe.

III. *Ioan. PP. dictus XVIII et Ioan. XIX.*

Ceterum defuncto Silueſtro, ſubrogatum in locum eius fuiſſe IOANNEM cognomento Siccum, patria Romanum, eius nominis Pontificem Decimumſextum, dictum Deimumoctauum, ſediſſeque tantum menſes quinque & dies aliquot; habent Indices veteres Vaticani: in eiuſque locum ſubrogatum eſſe IOANNEM Decimumſeptimum eius nominis, Decimumnonum. At Marianus Scotus huius ſæculi ſcriptor, priorem Ioannem appellat Decimumſeptimum, hunc vero Decimumoctauum: tamen frequentior vſus obtinuit, vt hic poſterior numeretur Decimusnonus; ſed præter omnem rationem, dum hoc numero ſchiſmatici indigni Pontificis nomine includuntur. Rectius quidẽ Hermannus illum Decimumſextum, hunc vero Decimumſeptimum, prætermiſſo Placentino illo qui ſedit in ſchiſmate contra Gregorium Quintum, Papam appellat. Ad euitandam tamen in numero eiuſdem nominis Pontificum confuſionem atque perplexitatem, quæ Lectoribus moleſtiam poſſet afferre; non pro meritis ſingulorum, ſed communi aſſertione, nullum interim præiudicium inferentes veritati, numerabimus duos Ioannes hoc anno Pontifices, priorem Decimum octauum, poſteriorem Decimumnonum; quem tradunt cognomento fuiſſe dictum Faſanum; creatumque duodecimo Calendas Decẽbris. Quod autem ex memorato Silueſtri epitaphio liqueat, poſt obitum eius turbatam Eccleſiæ pacem; harum diſcordiarum eam intelligimus extitiſſe cauſam, quod defuncto Ottone Imperatore, qui duos iam promouiſſet ad Pontificatum Vltramontanos homines, res iam relapſa eſt ad Comites Tuſculanos præcipuos in Vrbe proceres; quorum factio cum præualuiſſet, duos hos Ioannes in Sedem Apoſtolicam collocandos elaborauit.

IV. *a Glab. l. 3. cap. 4. Renouatio vbique eccleſiarum.*

Ad hæc eadem tempora ſpectant quæ Glaber [a] narrat, infra milleſimum (vt ait) tertio iam fere imminente anno conigiſſe in vniuerſo pene terrarum orbe, præcipue tamen in Italia & in Galliis, innouari Eccleſiarũ baſilicas, licet pleræque decenter locatæ minime indiguiſſent: æmulatamque vnamquamque gentem Chriſticolarum, aduerſus alteram decentiore frui. Erat enim (inquit) inſtar ac ſi mundus ipſe excutiendo ſemet, reiecta vetuſtate paſſim candidam Eccleſiarum veſtem indueret. Tunc denique Epiſcopalium ſedium Eccleſias pene vniuerſas, ac cetera quæque diuerſorum Sanctorum monaſteria, ſeu minora villarum Oratoria, in meliora quique permutauere Fideles. Hæc Glaber. Quæ quidem non aliunde accidiſſe puto, quã ex eo quod videntes Fideles iam lapſo tempore euanuiſſe quę de mundi interitu fuerant cõſtanti aſſertione prędita, & paſſim credita; quaſi tãto diſcrimine liberati, mundoque iam ſtabilito, alacres ad Eccleſias permãſuras erigendas, vel innouandas, ac dilatãdas conſurrexerunt.

V. *S. Abbonis Abb. martyrium. b Ibid. c. 3.*

Hoc eodem anno (vt auctor eſt Sigebertus) inſignis ſanctitate atq; doctrina *Abbo* Floriacenſis Abbas, de quo ſępe dictũ eſt ſuperius, martyrio coronatus ad Deum migrauit: Cum videlicet gratia propagandæ religionis monaſticæ (vt ait Glaber [b]) ad prouinciam progreſſus Meridianorum Waſconum; orto die quadam in atrio cœnobii in quo ipſe morabatur inter aliquos litigioſos acri tumultu, accurrens ipſe ad eum ſedandum, ab vno è vulgo lancea tranſfoſſus eſt: cuius percuſſor paulo poſt arreptus à dæmone, miſerabiliter vitam finiuit: corpus vero Abbonis honorifice ſepultum, multis poſtmodum claruit miraculis. Porro quod in eius Vita, quam edidit Aimoinus monachus ipſius diſcipulus, ſcriptione rerum Francorum notiſſimus, dicitur, Abbonem conſummaſſe martyrium anno Redemptoris milleſimo quarto Indictione ſecunda, haud tamen contrarius eſt ſupra aſſertus: ſiquidem numerando ab Incarnatione Domini, dici debet hic quartus annus, & Indictio ſecunda, inchoata hoc anno menſe Septembris, ſub qua idem Sãctus eſt interfectus. Extat porro ad eumdẽ Fulberti [c] tunc monachi, poſtea etiã Epiſcopi Carnotenſis epiſtola, pro monachis Carnotenſibus, quos tyrannice Theobaldus Comes cognomento Fallax habebat; qua idem valde deplorat miſerãdũ ſtatũ Eccleſiæ Gallicanæ, cui dominarẽtur Principes ſæculares: ingerit autem dignum plane Chriſtianæ fortitudinis exemplum, cum iidem ſancti monachi elegerunt potius extorres fieri, quam pati intruſum à Principe præeſſe ſibi Abbatem.

c Fulb. ep. 1.

Christ. fortitudinis exemplum in monachis.

IESV CHRISTI AN. 1004.

Basil. & Const. 29.

IOANNIS XIX. AN. 1.

I. *a Glab. l. 3. Synodi in Ital. et Gal. de variis quæst. eccleſ.*

ANno Chriſti milleſimo quarto, Indictione ſecunda (vt ex Glabro [a] colligitur) frequentes *Synodi* in Italia atque in Galliis ſunt celebratæ de variis quæſtionibus tunc controuerſis: veluti de Ieiuniis, quæ à pleriſque inter Aſcenſionem Saluatoris & Pentecoſten obſeruabantur; quæ omnino prohibita ſunt, præterquam in vigilia Pentecoſtes. Item de eo quod in Aduentu & Quadrageſima diebus Dominicis monachi hymnum *Tę Deum laudamus* decantarent, contra morem Romanæ Eccleſiæ: ſed id quia ex traditione S. Benedicti confirmata per Sedẽ Apoſtolicam, ſe habere oſtenderunt, permiſſi ſunt etiam agere in poſterum. De die quoq; Annuntiationis Dominicæ, quæ celebratur octauo Calendas Aprilis, ſentientibus quibuſdã eam congruentibus extra Quadrageſimã, more Hiſpanorum, nempe decimoquinto Calendas Ianuarii, celebrari poſſe; nihilominus antiqua conſuetudo præualuit, vt vigeſimaquinta die Martii perageretur. Docet hæc pluribus Glaber. Porro in Hiſpaniis etiam exoleuit vſus ille, quo ex præſcripto Decimi Toletani Concilii, Annuntiatio celebrabatur decimaoctaua Decembris.

II. *Qualis Robertus Fran. Rex in ſynodis.*

Quod vero pertinet ad Concilia Gallicana, his temporibus celebrata ſub Rege vere Chriſtianiſſimo Roberto: admiratione dignum eſt, quanta animi demiſſione conſueuerit idem Rex cum Epiſcopis intereſſe publicis hiſce Conuentibus: adeo vt (quod ſcribit Helgaldus in eius Vita) cum aliquando vidiſſet Lambertum Lingonienſem Epiſcopum, mole carnis grauatum, pedès ſuos dependere ab alto; pietate ductus, à longe quærens ſuppedaneum, repęrit vnum, quod manibus propriis ſub pedibus Epiſcopi poſuit. At qui humili obſequio eis inſeruire paratus erat, eoſdem tamen cum exigeret zelus Catholicæ fidei quo iugiter ęſtuabat, redarguere minime prętermiſit. Qua de re præclarum eſt exemplum, quod idem auctor refert; quo (vt ait) Leuthericum Senonenſem Archiepiſcopum, de Chriſto non bene ſentientem, & aduerſus nonnullos quos odio habebat probationem quærentem in corpore Domini; idem Rex grauiter redarguit, quod cum à dante communionem ſacerdote dici ſoleret, *Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit tibi ſalus animæ & corporis*, ipſe Leuthericus temerario & polluto ore diceret, *Si dignus es, accipe*; cum tamen ſit nullus qui habeatur dignus. Iſta Helgaldus:

Cultus Rob. Reg. erga S. Euchariſt.

galdus: qui addit, Leuthericum à pio Rege correptum quieuiſſe, & ſiluiſſe à dogmate peruerſo quod iam creſcere cœperat.

III. PRIMORDIA NEFANDÆ HÆRESIS.

Verum tamen haud ſerpens rumor ille eſt omnino repreſſus; ſed paulatim in dies creſcens, in manifeſtam tandem erupit hęreſim ſub patrocinio infeliciſſimi Berengarii, qui hoc tempore adoleſcens auditor extitit Fulberti Carnotenſis viri ſanctiſſimi atque doctiſſimi, à quo, ne diſputationis obtentu extra limites Catholicæ veritatis pedem auderet efferre, ſæpe Berengarius monitus fuit & redargutus; vt iſtud ei reuocauit in memoriam, ipſius ſub eodem doctore in Academia Carnotenſi condiſcipulus, Adelmannus Epiſcopus Brixienſis, cum poſtea aduerſus eum deſertam valde ſcripſit epiſtolam [b], qua eius confutauit errores, hortatuſque eſt ad reſipiſcentiam. Quod autem multum confert gloriæ Chriſtianiſſimi Regis Roberti, illud eſt quod ipſe primus omnium nefandam eiuſdem Berengarii hæreſim in Leutherico condemnauit. Porro ipſum Leuthericum, non tam ex ingenii acumine, quam ex vana præſumptione aliquando de Catholica fide male ſenſiſſe; ſatis intelligitur ex pluribus eiuſdem Fulberti ad ipſum reſcriptis literis, quibus ad eius conſultationes reſpondit.

b Extat to. 3. Bibl. SS. Patr.
ROBER. REX PRIMVS CONFVTAVIT HÆRESIM BERENG.

BASIL. & CONST. 30.

IESV CHRISTI AN. 1005.

IOANNIS XIX. AN. 2.

I. HENR. GERMAN. REX VENIT IN ITALIAM.
a Dum. l. 6.

ANno Chriſti milleſimo quinto, Indictione tertia, Henricus Germanię Rex aduerſus Harduicum, qui Longobardiam Regis titulo occuparat, in Italiam deſcendentes, Cluſas ope Carentanorum fuſis hoſtibus expugnauit; Papiamque victor accedens, communi electione ſublimatus (inquit) hæc narrans Ditmarus [a]) in ſolium regale collocatus eſt. Pergit autem dicere quomodo eadem die oborta contentione inter ciues & milites, illi aduerſus Regem rebellantes, palatium ſunt aggreſſi: ſed defenſo illo à domeſticis Regis, cum nec precibus Sancti Heriberti Colonienſis Archiepiſcopi qui aderat cũ Henrico, ciues coerceri poſſent; qui foris erant Regis milites expugnantes ciuitatem eam ipſo inuito cæde incendioq; vaſtarunt. Inde vero Rex Mediolanum amore S. Ambroſii (vt idem auctor ait) acceſſit; cum interea aduerſus tumultuantes in Germania hoſtes, ab Italia poſt celebratam Pentecoſten reuocatus, Deo propitio hoſtem debellauit Boleſlaum Poloniæ Ducem; atque egregia concione perſuaſus Godeſcalci inſignis Friſingenſis Epiſcopi, perduellem Henricum Marchionem, quem vinctum tenebat, liberum dimiſit.

II. b Id. ibid.
CONCIL. TREMON. PRO ECCL. REFORMAT.

Quo eodem anno [b] Nonis Iulii celebrata eſt in Germania magna SYNODVS TREMONIENSIS; in qua idem Rex Henricus inſtanter egit apud Epiſcopos pro Eccleſiæ reformatione. quod ab eiſdem pro viribus præſtitum eſt diligenter, ſtatutis communi conſenſu ſacris canonibus, quibus in priſtinum vſum reuocarentur ſanctiſſimæ Eccleſiaſticæ leges, & exularent qui irrepſiſſent in Clerum ac populum praui mores. His vero præclaris rebus geſtis, conciliauit ſibi Rex Deum propitium, aperuitque viam ad victoriam de hoſtibus conſequendam, & Romanum Imperium obtinendum.

BASIL. & CONST. 31.

IESV CHRISTI AN. 1006.

IOANNIS XIX. AN. 3.

I. CONCIL. FRANCOF.

ANno Chriſti milleſimo ſexto, Indictione quarta, celebrata eſt in Germania SYNODVS FRANCOFORDIENSIS; in qua inter alia, ad inſtantiam Henrici Regis, in dilectiſſima ipſius vrbe Bamberga erecta eſt cathedra Epiſcopalis. Deſcribit hæc pluribus Ditmarus [a] qui aderat: qui & illud de eodem Rege commendatione dignum refert, quod cum allocuturus eſſet Epiſcopos, humi ſe proſterneret, nec ſurgeret, niſi qui Synodo præeſſet Willegiſus Archiepiſcopus Moguntinus cum ſuis manibus eleuaret. Subiicit autem de ſua ipſius electione in Epiſcopum Merſeburgenſem; deque fame valida quæ tunc Germaniam affligebat. Porro de nouo Epiſcopatu Bambergæ erecto, Sigebertus agit anno milleſimo quarto, Hermannus milleſimo ſeptimo, Marianus Scotus hoc ipſo; quod & verius eſſe, quæ ſcribuntur à Ditmaro tunc præſente manifeſtant.

a Ibid.
TERRÆ PROSTER-
NI. VERECVNDIA. REX. HENR.

II. FAMES INGENS, ET PESTIS.

De fame quoque agit hoc eodem anno Sigebertus; quam vna cum peſte tam grauiter per totum orbem inualuiſſe tradit, vt ſepelientium tædio viui adhuc ſpiritum trahentes obruerentur cum mortuis. Quo etiam tempore accidiſſe videntur, quæ de S. Odilone Cluniacenſi Abbate Petrus Damiani in ipſius Vita [b] narrat, de immenſa eiuſdem largitate in erogandis eleemoſynis pauperibus acerbiſſima fame preſſis.

b ap. Sur. t. Ianuar.

BASILII & CONST. 32.

IESV CHRISTI AN. 1007.

IOANNIS XIX. AN. 4.

I.

ANno Chriſti milleſimo ſeptimo, Indictione quinta, anno ſeptimo antequam Henricus Rex Germaniæ Imperator vngeretur; (vt ſcribit auctor [a] Vitæ S. VVolfgangi Ratiſponenſis Epiſcopi) idem Rex de futuro Imperio prædictionem accepit ſubobſcuram; dum ei in ſomnis VVolfgangus iam defunctus iubens characteres in muro exaratos aſpicere, ipſe Henricus nihil aliud vidit, quam *Poſt ſex*. Itaque expergefactus, primum ſuſpicatus ſe poſt ſex dies moriturum, multa largitus eſt pauperibus: at ſex euolutis diebus, cum nihil in corpore ſentiret moleſtiæ, ad ſex menſes attinere arbitrabatur: his autem abſque periculo elapſis, ad ſex annos verborum ſignificationem retulit. Porro ſex annis iam expletis, ſeptimo anno à Pontifice Maximo Imperator vnctus eſt; atque tum demum animaduertit, quid ſibi ea verba vellent. Hæc ibi. Fuit autem Henrici tanta in res & perſonas ſacras deuotio, vt etiam cum hoc ipſo anno qui numeratur quintus ab obitu Ottonis Imperatoris, Ratiſponæ mortuus eſſet S. Romuoldus Abbas S. Emmeranni, eius feretro idem Rex ſuppoſuerit humerum ad portandum: quod tradit Arnolphus [b] Comes libro poſteriori miraculorum S. Emmeranni.

a ap. Sur. 31. Oct.
PRÆDICTIO DE FVTVRO HENR. IMPERIO.

b Ext. To. 2. Antiq. Lect. Canif.

II. FVLBERTVS CREATVS EPIS. CARNOT.

Eſt hic item annus quo in Galliis ſuper candelabrum extulit Deus lucernam ardentem atque lucentem, cum virum ſanctitate aque doctrina inſignem *Fulbertum*, ex monacho cœnobii Sancti Petri apud Carnotum, aſſumpſit in Epiſcopum eiuſdem ciuitatis. Licet autem Demochares id factum affirmet anno ſalutis milleſimo decimoſeptimo; tamen epiſtola eiuſdem Fulberti [c] quam ſcripſit ad Leuthericum Archiepiſcopum Senoneſem de inuentione ſacrarum Reliquiarum, iam proxime ipſum fuiſſe ab eo conſecratum Epiſcopum docet. Ceterum eas Reliquias inuentas eſſe apud Senones anno Chriſti milleſimo octauo, nempe ſequenti, Glaber [d] eius temporis auctor affirmat; inter quas fuiſſe ita ait virgæ Moiſi partem, & ad eius rei famam conueniſſe quoque Fideles, non ſolum ex Gallicanis prouinciis, verum etiam ex vniuerſa pene Italia ac de tranſmarinis regionibus: ſimulque ægrotantes non paucos Sanctorum interuentu rediiſſe incolumes.

c Fulb. ep. 1.
d Glab. lib. 3. ca. 6.

III. e Id. l. 4. c. 4.

Quod vero ad ipſum Fulbertum rurſus attinet; prædicat eum idem Glaber [e] virum ſapientiſſimum, Præſulem incomparabilem. Fuiſſe quidem vita ſanctiſſimum, atque prophetiæ ſpiritu imbutum, teſtatus eſt Gullelmus, ex quo Vincentius [f] Bellouacenſis deſcripſit. Quodque omnium ſui temporis doctorum prædicaretur doctiſſimus, ad illum confluere conſueuerunt omnes, qui cum de rebus dubiis interrogarent Epiſcopi, atque etiam ipſe Robertus Francorum Rex: ſicut redditæ ab eo ad diuerſos præclaræ epiſtolæ docent. Inter grandia vero mala quæ Dei Eccleſiam infeſtare repetit, illud plane moleſtius

f Vincent. 25 ſpecul. 11.

Vir ſan-

FVLBER. LABORAT NE LAICIS BENEFICIA ECCLES. DENTVR.

vir ſanctus accepit, quod paſſim ſibi laici occupaſſent Eccleſiaſtica beneficia. Ad quem extirpandum alta radice iam fixum prauum vſum, plurimum laboraſſe, oſtendunt ipſius ea de re ſcriptæ epiſtolæ; quibus inter alios Francorum [g] Pariſienſem Epiſcopum altaria (vt ait) laicis in beneficium dantem, & Fulconem [h] Comitem Andegauenſem rerum Eccleſiaſticarum inuaſorem, acriter reprehendit: aliumq; Comitem nomine Rudolphum, qui pariter res Eccleſiæ Carnotenſis inuaſerat, & vnum è clericis occiderat, excommunicauit; cumque audiuiſſet eum pro abſolutione Romam profectum, per litteras [i] Ioannem Papam ſuppliciter hortatus eſt, vt eumdem pro meritis argueret & caſtigaret. Sed quod ad Fulconem attinet, quē etiam vidimus ſuperius ab Archiepiſcopo Turonenſi ob idem crimen exagitatum; haud inutilis fuit Fulberti obiurgatio: ſiquidem ex Glabro [k] colligitur, ipſum poſt ſcelera pœnitentem, diem obiiſſe poſtquam ter Hieroſolymam peregrinatus eſſet: ſicque videas Fulberto muralem iure deberi coronam, qui hoc ſeculo primus reperitur ſuperaſſe muros Babylonicæ ciuitatis, cuius Principes tyrannica volentia occupaſſent iura Eccleſiaſtica.

g Fulb. ep. 11. 13. h Id. ep. 83. i Id. ep. 2. k Glab. li. 2. c. 4. & l. 4. c. 9.

BASILII CONST. 33.

IESV CHRISTI AN. 1008.

IOANNIS XIX. AN. 5.

I. S. BRVN. ET SOCIOR. MARTYRIVM.

ANno Chriſti milleſimo octauo, Indictione ſexta, decimoſexto Calendas Martii, S. *Bruno* Epiſcopus & *Apoſtolus Pruſſorum*, inſignis nobilitate & pietate vir, martyrium eſt conſecutus; cum Apoſtolicę Sedis permiſſu apud eos Euangelium prædicans, à nonnullis Infidelibus decollatus eſt vna cum ſuis decem & octo: quorum corpora inſepulta iacuerunt, quoad Dux Poloniæ Boleſlaus id cōperiens, eadem mercatus eſt, ac domui ſuæ futurum acquiſiuit ſolatium. Rem geſtam deſcripſit Ditmarus [a], eiuſdem Brunonis conſanguineus, & condiſcipulus: additque de patre Brunonis, Brunone itidem dicto, cum longe poſt martyrium filii infirmatum, pręcepto eiuſdem filii ſui monachicum ſuſcepiſſe habitum, & tandem in pace quieuiſſe. Ceterum Marianus Scotus, qui hoc ſæculo vixit, æque affirmat hoc anno Brunonem eſſe martyrio coronatum, paſſum nimirū abſciſſionem manuum ac pedum, poſtremo capite plexum. Sigebertus vero ponit anno ſequenti id contigiſſe: ſed Vrſpergenſis Mariano conſentit. Agitur autem de eodem in Romano Martyrologio decimaquinta Octobris; (puto, tempore quo facta eſt translatio) vbi & vocatur Epiſcopus Ruthenorum: vſurpatam enim vocem Pruſſiam pro Ruſſia, frequenter inuenimus.

a Ditm. l. 6

II. S. BONIF. APOST. RVSSIÆ MARTYRIVM.

Non longe ab hoc tempore, & fortitan eodem anno, contigiſſe apparet martyrium *S. Bonifacii* propinqui Ottonis Imperatoris, qui & ipſe Ruſſis Euangelium prædicauit, accepto, ſicut Bruno, Apoſtolatu à Romano Pontifice; cuius primordia ſuperius recenſuimus ex Petro Damiani. Cum vero poſtea ad Regē Ruſſorum veniens, prædicationi inſiſteret, propoſitaque ipſi à Rege probatione ignis, pōtificalibus ornamentis indutus per medias ingētis rogi flammas penitus illæſus tranſiiſſet; tum ipſum Regem, tum ingentem aliorum multitudinem tanti miraculi virtute ad fidem Chriſti conuerſum baptizauit: qua de cauſa à quodam Regis fratre paulo poſt interfectus eſt. Ad quod vlciſcendum ſcelus Rex accurrens, cū fratrem, alioſque adſtantes, rigidos & immobiles permanere reperiſſet, adeo vt nec loqui, nec audire, nec incedere valerent; idem cum aliis Chriſtianis ad preces conuerſus, priſtinum fratri aliiſque ſtatum impetrauit: vnde mox & ipſi baptiſmum ſuſceperunt, & ſuper corpus beatiſſimi martyris eccleſiam conſtruxerunt. Deſcribit hæc pluribus idem qui ſupra Petrus Damiani in Vita S. Romualdi [b]. Dies vero natalis Bonifacii celebratur à Romana Eccleſia decimo tertio Calendas Iulii.

b Vit. Romuald. ca. 29. 30.

III. S Ro-

Poſt hæc autem Romualdus, percepto nuntio de S. Bonifacii martyrio, æmulatus excellentiſſimum Dei donum, obtenta licentia à Romano Pontifice, cum duobus è ſuis diſcipulis in Archiepiſcopos conſecratis, & aliis viginti quatuor Fratribus eodem martyrii deſiderio ſuccenſis, in Hungariam properauit. Sed cum iam eius prouinciæ finibus intereſſet, repente languore correptus, vlterius ire non potuit: cumque diutius pateretur, ſiquando redire diſponeret, protinus ex ægritudine conualeſcebat: ſin autem ire vltra tentaret, tota eius facies confeſtim intumeſcebat, & cibos ſtomacho retinere non poterat. Itaque in Italiam reuerti coactus eſt, electione ſuis data vlterius progredi, vel ſecum reuerti: quorum cum ſeptem dūtaxat redire delegiſſent, ceterorum poſtea nonnulli flagellati ſunt, plures venditi, nullus tamen ad martyrium peruenit. Narrat hæc idem Petrus [c] Damiani: ex quibus ſatis videas, neque volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſſe Dei Martyrii donum.

MVALDVS MARTYRII CVPIDVS.

c Ibid. c. 45.

IV. d Dim. l. 6 ALIA ECCLESIÆ RVSSOR. PRIMORDIA.

Sed quod rurſum ad Eccleſiam Ruſſorum ſpectat; adhuc alia ipſius exordia ponens Ditmarus [d], ait Vludomirum Ruſſorum Regem, cum à Græcia duxiſſet vxorem Helenam nomine, Tertio Ottoni deſponſatam, ſed ei fraudulenta calliditate ſubtractam, Chriſtianam fidem eius hortatu ſuſcepiſſe; verum illam turpibus operibus decoraſſe, quod eſſet fornicator immenſus, atq; crudelis. Qui cum tres haberet filios, vnique eorum Boleſlai Poloniæ Ducis filiam in matrimonium duxiſſet; cum ea miſſum eſſe à Polonis Rembertum ſalſæ Cholbergienſis Antiſtitem, doctrina & ſanctitate conſpicuum: hunc vero curæ ſibi commiſſę egregię incumbentem, fana idolorum incendiſſe, & mare dæmonib. cultum, immiſſis quatuor lapidibus ſacro chriſmate perunctis, & aqua purgante in benedicta, nouam in populo nimis inſulſo ſanctæ prædicationis plantationem eduxiſſe: ſed poſtea à Rege aliis prætextibus carceri mancipatum, feliciter è carcere corporis ad libertatem perennis gloriæ tranſiſſe.

BASILII & CONST. 34.

IESV CHRISTI AN. 1009.

SERG. IV. AN. 1.

I. IOAN. PP. OBITVS.

ANno Chriſti milleſimo nono, Indictione ſeptima, *Ioannes* Papa defunctus eſt decimoquinto Calendas Auguſti: cuius tempore Conſtantinopolitanam Eccleſiam cum Romana fuiſſe Catholica communione coniunctam, & à Sergio Patriarcha ipſius Ioannis Papæ nomen in ſacra Diptycha relatum; teſtatur Petrus Antiochenus Epiſcopus in epiſtola ad Michaelem Cerularium Patriarcham Conſtantinopolitanum, ſcripta (vt ait) poſt quadraginta quinq; annos, nempe anno Chriſti milleſimo quinquageſimoquarto, vt ſuo loco dicetur. Quod idem conſtat etiam ex eiuſdem Pontificis Epitaphio recitato à Vegio ex collectis antiquis monumentis baſilicæ Vaticanæ. Qua vero de cauſa hæc concordia denuo ſciſſa ſit, dicetur ſuo loco in Ioanne Vigeſimo.

II. SERGIVS PP. IV.

Cum autem vacaſſet poſt Ioannis Deciminoni obitum Romana Sedes menſem vnum & dies tredecim, pridie Calendas Septembris in eius locum ſubrogatus eſt Epiſcopus Albanenſis, tunc Petrus nomine nuncupatus, ſed cui ob reuerentiam Apoſtolici culminis nomen mutare placuit, & SERGIVS dici eius nominis Quartum: vt ex eiuſdem ſepulchrali inſcriptione conſtat, quæ habetur in Lateranenſi baſilica. Factum vero ab eo, quod Buccaporci diceretur, fuit inter alios aſſertio Ditmari [a].

a Ditm. l. 6.

III. b Glab. l. 3. ca. 7. DEMOLITIO TEMPLI HIEROSOL. A TRAT. IVDÆIS.

Hoc eodem anno (vt Glaber [b] huius temporis hiſtoricus teſtatur) contigit ſacroſanctum Hieroſolymorum templum Sepulchri Dominici, per Babylonis Principem ſterni. Cum enim (vt ait) de toto terrarum orbe ob Domini memoriam plurima Fidelium multitudo Hieroſolymam viſitaturi pergerent, rurſus cœpit inuidus diabolus per aſſuetam ſibi Iudæorum gentem eiuſmodi Chriſtianorum deuotiones perturbare. Siquidem Iudæi apud Aurelianenſem Galliarum ciuitatem degentes, ceteris omni-

omnibus nequiores & audaciores, conſilio inito, fugitiuum quemdam ſeruum cœnobij S. Mariæ Meletenſis pecunia corruptum, ſub peregrini habitu clam miſerunt ad Principem Babylonis cum litteris Hebraicis characterib. ſcriptis, iiſdemque pictaciolis ferri baculo inſertis ne quo caſu poſſent ab eo diuelli; quibus ei ſignificarent, niſi celerius Eccleſiam Chriſtianorum ſubuerteret, breui Chriſtianos regno illum priuaturos. Itaque Princeps furore arreptus, mox Hieroſolymam miſit qui templum funditus ſubuerterunt; ſed ipſum concauum ſepulchri tumulum nullo conatu quaſſare valuerunt. Quare rurſum rabiem ſuam in Eccleſiam S. Georgii martyris conuertentes, eam pariter ſubuerterunt; eo quod eiuſdem martyris virtus gentem Saracenorum nimium terruiſſet, cum qui ex eis in illam ingredi tentarent, cæcitate punirentur.

Dira vindicta in Iudæos.

Ceterum cum paulo poſt manifeſtatum eſſet, Iudæorũ perfidia templum Domini ſubuerſum eſſe; communi omnium Chriſtianorum conſenſu decretum eſt, vt cuncti Iudæi per vniuerſum Orbem ab eorum terris vel ciuitatibus pellerentur: ſicque omnes vndique expulſi, magna ex parte diuerſis mortium generibus interempti ſunt, nonnullique ſibi ipſis in tanta calamitate necem intulerunt; ita vt vix pauci reſidui fierent in orbe Romano. Tunc quoque decretum eſt ab Epiſcopis, atque interdictum, vt nullus Chriſtianorum illis ſe in quocumque ſociaret negotio, niſi eis qui baptiſmum ſuſciperent, & omnem Iudaicam reſpuerent conſuetudinem: quod & plurimi metu mortis fecerunt, qui nihilominus poſtea ad vomitum redierunt. Ipſe vero literatum gerulus Aurelianum reuerſus, atq; detectus, à miniſtris Regis in conſpectu totius populi igni eſt traditus atque conſumptus.

Rurſum templum inſtauratur.

Quo eodem anno, diuina propitiante clemẽtia, mater Ammirati, ſiue Principis Babylonis, femina Chriſtianiſſima, nomine Maria, cuius & vir occulte Chriſtianus fuerat, cœpit maiori decore templum Hieroſolymis reædificare: & de vniuerſo terrarum orbe incredibilis hominum multitudo exultanter Hieroſolymam pergentes, domui Dei reſtaurandæ plurima detulerunt munera. Hæc omnia Glaber.

IV.

Meminerunt & Græci Curopalates atque Cedrenus, ſub octaua Indictione, de eiuſmodi templi euerſione; dũ aiunt Ægypti Principem Azizium, ob leuem cauſam fœdere quod ei erat cum Romanis rupto, & templum euertiſſe, & religioſa perdidiſſe monaſteria, & qui in iis piæ vitæ exercitationibus erant dediti, eos per omnem terram extorres egiſſe. At Gulielmus Tyrius agens de bello ſacro, recenſet deſtructionem templi, & Chriſtianis in Oriente illatam ab Homar Principe Saracenorum perſecutionem anno Salutis milleſimo decimooctauo, poſtq; annos triginta ſeptem factam eiuſdem templi reædificationem à Chriſtianis ſub Conſtantino Monomacho Imperatore: ſediſſe autem tunc Hieroſolymis Oreſtem Epiſcopum. Sed antiquioribus, ſuorum præſertim temporum Scriptoribus, tutior ineſt fides.

IESV CHRISTI AN. 1010.

Baſil. & Conſt. 35.

SERG. IV. AN. 2.

I. Prodigium olei ſcaturientis in Eccl. Ditm. l. 7.

ANno Chriſti milleſimo decimo, Indictione octaua, Romæ magno prodigio in vna Eccleſiarum, in dextera parte altaris, ab vno pauimenti foramine per integrum diem oleum ſcaturiit; ex quo vas impletum miſſum eſt ad Henricum Germaniæ Regem. Rem geſtam deſcribit ſæpe nominatus Ditmarus [a] Epiſcopus, ſinceriſſimus huius temporis auctor, & quid illud portendere exiſtimauerit, aperit.

II. Marian. l. 8 rer. Hiſp. hoc an. Epiſcopi armati pugnant pro Arabibus.

Quod ad res Hiſpanicarum Eccleſiarum pertinet; cum in eas quoque ille prauus vſus illapſus eſſet [b], vt Epiſcopi armati certarent in acie, & quod nefas eſt amplius, pro Arabibus contra Arabes, ita ſecum bello ciuili pugnantibus Cordubæ Principibus Zeluma & Almahadio: accidit Deo vindice vt qui ſtabant pro Zeluma Epiſcopi, in prælio hoc anno geſto occiſi fuerint; victorque exiſtens Almahadius, Cordubæ hoc item anno regnare cœperit. Erat autem id temporis in Hiſpania regnum Arabum in Toparchias plures conſciſſum; adeo vt ſi Chriſtiani Princeps vnanimes in eos conſpiraſſent, paruo negotio eoſdem delere potuiſſent: ſed mutuæ eorum diſſenſiones hoſtes roborarunt. Tradunt hæc omnes qui res Hiſpaniarum ſunt proſecuti.

III. De Thereſia ſancta Regi Arabum.

Quibus etiam auctoribus conſtat, quod quamuis eo inſuper deteſtando amicitiæ vſu Chriſtiani Saracenis cõiuncti eſſent, vt & fœdera nuptiarum inirent; nihilominus cum Toleti Princeps Hebdalla, filius eiuſdem Almahadii, in vxorem accepiſſet ab Adelfonſo Legionis Rege, ipſius ſororem nomine Thereſiam virginem maxime piam; hæc non alia conditione duci conſenſerit niſi coniux Chriſtianus efficeretur: cumq; deluſa diuinam viro comminata eſſet vltionem, ſiquid præter fas in inuitam tentare præſumeret, ipſeq; nihilominus ei vim intuliſſet; mox idem offenſi numinis expertus vindictam, affectus morbo grauiſſimo ipſam Thereſiam cum amplis munerib. ad fratrem Regem ſponte remiſerit; ea vero veſte mutata monaſticam vitam profeſſa, in Eccleſia S. Pelagij Oueti reliquum vitæ tempus ſumma cum laude tranſegerit, ac tandem ſancto fine quieuerit.

IESV CHRISTI AN. 1011.

Baſilii & Conſt. 36.

SERG. IV. AN. 3.

I. Concil. Bamberg. in Encæn.

ANno Chriſti milleſimo vndecimo, Indictione nona, ab Hẽrico Rege ad dedicationem Eccleſiæ Bambergenſis à ſe conſtructæ, conuocatus eſt cœtus pluſquam triginta Epiſcoporum; inter quos aſtitit Ioannes Patriarcha Aquileienſis, qui & ſacra obiit. Cuius occaſione conuentus, fuit ab iiſdem tunc SYNODVS celebrata; in qua ſedatæ ſunt controuerſiæ quædam inter nonnullos Epiſcopos, aliaque multa conſilio prudenti finita: vt tradit Ditmarus [a] Epiſcopus Merſeburgenſis qui adfuit. Addit etiam, hoc anno Tagmonem Archiepiſcopum Magdeburgenſem, magni VVolfgangi Ratiſponenſis Epiſcopi olim chariſſimum diſcipulum, cuius & morientis ſpiritum [b] per ipſius inſufflationem ſuſceperat, & paulo poſt Magdeburgenſis Eccleſiæ Antiſtes ſecundum præcedentem prophetiam Apoſtolico more electus fuerat, præſtanti vita & ſanctitate virum, quinto Idus Iunij ex hac vita ad Chriſtum migraſſe.

a Ditm. l. 6.

b Vid. eum l. 5. prope fi.

II. Sacrilegus deuoratus à murib.

Sed & inter alia, quæ hoc anno eueniſſe idem auctor tradit præſens ipſe cum pluribus, hæc admiranda de quodam ſacrilego milite ſubiicit; quod cum bona S. Clementis vi ſuſtuliſſet, & inde tectum facere voluiſſet, quadam die à muribus ineffabilibus intra cubiculum impugnatus fuerit. Qui primo fuſte arrepto eos prohibere tentans, poſteaque euaginato eos aggreſſus gladio, & ſic nihil proficiens, arca quadam (vt ipſe rogauit) includitur, ac in medium fune ſuſpenditur: & cum exterius hæc plaga ceſſaret, ab aliis vſque ad mortem corroſus inuenitur. Tunc cunctis præſentibus, & poſtea venientibus manifeſtum fit, quod hunc ira Domini, vindex prædicti facinoris, ſola conſumpſit. Hæc totidem verbis Ditmarus.

III. Anglic. Eccl. laborat perſecutione Danor.

Adſunt vero iam tempora illa infeſtiſſima Eccleſiæ Anglicanæ, quæ prædicta vidimus à S. Dunſtano. Etenim hoc ipſo Chriſti anno Dani, cum anno ſuperiori inuaſiſſent Angliam, proditione Archidiaconi Cantuariam ingreſſi, alios ferro iugularunt, alios flammis conſumpſerunt, plures de muris præcipites dederunt, nonnullos per verenda ſuſpenderunt; matronas crinibus per plateas diſtraxerunt, ac demum flammis iniecerunt: paruulos à matrum vberibus auulſos, aut lanceis exceperunt, aut ſuperactis carris minutatim contriuerunt; vrbem, Eccleſias, monaſteria incenderunt; eoſque demum qui primum furorem euaſiſſent, Præſules: clericos, monachos, ciues omnes, mulieres & infantes, ita decimarunt, vt nouem trucidatis decimus vitæ reſeruaretur. Ipſe vero Archiepiſcopus, *Elphegus* nomine, vir ſanctiſſimus, poſt ſeptem men-

Inſignis martyrium S. Elphegi archiep. Cantuar.

ſium luctuoſiſſimum carcerem, cum nec aliquid pro ſua redemptione dare voluiſſet, nec permittere vt alii darent, ab iiſdem Danis, lapidibus, oſſibus bouinis capitibus obrutus, denique à quodam quem pridie confirmarat, impia moto pietate, ſecuri percuſſus in capite, glorioſum martyrium conſummauit decimotertio Calendas Maii anni ſequentis. Hæc Rogerius, fideliſſimus antiquorum hiſtoricorum, in priori Annalium parte. Quæ vero ad S. Elphegum pertinent, & Danorum in ipſum ingratitudinem, cum ab iis necatus eſt, quos paulo ante torminibus viſcerum laborantes, dato eis pane à ſe benedicto ſanauerat; itemque ad alia miracula ab ipſo in vita & poſt mortem edita; necnon diram vltionem diuinam in ipſius interemptores; ac demum ingens eorumdem Danorum naufragium: hæc omnia pluribus deſcribit Oſbertus monachus Cantuarienſis in vita [c] eiuſdem Sancti.

c Ap. Sur. 19. April.

IV. Dani in Anglia vna die caeſi omnes.

Agit pariter de his Matthæus Weſtmonaſterienſis: vltionem vero de Danis ita ſequenti anno ſumptam eſſe ait, vt cum iidem iam poſt fœdus cum Anglis initum, adeo ſuperbirent vt vxores virorum nobilium & filias vi opprimerent, & vbique ludibrio traderent; Rex Angliæ Ethelredus, conſilio Hunæ ipſius militiæ principis, viri ſtrenui & bellicoſi, ſecreto litteras ad omnes regni fines ſcripſerit, vt ſub vna die, in feſto ſcilicet S. Bricii Epiſcopi, omnes Dani per vniuerſam Angliam conſtituti furtiuo impetu morti traderentur, & ſimul ac ſemel de oppreſſione Danica omne genus liberaretur Anglorum: quod & vbique factum eſſe ait, ipſis etiam qui ad Eccleſias confugiſſent ad ipſa altaria peremptis. Subiicit vero de aliis, qui fugientes ad naues, & in Daniam redeuntes, prouocarunt alios qui in Angliam venerunt ſub Suano tyranno.

V. Terræmotus ingens Conſtantinopoli.

Quod ad res pertinet Orientales, hoc eodem anno Indictione nona menſe Ianuario (inquit Curopalates) Conſtantinopoli fuit maxime horribilis terræmotus & concuſſa eſt terra vſque diem nonam menſis Martii; qua circiter decimam diei horam fuit concuſſio adeo horribilis & in vrbe & in agris, vt ceciderint ſphæræ quorumdam templorum. Addit vero, hæc ſignificaſſe mox in Italia futuram ſeditionem. Siquidem (inquit) Princeps quidam Bari, nomine Meles, concitato in Longobardia exercitu, aduerſus Romanos arma ſumpſit. Porro hic eſt ille, quem Leo [d] Oſtienſis pariter Melum appellat; cuius rebellionem aduerſus Græcos, & progreſſus eius cum auxiliaribus Northmannorum copiis narrat; aſſeritque ea occaſione eoſdem Northmannos ſibi Apuliam vindicaſſe. De reliquis autem rebus geſtis Græcorum Imperatorum contra Bulgaros, & alios barbaros, conſulat eumdem Curopalatem, vel Cedrenum, qui hæc cupit.

d Leo Oſt. l. 2. c. 38. 40. 42.

IESV CHRISTI AN. 1012.

Baſilii & Conſt. 37.

BENED. VIII. AN. 1.

I. Sergii pp. obitus, et ſubrogatio Bened. VIII.

ANNO Chriſti milleſimo duodecimo, Indictione decima, die decimatertia menſis Maii *Sergius* Papa diem obiit, & BENEDICTVS Epiſcopus Portuenſis in locum eius ſubrogatus eſt; vt quidem volunt Marianus Scotus, Hermanus, & Sigebertus. Verum ex tempore quorumdam diplomatum eorumdem Sergii & Benedicti, quæ extant [a] inter vetera monumẽta Bibliothecæ Vaticanæ, apertiſſime conſtat illius obitum & huius ſubrogationem in ſequẽtem potius annum referri debere: quibus videtur concordare ipſius Sergii ſepulchri inſcriptio, quæ habetur Romæ in Lateranenſi baſilica, vbi dicitur obiiſſe anno Dominicæ Incarnationis milleſimo decimotertio. Attamen quod in eadem inſcriptione ſediſſe tantum dicatur annos duos, menſes octo & dies tredecim; hic cum ceteris ponimus eius egreſſum, & Benedicti huius nominis Octaui ingreſſum; ſed abſque aliquo præiudicio veritatis. Fuit autem Schiſma in Eccleſia Romana in Benedicti creatione eum aduerſus eum contra ſacros canones creatus eſt *Gregorius* qui pollens potẽtia Romanorum ipſum ab Vrbe expulit. Eumdem vero ad Henricum Germaniæ Regem in Saxoniam confugiſſe, tradit Ditmarus [b] tunc apud Regem præſens. Quomodo autem ad ipſum reſtituendum Henricus Romam ſe contulerit, dicetur anno ſequenti.

a Regiſt. Bar. To. XI. hoc an.

Schiſma inter Bened. et Gregor.

b Dit. l. 6.

II. Eccl. Slavor. deficit à fide.

Hoc eodem anno, qui & decimus numeratur regni Henrici, defuncto Benone Saxoniæ Duce religioſiſſimo, contigit Eccleſiam Saxoniæ fluctibus agitari, cum Bernardus ipſius filius contra Henricum rebellare auſus, VVinulorum quoque & Slauorum gentem à Chriſtiana fide ad Paganiſmum, quam longe antea deſeruerant, redire coegit: per quos magna tunc facta eſt Clericorum, aliorumque Fidelium ſtrages. Habent hæc pluribus eius temporis auctores. Helmoldus [c] ſcriptor rerum Slauorum, & Adam [d] inſignis Chronographus Bremenſis Eccleſiæ Canonicus; qui & in iiſdem Slauis reducendis, ipſoque Bernardo in obediẽtiam Henrici reſtituendo, Vnuanum Archiepiſcopum Hamburgenſem illarum omnium regionum Borealium Metropolitanum, inſignem plane virum, feliciter laboraſſe teſtatur: quem & prudẽtiæ laudat; quod immenſum theſaurum Eccleſiæ ſuæ, diu ſollicite collectum, quaſi minus neceſſarium ſi intra parietes clauderetur, ipſe non ſolum in pauperes erogarit, ſed etiam in ferociſſimos Reges Aquilonis expenderit, vt hilaritate ſuorum munerum ad omnia quæ vellet benignos obedienteſque haberet.

c Chron. Slavor. l. 1. c. 16. d Adam. l. 2. c. 38. & ſeqq.

III. e Ext. ap. Sur. 10. April. S. Macarii Patriar. Antioch. obitus.

Hoc item anno, quarto Idus Aprilis, mortuus eſt *S. Macarius* Patriarcha Antiochenus, cuius res [e] geſtas eiuſdem ſæculi auctor cõſcripſit paulo poſt eius obitum. Fuit is genere Armenus, educatus à ſeniori Macario eiuſdem ſedis Antiſtite, cui electione totius Cleri & populi in ſede ſucceſſit: qui poſt multa in cura paſtorali egregie præſtita, atque miracula edita, peregrinaturus Hieroſolymam abdicans ſe, *Eleutherio* viro probitate inſigni reliquit Eccleſiam. Veniens autem ipſe Hieroſolymam cum eius Eccleſiæ Ioannes Patriarcha eſſet, ibi multa paſſus legitur ab Infidelibus; à quibus detruſus in carcerem, ſed diuinitus liberatus, ex iis nonnullos ad fidem conuertit. Inde vero fama celebris, ignotus latere cupiens, migrans in Occidentem, Borealeſq; luſtrans Eccleſias, redditus iam virtute miraculorum vbique conſpicuus, ſubſtitit in monaſterio S. Bauonis in Flandria quam Comes Balduinus adminiſtrabat, ibique in hunc vſque annum perſeuerans, in editione ſignorum & operatione virtutum ſancto fine in pace quieuit.

IV. Concil. Legion.

Eodem anno, nempe Era milleſima quinquageſima, octauo Calendas Auguſti, ſub Adelfonſo Quinto Rege Legionenſi, celebratum eſt in ea ciuitate CONCILIVM omnium Epiſcoporum, Abbatum, & Optimatum Regni Hiſpaniæ, cui etiam Rex interfuit cum vxore Geloira: in quo multa [f] ſtatuta ſunt, tum ad res & iura Eccleſiarum conſeruanda, tum ad ciuilem gubernationem pertinentia. Meminit eiuſdem Concilii Rodericus [g] Toletanus additque Adelfonſum reædificaſſe Legionem, quam Almanzor & Habdelmalich filius eius deſtruxerant; & Leges Gothicas reparaſſe, atque alias addidiſſe.

f Rec. Bar. Annal. To. XI. hoc an. g Roder. l. 5. cap. 19.

V. S. Colomanni martyrium.

Hoc eodem anno S. *Colomannus* ex progenie Regum Scotiæ ortus, poſtquam iterum atque iterum peregrinatus eſſet Hieroſolymam pietatis ergo vbi in Auſtriam [h] perueniſſet, ab impiis in arbore ſuſpenſus occiſus eſt; cultuſque vt martyr, quamplurimis miraculis illuſtratus. Sed de eo Ditmarus [i] in fine anni poſt milleſimum decimum ſeptimum: vbi & habet, ipſam arborem diu aridam, in qua ſuſpenſus fuerat, floruiſſe, eumque Chriſti martyrem eſſe monſtraſſe.

h Cuſpin. in Auſtr. i Ditm. l. 7.

IESV CHRISTI AN. 1013.

Baſilii & Conſt. 38.

BENED. VIII. AN. 2.

I. Henr. Rex Germ. Romam venit.

ANNVS Chriſti milleſimus decimuſtertius cœptus eſt Indictione vndecima: quo Henricus Germaniæ Rex in Italiam deſcendens, Romam cum exercitu venit circa finem eius: nam ad vndecimum Calendas Octobris ex

Digitized by Google

a Ditm. l. 6.

Germania ſuperiori receſſiſſe venturum in Vrbem; teſtatur qui tunc aderat Ditmarus [a]. Cum autem præter alios idem Rex infeſtiores ſemper paſſus eſſet Principes, Ducem Poloniæ Boleſlaum, & Harduicum in Italia Regem Longobardorum, aduerſus ipſum Henricum fœdere iũctos; adeo vt cum ſæpius Romam cogitans ſe ad iter accinxiſſet, per Boleſlaum infeſtantem ipſius Regnum, coactus fuiſſet à cœpto deſiſtere, & in Germaniam redire: hac pariter expeditione idem Boleſlaus ſpeculatores miſit, qui quoſcumque poſſent ab Henrici amicitia diuellerent: cum & antea Benedicto Papæ per Legatos queſtus eſſet, quod non liceret ſibi propter latentes Regis inſidias promiſſum Principi Apoſtolorum Petro perſoluere cenſum. Harduicus autem alias expertus Henrici vires, non auſus eſt ei obſiſtere; ſed magis ipſe ſibi timens, in caſtelli munitionem ſe recepit, & Legatos ad eum miſit, qui Comitatum quemdam ſibi dari peterent, & Regnum Longobardorum ei redditurum promitterent; cui tamen Rex tunc acquieſcere recuſauit. Narrat hæc omnia idem qui ſupra Ditmarus. Quod autem audiſti, ſe Boleſlaum excuſaſſe quod non miſiſſet cenſum promiſſum Apoſtolicæ Sedi: erat cenſus iſte ab exordio (vt apparet) conuerſionis Polonorum gentis, pietatis ergo perſolui promiſſus annis ſingulis Principi Apoſtolorum (ſicut de multis aliis acciđiſſe vidimus, videbimuſque) & eius loco ipſius ſucceſſori Romano Pontifici.

DVX POLON. CONSVETVS SOLVERE CENSVM ROM. ECCL.

II.

b Glab. lib. 1. in fi.

DECRETVM DE IMP. ELECTIONE.

Ceterum cum Henrici Romam aduentus hanc præcipuam cauſam eſſe conſtet, vt Benedictum Pontificem in ſuam ſedem reſtitueret, à quo eſſet ad Imperium promouendus: ex his tamen quæ Glaber [b] & ipſe huius temporis ſcriptor narrat, haud Henricum ſecum duxiſſe Benedictum, ſed præmiſiſſe poſſumus intelligere, cum ait, venienti Henrico in Vrbem Benedictum obuiam proceſſiſſe: immo & huiuſmodi tradit præceſſiſſe decretum, *Vt ne quiſquam audacter Imperii Romani ſceptrum praproperus geſtare Princeps appeteret ſeu Imperator dici, aut eſſe valeret, niſi quem Papa Sedis Romanæ morum probitate delegiſſet aptum Reipublicæ, eique commiſiſſet inſigne imperiale.* Additque, eumdem Benedictum inſigne præcepiſſe fabricari aureum pomum rotundum, atque circumdari per quadrum pretioſiſſimis gemmis, ac deſuper auream Crucem inſeri: vt dum illud reſpiceret Princeps, foret ei documentum, non aliter debere imperare in mundo, quam ſi egregiis virtutibus exornatus eſſet, & dignus haberetur viuificæ Crucis protegi vexillo. Subdit demum, cum Benedictus Henrico cum maxima virorum & ſacrorum ordinum multitudine obuiam proceſſiſſet ex more, eique eiuſmodi inſigne Imperii tradidiſſet; Henricum conteſtatum nullis melius illud donum congruere, quam qui pompis mũdi calcatis Crucem expeditius ſequerentur Saluatoris, protinus illud ad Cluniacenſe monaſterium in Galliam miſiſſe, quod tunc temporis habebatur omnium religioſiſſimum; cui & plurima iam alia dona contulerat. Hęc Glaber apud quem tamen error fœdiſſimus irrepſit, dum ea geſta ponuntur anno Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo decimo: quod quantum à recta Chronologia abhorreat, nemo nõ videt. Sed quod ad cultum ab Henrico exhibitum monaſterio Cluniacenſi, ad quod ſæpe pietatis ergo peregrinatus eſt; teſtatur etiam Petrus Damiani in Vita [c] Odilonis illius Abbatis, huius temporis fulgentis in Eccleſia ſideris, eumdem Regem adeo ipſum coluiſſe, omnique officio proſecutum eſſe, vt & coronam ſuam illi dono miſerit; quam ipſe famis tempore pro alendis pauperibus, vna cum aliis Eccleſiæ ornamentis diſtraxit. De coronatione vero Henrici dicetur anno ſequenti, quo eam contigiſſe omnes conſentiunt.

GLOBVS AVREVS CVM CRVCE, INSIGNE IMPERII.

c Ap. Sur. 1. Ianuar.

IESV CHRISTI AN. 1014.

HENRICI BAS. & CONST. 39.

BENED. VIII. AN. 3.

I.

ANno Chriſti milleſimo decimoquarto, Indictione duodecima, ſexto Calendas Martii HENRICVS piiſſimus Rex Germaniæ Romæ coronatus eſt Imperator à Benedicto Romano Pontifice: ſimulque eius coniux mulier ſanctiſſima Chunegundis, corona inſignita Auguſtæ nomine decorata. Hæc abſque controuerſia Scriptores omnes eius temporis. Quæ quidem hoc ipſo pariter Benedicti Papæ anno ſecundo nondum abſoluto contigiſſe, aperte declaratur ex veteri inſtrumento [a] monaſterii Sancti Gregorii ad Cliuum Scauri, quod conſcriptum ponitur Pontificatus Benedicti Papæ Octaui anno octauo, Henrici Imperatoris anno ſexto, Indictione tertia, menſe Nouembri, nempe anno Domini milleſimo decimonono: quibus videas noſtram Chronologiam in omnibus temporum veritati concordare. Porro hunc Henricum plerique Secundum eius nominis Imperatorem appellant; reſpectu videlicet Henrici alterius, qui anno Domini nongenteſimo decimonono ſucceſſit Conrado Germaniæ Regi, de quo dictum eſt ſuo loco. Sed illum præ humilitate dici noluiſſe Imperatorem VVitichindus [b], Crantzius [c], & alii tradunt: Cum & alioqui nemo his temporibus vocaretur Imperator niſi quem Romanus Pontifex coronaſſet: vt apertiſſime conſtat [d] ex Scriptoribus qui tunc vixerunt, & diplomatibus Pontificum, & Imperatorum, Regumque Germaniæ, de quibus ſæpe dictum eſt ſuperius. Ex quibus omnibus apparet, Henricum hunc de quo agimus, Primum eius nominis fuiſſe Imperatorem.

HENR. A BENED. PP. CORONATVR IMP.

a Rec. Baro. Annal. To. XI. an. 1019.

b VVitik. Annal. Sax. li. 1.

c Crantz. Metro. Sax. lib. 3. c. 1. & Sax. l. 3. c. 14.

d Vide de his Panuin. li. de Comit. Imp.

II.

e Ditm. l. 7. init.

DE CORONAT. HENRICI RELATIO DITMARI.

Ipſam vero eius coronationem Romæ factam, Ditmarus [e] ab eis qui interfuiſſent acceptam narrans: Decurſis, inquit, à Dominica Incarnatione poſt millenarii plenitudinem numeri annis tredecim, & in ſubſequentis anni menſe ſecundo ac hebdomada tertia, anno autem regni eius decimotertio, & die Dominica ac ſexto Calendas Martii, Henricus Dei gratia Rex inclytus à Senatoribus duodecim vallatus, quorum ſex raſi barba, alii prolixa myſtice incedebant cum baculis, cum dilecta coniuge Chunegũde ad Eccleſiam Sancti Petri, Papa expectante, venit. Et antequam introduceretur, ab eodem interrogatus ſi fidelis vellet Romanæ patronus eſſe & defenſor Eccleſiæ, ſibi autem ſuiſque ſucceſſoribus per omnia fidelis; deuota profeſſione reſpondit. Et tunc ab eodem inunctionem, & coronam, cum coniuge ſua ſuſcepit. Priorem autem coronam ſuper altare Principis Apoſtolorum ſuſpendi præcepit: eodemque die Papa eis cœnam ad Lateranum fecit copioſam. Hæc Ditmarus: qui addit, octauo poſt die inter Romanos Germanos magnum ortum eſſe diſſidium in ponte Tiberino, & vtrinque multos corruiſſe, tribus Germanis ſeditionis auctoribus exiſtentibus: poſt hæc vero Imperatorem, fratrem ſuum Arnulphum, quem Rauennati præfecerat Eccleſiæ, denuo inthronizatum à Romanó Pontifice, ibidem conſecrari curaſſe, eiecto Etheberto eiuſdem Eccleſiæ inuaſore: ac Roma recedentem, diem Paſchatis Papiæ celebraſſe; dehinc ſedatis cunctis tumultibus, in Germaniam reuerſum eſſe.

III.

SYMBOLVM CANTARI ROMÆ COEPTVM.

Sed quod ad reliquas res Henrici Imperatoris dum Romæ ſtetit; Berno Augienſis Abbas libro de rebus ad Miſſam ſpectantibus tradit, cum Romani presbyteri ab eo interrogarentur, cur poſt Euangelium (vt in aliis Eccleſiis fiebat) Symbolum non canerent, eos cauſam illam reddidiſſe, quod Romana Eccleſia non fuiſſet aliquando vlla hæreſeos fæce infecta, ſed ſecundum Sancti Petri doctrinam in ſoliditate Catholicæ fidei permaneret inconcuſſa: & ideo magis neceſſarium eſſe illud Symbolum ſæpius cantando frequentare, qui aliquando vlla hæreſi potuerunt maculari. Hæc iiſdem verbis Berno, qui ſe tunc eiuſmodi Imperatoris ac presbyterorum Romanorum collocutioni interfuiſſe teſtatur: additque, nihilominus Imperatorem Benedicto Papæ perſuaſiſſe, vt ad publicam Miſſam Symbolum decantarent. Quam quidem ſuſceptam conſuetudinem haud improbamus; ſed nobis gratius ſi venerandæ antiquitati annorum mille magis delatum fuiſſet, quam nouitati.

IV.

HENRIC.

Quod autẽ conſueuerint Imperatores ſtatim à Coronatione, Ro. Eccleſiæ vetera priuilegia confirmare, vel noua concedere; ad principium Imperii Henrici referemus, ne-

IMP. CONFIRMAT. DONAT. ET PRIVIL. ROM. ECCLESIÆ. f Ext. Bar. Annal. To. XI. hoc an. QVOD TO contra illud protulit Goldaſtus Caluiniſta, luculenter repulit Gretſerus Iuſtinia cap. 22. Apol. Baron. de quo dictum eſt ad an. 774. num. 1.

mus (neque enim quo potiſſimum anno factum fuerit, liquido conſtat) illud ipſius diploma [f], quo patrimonia ac priuilegia Romanæ Eccleſiæ ab anteceſſoribus piis Regibus Galliarum, atque Imperatoribus, nempe Pipino, Carolo Magno, Ludouico Pio, & Ottonibus, quōdam collata, Benedicto Papæ gratitudinis ergo, & pietatis in Principem Apoſtolorum amore, ſingillatim omnia recenſendo confirmauit; ac liberam pariter Romani Pontificis electionem, Clero populoque Romano reliquit; aliaque plurima dona, iuraque eidem conceſſit: quod quidem tam ſua, quam omnium Epiſcoporum, Abbatum, Ducum ac Comitum, qui cum ipſo erant, ſubſcriptione, atque Imperatorii ſigilli impreſſione roborari voluit: reſeruatis tamen ſibi iuribus, ab Eugenio & Leone Pontificibus, aliis Imperatoribus conceſſis, de quibus dictum eſt ſuis locis.

V. SACRVM LINTEVM DOMINI IGNE PROBATVM.

Inter alia quoque quæ diuerſis Eccleſiis conceſſiſſe reperitur, aſſerit Leo Oſtienſis ipſum poſt ſuam coronationem cōfirmaſſe priuilegia ac patrimonia monaſterii Caſſinenſis. Subiicitque, iiſdem diebus quoſdam monachos Hieroſolymis venientes, particulam Lintei cum quo pedes diſcipulorum Saluator extexerat, ſecum detuliſſe, eidemque monaſterio obtuliſſe: cumque plurimi fidem derogarent, illam particulam probationis cauſa ardentibus impoſitam prunis, mox in colorem ignis verſam eſſe, amotis vero carbonibus ad priſtinam ſpeciem rediiſſe: & in pretioſiſſimo ſcrinio collocatam, magnæ poſtea venerationi omnibus extitiſſe.

VI. Hoc eodem anno Svvanus vel Svvenus Rex Danorum; cum anno ſuperiori ingenti claſſe inuaſiſſet Angliā, & immenſis eam malis afflixit; inſuperque ciuitati in qua S. Eadmundi Regis ac martyris corpus quieſceret, quæ eiuſdem Sancti Eccleſiæ data fuerat, grande tributum impoſuiſſet, ac niſi ſolueretur minatus eſſet incendium vrbis, & Eccleſiæ euerſionem; ac deniq; ipſi Sancto Martyri detrahere, non ceſſaret: idem inquā, Svvanus hæc iactans, cum aliquando magna Danorum multitudine vallatus eſſet, ipſum S. Eadmundum armatum ex aduerſo venientem ſolus vidit: ad cuius conſpectum tremens, & militum auxilium magno clamore implorans acriter à Sancto confoſſus cuſpide, & de equo deiectus, paulo poſt magno cruciatus tormento miſerabiliter vitam finiuit. Narrat iſta Rogerius in priori Annalium parte: eademque VVeſtmonaſterienſis hoc anno ex libello miraculorum eiuſdem Sancti.

S. EADMVNDVS VLTOR IN TYRANNVM INSVRGIT.

HENRICI 2. BAS. & CONST. 40.

IESV CHRISTI AN. 1015.

BENED. VIII. AN. 4.

I. a Ditm. l. 7. ERNESTI DVCIS EVANGELICA PECCATORVM CONFESSIO.

ANno Chriſti milleſimo decimoquinto, Indictione decimatertia, poſtquam nonnulla de pietate Henrici Imperatoris Ditmarus [a] recenſuit, ſubiicit obitum Erneſti Alemanniæ Ducis: qui caſu in venatione ſagitta vulneratus memoratu dignum contriti cordis ſpecimen exhibuit; dum mortē ſibi imminere perſpiciens, cum presbyterum non haberet cui ſua ſecreto confiteretur peccata, eadem cunctis cum comitantibus publice propalauit, & mox ex hac vita migrauit. Porro eiuſmodi publicæ confeſſionis erubeſcentiam ſponte pati hominem velle ob delictorum ſuorum pœnitentiam, gratum eſſe Deo ſacrificium, per quod ipſe perpetrata delicta dimittat, in commentario illo qui inſcribitur *Vitæ Patrum*, & alibi ſunt exempla; cum tamen ne id fieri debeat, & decreto S. Leonis [b] fuerit vetitum.

b Leo ep. 80. ad Epiſc. Camp. c. 2.

HENRICI 3. BAS. & CONST. 41.

IESV CHRISTI AN. 1016.

BENED. VIII. AN. 5.

I. BENED. EP. DEBELLAT SARACENOS.

ANno Chriſti milleſimo decimoſexto, Indictione decimaquarta, Saracenos Eccleſiæ littora inuadentes Benedictus Papa comparata valida claſſe ad internecionem deleuit, ipſorum Rege fuga lapſo, Regina vero capta & capite truncata. Rex autem morte coniugis & ſociorum admodum turbatus, Summo Pontifici ſaccum caſtaneis plenum miſit, tot ſe in proxima æſtate milites eſſe ducturum minitans; Pontifex vero marſupium eidem milio plenum remittens, tot ipſum loricatos, vel plures in Italia inuenturū intimauit. Sed hæc pluribus Ditmarus [a].

a Ditm. l. 7.

II. CANVTVS REX DANOR. REGNAT IN ANGLIA.

Hic pariter eſt annus, quo Ethelredo Anglorum Rege defuncto, mala innumera experto quæ ei obuentura prædixerat S. Dunſtanus ob necem illatam fratri; communi Anglorum conſilio externus Rex electus eſt Canutus, ſiue Knutus Danus, Chriſtianus, & valde pius; qui poſt Svvanum patrem inſulam illam armis occupatam poſſederat, iam debellatis iis qui poſt Ethelredum regnare tentaſſent. Hæc & alia de eo, qui proſecuti ſunt res Anglorū, Rogerius, Matthæus VVeſtmonaſterienſis, & alii recentiores; necnon qui [b] ſcripſere res Danorum: ex quibus etiam conſtat, vtrobique regnaſſe Canutum, in Anglia atque Dania, & Magnum ob id nuncupatum eſſe; curam que diligentem Eccleſiarum habuiſſe. Ad quem etiam apparet ex VVillelmo [c] Malmesburienſi, ſcriptam eſſe à Fulberto Epiſcopo Carnotenſi epiſtolam (quæ adhuc extat [d]) cum accepit ab eo miſſum munus.

b Adam l. 2. c. 38. & alii. c Malmeſ. bur. de Reg. Angl. l. 2. c. 11. in fi. d Fulb. ep. 31.

III. S. SIMONIS ARMENI OBITVS.

Hoc eodem anno mortuus eſt vir ſanctitate inſignis genere Armenus, nomine *Simeon*, qui vitæ anachoreticæ cunabula exercuit in Palæſtina, inde diuino monitu in Occidentem migrans, Italiam, Gallias, & Hiſpanias, viſitans loca ſancta peragrauit, vbique miraculis coruſcans, & cum Romæ à Benedicto Papa, tum alibi ab omnibus honorifice exceptus: qui tandem Mantuæ in Domino quieuit: extantque res ab eo præclare geſtæ, ab auctore eiuſdem temporis conſcriptæ. Longe vero diuerſus eſt Simeon iſte ab illo, qui in Galliis poſt annos viginti diem obiit; de quo dicendum ſuo loco.

HENRICI 4. BAS. & CONST. 42.

IESV CHRISTI AN. 1017.

BENED. VIII. AN. 6.

I. NOVI HÆRETICI APPARENT IN GALLIA.

ANno Chriſti milleſimo decimo ſeptimo, Indictione decimaquinta, Aureliis in Gallia detecta eſt hæreſis Manichæa, eo delata à muliere quadam ex Italia veniente, quæ cum multos alios, tum præcipuos ex Clero eiuſdē ciuitatis ſeduxit; aſſerens, fabulas eſſe quicquid in veteri ac nouo Teſtamento de Deo Trino & Vno dicitur: cœlum & terram ab æterno eſſe abſque principio: voluptatum flagitiis non repoſitam vindictam; omneque Chriſtianorum opus pietatis & iuſtitiæ, laborem eſſe ſuperfluum: aliaque eiuſmodi deliramenta. Ad quæ euertenda ſedulo inuigilans Chriſtianiſſimus Rex Francorum Robertus, Aurelias properans, conuocatis plurimis Epiſcopis & Abbatibus, detectos eiuſdem hæreſis fautores cum eam abiurare renuerent, viuos igni tradidit, cæteroſque eiuſdem peruerſitatis ſectatores, ſimili pœna vbique extinxit. Quomodo autem iſta ſe habuerint, Glaber [a] qui aderat accurate deſcripſit: quorum pariter mentio habetur in fragmentis hiſtoriæ Francorum Roberti necnon in fragmentis hiſtoriæ Aquitanicæ: vbi etiam traditur, exortos per diuerſas Occidentis partis eiuſdem hæreſis homines, per latibula ſeſe occultare cœpiſſe, decipientes quoſcumque poſſent: ſuadendo negare baptiſmum, ſignum S. Crucis, Eccleſiam, & ipſum Redemptorem, honorem Sanctorū, coniugia legitima, & eſum carnium: repertoſque apud Toletum in Hiſpania, eodem ignis ſupplicio punitos eſſe.

IIDEM IGNI TRADITI. a Glab. l. 3. cap. 8.

II. IVDÆORVM SCELVS IN IMAGINE CHRISTI DELVSA.

Paulo vero ſuperius in iiſdem Aquitanicis fragmentis traditur, his diebus in Paraſceue poſt Crucem adoratam vſque Sabbatum Sanctum circa veſperam, concuſſam eſſe Romam à vi ventorum, & pene omnes Romanos mortuos eſſe tam Chriſtianos quam Iudæos. Cum vero quidam Iudæus Chriſtianis intimaſſet, quod in Paraſceue in ſynagoga Imaginem Chriſti deluſiſſent,

ſicut fecerant Domino parentes eorum: hoc comperto, Benedictum Papam Iudæos qui hoc egerant iuſſiſſe decollari, moxque ceſſaſſe ventos.

III. PLVVIA SANGVINIS IN AQVITANIA.

Sed & in fragmentis Francorum hiſtoriæ, poſt recenſitos Manichæorum errores & ſupplicia, ſubiicitur, circa id tempus in regione Aquitaniæ ſecus maritima, ante ſolemnitatem S. Ioannis Baptiſtæ, tribus diebus de cælo pluiſſe ſanguinem: qui cadens ſuper carnem hominis, aut ſuper lapidem, non poterat lauari: ſi vero ſuper lignum caderet, lauabatur. Porro de hoc prodigio conſultus à Roberto Rege Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis, inter Epiſcopos Gallicanos doctrina facile princeps, illud de variis peccantium hominum generibus, eorumdemque punitione interpretatus [b] eſt. Conſecuta vero eſſe bella grauiſſima in ea prouincia inter Gulielmum Aquitaniæ Ducem & Gaufredum Comitem Andegauenſem, quo ſeipſos mutuo aduerſis armis confecerunt, idem qui ſupra auctor affirmat.

b Fulb. ep. 79.

HENRICI 5. BAS. & CONST. 43.

IESV CHRISTI AN. 1018.

BENED. VIII. AN. 7.

I. CLADES BOREAL. ECCLES. a Ditm. li. 7.

ANNVS Chriſti milleſimus decimus octauus, Indictione prima incœptus, ob frequentia mala quæ peperit Borealibus Chriſtianis, à Ditmaro [a] Terræmotus appellādus exiſtimatus eſt, ſiue Contritio magna. Recenſens autem plura infauſta quæ in Germaniæ prouinciis contigere, & damna Eccleſiis illata tum à principibus quibuſdam, tum à populis Abotritis & Waris à fide refugis; atque inter alias, Kiouiæ ciuitatis primariæ: mirum eſt quod de eiuſdem vrbis religione narrat, nimirum erectas extitiſſe in ea plures quam quadringentas Eccleſias; fuiſſeque lege ſtatutum, vt qui poſt Septuageſimam carnem manducaſſe inueniretur, confeſtim dentium auulſione puniretur. Recenſet pariter diriſſimam adulterii pœnam; aliaque, eiuſmodi quæ admiranda potius quam laudanda ipſe putauit: ſed plane ardens zelus animi commendandus, cum putauerit legiſlator atrociſſimis pœnis muniendam diuinorum præceptorum obſeruantiam, ne quis ea trāſgredi quouis modo præſumeret pœnarum immenſitate cohibitus. Porro his enarratis Ditmarus finem ſcribendi fecit, pariterque viuendi, anno ætatis quadrageſimo primo; multiplici quidem nomine commendandus, ſed inprimis quod in omnibus optimi Paſtoris ſpecimen edidit; & cum omnibus aliis virtutibus, tum præcipue humilitate enituit, in cunctis ſemper ſui accuſator exiſtēs, aliorum vero commendator eximius. Ceditque inſuper ipſe magnæ laudi, quod iam argumentis mille, & exemplis innumeris egregie fidem Catholicam teſtatam reliquit, aduerſus ſuos gentiles apoſtatas Nouatores qui noſtro hoc ſæculo emerſere.

DITMARI OBITVS.

II. NORTHMANNI IN ITALIA PVGNANT CONTRA GRÆCOS. b Leo Oſt. l. 2. cap. 38. c Ib. l. 2. d Glab. l. 3. cap. 1.

Idem hic annus eſt, quo Northmanni Duce Rudolpho quodam viro fortiſſimo, qui Richardi Northmanniæ Comites, quem offenderat, iram metuens Romam ſe contulerat, hortatu Benedicti Pontificis aduerſus Græcos in Apulia pugnantes, tribus ingentibus præliis cum eis decertarunt. Hoc enim ex Leone [b] Oſtienſi exploratum habemus, dum ait id factum anno ſeptimo Atenulphi Abbatis Caſſinenſis, quem ipſius aſſertione [c] conſtat creatum eſſe anno Domini milleſimo vndecimo. Rem vero geſtam ante ipſum deſcripſit Glaber [d] huius temporis auctor; qui addit, cum multæ auxiliares copiæ Conſtantinopoli ad Græcos miſſæ eſſent, nec par Rudolphus eſſet iis penitus debellandis perrexerit cum paucis in Germaniam, petiturus ab Henrico Imperatore auxilium:

HENRICI 6. BAS. & CONST. 44.

IESV CHRISTI AN. 1019.

BENED. VIII. AN. 8.

I.

ANNO Chriſti milleſimo decimonono. Indictione ſecunda, Benedictus Papa rogatus ab Henrico Imperatore in Germaniam venire, Bambergæ eccleſiam dedicauit: quod hoc anno factum, Hermannus, Lambertus, Marianus Scotus, Abbas Vrſpergenſis, & alii tradunt; Sigebertus autem anno ſequenti. Ceterum non occaſio ſchiſmatis Pontificem illuc abire compulit, vt aliquis exiſtimauit (ſchiſma enim exordio Pontificatus acci diſſe, tuncque Benedictum in Germaniam primum abiiſſe ſuperius demonſtratum eſt); ſed nec vt eam duntaxat baſilicam dedicaret, verum vt ſolemniter confirmaret ſua præſentia Bambergenſem Epiſcopatum quem erexerat, prout legitur in Actis [a] S. Chunegundis Auguſtæ Henrici Imperatoris vxoris. Nec fuit leuis hæc cauſa itineris Pontificis: ſiquidem ciuitatem iſtam Bambergenſem cum iuribus ſuis plene ſubiecit pius Imperator Romanæ Eccleſiæ, cui vt dominæ annuum cenſum perſolueret, nempe equum vnum album cum ornamentis omnibus & phaleris ſuis, centumque marchas argenti: quam vt liberaret Henricus Iunior, vice Bambergæ tradidit Eccleſiæ Romanæ ciuitatem Beneuentanam, tempore, Leonis Noni Romani Pontificis. Hæc enim ita omnino ſe habuiſſe, ex veteribus Caſſinatis monaſterii monimētis prodidit Leo [b] Oſtienſis. De donatione vero Bambergenſis fundi, cum omnibus pertinentiis ſuis facta Apoſtolicę Sedi, eſt etiam aſſertio auctoris Vitæ [c] antiquitus ſcriptæ ipſius Henrici Imp. Denique in fragmentis hiſtoriæ Aquitaniæ, non Eccleſiam, ſed ciuitatem ipſam Bambergam recens ab Henrico ædificatam, à Benedicto in honorem Dei-genitricis fuiſſe conſecratam aſſeritur. Sed & præter hanc cauſam Pontificis aduētus Bambergam, illud etiam, & forte præcipuum fuit conſilium eius, vt prouocaret Imperatorem ad ferendas ſuppetias Eccleſiæ Romanæ aduerſus Græcos, qui pedetentim iam ſibi cuncta vſque ad Romanos fines vendicauerant. Quando vero expeditionem Henricus parauerit, dicetur inferius ſuo loco.

a Ap. Sur. 3. Mart. BAMBERGA CIVITAS DATA S. PATRI.
a Leo Oſt. l. 2. cap. 47.
c Ap. Canis. Antiq. Lect. To. 6.

II. DE SVCCESSIONE EPISCOP. CONST.

Quod pertinet ad res Orientales Eccleſiæ; hoc anno Indictione ſecunda, menſe Iulii mortuus eſt Sergius Patriarcha Conſtantinopolitanus, & in eius locum ſubiectus *Euſtathius* primus presbyterorum qui erant in templo Regiæ. Hæc Curopalates. Sed quod dicit, Sergium ſediſſe viginti annos integros, ſubrogatum in locum Siſinii defuncti, videtur prætermiſiſſe Ioannem, quem Petrus Antiochenus in epiſtola ad Michaelem Cerularium ponit ſediſſe ante Sergium; tenuiſſeque ſedem illam viuente Ioanne itidem nominato Romano Pontifice eius nominis Decimonono.

HENRICI 7.8. BAS. & CONST. 45.46.

IESV CHRISTI AN. 1020.1021.

BENED. VIII. AN. 9.10.

I. POLON. ECCL. LOCVPLETATÆ ET STABILITA.

ANNO Chriſti milleſimo vigeſimo, Indictione tertia. Poloniæ Eccleſias munificentia Boleſlai primi Polonorum Regis, pretioſis ornamentis decoratas, magniſque redditibus locupletatas, præter inuiolabilem ſtabilitam decimarum totius Regni ſolutionem; narrat Ioannes Longinus Canonicus Cracouienſis, qui per annos ſingulos res Polonorum eſt proſecutus; quem Chromerus Dlugoſcum, barbaro cognomento ita dictum, nominare conſueuit.

II. a Ap. Sur. 15. Mart.

Ad hoc quoque tempus pertinet quod Rupertus Abbas Tuitienſis in Vita [a] S. Heriberti Colonienſis Archiepiſcopi narrat de Henrico Imperatore; nempe quod cum inuidorum opera multorum annorum ſpatio Heriberto infenſus extitiſſet, iamq; ad eum exturbandum Coloniam properaſſet; idem diuinitus admonitus ne Sancto moleſtus eſſet, ei non ſolum reconciliatus eſt, ſed & multis ſubmiſſionum generibus eius gratiam promereri ſtuduit. Poſt quæ idem Heribertus, præuiſo prænuntiatoque tam ſui, quam Imperatoris obitus tempore, feliciter ad Deum migrauit hoc ipſo, vel potius ſequenti anno Domini milleſimo vigeſimo primo Indictione quarta, decimo ſeptimo Calēdas Aprilis, cum ſediſſet annos viginti tres menſes duos & dies viginti duos. Quæ autem præclaræ viſio-

S. HERIBERTI ARCHIEP. COLON. OBITVS.

nes præceſſerint eius obitum, & quæ poſtea ſint ſubſecuta miracula, quosue honores eius memoriæ detulerit Imperator, pluribus deſcribit idem Rupertus ex antiquiori eius Vitæ ſcriptore.

HENRICI 9. BAS. & CONST. 47.

IESV CHRISTI AN. 1022.

BENED. VIII. AN. 11.

I. HENRICI IMP. EXPEDITIO ADVERSVS GRÆCOS.

ANno Chriſti milleſimo vigeſimo ſecundo, Indictione quinta Henricus Imperator legationibus (vt vidimus) Northmannorum, & ab ipſo Romano Pontifice rogatus, in Italiam ſe contulit aduerſus Græcos. Id enim hoc anno contigiſſe, Leo Oſtienſis, Marianus Scotus, Vrſpergenſis Abbas, & alii teſtantur. Rem vero contra Græcos geſtam, quo ex Italia expulit, capta quam nuper in Apulia ædificarant, Troia ciuitate, fugatiſque aut in deditionem acceptis eorumdem fautoribus; idem Leo [a], & Glaber [b] deſcribunt. Poſthæc vero idem Imperator in monaſterio Caſſinenſi ægrotans, à S. Benedicto ei noctu apparente ſanatus eſt; & in gratiarum actionem multa ac pretioſa dona eidem monaſterio contulit, quod & certior ab eodem Sancto redditus eſſet, in eodem monaſterio quieſcere ipſius corpus: tantæque poſtea ad illud monaſterium deuotionis fuit, vt ſi diutius vixiſſet, relicto Imperiali culmine, Deo ſe in ſanctæ conuerſationis habitu ſeruiturum eo in loco promitteret. Hæc & alia plurima eo ſpectantia, Leo; quem conſulat qui ea curioſius cupit.

a Leo Oſt. li. 2. c. 40. b Glab. lib. 3. c. 1. IMP. CVRATVR A S. BENEDICTO.

II. CONCIL. SALEGVNSTAD.

Eodem anno Indictione quinta apud Moguntiam celebratum inuenitur ſub Aribone Archiepiſcopo Moguntino CONCILIVM SALEGVNSTADIENSE, quod Burchardus Epiſcopus VVormatienſis doctrina & ſanctitate clarus, qui interfuit, poſuit ad ſuos Decretorum libros appendicem: in quo ſanciti ſunt canones viginti ad Eccleſiaſticam œconomiam ſpectantes. Atque primum omnium ſacrorum ieiuniorum ſunt ſpatia dilatata; nempe vt omnes [c] Chriſtiani ſub illorum Epiſcoporum cura exiſtentes, dies quatuordecim ante feſtiuitatem S. Ioannis Baptiſtæ abſtinerent à carnibus: & in Natiuitate Domini ſimiliter cohabita [d] & reſtricta numeroſior cuiuslibet ſacerdotis vna die Miſſarum celebratio, ne ſcilicet quiſquam eorum in die amplius quam tres miſſas celebrare præſumeret. At vero non ſunt recepta, quæ in eo ſtatuta ſunt de tempore præfinito Ieiuniorum Quatuor anni temporum: aduerſus enim ea latius diſputat eiuſdem ſæculi ſcriptor, qui auctor eſt Micrologi [e]. à quo præſens Concilium, Moguntinum nominatur, quod apud Moguntiam loco Salegunſtad fuerit celebratum.

c Conc. Salegunſt. c. 1. d Ibid. c. 5. e Microl. ca. 25.

III. GVIDO ARETINVS INNOTESCIT.

His quoque poſtremis temporibus ſedis Benedicti Octaui Papæ, *Guido* Aretinus profeſſione monachus, muſicus inſignis innotuit: qui maxima omnium admiratione, nouam addiſcendi muſicam rationem inuenit; ita vt puer paucis menſibus diſceret, quod pluribus annis vix homo quilibet pollens ingenio ante capere potuiſſet: qua etiam de cauſa Romam vocatus eſt ab eodem Benedicto Pontifice; poſtea vero ſub Ioanne Vigeſimo Benedicti ſucceſſore, anno ætatis trigeſimo quarto edidit de Muſica librum, quem Micrologum nuncupatum, dedicauit Theobaldo Epiſcopo Aretino: vt de his omnibus conſtat ex ipſius ea de re ſcriptis Epiſtolis [f].

f Ecc. Tare Annal. T. XI [illegible]

HENRIC. 10. BASIL. & CONST. 48.

IESV CHRISTI AN. 1023.

BENED. VIII. AN. 12.

I. CONGRESSVS IMP. CVM REGE FRANC.

ANno Chriſti milleſimo vigeſimo tertio, Indictione ſexta, rediens in Germaniam ex Italia Henricus Imperator, cum Roberto Francorum Rege Chriſtianiſſimo habuit cõgreſſum: cum ambo (vt inquit Sigebertus) ſuper Carum fluuium apud Eualium conuenerunt, de ſtatu Eccleſiæ Regni & Imperii tractaturi; condicto vt ſuper his confirmandis etiam Papam Romanum ſimul ambo Papiæ opportune conuenirent. Hæc Sigebertus. Glaber [a] autem eius temporis ſcriptor, de eorumdem Principum ſuper Moſam fluuiũ, qui (vt inquit) limes erat vtriuſque Regni congreſſu agens, egregium inſinuat amborum humilitatis exemplum, ex quo diſcant Principes, multoque magis alii inferioris ſtatus homines, quam vane ſuperbeque diſceptent inter ſe vſq; ad internecionem de præcedentia, dum alter alterum ſupergredi omni conatu laborat. Ait enim, cum plures ex ambabus partibus inſinuarent, indecens eſſe, vt quis illorum, tantorum, ſcilicet Regum, ſemet humilians, quaſi in alterius tranſiret auxiliũ; ſatiuſq; fore vt in fluminis medium nauibus portarentur ſimul locuturi: vtrumque Principem illud in mente habentem [b], *Quanto magnus es, humilia te in omnibus*, eiuſmodi ſuorum conſilium reiecisse; primumque Henricum Imperatorem ſummo mane tranſiſſe cum paucis ad Robertum Regem, mutuoq; amplexu ſemet deoſculantes, poſt Miſſarum ſolemnia ambos vna prandiſſe; poſt prandium vero obtuliſſe Henrico Robertum immenſa munera auri atque argenti & pretioſarum gemmarum, centumq; inſuper equos magnifice phaleratos, & ſuper vnumquemque loricam & galeam: ſed Henricum ex illis omnibus ſuſcepiſſe tantum librum Euangelii, auro & lapidib. pretioſis inſertum, ac phylacterium eiuſdem operis, continens dentem S. Vincentii martyris: vxorem autem ipſius pares auri tantum naues (*forte leg. ndum*, inaures) accepiſſe. Sequenti autem die cum Rex Robertus ad Imperatoris tentoria tranſiſſet; eidem ſublimiter ſuſcepto, poſt prandium centum libras auri puri ab Henrico oblatas eſſe, Regem vero pares tantum naues auri ex illo ſumpſiſſe: firmatoque pacto amicitiæ, vtrumque rediiſſe ad propria. Hæc iiſdem ferme verbis Glaber, dicendus potius ſtylo Scaber.

a Glab. li. 3. cap. 2. b Eccleſ. 3. DONA INVICEM OBLATA AB IMP. ET REGE.

II. CONCIL. MOGVNT.

Hoc pariter anno circa tempus Pentecoſtes, celebratum eſt generale CONCILIVM MOGVNTINVM ex Germaniæ Epiſcopis, cui præfuit Aribo eiuſdem ciuitatis Archiepiſcopus, interfuitq; Henricus Imperator. Exciderunt quidem Acta, ſed mentio eius reperitur in Rebus [c] geſtis S. Gothardi Hildeſemẽſis Epiſcopi (qui plane his temporibus egregia enituit ſanctitate, plurium chariſmatum donis diuinitus illuſtratus) occaſione miraculi tunc ab eo editi, cum ad Synodum accedens in via dæmoniacam curauit. Quod cum accidiſſe ponatur primo ipſius Epiſcopatus anno, vtique in hunc ipſum referendum eſt: ſiquidem eius præceſſor S. Bervvardus ibidem defunctus ponitur duodecimo Calendas Decembris, anno à Chriſto nato milleſimo vigeſimo ſecundo, regni Henrici vigeſimo primo, Imperii autem nono, qui eſt præcedens annus. Ex quibus redarguas eos, qui illud Concilium anno ſuperiori celebratum ponunt: qui etiam magis refelluntur ex certa Indictione poſita in Actis eius; nempe ſexta.

c Ap. Sur. 4. Mai. DE S. GOTHARDO HILDESEM. EPIS.

HENRIC. 11. BAS. & CONST. 49.

IESV CHRISTI AN. 1024.

IOANNIS XX. AN. 1.

I. BENED. PP. OBITVS.

ANno Chriſti milleſimo vigeſimo quarto, Indictione ſeptima, tertio Calendas Martii *Benedictus* Papa ex hac vita migrauit, cum ſediſſet, non vt Hermannus ait, annos vndecim & dies duodecim, ſed vt habet Marianus, annos duodecim: quem à purgatoriis pœnis voluiſſe Deum liberari precibus S. Odionis Abbatis Cluniacenſis, quem viuens Benedictus plurimum coluerat, ſcribit Petrus Damiani in Rebus [a] geſtis eiuſdem Odilonis. Idemque in epiſtola ad Nicolaum Secundum Pontificem, recenſens numerum illorum qui ſe ab Epiſcopali munere abdicarunt, narrat viſionem ab eodem Papa Benedicto (quem appellat Maiorem, reſpectu nepotis eius qui Iunior eſt dictus) factam Epiſcopo Capteæ, qua illum monuit vt Ioanni Papæ, fratri Benedicti, denuntiaret certam quamdã pecuniã in pauperes pro ipſius à pœnis Purgatorii liberatione impendere; quod quæ iam eſſent pro

a Ap. Sur. 1. Ianuar. VISIO DE BENED. DETENTO IN PVRGAT.

eo indigentibus tradita, nihil eius penitus profuiſſent, quia de rapinis & iniuſtitiis acquiſita erant. Additque Petrus, eumdem Epiſcopum mox vt hæc denunciauit, Epiſcopalis ſarcinę pondus abiecisse, & monaſtici ſumptione habitus ſibi ex aliena calamitate prouidiſſe.

II. b Leo Oſt. lib. 2. c. 17. & 58.

IOAN. XX. MALIS ARTIB. SEDEM ASCENDIT.

c Glab. li. 4. c. 1.

d Damian. & alii eum ſecuti.

Quod autem ad IOANNEM Benedicti fratrem & ſucceſſorem attinet; fuiſſe ambos fratres germanos, filios Gregorii Comitis Tuſculani, Leo [b] Oſtienſis affirmat. Rurſum enim monſtra nobis peperit potentia ſecularis (erant namque, vt diximus, Comites Tuſculani præcipui in Vrbe proceres) procul facienda ſemper ab electione Romanorum Pontificum, vt ne vel auditu percipi omnino valeat. Huncq; Ioannem largitione pecuniæ repente ex laico conſtitutum eſſe Pontificem, Galber [c] tradit; ſimul docens fuiſſe cognomento Romanum, nomenque ipſum Ioannis tunc tantum adſciuiſſe cum Pontificatum arripuit. Ex his autem conſpice, quam enormiter errent [d] qui dicunt hunc ex Epiſcopo Portuenſi creatum Papam: qui ſi non aliter, certe ex Petro Damiani qui tunc viuebat manifeſti redarguuntur erroris, dum in Odilone longe diuerſum ponit Ioannem Epiſcopum Portuenſem à Ioanne Papa Benedicti germano.

III. GRAECI TENTANT OBTINERE A ROM. PONT. NOMEN VNIVERSALE

e To. 3. Epiſt. Rom. Pontif.

Interea vero, quoniam peculiare illud eſt, vt qui pecunia emunt ſacra, pecunia pariter diſtrahant; hoc ipſo eius ordinationis exordio, eodemq; anno Domini milleſimo vigeſimo quarto, prædictus Glaber eius temporis auctor ſcribit, tentatum fuiſſe à Conſtantinopolitano Patriarcha cum ſuo Imperatore Baſilio aliiſque Græcis, miſſis legatis cum multis ac diuerſis muneribus, à Romano Pontifice impetrare, vt liceret Eccleſiam Conſtantinopolitanam in ſuo orbe, ſicut Roma in vniuerſo, Vniuerſalem dici & haberi: ipſumque Ioannem Papam munerum cupiditate excæcatum pertentaſſe clanculo concedere quod petebatur. Verũ cum eius rei fama vbique diuulgata eſſet; ingenti ab omnibus tumultu excitato, inter alios VVillelmum Abbatem monaſterii S. Benigni in Gallia, virũ prudentia & doctrina inſignem, ideoque ſummæ apud quoſcumque Principes auctoritatis, grauiſſimas ea de re ad eumdem Pontificem dediſſe litteras, quas ipſe Glaber recitat, ſed mendoſas ac truncatas: quæ quidem tanti ponderis fuerunt, vt leuem hominem ne faceret quod moliebatur omnino cohibuerint. Nihil enim penitus Legatos Græcorum ab Apoſtolica Sede impetraſſe, docent epiſtolæ Leonis [e] Papæ Noni, poſt annos ferme viginti conſcriptæ ad Michaelem Conſtantinopolitanum Patriarcham; quibus expoſtulat de titulo Oecumenici, quem eius Sedis Epiſcopi præter ius faſque, reclamante ſemper Apoſtolica Sede, nimia arrogantia vſurpaſſent.

IV. HENRICVS IMP. OBIIT. f Leo Oſt. lib. 2. c. 47.

g Tertul. lib. 1. ad vxor. c. 6.

h Ap. Sur. 3. Mart.

HENR. IMP. ET VXOR EIVS VIRGINES ET SANCTI.

Hoc eodem anno, tertio Idus Iulii mortuus eſt Henricus Imperator, & ſepultus Bambergæ, quam ciuitatem Epiſcopali ſede, pluribus eccleſiis, monaſteriis, redditibus, & ampliſſimis donis illuſtrauerat. Qui ad mortem veniens (inquit Leo [f] Oſtienſis) Epiſcopis, Abbatibuſque præſentibus, Chunegundem coniugem ſuam propinquis tradidiſſe dicitur, ac dixiſſe, *Recipite quam mihi tradidiſtis virginem veſtram*; vt qui mutuo cõſenſu caſtitatem ſeruare Chriſti amore ſtatuiſſent. Eadem & alii pleriq; teſtantur. Sicque renouata ſunt in Chriſtianis Imperatoribus magno miraculo, quæ in primitiua illa eccleſia apud Fideles repenti aliquando contigiſſe, ex Tertulliano [g] ſuo loco narrauimus. Sed ſicut Imperatoris caſtitas nulla vmquã potuit ſuſpicione pullari; ita & ſanctiſſimæ Auguſtæ illibata pudicitia aliquãdo calumniam paſſa, quaſi aurum examinata per ignem, illæſa permanens, maiori fulgore orbi refulſit: dum (vt auctor illius temporis in eiuſdẽ Auguſtæ Vita [h], & alii narrant) ipſa apud virum delata de ſuſpecta cõſuetudine militis, eadem expetens (ſecuritatem ſibi pariente innocẽtia) probari per ignem, ignitos vomeres, non ſecus ac flores, illæſis manibus contrectauit. Vidit ergo infauſtum ſæculum, numquam hactenus viſum in continẽtia tantorum Imperatorum miraculum: gloriaturque iure Germania vno ſe edidiſſe partu Auguſtum & Auguſtam ſanctos Imperatores, inter Sanctos relatos ambos, & in tabulis Eccleſiæ perpetua memoria illuſtres.

i Sigeb. in Vit. Epiſc. cap. 1. k In Vita ep. Conſt. Ant. Lect. To. 6.

At de Chunegunde dicetur anno ſequenti qui vero Henrici Vitam ſcripſit, Adalberto Epiſcopus Vltraiectenſis (vt aſſerit Sigebertus [i]) ipſe pariter edita ab eo miracula ſcriptorum memoria conſignauit: quæ ab Eccleſia fuiſſe recepta, teſtatur auctor in Chunegunde. Inter quæ illud non minimum, quod qui [k] ipſius canonizationi ab Eugenio Papa celebratæ, aduerſatus eſt Cardinalis Romanæ Eccleſiæ, eumdem Sanctum eſt paſſus vltorem.

V. l Leo Oſt. li. 2. cap. 59. CONRADVS REX GERMANIÆ.

INCESTVOSVM CONNVBIVM RETARDAT ELECTIONEM CONRADI. m Glab. lib. 4. cap.

n Ap. Sur. 4. Maii c. 24.

Ceterum ipſum Henricum ſucceſſorem ſibi in Regnum deſignaſſe Conradum, nonnulli affirmant; vt Leo [l] Oſtienſis: at alii, poſt eius obitum ab Archiepiſcopis & aliis Germaniæ Principibus fuiſſe electum tradunt, non abſque contradictione potentum. Longe autem errant, qui hunc filium fuiſſe ipſius Henrici Imperatoris ſcripſere. Eum enim ex VVormatiæ Ducibus originem duxiſſe, Scriptores rerum Germanarum pariter affirmant; fuiſſeq; filium Henrici filii Ottonis, ex quo genitus Gregorius Quintus Summus Pontifex qui quidem in primordiis ætatis, à cõſanguineis ſuis contemptui habitus quod humilem & quietam vitã elegiſſet, à Burchardo magni nominis Epiſcopo VVormatienſe quaſi adoptiuus ſuſceptus, optimeque inſtitutus, in Regem Germaniæ primo, ac demum in Imperatorem euaſit. In iuuentutis autẽ lubrico, eo tantum facto infamatus legitur, quod relictam affinis ſui Erneſti Sueuorum Ducis, ex qua duos ſuſceperat filios, nomine Giſelã, ex progenie Caroli M. genere ortundã, ipſiuſque pariter Conradi affinem, filiam vero Rudolphi Burgundiæ Regis, duxit vxorem: cuius rei cauſa eius electionem atque vnctionem ab Epiſcopis eſſe retardatam; quo vſq; eã ipſe dimittere promiſiſſet, Glaber [m] affirmat: ſubditq; ab iiſdem Præſulibus Proceribuſq; Germanis petitam eſſe à Romano Pontifice eius electionis confirmationem; huncq; non ſolum ei conſenſiſſe, ſed & mandaſſe vt quantocius ſuſcepto Germaniæ ſceptro, Romam pergeret ſuſcepturus Italiæ coronam. Sed de eius in Italiã aduentu, ſuo loco dicturi ſumus. Eiuſdem autem inaugurationem non hoc anno factam, quo eiuſmodi contẽtiones viguerunt, ſed ſequenti, eſt nonnullorum aſſertio verum ex ipſius diplomatibus, quæ recitantur in præambulis ad Burchardi Decretum, liquet hunc annum primum eius regni numeratum. De cuius rebus per ſingulos annos geſtis, tu conſule quæ ab auctore Vitæ [n] Sancti Gothardi Epiſcopi Hildeſemenſis narrantur.

IESV CHRISTI AN. 1025.

BASIL. & CONST. 50.

IOAN. XX. AN. 2.

I. S. CHVNEGVNDIS AVGVSTA MONAST. PROFITETVR.

a Ap. Sur. 3. Mart.

ANno Chriſti milleſimo vigeſimo quinto, Indictione octaua, tertio Idus Iulii, ipſa anniuerſaria die obitus Henrici Imperatoris, eius coniux ſanctiſſima virgo Chunegundis Auguſta, in monaſterio Confugienſi a ſe erecto, in dedicatione eius baſilicæ, inter Miſſarum ſolemnia dimiſſis ornamentis Imperialibus, crineque depoſito, ab Epiſcopo monaſticum ſuſcepit habitum, quem ſibi ipſa ſuis manibus operata fuerat; atq; in eodem monaſterio ad obitum vſque annis quindecim perſeuerauit, ceteris monialibus ſumma humilitate deſeruiens: quæ pluribus deſcripta habentur ab eius Vitæ [a] auctore, qui & miracula ab eadem edita recenſet.

II. GVILLELMVS DVX AQVITANIÆ TENTAT REGNVM ITALIÆ ET IMPERIVM.

b Fulb. ep.

INVENTIO CAPITIS IOAN. BAPT.

Hoc tempore, vacante adhuc Imperio Romano in Occidente, ipſo autem Rege Conrado rebus Germaniæ intento, & multiplicitate hoſtium fatigato; Guillelmus Dux Aquitaniæ, laudatiſſimus Princeps ac potentiſſimus, peregrinationem in Italiam inſtituit, tentaturus animos Principum, an vellent filium quem ſecum duceret, Regem Italiæ creare, eidemque Imperium conciliare. Eſt enim de his perbreuis ad Fulbertum [b] Epiſcopum Carnotenſem epiſtola Hugonis. Sed cum vidiſſet repugnantes Longobardos, & eos qui ſtudebant Conrado aduerſarios ſe fore paſſurum, remque haud perfici poſſe abſque ingenti ſtrage Fidelium; vt prudens, maluit re infecta ad propria remeare. Quem, poſtquam reuerſus eſt, Deus voluit conſolari inopinata

inuentione capitis S. Ioannis Baptiſtæ; facta in ipſius Baſilica in tugurio ſaxeo cænobii Angeliacenſis: ad quod viſitandum vniuerſæ Galliæ, Hiſpaniæ, Britannia, Italia, aliæque gentes vndique concurrerunt, ipſeque Rex Francorum Robertus, eodem adueniens multa dona obtulit: vt hæc omnia pluribus narrantur in fragmentis [c] hiſtoriæ Aquitanicæ.

c *Extant poſt Roberti Vitam, append. ad Glabr.* Ceterum de aliis Inuentionibus & Translationibus Capitis S. Ioannis Bapt. dictum eſt iam ſuperius an. 391. nu. 3. & an. 760. num. 1. Quod vero tum iiſdem locis, tum præcipue in Notis ad Rom. Martyrolog. 29. Aug. b. Illuſtriſſimus Baronius negaſſe viſus eſt antiquiores translationes eius in Gallias, haud impedit quo minus ex poſtea contingere potuerint: ſicut videmus & ipſummet hanc partis eius factam inuentionem approbare. Denique quod diuerſæ Eccleſiæ glorìantur de poſſeſſione eius ſanctiſſimi Præcurſoris Capitis; ita rem definiuit Rob. le Viſeur Theologus Paraſinus & Canonicus Ambianenſis, qui peculiarem ea de re tractatum habuit, vt Angeliaci fuerit pars cranii, miſſa à Conſtantino Copronymo Imp. ad Pipinum Regem Francorum Chriſtianiſſimum; Romæ in eccleſia S. Silueſtri, pars altera cranii; Auguſtæ Prætoriæ in finibus Subalpinorum, maxilla altera; altera Lugduni. Ambiani vero facies (excepto mento à labro ſuperiori vſque ad partem frontis. De quibus dicam ego, vna cum illuſtriſſimo Baronio, de his ab eodem Doctore le Viſeur conſulto, quod olim Prætores edicto propoſito iis qui ſe rem aliquam poſſidere affirmarent, Poſſidete vti poſſidetis. Laudanda vero pietas omnium, qui his ſacroſanctis pignoribus cupiunt ſibi peculiarem tanti Præcurſoris protectionem adſciſcere.

III. BASIL. IMP. MORITVR.

Hoc eodem anno, iam inchoata Indictione nona, menſe Decembri Baſilius Imperator Orientis, cum vixiſſet annos ſeptuaginta, imperaſſet quinquaginta, repentino morbo correptus exiuit è vita, relinquens Imperium integrum fratri ſuo Conſtantino. Paulo vero ante obierat Euſtathius Patriarcha Conſtantinopolitanus: in cuius locum collocandum curauerat *Alexium* monaſterii præfectum, quo adiutore in Republica adminiſtranda vtebatur. Hæc Curopalates: qui & mores Conſtantini damnatos recenſet, eiuſque tyrannidem in opprimendo populo tributorum violenta exactione.

IV. BOLESLAI REG. POLON. OBITVS.

Quo pariter anno, die tertia Aprilis, Boleslaus, Poloniæ Rex cognomento Chobri, hoc eſt vir altæ & heroicæ virtutis, Princeps religione præſtans, armiſque potens, propagator Chriſtianæ fidei, & regni dilatator eximius; poſt iteratam peccatorum confeſſionem & ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſumptionem, ex hac vita feliciter migrauit anno ætatis quinquageſimo octauo regni vigeſimo ſexto. Quem prophetice prædixiſſe venturam Regni cladem, eiuſdemque reſtitutionem in meliorem ſtatum, narrant qui proſecuti ſunt res Polonorum; præſertim vero Longinus Canonicus Craconienſis, qui res ab eo præclare geſtas enumerat. Succeſſit autem in locum eius Mieczslaus filius, ſed parentis virtuti longe impar.

CONST. Solius I.

IESV CHRISTI AN. 1026.

IOAN. XX. AN. 3.

I. S. BVRCHARDI OBITVS.

ANno Chriſti milleſimo vigeſimo ſexto, Indictione nona, Rex Germaniæ Conradus profecturus in Italiam, VVormatiam primum ſe contulit ad S. Burchardum Epiſcopum ipſius nutritorem. Qui cum diu ante paralyſi laborans lecto decumberet, à Deo precibus obtinuit vt valeret dum Regem digne ſuſciperet. Cum vero eumdem comitatus aliquantiſper eſſet, reuerſus ad obitum præuiſum ſe componens, ſpiritum Deo feliciter reddidit. Rem geſtam accurate narrat eiuſdem domeſticus, qui Vitam [a] ipſius conſcripſit: qui addit, poſt eius obitum in quodam ipſius ſecretiſſimo ſcrinio, cuius clauem moriens ſorori ſuæ Abbatiſſæ dederat, repertum eſſe cilicium hirſutiſſimum, & catenam ferream ex vna parte contritam, quibus idem Sanctus carnis affectus domare conſueuerat. Reliquit item egregia ſuæ pietatis & ingenii monimenta; nempe libros viginti Decretorum, ex ſacris Conciliis, Summis Pontificibus, Sanctiſq; Patribus collectorum; quorum nouiſſimo libros pœnitentiales, nempe Romanum, Bedæ, & Theodori, ſimul iungens, in viridem obſeruantiam reuocauit priſtinam Eccleſiæ diſciplinam. Inſuper ad Clerum ſuum ſcriptam reliquit admonitionem, à diacono in eccleſia poſt lectionem S. Euangelii recitandam, de his quæ præſtanda eſſent ab ipſis, ſexaginta ſex breuibus capitibus diſtinctam; vt ſic perſeueraret apud eos in compendium redacta doctrina canonum.

a *Ext. in præamb. ad libr. Decret. Burchar.*

SCRIPTA BVRCHARDI.

II. CONRAD. REX VENIT IN ITALIAM. b *Ap. Sur. 4. Maii, c. 34.* c *Glab. lib. 4. in pr.*

Interim Rex Conradus, vbi eumdem Sanctum viſitauit, Italiam verſus iter accelerauit, adeo vt Vercellis hoc anno ſacrum Paſcha celebrarit, quod teſtantur [b] Acta S. Gothardi Hildeſemenſis Epiſcopi, vbi anni ſinguli rerum geſtarum Conradi diſtinguuntur. Eius vero in Italiam aduentui eſtitiſſe ex more Longobardos, adeo vt armis fuerit ipſi via aperienda, teſtatur Glaber [c]: atque ipſi in deſcenſu Alpium occurriſſe cum ſummo apparatu Pontificem Romanum, ſicut ante ſpoponderat.

CONRADI I. CONST. Solius 2.

IESV CHRISTI AN. 1027.

IOAN. XX. AN. 4.

I. CONRADVS CORONATVR IMP.

ANno Chriſti milleſimo vigeſimo ſeptimo, Indictione decima, Rex CONRADVS Romam ſe contulit, atque ipſo Paſchatis die à Ioanne Papa Imperator ſolemnibus ritibus inunctus eſt & coronatus: proxima vero Dominica inde digreſſus, rediit in Germaniam, & Sancti Ioannis Baptiſtæ natiuitatem celebrauit Herbipoli. Tradit hæc auctor Vitæ S. Gothardi. De quibus agens pariter Otto [a] Friſingenſis, ait Conradum inter duos Reges, Cnutum Anglorum, & Rudolphum Burgundionũ, honorifice procedentem, à Summo Pontifice coronatum, & ab omni populo Romano Imperatoris & Auguſti nomen ſortitum eſſe: ſequentib. autem diebus tumultu orto inter ipſius milites & ciues, graui pugna commiſſa Imperatorem victoria potitum: factaque cum ciuibus pace, ab Vrbe regreſſum eſſe. Quod vero tam cito receſſerit, eiuſmodi militum cum Romanis rixæ, fuiſſe cauſa putantur. Ceterum Glaber & ipſe de Conradi coronatione mentionem faciens, addit, cum ei Epiſcopi ſuggererent vt auctoritate Romani Pontificis, ſicut eis promiſerat, repudium faceret illiciti coniugii cum Giſela affine ſua contracti, eumdem grauiter accipientem id agere detrectaſſe. Porro diſpenſaſſe cum eo Summum Pontificem par eſt credere; cum appareat ex ea progenitos filios habitos eſſe legitimos, atq; regni ſubſtitutum heredem eorum primogenitum Henricum poſtea Imperatorem; cui & tunc nuptui traditam filiam Cnuti Regis Daniæ & Angliæ, nomine Chunigundem, Vrſpergenſis affirmat.

a *Ott. Friſing. lib. 6. cap. 29.*

II. CNVTI MAG. REG. ANGL. ET DAN. EPIST. AD SVOS. b *Malmeſb. de geſt. Reg. Angl. lib. 2. c. 11.*

Quantum autem ipſe Cnutus Rex, cognomento Magnus, ex hac in Vrbem ad Limina Apoſtolorum pietatis ergo peregrinatione ſuſcepta profecerit, ex eius litteris tunc ad Angliæ Epiſcopos & Præfectos pro optime diſponendo regno præmiſſis inſpicere licet, quæ recitantur tum ab Willelmo [b] Maleſburienſi, tum etiam ex parte ab Ingulpho; qui ſicut ceteris antiquitate, ita & veritate cum auctoritate præſtantes, res Anglorum ſunt proſecuti. Quibus quidem litteris, inter alia multa apparet, Papam cum Metropolitanis Angliæ diſpenſaſſe, ne poſthac pro pallio accipiendo ipſimet Romam accedere cogerentur, ſicut moris hactenus fuerat. Verum paulopoſt contrariis decretis reuocatam eſſe priſtinam conſuetudinem, & Archiepiſcopos rurſum coactos eſſe ad Limina Apoſtolorum pro accipiendo pallio ſe conferre, ſatis conſtat ex iis quæ dicentur ſuis locis. Ex iiſdem vero Cnuti literis redarguuntur plane erroris, qui eius Romam aduentum ponunt anno Domini milleſimo trigeſimo ſecundo: Cum enim etiam ex ipſis conſtet tunc eum contigiſſe, cum illic eſſent Conradus Imperator & Rudolphus Burgundiæ Rex; vtique hoc anno (ſicut vidiſti) id oportuit factum eſſe. Addit vero VVillelmus eumdem Cnutum domum redeuntem, apud Papiam brachium S. Auguſtini Doctoris centum talentis argenti, & talento auri comparatum, apud Conuentriam miſiſſe.

III. IMPOSTOR NVNDINATOR RELIQVIARVM. c *Glab. lib. 4. cap. 3.*

Cum autem Reliquias Sanctorum tam caro pretio diſtrahi quidam nebulo intelligeret, ex nonnullis ementitiis nefariam procurauit exercere mercaturam. De quo Glaber [c] agens, ait fuiſſe eo tempore hominem plebeium, mangonum callidiſſimum, ignoti tamen nominis & patriæ, quoniam pro diuerſitate temporum & locorum, ne agnoſceretur, varia fraudulenter, mentiebatur no-

tur nomina aut patriam, ſolitum autem è tumulis clanculo oſſa euellere, & tamquā ſibi ab Angelis reuelata (à quibus ſe ſingulis ferme noctibus viſitari, & familiaribus colloquiis & oſculis frequentari impudentiſſime aſſerebat) venditare pro Sanctorum Martyrum ſe Confeſſorum Reliquiis: cumque poſt innumeras eiuſmodi deceptiones in Galliis patratas, perfuga veniſſet ad loca quædam Alpium, opera etiam diaboli ad cadauer quoddam hominis mortui, quem martyrem fuiſſe mentiebatur, multos infirmos variis morbis liberaſſe, atque ingentem ſibi inde apud vulgus auctoritatem conciliaſſe; etſi à nonnullis Antiſtitibus impoſtor detectus reiiciendus cenſeretur, idq; reuelatione diuina confirmatum eſſet. Sed hæc pluribus idem Glaber Cluniacenſis monachus, qui eiuſdem impoſtoris examini aliquando ſe interfuiſſe ſcribit. Sane quidem & temporibus Apoſtolorum erant in Eccleſia falſi fratres (vt teſtatur [d] Apoſtolus) & illi plures numero, qui [e] quæſtum pietatem putarent. Eſtque pariter querela S. Auguſtini [f], in Africa quoſdam pſeudomonachos impoſtores circuiſſe, diſtrahentes lucri cauſa reliquias, quas dicerent eſſe oſſa martyrum. Sed non defuit Deus tum opus fuit, ſeruis ſuis, monendo reuelans ſiquis fraude circuitorum in Reliquias quas Fideles colerent error irrepſiſſet; vt legimus factum apud Seuerum in Vita S. Martini, ſiue alias, vel vt modo in iſtis accidiſſe Glaber oſtendit. Qui ante horum narrationem, aliam ingerit de incolis caſtri Montisfortis in Longobardia, infectis peſſima hæreſi qua idola more Paganorum colerent, & cum Iudæis ſacrificia litare niterentur; quorum plurimi à circumſtantibus Marchionibus ac Præſulibus capti, obſtinaciſſima inſania potius eligerent igne comburi quam rectam fidem profiteri.

d 2 Cor. 11. e 1. Tim. 6. f Aug. de oper. monach.

VETVS MONERE SOLITVS FIDELES CAVERE ERRORES.

IV. S. ROMVALDI OBITVS.

Hoc eodem anno ponitur obitus *S. Romualdi* Abbatis, de quo ſæpe ſuperius, cuius vitam egregiā Petrus Damiani conſcripſit anno decimoquinto poſt eius mortem. Verum cum dicit eum vixiſſe annos centum viginti, fateor me numerum eiuſmodi non inuenire. Cum enim Honeſtum Archiepiſcopum Rauennenſem (ſub quo Romualdum, annum agentem ætatis vigeſimum, monaſticum habitum induiſſe, conſtans eſt ipſius Petri aſſertio) ſedere tantummodo cœpiſſe anno Chriſti nongenteſimo ſeptuageſimo primo, qui proſecutus eſt locupletius res Rauennates Rubeus oſtendat: ſane quidem, etiamſi velimus Romualdum anno primo Honeſti initiatum monaſtico ordine, oportuit eum perueniſſe vſq; ad annum milleſimum ſeptuageſimum primum, vt aſſeri poſſit centum viginti annos vixiſſe. Verum nec Petrus ipſe qui eius Vitam ſcripſit, ad illud tempus ætatem propagauit. Quamobrem ad certiores calculos reuocandi ſunt anni Romualdi. Conſtat autem ex eodem Petro ipſum in Sanctorum numerū adſcriptū eſſe quinquennio poſt obitum, eo tantum ritu qui tunc frequentius erat adhuc in vſu, nempe vt petentibus concederet Apoſtolica Sedes ſuper corpus defuncti altare conſtruere: ſicut & idem Petrus in epiſtola ad Henricum Archiepiſcopum Rauennatem refert de aliis Sancti miraculis coruſcantibus, qui hoc eodem tempore vixere, ſupra quorum corpora ex Concilii auctoritate altaria ſunt erecta, atque deſuper ſacroſancta Chriſtiani ſacrificii myſteria celebrata.

CANONIZANDI RITVS HVIVS TEMPORIS.

V.

Hoc item anno, nempe Era milleſima ſexageſima quinta, Nonis Maii (vt habet ſepulchri inſcriptio) Alfonſus Quintus eius nominis Rex Legionenſis in Hiſpania, dum aduerſus Saracenos in Luſitania apud Viſæum præliaretur, ſagitta percuſſus interiit ſummo omnium mœrore, ob inſignem eius pietatem erga Dei Eccleſiam, & eius hoſtes impios Saracenos immotum animi propoſitum: cui ſucceſſit Veremundus eius filius.

VI. GARS. REX VASCON. POENITENTIÆ CAVSA ROMAM VENIT.

Hocque pariter tempore (ſed neſcitur certus annus) Garſias Rex Vaſconum ad Limina Apoſtolorum aduenit, expiandi cauſa delicti in matrem commiſſi, cum falſo illam apud patrem adulterii accuſaſſet: quod pluribus narrant recentiores res Hiſpaniarum proſecuti.

IESV CHRISTI AN. 1028.

IOAN. XX. AN. 5.

ANno Chriſti milleſimo vigeſimo octauo, Indictione vndecima, mortuo Hugone Roberti Francorum Regis filio, quem pater regni conſortem elegerat; magnæ diſſenſiones obortæ ſunt inter ipſum Regem & Reginam Conſtantiam, decernente Roberto regnum deberi ſecundogenito Henrico, Regina vero muliebri affectione adnitente vt tertiogenito traderetur Roberto. Cuius controuerſiæ occaſione magnum excitatum eſt domeſticum bellum etiam inter Principes atq; Epiſcopos, aliis Regi, Reginæ aliis ſtudentibus: cum interim Rex collecto Rhemis ſuorum Conuentu, Henricum coronauit. Quæ omnia hoc anno contigiſſe, ex Glabro [a] qui tūc viuens cuncta ob oculos habuit, intelligimus; dum in Iābicis flebilibus illis, quos rogatus à Fratibus Cluniacenſibus cecinit de obitu Hugonis, qui ingens omnib. ſui reliquit deſiderium, ait eumdem Hugonem ter denis, minus duobus annis vixiſſe. Cum enim conſtet, non ante milleſimum naſci potuiſſe Domini annum, eodem auctore Conſtantiæ nuptias anno milleſimo referente, vtiq; non ante hunc defunctum annum, neceſſe eſt affirmare. Sed neq; vt dicamus poſt annum præſentem id accidiſſe, patitur ratio temporis Fulberti Carnotenſis: quem cum appareat [b] vnum ex illis Epiſcopis, qui electioni Henrici fauebant, & ad eiuſdē conſecrationē Rhemos vocati fuerant; ipſum tamen hoc anno eſſe defunctum, eo irrefragabili argumento probatur, quod dedicationi ſolemni Antebaſnenſis Eccleſiæ, cui vna cum pluribus Epiſcopis Rex interfuit anno ſequenti, non ipſe Fulbertus, ſed eius ſucceſſor Theodoricus interfuiſſe ponitur ab Helgaldo eiuſdem temporis ſcriptore in Vita Roberti.

I. DISSENSIO INTER GAL. OCCASIONE SVCCESSIONIS FILIOR. REGIS ROBERTI.

a Glab. li. 3. cap. 9.

b Fulb. ep. 2. 41. & 96.

II. FVLBERTI OBITVS, ET LAVDES.

Porro Fulberti ſanctitatem atque doctrinam demonſtrant, ſi non aliud, ſcriptæ ab eo epiſtolæ, quæ cum nuper Pariſiis editæ fuerint, ſunt tamen in multis emendandæ ex codice Vaticano in quo habentur iunctæ cum epiſtolis Sidonii Apollinaris. Sunt vero etiam præclara de eo Scriptorum huius temporis elogia, vt Glabri & auctoris hiſtoriæ Aquitanicæ, atque aliorum. In quo præter ſcientiā & vitæ integritatem, maxime commendatur quod erga ſanctiſſimā Virginem Dei Genitricem addictiſſimus ſeruus, & promptiſſim⁹ eius amator fuerit; in cuius laudem librum conſcripſit, baſilicam conſtruxit, gloriamq; cecinit: ab ea vero ſingulari remuneratus eſt dono, dum ipſi ægrotanti per viſum apparens; ſugēda aperuit ſacra vbera ſicut teſtatur Guillermus, & ex eo Vincentius: qui etiam tradunt, ipſum prophetiæ imbutum fuiſſe ſpiritu. ſed & in extremis poſitum, haud dubium reliquiſſe teſtimonium de Berengario olim ſuo diſcipulo, cum à plurimis viſitatus, inter alios oculis rimatus Berengarium, niſi quo potuit expellendum cenſuit; eo teſtatus immanem dæmonē prope illum conſiſtere multoſq; ad eum ſequendum blandiente manu & illicite corrumpere. Teſtatur eadem VVillelmus Malmesburienſis, dum de Berengario funeſtam texit hiſtoriam. Aduerſus cuius etiam errorem idem Fulbertus antidotum voluit reliquiſſe bene compoſitum, dū in epiſtolis [c] ad Adeodatum & Finardum, de veritate corporis & ſanguinis Chriſti in ſacramento Euchariſtiæ, dogma ſtatuit, ac diſerte confirmauit.

FVLB. MORITVRVS SVGILLAT BERENGARIVM.

c Ext. to. 3. Bibl. SS. Patr.

III. S. OLAVI REGIS NORREG. MARTYRIVM.

Hoc item anno contigiſſe martyrium *S. Olaph.* ſiue Olaui Regis Noruegiæ, ſiue Northmanniæ, ex Adā [d] canonico Bremenſi Chroniciſque Noruegianis accipitur. Cui cum iuge fuiſſet bellum pro defenſione regni ſui aduerſus Cnuth Daniæ & Angliæ Regem, illud occupare omnibus modis conantem, idem non minus zelo Dei & iuſtitia ciuili, quam fortitudine bellica præſtās, maleficos, augures, magos, & incantatores, (quo genere hominū tum ceteræ prouinciæ boreales, tum maxime Noruegia infecta eſſet) penitus delere ſtudens, rebellione Principum, quorū ipſe mulieres propter maleficia ſuſtulerat, è regno pulſus eſt à Cnutho. Sed cum illud paulo poſt Ruzlorum & Sueonū auxilio recuperaſſet, nemini amplius parcens, qui vel ma-

d Adam. in Hiſt. Eccleſ. lib. 2. c. 43. & ſeqq.

gus

gus permanere vellet, aut Chriſtianus fieri nollet; demum à nonnullis magis in ſociorum vltionem obtruncatus eſt, ſiue in gratiam Cnuth hoſtis infenſiſſimi latenter occiſus: cuius corpus pluribus poſtea ſignis & miraculis claruit. Narrat hæc omnia pluribus Adam: habetque inſuper de altero Olaph Suediæ Rege, qui plurimum laborauit vt ſuos ſubditos ad fidem Chriſti conuerteret, necnon de *Vlfrido* Epiſcopo Anglo, qui diuino inſtinctu in eamdem Suediam prædicaturus veniens, poſt multorum conuerſionem, à reliquis dilaniatus quod idolum gentis confregiſſet, coronam martyrii adeptus eſt.

IV. CONSTANTIN. IMP. OBITVS, ET ROMANI SVBROGATIO.

Hoc eodem anno, nona die Nouembris, Indictione duodecima, mortuus eſt Conſtantinus Imperator. In cuius locum ROMANVS, repudiata coniuge vt acciperet Zoen filiam Conſtantini, ſubrogatus eſt eidem ſanguine cõiunctus. Hæc Curopalates, qui eumdem Romanum tradit optimis exordiis, & laudabilibus progreſſibus, tũ loca & perſonas Eccleſiaſticas, alios quoſcumque ſibi ſubiectos tractaſſe.

CONRADI 3. ROMANI 1.

IESV CHRISTI AN. 1029.

IOAN. XX. AN. 6.

I. DEDICATIO BASIL. S. ANIANI AVREL.

ANno Chriſti milleſimo vigeſimo nono, Indictione duodecima, Robertus Rex Francorum Chriſtianiſſimus, conuocato plurimorum Epiſcoporum cœtu, baſilicam à ſe conſtructam Aurelianis in memoriam S. Aniani eius ciuitatis quondam Epiſcopi (quem magna ſemper coluit veneratione, quod ipſe iuuenis grauiſſimo correptus corporis languore, nuncupatis Chriſto votis, per interceſſionem eiuſdem Sancti fuiſſet ſanitati reſtitutus) ſolemni ritu voluit conſecrari, eamdemque pretioſiſſimis donis ſi oblationibus locupletauit: quæ omnia pluribus deſcripſit in Vita ipſius Helgaldus monachus, ſincerus eius temporis hiſtoricus: qui & permulta alia refert de ſumma pietate eiuſdem ſanctiſſimi Regis, & ipſius prædeceſſorum, erectiſque ab eis quamplurimis eccleſiis & monaſteriis, iiſdemque ingentibus donis ornatis atque dotatis; & de aliis infinitis pietatis in Deum, reuerentiæ in Sanctos, & charitatis in proximos operibus: quibus iactis nouæ huius ſucceſſionis firmiſſimis fundamentis, ſtetit ea hactenus contra diuerſos impetus procellarum, ventorum, & fluminum; permanſura ſemper ſi bene collocata fundamenta perſiſtent, caſura vero proculdubio ſi impie reuelantur.

ROBER. REGIS ET PRÆDECESS. EIVS PIETAS

II. CONCIL. LEMOVIC. IN CAVSA APOSTOLATVS S. MARTIALIS.

Hoc item anno celebrata eſt pariter in Gallia SYNODVS LEMOVICENSIS, ſub Gauzelino Archiepiſcopo Bituricenſi magni nominis viro, & Iordano Epiſcopo Lemouicenſi, in cauſa hoc tempore in Aquitania controuerſa de Apoſtolatu S. Martialis Chriſti Diſcipuli, qui primus in ea prouincia Euangelium prædicauit: nimirum eſſetne in ſacris precibus nominandus *Apoſtolus*, ſicut in Eccleſia Lemouicenſi ab eo erecta hactenus factum eſſe conſtaret: contradicentibus aliis nonnullis, atque contendentibus non Apoſtolum, ſed *Confeſſorem* tantummodo nominandum. Porro iſtam Synodum hoc anno habitam eſſe, ſatis conſtat ex eo quod in Actis alterius Concilii celebrati itidem in ciuitate Lemouicenſi poſt obitum Roberti Regis, hoc geſtum ponitur ipſo primo anno dedicationis baſilicæ Saluatoris eiuſdẽ ciuitatis; quam quidẽ ab vndecim Epiſcopis conſecrata eſſe decimoquinto Calendas Decembris anni Chriſti milleſimi vigeſimi octaui, expreſſum habetur in ſcripto Chronico Gaufredi monachi S. Martialis Lemouicenſis cœnobii.

III. EXACTISS. FACTA INQVISITIO DE RE.

Sed quod ad ipſum huius anni Concilium pertinet; leuis fortaſſe cauſa videri poſſet, vt ob titulum dumtaxat S. Martialis deberent conuocari Epiſcopi, plurimæque (vt in eius Actis narratur) Litaniæ fieri ad explorandam diuinam ſententiam, ea præſertim in re quæ amica ſententia definiri citius potuiſſet, nempe non tantum illos Duodecim, ſed & reliquos Diſcipulos dictos reperiri Apoſtolos; inſuper & eo nomine in Eccleſia decoratos omnes, qui legitime miſſi ab Apoſtolica Sede populos ad fidem Chriſtianam conuertiſſent; quibus duabus rationibus competeret S. Martiali, vt Apoſtolus dici iure poſſet. Verum quod cum ſemel quid deducitur in controuerſiam, creſcentibus ſtudiis quamuis minimum in immenſum augeri ſoleat; plane factum eſt, vt nec iſtud Concilium ſuffecerit ad quæſtionem omnino ſedandam, & licet in eo permultæ tam ex Oriente quam Occidente petitæ, ac ſumma cura conquiſitæ probationes prolatæ fuerint; ſed opus fuerit alias etiam cõgregare Synodos, Bituricenſem poſteriorem Lemouicenſem, atque Pictauienſem, prout eadem Acta Lemouicenſis ſignificant. Quin & inſuper de his conſultam poſt hæc fuiſſe Apoſtolicam Sedem, & à Ioanne Pontifice hoc tempore ſedente decretum atque reſcriptum eſſe, Martialem Apoſtolum dici ac vocari debere; teſtati ſunt in eadem poſteriori Synodo Lemouicenſi Iordanus illius ciuitatis Epiſcopus, & Æmo Bituricenſis Metropolitanus ſucceſſor Gauzelini: cui Sedis Apoſtolicæ decreto & reliqui omnes aſſenſum præbuerunt.

S. MARTIALIS DICENDVS APOSTOLVS.

CONRADI 4. ROMANI 2.

IESV CHRISTI AN. 1030.

IOAN. XX. AN. 7.

I. EXPEDITIO CONRAD. IMP. ADVERSVS HVNGAROS, DIVINITVS REDDITA IRRITA.

ANno Chriſti milleſimo, trigeſimo, Indictione decimatertia, cum Imperator Conradus rupta pace expeditionem aduerſus S. Stephanum Hungariæ Regem paraſſet; idem Stephanus exercitum pro ſua defenſione comparans: ſed perpendens ſe nihil poſſe ſine cœleſti auxilio, ſanctiſſimæ Virgini Dei Genitrici ſuas iniurias his verbis commendauit: *Si placet tibi Domina mundi, tua partem hereditatis ab inimicis deuaſtari, & nouellam Chriſtianiſmi plantationem diſſipari: ne, quæſo, ſinas illud imputari diffidentiæ meæ, ſed potius diſpoſitioni voluntatis tuæ. Si quid commeruit culpa paſtoris ipſe luat; oues quæſo inſontes ne patiaris affligi.* hiſq; dictis, tamquam accepta conſolatione ab ea, fidẽter mouit in hoſtes. Altera vero die nũtius venit ad ſingulos quoſque duces exercitus Germanorum, ab Imperatore litteras afferens, quibus iubebantur pedem retro referre. Quod audiens Imperator, qui nihil tale iuſſerat, haudque dubitans rem diuinitus geſtam eſſe, ſe deinceps à Stephani inuadendo Regno timore Iudicis æterni cohibuit. Hæc pluribus Cartuitius [a]: quæ quidem hoc anno geſta eſſe, tradunt Scriptores [b] rerum Germanarum; licet non deſint qui [c] in annum ſequentem ea reiiciant.

[a] Vit. Steph. c. 16. ap. Sur. 20. Aug.
[b] Vrſperg. Herm. Lab.
[c] Marian. & Sigeb.

II. S. EMERICVS FILIVS S. STEPH. REG. HVNG.

Eodem vero anno Domini milleſimo trigeſimo, tradit idem Cartuitius [d], eiuſdem Stephani filium Emericum, & ipſum pietate ac moribus ſanctiſſimum, vita defunctũ eſſe: qui quidem meruit mortuus ſemper viuens inter Sanctos referri, anniuerſariaque memoria in Eccleſia [e] publice prædicari. Poſt cuius obitum, ipſius parens Stephanus coniurationem à ſuis paſſus eſt, à qua Deus eum cuſtodiuit illæſum, vnde experimentum caperet, ſe ad probationem, non autem ad perditionem tentari permitti; nimirum vt faceret maximum (quod euenit) cum tentatione prouentum.

[d] Vit. Steph. cap. 19.
[e] Mart. Ro. 4. Nouemb.

III. BORGIA ANTIQVA MONVMENTA FAMILIÆ BARONIANÆ.

Hoc item Redemptoris anno in Sorano agro, illo ipſo loco vbi Fibrenus influit in Lirim, illuſtrato olim cunabulis Ciceronis, vt ipſe teſtatur libro de Legibus, erectum eſt nobile monaſterium Dei Genitricis nomine, quod poſtea à primo eius Abbate, dicto Dominico, vitæ ſanctitate celebri, & gratia miraculorum illuſtri, cœpit vocari nomine S. Dominici, quod perſeuerat vſque in hanc diem. Erectum eſt autem à Petro Rainerii filio, Soræ et Arpini Caſtaldæo, ſiue Seniori; eiuſdẽq; bonis locupletatũ. De cuius fundatione & dotatione extat [f] tunc confectum inſtrumentum in codice ſcripto Abbatiæ Caſæmarii in agro Verulano, ſeptimo milliario Sora diſtantis. Inſuperq; ſunt in eodẽ codice, venerandæ antiquitatis & aliæ plures donationes à diuerſis factæ eiſdem & aliis monaſte-

[f] Recita: Baron. Annal. To. XI. vbi plurib. hæc tractat quæ licet non tanti videantur momenti, vt ea in noſtram Epitomen deriuanda

riis: & inter alias reperimus donationem factam à *Gregorio de Barono* monaſterio Caſamarii anno Domini milleſimo centeſimo nonageſimo ſecundo ſub Cæleſtino Papa Tertio; aliamque inſuper à *Leonardo de Barono*, eidem monaſterio factam tempore Bonifacii PP. VIII. anno Domini 1296. Vidimus, & gauiſi ſumus, anteceſſores noſtros his pietatis inſignibus reperiſſe nobilitatos. Porro eamdem ipſam noſtram familiam, ita vſq; ad noſtram ætatem DE BARONO dictam, nos primi mutauimus illud *de Barono*, cognomentum deriuantes in BARONIVM, more Romano. Sed abſit vt præter quam in Domino [g] gloriemur; in ipſa vera nobilitate, quam, per adoptionem in filiorum Dei familiam cooptati, ſumus feliciter conſecuti. Nam ſi filii [h], & heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.

fuiſſe tamẽ eadem vel ſaltem attigiſſe, nec eſſe prorſus exiſtimauimus, quo & noſtra quoque ſcriptione antiqua pietas familiæ BARONIANÆ innoteſcat; quam quidẽ ipſe Illuſtriſſ. Cardinalis cumulatiſſime confirmauit, pluribus erectis, reſtitutis, dotatis, ornatis, ædificiis ſacris, aliiſque exhibitis piis donis atque legatis: ſicut teſtis eſt vniuerſa Italia, ac præcipue ipſa Regina vrbium, pietatis domicilium, Roma. g *Epheſ.* 1. h *Rom.* 8.

torpedine redditum ſenſerit inutile, ſed reatum agnoſcẽs, Martyrem, deprecatus, priſtinum eiuſdem vſum diuinitus receperit: qui quidem ſuo damno didicit quanta deberetur locis ſacris immunitas, etiamſi corruiſſe viſa fuiſſent, vt nec beſtiam illuc confugientem lædere liceret. Quapropter huius euentus occaſione Regem non ſolum eam reſtituiſſe tradunt eccleſiam, ſed etiam nobilem ciuitatem iterum incolendi, reſtitutis mœnibus auctorem fuiſſe. Porro ipſum pietate inſignem ex hac vita poſt triennium, nempe Era milleſima ſeptuageſima tertia (qui eſt Christi annus milleſimus trigeſimus quintus) exceſſiſſe, eius ſepulchralis inſcriptio docet, vbi vocatur Rex Pyrenæorum montium & Toloſæ, vir per omnia Catholicus: reliquitque heredem filium ſuum Ferdinandum cognomento Magnum, de quo inferius.

QVANTA PELLATVR LOCIS SANCTIS REVERENTIA.

IESV CHRISTI AN. 1031.

CONRADI 5. ROMANI 3.

IOAN. XX. AN. 8.

I. BELLVM CIVILE SEDATVR IN GALLIA.

ANno Christi milleſimo trigeſimo primo, Indictione, decimaquarta, flagrarunt Galliæ bello ciuili, cum Henricus & Robertus filii Roberti Regis, ſedatis quas diximus de regni ſucceſſione diſcordiis, firmatoque inter ſe amicitiæ fœdere, aduerſus patrem, inſtigãte præcipue matre, arma verterunt: quos pater armis perſecutus, eoſdem paulo poſt conſilio VVillelmi Abbatis S. Benigni, magni nominis huius temporis viri, & virtutib. ac miraculis clariſſimi, ad pacem redeuntes ſuſcepit. Narrat hæc Glaber [a]; qui cum hæc geſta tradat anno qui mortem Roberti Regis præcedit, vtique hoc anno collocanda eſſe opus eſt affirmare.

a *Glab. lib.* 3. *cap.* 9.

II. ROMANI IMP. RES PIE GESTÆ.

Quod pertinet ad Res Orientales; hoc anno Romanus Imperator totus in erigendis & exornandis eccleſiis, antiquam Dei-Genitricis Imaginem quæ erat in Blachernis prope Conſtantinopolim, occultatam tempore Conſtãtini Copronymi Iconomachi, reperit & ad cultum priſtinum reuocauit. Templum quoque Hieroſolymitanum, à Saracenorum Principe Azizio Ægyptio olim demolitum, permiſſu eius filii è Romana quadam captiua nati, reædificare cœpit, quod ſucceſſor eius Michael poſtea conſummauit. Hæc Curopalates, & ex eo Cedrenus.

IESV CHRISTI AN. 1032.

CONRADI 6. ROMANI 4.

IOAN. XX. AN. 9.

I.

ANno Christi milleſimo trigeſimo ſecundo, Indictione decimaquinta, Ioannes Romanus Pontifex ad preces Sancii Maioris, Regis Nauarræ atque Caſtellæ, conceſſit monachis monaſterii Leirenſis creare Epiſcopum Pampilonenſem: Nam antiquis [a] temporibus Pampilonenſes Epiſcopi ob barbarorum incurſiones ſedem tranſtulerant in Leirenſe monaſterium, quod ſitum eſt in iugis Pyrenæis. Cuius conceſſionis occaſione Pampilonæ CONCILIVM Epiſcoporum habitum eſt, in quo inprimis actum, vt antiqua ſedes Pampilonenſi Epiſcopo redderetur. Ceterum Regis Sancii commendata eſt religio erga cultum monaſticum; qui ad priſtinam ſanctitudinis formam in Leirenſi monaſterio reſtituendam, viſus eſt monachis Cluniacenſibus è Gallia petitis, & magno honore acceptis. Deque eodem ab omnibus ferme rerum Hiſpanicarum ſcriptoribus fertur, quod iacentem ſuis ruinis ſepultam Palentinam ciuitatem reſtituit, hac oblata diuinitus occaſione, quod cum in venatione aprum inſectaretur, illeque fatigatus intra obuios parietes qui ſupererant Memoriæ S. Antonini martyris ſe recepiſſet, apud relictam ibi ſacram aram conſiſtens; Rex venabulo illum appetens, eleuatum brachium ad feriendum mox

a *Marian. lib.* 8. *c. vlt.*

CONCIL. PAMPIL.

IESV CHRISTI AN. 1033.

CONRADI 7. ROMANI 5.

IOAN. XX. AN. 10.

I.

ANno Christi milleſimo trigeſimo tertio, Indictione prima, accidiſſe teſtantur tabulæ aſtronomicæ Solis eclipſim tertio Calendas Iulii, ipſa die natali SS. Apoſtolorum Petri & Pauli; quod & paulo poſt pluribus demõſtrabitur. Illam autem inter alios Glaber [a] deſcribens, tradit eam ab hora eiuſdem diei ſexta vſque ad octauam perdurasse, Solemq; factum eſſe ſaphiri coloris, gerentem in ſuperiori parte ſpeciem Lunæ à ſua reilluminatione quartæ: intuitum autem hominum in alterutrum, velut mortuorum pallorem apparuiſſe, & res quaſcumque ſub aere crocei coloris viſas eſſe; ingentemque horrorem omnes occupaſſe. Sed & eadem die, in baſilica S. Petri quoſdam ex Principibus Romanorum conſpiraſſe in Ioannem Põtificem, cupientes illum interimere, ſed minime valentes, à ſede tamen expuliſſe. Et tam pro hac re, quam pro aliis inſolenter patratis, Conradum Imperatorem Romam proficiſcentem, propriæ Sedi Pontificem reſtituiſſe. Hæc Glaber. Ceterum eumdem Ioannem Papam liquet hoc ipſo anno, ſexto Idus Nouembris diem obiiſſe, cum ſediſſet annos nouem menſes octo & dies aliquot: (certus enim numerus ignoratur, licet diuinent alii.) ſepultuſque eſt in Baſilica S. Petri inter portam argenteam & Romanam. In eius vero locum hoc eodem anno ſubrogatum fuiſſe BENEDICTVM, qui antea dictus fuit Theophylactus; habet Hermannus, Sigebertus, & alii.

a *Glab. lib.* 4. *cap.* 8. & 9.

INGENS SOLIS ECLIPSIS, ET QVID PORTANDERIT.

IOAN. PP. OBIIT.

BENEDICTVS IX. ADOLESCENTVLVS INTRVDITVR PAPA.

II.

Cum (proh nefas!) tyrannide Alberici Comitis Tuſculani, ægre ferentis Pontificatum, duorum germanorum, Benedicti atque Ioannis ſucceſſione ſtabilitum, è domo ſua egredi; proprius ipſius filius puer in ſacroſanctam Petri Sedem, ipſis etiã Angelis reuerendam, intruſus eſt. Ex quibus vides quæ ſint à Principib. toleranda, cum immiſcent ſe quacumque via electioni Romanorum Põtificum: quamque tyrannis hæc procul ab Eccleſia Dei pellenda ſit. Vt autem tantum nefas Albericus attentare præſumpſerit, præceſſiſſe vidimus deteſtandum exemplũ in puerulo electo Archiepiſcopo Rhemenſi, cui ad functiones Epiſcopales obeundas coadiutor fuerat datus Epiſcopus. Sicque, quod in primaria Galliarum fuerat ſede male præſumptum, in Apoſtolica vſurpari poſſe cathedra, execranda ſibi perſuaſit ambitio. Ingemuiſſe vero ad eiuſmodi aſpectum Catholicum orbem; haud mediocri paſſum in ea intruſione ſcandalum, ex Glabro [b] iſta vidente, & ſæpius deplorante intelligitur: qui ait hunc Benedictum, alterius Benedicti & Ioannis, vltimorũm Pontificum nepotem, puerum ferme decennem, intercedente pecunia electũ fuiſſe à Romanis: ſed ab eis poſtea frequenter eiectum ac inhoneſte receptũ, nulli poteſtate eualuiſſe. Verũ dũ ait ab iis fuiſſe electũ, a quib. pariter aſſerit eſſe eiectũ: ſæculares eos homines fuiſſe liquet, de quib. ſuo loco ſimulq; de eiuſdem Benedicti abdicatione. Interim vero ipſum in Christiano orbe cognitum fuiſſe, & habitum abſque controuerſia Romanum Pontificem, liquet tam

PATITVR, NON FACIT, ECCLESIA ROMANA.

b *Ibid. c.* 5. & *in fi. hist.*

BENED. COGNITVS PAPA AB OMNIBVS.

ex iis quæ ſuis locis dicentur inferius, tum quodab eodem petiiſſe pallium & obtinuiſſe Archiepiſcopum Hamburgenſem Hermanum, eiuſque ſucceſſorem Bezelinum cognomento Alebrandum virum ſanctiſſimum; necnon qui huic ſucceſſit Adalbertum, Adam [c] teſtatur. Tanta videlicet vigebat tunc obſeruantia toto Catholico orbe erga Romanam Eccleſiam; vt quemcumque audirent throno inſidere Petri, colere eum & venerari non detrectarent. Sed quod pertinet ad iſtius ætatem; cum aſſerat Petrus [d] Damiani illum ab exordio ſuæ creationis vſque ad finem ſemper luxuriis inquinatum extitiſſe: plane poſſumus intelligere, haud adeo puerum impuberē fuiſſe. Sane quidem Hermannus Contractus, qui hoc ipſo ſcribebat tempore, dum agit de eius in locum Ioãnis ſubrogatione, de ætate nihil; quod non tacuiſſet, ſi adeo impar tanto oneri ſubeundo fuiſſet: ac dumtaxat tradit, eum indignum tanto ordine moribus & factis fuiſſe.

c Adam. li. 2. c. 49. 50. 51. 63.

DE ÆTATE BENEDICTI.

d Pet. Dam. ep. ad Dominic.

III. ROBERTI REG. CHRISTIANISS. OBITVS.

Hoc eodem anno Rex Francorũ Robertus vere Chriſtianiſſimus, ex hac vita migrauit decimo tertio Calendas Auguſti. Scimus quidem alios id referre in annum ſuperiorem: interque illos ipſum Helgaldum Floriacenſem monachum, qui eiuſdem Regis Vitam ſcripſit: necnon fragmenta hiſtoriæ Francorum, poſita in appendice ad Helgaldum & Glabrum. Verum cum idem Helgaldus inferius vbi agit de morte ipſius Regis, affirmet illum eo anno eſſe defunctum quo contigit Solis eclipſis tertio Calendas Iulii hora ſexta die, vigeſimo primo die ab eadem eclipſi decimotertio Calendas Auguſti: dubitandi nullus remanet locus, hoc anno & non ſuperiori ex hac vita migraſſe: ſiquidem omnium conſtans aſſertio eſt, eam eclipſim hoc & non ſuperiori anno contigiſſe, ex certa demonſtratione aſtronomicarum tabularum. Etenim hoc anno milleſimo trigeſimo tertio factum eſt nouilunium tertio Calend. Iulii, anno vero ſuperiori milleſimo trigeſimo ſecundo, 4. Idus Iunii. Quibus conſideratis, iure etiam reprehenditur Sigebertus, qui eandem eclipſim poſuit anno ſuperioris prudentius vero Hermannus poſuit hoc anno: ſicut & Glaber, numerans annos ſalutis à Chriſti Paſſione, eius ætatis trigeſimo tertio. bene pónit eam accidiſſe anno milleſimo, quo & alias præſentem annum pariter conſignauit [e].

e Glab. li. 4. c. 5.

IV. ROBERTI REG. RES PIE GEST.

Cæterum tanti Regis res præclare geſtas quæ ad pietatem ſpectant, idem Helgaldus (vt diximus) conſcripſit: apud quem videre liceat, quam deuotus erga Deum & Sãctos is fuerit, quam magnificus erga Eccleſias & ſeruos Dei, quam aſſiduus in orationibus, quã largus in eleemoſynis, quanta fundatus humilitate, quantiſque aliis virtutibus excellens. Tradit inſuper, eum mederi pauperibus & infirmis ſolitum, dum manu tangens eorum vulnera, ſignanſque ſigno Crucis, omnem ab eis auferret dolorem infirmitatis: narratque præterea, ab eodem Rege illuminatum fuiſſe cęcum, cum, quaſi periocum manus abluens aquam aſperſit in faciem eius. Habet & de piiſſima eius ad Deum tranſitione: quam tradit accidiſſe in Mileduno caſtro, cum ſexagenarius eſſet; eumdemque Pariſios deportatum apud S. Dionyſium, iuxta patrem ſuum ſepultum eſſe. Ei porro defuncto ſucceſſit Henricus iam antea Rex (vt vidimus) conſecratus, peritia militari atque prudentia pollens, pietateque præſtans: qui fratri Roberto Burgundiæ Ducatum dedit matrem vero Conſtantiam, quam aliquando expertus eſt contrariam conſtantia ſuperauit, quæ anno ab hinc defuncta eſt: vt hæc pluribus narrantur in fragmentis hiſtoriæ Francorum.

CONRADI 8. MICH. PAPHL. I.

IESV CHRISTI AN. 1034.

BENED. IX. AN. I.

I. a Id. li. 4. c. 5. CONCILIA FREQVENTIA IN GALLIA PRO PACE ECCLESIÆ CONSERVANDA.

ANno Chriſti milleſimo trigeſimo quarto, Indictione ſecunda, poſt ingentem famem abundantia apparente, tradit Glaber [a] cœptos primum in Aquitania celebrari CONCILIORVM conuentus, inde per vniuerſas reliquas Galliarum prouincias ingenti populorum lætitia morum reformationem deſiderantium, celebratos eſſe pro pace Eccleſiæ conſeruanda. Quibus inter alia plurima ab omnibus æque ſancitum aſſerit, vt ſingulis ſextis feriis abſtineretur à vino & carnibus, necnon & ſeptima, niſi forte grauis infirmitas compelleret, aut celeberrima ſolemnitas interueniret: ſi vero quis aliqua neceſſitate hoc non obſeruaret, tres pauperes victu ſuſtentare cogeretur. Hæc Glaber. Ad quæ plane ſpectare videntur, quæ Sigebertus habet in Chronographia ſua: nempe vnius Epiſcopi inani aſſertione de literis ad ſe diuinitus delatis, tum alia quamplurima importabilia data eſſe mandata populis, tum illa de Ieiuniis ſtatuta eſſe, quaſi in ſufficientem remiſſionem omnium peccatorum: tranſgredientibus vero decretam eſſe huiuſmodi excommunicationem, vt etiam exeuntes de ſæculo à nullis viſitarentur, aut ſepulturæ traderentur.

II. QVID DE IEIVNIIS TVNC INDICTIS SENTIENDVM.

Addit vero idem Sigebertus, Gerardum Cameracenſem Epiſcopum numquam adduci potuiſſe ad ea ſuſcipienda, ſed ſingula capitula refelliſſe: cuius quidem iudicio omnium eruditorum, fuiſſe potiora iura videntur. Vt mirandum potius ſit, potuiſſe tot Epiſcopos vnius aſſertã vana reuelatione moueri magis, quam diuinæ Scripturæ, ſanctorumque Patrum decretis, atque Eccleſiæ traditionibus aſſentiri: & præſcribere vniuerſæ Eccleſię leges, eaſque munire pœnis, quæ numquam à maioribus pro grauioribus quoque delictis eſſent impoſitæ. Cum alioqui iam ab Apoſtolorum temporibus viguiſſe in Eccleſia Catholica Occidentali Ieiunium hebdomadarium ſextæ Feriæ, atque Sabbati, iam ſatis ſuo loco ſuperius demonſtratum fuerit: quod quidem tepuiſſe non dubium eſt, cum remanſerit ex eo duntaxat abſtinentia ab eſu carnium. Reuocare vero ipſum ad vſum priſtinum, non ſolum non reprehendendum, ſed magnopere laudãdum fuiſſet, ſed auſteriorem, pœnis illis appoſitis, ſancire diſciplinam, ac præcipue Sede Apoſtolica inconſulta, cuius eſt confirmare alios: haud tutum. Quod pariter dicendum de feriis quatuor hebdomadę dierum, pari imprudentia ab iiſdem Gallicanis Epiſcopis poſt decennium [b] indictis: nimirum vt à veſpera feriæ quartæ vſque ad feriam ſecundam incipiente luce, ceſſaretur omnino à ſtrepitu fori, aliiſq; Iudiciorum executionibus: licet hæc Glaber vtcunque conatus ſit iudicio diuino confirmare.

b Id. lib. 5. c. ead. ſ.

III. DE CONCIL. BITVRIC. BELLOVAC. ET LEMOVIC.

Quod autem idem auctor ait, multa Concilia pacis cauſa hoc anno eſſe in Galliis congregata, atque primo in Aquitaniæ partibus eſſe cœpta: plane alluſiſſe viſus eſt ad CONCILIA, quæ breui temporis ſpatio intercedente, pacis cauſa ſunt celebrata, *Bituricis* die tertia menſis Nouembris, & *Bellouaci* poſt dies quindecim ab iiſdem Epiſcopis: qui & rurſum conuenerunt *Lemouicas* ad diem anniuerſarium conſecrationis baſilicæ Saluatoris: fueruntque eadem Concilia Prouincialia, atque eadem cauſa collecta: nempe ad ſeditioſos & prædones, pacem Eccleſiarum turbantes, compeſcendos; (qui ſolemniter excommunicati fuere, & poſt mortem ſepultura priuati: atq; in eoſdem interdictum conſtitutum eſt) necnon ad controuerſiam de Apoſtolatu S. Martialis denuo decidendum: aliaq; ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantia peragenda, pro qua plures editi ſunt canones, qui eiuſdem Lemouicenſis Concilii Actis [c] continentur. Propoſita item querela eſt de Romano Pontifice abſoluente excommunicatos ab Epiſcopis: ſed rebus de quibus agebatur diligentius examinatis, apparuit Papam extra culpam eſſe; declaratumque eſt, Iudicium totius Eccleſiæ maxime in Apoſtolica Romana Sede conſiſtere.

c Rec. Bar. Annal. To. XI. Iocan.

IV. d Her. Contract. edit. Caniſ. hoc an. & 1036.

Eodem anne Conradus Imperator Burgundiam, à Rudolpho Rege ſocero ſuo ſibi relictam, armis ſubegit: quãdo & Burchardum Lugdunenſem Archiepiſcopum (vt ait [d] Hermannus Contractus ſui temporis ſcriptor) genere nobilem & ſtrenuum, ſed per omnia ſceleſtum & ſacrilegum, cum multis aliis Principibus in deditionē accepit. Cæterum Glaber [e] de Lugdunenſis Eccleſiæ diſſidiis agens, ait poſt mortem Burchardi Senioris, cum plures eam ſedem appeterent, prædicti Præſulis nepotem, Burchardum pariter nominatum, hominem ſupra mo-

e Glab. li. 5. c. 4. LVGDVN. SEDIS PERTVRBATIO.

pra mo-

pra modum ſuperbiſſimum, relicta ſede propria Auguſtanæ ciuitatis, procaciter Lugdunenſem arripuiſſe: ſed eumdem poſt multas perpetratas nequitias captum à militibus Imperatoris, perpetuo eſſe condemnatum exilio: itemque cum poſt ipſum, quidem Comes Gerardum filium ſuum paruulum arroganter ſubſtituiſſet, & hunc poſt modicum in fugam verſum delituiſſe: hiſque omnibus perlatis Romam, Summum Pontificem S. Odiloni Abbati Cluniacenſi illius Eccleſiæ regimen detuliſſe: ſed eo accipere recuſante demum conſenſu omnium electum eſſe ab Henrico Rege Archiepiſcopum, Odelricum Lingonienſis Eccleſiæ Archidiaconum.

V. ROMANI IMP. MORS AB VXORE PROCVRATA.

Quod ad res pertinet Orientales; hoc anno Indictione ſecunda, die vndecima menſis Aprilis, (vt auctor eſt Curopalates) Romanus Imperator, cum regnaſſet annos quinque & menſes ſex, ab adultera coniuge Zoe Auguſta veneno conſumptus paulatim, ſed necdum defunctus, opera eiuſdem coniugis, & eius qui in locum illius Michael adulter eſt ſubrogatus (fuerat iſte arte argentarius, ſed forma pulcherrimus, quem impudica fœmina deperibat) miſere ſtrangulatus interiit ipſa quinta feria hebdomadæ Pœnoſæ. Qua eadem nocte accerſitus in Palatium Alexius Patriarcha, partim coactus, partim auro corruptus, eumdem MICHAELEM eius nominis Quartum Imperatorem conſecrauit, dictum à patria *Paphlagonem*. Sed cum illum Zoe, thori dumtaxat, non adminiſtrationis Imperii participem eſſe cuperet: eiuſdem Michaelis frater Ioannes vir ſtrenuus & rerum peritus, Regiam ingreſſus, ipſam Auguſtam adeo coercuit, vt nihil penitus ageret, nec balneum quidem attingeret, niſi eo permittente.

MICH. PAPHL. IMPERAT.

VI. IRA DIVINA DE NECATO ROMANO.

Porro non placuiſſe Deo eiuſmodi in Romanum Imperatorem patrata ſcelera, ſtatim demonſtratum eſt. Siquidem ſubdit Curopalates, ipſa magna Dominica tam copioſam & violentam decidiſſe grandinem, vt non ſolum confringerentur arbores, viteſque, ac ſegetes (vnde & magna orta eſt omnium frugum, & fructuum inopia) ſed etiam domus corruerent, & templa vſque ad ſolum. Acciditq; & illud valde prodigioſum, vt quem omnium pulcherrimum Zoe ſibi delegerat in maritum, idem fieret deformiſſimus. Etenim arreptus à diabolo, dæmoniacus euaſit, à quo horrendis modis diſtorqueretur: nec valuit vllo remedio, ſiue ſacro per viros Eccleſiaſticos adhibito, ſiue naturali à medicis procurato, aliquo modo ſanari; ſed ad obitum vſque oſtentui factus omnibus manſit, in exemplum diuinæ vindictæ. Qui quidem relicta fratri Ioanni Imperii cura, iugiter moratus eſt Theſſalonicæ apud Sanctum Demetrium martyrem, eidem ſupplicans vt ab obſidente dæmone liberaretur. Sed etſi leuamen aliquod ſenſit aliquando, numquam tamen potuit liberari. Sic enim infelix Orientalis Eccleſia, vbi ſchiſmate ſe diuiſit à capite, omnibus chariſmatib. priuata fuiſſe cognoſcitur: vt non fuerit facile reperire, qui his temporibus vel vnum ſanaret energumenum, aliudue aliquod miraculum ederet: nec eſſet qui iram Dei placare poſſet, ingruentibus licet grauioribus vbique malis. Etenim & hoc ipſo anno exorta locuſtarum agmina per triennium ſunt omnia vſquequaque depaſta: acceſſeruntq; frequentes terræmotus & hiatus, quibus plures abſorptæ ſunt vrbes: necnon barbarorum incurſiones, ſiccitates, grandines, lues, & alia id genus ingentia mala, quibus ob violata Dei mandata, & necem Romano illatam (vt etiam per viſionem dignatus eſt Deus cuidam ſacro miniſtro oſtendere) per plures annos dire vexatum eſt Imperium.

MICH. IMP. ARREPTVS A DÆMONE.

VII. RVSSIORVM ECCLESIA ILLVSTRATA, POLONOR. VERO LABEFACTATA.

Hoc eodem anno cultum Eccleſiæ Ruſſicæ propagatum eſſe ab eorum Duce Iaroſdixlao, Longinus in Annalibus Polonorum teſtatur, dum ait plura monaſteria tam virorum quam fœminarum, pluresque Eccleſias ab eo erectas eſſe, ac multis redditibus dotatas, pretioſiſque ornamentis decoratas. Polonorum vero ſtatus admodum eſt labefactatus, cum defuncto hoc anno Mieczſlao Rege, ſub quo Boemi, Moraui, Rutenti, & Ciſalpini populi, inſuperque Lubecenſes & Magnopolitani, aliique à parente ſub iugum redacti, à Polonorum dominio defecere: ad poſtremum in eiuſdem Polonorum Principatus exterminium, magnum inter Principes ortum eſſe diſſidium expulſa Regina Rikſcha, eiuſque filio Caſimiro legitimo Regni ſucceſſore: perſeuerauitque diſſidium ſeptem annorum ſpatio, ingenti prouinciæ damno, & incredibili Eccleſiarum iactura, ob continuas vicinorum populorum incurſiones, atque deprædationes; & maxime Boëmorum, quorum Dux Brzetislaus, non ſolum acceptæ in excæcatione aui ſui Boleslai per Boleslaum Poloniæ Regem iniuriæ memoria, ſed & liuore & odio, ſimulque occupandi alieni regni, aut ſaltem exterminandi ambitione, Poloniam ingreſſus, cuncta deuaſtauit ac deprædatus eſt; non parcens ſacris quæ adhuc intacta reperit, quibus tam in auro quam gemmis ex priorum Regum munificentia illæ Eccleſiæ abundabant: haudque deterritus triduana cæcitate & lethargia, quibus tam ipſe quam omnes milites in aditu Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Metropolitanæ Gneſnenſis percuſſi fuerant: eamdem nihilominus (impulſore Seuero Pragenſi Epiſcopo, aſſerente illam Plagam non propter committendum per eos illius Eccleſiæ ſpolium, ſed ob veteres Boëmorum præuaricationes & ſcelera accidiſſe) penitus diripuerunt, auferentes inde corpora Sanctorum cum Imagine Crucifixi ex auro puro trecentarum librarum, & Chriſti Imagine pendentis in Cruce triplicis ponderis: itemque tribus tabulis primarii altaris ex auro puriſſimo variis pretioſiſque gemmis ornatis, aliiſque quampluribus ſacris omnis generis vaſis & ornamentis: quæ omnia ingenti gaudio, ſed & magna veneratione, in Eccleſiam Pragenſem tranſtulerunt, præter alia ſpolia, captiuoſque, quos pariter ſecum in Boëmiam deduxerunt. Narrat hæc omnia pluribus Ioannes Longinus Canonicus Craconienſis, qui & Dluſgoſcus dictus eſt. Interea vero Caſimirus regno pulſus, ſapientiori conſilio nuncium remittens ſæculo, Cluniacenſium monachorum arripuit inſtitutum Diſciplina tunc florentiſſimum: & Cluniaci in Gallia ſub S. Odilone Abbate, mutato Caſimiri in Caroli nomine, vitam monaſticam ſolemni ritu profeſſus eſt. Quomodo vero ad Regnum poſtea fuerit reuocatus; ipſumque in priſtinam dignitatem reſtituerit, dicetur inferius ſuis locis.

CLADES INGENS ECCLESIÆ GNESNENSIS.

CASIMIR. REGNI POLON. HERES FIT MONACH. CLVNIAC.

IESV CHRISTI AN. 1035.

CONRADI 9. MICH. PAPHL. 2.

BENEDICTI IX. AN. 2.

I. ANNO Chriſti milleſimo trigeſimo quinto Indictione tertia, magnam *Synodum Triburienſem* collectam eſſe, Hermannus teſtatur in Chronico edito ex codice Auguſtano: ſed Acta eius latent, vel periere.

II. BERENGARIVS HÆRESIARCHA EMERGIT.

Quo etiam tempore BERENGARIVS Turonenſis, Archidiaconus Andegauenſis, cuius hæreſis de veritate corporis Chriſti in ſacramento Euchariſtiæ denegata fuerat (vt vidimus) à Roberto Rege damnata; eodem iam defuncto, liberius illam promulgare atque firmare auſus eſt, annitente Brunone Andegauenſi Epiſcopo, quem in eamdem veſaniam perduxerat. Cum vero nefandæ blaſphemiæ rumor iam Gallias vniuerſas impleſſet, atque etiam Germanias peruaſiſſet; Henricus Francorum Rex Chriſtianiſſimus parentis pietatis heres, quamuis ſuorum ciuili bello teneretur occupatus, ad profligandam tamen hæreſim quam primum exurgens, totius Regni Epiſcopos ad Concilium vocauit. Quando id audiens Durandus, diſertiſſimus atque ſanctiſſimus Leodienſis Epiſcopus, aurea plane ad eumdem Henricum Regem ſcripta epiſtola [a]; monuit vt quod de Epiſcopi damnatione ageretur, haud vlterius progrederetur abſque Apoſtolica Romanæ Sedis auctoritate. Eademque occaſione: prædictorum Brunonis & Berengarii errores refellens, oſtendit eos docuiſſe, in ſacratiſſima Euchariſtia nihil aliud eſſe quam vmbram & figuram corporis Domini; pariterque legitima coniugia deſtruxiſſe: & quantum in ipſis, eſſet, ba-

a Ext. To. 2. Bibl. S. ad SOLIVS ROM. SED. DEPONERE EPISCOPVS

ptiſmum paruulorum euertiſſe. qua etiam de cauſa, quod veteres iam ab Eccleſia damnatos errores (ſicut pluribus veterum Patrum auctoritatibus probat) iterum in controuerſiam deducere conarentur: eos minime audiendos nec tam Concilium pro illis cogendum; quam de illorum ſupplicio deliberandum eſſe monuit.

III. Coerciti hæretici latint ad tempus.

Porro his acceptis à tanto Pontifice Henricus Rex literis, à cœptis creditur deſtitiſſe. Non enim dum ipſe vixit, aliquod fuiſſe contra Berengarium & impietatis ſocium collectum Concilium, memoria reperitur, ſicut aliorum Conciliorum longe minoris momenti. Sed & quod dum idem Rex ſuperſtes fuit, nunquam auditus fuit Berengarius, vel ex ſuis aliquis quid impium muſſitaſſe: æque coercitos funeſtos homines regia iuſſione fuiſſe, par eſt credere. Quando autem, & à quibus iidem damnati fuerint, dicetur inferius ſuis locis. Ex his autem quæ hactenus dicta ſunt, aperte demonſtratur, prima ſpicula in virulentum draconem vibrata fuiſſe à *Durando* Leodienſi Epiſcopo; necnon ab eiuſdem Eccleſiæ Scholaſtico, inde vero Brixienſi Epiſcopo Adelmanno, ipſius Berengarii olim ſub magno Fulberto in Academia Carnotenſi condiſcipulo; de cuius ad ipſum ſcripta egregia epiſtola dictum eſt ſuperius alia occaſione: reliqui autem aduerſus Berengarium longe poſtea ſcripſere. Sed quod ad prædictum Durandum ſpectat: falli conſtat Sigebertum, qui eius ingreſſum ponens anno Domini milleſimo vigeſimo primo, rurſum anno poſt milleſimum vigeſimum quintum, alium in locum eius ſubrogatum habet Reginardum; cum tamen ad hæc ſaltem primordia Henrici Regis, ad quem ſcripſit, perueniſſe nulla dubitatio eſſe poſſit. Non ſic Hermannus, cum eiuſdem Durandi meminit; qui nequaquam eo termino claudit eius Epiſcopatū.

Durandus Leodien. primus ſcripſit contra Bereng.

Conradi 10. Mich. Paphl. 3.

IESV CHRISTI AN. 1036.

BENED. IX. AN. 3.

I. Contra Alexium Patriar. Const. insidiæ, ab eo repulsæ.

ANno Chriſti milleſimo trigeſimo ſexto Indictione quarta, aduerſus Alexium Patriarcham Conſtantinopolitanum *Synodus* celebrata eſt ſeorſum à Demetrio Epiſcopo Cyzici, aliiſque Metropolitanis eidem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſubiectis: vt in gratiam Ioannis fratris Imperatoris illum thronum ambientis, Alexium abdicarent, tamquam non ſuffragio Archiepiſcoporum, ſed iuſſu Imperatoris ſedem occupaſſet. Ad quos Alexius argute reſcribens, Si (inquit) ego contra canones ſedem aſcendi, abdicentur etiam illi, quos ego Metropolitanos elegi, dum vndecim annis cum dimidio Eccleſiam gubernaui: atque inſuper anathemate percutiantur tres Imperatores, quos ipſe coronaui: & ita cuilibet volenti ſede cedam. Itaque hac reſponſione accepta, qui cum Demetrio erant & pudore & metu perfuſi (maior enim illorum pars ab Alexio ordinati fuerant) penitus quieuerunt, ipſeque Ioannes continuit ſedis obtinendæ appetitum. Hæc Curopalates, & alii ex eo.

Conradi 11. Mich. Paphl. 4.

IESV CHRISTI AN. 1037.

BENED. IX. AN. 4.

I.

ANno Chriſti milleſimo trigeſimo ſeptimo, Indictione quinta, Conradus Imperator qui ſub finem anni ſuperioris Italiam petierat aduerſus Heribertum Mediolanenſem Archiepiſcopum aliosque Imperii perduelles: poſt Paſchale feſtum Rauennæ celebratum, Mediolanum obſedit, & omnia circum ad rebelles pertinentia vaſtauit. Ad quem Benedictus Papa Cremonam ſe contulit. Epiſcopi vero Placentinus, Cremonenſis, & Vercellenſis, accuſati pariter ab Imperatore, in exilium miſſi ſunt. Narrat hæc Hermannus [a] eius temporis ſcriptor. Porro iſta aduerſus Epiſcopos decreta, etſi non inconſulto Romano Pontifice qui aderat, feciſſe exiſtimandum ſit: tamen haud Deo placuiſſe, ex ſequenti immiſſa cœlitus vltione per peſtilentiam, quæ & Imperatoris pertigit domum, de qua ſuo loco dicturi ſumus, facile intelligi poteſt. Sed & Sigebertus tradit, cum die Pentecoſtes idem Imperator apud Mediolanum, in parua eccleſia ſecus vrbem regni coronam ad Miſſam acciperet, tam grauia adueniſſe tonitrua & fulgura, vt aliqui mente excederent, aliqui exhalarent: Brunonem vero Epiſcopum qui Miſſam canebat, & Secretarium Imperatoris, cum aliis tribus dixiſſe, ſe inter Miſſarum ſolemnia vidiſſe S. Ambroſium Imperatori comminantem. Hæc Sigebertus; ſed anno non ſuo, nempe trigeſimo nono poſt milleſimum.

a Herm. Contr. in Chro. edit. Caniſ. hoc an.

Relegatio Episcoporum ad Imp. facta, haud placita Deo.

II. Canonizatio S. Simeonis.

Hoc eodem anno (vt habet Trithemius in Chronico Hirſaugienſi) Benedictus Papa, agente Poppone Archiepiſcopo Treuirenſi, in SS. numerum retulit *Simeonem* anachoretam incluſum apud Treuiros, qui hoc eodem anno ex hac vita migrauit: cuius extant [b] res præclare geſtæ, eodem tempore ſcriptæ ab Euermino Abbate.

b Ap. Sur. 1. Iunii.

III.

Hoc item anno, nempe era milleſima ſeptuageſima quinta, bello ciuili inter ſe pugnantibus Hiſpaniæ Regibus, occiſoque Veremundo Rege Legionenſi à Magno Fernando Caſtellæ Rege ipſius cognato, iuncta ſunt poſtea ſimul in vnum duo illa regna: ex eoque tempore idem Fernandus magnopere propagans principatum, Conimbricam aliaſque ciuitates Mauris ademit; adiutus potiſſimum ope S. Iacobi Apoſtoli pro ipſo decertantis: ad cuius etiam ſepulchrum pro agendis gratiis ſæpe Compoſtellam peregrinatus eſt.

Conradi 12. Mich. Paphl. 5.

IESV CHRISTI AN. 1038.

BENEDICTI IX. AN. 5.

I. Expeditio Conradi Imp. in Ital. pro Casinat.

ANno Chriſti milleſimo trigeſimooctauo, Indictione ſexta, Conradus Imp. cum Benedicto Pontifice Romam ſe contulit, inde in Campaniam profecturus ad comprimendam tyrannidem Pandulphi Principis Capuani: duplici legatione Caſſinenſium monachorum, qui multa dira ab eodem tyranno per duodecim annos paſſi erant, ad eam expeditionem ſuſcipiendam permotus: quod teſtatur Leo [a] Oſtienſis, qui eam deſcribit, & quomodo idem Imperator cuncta in illis partibus optime compoſuerit, pluribus narrat. Porro ipſius exercitum in reditu ingenti peſtilentia afflictum eſſe, plurimoſque paſſim extinctos, interque illos Chunehildem vxorem Henrici filii ipſius Conradi, atque Hermannum Ducem Alemanniæ: Hermannus Contractus in Chronico affirmat. De irritis autem conatibus Pandulphi tam apud Imperatorem Conſtantinopolitanum, quam Northmannos, pro recuperando principatu quo priuatus à Conrado eſt: deque eius tandem reſtitutione per Henricum Conradi filium ingenti pretio facta: ac denique de ipſius infelici morte, & tum ob alia ſcelera, tum maxime ob rerū Eccleſiaſticarum rapinam, ad inferos damnatione, quam Deus per viſionem innoteſcere voluit: de his inquam, omnibus qui plura cupit eumdem qui ſupra Leonem conſulat.

a Leo Oſt. Chro. Caſin. li. 2. c. 66.

II. b Pet. Dam. ep. ad Desid. c. 13. 14. Visio de damnatione principis sacrilegi.

Verum quod ad eius damnationem attinet, narrat etiam Petrus [b] Damiani, acceptum (vt teſtatur) à Deſiderio Caſſinenſi Abbate, qui fuit poſtea Romanus Pontifex Victor Tertius, aliam ſimiliter viſionem oſtenſam ſeruo cuidam Dei ſolitariam vitam apud Neapolim agenti, de dæmonibus pabula ferentibus ad comburendos proxime morituros, eundem Pandulphum Principem Capuanum, & Ioannem Magiſtrum militum, damnatos ad inferos ob reprobam peractam vitam: quibus mortuis mons Veſuuius in flammas erupit. Siquidē (vt ait Petrus) quandocunq; in illis partibus præcipuus aliquis reprobus diues, vel alius inſignis peccator ſine pœnitētia moreretur, ignis erumpere de prædicto mōte videbatur tāquā; ſulphureæ reſinæ congeries fluere, vt torrentem faceret, atque decurrente impetu in mare deſcenderet. Licet autē poetice magis quam Theologice, credita ſint eiuſmodi terræ ora euomentia iugiter flammarū globos, eſſe inferni por-

ni portas, & quod idem ignis ſit ille inferni peccantibus præparatus, atq; id ſcripſiſſe reperiantur antiqui Theologi non vulgares, vt alias meminiſſe recolimus: tamen certum eſt iſta potius ſimilitudinem gerere gehennalis illius ignis, qui ſine luce ardens animas ſimul comburit & corpora, cui non paleæ aut ligna, ſed tantum peccata fomenta miniſtrent. Cæterum externis his ſignis ob oculos poſitis, Deum per viſum quam ſæpiſſime damnationem peccantium & impœnitentium oſtendere conſueuiſſe, non iſta tantum, ſed alia innumera exempla declarant.

III. S. Steph. Reg. Vngar. obitus.

Hoc eodem anno defunctum eſſe S. Stephanum Hungariæ Regem, qui his tẽporibus vixere nobiliores Chronographi ſcriptis tradidere, Hermannus & Marianus Scotus, qui & mala poſt eius obitum ex bellis ciuilibus & externis ſubſecuta, ſingulis certiſque annis conſignarunt, quæ vt fieri contigerunt recens audita ſcripſerunt: vt plane ſolidior eorum fides haberi debeat, quam Cartuitii, vel Bonfinii recentiorum auctorum, ante annos quatuor eiuſdem ad Deum tranſitum referentium. Sed & Leo[c] Oſtienſis ad hæc poſteriora tempora potius quam anteriora reducens eius miſſa ad monaſterium Caſſinenſe meminit. Quod autem Salomonem eius ſucceſſorem ponit, eſt omnino corrigendum: non enim Salomonem, ſed Petrum habuit ſucceſſorem, vt Hermãnus ait, ſororis ſuæ filium. Ipſum vero Cartuitius ait diem obiiſſe, ſicut cupierat, in Beatiſſimæ Virginis Aſſumptionis feſtiuitate, & ſepultura mandatum eſſe Albæregali in Eccleſia eidem ſanctiſſimæ Virgini dicata, quam ipſe ædificauerat, & nuper dedicandam curauerat: qui & eiuſdem Reginæ cœli patrocinio moriens, Eccleſiam ſui regni cum Clero & Epiſcopis, Regnumq; cum Primatibus & populo commendauit. At inuidia diaboli factum eſt, vt diu multumque regnum Hungaricum bellis ciuilibus & externis fuerit exagitatum, non ſine magno Chriſtianæ tum coaleſcentis religionis detrimento. Porro ipſius Stephani Regis corpus, poſt quadraginta quinque annos iuſſu Romani Pontificis eleuatum eſſe teſtantur eius Vitæ[d] Acta.

c Leo Oſt. li. 2 c. 79.

d ap. Sur. 20. Aug.

IV.

Hac pariter ſexta Indictione Gregorius cognomento Maniacus, militia clariſſimus ad debellandos Saracenos Siciliam occupantes à Michaele Imperatore Conſtantinopolitano miſſus, vniuerſam ſibi Inſulam feliciter ſubegit. Tradit hæc Curopalates. De quibus agens pariter Leo[e] Oſtienſis, tradit Maniacum à Guaimario Principe Salernitano petiiſſe auxilium Northmannorum, & accepiſſe: cumque Syracuſis potitus eſſet, corpus S. Luciæ inde ſublatum, & argenteæ thecæ incluſum, Conſtantinopolim cum omni honore tranſmiſiſſe.

e Leo Oſt. li. 2. c. 68.

S. Luciæ corpus Conſt. tranſlatum.

IESV CHRISTI AN. 1039.

Conradi 13. Mich. Paphl. 6.

BENED. IX. AN. 6.

I. Conradi Imp. obitus.

Anno Chriſti milleſimo trigeſimo nono, Indictione ſeptima, Nonis Iunii ipſa Pentecoſtes die tertia, Conradus Imperator apud Traiectum Friſię inopinata morte ſubito deceſſit: quod tradit Hermãnus, & alij eiuſdem temporis ſcriptores. Poſt eius vero mortem vacauit Imperium per aliquot annos in Regnum autem Germaniæ ſucceſſit ipſius filius Henricus, ab eo Rex antea inſtitutus. Quod vero Glaber[a] anno quadrageſimo primo poſt milleſimum contigiſſe tradat Conradi obitum, error putatur in codicem irrepſiſſe, vt loco vndequadrageſimi anni, vitio librariorum poſitum ſit XLI. Leo[b] autem Oſtienſis hunc annum terminum certum ponit vitæ Conradi.

a Gla. li. 5. c. 1.

b Leo Oſt. li. 2. c. 66.

II. Legatio Eccleſiæ Polon. ad Bened. PP.

Hoc eodem anno (vt Longinus eſt auctor) miſſa eſt legatio ab Eccleſia Polonorum ad Benedictum Papam aduerſus Brzetiſlaum Bœmiæ Ducem, quem vidimus Poloniam deuaſtaſſe, & impulſore Seuero Pragenſi Epiſcopo, corporibus Sanctorum aliiſque ſacris ornamentis ſpoliaſſe. Cum vero ſuper hæc contra eoſdem Brzetiſlaum & Seuerum Summus Pontifex perſonalem citationem promulgaſſet, ipſique Legatis Romam miſſis deuotione ac bellicæ facta ſua excuſarent: tum Papa eos grauiter increpans, oſtendit non licere quantumcumque iuſto bello Eccleſias Reliquiis ſacris aut rebus Deo dicatis ſpoliare, eaſque alio transferre ſine Sedis Apoſtolicæ ſpeciali auctoritate & conſenſu: cum bella hominibus, non cœleſtibus, aut ſacris indicantur: proinde niſi ſingula reſtituerentur, excommunicationem minatus eſt. Verum hæc omnia irrita permanſere, quod plerique Cardinalium ab iiſdem Legatis pretiis & precibus corrupti, Benedicto Papæ nonnullis rationibus perſuaſerunt, vt eiuſmodi cenſura ſuſpenderetur. Hæc omnia pluribus Longinus: ex quibus videas quales eſſent illi à Benedicto creati ſui ſimiles Cardinales, qui recta iudicia ſubuerterent: quamquam & quod iſta ad aliquot annos protelata fuerint, ob Schiſma quod in Eccleſia Romana inter tres conflatum eſt, eadem à Benedicto haud adeo legitime expediri potuiſſe, idem auctor tradit. Sed de ſchiſmate dicetur poſtea.

IESV CHRISTI AN. 1040.

Mich. Paphl. An. 7.

BENED. IX. AN. 7.

I.

Anno Chriſti milleſimo quadrageſimo, Indictione octaua (vt habet Curopalates) reuocato ex Sicilia Maniaco maieſtatis reo conſtituto, Saraceni ex Africa venientes eam Inſulam iterum occuparunt ſola relicta Meſſana, quam Catacalus cognomento Combuſtus, præfectus Imperatoris tenebat. Cum vero & hanc obſediſſent, eoſdem ob victorias negligentiores redditos, Catacalus ſuis prius ſacroſancto Euchariſtiæ myſterio communitis ſomno vinoque ſepultos inuadens, omnes vel trucidauit vna cum Apocaphar eorum Principe, vel ab Inſula penitus aufugere coegit: ingentem adeptus cum victoria prædam, adeo vt præter maximam auri & argenti copiam, margaritas pretioſoſque lapillos medimnis milites diuiſiſſe dicantur. Tradit hæc Curopalates, ex quo & Cedrenus.

Saraceni in Sicilia diuinitus ſuperati.

II. Concil. Venet.

Hoc eodem anno, aſſiſtente & fauente Dominico Flabanico Duce Venetiarum, celebratum eſt Venetus Concilium prouinciale in eccleſia Sancti Marci ſub Vrſo Patriarcha, in quo pleraque ſpectantia ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſtatuta fuerunt: quorum meminit in ſuo breui Chronico Andreas Dandulus.

IESV CHRISTI AN. 1041.

Mich. Paphl. An. 8.

BENEDICTI IX. AN. 8.

I.

Anno Chriſti milleſimo quadrageſimo primo. Indictione nona (vt ex Leone[a] Oſtienſi conſtat) Northmanni Arduino Longobardo Duce potiti ſunt Apulia, ſuperatoque Ducliano Græcorum exercitus principe, eamdem prouinciam pacifice poſſederunt, atque inter ſe diuiſerunt. Agit quoque de his Curopalates anno ſequenti: ſed eoſdem Northmannos, quod è Francia illuc veniſſent, Francorum nomine appellat.

II. Mich. IV moritur.

Eodem anno menſe Decembris, cœpta iam Indictione decima, Michael Imperator cum regnaſſet annos ſeptem, & menſes octo, mortuus eſt, confeſſus pœnitere ſe commiſſi facinoris in Romanum Imperatorem, ac fuſis lacrymis veri pœnitentis ſpecimen edens: creditumq; eſt, ſcelus potius fuiſſe fratris ipſius Ioannis machinatione commiſſum, quam eius voluntate, viri alioqui pii. Porro eadem hora qua ipſe mortuus eſt, Zoe Auguſta coronari iuſſit Michaelem eius nominis quintum, cognomento *Calephatem*, filium Stephani patruelis Imperatoris, quem & adoptauit in filium: ſed cum paulo poſt eam ingratus è throno depoſitam, atque in monacham attonſam, in exilium miſiſſet, idem totius populi voce repudiatus, lapidibuſ-

Mich. V Imp. coronatur, et mox abiicitur.

Theodora Aug.

dibuſque appetitus, in ſacrum templum confugere coactus eſt, ac Zoen reuocare: cum iam à populo ad Imperium vocata eſſet Zoes ſoror Theodora, quam longe antea ſub Romano Imperatore eadem Zoe in monaſterium detruſerat ne Imperii particeps fieret. Denique inſtans adhuc populus in Michaelem Calepharem, eiuſque fratrem, ambos è templo detractos, perque vias raptatos priuauit oculis; quod factum eſt menſe Aprilis anni ſequentis. Hæc omnia Curopalates, & ex eo Cedrenus, Zonaras, & alii.

III. Legatio Polon. pro recipiendo Caſimiro monacho in Regem.

Hoc item anno Redemptoris milleſimo quadrageſimo primo, ſub Benedicto Papa Nono: (ita enim hoc tempus conſignat Longinus canonicus Craconienſis, rerũ Polonarum ſcriptor ſinceriſſimus, cuius autographum aſſeruatur Romæ in Bibliotheca Vallicellana: ex quo iam plane euaneſcit aliorum ſcriptorum dubitatio, num hæc referenda potius fuerint ad Clementis Pontificatũ, quem nonniſi poſt ſex annos accidiſſe cõſtat.) cum res Polonorum internis & externis bellis in extremam ferme ruinam & deſperationem redactæ eſſent: conſilio tandem optimo à primoribus inito, miſſi ſunt Legati ad Caſimirum regni hæredem, quem poſt mortem patris expulerant, quærendum, & in patriam reducendum ad propulſandas innumeras clades quibus ea affligebatur. Qui cum ab eius matre, & ipſa in exilium cum filio in Germaniam pulſa, edocti locum in quo is degeret, Cluniacum in Galliam aduenientes, legationem expoſuiſſent: excipiente illo de profeſſione Regulæ S. Benedicti, & diaconatus ordine ſuſcepto: ac pariter Abbate S. Odilone reſpondente, ſe nequaquam de his poſſe cum ipſo diſpenſare, ſed recurrendum eſſe ad ſupremum in terris tribunal, Sedem videlicet Apoſtolicam Romam: iidem Romam ad Summum Pontificem contendentes, poſt longam in re tam noua, neque hactenus ad ſedem Apoſtolicam delata, cum Cardinalibus, aliiſque viris peritiſſimis deliberationem ab eodem Pontifice habitam: ob inſtantiſſimas Regni Poloniæ neceſſitates, ingentiaque quę ibi patrarentur mala, obtinuerunt Caſimirum ſibi Regem concedi, qui ſolus eis remedium afferre poſſe videretur: eidemque habitu ac regula monaſtica & gradu diaconatus ſoluto, vxorem ducere permitti, & regni ſucceſſores generare: ſed tamen iis conditionibus, quas Legati nomine totius regni ſuſceperunt: nempe (inquit totidem verbis Longinus) vt Polonorum regiones ac regnum, in ſignum præſtiti per Apoſtolicam Sedem, acceptique in magno neceſſitatis ſuæ articulo beneficii, Beato Petro, & ſucceſſoribus Romanis Pontificibus, de quolibet capite nobilium (capitibus circumſcriptis) vſualem nummum annis ſingulis ſoluere, cæſariem capitis & comam barbaro more non nutrire, ſed auribus patentibus, inſtar Religioſorum Latinarum nationum tonſuratum caput geſtare, & in præcipuis Chriſti & Virginis matris eius feſtiuitatibus panno lineo albo, in ſtolæ modum dependente, ceruicem exornare perpetuo ſit aſtrictum. vt his tribus inſignibus ex monacho & ex diacono Apoſtolica conceſſione & benignitate, cum aliter conterum periculum diſpelli non poſſet, Polonus Regem ſibi creatum & redditum recognoſcens, tam in Deum quam in religionem Chriſti eſſet gratior atque deuotior. Hæc Longinus. Sicque plane veluti aucto fœnore, pro vno ſibi oppignerato votis ſolemnibus monacho, eum cum reddidit Eccleſia, Polonos omnes quoddammodo tõſura monachos (quoad fieri licuit) habitus ſchemate ſolemnibus diebus religioſos præſeferentes. & annui penſitatione tributi perpetuo obligauit. Quod cum nobiles omnes pariter aſtrictos tradat antiquiſſimus Longinus, miramur quomodo poſtea Chromerus ea tributi penſitatione minime deuinctos fuiſſe dicat nobiles, neque clericos ſacris addictos. Ritum autem illum, vt cum Sanctum Euangelium in ſacris Miſſarum ſolemnibus inchoaretur, Poloni gladium ſtringerent, ac medio tenus euaginarent in ſignum prompti animi in defenſionẽ Euangelii, iam à tempore Miezeiſlai Polonorum Regis inoleuiſſe, idẽ Chromerus [b] tradit. Cæterum quomodo his acceptis à Sede Apoſtolica perpetuo conſeruandis decretis, Cluniacum reuerſi Legati Principem ſuum reduxerint in Poloniam, & ab eo regnum fuerit in ſtatum optimum reuocatum, exhibito ei ad debellandos hoſtes Angelico miniſterio: ac denique quomodo in gratiarum actionem monaſteria extruxerit, ad quæ habitanda ſuos ex Galliis vocauerit Cluniacenſes: idem auctor pluribus narrat. Sed hæc nobis ſatis ad inſtitutum.

Quibus conditionibus diſpenſatum fuerit cum Caſimiro.

b Chro. li. 3.

Caſim. regnum Polon. reſtituit.

IESV CHRISTI AN. 1042.

Mich. Caleph. An. 2.

BENED. IX. AN. 9.

I. Vuo tyran. perturbat Hungar.

Anno Chriſti milleſimo quadrageſimo ſecundo Indictione decima Ovo, ſiue Vuo tyrannus aduerſus Petrum Regem Hungariæ conſurgens, totius ferme Cleri populique conſenſu Rex coronatus eſt, vnico obnitente S. Gerardo Epiſcopo Chanodienſi, nobili Veneto, qui ab ineunte ætate monaſticum amplexus inſtitutum, cũ Hieroſolymam peregrinatus, in reditu à S. Stephano Rege in Hungaria conſiſtere coactus fuerat cultor illius Eccleſiæ: qui quidem ad coronationem Vuonis cum aliis vocatus, non ſolum non conſenſit, ſed & ſuggeſtum conſcendẽs, publice eumdem præſentem coram omnibus redarguit, prædicens eum anno tertio vſurpationis regni vltore gladio periturum. Porro triennii tempus vſq; ad necẽ tyranni, nõ exactum, ſed inchoatum, duntaxat intellexiſſe, declararunt euenta. Nam anno milleſimo quadrageſimo quarto liquet auctoritate Hermanni & aliorum, eum ab Henrico Germaniæ Rege debellatum, & Petrum reſtitutum: eumdemque deprehenſum Rex meritum ſupplicĩu ſubire iuſſit, eius capite amputato.

S. Gerardi Epiſc. libertas aduerſ. tyran.

II. Conſt. Monomachus Imp.

Quod autem ad res Orientales pertinet: hoc eodem anno eiecto ab Imperio Michaele Calephate, oculiſque priuato, Constantinvs cognomento *Monomachus*, qui in exilium miſſus fuerat à Ioanne fratre Michaelis Paphlagonis, reuocatus, iunctuſque Zoæ in matrimonium, Imperator coronatus eſt vndecima mẽſis Iunii. Qui cum poſtea pellicem ſubintroduxiſſet Romani Scleri ſororẽ: populo id exprobrante, & vlciſcendum clamante, pene periclitatus eſt. Hæc pluribus Curopalates, & alii ex eo: à quibus etiam res geſtas Monomachi, quæ ad bella pertinent, petant qui eas cupiunt.

IESV CHRISTI AN. 1043.

Const. Monom. An. 1.

BENED. IX. AN. 10.

I. S. Eduardus coronatur Rex Ang. a Ingulf. hist. an Roger. & alii.

Anno Chriſti milleſimo quadrageſimo tertio, Indictione vndecima, defunctis iam duobus filiis Cnuti Anglorum Regis, eius Regnum ſucceſſoribus: ex inſperato, ita Deo diſponente, omnium conſenſu electus eſt, qui diutius in Northmannia exulauerat S. Eduardus [a] Emmæ Reginæ ex Ethelredo olim legitimo Anglorum Rege filius: idque opera Goduuini Comitis potentiſſimi data ei in matrimonium filia Egitha, viri ſanctitati haud adeo impare: quam virginem, intactamque ab Eduardo ſeruatam eſſe, conſtans eſt aſſertio Scriptorum omnium. Porro iſta de immenſa Dei miſericordia erga Eccleſiam Anglicanam, diuinitus longe ante oſtenſa fuiſſe, in viſione S. Brithuuoldo VVintonenſi Epiſcopo, & ab eodem aliis annuntiata, tradit Villelmus [b] Malmesburienſis. At de S. Eduardo plura dicenda inferius ordine temporum.

b Malmesb. li. 2. c. 13.

II. Mich. Cerular. Patriar. Conſt.

Quod ad res pertinet Orientis: hac eadem Indictione vndecima, die vigeſima Februarii defunctus eſt Alexius Patriarcha Conſtantinopolitanus: inque locum eius ſubrogatus *Michael* cognomento *Cerularius*, qui à Ioanne Michaelis Paphlagonis fratre fuerat in exilium pulſus ob tyrannidem affectatam. Hæc Curopalates.

* * *

CONST. MONOMACH. AN. 2.

IESV CHRISTI AN. 1044.

GREGOR. VI. AN. 1.

I. SCHISMA IN ECCL. ROM.

ANno Chriſti milleſimo quadrageſimo quarto, Indictione duodecima, Romani (inquit Hermannus huius temporis auctor) Benedictum Papam multis criminatum ſede ſua pellunt, & Silueſtrum Tertium quemdam in eius locum ſtatuunt: quem tamen poſtea Benedictus quibuſdam ſibi fauentibus excommunicatum depulit, ſedique ſuæ redditus, ſeipſum poſtea priuauit, & alium pro ſe ob auaritiam, contra canones ordinauit. Iſta Hermannus.

II. Quæ vt exactius cognoſcantur, ſciendum eſt quod cũ duæ potentiſſimæ tunc temporis in Vrbe vigerent factiones, altera Tuſculanorum Comitum, à quibus intruſum vidimus Benedictum: altera Ptolemæi Romani ciuis, qui magna iactantia vane gloriabatur familiam ſuam Octauię eſſe gentis: (quod tradit Petrus [a] Diaconus, dum huius filium Ptolemæum itidem nominatum, in vxorem duxiſſe filiam Henrici Quarti Imperatoris narrat.) Romani haud diutius ferre valentes Benedicti turpitudinem vbique decantatam, & à bonis omnibus deploratam; contra potentiam Comitum Tuſculanorum adiuti fauore Conſulis Ptolemæi, eumdem Benedictum reiecerunt, & alium quem nominauere SILVESTRVM ſubrogarunt: qui Ioannes antea dictus (ſicut docet Leo [b] Oſtienſis) & ipſe collecta pecunia è Sabinenſi Eccleſia ad ſedem Pontificalem euectus, cum vix tribus menſibus eam rexiſſet, à Benedicto, annitentibus Tuſculanis proceribus, expulſus eſt. Nec multo poſt ipſe Benedictus, inuiſum ſe cunctis cernens, Ioanni Romanæ Eccleſiæ Archipreſbytero Põtificatu tradito, ipſe cupiditates ſuas liberius executurus in paternam ſe recepit domum. Scribit hæc Leo. At vero Benedictum à praua ſua vita reſipiſcentem, perſuaſione viri ſanctiſſimi Bartholomæi Abbatis Cryptæ Ferratæ, diſcipuli S. Nili ſponte Pontificatui ceſſiſſe, eius Acta ſignificant. Certum eſt t[a]men, eumdem Benedictum dimiſſam repetiiſſe Cathe[d]ra[m]. Traditque Otto Friſingenſis, ſimul tres illos Antipontifices Romæ ſedere viſos eſſe, vnum ad S. Petrum alterum ad S. Mariam Maiorem, tertium, nempe Benedictum, in palatio Lateranenſi; omneſque flagitioſam ac turpem vit[a]m duxiſſe; vt ſe ab ipſis Romanis in Vrbe audiuiſſe teſtatur.

a Petr. Diac. Chron. Caſſin. lib. 4. c. 63.

SILVESTER III. ANTIP. b Leo Oſt. Chron. Caſſin. lib. 2. cap. 80.

TRES SIMVL ANTIPONTIFICES.

III. Hunc autem miſerrimum ſtatum Eccleſiæ (ſubdit Otto) religioſus quidam preſbyter, Gratianus nomine, videns, zeloque pietatis matri ſuæ compatiens, prefatos viros adiit, eiſque à Sede Sancta cedere, pecunia perſuaſit; Bendicto, quia maioris videbatur eſſe auctoritatis; redditibus Angliæ relictis. Ob quæ ciues eumdem ipſum Gratianum preſbyterum, tanquam Eccleſiæ Dei liberatorẽ, in Summum Pontificem elegerunt, ac mutato nomine GREGORIVM Sextum vocauerunt. Hæc Otto: eaque ſunt quæ loco ſimoniæ Gregorio poſtea obiecta fuere: ſed an emptio Sedis, vel redemptio potius vexationis tranſactio iſta adeo neceſſaria ad pellendos intruſos Pontifices fuerit, periti canonum omnes facile iudicabunt. Vnum hoc liquet, eumdem Gregorium Sextum vere germanum atque legitimum Pontificem à viris ſanctiſſimis atq; doctiſſimis eius temporis habitum eſſe, nempe ab Hildebrando poſtea Gregorio Septimo, & à Petro Damiani, aliiſque viris inprimis ſimoniacorum hoſtibus implacabilibus. Id enim de Gregorio Septimo ęque teſtatur Otto Friſingenſis; ac conſtat ex Actis Concilij Romani celebrati anno Redemptoris milleſimo octogeſimo, eiuſdem Gregorii Septimi Pontificatus anno ſeptimo. De Petro autem Damiani fidem facit eius epiſtola ad eumdẽ Gregorium Sextum ſcripta, qua ipſi congratulatus eſt, quod Eccleſia Dei per eius canonicam electionem, ſimonię & turpitudinum ſordibus expurgatis priſtinum decorem eſſet conſecuta. Ac denique Glaber [c] eius pariter temporis ſcriptor, eumdem Gregorium ſummopere laudans poſt Benedictum (inquit) conſenſu totius Populi Romani eiectum, loco eius [illegible] eſt vir religioſiſſimus ac ſanctitate perſpicuus Gregorius natione Romanus; cuius bona fama, quicquid prior fœdauerat, in melius reformauit. Ex quibus omnibus redarguas errores aliorum, qui inter ſpurios atque ſchiſmate notatos Pontifices reiecerunt Gregorium Sextum. Sed & qui eumdem cum Ioanne Archipreſbytero conflant in vnum, atque inter tres illos probatos numerant, redarguuntur inprimis ex Ottone, qui extra illos recenſet Gratianum creatum poſt eoſdem abdicatos: itemque ex Petro Damiani, qui æque illam Gratianum, & nõ Ioannem antea nominatum fuiſſe, iterum tradit: idque ipſum aſſerit Hermannus, & alii omnes, excepto Bennone ſchiſmaticorum ſignifero, qui vt eum inter illos tres collocet, non Gratianum tantum, ſed Ioannem Gratianum appellat, eumdemque empti Pontificatus accuſat. Sed à Bennone omnium mendaciſſimo & perditiſſimo improbari, hoc ipſum eſt ab improbis ſeparari, & in omnibus probari.

GREG. VI. LEGITIMVS PONT.

c Glab. lib. 5. [illegible]

ERRORES DE GREG. VI.

IV. Quod vero ad eiuſdem Gregorii Sexti res geſtas attinet; deſcribens illas ex parte Wilhelmus [d] Malmeſburienſis ſequentis ſæculi ſcriptor, eum magnæ religionis & ſeueritatis virum appellans, quomodo Romani Apoſtolatus ſtatum per incuriam anteceſſorum ſuorum diminutum, in antiquum ius reformauerit; & quos non potuiſſet lenibus verbis, aut etiam cenſuris Eccleſiaſticis, comprimere viarum graſſatores, alioſque prædones qui intra ipſas etiam Vrbis eccleſias oblationes peregrinorum ad Limina Apoſtolorum accedentium rapere conſueuerant armis coercuerit, & multas ciuitates ac poſſeſſiones ad Eccleſiam Romanam pertinentes recuperauerit; pacem denique & ſecuritatem tamquam ex poſtliminio reduxerit: vnde & ei ab improbis inuidiam conflatam eſſe ait: Quomodo vero hæc aduerſus eum, Henricum Germaniæ Regem in Italiam prouocauerint, & vt ſede cederet effecerint, dicetur ſuo loco. Cum autem tenuiſſe Sedem annos duos & menſes octo, Leo Oſtienſis dicat; plane opus eſt affirmare, hæc de eius electione contigiſſe in fine menſis Aprilis, cum conſtet abdicationem factam eſſe in fine anni Redemptoris milleſimi quadrageſimi ſexti.

d Malmesb. lib. 2. c. 13.

QVANTA BONA PER GREG. VI REVOCATA.

CONST. MONOM. AN. 3.

IESV CHRISTI AN. 1045.

GREG. VI. AN. 2.

I. LEGATI A CASIM. REGE POLON. MISSI AD SED. APOST.

ANno Chriſti milleſimo quadrageſimo quinto, Indictione decimatertia Caſimirus Poloniæ Rex compoſitis regni ſui rebus, promiſſi memor Legatos Romam ad Sedem Apoſtolicam miſit, qui impoſitum tributum Denarii S. Petri ferrent. Rem geſtam pluribus narrat Lõginus ſæpe citatus; qui per annos ſingulos res Polonorum proſecutus eſt. Sed quod ait ad Benedictum Papam Nonum eiuſmodi miſſam eſſe legationem, quem vidimus anno ſuperiori ceſſiſſe Gregorio: fieri potuit vt Benedictus exegerit, acceperit vero Gregorius. Ait igitur cum Poloniæ Regnum Caſimiro ſtabilitum Benedictus intellexiſſet, miſſo ad eum Nuntio, petiiſſe vt iuxta Legatorum Polonorum Romæ factam ſponſionem, ipſiuſque Caſimiri ſubſecutam confirmationem, mandaret capitis cenſum de vniuerſis Regni Poloniæ prouinciis conquiſitis & conquirendis, Collectoribus Apoſtolicis ſingulis annis exhiberi debitum. Volentem autem Caſimirum parere pactis promiſſis, generalem omnium ſuarum prouinciarum indixiſſe Conuentum, atque in eo concordi omnium conſenſu eiuſmodi pollicitationem decretam & innouatam eſſe, & vniuerſali mandato ſolutionem vnius vſualis oboli de capite, tam ciuitates, quam oppida, vicoſque & rura colentium in duabus prouinciis Gneſnenſi & Cracouienſi, ac diœceſibus eiſdem ſubiectis impetratam: ſicque ab eo tempore Regnum Poloniæ factum eſſe Romanæ Eccleſiæ, & Vicario IESV CHRISTI Summo Pontifici feudale & tributarium; nec vmquam tributi prædicti (quod Denarius S. Petri dicebatur) ſolutionem quacumque occaſione aut pacto intermiſſam eſſe

REGNVM POLON. TRIBVTARIVM SED. APOST.

aut reſciſſam; quippe licet viſum eſſet primo Polonis difficile & graue, poſtea tamen profectus varios & commoda regno Poloniæ præſtitiſſe, ac continuo præſtare cognitum eſſet: vt non ab homine, ſed ab ipſo Deo impoſitio illa viſa fuerit profluxiſſe. Quænam autem hæc fuerint commoda, pergit pluribus declarare idem Longinus, & ipſe nobilis Polonus, ac veritatis amantiſſimus. Hæc vero omnia cum Chromerus prætermiſerit, quomodo non inofficioſus arguendus?

II. S. GVNTHERI EREMITÆ OBITVS.

Hoc eodem anno in Boemia vir ſanctiſſimus *Guntherus*, S. Stephani Regis Hungariæ cognatus, poſt viſitata Apoſtolorum Limina pro tranſactæ vitæ deuiis, & nouæ ingreſſu, factus monachus in monaſterio Abbatenſi, demum eremita in ſilua Boemiæ, exactis ibi annis triginta ſeptem, ſanctitate celebris migrauit ad Deum, & multis poſt obitum illuſtratus eſt miraculis: cuius extant [a] res præclaræ geſtæ ſcriptæ ab eius familiare notiſſimo.

[a] *ap. Caniſ. in Antiq. Lect.*

III. NORTHMANNI S. BENEDICTI OPE CÆSI.

Hoc item anno Northmanni, qui Apulia potiti terribiles redditi erant omnib. ob ingentem arrogantiam propter partas victorias, cum ſub ſtipendio conducti ad tuendas res monaſterii Caſſinenſis, id fideliſſime ſicut & fortiſſime præſtitiſſent, ſed poſtea eius occupantes vicos & oppida, ipſum etiam Abbatem captiuum ducere deliberaſſent; iidem à monachis, ope diuina, ipſoque S. Benedicto pro ſuis pugnante, retortis in eos ſuis ipſorum telis, debellati ſunt, & ab omni monaſterii iuriſdictione expulſi: quam rem geſtam memoria dignam, pluribus narrat Leo [b] Oſtienſis.

[b] *Leo Oſt. li. 2. ca. 71. & ſeqq.*

CONST. MONOM. AN. 4.

IESV CHRISTI AN. 1046.

GREG. VI. AN. 3.

I. GREG. PP. DEPONITVR AB HENR. REGE, ET CLEMENS II. ERIGITVR.

ANno Chriſti milleſimo quadrageſimo ſexto, Indictione decimaquarta, Henricus Rex Germaniæ in Italiam cum exercitu veniens, Papiæ SYNODVM celebrauit; indeque Placentiam accedens, Gratianum (nempe Gregorium Papam Sextum) ad ſe venientem honorifice ſuſcepit: iuxta vero Natalem Domini, non longe ab Vrbe Roma apud Sutriam SYNODO item acta, cauſaque erroneorum Pontificum diligentius ventilata; eumdem Gratianum Papam conuictum, baculo paſtorali priuauit: ac deinde omnium, tam Romanorum, quam aliorum conſenſu, Sindigerum ſiue Suidgerum natione Saxonem, Epiſcopum Bambergenſem, multum reluctantem, Summum Romanæ Eccleſiæ elegit Pontificem; qui ipſa Natalis Domini die Romæ ex more conſecratus, CLEMENS Secundus vocatus eſt: idemque die eadem HENRICVM Regem, & coniugem eius Agnetem (filiam Willelmi Comitis Pictauēſis) Imperiali benedictione ſublimauit. Hęc iiſdem ferme verbis Hermannus temporis huius auctor; quorum etiam meminerunt Otto Friſingenſis, Leo [a] Oſtienſis, & alij.

HENR. II. IMP.

[a] *Leo lib. 2. c. 80.*

II. DE CAVSA GREG. VI.

Ceterum ex iis quæ tum hic, tum ſuperius dicta ſunt, errare liquet eos qui dixerunt Henricum veniſſe Romā ad deponendos tres Pontifices, qui eodem tempore in Eccleſia Romana ſederent. Hæc enim iam facta & abſoluta eſſe ante biennium, cum Gregorius eſt electus, vidimus; neque poſtea alium quam Gregorium ſediſſe liquet. Quod ergo iudicium in Sutrino Concilio, aduerſus tres illos fuiſſe ventilatum, Hermannus oſtēdit; nullum aliud eſſe potuit, niſi vt redditibus priuarentur, quos cum illis transigens Gratianus, percipiendos eiſdē reliquiſſet: quorum gratia idem eſt poſtulatus in eodem Concilio, iudicio ſimoniæ; ſed quanta ratione, quæ ſuo loco dicta ſunt docent. Hos autem quos potuit prætextus venatus eſt Henricus, vt deponeret eum, quem nullo petito Regis ſuffragio noſſet à Romanis Pontificem eſſe creatum; ne eiuſmodi licentiam ſibi Romanus populus vſurparet. Quod vero ſanctiſſimus Papa cerneret [1] ea occaſione durum ſchiſma eſſe conflandum, imitatus ipſe Gregorius Gregorium Nazianzenum, qui ob pacem Eccleſiæ conciliandam Epiſcopatu Conſtantinopolitano ſponte ſe abdicauit; & ipſe eodem animo eademque virtute, Pontificia Sede Romana libenter ceſſit. Et quod viueret adhuc Benedictus ille, inhians denuo (vt declarunt euenta) ſedi relictæ: expedire tunc viſum eſt, vt ad comprimendam audaciam Tuſculanorum Comitum, pro arbitrio Sedem Apoſtolicam inuadentium ac deturpantium, ipſe Henricus quem optimum eligendum cenſeret, acciperet. Ex euentu porro, qui feliciter ceſſit cum eorumdem Comitum, fuit audacia factioſa compreſſa, laudata reperitur à pluribus Henrici deteſtanda præſumptio, qua negotium faceſſere Gregorio legitimo Chriſti Vicario non eſt veritus; ſic malo filio, peſſimoque nepoti relinquens exemplum peiora etiam attentādi. Qui quidem peruicax error tranſiit in hæreſim dictam *Henricianam*, communem cum impiis noſtri temporis *Politicis*, qui volunt Imperatoribus ſiue Regibus non temporalia tantum, ſed ſpiritalia eſſe ſubiecta, ipſamque adeo Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam Romanam, omnium Matrem atque Magiſtram.

HENR. INCONCILIENTIA... [illegible]

IESV CHRISTI AN. 1047.

HENRICI II. I. CONST. MONOM.

CLEMEMTIS II. AN. 1.

I. CONCIL. ROM. A CONTRA SIMONIACOS.

ANno Chriſti milleſimo quadrageſimo ſeptimo, Indictione, decimaquinta, Clemens Papa ad reformandum Eccleſiæ ſtatum, Romæ CONCILIVM habuit; in quo illud potiſſimum conatus eſt cum Epiſcopis, annitente Imperatore, vt ſimoniacos vepres, qui adeo excreuiſſent vt patris familias ſuffocarent ſementem, non modo ſucciderer, ſed penitus eradicaret, nōnullis ea de re canonibus ſancitis: vt teſtatur Petrus [a] Damiani in epiſtola ad Henricum Archiepiſcopum Rauennatem. Quem & ipſum *Petrum*, Auellanenſis eremi incolam celebris nominis tum ſanctitate tum etiam doctrina, iterum atque iterum ab Imperatore iuſſum eſſe Romam ad Pontificem ſe conferre, conſtat ex ipſius epiſtola ad eumdem Clementē ſcripta. Quod enim magnopere ſatageret Imperator, quē creaſſet Pōtificem communire; exiſtimamus ea occaſione voluiſſe vt Petrus illum conueniret, quo tantum virum latentem in eremo ad Eccleſiaſtica ſubeunda negotia ſenſim perduceret.

[a] *Pet. Dam. ep. ad Henr. Rauen. ... & 10.*

PETRVS DAMIAN. ROMAM VOCATVS.

II. IMP. DVCIT IN GERM. CLEM. ET GREGOR. PONT.

His autem Romæ confectis Imperator reditum cogitans, voluit primum inuiſiſſe monaſterium Caſſinenſe & Campaniæ atque Samnitum oras, vt ea componeret quæ turbata atque male diſpoſita repeeriſſet: cuius iter, reſque in eo geſtas, relegens breuiter Leo [b] Oſtienſis, addit ipſū poſt hæc in patrium rediiſſe ſolum, ac ſecum Clementem Papam adduxiſſe. Timebat videlicet ei, quod depoſito Gregorio Romano, & ſubrogato Germano homine, Romanos non mediocriter offendiſſet. Ideoq; ne præſente Gregorio Romæ aliquid innouaretur, illum etiam ſecum in Germaniam duxiſſe certum eſt: quem comitatus eſt tunc Hildebrandus eius diſcipulus, natione Tuſcus patria Saonenſis, qui poſtea creatus Romanus Pontifex dictus eſt Gregorius VII. Teſtatus eſt enim id ipſe in Concilio Romano celebrato anno milleſimo octogeſimo. Qui quidem in Gallias profectus, apud Cluniacenſes, penes quos ſciebat monaſticam vigere obſeruantiam, habitauit monachus inter monachos.

[b] *Leo lib. 2. cap. ...*

III. CONCIL. IN GERM. ADVERSVS SIMONIACOS.

Quid autem poſt hæc egerit Imperator, Glabri [c] teſtificatione liquet eum ab Vrbe reuerſum collegiſſe CONCILIVM Epiſcoporum totius Imperii ſui ad extirpandam, quæ tunc vbique vigebat, ſimoniacam prauitatem, in eoque grauiter elaboraſſe. Sed & quid nuper hoc eodem anno quo creatus eſt Imperator, eidem contigerit, VVillelmus [d] Malmesburienſis, & alij poſt eum narrantes tradunt quod cum tempore Conradi patris ſui à quodā clerico fiſtulam tuliſſet argenteam, qua pueri ludo aquam iaculantur, pactus Epiſcopatum cum foret Imperator; adultuſq; repetenti pollicitum impigre dediſſet: haud multo poſt aſpera valetudine correptus, cum triduo abſque ſenſu & mutus iacuiſſet, ope indictarum ab Epiſcopis publica-

[c] *Glab. lib. ... cap. 5.*

[d] *Malmesb. de geſt. Angl. lib. 2. c. 13.*

IMP. VEXATVR A DÆMON. OB EPISCOPATVM INIVSTE COLLATVM.

blicarum precum conualeſcens, accitum Epiſcopum quẽ iniuſte fecerat, ſententia Concilii depoſuerit, profeſſus ſe toto triduo dæmones infeſtos vidiſſe, flagrantiſſimam in ſe flammam per fiſtulam iaculantes; ſed iuuenem inter hæc ſemiuſtulatum aduentaſſe, ferentem immenſæ magnitudinis calicem aureum aqua plenum, cuius aſperſione extinctis ardoribus ſanitatem recuperaſſet. Porro iuuenis ille fuit S. Laurentius, cuius Eccleſiæ tectum longa carie diſſolutum idem Henricus compaginauerat, & præter alia dona calice aureo honorificauerat. Hæc quidem illi. Ceterum Glaber, præter alias virtutes, commendans quoque tanti Principis fortitudinem bellicam, vitiũ tamen quod ei intime inhærebat deplorat, nempe incontinentiam & carnis luxuriam.

IV. CLEM. PP. OBITVS. BENED. IX. RVRSVM INVADIT SEDEM.

Hoc eodem anno, ſeptimo Idus Octobris, *Clemens* Papa poſt nouem menſes à promotione ſua, in Germania ex hac vita migrauit; ſepeliendusque delatus eſt in ſuum olim Epiſcopatum Bambergam. Tradit hæc Hermannus; ſimulque Leo hoc anno, alii omnes poſt eum. Subrogationem autem ſucceſſoris, nonniſi anno ſequenti factam idem docet Hermannus. Siquidem audito Romæ obitu Clementis, *Benedictus* Nonus iam iterum pulſus, adhuc tertio inuaſit Sedem: quam octo menſes tenuiſſe, Leo [c] eſt auctor. Agemus igitur de eius ſucceſſore anno ſequenti.

c Leo Oſt. l. 2. cap. 81.

V. HVNGAR. ECCL. GRAVEM PERSECVT. PASSA.

Eodem anno Hungari cõcitati à regni proceribus, rurſum à Rege ſuo Petro deficientes, eumdemque tentum excæcantes Andreã Ducem ab exilio reuocarunt, ac Regem conſtituerunt: à quo etiam diabolico furore perciti impetrarunt vt à Chriſtiana religione deficerent, dæmonibuſq; ſacrificia immolarent. Qui & in Chriſtianos graſſantes, atque in eccleſias irrumpentes, iiſdem ſpoliatis & incenſis, clericos etiam ac monachos diris ſuppliciis afficere; parique impetu in Regios miniſtros, & alios quoſcumque ſiue gentiles ſuos, ſiue externos apud ſe inuentos, qui Chriſtiano nomine cenſerentur, irruperunt: fuitque talis perſecutio, vt ſi diutius perduraſſet, omne prorſus Chriſtianitatis nomen in Hungaria aboleuiſſet. Quas diras clades recenſent complures, & inter alios qui res Polonorum proſecutus eſt Longinus: eaque perſecutione cum aliis quamplurimis ſublatum eſſe martyrio S. *Gerardum* Chanodienſem Epiſcopum narrat; quod & alij plerique teſtantur: res vero geſta fuſius deſcribitur in eiuſdem Sancti Rebus [f] geſtis, ab eius temporis auctore conſcriptis; vbi & dicitur primus Pannoniæ ſiue Hungariæ martyr: cuius poſtea corpus iuſſu Gregorii Papæ Septimi eleuatum, Rex Ladiſlaus ac Principes propriis humeris tranſtulerunt. Defuncto autem Petro, & Andrea in Regem recepto, coronatoque ſolemnibus ritibus à tribus regni Epiſcopis; vt res compoſuit, eaſdem etiam bene diſpoſuit, agens ſummo ſtudio vt ablegata penitus idololatria, ſacroſancta Chriſtiana religio poſtlimino reſtituta vireſceret: quod factum poſt annum ſequentem idem Longinus affirmat.

f ap. Sur. 24. Sept.

VI. GODEFR. DVCIS LOTHAR. POENITENTIA.

Contigit hoc item anno, Hermanno & Sigeberto teſtibus, (licet anno ſuperiori id factum Lambertus affirmet,) incendium Virdunenſe, opera Godefridi Lotharingiæ Ducis, deſperatione rebellantis ob ſublatum ſibi ab Imperatore Ducatum. Cum autem Dei-Genitricis templum ibidem exuſtum fuiſſet, ſpontaneæ pœnitentiæ ipſe poſteris dignum reliquit exemplum, dum (quod ait Lambertus) publice ſe verberari fecit, & capillos ſuos vt tonderentur multa pecunia redemit; ſumptuſque ad reædificandam eccleſiam dedit, & in opere cæmentario per ſeipſum plerumque vilis mancipii miniſterio functus deſeruiuit. Extatque hactenus in commentario Stemmatis Lotharingiæ Ducum, fragmentum diplomatis [g], quo in pœnitentiam eiuſmodi reatus idem Godefredus illius eccleſiæ promittit reædificationem, eique donat in perpetuum quartam partem Comitatus ſui Virdunenſis. Ceterum qui tantum Chriſtiano Principe dignum veræ pœnitentiæ ſpecimen edidit, longe maiorem etiam in terrenis ſpatiis retributionem eſt conſecutus; dum paulo poſt ex coniugio Beatricis Tuſciæ & Liguriæ Marchioniſſæ, factus eſt dominus maioris partis Italiæ: de quo variis occaſionibus ſæpe inferius agendum erit.

g in exempl. diplom. nu. 41.

IESV CHRISTI AN. 1048.

HENRICI II. 2. CONST. MONOM. 6.

DAMASI II. AN. 1.

I.

ANno Chriſti milleſimo quadrageſimo octauo, Indictione prima, afflictata Romana Eccleſia à Benedicto tertium eius inuaſore, ab Imperatore miſſus eſt Romam Poppo Epiſcopus Brixienſis (licet alij Aquileienſem dicant) Pontifex conſecrandus; qui ſuffragiis omnium electus & comprobatus, nominatus eſt DAMASVS Secundus. Hæc ex Leone [a] Oſtienſi, Hermanno in Chronicis hoc anno, & aliis qui & ſedis eius tempus perbreue fuiſſe affirmant, nempe viginti trium dierum; defunctumque Præneſte (vt Leo habet) delatum in Vrbem, ſepultum eſſe in eccleſia S. Laurentii extra muros. Veneno ſublatum Benno ait opera Benedicti. Sed cum hiſtorici huius plura ſint mendacia quam verba, quid affirmari poſſit nihil eſt penitus; vt qui (ne decipiaris auctoritate eius) dicendus plane prudentium lectorum ſententia non hiſtoricus, ſed ſatyricus, idemque calumnioſus fabularum contextor; quippe qui mentiendi, & detrahendi, monſtruoſaque de inſignib. pietate viris fingendi, de nequiſſimis vero optima quæque componendi, ſumpſit ſibi licentiam. Ceterum è medio ſubducto Damaſo, vacauit Sedes vſque in annum ſequentem, diſcerpta interim vnguibus inuaſoris Benedicti, eiuſdemque fœdata ſpurcitiis.

a Leo lib. 2. cap. 81.

DAMAS. II PAPA CREATVR, ET MORITVR.

QVALIS BENNO SCHISMAT.

II. S. ODILONIS ABB. CLVNIAC. OBITVS.

Hoc eodem anno, ipſo eius exordio, Calendis Ianuarii, admirandus ille *Odilo* Cluniacenſis Abbas, ſæculi huius aſtrum luculentiſſimum, quem (vt vidimus) Reges Imperatores, atque Romani Pontifices coluerunt, quemque præ egregia virtutum excellentia Fulbertus [b] nominat Archangelum; ex hoc mundo apud Siluiniacum migrauit in cælum, ætatis anno octogeſimo ſeptimo, ordinationis quinquageſimo ſexto; vt tradit Petrus Damiani ipſius Rebus [c] geſtis, quas tunc ex parte collegit cum Pontificia functus in Gallia legatione nobile Cluniacenſe cœnobium viſitauit; Hugoniſque eiuſdem S. Odilonis ſucceſſoris precibus exoratus, non tam ſcriptoris quam breuiatoris multiplicium rerum ab aliis collectarum functus eſt munere, vt ipſe præfatur.

b Fulb. ... c ap. Sur. ... Ianuar.

III. DEDIT ANNIVERS. OMNIVM DEFVNCT.

Illud autem de eodem S. Odilone notatione digniſſimum idem Petrus teſtatur; nempe fuiſſe ipſius inſtitutionem, vt die ſecunda Nouembris omniũ in Domino quieſcentium memoria ageretur, ſicut pridie agi conſueuit omnium Sanctorum. Quod autem ſcribit Petrus, conſitetur etiam abſque inuidia ipſa Romana Eccleſia in Martyrologio [d], dum ipſius natalem diem recolens, eum tradit primum extitiſſe, qui commemorationem omnium Fidelium defunctorum prima die poſt feſtum omnium Sanctorum in ſuis monaſteriis fieri præcepit; cumque ritum poſtea vniuerſalem Eccleſiam recipientem comprobaſſe. Meminitque pariter huius inſtitutionis ab eodem factæ, Sigebertus anno Domini nongenteſimo nonageſimo octauo. Et dilucidè Glaber [e] ait quod cum ex pluribus diuerſiſque reuelationibus Dei famulis diuinitus oſtenſis, innotuiſſet complures animas orationibus potiſſimũ Cluniacenſium monachorum, in id præ ceteris incumbentium à pœnis purgatorii liberari; ſanctiſſimus eorũ Abbas Odilo propenſiori ſollicitudine cœptum pietatis opus proſequi curans, præter alia plura quotidiana ſuffragia, quibus animabus defunctorum iugiter conſueuerat ſubuenire, anniuerſarium ſtatuerit diem, qua pro omnibus Deo ſacrificia per omnia ſibi ſubdita monaſteria offerrentur. Vt autem ſtatuta ad id fuerit dies ſequens à commemoratione Sanctorum omnium, ex ordine Officii Eccleſiaſtici ratio ſumpta videtur. Nam qui ducentis fere ante hæc tempora vixit annis, Amalarius Fortunatus Epiſcopus Treuerenſis, in libris ſuis de Officijs [f] Eccleſiaſticis ait, ſe poſt officium Sanctorum inſeruiſſe officium pro

d Mar. 1. Ian. & 2. Nou. ...

e Glab. lib. 5. c. 1.

f Amalar. lib. de ord. Antiph. c. 65.

mortuis, quod multi tranſeant de præſenti ſæculo, qui non illico Sanctis coniungantur; pro quibus ſolito more officium agi debeat.

IV. TVRCARVM PROGRESSVS.

Quod ad res pertinet Orientis; hoc ipſo anno, Indictione prima, TVRCÆ, qui ad Boreales partes Cauenſis montis ſedes habebant, ſeq; patriis finibus continere, nec inde niſi ad ſtipendia inuitati recedere conſueuerant; eadem occaſione à Perſarum Rege Saraceno vocati, ab eodemq; male habiti, in ipſum arma conuertentes, felici ſucceſſu Perſide ſunt potiti; & ex his euentis audaciores redditi, aduerſus Romanum Imperium arma mouentes, eo domito tandem potiti ſunt. Quæ quidem hoc anno cœpta eſſe teſtatur Curopalates, reſque tunc ſub Conſtantino Monomacho geſtas fuſius ſcribit; ex quo Cedrenus, & alij deſcripſerunt. Eaque ex Dei vindicta contigiſſe in Orientalium ſchiſmaticorum vltionem, declararunt euenta. Nec abſque conſideratione prætereundum eſt, quod eo tempore ſunt Turcæ in damna illius Imperii educti, cum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ male præeſſet ſchiſmaticorum ſignifer Michael Cerularius, Latinorum omnium infenſiſſimus hoſtis.

HENRICI II. 3. CONST. MONOM. 7.

IESV CHRISTI AN. 1049.

LEON. IX. AN. 1.

ANno Chriſti milleſimo quadrageſimo nono, Indictione ſecunda, poſt menſes quinq; vacationis Sedis ab obitu Damaſi Papæ, Bruno ex Comite, Dagſpurgenſi & Epiſcopo Tullenſi in Leucis, maximo bono totius Eccleſiæ Catholicæ, creatus eſt Romanus Pontifex, dictuſq; Leo Nonus. Sed hæc quomodo ſe habuerunt, ex eius ſæculi Scriptoribus inprimis ſunt perquirenda.

LEO PAPA IX.

II.

Defuncto igitur (vt dictum) Damaſo, & Benedicto ſedem rurſum ſibi vendicare nitente, ne tale monſtrum iterum ſubire ſancta Eccleſia cogeretur, neceſſaria miſſa eſt à Romanis in Germaniam legatio ad Henricum Imperatorē, qua petierunt Pontificem ab eo dari: Ita Lambertus hoc anno. Porro legationē à Cardinalibus fuiſſe miſſam, non vt ipſe Imperator Papam eligeret, ſed quem ſibi vtilem fore putaret, Romam mitteret, vt ex more conſilio Cardinalium in ipſa Vrbe Pontifex eligeretur, nec Benno quidem aduerſarius negat. A Romanis quidem ipſum electum, teſtatur Leo [a] Oſtienſis. Quare quod alij dicunt electum ab Imperatore, ab ipſo delectum intelligas, ſed poſtea electum à Cardinalibus. Otto autem Friſingenſis rem geſtam narrans, ait Brunonem Tullenſium Epiſcopum, ex nobili Francorum proſapia oriundum, auctoritate regalis excellentiæ ad Sedem Beati Petri deſtinatum, cum aſſumpta purpura Pontificali per Gallias iter ageret, Cluniacum aduenientem, ab Hildebrando monacho (de quo iam ſuperius dictum, qui poſtea & ipſe Pontifex Gregorius Septimus nuncupatus eſt) conſtāter de incœpto redargutum eſſe, quod illicite per manum laicam ad gubernationem totius Eccleſiæ violenter intro iret. Cumque idem Hildebrandus polliceretur, ſi ſuis Bruno acquieſcere vellet conſiliis, ſe vtrumque, & quod maieſtas Imperialis in ipſo non exacerbaretur, quodque libertas Eccleſiæ in electione canonica renouaretur, effecturum; tunc eidem obtemperantem Brunonem, purpuram depoſuiſſe, peregrinique habitu Romam accedentem, Hildebrandi conſilio quem ſecum duxerat, à Clero & populo in Summum Pontificem electum eſſe; ſicque vtcumque Eccleſiam Romanam ad faciendam electionem informatam eſſe. Hæc quidem Otto. Idibus autem Februarii fuiſſe Romæ conſecratum, habent veteres Indices Vaticani: quod Hermanus Quadrageſimali tempore contigiſſe tradit: Acta vero Synodi Rhemenſis, de qua paulo poſt agetur, in Hypapanti Domini; ſiue Occurſu, nempe die ſecunda Februarii. Vnde errare omnino conuincuntur ii, qui ipſum in Germania ante aduentum in Vrbem Synodos celebraſſe teſtantur, quando autem illas celebrari contigerit, poſtea dicturi ſumus.

a Leo lib. 2. cap. 81. DE ELECTIONE LEONIS IX.

III. LEO PP. PEREGRINATVR AD MONT. GARG.

Ceterum ipſum initio ſaltem Quadrageſimæ conſecratum eſſe, ſatis colligitur ex eo quod Leo Oſtienſis tradit, illum eodem quo ordinatus eſt anno orationis gratia montem Garganum petiiſſe (qui ſitus apud Sipontum in Apulia, eccleſiam habebat S. Michaelis Archangeli, celeberrimam eius temporis peregrinationem) & redeuntem in ipſa feſtiuitate Palmarum ad monaſterium Caſſinenſe diuertiſſe: quem Paſcha Romæ celebraſſe, ex Hermanno conſtat. Quod autem abſq; vlla mora peregrinationem illam Angelicam ſuſceperit, in cauſa fuiſſe putatur, quod (vt tradit Sigebertus) cum ex Galliis ad capeſſendam Sedem Apoſtolicam Romam tenderet, audiuiſſet voces Angelorum cantantium, *Dicit Dominus, Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis*, quem & Apoſtolico more præcedentibus prophetiis per viſionem ipſi diuinitus ſignificatis, ad Apoſtolicum thronum perueniſſe, docetur in ſcripto codice Sublacenſis monaſterii Lectionario. Adeo vero fuit ſuæ Tullenſis Eccleſiæ amator, vt licet Romanus Pontifex creatus eſſet, tamen titulum priorem non reliquerit, volueritque dum vixit dici etiam Tullenſis Epiſcopus. Inſuperque liquet [b], patrimonium ſuum impendi voluiſſe in erectionem monaſterii S. Crucis; quod & ampliſſimis redditibus locupletauit, & ſub Protectione Romanorum Pontificum reliquit.

LEO ROM. PONT. VOLUIT ETIAM DICI EPISCOP. TVLLEN.

b Teſtatur Greg. Sept. l. ep. 14. ad Gueran. Epiſc. Angl...

IV. CONCIL. ADVERSVS SIMONIACOS.

Et quod ad ceteras huius anni res ab eo geſtas pertinet, tradit Hermannus, eum in hebdomada poſt Albas SYNODVM cum Epiſcopis Italiæ celebraſſe Romæ: in hebdomada vero Pentecoſtes aliam *Synodum* Papiæ congregaſſe; indeque per montem Iouis, cum pluribus Romanorum in Ciſalpinas partes deueniſſe. Porro in his Synodis multa ipſum aduerſus ſimoniacam prauitatem, qua tunc vniuerſa ferme Eccleſia fœdata erat, conſtituiſſe; teſtis eſt Petrus Damiani epiſtola [c] ad Henricum Rauennatem Archiepiſcopum. Qui & ipſe Petrus, huius temporis magnum Eccleſiæ ſidus, tunc adhuc eremita montis Auellani in Vmbria, quod inſuper cerneret omnem carnē corrupiſſe viam ſuam; de his nouum Pontificem Leonem mouens, ſcripſit ad eum librum *Gomorrhæum* [d] inſcriptū; quo vitia quadripartita carnis quibus obrueretur Eccleſia, quam potuit in tantis recenſendis obſcœnitatibus honeſte inſinuauit, rogans vt Petri gladio, acutiore quam Phinees, conficiens turpiſſimos homines illos, & maxime clericos, Eccleſiam Dei non habentem maculam neq; rugam, ſeruaret incontaminatam. Id vero Leonem egregie præſtitiſſe, docet ipſius ad Petrum reddita epiſtola, quæ præfixa legitur eidem Gomorrhæo; habetque dignas pœnas appoſitas, pro criminum qualitate & quantitate.

c Ext. To. 3. Bibl. Se. 8.

d Ext. in Bibl. beſſ. S. Pet. Dami.

NEFANDA CARNIS VITIA RECISA PER LEONEM PONT.

V. ALIA CONCILIA IN GAL. A LEONE CELEBRATA.

Rurſum vero poſt ſuperiores Synodos, aliam quoque ab eodem Pontifice autumnali tempore *Rhemis* cum Galliarum Epiſcopis habitam eſſe; & aliam rurſumque quadraginta Epiſcoporum *Moguntiaci* coram Imperatore & aliis Germaniæ Principibus; eumdemque poſt hæc Pontificem, rebus vbique optime compoſitis, tandem in Italiam redeuntem, Natalem Domini Veronæ peregiſſe; teſtis eſt Hermannus, his geſtis primum Leonis annum claudens. Scimus quidem Trithemium in Chronico Hirſaugienſis monaſterii, dum agit de eiuſdem reædificatione ab eodem pontifice procurata, alioſque nonnullos, peregrinationem illam trans Alpes, atque Synodos celebratas in annum ſequentem reiicere: ſed magis placet Hermannum ſequi, hæc tunc ante oculos habentem; quem etiam tutius ſequitur Sigebertus, atq; poſt eum alii: idque ipſum expreſſe qui tunc temporis ſcripſit Adam [e] profitetur hoc ſcilicet anno Redemptoris milleſimo quadrageſimo nono eamdem Moguntinam Synodum generalem celebratam eſſe; in qua inter alia tradit Spirenſem Epiſcopum nomine Sibiconem, ab adulterii crimine examinatione ſacrificii purgatum eſſe; multaque ibi ſancita eſſe aduerſus ſimoniacam hæreſim, & nefanda ſacerdotum coniugia.

e Adam lib. 3. cap. 11.

VI.

Quod vero ad ea pertinet quæ in Galliis geſſit, tradit Sigebertus [f] in libro de Illuſtribus Scriptoribus Eccleſiaſticis, Anſelmum Rhemenſem monachum ſcripſiſſe

f Sigeb. lib. Illuſt. Script. ca. 153

Itinerarium eiuſdem Leonis Papæ Noni à Roma in Gallias; ob hoc maxime, vt notificaret quanta auctoritate Rhemis, vel in aliis vrbibus Synodum celebrauerit; qua ſubtilitate & iuſtitia examinauerit cauſas Eccleſiaſticas; qua diſcretione peccantes correxerit, quomodo ei virtus Dei cooperata ſit: quod ſatis (inquit) patuit in vna cauſa eiuſdem Rhemenſis Synodi, vbi dum Epiſcopus Friſingenſis contumaciter ageret contra Apoſtolicam auctoritatem, repente in oculis omnium obmutuit. Hæc Sigebertus. Ac ſane magno Dei beneficio poſt tot tenebras factum eſſe, vt tanti viri fulgore Sancta Romana Eccleſia illuſtraretur, euenta probarunt: quem & multis illuxiſſe ſignis ac virtutibus editis, narrat Deſiderius Abbas Caſſinenſis & Cardinalis S. Cæciliæ (qui creatus poſtea Romanus Pontifex, Victor Tertius dictus eſt) in libris Dialogorum, quos exemplo S. Gregorii Papæ numero quatuor ſcripſit. Extantque [g] hactenus ipſa Acta Rhemenſia tam prædictæ Synodi, quam ſolemnis quæ præceſſit dedicationis eccleſiæ S. Remigii nuper reſtitutæ, in quam facta eſt quarta eiuſdem Sancti corporis translatio, humeros ſupponente ipſo Leone Papa vna cum aliis Antiſtitibus: quæ quidem ſcriptio eadem forte eſt, quam Sigebertus Anſelmo tribuit. Certe ex ea abunde confirmatur, quod de ipſius Leonis rebus fortiſſime atque ſanctiſſime geſtis idem auctor tradit; necnon quæ de miraculis ab eodem Pontifice editis, tam ipſe quam Deſiderius retulerunt. Quid vero in eadem Synodo actum fuerit, docent canones in ea ſanciti de ſimoniaca hæreſi; de miniſteriis Eccleſiaſticis & altaribus quæ à laicis tenebantur, deque prauis conſuetudinibus quæ ab eis in atriis eccleſiarum exigebantur; de inceſtis, aliiſque illicitis coniugiis; de monachis & clericis apoſtatis, & mundanam militiã exercentibus; de rapinis, & pauperum iniuſtis captionibus; de ſodomitico vitio; ac de quibuſdam hæreſibus quæ in iis partibus pullulauerant: quæ omnia anathemate damnata ſunt; multique tam Epiſcopi, quam Comites, aliique his vitiis infecti, pari damnationis ſententia perculſi.

Leo PP. miraculis clarus. — *g Ext. Rer. To. XI. hoc an.* — *Statuta Concilii Rhem. sub Leone PP.*

VII. Quod autem ad Leonis Pontificis præclara geſta, poſtquam Romam rediit: auctor eſt Leo [b] Oſtienſis, ipſum inter innumera ſuæ bonitatis inſignia, quamdiu ibi remoratus eſt, omni tempore tribus per hebdomadam diebus à Lateranenſi eccleſia vſque ad S. Petrum priuato habitu, nudiſque pedibus, cum duobus aut tribus clericis noctu pſallendo & orando pergere conſueuiſſe. Cetera vero de ipſo, dicentur inferius ſuis locis.

b Leo Oſt. l. 2. cap. 88. — *Leon. PP. pietas.*

VIII. Sed quod ad res ſpectat Orientales; hoc eodem anno Indictionis ſecundæ, Conſtantini Auguſti octauo Imperii inchoato, Cegenes Dux trium ex gentibus *Pazzinacatum*, (eo namque nomine à Græcis appellantur tredecim gentes, quæ trans Iſtrum loca incolunt à Boryſthene fluuio vſque ad Pannoniæ campos, in tentoriis iugiter habentes) perſecutionem paſſus à primario illarum gentium Principe, confugit ad Conſtantinum Imperatorem, & ſacrum ſuſcepit baptiſma cum omnibus qui cum ipſo erant: cuius & poſtea exemplum ſecutus eſt ipſe Tyrach eorum primarius Princeps. Hæc pluribus Curopalates; qui & quomodo hi nouis ex cauſis defecerint ab Imperatore, longiorem texit hiſtoriam.

Pazzinacæ ad fidem conuerſi.

Henrici II. 4. Const. Monom. 8.

IESV CHRISTI AN. 1050.

LEONIS IX. AN. 2.

I. ANno Chriſti milleſimo quinquageſimo, Indictione tertia, à Leone Papa duæ celebratæ ſunt SYNODI, altera Romæ poſt Paſcha, Vercellis altera Autumni tempore; & Hunfridum Archiepiſcopum, pro quadam inter Rauennatem & Romanam Eccleſiam contentione, ab officio ſuſpendit; indeque Gallias, & Epiſcopatum ſuum Leucorum ciuitatem reuiſit; atque Imperatorem in Saxonia agentem conuenit. Hæc breuiter Hermannus hoc anno. Plenius vero de iiſdem Synodis Lanfrancus, qui eis interfuit, agens in commentario aduerſus Berengarium, ait eas magna Epiſcoporum aliorumque Antiſtitum frequentia celebratas eſſe contra eumdem Berengarium: & in Romana quidem, recitatis literis ab eo ad ipſum Lanfrancum tranſmiſſis de corpore & ſanguine Domini, iiſdemq; contra vſitatiſſimam Eccleſiæ fidem conſcriptis repertis; promulgatam eſſe in eum damnationis & excommunicationis ſententiam: Lanfrancum vero, qui ob eiuſmodi literas ad ipſum ſcriptas in ſuſpicionem hæreſis adductus fuerat; poſt eam publice damnatam & confutatam, abſolutum eſſe & innocentem declaratum. In Synodo autem Vercellenſi, celebrata menſe Septembri eodem præſidente Pontifice, cum ad eam vocatus Berengarius non comparuiſſet, iterum damnatum eſſe vna cum peruerſa ipſius hæreſi: itemq; Ioannis Scoti librum de Euchariſtia, quem plurimum Berengarius laudauerat, lectum eſſe, ac pariter damnatum. Hæc Lanfrancus de ambabus Synodis hoc anno celebratis.

Concilia a Leo. PP. celebrata contra Berengar. hæreſiar.

II. In eodem vero Concilio Romæ contra Berengarium coacto, tradit Andreas Dandalus in ſuo Chronico, Leonem Pontificem decreuiſſe pallium Dominico Patriarchæ Veneto, eidemque priuilegium conceſſiſſe vt Crucem ante ſe deferret; ſedemque Patriarchalem approbaſſe, & Epiſcopis Venetæ prouinciæ & Iſtriæ ſcripſiſſe, vt ei tamquam Primati ſuo obedirent. Quæ omnia renouata & confirmata ab Alexandro Secundo in Concilio Mantuano, idem auctor affirmat. Sicque plene translatus fuit Patriarchatus Gradenſis in Venetum, qui hactenus titulo Gradenſis ſedis potitus erat. Verum extat [a] epiſtola eiuſdem Leonis ſcripta poſt triennium, nempe Indictione ſexta, qua docetur in alia itidem Romæ celebrata Synodo ita definitam eſſe veterem controuerſiam inter Foroiulienſem & Aquileienſem Antiſtites de limitibus diœceſeos, vt Aquileia totius Venetiæ & Iſtriæ metropolis eſſet, Foroiulienſis Eccleſia finibus Longobardorum contenta eſſet. At de his controuerſiis, harumque Eccleſiarum diuerſis nuncupationibus, acceptionibuſque, ſæpe dictum eſt ſuperius.

Patriarchatus Graden. translatus in Venetias. — *a Leo Nau. ep. 2. To. 3. Epiſt. Rom. Pont.*

III. Hoc eodem anno, nempe era milleſima octogeſima octaua, celebratum eſt in Hiſpania in caſtro *Coyaca* diœceſis Ouetenſis CONCILIVM omnium Epiſcoporum, Abbatum, & Optimatum, cui etiam interfuit Ferdinandus Rex cognomento Magnus cum vxore Sancia: quorum nomine promulgata ſunt tredecim capitula [b] ad diſciplinam Eccleſiaſticam & politicam eius Regni pertinentia.

Concil. Coyacen. in Hiſp. — *b Ext. Rer. Annal. To. XI. hoc an.*

IV. Ad hæc item tempora Leonis Pontificis ſpectat, quod Sueno Rex Danorum & Sueonum, cognomento Magnus, (qui & ingenti claſſe parata Eduardum Angliæ Regem, ipſumque Regnum ſibi tributarium fecit) conſobrinam ducens vxorem, coactus eſt à Romano Pontifice eam dimittere, cum diu fruſtra in eo laboraſſet Adalbertus Archiepiſcopus Hamburgenſis illarum omnium regionum Primas. Rem geſtam eius temporis auctor Adam [c] Bremenſis deſcribit: qui de eodem Suenone Rege inferius [d] agens, plane fuiſſe doctum ſatis prædicat, atque de Chriſtiana religione optime quidem meritum; hoc tamen malo non caruiſſe, quod morbo luxuriæ laborans, alias, itemque alias vxores & concubinas aſſumeret; vnde & tradit ſuſcitaſſe ei Dominum inimicos in circuitu multos, ſicut Salomoni fecit proprios ſeruos. Idemque iſtis ſubiicit ſtatum Eccleſiæ Sueonum ſiue Sueorum, his temporibus nonnihil perturbatum à pſeudoepiſcopo peſſimo nomine Oſmund Acephalo, Regi coniuncto; reſtauratum vero ab alio legitimo Epiſcopo, qui munus Apoſtolicum quod acceperat adeo digne exercuit, vt gentem integram Virnilariorum Chriſto lucratus, etiam miraculorum virtute claruerit.

c Adam lib. 3. cap. 11. d lib. & cap. 16. — *Rex Sueno punitur a Deo ob luxuriam.*

Hoc item anno Marianus Scotus, de Rege Scotiæ Macherad nominato narrat, ipſum Romam veniſſe ad Limina Apoſtolorum, & effuſa liberalitate argentum diſſeminaſſe in pauperes.

IESV CHRISTI AN. 1051.

LEONIS IX. AN. 3.

HENRICI II. 5. CONST. MONOM. 9.

I. ANno Chriſti milleſimo quinquageſimo primo, Indictione quarta, Leo Papa & Imperator Henricus, cum multis Epiſcopis & Principibus apud Auguſtam Vindelicam conuenientes, Purificationem Dei Genitricis celebrarunt; Rauennateque Archiepiſcopo apud eumdem Pontificem ibidem reconciliato, charitatiuè à ſe inuicem diſcedentes, Papa Romam reuerſus eſt: vbi poſt Paſcha SYNODVM collegit, in qua inter alia Gregorium Vercellenſem Epiſcopum, propter adulterium cum vidua quadam auunculi ſui ſponſa admiſſum, & periuria perpetrata, abſentem & neſcientem excommunicauit: quem tamen nō multo poſt Romam venientem, ſatisfactionemque promittentem officio priori reſtituit. Hæc omnia Hermannus hoc anno. Teſtis vero eſt Petrus [a] Damiani, in hac eadem Synodo ventilatam quoque fuiſſe quæſtionem de ordinatis ab Epiſcopis ſimoniacis; ſancitumq; decretum, quod Conſtitutum vocabant, de continentia clericorum; quo & illud ſtatutum eſt, vt quæcumq; damnabiles feminæ intra Romana mœnia reperirentur presbyteris proſtitutæ, ex tunc & deinceps Lateranenſi palatio adiudicarentur ancillæ.

CONCIL. ROM.

a Pet. Dam. ep. ad Henr. Rauen. & ep. ad Cand. Taurin.

LIBERI REDDE FEMINIS PROSTITVTIS.

II. Hoc eodem anno (vt auctor eſt Lambertus) quarto Idus Nouembris Henricus Imp. auctus eſt filio, cui pariter Henrici nomen imponi voluit. Sed plane magno Eccleſiæ damno hunc genitum, præuidit per viſum quæ ipſum geſtabat in vtero Agnes Auguſta, nimirum ſe draconem parere virulentum; vt teſtatur Domnizo preſbyter in Vita Mathildis, quam eo tempore verſib. ſcripſit: quod quam verum fuerit vaticinium, ipſa declararunt euenta. Porro eumdem Henricum in baptiſmo ſuſceptum eſſe de fonte à S. Hugone Abbate Cluniacenſi, facto ei patre ſecundum ſpiritum, idem auctor [c] affirmat.

b Domnizo ... VATICINIVM DE HENR. III.

c Idē ...

IESV CHRISTI AN. 1052.

LEONIS IX. AN. 4.

HENRICI II. 6. CONST. MONOM. 10.

I. ANno Domini milleſimo quinquageſimo ſecundo, Indictione quinta, Leo Papa ad componendas diſſenſiones inter Imperatorem & Andream Hungariæ Regem, ab eodem Rege in Germaniam venire rogatus, Imperatorem ab obſidione reuocauit, cum ſibi per omnia conſentaneum inueniret: ſed econtra Andream conſiliis ſuis minus parentem experiens, eique excommunicationem, vtpote deluſa Sede Apoſtolica, minitans, cum Imperatore diſceſſit, ac Natalem Domini Wormatiæ cum eodem egit. Hæc præſenti anno geſta habet Hermannus. Leo [a] autem Oſtienſis aliam aſſerit cauſam profectionis Pontificis, nempe vt ab Imperatore aduerſus Northmannos auxilium peteret.

LEO PP. PROFICISCITVR IN GERMAN.

a Leo Oſt. lib. 2. cap. 85.

II. Habet idem Hermannus, hoc anno tempore Quadrageſimæ ab eodem Imp. promotum eſſe Henricum ad Archiepiſcopatum Rauennatis Eccleſiæ: ad quem eodem anno epiſtolam, ſeu librum potius, Petrus Damiani miſit, quo agitatam quadriennio in pluribus Synodis controuerſiam de ordinatis ab Epiſcopis ſimoniacis, contendentibus aliquibus eoſdem iterum ordinandos, diffuſius diſputauit; atque pluribus argumentis demonſtrauit, eiuſmodi nequaquam iterum ordinari debere. Quæ quidem ſententia optatiſſima cum eſſet ordinatis, eoſq; moleſtiſſimis ſcrupulis liberaret, effecit vt idem Petrus eidem ſuo commentario titulum inſcripſerit, *Gratiſſimus*: ſiue (vt notauit Scholiaſtes) ea de cauſa, quod de illis ageret qui gratis fuiſſent à ſimoniacis ordinati, quibus gratiſſimus liber exiſteret.

DE ORDINATIS SIMONIACIS.

III. Sed quid eſt quod quadriennio laboratum ait in quæſtione haud adeo difficili, & iam antea decretis Pontificū & Conciliorum canonibus definita, vt idem ipſe Petrus in eadem tractatione perdocuit? Non id quidem factum inſcitia Leonis Papæ, cui ipſo ſui Pontificatus exordio (vt Petrus teſtatur) firmiter ſtatuit vt ordinati à ſchiſmaticis, abſque alia iterata ordinatione in acceptis ordinibus miniſtrarent, poſt expletam pœnitentiam quadraginta dierum: ſed quoniam complures inuenti ſunt ex Eccleſiæ filiis, qui zelum habentes, at non ſecundum ſcientiam, odio ſimoniacorum Epiſcoporum, ordinatos ab eis nō recipiendos, ſed iterum ordinandos eſſe dixerunt: (ſicut olim à grauiſſimis Eccleſiæ Doctorib. odio hæreticorum, non recipiendum eſſe ipſorum baptiſmum aſſertum fuerat) ſanctiſſimus Pontifex conſultius eſſe duxit pacificè rem agere, & lento gradu morbo mederi, quam non abſq; periculo ferro præcidere quod erat infirmum. Porro cum aduerſus nouam eiuſmodi de reordinandis ordinatis à ſimoniacis emergentem hæreſim, triginta capitibus Petrus diſputaſſet; demum in fine compellat Epiſcopos omnes, ipſumque etiam Summum Pontificem, vt iam matura zizania ad meſſem parata, & à tritico ſeparata tradant ad comburendum. Cuius quidem ſcriptionis tanta fuit auctoritas, vt nullus amplius ſit repertus, qui eidem fuerit patrocinatus errori: cum & nihilominus ipſum Pontificem Leonem totum perpetuo fuiſſe in ſimoniæ ſcelere ab Eccleſia penitus eradicando, teſtetur Gregorius [b] Septimus.

NOVA HÆRESIS DE REORDINANDIS ORDINATIS A SIMONIACIS.

b Greg. Sep. 7. ep. 41.

IV. Hoc eodem anno, cum idem Leo in Germanica ſua peregrinatione Ratiſponæ in Bauaria conſtitiſſet, declarationem quamdam de ſacratiſſimo corpore S. Dionyſii Areopagitæ ibidem in eccleſia S. Emmerammi martyris conſiſtente (tamquam videlicet olim eo translatum fuiſſet ab Arnulpho Imper.) ad Regem, Clerumque: ac populum Francorum ſcripſiſſe aſſeritur, quam in veteribus Pontificum Romanorum ſcriptis Antonii Auguſtini reperimus. At iſta eſſe commentitia, exclamant Franci: Rigordus enim, qui ſub Ludouico Philippi filio claruit, de his temporibus habet, quod cum ſub eodem Leone Nono anno Domini milleſimo quinquageſimo Henricus Francorum Rex audiſſet Ratiſponæ inuentum fuiſſe quoddam corpus, quod dicebant eſſe Dionyſii Areopagitæ; idem Rex Henricus miſerit Nuntios ad Henricum Imperatorem, vt diem eleuationis illius corporis protelarent, quouſq; per certos Nuntios, vtrum verum corpus Dionyſii in Francia eſſet, pleniſſime certificarentur; cumque in hanc rem Imperator miſiſſet magnos viros & ſapientes in Franciam; coram ipſis in magna Antiſtitum, Procerum, & populi frequentia, aperta capſa argentea S. Dionyſii diligentiſſime ſigillata, totum corpus ipſius cum capite in ea inuentum fuerit, exceptis duobus oſſibus de collo quæ erant in eccleſia Vergiacenſi, & oſſe quodam de brachio quod Stephanus Papa Tertius ſecum Romam deferens collocauerat in eccleſia Schola Græcorum nuncupata: hiſque viſis Nuntii Imperatoris in Germaniam redeuntes, de omnibus eum pleniſſime certificarint. Hæc Rigordus. Vt plane appareat, eamdem controuerſiam viguiſſe inter Francos & Bauaros, quæ inter Caſſinenſes & Floriacenſes de S. Benedicti corpore per plurima ſæcula eſt agitata. Commendanda alioqui eorumdem populorum in cultu Sanctorum ſicut religioſiſſima, ita & tenaciſſima pietas & Catholica fides, Deo iſta permittente ad maiorem gloriam Sanctorum ſuorum.

DE CORP. S. DIONYSII AREOP. ASSERTO TRANSLATO IN GERMAN.

V. Eodem anno Imp. Goslariæ exiſtens, cum audiſſet ibi eſſe hæreticos Manichæos, zelo quo æſtuabat fidei Orthodoxæ, eos omnes repertos patibuli ſuſpendio necari iuſſit; ne videlicet, ſi parceret eis, Chriſtianos Catholicos hæreſis eiuſdem veneno inficeret. Narrat iſta Hermannus: additq; de Reliquiis S. Zenonis Confeſſoris à Waltario Veronenſi Epiſcopo in Alemanniam ad villam Vlmam allatis, quæ plurimis per hæc tempora claruere miraculis.

MANICHÆI PATIBVLO DAMNATI.

IESV CHRISTI AN. 1053.

LEONIS IX. AN. 5.

HENRICI II. 7. CONST. MONOM. 11.

I. ANno Chriſti milleſimo quinquageſimo tertio, Indictione ſexta, Leo Papa Wormatiæ cum Imp. exiſten.

PERMVTATIO INTER PONT. ET IMP.

a Leo Oſt. lib. 2. cap. 85.

ſtens, cum Fuldenſem Abbatiam, aliaque nonnulla loca & cœnobia, quæ S. Petro antiquitus donata fuerant, ab eodem Imp. repoſcens exegiſſet, Imperator ei pleraque in Vltramontanis partibus ad ſuum ius pertinentia, quaſi per concambium (vt loquitur iſta narrans Hermannus) tradidit. Hac vero ratione Leo[a] Oſtienſis aſſerit peruenisſe ad Sedem Apoſtolicam Beneuentum, per commutationem cum Bambergenſi ciuitate. Obtinuit etiam Pontifex exercitum ab Imp. ad profligandos Northmannos, qui res ad Eccleſiam Romanam pertinentes inuaſerant, & multa alia facinora tyrannice ac nimis barbare perpetrauerant. Inter eos autem qui Leonem Papam in Italiam comitati ſunt, ponit Lambertus Godefridum Ducem, & fratrem eius Fridericum qui Gebehardo (hoc eſt Victori Secundo) poſtmodum in Sede Apoſtolica ſucceſſit. Leo vero Oſtienſis, eiuſdem Gebehardi tunc Epiſcopi Aiſtetenſis ſugillans proditionem, ait quod cum ex iuſſione Imp. magnus valde traditus eſſet Pontifici exercitus, iamque itineris multum confeciſſet; eiuſdem doloſo conſilio totus ferme reuocatus fuerit. Quod quidē, vt graue peccatum, eumdem Gebehardum diutius deploraſſe, cum factus Pontifex diuinam eſt vltionem expertus, idem Leo[b] teſtatur.

b Id. cap. 90.

II.

EXPEDITIO PONTIF. ADVERSVS NORTHM.

Sed quod ad expeditionem Pontificis attinet; ipſe Leo (inquit Hermannus) habita poſt Paſcha SYNODO Romæ, contra Northmannos exercitum mouit. Cumque illi pacem petentes ſubiectionem illi promitterent, & quæ prius iniuſte inuaſerant, eius beneficio retinere offerrent; Papa vero id denegans, eos penitus loco cedere iuberet: illi, quia numero longe præſtabant, ſe potius bellum experturos, & vel armis acquiſita defenſuros, vel morte occubituros denunciarunt: ſicque decimoquarto Cal. Iulij valida pugna confligentes, prima acie à Teutonicis pene victi ſunt; ſed ſuccenturiatis copiis ex inſidiis hoſtes circūuenientes, Italis citius terga vertentibus, Teutonicisq; maxima ex parte, ſed nō inulte occumbentibus, occulto Dei iudicio, ſiue quia tantum Sacerdotem ſpiritalis potius, quā pro caducis rebus carnalis pugnæ decebat; ſiue quod nefarios homines quāmultos ad ſe ob impunitatem ſcelerum vel quæſtum auarum confluentes, contra itidem ſceleſtos impugnandos ſecum ducebat; ſiue diuina iuſtitia alias quas ipſa nouit ob cauſas, milites Pontificios plectēte; quamuis nimis cruentam, Northmanni adepti ſunt victoriam. Ipſeque Papa in quodam ab eis caſtello obſeſſus, cum expugnata iam iamque munitione, neceſſitate coactus communionem eis prius interdictam reddidiſſet, acceptus ab eis Beneuentum cum honore reductus eſt, ibique tempore aliquando detentus, nec redire permiſſus. Hæc iiſdem verbis Hermannus, quorum etiam Leo[c] Oſtienſis meminit. Addit vero Sigebertus, Pontificem captum à Northmannis relaxari noluiſſe niſi ſuis omnibus pariter relaxatus: idq; eidē obſequētes præſtitiſſe Northmannos, Pontifici in omnibus proinde ac victori morem gerentes. Tanta videlicet fuit in ipſis reuerentia culminis Apoſtolici, vt (ſicut ipſe Pontifex ſuis literis teſtatus eſt ſcribens anno ſequenti ad Conſtantinum Monomachum Imper.) viciſſe Pontificem ipſos pœnituiſſet. At de his non audiēdus Benno ſchiſmaticus, qui rabie canina in Hildebrandum oblatrans, ipſum cum Benedicto Nono Sedis Apoſtolicæ inuaſore inſidiatum eſſe Leoni Pontifici hoc bello Northmannico tradit.

c Ibid. ca. 88.

NORTHMANNI VICTORES VICTVM COLVNT PONT.

III.

Sed nec quæ de his agens Petrus Damiani, aduerſus eumdem Leonem militaribus copiis ſe immiſcentem ſcripſit, in omnibus veritate ſubſiſtunt. Cum enim ipſe eſſet mœrens animo ac lugens eremi incola, quod frequenter audiret Epiſcopos aliquos in Galliis atque Germaniis galeatos ac loricatos ad bella procedere facinus execratus, ſcripſit epiſtolam ad Firminum Epiſcopum, qua deplorans mundi huius mala, præcipue vero diſcordias oboriri ſolitas inter Imperatores atque Pontifices, ſic vult munera eorum eſſe diſtincta, vt nec Imperatores attingant quæ ſunt ſacerdotum, nec ſacerdotes quæ ſunt Imperatorum, vt bella tractare, & alia id genus. Verum et Catholica dogmata penitus aduerſantur, quibus hæreſis errore notantur omnes, qui ab Eccleſia Romana, Cathedra Petri, è duobus alterum gladium auferunt, nec niſi ſpiritualem concedunt; cum & materialem ei conuenire, clare teſtentur Bernardus[d], Gregorius[e] Nonus, & Bonifacius[f] Octauus, ac tota Doctorum & Theologorum Schola; ita tamen vt ſpirituali ipſe Pontifex per ſe vtatur, materiali vero aliena manu. Sicut ad propulſandos ab Italia hoſtes, frequentibus legationibus Romanos Pontifices, eoſdemque ſanctiſſimos, atque inter alios Gregorium[g] Magnum, quem adeo male in ſententiam ſuam adducit Petrus, apud Chriſtianos Principes inſtitiſſe, alienaq; manu pugnantes atque vincentes, erexiſſe de barbaris victis ſæpe triumphos, abunde ſuis locis ſuperius demonſtratum eſt. Nuſquam vero reperti, qui in acie armati dimicarint. Nam & Leo ipſe de quo agimus, licet ſit comitatus exercitum, ſeorſum tamen exitum expectans certaminis, in loco munito, in quo poſtea obſeſſus eſt, manſit. Vnus Ioannes Duodecimus adoleſcens, Sedis inuaſor, eſt repertus qui armatus aliquando equitaſſe delatus[h] in Synodum fuit: quod & ſæpe datum probro vidimus Epiſcopis ſiue Francis ſiue Germanis id factitantibus. Quapropter conuincitur Petrus Damiani eo lapſus errore, cuius poſt Tertullianum Iulianus Apoſtata fuiſſe cognoſcitur originarius ſator. Sicut autem ille antiquitus in Eccleſia reperitur à Sanctis Patribus cum ſuo auctore eſſe damnatus error, quo idem Iulianus huiuſmodi à Chriſtianis quibuſlibet exigebat patientiam, vt nedum quempiam non offenderent, ſed nec ſe defenderent, ex præſcripto (vt aiebat) Euangelicæ legis: ita & longe ante eiuſdem quoque generis damnatus pariter Tertulliani & aliorum hæreticorum ille error, quo non licere alicui Chriſtiano militare dicebant. Sed de his alias ſuperius; nunc ad Leonem redeamus.

d Bernard. lib. 4. de Conſid. e Greg. IX. ep. ad C… Patriarch. Conſt. f Bonifac. … [illegible] g Greg. … [illegible]

DVPLEX GLADIVS IN ECCLESIA.

h Vid. ſup. Luitpr. lib. 6. c. 7.

ERROR PETRI DAM.

IV.

PETRVS ANTIOCH. LEGAT. MITTIT AD R. PONT.

Dum ipſe Beneuenti moraretur, legationem accepit à Petro Patriarcha Antiocheno; qui more maiorum ſapiens quæ ſunt Catholicæ fidei, ſimulac creatus eſt expetens Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ communionem, miſit epiſtolam ad Leonem vna cum Orthodoxæ fidei profeſſione; quam recipiens atque probans Pontifex, reddidit ad eumdem literas, quibus eius electionem ita probauit, ſi non eam ſedem neophytus, aut curialis, aut digamus, vel pretio, aut alio quolibet modo ſacris canonibus contrario obtinuiſſet: hortatuſque eſt, vt ſedis Antiochenæ, quæ tertium à Romana locum obtineret, dignitatem conſtanter defenderet aduerſus eos qui eam minuere vellent. Porro non ſolum Eccleſiam Antiochenam, ſed & Alexandrinam, atque Hieroſolymitanam retinuiſſe hoc tempore communionem Romanæ Eccleſiæ, nomenque Romani Pontificis ex Diptychis in Eccleſia recitaſſe, ſatis conſtat ex epiſtola[i] Michaelis Cerularij Patriarchæ Conſtantinop. ad eumdem Petrum ſcripta, dum ea de cauſa de iiſdem Patriarchis conqueſtus eſt.

i Rec. Ecc. Annal. To. XI. an. 1054.

V.

PATRIAR. CONST. SCRIBIT CONTRA ECCL. LATIN.

Id enim ipſe infenſo ferens animo, qui immenſo odio in Eccleſiam Romanam ferebatur; interim hoc ipſo anno, vna cum Leone Archiepiſcopo Acridiæ Bulgarorū Metropolitano, in ſugillationē omniū Latinorū, aduerſus eādē Romanam Sedem, immo contra omnem Occidentalē Eccleſiam ſcripſit Epiſtolam[k] ad Ioannem Tranenſem in Apulia Epiſcopum, promulgandam per ipſum (vt habet eius textus) ad vniuerſos principes ſacerdotum, & ſacerdotes Francorum, & monachos, & populos, & ad ipſum Reuerendiſſimum Papam; damnans eos omnes quod azyma & ſabbata indecenter cuſtodirent more Iudaico; ſuffocata more barbarorum comederent, ac denique in quadrageſima Alleluia non pſallerent. Quam quidem epiſtolam, Humbertum Cardinalem Epiſcopum Siluæcandidæ, acceptam Trani cum eſſet, in Latinum tranſtuliſſe, & ad Leonem Papam detuliſſe, traditur in codice vbi ea deſcripta legitur. Ipſe vero Pontifex eadem perlecta, reſpondendi ſibi onus incumbere exiſtimans, quod ea inprimis in ſugillationem Romanæ Eccleſiæ verteretur; prolixam illam ad eoſdem Michaelem, & Leonem Acridanum epiſtolam ſcripſit, quæ inter cuſas ipſius Pontificis

k Rec. Bar. an. 1053.

LEO PAPA RESPONDET MICHAELI.

rificis prima ordine ponitur. Vbi & ex nota temporis, hoc eſſe anno conſcripta cognoſcitur, dum ait interueniſſe mille & fere viginti annos à Chriſti Paſſione vſque ad illud tempus quo eam ſcribebat. Quod enim dicit, fere viginti, plane nondum fuiſſe viginti declarat: ſicut exordio ſequentis anni iam fuiſſe viginti, ait in alia epiſtolâ data ad eumdem Michaelem menſe Ianuario. A trigeſimo autem quarto Chriſti anno incipere conſueuiſſe Romanam Eccleſiam numerare ab eius Paſſione annos, ſuo loco ſuperius dictum eſt. Ceterum ea epiſtola Leo primû omnium vt pacis filius, pacem ſi accipere velint benignus offert, Eccleſiæ vnitatem commendat, Romanæ firmitatem & auctoritatem oſtendit, & Conſtantinopolitanæ leuitatem, inaniaque præſumpta priuilegia diluit. Quod autem pertinet ad obiectorum ſolutionem, alias ſe id facturum pollicetur; quod & præſtitit anno ſequenti. Cum interea idem Michael videri & ipſe volens eiuſdem eſſe cupidus vnitatis, hoc eodem anno ad Leonem Papam conciliatrices pacis literas conſcripſit, ſiue ſponte permotus, ſiue perſuaſione Conſtantini Imperatoris erga Romanam Eccleſiam propenſioris. Quid autem poſt hæc geſtum fuerit dicetur anno ſequenti.

VI. l Leo IX. ep. 3 To. 3 Epiſt. Rom. Pont.

DE MISERO STATV ECCL. AFRIC.

m Id ep. 4.

Hoc eodem anno menſe Decembri, inchoata iam Indictione ſeptima menſe Septembri, idem Leo Pontifex reſcripſit [l] ad Thomam Epiſcopum Carthaginenſem appellantem Romanæ Sedis auctoritatem aduerſus Gummitanum Epiſcopum vſurpantem ſibi ius Metropolitani. Qua quidē epiſtola miſerrimus inprimis deſcribitur Eccleſiæ Africanæ ſtatus, dum quæ tot olim centuriis Epiſcoporum abundaret, quinque vix hoc tempore haberet in vniuerſa Africa. Gummitanum autem Carthaginenſi ſubiici debere, decreuit Leo. Sicut & aliis [m] eodem tempore datis ad Petrum & Ioannem æque Africanos Epiſcopos literis, declarauit velle eſſe integra priuilegia Eccleſiæ Carthaginenſis, ſiue (vt ait) Carthago deſerta iaceret, ſiue reſurgeret aliquando glorioſa, vt potè quæ ſola ex Eccleſiis Africanis habere conſueuiſſet pallium ab Apoſtolica Sede. Sane enim quod Gummitanus Epiſcopus inſurgeret aduerſus Carthaginenſem, inde ſibi vendicabat qualemcumq; rationem, quod Carthago deſolata iaceret; vt videretur cum mœnibus pariter corruiſſe eiuſdem Eccleſiæ auctoritas: quod penitus Leo negauit.

VII. ARDERICVS NOVATOR ABIICITVR. n 1. Cor. 11.

Inter hæc autem in Hibernia *Ardericus*, qui magnam de ſe ſanctitatis opinionem concitauerat, vbi repertus eſt à receptis in Eccleſia ritibus diſſentire, ab inſula tenaciſſimus Catholicæ fidei eiectus eſt. Cum enim viderent Fideles, eum pueros & puellas clericorum more tondere in modum coronæ, & contra Apoſtolum [n] feminas non debere velare caput aſſerere; iudicarunt ſtultitiæ & leuitatis, vel (quod deterius eſt) magnæ eſſe ſuperbiæ indicium, antiquis Eccleſiæ vſibus ac traditionibus non acquieſcere.

HENRICI II. 8. CONST. MONOM. 12.

IESV CHRISTI AN. 1054.

LEON. IX. AN. 6.

I. LEGATIO MISSA A LEONE PP. CONSTANTINOPOLIM. a Leo ep. 7. & 8.

ANno Chriſti milleſimo quinquageſimo quarto, Indictione ſeptima, Leo Papa vnionis Eccleſiarum cupidus, Legatos Conſtantinopolim miſit *Humbertum* & *Fridericum* S.R.E. Cardinales, illum Epiſcopum Silvæcandidæ, iſtum Archidiaconum & Cancellarium; quibus additus eſt collega *Petrus* Archiepiſcopus Amalphitanus, deditque eis literas [a] ad Conſtantinum Imperatorem & Michaelem Patriarcham, pro Eccleſiaſtica pace inter Latinos & Græcos concilianda. Hanc enim legationem præſenti Chriſti anno ab iiſdem Antiſtitibus initam eſſe, docet imprimis Leo [b] Oſtienſis, dum breuiter ſummam rerum ab eis geſtarum complexus eſt: necnon ipſæ Leonis Pontificis literæ ad Michaelem conſcriptæ, quæ datæ habentur menſe Ianuarii huius Indictionis ſeptimæ. Quæ autem ſiue ſecreto, ſiue publice, cum Imperatore idem Legati tranſegerint, ſcriptis mandauit vnus ex illis Humbertus, cum iis quæ idem ipſe contra epiſtolam Michaelis in Apuliam aduerſus Latinos miſſam, & contra alias Græcorum calumnias fuſius diſputans, per dialogiſmum [c] hoc anno conſcripſit vir: quidem ſcientia diuinarum ac ſæcularium literarum apprime eruditus, moribuſque ſanctiſſimus; quem mire prædicat Lanfrancus contra Berengarium, & olim è Lotharingia Romam deductum à Leone Papa, ad prædicandum Siculis verbum Dei Archiepiſcopum ordinatum eſſe, poſtea vero Romanæ Eccleſiæ Cardinalem conſtitutum, Apoſtolicæ Sedis Conciliis & conſiliis ſemper adfuiſſe & præfuiſſe tradit. Eumdem autem Sigebertus [d], dum eius recenſet lucubrationes, appellat monachum Tullenſem.

b Oſt. lib. 2. cap. 89.

c Habes hunc prolixiorem tractatū, [illegible] Tom. XI. in Append. [illegible]

QVALIS HVMBERTVS FVERIT. d Sig. de Script. Eccl. cap. 150.

II. e Ext. To. XI. [illegible]

PATRIARCHA CONST. EXCOMMVNICATVS A LEGATIS SED. APOST.

Sed quod rurſum ad prædictam legationem attinet; extat prætereà alia breuis rerum in ea geſtarum deſcriptio [e] ab eodem Humberto (vt putatur) confecta: qua quidem in ſumma conſtat, eoſdem Legatos honorificentiſſime ab Imperatore ſuſceptos, primo coegiſſe Nicetam quemdam cœnobij Studij monachum cognomento Pectoratum, anathematizare quoddam ſcriptum, ab ipſo contra Sedem Apoſtolicam & vniuerſam Eccleſiam Latinam, de azymo, de ſabbato, & de nuptiis ſacerdotum compoſitum; quem & ipſe Imperator iuſſit incendi: itemque pari anathematiſmo execrari omnes qui Romanam Eccleſiam primam omnium eſſe negarent vel qui eius fidem in aliquo præſumerent reprehendere. Cumq; poſt hæc iidem Legati vidiſſent Michaelem Patriarcham præſentiam ipſorum & colloquium deuitare, quin etiam eccleſiis ad ſacra celebranda interdixiſſe; tandem in eumdem ſæpius monitum nec reſipiſcentem, multiplicium tam antiquorum iam ſæpe damnatorum, quam recens adinuentorum errorum probe conuictum, ſimulque Leonem Acridanum eadem ſentientem, & alios eorum ſequaces, publice in ipſa magna eccleſia S. Sophiæ, & coram vniuerſo Clero & populo, excommunicationis ſententiam protuliſſe: hiſque geſtis, ſed & iiſdem Legatis ab inſidiis & fraudibus Michaelis, quibus eos à populo opprimendos cogitauerat, per Imperatorem liberatis, eoſdem in Italiam remeaſſe.

III. ERRORES MICHAELIS PATRIARCHÆ.

Errores autem, ob quos Patriarcha cum ſuis damnatus eſt, hi recenſentur in eadem excommunicationis ſententia aduerſus eos lata: nimirum, quod ſicut ſimoniaci, donum Dei venderent: ſicut Valeſij, hoſpites ſuos caſtrarēt, & non ſolum ad clericatum, ſed inſuper ad Epiſcopatum promouerent: ſicut Ariani, rebaptizarent in nomine Sāctæ Trinitatis baptizatos, & maxime Latinos: ſicut Donatiſtæ, affirmarent, excepta Græcorum Eccleſia, Eccleſiam Chriſti, & verum ſacrificium atque baptiſmum ex toto modo periiſſe: ſicut Nicolaitæ, carnales nuptias concederent, & defenderent, ſacri altaris miniſtris: ſicut Seueriani, maledictam dicerent legem Moſi: ſicut Pneumatomachi, vel Theomachi, negarent Spiritus Sancti proceſſionem à Filio: ſicut Manichæi, inter alia quodlibet fermentatum faterentur animatum eſſe: ſicut Nazareni, carnalem Iudæorum munditiam adeo ſeruarent, vt paruulos morientes ante octauum à natiuitate diem, baptizari, contradicerent, & mulieres in menſtruo vel partu periclitantes communicare, vel ſi Paganæ fuerint, baptizari prohiberent; & capillos capitis ac barbas nutrientes, eos qui comas tonderent, & ſecundum inſtitutionem Romanæ Eccleſiæ barbas raderent, in communionem non reciperent. His autem erroribus & alia plura æque impia facta adiungens Michael, inter alia Conſtantinopoli Latinorum eccleſias clauſerat, & eos Azymitas vocans, verbis & factis vbique perſecutus fuerat; in tantum vt in filiis ſuis anathematizaſſet Sedem Apoſtolicam, & contra eam ſe Oecumenicum Patriarcham ſcriberet.

IV. CONATVS MICHAELIS [illegible] f [illegible]

Porro ipſum poſt excommunicationem non ſolum in ſua ſtultitia perſeueraſſe, ſed & conatum eſſe Petrum Antiochenum, aliaſque Orientales Patriarchas à communione Romanæ Eccleſiæ diuellere, multis in eam mēdaciis calumniiſque ingeſtis; teſtes ſunt ipſius literæ [f] ad eumdem Petrum conſcriptæ: ad quem Petrus reſcribens,

redar-

Digitized by Google

redarguit in multis eius obiectiones, vt leues & nullius ponderis, alias vero diſſimulando, vel in nonnullis etiam Latinos carpendo, plane oſtendit ſe haud liberioris affectus fuiſſe, ſed temporibus inſeruiſſe, fidemque pro perſonis cum quibus ageret mutaſſe. Sed quod ad ipſas obiectiones attinet, quam illæ ſint imperitę, vel calumnioſæ & mendaces, aut denique prolatę in defenſionem hæreſum, errorumq; tunc in Oriente vigentium; cum ea quæ ſæpe ſuperius aduerſus eoſdem Græcos dicta ſunt, tum ſcripta Humberti, & epiſtolæ Leonis Papæ, de quibus nuper egimus, abunde demonſtrant.

V. g Leo Oſt. lib. 2. c. 85. S. LEON. P. IX. OBITVS.

Redeuntes autem poſt hæc Legati Romani in Italiam, cum muneribus Imperatoris Beato Petro, necnon S. Benedicto deferendis (vt ait Leo g Oſtienſis) inuenerũt iam Leonem Papam defunctum. Qui quidem (vt idem auctor ſcribit) cum manſiſſet Beneuenti vſque ad diem duodecimum menſis Martii, ibique infirmatus eſſet, Romam rediit, & poſt paucos dies ſancto fine quieuit. Id vero decimotertio Calendas Maii contigiſſe, eumdemque in baſilica S. Petri ſepultum eſſe, tradit Hermannus. Ambo autem iidem auctores, & Deſiderius h Abbas poſtea Victor Tertius, aliique omnes qui res ab eodem Leone Pontifice geſtas deſcripſerunt, abſque vlla ambiguitate confirmant, ad eius tumulum plurima edita eſſe miracula, quorum nonnulla recenſent; præter illa quæ viuens edidit. Quo factum eſt, vt quem Deus miraculis illuſtrauit, Catholica Eccleſia inter Sanctos retulerit, annis ſingulis diem natalem eius ſacris ritibus colens decimanona menſis Aprilis. Sedit autem annos quinque, menſes duos, & dies ſeptem. Vacauitque Sedes poſt eius obitum, menſib. vndecim & diebus viginti quatuor. Cuius quidem tam diuturni interregni hanc intimat idem Leo i Oſtienſis cauſam, quod deficiente in Eccleſia Romana perſona ad tantum officium idonea, miſſus fuerit ad Imperatorem in Germaniam Hildebrandus Subdiaconus, qui illic aliquẽ, vice tamen Cleri populique Romani eligeret, ac Romam deduceret conſecrandum. Præſtitit autem rem impigre Hildebrandus; & quem magis idoneum iudicauit, petiit ab Imperatore, & tandem ægre obtinuit Gebehardum Aiſtetenſem Epiſcopum, cuius ſuperius facta eſt mentio, ipſi Imperatori chariſſimum, ideoque inuitum ab inuito diſtractum. Addit his Hermannus, voluiſſe Imperatorem electionem tantæ Sedis Pontificis fieri in Concilio Epiſcoporum; eaq; de re celebrata Moguntiæ SYNODO; in ea prædictum Gebehardum electum ab Epiſcopis Romam miſſum eſſe. Reliqua vero de eius creatione, dicentur anno ſequenti quo ea contigit.

h Deſid. in 3. Dialog.

i Leo lib. 2. cap. 90. LEGATIO AD IMP. PRO PETENDO PONT.

VI.

Quod autem Bennonis ſententia (qualiſcumque æſtimanda ſit) aſſeratur Benedictus ille intruſus, ſæpe reiectus, rurſum perturbaſſe poſt Leonis obitum Romanam Eccleſiam; inde etiam accidere potuit, vt Romani coacti fuerint legationem ad Imperatorem mittere, ad tam grande malum eius potentia vitandum. Sed & quod de eodem Benedicto nullo vſquam ſit amplius mentio; exiſtimari poteſt, hominem nefarium hoc ipſo tempore finem viuendi feciſſe. De quo teſtatur Petrus Damiani in epiſtola quã ſcripſit ad Fratres Eremi, cum viatori cuidam aliquando apparentem effigie monſtri quod in aures & caudam aſini deſineret, cetera vrſus eſſet, eidem viatori narraſſe, ſe quod beſtialiter vixiſſet, poſt finem vitæ beſtiæ præferre ſpeciem meruiſſe, atque in impietatum & ſpurcitiarum retributionem, damnatum eſſe vt vſq; ad diem Iudicii per dumoſa & ſqualentia, per ſulphurea atq; fœtorem exhalantia, incendiiſq; conflagrata loca raperetur, atq; pertraheretur; poſt extremum vero Iudicium, corpore ſimul & anima in profundum inferni proiiceretur æternum torquendus.

VISIO DE BENEDICTI PSEVDOP. POST MORTEM STATV.

VII. CONST. IMP. MORITVR. THEODORA IMPERAT.

Hoc eodem anno Indictione ſeptima, ex hac vita migrauit Conſtantinus Monomachus Imperator Conſtantinopolitanus: habenas vero moderandas ſuſcepit THEODORA Porphyrogenita, filia Conſtantini Decimi Imperatoris, ſoror Zoes Auguſtæ; quæ mox animaduertit in aliquos Imperii culmen arripere ſatagentes. Tradit hæc Curopalates: qui eumdem Monomachum defunctum eſſe in monaſterio quod ædificauit, affirmat. De quo, cum quæ damnanda eſſent in homine, laſciuiam, & tributorũ nouorum exactionem recenſuit: eius quoque pia opera commemorans, inter alia tradit præſtitiſſe erga magnam eccleſiam, vt cum in ea vſque ad illud tempus inſignibus tantum diebus feſtis, & ſabbatis ac diebus Dominicis, incruentum Deo ſacrificium offerri ſolitum fuiſſet, reliquis vero diebus nequaquam ob reddituum inopiam: egerit ipſe primus vt quotidie ſacra celebrarentur, conſtitutis amplis redditibus, & multis aureis gemmatiſq; vaſis, aliiſque muneribus eccleſiæ donatis.

IESV CHRISTI AN. 1055.

HENRICI II. 9. THEODORÆ I.

VICTOR. II. AN. 1.

I.

ANno Chriſti milleſimo quinquageſimo quinto, Indictione octaua, Idibus Aprilis, ipſaque die Cœnæ Domini (vt ſcribit Hermannus) Gebhardus ex Epiſcopo Aiſtetenſi electus anno ſuperiori Romanus Pontifex, cõſecrationem Romæ accepit, vocatuſque eſt VICTOR eius nominis Secundus. Veniſſe autem Romam Henricum Imperatorem, ſecumque duxiſſe Pontificem conſecrandum, tradit Leo a Oſtienſis. Hermannus vero illum miſſum ab eo ſcribit; Imperatoris autem aduentum in Italiam poſtea contigiſſe hoc anno, quo (vt ait) Paſcha Mantuæ celebrauit, & Pentecoſten Florentiæ: vbi coram eo a Victore Papa generali Synodo habita, multa correcta ſunt. Ita Hermannus: ſed quænam iſta fuerint ſtatuta in CONCILIO FLORENTINO, non refert. Conſtat autem teſtificatione Lanfranci, Victorem in omnibus Conciliis quæ celebrauit, vel celebranda curauit, confirmaſſe cuncta à prædeceſſore ſtatuta, ac præcipue damnationem hęreſis Berengarii. Inſuperque in hoc eodem Concilio Florentino vetitum fuiſſe Epiſcopis, ſub anathematis grauiſſima pœna, ne prædia Eccleſiaſtica diſtraherent (quod & alias prohibitum ſuperius vidimus; hoc vero tempore à pleriſque, ingenti Eccleſiæ damno, & animarum ſuarum ruina, perpetrari conſueuerat) teſtis eſt Petrus Damiani in epiſtola b ad V. Epiſcopum ſcripta, qua pluribus rationibus, & auctoritatibus, exemplisque ex diuina Scriptura petitis, quantum ſit peccatum illa alienare, quantaq; inde mala enantur docet. Cuius & c alibi relatione conſtat, voluiſſe Deum iiſdem temporibus ad auertendos à tanto periculo homines in quod præcipites ruerent, ſucceſſoreſque ſuos ſecum traherent in gehennam, per viſum oſtendere certam horum ad inferos damnationem; cum (vt ait) quidam religioſus vir per ſpiritum ad inferiora deſcendens, vidit quod propter quamdam prædii Metenſis Eccleſiæ poſſeſſionem quam quidam Comes abſtulerat, tam ipſe quam omnes eius ſucceſſores, quorum iam decimus recens tunc obierat, licet alioqui bonæ inter homines æſtimationis eſſent, inextinguibilis ignis ſupplicio torquerentur, omneſque alij venturi torquendi eſſent, quamdiu quæ ſcirent ab Eccleſia eſſe ſublata per ſuos maiores bona, ipſi mala fide poſſiderent.

VICTOR II. P.

a Leo Oſt. lib. 2. cap. 90.

CONCIL. FLORENT.

b Rec. Dat. ... To. XI. hoc an.

c Pet. Dam. ep. ad ... & ep. ad Nico. PP.

DE NON ALIENANDIS PRÆDIIS ECCL.

II.

Sed quod in prædicta ad V. Epiſcopum epiſtola Petrus inter alia ait, quod cum à pœnitentibus ſacerdotes terras acciperent, iuxta menſuram muneris eis de quantitate pœnitentiæ relaxarent: vt hic Eccleſiæ ritus plenius innoteſcat, ſciendum eſt poſt tot naufragia Eccleſiarum, ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ diſſolutionem, tandem exulem cenſuram antiquorum canonum pœnitentialium hoc ſæculo poſtliminio reuocatam vigere cœpiſſe. Quoniam vero contingeret ob iterata frequenter peccata mortalia, quorum cauſa plurium annorum pœnitentia inferretur, deſperare homines tot annorum curriculis, & aliquando ſua ætate integra ſub eodem pœnitentiæ pondere gemere; imo interdum nec hominis ætatem ſufficere ad expianda per pœnitentiam canonibus præſcriptam commiſſa peccata: aperta eſt in Eccleſia ianua *Pœnitentiæ Redemptionis*, ne quis ex hac vita Eccleſiæ debitor præuentus morte decederet;

REDEMPTIO PŒNITENTIÆ CA-

NONIÆ INTRODVCTA.

deret, ita vt (quod ad rem præſentem attinet) qui diuitiis affluerent, erogando eas in vſum pauperum, pro quantitate perſoluti pretii tot redimeret annos quot Lex Eccleſiaſtica conceſſiſſet. Rurſum vero ne diuitibus dumtaxat aperta miſericordiæ ianua videretur, aliæ ab Eccleſia excogitatæ ſunt corporeæ afflictiones, quibus pauperes, aliique omnes quicumque vellent, redimere breui tempore multiplices annos poſſent: de cuiuſmodi remedijs apud Burchardum Wormatienſem olim Epiſcopum prolixor tractatio eſt in libro quem ſcripſit Decretorum pœnitentiæ, quæ (vt profitetur) accepit ex Romano Pœnitentiali. Vnde & introductus eſt vſus voluntariæ flagellorum pœnitentiæ, de qua dicetur anno ſequenti. Iam enim ad Victorem redeundum eſt.

III. HILDEB. MITTITVR LEGATVS IN GALLIAS AD REFORMAN. ECCL.

Qui igitur his optime diſponendis quæ recenſuimus, in Italia incumbebat, idem quoque ad eoſdem abuſus Eccleſiæ Gallicanæ corrigendos, Legatum à Latere miſit illum ipſum *Hildebrandum* S. R. E. Subdiaconum, magni ingenij, & ingentis animi, atq; inſignium virtutũ, & egregiæ ſanctitatis virum, qui ipſum Victorem à ſe Pontificem electum è Germania in Vrbem perduxerat. De quo quidem in hac legatione illud mirandum à multis refertur, quod cum quadam Epiſcoporum Synodo ab ipſo celebrata, Epiſcopus aliquis literatus & eloquens accuſatus de crimine Simoniæ, illud omnino confiteri detrectaret; repente iuſſus ab Hildebrando dicere, *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto*, Patrem quidem & Filium diſerte & expedite pronunciauerit, Spiritum vero Sanctum nullo vmquam modo proferre valuerit: tuncque idem Epiſcopus iudicio ſe diuino conuictum cernens, crimen confeſſus fuerit, & depoſito Epiſcopatu mox Spiritum quoque Sanctum libero ore pronunciauerit. Narrantur iſta ex relatione ipſiuſmet Hildebrandi poſtea Romani Pontificis Gregorij Septimi dicti, tum à Petro Damiani in epiſtola ad Dominicum & Fratres eremi, & alia epiſtola ad Nicolaum Papam, tum à Deſiderio Abbate S. Benedicti, presbytero Cardinale S. Cæciliæ, in libris Dialogorum quos eodem ferme tempore ſcripſit: itemque ex relatione S. Hugonis Abbatis Cluniacenſis, qui rei geſtæ interfuit, ab Willelmo[d] Malmesburienſi Bibliothecario: ac denique eadem habentur in antiquioribus Geſtis Romanorum Pontificum, quæ collecta à Nicolao Aragonio Cardinale extant in Bibliotheca Vaticana; vbi traditur hæc geſta eſſe in prouincia Lugdunenſi: additque eo miraculo in tantum perterritos eſſe ceteros Simoniacos, vt præter alios Prælatos Eccleſiarum viginti ſeptẽ, Epiſcopi quadraginta quinque ſimoniacos ſe eſſe confeſſi fuerint, & ſuis honoribus abſque vlla alia accuſatione renuntiauerint. Petrus vero Damiani tradit, ea Synodo ab Hildebrando Apoſtolica auctoritate, præter illum Epiſcopum, depoſitos eſſe alios quinque diuerſis criminibus reos. Ceterum illud omnino male in Collectionib. Nicolai Aragonii quod Hildebrandus tunc Archidiaconus extitiſſe dicitur, reſque geſta ſub Stephano Papa ponitur; quam alii omnes ſub Victore contigiſſe teſtantur, quo tempore nondum Hildebrandus creatus fuerat Archidiaconus, ſed eam poſtea dignitatem à Nicolao Secundo accepit. Porro non hac dumtaxat actione, ſed & alias ſæpe ipſum gratia Spiritus Sancti cogitationes aliorum prophetico mentis intuitu cognouiſſe, aliaq; futura prædixiſſe, ſed & viſionib. diuinis illuſtratum fuiſſe; ſinceriſſimus eſt teſtis idem Willelmus Malmesburienſis huius ſæculi hiſtoricus, ex irrefragabili relatione eiuſdem ſanctiſſimi Hugonis Cluniacenſis, ipſi Hildebrando familiaritate coniunctiſſimi; conſtatque inſuper ex ipſiuſmet Hugonis Vitæ Actis ab alio Hugone conſcriptis.

EPISCOP. MIRACVLO ARGVITVR SIMONIAC.

d [illegible]

HILDEBR. SPIRITV PROPHETIÆ PRÆDITVS.

IV.

CONCIL. TVRON. CONTRA BERENG.

Præcipue autem Hildebrandi in Galliis inuigilauit ſedulitas, vt Berengarium rurſum hæreſim quam fuerat deteſtatus defendentem ac propalantem, vel in meliorem ſenſum reduceret, vel Synodali ſententia damnaret. Quãobrem ne ſubterfugiendi amplius locus eſſet, domi ſuæ eum conueniendum putans, Turonis CONCILIVM Apoſtolica indixit auctoritate: in quo Berengarius iterum deteſtatus errorem, fidei Catholicæ propria manu ſubſcripſit, ac iureiurando firmauit. Teſtantur id enim qui aduerſus eumdem Berengarium eo tempore ſcripſerunt, Lanfrancus[e] poſtea Cãtuarienſis, & Guitmundus[f] Auerſanus Archiepiſcopus. Sed ſimulans impius pœnitentiam, vbi diſceſſit Hildebrandus rurſum cœpit infauſtam hæreſim propugnare; adeo vt opus fuerit eum denuo ſub Victoris ſucceſſore Nicolao Papa conuenire, ſicut dicetur ſuo loco.

e Lanfr. aduerſ. Bereng. f Guitmun. de Sacram. lib. 3.

V. SYNODVS TVRON. COGNOSCIT DE CAVSA IMP. ET REG. HISP.

Ad hoc quoque Concilium Turonẽſe miſſi ab Henrico Imperatore Legati, eius nomine queſti ſunt aduerſus Ferdinandum Magnum Caſtellę ac Legionis Regem, detrectantem parere Romano Imperatori, arrogantemque ſibi contra iura, moremque maiorum, nomen Imperatoris; petentes, niſi deſiſteret, excommunicatione percelli, & Hiſpaniam ipſi ſubiectam interdicto ſubiici. Iuſta viſa eſt Henrici petitio tum Concilio, tum etiam ad quem eſt delata, Victori Pontifici. Eorumque nomine legatione decreta ad eumdem Ferdinandum, atque celebrato ea de re in Hiſpania Procerum & Epiſcoporum Conuentu, obtinuit pars illa vt obediretur Romano Pontifici: ſicque ceſſatum eſt ab Imperatorio nomine, & rebellione ab Imperatore Germaniæ. Hæc ex antiquiorib. rerum. Hiſpanicarum Scriptoribus, pluribus proſecutus eſt Ioannes Mariana, qui poſtremam manum ſummo ſtudio hiſtoriæ Hiſpaniarum impoſuit.

VI. SVBDIAC. PROPINANS VENENVM PONT. SACRIFICANTI ARRIPITVR A DÆMONE.

Paſſus interea aſſeritur Victor Papa hoc ipſo anno primo ſui Pontificatus, horrendam plane proditionem, cum ſubdiaconus qui ei ſacrificanti miniſtrabat, venenum immiſit in ſacrum calicem: ſed Deus duplici miraculo & obſtitit ne Pontifex biberet, & detexit tanti ſacrilegij auctorem. Cum enim Pontifex calicem poſt conſecrationem leuare vellet, nec poſſet: à Domino cauſam facti inquiſiturus, cum populo aſſiſtente ad orationẽ proſtratus eſt; ſtatimque ſubdiaconus à dæmone arreptus eſt. Sic igitur cauſa manifeſtata, Papa calicem cum Sanguine Dominico cuidam altari iuſſit includi, & pro Reliquiis in perpetuum conſeruari. Deinde iterum cum populo tamdiu ad orationem proſtratus eſt, quouſque ſubdiaconus à dęmone liberaretur. Scribunt hæc Lambertus, & Vrſpergenſis, atque alij poſt eos. Scimus autem Bennonem ſchiſmaticũ aſſerere, Gerardum quemdam Braxutum cognomine, ſex Romanos Pontifices extinxiſſe veneno, primumque numerat Clementem Secundum, & poſt eum quinque eius ſucceſſores. Sed quoniam tanta iſta, & toties iterata, nullum penitus aſſertorem habeant huius temporis ſcriptorem, nullam penitus in homine mendaciſſimo concilient ſibi fidem: cum præſertim in ſugillationem iſta iactet Gregorij VII. quem ſomniorum iſte fictor & calumniatorum compoſitor, tot ſcelerum complicem fuiſſe delirat.

NVLLA FIDES BENNONIS.

IESV CHRISTI AN. 1056.

HENRICI II. 10. THEOD. 2.

VICTORIS II. AN. 2.

I. HEN. IMP. OBIT.

ANno Chriſti milleſimo quinquageſimo ſexto, Indictione nona, Victor Papa ab Henrico Imperatore in Germaniam inuitatus, interfuit eiuſdem Imperatoris obitui, qui contigit tertio Nonas Octobris Indictione decima iam inchoata, anno ipſius ætatis trigeſimo nono; cum paulo ante obitum, filium ſuum itidem Henricum nominatum, eiuſdem Romani Pontificis ceterorumque Præſulum & Principum electione Regem conſtituiſſet. Teſtantur hæc temporis huius Scriptores, Hermannus, & Marianus. Oſtenſam vero fuiſſe Gunthero Imperatoris Cancellario diuinam viſionem imminentis ſuper Orbem Dei vindictæ, Lambertus narrat. Et in Chronico Caſſinenſis monaſterij antiquitus ſcripto, recenſetur prolixa narratio de malorum dæmonum accurſu ad obitum eiuſdem Imperatoris, eum ſibi vt ſuum accuſationibus vendicantium; ſed ab eorum manibus traditur liberatus S. Laurẽtij martyris

HEN. ANIMA LIBERATVR A DÆMON. PER S. LAVRENT.

interceſ-

interceſſione, cuius cultor propenſior extitiſſet. Quænam autem illum apud Deum reum conſtituere potuerint, ſupplicioque obnoxium reddere, tum multa alia fuere, quæ ex auctoribus qui de eo ſcripſere colligi poſſunt, tum maxime quod electionem Romanorum Pontificum, aliorumque Epiſcoporum iudicia ſibi arrogaſſet. Ipſius vero filium tempore patris obitus nondum abſoluiſſe quintum ætatis annum, certum redditur ex eo quod Lambertus affirmat eum natum anno Salutis milleſimo quinquageſimo primo, quarto Idus Nouembris: vnde errare probantur, qui eum tunc ſeptennem vel etiam octennem fuiſſe tradunt. Porro ipſum à patre moriente Romanæ Eccleſiæ commendatum eſſe per Victorem Papam ibi præſentem, teſtatur Gregorius[a] Septimus in epiſtola ad Rudolphum Sueuiæ Ducem. Eidemq; ipſum Victorem regnum ſtabiliſſe, & generali *Conuentu* Coloniæ habito, omnes aduerſus illum bellorum motus ſedaſſe, auctor eſt Sigebert[9]. Sed & Agnes Auguſta mater puerum religioſe educare cœpit: verum cum exceſſit ex ephœbis à matre abſtractus, & in tranſuerſum actus, Romanæ inprimis redditus eſt hoſtis Eccleſiæ, cuius ope eidem regnum fuerat ſtabilitum.

a Greg. 7. l. 3. ep. 19.

II. DE OFFICIO B. VIRG. MARIÆ IN ECCLESIAM INTRODVCTO.

Antequam autem vlterius progrediamur, nonnulla hic recenſenda videntur, quæ digna memoria iiſdem Henrici Senioris temporibus accidiſſe noſcuntur. Atq; inprimis, cum auctore Petro Damiani monachos eremi inſtituente, iam ferme per triennium in monaſterio Gamugenſe ſeruatum eſſet, vt cum ſolitis Horis canonicis quotidie Beatiſſimæ Virginis Officiũ diceretur; ac Gozo quidam, inter eos reprobæ vitæ monachus, de nouo iſto præter regulas S. Benedicti ſuperpoſito onere conqueſtus, reliquos omnes illud deponere perſuaſiſſet: mox aduerſus prælatum monaſterium tot vndique hoſtium deprædationes atque prædonum rapinæ, incendia, cædeſque diuinitus excitatæ ſunt, vt nec auctoritas Imperialis à monachis implorata his malis curandis ſuffecerit. Itaque cauſa eiuſdem calamitatum ſuarum eodem Petro Damiani monente cognita, ſtatim ac de culpa pœnitentiam peregerunt & ſolitas Beatiſſimæ Virginis laudes celebrare cœperunt, iidem ab omnibus penitus eiuſmodi malis liberi ſunt redditi. Narrat hæc, qui ea ob oculos habuit, idem Petrus Damiani in epiſtola ad Fratres eremi. Sicut autem ipſe auctor fuit, vt in monaſterio ſuo OFFICIVM DEI-GENITRICIS dicendum aſſumeretur; ita ex eodem fonte manaſſe cognoſcitur, vt illud ipſum toto Chriſtiano Orbe Occidentalis Eccleſiæ, non à monachis tantum & clericis, ſed etiam à laicis viris atque mulieribus, quotidianis penſis perſoluatur, monente Vrbano Papa, vt ſuo loco dicetur.

III. DE INTRODVCTO SVE ET NOMINE DISCIPLINÆ.

Eodem quoq; tempore, etſi non eodem auctore Petro, tamen certo propagatore, atque acerrimo impugnantes propugnatore, introductus eſt in Eccleſiã Dei ille laudabilis vſus, vt volũtariæ pœnitentiæ cauſa Fideles, non modo viri ſed & nobiles mulieres, verberibus ſe ipſas afficerent flagellis ad hoc paratis idoneis. Hoc enim teſtatur idem Petrus in epiſtola[b] ad Blancam Comitiſſam; vbi & verberationem ipſam vocat *Diſciplinam*, ſicut & in epiſtola ad Alexandrum Papam cum de iiſdem agit: quod nomen cum actione ad poſteros tranſiit, vt *Diſciplinam agere* ſit ſeipſum flagellis cædere. Hoc autem genus pœnitentiæ, etiam ab ipſo Henrico Imperatore qui hoc anno defunctus eſt, frequentatum eſſe, teſtis eſt Reginardus in Rebus[c] geſtis S. Annonis tunc Archiepiſcopi Colonienſis. Sicque ingenti Fidelium bono contigit, vt quæ in redemptionem diuturnarum pœnitentiarum à canonibus inſtitutarum in expiationem peccatorum mortalium, flagellorum verberatio fuit primitus introducta; (quod vidimus anno ſuperiori) eadem hoc tempore, frequentiori vſu ſit recepta, inter omnes etiam Chriſtianos nil debentes eiuſmodi canonum exactoribus pœnitentiam perſoluentis; imitatores Apoſtoli dicentis[d], *Iuſtitiam ſuam eminentiam, & ſeruitutem redigo, ne cum aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar*; ſponte ſe cuſtiam in verberibus cruciantes. Quod quidem introductum eſſe his iiſdem Petri

b Pet. Dam. ep. 4. & l. To. 3. lib. 8.

HENR. II. IMP. SE FLAGELLABAT.

c cap. 8. 4. Dec. ca. 6.

d 1. Cor. 9.

Damiani temporibus, exemplo Beati Dominici cognomento Loricati, eidem ſubditi eremitæ, ac magnæ abſtinentiæ & auſteritatis viri (cuius res præclare geſtas ſcripſit idem Petrus ad Alexandrum Papam) teſtatur ipſe eadem ad Blancam epiſtola.

e Ep. ep. l. 11.

IV. ALII SANCTI RITVS IN ECCL. RECEPTI.

Quod inſuper ad alios ritus ſpectat; ſuorum monachorum & eremitarum inſtitutione ſeruari cœptum ait, quod nos iam videmus vbique in Eccleſia Occidentali receptũ; nempe vt Feria ſecunda animabus defunctorum liberandis à pœnis ſacroſancto Miſſarum ſacrificio ſit adſcripta: feria ſexta pro memoria Dominicæ Paſſionis, eodem ſacrificio, inſuper ieiunio, & verberum afflictione colenda eſſet: Sabbato vero in honorem ſanctiſſimæ Dei-Genitricis celebrandum idem in eiuſmodi ſacrificium Miſſæ. De quibus omnibus ipſe pluribus agit in epiſtola ad Deſiderium Abbatem Caſſinenſem. Nos vero iam reliqua huius anni proſequamur.

V. CONCIL. TOLOSAN.

f Ex Ms. ... To. XI. ...

Hoc pariter anno Domini milleſimo quinquageſimo ſexto, Idibus Septembris celebrata reperitur[f] *Toloſæ* in Gallia, iuſſu Victoris Papæ, SYNODVS octodecim Epiſcoporum ad extirpandas Simoniacas prauitates, ac reſtituendam Eccleſiaſticam diſciplinam cui præfuerunt auctoritate eiuſdem Pontificis, Rambaldus Arelatenſis Archiepiſcopus & Pontius Aquenſis. Inſuperquè hoc eodem anno in Hiſpania celebratum eſt CONCILIVM COMPOSTELLANVM ſub Creſconio eiuſdem vrbis Archiepiſcopo: in quo cum fuerint complura præclare conſtituta, quæ ad Eccleſiaſticam diſciplinam conſeruandam ſpectarent, illud inter alia ſancitum reperitur, vt Epiſcopi omnes atq; Presbyteri Miſſam quotidie celebrarent, & vt clerici tempore ieiunii & Litaniarum, quoties publica delictorum expiatio indiceretur, cilicio induerentur.

CONCIL. COMPOST.

VI. THEOD. AVG. MORITVR. MICH. STRATIOT. IMPERAT.

Quod ad res Orientales pertinet; hoc eodem anno, Indictione nona ad finem declinante, (inquit Curopalates) Theodora Auguſta, poſtquam imperaſſet annum vnum & menſes nouem, inteſtinorum morbo ex hac vita exempta eſt, cum iam paulo ante ſuaſione eunuchorum creaſſet Imperatorem MICHAELEM cognomento *Stratioticum*, ætate ſenem, militiæ valde peritum hominem, regiminis autem magiſtratuum ciuilium inexpertum: qui primam exortam rebellionem Rhecoboti alii Monomachi ſuperauit, in ſecunda per Iſacium Comnenum permota defecit, vt dicetur anno ſequenti.

IESV CHRISTI AN. 1057.

MICHAEL. VI. AN. 1.

VICTORIS II. AN. 3.

I. VICTORIS PP. OBIT.

ANno Chriſti milleſimo quinquageſimo ſeptimo, Indictione decima. *Victor* Papa ex Germania Romam initio Quadrageſimæ rediens, ac poſt Paſcha in Tuſciam profectus, defunctus eſt Florentiæ, atque ſepultus vigeſima octaua Iulii: vt teſtantur Leo[a] Oſtienſis, atque Lambertus. Eoq; nuntio Romam perlato, mox in eius locum ſuffectus eſt die ſecunda Auguſti Fridericus Diaconus Cardinalis, frater Godefridi Ducis Tuſciæ, ille ipſe, quem Cancellarium Eccleſiæ Romanæ tunc agentem, vidimus ante triennium Legatum miſſum eſſe cum aliis Conſtantinopolim à Leone Papa ad Conſtantinum Monomachũ Imperatorem. Qui[b] cum poſt reditum renunciatio ſæculo factus eſſet monachus Caſſinenſis, ac nuper electus eiuſdem Abbas monaſterii; poſtmodum defuncto Victore Pontifice, ipſe Romæ tunc exiſtens vno omnium conſenſu creatus eſt Romanus Pontifex, dictuſque STEPHANVS, huius nominis Decimus, quod ea die qua electus eſt, nempe ſecunda Auguſti, S. Stephani Papæ celebritas agetur. Qui quidem ita permiſit in locum ſuum alium eligi Abbatem Caſſinenſem, nempe Deſiderium, vt tamen dumtaxat poſt obitum ſuum ſuccederet: ſiquidem volunt quamdiu vixit, ſicut Pontifex, ita & Caſſinenſis Abbas eſſet; ſe prædeceſſoris ſecutus exemplum, qui cum ſuiſſet Epiſcopus Aiſtetenſis, ſe viuente miſſum alii paſſus eſt ordinari

a Leo Oſt. l. 2. cap. 8.

b Hæc ... ex ...

STEPHANVS PP. X.

Digitized by Google

eius Eccleſiæ Epiſcopum: non ſecus ac Leo Nonus, quem vidimus idem præſtitiſſe de ſua priori Eccleſia Tulenſi.

II. Petrus Damiani creatus Epiſcop. Oſtien. c *Lib. 2. cap. 102.*

Hoc autem ipſo anno idem Papa Stephanus Petrum Damiani ab eremo abſtractum, creauit Epiſcopum Cardinalem Oſtienſem, vt tum Leo [c] teſtatur in Chronico, tum ipſe Petrus in Epiſtola ad Nicolaum Papam de dimittendo Epiſcopatu, quem ſibi non canonice, ſed violenter iniectum queritur, & vim inferentem ipſum Stephanum Pontificem, ſuum appellat perſecutorem. Siquidem Epiſcopus creatus, cum nihil remittens de rigore vitæ eremiticæ, quin etiam ad eamdem optans transformare collegas, vt ne vel otioſum verbū, riſumue leuem ore proferrent, egregiam illam ad eos conſcripſiſſet epiſtolam cui titulum fecit, *Venerabilibus in Chriſto ſanctis Epiſcopis Lateranenſis Eccleſiæ Cardinalibus*; intelligens ita non ex ſententia ſibi ſuccedere, mox cœpit eiuſcemodi vitæ generis tædere, ac de reditu ad eremum ſerius cogitare: neque vmquam deſtitit, quouſque tandem id ab Alexandro obtinuit, vt dicetur ſuo loco.

III. Eccleſiæ Rom. forma huius temporis.

Quod ad prædictæ epiſtolæ titulum hactenus inauditum ſpectat, ex ſcripto antiquo Vaticano codice ſacrorum Rituum, conſtat hanc fuiſſe iſtorum temporum Romanæ Eccleſiæ formam, vt eſſent Romæ quinque Patriarchales Eccleſiæ, videlicet Lateranenſis, (quæ & Conſtantiniana, & baſilica Saluatoris aliis nominibus nuncuparetur) S. Mariæ Maioris, S. Petri, S. Pauli, & S. Laurentii extra muros: atq; in Lateranenſi ſeptem eſſent Cardinales Epiſcopi, videlicet Oſtienſis, Portuenſis, Sanctæ Ruffinæ ſiue Siluæ candidæ, Albanenſis, Sabinenſis, Tuſculanus, & Præneſtinus; iidemque dicti Collaterales, atq; etiam Hebdomadarii, eo quod ſingulis hebdomadibus per vices explerent munus Pontificis: Aliæ quoque Patriarchales Eccleſiæ, ſingulæ ſeptem pariter haberent Cardinales presbyteros, quibus aſſignati eſſent totidem Tituli Eccleſiarum intra Vrbē exiſtentium: ita tamen vt Lateranenſi Eccleſiæ præfectus eſſet primus Epiſcopus Collateralis, S. Mariæ & S. Petro Archipresbyteri Cardinales, S. Paulo & S. Laurentio Abbates Cardinales: Inſuperque eſſent Diaconi Cardinales dicti Regionarij, numero duodecim, ac diaconi Palatini ſex, quibus commiſſæ ſimiliter eſſent totidem Diaconales Eccleſiæ; ita vt diaconorum Regionariorum munus eſſet cantare Euangelium in Stationibus, Palatinorum vero cantare Euangelium in Eccleſia Lateranenſi: Eſſent item Subdiaconi viginti vnus; ſeptem Regionarij qui Epiſtolas & Lectiones cantarent in ſtationibus; ſeptem Palatini qui idem munus præſtarent in Eccleſia Lateranenſi; ſeptemque alii, dicti Schola Cantorum, qui cantarent tantummodo quando Summus Pontifex celebraret: Prætereà eſſent in Vrbe Abbatię viginti duæ: Ac denique præter Septem Collaterales Epiſcopos, eſſent in diuerſis Italię prouinciis alij Epiſcopi numero ſexaginta duo, qui dicerentur Suffraganei Romani Pontificis, & nulli alij Primati vel Archiepiſcopo ſubiecti, frequenter ad Synodos vocarentur. Hæc de Eccleſiæ Romanæ huius temporis ſtatu, in prædicto Rituum libro; vbi & nomina recenſentur prædictorum omnium Titulorum, Abbatiarum, & Epiſcopatuum. Iam vero cetera huius anni proſequamur.

IV. Mich. Imp. cedit Iſacio Comneno.

Hoc eodem anno Iſacio Comneno inuadente Imperiū Orientale, Michaël Auguſtus ei cedere coactus, die vltima menſis Auguſti priuatus ad proprias ædes ſe recepit: qui cum à Michaele Cerulario Patriarcha, rebellionis aduerſus ipſum auctore & principe, per Legatos Metropolitas ſuaderetur Imperio cedere, interrogans Metropolitas quid pro Imperio traderet Patriarcha, illiſque reſpondentibus Cœleſte regnum, ſtatim depoſita purpura, veſte priuata indutus ceſſit. Iſacius vero inchoante menſe Septembri, à Patriarcha ſolemni ritu coronatus eſt Imperator. Qui quidem illud laude dignum tunc præſtitit, vt Eccleſiam Conſtantinopolitanam, quæ tum in ſacris muneribus, tum in theſauri diſpenſatione, Præfectos ab Imperatoribus delectos pati cogebatur, in priſtinam vendicaret libertatem, Patriarchæ poteſtati ac curæ omnimodam eius relinquens adminiſtrationem. Idem tamen poſtmodum aliam impiam ſanctionem edidit, quā pluriū monaſteriorum bona addixit Fiſco, relicta tantummodo ſtirpe Deo ſeruientibus monachis. Hæc omnia pluribus Curopalates, nonnulla tamen in eis inepte philoſophatus; dum imprimis reuocat in dubium, an pro terreno Imperio Michael eſſet mercedem cœleſtem acceptuius, cum non ſtatim ac in ipſum rebellari cœptum eſt, ſe abdicarit, ſed vſque ad bellum permanſerit, & gentis ſuæ cladem: deinde cum non ſolum probat factum Iſacii de addictis fiſco bonis monaſteriorum, ſed etiam optat vt idem executus eſſet in omnibus rebus ad Eccleſiam omnino ſpectantibus; videlicet vt ſacros miniſtros & monachos à deliciis & auaritia reuocaret. Nam vt iſta leui manu tangam, quod ad Michaelem attinet, ſi cuique inuadenti Imperium tyranno cedere æquum ſit, quæ vlterius cuiuslibet Imperii firmitas eſſe poterit; ad cuius defenſionem gladium ei Deus dederit in vindictam [d] malefactorum? Non iſta docent ſacræ leges, neque monent exempla: cum nullus fuerit hactenus Chriſtianiſſimorum Imperatorum, qui præ cæteris in Eccleſia laudem meruerint, qui non aduerſus inſurgentes tyrannos totis viribus ſe obiecerint. Quapropter & metuit laudem primum Michael reſiſtendo, vt decebat legitimum à Deo conſtitutum Imperatorem: metuit & laudem cedendo, à ſacerdotibus promiſſione oblata regni cœleſtis. Quod vero ad vſurpationem Iſacii bonorum monaſteriorum; ſatis ipſa euenta fatuum plane iudicium Curopalatis arguerunt, cum aduerſus ea patrantem tyrannum, cœlitus ictibus fulminum ab irato numine dimicatum eſt, vt idem ipſe inferius teſtatur auctor, adeo vt vrgens metus adegerit eum exuere purpuram & inde monaſticum habitum, & inter monachos obire ſeruitia monachorum, qui monachos ita perſequi aggreſſus eſt.

Iniqua ſanctio Iſac. Imp.

d *1. Tim. 2.*

IESV CHRISTI AN. 1058.

Iſacii Comneni An. 1.

STEPHAN. X. AN. 1.

I.

ANno Chriſti milleſimo quinquageſimo octauo, Indictione vndecima Stephanus Papa quamuis infirmus corpore, aſſiduo tamen ſtudio pro Eccleſiæ Catholicæ tranquillo ſtatu laborans, decreuit legationem in Orientem, ad Eccleſiam Conſtantinopolitanam ſchiſmate ſciſſam Apoſtolicæ communioni conſociandam: ſed quo minus ea ſuum conſequeretur effectum, eiuſdem Pontificis obitus intercesſit, qui contigit hoc ipſo anno, quarto Calendas Aprilis Florentiæ, cum illuc profectus eſſet ad Godefridum Tuſciæ Ducem fratrem ſuum, cui habebat in animo coronam Imperii deferre: ad eius vero ſacrorū corpus ibidē ſepultum, plurima ſigna Chriſtus oſtendit. Narrat hæc Leo [a] Oſtienſis. In Actis [b] autem S. Hugonis Cluniacenſis Abbatis traditur, ipſum Stephanum in manibus illius ſpiritum reddidiſſe ſancta confeſſione præmunitum, & eiuſdem ſanctiſſimi viri præſentia ab inſultibus praui dæmonis in tranſitu liberatum.

Steph. PP. obit.

a *Leo Oſt. lib. 2. cap. 101.* b [illegible]

II. c *Leo l. 2. c. 101.* [illegible]

Licet autem (quod Leo [c] addit) idem Pontifex Vrbe recedens, vniuerſum Clerum populumque Romanum ſub diſtricti anathematis excommunicatione conteſtatus eſſet, vt ſi prius ipſum mori contingeret, quam Hildebrandus Romanæ Eccleſiæ tunc adhuc ſubdiaconus, qui communi omnium conſilio pro quibuſdam Reipublicæ negotiis ad Imperatricem in Germaniam mittebatur, Romam rediret; nullum omnino Pontificem eligere auderent, ſed vſq; ad reditū illius Sedes Apoſtolica ſineretur vacare, eius demum ordinanda conſilio: tamen mox vbi audita eſt mors ipſius Stephani, quæ metu Imperatoris repreſſæ factiones aliquamdiu conticuerant, eadem Imperio iam vacante, inhiantes ruſſum Apoſtolicæ Sedis inuaſioni, ſiue eſſent ex Comitibus Tuſculanis, ſiue Ptolomæorum, Gregoriorum, aut Creſcentiorum familiis, aliſque armis diuitiiſque potentibus; inito vno conſilio, nocte per vim Eccleſiam inuadentes, Ioannem Velitrenſem Epiſcopum, Mincium cognominatum, Papam conſtituerunt,

Mincius ſchiſmaticus intruſus.

rierunt, *Benedicti* illi nomine impoſito, eumdemque per Eccleſiæ Oſtienſis Archipreſbyterum eadem violentia coactū conſecrari fecerunt; cum interim qui tunc Romæ erant Petrus Damiani Epiſcopus Oſtienſis, aliique ipſius collegæ Cardinales, hæc deteſtantes atque anathematizantes, per diuerſa latibula fugere coacti eſſent. Habet iſta pluribus Leo; eademque expreſſius idem Petrus Damiani in epiſtola eo tempore ad H. Archiepiſcopum ſcripta de hoc ipſo ſchiſmate; qua etiam teſtatur eumdem intruſum, hominem, fuiſſe prorſus ſtolidum, deſidem, ac nullius ingenii, penituſque literarum expertem.

III. d *Petr. Dam. ep. ad Nico. Pap. pro Anconit.* GERARD. EPISC. FLORENT. ELIGITVR PAPA LEGITIMVS. e *Leo lib. 3. cap. 12.*

Rediens porro Hildebrandus ex Germania Florentiam, vbi cognouit quæ geſta eſſent, vt erat vir ſaniſſimi ac puriſſimi conſilij (ſicut eum Petrus [d] Damiani vocat) ſuis literis Romanorum Primates conueniens, ipſorum percepto aſſenſu, annitente Godefrido Duce, ipſe cum aliis Eccleſiaſticis viris Gerardum eiuſdem ciuitatis Florentinæ Epiſcopum in Romanum Pōtificem elegit, quem ſuo tempore præſidio eiuſdem Godefridi in Vrbem inducerent. Scribit hæc idem qui ſupra Leo [e]. Eidemq; electioni etiam Imperatricem ſeu filium eius paruulum Henricum, aſſenſum præbuiſſe, teſtis eſt Lambertus. Comitia vero de ipſius electione, quod Romæ fieri non potuiſſent, habita eſſe Senis, tradunt eiuſdem Pontificis Acta, collecta à Nicolao Aragonio Cardinale, quæ habētur in Vaticana Bibliotheca. De eius autē in Vrbem introductione, atq; conſecratione, agetur anno ſequenti quo ea fieri contigit: cum interim totum quod fuit anni eius vſque ad Ianuarii menſem, pſeudopapa Benedictus manſerit in Pontificatu. A quo nihil boni factum reperitur; ſed malum illud, dignum homine qui pecuniæ vi aperuiſſet ſibi viam ad Sedem capeſſendam; nempe vt Stigādo cuidam pſeudoepiſcopo Cantuarienſi in Anglia, pecunia corruptus palliū miſerit, quod ei præcedentes Pontifices denegauerant, quia viuere adhuc legitimo Archiepiſcopo Roberto (qui perſecutionem paſſus Sedem Apoſtolicam appellauerat) eam Eccleſiam inuaſiſſet. Narrat hæc VVillelmus [f] in commentario de rebus geſtis Anglorum Regum.

f *Malmeſbur. l. 2. c. 11.*

IV. CASIMIRI REG. POLON. OBITVS.

Hoc eodem anno die vigeſima octaua Nouembris mortuus eſt Caſimirus, qui ex regni herede monachus, ex monacho Rex effectus fuerat Poloniæ; magnum ſuis deſiderium relinquens, vt qui collapſum penitus Regnum reſtituiſſet, & Eccleſiam Polonicam mirum in modum illuſtraſſet. In cuius locum ſubrogatus eſt Boleſlaus ipſius filius. De his plura Longinus Canonicus Cracouienſis.

V. MICH. PATRIAR. CONST. ABDICATVR.

Quod ad res pertinet Orientales; hoc eodem anno Michael Cerularius Patriarcha Conſtantinopolitanus, Iſaco Imperatori ob frequentes & odioſas petitiones, & cum repulſam pateretur abſurdas increpationes, & comminationes de Imperii abdicatione, intolerabilis redditus; & quod inſuper aggreſſus eſſet croco tincta Imperatorio more induere calceamenta, antiqui Sacerdotii conſuetudine hanc aſſerens; ab eodem Imperatore in exilium eiectus eſt, vbi ſediſſet annis quindecim: eoq; paulo poſt defuncto, in locum eius ſubrogatus *Conſtantinus* Licudex Protoueſtiarius. Narrat hęc pluribus Curopalates.

ISACII COMNENI AN. 2.

IESV CHRISTI AN. 1059.

NICOLAI II. AN. 1.

I.

ANno Chriſti milleſimo quinquageſimo nono, Indictione duodecima, ipſo menſe Ianuario Gerardus Epiſcopus Florentinus, qui anno ſuperiori electus fuerat in Romanum Pontificem, ab Hildebrando ſubdiacono & Godefrido Duce Romam perductus, totiuſque Cleri ac populi Romani conſenſu in Sede Apoſtolica collocatus, dictus eſt NICOLAVS eius nominis Secundus. Qui Mincium, dictum Papam Benedictum, Romanæ ſedis inuaſorem cum ſuis fautoribus excommunicans, tandem interuentu quorumdam eumdem admiſſum ad cōmunionem, apud Eccleſiam S. Marinæ Maioris omni

NICOLAVS PP. II.

ſacerdotali officio priuatum manere iuſſit. Scribit hæc Leo [a] Oſtienſis. In Geſtis autem Romanorum Pontificum quæ collegit Nicolaus Aragonenſis Cardinalis, traditur proceſſiſſe SVTRINVM CONCILIVM pro ipſius Mincii depoſitione, antequam Papam ſe inferret in Vrbem; eoque audito, Mincium ſede depoſita in domum propriam ſe recepiſſe; cum vero Nicolaus Romam veniſſet, Mincium quoque ad eum veniam petiturum acceſſiſſe, & omnis ſacerdotalis officii depoſitionem incurriſſe. Id ipſum traditur in codice Vaticano, qui inſcribitur Liber Cenſuum. Vbi & additur, eodem tempore *Hugonem* Cardinalem cognomento *Candidum*, ſchiſma feciſſe ab Eccleſia Romana, & multorum extitiſſe auctorem malorum.

a *Leo lib. 3. cap. 12.* CONCIL. SVTRIN. PRO DAMNAT. MINCII PSEVDOP.

II. PETR. DAM. CVPIT REPETERE EREMVM.

Simulac autem ſublato ſchiſmate pax Eccleſiæ reddita eſt, Petrus Damiani, qui inuitus abſtractus ab eremo creatus fuerat à Stephano Papa Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, de abdicando ſe ab eo munere Nicolao libellum dedit, qui hactenus extat, complura continens exempla SS. Præſulum qui ſe à regimine abdicarunt. Quid autem Nicolaus reſcripſerit, non conſtat: certum tamen eſt, miſſionem Petrum non accepiſſe, ſed vel Romæ apud Pontificem in geſtis Synodalibus laboraſſe, vel legationibus inſeruiſſe: licet ipſe, tanquam ſi re vera ſe abdicaſſet, nunquam ſe poſt hac in ſuis epiſtolis Epiſcopum, aut Cardinalem nominet, ſed tantum peccatorem monachum. Quomodo vero miſſionem tandem ab Alexandro Nicolai ſucceſſore extorſerit, dicetur ſuo loco.

III. b *c. in nomine diſt. 23.* CONCIL. ROM. GENERALE CONTRA BERENG.

Interim vero hoc eodem anno menſe Aprilis (vt habet eiuſdem Nicolai Papæ Conſtitutio [b] de electione Summi Pontificis edita) Romæ in Laterano celebratum liquet ab eodem Pontifice Concilium, cui & Petrus interfuit; ad quod dicturus cauſam reus vocatus eſt Berengarius ille Turonenſis patria, Archidiaconus Andegauenſis, ſæpe damnatus hæreſiarcha: quod quidem Concilium à Guitmundo huius temporis nobiliſſimo ſcriptore, Generale nominatur, quippe cui centum tredecim interfuiſſe Epiſcopos, tradunt Lanfrancus [c] & Algerus [d]. In fragmentis autem hiſtoriæ Frācorum ad Glabrum appoſitis traditur, ipſum in eodem Concilio ſuum anathematizantem errorem, Ioannem Scotum igni combuſſiſſe, cuius lectione ad eiuſmodi nefariam deuolutus fuerat ſectam. Sed quod ad *Ioannem Scotum* pertinet: male quidem audiſſe apud Nicolaum Primum Pontificem, ſuo loco dictum eſt ſuperius: qui licet viruleta adeo aduerſus fidem Catholicam ſcripſerit, quia tamen non ita vulgauit vt omnibus comperta fierent, hinc accidit vt bonæ æſtimationis fuerit apud multos, qui etiam martyrii titulum nimia facilitate ei tribuerint. De eius vero facta in hoc Cōcilio per Berengarium combuſtione librorum, meminit quoq; Lanfrancus: qui & inſuper recitat ipſum Berengarii iuſiurandum, cum in pleno Concilio deteſtatus eſt errorem, fidemque Catholicam profeſſus; quod (vt ait) expetente ipſo Berengario, & iubente Nicolao Papa, ab Humberto Epiſcopo Cardinale conſcriptum, & ab vniuerſo Concilio recognitum, Berengarius publice recitauit, confirmauit, & ſuo chirographo roborauit. Eſt ipſum etiam relatum in Corpus Chronicum: incipitque *Ego Berengarius*.

c *Lanfran. cont. Bereng.* d *Alger. de Sacram. l. 1. cap. 19.* IOAN. SCOTI LIBRI COMBVSTI.

IV. BERENG. RELABITVR IN HÆRESIM QVAM ABIVRAVERAT.

At perfidus hæreſiarcha, vbi poſt Romanum Conciliū quæ vellet ſcribendi liberam facultatē nactus eſſet aduerſus eandem fidei Catholicæ confeſſionem edidit inuectiuam, conuerſus in Humbertū qui eam compoſuiſſent, & in Romanam Eccleſiam cuius auctoritate feciſſet. Quod vbi nouit Lanfrancus doctiſſimus vir atque ſanctiſſimus, mox ſparſo veneno parauit antidota, ſcribens ad eumdem Berengariū egregiū cōmentarium, quo arrogantis hominis retudit audaciam, refellitq; errores. nullumq; aſſeruit hactenus extitiſſe procaciorē hæreticū, qui eas fuiſſet auſus in Romanam Eccleſiam iactare blaſphemias, quas ipſe periurus & fidifragus præſumpſiſſet: ac deniq; docuit, ſanctos Doctores, ſi non iiſdem verbis iiſdem tamen ſententiis, multis in locis concorditer aſtruxiſſe, hæreticum eſſe hominem, qui à Romana & Vniuerſali Eccleſia in fidei doctrina diſcordat. Neq; vero Lanfrancus ſolus contra eiuſmodi virulentam Berengarii ſcriptionem labora-

QVI SCRIPSERINT CONTRA BERENG.

uit:ſed & alii qui tunc in Eccleſia Catholica florebant, vt Guitmundus Auerſanus Epiſcopus; & Algerus monachus Cluniacenſis, quorum ſumma cum laude meminit Petrus Cluniacenſis ſcribens aduerſus hæreticos Petrobruſſianos. Extatq; [c] eodem argumento contra Berengarium ſcripta epiſtola à S. Wolphelmo Abbate Bruuilarenſe apud Coloniam Agrippinam, qui hoc tempore claruit doctrina & ſanctitate: vbi etiam redarguit aliam eiuſdem Berengarii hæreſim, qua negabat Chriſtum ingreſſum ad Diſcipulos ianuis clauſis, contemnens ob id Euangelicam veritatem. Sed & inſuper ſcripſiſſe ad Berengarium, Albericum diaconum Caſſinenſem, teſtatur Leo [f] Oſtienſis: qui tamen contra veritatem hiſtoricam, à Lanfranco & aliis ſuperius recenſitis auctoribus ſtabilitam, eidem Alberico plus quam par eſt tribuit, dum ait quod in prædicto Concilio Romano nullus Berengario valeret obſiſtere, Albericus euocatus fuerit ad Synodum: cumq; eo veniſſet, poſt multos verborum conflictus cum neuter cederet, Albericus vnius hebdomadæ acceptis induciis, librum aduerſus Berengarium ediderit de Corpore Domini, in quo omnes eius aſſertiones deſtruxit æternaque obliuione deleuit. Hæc quidem Leo, ſed glorianter nimis. Nam vt prædicti Scriptores teſtantur, Berengarius abſque vlla præuia habita in Synodo de hæreſi altercatione, ſtatim ſponte damnauit errorem.

c ep. Sur. 22 April. in S. Wolphel.

f Leo Oſt. l. 3 ca. 33.

V. FIDES CATHOL. DE EVCHAR. MIRACVLIS CONFIRMATA.

Cæterum non homines tantum contra impiiſſimum Berengarium commentarios edidiſſe, ſed & Deum ipſum digito ſuo ſcripſiſſe conſtat. (Siquidem miracula diuinitus edita, teſtantibus [g] etiam Ægyptiis magis, digitus Dei eſſe operando noſcuntur.) Petrus namque Damiani in epiſtola ad Deſiderium Caſſinenſem Abbatem, reſcribens ad literas quas ab eo acceperat dum prædicta Synodus Romæ celebraretur, tradit quod cum mulier quædam zelotypa, habens virum ex adulterii fraude ſuſpectum, à vicina muliere conſilium petiiſſet qualiter eum ſibi vendicare poſſet proprio thoro contentum, & ab eadem edocta eſſet vt corpus Dominicum quaſi communicatura à ſacerdote, perceptum, ac palliolo reſeruatum, viro ſuo poſtmodum non ſine quibuſdam maleficiis propinaret: acciderit vt illa particula Dominici corporis inuenta ſit vſque ad medietatem in carnem conuerſa, altera vero medietas panis ſpeciem non mutauerit. Hæc Petrus ad Deſiderium, cum ab eo de hoc miraculo inquiſitus, quid illud portenderet ſignificauit. Additque in eius confirmationem ſimile aliud exemplum de Amalphitano tunc exiſtente Epiſcopo: qui cum aliquando ad menſam Domini ſacrificaturus acceſſiſſet, ſed ſuper ſacramento Dominici corporis incredulus hæſitaret: in ipſa confractione ſalutaris hoſtiæ, rubra prorſus ac perfecta caro inter eius manus apparuit, ita vt digitos illius cruentaret. Sed quamplurima alia eiuſmodi edita diuerſis temporibus eſſe miracula in confirmationem huius veritatis Catholicæ, ignorat nullus quiſquis in hiſtoriis Eccleſiaſticis, ſeu SS. Patrum Geſtis eſt aliquantulum verſatus. Quæ ſcripturæ (vt ait egregie de hoc eodem miraculorum argumento, agens aduerſus eundem Berengarium Lanfrancus) tametſi illam excellentiſſimam auctoritatis arcem non obtinent, qua donatæ ſunt quas Prophetias ſeu Apoſtolicas nuncupamus: hoc tamen probare ſufficiunt, quod hanc fidem quam nunc habemus, omnes Fideles qui nos præceſſerunt à priſcis temporibus habuerunt.

g Exod. 8.

VI. DECRETVM NICOLAI PP. DE ELECTIONE ROM. PONT.

Quod vero ad reliqua eiuſdem Romani Concilii decreta pertinet: conſtat in eo editam eſſe conſtitutionem, qua Henrico Germaniæ Regi ius eligendi Romani Pontificis conceſſum eſt. Quod enim eiuſdem Regis ope proxime præcedenti ſchiſmati finis impoſitus eſſet, gratitudinis ergo quod datum fuerat eadem ex cauſa patri priuilegium, hoc Nicolaus vna cum S. Synodo propagandum putauit in filium, ac ſucceſſores eius qui ab Apoſtolica Sede perſonaliter illud ius impetrarent: ſed ita tamen, vt nequaquam eo priuari voluerit Romanum Clerum; imo ad S.R.E. Cardinales Epiſcopos ſtatuerit illud potiſſimũ pertinere, inde vero ad cæteros, quos ſiue iura, ſiue conſuetudo hactenus admiſiſſent: vt videre eſt in ipſa eadem conſtitutione, quæ extat [h] relata à Gratiano in ſuum Decretorum librum: quamuis haud integra, puraque, prout in Synodo eſt conſtituta, ſed à ſchiſmaticis labefactata, & additione corrupta. Quod enim ea nullo pacto Imperatori faueret, vt intrudendi Pontifices ei tribueret facultatẽ; paulo poſt hæc nefandiſſimus Guibertus Antipapa, eam in fauorem Henrici deprauauit: vt teſtatur Deuſdedit presbyter Cardinalis in libello quem contra inuaſores, ſimoniacos, atque ſchiſmaticos, tunc edidit cum eiuſdem Guiberti ſchiſma vigeret. Quapropter illud tantum conceſſum Regi noſcitur, quod eius patri datum fuerat à prędeceſſoribus Romanis Pontificibus; nimirum vt illum eligeret, ſeu verius confirmaret Imperator, in quem primo (ſi per pacem licuiſſet) ſuffragia Cleri populique Romani concurrerent: ſin vero minus id ipſis facere licuiſſet, tunc idem liberam refunderent in Imperatorem electionem, vt quẽ vellet eligeret, nomine tamen Romani Cleri prout quæ ſunt ſuperius dicta in electionib. Romanorum Pontificum docent. Cum autem hoc priuilegio ad ædificationem Eccleſiæ Imperatoribus collato, iidem ad deſtructionem vti voluerunt, iure priuari ipſo meruerunt; vt docet eodem loco Deſiderius, & quæ dicentur ſuis locis ſignificabunt.

h c. in nom. Dom. diſt. 23. Iuo par. 5. c. 80.

QVID NICOL. CONCESSERIT HENRICO REGI.

VII. DECRETA CONTRA SIMON. ET CONCVBIN. SACERD.

Præterea contra Simoniacos ordinatores, vel ordinatos, ab eodem Pontifice conſtat decretum eſſe editum, ex quo tria capita [i] Gratianus deſcripſit. Aliudque inſuper (hortatu maxime Petri Damiani, cuius extant ea de re datæ literæ grauiſſimæ ad eumdem Papam) aduerſus ſacerdotes concubinarios; quod apud eumdem Collectorem [k] citatur ab Alexandro Nicolai ſucceſſore; recitaturque [l] ad omnes Epiſcopos inſcripti decreti breue de hac re fragmentum. Sed & à Mediolanenſibus monitus de iiſdem ipſis impietatibus in ea ciuitate videntibus ſub Guidone Archiepiſcopo Nicolaus, direxit illuc ipſum Petrum Damiani vna cum Anſelmo Epiſcopo Lucenſi, qui eamdem Eccleſiam priſtino nitori reſtituerunt, abiuratis à Guidone & reliquis clericis Simoniacorum & Nicolaitarum hæreſibus: ſicut de his eſt plena relatio in epiſtola, quam tunc idem Petrus ſcripſit ad Hildebrandum, nuper ex ſubdiacono factum ab eodem Papa Archidiaconum: qua etiam continetur concio eiuſdem Petri ad Mediolanenſes habita de Primatu Romanæ Eccleſiæ, cum ipſi præſumerent Eccleſiam Ambroſianam minime debere ſubiacere Romanæ. quæ quidem concio male ſub titulo epiſtolæ Nicolai ad Mediolanenſes, alibi [m] recitatur. Scimus autem prædeceſſori Nicolai Stephano tribui vnionem Eccleſię Mediolanenſis cum Romana: verum quantum ex iſta relationẽ Petri aſſequi licet, ex tumultuantib. Mediolanenſibus, eos nondum conciliatos fuiſſe poſſumus exiſtimare.

i c. Statuimus 1. q. 1. Iuo par. 5. c. 79.

k diſt. 32. c. præter hoc

l ead. diſt. c. nullus.

PETRVS DAM. ET ECCL. MEDIOLAN. COMPOSVIT.

m c. omnes ſiue diſt. 22

VIII. NICO. PP. NORTHMANNIS CONCEDIT IN FEVDVM, CALABR. APVL. ET SICIL.

Poſt celebratum Romæ Conciliũ, Nicolaus à Northmannis rogatus in Apuleiam venire, eo accedens, ipſos, terras omnes quas Eccleſiæ Romanæ abſtulerant reſtituentes, à vinculo excommunicationis quo ea de cauſa innodati fuerant abſoluit: quod tamen eorum opera vti vellet aduerſus eos qui iura eiuſdem Eccleſiæ in ipſa Vrbe Roma inuadere ſolerent, totam illis Calabriam, & Apuliam (præter Beneuentum) quas tunc poſſidebant, itemque Siciliam quam obtinere ſperabant, ſub nomine Ducatus in feudum conceſſit, ſuſcepto ab illorum Duce Roberto Guiſcardo, iuramento fidelitatis ſibi & ſucceſſoribus Romanis Pontificibus præſtandæ, & de ſoluendo quotannis cenſu denariorum duodecim per ſingula iuga boum. Meminit horum Leo [n] Oſtienſis; quæ geſta fuiſſe ait in CONCILIO ea de re celebrato Malphiæ in Apulia; iiſdemque conditionibus confirmatum eſſe ab eodem Pontifice Principatum Capuæ Richardo. Illud vero de Northmannis narratur expreſſius in veteri hiſtoria Romanorum Pontificum, quam Nicolaus Aragonius Cardinalis in lucem prodidit. Extatque inſuper ipſius Roberti Ducis iteratum iuramentum, tam de cenſu perſoluendo quam de fidelitate præſtanda, deſcriptum in codice Vaticano qui inſcribitur Liber Cenſuum.

n Leo Oſt. l. 3 c. 15.

IX.

Cum autem adeo indigna paſſa eſſet Romana Eccle-

NICOL. VINDICAT ROM. ECCL. A TYRANNIS.

ſia à Comitibus Tuſculanis, aliiſque vicinorum oppidorum dominis Romæ degentibus, à quibus tot ſæpe ſunt intruſi Pontifices, idem Nicolaus Northmannos ſecum ex Apulia ducens, eorumdem factioſorum loca munita deſtruxit, ipſoſque ad Apoſtolicæ Sedis ſubiectionem redire coegit, liberata Vrbe ab eorum tyrannide. Tradit hæc Cardinalis Aragonius, quæ quidem diuino plane conſilio peracta ſunt. Nam poſthac aliquãdiu non ſunt auditæ adeo frequentes illæ tyrannicæ inuaſiones.

X. CONCIL. PARIS. PRO VNCTIONE PHILIP. REGIS.

Eodem anno, eademq; Indictione duodecima, menſe Maii celebratum eſt CONSILIVM PARISIENSE; vbi conuenientibus Galliarum Epiſcopis viginti duobus, ſimulque Principibus, Henricus Francorum Rex filium ſuum Philippum, puerum adhuc ſeptennem, Regem conſtituit, atque ſolenni ritu ab Willelmo Archiepiſcopo Rhemenſi conſecrandum curauit: cuius Acta Papirius Maſſonus in ſuos Annales intulit. Sed quod ad tempus ſpectat; hoc potius anno, quam (vt ibi ponitur) ſequenti geſta eſſe, cum numerus Indictionis ſignificat, tum etiam Hermannus huius temporis ſcriptor firmiter aſſeuerat, ſequẽti vero defunctum eſſe Henricum, & filium ſolum regnare cœpiſſe. quod & Sigebertus affirmat: aſſerentẽ quoque auctore qui ad Aimoinum affixit appendicem, hoc anno Redemptoris milleſimo quinquageſimo nono, vnctum eſſe Regem Philippum, ſequenti vero, nempe milleſimo ſexageſimo, mortuum Henricum parentem eius. ac denique in fragmento, hiſtoriæ Francorum ad Glabrum appoſito, hoc pariter anno eſſe defunctum Henricum traditur. Porro ipſo defuncto, Philippus tutorem accepit à patre relictum Balduinum Comitem Flandriæ, qui amitam eius habebat vxorem: qui quidem pie ſancteque opus peragens, omni fide pupillo Regnum conſeruauit atque defendit. Ceterum recitat quoque idem Papirius epiſtolam Nicolai Papæ ad eumdem Willelmum Archiepiſcopum Rhemenſem ſcriptam: qua illum monuit, vt Henricum Regem adhuc ſuperſtitem corriperet ob quædam perperam attentata contra ſacros canones, & Apoſtolicam Sedem. Ex quibus intelligas, ipſum Henricum aduerſantem Apoſtolicæ ſedi, meruiſſe quam citius e medio tolli, & tribunali incorrupti Iudicis præſentari.

XI. ISAC. IMP. DIVINA VLTIONE FVLMINE PERCVTITVR. CONST. DVCAS IMP.

Quod ad res Orientis pertinet; ad finem huius anni Iſacius Imperator ob iniuſte inuaſum Imperium, & vſurpata iura ac bona Eccleſiaſtica, Dei vindicta fulmine percuſſus, ſponte depoſita purpura, ſibique ſucceſſore delecto (poſtpoſitis omnibus ſibi cõſanguinitate coniunctis) CONSTANTINO Duca viro ſtrenuo & prudente, pœnitentiæ cauſa monaſticum ſumpſit habitum, atque in Cœnobio Studii monachis ſeruiens, illic vitæ tempus abſoluit. Hæc pluribus Curopalates; qui ait eumdem Iſacium imperaſſe annos duos ac menſes tres.

CONST. DVC. AN. 1.

IESV CHRISTI AN. 1060.

NICOL. II. AN. 2.

I. CONCIL. IACCAN.

ANno Chriſti milleſimo ſexageſimo, Indictione decimatertia, celebratum eſt CONCILIVM Iaccæ in finibus Hiſpaniæ, cui præfuit Auſtindus Archiepiſcop. Auxitanus: in quo in primis ſacrorũ temporum multa deprauati, vel aboliti, ſunt reſtituti, diſciplina Eccleſiaſtica reſarcita, moreſque ad normam ſacrorum canonum reuocati: inſuperque ſtatutum, ne alio quam Romano more ſacræ preces in Eccleſia perſoluerentur: & vt qui Oſcæ erat Epiſcopatus transferretur Iaccam, quo vſque eadem Oſca ab hoſtium dominatu eriperetur.

II. LEGATIO REGIS ANGL. AD NICOL. PP. PRO ABSOLVTIONE A VOTO.

Eodemque tempore S. Edvvardus Anglorum Rex legationem miſit ad Nicolaum Papam, tum ad deferendas ex more pecunias quæ in Anglia nomine S. Petri exigi quotannis conſueuerant; tum maxime vt quod Victor Papa Nicolai prædeceſſor ipſi Edvvardo ob votum quo ſe obſtrinxerat ire Romam, nomine pœnitentiæ, & in remiſſionem peccatorum iniunxiſſet conſtructionem monaſterii in honorem S. Petri Apoſtoli; iam ipſe Nicolaus ratam faceret abſolutionem ab eiuſmodi voto, & confirmaret donationes ac priuilegia eidem monaſterio à Rege conceſſa. quod Nicolaus libentiſſime præſtitit. Hæc autẽ manifeſta fiunt ex literis vltro citroque tunc datis, quas recitat Ealredus in Vita eiuſdem Sancti Regis.

CONST. DVC. AN. 2.

IESV CHRISTI AN. 1061.

ALEX. II. AN. 1.

I. NICOL. PP. OBITVS a Leo Oſt. l. 3. c. 20.

ANno Chriſti milleſimo ſexageſimo primo, Indictione decimaquarta, in fine menſis Iunii mortuus eſt Florentiæ *Nicolaus* Papa, cum ſediſſet annos duos & menſes ſex, vt teſtatur Leo [a] Oſtienſis. De quo præclarũ illud habet Petrus Damiani in epiſtola ad Nainardũ Epiſcopum Vrbinatem, ipſum numquã in toto anno prætermiſiſſe diem, quin pedes duodecim pauperibus ablueret.

II. LEGATIO FACTIOSORVM ROM. AD HENR. REG. PRO NOVO ELIGENDO PONT.

Poſt eius autem obitum, ingens de ordinando ſucceſſore cœpit oriri diſſenſio. Ac primo quidem Proceres illi Romani qui Comites dicebantur, vti Tuſculani, Galeriani, & alii, ob ea quæ agẽte Romano Pontifice a Northmãnis paſſi fuerant, in S. R. Eccleſiæ Cardinales redditi infenſiſſimi, legationem ad Henricum puerum Regem adornantes; miſerunt etiam coronam auream, & cum ea inſignem titulum Patriciatus; quo illius animum huiuſmodi illecebris allicientes, quem ipſi vellent ab eo Pontificem reciperent. Mentio eſt de hac Romanorum legatione apud Hermannum: qui addit mox ea de re conuocatos eſſe a Rege omnes Italiæ Epiſcopos & generalem *Conuentum* Baſileæ habitum eſſe. Quinam autem fuerint illi Italiæ Epiſcopi qui Baſileam conuenerunt, ſatis declaratur in antiquis Geſtis Romanorum Pontificum à Nicolao Cardinale Aragonenſi collectis; dum ibi traditur, defuncto Nicolao Longobardorum Epiſcopos tam ſimoniacos & incontinentes, quam alios facinoroſos, auctore Guiberto

GVIBERTI STVDIA CONTRA ROM. ECCL.

Parmenſi, Cancellario Regis, homine nequiſſimo, conuenientes in vnum communiter ſtatuiſſe, aliunde non eſſe creandum Pontificem quam ex Longobardia, & talem qui infirmitatibus eorum condeſcenderet: eoque ſtabilito, aliquos ex ipſis ad Imperatricem vltra montes miſſos eſſe, qui de Patriciatu filii ei ſuggeſſerunt, aliiſque quibuſdam figmenti eius animum ſibi propitium reddiderunt. Illi igitur fuiſſe noſcuntur Epiſcopi, qui Baſileam ex Italia conueniſſe dicuntur. Quæ autem probroſa in

PSEVDOSYNODI BASIL. INFAME DECRETVM.

eadem pſeudoſynodo ab iis facta ſunt, narratur in Diſputatione habita inter Regium Aduocatum & Romanæ Eccleſiæ Defenſorẽ, de qua dicetur inferius; nempe Nicolaum Papam ibi condemnatum eſſe, & reciſſa omnia quæ ab eo fuerant ſtatuta. At cum iſta de Catholico Rege nomine ipſius edita vulgarentur, plane erubeſcentes qui ſanioris mẽtis erant Germaniæ Epiſcopi, operati ſunt poſtea vt Cancellarius ille Parmenſis, auctor malorum omnium, in ordinem redigeretur: ipſeque Rex qui femineo regi videretur imperio, ſeorſum educaretur. Sed de his ſuo loco.

III. LEGATIO CARDINAL. AD REG.

Interea vbi tanta iſta in detrimentum Apoſtolicæ Sedis geſta Cardinalibus innotuiſſent, iidem (quod traditur in prædicta Diſputatione inter Regium Aduocatũ & Eccleſiæ Romanæ Defenſorem) ad ea diluenda ad Regem Legationem decreuerũt, qua functus eſt Stephanus presbyter Cardinalis vir laudatiſſimus, qui ex Cluniacẽſi cœnobio ad eam dignitatẽ virtutum merito fuerat ſublimatus. Sed cum ipſe, Regis miniſtris obſtantibus, contra ius gentium ad audientiam non admiſſus, re infecta Romam rediiſſet, imminerẽtque grauiorum motuum atque turbinum pericula ſi diutius Apoſtolica Sedes vacaret, tunc iidem Cardinales re mature deliberata, vt his malis occurrerent, nec tamen aliquid in contemptum Regis agere viderentur; totius Cleri populique Romani conſenſu crearunt Romanum Pontificem, quem putarent omnino ipſi Regi poſſe placere, Anſelmum Lucenſem Epiſcopum, virum probum, patria Mediolanenſem, aulæ Regiæ alumnum, atque ipſius Regis familiarem; quem ALEXANDRVM eius nominis Secundum nuncuparunt. cuius

ALEX. II. PAPA.

electio contigit Calendis Octobris huius anni, tribus plus minus menſibus poſt obitum Nicolai. Narrantur hæc omnia in prædicta Diſputatione.

IV. Iis vero auditis in aula Regia, conclamataq; ab omnib. Regis iniuria, quod ipſo neſciente Pontifex electus eſſet, Guibertus Cancellarius alium eligendum à Rege aſſirmans, ſuæ ciuitatis intimum familiarem proponit *Cadalum*, ſiue Cadaloum, vel Cadalaum, Parmenſem Epiſcopum, virum perditiſſimum, & manifeſtum ſimoniacum: qui non ab aliqua Synodo, non à pluribus Epiſcopis, ſed à duobus tantummodo, iiſdemque publico concubinatu infamatis, nempe Vercellenſi & Placentino Epiſcopis, electus eſt in Romanum Pontificem hoc ipſo anno die vigeſima octaua menſis Octobris in feſto SS. Apoſtolorum Simonis & Iudæ: procurante id pariter Gerardo Galeriæ Comite, qui ob multa publica latrocinia, aliaque ſcelera & ſacrilegia tam Romæ quam aliis locis patrata, fuerat à Nicolao Pontifice ſolemniter excommunicatus, & extinctis luminibus perpetuo anathemate damnatus. Attingit iſta breuiter Leo [b] Oſtienſis, quæ plenius intelliguntur ex eadem Diſputatione, atque ex priori ac peregregia, eademque vehementiſſima epiſtola Petri Damiani; quam ad ipſum Cadaloum, poſtquam electus eſt pſeudopontifex increpatoriam conſcripſit, qua & ipſi ruinam ac perditionem prædixit. Ex cuius etiam aliis ad Cunipertum Taurinenſem Epiſcopum datis literis conſtat, Cadaloum poſt electionem ſuam, adeo turpem cum ſui ſimilibus incontinentibus clericis vitam duxiſſe, vt (quod ait) qui hactenus dicti eſſent ab auctore *Nicolaitæ*, deinceps dicendi eſſent à propagatore *Cadaloitæ*. Ac denique ex aliis ab eodem ad Alexandrum Papam ſimul & Hildebrandum Archidiaconum ſcriptis intelligitur, eumdem Cadaloum ad ſchiſma roborandum, & vt Romanorum ſibi conciliaret animos, ingentem pecuniarum vim in ipſos effudiſſe: ipſumq; etiam Alexandrum poſt creationem ſuam, timentem Romanos illos potentiores qui Cadaloo fauerent, ab Vrbe fugam arripuiſſe.

Cadalous electus pſeudop.

b Leo vbi ſup.

Cadaloitæ hæret.

V. Quo tempore conueniens cum extra Vrbem poſitum idem Petrus Damiani, ab eo impetrare ſtuduit, quod ab eius prædeceſſore negatum fuerat, nempe vt ſe abdicaret ab onere E iſcopatus Oſtienſis, & à procuratione quæ à Papa Nicolao ipſi iniuncta fuerat Eccleſiæ Eugubinæ: & licet reſiſtente Alexandro Pontifice, & magnopere contradicente Hildebrando Archidiacono, quod probe ſcirent quam eſſet Eccleſiæ Romanæ proficuum perditiſſimis hiſce temporibus, Petrum aſſiſtere Summo Pontifici: tamen his omnibus firmo animi propoſito ſuperior factus Petrus, reuerſus eſt in eremum; indeque epiſtolam ſcripſit apologeticam vnam ad ipſos duos, Alexandrum videlicet, & Hildebrandum, qua fuſe ſui facti rationem reddidit. Fuit ea iam antehac cuſa [c], ſed deprauato titulo, dum ad Hildebrandum ſolum inſcripta habetur, quæ in antiquiſſimo Vaticano codice baſilicæ S. Petri, huiuſmodi habet inſcriptionem, *Dilectiſſimis, Apoſtolicæ Sedis electo A. & virgæ Aſſur Hildebrando*; vt Epiſtola non ad vnum, ſed duos data ſit; quod etiam ex ipſius contextu abũde liquet: ſicut & ſunt aliæ eiuſmodi ab ipſo ad eoſdem ambos ſimul datæ. Quod vero violentum oppugnatorem ſui propoſiti Hildebrandum pateretur, *Aſſur virgam* appellat: immo & in ipſa Epiſtola, inter alia plura quæ non ſine ſtomacho videri poſſent ſcripta, *Satanam ſanctum* nominat: ſatanam, vtpote aduerſarium, ſanctum, quod non inimico animo, ſed bona intentione ad eum apud Pontificem retinendum duceretur. Ita tamen ſe Petrus abdicauit Epiſcopatu, vt nihilominus recedens in ſolitudinem, certare nõ prætermiſerit tum contra corruptos eius temporis mores, tum aduerſus ſchiſmaticos & hæreticos pro Apoſtolica Sede; ac pro eadem, cum iuſſus eſt legationes ſubire, vel Synodis intereſſe; vt fidem faciunt cum plurima ipſius ſcripta tum quæ de eo dicentur ſuis locis. Nam & quantumlibet Alexander ei de abdicatione Epiſcopatus acquieuiſſet; tamen tanti viri reuerentię cauſa, alium ipſo viuente Eccleſiæ Oſtienſi ſubrogare Epiſcopum penitus recuſauit. Deniq; Petrus dum fuit in ſolitudine, ita in contemplatione rerum diuinarum aſſiduus, & vigilans in ſacrarum ſtudio literarum extitit, vt tamen opus manuale more veterum ſanctorum Patrum minime prætermitteret: quem quidem cochlearia ex ligno elaborare ſolitum ad vſum menſæ, iiſque interdum donare Summum Pontificem, conſtat ex duobus, quæ extant eius argumenti, ipſius epigrammatibus ad Pontificem miſſis.

Pet. Dami. depoſuit Epiſcopatum, & ſeceſſit in eremum.

c To. 1. Epiſt. SS. Dam.

Petrus Dam. exercet opus manuum.

IESV CHRISTI AN. 1062.

Const. Dvc. An. 3.

ALEX. II. AN. 2.

I. ANno Chriſti milleſimo ſexageſimo ſecundo, Indictione decimaquinta, nefandus Cadalous pſeudopontifex, cum multa pecunia & conductitiis militibus ex improuiſo Romæ apparens, multos ſibi fauorabiles reddidit: quorum ope ſperans intra ipſam Vrbem admitti, in Prato Neronis caſtra metari præſumpſit, & in prima congreſſione victor apparuit: ſed poſt paululum adueniente Duce Godefrido, adeo coartatus eſt, vt abſque læſione proprii corporis abire retrorſum nullatenus potuerit, niſi humilibus precibus, & effuſis magnis muneribus: ſicque rediit Parmam ſpoliatus & profugus. Habentur iſta in Collectione Nicolai Cardinalis Aragonii: quæ his ipſis anno Domini & Indictione geſta eſſe menſe Aprilis, traditur apud veterem Romanorum Pontificum collectorem in codice Vaticano. Cum vero nec ſic quidem homo ſacrilegus quieſceret, ſed rurſum pecunias colligere pararet, quarum ope inferretur in Vrbem; tunc iſta audiens Petrus Damiani, poſteriorem ad eum ſcripſit egregiam plane, ſuo more, epiſtolam, qua acerrime in eum inuectus eſt, vt à prauis conatibus deterreret. Quæ autem ſequuta fuerint, dicetur paulopoſt.

Cadalous antip. victus Parmam redit.

II. Interea vero in aula Regia noua & inaudita prorſus contigiſſe leguntur; nimirum vt Anno Colonienſis Archiepiſcopus, vir ſanctitate & prudentia inſignis Henricum Regem puerum iam annorũ decem, à matre Agnete Imperatrice ſubductum, & in S. Suitberti inſulam poſt Paſchales dies naui ſub alio prætextu perductum, inuitũ & reclamantem Coloniam vſque perduxerit; eumdemq; blanditiis delinitum, ceterorumque Germaniæ Principũ obſequio frequentatum & cultum, retinuerit educandum. Quæ quidem cum eius temporis Scriptores referant; de cauſa tamen cur ad ea facienda Anno permotus fuerit, eſt diuerſa ſententia. Lambertus affert ſuſpicionem pudicitiæ Imperatricis, propter frequentiorem conſuetudinem cum Henrico Epiſcopo Auguſtenſi, regni negotia eiuſdem iuſſu adminiſtrante. Sed non creditur; quod ipſa Agnes omnium pudiciſſima haberetur, tum etiam quod per eiuſmodi factum non adhibitum eſſet remedium violatæ famæ Reginæ, quin potius vt magis augeretur, efficeret, relicta ipſa abſq; filio auliciſque libera ad omnem libidinem: adeo vt hac ex parte potius fuiſſet ipſa abducenda, cuſtodiaque munienda, quam eius filius. Quamobrem verior illa cauſa probatur, vt eo modo regni regimen auferretur à matre, eiuſque præfectis, quorum arbitrio cuncta male miſcerentur. Quod enim iſta mox correcta fuerint vbi Rex à matris cura ablatus eſt, plane ea peragendi fuiſſe cauſam oſtendunt. Siquidem eiuſmodi prauorum miniſtrorum princeps, quem ſuperius nominauimus, Guibertus Parmenſis regni Cancellarius ab Imperatrice conſtitutus (ꝙ traditur in Collectione Cardinalis Aragonii) in ordinem ſtatim redactus eſt in Comitiis paulo poſt habitis omnium Principum Germanorum, in quibus (inquiunt eadem Acta) Annoni Colonienſi Archiepiſcopo adminiſtratio Regni, & Regis cuſtodia fuit demandata.

Henr. Rex abſtrahitur à matre per Annon. Epiſc. Colon.

Guibertus Cancellar. priuatus.

III. Qui quidem in opus ſtrenue inuigilans, confeſtim ex Epiſcopis Germaniæ & Italiæ, quos tunc apud Regem reperiri contigit, vt CONCILIVM cogeretur in Germaniæ loco, qui dicitur *Osborium* operam dedit, cui & Rex ipſe intereſſet. Acciditque peropportune vt ageret etiam tunc in Galliis Petrus Damiani [a], illuc ab Alexandro Pa-

Concil. Osbor. in cauſa ſchiſm. Eccl. Rom.

a De hac Petri legatione certo conſtat ex ipſius literis, ad monachos Cluniacenſes poſt reditum eorum ſcriptis.
b Recitat illam integram Bar. Annal. To. XI. hoc an. qua vniuerſa huius Schiſmatis hiſtoria continetur, multaque egregia habentur pro maieſtate & auctoritate Rom. Sedis, ac defenſione iurium Eccleſiaſticorum.
c Leo l. 3. cap. 20.

dro Papa, expetente S. Hugone Abbate Cluniacenſi, miſſus ad propulſanda mala quæ tyrannide quorundam principum Cluniacenſes monachi paterentur. Qui cum audiſſet de futura Oſborienſi Synodo, miſit ad illam ſcriptionem à ſe compoſitam, qua texta habebetur longa *Diſceptatio* [b] inter *Aduocatum Regium*, reprobantem Alexandri Papæ electionem Romæ, abſque Regis conſenſu factam, ac defendentem Cadaloi ordinationem: & *Romanæ Eccleſiæ Defenſorem*, Alexandrum aduerſus Cadaloum protegentem. Idque adeo feliciter proceſſit, vt in ea Synodo omnium conſenſu electione Alexandri comprobata; damnatio Cadaloi conclamata fuerit, ipſis Vigiliis SS. Apoſtolorum Simonis & Iudæ, vigeſima ſeptima menſis Octobris, cum necdum Cadalous annum vnum promotionis ſuæ compleuiſſet, quam accidiſſe vidimus ipſo die feſto eorumdem Apoſtolorum. Ita namque de tempore teſtantur tum Leo [c] Oſtienſis, tum idem Petrus Damiani in epiſtola ad Cunipertum Taurinenſem Epiſcopum. Quomodo vero minime huic iudicio acquieſcens infelix Cadalous, poſt hæc rurſum in Romanam Eccleſiam, ipſumq; Alexandrum Papam inſanierit, dicetur ſuis locis.

IV. AGNES AVG. ROMAM POENITENTIÆ CAVSA CONTENDIT.

Eodem anno ad finem dilabente, Agnes Auguſta tædium paſſa (inquit Lambertus) ærumnarum ſæculi, & domeſticis erudita calamitatibus quam cito exuſſlante ſpiritu Dei exiccetur fœnum temporalis gloriæ, cogitauit ſæculo renuntiare. Ipſam porro ea de cauſa Romam ſe contuliſſe ad Limina Apoſtolorum, ſcribit Sigebertus. Ex quibus redargui videtur Abbas Vrſpergenſis, dum eiuſdem aduentum Romam ponit anno Domini milleſimo ſexageſimo nono. Eum tamen, ex ratione computi Lamberti, dicendum eſt non ante Chriſti annum milleſimum ſexageſimum ſextum côtigiſſe: ſiquidem anno milleſimo ſeptuageſimo ſecundo agens de illius eius anno reditu in Germaniam ad liberandum Sueuiæ Ducem innocentem accuſationibus impetitum apud Regem, at illum contigiſſe, poſt annos ſex ab eius in Vrbem aduentu. Ceterum in Rebus geſtis S. Anſelmi Lucenſis Epiſcopi, illa ipſius peregrinationis aſſeritur certa cauſa, quod cum fauiſſet nefariæ Cadaloi promotioni, pœnitens facti, peccatum ingens ingenti voluerit ſatisfactione redemiſſe: eidemque tradit iniunctum fuiſſe ab Alexandro Papa, vt Romæ moraretur, ibique S. Petro vigiliis, orationibus, & ieiuniis ſatisfaceret, ac prodeſſet Eccleſiæ conſiliis & auxiliis prout valeret. Hæc autem ab ipſa abundantiſſime præſtita eſſe, cum ſæculo renuntians totam ſeſe diuino obſequio mancipauit; tum alii teſtantur auctores (ex quibus Lambertus aſſerit, eam in ieiuniis & vigiliis, humanarum virium naturam exceſſiſſe) tum Petrus Damiani egregia epiſtola quam ad ipſam poſtea ſcripſit, vbi mira narrante de eiuſdem pietate ac deuotione cum vitæ auſteritate coniuncta: cum & Romam veniens (vt ibidem traditur) nacta illic eumdem Petrum, fecit ei cum lugubri gemitu & amaris ſuſpiriis in Confeſſione S. Petri Apoſtoli exactiſſimam confeſſionem ſuorum omnium peccatorum ab ipſa quinquenni tenera infantia. Quæ quidem de virtute in virtutem calle Chriſtianæ vitæ perfectionis incedẽs, in dies ſanctior Deo, Sponſo cœleſti pulchrior reddita, Romæ vbi cœperat, ſancto fine non diſparitato principio quieuit in Domino, in fine anni Redemptoris milleſimi ſeptuageſimi ſeptimi; vt docet inſcriptio epitaphii [d] ad eius ſepulchrum poſiti in baſilica S. Petri; atque etiam teſtantur Bertholdus, & Abbas Vrſpergenſis eo anno: licet interim nonnunquam (vt diximus) in Germaniam redire contigerit.

AGNES CONFITETVR PECCATA PETRO DAM.

d Ap. Vegl. l.

V. ALEX. PP. CORRIPIT HARALD. NORVEG. REGEM.

Hoc ipſo etiam Alexandri Papæ tempore accidiſſe noſcitur, vt cum Haraldus Norvegiæ Rex potentiſſimus, ſed crudeliſſimus atque impiiſſimus inter alia tyrannice geſta, raperet oblationes a Fidelibus deferri ſolitas ad tumulum S. Olai Regis, eiuſdem Haraldi germani, quem ipſe occiderat, eaſdemque militibus ſuis diſtribueret; ſed & in contemptum Metropolitani ſui Adalberti, Bremenſis ſeu Hamburgenſis Archiepiſcopi, Epiſcopos ſui Regni in Gallia, vel in Anglia contra ius faſq; ordinari faceret, ac deniq; de his ab Adalberto monitus, ei obedire negaret; ipſe vero Adalbertus de iiſdem apud Alexandrum Pontificem conqueſtus eſſet: ad eundem Haraldum Alexander confeſtim miſſis literis, præcepit vt tam ipſe quam eius Epiſcopi Bremenſi Metropolitano, Vicario Sedis Apoſtolicæ à ſe conſtituto omnem exhiberent ſubiectionem. Narrat hæc Adam [e] eius temporis ſcriptor: ipſas vero etiam Alexandri ad Haraldum literas ex parte recitat Albertus Stadenſis Abbas in ſuo Chronico.

e Ad. l. 3. c. 10.

VI. ALEX EXIGIT CENSVM A REGE DANIÆ.
f Ibid. c. 20.

Regnabat tum quoque in Dania Sueno Rex, ad quem eiuſdem Alexandri Papæ extat epiſtola, ſeu potius fragmentum ex ea, in Vaticano codice qui inſcribitur Liber Cenſuum, qua exegit cenſum, quem maiores eius Apoſtolicæ Sedi perſoluere ex eodem Regno conſueuerant. De quo etiam Rege Adam [f] agens, ipſum ait aduc ſarium prædicto Archiepiſcopo Hamburgenſi Adalberto (erat enim ſedes Hamburgenſis omnium illarum Borealium regionum Metropolis) reconciliatum tandem ei, magno adiumento fuiſſe illius regionis Eccleſiis: vbi & multa ſubdit de Eccleſiæ Slauorum felici progreſſu, opera Godeſcalci religioſiſſimi Principis, ipſius Regis Danorum generi, ac Slauorum domitoris, qui magnam etiam eorumdem partem ad fidem conuertit, ac frequenter eiſdem prædicauit.

SLAVOR. ECCLESIÆ PROGRESSVS.

VII. CONCIL. ...

Hoc item anno, ſeptimo Calendas Iulii in Hiſpania apud S. Ioannem Rupenſem, CONCILIVM [g] eſt celebratum ſub Ramiro Rege. Quid vero in eo ſtatutum ſit, nihil reperimus, niſi vt Aragonii Epiſcopi ſumerentur ex monaſterio S. Ioannis: quod antea per Regem Sancium fuerat inſtitutum.

IESV CHRISTI AN. 1063.

CONST. DVC. 4.

ALEX. II. AN. 3.

I. PETRVS DAM. CASSINVM VADIT.

ANno Chriſti milleſimo ſexageſimotertio, Indictione prima, Petrus Damiani ſæpius importunuſq; rogatus à Deſiderio Magni nominis, maiorumq; virtutum Abbate Caſſinenſe, atque presbytero Cardinale Tituli S. Cæciliæ, (quem ſtirpe magnatum Beneuento ortum, olim vt monachus fieret, intactam ſponſam, parentes, propinquos, patriam deſeruiſſe, ex ipſius Epitaphio [a] côſtat.) Caſſinum petiit: Vbi (inquit Leo [b] Oſtienſis) cum verbo pariter & exemplo quoſcumq; poſſet ferueter accenderet, tandem eiuſdem permiſſione Abbatis ab omni Congregatione obtinuit voluntaria oblatione, in remiſſione peccatorum omnium, vt ſexta feria per totum annum pane & aqua contenti, Diſciplinam cuncti facta confeſſione perciperent: inſuper & triduanum ieiunium in capite Quadrageſimæ per annos ſingulos agerent. Hęc Leo. Sed quod ad hoc triduanum ieiunium ſpectat; eos Petrus ad obſeruantiam ſui monaſterii redegiſſe cognoſcitur; qua ipſe in epiſtola ad Fratres Gamungni eremi ſcribit, conſtitutum fuiſſe vt per illud triduum non niſi modicum panis cum aqua omnes Fratres comederent; nulla niſi lectionum, ſiue orationum verba proferrent; nudis pedibus lugubres atque mœrentes incederent; expleto communi modulatione, pſalterio, mutua ſe ſcoparum, ſiue flagellorum caſtigatione purgarent. Porro tanta erat eiuſdem Petri in Eccleſia Dei æſtimatio, vt quæ ipſe facienda moneret, tamquam oracula diuina pii quique perciperent.

a Ap. Leo. Oſt. l. 3. c. 33.
b Ibid. c. 21.

IEIVNIVM INDICIT MONACHIS.

II. MITTITVR FLORENT. AD SEDANDVM SCHISMA ILLIVS ECCL.

Idem vero reuerſus, ab Alexandro Papa miſſus eſt Florentiam ad ſedandum magnum conflatum ſchiſma inter Petrum Epiſcopum Florentinum ſimoniæ hæreſis accuſatum, & populum eiuſdem ciuitatis, cuius partem aliquam in ſuum Epiſcopum monachi concitabant (inter quos primum locum tenuiſſe S. Ioannem Gualbertum, in Vita ipſius aſſeritur (affirmantes cunctas illius benedictiones & ſacramenta eſſe maledictiones & ſacrilegia, ideoq; nec ab illo ſacramenta, nec ab eo ordinatis eſſe percipienda: ex quo fieret vt baptizati minime chriſmate vngerentur, & quamplurimi abſque ſacramento Euchariſtiæ interirent. Studuit autem eos conciliare Petrus Damiani, nec tamen obtinuit, eo quod aduerſus monachos

ſteterit; ex eo præſertim redarguens illos, quod indemnatum adhuc Epiſcopum eſſe vitandum ſuaderent. Vnde paſſus & ipſe calumniam, quaſi vinctus eodem crimine teneretur, diſceſſit re infecta: & mox in ſui defenſionem, & monachorum iuſtam reprehenſionem, egregiam ſcripſit epiſtolam apologeticam, tam ad ciues Florentinos, quam ad monachos ipſos; qua prius à ſe repulſa calumnia de labe ſimoniæ, poſtea abunde oſtendit quomodo ſit conuerſandum cum ſacerdotibus ſimoniacis: nec in re de qua agebatur, eſſe monachorum vitare Epiſcopum quem Eccleſia non damnaſſet, minimeque debere illos aſſumere ſibi iudicium, quod tantummodo eſſet Apoſtolicæ ſedis. Sed & quem putauit malorum omnium auctorem, Theuzonem monachum incluſum magnæ quidem apud omnes opinionis, ſed re ipſa faſtu tumentem, atque ipſum etiam Romanum Pontificem arguere, immo & quorumdam Sanctorum cultum in dubitationem reuocare præſumentem: inſignem ad eum ac prolixam ſatis ſcripſit epiſtolam; qua & acerrimis reprehenſionibus, & exemplis plurimorum in eremo degentium Sanctorum, ad legitimam illum monaſticam diſciplinam, humilitatemque, ac manſuetudinem reducere conatus eſt. Cuius admonitionibus in ſe reuerſus Theuzo, adeo mutauit vitam, vt reliquis ſit factus exemplum perfectiſſimi anachoretæ, ſanctoque tandem fine quieuerit. Profecerunt pariter & reliqui monachi, dum cauſam quam iuſtam putabant, iuſte proſequi aggreſſi ſunt apud Summum Pontificem in Synodo Lateranenſi hoc tempore celebrata.

DE THEVZONE MONACHO.

III. PER IGNIS EXAMEN EPISC. FLOR. PROBATVR SIMONIACVS.

Verum cum ipſis reſiſteretur à multis, eaque interim controuerſia magis ac magis Florentiæ augeretur; ingens facinus, expetente Clero & populo, ab iiſdem tentatum eſt; cum ad probandam Petri Epiſcopi ſimoniam, vnus ex monachis nomine Petrus, Ioannis Gualberti diſcipulus, mira humilitate & obedientia præditus; poſt Miſſam ſolemniter celebratam, ſacerdotalibus indutus veſtimentis, & Crucem geſtans, nudis pedibus per medias ingentis rogi flammas penitus illæſus tranſiuit: quæ res geſta exacte deſcribitur in literis à Florentinis ea de re datis ad Alexandrum Papam, recitatis à S. Attone Piſtorienſi Epiſcopo in Vita [c] vberius ſcripta eiuſdem S. Ioannis Gualberti. Meminere quoque eiuſdem hiſtoriæ Abbas Vrſpergenſis [d], Berthoaldus, & alii: quæ & maiorem adhuc ſibi vendicat auctoritatem ex teſtificatione nuper recenſiti Deſiderii Abbatis & Cardinalis, qui & poſtea Papa creatus dictus eſt Victor eius nominis Tertius. Ipſe enim in libro tertio Dialogorum totam hanc texens hiſtoriam, addit illum amplius, quod cum Petrus monachus iam ex igne egreſſurus eſſet, atq; mappulam è manu lapſam eſſe, & in medio ignis remanſiſſe intellexiſſet; per eaſdem reuerſus ſit flammas, mappulam recepturus. Idem vero ex eiuſmodi immenſo facinore, cognomentum *Ignei* adeptus eſt: quem Bertholdus ſcribit tantæ fuiſſe ſanctitatis, conſtantiæ, & fidei, vt vix aliquis ſui temporis ei potuerit comparari. Qui quidem poſt cuſtodiam vaccarum & aſinorum (inquit Atto qui ſupra) quam in Vallumbroſa iuſſu B. Ioannis Gualberti humiliter tenuit, poſtque gradum Præpoſiti penes Paſſinianum, & Abbatis officium in monaſterio Ficodenſi, inde Romam deductus extitit Cardinalis & Epiſcopus Albanenſis. Fuiſſe autem nobili ortum genere ex ſtemmate *Aldobrandinorum*, aſſeritur in eius Vita nuper edita. Qui poſt adeptum Cardinalatum, pluribus (vt videbitur) pro Sede Apoſtolica legationibus functus, peruenit ætate vſque ad annum Redemptoris milleſimum octogeſimum octauum, quo ſanctone in Domino quieuit.

c Ap. Sur. 12 Iul.
d Vrſperg. an. 1068.

PETRVS IGNEVS.

IV. IOAN. GVALBERTVS INSTITVTOR ORDINIS VALLISVMBROSÆ.

Quod vero ad *S. Ioannem Gualbertum* attinet, cuius fuit idem Petrus diſcipulus; extitit ipſe hoc tempore magni vir nominis ob egregiam vitæ ſanctitatem, & frequentia miracula: cœpitque iam ante vicennium innoteſcere orbi, dum parcens cuidam inimico ſuo veniam in nomine Chriſti Crucifixi petenti, ſibi oranti Crucifixi Imaginem inclinare caput in ſignum gratæ ſibi admodum actionis aſpexit; cum tanta victus diuina clementia, monaſticæ vitæ arripuit inſtitutum. Sed poſtea Abbatem deſerens ſimoniacum, noui Ordinis monachorum dictorum *Vallis-vmbroſæ* factus eſt inſtitutor & auctor, ſignis atque virtutibus clarus, ideoq; ipſis etiam Imperatoribus & Pontificibus charus: vt pluribus traditur in eius Rebus geſtis. Fuitque inſuper tantæ æſtimationis, vt eum Epiſcopi conſulerent, eius cupientes monitis roborari. Cuius legimus epiſtolam ad Volaterranum Epiſcopum, qua ipſum aduerſus Simoniacos fortiter agere multis hortatur.

V.

Denique quod ſpectat ad Petrum Epiſcopum Florentinum; ipſe poſt eiuſmodi probationem, ab Alexandro Papa Epiſcopali officio depoſitus aſſeritur in iiſdem Actis S. Ioannis Gualberti: quem tamen monachis reconciliatum eſſe, diplomata quædam monaſterii Vallis vmbroſæ indicant. Diſplicuiſſe vero Alexandro Papæ per monachos populum concitari, atq; ignis probationem tentari, non ſolum conſtat ex iiſdem Actis Ioannis Gaulberti, ſed etiam ex canone [e] in prædicta Synodo Lateranenſi condito, quo præcepit monachis intra clauſtra morari, & à populorum prædicatione omnino ceſſare. Fuit autem plane nobilis iſta SYNODVS, cui amplius quam centum Patres interfuerunt: ex qua idem Pontifex Conſtitutionem [f] edidit ad vniuerſalem Eccleſiam, continentem canones illic ſancitos de Clericis ſimoniacis & incontinentibus, aliiſque rebus ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinentibus; qui ferme omnes ſuis locis relati habentur à Gratiano in corpus Decreti.

e c. iuxta Chalced. 16. q. 1.
CONCIL. LATERAN. SVB ALEX. II
f Rec. Bar. Annal. To. XI. hoc an.

VI.

Inter eos vero notandus quartus [g], quod decernitur vt Clerici ſimul manducent & dormiant, & quicquid eis ab Eccleſia competit, communiter habeant. Quod quidem ſtatutum cognoſcitur ſuggeſtione Petri Damiani; cuius adhuc extat in codice Bibliothecæ Eccleſiæ S. Petri in Vaticano, literæ ad Alexandrum Papam ſcriptæ hac inſcriptione, *Vt Canonicis à quibus in congregatione viuitur, proprietatis habendæ licentia denegetur*; in quibus prolixior eſt de ea re diſputatio. Porro non de monachis, ſed de clericis eiuſmodi ſancitus eſt canon; nec de omnibus clericis, ſed his qui collegatis ſeruirent Eccleſiis, quos frequentiori vſu *Canonicos* appellare conſueuimus, ob id ſcilicet quod hiſce tenerentur canonibus obligati, ad quorum præſcriptum vitam ducerent clericalem in omnibus regularem, nihil ſibi proprium vendicantem.

g c. præter hoc mand. & præcipien. dist. 32.
DECRETVM DE VITA COMMVNI CANONICORVM.

VII.

Hoc item anno (quod ad res pertinet Orientis) Chriſtiani qui erant Hieroſolymis, abſoluerunt à Calypha Ægypti imperatum opus ædificandi quartam partem murorum Hieruſalem, pecunia collectitia Chriſtianorum, potiſſimum vero Imperatoris Conſtantinopolitani Monomachi; & impetrarunt à Calypha, vt eam partem ipſi poſſiderent Chriſtiani; necnon etiam vt nullum alium quam ſuum ipſorum Patriarcham haberent iudicem. Ex quo factum, vt illa quarta pars ciuitatis ceſſerit dominio Patriarchæ; cuius rei cauſa graues lites poſtea obortæ ſunt inter Reges Chriſtianos Hieroſolymorum & Patriarcham, de quibus agendum ſuo loco. Porro omnia illa vberius tractat Willelmus [h] Tyri Archiepiſcopus.

QVARTA PARS CIVIT. HIEROSOL. CEDIT DOMINIO PATRIARCHÆ.

h Wil. Tyr. de bel. ſac. c. 17. 18.

IESV CHRISTI AN. 1064.

CONST. DVC. AN. 5.

ALEX. II. AN. 4.

I

ANNO Chriſti milleſimo ſexageſimo quarto, Indictione ſecunda, Henricus Rex Germaniæ litteris [a] Petri Damiani ſacerdotali dicendi libertate conſcriptis quinimmo & comminatoriis, admonitus collabenti Eccleſiæ aduerſus Cadaloum ſchiſmaticum, noua in dies molientem, multoſque in partes ſuas allicientem, ſubuenire; Legatum miſit Romam ad Alexandrum Papam, Annonem Archiepiſcopum Colonienſem; cuius illud inprimis opera ageretur, vt iura Regis in eligendo Romano Pontifice integre ſeruarentur, ſicque demum congregato ex Germaniæ atq; Italiæ Epiſcopis generali Concilio, cauſa ſchiſmatis cognoſci deberet, & qui eſſet ab omnibus colen-

a Rec. Bar. To. XI. hoc an.

ANNO COLON. MITTITVR A REGE LEGATVS AD PAP.

dus Romanæ Eccleſiæ Pontifex perſpicue noſceretur. Hanc quidem Annonis legationem hoc anno contigiſſe, diſerte affirmat Lambertus. In Geſtis vero Romanorum Pontificum quæ Cardinalis Aragonius collegit traditur, Annoni modeſte conquerenti de Alexandro quod contra morem abſque mandato & aſſenſu Henrici Regis Pôtificatum ſuſcepiſſet, ſufficienter ſatisfactum eſſe ab Hildebrando Archidiacono & Epiſcopis Cardinalibus, dum ei demonſtratum eſt iuxta ſanctorum Patrum canonicas ſanctiones nihil penitus eſſe conceſſum ſiue permiſſum Regibus in electione Romanorum Pontificum: mox tamen Alexandrum eiuſdem Annonis rogatu, apud Mantuam Synodvm, conuocaſſe, in qua electionis ſuæ rationem redderet quamuis hoc inconſuetum eſſet, & à Romani Pontificis auctoritate videretur alienum. Porro illam Synodum hoc ipſo anno celebratam eſſe, apud Hermannum expreſſum habetur. Opportunus enim exiſtimatus eſt locus ille, ad quem non tantum Itali Epiſcopi, ſed etiam trans Alpes poſiti facile conuenire poſſent.

Concil. Mantvan. geritvr in cavsa schism. Eccl. Ro.

II. Cadalovs damnatvr, Alex. confirmatvr.

Deperditis autem tanti Concilii Actis, id ſolum ex eadem Collectione Cardinalis Aragonii intelligitur, Cadaloum ſchiſmaticum ab Annone adeſſe Concilio iuſſum, remordente conſcientia ſe abſentaſſe; Alexandrum vero cauſam electionis ſuæ adeo manifeſtis rationibus côprobaſſe, atq; omnia ſibi obiecta diluiſſe, vt qui hactenus ei aduerſati fuiſſent, deinceps ipſi obedientiam præſtiterint. Additque Sigebertus, Alexandrum à crimine ſimoniæ, quo ab iiſdem aduerſus ſuis poſtulatus fuerat, ſe purgaſſe adhibito iuramento. Cadaloum autem fuiſſe omnium ſententia damnatum, omnes affirmant.

III. b In Marca de reb. Hiſp.

Ad hanc quoque Synodum aduenisse traduntur [b] Epiſcopi ab Hiſpania tres, pro reliquis legatione fungentes, ſecum deferentes libros Gothicos Ritualis; qui fuerunt à Synodo cogniti Orthodoxi. Iidem vero reuerſuri in Hiſpaniam, duxerunt ſecum ab Alexandro Papa decretum Legatum à Latere Hugonem Candidum Cardinalem, quem olim à partibus Cadaloi Antipapæ ſtantem, idem Alexander veniam ſuppliciter poſtulantem in communionem receperat. Eius autem auctoritate Barcinone Concilivm congregatum eſt; in quo leges Gothicæ quibus Catalani vtebantur, penitus abrogatæ ſunt; nouæque ſancitæ, quibus hactenus populus vtitur. Atque vna cum legatione Hugonis, is qui miſerat eam Alexander Papa receptus eſt in Hiſpania germanus Eccleſiæ Romanæ Pontifex; Cadalous vero communibus omnium votis anathemate damnatus ac ita vbique terrarum.

Concil. Barcinon.

IV. Cadalovs rvrsvm fvrit in Eccl. Ro.

Qui tamen nec ideo quieuit. Armaſſe enim tironum militem, aggreſſumque Vrbem, ſed contumelioſe pulſum, Lambertus aſſerit. Hæcque eſt poſterior aggreſſio illa, quam deſcribens Cardinalis Aragonius, ait Cadaloum corruptis pecunia nonnullis ducibus ac militia Romanis, noctu Leoninam ciuitatem intraſſe, & S. Petri Eccleſiam in opprobrium & confuſionem ſuam occupare præſumpſiſſe. Siquidem populo Romano ad eamdê Eccleſiam concurrente, Cadaloi ſectatores tantus derepente timor inuaſit, vt omnes eo derelicto in cryptis & abditis locis ſeſe occultarent. At vero Cencius Præfecti filius, homo nequam, in caſtellum S. Angeli ipſum Cadaloum ſuſcipiens, iuramentum ei atque defenſionem præſtitit. Vbi per duos annos à militibus Alexandri Pontificis obſeſſus, & multis calamitatibus afflictus, exire haud potuit, donec ſe ab eodem Cencio trecentis libris argenti redimens, inops & egens clam inter oratores elapſus eſt: ac demum paucos poſt dies diuino iudicio peſſimam mortem incurrit. Hæc apud Aragonium. Sed in codice Vaticano qui inſcribitur Liber Cenſuum, de eodem Cadaloo traditur, quod tandem recedens à ſchiſmate, ab Alexandro per nuntios petierit abſolutionem, ac promiſſa ſatisfactione impetrauerit; ſed poſt dies paucos malam mortem incurrerit, quomodo autem, non dicitur. Veruntamen ſcriptor huius temporis Lambertus affirmat, Cadaloum, dum vixit, ſe gerere pro Pontifice, & quæ ſunt Pontificis exercere non deſtitiſſe, ſeipſum *Honorium* ſecundum eius nominis nuncupantem. At de illo hactenus.

De Cadaloi exitv.

V. Celebris peregrinatio Hieroſol.

Hoc eodem anno (vt tradit Marianus Scotus) celebris inſtituta eſt peregrinatio Hieroſolymam ſeptem millium virorum & amplius, quorum primores duces fuerunt Germanici Antiſtites Sigefridus Moguntinus, VVillelmus Traiectenſis, Guntherus Bambergenſis, & Otto Ratiſponenſis. Sed hoc eodem imprudentiæ vitio datum, quod circumſpecte nimis ornati, & magnitudinem opũ ſuarum inconſultius oſtentantes, barbaros ad prædam allicerent; adeo vt antequam Hieroſolymam peruenirent, confligendum ſæpe cum Arabibus latronibus in Palæſtina fuerit: quæ certamina, eorumdemque à maximis diſcriminibus diuinitus factam liberationem, antiquioribus admirandis Dei operibus haud imparem, exacte deſcripſit Lambertus eius temporis auctor; ſummatim vero retulit Ingulphus Anglus in commentario hiſtoriæ monaſterii Croylandenſis, cui poſtea præfuit: qui cum eſſet tunc ſcriba VVillelmi Comitis Northmannorum, poſtea Regis Anglorum, obtenta ab eo licentia cum aliis profectus eſt. Ceterum ex tanto numero virorum, vix duo millia reuertiſſe ad propria, Marianus tradit.

VI. Terræ motvs in Thrac. et Bithyn.

Quod idem ad res pertinet Orientis: hoc eodem anno Indictione ſecunda, maximo omnium terræmotu qui vmquam fuiſſent, vexatas Thraciam & Bithyniam, ac Conſtantinopoli & Niceæ proſtrata templa, veterumq; Bithyniæ Regum monumenta collapſa, tradit Curopalates, tantam cladem pluribus proſecutus; quam vigeſima tertia menſis Auguſti cœptam, perſeueraſſe vſque ad annos duos affirmat.

IESV CHRISTI AN. 1065.

Conſt. Dvc. An. 6.

ALEX. II. AN. 5.

I. Petri Dam. labores adversvs Nicolaitas.

Anno Chriſti milleſimo ſexageſimo quinto, Indictione tertia, Petrus Damiani Epiſcopus Oſtienſis S. R. E. Cardinalis, è Synodo Mantuana, cui iuſſu Alexandri Papæ interfuerat anno ſuperiori, ad eremum vnde venerât rediens, cum videret incontinentiam Clericorum eo vſque proceſſiſſe, vt etiam in hæreſim Nicolaitarum pertranſiſſet, cum ab eorum nonnullis coniugia tamquam licita obſtinate defenderentur: qui iam ante ſub Nicolao Papa ſcriptis ſuis eumdem errorem, ſimulque errantes exagitauerat, rurſum hoc anno (nimirum poſt Cadaloũ in Synodo condemnatum) eodem argumento prolixiores ad Cunipertum Taurinenſem Epiſcopum dedit literas, quibus eorumdem obiectiones & argumenta refellit, ipſumque redarguit, quod cum caſtiſſimus eſſet, tamen non compereret clericos ſibi ſubditos fornicatos. Et vt, quod minus per Epiſcopos impleretur, per Principes ſæculares ſancta Eccleſia conſequi poſſet; ſcripſit eadem de re ad Adelaidem Alpium Cottiarum Marchioniſſam, ſiue Duciſſam, magnæ virtutis & virilis animi feminam, cuius (vt ait) ditio in duorum regnorum Italiæ & Burgundiæ porrigeretur non breui confinio, pluresque in ea epiſcoparentur Antiſtites. Sed & aliis ad Petrum Lateranenſem Archipreſbyterum datis literis, illum aduerſus eoſdem clericos vxoratos ſtrenue agere hortatus eſt: monens tamen vt ſic eum zelus impelleret, vt iracundia non præcipitaret; atque vt ad hæc agenda ieiunio ſe muniret, & frequenti ſacroſancti ſacrificii oblatione corroboraret. Sicque idem Petrus, vt alter Ioannes Baptiſta, vox clamãtis in deſerto, ab eremo calami, vt tubæ Dei, vbique clangore perſonans, pios excitauit ad pugnam, reprobosque vel colla ſubiicere Eccleſiaſticæ diſciplinæ coegit, vel in fugam adegit, atque in abditiſſima quæque loca impudentiæ thoros fecit abſcondere.

II. Itemqve in hæreſim Inceſtvoſorvm.

Compeſcuit pariter eodem tempore hæreſim *Inceſtuoſorum* dictam, quam nonnulli Iureconſulti excitauerant & defendebant, dum auctoritate Iuſtiniani Imperatoris eadem ratione qua in ſucceſſionibus, numerandos eſſe dicerent gradus conſanguinitatis. A quonam autem erroris originem duxerit, haud ſatis exploratum: ſed Rauen-

Digitized by Google

næ maxime viguiſſe, ibidemque ab eodem Petro aduerſus Iureconſultum Florentinum acrem illius defenſorem diſputatum eſſe, idem ipſe teſtatur in commentario contra illam hæreſim ſcripto ad Cæſenatem Epiſcopum, & Archidiaconum Rauennatem, cuius eſt titulus *De parentelæ gradibus*. Qui & inſuper, quod eodem opere docuiſſet, in enumerandis gradibus vnam ſemper abundare debere perſonam; cum ei ſententiæ contradiceretur à multis, de his rationem reddens poſtmodum ſcripſit prolixam ad quemdam religioſum presbyterum epiſtolam. At vero in immenſum erumpens flāma, etſi comprimi, haud tamen valuit Petri ſcriptis penitus tolli. Adeo enim quorumdam Iureconſultorum inualuit defenſione, vt Apoſtolica opus fuerit auctoritate; ipſique Alexandro Pontifici duo eodem anno ad eumdem tollendum errorem celebranda Romæ CONCILIA: quorum priori [a] excommunicationem comminatus, cam poſteriori promulgauit aduerſus eiuſmodi inceſtuoſos. Sed (quod doluit [b] Petrus) omnia ſine fructu. Nam arte diaboli conglutinatis animis inceſtuoſorum coniugum, nullo timore æternæ damnationis ab inuicem diuelli potuerunt. In quorum vnum, in exemplum ceterorum, diram Deus vindictam exercuit; dum (vt idem Petrus teſtatur in Epiſtola ad Alexandrum Papam electum, & ad Hildebrandum) cuidam ſuam conſanguineam contra prohibitionem ducenti, eidemque poſt excommunicationem adhærenti, hoc contigit, vt panes de nuptialibus menſis in plateas ante canum ora proiecti minime tangerentur; inſuperque ipſe inceſtuoſus in cubiculo dormiens, repente de cœleſtibus irruente fulmine extinctus fuerit.

CONCILIA DVO ROM. ADVERSVS INCESTVOSOS.

a Decretum [illegible] 35. q. 4. [illegible]

b Pet. Dam. de contempt. ſeculi c. 29.

III.

Sed & fuit pugnandum eidem Petro eodem tempore aduerſus aliam nouam emergentem hæreſim quorumdam, aſſerentium licite emi poſſe Epiſcopatus à Principibus laicis abſque crimine ſimoniæ, dummodo conſecratio gratis acciperetur. Sic enim non emi ſacerdotium, ſed poſſeſſionem prædiorum, quæ venalia ſunt. Quam hæreſim primus omnium ipſe redarguens, & rationibus atque auctoritatibus Scripturæ & veterum Pontificum confutans, egregiam ea de re ſcripſit ad Alexandrum Papam epiſtolam, qua eiuſmodi hæreſis ſeminatores ait fuiſſe *Tudelchinum* quemdam natione barbarum, & *Ioannem* patria Venetum, Godefridi Ducis Tuſciæ capellanos. His vero admonitus Alexander, abunde ſatis ſcelus prohibuit in Decretali epiſtola ad ſuos Lucenſes data, qua vetuit [c] nequis omnino non dico Epiſcopatus, ſiue Abbatias, ſed beneficium quodlibet Eccleſiaſticum emeret. At quis crederet, damnatam hæreſim turſum ante aliquot annos, quorumdam prauorum ſuſurro in aures Fidelium irrepere auſam, procaciter aſſerentium Cardinalatus Romanæ Eccleſiæ dignitatem licite vendi emique poſſe dum ſcilicet non ipſe ſacer Ordo venderetur vel emeretur annexus, ſed inhærens ipſi munus & commodum temporale? Sed occluſa ſemel & iterum; obſtruantur in perpetuum offa à Daniele [d] parata iſta aſſerentium ora; qui fauentes Simoni Mago, Simonem Petrum tanta afficere ignominia putauerunt.

INSVRGIT QVOQVE PETR. ADVERSVS ALIAM HÆRESIM DE EMPTIONE EPISCOPATVVM.

c 1 q. 3. cap. ex multis.

d Dan. 14.

IV. MARTYRES APVD SLAVOS.

Hoc eodem anno, qui vigeſimus ſecundus numeratur Adalberti Archiepiſcopi Hamburgenſis, Slauorum Eccleſia ſub eius metropoli conſtituta, multis nobilitata eſt martyribus: inprimis vero *Godeſcalco* Principe, Chriſtianæ religionis ſtudioſiſſimo propugnatore; qui cum magnam Slauoniæ partem è Paganiſmo ad fidem conuertiſſet, & in reliquis conuertendis indefeſſe laboraret, ab iiſdem coniuratione facta comprehenſus, ac fuſtibus cæſus, deinde per ſingulas Slauorum ciuitates ductus ad ludibriū, cum à Chriſti nomine flecti non poſſet, truncatis manibus ac pedibus, in plateam corpus eius proiectum eſt, caput vero diſſectum Pagani conto præfigentes, in titulum victoriæ Deo ſuo Redigaſt immolauerunt: ipſiuſq; vxor, filia Regis Danorum, nuda diu cæſa eſt: ac demum cunctis occiſis qui perſtiterunt in fide, omnes Slaui ad paganiſmum relapſi ſunt; auctore huius cladis Pluſſo, qui ſororem Godeſcalci habuerat; qui & ipſe domum reuerſus obtruncatus eſt. Narrat iſta Adam [e], qui aderat. Vt autem

e Ad. lib. 4. cap. 11. & 12.

diœceſis Hamburgenſis iſta pati mereretur, peccata Archiepiſcopi Adalberti fecerunt, quæ idem auctor [f] recenſet; necnon & populi, quem inter alia dicit diem ſextæ feriæ carnis eſu maculaſſe, & Vigilias, ſolemnitateſque Sanctorum, ac venerabilem Quadrageſimam, gula, fornicationibuſque polluiſſe.

f Ibid. cap. 10.

V. FERD. MAGN. PIVS OBITVS.

Hoc item anno, nempe era milleſima centeſima tertia, ex hac vita migrauit Ferdinandus Magnus Rex Caſtellæ & Legionis, fine plane digno Catholico Rege diē extremum claudens, quem ei adhuc incolumi S. Iſidorus apparens reuelauit. Qua reuelatione accepta, cum totum ſe orationi dediſſet; ipſo Natāli Domini in Eccleſia infirmatione correptus poſtridie ornatus cultu regio, & corona aurea impoſita capiti, vna cum Epiſcopis & Abbatibus ad Eccleſiam deferri voluit; vbique regalem chlamydem & gemmatam coronam Deo ad altare remittens, cum lachrymis ſolo proſtratus pro delictorum venia attentius orauit: & ab Epiſcopis accepta pœnitentia, & extrema Vnctione, indutus cilicio & aſperſus cinere, die tertia ſpiritum Deo in eadem Eccleſia reddidit, cum regnaſſet ſiue ſolus, ſiue cum patre, annis quadraginta menſe vno, diebus vndecim. Relicti ſunt filii Sancius, Ildefonſus, Garſias, Vraca, & Geloyra: inter quos diuiſo regno, ſeptem annis certatum eſt, de quibus dicendum inferius. Narrat autem hæc omnia Lucas Tudenſis diaconus; eademque Rudericus [g] Toletanus, qui eiuſdem Ferdinandi Regis pietatem plurimum commendat, & erga diuinum cultum Eccleſiarum munificentiam; ſed & vitam eius cum religioſis ducere conſuetam enarrat: quem & virtute militari & victoriis inſignem fuiſſe conſtat.

g Roder. lib. 6. c. 14.

VI. VZI POPVLI DIVINITVS DEBELLATI.

Quod ad res pertinet Orientales; cum hoc anno Indictione tertia *Vzi* Scythiæ populi ad ſexcenta millia armatorum tranſmiſſo Iſtro limitaneum Romanorum exercitum debellaſſent, & circumquaque diuagantes omnia perderent; nec minor ab illis orbi Chriſtiano clades immineret, quā olim à Gothis, Hunnis, Wandalis, & Longobardis; iidemque nec legationibus, nec muneribus flecterentur: cum & illud ad malum accederet, quod in Oriente iam Turcæ fatigarent Imperium, ipſeque Imperator Conſtantinus imbellis eſſet, quamuis pius; & coactus à ciuibus vrbe exire aduerſus hoſtes, non amplius quam centum quinquaginta milites qui eum ſequerentur inueniſſet: reb. ſic deſperatis, idem Imperator ieiunium indixit, & ſibi & populo frequentes ſupplicationes adhibuit, ipſe pedes cum lacrimis incedens. Qua die viſa eſt ab Vzis in tabernaculis commorantibus militum multitudo in acie dimicare, & tantam telorum copiam contra ipſos iacere, vt ex iis nullus illæſus remanſerit, mox vero tota genere peſte & fame conſumpta, reliquiæ cum ducibus ad propria remearunt, quidam autem ex ipſis ad Imperatorem ſe conferentes, acceptis ab eo agris publicis Macedoniæ, obedientes ei fuerunt. Tradunt hæc pluribus Curopalates, Zonaras, atque Glicas hiſtorici Græci: quibus videas quam aduerſus hoſtes pietas armis præſtet.

IESV CHRISTI AN. 1066.

CONST. DVC. AN. 7.

ALEX. II. AN. 6.

I.

ANNVS Chriſti milleſimus ſexageſimus ſextus, Indictionis quartæ, comete inſigni à Chronographis conſignatus eſt Latinis pariter atque Græcis: ſed corrigendum in Curopalate, dum pro quarta Indictione errore legitur decimaquarta.

II.

Quo etiam anno, vt Leo [a] Oſtienſis teſtatur, cum Richardus Northmannorum Princeps Aquinum vſque victor perueniſſet, Vrbem Romam proxime inuaſurus, vt à Pontifice Imperatoris inſignia conſequi poſſet; Godefredus Marchio Tuſcæ ſe illi opponens, variis aduerſus eum initis prœliis, Eccleſiam Romanam ab eius incurſione liberauit.

a Leo Oſt. lib. 3. c. 23.

III. S. EDVARDI REG. ANGL. OBITVS.

Eodem anno pridie Nonas Ianuarii, Eduardus Rex Angliæ ex hac vita migrauit, cum regnaſſet à tempore coronatio-

ronationis annos viginti duos & menſes nouem. Quod autem fere omnes numerent annos viginti quatuor regni eius; à tempore forte electionis eos numeraſſe oportuit. Porro cum poſt centum ferme annos Alexander [b] Papa Tertius in Sanctorum numerum retulit egregie miraculis illuſtratum. Is autem, quod careret ſobole (virginem enim reliquiſſe virginem vxorem Editham, affirmant omnes qui res ab eo præclare geſtas proſecuti ſunt) præſcius proxime venturi obitus ſui, anno ſuperiori ſucceſſorem Anglorum Regni ſubſtituerat Guillelmum Comitem Northmanniæ cognatum ſuum, ſtrenuum bellatorem, iuſtitiæ amantiſſimum, & religione maxime pium, quod vt probe factum ſe conſeruaturum iurauit Haroldus Comes filius Goduini Comitis, tunc Magiſter Regiæ domus, penes quem erat ſumma rerum. At vero mortuo Eduardo, ſequenti die idem Haroldus nomen regium ſibi ſumpſit. Quod vbi Guillelmus accepit, nec per Legatos quicquam in Anglia proficere potuit; omnia experiri potius quam armis decernere deliberans, Summum Pontificem conſuluit: à quo non ſolum animatus, ſed etiam vexillum legitimæ victoriæ accipiens, claſſe comparata in Angliam venit, & die pugnæ ſacratiſſimæ Euchariſtiæ ſumptione ſe cum omnibus ſuis militibus muniens, ambiguo ſatis prælio tyrannum debellauit. Narrat hæc omnia pluribus Ingulphus ſincerus eius temporis ſcriptor, qui cunctis in Anglia præſens erat; & poſt eum Matthæus Weſtmonaſterienſis, atque alij.

b In ſupend. ad Vit. S. Eduardi ap. Sur. To. 1.

GVILLELMVS NORTHMAN. POTITVR REGNO ANG.

IV. Contigit autem victoria Guillelmi pridie Idus Octobris, qua die S. Calliſti Papæ & Martyris anniuerſaria memoria agitur in Eccleſia; vt cunctis innoteſceret, quod ſicut Romani Pontificis auſpicio tantum ſuſceptum eſt bellum, ita & Romani Pontificis in cœlo regnantis fauore tantæ eſſet obtenta victoria. Quod non ignorans ipſe Guillelmus in ſignum grati animi vexillum Haroldi auro & gemmis ſumptuoſe contextum (ſicut teſtatur Willelmus Malmesburienſis) Romã miſit ad Alexandrum Pontificem. Sequenti autem Natalis Domini ſolemnitate coronatum fuiſſe Regem, non à Stigando Cantuarienſi, ſed ab Eboracenſi Archiepiſcopo Aldredo, omnes affirmant, nõ quod id Stigandus facere recuſaſſet, vt Neubrigenſis inconſulte nimis affirmat; (quam enim magno pretio id vir gloriæ cupidiſſimus redemiſſet) ſed quod idem ob eius ſedis inuaſionem peſſime apud omnes audiret, & iam fuiſſet ab Alexandro Papa ſacris ſuſpenſus. Id enim teſtantur iidem Ingulphus, Malmesburienſis, & alij antiquiores omnes rerum Angliæ Scriptores. Ab Aldredo igitur (inquit Rogerius) in Weſtmonaſterio Guillelmus conſecratus, prius, vt idem Archiepiſcopus exigebat, ante altare S. Petri Apoſtoli, coram Clero & populo iureiurando promiſit, ſe velle ſanctas Dei Eccleſias ac Rectores earum defendere, & cunctum populum iuſte regere, legemque rectam ſtatuere, & rapinas iniuſtaque iudicia penitus interdicere. Quibus praui, s pietatis exercitijs Northmanni Anglicanum conſecuti ſunt regnum. At hæc de iſtis ſatis; reliqua inferius ſuis quibuſque locis.

GVL. MITTIT VEXILLVM HAROLDI TYRANNI ALEX.

V. Hoc eodem anno *Cuno* Decanus Colonienſis, opera eiuſdem vrbis Archiepiſcopi electus in Epiſcopum Treuirenſem abſque conſenſu Cleri populiue Treuirenſis, ipſo die quo ciuitatem ingreſſurus erat, ab eorum nonnullis tentus, præcipitatione & gladio crudeliter occiſus eſt Calendis Iunij: cuius necis auctores diuinitus puniti ſunt, ipſe vero miraculis poſt mortem illuſtratus. Hæc pluribus Lambertus, Hermannus, & alij; quam tamen cædem Marianus Scotus ante annos duos ponit, alij anno ſuperiori, ſequenti Sigebertus: omnes autem vno conſenſu eumdem Cunonem Martyrem nominant; verum nomenclaturam iſtam diuerſis acceptam modis ab antiquioribus, iam alias dictum eſt à nobis.

VI. S. ARIALDI DIAC. MEDIOL. MARTYR.

Sed & apud Mediolanum hoc ipſo anno *S. Arialdus* illius Eccleſiæ diaconus, vir quidem nobilitate, (vtpote Germanus cuiuſdam Marchionis) ſed magis pietate inſignis; cum aduerſus hæreticos Nicolaitas & Simoniacos diu multumque laboraſſet recenſque contra Guidonem Mediolanenſem Archiepiſcopum, relapſum ad vitia illa quæ ſub Petro Damiani Apoſtolicæ Sedis Legato publice fuerat deteſtatus, conſtantiſſime ſtaret: eiuſdem Guidonis inſidijs tentus, & inacceſſas ſolitudines trans Lacum maiorem (ne populus commoueretur) ad necem ductus, ibi à duobus clericis miſſis ab Archiepiſcopi nepte altera Iezabele, amputatis auribus, naſo, labro ſuperiori, manu dextera, & membris genitalibus, effoſſis item oculis, & lingua ſub gutture extracta crudeliſſima dilaniatione martyrium conſummauit quinto Calendas Iulias: cuius corpus occultatum, ſed luminaribus cœlitus emiſſis ſæpe patefactum, ac demum in profundiorem lacus voraginam demiſſum, poſt decem menſes ad ripam eiectũ eſt, atque integrum inuentum Mediolanum deductum multis alijs ſignis emicuit. Deſcribit vero iſta fuſius Syrus presbyter qui prope erat, in eiuſdem Vita ſcripta ad Rudolphum Abbatem Vallis-vmbroſæ. Sic igitur poſt ſacras leges toties repetitas contra nefandos Nicolaitas & Simoniacos, poſtque tot & tantos labores ab Apoſtolicis viris aduerſus eiuſmodi hæreſes exantlatos; voluit etiam Deus ſanguine tanti martyris conſignari traditam antiquam Eccleſiæ diſciplinam; confirmatique alio æque egregio martyrio *Herlembaldi* Ducis, eiuſdem Arialdi in iſtiuſmodi hæreticis inſectandis collegæ; de quo dicetur ſuo loco. At non hoc cõceſſum *Landulpho* nobili Mediolanẽſi Herlembaldi Germano; licet & ipſe multa paſſus, ſæpeque percuſſus, cum immiſſus ad eum occidẽdum ſicarius gladio venenato orantis ante altare collum vulnere appetijſſet, tamen illæſus permanſit, & cœpto operi ad obitum vſque inſtitit conſtantiſſime.

VII. OBITVS MISERANDVS EPISCOPI AVARI.

Quod autem Deus iudex iuſtus pro cuiuſque vitæ meritis ſtipendia digna perſoluere conſueuit, hoc ipſo anno (vt Lambertus ſcribit) Reginherus Miſnenſis in Germania Epiſcopus, homo auariſſimus, dum poſt refectionem in cubiculum vbi theſauros ſuos infoderat quaſi paululum quieturus receſſiſſet, iamque die vergente in veſperam pulſantibus ad moram inſolitam cubicularis minime reſponderet; tandem effractis foribus inuentus eſt ruptis ceruicibus colore tetro exanimis ipſis theſauris ſuis mirabilem in modum incubans.

VIII. HVNGAR. ECCL. PERICLITATVR.

Quo item anno Hungarica Eccleſia Gentilitio furore graſſante periclitata eſt; cum videlicet anno ſuperiore eiecto Andrea Rege & excæcato, infima plebs ſeditione excitata Belam eius ſucceſſorem ad apoſtaſiam ſolicitauit. Sed is poſt triduum reſponſione dilata, & bona ſpe eſſe ſuadens, diſcordiæ auctores interim captos, & diriſſime cruciatos in reliquorum omnium conſpectu necari iuſſit. Quo facto tumultus ille compreſſus eſt, ac Chriſtiana religio priſtinam obtinuit libertatem. Sed hæc pluribus Longinus; qui pergit narrare, quomodo poſt hæc Bela cũ Salomone Andreæ filio Hungaricum partitus ſit regnum.

IX. HENR. REX COGITVR DIMITTERE ADALBERTVM BREM.

Quod vero ad politicum ſtatum pertinet; cum Henricus Germaniæ Rex iuuenili leuitate æmulorum ſtimulis agitatus, ſpreto Annone Archiepiſcopo Colonienſi, alijſque Principibus, totius regni regimen in Adalbertum Archiepiſcopum Bremenſem, ſiue Hamburgenſem (ambæ ſimul vnitæ erant Eccleſiæ) peſſimi virum nominis transfudiſſet; rebellantes ſubditi primum à tributorũ ſolutione ceſſarunt, indeque aucta conſpiratione Regi eam conditionem propoſuerunt, aut regno cedendum, aut Adalbertum ab adminiſtratione pellendum. Quem Rex tandem dimiſit, vix ereptum de manibus aduerſariorum, ſicque tumultus concitatus quieuit. Hæc Lambertus pluribus: qui & hoc ipſo anno tradit eumdem Regem duxiſſe vxorem Bertam Ottonis in Italia Marchionis filiam.

X. IOAN. XYPHIL. PATRIAR. CONST.

Denique quod ſpectat ad res Orientalis Eccleſiæ; hoc eodem anno poſt Conſtantinum Patriarcham Conſtantinopolitanum defunctum, ſubrogatus eſt *Ioannes Xyphilinus*; de quo plura habet Curopalates, haud laude digna. Hic autem ille eſt, qui Donem Caſſium Romanatum rerum antiquum nobiliſſimũ ſcriptorem in compendiũ decurtauit; cuius magno damno excidit ipſe integer cõmentarius, epitome dũtaxat vſui relicta. Sedit porro annis tredecim, & menſibus ſex, vt habet Index eorũdem Patriarcharum in codice Iuris Orientalis antiquitus collocatus.

CONST. DVC. AN. 8.

IESV CHRISTI AN. 1067.

ALEX. II. AN. 7.

I. ANNO Chriſti milleſimo ſexageſimo ſeptimo, Indictione quinta, Alexander Papa cum audiſſet Mediolanenſis Eccleſiæ perturbationes ob ſimoniacos & fornicarios clericos, Legatos illuc miſit Mainardum Epiſcopum Siluæcandidæ, & Ioannem presbyterum Cardinalem: qui ea confirmantes, quæ antehac in eadem cauſa à Petro Damiani ibidem ſtatuta eſſent; alia inſuper addiderunt [a], quibus radices tantorum malorum euellere conati ſunt. Verum nec his remedijs adhibitis deſiuit ea Eccleſia fluctuare. Nam adhuc Guidone Archiepiſcopo ſuperſtite, Godefredum quemdam & ipſum malis artibus vitio ſimoniæ in eamdem ſe intruſiſſe, teſtis eſt Gregorius [b] Septimus in epiſtola ad Longobardos; à quo aduerſus eum fuit diu multumque laborandum [c].

a Rec. illorum Conſt. Baro. Annal. To. XI. hoc an.
b Greg. Sept. 1. ep. 15.
c Id. l. ep. 11. 12. 25. 26. 27. 28.

II. Quo eodem anno (quantum conjectura aſſequi licet ex his quæ præceſſerunt & ſubſecuta ſunt res Alexandri Papæ) pro celebranda Synodo in Dania idem Alexander literas dedit ad Hamburgenſem, eumdemque Septentrionalium illarum omnium nationum Archiepiſcopum Adalbertum, ab ipſo conſtitutum Sedis Apoſtolicæ Legatum. Sed res effectu caruit ob contumaciam nonnullorum Epiſcoporum, ad Synodum venire contemnentium. Id tamen impigre Adalbertus in ſua legatione præſtitit, quod vlterioribus Aquilonarium partium prouincijs, nempe Daniæ, Suediæ, Noruegiæ, ac circumiacentibus inſulis, prædicatores direxit & Epiſcopos ordinauit, quibus ea eccleſia valde eſt propagata. Hæc autem omnia quomodo ſe habuerint, Adam [d] canonicus Bremenſis proſecutus eſt pluribus, qui hoc ipſo anno ſe Bremam veniſſe teſtatur [e] matriculariorum inter eius Eccleſiæ clericos; qui fuit annus eiuſdem Adalberti vigeſimus quartus. Ipſe vero *Adam* adeo certis firmiſque teſtimonijs hiſtoriam Eccleſiaſticam illarum gentium conſcripſit, vt neminem legerim cui magis candor veritatis eluceat, quippe qui magnum duxerit ſacrilegium in cuiuſcunque rei tractatione vel leuiſſime mentiri. Stet in Eccleſia liber eius, ſpeculum velut in quo Boreales Nouatores ſuas deformitates horrendas agnoſcant, dum ex eo quæ vera ſit Eccleſia Chriſti Catholica, qualeſue extiterint fundatores atque propugnatores eiuſdem Eccleſiæ Aquilonaris, quamque ab ipſis diſſimiles, immo & omnino contrarij, perſpicua luce cognoſcant. Perduxit autem hiſtoriam ſuam vſque ad obitum Adalberti Archiepiſcopi, qui contigit anno Domini milleſimo ſeptuageſimo ſecundo, & ſubrogationem Liemari cui eamdem dicauit.

ECCLESIA PROPAGATVR IN PARTIBVS SEPTEMTRION.
d Ad. lib. 4. cap. 42. & ſeq.
e Id. l. 3. c. 5. 105.
DE ADAM HISTORICO.

III. Quod ad res ſpectat Orientis; hoc anno Conſtantinus Ducas Imperator ex hac vita migrauit, cum imperaſſet annos ſeptem & menſes ſex; tribus relictis filijs, ijſdemque Imperatoribus, cum Eudocia coniuge Imperij curatrice: quæ ſic cum filijs imperauit vſque ad ſequentem Indictionem. Ea vero occaſione arrepta Turcæ Cappadociã depopulantes, ipſam quoq; Cæſaream eius prouinciæ metropolim diripuerunt, & celeberrimum S. Baſilij templum ſpoliarunt; ipſius vero Sancti Reliquijs nihil detrimenti inferre potuerunt, quod eius ſepulchrũ ita conſtructum eſſet atque munitum, vt ad illud demoliendum longo tempore indigerent; aurum tamen & gemmas, quibus eius portæ ornatæ erant, ſuſtulerunt. Hæc omnia Curopalates.

OBITVS CONST. DVCÆ IMP.
S. BASILII TEMPLVM EXPILATVM A TVRCIS SALVO SEPVLCHRO.

ROMA. DIOC. AN. 1.

IESV CHRISTI ANN. 1068.

ALEX. II. AN. 8.

I. ANNO Domini milleſimo ſexageſimo octauo, Indictione ſexta, Alexander Papa ad Guillelmum Regem in Anglia pro exactione Denarij S. Petri literas ex more Apoſtolicas dedit, quarum fragmentum ex ipſis relatum extat in libro Cenſuum Romanæ Eccleſiæ, qui habetur in Bibliotheca Vaticana. Idemque ſuper vniuerſum gregem inuigilans, ad Regem Dalmatiarum [a] aduerſus incontinentes clericos reſcripſit: vnde apparet Dalmatas nequaquam vſu Græcorum, ſed Latinorum more vixiſſe. Conſultus pariter ab Hiſpanis Epiſcopis, num liceret, ſicut & Saracenis, ita bellum inferre Iudęis; reſpondit [b], diſparem eſſe cauſam; in perſecutores enim Chriſtianorum iuſte pugnari, Iudæos autem vbique ſeruire paratos eſſe. Extantque alia eiuſdem Pontificis ad diuerſos conſulentes reſponſa [c], quæ quo ſint anno data non conſtat.

BELLUM IVDÆIS NON INFERENDUM.

II. Contigit præterea inter hæc, Guillelmum Burgundiæ Comitem, & complures alios Francorum nobiles diuerſorum locorum dominos, coram eodem Alexandro Papa, ac pleniſſima Synodo, Romæ ad altare S. Petri iuramento ſe obligare, ſemper cum opus eſſet aſſurgere defenſores S. Romanæ Eccleſiæ. Teſtatur enim hoc qui interfuit Hildebrandus Archidiaconus, poſtea Gregorius Papa Septimus, in epiſtola [d] ad eumdem Guillelmum datam dum ab eo promiſſionem exegit. Quibus videas pietatem Chriſtianorum Principum, cultumque propenſiorem erga Romanam Eccleſiam. Quo etiam tempore (eodem Gregorio [e] teſte) ſpopondit omne ſtudium eidem Eccleſiæ Vratislaus Dux Boemiæ, qui & petijt, & obtinuit ab Alexandro, vſum mitræ laicis inconceſſum.

PRINCIPES SPONTE DEFENSORES ECCL. ROM.
d Greg. Sept. 1. ep. 46.
e Id. ep. 11.

III. Quod ad res pertinet Orientis, hoc anno ipſis Calendis Ianuarij Indictione ſexta ROMANVS DIOGENES Imperator declaratus eſt, cum eum Eudocia relicta prædeceſſoris Imperatoris in maritum accepiſſet: qui antea perduellionis crimine reus capitis effectus, & in exilium miſſus, reuocatus fuerat in vrbẽ ad barbaros propulſandos. Quod vero Imperatrix teneretur proprio iuramento, à viro Imperatore defuncto exacto, alteri non nubere, ſed vidua permanere, & filijs Imperium conſeruare; vt ſyngrapham ea de re confectam, & apud Xyphilinum Patriarcham depoſitam, recipere poſſet, vſa eſt eunuchi vaferrimi opera, qui adiens Patriarcham, mentitus eſt Imperatrici cordi eſſe ipſius Patriarchæ Germanum Bardam in coniugem accipere, ſed prohiberi ſyngrapha. Quod vbi Patriarcha accepiſſet, egit apud Senatores de infirmando Eudocię iuramento, ijſdemque tum muneribus tum pollicitationibus in ſententiam ſuam adductis, vbi recepta ſyngrapha ineundi ſecundas nuptias Imperatrix licentiam obtinuit, deluſo Patriarcha Romanum Diogenem, filijs conſentientibus, virum accepit: Hæc pluribus Curopalates, merito ſigillans Patriarchæ ignauiam, quod priuato commodo poſthabuiſſet religionem.

ROMANVS DIOGENES IMPERAT. INCREATVS.
XYPHILINVS PATRIARCHA DELVDITVR AB IMPERATRICE.

ROM. DIOC. AN. 2.

IESV CHRISTI AN. 1069.

ALEX. II. AN. 9.

I. ANNO Chriſti milleſimo ſexageſimo nono, Indictione ſeptima, Petrus Damiani Legatus in Germaniam miſſus ad Henricum Regem iuuenili furore (annuente Archiepiſcopo Moguntino, Regis promiſſionibus allecto) repudiare paratum Bertam coniugem, eo prætextu quaſi haud cum illa maritalis operis copiam habere valeret, id ab eo fieri interminatione excommunicationis prohibuit, quod à Lamberto pluribus in Chronico deſcribitur. Quamuis autem Rex ita Reginam tunc reuocauerit, vt in regni tantummodo, non etiam conſuetudinis conſortium adhibuerit, conſtat tamen eam poſtea integre conciliatam Regi, & ex eo ſuſcepiſſe filium æque dictum Henricum, qui patri ſucceſſit.

LEGATIO PETRI DAMIANI AD IMPEDIENDUM DIVORTIUM HENRICI.

ROM. DIOC. AN. 3.

IESV CHRISTI ANN. 1070.

ALEX. II. AN. 10.

I. ANNO Chriſti milleſimo ſeptuageſimo, Indictione octaua, rei conſtituti ſimoniacæ labis præcipui Germaniæ Epiſcopi Moguntinus & Babenbergenſis, Romam vocati ab Alexandro Papa, cauſam dicere aduenerunt: vbi acerbe obiurgati (inquit Lambertus) quod ſacros ordines venderent, & ementibus indifferenter communica-

munica-

ARCHIEP. MOGVNT. ET BAMBERG. CAVSAM DICVNT CORAM ROMA. PONT.

municarent, manuſque imponerent, tandem præſtito iuramento id numquam vlterius perpetrandi, ad ſuas redire Eccleſias libere dimiſſi ſunt. Sed fuſius hæc idem Lambertus, qui tamen Alexandrum à damnatione præſertim Babenbergenſis (quem ait ſimoniace Epiſcopatum inuaſiſſe) muneribus corruptum abſtinuiſſe ſignificat. Verum haud facile quis ſibi perſuadeat, tantum Pontificem eodem crimine quo reos tunc iudicabat, eodemque tempore deliquiſſe: qui & iiſdem his diebus reperitur[a] Argentinenſem Epiſcopum Guarnerium ob idem ſimoniæ crimen priuaſſe Epiſcopatu. Vt autem cum iſtis mitius ageret, plura ſuaſerunt, ac primum quod præcipuarum Eccleſiarum eſſent Antiſtites, moderarenturque regnum cum Rege, deinde quod obedientes Apoſtolicæ ſedi, ad iudicium ſubeundum ſeſe contuliſſent in Vrbem, ac denique quod prompto animo exhibuerint ſe omnino paratos quamcumque decerneret Pontifex ſuſcipere pœnitentiam. Ceterum apud eumdem Lambertum anno ſequenti, Archiepiſcopus Moguntinus teſtatus eſt Henrico Regi, ſe terribiliter (vt ait) ab Alexandro obiurgatum, vixitque & ægre ſine damno gradus ſui euaſiſſe.

a Vid. Greg. Sep. 1. ep. 77.

II. S. ANNO ARCHIEP. COLON. CONFERT SE ROMAM PRO NECESSITATIBVS ECCL. SVÆ.

Contulit ſe quoque (vt idem auctor tradit) cum iiſdem Antiſtitibus Romam Anno Colonienſis Archiepiſcopus, ſed non vt reus ſicut illi, qui tanto ab eorum vitijs longe aberat, quanto vitæ ſanctæ & irreprehenſibilis præclaris meritis hos & alios Germaniæ Epiſcopos præcellebat. Porro auctor eius temporis qui Vitam illius ſcripſit[b], cum hoc anno Romā veniſſe teſtatur ob multas Eccleſiæ ſuæ cauſas, & inter eas illam fuiſſe præcipuam, vt Sanctorum Reliquias inde acciperet, & collocaret in monaſterijs à ſe conſtructis. Cui Alexander Pontifex brachium S. Cæſarij Martyris dedit, ceteris Sanctorum reliquijs ipſi tunc chariorem theſaurum, quod hoc eodem tempore Romæ grandi miraculo, vir quidam diuitijs affluens, & voluptatibus deditus, è faucibus dæmonum ereptus fuiſſe precibus & meritis eiuſdem Sancti, cuius vir ille eccleſiam cum cereis frequentare conſueuerat, quæ hiſtoria fuſius recitatur in eadem S. Annonis Vita. Vbi & traditur, ipſum in reditu ab Vrbe accepiſſe in itinere ab Adelaide Alpium Cottiarum Marchioniſſa Reliquias Sanctorum Martyrum Thebæorum, & collocaſſe in monaſterio Sigebergenſi, pro quo ſpeciale priuilegium ab eodem Alexandro conſecutus eſſet: Brachium vero S. Cæſarij poſuiſſe Coloniæ in eccleſia S. Georgij.

b Vit. S. Annon. lib. 1. c. 33 ap. Sur. 4. Dec.

III. CONCIL. VVINTON. ET VVINDESOR. IN ANGLIA.

Hoc eodem anno idem Alexander Papa Legatos à latere miſit in Angliam, Hermenfredum Sedunenſem Epiſcopum, & Ioannem ac Petrum presbyteros Cardinales: qui SYNODO in Octauis Paſchæ VVintoniæ congregata, cui & ipſe Rex VVillelmus interfuit, inter alia depoſuerunt Stigandum pſeudoarchiepiſcopum Dorouernēſem ſiue Cātuarienſem, quod viuente legitimo Archiepiſcopo Roberto (qui perſecutionem paſſus Sedem Apoſtolicam appellauerat) thronum eius inuaſiſſet eiuſdemque quem pallio aliquandiu vſus eſſet, poſtea vero à Pſeudopapa Benedicto aliud pallium accepiſſet, & quod Epiſcopatum VVintonienſem cum Archiepiſcopatu poſſideret. Qui iuſſu Regis in vincula coniectus, miſere illic ſordidiſſimam vitam finiuit. Depoſiti ſunt etiam eodem Concilio, procurante Rege alij Epiſcopi & Abbates, ruſſumque alij alia SYNODO apud VVindeshoram die poſt Pentecoſten celebrata ab eodem Hermenfredo, cum iam Petrus & Ioannes Cardinales ab Anglia diſceſſiſſent Romā reuerſuri. Hæc quidem omnia pluribus Rogerus, & alij rerum Anglicarum ſcriptores. Ceterum etſi legitime per Legatos Apoſtolicos Rex viſus ſit cuncta perigiſſe: tamē quod depoſitis (vt aiunt) abſque legitima cauſa pleriſque Antiſtitibus Anglis, alios ex ſua gente Northmannos in eorum locum ſubrogari curauerit, quamuis viros præſtantiſſimos minime effugit inuidiam, quin ea in deteriorem partem accepta fuerint, tamquam non zelo religionis, ſed cauſa ſtabiliendi ſibi regni nuper acquiſiti ea fecerit.

IV. LANFRANCVS ORDI-

In locum autem Stigandi, agente Rege, & iubente Papa, ſubrogatus eſt *Lanfrancus*, celeberrimum huius ſæculi in Eccleſia Catholicā lumen ſupra tantum candelabrum erectum, qui ſcientia egregie polleret & ſanctitate vitæ: qui quidem olim ex monacho Beccenſi factus Abbas Cadomenſis cœnobij in Northmannia, inuitus admodum Cantuarienſem Archiepiſcopatum ſuſcepit, & conſecratus eſt hoc eodem anno quarto Calendas Septembris. Sed qui vitam quietiorem hactenus duxiſſet, mox vbi motu rerum agitari cœpit, vt dimittere poſſet Archiepiſcopatum literis rogauit Alexandrum Papam. Cum autem ea de re ſpes omnis fruſtraretur, ad ſubeundum onus humeros ſubmittens, pro accipiendo pallio Romam Legatos miſit. Verum quod eſſet antiquæ conſuetudinis (quam ſuis locis teſtatam vidimus) vt ipſimet Archiepiſcopi Anglicani ad illud ſumendum conferrent ſe ad Limina Apoſtolorum, cum non obtinuiſſet quod petierat, in eius rei excuſationem literas accepit ab Hildebrando S. Rom. Eccleſiæ Archidiacono, quibus monitus eſt Romam ipſe petere quod & præſtitit (vt videbimus) anno ſequenti.

NATVR ARCHIEP. CANTVAR.

V.

Hoc eodem anno Alexander Papa qui imitatus Leonem Nonum, licet Romanus Pontifex, numquam titulum prioris Lucenſis Eccleſiæ (vt ex illius antiquis monumentis cognoſcitur) dimittere voluit, emenſo decēnio ex quo cœperat illic egregiam baſilicam ædificare, ea iam abſoluta Lucam petijt, eamque in honorem S. Martini Epiſcopi & Confeſſoris Deo dicauit pridie Nonas Octobris, & ſacris Reliquijs illuſtrauit, inprimis vero corpore S. Alexandri Papæ & martyris. Erat quoque tunc temporis in eadem Lucenſi ciuitate Ioannes præpoſitus monaſterij, ſanctitate conſpicuus: de quo cum fama vulgata eſſet, quod quicunque febre detentus hauſiſſet ex aqua quæ de manibus illius defluxiſſet dum poſt Miſſarum ſolemnia ablueret, idem Alexander Papa febre correptus, iuſſa ſibi eiuſmodi aqua latenter deferri, ea epota repente ſanitati priſtinæ eſt reſtitutus. Rem geſtam deſcribit in Dialogis Deſiderius Abbas Caſſinenſis, qui poſtea fuit Victor Papa Tertius.

ALEX. PP. SANATVR POTIONE ABLVTIONIS MANVVM IOAN. MONACHI.

VI. DE PLVRIBVS GODEFREDIS, BEATRICIBVS ET MATHILDIBVS TOLLVNTVR DVBIA.

Hoc item anno (vt habent Hermannus & Sigebertus) mortuus eſt Godefredus Dux Lotharingiæ & Tuſciæ, coniunx Beatricis, cognomento Barbatus, eius nominis Tertius, de quo ſæpe ſuperius. Cui ſucceſſit filius Godefridus Gibber, ſed in Ducatu Lotharingiæ tantum: Tuſciæ enim dominam & Liguriæ ſolam Beatricem remanſiſſe, ipſa publica Florentina monimenta declarant. Fuit autem iſta Beatrix Henrici Quarti Regis amita, vt traditur apud Gregorium[c] Septimum, quamobrem oportuit filiam fuiſſe Conradi Imperatoris, ſororem vero Henrici Tertij Auguſti. Nam & Domnizo presbyter in Vita Mathildis expreſſe iterum teſtatur, eamdem Mathildem filiam Beatricis, conſobrinā fuiſſe prędicti Henrici Quarti. Ex quibus ſatis refellitur, quod apud eumdem Domnizonem videtur aſſeri, ipſam Beatricem matrem Mathildis, genitam fuiſſe ex Friderico Duce Lotharingiæ. De ipſa vero *Mathilde* filia eiuſdem Beatricis ex primo coniuge Bonifacio Marchione Tuſciæ, illud etiam exploratum habetur, nuptui fuiſſe traditam prædicto Godefrido, cognomento ex deformitate corporis Gibero atque Strumoſo, filio Godefredi Barbari mariti Beatricis ex alia vxore, quam Lambertus[d] Gozelonem appellat, quique (vt diximus) in Ducatum Lotharingiæ patri ſucceſſit. Verum paulo poſt, cum necdum matrimonium conſummatum eſſet, facto inter eos diuortio, Mathildis virgo permanſit, vt ex eodem Domnizone alijſque conſtat. Quod autem nonnulli tradunt eandem rurſus nuptam Azoni Marchioni, id prorſus de alia Mathilde intelligendum eſſe certum eſt[e]. Sicut & quod aliæ Mathildes & Beatrices nuptæ fuere eiuſdem nominis Ducibus Lotharingiæ Godefredis, id pleriſque Scriptoribus errandi fuit occaſio in æquiuocis laborantibus. Illud tamen de hac Godefredi Gibberi olim ſponſa Mathilde extra dubium eſt, ipſam iam prouectioris factam ætatis matrimonio iunctam eſſe Welphoni Iuniori, ſed ita vt à viri amplexibus abſtinuerit, prout inferius[f] videbitur ſuo loco.

c Greg. Sept. 3. ep. 5.

d Lamb. an. 1070. & 1077.

e Agit pluribus de hac Baro. Annal. To. XI hoc an. in fi. & an. 1074.

f Infr. an. 1089. nu. 5.

ROM. DIOG. AN. 4.

IESV CHRISTI ANN. 1071.

ALEX. II. AN. 11.

I. CAVSA CONSTANTIEN. EPIS DEFERTVR AD PP.

I. ANno Domini milleſimo ſeptuageſimo primo, Indictione nona, delata Romam cauſa Caroli delecti ab Imperatore Conſtantienſis Epiſcopi, accuſantibus eum clericis ſimoniæ, & furti theſaurorum Eccleſiæ, ipſo autem pro ſua ordinatione Sedem Apoſtolicam appellante, eadem ab Alexandro Papa delegata eſt Archiepiſcopo Moguntino: penes quem cum plus valeret iuſſio Pontificis, quam auctoritas Regis nitentis omnibus modis liberare Carolum ſibi dilectum, idem Archiepiſcopus eumdem teſtibus conuictum in SYNODO eadem menſe Auguſto Moguntiæ celebrata, cui Rex ipſe interfuit, condemnauit: qui ſic turpiter deiectus, paulo poſt mortem ex mœrore percepit. Scribit hæc pluribus Lambertus.

II. CELEBERRIMA OMNIVM DEDICATIO ECCL. CASSIN.

II. Hoc eodem anno idem Alexander Papa inuitatus à Deſiderio Abbate Caſſinenſe & Cardinale, Caſſinum profectus, Calendis Octobris dedicauit nouam Baſilicam S. Benedicti ab eodem Abbate erectam. Quæ quidem celeberrima omnium dedicatio fuiſſe reperitur præſente Pontifice Romano cum omnibus Cardinalibus qui Romæ aderant, & Archiepiſcopis decem atque Epiſcopis quadraginta tribus, pluribuſque inſuper Principibus atque magnatibus, necnon populi innumera multitudine, conceſſa omnibus ab Alexandro Indulgentia remiſſionis peccatorum. Hæc diffuſius Leo Oſtienſis [a], atque alij qui eamdem conſecrationem tum carmine tum ſoluta oratione deſcripſerunt: inter quos multa parum fideliter [b] longe poſt hæc tempora conſarcinauit Petrus Diaconus in ſermone de Octaua S. Benedicti, quæ reducenda ſunt ad fidem eorum quæ habet Leo, qui omnia vidit & quam exactiſſime deſcripſit.

a Leo Oſt. lib. 3. cap. 28.
b De hoc vid. Apolog. in Conſt. Belſorum, quo Baron. hic Lectorem remittit: de qua dictum eſt ſup. an. 381. ad n. 5

III. LANFRANCVS ARCHIEP. CANTVAR. DVPLEX PALLIVM ACCIPIT A SVM. PONTIF.

III. Hoc item anno Lanfrancus, quem ſuperiori conſecratum vidimus Archiepiſcopum Cantuarienſem, & Thomas ex canonico Baiocenſi conſecratus ab eo Archiepiſcopus Eboracenſis, Romam venerunt ad Alexandrum Papam, ſuſcepturi ex more ab eo pallium. Vbi cum ambo benigne habiti eſſent, Lanfranco præ excellentia meritorum idem Pontifex poſt datum pallium conſuetum, aliud ſuperaddidit in ſignum amoris, nempe illud ipſum quo ipſe Pontifex vti conſueuiſſe in celebratione Miſſarum. Quin etiam aduenienti aſſurrexit, profeſſus tamen non ſe illius Archiepiſcopatui hanc venerationem, ſed doctrinæ deferre, atq; ideo mox exigens vt pro more omnium Archiepiſcoporum ad pedū oſcula aduolueretur. Mota autem poſthæc à Thoma Eboracenſi quæſtione de primatu Eccleſiæ Cantuarienſis, dicente Eboracenſem paris cum ea eſſe honoris, nec alterā debere alteri ſubiacere, excepto quod alterutrius Archiepiſcopum priorem & digniorem oporteat eſſe eo quem conſtiterit fuiſſe poſterius ordinatum: cum pro ſua Eccleſia Lanfrancus ſe opponeret, decreuit Alexander vt ea cauſa in communi totius Angliæ Synodo tractaretur. Quod vero aliquorum delatione idem Thomas, quod filius eſſet presbyteri, necnon Remigius Epiſcopus Lincolnienſis (qui vna cum Lanfranco Romam venerat) quod bellicis laboribus Epiſcopatum ab Willelmo Rege nundinatus eſſet, ab eodem Alexandro depoſiti eſſent, idem precibus Lanfranci reſtituti ſunt. Reperiturque decretum [c] Alexandri, vt electus filius presbyteri, ſi virtutibus polleat non reijciatur. Denique cum plures Anglorum Epiſcopi, ſimulque Rex ipſe, tentaſſent vt pulſis ab eccleſijs cathedralibus monachis, clerici ſubrogarentur, ne id fieret, & vt Alexander ſuis Apoſtolicis literis prohiberet, Lanfrancus effecit. Quæ quidem omnia ab illo Romæ tunc geſta, fuſius enarrantur ab Willelmo Malmesburienſi in Rebus geſtis Anglorum Pontificum. Sed & eidem Lanfranco decretam eſſe Legationem Apoſtolicam in Anglia, conſtat ex literis hortatorijs ab Alexandro Pontifice per eum datis ad Willelmum Regem.

c c. Apoſtolica diſt. 46.

IV. DIOGENES IMP.

IV. Quod ad res pertinet Orientis, hoc ipſo anno Romanus Diogenes Imperator, cum regnaſſet annos tres & menſes octo (vt teſtatur Curopalates) miſerando exitu ex hac vita deceſſit. Cum enim pugnans aduerſus Turcas, oblatam pacem ab Aſam Sultano magna arrogantia reieciſſet, ipſumque cum ſuis proficiſcentem aggreſſus eſſet, diremptus noctis crepuſculo cum rediret ad ſuos, poſtremæ acies exiſtimantes illum fugere, in fugam ſeipſos irreuocabilem dederunt: qua bene vſi occaſione inimici, adorti eos victoriam inſperatam adepti ſunt, qua & ipſum Imperatorem duxerunt captiuum.

CAPITVR A TVRCIS.

Habuit illum benigne Sultanus, ſua quoque menſa dignatus. Cumque aliquando eum interrogaſſet, *Quid mihi feciſſes, ſi me in tua poteſtate habuiſſes?* reſpondiſſetq; Imperator ſimpliciter, *Multis plagis corpus tuum confeciſſem:* *At ego*, inquit Sultanus, *tuam crudelitatem non imitabor. Audio namque veſtrum vobis præcipere Chriſtum pacem & obliuionem iniuriarum, ſuperbiſque reſiſtentem humilibus gratiam dare.* Deniq; præſtitit ex animo Dux barbarus quod promiſit. Nam inita cum Imperatore pace perpetua, & numquam amplius Romanum Imperium à Turcis inuadendum fore pollicitus, reliquos etiam captiuos omes relaxari præcepit.

V. EIVSDEM DIOG. MISERANDVS FINIS.

V. Cum interea perlato de clade nuntio Conſtantinopolim, mox alium conſtituerunt Imper[...]m Michaelem Conſtantini Ducæ filium, coactamque [...] Eudociam Auguſtam, in monaſterium detruſerunt. [...]s vero Andronicus in occurſum Diogenis, eumdem captum, nigraque veſte indutum ſuper mulum toto illo perlongo itinere perduxit: quem & iuſſit nouus Imperator effodi oculis, ſed vulneribus non curatis cum eius caput intumuiſſet, vermibuſque ſcateret, graueolens, horribilis viſu, vt humanum oſtentum expoſitus omnium oculis, finem viuendi fecit, luens hic pœnas ne æternas incurreret: In talibus enim & tot maſculis (inquit Curopalates, dum hanc tragœdiam pluribus recenſet) nihil vmquam nefarij protulit, ſed Deo gratias agere perſeuerauit, caſus æquo animo ferens. Quod vero idem auctor addat, eumdem Diogenem Epiſcopatum Nazianzi ad iura metropolitana perduxiſſe, equidem puto ipſum ſtudioſum S. Gregorij Nazianzeni, eius beneficio ita ſaluatum.

MICH. DVC. IMPERAT.

Qui autem ſubrogatus eſt Imperator MICHAEL DVCAS, fuit iſte Conſtantini Ducæ Auguſti filius, idemque iam ante decennium vna cum Ioanne Duca patruo, & fratribus, Cæſar appellatus, dictus cognomento *Parapinaceus*, ciuſque nominis Michael Septimus: qui coronatus eſt à Ioanne Xyphilino Patriarcha, vna cum vxore Maria Alana Auguſta. Hæc ex Curopalate, Zonara, & alijs Græcis, necnon & Latinis auctoribus.

VI. DE THEOPHYLAC. ARCHIEP. BVLGAR.

VI. Huius Michaelis tempore claruiſſe conſtat THEOPHYLACTVM Archiepiſcopum Bulgarorum, cuius extant inter alia nobiles commētarij in quatuor Euangelia. Quod autē ipſum ſub Baſilio ſeniore Imperatore anno Chriſti octingēteſimo octogeſimo tertio, claruiſſe poſuerit Panuinus in Faſtis, vel Sixtus Senenſis in ſua Bibliotheca ſub Michaele Porphyrogenito, qui cœpit imperare cū Theodora Auguſta matre anno octingenteſimo quadrageſimo ſecundo, vel alij eodē ſeculo: hi omnes à veritatis ſcopo longe longius aberraſſe noſcuntur. Ex eius enim epiſtolis quæ numero quinquaginta nouem Græce ſcriptæ extant in Vaticana Bibliotheca, multiplici argumento monſtratur hoc ipſo tempore claruiſſe: quippe quod ex vel datæ habeantur ad eos qui his temporibus vixiſſe noſcuntur, vel in eis eorum mentio habeatur, puta Mariæ [d] Imperatricis, Ioannis Ducæ [e] ſororij Michaelis Imperatoris, & familiæ Ducarum, atq; etiam Conneorum [f]. Adde quod cum ex iiſdem [g] epiſtolis conſtet, Bulgariam ſuis temporibus non ſub Regibus Bulgaris, ſed ſub Magiſtratibus ab Imperatore Conſtantinopolitano miſſis adminiſtrari, nihil certe eſt vt ad ea Baſilij Imperatoris tempora referri poſſint, quibus cōſtat Bulgaros ſuos habuiſſe proprios Reges. Deniq; quod in vna earumdem epiſtolarum [h] fiat mentio Boriſis Bulgarorum Regis, qui vixit (vt Zonaras, & alij oſtendunt) poſt centum annos à Baſilio, nempe ſub Nicephoro Phoca & Ioanne Zemiſce Auguſtis, immo cum & ibidem meminerit de eccleſijs ab eodem Boriſe Rege ædificatis, & poſt multum ſpatium temporis

d Theophyl. ep. 1.
e Idem ep. 13.
f ep. 8.
g ep. 15 & alijs.
h ep. 17.

Digitized by Google

poris vnam illis dirutam filio Sebaſtocratoris commendet reſtituendam: ex his plane demonſtratur, cum non ſolum non ſub Baſilio, ſed longe poſt Botiſem, nimirum his ipſis temporibus vixiſſe. Fuit autem ipſe Theophylactus patria Conſtantinopolitanus, præfectus Archiepiſcopus primariæ Acridanæ Eccleſiæ Bulgarorum. Quem tuliſſe quidem diu, ſed ægro animo eiuſmodi incolatum, ob planè barbaros ac peruerſos mores tam omnium Bulgarorum, tum maximè ipſorum Acridanorum, eoque ſe liberari, ac patrio ſolo reddi vehementer oraſſe, haud verò exauditum perſeueraſſe in vili functione curæ paſtoralis, conſtat ex iiſdem ipſius epiſtolis: eſtque vna earum, quam his ipſis diebus ſcripſit ad Mariam Auguſtam, iam ætate ſenex, cum rediret in Bulgariam vnde venerat Conſtantinopolim. Quod verò ad eius ſcripta pertinet, vbi eum legeris, ſenties S. Ioannis Chryſoſtomi ſemper eructare ſententias.

VII. PETRVS ANAGNIN. LEGATVS MISSVS CONSTANTINOPOL.

Ceterùm cum innotuiſſet in Occidentalibus oris, creatum Michaelem Imperatorem Orientis, placuit Alexandro Papæ mittere ad eum antiquo more Apocriſarium: quo quidem officio ſignificari videtur, eumdem Imperatorem cum Romana Eccleſia fuiſſe communione coniunctum. Miſſus eſt autem *Petrus*, olim monachus S. Benedicti apud Salernum, & poſtea ab eodem Alexandro creatus Epiſcopus Anagninæ ciuitatis, vir quidē tum ſcientia tum ſanctitate, quin etiam virtute miraculorum inſignis, qui & hac ipſa legatione ſua Imperatorem morbo grauiſſimo laborantem reddidit ſanitati. Manſit autem ibi annum vnum, vſque dum vixit Alexander Papa, poſtea verò ad Eccleſiam ſuam rediit, cui præfuit magna laude (licet non ſine ingratitudine ſubditorum, à quibus plurima indigna paſſus eſt) annis quadraginta tribus. Eius vitam ſcriptis mandauit S. Bruno Signiæ Epiſcopus ipſius contemporaneus. Eumdemque virtutibus ac miraculis clarum paulo poſt obitum Paſchalis Papa Secundus in numerum Sanctorum retulit [a].

[a] Extat diploma canonizationis to. Tom. 11. an. 95.

IESV CHRISTI AN. 1072.

ALEX. II. AN. 12.

MICH. II. DVC. AN. I.

I. CONCIL. ANGLIC. GENER. DE PRIMATV ECCL. CANTVAR.

ANNO Chriſti milleſimo ſeptuageſimo ſecundo Indictione decima, ſexto Idus Aprilis celebratum eſt apud Wentanam ciuitatem in Anglia, ex iuſſione (vt vidimus anno ſuperiori) Alexandri Papæ, generale CONCILIVM totius Inſulæ Epiſcoporum & Abbatum, cui & Rex Willelmus interfuit: in quo ventilata quæſtione de primatu Eccleſiæ Cantuarienſis ſuper Eboracenſem, aliiſque vtriuſque iuribus, poſt exactam rerum omnium examinationem, res adiudicata eſt Cantuarienſi, cui hoc tempore præerat Lanfrancus. Deſcribuntur autem iſta pluribus ab Willelmo [a] Malmesburienſi de Geſtis Pontificum Anglorum, necnon ab ipſo Lanfranco in epiſtola tunc ea de re ſcripta ad Alexandrum Pontificem, qua earumdem rerum in Synodo geſtarum confirmationem petiit.

II. PETRI DAM. LEGATIO AD CONCILIAND. ECCL. RAVEN.

Hoc item anno defuncto Henrico Archiepiſcopo Rauennate (quem obſtinato animo fauiſſe Cadaloo ſchiſmatico, eaque de cauſa vna cum illo excommunicatum fuiſſe ab Alexandro Papa, eiuſdem Papæ ſcripta ſignificant) idem Alexander Legationem decreuit Petro Damiani Cardinali Oſtienſi ad conciliandam illam Eccleſiam Apoſtolicæ Sedi, & abſoluendos omnes qui cum eodem Archiepiſcopo communicaſſent quo perfuncto egregie munere Petrus reuerſurus ad ſuos Fauentiam perueniens, illic octo diebus morbo laborauit, ac tandem die Cathedræ S. Petri Antiochenæ reddidit Deo ſpiritum. Hæc de eius legatione & obitu, Ioannes monachus ipſius diſcipulus in fine eius Vitæ quam ſcripſit. Qui licet nihil de anno Chriſti quo id contigerit habeat: tamen præſenti anno accidiſſe; diſerte tradit Bertholdus Conſtantienſis eiuſdem temporis auctor in Auctario ad Hermannum Contractum: eique in Epiſcopatu ſuffectum eſſe Geraldum monachum, ſcientia Scripturarum inſignem, & moribus ſuo prædeceſſori non imparem, Confirmaturque iſta ex eo quod reperiuntur [b] literæ Gregorii Papæ Septimi datæ anno ſequenti Indictione vndecima pridie Calendas Maii ad eumdem Geraldum Epiſcopum Oſtienſem Petri ſucceſſorem, aliæque ſexto Calendas Maii ad Guibertum Archiepiſcopum Rauennatem Henrico ſubrogatum, quem item ante Alexandri obitum ad eam Eccleſiam fuiſſe promotum, manifeſte aſſerunt ipſa Acta eiuſdem Alexandri.

[b] Greg. Sept. l. 1. ep. 5. & 6.

III PETRI DAM. OBITVS.

Ex his igitur omnibus fateri neceſſe eſt, Petrum Damiani hoc ipſo anno ex hac luce ad paradiſi gloriam tranſiiſſe, ideoque erraſſe qui eum perueniſſe volunt ad annum Redemptoris milleſimum octogeſimum. Qui quidem ex eo decepti ſunt, quod Ioannes ſcriptor Vitæ ipſius, poſt finem eius apponens appendicem, narrat miraculum quod poſt deceſſum (inquit) Petri contigit anno Incarnationis Domini milleſimo octogeſimo menſe Auguſto. Verum his verbis planè ſignificatur, tempus annotatum haud pertinere ad tempus obitus Petri, quod iam certum Ioannes ex obitu Archiepiſcopi Rauennatis, & die Cathedræ S. Petri, reliquerat conſignatum, ſed ad illius miraculi certum tempus inſinuandū. His præterea addo, quod nulla poſthac de ipſo Petro vſquam mentio, nullum penitus ſcriptorum monumentum eiuſdem inueniatur elucubratum, nullæ ab ipſo vel ad ipſum datæ literæ, eo præſertim tempore quo ſub Pontificatu Gregorii Septimi acerbiſſimam Eccleſia Romana paſſa eſt perſecutionem, cum alioqui tanti viri ea tempeſtate vel nomen ipſum magni potuiſſet aduerſus hoſtes eſſe adiumenti ſicuti fuiſſe vidimus ſuperioribus temporibus. Quod enim in Bibliotheca Margarini, in editis epiſtolis, quibuſdam eiuſdem Petri, vna legitur data ad Gregorium Septimum ſub nomine Hildebrandi hac inſcriptione, *Dilectiſſimo Sedis Apoſtolicæ electo, & Virga aſſur Hildebrando*, iam alibi ſuperius [c] deteximus mendum, & Germanam lectionem ex antiquis codicibus reſtituimus. Obiit autem Petrus anno ætatis ſuæ ſexageſimo ſexto: quippe qui in epiſtola ad Senatum, teſtetur natum ſe poſt annos quinque ab Ottonis Tertii Imperatoris obitu, qui accidit exordio anni milleſimi ſecundi. Quem quidem Deus in hoc deploratiſſimo ſæculo, cum excreuiſſet ad eccleſiam obruendam diluuium carnis, dedit mundo, qui auſteriſſimæ vitæ exemplo, verbique prædicatione, & ſcriptis, exſiccaret tandem putredinem, pariterque pugnaret aduerſus Simoniacam hæreſim, quæ vbique locorum graſſabatur impune. Claruit vero poſt obitum miraculis, quæ Ioannes recenſet. Cuius & Scripta propediem prælo ſubiicientur, vna cum eius Vita vberius ſcripta.

[c] Sup. an. 1061. num. 1.

IESV CHRISTI AN. 1073.

GREG. VII. AN. 1.

MICH. VII. DVC. AN. 2.

I. ALEX. PP. VOCAT HENRIC. REG. AD DICENDAM CAVSAM

ANNO Chriſti milleſimo ſeptuageſimo tertio, Indictione vndecima, Alexander Pontifex per Annonem Colonienſem & Hermannum Bambergenſem Archiepiſcopos, quos Rex Germaniæ Henricus Romam miſerat pro iuribus regni, literas ſcripſit ad eumdem Regem, vt cauſam dicturus Romam ſe transferret, reſponſurus accuſationibus de Simoniaca hæreſi, aliiſque grauiſſimis delictis, quas anno ſuperiori Saxones aduerſus eum inſurgentes pro Ottone Bauariæ Duce, quem ſub ſpecie læſæ maieſtatis Rex Ducatu priuarat, ad Sedem Apoſtolicam detuliſſent. Habent iſta Vrſpergenſis [a] Abbas, & Otto [b] Friſingēſis. Verum quæ interceſſit hoc anno mors ipſius Alexandri Pontificis, cauſam iam cœptam aliquamdiu diſtulit: quem quidem hoc anno vndecimo Calendas Maii deceſſiſſe, Marianus Scotus aſſirmat.

[a] Vrſperg. hoc an. & ſuper. [b] Ott. Friſ. lib. 6. cap. 34.

II. S. ANNO ABDICAT SE CVRA REGNI.

Cum autem communis eſſet & publica in palatio Regis nundinatio Abbatiarum & Epiſcopatuum, nec monitionibus Rex proficeret, idem qui ſupra S. Anno Archiepiſcopus Colonienſis, qui hactenus vt potuit, magno labore, nec minori periculo, dum eiuſmodi nefanda liberè arguens efferati Regis indignationem ſæpius incurrit, habenas regni moderatus eſt: deploratis iam rebus, om-

Digitized by Google

nem eius adminiſtrationem deponens, diſceſſit è curia. Rex vero (inquit hoc anno Lambertus) tamquam ſeueriſſimo pędagogo liberatus, ſtatim in omnia genera flagitiorum, ruptis omnibus modeſtiæ & temperãtiæ frenis, pręcipitem ſe dedit. Montes omnes, colliculoſq; Saxoniæ, & Thuringiæ, caſtellis munitiſſimis extruxit, præſidiumque impoſuit; quibus cum victui neceſſaria minus ſufficerent, permiſit ex proximis villis & agris hoſtili modo prædas agere. Ne vero manifeſtæ tyrannidis notaretur, vt impietatem ſuam quadam religionis ſpecie palliaret, Archiepiſcopum Moguntinum omnibus modis inſtigauit, vt decimationes Thuringiæ, ſicut ante plures annos inſtituerat, exigeret, pollicens ſe ei affuturum, ea tamen pactione, vt ipſarum decimationum partem ſibi tribueret. Ita Archiepiſcopus vaniſſima ſpe animatus, *Synodum* indixit in Erphisfurd ſexto Idus Martij: vbi cunctis terrore ac minis in Regis ſententiam concedentibus, prohibitaque ſub pœna capitis & bonorum amiſſionis, Thuringiorum quam parabant ad Sedem Apoſtolicam appellatione: ſciens idem Rex haud iſta placitura Romano Pontifici, denuo ſub interminatione gratiæ ſuæ, Abbatibus Fuldenſi & Herueldenſi, quorum maxime iura in eiuſmodi latrocinantium conuenticulo imminuta fuerunt, præcepit vt nullo modo de rebus iſtis Sedem Apoſtolicam interpellarent. Narrat hæc omnia Lambertus hoc anno: quæ ante tempus Paſchale geſta eſſe tradit. His vero facinoribus infelix iuuenis idem Rex Henricus, annum dumtaxat ætatis agens vigeſimum ſecundum, in apoſtaſiam à ſede Apoſtolica delapſus, in exemplum factus eſt ſchiſmaticis & hæreticis Regibus, qui appellationem ad eam Sedem Henricianæ hæreſis labe conſperſi vetuerunt. Sed de illo peiora inferius.

IMPEDITVR TYRANN. CA A REGE APPELLATIO AD SED. APOST.

III. CAVSA EPISCOPI PRAGEN. DELATA AD SED. APOST.

Haud vero ſic VVratiſlaus Dux Boemiæ: ſed cum iniuriam paſſus eſſet ab Ioramiro Epiſcopo Pragenſi, in eo quod iſte moleſte ferens Epiſcopatum ſuum ipſo VVratiſlao promotore in Olmucenſem diuiſum fuiſſe, Ioannem Epiſcopum Olmucenſem plurimis contumelijs & plagis affeciſſet, eiuſque ea de re miſſos Romam nuntios mutilari & cædi in itinere procuraſſet: querelam ad auditorium Summi Pontificis aduerſus eumdem Ioramirum detulit. Qua ſceleris magnitudine Alexander Papa motus, tranſmiſſo ad illud corrigendum Rodulpho Cardinale, & ab iſto remiſſis partibus ad ipſum Pontificem: Alexander Ioramirum gradu depoſuit, ſed rogatu Comitiſſæ Mathildis (de qua dictum eſt ſuperius) iterum reſtituit, ita tamen vt Olmucenſis Eccleſiæ erectio firma permaneret. Narrat iſta Longinus, idemque Dlugoſchus dictus canonicus Cracouienſis in ſuis Annalibus Polonicis hoc anno: quæ denuo (vt paulo poſt videbitur) ſub Alexandri ſucceſſore Gregorio ſunt ventilata.

IV. ALEX. PP. OBITVS, ET MIRACVLA. c Leo Oſt. l. 3. Chron. Cap. 31. & 33.

Mortuus eſt autem *Alexander* Romæ decimo Calendas Maij, cum ſediſſet annos vndecim, menſes ſex, dies viginti duos: & ſepultus in Lateranenſi eccleſia. Cuius miracula duo edita ante obitum, recenſet Leo [c] Oſtienſis: alterum de liberato apud Caſſinum orationibus ſuis dæmoniaco: alterum vero de ſanata apud Aquinum fœmina clauda, cum ei bibendam dediſſet aquam qua poſt Miſſarum ſolemnia manus ſuas ablueret.

V. GREG. VII. PP.

Quod vero ad eius ſucceſſorem ſpectat, nempe Hildebrandum Archidiaconum, dictum GREGORIVM Septimum: accidit temporibus noſtris, vigente hæreſi Politicorum, Principibus omnia tribuentium, & ſacra quæque eiſdem nefarie ſubijcientium, aliiſque Nouatoribus & peruerſoribus implacabili odio in Romanos Pontifices exurgentibus: vt in odium eiuſdem Gregorij legitime electi, ac confirmati, approbatique Pontificis, ſchiſmatico pſeudopapæ fauentes, quæ ab huius ſectatoribus ſchiſmaticis tunc facta, dicta vel ſcripta potuerint reperiri, eadem in ſui ipſorum opprobrium denuo iactanter ediderint; nempe Vitam Henrici Quarti Regis, Tertij vero Imperatoris, hoſtis infenſiſſimi ipſius Gregorij: quã auctor non hiſtorice, ſed Apologetice & encomiaſtice concinnauit: itemq; ipſius Gregorij Res geſtas, à Bennone Cardinale ſchiſmaticorum anteſignano in odium illius affectu priuato ac deprauato ſatyrice & calumnioſe conſcriptas. Ceterũ habet Vaticana Bibliotheca Res geſtas ipſius Gregorij ſeorſum ſcriptas ab auctore eius temporis, quas Nicolaus Aragonius intexuit commẽtario quem de Romanis Pontificibus ſcripſit, incipiens à Leone Nono: extantque pariter aliæ, quæ ſine titulo auctoris ſcriptæ, putantur eſſe Petri Guillelmi (ita dicti: qui & aliquando ſeparatis nominibus, ſimpliciter Petrus, alias Guillelmus reperitur nominatus) Cardinalis Bibliothecarij, qui poſt Anaſtaſium vſque ad Paſchalem Secundum ſcripſit Vitas Romanorum Pontificum: rurſumque aliæ ex iiſdem concinnatæ ab alijs qui pariter ſcripſerunt Res geſtas eorumdem Pontificum [d]. Sed præter hæc, nos eadem ex diuerſis, iiſdemque probatis eiuſdem temporis Scriptoribus fide digniſſimis, in medium producemus.

DESCRIPTIS IN GREG. VII ET PRO EO COMPOSTIS.

d Poſt obitum Illuſtriſſ. Card. Baronij, edidit Gretſerus an. 1609. in fine Tomi II. Defenſ. Bellarmin. inſignem Apologiam pro iſto Greg. VII. ex 30. ant quis auctoribus concinnatam, prorſus dignam tanto argumento: cum nonnullis opuſculis antiquorum Scriptorum, pro eodem ſanctiſſ. Pontifice olim compoſit s. Rurſumq, an. 1610. edidit Vitã eiuſdem Pontificis, à *Paulo Bernriedenſi* Bauarus antiquitus ſcriptam, vbi res eius geſtæ diffuſe deſcribuntur. Itemque an. 1611. *Gerhohi Reichersbergenſis* Syntagma de eodem Gregorio, cum Refutatione Alogiarum *Auentini* contra eumdem Pont ficem. Ex quibus omnibus facilius refellas, quæ veteres ſchiſmatici ac noui hæretici aduerſus Gregorium oggannierunt. Confirmant eam egregie quæ Baronius retulit: multaque alia cognitu digna referunt, quæ ipſe prætermiſit.

VI. GREG. NATALES, PVERITIA, ET EDVCATIO. e Pſal. 71.

Et quod inprimis ad eius natales & genus ſpectat; cum alij Soanenſem, Senenſem alij fuiſſe tradant, conſtantior eſt ſententia fuiſſe patria Soanenſem è Tuſciæ ciuitate, natum humili loco, parente fabro: adduntque quod cum aliquando puerulus luderet ad patris pedes ligna dolantis, ex reiectaneis ſegmentis, cum neſciret literas, caſu elementa formarit, ex quibus ſimul coniunctis illud Dauidicum [e] exprimeretur oraculum, *Dominabitur à mari vſque ad mare*: quo ſignificaretur, manum pueri ducante numine, eius fore ampliſſimam in mundo auctoritatem. Educatum vero fuiſſe ab infantia ſub protectione atq; in domo, & quaſi in gremio S. Petri Apoſtoli, idem ipſe ſcribit [f] ad Guillelmum Regem Angliæ, & ad Præſules ac Principes Saxoniæ. Et qui tunc vixit auctor Micrologi de Eccleſiaſticis obſeruationibus, de eodem ait [g], ſub decem ſuis anteceſſoribus à puero Romę nutritum & eruditum, omnes Apoſtolicas traditiones diligentiſſime inueſtigaſſe, & inueſtigatas in actum referre ſtudioſiſſime curaſſe. Quod autem ipſemet in fine primi anni ſui Pontificatus ſcribens [h] ad Hugonem Abbatem Cluniacenſem, numerat annos viginti ſuæ in Vrbe commorationis; oportuit eum numeraſſe ab eo tempore quo nouiſſime Romam cum Leone Papa Nono redijt anno Domini milleſimo quinquageſimo tertio, cum primo inde in Germaniam & Gallias abijſſet vna cum Gregorio Papa Sexto.

f Greg. VII ep. 21. & ep. 39. g Microl. 14. h Greg. 2. ep. 49.

VII GREG. ADOLESCENTIA.

Quod vero adoleſcentiam eius carpit Benno, quaſi in ea magiſtrum magiæ habuerit Laurentium Archiepiſcopum Amalphitanum, quem dicit principem maleficiorum fuiſſe, & magiam publice profeſſum eſſe, in tantum vt & quæ ſcripta ſunt à Philoſtrato de Tyanæo, eadem totidem ferme verbis ei adſcribat: ſummę quidem cedit laudi Gregorio, quod magiſtrum adoleſcens nactus ſit ipſum Laurentium: quem non principem maleficiorum, ſed Sanctorum eius temporis extitiſſe, ipſiuſq; exequias Sanctorũ paradiſi interuentione honoratus fuiſſe, Petri Damiani, teſtis irrefragabilis & vndiq; integerrimi, in Vita S. Odilonis [i], aſſertione exploratiſſimum redditur: adeo vt ex tam enormi mendacio, non amplius in reliquis audienda, ſed exſufflanda ſit impudens nebulonis Bennonis ad calumniandum procacia. Siquidem Gregorium & in monachatu Cluniaci ſuſcepto, & poſtea Romæ in Subdiaconatus, ac deinde Archidiaconatus adminiſtratione, dignam in omnibus Apoſtolico viro vitam duxiſſe, ſinceriſſimis fideliſſimorum tum viuentium Scriptorum teſtimonijs ſuperius eſt ſuis locis demonſtratum.

i ap. Sur. 1. Ianuar.

VIII. DE GREG. ELECTIONE.

Sed & quod ad eius ſpectat in Romanum Pontificem electionem, quam idem Benno illegitimam arguit, tum quod (vt ait) à ſolis laicis facta fuerit, Cardinalibus non ſubſcribentibus: tum etiam quod eadem die id contigerit qua Alexander defunctus eſt, contra canones quibus præceptum erat, neminem eligi in Romanum Pontificem ante diem tertium poſt ſepulturam prædeceſſoris:

hæc pari facilitate refelluntur, tam ex citatis nuper Vitæ Gregorij Actis, quam ex ipſo electionis decreto tunc ab electoribus ſcriptis mandato, quod in eiuſdem Gregorij Regeſto, epiſtolarum exordio poſitum habetur, necnon ex ipſius [k] epiſtolis ad Deſiderium Abbatem Caſſinenſem, Gilulphum Principem Salernitanum, ac Guibertum Archiepiſcopum Rauennatem: quibus omnibus teſtimonijs conſtat, eadem ipſa die qua Alexander Papa in Eccleſia Lateranenſi ſepulturæ traditus eſt, ſtatuente Hildebrando Archidiacono vt triduanis ieiunijs, precibus, & eleemoſynis, omnes ad faciendam ſucceſſoris Pontificis electionem præpararentur: tamẽ eodem tempore, ne Sedes Apoſtolica diutius lugeret proprio deſtituta paſtore, vnanimi conſenſu omnium Cardinalium, epiſcoporum, ceterorumq; clericorum ac monachorum, necnon totius populi, eumdem Hildebrandum, ob vitæ integritatem, & egregias virtutes, atque doctrinam, electum fuiſſe & acclamatum in Summum Pontificem, atque Gregorium eius nominis Septimum nuncupatum; eundemque inuitum ac reluctantem in B. Petri Cathedra collocatum. Quod autem de triduo expectando (quod & ipſe Gregorius indixerat) Benno obijcit: cum promulgatum nuper [l] à Nicolao Papa Alexandri prædeceſſore, de norma in Romani Pontificis electione ſeruanda decretum, nihil penitus de eo cauiſſet: haud ſufficiens eſſe potuit cauſa differendæ electionis eius, quem legitimi electores digniſſimum alioqui agnoſcerent illius adminiſtrationis munere.

k Greg. Sept. l. 1. ep. 3.

l c. in nomine d. 1. 23.

IX.

Denique & rerum Germanicarum Scriptores eius temporis fideliſſimi, Lambertus Schafnaburgenſis, Marianus Scotus, Otto Friſingenſis, eiuſdem Gregorij electionem laudant & prædicant. Ipſeque Sigebertus, etſi certum ſit Henricianas partes fouiſſe, Gregorijq; nimiam ſeueritatem incuſet: numquam tamen auſus eſt dicere, illegitimum fuiſſe creatum Pontificem. Vnus Vrſpergenſis Abbas, idemq; ſchiſmaticorum patronus, Bennoni inhærens, eius recitat ſcriptorum capita quædam; verum non auſus, vt ille affirmare ſpuriam omnino fuiſſe electionem, eo tantum capite illam reprehendit, quod abſque Regis conſenſu eum apicem Gregorius conſcendiſſet: ſiquidem (vt vidimus) tam Henrico Imperatori, quam huic Henrico Regi eius filio, ex priuilegio Romanæ Eccleſiæ datum fuerat vt adhibito eorum conſenſu electio facta fulciri deberet. At quam etiam iſtud de non adhibito Regis conſenſu ſit falſum, docẽt eadem antiqua monumenta: quippe Acta Vitæ Gregorij narrant, die ſequenti ab eius electione, eumdem æſtuantem nimio dolore ſuæ electionis, cum excuſationem de relinquendo Papatu nõ inueniret, nuntios ad Regem Henricum celeriter deſtinaſſe, quibus eum deprecaretur ne aſſenſum præberet: alioquin certum haberet, ſe grauiores ipſius exceſſus nullatenus impunitos toleraturum: ſed Regem, vt electionis veritatem cognouit, aſſenſum præbuiſſe, ac Gregorium Vercellenſem Epiſcopum regni Italiæ Cancellarium in Vrbem miſiſſe, quatenus auctoritate Regia electionem eius confirmaret, & conſecrationi intereſſet. Eſt & indubiis Regis aſſenſus teſtis Lambertus, licet in modo paulo diuerſus. Extatque [m] inſuper ipſius Henrici ad eumdem Gregorium epiſtola mox poſt eius electionẽ ſcripta, qua non ſolum eam probat, tamquam cœlitus (vt ait) factam, ſed & ipſi Gregorio omnimodum famulatum offert, & ſcelerum ſuorum veniam deprecatur: quam epiſtolam hoc ipſo anno ſcriptam eſſe, vel ex eo certum redditur, quod eiuſdem meminit Gregorius in literis eodem anno quinto Calendas Octobris ſcriptis [n] ad Ducem Herlembaldum. Res porro geſtas non aliunde fideliores atque certiores, quam ex epiſtolis quis reperiret.

ELECTIONI GREG. ACCESSIT REGIS HENR. ASSENSVS.

m ap. Greg. l. 1. Epiſt. poſt. ep. 29.

n Greg. l. ep. 21.

X.

Vt autem quæ fuere reliqua anni huius rerum geſtarum eiuſdem Gregorij, quæ ad vniuerſalis Eccleſiæ œconomiam ſpectãt, vel ſi quid aliud his affine, percurramus: idem ſequenti die à ſua electione, nempe nono Calendas Maij, ad Deſiderium Abbatem Caſſinenſem literas dedit, quibus poſt enarratas ſuas anguſtias, iuſſit Agnetem Auguſtam Caſſini tunc exiſtentem ſuo nomine ſalutari: quam Leo Oſtienſis ait ſex ferme menſes ibi remoratam, multa obtuliſſe S. Benedicto dõna magnifica & regia, quæ ipſe enumerat. Poſt hæc vero Hugonem Candidum Cardinalẽ miſit Legatum in Hiſpanias, vt quoniam iam magna ex parte vendicatæ eſſent per Chriſtianos Principes à Maurorum vſurpatione ciuitates atque prouinciæ: quod in eis ius prætenderet Sedes Apoſtolica, ſiue cenſus ratione, ſiue tributi antiquitus antequam Arabes eas prouincias occupaſſent, perſolui eidem cõſueti, æque reciperet: necnon quæ in Hiſpaniarum Eccleſijs eſſent corrigenda emendaret. Hæc enim ei commiſſa fuiſſe, patet ex literis quas tunc Gregorius [nn] ad Giraldum Cardinalẽ Epiſcopum Oſtienſem, & Raimbaldum Subdiaconum, legatione Sedis Apoſtolicæ in Gallijs fungentes, per eumdem Hugonem dedit pridie Calendas Maij. Idemq; omnibus Principibus cupientibus vendicare ab Infidelibus loca in iiſdem Hiſpanijs adhuc detenta, id alijs ad eos per eumdem Hugonem ſcriptis literis [o], ea duntaxat conditione conceſſit, vt quæ recuperaſſent à Saracenis, eadem vt obligata Romanæ Eccleſię ſub eius auctoritate poſſiderent & annuum pro illis canonem penſitarent. Ceterum his paruiſſe Hiſpaniæ Principes, cum ſatis oſtendunt literæ eiuſdẽ Pontificis ad Sancium & Alphonſum ibi regnantes, quibus gratulatur de ipſorum erga Romanam Eccleſiam obedientia & obſeruantia, tum aperte docet exemplum Berengarij Comitis Barchionenſis, qui recuperatam ſub Vrbano Papa Quarto Tarraconenſem ciuitatem Romanæ Eccleſię obtulit, eamdemque ab eo ſub tributo poſſidendam accepit, ſicut dicetur ſuo loco. Et quod ad hæc ſpectat: Gallos quoq; Principes, ſiue ſponte, ſiue vocatos ab Hiſpanis, plures iteraſſe expeditiones contra Saracenos ibi exiſtentes, Francorum antiqua monumenta declarant: quæ prætermiſſa eſſe noſcuntur ab his qui res Hiſpaniarum ſunt proſecuti. Eſtque apud Gregorium [p] inſignis memoria Euuli, ſiue Eboli de Roccio Comitis Galli, qui pactionem cum Alexandro Papa, eiuſque ſucceſſore Gregorio inijt de poſſidenda ſub auctoritate S. Petri Hiſpaniæ parte quam ab Arabibus vendicaret. Porro iſta Hugonis legatio in Hiſpanias, ſecunda numeratur: nam prima contigit ſub Alexandro, de qua dictum eſt ſuo loco: eſtque mentio de ea apud recentiores rerum Hiſpanicarum ſcriptores: de iſta autem ſecunda ne verbum quidem: ſicut nec quæ acta ſint in ea, vſquam memoria. At de prædictis Giraldo & Raimbaldo conſtat [q], eos tranſijſſe in Hiſpanias, & *Synodo* habita aliquos depoſuiſſe Epiſcopos, excommunicaſſe alios, & nonnullos ſuſpendiſſe præter ius faſque, ideoque increpatos ab eodem Gregorio fuiſſe.

HVGONIS CANDIDI LEGATIO IN HISP. PROLVRIB. AED A. POST.

nn Id. l. ep. 6.

o l. ep. 7.

HISPANIA RECVPERATVR SVB AVCTORITATE ECCL. ROM.

p Id. epp. 6. & 7. & 8. ep. 18.

q Id. l. ep. 16.

XI.

Eodem anno, cum idem Pontifex per quoſdam monachos accepiſſet à Michaele Imperatore Conſtantinopolitano gratulatorias de ſua electione literas, ea occaſione Legatum ad eumdem miſit Dominicum Patriarcham Venetum, cum literis [r] pro componendo ſchiſmate quod vigeret inter Latinos & Græcos. Quid vero ea legatione actum ſit, nobis incompertum. Illud autem exploratum, eumdem Gregorium anno ſequenti pro Conſtantinopolitano Imperio laboraſſe [s], vt ſuppetiæ ei ferrentur aduerſus Saracenos. Quod vero rurſum ſpectat ad Patriarcham Venetiæ, eumdemque promiſcue Gradenſem ab eodem Gregorio aliquoties nuncupatum: de eo reperitur idem Pontifex [t] Ducem ac Populum Venetiæ redarguiſſe, quod illum ſinerent nimia inopia laborare, atque ea de cauſa tantam apud eos ſordeſcere dignitatem.

LEGATIO MITTITVR A GREG. AD MICH. IMP.

r l. ep. 18.

s l. ep. 49. & 2. ep. 37.

t l. ep. 39.

GREG. REDARGVIT VENETOS DE INOP. PATRIARCHÆ.

XII.

Hoc item anno idem Gregorius Legatos miſit ad Vratiſlaum Boemiæ Ducem, Bernardum atque Gregorium: qui ab ipſo Duce honorifice ſuſcepti, ab Epiſcopo Pragenſi Ioramiro (de quo paulo ante actũ eſt) adeo indigne habiti ſunt, vt opus eis fuerit ſuſpenſionis in eum ſententiam ferre: ſicut de his conſtat ex eiuſdem Pontificis Epiſtola [u] ad ipſum Vratiſlaum ea de re ſcripta. Fuitque aduerſus Ioramirum plurimum laborandum [x], quo vſque homo refractarius alijs Iohannis Epiſcopi Morauiæ aduerſus eum querelis iudicio poſtulatus, Apo-

u l. ep. 17.

x l. ep. 44. 4.

DE CAVSA IORAMIRI EPISC. PRAGEN.

ſtolicæque Sedis auctoritate coactus ad dicendam cauſam Romam venire abſolutionis [y] literas obtinuit. Sed rurſum contra eum integrandum fuit iudicium [z], cum denuo cœpit eumdem Ioannem laceſſere. Extant enim aliæ ea de re epiſtolæ [a], quib. etiam redargutus eſt Sigefridus Archiepiſcopus Moguntinus, quod eam cauſam ad ſuum iudicium ſtuduiſſet aduocare. Compoſitas vero tandem auctoritate Apoſtolica fuiſſe eas diſcordias, declarant aliæ eiuſdem Pontificis literæ [b].

y 1. ep. 78. z 1. ep. 5. & 7. a 1. ep. 60. 61. b 1. ep. 53.

XIII. Censvs solvitvr sec. Ro. a Dvce Boem.

Cum eodem quoque Vratislao idem Gregorius [c] hoc anno egit, vt cenſum Apoſtolicæ Sedi perſolueret pro Ducatu Boemiæ, vt ſe facturum voto nuncupato promiſerat, quod & ipſum præſtitiſſe, aliæ eiuſdem Pontificis ad illum anno ſequenti redditæ [d] literæ docent. Beneuenti quoque exiſtens (quem poſt ſuam conſecrationem egreſſum ab Vrbe diuerſa luſtraſſe loca, literæ ex eis ab eo hac eadem Indictione ad diuerſos ſcriptæ ſignificant) menſe Auguſti pactum iniit [e] cum Landulpho Principe Beneuentano, de fidelitate ab eo exhibenda eccleſiæ Romanæ. Idemque octauo Calendas Octobris exegit [f] pariter à Richardo Principe Capuano iuramentum fidelitatis. Atque ibidem Capuæ ordinauit [g] Iacobum Archiepiſcopum Calaritanum in Sardinia: eumdemque coegit radere barbam ex antiquo vſu totius Occidentalis eccleſiæ: ſicut ipſe poſtea ſcripſit [h] ad Orzochum Principem Iudicum, qui tunc Inſulæ Sardiniæ dominabantur: quem & monuit vt perſiſteret eſſe fidelis ſubditus S. Petri, eo quod Sardiniæ dominium eſſet Romanæ Eccleſiæ, à qua illud plerique alij potioribus etiam oblatis conditionibus expeterent.

c 1. ep. 18. d 2. ep. 7. e ep. G. ep. poſt ep. 18. d. 1. f Ibid. poſt ep. 21. g 1. ep. 29. h 1. ep. 40. Sardinia dominivm Eccl. Ro.

XIV. i 1. ep. 21.

Capua quoque Calendis Septembris literis [i] monuit Anſelmum electum nuper ab Alexandro Papa Lucenſem Epiſcopum, doctrina, vita, & moribus laudatiſſimum, ne antequam Rex Henricus ſatisfaceret Romanæ Eccleſiæ de communione cum excommunicatis, cuius reus erat conſtitutus, acciperet ab eo per annulum & baculum inueſtituram Epiſcopatus. Verum cum ille poſtmodum inductus eſſet eam accipere, mox facti pœnitens, relicto Epiſcopatu in Cluniacenſe ſe monaſterium abdidit, ibique ſumpto habitu grauiſſimam in ſeipſum exercuit delicti vindictam: ſed inde paulo poſt à Gregorio Papa inuitus reuocatus ad Epiſcopatum, poſt regalium inſignium abiectionem, legitimam ab eo ſuſcepit illius adminiſtrationem: idemq; conſideratione ſanctiſſimæ vitæ ipſius Gregorij (qui etiam inter tot ac tanta negotia, adeo contemplatione excelleret, vt & mentis exceſſus ſæpe pateretur, & cœleſtibus reuelationibus non raro viſitaretur) eiuſdẽ imitator factus, verticem Chriſtianæ perfectionis attigit, & palmam adeptus eſt ſanctitatis. Narrantur hæc omnia in Actis rerum ab eodẽ Anſelmo geſtarum, quæ ab ipſius contubernali presbytero Pœnitentiario fideliter ſcripta ſunt: ex quibus de exantlatis ab illo pro eccleſiæ Catholicæ defenſione laboribus, ſæpe dicendum inferius.

Pœnitentia Anselmi Lvcen. de accepto episcopatv ab Hen. Rege.

XV. k 1. ep. 22. 23.

Ex eadem quoque ciuitate Capuana, idem Gregorius duodecimo Calendas Octobris binas Carthaginem literas [k] miſit; quarum alteris Clerum ac populum acriter redarguit, quod ſuum ipſorum epiſcopum nomine Syriacum apud Regem Arabum accuſaſſent; alteris ipſum Syriacum conſolatus eſt, laudibuſque extulit, quod præſentatus Regi potius elegerit diuerſis cruciatibus affici, & verberibus publice nudus cædi, quam contra canones ordinationes celebrare. Romam vero rediens idem Pontifex, Piperni (Priuerni antiquitus dicti) cõmotus in Philippum Francorum Regem, quod præter veteres in eum querelas de venundatione Eccleſiarum ſui regni, recenter ob eamdem cauſam admittere recuſaret Archidiaconum Auguſtodunenſem, legitime electum Epiſcopum Matiſconenſem, pridie Nonas Decembris ſcripſit [l] ad Rodericum Epiſcopum Cabillonenſem Regis familiarem, vt de his Regem commoneret: ea comminatione adiuncta, niſi reſipiſcat, effecturum ſe vt Franci (niſi fidem Chriſtianam abijcere maluerint) generalis anathematis mucrone percuſſi, ei vlterius obtemperare recuſent. Porro Philippum his Gregorij paruiſſe monitis, miſiſſeque ob eam potiſſimum cauſam legationem ad eum, docent literæ eiuſdem Pontificis [m] ad ipſum poſtea datæ.

Greg. commotvs in Philip. Reg. Fran. ob venvmdationem Ecc. l 1. ep. 35. m 1. ep. 75.

XVI. Saxones in Reg. Henr. concitati a Greg. cohibentvr. n 1. ep. 39.

Cum autem Romam rediiſſet, & de bello conflato à Saxonibus aduerſus Henricum Regem didiciſſet, ſequeſter pacis accedens, cum Regem, tum Saxoniæ Præſules & Principes literis [n] hortatus eſt vt ab armis quieſcerent, donec ipſe Legatos eo mitteret qui res componerent. Quinam autem qualeſve fuerint motus iſti Saxonici, deſcribit Lambertus hoc anno: ex quo nobis ſatis ad inſtitutum hæc ſummatim perſtringere: nimirum adeo Principes fideles Regis permotos fuiſſe nefandis allatis aduerſus eum criminationibus in publicis Comitijs habitis menſe Octobris in Gerſtengo, vt communi omnium ſententia decretum fuerit, reprobato Henrico Regem alium creare. Quo ſtatu rebus poſitis, Gregorius tantum abeſt vt quod in eum calumniati ſunt ſchiſmatici) depoſitionis Regis cupidus fuerit machinator, vt ne deponeretur literis interceſſerit. De miſſa vero ab eo Legatione, dicetur anno ſequenti.

XVII. S. Ioan. Gvalberti obitvs.

Hoc eodem anno, quarto Idus Iulias ex hac vita ad Deum migrauit S. Ioannes *Gualbertus* magni nominis Abbas Vallumbroſianus, de quo ſuperius: qui viuens & poſt obitum claruit miraculis. Cuius præclaræ res geſtæ à pluribus ſcriptæ cum fuerint, quæ ab Attone Piſtorienſi Epiſcopo elucubratæ ſunt, vſu frequentiori retinentur.

XVIII. Bvlgar. Eccl. laborat.

Quod vero ad res ſpectat Orientales: hac eadem vndecima Indictione (inquit Curopalates) gens *Seruorum*, quos etiam *Coruatas* vocant, exijt vt Bulgariam redigeret in ſeruitutem. Cuius belli cauſa Bulgarica Eccleſia grauibus eſt affecta moleſtijs, tum ab hoſtibus cuncta rapina, cæde, igneq; miſcentibus, tum à magiſtratibus & exactoribus ipſos Epiſcopos crudeliter vexantibus: quæ mala eius tunc prouinciæ Archiepiſcopus Theophylactus ſuis deplorat datis ad diuerſos epiſtolis. Apud quem eſt etiam mentio [o] de ingenti victoria obtenta à Nicolao piiſſimo Duce Imperatoris Conſtantinopolitani aduerſus Perſas & Francos: cuius nulla extat alibi mentio apud Græcos ſiue Latinos hiſtoriarum ſcriptores.

o Theophyl. ep. 56. ad Seb. Pagan.

IESV CHRISTI AN. 1074.

Mich. VII. Dvc. An. 3.

GREG. VII. AN. 2.

I. Legatio a Greg. P. ad Henr. Reg.

Anno Domini milleſimo ſeptuageſimo quarto, Indictione duodecima, Gregorius Papa inſignem Legationem miſit in Germaniam, ad componendum multo iam tempore fluctuantem illius regionis ſtatum: qua functi ſunt Agnes Imperatrix mater Henrici Regis, & Epiſcopi Oſtienſis, Preneſtinus, Curienſis, & Comenſis. Qui cum poſt Paſchale tempus eo perueniſſent, obuiam habuerunt apud Nurembergi ipſum Regem: nec tamẽ cum eo ſermonem communicare ſæpius rogati conſenſerunt, donec ſecundum Eccleſiaſticas leges pœnitentiam profeſſus, per ipſorum iudicium abſolueretur anathemate, pro eo quod propter venditas eccleſiaſticas dignitates ſimoniacæ hæreſios inſimulatus fuiſſet apud Sedem Apoſtolicam. Hæc Lambertus, accuratiſſimus huius temporis ſcriptor. Sed & Gregorij literæ [a] ad eamdem Agnetem Auguſtam, aliæque ad ipſum Henricum poſtea ſcriptæ, ſignificant eumdẽ Regem pœnitentem abſolutum fuiſſe: & ad meliorem frugem redditum, propenſiorem ſe erga Sedem Apoſtolicam exhibuiſſe, & humile obſequium ei pollicitum eſſe.

a Greg. 1. ep. 85. & 2. ep. 30.

II. Legati impedivntvr cogere synod. in Germ.

Cum vero Legati vellent etiam Synodum celebrare, (inquit idem Lambertus) hoc abnuerunt omnes Epiſcopi tamquam inuſitatum, nec ſe huius auctoritatis priuilegium vlli alij, præterquam ipſi Romano Pontifici vnquã delaturos affirmarunt: quippe non ignorabant, ſe in illa Synodo per Legatos agenda diſpendium paſſuros ſuarum dignitatum quas ſimoniace obtinuerant: cum alioqui extra omne ſit dubium, & innumeris demonſtratum ſupe-

rius

Digitized by Google

tius exemplis, per Legatos à latere conſueuiſſe Synodos Epiſcoporum vbique congregari. Ceterum qui res geſtas Gregorij Papæ proſecutus eſt Petrus Guillelmus Bibliothecarius, de eadem hac agens legatione, addit Liemarum tunc Bremenſem Archiepiſcopum in cauſa Synodi cogendæ obieciſſe Legatis, ſibi quoque & Moguntino Archiepiſcopo vices Romani Pontificis in Germania antiquis priuilegijs eſſe conceſſas; & licet reſpondentibus Legatis, haud moris Eccleſiaſtici eſſe, vt eiuſmodi priuilegia protenderentur vltra obitum eorum qui ipſa côceſſiſſent Romanorum Pontificum: tamen Synodum hac ſagacitate eſſe impeditam: Legatoſque à Rege amplius muneribus honoratos redijſſe Romam, ipſum vero Archiepiſcopum Bremenſem pro inobedientia & rebellione fuiſſe ab officio ſacerdotali ſuſpenſum. Ad quem etiam iam contumacem factum, extant Gregorij Papæ literæ [b] datæ hoc anno pridie Idus Decembris, quibus eum Romam iterum vocat ad dicendam cauſam. Hicque omnium malorum origo, dum Archiepiſcopus iſte Bremenſis hoc modo præter omne ius faſque deficiens ab obedientia Sedis Apoſtolicæ, cuius ſe religioſiſſimos obſeruatores hactenus ipſius anteceſſores per trecentos ferme annos à tempore fundationis illius Eccleſiæ præſtitiſſent: aduerſus Gregorium cœpit Regem commouere, & quicquid boni Legatorum opera concepiſſet infelix Princeps, penitus delere: de quibus dicetur inferius ſuo loco.

b l. 2. ep. 28.
BREMEN ARCHIEP. OMNIVM MALOR. CAVSA.

III.
CONCIL. ROM. GENER.
c l. 1. ep. 42. 43.

Interim vero hoc eodẽ anno, prima hebdomada Quadrageſimæ celebrata eſt Romæ à Gregorio Papa SYNODVS, de cuius indictione extât ipſius literæ [c] ad Epiſcopos Longobardiæ ſcriptæ octauo Calendas Februarij: in quibus inter alia meminit de antiqua Romanæ Eccleſiæ conſtitutione, vt per ſingulos annos ad decorem & vtilitatem Sanctæ Eccleſiæ Generale Concilium apud Sedem Apoſtolicam celebraretur, quod quidem Concilium appellat Generale, quia ex omnibus Italiæ Epiſcopis colligebatur: cum alioqui contingeret ex vicinioribus tantum circa Vrbem poſitis Epiſcopis frequentius Romæ Concilia celebrari. Ceterum in hac Synodo idem Gregorius inhærens prædeceſſorum veſtigijs, ad ea crimina reſecanda quæ magis tunc Dei Eccleſiam labefactare videbantur, falcem conuertens: antiquiſſimum renouando decretum de continentia Clericorum, quam ab ipſo exordio naſcentis Eccleſiæ, vſu, traditione, legibuſque ſacris obſeruatam vidimus: edixit (inquit Lambertus) vt presbyteri vxores non haberent, habentes vt dimitterent, aut deponerentur: nec quiſquam omnino ad ſacerdotium admitteretur, qui non in perpetuum côtinentiam vitamque cælibem profiteretur: crebraſque ea de re literas & legationes ad Epiſcopos Germaniæ miſit, præcipiens vt in ſuis Eccleſijs eiuſmodi decretum obſeruari facerent, & a contubernio ſacerdotum omnes omnino fœminas perpetuo anathemate reſecarent. Hæc Lambertus: qui addit, aduerſus hoc decretum protinus vehementer infremuiſſe in Germania totam factionem Clericorum, adeo vt & ipſum Gregorium eo nomine hæreticum inclamarent, ac malle ſe ſacerdotium quam coniugium deſerere iactarent; ſed & Moguntinum Archiepiſcopum, qui vt Pontificis mandatum exequeretur, congregata Erfordiæ Synodo, inſtanter vrgebat vt aut coniugium abiurarent, aut ſacri altaris miniſterio ſe abdicarent, neci tradere cogitauerint. Ex quibus videas, ſimulque deplores miſerandum ſtatum Eccleſiarum Germaniæ, ſi vera ſint quæ Lambertus de omnibus Clericis narrat: & non magis quod nonnulli ex eis incontinentes fecerint, omnes feciſſe dicat per ignominioſam hyperbolem. Ceterum de eadem Synodo Romana, ac de literis Gregorij his de rebus in Germaniam miſſis, quæ deſiderantur, meminit Marianus Scotus ea tunc ſcribens. Agitque de iiſdem Sigebertus hoc anno: ſed refractarius ipſe, inuehitur in eiuſdem Pontificis renouatum decretum prædeceſſorum, ne quis Miſſas coniugatorum ſacerdotum audire præſumeret, quaſi negaret ipſe Gregorius, vel alij qui hoc ſtatuiſſent, per improbos ſacerdotes confici ſacramenta. Numquam enim iſtud dixit aliquis Romanorum Pontificum: ſed tantum id de non audiendis Miſſis ſtatuerunt eo conſilio, vt ſic fornicarij ſacerdotes ſe a populo contemni videntes, abſtinerent ab infami conſortio feminarum. Verum nec ſic illi meliores redditi, adeo laicis in opprobrium facti ſunt, vt auctor aſſerat (quod dici nefas) etiam confecta per eos ſacramenta laicorum pedibus trita eſſe.

ADVERSVS DECRETVM DE CONTINENTIA CLERIC. TVMVLTVATVM IN GERM.

SIGEBERTI CALVMNIA DE MISSIS CONIVGATOR.

IV.
d Lamb. an. 1077.
CALVMNIA IN GREG. PP. DE CONSVETVDINE CVM MATHILDE COMITIS.

Pertinet vero etiam ad inclamationes à Clericis fornicarijs aduerſus Gregorium factas, quod idem Lambertus poſtea [d] ſcribit, illos eo impudentiæ perueniſſe, vt occaſione familiaritatis ipſius Pontificis cum Mathilde Comitiſſa, acerrima Apoſtolicæ Sedis contra ſchiſmaticos propugnatrice, honeſtiſſima fœmina, de qua dictum eſt ſuperius, diceturque ſæpe inferius: ſanctiſſimum Pontificem de inceſto cum ea amore infamare non veriti fuerint. Verum (ſicut idem addit) apud omnes ſanum aliquid ſapientes, luce clarius conſtabat, falſa iſta eſſe: quandoquidem Papa adeo Apoſtolice vitam inſtituebat, vt nec minimam ſiniſtri rumoris maculam conuerſationis eius ſublimitas admitteret: & ſigna ac prodigia quæ per orationes eius frequentius fiebant, atque zelus eius feruentiſſimus pro Deo, & pro Eccleſiaſticis legibus, ſatis eum contra venenatas detractorum linguas communiebant. Extant vero & eiuſdem Pontificis hoc anno ad ipſam Mathildem datæ literæ [e], quibus eam ad ſanctiſſimæ vitæ cultum quem ſuſceperat, ſtudioſiſſime proſequendum hortatus eſt: atque in his duobus potiſſimum inſiſtere monuit, nempe vt Corpus Dominicũ frequenter acciperet, & certæ fiduciæ Matris Domini ſe omnino committeret, aliudque muliebri infirmitati appoſuit fulcimentum: dans [f] ei morum magiſtrum, ac patrem ſpiritualem, S. Anſelmum Lucenſem Epiſcopum, de quo dictum eſt anno ſuperiori. Quibus plane Mathildis ſuffulta ſubſidijs, mirum dictu quantum in Chriſtiana vita profecerit, quantumque ſuper omnes Reges & Principes eminentior apparuerit, & fortior ſit inuenta etiam robore militari.

e Greg. l. 1. ep. 47. 50.

f Vit. S. Anſelm. Luc. Domniz. in Vit. Mathil.

V.
ROB. GVISCAR. EXCOMMVNICATVR OB REBELLIONEM.
g ap. Greg. in 2. l. 1. Epiſt. & 1. ep. 25. 46. & 2. ep. 9.
h Leo lib. 3. cap. 44.

Vt autem ad Synodum reuertamur, in ea conſtat excommunicatum fuiſſe Robertum Guiſcardum Northmannorum Principem, Ducem Apuliæ & Calabriæ atq; Siciliæ, Eccleſiæ Romanæ rebellem, eiuſque iura perturbantem: contra quem etiam Gregorius exercitum collegit, eundemq; militari potentiæ cedere coegit, qui ſpiritualem contemnebat. Patent enim iſta ex diuerſis eiuſdem Pontificis [g] Epiſtolis, atque ex Leone [h] Oſtienſi.

VI.
i Greg. l. 1. ep. 51. vſque 5. k Id. l. ep. 64. & 5. ep. 18.

Sed & inter alia quæ eadem Synodo in cauſis diuerſorum Epiſcoporum, aliarumque perſonarum Eccleſiaſticarum, tranſacta eſſe plures eiuſdem Pontificis [i] epiſtolæ docent, illud minime prætermittendum, ſancitum fuiſſe decretum [k], vt Hiſpaniarum Eccleſiæ Romanum Ordinem atque Officium reciperent. Itemque de cauſa canonicorum Pictauienſium, vt Epiſcopus, vel eius loco Decanus, vel alius in dignitate conſtitutus, ius retineant certis diebus cantandi Miſſam in aliena eccleſia, exempta ſcilicet, hocque ſeruari conſueuiſſe Romæ in Stationibus, atque in alijs Orbis partibus. Spectatque ad eamdem Synodum, quod ſcriptor Vitæ S. Anſelmi Lucenſis Epiſcopi, Pœnitentiarius ipſius, habet de vocatis ad eam Canonicis Lucenſibus, ad dicendam cauſam de conſpiratione aduerſus eumdem ſuum ipſorum Epiſcopum, quod is iuxta Leonis Papæ Noni de iiſdem Canonicis decretum, eos ad vitam communem & regularem obſeruantiam reducere voluiſſet. Cum vero iam res eo proceſſiſſet, vt nec ipſe Gregorius Papa Lucam ea de cauſa accedens, nec eius vrbis domina Mathildis id eis perſuadere potuiſſent, tandem re in Synodo diſcuſſa, iidem iuxta antiquiſſimum S. Fabiani Papæ & Martyris decretum, quo conſpiratores & inſidiatores ſuorum Epiſcoporum curiæ tradendos inſtituit, omnium Patrum iudicio traditi ſunt curiæ, & à Mathilde in ſeruitutem curiæ vocati. Vnde ijdem rurſum aduerſus eam conſpirantes, ab alia poſtea Epiſcoporum Synodo ex-

CANONICORVM LVCENS. REBELLIO OB VITAM COMMVNEM EIS IMPERATAM.

commu-

niæ maxime viguiſſe, ibidemque ab eodem Petro aduerſus Iureconſultum Florentinum acrem illius defenſorem diſputatum eſſe, idem ipſe teſtatur in commentario contra illam hæreſim ſcripto ad Cæſenatem Epiſcopum, & Archidiaconum Rauennatem, cuius eſt titulus *De parentelæ gradibus*. Qui & inſuper, quod eodem opere docuiſſet, in enumerandis gradibus vnam ſemper abundare debere perſonam; cum ei ſententiæ contradiceretur à multis, de his rationem reddens poſtmodum ſcripſit prolixam ad quemdam religioſum presbyterum epiſtolam. At vero in immenſum erumpens flãma, etſi comprimi, haud tamen valuit Petri ſcriptis penitus tolli. Adeo enim quorumdam Iureconſultorum inualuit defenſione, vt Apoſtolica opus fuerit auctoritate; ipſique Alexandro Pontifici duo eodem anno ad eumdem tollendum errorem celebranda Romæ CONCILIA: quorum priori [a] excommunicationem comminatus, eam poſteriori promulgauit aduerſus eiuſmodi inceſtuoſos. Sed (quod doluit [b] Petrus) omnia ſine fructu. Nam arte diaboli conglutinatis animis inceſtuoſorum coniugum, nullo timore æternæ damnationis ab inuicem diuelli potuerunt. In quorum vnum, in exemplum ceterorum, diram Deus vindictam exercuit; dum (vt idem Petrus teſtatur in Epiſtola ad Alexandrum Papam electum, & ad Hildebrandum) cuidam ſuam conſanguineam contra prohibitionem ducenti, eidemque poſt excommunicationem adhærenti, hoc contigit, vt panes de nuptialibus menſis in plateas ante canum ora proiecti minime tangerentur; inſuperque ipſe inceſtuoſus in cubiculo dormiens, repente de cœleſtibus irruente fulmine extinctus fuerit.

CONCILIA DVO ROM. ADVERSVS INCESTVOSOS.

a Decretum [illegible] Alex. PP. [illegible] ad Sedem [illegible] ad Ablatem [illegible] 9. 37.

b Pet. Dam. [illegible]

III.

Sed & fuit pugnandum eidem Petro eodem tempore aduerſus aliam nouam emergentem hæreſim quorumdam, aſſerentium licite emi poſſe Epiſcopatus à Principibus laicis abſque crimine ſimoniæ, dummodo conſecratio gratis acciperetur. Sic enim non emi ſacerdotium, ſed poſſeſſionem prædiorum, quæ venalia ſunt. Quam hæreſim primus omnium ipſe redarguens, & rationibus atque auctoritatibus Scripturæ & veterum Pontificum confutans, egregiam ea de re ſcripſit ad Alexandrum Papam epiſtolam, qua eiuſmodi hæreſis ſeminatores ait fuiſſe *Tudelchinum* quemdam natione barbarum, & *Ioannem* patria Venetum, Godefridi Ducis Tuſciæ capellanos. His vero admonitus Alexander, abunde ſatis ſcelus prohibuit in Decretali epiſtola ad ſuos Lucenſes data, qua vetuit [c] nequis omnino non dico Epiſcopatus, ſiue Abbatias, ſed beneficium quodlibet Eccleſiaſticum emeret. At quis crederet, damnatam hæreſim ruſum ante aliquot annos, quorumdam prauorum ſuſurro in aures Fidelium irrepere auſam, procaciter aſſerentium Cardinalatus Romanæ Eccleſiæ dignitatem licite vendi emique poſſe dum ſcilicet non ipſe ſacer Ordo venderetur vel emeretur annexus, ſed inhærens ipſi munus & commodum temporale? Sed occluſa ſemel & iterum; obſtruantur in perpetuum offa à Daniele [d] parata iſta aſſerentium ora; qui fauentes Simoni Mago, Simonem Petrum tanta afficere ignominia putauerunt.

INSVRGIT QVOQVE PETR. ADVERSVS ALIAM HÆRESIM DE EMPTIONE EPISCOPATVVM.

c 1. q. 3. cap. [illegible]

d Dan. 14.

IV.

Hoc eodem anno, qui vigeſimus ſecundus numeratur Adalberti Archiepiſcopi Hamburgenſis, Slauorum Eccleſia ſub eius metropoli conſtituta, multis nobilitata eſt martyribus: inprimis vero *Godeſcalco* Principe, Chriſtianæ religionis ſtudioſiſſimo propugnatore; qui cum magnam Slauoniæ partem è Paganiſmo ad fidem conuertiſſet, & in reliquis conuertendis indefeſſe laboraret, ab iiſdem coniuratione facta comprehenſus, ac fuſtibus cæſus, deinde per ſingulas Slauorum ciuitates ductus ad ludibriũ, cum à Chriſti nomine flecti non poſſet, truncatis manibus ac pedibus, in plateam corpus eius proiectum eſt, caput vero diſſectum Pagani conto præfigentes, in titulum victoriæ Deo ſuo Redigaſt immolauerunt: ipſiuſq; vxor, filia Regis Danorum, nuda diu cæſa eſt: ac demum cunctis occiſis qui perſtiterunt in fide, omnes Slaui ad paganiſmum relapſi ſunt; auctore huius cladis Pluſſo, qui ſororem Godeſcalci habuerat; qui & ipſe domum reuerſus obtruncatus eſt. Narrat iſta Adam [e], qui aderat. Vt autem

MARTYRES APVD SLAVOS.

e [illegible] lib. 4. [illegible]

diœceſis Hamburgenſis iſta pati mereretur, peccata Archiepiſcopi Adalberti fecerunt, quæ idem auctor [f] recenſet; necnon & populi, quem inter alia dicit diem ſextæ feriæ carnis eſu maculaſſe, & Vigilias, ſolemnitateſque Sanctorum, ac venerabilem Quadrageſimam, gula, fornicationibuſque polluiſſe.

f Ibid. ca. 20.

V.

Hoc item anno, nempe era milleſima centeſima tertia, ex hac vita migrauit Ferdinandus Magnus Rex Caſtellæ & Legionis, fine plane digno Catholico Rege diẽ extremum claudens, quem ei adhuc incolumi S. Iſidorus apparens reuelauit. Qua reuelatione accepta, cum totum ſe orationi dediſſet; ipſo Natali Domini in Eccleſia infirmatione correptus poſtridie ornatus cultu regio, & corona aurea impoſita capiti, vna cum Epiſcopis & Abbatibus ad Eccleſiam deferri voluit; vbique regalem chlamydem & gemmatam coronam Deo ad altare remittens, cum lachrymis ſolo proſtratus pro delictorum venia attentius orauit: & ab Epiſcopis accepta pœnitentia, & extrema Vnctione, indutus cilicio & aſperſus cinere, die tertia ſpiritum Deo in eadem Eccleſia reddidit, cum regnaſſet ſiue ſolus, ſiue cum patre, annis quadraginta menſe vno, diebus vndecim. Relicti ſunt filii Sancius, Ildefonſus, Garſias, Vraca, & Geloyra: inter quos diuiſo regno, ſeptem annis certatum eſt, de quibus dicendum inferius. Narrat autem hæc omnia Lucas Tudenſis diaconus; eademque Rudericus [g] Toletanus, qui eiuſdem Ferdinandi Regis pietatem plurimum commendat, & erga diuinum cultum Eccleſiarum munificentiam; ſed & vitam eius cum religioſis ducere conſuetam enarrat: quem & virtute militari & victoriis inſignem fuiſſe conſtat.

FERD. MAGN. PIVS OBITVS.

g Ruder. lib. 6 c. 14.

VI.

Quod ad res pertinet Orientales; cum hoc anno Indictione tertia *Vzi* Scythiæ populi ad ſexcenta millia armatorum tranſmiſſo Iſtro limitaneum Romanorum exercitum debellaſſent, & circumquaque diuagantes omnia perderent; nec minor ab illis orbi Chriſtiano clades immineret, quã olim à Gothis, Hunnis, Wandalis, & Longobardis; iidemque nec legationibus, nec muneribus flecterentur: cum & illud ad malum accederet, quod in Oriente iam Turcæ fatigarent Imperium, ipſeque Imperator Conſtantinus imbellis eſſet, quamuis pius; & coactus à ciuibus vrbe exire aduerſus hoſtes, non amplius quam centum quinquaginta milites qui eum ſequerentur inueniſſet: rebus ſic deſperatis, idem Imperator ieiunium indixit, & ſibi & populo frequentes ſupplicationes adhibuit, ipſe pedes cum lacrimis incedens. Qua die viſa eſt ab Vzis in tabernaculis commorantibus militum multitudo in acie dimicare, & tantam telorum copiam contra ipſos iacere, vt ex iis nullus illæſus remanſerit; mox vero tota gente peſte & fame conſumpta, reliquiæ cum ducibus ad propria remearunt, quidam autem ex ipſis ad Imperatorem ſe conferentes, acceptis ab eo agris publicis Macedoniæ, obedientes ei fuerunt. Tradunt hæc pluribus Curopalates, Zonaras, atque Glicas hiſtorici Græci: quibus videas quam aduerſus hoſtes pietas armis præſtet.

VZI POPVLI DIVINITVS DEBELLATI.

IESV CHRISTI AN. 1066.

CONST. DVC. AN. 7.

ALEX. II. AN. 6.

I.

ANNVS Chriſti milleſimus ſexageſimus ſextus, Indictionis quartæ, comete inſigni à Chronographis conſignatus eſt Latinis pariter atque Græcis: ſed corrigendum in Curopalate, dum pro quarta Indictione errore legitur decimaquarta.

II.

Quo etiam anno, vt Leo [a] Oſtienſis teſtatur, cum Richardus Northmannorum Princeps Aquinum vſque victor perueniſſet, Vrbem Romam proxime inuaſurus, vt à Pontifice Imperatoris inſignia conſequi poſſet; Godefredus Marchio Tuſciæ ſe illi opponens, variis aduerſus eum initis prœliis, Eccleſiam Romanam ab eius incurſione liberauit.

a Leo Oſt. lib. 3 c. 13.

III.

Eodem anno pridie Nonas Ianuarii, Eduardus Rex Angliæ ex hac vita migrauit, cum regnaſſet à tempore coronatio-

S. EDVARDI REG. ANGLO. OBITVS.

Digitized by Google

ronationis annos viginti duos & menſes nouem. Quod autem fere omnes numerent annos viginti quatuor regni eius; à tempore forte electionis eos numeraſſe oportuit. Porro cum poſt centum ferme annos Alexander [b] Papa Tertius in Sanctorum numerum retulit egregie miraculis illuſtratum. Is autem, quod careret ſobole (virginem enim reliquiſſe virginem vxorem Editham, affirmant omnes qui res ab eo præclare geſtas proſecuti ſunt) præſcius proxime venturi obitus ſui, anno ſuperiori ſucceſſorem Anglorum Regni ſubſtituerat Guillelmum Comitem Northmanniæ cognatum ſuum, ſtrenuum bellatorem, iuſtitiæ amantiſſimum, & religione maxime pium, quod vt probe factum ſe conſeruaturum iurauit Haroldus Comes filius Goduini Comitis, tunc Magiſter Regię domus, penes quem erat ſumma rerum. At vero mortuo Eduardo, ſequenti die idem Haroldus nomen regium ſibi ſumpſit. Quod vbi Guillelmus accepit, nec per Legatos quicquam in Anglia proficere potuit; omnia experiri potius quam armis decernere deliberans, Summum Pontificem conſuluit: à quo non ſolum animatus, ſed etiam vexillum legitimæ victoriæ accipiens, claſſe comparata in Angliam venit, & die pugnæ ſacratiſſimæ Euchariſtiæ ſumptione ſe cum omnibus ſuis militibus muniens, ambiguo ſatis prælio tyrannum debellauit. Narrat hæc omnia pluribus Ingulphus ſincerus eius temporis ſcriptor, qui cunctis in Anglia præſens erat; & poſt eum Matthæus Weſtmonaſterienſis, atque alij.

[b] In Append. ad Vit. S. Eduar. ap. Sur. To. 1.

Gvillel. comes Northman. potitvr regno Ang.

IV.

Contigit autem victoria Guillelmi pridie Idus Octobris, qua die S. Calliſti Papæ & Martyris anniuerſaria memoria agitur in Eccleſia; vt cunctis innoteſceret, quod ſicut Romani Pontificis auſpicio tantum ſuſceptum eſt bellum, ita & Romani Pontificis in cœlo regnantis fauore tanta eſſet obtenta victoria. Quod non ignorans ipſe Guillelmus in ſignum grati animi vexillum Haroldi auro & gemmis ſumptuoſe contextum (ſicut teſtatur Willelmus Malmesburienſis) Romã miſit ad Alexandrum Pontificem. Sequenti autem Natalis Domini ſolemnitate coronatum fuiſſe Regem, non à Stigando Cantuarienſi; ſed ab Eboracenſi Archiepiſcopo Aldredo, omnes affirmant, nõ quod id Stigandus facere recuſaſſet, vt Neubringenſis inconſulte nimis affirmat; (quam enim magno pretio id vir gloriæ cupidiſſimus redemiſſet) ſed quod idem ob eius ſedis inuaſionem peſſime apud omnes audiret, & iam fuiſſet ab Alexandro Papa ſacris ſuſpenſus. Id enim teſtantur ijdem Ingulphus, Malmesburienſis, & alij antiquiores omnes rerum Angliæ Scriptores. Ab Aldredo igitur (inquit Rogerius) in Weſtmonaſterio Guillelmus conſecratus, prius, vt idem Archiepiſcopus exigebat, ante altare S. Petri Apoſtoli, coram Clero & populo iureiurando promiſit, ſe velle ſanctas Dei Eccleſias ac Rectores earum defendere, & cunctum populum iuſte regere, legemque rectam ſtatuere, & rapinas iniuſtaque iudicia penitus interdicere. Quibus præuijs pietatis exercitijs Northmanni Anglicanum conſecuti ſunt regnum. At hęc de iſtis ſatis; reliqua inferius ſuis quibuſque locis.

Gvil. mittit vexillvm Haroldi tyrann. ad Alex. PP.

V.

Hoc eodem anno *Cuno* Decanus Colonienſis, opera eiuſdem vrbi Archiepiſcopi electus in Epiſcopum Treuirenſem abſque conſenſu Cleri populiue Treuirenſis, ipſo die quo ciuitatem ingreſſurus erat, ab eorum nonnullis tentus, præcipitatione & gladio crudeliter occiſus eſt Calendis Iunij: cuius necis auctores diuinitus puniti ſunt, ipſe vero miraculis poſt mortem illuſtratus. Hæc pluribus Lambertus, Hermannus, & alij; quam tamen cædem Marianus Scotus ante annos duos ponit, alij anno ſuperiori, ſequenti Sigebertus: omnes autem vno conſenſu eumdem Cunonem Martyrem nominant; verum nomenclaturam iſtam diuerſis acceptam modis ab antiquioribus, iam alias dictum eſt à nobis.

Cvnonis electi Trever. martyrivm.

VI.

Sed & apud Mediolanum hoc ipſo anno *S. Arialdus* illius Eccleſiæ diaconus, vir quidem nobilitate, (vtpote Germanus cuiuſdam Marchionis) ſed magis pietate inſignis; cum aduerſus hæreticos Nicolaitas & Simoniacos diu multumque laboraſſet recenſque contra Guidonem Mediolanenſem Archiepiſcopum, relapſum ad vitia illa quæ ſub Petro Damiani Apoſtolicæ Sedis Legato publice fuerat deteſtatus, conſtantiſſime ſtaret: eiuſdem Guidonis inſidijs tentus, & inacceſſas ſolitudines trans Lacum maiorem (ne populus commoueretur) ad necem ductus, ibi à duobus clericis miſſis ab Archiepiſcopi nepte altera Iezabele, amputatis auribus, naſo, labro ſuperiori, manu dextera, & membris genitalibus, effoſſis item oculis, & lingua ſub gutture extracta crudeliſſima dilaniatione martyrium conſummauit quinto Calendas Iulias: cuius corpus occultatum, ſed luminaribus cœlitus emiſſis ſæpe patefactum, ac demum in profundiorem lacus voraginam demiſſum, poſt decem menſes ad ripam eiectũ eſt, atque integrum inuentum Mediolanum deductum multis alijs ſignis emicuit. Deſcribit vero iſta fuſius Syrus presbyter qui prope erat, in eiuſdem Vita ſcripta ad Rudolphum Abbatem Vallis-vmbroſæ. Sic igitur poſt ſacras leges toties repetitas contra nefandos Nicolaitas & Simoniacos, poſtque tot & tantos labores ab Apoſtolicis viris aduerſus eiuſmodi hæreſes exantlatos; voluit etiam Deus ſanguine tanti martyris conſignari traditam antiquam Eccleſiæ diſciplinam; confirmarique alio æque egregio martyrio *Herlembaldi* Ducis, eiuſdem Arialdi in iſtiuſmodi hæreticis inſectandis collegæ; de quo dicetur ſuo loco. At non hoc cõceſſum *Landulpho* nobili Mediolanẽſi Herlembaldi Germano; licet & ipſe multa paſſus, ſæpeque percuſſus, cum immiſſus ad eum occidẽdum ſicarius gladio venenato orantis ante altare collum vulnere appetijſſet: nam illæſus permanſit, & cœpto operi ad obitum vſque inſtitit conſtantiſſime.

S. Arialdi diac. Mediol. martyr.

VII.

Quod autem Deus Iudex iuſtus pro cuiuſque vitæ meritis ſtipendia digna perſoluere conſueuit, hoc ipſo anno (vt Lambertus ſcribit) Reginherus Miſnenſis in Germania Epiſcopus, homo auariſſimus, dum poſt refectionem in cubiculum vbi theſauros ſuos infoderat quaſi paululum quieturus receſſiſſet, iamque die vergente in veſperam pulſantibus ad moram inſolitam cubicularis minime reſponderet; tandem effractis foribus inuẽntus eſt ruptis ceruicibus colore tetro exanimis ipſis theſauris ſuis mirabilem in modum incubans.

Obitvs miserandvs episcopi avari.

VIII.

Quo item anno Hungarica Eccleſia Gentilitio furore graſſante periclitata eſt; cum videlicet anno ſuperiore eiecto Andrea Rege & excæcato, infima plebs ſeditione excitata Belam eius ſucceſſorem ad apoſtaſiam ſolicitauit. Sed is poſt triduum reſponſione dilata, & bona ſpe eſſe ſuadens, diſcordiæ auctores interim captos, & diriſſime cruciatos in reliquorum omnium conſpectu necari iuſſit. Quo facto tumultus ille compreſſus eſt, ac Chriſtiana religio priſtinam obtinuit libertatem. Sed hæc pluribus Longinus; qui pergit narrare, quomodo poſt hæc Bela cũ Salomone Andreę filio Hungaricum partitus ſit regnum.

Hvngar. eccl. periclitatvr.

IX.

Quod vero ad politicum ſtatum pertinet; cum Henricus Germaniæ Rex iuuenili leuitate æmulorum ſtimulis agitatus, ſpreto Annone Archiepiſcopo Colonienſi, alijſque Principibus, totius regni regimen in Adalbertum Archiepiſcopum Bremenſem, ſiue Hamburgenſem (ambæ ſimul vnitæ erant Eccleſiæ) peſſimi virum nominis transfudiſſet; rebellantes ſubditi primum à tributorũ ſolutione ceſſarunt, indeque aucta conſpiratione Regi eam conditionem propoſuerunt, aut regno cedendum, aut Adalbertum ab adminiſtratione pellendum. Quem Rex tandem dimiſit, vix ereptum de manibus aduerſariorum, ſicque tumultus concitatus quieuit. Hæc Lambertus pluribus: qui & hoc ipſo anno tradit eumdem Regem duxiſſe vxorem Bertam Ottonis in Italia Marchionis filiam.

Henr. rex cogitvr dimittere Adalbertvm Brem.

X.

Denique quod ſpectat ad res Orientalis Eccleſiæ; hoc eodem anno poſt Conſtantinum Patriarcham Conſtantinopolitanum defunctum, ſubrogatus eſt *Ioannes Xyphilinus*; de quo plura habet Curopalates, haud laude digna. Hic autem ille eſt, qui Dionem Caſſium Romanarum rerum antiquum nobiliſſimũ ſcriptorem in compendiũ decurtauit; cuius magno damno excidit ipſe integer cõmentarius, epitome dũtaxat vſui relicta. Sedit porro annis tredecim, & menſibus ſex, vt habet Index eorũdem Patriarcharum in codice Iuris Orientalis antiquitus collocatus.

Ioan. Xyphil. patriar. Const.

IESV CHRISTI AN. 1067.

CONST. DVC. AN. 8.

ALEX. II. AN. 7.

I. ANNO Chriſti milleſimo ſexageſimo ſeptimo, Indictione quinta, Alexander Papa cum audiſſet Mediolanenſis Eccleſiæ perturbationes ob ſimoniacos & fornicarios clericos, Legatos illuc miſit Mainardum Epiſcopum Siluæcandidæ, & Ioannem presbyterum Cardinalem: qui ea confirmantes, quæ antehac in eadem cauſa à Petro Damiani ibidem ſtatuta eſſent; alia inſuper addiderunt [a], quibus radices tantorum malorum euellere conati ſunt. Verum nec his remedijs adhibitis deſiuit ea Eccleſia fluctuare. Nam adhuc Guidone Archiepiſcopo ſuperſtite, Godefredum quemdam & ipſum malis artibus vitio ſimoniæ in eamdem ſe intruliſſe, teſtis eſt Gregorius [b] Septimus in epiſtola ad Longobardos; à quo aduerſus eum fuit diu multumque laborandum [c].

a Rec. ſtrum Conſt. Baro. Annal. To XI. hoc an.
b Greg. Sept. 1. ep. 15.
c Id. 1. ep. 11. 12. 25. 26. 27. 28.

II. Quo eodem anno (quantum coniectura aſſequi licet ex his quæ præceſſerunt & ſubſecuta ſunt res Alexandri Papæ) pro celebranda Synodo in Dania idem Alexander literas dedit ad Hamburgenſem, eumdemque Septentrionalium illarum omnium nationum Archiepiſcopum Adalbertum, ab ipſo conſtitutum Sedis Apoſtolicæ Legatum. Sed res effectu caruit ob contumaciam nonnullorum Epiſcoporum, ad Synodum venire contemnentium. Id tamen impigre Adalbertus in ſua legatione præſtitit, quod vlterioribus Aquilonarium partium prouincijs, nempe Daniæ, Suediæ, Noruegiæ, ac circumiacentibus inſulis, prædicatores direxit & Epiſcopos ordinauit, quibus ea eccleſia valde eſt propagata. Hæc autem omnia quomodo ſe habuerint, Adam [d] canonicus Bremenſis proſecutus eſt pluribus; qui hoc ipſo anno ſe Bremam veniſſe teſtatur [e] matricularium inter eius Eccleſiæ clericos; qui fuit annus eiuſdem Adalberti vigeſimus quartus. Ipſe vero *Adam* adeo certis firmiſque teſtimonijs hiſtoriam Eccleſiaſticam illarum gentium conſcripſit, vt neminem legerim cui magis candor veritatis eluceat, quippe qui magnum duxerit ſacrilegium in cuiuſcumque rei tractatione vel leuiſſime mentiri. Stet in Eccleſia liber eius, ſpeculum velut in quo Boreales Nouatores ſuas deformitates horrendas agnoſcant, dum ex eo quæ vera ſit Eccleſia Chriſti Catholica, qualeſue extiterint fundatores atque propugnatores eiuſdem Eccleſiæ Aquilonaris, quamque ab ipſis diſſimiles, immo & omnino contrarij, perſpicua luce cognoſcant. Perduxit autem hiſtoriam ſuam vſque ad obitum Adalberti Archiepiſcopi, qui contigit anno Domini milleſimo ſeptuageſimo ſecundo, & ſubrogationem Liemari cui eamdem dicauit.

ECCLESIA PROPAGATVR IN PARTIBVS SEPTEMTRION.
d Ad lib. 4. cap. 42. & ſeq.
e Id. l. 3. c. 5. in ſi.
DE ADAM HISTORICO.

III. Quod ad res ſpectat Orientis; hoc anno Conſtantinus Ducas Imperator ex hac vita migrauit, cum imperaſſet annos ſeptem & menſes ſex; tribus relictis filijs, iiſdemque Imperatoribus, cum Eudocia coniuge Imperij curatrice: quæ ſic cum filijs imperauit vſque ad ſequentem Indictionem. Ea vero occaſione arrepta Turcæ Cappadociā depopulantes, ipſam quoq; Cæſaream eius prouinciæ metropolim diripuerunt, & celeberrimum S. Baſilij templum ſpoliarunt; ipſius vero Sancti Reliquijs nihil detrimenti inferre potuerunt, quod eius ſepulchrū ita conſtructum eſſet atque munitum, vt ad illud demoliendum longo tempore indigerent; aurum tamen & gemmas, quibus eius portæ ornatæ erant, ſuſtulerunt. Hæc omnia Curopalates.

OBITVS CONST. DVCÆ IMP.
S. BASILII TEMPLVM EXPILATVM A TVRCIS SALVO SEPVLCHRO.

IESV CHRISTI ANN. 1068.

ROMA. DIOC. AN. 1.

ALEX. II. AN. 8.

I. ANNO Domini milleſimo ſexageſimo octauo, Indictione ſexta, Alexander Papa ad Guillelmum Regem in Anglia pro exactione Denarij S. Petri literas ex more Apoſtolicas dedit, quarum fragmentum ex ipſis relatum extat in libro Cenſuum Romanæ Eccleſiæ, qui habetur in Bibliotheca Vaticana. Idemque ſuper vniuerſum gregem inuigilans, ad Regem Dalmatiarum [a] aduerſus incontinentes clericos reſcripſit: vnde apparet Dalmatas nequaquam vſu Græcorum, ſed Latinorum more vixiſſe. Conſultus pariter ab Hiſpanis Epiſcopis, num liceret, ſicut & Saracenis, ita bellum inferre Iudæis; reſpondit [b], diſparem eſſe cauſam; in perſecutores enim Chriſtianorum iuſte pugnari, Iudæos autem vbique ſeruire paratos eſſe. Extantque alia eiuſdem Pontificis ad diuerſos conſulentes reſponſa [c], quæ quo ſint anno data non conſtat.

a c. ſi qui à modo diſt. 32.
b c. diſpar. 23. q. 8.
BELLVM IVDÆIS NON INFERENDVM.
c diſt. 52. c. 1. c. in lum 7. q. 2. c. neſciſ. a. ſit 33. q. 5.

II. Contigit præterea inter hæc, Guillelmum Burgundiæ Comitem, & complures alios Francorum nobiles diuerſorum locorum dominos, coram eodem Alexandro Papa, ac pleniſſima Synodo, Romæ ad altare S. Petri iuramento ſe obligare, ſemper cum opus eſſet aſſurgere defenſores S. Romanæ Eccleſiæ. Teſtatur enim hoc qui interfuit Hildebrandus Archidiaconus, poſtea Gregorius Papa Septimus, in epiſtola [d] ad eumdem Guillelmum data dum ab eo promiſſionem exegit. Quibus videas pietatem Chriſtianorum Principum, cultumque propenſiorem erga Romanam Eccleſiam. Quo etiam tempore (eodem Gregorio [e] teſte) ſpopondit omne ſtudium eidem Eccleſiæ Vratislaus Dux Boemiæ, qui & petijt, & obtinuit ab Alexandro, vſum mitræ laicis inconceſſum.

PRINCIPES SPONDENT DEFENSIONEM ECCL. ROM.
d Greg. Sept. 1. ep. 46.
e Id. ep. 18.

III. Quod ad res pertinet Orientis, hoc anno ipſis Calendis Ianuarij Indictione ſexta ROMANVS DIOGENES Imperator declaratus eſt, cum eum Eudocia relicta prædeceſſoris Imperatoris in maritum accepiſſet: qui antea perduellionis crimine reus capitis effectus, & in exilium miſſus, reuocatus fuerat in vrbē ad barbaros propulſandos. Quod vero Imperatrix teneretur proprio iuramento, à viro Imperatore defuncto exacto, alteri non nubere, ſed vidua permanere, & filijs Imperium conſeruare; vt ſyngrapham ea de re confectam, & apud Xyphilinum Patriarcham depoſitam, recipere poſſet, vſa eſt eunuchi vaferrimi opera, qui adiens Patriarcham, mentitus eſt Imperatrici cordi eſſe ipſius Patriarchæ Germanum Bardam in coniugem accipere, ſed prohiberi ſyngrapha. Quod vbi Patriarcha accepiſſet, egit apud Senatores de infirmando Eudociæ iuramento, iiſdemque tum muneribus tum pollicitationibus in ſententiam ſuam adductis, vbi recepta ſyngrapha ineundi ſecundas nuptias Imperatrix licentiam obtinuit, deluſo Patriarcha Romanum Diogenem, filijs conſentientibus, virum accepit: Hæc pluribus Curopalates, merito ſigillans Patriarchæ ignauiam, quod priuato commodo poſthabuiſſet religionem.

ROMANVS DIOG. IMPERAT IN ORIENTE.
XYPHIL. PATRIAR. DELVDITVR AB IMPERATRICE.

IESV CHRISTI AN. 1069.

ROM. DIOC. AN. 2.

ALEX. II. AN. 9.

I. ANNO Chriſti milleſimo ſexageſimo nono, Indictione ſeptima, Petrus Damiani Legatus in Germaniam miſſus ad Henricum Regem iuuenili furore (annuente Archiepiſcopo Moguntino, Regis promiſſionibus allecto) repudiare paratum Bertam coniugem, eo prætextu quaſi haud cum illa maritalis operis copiam habere valeret, id ab eo fieri interminatione excommunicationis prohibuit, quod à Lamberto pluribus in Chronico deſcribitur. Quamuis autem Rex ita Reginam tunc reuocauerit, vt in regni tantummodo, non etiam conſuetudinis conſortium adhibuerit, conſtat tamen eam poſtea integre conciliatam Regi, & ex eo ſuſcepiſſe filium æque dictum Henricum, qui patri ſucceſſit.

LEGATIO PETRI DAM. AD IMPEDIENDVM DIVORTIVM HENR. REG.

IESV CHRISTI ANN. 1070.

ROM. DIOG. AN. 3.

ALEX. II. AN. 10.

I. ANNO Chriſti milleſimo ſeptuageſimo, Indictione octaua, rei conſtituti ſimoniacæ labis præcipui Germaniæ Epiſcopi Moguntinus & Babenbergenſis, Romam vocati ab Alexandro Papa, cauſam dicere aduenerunt: vbi acerbe obiurgati (inquit Lambertus) quod ſacros ordines venderent, & emētibus indifferenter com-

ARCHIEP. MOGVNT. ET BAMBERG. CAVSAM DICVNT CORAM ROMA. PONT.

municarent, manuſque imponerent, tandem præſtito iuramento id numquam vlterius perpetrandi, ad ſuas redire Eccleſias libere dimiſſi ſunt. Sed fuſius hæc idem Lambertus, qui tamen Alexandrum à damnatione præſertim Babenbergenſis (quem ait ſimoniace Epiſcopatum inuaſiſſe) muneribus corruptum abſtinuiſſe ſignificat. Verum haud facile quis ſibi perſuadeat, tantum Pontificem eodem crimine quo reos tunc iudicabat, eodemque tempore deliquiſſe: qui & ijſdem his diebus reperitur[a] Argentinenſem Epiſcopum Guarnerium ob idem ſimoniæ crimen priuaſſe Epiſcopatu. Vt autem cum iſtis mitius ageret, plura ſuaſerunt, ac primum quod præcipuarum Eccleſiarum eſſent Antiſtites, moderarenturque regnum cum Rege, deinde quod obedientes Apoſtolicæ ſedi, ad iudicium ſubeundum ſeſe contuliſſent in Vrbem, ac denique quod prompto animo exhibuerint ſe omnino paratos quamcumque decerneret Pontifex ſuſcipere pœnitentiam. Ceterum apud eumdem Lambertum anno ſequenti, Archiepiſcopus Moguntinus teſtatus eſt Henrico Regi, ſe terribiliter (vt ait) ab Alexandro obiurgatum, vixitque & ægre ſe à damno gradus ſui euaſiſſe.

a Vid. Greg. Sep. l. 1. ep. 77.

II. S. ANNO ARCHIEP. COLON. CONFERT SE ROMAM PRO NECESSITATIBVS ECCL. SVÆ.

Contulit ſe quoque (vt idem auctor tradit) cum ijſdem Antiſtitibus Romam Anno Colonienſis Archiepiſcopus, ſed non vt reus ſicut illi, qui tanto ab eorum vitijs longe aberat, quanto vitæ ſanctæ & irreprehenſibilis præclaris meritis hos & alios Germaniæ Epiſcopos præcellebat. Porro auctor eius temporis qui Vitam illius ſcripſit[b], cum hoc anno Romã veniſſe teſtatur ob multas Eccleſiæ ſuæ cauſas, & inter eas illam fuiſſe præcipuam, vt Sanctorum Reliquias inde acciperet, & collocaret in monaſterijs à ſe conſtructis. Cui Alexander Pontifex brachium S. Cæſarij Martyris dedit, ceteris Sanctorum reliquijs ipſi tunc chariorem theſaurum, quod hoc eodem tempore Romæ grandi miraculo, vir quidam diuitijs affluens, & voluptatibus deditus, è faucibus dæmonum ereptus fuiſſe precibus & meritis eiuſdem Sancti, cuius vir ille eccleſiam cum cereis frequentare conſueuerat, quæ hiſtoria fuſius recitatur in eadem S. Annonis Vita. Vbi & traditur, ipſum in reditu ab Vrbe accepiſſe in itinere ab Adelaide Alpium Cottiarum Marchioniſſa Reliquias Sanctorum Martyrum Thebæorum, & collocaſſe in monaſterio Sigebergenſi, pro quo ſpeciale priuilegium ab eodem Alexandro conſecutus eſſet: Brachium vero S. Cæſarij poſuiſſe Coloniæ in eccleſia S. Georgij.

b Vit. S. Annon. lib. 1. c. 31. ap. Sur. 4. Dec.

III. CONCIL. VVINTON. ET VVINDSOR. IN ANGLIA.

Hoc eodem anno idem Alexander Papa Legatos à latere miſit in Angliam, Hermenfredum Sedunenſem Epiſcopum, & Ioannem ac Petrum presbyteros Cardinales: qui SYNODO in Octauis Paſchæ VVintoniæ congregata, cui & ipſe Rex VVillelmus interfuit, inter alia depoſuerunt Stigandum pſeudoarchiepiſcopum Dorouernẽſem ſiue Cãtuarienſem, quod viuente legitimo Archiepiſcopo Roberto (qui perſecutionem paſſus Sedem Apoſtolicam appellauerat) thronum eius inuaſiſſet eiuſdemque pallio aliquandiu vſus eſſet, poſtea vero à Pſeudopapa Benedicto aliud pallium accepiſſet, & quod Epiſcopatum VVintonienſem cum Archiepiſcopatu poſſideret. Qui iuſſu Regis in vincula coniectus, miſere illic ſordidiſſimam vitam finiuit. Depoſiti ſunt etiam eodem Concilio, procurante Rege alij Epiſcopi & Abbates, rurſumque alij alia SYNODO apud VVindeshoram die poſt Pentecoſten celebrata ab eodem Hermenfredo, cum iam Petrus & Ioannes Cardinales ab Anglia diſceſſiſſent Romã reuerſuri. Hæc quidem omnia pluribus Rogerus, & alij rerum Anglicarum ſcriptores. Ceterum etſi legitime per Legatos Apoſtolicos Rex viſus ſit cuncta peregiſſe: tamẽ quod depoſitis (vt aiunt) abſque legitima cauſa pleriſque Antiſtitibus Anglis, alios ex ſua gente Northmannos in eorum locum ſubrogari curauerit, quamuis viros præſtantiſſimos minime effugit inuidiam, quin ea in deteriorem partem accepta fuerint, tamquam non zelo religionis, ſed cauſa ſtabiliendi ſibi regni nuper acquiſiti ea fecerit.

IV. LANFRANCVS ORDINATVR ARCHIEP. CANTVAR.

In locum autem Stigandi, agente Rege, & iubente Papa, ſubrogatus eſt *Lanfrancus*, celeberrimum huius ſæculi in Eccleſia Catholicã lumen ſupra tantum candelabrum erectum, qui ſcientia egregie polleret & ſanctitate vitæ: qui quidem olim ex monacho Beccenſi factus Abbas Cadomenſis cœnobij in Northmannia, inuitus admodum Cantuarienſem Archiepiſcopatum ſuſcepit, & conſecratus eſt hoc eodem anno quarto Calendas Septembris. Sed qui vitam quietiorem hactenus duxiſſet, mox vbi motu rerum agitari cœpit, vt dimittere poſſet Archiepiſcopatum literis rogauit Alexandrum Papam. Cum autem ea de re ſpes omnis fruſtraretur, ad ſubeundum onus humeros ſubmittens, pro accipiendo pallio Romam Legatos miſit. Verum quod eſſet antiquæ conſuetudinis (quam ſuis locis teſtatam vidimus) vt ipſimet Archiepiſcopi Anglicani ad illud ſumendum conferrent ſe ad Limina Apoſtolorum, cum non obtinuiſſet quod petierat, in eius rei excuſationem literas accepit ab Hildebrando S. Rom. Eccleſiæ Archidiacono, quibus monitus eſt Romam ipſe petere quod & præſtitit (vt videbimus) anno ſequenti.

V.

Hoc eodem anno Alexander Papa qui imitatus Leonem Nonum, licet Romanus Pontifex, numquam titulum prioris Lucenſis Eccleſiæ (vt ex illius antiquis monumentis cognoſcitur) dimittere voluit, emenſo decẽnio ex quo cœperat illic egregiam baſilicam ædificare, ea iam abſoluta Lucam petijt, eamque in honorem S. Martini Epiſcopi & Confeſſoris Deo dicauit pridie Nonas Octobris, & ſacris Reliquijs illuſtrauit, inprimis vero corpore S. Alexandri Papæ & martyris. Erat quoque tunc temporis in eadem Lucenſi ciuitate Ioannes præpoſitus monaſterij, ſanctitate conſpicuus: de quo cum fama vulgata eſſet, quod quicunque febre detentus hauſiſſet ex aqua quæ de manibus illius defluxiſſet dum poſt Miſſarum ſolemnia ablueret, idem Alexander Papa febre correptus, iuſſa ſibi eiuſmodi aqua latenter deferri, ea epota repente ſanitati priſtinæ eſt reſtitutus. Rem geſtam deſcribit in Dialogis Deſiderius Abbas Caſſinenſis, qui poſtea fuit Victor Papa Tertius.

ALEX. PP. SANATVR POTIONE ABLVTIONIS MANVVM IOAN. MONACHI.

VI. DE PLVRIBVS GODEFREDIS, BEATRICIBVS ET MATHILDIBVS TOLLVNTVR DVBIA

Hoc item anno (vt habent Hermannus & Sigebertus) mortuus eſt Godefredus Dux Lotharingiæ & Tuſciæ, coniunx Beatricis, cognomento Barbatus, eius nominis Tertius, de quo ſæpe ſuperius. Cui ſucceſſit filius Godefridus Gibber, ſed in Ducatu Lotharingiæ tantum: Tuſciæ enim dominam & Liguriæ ſolam Beatricem remanſiſſe, ipſa publica Florentina monimenta declarant. Fuit autem iſta Beatrix Henrici Quarti Regis amita, vt traditur apud Gregorium[c] Septimum, quamobrem oportuit filiam fuiſſe Conradi Imperatoris, ſororem vero Henrici Tertij Auguſti. Nam & Domnizo presbyter in Vita Mathildis expreſſe iterum teſtatur, eamdem Mathildem filiam Beatricis, conſobrinã fuiſſe prędicti Henrici Quarti. Ex quibus ſatis refellitur, quod apud eumdem Domnizonem videtur aſſeri, ipſam Beatricem matrem Mathildis, genitam fuiſſe ex Friderico Duce Lotharingiæ. De ipſa vero *Mathilde* filia eiuſdem Beatricis ex primo coniuge Bonifacio Marchione Tuſciæ, illud etiam exploratum habetur, nuptui fuiſſe traditam prædicto Godefrido, cognomento ex deformitate corporis Gibero atque Strumoſo, filio Godefredi Barbari mariti Beatricis ex alia vxore, quam Lambertus[d] Gozelonem appellat, quique (vt diximus) in Ducatum Lotharingiæ patri ſucceſſit. Verum paulo poſt, cum needum matrimonium conſummatum eſſet, facto inter eos diuortio, Mathildis virgo permanſit, vt ex eodem Domnizone alijſque conſtat. Quod autem nonnulli tradunt eandem rurſus nuptam Azoni Marchioni, id prorſus de alia Mathilde intelligendum eſſe certum eſt[e]. Sicut & quod aliæ Mathildes & Beatrices nuptæ fuere eiuſdem nominis Ducibus Lotharingiæ Godefredis, id pleriſque Scriptoribus errandi fuit occaſio in æquiuocis laborantibus. Illud tamen de hac Godefredi Gibberi olim ſponſa Mathilde extra dubium eſt, ipſam iam prouectioris factam ætatis matrimonio iunctam eſſe Welphoni Iuniori, ſed ita vt à viri amplexibus abſtinuerit, prout inferius[f] videbitur ſuo loco.

c Greg. Sept. l. 1. ep. 1.

d Lamb. an. 1070 & 1077.

e Agit pluribus de his Baro. Annal. To. XI hoc an. in fi. & an. 1074.

f Infr. an. 1089. nu. 5.

ROM. DIOG. AN. 4.

IESV CHRISTI ANN. 1071.

ALEX. II. AN. 11.

I. CAVSA CONSTANTIEN. EPIS. DEFERTVR AD PP.

ANNO Domini milleſimo ſeptuageſimo primo, Indictione nona, delata Romam cauſa Caroli delecti ab Imperatore Conſtantienſis Epiſcopi, accuſantibus eum clericis ſimoniæ, & furti theſaurorum Eccleſiæ, ipſo autem pro ſua ordinatione Sedem Apoſtolicam appellante, eadem ab Alexandro Papa delegata eſt Archiepiſcopo Moguntino: penes quem cum plus valeret iuſſio Pontificis, quam auctoritas Regis nitentis omnibus modis liberare Carolum ſibi dilectum, idem Archiepiſcopus eumdem teſtibus conuictum in SYNODO eadem menſe Auguſto Moguntiæ celebrata, cui Rex ipſe interfuit, condemnauit: qui ſic turpiter deiectus, paulo poſt mortem ex mœrore percepit. Scribit hæc pluribus Lambertus.

II. CELEBERRIMA OMNIVM DEDICATIO ECCL. CASSIN.

Hoc eodem anno idem Alexander Papa inuitatus à Deſiderio Abbate Caſſinenſe & Cardinale, Caſſinum profectus, Calendis Octobris dedicauit nouam Baſilicam S. Benedicti ab eodem Abbate erectam. Quæ quidem celeberrima omnium dedicatio fuiſſe reperitur præſente Pontifice Romano cum omnibus Cardinalibus qui Romæ aderant, & Archiepiſcopis decem atque Epiſcopis quadraginta tribus, pluribuſque inſuper Principibus atque magnatibus, necnon populi innumera multitudine, conceſſa omnibus ab Alexandro Indulgentia remiſſionis peccatorum. Hæc diffuſius Leo Oſtienſis [a], atque alij qui eamdem conſecrationem tum carmine tum ſoluta oratione deſcripſerunt: inter quos multa parum fideliter [b] longe poſt hæc tempora conſarcinauit Petrus Diaconus in ſermone de Octaua S. Benedicti, quæ reducenda ſunt ad fidem eorum quæ habet Leo, qui omnia vidit & quam exactiſſime deſcripſit.

a Leo Oſt. lib. 3. cap. 28.
b De hoc vid. Apolog. in Conſt. Bellorum, quo Baron. hic Lectorem remittit de qua dictum eſt ſup. an. 581. ad n. 5.

III.

Hoc item anno Lanfrancus, quem ſuperiori conſecratum vidimus Archiepiſcopum Cantuarienſem, & Thomas ex canonico Baiocenſi conſecratus ab eo Archiepiſcopus Eboracenſis, Romam venerunt ad Alexandrum Papam, ſuſcepturi ex more ab eo pallium. Vbi cum ambo benigne habiti eſſent, Lanfranco præ excellentia meritorum idem Pontifex poſt datum pallium conſuetum, aliud ſuperaddidit in ſignum amoris, nempe illud ipſum quo ipſe Pontifex vti conſueuiſſe in celebratione Miſſarum. Quin etiam aduenienti aſſurrexit, profeſſus tamen non ſe illius Archiepiſcopatui hanc venerationem, ſed doctrinæ deferre, atq; ideo mox exigens vt pro more omnium Archiepiſcoporum ad pedũ oſcula aduolueretur. Mota autem poſthæc à Thoma Eboracenſi quæſtione de primatu Eccleſiæ Cantuarienſis, dicente Eboracenſem paris cum ea eſſe honoris, nec alterã debere alteri ſubiacere, excepto quod alterutrius Archiepiſcopum priorem & digniorem oporteat eſſe eo quem conſtiterit fuiſſe poſterius ordinatum: cum pro ſua Eccleſia Lanfrancus ſe opponeret, decreuit Alexander vt ea cauſa in communi totius Angliæ Synodo tractaretur. Quod vero aliquorum delatione idem Thomas, quod filius eſſet presbyteri, necnon Remigius Epiſcopus Lincolnienſis (qui vna cum Lanfranco Romam venerat) quod bellicis laboribus Epiſcopatum ab Willelmo Rege nundinatus eſſet, ab eodem Alexandro depoſiti eſſent, idem precibus Lanfranci reſtituti ſunt. Reperiturque decretum [c] Alexandri, vt electus filius presbyteri, ſi virtutibus polleat non reijciatur. Denique cum plures Anglorum Epiſcopi, ſimulque Rex ipſe, tentaſſent vt pulſis ab eccleſijs cathedralibus monachis, clerici ſubrogarentur, ne id fieret, & vt Alexander ſuis Apoſtolicis litteris prohiberet, Lanfrancus effecit. Quæ quidem omnia ab illo Romæ tunc geſta, fuſius enarrantur ab Willelmo Malmesburienſi in Rebus geſtis Anglorum Pontificum. Sed & eidem Lanfranco decretam eſſe Legationem Apoſtolicam in Anglia, conſtat ex literis hortatorijs ab Alexandro Pontifice per eum datis ad Willelmum Regem.

LANFRANCVS ARCHIEP. CANTVAR. DVPLEX PALLIVM ACCIPIT A SVM. PONTIF.

c c. Apoſtolica diſt. 66.

IV. DIOGENES IMP.

Quod ad res pertinet Orientis, hoc ipſo anno Romanus Diogenes Imperator, cum regnaſſet annos tres & menſes octo (vt teſtatur Curopalates) miſerando exitu ex hac vita deceſſit. Cum enim pugnans aduerſus Turcas, oblatam pacem ab Aſam Sultano magna arrogantia reieciſſet, ipſumque cum ſuis proficiſcentem aggreſſus eſſet, diremptus noctis crepuſculo cum rediret ad ſuos, poſtremæ acies exiſtimantes illum fugere, in fugam ſeipſos irreuocabilem dederunt: qua bene vſi occaſione inimici, adorti eos victoriam inſperatam adepti ſunt, qua & ipſum Imperatorem duxerunt captiuum. Habuit illum benigne Sultanus, ſua quoque menſa dignatus. Cumque aliquando eum interrogaſſet, *Quid mihi feciſſes, ſi me in tua poteſtate habuiſſes?* reſpondiſſetq; Imperator ſimpliciter, *Multis plagis corpus tuum confeciſſem:* *at ego*, inquit Sultanus, *tuam crudelitatem non imitabor. Audio namque veſtrum vobis præcipere Chriſtum pacem & obliuionem iniuriarum, ſuperbiſque reſiſtentem humilibus gratiam dare.* Deniq; præſtitit ex animo Dux barbarus quod promiſit. Nam inita cum Imperatore pace perpetua, & numquam amplius Romanum Imperium à Turcis inuadendum fore pollicitus, reliquos etiam captiuos omnes relaxari præcepit.

CAPITVR A TVRCIS.

V. EIVSDEM DIOG. MISERANDVS FINIS.

Cum interea perlato de clade nuntio Conſtantinopolim, mox alium conſtituerunt Imperatorem Michaelem Conſtantini Ducæ filium, coactamque eius matrem Eudociam Auguſtam, in monaſterium detruſerunt. [illegible]is vero Andronicus in occurſum Diogenis, eumdem captum, nigraque veſte indutum ſuper mulum toto illo perlongo itinere perduxit: quem & iuſſit nouus Imperator effodi oculis, ſed vulneribus non curatis cum eius caput intumuiſſet, vermibuſque ſcateret, graueolens, horribilis viſu, vt humanum oſtentum expoſitus omnium oculis, finem viuendi fecit, luens hic pœnas ne æternas incurreret: In talibus enim & tot maſculis (inquit Curopalates, dum hanc tragœdiam pluribus recenſet) nihil vmquam nefarij protulit, ſed Deo gratias agere perſeuerauit, caſus æquo animo ferens. Quod vero idem auctor addat, eumdem Diogenem Epiſcopatum Nazianzi ad iura metropolitana perduxiſſe, equidem puto ipſum ſtudioſum S. Gregorij Nazianzeni, eius beneficio ita ſaluatum. Qui autem ſubrogatus eſt Imperator MICHAEL DVCAS, fuit iſte Conſtantini Ducæ Auguſti filius, idemque iam ante decennium vna cum Ioanne Duca patruo, & fratribus, Cæſar appellatus, dictus cognomento *Parapinaceus*, eiuſque nominis Michael Septimus: qui coronatus eſt à Ioanne Xyphilino Patriarcha, vna cum vxore Maria Alana Auguſta. Hæc ex Curopalate, Zonara, & alijs Græcis, necnon & Latinis auctoribus.

MICH. DVC. IMPERAT.

VI. DE THEOPHYLAC. ARCHIEP. BVLGAR.

Huius Michaelis tempore claruiſſe conſtat THEOPHYLACTVM Archiepiſcopum Bulgarorum, cuius extant inter alia nobiles commẽtarij in quatuor Euangelia. Quod autẽ ipſum ſub Baſilio Seniore Imperatore anno Chriſti octingẽteſimo octogeſimo tertio, claruiſſe poſuerit Panuinus in Faſtis, vel Sixtus Senenſis in ſua Bibliotheca ſub Michaele Porphyrogenito, qui cœpit imperare cũ Theodora Auguſta matre anno octingenteſimo quadrageſimo ſecundo, vel alij eodẽ ſeculo; hi omnes à veritatis ſcopo longe longius aberraſſe noſcuntur. Ex eius enim epiſtolis quæ numero quinquaginta nouem Græce ſcriptæ extant in Vaticana Bibliotheca, multiplici argumento monſtratur hoc ipſo tempore claruiſſe: quippe quod eæ vel datæ habeantur ad eos qui his temporibus vixiſſe noſcuntur, vel in eis eorum mentio habeatur, puta Mariæ [d] Imperatricis, Ioannis Ducæ [e] ſororij Michaelis Imperatoris, & familiæ Ducarum, atq; etiam Conneorum [f], Adde quod cum ex iiſdem [g] epiſtolis conſtet, Bulgariam ſuis temporibus non ſub Regibus Bulgaris, ſed ſub Magiſtratibus ab Imperatore Conſtantinopolitano miſſis adminiſtrari, nihil certe eſt vt ad ea Baſilij Imperatoris tempora referri poſſint, quibus cõſtat Bulgaros ſuos habuiſſe proprios Reges. Deniq; quod in vna earumdem epiſtolarum [h] fiat mentio Boriſis Bulgarorum Regis, qui vixit (vt Zonaras, & alij oſtendunt) poſt centum annos à Baſilio, nempe ſub Nicephoro Phoca & Ioanne Zemiſce Auguſtis, immo cum & ibidem meminerit de eccleſijs ab eodem Boriſe Rege ædificatis, & poſt multum ſpatium temporis

d Theophyl. ep. 1.
e Id. ep. 11.
f ep. 8.
g ep. 13 & alijs.
h ep. 27.

poris vnam illis diritam filio Sebaſtocratoris commendet reſtituendam: ex his plane demonſtratur, cum non ſolum non ſub Baſilio, ſed longe poſt Boriſem, nimirum his ipſis temporibus vixiſſe. Fuit autem ipſe Theophylactus patria Conſtantinopolitanus, præfectus Archiepiſcopus primariæ Acridanæ Eccleſiæ Bulgarorum. Quem tuliſſe quidem diu, ſed ægro animo eiuſmodi incolatum, ob plane barbaros ac peruerſos mores tum omnium Bulgarorum, tum maxime ipſorum Acridanorum, eoque ſe liberari, ac patrio ſolo reddi vehementer oraſſe, haud vero exauditum perſeueraſſe in vili functione curæ paſtoralis, conſtat ex iiſdem ipſius epiſtolis: eſtque vna earum, quam his ipſis diebus ſcripſit ad Mariam Auguſtam, iam ætate ſenex, cum rediret in Bulgariam vnde venerat Conſtantinopolim. Quod vero ad eius ſcripta pertinet, vbi ius cum legeris, ſenties S. Ioannis Chryſoſtomi ſemper eructare ſententias.

VII. S. PETRVS ANAGNIN. LEGATVS MISSVS CONSTANTINOPOL.

Ceterú cum innotuiſſet in Occidentalibus oris, creatum Michaelem Imperatorem Orientis, placuit Alexandro Papæ mittere ad eum antiquo more Apocriſarium: quo quidem officio ſignificari videtur, eumdem Imperatorem cum Romana Eccleſia fuiſſe communione coniunctum. Miſſus eſt autem *Petrus*, olim monachus S. Benedicti apud Salernum, & poſtea ab eodem Alexandro creatus Epiſcopus Anagninæ ciuitatis, vir quidé tum ſcientiarum ſanctitate, quin etiam virtute miraculorum inſignis, qui & hac ipſa legatione ſua Imperatorem morbo grauiſſimo laborantem reddidit ſanitati. Manſit autem ibi annum vnum, vſque dum vixit Alexander Papa, poſtea vero ad Eccleſiam ſuam rediit, cui præfuit magna laude (licet non ſine ingratitudine ſubditorum, à quibus plurima indigna paſſus eſt) annis quadraginta tribus. Eius vitam ſcriptis mandauit S. Brunus Signiæ Epiſcopus ipſius contemporaneus. Eumdemque virtutibus ac miraculis clarum paulo poſt obitum Paſchalis Papa Secundus in numerum Sanctorum retulit[i].

[i] *Recitat diploma canonizationis Baron. To. XII. an. 1105.*

IESV CHRISTI AN. 1072.

MICH. VII. DVC. AN. 1.

ALEX. II. AN. 12.

I. CONCIL. ANGLIC. GENER. DE PRIMATV ECCL. CANTVAR.

ANNO Chriſti milleſimo ſeptuageſimo ſecundo Indictione decima, ſexto Idus Aprilis celebratum eſt apud Wentanam ciuitatem in Anglia, ex iuſſione (vt vidimus anno ſuperiori) Alexandri Papæ, generale CONCILIVM totius Inſulæ Epiſcoporum & Abbatum, cui & Rex Willelmus interfuit: in quo ventilata quæſtione de primatu Eccleſiæ Cantuarienſis ſuper Eboracenſem, aliiſq; vtriuſque iuribus, poſt exactam rerum omnium examinationem, res adiudicata eſt Cantuarienſi, cui hoc tempore præerat Lanfrancus. Deſcribuntur autem iſta pluribus ab Willelmo [a] Malmesburienſi de Geſtis Pontificum Anglorum, necnon ab ipſo Lanfranco in epiſtola tunc ea de re ſcripta ad Alexandrum Pontificem, qua eatumdem rerum in Synodo geſtarum confirmationem petiit.

II. PETRI DAM. LEGATIO AD CONCILIAND. ECCL. RAVEN.

Hoc item anno defuncto Henrico Archiepiſcopo Rauennate (quem obſtinato animo fuiſſe Cadaloo ſchiſmatico, eaque de cauſa vna cum illo excommunicatum fuiſſe ab Alexandro Papa, eiuſdem Papæ ſcripta ſignificant) idem Alexander Legationem decreuit Petro Damiani Cardinali Oſtienſi ad conciliandam illam Eccleſiam Apoſtolicæ Sedi, & abſoluendos omnes qui cum eodem Archiepiſcopo communicaſſent quo perfuncto egregie munere Petrus reuerſurus ad ſuos Fauentiam perueniens, illic octo diebus morbo laborauit, ac tandem die Cathedræ S. Petri Antiochenæ reddidit Deo ſpiritum. Hæc de eius legatione & obitu, Ioannes monachus ipſius diſcipulus in fine eius Vitæ quam ſcripſit. Qui licet nihil de anno Chriſti quo id contigerit habeat: tamen præſenti anno accidiſſe, diſerte tradit Bertholdus Conſtantienſis eiuſdem temporis auctor in Auctario ad Hermannum Contractum: eique in Epiſcopatu ſuffectum eſſe Geraldum monachum, ſcientia Scripturarum inſignem, & moribus ſuo prædeceſſori non imparem, Confirmaturque iſta ex eo quod reperiuntur [b] literæ Gregorii Papæ Septimi datæ anno ſequenti Indictione vndecima pridie Calendas Maii ad eumdem Geraldum Epiſcopum Oſtienſem Petri ſucceſſorem, aliæque ſexto Calendas Maii ad Guibertum Archiepiſcopum Rauennatem Henrico ſubrogatum, quem item ante Alexandri obitum ad eam Eccleſiam fuiſſe promotum, manifeſte aſſerunt ipſa Acta eiuſdem Alexandri.

[b] *Greg. Sept. l. ep. 3. & 6.*

III. PETRI DAM. OBITVS.

Ex his igitur omnibus fateri neceſſe eſt, Petrum Damiani hoc ipſo anno ex hac luce ad paradiſi gloriam tranſiiſſe, ideoque erraſſe qui eum perueniſſe volunt ad annum Redemptoris milleſimum octogeſimum. Qui quidem ex eo decepti ſunt, quod Ioannes ſcriptor Vitæ ipſius, poſt finem eius apponens appendicem, narrat miraculum quod poſt deceſſum (inquit) Petri contigit anno Incarnationis Domini milleſimo octogeſimo menſe Auguſto. Verum his verbis plane ſignificatur, tempus annotatum haud pertinere ad tempus obitus Petri, quod iam certum Ioannes ex obitu Archiepiſcopi Rauennatis, & die Cathedræ S. Petri, reliquerat conſignatum, ſed ad illius miraculi certum tempus inſinuandú. His præterea adde, quod nulla poſthac de ipſo Petro vſquam mentio, nullum penitus ſcriptorum monumentum eiuſdem inueniatur elucubratum, nullæ ab ipſo vel ad ipſum datæ literæ, eo præſertim tempore quo ſub Pontificatu Gregorii Septimi acerbiſſimam Eccleſia Romana paſſa eſt perſecutionem, cum alioqui tanti viri ea tempeſtate vel nomen ipſum magni potuiſſet aduerſus hoſtes eſſe adiumenti ſicuti fuiſſe vidimus ſuperioribus temporibus. Quod enim in Bibliotheca Margarini, in editis epiſtolis quibuſdam eiuſdem Petri, vna legitur data ad Gregorium Septimum ſub nomine Hildebrandi hac inſcriptione, *Dilectiſſimo Sedis Apoſtolicæ electo, & Virgæ Aſſur Hildebrando*, iam alibi ſuperius [c] deteximus mendum, & Germanam lectionem ex antiquis codicibus reſtituimus. Obiit autem Petrus anno ætatis ſuæ ſexageſimo ſexto: quippe qui in epiſtola ad Senatum, teſtetur natum ſe poſt annos quinque ab Ottonis Tertii Imperatoris obitu, qui accidit exordio anni milleſimi ſecundi. Quem quidem Deus in hoc deploratiſſimo ſæculo, cum excreuiſſet ad eccleſiam obruendam diluuium carnis, dedit mundo, qui auſteriſſimæ vitæ exemplo, verbique prædicatione, & ſcriptis, exſiccaret tandem putredinem, præterque pugnaret aduerſus Simoniacam hæreſim, quæ vbique locorum graſſabatur impune. Claruit vero poſt obitum miraculis, quæ Ioannes recenſet. Cuius & Scripta propediem prælo ſubiicientur, vna cum eius Vita vberius ſcripta.

[c] *Sup. an. 1061. num. 1.*

IESV CHRISTI AN. 1073.

MICH. VII. DVC. AN. 2.

GREG. VII. AN. 1.

I. ALEX. PP. VOCAT HENRIC. REG. AD DICENDAM CAVSAM

ANNO Chriſti milleſimo ſeptuageſimo tertio, Indictione vndecima, Alexander Pontifex per Annonem Colonienſem & Hermannum Bambergenſem Archiepiſcopos, quos Rex Germaniæ Henricus Romam miſerat pro iuribus regni, literas ſcripſit ad eumdem Regem, vt cauſam dicturus Romam ſe transferret, reſponſurus accuſationibus de Simoniaca hæreſi, aliiſque grauiſſimis delictis, quas anno ſuperiori Saxones aduerſus eum inſurgentes pro Ottone Bauariæ Duce, quem ſub ſpecie læſæ maieſtatis Rex Ducatu priuarat, ad Sedem Apoſtolicam detuliſſent. Habent iſta Vrſpergenſis [a] Abbas, & Otto [b] Friſingéſis. Verum quæ interceſſit hoc anno mors ipſius Alexandri Pontificis, cauſam iam cœptam aliquamdiu diſtulit: quem quidem hoc anno vndecimo Calendas Maii deceſſiſſe, Marianus Scotus affirmat.

[a] *Vrſperg. hoc an. & ſuper.* [b] *Ott. Friſ. lib. 6. cap. 34.*

II. S. ANNO ABDICAT SE ACTIS REGNI.

Cum autem communis eſſet & publica in palatio Regis nundinatio Abbatiarum & Epiſcopatuum, nec monitionibus Rex proficeret, idem qui ſupra S. Anno Archiepiſcopus Colonienſis, qui hactenus vt potuit, magno labore, nec minori periculo, dum eiuſmodi nefanda libere arguens efferati Regis indignationem ſæpius incurrit, habenas regni moderatus eſt: deploratis iam rebus, om-

nem eius adminiſtrationem deponens, diſceſſit è curia. Rex vero (inquit hoc anno Lambertus) tamquam ſeueriſſimo pędagogo liberatus, ſtatim in omnia genera flagitiorum, ruptis omnibus modeſtiæ & temperátiæ frenis, pręcipitem ſe dedit. Montes omnes, colliculoſq; Saxoniæ, & Thuringiæ, caſtellis munitiſſimis extruxit, præſidiumque impoſuit; quibus cum victui neceſſaria minus ſufficerent, permiſit ex proximis villis & agris hoſtili modo prædas agere. Ne vero manifeſtæ tyrannidis notaretur, vt impietatem ſuam quadam religionis ſpecie palliaret, Archiepiſcopum Moguntinum omnibus modis inſtigauit, vt decimationes Thuringiæ, ſicut ante plures annos inſtituerat, exigeret, pollicens ſe ei affuturum, ea tamen pactione, vt ipſarum decimationum partem ſibi tribueret. Ita Archiepiſcopus vaniſſima ſpe animatus, *Synodum* indixit in Erphisfurd ſexto Idus Martij: vbi cunctis terrore ac minis in Regis ſententiam concedentibus, prohibitaque ſub pœna capitis & bonorum amiſſionis, Thuringiorum quam parabant ad Sedem Apoſtolicam appellatione: ſciens idem Rex haud iſta placitura Romano Pontifici, denuo ſub interminatione gratiæ ſuæ, Abbatibus Fuldenſi & Herueldenſi, quorum maxime iura in eiuſmodi latrocinantium conuenticulo imminuta fuerunt, præcepit vt nullo modo de rebus iſtis Sedem Apoſtolicam interpellarent. Narrat hæc omnia Lambertus hoc anno: quæ ante tempus Paſchale geſta eſſe tradit. His vero facinoribus infelix iuuenis idem Rex Henricus, annum dumtaxat ætatis agens vigeſimum ſecundum, in apoſtaſiam à ſede Apoſtolica delapſus, in exemplum factus eſt ſchiſmaticis & hæreticis Regibus, qui appellationem ad eam Sedem Henricianæ hæreſis labe conſperſi vetuerunt. Sed de illo peiora inferius.

IMPEDITVR TYRANN. CA A REGE APPELLATIO AD SED. APOST.

III

CAVSA EPISCOPI PRAGEN. DILATA AD SED. APOST.

Haud vero ſic VVratislaus Dux Boemiæ: ſed cum iniuriam paſſus eſſet ab Ioramiro Epiſcopo Pragenſi, in eo quod iſte moleſte ferens Epiſcopatum ſuum ipſo VVratislao promotore in Olmucenſem diuiſum fuiſſe, Ioannem Epiſcopum Olmucenſem plurimis contumelijs & plagis affeciſſet, eiuſque ea de re miſſos Romam nuntios mutilari & cædi in itinere procuraſſet: querelam ad auditorium Summi Pontificis aduerſus eumdem Ioramirum detulit. Qua ſceleris magnitudine Alexander Papa motus, tranſmiſſo ad illud corrigendum Rodulpho Cardinale, & ab iſto remiſſis partibus ad ipſum Pontificem: Alexander Ioramirum gradu depoſuit, ſed rogatu Comitiſſæ Mathildis (de qua dictum eſt ſuperius) iterum reſtituit, ita tamen vt Olmucenſis Eccleſiæ erectio firma permaneret. Narrat iſta Longinus, idemque Dlugoſchus dictus canonicus Cracouienſis in ſuis Annalibus Polonicis hoc anno: quæ denuo (vt paulo poſt videbitur) ſub Alexandri ſucceſſore Gregorio ſunt ventilata.

IV.

ALEX. PP. OBITVS, ET MIRACVLA.

Mortuus eſt autem *Alexander* Romæ decimo Calendas Maij, cum ſediſſet annos vndecim, menſes ſex, dies viginti duos: & ſepultus in Lateranenſi eccleſia. Cuius miracula duo edita ante obitum, recenſet Leo [c] Oſtienſis: alterum de liberato apud Caſſinum orationibus ſuis dæmoniaco: alterum vero de ſanata apud Aquinum fœmina clauda, cum ei bibendam dediſſet aquam qua poſt Miſſarum ſolemnia manus ſuas ablueret.

c *Leo Oſt. l. 3. Chron. Caſ. c. 33.*

V.

GREG. VII. PP.

Quod vero ad eius ſucceſſorem ſpectat, nempe Hildebrandum Archidiaconum, dictum GREGORIVM Septimum: accidit temporibus noſtris, vigente hæreſi Politicorum, Principibus omnia tribuentium, & ſacra quæque eiſdem nefarie ſubijcientium, alijſque Nouatoribus & peruerſoribus implacabili odio in Romanos Pontifices exurgentibus: vt in odium eiuſdem Gregorij legitime electi, ac confirmati, approbatique Pontificis, ſchiſmatico pſeudopapæ fauentes, quæ ab huius ſectatoribus ſchiſmaticis tunc facta, dicta vel ſcripta potuerint reperiri, eadem in ſui ipſorum opprobrium denuo iactanter ediderunt: nempe Vitam Henrici Quarti Regis, Tertij vero Imperatoris, hoſtis infenſiſſimi ipſius Gregorij: quá auctor non hiſtorice, ſed Apologetice & encomiaſtice concinnauit: itemq; ipſius Gregorij Res geſtas, à Bennone Cardinale ſchiſmaticorum anteſignano in odium illius affe-

DESCRIPTIS IN GREG. VII ET PRO EO COMPOSITIS.

ctu priuato ac deprauato ſatyrice & calumnioſe conſcriptas. Ceterú habet Vaticana Bibliotheca Res geſtas ipſius Gregorij ſeorſum ſcriptas ab auctore eius temporis, quas Nicolaus Aragonius intexuit commétario quem de Romanis Pontificibus ſcripſit, incipiens à Leone Nono: extantque pariter aliæ, quæ ſine titulo auctoris ſcriptæ, putantur eſſe Petri Guillelmi (ita dicti: qui & aliquando ſeparatis nominibus, ſimpliciter Petrus, alias Guillelmus reperitur nominatus) Cardinalis Bibliothecarij, qui poſt Anaſtaſium vſque ad Paſchalem Secundum ſcripſit Vitas Romanorum Pontificum: rurſumque aliæ ex ijſdem concinnatæ ab alijs qui pariter ſcripſerunt Res geſtas eorumdem Pontificum [d]. Sed præter hæc, nos eadem ex diuerſis, ijſdemque probatis eiuſdem temporis Scriptoribus fide digniſſimis, in medium producemus.

d Poſt obitum Illuſtriſſ. Card. Baronij, edidit *Gretſerus* an. 1609 in fine Tomi II. Defenſ. Bellarmin. inſignem Apologiam pro illo Greg. VII. ex 30. aut quis auctoribus concinnatam, præfſus dignam tanto argumento: cum nonnullis opuſculis antiquorum Scriptorum, pro eodem ſanctiſſ. Pontifice olim compoſit. Rurſumq; an. 1610 edidit Vitá eiuſdem Pontificis, à *Paulo Bernriedenſi* Canonico tunc ſcriptam, vbi res eius geſtæ diffuſe deſcribuntur. Itemque an. 1611 *Gretſerus* ... Syntagma de eodem Gregorio, cum Refutatione Alogiarum *Annæ Comnenæ* contra eumdem Pontificem. Ex quibus omnibus facilius refellas, quæ veteres ſchiſmatici ac noui hæretici aduerſus Gregorium oggannierunt. Confirmant ea ij, gregiæ quæ Baronius retulit: multaque alia cognitu digna referunt, quæ ipſe prætermiſit.

VI.

GREG. NATALES, PVERITIA, ET EDVCATIO.

Et quod inprimis ad eius natales & genus ſpectat; cum alij Soanenſem, Senenſem alij fuiſſe tradant, conſtantior eſt ſententia fuiſſe patria Soanenſem è Tuſciæ ciuitate, natum humili loco, parente fabro: adduntque quod cum aliquando puerulus luderet ad patris pedes ligna dolantis, ex reiectaneis ſegmentis, cum neſciret literas, caſu elementa formarit, ex quibus ſimul coniunctis illud Dauidicum [e] exprimeretur oraculum, *Dominabitur à mari vſque ad mare*: quo ſignificaretur, manum pueri ductante numine, eius fore ampliſſimam in mundo auctoritatem. Educatum vero fuiſſe ab infantia ſub protectione atq; in domo, & quaſi in gremio S. Petri Apoſtoli, idem ipſe ſcribit [f] ad Guillelmum Regem Angliæ, & ad Præſules ac Principes Saxoniæ. Et qui tunc vixit auctor Micrologi de Eccleſiaſticis obſeruationibus, de eodem ait [g], ſub decem ſuis anteceſſoribus à puero Romę nutritum & eruditum, omnes Apoſtolicas traditiones diligentiſſime inueſtigaſſe, & inueſtigatas in actum referre ſtudioſiſſime curaſſe. Quod autem ipſemet in fine primi anni ſui Pontificatus ſcribens [h] ad Hugonem Abbatem Cluniacenſem, numerat annos viginti ſuæ in Vrbe commorationis; oportuit eum numeraſſe ab eo tempore quo nouiſſime Romam cum Leone Papa Nono redijt anno Domini milleſimo quinquageſimo tertio, cum primo inde in Germaniam & Gallias abijſſet vna cum Gregorio Papa Sexto.

e *Pſal. 72.*

f *Greg. VII ep. 23. & l. ep. 39*

g *Microl. c. 14.*

h *Greg. 2. ep. 49.*

VII

GREG. ADOLESCENTIA.

Quod vero adoleſcentiam eius carpit Benno, quaſi in ea magiſtrum magiæ habuerit Laurentium Archiepiſcopum Amalphitanum, quem dicit principem maleficiorum fuiſſe, & magiam publice profeſſum eſſe, in tantum vt & quæ ſcripta ſunt à Philoſtrato de Tyanæo, eadem totidem ferme verbis ei adſcribat: ſummę quidem cedit laudi Gregorio, quod magiſtrum adoleſcens nactus ſit ipſum Laurentium: quem non principem maleficiorum, ſed Sanctorum eius temporis extitiſſe, ipſiuſq; exequias Sanctorú paradiſi interuentione honoratus fuiſſe, Petri Damiani, teſtis irrefragabilis & vndiq; integerrimi, in Vita S. Odilonis [i], aſſertione exploratiſſimum redditur: adeo vt ex tam enormi mendacio, non amplius in reliquis audienda, ſed exſufflanda ſit impudens nebulonis Bennonis ad calumniandum procacia. Siquidem Gregorium & in monachatu Cluniaci ſuſcepto, & poſtea Romæ in Subdiaconatus, ac deinde Archidiaconatus adminiſtratione, dignam in omnibus Apoſtolico viro vitam duxiſſe, ſinceriſſimis fideliſſimorum tum viuentium Scriptorum teſtimonijs ſuperius eſt ſuis locis demonſtratum.

i *ap. Sur. 1 Ianuar.*

VIII.

DE GREG. ELECTIONE.

Sed & quod ad eius ſpectat in Romanum Pontificem electionem, quam idem Benno illegitimam arguit, tum quod (vt ait) à ſolis laicis facta fuerit, Cardinalibus non ſubſcribentibus: tum etiam quod eadem die id contigerit qua Alexander defunctus eſt, contra canones quibus præceptum erat, neminem eligi in Romanum Pontificem ante diem tertium poſt ſepulturam prædeceſſoris:

hæc pari f.cilitate refelluntur, tam ex citatis nuper Vitæ Gregorij Actis, quam ex ipſo electionis decreto tunc ab electoribus ſcriptis mandato, quod in eiuſdem Gregorij Regeſto, epiſtolarum exordio poſitum habetur, necnon ex ipſius [k] epiſtolis ad Deſiderium Abbatem Caſſinenſem, Gilulphum Principem Salernitanum, ac Guibertum Archiepiſcopum Rauennatem: quibus omnibus teſtimonijs conſtat, eadem ipſa die qua Alexander Papa in Eccleſia Lateranenſi ſepulturæ traditus eſt, ſtatuente Hildebrando Archidiacono vt triduanis ieiunijs, precibus, & eleemoſynis, omnes ad faciendam ſucceſſoris Pontificis electionem præpararentur: tamē eodem tempore, ne Sedes Apoſtolica diutius lugeret proprio deſtituta paſtore, vnanimi conſenſu omnium Cardinalium, epiſcoporum, cæterorumq; clericorum ac monachorum, necnon totius populi, eumdem Hildebrandum, ob vitæ integritatem, & egregias virtutes, atque doctrinam, electum fuiſſe & acclamatum in Summum Pontificem, atque Gregorium eius nominis Septimum nuncupatum; eundemque inuitum ac reluctantem in B. Petri Cathedra collocatum. Quod autem de triduo expectando (quod & ipſe Gregorius indixerat) Benno obijcit: cum promulgatum nuper [l] à Nicolao Papa Alexandri prædeceſſore, de norma in Romani Pontificis electione ſeruanda decretum, nihil penitus de eo cauiſſet: haud ſufficiens eſſe potuit cauſa differendæ electionis eius, quem legitimi electores digniſſimum alioqui agnoſcerent illius adminiſtrationis munere.

k Greg. Sept. l. 1. epiſt.

l c. in nomine diſt. 23.

IX. Denique & rerum Germanicarum Scriptores eius temporis fideliſſimi, Lambertus Schafnaburgenſis, Marianus Scotus, Otto Friſingenſis, eiuſdem Gregorij electionem laudant & prædicant. Ipſeque Sigebertus, etſi certum ſit Henricianas partes fouiſſe, Gregorijq; nimiam ſeueritatem incuſet: numquam tamen auſus eſt dicere, illegitimum fuiſſe creatum Pontificem. Vnus Vrſpergenſis Abbas, idemq; ſchiſmaticorum patronus, Bennoni inhærens, eius recitat ſcriptorum capita quædam; verum non auſus, vt ille affirmare ſpuriam omnino fuiſſe electionem, eo tantum capite illam reprehendit, quod abſque Regis conſenſu eum apicem Gregorius conſcediſſet: ſiquidem (vt vidimus) tam Henrico Imperatori, quam huic Henrico Regi eius filio, ex priuile¸io Romanæ Eccleſiæ datum fuerat vt adhibito eorum conſenſu electio facta fulciri deberet. At quam etiam iſtud de non adhibito Regis conſenſu ſit falſum, docēt eadem antiqua monumenta: quippe Acta Vitæ Gregorij narrant, die ſequenti ab eius electione, eumdem æſtuantem nimio dolore ſuæ electionis, cum excuſationem de relinquendo Papatu nō inueniret, nuntios ad Regem Henricum celeriter deſtinaſſe, quibus eum deprecaretur ne aſſenſum præberet: alioquin certum haberet, ſe grauiores ipſius exceſſus nullatenus impunitos toleraturum: ſed Regem, vt electionis veritatem cognouit, aſſenſum præbuiſſe, ac Gregorium Vercellenſem Epiſcopum regni Italiæ Cancellarium in Vrbem miſiſſe, quatenus auctoritate Regia electionem eius confirmaret, & conſecrationi intereſſet. Eſt & indubius Regis aſſenſus teſtis Lambertus, licet in modo paulo diuerſus. Extatque [m] inſuper ipſius Henrici ad eumdem Gregorium epiſtola mox poſt eius electionē ſcripta, qua non ſolum eam probat, tamquam cœlitus (vt ait) factam, ſed & ipſi Gregorio omnimodum famulatum offert, & ſcelerum ſuorum veniam deprecatur: quam epiſtolam hoc ipſo anno ſcriptam eſſe, vel ex eo certum redditur, quod eiuſdem meminit Gregorius in literis eodem anno quinto Calendas Octobris ſcriptis [n] ad Ducem Herlembaldum. Res porro geſtas non aliunde fideliores atque certiores, quam ex epiſtolis quis reperiret.

ELECTION GREG. ACCESSIT REGIS HENR. ASSENSVS.

m ep. Greg. l. 1. Epiſt. poſt. ep. 29.

n Greg. l. 1. ep. 25.

X. Vt autem quæ fuere reliqua anni huius rerum geſtarum eiuſdem Gregorij, quæ ad vniuerſalis Eccleſiæ œconomiam ſpectāt, vel ſi quid aliud his affine, percurramus: idem ſequenti die à ſua electione, nempe nono Calendas Maij, ad Deſiderium Abbatem Caſſinenſem literas dedit, quibus poſt enarratas ſuas anguſtias, iuſſit Agnetem Auguſtam Caſſini tunc exiſtentem ſuo nomine ſalutari: quam Leo Oſtienſis ait ſex ferme menſes ibi remoratam, multa obtuliſſe S. Benedicto dona magnifica & regia, quæ ipſe enumerat. Poſt hæc vero Hugonem Candidum Cardinalē miſit Legatum in Hiſpanias, vt quoniam iam magna ex parte vendicatæ eſſent per Chriſtianos Principes à Maurorum vſurpatione ciuitates atque prouinciæ: quod in eis ius prætenderet Sedes Apoſtolica, ſiue cenſus ratione, ſiue tributi antiquitus antequam Arabes eas prouincias occupaſſent, perſolui eidem cōſueti, æque reciperet: necnon quæ in Hiſpaniarum Eccleſijs eſſent corrigenda emendaret. Hæc enim ei commiſſa fuiſſe, patet ex literis quas tunc Gregorius [nn] ad Giraldum Cardinalē Epiſcopum Oſtienſem, & Raimbaldum Subdiaconum, legatione Sedis Apoſtolicæ in Gallijs fungentes, per eumdem Hugonem dedit pridie Calendas Maij. Idemq; omnibus Principibus cupientibus vendicare ab Infidelibus loca in ijſdem Hiſpanijs adhuc detenta, id alijs ad eos per eumdem Hugonem ſcriptis literis [o], ea dumtaxat conditione conceſſit, vt quæ recuperaſſent à Saracenis, eadem vt obligata Romanæ Eccleſię ſub eius auctoritate poſſiderent & annuum pro illis canonem penſitarent. Ceterum his paruiſſe Hiſpaniæ Principes, cum ſatis oſtendunt literæ eiuſdē Pontificis ad Sancium & Alphonſum ibi regnantes, quibus gratulatur de ipſorum erga Romanam Eccleſiam obedientia & obſeruantia, tum apertè docet exemplum Berengarij Comitis Barchionenſis, qui recuperatam ſub Vrbano Papa Quarto Tarraconenſem ciuitatem Romanæ Eccleſię obtulit, eamdemque ab eo ſub tributo poſſidendam accepit. ſicut dicetur ſuo loco. Et quod ad hæc ſpectat: Gallos quoq; Principes, ſiue ſponte, ſiue vocatos ab Hiſpanis, plures iteraſſe expeditiones contra Saracenos ibi exiſtentes, Francorum antiqua monumenta declarant: quæ prætermiſſa eſſe noſcuntur ab his qui res Hiſpaniarum ſunt proſecuti. Eſtque apud Gregorium [p] inſignis memoria Euuli, ſiue Eboli de Roccio Comitis Galli, qui pactionem cum Alexandro Papa, eiuſque ſucceſſore Gregorio inijt de poſſidenda ſub auctoritate S. Petri Hiſpaniæ parte quam ab Arabibus vendicaret. Porro iſta Hugonis legatio in Hiſpanias, ſecunda numeratur: nam prima contigit ſub Alexandro, de qua dictum eſt ſuo loco: eſtque mentio de ea apud recentiores rerum Hiſpanicarum ſcriptores: de iſta autem ſecunda ne verbum quidem: ſicut nec quæ acta ſint in ea, vſquam memoria. At de prædictis Giraldo & Raimbaldo conſtat [q], eos tranſijſſe in Hiſpanias, & *Synodo* habita aliquos depoſuiſſe Epiſcopos, excommunicaſſe alios, & nonnullos ſuſpendiſſe præter ius faſque, ideoque increpatos ab eodem Gregorio fuiſſe.

HVGONIS CANDIDI LEGATIO IN HISP. PRO IVRIB. SED. APOST.

nn Id. l. 1. ep. 6.

o l. ep. 7.

HISPANIA RECVPERATVR SVB AVCTORITATE ECCL. ROM.

p Id. epp. 6. & 7. & l. ep. 18.

q Id. l. ep. 16.

XI. Eodem anno, cum idem Pontifex per quoſdam monachos accepiſſet à Michaele Imperatore Conſtantinopolitano gratulatorias de ſua electione literas, ea occaſione Legatum ad eumdem miſit Dominicum Patriarcham Venetum, cum literis [r] pro componendo ſchiſmate quod vigeret inter Latinos & Græcos. Quid vero ea legatione actum ſit, nobis incompertum. Illud autem exploratum, eumdem Gregorium anno ſequenti pro Conſtantinopolitano Imperio laboraſſe [s], vt ſuppetiæ ei ferrentur aduerſus Saracenos. Quod vero rurſum ſpectat ad Patriarcham Venetiæ, eumdemque promiſcue Gradenſem ab eodem Gregorio aliquoties nuncupatum: de eo reperitur idem Pontifex [t] Ducem ac Populum Venetiæ redarguiſſe, quod illum ſinerent nimia inopia laborare, atque ea de cauſa tantam apud eos ſordeſcere dignitatem.

LEGATIO MITTITVR A GREG. AD MICH. IMP.

r l. ep. 18.

s l. ep. 49. & 2. ep. 37.

t 2. ep. 39.

GREG. REDARGVIT VENETOS DE INOPIA PATRIARCHÆ.

XII. Hoc item anno idem Gregorius Legatos miſit ad Vratislaum Boemiæ Ducem, Bernardum atque Gregorium; qui ab ipſo Duce honorifice ſuſcepti, ab Epiſcopo Pragenſi Ioramiro (de quo paulo ante actū eſt) adeo indigne habiti ſunt, vt opus eis fuerit ſuſpenſionis in eum ſententiam ferre: ſicut de his conſtat ex eiuſdem Pontificis Epiſtola [u] ad ipſum Vratislaum ea de re ſcripta. Fuitque aduerſus Ioramirum plurimum laborandum [x], quo vſque homo refractarius alijs Iohannis Epiſcopi Morauiæ aduerſus eum querelis iudicio poſtulatus, Apo-

u l. ep. 17.

x l. ep. 44. 45.

DE CAVSA IORAMIRI EPISC. PRAGEN.

ſtolicæque Sedis auctoritate coactus ad dicendam cauſam Romam venire abſolutionis [y] literas obtinuit. Sed rurſum contra eum integrandum fuit iudicium [z], cum denuo cœpit eumdem Ioannem laceſſere. Extant enim aliæ ea de re epiſtolæ [a], quib. etiam redargutus eſt Sigefridus Archiepiſcopus Moguntinus, quod eam cauſam ad ſuum iudicium ſtuduiſſet aduocare. Compoſitas vero tandem auctoritate Apoſtolica fuiſſe eas diſcordias, declarant aliæ eiuſdem Pontificis literæ [b].

y 1. ep. 78. z 1. ep. 6. & 7. 11 ep. 60. 61.

b 2. ep. 53.

XIII. CENSVS SOLVITVR ... RO A DVCE BOEM.

Cum eodem quoque Vratiſlao idem Gregorius [c] hoc anno egit, vt cenſum Apoſtolicæ Sedi perſolueret pro Ducatu Boemiæ, vt ſe facturum voto nuncupato promiſerat, quod & ipſum præſtitiſſe, aliæ eiuſdem Pontificis ad illum anno ſequenti redditæ [d] literæ docent. Beneuenti quoque exiſtens (quem poſt ſuam conſecrationem egreſſum ab Vrbe diuerſa luſtraſſe loca, literæ ex eis ab eo hac eadem Indictione ad diuerſos ſcriptæ ſignificant) menſe Auguſti pactum inijt [e] cum Landulpho Principe Beneuentano, de fidelitate ab eo exhibenda eccleſiæ Romanæ. Idemque octauo Calendas Octobris exegit [f] pariter à Richardo Principe Capuano iuramentum fidelitatis. Atque ibidem Capuæ ordinauit [g] Iacobum Archiepiſcopum Calaritanum in Sardinia: eumdemque coegit radere barbam ex antiquo vſu totius Occidentalis eccleſiæ: ſicut ipſe poſtea ſcripſit [h] ad Orzochum Principem Iudicum, qui tunc Inſulæ Sardiniæ dominabantur: quem & monuit vt perſiſteret eſſe fidelis ſubditus S. Petri, eo quod Sardiniæ dominium eſſet Romanæ Eccleſiæ, à qua illud plerique alij potioribus etiam oblatis conditionibus expeterent.

c 1. ep. 38. d 2. ep. 7. e ep. Greg. ... f Ibid post ep. 21. g 1. ep. 29.

h 8. ep. 10. SARDINIA DOMINIVM ECCL. R.

XIV. i 1. ep. 21.

Capua quoque Calendis Septembris literis [i] monuit Anſelmum electum nuper ab Alexandro Papa Lucenſem Epiſcopum, doctrina, vita, & moribus laudatiſſimum, ne antequam Rex Henricus ſatisfaceret Romanæ Eccleſiæ de communione cum excommunicatis, cuius reus erat conſtitutus, acciperet ab eo per annulum & baculum inueſtituram Epiſcopatus. Verum cum ille poſtmodum inductus eſſet eam accipere, mox facti pœnitens, relicto Epiſcopatu in Cluniacenſe ſe monaſterium abdidit, ibique ſumpto habitu grauiſſimam in ſeipſum exercuit delicti vindictam: ſed inde paulo poſt à Gregorio Papa inuitus reuocatus ad Epiſcopatum, poſt regalium inſignium abiectionem, legitimam ab eo ſuſcepit illius adminiſtrationem: idemq; conſideratione ſanctiſſimæ vitæ ipſius Gregorij (qui etiam inter tot ac tanta negotia, adeo contemplatione excelleret, vt & mentis exceſſus ſæpe pateretur, & cœleſtibus reuelationibus non raro viſitaretur) eiuſdẽ imitator factus, verticem Chriſtianæ perfectionis attigit, & palmam adeptus eſt ſanctitatis. Narrantur hæc omnia in Actis rerum ab eodẽ Anſelmo geſtarum, quæ ab ipſius contubernali presbytero Pœnitentiario fideliter ſcripta ſunt: ex quibus de exantlatis ab illo pro eccleſiæ Catholicæ defenſione laboribus, ſæpe dicendum inferius.

PŒNITENTIA ANSELMI LVCEN. DE ACCEPTO EPISCOPATV AB HEN. REGE.

XV. k 1. ep. 22. 23.

Ex eadem quoque ciuitate Capuana, idem Gregorius duodecimo Calendas Octobris binas Carthaginem literas [k] miſit; quarum alteris Clerum ac populum acriter redarguit, quod ſuum ipſorum epiſcopum nomine Syriacum apud Regem Arabum accuſaſſent; alteris ipſum Syriacum conſolatus eſt, laudibuſque extulit, quod præſentatus Regi potius elegerit diuerſis cruciatibus affici, & verberibus publice nudus cædi, quam contra canones ordinationes celebrare. Romam vero rediens idem Pontifex, Piperni (Priuerni antiquitus dicti) cõmotus in Philippum Francorum Regem, quod præter veteres in eum querelas de venundatione Eccleſiarum ſui regni, recenter ob eamdem cauſam admittere recuſaret Archidiaconum Auguſtodunenſem, legitime electum Epiſcopum Matiſconenſem, pridie Nonas Decembris ſcripſit [l] ad Rodericum Epiſcopum Cabillonenſem Regis familiarem, vt de his Regem commoneret: ea comminatione adiuncta, niſi reſipiſcat, effecturum ſe vt Franci (niſi fidem Chriſtianam abijcere maluerint) generalis anathematis mucrone percuſſi, ei vlterius obtemperare recuſent. Porro Philippum his Gregorij paruiſſe monitis, miſiſſeque ob eam potiſſimum cauſam legationem ad eum, docent literæ eiuſdem Pontificis [m] ad ipſum poſtea datæ.

l REG. COMMOVS IN PHILIP. REG. FRANCORVM ... l 1. ep. 35.

m 1. ep. 75.

XVI. SAXONES IN REG. HENR. CONCITATI A GREG. COHIBENTVR. n 1. ep. 39.

Cum autem Romam rediiſſet, & de bello conflato à Saxonibus aduerſus Henricum Regem didiciſſet, ſequeſter pacis accedens, cum Regem, tum Saxoniæ Præſules & Principes literis [n] hortatus eſt vt ab armis quieſcerent, donec ipſe Legatos eo mitteret qui res componerent. Quinam autem qualeſve fuerint motus iſti Saxonici, deſcribit Lambertus hoc anno: ex quo nobis ſatis ad inſtitutum hæc ſummatim perſtringere: nimirum adeo Principes fideles Regis permotos fuiſſe nefandis allatis aduerſus eum criminationibus in publicis Comitijs habitis menſe Octobris in Gerſtengo, vt communi omnium ſententia decretum fuerit, reprobato Henrico Regem alium creare. Quo ſtatu rebus poſitis, Gregorius tantum abeſt vt quod in eum calumniati ſunt ſchiſmatici) depoſitionis Regis cupidus fuerit machinator, vt ne deponeretur literis interceſſerit. De miſſa vero ab eo Legatione, dicetur anno ſequenti.

XVII. S. IOAN. GVALBERTI OBITVS.

Hoc eodem anno, quarto Idus Iulias ex hac vita ad Deum migrauit S. Ioannes *Gualbertus* magni nominis Abbas Vallumbroſianus, de quo ſuperius: qui viuens & poſt obitum claruit miraculis. Cuius præclaræ res geſtæ à pluribus ſcriptæ cum fuerint, quæ ab Attone Piſtorienſi Epiſcopo elucubratæ ſunt, vſu frequentiori retinentur.

XVIII. BVLGAR. ECCL. LABORAT.

Quod vero ad res ſpectat Orientales: hac eadem vndecima Indictione (inquit Curopalates) gens *Seruorum*, quos etiam *Coruatas* vocant, exijt vt Bulgariam redigeret in ſeruitutem. Cuius belli cauſa Bulgarica Eccleſia grauibus eſt affecta moleſtijs, tum ab hoſtibus cuncta rapina, cæde, igneq; miſcentibus, tum à magiſtratibus & exactoribus ipſos Epiſcopos crudeliter vexantibus: quæ mala eius tunc prouinciæ Archiepiſcopus Theophylactus ſuis deplorat datis ad diuerſos epiſtolis. Apud quem eſt etiam mentio [o] de ingenti victoria obtenta à Nicolao piiſſimo Duce Imperatoris Conſtantinopolitani aduerſus Perſas & Francos: cuius nulla extat alibi mentio apud Græcos ſiue Latinos hiſtoriarum ſcriptores.

o Theophyl. ep. 61. ad Seb. Pagur.

IESV CHRISTI AN. 1074.

MICH. VII. DVC. AN. 3.

GREG. VII. AN. 2.

I. LEGATIO GREG. P. AD HENR. REG.

ANno Domini milleſimo ſeptuageſimo quarto, Indictione duodecima, Gregorius Papa inſignem Legationem miſit in Germaniam, ad componendum multo iam tempore fluctuantem illius regionis ſtatum: qua functi ſunt Agnes Imperatrix mater Henrici Regis, & Epiſcopi Oſtienſis, Preneſtinus, Curienſis, & Comenſis. Qui cum poſt Paſchale tempus eo perueniſſent, obuiam habuerunt apud Nuremberg ipſum Regem: nec tamẽ cum eo ſermonem communicare ſæpius rogati conſenſerunt, donec ſecundum Eccleſiaſticas leges pœnitentiam profeſſus, per ipſorum iudicium abſolueretur anathemate, pro eo quod propter venditas eccleſiaſticas dignitates ſimoniacæ hæreſios inſimulatus fuiſſet apud Sedem Apoſtolicam. Hæc Lambertus, accuratiſſimus huius temporis ſcriptor. Sed & Gregorij literæ [a] ad eamdem Agnetem Auguſtam, aliæque ad ipſum Henricum poſtea ſcriptæ, ſignificant eumdẽ Regem pœnitentem abſolutum fuiſſe: & ad meliorem frugem redditum, propenſiorem ſe erga Sedem Apoſtolicam exhibuiſſe, & humile obſequium ei pollicitum eſſe.

a Greg. 1. ep. 85. & 2. ep. 30.

II. LEGATI IMPEDIVNTVR COGERE SYNO. IN GERM.

Cum vero Legati vellent etiam Synodum celebrare, (inquit idem Lambertus) hoc abnuerunt omnes Epiſcopi tamquam inuſitatum, nec ſe huius auctoritatis priuilegium vlli alij, præterquam ipſi Romano Pontifici vmquã delaturos affirmarunt: quippe non ignorabant, ſe in illa Synodo per Legatos agenda diſpendium paſſuros ſuarum dignitatum quas ſimoniace obtinuerant: cum alioqui extra omne ſit dubium, & innumeris demonſtratum ſuperius

rius

tius exemplis, per Legatos à latere conſueuiſſe Synodos Epiſcoporum vbique congregari. Ceterum qui res geſtas Gregorij Papæ proſecutus eſt Petrus Guillelmus Bibliothecarius, de eadem hac agens legatione, addit Liemarum tunc Bremenſem Archiepiſcopum in cauſa Synodi cogendæ obieciſſe Legatis, ſibi quoque & Moguntino Archiepiſcopo vices Romani Pontificis in Germania antiquis priuilegijs eſſe conceſſas; & licet reſpondentibus Legatis, haud moris Eccleſiaſtici eſſe, vt eiuſmodi priuilegia protenderentur vltra obitum eorum qui ipſa cōceſſiſſent Romanorum Pontificum: tamen Synodum hac ſagacitate eſſe impeditam: Legatoſque à Rege amplius muneribus honoratos rediſſe Romam, ipſum vero Archiepiſcopum Bremenſem pro inobedientia & rebellione fuiſſe ab officio ſacerdotali ſuſpenſum. Ad quem etiam iam contumacem factum, extant Gregorij Papæ literæ [b] datæ hoc anno pridie Idus Decembris, quibus eum Romam iterum vocat ad dicendam cauſam. Hicque omnium malorum origo, dum Archiepiſcopus iſte Bremenſis hoc modo præter omne ius faſque deficiens ab obedientia Sedis Apoſtolicæ, cuius ſe religioſiſſimos obſeruatores hactenus ipſius anteceſſores per trecentos ferme annos à tempore fundationis illius Eccleſiæ præſtitiſſent: aduerſus Gregorium cœpit Regem commouere, & quicquid boni Legatorum opera concepiſſet infelix Princeps, penitus delere: de quibus dicetur inferius ſuo loco.

b *l.* 2. *ep.* 28. BREMIN ARCHIEP. OMNIVM MALOR. CAVSA.

III. CONCIL. ROM. GENER. c *l.* 1. *ep.* 42. 43.

Interim vero hoc eodē anno, prima hebdomada Quadrageſimæ celebrata eſt Romæ à Gregorio Papa SYNODVS, de cuius indictione extāt ipſius literæ [c] ad Epiſcopos Longobardiæ ſcriptæ octauo Calendas Februarij: in quibus inter alia meminit de antiqua Romanæ Eccleſiæ conſtitutione, vt per ſingulos annos ad decorem & vtilitatem Sanctæ Eccleſiæ Generale Concilium apud Sedem Apoſtolicam celebraretur, quod quidem Concilium appellat Generale, quia ex omnibus Italiæ Epiſcopis colligebatur: cum alioqui contingeret ex vicinioribus tantum circa Vrbem poſitis Epiſcopis frequentius Romæ Concilia celebrari. Ceterum in hac Synodo idem Gregorius inhærens prædeceſſorum veſtigijs, ad ea crimina reſecanda quæ magis tunc Dei Eccleſiam labefactare videbantur, falcem conuertens: antiquiſſimum renouando decretum de continentia Clericorum, quam ab ipſo exordio naſcentis Eccleſiæ, vſu, traditione, regibuſque ſacris obſeruatam vidimus: edixit (inquit Lambertus) vt presbyteri vxores non haberent, habentes vt dimitterent, aut deponerentur: nec quiſquam omnino ad ſacerdotium admitteretur, qui non in perpetuum cōtinentiam vitamque cælibem profiteretur: crebraſque ea de re literas & legationes ad Epiſcopos Germaniæ miſit, præcipiens vt in ſuis Eccleſijs eiuſmodi decretum obſeruari facerent, & à contubernio ſacerdotum omnes omnino fœminas perpetuo anathemate reſecarent. Hæc Lambertus: qui addit, aduerſus hoc decretum protinus vehementer infremuiſſe in Germania totam factionem Clericorum, adeo vt & ipſum Gregorium eo nomine hæreticum inclamarent, ac malle ſe ſacerdotium quam coniugium deſerere iactarent; ſed & Moguntinum Archiepiſcopum, qui vt Pontificis mandatum exequeretur, congregata Erfordiæ Synodo, inſtanter vrgebat vt aut coniugium abiurarent, aut ſacri altaris miniſterio ſe abdicarent, neci tradere cogitauerint. Ex quibus videas, ſimulque deplores miſerandum ſtatum Eccleſiarum Germaniæ, ſi vera ſint quæ Lambertus de omnibus Clericis narrat: & non magis quod nonnulli ex eis incontinentes fecerint, omnes feciſſe dicat per ignominioſam hyperbolem. Ceterum de eadem Synodo Romana, ac de literis Gregorij his de rebus in Germaniam miſſis, quæ deſiderantur, meminit Marianus Scotus ea tunc ſcribens. Agitque de iiſdem Sigebertus hoc anno: ſed refractarius ipſe, inuehitur in eiuſdem Pontificis renouatum decretum prædeceſſorum, ne quis Miſſas coniugatorum ſacerdotum audire præſumeret, quaſi negaret ipſe Gregorius, vel alij qui hoc ſtatuiſſent, per improbos ſacerdotes confici ſacramenta. Numquam enim iſtud dixit aliquis Romanorum Pontificum: ſed tantum id de non audiendis Miſſis ſtatuerunt eo conſilio, vt ſic fornicarij ſacerdotes ſe à populo contemni videntes, abſtinerent ab infami conſortio feminarum. Verum nec ſic illi meliores redditi, adeo laicis in opprobrium facti ſunt, vt auctor aſſerat (quod dici nefas) etiam confecta per eos ſacramenta laicorum pedibus trita eſſe.

ADVERSVS DECRETVM DE CONTINENTIA CLERIC. TVMVLTVATVM IN GERM.

SIGEBERTI CALVMNIA DE MISSIS CONIVGATOR.

IV. d *Lamb. an.* 1077. CALVMNIA IN GREG. PP. DE CONSVETVDINE CVM MATHILDA COMITIS.

Pertinet vero etiam ad inclamationes à Clericis fornicarijs aduerſus Gregorium factas, quod idem Lambertus poſtea [d] ſcribit, illos eo impudentiæ perueniſſe, vt occaſione familiaritatis ipſius Pontificis cum Mathilde Comitiſſa, acerrima Apoſtolicæ Sedis contra ſchiſmaticos propugnatrice, honeſtiſſima fœmina, de qua dictum eſt ſuperius, diceturque ſæpe inferius: ſanctiſſimum Pontificem de inceſto cum ea amore infamare non veriti fuerint. Verum (ſicut idem addit) apud omnes ſanum aliquid ſapientes, luce clarius conſtabat, falſa iſta eſſe: quandoquidem Papa adeo Apoſtolice vitam inſtituebat, vt nec minimam ſiniſtri rumoris maculam conuerſationis eius ſublimitas admitteret: & ſigna ac prodigia quæ per orationes eius frequentius fiebant, atque zelus eius feruentiſſimus pro Deo, & pro Eccleſiaſticis legibus, ſatis eum contra venenatas detractorum linguas communiebant. Extant vero & eiuſdem Pontificis hoc anno ad ipſam Mathildem datæ literæ [e], quibus eam ad ſanctiſſimæ vitæ cultum quem ſuſceperat, ſtudioſiſſime proſequendum hortatus eſt: atque in his duobus potiſſimum inſiſtere monuit, nempe vt Corpus Dominicū frequenter acciperet, & certæ fiduciæ Matris Domini ſe omnino committeret, aliudque muliebri infirmitati appoſuit fulcimentum: dans [f] ei morum magiſtrum, ac patrem ſpiritualem, S. Anſelmum Lucenſem Epiſcopum, de quo dictum eſt anno ſuperiori. Quibus plane Mathildis ſuffulta ſubſidijs, mirum dictu quantum in Chriſtiana vita profecerit, quantumque ſuper omnes Reges & Principes eminentior apparuerit, & fortior ſit inuenta etiam robore militari.

e *Greg. l.* 1. *ep.* 47. 50.

f *Vit. S. Anſelm. Luc. Domniz. in Vit. Mathil.*

Vt autem ad Synodum reuertamur, in ea conſtat excommunicatum fuiſſe Robertum Guiſcardum Northmannorum Principem, Ducem Apuliæ & Calabriæ atq; Siciliæ, Eccleſiæ Romanæ rebellem, eiuſque iura perturbantem: contra quem etiam Gregorius exercitum collegit, eundemq; militari potentiæ cedere coegit, qui ſpiritualem contemnebat. Patent enim iſta ex diuerſis eiuſdem Pontificis [g] Epiſtolis, atque ex Leone [h] Oſtienſi.

V. ROB. GVISCAR. EXCOMMVNICATVR OB REBELLIONEM. g *ap. Greg. in fi. l.* 1. *Epiſt. &* 1. *ep.* 25. 46. *&* 2. *ep.* 9. h *Leo lib.* 3. *cap.* 44.

Sed & inter alia quæ eadem Synodo in cauſis diuerſorum Epiſcoporum, aliarumque perſonarum Eccleſiaſticarum, tranſacta eſſe plures eiuſdem Pontificis epiſtolæ docent, illud minime prætermittendum, ſancitum fuiſſe decretum [k], vt Hiſpaniarum Eccleſiæ Romanum Ordinem atque Officium reciperent. Itemque de cauſa canonicorum Pictauienſium, vt Epiſcopus, vel eius loco Decanus, vel alius in dignitate conſtitutus, ius retineant certis diebus cantandi Miſſam in aliena eccleſia, exempta ſcilicet, hocque ſeruari conſueuiſſe Romæ in Stationibus, atque in alijs Orbis partibus. Spectatque ad eamdem Synodum, quod ſcriptor Vitæ S. Anſelmi Lucenſis Epiſcopi, Pœnitentiarius ipſius, habet de vocatis ad eam Canonicis Lucenſibus, ad dicendam cauſam de conſpiratione aduerſus eumdem ſuum ipſorum Epiſcopum, quod is iuxta Leonis Papæ Noni de iiſdem Canonicis decretum, eos ad vitam communem & regularem obſeruantiam reducere voluiſſet. Cum vero iam res eo proceſſiſſet, vt nec ipſe Gregorius Papa Lucam ea de cauſa accedens, nec eius vrbis domina Mathildis id eis perſuadere potuiſſent, tandem re in Synodo diſcuſſa, iidem iuxta antiquiſſimum S. Fabiani Papæ & Martyris decretum, quo conſpiratores & inſidiatores ſuorum Epiſcoporum curiæ tradendos inſtituit, omnium Patrum iudicio traditi ſunt curiæ, & à Mathilde in ſeruitutem curiæ vocati. Vnde ijdem rurſum aduerſus eam conſpirantes, ab alia poſtea Epiſcoporum Synodo excommu-

VI. i *Greg. l.* 1 *ep.* 51. *vſque* 5. k *Id. l.* 1. *ep.* 64. *&* 5. *ep.* 18.

CANONICORVM LVCENS. REBELLIO OB VITAM COMMVNEM EIS IMPERATAM.

commu-

communicati fuere: indeque in furorem verſi, tum eumdem Epiſcopum Anſelmum Vrbe pepulerunt, tum ipſam ciuitatem in partes Henrici Regis aduerſus Mathildem perduxerunt: ac deniq; totius conſpirationis princeps Petrus canonicus, homo perditiſſimus, viuente adhuc Anſelmo factione Regis intruſus eſt eiuſdem ciuitatis pſeudoepiſcopus, factuſque poſtmodum Guiberti Pſeudopapæ obſtinatiſſimus defenſor: vt hæc omnia pluribus idem Pœnitentiarius deſcripſit.

VII. l 1. ep. 49. & 2. ep. 37. EXPEDITIO PARATVR A GREG. ADVERSVS SARACEN. IN ORIENTEM.

Inter hæc Gregorius Papa, cui vniuerſalis gregis cura commiſſa erat, vt omnibus in anguſtia poſitis eſſet adiumento, contra Saracenos Conſtantinopolim perurgentes claſſicum canens, hoc ipſo anno binas [l] promulgauit literas ad vniuerſos Chriſti Fideles, vt expeditionem pararent in Orientem, cuius ipſemet ductor eſſe vellet. Iamque pluſquam quinquaginta millia militum religioſæ militiæ nomen dederant, & ipſe Gregorius in procinctu erat profectionis, vt magno Chriſtianæ religionis bono non ſolum Saracenos expugnaret, ſed Orientalem Eccleſiam ſchiſmate ab Occidentali diuiſam vniret, Armenos à fide Catholica penitus aberrantes ad rectæ fidei tramitem reſtitueret, inſuper ſi Deus annuiſſet, Hieroſolymam perueniret: cum timens (quod accidit) ne Henrici Regis inconſtantia ab inſtituto cœpti operis eum auerteret, anteuertens ipſe dedit ad eum literas [m], quibus hæc omnia ei ſignificauit, & vt cum participatione ipſius cuncta perficeret, ab eo conſilium petijt, ac denique ſignificauit ſe decreuiſſe ipſum ſui loco relinquere Romanæ Eccleſiæ defenſorem. Sed tantum bonum Rex interuertit, dum Saxonicæ expeditioni totus intentus, quæque magna ei poſtponenda putauit. Atq; interea Orientalium rerum euentus felicior renuntiatus, feruorem expeditionis minuit, vt apparet ex literis eiuſdem Gregorij [n] ad Comitem Pictauienſem.

m 2. ep. 31.

n 2. ep. 3. in f.

VIII. ORDO ET OFFIC. ROM. RECIPITVR IN ARAGONIA. o 1. ep. 63. p 1. ep. 64.

Eodem tempore contigit ipſum Gregorium literas accipere à Sancio Aragoniæ Rege huius nominis Quarto, religione præſtante, & fortitudine bellica haud impare: quibus cum ſignificaſſet ſe in ditione ſua Romani Ordinis Officium in ſacris ritibus ſuſcipi & obſeruari iuſſiſſe, ad eum [o] Gregorius decimotertio Calend. Apr. reſcripſit, eius laudans pietatem, & perſeuerantiam commendans. Eademque die ſcripſit etiam ad [p] Alphonſum & alterum Sancium Caſtellæ Reges, atque ad eorumdem ditionis Epiſcopos, vt & ipſi Romanæ Eccleſiæ Ordinem & Officium reciperent, ſecundum quod antiquiſſima Romanorum Pontificum & Hiſpanicarum Synodorum decreta ſtatuiſſent, & quod in nupero Romano Concilio Epiſcopi Hiſpaniarum facere promiſiſſent. Quod autem ea Epiſtola data ponatur ad ambos ſimul Reges Alphonſum & Sancium, plane ſignificatur necdum eos bello ciuili ſeparatos, & alterum eorum extinctum, vnde erroris arguas, qui ponunt Sancium anno ſuperiori iam occiſum eſſe, Alphonſumque hoc anno ſolum regnare cœpiſſe. Sed quæ ab alijs prætermiſſa, Hugo in Rebus [q] geſtis S. Hugonis Abbatis Cluniacenſis, tradit eumdem Alphonſum, ſiue Adefonſum, à fratre Sancio regno priuatum, catenatumque carceri mancipatum, eiuſdem Hugonis opera liberatum eſſe, dum ad eius preces S. Petrus Apoſtolus ſub graui comminatione iuſſit in ſomnis Sancio Adefonſum reſtituere: & in accepti beneficij gratiam, Adefonſum duplicaſſe cenſum à patre Ferdinando quotannis monaſterio Cluniacenſi erogari iuſſum, ducentas & quadraginta auri vncias annuatim reddentem.

q ep. Sur. 24. April. S. HVGO ABB. CLVNIAC. LIBERAT ADEFON. REG. A VINCVLIS.

IX. r Greg. 1. ep. 70. 71. GVIL. REX ANGLIÆ LAVDATVR.

Hoc item anno perlatis Romam Guillelmi Anglorum Regis, eiuſque coniugis Mathildis, ad Gregorium Papam de ipſius in Pontificem electionis gratulatione literis, idem Pontifex [r] alias ad eos reddidit, eruditionis & hortationis plenas. Et quidem quod ad Guillelmum pertinet, is præ ceteris ferme Chriſtianis Regibus Borealibus à Gregorio commendatus reperitur: nam cum Henricum Germanum ſit paſſus perſecutorem, Philippum Francum eccleſiarum expilatorem; (vt prætermittamus dicere de Roberto Guiſcardo Northmanno inuaſore, Godefredo Lotharingio præuaricatore, & alijs de quibus ſuis ſæpe literis queritur) iſte Rex Guillelmus, vt idem [s] Pontifex ait, licet in quibuſdam non ita religioſe ſe haberet, tamen in hoc quod eccleſias Dei non deſtruxit nec vendidit, & pacem iuſtitiamque in ſubditis ſuis moderari procurauit, & quia contra Sedem Apoſtolicam rogatus pactum inire, conſentire noluit, presbyteros vxores, laicos decimas quas detinebant dimittere compulit: ceteris Regibus ſe ſatis probabiliorem oſtendit.

s 9. ep. 5.

X. t Id. ep. 75. ad Philip. Reg.

Non vero ſic Philippus Rex Francorum, quippe qui præter alia Rege Chriſtianiſſimo indigniſſima, licet hoc eodem tempore Legatos & literas ad Gregorium miſiſſet [t], quibus pariturum ſe pijs ipſius admonitionibus ſignificaſſet: nihilominus ſcelera ſceleribus addens (quibus, vt Gregorius queſtus eſt, non ſolum Chriſtianos, ſed & Paganos videretur ſuperaſſe principes) poſt eccleſiarũ varias deſtructiones, adeo regiæ dignitatis poſthabuit verecundiam, vt auaritia inflammante, Italiæ negotiatores qui in Gallias venirent, deprædaretur. Quapropter idem Pontifex [u] Manaſſem Rhemenſem, alioſque primarios Galliæ Epiſcopos, ac Guillelmum Comitem Pictauienſem hoc eodem anno hortatus eſt, vt Regem monerent prauos ſuos mores commutare ad exemplar bonorum Franciæ Regum, atque illas deprædationes, vnde Oratores S. Petri impedirentur, caperentur, & multis malis afficerentur, ſine dilatione emendare: alioquin ſi in peruerſitate perduraret, ſe in Romana Synodo proxime futura illum cum omnibus qui regalem ei honorem vel obedientiam exhiberent, à corpore & communione S. Eccleſiæ ſequeſtraturum, & eius quotidie ſuper altare S. Petri excommunicationem confirmaturum. Quid vero anno ſequenti de his in Synodo decretum ſit, dicetur ſuo loco.

u 2. ep. 5. 18. 32.

COMMINATIO EX COMMVNICATIONIS IN REG. FR.

XI.

Cum autem contigiſſet hoc eodem anno (ſicut Lambertus narrat) vt Salomon Rex Hungarorum à Ioiade Beli filio, aliter Geiſa nominato, eius conſanguineo, prælio victus, vix fuga ſibi conſulens euaſiſſet, adijſſetque per Legatos Henricum Germaniæ Regem, cuius ſororem coniugem accepiſſet, petens aduerſus inimicum arma parare, ſpondenſque eum in regni Hungarici conſortium accepturum, futurumque ei tributarium, atque munitiſſimas ciuitates tamquam firmæ ſemper futuræ pacis pignora tributurum: hoc factum cum accepiſſet Gregorius Papa, eoque videret grauiter lædi iura Sedis Apoſtolicæ, cui iam olim idem Hungariæ regnum fuiſſet in feudum à Rege Stephano oblatum, & ab Henrico Imperatore, cum illud vendicaſſet, confirmatum: literas [x] ad eumdem Salomonem menſe Octobris ſcripſit, quibus eum grauiter de eo redarguit, & niſi correcto errore, regnum Apoſtolicæ, non regiæ maieſtatis beneficium recognoſceret, minatus eſt non ſine Apoſtolica animaduerſione illum diu regnaturum. Verum ipſo diuino numine cauſæ ſuæ vindictam agente, accidit [y] vt qui ab alio quam à legitimo domino regnum accipere voluit, illud penitus perdiderit: cum tamen ipſe Gregorius vt pater non deſtiterit ſequeſter [z] inter eos pacis accedere. Ipſum vero Geizam Legatos ad Sedem Apoſtolicam mittentem, iteratis literis admonuit, vt nihil præter iuſtitiam putaret ſibi licere, iuraque Romanæ Eccleſiæ ſuper Hungariæ regno vellet integra remanere, quorum contemptu Salomon meruiſſet diuino iudicio regno priuari.

HVNGAR. REGNVM FEVDATARIVM ECCL. ROM. x 2. ep. 13.

y 2. ep. 68.

z 2. ep. 70.

IESV CHRISTI AN. 1075.

MICH. VII DVC. AN. 4

GREG. VII. AN. 3.

I. CONCIL. ROM. GENER. PRO REFORM. ECCL. a Greg. li. 2. Ep. Indict. 13.

ANno Chriſti milleſimo ſeptuageſimo quinto, Indictione decimatertia, prima hebdomada Quadrageſimæ, ſexto Calendas Martij, Gregorius Papa conſulturus miſerando huius temporis Eccleſiæ ſtatui, magnam Romæ SYNODVM ex Occidentalibus Orbis circumquaq; prouinciarum Epiſcopis celebrauit; ad quam præter Italos, vocati ab eo reperiuntur [a] Britanni, Galli, Germani:

ſcripſit-

ſcripſitque [b] ad Henricum Germaniæ Regem, vt Legatos ad eam mitteret. Eius vero cum Acta ſingillatim conſcripta perierint, eorum ſumma tantum breuis relicta eſt in eiuſdem Pontificis Epiſtolarum [c] volumine: vbi cum ipſa Synodus celebrata dicitur anno ab Incarnatione Domini milleſimo ſeptuageſimo quarto, non à Natali Domini, ſed à die Annuntiationis virginis & Incarnationis Verbi, numerantur anni.

b Id. 2. ep. 30
c Lib. 2. poſt ep. 32.

II. Res in Synodo geſtæ.

Inter cetera vero quæ ibi geſta ſunt (inquiunt eadem Acta) quinq; de familia Regis Teutonicorum, quorum conſilio Eccleſiæ vendebantur, à liminibus Sanctæ Eccleſiæ ſeparati ſunt, ita vt ſi intra Calendas Iunij Romam non venirent & ſatisfacerent, excommunicati haberentur: Philippus Rex Francorum, ſi Nuntijs Papæ ad Gallias ituris de ſatisfactione ſua & emendatione ſecuritatem non faceret, haberetur excommunicatus. Liemarus Bremenſis Archiepiſcopus pro inobedientia aduerſus Sedem Apoſtolicam, officio Epiſcopali ſuſpenſus eſt, & excommunicatus: Alijque nonnulli Epiſcopi Germani & Itali, ob varia crimina depoſiti, ſuſpenſique: Robertus Dux Apuliæ iam antea anathematizatus, & alius Robertus de Loritello, inuaſores bonorum S. Petri excommunicati. Hæc quidem ibi: extantque de iiſdem aliquot eiuſdem Gregorij ad diuerſas Eccleſias ſcriptæ hac Indictione epiſtolæ. Hiſtoriam vero de Herimanni Babenbergenſis excommunicatione & depoſitione in eadem Synodo facta, ac poſt ſumptum habitum monaſticum, factamque pœnitentiam, abſolutione, fuſius eſt proſecutus Lambertus: ſimulque deſcripſit Henrici Spirenſis, theſaurorum Eccleſiæ ſuæ dilapidatoris, qui eadem Synodo ſuſpenſus fuit, terribilem diuino iudicio illatam hoc eodem anno mortem.

III.

Ceterum longe plura fuiſſe ibidem pertractata, de varijs epiſcoporum, aliarumque tam eccleſiaſticarum quam ſæcularium perſonarum cauſis, docent multiplices eiuſdem Pontificis ante celebrationem Synodi ſcriptæ literę, quibus illas perſonas ad eam vocauit. Inter quas Iſimbertus [d] Pictauienſis Epiſcopus, grauiſſima accuſatione conuentus eſt, quod cum Gregorius iuſſiſſet cauſam Comitis Pictauienſis, qui aſſereretur duxiſſe in vxorem conſanguineam ſuam, examinari per Legatos Apoſtolicæ Sedis, Amatum Epiſcopum Olorenſem, & Gozelinum Archiepiſcopum Burdigalenſem, alioſque ſimul collectos, iidemque ad cognoſcendam cauſam congregati fuiſſent in vnum: aduerſus eos Pictauienſis Epiſcopus milites immiſiſſet, qui alios verberibus, contumelijs alios affeciſſent. Cuius rei cauſa iuſſus Romam venire, cum minime comparuiſſet, ſuſpenſus eſt ab officio. Laudauit vero Gregorius [e] Guillelmum Comitẽ, qui paruiſſet Eccleſiæ iubenti diuortium donec cauſa plenius noſceretur. Cui roganti vt liceret retinere illam ſub ſororis ipſius cuſtodia, quouſque per Synodum cauſa finem acciperet, hoc Pontifex denegauit, ipſamque longius ablegandam mandauit. Scribens quoque ad Patriarcham Aquileienſem de ijs quæ præcipue in eadem Synodo fuiſſent ſtabilita, ait ſecundum antiquorum Patrum auctoritatem decretum eſſe, vt miniſtri ſacri concubinas haberent, niſi illis dimiſſis dignam pœnitentiam agerent, ab officijs & beneficijs penitus repellerentur, qui vero ſimoniace promoti eſſent, abſque vlla ſpe recuperationis deponerentur. Quæ ſancita in Synodo curauit idem Gregorius per vniuerſalem Occidentalem Orbem promulganda, de ijs ſcribens ad [g] plures diuerſis locis Antiſtites: ipſiſque primarijs Germaniæ Archiepiſcopis, Annoni Colonienſi, & Sigefrido Moguntino, mandauit [h] ob eamdem cauſam Synodos congregare. Præſtitit illud quidem Moguntinus, ſed (ſicut alias) incaſſum, obſtantibus clericis fornicarijs, prout teſtatur hoc eodem anno Lambertus: quo etiam auctore conſtat, antea eumdem Sigefridum pro cauſa Babenbergenſis Epiſcopi ſimoniaci, quem ipſe ordinarat, Romam veniſſe, & vix ad communionem à Gregorio acceptum eſſe: ſed & verſipellem hominem, abuſum nomine Romani Pontificis ad commodum Regis Henrici, illegitimam ac præcipitem promulgaſſe aduerſus Thuringiæ Principes excommunicationem, quo milites contra illos bellare detrectantes ad arma concitaret.

d Id. 2. ep. 2. 23. 24.
Iſimberti epiſc. Pictav. graſſatio in legat. Apoſtol.
e 2. ep. 3.
f 2. ep. 62.
Decretum de ſimoniacis et concubinar. cler.
g 2. ep. 62. & ſeqq.
h 2. ep. 67. & 3. ep. 4.

IV. S. Annonis Colon. obitus.

Quod vero ſpectat ad S. Annonem Archiepiſcopum Colonienſem, tradit idem Lambertus cum poſt longam ægrotationem, hoc eodem anno pridie Nonas Decembr. ad cælum tranſiſſe, & ſignis ac miraculis poſt obitum claruiſſe. Quem anno ſuperiori contigerat à ſuis Colonienſibus, diabolico inſtinctu ipſi rebellantibus, ad necem quæri & niſi occulta fuga ſibi conſuluiſſet, plane à populo in eccleſiam irrumpente fuiſſet occiſus. Cuius res præclare geſtas Abbas Sigebergenſis cœnobij, & ipſe eiuſdem ſæculi ſincerus ſcriptor tribus libris eſt [i] proſecutus. Porro inter inſignes tanti Pontificis laudum titulos, ille præ ceteris eminet, quod in diſcordijs obortis inter Gregorium Papam & Henricum Regem, ſemper pro Gregorio ſteterit, nec vt alij plures, rapi potuerit fauore Principis, vel minis attrahi.

i ap. Sur. 4. Dec.

V. Henric. Rex ſimulat ſubiectionem erga Ecc. Rom.

Sed & hoc tempore eumdem Henricum, dubium valde Saxonicum bellum in quo totius regni eius incerta alea verteretur, erga Gregorium reddidit manſuetum & obſequentem, cuius opera in aduerſis caſibus indigere ſciret. Quapropter & Nuncios ad eum miſiſſe, & literas ſcripſiſſe, quibus ſe filium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & ipſi Gregorio ſubiectum profiteretur, commendans ſe illi omni affectu amoris & reuerentiæ: inſuperque ſimoniacis reſiſtere: & clericorum caſtitatem efficaciter procurare videri voluiſſe: docent hoc eodem anno ſcriptæ ad eum ab ipſo Gregorio [k] paternæ charitatis affectibus refertæ literæ. Verum ſtatim vt plena potitus eſt victoria, reuerſum ad vomitum, quæ promiſerat irrita reddidiſſe, teſtantur aliæ eiuſdem [l] Pontificis Epiſtolæ: idque Domnizo presbyter in Vita Mathildis verſibus ſuis deplorauit.

k Greg. 2. ep. 5. 6. 7. 10.
l 3. ep. 8. & 9.

VI. Greg. de varijs reb. ad diverſos Reg. ſcripſit.

Hoc eodem anno idem Gregorius [m] ſcripſit ad Sancium Aragoniæ Regem, ea occaſione quod Sancius Aragonenſis Epiſcopus Romam veniſſet petere miſſionem ab Epiſcopatu ob graues corporis infirmitates, proponens alios vita & moribus laudatos homines deligendos & ordinandos: verum eos licet, tales repertos, tamen quod ex concubina nati eſſent, reſpuit Gregorius: Coadiutoremque dari Epiſcopo conſenſit magis, quam penitus dimittere Epiſcopatum. Idemque Pontifex binas [n] ad Suenonem Daniæ Regem literas hoc anno ſcripſit, quibus eius erga Romanam Eccleſiam commendauit ſtudium & reuerentiam: exploraùitque fidem, ſi opportuno tempore aduerſus Eccleſiæ hoſtes paratus eſſet auxilium ferre: atque eidem prouinciam quamdam ab hæreticis in Italia poſſeſſam, obtulit occupãdam. Direxit item in Poloniam ad [o] Ducem eorum Boleſlaum Legatos ad componendas prouinciæ ipſius eccleſias, conſtituendam Metropolim, & augendum numerum Sedium Epiſcopalium. Pariterque ad [p] Demetrium Ruſſorum Regem & vxorem eius Legatos miſit, ea præuia occaſione quod filius eorum Limina Apoſtolorum viſitans, ipſi Gregorio declaraſſet ſe de conſenſu parentum Regnum illud dono S. Petri per manus ipſius ſucceſſoris Romani Pontificis obtinere velle, exhibita eidem B. Petro debita fidelitate. Cuius deſiderio Gregorius acquieſcens, illius Regni gubernacula ei ex parte B. Petri tradidit, ea videlicet (vt ait) intentione, vt B. Petrus eoſdem Reges, ac Regnum ipſorum ſua apud Deum interceſſione cuſtodiret, & cum omni pace, honore, & gloria idem Regnum vſque in finem vitæ tenere eos faceret, & huius malitiæ finito curſu impetraret eis apud ſupernum Regem ſempiternam gloriam. Hæc Gregorius, quæ reddere voluimus, vt eo exemplo intelligatur, quomodo contigerit plura Regna oblata reperiri Apoſtolicæ Sedi. Nempe Chriſtiana Regum pietas efficiebat, vt perſuadentes ſibi magis protectione S. Petri Apoſtolorum Principis, quam armis regna defendi, offerrent illa eidem Sancto, à quo per ſucceſſorem eius Romanum Pontificem acciperent in feudum, præſtito eidem fidelitatis iuramento. Porro iactatum bellorum fluctibus Demetrium, Lambertus in Chroni-

m 2. ep. 50.
n 2. ep. 51. 75.
o 2. ep. 73.
p 2. ep. 74.
Ruſſia ab ipſius Rege accepta dono a Rom. E. C.
Vnde contigerit plura regna offerri Ecc. Rom.

Chronico hoc eodem anno demonſtrat, dum eum ad Henricum Regem pro auxilio contra fratrem veniſſe tradit.

VII. Quæ in Greg. PP. nefanda commiſerit Cincius Rom.

Anni huius parte poſtrema, nempe Natali die Redemptoris, à quo nonnulli Chronographorum nouum auſpicantur annum, potētiſſimus homo Cincius, vel Quintius, ſiue Cinthius, Vrbis Præfectus, quem Gregorius Papa de varijs exceſſibus ſæpe fruſtra monitum, tandem excommunicauerat, media nocte cum armatis militibus irruens in Eccleſiam, in qua idem Pontifex ſacris indutus veſtibus altari adſtabat Miſſarum ſolemnia celebrans, eumdem iniecta in capillos manu multis contumelijs affectum de Eccleſia protraxit, & in domum quamdam munitiſſimam abripuit: quouſque fama tam atrocis facti per Vrbem diffuſa, vniuerſus populus domum Cincij aggreſſus, Pontificem liberauit, & quæ Cincij erant tam intra muros quam extra, ferro & igne demolitus eſt. Narrat hæc Lambertus; quæ apud Vrſpergenſem poſita ſunt anno ſequenti. Eadem & Guillelmus Bibliothecarius in Vita Gregorij, vbi ait, omnia iſta concinnata eſſe artibus Guiberti antiqui ſchiſmatici, poſtea vero Epiſcopi Rauennatis, qui cum Romæ interfuiſſet Synodo, illic poſt eam abſolutam remanſit vt Gregorium remoueret à Sede, cuius ipſe appetentiſſimus eſſet: liberato vero ab eius inſidijs Pontifice, accepta ab eo licentia Rauennam iſſe, ibique conſpirationem rebellium Epiſcoporum Longobardorum machinatum eſſe: inſuperq; Hugonem Candidum Cardinalem, & ipſum olim ſchiſmaticum Cadaloicum, ſed poſtea miſericorditer ab Eccleſia receptum, rurſum ab eodem Gregorio diuulſiſſe, atque Regi Henrico coniungere ſtuduiſſe. Porro Cincium poſt ſequentem annum ſubitanea peſſima morte defunctum eſſe in Longobardia, habēt eadem Acta Gregorij Papæ, necnon Bertholdus in Appendice ad Hermannum.

Guiberti Raven. machinationes in Greg. PP.

VIII. Concil. Anglic. pro reformat. morum.

Hoc denique anno milleſimo ſeptuageſimo quinto celebratum eſt Londoniæ in Anglia generale totius Inſulæ CONCILIVM ſub Lanfranco Dorouernenſi ſiue Cantuarienſi Archiepiſcopo, cuius Acta inter eiuſdem epiſtolas relata habentur, de renouatis pluribus antiquarum Synodorum, Summorumque Pontificum decretis circa diſciplinæ Eccleſiaſticæ obſeruationem, & tam clericorum atque monachorum, quam etiam laicorum deprauatos mores reformandos. Illud vero inprimis ex Concilijs Toletano Quarto, Mileuitano, atque Bracarenſi, ſtatutum eſt, vt ſinguli Epiſcopi ſecundum ordinationis ſuæ tempora ſederent, præter eos qui ex antiqua conſuetudine, ſiue ſuarum Eccleſiarum priuilegijs, digniores ſedes haberent.

De ordine conſeſſus Epiſcop.

Mich. VII Duc. An. 5

IESV CHRISTI AN. 1076.

GREG. VII. AN. 4.

I. Henrici Regis contemptus in Sedem Apoſt.

ANnus Chriſti milleſimus ſeptuageſimus ſextus, Indictione decimaquarta inchoatus, turbulentiſſimus extitit ob eccleſiaſticas perturbationes Henrici Regis opera in Romanū Pontificem Gregorium excitatas. Cum enim idem Rex poſt obtentam victoriam aduerſus Saxones, timore ſolutus contemneret implere ea quæ Apoſtolicæ Sedis Legatis ante promiſerat, eum contemptum Gregorius haud diutius tolerandum eſſe cenſens, huius anni exordio, nempe ſexto Idus Ianuarij ad eum ſcribens [a], inprimis Salutem & Apoſtolicam Benedictionem ea conditione impertiuit, ſi (vt ait) Apoſtolicæ Sedi, vt Chriſtianum decet Regem, obedierit: poſtea vero queſtus eſt quod excommunicatis à Sede Apoſtolica ac Synodo Romana communionem ſcienter exhiberet, itemque quod Epiſcopatus quōdam ſub Romanæ eccleſiæ dominio poſitos, perſonis etiam ipſi Gregorio ignotis conferre præſumpſiſſet; ac denique quod decreta Synodalia contra labem ſimoniacam & clericorum luxuriam promulgata contempſiſſet. Quamobrem & Legatos in Germaniam miſit, qui Regi denuntiarent (inquit Lambertus hoc anno) vt ſecunda feria ſecundæ hebdomadæ in Quadrageſima ad Synodum Romæ occurreret, de criminibus quæ obijcerentur cauſam dicturus: alioquin ſciret, ſe abſque omni procraſtinatione eodem die de corpore Sanctæ Eccleſiæ Apoſtolico anathemate abſcindendum eſſe.

a Greg. 3. ep. 10.

Rex vocatur a Greg. Romam, cauſam dicturus.

II.

Quibus Rex acceptis, vehementer permotus (pergit idem Lambertus) ſtatimque abiectis cum graui contumelia Legatis, omnes regni ſui Epiſcopos & Abbates Wormatiæ Dominica Septuageſimæ conuenire præcepit, tractare cum eis volens ad deponendum Romanum Pontificem, ſi qua ſibi via ac ratio pateret. Hæc ille. Sed qui ex abditis in lucem ediderunt Vitam Henrici huius, ac promulgarunt Bennonis ſchiſmatici in Gregorium Papam calumnijs confertum volumen, quod ſuperius contigit rationibus apertiſſimis confutari: ijdem confarrores impoſturarum, commentitias quaſdam literas Henrici Regis nomine ad Annonem Colonienſem Archiepiſcopum de indictione conuentus Wormatienſis, poſt Henrici Vitam appoſuerunt. Quarum falſitas vel ex eo ſatis conuincitur, quod conſtet teſtificatione eiuſdem Lamberti, Germani auctoris tunc viuentis, & res geſtas præ oculis habentis, non ante indictum eſſe conciliabulum Wormatienſe, quam legatione accepta à Romano Pontifice Henricus hoc eodem anno id facere eſt aggreſſus, ipſum vero Annonem anno ſuperiori defunctum eſſe non ſolum idem auctor affirmet, ſed etiam confirmet qui eodem æque tempore vixit ſcriptor rerum ab eodem S. Annone geſtarum, necnon Sigebertus, Albertus Stadenſis, alijque plures. Cum alioqui etiam ſi ad alium quempiam tunc vere exiſtentem Epiſcopum, Regem ſcripſiſſe finxiſſet impoſtor: adhuc tamen ex facti euidentia mendacij redargui potuiſſet, quod non ad Pentecoſten (vt habet epiſtola) ſed ad Septuageſimæ Dominicam indictum fuerit à Rege *Wormatienſe* [b], *Conuenticulum*. Nec vero ob aliam cauſam iſta à Schiſmaticis conficta ſunt, niſi vt Gregorius ſanctiſſimus Pontifex calumnijs infamatus apud omnes vileſceret, dum ea epiſtola accuſatur minitatus eſſe regnum animamque Regi tollere, Nuntioſque Regios carceri mancipaſſe, ac nuditate, frigore, fame, ſiti, plagis contriuiſſe, demumque ſumma ignominia per ciuitatem circumduxiſſe. Verum & ex alia quoque parte iſta calumnia ex ſeipſa corruit, quod tam enorme facinus ſui immanitate longe lateque vulgandum, à nemine antiquorum auctorum fuerit vmquam ſcriptum: quod nec extitiſſe aliquando, ex nuper recenſitis Gregorij [c] ad Regem literis, in quibus agit de ipſius Legatis, ſatis quiſque poterit intelligere.

Impoſturæ nouatorum in Greg. PP.

b Pro illo conciliabulo [illegible]

III. Conuenticulum Worma. pro depoſitione Greg. PP.

Vt igitur redeamus ad narrationem Lamberti, auctoris fide præſtantis, ait ipſe, Regem ſtatuta die Wormatiam veniſſe, ſimulque Epiſcopos & Abbates ampliſſimo numero: commodeque tantis rebus conficiendis interueniſſe Hugonem Blancum, ſiue Candidum, Cardinalem, quem ante paucos dies propter ineptiam eius & mores inconditos Papa de ſtatione ſua amouiſſet, deferentē ſecum de vita & inſtitutione Papæ ſcenicis figmentis conſimilem tragœdiam: eius vero auctoritatem gratiſſime amplexatos, ſententiam promulgaſſe quod Papa eſſe non poſſet, nec aliquando fuiſſet, qui tantis vitam probris commaculaſſet: cumque ceteri omnes damnationem eius promptiſſimo animo ſubſcriberent, tamen Adalberonem Wirtzburgenſem Epiſcopum, & Herimannum Metenſem, aliquamdiu reſtitiſſe aſſerentes contra canonum ſcita eſſe, vt Epiſcopus aliquis abſens, abſque generali Concilio, ſine legitimis accuſatoribus & teſtibus, necdum probatis criminibus quæ obijcerentur, condemnaretur, nedum Romanus Pontifex, aduerſus quem nec Epiſcopi, nec Archiepiſcopi cuiuſquam recipienda eſſet accuſatio: verum his nihil obſtantibus, agente Willelmo Traiectenſi Epiſcopo Regi chariſſimo, qui cauſam eius pertinacius tuebatur, ex nomine omnium plenas contumeliarum literas Romam miſſas eſſe, quibus

bus denuntiaretur Romano Pontifici, vt Pontificatu quem contra Eccleſiaſticas leges vſurpaſſet, ſe abdicaret, ſciretq; poſt eam diem quicquid ageret, iuberet, decerneret, irritum futurum. Porro Legatos ſummo conatu iter accelerantes, pridie quam à Papa Romæ SYNODVS indicta celebraretur, ingreſſos in Vrbem, literas tradidiſſe, ac ceteram legationem verbo non minus contumelioſo, quam ſcripto executos eſſe. Papam vero nihil permotum atrocitate nuntij, poſtera die literas in Synodo publice recitari feciſſe, & cunctis qui conuenerant Epiſcopis decernentibus, Regem excommunicaſſe, & cum eo præcipuos facinoris architectos, Sigefridum Archiepiſcopum Moguntinum, Willelmum Epiſcopum Traiectenſem, & Robertum Epiſcopum Babenbergenſem: ceteris autem conſpirationis participibus diem ſtatuiſſe, qua niſi Romam accederent cauſam dicturi nouæ huius & inuſitatæ rebellionis, ſimilem ceteris excommunicationis ſententiam ſortirentur. Hæc omnia Lambertus, quibus prorſus conſentientia habent eiuſdem temporis Scriptores, Domnizo presbyter in Vita Mathildis, aliuſque presbyter Pœnitentiarius S. Anſelmi Lucenſis Epiſcopi in eius Vita, & ſcriptor Actorum ipſius Gregorij Papæ omnes multis proclamationibus adeo procacem ſchiſmaticorum audaciam deteſtantes. In qua tamen adimpléda haud eo progredi auſa eſt impiorum factio (prout vidiſti) vt ipſum Gregorium à Sede Pontificali deponeret, ſed vt ipſum deponeret ad eum conſcripſit. Ceterum qui literas Conciliabuli Romam detulit, in Actis Gregorij, & apud Domnizonem, vocatur Rolandus Parmenſis, alias Taruiſienſis clericus: præter quem miſſus quoque fuit alius (vt narratur in Vita S. Anſelmi) nomine Eberardus natione Teutonicus, qui circuiret Italiam, vt ſchiſmatica omnes inficeret contagione, quem & ait, inaudita temeritate reconciliaſſe interdictos à Papa, atque ex parte domini ſui Regis indixiſſe vt officium more priori celebrarent.

HENR. REX EXCOMMVNICATVR IN CONCIL. ROM.

IV.

QVINAM IN GERM. PRO GREG. STETERINT.

In Vita autem Gregorij additur, quod ſequenti die poſt Rolandi habitam in Synodo inuectiuam aduerſus Pontificem orationem, allatæ ſunt literæ Epiſcoporum Vltramontanorum, quibus confitebantur ſe nimium deliquiſſe, & poſtulabant veniam, ſpondentes omnem in poſterum Sedi Apoſtolicæ obedientiam. Sed in Actis Salzburgentibus, vbi agitur de S. Gebehardo eius ciuitatis Archiepiſcopo, traditur, in his adeo periculoſis temporibus, præter ipſum Gebehardum, atque Altmannum Patauienſem, Adalberonem Wirtzburgenſem, Herimannum Metenſem, Meginwardum Friſingenſem, præter hos ſolos quinque in toto Regno Teutonico Epiſcopum Catholicum inuentum non fuiſſe, qui ſcilicet pro Gregorio Papa aduerſus Regem aperte ſtare auſus fuerit. Cum alioqui Albertus ſcribat, Saxonicos Epiſcopos nequaquam aſſenſum præbuiſſe eiuſmodi inaudito reliquorum facinori. Habet vero etiam Domnizo de clariſſimis feminis Beatrice atque eius filia Mathilde Comitiſſis, quod licet propinquæ Regi ſanguine eſſent, nequaquam à Gregorio Pontifice receſſerunt, ſed magis magiſque ei inhæſerunt: ita tamen vt mediatrices agerent apud Regem, quo eum Eccleſiæ conciliarent. Sicut & mater ipſi Regis Agnes Auguſta, tunc adhuc viuens, & perſtans Romæ in ſanctiſſimæ vitæ inſtituto excubandi ad ſacra Limina Apoſtolorum, eidem Pontifici immobiliter adhæſit vſque ad extremum vitæ ſpiritum, quem anno ſequenti feliciter exhalauit in Domino.

V.

GREGOR. PROMVLGAT EXCOMMVN. ET DEPOSITIONEM HENRICI.

Porro vbi Gregorius de conſilio centum & decem Epiſcoporum (vt habent Acta) qui Synodo interfuerunt, anathematis ſententia perculit Henricum Regem, de eo dedit ad omnes Chriſti Fideles literas [d] Encyclicas, quibus & ipſam in eum excommunicationis atque depoſitionis ſententiam addidit, vna cum abſolutione iuramenti fidelitatis omnium vbique ipſius ſubditorum. Extatque [e] inſuper aliud eiuſdem Synodi decretum de excommunicatione Sigefridi Archiepiſcopi Moguntini, aliorumque qui ſponte eius ſceleri ſubſcripſerunt, tam Germanorum quam Longobardorum; ac de illorum qui non ſponte conſenſerunt vocationæ Romam ad peragendam ſatisfactionem: itemque de nonnullorum Antiſtitum & Comitum Gallorum excommunicatione, qui vel excommunicatis communicaſſent, vel diuerſas Eccleſias infeſtaſſent, aut alia delicta commiſiſſent. Sed & ad hanc Synodum ſpectare noſcuntur, quæ alio [f] loco poſitæ leguntur eiuſdem Gregorij Papæ ſententiæ breuiores de priuilegijs Romani Pontificis & Apoſtolicæ Sedis, quæ ſemper in Eccleſia Catholica vſu recepta fuiſſent: ita ob vrgentes caſus præſentis ſchiſmatis declaratæ & promulgatæ, vt ex ijs reprimeretur audacia Schiſmaticorum Præſulum ac Principum. Habet vero Guillelmus Bibliothecarius in Vita ipſius, poſt Anathema in Regem & ei inhærentes, in Romana Synodo hoc anno prolatum, conueniſſe *Papi* in Longobardia ſchiſmaticos Epiſcopos, & idem anathema in Romanum Pontificem retorſiſſe: Principes autem quid facturi eſſent ancipites, conſuluiſſe peritos, num eſſet habendus pro excommunicato Pontifex: reſponſumque ab illis ſcire atque prudenter, Romanum Pontificem à nemine iudicandum, ob idque à nullo excommunicari poſſe: excommunicatoſque eſſe qui talia præſumpſiſſent. Sed quod dictum eſt de Epiſcopis Longobardis: licet ipſi inhæſerint Regi, ſecus tamen contigit de Epiſcopis Venetiarum prouinciæ, Aquileienſis Eccleſiæ, & alijs ei ſubditis, quos Gregorio adhæſiſſe indicant eius epiſtolæ [g]; quibus & conſtat, Mediolanenſes milites cum eorum Duce Wifrido, pariter contra Regem fauiſſe Pontifici.

d Greg. 3. ep. 6.

e Ibid. in Act. Conc. Rom. Tertij ſub Greg. VII.

f 2. ep. 55.

ROMAN. PONT. À NEMINE EXCOMMVNICARI POTEST.

g 1. ep. 14. 15. & 4. ep. 7.

VI.

DIVINA VINDICTA IN SCHISMAT.

Iam vero quæ poſt excommunicationem Dei vindicta ſecuta ſit impios, videamus ex eodem qui ſupra Lamberto Germano homine, eiuſdem temporis ſcriptore candido, quem neque priuatus affectus ſuæ gentis, ſuique Principis, valuit à veritate dimouere. Ipſe igitur de Willelmo Traiectenſi Epiſcopo, quem præ ceteris pro Rege ſtetiſſe in conciliabulo Wormatienſi dixit, addit illum cum multa pergeret in iniuriam Romani Pontificis omnibus pene diebus ſolemnibus inter Miſſarum ſolemnia rabido ore declamare, breui repentina correptum grauiſſima ægritudine, inter acerrimos cruciatus animæ & corporis quibus vrgeretur, miſerabili eiulatu coram omnibus vociferatum eſſe, iuſto Dei iudicio ſe & præſentem vitam amiſiſſe & æternam, quod Regi ad omnia quæ perperam intendiſſet operam ſuam ſummo niſu tribuiſſet, atque in ſpem gratiæ eius Romano Pontifici ſanctiſſimo, & Apoſtolicarum virtutum viro, graues contumelias ſciens & prudens innocenti irrogaſſet: ſicque in eam vocem ſine communione, ſine ſatisfactione vlla expiraſſe. Sed hæc latius explicata, ex Annalibus Eccleſiæ Magdeburgenſis Langius in Chronico Citicenſi recitans, ait cum Regi Henrico Traiecti exiſtenti oblata fuiſſet excommunicatio in ipſum à Romano Pontifice illata, eiuſdē Willelmi conſilio eam vilipendiſſe: ipſumque Willelmum inter Miſſarum ſolemnia ſermonem ad populum habentem, eam deridere tamquam nullius eſſet valoris cœpiſſe: verum repente eo ipſo loco correptum ægritudine, eadem ingraueſcente mandaſſe Regi, tam ſe, quam ipſum, & omnes iniquitati Regis fauentes, damnatos eſſe in perpetuum: ac circumſtantibus dixiſſe, adſtare ad lectum dæmones, qui mox vt expiraſſet eum raperent; rogaſſeque omnes, ne poſt eius mortem fatigarent ſe faciendo pro eo ſupplicationes: ſicque in deſperatione defunctum eſſe, & poſtquam diu iacuiſſet inſepultus, Apoſtolico iuſſu ſine commendationibus ſepultum eſſe. Hæc ibi: pergitque auctor narrare de alijs compluribus Henrici fautoribus Epiſcopis, alijſque Principibus qui diuerſis caſibus miſerrime interiere. Moguntinus autem, & alij pœnitentes ab Henrico diſcedentes, diuinæ vindictæ ſententiam euaſere. Succeſſit autem Willelmo Traiectenſi ſchiſmatico Henricus Catholicus: ad quem petentem num orandum eſſet pro ijs in ſchiſmate mortui eſſent extat reſcripta Gregorij [h] epiſtola id faciendum negantis.

WILLELMI EPISC. TRAIECT. TERRIBILIS CONVERSIO.

h 4. ep. 15.

VII.

QVÆ MALA CONTIGERINT REGI HENRICO.

Sed quænam Regem ipſum ſint pariter ſecutæ poſt excommunicationem vindictæ, idem Lambertus pluribus

nitans, tradit mox aduerſus eum Sueuos & Saxones rebellaſſe, ac formidando apparato prælio inſurrexiſſe: ſed & maiores Germaniæ Principes ab eodem defeciſſe, eiſque Archiepiſcopum Moguntinum vna cum alijs compluribus aduerſus Regem adhæſiſſe. Fuit vero horum ſuaſor Vdo Archiepiſcopus Treuerenſis, qui Romam veniens, Gregorium vt vere Summum eccleſiæ Hierarcham veneratus, rediens in Germaniam concionator extitit veritatis. Quo etiam tempore Herimannus Metenſis Epiſcopus, ſtudioſus obſeruator iurium Apoſtolicæ Sedis, cum inter alia conſuluiſſet Gregorium, quid illis reſpondendam eſſet qui dicerent non debere Regem excommunicari, neque deponi; prolixam ab eo epiſtolam [l] recepit, ſcriptam Tibure octauo Calendas Septembris, qua docetur id iure fieri, vſuque receptum fuiſſe vt prædeceſſores Pontifices excommunicarent Reges & Imperatores, eoſdemque Imperio ſiue Regno priuarent. Nihilominus idem Pontifex Henrico compatiens, literas [k] encyclicas dedit ad omnes Præſules ac Principes, ceteroſque Eccleſiaſticos & ſæculares quoſcumque Chriſti Fideles, tum vt ipſum hortarentur ad pœnitentiam, quod cuperet eum, ſi vere ſcelerum pœniteret, ab omni nexu liberare: tum vt vitarent excommunicatorum & impœnitentium communionem: interim tamen omnibus Epiſcopis diſtricte prohibens, nequis Regem præſumeret quomodocumq; inconſulta Sede Apoſtolica ab excommunicatione abſoluere. Qui ſi perſeueraret impœnitens, tunc inita matura deliberatione, alius eligeretur auctoritate Apoſtolica Rex Catholicus, qui Imperium iuſte adminiſtraret. Hæc Gregorius.

l 4. ep. 2. REGES ET IMP. EXCOMMVNICARI POSSE, ET DIGNITAT. PRIVARI. *k 4. ep. 1. & 3.*

VIII.

CONVENTVS TRIBVR. IN CAVSA REGIS.

Quæ vero inde ſecuta fuerint, narrat Lambertus teſtis fidelis; nempe cum poſtremæ huiuſmodi Pontificiæ literæ ad Teutonicos datæ innotuiſſent Epiſcopis ac Principibus Germaniæ, Catholicæ fidei Eccleſiæque Romanæ defenſoribus: ſtatuiſſe ſimul ad comitia conuenire *Triburiam* decimoſeptimo Calendas Nouembris: cumque eodem aduenissent etiam Legati Apoſtolicæ Sedis Sigehardus Patriarcha Aquileienſis, & Altmannus Epiſcopus Patauienſis, productis in medium cunctis Regis criminibus atque ſceleribus, quibus Eccleſiam & Rempublicam ab ipſa ineunte ætate peſſumdediſſet: omnes in eam ſententiam pedibus iuiſſe, vt eo priuato alius Rex crearetur, qui res in priſtinum ſtatum reſtitueret, & deſtrueret omnem cuiuſcumque hominis altitudinem, extollentem ſe aduerſus iuſtitiam & veritatem Dei, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ auctoritatem: adeoque conſtantes in ea ſententia perſtitiſſe, vt quamuis Henricus (qui collectis ad villam Oppenheim ſuæ factionis aſſertoribus, nonniſi Rheno flumo à caſtris Principum dirimebatur) frequentibus miſſis Triburiam legationibus omnimodam polliceretur emendationem, quin & regni adminiſtratione cedere, dummodo eius inſignia apud ipſum remanerent: tamen nihil penitus ab eis aliquo ſupplicationum genere per multos dies impetrare potuiſſe, donec ex vtraque parte expeditis ad prælium armis, primo diluculo eius diei quæ vltimam cladem Reipublicæ allatura timebatur, Principes ad Henricum Legatos miſerunt, quibus ei ſignificarent, ſe his conditionibus inducias ei conceſſuros, ſi Romano Pontifici per omnia ſubditum ſe, dictoque obtemperantem fore polliceretur, & crimmum ſuorum cognitionem eius iudicio permitteret, cum quo ipſi acturi eſſent vt in Purificatione S. Mariæ Auguſtam occurreret, ibique celeberrime conuentu habito Principum totius regni, diſcuſſis vtrarumque partium allegationibus, ipſe ſuo iudicio vel abdicaret vel abſolueret accuſatum: hunc autem ſe capturos experimentum vtrum oblatam cõditionem gratanter acciperet, ſi omnes quos Papa excommunicaſſet protinus à ſe ablegaret: ipſeque Spiram ſecedens cum ſolo Epiſcopo Virdunenſi, paucïſque miniſtris, priuatam interim vitam ageret, nullius Regiæ dignitatis inſignibus vtens, nihil de negotijs publicis diſponens, nullamque Eccleſiam ingrediens, vſque ad Synodicam cauſæ ſuæ examinationem: ac de his omnibus ſacramenta & obſides daret: ſi quid vero eorum præuaricaretur, vel ſi poſt diem anniuerſariam excommunicationis ſuæ, ipſe ſuo vitio inabſolutus permaneret, tunc abſque retractatione in perpetuum cauſa cecidiſſe cenſeretur, ipſique omni erga illum iuriſiurandi religione liberati eſſent. Hæc inter eos geſta narrat Lambertus.

QVÆ REGI CONDITIONES IMPOSITÆ.

IX.

Addit vero, ijs à Rege auditis, ipſum lætum admodum de vrgentis calamitatis auerſione, promptiſſime conditiones acceptaſſe, ſtatimque per omnia adimpleſſe: Principes autem cuncta Summo Pontifici per Legatos Romam miſſos ſignificaſſe, enixe flagitantes vt ſedandis tantis tempeſtatibus ſtatuta die ſuam non dedignaretur præſtare præſentiam. Sed & Regem certo ſcientem, omnem ſuam in eo verti ſalutem, ſi ante anniuerſarium diem excommunicatione abſolueretur, nec ſatis ſibi tutum exiſtimantem vt cauſa ſua intra Germaniam coram adeo obſtinatis accuſatoribus ventilaretur: optimum factu iudicaſſe, Romano Pontifici intra Italiam occurrere: paucïſque ante Natalem Domini diebus, iter aggreſſum eſſe cum vxore & filio paruulo: nec quemquam ex omnibus Teutonicis virum ingenuum comitatum eſſe regno excedentem, præter vnum, & ipſum nec genere nec opibus conſpicuum: cumque impenſis tam longi itineris egeret, multiſque ſupplicaret quibus incolumi Republica ſæpenumero profuerat, paucos admodum extitiſſe qui vel veterum beneficiorum memoria, vel præſenti humanarum rerum ſpectaculo permoti, neceſſitatem eius releuarent. Pari quoque modo ceteros excommunicatos, obtinendæ citius abſolutionis ſtudio ardentiſſime iter acceleraſſe in Italiam: nec tamen in ſocietatem itineris Regem admittere, Principum, vel potius Romani Pontificis metu abſterritos paſſos eſſe. Hæc Lambertus: qui pergit narrare de immenſis incommodis, quæ Rex eo itinere paſſus eſt ab aſperrima hieme, & à Principibus Germanis qui montium tranſitus præcluſerant, ac denique ab ipſis propinquis ſuis: adeo indignatio Domini (inquit auctor) non ſolum ſacramentis, & frequentibus beneficijs ſibi obnoxios, ſed etiã amicos & genere propinquos ab eo auerterat. Quæ autem in Italia ei contigerunt, dicentur anno ſequenti.

REX IN ITALIAM PROFICISCITVR AD SVMM. PONT.

DIFFICVLTAS ITINERIS REGIS.

X.

GREG. CREAT. REGEM DALMAT.

Interim admiratione plane digna res accidit, vt quo anno Henricus Rex ſe ſchiſmate ab Eccleſia ſeparauit, Rex barbarus eidem ſe coniunxerit, ſubditumque ſe conſtituerit. Siquidem hoc eodem anno milleſimo ſeptuageſimo ſexto, menſe Octobris, Demetrius, idemque Suinimur dictus, Croatiæ Dalmatiæque Dux, in Synodo Salonæ in Dalmatia à Legatis Apoſtolicæ Sedis, Gebizone tunc monaſterij Sanctorum Bonifacij & Alexij Abbate, poſtea vero Ceſenate Epiſcopo, & Foicuino Foriſempronij Epiſcopo, habita; nomine Gregorij Papæ ab iiſdem Legatis Regio nomine dignitateque inueſtitus eſt per vexillum, enſem, ſceptrum, & coronam; ipſeque de concordi totius Cleri Populique Croatarum Dalmatarumque conſenſu, pro eodem Regno fidelitatem Sedi Apoſtolicæ, ipſique Gregorio, ac eius ſucceſſoribus, in manus Legatorum iurauit, tributumq; annuum ducentorum Byzantiorum in perpetuum conſtituit. Eſt enim de his nobile [l] monumentum in Vaticana Bibliotheca in codice qui inſcribitur *Centius Camerarius* de cenſibus Apoſtolicæ Sedis. Extatq; inſuper eiuſdem Gregorij poſtea data epiſtola [m] ad Wizelinum Ducem erigentem ſe contra Demetrium, qua ſub interminatione excommunicationis iubet eum arma deponere, & ſi quid contra eumdem Regem haberet, iudicium Sedis Apoſtolicæ, cuius fidelis eſſet, expetere.

REGN. DALMAT TRIBVTARIVM ECC. ROM.

l Rer. Bar. Annal. To. XI. hoc an. m l. 5. 7. ep. 4.

XI.

REX ARABVM HONORAT GREG. PP.

Sed maioris plane eſt admirationis, quod dum reſilit filius Chriſtianus, ac contumelijs patrem exagitat, eodem anno Rex Arabs Saracenus nomine Anzir, qui regnabat in Mauritania Sitifenſi, agnoſcens Romani Pontificis ſupra omnes Eccleſias principatum, direxit Romam presbyterum Seruandum nomine, ab eodem Pontifice conſecrandum Hipponenſem Archiepiſcopum: & vna cum alijs muneribus miſit etiam quos habebat captiuos Chriſtianos, dum Rex Chriſtianus filios liberos

ducebat captiuos in ſchiſim. Extant porro de his litteræ eiuſdem [n] Pontificis ad ipſum Regem Anzir: quibus & ei benedictionem Apoſtolicam licet Saraceno impertiuit, qua indignum (vt vidimus) iudicauit ſchiſmaticum Regem. Denique hoc eodem anno, iiſdemque ferme diebus quibus diſceſſio ab Apoſtolica Sede facta eſt ab Henrico Rege, Rogerius Siciliæ Comes (cui ipſius frater Robertus Guiſcardus Northmannorum Dux, eamdem Siciliam adminiſtrandam commiſerat) contra Paganos pugnaturus, feſtinus accurrit vt ab ipſo Gregorio Pontifice mereretur abſolutionem accipere delictorum, atque eius benedictione fulciri: cui Gregorius, nihil remittẽs legum Eccleſiaſticarum obſeruantiæ, ea conditione annuit, vt non amplius communicaret cum eodem Roberto ipſius fratre excommunicato. Teſtantur hæc literæ [o] ea de re ſcriptæ pridie Idus Martij ad Arnaldum Archiepiſcopum Acheruntinum.

n 3. ep. 21.

Roger. Sicil. Comes petit absolutionem a Greg.

o 3. ep. 21.

XII. Herlembaldi duc. martyrium.

Eodem vero anno *Herlembaldus* dux Catholicorum Mediolanenſium, qui olim ab Hieroſolymitana peregrinatione reuerſus, ab Alexandro Papa alijſque ſanctiſſimis viris impeditus, ne (quod maxime appetebat) monachus fieret: acceptoque ab eodem Pontifice ſacro vexillo, quo aduerſarios reprimeret, iuſſus contra hæreticos atq; ſchiſmaticos vſq; ad proprij ſanguinis effuſionem viriliter decertare: cum id conſtantiſſime per decem & octo ferme annos impleſſet, tandem necatus ab ipſis glorioſum eſt martyrium conſecutus. Quod deſcripſit Syrus presbyter qui eum familiariſſime nouit, in Vita S. Arialdi Martyris, cui Herlembaldus in reformanda Eccleſia Mediolanenſi, & à malignorum conſilijs defendenda, ſtrenuum ſe ſociũ ſemper exhibuit: eſtque præclara eiuſdem Ducis memoria in epiſtolis [p] Gregorij Papæ ad eum datis.

p 1. ep. 25. 26. 27. 28.

Mich. VII Duc. An. 6

IESV CHRISTI AN. 1077.

GREG. VII. AN. 5.

I.

Anno Chriſti milleſimo ſeptuageſimo ſeptimo, Indictione decimaquinta, Gregorius Papa iter aggreſſus cum Mathilde Comitiſſa, vt ſtatuta die Auguſtæ cũ Principibus Germanis veniret ad diſcutiendam Regis Henrici cauſam, cum iam perueniſſet in Longobardiam, audito Regis in Italiam aduentu (quippe qui ſuperatis ingenti difficultate aſperrimis montium Alpium iugis, iam prope aderat) diuertit in caſtellum munitiſſimum Tuſciæ Canuſium dictum, expectans vtrum ille ad poſtulandam abſolutionem, an vero ad vlciſcendam excommunicationem veniret. Sed ne diu ambigeret, fecere Germani Epiſcopi & Principes qui olim Regi adhæſerãt, Canuſium affluentes abſolutionis obtinendæ gratia: quos Pontifex varijs iniunctis pœnitentijs probatos, tandem in Eccleſiam reſtituit. Cum autem & ipſe Henricus, interceſſionem Mathildis cõſobrinæ ſuæ flexis genibus (vt habet Domnizo) efflagitans, tamque ipſius opera, quam aliorum Italiæ Principum, necnon viri ſanctiſſimi Hugonis Abbatis Cluniacenſis, omnium quarumcumque ſatisfactionum genera ſpondens, inſtantiſſime ageret vt ante diem anniuerſarium excommunicationis, qui imminebat, abſolueretur, econtra vero Pontifex cunctaretur, tum quod incongruum eſſe diceret, abſentibus Germanis Principibus eius accuſatoribus cauſam decidere, tum quod verteretur in Rege ſolitam animi inconſtantiam: tamen (inquit Lambertus hæc pluribus deſcribens) ſuperatus tandem importunitate perurgentium & grauitate ſententiarum, vix & ægre annuit, vt Rex cominus veniret: qui vt iuſſum fuerat accedens, & cum caſtellum illud triplici muro ſeptum eſſet, intra ſecundum murorum ambitum receptus foris derelicto omni comitatu ſuo, depoſito cultu regio, nudis pedibus, in laneis veſtibus, frigore aſperrimo, ieiunus à mane vſque ad veſperam cum multo fletu perſtitit, Romani Pontificis miſericordiam implorans. Cumque hoc ſecundo, tertioque die feciſſet,

Greg. PP. venit Canusium.

Pœnitentia et absolutio Regis Henr.

quarto demum in conſpectum eius admiſſus, poſt multa hinc inde dicta, his poſtremo conditionibus abſolutus eſt, vt die & loco quemcumque Papa deſignaſſet, euocatis ad generale Concilium Teutonicis Principibus, præſto eſſet, & accuſationibus quæ intenderentur reſponderet, & ad Pontificis ſententiam vel retineret regnum ſi obiecta purgaſſet, vel amitteret ſi probatis criminibus regio honore indignus decerneretur: vſque vero ad eam iudicij diem, nulla regiæ dignitatis ornamẽta vel inſignia ſibi vſurparet, nihil circa Reipublicæ adminiſtrationem ſuo iure ageret, eoſque, quorum conſilijs ſe Remque publicam prodidiſſet, à ſua in perpetuum familiaritate amoueret: quod ſi purgatis obiectionibus confirmaretur in regno, ſubditus Romano Pontifici ſemper, dictoque obtemperans foret. His, & alijs eiuſmodi iunctis conditionibus, poſtremo additum eſt, Si quam ipſe earum aliquando præuaricaretur, irritam fore eam quam nunc tantopere expetijſſet anathematis abſolutionem, ipſumque pro conuicto confeſſoq; habendum, ac Principes iurandi erga eum religione liberatos, Regem alium creaturos fore. Accepit Henricus gratanter conditiones, ſeruaturumque ſe omnia quam ſanctiſſimis potuit aſſertionibus promiſit, ac ſcripto firmauit. Sed & quod haud temere fides ei haberetur, tum Abbas Cluniacenſis fidem ſuam pro eo interpoſuit, tum alij Epiſcopi & Principes huius conuentionis auctores, allatis Sanctorum Reliquijs ſub iureiurando confirmarunt facturum eum eſſe quod pollicebatur. Hæc omnia Lambertus hoc anno, Domnizo in Vita Mathildis, & ipſe Gregorius [a] Papa in literis ea de re mox ad Epiſcopos & Principes Germaniæ ſcriptis quinto Calendas Februarij, cum ipſam Regis abſolutionem contigiſſe die vigeſima quinta menſis Ianuarij (quæ ex antiquo Eccleſiæ ritu Conuerſioni S. Pauli cõſecrata eſt) Domnizo teſtetur. Porro ex hac fideliſſima prædictorum auctorum narratione miraberis, Lector, quomodo non puduerit Bennonem ſchiſmaticum, aſſerere pœnitentiam Regis non ſponte factam, ſed coactione Pontificis extortam.

Iuramenta ob obseruationem conditionum absolutionis.

a Greg. 4. ep. 12.

II. Canonica purgatio Greg. PP.

Addit vero Lambertus, poſt Regem abſolutum Pontificem celebraſſe Miſſam, cumque ſacratiſſimam Euchariſtiam ſumpturus manu eam teneret, vocato Rege ac vniuerſa adſtantium multitudine, conteſtatum eſſe eam ſe ſumere in iudicium criminum quæ ſchiſmatici aduerſus ipſum promulgaſſent, vt ſi innocens eſſet abſolueretur ab omni ſuſpicione, ſi vero reus, ſubitanea periret morte: ac poſt illa terribilia verba cum idem partem Dominici corporis liberrime aſſumpſiſſet, populuſq; in laudes Dei, innocentiæ eius congratulatus aliquamdiu acclamaſſet: tandem impetrato ſilentio, conuerſum ad Regem, oblata ei reſidua Dominici corporis parte, eamdem æque ei detuliſſet criminum obiectorum canonicam purgationem, ſed Regem inopinata re attonitum, & ad tam horrendi examinis neceſſitatem æſtuantem, habito cum ſuis conſilio, refugiſſe illam eo prætextu quod abſentibus accuſatoribus ſuis haud quicquam virium apud incredulos habitatura eſſet quæcumque pro experienda innocentia ſua ſatisfactio. Hæc Lambertus: quæ omnia tacens Domnizo in Mathilde, tantummodo ait Pontificem celebraſſe Miſſam, & ſacra Euchariſtia communicaſſe Regem.

Rex oblatam purgationem refugit.

III. Donatio Mathildis facta Eccl. Rom.

b Leo Ost. lib. 3. c. 58.

At vero ſubdit Domnizo, poſt hæc Mathildem, Gregorij Papæ & Sedis Apoſtolicæ ſtudioſiſſimam, propoſito Rege donaſſe Romanæ Eccleſiæ omnia ſua bona: de qua donatione agens eiuſdem temporis ſcriptor ſinceræ fidei Leo [b] Oſtienſis Epiſcopus, ait Mathildem Henrici exercitum timentem, Liguriam & Tuſciam prouincias Gregorio Papæ, & S. Romanæ Eccleſiæ deuotiſſime obtuliſſe, indeque inprimis cauſam ſeminandi inter Pontificem & Regem odij initium fuiſſe. Verum quod apud illum, hoc factum ponitur anno Domini milleſimo ſeptuageſimo nono, plane conſtat errorem irrepſiſſe in numerum, cum id & ipſe accidiſſe ponat eodem anno quo contigit Henrici pœnitentia, nempe (vt vidimus) præſenti milleſimo ſeptuageſimo ſeptimo, quo & dona-

tionem ſactam expreſſe Domnizo (qui tunc viuens, etiam præſens adeſſe potuit) affirmat.

IV.

Quod autem pertinet ad diſcordias, quæ mox ſubſecutæ ſunt inter Pontificem & Regem, tradit Lambertus, cum poſt impertitam Regi abſolutionem Gregorius Epponem Citicenſem Epiſcopum miſiſſet, qui vice ſua abſolueret omnes qui Regi excommunicato antea communicaſſent, ipſum ab Italis (nempe Longobardis, qui iampridem à Gregorio excommunicati, aduenienti in Italiam Regi adhæſerant, exiſtimantes eum ad deponendum Pontificem properaſſe,) ingenti fremitu & irriſorijs exclamationibus exceptum fuiſſe: ſed & Regem, cum ad eos rediſſet, peſſime ab ijſdem habitum, quod tali Pontifici, quem ipſi hæreticum & probris omnibus infamatum prædicabant, maieſtatem Regiam fœdiſſima ſubiectione ſubmiſiſſet: eaque de cauſa Regem, vt eorum ſibi conciliaret animos, decreuiſſe initum cum Romano Pontifice fœdus abrumpere: & vt inde reparandæ concordiæ initium faceret, vnde fuerat orta diſcordia, reuocaſſe in priſtinum gratiæ & familiaritatis ſuæ gradum eos omnes, quos Pontifex ſeueriſſimo anathemate à contubernio eius amouerat: tum aſſidue in conuentu Principum cœpiſſe detrahere Romano Pontifici, hortarique omnes vt tantarum ab eo iniuriarum vindictam expeterent: demum conditiones omnes quibus cum Pontifex obſtrinxerat, contemptim tamquam aranearum telam dirupiſſe: abiectiſque omnibus timoris Dei habenis, in omne quod animus & perfidi comites ſuggeſſiſſent, effrenata libertate abreptum eſſe.

SCHISMATICI LABORANT REGEM A PAPA DIVELLERE.

REX IN PRISTINA RELABITVR.

V.

DECERNVNTVR COMITIA GERMANIÆ ADVERSVS REGEM.

Interea Epiſcopos & Principes, qui anno ſuperiori aduerſus Regem conuenerant Triburiæ, ſcripſiſſe ad Romanum Pontificem, vt quoniam die condicta, dolo Regis præuentus, Auguſtam venire non potuiſſet, ſaltem in *Forcheim* tertio Idus Martij præſto eſſe ſatageret, vt ſedandis bellorum ciuilium tempeſtatibus Apoſtolici moderaminis gubernaculum adhiberet: Pontificem autem his acceptis literis, tametſi iam fama defectionis Regis ad eum perueniſſet, tamen miſiſſe ad eum, Gregorium Cardinalem Epiſcopum cum alijs Legatis, per quos eumdem moneret vt ſecundum promiſſa ad diem condictum ſe transferret in Forcheim, iudicium ſubiturus de obiectis ei criminibus: quandoquidem & ipſe Pontifex eo ad hoc accelerare propoſuiſſet: Regem vero diſſimulantem quæ moliretur, ſe excuſaſſe quod difficillimis Italiæ negotijs implicitus, haud poſſet infecta illa derelinquere, tamque breui tempore tanta terrarum ſpatia tranſcurrere: Itaque Pontificem miſiſſe protinus in Germaniam Legatos ſuos Bernardum S. R. E. Cardinalem diaconum, & alium Bernardum Abbatem Maſſiliæ, qui Principibus congregatis renunciarent omnia quæ geſta eſſent: ſeque Henrici diligentia ita circumuentum eſſe, vt præcluſis omnibus itinerum tranſitibus, nec tuto in Germaniam progredi, nec tuto Romam regredi valeret: proinde monere eos, vt ſuis rebus quaqua poſſent ratione mederentur, donec & ipſe adempta itineris difficultate ad eos accedere, & collatis in vnum conſilijs, quid magis Reipublicæ expediret ſecundum Eccleſiaſticas leges decernere poſſet. Hæc Lambertus: hicque ſuæ imponit finem ſcriptioni: quo fidiſſimo duce nos carentes, cum qui adeo exacte res geſtas digeſſerit, auctorem habeamus nullum huius temporis, præter Bertholdum qui poſtea nobis occurret: in poſterum emendicare cogemur hinc inde ex ijs qui tunc viuebant ſcriptoribus: namq; à poſterioribus veritatem petere periculoſum eſſe multoties experti ſumus; quippe qui frequẽter quod falſus rumor, vel vana opinatio, ſæpe vero priuata affectio, & interdum aſſentatio ſuggeſſit animo, ſcripſiſſe inueniuntur ingenti præiudicio veritatis hiſtoricæ.

VI.

HENR. ET GVIBERT. CONIVRANT IN GREG. ET MATHILD.

Igitur Domnizo presbyter in Rebus geſtis Comitiſſæ Mathildis, quas licet rudi carmine, tamen vere & hiſtorice proſecutus eſt; narrat poſt hæc, dum adhuc Gregorius Papa moraretur in Gallia Ciſalpina, vbi tribus menſibus detẽtum fuiſſe ait, Regem Henricum, auctore Guiberto Archiepiſcopo Rauennate, molitum inſidias vt ipſum Pontificem atq; Mathildem, ſub ſpecie cuiuſdam colloquij intra fluuium Eridanum cum illis habendi, dolo caperet; ſed detectis inſidijs, ambos euaſiſſe periculum. Quo etiam reſpicit quod idem Pontifex in literis [c] ad Legatos, & Germanos poſtea ſcriptis, queritur ſe in Longobardia inter inimicos Chriſtianæ religionis non ſine magno periculo remanſiſſe. Qui quidem cum interceptum omnino iter quod parauerat in Germaniam videret, recedens à Longobardia peruenit Romam menſe Maij, vt idem Domnizo teſtatur, ſed verius (vt ex ipſius literis apparet) menſe Septembris.

c Greg. 4. ep. 23. 24.

VII.

RVDOLPH CREATVR REX GERMAN. ADVERSVS HENR.

Inter hæc autem Principes Germaniæ præuaricationem Henrici Regis, & molitiones aduerſus Romanum Pontificem accipientes, inconſulto ipſo Gregorio Rudolphum Ducem Sueuiæ elegerunt in Regem, abdicato penitus Henrico: eumdemq; Moguntiam ductum Sigefridus eius ciuitatis Archiepiſcopus conſecrauit. Habet iſta Marianus Scotus. Porro ſe inſcio iſta eſſe peracta, Gregorius [d] poſtea iuratus aſſeruit: ex quibus redarguas falſitatis recentiores, & inter eos Albertum Stadenſem, atq; Helmoldum [e] in Rebus Slauorum, qui dixerunt Rudolphum promotum fuiſſe à Papa, & ab eo corona donatum. Nam & auctor anonymus eiuſdem Henrici Regis familiaris, qui paulo poſt eius obitum Vitã ipſius conſcripſit, ſeu potius Apologiam, dum omnem hanc de eiuſdem accuſatione, excommunicatione, priuatione, atq; Rudolphi creatione, hiſtoriam breuiter narrat, modeſtius aduerſus Pontificem agens, ſilentium tantummodo ei obijcit dum poſt abſolutionẽ Henrici Rudolphus regnũ inuaſit. Sed an tacuerit, docent eius epiſtolæ [f] ad Legatos ſuos, duos Bernardos, necnon ad Germaniæ Epiſcopos & Principes, vbi primum iſta facta cognouit ſcriptæ; quibus plane innoteſcit quã alieno ipſe fuerit animo à diſcordia, & quantum deſiderauerit in Germaniam, ſi via patuiſſet, ad res componendas proficiſci. Quinimmo & cum Henrici fautores contra ius gentium Legatos Apoſtolicos pacis ſequeſtres cepiſſent, nempe in Longobardia Geraldum Epiſcopum Oſtienſem, & in Germania Bernardum Abbatem Maſſilienſem, nihilominus idem Gregorius adhuc ſuſtinuit pro bono pacis, & tantummodo vt remedia tantis malis quærerentur, ſcripſit ad Vdonem Archiepiſcopum Treuirenſem ac eius Coepiſcopos ſuffraganeos, pridie Calendas Octobris huius anni. Quæ autem poſt hæc ſecuta ſunt, dicentur inferius ſuis locis.

d Id. l. 7. poſt ep. 14.
e Helmold. l. 1. c. 28.
f Greg. 4. ep. 23. 24.

VIII.

PRODIGIA DE INNOCENTIA GREG. PP.

Eſſent autẽ hic attexenda inſignia valde prodigia, quæ ad demonſtrationem Gregorij Papæ iuſtitiæ & innocentiæ, ac confuſionẽ iniuſtitiæ & impietatis Henrici Regis, eiuſq; fautorum, Deus in pleriſq; tum Epiſcopis tum potentibus laicis dignatus eſt varijs locis ac temporibus oſtendere: ſed ea breuitatis cauſa deſcribere prætermittimus, quod poterit qui ea cupit inſpicere enarrata in anni huius periodo apud Bertholdum Conſtantienſem huius temporis auctorem, qui ad Hermannum appendicem elaborauit.

IX.

MVLTIPLICES A GREG. DECRETA LEGATIONES.

Quo vero tempore tot Gregor. vallabatur anguſtijs, nihil interim remittens curæ Vniuerſalis, cuius rector diuinitus cõſtitutus erat eccleſiæ; ob diuerſa negotia eccleſiaſtica, in diuerſas prouincias Legationes miſiſſe cognoſcitur ex litteris de ijs rebus ſcriptis [g] in Minorẽ Britanniã, Angliam, Galliam, Venetias, Aquileiam. Inſuperq; in Hiſpanias [h] miſit Amatum Epiſcopum Olorenſem, & Abbatem S. Pontij, cum litteris ad omnes Reges & Principes ibi dominantes, pro iuribus S. Petro oblatis, de quibus dictum eſt ſuperius. Necnon in Corſicam [i], Landulphum Piſanum Epiſcopum, cum eius inſulæ habitatores redire vellent ſub dominium Apoſtolicæ Sedis, vt ante erãt. Ac deniq; mandauit celebrari [k] *Synodum Lingonienſem* in Gallia, vbi de Inueſtituris laicorum prohibendis ſanciretur decretum, conſentaneum ijs quæ ab Hadriano Papa fuiſſent in Octaua Synodo ea de re ſtatuta. Quod enim minime tot Cõcilijs a tẽpore Leonis Papæ Noni, & ſucceſſorũ Pontificũ in id incumbentiũ, deſtrui potuiſſet vllo pacto ſimoniaca iſta eccleſiaſticarũ rerum, beneficiorumque, à laicis

g 4. ep. 15. & ſeqq. & l. 5. ep. 5. & ſeqq.
h 4. ep. 28.
i 5. ep. 2. & 4.
k 4. ep. 22.

DE INVESTITVRIS LAICOR. TOLLENDIS AGI CŒPTVM.

fieri ſolita collatio, viſum eſt Gregorio, ne ea res noua videri poſſet, Hadriani Papæ decretũ, Oecumenicæ Synodi auctoritate communitum, in medium proferre. Et quamuis ſciret, omnes ſe hac ex parte Chriſtianos Principes paſſurum aduerſarios, tamen inuicto plane ſacerdotali pectore rem aggreſſus, eamdem anno ſequenti in Romana Synodo decreto firmauit.

X. Pœnitentia publica Regis Daniæ de admiſſo ſacrilegio.

Interea mortuus eſt hoc anno Rex Daniæ Sueno, cum non longe antea edidiſſet egregium publicæ pœnitentiæ exemplum, quo non ſolum priores Chriſtianos Reges imitatus eſſe, ſed etiam ſuperaſſe viſus eſt: quippe qui cum ſacro circumciſionis peruigilio ſolemni magnatum conuiuio feriatus, quorumdam Principum clandeſtina obtrectatione parum honorate de ſe habitum compeͬriſſet ſermonem, occultamque eorum perfidiam temulentiæ laſciuijs detectam exiſtimans, miſiſſet qui ipſos matutino tempore intra ſacram ædem oraturos confoderent, atq; ob eiuſmodi ſacri loci violationem, Sanctus Willelmus Epiſcopus Roſkildenſium inter publica Miſſarum ſolemnia ipſum ad ſacrarium de more accedentem baculo paſtorali repuliſſet, & humani cruoris carnificem appellaſſet, continuo Regium repetens abiectis regiæ maieſtatis inſignibus, inſigne pœnitentiæ ſagulum ſumpſit, ac nudatis pedibus ad atrium regreſſus, in eius ſe aditu proſtrauit, donec Epiſcopus eo accedens, eumdem veniam ſuppliciter petentem, & ſatisfactionem promittentem, introduxit in eccleſiam: qui & rurſum poſt biduum regio cultu ornatus, pariter inter ipſa Miſſæ ſacra excelſam ædis partem conſcendens, coram omnib. grauiſſima ſemet accuſatione perſtrinxit, ac collaudata Antiſtitis indulgentia, quod tanto crimini tam repente ignouiſſet, pro ſceleris expiatione, muneris loco, vnius prouinciæ dimidium ſacris aris contulit. Narrat hæc pluribus Saxo [l] Grammaticus; egregiam pœnitentiæ veræ figuram vero eloquentiæ penicillo colorans. Ceterũ defuncto haud diu poſt Suenoni, ſucceſſit maior natu filius Haraldus, ad quem mox Gregorius [m] Papa ſcripſit, monens defuncti patris animæ largis in pauperes eleemoſynarum ſubſidijs, & eccleſiarum orationibus ſuccurrere: alijsq; poſtea literis laudauit eiuſdem ſtudium atq; obedientiam erga Romanã eccleſiam.

l Sax. Gram. lib. 11. Iuan. ... 11.

m Greg. 5. ep. 10. & 7. ep. 21.

XI.

Hoc eodem anno, diu rebus Hungaricis fluctuantibus, defuncto Geiſa Rege, electus eſt Ladislaus: de quo Gregorius [n] Papa ad Nehemiam Strigonienſem Epiſcopum ſcripſit, vt eum moneret de reddenda Sedi Apoſtolicæ debita per idoneos Legatos reuerentia. Id vero præſtitiſſe Regem abundanter, docent ipſius Gregorij redditæ ad eum poſtea literæ.

n 4. ep. 25.

IESV CHRISTI AN. 1078.

Niceph. Boton. An. 1.

GREG. VII. AN. 6.

I.

ANno Domini milleſimo ſeptuageſimo octauo, Indictione prima, Gregorius Papa cõtumaces, eoſdemq; excommunicatos, ſiue ſuſpenſos Epiſcopos & Abbates Longobardiæ & vicinarum prouinciarũ, rurſum ad Synodum Romæ celebrandam prima hebdomada Quadrageſimæ, ad dicendam cauſam vocauit [a], eoſdemque denuo venire contemnentes, in SYNODO Archiepiſcoporum & Epiſcoporum ferme centum, habita in eccleſia Saluatoris quinto Nonas Martij, iterum damnans, Guibertum Archiepiſcopum Rauennatem de quo ſuperius, ac Thedaldum Archiepiſcopum Mediolanẽſem, intruſum ab Henrico Rege, inaudita hæreſi & ſuperbia aduerſus Sedem Apoſtolicam ſe extollentes, depoſuit, & antiquum in eos anathema renouauit: Rolãdum illum, qui pro adipiſcendo Epiſcopatus honore ſuſceperat legationem conciliabuli Wormatienſis in ipſum Gregorium, excommunicauit, & in perpetuum cenſuit indignum Epiſcopali dignitate: Hugonem Candidum Cardinalem, tertio factum apoſtatam & hæreticum, omni ſacerdotali officio priuauit, & anathemate percuſſit: alioſque tam Eccleſiaſticos quam laicos, ob varia delicta, contumaciaſque, paribus cenſuris innodauit: ac denique nonnullos canones circa calamitates præſentium ſchiſmatum ac rebellionum ſanciuit: quæ omnia videre eſt in Actis eiuſdem Synodi inter Epiſtolas Gregorij hoc anno datas. Ex quibus etiã redarguas ea quæ ſiue à Mariano Scoto, ſiue ab alio leguntur ad eius Chronicon appoſita, quæ nec per ſomnium contigerunt, nempe Gregorium priuaſſe regno Henricum, dediſſeque Rudolpho, eumdemq; ipſum Gregorium à Rege Sedem Apoſtolicam accepiſſe.

a 5. ep. 13. Concil. Rom. contra ſchiſmat. &c.

II. Bennonis inſcitia.

Sed nec prætereundus Benno pſeudocardinalis, qui aduerſus Gregorij promulgatum in eadem Synodo decretum, quo ab excommunicatione remouit communicantes cum ijs qui communicarent excommunicatis, in ſua epiſtola in eum ſcripta multa habet plane delira, omni canonica ſcientia deſtituta, ac prorſus hęretica. Quod vero & in Liberium Papam declamat, eo quod communicauerit cum excõmunicatis, quã & in hoc errauerit, conſtat ex ijs q̃ de ipſo ſcripta ſunt ſuo loco: vt plane cognoſcas, ſi verum eſt quod affirmat, à Gregorio Papa præceptum vt Liberij feſtum celebraretur, non perperam factum. Sed hominis mentiri ſolito, & in ſcriptione conferta mendacijs doloq; teſte aliquo ea aſſerenti, haud facile adhibẽda fides. Recitat ex Bennone (qui Bruno corrupte apud ipſum legitur) Abbas Vrſpergenſis.

III

Ceterum prædicta Synodo abſoluta, mox Gregorius de ijs quæ in ea ſancita fuiſſent, litteras [b] ſcribens ſeptimo Idus Martij ad Epiſcopos & Principes Germaniæ, petijt vt Vdo Archiepiſcopus Treuerenſis qui Henrico fauebat, & vnus alius Epiſcopus ex parte Rudolphi, Romam venirent, vt Legati quos ipſe in Germaniam ad diſcordias componẽdas miſſurus eſſet, ſecurius cum illis ire poſſent. Vbi vero illi Romam peruenerunt, ibidem menſe Nouembri SYNODVS celebrata eſt in eccleſia Saluatoris, cuius Acta ſummatim collecta extant inter eiuſdem Gregorij epiſtolas [c]. Iiſque conſtat, inter alios excommunicatum fuiſſe Imperatorem Conſtantinopolitanum, atque eos qui Inueſtituras Beneficiorum Eccleſiaſticorum acciperent de manu Principum laicorum. Ac præterea fuerunt de varijs rebus ſanciti canones numero triginta tres. Sed & iurauerunt Legati Henrici & Rudolphi Regum, quiſque pro domino ſuo, quod nullis dolis Conuentus Legatorum Sedis Apoſtolicæ in Germania habendus impediretur.

b 5. ep. 15. 16.

c Concil. Rom. in cauſa Regum Roman. c poſt ep. 5. lib. 6.

IV Imp. Conſtantinop. excommun. a Greg. PP.

Sed quod ad Imperatorem Conſtantinopolitanum, eadem Synodo excommunicatum, fuit is NICEPHORVS cognomento *Botoniates*, qui tyrannice ſibi Imperium vendicans, Michaelem cum Maria Auguſta coniuge, filioque Cõſtantino Porphyrogenito, in monaſterium relegauit. Coronatus autem ipſe eſt à *Coſma* Patriarcha, qui paulo ante Ioanni Xyphilino defuncto ſubrogatus à Michaele fuerat, cum nuper Hieroſolymis Conſtantinopolim aduenisset. Hæc pluribus Curopalates. Quod vero Michael cum Latinis communicaret, dignum viſum eſt Gregorio Papæ tyrannum inuaſorem Imperij excommunicare. De pietate autem Michaelis, ex eius donis atque oblationibus Caſſinum miſſis, habet nonnulla Leo [d] Oſtienſis.

d Leo Oſt. l. 3. c. 31.

V.

Inter alia quoq; negotia, idem Gregorius aliquot Galliarum Archiepiſcopos, nempe Rhemẽſem, Biſuntinum, Senonenſem, Bituricenſem, ac Turonenſem, ab Apoſtolicæ Sedis Legato ſuſpenſos, eamdem Sedem appellantes, vt iterum audirentur conſtituit [e]. Ad ipſum autem Rhemenſem [f], priuilegio agentem quod noniſi à Romano Pontifice iudicari eius cauſa deberet, aut ab eo miſſis Legatis, docẽt priuilegia ab ea Sede concedi ſolita pro re, pro perſona, pro tempore, pro loco, iterum pro ijſdem, ſi neceſſitas vel vtilitas maior exegit, licenter poſſe commutari: ſicut accidiſſe ait de Arelatenſis eccleſiæ antiquis priuilegijs, vel aliarum ciuitatum, quæ poſtea ceſſarunt, & alijs conceſſa ſunt. Neque enim priuilegia debere Sanctorum Patrum auctoritatem infringere, ſed vtilitati Sanctæ Eccleſiæ proſpicere.

e Greg. 5. ep. 17. 22. f 6. ep. 2. Priuilegia a Rom. Pont. conceſſa, ab eodem poſſe auferri.

VI. Studium Greg. erga Danos et Norveg.

In fine quoque huius anni, nempe decimooctauo Calendas Ianuarij, idem Gregorius ad continendos in fide

g 6. ep. 13

Catholica populos extremos Orbis borealis, Danos atque Noruegos, litteras g dedit ad eorum Reges, vt quoniam propter longinquitatem terrarum, & maxime propter ignotas linguas valde difficile eſſet eo mittere viros doctos ad erudiendum eos in rebus fidei, mitterent ipſi Romam nobiles iuuenes inſtituendos ſacris legibus, quas poſtea docerent in patria.

NICEPH. BOTON. AN. 2.

IESV CHRISTI AN. 1079.

GREG. VII. AN. 7.

I. a ap. Greg. lib. 6. poſt ep. 17. CONCIL. ROM. IN QVO BERENGAR. DENVO ADIVRAT HÆRESIM.

ANno Chriſti milleſimo ſeptuageſimo nono, Indictione ſecunda, menſe Februarij Romæ ex more in Eccleſia Saluatoris celebrata eſt SYNODVS à Gregorio Papa: ex cuius Actis conſtat, inueteratum dierum malorum, ſenem iam octogenarium, hæreſiarcham Berengarium, ſæpe reuocatum ad pœnitentiam, ſæpeque relapſum, iterum veniam poſtulaſſe, & coram vniuerſis abiurantem hæreſim, iureiurando profeſſum eſſe fidem Catholicam ſe ſubſtantiali conuerſione panis & vini in veram & viuificam carnem & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti per conſecrationem ſacerdotis: eidemq; præceptum eſſe à Summo Pontifice, vt numquam amplius ea de re cum aliquo diſputare auderet, niſi cauſa reducēdi ad fidem eos quos ipſe peruertiſſet. In hoc vero Concilio aduerſus eum diſputaſſe S. Brunum, ſiue Brunonem, doctrina & ſanctitate hoc ſæculo clarum, qui paulo poſt creatus eſt inuitus, ſed cogentibus eum diuinitus oſtenſis viſionibus, Signiæ Epiſcopus, eius Vitæ Acta teſtantur.

II. SCHISMATICORVM HORRENDA MENDACIA IN GREG. DE FIDE S. EVCHAR.

Extra Synodum autem foris exiſtens ſchola Phariſæorum, ſchiſmatici Cardinales (quos numero tredecim à Gregorio Papa receſſiſſe, Benno illorum coryphæus in ſua epiſtola aduerſus eumdem Pontificem ſcripta aſſerit) monſtruoſas calumnias in Gregorium commēti, proclamarunt ipſum indixiſſe ieiunium vt Deus oſtenderet quis rectius ſentiret, Romana Eccleſia, an Berengarius, ac de corpore Domini ſignum à Deo quæſiuiſſe, quod olim petente S. Gregorio ad firmandam mulieris fidem contigerat, quando panis Chriſti formam accepit digiti: nec tamen obtinuiſſe. Itemque eumdem Pontificem reſponſa diuina quærentem contra Henricum Regem, Sacramentum Corporis Domini præſentibus Cardinalibus iniecisſe igni. Narrat hæc Benno, mendaciorum concinnator impudētiſſimus, iſthæc & alia plura id genus excogitans, quo Gregorius iuſte exiſtimari potuiſſet depoſitus. Pariterque in ſequentis anni [b] Conciliabulo, in quo depoſitio Gregorij præſumpta eſt, idem damnatus aſſeritur quod eſſe diceretur antiquus Berengarij diſcipulus. Quid ſi ipſa Acta Concilij Romani non extarent, quibus eodem Gregorio iudice Berengarij error damnatus eſt, & ipſe Berengarius eum damnare compulſus? Et quis credat ipſum ſacramento Euchariſtiæ ad vetitam diuinationem publice abuſum eſſe, aut aliquando Berengario adhæſiſſe, quem conſtat perquam magnifice ac ſumma cum laude de veritate ac virtute eius ſenſiſſe & ſcripſiſſe [c]?

b Vrſperg. in Chron. an. 1080.

c Greg. 1. ep. 47. ad Mathild.

III. LEGATI REGVM GERMAN. QVID IN SYNODO EGERINT.

In eadem Romana Synodo conquerentibus Legatis Rudolphi Regis aduerſus Regem Henricum, quod omnia ſacra profanaret, ſacerdoteſque & Epiſcopos partim vinculis manciparet, partim trucidaret, complures ex Patribus cenſuerunt eumdem Henricum excommunicandum eſſe: ſed diſtulit Gregorius, quouſque in colloquio ea de re in Germania à Legatis Apoſtolicæ Sedis habendo, definiretur de iure vtriuſque Regis: quorum interim Legati qui Synodo interfuere, iurauerunt ex præcepto dominorum ſuorum, eos per omnia obtemperaturos iudicio Legatorum Romanorum. Narrantur iſta in ijſdem Actis Synodi. Quæ vero ſecuta ſint, narrat ipſe Gregorius in decreto [d] excommunicationis promulgato anno ſequenti, quo innoteſcit, Henricum Regem hoc eodem anno contra iuſiurandum impediſſe ne Colloquium indictum fieri poſſet. Rebus enim bellicis ei proſpere contra Rudolphum ſuccedentibus, contemnere prorſus cœpit Gregorium, quem hactenus, timens ſibi regnoque ſuo, ſe colere ſimulauit. Porro in hac eadem Synodo Legationem Germanicam iniunctam fuiſſe Petro cognomento Igneo, Cardinali Epiſcopo Albanenſi, eiq; adiunctum Vdalricum Epiſcopum Patauinum, tradit Bertholdus. Denique renouatum eſt anathema in quoſdam Epiſcopos iam antea excommunicatos, aliaque diuerſorum Antiſtitum agitata, quæ docet epiſtola eiuſdem Gregorij tum de ijs data.

d lib. 7. poſt. ep. 14.

IV. e 6. ep. 16.

Hoc eodem anno, quarto Nonas Ianuarij, idem Gregorius Papa ſcripſit [e] ad Berengarium Gerundenſem in Hiſpania Epiſcopum, pro concordia concilianda inter filios Raymundi Berengarij, nuper defuncti Comitis Barcinonenſis, præſtantis viribus atque conſilijs aduerſus Saracenos, quos ex ea filiorum diſcordia reualeſcere & vires reſumere Gregorius pertimeſcebat. Ex his vero redarguas eos, qui Raymundi Berengarij tempora longe poſt hæc poſuerunt, itemque illos, qui Raymundum Berengarium vnum Principem diuiſerunt in duos. Eadem quoque die ſcribens [f] ad Hugonem Cluniacēſem, Abbatem, multum queſtus eſt quod calamitoſo iſto tempore, quo difficile eſſet bonum reperire Principem, recepiſſet in monachum inſignem quemdā Ducem, valdeq; probum, quem ad plurimorum ſalutem præſtitiſſet in ſæculo commorari, cum non deeſſent quamplurimi ex omni hominum genere monachi, qui in cœnobijs Deo ſeruirent. Menſe vero Aprilis, Gebuino [g] Lugdunenſi Antiſtiti confirmauit priuilegium ſuper quatuor prouincias, nempe Lugdunenſem, Rothomagenſem, Turonenſem, & Senonenſem, quibus præeſſe deberet Archiepiſcopus Lugdunenſis: deque his ſcripſit ad earumdem prouinciarum Epiſcopos.

f 6. ep. 17. DVCEM OPTIMVM FACTVM MONACHVM DOLVIT GREGOR.

g 6. ep. 34.

V. GVIL. REX ANGL. CORREPTVS A GREG. EMENDATVR.

Cum autem hoc eodem tempore Guillelmus Rex Angliæ, Epiſcopos omnes ſui regni prohibuiſſet ad Limina Apoſtolorum accedere, idem Gregorius menſe Septembris per Hubertum [h] S.R. Eccleſiæ Subdiaconum, Legatum Apoſtolicæ Sedis, illum ea de re admonendum curauit, iuſſitque vt ex vnoquoque Archiepiſcopatu ſaltem duos Epiſcopos Romam ad Synodum anno proximo celebrandam venire præciperet. Porro acquieuiſſe Regem, immo & vna cum redeunte Huberto ſuos Legatos ad ſatisfaciendum Romam miſiſſe, docent literæ [i] eiuſdē Gregorij ad eum anno ſequenti redditæ, quem & præ ceteris Principibus tempore illo turbulentiſſimo perſtitiſſe conſtat in obedientia Apoſtolicæ Sedis. Eſt tamen inter Lanfranci Archiepiſcopi Cantuarienſis literas, eiuſdem Regis ad eumdem Pontificē ſcripta breuis epiſtola, qua cum pecuniam S. Petro annuatim ſolui ſolitam mittere non recuſet, tamē fidelitatem quam ab eo Gregorius per eumdem Legatum Hubertum exegerat, omnino præſtare renuit: quod ægro animo idem Pontifex [k] tulit.

h 7. ep. 1.

i 7. ep. 23. 25.

k 9. ep. 1. ad Hubert.

VI. l Sax. Gram. hiſt. Dan. lib. 11.

Eodem anno (vt habet Saxo [l] Grammaticus) Haraldus Rex Daniæ, vbi duobus regnaſſet annis, ex hac vita deceſſit: in cuius locum germanus eius Cuntus ſiue Kanutus, ſucceſſit, qui ſtatim ad Gregorium Papam legationē miſit, qua obedientiam ei promiſit, ſignificauitq; cupere ſe à Romana eccleſia inſtitui & erudiri, ad quem Gregorius hoc anno menſe Octobris literas [m] reddidit, paternæ charitatis affectu plenas: ſed in ipſarum inſcriptione, librarij, puto vitio, nomen ipſum Regis mendoſe legitur Acono, pro Kanuto. Ad quem etiam anno ſequenti alias idem Pontifex literas dedit [n], laudans eius erga Romanam eccleſiam ſtudium & obſeruantiam, hortanſque ad contemptum ſæculi, de cuius martyrio dicetur ſuo loco. Eodemque menſe idem Pontifex Legatum miſit in Hiſpanias pro negotijs eccleſiaſticis, Richardum Cardinalem Abbatē Maſſilienſem, cui & literas dedit ad Alphonſum Regem, cum aurea clauicula, more maiorum, ramentis Catenarum S. Petri referta, hortans eum ad contemptum rerum huius ſæculi, & amorem æternarum. Sequēti vero menſe Nouembris, Amato Olorenſi Epiſcopo Legationem in Minorem Britanniam commiſit [o] ad *Concilium* ibi celebrandum, ea potiſſimum occaſione vt

m 7. ep. 5.

n 7. ep. 21. GREG. HORTATVR REGES AD CONTEMPTVM SÆCVLI.

o 7. ep. 10.

fallas

Df falsa poenitentia proscribenda.

falſas pœnitentias proſcriberet, quibus hactenus populus ſeducebatur, dum abſque aliqua peccatorum emendatione peccantes in iiſdem peccatis perſeuerantes abſoluebantur: quod & anno ſuperiori in Romano Concilio fuerat canone ſancito correctum, & anno ſequenti fuit pariter in alia Romana Synodo confirmatum.

VII. S. Stanislai episc. Cracouien. martyrium.

Quo eodem anno ſanctiſſimus *Stanislaus* Cracouienſis Epiſcopus, quod Boleslaum Poloniæ Regem, de grauiſſimis delictis ſæpiſſime redargutum, ac vitam emendare contemnentem, ſententia excommunicationis perculiſſet, ab eo crudeliſſime cæſus eſt dum in altari Deo Miſſæ ſacrificium offerret, die octaua menſis Maij: quem plurimis miraculis tam viuum quam mortuum illuſtratum, Innocentius Papa Quartus ſolemni ritu publice colendum indixit: eius autem præclare res geſtas, & martyrium præclarius obitum, ex antiquioribus monumentis Longinus Polonicæ hiſtoriæ inſeruit, & ſeorſum copioſiſſime conſcripſit. Cum vero ipſius cædes ad Gregorium Papam perueniſſet, idem poſt maturam deliberationem, vniuerſam Gneſnenſem prouinciam, ſub cuius Metropoli Cracouia eſſet, generali interdicto ſuppoſuit, ipſumque Regem Boleslaum, & Poloniæ regnum omni honore, & dignitate regali priuauit, omneſque ſubditos obedientiam ei exhibere vetuit. Cuius ſententiam mox ſecuta eſt diuina executio, cum poſt alia mala ipſe Rex, vt alter Cain, factus eſt profugus ſuper terram, demumque verſus in inſaniam, ac dum errabundus vagaretur, morte præuentus à canibus eſt deuoratus, anno Domini milleſimo octogeſimo primo. Narrat hæc omnia pluribus Longinus.

Sententia Greg. PP. in Reg. Polon. ob necatum Stanisl.

Niceph. Boton. An. 3.

IESV CHRISTI ANN. 1081.

GREG. VII. AN. 8.

I. a 7. ep. 11. Noluit Gregor. lingua Sclauon. diuinum off. celebrari. b 7. ep. 13. 14.

Anno Chriſti milleſimo octogeſimo, Indictione tertia, quarto Nonas Ianuarij, Gregorius [a] Papa Vratislaum Boemiæ Ducem, participantem cum excommunicatis redarguit, & quod ille rogauerat de licentia celebrãdi diuini Officij lingua Slauonica, omnino denegauit. Eodemque menſe, Theodoricum [b] Virdunenſem Epiſcopum monuit, congregare Synodum aduerſus Arnulphũ Comitem graſſatorem, qui Henricum Leodienſem Epiſcopum ad Limina Apoſtolorum venientem deprædatus fuerat, ac iurare coegerat non repetere quod amiſerat.

II. Concil. Rom. c Ibid post ep. 14.

Menſe vero Martij Romæ Concilium ex more celebrauit, in quo (vt habent eius Acta [c]) multa quæ corrigenda erant correxit, & quæ corroboranda firmauit, atque inter cetera, decretum contra Laicas Inueſtituras, & anathema in ſchiſmaticos, alioſque contumaces: canoneſque edidit de vera pœnitentia, ac de reſtituenda legitima Epiſcoporum electione. Nouiſſime autem in Henricum Germaniæ Regem anathema promulgauit, in quod ipſe multiplici nomine Apoſtolicæ Sedi contumax atque periurus, ſeipſum ſæpius implicuiſſet: quem cum Gregorius iam triennio toleraſſet, adeo vt tanta eius patientia ipſummet cum graui ſcandalo totius Eccleſiæ, in ſuſpicionem [d] adduxiſſet tacitæ cum eodem Henrico conniuentiæ, coactus tandem eum, omneſque fautores eius excommunicationis vinculis alligauit, omnique poteſtate & dignitate regia priuauit, & cunctos ſubditos à iuramento fidelitatis abſoluit: Rudolphum vero, quem Teutonici Regem elegiſſent, confirmauit, ac coronam ei miſit cum hac inſcriptione, *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho*. Errant enim qui coronam tunc miſſam tradunt, cum à Præſulibus ac Principibus Germanis Rex fuit nominatus. Nam ipſo teſte Gregorio, numquam vſque in hanc diem ab Apoſtolica Sede fuerat in Regem confirmatus, expectante conuocari Concilium, in quo de vtriuſque Regis iuribus ageretur.

Henr. rex de nouo excommunicatur, et deponitur. d Vid. Greg. 7. ep. 3.

Rudolphus rex confirmatur.

III. Molitiones schismaticor. aduersus Greg. PP.

Poſt hæc autem Henricus habito cum ſuis Epiſcopis ac Principibus eadem ſententia excommunicatis, conſilio de dimouendo è Pontificatu Gregorio, locum ei rei perficiendæ delegit Moguntiam: ſed cum decem & nouem dumtaxat eo conueniſſent Epiſcopi, alius commodior locus, quo turba in vnum coiret ſchiſmaticorum tam ex Germania quam ex Italia, *Brixia*, ſeu Brixino in Noricis, conſtitutus eſt. Quem locum deſcribens S. Anſelmi Lucenſis Epiſcopi presbyter Pœnitentiarius in eius Vita, ait fuiſſe horridum & aſperrimum in medijs niualibus Alpibus, vbi fames aſſidua, frigus pene ſempiternum, altiſſimis circumdatum ſcopulis, vbi vix etiam nomen obtineretur Chriſtianitatis.

IV. Decretum conciliabuli Brix. aduersus Greg.

Illic igitur conuenientes ſeptimo Calendas Iulij cum Henrico triginta Epiſcopi, & multi Italiæ ac Germaniæ proceres, ſententiam depoſitionis in Gregorium abſentem & minime vocatum pronuntiarunt, quod (vt habet ipſorum ea de re decretum) Sedem Apoſtolicam malis artibus inuaſiſſet, Ordinemq; Eccleſiaſticum ſubuertiſſet, & Chriſtiani Imperij regnum perturbaſſet, diſcordias inter omnes ſeminaſſet, ac Regi Catholico mortem corporis & animæ intentaſſet. Quæ vero poſt hæc in eodem decreto addita habentur de ſacrilegijs hæreſibus, & magia eiuſdem Gregorij, quæ quam & ea Conradus Vrſpergenſis Abbas, & ipſe à partibus ſchiſmaticorum ſtans, auide ſuſcepit, tamen qui ipſius Henrici Vitam conſcripſit, eidem à ſecretis inhærens, immo pro domino ſuo potius Apologiam cõcinnauit, hoc tantum aſſerit, quod cum Rex quæreret cauſas & occaſiones qualiter Gregorium eijceret, hoc dumtaxat inuenire potuerit, quod Romanam Sedem olim abiuratam inſediſſet, abiuraſſet autem, quia dum Archidiaconus eſſet, adhuc viuente domino ſuo ad eam per ambitionem aſpirare voluiſſet. Quinimmo & hoc ipſum adeo dubie idem auctor refert, vt maluerit (ſicut ait) rem in medio relinquere, quam incertam defendere aut affirmare. Deniq; nec de alijs illis impudentiſſimis calumnijs, vlla eſt mentio in illa virulenta epiſtola, quam poſt pſeudoſynodum Henricus ſcripſit ad Gregorium, quæ cauſa habetur poſt eiuſdem Henrici Vitam antiquitus ſcriptam, ſed tantum quod malis artibus Pontificatum adeptus eſſet, & in Epiſcopos contumelioſus extitiſſet, ipſumque Henricum deponere tentaſſet. Verum & quam iuſte hæc ei obiecta fuerint, vt ob ea deponi deberet, ſatis docent quæ ſuperius de eius rebus geſtis, ac literis ſcriptis dicta ſunt.

V. e Pro iſto Conciliabulo ſtylum acuit contra Illuſtriſſimũ Baronium Goldaſtus, ſed eum retudit Gretſerus cap. 25. Apologiæ, de qua dictum eſt ad an. 77. nu. 4. Guibertus antipapa.

Cum autem in illo Satanico [e] conuenticulo ab iiſdem ſchiſmaticis creatus eſſet Antipapa Wigbertus, ſiue Guibertus, ſæpius antea excommunicatus pſeudoarchiepiſcopus Rauennas, cui nomen impoſitum eſt *Clementi*: Henricus (inquit Bertholdus) totam Italiam adeo conturbauit, vt nullus ſecurus ire poſſet, qui non prius abiuraret quod ad Papam Gregorium diuerſurus non eſſet. Decretaque ſunt ab eodem Henrico pro Guiberto legationes in omnes prouincias, & inter alias in Angliam: vbi tamen haud receptum eſſe Legatum miſſum, docent inrepatoriæ literæ ad eumdem Legatum redditæ à Lanfranco Archiepiſcopo Cantuarienſi.

VI. Viri docti et sancti stylum acuunt aduersus Guibertum. f Extat ap. Canis. Antiq. Lect. To. 6.

Statim enim vt apparuit beſtia exaltata ſuper Cathedram Petri, ad confodiendam illam gladio verbi Dei inſurrexere viri doctiſſimi, vitaq; ſanctiſſimi. Inter quos primum tenuit locum S. Anſelmus Epiſcopus Lucenſis, dum pro defenſione Gregorij veri Pontificis Apologeticum conſcripſit [f] duobus libris diſtinctum, aduerſus Guibertum præuaricatorem, ceteroſque ſchiſmaticos: cuius fragmentum recitat Vrſpergenſis, ac licet ſchiſmaticus, tamen potentia veritatis coactus eſt fateri, eum qui Gubertum adeo exagitauit Anſelmum fuiſſe virum literis apprime eruditum, ingenio acutiſſimum, facundia præcipuum, atque in Dei timore & ſancta conuerſatione nominatiſſimum, ita vt tam in vita quam poſt mortẽ claruerit miraculis. Sed & Deuſdedit presbyter Cardinalis Tituli SS. Apoſtolorum in Endoxia, ſcribens eiuſdem ſchiſmatis occaſione ad Victorem Papam huius Gregorij ſucceſſorem, egregium commentariũ de Priuilegiis Romanæ Eccleſiæ (qui extat in Vaticana Bibliotheca, Collectio canonum nominatus) declamat auctorem Schiſmatis fuiſſe Guibertum iam depoſitum, & ſæpe excommunicatum Archiepiſcopum Rauennatem, iam antea ſchiſmatis Cadaloici anteſignanum tempore Alexandri Se-

cundi. Et qui prædicti Anſelmi res præclare geſtas conſcripſit presbyter eius Pœnitentiarius, multum pariter inuectus in eumdem Guibertum, periurum & patricidam, (vt vocat) docet inſuper promotorem eius fuiſſe Hugonem illum Cardinalem cognomento Candidum, cuius ſuperius facta eſt mentio, nigerrimum (vt ait) mente, ac dudum pro ſuis ſceleribus iuſte excommunicatum & abiectum.

VII. Rob. Guiſcardus ſe ſubiicit Eccl. Rom.

Denique accidit plane vt arctius iungeretur ſuę Eccleſiæ Chriſtus auctor ipſius, quo execrabilius ab vnitate corporis diſcinderentur tabo corrupta membra putentia. Siquidem cum ſeptimo Calendas Iulij ſacrilegum illud decretum de Gregorij abrogatione editum eſſet, poſt triduum, nempe tertio Calendas Iulij, Robertus ille Guiſcardus, quem hactenus vidiſti hoſtem implacabilem Romanæ Eccleſię & inuaſorem bonorum eius, ob idque ſæpe cum ſuis Northmannis ab eodem Gregorio excommunicatum, ſponte veniens ſe ei ſubiecit, præſtitque [g] iuramentum fidelitatis pro Apulia, Calabria, ac Sicilia, cum conſtitutione cenſus annui duodecim denariorum monetæ Papienſis pro vnoquoque iugo boum, ſoluendi quotannis in die Reſurrectionis Domini: adeoque ſe ipſius Gregorij & vniuerſæ Romanæ Eccleſiæ propugnatorem fideliſſimum exhibuit, vt tandem (ſicut videbitur) ipſum ſuperauerit Henricum Regem, & cum eo pepulerit ab Vrbe Petri Cathedræ peruaſorem.

[g] Greg. lib. 8. poſt ep. 1.

VIII. Porro vbi accepiſſet Gregorius quod factum eſſet in conuenticulo Brixinenſi, paucis poſt diebus de ijs omnibus ad fideliores Epiſcopos ſub eodem Duce Roberto, & alijs Campaniæ Principibus conſtitutos, literas [h] dedit, quibus ab eis preces & auxilium petijt. Idemque fultus auxilio eorumdem, & aliorumque Principum, expeditionem [i] publicauit ad vendicandam armata manu à tyrannica Antipapæ occupatione Rauennatem eccleſiam. Sed tepeſcente hoc animi ardore, fortaſſe quod pœnituerit rem armis agere, haud tamen ceſſauit literis [k] procurare vt eiuſdem Eccleſiæ legitimus eligeretur Antiſtes, & vt electus poſtea Romæ Richardus magnæ vir æſtimationis, ibi reciperetur. Qui & ad omnes clericos ac laicos communionis Apoſtolicæ in Germania conſtitutos ſcribens [l] decimo Calendas Octobris, monuit victoriam de hoſtibus ſperandam eſſe, ſi Deus placetur per veram pœnitentiam peccatorum, & correctionem morum.

[h] 8. ep. 5.
[i] 8. ep. 7.
[k] 8. ep. 12. 13. 14.
[l] 8. ep. 9.

IX. Rudolphus Rex occiſus in prælio.

Idibus autem Octobris apud Elſtram fluuium pugnatum eſſe, ac licet vincentibus Saxonibus, tamen occiſum eſſe ipſorum ducem Rudolphum Regem, teſtatur Marianus Scotus: eademque de nece Rudolphi hoc anno Vrſpergenſis, Sigebertus, & alij, qui fauentes Henrici cauſæ, pœnituiſſe tradunt Rudolphum in ipſo exitu quod contra Henricum inſurrexiſſet, confeſſumque eſſe, dexteram qua ipſi iurauerat iuſto Dei iudicio abſciſſam ſe pati. Ex his autem calumniæ occaſio oborta eſt, vt dicerent aduerſarij falſum vatem Gregorium eſſe probatum, quaſi tam in ipſo decreto excommunicationis, quam alijs literis, prænuntiaſſet Henricum proxime defungendum, & alia plura id genus. Verum quod certus eſſet Gregorius quam iuſtiſſimam tueri ſe cauſam, Henricum vero nisi ſceleribus, magna fiducia Deum præſto fore defendentibus Dei cauſam aſſerere non dubitauit. Nec quidem dici potuit eſſe mentitus, ſi finis totius certaminis attendatur. Vicit enim plane Eccleſia tandem, viceteque Pontifices Orthodoxi, dum poſt infelices ſchiſmaticorum victorias (nihil enim infelicius felicitate peccantium) in tempore adueniens vltio diuina eoſdem penitus proſtrauit, & miſerorum oſſa è monumentis effodit, vt videbitur ſuis locis.

X. Mich. Imp. Conſtant. confugit ad Greg. PP.

Interim miranda plane conſideranda eſt rerum conuerſio, quod dum filius Romanæ Eccleſiæ Rex abſcinditur ſchiſmate, ſchiſmaticus Imperator eius quærens coniunctionem, ab ea imploret auxilium. Siquidem iiſdem ferme diebus Michael Imperator Conſtantinopolitanus, ante triennium à Nicephoro (vt vidimus) detruſus in monaſterium, indeque Epheſinus creatus Epiſcopus, fuga lapſus ſe contulit in Italiam, ſuppetias petiturus à Romano Pontifice atque Northmannis vt reſtitueretur in priſtinum ſtatum. Quæ cum ex Gregorij literis [m] ad Epiſcopos Apuliæ & Calabriæ pro decernenda in Orientem expeditione ſcriptis ſatis pateant, à Græcis tamen hiſtoricis prætermiſſa noſcuntur. Eadem vero haud inaniter inchoata, efficaciter promota ſunt, cum Robertus Guiſcardus anno ſequenti in Græciam profectus eſt. Ex quibus quidem laudes admodum æſtuantem Chriſtiana charitate ſanctiſſimi Pontificis animum, qui dum pateretur in Occidente Regem potentiſſimum aduerſarium, nihilominus de reſtituendo in Orientem eiecto imperatore ita laborauerit.

[m] 8. epiſt. 6.

XI. Greg. PP. commi. natur excommunicationem Alfonſo Hiſpaniarum Regi.

Eodem quoque anno cum Alphonſus Hiſpaniarum Rex Ordinem Romanum perſuaſione cuiuſdam Roberti Cluniacenſis monachi recipere detrectaret, necnon vxoris ſuæ defunctæ conſanguineam in coniugem accipere cuperet, aduerſus iſta idem Pontifex acerrimus vindex canonum exurgens, acres commonitorias literas [n] ad eumdem Regem ſcripſit, aliaſque [o] ad Richardum Cardinalem Legatum ſuum, qui indigna quædam ab ipſo Rege, quod ei conſtanti animo reſtitiſſet, paſſus fuerat, necnon ad [p] Hugonem Abbatem Cluniacenſem contra Robertum monachum, quibus etiam aſperiores in ipſum Regem excommunicationis minas intexuit, eaſdemque ipſi Regi denuntiandas præcepit. Vt rurſum magna ſit admiratione dignus, qui adeo celſo & inuicto animo perſtiterit inter moles anguſtiarum, vt cum magis premeretur à Principibus, in alios Principes, quos ſibi allicere debuiſſet, nihil remiſerit Eccleſiaſticæ ſeueritatis, & conſtantiæ ſacerdotalis, ſatis ducens à partibus ſuis veritatis & iuſtitiæ defenſorem aſtare Deum, in cuius manibus ſunt corda Regum.

[n] 8. ep. 3.
[o] 8. ep. 4.
[p] 8. ep. 2.

XII. Alfonſi emendatio.

Quamobrem & conſtat à Catholico Rege Alphonſo in omnibus cumulate ſatisfactum eſſe Gregorio, dum vna cum ſuis ſuſcepit ſeruandum in diuinis Officijs Romanum Ordinem, exploſo Gothico in quo quædam contra Catholicam fidem inſerta eſſent, & vxorem diuerſam à conſanguinea defunctæ coniugis accepit, inſuperque vt Eccleſiæ Romanæ ſe arctius inſinuaret, munera miſit regia digna munificentia ad S. Petrum. Conſtant enim ea de coniuge, ex his quæ ſcribit Tudenſis, qui quatuor numerans illius Regis vxores, nullas earum inter ſe conſanguinitate coniunctas oſtendit: itemque Pelagius qui recenſet quinque, alij vero ſex eiuſdem vxores. De miſſis autem muneribus & recepto Romano Ordine, teſtis eſt ipſius Gregorij [q] ad eumdem Alphonſum reſcripta anno ſequenti epiſtola, cum de his omnibus Rex ad ipſum literas ſcripſiſſet: ex quibus inprimis corrigas, quæ de numquam ablegato ab eodem Rege, ſed retento ac miraculo comprobato Officio Gothico, complures rerum Hiſpanicarum Scriptores affirmant. Pariterque ex eo quod iiſdem literis Gregorius agit de conſtituendo Archiepiſcopo alio, quam eo quem Rex propoſuerat (qui licet ſatis prudens & liberalis videretur, tamen literalis ſcientiæ penitus indigebat) emendes eoſdem, qui Toletum captum ab Alphonſo tradunt anno Chriſti milleſimo octogeſimo quinto, cum iſta iam hoc tempore facta fuiſſe, eædem ipſius Gregorij literæ manifeſto ſint argumento: niſi quis dicere velit, de alio aliquo Archiepiſcopo potius quam de Toletano eum locutum eſſe. Si vero de illo egerit, conſtat & in hoc paruiſſe Alphonſum, vt ex eiuſdem Pontificis conſilio alius eligeretur Archiepiſcopus Toletanus: quippe creatus externus homo, natione Gallus Aquitanicæ prouinciæ, profeſſione monachus Cluniacenſis, ab Hugone miſſus in Hiſpaniam Abbas monaſterij S. Facundi, ad reuocandos monachos in priſtinum S. Benedicti ordinis cultum, nomine Bernardus, ſanctitate celebris, atque ſcientia tanto muneri haud impar. Denique ſub eodem Gregorio Septimo iſta facta eſſe de recuperatione ciuitatis Toletanæ, & electione Bernardi Archiepiſcopi, ex antiquis monumentis illius Eccleſiæ teſtatur in ſua Collectione Conciliorum Hiſpaniarum, Garſias Loaiſa eiuſdem Archiepiſcopus, & alij.

[q] 9. ep. 2. Rom. Ordo receptus in Hiſpania, exploſo Gothico.

Bernar. Archiep. Tolet.

XIII. r 7 ep. 23. s 7 ep. 21.

Hoc item anno idem Gregorius Papa accepta ab Anglorum Rege Guillelmo legatione, reſcripſit [r] ad eum de ſuis ærumnis, hortatuſque eſt, vt ſicut gemma Principum eſſe meruiſſet, ita regula iuſtitiæ, & erga Romanam Eccleſiam obedientiæ forma cunctis terræ Principibus eſſe mereretur. Scripſit etiam [s] ad Regem Sueonum, ea occaſione quod Euangelij prædicatores ex Gallia ſuſcepiſſet, & monita ſalutis eidem impertiuit.

XIV. LEGATIO AB ARMENORVM PATRIARCHA AD GREG. PP. t 7 ep. 28. u 8 ep. 1.

Eodemque anno venit Legatio Romam ex Oriente ab Armenorum Patriarcha, qua functus eſt Ioannes presbyter, inſecutus hæreticum quemdam Armenia pulſum, ab ipſo Papa Romæ iam damnatum, de quibus extant litteræ [t] Gregorij ad Epiſcopum Beneuentanum. Ea vero occaſione idem Pontifex ſcribens [u] ad eumdem Armenorum Antiſtitem, enumerat ipſorum errores à quibus abſtinere deberent, quamuis negaret Legatus eos illis eſſe implicitos: nempe, Quod non miſcerent in ſacrificio aquam vino: Quod ſacramentum Chriſmatis non balſamo, ſed butyro conficerent: Quod Dioſcorum hæreticum multis antea ſæculis condemnatum colerent: atque demum, Quod ſacro Triſhagio more hæreticorum Crucem adderent. Laudat autem, quod ex antiquo Eccleſiæ ritu Euchariſtiam in azymo conficerent, ob idque Græcos infeſtos experirentur.

XV. DE INVENTIONE CORPORIS S. MATTH. SALERNI.

Sed & non abſque diuinæ prouidentiæ nutu factum quis dicere poterit, vt hoc eodem tempore Salerni Italiæ inuentum fuerit venerandum corpus S. MATTHÆI Apoſtoli, quod illuc longe antehac translatum, ob varia bellorum diſcrimina occultatum ex memoria hominum iam effluxerat. Magno namque diſpenſationis conſilio voluit Deus ſuum Apoſtolum innoteſcere, antequam illuc Apoſtolicus confugeret exul ibi Chriſto ſpiritum redditurus, vt ſuſciperet hoſpitio, & iungeret ſepultura, quem tyrannica perſecutio feciſſet exterrem Chriſti Vicarium, Principis Apoſtolorum ſucceſſorem, vindicem Eccleſiaſticæ libertatis, reſtitutoremque diu exulis diſciplinæ. Sic enim & immenſo fatigato labore ex perſecutione Imperatricis Arianæ S. Ambroſio, ſeſe Martyres Geruaſius & Protaſius prodidere rediuiui in auxilium, quo Fideles non dubitarent certantibus pro Eccleſia cœlites præſto eſſe. Ceterum de iſta S. Matthæi corporis inuentione, qua ingenti omnes affecti ſunt gaudio, eſt epiſtola [x] eiuſdem Gregorij ad Alphanum Archiepiſcopum Salernitanum, virtutibus [y] atque doctrina celebrem, reſcripta decimoquarto Calendas Octobris, cum ab eo fuiſſet de illa certior redditus. Cuius etiam Alphani conſilio & hortatione, Robertus Dux Northmannorum baſilicam eidem Sancto Apoſtolo conſtruxit ibidem Salerni, vt docent antiqua eius monumenta.

x 8 ep. 8. y Vid. Leon. Oſt. lib. 3. c. 6. & 7.

XVI. CONCIL. LVGDVN. z 8 ep. 17. 18. 19. 20.

Ad finem autem vergente anno, celebratum eſt in Gallia CONCILIVM LVGDVNENSE, cui præfuit Apoſtolicæ Sedis Legatus Hugo Dienſis Epiſcopus: in quo Manaſſes Archiepiſcopus Rhemenſis, iam antea damnatus atque depoſitus, rurſus eamdem condemnationis ſententiam accepit. Qua de re extant [z] Gregorij Papæ ſcriptæ ad Rhemenſem Eccleſiam, Comitem eius loci, Epiſcopos ſuffraganeos, ipſumque Francorum Regem Philippum epiſtolæ. Hunc autem Hugonem Dienſem translatum fuiſſe in cathedram Lugdunenſem, teſtantur Acta [a] S. Hugonis Epiſcopi Gratianopolitani, qui hoc eodem anno in alio *Concilio* celebrato Auenione ab eodem Hugone Legato, creatus Epiſcopus, ſedit annos quinquaginta duos, de quo rurſum inferius. Sed & hoc ipſo anno (vt habet Sigebertus) celebrata per eumdem Legatum *Meldenſi Synodo*, depoſitus eſt Vrſio Sueſſionenſis Epiſcopus, & in eius locum ex monaſterio S. Medardi inuitus ſuffectus S. Arnulphus: cuius diuinitus factam electionem, & alias eiuſdem Sancti præclaras res geſtas, plurimaque tam in vita quam poſt mortem edita miracula, ſed & prædictiones quæ ex ipſius ſpiritus prophetici præſcripto euenerunt, ac denique mirabilem tranſitum, proſecutus eſt omni fide eius ſucceſſor Liſiardus [b].

a ap. Sur. 1. April. CONCIL. AVENION. CONCIL. MELDEN. b ap. Sur. 15. Aug.

XVII. NICEPH.

Quod ſpectat ad res Orientalis Eccleſiæ, hoc etiam anno Nicephorus Imperator, poſt ſuperatos diuerſos inſurgentes tyrannos, tandem quæ fecit & ipſe paſſus, ab ALEXIO COMNENO in monaſterium detruſus eſt. Narrat ea pluribus Ioannes Curopalates, hic finem ſuæ imponens hiſtoriæ, quam Cedrenus & Zonaras in ſuos retulere commentarios. Porro tum Michaelis Rangabe, à quo Ioannes Curopalates inchoatur, tum quinque ſequentium Imperatorum, totidem pene verbis deſcripta habetur hiſtoria à Leone Grammatico, Leonis Sapientis Imperatoris mandato, in Vaticana & regia Pariſienſi Bibliothecis cuſtodita. Cum vero iſta agerentur in Nicephorum, tradit Leo [c] Oſtienſis Malphitanum quemdam nobilem partem exiguam ligni ſalutiferæ & viuificæ Crucis auro & lapidibus pretioſis ornatam, & in aurea icona locatam, & de palatio Conſtantinopolitano ſuſtuliſſe, & in Italiam redeuntem, in monaſterio Caſſinenſi collocaſſe.

IMP. DELITVR ET ALEXIVS COMN. IMPERAT. c Leo Oſt. lib. 3. c. 34.

ALEXII COMN. AN. 1.

IESV CHRISTI ANN. 1081.

GREG. VII. AN. 9.

I. a Greg. lib. 8. poſt Dom. … CONCIL. ROM.

ANNO Chriſti milleſimo octogeſimo primo, Indictione quarta, Gregorius Papa ex more initio Quadrageſimæ SYNODVM habuit [a] in baſilica Lateranenſi, in qua inter cetera ſententiam depoſitionis & excommunicationis in quoſdam Epiſcopos, & Henricum dictum Regem, ac Guibertum Antipapam, eorumque fautores, iterum promulgauit.

II. REGES EXCOMMVNICARI POSSE A ROM. PONTIF. b Greg. 8 ep. 21.

Cumque aduerſarij addentes ad ſchiſma priuatam hæreſim, vanum illum excogitaſſent prætextum, non poſſe à Pontifice excommunicari vel deponi Regem, cui eſſe obediendum præcepiſſent Apoſtoli, eorum adeo in ſententiam idem Pontifex iiſdem prope diebus plenius confutauit auctoritate Scripturæ & Patrum, prolixam ea de re Idibus Martij ſcribens epiſtolam [b] ad conſultationem de his factam ab Herimanno Epiſcopo Metenſi, qui præ ceteris vltra montes poſitis Epiſcopis ſemper aduerſus ſchiſmaticos pro Sede Apoſtolica ſtetit defenſor imperterritus, licet multa ob id paſſus ſit ab eis qui Regi inhærerent. Sed & cum Epiſcopus Pataujenſis, & Abbas Hirſaugienſis, & ipſi ſtudioſiſſimi Apoſtolicæ Sedis, cuius Legationis munere idem Pataujenſis Antiſtes fungebatur in Germania, ſignificaſſent quinam eſſet rerum ſtatus in partibus illis, Gregorius viciſſim ad eos paulo poſt Synodum reſcribens [c], quænam Italicarum rerum eſſet conditio, quoue ipſe eſſet compoſitus animo ad pacem ineundam, vel bello reſiſtendum, aperuit: illudque præcipue admonuit, in eligendo nouo Rege melius eſſe cunctari, vt ad honorem Sanctæ Eccleſiæ, & Chriſtianæ Religionis defenſionem, prouideretur idoneus, quam nimium feſtinando aliquis eueheretur indignus: additque formam iuramenti obedientiæ & fidelitatis erga Romanam Eccleſiam, quod præſtare deberet qui eligendus eſſet.

c 8 ep. 3.

III. HENRICI ROMAM ADVENTVS HOSTILIS d 9 ep. 11.

Interea vero Henricus, cum nece Rudolphi Regis cerneret Germaniæ res in tutiorem ſtatum redactas, adueniens in Italiam cum parua manu, vix focum ab his per quos tranſiret habere potuit, vt quidem Gregorius Papa ſignificauit per literas [d] Deſiderio Abbati Caſſinenſi. Progreſſus tamen (inquit Albertus Stadenſis) Romam aduenit habens in comitatu ſuo Liemarum Bremenſem Archiepiſcopum, penes quem tunc ſumma conſilij erat: & reſiſtente ei Papa cum Romanis, ante caſtellum S. Petri caſtra poſuit, ibique crebris Romanorum incurſibus per biennium infeſtatus parua manu multa viriliter egit. Hæc Albertus. Quibus congruentia ſcribens Sigebertus, ait Henricum expugnaſſe loca vicina Romæ, obſediſſeque Leonianam ciuitatem quæ ambit baſilicam S. Petri, ſed non cœpiſſe niſi poſt annum ſequentem. Quo tempore Gregorius omnes Eccleſiaſticos ac laicos Romanæ Eccleſiæ communicantes, Circularibus [e] literis hortatus eſt ad perſecutionem conſtantiſſimo animo perferendam: quæ quidem adeo horrenda conſecuta eſt, tam aduerſus perſonas, quam loca ſacra profanaque, vt fortaſſe

e 9 ep. 21. PERSECVTIO HENRICI IN ROM. ECCL.

omnes

omnes quæcumque à ſchiſmaticis, vel hæreticis in Romanam Eccleſiam motæ fuerint ſperauerint: In qua Catholici, Summi Pontificis literis roborati, diutiſſima admodum per multa annorum curricula pati potius delegerunt, quam deſciſcere ab vnitate Eccleſiæ. Deſcripſit eam breui compendio, qui oculis ſpectauit, Deuſdedit S.R. Eccleſiæ presbyter Cardinalis, in egregio libello[f] quem paulo poſt contra inuaſores, ſimoniacos, & alios ſchiſmaticos, conſcripſit ſub Vrbano Papa Secundo. Meminitque Domnizo egregiæ tunc operæ à Comitiſſa Mathilde collatæ pro defenſione Eccleſiæ, tum armis fortiſſime pugnando aduerſus Henricum conſobrinum ſuum, tum bonis ſuis liberaliſſime ſubueniendo Catholicis Præſulibus, alijſue, qui ſuis pulſi ſedibus eſſent, vel alia pati mala cogerentur. Sed qui fuerint ſingulis annis rerum progreſſus dicetur inferius breuiter.

f Habuit ipſum M. S. Baronius.

IV. *g 9 ep. 1 ep. 2.* DENARIVS S. PETRI IN GALLIA. *h 9 ep. 2.*

Hoc item anno Gregorius Pontifex per Legatos in Galliam miſſos exigendam curauit[g] pecuniam, quam S. Petri Denarium nominabant, à Carolo Magno primitus (vt vidimus) in tribus Galliarum locis indictam, cuius totius exactionis erat ſumma mille & ducentæ libræ, præter quantitatem illam, quam ſponte vnuſquiſque amore S. Petri offerre ſoleret. Quo tempore redarguit[h] Archiepiſcopum Rothomagenſem, quod tres menſes diſtuliſſet petere pallium, ac prohibuit ne Pontificalia vſque ad illud ſuſceptum exercere præſumeret: itemque quod diſtuliſſet inuiſere ſacra Limina Apoſtolorum, cum tamen (vt ait) ab ipſius mundi finibus etiam gentes nouiter ad fidem conuerſæ, ſtuderent annue tam mulieres quam viri ad ea venire. Eodem anno eadem de cauſa acrioribus literis[i] Lanfrancum Cantuariæ in Anglia Archiepiſcopum corripuit, quod etſi ſæpe inuitatus, diſtuliſſet Romam ad eam Apoſtolorum Limina accedere: cum (vt inquit) multi longe remoti, licet corpore inualidi & infirmi, & à lectulis vix valentes ſurgere, ad eadem Limina vehiculus properarent. Quare decreuit, vt ſi intra quatuor menſes Romam non accederet, ſuſpenſus eſſet ab officio Epiſcopali. Ex alia vero parte Legatum Apoſtolicæ Sedis in Gallijs Hugonem Dienſem, nemini parcentem, plurimos excommunicantem, mitius agendum admonuit[k]. Ac denique alia id genus negotia Pontificia inter bellicos tumultus, ac ſi ſumma pace frueretur, perſoluere non neglexit, nihil prætermittens ſeu vigoris ſeu rigoris Eccleſiaſtici. Sic enim & Comitem Andegauenſem munera mittentem ad Apoſtolicam Sedem, nequaquam recipiendum putauit[l], eo quod excommunicatus à ſuo Epiſcopo ei minime ſatisfeciſſet: in cuius cauſa voluit *Synodū* in Gallia per Legatum Apoſtolicum congregari Theobaldo vero laudatiſſimo Comiti Pictauienſi, Sedem Apoſtolicam conſulentian cum Principibus excommunicatis conſuetudinem aliquam habere poſſet, & vt habere liceret petenti, reſpondit omnino abſtinendum ei eſſe à communione ipſorum: neque ipſos Pontifices licentiam peccandi alicui dare poſſe aut debere, quamuis peccantibus Apoſtolica auctoritate ſubuenire non denegent.

ANNVA PEREGRINATIO AD LIM. NA APOST. *i 9 ep. 20.*

k 9 ep. 12.

REIECTA MVNERA EXCOMMVNICATI. *l 9 ep. 22. 23.*

V. INSIGNIS VICTORIA ROB. GVISCARDI ADVERSVS ALEX. IMP. CONST. *m Leo Oſt. lib. 3 c. 48. n Greg. 9. ep. 17.*

Hoc eodem anno Robertus Guiſcardus Dux Apuliæ traiecit copias in Orientem, pro expeditione quam Papa Gregorius ſuperiori anno promulgauerat: & cum quindecim millibus armatorum (vt tradit Leo[m] Oſtienſis) inſigni prælio ſuperauit Alexium Imperatorem, qui aduerſus eum proceſſerat cum centum ſeptuaginta millibus militum. De qua victoria ſunt etiam Gregorij[n] literæ gratulatoriæ ad ipſum Robertum redditæ, cum antea ipſe eumdem Pontificem, Populumque Romanum de omnibus certiorem feciſſet. Hortatus vero etiam eſt illum Gregorius, vt memor promiſſionis anno ſuperiori factæ, feſtinaret opitulari afflictæ ab Henrico Eccleſiæ Romanæ: quod ipſe cumulate præſtitit, vt videbitur ſuis locis.

VI. COMES PROVINCIÆ FIDELITATEM IVRAT ROM. PON. *o 9 ep. 14.*

Hoc item anno Bertrannus Comes Prouinciæ, pro remiſſione peccatorum ſuorum ac parentum (vt habet diploma ea de re confectum) donauit in perpetuum Romanæ Eccleſię omnem honorem ſuum: iuramentumque fidelitatis ipſi Papæ Gregorio præſtitit. Sicut & Wiſigothorum[o] Reges ac populi, à Gentiliſmo recens ad fidem conuerſi, miſſa ad Apoſtolicam Sedem legatione, ei ſe filios obedientes exhibuerunt.

VII. S. KANVTI REG. DANIÆ MARTYRIVM. *p 7. ep. 5. & 11. q Sax. Gram. lib. Dan. lib. 11.*

Denique huius anni exordio, nempe die ſeptima Ianuarij, contigit martyrium *S. Kanuti* Regis Daniæ, perduellium coniuratione intra eccleſiam necati, quod cum multa iam alia ob vtilitatem eccleſiarum, & honorem ſacerdotum præſtitiſſet, inſiſteret etiam vt populus adhuc ſacrorum rudis, decimarum ſolutioni allueſceret. Cuius ſumma pietas, aliæque inſignes virtutes, multum laudatæ reperiuntur, tum literis Gregorij[p] Papæ, tum luculento ſtylo Saxonis[q] Grammatici, qui & pergit narrare vberem miraculorum editionem, quibus voluit Deus manifeſtum fieri Kanuti ſanctitudinem ipſis etiam interfectoribus refractarijs. Publicum autem ſacrilegium publica ſecuta eſt vindicta, nempe fames ingens, qua rebellis populus coactus eſt fateri crimen, cuius pateretur ſupplicium. Sed quod ſpectat ad tempus martyrij, haud poſſumus aſſentiri ijs qui ponunt contigiſſe anno ſuperiori. Nam cum illud accideret ſeptima die Ianuarij, reperiaturque ad eum dediſſe literas Gregorius eo anno decimanona menſis Aprilis, plane adhuc eo tempore fuiſſe ſuperſtitem, & ad hunc annum perueniſſe ſignificatur. Ceterum poſt eum Olauus Germanus eius regnum accepit, tenuitque annos decem, vt idem Saxo docet.

IESV CHRISTI AN. 1082.

ALEX. COMM. AN. 2.

GREG. VII. AN. 10.

I. HENR. VRBEM INFESTAT (?)

ANNO Domini milleſimo octogeſimo ſecundo, Indictione quinta, qui & ſecundus numeratur expeditionis Henricianæ in Gregorium Papam, idem Henricus iterum ad Vrbem rediens, per totum Quadrageſimale tempus eam cum multa hoſtilitate obſedit: adueniente vero Paſchali tempore, vt æſtiuum calorem deuitaret, in Longobardiam reuertit, diſtributo per vicina loca exercitu, eique præfecto Guiberto Antipapa, qui per incumbentem æſtatem ſegetes Romanorum deuaſtauit, aliaque mala eiſdem intulit. Hæc Bibliothecarius, atque Bertholdus.

II. TERVANNENSIS ECCL. CAVSA TRAGICA [illegible] *a 9. ep. 14.*

Gregorius autem, qui celebrandam ex more hoc anno tempore Quadrageſimæ Synodum induxerat Henrici inſultationibus impeditus ſubſtitit: quod etiam duobus ſequentibus annis accidit. Interim vero hoc anno duplex ad eum perlata eſt tragœdia Teruannenſis Eccleſiæ, tam de nefandiſſimis ſceleribus Lamberti intruſi Epiſcopi, primo damnati hæretici[a], & in Meldenſi Synodo à Legatis Apoſtolicæ Sedis excommunicati, demumque ſimoniace ordinati à ſuſpenſis Epiſcopis, quam de horrendis quæ poſtea in odium ipſius perpetrarunt Teruannenſes milites, cum poſt Eccleſiæ rerumque ſacrarum direptionem, eumdem ab altari vbi proſtratus orabat abſtrahentes, linguam ei atque dexteræ articulos abſciderunt. Qua de re ab eodem Lamberto certior redditus Gregorius, acerrimas aduerſus milites ſcripſit[b] literas, quod tam nefanda committere auſi eſſent licet prætextu vitæ ipſius reprobatæ, vel ordinationis iniuſtæ, ſeu depoſitionis irrogatæ, eoſdemque pro ſuſcipienda pœnitentia ad Legatum ſuum remiſit.

b 9. ep.

III. HERMANNVS ELIGITVR REX ADVERSVS HENR.

Eodem anno in Saxonia ſubſtitutus eſt in locum Rudolphi defuncti Regis, Hermannus Dux Lotharingiæ, præſtans nobilitate & peritia militari, ſed non æque viribus iam Rudolphi obitu labefactatis, quas cum reſtituere conaretur, dum caſtrum expugnatum peruaderet, molari lapide deſuper iniecto per fœminam, perijt. Sed hæc poſtea contigerunt. Interea vero noua iſta terrorem Henrico nonnihil incuſſere: quamobrem timens ne ad nouum bellum reuocaretur in Germaniam, doloſis artibus res cum Gregorio Papa velle componere ſimulauit, vt quem armis hactenus expugnare non valuiſſet, inſidijs ſuperaret: de quo dicetur anno ſequenti.

IV. ALEXII IMP. BVLLA AVREA DE ORNAMENTIS ECC. NON AVFERENDIS.

Quod autem pertinet ad res Orientis, hac eadem Indictione quinta menſe Auguſto, Alexius Imperator, tum alijs Regnum eius infeſtantibus malis, tum ſtrage ſuorum

(vt

(vt vidiſti) ab exercitu Northmánorum accepta, prudentior redditus, publica confeſſione hæc omnia peccatis ſuis adſcribens, & maximè quod ex ornamentis atque donarijs eccleſiarum exhauſtum ærarium replere ſtuduiſſet, edita Conſtitutione c, quam Auream Bullam nominauit, verbis verè aureis ſolemniter Deo promiſit ſe omnia reſtituturum ſanciuitque ne quis in poſterum quæcumque ſacra temerè contrectare auderet, etiamſi vel Cadmea neceſſitas vrgeret, diuinam aduerſus eos qui contra hanc legem agerent vindictam imprecatus.

c Ext. To. 3. Bibl. S. P. in ed. vet. Orien.

IESV CHRISTI ANN. 1083.

ALEXII COMN. AN. 3.

GREG. VII. AN. 11.

I. GVIBERTVS ANTIPAPA INTRVDITVR IN SEDEM PETRI.

ANNO Chriſti milleſimo octogeſimo tertio, Indictione ſexta, iterum Henricus (inquit Bertholdus rerum præſentium inſpector) Romam aggreſſus, Guibertum Antipapam apud S. Petrum inthronizauit, ac per Mutinenſem & Ariminenſem Epiſcopos, multis iam annis depoſitos & excommunicatos, conſecrari fecit. Hæc ille, ſed Bibliothecarius hos tres Epiſcopos recenſet ordinatores Guiberti, nimirum Bononienſem, Vincentinum, & Ceruienſem. Viditque tunc planè inauditum hactenus Roma portentum, nempe viuente ipſo legitimo, Orthodoxo, Gregorio Septimo Papa, iam à toto Orbe Chriſtiano per annos vndecim recepto atque culto, ſuperinduci in Petri Cathedram ac conſecrari ſæpe ante depoſitum, & execratum ſæpius Guibertum, decoro nomine *Clementem* Tertium nominatum, quod factum tradunt a vndecimo Calendas Aprilis feria ſexta ante Dominicam Palmarum, licet alij id ponant anno ſequenti: ſed Bertholdo tunc per ſingulos annos ſingulas res geſtas ſcribenti magis deferimus. Ceterum capta tunc fuit dumtaxat ciuitas Leoniana ab Henrico, ac porticus S. Petri (vt habet Leo b Oſtienſis) magna ex parte deſtructa.

a Vſperg. Sigeb. & Albert.

b Leo Oſt. l. 3. cap. 49.

II. HENR. PETIT SYNODVM ET TAMEN EAM IMPEDIT.

Poſt hæc verò Henricus ad ipſam Vrbem capiendam intentus dolos armis adiungens, pleroſque ciues Romanos iam longa obſidione fatigatos, partim pretio, partim promiſſionibus induxit, vt peterent Synodum à Gregorio de cauſa regni celebrari Romæ menſe Nouembri, ad quam ituris ipſe Henricus ſecuritatem iureiurando promiſit, interim Guiberto Rauennam tranſmiſſo. Verùm indicta ea à Pontifice, periurus Henricus tum Legatos Teutonicorum Principum, tum præcipuos Epiſcopos Romam properantes, atque inter alios Ottonem Cardinalem Epiſcopum Oſtienſem de Apoſtolica Legatione redeuntem, Hugonem Lugdunenſem, & Anſelmum Lucenſem, vel in via cepit, vel alijs modis ne ad Synodum peruenirent prohibuit. Celebrata eſt tamen SYNODVS tribus diebus in Lateranenſi baſilica, ſed nihil ob preſſuras Henrici peractum. Narrat hæc omnia Bertholdus: huiuſque Synodi extant monimenta ad finem Epiſtolarum eiuſdem Gregorij Papæ.

III.

Pergit autem Bertholdus narrare de promiſſione à Romanis facta Henrico pro impetranda ei corona, deq; altercationibus inde ortis, necnon de grauiſſima perſecutione, qua vbique Catholici tam clerici quam laici fuere exagitati, ipſaque Italia præda, ferro, & igne miſerè deuaſtata. Sicut & Leo c Oſtienſis plura habet de vocato ab Henrico, & minis venire coacto Deſiderio S. R. E. Cardinale, Abbate Caſſinenſe, quem ſciebat erga Gregorium propenſiorem eſſe, deque eodem rogato vt ſibi adiumento eſſet ad conſequendam coronam Imperialem: necnon de prudente ipſius Deſiderij conuerſatione cum Henricianis ſecum, tamen nec eos oſculatus fuerit, nec cum illis orauerit, nec cibum ſumpſerit, ac denique de inuicta eiuſdem conſtantia in defendendis tam aduerſus Henricum, quam Antipapam, alioſque, iuribus ac priuilegijs Romanæ Eccleſiæ. Qui tandem Caſſinum reuerſus, ibidem hoc ipſo tempore magno honore excepit Hugonem Abbatem Cluniacenſem, & cum eodem ſocietatem vtriuſque Congregationis, Caſſinenſis & Cluniacenſis inijt. Sed hæc omnia pluribus Leo.

c Leo l. 3. c. 49.

CONGRESSVS DESIDERII ABB. CASSIN. CVM HENR.

IESV CHRISTI ANN. 1084.

ALEXII COMN. 4. HENR. III. 1.

GREG. VII. AN. 12.

I.

ANNO Chriſti milleſimo octogeſimo quarto, Indictione ſeptima, cum Imperator Conſtantinopolitanus magnam pecuniæ ſummam Henrico tranſmiſiſſet, vt Robertum Guiſcardum Northmannum Ducem Calabriæ & Apuliæ, qui fines Conſtantinopolitanorum inuaſerat, bello appeteret, idem Henricus acceptam cum iuramento perſequendi Robertum pecuniam, ad conciliandum ſibi vulgus Romanum expendens, eius adiutorio Lateranenſe Palatium feria quinta ante Palmas cum ſuo Guiberto intrauit. Gregorius autem, ſtantibus pro ipſo nobilibus Romanis ferè omnibus, in caſtellum S. Angeli ſe recipit, omneſque Tiberinos pontes & firmiores munitiones in ſua retinuit poteſtate. In die verò Reſurrectionis Dominicæ idem HENRICVS à ſuo Heſiarcha Rauennate coronam non gloriæ, ſed confuſionis accepit: quippe talis coronator non benedictione quam perdidit, ſed damnationem quam habuit, ſuo coronato impoſuit. Hæc Bertholdus. Qualis igitur eiuſmodi execratione potius quàm conſecratione initiatus Henricus ita dici meruerit Imperator, ſicut eius initiator Guibertus dici meruit Pontifex; tamen quemadmodum eo titulo ad conſignanda certa tempora etiam poſitos vidiſti ſuperius in Annalibus, tyrannos pleroſque inuaſores Orientalis Imperij eo nomine indigniſſimos, ſic & iſtum aſſertum potius, quam re ipſa iure aliquo legitimum adnumerabimus. Habent enim ſe iſti, tamquam columnas milliarias collocatas in itineribus, quæ mutæ licet ipſe, loquantur tamen, & viam doceant.

HENR. VRBE POTITVR ET CORONATVR IMP. A GVIB. ANTIP.

II. QVOD TENTATVM ROMÆ IN HENR.

Accidit autem paulo poſt, dum Henricus vna cum ſuis recipiens ſe in Auentinum, tutiorem locum, frequentare ſoleret eccleſiam S. Mariæ, cuidam ignoto homini paranti necem ipſi, ex loci opportunitate occaſionem datam eſſe, vt prægrande ſaxum pararet quod ſuper caput eius deorſum mitteret. Sed quod Deo ſemper inuiſum ac deteſtabile fuit, cuiuſcumque ſanguine quantumlibet noxio, eccleſias inquinari, effecit vt cum ſaxum ille pararet, vna cum ſaxo cadens occubuerit. Ex quo facinore mendax Benno accepta occaſione conflandæ in Gregorium Papam calumniæ, ipſi tribuit facinus quod nec cogitaſſet aliquando. At verò qui res tunc ab ipſo Henrico geſtas conſcripſit, licet ipſi fauens, minimè auſus eſt tanto Pontifici ſcelus tantum adſcribere. Poſt hæc autem diuinam vindictam in Regis exercitum eſſe graſſatam affirmat, nimirum ingruente ob nimios æſtus lue, ne vnum quidem eius militum quos Romæ in præſidio conſtituerat, remanſiſſe ſuperſtitem.

MILITES HENR. LVE CONSVMPTI.

III. ROB. GVISCARDVS FVGAT HENR.

Cum verò nihilominus ipſum inde feſſo ſtudio cœptam Vrbis obſidionem proſequi Gregorius vidit, exigens à fidelibus S. Petri quam promiſiſſent iuramento defenſionem Romanæ Eccleſiæ, inter alios magis vrſit quem nouit potentiorem Robertum Guiſcardum. Qui quidem haud cunctatus, relicto in Oriente cum exercitu Boamūdo, filio, ipſe collectis in Italia nouis copijs, ad deliberationem Pontificis ocyus properans, poſt Calendas Maij (vt Bertholdus habet) armata manu Romam inuaſit, fugatoq; Henrico totam Vrbem Gregorio rebellem penitus expoliauit, & maiorem eius partem igni conſumpſit, eo quod Romani quendam eius militem vulneraſſent. Henricus autem ei reſiſtere non valens, ad partes Teutonicorum feſtinanter reuertit, relicto in Italia Guiberto. Hæc ille. Sed planè diuerſam incendij Vrbis cauſam Leo a Oſtienſis aſſerens, ait id factum à Roberto ex conſilio Cincij Romanorum Conſulis, vt ciuibus extinguendo igni occupatis ipſe facilius ex arce S. Angeli Pontificem educeret. Verumtamen antequam Pontifex ab Vrbe recederet, eiuſdē Roberti Ducis fautore curaſſe vt pſeudocardinales Guiberti inde pellerentur, miniſtrarent verò legitimè inſtituti ſacerdotes, Bibliothecarius eſt auctor, qui ait eoſdem pſeudocardinales fuiſſe ciues Romanos vxoratos, ſiue concubinarios, barba raſos, & mitra-

a Leo l. 3. c. 53.

CARDINALES ANTIPAPÆ QVALES.

ros,atque intra citraq; Eccleſiam impune homicidia, rapinas,varia ſtupra,& diuerſa latrocinia exercuiſſe.Habetque inſuper Bertholdus, eumdem Pontificem collecta Synodo,iterum ſententiam anathematis in Guibertum, & Henricum, omneſque eorum fautores promulgaſſe; eamque Legatos Sedis Apoſtolicæ, Petrum Epiſcopum Albanenſem in Francia, & Ottonem Oſtienſem in terra Teutonicorum vſquequaque diuulgaſſe.

IV. Res a Greg. gestæ adversus Henr. divinitus comprobatæ.

His vero omnibus peractis, Pontifex Caſſinum ſe recepit;vbi dum aliquando Miſſam celebraret, viſa eſt viro cuidam rapto in extaſim,niueo candore columba alijs expanſis Pontificis humeros protegere, & poſtquam ad altare deſcendens caput blande ſuper hoſtiam tactatiſſimā flexiſſet, volatu præpeti remeare ad cœlum: hancque viſionem idem vir nocte ſequenti diuinitus iuſſus eſt renuntiare Gregorio, cum adhortatione vt conſtanter vigore Sancti Spiritus quod cœperat exequeretur. Narrat hæc pluribus Leo [b] Oſtienſis. Quæ quidem opportuno tempore ſunt hominibus diuino conſilio declarata, cum non apud Schiſmaticos tantum, verum apud Catholicos Pontificis fama in ſuſpicionem nimiæ auſteritatis adduceretur: vt quod diuino calculo recte factum probaretur, non auderet humana temeritas ſugillare; atque ora loquentium mendacium penitus obſtruerentur, qui ipſum Gregorium obitus tempore pœnituiſſe facti mentiti ſunt in ſuo ipſorum Conciliabulo, de quo ſuo loco [c] dicturi ſumus, ex quo Sigebertus quæ narrat de Gregorij pœnitentia deſcripſiſſe noſcitur. Quomodo enim potuerunt ei diſplicere, quæ diuinitus monitus eſſet conſtanter exequi? Porro idem ex Caſſinenſi monaſterio Salernum ſe contulit, ibique permanſit vſque ad obitum.

b Ibid. c. 53.

c infra. an. 1091.

Greg. PP. Salernum se recipit.

V.

Robertum autem Guiſcardum cum filio Rogerio in Orientem redeuntem, obuiantem ſibi claſſem Alexij Imperatoris cum auxilijs Venetorum, ingenti nauali prælio deuiciſſe menſe Nouembris, & ad filium Boamundum in Thraciam peruenifle, narrat Romualdus Archiepiſcopus Salernitanus eorum temporum ſcriptor. Cum vero Henrico ab Italia in Germaniam recedente, Orthodoxi in Longobardia reſumerent vires, & plurimi ſchiſmatici ad Gregorium reuerterentur; ad iſtorum ſuſcipiendam pœnitentiam, atque impertiendam eis abſolutionem, Pontifex Legationem committit S. Anſelmo Lucenſi Epiſcopo. Cuius etiam benedictione corroborati Catholici, score glorioſiſſimam de ſchiſmaticis, qui coactis in vnum copijs dominium Comitiſſæ Mathildis inuaſiſſent, victoriam reportarunt, tribus tantum ex ſuis amiſſis,& paucis vulneratis. Quæ omnia pluribus narrat in eiuſdem Anſelmi Rebus geſtis, ipſius presbyter pœnitentiarius.

Profligati schismat. a Catholicis.

VI.

Accidit his item diebus, vt cum Gregorius audiſſet Guillelmum Regem Anglorum detinere iam ab anno ſuperiori in carcere Odonem Epiſcopum Baiocenſem ipſius Regis Germanum, pro eo ad Regem literas dederit (quæ & vltimæ numerantur omnium eiuſdem Gregorij epiſtolarum,quod ferme deperditæ ſint, quas ſcripſit vltimis ſuæ ſedis annis in tumultibus bellicis) quibus cum ipſum de multis laudet,redarguit tamen quod ſacerdotalem dignitatem contemptui haberet, & tam exemplis quam auctoritatibus docet, ſacerdotibus licet prauis & indignis honorem eſſe deferendum. Quænam autem præceſſiſſet cauſa vinculorum Odonis,ex fragmento Rerum geſtarum eiuſdem Regis, ex codice monaſterij Cadomenſis edito vna cum alijs monimentis rerum Anglicanarum,Northmannarum,Hibernarum,& aliarum, intelligitur hæc fuiſſe: nimirum quod cum Odo deceptus vaticinijs quorumdam ſortilegorum, aſſerentium ipſum in Romana Cathedra ſeſſurum poſt Gregorium,iter Romam decreuiſſet cum ingenti atque ſplendidiſſimo omnium rerum apparatu,& nobilium comitatu;oppreſſiſſet ad hoc iniuſtis exactionibus vniuerſam Angliam (cuius adminiſtrationem Rex ei concrediderat, cum ipſe aduerſus Robertum filium ſuum ac rebellantes cum eo Northmannos,in Galliam traieciſſet) Eccleſiarumque opes & ornamenta diripuiſſet, ac ſpe friuola milites ſeduxiſſet. Quapropter Rex Guillelmus feſtinanter in Angliā tranſfretans, eum carceri mancipauit, quem agnoſceret (vt queſtus eſt ad regni proceres) leuem & ambitioſum, carnis inhærentem deſiderijs, immēſum crudelem,& numquam deſerturum noxias vanitates. Adeo vt cum idem Rex poſt annos tres proxime moriturus vinctos omnes ſolui teſtamento iuſſiſſet; vnus ne eximeretur è carcere ipſius Germanus omnino vetuerit, vixque ab amicis exorari potuerit vt conſentiret ipſius liberationi. Hæc omnia pluribus in codice: ex quibus videas quas infelix Epiſcopus ex diuinatione dæmonum meſſuerit fruges, dum Romanæ Eccleſiæ per pecuniam ſibi adipiſci Pontificatum quæſiuit. Ita enim plane qui ſemel his intendere malis artibus cœpit, ludus diaboli effici conſueuit; vt ſpe vana pellectus in inferos demergatur, cum ſe putat thronum eminentiorem proxime conſcenſurum.

De Odone Episc. Baiocen. fratre Regis Angl. decepto falsis vaticiniis sortilegor.

IESV CHRISTI ANN. 1085.

HENR. III. 2. ALEX. COMN. 5.

GREG. VII. AN. 13.

I. Conventus in Germ. inter Cathol. et schism.

ANno Chriſti milleſimo octogeſimo quinto, Indictione octaua, decimoquinto die poſt Epiphaniam (vt Bertholdus ait; hoc eſt vigeſimo primo Ianuarij) *Conuentus* eſt habitus in Saxonia,ſeu (vt vult Vrſpergenſis) in Thuringia, loco qui *Berchach* dicitur; condictus (vt ait) tam ab inimicis, quam amicis Imperatoris, ſeu (vt vult Bertholdus) indictus à Saxonibus contra Henrici fautores,vt probarent ſe iure Henricum,vt excommunicatum vitare. Obijcientibus autem aduerſarijs, Papam nequiuiſſe eum excommunicare, eo quod expoliatus regno non potuerit vocari, iudicari, ſiue damnari; & Saxonibus reſpondentibus, ſe iudicium Sedis Apoſtolicæ non debere retractare, nec poſſe; hoc autem cum illo tractandum eſſe qui Henricum damnauit: ſolutum eſt colloquium. Hæc Bertholdus: quæ Vrſpergenſis diſputata eſſe tradit inter Gebehardum Saltzburgenſem ex parte Catholicorum, & Wecilonem Moguntinum ex parte Henrici. Fuit enim iſte Gebehardus, ex quo ſedem illam ſuſcepit, acerrimus iurium Apoſtolicæ Sedis defenſor aduerſus Henricum & ſchiſmaticum Papam; adeo vt etiam exilium nouem annorum, aliaque multa mala ab eis paſſus fuerit, meruerit vero Legatus fieri eiuſdem Apoſtolicæ Sedis in Germania; vt conſtat ex eius Rebus [a] geſtis: qui tandem ſancto fine quieuit in pace, miraculis etiam poſt mortem clarus. Wecilonem autem quem diximus, Bertholdus ait ex clerico Halberſtatenſi iampridem anathematizato atque fugitiuo, poſt mortem Sigefridi intruſum fuiſſe anno ſuperiori ab Henrico in Moguntinum Archiepiſcopatum, in remunerationem defenſarum ab eo cum omni pertinacia partium ipſius.

De Gebhardo Episcop. Saltzburg.

a To. 2. & 6. Antiq. Lect. Canis.

II

Sed quod attinet ad exceptionem illam ſchiſmaticorum de non iudicando expoliato; ita quidem decretum [b] eſt à Summis Pontificibus, ſpoliatum non ad Synodum vocari poſſe, nec in aliquo iudicari, antequam cuncta quæ ei ſublata ſunt reſtituantur. Verum quod iſta regula ſuis [c] reſtringatur exceptionibus, idcirco in generali Synodo Catholicorum, poſt promiſcuum illum conuentum celebrata in *Quintilinburg* ipſa Paſchali hebdomada, cui præfuit Otto Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis Apoſtolicæ Sedis Legatus, & interfuit Rex Hermannus; eadem quæſtione iterum ventilata, idem Wecilo declaratus eſt hæreſiarcha, quod aſſereret ſæculares ſuis rebus ſpoliatos Eccleſiaſtico non ſubiacere iudicio nec excommunicari poſſe pro ſuis exceſſibus; quodque contenderet excommunicatos abſque reconciliatione recipi poſſe: ipſaque eius hæreſis anathemate damnata eſt. Teſtatur hæc obiter Vrſpergenſis, ſed ipſa Acta Synodi, canoneſque in ea ſtatutos circa diſciplinam Eccleſiaſticam, Bertholdus recitat: additque in fine Synodi ſententiam anathematis cum ardentibus candelis promulgatam eſſe in Guibertum hęreſiarcham Sedis Apoſtolicę inuaſorem, & in nonnullos ipſius pſeudocardinales apoſtatas; item-

b 2. q. 2. per tot.

c Gloss. in can. Script. verbo inc. in 2. q. 2. et Bald. alibi.

Concil. Quintilineburg. contra errores Wecil. hæresiar. etc.

Digitized by Google

que in VVecilonem Moguntinum, Liematum Bremenſem, aliosque Epiſcopos ſchiſmaticos & inuaſores, cum ſuis complicibus omneſque ordinationes & conſecrationes excommunicatorum, penitus irritas iudicatas eſſe iuxta decreta SS. Patrum.

III. CONCIL. MOGVNT. Econtra vero iidem ſchiſmatici ad vindicandam quam acceperant iniuriam, tertia poſt prædictam Synodum hebdomada, & ipſi *Moguntiæ* conuenieñtes vna cum Henrico & Legatis Antipapæ Guiberti, necnon quibuſdam Romanis eius ſectatoribus, depoſitionem Gregorii, & Guiberti ordinationem confirmarunt, Fideles omnes communionis Gregorii excommunicarunt, & cunctos Epiſcopos qui Guibertum non reciperent condemnantes, alios in eorum locum ſubſtituerunt. Teſtantur iſta Bertholdus, Vrſpergenſis, Sigebertus, & Dodechinus. FVNERA SCHISM. Subiicit autem Bertholdus funera præcipuorum ſchiſmatis promotorum atque defenſorum in Italia, Epiſcoporum ac Principum, qui vrgente fame atque lue ex hac vita extra Eccleſiam poſiti miſere abrepti ſunt.

IV. Quo item eodem anno, ſed ſorte plane diuerſa (pretioſa enim in conſpectu Domini mors ſanctorum eius; mors autem peccatorum peſſima) *Gregorius* [d] Papa Salerni conſiſtens, cum ſediſſet annis duodecim menſe vno diebus tribus, vigeſima quarta menſis Maii migrauit in cœlum; ſepultuſque eſt ibidem in Eccleſia S. Matthæi Apoſtoli, ad cuius dedicationem eo accellerat: qui & in Album Sãctorum relatus, anniuerſaria memoria in Eccleſia nomine celebri perſeuerat. Porro illum, cum ſermonem habuiſſet ad populum, infirmitate corporis affectum decubuiſſe in lecto, Bibliothecarius eius temporis teſtatur: præſcientem vero eo ſe morbo interiturum, in ea erupiſſe verba: *Dilexi iuſtitiam, & odi iniquitatem: propterea morior in exilio.* Otto Friſingenſis affirmat; confirmatque qui tunc viuebat auctor Rerum geſtarum S. Anſelmi Lucenſis Epiſcopi: qui & addit eumdem Gregorium quos ſibi obedientes viuens benedixit, morientem quoque commendaſſe: Henricianos autem penitus, niſi poſt magnam dignam conuerſionem & pœnitentiam, reprobaſſe. Quæ quidem recitaſſe voluimus, vel hinc aperta luce commentum Sigeberti de pœnitentia Gregorii quod Henricum fuerit perſecutus, eludatur.

d *Leo Oſtl. l. 3. c. 64.* S. GREG. PP. VII. OBITVS.

V. Quod vero pertinet ad toleratas à Gregorio immenſas ærumnas; ei merito occinendum ſit illud propheticũ [e] carmen, *Dicite iuſto, quoniam bene.* Ita namque plane perſecutionibus indeſinentibus, atque ſæpe cædibus ſacerdotũ, multo felicius paritur Eccleſiæ pax, libertas acquiritur & confirmatur Eccleſiaſtica, atq; ſalus quæritur animarum. Mentiarq; niſi iſta iam experimento rerum præſentium monſtrari poſſint; nempe per Gregorium vindicatas è manibus Principum Eccleſiarum Inueſtituras liberam electionem Romanorum Põtificum poſtliminio reſtitutam diſciplinam Eccleſiaſticam collapſam penitus reparatam, & alia innumera bona parata. Eumdem vero ſicut in vita, ita & poſt mortem claruiſſe miraculis; idem qui ſupra Bibliothecarius abſque vlla dubitatione confirmat: & ſcriptor Vitæ S. Anſelmi teſtis oculatus aſſerit, per mitram eiuſdem Gregorii præclara Deum feciſſe miracula; atque inter alia, Mantuanum Epiſcopum multis iam annis grauiſſimo ſplenis morbo affectum, ac toto corpore vlceratum, ſanitati priſtinæ reſtituiſſe. Cuius Sancti corpus noſtra ætate, poſt quingentos fermè ab obitu annos, cum ſepulchrum eius reſtitueretur, inuentum eſt omnino integrum atque incorruptum, & ita hactenus perſeuerat: ſicut & multis aliis Sanctorum corporibus accidiſſe noſcitur. Porro quæ idem ſanctiſſimus Pontifex, & Apoſtolicarum traditionum diligentiſſimus inueſtigator, ad Ordinem Eccleſiaſticum, rituſq; ſacros ſpectantia reliquerit monumenta, auctor [f] Micrologi in ſuum commentarium aliqua ex parte retulit; præter quæ etiam in eius Epiſtolis nonnulla alia obſeruanda ſe offerunt, quæ Collectores retulerunt in libros Decretorum.

e *Iſa. 3.* QVOMODO ECCLESIÆ PAX QVÆRATVR. MIRACVLIS GREGORIVS ILLVSTRATVR POST OBITVM. f *Micr. c. 14. 17. 23. 24. 41.*

VI. Scribit autem Leo [g] Oſtienſis, eumdem Pontificem ante tertium ſui obitus diem, rogatum ab Epiſcopis & Cardinalibus qui aderant, quid de Romanæ Sedis ordinatione iuberet, hortatum eſſe vt Deſiderium S. R. E. presbyterum Cardinalem Abbatem Caſſinenſem Pontificem facerent, quod præter ſummam prudentiam & religionem præcipuam, polleret ſingulari Principum beneuolentia & amicitia: ſi vero hunc nullatenus flectere poſſent, aut Lugdunenſem Archiepiſcopum Hugonem, aut Ottonem Oſtienſem aut Anſelmum Epiſcopum Lucenſem eligere quanto citius ſe defuncto ſtuderent. Ceterum ipſo defuncto, Deſiderius omnino recuſans onus Pontificale ſuſcipere, ac ſtrenue laborans pro alio ſubſtituendo, cum intellexit publica priuataque omnium cõſilia votaque in eum tendere, atque vim ei inferendam fore, Caſſinum aufugit: ſicque in his pertractandis & conſulendis præſens elapſus eſt annus.

g *Leo l. 3. cap. 64.* AGITVR DE ELECTIONE SVCCESSORIS.

VII. ROBERTI GVISC. OBITVS. Hoc item anno menſe Iulii Robertum Guiſcardum potentiſſimum Ducem, apud Inſulam Caſſipem obiiſſe morte communi, maiorem ſexagenario, anno Ducatus vigeſimo ſexto, tradit Romualdus in Chronico: eique de tempore conſentiunt Bertholdus, & alii huius ſæculi auctores: ex quibus arguitur recentior [h] qui eum mortuum ponit anno milleſimo octogeſimo tertio. Addit vero Leo [i] Oſtienſis, corpus eius relatum eſſe in Italiam, & Venuſiæ in Apulia conditum. Cuius etiam extat [k] epitaphium, quo is *Terror mundi* nominatur. Habet inſuper Leo eumdem cum moreretur, Brachium S. Matthæi Apoſtoli thecæ argenteæ incluſum, clericis qui ſecum aderant, vt Salernum referrent ac filio redderent iuſſiſſe. Pergitque recenſere immenſa & pretioſa dona, atque largiſſimas oblationes, quas monaſterio Caſſinenſi variis temporibus detulit: ex quibus intelligas Northmannorum pietatem per quam à Deo promeruerunt in hoc etiam ſæculo exaltari. Sed quis cetera numeret, quæ ad limina Apoſtolorum Romam miſit, quæ ad baſilicam quam ſtruxit S. Matthæi Salerni dedit, quæ ad alia ſui dominii loca & monaſteria quæ conſtruxit? Cum autem intueretur iſta oculis idem Leo tunc monaſterii Caſſinenſis Bibliothecarius, quantum ei deferendum ſit de rebus Roberti Ducis, ac fratris ipſius Rogerii Siciliæ Comitis, magis quã Fazello qui nuper res Siculas eſt proſecutus, nemo nõ videt.

h *Fazel. de reb. Sicul. poſter. dec. l. 7.* i *Leo l. 3. c. 56.* k *Ap. Wil. Malmesb. hiſt. Angl. lib. 3.* OBLATIONES SACRÆ ROBERTI.

IESV CHRISTI AN. 1086.

HENR. III. 4. ALEX. COMN. 6.

VICT. III. AN. 1.

I. ANNO Domini milleſimo octogeſimo ſexto, Indictione nona, cum diu multumque laboratum eſſet à Catholicæ partis Cardinalibus, vt eligeretur Gregorii Papæ ſucceſſor; tandem omnibus Romam conuenientibus, Deſiderius presbyter Cardinalis tituli S. Cæciliæ, Abbas Caſſinenſis, patria Beneuentanus, nobiliſſima proſapia ortus, de quo ſæpiſſimæ facta eſt ſuperius mentio; ingenti deſiderio ab vniuerſo Clero & Populo expetitus, cum nullis precibus ac perſuaſionibus flecti poſſet, vi adhibita inuitus ac renitens in diaconiam S. Luciæ perductus ipſo die Pentecoſtes electus eſt Pontifex, ac VICTOR eius nominis Tertius appellatus: verum poſt dies quatuor Roma egreſſus, inſignia Pontificatus Tarracinæ dimiſit, & Caſſinum ſe recipiens, rigidus in propoſito, nullis aliorum precibus, lacrymis, rationibus perſuaderi valuit ea reſumere: ſicque hic iterum annus elapſus eſt. Quomodo vero iſta quàm difficillimè tranſacta fuerint, Leo [a] Oſtienſis qui aderat pluribus deſcribit.

VICTOR PP. III. ELIGITVR, SED RENVNCIAT ELECTIONI. a *Leo l. 3. c. 65. 66.*

II. VICTORIA CATHOL. ADVERSVS SCHISMAT. IN GERM. Inter hoc ipſo anno, qui erant in Germania Catholici Principes Sueuorum & Saxonum obſidentes Herbipolim, aduenientem ad eos expellendos cum pluſquam viginti militum millibus Henricum, ipſi vix decem millium numero præuio Sanctiſſimæ Crucis vexillo, confiſiq; de miſericordia Domini, quam multis gentibus proſtrati in terram imploratunt, poſtridie feſti S. Laurentii immẽſa clade fuderunt, occiſis multis hoſtium millibus, captiſque ingentibus ſpoliis, atq; ipſo primo congreſſu Henrico diſſimulato habitu inter primos aufugiẽte; ex parte vero Catholicorum tribus tantum militibus in certamine

& aliјs duodecim poſtea ex vulneribus occumbentibus. Rem geſtam pluribus proſecutus eſt Bertholdus Conſtantienſis, qui interfuit.

III. S. ANSELMI LVCEN. OBITVS.

Eodem anno, decimoquinto Calendas Aprilis, Mantuæ ex hac vita migrauit S. *Anſelmus* Lucenſis Epiſcopus, de quo ſæpe ſuperius; qui mox poſt obitũ innumeris ac præclaris cœpit clarere miraculis, vnde & multi ſchiſmatici ad communionem Catholicam reuerſi ſunt, cum viderent per Epiſcopum qui verbis & ſcriptis Gregorium Papam defendere numquam ceſſauerat, eumdemque ſemper vt magiſtrum in omnibus imitari quæſierat, Guibertum vero adeo conſtanter improbauerat, tot tantaque edi à Deo miracula. Teſtantur hæc Bertholdus in Chronicis, & Domnizo in Vita Mathildis, ſed fuſius ipſius Anſelmi presbyter pœnitentiarius in eius Rebus geſtis, vbi & egregias ab eo elaboratas lucubrationes recenſet; è quibus extat, quam nominat Compilationem canonicarum ſententiarum ex SS. Patribus.

IV. CARTHVSIA SOLITVDO HABITARI COEPTA.

Hoc itidem anno Carthuſię ſolitudo cœpta ęſt habitari à S. Hugone Epiſcopo Gratianopolitano, Sanctoque BRVNONE auctore inſtituti, ac ſociis eius; ex quo loco & nomen accepere, vt dicerentur monachi CARTHVSIANI. Tempus porro certum redditur ex eiuſdem S. Hugonis Vitæ Actis,[b] quibus traditur ipſum anno Domini milleſimo octogeſimo creatum Epiſcopum, poſt duos annos adiiſſe Cluniacenſes, ibique moratum annum vnum rediiſſe ad Epiſcopatum, ac rurſum poſt tres annos, nempe ſexto ab ordinatione ſua, petiiſſe Carthuſiam. Ceterum primarium monachorum Cathuſianorum vitæ ordinem magna cum admiratione & laude ſcripſit Petrus [c] Venerabilis Abbas Cluniacenſis, & miraculo quædam ab iis edita narrauit: de quibus rurſum inferius.

b Ap. Sur. 1. April.

c Pet. Cluniac. l. 2. miracul. ca. 28.

V.

Quod ſpectat ad Orientalem Eccleſiam; hoc anno Coſmas Patriarcha Conſtantinopolitanus deceſſit, atq; in locum eius ſuffectus eſt *Euſtathius* cognomento Garides; prout apparet ex ſerie, Patriarcharum, quæ extat in codice Iuris Orientalis.

IESV CHRISTI AN. 1087.

HENR. III. 4. ALEX. COMN. 7.

VICT. III. AN. 2.

I. CONCIL. CAPVAN. VICTOR ROMÆ CONSECRATVR.

ANno Chriſti milleſimo octogeſimo ſeptimo, Indictione decima, CONCILIO media Quadrageſima Capuæ habitoi, *Victor* electus Pontifex victus tandem precibus & rationibus Præſulum ac Principum qui adfuerunt, reſumptis Pontificiis inſignibus Romam petens, ſeptimo Idus Maii conſecratus eſt, & in Apoſtolica Sede locatus, licet iam ægritudine correptus.

II.

Cum vero poſthæc Guibertus Antipapa Romam & ipſe acceſſiſſet (qui apud S. Mariam ad Martyres ſe recepit, dum Victor in Inſula Tiberina reſideret) ac tum in Vrbe tum multis aliis Italiæ locis ingentia mala ſacrilegus latro ederet; interim qui paſtor legitimus gregis erat, vitans bella gerere aduerſus Chriſtianos, quos indignatio vel gratia Henrici ad tempus ab Eccleſia ſeparauerat, expeditionem militarem conuertit aduerſus improbos Saracenos Italiæ iugiter littora infeſtantes, Chriſtianoſque captiuos abripientes: atque ex omnibus fere Italiæ populis exercitum congregans, illiſque vexillum S. Petri tradens, ſub remiſſione omnium peccatorum in Africam direxit; vbi illi centum millia hoſtium occiderunt; capta & exciſa præcipua eorum vrbe: ne quis ambigeret hæc Chriſto auſpice contigiſſe, quo die Chriſtiani victores euaſere, eodem etiam Italiæ nunciata victoria eſt. Hæc omnia de cõſecratione Victoris, ſceleribus Guiberti, & expeditione Africana pluribus Leo [a]. De eadem vero victoria Africana puto etiam loqui Bertholdum, dum habet anno ſequenti, Piſanos & Genuenſes, alioſque multos ex Italia, Africanum Regem Paganum hoſtiliter inuaſiſſe, & deprædata eius terra ipſum in quamdam munitionem compuliſſe, ac deinceps Apoſtolicæ Sedi tributarium effeciſſe.

VICTORIA DE SARACENIS IN AFRICA.

a Leo Oſt. l. 3. c. 67. & ſeqq.

III. CONCIL. BENEVENT. CONTRA SCHISMAT.

Recedens autẽ Victor Roma, mẽſe Auguſti SYNODVM Epiſcoporũ Beneuenti celebrauit, in qua inter alia nefandum Guibertum Antipapam, ob vetera atque recentia ipſius ſcelera, rurſum anathematis vinculo innodauit: eademque ſententia perculit Hugonem Lugdunenſem Archiepiſcopum, & Richardum Abbatem Maſſilienſem, quod pro ambitione Sedis Apoſtolicæ, ad quam dudum clam inhiabant, vbi votis ſuis potiti non ſunt, ſe à communione ipſius Victoris ſeiunxiſſent: ſed & antiqua de laicis Inueſtituris decreta renouans, tam dantes quam accipientes excommunicationi ſubiecit: ac denique decreuit, pœnitentiam & communionem à nemine niſi à Catholicis ſacerdotibus ſuſcipi debere, meliuſque eſſe ſine viſibili communione perſiſtere, & inuiſibiliter Domino communicare, quam eam ab hæreticis vel ſchiſmaticis ſumendo, à Deo ſeparari. Habet hæc pluribus Leo [b].

b Ibid. c. 71.

IV. VICTORIS PP. OBITVS.

Addit vero, eumdem Pontificem ibidem Beneuenti grauiter infirmatum, feſtinum petiiſſe Caſſinum, ac conuocatis Epiſcopis & Cardinalibus, monuiſſe ac iuſſiſſe vt iuxta Gregorii Papę ſtatutum, Ottonem Epiſcopum Oſtienſem ibi tunc præſentem eligerent quamprimum in Pontificem: hiſque diſpoſitis, ſepulchrum ſibi in ipſa Capituli monaſterii abſide parari iuſſiſſe; ac poſt diem tertium feliciter migraſſe ad Deum decimoſexto Calend. Octob. huius ipſius anni milleſimi octogeſimi ſeptimi, non octogeſimi noni, vt textus deprauatus habet: nam conuincitur error tum ex iis quæ ex ipſo Leone ſuperius dicta ſunt, ſingulas res geſtas Victoris recenſente, tum etiam ex Petro [c] qui Auctarium ad Leonem appoſuit, dum ab anno obitus Victoris vſque ad nonageſimum poſt milleſimum, triennium numerat. Extat [d] vero eius epitaphium, quo docetur ipſum ſexagenarium obiiſſe. Ac de ſcriptis ab eo [e] Dialogis, dictum eſt pluribus locis. Quantum autem temporis Sedes vacauerit, & quæ contigerint in electione ſucceſſoris, dicturi ſumus anno ſequenti. Hic tamẽ illud admonendum, quod vidimus ipſum de ſucceſſore ſuo decreuiſſe, non quidem imperando feciſſe, ſed ſicut prædeceſſor Gregorius fecerat, admonendo, & exhortando, quod id temporum iniquitas poſtularet: quemadmodum & interdum ab aliquibus aliis Pontificibus factum reperitur, vt quem ſucceſſorem cuperent nominarent: ſed ij quorum eſſet electio, ſcientes non poſſe nec debere à morientibus Pontificibus ſucceſſores eligi, haud abſque conſueti collatione ſuffragii nominatum euexerũt in thronum, vt factum vidimus in Victore, & videbitur in eius ſucceſſore.

c Petr. diac. Chron. Caſ. l. 4. c. 1.

d Ap. Leon. lib. 3. cap. 73.

e Ext. in Bib. Vatic. plut. 3. n. 187. ſub nomine Dialog. Greg. PP.

VICTORIS MONITIO DE ELECTIONE SVCCESSORIS.

V. CONVENTVS NEMETAN.

Hoc eodem anno in Germania Principes Catholici generali *Colloquio* habito cum Henrico apud ciuitatem Nemetenſem Calendis Auguſti, adiutorium ei ad obtinendum regnum (inquit Bertholdus) promiſerunt, ſi de excommunicatione exire vellet: illo vero ſolita obſtinatione negante ſe excommunicatum eſſe, re infecta ſeparati ſunt. Rex autẽ Ladislaus Hungarorum miſſa legatione ad idẽ Colloquium, promiſit Catholicis ſe cũ viginti millibus equitum affuturum contra ſchiſmaticos, ſi neceſſe foret. Recitatæq; ſunt ibidem literæ Victori Papæ, quibus iudiciũ prædeceſſoris ſui Gregorii in Henricum & fautores eius confirmauit. Hæc Bertholdus. Ex literis autem Victoris vides quam perſpicue redarguatur mẽdacii Sigebertus, dum ait Gregorium in obitu pœnitentia ductum, mandaſſe ſuis ſucceſſoribus abſoluendum Henricum vna cum aliis ſchiſmaticis. His vero Bertholdus addit de miſerando interitu intruſi ab Henrico pſeudoepiſcopi Pataulenſis, quo certiſſimum ſuæ damnationis exemplum reliquis ſchiſmaticis dereliquit, vnde nonnulli cõuerſi ſunt: Subditque de conflictu ſequuto, & dolo Egeberti Comitis inuidentis gloriæ Heriuanni Regis, elapſo Henrico ne caperetur in bello quod ſuo damno tentaſſet.

INTERITVS SCHISMATICI EPISC.

VI. TRANSLATIO CORP. S. NICOLAI BARIM.

f Leo l. 3. cap. 67. & ſeq.

Hoc item anno, quo die conſecratus eſt Victor Papa, ſeptimo Idus Maii (inquit Leo [f] Oſtienſis) corpus S. Nicolai ex ciuitate Myrenſi, vbi ſeptingentis ferme annis quieuerat, translatum eſt Venetias. Sed hoc potius additamentum eſt ad Leonem: nam in libello qui extat de translatione facta Venetias, non hoc anno,

ſed

ſed poſt nouem annorum curriculum id accidiſſe narratur. Neque Dandulus fideliſſimus ſcriptor, neque recens auctor Sabellicus, quidquam habent de his hoc anno: reliqui autem omnes huius ſæculi Scriptores Barim tranſlatum dicunt, cum (vt ait Sigebertus hoc item anno) Venetis meditantibus Sancti corpus auferre Myra, Barenſes præoccupauerunt, qui numero quadraginta ſeptem venientes Antiochia, effracta tumba inuenerunt oſſa in olei liquore natantia integro numero, & Barim cum gloria detulerunt, anno ſeptingenteſimo quadrageſimo quinto à depoſitione S. Nicolai. Hæc Sigebertus; cui ſuffragatur Romanum Martyrologium, in quo dicta die Myra Barim tranſlatum aſſeritur: idque ipſum expreſſius liquet ex literis [g] Vrbani Papæ datis poſt biennium, cum Barim profectus eſt ad illud recondendum in præparato adyto, atque ea de cauſa priuilegia eius Eccleſiæ confirmauit, auxitque.

g *Rec. Bar. Annal. To. XI. an. 1089.*

VII. GVIL. REGIS ANGLI POENITENTIA, ET RELIGIOSVS OBITVS.

Eodem anno Guillelmus Primus angliæ Rex, de quo ſæpe ſuperius, cum regnaſſet annos viginti, menſes decem & dies viginti octo, vixiſſet ſexaginta quatuor annos, quinto Idus Septembr. Rothomagi ex hac vita migrauit, pœnitens peccatorum quibus recens diuinam in ſe vindictam prouocauerat, cum in odium Philippi Regis graſſatus in regnum Francorum, nec peperit Eccleſiis quæ repertæ ſunt in Madantenſium ciuitate quam incendio concremauit: quo facto mox offenſum numen ſenſit aduerſum, illum acerbiſſimo dolore ad obitum vſque conficiens. Sed extat cuſa cum aliis rerum Anglicanarum Scriptoribus, eiuſdem Lamentatio tunc edita cum non contentus peccata ſua ſecreta confeſſione ex præſcripto Eccleſiæ oſtendere ſacerdoti, eadem cunctis qui aderant palam voluit propalaſſe; non ſolum quæ nuper Eccleſiarum incendio publice perpetraſſet, quorum cauſa ea tunc pati commeruiſſet, ſed quæ deliquiſſet ab eo tempore quo adhuc impubes moderandum ſuſcepit Northmanniæ Ducatum: demum vero, vt ſeipſum depreſſum in ſpe violentius erigeret, multa bona recoluit quæ in honorem Dei & vtilitatem Eccleſiæ feciſſet. Qui autem hæc deſcripſit auctor qui aderat, ait eum omnes theſauros ſuos Eccleſiis & pauperibus, Deique miniſtris teſtamento diſtribuiſſe; ac Clero Madantenſi ſupplicem ingentia dona miſiſſe, vt inde reſtaurarentur Eccleſiæ quas combuſſerat: ceterum poſt multa alia pie ſancteque dicta decretaque, inter verba, quibus ſe deuote Beatiſſimæ Virgini Dei-Genitrici commendaret, religioſe placideque expiraſſe.

SPECIMEN HVMANÆ MISERIÆ.

Quod vero confeſtim poſt eius obitum magnatibus ad ſua receptis, inferioribuſque miniſtris vniuerſam ſuppellectilem ſubripientibus, cadauer Regis pene nudum in area domus remanſerit; & vt ad illum monaſterium Cadomenſe ſepeliendum deferretur, ære alieno curandum fuerit, emenduſque locus ſepulturæ à quodam qui ſuum eſſe dicebat; ſed & dum corpus in ſarcophagum violenter mitteretur, quod vas per imprudentiam cæmentariorum breue & ſtrictum eſſet, pinguiſſimus venter crepuerit, & intolerabilis fœtor circumſtantes impleuerit: ex his omnibus idem auctor, qui ſingula minutatim deſcripſit, efficaciſſimum ſumpſit reliquitque aliis optime philoſophandi argumentum.

VIII. VLTIO DIVINA OB ECCL. IN SALTVM CONVERSAS.

Sed nondum his ſufficientibus, licet pœnitenti Regi Deus (vt pie credendum eſt) culpam peccatorum dimiſerit, pœnam tamen eſt proſecutus in filios atque nepotem, dum (ſicut narrat VVillelmus [h] Malmesburienſis, antiquitate & veritate præſtans hiſtoricus) quod idem Rex quemdam locum deſertis villis, ac ſubrutis Eccleſiis per triginta & eo amplius milliaria in ſaltus & luſtra ferarum redegiſſet, primo Richardus eiuſdem Regis filius, ipſo adhuc viuente ceruos ibi venans, ex tabido aere incurrerit morbum quo defunctus eſt: poſt obitum vero Regis, in eadem ſilua Guillelmus eius filius qui ei ſucceſſit in regnum & nepos Richardi filius Roberti Comitis Northmanniæ, mortem offenderint, ille ſagitta pectus, iſte collum traiectus, vel vt alii dicunt, arboris ramuſculo, equo pertranſeunte, fauces appenſus. Hæc VVillelmus: ac de his modo ſatis.

h *Malmesbur. l. 3. rer. Anglic.*

IESV CHRISTI AN. 1088.

VRB. II AN. 1.

I.

ANNO Chriſti milleſimo octogeſimo octauo, Indictione vndecima, quarto Idus Martij, Otto Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, monachus Cluniacenſis, natione Gallus, de quo ſuperius, vno omnium Cardinalium, & Epiſcoporum, populorumque Catholicorum conſenſu, Tarracinæ in Campania creatus eſt S. Romanæ & Vniuerſalis Eccleſiæ Pontifex, dictuſque VRBANVS eius nominis Secundus. quam rem geſtam pluribus deſcripſit Petrus [a] diaconus Caſſinenſis, qui Auctarium appoſuit ad Leonem Oſtienſem in Chronico Caſſinenſi. Addit aſit Bertholdus, eumdem Pontificem ſtatim inſequenti die miſſis literis ad omnes Catholicos, & ſuam ordinationem declaraſſe, & ſe in omnibus veſtigia ſui prædeceſſoris Gregorii obſeruaturum denunciaſſe. Sed deſunt eiuſmodi literæ. Caremus enim ipſius Vrbani Regiſtro, quod à Leone Oſtienſe elaboratum fuiſſe, idem qui ſupra Petrus teſtatur in libro quem ſcripſit [b] de Viris illuſtribus monaſterii Caſſinenſis.

VRBANVS II. CREATVS PAPA.

a *Pet. diac. Chron. Caſſin. l. 4. c. 2.*

b *Id. de vir. illuſtr. c. 31.*

II.

Quomodo vero poſt paucos dies Tarracina Caſſinum veniens, cum dubitaret de præſentia corporis S. Benedicti in eo monaſterio, ab eodem Sancto ipſi per viſum apparente, in confirmationem veritatis ſuæ præſentiæ ſanatus fuerit grauiſſimo lateris morbo; idem Petrus [c] in Auctario narrat. Haberurque diploma Vrbani recenſitam hiſtoriam copioſius enarrans, quo infertur anathema eis qui corpus S. Benedicti in monte Caſſino eſſe negarent. Sed non leuia de impoſtura ſigna continet, vtpote quod cum huiuſmodi factum contigiſſe dicatur hoc anno, nempe ante Concilium Troianum, quod anno ſequenti celebratum conſtat; tamen diploma Vrbani datum ponitur anno nono ipſius Pontificatus, quo non Capuæ, vt ibi dicitur, ſed in Galliis fuiſſe, Bertholdus eius temporis ſcriptor accuratiſſimus, & alii omnes docent: Præterea nulla prorſus cohærentia in aliis ibi appoſitis tempori notis reperitur, dum in fine ſic legitur, *Datum Capuæ Calendis Aprilis, Indictione decimatertia anno Domini milleſimo nonageſimo tertio, Pontificatus vero Domini Vrbani Papæ Secundi anno nono.* Denique ſi ab Vrbano eiuſmodi fuiſſet diuulgatum diploma, quomodo Petrus Venerabilis Abbas Cluniacenſis, decretorum Romanorum Pontificum obſeruantiſſimus, paulo poſt hæc ſacrum hymnum edidiſſet de tranſlatione S. Benedicti in Gallias, vbi & miraculis coruſcare teſtatur? At hæc ſatis.

c *Id. in Chr. l. 4. c. 5.*

DE ASSERTO DIPLOMATE VRBANI DE CORP. S. BENED. APVD CASSINVM.

III.

Hoc eodem anno Idibus Octobris datum reperitur in Collectione Conciliorum Hiſpaniæ diligentia Garſiæ Loaiſæ, aliud eiuſdem Pontificis diploma ad Bernardum Archiepiſcopum Toletanum, primum illius ciuitatis poſt eamdem recuperatam à Saracenis (à quibus, vt ait, per trecentos pene ſeptuaginta annos poſſeſſa fuerat) Antiſtitem; quo Primatum ei totius Hiſpaniæ, ex Antiqua conſuetudine conceſſit. Aliudque rurſum ab eodem auctore recitatur eiuſdem Vrbani ad Archiepiſcopum Tarraconenſem eodem argumento.

VRBANI DIPLOM. DE PRIMATV ECCL. HISP.

IV.

Hoc item anno, tradit Bertholdus Hermannum Regem Germaniæ Catholicum ex hac vita migraſſe cum rebellantibus Saxonibus receſſiſſet in Thuringiam. Succeſſit autem Eggebertus, qui Saxones rurſum in Henricum commouit.

V.

Eodem anno *Berengarius* carioſus hæreſiarcha, poſtquam ſæpe falſa pœnitentia eluſiſſet Eccleſiam, tandem mortuus eſt die Epiphaniæ: vt habet eius epitaphium [d] quod ſcripſit Hildebertus, magnæ poſtea doctrinæ & ſanctitatis Epiſcopus Cenomanenſis, tunc vero Archidiaconus, & vita plane ſolutior, vt conſtat ex literis ad eum electum Epiſcopum ſcriptis ab [e] Iuone Carnotenſi. Quod quidem innoteſcendum fuit, ne Berengarius qui poſt tot criminum moles miru in modum laudatus eodē epitaphio reperitur, id à laudato viro meruiſſe credatur, ſed ab

BERENGARII ANDEGAVEN. EXITVS.

d *Ap. Malmesbur. l. 3. Angl. hiſt.*

e *Iuo epiſt. 76.*

amico potius amicitiæ gratia laudis excedente modum; quippe quod nefandiſſimus hæreſiarcha toties lapſus, vix laica communione in exitu magna miſericordia dignus haberi potuiſſet: cum præſertim qui etiam his temporibus vixit, Lanfrancus Cantuarienſis Archiepiſcopus, de ipſo adhuc viuente ſcribens [f] ad Ramaldum vrbis Pictauorum Abbatem, multa habeat indigna homine Catholico; & Petrus Cluniacenſis Abbas his temporibus proximus, in epiſtola contra Petrobruſſianos de eodem meminerit cum deteſtatione & improperio. Denique VVillelmus Malmeſburienſis, dum agit de ipſius obitu, ait eũ quamuis ſententiam correxiſſet, tamen quod omnes quos deprauauerat conuertere nequiuiſſet, morientem gemitu producto dixiſſe. *Hodie in die Apparitionis ſuæ apparebit mihi Dominus meus* Iesvs *Chriſtus, propter pœnitentiam, vt ſpero, ad gloriam, vel propter alios, vt timeo, ad pœnam.* Quantum autem temporis vixerit, ſiquis cuncta de eo ſuperius narrata recenſeat, videbit prope nonagenarium deceſſiſſe; ſummam Dei miſericordiam conſecutum, ſi poſt tot iteratos lapſus in Eccleſia Catholica vitæ periodum clauſit.

f Rec. Baro. Annal. To. XI. hoc an.

Qvid Berreng. moriens dixerit.

IESV CHRISTI AN. 1089.

VRB. II. AN. 2.

Henr III. 6. Alex. Comn. 9.

I. Anno Domini milleſimo octogeſimo nono, Indictione duodecima, Vrbanus Papa Legationem decreuit in Germaniam Gebehardo Conſtantienſi Epiſcopo (inquit Bertholdus) vt ordinationes improbandas improbaret, roborandas roboraret: ſententiamque anathematis confirmauit in Guibertum, Henricum, fautores eorum, & communicantes, adhibita tamen diuerſorum excommunicationis graduum diſtinctione. Quæ quidem in Synodo ab eo decreta fuiſſe, patet ex eius epiſtolæ fragmento ad Gebehardum ea de re ſcriptę, quod Iuo [a] recitat. Nam & idem Bertholdus teſtatur, eumdem Pontificem hoc anno generalem Synodvm centum quindecim Epiſcoporum collegiſſe, & Eccleſiaſtica ſtatuta ſuorum prædeceſſorum confirmaſſe. Additque, malum excommunicationis in tantum propagatum eſſe eo tempore, vt Catholici vix ſe ab eorum contagio poſſent illæſos cuſtodire: atque in Teutonicis partibus quinque tantummodo Epiſcopos in Catholica communione fortes perſtitiſſe, videlicet VVirceburgenſem, Patauienſem, VVormatienſem, Conſtantienſem, & Metenſem, quorum (vt ait) confortamento reliqui Catholici ſchiſmaticis à principio reſtiterunt.

a Ivo par. 14. c. 5. Concil. Rom. in causa schism.

II. Quod autem ad legationem Gebehardi pertinet, quã ille ſtrenue in ea ſe geſſerit, vno hoc exemplo intelligere potes, quod (vt idem auctor habet) cum Otto Comes pro adulterio ab eodem Legato excommunicatus, poſt mortem apud monaſterium in prædio ipſius conſtructum à ſuis ſepultus eſſet; iuſſu eiuſdem Epiſcopi eiectus eſt, & ad ſepulturam aſini (vt Scriptura loquitur) deputatus. Sed nec illud prætereat, quod idem Legatus ad perferendas litteras ad Vrbanum Papam, vſus eſt nuntio viro magnæ virtutis Egingone, qui poſtea fuit Abbas S. Vdalrici Auguſtenſis: quem Vdelcalcus [b] eius comes peregrinationis, ait in eo miniſterio iuſſum mutare monaſticum habitum ſapienter eluſiſſe ſchiſmaticos.

III. Guibert. pellitur a Romanis.

Habet inſuper Bertholdus, hoc eodem anno Guibertum Antipapam à Romanis turpiter expulſum eſſe, & ne amplius Apoſtolicam Sedem inuadere præſumeret iuramento promittere compulſum. Sed & rebus ad aliquam concordiam inter Catholicos & ſchiſmaticos vergentibus, Principes Catholicos colloquium habuiſſe cum Henrico, & auxilium promiſiſſe ſi Guibertum dimitteret, & ad Catholicam communionem rediret; cumque eam conditionem haud ipſe reſpueret, diſſuaſum fuiſſe ab Epiſcopis ſchiſmaticis, qui ſe cum Guiberto deponendos eſſe non dubitarent. Addit etiam, Vrbanum Papam per Legatos ſuos abſoluiſſe ab excommunicatione Imperatorem Conſtantinopolitanum, ac demum ſuſcepiſſe litteras Philippi Regis Francorum, debitam ei ſubiectionem promittentis.

IV. Concil. Troian.

Hoc item anno celebratum eſſe ab eodem Vrbano Concilivm Troiæ in Apulia, apparet ex Petro [c] diacono in Chronico Caſſinenſi: cuius quoque Concilii, ac decreti in eo editi de conſanguinitatis linea in coniugatis, meminit Iuo [d] Carnotenſis; eique tradit interfuiſſe Epiſcopos fere ſeptuaginta quinque, & Abbates duodecim.

c Petr. Diac. lib. 3. cap. 8. d Ivo par. 9. cap. 13.

V. Mathildis Comitissæ coniugium cum Welphone.

Eodem quoque anno (vt Bertholdus habet) Mathildis Comitiſſa, vidua Godefridi Gibberi, de qua ſæpe ſuperius, cõiugio copulata eſt VVelphoni Duci, filio VVelphonis Ducis Baioariæ, nepoti Azonis Marchionis Ferrarienſis: & hoc vtique (inquit) non tam pro incontinentia, quam pro Romani Pontificis obedientia, vt tanto virilius S.R.Eccleſiæ contra Schiſmaticos poſſet ſubuenire. Vnde idem auctor addit, hoc coniugio Henricum Imperatorem valde triſtatum eſſe, eumdemque Ducem terrori fuiſſe ſchiſmaticis. Ceterum ita hoc viſum eſt agere Vrbano Papæ ob publicum Eccleſiæ bonum, vt tamen numquam illa voluerit commiſceri viro, prout aſſerit idẽ poſtea Bertholdus [e]; ſignificatque Domnizo preſbyter, qui carmine cecinit res geſtas maiorum eius, atq; ipſius quoque Mathildis; cui viuenti adſtitit, & morienti parentauit; dum ipſius merita recolens; tribuit ei cẽteſimum fructum poſt trigeſimum & ſexageſimum; ita tres vitæ ſtatus in ea exprimens, nempe quod fuerit nupta, vidua, atque virgo quoque permanſerit; ſecundum ſenſum quo parabolam [f] Saluatoris communiter Patres interpretati ſunt, & Eccleſia Dei in ſacris ritibus eſt ſecuta. Quo etiam auctore conſtat, eamdem hoc Redemptoris anno iam ætatis ſuæ egiſſe quadrageſimum tertium, dum totius eius vitæ ætatem tradit fuiſſe annorum ſexaginta nouem, obiiſſe vero diem anno Domini milleſimo centeſimo decimo quinto, die vigeſima quarta Iulii: qua ratione dicendum eſt, eã natam eſſe anno Salutis milleſimo quadrageſimo ſexto.

e Berthol. an. 1095.

Mathil. semper virgo permansit. f Mat. 13.

VI. Bonizonis episc. martyrium.

Hoc etiam anno ponit idem Bertholdus necem *Bonizonis* Sutrienſis Epiſcopi, qui ob defenſionem Eccleſiæ Romanæ inde expulſus, poſt multas tribulationes, captiones, exilia, à Placentinis Catholicis pro Epiſcopo receptus, à ſchiſmaticis eiuſdem loci, effoſſis oculis & truncatis omnibus pene membris, martyrio coronatus eſt. Sed & feliciter pugnatum ait ab Eggeberto Marchione aduerſus Henricum; captumque Liemarum Archiepiſcopum Bremenſem, præcipuum ſchiſmatis in Germania incentorem, atque alios occiſos epiſcopos ipſius in impietate collegas; Regemque vix fuga lapſum euaſiſſe periculum. De quib. etiã agit Dodechinus ad Marianũ. Quo itẽ anno diem obiit Lanfrancus Cantuarienſis in Anglia Archiepiſcopus, vt ſcientia & ſanctitate præſtans; cuius remanſerunt aliquot ſcriptorũ monumenta, vt quæ ſcripſit cõtra perfidum Beregarium, & tomus epiſtolarum, index fertiliſſimi ingenii: inter quas ſunt duæ ad Reges Hiberniæ Gothricum, & Therdeluacum, diuerſis temporibus datæ quibus eius tunc Eccleſiæ ſtatus, corruptelæ ſignificantur. Vacauit autem ſedes Lanfranci annis quatuor, afflictata nimium per Guillelmum Regem Iuniorem cognomento Rufum: de quibus Edinerus in Anſelmo.

Henr. Imp. vincitur ab Egiberto.

Lanfranci obitus.

VII. Tradit quoque Sigebertus, hoc eodem anno luem excreſcentem, quos pertigit, eoſdem igne ſacro ſiue conſumpſiſſe ſiue mẽbris mutilatis deformes reliquiſſe oſtẽtui: cuius cauſa aſſeritur in hiſtoria Antoniana [g], frequentiori concurſu creuiſſe cultum S. Antonii Magni in prouincia Viennenſi, vbi eius corpus tranſlatum Conſtantinopoli à Iocellino ex ſtirpe Comitum Pictauienſium oriundo, iuſſu Vrbani Papæ ab eius filio Guigone apud Motam S. Deſiderii fuerat collocatum; vbi omnes eo morbo tacti confeſtim ſanabantur. Aucta vero eſt eo amplius erga Sanctum reuerentia, quod ſicut eo morbo ægrotantes ſanari cõſueuerint, ita ſani in eumdem Sanctum peccãtes, ſiue periurio, aliue in eum irrogata blaſphemia vel contumelia, eumdem mox experiri ſolerent vltorem eodemque confeſtim morbo ignis ſacri percuti: quod paſſedum cunctis prodigium hactenus perſeuerat; adeo vt in prouerbium verſum ſit, *In S. Antonium neminem impune peccare.*

g Hist. Anton. par. 2. c. 31. 32. 33.

S. Antonii cultus celebrior redditus occasione ignis sacri.

VIII. Eodem item anno mortuus eſt Conſtantinopoli Euſtathius Patriarcha, cum ſediſſet annis tribus; & in eius locum ſubrogatus *Nicolaus* cognomento Grammaticus, qui tenuit eum annos viginti ſeptem & menſes tres. Hæc ex ſerie Patriarcharum Conſtantinopolitanorum, quæ extat in Iure Orientali.

HENR. III. 7. ALEX. COMN. 10.

IESV CHRISTI AN. 1090.

VRB. II. AN. 3.

I. CONCIL. TOLOS. SVB LEGAT. SED. APOST.

ANno Chriſti milleſimo nonageſimo, Indictione decimatertia, Vrbanus Papa (inquit Bertholdus) generalem SYNODVM ex Galliarum Epiſcopis per Legatos ſuos in *Toloſana* ciuitate circa Pentecoſten collegit, ibique multa in Eccleſiaſticis cauſis quæ corrigenda erant correxit. Toloſanus quoque Epiſcopus de illatis criminibus canonice ſe purgauit: & legatio pro reſtauranda Chriſtianitate in Toletana ciuitate, Rege Hiſpanorum ſupplicante, deſtinata eſt. Iſta ex Bertholdo. Inſuper & ab ipſo Vrbano Papa hoc eodem anno menſe Septembris, SYNODVM Melfi in Apulia celebratam eſſe, teſtatur Romualdus Salernitanus Archiepiſcopus in ſuo Chronico; inque ea Rogerium filium defuncti Roberti Guiſcardi, ligium Eccleſiæ Romanæ hominem factum eſſe, & ab Vrbano accepiſſe per vexillum terram cum honore Ducatus. De iis vero quæ in ea Synodo ſancita fuerunt circa collationes & acceptationes beneficiorum, continentiam & promotionem clericorum, correctionem Eccleſiaſticorum Acephalorum commorantium in curiis procerum ſecularium, Inueſtituras laicorum, allaſque eius temporis neceſſitates Eccleſiæ, ſunt [a] in codice Antonii Auguſtini, & Vaticano, canones ſexdecim.

CONCIL. MELFIT. SVB VRB. PP.

a Habet Baron. Annal. To. XI. hoc an.

II. Hoc pariter anno illuſtres aliquot Confeſſores, Catholicorumque propugnatores ſtrenuos, in Germania ex hac vita migraſſe, atque inter eos Eggabertum Marchionem, Bertholdus affirmat. Vnde patuit via, vt Henricus in Italiam denuo ſe conferret aduerſus Mathildem. Sicque collabentibus in Germania rebus Catholicorum, æque data eſt occaſio VValtramo Magdeburgenſi Epiſcopo ſchiſmatico, ſcribendi literas ad quemdam Ludouicum inſignis virtutis partium Catholicarum Comitem, vt inhæreret Henrico. Ad quem Ludouicus magno zelo reſcribēs (dictante epiſtolam Stephano, qui & Herrandus, Halberſtatenſi Epiſcopo) eumdem VValtramum hæreſis ac ſimoniæ redarguit: atque Henricum pariter hæreticum & excommunicatum, ideoque nec Regem dicendum comprobauit; quippe qui inter alia nefanda, Epiſcopatus pro pecunia, pro gladio, pro adulterio, pro Sodomitica immunditia venderet. Tradit hæc qui eaſdē epiſtolas recitat, Dodechinus in Appendice ad Marianum. Fuerunt vero & alii Orthodoxi; qui aduerſus huiuſmodi ſchiſmaticos his ipſis temporibus commentarios edidere: inter quos memoriæ proditur à Bertholdo Bernardus [b] Conſtantienſis: quem tamen ait nimio zelo ductum, exceſſiſſe modum in eo quod contra fidem Orthodoxam negauit omnino ſacramenta poſſe confici à ſchiſmaticis.

DE EPIST. LVDOVICI COM. ADVERSVS SCHISM.

b Poſt obitū Illuſtriſſ. Baronii, *Gretſerus*, in calce Tomi II. Defenſ. Bellar. edidit Epiſtolam valde prolixam iſtius Bernardi ad Bernaldum æque Conſtantienſem aduerſus Schiſmaticos, vna cum ipſius Bernaldi reſponſione, aliiſque eiuſmodi ſcriptis pro Gregorio VII. compoſitis. quem quidem Bernaldum, eumdem eſſe putat, docetque, qui alio nomine Bertoldus, ſiue Bertoldus, auctor Chronici ſæpe in his Annalibus citati, nominatus reperitur.

III. Sed & nitebatur ex aduerſo contra Henricum Altmannus Patauienſis Epiſcopus; Apoſtolicæ Sedis Legatus; qui inter alia quæ præclare egit, curauit hoc ipſo anno in Salisburgenſi metropoli (cuius ipſe ſuffraganeus erat) vacante per obitum S. Gebehardi Archiepiſcopi, ſubrogari ſucceſſorem ſanctum alium, nempe *Thiemonem* Abbatem, cuius extant Acta [c] ab auctore illius temporis collecta: in quib. de his quæ idem paſſus eſt ab Henrico pro fide Catholica traditur cum tredecim annis quibus præfuit, bellis, obſidione gladiis, captiuitate, omnia extrema peſſum, inſtar S. Athanaſii Alexandrini, numquam pene liberum corpus, nedum liberam auctoritatem habuiſſe. Ad quem carcere detentum cum aliquando miſſus ſpiculator, gladio caput iteratis ſummo niſu ictibus amputare conaretur, tantum ſumma cutis vix tenuem velut lineam ictus, & quod ſolum ictus agnoſceretur, accepit: quod ſignum vlterius obduci, quamdiu vixit non potuit. Idem vero demum anno milleſimo ſecundo peregrinatus in Terram Sanctam, egregie martyrio perfunctus obiit; vt habent pluribus eiuſdem Acta.

c Ap. Caniſ. Antiq. Lect. To. 4.

S. THIEMON. ARCHIEP. SALISBVRG.

QVANTA PASSVS A SCHISMAT.

IESV CHRISTI AN. 1091.

HENR. III. 8. ALEX. COM. 11.

VRB. II. AN. 4.

I. GVIB. ANTIP. RVRSVM ROMÆ RECIPITVR.

ANno Chriſti milleſimo nonageſimo primo, Indictione decimaquarta, Romani (inquit Bertholdus) Guibertum hæreſiarcham, quem iamdudum expulerant iterum Romam intrare, & S. Eccleſiam ſuis non benedictionibus, ſed maledictionibus infeſtare permiſerunt. Vrbanus autem Papa facile Romam cum exercitu intrare, & rebellium contumaciam domare potuiſſet, ſi non magis cum manſuetudine cauſam ſuam agere delegiſſet. Qui quidem generalem SYNODVM Beneuenti colligens, ſententiam anathematis in eumdem Guibertum, & omnes eius complices confirmauit. Hæc Bertholdus. Cum autem Beneuenti eſſet Vrbanus, conueniſſe cum S. Albertum Abbatem Criſpinienſem pro confirmandis Regulæ monaſticæ inſtitutis, quam ſuis ſeruandam præſcripturus erat, tradit qui res eiuſdem Sancti præclare geſtas proſecutus [a] eſt Robertus Archidiaconus.

CONC. BENEVENT. SVB VRB. PP.

a Extat ap. Sur. 7. Apr.

II. Interim vero Henricus Imperator, quem vidimus poſt obitum Eggeberti in Italiam rediiſſe, Mantuam poſt vndecim menſium obſidionem; (vt Domnizo habet) prodie diei Paſchatis proditione cepit, aliaque plurima oppida, vix paucis munitiſſimis ſaluis. In Germania vero qui his temporib. Catholici permanſerunt in obedientia Sedis Apoſtolicæ, egregiæ ſanctitatis ſpecimen edidere (ſicut narrat Bertholdus) dum non ſolum clerici & monachi religioſiſſime vitam communem obſeruarunt, ſed etiam innumerabilis multitudo ſæcularium hominum tam virorum quam feminarum, & tam coniugatorum quam cælibum, tamq; in Vrbibus quam etiam in villis, eamdem cōmunem vitam ſub obedientia clericorum ſiue monachorum in primitiuæ Eccleſiæ formam deuotiſſime amplexati ſunt: qui etſi habitu nec clerici vel monachi viderentur, nequaquam tamen eis diſpares meritis fuiſſe creduntur, quorum viuendi rationem Vrbanus Papa laudauit, atque aduerſus obtrectatores auctoritate Apoſtolica diplomate pro eis edito confirmauit. Narrat hæc pluribus Bertholdus: qui demum addit, ſic dignatum eſſe Deum Sanctam eccleſiam ſuam in periculoſiſſimo tempore mirabiliter conſolari, vt de multorum conuerſione gauderet, quæ de excommunicatorum auerſione iamdiu non ceſſaſſet dolere.

VITA COMMVNIS APVD LAICOS.

III. TARRACON. CIVITAS DONATA S. PETRO.

Hoc quoque anno cum Henricus Rex debaccharetur in Romanæ Eccleſiæ iura, Berengarius Auſonenſis in Hiſpania Epiſcopus ad Vrbanum Papam veniens, obtulit ei Berengarii Comitis Barchinonenſis donationem factam anno ſuperiori milleſimo nonageſimo, ciuitatis Tarraconenſis è Saracenorum manibus nuperrime vendicatæ, (poſtquam trecentis ferme & nonaginta annis poſſeſſa ab eis fuiſſet) cum cenſu annuo quinque librarum argenti. Cuius hodieque inſtrumentum Donationis extat in Vaticana Bibliotheca [b] in codice Cencii Camerarii: ſubnectitque Vrbani diploma de tranſlatione eiuſdem Berengarii Epiſcopi in ſedem Tarraconenſem cum priuilegio pallii; quippe cuius potiſſimum opera ea ciuitas & Eccleſia reſtaurari cœpiſſet.

b Rec. Baron. Annal. To. XI. hoc an.

HENR III. 9. ALEX. COM. 11.

IESV CHRISTI AN. 1092.

VRB. II. AN. 5.

I. IVO CARNOTENSIS EPISC. ORDINATVR. a Iuo ep. 1.

ANno Chriſti milleſimo nonageſimo ſecundo, Indictione decimaquinta (inquit Sigebertus huius temporis ſcriptor) Iuo S. Quintini Beluacenſis Præpoſitus ab Vrbano Papa conſecratus eſt Carnotenſis Epiſcopus. Nempe ſuffectus [a] in locum Gaufredi, qui ſub Gregorio Septimo diu Romæ detentus reus ſimoniacæ prauitatis, & deficientibus probationibus liber dimiſſus, tandem ſub Vrbano plane innoteſcentibus eius criminibus, ab eodem Pontifice depoſitus eſt. Quantus autem doctrina ac probitate Iuo fuerit recitandæ de eo res geſtæ ſuis locis ſignificabunt. Qui mox poſt ſuum in Galliam reditum [b], Richerium Archiepiſcopum Senonenſem qui fauebat Gaufredo, paſſus aduerſarium eo prætextu quaſi in maieſtatem regiam offendiſſet, quod à Sede Apoſtolica conſecrationem præſumpſiſſet accipere; appellatione ad eamdem Sedem liberatus eſt.

b Id. ep. 8. & 12.

II. S. BRVNO CARTHV. VOCATVR AB VRB. PP.

Hoc eodem anno, qui numeratur ſextus incolatus ſanctorum monachorum in Carthuſia, Vrbanus Papa accerſiuit ad ſe ex eadem ſolitudine *S. Brunonem* illius inſtituti auctorem, inuitumque triennio retinuit, vſus eius opera in Conciliis celebrandis. Eodemque tempore ex remotioribus Orbis partibus Ericus Danorum Rex (qui anno ſuperiori Olauo fratri ſubrogatus eſt, cultor pietatis eximius) ad eumdem Vrbanum ſe contulit, cum ob inanes & falſas ſuſpiciones ab Archiepiſcopo Hamburgenſi excommunicandus, appellatione ad Sedem Apoſtolicam ſententiam anteuertiſſet. Qui apud Vrbanum cauſa perorata, non ſolum ſuperior euaſit, verum etiam obtinuit vt Dania haud amplius ſedi Hamburgenſi ſubeſſet, ſed proprium haberet Metropolitam: (quod Sueno Rex iam olim pertentauerat) qui à Legato Sedis Apoſtolicæ ad hoc miſſo conſtitutus eſt in ciuitate Lundiæ, tum ob egregios Aſcenii tunc Epiſcopi mores, tum quod ad eam è finitimis regionibus terra marique tranſitus abunde pateret. Quapropter & Sueciam quoque ei Norvegiamque in ſacris ſubiecit. Habet hæc pluribus Saxo [c] Grammaticus. Sicque Hamburgenſis Primatus ſub Vrbano Secundo magnopere imminutus eſt, cum eiuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopus Liemarus inhærens Henrico, factus eſſet omnium ſchiſmaticorum anteſignanus.

REX DAN. APPELLAT AD SED. APOST.

c Sax. Gram. li. 12. hiſt. Dan.

HENR. III. 10. ALEX. COMN. 12.

IESV CHRISTI AN. 1093.

VRB. II. AN. 6.

I. CONCIL. TROIAN. SVB VRB. PP.

ANno Chriſti milleſimo nonageſimo tertio, Indictione prima, Vrbanus Papa (inquit Bertholdus, res eiuſdem Pontificis per annos ſingulos proſecutus) generalem SYNODVM centum pene Epiſcoporum in Quadrageſima ex diuerſis prouinciis in Apulia congregauit, & diuerſis Eccleſiarum neceſſitatibus Synodali prouiſione competenter ſuccurrere curauit. Hæc ille. Porro *Troiæ* hoc Concilium celebratum eſſe, habet Romualdus Salernitanus Archiepiſcopus in ſuo Chronico; dicendumq; poſterius, reſpectu prioris de quo dictum eſt ſupra.

II. CONRADVS FIL. HENR. CONTRA PATREM REGNAT.

Hoc inſuper anno Conradus Henrici Imperatoris filius aduerſus patrem rebellans, ſed & Mediolanum, aliæque nonnullæ ciuitates Longobardiæ contra eumdem Henricum inſurgentes, adhæſerunt omnes VVelphoni Duci, eiuſque coniugi Mathildi, qui vna cum VVelphone Seniore eiuſdem Iunioris parente, bellicis Henrici furoribus viriliter reſtiterant. Idem vero Conradus à patre paulopoſt dolo circumuentus & captus, ſed Dei miſericordia protinus ſe eripiens, annuentibus iiſdem Ducibus ab Anſelmo Archiepiſcopo Mediolanenſi coronatus eſt Rex Italiæ. Henricus autem quadam ſe munitione concludens, ibique diu abſque regia dignitate moratus, tandem nimio dolore affectus, ſibi aliquando manus inferre tentauit, ſed à ſuis præuentus exequi non valuit. Narrat hæc pluribus Bertholdus hoc anno. Rebellionem porro Conradi Dodechinus ex ea cauſa prodiiſſe enarrat, quod Henricus Adelaidem vxorem ſuam (quam Praxedem alii nominant) innocentiſſimam feminam odio incipiens habere; eadem carceri mancipata compuliſſet plurimos vim ei inferre; immo & ipſum filium ſuum Conradum ad idem flagitium in nouercam cohortans, eo recuſante, illum non ſuum, ſed peregrini filium eſſe affirmaſſet cuiuſdam Principis Sueuiæ, cuius faciem multum repræſentaret. Ceterum Regina poſt plurima & inaudita malorum genera ſibi illata de cuſtodia mirabiliter liberata, ad Mathildem Comitiſſam confugit, & ab ea deducta eſt ad Vrbanum Papam: qui SYNODO conuocata, denuo Henricũ ob noua iſta ſcelera excommunicauit. Regina vero reuerſa in patriam, monaſterium ingreſſa, facta eſt Abbatiſſa. Hæc ex Dodechino: qui addit, Conradum quoque veniſſe ad Vrbanum, & ſolutum ab excommunicatione regnaſſe in Longobardia; fuiſſeque omni probitate conſpicuum, humilem & modeſtum, ſed paucis annis ſuperuiuentem immature obiiſſe. Eadem de vxore Henrici Albertus Stadenſis, qui eam ad ſuos in Ruſſiam eſſe reuerſam affirmat. Sed Nouatores hoſtes Romanorum Pontificum, & hæreticorum ſui conſimilium ſtudioſi, turpia illa negant, quod in Vita Henrici ſcripta non ſint. At qua fronte eum eadem annis ſequentibus, ſpectante Orbe, in Synodis Conſtantienſi & Placentina fuiſſe publice declamata, teſtetur rerum inſpector Bertholdus [a] Conſtantienſis.

NEFANDVM HENRICI SCELVS

CONCIL. IN CAVSA ADEL. AVG.

a Berthold. an. 1094. & 1095.

III. VRB. PP. REDIT ROMAM.

Harum porro nouitatum occaſione conſternatis vbique ſchiſmaticis, & Catholicis vires reſumentibus, Germani Principes Conuentu apud Vlmam habito, firmiter ſtatuerunt omnino obedire Gebehardo Conſtantienſi Epiſcopo Sedis Apoſtolicæ Legato. Vrbanus autem Papa, qui hactenus Roma temperauerat, quod non facile abſque humani ſanguinis effuſione expelli inde Guibertini poſſent, reuerſus eſt in Vrbẽ; vbi à ſuis receptus, Natalem Domini ſolemniter celebrauit, quamuis adhuc iidem ſchiſmatici munitionem S. Angeli poſſiderent: ipſe vero Guibertus cum Imperatore ſuo apud Veronam eo tempore exiſtens, ſe libenter Papatum deſerere ſimulauit, ſi alio modo pax in Eccleſia recuperari non poſſet. Hæc omnia Bertholdus pluribus.

IV. ALFON. HISP. REX STVDIOSVS CLVNIACEN.

Ad finem autem rerum geſtarum anni huius, idem qui ſupra Chronici auctor de Alphonſo ſiue Aldefonſo Rege Hiſpaniæ tradit, ipſum in fide Catholicum, & in conuerſatione Cluniacenſis Abbatis obedientiarium, his temporibus ſæpiſſime contra Paganos viriliter dimicaſſe, multaſque Eccleſias iamdudum penitus deuaſtatas in priſtinum ſtatum reſtauraſſe: ſed & Cluniaci maiorem Eccleſiam à fundamentis ædificaſſe, miſſa ad hoc infinita pecunia: ac denique ibidem monaſticum habitum ſumpturum fuiſſe, niſi Abbas eum ſub ſæculari habitu retinere ſatius iudicaſſet.

V. ANSELMVS ORDINATVR ARCHIEP. CANTVA.

Hoc eodem anno magnum illud decus & ſplendor Eccleſiæ Anglicanæ, *S. Anſelmus* monachus, patria Auguſtanus eius nominis ciuitatis, quæ in finibus Burgundiæ ſita eſt Italiam verſus) electus eſt pridie Nonas Martii Archiepiſcopus Cantuarienſis, & cum ob varias rationes diſtuliſſet electioni conſentire, tandem pridie Nonas Decembris conſecratus eſt; ſubrogatus Lanfranco poſt annum quartum eius obitus, cuius fuerat olim diſcipulus, & poſtea in Præfectura monaſterii Beccenſis in Normandia ſucceſſor, ac demum Abbas ibidem Herluino ſuffectus. Hæc pluribus eius tempori ſcriptor [b] ſinceriſſimus, Edinerus eius à ſecretis miniſter: qui pergit quomodo feſtis dieb. Natalis Domini idem ad Curiam procedens honorifice primum à Rege ſuſceptus eſt, ſed poſt inſtinctu diaboli, hominumque malorum, mutato Regis animo, eo quod ille ſpoliatis hominibus ſuis mille libras denariorum Regi pro agendis munificentiæ ſuæ gratus dare noluerit, è curia diſcedere coactus eſt.

b Ap. Sur. 21. April.

ANSEL. è CVRIA PVLSVS OB DENEGATAM PECVNIAM PRO SVA PROMOTIONE.

* *

IESV

IESV CHRISTI AN. 1094.

HENR. III. 11. ALEX. COMN. 14.

VRB. II. AN. 7.

I. CONCIL. CONSTANTIEN. SVB LEG. SED. APOST.

ANno Chriſti milleſimo nonageſimo quarto, Indictione ſecunda, Gebehardus Conſtantienſis Epiſcopus Apoſtolicæ Sedis in Germania Legatus, ibidem *Conſtantiæ* magnã SYNODVM in hebdomada Maiore ante Paſcha celebrauit; in qua inter alia quæ de illa Bertholdus recitat, receptam eſſe ait querelam Praxedis Reginæ aduerſus ſpurciſſimum Henricum ipſius maritum: ſed & incontinentiam presbyterorum, ac violentiam ſimoniacorum adeo prohibitam eſſe, vt etiam populus ab eorum officio prohiberetur ſi ipſi eo ſtatu miniſtrare præſumpſiſſent.

II.

Rurſus autem ab alio Apoſtolicæ Sedis in Gallia Legato, Hugone Archiepiſcopo Lugdunenſi (quem ſub Gregorio Septimo magni æſtimatum, Victore Tertio aliquãtulum reſiliiſſe vidimus, non tamen vt deficeret ad ſchiſmaticos: idem vero Vrbano Papæ ab exordio Pontificatus eius ſe coniungens, priſtinam Legationis dignitatem ab eodem inuitus [a] ſuſcepit) idem Bertholdus congregatum eſſe ait in ciuitate *Oſtione* Generale CONCILIVM Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Abbatum diuerſarum prouinciarum, decimoſeptimo Calendas Nouembris; atque in eo inter alia renouatam excommunicationem in Henricum & Guibertum, omneſque eorum complices; Regemq; Galliarum Philippum pariter excommunicatũ eſſe, eo quod viuente legitima vxore alteram ſuperinduxiſſet. Hæc ille. Sed de cauſa Regis Philippi (qui reiecta Berta legitima coniuge, Bertradam pellicem duxit, conniuentibus etiam nonnullis Epiſcopis) extant nonnullæ ad diuerſos Antiſtites, ipſumq; Regem ſcriptæ Iuonis [b] Carnotenſis epiſtolæ, ſeſe magna conſtantia iis ſceleribus opponentis. Quid vero in his poſtea actum fuerit, dicetur ſuis locis.

a *Iuo ep. 18. ad Hugon.*

CONCIL. GALLIC. IN QVO REX PHILIP. EXCOMMVN. EST.

b *Id. ep. 13. 14. &c.*

III. S. ANSEL. MITTIT AD VRB. PP. LIBRVM DE INCAR. VERBI.

Hoc eodem anno (vt Edinerus in Anſelmo, & Dodechinus in Chronico habent) idem S. Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis ad Vrbanum Papam miſit examinandum librum, quem *De incarnatione Verbi* olim in Beccenſi monaſterio ſcripſerat aduerſus imperitum quemdã clericum in Gallia nouæ hæreſis auctorem, immo veteris reſtitutorẽ inſaniæ Sabellianæ: qui cum in Synodo à Rainaldo Archiepiſcopo Rhemenſi collecta, errorem ſuum abiuraſſet, rurſum in ſua perſeuerabat ignorantia & malignitate. At quiſnam fuerit iſte, licet Anſelmus eum non nominet; tamen non alium putamus, quam *Roſcelinum* illum ad quem extat Iuonis [c] tunc temporis ſcripta increpatoria epiſtola, cum poſt Concilium Sueſſionenſe aduerſus eum congregatum, ſententiam quam abiurauerat clandeſtinis denuo diſputationibus defenderet.

c *Id. ep. 7.*

IV. SCHISMATICI OCCASIONE MORTALITATIS CONVERTVNTVR.

Hoc eodem anno graſſante mortalitate in Germania, Gallia, & Italia, magnus prouentus ex conuerſione ſchiſmaticorum Catholicæ acceſſit Eccleſiæ, pœnitentibus illis timore mortis & ad Eccleſiam redeuntibus; vt Bertholdus teſtatur; qui & eoſdem ſchiſmaticos multis perterrefactos prodigiis tradit, ex iis alijs ſibi ipſis manus inferentibus, aliis à beſtiis deuoratis. De femina vero, ob crimen quod Pœnitentiario ſua confitendo peccata reuelauerat, incendio cõdemnata, & iterum incenſo igne circa ipſam, diuina virtute per Dei Genitricis interceſſionem illæſa ſeruata, Sigebertus hoc anno in Laudenſi Eccleſia contigiſſe narrat.

V. S. MARCI CORP. INVENTIO.

Hocque item anno, vigeſima quinta Iunii (vt veteres Annales Venetorum habent) contigit Inuentio S. MARCI, precibus ſolemnibus impetrata, & magno miraculo ab ipſo Euangeliſta demonſtrata: cuius corpus ſolemni ritu collocatum fuit ſub altari primario. Hoc autem magnum Dei beneficium perpetua annua celebratione renouandum eſſe, publicis ſanciuere decretis.

IESV CHRISTI AN. 1095.

HENR. III. 12. ALEX. COMN. 15.

VRB. II. AN. 8.

I. CONC. PLACENT. GENER. SVB VRB. PP.

ANno Domini milleſimo nonageſimo quinto, Indictione tertia, Vrbanus Papa Generalem SYNODVM ex Epiſcopis Italiæ, Germaniæ & Galliarũ, *Placentiæ* in Lõgobardia celebrauit circa mediam Quadrageſimam: ad quam (inquit Bertholdus præſentium rerum inſpector) tam innumerabilis multitudo confluxit, vt cum in nulla Eccleſia illius ciuitatis poſſet comprehendi, extra vrbem in campo celebranda fuerit; quippe quatuor millia fere clericorum, & pluſquam triginta millia laicorum eo conueniſſe perhibetur. In ea vero Synodo Praxedes Regina aduerſus Henricum conqueſta de ſpurcitijs quas ab eo paſſa eſſet, abſoluta eſt de pœnitentia pro illis iniungenda, eo quod illas non tam commiſiſſe quam inuitam pertuliſſe certo conſtaret, quodque eiuſmodi facinus ſponte & publice confiteri non erubuiſſet. Legati Philippi Regis Galliarum, eumdem excuſantes quod iter ad Synodum aggreſſus, legitimis cauſis impeditus fuiſſet, inducias ei vſque ad Pentecoſten impetrauere. Hugo Lugdunenſis Archiepiſcopus ad eamdem Synodum vocatus ab officio ſuſpenſus eſt, eo quod nec ipſe venerit, nec Legatum cum legitima excuſatione direxerit. Legati Imperatoris Conſtantinopolitani implorauerunt auxilium contra Paganos, qui omnia pene vſque ad muros illius ciuitatis occupaſſent. Ac denique renouata ſunt decreta aduerſus clericos ſimoniacos & incontinentes; damnataque rurſum hæreſis Berengariana; & promulgata in Guibertum ac eius complices cum ardentibus candelis ſententia anathematis; aliaque ſtatuta circa diſciplinam Eccleſiaſticam, quæ Bertholdus recitat: quibus cõſentientes quindecim canones ab eadem Synodo Placentina ſtatuti, continentur [a] in codice ſcripto Anſelmi Lucenſis libro ſeptimo Decretorum. Meminit vero etiã eiuſdem Synodi Domnizo presbyter, qui adfuit vna cum Mathilde Comitiſſa.

LEG. IMP. CONST. AD SYNODVM.

a *Rec. Bar. Anſel. To. XI. hoc an.*

II. CONR. REX STRATORIS MVNVS EXHIBET PAPÆ VRB. PP. IN GAL. VENIT.

Placentia recedenti Vrbano Conradus Rex filius Henrici apud Cremonam obuiam progreſſus, ſtratoris officium exhibuit, ac iuramento fidelitatem promiſit: qui mox regio apparatu Piſas pergens, ſponſam ſuam filiam Rogerij Ducis Siciliæ adhuc admodum paruulam cum ingenti pecunia ſibi oblatam recepit. Vrbanus autem rebus in Longobardia probe diſpoſitis, in Gallias marino itinere diuertens, S. Mariam ad Podiũ in eius Aſſumptione peruenit, Synodumque ad Clarum Montem apud Aruernos in Octauam S. Martini condixit. Hæc Bertholdus. Indicta porro Synodo, ſtatim à Francorum Rege Philippo Legati miſſi ſunt ad Papam qui eum emollirent: ipſe vero Pontifex literas ſcripſit ad omnes Galliarum Antiſtites, vt Regem hortarentur ad reſipiſcentiam alioqui in eum exercerent Eccleſiaſticam diſciplinam: qui tamen ita iis commoti ſunt, vt non vere correctionem Regis vrgerent, ſed palpando potius indulgerent; vno excepto Iuone Carnotenſi, qui ingenti animo mandata Apoſtolica animis promiſſionibuſue Regis aliorumque præponens haud ceſſauit tum ipſum Papam ad iuſtitiam exercendam, tum Regem ad pœnitentiam agendam Epiſcopoſque ad reſumendos animos, literis [aa] ſuis hortari; in tantũ vt direptionem bonorum Eccleſiæ ſuæ, etiam vſque ad penuriam panis, ac demum carcerem, à Rege [b] paſſus fuerit.

aa *Iuo ep. 19. 99. 105. 109*

b *Id. ep. 100. 102.*

III. CONC. CLAROMONT. SVB VRB. PP. PHILIP. REX FRANC. EXCOMMVNICATVR.

Ceterum die condicta in Octaua S. Martini Vrbanus CONCILIVM ad Clarum Montem celebrans (in quo tredecim Archiepiſcopi cum ſuis ſuffraganeis interfuerunt, & ducentæ quinque paſtorales virgæ numeratæ ſunt) ſtatuta præteritæ Synodi Placentinæ confirmauit inſuperq; Philippum Regem excommunicauit, quod legitima coniuge dimiſſa, militis ſui vxorem ſibi in coniugium ſociaſſet: ac deniq; aliam Synodum in tertiam ſubſequentis Quadrageſimæ hebdomadam Turonis celebrandam indixit. Hæc Bertholdus: eademque de excommunicato Rege Sigebertus. Sed & Bertradam Regiam pellicem

eadem cenſura mulctatam, VVillelmus [c] rebus in Anglicis tradit; canoneſque recenſet. Verum quod pertinet ad canones; triginta duo ad diſciplinam, libertatemque Eccleſiaſticam, ac mores clericorum laicorumq; ſpectantes, ex Concilio Claromontenſi exſcripti reperiuntur in codice Lamberti Epiſcopi Atrebatenſis ante quadringentos annos ſcripto, ex quo totidem lineis Antonius Auguſtinus deſcripſit [d]. Habenturque inſuper aliqua alia ex eadem Synodo apud Gratianum, alioſque Collectores qui in iis laborarunt; licet non omnes recenſuerint canones, neque eodem ordine.

c Malmesbur. l. 4. c. 2.

d Re. omnia Baron. Annal. To. XI. hoc an.

IV. INDICITVR EXPEDITIO IN TERRAM SANCTAM.

Sed præcipuum fuit illud, cuius cauſa potiſſimum collectum eſt Concilium, vt in eo indiceretur expeditio in Terram Sanctam. Etenim Vrbanus quod ſciret ſæpe à prædeceſſore ſuo Gregorio Septimo eſſe tentatum, ſed ſchiſmaticorum factionibus, variiſque bellis impeditum; denuo vrgentibus literis Alexii Imperatoris Conſtantinopolitani nuper in Placẽtino Concilio lectis (cuiuſmodi & plures alias eumdem Alexium ad Vrbanum ſcripſiſſe, teſtatur Vrſpergenſis in Chronico) nauiter agere cœpit vt à fidelibus Chriſtianis ferretur auxilium periclitanti Orientali Eccleſiæ potiſſimum vero Hieroſolymorum, à cuius Patriarcha Simeone, deferente *Petro* Eremita, literas commiſeratione dignas acceperat, quibus Chriſti Incunabula atque Sepulchrum, ceteraque loca Sancta ipſius memoria conſecrata, ab infidelibus Trucis profanata, omnique genere contumeliarum affecta deplorabat. Iſte enim (teſte VVillelmo [e] Archiepiſcopo Tyri, qui eam de bello Sacro hiſtoriam texuit) natione Gallus, patria Ambiacenſis, cum petiiſſet Hieroſolymam; & literas ad Vrbanum Papã & Chriſtianos Principes accepiſſet; à Chriſto quoque per viſum dum oraret ad ſacroſanctum templum Reſurrectionis, tanti muneris legationem accepit; (non autem per Epiſtolam de cœlo lapſam, vt plures ſunt fabulati) & afflatus diuino Spiritu, claſſicum potenter intonuit, cuius clangore ab vniuerſo pene Orbe Occidentali ad arma concurſum eſt.

PETRVS EREM. PROMOTOR SACRI BELLI.

e Tyr. lib. 1. de bel. sacr. c. 11. 12.

V. VRB. PP. SVADET EXPEDITIONEM.

Attamen primarius dux vrbi, atq; promotor tantæ molis operis, Vrbanus Pontifex extitit, qui in hoc ipſo Claromontenſi Concilio plures ea de re conciones habuit, quarum vnam recitat Tyrius [f], aliam VVillelmus [g] Malbeſburienſis; tertiaque ab illis plane diuerſa reperitur [h] inter ſchedas Bibliothecæ Vaticanæ. Sed & qui aderant Eccleſiarum Prælatis (quod Tyrius teſtatur, & ex iiſdem ſermonibus apparet) præcepit, vt ad propria reuerſi cum omni inſtantia & debita ſolicitudine plebes ſuas ad idem hortarentur. Id vero ipſi impigre præſtantes, adeo profecerunt vt præ multitudine dantium nomina; opus fuerit dehortari plurimos, quorum vel ætas, vel valetudo ponderi militari ſubeundo impar eſſe manifeſtis indiciis videretur. Erat autem pro ſtipendio, Indulgentia peccatorum propoſita: atque (vt Petrus [i] diaconus ait) pro teſſera militari, ſignum ſanctiſſimæ Crucis ſuper ſcapulam dexterã impreſſum veſtibus. Et vt nihil ire volentibus obiiceretur impedimenti, ante omnia placuit decreto Synodali ſtatuere, vt cuncta bona eorum qui militarent, ſemper & vbique eſſent in pace, & (vt vocabant) tregua ſiempe ab omnimodis inquietationibus libera, quouſque rediiſſent. Quæ vero ſecuta fuerint, dicetur poſtea; cum alioqui nec iſthæc omnia potuerint hoc anno peragi.

f Ibid. c. 15.
g Malmesbur. l. 4. c. 2.
h Rec. Bar. Annal. To. XI hoc an.

i Petr. Diac. Chron. Cassin. l. 4. ca. 11.

CRVX TESSERA MILITARIS SACRI BEL.

VI.

Vt autem res difficillima hactenus intentata optatum conſequeretur effectum; ad conciliandum cœleſte numen, placuit etiam Dei-Genitricis precibus annitendum, quod probe ſciretur quæque ardua probe greſſura feliciter, quibus B. MARIÆ Virginis faueret gratia & aſpiraret auxilium. Ad quod promerendum Vrbanus Papa eodem Claromontenſi Concilio egit, vt Horariæ illæ preces & laudes, quæ vulgo OFFICIVM DEI-GENITRICIS appellari conſueuerunt, quæq; apud monachos eremitas inſtitutionis Petri Damiani (vt ſuperius vidimus) frequẽtari cœperant, ex illis deducerentur ad Clericos: à quibus digne eidem ſanctiſſimæ Virgini perſolui deberent vt ipſa, apud Filium ageret, quo fidelis populus in tot & tantis diſcriminibus ſubeundis eius præſidio muniretur. Quod quidem tunc à Synodo indictum, & à clericis pie ſuſceptum, ad laicos etiam fuit tam viros quam feminas propagatum; & quidem cum magno fœnore gratiarum, vt experti ſunt omnes, iugiterque experiuntur Fideles, illud ex animo frequentantes. Quin & eaſdem preces Carthuſianos diuino monitu haud tunc pridem ſuſcepiſſe dicendas, ſuique Ordinis eamdem Dei-Genitricem adſciuiſſe patronam, docetur in Rebus [k] geſtis S. Brunonis ipſorum Inſtitutoris: in quibus & de præceptis in dicto Claromontenſi Concilio iiſdem precibus, habetur mentio. Porro ipſe Bruno triennio retentus ab Vrbano; celebrato hoc anno Concilio Placentino vix ab eodem licentiam obtinuit optatam eremũ repetendi: qui tamen haud in Carthuſiam rediit, ne ita Pontificem proficiſcentem in Gallias ſequeretur, ſed in Calabriam vbi Carthuſianum propagauit inſtitutum, nobileque erexit in Squillacenſi regione monaſterium, liberalitate Rogerii Calabriæ & Siciliæ Comitis: quem & poſt ſequentem annum in obſidione Capuæ exiſtentem, ipſi per viſum noctu apparens, liberauit ab inſidiis Sergii ducis Græcorum militantium in ipſius exercitu; vt patet ex diplomate ea de re ab eodem Rogerio in fauorem Carthuſianorum dato; quod in eiſdem Actis repetitur.

OFFIC. DEI-GEN. AB OMNIBVS SVSCEPTVM.

S. DEI-GENITRIX PATRONA ORD. CARTH.

k Vit. S. Brun. Carthus. c. 22. 23. ap. Sur. 6. Oct.

S. BRVNO SECEDIT IN CALABRIAM.

VII. CONCIL. ANGLIC. IN CAVSA VRB. PP.

Celebratum hoc item anno eſt in Anglia, iuſſu Regis Guillelmi, tertia hebdomada Quadrageſimæ apud Caſtrum Rothingehum, SYNODVS generalis Prælatorum ac Principum regni in cauſa Vrbani Papę, ea occaſione quod cum Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis eum vt verum Chriſti Vicarium atque legitimum Eccleſiæ Romanæ Pontificem agnoſceret, ideoq; profectionem ad illum inſtituiſſet petendi cauſa pallium; (non enim niſi præſenti Archiepiſcopo Cantuarienſi dandum fuiſſe, ſuperius ſæpe vidimus) Rex qui potius faueret Guiberto Antipapæ, edixiſſet neminem Epiſcoporum regni ſui aliquem recipere debere Romanum Pontificem, niſi quem ipſe Rex prius approbaſſet. Quamobrem ingenti hinc perſecutione, non à Rege tantum, ſed & ab omnibus Epiſcopis in Anſelmum oborta, eodem conciliabulo decretum eſt, eum ſalua fide quam Regi debebat nullatenus poſſe in regno Vrbanum pro Papa tenere, ideoq; ab eius communione (vno excepto Roffenſi, qui conſtans in obedientia Vrbani cum Anſelmo perſtitit) abſtinuerunt. Sed factum eſt mira Dei prouidentia, vt cum Rex fraudulenter apud Vrbanum egiſſet; vt pallium in Angliam mitteret ei tradendũ quem Rex cuperet; cum ad hoc miſſus Walterus Epiſcopus Albanenſis numquam flecti potuiſſet, vt Anſelmum tantæ virum ſanctitatis & ſcientiæ, legitimeq; introductum ac nullius obnoxium culpæ, Eccleſia ſua deturbaret; tandem Rex mutato animo, non ſolum Vrbanũ verum Pontificem debere dici & credi edicto cauerit, ſed & ipſius Anſelmi vltro amicitiam expetierit, eiq; pallium tradi voluerit, atque libere primatum per vniuerſam Angliam exercere permiſerit. Narrant iſta plurib. Edinerus [l], qui ea vidit, in Vita S. Anſel. & VVillelmus [m] Malmeſburienſis de Geſtis Pontificum Anglorum: quorum etiam aſſertione conſtat, hanc ita pacem compoſitam anno integro perduraſſe, ruptam autem eſſe, cum iterum Regem perſecutorem Anſelmus expertus; deſperatione iuuandi ſuos Vrbanum Papam adire decreuit, peneſque eum vel deponere ſarcinam, vel per eum apud Regem iuuari. Eam vero licentiam Romam eundi, vix tandem poſt plurimam de iuribus Eccleſiæ ac Regni cum eodem Rege habitam contentionem, extorſit ab eo; ſed ita vt conſcenſuri nauim excuſſis indigniſſime cunctis ſarcinulis, pecuniam minime ſecum ferre permiſſus fuerit.

REX ANGL. MVTATVR IN MELIVS.

l Edin. h. 2. ap Sur. 21. April.

m Malmesbur. de Pontif. Angl. lib. 1.

REX ANGL. ITERVM VEXAT ANSELMVM.

VIII. ORDO MINISTR. HOSPIT. S. ANTONII.

Hoc eodem anno à GASTONO Franco viro nobili prouinciæ Viennenſis, vna cum Gerino ipſius filio, iunctis ſibi octo aliis, inſtitutis aſſeritur Ordo miniſtrantium infirmis qui ſacro igne conſumpti truncatis membris in perpetua calamitate viuerent: iidemque cum laici eſſent, pro inſignibus Thau ſignum ſibi ſumpſerunt. Sed hæc pluribus in Hiſtoria Antoniana dicta, cuius auctor extitit Himarus Fulco eiuſdem Ordinis Præceptor.

HENR. III. 13. ALEX. COMN.

IESV CHRISTI AN. 1096.

VRB. II. AN. 9.

I. CONCIL. TVRON. SVB VRB. PP.

ª *Rec. Bar. To. XI. hoc an.*

PHILIP. REX FRAN. ABSOLVTVS A PAPA.

ANNO Domini milleſimo nonageſimo ſexto, Indictione quarta, tertia hebdomada Quadrageſimæ, Vrbanus Papa *Turonis* in Gallia SYNODVM celebrauit; vbi (inquit Bertholdus) iterum ſuorum prætetitorum ſtatuta Conciliorũ roborauit. Extant ª vero duo diplomata ab eodem Pontifice hac ipſa Indictione data; alterum in eadem Turonenſi ciuitate pridie Idus Martias, de confirmatione priuilegiorum Eccleſiæ S. Martini; Pictauis alterum quarto Calendas Aprilis, de abolitione moliti eiuſdem Eccleſiæ abuſus, quo nonniſi pretio præbendæ atque canonicatus conferrentur. Antequam autem idem Pontifex ex Gallia recederet, tradit Bertholdus Philippum Regem humiliter ad eum pro ſatisfactione commiſſi adulterii venientem, reiecta pellice in gratiam receptum eſſe, ſeque in ſeruitium Papæ promptum exhibuiſſe. Additque, Pontificem bene diſpoſitis rebus in Gallia, in Italiam rediiſſe, & Natiuitatem Domini Romæ glorioſiſſime celebraſſe; licet adhuc Guibertini Turrem Creſcentii poſſiderent. Sed hoc ipſo exordio ſequentis anni, incipiens more ſuo annos à Natali Domini numerare.

II. EXPEDITIO OCCIDENTALIVM IN ORIENTEM.

ᵇ *Tyr de bel. ſacr. li. 1. 18. & 2. c. 1.*

Hoc eodem anno, expeditio Occidentalium in Orientem, de qua anno ſuperiori, ſub diuerſis ducibus, diuerſo tempore, diuerſis locis in procinctu poſita, Conſtantinopolim verſus iter arripuit, aliiſque ex ipſis qui primo fuere ſub Gualberto Duce octaua die menſis Martii, alii paulo poſt ſub Petro Eremita profecti ſunt: Godefredus autem Bolionius Dux Lotharingiæ, cum aliis Ducibus & Comitibus, die decimaquinta Auguſti, alii demũ, vt Boamundus Comes Apuliæ anno ſequenti. Sed hæc pluribus Willelmus ᵇ Tyri Archiepiſcopus; quem conſulat qui iſta cupit, digne tantam hiſtoriam deſcribentem; dum colligens in vnum volumen plura diuerſorum volumina, ſingula locupletius fide ſincera pertractauit. Nobis autẽ in propoſito eſt præcipua tantum nota temporum conſignare, non cuncta proſequi; quia iam notiſſima Scriptorum cuiuslibet prope nationis copia, facta ſunt omnibus. Denique in literis quas Papa Vrbanus de iſta expeditione ſcripſit ad Alexium Imperatorem Conſtantinopolitanum traditur, tantam hominum multitudinem Cruce ſignatam eſſe, vt ad trecenta millia cenſa fuerint. Verum ante profectionem, hoc anno magnam ab eis factam eſſe pluribus in locis ſtragem Iudæorum, Bertholdus, aliique horum temporum auctores affirmant. Qui enim diuino inſtinctu aduerſus hoſtes Chriſtiani nominis dedere ſacræ militiæ nomen, in quos primos inciderunt Iudæos infelices, eoſdem niſi Chriſtianam fidem profiteri vellent, trucidarunt, fugarunt, vel obſederunt, atque ex deſperatione ad conſciſcendam ſibi mortem impulerunt. Profecti vero ſunt etiam cum Chriſtianis militibus nonnulli Antiſtites; inter quos Ademarus Podienſis Anicii Vellunnorum Epiſcopus eminuit Apoſtolica Legatione ſublimis, & cum illis Willelmus Arauſii; qui primi Cruce ſignati, alios eodem ſacro ſigno nobilitarunt.

IVDÆI A MILITIB. CHRIST. TRVCIDATI.

III.

BERN. TOLET. DVCIT IN HISP. BVRDINVM.

Sed & eodem Vrbani Papæ claſſico excitatus Bernardus Archiepiſcopus Toletanus, iterum in Terram Sanctam hac Cruce ſignatus peregrinationem aggreſſus eſt: verum ob clericos Toletanos, qui eo abſente quaſi numquam amplius reuerſuro, alium ſubrogandum putarunt Archiepiſcopum, reuerti coactus, pulſis illis, monachiſque S. Facundi in eamdem Eccleſiam introductis, denuo ſe ad iter accinxit: ſed cum ad Vrbanum Romam veniſſet, eius iuſſu, miſerantis illam tunc adhuc coaleſcentem Eccleſiam, reuerſus eſt Toletum. Qui rediens, quos potuit ex Gallia ſecum duxit viros, quos eruditione & moribus ad regendas Eccleſias putauit idoneos: inter quos fuit *Burdinus* ille infelix, de quo ſæpe inferius agendum; quem probitatem ſimulantem, Lemouicis ductum Toletum, Archidiaconi dignitate nobilitauit, atque inde in Conimbricenſem, poſtea in Bracarenſem Epiſcopum extulit, cum ille ſe Mauritium loco Burdini nominaret. Hæc ex Roderico ᶜ eiuſdem Toletanæ Eccleſiæ Archiepiſcopo.

ᶜ *Rod. Tolet. li. 6. c. 27. & 28.*

HENR. III. 14. ALEX. COMN. 17.

IESV CHRISTI AN. 1097.

VRB. II. AN. 10.

I. VRB. PP. SALERNVM SE CONFERT AD ROGER. COM.

ANNO Chriſti milleſimo nonageſimo ſeptimo, Indictione quinta, cum Rogerius Siciliæ Comes obſediſſet Capuam, Vrbanus Papa componendarum inter eum & Capuanos rerum cauſa eo accedens, cum fruſtra id tentaſſet, Beneuentum ſeceſſit, ac poſt Capuanorum deditionem perrexit Salernum ad eumdem Rogerium Comitem, alterumque Rogerium Apuliæ Ducem filium Guiſcardi. Narrat hæc pluribus Gaufredus monachus, qui tunc temporis res geſtas eiuſdem Rogerii Comitis ſcribebat.

II. DE ASSERTO PRIVIL. MONARCHIÆ SICVLÆ.

At quæ ſequuntur de Diplomate ac Priuilegio ab eodem Vrbano ipſi Rogerio Comiti atque filiis eius heredibus ibidem Salerni conceſſo, exactiſſima indigent diſquiſitione, quò in re maximi mométi veritas elucidata, haud amplius mendaciis circumtecta celetur: ſiquidem ſuper illud veluti fundamentum immobile, recentem Siciliæ MONARCHIAM eſſe fundatam atque firmiter ſtabilitam, aſſerunt omnes qui eius ſunt pugnaciſſimi defenſores, & inter alios Fazellus Siculus, qui illud diploma, in ſua hiſtoria de reb⁹ Siculis veluti emblema pretioſum intexuit; idque ipſum fecit rerum Hiſpanicarum recens hiſtoricus; nullo ab eis addito diligẽtiori examine, à quo ſic primum editum, in quam fidem acceptum, & an illud eſſet integrum, quæ præſtitiſſe graue fuit peccatum, quo plures in periculoſiſſimum diſcrimen inducti fuerint ad expugnanda Eccleſiæ iura.

III. QVOMODO DIPLOMA IN LVCEM EDITVM.

De his vero nos ex neceſſitate inſtituti elucidandæ hiſtoricæ veritatis acturi, rem haud ignotam prodimus, ſed iam ore fere omnium peruulgatam, ac veram, atque monumentis etiam publicis comprobatam. Tempore ſiquidem Ferdinandi Regis cognomento Catholici, Siculus quidam, Ioannes Luca Barberius dictus, anno Domini milleſimo quingẽteſimo decimotertio egit cum eodem Rege, vt eius auctoritate perquiſita vndique antiqua diplomata, eadem in vnum volumen, quod Caput Breuium appellaret, ad regni iura noſcenda colligeret: in quo præter alia multa, illud de quo agitur Vrbani Papæ diploma, vti editum legitur, pariter ſcripſit; ſed ſicut cetera, vnde acceperit, verbum nullum. Quapropter in eum, vt impoſtorem, publice conclamatum eſt ab iis quorum antiquæ poſſeſſiones recentibus hiſce inuentis turbarentur. A quibus & eidem Ferdinando Regi fuit libellus oblatus; ne in plurimorum præiudicium fides aliqua Barberianæ collectioni adhiberi deberet, niſi de ſingulis doceretur autographum, quod quiſque cum opus eſſet conſulere poſſet: eorum vero iuſtiſſimæ petitioni Princeps iuſtiſſimus annuit. Harum enim omnium rerum geſtarum fides deſcripta legitur in libro Capitulorum Regni Siciliæ capite centeſimo nono, pagina ducenteſima vigeſima prima; eademque per eumdem Regem Ferdinandum confirmata die vigeſima quarta Iunii Indictione tertia, anno Domini milleſimo quingenteſimo decimoquinto. Sicque videas, nullam penitus conciliare ſibi editum diploma fidem, niſi eam ex autographo accipiat: quod cum numquam hactenus factum ſciatur, vt ei credatur nihil eſt quod ſuadeat. Denique cum ſæpe contigerit, Reges Siciliæ aduerſus Apoſtolicam Sedem de Eccleſiæ & Regum iuribus contendere; nec vſquam vel leuis ſit mentio, dictum diploma ab aliquo citatum vel nominatum aliquando eſſe, licet plurimæ vt id facerent exigerent occaſiones; non à Rogerio huius Rogerii filio, cum aduerſus Innocentium & Eugenium ageret de iuribus Romanæ Eccleſiæ in regno Siciliæ; non ab huius nepote Guillelmo aduerſus Hadrianum Quartum, non ab aliis horum ſucceſſoribus, non ab ipſis tyrannis prætentionum audaciſſimis aſ-

DIPLOMA QVOD VRBANI ASSERITVR, INCOGNITVM MAIORIBVS.

ſertoribus ac defenſoribus; non denique ab alio quocumque, vſque ad Carolum Quintum prædicti Ferdinandi ſucceſſorem. Vtique perſpicue apparet, illud quod ab Vrbano datum eſt Salerni Rogerio diploma, haud eiuſmodi fuiſſe vt nunc deſcribitur, Eccleſiæ Romanæ iuribus adeo aduerſarium.

IV. Vrbani pp. aſſertum diploma.

Sed vt propius ad ipſius examen accedamus, deſcribendum illud in primis videtur vti cuſum legitur; quod ſic ſe habet: *Vrbanus Epiſcopus Seruus ſeruorum Dei, chariſſimo filio Rogerio Comiti Calabriæ & Siciliæ, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Quia prudentiam tuam ſupernæ maieſtatis dignatio multis triumphis & honoribus exaltauit, & probitas tua in Saracenorum finibus Eccleſiam Dei plurimum dilatauit, & Sanctæ Sedi Apoſtolicæ deuotam ſe multimodis ſemper exhibuit: nos in ſpecialem atque chariſſimum filium eiuſdem Vniuerſalis Eccleſiæ te aſſumpſimus. Idcirco de tua probitatis ſinceritate plurimum confidentes, ſicut verbis promiſimus, ita literarum auctoritate firmamus; Quod omni vitæ tuæ tempore, vel filii tui Simonis, vel alterius qui legitimus tui heres extiterit, nullum in terra poteſtatis veſtræ, præter voluntatem aut conſilium veſtrum, Legatum Romanæ Eccleſiæ ſtatuemus. Quinimmo quæ per Legatum acturi ſumus, per veſtram induſtriam Legati vice exhiberi volumus, quando ad vos ex latere noſtro mitteremus ad ſalutem ſanctarum Eccleſiarum quæ ſub veſtra poteſtate conſiſtunt, ad honorem B. Petri, ſanctæque eius Apoſtolicæ Sedis, cui deuote hactenus obediſti, quamque in neceſſitatibus ſuis ſtrenue & fideliter adiuuiſti. Si vero celebratur Concilium, & tibi mandauero quatenus Epiſcopos & Abbates tuæ terræ mihi mittas; quos & quot volueris mittes, alios vero ad ſeruitium Eccleſiarum tuarum retineas. Omnipotens Deus actus tuos in beneplacito ſuo dirigat, & te à peccatis abſolutum in vitam æternam perducat. Datum Salerni per manus Ioannis S. R. E. diaconi, tertio Nonas Iulii Indictionis ſeptimæ, anno Pontificatus noſtri vndecimo.* Hactenus diploma: quod quidem toties abrogatum fuiſſe oportuit, quoties inter ipſos Romanos Pontifices atque Siciliæ Reges de his conſtat fuiſſe tranſactum; vt cum inter Rogerium atque Eugenium ita eſt concordatum, quod Pontifex nullum Legatum mitteret in Siciliam, niſi quem Rex ipſe peteret; non autem vt Rex ipſe Legati Apoſtolici vicem teneret: prout conſtat ex Romani Senatus epiſtola ad Conradum Regem, quam recitat Otto [a] Friſingenſis epiſcopus eius temporis auctor. De aliis autem tranſactionibus in fauorem Romanæ Eccleſiæ initis, dicturi ſumus inferius.

a Otto Friſing. in Frider. l. 1. cap. 28.

V. Diploma deprauatum in tempore conſignato.

Interim antequam vlterius procedatur, corrigendus eſt primo error temporis. Nam cum appareat diploma datum eſſe Salerni, & Vrbanum illuc hoc ipſo anno aduenisſe exploratiſſimum ſit teſtificatione Gaufredi, qui inſpiciebat ſcribentis, necnon eiuſdem temporis Scriptorum Edineri atque Willelmi, dum agunt de Synodo Barenſi ab eodem Vrbano tunc habita, de qua dicetur poſtea; quomodo ſignatum ponitur Indictione ſeptima, anno Pontificatus Vrbani vndecimo, cum idem præſens annus conſignatus fuerit Indictione quinta, & ſedis Vrbani anno decimo; ſequenti vero & poſt ſequentem eumdem Vrbanum non Salernum aut Apulia, ſed Roma tenuerit? At non adeo ſeueri exactores ſumus, vt ob eiuſmodi quæ incidere ſolent librariorum vitia velimus omnino diploma reiicere. Sed horreſcit plane auditus, vt idem exploſum ſententia Ferdinandi, cuius nullum extaret quod oſtendi poſſet autographum, ſub eius ſucceſſore Carolo Quinto, dum bellicis reb. intentus eſſet Imperator inuictiſſimus, in regio Siciliæ opera Aduocati Fiſcalis, vti quidpiam diuinum in ſublime attolleretur, ac velut lapis angularis faciens vtraque vnum, temporali ſimul & ſpirituali iuncta auctoritate, noua, hactenuſq; in Eccleſia Catholica inaudita, conſtituta fuerit Monarchia, quæ prætenſa Sedis Apoſtolicæ auctoritate, eiuſdem ipſius Sedis Apoſt. auctoritatem abrogaret: cum ab Imperatoris miniſtris, eius nomine potius quam voluntate, anno Redemptoris milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto, die ſeptima menſis Decembris, promulgatum eſt edictum de confirmatione Pandectarum impreſſi voluminis, in quo aſſeritur Monarchia; atque ipſe ſeorſum ſcriptus legitur liber qui inſcribitur Monarchia, omnium regni Con-

Quando et a quo diploma in auctoritatem receptum.

filiariorum ſubſcriptione munitus, cuius autographum aſſeruatur in Cancellaria Siciliæ, ex eo vero exemplaria duo deſcripta dicuntur, quorum alterum fertur ad Regem miſſum, alterum ad Aragonenſe Concilium datum.

VI. Quæ contineat Monarchia.

Sed & quæ ſibi iura eadem vendicet Monarchia, dicendum. Quod enim auctoritate diplomatis Vrbani Papæ, ipſum Rogerium Siciliæ Comitem, atque eius heredes, Legatos à latere conſtitutos omnino velint; omnes pariter ſucceſſores Reges in Siciliæ regno Legatos natos eſſe contendunt, eoſdemque omnia quæ ſunt Legatorũ à latere efficere poſſe; immo & ſubſtituẽdi poteſtatem habere cum eadem auctoritate, nimirum vt iudicare & punire poſſint, abſoluere & excommunicare quos velint, laicos, monachos, clericos, etiam Eccleſiaſtica dignitate Prælatos, Abbates, Epiſcopos, Archiepiſcopos; ac deniq; ipſos S. R. E. Cardinales ibi degentes, eidem Monarchiæ ſubditos eſſe velint. Eiuſdem quoque Monarchiæ eſſe facultatis, appellationes ad S. Sedem Apoſtolicam impedire, Nuntios eiuſdem S. Sedis non admittere, ac demum reſpectu Eccleſiaſticæ iuriſdictionis neque ipſam Sedem Apoſtolicam recognoſcere & habere ſuperiorem, niſi in caſu præuentionis. Iſta ſunt quæ Vrbani auctoritate diplomatis, Reges in Sicilia velint ſibi licere.

VII. De ipſo nomine Monarchiæ.

Ad quod ad ipſum inprimis Monarchiae nomen ſpectat; qua auctoritate poſt quadringentos triginta annos à tempore dati ab Vrbano diplomatis, recens natum inuenitur ſuperinductum, quod nunquam à piis Regibus, immo nec à tyrannis ipſis Romanæ Eccleſiæ perduellibus, iiſdemque acerbiſſimis perſecutoribus, vt Friderico, & eius filiis; nec denique ab inuaſoribus eiuſdem regni, vt Petro, vel aliis; licet ab iis res ipſa ſæpius per tyrannidem atq; inuaſionem fuerit pertentata, vſurpatum vllatenus reperitur? Si vna eſt, conſenſu Fidelium omnium, in Eccleſia à tempore Euangelii promulgati Monarchia, ab ipſo Domino ſtabilita in Petro & ſucceſſoribus eius, nec alteram ſuperinduci vmquam paſſi ſunt Orthodoxi; vt quid hodie infauſtum nomen, altera auditur in Eccleſia Monarchia? Demus Vrbanum voluiſſe Reges Siciliæ eſſe Legatos natos à latere; numquid diplomate ſanxit eos dicendos eſſe Monarchas? Sed & cum plures ſint hodie in Eccleſia Catholica nobiliſſimarum Eccleſiarum Antiſtites qui ex vero certoque priuilegio, Sedis Apoſtolicæ Legati nati obtinent dignitatem; num ex eo aliquis eorum auſus eſt aliquando ſeſe appellare Monarcham? Quamobrem etſi non alia ex cauſa, vel ex hac ſaltem ſuccidendum eſt nomen adulterinum, ne tali exemplo propagetur in alios: alioqui in Eccleſia Dei, in qua nonniſi vnus poſſit eſſe Monarcha, Monarcharum ſilua (horrendum dictu) ſuccreſceret infamia ſempiterna primatus ipſius Rom. Eccleſiæ. Hæc de nomine.

Abolendum omnino nomen Monarchæ.

VIII. Diploma non excidit filios Rogerii com.

Vt autem ad res ipſas accedamus; quoniam iure ex recitatis ſuperius Vrbani diplomatis verbis, tantum iuris præſumitur, vt Legati à latere, itemque nati, atque demũ Monarchae effecti Reges omnes Siciliæ dicantur; cum iis expreſſi tantummodo habeãtur ipſe Rogerius, Simon eius filius, & alter filius ſi extiterit ipſe heres. Duo namq; Rogerio Comiti erant filii, Simon maior natu, atque Rogerius, quem voluit expreſſiſſe voce illa, *alterius*; quod quidem nomen non de pluribus, ſed de vno ex duobus duntaxat dici, ſciunt omnes qui Latinas literas didicerũt: Cum igitur priuilegium non excedat filios Rogerii, qua ratione deducitur ad heredes omnes? immo cum heredes Rogerii omnino defecerint, quomodo trahitur ad ſucceſſores omnes? Deniq; etiamſi expreſſe incluſi fuiſſent heredes omnes, omneſq; ſucceſſores; adhuc tamẽ haud ipſa vllo pacto deduci potuiſſent ad Carolũ Quintum, quod cũ plurima extent Rom. Pont. diplomata, quib. ſunt collatæ Inueſtituræ de regno Siciliæ diuerſis Regibus atq; in eis diſertis verbis reuocentur cuncta ſigillatim, quæ aduerſus Eccleſiaſticam immunitatem quoquo modo ſint præſumpta: plane nihil ſit vt aduerſus tot Pontificum documenta de quibus ſingulatim inferius erit mẽtio, iſtiuſmodi diploma aliquid ſibi vendicare poſſit auctoritatis.

Dipl. ſæpius reuocatum.

Verum

IX. QVID CONCESSVM ROGERIO IN DIPLOM.

Verum nec quod prętenditur vllo modo conceſſerim, nimirum per Vrbani diploma creatum fuiſſe Legatum à latere Rogerium ipſum, atque filios eius. Relegantur eius verba, & nihil aliud inuenietur, niſi quod eum vicem Legati implere voluerit, in iis tantum cohibendis quæ per Legatum Apoſtolicę Sedis cohibenda forent. Aliis porro formulis, iiſdemque plenioribus, atque adeo ſpecificis, conſueuiſſe ab ipſis Romanis Pontificibus concedi Legationes à latere, nemo ignorat qui eiuſmodi lectionibus aſſueuit. Præterea non perpenditur, quanta irrogetur iniuria Vrbano Pontifici, cùm volunt ea conceſſiſſe Rogerio, quæ iam per nonnullos Reges male aduerſus Eccleſiaſtica iura, vniuerſa Eccleſia ſcandalum patiente, exercentur: cum tamen in vendicandis ab vſurpatione laicorum Eccleſiæ iuribus, idem ſanctiſſimus Pontifex nulli reperiatur fuiſſe ſecundus: qui & iis vixit temporibus, quibus iugiter certandum fuerit contra inuaſores Romanæ Eccleſiæ iurium. Potuitne vero tanta conceſſiſſe Rogerio Comiti, quorum aliquam tantummodo partem ſi Henrico Imperatori, ferociſſimo ſimul ac potentiſſimo perſecutori ceſſiſſet, pacem proculdubio vniuerſalis Eccleſiæ tot tantiſq; cladibus diutius afflictæ, redemiſſet: ſed prius cuncta pati, quam quid minimum Eccleſiæ iurium imminui, vel à ſæcularibus labefactari, decreuit animo, & dum vixit effectu ipſo egregie præſtitit: ſicut præter alia quæ iam de eo dicta ſunt, dicenturque, diſerte confirmat Domnizo, qui tunc viuebat, in Rebus geſtis Comitiſſæ Mathildis, dum ſuo ſtylo ait numquam per eũ decreuiſſe libertatem Romanæ Sedis: idemque ipſe Vrbanus ad Rodulphum Comitem reſcripſit [b], nulli ſæcularium domino poteſtatem in clericos habere licere, ſed omnes clericos Epiſcopo ſoli eſſe debere ſubiectos: quicumque vero aliter præſumerent, canonicę ſententię ſubiectos fore. An vero potuit quæ tot annis tanto labore ædificauit, vna hora in congreſſu illo Salernitano cum Rogerio deſtruxiſſe, vt ſecundum Apoſtoli [c] dictum, præuaricatorem ſe conſtitueret? tum præſertim nulla vrgeret neceſſitas, qua tantam cladem Eccleſię, cuius ſe conſtantiſſimum ſemper defenſorem exhibuiſſet: inferret: immo contra in Concilio Vniuerſali Romæ ſub eius ſucceſſore Paſchali celebrato, ab vniuerſa Synodo acclamatum eſſe conſtet [d] eidem Vrbano, vti Eccleſiæ iurium acerrimo vindici, atque propagatori.

QVANTA IRROGETVR INIVRIA VRBANO PP. VRB. IN OMNIB. DEFENSOR ECCL. IMMVNIT.

b Int par. 2. cap. 408.

c Gal. 2.

d Vrſperg. an. 1102.

X. DETEGITVR DIPLOMATIS DEPRAVATIO.

Sed quid vltra detineo Lectorem, & non cito detego aduerſantium malas artes, qui non vt ſe habuit, ipſum germanum, integrumque ediderunt diploma, ſed mutilatum atque corruptum in omnibus quibus iura Romanæ Eccleſiæ ſalua eſſent, exhibuerunt? Agimus immenſas Deo gratias, quia cæcitate percutiens illos non ſiuit videre illa, quibus illiuſmodi per eos patratum ſcelus aperta luce probari poſſet. Si enim vidiſſent atque conſideraſſent, quis dubitet id ipſum ab eis eadem falce falſitatis fuiſſe præciſum? Ad hæc autem probanda, teſtem adhibemus illum ipſum ex aduerſantium domo petitum, ab ipſis iure laudatum, cui nec ſit quod obiici poſſit, quippe qui eo tempore vixit & ſcripſit hiſtoriam Siculam, eodem ipſo de quo agitur expoſcente (vt profitetur) Rogerio Comite: nempe Gaufredum monachum Benedictinum, cuius opus antiquitate ipſa plane venerandum delituit inter vetera monimenta Regum Aragonenſium, quouſque noſtra ætate illud Hieronymus Surita vir celebris in lucem protulit, ediditque Cæſarauguſtæ typis Dominici à portonariis anno Salutis milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octauo, idemque munitum & laudatum Regio priuilegio (nequid ad abſolutiſſimam fidem eius deeſſe poſſet) dedicatum vero Antonio Auguſtino tunc Archiepiſcopo Tarraconenſi, eruditione legum ſacrarum ſuæ ætatis in Hiſpania facile principi.

XI. OCCASIO APERITVR CONCEDENDI PRIVIL.

Hic enim ipſe auctor, à nobis ſuperius citatus eadem occaſione Salernitani congreſſus Vrbani cum Rogerio, acturus de eiuſmodi priuilegii conceſſione, quę nam præceſſerit illam petendi cauſa his verbis narrat: *Sed quia ipſe Apoſtolicus iam iudum Robertum Epiſcopum Traynenſem, Comite inconſulto, Legatum in Sicilia ad exequendum ius S. R. Eccleſiæ poſuerat; perpendens hoc Comitem grauiter ferre, & nullo modo vt ſtabile permaneat aſſentire: cognoſcens etiam ipſum Comitem in omnibus negotiis Eccleſiaſticis exequendis zelo diuini ardoris exferueſcere; caſſato quod de Epiſcopo Traynenſi fecerat, Legationem B. Petri ſuper Comitem per totam Siciliam, vel habendam hereditaliter ponit, ea diſcretione, vt dum ipſe Comes aduixerit, vel aliquis heredum ſuorum zeli paterni Eccleſiaſtici executor ſuperſtes fuerit, Legatus alius à Romana Sede, ipſis inuitis nullus ſupponatur.* Hæc Gaufredus, omnino conſentientia ſuperius recitato diplomati. Sed quæ dolo malo de eo ſunt dempta, idem auctor ſic ſubdit quæ honoris cauſa redditæ poſtliminio diu exulis veritatis, grandiuſculis literis deſcribemus: SED SIQVA ROMANÆ ECCLESIAE IVRIS EXEQVENDA FVERINT, CHARTHVLIS * A ROMANA SEDE IN SICILIAM VEL CALABRIAM DIRECTIS, PER IPSOS CONSILIO EPISCOPORVM EARVMDEM PROVINCIARVM AVTHENTICE DEFINIANTVR. Iſtæ ſunt quæ manus audax abſtulit ab Vrbani Papæ diplomate: quę quidem tanti noſcuntur eſſe momenti, vt ſi ea reſtituantur in ipſum, nullum penitus ex eo irrogetur damnum iuribus Apoſtolicæ Sedis; cum ſit his verbis ei integrum reſeruatum, vt cum opus eſſe iudicauerit Papa, miniſtros ſuos in Siciliam mittat, qui ſi ita ipſis placuerit, Epiſcopos ad Synodum congregent, quorum conſilio ipſorum ſententia expectetur. At non hic finis latrocinii. Nam pergens Gaufredus de iis dicere, quę poſt hæc eodem diplomate continerentur; poſtquam hæc appoſuit, *Quod ſi Epiſcopi ad Concilium inuitati fuerint; quot, & quos ipſi Comiti, vel ſuis futuris heredibus viſum fuerit, illuc dirigant* (quæ integra ſunt conſeruata in textu) mox hanc ab Vrbano limitationem additam ſubiicit, NISI FORTE DE ALIQVO IPSORVM IN CONCILIO AGENDVM SIT IN SICILIA VEL CALABRIA * IN PRÆSENTIA SVA AVTHENTICE DEFINIRI NEQVIVERIT; quæ doloſus artifex in gratiam Principum abſtulit, quibus plane ſignificauit Vrbanus, quod ipſi eſſet liberum cum vellet, Siculos & Calabros Epiſcopos ad dicendam cauſam vocare ad Apoſtolicam Sedem, cum ipſorum cauſæ in Sicilia vel Calabria authentice definiri nequirent. Nam quid eſt *Authentice definire*, niſi canonice & ſecundum leges Eccleſiaſticas? quæ cum prohibeant Principes ſæculares cognoſcere & iudicare cauſas Epiſcoporum, proculdubio eaſdem, quod agitari authentice coram Principe ſæculari non poſſint, ad Sedem Apoſtolicam deferendas eſſe Vrbanus cenſuit.

QVÆ EX DIPLOM. SVNT DOLOSE SVBLATA.

* Omnino legatorum, Chartulariis, mox dicat, per ipſos.

* vt

XII. QVO MODO ACCIPIENDVM DIPLOMA.

Vides igitur quanta ſubtracta fuerint, & quanti momenti: eaque in re eo vſque proceſſum eſt, vt recitatum apud eundem Gaufredum Vrbani diploma (cum iiſdem haud dubium per ipſum paulo ante aſſertis quas diximus ſententiis) turpiter mutilauerint; quod quando admiſſum ſcelus, & à quo, haud adeo exploratum habemus. Si vero ſublata reſtituantur, tantum abeſt vt à nobis diploma reiiciatur, vt potius exoſculemur illud, vt pote prudentiſſimi Pontificis monumentum, quo magna cautela ita roganti Principi de Sede Apoſtolica bene merito voluerit auſtactum, vt tamen eiuſdem Apoſtolicæ Sedis immunitati nihil paſſus ſit eſſe detractum. Nec eſt quod verba Gaufredi, quæ in diplomate ſcripta fuiſſe docet, aliquis in alium ſenſum conuertere iure poſſit. Nã tum quod è textu ablata noſcuntur, arguit ea haud prætenſæ Monarchiæ fauere; tum eo quo diximus modo eſſe intelligenda (nempe vt cum in Sicilia de iuribus Apoſtolicæ Sedis ageretur conſeruandis tunc eſſet liberum Romano Põtifici miniſtros illuc pro arbitrio mittere) ſtatim poſt eiuſmodi priuilegium ab Vrbano conceſſum, ipſo vſu experientia comprobauit, cum ipſius Vrbani ſucceſſor Paſchalis Papa Secundus miſit Apocriſarios (ſic enim vocat quos Vrbanus Chartularios) in Siciliam ad exigẽda iura Apoſtolicæ Sedis, dum ab Archiepiſcopo Panormitano iubetur præſtari iuramentum fidelitatis eidem Apoſtolicæ Sedi. Extant enim de his eiuſdem Paſchalis literę, quas Gregorius Nonus intexuit inter Decretales [e] à ſe collectas Epiſtolas.

e c. Significaſti. Extr. de elect.

XIII. CONFIRMATVR ...

Sic enim (vt etiam à ſimili res cõfirmetur) qui poſt Vrbanum ſucceſſit tertio loco Callixtus Papa Secundus, qui in vendicandis & extorquendis de manu Imperatoris

abie-

ALIOS SIMILI DIPLOM.

abreptis Eccleſiaſticis iuribus ſummam præ omnibus ſuis anteceſſoribus ſibi gloriam comparauit; poſt celebratum Rhemenſe Generale Concilium, congreſſu habito cum Henrico Anglorum Rege, eidem petenti *conceſſit* (inquit Rogerius in Annalib. Anglorum) *omnes conſuetudines quas pater ipſius Regis in Anglia & Northmannia habuerat, & maxime, Vt neminem aliquando Legati officio in Anglia fungi permitteret, ſi non ipſe aliqua præcipua querela exigente quæ ab Epiſcopis regni ſui terminari non poſſet, hoc fieri, à papa poſtularet.* En aliud ſimile priuilegium, ab alio Romano Pontifice alii Chriſtiano Principi conceſſum: & tamen nihil plane per ipſum derogatum ſcitur Apoſtolicæ Sedis iuribus, quin maioribus exigentibus cauſis ab Eccleſia Romana Legationes in Angliam fuerint frequentatæ, eædemque decenti cultu à Regibus Anglorum exceptæ.

XIV. QVÆ ALIA AD PROBANDAM MONARCHIAM INDVCANTVR.

Quid vero præter illam Vrbani aſſertam epiſtolam, adhuc alia quædam pro Monarchiæ firmitate afferantur in medium; ea quoque ſunt conuellenda. Dicunt enim reperiri nonnulla Regum Siciliæ diplomata in libro qui cõtinet donationes ab iiſdem in diuerſas Eccleſias & monaſteria collatas, in quibus legatur anathematis ſententia ab ipſis promulgata aduerſus eos qui quæ ipſi iuſſiſſent non implerent, ſed euerterent; quam velint appoſitam auctoritate Legationis Apoſtolicæ Sedis, qua iidem Reges Vrbani conceſſione fungerentur. Si quis adeo formularum antiquarum ignarus, vt neſciat eiuſmodi verba apponi ſolita inſtrumentis piarum donationum, nec ſolum à Principibus, ſed etiam à priuatis vtriuſq; ſexus [f] non quidem vt ſententiam contineant excommunicationis Eccleſiaſticæ, quæ ab Epiſcopis infligi ſolet in ſubditos; ſed imprecationes potius, ad deterrendum eos qui aliquid contra præſcripta moliri tentarent. Sunt de iis infinita omnium ſæculorum exempla [f] patientia: adeo vt etiam in ipſo ab illis ſcripto codice alia reperiantur diuerſorum priuatorum locis piis factæ donationes, quæ eaſdem omnino cõtineant imprecationes, quas iſti à Regibus factas glorian tur, ſicut & eaſdem conſtat à nonnullis conſuetas fuiſſe apponi ſepulchris [g], vt violatores abſterrerent.

f Paſſim in Annalib. Baronii, vbi deſcribuntur integra eiuſmodi diplomata, & præcipue à To. IX. vſque ad XII.
g proferr. exempla Baro To XI. hoc an.

XV. DE ASSERTIONE ABBATIS PANOR.

Inſuper in eodem ſuo Monarchiæ libro, ſententiam proferunt Abbatis Panormitani celebris Iuris Canonici Interpretis: qua aſſerit *Licere Regi ex longa conſuetudine appellationes eorum qui ad Sedem Apoſtolicam prouocant, impedire.* At enim tantine æſtimantur reſponſa prudentis, vt ea in legem accipiantur; eo præſertim tempore, quo idem Abbas colligeret cum ſchiſmaticis aduerſus Catholicæ ſedis Antiſtitem? Verum qui traditur hæc reſpondiſſe tempore Alphonſi Regis ſub Martino Papa Quinto, cui Rex valde eſſet infenſus; idem poſtea ea declaraſſe aſſeritur, vt intelligi deberent, quando non eſſet tutus acceſſus ad Apoſtolicam Sedem, vel tempore ſchiſmatis. Cuius declarationis exemplum non ſcribitur in dicto Monarchiæ libro, ſed reperitur in Abbatia dicta Nouæ lucis in eodem regno poſita, & in aliquibus aliis monaſteriis.

XVI. REX ALPHONSVS MONARCHIÆ INSTITVTOR.

Sic & quod addunt eiuſdem Alphonſi Regis exempla, quod impediret appellationes ad Papam; quinã demum hic probationis modus, vt contra Eccleſiam teſtimonium proferatur hoſtis Eccleſiæ: addo & periuri Regis; quippe qui rogantib. Siculis ne eiuſmodi appellationes ad Apoſtolicam ſedem (quod Rex facere cœperat) per magiſtratus laicos cognoſcerentur, ſed potius per Prælatos Eccleſiaſticos; eorum petitionib. annuiſſet datis de hoc litteris anno Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſexto, quæ hactenus extant vna cum petitionis exemplo: imo id ipſum anno præcedenti, nempe Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quinto, ſolemni iuramento promiſiſſet, cum inueſtituram de ipſa Sicilia & Terra citra Pharum accipiens ab Eugenio Papa Quarto, eidemque de ea (vt loquitur) plenum homagium ligium & vaſſalagium faciens (cuius Inueſtituræ extat exemplar in Vaticana Bibliotheca in libro Priuilegiorum Romanæ Eccleſiæ) præter alia multa de immunitate Eccleſiaſtica conſeruanda, hæc de cauſis & appellationibus Eccleſiaſticis liberis dimittendis iurauit, *Omneſque etiam cauſæ ad forum Eccleſiaſticum in regno & terra prædictis pertinentes, libere & abſque vllo impedimento agitabuntur, tractabuntur, & ventilabuntur coram Ordinariis, & aliis Eccleſiaſticis Iudicibus, & terminabuntur per eos. Et ſi ad Apoſtolicam Sedem ſuper huiuſmodi cauſis appellari contigerit, tam appellantes quã appellati ad eamdem venire Sedem pro appellationum proſecutionibus libere & abſque inhibitione aliqua permittentur.* Quid autem his aduerſans citatur eiuſdem Alphonſi reſcriptum datum anno ſequenti, contentum capitulo trecenteſimo nonageſimo ſeptimo, pagina centeſima vigeſima octaua? An vero in periurio conſtituetur principium Monarchiæ?

XVII. ANTIPAPA ARCHITECTVS MONARCHIÆ.

Ceterum ſiquis antiquiora abolenda veſtigia eiuſmodi MONARCHIATVS curioſius indaganda putauerit, plane inueniet non Vrbani, vel alterius alicuius Catholici Pontificis inuentum eſſe, ſed (ſi admodum veriſimili coniecturæ ſit deferendum) primum auctorem fuiſſe ſchiſmaticum Papam, non Chriſti, ſed Antichriſti Vicarium, Petrum, Leonis, non Columbæ filium, eumdemque contra Innocentium Secundum legitimum Eccleſiæ Romanæ Pontificem, ex aduerſo furentem ſub ſpecioſo nomine Anacleti. Iſte enim vbi Papatum violenter arripuit, cum videret vniuerſos ferme Orbis Chriſtiani Principes ab Innocentio ſtare, & ipſe aliquem emendicare ſtudens qui ſibi eſſet adiumento, nihil prætermiſit officii vel obſequii, quibus Rogerium iſtius de quo agitur Rogerii filium, qui tunc non Siciliæ tantum, ſed dominaretur Apuliæ atque Calabriæ, ad ſe attraheret. Quamobrem & ipſum ex Comite *Regem conſtituit, & præcepit vt Epiſcopi & Abbates in eius ditione eſſent ei obtemperarent*; ſicut hæc breuiter tradit eius temporis ſcriptor [h] Petrus diaconus Caſſinenſis. Qui quidem rebus illius monaſterii conſcribendis intentus, cetera leuiter tantum, nec niſi per occaſionem attingens, dum iſta pauca ex omnib. quæ in diplomate ſuper iis confecto eſſent expreſſit, aliquid ſpecialius iudicaſſe voluit præter communionem ex Apoſtolicis iuſſis debitam Regibus obſeruantiam; quod tacuit, & ipſe exiſtens ſchiſmaticus, nullam eumdem laudandi Rogerium prætermittens occaſionem: quem nihilominus S. Bernardus, cum opus fuit eius meminiſſe, abſque regio titulo nominauit [i] tantum Ducem Apuliæ tyrannum Siculum, & vſurpatorem coronæ regiæ.

h Petr diac. 4. Chron. Caſſin. 99.
i Bernard. ep. 127. 129. 130. 139. 140.

XVIII.

Quod vero hæc tunc acta fuerint, eſt etiam manifeſto argumento quod eiuſdem Rogerii primi Regis temporibus non in Sicilia modo, ſed etiam in Apulia ceteriſque eius ditionis prouinciis, Epiſcopatus per regios codicillos conferri ſolerent. Hoc enim declaratur Roberti eiuſdem Regis Cancellarii exemplo apud Ioannem Sariſberienſem [k]; qui narrat iſtum Robertum Eccleſiam Auellanam tunc forte vacantem tribus diuerſis qui oblato pretio eam expetebant, per ſimulatam ſpeciem addixiſſe, ac deinde quartũ quemdã conſecrandũ duraſſe. Quænã autẽ fuerint alia capita quibus idẽ Anacletus ſubiecit Rogerio vniuerſum ordinẽ Eccleſiaſt. plane intelliges cũ ea reuocata à Rom. Eccleſ. legitimis Pontiff. paulo poſt videbis.

k Sariſber. lib. 7. Polier. cap. 19.

XIX. FAZELLVS NOLVIT VERVM MONARCHIÆ AVCTOREM DETEGERE.

At vero iſthæc omnia vel non noſcens, vel noſſe diſſimulans Fazellus, nihil magis conatus, quam vanæ Monarchiæ ex laicis clericiſque compactæ fauendo, Eccleſiaſticam libertatem alta ſcrobe relinquere ſepultam; ne eius auctorem pſeudopapam aſſereret, atque vt prædicta ſibi adeo aduerſa vitaret, inextricabiles plane mendaciorum quæſiuit anfractus; dum non ſolum ea penitus tacuit, ſed etiam haud vna cum Innocentii creatione ſimul ortum ſchiſma Petri Leonis, dicti Anacleti, ponit; (quod omnes abſque vlla controuerſia, ſiue veteres ſiue recentiores affirmant) ſed longe poſtea, nempe vbi auditus eſt Innocentius ab eodem Rogerio detineri captiuus.

XX. CITO ARVIT MALE PLANTATA MONARCHIA. DE HADRIANI PP. INVESTITVRA CONCESSA VVILELMO REGI.

Accidit vero, vt quamuis peculiare ſit Regibus, quæ per fas nefaſue ſemel adepti fuerint, eadem iiſdem artibus tueri; hæc tamen poſtea ita tractata ſint, vt iidem Siciliæ Reges legitimorum ceſſerint iuſſionibus Romanorum Pontificum. Siquidem cum Rogerius, qui talem Monarchiam accepit ab Anacleto pſeudopapa anno milleſimo centeſimo trigeſimo, peruenisſet ætate vſque ad annum milleſimum centeſimum quinquageſimum quartũ, ipſo mortuo filius eius ſucceſſorq; paterni regni, Guil-

lelmus

lelmus cognomento Malus, dum Inueſtituram quæſiuit ab Hadriano Quarto legitimo Pontifice, eius cauſa haud fuit leuiter altercatum, expetente illo inueſtituram conditionibus valde iniquis, ac fortaſſe iiſdem quibus Rogerius pater regnum accepiſſet ab Anacleto. Quæ licet Legati ab Hadriano, ad eum pro pace miſſi, viſi eſſent ex parte aliqua quæ petierat conceſſiſſe; Hadrianus tamen omnino reſiliit, nec inueſtituram concedere voluit cum infamibus illis conditionibus, quibus ea male compoſita Monarchia ſubſiſteret, ſed aliis plane contrariis quas ipſe Guillelmus acceptauit. Teſtatur hæc ex parte Robertus Abbas in Additionibus ad Sigebertum, anno milleſimo centeſimo quinquageſimo ſeptimo dum ait Guillelmum cum Hadriano pacem feciſſe, concedendo ei conſecrationes Epiſcoporum regni ſui & Ducatus, ſicut antiquitus eas habuerat Eccleſia Romana, vnde diſcordia fuerat inter partem ipſius Rogerium, & Innocentium atque Eugenium Romanos Pontifices: Hadrian. vero conceſſiſſe Guillelmo regnum Siciliæ, & Ducatum Apuliæ, ac Principatum Capuæ.

XXI.

Non extat illa quidem ab Hadriano facta Guillelmo inueſtitura, ex qua ſciri poſſet quibus aliis conditionibus eam conceſſiſſet: verum quod poſt tumultuarios quoſdā Reges qui abſq; inueſtitura regnaſſent, Innocentius III. petenti Conſtantiæ Imperatrici atq; Reginæ Siciliæ, eiuſdem Guillelmi ſorori, ipſiuſque Conſtantiæ filio paruulo Friderico, pariter inueſtituram eiuſdem regni concedens anno Domini milleſimo centeſimo nonageſimo nono, teſtetur eam ſe dare ad inſtar illius quam Guillelmo conceſſiſſet Hadrianus, plane ex ipſo Innocentij ea de re confecto diplomate, quale fuerit illud Hadriani æque cognoſcitur. Porro in illo Innocentii, quod habetur in Regiſtro [l] epiſtolarum eius multis ante hæc annis cuſo, ait ipſe ſe Conſtantiæ & Friderico, eorumque heredibus, qui, ſicut dictus Rex Guillelmus Hadriano Papæ exhibuerat, ipſi Innocentio ac ſucceſſoribus, Eccleſiæque Romanæ fidelitatem & hominium exhibere, & conditiones appoſitas obſeruare voluerint; concedere Regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, & alia ibi recenſita, quæ tenerent à prædeceſſoribus ſuis, hominibus ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, pro quibus omnibus iam eadem Conſtantia coram Ottone Epiſcopo Oſtienſi Apoſtolicæ Sedis Legato, quem ad iuramentum ipſius recipiendum Innocentius miſiſſet, fidelitatem ipſi Innocentio eiuſq; ſucceſſoribus, & Eccleſiæ Romanæ iuraſſet, factis ea de re duobus Capitularibus, quorum alterum apud Pontificem, apud Reginā alterū remaneret: promittēs inſuper, quia præſenti hominium debet exhibere quandocumque vel ipſe Innocentius, vel ſucceſſores eius, ipſam Conſtantiam, vel filium eius Fridericum cum ad legitimam ætatem perueniſſet, in aliqua parte regni quam ſecure poſſent adire, ad præſentiam ſuam vocaſſent, eidem reuerenter accederent ad ligium hominium faciendum: Electiones autem ſecundum Deum per totum Regnum canonice fierent de talibus perſonis, quibus ipſi Reges requiſitum à Romanis Pontificibus præbere deberent aſſenſum. Hæc in codice edito; vbi nulla prorſus mentio, vt conceſſa fuerint Regibus, quæ re vera ab Antipapa Rogerius obtinuiſſet, vel ab Vrbano Papa aſſeruntur conceſſa.

l Innoc. III. lib. ... ep. 41.

INVESTITVRA CONCESSA A INNOC. PP. CONSTANTIAE ET FRIDERICO.

XXII.

DE ELECTIONIB. FACIENDIS IN SICILIA.

m lib. 1. ep. 413.

Quod autem ieiune nimis de electionibus faciendis in eo diplomate actum eſſet; petente rurſum eadē Conſtantia vt paulo fuſius ea explicarentur, idem Pontifex [m] alio diplomate indulſit, vt electiones quæ fierent à Capitulis, ſignificarentur Regibus, ita vt nonniſi eorum petito aſſenſu electi inthronizarentur, nec ante confirmationem Romanorum Pōtificum ſe vllatenus adminiſtrationi immiſcere præſumerent. *Sic enim* (inquit ibidem Innocētius ad Conſtantiam) *honori veſtro volumus condeſcendere, vt libertatem canonicam obſeruemus; nullo prorſus obſtante reſcripto, quod à Sede Apoſtolica fuerit impetratum.* Hæc ille, quæ omnia ſeorſum datis literis Apoſtolicis innoteſcēda curauit vniuerſis Prælatis clericiſque Siciliæ & Apuliæ; in quibus etiam inſerta repeñantur ea quæ in aſſertis in prædicta Inueſtitura Capitularibus ſcripta erant; nimirum vt appellationes ad Sedem Apoſtolicam, earumdemque proſecutiones liberæ quibuſuis eſſent; atque vt liberum eſſet Romanis Pontificibus quoties neceſſitas poſtularet, Apoſtolicæ Sedis Legatos in Siciliam & Apuliā deſtinare, qui quæ plantanda eſſent plantarent, & quæ euellenda euellerent; nullo prorſus (vt auditur) obſtante priuilegio, quod à Sede Apoſtolica fuiſſet aduerſus iſthæc impetratum. Vt iam ex his quæ ab Hadriano præſcripta primum Guillelmo Rogerii filio, deinde ad inſtar illius conceſſionis ab Innocentio repetita ſunt erga Conſtantiam & Fridericum, videas illa quæ Vrbanus conceſſiſſet de non mittendis Legatis, & aliis, penitus ſublata eſſe.

CAPITVLARIA

CONTRA MONARCHIAM.

XXIII.

BVLLAE AVREAE FRIDERICI CONTRA MONARCHIAM.

Ac nequis putet, eumdem Fridericum adhuc puerum initum his conceſſiſſe, puberem vero factum reſiliiſſe; extat in libro Priuilegiorum Romanæ Eccleſiæ, necnon alio qui inſcribitur Liber Cenſuum, Aurea Bulla eiuſdem Friderici tunc Imperii candidati & Regis Siciliæ, quam poſt annos quatuordecim, nempe Redemptoris milleſimo ducenteſimo decimotertio, dedit eidem Innocētio Pontifici: qua quidem de conſilio (vt ait) & conſenſu Principum Imperii (qui etiam magno numero tam Eccleſiaſtici quam ſæculares eidem Bullæ ſubſcripti habentur) Eccleſiæ Romanæ, eiuſq; Pontificibus omnem obedientiā atq; reuerentiam promittens, quam prædeceſſores Reges & Imperatores Catholici impendiſſe noſcerentur; præter alia magnifica quæ de poſſeſſionibus temporalib. ad eamdem Romanam Eccleſiam pertinentibus, ac ſpeciatim de regno Siciliæ tam citra quam vltra Pharum, aliiſque ipſius iuribus inuiolate conſeruandis pollicetur; inprimis volēs (ſicut loquitur) abolere abuſum, quem quidam prædeceſſorum ſuorum exercuiſſe dignoſcerētur, ſanciuit Electiones Prælatorum libere & canonice fieri à Capitulis, ac pariter Appellationes in negotiis & cauſis Eccleſiaſticis ad Sedem Apoſtolicam libere fieri, earumq; perſecutionem ſiue proceſſum à nemine impediri; omnia denique ſpiritualia Romanis Pontificibus, aliiſq. Eccleſiarum Prælatis libere diſponenda relinqui, vt quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ Dei Deo recta diſtribuere redderentur. Idemq; rurſum poſt annos ſex, nempe Domini milleſimo ducenteſimo decimonono, aliam huic per omnia ſimilem Auream Bullam dediſſe reperitur Honorio Papæ Tertio, quæ in nominatis codicibus extat. Atque inſuper in edicto quod promulgandum curauit die qua ab eodem Honorio coronatus eſt Imperator, habeturque inter ipſius Honorij [n] epiſtolas; inter alia plura quā in fauorē Eccleſiaſticæ libertatis ſanciuit, primo loco præcepit vt irritarētur omnia ſtatuta & cōſuetudines, quæ à quibuſcumq; perſonis contra libertatem Eccleſiæ, vel perſonas Eccleſiaſticas, edi vel ſeruari tentarentur aduerſus canonicas vel Imperiales ſanctiones, atque ea penitus de Capitularib. ſuis aboleri. Ac denique alia Conſtitutione [o] promulgata anno Domini milleſimo ducenteſimo vigeſimo, quæ habetur in lib. ... Collectionis Nicolai Aragonij, qui ſeruatur in Bibliotheca Vaticana ſub numero quadringenteſimo nonageſimo octauo, quæcumq; per vniuerſalem Italiam per dominos, & magiſtratus præſumpta eſſent contra Eccleſiaſticam libertatem abrogāda curauit, tamquam de radice prauitatis hæreticæ (vt loquitur) prouenientia; eademque de ſuis ipſius Capitularibus, ſeu breuiariis condemnata penitus aboleri iuſſit.

n Honor. III. l. 5. ep. 443.

o Aduerſus hanc ... [illegible]

XXIV.

FRIDER. POST PRAEVARICATIONEM, DENVO AGIT CONTRA MONARCHIAM.

Qui licet poſtea præuaricatorem ſe conſtitueritcontra quæ tot publicis monumentis ſancte pieque ſtatuiſſet (vnde, atq; etiam ex aliis plurimis nefandis, meruit à Gregorio Papa Nono excommunicari) tamen nec quæ ipſe ab Eccleſia reſiliens aduerſus Eccleſiam egit, alicuius potuerunt fuiſſe momenti; & ipſemet, vt abſolueretur, ſcriptis publicis iteratis omnia olim praue geſta correxiſſe, patet ex capitibus abſolutionis quæ extant in Regiſtro eiuſdem Gregorij, datis anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo: ac demum vltimo elogio, teſtamento condito, nullius decreuiſſe eſſe momenti quæcumq; contra libertatem Eccleſiaſticam aliquando ſtatuiſſet, æq; apparet ex ipſius teſtamenti capitibus recitatis à Matthæo Pari, in Annalibus ſui temporis. Ex quibus hactenus deducti

onar-
hiæ
tvs diſ-
pat.
Bern. ep.
p.

perſpicue demonſtratur, omnem illam molem MONARCHIÆ laiclericalis, quam pſeudopapa Anacletus ſuper arenam abſq; fundamento male compoſuerat in gratiam Rogerij, quem (vt ait S. Bernard. p) vſurpatæ coronæ mercede ridicula ſibi comparauit; laborãtibus in contrarium legitimis Romanis Pontificibus, & vſque ad mortem inſiſtẽtibus vt quæ à laicis Principibus male vſurpata eſſent, in priſtinum vſum atque libertatem Eccleſiaſticam reuocarent; demum tam Pontificia auctoritate quã regia poteſtate penitus corruiſſe, immo potius veluti abſorptam terræ chaſmate, nullatenus vel in ruinis apparuiſſe.

XXV.
...ma...
...ntra...
...onach...

Quid vero ſi aliis adhuc pluribus documentis publicis oſtenderimus, cuncta contra Eccleſiaſticam immunitatem rediuiua funeſta decreta, fuiſſe mox ſui ortus principio condemnata, prorſuſq; reſciſſa. Quod igitur rem ſemel aggreſſi, ingreſſi ſimus latiſſimum campum, qui finibus ſuis tempora noſtra pertingat; eo vſq; progredi compellimur, ita tamen vt compendiaria vix prolixum conficimus iter. Attingemus enim tantummodo illa quę ad inſtitutum ſemel ſuſceptum ſpectare noſcuntur, nimirum quoties iſtiuſmodi Monarchiam auctoritate prætenſa Vrbani diplomatis reſtituere ſint conati Siciliæ Reges, eamque deſtecerint ſacris legibus Romani Pontifices, atque etiam Reges ipſi, dũm ſingulis inueſtituris voluerunt in omnibus eſſe conſultum Eccleſiaſticæ immunitati; inſeremuſque ipſum rerum vſum: quibus perſpectis, Lector cuncta quæ ad hæc ſpectant habeat explorata.

X...I.
tyran...
...ty-
annice
...titv-
...mo-
archia.

Qui primi, poſt Rogerij Regis & eius filii Guillelmi auſus temerarios condemnatos atque reſciſſos, Siculam Monarchiam reſtituere niſi ſunt, fuere Fridericus Imperator, idemque maxime impius, & omnium infeſtiſſimus Romanæ Eccleſiæ perſecutor; patrique filius non diſſimilis Conradus, atque Manfredus frater qui eoſdem ſuperauit impietate: qui tres inprimis iurato bello aduerſus Romanos Pontifices, in ſeruitutem deduxere Eccleſias omnes, & cum Eccleſiis etiam viros Eccleſiaſticos ſumma tyrannide compreſſerunt; ſed quos tandẽ ab ipſis Romanis Pontificibus condemnatos, atque magno prodigio Dei dira vindicta ſublatos, erubeſcant, atque ſimul horreſcant imitari, Principes Orthodoxi. Reſtitere autem illis magna virtute qui iis temporibus extitere Romanæ Eccleſiæ Pontifices. Siquidem Fridericus à Gregorio Nono primo excommunicatus, deinde in Concilio Lugdunenſi ab Innocentio Quarto regno ſimul & imperio ſpoliatus eſt: cuius abdicationis hæc inter alia fuit allata cauſa, quod electiones Prælatorum in Sicilia perturbaſſet, atque tributa eiſdem Prælatis ſoluenda præſcripſiſſet, clericoſque permiſiſſet coram iudicibus ſæcularibus conuenıri. Huius vero exemplum ſecuti Conradus atq; Manfredus, non legitimi Reges, ſed tyranni, quippe qui Siciliam abſq; inueſtitura accepta inuitis Romanis Pontificibus occupaſſent; cum multa contra ſedis Apoſtolicæ auctoritatem impiis legibus ſuis ſancire conati eſſent, Pontifices ipſis damnatis tradentes aliis inueſtituram, id maxime egerunt vt in ſingulis inueſtituris expreſſe abrogarentur eiuſmodi leges à tyrannis promulgatæ: hocq; etiam magna conſideratione adiunctum eſt ab Alexandro Papa Quarto, vt quoniam inuadendæ Eccleſiaſticæ libertatis in Friderico occaſio fuerat actum Imperio regnum Siciliæ non liceret in poſterum vlla penitus ratione iungi Siciliæ cum Imperio. quæ eadem conditio conſueuit poſtea in omnib. conceſſis Siciliæ Regibus à ſucceſſoribus Romanis Pontificibus apponi inueſtituris. Sicque tantum abeſt, vt ex Eccleſiæ iuribus paſſi ſint Monarchiam Siciliæ innouari, vt etiam additamento ſæcularis potentiæ eam conflari penitus vetuerint.

X...II.
...ine...
...vile
...m svb-
...vm
...tra
...el. li
...va-
...æ.

Sed vt de ipſius agamus Inueſtituris, quas conſtat cunctos Romanos Pontifices vſq; ad tempora Caroli Quinti, conſueuiſſe conferre tam de Siciliæ regno poſito vltra Pharum quam etiam Siciliæ (ſic eam libuit appellare) citra Pharum, ſæpe coniunctæ, aliquando vero diſtinctæ ab inuicem: inprimis viuente adhuc Manfredo, dum Innocentius Papa Quartus, & poſt eum Alexander eius pariter nominis Quartus, anno Redemptoris milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quinto, inueſtirent de regno Siciliæ Eadmundum filium Henrici Regis Anglorum, inter alias pro libertate Eccleſiæ in Sicilia reſtituenda has conditiones ſeruandas propoſuere, quæ in q Bulla Aurea leguntur: nimirum vt omnes Eccleſiæ tam Cathedrales, quam aliæ regulares & ſæculares, necnon vniuerſæ perſonæ Eccleſiaſticæ, iis libertatibus & immunitatibus omnino gauderent, quæ ipſis competerent ſecundum canonicas ſanctiones; adeoque circa eaſdem Eccleſias & perſonas, tam in faciendis prouiſionibus, & electionibus confirmandis, quam in omnibus aliis Romanus Pontifex & Romana Eccleſia iuriſdictionem & auctoritatem omnimodam libere exercerent: ſaluo tamen debito Regibus & aliis dominis iure patronatus, ſiquod haberent in aliquibus Eccleſiis; quod quidem in tantum valere deberet, in quantum Eccleſiarum patronis canonica inſtituta concedunt.

q Hæ, & aliæ quæ hic recenſentur, Bullæ Pontificales Inueſtiturarum, habentur Romæ in Bibliotheca Vaticana, munitione S. Angeli, & Regiſtris Cameræ Apoſtolicæ, vnde eas Illuſtriſſ. Baronius deſcripſit.

XVIII.
Reges
Andegavenses
destrvctores
monarchiæ Sicvlæ.

Cum autem dicta inueſtitura, Anglorum Rege non curante, effectu caruiſſet, & Carolus Comes Andegauẽſis, frater S. Ludouici Regis Francorum, & aliam à Clemente Papa Quarto accepiſſet; occiſo in bello Manfredo Siciliæ inuaſore, liberiori diſpoſitione idem Regnum ad iura Romanæ Eccleſiæ reuerſum eſt: ſicque poſt hæc ampliori forma ipſis Inueſtituris per Sedem Apoſtolicam factis, libertas Eccleſiaſtica eſt declarata, cum prohibitione ſemper ac deteſtatione legum dictorum Principum tyrannorum: prout apparet ex aurea Bulla eiuſdem Caroli Andegauenſis, qui auctoritate Apoſtolica ibi regnauit, data anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo quinto, qua inter alia promiſit ſe fore ſeruaturum vt omnes Eccleſiæ, perſonæq; Eccleſiaſticæ, ſæculares, & religioſæ, in electionibus, poſtulationibus, nominationibus, prouiſionibus, aliiſq; omnibus, plena libertate gauderẽt; nec ante electionem, ſiue in electione, ſiue poſt, regius aſſenſus, vel conſiliũ aliquod requireretur; ſaluo dumtaxat iure patronatus ſecundum inſtituta canonica: Itemq; vt omnes cauſæ ad forum Eccleſiaſticum pertinentes, libere & abſque vllo impedimento agitarentur & terminarentur coram Ordinariis & aliis Eccleſiaſticis iudicibus, ac pariter appellationes ad Sedem Apoſtolicam, earumq; proſecutiones, libere fierent: Sacramenta vero fidelitatis, & ſeruitia, quæ à nonnullis Prælatis, aut Eccleſiis, ex antiqua rationabili conſuetudine, pro regalibus quæ poſſiderent, Regibus, aliiſue dominis præſtari deberent, ea ſecundum inſtituta canonica impenderentur: ſalua ſemper circa Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas, tam in faciendis prouiſionibus, & electionibus confirmandis, quã in aliis quicunq; Romani Pontificis & Rom. Eccleſ. iuriſdictione & auctoritate plenaria, ac libera poteſtate. Promiſit inſuper ſe reuocaturum omnes Conſtitutiones per Fridericum, Conradum, atque Manfredum editas contra Eccleſiaſticam libertatem, nec ſe vllas vmquam aduerſus eam editurum: Itemq;, non paſſurum vt aliquis clericus in ciuili vel criminali cauſa conueniretur coram iudice ſæculari, niſi ſuper feudis iudicio petitorio ciuiliter; ita quod omnes Eccleſiæ ac perſonæ Eccleſiaſticæ omnimodo futuræ eſſent liberæ, & in nullo ſubiacerent Regi vel Principi: Præterea quod nullas tallias vel collectas imponeret Eccleſiis, monaſteriis, clericis, & viris Eccleſiaſticis, vel rebus eorum; & quod in Eccleſiis vacantibus nulla haberet regalia, nulloſq; fructus, prouentus aut obuentiones, nullaq; prorſus alia perciperet. Ac denique plura alia addidit facienda in fauorem Romanæ Eccleſiæ, à qua regnũ acceperat. Quę quidem omnia repetita ſunt in diplomate inueſtituræ, factæ ipſi Carolo à Papa Clemente eodem anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo quinto.

XXIX.

Tenuit Carolus regnum Siciliæ vltra Pharum vſque ad annum Redemptoris milleſimum ducenteſimum octogeſimum ſecundum, quo cæſis Francis eam occupauit Rex Aragonum Petrus, de quo inferius dicturi ſumus: nihilominus tamen Caroli ſucceſſores, ſemper à ſucceſſoribus Romanis Pontificibus, ſingulas de vtraq; Sicilia (quam ad ipſos iure pertinere contenderent, licet re ipſa poſſeſſores tantum eſſent Siciliæ citra Pharum) inueſtituras con-

ſecuti ſunt, iiſdem prorſus conditionibus, ac promiſſionibus, iiſdemque legum tyrannicarum reuocationibus ac deteſtationibus, quæ continentur in prædicta Clementis Quarti facta Carolo inueſtitura, ex qua per ſingulos apices eiſe deſcriptæ apparent; prout de his omnibus conſtat ex diplomatibus, aureiſq; Bullis ſuper his confectis in inueſtituris, quas tum Carolus Secundus anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo nono accepit à Nicolao Papa Quarto, & anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo quinto à Bonifacio Octauo, tum nepos Caroli Robertus Rex anno milleſimo treceteſimo nono à Clemente Quinto, & anno milleſimo trecenteſimo trigeſimo quinto à Clemente ſexto, & anno milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo ſecundo à Gregorio Vndecimo. Vt vna omnium, tam Romanorum Pontificum, quàm Regum ex progenie Caroli Andegaui, eademque fuiſſe conſpiratio videatur, deſtruendæ male plantatę ab initio Monarchiæ: cum interim ab Aragonenſibus qui Siciliam vltra Pharum iniuſta occupatione, & abſque Sedis Apoſtolicæ approbatione detinerent, eadem Monarchia pararetur tyrannica poteſtate, ita dixerim, prout contra eos lata ſæpe ſententia à Romanis Pontificibus atque Conciliis comprobauit, ſcriptis de his publicis monimentis quæ extant adhuc.

XXX. REGES ARAGON. RESTITVTORES MONARCHIÆ.

Petrus enim Aragonum Rex, qui cæſis Francis Siciliam occupauit, cum antiqua iura hactenus poſſeſſa ab Eccleſia Romana recognoſcere nollet, nec ab ea inueſtituram accipere, eidemque cenſum pendere, iuramentum fidelitatis præſtare, & homagium exhibere; à Martino Papa Quarto excommunicatus eſt, ipſumque Siciliæ regnum interdicto ſubiectum: qua de re extant literæ Apoſtolicæ apud Eberardum in Chronico. Duxerat hic Conſtantiam filiam Manfredi nothi filii Friderici, in matrimonium, quo cõiugio putauit regnum Siciliæ iure ad ſe pertinere. At quid? num propterea ſolutus, quin accipere deberet inueſtiturã ab Apoſtolica Sede; quàm & Guillelmus quantumlibet Malus, & Conſtantia Maior Friderici mater, ipſeque Fridericus, ac denique à tempore Roberti Guiſcardi omnes præter tyrannum Manfredum acceperant? Quantum autem Petrus iſte fuerit à pietate prædeceſſorem degener & ingratus in Apoſtolicam Sedem; ex eo potes intelligere, quod ipſe feudatariũ antea eſſet Romanæ Eccleſiæ ratione regni Aragonum, regiumq; eiuſdem regni titulũ poſſideret beneficio Sedis Apoſtolicæ, cum auus eius, pater Iacobi cuius ipſe filius erat, itidem Petrus dictus, Aragonũ Rex anno Chriſti milleſimo ducenteſimo quarto obtuliſſet regnum Innocentio Papæ tertio & Eccleſiæ Romanæ, cum annuo cẽſu ducentarũ quinquaginta maſſemutinarum, hoc eſt vnciarum auri: prout apparet ex eiuſdem primi Aragonum Regis diplomate, quod deſcriptum habetur in codice Priuilegiorum Romanæ Eccleſiæ; meminitq; Bernardus eius tẽporis auctor. Qui igitur feudatarius erat Romanæ Eccleſiæ, ac iuramentum fidelitatis ei præſtiterat, inuadens regnum Siciliæ feudatarium Romanæ Eccleſiæ, aduerſus eam rebellis extitit, & contumax aduerſarius, rurſum erigens Monarchatum: quam ob cauſam (vt dictum eſt) ſententia excommunicationis affectus; in ea dum vixit perſeuerauit impœnitens, regnum relinquens Iacobo filio anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo quarto, qui eadem cum patre eſt ſententia condemnatus; ipſumque regnum per annos ſeptuaginta (vt Gregorius Vndecimus Papa teſtatur) interdicti pœnam ſubiit. An vero dixerimus, eos omnes qui hoc temporis ſpatio Reges Aragonum in Sicilia, contradicente atque pœnas irrogante Sede Apoſtolica, regnauere, legitimos fuiſſe Reges? ipſoſque Romanos Pontifices eodem tempore conſulentes Romanæ Eccleſiæ iuribus, non legitime inueſtiſſe de eodem Siciliæ regno Andegauenſes, quouſque Aragonenſes in ea contumacia perſtitere, & pulſando oſtium Romanæ Eccleſiæ, ea aperiente ingredientes, legitimi facti ſunt regni Siciliæ poſſeſſores?

REGNVM ARAGONIÆ FEVDATARIVM ECCL. RO.

REGES ARAGON. EXCOMMVNICATI OB REBELLIONEM IN SED. APOST.

XXXI. FRIDER.

Qui primo oſtium pulſauere, fuere duo Friderici, Secundus & Tertius dicti, quorum prior fuit Petri filius; regnauitque poſt Iacobum fratrem; poſterior vero idemque ſextus numeratus Aragonenſium Siciliæ Rex, eiuſdem Friderici prioris nepos, filiuſq; Petri Secundi. Igitur Senior Fridericus inita concordia cum Andegauenſibus Carolo Secundo & Roberto Siciliæ Regibus legitimis, qui inueſtituram acceperant à Romano Pontifice; cum Elionoram Caroli filiam in coniugem accepiſſet, ſic pactus eſt cum illis, vt ipſe, dũ viueret Fridericus, dominus Siciliæ vltra Pharum eſſet; ita tamẽ vt non Siciliæ, ſed Rex Trinacriæ diceretur, & poſt eius obitum regnum rediret ad Carolum ſiue heredes eius, recognoſceretque Romanam Eccleſiam eiuſdem Trinacriæ regni dominam, atq; ei cenſum more maiorum perſolueret, & tum alias præſcriptas conditiones impleret, tum eas quæ libertatem & immunitatem Eccleſiaſticam in ſtatum priſtinum pleniſſime reſtituerent. Extat enim de his Bonifacij Papæ Octaui diploma, datum anno nono eius Pontificatus, qui eſt Redemptoris milleſimus trecenteſimus ſecundus. Sicq; Monarchia per Petrum reſtituta, ac per eius filium primogenitum Iacobum propagata, demum per Fridericum illius filium huius fratrem, eſt penitus deſtructa, libertas vero Eccleſiaſtica reuocata.

AGNOSCIT DOMINIVM SED. AP.

XXXII. MONARCHIA RENOVATA ITERVM RECISA.

Verũ orto rurſum bello inter eoſdem Fridericum Secundum Aragonium & Robertum Andegauẽſem, quod & inter ſucceſſores ad ſeptuaginta circiter annos productum eſt; increbreſcentibus prœliis, religio vbique coli neglecta eſt, & Monarchiæ aconitum in necem miſerorum hominum Eccleſiæ perduellium creuit; quouſq; concordia à Ioanna regina Andegauenſe cum Friderico Tertio Aragonio his conditionibus inita eſt, vt Fridericus eiuſq; heredes Inſulam Siciliæ, ſeu regnum Trinacriæ (ſic enim antiqua appellatione nuncupari placuerat) poſſiderent; ita tamen vt eam à Regina eiuſq; poſteris ſe tenere agnoſcerent, ac pro ea fidelitatem & homagium illis iurarent, & quotannis auri vnciarum tria millia Neapoli perſoluerẽt; quæ congruentem Inſulæ partem conficiebant octo millium, quæ à Siciliæ Regibus Sedi Apoſtolicæ debebantur. Cum igitur his & aliis inter ſe conditionibus initis, ſub Pontificis, Eccleſiæque Romanæ, ad quam directum regni dominium ſpectabat, beneplacito & aſſenſu conueniſſent; Gregorius Vndecimus, qui Eccleſiã tum regebat; etſi videret diuiſionem hanc regni alienam eſſe à Conſtitutione Clementis Quarti, qui in Caroli Primi Andegauenſis inueſtitura, Inſulam Siciliam à terra quæ eſt citra Pharum ſeiungi vetuerat; permotus tamen tot ſtragiũ & deprædationum quæ ex bellis prodierãt conſideratione, & quod propter interdictum, cui Sicilia per plurimos annos ſubiacuerat, diuini cultus ratio populique pietas [illegible]; adeo decreuerant; vt periclitari in ea fides Catholica videretur: exemplo Bonifacij, de quo dictum eſt, relaxandam hac ex parte prædictam conſtitutionem (quam in ceteris integram manere iubebat) conuentioniſque inter Ioannam & Fridericum tabulas approbandas cenſuit; nonnullis tamen adiectis & explicatis, quæ deſiderari iudicarat, ac tribus maxime capitulis, quæ vt in omnibus olim Regnum Siciliæ inueſtituris proponi conſueuerant, ita in poſterum à Regibus Trinacriæ pari ſtudio ſeruari oporteret.

XXXIII. CONDITIONES [illegible] TRINACRIÆ FRIDER. III. ET SVCCESS.

Primum quidem ad homagium, ſacramentumq; fidelitatis pertinebat, quod Romano Pontifici præſtare, iuſque temporibus renouare; ac regis quoque literis teſtari iubebantur: itemq; ad ſucceſſores; vt deſcendentes dumtaxat à Friderico, iiq; legitimi in Trinacriæ regno ſuccederent; his autem deficientibus regnum ad Ioannæ heredes, aut his quoque ſublatis, ad Romanam Eccleſiam deuolueretur. Alterum ad Eccleſiaſticorum iura, eorumque conſeruationem; de bonis ſcilicet ipſorum reſtituendis, omnibuſque priuilegiis à iure conceſſis ſeruandis; de tuendo electionum & nominationum iure ac libertate, ſine vlla regii conſenſus neceſſitate; de cauſis clericorum per Ordinarios, aut Pontificis delegatos terminandis; appellationibuſq; ad Sedem Apoſtolicam non inhibendis: de reuocandis ſtatutis & legibus, ſi quæ à Friderico ipſo, vel deceſſoribus [illegible] editæ eſſent contra Eccleſiaſticam liber-

tatem, aliiſque in poſterum non ſanciendis. Tertium, ne regnum Trinacriæ cum Imperio Romano, vel regno Teutoniæ, ſeu dominio Lombardiæ, vel Tuſciæ, ſine expreſſa Pontificis voluntate coniungi vmquã poſſet. Si ſecus fieret, regno exciderent Reges, & ad Eccleſiam Romanam deuolutum cenſeretur. His ergo adiectis conditionibus, cum Gregorius Ioannæ & Friderici concordiæ capitula apud Villam nouam Auenionis ſexto Calendas Septembris, Pontificatus ſui anno ſecundo confirmaſſet, Ioanna eadem omnia poſtmodum cum Friderici Legatis, coram Ioanne Epiſcopo Sarlatenſi Sedis Apoſtolicæ Nuntio in eam rem delegato, ratificauit Auerſæ in Campania die vltima menſis Martii anni milleſimi trecenteſimi ſeptuageſimi tertii; deinde Fridericus ipſe in eiuſdem Epiſcopi manibus homagium pro Trinacriæ regno Pontifici iurauit Meſſanæ in Sicilia anno milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo quarto die decimaſeptima Ianuarii: vt de his omnibus conſtat ex publicis inſtrumentis, quæ in omnibus integerrima, tum Vaticana Bibliotheca, tum Apoſtolicæ Sedis Archiua conſeruant.

XXXIV. Cum autem (vt vidimus) ex eius concordiæ auctoritate in regno Trinacriæ ſucceſſuri eſſent Friderici poſteri; iis autem deficientibus, regnum vel ad Ioannæ heredes, vel ad Sedem Apoſtolicam deuoluendum: nihilominus vnica filia Friderici abſque liberis defuncta rurſum Aragonii Siciliam Inſulam occuparunt, non vt huius Friderici, ſed quod profitentur, vt Petri Primi tyranni hæredes: & homagium, vtpote qui ſine inueſtitura regnabant, nullum, præſtiterunt: ſicque ex conſueta, atque ſæpe iterata tyrannide, parta eſt violenta iterum Monarchia. *Revocata rurſus tyrannis.* Verum religioſiores exiſtimamus recentiores Siciliæ Reges, quam vt velint in Siciliæ regni poſſeſſione inniti Petro, manifeſta tyrannide iura Eccleſiæ peſſumdanti, ob idque ad interitum vſque diris execrationibus affecto: ne & ipſi cum illo dici tyranni, & iiſdem cum illo infamari probroſis titulis in Bullis à Romanis Pontificibus irrogatis, & eorum percelli ſententiis anathematis velint. Sed magis eorum ſe Siciliæ Regum ſucceſſores eſſe gloriabuntur, qui legitime illud ab habente eius verum dominium Sede Apoſtolica obtinuerunt: vt Friderici Tertii, de quo diximus, qui recenſitis pro libertate Eccleſiaſtica conditionibus obſeruandis, illud ad ſucceſſores omnes voluit propagari.

XXXV. Vt vero proſequamur poſteriores Reges, atque rerum euenta breuiter perſtringamus: deficiente Andegauenſium ſtirpe in Ioanna ſecũda, cum Martinus Quintus anno Redemptoris milleſimo quadringenteſimo vigeſimo eam abdicaſſet, Ludouicumque Tertium Ducem Andegauenſiũ eius loco Regem deſignaſſet: illa Alfonſum Regem Aragonum & Siciliæ Inſulæ, deinde mutato conſilio Ludouicũ eundẽ reiecto Alfonſo, adoptauit anno milleſimo quadringenteſimo vigeſimo tertio. Cæterum præliis remagentibus, poſt varia bella victor Alfonſus, vt ſtabiliret ſua, inueſtituram Siciliæ & terræ citra Pharum ab Eugenio Papa Quarto tandem obtinuit anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo tertio atque ita vtriuſque Siciliæ, citra & vltra Pharum, partibus regni poſt tot annos coniunctis, factus eſt Rex: iubente Eugenio diplomate ſuo, vtramque Siciliam indiuiſam ab inuicem ſemper in poſterum permanere. Extatque ratificatio eiuſdem Alfonſi facta anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quinto, qua & continetur homagium ab ipſo præſtitum. Qui vero contendunt, ex eo quod ſemel eius ratificationis exordio ſcriptum inuenitur, inueſtituram Eugenij eſſe de regno Siciliæ citra Pharum, nonniſi pro eo ratificationem factam eſſe: an non iſtorum cauillatio ſatis inde retunditur, quod in eadem ratificatione ab Alfonſo integrum recitatur verbatim Eugenij diploma, in quo centies reperitur, dari ab eo inueſtituram de vtraque Sicilia itemque quod eodem Eugenii decreto iunctum ſic fuerit vtrumque regnum, vt non licuerit ipſa ab inuicem ſeparari? *Reſtituta Eccleſiæ iura.* Recitantur autem in eadem ratificatione omnes conditiones ab Eugenio propoſitæ, à ſe vero acceptæ atque ratæ habitæ, iuratæ atque ſubſcriptæ, & ipſæ quidem quibus omnia Eccleſiæ iura collapſa, à Regibus vſurpata, reuocantur in priſtinum vſum, iiſdem plane & amplioribus appoſitis conditionibus & abrogationibus, quas ſuperius legiſti ex diplomate Clemẽtis Papæ Quarti de inueſtitura facta Carolo Regi: vt non ſit quod poſſit deſiderari ad perfectam extinctionem infauſtæ Monarchiæ, & abſolutiſſimam reſtitutionem Eccleſiaſticæ libertatis.

XXXVI. Ex nouo porro accidente, noua rurſus regni diuiſio facta eſt. Sicilia enim Inſula cum regno Aragoniæ ad Ioannem Alphonſi fratrem (quod Alphonſus legitima prole careret) tranſiit, cuius filius & ſucceſſor fuit poſtea Ferdinandus cognomento Catholicus. *Alia inueſtitura contra Monarchiam.* Qui quidem Ioannes cum abſque inueſtitura ab Apoſtolica Sede accepta regnaret, nec peteret: Pius Papa Secundus conceſſit inueſtituram Ferdinando Alphonſi filio naturali de vtraque Sicilia anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo octauo: cuius extat diploma, in quo primum mentio habetur de inueſtitura ab Eugenio Quarto facta eius patri Alphonſo expreſſiſſime de regno vtriuſq; Siciliæ, deque alia itidem de vtroque regno facta ab Eugenii ſucceſſore Nicolao Papa Quinto eidem Ferdinando poſt obitum patris ſui, quem habilitaſſet ad vtriuſque regni ſucceſſionem, ſimulque poſteros omnes: deinde in eodem inter alias multas conditiones, recenſitæ habentur omnes & ſingulæ illæ, quibus deteſtabilis Monarchia proſcriberetur omnino, & ſancta libertas Eccleſiæ conſeruaretur illæſa in omnibus ſuis iuribus & priuilegiis, cum iiſdem plane capitulis inueſtituræ Clementis factæ Carolo. Subiicitur ratificatio ipſius Ferdinandi, habita ſæpius expreſſiſſima mentione de facta & ratificata inueſtitura Siciliæ vtriuſque vltra & citra Pharum: vt nihil penitus ſit quod in iis deſiderari poſſit. Sed & Sixtum Papam Quartum eamdem inueſtituram à Pio Secundo factam de Sicilia, & terra quoq; citra Pharum, eidem Ferdinando iiſdem conditionibus confirmaſſe: ex eius apparet diplomate dato anno primo ſui Pontificatus, Chriſti vero milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo primo. Denique ipſe Ferdinandus proſpiciens in futurum, egit, apud Innocentium Octauum anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecundo, vt inueſtiret de regno Siciliæ & terra citra Pharum, filium ſuum primogenitum Alphonſum tunc Ducem Calabriæ, necnon eiuſdem Alphonſi filium primogenitum Ferdinandum tunc Capuæ Principem; in qua ſolemniter facta inueſtitura, omnes illæ deſcriptæ fuerunt conditiones pro libertate & immunitate Eccleſiaſtica tam locorum quam perſonarum, quæ fuerunt in inueſtitura à Clemente facta Carolo.

XXXVII. Sed modo dicendum de alio Ferdinando cognomento Catholico, qui de Sicilia citra Pharum à Iulio Papa Secundo inueſtituram accepit, cum tamen regnum Siciliæ vltra Pharum, quod ſuccedens (vt dictum eſt) Ioanni patri acceperat, abſque inueſtitura poſſideret. At quænam ratio vt Siciliæ citra Pharum peteret inueſtituram ab Apoſtolica Sede, Siciliæ vero vltra Pharum minime? Num quia non accepit Petrus tyrannus, bene factum probari potuit: & quantumlibet iuſte, vt ſibi viſum eſt, eam vendicaſſet à Carolo, aliquam de ipſo pati iacturam Romana potuit Eccleſia, & ſic ſuis iuribus ſpoliari? Quod vero magnopere admiramur, illud eſt; quomodo in eadem inueſtitura facta Ferdinando vſurpata adeo reperitur inuerſio nominum, vt per Siciliam & terram citra Pharum ſeu per Siciliam cum tota terra quæ eſt citra Pharum (quæ verba reperiuntur in dicta Iulii inueſtitura, atque in ipſius Ferdinandi homagio & fidelitatis iuramento) non vtramque Siciliam, ſed tantum eam quæ eſt citra Pharum intelligi contendant: cum ſemper à maioribus, ex quo etiam facta eſt antẽ Carolũ primum inueſtitura Henrico Anglorum Regi & pro eius filio Eadmũdo, & ſic cæteris omnib. vſque ad hæc tẽpora Iulii, necnon in ratihabitionib. per Reges exhibitis, in illis verbis frequenter adhiberi ſolitis, Sicilia cum terra vltra Pharũ, ſeu Sicilia & terra vltra Pharũ, intellecta fuerit vtraque Sicilia, tam vltra quam citra Pharum. Cæterũ Iulius Papa, qui rebellione Alphonſi Ducis

Ferrariæ

Ferrariæ, & aliorum magnopere vrgebatur, egebatque auxilio (vt ipſe ibi teſtatur) eiuſdem Ferdinandi contra rebelles atque tyrannos; haud de Sicilia vltra Pharum explicatius agendum exiſtimauit: cum tamen neque ipſe eo diplomate, vel alio, neque aliquis ſucceſſorum qui eadem verborum forma conceperit inueſtituras à ſe factas ſiue Carolo Quinto, ſiue Philippis, dici poſſit iura Apoſtolicæ Sedis ſuper idem regnum Siciliæ vltra Pharum dimiſiſſe: quæ à Nicolai Papæ Secundi tempore per ſpatiũ quingentorum fere annorum poſſedit per inueſtituram ab eo factam Roberto Guiſcardo, qui eamdem Inſulam expulſis Saracenis occupauit, & per ſucceſſores Romanos Pontifices pariter factam ſucceſſoribus Northmannis Comitibus, Ducib⁹, atque Regibus, & poſt eos Conſtantiæ & eius filio Friderico, inde Anglorum Regi deinde Carolo & ſucceſſoribus Andegauenſibus. poſtea Fridericis Secundo & Tertio Aragonenſibus, ac demum Alphonſo & eius filio Ferdinando notho atque nepotibus. Cum igitur his omnibus exhibitis ſemper inueſtituris, à cunctis legitime ſedentibus, regnantibuſque, agnitum fuerit directum Eccleſiæ Romanæ dominium ſuper eamdem Siciliam vltra Pharum, æque ac alterius Siciliæ citra Pharum, vt vocant, quo hactenus gaudet: iiſdemq; inueſtituris, atque earumdem ratihabitionibus, ſemper appoſitæ fuerint conditiones ampliſſimæ, quibus ſunt Eccleſiæ immunitates conſeruatæ in omnibus integræ & illæſæ: quomodo eadem Eccleſiæ Romanæ iura adeo vſu recepta, probata, confirmata, & ſtabilita, iam dicentur per Iulium aut ſucceſſores abrogata, abſque aliqua ſpeciali derogatione, abrenunciatione, & alteri facta expreſſa conceſſione; ſi tamen vel ſic ea infirmari poſſent? Vel quomodo abſque ſpeciali accepta inueſtitura ab ipſa Apoſtolica Sede vera domina, idem regnum Siciliæ vltra Pharum dici poteſt legitime poſſideri, & non potius præter omne ius faſque violenter detineri?

XXXVIII. Vsvs rervm in possessione ivrivm Apost. Sed. in Sicil.

Sed quod reliquum eſt, vt etiam de iis breuiter agatur quæ ſpectant ad rerum vſum: incipiemus ab eo tempore, quo ſub Innocentio Papa Tertio ipſa male cœpta extincta eſt Monarchia, perueniemuſque ad Carolum Quintũ quo reſtituta ponitur, per quæque ſæcula, ætates omnes, in quibus oſtendemus iugem continuatamque poſſeſſionem omnium iurium Romanæ Eccleſiæ in omnem Eccleſiam Siciliæ, etiam vltra Pharum. Ecce Innocentius ipſe diuerſis temporibus illuc miſiſſe reperitur Viſitatorem pleniſſima facultate [r] Cardinalem Epiſcopum Oſtienſem: Legatos vero presbyterum [s] Cardinalem S. Laurentii in Lucina, Gerardum [t] diaconum Cardinalẽ Sanctæ Mariæ in Porticu, Iulium [u] presbyterũ Cardinalem Sancti Stephani in monte Cœlio, & Gerardum diaconum Cardinalem Sancti Hadriani: atque etiam conſtituiſſe [x] Legatum, Syracuſanum Epiſcopum: ſed & cauſas deferri ſolitas ad Sedem Apoſtolicam, diuerſis eiuſdem Inſulæ Epiſcopis delegaſſe [y]. Quæ quidem omnia curſim legendo inuenimus in cuſo primo tomo epiſtolarum eiuſdem: in aliis vero quæ in Bibliotheca Vaticana aſſeruantur, reperimus etiam tomo tertio, eumdẽ anno quinto ſui Pontificatus miſiſſe in Siciliam R. Sancti Marcelli presbyterum Cardinalem, & cum eo conſobrinum ſuum Iacobum Mareſchalcũ ampliſſima facultate: & anno ſeptimo G. diaconum Cardinalem S. Hadriani, cui ſuas vices tribuit tam in ſpiritualibus quam temporalibus: quâ de re extant literæ libro ſeptimo aliæque ad Regem Siciliæ Fridericum, vt eiuſdem Legati monitis & conſiliis acquieſcat, ac denique ad eundem Legatum de optimo ſtatu regni inſtituendo.

r Innoc. III. Regiſt. to. 1. li. 1. ep. 415. s c. 2. & 3. ext. de offic. deleg. t Id. l. ep. 571. 572. 574. u l. ep. 573. x l. ep. 511. y l. ep. 180. 310. 576. & li. 2. ep. 14.

XXXIX.

Innocentii vero ſucceſſor Honorius Tertius, cuius epiſtolarum adhuc extant volumina; cum priuilegia concedit [z] Archimandritæ Meſſanenſi, ſaluis Eccleſiæ Romanæ iuribus id ſe facere conteſtatur: literiſque [a] ſæpe redarguit Regem Fridericum, quod ſe immiſceret electionibus, & aliis iuribus Eccleſiaſticis: cum ipſe Rex ſe id nec cogitaſſe excuſet. Et quamuis eum Honorius experiretur aduerſum, nihilominus eiuſdem tẽpore liberam in Sicilia iuriſdictionem exercuiſſe reperitur: tum indicendo [b] collectam de perſoluenda vigeſima omnium reddituum Eccleſiaſticorum pro ſubſidio Terræ Sanctæ, aliamque [c] pro Templariis tum cognoſcendo de appellationibus, cum [d] Syracuſani Epiſcopi, qui tempore Innocentii ad Sedem Apoſtolicam appellarat, iuribus inſpectis, perpetuum aduerſariis ſilentium indixit. Huius autem ſucceſſor poſt Gregorium Nonum & cœleſtinum Quartum, Innocentius Papa Quartus, duos Legatos Cardinales S. presbyterum S. Mariæ Transtiberim, & R. diaconum S. Mariæ in Coſmedin, in Siciliam miſiſſe reperitur anno tertio ſui Pontificatus, ampliſſima facultate: cuius ea de re extat epiſtola ad Prælatos & Barones regni, quæ eſt vndecima eius anni tertii: aliaque rurſum ordine decimaquarta ad eoſdem Legatos, qua tribuit eis facultatem beneficia conferendi. Idemque anno Pontificatus octauo pariter direxit Nuntios in Siciliam: ſuntque aliæ pleræque eiuſdem epiſtolæ, quibus continentur collationes beneficiorum eiuſdem regni factæ diuerſis.

z Honor. III. l. ep. 43. a Id. 3. ep. 511. 572. b 3. ep. 104. 555 c 3 [illegible] d 3. ep. [illegible]

XL.

Sed quo tædio putamus fore Lectori, ſi ſucceſſorum ſingulorum Romanorum Pontificum deſcribere velimus ſingula; ſiue de appellationibus ex eadem Sicilia ad Apoſtolicam Sedem delatis, ſiue de Legationibus ab eadem Sede in Siciliam miſſis, aliiſq; Iuribus libere adminiſtratis: ſatis eſſe putamus, ſi miſſis cæteris coniungamus poſtrema prioribus, quibus ſignificetur eadem ipſa quæ actitata videmus, etiam vſque ad dicta tempora Caroli Quinti perſeueraſſe. Ideoque diuertentes aliquantiſper ex Vaticanæ Bibliothecæ Epiſtolarum voluminibus antiquorum Romanorum Pontificum, ad Tabularium ſiue Archiuum Camerale, inprimis in libro Bullarum primo Bonifacii Noni, plurimæ habentur Bullæ datæ anno primo ipſius Pontificatus, quibus mandatur Nuntio Sedis Apoſtolicæ in regno Siciliæ facultas reſtituendi rebelles, & abſoluendi excommunicatos, colligendi decimas, exigendi charitatiuum ſubſidium ab omnibus bona Eccleſiaſtica poſſidentibus pro ſupportandis Apoſtolicæ Sedis oneribus, concedendi commeatum nauibus, & diſpenſandi ſuper defectum natalium. Anno vero ſecundo data reperitur alia Bulla de miſſo in Siciliam Nicolao de Summa ripa ad componendas controuerſias eiuſdem regni: aliaque de conceſſa facultate componendi cum Proceribus de non ſolutis cenſibus Romanæ Eccleſiæ debitis: ac denique alia de tranſmiſſo in eamdem Siciliam Raimundo de Baucio de Vrſinis Confalonerio Papæ. Anno vero Pontificatus quarto aliæ datæ habentur literæ Apoſtolicæ ad Apoſtolicæ Sedis nuntium, cum ei tribuuntur pro expenſis quotidianis decem floreni aurei à Clero eiuſdem regni exigendi. Ac deniq; libro tertio Bullarum eiuſdem Pontificis continentur Bullæ datæ anno eius ſeptimo de diuerſis deputatis Commiſſariis in Siciliam contra occupatores bonorum Eccleſiæ Panormitanæ, necnon bonorum Sedis Apoſtolicæ in eadem Inſula. Libro vero vltimo Clementis Papæ Sexti extat diploma, quo Guillelmus Epiſcopus Nazarenus deputatur Nuntius Apoſtolicæ Sedis, & Collector in regno Siciliæ vltra Pharum loco Theobaldi Archiepiſcopi Panormitani defuncti.

Nuntii Apostol. pro diversis negotiis in Siciliam missi, & [illegible]

XLI. Alia eivsdem rei exempla.

Inſuper in eodem Camerali Tabulario, inter monimenta Innocentii Papæ Sexti habetur Bulla commiſſionis Apoſtolicæ Sedis Nuntio in Sicilia commoranti, pro exactione ſpoliorum defuncti Epiſcopi Agrigentini, data anno quarto ipſius Pontificatus: aliaque eiuſdem anni, qua committitur Epiſcopo Catanenſi exactio omnium ſpoliorum Siciliæ. Eiuſdemque Innocentii tempore, Nicolaus de Aragonia S. R. E. Cardinalis, commentarium ſcripſit de quadruplici demonſtrata iuriſdictione Romanæ Eccleſiæ in Regnum Siciliæ, qui extat in Vaticana Bibliotheca vna cum aliis eiuſdem auctoris lucubrationibus. Ipſius vero Innocẽtii ſucceſſor Vrbanus Quintus, reperitur miſiſſe Nuntium & Collectorem Decimarum in Siciliam vltra Pharum, Dominicum de Saſſonario canonicum Beneuentanum, anno Pontificatus ſexto, Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo octauo. Et in libro tertio Literarum Ioannis Vigeſimitertii, extat eiuſdem Commiſſio decreta anno ſecundo Pontificatus

 Atago-

Aragoni de Malaſpina, pro Reformatione in regno Siciliæ rerum temporalium, cum penſione quotidiana viginti quinque florenorum perſoluendorum à Clero Siciliæ: conceditur que eidem facultas conferendi canonicatus & alia beneficia Eccleſiaſtica. Ac pariter in eodem Tabulario extant Martini Quinti literæ datæ anno primo Pontificatus, quibus Cypreſſus Balauerius deputatur in Sicilia Collector redditųum & fructuum quorumcumque Cameræ Apoſtolicæ debitorum. Nouiſſime denique reperitur in libro impoſitionum Cameræ Apoſtolicæ, quod Paulus Papa Tertius anno Pontificatus ſui nono, Redemptoris milleſimo quingenteſimo quadrageſimo tertio miſit etiam ſpeciatim in Siciliam, Tobiam Palauicinum & Lucam Iuſtinianum, deputatos ad colligendum ſubſidium medietatis veri annui valoris omnium fructuum beneficiorum Eccleſiaſticorum. Miſſi ſunt autem iidem idipſum præſtare per vniuerſam Italiam: adeo vt nihil minus iuris in Sicilia, quam in cæteris Italiæ prouinciis, vſque ad noſtra tempora ſibi Pontifex vendicaret.

XLII. Avctoris iustæ qverelæ promovendæ.

Atque hæc modo ſatis tum de ipſo rerum vſu, tum de Inueſtituris, cæteriſque ad eaſdem quæſtiones pertinentibus: quæ occaſione diplomatis Vrbani Papæ, curſim agêti licuit explanaſſe, ſimplici ſtylo, candore animi, ex corde puro, (Deum teſtem inuoco) conſcientia bona, & fide nô ficta. Si autem Deus conceſſerit, vt in Annalium proſecutione futura tempora diſquiramus, locupletiorem de his eadem ſinceritate tractationem pollicemur, ex vberiori meſſe colligendam, cum ad ipſa tempora quibus ſingula peracta noſcuntur peruenerimus: quibus appareat quantam ſcriptis omnibus reclamantibus, iuribus omnibus contradicentibus, cœlo terraque teſtantibus, Apoſtolica Sedes in regno Siciliæ patiatur iniuriam, & inauditam hactenus inter Catholicos ignominiam ſubire cogatur: cum iam à tempore Caroli quinti in temporali dominio domina ignoretur, & in ſpirituali eſſe neſciatur Vniuerſalis Eccleſia: rebus ipſis (quod eſt grauius) in deterius prolabentibus, ipſaque inde miſera Eccleſia Sicula vergente in perniciem: ac denique illis ingenti ſe periculo committentibus, qui contra tot Romanorum Pontificum antea & poſtea data diplomata, vno innixi deprauato, omnino concilo, numquam ab aliquo ſucceſſorum approbato diplomate; eodemque, etiam ſi germanum legitimumque fuiſſet, iam in Rogerii hæredibus deſinente, nullius alterius Romanorum Pontificum confirmatione roborato, immo contrariis penitus conſtitutionibus reſciſſo & abolito, poſt tot ſæcula obliuione ſepulto, à nemine Regum qui contra Sedem Apoſtolicam pugnauerunt vel nomine tenus cognito, nedum exhibito vel citato: contra Eccleſiam Romanam matrem ſuam dominamque, præſumunt defendere infauſte vſurpatam, & nulla ratione tolerabilem Monarchiam, renuuntque eidem vel in iis quæ iuris diuini, naturalis, canonici, communiſque ſint parere.

XLIII. Conceſſa contra Eccleſiæ iura non tenent. [c] Chro. Caſſin. li. 3. c. 49.

Quæ quidem etſi authentico, omnique ex parte fide conſtante diplomate, alicuius, quantumuis alioqui legitimi Romani Pontificis, conceſſa monſtrari poſſent: nec ſic ſubſiſterent quæ contra præcipua Eccleſiæ Romanæ iura inuenirentur eſſe diſpoſita. Nam vt egregie Deſiderius Cardinalis, inſignis Abbas Caſſinenſis poſtea Victor Papa Tertius, vigore plane ſacerdotali, Henrico Imp. iura Eccleſiaſtica inuadenti, in faciem obiecit [c], *Sedes Apoſtolica domina eſt noſtra non ancilla: nec alicui ſubdita, ſed omnibus prælata: & ideo nulla omnino ratione ſub iugum à quoquam mitti poteſt. Quod ſi à Nicolao Papa factum eſt*, (ſcilicet vt arbitrium expectaretur Imperatoris in electione Romani Pontificis: quod falſo prætêdebatur conceſſum à Nicolao Papa Secundo) *iniuſte profecto & temere præſumptum eſt: non tamen cuiuſquam ſtultitia vel temeritate amittit Eccleſia dignitatem ſuam.* Quæ eadem eodem tempore Deuſdedit Cardinalis Tit. Eudoxiæ (de quo ſuo loco dictum) ſcripto inſigni volumine ad eundem Victorem Tertium, pluribus argumêtis aſſeruit. Et S. Bruno Epiſcopus Signiæ, ac cum eo plurimi alii Epiſcopi & Cardinales in Concilio Romano coegerunt Paſchalem Papam Secundum reuocare, quæ contra Romanæ Eccleſiæ iura promiſiſſet Henrico Imperatori: vt ſuo loco inferius dicturi ſumus.

XLIV. Priuilegia conceſſa à Apoſtol. Sede non debent ipſi præiudicare. [f] Nicol. ep. ad Henr. Turon.

Cum & alioqui in confeſſo ſit apud omnes Priuilegia ab Apoſtolica Sede collata, non debere contra eamdem Eccleſiam militare. In quam ſententiam Nicolaus Papa Primus, idemque Sanctus, in Decretali quam ſcripſit ad Henricum Archiepiſcopum Turonêſem, vbi agit de priuilegio ab Apoſtolica Sede conceſſo Rhemenſis Eccleſiæ, quo eius Archiepiſcopus Hincmarus contra ipſam abuteretur, hæc inter alia habet [f]; *Sic Apoſtolica Sedes aliena iura cuſtodit, vt ſua non minuat: ſic honorem debitum dat, vt ſuũ non tribuat alienis. Nam & arma illi à nobis collata, ita volumus vt pro eo ſint valida, vt potius pro nobis vbi neceſſe eſt, non contra nos firmitatem obtineant.* Qui & de priuilegio Apoſtolicæ Sedis agens, quo ad eam omnes appellandi, nullius obice priuilegii, habeant facultatem; hæc ſcripſit [g] ad Carolum Francorum Regem, *Priuilegia Romanæ Eccleſiæ totius ſunt Chriſti (vt ita dicamus) remedia Eccleſiæ Catholicæ: priuilegia, inquam Petri, arma ſunt contra omnes impetus prauitatum, & munimenta & documêta Domini Sacerdotum, & omnium prorſus qui in ſublimitate conſiſtunt, immo cunctorum qui ab iiſdem poteſtatibus diuerſis afficiuntur incommodis.* An vero iſta Deo accepta, qui eorum eſt Angelis & hominibus reuerêda, qui in eorum ſemper cuſtodia vigilarunt, ab ipſo exordio naſcentis Eccleſiæ vſu recepta atque probata: vnius, ſed mutilati, nihilque huiuſmodi concedentis, diplomatis occaſione adducenda ſunt in diſcrimen, exponenda ludibrio, atque penitus abolenda? At aboleri non poſſunt, quæ viuunt in radice ſua: ſed qui præciditur ex eius ramis areſcit.

[g] Id. ep. 30.

XLV. Concil. Barenſe ſub Vrb. PP.

Vt vero iam his omiſſis, quæ poſt Vrbani Papæ datum diploma Salerni ſunt ſecuta narremus: hoc ipſo anno, Calendis Octobris, ab eodem Pontifice celebratum eſt Bari in Apulia Concilium, ad quod vocarit etiam Græcos ſolicite curans vt eos cum Latinis vniret, ne expeditio Orientalis quam anno ſuperiori promouerat, ex eorumdem Eccleſiæ ſchiſmate pateretur impedimentum. Porro nobiliſſimi huius Concilii perierunt Acta: quorum ea dumtaxat nota facta ſunt nobis, quæ in agitatis ibidem inter Græcos & Latinos antiquis controuerſiis, ac potiſſimum de proceſſione Spiritus Sancti, ad eorundem Græcorum confutationem ſcripta ſunt à S. Anſelmo Archiepiſcopo Cantuarienſi: quem contigit eidem Conuentui intereſſe, cum antea (vt vidimus) Romam petiiſſet: cuius iter, ac miracula in eo edita honoremque ei ac laudes, tum ab aliis, tum ab ipſo Vrbano Papa delatas, eiuſdemque labores pro conuerſione Infidelium qui in caſtris Rogerii Comitis militabant inſumptos, ac denique ſcripta in ſeceſſu æſtiuo exarata: Edinerus [h] peregrinationis comes in ipſius Vita deſcripſit.

[h] Edin. lib. 2. ap. Sur. 21. April.

XLVI. S. Anſel. in Syn. Bar. confutat Græcos. [i] Malmesb. li. 1. de geſt. Pont. Angl.

De Barenſi vero Concilio ea occaſione agens, ait eundem Anſelmum perſuaſum à Papa Græcos in proceſſione Spiritus Sancti rationabili & Catholica diſputatione confutaſſe, indeque magni apud omnes eſſe habitum, & veneratione digniſſimum comprobatum, quæ Willelmus [i] Malmeſburienſis, ſua paulo glorioſius oſtentans, diffuſius narrauit. Additque, cum prolatis in medium ſceleribus Regis Angliæ, iam omnium ſuffragio Pontifex ad eum excommunicandum paratus eſſet, eumdem Anſelmum, qui de Regis contumeliis ſibi illatis queſtus eſſet, genibus Papæ affuſum, mirantibus omnibus tantam eius manſuetudinem, oraſſe dilationem & impetraſſe. Certũ eſt autem, in eodem Concilio S. Anſelmum in confutandis Græcis primas tuliſſe: cui & ea ex parte plurimum Eccleſia Catholica debet, quod Synodi cum Acta perierint, ipſe tamen (vt dictum eſt) quod in controuerſia illa tractauit, pulſatos amicorum precibus, ſcriptorum monumentis perpetuæ memoriæ commendauit: qui etiam aduerſus eoſdem Græcos poſtea librum, ſeu epiſtolam ſcripſit *de Fermento & Azymo.*

XLVII. S. Margarita Reg. Scotiæ obitus.

Hunc inſuper annum ſuo ad Deum illuſtrauit tranſitu (vt Rogerius notat) S. *Margarita* Regina Scotiæ, quæ collapſam illic Eccleſiaſticam diſciplinam reſtituendam curauit adeo vt Scotorum Eccleſiam iam ſileſcêtem de-

fectu culturæ, reddiderit ſpecioſam. Iſta pluribus, qui eius Vitam ſcripſit Adelredus Abbas. Eiuſque etiam viget mentio apud rerum Anglicarum hiſtoricos huius temporis, Willelmum Malmesburienſem, & alios.

IESV CHRISTI AN. 1098.

Henrici III. 15. Alexii Comn. 18.

VRBANI II. AN. 11.

Concil. Rom.

ANno Chriſti milleſimo nonageſimo octauo, Indictione ſexta, Vrbanus Papa maxima pace (vt ait Bertholdus) in ipſa Vrbe & eius finibus compoſita: ibidem Romæ in Eccleſia S. Petri Synodum celebrauit tertia hebdomada Paſchæ, vt habet Edinerus in Vita [a] S. Anſelmi Cantuarienſis Archiepiſcopi; quem eidem interfuiſſe ait, ſed quæ in ea fuerint ſtatuta præteriit. VVillelmus [b] autem de his agens, ſugillat Vrbanum ac ſuos, quod pecuniæ mercimonio inducias per nuntium roganti Anglorum Regi conceſſerit vſque ad feſtum S. Michaelis Archangeli. Verum accuſari ne potuit tarditatis Vrbanus, quem ab ipſo Anſelmo actore, ne in Regem diceret ſententiam retentum fuiſſe, ipſemet VVillelmus ſuperius dixit? Quod ſi Regi cōceſſit inducias vſq; ad feſtum S. Michaelis, potuitne eas negaſſe non dico Regi, ſed cuilibet homuncioni, petenti vt acturus cauſam Romæ ex Anglia teſtimonia perduceret, ex tanto terrarum ſpatio.

a ap. Sur. 21. April. b Malmesb. de geſt. Pont. Angl. li. 1.

Excuſatur Vrb. PP. de indulg. in Reg. Angl.

II. Cæterum Anſelmum ab Vrbano variis magniſque officijs ac beneficijs frequentatum fuiſſe Romæ, Edinerus teſtis fidelis narrat: aſſeritque cum omnes alios, tum etiam hoſtes Eccleſiæ eum veneratos eſſe, adeo vt vulgo, quaſi à proprio nomine *Sanctus homo* vocaretur: pergitque dicere de eius receſſu ab Vrbe Lugdunum: vbi biennium permanſit, vſque ad mortem Regis Anglorum. Verum antequam ab Vrbe recederet, tradit VVillelmus ipſum obedientiæ pertinacem cuſtodem, rogaſſe Papam vt ſibi aliquem præponeret cuius iuſſis vitam diſponeret: Papam vero exhibuiſſe Edinerum, (illum nempe qui eius Vitā cōſcripſit, fuitq; ei à ſecretis) cuius Anſelmus tanti iuſſa fecerit, vt cum eum cubili locaſſet, non ſolum ſine præcepto eius non ſurgeret, ſed nec latus inuerteret: quæ quidem in exemplum omnium Chriſtianam modeſtiam profitentium, in tanti viri commendationem enarraſſe voluimus: Hiſque plane conſentientia ſunt, quæ idem ipſe Anſelmus [c] ad Falconem Epiſcopum Bellouacenſem ſcripſit de amore humilitatis & obedientiæ quo flagrabat, cum apud quoſdam in ſuſpicionem adductus eſſet affectati honoris & gloriæ.

S. Anſelmi mira obedientia & humilitas.

c Anſ. ep. 9.

III. Inter hæc autem cum plurimi per Catholicos aſſidue *Conuentus* agerentur: ipſi quoque æmuli gregarii pſeudopōtificis Cardinales, Romæ (vbi adhuc magna erat copia ſchiſmaticorum) vna cum aliis ſuæ ipſorum factionis clericis, præcipuiſque laicis, conuenticulum acephalum (ſiquidem Guibertum Antipapam his temporibus in Longobardia egiſſe, Bertholdus eſt auctor) habuerunt: in quo Synodalem ſeptimo Idus Auguſti præſentis anni aduerſus Catholicos admodum inſulſam conflarunt epiſtolam encyclicam ad vniuerſos ſuarum partium aſſeclas, quæ legitur ad calcem commentarii Bennonis, vnius ex illis in ea nominatis extra cardinem Cardinalis, de Vita Hildebrandi: in qua inter alia aſſeruerunt, Gregorium Papam Septimum in extremis exiſtentem, vocato ad ſe vno ex iiſdem aduerſæ factionis Cardinalibus, veniam petiiſſe ab Imperatore, & ab vniuerſa Eccleſia, de male adminiſtrato paſtorali officio. Sed iſtud quam falſum ſit, iam ſæpe ſuperius apertiſſime demonſtratum eſt.

Conciliab. ſchiſmat. Romæ habitum.

IV. Hoc eodem anno cum proſpera nuntiarentur de Orientali Chriſtianorum Occidentalium expeditione (nempe de captis inter alias ciuitates, Nicæa in Bithynia & Antiochia in Syria, deque multis aliis obtentis victoriis: necnon de Inuentione ſacræ *Lanceæ* quæ Chriſti latus perforauit, qua iidem Chriſtiani poſt captam Antiochiam, ibidem ab immenſa hoſtium multitudine obſeſſi, fameque ac morbo conſumpti, animoſiores effecti, in hoſtes irruentes, ingenti ſunt potiti victoria: quæ omnia pluribus deſcripſit Tyrius [d]) viſum eſt Vrbano Papæ Apoſtolicum Legatum in partes illas decernere, Daibertum (qui & nominatus reperitur Theobertus) Archiepiſcopum Piſanū, quem non ita pridem idem Vrbanus Archiepiſcopali pallio & poteſtate ſublimauerat, quod catenus Eccleſia Piſana habere non cōſueuerat. Miſit autem illum (inquit hæc narrans Bertholdus) vt iiſdem Chriſtianis Occidentalibus Apoſtolica vice in omnibus adeſſet: & Eccleſias in locis vnde Pagani expulſi eſſent inſtauraret. Sed impedimento fuit Conſtantinopolitanus Imperator: qui ſe ab Occidentalium adiutorio ſubtrahens, ciuitates quas illi caperent, incendio deuaſtare, & Paganis reddere non timuit: iterque Hieroſolymitanum omnibus peregrinis omnino prohibuit.

Progreſſus Occidentalium in Oriente.

Inuentio ſacræ Lanceæ. d Tyr. de B. ſacr. lib. 3. c. 11 lib. 5. cap. 21. & li. 6. c. 14. & 28.

V. Hoc ipſo anno, Apoſtolicæ Sedis auctoritate iacta ſunt in Gallia prima fundamenta Cisterciensis Ordinis, ex quo tamquam è fonte riui vniuerſum Occidentalem Orbem cœleſtibus donis irrigarunt: cum erigendi monaſterii Ciſtercienſis in diœceſi Cabilonenſi, *Sanctus Robertus* Abbas Moliſmenſis auctor extitit, licentia & aſſenſu Hugonis Archiepiſcopi Lugdunenſis Apoſtolicæ Sedis Legati, & VValterii Epiſcopi Cabilonenſis, necnon ope Odonis Ducis Burgundiæ. Sed quod poſt non multum temporis idem Robertus, requirentibus eum monachis Moliſmenſibus, Vrbani Papæ iuſſu ad eos redire coactus eſt: idem Albericum Ciſtercienſibus præpoſitum Abbatem reliquit: cui poſt biennium Paſchalis Papa conceſſit priuilegium [e]: aliudque Calliſtus ſucceſſor Paſchalis poſt Gelaſium, Stephano eiuſdem monaſterii poſt Albericum Abbati: ſub quibus ſanctiſſimis viris Ciſtericum ſanctorum monachorum frequentia eſt mirifice propagatum. Iſta vero de ipſorum exordio, teſtatur Sigebertus hoc anno: quæ locupletius narrantur in Vita S. Roberti.

Ordo Ciſtercien. inſtituitur.

e Ext. Bar. Annal. To. XII an. 1100. & 1119. f ap. Sur. 29. April.

IESV CHRISTI AN. 1099.

Henrici III. 16. Alexii Comn. 19.

VRBANI II. AN. 12.

I. ANno Domini milleſimo nonageſimo nono, Indictione ſeptima, perdifficilis agitata eſt controuerſia inter Hugonem Archiepiſcopum Lugdunenſem Apoſtolicæ Sedis Legatum; & Iuonem Epiſcopum Carnotenſē, occaſione electionis Daimberti in Archiepiſcopum Senonenſem loco Richerii defuncti: cuius conſecrationi cum idem Hugo intercederet, niſi prius ei obedientiam profiteretur iure Primatis ſui, quem ei ſuper quatuor prouincias, Lugdunenſem, Rothomagenſem, Senonenſem, & Turonenſem Gregorium [a] Papā Septimum conceſſiſſe vidimus: Iuo (apud quem Eccleſia Senonenſis pro electi ſui conſecratione inſtabat) hæc ab Hugone præter, immo contra conſuetudinem Eccleſiæ Catholicæ, decretaq; Summorum Pontiff. quibus nihil de profeſſione à Metropolitanis facieda Primatibus conſtitueretur præſumi contendens: ſed interim eius parere mandato, differendo conſecrationem, minime prætermittens: demum ab Vrbano Papa, quid agēdum eſſet literis [b] petiit: ipſumque Hugonem, ea nimis imperioſe exigentem, aculeata ſatis redarguit [c] epiſtola.

Grauis controuerſia inter Iuon. Carnot. et Leg. Sed. Apoſtol.

a Greg. VII. l. 6. ep. 34.

b Iuo ep. 33.

c Id. ep. 6.

II. Sed quod ea epiſtola id etiam actum eſt, vt quia Hugo electum reprehendebat quod inueſtituram Epiſcopatus de manu Regis accepiſſet: hoc Iuo licite abſque vllo læſæ religionis crimine fieri poſſe contendens de inueſtitutis vetitis nimis abiecte, immo deſpecte multa ingeſſerit: (licet excuſauerit, ſe haud velle Sedis Apoſtolicæ ſalutaribus diſpoſitionibus obſiſtere) iſta quidem, niſi corrigerentur ab aliis eiuſdem auctoris epiſtolis, famam ipſius, & nomen glorioſum, quod ex defenſione Apoſtolicæ Sedis & Catholicæ veritatis ſibi digniſſime comparauit, in diſcrimen maximum adducerent. Ideoq; haud

De inueſtituris quid Iuo.

mirum ſi Vrbanus Papa prædictis acceptis ipſius literis à Legato, vehementer in ipſum commotus fuerit. Cuius iræ pondus Iuo non ferens, eo quaſi deſperationis adactus eſt, vt ſe ab Epiſcopatu abdicare ſtatuerit, licentiamque id peragendi ab Vrbano petierit. Extat enim ea de re ipſius epiſtola [d], eademq; nouiſſima ex iis quæ ab eodem ad Vrbanum ſunt datæ: nempe ſcripta (vt teſtatur ſeptimo expleto anno à ſua ad Carnotenſem Epiſcopatum promotione, qui eſt præſens, quo etiam Vrbanus obiit.

d Id ep. 68.

III. LEGATVS ABVTITVR AVCTORITATE.

Cum autem præter hæc idem Hugo alia quoq; occaſione in ſe prouocaſſet Epiſcopos prouinciæ Senonenſis, dum electum Niuernenſem abſq; aliqua neceſſitate conſecrandum extra prouinciam Auguſtodunum vocaſſet præter omnem antiquum morem: rurſum ad eum cohibendum, Iuo [e] egregiam plane epiſtolam ſcripſit de comprimendo ipſius occaſione Apoſtolicæ Legationis, faſtu: quo multa ſæpe idem Hugo indiſcrete peregiſſe reperitur. Ne qua vero ſuſpicio præuaricationis Iuonis ex recẽſitis illis prioribus eius ad Hugonem literis irrepere poſſit, extat alia præclara ipſius epiſtola [f], qua docetur quantum fuerit aſſertor & prædicator decretorum Gregorii & Vrbani aduerſus inueſtituras laicas.

e ep. 66.

f ep. 235.

IV. DE PROMOTIONE TVRPISSIMI PVERI IN EPISC. AVRELIANENS.

Cæterum eadem ad Vrbanum epiſtola, monuit quoque ipſum Iuo de promotione turpiſſimi pueri in Epiſcopum Aurelianenſem, quam Archiepiſcopus Turonenſis obtinuiſſet à Rege in præmium impoſitæ ei coronæ in Natali Domini contra interdictum Legati Sedis Apoſtolicæ: orauitque ne vmquam permitteret eum conſecrari, quod eſſet de inhoneſta familiaritate eiuſdem Turonenſis Archiepiſcopi, & fratris eius defuncti, multorumque aliorum inhoneſte viuẽtium, per vrbes Franciæ rhythmicis cantilenis turpiſſime diffamatus. Ipſum porro Iuonem obſtitiſſe ne probroſus ille puer eligeretur, ſed ordinaretur legitime decanus illius Eccleſiæ, ipſe in alia ad [g] prædictum Hugonem Legatum epiſtola ſignificat, in qua totius rei geſtæ narratur hiſtoria. Et quod pertinet ad impoſitionem coronæ Regi factam in Natali Domini; id quoque ipſum poſt Vrbani obitum, contra eiuſdem Pontificis interdictum, præſumptum anno ſequenti in die Pentecoſtes ab aliis fuiſſe Epiſcopis, docent aliæ eiuſdem Iuonis [h] literæ.

g ep. 122.

h ep. 134.

V. CONCIL. ROM. GENER.

Hoc item anno idem Vrbanus Papa Generalem SYNODVM centum quinquaginta Epiſcoporum, Abbatum, & clericorum innumerabiliũ, tertia hebdomada poſt Paſcha Romæ celebrauit: in qua confirmatis ſuorum anteceſſorum ſtatutis, ſententiam quoq; anathematis in Guibertum ac complices iterauit: ſtatuitque ne quis communicare præſumeret iis qui concubinas haberent, niſi prius eas dimitterent: ac denique hortatus eſt omnes Chriſtianos ad expeditionem Hieroſolymitanam, vt fratribus ſuis laborantibus ſuccurrerẽt. Narrat hęc Bertholdus: quo etiam auctore conſtat, eumdem Pontificem hoc eodem anno, quarto Calendas Auguſti defunctum eſſe ibidem Romæ, rebus iam ſedatis, munitionibus recuperatis, ciuibus omnibus ſibi conciliatis paceque diu exule reſtituta, atq; ipſa Eccleſia Catholica in tranquilliorem ſtatum vendicata. Tradit illud ipſum Domnizo in Mathilde. Sicque idem Pontifex, cum ſediſſet annos vndecim, menſes quatuor, dies decem & octo S. R. E. Pontificatu bene perfunctus, vltimum ſpiritum Deo reddidit in ædibus Petri Leonis, poſitis apud S. Nicolaum in Carcere Tulliano. Ab eo enim nobiliſſimo ciue Romano ſemper ipſum hoſpitio exceptum, defenſumque fuiſſe, cum tot tantiſque anguſtiis premeretur, traditur in codice Vaticano, in quo Vita ipſius deſcripta legitur ab eius temporis auctore: vbi etiam aſſeritur, corpus eiuſdem per Tranſtiberinam regionem delatum fuiſſe in Baſilicam Vaticanam, atque ibidem honorifice ſepultum. Mortuus eſt autem ingenti bonorum omnium dolore, malorum vero ſumma gratulatione, ac potiſſimum ipſius ſchiſmatici Antipapæ Guiberti, exultantis atq; inſultantis pariter, quod tres ipſo viuente atque in Petri Cathedra conſidente (vt vane gloriabatur) Deo vindice eſſent extincti Põtifices, Gregorius VII. Victor III. atque ipſe Vrbanus II.

VRB PP. OBITVS.

VI. DE VRB. EPIST. DECRETAL.

Quod autem ſpectat ad ſanctiſſimi Pontificis ſcripta; periiſſe Epiſtolarum ipſius Regiſtrum, iam ſuperius doluimus. Nonnulla vero ex iis deſumpta decreta reperiuntur apud Anſelmum Lucenſem in volumine, quod magno labore collegit ex Conciliorum canonibus, atque decretis Summorum Pontificum: itemque apud Iuonem Carnotenſem, ſuis locis apte diſpoſita in corpore Canonum quod elaborauit: necnon apud Gratianum, qui id ipſum abundantius præſtitit. Sed quæ apud Anſelmum ex ipſo habentur oportet ab aliquo eſſe addita: ſiquidem Anſelmum ante Vrbanum eſſe defunctum, ſuperius eſt demonſtratum. Ceterum apud eum integra quoque repetitur eiuſdem Pontificis Epiſtola [i] decretalis ad Præpoſitum S. Iuuentij Papienſis, de emptione & venditione rerum ſacrarum deque perceptione ſacramentorum à ſacerdotibus facinoroſis: è qua nonnulla apud Gratianum ſub diuerſis titulis fragmenta ponuntur. Ac denique eiuſdem reſidua pars [k] epiſtolę ad Alphanum Archiepiſcopum Salernitanum, de collato illi Eccleſiæ priuilegio: quam quidem eiuſdem ſancti Pontificis vltimum fuiſſe elogium ſatis apparet, cum data habeatur hoc anno decimotertio Calendas Auguſti.

i Rec. Bar. Annal. To. XI. hoc an.

k Rec. Bar. ibid.

VII. HIEROSOLYMA CAPITVR A CHRISTIANIS. DE IMAGINE CHRISTI CRVCIFIX. REGIO SCHEMATE PICTA.

Pertinet vero ad eius triumphum, quod eodem tempore, nempe die decimaquarta Iulii huius anni, contigit capi [l] HIEROSOLYMAM ciuitatem ab exercitu Chriſtiano ſub GODEFREDO Duce. Cuius ſanctæ expeditionis cum idem Vrbanus promotor extitiſſet, in cœlo meruit triumphare cui non erat in terris par laboribus honor. Ceterum poſt Hieroſolymam expugnatam, inter aliud illud celebre accidit, de certitudine venerandæ Imaginis IESV CHRISTI Redemptoris noſtri Crucifixi, ſchemate regio pictura antiquitus ad ſimilitudinem eius expreſſæ, curante id (vt vetus traditio delata ad poſteros firmiter teſtabatur) Nicodemo nocturno Chriſti diſcipulo; prout didicit, & retulit inde pius valde vir Stephanus nomine, patria Lucanus, qui religionis cauſa vna cum aliis anno ſuperiori peregrinationem ſuſceperat ad Terram Sanctam. Acceperat autẽ illã à Gregorio quodã Syro homine: eaque inſigniter illuſtrata eſt Lucana in Tuſcia ciuitas vbi hactenus religioſiſſime vna cum totius rei geſtæ hiſtoria antiquitus ſcripta conſeruatur. Cur autem Regio cultu, non vt paſſus eſt nudus, Redemptor fuerit expreſſus: putamus id præſtitum olim à Nicodemo ad euacuandum ſcandalum Crucis, & illuſtrandam magis gloriam Chriſti: vt quem in latrones audirent Crucifixum, ſcirent re vera fuiſſe Regem Regum & Dominum dominantium. Ea inquam, de cauſa putamus à Nicodemo ita effigiari curatum, & non honeſtatis cauſa tantum. Nam qui eius rationem habendam cenſuerunt, ipſum Dominum indutum ſolum interula ſiue induſio Cruci affixum, ſiue ſculptura, ſiue pictura repræſentare conſueuerunt. Sed de his alias.

l Tyr. li. 8. ca. 1. & ſeqq.

VIII. CONCIL. HIEROSOL.

In fine autem anni huius, itidem Hieroſolymis, poſt celebratum ſolemnem diem Natalis Domini, habito generali CONVENTV Principum, & eorum qui aderant Epiſcoporum, *Dabertus* Piſanus Archiepiſcopus, idemque Apoſtolicæ Sedis Legatus, electus eſt in Patriarcham Hieroſolymitanum, pulſo nefario homine qui ſedem illam inuaſerat, Arnulpho qui ſequebatur Principẽ Northmãnorum. Iiſdemque diebus throno Antiocheno *Bernardus* Patriarcha datus eſt. A quibus religioſe admodum Chriſtiani Principes accipere voluerunt ſinguli ſuorum Principatuum inueſtituras; Godefredus regni Hieroſolymorum à Daiberto, Boamundus Principatus Antiochiæ à Bernardo. Eoq; facto, ab iiſdem conſtitutæ ſunt dotes iis Eccleſiis, quales anteceſſores Patriarchæ habuiſſe ſcirentur: licet harum occaſione multæ ſint poſtea obortæ contentiones, de quibus dicendum inferius. Habet autem iſta omnia pluribus Tyrius [m].

m Id. li. 8. c. 11. & li. 9. ca. 1. 18. 19.

IX.

Mortuo vero (vt dictum eſt) Vrbano Papa; die decimaquarta ab eius obitu, nempe duodecima mẽſis Auguſti, ſubrogatus eſt in locum eius, Rainerius, ſiue Raginerius preſbyter Cardinalis tituli S. Clemẽtis, & Abbas monaſterii SS. Laurentii & Stephani extra muros: qui & di-

uinitus cuidam Religioſo prænuntiatus, & ſummo conſenſu à populo expetitus, atque à Clero electus, cum fugiens ipſa tanti ponderis onus latebras quæſiſſet, inde extractus eſt, & PASCHALIS Secundus nominatus, atq; poſt biduum ſolemni ritu apud S. Petrum conſecratus. Narrat hæc pluribus Anonymus Vaticanus huius temporis ſcriptor: prænuntiata vero de ipſius Pontificatu, eiuſdemque duratione, ac turbis in eo concitandis, habet quoque Dodechinus & ipſe huius temporis auctor. Docet inſuper idem Anonymus, fuiſſe Paſchalem natione Tuſcum, patria Bledanum, patre Creſcentio & matre Alſatia, eumq; amore vitæ religioſe celebre ſanctitate Cluniacenſe monaſterium petiiſſe, & ſub S. Hugone Abbate vitam monaſticam excoluiſſe: miſſum vero Romam ob negotia monaſterii tempore Gregorii VII. ab eodem Pontifice retentum fuiſſe, & Cardinalem creatum.

PASCHALIS II. PAPA.

IESV CHRISTI AN. 1100.

HENRICI III. 17. ALEXII COMN. 20.

PASCH. II AN. 1.

I. ANno Chriſti milleſimo centeſimo, Indictione octaua, Paſchalis Papa cum vndique illatas Eccleſiæ per ſchiſmaticos clades infelici ſpectaculo contemplaretur, ad curandas illas intendens, hortatu Cleri Populique Romani, & auxilio pecuniarum Rogerii Comitis, Guibertum peſtilentem Antipapam longe lógius à Romana Eccleſia expellere decreuit. Feruens porro cœtus Orthodoxorum ſi. ferum illum aprum aſſiduo venatu eſt inſectatus, vt de loco ad locum fugere cogerent: donec infelix mœrore conſumptus, & deſperationis dentibus deuoratus, diem clauſit extremum hoc anno, ſiue ſequenti, vt eſt diuerſa diuerſorum auctorum aſſertio. Huius namque temporis Germani Scriptores, Dodechinus, Sigebertus, & Vrſpergenſis, hoc anno eum defunctum affirmant: Itali vero anno ſequenti, poſt duos annos ab Vrbani Papæ obitu: vt Domnizo in Vita Mathildis, & Petrus diaconus in Chronico Caſſinate, iidemque ipſi huius temporis auctores, & quidem integræ fidei. Verum quod ſpectat ad numerum viginti trium annorum, quam eidem Guiberto Domnizo tribuit: non referendus eſt ille ad tempus integrum quo ſe dit pſeudopapa, quod cœpiſſe vidimus anno Redemptoris milleſimo octogeſimo: ſed ex quo, facto ſchiſmate, à Gregorio Papa deſciuit. Quomodo vero ad poſtremum idem nefandus ſepulcro quoque caruerit, proiectis oſſibus eius in aquas, inferius ſuo loco dicturi ſumus.

GVIBERTI ANTIP. INTERITVS.

II. Quod autem nequaquam vna cum Antipapæ obitu extinctum eſt ſchiſma, viuente adhuc qui fouebat illud Henrico Imperatore: haud mediocres labores ſuperfuere Paſchali. Etenim Henrici opera tres poſt Guibertum ſunt ſubrogati ſibi inuicem ſuccedentes pſeudopontifices, *Albertus, Theodoricus*, & *Maginulphus*, areſcentibus ſuo ipſorum ortu maledictionis palmitibus infelicibus. Hoc vero eodem tempore Paſchalem Romanam Eccleſiam in ſplendorem priſtinum reſtituere cupientem, nonnullas ciuitates & oppida ad illam pertinentia, è perduellium manibus per ſuos armis vendicaſſe, ipſoſq; tyrannos perdomuiſſe, teſtatur idem qui ſupra Anonymus auctor ipſius Vitæ: qui cum inter perduelles numeret Petrum de Columna: hic primum occurrit mentio nobiliſſimæ Romanæ familiæ *Columnenſium*; vtinam honeſtioris tituli occaſione.

PERDOMVIT PASCH. PP. TYRANNOS.

III. His autem primis Paſchalis in Italia laboribus acceſſerunt externa mala, quibus curandis multum inſudauit. Ac primo cum Philippus Rex Francorum (quem ob Bertam legitimam vxorem eiectam, & Bertradam pellicem ſubintroductam, excommunicatum, pœnitentiamque ſimulantem abſolutum, ac rurſus ad vomitum redeuntem rurſus ab Vrbano Pontifice ſubiectum interdicto vidimus) audita morte Vrbani fregiſſet vincula quibus tenebatur aſtrictus: Paſchalis ſacrarum vindex legum exardeſcens, Legatos aduerſus eum in Gallias miſit Ioannem ac Benedictum S. R. E. Cardinales à quibus habita Pictauis Synodo, Rex penitus refragans Apoſtolicæ iuſſioni per eoſdem ſignificatæ, anathemate condemnatus eſt. Ita enim hæc geſta eſſe, docent Epiſtolæ Iuonis[a] Carnotenſis ad eundem Ioannem Legatum & ad Rudolphum Archiepiſcopum Rhemenſem conſcriptæ: necnon Fragmẽta[b] hiſtoriæ Francorum. Habent vero amplius Annales Aquitaniæ à Ioanne Bouchetо editi, quod cum Epiſcopi Pictauis collecti, eſſent illinc Philippi deprecatoris literis ad Guillelmum Aquitaniæ Ducem cognatum ſuum conſcriptis pellendi, nocte intercecta viſus fuerit aſtare Legato S. Hilarius, & hortari ne minis Guillelmi Ducis territus ab incœpto deſiſteret: non enim paſſurum Deum vt ea res ei fraudi eſſet, aut male ſuccederet: eaque viſione poſtridie Guillelmo patefacta, permiſerit ille vt pro arbitrio legati cuncta perficerent.

CONCIL. PICTAVIENSE IN QVO PHILIPPVS REX FRANC. ITERVM EXCOMMVNICATVR.

a Ivo ep. 154. & 212.

b Frag. hiſt. Fr. poſt Helgal. pag. 93.

IV. Sed præter cauſam Regis in Concilio Pictauienſi pertractatam, ſanciti ſunt inſuper vndecim canones aduerſus Inueſtituras Eccleſiarum à Principibus ſæcularibus fieri ſolitas, itemque aduerſus ſimoniacos, & clericos fornicarios, aut alias inordinate viuentes: qui canones deſcripti habentur[c] in codice Vaticano. Quo eodem ferme tempore in eadem diœceſi Pictauienſi apud Pagum Liziniacum, de huiuſcemodi ſacrorum canonum contemptore ſacerdote fornicario, horribilem Deus vindictam ſumpſit: quam deſcripſit integerrimus illius temporis auctor Petrus[d] Venerabilis Abbas Cluniacenſis.

DE CANONIB. CONCIL. PICT.

c Rec. Bar. Annal. To. XII. hoc an.

d Pet. Cluniac. l. 1. Mirac. c. 13.

V. Hoc item anno Paſchalis Papa aliam Legationem miſit in Orientem ad Fideles Occidentales illic militantes, à quibus anno ſuperiori ipſo exordio ſui Pontificatus literas acceperat de felici eorum progreſſu, & renouatis in ipſorum expeditionibus antiquis diuinis miraculis, profligatiſque innumerabilibus hoſtium copiis: quas literas cum recitet in ſua hiſtoria de Bello Sacro Tyrius, ipſas quoque res geſtas diffuſe proſequitur. Legatus autem electus eſt Mauritius Cardinalis Epiſcopus Portuenſis: cui ad regimen Eccleſiæ Orientalis vices ſuas idem Pontifex commiſit, deditque ea de re literas ad eoſdem Fideles illic militantes quarto Nonas Maii huius Indictionis octauæ. Quod autem prædictas ſuas literas iiſdem Fideles Encyclicas eſſe voluiſſent ad vniuerſum Orbem Occidentalem ad petendum auxilium: noua mox expeditio cœpta eſt procurari in Gallia, & in Italia claſſis Ianuenſium præparari ad opus.

LEGATIO A PASCH PP. MISSA IN ORIENTEM.

VI. Interim vero Godefredus Dux, ſiue (vt vult Tyrius[e]) Rex Hieruſalem, hoc ipſo anno decimoquinto Calendas Auguſti ex hac vita migrauit: vir præter peritiam ac fortitudinem militarem, pietate inſignis: quem & Deus in ea expeditione multiplici gratia eſt conſolatus, vt omnes qui ſtylo proſecuti ſunt res Orientales affirmant. Ei vero ſubrogatus eſt Balduinus Principum omnium conſenſu. Hæc pluribus VVillelmus[e] Tyrius: qui & pergit enarrare obortas mox diſſenſiones inter ipſum Balduinum iura Eccleſiæ Hieroſolymitanæ ſibi vſurpantem, & Daibertum Patriarcham ea conſeruare ſatagentem. Quem quidem conſtantiſſimi animi fuiſſe Antiſtitem, omnibuſque numeris abſolutum ad ſedem illam regendam, cum Scriptorum omnium eius temporis, tum Iuonis[f] Carnotenſis Epiſcopi ad eum ſcribentis teſtificatione ſatis liquet. Quibus autem rationibus tum ciuitatis Ioppes, tum ipſius etiam Hieroſolymæ dominium temporale, aliaq; eiuſmodi ſibi Patriarcha vendicaret, pluribus idem VVillelmus oſtendit. Porro Balduinus talibus exordiis mala iaciens ſui regiminis fundamenta, iram offenſi numinis in ſe conuertit, nec niſi cum labore & dolore regnauit. Nihil enim ſibi Principes infelicius conſulere, quam dum Eccleſiaſtica iura deprimunt, innumera docuerunt exempla.

OBITVS GODEFREDI REG. HIEROS.

e Tyr. lib. 9. c. 16. & lib. 10. c. 1.

f Ivo ep. 39.

BALDVINVS MALE CONSVLIT REGNO SVO.

VII. Inter quæ memoria dignum, quod hoc eodem anno die ſecunda menſis Auguſti, VVillelmus Rex Anglorum, perturbator Eccleſiaſticæ libertatis (cuius cauſa vt vidimus, S. Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus iam triennium exul, Lugduni in Gallia tunc agebat) pluribus ante deterritus ira Dei ſignis atque prodigiis, quæ recitant

IMPERIVM ... VVILLEL. REG. ANGL.

recitant eiuſdem temporis rerum Anglorum hiſtorici a: in venatione ſagitta in ceruum emiſſa percuſſus periit. Quem triduo ante S. Hugo Cluniacenſis Abbas apud thronum Dei accuſatum, iudicatum, & condemnatum vidit, ipſique prænunciauit Anſelmo, cui & alia ſunt diuinitus oſtenſa de eiuſdem interitu Regis, quę refert Edinerus. Quod ſi tali meruit ſententia condemnari Catholicus Princeps, ob vnius duntaxat Epiſcopi extorris iniuriam; qualenam iudicium ſunt habituri, qui fidei Catholicæ perduelles, Anglicanos Orthodoxos omnes Epiſcopos, ſiue ferro, ſiue exilio conſumpſerunt, & alias iniurias nefandas ipſis Eccleſiis intulerunt?

a Idem in geſt. Angl. Malmesb. & alii.

VIII. Sublato igitur è medio Rege perſecutore, eius germanus Henricus regnum capeſſiuit, qui ſtatim S. Anſelmum ad ſuam Eccleſiam reuocauit & honorifice ſuſcepit. Sed quod pax diuturna eſſe non poſſit, vbi iuſtitia procul abeſt: cum Rex more anteceſſorum ſuorum (inquit Willelmus Malmeſburienſis) ab Anſelmo hominium peteret, & iſte ob contraria decreta in Romano Concilio ſtatuta id denegaret: miſſis ad hoc ab vtraq; parte Romam nuntiis, quamuis ij Paſchalis Papæ confirmatiuam ſententiam aduerſus Inueſtituras laicas detuliſſent, nihilominus iuſſus eſt Anſelmus vel hominium facere, vel ſine mora regno excedere. Ille vero neutrum ſe facturum aſſerens, ſed ad ſuam iterum Eccleſiam, vt conſideraret quid ſibi vel ſuis expediret: paulo poſt mollioribus à Rege literis euocatus, ambo rurſus communi conſenſu Legatos Romam miſerunt. Sed de iſta poſteriori legatione agetur anno ſequenti, quo eam contigiſſe apparet: per biennium enim in his laboratum eſſe, Edinerus affirmat. Quo etiam tépore Iuo Epiſcopus Carnotenſis, fulgor Eccleſiæ Gallicanæ, & apud Principes ob egregios vitæ mores & doctrinam incomparabilem magnæ æſtimationis exiſtens, ad eumdem Angliæ Regem literas h dedit de exhibenda Chriſti ſacerdotibus reuerentia: dignas plane, quæ his præſertim temporibus legendæ iugiter principibus ingerantur aduerſus execrandam Politicorum hæreſim.

Renouatæ turbæ in Eccl. Angl.

h Iuo ep. 51.

IX. Hoc eodem anno Paſchalis Papa ad regimen Eccleſiarum Germanicarum, quas Henricus ſchiſmaticus Imperator perſecutione vexabat, Legationem Apoſtolicam credidit Gebehardo Conſtantienſi Epiſcopo, qui eam à Paſchalis prædeceſſoribus multis iam annis obtinuerat: Apoſtolicus plane vir, qui præ cæteris ſtetit pro muro domui Iſrael perditiſſimis hiſce temporibus. Tradit autem hæc Bertholdus, finem hic ſcribendi faciens, forte præuentus morte: qui ex fidei ac vitæ integritate, & veritatis ſtudio, ſummam ſibi gloriam comparauit inter Chronographos illius temporis.

Legatio German. credita Gebhardo Episc. Conſtantien.

IESV CHRISTI AN. 1101.

Henrici III. 18. Alexii Comn. 21.

PASCH. II AN. 2

I. Anno Chriſti milleſimo centeſimo primo, Indictione nona, ab Henrico Anglorum Rege & S. Anſelmo Archiepiſcopo Cantuarienſi, ob Inueſtituras Eccleſiarum inter ſe concertantibus, ad Paſchalem Papam Legati miſſi ſunt: nempe ab Anſelmo Balduinus & Alexander monachi, à Rege Gerardus Archiepiſcopus Eboracenſis, Herebertus Noruuicenſis & Robertus Ceſtrenſis Epiſcopi. In quorum itinere Romam verſus illud memoria dignum accidit, vt cum Herebertus neſcio quo infortunio (inquit VVillelmus a Malmeſburienſis, huius legationis hiſtoriam recenſens) prædonum manum incurriſſet, quadraginta marchis datis libertatem viæ recepit: primum per omne quod dicitur ſanctum iurare compulſus nihil ſe Romæ acturum quod ſpectaret ad incommodum Anſelmi. Quibus videas adeo increbuiſſe S. Anſelmi nomen, vt etiam latronibus eſſet in honore & defenſione.

Legatio ex Angl. ad Paſch. P.

a Malmesb. geſt. Pont. Angl. lib. 1.

II. Cæterum nihil iſta Legatio profecit, quam vt lites augerentur in Anglia. Cum enim Paſchalis Papa, nec promiſſis, nec muneribus flecti potuiſſet, vt in fauorem Regis ſtatuta anteceſſorum ſuorum conuelleret: reuerſis Legatis, Rex epiſtolam Paſchalis ſibi ea de re ſcriptam reticens, rumorem ſparſit (quem iidem Epiſcopi Legati ab eo corrupti, teſtimonio ſuo confirmabant) Papam regis Inueſtituras æquanimiter ferre, ſi cætera boni Principis officia exequeretur: ideo autem noluiſſe literis hæc credere, ne ex eiuſmodi conceſſione cæteri Principes occaſionem arriperent in eum inclamandi. Ex aduerſo vero monachis Anſelmi contrariam Paſchalis ſententiam publicantibus, eamdemque ipſius literis ad Anſelmum ſcriptis comprobantibus: magnæ vtrinque concitatæ ſunt turbæ: quouſque Anſelmus diu fluctuans quorum potius teſtimonio fidem adhiberet, ad certitudinem facti cognoſcendam miſit denuo Romam, interim illis qui inueſtirentur nec communionem ſuam denegans, nec benedictionem impertiens. Narrat iſta VVillelmus: quid vero reſponderit Paſchalis huic poſteriori Anſelmi conſultationi ſilentio præteriit, neſcio an in gratiam Regis. Extat enim eiuſdem Paſchalis b de his ad Anſelmum data epiſtola, qua Legatos Epiſcopos, quod falſa retuliſſent anathemate perculit, & de Inueſtituris non concedendis ſententiam ſuam confirmauit. Quare Anſelmus ad celebrandum in Anglia generale Concilium magna animi conſtantia ſe præparauit, de quo dicetur anno ſequenti.

Fraus Henrici Reg. Angl. pro inueſtituris vſurpandis.

b ep. 12. inter epiſt. Anſel.

III. Inter hæc innouata eſt alia expeditio in Terram Sanctam, & quidem ingenti numero ingentiora factura, ſi per Alexii Græcorum Imperatoris inuidiam atque perfidiam licuiſſet: qui palam cum Latinis amicitiam ſimulans, clam vero Turcis fauens, multarum Latinis cladium & miſeriarum cauſa extitit: cum & præterea graſſante lue, ingens valde numerus Chriſtianorum eſt conſumptus. Quę ſingula pluribus deſcripſit Conradus Abbas Vrſpergenſis, qui cum eadem expeditione profectus eſt Hieroſolymam. At præ cæteris memorabiles extiterunt pugnæ Balduini Regis in Turcas, de victoria ſecuros ex reſponſis ſuorum: cum ad ſolum S. Crucis intuitum (quam Sedis Apoſt. Legatus ante ſe per Abbatem Gerardum ferebat) hoſtes fugam ineuntes cæſi ſunt, quantumlibet victores initio pugnæ extitiſſent. Habet inſuper idem auctor de Ioppe obſeſſa, ſed Crucis virtute pariter liberata: necnon de conſueto miraculo incenſionis luminum, diuinitus fieri ſolitæ Hieroſolymis die magni Sabbathi ante Paſcha. Attigit quoq; ex iſtis aliqua VVillelmus c Tyrius: qui & de Ianuenſium claſſis appulſu, eorumque ope capta Antipatrida, & Cæſarea maritima (vbi potiti ſunt vaſe ſmaragdino) aliiſque munitionibus expugnatis, hiſtoriam texuit. Sed plane his locupletiora, ſicut & celebriora fuere ſacra pignora, quæ Myra in Lycia ciuitate iidem Ianuenſes pietate inſignes in patriam detulere: nempe ſacroſancti cineres ſanctiſſimi Præcurſoris Ioannis Baptiſtæ, quorum ſuis locis ſuperius eſt facta mentio: in quorum ampliorem venerationem, & in gratiarum actionem tanti à Deo accepti muneris, ſtatuerunt Rom. Pontifices, vt eiuſdem Tranſlationis dies anniuerſaria ageretur Officio duplici.

Secunda expeditio in Terram Sanctam.

Crucis virtute victoria parta.

c Tyr. li. 10. ca. 13. 15. 16.

IV. Hoc item anno Domini milleſimo centeſimo primo, Paſchalis Papa ſcribens ad Bernardum Archiepiſcopum Toletanum, confirmauit Primatum Eccleſiæ Toletanæ ſupra omnes Hiſpaniarum Eccleſias: quod ipſum & alii antea Summi Pontifices, & ſinguli ferme ſucceſſores præſtiterunt. Eodemque anno, qui tertius numeratur ab obitu Vrbani Papæ (vt habet Domnizo) Cõradus Rex mortuus eſt, & ſepultus Florentiæ. Sed magis illuſtratur idem præſens annus obitu S. *Brunonis* Carthuſienſium Patriarchæ, qui optimo fine bene inſtitutam vitam feliciſſime conſignauit die ſexta Octobris: eumdemque pluribus illuſtratum miraculis, venerandum ſuſcepit Eccleſia. Porro eius Ordinis inſtitutionem habes duabus clariſſimis tubis toto Orbe Catholico perſonantibus commendatam, nempe S. Bernardi Abbatis Claræuallenſis, & Venerabilis Petri Abbatis Cluniacenſis, epiſtolis ad Guidonem Priorem Carthuſiæ datis.

S. Brunonis Carthus. inſtitutoris obitus.

IESV CHRISTI AN. 1102.

PASCH. II. AN. 3.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo ſecundo, Indictione decima, tempore Quadrageſimæ conuenientibus Romæ omniũ Italię prouinciarum, & quamplurimorum vltramontanorum Legatis, generalis Synodus habita eſt ad pertractandam cauſam Henrici Imperatoris, qui & ipſe ei intereſſe promiſerat. Verum cum non ſolum non compareret, ſed etiam Antipapam ſubintroducere aduerſus Paſchalem moliretur: ſententiam ibi rurſum excommunicationis accepit: ipſumque eius ſchiſma inter præcipuas hæreſes annumeratum, quæ doceret Excommunicationem Eccleſiæ contemnere. Inſuperque edita eſt Catholica fidei Profeſſio, de præſtanda ab omnibus obedientia Apoſtolicæ Sedis Pontifici. Narrat iſta Abbas Vrſpergenſis, qui eiuſdem ſententiæ promulgationi factę in Eccleſia Lateranenſi aduerſus Imperatorem in die Cœnæ Domini, interfuit hoc ipſo anno in reditu à peregrinatione Tranſmarina. Quod autẽ multi ab Eccleſiæ vnitate & à Sedis Apoſtolicæ obedientia impie reſilirent, idcirco ad prædictam fidei profeſſionem etiam cum iuramento exhibendam, obligatos fuiſſe Epiſcopos, Archiepiſcopos, ac denique omnes à quibus eam Romanus Pontifex exigere vellet: conſtat ex epiſtola Decretali ipſius Paſchalis Papæ ad Archiepiſcopum quemdã Poloniæ [a], quæ à Gregorio Papa Nono recenſetur [b] data ad Archiepiſcopum Panormitanum.

Hoc eodem anno circa feſtum S. Michaelis Archangeli, ſub S. Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo celebratũ eſt Londini generale totius Angliæ CONCILIVM: in quo potiſſimum quæ Romæ decreta fuerant de Inueſtituris Eccleſiarum, promulgata ſunt: ac multi prælati qui beneficia à laicis acceperant, depoſiti: pluresque inſuper conditi canones ad reſtituendam Eccleſiaſticam diſciplinam, & mores tam clericorum quam laicorum reformandos: quorum titulos VVillelmus Malmesburienſis recitat, dũ huius Concilii refert hiſtoriam in Geſtis Epiſcoporum Anglorum. Quomodo autem huius etiã occaſione Concilii, in S. Anſelmum multiplicatæ ſint afflictiones à Rege, dicetur anno ſequenti.

Interim in Germania, defuncto hoc ipſo anno Ruperto Epiſcopo Babenbergenſi (vt habet Vrſpergenſis) ab Henrico Imperatore ei ſubrogatus eſt Otto ipſius Imperatoris Cancellarius. Porro in iſto Ottone cognita eſt mutatio dexteræ Excelſi. Siquidem execratus mox ſchiſma, verumque in Eccleſia Catholica caput agnoſcens, Paſchalem Papam literis conſuluit: à quo in Italiam vocatus, inſignia regiæ inueſtituræ, quam acceperat ab Imperatore facti pœnitens ad pedes Pontificis appoſuit: & timens ſibi à periculo curæ paſtoralis, licet expetitus à Clero & populo Babenbergenſi, tamen nonniſi ſub ſanctæ obedientiæ mandato compelli potuit Epiſcopatus inſignia ab ipſo Pontifice reſumere, & in Epiſcopum conſecrari. quod contigit anno ſequenti ipſo die Pentecoſtes. Idemque vna cum Epiſcopali vnctione, donis Spiritus Sancti eſt abunde repletus, vt Apoſtolorum inſtar & loqueretur magnalia Dei, & operaretur mirabilia de lege eius: Cuius extant [c] res præclare geſtæ ab auctore eiuſdem temporis fideliſſime, ſicut & copioſiſſime, tribus libris conſcriptæ. De ipſius vero ad Pomeranos Apoſtolatu, dicetur inferius ſuo loco.

Hoc item anno cum Robertus Flandriæ Comes iam ante biennium reuerſus ab expeditione Hieroſolymitana, arma conuertiſſet aduerſus ſchiſmaticos inhærentes Henrico Imperatori, & Cameracenſes (vt Sigebertus affirmat) exagitaſſet: vt æque aduerſus Leodienſes eadem inſania laborantes vires conuerteret, litteris eum hortatus eſt Paſchalis Papa. Quod vbi Leodienſes ſchiſmatici intellexere, contra illas Paſchalis literas ſcripſere Declamationem acerrimam: qua more cæterorum omnium ſchiſmaticorum, affectantes Catholicum nomen, ſic eam inſcripſerunt, *Omnibus bonæ voluntatis hominibus, Leodicenſis Eccleſia, veritatem fidei & Catholicam vnanimitatem inconcuſſe tenens, &c.* Eſt autem prolixa nimis, habeturque cuſa Tomo ſecundo Conciliorum editionis Colonienſis, atque alibi.

Sed ex altera parte Comitiſſa Mathildis, cum donationem à ſe Romanæ Eccleſiæ factã ſub Gregorio Papa VII. audiſſet deperditam, eandem hoc ipſo anno per nouum diploma [d] renouauit: obtulitque Bernardo presbytero Cardinali, Legato apud ipſam Paſchalis Papæ quod quidem ad Vitam ipſius à Domnizone presbytero carmine ſcriptam, poſitum vidimus appendicem: ſeorſum vero in Vaticano codice publica eiuſmodi monimenta continẽte. Quæ autem hæc ſecuta ſint de iiſdem bonis Eccleſiæ Romanæ relictis, dicetur ſuo loco.

IESV CHRISTI AN. 1103.

PASCH. II. AN. 4.

ANNO Chriſti milleſimo centeſimo tertio, Indictione vndecima, vigentibus in Anglia & in dies magis excreſcentibus diſcordiis inter Regem Henricum & Sanctum Anſelmum Archiepiſcopum Cantuarienſem, ob Inueſtituras Eccleſiaſticas, quas ſibi Rex ſumere, Anſelmus autem è ſæculari potentia vendicare ſtudebat: idem Anſelmus rogatus à Rege, & ab Epiſcopis atque magnatibus regni, Romam ſe conferre, vt quod alii hactenus legati minus egiſſent, ipſe auctoritate qua apud Sedem Apoſtolicam valebat, perficeret: ne omnia ſuo tantum videretur præſumere arbitrio, poſtquam conteſtatus eſt, nihil ſe Pontifici Romano ſuggeſturum quod eius prędeceſſoris ſtatutis aduerſaretur, quinto Calendas Maii [a] ex Anglia ſoluens, præcurrente Regis legato VVillelmo electo Exonienſis Eccleſiæ, Romam venit. Res autem geſtas, ab Edinero itineris comite diffuſe fuiſſe conſcriptas, tum ipſe teſtatur [b] auctor, tum qui ab eo accepit affirmat VVillelmus [c] Malmesburienſis, qui cuncta compendio retexuit. Porro in ipſa cauſæ auditione, fortis eluxit Paſchalis conſtantia. Cum enim ad eloquentiam electi Exonienſis, plerique alii in ſententiam Regis flecterentur: atque ex eo idem Legatus, ſimulque ex ſilentio Pontificis & Anſelmi rem tacite conſiderantium, ſecurior redditus audacius addidiſſet, Regem nec pro amiſſione regni paſſurum ſibi Eccleſiarum inueſtituras auferri: confeſtim Paſchalis, *Nec ego*, inquit, *pro capitis mei redemptione, eum inueſtituras permittam impune habere.* Ad quam magnanimam vocem conuerſis in eius laudes contraria ſentientium linguis, legatus confuſus obticuit. Decretumque eſt, vt interim Rege ab excommunicatione quod aliquos inueſtiſſet abſoluto, ipſi nihilominus inueſtiti auctoritati canonum ſubiacerent, eorum ſatisfactione Anſelmi commiſſa iudicio. Sed in reditu idem Anſelmus mandatum à Rege per eumdem VVillelmum legatum accipiens, vt vel inueſtituris acquieſceret, vel exularet, Lugdunum Galliæ (ſicut alias) ad Hugonem Archiepiſcopum ſe recepit: Rex vero Angliæ bonis eum omnibus ſpolians, Archiepiſcopatum quoque Cantuarienſem in ſuum dominium redegit. Donec poſt aliquod tempus petens Anſelmus Northmanniam, ab eodem Rege in amicitiam receptus eſt, & tandem in Angliam redire permiſſus, de quo dicetur ſuo loco.

Hoc pariter anno Paſchalis Papa diſpenſauit ſuper conſanguinitatis impedimentum in matrimonio, quod contractum eſt inter Boleslaum Poloniæ Ducem & filiam Regis Ruſſiæ Sbislauam nomine, in quarto conſanguinitatis gradu ſibi coniunctam. Hæc Longinus, cæteris antiquitate, ſicut & veritate præſtans.

IESV CHRISTI AN. 1104.

PASCH. II. AN. 5.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo quarto, Indictione duodecima, Paſchalis Papa bene vſus occaſione præ-

Margin notes (left): HENRICI III. 19. ALEXII COMN. 22. — I. CONCIL. ROM. CONTRA HENR. IMP. — HENRICIANA HÆRESIS. — EPISCOPI ... OBEDIENTIAM SEDI APOST. Rec. Baron. Annal. To. II. ... c. 4. — II. CONCIL. LONDON. GENERAL. SVB S. ANSELMO IN INVESTITVRARVM ... — III. — MIRABILIS CONVERSIO OTTONIS CANCELLARII, FACTA EPISCOPI. — IV. — LEODIENSIVM SCHISMAT. DECLAMATIO IN PASCH. PP.

Margin notes (right): V. DONATIO MATHILDIS RENOVATA. Rec. Bar. Annal. To. XII. ... — HENRICI III. 20. ALEXII COMN. 23. — I. S. ANSELMVS ROMAM MITTITVR PRO INVESTITVRIS ECCL. — a Roger in Annal. ... — b Edin. ... — c Malmesb. ... — PASCH. PAPÆ CONSTANTIA PRO LIBER. ECCL. — QVID REX ANGL. IN ANSELMVM. — II. DISPENSAT. IN IV GRADV CVM REGE POL. HENRICI III. 21. COMN. 24. — I GALON...

ne præſentiæ VValonis, ſiue Calonis Epiſcopi Belloua-
cenſis,ac poſtea Pariſienſis (qui quod in Gallia haud quie-
tam ſedem haberet, ob perſecutiones Regis Philippi, de
quibus agit pluribus Iuo Carnotenſis in epiſtolis [a] ea de re
ad Paſchalem & alios conſcriptis nuper Romam tam ſua,
quàm credita ſibi ab eodem Iuone negotia [b] pertractatu-
rus acceſſerat) eundem ad viſitandum Poloniæ Eccleſiam
Legatum à Latere miſit: qui nonnulla deprauata corrigẽs,
aliquos etiam Epiſcopos depoſuit, & inter alios Cracoui-
enſem, quod nulla Summi Pontificis auctoritate, ſed ſola
Ducis Poloniæ donatione, Epiſcopatum illum detineret.
Habet iſta Longinus: edditque nditum in fine huius anni
à Duciſſa Sbislaua filium, ab eodem VValone vna cum a-
lijs Polonorum Epiſcopis fuiſſe de ſacro fonte leuatum,
nominatumque VValdislaum.

Legatio in Polon. — a Iuo ep. 45. 47. 95. 10. 163. 170. 171. — b Vid. Iuon. ep. 29. ad Paſchal.

II. Legatio in Gallias pro abſolut. Regis Philip. — c Iuo ep. 156. — d ep. 159.

Quo etiam anno, alia commiſſa eſt Legatio Richardo
Albanenſi Epiſcopo Cardinali in Gallias, ad impertien-
dam Philippo Francorum Regi, quam per Legatos pœni-
tens petierat abſolutionem ab excommunicatione, qua
ſæpe (vt vidimus) perculſus fuerat ob eiectam legitimam
coniugem & ſubintroductam pellicem. Scripſit tunc de
eius abſolutionis modo ad eundem Richardũ Iuo [c] Car-
notenſis. Cuius etiam aliis [d] ad Paſchalem Papam ſcriptis
literis, conſtat Conuentum ea de re Belgenciaci habi-
tum, nec tamen ob quaſdam Epiſcoporum difficultates
abſolutionem tunc ſecutam eſſe. Verum illam poſtea
ſolemniter factam eſſe Pariſiis, habetur in Fragmentis hi-
ſtoriæ Francorum nuper editis vna cum Glabro & aliis
auctoribus. Meminit inſuper iiſdem ad Richardum li-
teris Iuo, indicti ab eodem Legato Trecis CONCILII.
Ipſum vero celebratum fuiſſe, teſtatur aliis [e] ad Paſchalem
ſcriptis: eoque tractatam cauſam Siluanectenſis Epi-
ſcopi, falſo à maleuolis accuſati de venditione ſacro-
rum. Sed & in eo Godefredum monachum, virum ſan-
ctitate conſpicuum, creatum fuiſſe Epiſcopum Ambianẽ-
ſem: qui res ab eo præclare geſtas quam exacte atque fi-
deliter conſcripſit, narrat [f] Nicolaus monachus Sueſſio-
nenſis.

Concil. Trecen. — e ep. 620. — f Vit. Godefr. l. 1. c. 30. et Sur. v. Nouemb.

III. — g Tyr. l. 11. c. 26. — h Id. l. 11. c. 1. — Patriar. Hieros. Romam ſupplex venit.

Hoc item anno Daibertus Patriarcha Hieroſolymita-
nus, cum iam antea dolo Arnulphi Archidiaconi hominis
nequiſſimi paſſus [g] multa, & ſede pulſus eſſet, Ebremaro
à Balduino Hieroſolymorum Rege in eius locum ſubro-
gato: in Italiam vna cum Boamundo [h] Antiochiæ Princi-
pe nauigans, Paſchali Papæ querelas ſuas detulit. Boa-
mundus autem in Gallias profectus eſt, duas Philippi Re-
gis filias, alteram Conſtantiam ex legitima coniuge or-
tam ſibi in matrimonium copularet, alteram Cæciliam
ex pellice natam iungeret nepoti ſuo Tancredo. Sed &
cum illo S. Brunonem Epiſcopum Signienſem (quamuis
dimiſſo iam Epiſcopatus onere, monaſticam habitum a-
pud cœnobium Caſſinenſe ſuſcepiſſet) à Paſchale Papa
miſſum fuiſſe Legatum in Gallias, ac *Synodum* celebraſſe,
teſtatur Petrus [i] diaconus in Chronico Caſſinate: eſtque
eiuſdem Legationis frequens mentio apud Iuonem [k]
Carnotenſem.

i Pet. diac. l. 4. c. 33. — k Iuo ep. 190. 191.

IESV CHRISTI AN. 1105.

Henrici III. 22. Alexii Comn. 25.

PASCH. II. AN. 6.

I. Rebellat Henr. filius aduerſus Henr. Imp.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo quinto, Indi-
ctione decimatertia, Henricus Imperator qui per
tot annos Romanum Pontificem legitimum perſe-
cutus eſt patrem, filium ſuum, itidem nominatum Hen-
ricum ab Imperio paſſus eſt depulſorem. Quod autem
quos ſuæ hæreſis reliquit ſucceſſores, eoſdem quoque
habeat defenſores: nos rem geſtam ad calumniam propul-
ſandam non ab alio petemus quàm ab ipſo Conrado Vr-
ſpergenſi Abbate, qui habuit præ oculis, auctore alioqui
in Germanos Imperatores propenſiori, & in Romanos
Pontifices parum æquo: vt nulla de eo poſſit eſſe ſuſpicio
in gratiam Romanæ Eccleſiæ eſſe mentitum.

II.

Dum igitur Henricus Imperator Natalem Domini (ac
quo die Vrſpergenſis annum auſpicatur) celebraret, Hen-
ricus filius eius auctoribus nobilibus quibuſdam Germa-
nis, quorum cõſilio & auxilio ante paucos dies à patre diſ-
ceſſerat, rebellionem aduerſus eum in Baioaria parauit:
primoque omnium patris hæreſim abiurans, & Apoſto-
licæ Sedis Pontifici debitam exhibens obedientiam, vni-
uerſa breui Saxonia potitus, atque ab Optimatibus digni-
tate regia honoratus, eamdem prouinciam Eccleſiæ Ro-
manæ communioni reſtituit, conſilio & miniſterio Ruo-
thardi Archiepiſcopi Moguntini, & Gebehardi Conſtan-
tienſis Epiſcopi Paſchalis Papæ vices in Germania agen-
tium. Quarto vero Calendas Iunii CONCILIO apud *Northhuſum* villam regiã celebrato, reſtituta eſt ab iiſdem Lega-
tis Eccleſiaſtica diſciplina, & multa circa vnitatem Eccle-
ſiæ rite diſpoſita: ipſe vero Henricus filius ſumma mode-
ſtia Concilio interueniens, obortis lacrymis publice con-
teſtatus eſt, ſe nulla regnandi cupiditate paternum ſibi re-
gimen vſurpare, quinimmo ita ſe eius ſemper pertinaciæ
& inobedientiæ compaſſionem exhibiturum, vt ſi Roma-
no Pontifici lege Chriſtiana ſubiici vellet, ipſe vel regno
cedere vel ſeruiliter ei ſubeſſe paratus eſſet. Quam eamdẽ
conteſtationem rurſum coram Principibus & militibus i-
terauit, cum tam ipſius quam patris exercitus proxime,
flumine tantum medio, ad congreſſum parati, agentibus
Principibus pacis ſtudioſis abſque pugna digreſſi ſunt.
Id ipſum denique ipſi patri ſuo coram promiſit, cum circa
Idus Decembris apud Bingam habuit cum eo colloquiũ.
Sed & in reliquis omnibus ſe Catholice gerens, Epiſco-
pos Orthodoxos ſedibus ſuis reſtituit, eiectis ſchiſmati-
cis intruſis: & inter alios Archiepiſcopum Moguntī-
num, qui iam ante octo annos fuerat tyrannice extorris
factus.

Concil. Northuſ. Catholicorum. — Pia Henrici filii conteſtatio de patre.

III. Henr. Imp. ad Paſch. PP. recurrit

Quod autem nullam maiorem cauſam haberet patrem
exagitandi, quam quod ab Eccleſia Romana toties excõ-
municatus, in eadem execratione obſtinato animo per-
maneret: Henricus Senior conſilium iniens vt Paſchalem
ſibi amicum redderet, miſſo ad eum ſecreto nuntio, lite-
ras ſcripſit, quibus primo conqueſtus de auſteritate in ſe
Romanorum Pontificum, Paſchalem de concordia in-
terpellauit. Sed & cum ad finem huius anni, nempe die
Natali Domini celeberrimus totius Germaniæ Præſulum
& Principum CONVENTVS, præſentibus Apoſtolicę Sedis
Legatis Richardo Albanenſi Epiſcopo, & Gebehardo
Conſtantienſi, Moguntiæ haberetur: idem ad eos prope-
rans, apud Ingelheim (quod ei Principes ad vitãdum vul-
gi tumultum occurrerunt) reatum ſuum confeſſus eſt, &
ſatisfactionem promiſit. Ac denique cum ei Legati abſo-
lutionem abſq; generalis Synodi & Apoſtolicæ Sedis di-
ſcuſſione, impertire ſe poſſe negarent: ipſe conſiliis vtri-
uſq; partis acquieſcens, depoſitis Imperii inſignibus, vide-
licet Cruce, Lancea, Sceptrõ, Globo, atque Corona, ea-
dem filii poteſtati tradidit: atque Summi Pontificis & Ec-
cleſiæ cõſtitutioni ſeſe ſubmittens, priuatus abceſſit in lo-
cum quẽdã ei aſſignatũ. Vt vero de his omnibus Paſchalis
Papa certior redderetur, decreta eſt ad eum ab Henrico
Iuniori (iam ab omnibus in Regem ſuſcepto, & ab Apo-
ſtolicæ Sedis Legatis confirmato) atq; ab vniuerſo Conuẽ-
tu Legatio perinſignis credita Epiſcopis Treuerenſi, Mag-
deburgenſi, Bambergenſi, Eichſtatenſi, Conſtantienſi, &
Curienſi, ac nonnullis nobilibus laicis: quibus inter cæte-
ra in mandatis eſt datum, vt ſi fieri poſſet Pontifici perſua-
derent aduentum in partes Ciſalpinas. At de his, & aliis
quæ poſtea acciderunt, dicetur anno ſequenti. Quæ vero
hactenus receſſuimus, fuſius narrat Vrſpergenſis. Sed qui
magis fauent Henrico patri (vt Anonymus, qui ipſi dici-
tur fuiſſe à ſecretis, ſcripſiſſeque paulo poſt eius mortem,
Vitam ſeu funebre encomium ipſius) tradunt illum ca-
ptiuum tētum à filio, vi coactum eo modo ſe Imperio ab-
dicaſſe: quod & ipſemet Henricus literis poſtea ad diuer-
ſos ſcriptis, ſæpius exaggerans inculcauit.

Conuentus gener. Mogunt. — Henr. Imp. ſe abdicat. — Legatio perinſignis ad Paſch. PP.

Hoc eodem anno, qui numeratur quintus ab infe-
lici exitu Guiberti Antipapæ, (vt teſtatur Vrſpergen-
ſis) eius oſſa, quæ Rauennæ ſepulta fuerant, decreto Paſ-
chalis Papæ exhumata ſunt, & in fluenta proiecta. Vt au-

Oſſa Guiberti Antip. effos.

tem iſta

SA, ET IN FLVMEN PROIECTA.

tem iſta decernerentur, eam aſſert Willelmus Bibliothecarius cauſam, quod qui adhuc eiuſdem pſeudopontificis ſtudioſi remanſiſſent, ſpargerent in vulgus falſas viſiones oſtenſas in ſepulchro eius, nimirum viſas illic noctu ſplendere facellas cœlitus miſſas, indices eius apud Deũ receptionis. Porro exemplum de oſſibus Guiberti exhumatis, imitati ſunt anno ſequenti Catholici in Germania, cum Imperatore in ordinem redacto, in tantum diuinæ legis efferbuit zelus (inquit idem Vrſpergenſis) vt etiam ipſa cadauera pſeudoepiſcoporum ab Eccleſiis eliminarentur. Vtpote quod indigni cenſerentur Catholicæ Eccleſiæ qui viuentes eidem Catholicæ Eccleſiæ minime communicaſſent.

EXHVMATA CADAVERA SCHISMAT.

V. a Tyr. li. 11. c. 13.

Quod ad res pertinet Orientales: mortuus eſt hoc [a] anno Raymundus Comes Toloſanus, Princeps pietate & armis inſignis. Et Balduinus Rex præuio ligno ſanctiſſimæ Crucis, ingentem diuino auxilio adeptus eſt victoriam.

HENRICI I. 23. ALEX. COMN. 26.

IESV CHRISTI AN. 1106.

PASCH. II. AN. 7.

I. HENR. SENIOR DECLAMAT IN PAPAM.

ANno Domini milleſimo centeſimo ſexto, Indictione decimaquarta, Henricus Senior è loco vbi conſtitutus fuerat priuatam vitam agere, fuga lapſus, Coloniam primum, inde Leodium venit: vbi benigne exceptus, literas ſcripſit ſatis efficaces ſub titulo ad Regem Celtarum cæterum quas voluit eſſe patentes ad commouendos omnes in filium, atque adeo in ipſam Apoſtolicam Sedem, è qua illius rebellionem proceſſiſſe conqueſtus eſt. Cumque iam milites congregaret, & in priſtinum ſe ſtatum reuocandum ſpem ſchiſmaticis faceret: hinc *VVernerus* quidam (vt habet Vrſpergenſis, hæc omnia fuſius proſecutus) miniſter regius in Marcha Aquini collectis per Italiam copiis, corruptiſque multa pecunia nonnullis Romanis, dum Paſchalis Pontifex apud Beneuentum ageret, quemdam pſeudo abbatem de Farſa, Cathedræ Sancti Petri intruſit, & Papam Cæſaris ſub nomine *Silueſtri* appellari voluit: qui tamen paulo poſt à Catholicis turpiter expulſus eſt. Sed & apud Tridentum, Legati miſſi (vt vidimus) ex conuentu Moguntino ad Paſchalem, ab Adelberto quodam partium illarum Comite capti, & in carcerem coniecti ſunt: ſed mox per VVelphonem Ducem Noricum liberati.

II. HENRICI SEN. TECHNÆ.

Ipſe vero Henricus, donec plene ex confluentibus ad eum auxiliaribus copiis augeretur exercitus, miris tergiuerſationibus obedientiam Sedi Apoſtolicæ, & pietatem ac pacem ſimulans, frequentes ad filium, & Epiſcopos ac Principes Germaniæ litteras dedit; quibus poſt vehementes querelas de iniuriis ſibi à filio illatis, tertio aduerſus eumdem appellauit Paſchalem Papam & S R. Eccleſiam, cauſamque ſuam Deo ac Sanctis commendauit, cõmiſitque. Verum quod eius animus probe omnibus notus eſſet, ad fallendum ſic compoſitus, vt cum deprimeretur tũc ſubdole ſibi larnam pietatis induceret, quam mox deponeret cum quod eſſet conatus effeciſſet: non ſolum ab hominibus non eſt auditus, ſed & merito eos quos ad defenſionem appellauit Sanctos expertus eſt vltores. Ex inſperato ſiquidem eſt morte repentina mulctatus, quarto (vt habet Domnizo in Mathilde) ſeu, vt Vrſpergenſis, ſeptimo Idus Auguſti, ætatis quinquageſimo quinto anno.

HENRICI OBITVS.

III. PANEGYRIS HENRICO DIGNA.

Miſerabile tamen dictu eſt (inquit Vrſpergenſis) tanti nominis, tantæ dignitatis, tantique animi virum, ſub profeſſione Chriſtiana mundũ tanto tempore luctatũ, nec ad inſtar cuiuslibet pauperis defuncti, pium vel compaſſiuum luctum à quauis inter tot Chriſtianos perſona promeruiſſe, ſed potius vniuerſorum tam ibidem quam vbiuis vere Chriſtianorum corda ſimul & ora infinito nimis tripudio repleſſe: quippe quibus illæ ſummæ execrationi eſſet, tamquam archipirata, hæreſiarcha, & apoſtata, ac perſecutor plus animarum quam corporum, necnon eatenus inauditorum, adeoque incredibilium ſcelerum auctor atque inuentor. Hæc de illo Vrſpergenſis omnium inſpector, ex quo redarguas, quiſque ille Anonymus fuerit, ſiue verus extiterit, ſiue fictus, qui Vitam eius texuiſſe dicitur homo: quam iam obliuione damnatam. Nouator hæreticus non ita pridem cudendam curauit, vna cum literis eiuſdem Henrici quarum eſt facta ſuperius mentio. Cæterum cum poſt eius mortem (vt idem narrat Vrſpergenſis) qui ei quæſtus dumtaxat gratia adhæſiſſent, communionem Catholicam expeterent: Leodienſis, ac cæteri eiuſdem factionis Epiſcopi, ea inter alias conditione illam promeruerunt, ſi cadauer ipſius Henrici excommunicati ab eis in quodam monaſterio ſepultum effoderent, & abſque vlla ſepulturę vel exequiarum communione in loco profano deponerent: quod & factum eſt & paulo poſt cadauer Spiram delatum, in ſarcophago lapideo extra Eccleſiam per quinquennium manſit inhumatum.

CADAVER HENRICI EFFOSSVM.

IV.

Peruulgata porro vbiq; locorũ Henrici morte, Paſchalis Papa rogatus (vt vidimus) à Conuentu Moguntino in Galliam Ciſalpinam properare, itineri ſe committens, ob ſparſam famã de proximo Antichriſti aduentu, Florentiæ ſubſtitit: ſed conſideratis quæ ferrentur, & vt nullius fidei contemptis, cœptum iter eſt proſecutus. Tradunt hæc Acta Vitæ ipſius. Quod vero pertinet ad *Antichriſtum*: fuit quidem opinio non vulgarium virorum, cum hoc fore ſæculo reuelandum: & inter alios Norberti, viri temporis huius fama celeberrimi: à quo id ſe audiuiſſe, teſtatur S. Bernardus [a] epiſtola ad Gaufredum Carnotenſem Epiſcopum. Eius tamen aſſertio (vt ex eodem Bernardo conſtat) in illud relabi viſa eſt viſitatum, quod cum ſæpe ſancti viri prænouiſſent ingentem aliquam Eccleſiæ perſecutionem, putarint rerum magnitudine ipſa affore Antichriſti tempora.

DE ANTICHRISTO PRÆDICTIONES.

a Bernard. ep. 56.

V. CONCIL. WASTAL. SVB PASCH. PP.

Cæterum Paſchalis cum in Galliam Ciſalpinam perueniſſet, menſe Octobris Synodum celebrauit ad oppidum *VVaſtallæ*, ſiue Guaſtallæ ſuper ripam Padi fluminis: in qua inter alia plurima, ſumma prudentia & moderatione geſta & ſtatuta ad inſtaurandam Eccleſiam longiori Henrici Senioris perſecutione concuſſam: omnes Epiſcopi, & cuiuſcumq; ordinis clerici, in ſchiſmate ordinati, in ſuis officijs ſuſcepti ſunt, & permanere permiſſi, niſi qui aut inuaſores, aut ſimoniaci, aut alias criminoſi probati eſſent. Narrat hæc Vrſpergenſis Abbas, qui aderat. Sed & interfuiſſe eidem Synodo Legatos Henrici Iunioris, & per eos illum à Paſchale ius regni petiiſſe, ſanctæque Sedi ſubiectionem exhibuiſſe, tradit qui pariter illic cum Mathilde præſens fuit Domnizo. Atque inſuper in codice Vaticano qui inſcribitur Liber Cenſuum, à Cencio Camerali collecto, traditur in hoc Concilio conſtitutum, vt Æmilia tota cum ſuis ciuitatibus nunquam vlterius Rauennati metropoli ſubiaceret, quod iſta per annos iam fere centũ aduerſus Sedem Apoſtolicam ſe erexiſſet. Additur etiam canon ibidem conditus aduerſus Inueſtituras Eccleſiarũ laicas: ac denique epiſtola [b] Paſchalis ad vniuerſos clericos & laicos Germaniæ qui fidem Catholicam inconcuſſe tenuiſſent, de modo conuerſandi inter medios hæreticos & ſchiſmaticos, cum plurimi eorum, vt prauorum commixtionem vitarent, etiam à regionibus illis diſcedere meditarentur.

HENR. IVNIOR SVBIECTIONEM EXHIBET SEDI APOST.

b Rec. Bar. annal. To. XII. hoc an.

VI. LEGAT. PARM. ET AVGVST. AD SYN.

Ad hanc quoque Synodum Legationes ciuium Parmenſium & Auguſtanorum venerunt: Illorum quidẽ pœnitentium, ac petentium ſibi dari virum ſanctiſſimum Bernardum S. R. E. presbyterum Cardinalem: quẽ ante biennium iidem Henrico Seniori fauentes, ad altare ſacra celebrantem diris contumelijs affecerant. Auguſtanorum autem, conquerentium de ſuo ipſorũ Epiſcopo Herimãno, qui pecuniarum mercimonio intruſus fuerat ab eodẽ Henrico. Porro Parmenſes Domnizo teſtatur auditos fuiſſe & exauditos. Auguſtanorum vero querelarum diligentior cognitio dilata in aduentum Paſchalis in Germaniã, (qui proxime futurus putabatur) tot poſtea fraudib. & impoſturis ab ipſo Hermanna inuoluta eſt, vt licet rurſum poſt quinquennium apud eumdem Paſchalem de adulteriis, ſtupris, & ſacrilegiis accuſatus fuerit, & officio interdictus, tamen nouis ſemper ſubreptionibus & falſi-

tatibus præfocata veritas extiterit: vſque ad tempora Gelaſii & Calliſti Pontificum, à quibus damnatus eſt, cum & præter alia ſcelera, Burdini Antipapæ ſchiſma foueret. De qua controuerſia, ex iis quæ viderat commentarium ſcripſit Vdaſcalcus [c]. Cæterum Paſchalis Papa, (vt auctor eſt Vrſpergenſis) habita poſt hæc cum ſuis matura deliberatione, tum ad Germanorum vitandam proteruiam, quam in ſeditioſo quodam tumultu Veronæ perſpectam habuit, tum maxime quod perſentiſcere cœpiſſet quæ iam in corde Henrici Iunioris venena ebullirent: mutato conſilio profectionem in Gallias inſtituit, inde etiam rebus Germaniæ conſulturus: & Natale Domini Cluniaci celebrauit.

c Ext. To. 2. antiq. lect. Caniſ.

PASCH. PP. IN GALL. ADVENIT.

VII. Ante vere quam in Gallias perueniſſet, hoc eodem anno mortuus eſt Philippus Rex Francorum apud Milidunum, & ſepultus in monaſterio S Benedicti ſuper Ligerim flumen: cuiuſque filius Ludouicus cognomento Craſſus, qui multa pietatis & iuſtitiæ in adoleſcentia teſtimonia ediderat, confeſtim Aureliani vnctus ac coronatus tertio Nonas Auguſti ab Archiepiſcopo Senonenſi & comprouincialibus Epiſcopis: id cum feſtinatione procurante potiſſimum Iuone Epiſcopo Carnotenſi, quod eſſent nonnulli regni perturbatores, qui ad hoc omni ſtudio vigilarêt, vt aut regnum in aliam perſonam transferrent, aut diuiderent, ſicque etiam pacem Eccleſiæ turbarent. Cum vix peracta conſecratione, aduenerunt nuntii Eccleſiæ Rhemenſis, cum literis cõtradictoriis ex priuilegio Apoſtolico, eidem Eccleſię iam à tempore S. Remigii qui Clodoueum primum Francorum Regem Chriſtianum baptizauit indulto, vt non alibi quam Rhemis vnctiones Regum fierent. Narrantur hæc omnia pluribus in appendice ad Aimoinum [d]. Rhemenſibus vero reſpondendi, iniunctum à cæteris qui Aureliani conuenerant Epiſcopis, opus Iuo omnium longe doctiſſimus ſuſcipiens, epiſtolam [e] apologeticam encyclicam conſcripſit, qua argumẽtis à ratione, exemplis, atque à rerum neceſſitate deductis, luculenter ac diſerte docuit nihil eos in ea re aduerſus cõſuetudinem aut legem peccaſſe. Cum & alioqui nullo modo tunc conueniret Regis conſecratio ciuitati Rhemenſi, tum ob periculũ dilationis, tum quod non ibi eſſet eo tẽpore legitimus Archiepiſcopus, & ciuitas ob turbas ab intruſo excitatas ſub anathemate poſita eſſet. Quibus cognitis Paſchalis Papa acquieuiſſe viſus eſt, cuius nulla habetur progreſſa vlterius commonitio, nec Iuonis (vt conſueuit) defenſio fortius inculcata. Porro deploratus, quẽ audiſti, Rhemenſis, Eccleſiæ ſtatus, ſic vtcumque poſtea eiuſdem Iuonis apud Regem interceſſionibus reſtitutus eſt, vt expulſo inuaſore Geruaſio, Rudolphus legitime electus introduceretur: ea tamen conditione, vt ipſe per manum & ſacramentum illam fidelitatem Regi faceret, quam antea feciſſe perhiberẽtur omnes Archiepiſcopi Rhemenſes, & cæteri regni Francorum quamlibet religioſi & ſancti Epiſcopi. Super quibus auctoritate Apoſtolica diſpenſari, quod aduerſus decreta Pontificum geſta eſſent, rogauit idem Iuo [f] Paſchalem Papam: qui petitis annuit poſt factum, quod faciendum penitus contradixiſſet.

QVERELA RHEM. ECCL. DE CONSECRAT. REGIS FRAN. EXTRA EAM CIVITATEM.

d Aimoin. l. 5. c. 49.

e Iuo ep. 70.

DE FIDELITATE AB EPISC. REGI IVRATA.

f Id ep. 206.

VIII. Hoc eodem anno atque Indictione, habet Romualdus Archiepiſcopus Salernitanus in Chronico, corpora Sanctorum Pontiani Papæ & martyris Elutherii Epiſcopi & martyris, & Anaſtaſii Confeſſoris, ab Vrbe tranſlata eſſe Troiam in Apulia ciuitatem, & in ea tranſlatione multa edita eſſe miracula.

IESV CHRISTI AN. 1107.

ALEXII COMN. 27.

PASCH. II. AN. 8.

I. Anno Chriſti milleſimo centeſimo ſeptimo, indictione decimaquinta, Paſchalis Papa ſummo exceptis in Galliis amore, pariter & honore cultus, circa Aſcenſionem Domini CONCILIVM celebrauit *Trecis*: vbi inter alia (inquit Vrſpergenſis) ſententiam de libera paſtorum electione, & de coercenda laicorum in Eccleſiaſticas dignitates præſumptione, iuxta prædeceſſorum ſuorum decreta promulgauit. Rex vero Germaniæ Henricus vicinum ſe eidem Concilio exhibens, Legatos ad Paſchalem miſit, per quos tam ipſi quam vniuerſæ Synodo, poteſtatem conſtituendorum Epiſcoporum, priuilegiis Apoſtolicis Carolo Imperatori conceſſam notificauit. Et quod ſuper ea quæſtione nihil in alieno regno definiri pateretur, conceſſæ ſunt ei induciæ Romam veniendi, & eandem cauſam in generali Concilio ventilandi. Poſt quæ Paſchalis Autumni tempore Romam rediit. Dum autem hoc anno Eccleſias Gallicanas viſitaret, adiiſſe quoque illuſtre Floriacenſe cœnobium, ac quædam ibi cum eius monachis de aſſerta corporis S. Benedicti tranſlatione tranſegiſſe: auctor eſt Petrus [a] diaconus Caſſinenſis. Sed vacillat fides eius ex Eugenii Papæ Tertii, & ſucceſſorum Pontificum diplomatibus, editis nuper ex promptuario Floriacenſi.

CONCIL. TRECEN. SVB PASCH. PP.

HENR. REG. PRÆTENSIONES.

a Pet. diac. Chron. Caſſin. li. 4. c. 31. 32. 33.

II. Hoc item anno (vt Sigebertus eſt auctor) Henricus Rex Angliæ contra Robertum Northmanniæ Comitem germanum ſuum, qui iam pridem ex Hieroſolymitana expeditione redierat, vt regnum ſibi iure debitum, tamquam natu maiori, acciperet, in ipſa Northmannia apud Tenebrachium acri prælio decertãs obtinuit eum, & vniuerſam eius ditionem in ſuam poteſtatem redegit. Quam ſibi victoriam paraſſe Regem per pacem quam ante bellum conceſſit Sancto Anſelmo Archiepiſcopo Cantuarienſi hactenus in Gallia exulanti, tradit Edinerus [b] in Vita eiuſdem Sancti. Ideoque & rediens in Angliam, Inueſtituras Eccleſiarum (inquit VVillelmus [c] Malmesburienſis) Anſelmo in perpetuum in manum remiſit: cum de grauiſſima illa controuerſia tot annis agitata, ita nuper in Paſchalem Papam & eumdem Regem per Legatos conuentum eſſet, vt Rex homagia de electis Epiſcopis acciperet, ſed nullum per baculum & annulum inueſtiret. At ſicut religionis cultus, & moderatio Regis fecerunt eum eſſe victorem, ita Robertum ipſius germanum, rerum diuinarum contemptus & oſcitantia, Comitatu priuarunt, & in vincula redegerunt adeo proſtituta eſſet ſub eo Principe Eccleſia Northmanniæ, vt & pueris vix duodenibus Eccleſiæ traderentur, etiam cum futura inuicem ſucceſſione, atque vnus Epiſcopus duabus ſimul præeſſeretur: prout de his malis grauiter queſtus eſt Iuo [d] Carnotenſis apud Paſchalem & alios.

REDDITA PACE ECCLESIÆ REX ANGL. DEBELLAT HOSTES.

b Edin. lib. 2. ap. Sur. 21. April.

c Malmesb. de geſt. Pont. Angl. li. 2.

QVOMODO COMPOSITA CONTROVERSIA DE INVESTIT. IN ANGL.

d Iuo ep. 181. 178. 179.

III. Quam autem mutabiles ſint Principes atq; lubrici ad malum, in eodem Henrico Rege Angliæ apparuit. Quem enim de pietate laudatum modo audiſti, ecce eumdem e veſtigio mutatum in tyrannum, dum adeo Hildebertum Cenomanenſem Epiſcopum libertatis Eccleſiæ acerrimum defenſorẽ perſecutus eſt, vt is ad dimittendum Epiſcopatus onus Romam ſe ad Paſchalem Papam conferre compulſus fuerit: licet id minime ab eo impetrare potuerit. Extant ea de re eius tunc ſcriptæ epiſtolæ [e]; quarum vna [f] narrat quomodo ipſo in Gallias redeunte celeberrimum monaſterium Lerinenſe in inſula Sancti Honorati à piratis fuerit penitus exciſum, & plurimi monachorum occiſi. Extatque etiam ad eundem Hildebertum Iuonis [g] epiſtola dum à Rege dira pateretur, qua hortatur illum ad tolerantiam: monetque eundem conſulentem, ne probatione per ignem, quam Rex ab eo exigebat, vellet, vllo pacto ſuam probare innocentiam: quod hoc eſſet in Eccleſia Dei per plures vetitum canones, & decreta Pontificum.

REX ANG. MVTATVR IN TYRANNVM.

e Hildeb. ep. 10. 22. 39. To. 3. Bibl. S.

f Iuo ep. 91.

g Iuo ep. 94.

IV. Quod ad res pertinet Orientis: mortuo Meſſanæ in Sicilia Daiberto Patricha Hieroſolymitano, dum ad Eccleſiam ſuam rediret cum literis Paſchalis Papæ; miſſus eſt hoc ipſo anno ab eodem Pontifice Hieroſolymam Gibelinus Arelatenſis Archiepiſcopus, cogniturus de cauſa Ebremari intruſi à Balduino Rege. Qui illic Concilio celebrato, eumdem Ebremarum auctoritate Apoſtolica depoſuit, quod adhuc viuentis Daiberti ſedem occupaſſet: & tamen conſiderata multa eius religione, & mira ſimplicitate, quodque inuitus in eam Eccleſiam intruſus fuiſſet, eumdem Cæſarienſi quę tunc vacabat præfecit. Poſt-

CONCIL. HIEROSOL. IN CAVSA PATRIARCHÆ ILLIVS ECCL.

modum

modum vero cum de ſubſtituendo Hieroſolymis Patriarcha inter clerum & populum multa eſſet diſceptatio, vnanimiter tandem in ipſum *Gibelinum* Legatum conuenerunt; malitia (vt creditum eſt) Arnulphi Archidiaconi omnium eius Eccleſiæ malorum auctoris, vt homo ſenex & decrepitus in ea ſede viuere diu non poſſet. Narrat iſta VVillelmus [h] Tyrius Porro Gibelinus inuitus admodum onus ſuſcipiens, literas [i] ad ſuos Arelatenſes cum multis lacrymis dedit; ad quos etiam Paſchalis Papa reſcripſit pro electione ſucceſſoris.

i Tyr. lib. 11. cap. 4. & 6. Rec. Bar. Annal To. CII. hoc. an.

ALEXII COMN. AN. 28.

IESV CHRISTI AN. 1108.

PASCH. II. AN. 9.

I. PASCH. PP. COMPESCIT TYRANNOS.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo octauo, Indictione prima, Paſchalis Papa (vt auctor eſt Bibliothecarius) rurſus tumultuantes quoſdam Romanorum (quorum principes erant Prolemæus Comes Tuſculanus, & Petrus de Columna Abbas Farfenſis) vſurpatores rerum Eccleſiæ, alioſque ad defectionem populum permouentes compeſcuit, opera maxime Petri Leonis, atq; Leonis Frangipanis, nobiliſſimorum ciuium Romanorum, fideliter pro ipſo Paſchale agentium Et Beneuentum profectus [a], SYNODVM illic menſe Octobris celebrauit; in qua inter alia confirmauit decretum de beneficiis Eccleſiaſticis à perſonis laicis non accipiendis.

a Petr. diac. Chron. Caſ. ſin. li. 4. c. 34. in fin. & 35.

II. CONCIL. LONDON. DE INVESTITVRIS, ETC.

Quo etiam anno in Anglia conuocato *Londini* ad Calendas Auguſti generali omnium totius regni Præſulum ac procerum CONVENTV, præſidente Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo, præſente Rege ac conſentiente ſtabilita eſt atq; promulgata definitio controuerſiæ de inueſtituris, quam inter Paſchalem Papam & ipſum Regem factam diximus anno ſuperiori; videlicet vt nullus Epiſcopus vel Abbas, per Regem aut quamlibet laicam manum inueſtiretur; pro hominio tamen quod Regi faceret, haud communione vel honore priuaretur. Tradit iſta Rogerius in Annalibus, additque decretum in eodem Concilio factum aduerſus quoſcumque clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, qui cum mulieribus habitarent, aut eas domi inuiſerent, niſi quæ à Nicæna Synodo permiſſæ eſſent. Porro huic Londonienſi Concilio interfuiſſe quoque Thomam electum Archiepiſcopum Eboracenſem, teſtatur idem Rogerius: additque VVillelmus [b] Malmeſburienſis, eundem detrectantem profeſſionem ex more antiquo facere Archiepiſcopo Cantuarienſi, à S. Anſelmo publice excommunicatum fuiſſe donec pareret; quod & tandem fecit, ſicut & paulo ante coactus fecerat Gerardus ipſius Thomæ prædeceſſor, & ſub Lanfranco feciſſe vidimus alterum Thomam.

b Malmesb. de geſt. Pont. Angl. lib. 3.

ARCHIEP. EBORACEN. EXCOMMVNICATVS A CANTVARIENSI.

III. CONTROVERSIA DE LIMITIB. ECCLES. HIEROS. ET ANTIOCH.

Eodem anno Paſchalis Papa annuens petitioni Balduini Regis Hieroſolymorum, conceſſit vt quoniam Eccleſiarum illarum partium termini ac poſſeſſiones diuturna Infidelium tyrannide confuſæ eſſent, Hieroſolymitanæ ſubiacerent ciuitates omnes atque prouinciæ, quas idem Rex aut iam cepiſſet, aut capturus eſſet. Qua de re cum iterum per legatos conqueſtus eſſet apud Paſchalem Bernardus Patriarcha Antiochenus, quod per eiuſmodi conceſſionem imminuta valde eſſet ſua ipſius diœceſis, petens vt deſcripti termini cuiuſque Patriarchatus per Concilium Nicænum, immobiles permanerent; ita poſt obitum Gibelini Hieroſolymitani ea controuerſia ab eodem Paſchali definita eſt, vt Eccleſiæ illæ quibus certi fines antiqui aſſignari poſſent, illi Patriarchatui ſubiacerent ad quem antiquitus pertinuiſſent. Qua de re vide pluribus Tyrium [c].

c Tyr. lib. 11. ca. 28.

ALEXII COMN. AN. 29.

IESV CHRISTI AN. 1109.

PASCH. II AN. 10.

I. EXCOMMVNICATIO ET PRIVATIO REGNI INDICTA IN INCESTVOSVM CONIVGIVM.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo nono, Indictione ſecunda, Paſchalis Papa audito inceſtuoſo coniugio inter Vracam Reginam filiam Alfonſi Regis Caſtellæ nuper eodem anno defuncti Calendas Iulij, & Alfonſum Aragoniæ Regem, tertio gradu conſanguinitatis inter ſe coniunctos; Apoſtolica auctoritate pœna excommunicationis atque regni priuatione indicta, eiuſmodi coniunctionem diuelli iuſſit, ſcribens [a] ad Didacum Compoſtellanum Epiſcopum. Sed cum (non paruiſſent, Deum vindicem experti, Vraca morte ſubitanea medium crepuit, Alfonſus à Saracenis peremptus eſt: prout vterque Rodericus affirmat. Ex quibus etiam conſtat, in Epiſcopos literis Apoſtolicis obſequentes perſecutionem excitatam, & Bernardum Archiepiſcopum Toletanum extra diœceſim exulare per biennium eſſe coactum. Qua occaſione capta, verſipellis ille Burdinus Epiſcopus Bracarenſis, quem ab eodem Bernardo è Gallia ductum vidimus Toletum, Romam veniens oblata Paſchali pecunia petiit in Bernardi locum intrudi: ſed cum execratione reiectus, poſtea Henricum Germaniæ Regem adiit, quem Paſchali cœpiſſe aduerſari intellexiſſet; cumque calcaribus per abrupta impellens, homo vaferrimus, ad inſinuandum ſe Principibus audaciſſimus, atque ad decipiendum aptiſſimus, haud quieuit quouſque illis niſibus Apoſtolicum thronum inuaſit, quomodo autem, ſuo loco dicturi ſumus.

a ap. Io. Mariam. lib. 10. ca. 8.

BVRDINVS SIMONIACVS OMNIVM MALOR. AVCTOR.

II. OBITVS SS. ANSELMI CANTVAR. ET HVGON. CLVNIACEN.

Hoc eodem anno ex hac vita ad æternam gloriam tranſierunt [b] SS. Anſelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis, & Hugo Abbas Cluniacenſis; ille vndecimo, iſte tertio Calendas Maij; vterque ætate admodum prouectus: quorum labores pro defenſione Eccleſiæ Sanctæ ſuſceptos ſæpe ſuperius memorari contigit. Vtinam vero ſicut Anſelmus, ita & Hugo ſuum habuiſſet Edinerum, qui res ab eo geſtas accuratius ſcripſiſſet; quas mea ſententia qui ſcripſit Hugo [c] monachus, vix attigiſſe dicendus eſt. Quod autem in fine ipſius Vitæ fit mentio viſionis de eius tranſitu, diuinitus oſtenſæ S. Godefredo Epiſcopo Ambianenſi, dum Romam pergeret; pariter ex iis inſinuatur, hoc ipſo anno eiuſdem Godefredi contigiſſe aduentum in Vrbem: cum videlicet (vt eius Vitæ fideliſſime ſcripta habent [d] Acta) celebrata Rhemis frequenti *Synodo*, inter alia illic geſta idem Godefredus redarguit falſitatis diploma Apoſtolicum, quod ad ſuam ipſorum exemptionem à ſubiectione Epiſcopi Ambianenſis, ſubripuerant monachi cœnobij S. Vdalrici. Qua de cauſa ipſe Romam ſe conferens, & à Paſchale Papa poſt cognitam ipſius ſanctitatem atq; prudentiam, magno honore habitus, obtinuit ab eo quæ petiit.

b Edin. in Vit. Anſel. ap. Sur. 21. April Sigeb. in Chron.

c Extat apud Sur. 29. April.

d Vit. Godef. lib. 2. c. 11 & c. apud Sur. to. 6.

CONCIL. RHEMEN.

ALEX. COMN. 30.

IESV CHRISTI AN. 1110.

PASCH. II. AN. 11.

I. HENRIC. REX IN ITAL. VENIT.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo decimo, Indictione tertia, Henricus Rex Germaniæ cum ingenti exercitu in Italiam veniens, coronam Imperij ſuſcepturus, inſignem legationem præmiſit ad Paſchalem Papam, qua ſe fidelem, filiumque profiteretur eſſe velle S. Petri. Cum interim nonnullas vrbes ei reſiſtentes expugnans, in Tuſciam venit, & Natale Domini Florentiæ celebrauit. Teſtatur iſta Domnizo in Vita Mathildis. Petrus [a] vero diaconus Caſſinenſis de eodem Henrici aduentu agens, amplius narrat ſubſidia à Paſchale Papa ad anteuertendam imminentem cladem ſub pacis inuolucro tectam, tum à Northmannis ac Longobardis, tum ab ipſis Romanorum proceribus poſtulata; itemque pacta conuenta tam Romæ in porticu S. Petri, quam apud Sutrium inter Legatos Paſchalis atque Henrici, antequam iſte ſe in Vrbem infunderet; nimirum ex parte Regis pro ſecuritate Pontificis, & libertate Eccleſiarum, ac reſtitutione & conſeruatione iurium ac poſſeſſionum ad eas pertinentium, itemque pro renunciatione Inueſtiturarum; & ex parte Pontificis, pro corona Imperij & Regalibus prædeceſſorum Imperatorum, ab eo Regi concedendis. Quæ cuncta idem Petrus diaconus recitat ex ſcripto tunc ea de re confecto,

a Petr. diac. lib. 4. cap. 37. & 38.

PACTA CONVENTA INTER PASCH. PP. ET HENRIC. REG.

quod hactenus extat: agitque de iiſdem breuiter Vrſpergenſis. Quid vero poſtea fieri contigerit, dicetur anno ſequenti.

II. Quod ad res pertinet Orientales, hoc eodem anno auctoritate Paſchalis Papæ id agentis per Legatum ſuum, Bethleem ᵇ erecta eſt in ſedem Epiſcopalem, & à Balduino Rege dotem accepit.

b Vid. Tyr. lib. 11. ca. 12.

IESV CHRISTI AN. 1111.

Henrici IV. 1. Alexii Comn. 31.

PASCH. II. AN. 12.

I. ANno Chriſti milleſimo centeſimo vndecimo, Indictione quarta, poſt repetita inter Legatos Paſchalis Papæ & Henrici Regis pacta conuenta, de quib. dictum eſt anno ſuperiori, eademque tum ab ipſo Rege, tum ex parte Paſchalis à Petro Leonis filio (fuit iſte nobiliſſimus ciuis Romanus, à patris nomine ſic appellatus; vnde & origo familiæ Petri Leonis dictæ) iuramento firmata; idem Rex Henricus pridie Idus Februarii Romā ſolemniter ingreſſus eſt, receptus extra Vrbem à Populo, in porta à Clero, & ad ſuperiores gradus S. Petri ab ipſo Paſchale & Epiſcopis ac Cardinalibus. Qui poſt pedum Pontificis oſcula, & mutuum amborum complexum, dexteram Pōtificis ex more tenens, baſilicam ingreſſus, cum à Pontifice ſolicitaretur de adimpletione pactorum cōuentorum, & in particulari de non ſe immiſcendo Inueſtituris Eccleſiarum: ille dolos ſuos & fraudes detegens, non ſolum id denegauit, ſed & eumdem Pontificem, ipſum aliter coronare recuſantem, cum Cardinalibus, & magna clericorum ac ciuium Romanorum multitudine, captiuum ſub militari cuſtodia detinuit; pluresque ex iis qui obuiam ei cum floribus & palmis exierant, partim cædi, partim ſpoliari & vinciri iuſſit. Vnde Romani in furorem verſi, mox cunctos Germanos per Vrbem diſperſos cæciderunt; deinde vero (hortante eos maxime Ioanne Cardinale Epiſcopo Tuſculano, qui ſub plebeio habitu vna cum Leone Oſtienſi manus Henrici euaſerat) repetitis cum exercitu qui extra Vrbem erat acrioribus pugnis, quarum vna & ipſe Henricus equo deiectus, atque in faciem vulneratus, vix necem euaſit, ipſum inde abſcedere coegerunt.

Henrici ingreſſus in urbem.

Paſchal. pp. captiuus detinetur.

II. Qui quidem Paſchalem veſtibus Pontificalibus exutum, cum aliis captiuis vinctum abducens, apud caſtrum quoddam in Sabinis arctiſſima cuſtodia ſexaginta & vnum dies detinuit; nullis valens minis aut malis eius flectere conſtantiam, qua vitam ipſam conſeruationi iurium Eccleſiæ poſtponebat. Donec propoſitis eidem Pontifici ab iiſdem ipſis qui ei adhærebant, reliquorum captiuorum calamitatibus, atque Vrbis periculo quæ ab Henrico continuis incurſionibus infeſtabatur, necnon grauiſſimo ſchiſmatis ſcandalo quod vniuerſæ Eccleſiæ imminebat; idem victus tandem ſuorum lacrymis, iuramento promiſit numquam ſe Henricum de Inueſtituris Eccleſiarum inquietaturum, aut eum excommunicatione perculſurum: idemq; ceteri Epiſcopi & Cardinales qui cum eo captiui detinebantur, compulſi ſunt iurare. Denique priuilegio ſcripto ab eo extorto, eidem Henrico conceſſit Epiſcopos & Abbates regni ſui (canonice tamen & abſq; ſimonia electos) per anulum & virgam inueſtire; & vt electi, licet canonice, à Clero & populo, non aliter quā præuia inueſtitura regia conſecrarentur. Poſt quæ ad baſilicam S. Petri deductus, illic HENRICVM coronauit in Imperatorem eius nominis Quartum, portis omnibus Vrbis obſeratis, ne quis ciuium eo aduenieret. Vbi rurſum cum in Miſſa ad Hoſtiæ confractionem veniſſet, partem ipſe ſumens, alteramque Imperatori tradens, obſeruationem ſuperioris conceſſionis promiſit. Tandemq; ab Imperatore ad caſtra remeante liber cum ſuis ad Vrbem dimiſſus, ingenti populi exultatione receptus eſt, quod contigit ipſa die Iduum Aprilis huius Indictionis quartæ. Hæc autem omnia fuſius narrantur, tum à Petro ᵃ diacono Caſſinenſi, tum in Actis Vitæ Paſchalis, aliiſque ea de re ſpecialiter conſcriptis ab auctore qui aderat, quæ aſſeruantur in Bibliotheca Vaticana; itemque in aliis antiquis monumentis in Notis Papirij Maſſoni ad Iuonis epiſtolas. Sed & eiuſdem temporis clarus ſcriptor, idemq; Notarius Imperatoris, Gotfridus ᵇ Viterbienſis deſcripſit omnia metro, hiſtorice tamen non poetice, ſimulque attexuit quibus ſe pars vtraque in eiuſmodi quæ tunc verſabantur diſceptationibus, tuetetur rationibus.

Quæ per vim Henricus extorſerit a Paſch. pp.

Henric. coronatur Imp.

a Petro diac. Chron. Caſſin. l. 4. c. 38. & ſeqq.

b Goffr. Viterb. Chron. par. 17.

III. De iiſdem quoque agens Otto ᶜ Friſingenſis, & ipſe eiuſdem temporis ſcriptor, laudat inſuper conſtantiam Conradi Archiepiſcopi Iuuauenſis (dicta eſt iſta ciuitas alio nomine Salzburgum) qui cum Rege venerat: cui tantum ſacrilegium deteſtanti (inquit Otto) cum qui iam ex miniſtris Regis gladio euaginato mortem interminaretur, ipſe iugulum præbuit, malens ſi minas ille ad effectū perducere voluiſſet, temporalem vitam finire, quam tanti piaculi ſcelus diſſimulare. Quanta vero ab hoc anno, & ex ea cauſa, eumdem S. Conradum ſecuta fuerint mala ab odio Imperatoris eiuſque fautorum, narratur in Actis S. Gebehardi eiuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopi: quæ ſi legeris, miraberis antiquas latebras S. Athanaſii æquatas, dum ad perquirendum Conradum omnimodam cuncti perhiberent induſtriam: qui tandem poſt nouem annos, pace reddita Eccleſiæ, ad ſuam honorifice reductus eſt ſedem. Ceterum in harum narratione miſeriarum, ridendus plane Vrſpergenſis Abbas, qui inter omnes huius temporis ſcriptores hoc ſacrilegium damnantes, ob priuatum erga Henricum affectum illud conuertere nititur in pietatem; comparans Henricum Patriarchæ Iacob ᵈ, quod ſicut ille detinuit Angelum, & non dimiſit niſi benediceretur ab eo; ita iſte Paſchalem Papam tenuerit, detinueritq; ſancte pieque quouſq; ab eo quam petebat benedictionem acceperit. Addit vero quod dum adhuc Henricus Paſchalem detineret, acceperit ab eo facultatem ſepeliendi in eccleſia Henricum parentem ſuum, parentandique more Catholico, quod ſacerdotes Germaniæ teſtati eſſent, eum peccatorum ſuorum pœnitentem obiiſſe, quod quidem alioqui id ei paulo ante penitus denegaſſe Paſchalem, teſtatur Petrus ᵉ diaconus.

c Otto Friſing. lib. 7. ca. 14.

Conradi Epiſc. Conſtantia.

Sacrilegium Henr. religione fucatur.

d Gen. 32.

e Petr. diac. [illegible]

IV. Porro graui iſto vulnere in capite accepto, Catholica vbiq; Eccleſia concuſſa eſt. Et quæ eidē capiti iuncta erant proxime mēbra, S. R. E. Cardinales quos Paſchalis in Vrbē cū ſuis reuerſus illic inuenit, valde improbantes quod Henrico Imperatori cōceſſerat; licet & ipſe, & ceteri Cardinales qui cum eo captiui fuerant, pro vtilitate publica factum excuſarent; tamen cū paulo poſt ab vrbe Campaniam verſus receſſiſſet, iidem ſeorſum Romæ conuenientes in vnum ſimul cū Ioanne Cardinale Epiſcopo Tuſculano, confirmarunt quæ à Gregor. VII. & Vrbano II. Pontificib. contra laicorum Inueſtituras ſtatuta plurib. Conciliis eſſent; nihilq; roboris obtinere decreuere, quicquid aduerſus ea ab ipſo Paſchali quouis prætextu actū fuiſſet. Quod vbi audiſſet Paſchalis, literas ᶠ ad eos Tarracina dedit, quib. interim eos leniter redarguens, promiſit tamen ſe emendaturum quod egerat; prudenter admodum occurrens ſchiſmati, quod inchoari iā videbatur. Sed & iiſdem ferme diebus, eademq; de cauſa, alia habita eſt inter eumdem Paſchalem & S. Brunonem Signinum Epiſcopum, non ita pridem electum quoque monaſterii Caſſinenſis Abbatem, concertatio, quæ à Petro ᵍ diacono deſcribitur. Vnde & idem Bruno prohibitus à Paſchali vltra ſimul Epiſc. eſſe & Abbas, fruſtra eum retinere conantib. monachis, ad Epiſcopatum ſuum rediit; & poſt aliquot annos ſancto fine quieuit, miraculis poſt obitum clarus.

Diſſidia in Eccleſia, cauſa Paſch. PP.

f Rec. Par. Annal. To. XII. hoc an.

Altercatio inter Brun. et Paſch.

g Petr. diac. lib. 4. ca. 34.

V. Quod vero ad Paſchalem ſpectat; ſic ipſe comparatus erat, vt quod fecerat excuſaret potius quam defenderet. Verum in eos conſtanter egit, qui ſibi eiuſmodi iudicium aduerſus Summum Pontificē ſumerent, cuiquam hactenus in Eccleſia inconceſſum. Ipſum autem non ſolum nō defendiſſe quod perperam, licet inuitus & cogēte neceſſitate cōmiſiſſet, ſed improbaſſe, & literis ad vniuerſū m Catholicū orbem ſcriptis denuo prohibuiſſe quod & ipſe olim, & ante ipſum Gregorius & Vrban᷑ damnaſſent ac prohibuiſſent, conſtat ex epiſtola, quæ adhuc extat ʰ eo argumen-

Paſchalis ſuum factum damnat, ipſe ab aliis damnari recuſat.

h Ext. [illegible]

argumento miſſa ad Guidonem Archiepiſcopum Vienenſem Apoſtol. Sedis Legatum, aliaque ad Gerardum Epiſcopum Engoliſmenſem itidem Sedis Apoſtolicæ Legatum; quarum fit mentio in literis à Synodo Viennenſi redditis ad eumdem Paſchalem anno ſequenti: meminitque earundem Iuo [i] Carnotenſis ad Henricum Abbatem Angeliacenſem, & Ioannem Archiepiſcopum Lugdunenſem; apud quos ipſe ſpiritu charitatis Paſchalem excuſare laborat, cum præcipue idem Ioannes Zelo offenſæ Eccleſiæ æſtuans, inflictum capiti vulnus haud eiuſmodi eſſe putaret, vt leni olei poſſet vnctione curari; maxime cum res eſſet agenda aduerſus ſacrilegum furore flagrantem adoleſcentem Imperatorem, & alios Principes id ipſum præſumentes.

i Iuo ep. 233. 238. IVO CARNOT. EXCVSAT PASCHALEM.

VI. Quamobrem cum idem Ioannes ad hoc omnium ſibi ſubiectorum Epiſcoporum conuocandũ eſſe Concilium putaſſet; ad eumdem Iuonem ire recuſanté, & in Paſchalis (vt diximus) excuſationem multa afferentem, præclaram reſcribens epiſtolam [k], aſſerta ab illo multa refellit, & inter alia quod dixiſſet Reges & Imperatores non poſſe ab Epiſcopis condemnari aut iudicari. Sed & quod negaſſet actum inueſtiendi à laicis vſurpatum, hæreſim dici debere; reſpondet egregie Ioannes, licet id proprie non ſit hæreſis, aſſerere tamen ac defendere fieri debere, indubitatam eſſe hæreſim. Quo etiam ſenſu reperiuntur eſſe locuti ſancti Pontifices, & alij qui Inueſtituras hæreſim vocarunt. Huic autem aſſertioni cum Paſchalis & verbis & ſcriptis ſemper aduerſatus fuerit, procul abeſt vt hæreticus dici potuerit, quamuis inueſtituras ex cauſa conceſſerit. Porro Iuonem acquieuiſſe ſcriptis Ioannis, inde ſumimus argumentum, quod cum in fine ſuæ epiſtolæ Ioannes illum ad reſponſionem prouocaſſet, ipſe non ſolum nihil reſpondiſſe reperitur, ſed & (quod in aliis hactenus non feciſſet) ipſam Ioannis epiſtolam cum ſuis conſuit, iudicans dignam æterna memoria.

k ap. Iuon. ep. 233. INVESTITVRAS LAICOR. DEFENDERE, HÆRESIS EST.

VII. Ex his autem plane ſatis apparet, quod ſicut Romæ, ita & fuerit in prouinciis altercatum; aliis pro Paſchalis excuſatione laborantibus, aliis ex aduerſo ſurgentib. non tam in Paſchalem, qui & ipſe deteſtabatur quod fecerat, quam aduerſus Regem Henricum, quem excommunicandum eſſe clamarent. Quod & annis ſequentib. factum videbimus in diuerſis prouinciis: & hoc ipſo anno fortiter aggreſſus eſt *Cuno* ſiue C non Cardinalis Epiſcop. Præneſtinus, Legatione Apoſtolicę Sedis in Oriéte fugiens; qui audito Henrici ſacrilegio, conuocata mox Hieroſolymis *Synodo*, eumdem excommunicauit, & confeſtim aduolãs in Occidentem, eodemq; Legationis munere circũquaq; prouincias luſtrans, collectis in Græcia, Hungar. Saxonia, Lotharingia, & Francia *Synod* , vbiq; eamdem excõmunicationis ſententiã repetiuit, vt de his conſtat ex Actis vltimi ſub Paſchale celebrati generalis Concil. Lateranẽſ. [l], in quo ea omnia Conon voluit per eumdem Pontificẽ confirmari. Sed de eo rurſum inferius: quem quidem auctor Appendicis [m] ad Sigebertum, ex eremo prouectũ aſſerit.

CONON CARD. IN MVLTIS CELEBRATIS CONCIL. EXCOMMVNICAT SEMEL HENRICVM.

l Vrſperg. an. Domini.

m Append. ad Sigeb. an. 1114.

VIII. Hoc eodem anno (vt habet Chronicon Romualdi Archiepiſcopi Salernitani, & indicat Petrus [n] diaconus) defunctus eſt Boamundus Princeps laudatiſſimus, in his præſertim quæ ſpectant ad fortitudinem militarem; ſepultuſq; eſt Canuſiæ in Apulia in eccleſia S. Sabini. Cui ſucceſſit filius item Boamundus nuncupatus, ſed non ita felix, ſicut nec fortis: de quo conſule VVillelmum Tyriũ. Quo etiam auctore [o] conſtat, hoc eodem anno menſe Aprilis captam fuiſſe à Balduino Hieroſolymorum Rege Beritum, & menſe Decembris Sidonem adiumento Danorum & Noruegiæ Regis claſſis.

n Pet. diac. Chron. Caſſ. lib. 4. cap. 41.

o Tyr. lib. 11. cap. 13. 14.

IX. Eodem anno refert Rupertus [p] Abbas Tuitienſis fama celebris, accidiſſe in monaſterio S. Laurentij in monte Leodij, ipſo ſancto Paſchæ Sabbato dum officium matutinum celebraretur, inſigne miraculum, quo vni ex monachis ſæpius admirari ſolito (licet de rei veritate minime dubitanti) quomodo verum Domini corpus clauſo reſurgere monumento, clauſiſque potuiſſet ianuis ingredi ad diſcipulos; repente cingulum quo firmiter ſubſtrictus erat, ante pedes illius exiuerit, non ſoluto nodo, neq; circum crura pedeſque deſcendens; eaque de re mirum in modum ſtupenti monacho vox ei tanquam ſibilum auræ tenuis facta fuerit, dicens, *Sic potuit clauſo Chriſtus prodire ſepulchro.* Narrat iſtud (vt dixi) *Rupertus* in commentario quem eodem tempore ſcribebat de Diuinis Officiis, monaſticam & ipſe in eodem cœnobio tunc agens vitam ſub Berengero, ſiue Berengario Abbate: quo moriente, ab eodem protectioni commendatus Cunonis Abbatis Sigebergenſis à perſecutione inuidorum Fratrum, cœpit ſub eo ſcriptos à ſe edere Commentarios. Felix progreſſus, ſed non inoffenſo penitus pede, dum in errorem illum impegit, quo aſſeruit [q] in Euchariſtia ita ineſſe vere ipſum integrum corpus & ſanguinem Chriſti, vt tamen ſubſtantia ipſa panis & vini etiam integrà remaneret. Suas vero lucubrationes numerat ipſe in epiſtola nuncupatoria ad eumdem Cunonem iam creatum Epiſcopum Ratiſponenſem, conſcripta vltimo loco cum primitias laboris ſui diutius apud ſe retentas eidem dedicat, libros hoc anno ſcriptos de Diuinis Officiis.

p Rupert. de diuin. Off. lib. 8. c. 4. MIRACVLVM DE CERTITVDINE RESVRRECTIONIS.

RVPERTI ERROR DE EVCHAR. *q Idem ead. lib. 2. c. 10. & ſeq.*

IESV CHRISTI AN. 1112.

HENRICI IV. 2. ALEXII COMN. 32.

PASCH. II. AN. 14.

I. ANno Chriſti milleſimo centeſimo duodecimo, Indictione quinta, Paſchalis Papa ad inſtaurãdum graue damnum illatum Eccleſiæ, ſcandalumque curandum quod intuliſſet vbique Fidelibus, generale Concilium Romæ in baſilica Lateranenſi celebrauit: quod quidem hoc anno habitum eſſe (non, vt in quibuſdam codicibus legitur ſequenti) Vrſpergenſis teſtatur, & indicat Petrus [a] diaconus; redditurque indubitatum ex Actis Concilii Viennenſis habiti hoc pariter anno menſe Septembri, dum in eis mentio habetur huius Lateranenſis menſe Martio celebrati. Interfuerunt autem cum ipſo Paſchale Archiepiſcopi duodecim, Epiſcopi centum quatuordecim, preſbyteri Cardinales quindecim, & diaconi Cardinales octo, Abbates plures, & clericorum diuerſi ordinis innumera multitudo; vt habetur in Synodi Actis quæ extant, quæque Nicolaus Aragonius in ſuum etiam tranſtulit codicem in Vita Paſchalis.

CONC. ROM. GENER. IN CAVSA HENR. IMP. *a Pet. diac. lib. 4. ca. 47.*

II. Porro in ea Synodo primum confirmata eſt ſententia aduerſus Guibertinos, qui referrentur quaſi ex permiſſione Paſchalis interdicta officia celebrare. Deinde narrauit idem Pontifex, quomodo vi & neceſſitate coactus cum Henrico tranſegiſſet; declarans tamen propter iuramentum tunc ei præſtitum, numquam ſe illum excommunicaturum, aut de Inueſtituris inquietaturum: ceterum priuilegium ab eodem extortum, corrigendum quidem eſſe tamquam praue factum, ſed correctionis eius modum iudicio ſe Synodi relinquere. Ac ne quis de fide ipſius dubitaret, profeſſionem Catholicæ fidei coram omnibus edidit. Poſt quæ ſecuta eſt Synodi ſententia, recitante illam Gerardo Epiſcopo Engoliſmenſi, qua priuilegium illud à Paſchale per vim extortum (quod & Priuilegium potius dici debere iudicarunt) penitus damnatum eſt, & irritum declaratum, quod eſſet contra Spiritum Sanctum & canonicam inſtitutionem. Sed præter iſta, Gotfridus [b] Viterbienſis Notarius imperatoris verſibus ſuis tradit, in eodem Concilio Paſchalem Papam ſe abdicaſſe, mitra & manto depoſitis; ſed à Patribus monitum ea reſumere: priuilegium quoque combuſtum fuiſſe, & in ipſum Henricum Imperatorem, eiuſque ſequaces, excommunicationis ſententiam latam, atque vbique promulgatam eſſe.

PASCH. PP. RECVSAT DAMNARE HENRICVM.

SYNODVS PRIVILEGIVM HENR. DATVM RESCINDIT, IPSVMQVE HENR. EXCOMMVNICAT. *b Gotfr. Viterb. Chron. parte 17.*

III. At licet hæc ſtabilita videri potuiſſent; tamen haud eſt ſopita diſcordia, quod videlicet ipſe Paſchalis noluerit Henricum excommunicare, nec conceſſas ei Inueſtituras reuocare, ipſumque prauum priuilegium per Concilium potius quam per ſe ipſum damnari permiſerit. Immo ex eo quod amicitiam cum Imperatore retinuerit, eumdemque literis coluerit; exulcerauit animos Orthodoxorum pro libertate Eccleſiæ æſtuantium. Inter quos

RENOVATVR CONTRA PASCHAL. MVRMVR.

Guido Archiepiſcopus Viennenſis, qui fuit poſtea Calliſtus Papa, tunc autem Legatus erat Apoſtolicæ Sedis, habita hoc ipſo anno, decimoſeptimo Calendas Octobris, Viennæ Synodo de communi Patrum cõſenſu laicorum Inueſtituras hæreſim eſſe iudicauit (de cuiuſmodi locutione iam dictum eſt anno ſuperiori) priuilegiumque de illis à Paſchale extortum irritum declarauit atque ipſum Henricum excommunicauit; deque omnibus certiorem per literas Paſchalem faciens, eadẽ ab eo auctoritate Apoſtolica ſolemniter confirmari petiuit, hortans interim illum, vt quod adueniſſent ad eandem Synodum Legati Henrici, literas pacis & amicitiæ ab ipſo Paſchali etiam poſt Concilium Lateranenſe ſcriptas proferentes; deinceps ab eius communicatione abſtineret. Porro interfuit inter alios Epiſcopos huic Synodo Viennenſi, immo & præfuit pro Guidone Archiepiſcopo & Legato (quod impeditioris eſſet linguæ) S. Godefredus Epiſcopus Ambianenſis, vt eius Vitæ Acta teſtantur. Itemque interfuit S. Hugo Epiſcopus Gratianopolitanus (inquit Guido Abbas Carthuſiæ in Vita ipſius) qui præ cunctis vt Henricus excommunicaretur, effecit.

CONCIL. VIEN. CONTRA HENR. IMP.

IV. PASCH. PP. STIGILLATVR.

Sic igitur Paſchalis Papa, qui hactenus ſumma gloria Pontificatum Vniuerſalis Eccleſiæ adminiſtraſſet; ab anno ſuperiori, quo ea quæ vidimus, perpetrauit, Apoſtolicæ conſtantiæ ſuccisis neruis viſus eſt langueſcere; cum nec tot vndiq; ſtimulis agitatus, in Henricum ſacrilegum inſurrexerit, nimis tenax cuſtos præſtiti, licet per vim & metum extorti iuramenti. Sicut etiam quod eiuſdem proditoris vſu amicitiæ retinuerit, & ex aduerſo vndique magno animo pro libertate Eccleſiæ inſurgentes Patres repreſſerit; magnam ſibi notam inuſſit. Nam & quod ad petitam Viennenſis Concilii confirmationem ſpectat, eam diutius diſtulit: vixq; impulſu Cunonis Cardinalis Præneſtini, poſt annos quatuor in alio Lateranenſi Concilio confirmauit omnia quæ per Legatos geſta eſſent, nominatim vero per eumdem Guidonem Archiepiſcopum Viennenſem. Summam vero laudem ſibi pepererunt Cardinales, atque Legati, cum ceteris, qui per tot annos ita ſe prudenter geſſerint, vt nec vllũ conflari ſchiſma, nec tamen in Eccleſia adeo immane ſcelus inultum relinqui paſſi ſint in perpetuam Apoſtolicæ Sedis ignominiam. Ita diuina prouidentia in eadem ſacroſancta Sede diſpenſante, vt cum langueſcit caput, membra ad defenſionem fortius roborentur.

V. CANCELLARIVS IMP. AB HOSTE IN DEFENSOREM ECC. CONVERSVS.

Quin etiam illud mirabilius operatus eſt Deus, vt & ipſi eiuſdem Sedis hoſtes, qui tantorum malorum auctores extitiſſent, aduerſus Imperatorem pro ea ſteterint. Cũ videlicet ille ipſe Imperatoris Cancellarius Albertus ſiue Adalbertus, cuius potiſſimum ſuggeſtione tot tantaque indigna perpetrauerat accepto in mercedem impietatis anno ſuperiori Archiepiſcopatu Mogũtino, mutatus mox in virum alterum, & commotus promulgatione anathematis à Guidone Archiepiſcopo Viẽnenſi in Imperatorem vibrati; veritatem ſerio propugnare, & inprimis contra ipſum Imperatorem pugnare aggreſſus eſt: nec deſtitit aliquando, quamuis extrema quæque pati coactus, donec victoriam de recuperata libertate S. Eccleſia fuerit conſecuta. Cuius quidem res per ſingulos ferme annos geſtas recenſens Vrſpergenſis huius temporis hiſtoricus (quãuis fauens Henrico, ipſumque Albertum ſugillans vt in Imperatorem infidum) præſenti ipſum anno docet fuiſſe in carcerem detruſum, ibique triennio vſque ad vltimum fere ſpiritum cruciatum: de cuius libertatione dicetur ſuo loco.

VI. ALEXII IMP. LEGATIO AD RO. PRO SEDE AP.

c Petr. diac. lib. 4. c. 48.

Præter hæc autẽ, ad acerbiſſimum Eccleſiæ Romanæ, cuius fama & ipſum quoque peruaſit Orientem, permotis eius æmulis, ac inſuper aduerſariis; eorum præcipuus, Imperator Alexius (vt auctor eſt Petrus [c] diaconus) nobilem hoc anno miſit ad Romanos Legationem, qua eis cõdoleret de iniuriis Pontifici & Vrbi illatis, ſimulque laudaret de virtute qua Henrico obſtitiſſent; atque adeo ſignificarent, ſi eorum animi in ipſum Alexium propenſiores eſſent, velle vel ſe vel Ioannem filium ſuum iuxta morem priſcorum fidelium Imperatorum à Summo Pontifice Romæ coronam Imperii ſumere. Cui Romanos annuiſſe, & miſiſſe Conſtantinopolim ex ſuis fere ſexcentos ad Imperatorem deducendum, idem Petrus ait. Verum iſta omnia in auras inanes euanuere; quæ aliquo prætextu viſa ſunt fuiſſe tentata ſub eiuſmodi inſuetæ legationis inuolucro.

VII.

d Tyr. lib. 11. c. 15. 18. 19.

Hoc eodem anno defuncto Gibelino Patriarcha Hieroſolymitano, in eius locum electus eſt *Arnulphus* eius Eccleſiæ Archidiaconus; de quo ſuperius; cuius deteſtabiles mores, operaq; nequiſſima, VVillelmus Tyrius [d] narrat. Mortuus eſt quoque eodem anno Tancredus Princeps Antiochiæ inſignis armis, ſed præſtantior pietate; qui habuit Rogerium ſucceſſorem, & moribus plane degenerem.

HENRI. IV. 3. ALEX. COMN. 33

IESV CHRISTI AN. 1113.

PASCH. II. AN. 14.

I. CONCIL. BENEV.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo decimotertio, Indictione ſexta, Paſchalis Papa pergens Beneuentum *Synodo* celebrata quæſtiones prouinciales, & alia iudicialia definiuit, de quibus agit Petrus diac.

II.

a Vid. Tyr. lib. 11. c. 21.

Eodemque anno [a] Balduinus Rex Hieroſolymorum, viuente adhuc prima coniuge duxit in vxore Comitiſſam Siciliæ, quæ vxor fuerat Rogerii Comitis; agente id nequiſſimo Arnulpho Patriarcha Hieroſolymitano: cuiuſmodi ſceleribus inſenſo numine, res Chriſtianorum cœperunt in deterius labi.

III.

b In Appen. Sigeb.

THABORENSES MONACHI MARTYRES.

c Pet. Cluniac. 4. ep. 44.

Hocque ipſo anno [b] Turcę qui Hieroſolymam capturi aduenerant, re infecta recedentes, monaſterium Chriſtianorum in monte Thabor conſtitutum euerterunt, & monachos omnes occiderũt, quos quidem germina fuiſſe Cluniacenſium, vitæque religioſæ obſeruantiſſimos, conſtat ex epiſtola Petri [c] Cluniacenſis ad eos ſcripta: quamobrem iure æſtimare liceat, quot monachos cæſos, tot laureatos Martyres è monte Thabor aſſumptos in cœlum.

IV. S. BERNARDVS FIT MONACHVS CISTERC.

Hic inſuper eſt annus, qui S. Bernardi conuerſione à ſæculo ad Ciſtercienſes extitit memorabilis, cum ipſe doctrina, vitæ exemplo, miraculis, Sanctorum fœcunda ſobole magnopere Eccleſiam Dei illuſtrauit. Quem quidem annos tunc natum fuiſſe viginti duos, ac ſecum ſocios amplius quam triginta Ciſtercium perduxiſſe, ſubq; Abbate Stephano collum ſuaui Chriſti iugo ſubmiſiſſe; teſtatur VVillelmus Abbas S. Theodorici, ſancti viri ſanctus collega in Vitæ ipſius primordiis.

HENRICI IV. 4. ALEXII COMN 32.

IESV CHRISTI AN. 1114.

PASCH. II. AN. 15.

I. CONCIL. CEPERANVM SVB PASC. PP.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo decimo quarto, Indictione ſeptima, Paſchalis Papa *Ceperani* ad ripam fluminis Liris Synodum habuit: in qua auditæ ſunt querelæ Archiepiſcopi Coſentini aduerſus Rogeriũ Siciliæ Comitem, quod ab eo deiectus Archiepiſcopatu, coactus fuiſſet monachus fieri Caſſinenſis: cauſam vero ex voluntate Paſchalis dirimens Abbas Caſſinenſis, eumdẽ Archiepiſcopum ad pedes Pontificis veſtes monaſticas deponere iuſſit, liberumque dimiſit. Sed & ibidem accuſatus Lãdulphus Archiepiſcopus Beneuentanus, nec ſe purgare valens, fugit Caſſinum. Denique Paſchalis VVillelmum Ducem Apuliæ & Calabriæ conſtituit. Hæc de ea Synodo Petrus [a] diaconus. Quam quidem celebratam eſſe mẽſe Octobri, traditur in Chronico Beneuentano ab auctore eiuſdem temporis, Folcone, ſiue Falcone dicto, ſincera plane & integra fide conſcripto, continente res geſtas dumtaxat annorum viginti ſeptem, nempe ab anno ſuperiori vſque ad milleſimum centeſimum quadrageſimum Redemptoris. De cauſa vero Landulphi Archiepiſcopi tradit, aduerſus eum illic præſentem in eodem Concilio

a Pet. diac. Chron. Caſ. lib. 4. c. 51.

cilio prolatam eſſe depoſitionis ſententiam, tum ob alia multa, tum maxime quod excitata Beneuenti ingenti populi ſeditione, palatium galeatus inuaſiſſet, & Landulphum Comeſtabulum vrbis cuſtodiæ præfectum, virum fortiſſimum, & Paſchali Papæ chariſſimum expuliſſet, ac vocatus à Paſchale ad Curiam venire contempſiſſet. Verum ipſum poſtea ab eodem Pontifice reſtitutum eſſe, teſtantur iidem Petrus & Falco.

II. RADVLPHVS CREATVR ARCHIEP. CANTVAR.

Hoc eodem anno, cum iam quinquennio exacto vacationis ſedis Cantuarienſis in Anglia, tandem poſt increpationes Paſchalis Papæ, poſtque multas Epiſcoporum diœceſanorum admonitiones, Rex Angliæ (qui poſt obitum S. Anſelmi, bona illius Eccleſiæ in vſus ſæculares vſurpauerat) conſenſiſſet vt ei Archiepiſcopus ordinaretur, electus eſt Radulphus Epiſcopus Roffenſis, vir ſcientia & moribus clarus. Qui cum pro accipiendo pallio debuiſſet ipſemet ex maiorum inſtituto Romam venire; tamen partim corporis debilitate detentus, partim periculo itineris deterritus, legatum ad Paſchalem direxit Anſelmum filium ſororis S. Anſelmi prædeceſſoris ſui: per quem ei Paſchalis pallium tranſmiſit, ad quod impetrandum interuenerant quoque literæ Iuonis [b] Carnotenſis.

b Iuo ep. 272.

III. CONCIL. BELLOV. SVB CANONE LEG. APOST. SED c Vit. God. ſ. Ambian. lib. 2. c. 9. & ſeq. ap. Sur. 8. Nouemb.

Hoc item anno (vt habet Appendix ad Sigebertum) in ciuitate Bellouacenſi in Gallia à Sedis Apoſtolicæ Legato Conone celebratum eſt CONCILIVM. Cuius quidem, ſicut & aliorum paulopoſt apud Sueſſiones & Rhemos ab eodem Conone Cardinale habitorum, fit quoque mentio in Rebus [c] geſtis S. Godefridi Epiſcopi Ambianenſis, occaſione ipſius ad Carthuſienſes ſeceſſus vt quietius Deo ſeruiret: cuius cauſa in iiſdem Synodis pertractata, iuſſus eſt Epiſcopatum repetere. Ceterum in frequentibus huiuſmodi Synodis, aduerſus Henricum Imperatorem anathema inclamatum eſſe, ſatis oſtendunt ea quæ de eodem Conone dicta ſunt ſuperius. Ad quem in Galliis morantem datæ extant quatuor Iuonis [d] epiſtolæ: quibus cum ſe infirmitate corporis grauatum, quod eum non adeat excuſet. ipſæque epiſtolæ ad finem codicis poſitæ inueniantur; haud diutius ipſum Iuonem ſuperfuiſſe putandum eſt, nec exceſſiſſe tempora Paſchalis Papæ. Nam poſt eum non Iuo, ſed Gaufredus legitur fuiſſe Carnotenſis Epiſcopus; ad quem extant epiſtolæ complures S. Bernardi.

d Iuo ep. 267. 258. 275. 277. IVONIS CARNOT. TEMPVS OBITVS.

HENRICI IV. 5. ALEX. COMN. 35.

IESV CHRISTI AN. 1115.

PASCH. II. AN. 16.

I. TVMVLTVS IN VRBE OB PRÆFECTI OBITVM.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo decimoquinto, Indictione octaua, ipſa die Cœnæ Domini defuncto Petro Vrbis Præfecto, eiuſque filio à factioſis ciuibus, inſcio Pontifice, in locum eius ſuffecto, turbarum complurium ab iis manauit occaſio: quib. vt occurreret Paſchalis, plurimum laborauit, agente pro ipſo ſtrenue Petro Leonis, cui idem Præfecturam Vrbis detulit. Quę res geſta pluribus deſcribitur ab eo qui aderat, Petro diacono Cardinale Bibliothecario in Vita Paſchalis. Eodem vero anno idem Pontifex menſe Auguſti in Apuliam profectus, Troiæ CONCILIVM habuit, in quo definita ſunt negotia quædam prouincialia; & menſe Septembri Romam rediit, prout traditur in Chronico Beneuentano ab auctore qui aderat; cum hæc Petrus [a] diaconus referat in annum Domini milleſimum centeſimum decimum ſeptimum.

CONCIL. TROIAN. SVB PASCHA. PP. a Petr. diac. Chron. Caſſin. l. 4. c. 57.

II. MOGVNTINI IN IMP. INSVRGVNT PRO SVO ARCHIEP.

Quo eodem anno, Catholicis magis ac magis in Germania inualeſcentibus, Moguntini in Henricum Imper. zelo iuſtitiæ inſurgentes, coegerunt dimittere liberum Adalbertum ſuum ipſorum Archiepiſcopum, quem diu (vt audiſti) arctiſſima cuſtodia detinuerat, adeo vt exiens (inquit Vrſpergenſis) vix oſſib. hæreret. Qui dimiſſus, vocato Dieterico Cardinale Sedis Apoſtolicæ Legatione in Pannonia functo, conſecrationem hactenus dilatã ab eo ſuſcepit in *Synodo* Coloniæ habita inſtante feſto Natalis Domini: in qua inſuper promulgata eſt denuo excõmunicatio in Henricum, & reconciliati per eundem Legatum Apoſtolicæ Sedi plures alii Germaniæ Antiſtites. Narrat iſta Vrſpergenſis.

III. MATHILDIS COMITISSÆ OBITVS.

Hoc item anno die vigeſima quarta Iulij defunctam eſſe Comitiſſam Mathildem, de qua ſæpe ſuperius, teſtis eſt Domnizo presbyter in eius Vita metro conſcripta, cum (vt ait) ſex deciesque nouem vixiſſet annos. Quid autem actum de bonis eius Eccleſiæ Romanæ relictis, ignoramus an poſſeſſionem eorum Paſchalis Papa adeptus ſit. Nam Vrſpergenſis agens pariter hoc anno de ipſius obitu, ait directos ab Italia nuntios, ad eius prædiorum terras ampliſſimas hereditario iure poſſidendas Imperatorem inuitaſſe, qui anno ſequenti eo ſe contulit.

IV.

Quod ad res pertinet Orientis; cum accuſationes pleræque aduerſus Arnulphum Patriarcham Hieroſolymitanum ad Paſchalem Papam delatæ eſſent, miſit ipſe in Orientem Legatum, Arauſicenſem in Galliis Epiſcopum; qui *Concilio* celebrato Arnulphum depoſuit. Hic vero Romam nauigans, adeo blanditiis verborum, & profuſione munerum omnes circumuenit, vt reſtitutionem adeptus, Hieroſolymam redierit vbi eadem viuendi licentia ſedem occupauit, qua prius expulſionem meruerat. Iſta ex VVillelmo [b] Tyrio.

CONCIL. HIEROSOL. IN CAVSA ARNVLPHI PATRIAR. b Tyr. lib. 11. cap. 26.

HENRICI IV. 6. ALEX. COMN. 36.

IESV CHRISTI AN. 1116.

PASCH. II. AN. 17.

I. CONC. GENER. LATERAN. CONTRA PRIVILEG. HENR. IMP. CONCESSVM.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo decimo ſexto, Indictione nona, menſe Martij celebrata eſt Romæ in baſilica Lateranenſi à Paſchale Papa Generalis SYNODVS ex diuerſorum regnorum & prouinciarum Antiſtitibus & magnatibus; cuius Acta per ſingulos digeſta dies Vrſpergenſis narrat. Et quidem quod ad præcipuam eius celebrandæ cauſam pertinet; idem Paſchalis publice confeſſus culpam ſuam priuilegium Henrico Imperatori de inueſtituris factum perpetuo anathemate damnauit, ipſaſque laicas Inueſtituras Eccleſiarum ſub anathemate dantis & accipientis prohibuit. Et quamuis numquam adduci potuerit, vt ipſemet proprio ore Henricum nominatim excommunicaret, tamen ad inſtantiam Cononis Cardinalis Epiſcopi Præneſtini, & Guidonis Archiepiſcopi Viennenſis, Apoſtolicæ Sedis Legatorum, (à quibus illatam in Henricum diuerſis Conciliis excommunicationem vidimus) quicquid tum ipſi, tum ceteri vbique Legati, Apoſtolicæ Sedis auctoritate feciſſent, approbauit & confirmauit, & quicquid damnaſſent, damnauit; quod idem & reliqui Patres Concilii præſtiterunt. Actum inſuper in eadem Synodo de quibuſdam, controuerſiis nonnullorum Epiſcoporum, quas idem Vrſpergenſis narrat. Iis vero (vt ait) qui propter Concilium, & animarum ſuarum remedium Apoſtolorum Limina viſitarent, qui de capitalibus pœnitentiam agerent, idem Pontifex quadraginta dierum pœnitentiam indulſit.

INDVLGENTIA CONCESSA.

II. DE CHRYSOLANI LEGAT. IN ORIENT. ET DISPVT. DE S...

Porro quod idem tradat Vrſpergenſis, *Groſolanum* (ita enim vocat, quem alij potius *Chryſolanum*) Archiepiſcopum Mediolanenſem aliunde ad eam Eccleſiam gubernandam tranſlatum, in eadem Synodo iuſſum eſſe priorem Eccleſiam repetere; eius mentionis occaſione agendum hic eſt de illius in Orientem Legatione. Quod enim vir eſſet (vt Trithemii verbis vtar, licet eum perperam poſt Alexandrum Tertium collocet, quem conſtet fuiſſe hoc tempore) in diuinis Scripturis eruditiſſimus, & in ſecularib. literis nobiliter doctus, Græca & Latina eloquẽtia inſignis; opportunus dignuſq; iudicat[c] eſt, cui Paſchalis Papa onus Legationis crederet ad Alexium Imperatorẽ; &, vt puto, dedita opera ad conuincendos Græcos in quæſtione de Spiritu Sancto. Alexiũ enim fuiſſe Catholicum, pluribus docebitur in eius obitu. Cum igitur Chryſolanus Conſtantinopolim veniſſet, ſiue hoc in primis faciendum ſuſcepiſſet, ſiue occaſione aliqua aliter oblata, aduerſus Græcos coram ipſo Imperatore diſputationem inſtituit de Spiritu S. quem non ſicut Latini, illi aſſererent

a Pet. Baro. Annal. To. XII. hoc an.

de Patre Filioque procedere. Extatque[a] hactenus ea diſputatio, ſiue Oratio (vt titulus habet) ad eumdem Imperatorem Alexium Comnenum: quod egregium viri doctiſſimi monimentum, cum à Latinis prorſus excidiſſet, Græcia vtcumque mutilum conſeruauit, quod multum præ manibus habuit vt impugnaret. Etenim contra Chryſolanum Græci complures quaſi indicto bello, ſtructa acie caſtra mouerunt. Interque alios quidam monachus Ioannes nũcupatus, & Nicolaus Methones (de quibus Gennadius Scholarius in Apologia Concilii Florentini aduerſus literas circulares Marci Epheſini ſæpius verba facit, eoſque ſchiſmaticos, Photii diſcipulos, & Marci Epheſini doctores appellat) necnon Euſtratius Archiepiſcopus Nicænus: quos omnes etiam iiſdem temporibus vixiſſe, ex eorum ſcriptis aperte conſtat, dum cotam cum Chyſolano egiſſe affirmant, vel ab aliis accepiſſe qui cum eo egiſſent. Scripſit quoque aduerſus eum Blemmides cognomento Sapiens: quem tamen haud puto fuiſſe Nicephorum illum Blemmidem, nomine pariter Sapientię inſignem: hunc enim Latinorum veram doctrinam ſectatum potius quam Græcorum leuitatem & errores, apparet ex ipſomet Gregora[b]. Ceterum ex omnibus Chryſolani ſcriptis quæ recenſentur à Trithemio, vix iſtud aduerſus Græcos monimentum, idemque decurtatum ſupereſt.

CHRYSOLANI CONTRADICTORES GRÆCI.

b Gregoras lib. 5. c. 2.

HENRICI IV. 7. ALEX. COMN. 37.

IESV CHRISTI AN. 1117.

PASCH. II. AN. 18.

I. HENR. IMP. IN VRBEM REDIT.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo decimoſeptimo, Indictione decima, Paſchalis Papa audito Henrici Imperatoris cum exercitu Romam verſus itinere, Beneuentum ſe recepit. Henricus autem cum hanc ſui aduentus cauſam prætexeret, vt quoniam in proxima Synodo Lateranenſi denuntiatus fuerat excommunicatus, ob idque collata in ipſum ab Eccleſia beneficia, exhibitaque officia nullius eſſent momenti, quæ per vim & metum extorta fuiſſent, ea cum pace ſuſciperet à Pontifice libero: tamen re ipſa maleuolum ſuum animum demonſtrans, ſimulatq; in Latium intrauit, innexis ſibi S. R. E. perduellibus, dataque eorum coryphæo Ptolomæo Comiti Tuſculano filia ſua in vxorem, B. Petri fidelibus bellum indixit; captiſque aliquibus caſtris, quaſi magna re geſta delato ipſi à populo Romano triumpho. Vrbem magno apparatu ingreſſus eſt; nullo tamen Epiſcopo, aut Catholico ei occurrente: quinimmo cum in baſilica S. Petri coronari petiiſſet, reſponſum eſt id Pontifice abſente fieri nõ poſſe; magnaq; inſuper animi libertate, exprobrata ſunt ei in faciem ab Eccleſia quæ Romæ erat, ipſius ſacrilegia & rapinæ. Quapropter idem accito perdito illo Mauritio Burdino Bracarenſi Archiepiſcopo, de quo dictum eſt ſuperius, ad altare B. Gregorii coronari ſe fecit; & coactus feruore æſtatis, ad loca frigidiora ſe recepit. Hæc ex Petro[a] diacono Caſſinenſi, & altero Petro[b] Cardinale Bibliothecario.

CLERI ROM. MAGNANIMITAS.

a Pet. diac. Chron. Caſſin. lib. 4. ca. 61.

b Pet. Bibliot. in Vit. Paſchal.

II. c Extat tom. Acta ap. Sur. 3. Iunii.

S. BENNO POST OBITVM MIRABILIS PVGNAT ADVERS. HENR. IMP.

Poſt hæc vero idem Henricus perterritus variis prodigiis quæ hoc anno in Germania contigerunt, pro abſolutione impetranda multum laborauit. Erant autem iſta territamẽta, inter alia quod S. Benno[c] Miſnenſis Epiſcopus qui ante decem annos ex hac vita migrarat, multiplicitate miraculorum quæ ad ſepulchrum eius edebantur, tamquã Eccleſiæ Sanctæ vindex contra hæreſim Henrici pugnaret, qui viuens quadraginta annis quibus ſedit Epiſcopus aduerſus eãdem contra Henricum patrẽ indefeſſo labore certauerat. Terribilis namq; poſt mortem eſt redditus Eccleſiæ hoſtibus, quod ipſum tunc Imperatorẽ prouocans ad Dei iudiciũ moriens, traxerit paulo poſt certaturum ſecum ad diuinum tribunal: & quod eodem anno apparens poſt mortem Ottoni Marchioni Miſnenſi à quo acceperat alapam, die quo viuens prædixerat Sanctus, idem ipſe ſpiritu oris ſui interfecerit impium; prout vitæ ipſius Acta teſtantur. Hic igitur prodigiis, & aliis (inquit

HENR. PETIT ABSOLVI, NEC OBTINET.

Vrſpergenſis hoc anno) corde tenus ſauciatus Henricus non ceſſauit legationes ſatisfactorias ad Apoſtolicam Sedem deſtinare: quas tamen conſtat minime profeciſſe, excuſante Pontifice, quod licet ipſe ob iuramentum Regi præſtitum haud illum excommunicare voluiſſet, tamen excommunicationem in eumdem à potioribus Eccleſiæ membris illatam, nonniſi ipſorum conſilio diſſoluere poſſet.

III. CONCIL. IN APVL. SVB PASCH. PP.

Celebrauit autem Paſchalis Papa (vt auctor eſt Bibliothecarius) in partibus Apuliæ CONCILIVM: in quo excõmunicatum fuiſſe prædictũ Mauritium Bracarenſem, teſtis eſt Gelaſius qui Paſchali ſucceſſit, in epiſtola ad Gallos de qua dicetur anno ſequenti. Porro Paſchalem inde Anagniam ſe contuliſſe, ibique pene vſque ad mortem ægrotaſſe, recuperata vero ſanitate, veniſſe Præneſte, & ibi Natale Domini celebraſſe, idem Bibliothecarius ſcribit.

IV. d Malmeſbur. de geſt. Pont. Ang. lib. 3.

DELEGAT. SED. APOST. IN ANGL. MITTENDIS CONTROVERSIA.

Hoc item anno, quo Henricus Imperator ſecundo Romam venit (vt auctor eſt Willelmus[d] Malmeſburienſis) contigit à Rege & Epiſcopis Angliæ, magni ponderis legatio Radulphi Archiepiſcopi Cantuarienſis, & Hereberti Epiſcopi Noruvicenſis, ad Paſchalem Papam, occaſione permotæ ibidem quæſtionis ob Legatos Apoſtolicæ Sedis, ſua, non quæ ſunt Ieſu Chriſti quærentes, & proxime ob Petrum Leonis Cardinalem legatione ibi male perfunctum, adeo vt Henricus Rex & Epiſcopi Anglię prouocãdum putauerint ad antiquum priuilegiũ S. Gregorii Papæ, quo Archiepiſcopis Cantuarienſib. indulſit fungi Legatione Sedis Apoſtolicæ, ob idque dicerent haud alium in Angliam mittendum eſſe Legatum. Porro iidem Legati aduenientes, Romam, non ſolum ibi non inuenerunt Paſchalem, qui (vt vidimus) ſeceſſerat Beneuentum, ſed nec ad eum accedere potuerunt quod Hẽricus Imperator vias vndique obſediſſet. Quapropter rem per internuntios agentes, literas ab eodem Pontifice ad Regẽ & Epiſcopos acceperunt, quibus generaliter declarauit velle ſe in eo ſtatu Eccleſiam eſſe Cantuarienſem, vt authentica eius priuilegia quæ à S. Gregorio per S. Auguſtinum ſuſcepiſſet, & quib. S. Anſelmus nuper defunctus eiuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopus iure ac poſſeſſione legitima tenuiſſet, iuxta canonũ ſanctiones, nullis perturbationibus violarentur. Paſſi ſunt autem præter ius ſcandalum ex Anglis nonnulli, quod Papa quærens authentica priuilegiorum, ita negotium dimiſiſſet infectum, perinde ac ſi in re tanta fuiſſet præcipitanda ſententia, cum præſertim in Legationibus in Angliam aſſidue mittendis Sedes Apoſtolica antiqua potiretur poſſeſſione. Vnde etiã nuper[e] electus Archiep. Eboracenſis Turſtinus, ſiue Turſtanus, cũ à Cantuarienſi ex priuilegio Eccleſiæ ſuæ cogeretur ad profeſſionẽ, & abſq; iudicio fuiſſet à ſua Eccleſia ſeparatus, impulſu clericorum ſuorum Romam veniens, obtinuit ab eodem Paſchali reſtitutionem, donec præſentibus vtriuſq; partibus ipſe de earum iuribus cognoſceret: cum tamen alias (vt vidimus) Anſelmi temporibus cauſam Cantuarienſi adiudicaſſet contra Gerardum Eboracenſem. Quæ vero hæc ſecuta fuerint, dicetur ſuo loco.

DE PRIVILEGIIS ECCL. CANTVAR. QVID STATVERIT PASCH.

e Malmeſbur. ibid.

V. f Pet. diac. li. 4. c. 64.

Eodem anno cum ingens terræmotus vniuerſam Italiam per plures dies quateret, inter admiranda quæ tunc acciderũt tum Petrus[f] diaconus Caſſinenſis, tum alii eiuſdem temporis Scriptores narrant, in Longobardia (inquit Rogerius[g]) vlla quædam prægrandis mota eſt repente de ſtatu proprio, & in alium locum longe remotum tranſlata. Verum de his apud antiquos quoque Gentiles ſcriptores exempla reperire eſt. Illud prorſus mirabile, quod (vt idem auctor addit) cum viri Mediolanenſes Patriciæ dignitatis de Republica tractantes ſub vna reſiderẽt turri aurib. omnium vox foris inſonuit, vnum ex illis nomine vocans & feſtinato exire rogãs, eoq; tardante perſona quædam apparuit quę vocatũ virũ vt egrederetur prece obtinuit, exeunte vero illo, turris repente cecidit, & omnes qui ibi erãt oppreſſit. In quo quidem renouata quis non videat antiqua miracula, idque illi ſimile cum Angelus[h] ne periret iuſtus cum iniquis, Loth illæſum cũ ſuis

g Roger. Angl. hoc an.

TERRÆMOTVS PRODIGIA.

h Gen. 19.

eduxit è Sodomis? Quibus diſcant homines, nonniſi ex diuina prouidentia, caſu vero ſiue fato nunquam, in cō-munibus cladibus hunc perire, illum ex inſperato ſaluari.

VI. ORDINIS FONTIS EBRALDI ORIGO.

Hoc eodem anno mortuus aſſeritur eximiæ vir doctrinæ & probitatis, *Robertus de Abruſcellis* Theologus Pariſienſis, auctor inſignis monaſterii *Fontis Ebraldi* ſiti in diœceſi Pictauienſi. Qui quidem (vt fertur) ſanctis ſuis exhortationibus conuerſo ad meliorem frugem Ebraldo quodam nobili iuuene, qui magna ſicariorum manu adiacentes vias latrocinus infeſtabat, multiſque præterea omniū generum hominibus ad deſpectionem ſeculi & auſterioris vitæ leges ſubeundas permotis ad eorum habitationē diſtincta iiſdē in ſeptis ſua ſeorſim viris, virginibus, ægrotis, & mulieribus reliquis, monaſteria condidit, regulaſq; præſcripſit. Vniuerſæ vero Congregationi Abbatiſſam præpoſuit, quæ in omnes tum viros tum feminas ius ſummum obtineret, ſtatuens vt viri S. Ioannis Euangeliſtæ exemplo, virginibus ſeu mulieribus parerent, & hæ viciſſim B. Virginis exemplum ſequentes, Religioſos tamquam filios amplecterentur. Quemadmodum etiam propagatis poſtea huius Congregationis Conuentibus, & ex omnib. conſtituto Ordine, cuius caput eſſet idem monaſterium Fontis Ebraldi, illum authenticis Bullis multi Pontifices approbantes, docuerunt ab illis verbis Chriſti [i] *Ecce filius tuus Ecce mater tua*, inſtitutionis ſuæ originē rationemq; petiiſſe. Statuit porro Robertus, vt cum Abbatiſſa quā crearat diem ſuum clauderet, ea illi ſuccederet quam Religioſæ ipſæ ſuis ſuffragiis elegiſſent. Ceterum & quādiu permanſit electionum vſus, & poſtquam auctoritate Pontificis cōſtitui Abbatiſſæ cœperunt, memorabiles ſēper Abbatiſſas ſortitæ ſunt, vitæ integritate quam genere illuſtriores, tametſi pleræq; Regum & Principum, aut nobiliſſimorum certe dynaſtarum filiæ fuerint: qualis hodieq; eſt *Eleonora de Borbonio*, amita Henrici Magni Chriſtianiſſimi Francorum & Nauarræ Regis, quæ monaſterium, in quo ducentæ præter ceteros Religioſos Deo dicatæ moniales numerantur, Ordinemq; vniuerſum moderatur magna pietatis, prudentiæ, ſanctitatiſque apud omnes opinione. Sub Maria vero de Britannia, ipſaque procurante, facta fuit Ordinis reformatio iuxta Regulam S. Benedicti, & ſtatuta Roberti inſtitutoris, per Archiepiſcopos Lugdunenſem & Bituricenſem ad hoc ſpecialiter à Xiſto Papa Quarto delegatos: quæ nunc etiam ſtudioſe obſeruatur. Ceterum ferunt Robertum S. Bernardo familiarem fuiſſe: cuius etiam Petrus [k] Venerabilis Cluniacenſis Abbas meminit magno præconio, vtpote qui fuerit inſtitutor, matris ſuæ beatæ Raingardæ in vita ſpirituali, quæ viro defuncto profeſſa eſt monaſticam regulam in Marciniacenſi monaſterio. Cuius res præclare geſtas, poſt eius obitum ipſe epitaphio eſt proſecutus.

VIRI RELIGIOSI SVBSVNT FAMINÆ ABBATISSÆ.

i Ioan. 19.

k Petr. Clu. 1 ep. 17.

VII. OBITVS NICOL. MVZAL. PATRIAR. CONST.

Quod ad res pertinet Orientis, hoc eodem anno mortuus eſt Nicolaus Muzalon Patriarcha Conſtantinopolitanus: cum ſediſſet annos viginti ſeptem, vt teſtatur Zonaras, qui his erat præſens. Eius iuſſu reſtituta fuiſſe Acta Sanctæ Paraſceues, quæ Gallicratiæ colebatur, teſtatur Theodorus [l] Balſamon, qui & eiuſdem citat Synodalia [m] reſponſa: extantque [n] nonnulla eius decreta, ac Synodalis epiſtola continens reſcriptum Alexii Comneni Imperatoris. Succeſſit autem in locum eius, vt idem Zonaras ait vnus ex diaconorum ordine patria Chalcedonenſis, nomine *Theodorus*. quātum autem hic ſederit, in ſerie Græca Conſtantinopolitanorum Patriarcharum, quæ habetur in codice Iuris Orientalis, non legitur, ſicut nec eius ſucceſſorum, *Neophyti* incluſi, *Conſtantini*, & *Lucæ Chryſoberges*, quorum nec nominum quidem eſt aliqua mentio apud Nicetam Choniatam, vt plane diuinare conuincantur, qui texentes in Faſtis ſeriē Conſtantinopolitanorum Patriarcharum, multis omiſſis, loca certa ſingulis quos recitant tribuiſſe inueniuntur.

l Theod. Balſam. in Syn. Trul. c. 63. m In Syn. Carthag. c. 11. & Nomoc. Phot. 11. c. 2. in Concil. Antioch. c. 3. n Cod. Iur. Orien. lib. 3.

HENRICI V. 8. ALEXII COMN. 38.

IESV CHRISTI AN. 1118.

GELAS. II. AN. 1.

I.

ANno Chriſti milleſimo cēteſimo decimooctauo, Indictione vndecima, Paſchalis Papa poſt Epiphaniam Præneſte celebratam, dimiſſis Legatis Imperatoris Conſtantinopolitani quos ibidem ſuſceperat, improuiſe Romam adueniens ad liberandam baſilicam S. Petri è manibus Ptolemæi Comitis Tuſculani, & Abbatis Farfenſis S. R. E. perduellium, biduo poſt in lethalem infirmitatem decidens, monitis Patribus vt in conſtantia fidei & ſinceritate veritatis Deum ſequerentur, & cauerent ſibi ab impietate Guibertinorum & Teutonicorum, atque mutuæ inuicem dilectioni ſtuderent, munitus more Chriſtianorum ſanctis Eccleſiæ ſacramentis, ex hac vita migrauit, & ſolemni ritu ab ipſis Patribus delatus ad baſilicam Lateranenſem Saluatoris, ibi ſepultus eſt vndecimo Calendas Februarii, cum ſediſſet annos decem & octo, menſes quinq;, dies quatuor. Iſta ex Bibliothecario: qui addit, ceſſaſſe Epiſcopatum eius diebus tribus. Inter alia vero quæ de ipſo reperiuntur antiqua monimenta, extat [a] eius epiſtola data ad Pontium Abbatem Cluniacenſem, magni illius S. Hugonis ſucceſſorem, de non porrigenda cōmunione intincta, ſed ſeorſum in ſpecie panis, & ſpecie vini ſeorſum: cum ſubintroductus à quibuſdam eſſet prauus vſus (quem etiā auctor [b] Micrologi, qui ſub Gregorio VII. claruit, reprehendit) vt pro complemento cōmunionis, corpus Domini intinctum populo diſtribuerent. Porro quod nec ſic reprehenſus hic vſus ceſſaret, cōmunionem ſub vna tantum ſpecie panis Sancta frequentare poſtea conſueuit Eccleſia.

PASCH. PP. OBITVS.

a Rec. Bar. To. XII. hic ext.

DE COMMVNIONE INTINCTA NON PORRIGENDA

b Microl. c. 19.

II. GELAS. II. CREATVR PAPA.

Sed vt tranſeamus ad Paſchalis ſucceſſorem (cuius quę ſequuntur in codice Vaticano Acta, ſcripta ſunt à Pādulpho ſubdiacono qui omnibus præſens extitit) fuit is Gelaſius eius nominis Secundus, quem natione fuiſſe Campanum, patria Caietanum, Ioannem nomine nuncupatum, profeſſione monachum Caſſinenſem, ordine diaconum S. R. E. Cardinalem Tituli S. Mariæ in Coſmedin, munere Cancellarium, moribus probatiſſimum, omnes auctores affirmant: eumdemque irreprehenſibiliter Paſchali ſemper collaboraſſe, Vrſpergenſis tradit. Qui quidem cum ſummo omnium conſenſu Cardinalium, aliorumq; qui ad electionem conuenerant, in monaſterio quod Palladium dicebatur, ipſe inuitus & renitens in ſede Pontificali locatus eſſet, hoc audiens (inquit Pandulph.) inimicus pacis Cencius Frangipanis (inhærebat iſte factioni Henrici ſchiſmatici Imp.) more draconis immaniſſimi ſibilans cucurrit, fores fregit, eccleſiam furibundus introiit, Papam per gulam accepit, diſtraxit, pugnis ac calcibus percuſſit, & tamquam brutum animal intra limen eccleſiæ acriter calcaribus cruentauit, per capillos & brachia detraxit, atque domum vſque deduxit, vbi eum catenauit & clauſit. Similiter & Epiſcopi, Cardinales, atq; alii qui conuenerant, magna ex parte à ſatellitibus Cencii vincti ſunt, aut de iumentis præcipitati, expoliati, & inauditis miſeriis flicti. Donec ſparſa tam horrendi ſceleris fama, conuenit in Capitolium in vniuerſa ciuitas cum ſuis ducibus Catholicis, & ab eis Pontifex è manibus Frangipanis repetitus eſt, & in Lateranum ſolemni pompa deductus.

GELAS. À SCHISMATICIS DIRA PATITVR

III. FVGA GELASII A SCHISMATI.

Iamque ſecura tranquillitas videbatur, cum ex improuiſo allatum intempeſta nocte nuncium de aduentu Henrici Imperatoris ad porticum S. Petri quæ ab eius fautoribus detinebatur, eumdem Pontificem iam pene ſenio & infirmitate confectū, compulit aufugere cū ſuis, & (quæ via ſecurior videbatur) per Tiberim delabi in mare. Cum vero aduectis in Portum, haud facultas daretur vlterius progredi ob ſæuiſſimam maris & aeris tempeſtatem, nec iam in Portu conſiſtere poſſent ob ſuperuenientium Germanorū inſultationem, tela venenata iacentium, & omnia dira minitantium, quos ſola nox & ira fluminis interpoſiti à captione Pontificis repellebant, nec iam quid amplius conſilii caperetur eſſet: tunc Hugo de Alatro presbyter

Cardinalis tituli SS. Apoſtolorum (ipſius Pandulphi, qui hæc deſcripſit, & omnibus præſens extitit, auunculus) immenſa pietate vbique & ſemper laudibus celebranda, ipſum Pontificem in collum ſuum ſuſcipiens, ad Caſtrum S. Pauli Ardeam ſic de nocte portauit. Recedentibus vero Germanis, rurſum Pontifex mare ingreſſus, incolumis peruenit Caietam patriam ſuam: vbi paulo poſt conuenientib. plurimis Antiſtitib. & proceribus, Calendis Martii presbyter ordinatus, & Pontifex conſecratus eſt, qui tempore electionis ſuæ erat tantummodo diaconus. Iſta ex Pandulpho.

INSIGNIS PIETAS CARD. DE ALATRO ERGA SVMMVM PONT.

IV.

BVRDINI ANTIP. INTRVSIO.

c Ric. Malmesbur. Reg. Angl. lib. 5. d Rec. Bar. Annal To. XII. hoc ann.

Porro Henricum Imperatorem conſenſiſſe, primum electioni Gelaſii, inde vero mutatum refragatum eſſe atq; eum perſecutum, Vrſpergenſis affirmat. Qui quidem ſcelera ſcelerib. addens, fuga lapſo Pontifice, mox intruſit in Sedẽ Petri ſceleſtum illum Mauritium Burdinum Archiepiſcopum Bracarenſem, de quo dictũ eſt ſuperius, & *Gregorium* nominauit. Quod vbi Gelaſius accepiſſet, literas [c] circulares in Gallias dedit, quib⁹ omnes Prælatos & Principes ſæculares, omneſq; Fideles hortatus eſt, vt ad S. matris Eccleſiæ vltione cõmunibus auxiliis accingerentur: aliaſq; [d] eodem ferme argumento in Hiſpanias ad Bernardũ Archiepiſcopum Toletanum, quibus præcepit vt in locũ Mauritii excommunicati alium ſufficiat in ſedem Bracarenſem. Cum autem Henricus (vt habet Pandulphus) caſtrũ prope Turriculam à Fratrib. Abbatiæ S. Andreæ retentum obſideret, audito aduentu VVillelmi Ducis Apuliæ & Calabriæ, Roberti Principis Capuani, aliorumque Baronum S.R.E. fidelium quos Gelaſius Papa arma contra illũ mouere iuſſerat, idem Rex infecta re ad ſua rediit, Burdino in Vrbe relicto. Iſta Pandulphus. Quibus videas, magna plane Dei prouidentia factum eſſe, vt deficientib. ingratis filiis, Deus è longinquo vocauerit in Italiã Northmannos, eiſque regiones illas dederit incolendas, quorum ſæpe vteretur auxilio aduerſus ſchiſmaticos Romanos tyrannos, & perfidos Imperatores, pro Eccleſiæ Romanæ libertate tuenda. Ceterum de eiuſdem caſtri obſidione Pandulphus ait, ibi primum rete contra petrarias ad rupes operiendas ab eodem Henrico in damnum plurimorum, & proficuum nullis, ingenio exquiſito inuentum eſſe. Subditque de cane, tabellarii tunc munere fungente, ab obſeſſis accipiente literas & reddente.

HENR. IMP. COGITVR AD SVA SE RECIPERE.

V.

ALIA GELAS. FVGA A SCHISMAT.

Poſt hæc Gelaſius Papa (inquit idẽ auctor) Romam pedetentim, magis vt peregrinus quam vt dominus intrauit latuitque potius quam hoſpitatus eſt in eccleſia quadam; ſolito tamen honore frequentatus ab vniuerſa Eccleſia, & Catholicis Romanis. Verum nec diu ſic manere permiſſus, cũ in feſtiuitate S. Praxedis celebraret Miſſam in eius eccleſia, aduenientibus derepente cum non praua militũ manu perduellib. Frangipanibus vix ab eorum manib. elapſus, & à ſuis equo impoſitus, ipſe ſolus per campos errans ſacris ſemiindutus veſtibus aufugit, dum interim ab eius militibus acris aduerſus Frangipanes iniretur pugna. Cum igitur nulla quiete Romæ viuendi reliqua ſpes eſſet, idem Pontifex Patrum veſtigia ſecutus, conſilio cum ſuis habito decreuit in Gallias migrare, vnicum videlicet & vſitatum, tutumque Romanorum Pontificum in perſecutione refugium: adeo vt ſiquis dicat, portum Romanæ Eccleſiæ fluctuãtis nauiculæ Petri Galliam eſſe, non mentiatur. Sed antequam Vrbe Gelaſius recederet, Rauennatem Eccleſiam, vna cum ſuo Archiepiſcopo ab eis electo Gualterio, iam diu ante ſchiſmate ab vnitate Catholica ſciſſam, Romanæ Eccleſiæ vniſſe: & Epiſcopatus Æmiliæ, atque alia quę in pœnam criminis ab ea ſublata fuerant, reddidiſſe, palliumque miſiſſe, conſtat ex literis [e] Apoſtolicis tunc ea de re conſcriptis.

e Rec. Bar. vbi ſup.

VI.

GELAS. PP. RECIPIT SE IN GALLIAM.

Ceteris quoque diſpoſitis Romę vtcumq; rebus, idem Pontifex inde ſoluens (quod accidiſſe die ſecunda menſis Septembris, habet Chronicon Beneuentanum) naui deuectus eſt Piſas, ac demum applicuit ad portum Villæ S. Ægidii: quo accurrentes omnis generis homines Eccleſiaſtici & laici, quæque ei neceſſaria liberaliſſime prouiderunt. Deſcribit hæc pluribus Pandulphus, qui aderat. Sugerius vero Abbas S. Dionyſii, qui vnus fuit ex iis quos Ludouicus Rex miſit in occurſum Pontificis, in Vita eiuſdem Regis quam ſcripſit, tradit obtuliſſe eidem Pontifici extrema inopia laboranti primitias regni, ab eo vero Apoſtolica benedictione donatos fuiſſe: paratumque Ludouicum ipſum adire, ſi eius vita ſuperſtite licuiſſet. Ac denique Falco eiuſdem temporis auctor in Chronico Beneuentano teſtatur, ingenti ſtudio Francos ad eum confluxiſſe, atque ex ſpontaneis Fidelium oblationibus ſuas domos euacuantium vt exuli Pontifici ſubuenirent, ingentem vim argenti & auri fuiſſe collectam.

VII.

Eodẽ tempore menſe Decembri, ab eodem Pontifice Aleſti conſecratus eſt Petrus, primus poſt recuperatam è manibus Saracenorum Cæſarauguſtam per Ildeſonſum Regem anno milleſimo cẽteſimo decimoquinto, electus illius ciuitatis Epiſcopus. Cui & idem Pontifex literas dedit, quibus eis qui in bello aduerſus Saracenos pœnitentia accepta morerentur, peccatorum abſolutionem, & aliis qui eccleſiæ S. MARIÆ Cæſarauguſtæ reædificandæ, & clericis alendis, aliquid donarent, ſecundum donorum quantitatem, ad Epiſcoporum arbitrium pœnitentiarum ſuarum remiſſionem & indulgentiam conceſſit. Earũ vero Indulgentiarum diploma Petrus ſuis additis literis circularibus, & ſubſcriptionibus Bernardi Archiepiſcopi Toletani, aliorumque Hiſpaniæ Epiſcoporũ, per vniuerſum Chriſtianum orbem promulgandum ſtuduit. quæ omnia videre eſt apud Hieronymum Blancam hiſtoricum accuratiſſimum in commentariis rerum Aragonenſium. His vero Indulgentiarum promulgandarum priſtinus mos referatur, pariterque antiquus cultus religioſiſſimæ eccleſiæ Beatiſſimæ Virginis, De Pilari nuncupatæ; quam idem Petrus Epiſcopus ſuis literis, beato & antiquo nomine ſanctitatis ac dignitatis pollere teſtatur: quæque hactenus non ſolum Hiſpanorum populorum, ſed externorum etiã viſitatione frequentatur, vniuerſo Chriſtiano orbi illuſtri fama notiſſima.

INDVLGENTIA CONCESSA.

S. MARIA DE PILARI CÆSARAVGVSTÆ.

VIII.

CONCILIA IN GERMAN. CONTRA IMP.

Quo eodem tẽpore Cono Cardinalis Epiſcopus Præneſtinus (de cuius pro Sede Apoſtolica zelo dictum eſt ſuperius) Legatione adhuc functus in Germania Gelaſii Papæ (vt auctor eſt Vrſpergẽſis) duab. *Synodis* Coloniæ & in Friteslar celebratis, excommunicationẽ aduerſus Hẽricum Imperatorem denuo promulgauit. Qui quidẽ Hẽricus, his auditis, inſuper & quod à Principibus Germaniæ generalis indiceretur Conuentus, ad quem niſi accederet, regno deponendus eſſet: idem relicta Italia in Germaniã feſtinus accurrit. Narrat iſta Vrſpergenſis: quæ autem ſecuta ſunt, ad Gelaſii ſucceſſorem ſpectant.

IX.

f Tyr l. 12. c. 7.

TEMPLARIORVM ORDINIS INSTITVTIO.

Eodẽ anno (vt auctor eſt Tyrius [f]) inſtitutus eſt Hieroſolymis Ordo Militum TEMPLARIORVM dum nobiles quidam viri timentes Deum in manibus Patriarchæ Chriſti ſeruitio ſe mancipantes, more Canonicorum Regularium, in caſtitate & obedientia, & ſine proprio, velle perpetuo viuere profeſſi ſunt; inter quos primi & præcipui fuere Hugo de Paganis, & Gaufredus de Sancto Ademaro. Qui quoniam nec eccleſiam haberent, nec certum domicilium, Rex in palatio ſuo quod ſecus templum Domini erat, eis habitationem, Canonici vero templi, plateã quam circa prædictum habebant palatium, ad opus officinarum cõceſſerunt, vnde & *Milites Templi* ſunt dicti, quibus inſuper iidem Rex & Patriarcha certa pro victu & veſtitu beneficia cõtulerunt. Prima autem profeſſio eorũ fuit, quæ & ipſis à Patriarcha & reliquis Epiſcopis in remiſſionem peccatorum iniuncta eſt, vt vias & itinera, maxime ad ſecuritatem peregrinorum, contra latronũ & incurſantiũ inſidias pro virib. tutarẽtur. Nouem annis in habitu fuerunt ſæculari, talib. vtentes veſtimentis, qualia eis pro remedio animarum ſuarũ populus largiebatur. Anno vero nono (qui fuit Domini milleſimus centeſimus vigeſimus ſeptimus) in Concilio Trecenſi in Gallia ſub Matthæo Cardinale Epiſcopo Albanenſi Apoſtolicæ Sedis Legato, inſtituta eſt eorum Regula, & habitus albus aſſignatus de mãdato Honorii tunc Papæ & Stephano Patriarchæ Hieroſolymitani. Iſta ex Tyrio. In quibus quidem illud obſeruandum, quod & idem ait, per nouẽ illos primos

ſtos annos, cum totidem ipſi milites eſſent nouem numero nequaquam potuiſſe multiplicari: vbi autem comprobatio acceſſit Apoſtolicæ Sedis, auctos eſſe in immenſum & numero & poſſeſſionibus.

X. g Vl. l. 11. c. 19. & vlt. & lib. 12. c. 1. & ſeqq. BALDVINI REG. HIEROS. OBITVS.

Quod item pertinet ad res Orientales; mortuus g eſt hoc anno Quadrageſimæ tempore expeditione Balduinus Hieroſolymorum Rex, ſepultuſque ſub Caluariæ loco; cum iam anno ſuperiori graui ex inſperato correptus ægritudine, pœnitentiam agens depulſa legitima coniuge & alia ſuperinducta, hanc à ſe ablegaſſet in Siciliam. Subſtitutus eſt ab eo viuente Balduinus de Burgo affinis eius, miles egregius, pietate præſtantior, Cui cum ab aliis opponeretur Euſtachius Comes Bolonenſis frater defuncti Regis; iſte, ne bellum ciuile maximo Chriſtianæ religionis damno conflaretur, ingenti animi conſtantia ſponte ceſſit Balduino regnum, memorandum præbens poſteris exemplum, non quæ ſua ſunt quærendi, ſed quæ plurimorum cauſæ fauerent. Quo anno pariter defuncto Arnulpho Patriarcha Hieroſolymitano, ſucceſſit *Guarimundus* natione Francus diœceſis Ambianenſis, virtutibus pollens.

XI. ALEXII IMP. OBITVS. h Zonar. in Conſt. Mag. & in Alex. Calan.

Obiit hoc itidem anno, decimooctauo Calendas Septembris Alexius Imperator Conſtantinopolitanus, vbi regnaſſet annos triginta ſeptem menſes quatuor & dies aliquot. Præceſſerat illud loco prodigii habitum, quod vehementiſſimo ventorum turbine ſtatua h Conſtantini ænea, ſita ſuper celeberrimam columnam porphyreticam in Placoton, proſtrata eſt atque contrita, cuius etiam immenſa ruina plurimos necari contigit. Extant eiuſdem Alexii Imperatoris plures hactenus conſtitutiones, etiam ad res Eccleſiaſticas ſpectantes, quas recitat Theodorus Balſamon diuerſis locis; habetque eaſdem codex Iuris Orientalis duobus tomis intextas. De eodem vero quod fuerit Catholicus, & Eccleſiæ Romanæ communione coniunctus, vel illud ſatis demonſtrat quod legationibus ac donis frequentaſſe reperiatur Caſſinenſe i monaſterium, necnon Eccleſias k Tranſalpinas ipſamque etiam Romanam l, quem & plurimum inſudaſſe in euellendis erroribus, & colligẽdis Orthodoxæ fidei decretis teſtis eſt oculatus Euthymius Zigaben, qui & ipſius iuſſione ſe Panopliã aduerſus omniũ hæreticorũ errores ſcripſiſſe teſtatur.

ALEX. CATHOLICVS. i Petr. diac. Chron. Caſſin. l. 4. c. 17. 22. 48. k Petr. Clun. l. 4. ep. 39. & Ioan. Imp. l Petr. diac. l. 4. c. 48.

XII. BONGOMILORVM HÆRESIS.

Præcipuam vero laudem inde ſibi idem Imperator cõparauit, quod quemdam huius temporis impiiſſimum hæreſiarcham, nomine BASILIVM, profeſſione medicum, habitu monachum, auctorem hæreſis *Bongomilorum*, eamque poſtquã quinquaginta duobus annis per diuerſas Orbis partes diſſeminaſſet, Conſtantinopolim aduehentem, non ſine labore detexit, & flammis deuorandum tradidit. Iſte Trinitatem negauit: Deum humana forma prædictum dixit: mundumque creatum ab Angelis malis & Michaelem Archangelum fuiſſe incarnatum. Reiecit libros Moyſi: ſeptemque tantum diuinæ Scripturæ libros recepit. Sãctarum cultum Imaginum tamquam idololatriã reprobauit, & Crucem deſpexit, quod in ea Saluator occiſus ſit, quã dæmones ſicte timere viderentur. Incruentum ſacrificiũ contempſit, & Euchariſtiam eſſe Dominicam orationem aſſerunt, ac præter iſtam reliquas omnes orationes vaniloquia eſſe. Baptiſmum Eccleſiæ eſſe baptiſmum Ioannis, ſuum vero eſſe baptiſmum Chriſti. Itemque ſuos omnes concipere Verbum Dei, & parere ſicut B. Virgo peperit: ac nullam aliam eſſe Reſurrectionem, præter pœnitentiam, & vitam Euangelicam. Hæc ex Euthymio, & aliis, in quibus ferme omnibus videas ipſum ſceleſtum Baſilium ſuos hodieque ſceleſtiores habere ſectatores.

XIII. ... IN ALEX IMP. REPREHENDENS.

Sed vt ad Alexium Imperatorem redeamus: etſi fuerũt alia pleraq; in eo laude digna quæ recitat Zonaras, nonnullis tamen quæ reprehenduntur vitiis non caruit: quæ Coſmus Patriarcha cũ emendare fruſtra tentaſſet, maluit ſe abdicando carere ſede, quam eius rapinas exceſcentes in ciues videre & pati. At penes Latinos illud valde in eo reprehenditur, quod inuidens gloriæ Francorum, timenſque ſibi ab eorum armis aduerſus Saracenos & Turcas feliciter militantium, primum proditione illis obeſſe curauit, inde vero contra eos cum Chriſtianæ fidei hoſtibus fœdus iniit. Ipſo porro defuncto, filius eius maior natu CALO IOANNES, ſic vulgo dictus, habenas Imperii moderandas ſuſcepit. Ad quem extat mox ſcripta Petri m Abbatis Cluniacenſis epiſtola, pro reſtitutione cœnobii Cluniacenſium quod erat Conſtantinopoli: aliaque eodem argumento ad Patriarcham Conſtantinopolitanũ: quib. videas inter Latinos & Græcos conſeruatam hactenus (vt nuper de Alexio diximus) communionem. Quod magis & inde patet, quia eadem epiſtola Petrus Ioannem ſuſcepit in confratrem & comparticipem omnium ſpiritualium beneficiorum Congregationis Cluniacẽſis, quemadmodum & alii Catholici Principes iam ſuſcepti eſſent. Cuiuſmodi aggregationes ad merita Ordinum & Congregationum, in vſu pariter fuiſſe eo tempore Ciſtercienſibus, docet apud S. Bernardum n epiſtola Stephani Abbatis Ciſtercienſis ad Ludouicum Francorum Regem.

CALO IOAN. IMPERAT. m Petr. Clun. l. 4. ep. 39. 40. AG... AD MERITA ORDINVM. n Bern. ep. 45.

IESV CHRISTI AN. 1119.

HENRICI IV 9. IOAN. COMN. I.

CALLIS. II AN. 1.

I. GELASII PP. OBITVS.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo decimonono, Indictione duodecima, Gelaſius Papa (inquit Vrſpergenſis) apud Viennam Galliæ Synodum congregauit, ac poſt paucos dies in monaſterio Cluniacẽſi vitam præſentem in Domino finiuit: pleuriſi correptus, vt Pandulphus ait: qui addit ipſum poſt ſacramenta percepta, iuxta normam monaſticam ſtrato terræ corpuſculo deceſſiſſe. Quo quidem poſt Martyres qui fuſo ſanguine martyrium conſummarunt, haud facile inter Romanos Pontifices aliquẽ inueneris, qui breuiori tempore grauiora ſit paſſus, ob idque præclariori fuerit corona donandus. Obiiſſe autem quarto Calendas Februarii, & ibidem Cluniaci ſepultum eſſe, omnes conſentiunt.

II. GELAS. MORIENS AGIT DE SVCCES. ELIGENDO.

At vero ante obitum cupiens aliquem ſibi ſuccedere, qui in tanto ventorum conflictu nauiculam fluctuantem regere poſſet: cœpit (præter quidem conſuetudinem, ſed quod ſic videretur eius tẽporis neceſſitas poſtulare) cum his qui aderant Cardinalibus agere vt eligeretur Cono Epiſcopus Præneſtinus de cuius magnanimitate, & laboribus pro Eccleſia exantlatis, ſæpe dictum eſt ſuperius. Sed eo tantum honorẽ magnanimius recuſante, illumque ſuo voto in Guidonem Viennenſem refundente: deſignatus eſt ab omnibus idem Guido abſens & omnium ignarus in ſucceſſorem Gelaſii. Narrantur iſta in Chronico Beneuentano. Fuit autem Guido natione Francus, Archiepiſcopus Viennenſis, S. R. E. Cardinalis, longo tempore ſub Paſchali Papa (vt vidimus Legatione Apoſtolica honeſtiſſime functus aduerſus ſchiſmaticos omnes) vir omnibus virtutibus ornatus, ac potentia & nobilitate ſæculari præſtans, vt pote Burgundiæ Ducis filius, & (vt Sugerius ait) Imperialis & Regiæ celſitudinis deriuatiua conſanguinitate generoſus. Cui quidem hanc ſui electionem fuiſſe per viſum præmonſtratam idem Sugerius o auctor in Ludouico: eam videlicet (vt ait) in ſomnis proxima nocte vidiſſet ſibi à perſona præpotente Lunam ſub chlamyde repoſitam committi, ne cauſa Eccleſiæ tranſitu Pontificis periclitaretur. Eius autem viſionis veritatem magis magiſque perſpicuam reddiderunt euenta: ſiquidem diuturnum bellum ob Inueſtituras conflatum, cedente tandem Imperatore, ab eodem Pontifice feliciſſime compreſſum eſt. At nihilominus aduenieus ipſe poſt obitum Gelaſii Cluniacum; & rurſum canonice electus, reiecit tamen quantum valuit tantum onus, donec victus aliorum precibus & vnanimi omnium conſenſu, inuitus admodum ſuſcepit illud, & appellatus eſt Caliſtus eius nominis Secundus, cuius electionem fuiſſe mox Romæ ab vniuerſo Clero populoque Catholico confirmatam, teſtantur Pandulphus, & auctor Chronici Beneuentani: idemque præſtitum (vt tradit Vrſpergenſis hoc anno) ab vniuerſis Epiſcopis & Proceribus Germaniæ, in collecto tunc aduerſus Henricum Imperatorem generali *Conuentu* Triburienſi: cui & ipſe Imperator

VISIO DE PONTIFICATV CALLISTI.

CALLISTI PP. II. CREATIO.

tam-

tamquam reus interueniens, de pluribus ipſi oppoſitis ſatisfactionem promiſit, & ad Synodum à Calliſto Rhemis indictam pro reconciliatione Eccleſiæ ſe acceſſurum ſpopondit.

III. CONCIL. RHEM. GENER. PRO PACE ECCL.

Fuit porro iſta SYNODVS RHEMENSIS celebrata menſe Octobri, in qua numeratæ ſunt (vt habet Rogerius in Annalibus Anglicanis) perſonarum paſtoralium virgæ quadringentæ viginti quatuor, (Vrſpergenſis ait interfuiſſe quadringentos viginti ſex Patres) aſſidente quoque Rege Francorum Ludouico. Henricus autem Imperator non quidem adfuit, vt promiſerat: vicinum tamen ſe exhibens, Legatos primum ab vniuerſa Synodo, deinde à Calliſto Papa ſuſcepit pro renuntiatione Inueſtiturarum Eccleſiaſticarum: recuſans vero eas deponere, communi omnium Patrum conſenſu excommunicatus eſt. Teſtantur iſta Rogerius, atque Sugerius. Recitatque idem Rogerius quinque canones in eadem Synodo conditos aduerſus prauitatem ſimoniacam, Inueſtituras laicas, raptores bonorum Eccleſiaſticorum, ſucceſſionem hereditariam beneficiorum, & incontinentiam clericorum. His autem ſubiicit ea quæ poſt Concilium ab eodem Calliſto cum Henrico Anglorum Rege ipſi apud Giſortium occurrente ſunt actitata, tam pro Turſtino Archiepiſcopo Eboracenſi nuper ab ipſo Calliſto conſecrato, (quem idem Pontifex omnino voluit, renitente licet Rege, in Eccleſiam ſuam recipi abſque profeſſione Archiepiſcopo Cantuarienſi præſtanda) quam de Legatis à Latere niſi petente Rege in Angliam non mittendis. Verum de Legatis non iſta ſimpliciter, ſed tantum licita Pontificem Rege conceſſiſſe, docent acta cum S. Thoma, de quibus inferius ſuo loco. Cum & alioqui ſæpe poſthac vituri ſimus miſſos in Angliam Legatos a Latere, & poſt ſex abhinc annos ipſemet Willelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis Romam petens, ſuſceperit ab Honorio Papa Calliſti ſucceſſore Legationem Apoſtolicæ Sedis in Anglia & Scotia.

HENR. IMP. EXCOMMVNICATVR.

CONGRESSVS REGIS ANGL. CVM CALLISTO PP.

HENRICI IV. 10. IOAN. COMN. 2.

IESV CHRISTI AN. 1120.

CALLIS. II. 2.

I. PRIMATVS ECCL. VIEN. CONSTITVTVS A PP. CALLIS.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo vigeſimo, Indictione decimatertia, Calliſtus Papa Romam cogitans, antequam profectionem aggrederetur, dilectæ ſuæ Eccleſiæ Viennenſis priuilegia antiqua confirmans, nouaque tribuens, inter alia conceſſit vt ſuper ſeptem prouincias, ipſam nempe Viennenſem, Bituricenſem, Burdegalenſem, Auxitanam, Narbonenſem, Aquenſem, & Ebredunenſem, primatum obtineret, & in eis Archiepiſcopus Viennenſis Romani Pontificis vices ageret, Synodales conuentus celebraret, & negotia Eccleſiaſtica canonice definiret; eidemque inſuper tamquam Primati ſuo Archiepiſcopus Tarantalienſis ſubiectus obediret. Cuiuſmodi extat [a] hodieque priuilegium, multa alia capita continens, datum Valentiæ quinto Calendas Martii huius anni. Sed & antequam è Gallia recederet, tres ſaltem dedicaſſe reperitur eccleſias, nimirum S. Mauri [b] in Glanofolio, in qua etiam corpora SS. Antonii & Conſtantiniani qui in Gallias cum S. Mauro perrexerant, reuerenter poſuit: itemque eccleſiam [c] S. Iuliani; & eccleſiam [d] S. Antonii Magni, ſitam apud montes Deſiderii in prouincia Vienneſi, tum temporis frequenti populorum concurſu celebrem.

a In Bibliot. Floriac.

b Pet. diac. Chron. Caſſin. l. 4. c. 66.

c Pandul. in Act. Caliſt.

d Hiſt. Anton. pat. 2. c. 37. 38.

II. CALLISTI IN VRBEM ADVENTVS.

Poſt hæc autem terreſtri itinere Italiam petens, miro vbique applauſu, ac præſertim Romæ exceptus eſt tertio Nonas Iunii: cuius præueniens aduentum Burdinus Antipapa, in munitionem Sutrinam ſe recepit, ibi expectaturus opem Imperatoris. Narrantur hæc pluribus in M. S. Vaticano rerum geſtarum ipſius Calliſti ex Pandulpho. Extatque [e] hactenus de eiuſdem Pontificis occurſu, & glorioſo in Vrbem ingreſſu, epiſtola Eginonis Abbatis S. Vdalrici Auguſtani, Confeſſoris illuſtris, qui charitate impulſus Eccleſiæ Auguſtanæ ſub Herimanno Epiſcopo ſchiſmatico laborantis, ipſeque ab eo diram perſecutionem paſſus, ad Calliſtum Pontificem Romam aduentantem ſe contulit: apud quem rebus ex ſententia geſtis, in reditu Piſis diem obiit Idibus Iulii: vt eius peregrinationis ſocius Vdaſcalcus enarrat [f].

e Rec. Baron. Annal. To. XII. hoc an.

f Ap. Caniſ. To. 2. Antiq. Lect.

III. CALLIS. CONCEDIT INVESTITVRAM VVILLEL. DVCI.

Porro Calliſtus haud diu Romæ permanens, Beneuentum direxit iter in Apuliam, vt Northmannos ad expugnationem Sutrinæ munitionis hortaretur: vbi & Duci Willelmo, more ſuperiorum Pontificum, Calabriæ & Apuliæ inueſtituram conceſſit: ipſe vero Wilelmus vice ſtratoris equitanti Pontifici obambulauit. Sed de his, aliiſque rebus in hoc itinere geſtis, plura Petrus [g] diaconus, & Romualdus in Chronicis. Meminitque eiuſdem peregrinationis Sugerius Abbas S. Dionyſii, dum ait ſe miſſum à Rege Galliæ Ludouico pro quibuſdam regni negotiis, eidem Pontifici apud Bitontum occurriſſe.

g Pet. diac. l. 4. c. 70. & ſeqq.

IV. S. NORBERTVS ORD. PRÆMONSTRATENSIS INSTITVTOR.

Contigit etiam hoc anno, vt NORBERTVS vir temporis huius fama celeberrimus, qui iam antehac auctoritate Romanorum Pontificum Gelaſii & Calliſti, munus Euangelii prædicandi acceperat, collectis ſociis Regulam S. Auguſtini obſeruandam ſuſcipiens inſtitueret ORDINEM, à loco in quem ſeceſſerat dictum PRÆMONSTRATENSEM. Quæ pluribus narrat in eius Vita [h] Hugo Abbas. Et in Saxonia [i] fides Catholica propagata eſt, Deo prodigiis populos terrente, & vlciſcente in eos qui adhærerent Imperatori ſchiſmatico; & inter alios in Fridericum Comitem Palatinum ad inferos (vt reuelatum eſt) ad pœnas æternas condemnatum.

h Ext. ap. Sur. 6. Iunii.

i Vrſperg. hoc an.

V. ROGERII PRINCIP. ANTIOCH. EXITVS.

Quod ad res pertinet Orientis; male pugnatum eſt à Rogerio, qui Principatum Antiochenum ſibi iniuſto titulo vſurpauerat: cum homo alioqui vita turpiſſimus, qui in eodem bello interremptus occubuit, hoc diuino munere ſit conſecutus, vt antea confeſſione peccatorum facta vere pœnitentis ſpecimen ederet. Ita plane renouata in Orientalibus illis præliis noſcuntur diuina miracula, vt ſi cultores eſſent iuſtitiæ Principes, nullo ferme negotio hoſtibus quamlibet numero viribuſque ſuperioribus victores exiſterent; contra vero vincerentur ab illis, ſi iniquitas præualeret in ipſis. Interfecto autem Rogerio, Balduinus Hieroſolymorum Rex, vna cum Comite Tripolitano, præuio ſacratiſſimo ligno S. Crucis, ingentem de Turcis et victoriã conſecutus hoc anno in vigilia Aſſumptionis S. MARIÆ; poſt quæ S. Crux ſolemni ritu reportata eſt Hieroſolymam die Exaltationis eiuſdem. Hæc omnia pluribus Tyrius [k]: qui addit, hoc eodem anno à Patriarcha Hieroſolymorum celebratum eſſe CONCILIVM in ciuitate Neapolis: (quæ & Samaria) ibique pro correctione morum, & conſeruanda Eccleſiaſtica diſciplina, ſtatutos eſſe canones viginti quinque. Nec caruit fructu publica iſta correctio: ſiquidem anno ſequenti Turcarum Princeps magno apparatu contra Antiochiam rediens, pugnante Domino apoplexia percuſſus interiit.

k Tyr. l. 12. c. 10. & ſeq.

CONCIL. PALÆSTINVM.

HENRICI IV. 11. IOAN. COMN. 3.

IESV CHRISTI AN. 1121.

CALLIS. II. AN. 3.

I. BVRD. ANTIP. CAPITVR, ET ALII TYRANNI COMPRIMVNTVR.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo vigeſimo primo, Indictione decimaquarta, Calliſtus Papa non valens amplius ferre tyrannidem Burdini Antipapæ, qua è munitione Sutrina Eccleſiam perſequi, peregrinos prædari, & alia nefanda committere non ceſſaret; collecto Romanorum & Northmannorum exercitu, eumdem obſedit, cepitque: quem milites innumeris maledictis impetitum, & piloſa pelle veruecis pro chlamyde rubea indutum, camelo ex aduerſo ſuppoſuerunt, data ei in manibus pro freno cauda cameli, & per mediam Vrbem Romam eo modo deductum, (vix eius vitam impetrante Calliſto) in Campaniam ad perpetuum carcerem deportarunt. Narrantur illa à Pandulpho, & in ſcripto codice Vaticano, Vrſpergenſi Sugerio, Petro diacono,

VVilel-

VVilelmo Malmesburienſi, Rogerio, & alijs. Sed & ad pacem perpetuo conſeruandam, Calliſtum turres Cencii Frangipanis, quæ erant præſidia tyrannorum, demolitum eſſe, domuiſſeq; Comites nonnullos rerum Eccleſiæ inſores, Pandulphus affirmat.

II. Sic igitur ſublato in Vrbe Antipapæ dedecore, & nobilium Romanorum compreſſa rebellione: in Germania quoque omnium auctor malorum Henricus Imperator ſchiſmaticus, adeo eſt Adalberti [a] Archiepiſcopi Moguntini, Apoſtolicæ Sedis Legatione fungentis, frequentibus aduerſus illum Epiſcoporum & Principum conuocationibus & commotionibus, atq; etiam armorum apparatibus exagitatus; vt tandem coactus cedere, in communi vtriuſq; partis *Conuentu* VVirceburgi in feſto S. Michaelis menſe Septembri celebrato, pacem firmiſſimam ſeruare promiſerit; permiſeritq; vt communi conſenſu ad eam perficiendam Legatio Romam decerneretur, quatenus indicto per auctoritatem Apoſtolicam generali Concilio, quæcumq; humano non poſſent, Spiritus Sancti iudicio terminarentur. Delectiq; ſunt Legati, Epiſcopus Spirenſis & Abbas Fuldenſis, viri inter primos annumerati; de quorum Romam aduentu dicetur anno ſequenti. Hæc autem omnia Vrſpergenſis pluribus.

a Vrſper. hoc an.

HENR. REX PROMITTIT PACEM.

IESV CHRISTI AN. 1122.

HENRICI IV. 12. IOAN. COMN. 4.

CALLIS. II. AN. 4.

I. ANnus Chriſti milleſimus centeſimus vigeſimus ſecundus Indictionis decimæquintæ, Deo acceptus extitit ob reuocatam exulem Eccleſiæ pacem. Quo Calliſtus Papa tempore Quadrageſimæ generali Romæ apud Lateranum celebrato CONCILIO (cui interfuiſſe trecentos & amplius Epiſcopos teſtatur, qui præſens extitit Sugerius [a] Abbas S. Dionyſii) in primis pro reſtitutione priſtinæ diſciplinæ, diuturnis ſchiſmaticorum factionibus admodum labafactatæ, decem & ſeptem canones condidit, quorum maximam partem Gratianus in ſuum Decretum tranſtulit [b]. Inſuper omnibus Hieroſolymam proficiſcentibus ad ſubſidium Chriſtianorum illic militantium, conceſſit ſuorum remiſſionem peccatorum: illis vero qui pro eadem Hieroſolymitana, vel etiam Hiſpanica expeditione, cruces ſibi in veſtibus poſuiſſent, & viam poſtea dimiſiſſent, præcepit cruces iterato aſſumere, & intra annum iter perficere, ſub pœna excommunicationis in ipſos, & Interdicti in eorum terras.

CONCIL. GENER. ROM. SVB CALLIS. PP. ... ECCLESIA COMPO... ...NDA.

a Suger. in ... Lud... Reg.

b Hi canones extant Baron. Annal. To. XII. hoc an.

II. Poſt hęc vero auditis in eadem Synodo, Germanorum Præſulum ac Principum Legatis, Epiſcopo Spirēſi & Abbate Fuldenſi, de quibus anno ſuperiori, idem Calliſtus ex eorum petitione Legationem decreuit in Germaniam Lamberto Cardinali Epiſcopo Oſtienſi, & duobus aliis Cardinalibus, ad res cum Imperatore componendas. Qui quidem cum inueniſſent animum Imperatoris noua occaſione exaſperatum, ob controuerſiam de electione Epiſcopi VVirceburgenſis: ideoque Conuentus apud eamdem ciuitatem ab ipſis in feſto SS. Petri & Pauli celebratus, abſque vllo effectu ſolutus eſſet, & maiorum paratus fomes incendiorum videretur: tamen eorumdem induſtria Legatorum rebus in melius reformatis, factus eſt denuo menſe Septembris vniuerſalis *Conuentus* apud Vrbem Vangionum, quæ nunc VVormatia dicitur: vbi poſt longum conſiliorum certamen, tandem flexo diuinitus, & vltra plurimorum ſpem, corde Imperatoris ad reddendam Apoſtlicæ Sedi obedientiam, idem in manus eius Legatorum remiſit in perpetuum omne prætenſum ius Inueſtiturarum Eccleſiaſticarum per anulum & baculum, pro quibus tanto tempore tam ab eo quam ipſius predeceſſoribus dimicatum eſſet: liberamq; dimiſit Præſulum electionem & conſecrationem: & quæcumque bona hactenus ablata, Eccleſiæ Romanæ, aliiſque reſtituit. Legati vero tam illum, quam omnes quicumque ab eo ſteteſſent, nomine Calliſti Papæ ab excommunicatione abſoluentes, in Communionem Eccleſiæ reſtituerunt; eidemque conceſſerunt, vt electiones Epiſcoporum & Abbatum Regni Germanici, in præſentia eius abſque vi & ſimonia fierent, & vt interueniente aliqua inter partes diſcordia, ipſe Metropolitani & Prouincialium conſilio vel iudicio, ſaniori parti aſſenſum & auxilium præberet: itemque vt & electi tam prædicti Regni, quam totius Imperii, regalia ab ipſo per ſceptrum reciperent: exceptis omnibus, quæ ad Romanam Eccleſiam pertinere noſcerētur. Sicq; cunctis proſpere compoſitis, pleniſſimaque tandem ingenti omnium gaudio reſtituta Eccleſiæ pace, ipſe Imperator Legatos proprios cum Legatis Apoſtolicæ Sedis Romam ad Calliſtum cum muneribus direxit. Quæ cuncta narrat pluribus Abbas Vrſpergenſis, qui potuit tunc omnibus cum aliis Præſulibus intereſſe: extantq; eadem ipſa monimenta conceſſionum vtrimq; factarum quæ ille recitat, etiam apud VVilelmum Malmesburienſem.

LEGATIO EX CONCILIO IN GERMANIAM MISSA.

CONCIL. VVORMATIEN.

HENR. IMP. RENVNCIAT INVESTITVRIS, ET ELECTIONIB. EPISC.

PAX ECCLESIÆ RESTITVTA.

IESV CHRISTI AN. 1123.

HENRICI IV. 13. IOAN. COMN. 5.

CALLIS. II. AN. 5.

I. ANno Chriſti milleſimo centeſimo vigeſimo tertio, Indictione prima, Calliſtus Papa (vt habet vetus codex de Romanis Pontificibus ſcriptus ab auctore eius temporis) Compoſtellanum Epiſcopum in honorem S. Iacobi Apoſtoli illic ſepulti, & totius Occidentalis orbis peregrinatione celebris, Metropolitanum conſtituit, ſubiiciens ei totam illam prouinciam tunc ob bella Saracenorum penitus deſolatam. Fuit enim plane Calliſtus ſtudioſiſſimus S. Iacobi Compoſtellani, adeo vt de eius miraculis volumen ipſe confecerit, quorum nonnulla recitat in ſuo Speculo hiſtoriali Vincentius Bellouacenſis. Sed & Anglos peregrinos (inquit VVilelmus [a] Malmesburienſis) magis ad dictum Sanctum, quam Romam peragere admonuit, pro viæ longitudine ad illum locum bis euntibus idem benedictionis refundendo commodum, quod haberent qui ſemel Romam irent.

COMPOSTEL. ECCL. METROPOLIS FACTA.

a Malmeſbur. de geſt. Reg. Angl. l. 5.

PEREGRINATIO COMPOSTEL. GEMINATA PROLIMIN. APOST.

II. Quod ad res pertinet Orientis; cum capto à Turcis Balduino Rege Hieroſolymorum, luctuoſus admodum eſſet ſtatus Chriſtianorum, Dei miſericordia factum eſt, vt expectato claſſis Venetorum aduentu res in meliorem ſtatum collocarentur, victa ab illis Ægyptiorum claſſe lōge nauibus ſuperiori. Vnde magno amore ab indigenis vt liberatores Terræ Sanctæ ſuſcepti, plurimis quoque Hieroſolymis ſunt priuilegiis aucti. Quorum inſuper auxilio capta eſt anno ſequenti Tyrus inexpugnabilis ciuitas. Sed hæc omnia pluribus Tyrius [b]. Robertus vero de Monte Appendice ad Sigebertum anno ſequenti, inſignem narrat hiſtoriam, quæ accidit cum de capto Balduino ſuperbientes Saraceni Chriſtianos in anguſtias redegiſſent: Quando; (vt ait) iidem Chriſtiani nihil ſpei niſi in Deo habentes, exemplo Niniuitarum indicto ieiunio non hominibus tantum vtriuſque ſexus, ſed etiam pueris ac lactentibus infantibus, cunctiſq; animalibus, die pugnæ procedentes vix ter mille milites aduerſus quadraginta millia Saracenorum, agmen Chriſtianorum præcedentibus Patriarcha Hieroſolymitano cum Cruce Chriſti, Pontio Abbate Cluniacenſi cum ſacra Lancea, & Epiſcopo Bethleemitide cum Lacte Beatiſſimæ Virginis, ingentem obtinuerunt victoriam, immiſſo diuinitus in hoſtes ſplendore, quo penitus virib. eneruati ad multa millia cæſi ſunt; omnibus Chriſtianis incolumnib. permanentibus.

VENETI BENE MERITI DE TERRA SANCT.

b Tyr. l. 12. c. 22. & ſeq.

INGENS VICTORIA DIVINITVS OBTENTA DE SARACENIS.

III. Sed & hoc eodem anno Ioannis Comneni quinto (vt ſcribit Nicetas Choniata) idem Imperator ingentes de Scythis Thraciam inuadentibus, aliiſque barbaris victorias obtinuit ope Dei-Genitricis MARIÆ, cuius, in gratiarum actionem, Imaginem magnificentiſſimo currui triumphali impoſitam, inſigni pompa Conſtantinopolim reduxit, ipſe pedes currum præcedens.

BEATISSIMÆ VIRGINIS TRIVMPHVS DE VICTIS PER IOAN. IMP. BARBARIS.

***

HENRICI IV. 14. IOAN. COMN. AN 6.

IESV CHRISTI AN. 1124.

CALLIS. II. AN. 6.

I. DE APOSTOLATV OTTONIS BAMBERG. AD POMERANOS.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo vigeſimo quarto, Indictione ſecunda *Otto* Epiſcopus Bambergenſis iã antea à Bolizlao Polonorum Duce inuitatus ad conuerſionem *Pomeranorum* adhuc Paganorum, (ſunt hi populi Slauiæ, ita dicti quod iuxta mare ſint poſiti) impetrato à Calliſto Papa ad illam Gentem Apoſtolatu, eamdem prędicatione verbi Dei, Domino cooperante, & ſermonem ſignis & miraculis confirmante, ad Chriſtianam fidẽ conuertit, meruitq; dici *Apoſtolus Pomeranorum*. Quomodo autem id conſecutus ſit, narrat pluribus qui res ab eo geſtas eius temporis ſcriptor [a] tribus libris exacte conſcripſit. Quod vero Vrſpergenſis Abbas, eiuſdem Ottonis ſubditus, & rem ipſam oculis intuens, illum hoc ipſo anno, & à Calliſto Papa eiuſmodi Apoſtolatum ſuſcepiſſe affirmet, auctor autem vitæ Ottonis totum id tribuat Calliſti ſucceſſori Honorio: potuit facile eueniſſe, vt quod à Calliſto conceſſum fuiſſet, id ipſum per eius ſucceſſorem Otto voluerit confirmari. Quibus autem Pomeranos, præter Catholicam fidem quam eos inuiolatam ſeruare docuit, ſacris ritibus imbuerit, iidem auctores recenſere ſigillatim minime prætermiſerunt. Deo id volente ad Nouatorum perfidorum ſugillationem. Sed antequam ad Pomeranos proficiſceretur, Eccleſiæ ſuæ Bambergenſi, quindecimque monaſteriis à ſe propriis ſumptibus erectis, amplas donationes contulit, quas omnes, ipſaq; etiam monaſteria confirmatione ac priuilegiis Calliſti Papæ muniri curauit. Fuit autem poſt obitum, ob frequentia eius interceſſione edita ſanitatum miracula, in numerum Sanctorum relatus à Clemente Papa Tertio; cuius ea de re extat decretum in Chronico Bambergenſi.

a To. 2. Antiq. Lect. Caniſ.

II. CALLISTI OBITVS.

Ad finem autem vergente anno, febre correptus *Calliſtus* Papa (vt Pandulphus habet) mortuus eſt, ſepultuſque in baſilica Lateranenſi in feſtiuitate S. Luciæ virginis: alibi vero dicitur mortuus decimoquarto Calendas Ianuarii, cum ſediſſet annos quinque, menſes decem, & dies aliquot. Cuius quidem memoria ſumma cum benedictione in Eccleſia Catholica perſeuerat, vtpote ſanctiſſimi Pontificis, cui Deus dederit tam breui tempore adeo glorioſa peragere, Eccleſiamque Imperatorũ tyrannide ſeruitutis iugo depreſſam vindicare in perpetuam libertatẽ.

III. DISSENSIO PRO ELECTIONE PONT.

Illo autem defuncto, conuenientes in vnum Cardinales in baſilicam S. Ioannis (licet non ſine formidine tyrannidis Frangipanum) vno conſenſu elegerunt in Pontificẽ Theobaldum Cardinalem presbyterum tituli S. Anaſtaſiæ, & *Cæleſtinum* appellarunt tamquam cœlitus miſſum, & quamuis ipſo non conſentiente electioni, cœptus eſt cani hymnus *Te Deum laudamus*. At vero nondum hymno dimidiato, Robertus Frangipanis cum ſuis aſſeclis Lambertum Cardinalem Epiſcopum Oſtienſem (qui & ipſe cum aliis pro Theobaldi electione hymnum cantabat) Papam acclamauit: vnde maximus ortus eſt tumultus, ſed mox omnibus ad concordiam reductis, Lambertus perſtitit Pontifex dictuſque eſt HONORIVS eius nominis Secundus. Narrat iſta pluribus Pandulphus ſubdiaconus qui aderat: aitq; fuiſſe Lambertum de mediocri plebe Comitatus Bononienſi genitum, bene tamen literatum, ideoq; à Paſchali Papa receptum, & in Epiſcopum Velitrẽſem promotum. Purgauit vero ipſe iſta, quæ minus canonice in ſua electione peracta fuerant, cum, ſicut traditur in ſæpe citato Vaticano codice de Vitis Pontificum ab auctore eius temporis conſcripto, quæ totidem pene verbis narrat Tyrius [b]; poſt ſeptem dies, nempe vigeſima octaua Decembris, in præſentia omnium Cardinaliũ ſponte mitra & manto depoſitis, Pontificatui renuntiauit. Sed eius perfectã humilitate, proſpicientes etiam in poſterũ Cardinales ne in Eccleſiam Romanam aliquam inducerent nouitatem, quod perperam factum fuerat in melius reformantes, eumdem denuo aduocarunt, & vt legitimum Pontificem adorantes conſuetam ei obedientiam

HONORIVS II. ELECTIO FIRMATVR.

b Tyr. lib. 12. cap. 15. in fin.

exhibuerunt. Idque plane magna laude, cum ſententia Sanctorum extrema quæque pati quiſque inducere debeat in animum, magis quam Catholica ſcindatur Eccleſia.

IV. S. MALACHIAS RESTITVIT ECCL. HIBERNIÆ.

Hoc eodem anno Eccleſia Hiberniæ florentiſſima olim, ſed poſtea penitus deſolata reddita, iterum reſtitui cœpit à *S. Malachia*. Cum enim mos peſſimus (inquit S. Bernardus in eiuſdem Sancti Vita) inoluiſſet quorumdam diabolica ambitione potentum, ſedem primariam Conuertenſem obtentum iri hereditaria ſucceſſione, nec paterentur Epiſcopari niſi qui eſſent de tribu & familia ſua, iamq; decurriſſent in eiuſmodi execranda ſucceſſione quaſi generationes quindecim, adeo vt etſi interdum defeciſſent clerici de ſanguine illo, ſed Epiſcopi numquam, quod etiam vxorati & abſque Ordinibus ad ſacram illam dignitatem admitterentur, indeque diſſolutio diſciplinæ, cenſuræ eneruatio, religionis euacuatio, denique barbaries, immo paganiſmus quidam inductus ſub nomine Chriſtiano, vniuerſam Hiberniam occupaſſet: tandem electo Malachia præſtantiſſimo monachorum in Archiepiſcopum Conuertenſem (renitente licet, & vix inducto ad tantum onus ſuſcipiendum) ceſſit duritia, quieuit barbaries, & domus exaſperans paulatim leniri cœpit, paulatim correctionem admittere, recipere diſciplinam, ac denique mutata ſunt in melius omnia. Iſta ex Bernardo: qui cum Malachiæ electionem factam dicat anno eius ætatis trigeſimo, quem ait obiiſſe anno ætatis quinquageſimo quarto, Redemptoris milleſimo centeſimo quadrageſimo octauo, vtiq; præſentia anno electũ fuiſſe opportuit.

V. CONSTIT. IOAN. IMP. DE BONIS EPISCOP. DEFVNCT.

Hoc item anno Indictione ſecunda Ioannes Imperator Conſtantinopolitanus conſtitutionem edidit ſaluberrimam aduerſus prouinciarum Præſides, vel alios qui defunctorum Epiſcoporum bona relicta inuaderent: quę extat in codice Iuris Græcorum.

HENRICI IV. 15. IOAN. COMN. 7.

IESV CHRISTI AN. 1125.

HONOR. II. AN. 1.

I. HENR. IMP. ODIVM IN CIVIT. RHEM.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo vigeſimo quinto, Indictione tertia, Henricus Imperator memor iniuriæ, quod in Concilio Rhemenſi à Calliſto Papa magno cum dedecore fuiſſet excommunicatus, conceptum ab eo tempore odium in Regem Francorum Ludouicum, ipſamque ciuitatem Rhemenſem, non amplius retinens, conſilio Regis Angliæ Henrici, cuius filiam vxorem duxerat, quique eidem Ludouico bellum inferebat, collectum alio prætextu ingentem exercitum eo ducere, eamdemque ciuitatem improuiſo oppugnare & ſolo æquare propoſuit. Ex quibus agnoſcas qualis fuerit eius pœnitentia poſt tot ſacrilegia perpetrata: vt plane niſi Deum eſſet tandem expertus vltorem, qui eum hoc anno ab humanis abſtulit, grauiora prælia in Catholicam Eccleſiam ab eo excitanda fuiſſe, quiſque facile coniicere poſſit.

II. OPE SS. MARTYRVM DIONYSII ET SOCIOR. REGNVM FRANCOR. LIBERATVR.

Porro conſilio eius detecto, Ludouicus Rex maxime pius ac fortis, & orationibus & armis ei occurrere feſtinans, delectu indicto, ipſe ex recepta in eiuſmodi neceſſitatibus regni conſuetudine, ad S. Dionyſium accurrens, eiq; preces offerens tamquam ſpeciali Galliæ protectori, ſacras ipſius ac ſociorũ martyrum Reliquias, velut ad defendendum regnum eius altari ſuperpoſuit, & Vexillum bellicum ab eodem altari quaſi à Domini ſui manu ſuſcepit, cum & ipſe ob Comitatum Vilcaſſini eiuſdem Sancti feudatarius eſſet. His porro apparatib. territus Imperator, diſſimulato conſilio ſuo alio tetendit, magis eligens ignominiam defectus, quam ſe Imperiumque grauiſſimæ Francorum vltioni ſubiicere. Habet iſta Sugerius Abbas S. Dionyſii in Rebus geſtis Ludouici: additq; de gratiarum actione, & donis ab eodem Rege oblatis Martyribus, deque pio eiuſdem obſequio dum recondendis ſacris illorũ Reliquiis ſuppoſuit humeros lecticis argenteis: atque ad poſtremum de obitu Imperatoris iuxta veterum aſſertionem, affirmantium vſu receptum atque probatum, quod

MIRA VIRTVS SORVMDEM

quotieſcum-

quotieſcumq; fieret eiuſmodi publica expoſitio reliquiarum Sanctorum ad periculum aliquod regni euitandum, eius auctor intra anni periodum vlciſcente numine morte mulctatus de medio tolleretur.

III. HENR. IMP. OBITVS.

Quod quidem contigit Henrico, dum hoc ipſo anno decimo Calendas Iunii ex hac vita ſublatus eſt, nulla relicta prole maſcula quæ ſuccederet in Germaniæ regnum. Sicque Dei iuſto iudicio defecit Occidentale Imperium à Germanis, cum eo ad impugnandam Eccleſiam ſunt abuſi, & translatum eſt ad Saxones, quos inter omnes Germaniæ populos, magno ſemper animo pro Eccleſiæ Romanæ defenſione præcedentibus Imperatoribus ſchiſmaticis reſtitiſſe, conſtat ex Vrſpergenſi, aliiſque eius temporis hiſtoricis. Opera autem Alberti Archiepiſcopi Moguntini, Lotharius Dux Saxonum regnum accepit, poſtea vero (vt ſuo loco dicetur) Imperium. Quem Dodechinus ſcribit, tertio Calendas Septembris Moguntiæ Regem conſtitutum (præſentibus, atque fauentibus Legatis Apoſtolicæ Sedis, vt Robertus affirmat) Idibus Septembris coronatum eſſe Aquiſgrani à Friderico Archiepiſcopo Colonienſi; Legatoſq; Romam miſſos ad Honorium Papam pro confirmatione noui Regis. Subdit autem Otto [a] Friſingenſis, Lotharium variis modis exagitaſſe progeniem Henrici Imperatoris, eique obniti conantes Fridericum & Conradum ſororis eiuſdem Henrici excommunicatos fuiſſe ab Honorio Papa: porro Conradum à fratre ac quibuſdam aliis Regem creatum eſſe, atque à Mediolanenſibus honorifice ſuſceptum, vnctumq; in Regem Italię ab eorum Archiepiſcopo Anſelmo, quem ideo Summus Pontifex depoſuit.

IMPERIVM TRANSLATVM AD SAXONES.

a Otto Friſing. l. 7. cap. 17.

IV. CONCIL. LONDON. SVB IOAN. REM. LEG. APOST.

Hoc etiã anno miſſus eſt ab Honorio Legatus in Angliam, Ioannes Cremenſis presbyter Cardinalis tituli S. Chryſogoni: à quo menſe Septembris celebratum eſt CONCILIVM Londoniæ, cui præter Archiepiſcopos VVillelmum Cantuarienſem, & Turſtanum Eboracenſem, interfuerunt viginti alii Epiſcopi, & Abbates quadraginta: conditique ſunt canones decem & ſeptem aduerſus clericos ſimoniacos & fornicarios, itemque de collationibus Ordinum, aliiſque ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinentibus, qui recitantur [b] ab auctore Appendicis ad Florentium. Agunt pariter alii rerum Anglicarum Scriptores de eodem Concilio, & a iqui ipſorum magno cum dedecore res à Ioanne Legato geſtas enarrantes, præter ſimoniæ notam qua eius æſtimationem inurunt, addunt illud ignominioſum, quod cum in eodem Concilio ſanciuiſſet canonem aduerſus clericos concubinarios, ipſe tamen cũ eadem die Miſſam celebraſſet, poſt veſperam fuerit cum meretrice deprehenſus. Verum cum iſta primitus ſcripta reperiantur ab Henrico Huntidonienſe [c], quem inueni mus inique fauere ſolitum ſacrorum miniſtrorum coniugio, ipſum Archidiaconum, nec niſi ex eius fonte Rogerius, & Matthæus VVeſtmonaſterienſis eadem hauſiſſe noſcantur: huius vero temporis quo ea contigiſſe dicuntur auctores, VVillelmus Malmesburienſis haud alioqui aſſuetus parcere Eccleſiæ Romanæ miniſtris, atq; ibidem diligens auctor qui adiecit appendicem ad Florentium, & adeo exacte de ſingulis rebus geſtis in Concilio Londonienſi meminit perinde ac ſi eidem interfuiſſet, huius tãtopere euulgati (vt alii volunt) criminis nihil penitus ſcripſerint: ſed & S. Bernardus, & alii eius temporis magni nominis viri, Innocentii Papæ fautores, conſtanter omnes defenderint, ſicut numeroſiorem, ita & ſanctiorem Cardinalium partem eumdem Innocentium elegiſſe, quod adeo libere haud dicere potuiſſent, ſi tanto ſcandalo ex præcipuis eorum vnus Ioannes Cremenſis Orbem Chriſtianum concuſſiſſet: ſintque adhuc alia quæ eamdem narrationem infirmare poſſint, puta quod Matthæus addit Legatum in ea turpitudine deprehenſum ſe excuſaſſe quod non eſſet ipſe ſacerdos, ſed ſacerdotum corrector, cum tamen iidem ipſi tradant fuiſſe presbyterum Cardinalem tituli S. Chryſogoni, atque ipſa illa die incruentum ſacrificium celebraſſe: His inquam, tot rationibus nemo non videat, certe quidem de eo facto dubitandi, verumne ſit, vel ſparſa calumnia vt fieri aſſolet, faltem locum relictum eſſe. Cum alioqui nec nos eiuſmodi ſimus, vt proditione veritatis delinquentem quemlibet Eccleſiæ Romanæ miniſtrum prodere nolimus, nec ipſa ſibi hoc vendicet Romana Eccleſia, vt Legatos ſuos omni carere turpitudine aſſerat, cum & ipſe Deus inter Angelos [d] ſuos, & Chriſtus Dominus inter Apoſtolos à ſe electos, reperierit prauitatem.

b Rer. Brit. To. XII. hoc an.

ACCVSATIONES IN IOAN. CREM. EXPENDVNTVR.

c Henr. Huntid. hiſt. l. 7. hoc an.

d Iob. 4.

IESV CHRISTI AN. 1126.

IOAN. COMN. 8.

HONORII II. AN. 2.

I.

ANno Chriſti milleſimo, centeſimo vigeſimo ſexto, Indictione quarta, Honorius Papa duorum præcipuorum Orbis Chriſtiani Abbatum, *Caſinenſis*, & *Cluniacenſis*, cauſas cognoſcens, eoſdem lata ſententia condemnauit, expertus nihil in ſuis membris infeſtius Eccleſiam pati, quam Religioſos à paternis inſtitutis deſciſcentes, & more ſecularium ad gloriam & lucra turpiter inhiantes.

II. CAVSA ABBATIS CASSIN. COGNOSCITVR À SVM. PONT.

Quod autem inprimis ad Caſſinenſem pertinet; cum Abbatem Oderiſium Iuniorem Honorius ſuæ exordio ſedis expertus eſſet refractarium, tum quod opem ipſi Pontifici ferre rogatus denegaſſet, tum quod Aquinatum accuſationibus reſponſurus Romam venire recuſaſſet, ac denique vt contumax condemnatus, nihilominus munus Abbatis in contemptum Pontificis exercere non deſtitiſſet: his de cauſis ab eodem Honorio excommunicatus eſt, & à laicis monaſterio pulſus. Electo vero in locum eius Nicolao Tuſculano monacho decano, contradicentibus ſenioribus, nec approbante Pontifice, miſſus eſt ab Honorio Caſſinum Gregorius Cardinalis tituli SS. Apoſtolorum, vt eligeretur Senioretus Capuani monaſterii Præpoſitus. Ipſi vero monachi inducias petentes, maximo ſuo damno experti ſunt non ſtatim capeſſiſſe mandata Pontificis. Siquidem duo illi Abbates, Oderiſius, & Nicolaus, acerbiſſimo contra ſe inuicem odio concitato, in comparandis vndique militibus omnem monaſterii theſaurum & vaſa ſacra dilapidarunt ac diſperſerunt; & vniuerſam eius ditionem incendiis, ruinis, atque cædibus deſolarunt: Donec Oderiſio ſera ducto pœnitentia Romam pergente proſtratoq; ad pedes Pontificis Abbatiam in manibus ipſius renunciante, idem Pontifex Nicolaum pariter deponens, per Matthæum Epiſcopum Albanenſem miſſum eo Legatum curauit, quem prius propoſuerat, eligendum Senioretum, quem ſciret idoneum ad res monaſterii optime diſponendas, & mores collapſos reſtituendos. Porro iſta omnia fuſius deſcribuntur à Petro [a] diacono Caſſinenſi: quæ quidem inchoata anno ſuperiori, exceſſere hic mites iſtius.

a Pet. diac. Chron. Caſ. l. 4. c. 8. & ſeqq.

III. IVDICIVM DE ABBATE CLVN.

At vero cauſa Cluniacenſis Abbatis multo ante incœpta, hoc anno penitus definita eſt: quæ ſic breuiter ſe habet. Defuncto magno illo S. Hugone, ſuffectus eſt in locum eius Pontius valde iuuenis à monachis Cluniacenſibus, ſpe bonæ eius indolis inductus. Qui per aliquot annos ſatis modeſte conuerſatus, procedente tempore mores mutauit, reſque monaſterii peſſumdare cœpit, & multis ac diuerſis caſibus & cauſis Fratrum pene omnium animos paulatim contra ſe concitauit: cumque fere per decennium res tecta inter eos manſiſſet, peruenit tandem non ſolum ad vicinos, ſed etiam Romam vſque. Quare Pontius indignationis impetum in ſe ipſum retorquens ad Calliſtum Papam (quem, vt & Gelaſium ipſius prædeceſſorem honorifice aliquando Cluniaci ſuſceperat) Romam venit, & fruſtra reſiſtente Calliſto, onere Præfecturæ ſe abdicauit, indeque Hieroſolymam ſemper illic manſurus petiit. At vero poſt triennium conſilio mutato, faſtu turgens affectatæ ſanctitatis, anno ſuperiori In Gallias rediit, & ſuos hinc inde ſocios ſpargens præcones mendaciorum qui & miracula ipſi & vitam Angelis æqualẽ tribuerent, primo ſeduxit plurimos, mox detecto fuco in arma ruens, ſibique prædones aſſocians, Cluniacum inuaſit, monachos vexauit atque diſperſit, ſacra aurea & argentea va-

PONTII ABB. CLVN. SCELERA.

tea vaſa, ſanctarumque Reliquiarum thecas immenſi precii, aliaq; omnia profanauit ac rapuit, villas & caſtra monaſterii deprædatus eſt, ac ſibi barbarico more religioſa loca ſubdere moliens, igni & ferro quæ potuit cuncta cõſumpſit: denique rapinis rerum, cædibuſq; hominum, per conductos auro ſacro milites per plures menſes vbique deſæuiit. Quos tumultus audiens Honorius Papa in iſſo anno ſuperiori Legato Petro Cardinale, Pontium ac Pontianos omnes anathemate damnauit: data vero vtriq; parti die ad ſubeundum in præſentia ſua tanti diſſidii iudicium, cum veniens & ipſe Pontius licet inuitus Romam, aliis ſceleribus & illud recens adderet, haud ſe ab aliquo viuentium anathematis vinculo vinciri poſſe, ſolumque eſſe Petrum in cœlis cui hoc liceret: tandem lata ſententia idem vt inuaſor, ſacrilegus, ſchiſmaticus, & excommunicatus, ab omni Eccleſiaſtico honore vel officio in perpetuum depoſitus eſt: qui vix elapſo menſe ibidem Romæ impœnitens deceſſit. Narrat pluribus iſta omnia Petrus [b] tunc Abbas Cluniacenſis (aduerſus quem tanta Pontius nefanda perpetrauit) nobilis Aquitanus, patria Aruernenſis, vſu rerum peritiſſimus: qui ex militia quam ſumma gloria miniſtrauerat, Cluniacenſibus ſe addixerat, moribus atque doctrina conſpicuus: ac poſt Hugonem Iuniorem qui ſuffectus in locum Pontii cum iſte apud Calliſtum ſe abdicaſſet, menſe quinto ſuæ Præfecturæ deceſſerat) probante eodem Calliſto, Cluniacenſis Abbas creatus eſt. Extatq; inſuper Petri Pictauienſis ad eumdem Petrum Cluniacenſem inſcriptum victoriæ carmen, quo eiuſdem Pontii hiſtoria deſcribitur.

DAMNATVS PONTIVS MORIBVNDO INTERIIT.

b Pet. Clun. l. 2. miracul. c. 12. 13.

PETRVS MIRABILIS ABB. CLVNIAC.

IV. MATTH. CARDIN. ALBAN. EX MONACHO CLVNIAC.

Ex his autem malis tulit illud Eccleſia Romana compendium, vt ex monachis Cluniacenſibus Matthæum, qui pro defenſione communis eorum cauſæ Romam ad diem condictum aduenerat, virum morib. ſanctiſſimum, & in rebus gerendis prudentiſſimum acceperit in Cardinalem: dum qualis eſſet ab Honorio cognitus, mox abſoluta cauſa creatus eſt Epiſcopus Albanenſis, nec mora (vt nuper audiſti) Caſſinum ad conciliandos monachos miſſus, cuius vitam plane mirandam, ipſe qui ſupra Petrus Cluniacenſis Abbas ſcriptis mandauit: de aliis vero eius Legationibus pro Sede Apoſtolica ſuſceptis, & prudentiſſime adminiſtratis, agemus nos inferius ſuis locis.

V. TANCHELINVS SACRAMENTARIORVM HÆRET. PRÆCVRSOR.

c Ap. Sur. 6. Iunii.

Hoc eodem anno S. Norbertus (qui anno ſuperiori ad Honorium Papam pergens, quicquid voluiſſet impetrauerat de ſui Ordinis Præmonſtratenſium confirmatione) reuerſus in patriam, mox Antuerpiam vocatus eſt, vt illi Eccleſiæ noui hæreſiarchæ errorib. labefactatæ ſuccurreret. Fuit iſte quidam nomine TANCHELINVS, omnium hominum ſceleratiſſimus, (inquit Hugo eius temporis auctor in Vita [c] ipſius S. Norberti) Deique, & omnium ſacramentorum eius, totiuſque religionis & Chriſtianæ fidei hoſtis: ita vt miniſterium Epiſcoporum & ſacerdotum nihil eſſe diceret, & ſacroſancti corporis & ſanguinis Domini noſtri IESV CHRISTI perceptionem ad ſalutem perpetuam prodeſſe negaret. Sequebantur eum circiter tria millia armatorum: nec erat Dux, aut Epiſcopus, aut Princeps, qui auderet ei reſiſtere vel occurrere. Cum pretioſo apparatu, in veſtibus deauratis, triplici funiculo crinibus intortis, & auro intexto ligamine triplicatis incedebat: verbiſque perſuaſibilibus & magnis conuiuiorum apparatibus, beneuolentiam eorum ad eoſdem ſeducendos exhauriebat. Lotiones eius bibebant, & reliquiarum loco aſportantes recondebant: cumque filias in matrum præſentia, ſponſaſque maritis videntibus corrumperet, opus ſpirituale id eſſe aſſerebat: in tantum vt infelicem ſe diceret, quæ huic coniunctioni nefariæ miſceri non meruiſſet. Hæc de illo Hugo: ſubiiciens de laboribus S. Norberti, & clericorum ab eo illuc miſſorum ad conuellenda peſſima eiuſmodi zizania. Videant autem noſtri temporis Nouatores, quibus præcurſoribus gloriari poſſint, & quos ſe ſuorum dogmatum habere Patriarchas exultent.

VI. PETRI DE BRVIS HÆRESES, ET SACRILEGIA.

Ceterum haud diſſimilis plane Tanchelino fuit, nec impietate diſpar, PETRVS DE BRVIS; qui his item Honorii Papæ temporibus cognitus, eoſdem ferme errores per annos viginti impie ſeminauit in prouinciis Arelatenſi, Nouempopulana, & aliis contiguis. Aduerſus quem Petrus [d] Cluniacenſis duas præclaras ſcribens epiſtolas ad illarum partium Epiſcopos, egregie confutauit quinque præcipua peruerſi hæretici dogmata, quibus aſſerebat, Baptiſmum nihil prodeſſe paruulis ante intelligibilem ætatem: Templa & Eccleſias eſſe diruendas, nec eſſe neceſſaria Chriſtianis ſacra loca ad adorandum: Cruces abominationi eſſe debere, atque ſuccendi, quod in eiuſmodi ſigno Chriſtus tam dire occiſus ſit: Sacrificium corporis & ſanguinis Domini quotidie offerri in Eccleſia ſolitum, nihil eſſe, neque Deo offerri debere: Sacrificia, Orationes, Eleemoſynas, & alia viuorum pro defunctis Fidelibus ſuffragia & bona opera, nihil omnino prodeſſe illis. Hæc Petri nebulonis, æque noſtri temporis Nouatorum Patriarchę, deliramenta. Qui dignum impietate ſua finem conſecutus, apud S. Ægidium à Fidelibus igne crematus eſt, ita vlciſcente numine nefandiſſima ſceleſtiſſimi hominis ſacrilegia, cum inter alia (vt habet Petrus Cluniacenſis) ad inauditam diuinitatis contumeliam, magno de Crucibus aggere inſtructo, ignem immiſiſſet, pyram feciſſet carnes coxiſſet, & ipſo Paſſionis Dominicæ die, Paſchalem Dominicam præcedente, inuitatis publice ad talem eſum populis, comediſſet. At quoniam in *Henrico* apoſtata impia eius hæreſis reuixit & magis aucta eſt, quando & idem Petrus Cluniacenſis prædictas duas epiſtolas ſcripſit, & S. Bernardus eandem hæreſim ſcriptis & miraculis potentiſſime exagitauit, dicetur de eo inferius ſuo loco.

d Pet. Clun. lib. 1. ep. 1. & 2.

PETRVS DE BRVIS IGNE COMBVRITVR.

VII. OBITVS STEPHANI ORD. GRANDIMONTANI INSTITVTORIS

e Vincent. Spec. hiſt. lib. 25. ca. 46. & ſeq.

Hoc eodem anno Idibus Februarii ex hac vita deceſſit S. STEPHANVS Aruernenſis, Ordinis GRANDIMONTENSIS inſtitutor, paulo ante viſitatus à Gregorio & Petro Leonis Cardinalibus Legatis Honorii Papæ in Galliam miſſis, inter quos poſt eiuſdem Honorii obitum de Papatu ſchiſma fuit. Stephani autem obitum hoc anno contigiſſe, colligitur ex eius vitæ Actis quæ apud Vincentium [e] deſcripta leguntur, dum teſtatur auctor, anno Redemptoris milleſimo ſeptuageſimo ſexto, ætatis vero ſuæ trigeſimo, eum cœpiſſe eremum colere & obiiſſe octogenarium. Cuius ſanctitas pluribus argumentis eſt declarata, quæ ab eodem auctore narrantur.

VIII. OBITVS B. GODEFR. VVESTPHALI.

Eodemque anno beatus Godefredus VVeſtphalus Comes Cappenbergenſis, qui vna cum germano ſuo ad prædicationem S. Norberti ſæculum reliquiſſet, tribus erectis monaſteriis, coniuge ſummo conſenſu inter moniales profitente, poſt multas tribulationes magna animi conſtantia toleratas, & perſeuerantiam exactiſſimam in regulari diſciplina, ad Deum migrauit die decima tertia Ianuarii, anno ſuæ ætatis ferme trigeſimo. Cuius clara habetur mentio in Vita eiuſdem S. Norberti: extantque res præclare ab eo geſtæ, ſcriptis mandatæ à viro religioſo eiuſdem Ordinis & ætatis, nuper editæ.

IESV CHRISTI AN. 1127.

IOAN. COMN. AN. 9.

HONOR. II. AN. 3.

I. ROGER. SICILIÆ COMES REBELLAT ADVERSVS SED. APOST.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo vigeſimo ſeptimo, Indictione quinta, menſe Iulio, VVillelmo Duce Apuliæ & Calabriæ apud Salernum mortuo abſque liberis, Rogerius Comes Siciliæ eius patruus qui ab eo fuerat heres inſtitutus, illuc nauigans ipſius Ducatum ſibi ſumpſit abſque Sedis Apoſtolicæ auctoritate, nec iurata more maiorum Romano Pontifici fidelitate. Sed & faſtidiens Comitis Siciliæ nomen, Duciſq; appellationem affectans, cum non valuiſſet illam ab Honorio Papa miſſis Legatis impetrare, terras Eccleſiæ, ac ciuitatem Beneuentanam cædibus & direptionibus infeſtare cœpit. Quapropter Honorius vocatis in auxilium Principe Capuano, aliiſque Eccleſiæ Romanæ fidelib. contra eumdem Rogerium profectus eſt in Apuliam ob Eccleſiæ iuriũ defen-

ſionem, conceſſa eis qui in expeditione illâ pœnitentes morerentur, peccatorum omnium remiſſione, dimidiæ vero partis aliis qui non morerentur confeſſis pariter & pœnitentib. Porro detrectante Rogerio pugnam, ideoq; Baronibus qui Honorio adhærebant ad ſua ſe recipientibus, idem mox Rogerius miſſa Beneuentum ad Pontificem legatione pacis ligium, ei hominium fecit, & iuramentum fidelitatis præſtitit, ſuſcipiens ab eo per vexillum inueſtituram Ducatus Apuliæ: quod contigit anno ſequenti. Hæc vero omnia fuſius narrantur in Chronico Beneuentano, ab auctore Falcone qui ea oculis ſpectabat. Habetque inſuper Chronicon Romualdi Epiſcopi Salernitani, eumdem Rogerium excommunicatum ab Honorio fuiſſe, tum quod Ducis nomen inconſulto Romano Pontifice arripuiſſet, tum etiam quod Epiſcopos Siciliæ haud permitteret venire Romam.

ROGER. IVRAMENTUM PRÆSTAT FIDELITATIS HONORIO PP.

II. CONCIL. TRECEN. SVB LEGATO SED. APOST.

Hoc item anno Matthæus Epiſcopus Cardinalis Albanenſis Legatus in Galliam miſſus, Trecis CONCILIVM celebrauit, in quo comprobata eſt inſtitutio Ordinis Templariorum, nono videlicet anno (vt ex Tyrio [a] dictum eſt ſuperius) poſt primam eius inſtitutionem Hieroſolymis factam. Cui Concilio interfuerunt, vt ait, Rhemenſis & Senonenſis Archiepiſcopi cum ſuffraganeis ſuis, & duo maximi tunc nominis Abbates Stephanus Ciſtercienſis, & Bernardus Claraualenſis, licet iſte non ſine magno labore euulſus ſit è clauſtro, vt conſtat ex ipſius epiſtola [b] ad eumdem Matthæum Legatum ſcripta, qua optatæ malæ valetudinis excuſatione conatus eſt illum ſe magis magiſque vrgentem eludere, quippe qui ſtatuiſſet niſi maximis vrgentibus neceſſitatibus, è monaſterio non egredi, vt alias ſcripſit [c] ad Petrum Cardinalem diaconum. Porro tantopere requiſita eſt eius opera, quo Templariis ab eo certa præſcriberetur forma viuendi. Cuius etiam extat ad eoſdem, de laudibus ipſorum & exaltatione petutilis libellus eorumdemque præconia texuit Petrus [d] Cluniacenſis in epiſtola ad Euetardum ipſorum Magiſtrum. Quæ autem præterea geſta ſint in eodem Concilio Trecenſi, ignoramus: querelas tamen diuerſorum illic auditas, ſignificant literæ eiuſdem S. Bernardi [e] ad Archiepiſcopum Senonenſem.

a Tyr. lib. 12. ca. 7.

b Bern. ep. 21.

c Id. ep. 17.

S. BERNARDVM INVITVM: TEMPLARIIS PRÆSCRIBIT.

d Pet. Clun. l. 6. ep. 27.

e Bern. ep. 44.

III. EPISCOPI MALE HABITI A REGE FRANCORVM DESERTAM MILITIAM SÆCVLI.

Præter hanc autem protraxit à clauſtro S. Bernardum alia cauſa maioris fortaſſe momenti, cuius occaſione fuit ei pugnandum cum Rege Ludouico, ob perſecutionem ab eodem Rege illatam primum Epiſcopo Pariſienſi, deinde & Archiepiſcopo Senonenſi, nec aliam quidem ob cauſam, (quod mireris) niſi quoniam aſſuetis antehac Epiſcopis, aliiſque inferioribus clericis, Curiæ Regis aſſiſtere, militiamque non tantum palatinam miniſterii regii, ſed & caſtrenſem bellorum ſectari, iſti iam in meliorem frugem conuerſi, Eccleſias ſuas repeterent, alioſq; à Curia euellere conarentur. Hac igitur de cauſa ſæpe fuit ipſi Bernardo aliiſq; Dei ſeruis clamandum tum ad Regem: tum ad ipſum Honorium Papam, quem Rex per ſubreptionem in his decipere conatus eſſet. Sed hæc plenius cognoſcentur ex epiſtolis [f] tunc ea de re ad diuerſos ſcriptis.

f Id. ep. 42. vſque ad 51.

IV. CONCIL. VVINTON. IN ANGL.

g Append. ad Flor.

Hoc eodem anno VVillelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis (qui anno ſuperiori Romam adueniens, ſuſceperat ab Honorio Legationem in Anglia & Scotia) celebrauit VVintoniæ menſe Maii generale CONCILIVM, in quo multa ſunt ſalubriter inſtituta ad reſtitutionem morum & diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quæ ſingula recenſentur in Appendice ad Florentium; eademque conſentientia iis quæ ante biennium ſtatuiſſent in Concilio Londonienſi ſub Ioanne Cremenſi Cardinale ſtatuta.

V. h Robert. in Append. ad Sigeb. & eruug. in Vit. S. Norb. c. 46.

S. NORBERTVS CREATVR EPISCOP. MAGDEBVRG.

Hoc item anno [h] miſſus eſt ab eodem Honorio Legatus in Germaniam Gerardus Cardinalis, qui poſtea fuit Lucius Papa: qui inter alia præclare geſta cum inueniſſet vacare Eccleſiam Parthenopolitanam, ſiue Magdeburgenſem, curauit vt in ea eligeretur Epiſcopus S. Norbertus Præmonſtratenſium Ordinis inſtitutor, qui hoc tempore erat à Domino tenera conſtitutus accenſa lucerna ardens & lucens in Eccleſia, quique iam ante biennium de ſua futura in Epiſcopum electione diuinitus emiſſum acceperat oraculum.

Quod ad res ſpectat Orientis, vendicata nobili ciuitate Tyro ab infidelibus ante annos quatuor, tandem hoc anno [i] primus creatus eſt eius Archiepiſcopus VVillelmus natione Anglicus, ex Priore S. Sepulchri. Qui mox pro pallio in Italiam nauigans, accepit illud ab Honorio Papa: à quo etiam miſſus eſt cum eodem Archiepiſcopo, Legatus in Orientem Ægidius Epiſcopus Tuſculanus, vir eloquens & literis eruditus.

VI. i Tyr. lib. 13. cap. 23.

IESV CHRISTI AN. 1128.

IOAN. COMN. AN. 10.

HONORII II. AN. 4.

I. AQVIL. ET VENET. PATRIARCH. DEPOSITI IN CONC. RAVEN.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo vigeſimo octauo, Indictione ſexta, Honorius Pontifex ab expeditione aduerſus Rogerium Siciliæ Comitem Romam reuerſus, miſit Petrum presbyterum Cardinalem tituli S. Anaſtaſiæ Rauennam: qui congregata ibi SYNODO, depoſuit Aquileienſem & Venetiarum Patriarchas. Hæc in veteri Pontificali. Quæ vero cauſa interceſſerit illorum condemnationis, non inuenimus. Sub finem autem anni, nempe quarto Calendas Ianuarii, cœpto iam eiuſdem Pontificis anno quinto, ipſe petitioni annuens Regum Daniæ, Sueciæ, & Boemiæ, ad curanda negotia Eccleſiaſtica illarum regionum, Legatum è latere ſuo miſit Gregorium de Creſcentio S.R.E. diaconum Cardinalem tituli S. Theodori, vt traditur in codice Vaticano.

II. STEPH. PATRIARCH. HIEROSOL. IVRIVM ECCL. DEFENSOR.

Quo item anno Guarimundus Patriarcha Hieroſolymitanus obiit Sidone, eique ſubſtitutus eſt *Stephanus* Abbas S. Ioannis Carnotenſis, affinis Balduini Regis, ſicut nobilitate, ita & moribus præſtans. Qui cum orationis gratia Hieroſolymam veniſſet, & ad reditum ſe accingeret, adueniente obitu Guarimundi communi Cleri ac populi conſenſu in eius locum electus eſt. Cum autem cœpiſſet mox agere aduerſus ipſum Regem pro iuribus Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, nondum completo biennio, veneno (vt creditum eſt) deceſſit. Hæc pluribus Tyrius [a].

a Tyr. lib. 13. cap. 25.

IESV CHRISTI AN. 1129.

IOAN. COMN. AN. 11.

HONORII II. AN. 5.

I. DEPOSITIO QVORVNDAM EPISCOP.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo vigeſimo nono, Indictione ſeptima, ipſe quem diximus, Matthæus S.R.E. Cardinalis Epiſcopus Albanenſis, Legatione fungens in Galliis, depoſuit Henricum Epiſcopum Virdunenſem. Id enim tradit Dodechinus hoc anno: qui etiam aſſerit, Halberſtadenſem Epiſcopum à ſuis canonicis accuſatum, æque fuiſſe ab Apoſtolicæ Sedis Legato depoſitum. Eſt vero etiam mentio de Virdunenſi Epiſcopo in ordinem redacto apud S. Bernardum [a]; quod ab illa Eccleſia deiectus, conatus ſit inuadere Catalaunenſem nuper vacantem. Ad quod auertendum periculum, idem S. Bernardus [b] ſcribens ad Honorium Papam, rogauit illum pro confirmatione Alberici viri probatiſſimi, in cuius electionem vniuerſus Clerus & populus conueniſſent. Ex quibus & illud intelligas, nullius plane momenti exiſtere conſueuiſſe poſtulationem ſiue electionem Epiſcoporum, niſi Romanus Pontifex præberet aſſenſum.

a Bern. ep. 48. ad Haimer. Cancel.

b Id. ep. 13.

IESV CHRISTI AN. 1130.

IOAN. COMN. AN. 12.

INNOC. II. AN. 1.

I. HONORII PP. OBIT.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo trigeſimo, Indictione octaua, decimoſexto Calendas Martii *Honorius* Papa ex hac vita migrauit Romæ in monaſterio S. Andreæ, ſepultuſque eſt in baſilica Saluatoris Lateranenſi, cum ſediſſet annos quinque, menſem vnum, & dies ſeptemdecim. Poſt quem non vacauit Sedes, ſed eadem plane die decimaſexta ante Calendas Martii (vt eſt in

INNOCENTII II. ELECTIO.

Chronico Beneuentano, ſucceſſore conclamatus eſt INNOCENTIVS eius pariter nominis Secundus, antea Gregorius dictus, S.R.E. diaconus Cardinalis tit. S. Angeli, patria Romanus nobili familia ortus, & olim profeſſione monachus. Poſt eum vero die ipſo electus eſt ab alijs aduerſus illum Petrus Leonis presbyter Cardinalis tituli S. Mariæ trans Tiberim, & *Anacletus* Secundus nominatus.

ANACLET. ANTIPAPA.

Hæc ibi de tempore. De modo vero Sugerius Abbas S. Dionyſii in Vita Ludouici Regis ait, cum Eccleſiæ Romanæ maiores & ſapientiores conſenſiſſent, apud S. Marcum, & non alibi nec niſi communiter celebrem fieri electionem, tamen qui aſſiduitate & familiaritate propinquiores Honorio fuerant, timore tumultuantium Romanorum illuc conuenire non audentes, antequam publicaretur eius deceſſus, elegiſſe Innocentium: qui autem Petri Leonis parti fauerent, ad S. Marcum pro pacto conuenientes, Pontificis morte comperta, ipſum eumdem Petrum multorum & Epiſcoporum & Cardinalium, & Clericorum, & Romanorum nobilium conſenſu, ſerius elegiſſe. Sed quænam iſtarum electionum potioribus viribus niteretur, videndum.

II. QVALIS FVERIT ANACLET.

Ac primo licet Anacletus iſte penes aliquos laudatus inueniatur, vtpote qui olim in Cluniacenſi cœnobio monaſticum vitæ arripuiſſet inſtitutum, ſicut etiam teſtantur eius literæ [a] ad Cluniacenſes poſtea datæ, & Petrus [b] Abbas Cluniacẽſis in epiſtola ad Hiamericum Cancellarium tradit: tamen à teſte fideli S. Bernardo in perſona Ducis Burgundiæ ad VVillelmum Comitem Pictauienſem, aſſeritur adeo peſſime apud omnes vbique audiſſe, vt nec vnius dignus haberetur viculi poteſtate. Qui quidem mox vt electus à ſuis eſt (inquit eius temporis ſcriptor Anonymus in codice Vaticano) non ponens Deum adiutorem ſibi, ſed ſperans in multitudine diuitiarum, in potentia parentum, in fortitudine munitionum, hoſtiliter fecit aggredi domos Frangipanum, in quas Innocentius ſe receperat: cumque non potuiſſet aduerſus eos præualere, indignatione & ira commotus ad S. Petrum equitans, ipſam quam cepit eccleſiam, per violentiam introiuit, & per Sanctuarium & aureum Crucifixum pendentes coronas, cum toto theſauro argenti & auri, atque gemmis quas Romani Pontifices Orthodoxique Imperatores in eccleſiis obtulerant, ſacrilege auferre, & Ciborium quod ſuper altare erat detruncare præſumpſit: ſublatiſque omnibus, ad Patriarchium B. Mariæ acceſſit, & eccleſiam ipſam multo maiori theſauro ditatam expoliauit: ac pariter ad alias eccleſias manus extendens, quicquid in eis pretioſum inuenit, rapuit & aſportauit: hiſque maiorem venialis Vrbis partem emere ſtudens, corruptum vulgus ita ſibi adſtrinxit, vt præter Frangipanum & Corſorum munitiones, Papa Innocentius nullum in Vrbe ſubſidium haberet. Quare cum ita vndique obſeſſus eſſet Innocentius, vt nemo ad eum ſine vitæ periculo poſſet accedere, conſilium iniens recipiendi ſe in Gallias, conſcenſa naui eo tetendit. Hæc ille auctor.

a Rec. Baron. An. al. 1a. XII. hoc an.

b Pet. Clun. l. 1. ep. 64.

SCHISMATICI DEPRÆDANTVR ECCLESIAS VRB.

III.

Cui conſentiens, eodem tempore viuens ſanctiſſimus vir Bernardus Abbas Bonæuallis, in principio libri ſecundi Vitæ S. Bernardi Claræuallenſis, ait ipſi Petro Leonis, dicto Anacleto tam propria generis auctoritate, quam adhærentium ſibi affinitate, multitudinem tantam adfuiſſe, vt fere tota eum ciuitas ſequeretur, vel pecunia vel commodis obligata: qui ſæpe præter opes innumeras, quas vel ex Curiæ exactionibus, vel ex Legationum negotiationibus congregaſſet, præterque paterni cenſus amplam congeriem, his omnibus erogatis in venalem plebem vt ad fas & nefas eam armaret, cum nec illa ſufficerent, iam donaria Regum in ornamentis Eccleſiæ ab ipſis euulſiſſe altaribus, & cum calices frangere, ac Crucifixos aureos membratim diuidere, ipſi profani Chriſtiani vel timerent vel erubeſcerent, quæſitos eſſe Iudæos qui ſacra vaſa & Imagines Deo dicatas audacter comminuerent. Cumque poſt hæc quotidianis congreſſibus partem Innocentii maledictis iniectarentur & gladiis, ſeruos Dei conſilio inito, quia via humana ſe tueri non poterant, cedere elegiſſe, & procuratis clam nauigiis, de ore Leonis & de manu beſtiæ per Tiberim in Tyrrhenum mare elapſos eſſe. Hæc ille.

IMMANIA SACRILEGIA SCHISMATICORVM.

Quæ eadem improperauit poſtea ipſe S. Bernardus [c] ſcribens ad Romanos, cum ab iis Vrbe pulſus eſſet Eugenius Papa, reuocans in memoriam, quomodo paulo ante (nempe hoc tempore) cunctarum quæ in Vrbe eſſent eccleſiarum omnis ornatus & cenſus profligatus fuiſſet, quicquid in altaribus & in altarium vaſis, quicquid in ipſis ſacris Imaginib. auri & argenti reperiri potuiſſet, manib. impiorum direptum & aſportatum eſſet. Deniq; (vt idem [d] ait alibi) cernebatur tunc abominatio ſtare in loco ſancto; dum incenderetur igni ſanctuarium Dei, & Anacletus perſequens Innocentium, perſequeretur cum eo omnem innocentiam. Quem locum cum præſentis temporis Nouatores vſurpent, ad probandum Romanum Pontificem eſſe Antichriſtum, næ ipſi plane delirant neſcientes, ſeu potius neſcire diſſimulantes, non iſta de legitimo Romano Pontifice locutum eſſe, ſed de ſchiſmatico, cum ipſum legitimum Innocentium non Antichriſtum, ſed vere Chriſti Vicarium, immo & Chriſtum ibidem appellet? Ex eorum enim operibus (præter alias electionis circumſtantias) perfacile erat cuiq; intelligere, quis legitimus, quis vero ſpurius eſſet Papa, quis paſtor, quiſque fur & latro.

c Bern. ep. 241.

d Id. ep. 124.

SCHISMAT. PP. DICTVS ANTICHR.

IV.

Cuiuſnam autem eſſent potiora iura, ex eodem S. Bernardo abunde cognoſcitur, dum inter alia plurima quæ de iiſdem ſæpiſſime repetit, ad Epiſcopos Aquitaniæ ſcribẽs [e], Anacletum vocat hominem peccati, qui ſuper electũ à Catholicis Catholicum & canonice, locum ſanctum inuaſit armis, igne, pecunia, non vitæ vel virtutum merito ad eum peruenit: nam illam quam iactaret iuratorum ſuorum non electionem, ſed factionem, vmbram tantum fuiſſe & occaſionem, & velamentum malitiæ eius. De Innocentio vero tradit [f], cum electione meliorum, approbatione plurium, & quod his efficacius eſt, morum apud omnes commendatione, Summum Pontificem confirmari: ſiquidem eius vita [g] vel fama nec æmulum timeret, cũ alterius nec ab amico tuta eſſet: Electum autẽ fuiſſe à parte ſaniore, tam Epiſcopis quam Cardinalibus diaconis, ſiue presbyteris, & quorũ maxime intereſſet de electione Sũmi Pontificis, & quãt in eligendo iuxta Patrũ ſcita ſufficerent. Deniq; ſtare ſententiã Eccleſiaſticã & authenticam, Poſt primam electionem non eſſe ſecundam, ac proinde celebrata prima, quæ ſecundo præſumpta eſſet, non eſſe ſecundam, ſed nullam: Et quamuis quid minus forte ſolenniter, minuſue ordinabiliter proceſſiſſet in ea quæ præceſſit, haud tamen præſumi debuiſſe alteram, niſi priore prius diſcuſſa ratione, caſſata iudicio. Hæc, & alia S. Bernardus: quib. cõſentiunt quæ de vtriuſq; electione referũtur à citatis nuper, aliiſque eorum temporum Scriptorib.

e Id. ep. 126.

f ep. 124.

INNOCENTII POTIORA IVRA.

g Id. ep. 126.

V.

At vero Anacletus cum iam ſolus potiretur Vrbe, inter alias functiones quibus apparere Pontifex voluit, celebrauit ibidem *Concilium* ex ſibi cohærentibus Epiſcopis, quo ſolemni ritu excommunicauit Innocentium, & qui illum creauerant, vel venerarentur vt Papam; depoſuitq; omnes ſibi contradicentes, aliis in eorumdem locũ ſufficctis. Sed & ne turpiſſimus, vti erat, à ceteris Eccleſiæ paſtoribus & Chriſtianis Principibus haberetur, laruam impoſuit monſtro, vt quod eſſet horrendum viſu, ſimulatione ſuperinducta videretur pulchrum. Reperiuntur [h] enim plurimæ tum ipſius, quam aliorum ſuæ factionis hominum pro ipſo ſcriptæ literæ ad Reges Germaniæ, Franciæ, & Hieroſolymorum, Epiſcopoſque, & alios in eorum regnis exiſtentes, quib. per ſexcenta impudentiſſima mẽdacia conatus eſt illos ad ſuas partes allicere; mittens ad hæc in vniuerſum Orbem Legatos ſuos, qui pietatem eius ac iuſtitiam prædicarent. atque ipſum apud Imperatorem Conſtantinopolitanum, & Patriarchas Orientales conatum eſſe, teſtantur ipſius ad alios ſcriptæ eodem argumẽto epiſtolæ. Sed quam hæc omnia fruſtra fuerint (quamuis numeroſitatem & ipſe iactaret) cum alia quæ dicentur inferius demonſtrabunt, tum breuiter docet S. Bernardus [i] in epiſtola ad Gaufredum, vbi numerans Reges Innocentio inhęrentes, ait Alemanniæ, Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Hiſpaniarum, & Hieroſolymorum Reges, cum vniuerſo

ANACLETI PSEVDO CONCILIVM.

h Rec. Baron. To. XII. hoc an. nunquam antea cuſæ.

ANACL. MENDACIIS RAM AGIT APVD PRINCIPES.

i Ber. ep. 125.

PARS INNOCENTII LONGE NVMERO...

Clero

Clero & populis ſuis adhæſiſſe Innocentio, tamquam filios patri, & capiti membra: Ac rurſum ſcribens [k] ad Epiſcopos Aquitaniæ, inter alia aſſerit, Tuſciæ, Campaniæ, Longobardiæ, Germaniæ, & Aquitaniæ, Galliarum denique Hiſpaniarum omnium, necnon & vniuerſæ Orientis Eccleſiæ tam Archiepiſcopos quam Epiſcopos omnes vnanimes, non conductos pecunia, non ſeductos fallacia, non illectos priuato carnis vel cognationis amore, non timore compulſos potentiæ ſæcularis, ſed Dei voluntatem ſicut non ignorantes, ita nec diſſimulantes, Petrum Leonis (Anacletum dictum) ingenue refutaſſe, ac ſe curæ Gregorium in Papam Innocentium ſuſcepiſſe.

k ep. 120.

VI. Quamobrem cum euaneſcere omnes conatus ſuos Anacletus intelligeret, aliam aggrediens viam, nundinatione regiæ dignitatis aliquem Chriſtianorum Principum communicationi ſuæ adiungere quæſiuit. Inuentuſq; eſt Rogerius Siciliæ atque Calabriæ Dux, quem eo mercimonio ad ſe attraxit, vt ſcribit Petrus [l] diaconus Caſſinenſis. Sicut & Beneuentanum Chronicon à nobis ſæpe citatum, in quo per ſingulos annos ab auctore eius temporis res geſtæ narrantur, aſſerit Anacletum hoc eodem anno petiiſſe Beneuentum, indeque Auellinam concedentem, cum prædicto Rogerio ſtabiliſſe; vt eum Regem coronaretur Siciliæ. Aſſeruatur vero hactenus in Vaticana Bibliotheca ipſum diploma [m] eiuſdem Anacleti, ſed multipliciter decurtatum, de titulo Regio impertito Rogerio, ipſiuſque heredibus, pro Sicilia, Calabria, & Apulia, aliiſque terris quas poſſideret, ſub cenſu annuo ſexcentorum ſchifatorum Romanæ Eccleſiæ perſoluendorum, datum ipſum quinto Calendas Octobris Indictione nona anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo trigeſimo. Quo eodem anno (vt Chronicon habet) idem Anacletus Cardinalem nomine Comitem ad Ducem in Siciliam direxit, qui eum in die Natiuitatis Domini Regẽ coronauit.

l Pet. diac. Chron. Caſſi. l. 4. c. 96.
ANACLETVS TITVLVM REGIVM IMPERTIT ROGERIO SICVLO.
m Rec. Lat. To. XII. loc. 44.

VII. Quænam autem vna cum Regis titulo Anacletus ei tribuerit vt ipſum demereret, idem qui ſupra Petrus diaconus, qui tunc viuebat, & his omnibus facile potuit intereſſe, narrat; nimirum præcepiſſe vt Epiſcopi & Abbates qui in eius ditionis ſolo manerent ei obtemperarent. Ex quibus videas, quod iam ſuperius oſtendimus, exordium *Siculæ Monarchiæ* non ab Vrbano Secundo, vt ex falſatis eius literis aliqui deducere conati ſunt, ſed à pſeudopapa ſchiſmatico Anacleto proceſſiſſe. Porro deriſit S. Bernardus eiuſmodi ſtudia Anacleti, cum ex perſona Ducis Burgundiæ ad Comitem Pictauienſem, ait [n] Ducem Apuliæ ſolum ex Principibus ei adhæſiſſe, ipſumque vſurpatæ coronæ mercede ridicula comparatum. Quodque non eſſet ſchiſmatici Papæ iſta præſtare, hinc eſt quod idem Sanctus [o] ad Ianuenſes & Piſanos ſcribens, & pluribus ad Lotharium Imperatorem, eumdem Rogerium non Regem, ſed Tyrannum Siculum nominat, & Vſurpatorem atque Inuaſorem coronæ Regiæ. Verum quem eo modo male collatum ſumpſit Dux Apuliæ titulum, numquam deſerere voluit, cuius cauſa aduerſus Romanam Eccleſiam contigit ſæpe bello certare, cogi vero Romanos Pontifices præſtare legitime quod nefarie præſumpſerat Antipapa. Sed de his ſuo loco dicendum.

ANACL. AVCTOR MONARCHIÆ SICVLÆ.
n Bern. ep. 127.
o Id. ep. 129. 130. 139. 140.

VIII. Iam vero relicto eodem pſeudopapa, ad Catholicum redeamus Pontificem Innocentium, quem vna cum ſuis ab Vrbe fugientem in Gallias reliquimus. Qui quidem ad Sanctum Ægidium appellens (vt habent citata ſuperius Acta) inde Claromontem petiit, atque ibi CONCILIVM celebrauit. Sed prævenerat iam antea zelus pietatis ac veritatis Epiſcoporum illarum partium. Etenim complures conuenientes *Anicii*, anathemate damnaſſe Antipapam Petrum Leonis, traditur à Guigone eius temporis ſcriptore in Vita [p] S. Hugonis Epiſcopi Gratianopolitani, quem & ait nullo habito reſpectu veteris amicitiæ quæ interceſſerat inter ipſum & Petrum Leonis, licet morbis & ætate conſumptum, zelo domus Dei ductum perrexiſſe Anicium; vt cum aliis Epiſcopis eumdem excommunicaret ſchiſmaticum: eamque excommunicationem, propter auctoritatem tanti viri, contuliſſe multum & profectum Catholicis, & detrimentum ſchiſmaticis.

INNOC. PP. RECIPITVR IN GALLIAM.
p ap. Sur. I. Apr.
ANACL. PSEVDOP. EXCOMMVNICATVR PRIMVM IN CONVENTV ANICIAN.

IX. Cum autem Innocentius Nuntiis ſuis ad piiſſimum Francorum Regem Ludouicum cognomento Craſſum deſtinatis, (inquit Sugerius [q] Abbas S. Dionyſij, tum iſta ſpectans atque ſcribens) perſonæ Eccleſiæ opitulari efflagitaſſet: Rex cito CONCILIO Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, & religioſorum virorum *Stampis* conuocato, eorum conſilio tam de perſona quam de electione inueſtigans, aſſenſum electioni Innocentii præbuit, & eum deinceps protegere promiſit. Cumque & ſuſceptionis & obſequii primitias per ipſum Sugerium ei tum Cluniaci exiſtenti obtuliſſet, mox ipſe eidem ad Sanctum Benedictum ſuper Ligerim cum Regina & filiis occurrens, nobilem verticem tamquam ad Sepulchrum S. Petri inclinans, pedibus eius procubuit, Catholicumque affectũ, & deuoti ſeruitii effectum ei & Eccleſiæ promiſit. Cuius exemplo & Rex Angliæ Henricus eidem Pontifici Carnotum occurrens, deuotiſſime pedibus eius proſtratus, ſui, ſuorumque ſuſceptionem, & obedientiæ filialis promiſit plenitudinem. Hæc Sugerius. Eadem ferme Bernardus [r] Abbas, qui res geſtas S. Bernardi accurate conſcripſit: additque, Lotharium quoque Germaniæ Regem, atque eius Epiſcopos ſcripſiſſe ad Innocentium, deprecantes vt ad eos tranſiens ſuam eis deſideratam exhiberet præſentiam. Præmiſiſſe enim trans montes Innocentium mox ab ortu ſchiſmatis Legatum Matthæum Cardinalem Epiſcopum Albanenſem, ſummæ probitatis & induſtriæ virum, qui rei geſtæ veritatem cunctis ſignificaret; docet Petrus [s] Abbas Cluniacenſis in eius Rebus geſtis, dum ait Innocentium totam Galliam (excepta parte Aquitaniæ) Hiſpaniam, Angliam, Germaniam, ſtudio præcipue Matthæi ſibi vniuiſſe.

q Suger. in Vit. Ludou. Craſſ.
CONCIL. STAMP. PRO RECEPTIONE INNOC.
REGES FRAN. ET ANGL. OCCVRRVNT INNOC.
r Vit. S. Ber. l. 2. c. 1.
LOTHAR. REX GERM. RECIPIT INNOC.
s Pet. Clun. li. 2. miracul. cap. 14.

X. Verum quod ad eos ſpectat qui pro Innocentio laborarunt, tradit Bernardus Abbas, quod cum & ipſe S. Bernardus ad Concilium Stampenſe acceſſitus aduenisſet, ac celebrato prius ieiunio, & precibus ad Deum fuſis, Rex & Epiſcopi vno omnium conſilio in ipſum cauſæ definitionem refudiſſent, ille diligenter proſecutus electionis ordinem, electorumque merita ſuſcipiendum eſſe Innocentium pronuntiauerit, idque ratum eſſe omnes pariter acclamauerint. Hæc Bernardus: eademque Theobaldus in Vita [t] S. VVillelmi Aquitanici. Poſt hæc vero idem S. Bernardus, tamquam à Deo parata turba cœleſtis, magno ſonitu perſtrepens, ſiue literis, ſiue ſermone, aduerſus ſchiſmaticos pro Catholico Pontifice circumquaque in Galliis afflatu Sancti Spiritus intonuit bellum. Quod enim ad epiſtolas attinet, extant plurimæ de his ab eo ad diuerſos ſcriptæ, in quibus & Catholicos hortatur ad perſeuerantiam, & ſchiſmaticos ad reſipiſcentiam. cum & ad Epiſcopos Aquitaniæ prolixe ſcribens [u], inter plurimas alias rationes docet, iudicio quoque Dei declaratum eſſe Innocentium legitimum Pontificem, dum qui tunc eſſent per vniuerſas prouincias in Eccleſia præſtantiores ſanctitate viri, quos enumerat, omnes recepiſſent illum, & recipiendum eſſe aliis prædicarent; ſubiicitq; de Chriſtianis populis, & monachorum Ordinibus, atque Principibus Innocentio inhærentibus.

S. BERN. FORTITER AGIT PRO INNOC.
t Ext. ap. Sur. 10. Feb.
u Bern. ep. 125.
VIRI SANCTI VBIQ. RECIPIVNT INNOC.

XI. Præter literas vero, egit & præſens cauſam Catholicæ vnionis. Siquidem ab eodem Innocentio Legationem ſuſcepit, vna cum Ioſleno Sueſſionenſi Epiſcopo, ad VVillelmum Comitem Pictauienſem ac Ducem Aquitaniæ, in tranſuerſum actum per Gerardum Engoliſmenſem Epiſcopum, qui cum ambitione æſtuans [x] Legationem Galliarum poſtulaſſet ab Innocentio cui ab initio inhæſit, nec obtinuiſſet, reſiliens ab illo tranſiit ad Anacletum, à quo Legationẽ emit commercio conſenſionis in eius prauitatem, & quoſcumque potuit ad eius partes allexit, alios autem maledictis inceſſit. Ad hunc igitur pſeudolegatum, ſimul & ad VVillelmum Ducem miſſus cum Ioſleno Bernardus, cum Pictauim veniſſent, nihil tamen proficere potuerunt; quinimmo animati & armati ad inſaniam à Gerardo clerici, publice ex eo tempore perſecutionem Catholicis intentarunt: adeo vt cum priuſquam ſic eorum obfirmata fuiſſet perfidia, obtuliſſet Bernardus in eorũ eccleſia ſacrificium Deo, poſt eius diſceſſum Decan⁹

x Bern. ib.
GERAR. ENGOLISM. LEGATVS ANTIPAPÆ, PERSECVTIONEM EXCITAT IN CATH.

altare in quo diuina myſteria celebrarat, impie confregerit. Sed non impune: quippe diabolus cui traditus eſt, eum extinxit & peſtilentem animam in infernum demerſit. Sicut & Archipreſbyter qui Synodum ſchiſmaticorũ denuntiabat, æq; a diabolo correptus eſt: & in alios multos qui in ſchiſmate illo feruentiores eſſent, manus diuina manifeſtam exercuit vindictam. Narrat iſta Bernardus[y] Abbas. Quomodo vero iterata Legatione VVillelmum Ducem conueniens S. Bernardus, cum manus dare compulerit, dicetur inferius ſuo loco.

DEVS SICCIS CONFVNDIT SCHISMATICOS.
y Vit. S. Ber. lib. 2. cap. 6.

XII.
z Malmesb. hiſt. de VVel. Sec. li. 4 & 5.
VVILLELMI DVC. AQVITAN. VITA ET POTENTIA.

Modo autem ex VVillelmo[z] Malmeſburienſi Bibliothecario, res ſui temporis ſcribente, illud non omittendum, fuiſſe hunc VVillelmum Ducem tantæ potentiæ, vt in Terram Sanctam duxerit exercitum ſexaginta millium equitum & multo plurium peditum: rurſus vero, adeo fuiſſe intemperantiæ & omnium vitiorum ſordibus inquinatum, vt gloriaretur cum malefaceret, & exultaret in rebus peſſimis, cuncta condiens malefacta ſalibus nugarum & facetiarum. Quid autem inter Petrum Pictauienſem Epiſcopum virum ſanctiſſimum, atq; ipſum aliquando interceſſerit, narrans, ait quod cum Petrus eum liberius argueret, & detrectantem palam excommunicare inciperet, ille præcipi furore percitus crimen Antiſtitis inuolauit, ſtrictumque mucronem vibrans: *Iam*, inquit, *morieris niſi me abſolueris*. Tum præſul timore ſimulato inducias petens loquendi, quod reliquum erat excommunicationis fidenter peroráuit, ita VVillelmum à Chriſtianitate ſuſpendens, vt nec cum aliquo conuiuari, nec etiam loqui auderet, niſi mature reſipiſceret. Itaque officio ſuo peracto, martyrium ſitiens collum protendit, *Feri*, inquiens, *Feri*. At VVillelmus refractior conſuetum leporem inferens, *Tantum*, inquit, *te odio, vt nec te meo digner odio, nec cœlum vmquam intrabis meæ manus miniſterio*. Verumtamen poſt modicum vipereo meretriculæ infectus ſibilo, inceſti diſſuaſorem detruſit exilio. Vbi cum beato fine concluſus, frequentibus & magnis miraculis innueret mundo quam glorioſe viueret in cœlo, his auditis VVillelmus, dicacitate ſolita profeſſus eſt ſe pœnitere quod non ei iádudum mortem acceleraſſet, vt ipſi anima ſancta grates haberet potiſſimum, cuius furore cœleſte mercata eſſet commodum. Hæc auctor de VVillelmo ante Innocentii Papæ tempora. Nam hiſtoriam illam ſuam de Geſtis Regum Anglorum, in qua hæc inſeruit, nonniſi ad Calliſti Papæ Secundi tempora perduxit.

S. PETRI EPISC. PICTAVIEN. CERTAMEN CVM VVILL. DVCE.

XIII.
REPVLSI DIVINITVS CHRISTIANI AB OBSIDIONE DAMASCI.
a Tyr. lib. 13. ca. 26.

Quod ad res pertinet Orientis, dum Chriſtiani Principes aucti nouis viribus Orbis Occidentalis, confidentes in potentia virtutis ſuæ, cum magno apparatu obſiderent Damaſcum, ab eo qui exaltat humiles & diſpergit ſuperbos, de cœlo pugnatum eſt contra eos, nebulis, imbribus, ventis, vnde coacti ſunt re infecta, ſed malis ipſi confecti, ad propria remeare. Rem geſtam, memorabilemq;, VVillelmus[a] Tyri Archiepiſcopus deſcripſit. Poſt quam admodum deploratam, ſubijcit de obitu Stephani Patriarchæ Hieroſolymitani, & ſubrogatione *VVillelmi* Belgæ Mechlinia oriundi.

IESV CHRISTI AN. 1131.

IOAN. COMN. AN. 13.

INNOC. II AN. 2.

I.
CONCIL. GENER. RHEM. SVB INNOC. PP.
a Suger in Vit. Ludou. Craſ.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo trigeſimo primo, Indictione nona (vt habet eodem Vaticanus, vbi per annos ſingulos Innocentii res geſtæ ſcribuntur) idem Pōtifex *Rhemis* in Gallia CONCILIVM celebrauit, quod quidem celeberrimum fuiſſe, atque ei interfuiſſe Archiepiſcopos & Epiſcopos Francos, Teutonicos, Aquitanos, Anglos, Hiſpanos, tradit Sugerius[a] Abbas S. Dionyſii, dum agit de vnctione & coronatione Regis Ludouici eius nominis Septimi adhuc pueri, quam ad euitandos æmulorũ tumultus, ipſius pater Ludouicus Craſſus in eodẽ Concilio ab Innocentio fieri poſtulauit, cum paulo ante ipſius primogenitus Philippus infelici caſu extinctus eſſet, dum videlicet perterrefactus equus cui inſidebat porco obuio, eumdem adoleſcentulum deieciſſet in terram, deſuper ipſum equo ruente. In eodem quoque Concilio promulgatam fuiſſe excommunicationem in Petrum Leonis Antipapam, traditur in Reb.[b] geſtis S. Norberti Magdeburgenſis Archiepiſcopi, qui vna cum ceteris Antiſtitibus eidem interfuit. Eſtque item mentio eiuſdem Concilii in Vita[c] S. Bernardi, qui & ipſe adfuit, cum eum à ſe ſeparari Pontifex non pateretur, atque in eo multa ad honorem Dei diſpoſita fuiſſe traditur: ſed quænam ea fuerint, præter iam dicta non reperitur, quod perierint eius Acta. Extant tamen duo ſermones apud eumdem S. Bernardum, habiti in Rhemenſi Concilio in præſentia Papæ, alter ad Clericos, ad Epiſcopos alter, cum tamen potius in Epiſcopos dicti eſſe reperiantur, quorum vita haud eſſet conſentiens dignitati: qui quidem S. Bernardi nomine euulgati, & inter eius ſcripta recenſiti, alterius potius auctoris eſſe admonuit cenſura recentior.

ANACL. ANTIP. EXCOMMVNICATVR IN SYNODO.
b ap. Sur. 6. Iunii ca. 47.
c Vit. S. Ber. li. 2. c. 1.

II.
d d ca. 1.
LOTHAR. REX STRATOREM AGIT PONTIF.

Poſt Rhemenſe Concilium Innocentius Leodium profectus, Lotharium Germaniæ Regem ſibi occurrentem inuenit, vt quidem Bernardus[d] Abbas teſtatur: ſed Sugerius id ante Rhemenſe Concilium accidiſſe tradit, aitque in eo occurſu Lotharium in platea ante Epiſcopalem eccleſiam humiliter ſeipſum ſtratorem obtuliſſe, atq; alia manu virgam ad defendendum, alia frenum albi equi Pontificis accepiſſe, eumdemque tamquam Dominum deduxiſſe, ac deſcendentem ſubbrachiando deportaſſe. Verum (prout Bernardus addit) velociter obnubilata eſt illa ſerenitas. Siquidem Rex tempus ſe habere reputans opportunum, importune inſtitit Epiſcoporum ſibi reſtitui Inueſtituras, quas ab eius prædeceſſore Henrico Imperatore per maximos labores & multa pericula Romana Eccleſia vendicarat. Ad quam petitionem expaueſcẽtibus Romanis, murum ſe oppoſuit S. Bernardus, qui audacter Regi reſiſtens, verbum malignum mira libertate redarguit, ac mira auctoritate compeſcuit. Hęc Bernardus in Vita eiuſdem Sancti: ex quib. videas apertiſſimi redargui mendacii Petrum diaconum Caſſinenſem, qui aduerſus Catholicum Papam Innocentium vna cum ſuis Caſſinatib. pro ſchiſmatico Anacleto ſtetit ac laborauit, dum in gratiam eiuſdem Lotharii, cui pariter poſtea inhæſit, affirmat Inueſtituras ei ab Innocentio fuiſſe apud Leodium confirmatas. Sicut & in eo mendax eſſe conuincitur, dum ibidem terram Comitiſſæ Mathildis condonatam eſſe ſcribit. Nam diploma Pontificis de ea re conſcriptum, Romæ datum legitur, vt dicetur ſuo loco poſt annum ſequentem. Denique ſuggeſtum tantum, non exactum de inueſtitura à Lothario quod petierat, Otho[e] Friſingenſis affirmat.

S. BERN. LOTHAR. REG. COMPESCIT.
e Otto Friſing. lib. 7. ca. 18.

III.
f Pet. Clun. 1. ep. 14.
g Rec. Baron. Annal. To. XII An. 1131.
INNOC. CISTERC. EXIMIT A DECIMIS SOLVENDIS.

Antequam autem è Galliis recederet Innocentius, nõ inuiſiſſe tantum nobile monaſterium Cluniacenſe, ſed & illud dedicaſſe, Petrus[f] illius tunc Abbas teſtatur, conſtatq; pariter ex priuilegio[g] quod ei idem Pontifex contulit. Claramuallem quoque viſitauit, & miratus eſt rigidiſſimam Fratrum obſeruantiam. Cum vero extremam illorum inopiam, Cluniacenſium autem diuitias conſideraſſet, ſtatuere placuit, ne Ciſtercienſes monachi decimas perſoluerent Cluniacenſibus, vel aliis ſæcularibus clericis, vt hactenus factum eſſet: cuius rei cauſa querelas in eos eſſe magnopere dilatatas, certum redditur ex epiſtolis prædicti Petri[h] Abbatis ad ipſum Innocentium Papam, & Haimericum S. R. E. Cancellarium, atque Richardi[i] Cantuarienſis Archiepiſcopi ad Abbatem Ciſterciẽſem. Sed & cum idem Petrus ad ipſos quoque Ciſtercienſes querelis plenam ſcripſiſſet epiſtolam[k], quód ea nonnullis in deteriorem partem eſſet accepta, idem anno ſequẽti excuſatorias[l] ad ipſos dedit literas, quibus charitas quæ aliqua ex parte inter eos læſa videri poſſet, arctiori vinculo conſtricta permaneret. Vnde videas quales eſſe conſueuerint inter Sanctos querelæ & diſſenſiones, in quibus ne charitas, quæ eſt vinculum perfectionis, dirumpatur, magna inprimis adhiberi conſueuit induſtria. Sic enim & inter eumdem Petrum ac S. Bernardum quædam ſunt abſque charitatis læſione oborta diſſidia, quorum cauſa hinc inde ab vtroque ſcri-

h Pet. Clun. 1. ep. 33. 34.
i ap. Pet. Bleſ. ep. 82.
k Pet. Clun. 1. ep. 35.
l Id. 3. ep. 36.

DISSIDIA SANCTOR. ABSQVE LÆSA CHARITATE.

bendæ

bendæ fuerunt elucubratiſſimæ apologiæ. Sed de his alias.

IV. Gallic. Eccleſia floret religioſis Ordinibus.

Erat his temporibus (inquit Robertus in Appendice ad Sigebertum) pulchra & decora valde facies Eccleſiæ Gallicanæ, diuerſorum Ordinum & profeſſionum circũdata varietate, dum hinc Præmonſtratenſes, illinc Ciſtercienſes, inde Cluniacenſes monachi, necnon & ipſi Carthuſienſes paulatim pullulantes, tum & diuerſi habitus profeſſione ſanctimoniales, & mulieres Deo deuotæ, in continentia atque paupertate ſub obedientiæ iugo regulariter viuentes, feruore religionis inuicem prouocarent, & noua certatim diuerſis in locis monaſteria fundarent. Porro in Galliis iſti plantati, etiam trans mare propagarũt palmites ſuos. Siquidem vt de aliis dicere prætermittamus, de Præmonſtratenſibus habet idem auctor hoc anno, ſed paulo ſuperius, in Syriam & Palæſtinam aliquos ex eis miſſos nonnullas Abbatias ædificaſſe. Vnam vero conceſſione Ciſtercienſium poſſediſſe, quibus & locum, & pecunias de quibus ædificaretur, apud Hieroſolymam Balduinus Rex dediſſet, teſtatur S. Bernardus [m] in epiſtola ad Præmonſtratenſes. Sed & ex eadem Francorum gẽte militares exortæ tunc florebant in Oriente & Occidente Religiones: quippe (vt Robertus ait) Milites Templi Hieroſolymitani, ac Fratres de Hoſpitali, ſub religioſo habitu continenter viuentes, vbique ſe multiplicando diffundebant, & quæ poterant vel de laboribus propriis, vel de Fidelium eleemoſynis, ad opus Deo militantium, vel infirmorum quorumcumque, vel pauperum, Hieroſolymam deferebant: Præſules autem Eccleſiarum, ac Principes ſæculi, promptiſſime annuebant, vel etiam ſpõte offerebant terras, prata, nemora, & cetera quæ monaſteriis ædificandis erant neceſſaria. Hæc ille. At de origine Hoſpitalariorum ceteris eiuſmodi Ordinibus antiquiore, egit VVillelmus Tyrius [n] in commentario de Bello ſacro: De Templariis vero dictum eſt ſuperius ex eodem.

[m] Bern. ep. 252.
[n] Tyr. l. 18. c. 4. 5.

V. Balduin. Rex moriturus religionis habitum aſſumit.

Hoc item anno Balduinus Rex Hieroſolymorũ Chriſti verus Confeſſor, poſt liberatam à Turcis irruentibus Antiochiam, ægritudine affectus habitum religionis aſſumens, & vitam regularem profeſſus ſi viueret, Deo feliciter ſpiritum reddidit vndecimo Calendas Septembris: in cuius locum decimooctauo Calendas Octobris ſubrogatus eſt gener eius Fulco Comes Turonenſium. Hæc pluribus idem Tyrius [o]. Quo etiam anno moriturus Stephanus Rex Hungariæ, in ſignum pœnitentiæ & ipſe monaſticum induit habitum: cui ſucceſſit vir pietate inſignis Bela.

[o] Idem l. 13. c. vlt. & l. 14. c. 2.

IESV CHRISTI AN. 1132.

Ioan. Comn. an 14.

INNOC. II. AN. 3.

I. Anno Redemptoris milleſimo centeſimo trigeſimo ſecundo, Indictione decima, Innocentius Pontifex poſtquam luſtrans Gallias, præterquam ab Aquitanis, ab omnibus exceptus eſſet ſumma cum veneratione, & qui eum verbis deriſoriis contempſiſſent Nouiomenſes [a], prodigioſo incendio puniti eſſent: accepta à Gallicanis Eccleſiis pro ipſius Romam reditu indicta [b] collecta, itinere terreſtri Italiam petens, apud Aſtam Paſcha celebrauit, ac paulo poſt CONCILIVM illarum partium Epiſcoporum Placentiæ celebrauit. Cumque interea Rex Lotharius, ſicut promiſerat, in Longobardiam cum exercitu veniſſet, in Roncalliis cum eodem Pontifice & Longobardis generale colloquium de ſtatu Eccleſiæ atque Imperii habuit. Inde vero Innocentius Piſas adueniens, bellum quod inter illam ciuitatem atque Ianuenſem gerebatur, compoſuit, & vtramque ob earum in Sedem Apoſtolicã merita diuerſis priuilegiis honeſtauit. Hæc de illius geſtis præſentis anni, eiuſdem temporis auctor ſuperius citatus.

[a] Auctar. ad Sigeb. an. 1131.
[b] Pet. Clun. l. 3. ep.

Innoc. reuertitur in Italiam.

II. De tyrannide Rogerii Siculi.

Quo eodem anno Beneuentanos, expulſo Creſcentio pſeudocardinale pſeudopontificis Anacleti, qui eos proditorie tradere vellet Rogerio Siciliæ Regi, Innocentium recipere decreuiſſe, traditur in ſæpe citato Chronicõ Beneuentano: vbi etiam multa alia leguntur de tyrannide ipſius Rogerii, & rebellione nonnullorum Principum aduerſus eum, quem & diuino implorato auxilio prælio ſuperarunt, in fugamq; adegerunt, exercitu eius internecioni dato. Verum poſtea idem cum maioribus copiis rediens, totam occupauit Campaniam & Apuliam, ipſamque etiam ciuitatem Beneuentanam, expulſis omnibus illarum prouinciarum Principibus, aliiſq; Innocentij Papæ fautorib. quæ omnia pluribus narrantur ab auctore eiuſdem Chronici, & Petro [c] diacono Caſſinenſi, eius temporis ſcriptoribus.

[c] Pet. diac. Chron. Caſſ. l. 4. cap. 98. & ſeqq.

IESV CHRISTI AN. 1133.

Ioan. Comn. 15. Lothar. II. 1.

INNOC. II. AN. 4.

I. Lothar. coronatur Imp. ab Innoc. PP.

Annus Redemptoris milleſimus centeſimus trigeſimus tertius, cœptus Indictione vndecima, felix illuxit Eccleſiæ Catholicæ, cum Innocentius Papa in Sedem ſuam à Lothario Rege reſtitutus eſt, ipſe vero LOTHARIVS ab eo coronatus Imperator. Id enim hoc anno geſtum eſſe, auctores eius temporis teſtãtur, Falco in Chronico Beneuentano, Hugo in Vita S. Norberti, & is qui Auctarium appoſuit ad Sigebertum, atq; alij. Porro præter morem coronatus eſt Lotharius in Lateranenſi baſilica, quod (vt ait Otto [a] Friſingenſis) eccleſiam S. Petri vbi id agi moris erat, Petrus Leonis Antipapa occuparet, nec ſatis virium Lotharius haberet (vt tradit Bernardus [b] Abbas) ad illum inde expellendum: quippe qui (vt eſt in Chronico Beneuentano) duo tantum millia militum ſecum duxiſſet.

[a] Otto Friſing. lib. 7. c. 18.
[b] Vit. S. Ber. l. 2. c. 2.

II. Allodium comitis. Mathildis datum Imp. ſub cenſu.

Porro eo quoque tempore eumdem Pontificem Allodium Comitiſſæ Mathildis, quod ipſa Apoſtolicæ ſedi donauerat, eidem Imperatori ob præſtitum Eccleſiæ auxilium conceſſiſſe, apparet ex eius diplomate [c] dato Laterani ſexto Idibus Iunii: quo conſtat ita illud conceſſum eſſe, vt tamen idem Imperator centum libras argenti ſingulis annis Apoſtolicæ Sedi pro illo exolueret, & poſt ipſius obitum proprietas ad ius & dominium S. R. E. abſq; vlla diminutione reuerteretur, quod ſimiliter conceſſis Henrico Duci Bauariæ ipſius Imperatoris genero, iiſdem cenſus & reuerſionis conditionibus, necnon hominii, & fidelitatis Romanis Pontificibus iurandæ.

[c] Rec. Eccl. To. XII. ...

III. Imp. et Pont. recedunt ab Vrbe.

Poſt hæc vero Lotharius, quod Romæ morari annonæ penuria prohiberetur, & expugnare munitiones Vrbis quas Anacletus occupabat, difficilis operis eſſet, conſultius exiſtimauit ad propria redire, opportuniori tempore & maioribus copiis reuerſurus contra Rogerium Siculum, qui Beneuentanos, alioſq; ab Innocentio Papa ſtantes, ferro flammaq; perſequeretur. Sed & ipſe Innocẽtius, quamuis conſilium Romæ in ſua ſede manendi iniiſſet, tamen cum ſibi non diuinis rebus vacandi facultas daretur, ſed armis iugiter inſiſtere ob continuos Anacletianorum incurſus cogeretur, neue præſentia ſua illius beſtiç in ciues rabiem magis efferaret, rurſum Piſas reuerſus eſt, potentiſſimam tunc ciuitatem, maritimiſq; inprimis viribus à Principibus quibuſcumque timendam, & erga Sedem Apoſtolicam addictiſſimam.

IESV CHRISTI AN. 1134.

Ioan. Comn. 16 Lothar. II. 2.

INNOC. II. AN. 5.

I. Anno Chriſti milleſimo centeſimo trigeſimo quarto, Indictione duodecima, Innocentius Papa (inquit Bernardus [a] Abbas Bonæuallis) aggregatis *Piſis* totius Occidentis Epiſcopis, aliiſque religioſis viris, magnæ gloriæ SYNODVM celebrauit, cuius Actionum ſumma in excommunicatione Petri Leonis Antipapæ, & ingreſſibili fautorum eius deiectione conſtitit. Hæc tantum ipſe de tam magno Concilio. Reperitur vero, in eodem relatum fuiſſe in Sanctorum numerum, magnum illum ſan-

[a] Vit. S. Ber. l. 2. c. 2.

Concil. Piſan. generale. ... ſchiſm.

ctitate

PŒNITENTIA, ... LVDOVICI CRASS. REG. FR.

tum Rex, dyſenteriæ morbo ex hac vita migrauit, anno regni trigeſimo, ætatis fere ſexageſimo: quem etſi viuentem S. Bernardus in epiſtola ad Honorium Papam valde perſtrinxit, quod cum bellici furores in religioſos monachos interdum delinquere adegerunt: poſteriora tamen facta, & pœnitentia qua diem clauſit extremum, eumdem pietate religioneq; admodum reddidit commendatum: cũ videlicet in animo habens apud SS. Martyres Dionyſium ac ſocios, regni & coronæ depoſitione humilem S. Benedicti habitum aſſumere, atque monaſticum ordinẽ profiteri, ægritudinis anticipatus anguſtiis, quod opere non potuit, corde & voluntate compleuit, ac poſt omniũ mobilium ſuorum Eccleſiis & pauperibus factam diſtributionem, frequentemq; exomologeſin, atque egregiam fidei Catholicæ confeſſionem, ac denique Corporis & Sanguinis Domini ſumptionem, præcipiens tapetum terræ, & cineres tapeto in modum Crucis deponi, ibidem manibus ſuorum depoſitus ſpiritum emiſit. Hæc fuſius Sugerius Abbas S. Dionyſii, qui iis omnibus præſens extitit, vir laudatiſſimus tum S. Bernardi, tum etiam Petri Cluniacenſis dignis elogiis, qui eiuſdem Ludouici res geſtas conſcripſit. Poſt obitum autem Ludouici, ſuſcepit regni adminiſtrationem filius eius, Ludouicus æq; dictus, eius nominis Septimus, quem vidimus patre viuente fuiſſe ab Innocentio Papa Rhemis vnctum & coronatum.

II. DE OBITV VVILLEL. DVCIS AQVIT.

Quod vero Sugerius ait, paulo ante Ludouici Craſſi mortem, cum iam grauiſſime ægrotaret, veniſſe ad eum Legatos VVillelmi Ducis Aquitaniæ, denuntiantes eumdem Ducem ſuſceptа ad S. Iacobum peregrinatione, in via deceſſiſſe, ſed antequam iter aggrederetur, atque etiam in itinere in ipſo tranſitu, filiam ſuam Eleonoram Regis filio deſponſatam, totamque Aquitaniam & Pictauiam eidem retinendam deliberaſſe & declaraſſe: (qua de re extat [a] etiam adhuc eiuſdem VVillelmi Ducis ſcriptũ, vltimum ſuæ voluntatis elogium.) valde mirum eſt, quomodo cum Sugerius tum hic tum in Vita Ludouici filii, diſerte aſſerat VVillelmum in hac peregrinatione Hiſpanica defunctum eſſe, idque ipſum affirmet Robertus his temporibus proximus auctor: tamen alii recẽtiores Scriptores dicant, eum poſt hæc diu multumque ſuperuixiſſe, atque eremiticam vitam duxiſſe in Tuſcia ibique ſancto fine quieuiſſe. Sunt ex iis nonnulli, qui affirmant eumdẽ nequaquam reuera eſſe defunctum in Hiſpania, ſed ita cum præcipuo ſuorum domeſticorum rem eſſe tranſactã, vt per fictionem ea de cauſa mortuus eſſe diceretur, quo liber ab hoc mundo poſſet quocumque vellet peregrinari: huncq; illum eſſe VVillelmum, qui in Tuſcia ſancto fine quieuerit apud locum dictũ Stabulum Rodis, qui hodie dicitur Malauallis in agro Senenſi. Vulgata eſt hiſtoria iſta, ſed quæ nodos patiatur inſolubiles. Nam præter illa quæ ex Sugerio & Roberto recenſuimus, quomodo quæ alii narrant potuit ignoraſſe Theobaldus Epiſcopus, qui & primordia conuerſionis VVillelmi ſe accepiſſe teſtatur ab eius diſcipulo, & tamen nullum verbum habet de ſimulatione mortis? Quo namque modo, ſi poſt hæc tempora (vt habent eius Acta) repertus à ſuis in Palæſtina vitam eremiticam agere, reuocatus eſt in Occidentem cum res tanta, mundoque adeo admirabilis in tanto viro, digna fuerit mille Scriptoribus, tamen nullus huius ſæculi reperiatur qui eius meminerit? Ac rurſum ſi viuebat, & reuerſus erat in Occidentem, quomodo prætermiſſus vt mortuus ab eius temporis Scriptoribus haud indiligentibus, cum grauiſſima illa cauſa verteretur de ipſius filiæ repudiatione factа à Ludouico Francorum Rege? Hæc & alia ſunt, quibus reddor vehementer ſuſpenſus de eiuſmodi hiſtoriæ veritate, dubitans ne plures VVillelmi (ſicut de multis aliis Sanctis accidit) per errorem in vnum conflati ſint à recentioribus auctoribus.

a ap. Hail. to. 3. Franc.

DIVERSÆ DE VVILLELMO ASSERTIONES.

III. DE CONCEPTIONE DEI-GENITRICIS CELEBRA...

b Bern. ep. 174.

Hoc etiam tempore (quantum ex ordine epiſtolarum S. Bernardi licet argumentari) idem Sanctus redarguit [b] Canonicos Eccleſiæ Lugdunenſis, quod permoti quadam quæ circumferretur reuelatione, celebrare cœpiſſent feſtum diem CONCEPTIONIS Sanctiſſimæ Dei-Genitricis MARIÆ ea potiſſimum permotus ratione, quod id nondum Romana Eccleſia feciſſet, nec faciendum indixiſſet, & temerarium valde eſſet, quouis prætextu quemlibet promoueri ad noui quippiam inducendum ipſa inconſulta Apoſtolica Sede. Qui quidem Sanctus, quamuis de re ipſa contrarium tunc ſentire videretur, poſt longam tamen diſputationem ita demum perorauit, vt quæ dixiſſet abſq; præiudicio dicta eſſe vellet ſanius ſapientium: Romanæ præſertim Eccleſiæ, cuius (vt ait) auctoritati & examini totum illud, ſicut & cetera eiuſmodi vniuerſa reſeruaret, ipſius ſiquid aliter ſaperet paratus iudicio emendare. Quibus ſane verbis in ſe ipſo oſtendit, qui ſint legitimi Catholici hominis characteres, nimirum ad incudem Sedis Petri quæque probanda referre, antequam recipiantur in vſum. Porro hoc ipſe perfecit, vt re accuratius examinata, prolatis in medium Scripturæ ſacræ teſtimoniis, præuiiſque Fidelium precibus, Pontificio ſanciretur decreto celebrandam eſſe in Eccleſia Sanctiſſimæ Dei-Genitricis Conceptionem.

ABSQVE ROM. ECCLESIÆ IVDICIO NIHIL PRÆSVMENDVM NOVITATIS.

IV. S. BERN. ET HVGO DE S. VICTOR. SCRIBVNT IN ARCHIEP. HISPAL. APOSTATAM.

Quibus iiſdem ferme diebus contigit eumdem S. Bernardum, zelo quo æſtuabat fidei Catholicæ, literis redarguere Ioannem Archiepiſcopum Hiſpalenſem, qui vrgẽte dira tyrannide Principis Arabis, ceteris Chriſtianis cõſtantiſſimæ in confeſſione perſtantibus, minis eius perterritus fidem negauit maximo ſcandalo totius Eccleſiæ: & quod deterius, addidit impietati, vt antiquam ab ipſo exordio naſcentis Eccleſiæ condemnatam reuocans hæreſim, aſſereret ſatis eſſe Fideli, ſi Chriſtum, quem ore negaret, corde confiteretur. Quem impium atq; blaſphemum Hugo de Sancto Victore, qui inter inſignes Academiæ Pariſienſis magiſtros, ſicut ſcientia, ita zelo Catholicæ veritatis tunc anteibat datis ad eum potentibus ac vehementibus literis [c] redarguit.

c Ext. To. 3. Oper. Hug. li. 1. Miſcel. tit. 79. Sed correctiores eâdẽ dic Baron. Annal. To. XII. hoc an. ex cod. m. ſ. Ad de vero Bern. ep. 77.

V.

d Tyr. lib. 14. c. 10.

Quod ad res pertinet Orientales, hoc eodem anno mortuus eſt Bernardus Patriarcha Antiochenus, primus Latinorum, poſtquam ſediſſet (vt Tyrius [d] ait) annis triginta ſex. Moxque ſine conſenſu Epiſcoporum ſuffraganeorum: vel Cleri eius Eccleſiæ, intruſus eſt in eam ſedem homo militaris prædiues nomine *Rudolphus* ſiue Radulphus, cognomine Mamiſtanus, natione Francus diœceſeos Cenomanenſis, fauore populi quem largitionibus demeruit, ac ſine mora pallium de altari B. Petri Antiochenæ Eccleſiæ, propria auctoritate, nullo habito reſpectu Romanæ Eccleſiæ, ſibi aſſumpſit: detrectans omnino ſubiici Romano Pontifici, quem diceret non ſibi ſuperiorem ſed parem, quod vtraque Cathedra Petri eſſet, immo & Antiochena quaſi primogenita inſignis prærogatiua. Verum idem poſtea ab æmulis apud Romanum Põtificẽ tam de his, quam de alijs facinoribus accuſatus, cum & ipſe à Principe Antiocheno, qui eum odio habere cœpit cum prius dilexiſſet, inuitus coactus eſſet Romã poſt eos proficiſci, haud quidem damnatus eſt, quod accuſatores non adeo inſtructi eſſent, vt plenam Summo Pontifici de obiectis poſſent ibi fidem facere, ſed nec abſolutus. Quare dilata cauſæ cognitione ac deciſione in aduentum Legati in Orientem ad hoc mittendi, interim dimiſſo ab eodem Patriarcha pallio quod ſibi Antiochiæ ſumpſerat, datum eſt ei aliud ſumptũ de corpore Beati Petri Romæ more ſolemni. Rediens vero Antiochiam, haud in ciuitatem admiſſus eſt à Clero aut Principe, niſi poſt longas moras. Cum interea adueniens Legatus miſſus ab Apoſtolica Sede Petrus Archiepiſcopus Lugdunenſis, apud Accõ veneno extinctus eſt. Poſt quem agentibus rurſum aduerſarijs Patriarchæ, miſſus eſt ab Innocentio Papa in Orientem alius Legatus à latere, nempe Albericus Epiſcopus Oſtienſis æq; natione Francus: qui conuocatis Syris, & Palæſtinis, aliiſque Antiſtitibus Synodum Antiochiæ in eccleſia Principis Apoſtolorum celebrauit, vbi auditis aduerſus Patriarcham accuſationibus, cum ipſe tribus diuerſis diebus peremptorio citatus edicto, venire ad reſpondendum contempſiſſet, de Synodi ſententia damnatus atque depoſitus eſt, & iubente Legato de palatio Patriarchali, vbi interim magna populi ſtipatus multitudine ſe continuerat, à Principe abſtractus, vinculiſq; conſtrictus, apud monaſterium S. Simeonis iuxta mare in monte eminentiſſi-

RVDOLPHVS INTRVSVS PATRIAR. ANTIOCH.

AGIT CAVSAM APVD R. PONT.

CONCIL. ANTIOCH. IN QVO R... DEPONITVR A... SED. APOST.

nentiſſimo ſitum, carceri mancipatus eſt. Vbi catenatus diu detentus, tandem elapſus Romam perrexit, & gratiam Sedis Apoſtolicæ aliquatenus aſſecutus, dum redire maturaret, veneno miſerabiliter periit. Hicque tandem finis hominis infeliciſſimi, qui arrogantia ſua auctor ſibi tot ærumnarum extitit. Narrat vero hæc omnia pluribus Tyrius[c]: quæ quidem hoc anno cœpta, in plures propagata fuere. Addit autem & de alio CONCILIO habito ab eodem Alberico Legato Hieroſolymis, in ſolemnitate dedicationis templi Domini ab eo celebrata: in quo Cõcilio ait cum aliis quamplurimis diuerſarum prouinciarũ Antiſtitibus, interfuiſſe Maximum Armeniorum Pontificem, immo (vt ait) omnium Epiſcoporum Cappadociæ, Mediæ, Perſidis, atque vtriuſque Armeniæ Principem & doctorem eximium, qui *Catholicus* dicebatur: & cum eo de fidei articulis, in quibus à nobis diſſentire videretur populus eius, habitum eſſe tractatum, ab eoque promiſſam in multis correctionem.

c 12 lib. 13 c. 12 & ſeqq.

CONCIL. HIEROSOLYM. IN ENCÆNIIS

CATHOLICVS ARMENORVM.

IESV CHRISTI AN. 1137.

LOTHAR. 5. IOAN. COMN. 19.

INNOC. II. AN. 8.

I. LOTHAR. IMP. VENIT IN ITALIAM ACCERSITVM INNOC. PP.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo trigeſimo ſeptimo, Indictione decimaquinta, Lotharius Imperator aſſiduis Innocentii Papæ, Principis Capuani, aliorumque Legationibus rogatus in Italiam cum exercitu venire ad comprimendam Rogerii Siculi tyrannidem, demum adueniens, habito apud Viterbium cum Innocentio colloquio, miſit cum eo in Campaniam Henricum Bauariæ Ducem generum ſuum, ipſeque in Apuliam progreſſus eſt: qua expeditione adeo feliciter vterque rem geſſit, vt breui tempore integras illas prouincias, ipſamque ciuitatem Beneuentanam Rogerio ademerint, ſuiſque legitimis dominis reſtituerint, & reiecto Anacleto pſeudopontifice, Innocentio legitimo Papæ obedientes reddiderint. Poſt quæ Caſſinum omnes ſimul conuenientes, cum hactenus illius cœnobii monachi ſtudioſiſſime Anacleto & Rogerio fauiſſent, quod ita bene conſultum putarent rebus monaſterii longe lateque ſub ditione Rogerii conſtitutis, (licet diuino agente iudicio non deſtiterint interea grauiſſimis ab eodem incommodis ac deprędationibus affici[a]) depoſitus ab eodem Pontifice eſt Rainaldus Abbas aſſertus, qui ab Anacleto ordinatus fuerat, ſubſtitutuſq; in gratiam Imperatoris Guibaldus ex Abbate monaſterii Stabulenſis in Germania. Quæ omnia plurib. proſecuti ſunt qui iiſdem interfuerunt Falco in Chronico Beneuentano & Petrus[b] diaconus in Caſſinenſi.

a De hoc vid. Petr. diac. Chron. Caſſin. li. 4. cap. 99. & ſeqq.

b lib. 4. c. 106. & ſeqq.

II. Verum cum poſt hæc Imp. vna cum Papa Romam aduenisset (vbi recens multi S. Bernardi opera à ſchiſmate receſſerant) rebuſque ibi compoſitis abiiſſet in Tuſciam, rediēs rurſum Rogerius vniuerſam Campaniam ſibi ſubegit, cunctaque igne ferroque paſtans, nec locis ſacris parcens, eccleſias prædæ militum dedit, & (proh nefas!) eorumdem ludibrio moniales expoſuit. Quibus auditis Innocentius Papa, rei ipſa expertus vana prorſus exiſtere ſtudia hominum, quibus non aſpiret diuina potentia, contra furentes tyranni impetus vnum obiecit hominem humilem, ſed Dei virtute potētem: nempe ipſum S. Bernardum, quem ad Rogerium miſit vt eum ſi poſſet conuerteret, ac pacem inter ipſum ac Rainulphum Ducem Apuliæ ab eodem Pontifice conſtitutum componeret. Verum renuit Rogerius, quod validiſſimo polleret exercitu, Bernardo obaudire: vnde & meruit à Rainulpho, ipſo Bernardo precibus apud Deum intercedente, ingenti prælio fugari; Poſt quæ Rogerius, ne peiora à victore pateretur, & maioribus viribus parandis tempus redimeret, aſtute ſimulans de potiori vtriuſq; Pontificis iure inſtrui velle, cum Bernardo egit vt nonnullis ex parte Innocentii, ac totidem ab Anacleto miſſis Cardinalibus, in vnum apud ipſum Salerni conuenientibus, ipſe auditis vtriuſq; partis rationib. eligeret cui magis fauendum eſſet. Sed his peractis, quamuis Innocentij pars & rationibus ſuperior (quibus & inter alios Petrus Piſanus Cardinalis cedens, ad eam tranſiit) & miraculis ab eodem Bernardo tunc editis Deo acceptior euidenter apparuiſſet: Rogerius tamen necdum voluit obedire, quia Sancti Petri patrimonium, quod in Caſſinenſi & Beneuentana prouincia ampliſſimum eſſet, loccupauerat: putabatque huiuſmodi ſuſpenſionibus aliqua ab Innocentio Papa extorquere priuilegia, per quæ in ius proprium ea deinceps ipſi ſtabilirentur. Narrantur iſta partim à Falcone in Chronico Beneuentano, partim à Bernardo[c] Abbate Bonæuallis in Vita S. Bernardi: licet de diſputatione coram Rege habita nonnihil diſcrepent ab inuicem.

ROGERII SICVLI SACRILEGIA

DISPVT. INTER CARD. INNOC. ET ANACL. CORAM ROGERIO.

c Vit. S. Bern. l. 2. c. 7.

III. S. MALACHIAS ARCHIEP. HIBER. ROMAM VENIT.

Hoc eodem anno cum iam Innocentius Papa Romæ conſiſteret, contigit mirifici illius S. Malachiæ Archiepiſcopi Ardinachæ, totius Hiberniæ Metropolitani, Romā ad eum aduentus, tum pro pallio tam ſuæ quam alterius ſub ea conſtitutæ in eadem Inſula Metropolitanæ Eccleſiæ, tum pro licentia prædicandi Euangelium: quippe qui etſi diſpoſuiſſet tota auctoritate de rebus Eccleſiaſticis illius prouinciæ tamquam Apoſtolus vnus, & nemo eum interrogaret, in qua poteſtate hæc faceret, videntib. cunctis ſigna & prodigia quæ operaretur: viſum tamen ei, non tute ſatis illa actitari abſque Sedis Apoſtolicæ auctoritate. Tradit hæc de illo S. Bernardus in Vita ipſius: additque de commiſſis illi ab Innocentio Papa vicibus ſuis per vniuerſam Hiberniam, deq; honore ei exhibito, cum Pontifex ſublatam de capite ſuo mitram (mos namq; erat, nonniſi mitratos Romanos Pontifices ad audientiam aliquos admittere) impoſuit capiti eius, eidemque ſtolam cum manipulo dedit, quibus ipſe inter offerendum vti conſueuiſſet. De Palliis vero rem ſolemnius agi volens, diſtulit eam quouſque Malachias celebrato in Hibernia Epiſcoporũ, & Clericorum, atque maiorum terræ generali Concilio, communi vniuerſorum voto per Legatos peteretur. Hæc Bernardus, ſubdens de diſputatione ab eodem Malachia poſt reditum in Hiberniam, habita cum hæretico Sacramentario: qui iudicio omnium ſuperatus, cum nihilominus obſtinatiſſimus permaneret, tandem ſubitanea graui infirmitate comprehenſus, rediit ad cor, & abiurata hæreſi, ſumptoque ſalutifero viatico, ex hac vita migrauit.

DISPVT. MALACHIÆ CVM HÆRETICO SACRAMENTARIO.

IESV CHRISTI AN. 1138.

LOTHAR. II. 6. IOAN. COMN. 20.

INNOC. II. AN. 9.

I. ANACL. PSEVDOP. MORITVR IMPOENITENS.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo trigeſimo octauo, Indictione prima, die ſeptima Ianuarii inuaſor Apoſtolicę Sedis Petrus Leonis pſeudopapa Anacletus, Deo vindice ex hac vita diuulſus, ad ſupernum horrificũ tribunal iudicandus adductus eſt, accepturus cruciatum æternum: cum ſedem occupaſſet annis ſeptem, menſibus vndecim, & dieb. viginti duobus. Hæc Falco tunc viuens, in Chronico Beneuentano. Et qui æque tunc ſcribebat Bernardus[a] Abbas Bonæuallis, ait in Vita S. Bernardi, Petrum morbo percuſſum, triduum habuiſſe ad pœnitentiam; verum patientia Dei abuſum, in peccato ſuo mortuum eſſe deſperatum: ſed & miſerabili põpa corpus eius elatum, cadauerq; in latebris ſepultum loco Catholicis incognito. De cuius obitu eſt etiã ipſius S. Bernardi[b], eo tempore apud Innocentium Romæ agentis, epiſtola ad Petrum Venerabilem Abbatem Cluniacenſem.

a Vit. S. Bernard. l. 2. c. 7.

b Bern. ep. 147.

II. SVBROGATVS ANACLETO VICTOR SE ABDICAT, ET PAX REDDITVR ECCLESIÆ.

Quo extincto, & (vt loquitur S. Bernardus) in ventrem inferi traducto, nihilominus ſchiſmatici Cardinales Anacleti, conſilio fratrum ipſius petita à Rogerio tyranno Siculo licentia, menſe Martio alium in eius locum ſubrogarunt, nempe Gregorium presbyterum Cardinalem, quem *Victorem* nominarunt. Sed haud multos poſt dies iidem fratres Anacleti diuinitus compuncti, ſe ad Innocentium conferentes eum pro legitimo Pontifice agnouerunt: ipſe quoque pſeudo-Victor depoſitis Pontificatus inſignibus, eidem ſe ſubiecit: atq; ita pax diu deſiderata reddita eſt Eccleſiæ. Tradit hæc Falco: quæ quidē opera S.

Bernardi

Bernardi peracta eſſe, aſſeritur in eius Vita: eademque in Octauis Pentecoſtes completa, narrat ipſe S. Bernardus [c] ſcribens ad Godefredum tunc Priorem monaſterij Claræuallenſis, poſtea Lingonienſem Epiſcopum. Nullam vero conciliant ſibi fidem, quæ Petrus [d] diaconus Caſſinenſis in ſugillationem Innocentij, ſchiſmaticus ipſe ſcribit: nempe Innocentium magna in filios Petri Leonis, eorumque complices effuſa pecunia, illos ad ſuam partem attraxiſſe. Ceterum Rogerius neque extincto Anacleto & ſubmoto Victore, recognoſcere adhuc voluit Innocentium, ſed ſolus cum ſuis abſque capite manſit in ſchiſmate, nihil omittens barbaricæ crudelitatis in loca quæ ſibi poſſet armis ſubigere: ſicut ea pluribus deſcribuntur in ijſdem Chronicis Beneuentanis.

c Il. ep. 110.
d Petr. diac.
ROGER. SOLVS PERMANET IN SCHISMATE.

III. LOTHAR. IMP. OBITVS.

Hoc eodem anno, in fine ipſius, nempe tertio Nonas Decembris, mortuus eſt Lotharius Imperator apud Cluſam Liguriæ, vt ait Petrus Caſſinenſis: Otto vero Friſingenſis apud Tridentum morbo correptum, in ipſis montibus in viliſſima caſa diem obijſſe tradit. Cuius corpus delatum eſt Moguntiam: fuitque interregnum quatuor menſibus. Quod enim prole maſcula careret, quinã aſſumendus in Imperium eſſet, Comitiſs generalibus fuit decernendum. Quiſnam autem electus fuerit, dicetur anno ſequenti. Porro ipſum morientem conſtituiſſe heredem Saxoniæ generum ſuum Ducem Bauariæ, idem Petrus aſſerit. Cuius etiam Petri extat in ſcripto codice Caſſinate conſolatoria ad Richizam Auguſtam epiſtola. Sed eius Acta [e] de diſputatione Cardinalium cum eodem ipſo Petro coram Lothario Imperatore, ab aliquo pro arbitrio concinnata, cum multipliciter arguantur falſitatis, indigna putamus quorum hic amplior fiat mentio. Sed quod rurſum ad Lotharium attinet: laudatur eius religio maxime ab eodem Petro [f], quod in expeditione conſtitutus, ſummo diluculo Miſſam pro defunctis, dehinc pro exercitu, tertiam poſtremo diei Miſſam audire conſueuiſſe: ſed & viduis & orphanis cum Auguſta coniuge pedes lauaret, tergeret crinibus, & oſcularetur, cibumque illis ac potum large diſtribueret: & quæſtiones atque oppreſſiones Eccleſiarum prius releuans, vltimo in loco res Imperij poneret: numquam à conſortio Epiſcoporum & Abbatum auelleretur; ſacerdotes honoraret vt patres, pauperes foueret vt filios, viduas vt matres: orationibuſque peruigil eſſet, lachrymaſque creberrimas contriti cordis Deo offerret.

e Ibid. c. 110.
f Ibid. c. 125.
PIETAS LOTHARII IMP.

IV. CONCIL. LONDON. SVB LEG. APOST.

Eodem anno Innocentius Papa ad componendas res Eccleſiæ Anglicanæ, miſit à latere Legatum Albericum Cardinalem Epiſcopum Oſtienſem: qui celebrato Londoniæ CONCILIO, annuente Stephano Rege, Theobaldum Beccenſem Abbatem creauit Archiepiſcopum Cantuarienſem. Hæc Rogerius in Annalibus.

V.

Quod ad res pertinet Orientis: hoc tempore, nempe poſtquam Innocentius Papa Romam reuerſus eſt, agitari contigit controuerſiam, occaſione Fulcheri Archiepiſcopi Tyrij patria Aquitani & olim Abbatis Cellenſis, cum Willelmo Patriarcha Hieroſolymitano, quam deſcripſit Willelmus [g] eiuſdem poſtea Eccleſiæ Tyrenſis Archiepiſcopus: cum videlicet idem Fulcherus, poſtquam electus in Archiepiſcopum, conſecrationem ab eodem Patriarcha accepiſſet, more prædeceſſorum ſuorum Romam pergens pro obtinendo pallio, à Patriarcha eiuſque complicibus paſſus eſt inſidias & violentiam, ita vt vix ab eorum manibus elapſus Romam potuerit peruenire: ſicut ex literis obiurgatorijs ſimul & comminatorijs ab Innocentio Papa ad eumdem Patriarcham ea de cauſa conſcriptis apparet, quæ recitantur ab Willelmo. His autem cum videas, non Græcos tantum, ſed & Latinos in Oriente refractarios inuentos eſſe aduerſus Romanam Eccleſiam, haud mireris ſi tanti ædificij moles corruerit, cuius compagines male cohærerent Catholicæ vnitati.

g Tyr. l. 14. c. 11 & ſeq.
PATRIARCHA HIEROL. REFRAGATVR APOSTOL. SEDI.

IESV CHRISTI ANN. 1139.

INNOC. II. AN. 10.

CONR. REG. ROM. I. IOAN. COMN. 21.

I.

ANNO Chriſti milleſimo centeſimo trigeſimo nono, Indictione ſecunda, circa mediam Quadrageſimam habito Confluentiæ quorumdam Principum conuentu coram Theodino Epiſcopo Cardinale Sedis Apoſtolicæ Legato, CONRADVS Imperatoris Henrici ſororius creatus eſt *Romanorum Rex*, & Aquis ab eodem Legato vnctus: idemque Moguntiam ad Pentecoſten veniens, in generali Principum conuentu, ab omnibus, atque adeo ab ipſa Richiza Imperatrice Lotharij relicta approbatus eſt. Henricus vero Dux Bauariæ eiuſdem Lotharij gener, cum regalia inſignia ſumpſiſſet, Ratiſponam ad feſtiuitatem SS. Apoſtolorum Petri & Pauli vocatus, ea depoſuit, ac conſilio quorumdam Principum ad Herbipolim proſcriptus, proximo Natali Domini in Palatio Goslarienſi Ducatu ſuo priuatus eſt: ſicque diuino nutu res accidit, vt potentiſſimus antea Princeps, cum omnes deſpiciens nulli pro regno ſupplicare dignatus eſſet, in ſummum breui apud omnes contemptum deciderit, atque haud diu poſt conſumptus mœrore diem obierit. Narrat iſta pluribus Otto Friſingenſis [a]. Porro qui nonniſi Imperatorum Occidentalium, non etiam Regum Romanorum annos præfigere chronographiæ conſueuimus: iam cum deſunt Imperatores, notas numeri Regum Romanorum, incipientes à Conrado, clariorem temporum ſignificationem ponemus; ſed cum ſuo dumtaxat Regis titulo.

CONRADVS CREATVR REX ROM.
HENR. DVX PERIT EX SVPERBIA.
a Otto Friſing. l. 7. c. 22 & ſeq.

II. CONCIL. ROM. GENER. SVB INNOC. II.

Eodem anno proxima media Quadrageſima (inquit idem Otto) SYNODVS maxima circiter mille Epiſcoporum, Romæ præſidente Summo Pontifice Innocentio celebrata eſt: ibique poſt multa ſalutifera decreta promulgata, ſchiſmatici qui parti Petri Leonis fauerant damnati ſunt. Hæc autem ille de tanta Synodo. De qua rurſum in Chronico Beneuentano breuiter ſcribitur, eam octaua Aprilis inchoatam eſſe, atque in ea excommunicatum Rogerium Regem aſſertum Siciliæ, cum omnibus eius ſequacibus. Sed extant [b] præterea illius canones triginta in libro Cenſuum Vaticanæ Bibliothecæ, & alio codice Decretorum Collationis (ex quo Gratianus aliquos intulit in Decretum) cum aduerſus clericos ſimoniacos, concubinarios, indecenter veſtitos: & monachos S. Benedicti, ac canonicos regulares S. Auguſtini, leges temporales & medicinam gratia lucri addiſcentes atque exercentes: necnon aduerſus mulieres, quæ licet nullam approbatæ religionis regulam obſeruarent, tamen ſanctimoniales vulgo cenſeri deſiderarent, priuata ſibi ædificantes domicilia, in quibus hoſpitalitatis ſpecie paſſim hoſpites ſuſcipere non erubeſcerent: tum contra laicas inueſtituras, conſanguineorum coniunctiones, incendiarios, fœneratores, ſacrilegos, alioſque tam clericos quam laicos canonum Eccleſiaſticorum, bonorumque morum præuaricatores: atque poſtremo contra ordinationes factas à Petro Leonis Antipapa, alijſque ſchiſmaticis & hæreticis, quæ irritæ ſunt declaratæ.

ROGER. SICVLVS EXCOMMVNICATVR.
b Rec. Bar. Annal. To. XII. locan.
CANONES SYNODI DE VARIIS ECCL. NECESSITATIBVS.

III.

In hoc quoque Concilio Lateranenſi audita eſt cauſa ARNALDI (alij Arnoldum, ſiue Arnolphum vocant) clerici, Lectoris Brixienſis in Italia recentis hæretici, diſcipuli Petri Abailardi. Qui quidem (vt ait Otto [c] Friſingenſis) vir naturæ non hebetis, plus tamen verborum profluuio quam ſententiarum pondere copioſus, ſingularitatis amator, nouitatis cupidus, à ſtudio è Gallijs in Italiam reuertens, religioſum habitum, quo facilius decipere poſſet, induit, omnia lacerans, omnia rodens, nemini parcens, clericorum ac Epiſcoporum derogator, monachorum perſecutor, laicis tantum adulans. Dicebat enim nec clericos proprietatem, nec Epiſcopos regalia, nec monachos poſſeſſiones habentes, aliqua ratione poſſe ſaluari: cunctaque hæc Principis eſſe, ab eiuſque beneficentia in vſum tantum laicorum cedere oportere. Præterque hæc, de Sacramento altaris, & baptiſmo paruulorum non ſane dicebatur ſentire. His vero alijſque

c Otto Friſing. de reb. geſt. Frid. Imp. l. 1. c. 20.
ARNALDI DE BRIX. HÆRESIARC. MORES ET ERRORES.

multis modis dum Brixienſem Eccleſiam perturbaret, laiciſque prurientes erga clerum aures habentibus Eccleſiaſticas malitioſe exponeret paginas: in prædicto magno Concilio ab Epiſcopo Brixienſi, viriſque religioſis accuſatus eſt. Innocentius autem Romanus Pontifex, ne pernitioſum dogma ad plures ſerperet, imponendum viro ſilentium decreuit. Itaque homo ille de Italia fugiens, ad Tranſalpina ſe contulit: ibique in oppido Alemanniæ Turego officium doctoris aſſumens, pernicioſum dogma aliquot diebus ſeminauit. Hæc Otto, ſui æui rerum geſtarum ſcriptor: quæ eadem eleganti carmine deſcripſit eiuſdem temporis poeta eximius Guntherus Ligurinus. Reliqua vero de eodem Arnaldo dicentur ſuis locis.

ARNALD DAMNATVR IN SYNODO.

IV. Eodem tempore noua oborta occaſione, vix celebrato Concilio, poſt ſacra Innocentio bellica tractanda fuerunt aduerſus Rogerium Siculum, qui defuncto vltima die menſis Aprilis Rainulpho Duce Apuliæ S. R. E. feudatario, quem ſolum timere didiciſſet, ad inuadendam Apuliam magno comparato exercitu transfretauit. Sed accidit vt cum Innocentius collectis pariter copijs ad S. Germanum oppidum ad radices montis Caſſini perueniſſet, ibique rebus cum Rogerio componendis, miſſis ſuſceptiſque Legatis, intenderet: inſidijs ei à Rogerij filio iuſſu patris ſtructis, cum aliquando in alium locum iret, captus fuerit, & non ſine ignominia ductus ad Rogerium die decima menſis Iulij. Rogerio vero continuo per Legatos ab eo humillima ſupplicatione petente vt concordiæ manum apponeret, idem Pontifex deſtitutum ſe viribus & armis conſpiciens, precibus illius aſſenſit: & pactis ex vtraque parte firmatis, Rogerius cum filijs ad Pontificem accedens, pedibus eius aduolutus miſericordiam petijt, iurauitque fidelitatem: Pontifex autem regnum ei per vexillum donauit ſeptimo Calendas Auguſti. Narrantur hæc omnia pluribus in Chronico Beneuentano: quæ breuiſſime recenſentur etiam ab Ottone Friſingenſi. Sic igitur titulum Regis Siciliæ Rogerius, quem male acceperat ab Anacleto Pſeudopapa, ab Innocentio legitimo Pontifice obtinuit. Sed ne videretur Innocentius probare quod feciſſet Antipapa: ad conferendam hanc dignitatem Rogerio, inductum ſe exemplo prædeceſſoris ſui Honorij Papæ qui eumdem inſignierat titulo Ducis, profeſſus eſt in diplomate [d] tunc à ſe dato, quo non ſolum Siciliæ regnum, ſed & Ducatum Apuliæ, & Principatum Capuæ, ei heredibuſque eius conceſſit, ſub conditione faciendi Romanis Pontificibus homagij ligij, & fidelitatis eiſdem iurandæ, ſoluendique cenſus annui ſexcentorum ſchifatorum.

INNOC. PP. PRODITORIE CAPITVR A ROGERIO.

INNOC. CONCEDIT ROGERIO TITVLVM REGIS SICILIÆ.

d Reg. Bar. Annal. To. XII. hoc an.

REGNVM SICIL. FEVDATARIVM ECCL. R.

V. ROGER. IN MELIVS MVTATVS.

[f] Porro loco miraculi habitum eſt, quod Innocentius Papa, captiuus ductus, & ſub poteſtate Rogerij conſtitutus, quem adeo prouocaſſet, & per Lotharium Imperatorem, Rainulphumq; Ducem ſæpe viciſſet atq; fugaſſet: (omnium namque illorum bellorum promotor ipſe, ob recuperanda Eccleſiæ bona fuerat:) nihilominus ab eo omnem reuerentiæ atque honoris cultum acceperit, & fidelitatis iuramentum pro inueſtituris terrarum, quas ille ſibi armorum potentia vindicatas poſſideret, tamquam à victo & ſuperato extorſerit. Cum alioqui tanta fuiſſet in eam vſque diem in illo ferocitas, vt nec rebus ac perſonis ſacris (vt vidimus) nec hoſtibus parceret defunctis. Siquidem Otto [e] Friſingenſis & Falco Beneuentanus tradunt, ipſum Ducis Rainulphi (vocat illum Otto Reginaldum) necnon Brunonis Epiſcopi cadauera, quos viuentes habuerat inimicos, è ſepulchro educta per plateas funibus trahi iuſſiſſe, & in ſtagnum lutoſum & putridum proijci. Pace autem facta idem Rex cogitans quæ Dei ſunt, cum iam in Sicilia Cluniacenſes [f] haberet monachos, magnopere etiam optauit Ciſtercienſes habere: quos & obtinuit à S. Bernardo [g]. Profecitque ex his adeo, vt magnopere à Petro [h] Cluniacenſi meruerit commendari.

e Otto. Friſ. l. 7. c. 23.

f Pet. Clun. l. ep. 34. ad Roger. g Bern. ep. 208. ad Reg. h Pet. Clun. ep. 34.

IESV CHRISTI ANN. 1140.

INNOC. II. AN. 11.

CONR. REG. ROM. 2. IOAN. COMN. 22.

I. ANno Chriſti milleſimo centeſimo quadrageſimo, Indictione tertia, poſt extinctum ſchiſma Petri Leonis, & cum Arnaldus de Brixia damnatus hæreticus ex Italia rediiſſet in Gallias ad ſuum magiſtrum Petrum Abailardum, (ſic enim tempus eorum quæ dicturi ſumus conſignat S. Bernardus [a]) idem ABAILARDVS ratus faciliorem ſibi fore ſuarum hæreſum promulgationem, quas iam verbo & ſcripto vbique diſſeminabat, ſi eius qui colebatur ab omnibus ſanctiſſimus atque doctiſſimus, nempe ipſius S. Bernardi victor exiſteret, quem captionibus inanis philoſophiæ à ſe vincendum nullatenus dubitabat: licet iam damnatus fuiſſet cum ſuis ſcriptis à Legato Sedis Apoſtolicæ, nihilominus tamen adito Metropolitano Senonenſi, petijt vt diſputationem publicam inter ipſum atque Bernardum indiceret, eo colore quod ſi ipſe vinceretur, omnino cedens palinodiam recantaret. Quare Archiepiſcopus vt faſtum comprimeret inſultantis hæretici, vna cum Rhemenſi Archiepiſcopo ac ſuffraganeis Epiſcopis ad SYNODVM conueniens, literis quoque S. Bernardum rogauit, vt & ipſe adeſſet diſputaturus: qui diu abnuens, tum ob alia, tum quod non de recenter inuentis ageretur erroribus, ſed antiqui veterum hæreticorum Arij, Neſtorij, Pelagij, aliorumque, contra Sanctiſſimam Trinitatem, Perſonam Chriſti, Sacramenta Eccleſiæ, bonoſque mores, iam olim ab Eccleſia Catholica damnati renouarentur, nec fas eſſet de ſemel iudicatis iterum diſputare: tamen quod ad proclamationem iſtius futuræ diſputationis omnes vndique, ac præcipue viri literati concurrerent (quippe Abailardus publice profeſſus in Gallia philoſophiam, magnum ſibi nomen inde comparauerat) timereturque ne de abſentia S. Bernardi & ſcandalum populo, & cornua creſcerent aduerſario, demum ipſo ad locum & diem accurrente, cum & Rex adeſſe conuentui voluiſſet, ſimulac in præſentia omnium nonnulla producta ſunt ex libris Abailardi capitula de quibus diſputaretur, ita ille hebes factus eſt, vt nihil prorſus reſpondere valens tantummodo Sedem Apoſtolicam appellarit. At nihilominus Epiſcopi errores eius damnarunt, & vt ipſorum ſententia ab Innocentio Papa confirmaretur, literis ad eum ſcriptis petierunt: quibus ipſe annuens, tam Abailardum, quam eius praua dogmata, ſectatoreſque anathemate damnauit, iuſſitque vt eum, eiuſque diſcipulum Arnaldum de Brixia, in religioſis locis ſeparatim includi facerent, & libros eorum igne comburerent. Conſtant enim iſta omnia ex eorumdem [b] tunc vltro citroque ſcriptis epiſtolis, necnon ex auctore [c] Rerum geſtarum ipſius S Bernardi.

a Bern. ep. 189. ad Innoc. Pap.

ABAILARDVS HÆRESIAR. PROVOCAT S. BERN. AD DISPVT.

CONCIL. RHEM. IN CAVSA ABAILARDI.

ABAILAR. DAMNATVR IN GAL. ET ROMA.

b ap. Bern. ep. 189. 191. 194. c Vit. S. Bern. l. 3. c. 5.

II. Porro cum Abailardus proſecuturus appellationem Romam verſus dirigeret iter, diuertens Cluniacum, libenter ſe paſſus eſt retineri à Petro Venerabili illius monaſterij Abbate: cuius opera non ſolum errores abiurauit, eoſque à ſuis libris abraſit, & cum S. Bernardo pacifica colloquia habuit: ſed & monachus effectus, permiſſus eſt à Summo Pontifice ibi reliquum vitæ transigere: ſicut apparet ex literis eiuſdem Petri [d] Cluniacenſis ad Innocentium. Denique quod mirandum valde eſt, Abailardus pœnitens perſeuerans vſque ad finem in arctiſſima monaſtica obſeruantia, demum ſancto fine quieuit: dignuſque habitus eſt, qui poſt obitum ab eodem Petro [e] Venerabili magnopere laudaretur epiſtola ad Eloyſam Abbatiſſam eius quondam coniugem, quæ & ipſa doctrina excellens, idem vitæ genus arripuerat. Quæ quidem de viri ſui exiſtimatione ſollicita, rogauit per literas eumdem Petrum, vt illius abſolutionem factam ab Apoſtolica Sede ad ſe mitteret, quo ea ſepulchro eius inſcriberetur.

ABAILAR. FIT MONACHVS, ET SANCTO FINE QVIESCIT.

d Pet. Clun. l. 4. ep. 21.

e l. 4. ep. 20.

IESV CHRISTI AN. 1141.

CONR. REG. ROM. 1. IOAN. COMN. 23.

INNOC. II. AN. 12.

I. BELLVM TIBVRTINVM.

ANNO Chriſti milleſimo centeſimo quadrageſimo primo, Indictione quarta, Tiburtini occaſione ſchiſmatis haud parere Romano Pontifici aſſueti, per pacem redigi in obedientiam indignantes, reſiſtere Innocentio ſuntauſi. Qua contumelia ſe affici Romani videntes, dum eorum clandeſtinas paterentur iugiter incurſiones, ad ſubiugandos illos omne ſtudium impendere ſunt aggreſſi: ſed ab ijs turpiter in fugam verſi, adeo impatienter hanc ignominiam tulerunt, vt licet poſtea ijdem Tiburtini, armis ſpiritualibus & temporalibus Innocentij cedentes, deditionem fecerint: tamen Romani volentes vt eos Pontifex per obſides & ſacramentum ad duriſſima ſubeunda cogeret, nempe vt ruptis muris omnes prouincia cederent: cum ipſe immani eorum petitioni annuere nollet, ſeditione mota in Capitolio conuenientes, antiquam Vrbis dignitatem reſtaurare propoſuerunt, ordinemque Senatorum qui iam per multa tempora ceſſauerat conſtituerunt, ac rurſum cum Tiburtinis bellum innouarunt, fruſtra Innocentio conante eos minis & muneribus à cœptis reuocare. Narrat hæc Otto [a] Frinſingenſis. Cuius idem relatione [b] conſtat, peſtilentem iſtam auram rebellionis inſufflaſſe Romanis Arnaldum de Brixia nouum hæreſiarcham, de quo ſuperius, dum iactaret laicorum eſſe omnia temporalia, & à clericis iniuſtiſſime detineri, quo nomine Politicorum hæreticorum patriarcham atque principem ſe conſtituit. Quænam autem poſt hæc à Romanis geſta fuerint, dicetur ſuis locis. Haud enim vnius Dei fuit opus, eos ad obedientiam Pontificis reuocare.

ROMANI ANTIQVAM SAT AGVNT RESTITVERE REMP.

a Otto Friſing. l. 7. c. 27. b Id de reb. geſt. Frid. Imp. l. 1. c. 20.

IESV CHRISTI AN. 1142.

CONR. REG. ROM. 4. IOAN. COMN. 24.

INNOC. II. AN. 13.

I.

ANNO Chriſti milleſimo centeſimo quadrageſimo ſecundo, Indictione quinta, Innocentius Papa Legatum in Gallias miſit Iuonem Cardinalem, tum ob iniuſte dimiſſam vxorem à Radulpho Viromanduorum Comite, & ſuperinductam ſororem Reginæ, tum ob diſſenſionem inter ipſum Pontificem & Regem Ludouicum ortam occaſione Archiepiſcopi Bituricenſis, cum quem Innocentius illi Eccleſiæ conſecraſſet Petrum, Rex repudiaſſet eo quod ſine eius aſſenſu conſecratus fuiſſet. Porro Iuo legationi ſuæ fortiter incumbens, & Radulphum excommunicauit, atque Epiſcopos qui diuortium fecerant ſuſpendit: & Regnum ipſum interdicto ſubiecit, ac cetera quæ opus erant canonice expleuit: quibus Rex maiori indignatione exaſperatus, non ſolum Comitem Theobaldum, qui à Pontifice in cauſa Petri Bituricenſis ſtabat, grauiter exagitauit, ſed & multas alias Eccleſias præter Bituricenſem dire vexauit, aliaque plurima nefanda perpetrauit: vnde cum diutum ſchiſma in Eccleſia Gallicana timeretur ob vehementem Pontificis in eum commotionem, demum petente Rege veniam eorum quæ iuuenili ardore furens commiſiſſet, compoſita ſunt anno ſequenti diſſidia, quæ iam præcedenti cœpta fuerant. Hæc autem conſtant ex Roberto in Chronico appendice ad Sigebertum, necnon ex multiplicibus à S. Bernardo [a] ad Innocentium Papam, Ludouicum Regem, Eccleſiæ Romanæ Cardinales, Galliarumque Antiſtites ſcriptis ea de cauſa literis.

REGNVM FRAN. INTERDICTO SVBIECTVM.

REX FR. RESIPISCIT.

a Bern. ep. 216. vſque 225.

II.

Quod ad res pertinet Orientis: eodem anno Fulco Hieroſolymorum Rex lapſus equo mortuus eſt, Balduinum annorum tredecim relinquens regni ſucceſſorem: cuius adminiſtrationem mater ipſa Regina Meleſendis ſuſcepit. Hæc Tyrius [b]: ſed quod id factum dicit ſub Eugenio Papa, ſibi ipſi aduerſatur, dum nonniſi poſt triennium Eugenius ſedere cœpit.

b Tyr. l. 16. c. 3.

IESV CHRISTI ANN. 1134.

CONR. REG. ROM. 5. MANVELIS 1.

CÆLESTINI II. AN. 1.

I. INNO. PP. OBITVS.

ANNO Redemptoris milleſimo centeſimo quadrageſimo tertio, Indictione ſexta, Innocentius Papa aduerſus Romanos, antiquum Senatum & Equeſtrem Ordinem reſtituere ſatagentes, laborans (timebat enim ne forte Eccleſia Dei, quæ per multos annos ſæcularem Vrbis honorem antiquitus ſibi conceſſum potentiſſime habuiſſet, ea occaſione quandoque perderet) cum non poſſet præualere; lecto cubans in pace quieuit octauo Calendas Octobris, cum ſediſſet annos tredecim & menſes ſeptem. Tradit hæc Otto [a] Friſingenſis. Et in codice ſcripto Archiui Lateranenſis traditur, ipſum ſepultum eſſe in eadem baſilica in porphyretico mauſoleo, in quo olim ſepultus fuerat Hadrianus Imperator. Verum eius corpus poſtea delatum eſt ab ipſius fratre Epiſcopo Albanenſi ad baſilicam Calliſti, dictam S. Mariæ trans Tiberim, quam Innocentius à fundamentis reſtaurare cœperat, frater autem abſoluit. Elapſo autem die ab eius obitu, conſenſu omnium creatus eſt Summus Pontifex Guido de Caſtello presbyter Cardinalis tituli S. Marci, nominatuſque CÆLESTINVS Secundus: ad quem extant luculentiſſimorum eius temporis Eccleſiæ Gallicanæ luminum, Petri [b] Venerabilis Abbatis Cluniacenſis, & S. Bernardi [c] Clarauallenſis epiſtolæ.

a Otto Friſing. l. 7. c. 27.

CÆLEST. II. CREATVR PON.

b Pet. Clun. l. 4. ep. 17. c Bern. ep. 214.

II. CONCIL. VVINTON. PRO LIBER. ECCL.

Itemque eodem anno, tempore Quadrageſimæ, Londoniæ in Anglia celebratum eſt CONCILIVM ab Wintonenſi Epiſcopo Sedis Apoſtolicæ Legato, pro libertate Eccleſiaſtica iamdiu exule reſtituenda, cui vna cum alijs interfuit Rex Stephanus: ſancitum vero in eo eſt, ne qui alicui clerico violentas manus inijceret (quod paſſim fieri conſueuerat) ab alio poſſes abſolui, quam ab ipſo Papa, & in præſentia ipſius. Hæc Rogerius in Annalibus: qui & ſequenti anno multa refert exempla diuinæ vindictæ aduerſus violatores ac profanatores eccleſiarum.

III.

Quod ad res pertinet Orientis: hoc item anno ex hac vita veneno ſublatus eſt Radulphus ſiue Rudolphus Patriarcha Antiochenus, & in eius locum ſubrogatus *Haimericus* decanus eiuſdem Eccleſiæ. Ita ex Tyrio.

IV. IOAN. IMP. INFAVSTVS OBITVS.

Eodemque anno menſe Aprilis mortuum eſſe Ioannem Imp. Conſtantinopolitanum, poſtquam regnaſſet annos viginti quatuor & menſes octo, tradunt Nicetas Choniata, & Otto [d] Friſingenſis. Ex quibus, alijſque auctoribus, corrigas errorem illapſum in Willelmum Tyrium [e], dum apud ipſum Ioannes legitur obijſſe anno Domini milleſimo centeſimo trigeſimo octauo, Imperij vero ſui vigeſimo ſeptimo. Sed quod ad genus mortis eius pertinet: nonniſi diuina contigiſſe vindicta, hiſtorici omnes tam Græci quam Latini affirmant. Cum enim à Latinis abripere Antiochiam pertentaſſet, & quamuis monitus ab Innocentio Papa minime deſtitiſſet, immo acerbius deſæuiſſet etiam in viros ſanctiſſimos (vt teſtatur Otto) eremum incolentes: factum eſt vt poſt obitum duorum filiorum, ipſe quoque propriæ ſagittæ venenatæ vulnuſculo, cum in venatione pharetra euerſa caderet, ſibi ipſi mortem intulerit. Poſt eius autem obitum, MANVEL, ſiue Emmanuel, ipſius filius, patris iudicio comprobatus, regendas ſumpſit habenas Imperij: cui Conradus [f] Romanorum Rex matrimonio iunxit ſororem coniugis ſuæ.

d Otto Friſing. l. 7. c. 28. e Tyr. l. 15. c. 23. in f.

f Otto Friſing. de reb. geſt. Frid. l. 1. c. 23. & 24.

V. LEONIS PATRIAR. CONST. OBITVS.

Hoc eodem anno ipſis primordijs Manuelis Comneni Imperatoris (vt teſtatur Nicetas) mortuus eſt *Leo* Stypiota Patriarcha Conſtantinopolitanus: cuius meminit Theodorus Balſamon, dum interpretatur S. Baſilij epiſtolam ad Amphilochium, & in canone octogeſimo tertio agit aduerſus eos qui more Gentium exercent vaticinia ac veneficia, quorum occaſione ſubijcit, quod cum vxor Alexij Comneni filij Imperatoris in grauiſſimum morbum incidiſſet, adeo vt medici de eius ſanitate deſperaſſent: quidam Ethnici ſe eam curaturos profeſſi, vtpote quæ magicis artificijs laboraret, effecerunt vt multæ nobiles fœminæ atque etiam viri perierint, dum quaſi ad maleficij auctores detegendos, ijdem impoſtores clam

imagines ex cera factas proijcerent, & ſatanice eorum cõtrectationem & inuentionem ſignificarent: qui tamen re infecta euanuerunt, ægra non ſolum nihil adiumenti adepta, ſed etiam diuturno morbo vexata decedente: poſt cuius mortem Leo Patriarcha in eiuſmodi vaticinatores & veneficos grauiſſime animaduertit. Hæc Balſamon. Extat vero etiam eiuſdem Leonis decretum de nuptijs duorum fratrum, in codice Iuris Orientalis: necnon *Arſenij*, qui poſt ipſum ſedit, licet in catalogis Patriarcharum Cõſtantinopolitanorum nulla de eo ſit mentio. Nicetas autem ſcribit, ſubrogatum eſſe Leoni *Michaelem* monachum monaſterij dicti Acuti, virum (vt ait) virtute celebrem, & eruditum: qui dictus eſt etiam cognomẽto Oxytas, quod ex Oxya inſula, in qua eius erat monaſterium, eductus ſit.

(Margin: VATICINATORES EXAGITATI A LEONE.)

IESV CHRISTI ANN. 1144.

(Margin: CONR. REG. ROM. 6. MANVELIS 2.)

LVCII II. AN. 1.

I. (Margin: CALEST. PP. OBITVS.) ANNO Chriſti milleſimo centeſimo quadrageſimo quarto, Indictione ſeptima, *Cæleſtinus* Papa vbi ſediſſet menſes quinque & dies tredecim, defunctus eſt apud Palladium octauo Idus Martij, & in eccleſia Lateranenſi tumulatus. Cumque Sedes vacaſſet die vna, ſuffectus eſt in locum eius Gerardus Camerarius presbyter Cardinalis tituli S. Crucis in Hieruſalem, ex Ordine Canonicorum regularium, patria Bononienſis ex patre Viſeo, ſcientia & vitæ meritis clarus, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius, atque etiam Cancellarius: dictuſque eſt LVCIVS eius nominis Secundus. Ita ex Vaticano codice de Vitis Pontificum. (Margin: LVCII II. ELECTIO.) Vbi etiam additur, eumdem habito cum Eccleſiæ fidelibus conſilio, Senatores qui contra prohibitionem Innocentij prædeceſſoris ſui Capitolium conſcendiſſent, Senatum abiurare coegiſſe. Verum illos ab hoc anno tempus reſtituti Senatus numerare conſueuiſſe, ipſorum publica monumenta docent.

II. (Margin: PORTVGAL. SVB CENSV ECCL. R.) Huius Pontificis tempore Alfonſus Portugalliæ Dux, pietatis ergo ſuum Ducatum conſtituit Romanæ Eccleſiæ vectigalem annuo cenſu vnciarum auri quatuor: ſicut teſtatur Innocentius Papa Tertius epiſtola centeſima libri primi. Atque ita dum inhærentes lateri, ſed animo rebelles Romani, temporali dominio exuenda Sedem Apoſtolicam conclamarent, ab Occidentis extremo limite Princeps prouinciam ſuam eidem ſpontanice obtulit vectigalem.

III. (Margin: ROMANI REBELLES HÆRESIM SECTANTVR ARNALDI DE BRIX.) Quantum autem à Romanis rebellantibus vexatus fuerit Lucius pontifex, docet ex ipſius ad Conradum Regem literis [a] Otto Friſingenſis: nempe Senatoribus quos ante inſtituerant, Patricium adieciſſe, cui tamquam Principi ſubijcerentur: atque inde Pontificem adeuntes, omnia regalia eius tam in Vrbe quam extra poſita, ad ius Patricij ſui repopoſciſſe: cumque more antiquorum ſacerdotum de decimis tantum & oblationibus ſuſtentari oportere dicentes, continua eum afflictione vexaſſe. Ab obitu namque Cæleſtini hoc anno (vt ait idem auctor in Friderico) inualeſcere cœpit iſtiuſmodi rebellio Romanorum aduerſus Pontificem, eademq; hæreſis dicta *Politicorum*, ſiue alio nomine (ſi ab eius hæreſiarcha denominare magis placeat) *Arnaldiſtarum*, ab Arnaldo de Brixia ſub Innocentio (vt vidimus) vulgari cœpta. Vt non mireris ſi in Romanos huius temporis à Pontifice ac domino ſuo reſilientes, S. Bernardus [b] acuto valde ſtylo pugnarit. Quamuis non omnes eadem inſania percitos fuiſſe, ſed complures ex nobilibus familijs pro Pontifice ſtrenue rem egiſſe, conſtet ex literis [c] Arnaldiſtarum ad Conradum Regem ſcriptis, quibus ſatagentes eum ad ſe allicere, ſignificarunt ſe iſta ipſius nomine, ac pro honore Imperij facere. Verum teſtatur Otto, Conradum eiuſmodi illorum nænijs aures præbere abnuiſſe: & contra venientes ad ſe ex parte Romanæ Eccleſiæ Legatos, renouationem antiquorum priuilegiorum poſtulantes, honorifice ſuſcepiſſe, & honeſte dimiſiſſe.

a Otto Friſing. l. 7. c. 31.

b Bern. l. 4. de conſider.

c ap. Otto Friſing. de Geſt. Frid. l. 1. c. 27. 28.

IV. (Margin: S. CRVCIS OPE LIBERATVS EXERCITVS CHR.) Quod ad res pertinet Orientales hoc anno, qui ſecundus numeratur Balduini pueri Hieroſolymorum Regis, exercitus Chriſtianorum ſub ſpe potiundi Boſtro metropoli Arabum, ex inſidijs in extrema pericula coniectus, virtute ſacratiſſimæ Crucis, quam Robertus Nazarenus Archiepiſcopus baiulabat, mirabiliter liberatus eſt: ac paulo poſt cum rurſum internecioni ſubiaceret, præuio ignoto Duce, nempe cœleſti nuntio, eodemque ſignifero, ſecure reductus eſt Hieroſolymam. Hæc pluribus Tyrius [d].

d Tyr. l. 16. c. 8. & ſeq.

IESV CHRISTI AN. 1145.

(Margin: CONR. REG. ROM. 7. MANVELIS 3.)

EVGEN. III. AN. 1.

I. (Margin: LVCII PP. OBITVS.) ANNO Domini milleſimo centeſimo quadrageſimo quinto, Indictione octaua, quinto Calendas Martij, *Lucius* Papa ex hac vita migrauit Romæ in monaſterio S. Gregorij ad Cliuum Scauri, & ſepultus eſt in baſilica Lateranenſi, poſtquam ſediſſet menſes vndecim ac dies quatuordecim. Hæc in codice Vaticano, qui inſcribitur. *De Priuilegiis Eccleſiæ Romanæ*. Vbi de eius obitus occaſione aſſeritur, ipſum cum Romanos ad noua ſtudia conciratos conaretur depellere à Capitolio, incerto lapidis ictu percuſſum eſſe, atque non poſt multos dies ex eo vitam finiuiſſe. At nihil de ictu lapidis Otto eius temporis auctor: ſed tantum Lucium quotidianis cruciatibus ob eiuſmodi Romanorum rebellionem, ac tædio vitæ affectum diem obijſſe.

II. Non vacauit Sedes: ſed repente (vt ait S. Bernardus) ob periculum ab Arnaldiſtis imminens, conuenientes vnanimes Cardinales in proximam eccleſiam monaſterij S. Cæſarij, illic Dei nutu, haud de gremio ex more aliquem eligendum putarunt ex Cardinalibus: ſed conuertentes oculos in Abbatem monaſterij S. Anaſtaſij Trium fontium extra Vrbem Ordinis Ciſtercienſis, eidem haud pridem ſub Innocentio Papa præfectum à S. Bernardo cuius diſcipulus fuerat, Bernardum itidem nominatum, patria Piſanum, virum probitate inſignem, & prudentia in negotijs obeundis locupletem: eumdem ſumma concordia elegerunt in Pontificem, & ad Lateranenſe palatium deductum, collocatumque in Sede Apoſtolica, EVGENIVM Tertium nuncuparunt. (Margin: EVGENIVS PP. III. CREATVR.) Qui cum proxima Dominica conſecrationem apud Sanctum Petrum ex more ſuſcipere pararet, præcognito Senatorum peruerſo conſilio, qui eius electionem violenter retractare diſpoſuerant, niſi eis vſurpatum Senatum Apoſtolica auctoritate confirmaret, noctis ſilentio ab Vrbe ſecedens, apud Farſenſe monaſterium in Sabinis conſecratus eſt. Tradit hæc ſcriptus codex Vaticanus.

III. (Margin: ARNALDISTARVM FVROR ROMÆ.) Inter hæc autem adueniente in Vrbem Arnaldo perditiſſimo hæreſiarcha, & ſeditionem acrius commouente, in tantum apud furentem plebem eius venenoſæ doctrinæ cœpit inualeſcere malum, vt non ſolum nobilium Romanorum à Pontifice ſtantium, ſed & Cardinalium ac Clericorum diruerint diripuerintque domus, nonnulloſque etiam Cardinales tentos ſauciarint, & inhoneſte tractarint: necnon depoſitis miniſtris Pontificeis, omnes ciues ad ſubiectionem Patricij ſui compellere ſategerint: denique vſque eo progreſſi fuerint, vt S. Petri eccleſiam in munitionem bellicam conuertentes, peregrinos cauſa orationis aduenientes, ad oblationem quæſtus gratia plagis & verberibus cogerent, & offerre nolentes in ipſo templi veſtibulo occidere non vererentur: cum interim Eugenius Papa eorumdem fugiens furorem, Viterbium ſe recepiſſet. Narrat hæc Otto [a] Friſingenſis Epiſcopus, ſincerus eius temporis auctor, necnon Ligurinus [b] in Friderico: quæ Sanctus quoque Bernardus [c] ipſis Romanis exprobrauit, cum his nefandis auditis, egregiam ad ipſos hoc eodem anno in ſpiritu vehementi, ſed ſancto, obiurgatoriam conſcripſit epiſtolam: qui etiam aduerſus eos Conradum Regem pro defenſione Eccleſiæ hortatus [d] eſt.

IV. Accidit vero inter hæc, vt ſecundum illud diuinum

a Otto Friſing. Chron. l. 7. c. 31. & in reb. geſt. Frid. Imp. l. 1. c. 20.

b Ligur. l. 3.

c Bern. ep. 242.

d Id. ep. 243.

e Matth. 8. LEGATIO NES EXTERNORVM AD SVM. PON.

[e] oraculum de prædeſtinatione Sanctorum pronuntiatum, *Venient ab Oriente & Occidente & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob, & filij regni eijcientur in tenebras exteriores:* dum Romani reſilirent à Sede Apoſtolica, & expulſus ab eis Eugenius Pontifex Viterbij conſidere cogeretur: accurrerint ad eum è longinquo populi, & legationibus ab vltimo pene Oriente (præter alias frequentes Occidentalium, Borealiumque) viſitatus fuerit. Tradit enim Otto [f] Friſingenſis probitate inſignis, dum ipſe apud eumdem Pontificem Viterbij ageret, Legatos Armeniorum Epiſcoporum, eorumque Metropolitani, quem *Catholicum*, id eſt Vniuerſalem, vocarent propter immenſum amplius mille Epiſcoporum numerum quem ſub ſe haberet, laborioſum iter per annum & ſex menſes complentes, aduenıſſe ad Eugenium, eique ex parte illius Eccleſiæ ſubiectionem omnimodam offerentes, cauſas viæ has aperuiſſe: nimirum quod cum inter ipſos & Græcos quædam in ſacris ritibus diſcrepantia eſſet, dum licet in conficienda Euchariſtia pane fermentato, ſicut illi, vterentur, tamen aquam vino non admiſcerent, ſicut nos & illi: ac præterea Natiuitatem Domini Epiphaniæ continuantes, duas illas feſtiuitates vnam facerent: de his, & alijs, inter ſe diſſentientes, Romanam Eccleſiam iudicem elegiſſent, à qua formam ſacrificij iuxta conſuetudinem eius ſibi tradi depoſcerent. Itemque quod eſſent in confinio Armeniæ quædam gentes, quæ fœtus ſuos fœtentes generarent, ſed ad aquas Armeniorum lauãdi tranſmiſſi, ſtatim vbi baptiſmatis vnda tincti eſſent, innatum fœtorem amitterent, qui tamen mox ad cultum Paganiſmi redirent: de his quoque quid agendum eſſet, Romanam Eccleſiam Legati conſuluerunt: ij demque à Summo Pontifice diligenter de omnibus inſtructi ſunt. Additque Otto qui aderat, quod cum vnus ex Legatis Epiſcopali dignitate inſignitus, in die dedicationis Eccleſiæ S. Petri, Summo Pontifice diuina myſteria ſolemniter celebrante, attentior ſacro altari adſtaret, (ſicut poſtea cunctis retulit) ſplendido fulgore radium Solis ſuper caput Pontificis coruſcare, & in ipſo duas columbas aſcendentes & deſcendentes viderit: cumque nullum aditum per quem lux illa transfunderetur inueniret, diuinitus hoc eſſe factum cognoſcens, ad obedientiam Romanæ Sedis amplius accenſus fuerit.

f Otto Friſing. l. 7. c. 32. & 33. CATHOLICVS ARM. SVBIICIT SE ROMANO PONT.

INNATVS FOETOR BAPTISMO PVLSVS.

VISIONE DIVINA CONFIRMANTVR ARMENII.

V. g Balſ. in Nomocan. tit. 13. [illegible] DE BAPTISMO AGARENORVM AD CORPORALEM MEDICINAM SVMPTO.

Sed quod pertinet ad populos, baptiſmum ad eluendum fœtorem ſuſcipientes: eſt etiam de ijs mentio apud Theodorum Balſamonem, dum agens [g] de Synodo habita à Luca Chryſoberge Patriarcha Conſtantinopolitano, qui ſedit paulo poſt ſub ipſo huius temporis Imp. Manuele Comneno, ait veniſſe ad Synodum Agarenos, qui cum iuberentur baptizari, reſponderunt ſe iam in ſuis regionibus baptizatos fuiſſe, quod eſſet conſuetudo vt omnes Agarenorum infantes ab Orthodoxis ſacerdotibus baptizarentur, verum Patriarcham noluiſſe eos admittere, quod audiſſet baptiſmum quem illi Infideles à Chriſtianis peterent, non bona affectione & Orthodoxo propoſito peti, ſed propter corporalem medicinam: cum Agarenis perſuaſum eſſet, fore vt ſui liberi à dæmone vexarentur, & tamquam canes male olerent, niſi baptiſmum Chriſtianum aſſequerentur: ſicque non ad animæ ſordes abluendas, & ſanctificationem conſequendam, baptiſmum poſtularent, ſed tamquam veneficium & incantationem. Hæc ibi.

VI. LEGATIO EX SYRIA AD ROM. PONT.

Sed vt redeamus ad narrationem Ottonis: ſubdit ipſe, ſe eodem tempore vidiſſe Viterbij Epiſcopum Gabulenſem in Syria, cuius præcipue opera ad plenum Antiochia Romanæ ſuberat Sedi; tam de Patriarcha ſuo Antiocheno, quem de matre Principis conquerentem, Sediſque Apoſtolicæ auctoritatem implorantem, pro obtinendis decimis ſpoliorum Saracenis ablatorum, exemplo Abrahæ qui eas Melchiſedecho dedit. Eumdemque tradit, ob periculum in quod Latinorum Eccleſiæ Orientales inciderent capta ab infidelibus Edeſſa, decreuiſſe adire Reges Romanorum & Francorum pro flagitando auxilio. Hæc Otto in Chronico. In Rebus [h] vero geſtis Friderici Imp. narrat, his de periculo Chriſtianorum Orientalium auditis, cœptum eſſe in Occidente agi de noua expeditione in Terram Sanctam: facileque fuiſſe Ludouicum Regem Francorum ad opus religioſum impellere, quod iam ſecreto vouiſſet eamdem peregrinationem inire. Quapropter re ab eo cum Principibus ſuis communicata, omnium vnam fuiſſe ſententiam, vocandum eſſe S. Bernardum Abbatem Clarauallenſem, vt ab eo tamquam à diuino oraculo quid in his fieri oporteret acciperent: illum autem de tanto negotio propriæ auctoritatis arbitrio decernere friuolũ iudicantem, reſpondiſſe rem ad Romanum Pontificem deferri debere: miſſa vero ad Eugenium Legatione, eum non ſolum votis Regis annuiſſe, ſed & auctoritatem prædicandi, animoſque cunctorum ad eam expeditionem commouendi, eidem S. Bernardo, qui apud omnes Galliæ & Germaniæ populos vt Propheta vel Apoſtolus habebatur, conceſſiſſe. Hæc Otto: qui etiam recitat Epiſtolam Eugenij ea de re ad Regem, Principeſque, & vniuerſos Galliarum populos ſcriptam, qua illis qui Crucem ſuſciperent multa priuilegia conceſſit pro vxorum, liberorumque, & bonorum ſecuritate, atque iſs qui in expeditione morerentur, omnium peccatorum ſuorum de quibus corde contrito confeſſi eſſent, abſolutionem indulſit. Quæ vero ſecuta ſunt, dicentur anno ſequenti.

h Otto in Frider. l. 1. c. 34.

REX FR. AGIT CVM SVM. PON. DE EXPEDIT. IN TER. S.

VII. i Id in Chron. l. 7. c. 32. & 34. ROMANI REDVCVNTVR AD OBEDIENTIAM PONTIF.

Interea namque factum eſt, vt dum Eugenius laboraret pro liberatione Terræ Sanctæ, Deus expugnaret inimicos eius, nempe Romanos: quos (vt idem [i] auctor ait) Pontifex, percuſſo anathemate Iordane ipſorum Patricio cum eius fautoribus; adiunctaque Tiburtinis Romanorum antiquis hoſtibus militia coercuit, ac demum pacem petere coegit: quæ his conditionibus inita eſt, vt Patriciatus dignitatem ab ipſis nuper introductam abolerent; & Præfectum quem Pontifices conſtituere conſueuiſſent, ipſi vero expuliſſent, in priſtinam dignitatem reciperent, atque Senatores ex Pontificis auctoritate tenerent. Sicque in Vrbem Eugenius rediens, ingenti omnium lætitia exceptus Natiuitatem Domini ibidem celebrauit. Sed paulo poſt ab eodem populo Romano de excidio Tiburtinorum adeo importune ſolicitatus eſt, vt improbitatem eorum non ſuſtinens, à Lateranenſi palatio in Tranſtiberinam munitionem S. Angeli, ad euitandum inſanum eorum furorem ſe receperit.

IESV CHRISTI AN. 1146.

CONR. REG. ROM. 8. MANVELIS 4.

EVGEN. III. AN. 2.

I.

ANNO Chriſti milleſimo centeſimo quadrageſimo ſexto, Indictione nona, tertia Dominica poſt Paſcha, celebratum eſt *Carnoti* pro expeditione in Terram Sanctam, generale ex omnium Galliarum prouincijs CONCILIVM Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Abbatum, cui etiam adſtitit Rex vna cum Principibus regni: de quo extant [a] literæ S. Bernardi, & Rugerij Abbatis S. Dionyſij, ad Petrum Cluniacenſem, & huius reſponſio. Quid vero in eo actum fuerit, docet idem S. Bernardus [b] ſcribens ad Papam Eugenium: nempe (quod plane mireris) eumdem ipſum S. Bernardum omnium conſenſu ducem totius belli, & principem militiæ electum eſſe. Verum ſatis viſum Eugenio, ſi ille tuba ſacerdotali indiceret bellum, & ſiue verbis ſiue ſcriptis literis Chriſtianum populum excitaret: quod illum feliciſſime, ſequentibus innumeris ſignis atque immenſis prodigijs præſtitiſſe, teſtantur Acta Vitæ ipſius, & epiſtolæ ab eo conſcriptæ, necnon Otto Friſingenſis: ſed magis ipſe rerum ſucceſſus, dum non ſolum Ludouicus Rex [c] alio apud Verzelacum celebrato Conuentu, Crucem ab eodem S. Bernardo ſumpſit vna cum multis alijs Principibus & optimatibus regni ſui, quos tam ingens populi multitudo ſecuta eſt [d], vt vacuarentur vrbes & caſtella: ſed & eiuſdem hortatu [e], Conradus Romanorum Rex generali indicto apud Spiram in Natiuitate Domini, alioque in Baioaria menſe Februario anni ſequentis, Germanorum Conuentu, æque Crucem vna cum fratre ſuo Henrico Duce Noricorum, alijſque Principibus, & innumeris nobilibus

CONCIL. CARNOT. PRO EXPEDIT. IN TER. S.

a Ap. Petr. Clun. l. 6. ep. 19. 20. b Bern. ep. 256. S. BERN. ELECTVS DVX BELLI.

c Otto Friſing. in Frid. l. 1. c. 36. REGES FR. ET GERM. CRVCEM SVSCIPIVNT. d Bern. ep. 246. e Otto ibid. cap. 39. 40. Bern. ep. 322.

accepit: quibuſcum etiam ſignati ſunt nonulli Epiſcopi, atque inter alios ipſe Otto Friſingenſis, virtutibus & meritis clarus: qui demum addit [f], non ſolum ex Romano Imperio, ſed etiam ex vicinis regnis, id eſt Francia, Anglia, Pannonia, innumeris populis ac nationibus, hac expeditionis fama ad ſumendam Crucem commotis, repente ſic totum pene Occidentem ſiluiſſe, vt non ſolum bella mouere, ſed & arma quempiam in publico portare, nefas haberetur.

f Ibid. c. 42. 41.

II.

g Bern. ep. 322 & ap. Otton. d. c. 36.

DE IVDAEIS NECANDIS PRAVA DAMNATVR OPINIO.

Quod autem in epiſtola de his ad Germaniæ populos ſcripta, S. Bernardus [g] eos monet vt abſtinerent ab internecione Iudæorum, quid hoc ſit, diſces ab Ottone qui aderat, dum ait inter hæc *Radulphum* quemdam monachum, virum religionis ſeueritatem ſolerter imitantē, ſed literarum peritia parum imbutum, in partibus Galliæ quæ Rhenum attingunt, multa populorum millia ad accipiendam Crucem accendiſſe: ſed hoc doctrinæ ſuæ perperam inſeruiſſe, vt Iudæi tamquam Chriſtianæ religionis hoſtes trucidarentur: indeque factum eſſe, vt paſſim in Gallia & Germania plurimi necati fuerint: ſed S. Bernardum literis ad eoſdem populos ſcriptis auctoritate ſacræ Scripturæ luculenter oſtendiſſe, Iudæos ob ſcelerum ſuorum exceſſus, non occidendos, ſed diſpergendos fore. Extat autem epiſtola [h] eiuſdem S. Bernardi ad Henricum Archiepiſcopum Moguntinum aduerſus eumdem Radulphum eremitam necem Iudæorum prædicantem, quā cum pluribus notis ſugillat infamiæque, hancque ipſius hæreſim vehementiſſime exagitat. Porro agens pariter de Iudæis Petrus [i] Cluniacenſis in epiſtola ad Ludouicum Regem pro eadem expeditione promouenda, eos non occidendos quidem exiſtimat, ſed tamen impunitos non relinquendos de Chriſtianorum vel vſuris exhauſtis, vel furtiua emendo iniuſte poſſeſſis, quibus eos iuſte expoliandos ſuadet, iiſdemque alendos bellantes pro Chriſto milites. Vt autem iis temporibus penes omnes Iudæi execrabiliores haberentur, præter vniuerſalem totius generis maledictionem, continuumque & implacabile eorum in Chriſtianos odium, ac frequentiſſima ſcelera, recentia acceſſerunt demerita: & præſertim quod hoc ipſo anno execrandum facinus perpetraſſe, Robertus de Monde in Appendice ad Sigebertum tradit: nempe apud Norvvicum Angliæ ciuitatem crucifixiſſe puerum quemdam Chriſtianum nomine Willelmum: quem extra ciuitatem ab eis ſepultum, diuina lux ſuper eum emicans declarauit. Quam ob cauſam, & quo ſtylo diſerto eos Petrus Cluniacenſis exagitauit, de eis necandis data eſt ea occaſio proclamandi, quam vidimus per S. Bernardum eſſe repreſſam. Qui & ipſum Radulphum huius internecionis incentorem, inuentum Moguntiæ, commonitum ne contra regulam monachorum per orbem vagando, propria auctoritate verbum prædicationis aſſumeret, tandem induxit ad cœnobium ſuum redire: vt teſtatur Otto [k].

h Bernard. ep. 323.

i Pet. Clun. 3. ep. 33.

PETRVS CLVNIAC. QVID DE IVDAEIS.

k Otto ibid. c. 39.

III.

ALIA EXPEDITIO IN PAGANOS BOREALES. l c. 40. in fi.

m Sax. Gram. l. 14.

EXPEDITIO IN SARACEN. HISP.

Ceterum non hanc tantummodo in Terram Sanctam hoc tempore ſuſceptam fuiſſe expeditionem, ſed aliam quoque aduerſus Boreales populos adhuc Paganos, idem auctor [l] tradit: quas vero iſti acciperent pro teſſera militari S. Crucis Imagines, in eo diuerſas fuiſſe ab iis quas ſumerent qui proficiſcebantur in Orientem, quod non ſimpliciter veſtibus aſſutæ, ſed à rota ſubterpoſita in altum protenderentur. Agit de eadem expeditione Saxo [m] Grammaticus; atque mandato Romani Pontificis ſuſceptam eſſe, dum datis per Europam epiſtolis vniuerſos Chriſtianitatis hoſtes ab eius cultoribus oppugnari præcepit, ita vt ſingulæ Catholicorum prouinciæ confinem ſibi barbariem inceſſerent. Nec vero iſtas dumtaxat, ſed etiam in Saracenos illos, qui adhuc quamplurima Hiſpaniæ loca poſſidebant, expeditionem naualem motam eſſe, Dodechinus tradit in Chronico anno ſequenti.

IV.

n Tyr. Lib. c. 17.

Hoc eodem anno Willelmus Patriarcha Hieroſolymitanus, vbi abſoluiſſet in ſede annos quindecim, ex hac vita deceſſit: in cuius locum tranſlatus eſt è ſede Tyrenſi Fulcherus Archiepiſcopus de quo ſuperius dictum eſt. Hæc ex Willelmo Tyrio [n]. Eodemque anno Michael Oxyta Patriarcha Conſtantinopolitanus, cum ſediſſet annos duos & menſes octo (vt habet Græca ſeries Patriarcharum Conſtantinopolitanorum) ſe ſponte abdicauit, & in Oxyam inſulam rediit, in qua vitæ inopis & ſimplicis inſtitutum à puero fuerat amplexus. Ibique in templi veſtibulo proſtratus, cuiuis monacho collum calcandum præbuit, quod contra quam ſibi expediret, adamatam à primis annis quietem repudiaſſet, nulloque cum fructu thronum ſublimem conſcendiſſet. In eius vero locum ſuffectus eſt Conſtantinopoli *Coſmus* diaconus patria Æginета, eruditone, & virtutibus, ac præſertim benignitate erga pauperes inſignis. Hæc Nicetas Choniata.

POENITENTIA MICHAELIS PATRIAR. CONST.

IESV CHRISTI ANN. 1147.

CONR. REG. ROM. 9. MANVELIS 5.

EVGEN. III. AN. 3.

I.

LEGATI A SVM. PONT. DECRETI PRO EXPEDIT. IN TER. S.

ANNO Chriſti milleſimo centeſimo quadrageſimo ſeptimo, Indictione decima, ab Eugenio Papa duo decreta ſunt Legati pro expeditione in Terram Sanctam, alter qui proficiſceretur cum Ludouico Francorum Rege, nempe Guido Florentinus S. R. E. presbyter Cardinalis tituli S. Chryſogoni: alter qui Conradum Regem Romanorum comitaretur, hoc eſt Theodinus Cardinalis Epiſcopus Portuenſis. Hæc Willelmus Tyrus. Porro Conradus in Aſcenſione Domini iter capeſſiuit, quem multa ſecuta ſunt infortunia, quæ deſcribuntur ab eius peregrinationis Comite Ottone [a] Epiſcopo Friſingenſi: peruenitque ad Conſtantinopolitanæ vrbi proximam regionem die ante Natiuitatem Dei Genitricis MARIÆ: totum vero quod fuit reliquum huius anni, partemque ſequentis, antequam appellerent in Palæſtinam, conſumpſerunt in itinere, multis moleſtiis afflictati.

a Otto Friſing. in Frid. l. 1. c. 45.

CONRAD. REX APPELLIT IN ORIENTEM.

II.

EVGE. PP. RECIPIT SE IN GAL.

Regem autem Ludouicum detinuit aliquantiſper in Gallia aduentus Eugenii Papæ, qui vitans Romanorum Arnaldiſtarum iugem perſecutionem, in Gallias ſe conferendi more maiorum conſilium iniit: quem Ludouicus Pariſiis expectauit, excepitque honorificentiſſime. Traditur hoc in Rebus [b] geſtis S. VVillelmi, tunc canonici regularis Ordinis S. Auguſtini in eadem ciuitate Pariſienſi, poſtea vero Abbatis Roſchildenſis in Dania. Vbi etiam additur, cum paucis poſt diebus voluiſſet Pontifex in eccleſia S. Genoueſæ myſteria diuina peragere, ortam eſſe contentionem inter ipſius & canonicorum Eccleſiæ miniſtros, adeo vt ad pugnos res proceſſerit, & non ſolum Pontificis miniſtri, ſed etiam ipſe Rex Ludouicus qui illos compeſcere voluit, à canonicorum famulis verberatus ſit: ea vero rei indignitate permotos Pontificem & Regem, in eam Eccleſiam introduxiſſe canonicos Regulares S. Auguſtini, ſumptos ex Abbatia S. Victoris eiuſdem ciuitatis; quorum inſtitutum ab eo tempore in Abbatia S. Genoueſæ hactenus conſeruatum eſt.

b ap. Sur. 6. April.

CANONICI REGVL. INTRODVCTI IN ECCL. S. GENOVEFAE.

III.

REX FR. PROFICISCITVR IN TER. S.

His peractis Rex peregrinationem aggreſſus, per Hungariam prouectus, tranſito Boſphoro in Syriam proxima Quadrageſima peruenit. Sunt plures qui iſta ſcribunt, ſed copioſius Sugerius Abbas S. Dionyſii in Vita ipſius Ludouici, à quo proficiſcente ipſe relictus eſt Regni adminiſtrator: aitque illum ordinatis omnibus ad iter tantæ peregrinationis neceſſariis, acceſſiſſe ex more ad Eccleſiam S. Dionyſii, à Martyribus accepturum licentiam, & ibi poſt celebrationem Miſſarum, baculum peregrinationes, & vexillum B. Dionyſii, quod Gallice ORIFLAMBE dicitur, valde reuerenter accepiſſe, ſicut moris erat antiquorum Regum quando deberent ad bella procedere, vel votum peregrinationis adimplere: tuncque mouiſſe directe cum magno comitatu Prælatorum & Baronum, hoc ipſo Domini anno hebdomada ſecunda poſt feſtum Pentecoſtes. His autem de tempore profectionis cum aſſentiatur etiam Dodechinus, qui in nauali expeditione & ipſe vnus ex illis fuit, necnon auctor in Appendice ad Lambertum, itemque Robertus de Monte in Appendice ad Sigebertum, qui omnes diſertis verbis teſtan-

VEXIL. ORIFLAMBE S. DIONYSII.

teſtantur, hoc eodem anno profectionem Regum contigiſſe, ex iis, atq; alijs, tu corrigas errorem illapſum in Willelmum [c] Tyrium, dum cladem quam Iconij accepit Conradus proditione Græcorum, contigiſſe aſſerit anno ſuperiori milleſimo centeſimo quadrageſimo ſexto. Ceterum ſi res geſtas noſſe cupis, habes quos conſulas eoſdem Sugerium & Willelmum, itemq; Nicetam Græcum auctorem, cuius firmiſſima conſtat auctoritate (ne quis Latinorum commentum exiſtimet) Conradi exercitum dolo Græcorum, Manuele id agẽte Conſtantinopolitano Imperatore, à Turcis fractum, peſſumdatum, ac perditum fuiſſe: ſed & nullum mali genus extitiſſe, quod idem Manuel nõ vel ipſe in eos machinaretur, vel alijs machinandi auctor eſſet, adeo vt calcem farinæ Græci miſcerent: vt ſic eorum poſteri perpetuis nominentis ab adiuuandis in Oriente Latinis deterrerentur.

c Tyr li. 16. c. 21. in fi.

CONRADI REG. EXERCITVS PERIIT PRODITIONE GRÆCOR.

IV. GILIBERTI PORRET. HÆRESIS DEFERTVR AD APOST. SED.

Eodem anno ad iudicium Sedis Apoſtolicæ delata eſt hæreſis GILIBERTI, ſiue Giſleberti cognomento PORRETANI, Pictauienſis Epiſcopi, qui cum ab adoleſcentia vſq; ad vltimam ſenectutem in diuerſis Galliæ locis philoſophiam magno nomine docuiſſet, nuper ad dignitatem Pontificalem euectus, ſicut antea conſueuerat ſubtiliter de quæſtionibus philoſophicis diſputare, ita & cœpit de rebus diuinis multa præter communem Eccleſiæ morem dicere: indeq; factum, vt quod antiquitus dictum, neq; ipſa probatum eſt, philoſophos patriarchas fuiſſe hæreticorum, in Giliberto fuerit hoc tempore infeliciter innouatum, cum ex Ariſtotelis Topicis quædam de diuinitate & Deo, alijſq; religionis Chriſtianæ myſterijs, ſiue in cõcionibus, ſiue familiaribus colloquijs, temere effutire auſus eſt. Quamobrem à duobus Archidiaconis ſuis, tamquam contra fidem Catholicam docens, ad Summi Pontificis Romanæque Sedis examen vocatus, tam ipſe quam ille Eugenio Papæ ab Vrbe in Gallias tendenti, Senis ciuitate Tuſciæ occurrerunt: ſed cauſa in Gallijs coram ipſo Pontifice plenius cognoſcenda remiſſa interea S. Bernardus de his ab Archidiaconis certior factus, zelo quo æſtuabat fidei Catholicæ, vna cum eis nauiter egit vt promulgatæ quæ dicerentur à Giliberto hæreſes damnarentur. Narrat hæc pluribus Otto [d] Friſingenſis, ſed nimis cum laude doctrinæ & acuminis Gilberti, & quadam reprehenſione crudelitatis ac zeli S Bernardi. Verum idem rebus clarius perſpectis, quẽ prius excuſare conatus fuerat Gilibertũ, & ipſe ad regulas topicas Ariſtoteles Euangelium aptare laborans, poſtea ex hac vita migraturus (vt teſtatur Radeuicus [e] Canonicus Friſingenſis) publice obteſtatus eſt, vt quæ pro Giliberto ſcripſiſſet vnde aliqui offenderentur, ea arbitrio virorum religioſorum corrigerentur ſecundum Catholicæ fidei & S. R. Vniuerſalis Eccleſiæ regulam: ac deinde multa cordis cõtritione, & humili confeſſione reatum ſuum recognoſcens, ſumptis ſacroſanctis myſterijs, in medio multitudinis ſanctorum tam Epiſcoporum quam Domino ſpiritum reddidit. Hęc Radeuicus de Ottonis pœnitentia ob Gilbertum laudatum atq; defenſum.

S. BERN. ADVERSVS GILBER. CONCITATVR.

d Otto in Frider. li. 1. c. 46. & ſeqq.

e Radeu. in Frid. li. 2. c. 11.

V. HÆRESVM CAPITA GILIBERTO OBIECTA.

Quinam autem fuerint errores quibus Guilibertus impetitus eſt, idem Otto narrat, nempe quod aſſereret, Diuinam eſſentiam non eſſe Deum: Proprietates perſonarum non eſſe ipſas perſonas: Theologicas perſonas, in nulla prædicari propoſitione: Diuinam naturam non eſſe incarnatam: Itemque, Quod meritum humanum attenuando, nullum mereri diceret præter Chriſtum: Quodque Eccleſiæ ſacramenta euacuando, diceret nullum baptizari niſi ſaluandum, & cetera in hunc modum. Additque auctor, actum de his eſſe in tribus diuerſis *Conuentibus* ab ipſo Eugenio Papa pro negotijs Eccleſiaſticis celebratis, primo Antiſiodori, deinde Pariſijs, poſtremo Rhemis: & in Pariſienſi Gilibertum, cum hinc inde multa ei obiicerentur, pluriumque in pulſationibus ad reſponſionem de diuina Maieſtate cogeretur, inter cetera dixiſſe, *Audacter confiteor, Patrem alio eſſe Patrem, alio Deũ, nec tamen eſſe hoc & hoc*: eiuſque dicti obſcuritatem, tamquam profanam verborum nouitatem, cum ſtomacho ab omnibus auditam eſſe porro Eugenium perſpecta cauſæ difficultate, protelandam eam vſque ad pleniorem Synodum Rhemis celebrandam iudicaſſe. Agetur de ea anno ſequenti.

CONVENTVS PARIS. ADVERSVS GVIB.

VI. HENRICIANÆ HÆRESIS TEMPVS.

Interea hoc eodem anno, vrgente cauſa vir inſignis Albericus S R.E. Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, ab Eugenio electus Legatus in prouinciam Toloſanam aduerſus HENRICVM hæreticum *Petrobruſianum*, qui illam prouinciam vehementer impijs hæreſibus labefactaret: S. Bernardum, Gaufredum Epiſcopum Carnotenſem, & alios Epiſcopos doctrina & ſanctitate præſtantiſſimos ſecum duxit. Quod enim ad tempus ſpectat, Henricum innotuiſſe hoc tempore, & plures ſeduxiſſe, atque aduerſus eum tum Petrum Cluniacenſem, tum S. Bernardum ſcripſiſſe, ex eo poſſumus intelligere, quod numeret Petrus [f] annos viginti à Petro Bruis magiſtro Henrici, quem emerſiſſe diximus anno Redemptoris milleſimo centeſimo vigeſimo ſexto: itemq; quod S. Bernardus [g] cum de eodem Henrico cauendo epiſtolam ad Ildephonſum Comitem S. Ægidij, in cuius ditione tunc erat, ſcripſit, ſane ante ſequentem annum ad eum ſcripſiſſe oportuit: ſiquidem eo anno Ildephonſum in expeditione Hieroſolymitana eſſe defunctum, affirmant Robertus de Monte in Appendice ad Sigebertum.

f Petr. Clun. l. ep. 2. & li. 5. ep. 16.

g Bern. ep. 240.

VII. HENRICVS QVALIS FVERIT.

Qualis autem iſte *Henricus* fuerit, deſcribens eadem epiſtola S. Bernardus, ait fuiſſe olim monachum, eumdemque literarum, ſed relicto religionis habitu apoſtatam factum, ad ſpurcitias carnis & ſæculi, tamquam canem ad ſuum vomitum, eſſe reuerſum: præ confuſione vero inter cognatos & notos habitare non ſuſtinentem, vel potius non permiſſum ob magnitudinem criminis, factum eſſe gyrouagum & profugum ſuper terram: cumque mendicare cœpiſſet, poſuiſſe in ſumptu Euangelium, & venale diſtrahentem verbum Dei, euangelizaſſe vt manducaret: ſi quid autem ſupra victum elicere poſſet à ſimplicioribus populi, vel ab aliqua matronarum, in ludendo aleis, aut certe in vſus turpiores turpiter effundere conſueuiſſe: frequenter ſi quidem poſt diurnum populi plauſum, nocte inſecuta cum meretricibus inuentum eſſe, & interdum etiam cum coniugatis: quare de Lauſana ciuitate, de Cenomanis, de Pictaui, de Burdegala, ignominioſiſſime eiectum, haud ei patuiſſe tunc vſpiam reuerſionis aditum, vtpote qui fœda poſt ſe reliquiſſet vbique veſtigia. En Lector, vitam moreſque Henrici. An vero dum illum ſic audis à ſanctiſſimo Bernardo deſcribi, non tibi videtur plane ijſdem coloribus pinxiſſe noſtri temporis infeliciſſimos hæreſiarchas, ex Apoſtaſia pariter prodeuntes, & in gulæ atq; luxuriæ gurgitem ſeſe præcipites dantes.

VIII. HENRICI HÆRESIS CAPITA.

Nec quidem immerito. Nam quos audiſti apoſtaſia & turpitudine haud impares, vide & doctrinæ perfidia ſimillimos. Tradit enim Petrus Cluniacenſis, Henricum heredem nequitiæ Petri Bruis, cum neſcio quibus alijs, doctrinam eius diabolicam non quidem emendaſſe, ſed immutaſſe: & præter quod Baptiſmum infantium ante intelligibilem ætatem negarent; Templa ſuperflue in honorem Dei fabricari, eaque dirui oportere aſſererẽt: Cruces ſacras confringendas eſſe dicerent: Veritatem Corporis & Sanguinis Domini in Sacramento altaris abnuerent: Suffragia pro Fidelibus defunctis reijcerent: (quæ cuncta communia fuere Henricianis cum Petro de Bruis) his addidiſſe, Irrideri Deum canticis eccleſiaſticis. Quibus plane cõcordant, quæ de eiuſdem Henrici pernicioſa doctrina S. Bernardus [h] prodijſſe ait; nempe vt baſilicæ ſine plebibus, plebes ſine ſacerdotibus, ſacerdotes ſine debita reuerentia eſſent, & ſine Chriſto denique Chriſtiani: Eccleſiæ reputarentur Synagogæ; Sanctuarium Dei ſanctum eſſe negaretur; Sacramenta non ſacra cenſerentur; Dies feſti feſtiuis fruſtrarentur ſolemnijs: Morerentur homines in peccatis ſuis: raperenturque animæ paſſim ad tribunal terrificum, nec pœnitentia reconciliatæ, nec ſacra communione munitæ: ac Paruulis Chriſtianorum Chriſti intercluderetur vita, dum baptiſmi negaretur gratia.

h Bern. ibid.

IX.

Ceterum has eorumdem hæreticorum impietates,

HENR. HÆRESIS SCRIPTIS ET MIRACVLIS CONFVTATA.

tam Petrus Cluniacenſis validiſſima diſputatione confutauit, quam S. Bernardus prædicationibus ſuis, atque admirandis plane ſignis & operibus confudit: vt ſi quid frontis Nouatores hodierni haberent, puderet quemlibet eorum ea denuo reuocare in obſeruantiam, quæ confutata, damnata, omninoque proſcripta ſcriptis Sanctorum, & virtute miraculorum viderent. Res autem ab eodem S. Bernardo in ea quam diximus Alberici Legatione geſtas, deſcripſit eiuſdem temporis auctor Gofridus [i] monachus Clarauallenſis, qui & oculis eas vidiſſe potuit, cum ipſe teſtetur [k] pene omnibus quæ de S. Bernardo ſcripſit præſentem ſe fuiſſe. Ex eius vero narratione conſtat, adeo ſermonibus ſuis, & frequentiſſimis miraculis Bernardum profeciſſe, vt vbi illa hæreſis maxime vigeret, ſimplices in fide inſtructi fuerint, nutantes roborati, errantes reuocati, ſubuerſi reparati: ſubuerſores autem, & obſtinati ita repreſſi, vt ne apparere quidem præſumerent: atque etſi tunc fugerit Henricus, latueritque: ita tamen obſtructas eſſe vias eius, vt vix alicubi poſtea tutus, tandem captus & catenatus Epiſcopo traditus fuerit.

i Gofrid. in vit. S. Bern. l. 3. c. 6. k In præf. eiuſ. l. 1.

X. INGENS MIRACVLVM S. BERN. PRO CONFIRMATIONE FIDEI CATHOL.

Ex multiplicibus autem quæ in confirmationem fidei Catholicæ ſunt ab eodem Sancto tunc edita miracula, illud minime hic omittendum quod apud oppidum Sarlatum contigit: cum poſt completum ſermonem plurimi ad benedicendum panes, ſicut vbique fiebat, ei oblati eſſent, eos ille in Dei nomine ſigno Crucis benedicens: *In hoc*, inquit, *ſcietis vera eſſe quæ à nobis, falſa quæ ab hæreticis ſuadentur, ſi infirmi veſtri guſtatis panibus iſtis adepti fuerint ſoſpitatem*: cumque Gaufredus Epiſcopus Carnotenſis qui aderat, addidiſſet, *Si bona fide ſumpſerint, ſanabuntur*, confeſtim Bernardus, de Domini virtute nihil hæſitans, *Non ego hoc dixerim*, ait, *ſed vere qui guſtauerint ſanabuntur: vt proinde veros nos & veraces Dei nuntios eſſe cognoſcant.* Tam vero ingens multitudo languentium guſtato eo pane conualuit, vt re per totam prouinciam diuulgata, vir ſanctus per vicina loca regrediens, ob concurſus intolerabiles declinauerit, & timuerit illo ire. Hæc Gofridus: quæ apprime demonſtrant viri ſanctiſſimi ſecuritatem certam de veritate Catholicæ fidei quam tuebatur; & falſitate hæreticæ perfidiæ, quam inſectabatur: vt libera promiſſione, nulla licet fide petentis opitulante, ſpondeat in confirmationem doctrinæ quam prædicabat, a Deo exhibenda fore miracula. Cuius voci cum & Deus obedientem ſe præſtiterit, perſpicue non Henriciana tantum hæreſis tunc damnata eſt, ſed recentiores omnes Nouatores Sacramentarij eadem cum Henrico ſentientes, diuino calculo ſuæ pariter damnationis ſententiam acceperunt.

XI. HÆRESIS APOSTOLICORVM DICTA.

Fuit inſuper eidem S. Bernardo his diebus pugnandum aduerſus alios nouos hæreticos, qui cum certo carerent auctore à quo denominari poſſent, ſeipſos APOSTOLICOS appellarunt, quod iactarent ſe eſſe ſucceſſores Apoſtolorum: qui etiam ſe, ac ſolos, corpus Chriſti eſſe gloriabantur, poteſtatemque habere quotidie in menſa ſua corpus Chriſti & ſanguinem conſecrandi ad nutriendum ſe in corpus Chriſti & membra: cum alioqui ruſticani homines eſſent, & idiotæ ac prorſus contemptibiles. Tradit hæc de illis S. Bernardus [l]. Ex cuius etiam prolixiori de ipſorum erroribus tractatione intelligi poteſt, eos de inſania Manichæorum prodijſſe: ſiquidem plura cum illis communia habuerunt, puta ſecretum cum periurio, ſecundum illud Manichæorum, *Iura, periura, ſecretum prodere noli*: cum alias ne tenuiter quidem iurare vllatenus acquieſcerent: Itemque quod omnes qui de Eccleſia ſunt, canes eſſe cenſerent & porcos: quod coniugium abhorrerent, cum tamen impudentiſſimis ſeſe luxurijs inguiter inquinarent: quod pariter abſtinerent à carnibus, & omnibus quæ ex carne generantur: quod Teſtamentum vetus non reciperent, ſed Euangelium tantum: quod promiſcuos & clandeſtinos conuentus agentes, mutuo ſeſe omni ſpurcitia polluerent, cum tamen votum præferrent caſtitatis: ac denique quod ne detegi poſſent, vel hæretici conuinci, cum Catholicis in eccleſiam conuenirent, preſbyteros honorarent, munera offerrent, confeſſionem facerent, ſacramentis communicarent, moribus extrinſecus præſtarent, ieiunarentque, & manibus operarentur vnde vitam ſuſtentarent. Quæ omnia ad Manichæorum doctrinam formamque eſſe compoſita, ſi relegas quæ de illis ſuperius ſunt recenſita, plane reperies.

l Bern. in Cant. ſerm. 66.

APOSTOLICI EX MANICHÆIS DERIVATI

XII. ALIÆ EORVMDEM HÆRESES COMMVNES CVM NOVATORIB. NOSTRI TEMPORIS.

Sed præterea addit idem Sanctus & alias eorumdem Apoſtolicorum hæreſes, communes cum noſtri temporis Nouatoribus: vt habeant vnde ſe iſtis genitos eſſe parentibus ruſticanis & impijs glorientur. Irridebant enim (vt ait [m]) Catholicos quod baptizarent infantes, quod orarent pro mortuis, quod Sanctorum ſuffragia poſtularent, quod crederent ignem purgatorium reſtare poſt mortem: dicebantque peccatores eſſe Papas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, presbyteros, ac per hoc nec dandis nec recipiendis idoneos ſacramentis. Hæc autem omnia qui recitat, pariter & confutat per ſingula idem S. Bernardus. Quem ſcientia diuinitus illuſtratum, in virtute miraculorum à Deo miſſum, atque egregia vitæ ſanctitate imbutum, Dei amicum fuiſſe cum certo ſciam: ipſi penitiſſime inhærendo qui inhæſit Deo, ſecurus exiſto: deplorans ex Chriſtiana charitate peritiſſimos Nouatores, qui hos nefandiſſimos ſectantes brutos hæreticos, ijſdem, alijſque eis ſimilibus, immenſa plane cæcitate percuſſi plus deferant, quam S. Bernardo, ceteriſque ſanctiſſimis viris, qui diuerſis temporibus eaſdem hæreſes ſcriptis, verbis, & miraculis impugnarunt.

m Ibid.

XIII.

Quod ad res ſpectat Orientis: eodem anno Coſmus Patriarcha Conſtantinopolitanus, vbi decem menſes ſediſſet, obijt, ſucceſſitque in locum eius (vt habet Græca ſeries Patriarcharum Conſtantinopolitanorum) *Chariton* ex monacho.

IESV CHRISTI AN. 1148.

CONR. REG. RO. 10. MAN. 6.

EVGEN. III. AN. 4.

I. APPVLSVS REGVM FRAN. ET GERM. IN PALÆST.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo quadrageſimo octauo, Indictione vndecima, Francorum exercitus ſub Rege Ludouico in Syriam prope Antiochiam circa mediam Quadrageſimam, fractus maris tempeſtatib. appulit, & Hieroſolymã peruenit Dominica Paſſionis. Conradus autem Romanorum Rex Paſchali hebdomada litus Palæſtinum attigit, & poſt paucos dies ad eamdem ſanctã ciuitatem peruenit. Hæc de tempore Otto [a] Friſingenſis Epiſcopus, qui cum Rege Conrado Cruce ſignatus eam laborioſiſſimam peregrinationem confecit. Porro orta contentione inter Principes, vnius anni triuere tempus, nihil memoria dignum agentes: cum vero proxime accepturi Damaſcum eſſent in deditionem, inconſulte nimis circumuenti proditionibus, ſoluere obſidionem. Sed hæc tu pete, ſi plenius ſcire cupis, à Sugerio & Tyrio.

a Otto in Frider. l. 1. c. 58.

II. CONCIL. RHEMENSE EVG. PP.

Quo ipſo anno, media Quadrageſima, (vt Otto [b] ait) hoc eſt vndecimo Calendas Aprilis, vt Robertus [c] expreſſius deſignat, indictum Rhemis ab Eugenio Papa generale CONCILIVM celebratum eſt. In quo inprimis oblatus eſt eidem Pontifici homo quidam peſtifer, natione Brito, nomine EVDO, cognomine de Stella, non infimi generis, ſed plane illiteratus & idiota, dæmonumque ludificatione ita dementatus, vt cum ſermone Gallico diceretur *Eon*, ſe eſſe crederet *Eum*, qui in Eccleſiaſticis exorciſmis dicitur venturus iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem. Ita plane fatuus, vt Eon, & Eum, neſciret diſtinguere, ſed & ſupra modum ſtupenda cæcitate, crederet ſe eſſe dominatorem & iudicem viuorum & mortuorum. Eratque per diabolicas præſtigias tam potens ad capiẽdas ſimplicium animas, vt magna eum multitudo ſequeretur. Videbatur enim eſſe circa eum ingens gloria, apparatus, faſtuſque regius: & qui cum eo erant, ſolicitudinis laboriſque expertes, pretioſe indui, ſplendide epulari, & in ſumma lætitia agere videbantur. Fiebãt enim iſta phantaſtice & per dæmones, ita vt quotieſcum-

b Ibid. l. 1. c. 55. c Robert. Append. ad Sigeb.

DE EON, INSANO HÆRETICO, EIVSQ. EXCESSIBVS.

que

que vellet in promptu eſſent panes, carnes, piſces, & quique cibi lautiores: cum alioqui quantamcumque ex cibis illis repletionem modico ructu exinanitam, tanta mox ſequeretur eſuries vt eoſdem cibos illico repetere cogerentur. Quicumque autem forte ad eos accedens ex cibis eorum vel modicum guſtaſſet, continuo ex participatione menſæ dæmoniorum mente mutata ſpurciſſimæ multitudini adhærebat: & quicumque ab eis aliquid in qualibet ſpecie accepiſſet, periculi expers non erat. Porro interdum mira velocitate per diuerſas prouincias ferebatur, interdum vero morabatur cum ſuis omnibus in locis deſertis & inuijs, moxque inſtigante diabolo erumpebat improuiſus, omnibus quidem formidabilis, ſed eccleſijs maxime monaſterijſque infeſtus. Cum autem à Principibus ad eum capiendum exercitus mitterentur, quæſitus non inueniebatur. Sed tandem fraudatus ope dæmonum, cum non amplius permitterentur à Deo per illum debacchari, leui negotio à Rhemenſe Archiepiſcopo comprehenſus eſt, & ad Concilium deductus: vbi cum interrogatus, rurſum multa fatua deliraret, iuſſus diligenter cuſtodiri ne peſtis iterum ſerperet, tempore exiguo ſuperuixit. Populus autem ſtolidus qui eum ſequebatur, dilapſus eſt. Sed ipſius diſcipuli quos magnis inſignierat nominibus, alium vocans Sapientiam, aliũ Scientiã, alium Iudiciũ, & in hunc modum ceteros, cum ſanam doctrinã nulla ratione reciperẽt, ſed potius obſtinatiſſime de ſuis gloriarentur nominibus, immo & comminarentur detentoribus ſuis: Curiæ prius, & poſtea ignibus traditi, ardere ad mortem quam ad vitam corrigi maluerunt: Narrat iſta Willelmus [d] Neubrigenſis eius ſæculi auctor: quæ breuius recenſentur ab ijſdem qui ſupra Ottone & Roberto. Ceterum quod & iſti teſtantur eumdem Eon, cum talem ſe diceret, qualem & Neubrigenſis tradit, de ſuis quoſdam Angelos, alios Apoſtolos feciſſe, & proprijs Angelorum ſeu Apoſtolorum nominibus appellaſſe: eo plane ſigno, & ipſum ex Manichæorum officina prodijſſe, poſſumus intelligere ex ijs quæ dicta ſunt ſuo loco de Manichæis.

Diſcipulorum Eon nomina, et pœna.

d Neubrig. l. 1. c. 19.

III.

Cauſæ principum perlatæ ad Concil. Rhem.

Quod vero ad cetera in Synodo geſta; perlatas ad illam Regum cauſas eſſe, idem Neubrigenſis narrat: nempe veniſſe Legatos Iunioris Romanorum Regis Henrici, nuntiantes Summo Pontifici electionem eius ad Imperium, & querimoniam agentes de tribus fratribus Ducatus Poloniæ, qui eiecto quarto, eodemque ſeniore, Ducatum inter ſe diuiſerant, ac de Epiſcopis illius prouinciæ, qui patri ipſorum iuramentum ſuper hoc præſtiterant. Sed quid de his in Concilio definitum fuerit, dicere prætermittit.

IV.

e Rec. Bar. To. XII. hoc an.

Inſuper autem ſtatuti ſunt in eadem Synodo canones [e] decem & ſeptem, ſpectantes ad diſciplinam eccleſiaſticam in vſum priſtinum reuocandam: qui ferme omnes iam antea promulgati fuerant in maxima illa Synodo Lateranenſi ſub Innocentio Secundo: ſed quod negligerentur, fuere rurſum ab Eugenio iterandi: quamuis nec ſic quidem, præ malitia ſæculi, ſeruatos eſſe, conqueſtus ſit poſt quadriennium S. Bernhardus in libris de Conſideratione ad eumdem Eugenium.

V.

De Gilberto tractatur poſt Synodum.

Poſt hæc demum introducta eſt in Concilium cauſa Giliberti Pictauienſis Epiſcopi, de qua dictum eſt anno ſuperiori: vbi idem expertus eſt S. Bernardum vehementiſſimum contradictorem. Qui cum adeo perſtringeret illum, vt omnino conuinceret hæreticum; Eugenius Papa tanti conſulens famæ Epiſcopi, id ſeorſum poſt dimiſſam Synodum tractandum duxit. Quo tempore poſt habitam coram ipſo Pontifice, & delectis inſignioribus doctrina Epiſcopis & Abbatibus, cum eodem Giliberto de ipſius dogmatibus diſputationem, ſcripta ſunt, dictante S. Bernardo, capitula quatuor aduerſus totidem erroneas aſſertiones Giliberti: quod dictum eſt Symbolum fidei.

Giliberti aſſertiones.

Cum enim Gilibertus aſſereret, (quod & ſuperius attigimus.) Primo, Diuinam naturam, quæ Diuinitas dicitur, Deum non eſſe, ſed formam qua Deus eſt: quemadmodum humanitas homo non eſt, ſed forma qua eſt homo: 2°. Cum Pater & Filius & Spiritus Sanctus vnum eſſe dicuntur, non niſi vna Diuinitate eſſe intelligi: nec conuerti poſſe, vt vnus Deus, vel vna ſubſtãtia, vel vnum aliquid, Pater & Filius & Spiritus Sanctus eſſe dicatur: 3°. Tres perſonas tribus vnitatibus eſſe tria, & diſtinctas propietatibus tribus, quæ non ſunt ipſæ perſonæ, ſed ſunt tres res æternæ, & ab inuicem à diuina ſubſtantia in numero differentes: 4°. Diuinam naturam non eſſe incarnatam: Hæc inquam, cum Gilibertus aſſereret, econtra S. Bernardus cum reliquis Antiſtitibus profeſſus eſt: Primo, Credere ſe ſimplicem naturam Diuinitatis eſſe Deum, nec aliquo ſenſu Catholico poſſe negari, quin Diuinitas ſit Deus, & Deus Diuinitas. Si vero dicitur, ſapientia ſapientem, æternitate æternum, diuinitate Deum eſſe, & alia huiuſmodi: nonniſi ea ſapientia, quæ eſt ipſe Deus, ea æternitate quæ eſt ipſe Deus, diuinitate quæ eſt ipſe Deus, ſapientem, æternum, Deum eſſe, id eſt ſe ipſo ſapientem, æternum, Deum: 2°. Cum de tribus perſonis loquimur, ipſas vnum Deum, vnam diuinam ſubſtãtiam eſſe: & è conuerſo, cum de vno Deo, vnaq; diuina ſubſtantia loquimur, ipſum vnum Deum, vnam diuinam ſubſtãtiam eſſe tres perſonas, 3°. Solum Deum Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, æternum eſſe: nec aliquas omnino res, ſiue relationes, ſiue proprietates, ſiue ſingularitates, vel vnitates dicantur, vel alia eiuſmodi, à Deo eſſe, quæ ſint ab æterno, & non ſint Deus 4°. Ipſam diuinitatem, ſiue ſubſtantiam diuinã, ſiue naturam diuinam dicas, incarnatam eſſe, ſed in Filio.

Symbolum fidei a S. Bern. ſcriptum contra Gilib. aſſert.

Narrantur iſta breuiter à Gofrido [f] in Vita S. Bernardi: locupletius autem ab Ottone [g] Friſingenſi. Extatque [h] inſuper eiuſdem (vt putamus) Gofridi, ſiue Gaufredi monachi Claraualleuſis, qui huic interfuit Rhemenſi Concilio, Epiſtola hiſtorica ad Cardinalem Albanenſem poſt plura annorum curricula ſcripta: qua rogatus ab eo, totam Giliberti cauſam, eiuſq; diſcuſſionem in Synodo & extra factam, ordine commemorat: meminitque aliorum quorumdam eiuſdem Giliberti errorem de Incarnatione & humanitate Chriſti, in quibus ſapere Neſtorium videretur: quos, æque ac ſuperiores, auctoribus Patrum & rationibus confutat.

f Vit. S. Bern. l. 3. c. 5.

g Ott. Friſing. in Frid. l. 1. c. 56. 57.

h Rec. Bar. Annal. To. XII. hoc an.

VI

Cardinales in S. Bern. commoti.

Habet autẽ amplius Otto, S.R.E. Cardinales qui tunc Rhemis erant, grauiter conqueſtos eſſe apud Eugenium Papam, quod S Bernardus ſeorſum cum Gallicanis, ipſo abſente Pontifice, ipſiſque inconſultis Cardinalibus, in contemptum Romanæ eccleſiæ, cuius ſolius eſſet de fide definire, præſumpſiſſet Symbolum fidei condere, & credendum proponere: Pontificem autem rem geſtam à Bernardo ſciſcitãtem, humile ab eo reſponſum accepiſſe, haud ipſum vel Epiſcopos Gallicanos ea animo definiendi conſcripſiſſe, ſed ſimpliciter quid ſentirent expoſuiſſe: eoque reſponſo indignationem Cardinalium quieuiſſe: ita tamen, vt prædictum ſcriptum tamquam inconſulta Curia prolatum, velut auctoritatis pondere carens, pro Symbolo in eccleſia, ſicut in Concilijs contra hæreſes cõgregatis fieri ſolet, non haberetur niſi ab eccleſia Romana confirmaretur, quod quidem factum eſſe, ipſumque vna omnium ſententia approbatum, tradit etiam Gofridus.

S Bern. ſerm. LXXX. in Cant.

Sed expreſſius Otto ait, de primo S. Bernardi capitulo Eugenium Pontificem definiuiſſe, ne aliqua ratio in Theologia inter Naturam & Perſonam diuideret: neue Deus Diuina eſſentia diceretur ex ſenſu Ablatiui tantum, ſed etiam Nominatiui.

Eugenii PP. definitio.

De ipſo vero Giliberto addit vterque auctor, confirmatque S. Bernardus [i], ipſum ſuarum aſſertionum damnationi humiliter acquieſcentem, eaſdemque proprio ore publice refutantem, ad ſuam eccleſiam pacifice remiſſum eſſe.

i Bern. ſer. 80. in Cant.

Siquidem (vt teſtatur Gofridus) iam ab initio diſceptationis profeſſus fuerat, ſine vlla ſeſe obſtinatione pro eccleſiæ Sanctæ arbitrio correcturam libere ſuam opinionem. Ex quibus plane illud inducitur, eum, licet hæretice ſenſerit, hæreticum nõ fuiſſe: cum pertinacia, quæ ſecundum Sanctum Auguſtinum de Ciuitate Dei, facit quemque hæreticum, caruerit: atque hac de cauſa non fuiſſe mulctatum priuatione Epiſcopatus, quam incurrere omnino debuerat ex præſcripto ſacrarũ legum ſi conuictus fuiſſet hæreticus, immo & hæreſiarcha. Ceterum etſi ſuam ipſe ſic correxit errorem, ex diſ-

Gilib. cur hæreticus non dicendus.

ex diſcipulis tamen fuerunt nonnulli, qui in ea permanentes peruerſitate, hæreticis merito adnumerari meruerunt: aduerſus quos diſputauit poſtea S. Bernardus [k] in Canticis. Sed de his hactenus.

[k] *Id. ibid.*

VII. Inventio et translatio corp. S. Evgenii Mart.

Accidit autem eodem tempore, vt Raymundus Archiepiſcopus Toletanus, qui vocatus cum alijs venerat ad Rhemenſe Concilium, in via prope Pariſios ingrediens baſilicam S. Dionyſij, repererit ibi reconditum ſacrum corpus S. Eugenij martyris primi Archiepiſcopi Toletani. Quo factum eſt, vt ſub Alphonſo Rege ſocero Ludouici Francorum Regis, anno milleſimo centeſimo quinquageſimo ſexto, brachium eiuſdem Sancti à Rege ad ſocerum illud expetentem miſſum fuerit in Hiſpaniam, exceptumq; ſumma reuerentia, ipſo Alphonſo & filijs ſuccollantibus ſacram ſarcinam. Reliqua vero ſacri corporis oſſa noſtro tempore, concedente Carolo Nono Chriſtianiſſimo Rege, pari religionis cultu accepit, qui per Legatos petierat, Philippus Secundus Rex Catholicus.

VIII. Evgen. pp. probat res Hildegardis virg.

Abſoluto vero Rhemenſi Concilio, cum Eugenius Papa Treuiros acceſſiſſet; rogatus ab Archiepiſcopo Moguntino, quid de viſionibus Sanctæ *Hildegardis* virginis monialis ſentiendum eſſet, decernere: ad rem diligentius inueſtigandam, miſſis ad ipſius monaſterium nonnullis idoneis viris, auditaq; ipſorum relatione, & lectis eiuſdē Hildegardis ſcriptis, ac demum habito cum S. R. E. Cardinalibus qui aderant, alijſq; pijs viris (inter quos fuit S. Bernardus) conſilio, literis ſalutatorijs beatam virginem viſitauit, quibus conceſſa licentia proferendi quæcumq; per Spiritum Sanctum cognouiſſet, eam ad ſcribendum animauit. Narrat hæc Theodorus Abbas in Rebus [l] geſtis eiuſdem Sanctæ. Porro eam prædixiſſe Eugenio, ipſum nonniſi extremis diebus pacem in Vrbe Roma habiturum, traditur à Ioanne Saresberienſi in epiſtolis [m] S. Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi.

[l] *ap. Sur. 17. Sept.*
[m] *Cod. Vatic. Epiſt. S. Thom. Cantuar. ep. 171. in fi.*

IX. Theobal. Cantvar. archiep. qvid passvs a rege Angl. ob Rom. Eccl.

Accidit quoque inter hæc, vt Theobaldus Archiepiſcopus Cantuarienſis, rediens è Rhemenſi Concilio, grauem perſecutionem paſſus ſit à Stephano Angliæ Rege, ea occaſione quod vocatus ab Eugenio Papa, perrexiſſet ad Synodum contra prohibitionem eiuſdem Regis: itemque, quod prohibente Romano Pontifice, filium Regis Euſtachium coronare noluerit. Quamobrem haud ab eius perſecutione deſtitit, antequam Eugenius Papa, omni ceſſante appellationis obſtaculo, in caput eius anathematis, & in terram interdicti ſententiam præcepit ab omnibus Epiſcopis auctoritate Apoſtolica exerceri. Hæc Thomas Cantuarienſis [n] in epiſtola ad Boſonem Cardinalem. Alia vero ad [o] Alexandrum Papam, aduerſus eumdem Stephanum Regem expoſtulat, quod Nuntios ipſius Eugenij terram illam intrare prohibuiſſet. Quem & S. Bernardus in Malachia ait, ob diſſenſiones inter ipſum & Eugenium Papam, vetuiſſe Epiſcopis ne ſe conferrent ad Romanum Pontificem. Porro Euſtachius, quem Eugenius prohibuit coronari, anno milleſimo centeſimo quinquageſimo ſecundo, ipſa die S. Laurentij, cum inuaderet terram S. Eadmundi martyris, ſubita morte præreptus eſt: ita Deo vleiſcente in ſacrilegum impij Regis filium.

[n] *Thom. Cantuar. l. ep. 116. cod. Vatic.*
[o] *Ibid. 4. ep. 14.*

X.

Poſt hæc autem, & alia ab Eugenio dum eſſet in Gallijs ſtabilita, idem in Italiam dirigens iter, etſi nō Romam, vbi manere non licuit ob rebellionem Arnaldiſtarum, ſaltem ad Romanæ eccleſiæ loca prope Vrbem poſita peruenit menſe Octobris: vt colligitur ex S. Bernardo in Malachia de quo quidem Malachia ait, quod cum veniſſet Claramuallem vt Eugenium pro pallio alloqui poſſet, inuenit eum diu antea ex Gallia diſceſſiſſe Romam verſus.

S. Malachiæ obitvs.

Sancti vero Malachiæ aduentus in Claramuallem, contigit quatuor vel quinque dies ante feſtum S. Lucæ: qui cum poſt totidem dies ibidē in morbum incidiſſet, obijt quarto Nonas Nouembr. hoc ipſo anno, ætatis eius quinquageſimo quarto. De quo panegyrim in die depoſitionis, quæ extat, habuit S. Bernardus, eidem charitate coniunctiſſimus, eiuſque ſanctitatis cultor addictiſſimus, atque virtutum prædicator ampliſſimus: cuius & vitam ſcripſit, ſicut fideliter, ita & copioſe, auctore dignam: extantque eiuſdem ad illum tres [p] epiſtolæ, cum ex Hibernia miſiſſet quoſdam ex ſuis erudiendos inſtitutionibus Ciſtercienſibus.

[p] *Bern. ep. 315. 316. 317.*

XI. Arnaldvs clericos distrahit a svbiectione Cardd.

Ceterum rediens Eugenius in Italiam, præter alia exeeranda quæ ipſo abſente ab Arnaldo hæreſiarcha aduerſus Romanam Eccleſiam præſumpta inuenit, illud fuit quod non contentus Romanos laicos à Pontifice & Cardinalibus ſeparare quæſiſſe, inſuper & clericos ſubditos eiſdem Cardinalibus ratione Titulorum, ſiue eccleſiarum quarum ipſi Rectores eſſent, ab eorum ſubiectione & obedientia diuellere laborauit: adeoq; profecit, vt ad hunc euellendum errorem non ipſi ſolum Eugenio, ſed & eius ſucceſſoribus Hadriano Quarto, & Alexandro Tertio, fuerit magnopere inſudandum: vt conſtat ex ijs, quæ extant [q] in codice Vaticano; eorumdem trium Pontificum ea de re decretis.

[q] *Rec. Bar. Annal. To. XII. hoc an.*

XII.

Hoc eodem anno cum Rogerius Siciliæ Rex ingentem paraſſet claſſem aduerſus Græcorum Imperatorem Emmanuelem: iſte ſibi ab eo timens, primum omnium diuinum ſibi numen conciliare laborauit, quod à ſe nuper grauiter offenſum ſatis intelligebat, dum lege lata cuncta immobilia ab omnibus eccleſijs & monaſterijs abſtuliſſet: cuius legis eam partem quæ ſpectaret ad monachos, recenſet Nicetas [r] Choniata. Licet autem hanc facti turpitudinem pulchris coloribus honeſtare curaſſet: tamen vexatione, quæ conſueuit dare [s] intellectum, redditus prudentior, continuo parauit medicamentum, quo inflictum Eccleſiæ vulnus ſanaretur. Siquidem hac ipſa Indictione vndecima, menſe Februario, Auream Bullam promulgauit, quam etiam ab effectu Medicatricem appellauit, qua generatim cunctis eccleſijs conceſſit vt immobilia poſſidere poſſent; & quæcumque quouis titulo ad eas pertinuiſſe, vel pertinere probarentur, pacifice habere voluit. Idq; ipſum poſtea alijs legibus cauit pro bonis magni templi Conſtantinopolitani, Sophiæ, ſiue ſapientiæ dicti; necnon pro bonis item immobilibus monaſteriorum conſeruandis, quæ ipſius tres conſtitutiones habentur in Codice Iuris [t] Oriētalis, atq; etiam apud Theodorum [u] Balſamonem. Sic igitur Manuel quod ſemel peccaſſet, quaſi triplici confeſſione voluit deleuiſſe: exemplo patris admonitus, quem vidimus quod deliquiſſet in ſacra vaſa eccleſiarum, ſumētem ea ad vſum belli, continuo correxiſſe conſtitutione contraria.

[r] *Nicet. in Manuel. l. 7.*
[s] *Iſa. 28.*

Conſtitvtio medicatrix Emmanvelis Imp.

[t] *Iur. Orient. l. 2.*
[u] *Balſam. in Syn. Sept. c. 12.*

XIII. Eccles. ivra pessvm data in Oriente.

Quam autem in reliquis miſer eſſet Orientalis eccleſiæ ſtatus, ſatis ex eodem Balſamone qui tunc vixit intelligitur, dum tractans de canone decimoquinto Concilij Carthaginenſis, quo agitur de non trahendo clerico ad laicorum tribunal, ait illum canonem apud Græcos contemptum fuiſſe: multoſq; non ſolum ex laicis, ſed etiam ex miniſtris ſacris, Epiſcopos, clericos, & monachos, ad ſæcularia iudicia trahere, immo & nolentes cogere, & è conuerſo clericos, & monachos cum in foro eccleſiaſtico conuenirentur, illud recuſare, & cauſas ad ſæculare iudicium euocare, impune cōſueuiſſe: aſſerentibus Iudicibus Imperatoriam poteſtatem omnia facere, & immutare poſſe. Quibus oſtenditur, ad ima prorſus demerſa iam fuiſſe omnia eccleſiaſtica iura: vnde opus fuit, vleiſcente numine, Imperatores priuari Imperio, & redigi in ſeruitutem, cum cogerent eccleſiam ſibi ipſis ſubijci ſeruituti. Diſcantq; hinc Principes Occidentales, pro ipſis rem agi ab epiſcopis, cum quod ſuum eſt vendicant ab eorum manibus cenſuris eccleſiaſticis.

XIV. De svccessione Patriarch. Const.

Quod ſpectat ad ſucceſſionem Conſtantinopolitanorum Patriarcharum: hoc eodem anno Chariton, vbi ſediſſet menſibus vndecim mortuus eſt. De cuius ſucceſſore conſtat erratum in Græca ſerie Patriarcharum, dum poſt eum ponitur Theodoſius, quem Nicetas docet vixiſſe tempore obitus Manuelis Imperatoris, anno Domini milleſimo centeſimo octogeſimo. Ceterum poſt Charitonem, ponendum eſſe *Lucam* cognomento *Chryſobergen*, teſtantur Acta Synodalia ſub eo habita, quæ in Codice Iuris [x] Orientalis notantur Indictione decimaquarta ſub Imperatore Comneno. At quæ Indictio decimaquarta accipiēda ſit cum ſub eodem Manuele eiuſdem

[x] *Iur. Orient. l. 3.*

nume-

numeri Indictionem contingat tertio repeti, ex Balſamone intelligitur, dum de eadem agens Synodo, celebratã dicit anno ab origine mundi ſecundum illorum ſupputationem, 6695. ita notato numero barbaris notis: verum quod is annus tempora Manuelis Imperatoris excedat, ſub quo certum eſt celebratam eſſe Synodum: puto reſtituendum eſſe 6675. quo anno incidit poſita ibi Indictio decimaquarta, eritque annus Redemptoris milleſimus centeſimus ſexageſimus ſexus. Sane quidem diu vixiſſe Lucam in ſede Patriarchali, argumento ſunt ea quæ de ipſo frequenter ingerit Balſamon.

IESV CHRISTI AN. 1149.

CONR. REG. ROM. 11. MANVELIS. 7.

EVGEN. III. AN. 5.

I. CONRADI REG. REDITVS IN ITALIAM.

ANno Domini milleſimo centeſimo quadrageſimo nono, Indictione duodecima, Conradus Romanorum Rex Hieroſolymis rediens, Conſtantinopolim ſe cõtulit; ibiq; iniens fœdus cum Emmanuele Imperatore aduerſus Rogerium Siciliæ Regem, eius cum claſſe nauigauit in Italiam, viribus ſuis militaribus conſumptis, exercitibus perditis, rebuſq; penitus deploratis. Quem cum Eugenius Papa in Longobardiam perueniſſe audiſſet, literis eſt eum conſolatus: quas recitat Otto [a] Friſingenſis, Conradi in peregrinatione comes, ſcriptas illas in Tuſculano octauo Calendas Iulij, cum ipſe Eugenius his temporib. (vt auctor eſt Robertus) cum rebellibus Romanis vario euentu confligeret.

a Otto Friſin. in Frid. li. 1. c. 61.

II. LVDOVICI FRAN. REG. REDITVS IN GALLIAM

Quod vero ſpectat ad reditum Ludouici Francorum Regis de Terra Sancta: ipſe mare nauigans, captus eſt à nauibus Emmanuelis Imperatoris Conſtantinopolitani, ſed mox ereptus à claſſe Rogerij Siciliæ Regis: cuius Dux Georgius (inquit Robertus in Appẽdice ad Sigebertum) vaſtatis & ſpoliatis Græcorum prouincijs, vſq; ad ipſam vrbem Conſtantinopolim accedens, ſagittas aureas in palatium Imperatoris eiecerat, & incenſis ſuburbanis, de fructu hortorũ eius violenter tulerat, inde in naues Græcorum incidens, captum Ludouicum Regem eripuit, ſed captos Regis obtentu dimiſit. Ludouicus autem à Siciliæ Rege, necnon à Romano Pontifice honorifice ſuſceptus eſt, atq; deductus. Poſt cuius reditum, habitis per Franciam conuentibus, annuenteque Eugenio Papa vt Abbas Claræuallis Hieroſolymam ad alios prouocandos mitteretur, grandis iterum ſermo de profectione tranſmarina haberi cœpit. ſed per Ciſtercienſes monachos res ſoluta eſt. Hæc ex Roberto. Quod autem Ciſtercienſis nouæ expeditioni obſtiterint, occaſio illa fuit, quod cum prior infelix admodum extitiſſet, in auctorem eius S. Bernardũ obloquentium omnium linguæ conuerſæ eſſent, adeo vt fuerit ipſi neceſſe pro ſeipſo ſcribere Apologiam [b]. quem & alij [c] eodem tempore ab ea importuna accuſatione vindicarunt, docentes ipſum quidem Spiritu Dei afflatum expeditionem ſuaſiſſe, ſed vel eos qui eam ſuſceperũt, ob ſuperbiam laſciuiamq; ſuam ſalubria mandata non obſeruantes, merito rerum ac perſonarum diſpendium tuliſſe, vel ſic varijs tribulationibus à peccatis ſuis purgatos, opportune à Deo exeptos eſſe ex hac vita, ne diutius in ea permanẽtes peiora forte prioribus ſcelera in ſuarum perniciem animarum perpetrarent. Nam & Ioannes Abbas Caſæmarij [d] de his ad ipſum S. Bernardum ſcribens, poſtquam vtramq; hanc rationem attigiſſet, ſancte aſſeruit, ſe ex certiſſima reuelatione SS. Ioannis & Pauli martyrum hæc didiciſſe, eoſdemq; addidiſſe, multitudinem Angelorum qui ceciderant, de illis qui in expeditione mortui eſſent reſtauratam eſſe.

OBLOCVTIONES IN S. BERN. OB INFELICEM EXITVM SACRÆ EXPEDIT.

b Bern. de conſider. li. 2. in pr.

c Otto Frider. li. 1. c. 60 in fi. Gof. in Vi. S. Ber. li. 1. cap. 4.

d ap. Ber. ep. 333.

III. FRATER REG. FR. FIT MONACHVS CISTERCIEN.

Hoc eodem anno (vt notat Robertus) magna omniũ admiratione, Henricus frater Ludouici Regis Francorum, abdicans ſe à ſæculari conſuetudine monachus factus eſt Ordinis Ciſtercienſis, cum (ſicut ait Goſfridus [e]) ad Sanctum Bernardum de quodam ſæculari negotio locuturus veniens, viſitanſq; conuentum Fratrum, vbi eorum ſe orationibus commendauit, prædicente Bernardo ipſius conuerſionem, eodem poſtmodum die ſuſcepit habitum. Sed haud diu permiſſus eſt in ea quam elegerat vita degere: ſiquidem defuncto paulo poſt Bellouacenſi Epiſcopo, ipſe ab ijs ad quos ſpectabat electus, cum acquieſcere abnueret, iuſſus eſt ab Eugenio Papa, & à proprio Abbate S. Bernardo [f], adhibito etiam conſilio Venerabilis Petri Cluniacenſis, Epiſcopatus adminiſtrationẽ ſuſcipere. In qua vbi Apoſtolice cœpit agere, ipſum Regem Ludouicum Germanum ſuum expertus eſt aduerſarium, vt S. Bernardus teſtatur in literis [g] ad Eugenium Papam pro eo ſcriptis.

e Gofr. in Vit. S. Bern. li. 4. cap. 1.

IDEM FIT EPISC. BELLOVAC.

f Vid. ap. Pet. Clun. 6. ep. ...

g Bern. ep. 216. ...

IESV CHRISTI AN. 1150.

CONR. REG. ROM. 12. MANV. 8.

EVGEN. III. AN. 6.

I.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo quinquageſimo, Indictione decimatertia (vt auctor eſt Romualdus Archiepiſcopus Salernitanus in Chronico) Rogerius Siciliæ Rex biennio ante ſuum obitum, Willelmum Principem Capuanum, quem ſolum ex multis liberis ſuperſtitem habebat, in Regem fecit inungi, & ſecum voluit pariter regnare. Extat vero Petri [a] Cluniacenſis Abbatis ad eumdem Rogerium epiſtola, qua conſolatus eſt ipſum in funerib. filiorum, & hortatus pacem agere cum Germanorum Rege Conrado, & arma conuertere in Græcorum Imperatorẽ, cuius proditione pene totius Galliæ & Germaniæ flos in expeditione ad Terram Sanctam perijſſet. Quibus quidem curréti calcaria addidit. Spoliatam enim Corinthum, Corcyramque inſulam ab eo captam, præter alia quæ ſunt anno ſuperiori recenſita, habet Robertus de Monte in Appendice ad Sigebertum.

a Pet. Clun. li. 6. ep. 16.

PETR. CL. SOLICITAT ROGER. ADVERSVS GRÆCOS.

II.

Quo eodem tempore idem Petrus Cluniacenſis Eugenium Papam adiens, benigniſſime exceptus, & honorificentiſſime atq; familiariſſime habitus ab eo eſt, vt pluribus narrat ipſe ſcribens [b] ad S. Bernardum. Inter alia vero ſui Ordinis vrgentia negotia quorum cauſa ad eum venit, fuit [c] quod Hugo quidam, cognomento Diſcalciatus, cœpiſſet ædificare aliquod caſtrum ſuper Cluniacẽſe monaſterium, tamquã munitionem aduerſus illud. Quód cum anathemati Eugenius ſubmiſiſſet, nec tamen Hugo deſiſteret monachos deridere, memorabilem plane Deus vindictam de contemptis ſeruis ſuis exercuit, dum ſexto abhinc anno, nempe Domini milleſimo centeſimo ſexto (vt Robertus tradit) caſtellũ illud terræmotu abſorptum eſt chaſmate terræ, & loco eius lacus profundiſſimus excreuit in exemplum Iudicij magni Dei.

b li. 6. ep. 47

c lib. ep. 46.

CASTELLVM MALEDICTVM TERRA ABSORBETVR.

IESV CHRISTI AN. 1151.

CONR. REG. ROM. 13. MAN. 9

EVGEN. III. AN. 7.

I. MOGVNT. ET COLON. ARCHIEP. CAVSAM DICVNT APVD RO. PONT.

ANno Domini milleſimo centeſimo quinquageſimo primo, Indictione decimaquarta, duo primarij Germaniæ Archiepiſcopi, Moguntinus, & Colonieſis, rei ad dicendam cauſam ab Eugenio Papa vocati, cõparuerunt auro & munerib. onuſti, vt ea donarent Eugenio, tunc ob multiplices expẽſas cauſa belli ciuilis cũ Romanis effuſas egentiſſimo. At ipſe nihil penitus ex eis attingens, eadem in Germaniam reportare coegit, cauſaq; vtriuſq; examinata, Colonieſem innocentẽ inuentum abſoluit, Moguntinum antẽ pleniori iudicio remiſit, de quo dicturi ſumus ſuo loco. Teſtatur hæc S. Bernhardus in libris de Cõſideratione [a] ad eumdem Eugenium anno ſequenti ſcriptis, vbi eius à muneribus abſtinentiam egregie prædicat.

a Ber. de Conſid. ...

II. CONCIL. BAVGENC. PRO DIVORTIO REGIS.

Hoc item anno in caſtro *Baugentiaci* in Gallia habita eſt SYNODVS Epiſcoporum & Optimatum, pro diſcutiendo matrimonio longe ante hac celebrato inter Ludouicum Regem & Eleonoram filiam Willelmi Ducis Aquitaniæ: quod ob cõſanguinitatis gradum ſufficienter probatum,

fuit

Digitized by Google

fuit de conſenſu partium diſſolutum. Narrat hæc plurib. Sugerius Abbas S. Dionyſij, qui interfuit: ſubijcitque de alio viro, cui poſt hæc nupſit Eleonora, nempe Henrico Duci Northmanniæ, qui poſtea fuit Rex Angliæ, & alia vxore quam duxit Ludouicus, nempe Conſtantia filia Regis Hiſpaniæ.

III. QVATVOR ARCHIEP. IN HIBER. CONSTITVTI.

Eodemq; anno (vt ponit Rogerius in Annalibus) Eugenius Papa cõſtitutis in Hibernia quatuor Archiepiſcopatibus, eo Ioannem Paparonem Cardinalem Legatum à Latere miſit cum quatuor pallijs quæ numquam illuc delata fuerãt: cuius Ioannis Legationis meminit S. Bernardus ſumma cum laude.

IV. b Io. Ola. in metrop. Vpſal. & de reb. Goth. li. 19. c. 1.

Quo etiam anno S. *Henricus* Finlandiæ Epiſcopus, & totius illius gentis Apoſtolus, vbi eos magna ex parte ad Chriſtianam fidem conuertiſſet, graſſatione impiorum necatus, martyrij coronam eſt conſecutus. Cuius præclarum agonem, & Apoſtolicum munus pro Chriſto ſuſceptũm & conſummatum, Ioannes Olaus [b] deſcripſit.

V. DE GRATIANO COLLECTORE.

Hocque item anno (vt habetur in codice Vaticano, & in Pomœrio eccleſiæ Rauennatis, atq; apud alios auctores) GRATIANVS monachus Benedictinus S. Felicis Bononienſis, collegit ampliori ſtudio librum Decretorum, & per Diſtinctiones ac Quæſtiones rite diſpoſuit. Porro in eodem codice quæ dicuntur *Palea*, recentiori ſcriptura eſſe exaratæ noſcũtur, vt appareat omnino alterius quam Gratiani opus illud eſſe. Patria autem Gratiani in eodem Pomœrio ponitur Claſsa ciuitas Tuſciæ, apud Matthæum vero Weſtmonaſterienſem Guiſa itidem Tuſciæ ciuitas: ſed deprauate vtrobique pro Cluſio. Nam quod alij affirmarunt fuiſſe monachum cœnobij Claſſenſis prope Rauennam, haud iſtud facit ad patriam. Neq; enim eſt illud in Tuſcia, nec ciuitas eſt, ideoque nec conuenit cum eius patrio ſolo à ceteris deſignato; Sed hæc alijs accuratius conſideranda relinquimus.

FRID. REG. ROM. 1. MAN. 10.

IESV CHRISTI AN. 1152.

EVGEN. III. AN. 8.

I. a Bern. de Conſ. li. 4.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo quinquageſimo ſecundo, Indictione decimaquinta, anno quarto à Concilio Rhemenſi per Eugenium Papam celebrato, S. Bernardus (vt ipſe [a] teſtatur) ſcripſit ad eumdem Pontificem, ipſo expetente, aureos illos quinque libros *De conſideratione*, quibus non ipſum tantum Eugenium, ſed Pontifices omnes ad bene adminiſtrãdum Pontificatũ informat. Quæ autem aduerſus Romanos tela iaculatur, ea tu iam ſuperius vidiſti contra Arnaldiſtas, populi fæcem, intorſiſſe. Sed q; in fine ſperat eos à Deo ſanandos, id plane prophetice locutus eſt. Nam Robertus in Appendice ad Sigebertum hoc ipſo anno ponit, Eugenium cum Romanis pace facta, Vrbem ingreſſum eſſe, ibique cum eis tunc primitus commoratum, ſcil. poſt reditum è Gallijs.

S. BERN. SCRIBIT LIBROS DE CONSID.

II. CONRADI REG. OBIT. ET SVBROGATIO FRIDER.

Hoc ipſo anno, decimoquinto Calendas Martij, mortuus eſt Conradus Rex Romanorum, non abſq; ſuſpicione veneni, propinati ſuaſione Rogerij Siciliæ Regis à medicis quos ex Italia acceperat. Reliquit autem regalia, non filio Friderico ætate ſatis minori, ſed fratris ſui filio itidem *Friderico* nominato Sueuorum Duci: cognomento *Aenobarbo*: quod & generalibus Comitijs fuit à Principibus approbatum. Hæc pluribus Otto [b], qui aderat: ex quo Guntherum corrigas, dum obitum Conradi, & ſubrogationẽ Friderici, ponit anno ſalutis milleſimo centeſimo quinquageſimo quarto.

b Otto Friſin. in Frid. li. 1. c. 63. & li. 2. cap. 1.

III. c Rec. Baron. An. To. XII. hoc an. CONVENTIONES INTER EVGEN. PP. ET FRID. REG.

Porro electo Friderico, miſſam ab eo eſſe Legationem ad Eugenium Papam, idem Otto tradit. Extantque [c] in Bibliotheca Vaticana, in volumine quod *Centius Camerarius* inſcribitur, antiqua documenta concordiæ initæ inter ipſos Eugenium & Fridericum, ex parte quidem Regis, pro defenſione Eccleſiæ Romanæ, eiuſq; bonorum ac iurium, ex parte vero Summi Pontificis pro corona Imperij ei impertienda. Verum oſtendit continuo Rex, qualis poſtea futurus eſſet. Siquidem cum defuncto Archiepiſcopo Magdeburgenſe, de ſubrogando ei ſucceſſore inter eligentes decertaretur, re ad Fridericum delata, ipſe alteri parti perſuaſit, vt Guicmannum Cicenſem Epiſcopum eligerent, eidemq; accerſito regalia illius eccleſiæ tradidit. Narrat hæc Otto [d], qui aderat. Quonam vero iure id Fridericus præſumpſerit, ſubijcit, nempe q; diceret, ſub Henrico Quinto ſic compoſitam eſſe inter Regnum & Sacerdotium controuerſiam de Inueſtituris Epiſcoporum, vt obeuntibus Epiſcopis, ſi forte in eligendo partes fierent, Principis arbitrij eſſet Epiſcopum quem vellet de primatum ſuorum conſilio ponere, nec electum aliquem ante conſecrandum, quam ab ipſius manu regalia per ſceptrum ſuſcepiſſet. Hæc Otto: quæ quidem ad excuſandas excuſationes in peccatis ſunt appoſita, cum nõ fuerit, nec eſſet facultatis cuiuſquam Regis vel Imperatoris, à ſede in ſedem abſque graui cauſa, Sede Apoſtolica inconſulta, Epiſcopum transferre. Quamobrem his auditis Eugenium Papam grauiter commotum eſſe, & tam literis quã Legationibus, regiæ præſumptioni reſtitiſſe, idem Otto [e] narrat. Quid vero de eo fieri contigerit, dicetur poſt annum ſequentem.

d Otto in Frid. li. 2. c. 6.

IVS PRÆTENSVM A REGE IN ELECT. EPISCOP.

e Ibid. c. 8.

IV. ROGERII REG. SICIL. OBITVS.

Hoc eodem anno, Indictione prima iam inchoata, defunctum eſſe Rogerium Siciliæ Regem, habet Romualdus in Chronico, licet alij poſt biennium id ponãt, vt Robertus. Succeſſit Willelmus filius, de quo inferius.

FRID. REG. ROM. 2. MAN. 11.

IESV CHRISTI AN. 1153.

EVGEN. III. AN. 9.

I.

ANno Domini milleſimo centeſimo quinquageſimo tertio, Indictione prima, Eugenius Papa Legatos miſit in Germaniam duos Cardinales, videlicet Bernardum presbyterum & Gregorium diaconum, ad depoſitionem quorumdam Epiſcoporum: qui apud Wormatiam tempore Pentecoſtes, præſente & agente Friderico Rege, Henricum Moguntinum Archiepiſcopum, de quo dictũ eſt ſuperius, depoſuerũt, & in locum eius Arnoldum Regis Cancellarium, à Clero & populo electum, ſubſtituerunt. Tradit hæc Otto [a], qui aderat. Idq; ipſum hoc anno contigiſſe, ſcribit etiã Dodechinus in Appendice ad Marianum. Sed iuſte, an iniuſte id factum fuerit, diuerſa eſt aſſertio diuerſorum. Excuſandam eſſe ſimplicitatẽ Henrici, ob quam fuiſſet à falſis fratribus circumuentus, ingeſſit S. Bernardus [b] ſcribens pro eo ad eoſdem Legatos. At Otto Epiſcopus Friſingenſis, & ipſe ſicut ſcientia pcipuus, ita vita integerrimus, noxiũ eum aſſerit, quod pro diſtractione eccleſiæ frequenter correptus, numquam fuiſſet correctus. Conradus autem epiſcopus, qui poſt centum annos Chronicon ſcripſit Moguntiacum (vt ipſe teſtatur) ab exordio rem narrans Henriciq; innocentiã prædicans, omnem culpam reijcit in Arnoldum eius proditorẽ, atq; in Legatos Apoſtolicæ Sedis pecunia corruptos, quos etiam terribili Dei iudicio punitos narrat: ſed q; hæc incognita fuiſſe noſcantur huius temporis Scriptoribus omnibus, haud mediocrem falſitatis ſuſpicionem habent in auctore qui poſt ſæculum ſcripſit: cum & ijdem ipſi Cardinales Legati, quos poſt annum & dimidiũ male perijſſe tradit, longe diutius ſuperuixiſſe, inferius ſit reperire.

ARCHIEP. MOGVNT. DEPONITVR.

a Ibid. c. 9.

b Bern. ep. 302.

II. EVG. PP. OBIT.

Hoc eodẽ anno, octauo Idus Iulij, *Eugenius* Papa diem obiit Tibure, cum ſediſſet annos octo, mẽſes quatuor, & dies tredecim: indeq; Romã ad eccleſiam S. Petri maxima Cleri Populiq; Romani frequentia, communiq; omniũ luctu, delatus eſt, ibidemq; ſepultus. Hæc in veteri codice Vaticano Romanorũ Pontificum. Fuiſſe vero ipſum pluribus illuſtratũ miraculis, teſtatur Gofridus eiuſdem temporis ſcriptor in fine Vitæ S. Bernardi. Porro die ſequenti ab eius obitu, ſumma Patrũ concordia electus eſt in eius locũ, Conradus patria Romanus, filius Benedicti, Canonicus Regularis, epiſcopus Cardinalis Sabinẽſis, qui nomine mutato dictus eſt ANAST. eius nominis Quartus.

ANAST. IV ELECTIO.

Hoc

III. S. BERN. OBITVS.

Hoc item anno, decimotertio Calendas Septembris, S. *Bernardus* Abbas Claræuallenſis, prædicti Eugenij olim in Religione pater, anno ſuæ ætatis circiter ſexageſimo tertio, ex hoc mundo migrauit in cælum. Vere Apoſtolicus vir, immo verus Apoſtolus miſſus à Deo potens opere & ſermone, illuſtrans vbiq; & in omnibus ſuum Apoſtolatum immenſis ſignis & prodigijs. Is viuens iam centum ſexaginta monaſteria vbiq; terrarum erexit. Sed hæc minora cenſenda, reſpectu geſtorum illorum quæ extra clauſtra pro diuerſis orbis eccleſijs, potiſſimum vero pro Romana operatus eſt. Qui & apud Imperatores, Reges aliosq; Principes, pro omnium ſubleuatione, atque ipſorummet Principum ſalute, totiuſque Chriſtianitatis pace & concordia, pene incredibilia peregerit. Et qui prædicandus ſit totius eccleſiæ Catholicæ ornamentum ſimul ac fulcimentum, Gallicanæ vero inprimis ſummum decus & gloria. Cuius memoria feliciſſima in benedictione & ſanctificatione, ad morum informationem & diſciplinam, & in condemnationem hæreticorum, in Sancta eccleſia iugiter perſeuerat.

FRID. REG. ROM. 3. MAN. 12.

IESV CHRISTI AN. 1154.

ANAST. IV. ANN. 1.

I. LEGATVS PAPÆ SPRETVS A FRID.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo quinquageſimo quarto, Indictione ſecunda, miſſus in Germaniam ab Anaſtaſio Papa Gerardus Cardinalis ad terminandam Guicmanni Electi Magdeburgenſis cauſam, quam (vt vidimus) Eugenius bene inchoatam reliquerat, cum quædam ſecus nutum Regis Friderici tractare vellet, indignationem eius incurrens, infecto negotio dimiſſus cum dedecore, in via mortuus eſt. Fridericus autem miſſis ad Anaſtaſium cum Guicmanno Nuntijs, non ſolum facti ſui ratihabitionem, ſed etiam pallium obtinere eum fecit, nõ ſine multorum ſcandalo, qui numquã id factum iri, fixum apud Romanos fuiſſe, ab ipſis audierant. Tradit hæc Otto [a] Friſingenſis: additque, exinde non ſolum in ſæcularibus, ſed & in eccleſiaſticis negotijs diſponendis, auctoritatem Friderici plurimum creuiſſe.

a Otto Friſ. in Frid. l. 2. c. 10.

II. ANAST. PP. OBIT.

Deceſſit vero ex hac vita hoc eodem anno quarto Nonas Decembris, & ſepultus eſt in baſilica Lateranenſi, *Anaſtaſius* Papa, nimiæ facilitatis reprehenſus. Poſtquam autem Sedes vacaſſet diem vnum, ſubrogatus eſt in locum eius, Nicolaus natione Anglicus de caſtro S. Albani, vir apprime eruditus, & ſanctis moribus ac pietate inſignis: qui cum olim ſtudiorum cauſa petijſſet Arelatem, paulo poſt Religionis habitum in monaſterio S. Rufi ſuſcepit: cuiuſq; deinde factus Abbas, cum pro illius negotijs ad Apoſtolicam Sedem acceſſiſſet, ab Eugenio Papa, cognita eius prudentia, creatus eſt epiſcopus Albanenſis, miſſuſq; Legatus à Latere ad partes Noruegiæ, gentem illam barbaram & rudem in lege Chriſtiana diligenter inſtruxit, & pacem regnis, quietem eccleſijs, ordinem & diſciplinam clericis, legẽ populis, inde recedẽs reliquit. Perueniẽnſq; Romã ſub Anaſtaſio, defuncto illo, vnanimi totius Cleri populiq; conſenſu proclamatus Pontifex, inuitus & renitens in ſede collocatus eſt, dictuſq; HADR. eius nominis Quartus. Hæc ex codice Vaticano Romanorũ Pontificũ.

HADRIANI IV. CREATIO.

III. HENR. DVX NORTHMANN. REGNAT IN ANGL.

Mortuus quoq; eſt hoc anno Anglorum Rex Stephanus: cui ſucceſſit Henricus Dux Northmanniæ, filius Mathildis Imperatricis, qui repudiatam à Ludouico Rege Francorum Eleonoram Duciſſam Aquitaniæ, in vxorem duxerat. Is autem vbi accepiſſet, Hadrianum gentilem ſuum creatum eſſe Romanum Pontificem, egregias ad eum ſcripſit gratulatorias literas, ſimulque hortatorias ad munus Paſtoris Vniuerſalis rite implendum: quæ extant inter epiſtolas Petri [b] Bleſenſis.

b Ap. Pet. Bleſ. ep. 161.

IV. FRIDER. CVM EXERCITV VENIT IN ITALIAM.

Hoc quoq; anno menſe Octobri, Fridericus Rex Romanorum cum exercitu in Italiam deſcendit, & ad euitandum tyranni nomen, quod in tranſitu milites ob penuriã intuliſſent haud mediocre locis ſacris damnum, collecta vniuerſo exercitui indicta reſarciendum curauit. Narrat hæc Otto [c] Friſingenſis, idemque res bellicas à Friderico in Italia geſtas exacte pergit deſcribere, quem conſulat qui eas cupit. Extat vero & Laudenſe ſcriptum antiquum Chronicon, hoc anno inchoatum ab auctore eius temporis Ottone Morena, & abſolutum ab eius filio Acerbo Morena, de rebus geſtis ab eodem Friderico in Italia vſq; ad annum Redemptoris milleſimum centeſimum ſexageſimum octauum. Sed quod ſchiſmaticæ eſſet factionis homo, ſæpe altero pede claudicare cognoſcitur.

c Otto in Frid. lib. 2. ca. 11.

V.

Hoc ipſo anno [d] vir Apoſtolicus, ſanctitate & miraculis clarus, *VVicelinus* Epiſcopus Aldemburgenſis, qui in Olſatia atque Wandalia annis triginta Euangelium prædicauit antequam crearetur Epiſcopus, vbereſque ex ſuo Apoſtolatu fructus collegit, ex hac vita deceſſit.

d Crantz. hiſt. eccleſ. Sax. lib. 6. cap. 35 & ſup. c. 12 13.

VI. PATRIAR. ANTIOCH. DIRA PASSVS A PRINCIPE.

Quod ad res pertinet Orientales hoc tempore Almaricus Patriarcha Antiochenus inſenſus redditus Ratnaldo Principi, ab eo tractatus eſt crudeliter nimis: quippe in carcerem detruſus, capite melle delibuto, muſcis expoſitus eſt ſub ardentiſſimo ſole. Quo liberato opera Balduini Regis Hieroſolymorum, nihilominus vltus eſt Deus ſacrilegium, ingenti immiſſa penuria, traditoq; ipſo Principe in manus hoſtium. Hæc pluribus Tyrius [e].

e Tyr l. 18. c. 1. & 18.

FRIDER. I. MANVEL. 13.

IESV CHRISTI AN. 1155.

HADRIA. IV. AN. 1.

I.

ANno Domini milleſimo centeſimo quinquageſimo quinto, Indictione tertia, cum (vt ait ſæpe citatus codex Romanorũ Pontificum) his Hadriani Papæ exordijs, Arnaldus Brixienſis hæreticus rurſum fauore quorumdã peruerſorum ciuium & Senatorũ, in Vrbem ſe intruſiſſet, atq; ipſi Hadriano, ceteriſq; Patribus inſidiari, & publice procaciter aduerſari cœpiſſet, adeo vt Gerardum Cardinalẽ S. Pudentianæ, dum iter ad Põtificem, quidã ex hæreticis aggredientes, ad interitum vulneraſſent: idem Pontifex ciuitatem Romanã interdicto ſuppoſuit, & vſq; ad quartã feriam Maioris Hebdomadæ vniuerſa ciuitas ceſſauit à diuinis. Tunc vero Senatores compulſi à Clero & Populo Romano, accedentes ad Pontificem ſupra ſancta Euangelia iurarunt, q Arnaldũ & ipſius ſectatores ab Vrbe & eius finib. expellerẽt, niſi obedientes ſe Põtifici exhiberẽt. Sicq; ipſis eiectis, ciuitas abſoluta eſt, & ingenti gaudio repleta. Hæc ex prædicto ſcriptore anonymo, qui præſens eis fuit.

OB CARD. VVLNERATVM VRBS SVBIECTA INTERDICTO.

II. WILLEL. REX SICIL. EXCOMMVNICATVR.

Quo etiam auctore cõſtat, hoc tempore eumdem Hadrianum Pontificem ſolemni ritu excommunicaſſe nouum Regem Siciliæ Willelmum, eo quod aduerſus Romanam eccleſiam matrem & dominam ſuam rebellans, terras eius hoſtiliter inuaſiſſet. Habet vero Romualdus in Chronico, quod cum Hadrianus audito Regis Salernum aduentu, ad eum miſiſſet Henricum Cardinalem SS. Nerei & Achillei, Rex eum recipere noluerit, ſed Romam redire præceperit, eo quod Pontifex literis ſuis eum non Regem, ſed tantum Dominum Siciliæ nominaſſet.

III.

Interea Rex Fridericus capta ciuitate Terdonenſi (inquit anonymus in Rebus geſtis Hadriani) tanta celeritate cum exercitu properabat ad Vrbem, vt merito credi poſſet magis hoſtis accedere, quam patronus. Quare Hadrianus apud Viterbium tunc exiſtens, miſit ei obuiam Iacobum & Gerardum presbyteros, & Gregorium diaconum, S.R.E. Cardinales vna cum capitulis de quib. deberẽt cũ eo pro eccleſia tractare. Qui ab eo apud S. Quiricum honorifice ſuſcepti, inprimis popoſcerunt reddi ſibi *Arnaldum* hæreſiarcham, qui in eius exercitu tunc erat, quem ipſe confeſtim pſtitit. Quid autem poſt de eo factũ fuerit, Otto [a] epiſcopus Friſingenſis, & Guntherus vates Ligurinus docẽt, nempe illũ traditũ fuiſſe in manus Vrbis Præfecti eiuſq; iuſſu ligno adactũ, & igne cõbuſtum, cinereſq; in Tiberim ſparſos, ne ſtolidæ plebi corpus eius venerationi eſſet. Huncq; tandem digniſſimũ exitum cõſecutus eſt nefandiſſimus hæreſiarcha, Vrbis & Orbis perturbator.

ARNALDI HÆRESIAR. FINIS.

a Otto in Frid. l. 2. c. 20. b Gunth. Ligur. in Frid. l. 3.

IV. *Occurſus Hadr. PP. cum Frid. Rege.*

Adduntvero Acta Hadriani, poſt multa hinc inde inter eiuſdem Pontificis & Friderici Legatos tractata, præſtitoque à Rege ſolemni iuraméto de conſeruandis ac defendendis omnibus debitis Pontifici iuribus, ipſum Hadrianum è munitiſſimo ciuitatis Caſtellanæ præſidio, in quod ſe timore Friderici receperat, ad eumdem Regem apud Sutrium deſcendiſſe. cum autem Rex ei de more officium ſtratoris nō exhiberet, Cardinales perterritos iterum ad ciuitatem Caſtellanam confugiſſe. Pontificem vero in præparata ſibi ſede conſidentem, cum Rex ad eius veſtigia procidiſſet, & deoſculatis pedibus ad pacis oſculum accedere voluiſſet, Pontificem illud ei denegaſſe ob non impenſum ſibi ab eo, conſuetum ab Orthodoxis Imperatoribus, pro Apoſtolorum Petri & Pauli reuerentia, reddi Romanis Pōtificibus ſtratoris obſequium, reſpondenteque Rege, ſe ad hoc non teneri, demum inueſtigata diligenter antiqua conſuetudine & veteribus monumentis, iudicio Principum qui aderant decretum eſſe, totiuſq; exercitus conſenſu confirmatū, Regem debere Pontifici ſtratoris officium exhibere, & eius ſtreguam, ſeu ſuppedaneum tenere dum conſcenderet equum, aut deſcenderet: idque protinus Fridericum præſtitiſſe, ac poſtea ad pacis oſculum admiſſum eſſe. Hæc ibi.

Rex implet officium ſtratoris erga Pont.

V. Porro ſchiſmatici Arnaldiſtæ Romani, audito Regis aduentu, miſſa ad eum Senatorum ſuorum legatione, vana & ſuperba oratione conati ſunt illum præoccupare, ſibique demulcere: ſed ab eodem prudenter ſimul & acriter de inepto faſtu obiurgati, ad Vrbem redierunt. Quorum technas & dolum malum Fridericus præſentiens; à Pontifice conſilium accepit, mittendi confeſtim milites qui baſilicam S. Petri & ciuitatem Leoninam occuparent. Eo vero facto ductu Octauiani Cardinalis, ipſe cum Pontificē eo ſecure perueniens; ab illo in eadem baſilica coronam, aliaque IMPERII inſignia ſuſcepit decimoquarto Calendas Iulij. Quæ cum inſcijs Romanis, qui ſe intra Vrbem inſidioſe cōtinebant, geſta eſſent, ijſdem poſtea Germanos aggredientibus, multiſq; vtrimq; cæſis, nihilominus Imperator interceſſione Pontificis abſtinuit à vindicta: Vrbeque abſcedens, Tiburtinos ſe ipſi dedentes, legitimo ipſorum domino Romano Pontifici obedire cōpulit. Poſt quæ ob æſtiuos calores ad propria redire feſtinans, multa in itinere feliciter aduerſus hoſtes geſſit. Sed quomodo hęc omnia ſe habuerint, ſingillatim recenſetur in Actis Hadriani Papæ, necnon ab Ottone Epiſcopo Friſingenſi [c] in Vita eiuſdem Friderici, ac deniq; ab ipſo Friderico in epiſtola [d] ad eumdem Ottonem de rebus à ſe geſtis. Quibus omnibus videas proſperrime cuncta ei ceſſiſſe quouſq; de Romana Eccleſia bene meritus eſt.

Frider. coronatur Imp.

c Ott. in Frid. li. 2. c. 21. 22. d. 47. Otton. in Frid. ante lib. 1.

VI. *Hadr. PP. progreditur aduerſus Regem Siciliæ.*

Poſt hæc vero Hadrianus Pontifex vocatus in Campaniam ab Optimatibus Willelmi Regis Siciliæ, qui eum poſtquam excommunicatus eſt deſeruerant, collecto fidelium ſuorum exercitu, Beneuentum circa principium menſis Octobris acceſſit, & omnes fere illarum partium Principes & ciuitates ad iuramentum fidelitatis, tamquā principalis dominus recepit. Cui cum inſuper à Palæologo Principe Græco, ad hoc miſſo in Italiam à Manuele Imperatore, vt ipſum Pontificem ac Fridericum Regem aduerſus communem hoſtem Willelmum Siculum impelleret, immenſa pecuniæ vis ac militum copia offerretur: his territus Willelmus, cœpit inſtanter petere abſolutionem ab excommunicatione, multas proponens cōditiones eccleſiæ valde proficuas, quas tamen ob contradictionem maioris partis Cardinalium minime ſuſceptas eſſe, tradit hæc narrans prædictus anonymus auctor rerū Hadriani. Repugnabant enim Cardinales illi qui addicti erant Friderico ne ſcilicet ea pace Romanus Pontifex nactus videretur eſſe præſidium, ad quod confugeret cum quid moleſtum in eum, vniuerſamq; Romanam eccleſiā, idem ſtatueret Imperator, qui nihil magis in animo vmquam habuit, quam eamdem eccleſiam ſuæ ipſius, ſucceſſorumq; ſuorum ſubijcere ſeruituti, licet aliquando contrarium ſimulauerit. Ceterum recenſet quoque has inter Hadrianum Papam & Willelmum Regem ortas diſcordias, Willelmus Tyrius [e], ac de illis nonnulla habet quæ deſiderantur apud Anonymum. Quis vero earum finis extiterit, dicetur anno ſequenti.

e Tyr. lib. 18. cap. 2.

VII. Interſerit vero his Tyrius [f] narrationem profectionis Fulcheri Patriarchæ Hieroſolymitani iam prope centenarij, vna cum aliquot alijs ex præcipuis Orientis Epiſcopis, in Italiam ad Hadrianū Papam, quem his bellicis negotijs occupatum inuenerunt. Cauſam autem profectionis fuiſſe narrat, controuerſiam ipſius Patriarchæ & aliorum Antiſtitum cum militibus Hoſpitalarijs, occaſione decimarum, aliorumque iurium Epiſcopalium, à quibus Hoſpitalarij dicerentur exempti priuilegio Pontificio: Queriturq; eoſdē indigne ſuſceptos eſſe à Summo Pontifice, & Cardinalibus, Hoſpitalariorum muneribus corruptis, duobus exceptis, Octauiano, & Ioanne de Sancto Martino qui (vt ait) Chriſtum ſequentes, eius miniſtros in cauſa ſua pie fouerunt: ideoque re infecta coactos eſſe cum confuſione redire ad propria. Hæc Tyrius pluribus: quibus videas quam fuerit deceptus, qui nefarios homines, factioſoſque, & Pontifici aduerſarios, prædicet ſanctos, ceteros vero magni nominis Cardinales, ex vitæ ſinceritate & literis conſpicuos, infamiæ nota reliquerit inuſtos. Sed qui boni, quive mali fuerint, adeo ſuis ipſorum factis vniuerſo Orbi Chriſtiano declaratum eſt, vt illi non indigeant commendatione, iſtis inutilis ſit prorſus omnis defenſio.

f Ibid. cap. 6. 7. 8.

Controuerſia inter Epiſcop. et milites Hoſpital. pro decimis.

VIII. *Hadr. PP. agit pro vnione Eccleſ. Græcæ.*

Hoc eodem primo ſui Pontificatus anno, Hadrianus Papa, quod ſuarum partiū eſſe ſciret, vniuerſalis eccleſiæ populum in Catholicum coagmentare cōcordiam, ad Græcos ſæpe ſciſſurā diuiſos ſolidæ vnitati compaginandos, Legatos miſit ad Conſtantinopolitanum Imperatorem, quibus inter alia pro eadem procuranda concordia literas dedit ad Baſiliū Achridenum Theſſalonicenſem Archiepiſcopū huius temporis in Orientali eccleſia magni nominis virum: quæ extant [g] vna cum ipſius Baſilij reſpōſione, qua ſe minime abſciſſum ab Eccleſiæ Catholicæ vnitate profitetur, licet quibuſdā ritibus diſcreparet Orientalis ab Occidentali: ſicut & idipſum Petrus [h] Abbas Cluniacenſis ad S. Bernardum, & ipſe S. Bernardus ad Eugeniū teſtati ſunt, ac penes doctos, & Catholicæ fidei ſtudioſos Græcorū Antiſtites perſuaſiſſimum fuit ſemper. Sed cum regimen eccleſiæ Cōſtantinopolitanæ, imperiti, refractarij, nugaces, gloriæ Latinorum æmuli ſuſcepere, ijdem ex diuerſitate ſacrorum rituum, doctrinæ quoq; diuerſitatem æſtimantes, hoſtes implacabiles effecti, perſecutionem aduerſus Latinos excitare numquam deſtiterunt.

g In eod. Iur. Orient.

h Pet. Clun. ep. 15.

Rituum diuerſitas non ſcindit Eccleſiam.

IESV CHRISTI AN. 1156.

Frider. 2. Manuel. 14.

HADRIA. IV. AN. 2.

I. ANno Domini milleſimo centeſimo quinquageſimo ſexto, Indictione quarta, Willelmus [a] Siciliæ Rex ingentibus comparatis viribus hoſtes ſuos aggreſſus, tam Græcos, quam Latinos qui ab eo defecerāt, penitus vicit, fugauit, & ſpoliauit: ipſumque Hadrianum Papam Beneuenti obſedit, atque adeo compreſſit, vt pro ſua liberatione iniquiſſimas compulerit ſubire conditiones, quales nullus hactenus Pontifex à quibuſuis implacabilibus Romanæ eccleſiæ hoſtibus ſuſcepiſſet tanta iactura eccleſiaſticæ libertatis. Quāuis enim ad pedes eius proſtratus, ligium homagium publice ei fecerit, & fidelitatem iurauerit, tamen diploma [b] ab eo extorſit, quo inter alia plura conceſſit, vt in Sicilia non eſſet ius Appellationis ad Sedem Apoſtolicam, nec Legationis ab eadem Sede eo mittendæ, niſi ad petitionem Regis, heredumque ipſius. Verum licet in eo ſcripto coactus fuerit Hadrianus profiteri ſe eſſe ſecurum & liberum cum iſta promitteret, ne actus ex quo infirmari poſſet, tamē obſeſſum Beneuenti (vt patet ex Tyrio, & alijs eius temporis Scriptoribus) liquet feciſſe neceſſitate compulſum, ob idq; nullius ponderis eſſe potuiſſe: cum alioqui renunciare iurib. Pontificijs, nempe Appellationibus deferēdis, nec poſſe ipſos Pontifices,

a Tyr. lib. 18. cap. 8.

Willelmus Rex Sicil. malas conditiones cogit ſubire Pontif.

b Rec. Bar. Annal. To. XII. hoc an.

Digitized by Google

EPISC. CONDIT. POSTEA RESCISSÆ.

Nicolaus Papa Primus affirmet. Quare & iſta omnia quæ per vim & metum extorta ſunt ab Hadriano per Willelmum cognomento Malum, ſub Innocentio Papa Tertio nouis pactis, honeſtioribus conditionibus interpoſitis, ſunt prorſus abolita, ipſaq; libertas eccleſiaſtica in priſtinum reſtituta.

II. MAXIMVM SIBI DAMNVM WILLEL. PEPERIT.

Interea vero ſatis manifeſto fuit declaratum experimento, male à Regibus conſuli rebus regni cum eccleſiæ detrimento. Siquidem florentiſſimum Regnum Siciliæ in illud fuit extremum diſcrimen inductum, vt defecerint hoc eodē ſæculo regni ſucceſſores virilis ſexus ex Northmannis, & tranſierit ad Sueuos. Ipſum vero ſceleris auctorem Willelmum, eiuſdemque architectum in diplomate nominatum Maionem Magnum Ammiratum Ammiratorum, terribilis vindicta diuina ſecuta eſt, dum iſte crudeliſſima cæde perijt, in illum autem tot excitati ſunt immanes tyranni, vt vno ſublato alter nō deficeret priore ſceleſtior, immo plures & nequiores oborirentur, quorum inſidijs caperetur, & in carcerem truderetur, filio ipſius primogenito Rogerio conclamato ab ipſis Rege, quem ipſe pater liberatus à plebe necauit, vt ſic ipſe regnare poſſet: prout hæc omnia fideliſſimus teſtis, qui aderat, Hugo Falcandus ſcripto volumine eſt proſecutus.

III. FRIDER. IMP. REPVDIAT VXOREM, ET ALIAM DVCIT.

Hoc ipſo anno (habet Dodechinus in Chronico) Fridericus Imperator Agnetem Principis Burgundiæ filiam vxorem duxit, repudiata priori legitima coniuge apud Conſtantiam. Vnde in eccleſia grauiſſimum exortum eſt ſchiſma. Hæc ipſe. Diuortium autem factum fuiſſe per Legatos Apoſtolicæ Sedis tradunt Otto [c] Friſingenſis, & Guntherus Ligurinus: cauſam vero interceſſiſſe ius conſanguinitatis, quo impediretur eiuſmodi contrahi matrimonium. Vxorem autem quam duxit, non Agnetem, ſed Beatricem fuiſſe dictam, ijdem auctores affirmant, qui aderant.

c Otto in Fr. li. 2. c. 29.

VI. CHRISTIANOR. CÆDES OB NON SERVATAM FIDEM INFIDELIB.

Quod ad res pertinet Orientales, hoc eodem anno, qui decimuſquartus numeratur Tertij Balduini Regis Hieruſalē, vleiſcente numine non ſeruatam à Rege Chriſtiano fidem pactam Infidelibus, exercitus Chriſtianorum ignominioſe proſtratus eſt in Palæſtina, quæ res geſta exacte deſcribitur à Tyrio.

IESV CHRISTI AN. 1157.

FRID 3. MAN. 15.

HADRIA. IV. AN. 3.

I. DISCORDIA ORTA INTER IMP. ET PAP.

ANNO Chriſti milleſimo centeſimo quinquageſimo, ſeptimo, Indictione quinta, inter Hadrianum Papā & Fridericum Imperatorem nouarum diſſenſionum occaſio eſt oborta. Nam quod hæc Otto de S. Blaſio facta ponit anno ſuperiori in Appendice, Radeuicus Friſingenſis Canonicus accuratus ſcriptor, qui cœptam hiſtoriam Ottonis eiuſdem ciuitatis Epiſcopi proſecutus eſt, ac res tunc geſtas à Friderico annis ac menſibus exacte cōſignauit, hoc anno contigiſſe aperte ſignificat. Quænam autem qualeſve fuerint iſtiuſmodi diſſenſiones, intelligi poteſt ex literis vltro citroq; datis, quas idem auctor [a] recitat, ipſe erga Fridericum propenſior.

a Radeuic. lib. 1. cap. 8. & ſeqq.

II. OCCASIO DISCORDIÆ OB MALE HABITVM EPISC. LONDON.

Cum igitur auditum eſſet ab Hadriano, Londonienſem in Anglia Epiſcopum, à Sede Apoſtolica ad propria remeantem in ditione Friderici à quibuſdam impijs ſpoliatum, captumque, & peſſime habitum eſſe, & adhuc in cuſtodia detineri, etiam poſtquā ea de re Hadrianus queſtus per literas apud Fridericum eſſet: iam idem Pontifex Legatos ad ipſum miſit, Bernardum presbyterum Cardinalem S. Clementis, & Rolandum tituli S. Marci presbyterum Cardinalem & Cancellarium, viros religione, prudentia, & grauitate inſignes, & pene omnibus alijs in eccleſia Romana auctoritate maiores: literaſq; eis dedit ad Fridericum tunc Biſuntij exiſtentem, quibus inprimis de execrabili facinore in perſonā ſacram ab impijs cōmiſſo, & eius vindicta à Friderico neglecta modeſte cōqueſtus, ſubdubitans hoc Fridericum diſſimulaſſe in odium Romanæ Eccleſiæ, & ipſius Pontificis, ſimpliciter ſuggeſſit nullam ei ſuppetere eiuſmodi odij occaſionem, quandoquidem non ita pridem eadem eccleſia, idemq; Pontifex, dignitatis & honoris plenitudinem, coronamq; Imperialem ei libentiſſime contuliſſet, nec ea de re ipſum pœniteret, immo & gauderet ſi maiora beneficia ei conferre poſſet. Harum porro audita lectione literarū (inquit Radeuicus) magna Principes qui erant cum Imperatore indignatione commoti ſunt, q; in eis aſſereretur, dignitatis plenitudinem &c. Friderico à Romano Pontifice collatā, quodq; à nonnullis Romanorum & dici & ſcribi ſcirent, Imperium Vrbis, & Regnum Italicum, donatione Pontificum Reges Germaniæ poſſidere: adeoq; horum Principum iracundia inualuit, vt cum vnus ex Legatis petijſſet, à quonam ergo Imperium haberent, ſi nō haberent à Papa, Otto Comes Palatinus de Baioaria prope exerto gladio ceruici illius mortem intentarit. Sed Fridericus præſentia ſua tumultum quidem cōpeſcuit, verum ipſos Legatos primo mane abire præcepit, iubens vt recta via reuerterentur ad Vrbem, & nec ad dextrā neq; ad ſiniſtram declinarent ad aliquem Epiſcopum vel Abbatem.

AVLICOR. TVRBATIO EX LITERIS HADR. AD IMP.

III. FRID. LITERAS CIRCVL. SCRIBIT CONTRA PONT.

Poſtquam autem ij diſceſſerunt, Imperator literis Circularibus ad omnes Principes & Epiſcopos ſcriptis, vehementer in eoſdem inuectus, ipſum quoq; Pontificem acriter de præſumptuoſa elatione accuſauit: omneſque ad hanc illatam Imperio iniuriam vleiſcendam excitare conatus eſt, declarans ſe per electionem Principum à ſolo Deo regnum & Imperium tenere, & quicumq; aſſereret ipſum coronam Imperialem pro beneficio à Papa ſuſcepiſſe, mendacij reum eſſe, denique ſe mortis pericula ante velle incurrere, quam tantæ confuſionis opprobrium ſuſtinere. Hæc quidem ipſe ſuis literis, ſed ſubdole reticens, cauſam Legationis Apoſtolicæ ad eum miſſæ, nempe ſacrilegium aduerſus peregrinantem ad Limina Apoſtolorum Epiſcopum, admiſſum contra ius gentium, ius diuinum, contra ciuiles & canonicas leges, relictum impunitum, ipſo ſacro Antiſtite in carceris adhuc anguſtijs tabeſcente. Cetera vero, quid in literis Hadriani Papæ ſonuit faſtus & arrogantiæ, vel erroris & falſitatis, ſi quod nuper Romæ feciſſet conferendo coronam Imperialem ipſi Friderico, ſimpliciter propoſuit, nec ſe de eo facto pœnitere profeſſus eſt? Denique quid horret Fridericus dictum ab Hadriano, pro beneficio collatam eſſe à Romano Pontifice coronam Imperij? Num enim eam aliunde potuit accepiſſe? An non eius eſt eligere Imperatorem, vel eligendum concedere, quem confirmet & coronet? Nonne eſt illius coronam Imperij auferre ex cauſa, & pro meritis concedere. Sed ne tu Lector, hæc putes eſſe vana, conſule quæ de his dicta ſunt ſuperius varijs locis [b] & occaſionibus, quibus apertiſſime demonſtratur, beneficio Papæ Imperium conferri, abſque cuius auctoritate ſi quis accipiat, non Imperator, ſed dicendus tyrannus ſit & inuaſor Imperij. Porro ex literis Friderici non iam amplius per tranſennam, ſed toto cælo patenter intueri licet, ipſum nihil præterea tanto ſtudio laboraſſe, quam quod præſtitit cum potuit, vt ſcilicet Eccleſiam Dei ſchiſmate ſcinderet, non ſolum Imperium ab ea ſeparans, ſed & Clerum diuidens, ad quod his circularibus literis vniuerſum terrarum Orbem inuitauit. Qui & eodem furore percitus, edictum [c] promulgauit, nequis ordinis clericalis vel monachalis peregrinari Romam præſumeret, viarumque cuſtodes ad hoc conſtituit: illud tamen excuſans eo prætextu, ne Eccleſiæ diſpendijs grauarentur, neue Clauſtrales eiuſmodi peregrinationibus deſererent diſciplinam.

QVAM INIVSTE FRIDER. COMMOTVS IN PONTIF.

b Sup. an. Dom. 775. 796. & alij.

c Ap. Radeuic. li. 1. c. 15. 16.

IMP. VETAT PEREGRINARI ROMAM.

IV.

Porro Legatis Apoſtolicis ſic ignominioſe dimiſſis, Romam reuertentibus, & quæ peracta eſſent nunciantibus, diſſenſio inter Cardinales facta eſt, q; nonnulli Pontifici pro vltione iniuriarum acceptarum adhærerent, reliqui vero Imperatori fauentes, Legatorum incuriam ſeu imperitiam accuſarent. Quare Hadrianus mediam ſectatus viam, literas ſcripſit ad Epiſcopos Germaniæ qui erant apud Imperatorem, vt quoniam in his non ipſius tantum Romanę eccleſiæ, ſed omnium vbique eccleſia-

Digitized by Google

rum res ageretur, ſeſe murum pro domo Domini opponerent, & Imperatorem monitionibus ſuis conarentur ad rectam ſemitam reducere. Verum ij vel nube priuatæ affectionis in Germanum Imperatorem offuſi, vel timore ipſius puſillanimes, haud quicquam contra eum dici vel dicere voluerunt, ſed ipſius conniuentes in Sedem Apoſtolicam ingratitudini, literis ſuis ad Hadrianum redditis, quà approbarũt, quà excuſarunt quæ ab eodem Imperatore pro libertate Imperij geſta eſſent, rogaruntque vt idem Pontifex alijs mellitis literis edulcãs fel priorum, conaretur Imperatoris iram lenire. Recitat has vtrimque datas literas Radeuicus [d]. Quid autem poſtea factum fuerit, dicetur anno ſequenti.

EPISCOP. GERM. PVSILLANIMITAS.

d Ibid. lib. 1. c. 15. 16.

IESV CHRISTI AN. 1158.

FRIDER. 4 MANV. 16.

HADRIAN. IV. AN. 4.

I. HADR. CONATVR MITIGARE IMP.

ANno Chriſti milleſimo centenſimo quinquageſimo octauo, Indict. ſexta, Hadrianus Papa tolerans patiẽter quæ Germanos Epiſcopos ad ipſum reſcripſiſſe vidimus, ex eorumq; præſcripto benigne ſtudens placare iratum licet iniuſte Fridericum Imperatorem, Legatos ad eum miſit Henricum presbyterum, & Hyacinthum diaconum, S.R.E. Cardinales, viros prudentiſſimos, cum literis mitioribus, quibus ſanctiſſimus Pontifex dans ex cõmonitione Apoſtolica locum iræ, exemploque pariter Apoſtolico cedens ad tempus, ita voces, *Beneficium*, & *Conferre coronam*, quibus in prioribus ſuis literis ipſum eſſe vſum, ijſdemque Fridericum grauiſſime commotum vidimus, interpretatus eſt, vt nõ *Beneficium* pro *Feudo*, ſed ſimpliciori acceptione pro *Bono facto*, nec *Conferre* pro *Dare* pleno iure, ſed ſimpliciter pro *Imponere* acciperetur, ita cõcitatam diſcordiam ſopire magis ſatagens, quam augere. Quare & his Fridericus iram depoſuiſſe videri volens, pacem & amicitiam tam Summo Pontifici, quam omni Clero Romano ſpopondit. Quomodo autem hæc omnia ſe habuerint, narrat pluribus Radeuicus [a], ſed qui nonnulla pro arbitrio de ſuo addere cognoſcitur ex priuato in Fridericum affectu. Ceterum ad breue tempus iſta ſubſiſtere potuerunt. Quod enim haud ea Fridericus ſincere ageret, quæ non altis radicibus pax intus plantata in corde ſubſtitit, tamquam fœnum tectorum, velociter quolibet æſtu vrgente aruit: vt videbitur anno ſequenti.

a Radeuic. lib. 1. cap. 21. 22. 23.

II. CONVENTVS RONCAL. DE REGALIB. IMPERII.

Hoc eodem anno menſe Nouembris, ab eodem Friderico Imperatore collectus eſt *Roncaliæ* (eſt locus inter Placentiam & Cremonam) *Conuentus* Principum, & Conſulum ciuitatum Longobardiæ, ad inquirendum quænam eſſent regalia, quæ ratione Imperij in eadem Longobardia ad ipſum ſpectarent: ad quem etiam vocati ſunt quatuor præcipui legum doctores Bononienſes, videlicet Bulgarus, Martinus, Iacobus, & Hugo: rebuſq; inter omnes diſcuſſis, Archiepiſcopus Mediolanenſis, alijque præſentes Longobardiæ epiſcopi & Abbates, necnon Principes, & ciuitatum Conſules, in manibus ipſius Imperatoris remiſerunt omnia, quæcumq; Iudices in ea re conſtituti dixerunt eſſe iura regalia, ac de eis fidelitatem ipſi fecerunt, promittens ſe non amplius de ipſis intromiſſuros. Habet iſta Otto Morena, qui ijs intererat, in Chronico Laudenſi, quorum etiam meminit Radeuicus: amboque aliquas in eodem Conuentu leges ab Imperatore conſtitutas, editaſque affirmant.

III.

De prædictis vero Doctoribus Bononienſibus Morena narrat, Fridericum aliquando equitantem in medio Bulgari & Martini, quæſiſſe ab eis, vtrum de iure eſſet dominus mundi, Bulgarumque reſpondiſſe, non eſſe dominum quantum ad proprietatem, Martinum vero aſſeruiſſe eſſe dominum, ideoque Imperatorem, cum deſcendiſſet ab equo, eum Martino donaſſe, Bulgarum autem dixiſſe, *Amiſi equum, quia dixi æquum, quod non fuit æquum*. Sed & quis, qualiſve fuerit *Martinus* iſte, qui tanta tribuit adulatoriæ Imperatori, illud Iaſonis ſatis oſtẽdit, dum ait, Martinum nihil vnquam ſani verique dixiſſe. Qui etiam quod ceruicoſus eſt habitus, vt quam ſemel defendendam ſuſcepiſſet opinionem, quantumlibet erroneam & ſingularem, obſtinate tueri perſeuerarit, in vulgare prouerbium eius durities apud Iuriſconſultos in hanc vſque diem pertranſijt, vt *Martinum* appellent, qui ſuæ ipſius ſingulari ſententiæ pertinaci ſtudio inhæreſcat.

MARTINI ICTI ADVLATIO ERGA IMP.

IESV CHRISTI AN. 1159.

FRIDER. 5. MANV. 17.

HADIANI IV. AN. 5.

I. DISCORDIÆ RENOVATÆ INTER IMP. ET PAP.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo quinquageſimo nono, Indictione ſeptima nouis obortis occaſionibus, diſcordiæ inter Hadrianũ Papam & Fridericum Imperatorem renouatæ ſunt, tum ob regalia ab Imperatore de Epiſcopis & Abbatibus, æque ac de alijs (vt vidimus) exacta, & ob denegatam à Pontifice cuidam Guidoni S. Romanæ Eccleſ. Subdiacono, promotionem ad ſedem Rauennatem tunc vacantem, ad quam Imperator illum euehere ſatagebat; tum etiam quod idem Fridericus in contemptum ac contumeliam ipſius Pontificis, in literarum ſuarum inſcriptionibus cœpit contra morem ab antiquo vſitatum, nomen ſuum præponere nomini Pontificis, & dictionibus ſingularis numeri eumdem alloqui; ac demum quod ab Epiſcopis non ſolum fidelitatem, ſed etiam homagium exigeret, & Cardinalibus à latere Legatis nõ tantum eccleſias, verum etiam ciuitates regni ſui clauderet. His autem de rebus, alijſq; diſcordiarũ fomentis, cum multæ ex vtraq; parte ſcriptæ eſſent ſatis amaro animo Epiſtolæ, aliæque rurſum pro pace concilianda; miſſa eſt denuo ab Hadriano ad Imperatorem honorificentiſſima Legatio quatuor Cardinalium cum quibuſdam capitulis de iuribus & regalibus Beati Petri, tam in Vrbe Roma, quam in reliquis terris & dominijs ad eum pertinẽtibus, ab Imperatore illæſis conſeruandis, deque hominio per eum non exigendo ab epiſcopis; & vt concordia inita inter Eugenium Papam & ipſum Imperatorem ſeruaretur. Verum cum alia ex aduerſo proponerentur ab Imperatore contra Pontificem pro iuribus Imperij, Vrbiſq; dominio; idemque recuſaret ſtare paci cum Eugenio initæ: res prorſus infecta remanſit. Porro narrantur iſta pluribus à Radeuico [a], qui & literas vltro citroque ſcriptas recitat.

a Radeuic. lib. 2. c. 15. vſq. 41.

II. HADRIANI PP. OBITVS.

Interea impoſuit ijs finem Deus obitu ipſius *Hadriani* Papæ, qui Calendis Septembris deceſſit Anagniæ, cum ſediſſet annos quatuor, mẽſes octo, & dies viginti quatuor: indeque Romam vectus, in eccleſia S. Petri ſepultus eſt, vt traditur in Actis eius ſuperius citatis. De cuius obitu ridiculum eſt, quod finxit apud Vrſpergenſem ſchiſmaticus aliquis; nempe factum eſſe, vt cum denunciaret excommunicationem contra Imperatorem, paucis diebus euolutis procedens refrigerandi gratia ad quemdam fontem, haurienſque de potu illius, continuo muſca os eius intrauerit, & ita gutturi adhęſerit vt nullo medicorum artificio auelli potuerit, quoaduſq; ſpiritum exhalaret. Hæc enim plane nugas eſſe, vel inde ſentias, quod numquam poſſit quis aſſerere, ibi Imperatorem ab Hadriano excommunicatum eſſe, ceteris Scriptoribus omnibus eius temporis repugnantibus. Inter quos Dodechinus expreſſe ait, Hadrianum quidem diſpoſuiſſe excommunicare Imperatorem pro coniugij diſſidio, ſed morte præuentum eſſe. Huius autem de muſca fingendæ fabulæ occaſio inde manauit, quod (vt teſtatur Willelmus [b] Tyrius, qui tunc viuebat & ſcribebat) Hadrianus mortuus eſt morbo anginæ. Vnde hoſtes eius, deriſus cauſa, ſcomma illud de muſca iactarunt.

FABVLA DE MORTE HADR.

b Tyr. lib. 18. cap. 26.

III.

c Rec. Baron. Annal. To. XII. hoc an.

HIBERNIA CONCESSA REGI ANGL. SVB CENSV SEDI APOST. SOLVENDO

Reperitur vero eiuſdem diploma [c] ad Henricum Angliæ Regem, de conceſſa illi quam petijſſet, licentia intrandi in Inſulam Hiberniam, ad corrigendos barbaros illius populi mores, extirpanda vitia, & virtutes inſerendas; eademque pro Chriſtianæ religionis augmento tamquam Dominũ poſſidendi; ſaluo tamen eccleſiaſtico

iure,

iure, & ſub conditione penſionis vnius denarij de ſingulis
domibus annuatim ſoluendæ Beato Petro & Sacroſanctæ
Romanæ Eccleſiæ, ad cuius (vt ait) ius eam Inſulam, a-
liaſque omnes quæ documēta fidei Chriſtianæ cepiſſent,
pertinere nemini dubium eſſet. Sed & illud Hadrianus
reliquit poſteris admirandum exemplum, quod nec obo-
lum quidem erogarit in ſuos propinquos; adeo vt & ma-
trem ſuam reliquerit alendam eleemoſynis eccleſiæ Can-
tuarienſis: ſicut teſtatur Ioannes [d] Sareſberienſis, ex ver-
bis Alexandri Papæ in epiſtola ad S. Thomam.

d Inter epi. S. Tho Cantua. lib. 1 ep. 42. cod. Vatic.

IV. Sepulto Hadriano (inquit eius temporis auctor ano-
nymus in codice Vaticano) Epiſcopi & Cardinales tra-
ctaturi de ſubſtituendo ei ſucceſſore, pridie Nonas Se-
ptembris in B. Petri Eccleſia conuenerunt, & per trium
dierum ſpatium de electione, ſicut moris erat, pertra-
ctantes, tandem omnes quotquot fuerunt, præter Octa-
uianum tit. S. Cæciliæ, Ioannem tit. S. Martini, & Guido-
nem Cremenſ. tituli S. Calliſti, presbyteros Cardinales,
in perſonam Rolandi presbyteri Cardinalis tituli S. Mar-
ci & Apoſtolicæ Sedis Cancellarij, natione Tuſci, patria
Senenſis, ex patre Rainutio, vnanimiter conſenſerunt,
aſſentiēte pariter reliquo Clero & Populo Romano, eum-
demque ALEXANDRVM Papam Tertium nomina-
runt; virum vtique prudentiſſimum & omnibus virtu-
tibus ornatiſſimum, atq; in omnes beneficentiſſimum,
ſed & diuininis humaniſque literis inſtructiſſimum, pa-
riter & eloquentiſſimum: quem Sanctus Bernardus egre-
gie laudaſſe reperitur cum ab Eugenio Papa electus eſſet
Cancellarius, eidemque Pontificatum ſubobſcure præ-
nuntiaſſe.

ALEXAND. III. ELIGITVR PAPA.

V. Duo autem quos diximus, Ioannes & Guido, cum in
Octauianum intenderēt, ipſum poſt electionem Alexan-
dri procaciter nominarunt, qui ad Apoſtolicam iamdiu
Cathedram aſpirauerat. Adeo vt cum neglecta ipſorum
nominatione, reliqui Alexandrum fugientem, & omni-
no reluctantem, Papali manto induerent, ipſe Octauia-
nus in tantam proruperit veſaniam, vt mantum ipſum
tamquam arreptitius à collo eius violenter abſtulerit, &
ſecum aſportare tentauerit. Sed cum ab alijs ei ereptum
eſſet, ipſe aliud quod per Capellanum ſuum paratum ha-
beri iam antea prouiderat, ſumpſit; reſeratiſque portis
eccleſiæ, conductos milites introduxiſſet opera quo-
rumdam Senatorum quos pecunia corruperat, & fa-
uore illorum, qui Friderico Imperatori adhærerent, cui
& ipſe contra Pontifices, ipſamque Romanam Eccle-
ſiam, & Collegium Cardinalium, addictiſſimum ſem-
per ſe exhibuiſſet; nec niſi eius auxilio fretus (vt poſtea
declarauit) tantum nefas attentare præſumpſiſſet. Horum
autem metu Epiſcopi & Cardinales in munitionem Ec-
cleſiæ cum Alexandro Electo ſeſe recipientes, ibi nouem
diebus, ne poſſent exire, ab Octauiani ſatellitibus ob-
ſeſſi ſunt.

V. OCTAVIANVS ELIGITVR ANTIPAPA.

VI. Donec inſurgente pro ipſis vniuerſo populo, & in O-
ctauianum conclamante; eumdemque inuaſorem & hæ-
reticum proclamante, inde educti, rurſumque in arctio-
rem cuſtodiam incluſi, & ex ea pariter erepti; cum magna
hominum frequentia in vigilia S. Matthæi Nymphas non
longe ab Vrbe peruenerunt: vbi ſimul congregatis Sabi-
nenſi, Oſtienſi, Portuenſi, Albanenſi, alijſque Epiſcopis,
necnon Cardinalibus presbyteris & diaconis, ſimulque
Abbatibus, Iudicibus, Scriniarijs, & Primicerio cum
Schola Cantorum, Nobilibus quoque, & plurima parte
Populi Romani, ALEXANDER ab Epiſcopo Oſtienſi, ad
quem ſolum Romani Pontificis conſecratio pertinet, cō-
ſecratus eſt in Summum Pontificem, & ſecundum mo-
rem regno coronatus. Cum ex alia parte ipſe quoq; Octa-
uianus, cum ſuis Ioanne & Guidone, Eccleſiam S. Petri
occupans, poſtquam per ſpatium quatuor hebdomadarū,
tam per ſe, quam per milites, & conſanguineos ſuos (erat
enim patria Romanus, genereque nobili, nempe ex Tu-
ſculanorum Comitum genere oriūdus) inceſſanter labo-
raſſet pro alliciendis ad ſe aliquot Epiſcopis, à quibus cō-
ſecraretur; tandem reperto Malphitano quodam Epiſco-
po fugitiuo in finibus Anconæ latitante, & Epiſcopo Fe-
rentinate iam olim Alexādri inimico, atq; Ioanne Tuſcu-
lano, qui cum prius cōſenſiſſet in electionem Alexandri,
poſtea ab eo defecit; idem Octauianus ab his execratus
magis quam conſecratus eſt, & *Victor* nuncupatus. Nar-
rantur hæc omnia in prædicto codice Vaticano; iiſdemq;
ferme verbis in epiſtola ab ipſo Alexandro tunc ſcripta,
cum nondum Octauianus conſecratus eſſet, ad Epiſcopū
& Clerum ac Doctores Bononiæ, quam recitat Radeui-
cus [e]: quod genus literarum, ex more, mutatis titulis, ab
eodem ad diuerſas per Catholicum Orbem eccleſias, ad
rerum geſtarum certiorem ſignificationem eſſe miſſum
exiſtimamus.

VI. CARDIN. CARCER.

ALEXANDRI PP. CONSECRATIO.

OCTAVIANI ANTIP. EXECRATIO.

e Radeuic. lib. 2. c. 51.

VII. Habet vero inſuper iiſdem ſuis literis Alexander, ſe O-
ctauianum die octauo à conſecratione ſua (quem termi-
num ei ad vnitatem eccleſiæ redeundi pfixerat) tanquam
inobedientem & contumacem, ſimulque illos qui ei ma-
nus præſumerent imponere, de communi Epiſcoporum
& Cardinalium conſenſu ſolemniter in Eccleſia excom-
municationis vinculo adſtrinxiſſe. Sicut & id ipſum ad-
uerſus Alexandrum, & qui ei adhærerent, præſumpſiſſe
Octauianum. Radeuicus [f] tradit: à quo etiam recitantur [g]
aliæ literæ Circulares ab eodem Octauiano, rurſumque
aliæ à quinq; Cardinalibus ei inhærētibus ſcriptæ de eius
promotione: ſed tot patentibus mendacijs refertæ, vt pla-
ne appareat dictatas eſſe à patre mendacij. Sed potuit ad
tempus veritas eiuſmodi obſcurari tenebris, non autem
extingui penitus, quin clarioribus lucis radijs vniuerſam
ſuo tēpore illuſtrarit eccleſiam. Sicut & his ipſis primor-
dijs, qui ex parte Catholica erant S.R.E. Cardinales, legi-
timi promotores Alexandri, numero longe ſuperiores,
probitate potiores, iuſta cauſa potentiores, & ſtylo ſim-
pliciores, haud defuerunt officio, quin cuncta quæ geſta
eſſent, cum alijs vniuerſis, tum ipſi Imperatori ſignifica-
rent, datis ad eum literis, quæ recitantur, licet maxima ex
parte mutilatæ, apud eumdem Radeuicum [h]; ſcriptæ ipſæ
à viginti duobus qui ibi nominantur Cardinalibus nem-
pe quinque Epiſcopis, octo presbyteris, & nouem diaco-
nis; quotquot tunc erant, præter pauculos illos ſchiſmati-
cos ſuperius recenſitos, quibus etiam literis iidem queſti
ſunt de eo quod Otto Comes Palatinus ab Imperatore
miſſus, tam Alexandrum, quam ipſos ei adhærentes Car-
dinales, plurimum exagitaſſet, & Octauiano ſchiſmatico
Campaniam & Patrimonium Beati Petri ſubdere ſtuduiſ-
ſet. At nihilominus Fridericus propenſiſſimus erga Octa-
uianum, nihil non molitus eſt, quo illi poſſet ſtabilire ſe-
dem. Quin etiam cum Alexander (vt traditur in eius Actis
ſuperius citatis ex codice Vaticano) Nuntios ſuos ad eum
apud Cremam exiſtentem miſiſſet, pro reuocando eo ad
concordiam eccleſiæ, idem nimio ſuperbiæ faſtu inflatus,
non ſolum legere literas ſpreuit, ſed & furore repletus
Nuntios ipſos, niſi Duces Bauariæ & Saxoniæ, obſtitiſ-
ſent, ſuſpendere nequiter voluit: & quamuis tandem iſto-
rum ſuaſione Principum Nuntios coram ſe venire, & lite-
ras Pontificis legi permiſerit, nihil tamen ad eos dignatus
eſt reſpondere lætum. Hæc ibi auctor.

OCTAV. AN. CVM SVIS EX-COMMVNICATVR AB ALEX.

f Ibid. c. 54.
g cap. 52.

h cap. 53.

FRID. IMP. FAVET OCT. ANTIPAPÆ.

VIII. Sed Radeuicus [i] ſui Imperatoris ſtudioſus, tradit eum
ancipiti malo noui ſchiſmatis permotū conſilio Principū
decreuiſſe dare operā, ne quid exinde ſeu ſtatus eccleſiæ,
ſeu Reſpublica Imperij detrimenti caperet. Quamobrem
haud exiſtimantem ſine iudicio eccleſiæ eam controuer-
ſiam terminari poſſe, ſed & putantem auctoritatē congre-
gandi Concilij, exemplo antiquorum Imperatorū Theo-
doſij, Iuſtiniani, Caroli, ſibi congruere; literis Circulari-
bus Synodum Papiæ celebrandam in Octaua Epiphaniæ
indixiſſe, & ad eam omnes Imperij, aliorumq; Regnorum
Antiſtites inuitaſſe, atq; etiam ipſos Alexandrum & Octa-
uianum per Epiſcopos Pragenſem & Verdenſem ad eam-
dem citaſſe. Hæc ille. Sed quod ait de antiquis Impera-
toribus Synodos indicentibus; ita quidem illi, ſed nō vt Ro-
manæ eccleſiæ hoſtes Imperatores, qualem ſe eſſe Fride-
ricus multis argumētis oſtendit, id feciſſe aliquando legi-
time dici poſſunt; nec niſi ſuadente parte Catholica, videl.
legitimo annuente Pontifice, nec in re adeo indubitata &
perſpicua, ſicut iſta, Concilia congregaſſe noſcuntur.

i cap. 54.

FRID. INDICIT CONCILIVM.

IX. Quomodo vero ijdem Epiſcopi commiſſam ſibi legationem adimpleuerint, exacte narratur in Actis Alexandri. Cum enim (vt aiunt) cogitaret Imperator, libertatis priuilegium ab ipſo Domino eccleſiæ ſuæ conceſſum poſt irritare, & iuxta voluntatis ſuæ arbitrium Pontificem in Sede Apoſtolica collocare, ex fautoribus ſuis prædictos duos Epiſcopos Anagniam direxit ad Alexandrum. Qui cum in præſentia eius, & Cardinalium, aliorumq; plurimorum ex Clero & populo ſediſſent, nulla ei exhibita reuerentia, retulerunt quæ Imperator ipſis mandauerat; literaſq; eius protulerunt, quibus præcipiebat Alexādro, & Cardinalibus qui cum eo erant, vt Papiam conuenirēt ad eius præſentiam, audituri & recepturi quod in ea Curia dictaretur. Quo mandato ijdem turbati, ſed & magis cōmoti quod Imperator literis ſuis Octauianum appellaret Romanum Pontificem, Alexandum vero tantummodo Rolandum Cancellarium; conſilio inter ſe habito, licet viderent grauiſſima ſibi pericula imminere à potentiſſimo Imperatore, tamen diuina virtute roborati, decreuerunt quæcumque diriſſima potius pati quam eccleſiæ defenſionem deſerere. Itaq; reſpondit Legatis Alexander, non eſſe Imperatoris ſine conſenſu Romani Pontificis Concilium conuocare, aut ipſum Pontificem ad Curiam ſuam, tamquā poteſtatem in eum haberet, euocare: cum ab ipſo Chriſto Domino hoc priuilegium S. Petro, & per eum Romanæ Eccleſiæ ſit datum, vt vniuerſarum eccleſiarum cauſas diſcuteret ac definiret, ipſa vero nullius vmquam iudicio ſubiaceret. Quare cum pro eius libertate tuenda Patres proprium ſanguinem effudiſſent, & ipſum quoque Alexandrum pro eadem cauſa extrema quæque ſubiturum. Quo reſponſo indignati Legati, Signiam ad Octauianum accedentes, ad pedes eius ꝓciderunt, & vt legitimum Pontificem adorauerunt. Hæc in illis Actis. Quibus vides, Imperatorem indicentem iudicium eccleſiaſticum, reuera ſæcularem Curiam parare, cui ſic ipſe ꝓſideret epiſcopos auditurus, vt tamen ſententiam quam vellet eſſet pronuntiaturus. Sed & ab eo præiudicatam eſſe ſententiam, dum per ſuos Legatos recepit in Papam Octauianum. adeo vt nullum iam ſubeundum reliquum eſſet iudicium Alexandro, ob idque nullo modo (quamuis aliæ omnes cauſæ ceſſaſſent) in aduerſariorum manus ſe conijcere deberet.

ARROGANTIA EPISCOP. GERM. AD ALEX. MISSORUM.

ALEX. RESPONSIO AD LEGATOS IMP.

LEGATI IMP. HONORANT OCTAVIANUM VT PAPAM.

X. Quod ad res pertinet Orientis; hoc eodem anno defuncto Fulchero Hieroſolymorum Patriarcha, ſubrogatus [k] eſt in locum eius *Amalricus*, nonus Latinorum ordine numeratus. Habebant enim & Græci ſuos ſchiſmaticos Patriarchas, tam Hieroſolymorum quam Antiochiæ; ſed titulo tenus, cum illic conſiſtere non valerent: ſicut docet Theodorus Balſamon in Nomocanone [l].

k Tyr. l. 19. cap. 1. — PATRIAR. GRÆCI NOMINETENUS. — l Balſam. in can. 16. Syn. Antioch.

IESV CHRISTI AN. 1160.

FRIDER. 6 MANVELIS 18.

ALEXAND. III. AN. 1.

I. ANno Chriſti milleſimo centeſimo ſexageſimo, Indictione octaua, indictum ab Imperatore Friderico *Conciliabulum Papiæ*, celebrandum octaua Epiphaniæ, dilatum fuit vſque ad diem feſtum Purificationis Sanctiſſimæ Dei-Genitricis MARIÆ, vt tradit qui aderat Radeuicus [a]. Poterat ſane (inquit Willelmus Neubrigenſis huius tēporis ſcriptor fidelis & accuratus) ſciſſura illa cito reſarciri, poterat multitudini paucitas cedere atque vniri, niſi Fridericus Imperator veteri odio Rolandi Alexandrum non ferens, partem Octauianam tuendam fouendamq; ſuſcepiſſet. Deniq; ſuæ ditionis Epiſcopos, ſcil. Italicos & Teutonicos, præcepit Papiam conuenire tamquam ad diſcuſſionem & examen, cuiuſnam partis merita præponderarent; re autem vera, vt Alexandri parte depreſſa, partem alteram approbantes, Victoris præmaturam victoriam celebrarent. Porro dictus Victor tamquam ſubiturus iudicium affuit: Alexander vero præiudicium quod ei ſub nomine iudicij parabatur, non ſolum caute, ſed etiam libere recuſauit. Congregati vero epiſcopi, alijque inferioris ordinis Prelati in gratiam Imperatoris, qui cum ſuis Ducibus terribilis aderat, quæcumque cauſam Alexandri iuuare poterant, ſilentio ſupprimentes, quod pro parte altera minus de veritate ſuppetebat, arte ſuppleuerunt. Hæc ſummatim Neubrigenſis de rebus in conuenticulo geſtis: quas fuſius recenſet Radeuicus [b], qui aderat, ſed in Imperatorem ſuum propenſior viſus: licet rerum ambiguus, & conſcientia repercuſſus, quod ſciret Acta Conciliabuli haud firma ſoliditate ſubſiſtere, de iudicando eiuſmodi Epiſcoporum iudicio liberum vult eſſe Lectorem: ſicut & ipſo hiſtoriæ ſuæ initio, de diſcordijs inter Fridericum & Romanos Pontifices, conteſtatus eſt ſe ſcripta hinc inde exarata operi ſuo inſerere voluiſſe, vt nō ipſius aſſertionibus, ſed ipſarum partium proprijs ſcriptis inductus Lector, eligeret vtri ſuum vellet accommodare fauorem.

CONCILIABULUM PAPIENSE. — a Radeuic. l. 2. cap. 62. & ſ. — b cap. 64. & ſeqq.

II. In primis vero, quod ad numerum ſpectat Epiſcoporum qui prædicto interfuerunt Conciliabulo, quinquaginta tantummodo conuenisſe, idem auctor tradit, præter ingentem numerum Abbatum & Præpoſitorum. Ex quibus poſſis intelligere, quod licet Fridericus literis ſuis inuitaſſet epiſcopos totius imperij ac regni ſui, necnon (vt in literis indictionis videre eſt) Franciæ, Angliæ, Hungariæ, Daciæ, tamen reliquos omnes venire diſtuliſſe, ſiue quod ſcirent non eſſe Imperatoris Concilium indicere, ſiue quod audiſſent eum ſuſceptione Octauiani iudicium epiſcoporum anteuertiſſe. Poſt hæc vero tradit Radeuicus ſeptem diebus cauſam ventilatam eſſe, tandemque Octauiano, qui præſens erat, & habebat qui partem eius defenderēt, ceſſiſſe litis victoriam, & pro ipſo Concilium ſiue Curiam dediſſe ſententiam, condemnato Rolando & reprobato. Hæc Radeuicus: qui poſt hæc epiſtolam quandam nomine Canonicorum baſilicæ S. Petri, aliaſq; nonnullas ſcriptiones & teſtium auditiones pro legitima electione Octauiani ab eodem inuaſore procuratas, & pro arbitrio Imperatoris commentas, atque in Conciliabulo approbatas, legendas ſubijcit.

NUMERUS EPISCOP. CONCILIAB.

DAMNATUR ALEX. PROBATUR OCTAVIAN.

III. Quæ quidem omnia, etſi vera certaque probari potuiſſent, quæ falſiſſima fuiſſe conſtat, tamen nec ex ijs affirmari potuit, Octauianum legitimum eſſe Papam, cui Cardinales non niſi tres ſuffragijs ſuis affuiſſent: cum vigeret Conſtitutio [c] Nicolai Papæ Secundi, prohibens omnino, ne ſine Epiſcopis Cardinalibus electio Romani Pontificis fieri poſſet, per quos alij Cardinales presbyteri ac diaconi adhiberentur: ceteraque ſtarent iura pro eorumdem Romanorum Pontificum electione à prædeceſſoribus conſtituta, quorum auctoritate maioris partis Cardinalium deberet adhiberi conſenſus. At in Octauiano reſragantibus omnibus epiſcopis Cardinalibus, vno excepto Tuſculano qui reſilijt ab Alexandro, & contradicentibus omnib. presbyteris & diaconis duob. dumtaxat exceptis; quomodo potuit eius facta intruſio vel inuaſio approbari? Omitto dicere de Epiſcopo Oſtienſi, per quem deberet conſecrari Papa, & alia plura quæ requirerentur in legitima electione, de quibus omnibus nec vnum quidem inueniri poteſt in Octauiano eſſe adhibitum. Eadem vero cum rite facta eſſent in Alexandri electione, nihilominus Epiſcopi Conciliabuli, opera principis tenebrarum collecti, & eius ſpiritu ducti, in tam clara luce cæcutientes, peruulgandam in orbem terrarum ſententiam conſcripſere, qua eumdem Octauianum, Victorem dictum, legitimum declararunt Pontificem, Rolandum autem Cancellarium (nempe Alexandrum) ſchiſmaticum, & excommunicatum, vna cum eius fautoribus, tum quod peremptorie citatus, cauſæ ſuæ diffidens noluiſſet comparere, tum ob coniurationem cum hoſtibus Imperatoris aduerſus illum factam. Hæc quidem illi: quorum ea de re circularem epiſtolam recitat Radeuicus: eidemque præter Antiſtites qui interfuerunt, conſenſiſſe ponuntur per Legatos, Archiepiſcopi Biſantinus, Arelatenſis, Lugdunenſis, & Viennenſis; necnon Reges Anglorum, Hungarorum, Boemorum, & Danorum. Hiſque ſubijcit idem auctor alias Epi-

OCTAVIANI ELECTIO SPURIA, ALEX. VERO CANONICA. — c Vid. ſup. an. 1059.

ALEX. CUM SUIS EXCOMMUNICATUR A SCHISMAT.

ſtolas

ſtolas ipſius Imperatoris, atque Epiſcopi Babenbergenſis, & Præpoſiti de Berthersgaden, eodem tempore Papia ſcriptis ad Eberardum Saltzburgenſis eccleſiæ Archiepiſcopum, eiuſque Suffraganeos, qui Conciliabulo non interfuerant, de rebus in eo geſtis.

IV.

Felix enim morbi neceſſitas coegit tunc temporis ſanctiores Germaniæ Præſules ab his turbis longe abeſſe, nempe ipſum Eberardum Saltzburgenſem, atque Hillinum Treurenſem, quos à cœpto itinere ſuperueniens infirmitas ad propria redire compulit: vt traditur apud eumdem Radeuicum [d]; qui de Saltzburgenſis pietate, miſericordia, aliiſque virtutibus mira refert, quibus multos ad imitationem, omnes ad ſui dilectionem prouocaſſet. Sed plura de eo in ipſius Actis [e]: vbi & traditur, eumdem frementе licet in eum Imperatore, conſtanter perſtitiſſe vſque ad obitum pro defenſione Alexandri, vna cum Harthmanno Brixienſi Epiſcopo, ſuffraganeo ſuo, viro ſanctiſſimo. Tradit quoque epiſtola ſua prædictus Berthersgadenſis Præpoſitus, nonnullos alios ſapientiores primarios Antiſtites, nempe Peregrinum Patriarcham Aquileienſem, & Germaniæ Epiſcopos Eberardum Babenbergenſem, Conradum Patauienſem, & Henricum Ratiſponenſem, eiuſdem Patriarchæ imitatione, ita propter Imperij (vt ait) neceſſitates ſubſcripſiſſe receptioni Octauiani, vt tamen ſuam ipſorum ſententiam ſubiecerint cenſuræ in poſterum ab Eccleſia Catholica faciendæ. Sicut & ipſe auctor Radeuicus, quem hæc omnia collegiſſe diximus, libens volenſque hic finem ſcribendi fecit. Vbi enim audiuit Fridericum Imperatorem ſententia Alexãdri anathemate eſſe mulctatum, (de quo dicetur paulo poſt) detectiſque mendacijs ſchiſmaticorum, eumdem Alexandrum in eccleſia Catholica recipi atque coli Pontificem; deſtitit Imperatoris res geſtas vlterius proſequi, quem videret extra Eccleſiam perditum errantem. Qua etiam cauſa (vt apparet) Guntherus Ligurinus nobilis huius temporis Poeta, cum rerum ab eodem Friderico geſtarum heroico carmine hiſtoriam decem in hunc vſque eius Imperij annum libris conſcripſiſſet, & vlterius proſequi (vt profitetur) inſtituiſſet; turpitudine rerum cohibitus iſtiuſmodi Conciliabulum Papienſe omnino prætеrijt. Qui tamen quod à parte Catholicorum firmiter ſteterit, non defuit, quantum licuit, conſulere veritati, dum eadem ſua ſcriptione manifeſte probauit Alexandri electionem, & reprobauit Victoris intruſionem.

d cap. 72. 73. LAVDES ARCHIEP. SALTZBVRG. *e ap. Caniſ. Antiq. Lect. to. 2.*

SENTENTIA LIMITATA PRÆSTITORVM ANTISTITVM.

RADEVIC. ET GVNTHERI CONSILIVM IN HIS SCRIBENDIS.

V.

Quod autem Willelmus S. Petri ad Vincula presbyter Cardinalis, Papienſis à patria dictus qui neſcimus qua occaſione ibidem Papiæ erat apud ſuos dum eiuſmodi agitaretur conuenticulum ſchiſmaticorum, non vt par erat Imperatori in faciem reſtiterit, nec Epiſcopis illuc confluentibus aduerſatus fuerit, ſed tacuerit omnino; ex hoc ingentem contraxit infamiæ notam, ob quam poſtea Thomas Archiepiſcopus Cantuarienſis eum habere iudicem penitus recuſauit, & Ioannes [f] Saresberienſis vt nunc [illegible] crimen obiecit. Ceterum idem Willelmus, cum eſſet vir eloquentiſſimus, tunc laboraſſe creditus eſt angina Demoſthenis: declamauit autem poſtea contra ſchiſmaticos, vbi nullus metus vrgeret, de quo dicetur anno ſequenti. Non ſic quidem Petrus Archiepiſcopus Tarentaſienſis, olim diſcipulus S. Bernardi, monachus Ciſtercienſis Ordinis, potens opere atque ſermone: qui cum eſſet tunc quoque apud Imperatorem, rogans pacem pro Mediolanenſibus (vt conſtat ex prædictis ipſius Imperatoris literis ad Eberardum Saltzburgenſem) quamuis deuotiſſimis coleretur ab Imperatore officijs, cerneretque reliquos Præſules Gallicanos ipſi vicinos, quos nominauimus, ſubſcripſiſſe pro Octauiano; tamen ipſe palam reſilijt, immo & Imperatorem redarguit, erexitque pro Alexandro vexillum prædicationis, atque (vt ait Gaufredus [g] in eius Vita) plurimos ex circumpoſitis Eccleſijs reuocauit ad Catholicam vnitatem, vicinas vndique prouincias penetrans, & obſtinatos hæreticæ arguens prauitatis: quem nihilominus Imperator non minori obſeruantia proſecutus eſt, quam ſæuitia

DE IOANNIS [illegible] SILENTIO CARD. PAPIEN. IN CONCILIAB.

f Ioan. Sareſb. ep. 48. & 70. cod. Vatic.

PETR. ARCHIEP. TARENTAS. RESISTIT IMPERAT.

g ap. Sur. 8. Maij to. 3.

Catholicos perſecutus ceteros circumquaque. Hæc ibi: ſed de illo ſurſum inferius.

VI.

Quid vero poſt finitum Conciliabulum actum fuerit, narrant Alexandri Papæ Acta ſuperius citata: nempe Fridericum per totum ſibi ſubiectum Imperium miſiſſe edictum, vt Eccleſiarum Prælati ad idolum quod erexerat, adoraturi accederent, & quiſumque detrectarent, in exilium abſcederent: factamque inde eſſe ingentem turbationem, fugientibus Catholicis, & Eccleſias proprias ac patriam relinquentibus; in quorum loca violenter intruſi ſunt Octauiani complices. Cum autem Alexander eumdem Imperatorem benigne ac frequenter admonitum, à ſua perfidia non poſſet vllatenus reuocare; vna cum Epiſcopis & Cardinalibus, in Cœna Domini apud Anagniam, ipſum tanquam principalem Eccleſiæ perſecutorem excommunicationis vinculo ſolemniter innodaſſe, & omnes eius ſubditos, ſecundum antiquam prædeceſſorum conſuetudinem, à iuramento fidelitatis ei præſtito abſoluiſſe; atque in Octauianum, & eius complices iamdiu prolatam excommunicationis ſententiam innouaſſe.

EDICTVM IMP. PRO ANTIPAPA.

IMP. ET ANTIP. EXCOMMVNICANTVR AB ALEX.

VII.

Addunt inſuper, quod cum idem Alexander intellexiſſet, multos Prælatos & Principes à ſchiſmaticis circumuentos eſſe exquiſitis mendaciorum figmentis; vtile ei conſilium viſum fuerit, nonnullos Cardinales in diuerſas Orbis prouincias ex latere ſuo deſtinare, per quos vniuerſi Fideles cognita veritate in vnitate Catholica ſolidarentur. Nominanturque ibidem ij qui tunc in partes Galliarum & Hiſpaniarum, necnon ad Hungaros, atque etiam ad Imperatorem Conſtantinopolitanum, & in Palæſtinam ac Syriam miſſi ſunt: quorum opera factum traditur, vt non ſolum Ludouicus Chriſtianiſſimus Rex Francorum, cuius (vt ibi dicitur) regnum nunquam in ſchiſmate pollutum recoleretur, vna cum Henrico Anglorum Rege Alexandrum receperint, ſed & Reges Hiſpaniarum, Siciliæ, Hieruſalem, Hungariæ & Græcorum Imperator Conſtantinopolitanus, cum Patriarchis, Epiſcopis, Principibus, & vniuerſo Clero & populo eis ſubiecto, ad eumdem Pontificem pari modo conuenerint: Soluſque Fridericus Imperator cum ſuis complicibus in erroris ſui pertinacia perſtiterit, acriter perſequẽs Alexandrum, & alios Eccleſiarum Prælatos qui pro eo viriliter ſtabant. Hæc ibi. Quomodo vero adueniente in Palæſtinam Ioanne Cardinale Legato Alexandri, habitoque eadem re apud Nazareth vna cum Rege & Patriarcha Hieroſolymitano, aliorum quoque Prælatorum & Principum *Conuentu*; poſt varias diuerſorum ſententias, illa tandem præualuerit, vt Legatus reciperetur, & in eo Alexander, narrat pluribus Tyrius [h].

OMNES RECEPERVNT ALEX. IN PAPAM.

h Tyr. l. 18. cap. 29.

VIII.

Ecõtra vero qui Antipapam recepit in legitimum Pontificem Fridericus Imperator, plurimum quoque laborauit, vt alios Reges vna ſecum in eumdem errorem adduceret. Siquidem eum pertentaſſe Reges Francorum & Anglorum, Neubrigenſis tradit; confirmaturque ex epiſtolis Arnulphi Lexouienſis in Northmannia Epiſcopi, viri cum primis eruditi, ſcriptis ad ipſum Alexandrum Papam, & ad S.R.E. Cardinales Catholicos de conatibus Friderici aliorumque ſchiſmaticorum pro introducendo Octauiano, atque officijs ipſius Arnulphi, aliorumque Catholicorum pro Alexandro: quibus ita proceſſum eſſe teſtatur, vt retectis ſchiſmaticorum fraudibus, necnon quorumdam mundanæ aſtutiæ conſilijs, ſuadentium vt potius alterutrius expectaretur obitus, quam in re dubia ſubijceretur tertiatis caſibus tãtorum maieſtas Principum, atque interim poſſe religionem Epiſcoporum per ſingula regna ſufficere, donec diuina voluntas ſignis euidentioribus appareret; nihilominus ijdem Reges, & vniuerſi eorumdem ditionum Epiſcopi & populi, Alexandrum in legitimum Eccleſiæ Romanæ & Catholicæ Pontificem ſuſceperint; eorumq; exemplum ſecuta mox fuerint Hiſpaniæ, Hiberniæ, & Noruegiæ regna. Hæc Arnulphus. Ad quem Anagnia reſcribens [i] Alexander poſt infame Concilium Papienſe Calendis Aprilis, de his quæ ibi geſta eſſent eum certiorem reddidit; nonnullaq;

IMP. FRVSTRA TENTAT REGES FRAN. ET ANGL. ADVERSVS ALEX.

i Ext. inter ep. Arnulphi.

OCTAVIAN. ACCEPIT INVESTITVRAM PAPATVS AB IMP.

habet, quæ præ pudore ſchiſmatici ſilentio reliquere ſepulta: & inter cetera, quod ait Octauianum ibi accepiſſe inueſtituram Papatus ab Imperatore per annulum: (quod erat à ſæculis inauditum) eumdemq; Imperatorem quoſdam prudentiores Epiſcopos occulte de illo conciliabulo fugientes, reuerentiam ei exhibere vi tyrannica coegiſſe. Monet demum (quod iam ex ipſius Actis vidimus) ſe eumdem Imperatorem, quia pertinaciter Octauiano adhibebat, cum ipſo Octauiano, alijſque præcipuis eius fautoribus in Cœna Domini publice ſolemniter excommunicaſſe.

IX.

Quod autem his quoque literis vices ſuas Alexander Arnulpho delegauerit, qui egregie pro Catholica veritate rem ageret; idem vt partes ſibi creditas impleret ad Archiepiſcopos & Epiſcopos Angliæ egregiam ſcripſit Epiſtolam, cum eos Rex Angliæ de his conſulturus eſſet: qua quidem eos de omnibus quæ hactenus geſta eſſent certiores reddens, hortatur ad partes Alexandri (quem verum & legitimum Pontificem eſſe demonſtrat) abſque aliqua ambiguitate ſectandas; idque maxime exemplo

ECCLESIÆ GALLICANÆ LAVS.

Eccleſiæ Gallicanæ, *quam ſemper Deus & agnitione veritatis illuſtraſſet & pedes eius à iuſtitia tramite nullatenus aberrare permiſiſſet: adeo vt ſicut omnes, quos ad oppreſſionem Romanæ Eccleſiæ rabida Teutonici furoris prouexerat inuidia, virtus Altiſſimi manifeſta deieciſſet, ſic omnibus quos deuotio Gallicana ſuſciperet, victoriam ſemper contuliſſet & triumphum: quippe cum cetera regiones abundaſſent portentis, ſola Gallia monſtra non habuiſſet, ſed ſinceritate fidei, doctrinæ veritate, virtutum titulis, & plurima operum exhibitione præfulſiſſet.* Hæc Arnulphus in laudem Eccleſiæ Gallicanæ, quæ de conſenſu Regis ſui iam Alexandrum ſuſcepiſſet; ſicut & ipſam Anglicanam cum ſuo Rege mox feciſſe conſtat. Porro inter alios Galliarum Epiſcopos, qui receptionem Alexandri prouexerunt, fuiſſe præcipuum Willelmum Archiepiſcopum Senonenſem, docet epiſtola [k] Petri Bleſenſis ad eum ſcripta: cuius etiam teſtificatione [l] apparet, eumdem poſtea de Senonenſi tranſlatum ad Rhemenſem Eccleſiam, pro Sancto Thoma Cantuarienſi ſtrenue egiſſe. Inter monachorum autem Ordines, Carthuſienſes primos ante omnes Alexandrum pro vero Pontifice ſuſcipiendum confirmaſſe, traditur in Rebus [m] geſtis Sancti Anthelmi Epiſcopi Bellicenſis, qui eis auctor eius rei extitit.

k Pet. Bleſ. ep. 28.
l Id. ep. 122.
m Ap. Sur. 26. Iunij.

X.
SEVERVM CHRISTI IVDICIVM ADVERSVS SCHISMATICOS.

Sed & qui præeſt Eccleſiæ Chriſtus; cui omne iudicium dedit Pater, Deum vltionum dominum oſtendit ſe inimicis ſuis, qui abuſi ſunt miſericordia eius. Inter quos, Schiſmaticis anteſignanus, conſultor peſſimus, Arnoldus, Archiepiſcopus Moguntinus, à Conciliabulo rediens, hoc ipſo anno in die Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ, à Moguntinis occiſus eſt: vt tradit breuiter Robertus in Appendice ad Sigebertum, deſcribit vero fuſe lugubrem tragœdiam Conradus Epiſcopus in Antiquo Chronico rerum Moguntiacarum: vbi etiam traditur, ciuitatem Moguntinam denudatam fuiſſe ab Imperatore mœnibus, in vindictam necati Epiſcopi. Dicendum vero ſuis locis inferius de alijs huius ſchiſmaticis architectis, quos vltio diuina exitu miſerando ſubtraxit. Qua de re etiam agens Arnulphus Lexouienſis in prædicta ad Cardinales epiſtola, ait in eos qui ab vnitate Alexandri diſſentirent, vltionem diuinam manifeſte proceſſiſſe: ipſumque Fridericum Imperatorem, cui ſimilem Principem à multo tempore Roma non habuiſſet, cuiuſque fere vſque ad remota Orientis terror exceſſiſſet, à die ſuſceptionis Octauiani, diuino cœpiſſe iudicio reprobari, adeo vt ij quos ante ſecuros mœnia non reddebant, congredi cominus auſi ſint, & ei de proſperitate ſucceſſuum inſultare. Nam in actis Alexandri traditur, antequam Imperator ad colloquium Regis Francorum (de quo poſtea) accederet, Venetos cum Veronenſibus & Longobardis ciuitatibus fœdus aduerſus eum iniſſe, cumque idem contra eos exercitum duxiſſet, coactum fuiſſe abſque pugna aufugere. Sed de grauioribus malis atque ludibrijs quæ poſtea paſſus eſt, dicetur ſuis locis.

VENETI CVM LONGOB. FOEDVS INEVNT ADVERSVS IMP.

IESV CHRISTI ANN. 1161.

FRIDERICI 7. MANVELIS 19.

ALEX. III. AN. 2.

I.
DVO CONCILIA SVB DVOBVS REGIBVS PRO ALEX. PP.

ANNO Domini milleſimo centeſimo ſexageſimo, primo, Indictione nona, menſe Maio (inquit Robertus in Appendice ad Sigebertum) pax facta eſt inter Reges Henricum Angliæ & Ludouicum Franciæ: & menſe Iulio Henricus congregauit omnes Epiſcopos Northmanniæ, & Abbates, & Barones, apud *Nouummercatum*; ac Ludouicus adunauit ſuos *Bellouaci*: & ibi tractantes de receptione legitimi Pontificis, conſenſerunt Alexandro, reprobato Victore. Hæc ille breuiter. Quamuis enim iam (vt vidimus) ijdem Reges multis teſtimonijs declaraſſent, ſe fauere Alexandro; quod tamen bello inter ſe decertarent, nec facile poſſent Epiſcopos ſuos congregare, quorum auctoritate hoc decerneretur, dilata hactenus fuerant publicandæ ſuſceptionis edicta: vt docet Arnulphus Lexouienſis Epiſcopus in epiſtola ad Angliæ Epiſcopos de qua dictum eſt anno ſuperiori. Porro pacem inter Reges compoſitam eſſe opera Sancti Petri Tarentaſienſis Archiepiſcopi, legatione ad hoc fungentis Alexandri Papæ, traditur in Rebus [a] ipſius geſtis: vbi & plurima recenſentur ingentia ſanationum miracula, quæ per ipſum in his partibus tunc operatus eſt Deus, ad inſinuandam atque omnibus declarandam legitimam electionem Alexandri Papæ, à quo ipſe Petrus miſſus erat.

PETRI TARENTAS. MIRACVLA.
a Ap. Sur. 8 Maij c. 14. & ſeq.

II.
ADIVDICATA CAVSA ALEXANDRO CONTRA OCTAVIAN.

Pace vero inter Reges facta, vt de veritate electionis plenius cognoſceretur, opera amborum Regum factum eſt ab eorum Epiſcopis, vt ab vtraque parte Alexandri & Victoris Legati adeſſent, qui pro cauſa ſua perorarent: traditque Neubrigenſis, adfuiſſe pro Victore duos ipſius electores, ac præcipuos complices, Guidonem Cremenſem, & Ioannem de S. Martino; pro Alexandro vero Henricum Piſanum, Ioannem Neapolitanum, & Willelmum Papienſem, Cardinales: cum autem primo Ioannes Cremenſis pro Victore egiſſet, Willelmuſque Papienſis quæ ille protuliſſet, in ipſum ita retorſiſſet, vt proprijs irretitus ſermonibus videretur; in eo mutuæ altercationis quaſi duello, totius ita negotij veritatem claruiſſe, vt quamuis ijdem Principes valde à Friderico Imperatore ſollicitarentur, vt ad perpetuandam mutuam amicitiam ſibi in recipiendo Victore Concordes exiſterent; tamen neuter vlterius cunctari voluerit, repudiato Victore Alexandrum recipere, & cum regnis ſibi ſubditis ei tamquam Patri parere: ſicque ſchiſmaticis cum dedecore diſcedentibus, Principes & Pontifices lata ſolemniter in Victorem eiuſque fautores excommunicationis ſententia, Conuentum ſoluiſſe. Hæc Neubrigenſis.

OCTAVIAN. EX COMMVNICATVR.

III.
CONCILIABVL. LAVDENSE.

Ex altera vero parte eodem ferme tempore, nempe menſibus Iunij & Iulij huius anni (quod narrat Otto Morena in Chronico Laudenſi) idem Antipapa Octauianus, & Victor dictus, vna cum Imperatore, alijſque Epiſcopis & Principibus ſuæ partis, *Laudæ* Conciliabulum habuit, in quo fuere confirmata, quæ anno ſuperiori Papiæ ſtatuta fuiſſent de electione ipſius Octauiani. Sed veritate cognita, reſilierunt plurimi ex Præſulibus & Principibus, qui ibi recenſentur à Morena, & ipſo inhærente Victori contra Alexandum.

IV.
ALEX. PP. NAVIGAT IN GALLIAS.

Quod ad Alexandrum ſpectat; ipſe hoc eodem ſecundo Pontificatus ſui anno (vt tradunt eius Vitæ Acta) Romam reuerſus, cum propter ſchiſmaticorum ſeditiones haud ibi quiete valeret permanere, in Campaniam redijt: & quoniam ſchiſmatici armis Imperatoris cuncta fere Eccleſiæ Romanæ loca occuparant conſilio cum ſuis habito, ad ſolitum aſylum in Galliam tranſire deliberauit; ordinatoque in Vrbe Vicario Iulio Prænestino Epiſcopo, & alijs rebus diſpoſitis, intraturus mare cum reliquis Cardinalibus Tarracinam perrexit. Vbi inuentis triremibus Regis Siciliæ optime inſtructis, quas ille ad ipſum miſerat, vix eas conſcendit, cum ventus validus ſubito irruens ipſas inter procellas conquaſſatas ad ſaxa littoris impulit, vbi abſque vlla iactura hominum vel ſarcinarum ſunt diſſolutæ. Ipſe autem Pontifex modico tem-

pore

Digitized by Google

pore reparatis omnibus, infra Octauas Natiuitatis Dominicæ rurſum mare intrauit. Hæc ibi: ſed de itinere dicetur anno ſequenti. De cauſa vero ipſius, præter ea quæ dicta ſunt, habet Willelmus [b] Neubrigenſis, Alexandrum ſuſcepiſſe profectionem in Gallias, quod licet eum totus Orbis veneraretur Latinus, præter terras Imperatoris ſubditas poteſtati; vias tamen obſidentibus hoſtibus periculoſiſſimus ad ipſum eſſet acceſſus pro neceſſitatibus Eccleſiaſticis.

b Neubrig. l. 2. c. 14.

V. Rex Sicil. conſulit ſibi ſuſcipiendo Alex.

Porro quod audiſti propenſiſſimum ſtudium Willelmi Siciliæ Regis erga Alexandrum: etſi is cetera Malus & re & cognomine, in hoc tamen probus & prouidus extitit, vt fœdere ſibi iungeret Alexandrum, quem niſi habuiſſet amantem, Maionis Ammirati tyrannide inuolutus facile diſpendium regni paſſus eſſet. Etenim aſſerit Hugo Falcandus, qui quæ vidit ſcripſit, Maionem ope Ioannis Cardinalis Neapolitani, multa pecunia tentaſſe impetrare ab Alexandro, vt amoto Rege Siciliæ, Maio in eius locum ſuccederet, ad exemplum (inquit) cuiuſdam Regis Francorum, cui depoſito eo quod inutilis videretur, Romanus Pontifex Pipinum Caroli patrem ſubſtituit. Hæc ibi: quæ licet tentata fuerint, haud tamen eis Alexandrum conſenſiſſe, ſignificarunt euenta. Siquidem ambos ſimul ſeſe mutuis beneuolentiæ officijs frequentaſſe vſque ad obitum, quæ dicturi ſumus oſtendent.

VI. VValdemari Reg. Dan. pietas.

Hoc eodem anno in Dania Rege creato Waldemaro, Canuti Regis & martyris filio, per eum idololatria Rugianorum, Wandalorum, & aliorum finitimorum populorum, eſt ſublata, cultuſque religionis Chriſtianæ mirifice propagatus; adhibito ad opus Abſalone ſuo collectaneo, Epiſcopo Roſchildenſi, inſignis pietatis & miræ virtutis viro. Quæ cuncta cum exactiſſime, ſicut & ornatiſſime, deſcribantur à Saxone [c] cognomento Grammatico, Roſchildenſi Præpoſito, abſque vlla temporum nota; eadem hoc anno Domini geſta eſſe, expreſſe traditur in Rebus [d] geſtis S. Willelmi Abbatis Roſchildenſis, quem idem Abſalon per eundem Saxonem Pariſijs ex conuentu S. Genoueſæ accerſiuit in Daniam, ad reſtituendam illic collapſam regularem diſciplinam.

c Sax. Gram. hiſt. Dan. l. 14.

IESV CHRISTI AN. 1162.

Frider. 8. Manuelis 20.

ALEX. III. AN. 3.

I. Alex. PP. aduentus in Gallias.

ANNO Domini milleſimo centeſimo ſexageſimo ſecundo, Indictione decima, Alexander Papa è Campania in Galliam nauigans, in feſto Sanctæ Agnetis Genuam applicuit: vbi contra prohibitionem Friderici Imperatoris, ab vniuerſo Clero & populo cum honore & gloria ſuſceptus eſt atque tractatus. Inde vero quarta feria poſt Paſcha peruenit Magalonam, & tranſiens ad populoſam Montis Peſſulani villam, ingenti gaudio & reuerentia ſuſceptus eſt à maxima multitudine Prælatorum, & infinita populi copia, qui eius aduentum præſtolabantur. Vbi etiam inter Chriſtianos nobiles, qui accedebant ad eius veſtigia, quidam Saracenorum Princeps figens genua coram eo, deoſculariſque pedibus ipſum adorans, locutus eſt ei ex parte domini ſui Mahometanorum Regis; quem Pontifex honorifice recepit, & circa pedes ſuos inter honoratos conſidere fecit. Hæc Acta Vitæ Alexandri, in antiquo Vaticano codice: vbi additur, poſt hæc Pontificem nutu Regis Galliæ quem per aliquot Cardinales viſitauit, perrexiſſe Claromontem in Aluernia, indeque rurſum ad alia Galliæ loca. In his autem quæ dicta ſunt de Principe Mahometanorum, videas Dei opera, dum non ſolum Chriſtiani Reges, ſed & Saraceni aſſurgunt, & legatione honorifica venerantur Romanum Pontificem, cum illum impius Romanorum Imperator dire perſequeretur, qui Eccleſiæ Romanæ ſe Defenſorem iactabat.

Legat. accipit à Reg. Mahometan.

II. Imp. De-

Interea vero (pergunt Acta) Fridericus videns omnes Orthodoxos Reges & Principes Alexandro reuerentiam exhibere, erubeſcebat in ſeipſo & propria cum accuſante conſcientia confundebatur. Sed cum verecundaretur ab incœpto deſiſtere, ex altera vero parte timeret Imperium amittere ſi Alexander præualeret; in his dubijs conſtitutus, vaſre cogitauit, tam ipſum Alexandrum, quam idolum ſuum Victorem, ſub prætextu ingentium malorum quæ ex diſcordia ipſorum orirentur, iudicio Vniuerſalis Eccleſiæ in ordinem redigere, & tertium quemdam in Romanum Pontificem euehere. Quod vt poſſet perficere, Regi Francorum doli inſcio, pacis autem Eccleſiæ cupido, per Comitem Treienſem perſuaſit, vt ambo conuenirent apud Auenionem in confinio Imperij & Regni, & ipſe quidem ſecum eo deduceret Octauianum, Rex autem Alexandrum, & per congregatam ibidem in vnum Eccleſiam Gallicanam, Italicam, & Teutonicam, de vtroque decerneretur quod rectius & vtilius eſſe exiſtimaretur: reſque iureiurando vtrimque firmata eſt. Statuta igitur die Friderico vna cum Octauiano, Regibuſque Daciæ & Boemiæ, ac magna Principum ſuorum multitudine, & ingenti exercitu, ad locum accedente; Rex quoque vna cum Primatibus, Epiſcopis, ac Baronibus ſuis, ad eumdem locum feſtinans, collocutus in itinere cum Alexandro, vt & ipſe eo proficiſceretur, reſponſum accepit indignum eſſe, & SS. Patrum ſtatutis contrarium, vt Romanus Pontifex & Prima Sedes aliquod humanum ſubiret iudicium; ſatis ſuperque eſſe, ſi nonnulli Cardinales mitterentur ad electionem Alexandri canonicam, & Octauiani illegitimam demonſtrandam: miſſique ad id ſunt quinque Cardinales cum Rege. Sed antequam ipſe ad locum acceſſiſſet, videntes Fridericus & Octauianus, Eccleſiam Gallicanam vna cum Romana contra ſe ſtare, diffidentes conſilijs ac cauſæ ſuæ, rem rurſus in maximum diſcrimen adduxerunt; cum Imperatore per Nuntios Regem inſimulante perfidiæ, quod abſque Alexandro veniret, Rex vt iureiurando ſuo ſatisfaceret, Alexandro ſignificauit vt ſine mora cum ſuis accederet, niſi vellet ipſum Regem ſe cuſtodiæ Imperatoris dedere, prout inter eos fuiſſet iuramento conuentum.

Ioſe circumuenit Reg. Franc.

Oſtentus pacis congreſſus indicitur.

Alex. PP. in magna anguſtia poſitus.

III.

Sed ſubueniens ſuis Dominus in his anguſtijs conſtitutis, inprimis excitauit animum Regis Anglorum, vt in auxilium domini ſui Regis Francorum, quem audiſſet periclitari, cum exercitu accurreret, ac deinde immiſit in exercitum Imperatoris ingentem famem. Quibus rebus turbatus Imperator, occaſionem recedendi quærere feſtinans, Regi per Cancellarium ſuum arroganter ſignificauit, quod cum nullis Eccleſiarum Prælatis iudicium electionis Romani Pontificis competeret, niſi eis qui ſub Romano Imperio exiſterent, ipſe Rex cum Epiſcopis ſuis ad Imperatorem accedere deberent, non vt iudicarent, ſed vt ſententiam Imperatoris audirent, Rex vero hunc faſtum irridens, cum ſcite reſpondiſſet, ſe quoque ac ſuos eſſe de ouibus, quas Dominus Beato Petro, eiuſque ſucceſſoribus commendaſſet; dimiſſis cum contemptu Nuntijs, munitiſque debilioribus regni ſui locis, ad ſedem ſuam reuertit. Alexander autem Pontifex tanto periculo liberatus, viſitatuſque apud Bobienſe monaſterium, & pretioſis muneribus donatus, à Rege Anglorum (qui poſt pedum oſcula, præparatam ſibi ſedem humiliter recuſans, ad pedes Pontificis in terra voluit cum ſuis Baronibus conſidere) in ciuitatem Turonenſem, in feſto S. Michaelis Archangeli peruenit, ibique diuturniorem moram fecit. Hæc pluribus in prædictis ipſius Actis.

Fran. Rex ſcito reſponſo redarguit arrogantiam Imp.

VI. Reges Fran. et Ang. obſequio ſtratoris ſimul inſeruiunt Alex. PP.

Quæ quidem teſtimonium etiam accipiunt, & auctarium, ex appendice ad Sigebertum Roberti de Monte, qui ſuorum temporum res geſtas ſumma fide breuiter perſtrinxit. Ait autem, Fridericum Imperatorem & Ludouicum Regem, cum ſuper fluuium Ararem de pace tractaturi conuenire debuiſſent, repente mutato animo propter ſchiſma Octauiani, infecto negotio ad propria rediſſe. Exinde vero paruo temporis ſpatio interiecto eundem Ludouicum & Henricum Regem Anglorum ſuper Ligerim fluuium conuenientes, Alexandrum

Papam

Papam honore congruo ſuſcepiſſe, & vſos officio ſtratorum, pedites dextra læuaque frenum equi ipſius tenentes, eum vſque ad præparatum habitaculum perduxiſſe: eoque mediante, pacem inter eos firmam reſtitutam eſſe. Hæc Robertus, qui vidiſſe potuit. Siquidem ipſe in obitu Alexandri Papæ anno Redemptoris milleſimo centeſimo octogeſimo primo, de ſe ipſo teſtatur, ſe præſentem fuiſſe Concilio Turonenſi anno proximo celebrato, nempe (vt ibi ait) milleſimo centeſimo ſexageſimo tertio. Ex quo loco valeas corrigere, quod apud eumdem in Chronico, res inter Fridericum & Ludouicum geſtæ collocantur ſub anno milleſimo centeſimo ſexageſimo quarto. In occurſu autem Regum Francorum & Anglorum, mireris ſummam Dei potentiam, & admirabilem prouidentiam, vt duo potentiſſimi Reges inter ſeipſos iugiter diſſidentes, ad cultum & venerationem Vicarij ſui conuenerint pacifici, eidemque adeo humili obſequio concordes inſeruierint: ſpectaculum Deo, Angelis, & hominibus gratiſſimum exhibentes, quale hactenus numquam in Orbe viſum fuerat. Quamuis enim alias ſæpe à ſingulis ſeorſum ſiue Regibus, ſiue Imperatoribus, eiuſmodi viderimus exhibitum Romanis Pontificibus ſtratoris miniſterium: vt tamen ad hoc duo ſimul conuenerint adeo magni Principes, nuſquam antehac ſcriptum inuenimus.

V. REX DANIÆ CIRCVMVENTVS AB IMP.

Quod autem ex Actis Alexandri audiſti ſuperius, etiam Regem Daciæ, ſiue Daniæ ad conuentum cum Francis ab Imperatore dictum: fuit ille Waldemarus, de quo dictum eſt anno ſuperiori: qui vanis Imperatoris promiſſionibus illectus, ac pietatis ſpecie ab eodem per Legatos circumuentus, quaſi ad componendum diſſidium ſchiſmatis, ad eum cum multo ac nobili comitatu profectus eſt, fruſtra conantibus prudentioribus ipſius miniſtris ab eo itinere eum reuocare, & incaſſum monente Abſalone ſanctiſſimo Epiſcopo Rochildenſi, cauendum eſſe ab aſtutia Imperatoris, Danos ſibi ſubijcere affectantis: nec ſine religionis violatu, familiaritatis eius vſum haberi poſſe, quod ſchiſmaticæ factionis acrior quam iuſtior defenſor exiſteret. Senſit vero Rex ſero fraudem, cum ab Imperatore admodum illiberaliter exceptus eſt: quin etiam dure increpatus, quod citius non veniſſet reddere ſeruitium, ab eo Imperatori debitum ob regnum quod Romani Imperij beneficio gereret. Et quamuis omnino decreuiſſet, ante ceruicem ferro, quam patriam ſeruituti ſubijcere, nihilominus noua ludificatione pro Sclauia ei promiſſa, ad obſequia Imperatori paciſcenda pertractus eſt. Cuius ſeruitij pudorem minuere videbatur, Gallorum ditioni in conſimili famulatus genere Britanniæ Regis inclinata maieſtas. Poſthæc vero Octauiano Antipapa conciliabulum celebrante, & accenſis luminibus aduerſus Alexandrum, eiuſque ſuffragatores ſolemnem excommunicationem parante: Waldemarus hortante Abſalone, ne ſacrilego eius facinori intereſſet, concione exceſſit. Narrat hæc pluribus Saxo [a] Grammaticus, rerum eius temporis inſpector: qui & multa alia laude digna refert ab eodem Rege in hoc itinere geſta, ob quæ Germanis nobilibus admirationi fuit, ruſticis autem ac fœminis ſuperſtitioſæ venerationi.

a *Sax. Gram. l. 14.*

VI. CONCIL. LONDON. VBI S. THOM. CREATVR ARCHIEP. CANTVAR.

Eodem anno *Londini* in Anglia celebratum eſt generale CONCILIVM Epiſcoporum totius Inſulæ, cui etiam Rex interfuit ad ſubrogandum Metropolitanum in locum defuncti Theobaldi Cantuarienſis: communibuſque omnium votis electus eſt *Thomas* ex Cancellario. Hæc in Actis vitæ eiuſdem Thomæ, ſcriptis ab Eduardo eius æquali prolixe ſatis, quæ poſtea in compendium redacta [b] fuere. Sed extant alia ab auctoribus quatuor, iiſdemque ipſius Thomæ diſcipulis, nempe Herebertus eius clerico, Willelmo Cantuarienſi Ioanne Sareſberienſi, & Alano Abbate Deoche tribus libris conſcripta, quæ habentur in Vaticana Bibliotheca, vna cum collectione epiſtolarum ad eius negotia ſpectantium, auctorum diuerſorum: inter quas, plures ſunt eiuſdem Thomæ, & Alexandri Papæ, omneſque ſimul quinque libris partitæ atque digeſtæ opera eiuſdem Ioannis Sareſberienſis, qui fuit Thomæ à Secretis. Refragatum autem illum eſſe magnopere ne fieret Archiepiſcopus, ſcribit Herebertus: proteſtatumque eſſe contra Regem, ne eum eligeret, alias ſe fore ei aduerſarium propter Eccleſiaſticam libertatem. Sed ſubijcit Sareſberienſis, vrgente Henrico Piſano presbytero Cardinale Sanctorum Nerei & Achillei, Legato Alexandri Papæ, tandem acquieuiſſe: moxque miſſis Nuntijs pro pallio ad Alexandrum, qui tunc erat in Monte Peſſulano, eum ob tanti viri reuerentiam illud ipſi abſenti conceſſiſſe. Porro conſecratus Epiſcopus, habitum induit monaſticum, ea de cauſa quod exempla multa præceſſiſſent eorum, qui non monachi cathedram illam conſcendentes, à Deo male mulctati eſſent.

b *Ex ap. Sur. 29 Dec.* ACTA ET EPIST. S. THOMÆ.

S. THOM. HABITVM INDVIT MONASTICVM.

IESV CHRISTI AN. 1163.

FRIDERICI 9. MANVELIS 21.

ALEX. III. AN. 4.

ANNO Domini milleſimo centeſimo ſexageſimo tertio, Indictione vndecima, menſe Maij, Alexander Papa (vt traditur in eius Actis) *Turonis* in Eccleſia S. Martini CONCILIVM celebrauit, cui cum eo interfuerunt Cardinales ſeptemdecim, Epiſcopi centum viginti quatuor, Abbates quadringenti quatuordecim, & aliorum clericorum maxima multitudo. Inter alios vero inſignes Præſules, interfuit S. Thomas Archiepiſcopus Cantuarienſis: quem præter morem Alexander ea excepit honorificentia, vt (quod tradunt vitæ ipſius Scriptores) omnes Cardinales in eius occurſum miſerit extra ciuitatem, præter duos qui ſoliti eſſent ipſi Pontifici ſemper aſſiſtere. Conuolauit etiam ad Synodum Conradus electus Archiepiſcopus Moguntinus, conſanguineus Imperatoris: qui nolens Octauiano ſchiſmatico adhærere, clam Imperatore ad Alexandrum ſe contulit: à quo benigne exceptus, poſtmodum factus eſt Cardinalis Epiſcopus Sabinenſis. Interim vero commotus in eum Imperator, Cancellarium ſuum nomine, etſi non opere, Chriſtianum, in Eccleſiam Moguntinam intruſit: vnde diuturnum in ea factum eſt ſchiſma, quouſque pace inter Alexandrum & Fridericum Venetijs compoſita, idem Chriſtianus combuſto publice quod acceperat à ſchiſmatico Pontifice pallio aliud ab Alexandro ſumpſit pro eiuſdem Eccleſiæ Moguntinæ adminiſtratione, Conrado in Saltzburgenſem tranſlato: qui rurſum poſt obitum Chriſtiani Moguntinam recepit. Narrat iſta Romualdus Archiepiſcopus Salernitanus huius temporis ſcriptor fidelis in Chronico: agitque de iiſdem Rogerius in Annalibus Anglicanis, ac pluribus alius Conradus, qui ſequenti ſæculo Chronicon ſcripſit rerum Moguntiacarum.

I. CONCIL. TVRON. SVB ALEX. PP.

S. THOM. HONORIFICENTISSIME EXCIPITVR AB ALEX.

CONRAD. MOGVNT. STAT PRO ALEX.

De Actis autem huius Concilij Turonenſis inprimis Robertus qui aderat, aſſerit Alexandrum reddita pleniſſima ratione de ſui legitima promotione, ingeſſiſſe de inuaſione Octauiani querelam: eoque factum eſt, vt in ipſum atque complices fuerit iteratum anathema. His vero peractis, confirmata ſunt antiqua Eccleſiæ decreta, nouaque decem conſtituta: quorum nouem, de certis vſuræ & ſimoniæ ſpeciebus, deque monachis phyſicam & leges mundanas profitentibus, aliiſque nonnullis eiuſmodi abuſibus vetitis, deque hæreſi apud Toloſam & Guaſconiam vigente damnata ac denique de irritis declaratis Octauiani & aliorum ſchiſmaticorum & hæreticorum ordinationibus: deſcripta [a] reperiuntur inter eiuſdem Pontificis Vitæ Actis, necnon in codice antiquorum canonum in Vaticana Bibliotheca: eademque fere cuncta leguntur apud Willelmum [b] Neubrigenſem, ſed inuerſo ordine: decimum autem deſcriptum habetur extra de Pœnis capite quarto. Poſt hæc vero Alexander Papa ciuitatem Senonenſem elegit, in qua aſſiduam moram agens Vniuerſalis Eccleſiæ negotijs vacaret, vbi & manſit vſque ad reditum in Italiam.

II. ACTA SYNODI TVRON.

a *Rer. Ber. Annal. To. XII. hoc an.*

b *Wil. Neubrig. lib. 2. cap. 15.*

Quod

III. e Id cap. 16. Quod autem idem Neubrigenſis [c] addit, in hoc Turoni Concilio S. Thomam Pontificatum minus canonice per laicam manus regiæ inueſtituram ſuſceptum, pungentis conſcientiæ ſtimulos non ferentem, ſecreto in manus Alexandri Papæ reſignaſſe; & Alexandrum paſtoralem illi ſarcinam Eccleſiaſtica manu rurſum impoſuiſſe: hæc quidem poſtea facta eſſe, ſuo loco dicetur inferius. Sed & correctione dignus in eo idem auctor eſt, dum ad excuſationem Regis Angliæ vnam tantummodo cauſam illam refert excitatæ poſtmodum diſcordiæ inter eum & S. Thomam, quod non fuerit Sanctus Regem lege agere contra facinoroſos clericos. Nam etſi hæc quoque interceſſerit, alias tamen etiam plures iuſtiſſimas præceſſiſſe, quibus oportuit à Sancto Regem corripi, docent Vitæ ipſius Acta, à quatuor auctoribus qui præſentes erant, de quibus dictum eſt anno ſuperiori, conſcriptas, dum aiunt, Regem ei infenſum eſſe redditum, quod Eccleſiæ prædia à laicis vſurpata, male vero à prædeceſſoribus alienata, recuperare laboraret; quoque prauam conſuetudinem quæ in Anglia inualuerat, vt fructus vacantium Eccleſiarum regius Fiſcus ſibi vendicaret, vnde fiebat vt Eccleſiæ diu vacantes permanerent, abolere ſatagaret; itemque quod creatus Archiepiſcopus ſe à munere Cancellariæ abdicaſſet (nimirum iuxta conſilium Apoſtoli, ne militans Deo, implicaret ſe negotijs ſæcularibus) quem Rex optaret ſibi retinere miniſtrum: præterea quod iniuſtam tributi prohibuiſſet exactionem; & homicidam presbyterum damnatum, minime tradidiſſet Curiæ ſeculari, ſed exauctoratũ incluſiſſet monaſterio; pariterque alium quemdam Canonicum facinoroſum, non ſic vt Rex cupierat, pœnas dare compuliſſet, ſed cenſuris tantum cohibuiſſet Eccleſiaſticis.

DISSIDIA INTER THOM. CANTVA. ET REG. ANGL. VNDE ORTA.

IV. Horum igitur cauſa Rex indignatus, cum inſtanter poſtulare cœpiſſet vt eiuſmodi facinoroſi clerici poſt pœnam canonicam in eos irrogatam, traderentur Curiæ ſeculari; non ſolum Thomas, ſed & reliqui Epiſcopi refragati ſunt ei. Quamobrem (vt ſubdit Robertus) cum iam vehementius commoueretur, quod cerneret Archiepiſcopum & Epiſcopos aduerſus ipſum in his eſſe vnanimes, rurſum in maiorem furorem exarſit, cum ſciſcitans num Conſuetudines ſuas regias forent obſeruaturi, eos omnes, præhabito ſimul conſilio, ſingillatim interrogat: & reſpondentes audiuit, illas ſe obſeruaturos *Saluo Ordine ſuo*: & cum vrgeret, vt abſolute abſque aliqua adiectione eas ſe obſeruaturos promitterent, Thomas reſpondit, quod cum fidelitatem ei iuraſſent, *Vitam* ſcilicet, *membrum & honorem terrenum, ſaluo Ordine ſuo*, in hoc, *Honore terreno*, regias eſſe Conſuetudines comprehenſas, ſeque ad earum obſeruationem minime in alia forma obligaturos eſſe, niſi in qua prius iurauerant. At licet vnus nempe Hilarius Ciceſtrenſis, videns ob hanc communem omnium vocem, Regem magis exacerbatum, vt eius ſedaret animum, ceteris inconſultis mutaſſet verbum, dicens ſe regias Conſuetudines obſeruaturum *Bona fide*: nihil tamen Rex mitigatus, & ipſum contumelijs affectum reiecit, & poſt multas altercationes cunctis inſalutatis Epiſcopis, in ira & indignatione multa abſceſſit Londonia, vbi hæc agitari contigit. Iſta ex Roberto: quæ autem ſunt ſecuta, dicentur anno ſequenti.

DE MODO OBSERVATIONIS CONSVETVD. REGIAR.

V. REX ANG. IN IRAM PRÆCEPS. Interea vero, vt ſcias quanto periculo Regi ab Epiſcopis reſiſteretur, audi quam ſæpe feraliter in tranſuerſum agi conſueuiſſet. In epiſtola enim quadrageſima quarta ad S. Thomam conſcripta legitur, ipſum aliquando cum eſſet Cadomi, & de negotio quod haberet cum Rege Scotiæ tractaret cum quodam qui pro Scoto loqui videbatur; ſubito in verba ignominioſa aduerſus eum prorupiſſe, & ſolito furore ſuccenſum, pileum de capite proieciſſe, baltheum diſcinxiſſe, pallium & veſtes quibus erat indutus longius abieciſſe, ſtratum ſericum, quod erat ſupra lectum, manu propria remouiſſe, & quaſi in ſterquilinio ſedentem ſtraminis cœpiſſe manducare feſtucas. Et epiſtola ſequenti narratur de quodam, qui eidem Regi litteras minus gratas reddidiſſet, Regem digitos ad oculos eius eruendos appoſuiſſe vſque ad effuſionem ſanguinis. De quo etiam Petrus [d] Bleſenſis eius familiaris, ad Rogerium Decanum ſcribens, teſtatur agnum fuiſſe dum placati eſſet animi, leonem vero aut etiam leone truculentiorem dum vehementius exandeſceret. Et ad [e] Archiepiſcopum Panormitanum, oculos eius orbiculatos fuiſſe, dum pacati eſſet animi columbinos & ſimplices, ſed in ira & turbatione cordis quaſi ſcintillantes ignem, & in impetu fulminantes.

d Pet. Bleſ. ep. 71. e Id ep. 66.

VI. Quod ad res pertinet Orientis, hoc anno Amalricus ſuccedens Balduino fratri defuncto, coronatus eſt Rex Hieroſolymorum. Sed antequam coronaretur, coactus eſt ab Apoſtolicæ Sedis Legato Ioanne presbytero Cardinale ſimul cum Patriarcha Hieroſolymitano, dimittere vxorem quam ſibi in quarto conſanguinitatis gradu coniunctam, Patriarcha refragante duxiſſet: conceſſo tamen vt duo ex ea ſuſcepti filij haberentur legitimi. Hæc pluribus Tyrius [f].

f Tyr. Lib. cap. 1. & 4.

IESV CHRISTI ANN. 1164.

FRID. 10. MANVEL. 22.

ALEX. III. AN. 5.

I. ANNO Chriſti milleſimo centeſimo ſexageſimo quarto, Indictione duodecima, in Anglia grauiores in dies excitati ſunt fluctus, non ad obruendum tantum Cantuarienſem Primatem vna cum vniuerſa Eccleſia Anglicana, ſed & ipſam ſacroſanctam Catholicam (ſi licuiſſet) demergendam vna cum eius Præſule Alexandro Papa. Siquidem Henricus Rex S. Thomam obſtinato animo perſequens, in ipſum Alexandrum vt eum ab Eccleſia Cantuarienſi dimoueret, ſtudium omne conuertit; laboratumq; eſt per ſeptennium vt hæc ſciſſa concordia vniretur. At quomodo cuncta ſe habuerint accipe.

II. CONVENTVS CLARENDIN ANGL. DE CONSVET. REGNI. Poſt turbulentum illum inter Epiſcopos Regemque congreſſum; ad euitanda grauiſſima imminentia mala, Thomas crebris impetitus multorum Epiſcoporum & Abbatum ſuaſionibus, aſſerente & vno ex eis Abbate Alexandrum Papam ita fieri conceſſiſſe cum de his altercationibus audiuiſſet: his tandem perſuaſus, ad Regem accedens, verbum quod ei ſcandalo fuerat pro regijs Conſuetudinibus obſeruandis, ſe mutaturum promiſit. Vnde Rex aliquantum ſedatus, id fieri volens in generali totius regni *Conuentu*, omnes Antiſtites & Proceres Magiſtratuſque *Claremdunam* conuocauit hoc ipſo anno die trigeſima Ianuarij: vbi cum inſtantius exigeret, vt promiſſa adimplerentur, rurſum Thomas valde timens libertati Eccleſiaſticæ, reſiſtit, nec vllis furentis Regis minis, aut blandientis promiſſis, induci potuit ei acquieſcere, donec iterum continuis Epiſcoporum, aliorumque tam ex Clero quam ex Proceribus precibus, geniculationibus, lacrymis, & præſentiſſimis carceris, exilij, capitiſque periculis commotus, eis potius quam Regi obedire acquieuit; primuſque ante omnes iurauit regias Conſuetudines obſeruare *Bona fide*, ſuppreſſo verbo contentioſo *Saluo Ordine*: idque ipſum eadem forma ſingillatim vniuerſi Pontifices iurauerunt. Qua ratione idem Thomas, vt traditur in Quadripartita ipſius hiſtoria, vbi cuncta iſta pluribus recenſentur) ne victor in lite per ſuperbiam intumeſceret, inde deficiens vnde proficere debuiſſet, permiſſus eſt ad horam cadere, vt poſtmodum fragilitatis propriæ memor, fortior reſurgeret ad pugnam. Quod autẽ Rogerius ait in Annalibus, ſuaſione Alexandri Papæ eam illicitam promiſſionem factam eſſe Regi: ſi id verum eſſet, cur tamquam de maximo facinore perpetrato, Thomas apud eumdem Pontificem de ijs pœnitentiam egit, quorum ille auctor ipſi extitiſſet? Ceterum præter Quadripartitam quam diximus de his hiſtoriam, appoſita eſt ad calcem exactior narratio de ijs quæ contigerunt à fine eiuſmodi Conciliabuli Clarendunenſis, vſq; ad profectionem Alexandri Pontificis ex Gallijs: ex qua conſtat, eumdem Thomam recedentem à Curia, grauiter reprehenſum à ſuo Crucigero de Eccleſiaſtica libertate prodita, mox delicti pœnitentia compunctum ingemuiſſe,

LAPSVS THOMÆ CANTVA.

POENITENTIA THO. SIBI INDICTA.

muiſſe, & Nuntium ad Alexandrum Papam pro abſolutione miſiſſe, proponentem interim ab omni ſacerdotali & Pontificali officio ac miniſterio, tamquam indignum abſtinere. Extantque ad eum literæ Alexandri [a], quibus mœrentem eſt conſolatus; iubenſque diſcreto ſacerdoti per pœnitentiam confiteri, à præſtito iuramento eumdem abſoluit.

a Cod. Vat. Epiſt. Tho. Cantuar. l. 1. ep. 26.

III. Cum autẽ Regi innotuiſſet, renuere S. Thomam propoſita Clarendunæ Conſuetudinum capita, ſicut condictum fuerat, ſuo ſigillo corroborare, quin etiam à promiſſione verbali facta de ipſorum obſeruatione reſilire velle, quod ea maxime in perniciem Eccleſiæ verterent, atq; adeo multa tunc primum à miniſtris regijs ad libertatem eius conuellendam conficta eſſent: inde Rex acerbius exaſperatus, Nuntios miſit ad Alexandrum, duo petituros, nimirum vt Legationem Apoſtolicam Angliæ, credi ſolitam Archiepiſcopo Cantuarienſi, concederet Eboracenſi, & vt ab eodem ipſo Pontifice confirmarentur prædicta Conſuetudinum capita. Quibus Alexander in anguſtijs conſtitutus, vel alienandi à ſe animum Regis, cui ob accepta ab eo beneficia plurimum deberet, vel contra Eccleſiaſticam libertatem petita concedendi; conſilium iniјt eo temperamento rem agere, vt Legationem Archiepiſcopo Eboracenſi indulgendo, Regi aliquo modo ſatisfaceret; confirmationem vero conſuetudinum negando, nullum Eccleſiæ damnum afferret. Hæc enim ita ab eo geſta eſſe, certum redditur ex literis [b] ea de re ab ipſo ad Thomam conſcriptis: quibus & eum omnino hortatus eſt, vt Regi in omnibus & per omnia, ſalua honeſtate Eccleſiaſtici ordinis; deferre ſatagere, & eius ſibi gratiam & amorem inceſſanter recuperare intenderet. Verum quod poſterioribus [c] literis ita Legationem Eboracenſis arctandam putaſſet, vt nullum haberet ius in perſonam vel diœceſim Archiepiſcopi Cantuarienſis, nec ideo exempti eſſent Epiſcopi ab obedientia eiuſdem Metropolitani ſui; hinc rurſum ad indignationem Rex excitatus, qui deponendi cauſa Thomæ auctoritate Apoſtolica, Legationem pro Eboracenſe petijſſet, poſtmodum literas quibus illam ei Alexander conceſſerat, vt inutiles reddendas [d] curauit, quem nihilominus idem Pontifex [e] admonere, opportune & importune arguens, increpans, obſecrans, minime prætermiſit.

REX MITTIT LEG. AD ALEX. PP. ADVERSVS THO.
b Cod. Vatic. l. ep. 4. c l. ep. 5. 39. 40.
d l. ep. 6. & 7. e l. ep. 42. & ap. Roger. in Annal.

IV. Inter hæc autem in Anglia Thomas cum alijs Epiſcopis à Rege Norhantonam vocatus, & de reddenda ratione reddituum vacantium Eccleſiarum, quos dum Cancellarius eſſet, adminiſtrauerat, iudicio poſtulatus, cum Epiſcoporum conſilia ſuper his exquirens, audiret pleroſque ſuadere, aut cedere Archiepiſcopatui, aut in omnibus Regi obedire; idem inducijs in craſtinum petitis ad reſpondendum, ſummo mane celebrata Miſſa S. Stephani Protomartyris, parans ſe ad martyrium quod ſe ea die ſubiturum ſperabat, delata ſecum ſecreto, more maiorum, ſacratiſſima Euchariſtia, palam vero geſtanda ſumpta proprijs manibus Archiepiſcopali Cruce, ad palatium accedens, ſubſannatus à ſuis Epiſcopis eſt; & ab iјſdem, alijſque in Concilio Regis, quod regias Conſuetudines, ſicut promiſerat obſeruare nollet, ſententia depoſitionis, tamquam, periurus ac Regi infidelis damnatus. Qui cauſam ſuam agens, poſtquam oſtendit, ſe cum ad Eccleſiam Cantuarienſem inuitus pertractus eſt à Rege, in ipſa ſui electione & promotione declaratum ab eodem fuiſſe liberum & abſolutum ab omni nexu Curiali; tam ipſius, quam eius Conſilij publice declinans iudicium Romanumque Pontificem appellans, conteſtatus ſe minime credere Eccleſiæ ſuæ, vniuerſam cauſæ cognitionem Sedi Apoſtolicæ reſeruauit, ad quam & ipſos coepiſcopos ſuos vocauit, quod elegiſſent magis obedire hominibus quam Deo. Ac poſt hæc contumelijs & conuitijs Curialium proſciſſus, palatio exiens, ſuſceptus fauſtis acclamationibus infirmorum & pauperum, & ab eis perductus ad hoſpitium, ipſe eoſdem epulo excepit; ac paulo poſt transfretans in Belgium, conſtitit in monaſterio S. Bertini. Narrantur hæc pluribus in Actis ſuperius citatis rerum tunc geſtarum, necnon in Vita S. Thomæ Quadripartita.

THOMAS DAMNATVR IN CONCILIAB. NORHANTO.
APPELLAT SEDEM APOSTOL.

V. Cum autem hanc ipſius profectionem aduerſarij fugam nominarent, & tamquam in fugitiuum conclamarent, de eo ſcribenda fuit à Ioanne Sareſberienſe ad Petrum ſcriptorem (puto Bleſenſem) ornatiſſima Apologia: quem etſi plura ſint quæ excuſent, exempla Chriſti, Apoſtolorum, atque Sanctorum omnium, illud ſatis eum ab omni calumnia vindicat, quod cum Romanum Pontificem appellaſſet, vtique ad ipſum ſeſe experturus conferre debuerit. Ad quem etiam ſtatim ſcribens [f] de cunctis rebus geſtis, & appellationis ſuæ ſeceſſioniſque ratione, obtinuit ab eo omnium quæ contra ipſum facta eſſent abrogationem [g]. Ex alia vero parte Rex in eum infrendens, Archiepiſcopum Eboracenſem & alios Angliæ Epiſcopos ad Alexandrum miſit, poſtulaturos aduerſus eum; quorum aliqui in ſuis inuectiuis infatuati à Domino vt mutire non poſſent irriſui fuere auditoribus: petierunt autem omnes, vt aliquis mitteretur à Papa in Angliam Legatus à Latere ad cognoſcendam cauſam inter Regem & Thomam, ipſeque Thomas remitteretur in Angliam vt ibi iudicaretur. At licet hoc inſtanter peteret, atque ſchiſma ex parte Regis minarentur, Pontifex tamen haud tradendum putauit in manus adeo trucium hoſtium innocentiſſimum virum, ſed vocatum expectandum eſſe, vt de illo ipſe Pontifex iudicaret. Verum renuentes illi hoc facere, indignantes receſſerunt abſque benedictione Apoſtolica. Hæc pluribus in iјſdem Actis: extatque inter epiſtolas libellus aduerſus Thomam ab iſtis Epiſcopis Alexandro oblatus veneno infectus.

f Ext. ap. Roger. in Annal. an. ſeq. g Cod. Vatic. l. ep. 49.
LEGATIO EPISCOP. ANGL. AD ALEX. PP. CONTRA THOM.

VI. Poſt hæc veniens Thomas ad Pontificem (vt traditur in Quadripartita) cauſamque ſuam perorans, obtulit ei Conſuetudines de quibus controuertebatur, ſeu potius tyrannicas vſurpationes; quæ adeo execrabiles viſæ ſunt, & antiquis de libertate & immunitate perſonarum & rerum Eccleſiaſticarum vbique receptiſſimis legibus contrariæ, vt in eamdem omnes conuenerint ſententiam, in perſona Archiepiſcopi Cantuarienſis ſuccurrendum eſſe Eccleſiæ vniuerſali, quæ per eas in duriſſimam Regum & Principum laicorum, ipſorumque miniſtrorum ſeruitutem deduceretur. Vnde & Pontifex acriter Thomam redarguit, quod non ab initio elegiſſet omne ſuſtinere diſcrimen, quam vllum vmquam tantis legis Dei ſubuerſionibus præbere aſſenſum. Verum quod in eis nullæ quidem bonæ, ſed quædam vtcumque tolerabiles viſæ ſunt; eas ita Pontifex habito de his maturo conſilio diſcriminauit, vt ex ſedecim illarum capitibus, decem penitus damnarit, & ab eccleſia in perpetuum damnanda cenſuerit; reliqua ſex tolerauit.

S. THOM. AGIT IN CONSISTORIO CAVSAM SVAM.

VII. Quæ autem damnauit, ſunt iſta, deſcripta verbatim ex codice Vaticano ſuperius citato de Vita S. Thomæ, & Epiſtolis ad hæc negotia ſpectantibus.

CONSVET. REG. ANG. DAMNATÆ AB ALEX. PP.

1. De aduocatione, & præſentatione Eccleſiarum, ſi controuerſia emerſerit inter laicos & laicos, vel inter clericos & laicos, vel inter clericos & clericos; in Curia domini Regis tractetur & terminetur.

2. Clerici citati & accuſati de quacumque re, moniti à iuſtitia Regis, venient in Curiam ipſius, reſponſuri ibidem de hoc vnde videbitur Curiæ Regis quod ſit ibi reſpondendum. Ita quod iuſtitia Regis mittet in Curiam Sanctæ Eccleſiæ, ad videndum qua ratione res ibi tractabitur: & ſi clericus conuictus vel confeſſus fuerit, non deberet de cetero cum Eccleſia tueri.

3. Archiepiſcopis, Epiſcopis, & perſonis Regni non licet exire de regno abſque licentia domini Regis. Et ſi exire voluerint, ſi domino Regi placuerit, aſſecurabunt quod nec in eundo, nec in moram faciendo, nec in redeundo, perquirent malum vel damnum domino Regi, vel regno.

4. Excommunicati non debent dare vadium ad remanens, nec præſtare iuramentum; ſed tantum vadium & plegium ſtanti iudicio Eccleſiæ, vt abſoluantur.

5. Nullus qui de Rege teneat in capite, nec aliquis dominicorum miniſtrorum eius excommunicetur, nec terræ alicuius eorum ſub interdicto ponantur, niſi prius dominus Rex ſi in terra fuerit, conueniatur, vel iuſtitia eius,

ſi fue-

ſi fuerit extra regnum, vt rectum de ipſo faciat; & ita vt quod pertineat ad Curiam regiam ibidem terminetur, & de eo quod ſpectabit ad Eccleſiaſticam Curiam, ad eamdem mittatur, vt terminetur.

6. De Appellationibus ſi emerſerint, ab Archidiacono debent procedere ad Epiſcopum, & ab Epiſcopo ad Archiepiſcopum, & ſi Archiepiſcopus defuerit in iuſtitia exhibenda ad dominum Regem perueniendum eſt poſtremò, vt præcepto ipſius in Curia Archiepiſcopi controuerſia terminetur, ità quod non debet vlterius procedere abſque aſſenſu Regis.

7. Si calumnia emerſerit inter clericum & laicum, vel è conuerſo, de vllo tenemento quod clericus velit ad eleemoſynam attrahere, laicus vero ad laicum feudum, recognitione duodecim legalium hominum, per capitalis iuſtitiæ Regis conſiderationem terminabitur, vtrum tenementum ſit pertinens ad eleemoſynam, ſiue ad feudum laicum, coram ipſa iuſtitia Regis. Et ſi recognitum fuerit ad eleemoſynam pertinere, placitum erit in Curia Eccleſiaſtica; ſi vero ad laicum feudum, niſi ambo tenementum de eodem Epiſcopo vel Barone aduocarint, erit placitum in Curia regia. Si vterque aduocauerit de feudo illo eumdem Epiſcopum, vel Baronem, erit placitum in Curia ipſius, ita quod propter factam recognitionem ſaiſinam non amittat qui prius ſaiſitus fuerit.

8. Qui de ciuitate, vel caſtello, vel burgo, vel dominico manerio Regis fuerit, ſi ab Archidiacono, vel Epiſcopo, de aliquo delicto citatus fuerit, vnde debeat eidem reſpondere, & ad citationes eorum ſatisfacere noluerit, bene licet eum ſub interdicto ponere, ſed nō debet excommunicari, priuſquam capitalis miniſter Regis villæ illius conueniatur, vt iuſtitiet eum ad ſatisfactionem venire. Et ſi miniſter Regis inde defecerit, ipſe erit in miſericordia Regis, & exinde poterit Epiſcopus ipſum accuſatum Eccleſiaſtica iuſtitia coercere.

9. Dum vacauerit Archiepiſcopatus, vel Epiſcopatus, vel Abbatia, vel Prioratus de dominio Regis, debet eſſe in manu eius, & inde percipiet omnes reditus & exitus ſicut dominicos. Et cum ventum fuerit ad conſulendum Eccleſiæ debet dominus Rex mandare potiores perſonas Eccleſiæ, & in capella ipſius debet electio fieri aſſenſu Regi, & conſilio perſonatum Regis, quos ad hoc faciendum vocauerit: & ibidem faciet electus homagium & fidelitatem domino Regi, ſicut ligio domino de vita, & membris, & de honore ſuo terreno, ſaluo ordine ſuo, priuſquam ſit conſecratus.

10. Placita de debitis, quæ fide interpoſita debentur, vel abſq; interpoſitione fidei, ſint in Curia Regis.

VI. Aliæ conſuetud. toleratæ.

Atque hæc fuere capita penitus damnata. Quæ vero tolerata ſunt ita ſe habent.

1. Eccleſiæ de feudo Domini Regis non poſſunt in perpetuum dari abſque aſſenſu & conceſſione ipſius.

2. Laici non debent accuſari niſi per certos & legales accuſatores & teſtes in præſentia Epiſcopi, ità quod Archidiaconus non perdat ius ſuum, nec quidquam quod inde habere debeat. Et ſi tales fuerint qui culpantur, quod non velit nec audeat aliquis accuſare eos; Vice comes requiſitus ab Epiſc. faciet iurare duodecim legales homines de viſueto, ſeu de villa coram Epiſc quod inde veritatem ſecundum conſcientiam ſuam manifeſtabunt.

3. Archiediſcopi, Epiſcopi, & vniuerſæ perſonæ regni, qui de Rege tenent in capite, & habent poſſeſſiones ſuas de dominio Regis, ſicut Baroniam, & inde reſpondent iuſtitiis & miniſtris Regis, & ſequuntur & faciunt omnes conſuetudines regias & rectitudines, & ſicut ceteri Barones, debent intereſſe iudiciis Curiæ domini Regis cum Baronibus, vſq; perueniatur in iudicio ad diminutionem membrorum, vel ad mortem.

4. Si quiſquam de Proceribus regni diſſortiauerit Archiepiſcopo vel Epiſcopo, vel Archidiacono, de ſe vel de ſuis iuſtitiam exhibere; Rex debet iuſtitiare: & ſi forte aliquis diſſortiauerit domino Regi rectitudinem ſuam, Archiepiſcopi, vel Epiſcopi, & Archidiaconi debent eum iuſtitiare, vt domino Regi ſatisfaciat.

5. Catalla eorum qui ſunt in Regis forisfacto, non detineat Eccleſia vel cœmeterium contra iuſtitiam Regis, quia ipſius Regis ſunt, ſiue in Eccleſiis, ſiue extra fuerint inuenta.

6. Filii ruſticorum non debent ordinari abſque aſſenſu domini, de cuius terra nati dignoſcuntur.

IX. S. Thom. ſe abdicat, et reſtituitur à PP.

Porro his ita vt diximus geſtis, Thomas alia oratione habita declarans ſe indignum Archiepiſcopatu, ad quem licet inuitus, tamen per Regem, adeoque humana & non diuina ratione euectus eſſet: eo ſe in manu Pontificis abdicauit, quem noluiſſet ad nutum Regis dimittere; ne eius rei perniciosum exemplum Eccleſiæ Catholicæ relinqueret. Sed paulo poſt eodem ipſi à Pontifice reſtituto; commendatus ipſe eſt Abbati Potiniacenſi Ordinis Ciſtercienſis educandus: cum quo viuens monachus inter monachos, expleuit numeros omnes perfectionis monaſticæ, lectioni, orationi, & aliis ſpiritualibus exercitiis incumbens.

X. Edictum Regis Angl. contra Thom. Archiep. et Alex. PP.

His autem cognitis Henricus Rex Angliæ, in ipſius Alexandri Papæ, & Thomæ Archiepiſcopi iniuriam, ſæuiſſima mox edicta per omnes ſibi ſubiectas prouincias promulgauit; nempe, Vt omnes portus diligentiſſime cuſtodirentur, ne literæ interdictionis Sūmi Pontificis, vel aliquod mandatum Archiepiſcopi Cantuarienſis, in Angliam deferrentur: quod ſi quis inuentus eſſet illas deferre, confeſtim quaſi traditor Regis puniretur; & quidem ſi Regularis eſſet, pedibus truncaretur; ſi clericus, oculos & genitalia amitteret; ſi laicus, ſuſpenderetur; ſi leproſus, combureretur: Ne aliquis clericus, vel monachus, vel cōuerſus, iret in Angliam, vel inde rediret, abſque licentia ſcripta Regis, vel miniſtrorum eius: Ne aliquis appellaret ad Papam, vel ad Archiepiſcopum: Ne aliquod mandatū Papæ, vel Archiepiſcopi, ab vllo homine teneretur, vel reciperetur; neque aliquid ad eos ex parte alicuius clerici, vel laici deferretur: Si Epiſcopi, vel clerici, vel Abbates, vel laici, ſententiam interdicti tenere vellent, ſine dilatione de terra eiicerentur, cum vniuerſa ſuorum cognatione, nihil ſecum deferentes præter baculum: Vt omnia bona fautorum Papæ, vel Archiepiſcopi, cuiuſcumque gradus, ordinis, ſexus, vel conditionis, Fiſco regio applicarētur: Vt omnes Clerici qui redditus haberent in Anglia, intra tres menſes eo ſe reciperent; alioqui redditus in theſaurum Regis conferrentur, ipſique extorres eſſent, ſine ſpe redeundi: Vt omnes presbyteri qui celebrare detrectarent, genitalia amitterent; omneſque rebelles beneficiis priuarentur: Vt Denarii S. Petri non redderentur amplius Papæ, ſed deferrentur in theſaurum Regis: Vt redditus Archiepiſcopatus Cantuarienſis, necnon res omnes ipſius Archiepiſcopi, & ſuorum, Fiſco addicerentur; omneſque de ipſius cognatione, quique ei familiaritate coniuncti eſſent, cuiuſcumq; ordinis, ſexus, vel ætatis, ex Anglia trans mare deportarentur. Narrantur iſta pluribus in codice Vaticano Epiſtolarum [h], necnon in Quadripartita S. Thomæ hiſtoria: vbi & traditur, ne hac ſæuitia ſatiatum Regem, adiecisse adhuc vt ſpiritualibus quoque officiis eumdem Sanctum priuaret, edicto inhibens vt nullus pro eo orare præſumeret.

h l. 1. ep. 34. 15. 16. 48.

XI. Octav. antip. interitus.

Dum autem iſthæc ita cœpiſſent agitari, contigit hoc ipſo anno circa feſtum Paſchale, ſchiſmaticum Antipapam Octauianum infirmari apud Lucam ciuitatem, & impœnitentem migrare ad inferos: licet quidam aſſereret eum vocaſſe ſacerdotem Catholicum; qui prohibitus à ſchiſmaticis eſt ad eum intrare Ita in Rebus geſtis Alexādri Papæ. In epiſtola vero Nuntii S. Thomę, qui erat apud Alexandrum, cum huius rei certum ad eum nuntium ex Italia delatum eſt, aſſeritur eumdem Octauianum quarta feria poſt octauas Paſchæ obiiſſe in vrbe Lucenſi, & ſepultum eſſe in monaſterio extra ciuitatem, eo quod Canonici maioris Eccleſiæ, & Regulares Canonici S. Fridiani, ei ſepulturam negaſſent, præeligentes à ſuis migrare ſedibus, quam admittere corpus ſchiſmatici, quem crederent in inferno eſſe ſepultum: à ſatellitibus autem Imperatoris, & familia propria ad miſeros monachos cadauer perlatum eſſe. Ipſumque Octauianum quindecim diebus

ALEX. PP. FLEVIT EVM.

antequam moreretur, phreneticum effectum eſſe continue, & in tantam verſum inſaniam, vt nec Dei nec ſui memor eſſet: Alexandrum autem audita eius morte, cum defleuiſſe, & Cardinales de ea exultantes durius increpaſſe, eo quod iactura animæ irreparabilis ſit, vbi culpa per pœnitentiam non deletur. Porro cum his certiſſimis eius têporis Scriptorum teſtimoniis conſtet de miſerando Octauiani obitu; tamen qui inhęrebat Imperatori ſchiſmatico Otto Morena Laudenſis in gratiam eius, & ad conſolationem conſortum ſchiſmaticis aſſerere non erubuit, eûdem Octauianum claruiſſe miraculis; quem non ſchiſma tantum, ſed & publica latrocinia oportuit ad inferos demerſiſſe, toto id orbe Catholico conclamante.

XII. GVIDO CREM. ANTIP. SVBROGATVR.

Illo igitur extincto, Ioannes de S. Martino, & Guido Cremenſis pſeudo Cardinales, ipſius olim promotores, deſperantes ob peſſima ſua ſcelera ab Eccleſia cum honoribus ſuis recipi; collectis in vnum ceteris ſchiſmaticis Clericis & laicis, tam Italis quam Germanis, qui ad ſepulturam Octauiani conuenerant, peccatum peccato addentes, alium ſtatuerunt in eius locum ſubrogandum eſſe Antipapam: electuſq; eſt ab omnibus ipſe Guido, quem *Paſchal.* *m* Tertium nominarunt, & confeſtim per Nuntios Imperatorem tunc in Germania exiſtentem rogarunt, vt eius electionem Imperiali auctoritate confirmaret. quod quidem ipſe adeo libenter præſtitit, vt etiam ſuper Sancta Dei Euangelia iurauerit, ſe dictum Guidonem eiuſq; ſucceſſores habiturum Catholicos Papas, Alexandrum autem ſucceſſores ſemper vt ſchiſmaticos reiecturum: & ad idem impium ſacramentum alios quoſcumque potuit viros Eccleſiaſticos adegit. Traduntur hæc in Actis Alexandri. Sed quę pertinent ad iuramentum, poſtea (vt dicetur) contigerunt.

XIII. ALEX. PP. REVOCATVR IN VRBEM.

Additur vero in iiſdem Actis, quod cum eodem tempore defunctus etiam eſſet Romæ Iulius Præneſtinus Epiſcopus, Alexandri Papę Vicarius, & in eius locum Ioannes presbyter Cardinalis tituli SS Ioannis & Pauli ſubrogatus; huius opera factum fuerit, vt vniuerſus Clerus & Populus Romanus Legationem miſerint in Gallias ad Alexandrum, qua inſtanter petierunt, vt ad propriam Sedê ſuam, & populum ſpecialiter ſibi commiſſum, quamprimum dignaretur reuerti. Quod ipſe præſtitit anno ſequêti: qui interea pro impenſis itineris, & aliis ipſi ex neceſſitate incumbentibus, collectam indixit Eccleſiis Galliarum; cuius mentio eſt apud Petrum [i] Bleſenſem, ex epiſtola Archiepiſcopi Rothomagenſis ad ſuos ſuffraganeos pro eiuſmodi facienda ſubuentione conſcripta.

i Pet. Bleſ. ep. 170.

XIV.

Hoc eodem anno [k], inſtante Carolo Rege Suenonum atq; Gothorum, Sancta *Helena* vidua, genere VViſigotha, ob vitam ſanctiſſime ductam, mortemque violentam iniuſte acceptam à cognatis generi ſui. de cuius nece fuerat per calumniam accuſata, & ob miraculorum inſignem operationem, ab Alexandro Papa relata eſt in Sanctorum numerum. Eodemque tempore, precibus [l] VValdemari Regis Daniæ, idem Pontifex æque in albo SS. Martyrum adſcripſit *Canutum* Regem, patrem eiuſdem VValdemari.

k Io. Gla. lib. 15. c. 7.

l Sax. Gram. lib. 14.

XV. PETRI LOMBAR. OBIT.

Hoc item anno Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis ſcientia clarus, cuius ſunt inter alios Libri quatuor Sententiarum, eſt hac vita deceſſit. Habuit correctorem virum inſignem VVillelmum Archiepiſcopum Senonenſem, ad quem extant literæ Alexandri Papæ ex Concilio Lateranenſi, vt abrogandam curaret prauam eius ſententiam. *Quod Chriſtus, ſecundum quod eſt homo, non eſt aliquid.* Paſſus eſt quoq; accuſatorem, Ioachimum Abbatê monaſterii Florenſis, ſed damnatus eſt accuſator in Concilio Romano ſub Innocentio Tertio. Qui dicunt eiuſdem Petri germanum fuiſſe Petrum Comeſtorem, necnon Gratianum, puto errare: ſiquidem Petrus iſte Lombardus patria fuit Nouarienſis, Gratianus Tuſcus, & Comeſtor Trecenſis. Reprobat & S. Antoninus [m] fabulam illam vulgo ſparſam.

m Anton. par. 3 tit. 15. cap. 6.

IESV CHRISTI AN. 1165.

FRIDERICI 11. MANVELIS 23.

ALEXAND. III. AN. 6.

I. PAX INTER THO. CANTVAR. ET REG. ANGL. FRVSTRA TENTATVR.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo ſexageſimo quinto, Indictione decimatertia, in cauſa Thomæ Cantuarienſis diſcurrentibus hinc inde (vt ait Alanus in Quadripartita) Nuntiis ad pacem cum Angliæ Rege conciliandam, tandem vtrimque placuit Papam & Regem certo die & loco ſimul conuenire, vt per mutuum colloquium via pacis facilius inueniretur. Verum quod Rex nollet Thomam adeſſe, Thomas autem inſtaret præſentiam ſuam omnino eſſe neceſſariam, cui mores Regis noti eſſent, ne Papa verborum eius varietate circumueniretur: renuntiante Papa Regi, inauditum à ſeculo eſſe, Romanam Eccleſiam ad alicuius Principes nutum quemquam à ſe reiicere, maxime pro iuſtitia exultantem; res effectu caruit. Interea vero ipſe Thomas ſummis anguſtiis preſſus, literas commonitorias ad Regem ſcripſit; aliaſque ad Epiſcopos Angliæ, vt & ipſi Regem ad pœnitentiam hortarentur; quas ſuis Annalibus Rogerius inſeruit.

II. PER ALEXANDRI PP. ROMAM REDITVS.

Poſt hæc vero, Alexander Papa frequentibus Romanorum literis in Vrbem vocatus (cuius cauſa iidem adeo in arctum reducti erant ab Imperialibus, vt pacti eſſent ſe Guidonem ſchiſmaticum recepturos, niſi Alexander ante diem feſtum S. Michaelis veniret, ac ſubueniret) celebrato Paſchate recedens Senonis, poſt feſtum Apoſtolorum peruenit ad Montem Peſſulanum; paratiſque nauibus, infra Octauam Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis inde ſoluit, & cum multo diſcrimine tam procellarum, quâ inſidiarum Imperatoris, qui nihil non tentauit vt redeuntem in Italiam caperet, Meſſanam peruenit; ibique honorificentiſſime à Siciliæ Rege VVillelmo Eccleſiæ Romanæ feudatario, tamquam dominus ſuſceptus (quicquid ruſum Imperator apud eum literis & promiſſis ampliſſimis ageret, vt hoſpitem proderet) & muneribus donatus, menſe Nouembris cum triremibus & præſidio Regis Meſſana ſoluit, aduenitq; Oſtiam: vbi à Senatorib. & nobilibus, magnaque parte Cleri & Populi Romani viſitatus, peruenit tandem Romam, & ineffabili omnium gaudio & honore receptus eſt die vigeſima prima eiuſdem menſis Nouembris. Quomodo autem iſta ſe habuerint, narrant pluribus Acta Alexandri, Ioannes [a] Sareſberienſis, Neubrigenſis [b], ac Romualdus Archiepiſcopus Salernitanus, qui Salerno tranſeuntem Alexandrum debito honore excepit.

a Cod. Vati. ep. 11. ad Tho. Cant.
b Neubrig. lib. 2. cap. 27

IESV CHRISTI AN. 1166.

FRIDERICI 12. MANVELIS. 24.

ALEXAN. III. AN. 7.

I. CONCILIAB. HERBIPOLEN. PRO CONFIRMATIONE GVID. ANTIP.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo ſexageſimo ſexto, Indictione decimaquarta, Fridericus Imperator videns res Catholici Pontificis Alexandri magis ac magis inualeſcere, inuidia percitus *Conuenticulum* Principum ac Prælulum ſuorum indixit VVirtzburgi (quæ alio nomine dicta eſt Herbipolis) ad Pentecoſten: in quo Guidonis Antipapæ confirmata intruſione, manu propria ſuper Sâctorum Reliquias iuramentum publice præſtitit, ſe numquam recepturum in Papam Rolandum (hoc eſt Alexandrum) vel eius ſucceſſores à parte ipſius electos; Guidonê autem, Paſchalem nominatum, eiuſque ſucceſſores, quos pars eius eligeret, defenſurum, eiſq; vt Catholicis Pontificibus obedientiam exhibiturum: voluitque vt idem iuramentum à Prælatis, & Principibus ſæcularibus ibi præſentibus præſtaretur, & ab abſentibus omnis ordinis & conditionis Eccleſiaſticis viris, atq; etiam à monachis, laiciſq; vbiq; exigeretur; ac demum ſi ipſe prius moreretur, vt Electores nullum antea promouerent ad regnum, quam illud ipſum feciſſet iuramentum. Eſt de his eiuſdem Imperatoris Circularis [a] epiſtola ad cunctos populos ipſi ſubiectos, ex eodem Conciliabulo ſcripta Calendis Iulii; aliaque ad Abbatem Stabulenſem, quæ formu-

IVRAMENTVM IMP. ET SVOR. DE PROPVGNANDO SCHISMAT.

a Cod. Vati. ep. 70. 71.

la eſt earum quas ad omnes Epiſcopos, Abbates, & Principes, longe lateque per Imperium conſtitutos, pro illius decreti Synodalis executione & obſeruatione conſcripſit; ea pœna omnibus detrectantibus impoſita, vt publici hoſtes Imperij haberentur, & abſque omni ſpe recuperationis, quibuſcumque officiis, honoribus, bonis & beneficiis priuarentur.

II. b Ibi. ep. 71.

Sed eſt & alia eodem tempore à quodam ſecreto amico Alexandri Papæ, qui tunc Herbipoli his omnibus interfuit, ſcripta ad eumdem Pontificem Epiſtola [b]; quæ ſingillatim cuncta fideliter exponens, ait hæc iuramenti formam propoſitam fuiſſe Imperatori à Reginaldo Colonienſi Archiepiſcopo, qui auctor fuerat electionis Guidonis: verum ferme omnes qui aderant, inuitos, nec niſi ab Imperatore coactos, atque certis additis conditionibus, ei ſubſcripſiſſe, pluresque tam Prælatos, quam Principes, eidem conuenticulo intereſſe refugiſſe. Denique eſt etiam mentio illius conuenticuli in Rebus [c] geſtis *Conradi* Saltzburgenſis Archiepiſcopi, qui ante biennium, poſt felicem obitum Eberardi, de quo dictum eſt ſuperius, tranſlatus eſt in eam ſedem ex Pataurenſi, cui ſexdecim annis præfuerat: Vir vndequaque præſtantiſſimus genereq; nobiliſſimus, quippe natus patre Liupoldo Marchione Auſtriæ, matre Agnete, filia Henrici Quarti Imperatoris, germanus fuit Conradi Regis Romanorum, Friderici vero Imperatoris patruus, ex ſororius Henrici Quinti itidem Imperatoris; habuitque ſorores Gerdrudem Ducillam Boemiæ, & Berchtam Ducillam Polonorum, & conſobrinam Imperatricem Hiſpaniæ Gerdrudem. Idem vero ſcientia & morum probitate longe clariſſimus, poſtquam ad ſedem Saltzburgenſem tranſlatus eſt, cum pene Germaniæ & Italiæ Prælati in gratiam Imperatoris adhærerent Guidoni Antipapæ, (& vt dictum eſt) ſacramento ne ab eo recederent, ſponte vel coacti ſe obligarent; ipſe palam firmiterque adhærens Alexandro legitimo Pontifici, & Catholicis, immobilis extitit columna veritatis, vna cum altero Conrado Moguntinenſi, & ipſo Imperatoris conſanguineo de quo dictum eſt ſuperius, ac pauciſſimis aliis illarum partium Antiſtitibus.

c Canif. Antiqu. lect. Tom. 6 DE CONRADO ARCHIEP. SALTZB.

III. LEGATI REGIS ANGLIÆ SVBSCRIBVNT IVRAMENTO IMP. d Cod. Vat. ep. 59.

Quod autem in prædictis Friderici literis traditur Legatos quoque Regis Angliæ in eodem VVirtzburgenſi Conciliabulo idem iuramentum pro domino ſuo atque vniuerſo ipſius regno publice præſtitiſſe, extat quidem illius Regis ad Archiepiſcopum Colonienſem ſchiſmatis antiſignanum epiſtola [d], qua docet ſe conſilium cepiſſe mittendi per terras Imperatoris, Legationem ad Alexandrum Papam, qua ei denuntiaret, quod niſi deſiſteret à protectione Thomæ Cantuarienſis, permitteretq; alium in eius locum promoueri, ſed & regias conſuetudines cõfirmaret, ipſe cum vniuerſo regno ſuo ab eius obedientia deficeret. Verum quod Nuntii, quos miſiſſet ad Imperatorem pro matrimonio contrahendo inter filiam ſuam & filium Imperatoris, quoſq; hæc tractantes contigit intereſſe conciliabulo tunc habito ipſius Regis nomine iurarunt inhærere Guidoni ſchiſmatico; nequaquam ex præcepto eius feciſſe, excuſatum eſt ab Archiepiſcopo Rothomagenſi ſcripta epiſtola [e] ad Henricum tituli SS. Nerei & Achillei presbyterum Cardinalem. Ipſos vero nuntios ſic turpiter lapſos, S. Thomas Legatione fungens Apoſtolica, excommunicaſſe reperitur [f] anno ſequenti. Tãtum autem abeſt, vt Alexander minis Regis territus, aliquid ei contra iuſtitiam conceſſerit vt contra eumdem, tam per ſacrum Collegium Cardinalium, quam per Gilebertum Londonienſem Epiſcopum, necnon Archiepiſcopum Rothomagenſem, ipſamque Regis matrem, ac demum per Thomam ipſum, de quo præcipue agebatur, ſeueris monitis, & ſalutaribus conſiliis, cum verbo tum ſcripto, ſollicitandum curauerit, de ſuis exceſſibus reſipiſcere ac pœnitere: prout conſtat ex pluribus epiſtolis [g] quæ hoc eodem anno intercurrerunt inter eos: quibus apparet, Regem non tam ab Alexandri & Catholicorum communione diiungi quæſiſſe, vel deſideraſſe, quam ſua facinora variis prætextibus & fallaciis excuſando, eumdem Pontificem circumuenire.

e Ibid. ep. 102. f ep. 96. 131. ALEX. PP. REDARGVIT REG. ANGL. g ep. 41. 65. & ep. [illegible]

IV. IMP. VENIT IN ITAL. CVM EXERCITV. h l. 1. ep. 169. i ep. 105.

Sed vt ad Imperatorem redeamus, ipſe poſt prædicta Herbipoli violenter geſta, vt quem promouiſſet tot artibus Antipapam, eumdem quoque in Vrbem Romam, in ipſam Petri Cathedram intruderet, Alexandrum vero occideret, aut eiiceret, exercitum in Italiam duxit. Hac enim mente eam expeditionem illum paraſſe, aſſerit Ioannes [h] Sareſberienſis. Qui & alio [i] loco teſtatur, eumdem ſchiſmaticum Imperatorem ex falſitate patrocinium quærentem, in vulgus ſpargendum curaſſe, prænuntiatum eſſe à prophetis quibuſdam, quos ſpiritu diuino afflatos iactabat, fore vt ipſe Alexandrum caperet, omniaque ſibi ſubiugaret. Sed quam deceptus ſpe fuerit, qui alios decipere cogitabat, videbitur ſuis locis. Quo autem animo exercitum in Italiam duxerit, facta eius patefecerunt. Tradunt enim Acta Alexandri, ipſum quidem deſcendiſſe Anconam, vt eam ciuitatem, quam Græcorum Imperator occupauerat, obſideret: verum miſiſſe aliquos de magnatib. ſuis in Tuſciam, vt auxilium & vires præſtarent Guidoni Antipapæ, qui pleraſque ciuitates à conſueta Romanæ Eccleſiæ fidelitate diuulſerunt, vniuerſamq; prouinciam deprædationibus, incendiis, & aliis oppreſſionibus deuaſtarunt: cumque Vrbem Romam armis ſubigere non poſſent, pecuniarum largitione multos ex ciuibus in partes Guidonis & Friderici attraxiſſe. Cum vero in iis in officio continendis Alexander laboraret, interim veniſſe in Vrbem Legatos Imperatoris Conſtantinopolitani, qui oblatis eidem Pontifici magnis & pretioſis muneribus, propoſuerunt Dominum ſuum in optatis habere Eccleſiam ſuam vnire cum Romana omnium matre, ſicut fuerat antiquitus, vt ſub vna diuinæ legis obſeruantia, & vno Eccleſiæ capite, vterque populus & Clerus Latinus & Græcus, perpetua vnitate ſubſiſterent: poſtularuntque vt quoniam Fridericus contra ius omne vexaret Pontificem, hac æqua ſe offerente occaſione, Romani corona Imperii ab Apoſtolica Sede redderetur ipſi Græcorũ Imperatori, ad quem ea iure pertinere, ſumq; tantum pecuniarum militumque miſſurum, quantum ſat eſſet ad vniuerſam Italiam Eccleſiæ Romanæ obedientiæ reſtituendam. Hæc ſumma Legationis illorum: cuius executio licet difficilis videretur inquiunt eadem Acta, vtile tamen viſum eſt, vt Pontifex Epiſcopum Oſtienſem & Cardinalem SS. Ioannis & Pauli pro ea cauſa tractanda, cum iiſdem Legatis Conſtantinopolim mitteret. Ita in eis Actis: vbi videas conſueta pro Eccleſia Romana diuina miracula, vt cum deficit Occidentalis Imperator, & eam perſequitur, excitetur Orientalis, qui ad eam recurrat & opem ferat.

IMP. CONSTANTINOP. LEGATIO AD ALEX. PRO REPETENDO IMPER. OCCID.

V. VVILELMI REG. SIC. OBITVS. k l. ep. 119

Addunt item Acta, eodem tempore [k] Vilhelmum Regem Siciliæ defunctum eſſe: quod accidiſſe conſtat pridie Calendas Maii, cum regnaſſet annos tredecim menſes duos & dies tres, vixiſſet annos quadraginta ſex. Cui eadem die ſucceſſit VVillelmus filius cognomento Bonus, agens ætatis annum duodecimum. Meminit etiam de his Ioannes [k] Sareſberienſis, atque VVillelmum Seniorem in extremis agentem, quadraginta millia ſterlingorum donaſſe in vſum Alexandri Papæ, ac Iuniorem totidem paulo poſt eidem miſiſſe.

VI. EMMANVELIS IMP. CONSTITVTIO DE DIEB. FESTIS ET IVRIDICIS.

Quod ad reliquas res Orientales huius anni pertinet, idem Emmanuel Conſtantinopolitanus Imperator Cõſtitutionem promulgauit de feriis aliiſque diebus feriatis, iuridicisque, vel etiam mixtis, quos enumerat, nempe quibus vel omnino ius reddi non poſſet, aut publica inſtrumenta confici, vel iudiciariæ executiones exerceri, (niſi forte ex neceſſitate, vel diſpenſatione Principis) aut ex parte tantum poſſet: hoc eſt poſt ſacrum cultum peractum. quam conſtitutionem intexuit in ſuo Nomocanone Theodorus Balſamon. In qua illud etiam notandum, quod Emmanuel ſtatuerit vt dies natales Imperatorum, vel quibus renuntiati eſſent Imperatores, non amplius inter feriatos eſſent, ſed inter iuridicos recenſerentur.

VII.

Hac item Indictione decimaquarta, Conſtantinopoli à Luca Chryſoberge Patriarcha celebrata eſt SYNODVS, cuius ſuperius mentionem egimus in eius creatione. Poſt hæc vero haud diutius eum oportuit fuiſſe ſuperſtitem, ſed ex hac vita migraſſe, & in locum eius ſubrogatum eſſe

 (vt habe-

vt habetur in ſerie Græca Patriarcharum Conſtantinopolitanorum Michaelem Anchialum inſignem philoſophũ, eius nominis Tertium. Quem quidem ſub prædicto Emmanuele Comneno Imperatore vixiſſe, teſtatur Theodorus Balſamon in præfatione in commentarium ſuum in Nomocanonem Photij, cum ait ab vtroque ſe in mandatis accepiſſe vt eum commentarium elaboraret, quem & poſtea obtulit Gregorio Xyphilino, vt dicetur ſuo loco. Laudat vero idem hunc Michaelem ſæpius, & inter alia quod [l] ſuperſtitionem quamdam, quæ fiebat per diuinationes dæmonum, & ibidem inoleuiſſet, penitus ſuſtulerit: itemque ex decreto [m] quod promulgauit, ne Clerici ſæcularia obirent munera, dato ſub quarta Indictione, nempe anno Chriſti milleſimo centeſimo ſeptuageſimo primo, cum detegit quando ſederit: quem quidem ſediſſe annos octo habet ſeries Græca Patriarcharum.

MICHAN HIALI PATRIAR. CONST. DECRETA.

l Balſam. in can. 61. Conc. Trul. m Id. can. 16. Conc. Carthag.

IESV CHRISTI AN. 1167.

FRIDER. 13. MANV. 25.

ALEXAN. III. AN. 8.

I.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo ſexageſimo ſeptimo Indictione decimaquinta, ſtatus Eccleſiæ Romanæ in extremum diſcrimen adductus, diuina miſeratione ſpecioſiori nitore refloruit. Siquidem (vt habent Acta Alexandri Papæ) cum menſe Maio Populus Romanus pro defenſione eiuſdem ſui Pontificis, aduerſus Raimonem Tuſculi dominum ingenti multitudine hoſtiliter proceſſiſſet, Raino vero haud par ei reſiſtere, auxilium ab Imperatore Friderico petiiſſet, miſſæ ſunt ab eo validæ fortiſſimorum militum copiæ, qui cum Romanis conſerentes manus, tantam eorum ſtragem ediderunt, vt ab eo tempore quo Romanos Hannibal apud Cannas deuicit, nulla huic ſimilis contigiſſe reperiretur: moxque iidem, iunctis ſecum vicinarum ciuitatum populis, ad Vrbis obſidionem properarunt, in qua erat Alexander Papa. Quo audito Fridericus, relicta Ancona, cum reliquo ſuo exercitu Vrbem deglutiturus accurrens, munitionem S. Angeli aggreſſus eſt: ſed ab ea repulſus, cum nec præſidium eccleſiæ Sancti Petri expugnare poſſet, ignem ipſi Eccleſiæ furibundus iniecit: quæ ne incenderetur, milites deditionem fecerunt, poſtquam proxima eccleſia Sanctæ Mariæ ab eodem ſacrilego tota combuſta eſſet. Interea vero Alexander, dimiſſo Lateranenſi Palatio, in munitiſſimam quamdam Turrim Frangipanum, quæ intra Vrbem erat, ſe recipiens, Nuntios ſuſcepit VVillelmi Iunioris Siciliæ Regis, qui cum audiſſet conatus Friderici, pecunias & triremes ad ipſum Pontificem miſit, quibus eriperetur à periculo: verum ipſe videns deeſſe neceſſitatibus Vrbis, remiſſis triremibus, pecunias diuiſit inter Romanos ſibi fideles. Cum autem Fridericus incaſſum laboraret aduerſus Romanos viriliter ei reſiſtentes, ad dolos conuerſus, propoſuit eis optimum eſſe, vt tam Alexander quam Guido Cremenſis renuntiarent Pontificatui, & tertius quiſquam de vtriuſque partis conſenſu eligeretur, hacque conditione ſe firmam pacem Eccleſiæ daturum, ac liberam in perpetuum Romani Pontificis electionem Clero relicturũ promiſit. Quod cum approbaret afflictus populus, & pro executione inſtaret, Alexander conſilio cum Epiſcopis & Cardinalibus habito, ſecreta fuga eludens technas Imperatoris, Beneuentum ſe recepit. Hæc pluribus in eius Actis. De eius etiam fuga agens Romualdus in Chronico, ait eum habitu peregrini cum paucis Roma exiiſſe, & Caietam vſque perueniſſe, ibique aſſumpto Pontificali habitu, Beneuentum adiiſſe.

BELLVM INTER ALIVM ROMAN. CVM TVSCVLANIS.

FRIDER. IMP. OBSIDET VRBEM.

IMP. DOLOSE REM AGIT CVM ROM.

ALEX. PP. FVGA ELVDIT IMP.

II.

Poſt quæ reſpiciens tandem Dominus ſuper populum ſuum quem paſſus eſſet pro peccatis eius dire affligi, vltionis ſuæ manum contra ſacrilegum Imperatorem in manus atrocem extendit. Cum eius exercitum tantam ſubitaneæ mortis peſtilentia inuaſit, vt intra ſeptem dierum ſpatium, non ſolum minimis militum multitudo, ſed etiam ferme Principes tam Eccleſiaſtici quam ſæculares, atque inter eos Fridericus Dux Bauariæ filius Conradi Imperatoris, & ipſius Friderici conſobrinus, atque impiiſſimus Reginaldus Cancellarius Electus Colonienſis, ſchiſmaticorum antesignanus, miſere perierint: tantuſque terror reſiduos inuaſit, vt coactus fuerit Fridericus rebus vtcumque cum Romanis compoſitis, octauo Idus Auguſti cum ingenti confuſione recedere. Qui cum Lucam, comitante ſemper mortalitate aduenisset, prohibitus à Longobardis, tandem aduerſus eius tyrannidem inter ſe fœdere iunctis, ipſorum regionem attingere, cum per montium aſpera tamquam profugus cum paucis perueniſſet Papiam, paulo poſt ab iiſdem, tamquam violator & deſtructor legum & conſtitutionum Imperatorum Orthodoxorum, & ab Eccleſia Romana excommunicatus, turpiſſime expulſus eſt ab vniuerſa Longobardia, & trans Alpes fugere coactus. Hæc in iiſdem ſinceriſſimis Actis Alexandri, ab auctore Catholico tunc viuente conſcriptis. Quæ & fidem ſibi conciliant à Scriptore ſchiſmatico ipſi Friderico inhærente, nempe Ottone Morena Laudenſi, de quo dictum eſt ſuperius: qui teſtatur, Fridericum frequentibus Paſchalis Antipapæ Viterbii commorantis legationibus prouocatum, duxiſſe Romam exercitum vt illum eo introduceret Alexandrum autem expelleret: captaque ab eodem Imperatore eccleſia S. Petri, ipſum vna cum vxore Beatrice, coronatum in ea fuiſſe ab Antipapa, die feſto S. Petri ad Vincula: ſed & multos Romanorum fœdus cum eo iniiſſe aduerſus Alexandrum, qui ſe interea in munitionib. Frangipanum continebat: Verum ſequenti die ab eius coronatione, cum maxima cœli ſerenitas eſſet, ſubito quaſi in ictu oculi copioſiſſime pluere cœpiſſe, rurſumque ſerenitatem clariſſimam factam eſſe: ac ſtatim ſæuiſſimam peſtem exercitum eius diuinitus inuaſiſſe, qua Epiſcopi, Archiepiſcopi, Comites, Marchiones, Duces, aliique nobiles & ignobiles, infinito numero ſubitanea morte paſſim corruere cœperunt. Itaque Imperatorem cernentem immenſam ſuorum ſtragem, relicta Roma, dimiſſoque Viterbii Paſchale, Papiam petiiſſe, eo modo impeditum, & fugatum, quem diximus ex Actis Alexandri. Sed de eius clade per ciuitates Longobardiæ ei illata & ignominioſa expulſione in Germaniam, dicetur pluribus anno ſequenti.

FRID. IGNOMINIOSE EIICITVR AB ITALIA.

III.

Hoc eodem anno, cum Alexander Papa intellexiſſet, Regem & Epiſcopos Angliæ omnem lapidem aduerſus S. Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum, licet exulem, mouere vt eum deiicerent: ipſe ex aduerſo vt eumdẽ erigeret ſuper ſuos perſecutores illud egit laude digniſſimum, vt ei munus Apoſtolicæ Legationis committeret pleniſſima poteſtate corrigendi & ſtatuendi in vniuerſa Anglia, excepto Epiſcopatu Eboracenſi, quæ corrigenda & ſtatuenda exiſtimaret, ad honorem Dei & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, atque ſalutem animarum. Extant [a] enim de his eiuſdem Pontificis literæ ad eum ſcriptæ. Quibus & alias eodem argumẽto dedit ad Epiſcopos & Clerum prouinciæ Cantuar. vt ei in omnibus obtemperarent: & eius Clericis beneficia a detentoribus reſtitui, anathematis ſententia compellerent: ac denique Denarium Sancti Petri, quem Rex ſibi vſurpauerat, ipſi inſinuet exigerent, & Nuntiis ad illum recipiendum mittendis integre conſignarent. Quæ epiſtolæ cum ab aliquo ignoto redditæ eſſent Epiſcopo Londonienſi, decano ſuffraganeorum Cantuarienſis Eccleſiæ, dum in die Sancti Pauli ad altare conſiſteret: ipſe confeſtim de omnib. certiorẽ reddens [b] Regem, rogauit vt permitteret mandatis Pontificibus obedire: ſed & pariter deliniens aliſque temperamento, conſuluit præcipere Epiſcopis, vt ſi quod in literis Thomæ Legati aduerſus regni conſuetudinem eſſet grauamen, ſtatim ad Papam vel ad alios Legatos, qui ab eo mittendi eſſent in Angliam, appellarent: ſic enim fore vt & ipſi à reatu inobedientiæ liberarentur, & cauſæ ipſorum nullum detrimen tum acciperent.

ALEX. PP. LEGATVM CREAT S. THOM. CANTVAR.

a Cod. Vatic. l. 1. ep. 115. 116.

MANDATA ALEX. AD EPIS. ANGL. b Ibi. ep. 111.

IV.

Thomas autem Legationis ſuæ adminiſtrationi diligenter incumbens, cum videret Regem neque beneficiis, neque admonitionibus, poſſe ad meliorem frugem conuerti, omnia que in deterius apud eum quotidie dilabi, nempe … periculoſum & intolerabile exiſtimans,

c Ib. ep. 96.

S. THOM. MVNVS IMPLET VOCATIONIS ADVERSVS DELINQVENTES ANGLOS.

tantos illius miniſtrorumque eius contra Eccleſiam Dei exceſſus, vlterius impunitos relinquere: inuocata Spiritus Sancti gratia, ſcriptum illud in quo continebantur illæ non Conſuetudines, ſed prauitates, quibus perturbaretur & confunderetur Eccleſia Anglicana, quaſque iam antea ab Alexandro Papa dum eſſet Senonis in Gallia damnatas vidimus, publice condemnauit, & caſſauit: vniuerſoſque obſeruatores, exactores, conſiliarios, adiutores, ſeu defenſores earum excommunicauit: & omnes Epiſcopos à iuramento, quo in gratiam Regis contra conſtitutiones Eccleſiaſticas ad earumdem obſeruationem ſe obligauerant, abſoluit: atque inter eas ſpecialiter damnauit illas, quibus aſſerebatur, 1. Non debere appellari ad Sedem Apoſtolicam qualicumque de cauſa, niſi de licentia Regis: 2. Non licere Archiepiſcopo, vel Epiſcopo exire de regno, & venire ad vocationem Papæ, abſque licentia Regis: 3. Non licere Epiſcopo excommunicare aliquem, qui teneret aliquid de Rege in capite: vel terram eius, aut officialium ſuorum, ſub interdicto ponere, abſque licentia Regis: 4. Non licere Epiſcopo coercere aliquem de periurio vel fide læſa: 5. Clericos, vel religioſos viros teneri ad ſæcularia iudicia: 6. Homines laicos, ſiue Regem, ſiue alios, tractare poſſe cauſas de Eccleſiis vel decimis. Poſt hæc vero damnata, excommunicauit etiam nominatim plures, qui ſiue Reginaldo Colonienſi adhæſiſſent in præſtādo iuramento Guidoni ſchiſmatico, ſiue bona Eccleſiæ Cantuarienſis vſurpaſſent, ſiue alia contra quædam expreſſa mandata Romani Pontificis, vel ipſius Thomæ, perpetraſſent. Ipſum autem Regem [d] nondum perſonaliter excommunicauit, quod adhuc expectaret correctionem eius: minatus autem eſt excommunicare, niſi celeriter reſipiſceret. Extant enim eius de his rebus ſicà ſe geſtis, ſcriptæ literæ [e] tam ad Epiſcopos Angliæ, alioſque, quam ad ipſum Alexandrum Papam: quem etiam rogauit, vt eadem cuncta rata haberet, & literis ſuis confirmaret.

d 1. ep. 131.

e Id. epp. 96. 139. &c. & ep. Roger. in Annal. Anglic.

V.

f 1. ep. 139.

Iiſdem autem a Rege auditis, qui tunc erat in Aquitania, habito apud Chinonem ſuorum conuentu (inquit Ioannes [f] Saresberienſis) grauiſſime conquerens de Thoma, quod ipſi (vt aiebat) corpus & animam pariter auferret, ſtudioſius inquirere cum multa obteſtatione cœpit, quoniam conſilio ſibi in his vtendum eſſet, & amaro animo lacrymans, omnes proditores eſſe queſtus eſt, qui eū ab vnius hominis infeſtatione nollent expedire. Erat enim dolor acerbior, ob metum quem conceperat ex literis quas Thomas illi & matri eius ſcripſerat, de mittendo in terram eius interdicto, & ſententia anathematis in perſonam eius auctoritate & mandato Summi Pontificis iaculanda. Quare cum his anguſtiis premeretur, Lexouienſis Epiſcopus vnum dixit eſſe remedium, imminentem ſententiam præpedire obſtaculo appellationis ad Sedem Apoſtolicam: eoque ab omnibus probato conſilio, idem ipſe vna cum Sagienſi Epiſcopo ad Thomam miſſi ſunt Pontiniacum, vt appellatione interpoſita ſuſpenderent ſententiam eius. Sicque ea ratione, qui per auitas conſuetudines ius appellationis euacuare Rex conabatur, eam magis confirmauit, dum ipſemet pro capite ſuo ad appellationis remedium confugere coactus eſt. Eluſa tamen eſt Epiſcoporum ſollicitudo, dum Thomam quem appellarent non inuenerunt. Is enim in procinctu ferendæ ſententiæ, iter arripuerat ad vrbem Sueſſionem orationis cauſa, vt agonem ſuum commendaret Beatiſſimæ VIRGINI, cuius ibi memoria celebris erat, & B. *Dranſio* Confeſſori, ad quem pugnaturi refugere conſueuerant, docente experientia eos qui ad Memoriam eius pernoctarent, victores euadere, atque B. *Gregorio* Anglicanæ Eccleſiæ fundatori, qui in eadem vrbe quieſcebat. Cumq; in his Sanctorum memoriis triduo pernoctaſſet, confeſtim verſus Vizelliacum properans, vt ibi in die Pentecoſtes in Regē & ſuos anathematis ſententiam iacularetur, nutu diuino contigit, vt ſexta feria dictam præcedente ſolemnitatem, certiſſimum acceperit nuntium de grauiſſima Regis infirmitate, eaque de cauſa ſententiam in eum ferre diſtulerit. Hæc Ioannes Saresberienſis. Qui & rurſum alibi [g] do-

APPELLAT REX AD PAPAM IVSTO DEI IVDICIO.

PEREGRINATIO S. THO. SVESSIONEM.

g 1. ep. 166.

cet, iam quidem ante hæc Regem appellationem interpoſuiſſe per quemdam clericum cuiuſdam excommunicati, ſed nihilominus Thomam, hac aduerſus clericum exceptione vſum, quod cū nullum oſtenderet appellationis ſuæ mandatū Regis, idemq; ipſe clericus teneretur excommunicatione domini ſui appellantis officium implere non poſſet, perſtitiſſe in propoſito excommunicandi Regis, ſed eius interueniēte morbo executionē diſtuliſſe.

VI. APPELLATIONES VACADVNT EPISCOPI ANGL.

h 1. ep. 147. 149

i 1. ep. 158.

Scripſerunt autem Epiſcopi ad Alexandrum Papam, appellantes ipſum aduerſus Thomæ conatus, & tam Regem, quam ſeipſos, & eos qui ab eodem Thoma excommunicati aut ſuſpenſi fuiſſent, excuſantes. Sed iiſdem ad certam diem appellationis quam ipſimet præſtituiſſent, non comparentibus, Alexander iam probe cognitis ipſorum improbitatibus & tergiuerſationibus, confirmauit [h] ſententiam Sancti Thomæ, ipſiſque Epiſcopis [i] diſtricte iniunxit, vt in iis quæ ad Eccleſiæ Cantuarienſis iura, dignitates, vel libertates ſpectarent, ſeſe immiſcere ſub prætextu ſuæ ipſorum appellationis, nullatenus abſque Thomæ aſſenſu præſumerent. Rex vero nihil aduerſus eum non mouens, cum ſæpe tentaſſet (vt queſtus eſt Thomas [k] ad Alexandrum) Abbatem Ciſtercienſem ab eius protectione dimouere, minatus ruinam Abbatiarum eius Ordinis, quæ in ſua poteſtate eſſent, iam demum effecit (prout tradit Saresberienſis [l]) vt ex monaſterio Pontiniaco pelleretur, poſtquam integros duos annos ibi egiſſet, vt etiam traditur in Quadripartita eius Vita. Quantum autem ſcandali intulerit bonis omnibus eiuſmodi expulſio tanti hoſpitis, pluribus ibidem narratur: additurq; Ludouicum Francorum Regem Chriſtianiſſimum, vbi iſta ex literis Thomæ accepit, hæc publice exclamaſſe: *O religio, ô religio, vbi es! Ecce enim quos credebamus ſæculo mortuos, ſeculi ruinas timent, & pro rebus caducis, quas propter Dominum contempſiſſe profitentur, à Dei opere quod inperant conuertuntur retrorſum, Dei cauſa exulantem eiicientes à ſe.* Illum autem exceptum eſſe regia munificentia ab eodem Chriſtianiſſimo, vrbemque Senonum ei ad habitandum conceſſam, tum ibi traditur, tum etiam teſtatur Saresberienſis [m].

k 1. ep. 138.

l 1. ep. 139.

S. THOM. EXPELLITVR PONTINIACO MONAST.

EXCIPITVR A REGE FR.

m 2. ep. 90.

VII.

Sed ex aduerſo haud iſtis contentus Anglorum Rex, cum adhuc adeo timeret, die appellationis elapſo, excōmunicari, & vniuerſam ditionem ſuam interdicto ſubiici, vt manifeſte diceret, ſe Epiſcopis appellare nec perſuaſiſſe, nec compuliſſe: Epiſcopi vero in tantum angerentur, & interdici metuerent, vt quidam ad Thomam nuntios mitterent, quidam ad eius vocationem venire parati eſſent: aduerſus hæc primo Rex omnia maritima loca diligentiſſime cuſtodiri iuſſit, ne interdictum à quoquam deferretur: deinde nouis excogitatis dolis, vt imminentem Thomæ ſententiam eluderet, legationem direxit ad Alexandrum Papam, vt ab eo Legatum à Latere impetraret ad ſe mitti, hoc conſilio vt ita labefactaret S. Thomæ auctoritatem: petiitque ſibi dari VVillelmum Papienſem Cardinalem presbyterum tituli S. Petri ad Vincula, quem haberet amicitia coniunctiſſimum, ſciret autem eſſe S. Thomæ aduerſarium. Delectus vero ab eo eſt ad hoc impetrandum, Ioannes de Oxenefort, Decanatus Saresberienſis Eccleſiæ vſurpator, & ſchiſmaticorum communicatione in conuentu VVirtzburgenſi infectus, eaque de cauſa iam antea à S. Thoma excommunicatus denuntiatus. Qui miſſus ad Alexandrum, eumdem circumueniēs, primum præſtito publico iuramento quod nihil contra fidem Catholicam, & honorem Eccleſiæ Romanæ, feciſſet in eo conuentu, renunciatoque in manibus eius Decanatu Saresberienſi, atque inſuper abiuratis regiis illis Conſuetudinibus, quarum cauſa eſſet omnis conflata diſcordia, ac denique ſuggerens, pacem inter Regē & Thomam componi poſſe, ſi eſſet qui de ea fideliter tractaret, omnemque ſuam operam ad hoc promittens: tunc demū ab Alexandro abſolutus eſt ab excommunicatione, & Archidiaconatui reſtitutus. Cumque poſtmodum literas Regis produxiſſet, quibus inſertum erat vt illi tanquam ipſi Regi in omnibus crederetur, tuncq; ipſe ex parte Regis cauſam regiarum Conſuetudinum, ipſiuſque Thomæ commiſiſſet arbitrio Pontificis, vt illæ ad nutum eius ſta-

REX ANGL. LEGATVM A LATERE PETIT ADVERSVS THOMAM.

IOA. OXENEFORD. [illegible]

 terent

rent aut caderent, & Thomæ pax ſecundum formam quã idem præſcriberet integra redderetur, hocq; ruſum iuramento corfirmaſſet: tandem obtinuit, vt ſuſpẽſo iudicio per Thomam inchoato, Pontifex ad promiſſa Regis exequenda, Legatos in Angliam decerneret: ſed ea conditione, vt pacem tantum componere ſtuderent, non autem cauſæ iudicandæ ſe immiſcerent: & ſi perfecta pax non fieret abſq; aliquo iurium Eccleſiæ diſpendio, tunc Thomas in Regem, & regnum, & omnes regni perſonas, ſuo vteretur vel Metropolitani vel Legati Sedis Apoſtolicæ iure: itemque vt nihil interim concederetur aliis excommunicatis à Thoma, niſi vt inſtante morte abſolui poſſent, præſtita iuratoria cautione. Sed & cum Legatum quẽ Rex petiit, VVillelmum Papienſem tranſmiſit, ne ex eo quod ille eſſet amicus Regis, inferretur aliquod aduerſæ parti damnum, primo collegam ei adiecit virum penitus incorruptibilem, atque ex integritate vitæ vbique notiſſimum, & erga Thomam propenſiorem, Oddonem ſiue Ottonem Brixienſem, diaconum Cardinalem Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, qui virtute ſua collegam, ſiquid præter ius faſq; tentaret, cohibere poſſet: deinde ab ipſo VVillelmo promiſſionem expreſſam exegit, illum haud quidquam aduerſus Thomam moliturum.

ALEX. LEGATOS MITTIT IN ANGL.

VIII.

n Cod. Vat. 1. ep. 103. & l. 2. ep. 1. 2. 3. 7. 97.

Conſtant hæc omnia ex literis [n] tam ab ipſo Alexandro ad Sanctum Thomam, Regemq;, & Epiſcopos Angliæ, quam ab Epiſcopo Pictauienſi ad eumdem Sanctum Thomam, & à Ioanne Sareſberienſi ad Milonem Morinenſium Epiſcopum, de hac cauſa ſcriptis, cum peſſimus ille, & vndiquaque periurus, ac mendaciſſimus Ioannes Oxenefordienſis, poſtquam à legatione ſua rediſſet, vbiq; ſparſiſſet in vulgus, ſe obtinuiſſe ab Alexandro, vt Rex exemptus eſſet à poteſtate omnium Epiſcoporum, præterquam ipſius Papæ, quoad excommunicationis innodationem, & vt in reliquis omnibus abrogata eſſet ipſius Thomæ auctoritas, VVillelmus autem Papienſis omnimodam haberet plenitudinem poteſtatis in vniuerſam Regis ditionem, omni remedio appellationis ſublato, & maxime ad decidendam principalem, quæ inter Regem & Thomam verteretur, cauſam, quibus mendaciis effectum eſt, vt non ſolum Rex palam gloriaretur, ſe & omnes ditionis ſuæ Epiſcopos exemptos eſſe à poteſtate Archiepiſcopi Cantuarienſis, ac nunc demum aui ſui conſecutum eſſe priuilegium, qui in terra ſua erat Rex, Legatus Apoſtolicus, Patriarcha, Imperator, & omnia quæ volebat: verum etiam, vt quouſque veritas non innotuit, fuerit in Alexandrum etiam ab eius amicis, & Catholici nominis ſtudioſis, atq; adeo ab ipſo Francorum Rege Chriſtianiſſimo, verbis atque ſcriptis vbiq; conclamatum: ſicut patet ex querulis ea de re ſcriptis [o] literis à Thoma ad quemdam Ioannem Cantuarienſem Romæ agentem, necnon à Lombardo Romanæ Eccleſiæ ſubdiacono tũc in Galliis degente ad Alexandrum Papam, & à Ioanne Sareſberienſi ad Ioannem Epiſcopum Pictauienſem: quib. plane intelligas, etiam quemlibet, licet ſanctiſſimum, in ſignum poſitum eſſe, in quem detractionis ſagittas inimici iaciant pariter & amici. At qui paulo ſolutior tanti Pontificis æſtimationem carpſerat Sareſberienſis, idem poſt omnia bene explorata, ea omnino correxit ſuis poſtremis literis [p] ad prædictum Milonem Morinenſem, dum breui compendio vniuerſam cauſam tractans eo modo quo ſuperius narrata eſt ex ipſius Alexandri Papæ, aliorumque literis, euidenter docet, eumdem Pontificem, etiam circumuentum, cauſam Eccleſiæ & Thomæ fideliſſime procuraſſe: quod & euidentius cognoſcetur ex iis quæ dicentur annis ſequentib.

IO. OXENEFORD. MENDACIA.

o 2. ep. 164. 165. 178.

CONCLAMATVR INEVITE ADVERSVS ALEX. PP.

p 2. ep. 97.

IX.

q 2. ep. 21. r 2. ep. 22. s 2. ep. 54.

AVRO CORRVPTI NONNVLLI CARDINALES.

Sed non ita Cardinales aliquot, qui auro Regis corrupti, grauiſſimum intulerunt Fidelibus ſcandalum: de quibus ſunt iuſtiſſimæ Thomæ querelæ [q] ad Archiepiſcopum Moguntinum, & Pictauienſis [r] Epiſcopi ad Lombardum: ſicut & ab eodem Thoma alibi [s] laudantur Hũbaldus & Hyacinthus itidem S.R.E. Cardinales, quod (vt ait) non abiiſſent poſt aurum, quod ad læſionem ipſius Thomæ, & Apoſtolicæ Sedis confuſionem, capti eſſent quidam, quorum patrocinio receptis literis Apoſtolicis Rex Anglorum ſe de Romana Eccleſia gloriaretur triumphaſſe. Porro hæc adeo turpia & deteſtabilia excuſare nõ poſſumus, nec debemus. Nam qui ſic regio capiuntur auro, plumbei ipſi redduntur, deformes exiſtimatione, flexibiles leuitate, graues pondere conſcientiæ, Deo inuiſi, hominibus expoſiti ſubſannandi, & conculcandi vt ſal infatuatum, quod ad nihilũ valet vltra. Perdat hos Deus, ne inficiant Sanctam Eccleſiam non habentem maculam neque rugam. Perdat hos Deus, antequam perdant ipſi Eccleſiam in manum laicam. Sintq; iſta, aliaque eiuſmodi errata maiorum maior cautela ſucceſſorum.

IESV CHRISTI AN. 1168.

FRID. 14. MAN. 26.

ALEXAN. III. AN. 9.

I.

a Cod. Vat. 1. p. 161.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo ſexageſimo octauo, Indictione prima ipſis Cal. [a] Ianuarii, VVillelmus Papienſis, & Oddo ſiue Otto Brixienſis, ille presbyter, iſte diaconus, Cardinales S.R.E. Legati à Latere ab Alexãdro Papa in Gallias pro concordia inter S. Thomam Archiepiſcopum Cantuarienſem exulem, & Henricum Angliæ Regem, componenda deſtinati, Roma egreſſi, ſeorſum ab inuicem [b] diuerſo itinere profecti ſunt conuenturi in vnum apud oppidum Montempeſſulanum.

b 2. ep. 4.

II.

c 2. ep. 14.

Sed ne ſimulac in Gallias peruenerunt, ſuſceptæ legationis munus obirent, interceſſit impedimentum belli conflati inter Reges Francorum & Anglorum: de quo Alexander ad eoſdem Legatos epiſtolam [c] ſcripſit, qua præcepit vt omiſſis ceteris pacem inter eos conciliare ſummopere ſtuderent, prudenter cauentes ne quid in fauorem alterius ſtatuerent, vnde alter offenderetur, & diſtricte prohibuit, ne Regnum Anglorum intrare, vel de negotiis eiuſdem regni tractare præſumerẽt, niſi prius Thomas Regi Angliæ penitus reconciliaretur. Verum quod nihilominus alter Legatorum, nempe VVillelmus continuo in partem amici ſui Regis Anglorum declinans [d], non ſolum eum conſilio iuuaret aduerſus Regem Francorum, ſed & falſis obreptionibus reſcriptum ab Alexandro ſurripuiſſet pro ſuſpenſione auctoritatis Thomæ, quod Rex Angliæ vbique iactabundus oſtentabat, inde graui orto ſcandalo, tam Rex Francorum Chriſtianiſſimus, quam vniuerſum eius regnum, omneſq; filii Eccleſię (inquit ad Alexandrum VVillelmus [e] electus Carnotenſis Epiſcopus, vir, vt ait Sareſberienſis, [f] famæ clariſſimæ, & magnæ auctoritatis, prudentia & eloquentia præſtantiſſimus) doluerunt virum iuſtum, Pontificem reuerendum, qui pro libertate Eccleſiæ Catholicæ, ac Sedis Apoſtolicæ maieſtate tuenda, exul ac proſcriptus viueret, contra quem ageret tyrannus, Eccleſiæ perſecutor, iniquus hoſtis regni Francorum, & ex aduerſo pro quo ſupplicaret Rex Chriſtianiſſimus, quo non eſſet inter Reges & Principes, qui mandatis Pontificiis obediret humilius, & Eccleſiam ac viros Eccleſiaſticos deuotius honoraret, & ſtudioſius tueretur, cuiuſq; Regno non eſſet aliud in toto Orbe, fide, charitate, & deuotione erga Sedem Apoſtolicam comparandum, nec eſſet Eccleſia, quæ Eccleſiæ Romanæ fuerit vtilior in omnibus anguſtiis ſuis, quam Gallicanã ſine cauſa ſuſpendi, & ab Apoſtolica Sede manaſſe ſcriptum tam pernicioſum exemplo. Quare & ſcripſit tunc ipſe Rex Francorum ad Papam, & eiuſdem S. Thomæ extant ad diuerſos Cardinales [g] de iiſdem epiſtolæ.

d 2. ep. 22. & 103.

SCANDALVM ORTVM EX LEGATI INIQVITATE.

e 2. ep. 57. f 2. ep. 60.

LAVDES EX. REGNI, REGIS, ET ECCLESIÆ.

g 2. ep. 52. 54. 55.

III.

h 2. ep. 29.

Quibus compertis Alexander valde commotus, primum literis [h] Thomam ad fortitudinis & conſtantiæ virtutem hortatus eſt, monens vt nullam penitus cum Rege Anglorum in depreſſionem & diminutionem Eccleſiaſticæ dignitatis pacem faceret, & tamen conſulens vt quãtum ſaluo honore officij ſui & libertate Eccleſiæ fieri poſſet, ad gratiam & amorem eius recuperandum modis omnibus eniteretur. Deinde ad Legatos ſuos ſcribens [i], eorum auctoritatem ſuſpendit, ne ſe immiſcerent iudicaria poteſtate in deciſione cauſæ, nec in regnum Angliæ vi-

ALEX. PP. MEDETVR SCANDALO.

i 2. ep. 31.

la tatio-

la ratione intrarent, niſi prius plena pax inter Thomam & Regem inita eſſet: cui quidem ita intendere iuſſit, vt tam ipſi Thomæ, quam eius Eccleſiæ, antiqua iura & libertates integræ & illibatæ ſeruarentur. Ioannem vero Oxenefordenſem, periurum, & falſorum rumorum diſſeminatorem, ita caſtigari præcepit, vt alii eius exemplo à ſimilib. deterrerentur. Quibus Alexandri diuulgatis in Gallia literis, magnam prorſum omnium factam eſſe exultationem, diuerſorum literæ [k] teſtantur.

k 2. ep. 10. 16. 95.

IV.

l 2. ep. 28. 10.

Poſt iſtas autem perplexitates, initamque inter Reges concordiam, cum demum autumni tempore Legati primo Regem Angliæ, deinde Thomam adiiſſent [l], & de pace inter eos concilianda egiſſent: tamen quod alter eorum, nempe VVillelmus Papienſis, aperte in omnibus faueret Regi in damnum Thomæ & aliorum exulum, ac perniciem Eccleſiæ, alter autem, nempe Oddo remiſſius ageret, quam tantæ expectationis hominem decuiſſet: amiſſa omni ſpe concordiæ, Rex cum Epiſcopis & Clero ſuæ factionis, intelligentes non habere Legatos facultatem decidendi cauſam principalem, vel ipſum Thomam ad iudicium compellendi, timenteſque ne idem Thomas cenſuris Eccleſiaſticis in ipſos vteretur: rurſus conſilium inierunt rem cunctam ad Summum Pontificem per appellationem deferre, & ſe ac ſua omnia ſub Apoſtolica protectione ponere, appellationi terminum præfigentes feſtum S. Martini anni proxime venturi: idque Thomæ ſignificari curarunt tam per literas [m] Legatorum, quam per miſſos à ſe ad eum Nuntios, ne poſthac aliquid contra ipſos in præiudicium appellationis ſuæ intentaret, præſertim cum iam antea literis Apoſtolicis interdicta ipſi fuiſſet auctoritas de rebus ac perſonis Eccleſiæ Anglicanæ. Quibus à Thoma cognitis, cum iterum cerneret literas illas Alexandri Papæ ad Regem Anglorum, de inhibitione auctoritatis ſuæ conſcriptas, circumquaque diuulgari magno ſcandalo bonorum omnium fauentium Eccleſiaſticæ libertati: idem de his excruciatus, literas [n] de ſua ac ſuorum diuturna perſecutione, & inimicorum inſultatione, valde querulas ad eumdem Pontificem conſcripſit: aliaſq; ad ſacrum S. R. E. Cardinalium Collegium, quibus eos liberius de officio ſuo commonens, & negligentiam in vindicanda Eccleſiæ iniuria carpens, hanc egregiam in fine ſententiam inſeruit, *Non ſimulatione, non ingenio* hoc eſt prudentia carnis, quæ eſt [o] inimica Deo) *regendam eſſe Eccleſiam, ſed iuſtitia & veritate, quæ ſe obſeruantem liberat ab omni periculo.* Quibus aliorumque ſanctiſſimorum virorum querelis permotus Alexander, Legatos quantocyus omni nudans auctoritate, reuocauit ad ſe: qui cum multa poſt hæc [p] cum Rege & eius Epiſcopis tractaſſent de illorum ad Papam Appellatione, deque peperam ab ipſis Legatis facta abſolutione eorum qui fuerant excommunicati à Thoma: demum recedentes, & Regem [q] adeo commotum reliquerunt, vt palam quereretur ſe proditum eſſe à Papa: & iidem ipſi de rebus à ſe geſtis pœnitentes, conqueſti ſunt [r] ſe ad Regis voluntatem nimis cauſam Eccleſiæ depreſſiſſe. Miſerunt vero etiam Rex & Thomas Nuntios ſuos ad Pontificem: de quorum petitionibus, & obtentionibus, dicetur anno ſequenti.

Rursvm Rex Angl. appellat ad Pont.

m 2. ep. 29.

n Cod. Vatic. in Append.

Querela Thomæ ad Cardinales.

o Rom. 8.

p 2. ep. 6. 26. 56. 100. 101.

q 2. ep. 26. 21 ep. 105.

V.

Congressvs Regis Angl. cvm S. Thoma coram Rege Fr.

Vbi vero Legati Apoſtolici re infecta ex Gallia receſſerunt, ſtuduit Rex Chriſtianiſſimus ad mutuum colloquium congregare in præſentia ſua Regem Anglorum & Sanctum Thomam, vt ſe inter eos mediatorem conſtituens, facilius eoſdem poſſet fœdere pacis copulare. Sed cum inter multa eiuſmodi habita ſimul colloquia, aliquando Thomam ad pedes Regis Angliæ procidens, dixiſſet ſe totam mutuæ diſſenſionis cauſam ipſius committere arbitrio, honore ſaluo Dei: Rex iſta adiectione excandeſcens, obiicienſque Thomam, quicquid ipſi diſpliceret dicturum honori Dei eſſe contrarium, & ſic tam quæ ſua, quam quæ Regis eſſent vindicaturum: publice obtulit ſe quieturum, dummodo quod ipſius Thomæ anteceſſorum Cantuarienſium Archiepiſcoporum maximus & ſanctiſſimus feciſſet minimo prædeceſſorum Regis, hoc Thomas præſtaret Regi. Ad quam vocem cunctis acclamantib. ipſoq; et Rege Chriſtianiſſimo Thomā vrgente, ſed eo prudenter ac grauiter reſpondente malle ſe prædeceſſorū ſuorū ærūnas quas pro pietate & libertate Eccleſiaſtica defendēda ſuſtinuiſſent, pati, quam ſi in aliquo tepuiſſent, illos imitari: ſolutum eſt colloquium cū multa in eum vtriuſq; Regis indignatione, & aulicorū conuiciis. Sed admiratione dignum eſt, quomodo auſus ſit Rex Angliæ ad exēpla prouocare antiquiorum Cātuarienſiū Archiepiſcoporum, quorum pleroſque conſtaret magnopere reſtitiſſe Regibus libertatem Eccleſiaſticam violantibus, eaque de cauſa plurium annorum eſſe paſſos exilia & proſcriptiones, vt abunde oſtenſum eſt ſuperius.

VI.

S. Thomæ in adversis constantia.

Ceterum cum poſt hæc ſubtracta Thomæ alimonia, quam à Rege Chriſtianiſſimo ſuſcipere conſueuerat, ad extremam redactus inopiam, nihilominus fortis permanens cogitaret alio ſe recipere; poſt paucos dies Chriſtianiſſimus facti pœnitens, eum rurſum ad ſe vocauit. & coram omnibus ad pedes eius cum lacrymis ſe proiiciens, veniam ab eo poſtulauit, & peccati abſolutionem, quod dediſſet ei conſilium vt ad nutum hominis honorem Dei remitteret: promiſitq; numquam ſe ei defuturum: & cū Rex Angliæ de his apud eum per Nuntios grauiſſime expoſtularet, rogaretq; inſtantiſſime vt Thomam eiiceret è regno ſuo, dignum Rege Chriſtianiſſimo reſponſum reddidit, *quod ſi Rex Angliæ auitas quas vocaret conſuetudines, licet minus legi diuinæ (vt aſſerebatur) congruas, tamen vt ad regiam dignitatem ſpectantes, non ſuſtineret abrogari: multo minus ſibi liceret ius illius liberalitatis ſubuertere, quod tam corona regni Francorum ſibi iure competeret hereditario, nempe vt ex antiqua Franciæ conſuetudine, omnes miſeros & afflictos, & maxime pro iuſtitia exultantes reciperet, & donec pacem haberent, foueret ac defenderet:* adiiciens *ſe Thomam recepiſſe de manu Romani Pontificis, quem ſolum in terris haberet dominum: & ideo nec pro Imperatore, nec pro Rege, nec pro aliqua mundi poteſtate, eum dimiſſurum.* Narrantur hæc omnia pluribus in Quadripartita hiſtoria Vitæ eiuſdem Sancti Thomæ, & in epiſtola [s] ab eodem Sancto ſcripta ad Humbaldum Cardinalem Oſtienſem. Quæ vero poſt hæc contigerunt, dicentur anno ſequenti.

Regis Christianiss. digna responsio ad Reg. Angl.

s 3. ep. 78.

VII.

t 2. ep. 84.

Interim ad res Italiæ conuertamus orationem, vbi Fridericum Imp. acerrimum Eccleſiæ perſecutorem, vidimus anno ſuperiori peſte diuinitus immiſſa ab Vrbe fugatum ægre Papiam peruenire potuiſſe. Sed longe ſæuiora hoc anno in eum congeſta ſunt. Siquidem inprimis Romanus Pontifex (inquit hæc narrans Ioannes [t] Sareſberienſis ad Cantiæ ſubpriorem) cum per patiētiam eum diutius expectaſſet, vt vel ſic prouocaretur ad pœnitentiam: & ſchiſmaticus abutens patientia eius, peccata peccatis adderet iugiter, vt error in amentiam verteretur: Vicarius Petri à Domino conſtitutus ſuper gentes & ſuper regna, Italos & omnes qui ei ex cauſa Imperii religione iuriſiurandi tenebātur aſtricti, à fidelitate eius abſoluit & Italiam fere totam à facie furentis & præſentis tanta felicitate & celeritate excuſſit, vt in ea nihil habere videretur, niſi tortores quos euitaret, interdum & anguſtiarū, quas euitare non poſſet, iuge ſupplicium. Abſtulit ei etiam Regiam dignitatem, ipſumque anathemate condemnauit: & inhibuit auctoritate Dei, ne vires vllas ab eo tempore in bellicis congreſſionibus haberet, aut de Chriſtiano aliquo victoriam conſequeretur, aut alicubi quiete & pace gauderet, donec fructus pœnitentiæ condignos operaretur. In quo ſecutus eſt exemplū Gregorii Septimi deceſſoris ſui, qui Henricum Imperatorem Eccleſiæ priuilegia conuellentem deponens, in Concilio Romano ſimili ſententia condemnauit. Et quidem illa ſententia effectum ſortita eſt, & hanc de priuilegio Petri latam videtur ipſe Dominus confirmaſſe: Hoc enim Itali audito, ab eo diſcedentes, reædificauerunt Mediolanum, ſchiſmaticos expulerunt, Catholicos reduxerunt Epiſcopos & Apoſtolicæ Sedi vnanimiter adhæſerunt. Hæc Sareſberienſis.

Frid. Imp. deponitvr et excommvnicatvr ab Alex. Papa.

VIII.

u 2. ep. 26.

Sed quæ rurſum mala eumdem Fridericum exauguſtum (vt vocat) ſecuta fuerint, idem aliis epiſtolis [u] deſcribens, docet ipſum congreſſum cum Mediolanenſi-

FRIDER. VINCITVR A MEDIOLANENSIBVS.

ſibus, amiſſis viginti quinque millibus armatorum, in fugam conuerſum eſſe & intra Papiam concluſum: cum vero ſentiret ſe militum præſidio deſtitutum, & Italiæ ciuitates in ipſum irruere properare, nec tutus vllus eſſet regreſſus in Germaniam, eumdem relicta Papia per caſtella latitare cœpiſſe: ac cum nihilominus deſperaret manus hoſtium euadere, doloſe fingentem ſe pacem velle cum Eccleſia, quoſdam viros religioſos vocaſſe, quorum conſilio ſe acquieturum promiſit: ſed ex eo iam mitius cum eo agentibus Longobardis, vbi opera Marchionis Montisferrati, multis & ingentibus promiſſis à Comite Maurienſi elicuit facultatem egrediendi ex Italia, cum obſidib. quos olim ex ciuitatibus acceperat, mox detracta larua, venientibus ad ſe viris religioſis quos pro pace euocauerat, per literas ſignificaſſe, eos ob eam cauſam fruſtra venturos eſſe, niſi Angelum de cœlis ſecum patenter adducerent, aut venirent in poteſtate faciendi miracula, mundandi leproſos, & ſuſcitandi mortuos: denique cum prope Secutiam, nobilem quemdam obſidem Brixienſem ſuſpendiſſent, imponens ei quod fuiſſet auctor colligendi exercitus quo ex Italia pelleretur, Secutianos arreptis aduerſus illum armis, reliquos omnes obſides ei abſtuliſſe: ipſum autem aſſumpto famuli habitu, quaſi qui alicuius magni viri procuraret hoſpitium, cum aliis quinque famulis noctu abſceſſiſſe: ac demum ad ſua redeuntem, Alamanniam & Saxoniam ſupra modum turbatas reperiſſe, & fratrem ſuum præ ceteris inimicum. Hæc Saresberienſis. Quibus quidem videas (vt alibi idem [x] philoſophatur) Fridericum, qui nominis ſui fama Orbem perculerat, & cuncta fere ſubegerat regna vicina, atque etiam Imperium Græcorum terrore concuſſerat, vt magis deditionem, quam confœderationem legationibus miſſis videretur offerre, iam inter ſuos vix ſecurum conſiſtere. Etenim (vt ipſemet conqueri ſolebat) ex quo Regem Francorum, & Gallicanam Eccleſiam ſeparare conatus eſt ab obedientia Alexandri Catholici Pontificis, ſucceſſus eius relapſi ſunt, & quæ eum extulerat in depreſſionem eius cœpit fortuna dilabi: ac tandem de faſtigio Romani Imperii, in paupertatem & ignominiam miſer, ſed nulli miſerabilis corruit, ad gloriam eius qui ſolus pro arbitrio Regna & Imperia transfert, erigitque quas vult & deiicit poteſtates.

FRID. TVRPISSIMA FVGA. x 1. ep. 139. 140.

EIVSDEM SVMMA DEIECTIO.

IX.

Poſt eiectum vero penitus ab Italia Fridericum, hoc ipſo anno (vt narratur in Rebus geſtis Alexandri Papæ) Cremonenſes cum Mediolanenſibus & Placentinis, in manu potenti conuenientes aduerſus Papienſes & Marchionem Montisferrati, Friderici fautores, ad villam quæ dicebatur Rouereta, ibi ad honorem Dei, & Beati Petri, & totius Longobardiæ, deſignarunt ambitum conſtruendæ ciuitatis intra tres fluuios, & in terra amœna & fertiliſſima: ad quam inhabitandam concurrentibus omnibus incolis circumpoſitarum villarum, ſtatim ea creuit in ciuitatem magnam, adeo vt primo anno numerata fuerint quindecim millia ciuium: & vt glorioſior vbique haberetur atque famoſior, placuit omnibus, vt pro reuerentia B. Petri & Papæ Alexandri, nominaretur *Alexandria*. Altero vero anno eius fundationis, Conſules eius ad ipſum Alexandrum accedentes Beneuentum, eamdem ei, & per eum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, in ius & proprietatem obtulerunt, atque in perpetuum tributariam Beato Petro ſponte fecerunt. Hæc ibi: quæ fieri Deus voluit ad gloriam Catholici Pontificis, quem tyrannus deprimere niteretur.

ALEXANDRIA CIVITAS CONSTRVITVR IN LONGOB.

FRIDER. 15. MANV. 27.

IESV CHRISTI AN. 1169.

ALEXAN. III. AN. 10.

I.

NOVI CONATVS REG. ANGL. CONTRA S. THOM.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo ſexageſimo nono, Indictione ſecunda, rurſum in cauſa S. Thomæ Cantuarienſis multum altercatum eſt inter partes. Siquidem Rex Angliæ animoſiſſime eum perſequens, miſſis in Italiam Nuntiis, primo ciuitates corrumpere ſtudens, Mediolanenſibus tria millia marcharum promiſit, Cremonenſibus duo millia, Parmenſibus mille, & totidem Bononienſibus, vt impetrarent à Papa & Eccleſia Romana deiectionem Thomæ, vel translationem ab Eccleſia Cantuarienſi in aliam extra ditionem ipſius Regis: deinde vero ipſi Alexandro Papæ obtulit, ſi id agere vellet, ſe data Romanis pecunia, liberaturum eum ab omnibus illorum vexationibus, & decem millia marcharum adiecturum, atq; inſuper conceſſurum, vt tam in Eccleſia Cantuarienſi, quam in aliis vacantibus in Anglia, paſtores ordinaret ad libitum, ac demum pacem Imperatoris procuraturum. Cumque Alexander his promiſſis non flecteretur, tunc ad terrores conuerſus, per eoſdem Nuntios minatus eſt, ſe Norandini Principis Mahometanorum potius ſecuturum errores, & profanæ religionis initurum conſortium, quam in Eccleſia Cantuarienſi diutius pateretur ſedere Thomam. Sed nec timore concuti ſciens Pontifex, duas eis proponens vias, alteram vitæ, alteram mortis, reſpondit eos, vt cœperant, facile poſſe, contempta gratia & patientia Dei, pereuntium eligere vitam, ſed ſe, Domino propitiante, non receſſurum à via recta. Quapropter hac iterum ſpe deiecti, ad Regem Siciliæ recurrentes, eius quoque opem ad hoc implorauerunt: qui tamen non magis auditus eſt, quamuis multum inſtiterit potentia & gratia, qua polleret apud Pontificem & Eccleſiam Romanam. Dimiſſique ſunt tandem Nuntii impotes voti, hoc ſolum impetrato, vt Pontifex Nuntios mitteret qui pacem procurarent, nempe Gratianum nepotem Eugenii Pontificis, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubdiaconum, & Viuianum vrbis Veteris Archidiaconum, munere aduocationis in Romana Curia conſpicuum; quibus formam præſcripſit, quam in omnib. obſeruare deberent, ac per eoſdem Thomam admonuit, vt dum pax tractaretur, mitius ageret, nihilq; omitteret quod ad recuperandam Regis gratiam (quantum ſaluo ordine & officio ſuo fieri poſſet) inſeruiret: & quo omnis conquerendi occaſio Regi tolleretur, præcepit vt vſque ad diſceſſum Nuntiorum, nec in ipſum Regem, nec in perſonas regni, aut regnum, aliquam ſententiam proferret: quod ſi pax non ſequeretur, liberam haberet facultatem cenſuris agendi: fuitque præſcriptum tempus pacis, feſta dies S. Michaelis Archangeli. Conſtant hæc omnia ex literis [a] tunc ab eodem Alexandro, Ioanni Saresberienſi, aliiſque in hac cauſa datis.

ALEX. PP. CONSTANTIA PRO S. THOMA.

NOVA LEGATIO AB ALEX. AD REGEM.

a 2. ep. 61. & lib. 3. ep. 1. 2. 3. 5. 78. 79.

II.

Porro primus congreſſus Nuntiorum cum Rege fuit apud Canfront in Northmannia, die feſto S. Bartholomæi Apoſtoli: quo cum Rex primo omnium ab eis peteret, vt clericos olim à Thoma excommunicatos abſoluerent, ipſi autem id recuſarent, niſi excõmunicati iurarent, quod ſi pax non ſequeretur, eadem excommunicatione ſicut antea conſtricti tenerentur, indeque Rex grauiter commotus, conquereretur de Papa, quod numquam in aliquo audiretur ab eo, ac minaciter addidiſſet, *Per oculos Dei ego faciam aliud*, tunc Gratianus Nuntius ad illum, *Domine* (inquit) *noli minari. Nos enim nullas minas timemus, quia de tali Curia ſumus, quæ conſueuit imperare Imperatoribus & Regibus.* Rurſum vero conuenientibus ſæpe iiſdem vna cum Rege & Epiſcopis, diuerſis locis & temporibus, cum poſt multas altercationes Rex offerret pacem *Salua dignitate regni ſui*, Nuntij autem omnino recuſarent eam clauſulam formulæ pacis inſerere, niſi æque apponeretur *Salua libertate Eccleſiæ*, eo magnopere Rex commotus, alios mox ſuper hac re Nuntios miſit ad Alexandrum Papam, cum literis ſuis, & Epiſcoporum ſuorum quos ad hoc collegerat. Interim vero adueniente præfinito ab Alexandro tẽpore expectationis pacis, cum Gratianus alter Nũtiorum confeſtim receſſiſſet, quod iam ſuæ legationis tempus expiraſſet, remanſit tamen adhuc Viuianus ſpe concordiæ quam Rex denuo ſimulauit, ſed ab eo varie ex ſolito eluſus, ceſſauit & ipſe cum eo amplius agere, poſtquam nec [b] Thomas eidem Regi ad Montem Martyrum prope Pariſios occurrẽs, nec ipſe Rex Chriſtianiſſimus his ſumma ſollicitudine interueniẽs, aliud quicquam ab Anglo præter fallacia verba eruere valuiſſent: vt de his omnibus, aliiſq; plurimis in hac legatione vltro citroque geſtis, dictis,

GRATIANI LEGATI LIBERA RESPONSIO.

b Ep. 4. 5. 6. 9. 10. 11. 12. 19. 20. 21. 22. 26. 36. 60. 61. 62. 63. 64.

ſcriptiſ-

ſcriptiſq; abunde apparet ex multiplicibus tunc ab iiſdem perſonis à quibus res agebatur datis literis[b].

III. RVRSVM VARIIS AGITATVR CAVSA S. THOMÆ.

Cum vero nihilominus idem Rex Angliæ per ſuos ad Alexandrum miſſos nuper Nuntios, importuna obreptione obtinuiſſet ab eo literas, quib. Thomæ ſuper ipſū Regem ac regnum ſuſpenſa eſſet auctoritas, quouſque pacem obtineret à Rege, iiſdemque abuſus Rex, pacem differret dedita opera, quantumuis tam alij ſuperuenientes Papę Nuntij, quam ipſe Rex Chriſtianiſſimus pro ea conficienda ſtudioſiſſime laborarent, ac Thomas valde ſe coram Rege humiliaret: hinc rurſum orta occaſione, aduerſus Alexandrum declamatum eſt, non ab ipſo tantū Thoma[c], ſed & à Francorum Rege[d], atq; Regina[e], & ab aliis[f] plerique, quibus zelus iuſtitię ineſſet, indignantib. quod Pontifex eiuſmodi literas Regi Anglorum conceſſiſſet, quas idē vbiq; magna iactantia publicabat. Quare tot pulſatus querelis Alexander, ſe de his apud Thomam ac Regem Chriſtianiſſimum excuſans[g], quod ſpe pacis deceptus fuiſſet, in poſterum mandauit, vt niſi Rex Angliæ ante initium Quadrageſimæ, quæ iam inſtare videretur, ea quæ promiſiſſet adimpleret, ſed in ſua obſtinatione induraretur, tunc ipſe Thomas reſtitutus eſſet in auctoritatem ſuam, vt tam in perſonas, quam etiā in regnū, & in ipſum Regem, liberam haberet facultatem exercendi debitum officii ſui. Haſq; literas idem Pontifex voluit per ſuos Nūtios[h] deferri ad Regem, qui vt vidit, magnopere commotus exclamauit in Pontificem, quod repugnantia eodem anno decreta ſanxiſſet. Quænam autem hæc ſecuta ſint, dicetur anno ſequenti. Cum interim non deſtiterit etiam idem Pontifex eumdem Regem aliis comminatoriis literis[i] monere, vt vacantibus in Anglia Eccleſiis permitteret Epiſcopos eligi, & Epiſcopis Angliæ præciperet[k], vt quod audiſſet inueſtituras laicas beneficiorum ac bonorum Eccleſiaſticorum ibi frequentes eſſe, omnes tam dantes quā accipientes excommunicarent, eoſdemq; ab omnib. vitari facerent vſque ad plenariſſimam ſatisfactionem.

c 4. ep. 24. 25. d ep. 18. 22. e ep. 19. f ep. 20. 21. 27. 28.

g ep. 16. 17. 52.

h ep. 2. & 32.

i 1 ep. 11.

k 4. ep. 10.

IV. REX HVNGAR. RESTITVIT IVRA ECCLES.

Quo eodem anno dum ipſe in cauſa iurium Eccleſiæ Regem Anglorum refractarium experiebatur, alius potentiſſimus Rex Hungariæ, Dalmatiæ & Croatiæ, ſuaſione M. diaconi Cardinalis, libentiſſimo animo Eccleſiam reſtituit in iis quæ tam ipſe, quam eius prędeceſſores vſurpauerant aduerſus Eccleſiaſticam libertatem, circa depoſitionem aut tranſlationem Epiſcoporum, aliorumque Præpoſitorum, ac bona vacantia Eccleſiarum: deq; iis diploma conſcripſit, quod aſſeruatur[l] in Vaticana Bibliotheca libro qui inſcribitur Cencii Cameralis.

l Rec. Baron. Annal. To. XII. hoc an.

V. SCHISMATICI CARDINALIS MISERANDVS INTERITVS.

Eodem anno (vt habetur in Actis Alexandri Papæ) Ioannes presbyter Cardinalis tituli S. Martini, promotor duorum pſeudo pontificum, Octauiani & Guidonis, cum extra Viterbium equitaret, ſubito corruit, & confractis ceruicibus impœnitens vitam peſſimam finiuit infelici morte. Atq; ipſe Guido incurabili morbo percuſſus, pede neceſſe habuit claudicare quamdiu vixit.

VI. SOLDANI ICONII AD CHRISTVM CONVERSIO.

Quo item anno baptizatus eſt in Cilicia Soldanus Iconii. Erat ei mater Chriſtiana, ſed occulta ob metum Saracenorum: quæ proxime moritura, fidem ſuam filio ſignificauit, & vt ipſe eamdem ſuſciperet hortata eſt, inſuperq; rogauit, vt cum defuncta eſſet, ſuper eius ſepulchrū quaſi pyramidem poneret ſignū Crucis. Paruit ille: ſed cum viſā Cruce Saraceni in eū acerrime cōmoti, eā deiicere conarentur, qui primi id aggreſſi ſunt, mortui corruerunt, conuenientib. autem ad opus multis hominum millibus, plerique immiſſis cœlitus fulgurib. & coruſcationib. igne perierunt: tuncq; apparuit Angelus Domini, & lucidiſſimū ſignum Crucis poſuit ſuper pyramidē, ex quo multi crediderūt in Chriſtum. Ipſe vero Soldanus, cum ſuaſione matris, hiſq. miraculis, tum lectione diuinarum Scripturarū, flagrans ardore Chriſtianæ fidei ſuſcipiendæ, miſſis ad Alexandrum Papam Legatis, petiit ab eo virum idoneum per quem vice ipſius Pontificis in lege Chriſti plenius inſtrueretur: eoque accepto, baptizatus eſt clanculo ob metum ſuorum. Narrant iſta pluribus Matthæus Paris hoc anno, & Robertus in Appendice ad Sigebertum anno milleſimo centeſimo octogeſimo primo.

VII. OSTENDITVR SICILIA EVERSIO.

In Sicilia vero, hoc eodem anno, quarta die Februarii, circa primam horam diei, vehemens terræ motus tanta ſi- nuerſam inſulam excuſſit violentia, vt in Calabria quoque ſentiretur. Catanenſium opulentiſſima ciuitas vique adeo ſubuerſa eſt, vt ne vna quidem domus ſuperſtes remanſerit. Viri ac mulieres circiter quindecim millia, cum Epiſcopo, maximaq; parte monachorum, ſub ruina ſunt ædificiorum oppreſſi. Hæc Hugo Falcandus, qui ea oculis intuebatur: pergitque narrare de cladibus ceterarum ciuitatum, & aliis prodigiis quæ tunc in Sicilia contigerunt. Sed cauſam horum malorum detegit *Petrus[m] Bleſenſis*, vir pietate, ſcientia, & moribus inſignis, qui in Siciliam miſſus[n] ab Archiepiſcopo Rothomagenſi magno auunculo VVillelmi Iunioris Regis Siciliæ, vt eum erudiret, ibi hæreret, paulo poſt æmulos paſſus, prætextu promotionis in Archiepiſcopatum Neapolitanum (quem tamen recuſarat) à Curia dimotus, ſed & pertęſus turbas & commotiones in Stephanum Archiepiſcopum Panormitanum & Cancellarium, cum quo in Siciliam venerat, hoc eodem tempore in Northmanniam reuertit ad Regem Angliæ. Scribens[o] igitur ad Richardum Syracuſanum Epiſcopū de frequentibus horrendis cladibus, quibus grauiſſima Siculorum peccata Deus punire conſueuiſſet, ait plagam iſtam Catanenſium accidiſſe in vigilia Sanctæ Agathæ virginis & martyris, cum damnatiſſimis illorum Epiſcopus, qui eam ſedem pecunia adeptus eſſet, abominationis offerret incenſum: indeque patuiſſe quod beatiſſimæ Agathæ, quæ in ea ciuitate colitur, offenſam, ſuis exigentib. peccatis tam populus quam Epiſcopus incurriſſent. Hæc ille: eademque Rogerius in Annalibus Anglicanis, ſed nō ſuo loco anno videlicet milleſimo centeſimo ſexageſimo quarto. Eſt vero etiam eiuſdem Petri[p] grauiſſima querela de eodem VVillelmo Iuniori Rege quod manu laica introduceret Epiſcopos in Eccleſias, & rapaces manus iniiceret in theſauros Eccleſiæ: necnon[q] de Epiſcopis eiuſdem regni, qui in obſequium Regis morarentur in Curia, vbi iuſta Dei vlt[i]one contingeret, eoſdem vincula, aliaque dira pati ab eodem Rege: de quib. etiam agit pluribus idem qui ſupra Hugo Falcandus. Sed quod ad Regem ſpectat, ſi talis Bonus (ita namque iſte VVillelmus iunior cognomento dictus eſt, reſpectu Mali ipſius prædeceſſoris) qualem putatis fuiſſe Malum? Sed de his modo ſatis.

m Pet. Bleſ. ep. 10.

n Petrus Bleſenſis. Pet. Bleſ. ep. 66. ep. 05.

o ep. 46.

p Id. ep. 10. VVILLEL. BONVS TALIS PERVERSVS.

q Pet. Bleſ. ep. ad Siculos. Epiſc.

IESV CHRISTI AN. 1170.

FRIDER. 16. MANV. 28.

ALEXAN. III. AN. 11.

I.

ANno Domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimo, Indictione tertia, Alexander Papa nouam ad Angliæ Regem Legationem credidit Rotrocho Archiepiſcopo Rothomagenſi, VVillelmo Senonenſi, & Bernardo Epiſcopo Niuernenſi, ad quos extant eiuſdem Pontificis[a] literæ, ſcriptæ Beneuenti decimoquarto Calendas Februarii, de his quæ cum Rege tractanda eſſent; nimirum vt S. Thomas in ſuam reſtitueretur Eccleſiam, omneſq; poſſeſſiones Eccleſiæ ablatas reciperet, atque item alii exules ſinguli ſua reciperarent: Pacem plenam eidem Rex concederet in oſculo ſancto: & ſi minus ad id cogi poſſet (quippe qui iuraſſet, nunquam id facturum) ſaltem per filium ſuum impleret, quod pollicitus erat: Conſuetudines quoque prauas contra Eccleſiaſticam libertatem aboleret, & Epiſcopos qui promiſerant eas ſeruare, iidem Legati à promiſſione abſoluerent: itemque ſi ſpes eſſet pacis, abſoluerent excommunicatos ea conditione, vt ſi pax non ſequeretur, in eamdem reciderent excommunicationem. Has vero conditiones intra quadraginta dies implendas eſſe præſcripſit: alioquin mox prouinciam citramarinam vbi Rex erat, ſubiicerent interdicto. Hæc ſunt quæ Legatis data ſunt in mandatis.

a Cod. Vat. 1. ep. 1. LEGATI VLTIMA MISSA AB ALEX. P. AD REG. ANGL.

II. NOVA DISCORDIA.

Sed dum iſta tractarentur, noua ſunt oborta diſſidia, eo quod Rex filium ſuum Henricum in Regem coronari volens, id per Archiepiſcopum Eboracenſem fieri

procura-

procuraret, cum id eſſet muneris & priuilegii primæ Anglorum ſedis, nempe Cantuarienſis. Quapropter tam ipſe Alexander Papa, quam eius nomine Thomas, diſtricte per literas [b] cum ipſi Eboracenſi, tum aliis Angliæ Epiſcopis prohibuerunt, nequis ipſorum manum eidem Regis filio imponere præſumeret. Cumque Rex, ſiue miniſtri eius, Epiſcopos eiuſmodi prohibitionibus non obedire iurare coegiſſent, hoc execrandum nefas ſtatim Thomas literis [c] acriter redarguens ne eiuſmodi illicitum iuramentum ſeruarent admonuit, eoſdemque ab omni eius obligatione abſoluit. At nihilominus facta eſt [d] coronatio & inunctio noui Regis in Cantuarienſi diœceſi ab Archiepiſcopo Eboracenſi, aſſiſtentibus ei Londonienſi & Sareſberienſi Epiſcopis, iam antea à Summo Pontifice & S. Thoma ob alia impia facinora nominatim excommunicatis, licet falſo iactaretur [e] eos ab Archiepiſcopo Senonenſi Legato fuiſſe auctoritate Apoſtolica abſolutos. Vnde potius hæc dici execratio, quam conſecratio debuit, quæ contra mandatum Apoſtolicum, & ab excommunicatis facta fuerit. Nec mirum ſi tot inde mala prouenerint, nempe (vt notat VVillelmus in Quadrilogo Vitæ S. Thomæ) ſacerdotum ſuſpenſio & anathematizatio, Thomæ Archipræſulis occiſio, ſemel & iterum inter patrem & filium rebellio, & in fine eiuſdem pueri conſecrati præmaturæ mortis deteſtanda præuentio, de quibus omnibus videbitur inferius ſuis locis.

III. Cum autem hactenus Alexander ita pro iuſtitia conſtantiſſimis perſtitiſſet contra Regem, vt tamen eam ingenti manſuetudine, coniuncta cum ſumma patientia têperaſſet, nihil relinquens intentatum antequam ipſum excommunicatione percelleret, & regnum interdicto ſubiiceret: demum cuncta cernens in caſſum fieri, omninoque procedere decernens ad executionem frequentiſſimarum comminationum, nihilominus ſemel adhuc mitiorem viam experiri deliberauit. *Rex Angliæ a Papa terretur.* Quapropter acerbiores ad eum ſcripſit literas, quibus peremptorio termino præcepit dare pacem Sancto Thomæ, alioquin [f] ſi obedire contemneret, abſque vlla prorſus remiſſione expectaret ab ipſo eamdem ſententiam, quæ lata fuerat in Fridericum Imperatorem, ac pariter Epiſcopi, ſiqui forte non obedirent, ſuſpenſione & excommunicatione mulctandi eſſent. Eodemque modo S. Thomas [g] literas interdicti intra quindecim dies promulgandi, niſi pax fieret, ad Angliæ Epiſcopos miſit. Quibus omnib. Rex acceptis, alieno caſu perterrefactus, tandem ad ſe reuerſus, præſcriptũ præueniens terminum, ſcripſit ex Anglia ad Rothomagẽſem & Niuernenſem Antiſtites Sedis Apoſtolicæ Legatos, ipſos importunius vrgens de pace. Cuius literæ etſi deſiderentur in codice, eſt tamen frequens de iiſdem mẽtio in aliis ipſius Thomæ epiſtolis: extantque aliæ [h] eiuſdem ad Rothomagenſem, quibus ipſius collegæque arbitrio pacis capitula relinquit. Sed cum iidem Legati ſancto Thomæ deferrent, vt ipſe ea ſcriberet, collegit ipſe [i] illa ex præteritis congreſſibus cum Rege habitis, necnon ex literis Apoſtolicis quibus præſcribebantur quæ Rex obſeruare deberet. *S. Thomas admonitio quomodo cum Rege tractandum.* Docens autem eoſdem quomodo cum Rege agendum eſſet, cuius ipſe mores optime noſſet, monuit vt quia multiplices illius fucos non erat facile deprehendere, quicquid diceret, quamcumque figuram induceret, tamen omnia eius ipſis ſuſpecta eſſent, & fallaciæ plena eſſe crederentur, niſi quorum fidem manifeſta operis exhibitio comprobaret. Si enim ſentiret quod ipſos aut promiſſis corrumpere, aut minis deterrere valeret, aut aliquid obtineret contra ipſorum honeſtatem, & cauſæ indemnitatem, ilico ipſorum apud eum prorſus nullam fore auctoritatem, ipſoſque futuros tam illi quam ſuis in contemptum, in fabulam, in deriſum. Sin autẽ videret, quod ipſos à propoſito flectere nequiret; furorem ſimulaturum, iraturum & deieraturum, & vt Protheum ſe in varias formas mutaturum, ſed tandem reuerſurum in ſe: ac niſi per ipſos ſtaret, exinde ſemper ipſos futuros in deos Pharaoni. Hæc Thomas & alia inſinuauit, quibus Legatos vincere Regem doceret: quæ & reliqui attendant, quibus agendi cum Regibus erit munus demandatum.

IV. Poſt hæc autem conuenientes Legati Regem, cum tandem ab eo quæcumque petiiſſent impetraſſent, accedens pariter ad eum Thomas [k], die feſto S. Mariæ Magdalenæ ab eo honorificentiſſime, & cum ingenti (vt apparebat) gaudio ſuſceptus eſt: ſed cum mox in quibuſdam articulis Rex à pactione reſiliens, ſubtraheret quaſdam poſſeſſiones Eccleſiæ, fuerunt de his rurſum multæ inculcandæ à Thoma querelæ [l], & intentandæ ab Alexandro Papa interdicti, & aliarum pœnarum comminationes, qui etiam [m] Archiepiſcopum Eboracenſem ſuſpendit, quod filium Regis coronaſſet, contra priuilegium ſedis Cantuarienſis, & in eadem coronatione præſtari ſolitam à Regibus cautionem de tuenda Eccleſiaſtica libertate, exigere omiſiſſet, & (quod deterius erat) de conſuetudinibus regiis contra Eccleſiam militantibus conſeruandis illibatis, iuſiurãdum fuiſſet interpoſitum: ſed & Londonienſem & Sareſberienſem Epiſcopos, iiſdem de cauſis in excommunicationem à qua ſub conditione ſoluti fuerant reuocauit: ipſumq; demum Regem monuit [n], vt in his omnibus tam ab ipſo, quam ab eius filio ſatisfieret Eccleſiæ Cantuarienſi, & Thomæ eius Archiepiſcopo.

V. Qui quidem Thomas cum ſuper iiſdem ſemel atq; iterum Regem conueniens [o], nõ aliud acciperet quam promiſſiones obtinendæ reſtitutionis cum Rex eſſet in Anglia, tandem in animum inducens conuigare, ſalutato Rege Francorum venit ad portum VVitſand. *S. Thomas reuertitur ad ſuam Eccleſiam.* Vbi cum ei nuntiaretur, nonniſi vincula, & proditiones in Angliæ ipſi parari: hæc reſpondit: *Nec ſi membratim diſcerpendus ſim, ab incœpto itinere deſiſterem, non metus, non vis, non cruciatus, degenerem reuocabit vlterius. Sufficiat Dominicum gregem paſtoris ſui abſentiam luxiſſe ſeptennium.* Sicque in principio Aduentus Domini huius anni milleſimi centeſimi ſeptuageſimi nauem conſcendẽs, felici nauigatione peruenit in Angliam: *Epiſcopi aduerſantur.* ac licet prædicti Antiſtites Eboracenſis, Londonienſis & Sareſberienſis, cum ſuis complicibus, poſt conatus adhibitos vt pacem inter Thomam & Regem initam reſcinderent, armatis militibus portus & littora obſediſſent, qui appellentis Thomę cunctam ſupellectilem curioſius perſcrutarentur, & omnes literas quas impetraſſet à Summo Pontifice auferrent: idem à Ioanne decano Sareſberienſi, qui mandato Regis ipſum comitabatur, nequa ei vis inferretur, in Eccleſiam ſuam deductus eſt, & à Clero populoque magna deuotione exceptus.

VI. Verum nulla interpoſita mora, illum adeuntes miniſtri regii (a prædictis Antiſtitibus ſollicitati, qui Cantuariam aduentarant vt Thomam exagitarent) denuntiarunt ei ex parte Regis, vt Epiſcopos à Papa ſuſpenſos & excommunicatos abſolueret, quia quod contra eos factum fuerat, in Regis iniuriam redundabat, & in euerſionem conſuetudinum regni. Ad quæ primo reſpondit Thomas, non eſſe iudicis inferioris ſoluere ſententiam ſuperioris: deinde cum alii inſtantius vrgerent, multa minantes à Rege, addit ſe pro pace Eccleſiæ, & reuerentia Regis, ſubiturum periculum impertiendæ illis abſolutionis, modo Epiſcopi iurarent in forma Eccleſiæ ſe mandato Summi Pontificis parituros. Cumq; ad hoc ceteri mouerentur, non ducentes tutum vt pro conſeruandis regni cõſuetudinibus, Eccleſiæ ſe opponerent, & impugnarent Apoſtolicas ſanctiones, *Epiſcop. Eborac. omnium malorum cauſa.* homo pacis inimicus, & omnium ab ipſo diſſenſionis initio turbarum auctor & propagator Eboracenſis diſſuaſit conſulens vt potius adirent Regem, ſine cuius voluntate aſſerebat, illud iuramentum fieri non poſſe: eoque impulſore, iidem in Galliam transfretarunt ad Regẽ ibi adhuc exiſtentem, & peccatum peccato addentes nuntios miſerunt ad nouum Regem in Anglia commorantẽ, qui ei perſuaderent Thomam quæſiuiſſe eum deponere. Eſt de his omnibus in Anglia geſtis, certiſſima relatio ipſius S. Thomæ ad Alexandrum Papam, quæ eſt omnium nouiſſima eiuſdem epiſtola [p]. *Rex incautè patet exitium S. Thomæ.* Quid autem apud Regem male affectum peſſimi inſtigatores egerint, in Quadripartita deſcribitur, mirum adeo ipſum contra Thomam commotum eſſe illorum accuſationibus, vt æſtu furoris ſæpe ſæpius in funeſtas voces erumpens, omnes quos nutriuiſſet, quoſque familiaritatis gratia, & beneficiorum

colla-

collatione deuinxiſſet, maledixerit, quod ipſum non vindicarent de vno ſacerdote, qui ſic regnum turbabat, & ipſum Regem ſuis dignitatibus exauctorare quærebat.

VII. Quibus verbis cum omnes in Thomam commouiſſet, quatuor ex eis, viri quidem genere nobiles, ſed enormi ſceleris auſu militiæ gloriam & ſtemmatis titulum perpetua ignominia mox damnaturi, in necem Thomæ ſimul conſpirantes, confeſtim in Angliam profecti, cum ille vix in eccleſia ſua per menſem moram feciſſet, ad eum introeuntes, poſt multas rixas, iactaq; in eum probra & conuicia, rurſum cum multa armatorum manu in eccleſiam, dum ille cum ſuis monachis & clericis veſpertinum officium perſolueret, diſtrictis gladijs irrumpentes, eumdem furioſis clamoribus appellare cœperunt. Qui primum æditu os arguens, quod obice portarum eos excludere tentarent, dicens *Non eſſe Eccleſiam caſtrorum more cuſtodiendam*, mox ſeipſum ingenti animo militibus mortem minitantibus offerens, ſeque paratum eſſe dicens pro Deo mori, & pro aſſertione iuſtitiæ, & Eccleſiæ libertate, atque iiſdem ſub anathemate prohibens, ne cuiquam omnino ex ſuis, ſiue monacho, ſiue clerico, ſiue laico nocerent, demumq; in modum orantis inclinato capite, Deo & Beatæ Mariæ, ac Sanctis eius Eccleſiæ patronis, Sanctoque Dionyſio, commendans ſeipſum & Eccleſiæ cauſam, mira conſtantia ferales expectauit ferientium ictus, quibus cerebrum cum ſanguine ſuper eccleſiæ pauimentum effuſum eſt. Hancque tandem conſecutus eſt inuictiſſimus Confeſſor Martyrii palmam, qua præſtantiſſimum peragens de ſuperatis Eccleſiæ hoſtibus triumphum, cœli intima glorioſiſſimus intrauit: ſummæ conſtantiæ poſteris omnibus relinquens in terra exemplum, certandi vſque ad mortem pro libertate Eccleſiæ vindicanda. Eius ſepulturam monachi cathedrales, & reliqui clerici curarunt: qui cum adhuc in choro iaceret ſuper feretrum, leuata manu dextera ſtupentibus omnibus dedit benedictionem. Cædes vero eodem die quo contigit, reuelata eſt Beato Godrico anachoretæ apud Fintzhale, qui locus diſtat à Cantuaria pluſquam centum ſexaginta milliarib. Monachi autem Cantuarienſes clauſerunt oſtia eccleſiæ, quæ permanſit abſq; officio fere per annum quouſque reconciliari iuſſa eſt ab Alexandro Papa.

Martyrium S. Thomæ.

S. Thomas poſt mortem benedictionem ſuis impartitur.

VIII. Porro totam S. Thomæ martyrii rem geſtam, quæque illud præceſſerunt, aut ſubſecuta ſunt, pleniſſima narratione Quadripartita ſcribuntur, multaque ponuntur, quę deſiderantur in aliis ſcriptoribus, qui in eodem argumento laudabiliter ſunt verſati: redegit vero ea omnia in compendium Rogerius in Annalibus Anglicanis, quæ ſuo tempore facta nouit. Paſſus eſt autem ſanctus Martyr hoc eodem anno Domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimo, ætatis ſuæ quinquageſimo tertio, quarto Calendas Ianuarii, quinta die Natalis Domini: adeo vt qui exordium anni à Natali incipiunt, æque eius necem collocent anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo primo. Mox autem in hoſtes eius irruit formido & pauor, vndique culpa vltrice exagitatos, de quibus erit funeſtior inferius ſermo.

Tempus eius martyrii.

IX. Interea hoc eodem anno Emmanuel Conſtantinopolitanus Imperator, rurſum Legatos ad Alexandrum Romanum Pontificem Beneuentum miſit, cum ingenti pecunia, rogans vt cum iam Fridericus ob ſchiſma aduerſus Eccleſiam Imperii corona priuatus eſſet, idem Pontifex eam ipſi Emmanueli reſtitueret. Sed Alexander conſilio cum Cardinalibus ac nobilibus Romanis habito, gratiis Imperatori actis pro ipſius in Eccleſiam Romanam beneuolentia, ad ea quæ poſtulauit de Imperio reſpondit, ſe non poſſe ei aſſenſum præbere, quod ex officio à Deo ſibi commiſſo, pacis non diſſenſionis auctorem eſſe conueniret. Remiſſiſq; Legatis cum muneribus quæ detulerant, ſubſequi fecit duos Cardinales quos ad eumdem Imperatorem deſtinauit. Hæc in Actis Alexandri. Teſtaturq; etiam Nicetas [q] Choniata, eumdem Græcorum Imperatorem Manuelem ſummo conatu egiſſe, vt tum Papam, tũ Longobardos, & alios quos potuiſſet Principes, aduerſus Fridericum commoueret, quod ſciret eius animum ad Orientale Imperium occupandum eſſe propenſum. Porro Fridericum inter alia tentaſſe Corcyram inſulam, certum redditur ex literis [r] ad eum redditis à Georgio eius inſulæ Metropolita.

Legatio Emman. Imp. ad Alex. PP.

q Nicet. in Manuel. li. 7.

r Ext. Baron. Annal. To. XII. an. 1171.

X. Eodem quoque tempore (vt in iiſdem Actis Alexandri additur) cum Guido Cremenſis, qui & Paſchalis Antipapa, ad eccleſiam S. Petri incubaret, ab eodem ipſo Apoſtolo immiſſus cancri morbus in renibus eius apparuit: vnde cũm pulmonis anhelitu tamdiu emiſit ſaniem fœtidam, donec infelicem ſpiritum impœnitens exhalauit. In cuius locum reſidua ſchiſmaticorum fæx, cum nullus de Eccleſiæ ſuæ corpore ſupereſſet, quem ſibi præficere poſſent, ſubrogarunt Ioannem quemdam Abbatem Strumenſem, virum apoſtatam, lubricum, voracem, atq; gyrouagum, quem dixerunt *Calliſtum*: eumdemque Fridericus approbauit. Qui tamen Fridericus paulo poſt, videns cauſam Alexandri quotidie inualeſcere, ſuam vero ad nihilum redigi, vt etiam Catholicorum animos ſibi redderet beneuolos, ſimulato pacis deſiderio, Epiſcopum Babenbergenſem, qui Catholicus ſemper extiterat, ad Alexandrum Papam legauit, cum certis capitulis quibus pax componeretur. Verum cum iſta omnia fraudulenter agi compertum eſſet, remiſſus abſque alio effectu eſt Epiſcopus. Hæc pluribus in iiſdem Actis.

Guido antip. moritur.

Ioannes Strum. introducitur.

XI. Hoc eodem anno, quo ex hac vita ſubductus eſt S. Thomas Cantuarienſis, Dei magno beneficio ex materno vtero in lucem editus eſt Calagorræ in Hiſpania ex nobili Gulmannorum familia S. DOMINICVS, qui ſecundum præcedentem propheriam matri per quietem oſtenſam, fax lucis foret, vitæ ſanctitate illuminaturus Orbem, & canis latratu abacturus feros lupos, nempe voce prædicationis debellaturus hæreticos. Hæc de ortus tempore ex S. Antonino [s].

S. Dominicus naſcitur.

s Anton. hiſt. par. 3. tit. 23. § 4.

XII. Quod vero ſpectat ad res Orientales, hoc eodem anno vigeſimo octauo Manuelis Imperatoris (non decimooctauo, vt habet mendoſus codex: nam Indictio tertia ibidem notata legitur vna cum anno à mundi creatione ſexies milleſimo ſexceteſimo ſeptuageſimo octauo) ad corrigendos Armenorum errores miſſus eſt ad Armeniæ *Generalem* (Ita nominati reperiuntur his temporibus Principes Armenorum, donec Regis titulum conſecuti ſunt à Romano Pontifice, vt videbitur inferius) Theorianus, quem nauiter incubuiſſe in opus, patet ex relatione [t] ab eo ſcripta.

Legatio ad Armenos.

t Ext. To. 4. Bibl. S.

IESV CHRISTI AN. 1171.

Friderr. 17. Manv. 29.

ALEXAN. III. AN. 12.

I. ANno Domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimo primo, Indictione quarta, factus eſt ad Alexandrum Papam Tuſculi exiſtentem, concurſus diuerſorum Legatorum ſuper nece Sancti *Thomæ* Cantuarienſis Archiepiſcopi, aliorum quidem execrandum ſacrilegium accuſantium, & vindictam de eo petentium, aliorum vero Regem Anglorum excuſantium. Fuerunt autem inter accuſatores, Rex Francorum Chriſtianiſſimus, Comes Bleſenſis, & Archiepiſcopus Senonenſis Apoſtolicæ Sedis Legatus, quorum omnium extant [a] ea de re ad eumdem Pōtificem literæ. Excuſatores autem fuerunt, tam ipſe Rex Anglorum, quã ipſius Epiſcoporum conuentus, quorum nomine ſupereſt [b] Lexouięſis epiſtola. Quid vero geſtum fuerit, docet [c] relatio Nuntiorum Regis Anglorum è Tuſculano ad ipſum miſſa: nimirum Summum Pontificem adeo in Regem indignatum eſſe, vt nec Nuntios eius videre, nec vel nomen ipſius audire pateretur, atque inſtante tunc feria quinta ante Paſcha, qua mos eſt publice abſoluere vel excommunicare, omnino decreuiſſe ipſum Regem nominatim excommunicare, & vniuerſam eius ditionem interdicto ſupponere: ſed Nuntios in iis anguſtiis conſtitutos, cum nulla prorſus via aut interceſſione potuiſſent eum ab illo propoſito dimouere, timore infamiæ Regis perterritos, conſilio cum nonnullis Cardinalibus ei fauētib. inito, per eos ſignificaſſe Pōtifici, ſe ab eodē

Legationes contrariæ ad Alex. PP. de nece S. Thomæ.

a Cod. Vatic. 5. ep. 78. 80. 81. 82. 83. b lib. ep. 79. c ep. 85.

Relatio de rebus geſtis. Nuntior. Reg. Anglorum Papa.

Rege

in Calabriam perueniſſet, moras nectens Conſentiæ, tali percuſſus eſt à Deo infirmitate, vt putreſcentibus carnibus apparentibuſque neruis & oſſibus, eædem è compagibus ſuis ſolutæ, ſiue ſponte diffluerent, ſiue manibus ipſius ſui carnificis doloris impatientis diuellerentur, inuocantis iugiter in auxilium quem occidiſſet Martyrem, quouſque extremum efflauit ſpiritum. Quæ omnia per Epiſcopum Coſentinum nota facta eſſe Fidelibus, aſſeritur in fine ſæpe citatæ Hiſtoriæ Quadripartitæ: iiſdemque reliqui hiſtorici, qui ſunt proſecuti res geſtas S. Thomæ, adſtipulantur. Porro tres reliqui in loco dicto Monte Nigro, tamquam carcere pœnitentiæ clauſi iuſſu Pontificis, paulopoſt extremum clauſere diem, vtique pœnitentes: nam & honeſta ſunt ſepultura dignati, nempe ante oſtium templi, vbi (inquit Rogerius) eiuſmodi appoſita fuit inſcriptio: *Hic iacent miſeri, qui martyrizauerunt Beatum Thomam Archiepiſcopum Cantuarienſem.*

IESV CHRISTI AN. 1173.

Frid. 19. Man. 31.

ALEX. III. AN. 14.

I. Canonizatio S. Thomæ Cantuarienſis.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo ſeptuageſimo tertio, Indictione ſexta, Alexander Papa audiens à Legatis ſuis, quos pro pœnitentia Regis Angliæ ad eum miſerat, quæ Deus in manu potenti & brachio excelſo operaretur ingentia & frequentiſſima miracula ad ſacrum corpus noui Martyris Thomæ: deque iiſdem plurimorũ aliorum certiſſimam teſtificationem adeptus: habita apud Signiam cum fratrib. ſuis S. R. E. Cardinalibus, aliiſq; Eccleſiæ Catholicæ Antiſtitibus, diligenti conſultatione: ex omnium communi conſenſu, retulit eum ſolemni ritu in numerum Sanctorum Martyrum: ac de eius canonizatione, literas [a] priuatas ſcripſit ad Clerum Eccleſiæ Cantuarienſis, aliaſque publicas ad vniuerſos Chriſti Fideles. De ipſius autem Martyris egregiis miraculis, non ſolum qui res geſtas eius conſcripſerunt, ſed & alii plerique variis occaſionibus meminerunt: adeo vt non tantum in iis exhibendis nihil minus habere viſus ſit à ceteris magnis Sanctis, verum etiam prætergreſſus ſit eos: vt inter alia teſtimonia conſtat ex epiſtolis Petri [b] Bleſenſis qui aderat, & Ioannis [c] Sariſberienſis, qui eidem Sancto fuerat à ſecretis. Quot autem miraculis, tot diuinis innotuit teſtificationibus, Deo gratiſſimam nauare operam, & coronis dignam, non ſolum qui pro fide Catholica illibata ſeruanda à perſecutoribus necantur, ſed etiam qui pro iuribus boniſque Eccleſiæ conſeruandis, & repetendis ablatis occiduntur. Cuius occaſio ſubeundi martyrii haud lõge ab Infidelibus perquirenda, ſed vnicuiq; Epiſcopo, aut alia qualicumque dignitate Eccleſiaſtica inſignito, præſens ſemper vbiq; immineat, ſi quod ſui eſt muneris, numeris omnibus laboret implere.

a Col. Vatic. l. ep. 92. 93.

b Petr. Bleſ. ep. 46.

c Col. Vatic. l. ep. 50.

Cauſam martyrii promptum eſſe vnicuique Epiſcopo.

II. Diſsidia inter Reges Angl. patrem et filium.

Inter hæc vleiſcente Domino accidit, vt inter Reges Angliæ, patrem & filium, implacabilis diſſenſio oriretur, eo quod petenti filio dari ſibi ciuitatem aliquam ſiue in Anglia, ſiue in Northmannia, ad habitandum vna cum coniuge, filia Regis Francorum: pater negauerit omnino. Ex quo factum eſt, vt deficiens à patre filius, aduerſus eũ bellum conflarit, vna cum fratrib. ſuis, & fœderatis Principibus, ipſo Rege Frãcorum, necnon Rege Scotiæ, Comitibus Pictauienſi & Flandrenſi, aliiſque. Ita permittente Deo vt Rex Senior, qui patrem ſuum Thomam indefeſſo ſtudio fuerat perſecutus, perſecutorem ipſe pateretur filium ſuum, quouſque tantum à ſe admiſſum expiaret delictum. Qui & in ſummum diſcrimen adductus, nõ alium habuit ad quem confugeret, quam illum ipſum, cuius tam ſæpe mandata eluſerat, Alexandrum Romanum Pontificem: & ab eo auxilium per literas [d] implorans, eam inprimis rationem adduxit, quod (vt ait) Regnum Angliæ eſſet iuriſdictionis Eccleſiæ Romanę, & iuris feudatarii obligatione teneretur eidem obnoxium & adſtrictum. ideoque rogauit, vt experiretur Anglia quid poſſet Romanus Pontifex, & quia materialibus armis non vteretur, patrimonium B. Petri ſpirituali gladio tueretur.

d ap. Pet. Bleſ. ep. 136.

II. Alex. III. laborat pro Rege.

e Id ep. 69.

Quid autem egerit Alexander, docet Petrus [e] Bleſenſis eiuſdem Regis Secretarius, & Archidiaconus Eccleſiæ Bathonienſis in Anglia, in epiſtola ad Radulphum Andegauenſem Epiſcopum, nimirum eum mandaſſe, vt quicũque pacem Regis turbarent, appellatione remota, excommunicationis vinculo adſtringerentur. Additque, ea auctoritate fretum Archiepiſcopum Cantuarienſem omnes Regis impugnatores apud Cadomum excommunicaſſe, nec Rege Iuniore, nec aliis exceptis. Porro iſte Cantuarienſis Archiepiſcopus, dictus eſt nomine Richardus, quem Rex Senior [f] his iiſdem temporib. ex Priore Douerenſi ad eam eccleſiam euexit, & vna cum aliis, quos pariter Eccleſiis vacantibus elegit, abire Romam pro cõſecratione iuſſit, vbi idem auctus eſt etiam Primatu Angliæ, & Legatione Apoſtolica prouinciæ ſuæ. Qui quidem antequam excommunicationem in Regem Iuniorem proferret, admonitionis literas [g] voluit præceſſiſſe, quibus agens de prædicto mandato Pontificio, omnino aſſerit ſe illud in eum pleniſſime proſecuturum, niſi intra quindecim dies reſipiſceret. Scripſit [h] etiam ad eumdem Iuniorem Regem Rotrodus Archiepiſcopus Rothomagenſis, vir ſummę nobilitatis, auctoritatis, atque virtutis, quem mire Petrus [i] Bleſenſis prædicat, literas tanto Præſule dignas, quibus eum ad obedientiam patri exhibendam egregiis rationib. reducere conatus eſt. Sicut & ad Reginam [k] Seniorem Eleonoram, quæ & ipſa vna cum filiis à viro diſceſſiſſet, ſcribens addit demum, niſi ad virum rediret, ſe in eam cenſuris Eccleſiaſticis acturum. Itemque Regem Seniorem aliis literis [l] hortatus eſt, vt in his anguſtiis conſtitutus, diuinum numen ſibi conciliaret, ablata reſtituendo, odia dimittendo, & Eccleſiæ omnem reuerentiam exhibendo: Hoc enim inimicos eius potiſſimum inuitare ad pugnam, quod inteſtinos hoſtes ſentiunt ipſum habere.

f Roger. in Annal. Angl. hoc an. & ſeqq.

g ap. Petr. Bleſ. ep. 47.

h Ibid. ep. 33.

i ep. 111.

k Ibid. ep. 154.

l ep. 151.

IESV CHRISTI AN. 1174.

Frid. 20. Man. 32.

ALEXAN. III. AN. 15.

I. Perfecta Regis Angliæ pœnitentia de nece S. Thomæ.

ANno Domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimoquarto, Indictione ſeptima, Henricus Senior Rex Angliæ, immenſis ob rebellionem ſuorum coanguſtatus ærumnis, quod plane deſiderari poterat ad pleniſſimam expiationem perſecutionis in S. Thomam illatæ (cuius occaſione hæc ſibi diuinitus mala contigiſſe non dubitaret) nempe vt quem offendiſſet toties verbis atque factis, & cauſam præbuiſſet necis eius, purgaret id ipſum publica pœnitentia ad ſepulchrum Martyris; hoc expleuit abũde. Audiens quippe in dies (inquit Herebertus [a], qui aderat) virtutes, & ſigna, & prodigia, quæ Cantuariæ fiebant per Martyrem, à Northmannia exiuit, & illam, ſicut alias dominationis ſuæ terras in ſolius protegẽtis Dei, & Martyris ſui manu relinquens, confeſtim ſola diuinæ protectionis ſpe aduerſus hoſtes ſuos armatus, tranſiuit in Angliam. Antequam autẽ Cantuariam intraret, vt ipſam vidit Metropolitanam eccleſiam, in qua Martyr requieſcebat, mox incredibiliter humiliatus, pauperis ſerui formam induit, nudis pedibus, totoque nudato corpore, præterquam vili quadam tunica ſuper nudo amictus, & pedes & nudus ſic palam in omnium conſpectu ciuitatem intrauit, & vicos & plateas luteas cũ ſuſpiriis & gemitib. incedens, Martyris adiit ſepulturã, & ad eã tota illa aduentus ſui die, & nocte ſequenti, ieiunus & peruigil in oratione perſtitit: cõuocatoq; monachorũ cathedraliũ cœtu, à ſingulis virgæ diſciplinalis percuſſiones ſingulas accepit. Hæc ibi. Sed addit Eduardus in Vita Martyris, Regem veſte ſe nudantem, caput in tumuli feneſtram ſubmiſiſſe, primoq; ab Epiſcopis qui aderant, quinquies cæſum eſſe, deinde à monachis amplius octoginta ternos accepiſſe ictus.

a Lib. 3. hiſt. Quadripar.

Rex viſitat ſepulchrum S. Thom.

II.

Quinam autem ſucceſſus tantam pœnitentiam mox ſecuti fuerint, pergens Herebertus enarrare, inprimis ſe-

OPES. THOMÆ REX VINCIT.

quenti die (inquit) cum Rex maculatis ſic pedibus vt venerat, necdum refocillatus, audiret, ante ſepulchrũ Martyris miſſam de Martyre, eadem ipſa hora Rex Scotorum vehementiſſimus ipſius impugnator, fortuito quodam caſu ab exercitu ſuo parum deflexus, à militibus quibuſdam paucis & mediæ manus hominibus, qui inter paucos prædicto Regi Angliæ fauebant, interceptus eſt, & ſine pugna & plaga captus. Deinde non longa mora, & ciſmarini & tranſmarini rebelles, in retiaculum quod domino ſuo tetenderant ceciderunt. Videnteſque alii tam ſubito cum eo manum Dei validam, ſiluerunt vniuerſi, & factũ eſt in pace regnum eius, qui hæc tanta, eo plus miraculoſa, quo tam cita, cuncta adſcripſit Domino, & glorioſo martyri Thomæ, cui certiſſime erant adſcribenda. Ita Herebertus. Agit vero etiam de pœnitentia publica Regis, Neubrigenſis [b], & ipſe eius temporis auctor: itemq; Rogerius [c] præſens iis omnibus, qui etiam pluribus narrat, quot hoc anno ex ipſa pœnitentia idem Rex bona fuerit cõſecutus ope S. Martyris, cum omnes aduerſarios Deus conuertit in amicos & obſequentes: filiumque Regem vna cum fratribus redire fecit ad patris gremium, pacificum & pœnitentem. Quæ adeo inexpectata beneficia tribuit quoq; Petrus [d] Bleſenſis viſitationi ſepulchri Martyris à Rege factæ.

b Neubrig. lib. 2. ca. 34. c Roger. Annal. Angl. hoc an. d Petr. Bleſ. ep. 46.

FRID. 21. MANV. 33.

IESV CHRISTI AN. 1175.

ALEXAN. III. AN. 16.

I. ANno Domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quinto, Indictione octaua, Dominica ante Aſcenſionem celebratum eſt apud VVeſtmonaſterium in Anglia CONCILIVM à Richardo Archiepiſcopo Cantuarienſi: in quo ſtatuti ſunt ad diſciplinam Eccleſiaſticam reſtituendam canones decem & octo, quos ſingulos Rogerius in Annalibus recitat, accommodatos omnes decretis Romanorum Pontificum. Inter quos qui numeratur decimuſquartus, prohibet ex decreto Alexandri tunc ſedentis, nequis nouam præfationem, vltra decem quæ eſſent in vſu Romanæ Eccleſiæ, addere Miſſis aliquo pacto præſumeret. Pertractatæ ſunt etiam complures Eccleſiaſticæ controuerſiæ diuerſi generis: ſed illæ grauiores quę emerſerunt pro Primatu inter Archiepiſcopos Cantuarienſem & Eboracenſem: quæ quod maioris eſſent momenti, delatæ ſunt per appellationem ad Romanum Põtificem: earumq; cauſa, Rege petente, ab Alexandro miſſa eſt in Angliam Legatio, de qua plura Rogerius.

CONCIL. ANGLIC. PRO RESTITVENDA DISCIPLINA.

II. Hoc eodem anno Fridericus Imperator, qui ſub finem ſuperioris cum ingenti exercitu in Longobardiam veniens, Alexandriam nouam vrbem Eccleſiæ Romanæ, obſidere cœperat, & nec inuſitatis aquarum inundationibus diuinitus immiſſis, nec aſperitate hiemis, aliiſque difficultatibus, à propoſito eius impugnandæ dimoueri potuerat: eo maiori iracundia in ciues indignatus, quod videret non ſolum eos ipſi viriliter reſiſtere, ſed & ingentia damna inferre, quamuis nullo murorum vallati eſſent præſidio, nec multitudine militum abundarent: demum poſt quartum obſidionis menſem, aduenientibus ſanctis Maioris Hebdomadæ diebus, ſub prætextu conceſſionis induciarum ad celebrationem Paſchatis, inſidias parans, ipſa nocte magnæ Ferię Sextæ proditorie illos adortus, immenſa ab eis affectus eſt clade, pugnante pro illis, & in equo albo coruſcantibus armis præire viſo, ipſo S. Petro eius vrbis domino. Quare timens etiam ſibi ab exercitu Longobardorum fœderatorum, qui proxime aderat in auxilium Alexandrinorum, in ipſa Dominica Reſurrectionis obſidionem ſoluens, verſus Papiam iter direxit. Sed quod vitare non poſſet occurſum exercitus Longobardorum, cui minime par eſſet: ad ſolitas fraudes cõuerſus, conſultationem de pace interpoſuit, ſub cuius ſpecie illorum manus euaſit. Qui rurſum cum omnia ſiniſtre ei ſuccederent, vt religioſos viros & populum ſibi propitiũ redderet, pacis ſtudium cum Romana Eccleſia ſimulans, accerſiuit Papiam tres ex præcipuis Cardinalibus, nempe Oſtienſem, & Portuenſem Epiſcopos, ac presbyterum S. Petri ad Vincula: quos cum humaniſſime excepiſſet ac ſalutaſſet, haud tamen ab iis reſalutatus eſt ob excommunicationem qua erat conſtrictus: paciſq; tractatio abſque effectu permanſit, quod ipſe in cunctis modum nimis excederet, atque etiam in ſpiritualibus nonnulla poſtularet, quæ nulli vmquam laico inuenirentur eſſe conceſſa. Narrantur iſta pluribus in Actis Alexandri Papæ: quorum etiam meminere alii eius temporis Scriptores.

ALEXANDRIA CIVITAS LONGOB. OBSESSA A FRIDER. LIBERATVR A S. PETRO.

FRIDER. SIMVLAT PACEM.

III. Additur vero ibidem, eo tempore Alexandrum priuaſſe Papienſem Epiſcopum Crucis & Pallii dignitate, eo quod ciuitas diu Octauiano Antipapæ, & Friderico excõmunicato adhæſiſſet, ac poſt præſtitam ſatisfactionem, eumdem Fridericum in grauem iacturam Eccleſię Longobardorum præſumpſiſſet in Italiam reuocare: Alexandriam vero ciuitatem in Epiſcopatum erexiſſe, & Metropolitano Mediolanenſi ſubieciſſe. Porro ſedem Aquenſem tranſlatam fuiſſe Alexandriam, ita vt qui prius Aquenſis dicebatur Epiſcopus, dictus poſtea fuerit Alexandrinus, conſtat ex literis Algiſii tunc Mediolanenſis Archiepiſcopi ad eoſdem Alexandrinos ea de re conſcriptis anno milleſimo centeſimo octogeſimo: necnon ex aliis Innocentii Papæ Tertii, qui controuerſiam ſuper hac vnione obortam, appoſitis quibuſdam conditionibus ſedauit.

ALEXANDRIA CIVITAS AVGETVR EPISCOPATV.

FRID. 22. MANV. 34.

IESV CHRISTI AN. 1176.

ALEX. III. AN. 17.

I. ANno Chriſti milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſexto, Indictione nona, in prouincia Toloſana, hæretici ALBIENSES dicti, qui ſe ipſos *Bonos homines* appellabant (Manichæis potiuſquam Arianis affines, licet Ariani nominati inueniantur) examinati ab Epiſcopis, conuicti ſunt aduerſus doctrinam Catholicam ſapere. Extant ipſa Acta, quæ recitantur à Rogerio eius temporis auctore in Annalibus Anglicanis.

DE HÆRETICIS ALBIENSIBVS.

II. Recipiebant tantummodo Scripturas Noui Teſtamẽti, reiicientes penitus Vetus, niſi in iis teſtimoniis quæ inducta ſunt à Chriſto Domino & Apoſtolis, & non aliis: nam & reſpuebant pariter ceteros omnes Doctores Legis Chriſtianæ. Interrogati de fide ſua, dicebant ſe non teneri ad reſpondendum. Aſſerebant duos deos, exiſtere, bonum alterum, alterum malum: bonum, qui inuiſibilia tantum, & ea quæ mutari aut corrumpi non poſſunt, feciſſet: malum, qui cœlum, terram, hominem, & alia viſibilia condidiſſet. Negabant Baptiſmum prodeſſe paruulis ad ſalutem: Corpuſque Domini confici per miniſterium ſacerdotis indigni, aut aliquibus criminibus irretiti: & virum ac mulierem ſaluari, ſi carnaliter conuenirent. Dicebant miniſtros Eccleſiæ, qui non eſſent morib. & conuerſatione tales, quales Paulus ordinandos eſſe docuerat, non eſſe Epiſcopos, aut presbyteros, &c. ſed lupos & ſeductores: ideoque nullam eos habere poteſtatem in reb. diuinis & Eccleſiaſticis, aut in ſacramentis adminiſtrandis: nec obediendum eis eſſe, aut primitias & decimas ſoluendas. Negabant eccleſias, ſiue templa, in honorem Dei & Sanctorum erigi debere, aut ad orationem adiri à Fidelibus: itemque eleemoſynas iiſdem eccleſiis, aut pauperib. fieri: Dicebant ſufficere ad ſalutem peccata cuilibet homini confiteri, nec poſt cõfeſſionem neceſſariam eſſe pœnitentiam. Ac denique inter alios plurimos euiuſmodi errores, aſſerebant numquam omnino debere iurari per aliquod iuramentum. Hæcque cuncta miſeri aſſerebant, ſe ex Euangelio & Epiſtolis excipere, nec ſe aliquid aliud, quam quod ibi expreſſe contineretur, recipere velle: reſpuentes omnes quorumcumque Doctorum interpretationes, cum alioqui ipſi prorſus rudes & imperiti eſſent. Recenſentur vero iſta à Rogerio ſub hoc anno, quo idem conuicti ſunt, & ſub anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo octauo, quo in iudicium vocati.

ERRORES ILLORVM.

III. Porro hoc anno conuenientibus in vnum aduerſus

IIDEM HÆRET. CONVENIVNTVR ET CONVINCVNTVR.

peſtiferos eorum errores, apud Epiſcopum Albienſem, electum ab vtraque parte, vna cum aliis quibuſdam Abbatibus, diſputationis iudicem, Archiepiſcopis Lugdunenſi & Narbonenſi, aliiſque Epiſcopis, Abbatibus, & præpoſitis Eccleſiarum, necnon Comitibus, ac viris Illuſtribus, cum maxima populi multitudine, Lugdunenſis publice interrogatis hæreticis, cunctos eorumdem errores validiſſime confutauit ſolis Noui Teſtamenti auctoritatibus, quas ipſi tantum admittebant. Poſt quæ videntes hæretici ſe eſſe conuictos, vt non vitarentur à populis, itidem publice Catholicæ fidei profeſſionem emiſerunt: ſed quod nollent eam iuramento confirmare, quãuis eis abunde ex Sacris Scripturis probaretur, & id licitũ eſſe, & ad id ipſos obligari vt purgarent infamiam hæreſis qua notati erant: iidem à iudicib. ſententiam damnationis acceperunt, quam & alii omnes ſuis calculis confirmarunt. Acta ipſa diſputationis recitat Rogerius. Quomodo vero Sedis Apoſtolicæ auctoritate fuerint rurſum iidem ad iudicium vocati, conuicti, & damnati, dicetur poſt biennium.

IV. FRID. VINCITVR A MEDIOL.

Hoc eodem anno Imperator Fridericus, nouis receptis ex Germania copiis, aggreſſus Alexandri Papæ confœderatos Mediolanenſes, ingenti ab eis prælio deuictus eſt: quo inter ceteros ipſe coruſcantibus armis inſignis apparens, ab hoſtibus de ſella eiectus, ab omnium oculis tunc euanuit; dubitatumque diu eſt quid de eo factum eſſet, adeo vt eius vxor veſtem lugubrem induerit: quouſq; idem ſubito Papiæ comparuit omnibus rebus deſtitutus. Hæc pluribus in Actis Alexandri Papæ, vbi cum ea conſiguentur duplici chronographia, nempe anno Incarnationis Dominicæ milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſexto, & Pontificatus Alexandri decimoſeptimo, menſe Iunii: male eadem Vrſpergenſis anno ſuperiori collocat, ac Robertus ſequenti. quæ etiam Dodechinus ſummatim recenſet. Poſt hæc autem Imperator, quem nulla vmquam aduerſitas aut difficultas, ex quo aggreſſus eſt Eccleſiam perſequi, licet rebus quotidie in deterius dilabentibus, ab incœpto retrahere valuerat: hac tamen accepta clade, adeo vehementer à ſupremo Iudice contritus eſt (inquiunt eadem Acta) vt pacem Eccleſiæ quam hactenus in duplicitate cordis popoſcerat, toto animi affectu ab Alexandro ſuppliciter poſtulare decreuit.

FRID. SERIO PETIT PACEM AB ALEX.

Cuius rei cauſa miſit ad eum tunc Anagniæ in Campania degentem, quatuor ex præcipuis Imperii Principibus Eccleſiaſticis, nempe Magdeburgenſem, Moguntinum, & VVormatienſem Antiſtites, atque Protonotarium Regni, cum pleniſſima poteſtate tractandæ & conficiendæ pacis inter Eccleſiam & Imperium. Qui cum diutius de ea cum Pontifice egiſſent, tandem facta capitulorum conuentione, conſtitutum eſt, quoniam ad omnia ſolidius peragenda, neceſſaria videbatur ipſius Imperatoris, atq; Longobardorum, de quorum etiam pace agebatur, præſentia; Pontifex in eas partes ſe quantocyus transferret; atq; interim Imperator firmam daret ſecuritatem omnibus perſonis & rebus Eccleſiæ Romanis, Regiſque Siciliæ, aliorumque ipſis inhærentium. Quæ autem iſta ſunt ſecuta, ſequenti anno proſequemur.

IESV CHRISTI AN. 1177.

FRID. 23. MANV. 35.

ALEX. III. AN. 18.

I.

ANnus Chriſti milleſimus centeſimus ſeptuageſimus ſeptimus, Indictione decima notatus, dicendus eſt ex bonis quæ ſecum tulit, ſecundum Italiam [a] vere PLACABILIS, quo pax exul annis decem & octo, tandem eſt poſtliminio reſtituta & ſchiſma Eccleſiæ ſublatum. Digna quidem tanta hiſtoria, vt præſtantiſſimorum virorum (ſicuti factum eſt) digno ſtylo poſteris traderetur. Sed infortunio magno accidit, quod cum ad ornatum ſuperuacaneum inopportunus & commentitius quæſitus eſt fucus, deformis effecta, diuerſa penitus reddita ſit ab illa venuſtate, quam mixto candore ſimplicitatis cum rubore viuidæ veritatis, conciliauerat ipſi abſque arte natura. Vt autem abſterſis ſordibus, in priſtinum decorem eamdem vendicemus, aperiendum inprimis, duplicem & magnopere inter ſe diuerſam reperiri hiſtoriæ huius narrationem; vtramque vero in codice Chronicorum dignæ memoriæ Cardinalis Beſſarionis, qui ſumma diligentia & honore aſſeruari dicitur in Bibliotheca Veneta.

a Iſa. 61.

HISTORIÆ DE PACE CVM FRID. DVPLEX NARRATIO.

II. PRIMA NARRATIO.

Prima igitur narratione, ex Blondo, & Ænea Siluio deſumpta: aſſeritur, Fridericum Magdeburgenſem Moguntinumque Archiepiſcopos Oratores ad pacem cum Alexandro conſtituendam deſtinaſſe Anagniam. Conuentũ eſſe ibidem, vt Pontifex Bononiam, Imperator Mutinam ſe conferret, quod eo modo facile poſſet ad colloquium perueniri. Pro ea re complenda, Pontificem receptis apud Garganum montem ab VVillelmo Rege Siciliæ tredecim triremibus, iis Venetias delatum, magno honore exceptum eſſe, & terreſtri itinere ſex Cardinales Bononiam miſiſſe; Fridericum autem Mutinam veniſſe. Sed interea Oratoribus Friderici Bononiam ſuſpectam dicentibus, Ferrariam pro conuentu electam eſſe. Quo cum perrexiſſet Pontifex, rurſum mutatis conditionibus, Venetiis conuenire placuiſſe, ea lege ne prius Imperator Venetias admitteretur, quam pacem iureiurando firmaret. Itaq; conceſſiſſe Fridericum pacem Alexandro in ea formula, qua ſemper optauerat; itemque VVillelmo Regi Siciliæ, ac ciuitatibus Longobardiæ, certis conuentionibus pacem dediſſe. Hæc ibi ex Blondo.

ALTERA NARRATIO.

Alii vero (vt ibidem additur) aſſerunt, Fridericum cum magno exercitu veniſſe in Auſoniam mouiſſeque in Romanam Vrbem; eiuſque vires perhorreſcentem Pontificem decimoſeptimo ſui Pontificatus anno, coqui ſui veſtibus ſumptis, eo in habitu Venetias profugiſſe in monaſterium Sanctæ MARIÆ de Charitate, atque ibi hortulo præfectum eſſe: ſed poſt aliquot menſes agnitum, ſummo honore à Sebaſtiano Duce & vniuerſo Senatu habitum eſſe. Imperatorem autem hæc audientem, ad eum repoſcendum miſiſſe Ottonem filium ſuum cum armata claſſe: hunc vero bellum ob id Venetis mouentem, ab eorum Duce prælio ſuperatum eſſe, vinctumque Venetias perductum. Sed eo procurante, pacem inter Pontificem & Imperatorem his conditionibus ſtabilitam eſſe, vt Imperator Romam & quæ ditionis erant Eccleſiaſticæ, Pontifici redderet, & quicquid ille pro perpetrata culpa iniungeret, patienter perferret. Itaque Pontificem ad ianuas Eccleſiæ S. Marci, vniuerſo adſtante populo, Imperatori iuſſiſſe vt ſe humi proſterneret, & veniam denuo poſtularet: eiuſque collum pede comprimẽdo dixiſſe, *Scriptum eſt, Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis & conculcabis leonem & draconem.* Fridericum autem reſpõdiſſe, *Non tibi, ſed Petro, cui ſucceſſor es, pareo:* iterumque Pontificem adieciſſe, *Et mihi & Petro:* ſicque pace compoſita, Imperatorem cum bona venia abiiſſe. Pontificem autem ob beneficium à Venetis ſuſceptum, Sebaſtiano Duci & eius ſucceſſoribus, ac Senatui Veneto, multa priuilegia, Indulgentiaſque conceſſiſſe. Ita poſterior narratio in codice Beſſarionis; cui & alia quædam monimenta fauent.

III. b Ierem. 6.

Cui vero inhærendum nobis ſit, tamquam in biuio cõſtituti, illud diuinæ Scripturæ [b] obſeruabimus, *State ſuper vias, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona & ambulate in ea.* Nam illos vtique interrogabimus, qui viam triuerint ambulando; non autem inexpertos, qui tantum audita retulerint, eademque fucata coloribus monſtraſſe ſatis eſſe ad probationem exiſtimauerint. Quamobrem non aliunde quam ab auctoribus eius temporis, & iiſdem plane ipſis qui rebus geſtis interfuerunt, vel etiam magna pars fuerunt, cuncta narraturi, inprimis reuocamus in memoriam quæ dicta ſunt anno ſuperiori ex indubitatæ fidei Scriptoribus, de victo & profligato à Mediolanenſibus Friderico, & legatione ab eodem pro pace ad Alexandrum miſſa; vt ex iis appareat, vanum illud cõmentum de timore Alexandri ob inſultationem Friderici omnino corruere, nullamque de ineunda à Pontifice fuga, latebriſque captãdis, prorſus fuiſſe occaſionem. Sed quomodo rem geri contigerit, veraciter ac copioſe deſcripſit auctor qui aderat, in Actis ipſius Alexandri, de quib.

VTRA NARRATIO VERIOR.

ſæpe dictum eſt ſuperius; confirmantque alii, de quibus poſtea dicetur.

IV. LEGATIO A PONT. AD IMP.

Alexander igitur antequam Anagnia exiret ad colloquium Imperatoris, præmiſit ad eum duos Cardinales, vt ſecuritatem quam Mageburgenſis cum ſociis ſuis promiſerat, ab eodem Imperatore per exhibitionem iuramenti reciperent. Quem cum inueniſſent circa Mutinam, honorifice ab eo ſuſcepti ſunt: idemque filium Marchionis Montisferrati ſuper ſancta Euangelia iurare fecit in anima ſua prædictam ſecuritatem, & vt omnes Principes Alemanniæ qui ſecum erant, eamdem pari iureiurando confirmarent, effecit. Pontifex autem præmiſſis terreſtri itinere ſex de ſuis Cardinalibus Bononiam, vt Imperatorem & Longobardos de ſuo aduentu certiores faceret; ipſe vna cum reliquis iter arripiens ad mare Hadriaticum, tranſito monte Gargano, ſuſceptiſque in ciuitate Liciana ab VVillelmo Siciliæ Rege tredecim triremibus, commeatu & armis optime inſtructis, ſub ductu duorum ex præcipuis ditionis eius Principibus, nempe Romualdi Archiepiſcopi Salernitani, & Rogerii Comitis Andrienſis Magni Coneſtabuli, qui cum illo pro Rege intereſſe deberent colloquio pacis, vt & ipſe in ea comprehenderetur, qui ſe fidelem Eccleſiæ defenſorem ſemper exhibuiſſet: poſt nonnullas aduerſorum ventorum & procellarum moras, per medias Dalmatiæ & Sclauorum inſulas nauigans, tandem decimo Calendas Aprilis Venetias appulit, occurrente ei Duce cum Patriarcha & Epiſcopis, ac nobilibus & Clero, copioſa nauium multitudine. Mox vero ad eum accedens Magdeburgenſis cum ſociis, rogansque vt quoniam vrbis Bononia Principib. Imperatoris ſuſpecta erat, alius eligeretur ipſius cum Imperatore colloquii locus: promiſit Pontifex ſe quamprimum Ferrariam profecturum, vt ibi cum Rectorib. Longobardiæ, quorum etiam maxime intereſſet, de ea re deliberaret. Quare indicto per literas, vniuerſorum Epiſcoporum & Conſulum ciuitatũ Longobardiæ conuentu, Dominica Paſſionis Ferrariæ habendo: ipſe interim Dominica Lætare, in eccleſia Beati Marci Miſſam ſolemniter celebraturus Roſam auream e antiqua conſuetudine ad altare ferens, eam poſt impleta myſteria, Duci Venetiarum in ſignum gratiæ Sedis Apoſtolicæ contulit. Deinde vero, eodem Ferrariam, petente, ibi poſt quaſdam altercationes, tandem conſenſu omnium electa eſt ad congreſſum ciuitas Venetiarum: ea tamen conditione, vt antea Dux cum populo Veneto iurarent, quod antequam pax firmiter ſtabilita eſſet, haud abſque conſenſu Pontificis permitterent Imperatorem intrare ciuitatem: quod & factum eſt.

ALEX. PP. APPELLIT VENETIAS.

Habes de hoc eodem antiquo facto ritu benedicendæ eo die *Roſæ aureæ*, eiuſdem temporis Scriptore methodiſſimum, *Petrum Bleſenſem*, qui ſermones eius recenſuit, & ibi myſterium ponit, quod Dominica ille *Lætare*, Septima numeretur a Dominica Septuageſimæ.

V. VNIVERSALIS PAX FIRMATVR.

Conuenientibus igitur rurſum cunctis delegatis apud Venetias, poſt multas de Feudis Longobardorum concertationes, demum in ipſis Apoſtolorum Petri & Pauli Octauis, perpetua pax Eccleſiæ firmata eſt, ea forma qua prius inter partes compoſita fuerat: ac pariter Regi Siciliæ in annos quindecim pax conceſſa, & Longobardis induciæ ad ſex annos, vt interim vniuerſæ ſimul eorum ciuitates conuenirent de regalibus ac iuribus, quæ Imperator ab eis ſibi deberi contendebat. Hæc autem ita tranſacta, Imperator Chiogiam prope Venetias accedens, rata habuit: ac per Diedonem Comitem, & Sigilboth Camerarium ſuum, coram omnibus delegatis, ac Principibus ſuis, iurare fecit in anima ſua quod mox vt Venetias accederet, pariter in anima ſua iurare faceret integram obſeruationem eorum omnium, quæ inter partes conſtituta fuiſſent. Hiſque peractis, præcepit Pontifex vt Imperator Venetias honorifice deduceretur. Altera vero die, in Vigilia S. Iacobi, miſit ad eum quoſdam Cardinales, qui poſt abiuratum ab illo ſchiſma Octauiani, Guidonis Cremenſis, & Ioannis de Struma, ac promiſſam obedientiam Alexandro, eiuſque ſucceſſoribus Catholicis, eumdem à ſententia excommunicationis abſoluerunt, & Catholicæ vnitati reſtituerunt. Idemque factum eſt cum eius Principibus tam Eccleſiaſticis quam ſæcularibus, aliiſq; cunctis ſchiſmaticis illic præſentibus, qui eodem vinculo conſtricti tenebantur. Exinde Imperator tamquam Catholicus Princeps accedens ad Pontificem, qui eum opperiebatur ante fores eccleſiæ S. Marci, depoſita chlamyde proſtrauit ſe in terram, & deoſculatis Pontificis pedibus, ad pacis quoq; oſculum admiſſus eſt: ac deuote ſuſcepta eiuſdem Pontificis dextera, cum canticis & laudibus ad chorum eccleſiæ ipſum deducens, inclinato capite benedictionem eius reuerenter accepit. Sequenti vero die, in feſto S. Iacobi, celebrante ſolemniter Pontifice Miſſam, poſt dictum Euangelium, & ſermonem ab eo factum ad populum, idem Imperator denuo ad eius veſtigia cum Principibus ſuis accedens, aurum poſt pedum oſcula obtulit. Finita autem Miſſa, rurſum dexteram Pontificis prendens, extra eccleſiam vſque ad equum album deduxit, & ſtreguam (ſiue ſuppedaneum equeſtre) de more tenuit: frenumq; accepit, vt ſtratoris officium impleret.

IMP. VENETIAS VENIT.

INTRODVCITVR A PONT. IN ECCL.

VI. IVRANTVR CONDITIONES PACIS.

Calendis vero Auguſti, conuocatis omnibus in Conſiſtorium, idem Imperator præcepit Comiti Henrico de Dieſſa, iurare in anima ipſius Imperatoris ſuper Sancta Dei Euangelia, quod pacem Eccleſiæ & Imperii, necnon pacem Regis Siciliæ, & inducias ciuitatum Longobardarum, ſicut inter mediatores conuenerat, bona fide ſeruaret: & vt eadem pariter ſe ſeruaturos, cuncti iurarent Principes eius, tam Eccleſiaſtici quam laici, æque præcepit. Idque ipſum iurarunt ex parte Regis Siciliæ, Romualdus Archiepiſcopus Salernitanus & Comes Andrienſis: ac pro Longobardis, ipſorum delegati. Deinde decimoſexto Calendas Septembris, in eccleſia S. Marci Alexander Papa vna cum Epiſcopis ac Prælatis Italis & Germanis SYNODVM celebrauit: in qua iuxta eum reſidente Imperatore, rurſum communi omnium conſenſu prædicta omnia confirmata fuere: ipſeque Pontifex ſententiam protulit, vt quicumque ea infringeret, niſi commonitus intra quadraginta dies ſatisfaceret, excommunicationem incurreret: in ſchiſmaticos autem qui nondum reſipuerant, anathematis ſententiam renouauit. Sed & decimoquinto Calendas Octobris eamdem pacem, tam ipſe Imperator, quam eius Principes Eccleſiaſtici & ſæculares literis ſuis ſcriptis confirmarunt, quas propriis ſubſcriptionibus & ſigillis munierunt. Ac demum idem Imperator cum ſuis receſſurus, Chriſtianum Archiepiſcopum Moguntinum Cancellarium ſuum reliquit, vt intra tres menſes integre reſtituenda curaret cuncta regalia S. Petri, & Poſſeſſiones Eccleſiæ Romanæ, exceptis bonis Comitiſſæ Mathildis: quæ licet vna cum aliis ex conuentione pacis reſtitui deberent, tamen quod ea Imperator ad ius Imperii pertinere contenderet, ne inde pax Eccleſiæ turbaretur, annuit Pontifex vt eligerentur ex vtraque parte viri, quorum iudicio tam ea res definiretur, quam alia tunc primum ab eodem Imperatore mota quæſtio de Comitatu Bertinorii: qui quamuis ab antiquo fuiſſet iuris Eccleſiæ Romanæ, ac nouiſſime, dum de pace Venetiis ageretur, eũ Comes eius abſq; liberis decedens eidem Eccleſiæ contuliſſet, atque ipſius poſſeſſionem Alexander per ſuos apprehendiſſet, tamen Imperator ſuiuris eſſe aſſereret. Hiſque ita peractis, idem Imperator poſt oſculationem pedum Pontificis, verſus Rauennam & Ceſenam profectus eſt: Pontifex autem circa medium menſis Octobris, habitis à Duce Venetiarum triremibus Sipontum in Apulia applicuit, atque inde terreſtri itinere Anagniam decimonono Calendas Ianuarii reuerſus eſt.

CONCIL. VENETIIS CELEBRATVR AB ALEX. PP.

DE QVIBVSDAM IVRIBVS CONTROVERSIS.

ABSCEDVNT VENETIIS IMP. ET PONT.

VII.

Hactenus ex fuſioribus Actis Alexandri Papæ, ab auctore qui aderat conſcriptis, pacis confectæ hiſtoria, omni ſinceritate decurſa. Quam etiam teſtatiorem reddit relatio Romualdi Archiepiſcopi Salernitani, quem omnibus interfuiſſe vidimus Legatum VVillelmi Regis Siciliæ qui cunctas res geſtas ab eo tempore quo Pontifex Anagnia profectus Venetias ſe contulit, atq; inde rurſus Anagniam reuertit, exactiſſime tamquam à ſe viſas recenſet, eodẽ prorſus modo atq; tenore, quo in prædictis Actis recitantur: niſi quod eas Romualdus longe copioſius ac minutius deſcripſit, multaque alia ſingularia intexit quæ deſiderantur in Actis: puta de ingentibus tumultibus Venetiis ortis, cum quidam niterentur Imperatorem eo introducere abſque licentia Pontificis: iiſdemque prudentia Pontificis ac Ducis, & induſtria ac fortitudine Legatorum

ALIA EX NARRATIONE ROMVALDI ARCHIEP. SALERNIT.

gatorum Regis Siciliæ ſedatis: ac de conteſtatione Principum Eccleſiaſticorum Imperii facta Friderico, cum ipſe Chiozæ opperiens exitum tumultus Veneti, cunctaretur promiſſam pacem iurare, de eo derelinquendo, & Pōtifici inhærendo, niſi quantocyus promiſſa implere: itemque de tractatu pacis, ab Henrico Rege filio Imperatoris, qui tunc cum matre Imperatrice erat in caſtello Gayuæ, iuſſu patris iureiurando confirmato. Hæc & alia plura tūc vltro citroque geſta dictaque, fuſe proſequitur Romualdus ad finem Chronicorum, quæ conſcripſit ab Orbe condito ad ſequentem vſque annum. Extantque inſuper apud Rogerium in Annalibus Anglicis, binæ literæ ab Alexandro Papa ſcriptæ Venetiis ad Antiſtites Anglos, de rebus geſtis inter ipſum & Imperatorem vſque ad iuratā Calendis Auguſti pacem: quæ cum iiſdem eius Actis, & Romualdi narratione, miram habent conſenſionem. Eſtque par credere, ab eodem Pontifice tunc eodem argumento ſcriptum eſſe ad diuerſos Eccleſiarum Antiſtites, vt quos mœror de ſchiſmate Eccleſiæ deieciſſet, optatiſſimum nuntium eiuſdem vnionis erigeret. Reperiuntur enim & aliæ eiuſdem generis ab eo miſſæ literæ ad Archiepiſcopum Capuanum, & Abbatem Caſſinenſem. Ceterum eadem plane de rebus geſtis quæ apud prædictos auctores habentur, narrat, ſed breuius, Rogerius: qui etſi non fortaſſe, vt illi, ea vidit quæ ſcripſit, tamen vt qui eadem vixit ætate, ea quæ ſunt eius temporis accurate deſcripſit.

Alex. ad omnes ſcribit de confecta pace.

VIII.

Quibus ſic omni oculatorum teſtium genere certiſſime ſtabilitis atque confirmatis, cuncta quæ ab eis diſcrepant, ab aliis ex auditu relata, mendacia eſſe penitus conuincuntur. Stetq; aſſerta in Chronico Beſſationis, prioris ſententiæ veritas omni contradictione ſuperior, nec labefactetur vilis poſterioris ſuperinductis mendaciis: quorum præterea auctores, cum & nota temporum, & rerum geſtarum diſcrepantia, ſibi inuicem aduerſentur, vel ex iis illorum aſſertiones procul longe abiiciendæ ſunt: ac præcipue illa ceteris magis indecora, qua obtruditur factum illud arrogans, & penitus inſuetum, vt humiliatum ad pedes Pontificis caput Imperatoris pede ipſe preſſerit, atque inſultauerit verbis illis quæ ſuperius relata ſunt. Abhorrens eſt quippe ab eius manſuetudine turgens faſtu facinus: quem ſumma fuiſſe animi moderatione, atq; benignitate præditum, & omnes eius temporis auctores abunde demonſtrant, & ſatis docetur ex iis quæ de eo iam antea variis locis dicta ſunt, dicenturque poſtea. Siquid autem eiuſmodi ab eodem Venetiis in Imperatorem fieri contigiſſet, quomodo Scriptores illi qui minima quæq; ſumma diligentia proſecuti ſunt, quaſi ex condicto referre prætermiſiſſent? Sed ne rem ſua ipſius inſcitia deficientē, nimia exagitatione exuſcitemus, iā ad alia tranſgrediamur.

Mendacia de Alex. factis exploduntur.

IX.

Poſt reditum Pontificis Anagniam, ſubdunt eius Acta magnam ſchiſmaticorum turbam audientes quæ geſta eſſent, ad eius obedientiam ſponte reuerſos eſſe, ac multos intruſos Eccleſias Catholicis Epiſcopis reſtituiſſe. Ridiculum vero Ioannem Antipapam, qui Viterbii morabatur, tanto timore correptum eſſe, vt occulte Viterbio exiens, tamquam profugus in montem Albanum confugerit ad Ioannem dominum illius caſtri, eo vero audito, Imperatorem tam eum, quam eius defenſores, niſi ad obedientiam Alexandri properarent, Imperiali banno ſubieciſſe. Porro tradit Rogerius in Annalibus, eumdem Antipapam in Concilio Venetiis ab Alexandro habito, de quo dictum eſt ſuperius, degradatum eſſe, & ab ipſo Imperatore, atque omnibus Principibus Eccleſiaſticis & ſæcularibus, deiectum ac reprobatum: pariterque omnes Archiepiſcopos & Epiſcopos & Abbates regni Teutonici, qui ab eo vel eius prædeceſſoribus Antipapis ordinati fuerant, degradatos eſſe: & altaria quæ ab eis, ſiue ab ordinatis per eos dedicata erant, diruta fuiſſe.

Ioan. Antip. abominib. reiectus.

X.

Dum autem Alexander adhuc Venetiis eſſet, quinto Calendas Octobris ſcripſit epiſtolam ad Indorum Regē in Æthiopia longe lateq; regnantem, quem vulgo nominant PRETEIANNVM, ipſe vero Alexander in inſcriptione epiſtolæ vocauit *Sacerdotum ſanctiſſimum*, titulo ab omnibus ei impendi conſueto. Scribendæ autem epiſtolæ ea occaſio interceſſit, quod quidam Magiſter Philippus ipſius Pontificis medicus, ad partes illas peregrinatus, retuliſſet eorum Principem, alioqui fide Chriſtianum, tamen quod non in omnibus conſentiret cum Romana profeſſione, auide cupere de omnibus erudiri, vt in nullo diſſentiret à doctrina Sedis Apoſtolicæ: habereq; in Vrbe eccleſiam, vbi miſſi ab eo viri prudētes habitare poſſent, & Apoſtolica plenius inſtrui diſciplina, quam poſtmodum in patria ſua alios docerent. Reſcribens igitur per eumdem Philippum Alexander, petiit mitti Romam viros illos, & cunctas ipſius Regis petitiones ſe effectui mandaturum promiſit. Recitat has Pontificis literas Rogerius in Annalibus. Quæ autem ſecuta ſint iſta, nos latet: niſi quod ſiue ab ipſo Alexandro, ſiue ab alio Romano pontifice, conſtat Æthiopibus iſtis regni Preteianni, *Abyſſinis* dictis, datam in Vrbe eccleſiam S. Stephani protomartyris, vna cum eius habitationibus, ſitam poſt abſidem baſilicæ S. Petri, quam in hanc vſque diem poſſident.

Legatio à Preteianno miſſa ad Alex. PP.

XI.

Idem quoque Pontifex Anagniam rediens, cum eſſet Troiæ in Apulia, accepit commentarium aduerſus Græcos de proceſſione Spiritus Sancti, miſſum ab *Hugone Etheriano*, natione Etruſco, Conſtantinopoli agente vna cum fratre ſuo, Leone dicto, qui apud Imperatorem Emmanuelem Interpretis munere fungebatur: quo quidem commmentario cuncta argumenta, quæ à Græcis tam antiquioribus quàm recentioribus eſſent aduerſus Latinos elicita, egregie confutauit. Porro id præſtitit vir doctiſſimus (vt ipſe præfatur in nūcupatoria ad eumdē Pontificem) tum quod gratum eſſe ipſi Emmanueli nouiſſet, tum etiam quod fuiſſet ad id impulſus à nonnullis S. R. E. Cardinalibus. Extat [a] totum egregium opus, vna cum perbreui Alexandri Papæ epiſtola ad eum reſcripta, data Troiæ Idibus Nouembris.

Hugonis Ether. ſcripta aduerſus Græcos.

[a] To. 9 Bibl. S.

XII.

Quod autem attinet ad Fridericum Imperatorem: cū is non tam amore concordiæ ductus, quam rerum neceſſitate coactus pacem cum Pontifice iniiſſet, mox vt ab eo diſceſſit, ad priſtinam perfidiam & contumaciam relapſus, nulla habita ratione repetiti ſæpiſſime iuramenti, diuinis humaniſque legibus violatis, cum Ceſenam peruenisset (vt narratur in Actis Alexandri) accedens iuxta Bertinorium caſtrum munitiſſimum, de quo ſuperius dictum eſt, vocatis iis qui pro Eccleſia Romana, ad quam illud multiplici iure pertinebat, cuſtodiebant, petiit vt eius poſſeſſione cederent: iiſq; reſpondentibus, haud ſe abſque mandato Romani Pontificis id facere poſſe, adducto confeſtim exercitu eos inde expulit: ac poſtmodum poſcenti per Legatos Pontifici eius reſtitutionem, penitus recuſauit. Quam iniuriam Alexander, ne pax ſolueretur, diſſimulauit.

Frid. Imp. relabitur in tyrannidem.

XIII.

Hoc eodem anno tradit Rogerius, miſſum eſſe ab Alexandro Pontifice Legatum in Northmanniam, Petrum Cardinalem S. Chryſogoni, qui vniuerſam Regis Angliæ ditionem interdicto ſubiiceret, niſi is permitteret Richardum filium ſuum Comitem Pictauienſem ducere vxorem Aleſiam filiam Regis Francorum, quam ipſe Rex Angliæ iam diu, & vltra quam inter eos conuenerat, in ſua cuſtodia retinuerat. Regem autem appellaſſe ad Pontificem: & colloquio cum Chriſtianiſſimo habito, inter eos certis conditionibus concordiam initam eſſe.

Legatio in Northmann.

XIV.

Hoc item anno, quo Fridericus Imperator ſubiecit ſe Alexandro Pontifici (vt tradit Saxo [e] Grammaticus) idem Alexander Legationem in Daniam miſit, ea occaſione quod cum Eſchillus venerandus ſenex, Lundenſis Eccleſiæ metropolitanæ præfectura, & Apoſtolicæ Sedis Legatione diu digniſſime perfunctus, obtenta demum ab Alexandro miſſione, cum facultate transferendi Archiepiſcopatum & Legationem in quem vellet, vt ſic poſt labores ipſe ſibi vacans, in habitu & obſeruantia Regulæ Ciſtercienſis expectaret diem ſui tranſitus: idem omnium conſenſu, geminæ præfecturæ onus in Abſalonem Roſchildenſem Epiſcopum omnium laudatiſſimum reiudiſſet, hicque penitus abnuens ſuam Eccleſiam deſerere, quam immenſis laboribus excoluiſſet à iuuentute, cōtra

[e] Sax. Gram. l. 14. hiſt.

Abſalon Roſchild. Eccleſiam.

vrgentium importunitatem opus habuiſſet ad remedium appellationis confugere: miſſis vtrimque ad Alexandrum Papam nuntiis ita ipſe contrarias eorum petitiones conciliauit, vt Abſalonem Lundenſem Archiepiſcopatum aſſumere iuſſerit, & Rochildenſem adminiſtrare permiſerit: miſſo ad hoc Legato, qui cuncta rite componeret. Rem geſtam narrat Saxo pluribus. Hic vero primum tentatum, vt duo vni à Sede Apoſtolica traderentur Epiſcopatus quod ſemel ex cauſa præſumptum, male apud complures: tranſiit in exemplum.

Dvo Episcopatvs vni traditi.

XV.

Aveníon. pontis strvctvra mirabilis.

Sed claudat huius anni periodum elegans hiſtoriola, diplomatibus Pontificis comprobata, de admiranda pontis Auenionenſis ſtructura perneceſſaria ſuper Rhodanũ fluuium rapidiſſimum, non agros tãtum alueo proximos corrodentem, ſed homines plurimos abſorbentem. Hoc igitur anno Chriſti milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo, paſtoritius puer nomine *Benedictus*, vulgo *Benezet*, duodecim annos natus, dum paſceret maternum gregem apud Almilatum oppidum antiquæ Burgundiæ, tergemina IESV CHRISTI compellatione admonitus eſt pontem facere in Rhodano. Puer expaueſcens primum negauit ſe poſſe ouium cuſtodiam deſerere, vel tantæ prouinciæ, cũ inops eſſet, ſatisfacere: deinde cum Chriſtus curam gregis, omniaq; ad opus neceſſaria pollicitus eſſet, accingens ſe itineri, ac in Angelum eiuſdem habitus incidens, tali duce tridui itineris ſpatium trib. horis emenſus eſt. Viſo vero Rhodano, rurſum à ſuſcepto deterritus, ab eodem Angelo confortatus eſt: eoq; recedente puer tranſmittẽs fluuium, & Auenionem ingreſſus in media Epiſcopi cõcione clamauit, ſe miſſum eſſe à Chriſto vt pontem eis in Rhodano faceret. Qua voce populo in riſum conuerſo, pueroq; ab Epiſcopo coram vrbis Præpoſito ſiſti iuſſo, monuit puer Præpoſitum in ſtructuram pontis aliquid largiri. Cui ille, *En tibi*, inquit, *ſaxum ingens in Atrio meo, ſuſtolle in humeros, habebis fortaſſe vnde tui pontis queas aliqua fundamenta ponere: tum te id poſſe intelligam*. Puer, *Feram*, inquit, *ſaxum*. & accerſito Epiſcopo ac ciuibus, cui ferendo non forent triginta homines (erat enim longitudinis tredecim pedum latitudinis ſeptem) expedite humeris portabat, fundamentum futurum tantæ molis. Quo prodigio ciuitas vniuerſa ſtupefacta, Præpoſitus venia erroris petita, primus trecentos ſolidos pro ponte largitus eſt, atq; eius exemplo alii in limine ad quinq; millia nummorum contulerunt, vnde cœpit pons ædificari. Perfectumq; eſt tandem opus mirandum, dignum præconiis Pontificum Romanorum celebrari. Extat enim diploma Innocentii Papæ Quarti in conſilio Oecumenico datum, apud Paradiſum in hiſtoria Lugdunenſi, vbi hæc res geſta narratur. additurq;, abſoluto ponte Benedictum Romam periiſſe: redeuntem vero, Lugduni alium pontem cum xenodochio ædificaſſe ac miraculis claruiſſe, & ſancto demum fine quieuiſſe. Porro tantæ rei veritati non ſolum Innocentii Quarti, ſed & Clementis Quarti, & Quinti, Bonifacii Octaui, & Ioannis Vigeſimiſecundi diplomata adſtipulantur, præter alia plura publica monimenta omni fide munita.

Frid. 24. Man 36.

IESV CHRISTI AN. 1178.

ALEXAN. III. AN. 19.

I.

Alex. PP. regressvs in vrbem.

ANno Domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimo octauo, Indictione vndecima, Alexander Pontifex à Clero, Senatu, populoq; Romano rogatus in Vrbẽ redire, eò acceſſit quarto Idus Martii. & cum ingenti lætitia & honore receptus eſt ab omnib: cui & Senatores olim refractarii, fidelitatem & homagium fecerunt, & regalia ab eis occupata reſtituerunt. Narrat hæc pluribus codex Vaticanus Actorum eius, qui hic deſinit. Addit vero Romualdus Archiepiſcopus Salernitanus, Ioannem de Struma Antipapã, reatum ſuum agnoſcentem, montem Albanum deſeruiſſe, & apud Tuſculanum quarto Calendas Septẽbris huius ipſius anni, ad pedes Alexandri cum quibuſdam ſuis clericis ſe proieciſſe, & in conſpectu Cardinaliũ,

Ioan. antip. pœnitentia.

aliorumque multorum peccatum publice confeſſum eſſe, & veniam petiiſſe: Alexandrum autem pro ſolita & innata ſibi manſuetudine, non ſolum non obiurgaſſe, ſed benignis verbis ſuſcepiſſe, atq; inde eum in Curia & menſa ſua honorifice habuiſſe. Poſt quæ narrata, & ipſe quoq; Romualdus finem ſuæ imponit hiſtoriæ.

II.

Albiensivm hæret. tentata iterum conversio.

Eodem anno Ludouicus Rex Francorum, & Henricus Anglorum, audientes hæreticos *Toloſanos*, ſiue *Albienſe* dictos, de quorum erroribus & damnatione dictum eſt ſuperius, magis in dies creſcere: zelo Chriſtianæ fidei acceſſi, iunctis ſimul dexteris, ſtatuerunt illuc cum armatis militibus ſe conferre vt eos prorſus à finibus illis expellerent: ſed paulo poſt mutato conſilio, ſatius viſum eſt, rem per Eccleſiæ miniſtros verbi prædicatione agere. Quamobrem miſerunt ad eos, vna cum Petro Cardinale presbytero tituli S. Chryſogoni Apoſtolicæ Sedis Legato, Archiepiſcopos Bituricenſem & Narbonenſem, Epiſcopos Bathonienſem & Pictauienſem, atque Abbatem Claraualenſem, & alios multos viros Eccleſiaſticos, vt prædicatione ſua hæreticos illos ad fidem Chriſtianam conuerterent, vel rationibus probabilibus hæreticos eſſe manifeſtarent, & à communione Eccleſiæ ac Fidelium conſortio eiicerent. Inſuperq; elegerunt Raimundum Comitem Toloſanum, & Vicecomitem de Turena, aliosque viros potentes, vt Cardinali ac collegis eius aſſiſterent, & prædictos hæreticos ab illis finibus vi expellerent. Tradit iſta Rogerius in Annalibus: vbi & res in hac legatione geſtas accuratiſſime deſcripſit, ex quo nos quædam præcipua referemus.

III.

Petri Morani principis hæreticor. conversio, et pœnitentia ei inivncta.

Cum igitur Legati Toloſam aduenisſent, & ab Epiſcopo, & Clero, ac Conſulibus, & ciuibus Catholicis illius vrbis, iuramẽtũ exegiſſent de reuelandis hæreticis quoſcumque noſſent. & in ſingulos dies innumera multitudo deferretur: inprimis delatus eſt quidam diues grandæuus, *Petrus Moranus* nominatus, qui cum in ea vrbe ceterorum anteſignanus eſſet, Ioannem Euangeliſtam ſe eſſe iactabat. Qui interrogatus, cum in omnibus articulis inuentus eſſet fidei Catholicæ contrarius, atque inter cetera impie negaret, panem ſacerdotis miniſterio in verbo Domini conſecratum, eſſe Corpus Domini: ab omnibus hæreticus damnatus eſt, eiuſque bona proſcripta, & turres pulcherrimæ hæreticorum conuenticulis infamatæ euerti iuſſæ. Quod audiens Petrus, veniam erroris petiit, ac publice coram omnibus priſtinas hæreſes abiurauit: ſed in pœnitentiam coram vniuerſo populo in eccleſiam S. Saturnini nudus & diſcalceatus adductus eſt, cædentib. hinc inde eum ab ingreſſu eccleſiæ Epiſcopo Toloſano & Abbate S. Saturnini, donec ad pedes Cardinalis Legati ſolemniter Miſſam celebrantis, in ipſis altaris gradibus conſtitueretur: vbi Eccleſiaſticis reconciliatus ſacramentis, rurſum abiurauit omnem hæreſim, & hæreticis anathema dixit: aliaq; ibidem ei pœnitentia iniuncta eſt: nimirum vt intra quadraginta dies à patria ſua exulaturus abſcederet, in ſeruitio pauperum Hieroſolymis triennio moraturus: atque interim ſingulis diebus Dominicis, eccleſias vrbis Toloſanæ nudus & diſcalceatus, cum diſciplinalibus virgis circuiret: eccleſiarum bona quæ abſtulerat redderet: vſuras omnes quas acceperat reſtitueret: damna pauperũ quos afflixerat reſarciret; domino ſuo Comiti Toloſano quingentas libras argenti daret: ac turres eius in teſtimonium hæreticæ prauitatis ab ipſis fundamentis euerterentur: ſi vero poſt triennium à peregrinatione Hieroſolymitana rediret, tunc reliqua eius bona, quæ interim proſcripta remanerent ei redderentur.

IV.

Hæretici excommvnicati.

His ita geſtis, multi alii hæretici timentes ſimilia pati, venientes ad Legatos confeſſi errorem, miſericordiam conſecuti ſunt: alii vero hæreſim occultantes, Catholici videri voluerunt ſed quod abnuerent iurare, ſe ita corde credere ſicut ore confitebantur, rurſum hæretici conuicti, cum in obſtinatione perſeuerarent, publice accenſis candelis excommunicati ſunt: præceptumque eſt Fidelibus eos vitare, & Principibus eoſdem è terris ſuis expellere: Narrat hæc pluribus, vt diximus Rogerius: qui etiã literas recitat ſcriptas de iiſdẽ reb. geſtis à Petro Cardinale

Legato ad vniuerſos Chriſti Fideles:itemque publicam declamationem aduerſus eoſdem hæreticos, Henrici Abbatis Claraualleuſis qui aderat: qui cum cetera exacte recenſeat, habet inſuper in Legatorum aduentu ad vrbem Toloſanam, tantam fuiſſe hæreticis vbique licentiam, vt ipſos quoque Legatos per vicos & plateas ſubſannarent verbo, digito demonſtrarent, & apoſtatas, hypocritas, atque hæreticos conclamarent: ſed mox prædicationibus eorumdem Legatorum conterritos quieuiſſe, & cenſuris penitus deiectos fuiſſe: porro Albienſem diœceſim velut totius ſentinam malitiæ, totam in ſe colluuionem hæreſis illuc defluentis excepiſſe: eiuſque Principem Rogerum cum ob eamdem hæreſim, tum quod Epiſcopum Albienſem ſub cuſtodia hæreticorum in vinculis detineret, publica excommunicatione damnatum eſſe. Ac de his hæreticis modo ſatis, aduerſus quos fuit etiam poſthac diutius laborandum.

HÆRETICORVM PROCACIA.

FRID. 25. MAN. 37.

IESV CHRISTI AN. 1179.

ALEXAN. III. AN. 20.

I. CONCIL. GENER. LATERAN. SVB ALEX. PP. III.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo ſeptuageſimo nono, Indictione duodecima, vniuerſa Catholica Eccleſia pace gaudente, Alexander Papa ad expugnanda mala, quæ ſiue per ſchiſmaticos, ſiue per alios irrepſiſſent, GENERALEM SYNODVM Romæ in Eccleſia Lateranenſi celebrauit: ad quam præter omnes vbique Occidentales, vocauit etiam Orientales ex Syria & Palæſtina Latinos. Teſtatur enim id, qui inde cum aliis venit, VVillelmus[a] Archiepiſcopus Tyri: cuius etiam aſſertione, vtpote qui interfuit, & (vt ait) rogatu Patrum, ſtatuta Synodi, & Epiſcoporum nomina, numerum, & titulos deſcripſit: eos omnes erroris arguas, qui non anno præſenti ſed ſequenti celebratam, ac ducentos tantum & octoginta Epiſcopos interfuiſſe ſcribunt. Siquidem ipſe affirmat eam habitam eſſe anno Chriſti milleſimo centeſimo ſeptuageſimo nono, Pontificatus Alexandri vigeſimo, Indictione duodecima, die quinta menſis Martii: atque ei interfuiſſe trecentos Epiſcopos. Ad hos autem vndique colligendos, tradit Robertus, & ipſe huius temporis auctor miſſos fuiſſe ab Alexandro Subdiaconos ad Orientem, & Occidentem, & Meridiem, & Septemtrionem. Recenſetque Rogerius eos qui ex Anglia, Scotia, & Hibernia Romam acceſſerant. Quinetiam ſchiſmaticos inuitatos eſſe Græcos, iuſſumque ab Imperatore Emmanuele eo accedere Georgium Metropolitam Corcyræ, magnæ inter eos tunc famæ virum, ſed cum ægrotaſſet Brundiſii, ab eodem Imperatore reuocatum eſſe, conſtat ex eius ea de re ſcriptis eo tempore ad Fridericum Imperatorem (quem etiam iuſſus fuerat ſalutare) alioſque, literis[b]. Cuius munus expleuit in Synodo Nectarius Abbas, de quo dicendum inferius.

a Tyr. de bel. Sacr. l. 21. c. 26 inſ.

GRÆCI INVITATI AD SYN.

b Rec. Bar. Annal. To. XII. an. 1178.

II. Sed quod ad Acta Synodi pertinet: ſentiet quoque Lector, mendaciſſimum eſſe titulum inditum Concilii Romani nomine collectioni canonum incerti auctoris, qui primo poſuit eiuſdem Alexandri Papæ decreta, ſancita in eodem Lateranenſi Concilio, numero viginti ſeptem: reliquæ enim eiuſdem voluminis ſectiones quæ ſequuntur (continet enim eas numero quinquaginta) ex diuerſorum Pontificum decretis collectæ noſcuntur, atq; etiam nonnullorum qui poſt Alexandrum vixerunt. Nam & Rogerius huis temporis ſcriptor, dum de hoc agit Romano Concilio, affirmat cœptum eſſe tertio Nonas Martii, tribuſque diſtinctis diebus abſolutum, atque in eo viginti ſex decreta ſancita, quæ recitat. Ex quibus plane intelligitur, ſumma diligentia eumdem Pontificem inuigilaſſe, vt deperderet de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem: ſimulque omnes, quæ in diſciplinam Eccleſiaſticam irrepſiſſent corruptelas, inſurrexiſſent prauæ conſuetudines, irrupiſſent ex tyrannorum violentia ſeruitutes & oppreſſiones, è medio tolleret: obortaſque recens hæreſes, ſiue veteres male curatas latius propagatas excideret; atque inſuper cohiberet faſtum & auaritiam Eccleſiaſticorum: aliaque id genus, quæ dictis viginti ſeptem capitibus continentur.

GESTA IN SYNODO.

III. In quibus primum obtinet locum, quod ad auertenda quæ in poſterum poſſent oboriri ſchiſmata, ſtatutum eſt, vt non haberetur Romanus Pontifex, qui non à tertia parte Cardinalium eſſet electus. Secundo vero loco damnauit ordinationes omnes habitas à Schiſmaticis Pontificibus Octauiano Guidone, & Ioanne. Et quod ad hiſtoricam pertinet rationem: vigeſimo ſeptimo, eodemq; vltimo decreto hæreticos qui in Guaſconia, Albigeſio, & partibus Toloſanis errores ſuos publicantes, ab aliis *Cathari*, ab aliis vero *Patarini*, aut etiam *Publicani*, vel aliis nominibus appellarentur, vna cum ipſorum fautoribus, vel receptoribus, aut qui cum eis negotiationem exercerent, excommunicauit: & ſi in eo peccato decederent, omnino prohibuit ne quocumque prætextu vel occaſione inter Chriſtianos haberent ſepulturam, aut oblatio fieret pro eis. Iiſdemque pœnis ſubiecit graſſatores, quos nominat *Brabantiones, Aragonios, Nauarros, Baſculos, & Coterellos, & Triauerdinos*, qui more Paganorum ita debaccharentur in Chriſtianos, vt nec ſexui, nec ætati, nec conditioni, nec locis ſanctis vel profanis parcerent: contra quos armis agendum admonet: eorumque bona à Principibus in fiſcum redigi, ipſoſq; ſeruituti ſubiici concedit: illis autem qui aduerſus eos arma ſumerent, Indulgentiam peccatorum, ſecundum modum laboris ad Epiſcoporum diſcretionem largitur atque eos qui Epiſcoporum admonitionibus in his parere contemnerent, excommunicationi ſubiacere decernit: ipſos vero Epiſcopos & presbyteros, qui ſe in eis negligentes exhiberent, officii ſui priuatione mulctat. Porro eiuſmodi graſſatorum turbæ, haud ſub Alexandro cœptæ: nam & longe ante fuit Petri[c] Cluniacenſis ad Eberardum Magiſtrum Templariorum exhortatio, vt eos exagitaret: aliaque ad Eugenium Papam epiſtola[d], cuius etiam extat[e] aduerſus eoſdem conſtitutio.

DE IISDEM TEMPORIS HÆRETICIS.

INDVLGENTIA INSECVTORIBVS HÆRETIC. DATVR.

c Pet. Clun. l. 6. ep. 27. d Ibi. ep. 2. & e Sub tit. Conc. Late. ſub Alex. par. 14 ca. 1.

IV. In hoc eodem Concilio Epiſcopi illi Germaniæ, & alii qui contra Alexandrum ſecuti fuerant ſchiſmaticum Imperatorem, veniam ſupplices poſtularunt, hac forma præſcripta[f], *Ego N. anathematizo, & recuſo omnem hæreſim extollentem ſe aduerſus Sanctam Romanam Eccleſiam Catholicam, præcipue vero ſchiſma Octauiani, Guidonis, & Ioannis, & ordinationes eorum irritas iudico, & eis contradico: & modo & in antea me obediturum iuro, & promitto fidelitatem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & domino meo Alexandro, & ſucceſſoribus eius iuſte intrantibus: ipſiſque ſeruiam abſque omni malo ingenio contra omnem hominem ſecundum ordinem meum. Conſilia eius, quæ mihi ſcripto certo mandauerit, vel ipſe commiſerit, nulli hominum prodam, nec etiam pro periculo corporis, atque membrorum. Legatum Eccleſiæ Romanæ honorabo, & ducam, & reducam, & iuuabo expenſis. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Euangelia.* His vero verbis dabantur ipſis pallia: *In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, & in honorem Dei Genitricis, & honorem Apoſtolorum Petri & Pauli, & Sanctæ Eccleſiæ Romanæ, & domini Alexandri Papæ, tradimus tibi pallium ſumptum de beatiſſimo corpore Petri Apoſtoli, vt eo vtaris in confectione Sacramentorũ, & Corporis & Sanguinis Domini, & conſecratione eccleſiarum, & Chriſmatis, & Ordinatione Clericorum, & celebratione Synodorum ſecundum Eccleſiæ tuæ conſuetudinem.* Inter alios vero Bertholdus[g] Electus Bremenſis, vir inſignis literaturæ, tunc ab eodem Pontifice repulſam conſecrationis ſuæ paſſus eſt, eiuſque electio penitus irrita eſt reddita, quod inter alia, quando electus eſt nondum in ſacris eſſet ordinibus conſtitutus, & ante eoſdem ſacros ordines accepiſſet regalia de manu Imperatoris.

f Albert. Stad. in Chro. & ap. Crantz. Eccleſ. hiſt. Saxon. l. 7 c. 3.

FORMA ABIVRATIONIS SCHISMAT.

FORMA TRADITIONIS PALLII.

g Helmold. Chron. l. 2. c. 28. Albert. Stad. in Chron. Crantz. l. 7. ca. 4.

V. Inter cetera quoque in hac Synodo geſta, delata accuſatione à quibuſdam aduerſus *Petrum Lombardum* olim Epiſcopum Pariſienſem, quod male ſenſiſſet de Chriſti humanitate: Alexander Papa ſcripſit ad VVillelmum Archiepiſcopum Senonenſem, vt conuocatis Pariſios coepiſcopis, vna cum magiſtris in Theologia, eius condemnaret errores. Qua de re iam dictum eſt ſuperius in eiuſdem Lombardi obitu. Pertinetq; inſuper ad huius Synodi Acta

NECTARIVS GRÆCVS PRÆFRACTARIVS IN SYNOD. ROM.

quod Græcorum ſchiſmaticorum Legatus *Nectarius* Abbas monaſterii Caſulorum in magna Græcia conſtituti, qui videbatur ceteros eiuſdem ſchiſmaticæ factionis excellere doctrina & animoſitate dicendi, eadem qua venit animi obdurata peruerſitate, inflexus poſt prolixas diſputationes eſt reuerſus ad ſuos, à quibus tamquam in Olympiacis victor eſt receptus. Hoc enim ſignificant literæ [h], quas ad ipſum tunc temporis dedit Georgius Corcyræ Metropolita, & ipſe eadem ſchiſmaticis & errorum fuligine tinctus.

h *Rec. Bar. Annal. To. XII. hoc an. & ſeq.*

VI. PEREGRINATIO REG. FRAN. AD SEPVLCHRVM S. THOM. CANTVAR.

Eodem anno recentem ſuum Martyrem Deus magis illuſtrare volens, cum Philippus filius Ludouici Francorum Regis ægrotaret ad mortem, ipſius patrem Ludouicum in ſomniis admonuit, vt ſi vellet filium ſanari, deuota peregrinatione adiret B. Thomam Cantuarienſem. Qui petita ab Henrico Rege Angliæ ſecuritate, transfretans in Angliam vndecimo Calendas Septembris, Cantuariæ ad ſepulchrum Martyris obtulit ingens vas aureum, aliaque dona & priuilegia illius eccleſiæ monachis in perpetuum contulit. Mox vero ſeptimo Calendas eiuſdem menſis reuerſus in Gallias, reperit filium ſuum integræ ſanitati reſtitutum: quem & Calendis Nouembris fecit Rhemis coronari in Regem, conuocatis ad hoc in eam ciuitatem cũctis regni Epiſcopis & Principibus: cui tamen ſolemnitati haud ipſe Ludouicus pater intereſſe potuit, quod cum ab Anglia rediens, ad Beatum Dionyſium iter arriperet, ſubito percuſſus frigore incidens in paralyſim, vſum dexteræ partis ſui corporis amiſiſſet. Narrat hæc pluribus Rogerius in Annalibus.

VII. DVX PORTVGAL. AVCTVS REGIS TITVLO.

Hoc eodem anno Alphonſus Primus, Dux Portugalliæ, ab Alexandro Papa titulum Regis accepit, ob res aduerſus Saracenos præclare geſtas. Qui cum iam antea ſub Lucio Secundo Romano Pontifice, vt vidimus, Ducatum ſuum vectigalem feciſſet Romanæ Eccleſiæ ſub annuo cenſu vnciarum auri quatuor: rurſum hoc tempore noua dignitate inſignitus, obtulit regnum ſuum eidem Eccleſiæ, ſub cuius iugiter protectione conſiſteret, perſolutum in perpetuum annis ſingulis loco cenſus duas auri marchas. De quibus extat diploma eiuſdem Alexandri Papæ in Turri de Tombo dicta, in qua aſſeruantur monimenta Regum, datum hoc Redemptoris anno, & ipſius Pontificis vigeſimo. Eſtque de iiſdem mentio in epiſtolis Innocentii [i] Papæ Tertii, ſcriptis ad Sancium, & alterum Alphonſum, filium, ac nepotem prædicti Alphonſi Primi.

i *Innoc. Tert. l. ep. 144. & 152. Recitatque alias ... Annal. To. XII. hoc an.*

VIII. Hoc eodem anno Indictione duodecima, data reperitur [k] Conſtitutio Theodoſii Patriarchæ Conſtantinopolitani de gradib. affinitatis, ſcripta à Theodoro Balſamone tunc Chartulario eius Eccleſiæ: vt ipſe teſtatur in fine. Ex quibus etiam diſcas, quo tempore idem *Theodoſius* ſederit.

k *Ext. l. 3. Iur. Orient.*

IESV CHRISTI AN. 1180.

FRID. 26. MAN. 38.

ALEX. III. AN. 21.

I. PROPHETISSA ROMÆ INNOTESCIT.

ANno Domini milleſimo centeſimo octogeſimo, Indictione decimatertia, innotuit quiddam mirandum de Propheteſſa, quæ ex Gallis Romam acceſſit. Rem geſtã narrat Robertus, eius temporis teſtis fidelis: quamuis, ſicut in plurimis, anni vnius errore, quod hoc anno, nempe frequenti poſt Concilium Lateranenſe, factum contigit, eius qui hunc ſequitur numero notetur. Cum igitur (vt ait) in loco dicto Rocca Amatoris, monachi eccleſiæ S. Mariæ & S. Amatoris, mutuo accepiſſent pecuniã à prædiuite quodam homine, ſub pignore cortinarum eccleſiæ: & adueniente feſto Beatiſſimæ Virginis, rogaſſent eũ vt cortinas tantum ad ornandum eo die eccleſiam accõmodaret, ſtatim poſt ſolemnitatem ei reſtituendas: ille vero nulla prece flexus, reſpondiſſet cum tumore animi, eas eſſe circa lectum vxoris ſuæ, quæ nuper ei puerum pepererat, nec poſſe inde amoueri: ſicque die feſto eccleſia ornatum ſuum non habuiſſet: nocte ſequenti apparens Dei Genitrix vxori illius prædiuitis, ſignificauit virum eius grande peccatũ commiſiſſe, & in eius pœnã primo puerũ tertia die ſpiritum exhalaturum; deinde patrem octaua die hanc temporalem vitam & felicitatem morte ac ſuppliciis æternis commutaturum: *Tu vero* (inquit) *proficiſceris ad meam eccleſiam, quæ eſt in Bethleem, & circumſpectis ibi tribus ſepulchris, quorum duo extrema vacua non ſunt, medium tibi eliges in ſepulchrum. Interim omni feria quarta circa horam nonam deficiet in te ſpiritus tuus, & decurret ab ore tuo & naribus ſanguis multus, & vſque ad horam nonam ſabbati velati mortua permanebis: Sabbato vero ſpiritu redeunte, duces vtraſque manus ſuper faciem tuam, & continuo priſtinus color & fortitudo in te redibunt.* Hæc locuta B. Maria abſceſſit: mulier vero ſomnium viro narrauit: miſerque non adhibens fidem, neque etiam expirante filio de pœnitentia cogitans, die octaua mortuus eſt: ac mulier in ſe cœpit experiri quæ prænunciata eſſent. Quare Romam proficiſcens, cuncta Summo Pontifici retulit: addiditque breui ſæuiſſimam ibi futuram famem, niſi à prauitatibus ſuis reſipiſcerent. Pontifex autem experturus an ipſa verum mentis exceſſum pateretur, vnde diuinas reuelationes acciperet, præcepit duodecim nobilibus matronis, vt cum illa obdormiret per exſtaſim, plantis eius calentes ſubulas infigerent, & ſanguine ab ore defluente veſtes ſuas inficerent. Factum eſt; & illa non ſubularum ſenſit infixiones, & infectio ſanguinis, redeunte in mulierem ſpiritu protinus euanuit. Hæc Robertus: quæ ſicut certa, ita veritati inuenta ſunt conſentientia. Fuit enim ſemper in Eccleſia prophetia, iuxta illud Ioelis [a] *Prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ.* & *Prophetias non eſſe ſpernandas*, Apoſtolus [b] monuit.

AVARITIA SACRILEGI DAMNATIO.

ALEX. PP. PROBAT SPIRITVM SI EX DEO SIT.

a *Ioel 2.* b *1. Theſſ. 5.*

II. SCHISMA IN ECCL. SCOTORVM.

Hoc eodem anno, cum Eccleſia in Scotia inter ſe ſciſſa eſſet occaſione electionis primarii totius regni Antiſtitis, nempe Epiſcopi S. Andreæ, quod defuncto qui eam ſedem tenebat Canonici elegiſſent ei ſucceſſorem Ioannẽ cognomento Scotum, & VVillelmus Rex Hugonem Capellanum ſuum, quem etiam conſecrari fecit contra Ioannis ad Sedem Apoſtolicam appellationem: his auditis Alexander Papa, ad res componendas Legatum miſit Alexium Romanæ Eccleſiæ Subdiaconum. Qui cum poſt exactiſſimam cauſæ cognitionem, comperiſſet Ioannem canonice fuiſſe electum, & Hugonem violẽter intruſum: depoſito Hugone, Ioannem confirmauit, ac permittente Rege conſecrari fecit. Sed cum Rex ſtatim poſt conſecrationem, prohibuiſſet eum in regno morari, & Hugo non minus gereret ſe pro Epiſcopo, Legatus Epiſcopatum S. Andreæ ſubiecit interdicto: eiuſque ſententiam confirmans Alexander, ſcripſit ad vniuerſos Epiſcopos & Clerum Scotiæ, vt omnino Ioannem in ſuam Eccleſiam introducerent, etiam ſi Rex aliud vellet: Deo enim & S.R.E. magis obediendum eſſe, quam hominibus. Idemque Legationem Scotiæ committens Rogero Eboracenſi Archiepiſcopo, mandauit ei, vt vna cum Hugone Dunelmenſi Epiſcopo, ſententiam excommunicationis proferret in Regem, & regnum illius interdiceret, niſi permitteret Ioannem ſedere in pace: eodemque tenore ad ipſum Regem literas dedit. Quare cum Rex obedire detrectans mandatis Apoſtolicis, expuliſſet è regno Ioannem, prædicti Rogerus & Hugo, vna cum Alexio Legato, ſententiam excommunicationis in Regem protulerunt, & interdicti in regnum. Cumque Rex Nuntios miſiſſet ad Alexandrum, vt pro bono pacis concederet fieri ſedium cõmunicationem, nempe vt Ioannes S. Andreæ Eccleſiam dimitteret, acciperetque aliam quam vellet in Scotia: nũquam id ei Pontifex concedere voluit. Atque hæc ita viuente Alexandro hoc & ſequenti anno ſunt geſta: quæ fuſius narrantur à Rogerio in Annalibus: Quæ autem iſta ſecuta ſunt, dicentur ſub Alexandri ſucceſſore Lucio.

REX SCOT. EXCOMMVNICATVR A LEGATIS SED. APOST.

III. REX POLON. SVA STATVTA PETIT CONFIRMARI A SEDE APOST.

Hoc item anno Rex Poloniæ Caſimirus (quem Ducem vocant) cum quaſdam Conſtitutiones in vtilitatem Eccleſiæ ac pauperum, de conſilio Antiſtitum ac Procerum regni ſui ſanciuiſſe: eaſdem ſingularis deuotionis erga Sedem Apoſtolicam exemplo, Romam ab Alexandro Papa confirmandas miſit. Quod pluribus refert Longinus. Sicut & hoc pariter anno tradit Rogerius, Henricum

Regem

Regem Angliæ pias valde leges Eccleſiæ rebus fauentes condidiſſe: quibus abſterſit quas contraxerat olim maculas impugnando Eccleſiaſticam libertatem.

IV. Alex. pp. procurat. expedit. in Terr. Sanct. Imp. Conſt. timet ſibi a Francis.

Quo etiam anno, cum perlatum eſſet nuntium è Terra Sancta de Saladini tremenda expeditione aduerſus ciuitatem Hieroſolymitanam: mox Alexander Papa ſcribens ad vniuerſos Chriſtianos Principes, populoſque, & Catholicæ communionis Antiſtites, eoſdem ad ſubſidium Fidelibus Orientalibus ferendum, procurandumq; hortatus eſt: cuius eadē reſcriptas literas Rogerius in Annalibus recitat: additque, confeſtim Philippum Regem Frāciæ & Henricum Angliæ, promiſiſſe eis breui ſubuenire. Quo tempore Manuel, ſiue Emmanuel Imperator Conſtantinopolitanus, timens ne in ſuum Imperium aliquid in tranſitu Franci molirentur, rogauit Alexandrum Pontificem vt ſecuritatem ei à *Protonobiliſſimo* (vt vocat) *Rege Francorum* procuraret, mitteretque cum eius exercitu aliquem Cardinalem, cuius reuerentia milites compeſcerentur. Extat [c] eiuſmodi Manuelis epiſtola in collectione antiquorum diplomatum, facta per Benedictum Papam Duodecimum. Sed quod Philippum Regem Francorum nominauimus: cœpit ipſe hoc anno ſolus regnum adminiſtrare, cum Ludouicus ipſius pater decimoquarto Calendas Octobris ex hac vita migraſſet. Petrus autem S. R. E. presbyter Cardinalis tituli Sancti Chryſogoni Sedis Apoſtolicæ Legatus, eumdem Philippum cum Rege Anglorum ſtrinxit perpetuo pacis fœdere: vt hæc omnia pluribus refert Rogerius.

c Rec. Bar. Annal. To. XII. hoc an.

V. Manuel. Imp. obitus.

Tranſiſſe vero & ipſum Manuelem Imperatorem hoc anno pridie Nonas ex hac vita, tradit VVillelmus Tyrius: qui hoc elogio eum ornat, quod eius eleemoſynas, & beneficia largiſſima, enarratura ſit omnis Eccleſia Sanctorū. Habet vero etiam Nicetas, eumdem in obitu monaſticū ſumpſiſſe habitum, ſicque publice pœnitentem deceſſiſſe. Inſuperque, ab eodem paulo ante obitum, curatum indici à Patriarcha Conſtantinopolitano Concilium, ad diſſerendas quaſdam quæ emerſerant in cauſa fidei quæſtiones. Ad quod cum vocarentur vndiq; viri doctiſſimi, inuitatum fuiſſe etiam inter alios longe poſitos Georgium Metropolitam Corcyræ, docent eius ad Patriarcham redditæ [d] litteræ. Sed Concilium intercepit obitus Manuelis. Cui ſucceſſit in Imperio, ipſius filius ALEXIVS Comnenus Porphyrogenitus, adhuc puer.

d Rec. Bar. ibid.

Alex. Comn. Imp.

VI.

Quo pariter anno (vt addit Tyrius) Amalricus Patriarcha Latinus Hieroſolymorum, anno vigeſimo ſecundo ſuæ ſedis defunctus eſt; ſucceſſorq; ei datus *Heraclius* Cæſarienſis Archiepiſcopus.

IESV CHRISTI AN. 1181.

Frid. 27. Alex. Comn. I.

ALEXAN. III. AN. 22.

I. Alex. pp. III. obitus.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo octogeſimo primo, Indictione decimaquarta, ſexto Calendas Septembris (ſiue, vt alii, duodecimo Calendas Octobris) *Alexander* Papa, poſt ſui Pontificatus digniſſimam functionem, ex hac vita migrauit, cum ſediſſet annis viginti duobus, minus decem diebus. Extabant totidem libri Epiſtolarum eius, quot numerati ſunt anni Pontificatus: Citatos enim à Collectoribus Decretorum inuenimus libros decimumtertium & decimumquartum: ſed omnes periſſe dolemus, licet ſiue in Collectionibus decretorū, ſiue in aliis voluminibus diuerſorum auctorum, multa ſint reperire eiuſdem Pontificis monimenta. Teſtaturque Henricus de Gandauo libro de Viris illuſtribus, ipſum Alexandrum collegiſſe ſeorſum in volumen vnum ſuas à ſe datas Epiſtolas Decretales, quod *Conſulta Alexandri* voluit nominari: ſed nec ipſum inuenitur.

II. a c. 1. & ibi ... Alex. pp. reſcri-

Quod autem legitur in Decretalium collectione Gregorii Noni de Reliquiis [a] & veneratione Sanctorum eiuſdem Alexandri fragmentum epiſtolæ, penes omnes canonum doctores vulgatiſſimum: vbi agens de quodam homine in potatione & ebrietate occiſo, tamquam ſancto à nonnullis culto, omnino prohibet eum colere, *cum ſi per eum* (inquit) *miracula fierent, non liceret ipſum pro Sancto abſq; auctoritate Romanæ Eccleſiæ venerari*: quod ſciamus in his magnopere laborare Interpretes, ad ipſorum elucidationem, aliqua hiſtorice afferemus, quæ aperiant germanum eorū ſenſum. Atque illud inprimis, quod dum ait, etiam per-uiis miraculis non licere aliquem coli pro Sancto abſque auctoritate Romanæ Eccleſiæ: vtique non priuatum, ſed excludere voluit publicum illum cultum, quem Eccleſia conſueuit Sanctis probatis deferre. Siquidem & ipſius Alexandri tempore, ipſoque non ſolum non prohibente, ſed & gaudente, priuatum exhibitum conſtat S. Thomæ Archiepiſcopo Cantuarienſi, antequam canonizaretur: cui poſtea ab eodem Pontifice ſolemni ritu ſancitus eſt publicus ille qui nonniſi poſt canonizationem impendi conſueuit. Ceterum neq; etiam priuatum debitum fuiſſe illi in ebrietate occiſo, puto voluiſſe intelligere, etiamſi (vt ait) per eum miracula fierent, hoc eſt, facta dicerentur.

ptum ſ veneratione Sanct.

Conſultatio Epiſc. Lexouien. ad Alex. pp.

Extat enim epiſtola Arnulphi Lexouienſis Epiſcopi ad ipſum Alexandrum Papam ſcripta, vbi referens ingentem diſſolutionem monachorum cœnobii Griſtani, qui inter alia mutuis inter ſe vulneribus ſæpe confligebant, ac nihilominus vt miracula facere crederentur, & quibuslibet commentis ſæcularium perſonarum frequentes inuitarent acceſſus, ſanitatis remedia, per aquam certis carminibus incantatam promittebant: ait, nouiſſime Procuratorem monaſterii ebrium in refectorio ſuper cœnam duos de Fratribus cultello percuſſiſſe, eumdemq; ab eis incontinēti pertica, quam caſus obtulit, interfectum eſſe. Quidnam vero ad hæc reſcripſerit Alexander, non reperitur. Sed illud ſatis exploratum habetur, quod cum ille procurator in ebrietate necatus, Martyris titulo impudenter ab illis miracula affectantibus coleretur: delatis his ad Alexandrum, ne id fieret literis Apoſtolicis omnino prohibuit, ex quibus decretum illud Gregorius Nonus intexuit ſuæ Collectioni.

III Ordo Carmelitanorum.

Sub iſto quoque Alexandro, conſtantior eſſe videtur aſſertio, Ordinem Religioſorum CARMELITANORVM, qui in Palæſtina in ipſo Carmelo monte fixere ſedes, ſumpſiſſe originem. Quorum quidem promotor, propagator, & cuſtos fuit ille, qui fungebatur in Oriente Legatione Apoſtolicæ Sedis, Haimericus Patriarcha Antiochenus: qui conſiderans complures, qui ex Occidente venerant actuti in Terra Sancta vitam eremiticam, hinc inde diſperſos, expoſitos barbarorum incurſibus, collegit eos in vnum, duxitque in montem Carmelum, Eliæ habitatione egregie olim nobilitatum. Fuereque iſta principia, ex quibus, vt ex parua ſcaturigine flumen, immenſum eſt auctus, & in vniuerſum Orbem dilatatus, cœtus Religioſorum virorum.

IV. Inuenta Sanctor. corpora.

Hoc item anno, viuente adhuc Alexandro, Conradus Archiepiſcopus Saltzburgenſis, Cardinalis Epiſcopus Sabinenſis, Legatus Apoſtolicæ Sedis in Germania, Imperatoris conſanguineus, de quo ſuperius, venerandum corpus *S. Virgilij*, & aliorum trium eiuſdem Eccleſiæ SS. Antiſtitum, quorum ſepulturę locus ignorabatur, caſu reperit: ex quibus, velut ex Paradiſo [b], quatuor mox vberrima miraculorum erupere flumina, quibus vniuerſa Germania irrigata eſt.

b Gen. 2.

V. Lucius pp. III. creatus.

Poſt obitum Alexandri, Humbaldus Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis; natione Etruſcus, patria Lucenſis, vir grandæuus admodum (inquit VVillelmus Tyrius) & modice literatus, ſed in rebus gerendis ſolertiſſimus, quarto Calendas Septembris creatus eſt Romanus Pontifex, & LVCIVS Tertius dictus.

VI.

Eodem tempore Patriarchæ Antiochenus & Hieroſolymitanus, vna cum ſuffraganeis ſuis, Boamundum iuniorem Principem Antiochenum cenſuris exagitarunt, eo quod relicta vxore legitima Theodora, nepte Imperatoris Conſtantinopolitani, aliam in matrimonium ſibi iungere præſumpſiſſet, qui ſpretis Epiſcoporum correctionibus, diram aduerſus eos perſecutionem mouit, de qua pluribus Tyrius [c].

c Tyr. l. 22. cap. 6. & 7.

debant: Sacerdotes autem, & viros religioſos tormenta afficientes, atque irriſorie eos Cantores vocantes, iubebant cantare, moxque alapas infligebant, & virgis adeo crudeliter cædebant, vt nonnulli mortem obirent: alios vero poſt longam carceris cuſtodiam, accepta pro redemptione pecunia, ſemimortuos emittebant. Denique eccleſias ſpoliabant, & Corpus Domini de vaſis aureis & argenteis, in quibus pro infirmorum neceſſitate reſeruabatur, extrahentes, & in terram vtiliter proiicientes, pedibus conculcabant: de corporalibus vero concubinæ eorum pepla capitibus ſuis componebant: ac calices malleis & lapidibus confringentes diſtrahebant. Quapropter incolæ eius prouinciæ, accepto à Rege Philippo exercitu, eoſdem aggreſſi, omnibus interfectis à minimo vſque ad maximum, de præda illorum ditati ſunt. Hæc Antoninus: quem putares deſcripſiſſe mores hæreticorũ noſtri ſæculi. Sed ita ſolẽt infeliciſſimi poſteri ſuos maiores imitari.

V. Andron. occupat Imperium Orient.

Quod ad res pertinet Orientis: ANDRONICVS qui hactenus viſus eſſet pugnaſſe pro Alexio Imperatore puero aduerſus Imperii perduelles, illis in ordinem redactis, vt ſolus ſibi adſciſceret ſummam rerum, infelicem puerum nocte ſtrangulauit arcus neruo, pollicitationibus ſuis redempta ab Epiſcopis abſolutione à iuramento quod viuenti præſtiterat Imperatori. Deſcribit hæc pluribus Nicetas[b] Choniata: atque hunc indulgentem Andronico, fuiſſe *Baſilium Camaterum* Patriarcham, Theodoſio ſubrogatum. Quænam vero ante hæc ab eodem Andronico aduerſus Latinos Conſtantinopoli commorantes ſæuiſſima graſſatio facta ſit, idẽ auctor inumbrat potius, quam deſcribit: qui amore ſuorum, plurima præteriit horrenda auditu. Sed tantam tragœdiam recitant diligentius eiuſdem temporis auctores ſinceriſſimi, VVillelmus[c] Archiepiſcopus Tyrius, & Robertus[d] de Monte. Error tamen de tempore irrepſit apud Tyrium, dum ea facta ponuntur anno Redemptoris milleſimo centeſimo ſeptuageſimo nono, quo nondum Manuel Imperator pater Alexii deceſſerat quę recte Nicetas & Robertus his anno & Indictione geſta referunt. Porro occaſio vexandi Latinos inde ab Andronico ſumpta narratur, quod fauiſſent Alexio Protoſebaſto Imperatoris Manuelis patrueli, Imperium aduerſus puerum affectanti. Iidem igitur, Protoſebaſto ab Andronico capto & excæcato, timentes (inquit Tyrius) ne ciuium ſuper eos repentina fieret irruptio, præmoniti à quibuſdam coniurationis conſciis, qui validiores erant aſcendentes in triremes acnaues, quarum erat in portu maxima copia, diſcrimen euaſerunt: qui autem ſegniores fuere, vel ad fugam minus idonei, à militibus Andronici iunctis cum ciuibus, viri & feminæ, ſenes ac pueri, ſani & infirmi, clerici & monachi, ſæculares & laici, quotquot in vrbe reperti ſunt de gente Latina, aut gladio perempti ſunt, aut incendio conſumpti cum vniuerſa vrbis regione in qua morabantur, & locis ſacris ac xenodochiis eorum vſui inſeruientibus, bonaque eorum expoliata: qui vero ad ſibi notos confugientes, ſpem ſalutis ab eis acceperant, Turcis & aliis Infidelibus in perpetuam venditi ſunt ſeruitutem, qui exceſſerunt numerum quatuor millium promiſcui ſexus, ætatis, & conditionis. Sed nec à mortuis temperatum eſt, quibus omnis parcere conſueuit impietas: ſiquidem & ipſi de monumentis extracti, per vicos & plateas, quaſi illatas ſentirent iniurias, diſtracti ſunt. Sicq; impii ac perfidi Græci, nihil tale meritos, nihilque tale verentes, male remunerauerunt hoſpites ſuos de pluribus beneficiis quæ ipſorum Imperio contulerant: cum tamen & filias ſuas, & neptes, ac ſorores, eis in vxores dediſſent, eoſdemque ex diutino conuictu ſibi feciſſent familiares atque conciues. Hęc ex Tyrio.

b Nicet. in Andron. l. 2. in fi.

c Tyr. de bel. sacr. l. 22. c. 12. 13.

d Rob. in append. ad Sigeb.

Horrenda Græcor. in Latinos graſſatio.

VI. S. Ioan. Legati martyrium.

Idem autem inter alia habet, quod cum feræ illæ beſtię monachos & ſacerdotes exquiſitioribus quam laicos perimerent cruciatibus: præ ceteris *Ioannem* S. R. E. Subdiaconum, quem pro negotiis Eccleſiæ illuc Papa direxerat, cõprehendentes, in contumeliam Eccleſiæ decollaſſe, caput eius ad caudam canis immundæ religantes. Robertus autem hunc Ioannem Cardinalem fuiſſe tradit, miſſumque Conſtantinopolim ab Alexandro Papa ad petitionem Manuelis Imperatoris, qui per eius prædicationem cupiebat reuocare Græcos ad inſtituta, & ſubiectionem Romanæ Eccleſiæ: porro ad hunc Ioannem, cum ceteri Latini occiderentur, veniſſe quoſdam religioſos viros vt ſuaderent ei fugam, ne & ipſe perimeretur: ipſum autem reſpondiſſe, *Abſit hoc: ego hic ſto pro vnitate Eccleſiæ, & præcepto Papæ domini mei*: tuncque irruentes perfidos Græcos, occidiſſe eum, & ligantes canem cum eo, ita quod cauda canis eſſet in ore eius, traxiſſe eum per vicos ciuitatis, & facta fouea ibi combuſſiſſe: ſed poſtea viros religioſos de fouea tuliſſe corpus eius, atque optime ſepeliſſe, & ad eius ſepulchrum crebra fieri miracula conſueuiſſe.

Ceterum non omnino impune tantum facinus in Latinos commiſſum eſt à Græcis. Nam (vt ait Tyrius) præter complures, quos in ipſa ſui internecione Latini, quibus arma ſuppeterent, ex eis occiderunt: qui in triremes & naues ſe receperunt, circumeuntes vtrumque Helleſpontum, ab oſtio maris Pontici vſque ad oſtium Mediterranei, per ſpatium ducentorum milliarium, cunctas vrbes & pagos vtriuſque littoris deuaſtarunt, & vniuerſos incolas peremerunt: monaſteria vero, quæ tam in eodem litore, quam in modicis inſulis illius maris, edificata erant, cum iis qui ad ea confugerant ſuccenderunt, & pſeudomonachos, ac ſacrilegos Græcorum ſacerdotes gladio peremerunt: tantaque ſpolia adepti ſunt, vt damnum rerum amiſſarum duplici fœnore reſarcirent: ac demum mare Mediterraneum ingreſſi, Theſſaliæ, aliarumq; maritimarum prouinciarum cunctas vrbes & oppida incendio, rapina, & ſtrage affecerunt. Quænam autem terribilis diuina vltio Andronicum ſit ſecuta, dicetur ſuo loco.

IESV CHRISTI AN. 1184.

LVCII III. AN. 3.

ANno Domini milleſimo centeſimo octogeſimo quarto, Indictione ſecunda, inter alias res geſtas, quas Rogerius in Annalibus recitat, haud illa prætermittenda; quod cum Richardus Cantuarienſis Epiſcopus, nec exemplo ſanctiſſimi prædeceſſoris ſui Thomæ Martyris, nec reprehenſionibus[a] Legatorum Apoſtolicæ Sedis, nec denique amicabilibus[b] admonitionibus familiarium ſuorum motus, expergiſceretur à negligentia, qua cunctam Eccleſiaſticæ diſciplinæ obſeruantiam ad nihilum redigi patiebatur, nec è dilapidatione bonorum Eccleſiæ ſuæ ceſſaret: tandem ab ipſo Chriſto Domino ad tribunal horrificum vocatus, paulo antequam in morbum incideret, ab eo in viſione audiuit, *Tu diſſipaſti bona Eccleſiæ meæ, & ego extirpabo te à terra*. Qua viſione perturbatus, ſtatim cœpit ægrotare, & octaua ſequenti die obiit, nempe decimoquarto Calendas Martii.

Eodem anno, petente Rege Poloniæ Caſimiro à Summo Pontifice, mitti in Poloniam ſacras alicuius Sancti Reliquias, quibus Cracouienſis inſigniretur Eccleſia; Lucius Papa Sacrarium, in quo plura erant Martyrum corpora ingreſſus, quis Sanctorum illuc quieſcentium in Poloniam migrare vellet inquiſiuit. Ad quam vocem, ſerione, an ioco à Summo Pontifice prolatam, ex tumba in qua corpus ſacrum Beati *Floriani* conditum erat, manus protenſa, eidem Pontifici vocitanti, deſignantis & indicantis ſe apparuit. Quo miraculo Pontifex commonitus, eiuſdem Sancti corpus per Ægidium Mutinenſem Epiſcopum Regi & Cracouienſi Eccleſiæ tranſmiſit; à quibus honorificentiſſime ſuſceptum eſt, & inſignis in eius honorem Eccleſia condita. Narrat hæc pluribus Longinus in Chronicis Polonorum.

IESV CHRISTI AN. 1185.

FRID. 31 ANDRON. 3.

LVCII III. AN. 4.

I. CONVENTVS VERONÆ INTER PAP. ET IMP.

a *Arnold. Lubec. l. 3. c. 10.*

ANno Chriſti milleſimo cẽteſimo octogeſimo quinto, Indictione tertia, Veronæ congreſſus eſt habitus Lucii Papæ & Friderici Imperatoris. Errant vero qui putant, tunc Epiſcoporum celebratum eſſe Concilium. Nã ex Actis [a] quæ adhuc extant, perſpicue patet non Concilium, ſed mutuum dumtaxat tunc habitum eſſe conuentum quorumdam negotiorum cauſa. Ac primo cœpit Imperator omni inſtantia intercedere pro ordinatis à ſchiſmaticis tempore Alexandri Papæ, qui magno numero Veronam acceſſerant, vt Pontifex diſpenſaret cum eis. Qui cum id ſemel promiſiſſet, poſtea retractans reſpondit, quod cum ii in generali Concilio Venetiis habito ab ordinib. ſuſpenſi fuiſſent, non eſſet conueniens vt id mutaretur niſi in alio Cardinalium & Epiſcoporum generali Conuentu: promiſitque ſe apud Lugdunum ea de cauſa Concilium habiturum. Poſt hæc vero egerunt Pontifex & Imperator de bonis Comitiſſæ Mathildis, quæ iſte Imperio, ille Eccleſiæ Romanæ teſtamento relicta eſſe contendebant: & cum ab vtraq; parte probationes proderentur, res infecta permanſit. Actum deinde de electione Archiepiſcopi Treuirenſis: ad quam ſedem nuper vacantem cum quidam Volcmarus prior à ſaniori parte electus eſſet ac poſt eum à parte inferiori Rudolphus: & ſchiſmate facto, Volcmarus ad Sedem Apoſtolicam appellaſſet, Rudolphus ad Imperatorem recurrens Inueſtituram ab eo accepiſſet: re Veronæ agitata, Pontifex pro Volcmaro ſtetit ob canonicam eius electionem, Imperator pro Rudolpho propter electionis diſſenſionem: ſicque tunc res ſuſpenſa perſtitit: ita tamen vt cum Imperator intellexiſſet Pontificem decreuiſſe ordinare Volcmarum, ei per ſuos renuntiauerit, ſi id ageret omnem inter ipſos amicitiam ceſſaturam, aliaſq; minas terribiles addiderit. Quod autem valde etiam Imperator vrgebat Pontificem, vt filiũ ſuum Henricum coronaret Imperatorem: reſpondit Pontifex, non poſſe ſimul duos Imperatores regnare, nec filiũ coronari, niſi prius pater coronam depoſuiſſet. Hæc pluribus Arnoldus Abbas Lubecenſis in Slauorum Chronicis, de rebus geſtis Veronæ inter Pontificem & Imperatorem: ſed male anno milleſimo centeſimo octogeſimo tertio, vt bene correxiſſe cognoſcitur Crantzius [b].

SCHISMA IN ECCL. TREVIRENSI.

NE SINT DVO SIMVL IMPP.

b *Crantz. in Metrop. l. 6. c. 46. 47.*

II.

Inter hæc autem in deterius quotidie prolabentibus in Palæſtina rebus Chriſtianorum, ob infeſtiſſimas Saladini incurſiones; coeuntes vna Principes cum Epiſcopis, decreuerunt mittere Legationem in Occidentem pro impetrando auxilio periclitantibus Hieroſolymis. Ita quidem qui interfuit VVillelmus [c] Tyri Archiepiſcopus in ſua de Bello ſacro hiſtoria: qui cum hic finem ſcribendi feciſſe reperiatur, illud in cauſa fuiſſe videtur, quod ipſe vnus ex Legatis fuerit miſſus ad Regem Francorum, & cũ antequam rediret, contigerit Palæſtinam in poteſtatem hoſtium incidere, rerum aduerſarum dolore perculſus, munus omiſerit: quod nec reſumpſiſſe potuit, morte præuentus. Porro primum omnium adornata eſt Legatio ad vniuerſalem promotorem eiuſmodi expeditionum, nempe Romanum Pontificem, cuius nutu reliqui Principes moueri ſolerent, impertienda ab eo remiſſione peccatorum loco militaris ſtipendii, qua quique Fideles conſueuiſſent magna frequentia ſacræ militiæ nomen dare. Acceptis autem à Lucio Papa literis ad Anglorum Regem, cui pro pœnitentia necis S. Thomæ Cantuarienſis, ſuperius vidimus iniunctam fuiſſe expeditionem in Terram Sanctam: Legati ad eum directi, nempe Heraclius Patriarcha Hieroſolymitanus, & Summi Magiſtri Hoſpitalis & Templi, venientes in Angliam, obtulerunt ex parte Regis ac Principum terræ Hieroſolymitanæ, Henrico Regi Vexillum regium, & Claues Sepulchri Domini, Turris Dauid, & Sanctæ ciuitatis, feſtinum ab eo poſtulantes auxilium, tamquam ab herede ac domino terræ Hieruſalem: quippe quod Fuſco frater Gaufredi Comitis Andegauiæ, patriſque iſtius Henrici, fuiſſet Rex Hieruſalem. Quibus honorifice ſuſceptis, celebratus eſt prima Dominica Quadrageſimiæ Londonii generalis totius regni Principum & Antiſtitum *Conuentus*, cui etiam interfuit cum ſuis VVillelmus Rex Scotiæ: vbi communi deliberatione placuit, ante omnia Regem debere ſuper ea re conſulere dominum ſuum Philippum Regem Franciæ. Habito autem cum eo colloquio, promiſerunt ambo ſe pecunias & auxiliares copias breui miſſuros. Sed hæc Patriarcha paruipendens, quod ſperaſſet dicturum ſe in defenſionem Terræ Sanctæ ipſum Regem Angliæ, vel aliquem ex filiis eius, aut alium inſignem Principem: ſpe deceptus, mœrens ad propria rediit: cum nihilominus quamplurimi Antiſtites, cum Balduino Cantuarienſi, & VValtero Rothomagenſi, ac fere omnes Comites & Barones vniuerſæ ditionis Regis Angliæ, Crucem pro expeditione cepiſſent. Quæ omnia pluribus narrat Rogerius in Annalibus hoc anno.

c *Tyr. l. 23. c. 1.*

LEGATIONES A LATINIS ORIENT. MISSÆ IN OCCIDENTEM PRO PETENDO SVBSIDIO.

VEXILLVM ET CLAVES HIERO-

SOL. OBLATA REGI ANGLOR.

III. LVCII PP OBITVS.

Acceſſit autem ad commune damnum, & impedimentum promouendæ expeditionis, quod præcipuus eius promotor *Lucius* Papa, hoc ipſo anno, ſeptimo Calendas Decembris, Veronæ ex hac vita migrauit, vbi & honorifice ſepultus eſt: prout inter alios docet Ptolomæus Lucenſis in ſua hiſtoria antiquitus ſcripta, quæ extat in Vaticano. In eius vero locum ſtatim ſuffectus eſt, vnanimi omnium Cardinalium qui aderant conſenſu, Lambertus Archiepiſcopus Mediolanenſis, dictus VRBANVS eius nominis Tertius,

VRBANI III. CREATIO.

IV.

Qua eadem Indictione (vt teſtatur Nicetas) VVillelmus Rex Siciliæ ingenti comparata claſſe in vltionem innocentis ſanguinis Latini, adeo immaniter à Græcis ante biennium Conſtantinopoli effuſi: primo Dyrrachium, inde Theſſalonicam expugnauit: adeoq; in Græcos omnes Latini milites ſæuierunt, vt etiam eorum quæque ſacra reddere profana, & veluti execranda polluere, deprauare, atque penitus perdere laborarint. Scribit ſingula, ac plane nefanda, idem Nicetas in Andronico: cuius rei gratia ait adeo inter Græcos & Latinos odium implacabile eſſe excitatum, vt omnis ſpes coniunctionis animorum exciderit, etiamſi corporibus coniuncti in iiſdem ædibus habitarent. Accidit vero mox inuerſa alea, vt inter iſta ſublato de medio Andronico, & Imperium inuadente ISAACIO ANGELO, confluentes vniuerſi Græci aduerſus Siculos, eoſdem hoc ipſo anno vicerint, & durioribus malis affecerint: quæ cuncta leges apud eumdem auctorem in Iſaacio.

SICVLORVM ET GRÆCOR. BELLVM.

V. DIVINA VLTIO IN ANDRONICVM.

Sed quas pœnas Andronicus tyrannidis ſuæ, atq; horrendæ in omnes tam Græcos quam Latinos ſæuitiæ dederit, deſcribit idem qui aderat. Nempe duabus grauibus catenis ferreis collo iniectis, & compedibus oneratus, ad Iſaacium perductus, contumelioſis verbis exceptus eſt: alapæ ei impactæ, nares pulſatæ, barba vulſa, dentes excuſſi, capilli euulſi: deinde publice omnium ludibriis expoſitus, etiam à mulieribus pugnis cæſus eſt: ac præciſa dextera in carcerem coniectus, ſine cibo, ſine potu, ſine vllo cuiuſquam officio. Poſt aliquot dies altero oculo effoſſo, ſcabioſo camelo impoſitus, per forum triumphi ſpecie traductus eſt, calua glabra inſtar aridæ quercus, & ouo nudiore, ac breui tunicula tectus: quem petulantiſſima plebs, & circumforanea ſordida turba, nulla ratione habita quod is nudiuſtertius Imperator, regio diademate ornatus ab omnibus laudatus, celebratus, adoratus eſſet, quodque ſanctiſſimo iureiurando fidem ſuam & beneuolentiam erga illum teſtati eſſent: efferatis animis in eum ruentes, nihil mali prætermiſerunt, quo non eum afficerent. Alii clauas in caput impegerunt, alii ſtercore nares fœdarunt, alii ſpongias excrementis hominum & pecudum conſpurcatas in faciem expreſſerunt, alii verubus latera pupugerunt. Impudentiores quidam lapidibus coniectis rabidum canem appellarunt. Scortum quoddam ollam feruenti aqua plenam, è culina raptam, in faciem effudit. Nemo denique erat, quin male

ei face-

ei faceret. Ac demum ita ignominioſe in theatrum perductum, ac miſero illo cameio detractum, iuxta duas columellas, quibus ſuperne lapis incumbebat, pedibus ſuſpenderunt fune alligatis. Qui tot mala perpeſſus, & alia ſexcenta: tamen generoſo animo ea perferens, nihil aliud dicebat, niſi *Domine miſerere.* & ad populum, *Quid calamum contritum infringitis*? Sed dementiſſima turba ne ſuſpenſo quidem parcens, direpta tunicula virilia eius vexauit, & quidam longum enſem per fauces vſque ad inteſtina adegit: duo vero Latini generis, enſes ambabus annixi manibus in nates adegerunt, vt periculum facerent vter eſſet acutior. Poſt tot ærumnas & clades, ægre vitam abrupit, dextera cum dolore ad os admota, vt multi putarent, eum calidum ex ea ſanguinem ob recentem plagam adhuc diſtillantem, exugere. Aliquot vero diebus interiectis, inde detractus in theatri fornicem quemdam vt beſtia proiectus, iacuit, donec quidam humaniores in alium locum tranſtulerunt; quem tamen Iſaacius non permiſit ſepeliri. Hæc Nicetas.

VI. Andron. pœnitens deceſſit.

Iis autem ſignificatur, haud abſque ſpe indulgentiæ à Deo conſequendæ pœnitentem Andronicum eſſe defunctum, quem in aliquibus commendatione dignum oſtendit; vt inprimis quod adeo tenax eſſet Catholicæ fidei cuſtos, vt nec vllo modo in diſputationem à quibuſcumq; adduci pateretur, quod ei in aliquo derogare poſſe videretur: itemque quod ſtudioſiſſimus eſſet S. Pauli Apoſtoli, cuius & Epiſtolas præ manibus habere ſoleret: ipſum vero Apoſtolum non deſpexiſſe Andronicum, ſed eius curam habuiſſe, cum imminente ei exitio, Imago Apoſtoli antiqui operis, quam auro exornatam in æde ſacra collocarat, abunde lacrymauit; idque Andronicum cladis ſuper ſe venturæ prænuncium eſſe intellexiſſe. Sed quod ad Nicetam horum ſcriptorem attinet, teſtatur eius frater Michaël Epiſcopus Athenarum in eius Monodia, ipſum vbi Conſtantinopoli inualuit tyrannis Andronici, inde aufugiſſe, deligentem potius exilium voluntarium in alieno ſolo, quam ſub alea hominis ſæuiſſimi periclitari.

IESV CHRISTI AN. 1186.

FRIDER. 32. ISAAC. ANG. 1.

VRBANI III. AN. 1.

I. Obortæ contentiones inter Pap. & Imp.

ANno Domini milleſimo centeſimo octogeſimo ſexto, Indictione quarta, inter Vrbanum Papam & Fridericum Imperatorem Veronæ exiſtentes, obortæ ſunt contentiones, quod (vt ait Arnoldus Lubecenſis) Pontifex vt zelator iuſtitiæ, pro defenſione S. R. E. conſtanter agens, nec terreni Imperij metuens Principatum, quæ ſui iuris erant intrepidus requireret. Arguebat enim præcipue de tribus Imperatorem; videlicet de patrimonio Comitiſſæ Mathildis, quod ab eo iniuſte detineri conquerebatur; deinde de exuuiis Epiſcoporum morientium, quas idem inique rapiebat; poſtremo de ſtipendiis Abbatiſſarum, dum videlicet plurimas expellens ſub prætextu deprauatæ earum vitæ, minime alias in illarum locum ſuſtituebat, ſed prouentus vbi vſurpabat. Etſi vero has Pontificis reprehenſiones non libenter Imperator audiret, patienter tamen ſuſtinebat, quia de coronatione filii ſui Henrici in Imperatorem inſtanter agebat. Cum autem Pontifex, prædeceſſoris ſui Lucij exemplum ſecutus, omnino recuſaſſet filium promouere, niſi prius pater ſe abdicaret; ſed & Volemarum canonice electum Treuirenſem Archiepiſcopum, contra eiuſdem Imperatoris voluntatem conſecraſſet: tunc demum excandeſcente Imperatore, manifeſtiſſima inter eos facta eſt diſſenſio. Quam & valde auxit idem filius Imperatoris, cum eodem tempore in Longobardia exiſtens, interrogato quodam Epiſcopo, à quo inueſtituram Pontificalem ſuſcepiſſet, & illo reſpondente: A Papa; poſt tertio hinc inde repetitam eiuſmodi interrogationem ac reſponſionem, addente Epiſcopo nihil ſe de regalibus Imperatoris poſſidere, ideoque nihil ei debere; Henricus indignatus præcepit ſeruis ſuis pugnis eum cædere, & in luto platearum conculcare. Rediens autem Imperator in Germaniam; inprimis clauſit omnes vias Alpium, & omnium circumquaque regionum, vt nemo poſſet adire Sedem Apoſtolicam. Deinde explorans animum Philippi Archiepiſcopi Colonienſis, cui Pontifex Legationem Germaniæ crediderat, verum ſic intercluſis Italiæ meatibus vellet ipſe loco Pontificis omnium cauſarum cognitionem ac iudicium ſuſcipere; cum eum renitentem inueniſſet, collecto in Geilenhuſen reliquorum Epiſcoporum & Principum Conuentu, ad infringenda, de quibus agebatur, Pontificia & Eccleſiaſtica iura, ſibique ea vendicanda; placuit Epiſcopis commonere Pontificem, vt pacem cum eo ſeruaret, & quæ iuſte Fridericus exigeret, ei concederet. Cum nihilominus Pontifex cunctantem Imperatorem ſatisfacere capitulis ſuperius recenſitis, & alia peiora molientem, legitime citatum, excommunicare decreuit: ſed morte præuentus rem infectam reliquit. Hæc pluribus Arnoldus[a]. At obitus Vrbani non niſi anno ſequenti contigit.

a Arnold. l. 3. c. 16. 17.

II. In Liuonia prima ſedes Epiſcop. erecta.

Hoc vero anno accidit fundari in Liuonia primam ſedem Epiſcopalem, ſub patrocinio Sanctiſſimæ Dei Genitricis, populo ex Gentilitia ſuperſtitione ad Chriſtum conuerſo opera & prædicatione S. *Meinardi* Canonici Sigebergenſis, creati illorum Epiſcopi, necnon *Bertholdi* Abbatis Lubecenſis. Quomodo vero illa contigerint, deſcribit Arnoldus[b].

b Lib. 7. c. 8. 9.

III. Gotifredus hiſtoriam ſuam offert Pontifici.

Eodem anno *Gotifridus* Viterbienſis (vt vulgo fertur) ſiue Vitembergenſis, eam quam elaborauit hiſtoriam, proſa metroque contextam, quam *Pantheon* appellauit ob rerum vniuerſalitatem, obtulit Vrbano Papæ. Cum autem ipſe Friderici Imperatoris, eiuſque filij Henrici Regis Notarius extiterit, ſicut iiſdem ſcriptis frequenter teſtatur, iique ſæpiſſime Eccleſiæ iuribus aduerſati fuerint: haud tamen ille deſtitit libere ſæpe profiteri, Imperatores & Reges debere eſſe ſubditos Papæ, eiuſque auſcultare mandatis. Quantæ autem vertex Pontificalis fuerit apud eum æſtimationis & pretij, intelliges ex præfatione ad Vrbanum, quam operi præfixit; vbi hæc inter alia: *Dum ſacroſanctæ Matris noſtræ Romanæ Eccleſiæ culmen inſpicio, & eius eminentiæ conſidero maieſtatem; illud ante omnia neceſſarium eſſe intueor, vt ſicut ipſa omnibus noſtris præeſſe Principibus, ita omnes Reges & Principes, & vniuerſæ Orbis Eccleſiæ, doctrina eius & regimine adornentur; & ab ea tamquam à fonte iuſtitiæ, totius ſapientiæ regulis inſtruantur: Quia nullum ſcripturarum eloquium noſcitur eſſe authenticum, niſi ab eius ſapientiæ fluminibus, ſitientibus propinetur. Quare ſiquid Hiſtoriarum opus noua per aliquem induſtriam conficitur, ratio ſuggerit, vt antequam in publicum deueniat, Apoſtolico examini præſentetur: quatenus ſi acceptione dignum eſſe perpenditur, eius mandato & iudicio approbetur: & ab eo vires auctoritatemque ſumat, cui terrena & cæleſtia diuinitus ſunt commiſſa, &c.* Quæ quidem antiquiſſimo vſu probata, & Catholicæ Eccleſiæ auctoritate recepta (ſicut multis vidimus exemplis eorum, qui tam ex Occidente quam ex Oriente, quæ contra hæreticos, ſiue de aliis rebus ſacris ſcripſerunt, eadem cognoſcenda ac comprobanda mittere conſueuerunt ad Eccleſiæ Romanæ Pontifices: imitantes videlicet ipſum S. Paulum Apoſtolum, qui vt acceptum diuinitus Euangelium vniuerſæ probaretur Eccleſiæ, ad hoc ipſum vt cognoſceretur à Petro, Hieroſolymam ad eum acceſſit.) ideirco hic recitare voluimus, quod dictu nefas, horrendum factu, infeliciſſimis noſtris temporibus, probata à Romano Pontifice ſcripta miniſtri regii audeant ſub cenſuram redigere, vt ea à libraiis vendi non ſinant, niſi ab ipſis impetrata licentia; quam etiam interdum pro arbitrio negent, atq; prohibeant ne vendantur, cum videlicet ex illis arguantur ſidē ipſi præter ius aliquid perpetrare. At quidnam hoc eſt, niſi alterum Clauium Petro à Chriſto collatarum, quæ Scientiæ dicitur, e manibus eius ſucceſſoris extortam, à manu laica, de facto vſurpari Principibus? Quod tamen eſſe potius arrogantiæ miniſtrorum, quam Principum Chriſtianorum modeſtiæ, quis negauerit vmquam: Sed hæc obiter.

Scripta probanda auctoritate Ro. Pont.

Miniſtri Regii lectæ ... ſcripta.

Hoc eodem Redemptoris anno (vt teſtatur idem

Gotifridus) ſexto Calendas Februarii, Rex Henricus filius Friderici Imperatoris, cum Regina Conſtantia filia Rogerii Regis Siciliæ, amita vero VVillelmi tunc regnantis, nuptias celebrarunt Mediolani, anno ætatis ſuæ vigeſimo primo: Quod autem ex recentioribus pene omnes aſſerant, Conſtantiam hanc monialem fuiſſe ſcias commentum eſſe, fortaſſe inde excogitatum, quod aſſeruata fuerit in monaſterio, vt ſi deeſſet Regibus proles maſcula, ſpes eſſet nubendi Regi cum dote regni. Scriptorum enim omnium huius temporis nullum plane reperies, qui aliquid narret de monachatu Conſtantiæ; quod tamen ob rei nouitatē auditu ipſo horrendū, vt nuberet monialis nullatenus à quoquam ipſorum prætermittendum fuiſſet. Nam præter Gotifridum Notarium ipſius Henrici, neq; Hugo Falcandus ſcriptor Siculus, qui his aderat, deque ipſius educatione agit, quidquam habet de monachatu: nec Arnoldus [c] Abbas Lubecenſis, cum de eius celeberrimis nuptiis meminit: nihil Romualdus Archiepiſcopus Salernitanus, aut Neubrigenſis, vel Appendix ad Vrſpergenſem, vel Rigordus; nō Rogerius eiuſdem & ipſe temporis auctor, qui pariter de nuptiis meminit: neque Innocentius Papa Tertius, in cuius epiſtolis frequens eſt Conſtantiæ mentio; nec denique vllus alius, qui de Conſtantia, vel eius nuptiis egerit. Quod ſi nubes teſtium recentiorum id rumore quodam conclamaſſe potius, quam auctoritate maiorum, vel certa ratione aſſeruiſſe cognoſcitur; eadem plane qua effutitur facilitate, reiicitur.

HENR. REGIS GERM. NVPTIÆ CVM CONSTANTIA SICVLA.

c Id. 3. Chron. 14.

V. CONVINCITVR COMMENTVM DE MONACHATV CONSTANTIÆ.

Nam & quæ profertur ex inſcriptionibus inciſis in eorumdem Henrici & Conſtantiæ ſepulchris, teſtificatio, ne errore labaris, ego diligenti de iis inquiſitione habita, didici à viuentibus nunc Siculis, eas non tempore illorum mortis conſcriptas eſſe, ſed nouiſſime à quodam Canonico: idque vt crederem magis magiſque, Maurolicus perſuaſit, qui res Siculas hoc ſæculo diligentiſſime pertractauit: qui cum Siciliæ Regum quæ reperit epitaphia, cūcta in vnum collecta inibi cudenda curauerit, haud tamen iſtorum aliquam habuit mentionem; vt neceſſario dicendum ſit, ea poſt editum ab eo commentarium fuiſſe compoſita ex recepta vbique fabula. quæ etiam alioqui in notatis ibi temporibus Imperii & obitus Henrici, atque ætatis & mortis Conſtantiæ, patentiſſimorum conuincuntur mendaciorum. Sed & quod ipſe Gotifridus, qui cuncta habuit præ oculis, Conſtantiam poſthumam natam eſſe aſſerat poſt obitum patris Rogerii, plane eluditur fabula illa, quam Fazellus narrat, perculſum Rogerium vaticinio Ioachimi Abbatis, quo aſſerebat, ſi Conſtantia nuberet, funeſtam futuram Siciliæ fæcem, retruſiſſe eam in monaſterium, atque religionem feciſſe profiteri monaſticam. Nam ſi poſthuma, quomodo potuit per patrem monacha profeſſa effici?

VI. ERRORES REFELLVNTVR DE DISPENSATIONE ALEXANDRI.

Denique quod aſſeritur ab iiſdem recentioribus, Romanum Pontificem eiuſmodi monachæ matrimonium diſpenſando probaſſe; vel ex eo refellitur, quod conſtat Pontificem ipſi aduerſatum eſſe, dum fuit magis Tancredo vt fieret Siciliæ Rex, ſicut videbitur inferius. Si enim diſpenſaſſet, vt execrata monialis Henrico nuberet, quem ſciret non alia ratione eam ducere in vxorem, niſi vt vna cum ipſa potiretur regno; plane contra Tancredum, non pro eo laboraſſe conuinci poſſet. Sicut & quod dicunt, diſpenſationem illam factam fuiſſe per Alexandrum Papam Tertium; nec ſemel id ab eodem Pontifice vſurpatum, ſed iterum cum Nicolao Iuſtiniano Veneto tūc monacho, poſtea patre B. Laurentii Iuſtiniani, vt habet Bernardus [d] Iuſtinianus eius nepos in vita ipſius; multiplex in his detegitur error. Nam cum pluribus ante annis ex hac vita deceſſiſſe conſtet Alexandrum, quam nupſerit Conſtantia Henrico, nihil plane eſt vt tribui poſſit ea diſpenſatio Alexandro, multo vero minus quæ conceſſa dicitur Nicolao, cum idem ipſe Bernardus affirmet, eius filium B. Laurentium fuiſſe inſignitum munere Epiſcopali ab Eugenio Papa Quarto, qui iniit Pontificatum ducentis quinquaginta annis poſt obitum Alexandri Tertii, nempe anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo trigeſimo primo. Vt ex iis diſcas ſparſas in vulgus exufflare fabulas, atque ſolidæ inhæreſcere veritati.

d In Sur. 8. Ianuar.

VII. Quod ad res pertinet Orientalis Eccleſiæ; Nicetas [e] tradit, Iſaacium Imperatorem expuliſſe Baſilium Camaterum Patriarcham Conſtantinopolitanum, quamuis eius ope maxime adiutus fuiſſet in obtinendo Imperio; ea prætenſa cauſa, quod quas nobiles matronas Andronicus in monaſterio inuitas abſtruſiſſet, iis ipſe nigro veſtitu depoſito, reditum ad priſtinam vitæ rationem conceſſiſſe: atque in eius locum ſubſtituiſſe *Nicetam Muntanum* magnæ eccleſiæ Sacellarium, qui ſedit ſex annos & ſex menſes.

e Nicet. in Iſaac. Ang. li. 2.

IESV CHRISTI AN. 1187.

FRIDER. 33. ISAAC. ANG. 2.

VRB. III. 2.
GREG. VIII.

I. ANno Chriſti milleſimo centeſimo octogeſimo ſeptimo, Indictione quinta, vox ab Oriente audita eſt lugentium clades populi Dei, & Sanctæ ciuitatis Hieruſalem: cum videlicet Calendis Maii, & poſtea infra Octauam Apoſtolorum Petri & Pauli, infeliciter pugnatum eſt à Chriſtianis contra Saladinum Babylonis Regem, capta S. Cruce, & Guidone Rege Hieroſolymitano, pluri miſque ciuitatibus, ac demum ipſa Hieruſalem quarto Calendas Octobris eidem reddita. Porro cum plures eius temporis Scriptores cladem tantam ſtylo lugubri ſint proſecuti, præualent iis omnibus epiſtolæ eorum qui rebus geſtis interfuerunt; nempe Terrici Magni præceptoris (vt vocabant) Templariorum, ad ſuos vbique conſtitutos Fratres Templi, & ad Henricum Regem Angliæ; Haimerici Patriarchæ Antiocheni, ad eumdem Regem; atque Conradi filii Marchionis Montisferrati, ad Balduinum Cantuarienſem: quibus enixe iidem petierunt, vt Occidentales feſtinarent auxilium ferre conſeruandis ciuitatibus quæ adhuc reſiduæ eſſent, & recuperandis deperditis: eaſque omnes deſcripſit Rogerius in Anglorum Annalibus.

HIERVSALEM CAPTA À SALADINO.

II. Inter alia vero habet Terricus ad Regem, capta Hieroſolyma, Saladinum S. Crucem Domini de Templo depoſitam, per duos dies in oſtentum per ciuitatem fuſtigando portari feciſſe; deinde iuſſiſſe Templum Domini aqua roſata intus & exterius, ſurſum & deorſum lauari, & legem ſuam deſuper illud per quatuor partes miro tumultu acclamari. Conradus vero conqueritur, has clades inertia Chriſtianorum contigiſſe: atq; inito fœdere inter Saladinum & Imperatorem Conſtantinopolitanum, huic Saladinum tradidiſſe omnes Eccleſias Terræ Promiſſionis, vt in eiſdem ſeruiretur ſecundum ritus Græcorum: inſuperq; vniuerſam illam terram ei promiſiſſe, vt impediret iter Chriſtianorum, maxime autem Francorum, in auxilium Terræ Sanctæ properantium: denique Saladinum miſiſſe Conſtantinopolim de aſſenſu Imperatoris idolum ſuum, vt ibi publice coleretur; ſed illud captum eſſe in mari à Lanuentibus, & perductum Tyrum, quæ adhuc detinebatur à Latinis Chriſtianis. Porro quo die à Saladino capta fuit Hieruſalem cum Sepulchro & Cruce Domini, id eorum tempore in ſpiritu oſtenſum fuiſſe diuinitus Sanctæ Chriſtianæ virgini magni nominis in Germania, tradit Thomas [a] Cantipratenſis: ipſamque vehementer exultantem, adſtantibus ſignificaſſe magnam in cœlo factam eſſe lætitiam, quod ex ea clade multa ſalutis oblata eſſet hominibus occaſio, dum Terræ Sanctæ recuperandæ cauſa, à peccatis ſuis conuerterentur, & in eiuſmodi expeditionibus fundentes ſanguinem ſuum quamdam morti Saluatoris vicem multa deuotione rependerent.

INIVRIA ILLATA S. CRVCI.

FOEDVS INTER IMP. CONST. ET SALADIN. ADVERSVS LATINOS.

a Cantiprat. ap. Sur. 23. Iunii.

GAVDIVM IN COELIS DE CAPTA HIEROS.

III. At vero Vrbanus Papa (vt ait Rogerius) tam triſti nuntio perculſus, incidit in ægritudinem, mortuuſque eſt decimotertio Calendas Nouembris apud Ferrariam. Sed Neubrigenſis & ipſe eius temporis auctor, ait nuntium de capta Hieroſolyma non veniſſe Romam niſi poſt obitum Vrbani. Ceterum eo mortuo, ſequenti mox die electus

VRB. PP. OBITVS.

lectus eſt in locum eius, Albertus Cardinalis Cancellarius preſbyter tituli S. Laurentii in Lucina, patria Beneuentanus; dictuſque eſt GREGORIVS Octauus; ſucceſſor doloris, heres calamitatis. Qui paucis diebus quibus ſedit ſuæ pietatis digna monimenta reliquit; cum inprimis pro ſubſidio Terræ Sanctæ ad vniuerſos Chriſti Fideles literas dedit, tanto Pontifice dignas, quas recitant iidem Rogerius & Neubrigenſis: deinde vero alias adiecit, quibus ad placandum offenſum numen, indixit omnibus Ieiunium quinquennale; ita vt toto eo tempore cuncti Fideles ſaltem per omnes ſextas Ferias, ieiunium Quadrageſimale obſeruarent; feria autem quarta & ſabbato à carnibus abſtinerent; ipſe vero Pontifex & Cardinales ſecunda quoque feria cum familiis ſuis ſimiliter ab eſu carnis ceſſarẽt: hocque adeo ſtatuit obſeruandum, vt quicumque tranſgreſſor exiſteret (niſi forte infirmitas, aut magna ſolemnitas, vel alia euidens cauſa intercederet) quaſi præuaricator Quadrageſimalis Ieiunii haberetur.

GREG. VIII. SVBROGATIO.

IEIVNIVM INDICTVM PRO REB. ORIENT.

IV. Sed de prompto animo S. R. E. Cardinaliũ vt ſuccurrerent Terræ Sanctæ, idem Rogerius hæc recitat omni commendatione digna; nimirum eos de aſſenſu Papæ inter ſe firmiter promiſiſſe, quod abiectis omnibus diuitiis & deliciis, prædicarent Crucem Chriſti non ſolum verbo, ſed etiam opere & exemplo; & euntes mendicando acciperent Crucem primi, & præcederent alios in terram Hieruſalem. Statuiſſe etiam de eiuſdem Pontificis aſſenſu, firmiſſimam pacem inter omnes Principes Chriſtianos vſque ad ſeptennium; ita vt quicunique bellum contra Chriſtianum medio tempore mouerent, maledictioni Dei & Summi Pontificis, & excommunicationi omnium Prælatorum vniuerſalis Eccleſiæ ſubiacerent. Firmiter item inter ſe promiſiſſe quod nulla deinceps munera reciperent à quoquam cui negotium eſſet apud Apoſtolicam Sedem; ſed ea tantum recipere poſſent, quæ pro ipſorum neceſſitate & ſuſtentatione donata vel nulla forent. Ac denique quod non conſcenderent equum, quamdiu terra in qua pedes Domini ſteterunt, foret ſub pedibus hoſtium. Hæc ipſi admiratione plane digna. At illud importune ſatis accidit Eccleſiæ Dei permoleſtum, vt ipſe Gregorius Papa, nondum duobus expletis menſibus in Pontificatu, Piſis cum eſſet, ex hac vita migrarit decimoſeptimo Calendas Ianuarii, qui tamquam ſapientiſſimus architectus magnæ molis conſtruendæ iecerat fundamentum. Cuius ſedes cum vacauerit dies viginti, agetur de eius ſucceſſore anno ſequenti.

QVÆ LAVDABILIA STATVANT CARDD. PROPA-DEM CAVSA.

GREG PP. OBITVS.

V. Quod autem pertinet ad res Orientalis Imperii; tradit Nicetas, Iſaacium Imperatorem exagitatum bellis ciuilibus, ſpiritualibus inprimis rem egiſſe auxiliis, tranſlata Dei-Genitricis veneranda Imagine in mœnia vrbis, vbi bellum & aggreſſus hoſtium timeretur: inſuperque monachos ſanctiores introduxiſſe in Regiam ad preces, nudipedalia, humicubationes, & alias ſanctas exercitationes frequentandas; quibus Deum placans, liberatus eſt ab imminenti exitio.

PIA GESTA ISAACI IMP.

IESV CHRISTI AN. 1188.

FRIDER. 34. ISAAC. ANG. 3.

CLEM. III. AN. 1.

I. ANno Domini milleſimo centeſimo octogeſimo octauo, Indictione ſexta, octauo Idus Ianuarii, Paulinus Cardinalis Epiſcopus Præneſtinus, natione Romanus, electus eſt Summus Pontifex in locum nuper defuncti Gregorii Octaui, dictuſque CLEMENS Tertius. Qui ſtatim indictam à prædeceſſore expeditionem in Terram Sanctam ad perfectum ducere laborauit, & Indulgentiã confirmauit, ſtatuens vt quicunque ea de cauſa ſacram Crucem ſuſciperet, de omnibus peccatis de quibus pœnitens confeſſus eſſet, liber eſſet & abſolutus. Idemque ſtatuit, vt ab vniuerſa Eccleſia fieret ſine intermiſſione oratio ad Dominum pro pace, & liberatione Hieruſalem, & Chriſtianorum captiuorum, qui in vinculis Saracenorum detinebantur. Hæc Rogerius Anglus; qui & præſcriptam tunc ab eodem Pontifice, inter Miſſarum ſolemnia diuerſarum per ſingulos dies precum formam recenſet.

CLEMENS PP. III. CREATVR.

II. Idemque addit, habito inter hæc apud Giſortium duodecimo Calendas Februarij Conuentu Regum Franciæ & Angliæ, cum ſuis Prælatis & Baronibus; cui etiam interfuit Archiepiſcopus Tyri; adeo huius præſtantiſſimi viri oratione illos commotos eſſe, vt depoſitis mutuis inimicitiis, conſenſerint de manu eius Crucem accipere: eademque hora apparente ſigno Crucis in cœlo, eo viſo miraculo ceteros catervatim ruiſſe ad ſuſceptionem Crucis. Ipſos vero Reges in ſuorum militum diſtinctionem, Crucis colorem variaſſe, ita vt Rex Franciæ cum ſuis Cruces rubeas, Rex Angliæ albas, & Philippus Comes Flandriæ virides ſuſceperint: ac poſt hæc vnumquemque ad parandas res neceſſarias reuerſum eſſe ad ſua. Statuiſſe vero aſſenſu & conſilio Epiſcoporum & Baronum ſuorum, vt omnes tam Eccleſiaſtici quam Laici, exceptis illis qui ipſam peregrinationem ſuſciperent, ad impenſas expeditionis decimam redditũum & mobilium ſuorum integre perſoluerent ſub pœna excommunicationis. Prohibuiſſe quoque deiuria, & aleas, & omnem luxuriam veſtium atque conuiuiorum, & vt nullus aliquam mulierem duceret in peregrinatione, niſi forte quamdam lotricem peditem, de qua nulla eſſet ſuſpicio. Scribit hæc omnia pluribus Rogerius. Et quod ſpectat ad eiuſmodi *Decimarum* impoſitionem; extat etiam earum indictionis decretum à Francorum Rege Philippo, aſſenſu Epiſcoporum ſancitum, apud Rigordum in Vita ipſius: quas & *Saladinas* dictas, ob bellum aduerſus Saladinum indictum, teſtatur. Sed quod eiuſmodi earumdem penſitatione plurimum grauarentur Eccleſiæ, atque pauperes anguſtiarentur; ſcripſit Petrus [a] Bleſenſis, inſignis pietatis, doctrinæ, atq; zeli Chriſtiani vir, epiſtolam ad Epiſcopum Aurelianenſem, hortans vt ſe Regi talia præſcribenti obiiceret; prorſus dignam, quam legant illi qui quouis prætextu fauent Regibus aduerſus pauperes & eccleſias; cum multis auctoritatibus, exemplis, atque rationibus è Sacra Scriptura petitis demonſtret, *non debere eos qui pro Eccleſia pugnant, Eccleſiam ſpoliare, ſed potius inimicorum ſpoliis donis triumphalibus illam ampliare: & numquam pauperum, numquam Eccleſiæ ſpolia proſperum habuiſſe euentus auſpicium.* Itemque ad [b] Decanum Rothomagenſem eadem inculcans, inter alia ait, *Eccleſiam à dieb. antiquis liberam eſſe, & filios eius. Quod ſi Principes noua peregrinationis obtentu velint orbem deſcribere, & Eccleſiæ Chriſti tributariis functionibus characterem ſeruitutis inurere, qui filius Eccleſiæ eſt, ex aduerſo aſcendat, ac mori potius eligat, quam ſeruire.*

DECIMÆ SALADI-NÆ.

a Pet. Bleſ. ep. 112.

CONTRA EXIGEN-TES DECI-MAS AB ECCL.

b Id. ep. 121.

III. Ceterum cum ad eiuſmodi diſponendam expeditionem, vt vidimus, pax facta eſſet inter eoſdem Reges Francorum & Anglorum, atque vterque diligenter in opus incumberet: tamen retardata eſt illa, quod (vt ait Rogerius) miſſus hoc eodem anno à Clemente Papa in Gallias Henricus Cardinalis Epiſcopus Legatus, excommunicationis ſententia Richardum Pictauiæ Comitem, filium maiorem natu Regis Angliæ, perculerit; cuius occaſione quæ fuerat ſancita inter Reges pax turbata eſt. At nihilominus Fridericus Imperator (ſubdit idem auctor) accepta Cruce de manu Henrici Cardinalis Albanenſis, prouide itineri neceſſaria parans, inprimis reconciliauit ſe Deo & Sanctæ Eccleſiæ, atque eius Pontifici Clementi, ac deinde ſcripſit ad Saladinum Principem Saracenorum, præfigens ei terminum à Calendis Nouembris huius anni vſque ad reuolutum anni circulum, quo niſi Terræ Sanctæ poſſeſſionem Chriſtianis reſtitueret, prælium ei indiceret in campo Taneos in virtute viuificæ Crucis. Tradit hæc Rogerius, ipſamque Friderici epiſtolam recitat: quam & recenſens, ſed alia verſione Matthæus Paris, Saladini quoque redditam ad Fridericum reſponſionem recitat, vere thraſonicam, & minaci ferocitate conſcriptam, qua res ſuas geſtas, & immenſam regnorum potentiam, ac populorum bellicoſitatem iactat. Quæ autem hæc ſecuta ſunt, dicentur annis ſequentibus.

FRID. IMP. ...

IV. Hoc eodem tempore Gaufredus monachus Ciſtercienſis, diſcipulus olim S. Bernardi, cum rogatus ab Epi-

ſcopo Cardinali Albanenſi, res in Gallia geſtas in cauſa Gilberti Porretani coram Eugenio Papa Tertio, ſcripſiſſet, prout dictum eſt ſuperius tempore illius controuerſiæ: paulo poſt per eumdem Cardinalem conſuluit [c] Romanam Eccleſiam, quid ſentiendum eſſet de ventilata nuper in Gallia quæſtione, de aqua mixta vino in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio; aſſerentibus aliis eam ſimiliter cum vino mutari in ſanguinem Chriſti, aliis vero negantibus; quorum vtrorumque rationes recenſet. Quid autem reſcripſerit Cardinalis, non inuenimus: ſed aliud reſcribere non potuiſſe certum eſt, quam quod credidit & cuſtodiuit ſemper S.R.E. nimirum aquam ſimul & vinum tranſſubſtantiari in Sanguinem Chriſti.

c Recitat eius [...] Baron. [...] To. 11. hoc an. QVÆSTIO ORTA DE [...] CALICIS.

V. In cuius confirmationem veritatis, accidit quoque his diebus inſigne miraculum, quod refert in Slauorum hiſtoria auctor huius ſæculi Helmoldus Abbas. Cum enim puella quadam in partibus Thuringiæ prope ciuitatem Erpisfordiam ægrotante, ſacerdos poſt datum ei ex more viaticum, ablutionem digitorum faciens in calice vitreo, vt illam aquam puellæ bibendam traderet, inſcienter portiunculam ſanctiſſimæ Euchariſtiæ in eam exuſſiſſet; confeſtim tota aqua mutata eſt in ſanguinem, & portiuncula formam accipiens digituli verſa eſt in cruentam carnem. Sed & interim dum mittitur pro tanto prodigio ad Archiepiſcopum Moguntinum, calice ſuper altari reuerenter poſito, videntibus cunctis columba venit ſuper librũ calicis, & diu ſedit, non ſine admiratione cũctorum quod mole corporis ipſum non euertiſſet, quippe parte inferiori longe anguſtior eſſet quam in ſuperiori: vnde creditum eſt, eam non corporalem, ſed ſpiritualem eſſe columbam. Adueniens autem Archiepiſcopus, cum omnibus Prælatis ſuis, & vniuerſo Clero, ac multo populo; poſt apportatum cum ſupplicationibus & proceſſionibus Sanguinem in prædictam ciuitatem ad eccleſiam Beatæ Mariæ Virginis, hortatus eſt omnes orare, vt diuina clementia quę ad euacuandum errorem infidelium, vel corroborandam fidem ſuorum, Sacramentum quod ſub ſpecie panis & vini ſanctificatur, vere ſuam carnem & ſanguinem euidentiſſimis indiciis demonſtraſſet ad laudem & gloriam nominis ſui, ſimiliter etiam ad iucunditatem & exaltationem Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, rurſus in priorem ſubſtantiam panis & vini transformare dignaretur. Quod cum poſt multam demum orationem factum eſſet, Archiepiſcopus, egregio habito in laudem tanti Sacramenti ſermone, in gratiarum actionem noui illius miraculi, iniunxit omnibus in ſua diœceſi cõſiſtentibus, à minimo vſq; ad maximum, ab infantulis vſque ad decrepitos, vt incuruati adorarent Dominum Ieſum, cui omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Idque adeo factum eſt, vt etiam qui in cunabulis iacebant, incuruati gratias agerent. Denique Archiepiſcopus ipſam aquam tranſſubſtantiatam, in alio vaſculo pretioſo ad poſteritatis memoriam in eadem eccleſia honorifice repoſuit. priorem vero calicem Moguntinam detulit, vbi exinde maximæ venerationi ab omnibus eſt habitus. Hæc ibi de tranſſubſtantiatione aquæ in ſanguinem Chriſti, per commixtionem viuifici corporis diuinitus facta, quod quidem ſemper fieri in vino, cum commixtio intercederet, antiquitas exiſtimauit. Vnde illud [d] Romani Ordinis, *Vinum etiam non conſecratum ſed ſanguini Domini commixtum, ſanctificatur per omnem modum.* Sed hæc prolixiorem exigerent diſputationem. Confutauit autem hoc miraculum nuper enarratam hæreſim, negantium aquam vino mixtam mutari in ſanguinem.

DE EVCHARISTIA NOVVM MIRACVLVM.

[...]VD IN [...]ADEM RE[...] MIRACVLVM.

d Ord. Rom.

IESV CHRISTI AN. 1189.

CLEM. III. AN. 2.

I Anno Domini milleſimo centeſimo octogeſimo nono, Indictione ſeptima, Clemens Papa Iohannem Ananignum Cardinalem miſit in Gallias, ad conciliandã pacem inter Reges Francorum & Anglorum, vt ad ſubſidium Terræ Sanctæ vterque pergeret. Sed cum in mutuo congreſſu habito apud Feritatem Bernardi (ita locum nominatum) non potuiſſent inter ſe concordare; Iohannes Cardinalis minatus eſt, quod niſi Rex Francorum plene componeret cum Anglo, regnum eius ſub interdicto poneret: Cui Rex reſpondit, ſe non timere eius ſententiam, cum nulla æquitate niteretur. Addiditq;, iam ipſum Cardinalem ſterlingos Regis Angliæ olfeciſſe; nec pertinere ad Eccleſiam Romanam, in regnum Franciæ per ſententiam, vel alio modo animaduertere, ſi Rex in homines & vaſſallos ſuos (qualis eſſet Rex Angliæ) demeritos, & regno rebelles, cauſa vlciſcendi iniurias ſuas, & coronæ dedecus, inſurgeret. Ceterum armis Francorum perſtrictus Anglus, conditiones quas Francus præſcripſit, inuitus licet accepit. Sed pax illa tenuit, quamdiu vixit idem Rex Angliæ Henricus; qui hoc ipſo anno deſiit in humanis eſſe in Octauis SS. Apoſtolorũ, ſepultuſq; eſt in monaſterio Fontis Ebraldi. Habet hæc omnia pluribus Rogerius.

REX FRAN. LEGATVM MINANTEM VRGET.

II. Succeſſit autem in locum Henrici, filius eius maior natu Richardus, conſecratus tertio Nonas Septembris; qui mox aduerſus Francorum Regem exercitum mouit. Cum vero Archiepiſcopum Cantuarienſem in Angliam miſiſſet, vt Epiſcopis ac prælatis in vnum conuocatis, indicaret Regem pecuniis indigere, cupereque ab illis adiuuari; tunc Magnus ille S. Hugo, qui ante triennium ex Priore Carthuſiano creatus fuerat Epiſcopus Lincolnienſis, & conſueuerat infractus ſtare aduerſus Reges, eorumque miniſtros labefactantes Eccleſiæ iura: (vt pluribus docetur in eius Rebus [a] geſtis, ab eius familiari conſcriptis) cum animaduertiſſet pauperculam plebem ea ratione grauari, coram omnibus perorans aduerſus eiuſmodi exactionem, ceteris cunctis eam admittentibus, ipſe omnino negauit Regi in eo acquieſcere. Vnde Rex valde iratus, miſit qui eum ſede pellerent, & bona eius Eccleſiæ fiſco addicerent. At ille antequam ii manum ad prædandum extendiſſent, iuſſit omnes in vicinis parochiis, pulſatis campanis, excommunicatos denunciari; qui nutu diuino territi, continuo receſſerunt, timentes à dæmone præfocari, vel alia morte peſſima perire, ſicut multis aliis iam euenerat, quos ſanctus Epiſcopus percuſſerat anathemate. Ipſe vero continuo ad Regem properans, licet valde indignatum reperiſſet, extorſit tamen ab inuito pacem & oſculum; adeoque ipſum ſua magnanimitate perculſit, vt & mitiſſimo animo ipſius ſanctiſſimi viri acres obiurgationes acceperit. Quo abeunte, Rex conuerſus ad ſuos; *Si omnes* (inquit) *Epiſcopi tales eſſent, nihil aduerſum eos poſſent ſiue Reges, ſiue Principes.* Vnde & dictus eſt *Regum Malleus*, quod perpetuo de ipſis triumpharet, dum reliqui Antiſtites eiſdem ſe obſequentes in omnibus exhibentes, permulta indigniſſima pati cogerentur. Hæc pluribus in eius Vitæ Actis. Ceterum Richardus Rex (inquit Rogerius) obtentis à Clemente Papa literis, vt quoſcumque ipſe vellet dimittere ad terras ſuas cuſtodiendas, eſſent immunes à captione Crucis, & ab itinere Hieroſolymitano; inde ſibi inæſtimabilem acquiſiuit pecuniam.

RICHARDVS REGNAT IN ANGLIA.

a ap. Sur. 17. Nouemb.

S. HVGO LINCOLN. RESISTIT REGI.

S. HVGO REGVM MALLEVS.

III. Inter hæc, dum ſic Reges Francorum & Anglorum, ob mutuas diſſenſiones bellicas, protelarent profectionem in Orientem; Fridericus Imperator omni excuſatione remota, hoc anno [b] eam ſuſcepit cum expeditione terreſtri & nauali. Cuius itinerarium conſcripſit Arnoldus [c] Abbas, qui & numerum militum habito delectu fuiſſe centum quinquaginta millium armatorum affirmat. Sed propter ingruentes afflictiones, & Græcorum Imperatoris inconſtantiam, non niſi anno ſequenti in Thraciam peruenerunt. Quænam autem paſſi ſint Græcorum opera, ab eodem petas auctore. quas etiam res ſingulas, qui aderat proſecutus eſt Nicetas [d], tum Præfectus Iſaacii Imperatoris in rebus adminiſtrandis bellicis. Nocuit vero huic expeditioni maxime quod impoſtor quidam *Doſitheus* monachus Studita (vt idem [e] auctor docet) vatem ſe eſſe profeſſus, falſis vaticiniis perculit animum Iſaacii, quibus aſſereret Fridericum ſub prætextu expeditionis aduerſos Saracenos, habere in animo potiri ipſa ciuitate

b Robert. Append. ad Sigeb.
c Arnold. Chron. Slauor. li. 3. cap. 29.
d Nicet. in Iſaac. Ang. li. 2.
e Id. li. 6.

FRID. IMP. EXPEDITIO IN ORIENTEM.

Conſtan-

Conſtantinopolitana. Qui quidem in præmium redditæ reuelationis, primo Patriarchatum Hieroſolymitanum Græcorum, deinde Conſtantinopolitanum accepit.

IV. ALTERCATIO PRO SVCCESSIONE REGNI SICIL.

Mortuus eſt hoc anno VVillelmus Rex Siciliæ abſque liberis, Conſtantia nupta Henrico Regi (vt vidimus) regni herede relicta. Sed Tancredus eiuſdem VVillelmi conſanguineus vendicans ſibi regnum, bellum ciuile conflauit. Ad quem pellendum, Henricus exercitum in Italiam miſit: qui cum plurima damna rebellibus intuliſſet, re tamen infecta reuerſus eſt in Germaniam. Hæc Rogerius in Annalibus. Romanum vero Pontificem fauiſſe Tancredo, eique inueſtituram more maiorum cõceſſiſſe, teſtantur Neubrigenſis [f], & Arnoldus [g]. Calamitates autem, in quas Siciliæ regnum obitu VVillelmi coniectum eſt, luxit in ſua hiſtoria Hugo Falcandus, qui aderat.

f Neubrig. li. 3. cap. vlt. g Arnol. lib. 4. c. 5.

IESV CHRISTI AN. 1190.

FRIDER. 36. ISAAC. ANG. 5.

CLEM. III. AN. 3.

I. REGES FR. ET ANGL. APPELLVNT IN SICILIAM.

ANno Domini milleſimo centeſimo nonageſimo, Indictione octaua, Philippus Rex Francorum ſoluens è Galliis Orientem verſus, tempeſtate maris pulſus in Siciliam die decima ſexta, menſis Septembris, illic inuitus hiemare coactus eſt, vna cum Richardo Rege Angliæ, qui & ipſe Maſſilia ſoluens, Meſſanam appulit die vigeſima tertia eiuſdem menſis. Quæ autem illic in Siculos & Anglos graues ſint ortæ diſcordiæ, necnon turbæ excitatæ inter eoſdem Anglos & Francos, paxque inter eos renouata opera Epiſcoporum, ac leges nauticæ ſancitæ; hæc omnia ſingillatim deſcribit Rogerius in ſuis Annalibus. Compoſuit quoque tunc Richardus cum Tancredo Siciliæ Rege, negotia ſororis ſuæ Ioannæ, relictæ VVillelmi defuncti Regis; iniitque cum eodem Tancredo fœdus, ſub pacto contrahendi matrimonii inter Arthurum Ducem Britanniæ, futurum heredem ipſius Richardi ſi abſque prole decederet, & filiam Tancredi, ſub conditione diſpenſationis Sedis Apoſtolicæ; quam & ſequeſtrem fecerunt capitulorum inter ſe conuentorum: ſicut de his conſtat ex literis tunc ab eodem Richardo conſcriptis ad Clementem Pontificem, quas Rogerius recitat.

II. RICHARDI REGIS PVBLICA POENITENTIA.

Poſt hæc vero idem Richardus (inquit idem auctor) recordatus fœditatis vitæ ſuæ, cum vepres libidinum excreuiſſent caput eius; poſt contritionem cordis, conuocatis in vnum vniuerſis Archiepiſcopis & Epiſcopis ſuis, qui cum eo erant apud Meſſanam, nudus procidens ad pedes eorum, peccata ſua coram illis Deo confiteri non erubuit; & ab iiſdem pœnitentiam recepit, factuſque eſt ab illa hora vir timens Deum recedens à malo, & faciens bonum. Habuit etiam colloquium cum IOACHIM Abbate de Curacio, monacho Ciſtercienſi, qui propheta Dei circumferebatur eſſe in Sicilia; ſed tam ſuis ipſius vanis reſponſis, quam manifeſtis prædictionibus inuentus eſt pſeudopropheta, cum pleraque aſſeruit ventura quæ penitus in contrarium acciderunt: quod ſignum dedit [a] Deus populo ſuo, ad cognoſcendum verum prophetam à falſo. Vnde & auctor ipſe qui tunc iſta ſcribebat, Rogerius, veritatem prædictionum eius ab euentu iure fore noſcendam aſſerens, ex eo plane diuerſo ab ipſis prædictionibus, conuicit eum impoſtorem extitiſſe: qui & poſtea ſententiam cõdemnationis, cum ſuis ſcriptis, accepit ſub Innocentio Papa Tertio.

ABBATIS IOACHIM CVM RICHAR. CONGRESSVS. a Deut. 18.

III.

Hoc eodem anno, quarto Idus Iunii, Fridericus Imperator immenſis plane ſuperatis itinerum, hoſtium, penuriæ, aliarumque innumerarum difficultatum laboribus, in expeditione pro Terræ Sanctæ recuperatione, poſt victos ſæpiſſime Turcas, Soldanique Iconii ferme incredibilem quadringentorum millium equitum exercitum ingenti prælio proſtratum, ſub ductu S. Gregorii martyris (qui frequenter ea peregrinatione viſus eſt Imperatoris acies præcedere) cum vix ea pugna Imperator ſexcentos haberet in ſuo exercitu equos, reliquis ob defectum pabuli extinctis: poſt item captam nouo miraculo à Duce Sueuiæ, cum alijs ſex dumtaxat ſibi adiunctis, opulentiſſimam ciuitatem Iconii; fugataque eodem tempore ab Imperatore alia ducẽta millia equitum: cum peragrans partes inferioris Armeniæ, tranſita in conuallibus montium rapidiſſima quadam aqua, voluiſſet in ea poſt prandium nando recreari; caſu inopinato ſubmerſus eſt. Quonam autem modo cuncta iſta ſe habuerint, dilucido compendio deſcripſit qui cunctis interfuit, licet incertus auctor, ſcripta ea de re epiſtola, quæ extat [b]: cui tutius credendum, teſti oculato, quam aliis ex auditu tantum res geſtas referentibus. Apponit vero Arnoldus [c] eiuſdem temporis auctor de lamentabili caſu Friderici luctum communem vniuerſi Chriſtiani Orbis. Nam non Occidentalium tantum, ſed & Orientalium, & ipſorum quoque æmulorum Græcorum animos dolor pertigit, cum & rem geſtam Nicetas Choniata illorum doctiſſimus proſecutus ſit ſtylo lugubri valde, laudans eumdem Imperatorem. De cuius etiam morte extat Petri [d] Bleſenſis acerbiſſima lamentatio.

FRID. IMP. INSIGNES RES GESTÆ CONTRA SARACENI.

EIVSDEM DIPLORANDVS OBITVS. b In App. ad Radeui. c Arnold. Appen. ad Helmold. li. 3. c. 33. 34. d Pet. Blej. ep. 169.

IV. QVORVM CRIMINVM LVIT FRI POENAS.

Sed quod ingens quoque omnes admiratio inuaſerit, cur Deus permiſerit in tam calamitoſo ſtatu rerum Chriſtianorum, tam cito abripi tantum præſidium cui dediſſet adeo læta atque felicia principia, vt eius vel ſolo nomine conſternati hoſtes videri poſſent; ex omnibus iſta ſcrutantibus magis illorum conſilium laudem meretur, qui à profunditate & abyſſo iudiciorum Dei traxere pedem, quod nefas ſit mortalem ſedere arbitrum conſiliorum eius. Verum quod propter peccata, ſæpe aduerſa contingere certum ſit; ad illam nonnulli [e] reuocarunt culpam interitum Imperatoris, quod diuturno iniquiſſimo bello inceſſerit Romanam Eccleſiam: hocque peccatum tale fuiſſe, vt vix potuerit inter delicias Imperiales expiari, atq; ideo oportuerit, ne æternaliter plecteretur, pia diuinitatis puniſſione in hac vita ſeuerius caſtigari. Porro ſublato illo, filius eius Dux Sueuiæ Conradus, qui cum eo in expeditione erat, collectis in vnum viribus, in Terræ Sanctæ auxilium properauit: verum & ipſe in obſidione Acconitana diem clauſit extremum.

e Neubrig. lib. 4. c. 13.

V. HENR. REX GERM. PETIT IMPERIVM A ROM. PON.

Henricus autem Rex Germaniæ, eiuſdem Imperatoris filius, quem in patria reliquerat, audita morte patris (inquit Rogerius) miſit Nuntios ſuos ad Clementem Papã, & ad Cardinales, & Senatores Vrbis, petens Romanum Imperium, & promittens ſe in omnibus leges & dignitates Romanas ſeruaturum illæſas. Clemens vero habito cũ Cardinalibus & Senatoribus conſilio, cõceſſit Regi quod petebat, ſaluis dignitatibus & conſuetudinibus Romanorum: & ſtatuerunt ei terminum veniendi Romam proximum Paſcha.

IESV CHRISTI AN. 1191.

HENRI VI. ISAAC. ANG. 6.

CÆLESTINI III. AN. 1.

I. CLEM. III OBITVS.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo nonageſimo primo, Indictione nona, quarto Idus Aprilis, *Clemens* Papa obijt, antequam Henricum potuiſſet coronare Imperatorem, qui iam Vrbi appropinquabat. Electus vero eſt in eius locum Hyacinthus diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Coſmedin natione Romanus; & in vigilia Paſchæ ordinatus eſt in ſacerdotem; ipſaq; die Paſchę, quæ contigit decimooctauo Calendas Maii, conſecratus in Romanum Pontificem, dictuſque Cæleſtinus Tertius. Hæc Rogerius [a] & Arnoldus [b]. Erat autem tunc Cæleſtinus plane decrepitæ ætatis; quippe quem in functione diaconatus ſexaginta quinque annis permanſiſſe, teſtis ſit Petrus [c] Bleſenſis ad Richardum Epiſcopum Londonienſem. Quod autem ſpectat ad eius conſecrationem; Cencius Camerarius, qui aderat & iſta videbat ceremonias illas exacte deſcripſit [d], quibus tunc temporis creari & conſecrari conſueuerant Romani Pontifices.

CÆLES. III. CREATIO. a Roger. in Annal. b Arnold. Chron. li. 4. c. c Pet. Bleſ. ep. 131. d Rit. lib. I. c.

II.

Poſtera autem die à conſecratione Cæleſtini (vt ait Ro-

 gerius

gerius) venit ad eum Henricus Rex Germaniæ cum Conſtantia vxore ſua: à quo Pontifex ad gradus Eccleſiæ S. Petri recepit ſacramentum, quod Eccleſiam Dei, & iura Eccleſiaſtica ſeruaret illæſa, rectam iuſtitiam faceret, & patrimonium B. Petri in integrum reſtitueret. Deinde introduxit eum in eccleſiam, & vnxit in IMPERATOREM, vxoremque eius in Imperatricem. Sedebat autem Pontifex in ſede Pontificali, tenens coronam auream Imperialem inter pedes ſuos, & Imperator inclinato capite recepit coronam, & Imperatrix ſimiliter, de pedibus Pontificis. Statim vero Pontifex pede coronam Imperatoris deiecit in terram, ſignificans quod ipſe poteſtatem eiiciendi eum ab Imperio haberet, ſi ille demereret: ſed Cardinales ſtatim arripientes coronam, impoſuerunt eam capiti Imperatoris. Hæc Rogerius. Porro factum huiuſcemodi Pontificis auſpicandi Imperii, ſcias ea ratione recens adhibitum, quod Henricus ſucceſſor & filius eſſet illius, qui poſt idem ab Eccleſia acceptum ſummum beneficium, de ipſa tamen adeo male meruiſſet. Adfuit conſecrationi Gothifridus Viterbienſis Notarius Imperatoris; qui rogatus ab eo tunc carmine deſcripſit myſteria omnium inſignium Imperialium, nempe Crucis, enſis, ſceptri, coronæ, lanceæ, pallæ, &c.

CORONATIO HENRICI IMP. QVOMODO FACTA.

III. HENR. ... INVADIT REGNVM NEAPOL.

Poſt hæc profectus Imperator in Apuliam, vt regnum Siciliæ occuparet tamquam vxori ſuæ debitum; multis receptis ciuitatibus, cum ad obſidionem Neapolis ſe conferens, vxorem Salerni reliquiſſet, illam Salernitani rebellantes proditione captã, miſerunt in Siciliam ad Tancredum ibi auctoritate Apoſtolica regnantem. Ipſe vero Imperator, lue laborante exercitu, vix morbo liber, Mediolanum ſe recepit, ac Cæleſtinum Papam per literas rogauit, vt ageret pro liberatione vxoris. quod ille præſtitit anno ſequenti, receptamque à Tancredo in Germaniam remiſit. Narrantur iſta ab Arnoldo [e], Rogerio [f], & in Chronico Foſſæ nouæ.

e *Arnol. lib. c.15.* f *Roger. in ann. Angl.*

IV. REX GALLÆCIÆ EXCOMMVN. ... CONIVGIVM INIVST.

Hoc item anno fuit agendum Cæleſtino Papæ apud Reges Hiſpaniarum, pro diſſolutione matrimonii, quod Sancius Rex Portugallenſis conciliauerat inter Tarſiam filiam ſuam & Adelfonſum Regem Gallæciæ nepotem ſuum. Et licet multum laboratum eſſet à Summis Pontificibus vt ſepararentur, atque adeo Regem Gallæciæ refractarium excommunicaſſent, ac terram eius interdicto ſubieciſſent; nihilominus retinuit eam ipſe per quinque annos, quibus tres ex ea genuit filios. Quouſq; inſurgens in eum Adelphonſus Rex Caſtellæ, coegit eum relinquere illam, & accipere filiam ſuam in vxorem. Hæc Rogerius in Annalibus.

V. REGES FRAN. ET ANGL. PERVENIVNT IN PALÆST.

Eodem anno Rex Francorum Philippus, deinde Richardus Rex Anglorum, ſoluentes Meſſana peruenerunt in Palæſtinam. Deſcribit ſingulorum nauigationem Rogerius adeo diſtincte, vt plane videatur ipſe interfuiſſe rerum geſtarum inſpector, vel accepiſſe ab aliquo qui præſens inſpexit. Cum autem inter vtrumque Regem, tum ob antiquam æmulationem, tum ob recentes diebus ferme ſingulis emergentes occaſiones, oborirentur diſſidia, & interdum vſque ad ſanguinis effuſionem; Rex Francorum expugnata Accone, relictis nonnullis ex ſuis, diſceſſit è Palæſtina: cumq; veniſſet Romam, multa apud Pontificem conqueſtus de Rege Angliæ, quod ipſum coegiſſet recedere; tam ipſe, quam omnes qui cum eo venerant, vel poſt eum venturi eſſent, abſoluti ſunt per Pontificem à voto profectionis Hieroſolymitanæ: deſtruitq; eis Pontifex palmas, & cruces collis eorum ſuſpendit, ſtatuens quod eſſent peregrini. Ita Rogerius, referens antiquos ritus de his qui votum Hieroſolymitanum implerent, vt ſcilicet venirent ad Summum Pontificem, palmamque ab eo acciperent, crucemque ſuſpenſam ad collum. Quæ fieri rogauit Rex Francorum ſuis, licet immeritis, quod haud perfecte votum impleſſent tam cito redeuntes.

REX FRAN. REDIT IN GALLIAS.

VI.

Rex autem Angliæ, cum Meſſana ſoluiſſet, tempeſtate maris delatus in Cyprum, aduerſantem ipſi Iſaacium tyrannum, qui in ea Inſula agebat Imperatorem, expugnauit; eodemque ducto captiuo, potitus eſt Inſula: Inde vero appulit in Palæſtinam, perſtititque cum Rege Francorum in expugnatione Acconis ac poſt eius receſſum, ſæpe cum Saladino proſpere pugnauit. Sed nouis obortis inter Principes diſcordiis, deploratis iam rebus diſceſſionem cogitans, fœdus cum Saladino ad triennium ſtatuit, regnum Hieroſolymorum Henrico nepoti tradit, Conrado competitore nece ſublato; ac Guidoni olim Regi (quem Saladinus poſt vnius anni carcerem, liberum certis conditionibus dimiſerat) loco regni Inſulam Cypri conceſſit: hiſque peractis, octauo Idus Octobris rediturus in Angliam ſoluit Accone. Sed paſſus in Hadriatico ſinu naufragium, ex quo vix ſaluus cum paucis euaſit; vbi compendiori via per Germaniam conſtituiſſet tranſire in Angliam, cum Viennæ territorium attigit, quantumlibet incognitus iter faceret, cognitus tamen, à Leopoldo Auſtriæ Duce captus eſt, & ad Henricum Imperatorem tranſmiſſus, proſequitur iſta omnia ſingillatim Rogerius.

IDEM CAPTIVVS DETINETVR IN AVSTR.

VII.

Quænam autem præceſſerit Regis captionis cauſa, recenſet Matthæus Paris, proſecutus ſua hiſtoria res Anglorum: nempe quod Duce Auſtriæ in Terra Sancta militante, cum aliquando miniſtri eius hoſpitium quoddam ei præpararent, ac ſuperueniens præcipitanter quidam de familia Regis Angliæ, iactaret ſe prius illud ſibi ſuiſque ſociis aſſignaſſe; multiplicatis vtrimque conuiciis, Rex audito rumore, ſed re non conſiderata, nimium ſuis fauens, ſubito præcepiſſet vt vexillum Ducis in eo hoſpitio pro ſigno affixum, in cloacam deiiceretur; & Dux Regem querulus adiens, nihil niſi ſannas reportaſſet. Qui inuocans Deum in vltionem cum lacrymis, poſtea ad propria reuerſus, haud inuitus arripuit oblatam ſibi occaſionem retinendi Regis: & ad exercendam vindictam, conſortem adhibendum putauit Imperatorem; qui & ipſe ab eodem Rege multipliciter ſe quereretur offenſum, tum ob eamdem iniuriam illatam conſanguineo ſuo, tum ob regem Cypri, qui ei affinitate coniunctus erat, iniuſte captum ſpoliatumque: itemq; quod ipſe (vt dicebat) per eiuſdem conſilium & auxilium, regnum Siciliæ amiſiſſet: quodque Marchio Montisferrati ipſius Imperatoris heres, illius proditione & machinatione ab Arſacidis peremptus fuiſſet: ac denique eoſdem ille miſiſſet, ad occidendum Regem Francorum dominum ſuum, cui nec vllam fidelitatem ſeruaſſet in communi amborum peregrinatione. Hæc enim, ſiue vera, ſiue prætenſa, obiecit poſtea Imperator Regi Richardo in Cõuentu Epiſcoporũ ac Principum; quæ tamen facile Regem diluiſſe, idem auctor ait. Et quidem quod argueretur auctor fuiſſe necis Marchionis de Monteferrato, & machinator mortis Regis Francorum; procuratæ ſunt literæ excuſatoriæ à Sene de Monte, ipſo nempe Principe aſſaſſinorum (hic namq; titulus illi) quibus innocens penitus idem Richardus declararetur, quas recitat Neubrigenſis [g].

CAVSÆ EIVS CAPTIVITATIS.

g *Neubrig. li.5 c.14.*

VIII. MOTVS IN ANGLIA ADVERSVS PROREGEM.

At antequam iſta fierent, dum idem Rex adhuc in expeditione eſſet, ſtatus regni ipſius vehementer perturbatus eſt factionibus fratrum eius, Ioannis Comitis Moretonii, & Gaufredi Archiepiſcopi Eboracenſis: quorum leuitatem Rex præſentiens, relictis iis in Northmannia, ac iuramento aſtrictis, ne in regnum eo abſente irent, aut aliquid innouarent; Vicarium ſuum in Anglia conſtituerat Villelmum Epiſcopum Elienſem Cancellarium ſuum, quem & Legatione Apoſtolica firmari à Clemente Papa obtinuerat. Idem igitur fratres ipſius, contra iuſiurandum in Angliam redeuntes, cum Willelmum Proregem conatibus ſuis aduerſantem ſenſiſſent, eumdem diu exagitarunt, atque tandem occultam fugam inire coegerunt: & vt hæc iuſte feciſſe viderentur, famoſum aduerſus eum libellum, per Hugonem Conuentrenſem Epiſcopum harum turbarum incentorem, peſſimæ vitæ hominem, per orbem peruulgari curarunt, quo illum omnium ſcelerum reum falſiſſime conſtituerunt. Quomodo vero hæc cuncta ſe habuerint, videre eſt fuſe apud Rogerium in Annalibus hoc anno. Sed non defuerunt, qui pro viro prudentiſſimo, ac regni adminiſtratore fideliſſimo, defenſionem ſuſceperint. Nam inter alios Petrus Bleſenſis Archidiaconus Bathonienſis, doctrina & probitate omnibus notus,

atque

atque omnis penitus adulationis & conniuentiæ expers, cum ad ipſum Elienſem Epiſcopum literas [h] conſolatorias, ſimulq; egregiarum ipſius virtutum prædicatrices, tum ad Hugonem eius criminatorem acerrimam inuectiuam ſcri- ſit. Atque ipſe Cæleſtinus Papa, mox vbi hæc audiuit, Archiepiſcopis & Epiſcopis Angliæ literis [i] ſuis præcepit, vt tam ipſum Comitem Moretonij, quam reliquos omnes impreſſionum in Elienſem factarum conſiliarios, auctores, complices, & fautores, accenſis candelis & pulſatis campanis, omni appellatione, vel perſonarum acceptione poſtpoſita, publice denuntiarunt excommunicatos, & tamdiu facerent eos à reliquis omnibus vitari, vſque dum Elienſi Legato, ac regno ipſo in priſtinum ſtatim pleniſſime reſtitutis, iidem ad Sedem Apoſtolicam accederent abſoluendi. Cumque rurſum inter eumdem Elienſem, & VValterum Archiepiſcopum Rothomagenſem, quē Rex ad ſedandos tumultus delegaſſet, diſſenſiones ortæ eſſent; idem Pontifex iuſtitiam Elienſis firmiter defendit: prout iſta omnia plenius pertractata habentur apud Rogerium hoc & ſequenti anno. Ipſumque Elienſem à ſeditioſis expulſum reſtitutum fuiſſe à Rege in priſtinum honorem, docent ipſius Regis literæ [k] ad Reginam matrem & Iuſtitiarios ſuos ſcriptæ.

h Pet. Bleſ. ep. 89. 90. & ap. Roger. in Annal.

i Ext. ap. Roger. in Ann.

EXCOMMUNICATIO IN FRATREM REGIS.

k ap. Roger. an. 1193.

IX. S. HVGO PELLICEM REGIS EXTERMINAT.

Contigit vero etiam hoc ipſo anno in eadem Anglia, illud memoria dignum facinus mirifici illius S. Hugonis Epiſcopi Lincolnienſis, quod idem auctor in ſuis Annalibus deſcripſit; nimirum vt cum viſitans domos Religioſorum ſuæ diœceſis, veniſſet ad Abbatiam Sanctimonialium de Godeſtoue, & intrans eccleſiam vt oraret, vidiſſet tumbam in medio chori ante altare ſericis pannis velatam, & lampadibus ac cereis circumdatam; quærenſque cuius eſſet, audiſſet eſſe Roſamundæ, quæ fuerat amica Henrici vltimi Regis, cuius amore ipſe multa bona illi Eccleſiæ contuliſſet: ſubito præcepit auferri illinc, quia ſcortum fuerat, & ſepeliri extra eccleſiam, ne Chriſtiana religio vileſceret, & vt exemplo illius ceteræ mulieres exterritæ cauerent ſibi ab illicitis & adulterinis concubitibus. Sed quid mirum ſi hæc in mortuam Regis pellicem egerit, qui nec parceret viuentib. Regibus, quos pro Eccleſiaſtica vendicanda libertate redarguere minime prætermiſiſſe vidimus?

HENRICI V. 2. ISAAC. ANG. 7.

IESV CHRISTI AN. 1192.

CÆLEST. III. AN. 2.

I. CANONIZATIO S. VBALDI.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo nonageſimo ſecundo, Indictione decima, Cæleſtinus Papa quarto Nonas Martij anno primo ſui Pontificatus nondum exacto, ritu ſolemni retulit in Sanctorum Confeſſorum numerum S. Vbaldum Epiſcopum Eugubinum, miraculis poſt obitum clarum: ſicut conſtat ex eiuſdem Pontificis diplomate, quod ſeruatur in Archiuo Eugubino; ex quo Surius corrigatur, qui S. Vbaldum floruiſſe ait vſque ad annum milleſimum ducenteſimum decimum.

II. PRIVILEGIA CONCESSA ECCLESIÆ SCOT.

Eodem anno idem Pontifex, petente VVillelmo Scotiæ Rege, libertates Eccleſiæ Scotianæ confirmauit vt nō ſubeſſet Anglicanæ, vel alicui alij, ſed tantummodo Romanæ; nec vllus qui de regno Scotiæ non eſſet, niſi quem Apoſtolica Sedes de corpore ſuo ſpecialiter deſtinaret, poſſet in eo Legatione fungi. Recitat ipſum Pontificis priuilegium Rogerius hoc anno.

III. DE CENCIO CAMERARIO.

Hic item eſt annus, quo Cencius S. Mariæ Maioris Canonicus, & Pontificis Camerarius, conſultus reb. temporalibus Eccleſiæ Romanæ, aggreſſus eſt opus vtile valde, vt cenſus qui tunc eidem Eccleſiæ à diuerſis locis, monaſteriis, eccleſiis epiſcopatibus, villis, ciuitatibus, prouinciis, regnis perſoluerentur, in vnum colligeret ex tomis chartaceis (vt ait) & voluminibus Regeſtorum antiquorum Pontificum Romanorum atque modernorum, & aliorum librorum, ſeu memorialium veracium, quod eius opus ab ipſo conſcriptum, cuſtoditur in Bibliotheca Vaticana.

HENRICI V. 3. ISAAC. ANG. 8.

IESV CHRISTI AN. 1193.

CÆLEST. III. AN. 3.

I.

ANno Chriſti milleſimo centeſimo nonageſimo tertio, Indictione vndecima, Henricus Imperator ingenti comparato exercitu, claſſeque, vt illatam ſibi à Salernitanis in proditione coniugis ſuæ iniuriam, de qua ſuperius, vlciſceretur, atque ipſum Tancredum Regem è Sicilia pelleret; cum etiam interea audiſſet, Rogerium Tancredi filium primogenitum iam coronatum in Regem migraſſe ex hac vita, atq; haud diu poſt ipſum Tancredum pariter obiiſſe, relicta ſuperſtite Regina cum puero & duabus puellis: in Campaniam veniens, Salernum expugnauit, diruitq; vindictam de ciuibus ſumpſit; receptiſq; Apulis & Calabris in fidem, Meſſanam ſe contulit: vbi promiſſionibus ad ſe allectis Siculis, pactis quoque conuentis Reginam matrem cum puero atque puellis redegit in ſuam poteſtatem: ſed idem periurus, mox eoſdem vinculis alligauit, puerumque excæcauit, ac puellas cum matre cuſtodiæ mandauit. Hæc omnia ex chronicis Foſſæ nouæ. Addit vero Rogerius in Annalibus, eumdem Henricum iuſſiſſe effodi corpora Tancredi & filii eius Rogerij, regiiſque nudari coronis, quas illegitime accepiſſe aſſerebat.

HENRICI IMP. CRVDELITAS IN SICVLOS.

II. ANGLI AGVNT PRO LIBERATIONE SVI REGIS.

Interea Regina Aleonora, matre Richardi Regis Angliæ, & Epiſcopis ditionis eius, inſtanter pulſantibus fores Apoſtolicæ Sedis pro liberatione eiuſdem Regis è manibus prædicti Henrici Imperatoris; eademque Aleonora amarioribus [a] literis iterum atque iterum Cæleſtinum Papam vrgente, vt auctoritate ipſi à Deo tradita, qua (vt ait) non Rex, non Imperator, aut Dux à iugo ipſius iuriſdictionis eximeretur, exereret gladium Petri in filii ſui detentores: tandem Pontifex, præuiis legitimis denunciationibus, ſententia excommunicationis perculit Leopoldū Auſtriæ Ducem, qui Richardum ceperat: & vt ait Rogerius, præcepit Imperatorem cum vniuerſa eius terra ſubiici anathemati, niſi quantocyus Regem Angliæ liberaret; itemque Regem Francorum cum ſuo regno, niſi ab eiuſdem Regis perſecutione deſiſteret. Sed inter hæc intenti pacta redemptionis pecuniæ, qua idem Rex Imperatori ac Duci perſolueret, datiſq; pro ea obſidibus, permiſſus eſt liber abire in principio anni ſequentis, poſtquam detentus fuiſſet in cuſtodia anno vno, hebdomadis ſex, & diebus tribus, vt numerat Rogerius in Annalibus. Cuius quidem vinculorum, necnon diſcordiarum Principum Chriſtianorum in expeditione Terræ Sanctæ, eiuſdemq; Terræ amiſſionis, atque aliorum malorum omnium, auctorem fuiſſe improbum dæmonem, coactus eſt ipſe fateri, cum aggreſſus in via peregrinum quemdam Hieroſolymam proficiſcentem, interueniente Sancti Iacobi Apoſtoli, cuius ſepulchrum idem peregrinus recens viſitauerat, fugatus eſt: quam rem geſtam pluribus deſcripſit Neubrigenſis [b] fideliſſimus eius temporis auctor.

a [illegible] 144. 145. 146.

SENTENTIA PONT. IN DETENTORES ET PERSECVTORES REG. ANG.

b Neubrig. lib. 5. c. 7.

III. NVPTIÆ ATQVE DIVORTIVM REGIS FRAN.

Hoc eodem anno (vt Rogerius tradit) Philippus Rex Francorum duxit vxorem Botildam filiam Regis Daniæ, eamdemque cognitam dimiſit ſub prætextu ſanguinis propinquitatis, annuentibus regni eius Epiſcopis. Agentem autem Rege Daniæ apud Cæleſtinum Papam, vt cogeret Regem Francorum filiam ſuam recipere, miſit Pontifex Legatum in Gallias vt id Regi ſuaderet, penitus irritans ſententiam Francorum de faciendo eiuſmodi diuortio. Cum vero nihil obtinuiſſet, præcepit Archiepiſcopo Senonenſi (inquit Matthæus [c] Paris) vt ſi Rex iſta viuente aliam ſuperinducere vellet, ipſe auctoritate Apoſtolica id eidē inhibere curaret. Agit & de iiſdē Neubrigenſis [d]. Fuitq; adhuc in his laborādū Innocētio [e] Cæleſtini ſucceſſori.

c Matth. Paris. [illegible] an. 1193.

d Neubrig. lib. 4. ca. 24. & lib. 5. c. 16.

e Innoc. [illegible]

IV. ALTERCATIONES.

Quod ad res Orientalis Eccleſiæ ſpectat; hoc anno (vt habet Nicætas Choniata) Iſaacius Anglus Imperator

[Po ſucceſſione Patriarch. Conſt.]

Conſtantinopolitanus, loco amouit Nicetam Mundanum Patriarcham, cum annos ſex atque ſex menſes ſediſſet, ſenium, & delirium, & leuitatem cauſatus: & pro eo ſubrogauit *Leontium* quemdam monachum, iureiurando publice teſtatus, cum prius ignotum ſibi à Dei Genitrice noctu eſſe demonſtratum. Verum eo quoq; Dei homine, priuſquam annus elaberetur repudiato; inſtituit Doſitheum Studitam ab Hieroſolymitana Græcorum ſede, cui ante illum in præmium redditæ olim reuelationis præfecerat, Conſtantinopolim transferre. Sed quod ſciret id canonibus vetitum eſſe, *Theodorum Balſamonem* Antiochenum Græcorum Epiſcopum, virum ea ætate iuriſconſultiſſimum, aſtu circumueniens, finxit ſibi eſſe in animo ipſum Antiochia ad regiam vrbem euocare, ſi ipſe vt legũ & canonum peritiſſimus, demonſtrare, ac vulgo perſuadere poſſet, eiuſmodi tranſlationes licite fieri poſſe. His vero allecto Theodoro, poſtridie in conuentu Epiſcoporum quæſtione illa agitata, concluſum eſt pro tranſlationibus: moxque Imperator *Doſitheum* Conſtantinopolim vocauit. Sed obſtupefacti Epiſcopi, cum ſe canonibus temere violatis deceptos viderent, Doſitheum alienæ Eccleſiæ occupationis accuſarunt, atque nihil licet non agẽte pro eius defenſione Imperatore, eiecerunt: qui ſic, vt canis Æſopicus, & ſedem quam tenuerat amiſit (nã alius Hieroſolymis iam electus erat) & maiore cui inhiauerat excidit, magno vaſorum cuſtode *Georgio Xyphilino* Patriarcha deſignato. Hæc Nicetas: ex quibus initium ſedis Xyphilini ſtatuendum eſſe videtur anno ſequenti, quo & alii illud collocarunt: quamuis non deſint, qui ex eo quod ſediſſe dicatur annos ſeptem, & peruenisſe vſque ad primam inductionem, annum ſcilicet Redemptoris milleſimum centeſimum nonageſimum octauum; eius introitum ponant anno milleſimo centeſimo nonageſimo primo.

[Theod. Balſam. ſibi illuditur.] [Xyphil. Patriar.]

V. [Theod. Balſ. quo animo ſcripſerit Nomocan.]

Huic autem Xyphilino prædictus *Theodorus Balſamon* obtulit Comentarium ſuper Canones, imperatum olim ipſi opus ab Emanuele Auguſto, & Michaele Anchialo Patriarcha Conſtantinopolitano. Qui quidem peſſime affectus in Latinos, quod ab eis detineretur Eccleſia Antiochena, cuius ipſe Patriarcha ſe dicebat; (ſicut & dictum eſt ſuperius de aliis Græcis, qui nomine tenus tam ad illã, quam Hieroſolymitanam ſedem promouebantur, cum illic conſiſtere à veris Patriarchis Latinis prohiberentur) toto opere illo, ſumma animi amaritudine à ſe conſcripto, nihil magis curauit, quam vt infamaret Latinorum eccleſiam principalem, Romanam Sedem, cuius auctoritate ab Antiochena ſe excludi cognoſceret. Vt autem id ageret inprimis homo vaferrimus conſueta arte Pelaſga, apocrypha in ſua collectione miſcuit cum authenticis, nempe Canones, Apoſtolorum dictos, ab Eccleſia Catholica numquam plene probatos; itemq; reiectos alios, appoſitos mentitos canones ad Sextam Synodum ex quibus tamquam pharetris ſagittas ſumpſit contra cælibatum Eccleſiæ Occidentalis, Ieiunium Sabbati, & alia id genus. Ac demum, quod nemo alius Græcorum antea fecerat, ex Actis Silueſtri Papæ, ſub Euſebij Cæſarienſis falſo nomine Græce ſcriptis, prodidit edictum Conſtantini de Donatione; non vt rem gratam faceret Romanę Eccleſię, ſed vt Chriſtianopolitanum Patriarchatum oſtenderet antiquiſſimum, quod quidem quam falſum ſit, oſtendimus ſuo loco: egimuſq; pluribus ſub Conſtantino [f], tam de hac ipſius Theodori fallacia, quam de impoſtura aſſertę Donationis, & quo loco Acta Silueſtri haberi debeant.

[f Sup. an. 324. ...]

VI. [De meditatis Balſam.]

Sed parua viſa ſunt iſta Theodoro, quæ aduerſus Latinos in duobus iis libris euomuit Nomocanonis. Longe enim execrabiliora ſunt, quæ habet idem in Meditatis, ſiue Reſponſis de Patriarcharum priuilegiis, necnon in Reſponſione ad Marcum Patriarcham Alexandrinum; quæ omnia continentur in codice Iuris Orientalis: in quibus aſſeritur Romanus Pontifex iure apud Græcos eſſe penitus execrabilis, nullaque commemoratione eorum in ſacris dignus, fuiſſeque à quatuor Patriarchis Orientalibus excommunicatus. Quæ cum ſcriberet (vt teſtatur in exordio) anno Redemptoris milleſimo ducenteſimo ſecundo; factum eſt, vlciſcente Deo immaniſſimum ſacrilegium, vt biennio poſt capta fuerit à Latinis ciuitas Conſtantinopolitana, & illi Eccleſię datus Patriarcha Latinus, qui obediret Romano Pontifici. Fuiſſeque etiam ex ipſis Græcis, qui aduerſati ſunt prædictæ Reſponſioni Theodori de non communicando cum Latinis; teſtis eſt Demetrius Chomaterus Archiepiſcopus Bulgariæ in Reſponſionibus ad Conſtantinum Cabaſylam Archiepiſcopum Dyrrachij, quæ extant in eodem tomo Iuris Orientalis, vbi & ipſe aduerſus illum docet, Latinos à Græcis numquam vt hæreticos fuiſſe publice damnatos; ſed & ipſos ſimul cum Græcis cibum ſumere conſueuiſſe, & precari; atque item Græcos Latinorum adire eccleſias, & cum eis orare, & ſacrificiis intereſſe. Quare cum à ſui ipſis erroris redarguatur atque perfidiæ Balſamon, opus non eſt vt à nobis amplius corrigatur, omni ipſe execratione dignus.

[Græcorum cum Latinis continuata communio.]

VII. [g Nicet. in Iſaac l. 6.] [Pſeudo. Alex. tyran. dat pœnas.]

Hoc eodem tempore (vt Nicetas [g] habet) nouus quidam tyrannus pſeudoAlexius Imperium noua arte inuadens, occiſus eſt dormiens à quodam ſacerdote; cito dans pœnas de Perſis contra Romanos incitatis, iiſdemque in celebre templum Michaelis Archangeli apud Chonas introductis; vbi Chriſti & Sanctorum Imagines comminuerunt, & ſacroſanctam menſam euerterunt. Sed hæc ille pluribus.

IESV CHRISTI AN. 1194.

[Henrici V. 4. Iſaac. Ang. 9.]

CÆLESTINI III. AN. 4.

I. [Cauſa Epiſc. Eborac. Fr. Ang. dilata ad Sed. Ap.]

Anno Chriſti milleſimo centeſimo nonageſimo quarto, Indictione duodecima, cum ad Sedem Apoſtolicam multiplices accuſationes delatæ eſſent aduerſus Gaufredum Archiepiſcopum Eboracenſem fratrem Regis Angliæ, à Clero illi' diœceſis; videlicet quod officium ſuum vilipendens, venatione, aucupio & aliis militaribus curis inutiliter occuparetur; itemq; quod approbatas conſuetudines Eccleſiæ ſuæ euerteret, & appellationes ad Sedem Apoſtolicam contemneret ac prohiberet, bona clericorum expilaret, aliaque illicita perpetraret: Cęleſtinus Papa iudicibus incorruptiſſimis, nempe S. Hugoni Epiſcopo Lincolnienſi, ac duobus aliis collegis æque probatæ virtutis viris, cauſam cognoſcendam delegauit. Et ad minuendas vires eiuſdem Archiepiſcopi, exaltauit æmulum eius Hubertum Cantuarienſem Archiepiſcopum, creans eum Legatum in vniuerſa Anglia, atq; adeo (quæ ſemper excipi conſueuerat) in diœceſi Eboracenſi. Qui confeſtim Eboracum proficiſcens, CONCILIVM ibi celebrauit, ad recte componendam Eccleſiaſticam diſciplinam; cuius duodecim canones recitat Rogerius. Eodemque auctore [a] conſtat, ipſum Gaufredum præueniſſe citationem iudicum delegatorum, appellatione ad Sedem Apoſtolicam; ſed quod neglexerit die conſtituto eam adire, ſuſpenſum eſſe ab officio, & curam diœceſis Eboracenſis, tam rerum ſpiritualium quam temporalium, commiſſam eſſe Decano illius Eccleſiæ cum cõſilio Canonicorum. Porrò proficiſcens ipſe tandem ad Sedem Apoſtolicam, benigne exceptus eſt à Cæleſtino Papa, qui non tam iudicare, quam concordare eum cum aduerſariis laborauit. Sed non valuit eius cauſa abſolui ſub ipſo Cæleſtino, dilataque eſt vſque ad tempora Innocentii eius ſucceſſoris.

[Concil. Eborac.] [a Roger. in Ann. Ang. hoc & ſeq. an.]

II. [b Arnol. Lubec. l. 4. c. 23.] [Canonizatio S. Bernardi.] [c ap. Sur. 20. Nou. & in ... S. ... Maii.]

Hoc eodem [b] anno à Cæleſtino Papa relatus eſt inter Sanctos, cultu publico celebrandus in Eccleſia Catholica, *S. Bernardus* Hildenshemenſis Epiſcopus, anno ſeptimo ab eius obitu: tranſlatumque eſt ipſius corpus in eccleſiam S. Mariæ ſolemni ritu, non ſine virtute miraculorum. Hæc autem quomodo facta fuerint, deſcripſit [c] auctor eius ſæculi; qui ait ea contigiſſe anno Domini milleſimo centeſimo nonageſimo quarto, Pontificatus Cæleſtini quarto, & Imperii Henrici pariter quarto.

III. [Laeſ. Siciliæ ...]

Quo item anno (vt tunc ſcriptum habet Chronicon Foſſæ nouæ) Henricus Imperator deceptos ſuis ſacramẽtis Principes ac nobiles Siculos, bonis ac dignitatibus pri-

uatos, diuerſiſque cruciatibus exagitatos, in Germaniam ſecum vinctos duxit; vna cum Rege puero filio Tancredi, ac Regina matre, & puellis, vniuerſoque theſauro. Nec vero tantum laicos, ſed etiam Epiſcopos & Archiepiſcopos, eodem modo captiuos abduxiſſe, patet ex epiſtolis[d] Innocentii Papæ, quas poſt obitum Henrici ſcripſit pro reducendis in Siciliam Regina ac liberis, aliiſque captiuis, qui vſque ad ea tempora ſunt infelici conditione in Germania detenti. Quod vero ad theſauros expilatos attinet; habet Arnoldus[c] Abbas Lubecenſis, Henricum inueniſſe in gaza Regis Tancredi, lectos, & ſedilia, ac menſas ex argento vaſa autem eorum ex auro puriſſimo; repertiſſeque theſauros abſconditos, cum multa lapidum pretioſorum & gemmarum copia: ita vt centum quinquaginta iumenta iiſdem onuſta in terram ſuam perduxerit; præter alia plurima, quæ poſtea detecta ſunt.

HENR. IMP.

d Inn. Tert. ep. 24. 25. 26.

c Arnol. ... Slau. ... cap. 20. ... CAPTIVI ... DE-LATA IN GERMAN.

IESV CHRISTI AN. 1195.

HENRICI V. 5. ALEXII ANG. 1.

CÆLEST. III. AN. 5.

I. ANno Chriſti milleſimo centeſimo nonageſimo quinto, Indictione decimatertia, Cæleſtinus Papa à Richardo Rege Angliæ per Legatos interpellatus aduerſus Leopoldum Ducem Auſtriæ, pro reſtituenda pecunia, quam ille iniuſte ab eodem Rege pro ipſius redemptione exegiſſet, ac dimittendis obſidibus, qui pro alia pecunia adhuc ſoluenda in vinculis detinerentur: idem Pontifex poſt trinam admonitionem, quam Dux exaudire recuſauit, eum nominatim excommunicauit, eiuſque terram interdicto ſubiecit. Cum vero ille hæc omnia contemneret, diuina eum vltio apprehendens, totam eius terram incendiis, inundationibus, ſterilitate, mortalitate, diriſſime afflixit. Ac denique cum nec ſic conuerteretur, ſed magis induratum eſſet cor eius, ipſemet terribiliter percuſſus eſt. Siquidem equitante illo, equus cui inſidebat violenter pedem offendens, tibiam cum pede inſanabiliter contriuit: nec valuit vlla medicorum arte effici, quin ignis quem infernalem vocant, tumori admixtus, etiam poſt abſciſſum pedem, totum corpus inuaſerit. Ex quo tandem culpam agnoſcens, ſuadentibus Epiſcopis qui aderant, præcepta Pontificis impleuit: & ab iiſdem à ſententia excommunicationis abſolutus, cum intolerabili cruciatu ſpiritum exhalauit. Eius vero corpus diutius iacuit inhumatum, donec horribilibus vermibus ſcateret, eo quod filius eius mandatum ipſius de reddenda pecunia & obſidibus exequi nollet: quod tandem ab amicis compulſus præſtitit. Narrat hæc pluribus Rogerius, & Matthæus Paris, atque Neubrigenſis[a].

DIVINA VLTIO IN DVCEM AVSTRIÆ.

a Neubrig. lib. 5. ...

II. Atqui Auſtriæ Ducem excommunicauit Cæleſtinus Papa, nequaquam abſtinuit à cenſura Henrici Imperatoris: ſed & cum aduerſus eum inſtaret pariter Rex Anglorum, vt quod male ab eo exegiſſet reſtitueret, ac quod exigendum remaneret omnino remitteret, atque ille de his à Pontifice commonitus, non obediret; eumdem Pontifex anathematis ſententia condemnauit, in qua miſer ad obitum vſque permanſit. Porro fuiſſe adhuc laborandum Innocentio Cæleſtini ſucceſſori in harum reſtitutionum contentionibus, docent quæ extant ipſius[b] datæ ad diuerſos eo argumento literæ Apoſtolicę.

HENR. IMP. EXCOMMVNICATVR.

b Inn. Tert. l. ep. 230. 236. 248.

III. Inter hæc vero Cæleſtinus, audita diſcordia inter filios Saladini poſt mortem patris conflata, feruenti ſtudio promouere ſatagens negotia Terræ Sanctæ, miſit per Chriſtianum Orbem Legatos, vt cunctos Principes ac populos ad nouam expeditionem excitaret. Recitantur enim à Rogerio & Matthæo Paris, ipſius ea de re ſcriptæ in Angliam literæ: & apud Arnoldum[c], & Neubrigenſem, eſt mentio Gregorii Cardinalis ad hoc in Germaniam miſſi; vbi & tradunt, illam expeditionem magno affectu ab Henrico Imperatore, aliiſque Germaniæ Principibus paratam eſſe.

c Arnold. Chr. Slau. lib. ... d Neubrig. lib. 5 cap. 20.

IV. Quod ſpectat ad res Orientalis Imperij; Iſaacius Imperator in ordinem redactus eſt ab ALEXIO ANGELO, & in carcerem detruſus, cum imperaſſet annos nouem & menſes octo. quæ pluribus proſequitur Nicetas.

ALEX. ANG. IMP.

IESV CHRISTI AN. 1196.

HENRIC V. 6. ALEXII ANG. 2.

CÆLEST. III. AN. 6.

I. ANno Domini milleſimo centeſimo nonageſimo ſexto, Indictione decimaquarta, Cæleſtinus Papa literis Bellouacenſis Epiſcopi rogatus ſcribere ad Regem Angliæ pro ipſius liberatione, qui dimicantibus inter ſe Francis & Anglis, præter fas iuſque Eccleſiaſticum, armatus aduerſus Anglos progreſſus, ab iis captus fuerat: quãuis eumdem Epiſcopum acriter redargueiit de armorum tractatione, egit nihilominus ſollicite apud Regem pro eius liberatione. Sed Rex miſſa lorica Epiſcopi ad Papã, *Vide*[a] (inquit) *an tunica filii tui ſit, an non?* Cui Papa, *Non filius meus eſt, vel Eccleſiæ. Ad Regis igitur voluntatem redimatur, quia potius Martis, quam Chriſti miles iudicatur.* Hæc Matthæus Paris; quæ pluribus recenſet Rogerius.

DE BELLOVACENSI EPISC. IN BELLO CAPTO.

a Gen. 37.

II. Hoc eodem anno Henricus Imperator, ſub prætextu expeditionis Terræ Sanctæ, cum ingenti exercitu veniens in Siciliam, diram perſecutionem mouit aduerſus omnes quos ſciret ex Northmannorum gente deſcẽdere, & eos inprimis qui alium in Regem erexiſſent: quorum aliquibus diademate impoſito, clauis acutiſſimis caput cum ipſo diademate transfixit; alios pedibus ad caudas equorũ ligatos, per plateas tractos, patibulis affixit; alios ſuſpendio, vel incendio, aut aliis etiam atrocioribus ſuppliciis affecit. Eoque eius carnificina proceſſit, vt Conſtantia Auguſta ipſius coniux, propago Northmannorum Regum, indigne ferens gentem ſuam ita demeti, aduerſus virum armauerit exercitum: adeo vt Imperator coactus aufugere, præſidio munitiſſimo ſe incluſerit, in patriam regreſſurus ſi per hoſtes licuiſſet. Narrantur iſta in Chronico Foſſæ nouæ, & ab Arnoldo[b], & Rogerio: quę præſenti anno cœpta, in ſequentem propagata ſunt.

HENRICI IMP. IMMENSA CRVDELITAS IN SICVLOS.

b Arnol. l. 5 c. 2.

IESV CHRISTI AN. 1197.

HENRICI V. 7. ALEXII ANG. 3.

CÆLEST. III. AN. 7.

I. ANno Domini milleſimo centeſimo nonageſimo ſeptimo, Indictione decimaquinta, Henricus Imperator in regno Siciliæ coniugi deferens, quas ipſa voluit conditiones accepit. Quod enim maiora meditaretur, ne præpediretur bello domeſtico, pacem quæſiuit. Cum autem claſſe potens in Siciliam perueniſſet, haud mediocrem timorem incuſſit Alexio Conſtantinopolitano Imperatori, dum ad eum miſit legationem acerbiſſimam, qua ab ipſo peteret quicquid terrarũ olim occupaſſet Willelmus Siciliæ Rex ab Epidauro vſque Theſſalonicam, vel vt pro his tributum ingens penderet. Qua legatione adeo concuſſus eſt Alexius, vt tributi duram conditionem minime reiiciendam eſſe putarit. Cuius occaſione expilatas tradit Nicetas fuiſſe eccleſias & monaſteria, atque etiam Imperatorum refoſſa ſepulchra, vt aurum imperatum colligi poſſet, cuius ſumma erat talentorum ſexdecim auri puriſſimi; quod tunc ab eis qui ſoluebant, appellatum eſt *Tributum Alemannicum*. Sed illud male collectum videre non meruit, qui indicendum iuſſerat Henricus Imperator, tunc ex humanis exemptus: cuius interitu reſpirauit Alexius. Hæc autem prolixiori tractatu Nicetas eſt proſecutus.

HENR. IMP. TRIBVTVM PETIT AB IMP. CONST.

II. Sed quod ad obitum Henrici ſpectat; tradit Rogerius, ipſum poſt factam reconciliationem cum vxore & magnatibus Siciliæ, cœpiſſe ægrotare, ac miſiſſe ad Richardũ Regem Angliæ Legatos pro repenſatione pecuniæ ab eo exactæ, ſiue in auro & argento, ſiue in terris: ſed dum Legati eſſent in itinere, ipſum in vigilia S. Michaelis, die vigeſima octaua menſis Septembris apud Meſſanam

HENR. IMP. OBITVS CVI VETITA SACRA SEP.

obiiſſe

obiiſſe excommunicatum à Cæleſtino Papa ob captionem & vexationem Regis Angliæ: atque ideo Pontificẽ prohibuiſſe ne corpus illius ſepeliretur, niſi de conſenſu eiuſdem Regis, & niſi pecunia quam ab eo extorſerat redderetur. Condidit autem ante mortem teſtamentum valde pium, quo pœnitentia rapinarum ductus, non ſolum per filium ſuum (vt poſtea ſcripſit Innocentius[a] Papa ad Richardum Regem) ipſi Richardo reſtituendum mandauit quod ab eo extorſerat, & niſi faceret, per Sedem Apoſtolicam cogeretur, ſed etiam (vt habetur in Actis Vitæ eiuſdem Innocentii antiquitus ſcriptis) Eccleſiæ Romanæ exhiberi iuſſit omnia iura, quæ à Regib. Siciliæ ei reddi conſueuiſſent; & vt ſi filius ſine herede decederet, eadem Sicilia ad ipſam Eccleſiam Romanam deueniret: inſuperque alia plura eidem reſtitui ordinauit. Quamobrem tradit Rogerius, eo defuncto magnam partem Tuſciæ, quam idem Imperator & prædeceſſores eius abſtulerant, redditam eſſe Cæleſtino Papæ: Itemq; Siciliam, Calabriam, Apuliam, & omnes terras quæ fuerant Regis Siciliæ, ſicut proprium patrimonium S. Petri, æque ei exhibitas eſſe: ſed ipſum in eis conſtituiſſe Regem, Fridericum Henrici & Conſtantiæ filium, acceptis ab eodem duobus millibus marcharum argenti. De aliis vero Henrici legatis, addit Matthæus Paris, eum reliquiſſe Capitulo Ciſtercienſium tria millia marcharum argenti de Redemptione Regis Richardi, ad thuribula per totum Ordinem facienda argentea: verum Abbates tam ipſum Imperatorem, quam donum eius deteſtantes, renuiſſe de turpi quæſtu acquiſitum donum eius recipere.

[a] Inn. Tert. ep. 110.

EIVSDEM ESIAM.

III. DE NATALIBVS FRIDER. II.

Quod autem ſpectat ad Fridericum filium Henrici; tradit Rogerius, Conſtantiam Imperatricem antequam Cæleſtinus Papa conferret ei regnum Siciliæ, tactis ſacroſanctis Euangeliis iuraſſe, eum natum fuiſſe de legitimo matrimonio prædicti Henrici & ipſius Conſtantiæ. Iure enim viſus eſt Pontifex exegiſſe ab ea eiuſmodi iuramentum, eo quod ſuſpiciones increbuiſſent Fridericum fuiſſe partum ſuppoſitum. Tantumque abfuit, vt per iuramentum Conſtantiæ, ſparſus ſemel rumor abolitus fuerit, vt etiam ex fabuloſis[b] colorum pigmentis acceperit incrementum. Qui & fidem ſibi conciliauit ex portentoſo mẽdacio: quo aſſerebatur, ipſam tunc Conſtantiam cum filium peperit, annorum fuiſſe quinquaginta quinque, vel etiam ſecundum alios ſexaginta, quæ ætas vt plurimum in feminis natura impotens eſt filiis generandis. Verum cũ eam ſuperius viderimus poſthumam fuiſſe, ipſiuſque patrem Rogerium deceſſiſſe (ſecundum Robertum[c], & Fazellum[d],) anno Domini milleſimo centeſimo quinquageſimo quarto, vel ſecundum alios qui plus habent, ad finem anni milleſimi centeſimi quinquageſimi ſecundi; rurſumque verior ſententia habeat, Fridericum natum eſſe anno milleſimo centeſimo nonageſimo tertio: ex his plane elicitur. Conſtantiam eo anno milleſimo centeſimo nonageſimo tertio, non niſi triginta octo, vel ad ſummum quadraginta annorum ætatis fuiſſe; qua feminas poſſe parere, quotidiana docent exempla: cum & alioqui Phyſici[e] confirment in aliquibus accidere, vt etiam vſque ad ſexageſimum annum concipiendi tempus extendatur, vna cum menſtruorum fluxu.

[b] Vid. Crantz. in Metrop. Saxon. li. 7. ca. 8.

[c] Rob. in Append. ad Sigeb. an. 1154.

[d] Fazel. lib. 1. ca. 3.

[e] Paul. Æginet. lib. 3. cap. 60. Aet. ser. 16. c. 4.

IV. Ceterum cum hoc eodem anno, paulo antequam Hẽricus ægrotare incœpiſſet, ipſis Calendis Septembris (vt Arnoldus Lubecenſis Abbas, qui tunc viuebat, teſtatur) claſſis eius ſoluiſſet Meſſana Orientem verſus, ſub ductu Conradi Hildeſemenſis Epiſcopi Imperatoris Cancellarii; & feliciſſima vſa nauigatione perueniſſet in Palæſtinam ad portum Accon vigeſima ſecunda eiuſdem menſis: poſt aliqua proſpere geſta[f], audito aduentu filii Saladini aduerſus eos, ſimulque accepto nuntio de obitu Imperatoris, omnes Duces exercitus arripuere fugam, & quidem ignominioſam, cum præſertim milites eſſent parati ad prælium. Remanſere Archiepiſcopus Moguntinus, & Verdenſis, ſancti propoſiti tenaciores. Quorum Moguntinus miſſus fuit ad coronandum Regem Armeniæ: qui audito exercitus aduentu, miſſis Nuntiis gratulatus eſt de rebus geſtis, ac paratiſſimum ſe dixit Romano ſubdi Imperio, ſi coronam ab eius Nuntio mereretur accipere. Ita apud Arnoldum[g]: ſed expunctum in eo fuiſſe ab aliquo Nouatore nomen Romani Pontificis, cuius præcipue auctoritate ea ſunt in Armenia geſta, tum ſequentia eiuſdem auctoris docent, dum ait gloriam hanc fuiſſe Romanæ Eccleſiæ, vt non ſolum in ſpiritualibus, ſed etiam dilataretur in temporalibus, cum etiam Reges Tranſmarini eo titulo affectarent inſignia: tum aperte manifeſtant literæ[h] Gregorii Catholici Armeniæ (ſic enim vocabant Patriarcham ſuum) ſcriptæ anno ſequenti ad Innocentium Papam Tertium Cæleſtini ſucceſſorem, anno primo ipſius Pontificatus, quibus ſe penitus ei ſubiicit, gratiaſque agit de impertita corona Regi ſuo Leoni: cuius etiam extant[i] ad eumdem Pontificem literæ, ac rurſum aliæ à Pontifice ad vtrumque illorum redditæ. Denique ipſum Moguntinum Archiepiſcopum, qui Regem coronauit, fuiſſe S. R. E. Cardinalem Epiſcopum Sabinenſem, patet ex eiuſdem Innocentii epiſtolis[k]. Addit autem Arnoldus, eumdem Moguntinum glorioſe expleto negotio, pacem compoſuiſſe inter ipſum Regem Armeniæ & Principem Antiochiæ, quorum diſſenſione non modicum Eccleſia Dei in partibus illis turbata fuerat.

[f] Arnol. Chron. Slauor. li. 5. c. 2. & ſeqq.

MOGVNT. ARCHIEP. CORONAT REGEM ARMEN.

[g] Id. li. 6. cap. vlt.

[h] ep. Innoc. Tert. l. 2. ep. 206.

[i] Id. ep. 207. 208. 209.

[k] Id. ep. 205. 207.

V. REDDITI MONACH ANGLI ECCLESIÆ SVÆ.

Hoc item anno Cæleſtinus Papa, cauſa cognita, ſententiam reſcidit Clementis prædeceſſoris ſui ſurreptitie extortam; cuius auctoritate Hugo de Nonant Epiſcopus Ceſtrenſis ſiue Couentrenſis, vi & armata manu, eiectis ab Eccleſia ſua monachis, in eorum locum introduxerat Canonicos ſæculares: Cæleſtinus autem Anglicanorum monachorum pulſatus querelis, Archiepiſcopo Cantuarienſi mandauit, vt expulſis canonicis monachos reſtitueret: quod & factum eſt. Recitat hæc narrans Rogerius eius temporis auctor, ipſius Cæleſtini ea de re ſcriptas ad Cantuarienſem literas: ex quib. mendacii redarguas Matthæum Paris, monachum S. Albini in eadem Anglia; qui ad hoc tantum viſus ſuſcepiſſe prouinciam ſcribendi hiſtoriam, vt Romanos Pontifices carperet, more ſuo Innocentium Cæleſtini ſucceſſorem perſtringit, quod primo negata cum amara indignatione monachorum petitione, deinde metu prænuntiatæ illi ab vno eorum mortis, inuitus tandem indulſerit. Vt ab hoc vno tam patenti mendacio, cetera eiuſdem auctoris diſcas & caueas. Ceterum increbuiſſe his temporibus vſque ad Innocentii primordia, falſariorum ingentem numerum, qui nomine Sedis Apoſtolicæ quas vellent literas ſcriberent, eſt grauis querela eiuſdem Innocentii[l], ſcribentis ad Rhemenſem Archiepiſcopum Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem. Et quod ad Angliam, de qua agitur, ſpectat, teſtis eſt Rogerius, clericum Archiepiſcopi Eboracenſis anno ſuperiori Romæ ad mortem ægrotantem, publice confeſſum ſe multa falſa ſcripta nomine Romanæ Eccleſiæ in Angliam miſiſſe. Talibus autem prędictum Hugonem de Nonant abuſum eſſe, haud difficile erit perſuadere iis qui apud Rogerium legerint, quę ipſę in extremis laborans de flagitioſa ſua ante acta vita pœnitens coactus eſt, exigente conſcientia confiteri; cum & inter alia vehementer doluit, quod expulſis monachis Couentrenſibus, in eorum locum irreligioſos clericos introduxiſſet. Quare ad illius reatus ſatisfactionem elegit mori in monaſtico habitu, & in omnium ſuorum ſcelerum pœnitentiam petiit ſibi imponi, vt eſſet in pœnis Purgatorii vſq; in diem Iudicii, vt tunc per miſericordiam Redemptoris ſaluus fieret.

DE HISTORIA MATTH. PARIS.

[l] Id. l. 1. ep. 235.

FALSARII LITER. APOST.

VI. CONTROVERSIA INTER ARCH. ROTHOM. ET REG. ANGL.

Hoc pariter anno coram Cæleſtino Papa delata, & cõpoſita eſt controuerſia, quæ diutius agitata fuerat inter Archiepiſcopum Rothomagenſem & Regem Anglię, eo quod Rex contradicente Archiepiſcopo muniſſet caſtrum eius eccleſiæ dictum Andeli, valde opportunum ad reprimendas inuaſiones Francorum in Northmanniam. Archiepiſcopus autem, reiecta æqua compenſatione ipſi à Rege oblata, cenſuris perculiſſet miniſtros Regis, & prouinciam interdicto ſubieciſſet. Vtraque porro parte à Pontifice audita, ipſe ſequeſtrem potius agens, quam iudicem; attendens damna quæ acciderent Northmanniæ niſi locus ille muniretur, conſuluit Archiepiſcopo

vt cum

vt cum Rege [illegible] componeret, & ab eo ſufficientem compenſationem reciperet, ſecundum æſtimationem hominum proborum & peritorum; aſſerens licere Regi, & cuilibet Principi, infirmiora terræ ſuæ loca munire, cum inde damnum ſibi & ſuis timetur. Habet hæc Rogerius in Annalibus, de quibus etiam agit Neubrigenſis [m].

[m] Neubrig. lib. 5. c. 21. & 24.

VACAT IMP. OCCID. 1. ALEXII ANG. 4.

IESV CHRISTI AN. 1198.

INNOC. III. AN. 1.

I. CÆLEST. P. OBITVS.

ANNO Domini milleſimo centeſimo nonageſimo octauo Indictione prima, ſexto Idus Ianuarii, CÆLESTINVS Papa ſenio & graui morbo laborans, Romæ ex hac vita migrauit, cum ſediſſet annos ſex, menſes nouem, minus duobus diebus: ſepultuſque eſt in eccleſia Lateranenſi. Ante vero quam moreretur, cum cœpiſſet ægrotare (inquit Rogerius) conuocatis coram ſe vniuerſis Cardinalibus, præcepit vt tractarent de ſucceſſore eligendo: cumque ipſe valde cuperet, Ioannem de Sancto Paulo preſbyterum Cardinalem tituli S. Priſcæ, de cuius ſapientia, ſanctitate, & iuſtitia plurimum confidebat, ſibi ſuccedere; obtulit ſeipſum deponere à Papatu ſi Cardinales conſentirent in eius electionem. Sed omnes vna voce reſponderunt, ſe nolle illum conditionaliter eligere, eſſeque inauditum vt Summus Pontifex ſe deponeret, cum & alioqui ceteri omnes ſinguli Cardinales, cuperent ipſimet ad Pontificatum euehi. Hæc ex Rogerio.

II. ORDO TEVTONICORVM, ET ALII.

Fuere eiuſdem Cæleſtini digna alia factorum monimenta, quæ certis eius Pontificatus annis non ſunt affixa: & inter alia, confirmatio religioſæ militiæ Ordinis TEVTONICORVM. Rogatus enim ab Henrico Imperatore, donauit eoſdem veſte alba & Cruce nigra, ſubiecit vero Regulæ S. Auguſtini. Cenſiti autem ſub eo Ordine non niſi nobiles, idemque Germani; qui magnitudine animi digna ipſorum generoſitate edidere facinora, quæ alii ſcriptorum memoriæ commendarunt. Quo etiam tempore florebant Hiſpaniæ ſacris Ordinibus militaribus S. IACOBI, & CALATRAVAE. Porro Teutonici aucti ſunt LIVONIENSIBVS, qui ſe illis iunxere.

III. INNOC. III. CREATVR PAPA.

In locum autem Cæleſtini, eadem ipſa die qua ille deceſſit, ſuffectus eſt Romanus Pontifex Lotharius diaconus Cardinalis SS. Sergii & Bacchi, patria Anagninus ex Comitibus Signiæ, doctrina & pietate inſignis; dictuſque INNOCENTIVS Tertius: de quo alias, ſi Deus dederit.

* * *

Digitized by Google

ANNALIVM ECCLESIASTICORVM, TOMVS DECIMVS TERTIVS,

AB ADMODVM R. P. FR. ABRAHAMO Bzouio, SS. Theol. Doct. Ordinis Prædicatorum antehac editus, nunc autem in epitomen redactus.

IESV CHRISTI Annus 1198.

INNOCENTII PApæ III. An. 1. — ALEXII COMNENi Imp. Or. An. 4.

I. Innocentii III. vita ante Pontificatum.

CVm ineuntis anni auſpicia luctuoſo occaſu ſuo Cæleſtinus III. Pont. Optim. funeſtaſſet, nihil ſibi antiquius illi, penes quos ſumma rerum, faciendum duxerunt, quam dignum concordibus omnium ſuffragiis ad Pontificiam tiaram euocare. Ad ſextum enim Id. Ianuar. [a] exequiis ex more de mortuo perſolutis, omnium Purpuratorum Patrum conſenſu ad Pontificatum Catholicæ Eccleſiæ euectus eſt Ioannes Lotharius Diaconus Card. SS. Sergii & Bacchi, patria Anagninus, ex Comitibus Signiæ patre Traſimundo natus. Lutetiam Pariſiorum adoleſcens miſſus, tantum in virtute atque eruditione profecit, vt ad ſacrarum litterarum profeſſionem admotus, eam cum laude omnium tanquam primarius eiuſdem æui Doctor obiuerit. In Patriam reuerſus [b] primum quidē Eccleſiæ Anagninæ, deinde vero Baſilicæ D. Petri Canonicus Sacerdotem Dei ſeſe integritate morum, reique Eccleſiaſticæ propagandæ tuendęque cura re-uera exhibuit. Quamobrem à Clemente III. Pont. in Cardinalem electus, ſacram purpuram verbo, ſcriptione, exemplis aliiſque præclare pro Eccleſia ſuſceptis, geſtiſque feliciter rebus ornauit. Aurea nonnulla opuſcula Cardinalis ſcripſit, de Miſeria Humanæ conditionis, de Officio Miſſæ. de Sacramento Baptiſmi, in 7. Pſalmos, quos Pænitentiales vocant: Item ſermones aliquos, quos ad Clerum & Populum dixit in Laterána Baſilica, aliaque multa, quæ ſummam eruditionem ſpirant.

a MS. Lib. Vita Inn. ex Archiuo Antonian. apud Card. de Comitibus.

b li. 1. ep. 281 Onuphr. Vſperg. Sigonius.

II. Electio eius ad Pontificatum.

Annos natus 37. tantam ſui admirationem apud omnes excitauit, vt Cæleſtinus ſeſe ſummo Pontificio abdicare, ſi modo hunc ſibi ſufficere Patres vellent, edixerit, ipſique Cardinales digniorem hoc in gremio ſuo, quem ad eum apicem legitime ſurrogarent, non inuenerint. Quicquid licet in contrarium *Vignerius Gallus* vel callide vel ironice obſtrepat.

III. Præſagia futuræ maieſtatis.

Et quidem non ſine præclaris futuræ magnitudinis præſagiis. Secundum namque quietem quiſpiam viderat eum matrem ſuam ducere in vxorem, & dum de illo euehendo Patres deliberarent, columbam vnam candidiorem ex tribus in conclaue ad dexteram Lotharii inuolantem, in eiuſdem humero conſediſſe. vnde Numinis diuiniore afflatu ad ſummum Sacerdotium exaltari dictabant omnes.

Iuramentum fidelitatis quod ab Romanis exigi poſt electionem ſolemne Pontificibus eſt, non prius accepit, quam ſacris initiaretur. Quo ad 8. Kalend. Mart. ipſo Cathedrę D. Petri feſto peracto, Innocentii ſibi nomen indidit, literiſque Encyclicis ex priſco more ad vniuerſos Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Reges, Principes; Clericos, populumque Chriſtianum datis, aſſumptionem ſuam aperuit, & nominatim ad [c] Patriarcham Hieroſolymitanum eiuſque in Oriente Clerum, vt inſufficientię ſuę memores eundem ſuis precibus apud Deum adiuuarent, & in partem oneris vocati Vicariam operam gratioſe conferrent, quandoquidem impar tantæ dignitati eſſet, prolixe ex ſacra pagina ſuam inhabilitatem, viriumque defectum demonſtrans. *Laterani ad 5. Id. Ian.*

Philippum quoq; Galliarum Regem continuandæ erga ſedem Apoſtolicam fidelitatis admonet, matremque ſuam Rom. Eccleſiā ad inſtar patris ſui Ludouici, vti Chriſtianum Principem, & ſpecialem eiuſdem filium deceat, veneretur ac propugnet, ſe quoq; paternam erga Regem regnumque ſollicitudinem non depoſiturum.

Porro Philippus ſterili matre diuinitus natus, Adeodatus paſſim vocabatur, vti & *Rogerio* teſte, Auguſtus, quod crebris victoriis præ cęteris Regibus Gallici Imperii fines protuliſſet, cum proſpera tamen & nouercali fortuna, quam in ſe, Deo ſic diſponente, enormibus vitiis prouocabat. Quod patri priuſquam naſceretur oſtenſum fuit. Vidit enim in ſomnis filium ſuum calicem humano ſanguine ſpumantem dextera tenere, eundemque Principibus ſuis epotandum porrigere; quem intrepidi illi hauſerunt, quaſi filius Proceribus ſuis ad crudelitatem viā monſtraturus eſſet. Tametſi enim feliciter hoſtes tum ſuos, tū Eccleſiæ conficeret, nihilominus vel temere, vel malitioſe, vel impudenter in multos inuectus, exoſum ſe cuiuſuis ordinis & dignitatis hominibus reddidit. Annis abhinc decem Iudæi magnum ſibi dominium in Galliis vſurpare, & puerum de more raptum in Chriſti Chriſtianorumque contumeliam ſubterraneo ſpecu includere, ibidemque ipſo Paraſceues die tollere in crucem, felle & aceto potare, & tandem lancea transfixum immani vulnere immolare Intellecto, Philippus excandeſcens iuſta ira, illam ſibi crudelitatem vindicandam prorſus ſtatuit. Itaque ad 4. Kalend. Mart. Iudæos omnes in vincula coniici, bonis exui, regno eiici imperat, & nocentes cum innocentibus eodem calamitatis genere ſemel iterumque inuoluit. Ciues quippe fœnore vſuriſque vetitis exhauſerānt, prædia poſſeſſioneſque occupauerant, vrbeſque fere media ex

parte ſui iuris fecerant: alios in vinculis cuſtodiiſque ſeruiliter detinebant, & fortunis exutos in mendicorũ claſſem redegerant. In familiam maribus Chriſtianorum aſſcitis ad opes accumulandas, fęmellis vero ad libidines exſatiandas, abuſi fuerant. Denique ſacram ſupellectilem vaſaque Eccleſiæ ad prophanos nefandoſque ritus obeundos ſacrilege conuerterant. Quare conſulto Bernardo Anachoreta ſanctitatis fama per id temporis in ſaltu Vicennarum claro, ad D. Ioan. Bapt. diem omnes Iudæos excedere regno poſſeſſionibus mulctatos decernit, & Chriſtianiſmum profitentibus, fortunas omnes & libertatem reſtituit. Ex quo immerito ſuorum optimatum, quos Iudæi prece pretioque ſibi inclinauerant, pietaté lucris poſtponentium, inuidiam conflauit. Legem paternam in blaſphemos innouauit, reoſque ſceleris, in præterfluentem aut paludem demergi voluit. Ædileis ſeu Scabinos Pariſiis inſtituit, commune D. Innocentii cæmeterium extruxit, bonam partem vrbis mœnib. circumdedit, perplures vias lapide conſtrauit, ſaltum Vicennarum muris cinxit, Forum Pariſiis ampliſſimum ædificauit, ſacrum bellum aduerſus Saracenos Pont. hortatu ſuſcepit. Interim ſiue faſtidio terræ alienæ, ſiue incertis belli ſacri euentib. agitatus, conſilium de deſerenda Palæſtina cæpit, & non ſine infamia in patriam reuertitur, ſimulato morbo, quo ſe correptum fingebat. Quicquid de ſtabiliendo regno Characux barbarus Saladino à conſiliis captus à Francis prudentiſſime conſuleret, modo Chriſtiani Ægypti regnum occuparent, & cum terreſtribus victoriis naualem gloriam, (quandoquidem mari potirentur Latini, vrbibuſque Damiata, Alexandria & aliis Nilo incumbentibus vt priores Reges potiri facile poſſent) coniungerent, ita Regnum Hieroſolymitanum fore perpetuum.

Blond. decad. 2. l. 8.

Æmil. Sulp.

VII. Gelbergam Danam repudiatam relicta pellice recipere per Innocent. monetur. *Æmil. Sulp. l. 6.*

Maiorem autem infamiam inde ſibi inuſſit, quod Gelbergam Canuti & VValdemari Daniæ Regum ſororem coniugem in mortuæ Elizabethæ locum ſuffectam poſt trimeſtre ſpatium à thori ſceptrique conſortio deiiceret, & in remotis Galliæ partibus inter religioſas viuere cogeret, ſuperinducta Agnete Bertoldi quarti Meraniæ Ducis filia. Monebant Cæleſtinus & Innocentius, hortabantur, minabantur fulmina cenſurarum, ab Oratoribus Daniæ Regis præter indignitatem rei compulſi; at vero ille refractis honeſtatis omnis, & Regii nominis repagulis, obſtinatiſs. permanebat. Innocentius inſuper Pariſ. Epiſcopo id negotii committebat, vt ille blandis minacibuſq;, queis poſſet argumentis ab tam deformi ſcandalo, flagitioque Regem reuocaret: quod verendum eſſe Innocentius diceret in epiſtola, ne præter offenſam diuinam, & humanam infamiam, irreparabilem iacturam incurreret; tum quod ob nõ ſuſceptam prolem ex pellice regnum ad extraneos deuolueretur, ſublato forſan vnigenito filio, tum quod acerba fame, peccatis Regis ſic exigentibus Galliæ conflictarentur, tum quod ipſe Pontifex ad grauiora in ipſum decernenda procedere cogeretur. Itaque contumacem Apoſt. ſedis auctoritate percelleret. At fruſtra, illo pertinaciter vitiis ſuis inſiſtente; tametſi inſuper geminos ex ampliſſimo Cardinalium ordine Legatos in Gallias miſiſſet, qui eundem ab illicito thori commercio Agnetis Mariæ abſtraherent, legitimamque thori conſortem Gelbergam Danam vt reſumeret, ſeuere præſciberent. Hinc ſpiritualem Eccleſiæ gladium in ſe aduocauit, & Procerum ac ſubditorum acinaces virulentaſque linguas exacuit, ſomnioque paterno infelix fidem fecit.

Epiſt. 4.

VIII. Innocent. ad Crucis ſignaturam Vngariæ Regis fratrem Archiep. Strigonienſem aliosque vocat.

Porro Innocentius ne terram Sanctam diſceſſu Philippi Regis omnino deſertã relinqueret, Hungariæ Regis fratrem ad expeditionem ſuſcipiendam hortatus eſt; qui voto emiſſo obligatus Archiepiſcopum Strigonienſem eiuſdem reũ ad ſignaturam crucis quantocyus induxit, quib. religioni inprimis fuit conſcientiæ ſuæ, monitis precibuſque Innocentii ac Palæſtinæ rebus propemodum deſperatis facere ſatis. Et quia noſſet Pontifex plus virium in vitæ morumque innocentia, atque laudabili integritate, quam militari robore, bellicíſque firmamentis ſitum eſſe, nihil ſanctius præſcribendum eſſe Crucesignatis iudicauit (nimirum Patriarchæ Hieroſolymitano & ſuffraganeis ipſius, Moguntino Archiepiſcopo & Alemanniæ Epiſcopis, Thuringiæ Duci reliquiſque) quam vitę caſtimoniam, pietatem, mutuam fidelitatem pro terra S. ſaluat. ſanguine purpurata iuratis fidei hoſtibus opponere.

IX. Synopſis memorabilium geſtorum Innocent. hoc anno.

Palæſtinam Innoc. adeo curauit, neq; ab aliis grauiſſimi momenti reb. curandis abſtinuit, quas ſtrictim verbis Auctoris percenſebo. 1. à Petro Caſtello vrbis Præfecto, Oddone Palummario, Oddone Monticello, & reliquis ciuitatum Patrimonii Eccleſiaſtici Præfectis, iuramentũ fidelitatis audiuit. 2. Conradũ Sueuũ Ducatus Spoletani inuaſoré repreſſit, ſacramentũ fidei à repreſſo accepit: Ducatũ Spoletanum Eccl. Rom. recuperauit: caſtrumq; Montis S. Mariæ, in quo Conradus Octauianũ Cardinalem Legatũ ex Galliis reuertentem detinuerat, dirui præcepit. 3. Marcovvaldum Imperii Seneſchallum, impietate Aenobarbi Friderici in Eccleſiã innutritum, adeoq; tyrannum, qui fidé multoties Romanæ Eccleſiæ præſtitã violauerat, & patrimoniũ D. Petri in Aemilia & Piceno ſeu Marchia Anchonitana inuadere ac detinere præſumpſerat, atque ſæpius admonitus reſtituere contempſerat, miſſis Guidone tit. S. Mariæ Transtyberinæ, Henrico tit. S. Laurentii in Lucina, atq; Ioanne tituli S. Priſcæ presbyteris Cardinalibus ſedis Apoſt. Legatis, tum anathemate percuſſit, tũ armatis copiis profligauit. 4. In Etruriam duos Legatos Cardinales, qui apud Confœderatas ciuitates, iura Eccl. Rom. ſuper vniuerſa Tuſcia tã exponerent, quã tuerentur, deſtinauit. 5. Capuano, Reghino & Panormitano Archiepiſcopis, vt per brachiũ ſeculare, Abbaté, S. Anaſt. monaſterio intruſum eiicerent, & aliũ eligendum curarent, cõmiſit: 6. Romanorumq; Imperatrici Auguſtę, ne in electione eiuſdé Abbatis impedimentum pręſtaret, iniunxit. 7. Spirenſi, Argentinenſi, VVormatienſi & Sutrinenſi Epiſ. vt Salernitanũ Archiepiſc. à VVicelio Bercleio, Philippi Ducis Sueuiæ ſubdito, in carceré coniectum liberare ſtuderent, perſcripſit. Quod ſi is qui eum detinebat nollet dimittere, vt anathematis gladio illum percellerent, & Eccleſias totius diœceſis in qua Archiep. iniuſte detinebatur interdicto Eccleſiaſtico ſupponerent: Philippum auté Ducé Sueuię, qui propter inuaſioné ac detentioné patrimonii B. Petri & ſedis Apoſt. poſſeſſionum, excõmunicationis vinculo fuerat innodatus, ſi ablata reſtituere, & reconciliari Eccleſiæ cuperet, vt exſoluerent, poteſtaté fecit. 8. Sutrino Epiſcopo, ſedis Apoſt. nuncio, atq; cum eo vniuerſis Archiepiſ. Epiſcopis, Ducib. Marchionib. Baronib. & omnibus Alemanniæ Principibus vt Sibiliã Reginã Siciliæ, vna cum liberis, & plurimis Regni Siciliæ nobilibus in Teutonia captiuã, in libertaté reſtitui procurarent, mandauit. Quod ſi vel ipſi efficere, vel detentores eliberare captiuos cõtemnerent, Apoſt. ſedis Legatis vt in omnes ac ſingulos ſenté tiã excõmunicationis pronunciarent, & terras ac prouincias eorũ, ac præcipue vniuerſam diœceſim in qua prædicti detinebantur, vel ad quã forent tranſlati, à ſacris arcerent, præcepit. 9. Patriarchã Antiochenum, eo quod ſine Apoſt. ſedis licentia, Apamienſem electum auſus fuiſſet ad Tripolitanã Eccleſiã transferre, à confirmatione Epiſcoporum ſuſpendit. 10. Apamienſi quoq; Epiſcopo ad eũ modum tranſlato, quouſq; aliud ipſe ſtatueret, Pontificalis officii adminiſtrationem interdixit. 11. eodemq; plane modo in Abricenſem Epiſcopum, à ſuo Metropolitano ad Eccleſiã Andegauenſem tranſlatum; & in Conradum qui ex Hildeſemenſi ad Herbipolenſem: & in alium qui ex Brixinenſi ad Saltzburgenſem Eccleſiam, ſua ſponte, præter auctoritatem Romani Pontificis tranſierat, animaduertit. 12 Archiepiſcopo Strigonienſi, reformationé Monaſterii Telequi cõmiſit. 13. Abbaté S. Martini, conſpirationis cõtra Regé Hungariæ accuſatum, ad cauſam dicendã, in vrbem euocauit. 14. Regé Hungariæ, vt Monaſterium quod Comes Bichor ædificare cæperat, ad locum tutioré transferret admonuit. 15. Ferrarienſi Epiſcopo vt Conſtitutiones à ſe pro Monaſterio Nonantulenſi ſancitas, obſeruaret, mandauit. 16. Archiepiſcopo Mediolanenſi, vt Romæ ſacris initiatos, miniſterio Altaris defuncti permitteret, & ad maiores ordines promoueret, præcepit. 17. Inceſtuoſum, inter Alphonſum Regem Legionis, & Berengariam

filiam

filiam Alphonſi Regis Caſtellæ, connubium, diſſolutū eſſe voluit. 18. Reges Caſtellæ & Legionis, ſi inter ſe ex vna, & inter Regem Portugaliæ ex altera parte pactis conuentis non ſtetiſſent, excommunicationis vinculo innodari iuſſit. 9. Regem Nauarræum, cū perfidi, Saracenis contra Chriſtianos fœdus ineuntē, excommunicatione perſtringi imperauit. 10. Panormitano, Capuano, Reghino, & Montis Regalis Archiepiſcopis, & Epiſcopo Troiano, negotia Regni Siciliæ, quod in patrimonio D. Petri cenſetur eſſe, quam diligentiſſime cōmiſit. 21. Arelatenſi, Agnenſi, Ebredunenſi Archiepiſcopis & eorum ſuffraganeis, vt contra moleſtatores Monaſterii S. Victoris Maſſilienſis, ad cenſuras Eccleſiaſticas procedant, mandauit. 22. Archiepiſcopo Arelatenſi, quod ſurdus & mutus per ſigna poſſint contrahere, reſcripſit: eundemq; vt nullum clericum aut canonicum nobilitatis reſpectu, in Præpoſitum, vel Decanum eligat, niſi profeſſione & habitu Regularis exiſtat, admonuit. 23. Regi Angliæ vt bona Epiſcopo Eboracenſi ablata reſtitueret, & officium adminiſtrationis exercere permitteret, ſerio imperauit. 24. Regibus Dalmatiæ, Diocliæ, Daniæ, & Sueciæ; vt ſedis Apoſtol. Legatos benigne haberent, iniunxit. 25. Regi Nauarræ, ne prætextu iuramenti, quod inuitus fecerat, ad inceſtuoſum matrimonium, inter Regem Aragonum & ſororē ſuam, procedat, interdixit. 26. Regem Hungariæ, vt Epiſcopo Vacienſi, pro iniuriis, violentiis, & damnis illi & Eccleſiæ illatis, ſatisfaceret, ſeueritate Apoſtolicæ poteſtatis, hortatus eſt.

Epiſt. 110.

X. VValdenſes Cataros & Patarenos hæreticos in Galliis exſtirpat. a Epiſt. 95.

Gallias & præſertim Aquitaniam ab diuerſis hæreſibus recens exortis hinc inde deformatum, reſtituere Orthodoxæ fidei Innocentius conatus, præter ſalutaria per [a] epiſtolam monita etiam cum ampliſſima poteſtate F. Raynerium virum probitate vitæ & conuerſationis honeſtæ, potentem diuino munere in opere ac ſermone, vt ipſe loquitur, ac F. Guidonem virum Deum timentem, & ſtudentē operibus charitatis eodem miſit, qui cum Aquenſi Archiepiſcopo, (cui acerrimas litteras contra hæreticos cum Legatis tranſmiſit) ac ſuffraganeis illius aliiſque Prælatis id vnice curarent, vt VValdenſes, Cataros, Patarenos alioſque fæcis eiuſdem hæreticos ſtirpitus expulſum irēt, atque inciſa radice tam peſtilens virus ab nobili Chriſtianiſſimoque regno profligarent. Quandoquidem nonniſi Sathanæ Synagogæ eſſent, qui tunicam inconſutilē ſcindere molirentur, & magiſterium Rom. Eccleſiæ refugerēt. Hinc vt vulpes illæ capitibus in diuerſa diſtractis, caudis vero colligatis ſementem Domini inflammantes, vineamque dictam demolientes interciperent, Archiepiſcopo eiuſq; ſuffraganeis ſeuere præſcripſit. Deinde quicquid aduerſus hæreticos, fautores & defenſores eorundem Raynerius ſtatueret, & reciperent, & fideliter obſeruarent, ſe ſententiam quam in contumaces tuliſſet, ille vt inuiolabiliter obſeruetur, curaturum. Inſuper nobilibus viris, Principibus, Comitib. ac vniuerſis Baronibus vt receptos Legatos benigne habeant, & in reuocandis ad gremium Eccleſiæ hæreticis iiſdem Legatis adſiſtant, aſſiſtantq; viriliter, quo poteſtatem ſibi ab ſede Apoſtolica factam fructuoſe exercere queant. Quod ſi plerique hæreticorum commoniti reſipiſcere recuſarint, ac cēſuris innodati priſtinam obſtinationem conſectentur, eorum bona confiſcent, & de terra ſua proſcribant, & ſi poſt interdictum F. Raynerii ſedem adhuc diutius figere attentarint, in eos, vt Principes Chriſtianos decet, animaduertant. Nec moleſte ferant, quod tam rigida media aduerſus hæreticos arripiat, cum nihil aliud ſpectet, quam quo pacto exſtirpari hæretici queant, quibus vt vitam ſpiritualem Chriſtianis extorqueant, propoſitū eſt; Nam qui fidem adimit, vitam furatur: *Iuſtus enim ex fide viuit.* Populo autem prouinciæ illius ſcribit vt requiſiti Legatis ſedis Apoſtolicæ in tam arduo negotio aſſiſtant, & contra hæreticos accingantur, illam peccatorum indulgentiam ei clargiens, quam limina B. Petri vel Iacobi viſitantibus indultam noſſent. Contra vero communicantib. cum excommunicatis hæreticis, & velut receptatores eoſdem fouentib. domo, commerciis ac conuerſatione, eandem per Raynerium ſententiam ſolemniter infligi imperat, & pari cum hæreticis pœnę ſubiicere. Hæc ad Archiep. Aquenſem eiuſq; ſuffraganeos Romæ apud S. Petrum, Pontificatus an. 1. 11. Kal. Maii. In eundem modum & Narbonenſi, Auxitano, Viennenſi, Arelatenſi, Ebredunenſi, Tarraconenſi, Lugdunenſi Archiepiſcopis, & eorundē ſuffraganeis ſcripſit, Principibuſq; ac populis in eorundē diœceſib. conſtitutis. Vniuerſām quippe Galliā adeo peſtis illa Valdenſiū venenauerat, vt Orthodoxa religio in magnum adducta diſcrimē nutaret, & tam acre litterarum pharmacum ab Innocentio exigeret.

In Italia & præſertim Hetruria cum nonnihil eualuiſſent hæretici, continuo & armis rem ſuam agere pertentarunt. Itaq; Vrbem Veterem, Aquam pendentem, Procenum, aliaq; oppida Hetruriæ, tumultib. cædibuſq; Catholicorū excidium committebant. In quos Parentius acerrimus hæreticorum oppugnator miſſus ſumma cum laude eorum coniurationes diſtraxit, oppreſſitque: Catholicorū vero animos vireſque erexit. Nec impune, quippe qui hæreticorum fraudib. interceptus, prodente Rodolpho milite anno ſequente, & ſolā ſubuculam indutus, cōpreſſuſq; ore noctu extra palatium eductus ad portam Soltanā inſidioſiſſime trucidatur. Proditor Rodolphus tumultum populi fugiens diuinitus punitus crepuit medius, & Parētius clarus miraculis hæreticos ab Hetruria, etiā mortuus profligauit. Anno ſequente 7. Inquiſitores in Hetruriam Pontifex deſtinauit, qui in auctores & complices pro grauitate ſceleris animaduerterent. *Cyprian. Manent. Hiſt. lib.* 1.

Eodem anno idem Innocentius, alia digna ſummo Pontifice egit. 1. Erectionem hoſpitalis domus S. Spir. in Monte-peſſulano à Guidone factam confirmauit. 2. Cenſum à Rege Portugaliæ, ſedi Apoſtolicæ olim ab Alfonſo Rege inſcriptum exegit. 3. Archiepiſcopo Montis regalis in Sicilia, vt bona ſua ab Eccleſia alienata recuperaret, præcepit. 4. Priuilegia Canthuarienſi & Rothomagenſi Eccleſiæ roborauit. 5. Ducentibus meretrices in vxores, indulgentiam peccatorum indulſit. 6. In Parmenſem & Placentinam Ciuitates, quod Gregorium S.R.E. Cardinalem ſedis Apoſtolicæ Legatum bonis ſpoliaſſent, priuationem Epiſcopalis dignitatis; in graſſatores autem excommunicationis ſententiam diſtrinxit, donec ablata reſtituerent, & pro crimine maieſtatis læſæ ſatisfacerent. 7. Pacta inter Philippum Regem Francorum & Balduinum Flandriæ Comitem conuenta approbauit. 8. Philippum eundem vt repudiatam coniugem reciperet, aperta tam comminatione anathematis admonuit. 9. Pluralitatem beneficiorum omnibus clericis ſub grauiſſimis pœnis inhibuit. 10. Pro Religioſis Præmonſtratenſibus, Ciſtercienſibus, ac reliquis multa contra oppreſſores & deformatores egit. 11. Regi Angliæ quatuor annulos miſit, eorumque myſteria ſcripta Epiſtola ſignificauit; quorum primum fuit forma, ſecundum numerus, tertium materia, quartum color, per formam intellexit æternitatem; ſiquidem ea rotunda erat, vt Rex ſciret ſe à terrenis tranſiturum ad cæleſtia: quaternarius autem numerus qui quadratus eſt, indicauit conſtantiam mentis, quam Rex vere habiturus eſſet, cū quatuor virtutibus principalibus eſſet adornatus, nempe Iuſtitia, Fortitudine, Prudentia, Temperantia Porro per aurum ſapientiam: per colorem ſmaragdi qui in primo fuit inſinuauit fidē: per Sapphiri ſerenitatem, ſpem: per Granati rubicunditatem, Charitatem: per Topazij claritatem, operationem ſignificauit. 12. Regem Nauarræorum, qui aliquot Caſtella Regis Angliæ occupauerat, anathemate cōpulit vt eidem reſtitueret. 13. Lupoldum Auſtriæ Ducem coegit, vt ea quæ Regi Angliæ reduci à peregrinatione terræ S. eripuerat, omnia reſtitueret. 14. Fratri Regis Hungariæ præcepit ſub pœna excommunicationis, ne ſeditionē contra Regem fratrem concitaret. 15. Magdeburgenſi Archiepiſcopo inhibuit, ne bona Crucesignatorum inuaderet. 16. Variis Epiſcopis & Archiepiſcopis monuit vt Theutonicis in expeditione terræ S. militantibus adiutores ſubmitterent. 17. Iſlandiæ & Daniæ Epiſcopos, vt Eccleſias ſuas reformarent hortatus eſt. 18. Miſit Legatos Conſtantinop. qui Imp. & Patriarcham ad veniendam Eccleſiam Orientalem cum Occidentali inducerent, & vires ſuas cū Crucesignatis ad liberandam terram S. coniungerent. Pro

Digitized by Google

eodem quoque ſubſidio Regibus Galliarum, & Angliæ inter ſe diſſidentibus reconciliationem ſub interdicti Eccleſiaſtici cenſura indixit, eoſq; ad communia arma contra Saracenos ſumenda inuitauit.

XIII. Prophanata altaria conſecrari vult S. Petrus. a Epiſt. 338.

Hoc eodem tempore Innoc. Papa [a] Octauiano Hoſtienſi Epiſcopo, ſuo Vicario ſcripſit, vt altaria Philippi & Iacobi, Simonis & Iudę, B. Gregorii & S. Andreę, quæ diſſecrata erant, conſecraret, idque eo diligentius exequeretur, quod D. Petrus Apoſtolus per viſionē nocturnam Sacerdoti apparuiſſet, accederet Innocentium. Qui tertio iam in ſomno admonitus, cum Pontificem nondum acceſſiſſet, & mandata D. Petri Apoſt. ſpreuiſſet, in tantum ab Apoſtolo, ſenſu auditus fuit priuatus, vt exinde penitus nō audiret, quoad mandatum ſerio toties inculcatum adimpleret; vti in epiſtolis ipſe Pontifex late proſequitur.

XIV. Confœderatas Tuſciæ vrbes ad concordiam pro ſede Apoſtolica hortatur.

Ne vero Alemanni crudelius vti hactenus aduerſus Apoſt. Sedem decernerent, alienatas ab eadem vrbes, Aſculum, Anconam, Firmium, Auximum, Camerinum, Senogalliam, Piſaurum, Radicofrinum, montem Faliſcum, Aquam pendentem, Spoletum, Peruſiam, Caſtellam recuperat, & cum confœderatis Tuſciæ vrbibus, (quas ante in Clientelam ſedis Apoſt. ſuſceperat ſolis Piſanis exceptis) fœdus icit. Illæ quippe exoſæ Germanicā tyrannidē ſe pro mutua defenſione iuramento fidelitatis obligarunt: tū ne ſibi in iurib. & poſſeſſionib. S. R. E. propugnandis deeſſent tum ne Imperatorem vllum, quā ab Rom. Pont. conſecratum confirmatumq;, agnoſcerent. Quamobrem ſingulis vrbib. Rectores, & Rectorib. collectim Priorem vnicum præſtituerant, quos inſigni epiſtola Innoc. ad indubitatū vnionis mutuæ argumentū inuitat. [b] Nam ab duorum luminariū exemplo in hac ſpectabili mundi fabrica oſtēdit, quo modo Luna lumen ſuū à ſole mutuatur: perinde quoque in Eccleſia rem ſeſe habere, vbi Pontificia Regiaq; poteſtates velut magna luminaria coruſcant, & hanc ab illa Hierarchia ſplendorem dignitatemq; conſequi. Ideoque cū Sacerdotii primatus, & regni Principatus in Italia emineant operæ preciū ſe facturum, ait Innoc. ſi eiuſmodi ſollicitudine præſideat, ne vel filii à ſeruis, vel minores à maioribus opprimantur, & Apoſt. ſedis brachiis vt ſpirituales filii cōprehenſi, inter ſe cōcordib. animis aduerſus inſolentem Alemannorū petulantiam ſub eodem ſedis Apoſt. patrocinio coaleſcant, & reciproce eidem Eccleſiæ laboranti in affini clade ſuccurrere teneantur. Deniq; monet vt illā fiduciā de ſe cōcipiant (quod Apoſtolicæ grauitati plus dare, quam promittere conueniat) ſi fideles in icto fœdere perſtiterint Rom. Eccl. auxiliari dextera fore muniendos. *Hæc cōmunitati Hetruriæ.* Præterea Dublinenſem electū cōfirmat, Copſalenſi electo pallium mittit, Sacerdotes bellatores deponi præcipit: Regni Noruegiæ inuaſorem excōmunicat: Neglectum diſciplinæ monaſticæ in Abbate Caſſinenſi caſtigat: oppreſſas Eccleſias Hungariæ in libertatem aſſerit: Toloſanum Comitem ad expeditionem terræ S. exſuſcitat: Regnum Galliæ ab vſurariis perpurgat.

b Epiſt. 310.

XV. Siciliæ Regnum, Apuliæ, Calabriæ, Campaniæ ducatus in feudum dat Conſtantiæ Imperatrici & Friderico filio. c Epiſt. 412.

Florentiſſimum quoq; Siciliæ regnum cum appendentib. Calabriæ, Apuliæ & Campaniæ Ducatib. in feudum [c] Cōſtantiæ Imperatrici viduæ, & filio eiuſdem minorenni Friderico hæredibuſque transportat, datis ad eam litteris, quib. poteſtatem ſuam ſuper gentes & regna paternamq; ſollicitudinem aperit, vt mutuo inter ſe charitatis glutino coaleſcant, & vera pace ſalutis noſtrę cōciliatrice perfruatur. Et quia Siciliæ regnum ſpecialiter in Apoſt. ſedis fidelitate perſtitiſſet, ideo maiore cura ad felicitatem eiuſdem perpetuandam opus eſſe. Quo modo enim Wilelmus ſenior frater Imperatricis, & Wilelmus iunior nepos, aliiq; prædeceſſores, diuerſis Pontificib. fidelitatis iuramentum præſtitiſſent, ſic & illa Ligium homagium Innocentio & ſucceſſorib. exhiberet, quo tanto tenacius in fide & obſequiis ſedis Apoſt. aduerſus quaſuis tempeſtates gliſcentiū malorum, permanere poſſet. Etſi propoſitis cōditionibus ſtaret ab Octauiano Hoſt. Epiſcopo Legato de more inueſtiendam eſſe ſuper regno Siciliæ, Apuliæ, Capueq; Ducatib. cum omnib. pertinentiis, vid. Neapoli, Salerno, Amalfia, Marſia, & aliis quæ vltra Marſiā à Regib. prædeceſſorib. teneret. Etſi in aliqua regni parte Pont. futurus eſſet, vocata ad illius præſentiam aduolaret, ibiq; corā iuramentum fidelitatis exhiberet. Idem Friderico filio vbi ad legitimam ætatem perueniſſet, præſcribit. & cenſum annuum 600. ſquifatorum de Apulia & Calabria, 400. de Marſia, vel æquiualens in auro vel arg. dependeret, niſi peculiares difficultates intercederent, exigit. Item vt electiones Prælatorum canonice per totum regnum fiant, nihil ſine ſuo aſſenſu fieri impetat. Deniq; ne illa vel ab ipſis, vel hæredibus eorum euerti queant, de conſilio & voluntate fratrum ſuorum Apoſtolica auctoritate confirmat, & perpetuis temporibus obſeruanda præſenti pagina cont. ſtatuit.

XVI. Modum eligendi Prælatos Eccl. Conſtantiæ Imp. & filio Regi præſcribit. d Epiſt. 411.

Cæterum ne electiones variis diſſenſionib. coortis turbarentur, [d] dilaudatis Rogerio Wilhelmo, 1. & 2. Siciliæ Regib. in epiſtola modum Imperatrici & filio eius Friderico faciendæ Electionis præſtituit, vt ad modum præfatorum Regum Conſtantia cum filio tam in aduerſis quam proſperis fideliſſime Apoſt. Sedi inhærerent, omneſq; litigiorum diſſidiorumq; radices ſtirpitus reuellerent, quas inter ſedem Apoſt. & Siciliæ Reges enaſci poſſe, prudenti conſilio anteuertebat, & præſentibus litteris explicabat. Verba apponam Innocentii; *Sede, inquit, vacante capitulum ſignificabit vobis & veſtris heredibus obitum deceſſoris: deinde conuenientes in vnum inuocata Spiritus Sancti gratia, ſecundum Deū eligent canonice perſonam idoneam, cui requiſitum à nobis prabere debeatis aſſenſum: & electionem factam non different publicare. Electionem vero factam & publicatam denunciabunt vobis, & veſtrum requirent aſſenſum. Sed antequam aſſenſus Regius requiratur, non inthronizetur electus, nec decantetur laudis ſolemnitas, quæ inthronizationi videtur annexa: nec antequam auctoritate Pontificali fuerit confirmatus, adminiſtrationi ſe vllatenus immiſcebit. Sic enim honori veſtro volumus condeſcendere, vt libertatem Canonicam obſeruemus; nullo prorſus obſtante reſcripto, quod à ſede Apoſtolica fuerit impetratum. Rogamus ergo ſerenitatem Regiam, & exhortamur attentius, quatenus contra præſcriptam electionis formam nec vos veniatis de cetero, nec cogatis alios, nec patiamini qualibet occaſione venire, ſed taliter in hoc nobis ſtudeatis & Eccleſiaſticæ libertati deferre, vt timorem eius præ oculis habere videamini, per quem Reges regnant, & Principes dominantur, & ſponſam eius Eccleſiam venerari.* Hæc Imperatrici atque Friderico.

XVII. Itē Siculos Prælatos etiam Epiſc. & clericis Siciliæ. e ep. 414.

Nec his contentus Innocentius, vniuerſis [e] Siciliæ Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque Eccleſiarum Prælatis ſcripſit & Clericis, vt eidem modo eligendi Paſtores Cōſtantiæ Imperatrici præſcripto inſiſtant, & Legatis Apoſtolicis in omnibus morem gerant. Præmiſſa namq; in Epiſtola, cur ſpecialem adeo gratiam Conſtantiæ Reginæ & filio faceret, dat cauſam, quod Regnū Siciliæ ad ius & Proprietatē Eccl. Rom. pertineat, & in eius fidelitate perſtiterit, ac permanſerit vnitate, eiuſq; maiores Reges Siciliæ in Apoſtolicæ deuotionis firmitate perſeuerarint, & poſt Deū in Eccleſia Romana ſuæ ſpei & gaudii poſuerint fundamentū, ac Romanos Pontifices humiliter venerati fuerint. Ideoq; ne in tantū honor & gratia deferatur vt libertas Canonica, & honeſtas Eccleſiaſtica vitium faciant, vnde frequentiſſime rancoris fomitem inter regnū & Eccleſiā ſuſcitatū fuiſſe noſſent, eadē repetit quæ in præcedenti epiſtola, quib. deinde hæc ſubnectit verbum, *immiſcebit, deinde. Ideoq; vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, & diſtricte præcipimus, quatenus cum aliquam Eccleſiarum veſtrarū Paſtore vacare contigerit, ſecundum præſcriptam electionis formā, omni gratia & timore poſtpoſitis procedatis; nec contra eā aliqua præſumptionis occaſione venire audeatis. Alioquin electiones taliter factas diligenti diſcuſſione prahabita dante Domino infirmare curabimus, & eligentium tranſgreſſionem animaduerſione debita caſtigare. Volumus etiam nihilominus & mandamus, vt de cætero ad Romanam Eccleſiā libere cum opus fuerit appelletis, & interpoſitis ad nos appellationibus curetis humiliter & deuote deferre. Nos etiā quoties neceſſitas poſtulauerit, Apoſtolicæ ſedis Legatos ad vos curabimus deſtinare, qui quæ plantanda ſunt plantent, & euellant, quæ fuerint euellenda, quorū obediatis monitis & præceptis, nulloprorſus in omnib. præſcriptis capitulis obſtante Priuilegio, vel reſcripto, quod à ſede Apoſtolica fuerit impetratum, vt autem quæ præſcripta ſunt apud vos nulla poſſint obliuione deleri, mandamus atque præcipimus, quatenus forma litterarum iſtarū*

ad

ad perpetuam memoriam in maioribus Eccleſiis tranſcripta ſeruetur. Hactenus Siciliæ Prælatis.

XVIII. Et ne Apuliæ Prælati circa voluntatem Apoſt. ſedis cæcutirent, eandem illis per litteras inculcauit. Quod videlicet iam nunc bellorum procellis compoſitis & itineribus perpurgatis per Apuliam, Calabriam, ipſamque Siciliam, innocentum cædibus hactenus deformatis facile ſit Pontifici mentis ſuę affectū ergaSiciliam & attinentias ipſius, tanquam ſpeciale Ecc. Rom. Patrimoniū declarare, quandoquidem regnum ipſum iam reparatum in ſtatum priſtinæ felicitatis & ad deuotionem Eccleſiæ reduſſet. Ideoq; commendato Legato, Octauiano Hoſt. epiſcopo, diſtricte præcipit vt in omnib. eidem obſequantur, vt ſibi, *quē recipientes,* inquit, *humiliter & deuote vti condecet, & honorifice pertractantes, quæ inter eos corrigenda duxerit, ſeu etiā ſtatuenda* vti ex tenore præcedentium litterarum liquet) *recipiatis humiliter, & inuiolabiliter obſeruetis, ita quod vos, qui honorē eius proprium reputamus, vobis propter eū reſpondere gratias quaſi ex debito teneamur: ſecturi q; ſententiā, quā in cōtumaces tulerit, ratā habebimus, & faciemus auctore Domino inuiolabiliter obſeruari.* Hæc Apuliæ Calabriæq; Prælatis, quib. cum tenor iſtarū literarum conſentit, quas ſuper eodē argumento Archiep. Epiſcopis Abbatib. Priorib. & vniuerſis Regni Siciliæ Prælatis citra Pharum cōſtitutis per eundem Legatum ſcripſit.

XVIII. Sueciæ Primatū Lundenſi Epiſcopo aſſignat. Eodem anno Innoc. I. Lundenſi Epiſcopo ſuper omnes Eccleſias totius regni Sueciæ primatum cōfirmauit. 2. Vtlandiæ prouinciæ Eccleſias reformauit. 3. Neapolitanas aliquot cauſas cognouit & decreuit. 4. Cantuarienſia item negotia aliqua definiuit. 5. Regnum Hieroſolymitanum in protectionem ſedis Apoſt. recepit. 6. Almericum Regem Hieroſolymorum ſanctioris vitæ admonuit.

XIX. Boleſlaum Poloniæ ducē ab iniuriis Ducum Sileſiorum vindicat Innoc. a Epiſt. 43. Boleſlaum Poloniæ ducem, Altum à proceritate vocatum, & Patrem Henrici Barbati D. Hedugis coniugis, multis iniuriis ab Sileſiæ Ducibus laceſſitum Gneſnenſi Archiepiſcopo eiuſque ſuffraganeis impenſe literis commendat, vtque impugnatores, ni ab nefariis eiuſmodi recedant cœptis Eccleſiaſtica cenſura percellant, imperat, hæc ſubiiciens. [a] *Sane cum pluries, ſicut accepimus, Apoſtolicum receperit fraternitas veſtra mandatum, vt memoratum Ducem, quem ſicut Catholicum Principem, & Eccleſiæ Romanæ filium ſpecialem, quadam dilectionis prærogatiua complectimur, ab impugnatoribus ſuis auctoritate Apoſtolica curaretis defenſare, ſibique contra hoſtium ſuorum violentos inſultus Eccleſiaſticæ defenſionis clypeum indulgere, nondum tamē, ſicut nobis intimatum eſt, commodum aliquod de litteris Apoſtolicis reportauit, nec prædeceſſorū noſtrorum Romanorum Pontificum inſinuatio, quæ ſuper hoc ſæpius emanauit, [illegible], effectum eſt debitum ſubſecutus. Quare merito de inobedientia poteſtis & negligentia reprehendi. Quia igitur in eo loco nos clementia Diuina conſtituit, vt ſuam cuilibet debeamus iuſtitiam conſeruare, Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, & diſtricte præcipimus, quatenus vniuerſis Poloniæ Ducibus ex parte noſtra curetis diſtrictius inhibere, ne præfatum Ducem in perſona vel rebus offendere præſumant quomodolibet vel turbare, aut ei ſuper his, quæ in præſentiarum rationabiliter poſſidet, aut in futurum iuſtis modis poterit, Deo propitio, adipiſci, moleſtiam audeant inferre indebite, vel grauamen. Quod ſi commonitionibus veſtris acquieſcere forte noluerint, vos eos ad hoc per excōmunicationis ſententiam auctoritate noſtra ſine appellationis obſtaculo compellatis.*

Matrimonium Philipp. & Gelbergæ Danæ tandem tollitur. Interea Philippus Auguſtus Galliarum Rex Innocentium multis ſollicitat, vt repudium Gelbergæ filiæ Daniæ Regis confirmet, ob propinquitatis gradum prohibitum, & ſuper inductionem Mariæ Ducis Morauiæ filiæ ratam habeat. Obnititur apud Pontificem Daniæ Rex per Oratores, & Mariā repudiari vult. Mittuntur duo ex Patrib. in Galliam, vt Rex ab Mariæ conſuetudine ſibi temperet; alias Galliā interdicto in ſacris ſupponendam eſſe. Orator Gallici Regis reclamat, ac ſummonetur. In Diuionenſi Legatorū cōuentu ſententia de interdicto gallico, profertur, Rege pertinaciter Mariæ adhærente. At ne mortis periculū Legati incurrerent, vetuerunt, ne ante D. N. Natalē illa ſententia vulgaretur, vt procul Gallia abeſſe poſſent. Qui ſententiā dixerant Patres & vulgarant exacti ſunt regno & ſedibus ab Rege furore perciti. Quo nonnihil miteſcente Octauianus Cardinalis ex vrbe mittitur coram quo cauſſæ vtrinque dicerentur. Sueſſione Rex & Patres conueniunt. Nemo in Regem dicere auſus, omnes pro Rege aduerſus Gelbergam & Danum eloquentiſſimi. Manent ſuſpenſi omnes, & quid agerent Gelbergæ Patroni ignorāt. Tandem ex media corona hominum prorumpit adoleſcens incognitus, qui venia dicendi ab Rege, Legato, reliquoq; conſeſſu petita, ab omnibus deſertæ mulieris cauſſam adeo clare, compte ſolideque egit, vt omnes in ſtuporem verteret. Vbi vero perorauerat ex omnium ſeſe oculis ſubducens nuſquam comparuit. Putant plerique id diuinitus eueniſſe. Nil actum illthoc conſeſſu. Patres putabant vltro Regem tot factis conuentionibus Danam reſumpturum, & ille Mariam in ſinu fouebat. Datur illi tempus reſipiſcentiæ, ſi quandoque conſcientiæ dictamen agnoſcat, quod extrema ſententia ferenda eſſet in cōtumacem. Ille, viſo toties conuocari ab Legato Patres, & tot à Plebe iuſtis calumniis conuulnerari, reſipuit, & receptam Gelbergam in Regiā reduxit, Maria paulo poſt ex humanis abeunte. Legatus Apoſtolicus Regem vltro ſe ſubmiſiſſe conſpiciens concilium dimiſit. Innocentius Philippum ex Maria ſuſceptum, eius Legitimam ſobolem eſſe decreuit, quod bona fide illum Regi Maria genuiſſet.

XX. a Lib. I. Epiſt. [illegible] Præterea [a] quinta Iulii Innocentius Caro Archiepiſcopo Montis Regalis in Sicilia poteſtatem triennalem dedit, abſoluendi à cenſuris, quas percuſſores Clericorum incurriſſent, tametſi ſedi Apoſtolicæ eſſent reſeruatæ.

XXI. Otto, & Philippus Imp. à diuerſis eliguntur. b [illegible] In Germania [b] Archiepiſcopus Colon. & ſuffraganei eius plures Epiſcopi & Principes Alemanniæ tam Eccleſiaſtici quam ſeculares (quos inter Dux Louanii, Dux Lunæburgenſis, Comes Palatinus Rhen. & Lantgrauius Thuringiæ erat) indignabantur Philippum Sueuię Ducem Friderici I. filium, fratrem Henrici Imperat. defuncti non Aquiſgrani ſed Moguntiæ, neque ab Germano Archiepiſcopo ſed Tarantaſienſi nullo Electore præſente, ſed ſolo Sutrino ſacris operante & quidē abſq; comitiis diadema Regis Romanorum ſuſcepiſſe; Ottoni filio Henrici Saxonis regnum Romanorum detulerunt Aquiſgrani, & conſecrarunt. Huic Richardus Rex Angliæ & Innoc. PP. fauebant, [c] cum Philippo nonniſi Galliæ Rex & pauculi Procerum Teutonicorum aſſiſterent. Innocentium atroces iniuriæ Eccleſiæ ab Maiorib. Philippi irrogatæ ab regnorum forſitan & morum ſucceſſore auocabant, vti Henricus I. Fridericus, Henricus frater oſtendunt. Ideo Ottoni totus addictus; alterius vero vt excommunicati, conſortio iuſſit omnes abſtinere, tam Lombardiæ vrbes, quam Germania, atq; vt illi reſiſterent imperauit. ne quidquam Philippo Pontificis, ducatum Tuſciæ & Siculos obſides reſtitutum pollicente reddenteque. c Antonin. ep. tit. 19. c. 1. p. 2.

vide etiam Annales Fland. l. 7. Radicem porro illius odii libet apponere inter Ottonem, & Philippum Gallum. Richardus Rex militiæ clariſſimus ab Leopoldo Auſtriæ duce in Germania captus, Henrico Imperatori tranſmiſſus fuit, cū Syriam deſerere propter Regem Philippum, & atrocē vtrinq; contentionē coortam cogeretur. Erant autē Rex & Imperator Henricus affinitate cōiuncti. Quare pro redemptione ſua 140. millia Marcarū Henrico Imperatori nequidquā Cæleſtino tertio intercedente dependit, & in Angliam abiit. Exin cū Sueuus Philippus, Regi Philippo Gallo adhæreſceret, Richardus Rex Angliæ totus pro Ottone fuit, & quo fortius ab ſperato Imperio ambientē Philippū Sueuum Henrici defuncti Imperatoris fratrem deiiceret, ſeq; vlciſceretur, grandi pecunia Ottonem ex ſorore nepotem ad imperiū iuuit, & competitorem eis prudenter eluſit. *Iouius.* Paulus Aemilius in Chron. Anglorum in Richardo.

XXII. d Paul. Aemil. [illegible] In terra ſancta [d] Cruceſignati Berytum occupant, muniuntq; ſub ſignis Conradi Archiep. Moguntini & Henrici ducis Saxoniæ, eo magno numero profecti; itē Turonicum obſident, quod cū vel certis pactis eſſent habituri, vel in mœnia euaſuri, recedere ab incepto compulſi ſunt dum Barbaros in auxilium venire intelligerent: præſidium vero Beryti relictum eodē metu Barbarorum perculſum vrbe ceſſit, vnaq; cum reliquo exercitu Ioppen iā euaſtatam tenent, propugnaculis firmant, & Saracenos venientes fortiter reiiciunt, depelluntq;, ac de Hieroſolymis ob-

ſidio circumcingendis conſilia agitant. Simonem quippe comitem Montis fortis cum Francicis copiis iam Syriam tenuiſſe conſtabat. Morte Henrici Cæſaris nunciata conuaſatis omnibus ad noui Regis electionẽ feſtinarunt, propriam exiſtimationem religioni præponentes. Eorum diſceſſu, quidquid Frãci obteſtarentur, Barbari animoſiores facti, Ioppen euertunt, & reliquias Chriſtianorum cædũt, omneſque Chriſtianos vel Syria exegiſſent, vel trucidaſſent, ni Simon cum Francis eorum impetum incidiſſent & inſigni victoria potiti fuiſſent. Itaq; induciis factis decennalibus vt Tyro & Ptolomaide manum abſtinerent, Comes cum ſuis Syriam deſeruit. Hæc autem an. 100. ab captis Hieroſolymis acciderunt.

Bland. Hiſt. terra Sancta

XXIII. *e Martinus Polon. in Innoc.* Hoc [e] anno in Vmbria Roſeti in ſacrificio vinum altaris viſibiliter mutatum eſt in ſanguinem, & panis in carnem. In Wermedeſio miles qui mortuus erat reuixit, & ſumpto cibo potuque diu ſuperuixit.

XXIV. *f Ambroſ. Camaldul. in ſuo Itinerario.* S. Luciæ Virginis pudicitia & ſanctitas. Per id [f] temporis Gerardo Giſella Eccl. Bononienſi præſidente S. Lucia Virgo miræ ſanctitatis in monaſterio S. Chriſtinæ celebrabatur, & multis ſignis clareſcebat. Fertur nobilem iuuenem illam afflictim deperiiſſe & ad feneſtram, per quam in templo Miſſarum ſolemnia virgo proſpectaret identidem eius videndæ cauſſa adiiſſe. Quo notato illa feneſtra damnata, ſeſe oculis eius ſubtrahebat. Is ſpe potiundæ virginis deiectus peregre abiit, & ab Saracenis captus vel mori, vel negare Chriſtum cogebatur. Interim ſquallore carceris detentus, memor Virginis iã defunctæ petit vt ſe ex iſtis anguſtiis liberet. Quare conſopitus, reperit ſe prope monaſterium virginis depoſitũ, id mandati ab eadem accepiſſe, vt compedes ad ipſius ſepulchrũ, miraculoſæ liberationis teſtes deferret, quas ſe vidiſſe auctor teſtatur, nec vnquam inde amoueri potuiſſe. *Carolus Sigonius l. 2. de Epiſc. Bonon.*

XXV. S. Aldebrandi Epiſcopi Semproniens. vita ac miracula. Hoc anno diem extremum clauſit S. Aldebrandus Foro-Sempronienſis Epiſcopus, Sorbitali in Æmilia natus Rauennæ liberalibus ſtudiis ſe conſecrauit, quibus excultus Præpoſitus ob inſignem canonum & iuris peritiam, ac Theologiam apud Ariminenſes eligitur, & ab ingratis illis per Sempronienſes ad ſedem Epiſcopalẽ vocatus, eandem raris virtutibus exornauit, miraculis in vita, & à morte clarus. prid. Kal. Maii in Domino obdormiens. In vita hirundines obſtrepentes concionanti compeſcuit, perdicem coctã vitę reddidit, & auolare pręcepit. Ceraſa menſe Ianuario, ridentib. domeſticis, ex altari in quo celebrare ſolitus erat, ſibi deferri iuſſit, & accepit. In ſepultura eius vinum non defecit ex vaſe, quoad aliquis blaſphemus dixiſſet, *O diabole quid eſt hoc, quod vinum tantæ multitudini non deficit.* Ad ſepulchrum Angelici cantus auditi. Campanæ ex æde eius ablatæ nullum ſonũ etſi pulſatæ reddiderunt, quoad reponerentur. *Ex M.S. vita eius Eccl. Foro-Sempron.*

XXVI. S. Donati adoleſcentis monachi vita & miracula. Item S. Donatus Monachus Petinenſis Ord. Montis Virginis. Is Ripæ candidæ in Lucenſi dominio natus an. 14. ad Abbatem Petinam abiit, qui teneram ætatem obiiciens admittere illum recuſauit, tandem is rediens voti compos factus miris ieiuniis & flagellationib. corpus afflixit, gelidæ aquæ ſe immerſit nudum. In furnum igne & carbonibus candentem expurgandi cauſa, Abbatis obiurgationem veritus, impune inſiliit, veſtibus euertit, nec in iis aut ipſo corpore vſtulatus fuit. Vrſum apes & mel depaſcentem Zona alligatũ Abbati ſtitit. 19. ætatis anno defunctus Ripam Candidam defertur, & cum religioſi quererentur ſibi nihil de eo relinqui, fertur in feretro ſeſe erexiſſe, & auulſum brachium iiſdem præbuiſſe. *Paulus Regius in vita ex Chronico M. Virginis.*

XXVII. Admiranda conuerſio cuiuſdam Apoſtatæ monachi, & ab igni purgante liberatio. In huuc annum Cæſarius reiicit admirabilem conuerſionem, cuiuſdam nobilis adoleſcentis qui mundo ſpreto religionem Ciſtercienſium ingreſſus poſt profeſſionem gradatim ad Sacerdotium aſcendit. Epiſcopũ habebat cognatum, à quo vt vita monaſtica ſeſe abdicaret identidem interpellatur at ille conſtantiſſime recuſat. Tandẽ Sathanæ aſſultibus victus vota Sacerdotiumq; infelix deſerit, & parentum conſpectui ſe ſiſtere veritus globo pręedonũ ſeſe iungit, vbi nefandiſſima queq; deſignans & perpetrans telo in obſidio caſtri cuiuſdã ictus lethaliter, iam de vita ſaluteq; deſperans ibat ad mortẽ. Confeſſionem inculcant collegę, dicit, inutilem tam enormiũ ſcelerum reo. Illi miſericordiam Dei maiorẽ eſſe dicentes eius malefactis, tandem deſperabundum expugnant; Vocato igitur Sacerdote catalogum ſuorum ſcelerũ abnormium texit. Monaſticen Ciſtercienſium à ſe deſertã, Sacerdotii ſanctitatẽ proculcatam homicidiis, adulteriis, inceſtib⁹, ſtupris pollutũ, furtis, rapinis, incendiis inquinatum, ea fere quæ naturam excedebant flagitia memorabat. Attonitus Sacerdos, rudis ſatis: abſolutionem & ſatisfactionem negat, ille litteratum ſeſe aſſerens intulit, Deum dixiſſe, *in quacunq; hora ingemuerit peccator, ſaluus erit.* Item. *Nolo mortem peccatoris ſed magis vt conuertatur & viuat.* Ille perſtitit, & moriturus ipſe illi bis mille annos pro ſalutari pœnitentia in Purgatorio elegit. Rurſum SS. Euchariſtiam petit, negatur ab eodem. Tandem in charta peccata ſcripſit, petit Epiſ. cognato exhiberi vt in precib. ſibi commendata habeat. Qui vniuerſo clero comite ſingulis ſacrificia, preceſq; pro defuncto iniungit, & eleemoſynis ſe totum deuouet. Anno decurſo millenarium vnum expunxit, & apparet adhuc pœnis obnoxius celebranti Epiſ. cognato ait altero anno euoluto ſe alterum millenarium expuncturum, nec mora celebranti Epiſcopo in albis apparet, tandemq; ſe liberatum teſtatur, miro gaudio Epiſcopum perfundit, gratiiſq; pro ſuffragiis ei rite perſolutis in cælum abit. *Cæſarius l. 2. c. 21.*

Refert de Abbate Gueuardo in pauperes liberaliſſimo ſolito pluſquam 1500. pauperibus diſtribuere ſtipem panis, carnium & pulmentorum, quod panes parui in fornace, teſtante piſtore, creuerint, & farina in ſaccis. Deo liberalitatem viri tali miraculo comprobant. XXVIII. Liberalitas Gueuardi Abb. Heiſterbacenſis.

In Galliis in diœceſi Pariſienſi floret ſanctus Volco parœcus, prædicator verbi, & mirabilium operator, vti olim ille Thaumaturgus fuit. Ad opus prædicationis beatæ Virginis hortatu, & auſpicijs vocatus, vnde libidinem Sodomiamque & alia id genus abominanda incredibili cõſtantia propuliabat. (vti Bertoldus de Oſinberch oculatus teſtis in litteris refert) Henrico cuſtodi Eccleſiæ Argentinenſis, poſtea Epiſcopo. Mutis ora aperuit, & inſufflauit, eorumque maxillam ferijt. Cognatum ſuum paralyticum, ſibi ab militib. oblatum, vſu membrorum & ſanitate donauit. Vſurarium famoſiſſimum per acceſſum ad prandiũ ad ſalutem reuocauit, dum eius in ranas & bufones verſa fercula, diuinam vltionem inclamarent. illeque ſtupefactus emendationem ſancto Volconi polliceretur. Cui ille. omnia tua iuſte iniuſteque conquiſita in pauperes diſpartire. Ille nihil moratus, id effectum dedit. Cum vero vnus cognatorum eius adhuc in vaſe viginti maldera tritici recondita haberet, diuite vſurario ignorante, retulit id ſancto Volconi. Qui cum clericis & amicis vas acceſſit, & plenum ſerpentibus ac bufonibus repperit, accerſitoque pœnitente ait ni vas illud ingrediaris ibique coronidem ſatisfactionis tuæ perficias, ab ſalute excides. Vnde amictu poſito nudus vt iuſſus erat, intrauit vas, & ſanctus Volco operculum orificio imponens abijt in craſtinum omnes reuocans. Et inuenit carnem ab bufonibus & ſerpentibus exeſam, oſſa vero niue candidiora, eaq; exoſculans vt ſancta venerabatur. Meretrices verbo conuerſas vel habitu religionis induit, vel dote ex proprijs liberaliter præbita in matrimonio collocauit, & pro earum dote ab Pariſienſibus & Brugenſibus Scholaribus, ab his mille & amplius, ab illis 250. libras impetrauit. Veſtitu ordinario Clericorũ & honeſto vtebatur, item ad prædicandum ęquo: Appoſitis cibis veſcebatur, Magiſtris ſacras lectiones, Dialecticis vtiles præfinit, Decretiſtis & Theologis rixoſas concordantias, & ſophiſticas ineptias præcidit. De obitus eius genere nihil memoriæ traditum inuenitur. XXIX. S. Volconis parœci prædicatio & virtutes admirabiles. *Otto de S. Blaſio in appendice ad Friſingenſ.*

Regi Angliæ Richardo aliquando ait, Dico tibi ex parte Omnipotẽtis Dei vt tres filias, quas habes peſſimas, (vti Weſtmonaſtienſis refert) in matrimonium colloces. Cui Rex. Hypocrita mentitus es, filiam nõ habeo. Immo tres habes, ſuperbiam, cupiditatẽ, & luxuriam, quas maritabis. Audite ait, aduocatis aſtantibus mendacium Hypocritæ, me tres habere filias, quas maritare me vult. Itaque ſuperbiam Templariis, cupiditatem monachis Ciſtercienſibus, XXX.

Luxu-

a Matthæus Weſtmon. anno 1197.

Luxuriam vero Prælatis Eccleſiarum reſigno. Quo dicterio virum ſanctum eluſit, & in Eccleſiaſticos petulanter ſe maledicum oſtendit.

XXXI. Varii energumeni in Italia quare.

Eodem anno per æſtatem in Italia non procul à Ianuis in quadam ciuitate quidam energumenus factus contage quadam & alios corripuit, tantuſq; eorum factus numerus vt quiſq; ab eiuſmodi ſibi miſeria timeret. Citantur in vrbem religioſi, & Abbas de Luceio Ciſtercienſ. Indicit ieiunium tridiale. Quo præſtito cõuocantur dæmoniaci reddituri cauſſam cur vrbẽ illam præ cæteris adeo diuexarent & ex famulis Chriſti nomine ſignatis ſecederent. Nos inquit vnus clamoſa voce, Nos ſumus Legio quam veſter Ieſus iuſſit in porcos ire, nunc vinculis ſoluti in blaſphemos beatæ Mariæ Virginis ingrediẽdi poteſtatem accepimus. Quod ſi hinc proſcribimur, te tuiq; ordinis cõtribules inuademus. At ſecunda iuſſione ab Abbate facta, fœdis veſtigiis indecores receſſerunt. *Rogerius Houeden Annal. p. 2. in Richardo I.*

XXXII. Tullius Vrſinus Card.

Tullius Vrſinus floret ab Innocentio tertio ob meritorum magnitudinem inter purpuratos ſcript⁹, vt aſſirmat *Iacobus Corellus in lib. de Cardĩ. ſcripto.*

XXXIII.

Niſſa vrbs hoc eodem anno Epiſcopatui Vratislauienſi data eſt, cum Iaroslaus Boleslai Proceri filius ordinatus eſſet Epiſcopus Vratislauienſis. *Mechou Matenſ.*

IESV CHRISTI
Annus 1199.

INNOCENTII PAPÆ III. Annus 2. — ALEXII COMNENI Imp. Annus 5. Vacat Imp. Occident. Annis 2.

I. Reges Galliæ & Angliæ in terram ſanctã euocat Innocentius. *a Lib. 2. ep. 229.*

GErmanis ex Syria cum belli ducibus delapſis ob prætenſam noui Regis Romanorum electionẽ, & Francis cũ Simone Montfortio propter ictas firmataſque cum Barbaris inducias in Galliam velificantibus indubitate res Syriæ peſſum ire, oportuit. Itaque [a] Innocentius ad Reges Galliæ & Angliæ litteras dat recenſitis terræ ſanctæ calamitatibus vt in auxiliũ eiuſdem accurrãt. Quippe paucos ſupereſſe, ex abitu Francorũ Germanorumq; defenſores, & diſcordiã Saracenorum aliquid leuamenti adferre ab aſſultib. Barbarorũ, ideoq; maturandũ in ſubmittendis auxiliis, ne redintegrata concordia prorſus Chriſtianũ ibidẽ nomen exſcindant. *Id Legatus cum ſociis regis Hieroſolymitani ad te miſſus docere te poterit vt tu v lut Rex Chriſtianiſſimus collatis cũ Anglo operis, quantocyus vel pedites aliquot cum equitibus tranſmittatis, qui eouſq; ad cuſtodiã terræ ibide perſiſtant donec iuſtis exercitib. eidẽ laboranti ſuccuratur. Præterea ex Nũcio eiuſdem Almerici regis intellige., Imp. Græcorum bellũ in eund. ne regẽ ad Cyprum recuperanda quam Græci olim tenuiſſent parare à quo r uocare tua auctoritate illum poteris, vt potius in ſu ſidiũ, quam exitium regis illius arma c piat, quẽ no ſpeciali quoq; Nuntio ab malcuolo propoſito alienare cogitamus.* Sic regib Galliæ & Angliæ: quib. perſimilia ad Archiepiſc. Magdeburgẽſem eiuſque Suffraganeos, Abbates, Priores, Decanos, Archidiaconos & Clericos eiuſdẽ prouinciæ dedit. Deniq; omnib. fidelibus per totã Alemanniam, Tuſciã, Lombardiã, Slauoniam, Hyberniã, ac per Regna Siciliæ, Angliæ, Galliæ, Vngariæ & Scotiæ iniunxit, vt quadrageſimã partem redditiũ Eccleſiaſticorum clerici, reliqui vero Chriſti fideles ſubſidia voluntaria conferrent in neceſſitates crueeſignatorũ. Et quo oẽs facilius in militiã hanc ſanctam tranſirent per ſe expenſaſq; ſuas itineris moleſtias exhauſturi, plenã peccatorũ omnium præmiſſa cordis oriſq; ſyncera pœnitentia veniã largit⁹ eſt, & bonis ſalutis augmentũ impertitus. Qui vero ſuis expenſis viros aliquot ad annũ ſaltẽ moraturos idoneos eo ablegaſſent, & qui in ꝓpriis perſonis, alienis tamen expenſis peregrinationis difficultates deuoraſſent pleni itidem ſuorũ peccatorum veniam indulſit. Quibus liberalitatis ſacroſanctæ illiciis plerique pellecti Occidentalium auidiſſime ſeſe crueeſignatis adiunxerunt.

II. Alexius Imp ſuorũ cædibus occupatur. *b Petrus Marcellus in Henrico Dandulo.*

Alexius Imp. Conſtant. ſuperiore anno ab Innocentio per Legatum & litteras ad ſacram militiam inuitatus, ſeſe aliquantulum purgauit. Alteris idem vrgens, & ad Concilium generale pro vnione vtriuſq; Eccleſiæ vocans, [b] ſuorum domeſticorum cædibus diſtentum inuenit. Nam cũ Iſacii Fratris maioris nomine imperium adminiſtrans, dolo captum exoculauit, & in vincula coniecit; filiũ eius Alexium duodennẽ ad necẽ deſignauit. Qui ad Venetos trãſiens idẽ dominii ſui prolatandi, illius puerũ adiuuantibus aduerſus tyrannum, ampliſſimum campum aperuit.

III. Cruce ſignati Conſtantinopolim vendicant.

Opportune per id temporis Venetias Balduinus Flandriæ, & Henricus ſancti Pauli, & Ludouicus Sabaudiæ comites penetrarãt vna cum Bonifacio Montisferrati Marchione aduerſus Saracenos in Orientem profecturi. Hi Venetæ claſſi impoſiti, cuius Henricus Dandulus dux erat cum Venetis Alexium ab patrui tyrannide vindicarunt, Cretam aliaſque in Archipelago inſulas ſui iuris fecerunt, & victo tyranno occiſoque item fraudibus Græcorum Alexio filio Iſacii ob ſenium cæcitatemque inidonei Balduino Imperii diadema impoſuerunt, primo Latinorum. Thomæ vero Mauroceno Patriarchatum primo etiã Latinorum detulerunt, cum hactenus per vicarium Sedis Apoſtolicæ omnia fidei negotia ibidem pertractare Rom. Pontifices conſueuiſſent.

Primus Imperator Latinus & Patriarcha.

IV. Sacerdotes Græci Confirmationẽ adminiſtrare prohibentur. *c Lib. 2. ep. 201. & 202.*

[c] Error circa Sacramenti Confirmationis diſpenſationem Cõſtantinopoli inualuerat, vt Sacerdotes id ſibi muneris paſſim vſurparent. Itaq; vicario ſuo Latinis præſidẽti diſtricte imperat, ne id faciant, cum Sacramentum tales conferre non poſſent, ſed Epiſcopus duntaxat.

V. Primatum Rom. Eccl. Patriarchæ ſchiſmatico Conſtant. demonſtrat Innoc. *c Lib. 2. ep. 198.*

Patriarcha etiam Conſtantinopolitanus Ioannes vt æmulæ Sedis, ſic proteruiæ ſuperbiæq; græcanicæ inſeſſor ex ſchiſmatis impetu mirabatur (datis ad Innocentium litteris) vnde Romana Eccleſia titulum ſibi vniuerſalis Eccleſiæ arrogaret. Cui ille in plenum nobiliſſima de primatu Ro. Eccl. ſcripta epiſtola os obſtruxit & irrefragabilem eiuſdem præeminentiam demonſtrauit. Quæ in Petro Apoſtolo conſecrata vt vnico poſt Chriſtũ inſuperabili fundamento, velut mater & magiſtra cæteris Eccleſiis præmineat. Et ex permultis prærogatiuis B. Petri, ex diuerſis Euangelii locis Actibus Apoſtolorum, ex D. Paul. & ipſiuſmet Petri epiſtolis, recenſitis magiſterium Apoſtolicæ Sedis vult ſchiſmaticum Patriarchã agnoſcere, & vt vniuerſalem Eccleſiam cæteraſq; ſuæ poteſtatis dominio ſub ſe cõtinere. Quod autem dubitaret potius Hieruſalem matrem dicendam eſſe, vtpote quam fundaſſet Altiſſimus, q̃ Rom. Eccl. quæ ab Hieroſolymitana Eccleſia omnia orthodoxæ fidei Sacramenta accepiſſet, reſpondet Andream alioſque pleroſq; Apoſtolos ante D. Petrum fuiſſe vocatos, priores tempore ſed non dignitate; perinde etiam Ro. Eccl. non Synodica conſtitutione, ſed diuina ordinatione in D. Petri præeminentia confirmatã cæteris anteire. Et deinde ex variis Synodorũ canonib. & Imp. decretis conuincit Primatum Ro Ecc. toties demonſtratũ fuiſſe. Quare vt plenius hæc omnia cognoſcat, ad Concilium generale pro vnione vtriuſq; Eccl. faciẽda eundẽ inuitat & vt Capellanũ ſuum, Legatum Apoſt. Sed., Ioannẽ benigne excipiat, ad Imperatorẽ deducat, & quæ ab ſua ſanctitate proponit ſine dubitatione credat, hortatur. Dat. Later. 2. Id Nou. Hæc conſtantinopolitano Patriarchæ pro Romanæ Sedis Primatu ſuper omnes alias orbis vniuerſi Eccleſias.

VI. Summariã geſtorum Innoc. 1. an. 2. quibus primatus Romanæ ſedis aſſeritur. *a Lib. 2. ep. 121. & 101. & 102.*

Quæ Eccleſia Romana quod hactenus adminiſtrationẽ omnium aliarum habuerit, non potuit etiam Innocentius pro debito paſtorali, eam curam negligere, quam anteceſſores ſui Romani Pontifices curarunt. Quamobrem hoc ſecundo Pontificatus ſui anno, [a] 1. Patriarchæ Hieroſolymitano vt mores Chriſtianorum effrenatos corrigeret iniunxit: 2. eundẽ Patriarcham Hieroſolymitanum, vna cum Patriarcha Antiocheno ad cauſam dicendam in vrbem euocauit. 3 Priuilegia hoſpitalis militiæ Dom⁹ Montis Peſſulanæ confirmauit. 4. Syracuſano Epiſcopo, vt hæreſim Neophytorum extirparet, mandauit. 5 aliquos Epiſcopos in Hungaria intruſos excõmunicari præcepit: 6. Patriarchę Antiocheno ne tributa Clericis imponeret, inhibuit: 7. Archiepiſcopo Tyrẽſi cognitionẽ quarũdã cauſarũ cõmiſit ei⁹q; Clericos ab iuriſdictione Patriarchę Hieroſolymitani

exemit 8. Vulcano Rege Dalmatiæ & Diocliæ poſtulante, Legatos ad reformandas eius regnorum Eccleſias hæreſis extirpandas miſit: 9. Venetis communicationem in negotiatiobus cum infidelibus ad tempus determinatum, certis conditionibus permiſit. 10. Religionem Teutonicorum militum recens inſtitutam confirmauit: 11. ad Regem Miramomolinũ Marrochetinum Religioſos S. Trinitatis, vt eius populis Euangeliũ prædicarẽt, miſit: 12. Legatos ad conciliandũ Regem Gallorũ cum Anglorum Rege mittens, eos ad concordiã ineundã ſub cenſuris Eccleſiaſticis cõpelli præcipit: 13. Regi Arragonũ, vt pond⁹ monetæ iuſtũ cõſtituat, præſcripſit: 14. Religionẽ militũ Calatrauæ approbauit: 15. Regi Angliæ vt Archiepiſcopo Eboracenſi recõciliaretur, vtq; ei res ſuas redintegraret, ſub pœna interdicti mandauit; eaq; de cauſa Cardinalẽ Legatum ad eum miſit: 16. Reges, Legionenſem & Portugallẽſem propter inceſtãs nuptias anathemate percuſſos, ad ſatisfaciendum iuxta canones coegit, inque eodem negotio Legatum à Latere miſit: 17. Regi Gallorũ, vt Eccleſiã Dolenſem, ſineret eſſe Suffraganeã Turonenſis, iniunxit: 18. Regem Hungariæ propter iniuriã ab eodem Vacienſi Epiſcopo illatam coarguit, & ad ſatisfaciendum aſtrinxit: 19. Raynerium Legatum ad reformãdas Eccleſias Gallicanas & ad extirpandas hæreſes, maxime vero ad cognoſcendã cauſam Prioris Eccleſiæ S. Martini Pariſienſis, de hæreſi, adulterio & vſura ſuſpecti deſtinauit: 20. negotiũ Bracarenſis Eccleſiæ Compoſtellano Archiep. commiſit, eiuſq; Eccleſiam maximis dignitatibus auxit & ornauit: 21. ad Magnum Iupanem Seruiæ Imperatorem pro infirmãdis eius Eccleſiis Nuncios direxit: 22. Ducis Boemiæ, qui repudiata vxore alterã ſuperinduxerat cauſam Magdeburgeſi Archiepiſcopo, ad inquirendũ impoſuit: 23. Saxoniæ & Weſtfaliæ Principibus, vt opem Liuonienſib. Chriſti fidelib. recens conuerſis contra Paganos infeſtantes ferrent præcepit: 24. Leonis Regis & Gregorii Patriarchæ Catholicorum Armeniorũ Legatos, obedientiã exhibentes & ſpõdentes audiuit, & ad diadema regium eidem imponendũ atq; reformãdas Armeniorum Eccleſias Legatũ Archiep. Moguntinum miſit: & vt Comes Tripolitanus cũ Magiſtro & militib. Hoſpitalis Templi ab ei⁹ impugnatione deſiſteret, inhibuit; cauſamq; vtriuſq; Legatis iis cognoſcẽdam cõmiſit: inſuper eidem vexillũ B. Petri dedit, quo, inquit, in hoſtes Crucis dũtaxat vtaris, & eorum ſtudeas cõtumaciam cum Dei auxilio, ſuffragantib. Apoſt. Principis meritis refrenare. Sunt & alia innumerabilia, quæ plenaria poteſtate Eccleſiæ defungẽs Innocenti⁹, in Italia, Galliis, Hiſpania, Belgio, Alemania, Hungaria, Boemia, Syria, Palæſtina, Dalmatia, Boſna, Dioclea, & in aliis orbis prouinciis ſumma auctoritate Primatus Apoſtolici geſſit: cauſaſque earum Eccleſiarum iudicauit.

VII. Verſionem vernaculam & clancularias conciones Metenſium Laicorum improbat. b Lib. 2. ep. 131.

Metenſis Epiſcop⁹ cum parochianorum ſuorum pleroſq;, quos inter & feminæ nõ paucæ tã in diœceſi q̃ vrbe Euangelia, epiſtolas Pauli, Pſalteriũ, moralia Iob in Gallicum ſermonẽ cõuerſa, & clancularias cõuentiones cõcionis in morẽ cõſtitutas, non ſine ſibilo calumniiſq; eorum, qui id recuſarẽt intellexiſſet, inſignẽ ad Pont. Epiſtolã dedit, qua dũdẽ indignitate facti cõqueritur, tum oportunũ remedium iſti malo depoſcit. Quare Innocenti⁹ vtrumq; factum egregie caſtigãs etiã cum interminatione cenſurarum, vetat vt ab ſannis ſimpliciũ Sacerdotum omnino abſtineant; & publice cõciones in Eccleſiis audiant, ne male agere, quaſi lucẽ odiſſent, videãtur, nec quaſi officiũ prædicationis ſibi vſurpare præſumant, notẽtur. Chriſt⁹ enim palam locutus eſt mũdo, & ſemper ipſiuſmet teſtimonio in Synagoga docuit & in templo vbi oẽs conueniunt. Neque verſionẽ iſtam illos amplecti vult, quod *arcana fidei Sacramenta, non ſint paſſim omnib. exponenda, cum non paſſim ab omnib. intelligi, ſed iis tantum, qui ea fideli poſſint concipere intellectu*: ideo ſignificatur apud Paulum diuerſitas in lacte & ſolido cibo; item in ſapientia & Ieſu crucifixo; item illiteratos beſtiæ eſſe ſimiles, quæ ſi montẽ tãgeret, lapidãda erat. Deinde q̃ Eccleſia ordines diuerſos habeat Apoſtolos, Prophetas, doctores horumq; officiũ cum ſupremũ ſit in Eccleſia, nõ temere à quolibet ex triuio eſt arripiendũ, deniq; ſcel⁹ calũniãtis doctores & ſacerdotes exaggerans cõcludit: *ſi noluerint obedire ſpontanei diſcãt acquieſcere vel inuiti.*

VIII. Lib. 2. ep. 1. Hæreticos cauendos eſſe, & eorũ receptatores, defenſores, &c. puniendos docet.

Eodem anno Clero, Conſulibus & populo Viterbienſi ſcribit, quãtopere ſibi ab hæreticis cauere debeant, & quo pacto eorum receptatores, fautores, defenſores, cõplices puniendi ſint, decernit, *vt ſi receptator vel alius ſemel iterumque monitus acquieſcere non voluerit, ipſo iure ſit infamis, nec ad publica officia vel conſilia* ciuitatum admittatur, ſint item tales inteſtabiles, nec ad hæreditatis ſucceſſionẽ accedant. Et qui tales euitare ab Eccleſia notatos recuſauerit, excõmunicatus cenſebitur, quæ latius in ipſo reſcripto Innoc. legere poteris.

IX. S. Homobonũ Cremonenſem canonizat. Lib. 2. ep. 151.

Homobonum Cremonenſem ſanctorum albo inſerit, & ad canonizationẽ alicuius ſancti requiſita Clero & populo Cremonenſi ſcribens percenſet. Licet enim finalis perſeuerantia coronet, iuxta illud qui perſeuerauerit vſq; in finem hic ſaluus erit; nihilominus duo alia, virtus morum, videlicet vita, & virtus ſignorum poſt mortẽ requirũtur. Quæ cum in Homobono re & nomine inuẽta fuerint, eiuſdẽ ſancti annuã memoriã per Apoſtolica ſcripta debita cũ celebritate Cremonenſib. mandauit. Dat. Lat. 2. Iun.

X. Marcoualdus tyrannum agit in Sicilia.

Mors Conſtantiæ Imperatricis ad 27. Nouemb. facta perplures in Eccleſiam calamitates inuexit. Cum enim illa tum Fredericum quinquennem filiolum, tum vniuerſi Regni adminiſtrationem per tabulas Teſtamenti commiſiſſet Innocentio PP. atq; vt ille Baliuum ſeu Apocriſariũ tam ſpiritualium q̃ temporalium rerum ad ius Rom. Eccleſiæ pertinentium in Sicilia cis & vltra Pharum inſtitueret; decreuiſſet Marcoualdus Imperii Seneſcalc⁹ ſiue Philippo fratri Henrici Imp. qui ab eodem tutor pueri inſtitut⁹ erat, gratificari, ſiue q̃ de Innocentio propter extortas ab eius tyrannide prouincias & vrbes anno ſuperiore memoratas, vindictam ſumere cogitaret, anathematis in ſe ab Innocentio lati impatiens regnum pupilli crudeliter inuaſit, expilauit, vrbes deiectis muris, in pagos conuertit, nobiles plurimos vinctos mutilatoſq; exilio mulctauit, cute ambeta vſtulauit, vſtulatos in cineres redegit, plures in mare demerſit, & innumeros gladio fameq; ſuſtulit, ac deniq; tyrannum Siciliæ impotenter egit. Quare nefariis tyranni attentatis reſiſtendum ſibi Innocentius iure dominii & tutelæ ſuper regnum Siciliæ & reliquis ducatibus ſibi debitæ duxit & aduerſus Marcoualdũ militem ſcripſit,[a] dein vero Panormitano, Rhegino, Capuano, Mõtis Regalis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatib. Prioribus, Clero, Comitibus, Baronibus, Ciuibus, & vniuerſo populo in Apulia, Calabria, Sicilia ſignificauit, tum vt in fide Rom. Eccl. perſiſterent, & tyranno animoſe pectus opponerẽt, tum vt iura eiuſdem Sedis infracti defenderẽt. Item in ſolatium pupilli eodem legatum miſit, cum aliis item Legatis bellicoſis & manu promptis. deniq; ſententiã anathematis in Marcoualdũ diſtricti itidem innotauit,[b] & alius eiuſdem ſectatores, vt in epiſtolis eiuſdem legere eſt.

a Lib. 1. ep. 567. & ſ.

b Lib. 2. ep. 157.

XI. Marcoualdus reconciliatur Eccleſiæ, & recidiuus iterum puniatur.

Iſthoc anathemate percuſſus tyrannus ferocientẽ ſpiritũ nonnihil mitigauit, & animo æquior fact⁹ ſe patrimoniũ B. Petri deinceps non violaturũ, nec inuaſurũ recepit, modo recõciliari Eccl. poſſet. Quare Inn. Archiepiſcopis, Epiſcopis omnibuſq; tã Eccleſiaſticis q̃ Secularib. Præſidibus Clero populoq; Siciliæ & cõterminorũ ducatuũ ſignificare habuit vt eũ, ꝓ reconciliato acceptarent, ſi ab Balii nomine ſibi tẽperaret, ſi bona Eccl. ſublata reſtitueret, ſi vtriuſq; ordinis viros ab iniuriis, ſpoliis, cædibus defenſaret. Quæ aliaq; coram Octauiano Oſtienſi Epiſcopo, Guidone tituli S. Mariæ trans Tyberim presbytero, & Hugolino tit. S. Euſtathii diacono Cardd. Legatis Sedis Apoſt. ſe fideliſſime impleturum iurauit, & abſolutionẽ accepit. Sed paulo poſt ad ingenium reuerſus, denuo in litteris Innoc. deſtinatis, petulãter ſibi Balii ſeu Procuratoris Siciliæ nomẽ arrogauit, & mãdata monitaq; Inn. per Legatos illi præſcripta periurio infamis nec in Dei aut hominũ gratiã ſeſe exequi velle oſtẽdit. Quare alteris[c] litteris eundem tyrannũ tanquã periurũ, ſacrilegũ, incendiariũ, pfidum, ſceleratũ & inuaſorẽ, ex parte Dei Omnip. Patris, & filii, & Spiritus S. Auctoritate quoq; BB. Apoſt. Petri & Pauli & ſua excõmunicauit, anathematizauit, maledixit & damnauit. Eos

c Lib. 2. ep. 169.

pariter eodem gladio feriens,qui vel ipſi vel exercitui eius victuaria,veſtes,naues,arma, vel alia illis accómoda miniſtrare præſumpſerint,vt & Clericos cuiuſcunq; ordinis & dignitatis fuerint , noſſe vult, ſi diuina illis officia exhibuerũt,periculũ honoris ordiniſq; incurriſſe. Qui ſtipendia ſub eo faciũt, Eccl.recõciliati recedãt ocyus,q̃ de cætero nec eius promiſſionib.nec iuramẽto credatur,vtpote q fidẽ ſup crucẽ & Euangelia præſtitã vniꝰ ſeptimanæ ſpatio nõ erubuerit violare. Concludens deniq; ſe regno illi non defuturum,ſi modo in fidelitate ſubditi perſeuerauerint.

XII. *Lib. 2. ep. 10.* [d] ...eciduam Marcoualdi & fulmẽ ...a cum totum Siculis ...tiam apelit.

Pari ſtylo [d] idem in tyrannum anathema & complices diſtrictũ ad Comites, Barones, Nobiles, & ciues Siculos tranſmittit,vnde iterati fulminis cauſſas cognoſcerent, & ab ſyderato mẽbro tanto ſibi prudentiꝰ cauerent. Nouiſſima Marcoualdi peiora priorib.eſſe aſſerit,quod 7.ſpiritibus nequiorib aſſumptis velut alter Saladinꝰ late ſtrages cædesq; innocentũ perpetret,& recenſitis incendiis, oppreſſionib.adulteriis,deuirginationib.cædibus nobilium, ciuium,ruſticorum,immo Sacerdotum & Clericorũ periurii reatum in ſe & Rom.Eccl.identidem exaggerat,vt cũ iuramentum ſuper cruce & Euangeliis contactis ediderit nec perſtiterit in fidelitate, ſecundo eum Apoſtolico fulmine cum fratrib.& complicib.videl. Diopuldo, Odone de Lauiax, Willelmo Craſſo & ſequacib.paris ſceleris reis perculit;imponitq; Epiſcopis & Eccleſiarũ Prælatis vt Dominicis feſtiuiſq; diebus illos excõmunicatos denunciẽt, & aduerſus prædonem,raptorem,latronẽ,Saracenis confœderatum,inimicum crucis & crucifixi, hoſtem manifeſtum illuſtris Regis Friderici inſurgant, & zelũ diuinæ legis habentes,cum Phinee gladio accincti,eundem ad Madianitidem ingredientem feriant,vt regni Siciliæ honorẽ, quem defenſuri Siculi ſe fidei religione firmaſſent,tuerentur. Deus enim periurum in ſuis peccatis nefarie exultantem breui,immemorẽ vtriq; beneficiorum omnium, quæ illi Friderici pater, & ipſe Inn.aliique Optimates præſtitiſſent , grauiſſime puniet,quod periuria effrons accumulet, & cum Saracenis Chriſtianos ipſe deterior opprimat & contrucidet. Quamobrem Cencium tit. S.Laurentii in Lucina presb.Car. Apoſt. Sed Legatum cum Neapolitano & Tarentino Archiepiſcopis copioſo exercitu inſtructum in Siculi Regni ſubſidiũ mittit,hortaturq; regni Proceres vt vnanimi animorũ armorumq; coniunctione tyrannum profligent, nec eiuſdem impunitate nomini ſuo ignominiam,aut ſibi opprobrium impingi patiantur. Hæc fere Innocentiꝰ ad 8.kal.Dec.de ſcelerib. Marcoualdi ad Comites Barones ciues omneſq; regni Siculi ſubditos ex Later.

XIII. Saracenos Marcoualdo ab... [a] *Lib. 2 ep. 234.*

Saracenis item in eodem regno degentib.ſcripſit, vt fidem quam Romanæ Eccleſiæ, Regiq; dediſſent inuiolate cuſtodirent,nec iſti tyranno ſuppetias ferrent. [a] Epiſcopis vero Clero,militibus & populis Campaniæ, Apuliæ, Calabriæ & vtriuſq; Siciliæ per litteras præcepit, tum vt viribus cum Legatis Apoſtolicis cõiunctis Marcoualdo intrepidum pectus opponerent, tum vero ſubſidia,ſi militare nequirent,tanta,quanta ad expeditionem terræ ſanctæ impenderent,ſubmitterent.

XIV. *In ep. post longe 173.*

Intellectis his Fridericus vt Pontificis auctoritatem aſſereret,ſcripſit ciuitatib.non ita pridem ad Eccleſiæ dominium reuocatis, & præſentim in mõte Flaſcone degentib. vt liberi ab omni iuramento vel Imperatori , vel Regi alicui dato in obedientia & dominio Eccleſiæ fideliter perſiſterent,& tanquam filii fidelitatis in Pontif.debitæ iugiter meminiſſent. Hinc ipſe Inn.animoſior factus eodẽ plane argumento vſus Siculos,præſertim poſtliminio redeuntes ab ſuam & quieto Eccl.regimine ac tẽporali iuriſdictione ordiendo ad fidelitatẽ ſibi præſtandã hortatur, & feliciter exẽmplo aliarũ vrbiũ,quib. ſubeſſe Sedi Apoſt. vtiliſſimũ fuit hoc perficit. Ex Lat.ſcribens 16 kal. Apr.Pont.anno 2.

Inter Epiſt. Innoc. lib. 2. ep. 161.

Ioannes Diocliensis & Antibarienſis Archiepiſcopus Innocentio pro pallio miſſo per ſuos Legatos, DD Ioannem & Simonem gratias agit, & Synodum per S.Sedis Apoſtolicæ legatos coactam , rite abſolutam eſſe ſignificat commendatis vehementer ab Regis & Populi teſtimonio Legatis,quod correctionem illam adeo prudẽter inſtituiſſent. Porro acta Synodi ; quam Legati Apoſtolici Ioannes Capellanus,& Simon Subdiaconus celebrarunt hæc ſunt ſummatim.

1. Ne quis Epiſcopus pro pecunia quenquam vel ad ordines vel Eccleſiaſticum beneficium promoueat,alioquin ab dignitate deponendum, ſi conuictus fuerit, & vterque contrahens priuandus pecunia , & beneficio in perpetuum.

2. Vſum vxorum Dalmatiæ & Diocliæ Sacerdotibus penitus interdicunt, quod mundari illos oporteat qui vaſa Domini portant. Quod continentiam tales ſeruare nequeant. Ideoque vel mortuis vxoribus ordinandos aut voti religione ab iiſdem reuulſos. Qui adulteras & concubinas habere conuincantur, vel agant pœnitentiã iis dimiſſis,vel officio beneficioq; Eccleſiaſtico in totũ priuentur. Item Epiſcop.nõ ordinet niſi in quatuor temporib.& non niſi vnum ordinẽ cõferat,in quo per annũ perſeueret. Ro. Pont.licitum & Dominicis diebus ordinare Qui violauerit hoc decretũ à poteſtate conferendi ordines abſtineat

3. Decimas ſeu oblationes fidelium in 4. partes diuidi iubent, quarum vna ſit Epiſcopi, alia Eccleſiarum , tertia pauperum,quarta Clericorum. Quam diuiſionem qui admittere noluerint ſua portione priuentur.

4. Nemo Sacerdotum confeſſionem ſpiritalium filii aut filiæ reuelet,ſi conuincatur officio beneficioq; Eccleſiaſtico in perpetuum priuetur. Idem de Clerico eſto iudicium de homicidio,periurio,adulterio,publice conuicto.

5. Nemo Epiſcopum, Sacerdotem (vt debita illi ordini reuerentia deferatur) aut clericum percutiat. Si quis id attentauerit, tam diu excommunicatus ſit quoad à Pontifice aut eius legato abſoluatur. Nec clericus ad peregrina trahatur iudicia ab laicis,vt cãdentis ferri vel aquæ , aut alterius rei probationes. Si vero peccauerit ab ſuo Archiepiſcopo, Epiſcopo, vel Prælato aut Rom Põtifice iudicetur.

6. Cum ex decreto Rom. Eccleſiæ Chriſtianis liceat à 7.conſanguinitatis gradu matrimonia cõtrahere & in Dalmatia ac Dioclia quidam in quarto & quinto & infra contrahere præſumpſerint, contra SS.Patrum conſtitutiones, tamdiu excommunicati cenſebuntur , donec ab inceſta conſanguinitatis copula receſſerint.

7. Clerici raſuram & tonſuram habeant, ni faciant canonice ab Epiſcopo ſunt puniendi.

8 Quicunque Clericus de manu laica beneficium Eccleſiaſticum vel Eccleſiam acceperit, item quicunque dederit,tamdiu excommunicati erunt, quoad Eccleſiæ ſeſe reconciliarint.

10. Item ij,qui Eccleſiarum theſauros iniuſte detinent. 11. Qui citra iudicium Eccleſiæ ab vxoribus ſecedunt, caſque repudiant,excommunicantur.

12. Item filii presbyterorum prohibentur ordines ſumere;13.vt ordinãdi trigeſimũ ætatis expleuerint, hæc ſunt Synodi acta ab Legatis & Dalmatiæ Epiſcopis ſubſcripta.

Eodem anno miſit Archiepiſcopum Moguntinum, & Epiſcopum Sabinenſem Cardinalem, Legatum ad Regem Armenorũ, vt eum coronarent, regnumq; redderẽt, atq; amicitia inter illum & Tripolitanum comitem reparata ad terræ ſanctæ ſuccurrendũ aduerſus Saracenos barbaroſq; impellerẽt. [a] Quos ſua Legatione rite functos ad Innocentiũ ſcribit Gregorius Armenorũ Patriarcha, gratiaſq; agit Summo Pontifici Eccleſiæq; Romanæ, q̃ regẽ extorrem regno reſtituerit, veramq; legẽ ac religionẽ Romanæ Eccleſiæ per eoſdem Armeni acceperint, offerens ſe Regemq; ſuum,atq; obedientiam ac fidelitatem Eccleſiæ Rom. eiuſq; legitimo capiti Innocentio III. inuiolate ſeruandam promittens. [b] Idem fere ipſe Rex Armenorũ ad Innocentium ſcribit, & ſe vniuerſos Armenos ad vnitatem Eccleſiæ Romanæ reductu rũ pollicetur, auxiliaque vehementiſſime ad barbaros & Saracenos debellandos p Moguntinũ Antiſtit ab S ſanctitate petit, alioquin ſe opprimendum & ſubiiciendum tyrannidi Infideliũ cum omnibus ſuis ſubditis timet, niſi illa continuo ſubmittantur. Erant ea data Tharſis anno 1199.menſe Maio die 23.

[c] Innocentius iis acceptis reſpondet ſe nihil aliud optare,quã vt in obedientia & fidelitate Eccleſiæ Romanæ pſeueret, confidatq; Leo Armenorũ Rex citiꝰ ſe opinione

ſua

ſua auxilia ſubmiſſurum, quod multos cruce ſignatos ſub ſigna coegerit, breui tempore & opportuno traiecturos, item quod duos Cardinales Anteſignanos exercit⁹ inſtituerit, qui de Innocentii manib. viuificæ crucis vexillum acceptiſſent. Ex Laterano 8.kal.Decemb. Cęterum Leo ciuili bello diſtentus, parū Chriſtianis in Palæſtina laborantibus aſſiſtere potuit, iccirco vexillum illi S. Petri imagine inſigne tranſmiſit, quod aduerſus infideles & perduelles explicaret, vt quemadmodum ille Inferni portas & cardines effregiſſet, eodem modo Infidelib. Armenus ſub Apoſtolorum principis patrocinio præualeret. Comes Paganus Caſtellus ex Regulis Mirandæ apud Interamnam, & Comes Aronus Caſtellus ex comitib. Aronis, velut exercitus duces vexillum illi detulerunt.

Vexillum S. Petri imagine illuſtratum.

XVIII. In hæreticos inquiri iubet & innocentes cum noxiis puniri vetat. d Lib. 2. ep. 217.

Cum Gazari, Arnaldiſtæ, Pauperes de Lugduno & Humiliati hæretici adhuc graſſarentur, inquiſitorē generalem eorundem inſtituit Innocentius Archipresbyterū Veronenſem, qui cum temere Humiliatorum nomine, etiam orthodoxos nullius hæreſeos labe ſordidos, ſed in Humilitate cordis & ſui contēptu Domino famulantes, pari cū hæreticis pœna plecteret, d ideo Epiſcopo Veronenſi. S. R.E. Card. ſcripſit vt tales ſibi ſiſteret, eosq; palā pro tribunali Catholicos denunciaret, & quos aliqua labe infectos repeti iſſet, iiſdem præmiſſo iuramento de fugitandis errorib. & orthodoxa fide amplectēda tenendaq; & apud alios prædicanda, abſolutionis beneficiū impenderet. Ex Laterano 8.Id.Dec. Humiliati porro certā religionē profitebātur curā animarū, & cōfeſſionis Sacramentū vſurpabant, & cum rudes literarū & ἀναλφάβητοι eſſent, nihilominus concionabantur, animasq; impudenter curabant. Pauperes de Lugduno neq; fundos ſui iuris habebāt, nec certi laris erant vagabundi, item mulierculas profeſſas ſecum circumducebant, nec ſe cubare ab iiſdem dicebantur. In hos inquiri iuſſerat Innocentius.

Qui Humiliati? c Æmil. in Philippo 2. Rege. Qui pauperes de Lugduno.

XIX. Laborat pro extirpandis hæreſibus ex regno Galliæ & præſertim ex Metenſi Diœc.

Cum aūt aliæ hæreſes in Galliis pullularēt, quæ multas turbas in orthodoxa Eccl. importabāt, videlicet in Vaſconia, & aliis Galliæ prouinciis, præſertim vero in Metenſi vbi Maxime gliſcebat diœceſi & vrbe, ſcripſit Epiſcopo Metēſi, Auxitano, & aliis Archiepiſcopis Galliarū ne pars ſyncera fidelium traheretur, interficerentq; maturè prouiderēt, & venenū extinguerent. Deinde eiuſdē argumēti literas ad diuerſos Ciſterſienſem, Morimūdenſem, & de Cryla Abbates dedit, vt Epiſcopis aſſiſterēt cū Auct. Apo. & ſecundū prudētiæ regulā aduerſus infectos procederēt, ꝙ vniuerſalis Eccl. negotiū in hoc verteretur. Erant.n. Metis laici quidā & leues mulierculæ, quæ Gallicā verſionem Bibliorū amplectentes, alios receptā verſionem approbātes vel ridebāt vel fugiebant, & ſimplicitatē ſacerdotū eos redarguentiū, præ ſua Bibliorū translatione, vt volebāt peritiſſima explodebant. Hinc occulta cōuenticula celebrare, officiū prædicationis vſurpari, & conſortia presbyterorū aſpernari, illis familiariſſimum fuit. Vti ergo Metēſi Capitulo & Epiſcopo, perinde quoque nominatis Abbatib. in mādatis dedit, ſollicite inquirerēt quoq; quis auctor fuerit trāſlationis: quæ trāsferentis intentio: quæ fides vtētium: quæ cā docendi: num vteres Rom. Eccl. agnoſcerēt, vt plenius inſtructi per literas Pon. quid ſtatuēdum foret, intelligeret. Ipſiq; presbyteros rebelles & cōuictos obſtaculo appellationis remoto, canonice puniret. Ex Laterano ad v. Id.Dec. Præclare in clancularios tabulas, & prædicationē, ac vernaculam bibliorum verſionē ex cathedra decernēs.

XX. Res Imperii curat Ottoni fauens.

Pari ardore Imperii ſtatum curat. Diſcordibus votis & ſtudiis duo Electi, nimirum Otto Saxo, & Philippus Sueuus Coronatus Aquiſgrani Otto dedit cauſam Innocentio Conrado Moguntino Archiepiſcopo S.R.E. Cardinali ſcribendi, b vt quo pacto Electionis negotium ſucceſſiſſet quam celerrime ſignificaret. c Principibus Germaniæ ordinis vtriuſque concordiam & pacem Imperii inculcat, & auxilia ſedis Apoſtolicæ pollicetur, & eius ſeſe partes defenſurum, quem potioribus ſuffragiis & meritis Imperatorem illi ſtatuiſſent. Is autem Otto erat, cuius confirmationem, d poſtquam animum propenſiſſimum erga ſummum Pontificem oſtendiſſet, & electionem ſuam ab eodem ratificari petiuiſſet, e numeroſior nobiliorque Germanorum principum pars per Oratores ſuos & literas flagitabant. Quos inter Rex Angliæ Ioannes, Ioannes Ruſca, dynaſta Mediolanēſis, Balduinus Flandriæ Comes, Paderburgenſis & Metenſis Comites, & Archiepiſcopus Colonienſis, quorum id vnum ſtudium Regnum Romanorum electo per Innocentium fideliter aſſerere.

b lib 3. ſuper negotio Imp. Rom. epiſt. 1. c Epiſt. 2.

d Epiſt. 3. e Epiſt. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

XXI. Philippus Sueuus ambit Confirmationem ab Pontifice. f Epiſt. 12.

Philippus quoque Sueuus ſectatorum factione potens clam palamque Pontificiam approbationem ambiebat, & cum ſolam iuſtitiam, meritorumq; Electi magnitudinem librari ab eodem intelligeret, factus ſupplex diadema Regium expetebat. Miſerat f Legatos ex vrbe Sutrinum Epiſcopum & Abbatem ſanctæ Anaſtaſiæ, cauſſam illius diſcuſſuros, num illam incorrupta iuſtitia defenſaret Ideo auctoritatem ſuam interponere Philippus Galliarum Rex & pleriſque haud vulgares Sueuiæ Principes apud Pontificem vrgere, ne quidquam detrimēti ex Ottonis electione Philippus acciperet: g ille vero reſpondere non poſſe ſe quidquam aduerſus iuſtitiam & Principum Electorum ſaniora vota, pro eorum poſtulatis decernere, nec omnino velle. Quare ne ſibi Philippus defuiſſe videretur Legatos in vrbem mittit qui Innocentium de ſtatu ſuo plenius informarent, & vt ſibi, non vero Ottoni Regnum Romanorū obtinerent. Quibus in colloquium & conſiſtorium Romanum admiſſis vbi peroraſſent, inſigni oratione reſpondit, vnde quilibet Sedis Apoſtolicæ maieſtatem & dignitatem poteſt cognoſcere, & in quantū ſecularis & politica dignitas, Sacerdotio, & faſtigio Eccleſiaſtico debeat concedere. Rex regiaque poteſtas Pontifici Pontificiæq; Maieſtati iure diuino humanoque diuinis humanisq; legibus poſtponatur luculentiſſime docetur, notās indubie Friderici I. turbas in Eccleſia ſuſcitatas, quas perinde à filio Sedes Apoſtolica timere haberet. a Semper enim in lege naturæ Sacerdotium præeminuit Regib. ac Dynaſtis vti Melchiſedech maior fuit Abrahamo, illiuſq; ſacrificium maius Leuitico, quod in lumbis Abrahæ Leui decimatus fuerit, qui decimas omniū dedit Melchiſedech. Idem exēplo Dei Patris ingeniti, & filii geniti minoris ſecundū humanā naturam confirmat. Item quod Sacerdotes dii vocentur, item Angeli, non vero Principes eleganter exaggerat, qui ſuper gentes & regna conſtituti, euellere & deſtruere: ædificare & plantare poſſint. Deinde ad D. Petrum conuerſus ex eius priuilegiis & prærogatiuis nouæ legis ſacerdotium, quāuis politiam, & monarchiā anteuertere inuiolabiliter cōmunit. Deniq; antiquitatem eius dignitati cōnectens ex veteri nouaq; lege diſertiſſime eandem producit, clau ſensq; orationem dicit iam pridem ad Apoſtolicam Sedem recurrendū fuiſſe, ad quam illud negotium pertineret principaliter & finaliter. Priore modo, quia ipſa tranſtulit Imperium ab Oriente in Occidentem. Poſteriore modo, quia ipſa concedit coronam Imperii Quin ergo viſis literis Philippi, & deliberatione cum fratribus habita reſponſurum ſe promittit. At Innocentius conſultatione cum fratrib. decurſa Imperiū Philippo Sueuiæ duci grauiſſimis perſuaſus rationib. abrogauit, tum ꝙ hoc ad Pontificis poteſtatē ex Caroli Magni ordinatione ſpectet, tum quod Sueuus inhabilis ſit, ob excommunicationem publicam, periurium manifeſtum, & perſecutionem diuulgatam, quam ipſe & Progenitores eius in Eccleſiam Romanam, aliaſque ſubditas Eccleſias exercere præſumpſerunt, quæ notoria impedimenta ſunt perſonæ eligibilis, b vti Conradi aduerſus Lotharium perperam electi exemplo confirmat, & aliis.

g Epiſt. 13. 14. 15. 16.

Pontifex & Sacerdos maior Rege

a Epiſt. 18. l. 2

Quare reprobatus ſit ab Innocentio Philippus & Otto confirmatus.

Confirm. electi Imp. ad Pontifices Rom. ſpect. ex Caroli Magni ordinatione. b 4. Venerabilem tit. 6 de elect.

XXII. Philippus in Ottonem pugnat.

Philippus porro conuocatis principibus quibuſdam Moguntiam aduolat, ibique abſente Conrado Archiepiſcopo contra morem Maiorū ab Epiſcopo Tarentino diadema regium accepit & regni titulum ac coronā Ottocaro Bohemo & coniugi eius donans, in Ottonem arma cōuertit Principes Lotharingici clam fauebāt Philippo, palam vero Ottoni militabāt. Philippus miles nimia indulgentia effrenis immanib. ſeſe ſceleribus impiabat, vnū ex multis accipe. Sanctimonialem veſtib. omnib. ſpoliatam melle perungētes in plumis volutarunt, adeoq; hirſutam monſtroſe, & equo, facie ad caudā conuerſa impoſitā aliquot diebus in contemptū Ordinis circumduxerunt. Res

Philip-

Digitized by Google

Philippo delata iuſta illum ira innocentes inſtruxit. Comprehenſos ad vnum omnes, & ſceleris conuictos, aquæ bullienti iniici, & Andernacum oppidum vnde oriundi erant concremari iuſſit. *Chron. Hirſaug.*

XXIII. Floret S. Dominicus Canonicus Regularis Fun. Prædd.

c *Scrip. vitæ ſancti Dominici.*

Didacus Oxomenſis Epiſcopus per hæc tempora in Hiſpania eruditionis & morum optimorum fama celebris in augmentum & propagationem orthodoxæ fidei multus incubuit. Aptiores nulli in Eccleſia Canonicis regularibus ad id muneris erant, quibus perplures vt erraticas oues ad Eccleſiæ ouile reuocarent, accenſebat.[c] Quos inter D. Dominicum Guzmanum prenſitans, tum tẽporis doctrina & vitæ integritate clarũ, retulit. Is ex libro, qui Collationes Patrum inſcribitur, quẽ ſerio lectitabat, mirã ſui deſpicientiã & ſanctitatem hauſit, vnde gratus omnibus, Prior deligitur, maior dignitate & maior ſanctitate negabat ſe Chriſti diſcipulum, ni lucrandis animabus operam daret, præſertim quas peccati lethalis noxa ſordidatas nouerat. Cuius turpitudinem quotieſcunq; animo penſitaret, in vberrimas lacrymas reſolutus infelicẽ ſortem illorũ & inelectabile exitium deplorare, ſimulq; Deum vt gratiã ſibi & vires ad ſalutem talium reuocandã ſufficeret, exorare. Fit voti potens, & deſiderii ſui flagrãtiſſimi Primigeniũ fructum, refert ex Marchia, in q̃ Alphonſus Caſtellæ Rex Didacũ Oxonẽſem Epiſcopũ deſtinarat, q Gunzmanum itineris laborumq; comitẽ aſciuerat. Veniunt Toloſam Albigenſium peſte deformẽ, & hoſpitẽ eadem infectũ vidẽt. Ibi Dominic⁹ ingemiſcens, & præſentaneũ eius interitũ miſerat⁹ mira affabilitate primũ in ei⁹ ſe ſe familiaritatẽ ingerit, & de errore cõuictum ad orthodoxã fidem traduxit.

XXIV. Item S. Frãciſcus octodecennis adoleſcens mercator.

a *S. Bonau. in vita apud Sur. 4. Octob.*

Floret eodẽ tempore S. Franciſcus Aſſiſinus octodecẽnis adoleſcens in benedictionibus dulcedinis à Domino præuent⁹. A parentib. poſtquã mediocri tinct⁹ litteratura eſſet, negotiationi applicit⁹ nunquã inter prodiga animarum lucra, & diſcinctos laſciuoſq; iuuenes maleſuadæ carni ſeſe mancipauit, nec inter auaros opum cõplices per fas nefaſq; animum captatorem, ſed contemptorem illarum exhibuit. Erga pauperes diuinit⁹ in illo mi eratio, quicunque pro Dei amore ſtipẽ ab illo peteret. Aliquãdo quidã egentiũ repulſus, adeo conſcientiã conuulnerat, vt citatiſſimo curſu eundem aſſequeretur, & eleemoſyna donaret, Domino vouens nunquã ſe pauperẽ mendicantẽ indonatũ dimiſſurũ. Manifeſta nimirũ præludia, quib. in apicẽ perfectionis & ſanctitatis propẽdiem euaſurũ ſignabãt. Vti vir ſimplex, præſag⁹ fuit. Obuio veſtimentũ ſubſtrauit ſuũ pedib. eius præbẽs calcabile, inſuper aſſerẽs, tali dignũ Franciſcum eſſe reuerentia, qui breui ab omni cœtu fidelium magnifice colendus eſſet.

Franciſci viſio de Domino Ieſu conterraneo comite ſequendo

Ille diuini ignarus cõſilii mundi voluptatib. etiam diffluere, vitæq; ſpiritalis rudis, ille quæ in mundo magna erũt nonnulla ſuſpicere, donec morbo debilis, & diuturna ægritudine lecto affixus deliberare quodantenus vitæ ſpiritalis dulcedini cœpit. Itaq; conualeſcens, cultius veſtimẽtum indutus ex more, obuiũ generoſum militẽ, attamen lacerũ pauperemq; habuit. Cuius ſortem miſerat⁹ ſuo ſeamictu exuit, & milite extrita penula nudatũ ſuo veſtimento conueſtit. Nocte proxima ſoporatus vidit ſpecioſum palatium & auguſtum, militarib. armis crucis trophæo ſignatis, alioq; regio apparatu inſtructiſſimum. Cumq; attonitus cuiuſnam ea forent omnia ſciſcitaretur, audit, illa ſua fore in eleemoſynæ militi datæ cõpenſam. Quare ad Comitẽ quendã Apuliæ iter accelerat vbi militari induſtria viſioni reſpondere poſſet, & inclareſcere. In Apuliã pergens nocte intẽpeſta in quadam vrbe audit ſibi Dominum Ieſum dicentẽ: Franciſce, vter tibi plus benefaciet? Dominus an ſeruus? diues an pauper? Reſpondit vtiq; dominum & diuitem, præ ſeruo & paupere benefacturum. Cur ergo dominum præ ſeruo; diuitẽ Deum præ paupere homine eligis ſectariſq;? Reuertere in patriam, ego ſpiritalibus diuitiis te, non terrenis ditabo. Nec mora, vbi diluculauerat, extemplo Aſſiſium reuerſus mercaturæ vale fecit, & Numine ardentius exorato qua eundum eſſet, cognouit. Exinde crebris gemitibus effecit, vt aſperrimæ vitæ fundamenta in fallacis mundi contemptu, ſuique ipſius victoria collocaret.

Leproſum oſculatur, & Chriſtum videt crucifixum.

Rus ſuburbanum Aſſiſii obequitanti leproſus occurrit ad cuius occurſum cum exhorreſceret, ſeipſum vincens equo deſiliit, & leproſo manum ad ſtipem extendenti oſculum cũ pecunia protinus donauit. Exinde equum inſcendẽs cum circumquaq; oculos diſtuliſſet leproſum nuſquã conſpexit. Quod diuinum ſpectaculum fuiſſe ratus ad maiora ſuipſius victoriæ exercitia ſeſe excitauit, & ſolitudinẽ captans lachrymis atq; gemitib. pro ſalute animæ diuinæ miſericordiæ fores pulſauit. Nec incaſſum: Quippe cui acerbiſſimã Paſſionem Domini cõtemplanti ipſe Seruator cruci ſuffixus apparuit, tantaq; mentem dulcedine perfudit, vt nunquã ab lachrymis ad primam eiuſdem memoriã ſeſe abſtinere potuerit, vnde in contemptum ſui, in humilitatem, in paupertatem, ac victoriam ſui magis exardeſcens, etiam leproſorum conſortia frequentauit.

Pauperibus ſe intermiſcet.

Limina SS. Apoſtolorum Petri & Pauli adeunti adeo pauperum ea obſidentium placuere greges vt iiſdem ſeſe permiſcens cum egentiſſimo ſuum amictum permutarit, totoq; die tantam ſpiritus ſuauitatem in vehementiſſimo paupertatis ſenſerit amplexu, quaſi nõ alio ad perfectionẽ Euangelicam itinere quam panniculo & foraminoſo mẽdici centone indutus, calcato gloriæ ſæcularis faſtu poſſet euadere. Cum autem duce ductoreq; in tam ardua vita capeſſenda careret, Chriſtus ſeſe ei in præceptorem dedit. Orabat in eccleſia ſancti Damiani ruinoſa & ingemitus lachrimaſq; ſolutus, vocem ſibi ab crucifixi imagine inſonãtem coram qua ſe proſtrauerat audit. *Franciſce vade, & labãtem domum meam inſtaura.* Ille animo conſternatus in extaſin abripitur, qua ſedata pannos venaleis Fulgineum detulit, quib. pariter cum equo diuenditis Aſſiſium redit, pretiumq; pauperi ſacerdoti ibidem in Eccleſia præ vetuſtate pene collapſa inuento obtulit in reparationem templi, & aliquamdiu cum eodem hoſpitari quęſiuit. Poſterius haud grauate indulſit Sacerdos, prius metu parentum acceptare detrectauit. Quare ille acceptam pecuniam per feneſtrã velut puluerem eiecit.

Perſecutiones parentis exhaurit.

Parens Franciſci, dum ambo inter ſe nonnihil protractius loquerentur, animo turbato illuc venit. Franciſcus perſequentium minis concuſſus in ſpecũ ſubterraneam extra vrbem fugit. Ibi dum deliteſcit puſillanimitate ac pauore damnatis vrbẽ repetit. Ciues ſqualentem, & ſitu obſitam faciem conſpicati, luto, lapidibuſque eundem impetere, & velut freneticum ac inſanum inconditis clamoribus inceſſere. Pater his auditis aduolat, poſitoque omni commiſerationis affectu, domum in verba vinculaque pertrahit. Franciſcus inflexibilis in aduerſis vniformi perdurabat propoſito. Contigit interim patrem negotiorum ergo ire peregre & matrem ex mero affectu illum ab cuſtodia educere. Abſente filio rediens pater, cõuitiis vxorem impetit, ob dimiſſum captiuum, rabieq; exæſtuans illum quæſitum quaquauerſum abit. Ab Chriſto fortior, & ſpiritu Franciſcus furenti obuiam vltro ruit & omnia ſe aduerſa pro Chriſto exhauſturum ſpõdet. Pecuniam ergo à filio extorquet, cuius aliquam portionem in feneſtella inuenit, qua acerbitas illa mitigata fuit nonnihil. At non diu, quod paulo poſt ad Epiſcopum adductum bonis paternis prorſus renunciare iuſſerit, item quæ poſſidebat reddere. Nec mora, etiam quotidianum amictum patri reſtituit, vbi crudum cilicium ad nudam carnem ſub ſplendidis veſtibus latitãs paſſim videtur, inquiens: *Hactenus te patrem vocaui in terris, nunc ſecure iã deinceps dicam, Pater noſter qui es in cœlis* apud quem theſauri mei omnes, & ſpei fiducia. Illo feruente ſpiritus ebrium videns & obſtupeſcens loci antiſtes amplexatur, pallio ſuo tantiſper cooperiens, quoad veſtẽ miniſtri præberent. Offertur aũt illi veſtis ruſticana q̃ gratãter accipiẽs cęmẽto ad inſtar crucis cõſignat.

Diuerſas Eccleſias reparat.

Exinde foro vrbaniſq; turbis relictis eremicolam profitetur. Impediunt latrones & diuinis laudibus diſtentum rogant quis eſſet? *Præco*, inquit, *ſum magni Regis.* Et illi egregie fuſtigatum, in foſſam niuis plenam præcipitant. Inde emergens petit Eugubium, ibique leproſis omnem operã impẽdit, pedes abluendo, vlcera obligãdo, ſanie exprimendo. Inter quę vni⁹ os ambeſum, & malã horribili depaſtã contage oſculo ſanat. Aſſiſiũ repetẽs Eccleſiã Damiani inter notiſſimos ipſe cõportata ſtipe inſtaurat, & ſemifracto

corpuſcu-

corpuſculo atque excoſo laterem cæmentaq; quoad abſolueretur comportat. Porro ne ignauia diſflueret, Beati Petri Eccleſiam ab Aſſiſio remotiorem collapſam eodem opere ad faſtigium perducit. Denique in loco, qui Portiuncula dicitur, ſubſiſtens iā deſerto, at D. Virgini ſacro, Angelicis viſitationibus illuſtratur, reuocatque priſcum nomen, quod Maria de Angelis appellabatur, & ibidem perfectionis curſum ordiens, reuera metam tenuit.

XXV. *S. Hyacinthus floret adoleſcens Polonus ſexdecennis.*

Floret eodem tempore ſanctus Hyacinthus ſexdecennis adoleſcens Polonus, Euſtachii filius, Comes Odrouanſius futuræ magnitudinis ſuæ, indole rara, & virtutum præludiis, auget. Diuinabat idem Patruus Iuo Epiſcopus Cracouienſis, ideoque omnibus Eccleſiæ regnique negotiis eum applicabat. Ille cultu Dei & magnæ Matris inardeſcens religionem, preces, lachrymas congeminat, continentiam, eleemoſynas, contemptum ſui & ſeculi multiplicat, Iuonis optimi Epiſcopi ex aſſe hæres & ſectator.

XXVI.

Virgines quædam Monaſticen amplexæ in Leodienſi diœceſi, mirifice ab ſanctitatis fama [a] per M. Iacobum de Vitriaco ad Fulconem Toloſanum Epiſcopum ſcribentē commendantur, cuius ſpectatorem & eundem fuiſſe aſſerit. Ex variis vero laudum capitibus elogia illarum coaceruans, ab contemptu mundi diuitiarumque ordiens ad caſtitatis cuſtodiam & tutelam, ad manuum laborem, & iuge pſallentium Deique laudes pangentium officium gradum facit, ac clauſtri ac diſciplinæ obſeruantiam in pleriſque exaggerans, ad miracula aliquarum tranſcendit. Quarum vna ignem pertranſiens illæſa manſit, & ſæua hyeme in glacie ſubſedit, in ſepulchris mortuorum commorata fuit, & per purgantem ignem animas expiari vidit.

XXVII. *Floret Mauritius Epiſcopus Pariſienſis.*

[b] Mauritius Epiſcopus Pariſienſis hac tempeſtate florens ſuo exemplo effecit, vt Sacerdotibus morientibus tabula appenderetur, ... reſurrectionem corporum conteſtans, de qua per id temporis quidam dubitabant.

XXVIII. *Item Ioachim Abbas.*

[c] Ioachim quoque Abbas Florenſis monaſterii Prophetiæ dono & ſcriptis clarus ... Raynerium de Pontio in totum Iſaiam commentarium vnum ſcripſit rudi ſtylo & obſcuro. Ad Henricum Imperatorem in Ieremiam & Danielem & in Euangelium Ioannis pari modo. Item concordiam veteris ac noui teſtamenti libris quinq; complexus eſt, nihil in veteri actū docens, quod non in nouo agatur aut agendū ſit, ſinguiis permulta vaticinia de futuris temporibus permiſcēs & præſertim de Romanis Pontificibus, quæ quam fidem mereantur, alii iudicent. Illud ſtupidum, cum vaticinia illa ad ſolos quindecim Pontifices pertineant, nihilominus pleroſq; curioſulos in hæc noſtra tempora iſthæc transferre.

XXIX. *Item Rogerius Houeden hiſtor. Anglus.*

[d] Rogerius de Houeden duos libros Annalium Anglicorum ſcripſit, inſignis hiſtoricus & vſque ad Ioannem Regem illam perduxit, qui hoc anno regnum exorſus eſt, certo ſagittæ ictu in excurſione ad Calatium caſtrum Lemouicenſe Richardo. Vendicabat id ſibi Arthurus Britāniæ Dux Godofredi Filius hæreditario iure; & priuſquam Franci in auxilium aduolarent, ab Ioanne comite Morentonio eſt oppreſſus.

XXX. *Ordo S. Trinitatis de redemptione captiuorum.*

[e] Ordo ſanctæ Trinitatis de Redemptione captiuorū inſtitutus per Innocentium auctoribus Ioanne de Mara & Felice Eremita. Iuſſi per quietem adire Innocentium, qui v. Kalen. Feb. cum dies feſtus ſanctæ Agnetis ſecundo agitur ſacris operans vidit angelum cancellatis manibus duos captiuos vnum Chriſtianum & Maurum alterum ſibi oſtentantem, ſimili cum anachoretis viſione donatus. Quare amborum poſtulatis ſatisfacit, & pallio albo, cærulæa, rubentique cruce diſpuncto, quos colores in angeli habitu in viſione notauerat, incingit, ordinemque ſanctæ Trinitatis de Redemptione captiuorum ab infidelibus indigitat. Eius ſimulacrum Romæ in Cœlio monte viſitur vbi Eccleſiam S. Trinitati Innoc. poſuit.

XXXI. *Albigenſiū errores apud Toloſates.*

[f] Tametſi ſuperiore ſeculo anno 1176. præfecta impudentiſſimaque hæreſis Albigenſium fuiſſet, nihilominus in diſtrictu Toloſano adeo recruduit vt ibidem & in finitimis prouinciis mille vrbes inficeret, & niſi armis fidelium fuiſſet exciſa, Deo ſic iubente, tota Europa pene eadem contabuiſſet. Vt autem cōſtet, qui errores eorum fuerint, & quos ex iiſdem ad ſe Caluiniani traxerint, libet ex doctiſſimo Gualterio compendioſe proponere, præſertim cum Manichæiſmum ab Inferis reducant.

[a] I. Aiebant ſe non teneri fidem ſuam profiteri.

[b] II. Duo eſſe Principia, vnum bonum ſcilicet Deum, alterum vero malum, ſcilicet diabolum.

[c] III. Deum creare animas, diabolum autem creare omnia corpora.

[d] IV. Deum nullam animam nouam infundere: ſed animas ex vno corpore in aliud tranſmigrare, etiam animas ſerpentum, aliarumque brutarum animantium: nempe ſecundum cuiuſque meritum, ita vt anima eius qui male vixerit, per ſerpentum, aliarumque brutarum animantium corpora tranſeat, eius autem anima qui bene vixerit, per Principis aliusve illuſtris viri corpus [e].

V. Non eſſe corporum reſurrectionem [f].

VI. Neque purgatorium eſſe, neque infernum [g].

VII. Defunctis nihil prodeſſe, quæ illis applicantur ſuffragia [h].

VIII. Nec legem Moſis, nec Prophetas, nec Pſalmos, nec vetus Teſtamentum, nec Noui Teſtamenti Doctores eſſe admittendos [i].

IX. Iuſiurandum omne eſſe nefarium [k].

X. Baptiſmum reiiciendum eſſe tanquam ſuperuacaneum & inutilem [l].

XI. Euchariſtiam à malis presbyteris non conſecrari [m].

XII. Corpus Ieſu Chriſti non aliter eſſe in Euchariſtia, quam in aliis rebus [n].

XIII. Peccata non eſſe confitenda Sacerdoti [o].

XIV. Malum Epiſcopum non eſſe Epiſcopum [p].

XV. Actum coniugalem eſſe ſaluti pernicioſum [q].

XVI. Inutile eſſe, ire in Eccleſiam ad adorandum Deum, vel in ea orare [r].

Legi & alios Albigenſium errores execrandos, apud Petrum Vallis [r] Sarnenſis Hiſtoriæ Albigenſium authorem atque oculatum teſtem, qui & Waldenſibus communes ſunt.

XVII. Nouum Teſtamentum benigno Deo, vetus vero maligno attribuendum, & quidem reiiciendum, exceptis quibuſdam eius autoritatibus in Nouum Teſtamentum inſertis, quas ob Noui reuerentiam recipiendas ſentiebant.

XVIII. Veteris Teſtamenti authorem eſſe mendacem & homicidam.

XIX. Omnes Veteris Teſtamenti Patres eſſe damnatos Iohannem Baptiſtam eſſe vnum è maioribus dæmonibus, & ſacroſanctam Dei Genitricem eſſe, ò facinoroſos! meretricem.

XX. Chriſtum illum, qui natus eſt in Bethlehem terreſtri & viſibili, quique Hieroſolymis crucifixus eſt, eſſe malum.

XXI. Mariam Magdalenam fuiſſe illius concubinam: fuiſſe illam ipſam mulierem in adulterio deprehenſam de qua in Euangelio.

XXII. Bonum Chriſtum nunquam comediſſe vel bibiſſe, nec veram carnem aſſumpſiſſe, nec fuiſſe vnquam in hoc mundo niſi ſpiritaliter in corpore Pauli.

XXIII. Eſſe aliam terram nouam & inuiſibilem, in qua bonus Chriſtus natus eſt & crucifixus.

XXIV. Bonum Deum duas habere vxores, Collant & Colibant, atque ex ipſis filios & filias procreaſſe.

XXV. Cuiuſdam etiam eſſe ex eadem fæce errorem vnum quidem eſſe Creatorem, ſed habuiſſe filios Chriſtum & diabolum. Creaturas item omnes bonas fuiſſe, ſed per filias, de quibus in Apocalypſi, omnia fuiſſe corrupta.

XXVI. Eſt & ille cum Waldenſibus communis error, fere totam Romanam Eccleſiam ſpeluncam eſſe latronum, ac meretricem illam, de qua in Apocalypſi.

XXVII. Baptiſmi aquam ab aqua fluuiali non differre, neque Euchariſtiam à pane laico: inutilem eſſe tum Confirmationem, tum confeſſionem: in Matrimonio neminem ſaluari poſſe.

XXVIII.

XXVIII. Reſurrectione abnegata dicebant animas noſtras eſſe ſpiritus illos angelicos, qui per ſuperbiæ apoſtaſiam præcipitati de cœlo; corpora ſua glorificata in aere reliquerunt; & ipſas animas; poſt ſucceſſiuam qualiumcunque corporum ſeptem, & terrenorum inhabitationem, quaſi tunc demum pœnitentia peracta, ad illa relicta corpora remeare.

XXIX. (Eorum ſpeciatim qui dicebantur inter eos perfecti, nigroque habitu induti caſtitatis obſeruatores ac mendacii oſores videri volebant) eſum carnium, ouorum & caſei omnino eſſe deteſtandum.

XXX. (Eorum proprie qui credentes hæreticorum vocabantur, quiq; licet ad vitam perfectorum imitandam non pertingerent, in illorum tamen fide, cui adhærebant, ſe ſaluandos ſperabant,) ad ſalutem non eſſe opus Confeſſione aut Pœnitentia vel reſtitutione ablatorum, dummodo in ſupremo mortis articulo dicere poſſent. Pater noſter, & manuum impoſitionem à ſuis magiſtris (erant hi magiſtri ſeu Magiſtratus ex perfectis hæreticis, quos Diaconos & Epiſcopos nominabant) recipere. Vnde & ſecurius effrænatiuſque ad vſuras, rapinas, homicidia, carnis illecebras, periuria; aliaque ſcelera animum applicabant.

XXXI. (Quorundam ex illis hæreticis) neminem poſſe peccare ab vmbilico deorſum verſus.

XXXII. Vſum imaginum, quæ ſunt in Eccleſiis, eſſe Idololatriam.

XXXIII. Eccleſiarum campanas eſſe tubas dæmonum.

XXXIV. Non peccare grauius, qui cum matre vel ſorore dormiat, quam qui cum alia qualibet.

XXXV. Si perfectorum illorum aliquis peccato mortifero ſe coinquinaret, nempe minimum quid carnium, caſei vel oui, aliuſue rei ſibi inhibitæ comedendo, omnes eos quibus ille manum impoſuiſſet, Spiritum ſanctum amiſſuros; imo & ipſos ſaluatos, ob manuum imponentis peccatum, de cœlo caſuros.

Exempla portentoſa impietatis Albigenſiũ. a Gaguinus lib. 6.

Hæc ſimiliaque accuratiſſime Sernarienſis monachus, quæ in annalibus legere poteris, quæ maleſanam eorum doctrinam contingunt, de moribus eorum & ſacrilegiis nonnulla ex eodem [a] & Ganguino. Toloſæ vnus aluum ad primariũ altare exonerat in Chriſti contumeliã, & ſordes ſacris corporalib. abſtergit. Alteri ſcorto in altare leuato palam abuſi ſunt coram crucifixo, eundemq; auulſum, ab ara, manibuſque truncatum, fune collo iniecto, per vrbis plateas cum abominandis blaſphemiis volutarũt. Obſeſſi Biturigibus ab Catholicis codicem Euangeliorum vrina conſpurcant, conſpurcatum in Catholicos eiiciunt, ſagittiſque configunt, clamando: *Ecce lex veſtra, miſeri.* Giraudus Præfectus Albig. fidem ſacerdoti cum ſex equitib. & quinquaginta aliis comitibus datam, ob ſaluum conductum fœdiſſime frangit, perfidioſe carceri vinculiſq; mancipans inflammari vult; at Deus illæſos ſeruat. Equitum duos naribus oreque mutilat, & oculis, quorum vnus ex vulnere conualeſcit, alter emoritur. Fide Punica leuior fides Albigenſium & truculentior.

Ex Petro monacho de VValdenſibus quatuor errores

VValdenſium errores idem mitigat, nec tam ſacrilegos profligatoſque, neque tam eſſe multos quam Albigenſiũ, & in quatuor à nobis duntaxat diſcrepare fatetur. Nam inſtar Apoſtolorum ſandalia non calceos geſtant: nemini iurare; aut occidere licere aſſerunt: item geſtantem ſandalia, tametſi laicus ſit in neceſſitatis puncto, citra facultatẽ Epiſcopi, & ordines poſſe conſecrare corpus Chriſti.

XXXII. Formula e[illegible] Orthodoxi [illegible] Albigenſes. b [illegible] lib. 4.

[b] Hoc ritu apoſtata ab Orthodoxis profugiens recipiebatur in Albigenſem, Rogabat receptator. *Amice ſi vis ex noſtris eſſe, oportet te abrenunciare toti fidei, quam tenet Romana Eccleſia.* Et ille. *Abrenuncio.* Tum Magiſter. *Accipe S. Spiritũ bonorum hominum*, inſufflando in os eius ſeptem vicibus, & denuo dicendo: *Abrenuncias tu cruci, quam presbyter tibi impreſſit in baptiſmo, in pectore, ſuper ſcapulas, & in fronte, ac ſuper caput cum chriſmate & oleo.* Cui apoſtata, *immo abrenuncio.* Addit: *Credis quod hæc aqua baptiſmi operetur in te ſalutem.* Dicit, Non. Et magiſter: *Abrenuncias tu velo quod presbyter tibi impoſuit ſuper caput tuum in Baptiſmo.* Reſpondet. *Abrenuncio.* Et continuo Albigenſium baptiſmo perfunditur, & Sacramentum Eccleſiæ eiurat. Cæteri oſculo baptizatum excipiunt, & manibus capiti impoſitis veſtibus nigris induunt. Ex quo illorum eſt. Sic Petrus.

c Cæſ. l. 5. c. 21. Lib. 2. c. 9. Lucas Tudenſis.

[c] Narrat Cæſarius cuiuſdam Albigenſium fatuum reſponſum Abbati erroneos conuertere ambienti datum, quo prodebat poſt mortem animam ſuam ſi bene vixiſſet in Magnatis corpus transfundendam: ſin male in pauperis & afflicti corpus cum cognatis miſeriis ingreſſuram. Imaginum hoſtes atrociſſimi. Quare mutilatas pingere, & ſculpere, aut cęlare, vti & illibatam Deiparam monoculam, vt omnium calumniis & ſannis obnoxia eſſet.

XXXIII. d Marian. 12. ex Luca Tudenſi. Oſſa cuiuſdam hæretici cum templ[illegible] cremantur [illegible] Hiſpaniis poſt quod miraculoſe pluit.

[d] Hæreſes in Hiſpaniis dolo quorundam forſan Albigenſium Legione coortæ, cultu ſanctorum & venerandas cum tẽplis reliquias, cum tota antiquitate contempta damnabant, & cuiuſdã Arnaldi hæretici in ſterquilinio tumulati oſſa pro ſanctorum Lipſanis eleuabant, templo inſuper inſigni decorabant, adeo, vt quidam tam clerici quã religioſi in errorem traherentur, quoad detectis fraudib. in cineres ſacrilega oſſa cum templo fauillaſq; abirent, & aliquot ædium vrbanarum vindex flamma, ob leuitatem iſtam depopularetur. Vbi & illud miraculi accidit. Ad decem menſes non pluerat, arua omnia fertileſq; campi, & & ſata lęſa velut Vredinis vento torrebantur, ideoq; graſſabatur annonæ penuria. At vbi conſenſere in demolitionem, & incinerationem oſſium & fani, octiduo poſt largam pluuiam demiſit Deus.

XXXIV. Hæreſis Conſtantinopoli, an Chriſti corpus poſt ſumptionem corrupt. vel incorruptibile ſit. a Nicetas Choniates lib. 5.

[a] Conſtantinopoli factio quædam Chriſtianos diuiſit, vulgato hoc bicorni commento, corpus Chriſti vel eſſe poſt ſumptionem incorruptibile, vt aliqui opinabantur, vel corruptibile, vt alii. Illi ſanctorum Chryſoſtomi & Euthymii auctoritate nitebantur. Hi nugacibus ratiunculis, & damnatis ſe tuebantur, quaſi in Reſurrectione corpora vera non eſſemus habituri, ſed velut incorpores vmbræ volitaturi, quod poſt paſſionem corruptum corpus Chriſti ſtatuant, & poſt reſurrectionem nonniſi vmbram, nec quæ patrauit miracula vera fuiſſe. v. g. ingreſſum per ianuas clauſas, &c. Incuria Antiſtitum id factum, tam Georgio Tiphilino, ſub quo eæ hæreſes coortæ in ſeptimum annum Patriarchatu functo, quam ſucceſſore Ioanne Camerero conniuente, cuius erat monachum illum Siciditen, incenſorem huius flammę compeſcere, aut hominem cum nefario commento radicitus reuellere.

XXXV. Anabaptiſtarum prodromi paruulis baptiſmum negantes. b In epiſt. 12

Apud Arelatenſes hæretici inuenti ſunt, qui à baptiſmo paruulos excludebant, fingebantq; cœleſtib. gaudiis indignos, quos inſigni epiſtola ad Archiepiſcopum Arelatẽſem miſſa, in pudorem noſtrorũ Anabaptiſtarum Innocẽtius confutat. Illi enim paruulos charitate deſtitutos aſſerere, quæ multitudinem peccatorum cooperiat, & peccatrici delictorum remiſſionem ex multitudine dilectionis impetrauit, cum illi rationis impotentes & ſenſuum ſuorum ſint, ſine quibus charitas eſſe non queat. Contra Pontifex demonſtrare Baptiſmũ circumciſioni ſucceſſiſſe & quemadmodũ illa anima peribat de populo cuius præputii caro non fuiſſet circumciſa, perinde quoq; adultum cum infantib. morti obnoxium, ꝙ characterem Baptiſmi non acceperint. Iniuſtum inſuper Deum dici poſſe, ꝙ cum omnes homines velit ſaluos fieri, hiſce media ad ſalutem ſubtraxerit, quorum indies tot millia decedant. Quod ſi fidem neceſſariam baptizato eſſe inclamaueris, cum Seruator ipſemet baptiſmum fidemq; copularit, id de adultis intellige, & paruulis eandem in baptiſmo, quoad habitum infundi tametſi ſentire vel conſentire nequeant. Neque idem de dormientib. vel amentib[b] dici poteſt, quaſi illi etiam effectum Baptiſmi conſequantur, hi enim priuſquam ita afficerentur, baptiſmi ſeriam voluntatem habuerunt, & deinceps lethargo vel mania correpti ſunt, certum eſt originale cum delictis actualibus prorſus expiari, ſin minus, characterem quidem baptiſmi ſuſcipiunt, vti & ficti, at hæret noxa originis, cæteraq; peccata actualia non dimittuntur in adultis, quod conſenſus voluntatis vti in cõmiſſione peccatorum, ſic in eorundem remiſſione per baptiſmum requiratur. Neque eadem adultorum cum infantibus ratio, quippe cum culpam originis ſine conſenſu ſuo contraxerint, etiam ſine conſenſu paruulorũ Deus aboleri

Digitized by Google

vult. De coactis & inuitis illud tenendum, quod characterem dunxat accipiant, & quia ſalutaribus vndis luſtrari, ideo quoque ad iuriſdictionem pertineant, & ad obſeruātiam fidei Chriſtianæ adigi queant, vti feciſſe religioſiſſimum Principem Siſebuthum patrum noſtrorum memoria legimus. Hæc fere Innocentius pro vſu baptiſmi Sacramentalis aduerſus Pauperes de Lugduno, Inſabbatatos, Albienſes & Manichæos, qui coæuos nobis Anabaptiſtas infeliciter genuerunt.

XXXVI. Sanctio Alphonſi regis Aragonum, de hæreticis non tolerandis & arcendis. c Ex Biblio. Cardin. S. Seuerini.

Gallias illi fœde lacerauerant; ab Hiſpaniis Regum vigilantia arcebantur. Alphonſus Aragonum Rex maiorum veſtigiis inſiſtens edicto cauit, ne peſtilentes hęreſum corruptelæ in regno ſuo ſerperēt, quod omnibus orthodoxis Principibus exemplo eſſe poteſt, ſimile edictum condendi, ideoque ad longum ſubiiciam. c

Ildephonſus Dei gratia Rex Aragonum, Comes Barchinonæ, Marchio Prouinciæ, vniuerſis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & cæteris Eccleſiarum Dei Prælatis, Comitibus, Vicecomitibus, Militibus, & vniuerſis populis in regno & poteſtate noſtra conſtitutis, ſalutem & integram Chriſtianæ religionis obſeruantiam.

Quoniam Deus populo ſuo nos præeſſe voluit, dignum eſt & iuſtum, vt de ſaluatione & defenſione eiuſdem populi continuam pro viribus noſtris geramus ſolicitudinem. Quapropter præcedentium noſtrorum imitatores, & iure canonibus obtemperantes, qui hæreticos à conſpectu Dei, & Catholicorum omnium abiectos, vbique damnandos atq; perſequendos cenſuerunt, Valdenſes videlicet, Inzabbatatos, qui alio nomine ſe vocāt Pauperes de Lugduno, & omnes alios hæreticos quorum non eſt numerus à S. Eccleſia anathematizatos, ab omni regno noſtro & poteſtatiuo, tanquam inimicos crucis Chriſti, Chriſtianæque religionis violatores, & noſtros & regni publicos hoſtes, exire ac fugere præcipimus. Si quis igitur ab hac die & deinceps prædictos Valdenſes & Zabbatatos, alioſve hæreticos cuiuſcunque fuerint profeſſionis, in domibus ſuis recipere, vel horum funeſtam prædicationem aliquo modo audire, vel his cibum, vel aliquod aliud beneficium largiri præſumpſerit, indignationē Omnipotentis Dei & noſtram ſe nouerit incurriſſe, boniſque ſuis abſq; appellationis remedio confiſcandis, ſe tamquā reum criminis læſæ maieſtatis puniendum. Et hoc noſtrum edictum, & perpetuam Conſtitutionem, per omnes ciuitates, caſtella & villas regni noſtri & dominationis, ac per omnes terras poteſtatis noſtræ Dominicis diebus recitari ab Epiſcopis, cæteriſq; Eccleſiarum Rectoribus, atq; à Vicariis, Baliuis, Iuſtitiis, Merinis, & Zenameldinis, omnibuſq; populis obſeruari, & prædictam pœnam tranſgreſſoribus inferendam mandamus. Notandum etiam, quia ſi qua perſona nobilis, aut ignobilis, aliquos ſæpedictorum nefandorum, quibus iam per triduum edictum noſtrum innoteſcere conſtiterit, alicubi Regionum noſtrarum inuenerit non prorſus, aut cito tamen exeuntes, ſed potius contumaciter commorantes, aut deambulantes omne malum, dedecus & grauamen, quod his, præter ſolummodo læſionem mortis: aut detruncationem membrorum intulerit, gratū & acceptum erit in oculis noſtris & nullam in pœnam pertimeſcat quoquo modo incurrere: ſed potius gratiam noſtram ſe nouerit promereri. Damus autem illis nefandis inducias (quamuis quodammodo præter debitum & contra rationem fieri videatur) vſque in craſtinum Sanctorum omnium, quo vel egreſſi fuerint de terra noſtra, vel egredi inceperint: deinde ſpoliandis, cædendis ac faſtigandis, & turpiter ac male tractandis. Signum + Ildefonſi Regis Aragonū, Comitis Barchinonis, Marchionis Prouinciæ. Signū + Petri Regis Arragonum & Comitis Barchinonis in originali huius chartæ & ſignum Domini Regimundi Archiepiſcopi Tarraconenſis, & Domini G. Epiſcopi Tiraſſonenſis, & Domini R. Epiſcopi Iaccenſis, & fuit facta charta illa apud Ilerdam à Guilelmo de Baſſia, Regio Notario. Anno Domini M. C. XCIV. Hæc Alphonſus & Petrus Reges, contra hæreticos Baptiſmi violatores ſanciebant: vt lupos arcerent ab ouibus innocuis; & vulpeculas amolirentur à vineis: ne illę per fraudem irrumpentes demolirentur non tantum recens inſerendos, ſed & inſertos olim, & adultos palmites, veræ viti & vitæ veriori, Ieſu Chriſto, fructum maturitatis afferentes.

XXXVII. Petrus Ioannis hæreticus exuritur iam defunctus, & libri quoque. d Prateol. li. 14. in V. Petrus Ioannis.

d Petrus Ioannes diœceſis Biranēſis, diſcipulus Ioachimi Abbatis, & errorem hærēs ſcripſit libros in Apocalypſin D. Ioannis & Matthæi Euangelium, quos ſummorū Pontif. authoritate proſcriptos, & acri Theologorum examine diſcuſſos, in curiæ Romanæ ſolenni conuentu concremarunt. Oſſa quoque eiuſdem hæretici Petri ſic declarati, refoſſa, edacib. flāmis deuota ſunt. Errores eius ſunt hi.

1. Negabat animam rationalem qua rationalem eſſe formam hominis.

2. Docebat cum Ioachimo Abbate Apoſtolos non prædicaſſe Euangelium ſecundum ſenſum myſticum, ſed tantum litteram.

3. In Baptiſmo gratiam & Theologicas virtutes infundi negabat.

4. Chriſtum vulnus lanceæ non mortuum ſed viuum accepiſſe, contra clariſſimum Euangelii textum aſſerebat.

5. Babylonem meretricem magnam vniuerſalem militantem Eccleſiam intelligebat, & carnalem Eccleſiam, beſtiam & Synagogam Sathanæ vocabat.

6. Myſticum Antichriſtum dicebat eſſe Summum Pontificem &c. Hæc Prateolus.

XXXVIII Cædes & martyrium Parentii. a Ex monum. Eccleſ. Vrbeuet. M. S.

a S. Petrus Parentius orthodoxæ religionis indefeſſus propugnator Vrbi veteri in Hetruria ab Innocentio III. anno ſuperiore præfectus Manichæorum hæreſin, cum Epiſcopi conſilio eradicabat edictis ad certum temp9 pręſtandis, vt ad vnitatē Eccleſiæ poſtliminio redirent. Refractarios ſuppliciis variis adigebat. Romam ob ſolemnitatē Paſchalem excurrens, rogatur qui cum hæreticis agatur. Graue, inquit, eorum in me odium aduocaui. Animęquior eſto mi Parenti, ait Pontifex, animæ non corporis occiſorem metue. Hæretici in reducis necem conſpirant, captūque per fraudem iam quieturum fere inueſtem circumſiſtunt, vt edicta ſua vel retractet, vel fideiubeat quod eos nolit grauioribus pœnis inceſſere. Illo recuſante, protractum extra vrbem immaniſſime trucidant. Corpus in puteum deſtinant, at humo tollere nequeunt, nec putei os recludere. Item nux alias infrugifera iſthoc anno bifera fuit. Solemni ritu humatum corpus, multis miraculis coruſcauit circa inſanabiles. Sicarii paulo poſt diuerſis, attamen atrocibus mortis generibus perierunt.

XXXIX. Peccata in charta deſcripta diuinitus deleatur. b Cæſ. li. 2. c. 10.

b Felicius cum ſcholari Pariſienſi actum qui enormibus ſe delictis contaminauerat, in ſola contritione præſidium ſtatuens. Timor, pudorq; ab confeſſione abſtrahebant. Tandem timor pudorem, pudor timorem expellere charitas ſuccedere, ad tribunal Sacerdotis aduolare. Aduocat Priorem S. Victoris, ibi ſingultus & dolores vocem includere, lachrymæ, oculos obſcurare, contritio pectus inſidere. Scribit in charta, quod magnitudo doloris dicere prohibebat. Et exhibita eius permiſſu, Abbati chartula, miraculoſe expuncta delicta eſſe animaduertunt. Hoc viſo adoleſcens, mire gauiſus, vitam in melius ex præcepto monachorum, tranſtulit. *Cæſarius.*

XL. Veritas Euchariſtiæ probatur miraculo. c Ex fragm. hiſt. anonymi authoris.

c Sic miraculoſe contritio ſe prodit, nec Euchariſtiæ virtus caligat. Apud Auguſtam Rhetiæ mulier exceptum corpus Dominicum in ore ſeruat, & protractum cera circumdat abditque domi ſuæ. Pœnitentia ducta exomologeſin parat, fatetur culpam, Sacerdos ni hoſtiam reportet abſolutionem negat. At in corpus & ſanguinem ſpectabili forma mutatam reperit cum presbytero & ſociis. Ad famam miraculi vndequaque populi coiuerunt.

Eadem & altero. Varia hic recenſentur miracula hoſtię miraculoſæ contra Berengariū. d Gilb. Bremenſis.

d Idem Auguſtæ Vindelicorum fere pari modo vſuuenit, apud quem hæreſis Berengarii fruticare cœpit, vbi hoſtiam in verum corpus mutata, in templo Matris Domini exhibetur. Scripſit prolixiſſime hiſtoriam Gilbertus Bremenſis, cuius hæc narratio, nucleus: Fœmina quædā quinquēnio hoſtiam ſanctam domi detinuerat inuolutam cera. Tandem in conſcientia vulnerata detegit facinus, Bertholdo viro optimo Præpoſito ſanctæ Crucis, qui ceram diſſoluēs paruam portionem Dominici corporis inuenit, quæ poſtmodum in maiorem excreſcens, omnem fidem fecit, Chriſtum ſub ſpecie panis reuera ſecundum corpus & animam præſentem eſſe, Epiſcopus cum vniuerſo clero, cognito miraculo, pyxidem cui impoſita ſacra hoſtia ab Præpoſito in matricem ædem D. Virgini deuotam cum feſtiuo applauſu populi totius defert, & recluſa pyxide in quadruplū pene auctā Euchariſtiā obſtupefact9 notat, interim populo in adorationē effuſo. Et cū id Dei brachiū eſſe intelligerēt oēs, placuit tamē diuinæ Prouidētiæ, plurib. miraculis Berēgarii brutum commentū confundere quo-

rum

rum plurima Gilbertus percenſet. In ipſa hoſtia duo, tum quod colorem mutauerit, tum quod arcano modo aucta fuerit. Rudigerus Plebanus Eccleſiæ maioris diarrœa ſeu profluuio dierum duodecim corp⁹ exhauſerat, iamq; animam agebat, ad preces coràm hoc Sacramento ſanitatem recepit. Cæca triennio femina de Plaubeyren viſum recepit, quam medici curare nequiuerant. Perinde & alii cæci vtriuſq; ſexus perplures viſu vel in via, eundo ad miraculoſam hoſtiam, vel coràm eadem genuflexi, aut domū redeuntes donati ſunt. Pleræq; religioſæ feminæ ſpeciē gratioſi pueruli in eadem ſpectarunt. Mutæ plurimæ & muti vocem deperditam, item auditum ſurdi recuperarūt, claudi greſſum, paralytici vſum membrorum, dæmoniaci liberationem. Subincifus puer cum tribus aliis vitam ſunt cōſecuti. Inter quæ miracula non poſtremum illud de Ottone eſt, filio Cæſaris Frederici, qui profluuio ſanguinis & lenta febre confectus votū Sacramento fecit, quo contacto, medicis deſperantib. ſe curatū conſpexit. Hæc Bremēſis, quę cū in Emmanuele Thaumaturgo Gaſpar[a] Scoppius omnia retuliſſet, adiicit vnum, q Maximilianæ Guilielmi Bauarię ducis ſorori accidit, anno 1611. Inter famulorum manus ad hoc prodigioſum Sacramentum delata, vt votum ibidē vouit SS. Euchariſtiæ ſupplex mox ſanitatem vireſq; redire ſenſit, adeo quidem, vt ſuis pedibus nemine adiuuante templo egrederetur, hoſpitiumq; repeteret. Id palam pro concione ipſamet exclamari in omnib. Eccleſiis & omnes fideles ſecum gratias Deo agere iuſſit.

a Gaſpar Scoppius in Th. Thaum. ... an. Dom. 1611.

XI.I *Pax inter Regem Galliæ & comitem Flandriæ compoſita.*

Maria Balduini Comitis Flandriæ vxor, Theobaldi Cāpaniæ Comitis filia & Philippi Francorum regis neptis, Pariſios ad Regem pro pace inter ipſum & maritum conſtituendam proficiſcitur. Illam rex honorifice & ſuſcepit & dimiſit. Pax autem hoc anno iſtis conditionib. eſt concluſa, vt Balduino Comiti eiuſq; hæredibus tota Flandria vltra nouum Foſſatum ſiue aggerem ad Orientem cedat. Rex vero Atrebatum, Audomaropolim, Lenſium, Bapalmam, Ariam, Heſdinum, aliaq; oppida & agros circa Foſſatum ſitos, ſibi ſuiſq; ſucceſſoribus poſſideat. Ex his oppidis agriſque à Flandriæ corpore ſeiunctis Rex comitatum inſtituit, & filium ſuum Ludouicum creauit Arteſiæ comitem. Quæ pax poſt tot bella diuturna toti patriæ ſolatio magno fuit.[b] *Iperius Miræus.*

Primus comes Arteſiæ.
b Iperius in Chron. Bertinenſi. Miræus in Auctar. [illegible]

Iidem hoc anno Richardum Regem Anglorum fato conceſſiſſe referunt, cum theſaurum ab Comite Lemouicenſi in agro eodem inuentum ſibi vt ſupremo Domino arrogaret. At Comes reluctatur, illumque negat. Quare caſtrum illius valida manu obſidens, baliſtę ictu cadit, quā alteri infigere deſtinarat. Cadauer ex ſuo ipſius teſtamento triplici ſepulturæ traditū: corpus ad patris pedes, quod in eundem rebelli animo fuerat; cor Rothomagi, quam vrbem vnice ſemper coluit, reliqua inteſtina Pictonum terra, vt ſuo Principi ingrata, recondi voluit. Huic ſucceſſit Ioannes.

IESV CHRISTI
Annus 1200.

INNOCENTII PAPÆ III. Annus 3. — ALEXII COMNENI Imp. Annus 6.

I *[illegible]*
a Lib. 2. ep. 214. & ſeqq.

COrruebat Oriens & Palęſtina, Occidens Imperiumque turbabantur. Ideo ad illum iuuandum Romanæ Eccleſiæ decimam partem detraxit[c] Innocentius, & in ſubſidium miſit. Ne vero reliqui Eccleſiaſtici immunes eſſent, quadrageſimam partem iis perſoluēdam impoſuit, & ſeculares propoſita peccatorum indulgentia inuitauit. Diuerſis Abbatib. Ordinis Ciſtercienſis & Præmonſtratenſis, item Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Clero, Prælatis, Comitib. Principibus, Nobilibus militibus, ciuibus & populis, totius Alemanniæ, Galliæ, Angliæ, Hungariæ, Slauorum, Hiberniæ, Scotiæ, Tuſciæ, Longobardiæ ſcripſit, vt ſeſe vel cruce ſignarent vel milites ſuis impendiis ſubmitterent.

Occidentis in Sicilia turbator Marcouualdus,[b] Pro Friderico Rege & Eccleſia ſcribit Innocentius omnibus Siculis Primatibus cis & vltra Pharum, vt Eccleſiæ, pupilliq; iura mordicus tueantur, & Marcouualdo ſeſe viriliter opponant. Idem Apulis inculcat, laudatq; Comitem Raguſinum, quod pro Frederico imperterritus ſtaret, & fulminatum toties Marcouualdum execraretur. Brennenſem comitem in Tarentino ducatu confirmat, & Licii comitatu, atque aduerſum Marcouualdum armat.

II *Pro regno Siciliæ contra tyrannum agit.*
b Epiſt. 265. Lib. 3. ep. 22.

Oratores Philippi ducis anno præeunte ad Sedem Apoſtolicam miſſi, videlicet, Frideric⁹ ſancti Thomæ apud Argentinam Præpoſitus, & Ioannes S. R. E. Subdiaconus, in conſiſtorium Romanum admiſſi, diadema Regiū Philippo poſtularunt. Reſpondit diſerte Innocentius ſe viſis litteris Philippi negotium, iuſtiſſime deciſurum. Otto id audiens, ne quid detrimenti in adeundo regno pateretur, totum ſtatū rei per Nuncios Innocentio aperit, iuuiſq; & facti remedia contra Philippum petit. Cognitis vtrimq; & ponderatis argumentis ab Cardinalibus, in Germaniam Legatus Subdiaconus mittitur, qui Comitio Principum indicto Sedis Apoſtolicæ decretum exponeret.

III *Philippi ducis Legatos & Ottonis audit, & pro Ottone cū Cardd. decernit.*

Tres competitores Imperatoriam purpuram ambiebant, Fridericus Siciliæ rex, Philippus dux, & Otto Saxo. [c] Quare Archiepiſcopo Moguntino S. R. E. Cardinali Sabinenſi ſcripſit, & vniuerſis Principibus, quod cauſſæ eorum fuiſſent apud Apoſtolicam Sedem ventilatæ, reiectiſque Frederico & Philippo, Ottoni Imperium arrogari. Et vt maiore cum auctoritate illa fieret inauguratio Oſtienſem & Præneſtinū Epiſcopos Cardd. Legatos in Germaniam mittit, [d] omnibuſq; Principib. ſignificauit, qui litteras confirmationis Ottoni deferrent, oppoſitiones Philippo factas omnib. euulgarent, iuramentū fidei ab Ottone exigerent, diademate verticem ambirent, oēs ad obedientiam & ſingulos hortarētur, refractarios & pacis turbatores excōmunicarent, & quicquid ad pacem Imperii pertineret, exequerentur. In litteris ad Ottonem, laudes eius congeminat, electionem approbat, ad fidelitatem exſtimulat ſubditos. [e] Perinde cum Angliæ Galliæq; Regib. agit, omnibuſq; Germaniæ Principibus, Patriarchis, Archiepiſcopis diuerſorum Regnorum & ſuffraganeis eorum Hildeſemenſi præſertim, Paderbornenſi & Argentinenſi omnibuſq; Prælatis Eccleſiarum. Principib. item Ottonis ſequacibus, Duci Zeringiæ, Comitibus de Taigburgh, Viana, Bolland, Apulſtam aliiſque baronibus idem inculcat, laudatque quod ab Philippo receſſiſſent. Ottocarum Bohemiæ ducem, qui ab Philippo exauctorato diadema regium ſuſcepiſſet, grauiter perſtringit, quod ille dare nequibat, qui ipſemet Rex non eſſet & repulſam ab Sede Apoſtolica tuliſſet. Q[u]are Ottoni adhærere iubet, à quo id ſumere inuiolate poſſet, vtpote qui ab Summo Pontifice approbatus fuiſſet. [f] Guido Cardinalis Præneſtinus Innocentio ſuo acta reſcribit, nimirum ſe quaſdam controuerſias audiſſe, & expendiſſe mature, ex præſcripto Apoſtolicæ Sedis Fridericum Regem Philppumque reieciſſe, Ottonem coram P[r]incipibus coronaſſe, & rebelles anathemate perculiſſe.

IV *Ottoni Saxoni Ind. & Philippo reiecto diadema imponit per Legatos.*
c Lib. 2. epiſt. 20 & ſeqq.
d Ep. 30. & ſeq.
e Ep. 31 vſq; ad 37.
f Epiſt. 32.

[g] Otto continuo memor beneficii per Legatum ab Apoſtolica Sede delati ſcribit Pontifici adepta dignitate, illiuſque beneficio ſe diadema accepiſſe profitetur, gratiaſque agens protectionem Sedis Apoſtolicæ flagitat, & Cameracenſis & Eccleſiarum aliarum negotia commendat.

V. *Otto memor beneficii & gratus erga Pontificem.*
g Epiſt. 51.

[i] Interim Innocentius vrbanā ſerio tractat. Iuramentum à Præfecto vrbi præſtari ſolitum à Petro Caſtello Vicedomino audiuit, vt nihil in rebus temporalibus Eccleſiæ Romanæ ſine ſcitu permiſſuque Pontificis, quoquo modo mutaret, ſaluo in omnibus mandato Domini Papę, quo veluti freno ille & omnes temporalium Præpoſiti ex fide agere conſtringebantur.

VI. *Diuerſa iuramenta Præfecti vrbis Feudatariorum & vrbium audit.*
i Lib. 2. ep. in fine.
k Ibid. in ep.

[k] Alia formula edebant Feudatarii Eccleſiæ iuramentum & dynaſtæ, vti in Ildebrandino Comite apparet, tum quod in nullo nocere vellent Pontifici, tum quod patrimonium beati Petri & Regalia Sedis Apoſtolicæ omnino defendere tenerentur. Quæ bona fide, ſine fraude & malo ingenio obſeruent, [l] Ex alia formula Nuncii ciuitatum,

l Lib. 3. 37. & ſeqq.

quæ Eccleſiæ Romanæ erant, iurarunt, nimirum Fannenſes, Eſinenſes, Piſaurienſes & cenſum annuum ſoluerunt, hi librarum quinquaginta, illi quadraginta, quos laudauit Innocentius, & priuilegiis confirmatis ornauit.

m Lib. 3. ep. 48.49.50.& ſeq.

[m] Senogallienſes, Camerinenſes, qui pleraſque terras Romanæ Eccleſiæ ſui iuris fecerant, nec annuum cenſum dependerant, officii admonuit, & ſatisfactionis.

VII. Firmani cū Anconitanis pacificantur. n Lib. 3. ep. 48.49.50. & ſeq.

[n] Firmani, Anconitanique inter ſe hoſtiliter diſſidebāt cum manifeſto Eccleſiæ Romanę præiudicio. Itaque duos eo nuncios deſtinat, qui firmarent pacem, laudatis Anconitanis quod fideles perſiſterent, & commonitis aliis præſertim in Marchia Anconitana laicis vt ab armis diſcederent. Et Octauiano Subdiacono & Almerico Cameræ Apoſtolicæ Notario in decretis omnibus obedirent, alioquin ſi nollent ſuauiter acquieſcere, acerbe ſe cogendos noſſent.

VIII. Diuortium Gallorum Regis & Reginæ per Legatum componitur. o Lib. 3. ep. ... Item lib. 3. ep. 13.14.15.

Reconciliato diuortio inter Regem Reginamq; Galliæ quidam ſuſurrones Reginæ ſuggeſſerant, non niſi ſeptimeſtrem reconciliationem fore, & nihilominus affinitatis intuitu illam repudiandam. Ideo Innocentius ſcribere habuit, nequaquam fidem falſo rumori & impoſturis præberet, omnia iura in ſui fauorem cum procuratoribus Romā mitteret. Idem à Canuto Daniæ Rege exigit. Octauianus Oſtienſis Epiſcopus Cardinalis deſtinatur in Gallias vt plene diuortium componeret. Apud Sueſſionē diſcernit totam controuerſiam, & decernit Philippum cauſa cecidiſſe, Reginam recepiſſe, omnia ad mentem Pontificis iuxta canones tranſegiſſe. Philippus quoque Rex Legato honorifice ſuſcepto ſcribit Romam ſe omnia ex mādato Pontificis, tametſi contra voluntatem perfeciſſe.

IX. Forenſem Epiſcopum ſuſpendit ab officiis, & Boſnenſem corrigit. p Lib. 3. ep. 3.

In Hungaria Nicolaus Forenſis Epiſcopus duos in minoribus conſtitutos, & illius opera in Epiſcopos Electos ſuſpenderat ab executione officiorum Epiſcopalium, qui tamen quendam ſacris Ordinibus initiauerat & Ladertinam Metropolim occuparat. Item Danus Boſnenſis hæreticos ex Spalatenſi & Traguienſi prouinciis eiectos, ad ſe vocarat & receperat honorifice. [p] Quare Archiepiſcopo Spalatenſi vt ſingulis diebus feſtiuis ſuſpenſum illum Epiſcopum pulſatis campanis & accenſis candelis anathemate fulminaret: Et ni reſiperet intra menſem, non modo ab Epiſcopi dignitate, ſed ab omnibus quoque ordinibus Sacerdotalibus deponeret. [q] Regi item ſcripſit, vt Boſenſem ad eiiciendos hæreticos adigeret, Nicolao vero ſeriam pœnitentiam ſuaderet, ne pœnis à Canonibus præfinitis plecteretur. [r] Mittit inſuper Ioannem de ſancto Paulo titulo ſanctæ Priſcæ presbyterum Cardinalem, qui inquirat, cur Narbonenſis Archiepiſcopus hæreticos (Albigenſes dicit, qui ibidem graſſabantur) vel non conuerteret, aut in eos non animaduerteret. Ferebatur autem illum ſimoniæ labe infectum aliiſque vitiis, & terræ ſanctæ ſubſidium ad rogatum Innocentii mittere concilio ſuper hoc habito recuſaſſe.

q Epiſt. 1.

r Epiſt. 22.

X. Immunitas Eccleſiarum aſſeritur in Croatia. ſ Epiſt. 4.

In Regno Croatiæ immunitates Eccleſiarum violatum ibant, ad quos multi aſyli inſtar fugiebant. Quare [ſ] Regi præcipit, vt non niſi latrones publici, & nocturni agrorum populatores inuiti extrahantur; ſerui & alii priuilegio illo gaudeant, & non prius quam iuramentum fidelitatis à dominis acceperint, pedem afferant.

XI. Nouarienſes inuaſores Eccl. puniuntur. t Epiſt. 5.

Nouarienſes in Longobardia Epiſcopum diris illos deuouentem, quod bona Eccleſiæ inuaderent, expulerant. [t] Mandat Mediolanen. Archiepiſcopo, & Suffraganeis vt pulſatis Campanis & candelis accenſis denunciarent excommunicatos, niſi intra menſem reſipiſcerent. Clerus vrbe exiret, ab illis tanquam ethnicis & Publicanis. Et ni acquieſcerent mirabatur vel in alium locum transferendam Cathedram Epiſcopalem vel diœceſin inter alias diſpertiendam. Item vt Mercatorum bona vbique detinerentur vſque ad congruam ſatisfactionem imperabat.

XII. Varia ordinat Innoc. u Epiſt. 8. x Epiſt. 9.

[u] Piſano Archiepiſcopo vſurpatum ius transferendi Epiſcopos abrogat. [x] Ex ordine Ciſtercienſium Epiſcopum cultu molliore, deſerto habitu victuque ordinis vtentem emendat, tum quod Epiſcopalis dignitas à voto non liberet, tum quod, ſe nunquam ab regula Benedicti receſſurum Innocentio promiſiſſet. [y] In Sicilia cis & vltra Pharum Græcos Latinoſque inter ſe odiis inteſtinis diſſidentes, & diuina vtrimque adire contemnentes, per Epiſcopum Conſanum pacificat. [z] Archiepiſcopo Calaritano cauſſam matrimonialem nobilis Calaritani definiendam committit. [a] Parricidas Taruiſinos aliquos ob interfectum ſub Cœleſtino Epiſcopum Bellunenſem, vrbe interdicta, illis vero anathemate percuſſis abſolui per Ferranienſem vult accepto iuramento, & ſatisfactione congrua, ſi ab hæreſi vrbem quoque expurgarent. [b] Iudæis fidem datam violari non vult, vti neque lapidibus peti aut fuſtibus, nec cœmeteria eorum euerti, ſecutus exempla in hoc Calixti, Eugenii, Alexandri, Clementis, Cœleſtini prædeceſſorum ſuorum. [c] Forſan ideo conuerſus Samuel Iudæus, ſcriptis clarus, qui fallaces moras Iudæorum circa Meſſiam demonſtrans œconomiam Redemptionis illorum & noſtræ oſtendit expletam.

y Epiſt. 15.

z Epiſt. 14.

a Epiſt. 17.

b Lib. 2. ep. 171.

c Genebrar. in Chronol.

XIII. Philippus & Ioannes Reges per Legatum ad inducias deducūtur. d Paul. Æmil. in Philippo. Continuator Sigeberti Matt. Paris, Rigordus, & e ...ep. 24. de Interuer. ... 25.

[d] Philippus Francus & Ioannes Anglus Reges diſſidebant, dubioque certabant Marte quod Ioannem Regni Angliæ inuaſorem haberet, oppreſſo Arcturo Regis hærede, ideoque vrbibus illis, quas beneficii loco ab Francis acceperat Rex per Philippum priuatur. Ille ſe inferiorem videns, Pontifici ſupplicat, qui bellum cruentum timens, quod ſubſidiis terræ ſanctæ mittendis officeret, & cruce ſignatos auocaret, Petrum Capuanum titulo ſancti Marcelli Cardinalem cum ſociis vel ad pacem vel ad inducias inter Reges tractandas mittit. [e] ſcribitque Epiſcopis Galliarū, vt ſi iniuſte moueret Philippus bellū, arma deponat, erepta reſtituat; ſi recuſet, ipſe anathemate, tota vero terra eius, interdicto ferientur. Quare Legati in voluntatem Pontificis exequendā acerrime incubuere, vt nimirū vtrimq; ab armis diſcederent, qui nollent, eius ditionē interdicto ſupponerent. Ioannes Pontificis ſeſe auctoritate firmare; Philippus vero certa ſpe victorię niti, q̄ extorqueri eo modo ſentiebat Petr. Legat. inducias quinquēnales ſuadere in obſequiū Chriſti & terræ ſanctæ liberationem.

XIV. Inuentio corporum SS. martyrum. f Ex Annal. Eccl. Volat. Raphael in lect. officii.

[f] Memorabilis inuentio corporum Volaterris Hetruriæ vrbe facta eſt ſanctarum virginum & martyrum Actiniæ & Græcinianæ, quæ illam vrbem ſub Diocletiano ſuo ſanguine irrigarunt. Martyrium energumenus eiuſq; modum patefecit, tametſi monachi cœnobii ſancti Clementis lapidem quoque marmoreum inuenerint, in quo martyrum nomina legebantur; item tempus ſupplicii cum percuſſoribus. Celebrant ſolemnitatem Volaterrani ad decimum ſextum Kalend. Iul.

Obitus S. Raymundi Placentini. g Ex officio Eccl. Placent.

[g] Sanctus Raymundus Confeſſor Placentinus hoc anno in cœlos abiit. Rogatu Placentinorū & miraculis motus Paulus V. huius ſancti natalem celebrari ibidem iuſſit.

XV. Communio ſub altera ſpecie probatur. h Alex. Hal. 4. q. ... m. ... 4. 3.

[h] Veritas ſanctę Euchariſtiæ hoc miraculo aſſeritur hoc eodem anno Religioſi quidam communionem ſub vtraque ſpecie petebant. Celebrat pius ſacerdos, quo celebrāte, inferior pars patenæ ex fractione diuæ hoſtiæ ſanguine fluit, at coniungēte eodē partes redintegratę ſunt corp. & ſanguis, eorumq; qua petitio, qua tentatio diſſipatæ.

XVI. Sanctitas & miracula Abbatis de Flay Euſtachii de Flay. i Rogerius Houeden Annal. p. 2. in Ioanne rege.

[i] Ex comitibus beati Fulconis Abbas de Flay Euſtachi. Euangelii præco inſignis venit in Angliam, & ibidem ſe Thaumaturgum oſtendit. Nam fonti ad villam de Vuy benedixit non procul Canthuaria ſitam, quem tanta gratia donauit Deus, vt cæci viſum, claudi greſſum, muti loquelam, ſurdi auditum, omnes denique debiles ex fonte benedicto bibentes inde ſanitatem reportarent. vti in obſeſſa videre eſt, quæ ab Abbate ad fontem miſſā, vt aquam benedictam hauſit, regeſſit illam, & exierunt ab ea duo bufones, qui in duos nigerrimos transformati canes, tandem in aſinos deſierunt, relictiſque fœditatis ſuæ veſtigiis graueolentibus in aera receſſerunt. Aquæ defectum Rumenel caſibus diuinitus impetrato fonte ſuſtulit, cuius aquæ languoribus ſanandis etiam ſeruiit, percuſſu virgæ in Eccleſia eiuſdem villæ. Ad crucis ſignaturam concionibus ſuis multos induxit, vt Londoniis & per Angliā forum rerum venalium diebus Dominicis non exerceretur, effecit. Item vt corā venerabili Sacramēto ſemper lampas arderet indeficiens in Eccleſiis. Item vt diuites ſemper diſcum in menſa haberent, cui partem ſuorum cibo-

rum

Digitized by Google

rum imponerent, mitterentque his, qui non præparauerunt ſibi. Qui prohibus ab æmulis prædicationi inſiſtere, in patriam ſcilicet Normanniam rediit. *Houedenius.*

XVII. *Acta Synodi VVeſtmonaſterienſis.*

Hoc ipſo anno Hubertus Cantuarienſis Archiepiſcopus Londiniis apud Weſtmonaſterium Generalem Synodum celebrauit. Decreuit infraſcripta.

1. *Presbyter in die bis non celebret.*

2. *Euchariſtia ad ægrotum deferatur lucerna præcedente, atq; Cruce prælata.*

3. *De baptiſmate vel confirmatione ſi dubitetur, conferatur, quia non dicitur iteratum, quod non ſcitur fuiſſe collatum.*

4. *Sacerdotes in pœnitentia diligenter circumſtantias attendant, qualitatem ſcilicet perſonæ, & quantitatem delicti, tempus, locum, cauſſam, moram in peccato factam, deuotionem animi pœnitentis, & vt pœnitentia talis iniungatur vxori, vnde non reddatur marito ſuo ſuſpecta de aliquo occulto, & enormi peccato. Idem de marito obſeruetur.*

5. *Nullus Sacerdos poſt lapſum, antequam confiteatur, ad altare præſumat accedere celebraturus.*

6. *Prælati viſitantes Eccleſias non immoderate ſe habeant, neque quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti quærant; neque ſuos ſubditos tallijs aut exactionibus grauare præſumant.*

7. *Nullus ordinetur ſine certo titulo alicuius certæ Eccleſiæ.*

8. *Excommunicatio non proferatur, niſi canonica monitione præcedente.*

9. *Nihil exigatur pro Sacramentis adminiſtrandis.*

10. *Decima non minuatur occaſione mercedis ſeruientium, vel meſſorum.*

11. *Clerici in ſacris ordinibus conſtituti, focarias non habeant.*

12. *Aliquo canonico illigati impedimento, ne matrimonium contrahant.*

13. *Publica fama diffamatis, canonica purgatio indicatur.*

14. *Leproſi cœmeterium proprium habeant, & capellam.*

15. *Nullus ſine Epiſcopali authoritate, Eccleſiaſtica beneficia de manu laica recipiat.*

16. *Monachi Regularibus diſciplinis inſtruantur.*

Hæc & alia plurima ſancita, recitabat *Houedenius in annal. p. 2. in Ioanne.*

XVIII. Obitus S. Hugonis Lincoln. Epiſcop. ex Carthuſiano. l *Petr. Dorl. Thes. lib. 3. chron. Carth.*

[l] Fulgentiſſimum Angliæ ſydus ſanctus Hugo Lincolnienſis Epiſcopus obiit poſtquam ſponſam ſuam quatuordecim annis mira cum ſanctitate rexiſſet, de quo ſic Martyrologium Romanum: *In Britannia ſancti Hugonis Lincolnienſis Epiſcopi, qui ex monacho Carthuſiano ad Eccleſiam Lincolnienſem vocatus, multis claruit miraculis, & ſancto fine quieuit,* vitam eius prolixiſſime deſcriptam lege apud Dunlandum. Conſtat quippe illum toto vitæ ſuæ decurſu, & quolibet ætatis flexu admirabiliũ operũ patratorẽ fuiſſe, in pueritia, in adoleſcentia, in ordine Carthuſienſi, in Paſtoratu, in Prioratu, in Præſulatu, vt non immerito tantis clarum meritis ipſi Angliæ & Scotiæ Reges tumulare peroptarint, ipſi feretro quo defunctus ferebatur, ſuccedentes, innumerabilium hominum corona comitante. Epitaphium eſt hoc reuera pulcherrimum.

Pontificum baculus, monachorum norma, Scholarum
Conſultor, Regum malleus Hugo fuit.

Canonizatio S. Hugonis *Seruatus.*

Honorius III viri rara ſanctitate, & miraculorum gloria diſcuſſis Sanctorum albo inſeruit. Moritur quoque hoc Conradus Archiepiſcopus Moguntinus ex terra ſancta rediens.

XIX. Quinq; lunæ viſæ. m *Houed. p. 2. annal. in Ioanne Rege.*

[m] Ante natalem Domini menſe Decembri, quinque lunæ prodigioſæ ſunt viſæ ad primam noctis vigiliam. Prima in aquilone, altera in meridie, in Occidẽte tertia, quarta in Oriente, quinta in medio illarũ quatuor ſtellis multis circumdata, quibuſcum quinquies aut ſexies illas quatuor ambibat ad vnius horæ ſpatium, & diſparuerunt.

n *Rob. anno 1200.*

[n] Ciuitas Rothmagenſis igni voraciſſimo hoc anno correpta miſerabiliter conflagrauit.

XX. Tartarorum regnum innoteſcit. *Miræus anno 1200.*

Terribile Europæ Tartarorum nomen, hoc anno primum cœptũ eſt inclareſcere & tyrannicã regni ſpeciem oſtentare. Vnde Martinus Polonus Imperium eorũ hoc anno initiũ ſumpſiſſe teſtatur. Cui Haithon⁹ Mechou⁹, Iperius & alii celebres hiſtorici ſuffragantur, (quamquã libet cum altero Annaliũ conditore in ſeq. annũ referre) Miræ⁹ hoc anno. Saxo Grãmatic⁹ floret hucuſq; hiſtoriã pducẽs.

XXI. *Gibbon. ſec. 12. Rot. Tolet. Mariana lib. 11. c. 20. Nicetas lib. 3. de Geſtis Alex. Angeli.*

Mota quoque ſunt, vt ex aliis Gibbonus ſeculo duodecimo narrat arma Caſtellæ & Arragoniæ Regũ in Nauarræ ſeu Vaſconum Regem Sanctium: & Sanctio in Africam digreſſo, variis regni ciuitatibus captis inter ſe partiuntur. Obiit Otho Burgundiæ comes Palatinus, filius Friderici Imp. filias duas reliquit hæredes: vnde nata de ſucceſſione diſſidia, *quæ narrat Paradin.* Ibancus Conſtantinopoli, maiorẽ quã decuit authoritatẽ nactus, defecit ab Imperatore Græco: homo ſtrenuus, ex Myſia oriundus: ſed dolo Imperatoris ſpecie colloquii captus, in carcerem truditur.

IESV CHRISTI
Annus 1201.

INNOCENTII PAPÆ III. An. 4. — ALEXII COMNENI Imp. Ann. 7.

I. Innoc. pro Ottone laborat ſtrenue.

PHilippus & Otto etiamnum de Imperio certabant, Germaniæ Principes admodũ varii. Adolphus Colon. Archiepiſc. ab Ottone receſſerat, at redit. Eius Exemplum multi ſecuti ſunt. Innocent. totus pro Ottone, Philippum porro exauctorabat. Hic porro Innocentiũ acclinare pertentabat promiſſis blandiloquentib. videl. Velle ſe terram S. ex manib. Paganorum eripere, bona Eccl. Rom. ablata vel per ſe, vel prædeceſſores reſtituere, Electiones Prælatorum non interturbare, Orientis Imperium ſubiugare, & ſubiugato vnionem vtriuſq; Eccleſiæ inſtituere, Romanam Eccleſiã in omnibus iuuare, defendere, protegere, exaltare aſſimit item ex filia ſua cum conſanguineo Innocentii contrahere. At Innocen. inexorabilis, pro Ottone ſemper fecit, iſtis illiciis Philippi nullo modo alienatus ab Ottone quin potius maioris beneuolentiæ copulationiſque argumenta in eum præberet. Nam ſuper gradu conſanguinitatis inter ipſum & ducis Brabantiæ filiam, vt matrimonio iungerentur, diſpenſauit. Conſolatorias ſcribit eidem ſe nunquam Imperio nec Ottoni defuturum, quoad finẽ turbarum ac tempeſtatum videat. Item Regi Angliæ & Treuerenſi Archiepiſcopo cæteriſque Principib. in eundem finem perſcripſit vt quemadmodum ipſum in protectionem ſedis Apoſt. ſuſcepiſſet, perinde & illum eius defenſionem toti incumberent. Denique à iuramento Philippo facto oẽs obnoxias vrbes Imperii abſoluit. Philippũ Galliæ Regem, quod Prænestinus Epiſc. iniuſte coronam neglecto Philippo Ottoni impoſuiſſet, criminantem, datis litteris, repreſſit, nihil temere in ea re ſedem Apoſt. tẽtaſſe. Magdeburgenſem & Treuerenſem Archiepiſcopos item Pataulenſem ac Spirenſem Epiſcopos in ſectando Philippo pertinaces, per Archiepiſc. Saltzburgenſem corrigi iubet, vt ſi auctoritatem Apoſtolicam deſpicatui haberent, tum ab dignitate officioque ſuſpenderet, tum deponeret. Colonienſi Archiepiſcopo ea bona refractarii Treuerenſis poſſidendã contulit in ſua diœceſi, quoad iſtam pertinaciam exueret. Tarantaſienſem Epiſcopum, qui Philippum vnxerat, conſecrarat, regio diademate ornarat, Regemq; edixerat, in præiudicium Colon. Archiepiſcopi, & contra mandatum ſedis Apoſtolicæ Romam ad dicendam cauſam euocat.

lib. 3. Ep. 56. & ſeq. vſq. 64.

Epiſt. 63.

Epiſt. 69. & ſequent. ad 77.

II. Otto Rex iuramentũ fidelitatis. Eccl. Rom. præſtat.

Otto paterno Innocentii affectu in ſe mirifice recreatus, quantocyus ſeſe fidelitatis Sacramento obſtrinxit, in præſentia Philippi Notarii, Ægidii acolythi, & Richardi ſcriptoris Innocentii Papæ depoſito, Nuſſiæ diœceſis Colon. an. M C C I. VI. Idus Iunii, inſignemq; iuramẽti formulam edidit, qua Põtifici M. eiuſq; ſucceſſorib. pollicetur & iurat, velle ſeſe omnes poſſeſſiones Romanæ Eccleſiæ, honores, iura, bona fide pro poſſe defendere, deperdita recuperare, recuperata tueri. Ad illa aut omnis illa terra refertur, quæ eſt a Radicoſano vſque ad Ceperanum, Exarchatus Rauennæ Pentapolis, Marchia Anconitana, ducatus Spoletan⁹, terra Comitiſſæ Mathildis comitat⁹ Bretenorii cum aliis terris, expreſſis in multis priuilegiis Imperatorum à tempor. Ludouici, quas cum inuiolata iuriſdictione, Rom. Eccleſiæ vel reſtituet, vel non turbabit.

Inſuper quod regnum Siciliæ velit Eccleſiæ aſſerere & conſeruare, debitamq; obedientiam ſedi Apoſtolicæ more maiorum fidelitatemque exhibere iurauit.

III. Alia Varia Innoc. Acta lib 3. Ep 42. Epiſt. 41.

Porro Innocentius ſententiam pro templariis Pariſienſibus fert, contra decanum S. Quintini propter præbẽdam, quam iam poſſidebant, vt Archiepiſcopi Senonenſis decretum confirmaret. Pacificari Formanos cum hominibus Montis Rubiani per commiſſarios imperat. In protectionem S. Petri Priorem & Canonicos Regg. Eccleſiæ S. Mariæ de Chirberi accipit, iuraq, confirmat Atterdenſem Epiſcopum, neglecto Metropolitano odiente illum, Aronachano Archiepiſcopo & ſociis conſecrandum cõmittit. Pro terræ ſanctæ ſubſidio omnibus Abbatibus paſſim ſcribit. Quamquam Weſtmon in Flor Hiſtor. referat. Beatam Virginem Ordinis Ciſtercienſis ſingularum patronam ſecundum quietem Innocentio apparuiſſe & ne contra priuilegia Ordinis pecuniam pro Crucefignatis exigeret, acriter vetuiſſe.

IV. Weſtmon. in Flor. Hiſt. Polyd. Virg. li. 15. hiſtor. Anglicana. Matth. Paris. &c. Cata. Epiſc. Olomucenſ.

In Anglia S. Vlſtanus & S. Moduuenna clarent miraculis Diuinitus vero Simon Thurnacus gente Anglus, patria Cornubienſis Theologus punitur. Ob quæſtiones de SS. Trinitate feliciter expeditas cum ab familiaribus impenſius laudaretur, in ſuperbiam prolapſus blaſphemiis Chriſtum onerat. Vnde memoria adeo fuit deſtitutus, vt neque nominis ſui, neque primorum elementorum recordaretur. Bauarus quoque Olomucenſis Epiſcopus gulæ libidinumque ſordibus inquinatus, & ſeditioſus dum ad primã benedictionem in Canone manũ extendit apoplexia obriguit, omniumque membrorum officio deſtituitur terribili poſterorum exemplo. *Catal. Epiſc. Olomuc.* In Weſtphalia quædam deuota fæmina Gertrudis nomine incluſa diuinis reuelationibus illuſtrabatur futuraque prædicebat. Diabolum autem in Angelum lucis ſe transfigurantem, illi illudere ex monito F. Hermanni incluſi Arnsbergenſis, cum comperiſſet ceream crucem feneſtræ, per quã intrare ſolitus, affixit. Quo foris manente, & hac cur non de more intraret roganti, cruce ex cera benedicta formata ſe impediri cauſſabatur. Quare in faciem eius exſpuens in nomine SS. Trinitatis illum à ſe in perpetuum ſummouit. Cæſarius. *Caſ. lib. 5.*

V. Dominicæ diei obſeruantia aſſeritur in Anglia.

In Angliam rurſum pedem ad Euangelizandum intulit Euſtachius Abbas de Flay & diei Dominicæ religioſam obſeruantiam, à qua Angli variis commerciis iſthac die tractandis deſciuerant, reuocauit, dicens iſtud mandatum de obſeruatione Dominicæ de cælo veniſſe. Verba ſunt iſta. Mandatum Sanctum Dominicæ diei, quod de cælo venit in Ieruſalem inuentum eſt ſuper altare S. Simeonis in Golgatha, vbi Chriſtus pro peccatis mundi eſt crucifixus. Et mandauit Dominus hanc Epiſtolam quæ apprehenſa eſt ſuper altare S. Simeonis, quam per tres dies & tres noctes homines aſpicientes, corruerint in terram.

[illegible] Et poſt horam tertiam erexit ſe Patriarcha, & Azarias Epiſcopus & expanderũt infulam, & ſanctam acceperunt Epiſtolam Dei, quam cum accepiſſent, inuenerunt ſuperſcriptum illud. Nimirum grauiſſime puniendos qui ſanctitatem Dominicæ diei violaſſent, & pari pæna cum Sodomæ Gomorræque incolis plectendos, tum quod memoriam beneficiorum à ſe mundo præſtitorum per neglectum debiti cultus deponant, tum quod ſuo peculiari præcepto reluctentur. Quare Abbas ille populo violati cultus reo feriam pænitentiam impoſuit.

Cuius eius Sanctis conatibus cum Rex & æmuli plerique aduerſarentur, Deus multis miraculis diuinam voluntatem ſuam illuſtrauit. Quippe diuerſi ſeu viri ſeu fæminæ diuinitus ſunt caſtigati, quod poſt horam 9. diei Sabbathi ſeruilibus ſeſe negotiis occuparent, vt apud Rogerium grauiſſimum ſcriptorem prolixe legere poteris.

VI. Philippus VVormatienſem Epiſc. in ſedem Moguntinam intrudere nititur.

In Germania Philippus mortuo Conrado Archiepiſcopo Moguntino, Lutpoldum Wormatienſem Epiſcopum pleriſq; Canonicis vel metu vel muneribus in ſuam ſententiam pertractis, ſubſtituere in ſuum commodum nititur, vt fortior aduerſus Ottonem eſſet. At tres Canonici, nihil illius potentia moti, ad ſedis Apoſtolicæ tribunal appellarunt, & Bingæ comitium indicentes Siffridum Præpoſitum Bingenſem in Archiepiſcopum elegerunt, & vti geſtum Innocentio perſcripſerunt. Ille Legato ſuo Prænestino Epiſcopo totius cauſſæ cognitionem committit. Quare Moguntinum in adminiſtratione turbat Philippus & Brunonem Colon. Archiepiſcopum vinculis damnat, qui Adolpho ſedi Apoſtolicæ in ſectando Philippo rebelli ſuffectus fuerat. Summæ enim leuitatis erat, Adolphum ſemper Ottonis partes ſecutum ad Philippum violata fide deſciſcere, à quo tot priuilegia beneficiaque accepiſſet, vti refert Kleinſorgius in M.S annalibus Saxonicis, quæ latine reddidit Matenelius. *Kleinſorgius in Annal. Weſtphal. hoc anno.*

VII. Priuilegia varia ab Ottone, Clero, populoque Colonienſi data.

Paulo ante namque diuerſa Otto Rex Romanorum, ob fidelitatem ipſi Adolpho Archiepiſcopo Colonienſib. ciuib. & Socenſib. aliorumq; Colonienſiũ oppidorũ & pagorum incolis dedit priuilegia, eo quod grauiſſime vexati ab Philippo Friderici I. filio vaſtatique fuiſſent, ſummo Pontifici obſequentiſſimi, qui Philippum eiuſq; factionis cõplices diris deuouerat: quorum aliqua ſcripſit Hermannus Epiſcopus Monaſterienſis, Imperialis aulæ Cancellarius. Et inter cætera, abuſum iſtum, quod videlicet Cæſar ſuppellectilia Epiſcoporum & Prælatorum ſibi vendicaret, penitus abrogauit, hiſce verbis: *Præterea conſuetudinem minus decentem, quam Fridericus Imp. contra iuſtitiam induxit, ſcilicet, quod decedentibus Principibus & perſonis Eccleſiaſticis, videlicet Epiſcopis Archiepiſcopis, Abbatibus, Abbatiſſis & Præpoſitis eorum ſupellectilem ſibi violenter vſurpauit penitus abolemus, nec à nobis, nec à noſtris ſucceſſoribus retractandam.* Cuius rei teſtes inter alios fuerunt hi, Ditmarus Epiſcopus Mindenſis, Theodoricus Epiſcopus Vltraiectenſis, Bernhardus Epiſcopus Paderbornenſis, Mechuldis Duciſſa Brabantiæ, Baldevvinus Comes Flandriæ, Henricus Dux Luneburgenſis, Otto Comes Geldriæ, Arnoldus Comes Chuiæ, Theodoricus Comes Hollandiæ, Henricus de Kuik, Henricus Comes de Sein, Simon Comes de Teiklenborg, Arnoldus Comes de Altena, Guilielmus Comes Iuliæ, Gerhardus Comes de Are, Conradus de Dicka, Giſebertus & Rutgerus de Breempt, Henricus Comes de Huckesvvage, Henricus Comes de Keszele, Rutgerus de Meinheim, Otto de VVickrode, Henricus & Gerhardus de Volmetſtein, Hermannus aduocatus Colonienſis, Hermannus de Aluetere Mariſcalcus, Otto Camerarius, & alii.

VIII. Landulf. li. 4. Godefred Villeharduinus in hiſtoria Conſtantinopolis capta.

Sybilla Tancredi in Sicilia vltimi Regis filia ex Germania in Galliam euadens filiam natu maximam connubio iunxit Gualthero Brennenſi in Campania Comiti. Frater is eſt Ioann. Brennẽſis, qui poſtea erit Rex Hieroſolymorum. Quo titulo fretus ille cum paucis Calabria & Appulia potitur. Simon 2. Lotharingiæ Dux moritur, ſuccedit frater Fridericus. *Gibbonus centenario 13.*

I[illegible].

Cum Philippus Auguſtus Galliæ, Ioannes Angliæ Reges & Balduinus Comes Flandriæ pacem inter ſeſe, indicto colloquio firmarent, primogenitus filius Ludouicus Philippi Regis Comes Arteſienſis vxorem duxit Blancã Regis Hiſpaniæ filiam ex ſorore Regis Angliæ iam dicti. *Ipertus, Miræus in Chronico.*

IESV CHRISTI
Annus 1202.

INNOCENTII PAPÆ III. An. 5. — ALEXII COMNENI Imp. Ann. 8.

I. Palæſtinam ab Saraceno liberare nititur Innocentius. a lib 5. Epiſt. 26.27. b Epiſt. 103. [illegible] Diuerſa Innoc. acta.

PAlæſtina ab Saraceno propemodum occupata, Innocentium eius liberandæ cupidum mire angebat. Quare [a] excitatis omniũ Principum animis duos Legatos eodem deſtinat, Goffredum tituli S. Praxedis, & Petrũ tituli S. Marcelli presbyteros Card. qui copias Philippi Regis, & aliorum Crucefignatorum deducerẽt. [b] Hungarus Andreas voti nuncupati pro liberatione terræ Sanctæ relaxationẽ ab Innocentio flagitabat, renuit Innocẽtius, iuſſitq; voto ſatisfacere ſedi Apoſtolicæ regni adminiſtratione cõmiſſa

c Epiſt. 9.

miſſa. c Archiepiſcopum Magdeburgenſem ab Ioanne Præneſtino Epiſcopo Legato anathemate percuſſum, ob turbas ſuſcitatas edita cautione iuratoria, & pænitentem abſolui imperat. d Cauſſam Tullenſis Epiſcopi pacis turbatoris aliorumque criminum rei examinari & ad ſedem Apoſtolicā tranſmitti Legato, & S. Benedicti ac Ciſtercienſium Abbatibus, mandat. Luitpoldum Wormatienſem Epiſcopum ab Philippo & quibuſdam Canonicis in Moguntinam ſedem poſtulatū illegitima Electione ad priorē cathedram reuocat, ni pareat Præneſtino Epiſcopo Cardinali Legato, Siffrido Archiepiſcopo, Epiſcopo Hildeſemenſi & aliis iniunxit, vt illum excommunicatum diebus feſtiuis proclamarent, omnibuſque dignitatibus & ſacerdotio exuerent. litteræ f illæ inter decretales relatæ. g Herbipolenſem Epiſcopum, ab Philippo mire vexatum defendendum, fouendumq; Siffrido Moguntino cōmittit.

d Epiſt. 13.
e Epiſt. 14. & ſeq.
f cap. 6. de Elect. c. 21.
g Epiſt. 133.

II. Marcoualdus acie & Caſtris exuitur & moritur.
h Ep. 38. 39.
i Epiſt. 60.
k Epiſt. 85.
l Epiſt. 86.
m Epiſt. 87.

h Marcoualdo Siculas res enormiter turbante mittit eo Tancredi generum Gualtherum Comitem de Brenna cū valido exercitu, qui pupillum Fridericum Regem ab iniuriis Tyranni defenderet, & regnum Siciliæ Romanæ Eccleſiæ hæreditarium vindicaret. Idem Archiepiſcopo Panormitano iniungit. i Meſſanenſem vero diris deuotum ſuſpenſumque exſoluit, vt in fidelitate Eccl. Rom. permaneret. k Commeatus vero & pecuniæ ne Gualtero Comiti deficerent Iacobo Conſobrino ſuo, & Mareſchalco Innoc. præcepit, vt ſe illi coniungerent. l Amalphitanum Archiepiſcopum vt omnes prouentus Siciliæ colligeret eodem deſtinauit. Item m Camerariis ſuis vt omnes prouentus in Apulia & terra laboris venderent Mercatoribus pecuniā exercitui numerarent, & loco pignoris omnes prouentus in ducatu Apuliæ & terra laboris mercatorib. aſſecurationis auidiſſimis obligarēt, in mandatis dedit, vt accepta Gualtherus Brennus pecunia tanto fortius poſſet Marcoualdum opprimere. Nec fefellit, Deo diſponente euentus, nam victoriam inſignem reportauit. Poſtquam enim Petrus Cardinalis Portuenſis Epiſcopus, qui cū poteſtate Legati de latere exercitui Pontificis præſidebat, copiis Gualtheri Comitis benedixiſſet, & Marcoualdum cū omnibus ſequacibus diris deuouiſſet, viſa eſt crux aurea ſplendidiſſima Comitem anteire, & hoſtes perterrefacere, vnde grauiter in acie & fuga cæſi ſunt, & Marcoualdus, ſiue ex mœrore ſiue ex deſperatione miſerabilem animā paulo poſt euomuit. n Gratulabatur interim Innoc. Frider. Regi ſcribens ad Montis Regalis & Panormi Archiepiſcopos, de occaſu tyranni, eoſque ad ſeriam regni adminiſtrationem hortabatur. Gualtherus Comes inter ſpolia & ſupellectilia Marcoualdi in quodam ſcrinio reperit Henrici Imp. teſtamentum aurea bulla ſignatum, in quo inter cætera ordinat, vt regnum Siciliæ ad Romanam Eccleſiam redeat, ſi coniunx ſua & Fridericus filius abſque liberis vita abirent, & petit Pont. Imp. filio ſuo reſeruare dignetur & confirmare, & in compenſam aliquas terras alienatas ab Eccleſia, vt terram Comitiſſæ Mathildis &c. recipiat. *M. S. Card. de Comitibus.*

n Epiſt. 89.
Henricus Imp. teſtamento mandauit Regnum Siciliæ ad Eccleſiam redire ſi vxor & filius eius abſque liberis decederent.

III
o Ep. 49. 5.

o Cunctantem Legatum Apoſtolicum in diuortio Philippi Galli & Engelbergæ ægre ferebat Rex, quod ſententiam definitiuam differret, reſcripſit Pontifex id è re ſua & coniugis eſſe ne ille præcipiti celeritate præiudicium in cauſſæ ſuæ æquitate pateretur. Varia etiam circa ordines religioſos, Epiſcopos Archiepiſcopos facienda & emendanda multis epiſtolis aperuit. p Ioanni Anglo in mandatis dedit, vt omnes poſſeſſiones Eccleſiæ Lemouicenſi ereptas reſtitueret nec adeo Angliæ Britanniæque Eccleſias euaſtaret.

p Epiſt. 68.

IV
q Ep. 111. & 112.
r Epiſt. 19.

q In Polonia Henricus Dux Sileſiæ cum Mecislao patruo poſt inueteratas inimicitias rediit in gratiam, petens ab Pontifice vt pacta iuramento mutuo inita ratione quorundam caſtrorum confirmaret, qui id præſtitit, & Archiepiſcopo Gneſnenſi, Cracouienſi & Vratislauienſi Epiſcopis reſcripſit, vt quoſcunque fœderum ictorum ruptores, excommunicatos proclamarent. r Epiſcopum item Pragenſem enormium criminum accuſatum, ſi capitulum Pragenſe vera eſſe comperiat dignitate deiicerent, aliumque ſurrogarent.

V. Legatio Regis Armen. ad Innoc.
s Ep. 41. & ſeq. vſque ad 48.
Armeniæ Regnū ſed. Apoſt. immediate ſubiectiſſim.
t Ep. 115. & ſeq. vſque ad 20.
Dominus Bulgarorū petit ab Innoc. coronā Regiam.

s Legati Regis Armeni & Siſenſes Archiepiſcopi eiuſdem gentis Romam ad Pontificem mittuntur, tum vt vnionem ſuæ fidei catholicæ cum Romana docerent, tū vt auxilia aduerſus Tripolitanum & Antiochenum comites Armenis infeſtiſſimos impetrarent, Armeniæ enim regnū ſedi Apoſtolicæ immediate ſubiectum dictitabant. Archiepiſcopus quoque benedictionem, pallium, annulum, & mitram ſibi tranſmitti. Præſtitit poſtulata Innocentius per duos Card. quos in Syriam ablegabat. t Calo Ioannes Dominus Bulgarorum petebat ab Pontifice coronam regiā. Archiepiſcopus vero gentis pallium, hoc miſit. illam, ſi è re Chriſtiana foret per Legatum explorari voluit.

VI
u Ex Bonfinio Lopſius in monem.
Mirā Chriſtianæ fortitudinis exemplum in Andrea Rege Hungar.

Alexius Comnenus Imperator, rogauit Pontificem, militem iniuriis inferendis aſſuetum coerceret. Dalmatiam præternauigabat, & in Iaderam vrbē Andreæ Regis Hungari irruens miles crucesignatus illam diripuit, & deformauit. Quo nihil motus Andreas iter promiſſum in Syriā proſequebatur, validiſque copiis ſtipatus eidem ſe aſſociabat. Alterum maius Chriſtianæ fortitudinis exemplum eiuſdem accipe. Reliquerat u Banchanum illuſtrem virum regni adminiſtratorem & coniugis ſuæ Gertrudis curatorem. Illa, fratrem ſe inuiſentem cum deuincire ſibi vellet, pudicam ipſi formoſamque Banchani vxorem, muliebribus vſa pellaciis ſupponit. Hæc vero ſceleris ducta pænitudine, & adulterii maleſuadæ artifici offenſa, negotium totum marito aperit, & iram à ſe in Reginam detorquet. Maritus iuſta ira excandeſcens Reginam adit, factum exprobrat, & gladio vlciſcitur. Cæde patrata Regem Byzantii adit & iuſtitiam depoſcit. Rex reſpondit ſe bellum ſacrum ab ſanguinis effuſione auſpicari nolle, rediret ad regnum, & ſi, vbi rediiſſet, innocēs inueniretur cauſſa cognita, abſolueretur; ſin autem nocens, ne nunc quidem damnatum vellet. Sic Rex Syriam, ille vero Hungariam repetierunt. O Regem, cui grata adeo expeditio, cui iuſtitia ipſo coniugali amore potior.

VII. Reſpondet Innoc. Archiep. Lugdunenſi percunctanti vnde illa verba proferantur.
x Ep. 121. & cap. cum Martha de celebr. Miſſarum C. cum Martha.

Archiepiſcopus Lugdunenſis quondam Innocentium conſuluerat, cur in canone miſſæ illa verba eſſent, *myſterium fidei* cum nullus Euangeliſtarum illorum meminiſſet, Eccleſia vero adpoſuiſſet. Reſpondet Innoc. x Multa eſſe in vita facta dictaque memorabilia ipſius Saluatoris quæ nō expreſſiſſent Euangeliſtæ, vti ad oculum patet dum conſecrationis ipſa verba conſecrationis eſſe prolata; item pleraq; Euangelica verba ab S. Paulo citari, quæ in Euangelio non habentur. deinde ex aliis Euangelii locis ſatis explicari, myſterium fidei eſſe. Quippe cum aliud credatur, videatur aliud, & impium eſſe, ex eo hæreticis garrientibus veritatem corporis & ſanguinis Domini, negantibus patrocinium quærere.

VIII Defenſor fidei Rex Scotiæ.
y Hector Boetius lib. Scotorum 13.
Rex Scotorum claret miraculis.

y Regi Scotorum Willelmo per Legatum mittit enſem Pontifex cuius capulus vaginaque aurea gemmataque, & galerum purpureum, cum titulo DEFENSORIS FIDEI. Qui gratitudinis memor vt dies Sabbathi ab meridie hora duodecima, ſacer eſſet, & dominicæ cultu obſeruaretur, conuocato procerum cōcilio indixit, ad diem vſque Lunæ. Sedente aliquando eodem Eboraci cum Rege Angliæ Ioanne in pleno conſeſſu Procerum, allatum nobiliſſimum puerum, deſiocuium vnde ſanies proſilibat, manum, pedemque alteros aridum, & pene elinguem contractu ſolo medicis vim morbi neſcientibus & ſigno crucis curauit. Deo viri ſanctitatem occultam omnibus detegente. quippe qui multa loca ſacra magnifice dotauerat.

IX. Vita & obitus Willelmi Abbatis.
z Surius 6. Aprilis.

In Dania diem obiit Willelmus Abbas Rochildenſis nobilis Danus 98. annos natus, Pariſiis ſub diſciplina Hugonis præclari Abbatis educatus, ibidem Canonicus fit, ob eruditionem ſingularem & virtutem, vbi mirifice deluſus & vexatus fit monachus S. Auguſtini, & in Daniam ab Rege & Archiepiſcopo Abſalone euocatus, Abbas monaſterii in Inſula Eſchyl plenus admirandis operibus & exemplari perſecutionum tolerantia in vtraque fortuna in humanis eſſe deſiit.

a Cromer. l. 7.

A morte ſtatim miraculis inclaruit. a Miecislaus ſenex Poloniæ Princeps vita abit, multorum monaſteriorum fundationibus celeberrimus.

X. Leſcus Principatum Poloniæ reſpuit.

Leſcum Poloniæ ducem cum in locum Miecislai defuncti ſui rogaſſent proceres, conditione vt Gouoricium Sandomitienſem Palatinum ab potentia ſuſpectum loco deiiceret, maluit Principatum non adire, quã per ſcelus proditionemque fidelis amici poſſidere, qui Leſci animum inſigni exilii ſuſtinendi conſtantia emolliuetat.

XI. Imperium Tartarorũ b *Chron. Hirſaugienſe.*

[b] Hoc anno imperium, Tartarorum ſtatutum videtur quo Zinges Cham Tartaricus iugum Regis Indorum excuſſit. Horum pars ab Indiæ montibus egreſſi cum vxoribus & liberis per vicinas prouincias prædas egerunt, Parthos adierunt, parique metu Media, Aſſyria, Perſia, Armenia, Sarmatiaque concuſſis ad Mæotidem paludem caſtra metati ſunt & ſubſederunt, vnde finitimis Regulis, & Chriſtianis ingentia damna etiamnum inferunt.

XII. Stupendum Imaginis Beatæ Mariæ Virg. miraculũ.

In Abbatia Dolenſi Philippo Ioanneque Regibus inter ſe belligerantib. proſtabat lapidea imago B. M. V. puerum in vlnis geſtantis. Coram qua paupercula quadam ſupplicante duo Brabanti irruunt, ſacrilego auſu lapidibus ſtatuam temerantes, & brachio pueri Ieſu diffracto ſanguinis guttæ ex lapſu promanarunt, alterque percuſſorum vitam extemplo proiecit. Quem corruentem cum ſuſtinere alter inter brachia vellet, à dæmone extemplo inſeſſus altera die exſpirauit. Et prædicta imago omnibus videntibus veſtimenta ſcidit, nudauitque ſe vſque ad mamillas, in deteſtationem ſibi ac filio illatæ iniuriæ. *Auctor ſpeculi Exemplorum*, qui vidit imaginem ſanguine decoloratam.

XIII. Obitus Beatricis Frid. Barbaroſſ. vxoris.

Beatrix Friderici Barbaroſſæ coniunx optima Imperatrix moritur, inſigni tumba ſeu ſarcophago auro pretioſiſque lapidibus ornato Spirenſi Eccleſiæ ad æternam memoriam relicto. *Auctor Buſchius in Catal. Epiſcop. Spirenſium.*

XIV. Prodigia.

Hyems in Scotia hoc anno portentoſa vt cereuiſia gelata venalis pondere libraretur, niues ſpiſſiſſimæ. 30. Maii in Palæſtina ingens terræ motus, quem inter horrendæ voces auditæ, vt & Tripoli. Excepit motum illum fames, & famem ſæua lues.

XV. Canonizatio S. Guilielmi. *Annal. Fland. l. 7.*

Conſecrata eſt memoria S. Guilielmi Aquitaniæ ducis, quem ſui inſtituti conditorem Guilhelmitæ ferunt.

XV. S. Cunegundis canonizatur & ordo Hoſpitalariorum S. Spiritus inſtituitur. *Meiſ. l. 1. Orig. Monaſt. c. 86. Sigon. &c.*

S. Cunegundis Henrici Pii Imp. virginis coniunx virgo Sanctorum catalogo ab Innocentio tertio inſeritur. In translatione eius corporis miracula varia patrata, id Archiepiſcopi, & Epiſcopi multi deduxere. *Chron. Auguſt.* In hunc annum plerique quoque reiiciunt ordinem Hoſpitalariorum S. Spiritus ab Innocentio tertio inſtitutum, cum Hoſpitale S. Spiritus Romæ grandibus impenſis excitaſſet, magniſque vectigalibus dotaſſet.

XVI. Godrif. Villarduinus Sabellic.

Expeditio Orientalis Venetorum potentiam hoc anno non parum extulit, qui perplures Slauoniæ ciuitates ereptas ſibi ſubiecerunt, & feraciſſimam inſulam olim Cretam nunc Candiam dictam Græcis Imperatoribus extortam valida manu adiunxerunt.

XVII. Miſi ſeu Bulgari Thraciam vexant. *Nicetas l. 1.*

Miſi hoc anno Thraciam vexant, & forte inquit Nicetas, Conſtantinopolim penetraſſent, ni Ruſſi opem tuliſſent Chriſtianis, qui Balduinum primum quoque Imperatorem in obſidione Andreanopolis captum miſerrime trucidarunt. Nicetas.

XVIII. Æmilius in Philippo.

Nondum ad finem anni animi Galliæ Angliæque Regum in vnum coierunt, parricidium Arthuri Nepotis Philippum exulcerabat. Quapropter illi diem dixit, etiam ob illatam Aquitaniæ proceribus iniuriam. Ad quam cum nõ adeſſet damnatur ſceleris decretumque videri eum excidiſſe iure prouinciarum, quas Beneficiarii nomine ab Franco accepiſſet. Quibus ſane nil aliud præſtitum, quam vt antiqua odia viuaciore flamma innouarent.

Contradus Lichtenauius Chronographus celebris & Abbas Vrſpergenſis fatetur hoc anno presbyterii ordinem ſeſe accepiſſe. Abb. Vrſp.

IESV CHRISTI Annus 1203.

INNOCENTII PAPÆ III. An. 6. — ALEXII ANGELI Imp. Ann. 1.

I. Conſtantinopolim capiunt Latini. a *Nicetas l. 3. Epiſt. 210. & 211.*

[a] CRuceſignati Iadera expugnata, & præſidijs emunita Conſtantinopolim velificantur & in itinere varias Vrbes & Inſulas nominis ſui terrore Alexio Angelo Iſaacij Angeli olim Imp. filio exuli acquirunt. Duces exercitus Balduinus I. Flandriæ Comes, Ioannes Dandulus Venetorum Dux, Bonifacius montis ferrati Dominus, Ludouicus Bleſenſis & Hugo S. Pauli comites & alij principes parib. animis Conſtantinopolim obſidione cingunt, occupantque pulſoque Tyranno Alexio Comneno, & Alexio Angelo reſtituto & coronato, patre vero Iſaacio liberato.

II. Alexiũ Angelũm Imp. reſtituunt.

Angelus gratus in ſummum Pontificem, cuius opera hortatuque Cruceſignati, eius cauſſam iuſtiſſime defenſandam ſuſcepiſſent. 8. Kalend. Septembris ad eundem dat litteras, quibus iureiurando intercedente, obedientiam fidelitatemque Orthodoxæ Romanæ Eccleſiæ pollicetur Romaniſque Pontificibus. item vnitatem cum capite reuocare ſe velle ſancte promittit. [b] Recreabat ea obedientia Innocentium Alexij Angeli, ſed quod Iaderam Dalmatiæ vrbem adeo diripuiſſent, inflammaſſentque Cruceſignati ægertime ferebat. Erat illa Vrbs ſocii Regis Andreæ Hungari, erat ſub protectione ſedis Apoſtolicæ. Quare perfidiæ & crudelitatis eos redarguens, vt ablata ſociis Regi reſtituant, hortatur ni faciant, contemnantque ſe, anathematis fulmine percutiendos minatur. Qui monentem paterne Innocentium deſpicatui habentes diris vt alienæ rei raptores deuoti ſunt. Verum omnibus, dempto Dandulo ad pœnitentiam recurrentibus, eos abſoluendos Petro Capuano tituli S. Marcelli, presbytero Cardinali commiſit. [c] A quo abſoluti Innocentio cæteri Principes perſcripſere ſi opportuno tempore Innocentii litteræ ad ſe perueniſſent, nunquam ad Iaderæ expugnationem, Socij Regis vrbem animum adieciſſent. Inter obſeſſos Nicetas Choniata fuit vrbis Byzantinæ captæ hiſtoriographus.

b *l. 5. Epiſt. 161. & 162.*

c *l. 6. Ep. 99. & 100.*

III. Veneti in anathemate perſiſtũt. d *Epiſt. 102. C. ſi vero, ext. de Excom.*

[d] Dandulo Venetiſque in non deponendo anathemate pertinacibus, ingens in exercitu ſacro coorta diſſenſio, quibuſdam communicantib. ipſis excommunicatis, quibuſdam non. Hinc fluctuantes Innocentium conſulunt, quid in facto tam dubio eſſet agendum. Ille Marchioni, comitibuſque reſpondet, poſſe illam communionem tolerari, præſertim in nauium vectura, quibus eſſent impoſiti, vt cum naulum largius dediſſent, exſolui completa nauigatione poſcerent vt debitum, quippe cum excõmunicati ab debitis præſtandis nequaquam liberi ſint. deinde ab excommunicato Patrefamilias domus, non ipſa familia innodatur, ſic Dandulo nauium Venetarum præfecto deuoto diris, nequaquam vos in nauibus iſtis vela facientes eſtis cenſuræ obnoxij. Excuſabiles apud Deum ſi cum dolore cordis & ſpe pænitentiæ illis communicetis. [e] Legato vero addidit, ſi impænitentes perſiſterent Veneti, qui poſſet exercitum in Palæſtinam exponeret, eoſq; in perfidia contumaces deſereret. Et hoc graue belli ſacri impedimentum.

e *epiſt. 47.*

IV. Impedimẽta expeditionis ſacræ.

Nec illud minus ab Galliæ Angliæque Regibus, qui mutuis ſeſe armis conficiebant, ideoq; Cruceſignati perpauci inde in Syriam ducerentur. Archiepiſcopis Rhemenſi, Bituricenſi, Senonenſi iniungit, vt vel pacem vel inducias ſaltem firmarent. Refractarios anathemate, terras ipſas interdicto innodarent, illique arma hoſtilia aduerſus Saracenos producerent. Regem Hungariæ ſuſpicio infidelitatis ſubditorum, & procerum in abſentia diſſenſio diſtrahebant Innocentius Archiepiſcopis & Epiſcopis Hungariæ præſcribit, vt Ladislao filio iuramentum fidelitatis ſubditi præſtent, ipſi aduſque regreſſum Regis regnum pupillumque propugnent. [h] Fratrem Regis nihilominus in bellum ſacrũ armat ex voto parentis morientis filio reſignato ob-

f *epiſt. 163. 164. & ſeq.*

g *epiſt. 48.*

h *epiſt. 156.*

Mirus Innoc. ardor. terræ Sanctæ recuperandæ.

ſo obſtrictū. Tantus ardor terræ ſanctæ liberandæ in Pontifice extitit, vt ab voto nuncupato nullos vellet abſoluere ni illud explerent, & votifragos fulmine anathematis percelleret, nec prius cenſeret liberatos, quam abſolutione accepta voto ſuo facere ſatis niterentur: Accedit his mors Patriarchæ Hieroſolymitani, in conſilio fere principis, cui ſuffectum Siffridum tituli S. Praxedis presbyterum Cardinalem, & ab Canonicis legitime electum confirmauit perſuaſitque vt ſe conſecrari fineret. Tyrenſi Archiepiſcopo in contemptum legati Apoſtolici abſentis contra mandatum initiato, nihilominus conniuendo pallium tranſmiſit, & Regi, Legatiſque atque Archiepiſcopo curam illius Eccleſiæ ſerio commendauit.

i epiſt. 129. & ſeq. 131. 132. 133. & reliq.

V. Conradus Epiſc. Herbipol. occiditur.

k Caſpar Bruſchius in catalogo Epiſc. Herbip. Verberg in Chronico Innoc. ep. 51. & 113.

[k] Conradus Epiſcopus Herbipolenſis imperialis aulæ Cancellarius, immaniter occiſus eſt ab duobus auratis equitibus, videlicet Pothone à Reinſtein, & Henrico gentis Canum de Falckenberg in vigilia S. Barbaræ ad ſummā Baſilicam in inſidijs collocatis. Cæde patrata, equis conſcéſis ad id deſtinatis euaſerunt: Cauſam cædis frequentes admonitiones Epiſcopi vt ab ſcelerata vita declinarent aſſignant. Sicarijs pœnitentiam iniungit Innocen. & excommunicatos eſſe per Archiepiſcopum Saltzburgenſem & Suffraganeos illius pronunciat. Philippum Sueuię ducem ſubornaſſe putabatur tædam, aut clam vt Ottonis ſequaci Epiſcopo eandem non inuidiſſe. Vti neque deſtitit Siffridum Moguntinum Archiepiſcopum, ob intruſum Wormatienſem opprimere, & Landgrauium Turingiæ euaſtare per ſuos Ottoni militantem, & cum armis non poſſent illum ſubigere, inanib. anathematis terriculis inceſſebāt, Innocentio liberas eius prouincias ab ſententia Excommunicationis & interdicti ſanciente.

VI. l Epiſt. 85. 86. &c. Ep. 168. & 55. & 57. & 66. vide Epiſtolas. Diuerſa alia Innoc. geſta.

[l] Philippo Rege & Regina etiamnum diſſidentibus monuit regem, ni pareret pactis, céſuris nouis innodandum. Vt diſcordias Regum duorum Bituricenſis Archiepiſcopus dirimeret, ſubdiaconum canonicum. Portione ſpoliatum rurſum ad communionem admitteret, Capellanos Lemouic. & Bituricenſes contumaces beneficiis & communione fidelium ſpoliaret, iuſſit. Item Senonenſi Archiepiſ. vt auctoritate Apoſtolica, quædam in diœceſi corrigeret, indulſit. Varia varijs in Gallijs, Anglia, Hiſpania Siciliaque ordinanda pro pace publica, religionis morumque meliorum incremento Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Legatis imponit. Regibus item, ducibus, comitibus ex mente ſedis Apoſtolicæ iniungit facienda quamplurima, & omittenda illicita metu cenſurarum. [m] Sardiniæ in temporalibus & ſpiritualibus Romanæ Eccleſiæ ſubiectæ, iuramentum cenſumque annuum præſtandū, mandat tam Archiepiſcopis, Epiſcopis, Prælatis inſulæ, quàm nobilibus viris, Iudicibus, alijſq; officialibus, & per Archiepiſcopum Turritanum Legatum Sardos à grauaminibus eximit. Ianuenſibus idem cenſus fere præſcriptus in Italia. Ioannem Caſæmarium Legatum ad Caloioannem Bulgarorum Regulum & Boſnæ, qui iuramentū fidelitatis exciperet, mittit, & pallium Archiepiſcopo Zangerenſi id petenti per eundem donat duce interim regium titulum ac diadema petente.

m Epiſt. 29. 30 31.

VII. Oleum manat ab Imagine Beatæ Virginis quod multa miracula patrat. n Walsingham in [illegible] Prodigium.

[n] Oleum à quadam imagine B. M. Virginis de Sardenay prope Damaſcum emanare cœpit, vnde plurimi Saraceni ægri ſoſpitabantur, & ipſe Suldanus Damaſci cæcus effectus miraculoſe ibidē viſum recepit aſperſo ſibi oleo, qui non ingratus S. Matri olei annui ſexaginta metretas coram imagine conſumendi æternum fundauit. Hinc multi ad fidem traducti. Refert idem tantum ruborem in cælo à vigilia noctis vſque ad medium apparuiſſe per Angliam, Orientem & Aquilonem verſus, quaſi firmamentum inflammari videretur.

VIII. Obitus Mariæ Comitiſſæ Flandriæ. o Cynthius Gyral. de Ferrar. & Ateſtinis Princip. [illegible]

[o] Beatrix filia Actii Quarti Principis Ateſtini & Sabaudiæ comitiſſæ religionem ingreſſa in Gemulæ monte ſanctiſſimam vitam cum virginibus duxit. *Cynthius Gyraldus.* Maria Comitiſſa Flandriæ & Hannoniæ maritum ſuum Balduinum in Syriam ſubſequitur, & cum Ptolemaida appuliſſet Oceano & mediterraneo mari emenſis, ibidem fruſtra illum expectans & mœrens diem clauſit extremum. *Iperius*, Viro adhuc Conſtantinopoli hærente.

IESV CHRISTI
Annus 1204.

INNOCENTII PAPÆ Annus 7. — BALDVINI IMP. Annus 1.

I. Alexius Angelus Imperio vitaque ab Alex. Myrtillo tyranno denuitur. a Sabellic. Ennead. 9. l. 5. Cromerus l. 7. [illegible] in Philippo 2.

HActenus pro Alexio Angelo, qui ſe Latinis iunxerat, pugnatum ab Cruceſignatis, quoad vſque coronaretur, & imperaret, Iſaacius Pater eximeretur ſqualente cuſtodia. Nunc, quamprimum in ſeditione nocturna populi Imperator adhuc puer pene occideretur, ipſeque auxilia à Bonifacio Marchione Monteferrentali ſuo affini flagitaret, quæ in vrbem noctu ingrederentur cōſilium eius prodidit Alexius Myrtillus ſeu Murciphut, & in inſidiis, quibuſdam aduerſæ factionis diſpoſitis, Bonifacii cohortes ingreſſu prohibuit. Erat autem is ex plebeio ad ſummos honores beneficio Iſaacii Patris Imp. eductus. Exinde tumultu multicipitis plebeculæ græculæ inualeſcente, Alexio Angelo trepidanti, vt fit, auctor eſt ambitioſiſſimus proditor, vt in penitiore conclaui, ſe ſe ab tumultuoſis populi factionibus ſubducat & illatebret. Obtemperat ille, & carcerem experitur. Myrtillus illico in concionem progreſſus miſerabilem ſtatum Imperii Orientalis Rege puero queſtus opus eſſe viro prudentia graui, qui Latinis terra marique ad vrbem conſidentibus opponatur. Audito, alii illum Præfectum Vrbis, alii ducem exercitus, tertii Imperatorem proclamant. Inde in palatium Alexii regreſſus, quem veneno euitare nequiuerat, eliſis faucibus, propria manu, nefarius tyrannus iugulat. Inde in Latinos, terra mouet, acieque inſtructa, in cuius fronte Sacerdotes ſacris amicti, Deiparæ Matris iconem geſtantes cruentum prælium committit. Initio pugna acris, vbi vero ex omni parte ad arma conclamaretur à Latinis & vndequaque in hoſtem irent, cæſi Græci, & in vrbem redacti. Icon D. Virginis capta ademptaque Græcis, omen victoriæ Latinis lætum portendit. Nouo itaque icto fœdere, Gallos inter & Venetos vt quicquid in Orientali Imperio vrbium, inſularum, locorumque armis ſubigerent id inter ſe æquali portione partirentur. Ad dies octo & ſexaginta validiſſime vrbs Imperii Orientalis hucuſque ſedes florentiſſima oppugnata maſculæ Latinorum virtuti ceſſit. Tyrannus intempeſta nocte cum vxore, pellicibuſque & magna auri vi profugiens Haliciam ad Romanum Ruſſiæ ducem penetrauit. Euulgata fuga Sacerdotes & Clerus vniuerſus Crucigeri, albatique victoribus ſupplices occurrerunt, vt per amorem D. Ieſu eiuſque Paſſionem acerbiſſimam vitæ, fortuniſq;, tectis Diuumque templis manum abſtinerent, nec vaſa ſacra aut reliquias temerarent. Meminiſſent ſeſe iam miſeros, quorum ſalus ab victoris arbitrio dependeat, ſe nihil attentaſſe aduerſum Latinos, innocentes cum nocentibus non pari pœna plecterent. Clementiam quam flagitabant, accepere victi & ſenſere. Latinis ducibus per præconem ſtationem ad templa indicentibus vbi ob inexpectatum victoriæ beneficium ſolemni ritu laudes votaque ſupremo Numini perſoluant. Itaque præſidio firmo pridie Id. Apr. vrbe emunita, id vnū actum, ſecretique optimates virique Principes fere quindecim, qui nouū Imperatoré ex Latinis deligerent ex ſuis primum. Electus ab illis Balduinus Flandriæ Comes vt dignitate ſic virtute pariter eminentiſſimus, qui [b] Innocentio Pontifici omnia vti acciderant aperuit, ſuamque electionem eius protectioni, ſediſque Apoſtolicæ ipſumque Imperium, impenſe commendauit. Henricum Dandulum Venetoſq; ſingulariter ornari petiit & ampliſſima Romā munera tranſmiſit, Carbunculum vnum emptum mille marcis argenti, annulum exquiſitiſſimum, duas ad ornatum templi effigies tres marcas auri, & decé argenti marcas valentes, cum viuificæ crucis portione notabili, duas cruces aureas, topazios, ſmaragdos, rubinos ducétos &c. Quæ pyratæ quidā Ianuéſes in portu Methonis rapuerūt, & ab Ianuenſibus Innoc. repetiit. Porro modū deligendi Imperatoris nouum deſcribit prolixe [c] Nicetas Choniata,

Electio Balduini I. ex Occidentalibus Latinis

b inter Innoc. Epiſt. l. 7. Epiſt. 152. & 147. Annal. Fland. l. 7.

c Nicetas Choniata l. 3

quem

quem lege. Erat Balduinus triginta duorum fere annorum vir ſingulari modeſtia, & puritate, qui ne quidem impudicô aſpectu mulierem vnquam intuebatur, iugi laudū penſo Deo ſeruiens, miſerorum pater, & quod ſummum bis qualibet hebdomade veſperi præconis voce proclamari iuſſit, neu quis in palatio ſuorum eſſet, qui alienæ mulieri conſueſceret. Digniſſimus Princeps, cujus meritis geſtiſque fortibus ſolium iſtud debebatur.

Qualis Balduinus.

II. [d] Innocentius his intelle ̃tis, Cruceſignatis impoſuit ab re ſacra violanda cenſuræ metu ſibi temperarent, vrbem defenderent, pro Imperatore vitam darent, ipſe Imperator ab Præ'atis monitus vnitatem vtriuſq; Eccleſiæ damnato ſchiſmate, latinoſq; ritus induceret: ipſe vero Imperium Balduino confirmaret. Principes ſeculares ne bona Eccleſiæ, vti propoſuerant inter ſe diuiderent ſub grauiſſima comminatione fulminum, perterruit. [e] Henricū Dandulum recepta ſatisfactione debita per Legatum ab anathemate eximit, excuſantem direptionem Laderæ, quam neſciſſet ſub protectione ſedis Apoſtolicæ contineri.

d Epiſt. 153. 154. & 164. & l. 6. ep. 231.

e Epiſt. 202. & 207.

III. Primus Patriarcha ex nobilitate Veneta electus Thomas Maurocenus, quem obnixe petente Balduino Auguſto cōfirmauit Pontifex, [f] obedientiam debitam deferendam ab omnibus imperauit, Eccleſiæ illius prælatis, & Cruceſignatorum. Si quis hæc largius ſcire auet petat fontem, quanquam hæc paucula attexam.

Primus Patriarcha Conſtant. ex Latinis.

f Epiſt. 201. 203 & ſeq.

g Annal. Flandr. l. 7.

[g] Fuere quindecim illi Electores, Bethleemicus, Ptolemaidis, Sueſſionum ac Tricaſſium Epiſcopi, cum Abba Luedij; Flandrus præterea, Bleſenſis, Monferratenſis, Fani Pauli, ac Brenæ Comites, cum quinque primoribus viris ex nobilitate Veneta. Creatus ab eiſdem Patriarcha ex Venetis Thomas cognomento Maurocenus: qui Romam mox profectus Græcanicam cum Romana vniuit Eccleſia, ſtatimq; Conſtantinopolim reuerſus, Balduinum Auguſtum corona aliiſque Imperii inſignibus decorauit XVII. Cal. Iunias. Bonifacius Ferratenſis creatus à Balduino Rex Theſſaliæ: Creta Venetis permiſſa. Vſus eſt autem Balduinus publicis in literis hoc titulo: *Balduinus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, à Deo electus.* Sigillo etiam aureo vſus eſt.

Contra Thomam Maurocenum Venetum, à cuius tempore vſque ad Germanum Patriarcham cæteri Patriarchæ inſequentes conſtanter obtemperarunt Eccleſiæ Romanæ; ſedit Michael VI. mortuo Ioanni Camatero ſuffectus. Etenim Græci Imperatores diuerſi ab diuerſis creati inueterato ſchiſmatis continuandi & pertinaci ſtudio, in odium Romanæ Eccleſiæ contemptumque id perfecere. Theodorus Laſcaris Nicææ ſalutatus Imperator Bythiniam tenebat, & Aſiæ Minoris prouincias conterminas. Alexius Comnenus Theodori Laſcaris ſocer, inuidens Imperium Genero ſuo, Colchidem occupabat, & nouum Trapezunti Imperium condebat. Hinc Trapezuntinorū Impp. origo fluxit, & Orientalis Imperii diſterminium, vt vnum Europæum, alterum Aſiaticum diceretur. Michael Comnenus ex Anglorum familia veterem Epirum ſibi arrogabat. Ita Gregor. libr. 1. Genetr. Gibbonus, Miræus, Nicetas.

Quot, & qui Patriarchæ & Anti-Cæſar.

IV. [h] Germania ſolito tranquillior, Ottocaro Bohemiæ duce ab Philippo ad Ottonem trāſeunte Innocentius, Ottocaro eam ob rem regium titulum & diadema dari ab Ottone iuſſit iam Rege & priuilegia omnia eiuſdem auctoritate Apoſtolica firmauit, dato diplomate 8. Kal. Maii. Petenti nouello Regi vt ex Epiſcopo Pragenſi Archiepiſcopum crearet, non annuit, tum quod id Metropolitæ Moguntino damnoſum foret, tum quod, neque merita Epiſcopi iſthac dignitate frui conueniat, per Legatum ſpectatorem omnium definit, & ſeditioſos pleroſque, Ottocari potentiam formidantes, ideoque turbulentos litteris minaciſſimis ab incepto dehortatur.

Bohemia fit Regnum.

h Epiſt. 49. 54.

Epiſt. 55.

V. [i] Comitem Namurcanum propter expulſum Cameracenſem Epiſcopum, qui eum ſententia excommunicationis ob delicta percuſſerat, iubet per Colonienſem, Treuerenſem, Senonenſem, Rhemenſem Archiepiſc. arctius ligari, Epiſcopo Exuli per Abbates & Canonicos pro dignitate prouideri. Ab communione fidelium diuulſum Mersbergenſem Epiſcopum per Cardin. Præneſtinum, neminem iubet accedere, nec communicare. Traiectenſem Epiſcopum ob debita non ſoluta excommunicatum in diœceſi Colonienſi, denunciari ab Leodienſi Epiſcopo imperat.

i Epiſt. 45. & 48.

Epiſt. 114.

lib. 6. ep. 215.

VI. Cum Romæ pœnitentes duos percuſſores manifeſtarios Optimi Epiſcopi Conradi Herbipolenſis abſoluiſſet, Innocentius, quod pœnitentibus indulgentiæ ianua non ſit præcludenda, ſententiam tulit, qua deliberatum tanti Præſulis homicidium admiſſum expiarent. nudi incedebant, braccati tantum, vt ſuſpendiarii reſti colla circundati, virgas manibus tenentes, quibus ab Canonicis aliiſque occurrentibus cæderentur. Mirum, quæ ieiunia, quadrageſimas ſeruandas iniunxerint; mirum etiam quam largo lacrymatum imbre enormitatem cædis deteſterint. *dedit vero litteras 14. Kal. Maij, Pontificatus eius anno 6. Chriſti vero* 1204.

Percuſſorū Conradi Epiſcopi Herbipolēſis contritio, abſolutio, & tremendum pœnitentiæ ſeu ſatisfactionis exemplum.

VII. [k] In Hiſpaniis canonicum Aſturicenſem Epiſcopum multorum criminum reum agentem, ne iuſtitiæ deeſſet Pontifex, audiuit, & ab vicinis Epiſcopis facti ſpeciem ſibi tranſmitti imperauit. Regem Legionis cum filia Regis Caſtellæ contrahere iam parantem in vetito conſanguinitatis gradu anathemate ferit, & diremptos ab inuicem per Archiepiſcopum Compoſtellanum & alios ab excommunicatione liberat. Arragoniæ Regem in flore ætatis conſtitutum, ad pietatem in Deum cæliteſque conſecratis eidem iuuentutis ſuæ primordiis, exſtimulat. ob anathematis fulmen in Anglum Regem, ab vlteriori depilatione Dublinenſis Eccleſiæ Epiſcopique vibrandum, coercet. Fornicarios clericos per Epiſcopum Londinenſem punit, diſſidia inter viduam Richardi & Regem ab Cantuarienſi Archiepiſcopo cognita tranſmitti præcipit. Alienos à fide Orthodoxa non vult recipi in ſubditos Rex Hungarus, conſulitque Pontificem. Varadienſi Epiſcopo græcanicas Eccleſias committit viſitandas in eodem regno ab Romana Eccleſia alienas. Strigonienſi Archiepiſc. coronationem filii Regis etſi minorennis maturandam Andrea Patre abſente mandat. In Sicilia Fridericum Regem cum Marcoualdi aſſeclis conciliat per Legatum Cardinalem, & fidelitatem Eccleſiæ Romanæ Regique præſtandam perpetim exigit. In Septentrione ſeu regnis Daniæ & Sueciæ per Lundenſem Archiepiſcopum colligit cenſum B. Petri, & pallium Vpſalenſi Epiſcopo mittit.

k Quæ in Hiſp. Anglia Hungaria agat Pontifex l. 7. ep. 204.

l. 6. ep. 235.

l. 6. ep. 212.

l. 7. ep. 37. l. 9. 130. 131.

Epiſt. 155. & ſeq.

Epiſt. 126.

VIII. Bulgarorum ducem Caloioannem in Regem per Leonem Card. Legatum vngit, & prohibentem id Hungariæ Regem informat, ne propagationi fidei obicem ponat, vti etiam eiuſdem Regis Archiepiſcopum & ſuffraganeos Duobus Archiepiſcopis pallium dedit Legatus certa formula adhoc præſcripta ne v. g. Trimontanus Primas Bulgarorum ſemper pallium geſtaret, ſed ſolis feſtiuitatibus certis, quippe cum id ſoli ſummo Pontifici deferre licitum ex plenitudine Eccleſiaſticæ poteſtatis. Deinde ab Trimontano Archiepiſcopo iuramentum exegit, totum ad ſchiſmatis turpitudinem tollendam conuerſum & vnitatem cum Romanis ſeruandam. Denique litteras iſti Primati prælegit Legatus bene longas ipſius Innocentii, in quibus erudutiſſime ſimul & ſanctiſſime officium Epiſcopale & Primatus complectitur, functionum virtutumque Epiſcopalium ſpeculum. Mitit inſuper Caloioanni Regi nouello ſceptrum, diadema & vexillum cruce & clauibus inſignitū, vt eo contra inimicos crucis Chriſti vteretur. Calaritano Marchioni in Sardinia iuramentum fidelitatis ſedi Apoſtolicæ præſtandum iniungit. Archiepiſ. & Epiſcopis reliquis vt Archiepiſcopo Turritano ſedis Apoſtolicæ Legato in ſpiritualibus & temporalibus obedirent, præcepit. In Liuoniam fidei præcones mittit, quos ne quiſquam prohiberet, iuuari ab Archiepiſcopo Bremenſi & Suffraganeis vult. In Italia hæreticos exigit Arimino & iuramentum fidelitatis ab Tarracinenſibus & Aquileienſibus ſibi dici imperat, & Rauennatem Archiepiſcopum confirmat.

Bulgaria fit regnum. Epiſt. 1. vſq. ad 14.

Arimontanus Epiſcopus fit Primas & Archiepiſcopus Bulgarorum.

Epiſt. 119.

IX. Petrus Aragonum Rex vir ſtrenuus, regaliſque magnificentiæ ſtudioſior Romæ ab Pontifice diadema regni capeſſere præfixum habuit. Quare ex Prouincia, ſoluens

Petrus Aragonum Rex Romæ coro-

natur, iurat, & vectigale regnum ſedi Apoſtolicæ conſtituit. Epiſt 206. 240 41. 99. Bernard. Gomeſius in vita Iacobi Regis Aragonum Petri filij. & itinerario Petri. Regis Petri iuramentum.

Gente ?lem portum tenuit, indeq; oſtiam Tyberinam veniens Tyberim inuehitur, & ab Cardin. & S.P.Q.R. in vrbem cum Procerum regiorum auguſtiſſimo comitatu inductus Innocentium Pont. ex more adorauit, & in Vaticano regali palatio excipitur. Tertio ab ingreſſu die, Præſentatæ Virgini ſacro, in æde D. Pancratii ab Pontifice ſalutatur, ibidemque ab Portuenſi Epiſcopo Cardin. oleo ſacro perunctus coronam vertici illius Innocent. imponit. Mox ille hoc iuramentum fidelitatis, ſedi Apoſtolicæ nuncupat conceptis verbis.

Ego Petrus Rex Aragonum profiteor & polliceor, quod ſemper ero fidelis & obediens Domino Papæ Innocentio eiuſque Catholicis ſucceſſoribus & Eccleſiæ Roman., Regnumq; meũ in ipſius obedientia fideliter conſeruabo, defendens fidem Catholicam, & perſequẽs hereticam prauitatem: libertatem & immunitatem Eccleſiæ cuſtodiam, & eius iura defendam, in omni terra meæ poteſtati ſubiecta, pacem & iuſtitiam ſeruare ſtudebo. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

Præſtito iuramento prædictus Rex coronatus rediit iuxta ſummum Pontificem ad baſilicam S. Petri: ſuper cuius altare ſceptrum & diadema depoſuit, & demum ab Innocentio militarem enſem accepit, regnumque ſuum S. Petro Apoſtolorum Principi obtulit, illudque cenſuale ei conſtituit, dato priuilegio ſubſequenti.

X.

Cum corde credam & ore confitear, quod Romanus Pontifex qui eſt B. Petri Succeſſor, Vicarius ſit illius, per quem Reges regnant, & Principes principantur, qui dominatur in regno hominum, & cui voluerit donabit illud. Ego Petrus Dei gratia Rex Aragonum Comes Barcinonenſis, & Dominus Montiſpeſſulani, cupiens principaliter Dei, & poſtea B. Petri, & Apoſtolicæ ſedis protectione muniri, tibi Romæ Pater & Domine Summe Pontifex Innocenti, & per te Sanctæ Rom. Eccl. offero regnum meum, illudq; tibi & ſucceſſorib. tuis in perpetuum Diuini amoris intuitu pro remedio animæ meæ & progenitorum meorum conſtituo cenſuale, vt annuatim de camera Regis CC.L. Macemutinæ Apoſt. ſedi reddantur: ac ego ſicut & ſucceſſores mei ſpecialiter, & fideles, & obnoxij teneamur, ac lege perpetua ſeruandam fore decerno, quia ſpero firmiter, quod tu & ſucceſſores tui, me ad ſucceſſores meos, ac regnum prædictum auctoritate Apoſtolica defendetis, præſertim cum ex multo deuotionis affectu, me ad Apoſtolicam ſedem accedente, tuis quaſi B. Petri manibus in regem duxeris ſolemniter coronandum, vt autẽ hæc Regalis conceſſio inuiolabilem obtineat firmitatem, eamdem conſilio procerum Curiæ meæ, præſente venerabili Patre meo Arelatenſi Archiepiſcopo, & Sanctio patruo meo, & Hugone de Baucio, & Arnoldo de Focciano Baronibus meis, ſigilli mei feci munimine roborari. Actum Romæ apud S. Petrum, anno Domini Incarn. M.CC.IV. 3. Id. Nou. anno regni mei 8. His peractis Petrus diſceſſit: Inno. autem Archiepiſcopo Taraconenſi, vt Reges & Reginas Aragoniæ, in Cæſarauguſtana vrbe, inaugurare, indulſit: & Petrum gloriæ atque dignitatis plenum ex vrbe dimiſit. Hæc Gomeſius.

Epiſt. 24.

In Galliis Epiſcopo Verſienſi diuerſa impingebantur crimina apud ſedem Apoſt. Quare Ebredunenſi Archiepiſcopo iniungit vt ſuper accuſatis inquirat, & ſi relatis cognita conſonarent, auctoritate Apoſtolica illum præſulatu deiiceret.

XI

In Albigenſium ?? dium incũbit Inno. *Ep. 76. 77. 78.*

Egregie contra Albigenſes hoc anno in Galliis doctrinæ gladio, & veritatis armis pugnatum ab Innoc. litteris ad diuerſos Galliarum Prælatos datis. deinde Ciſtercienſi Abbate duobuſq; monachis velut Legato in eandem peſtem cum ampliſſima poteſtate miſſo. Et ne quid obſtaculi paterentur defenſioni eoſdem Aquenſis, Senonenſis, Arelatenſis & Narbonenſis Archiepiſcoporum tranſcripſit. Philippum Regem vt armis hoſtilibus Albigenſes inuaderet, monuit ne colludere vipereis Albigenſiũ dogmatis, non opprimendo, diceretur. Ragmundus Comes Toloſanus erat illorum Patronus, Toloſamque admiſerat.

lib. 6. Epiſt. 243. & ſeq.

Narbonenſem igitur Archiepiſcopum & Suffraganeos cum Prælatis, Abbatibus habuit informare Innoc. vt illũ ad perſequendos hæreticos non fouendos ſuſcitarent, ſi nollet ab communione fideliũ auctoritate Apoſtolica reſecarent. Fecit id Petrus monachus de nouo Caſtro, ab duob. ſicariis trucidatus, quos ſubornarat Comes. Pro percuſſorib. ex vulnere lethifere ſaucius ſupplicat, dicitq; *Deus indulgeat vobis & ego indulgeo.* Duodecim cum Legato Ciſtercienſes Abbates ſcientiæ & ſanctitatis fama clari crucem euulgarunt, plenariamque Crucesignatis remiſſionem peccatorum auctoritate Apoſtolica indulſerunt.

Anno 3 p. ?m. 19.

XII. S. Dominicus Orthodoxæ fidei defenſor & Thaumaturgus.

Deniq; diuinitus in eandem meſſem Didacus Oxomenſis Epiſc. & D. Dominicus Guſmannus Can. Regularis venere, zeloſiſſimi præcones vterque. Quibus cum Abbates ad montẽ Peſſulanum deliberare, qua via Albigenſes opportuna expugnatum irent deliberatum, & hortatore Dominico definitum ab Epiſcopo. *Quod me*, inquit, *facere videritis hoc facite.* Et è veſtigio omni apparatu poſito abiectoque humilitate, modeſtia, manſuetudine, rigore vitæ, & integritate, ad ſanctioris vitæ regulam reuocandos Albigenſes, palam monſtrauit. Omnes itaque Didacum æmulantur Abbates, Dominicum Didacus ſequebatur. Nã Dominicus ſanctitate & miraculis late illuſtris coruſcabat & Orthodoxæ fidei propugnator inuictus audiebat. Ad Caſtrum quoddam, Phanum Iouis dictum, cum Albigenſib. multis diſſerebat, illis pertinacia exoculatis nil rectũ cernentib. Ergo, inquit, Guzmannus notis Orthodoxæ doctrinæ, id eſt, mira ?ulis dimicemus. Scripto veſtræ pſeudo religionis dogmata concipite, & ego Orthodoxæ fidei articulos libello complectar. Vterutrius liber edacib. flammis non incineratur, is veritatis patrocinio ſubſiſtat ſolide ſic arbitrati inter ſe, ſic egerunt. Præibant Albigenſes, excepit Dominicus. Illorum vt iniectæ ſchedæ ſacrilegis placitis illitæ igni apſumptæ ſunt. Dominici vero libellus ab flammis tribus vicib. reſultauit. Stupore defixi omnes, qui confluxerant. Inprimis Iudices præſignati, exin, ſine numero populus. Suffragabantur, Dominico vt veritas Orthodoxę religionis, perinde miraculorum gloria, & reſipuerunt perplures. *Aliud.* In prouincia Narbonenſi cum hæretico congreſſurus, quædam fidei dogmata orthodoxæ in charta deſcribit, vt ſuper illis Albigenſis mentẽ proferret ſuam haud inconſulto. Ad noctem ille cum contribulibus igni aſſidens præbet deſcripta iiſdem diſcutienda. Illis varia referentibus dicentibuſque quæ extra rem forent. Placuit Vulcano chartam vouere, votum factũ. Charta reſiliit illæſa, 2. 3. Prodigium vident, occultat cæcitas. At miles, præter præſentium ſpem aſſiſtens vidit & euulgauit ad incrementum fidei noſtræ. Narrat eandem Petrus Monachus Albigenſium hiſtoriæ ſcriptor, at in circumſtantiis variat. *Aliud.* Ad Phanum Iouis prædicabatur & abſoluto nouem matronæ pone ſubeunt, vt orthodoxam veritatis formam exhiberet ſe ab ſuis Albigenſibus illã hauſiſſe. & tu doctrinam tuam anteponis, ſi adlubeſcit, miraculo, quæſumus, obfirma. Et ille, num dubitatis? ecce monſtrum. Et extemplo prægrandis felis ex illis proſilit, informi vultu, teterrimo habitu, pędoreq; retro matronas obambulans, & per reſtim campanariæ turris aſcendens, inq; tenebras abiens. Ex re nata Dominicus falſaria Albigenſium ſacrilegaque commenta aperiens, omnes illas matronas eiurata hæreſi & pudicitia reparata Chriſto reddidit. Pleraſque ex reductis mulieribus etiam clauſtris impoſuit. *Aliud.* Albigenſes Toloſani, parab?nt cum Dominico congredi. Epiſco venit, cũ maieſtate, Fulco Toloſanus. Quid inquit Dominicus hic humilitate ſuiq; contemptu vel maximo decernendũ. quare nudipes ſuadet. vt ſe diſcalceet, etiam Antiſtes facit. Pergunt pariter, euntibus occurrit Albigenſis quẽ orthodoxum putantes locum ſibi demonſtrari certaminis rogant. Annuit ille, præeuntem ſequuntur. qui in ſiluoſa vepreta incautos deducens, eos impoſturæ Albigenſium admonuit. Et Dominicus. Confidite filii, indubitata victoria nos manet, quam ſanguine quærimus, & quo peccata noſtra expiatum imus. Hæreticus animi conſtantia integritateque notatis Chriſto nomẽ dedit. Haud poſſibile, ab tanta animi generoſitate exulare orthodoxã fidem, ?atus. Flumen tra iciebat, naulum importunus exactor nauta dependi vrgebat. Non habere Dominicus, at paupertatem prætendere, regnum cœlorum polliceri. Ille impudentiã induere. Tandẽ orans S. denarium humi iacẽtẽ, nautã iubet tollere. Suſtulit ille, & quieuit. Dũ Tholoſanum diſtrictum Euangelii prædicandi cauſſa percurrit, ad necem Sicarii quidã Albigenſes deſignãt. Sanctus ſecurus omnium,

Vinc. Bellou. l. 30 hiſtor. (beside "Ad Caſtrum quoddam, Phanum Iouis dictum")

Miraculum quo Orthodoxa fides contra Albigenſium errores cõprobata. (beside "Vterutrius liber")

Aliud miraculum. (beside "In prouincia Narbonenſi")

Petrus Monachus hiſt. Albig. c. 3. Aliud. (beside "Narrat eandem Petrus")

Aliud. (beside "Albigenſes Toloſani")

Alia Varia S. Dominici miracula. (beside "Tandẽ orans")

Digitized by Google

omnium, nil metuebat, cum ecce ex inſidiis Latrones exſiliunt, ſtrictoque mucrone mortem intentant. Ille contra rogare vt non vno ictu ſe perimant, ſed membratim lenta carnificina conficiant. Alias pro Albigenſi paupere, qui hæreticorum victu amictuque viuebat, ſe vendere ad redimendam illaqueatam animam propoſuerat. Apud Tholoſam rei Albigenſes ad ſupplicium raptabantur, ex iis vnum ſibi donari petiit, quem in ſpiritu prophetico prædixerat, poſt 20. annos ſanctitate conſpicuum futurum, vti & accidit. Apud Carcaſonam Epiſcopi Vicarium impenſius agebat, cum mente pariter ac corpore humo leuatis orationis ardorem teſtaretur. Flumen Aregiam tranſmittebat, cum librorum ſarcina in præterfluentem delabitur, quam poſt triduum hamo piſcator, repertam ex gurgite Dominico reſtituit. Libri nitidiores reperti, quam ſi ex officina libraria prodiſſent noui. Crepuſculo noctis præter ſpem incidente hoſpitari nuſquam poterat cum Ciſtercienſi monacho, Iouis frigidi iniuriam metuente, templum inueniunt obſeratum priuſquam ſe orationi darent reclufis templi valuis ſubeunt miraculoſe, & totam noctem precibus tranſmittunt. Energumenos ab dæmoniis mane liberat, Languidos ſanat in Chriſti nomine. Viri quadraginta Angli exſoluendi voti cauſſa ad D. Iacobum ibant Compoſtellam; & dum doloſæ, interdicto ſuppoſitæ, & excommunicatis Tholoſanis indigenis approximant, intrare vrbem renuunt, & piſcatorio lembo traiicientes fluuium, qui putris & carioſus, rapido gurgite rapiuntur omnes merguntur que. Quos omnes oratione in littore facta vbi ad populi confluxum excitus fuiſſet Dominicus ad vitam reuocauit. His aliiſque geſtis memorabilibus moti perplures, in tribus diuerſis Eccleſiis Epiſcopalibus infulas detulere Canonici, quas contemptor honorum Dominicus calcatorque in poſtremis habuit. Hæc inter prima, Albigenſes & hæreticos Eccleſiæ reddere, & pro Chriſti nomine, animarumque ſalute vitam paciſci, ſanguinem fundere.

XIII. Feudum Pictauiæ Anglo ab Gallo reddi imperat, & poteſtatem in Reges oſtendit Pontifex. *C. Nouit. de Iudiciis.*

Comitatus Pictauiæ Ioanni Anglo ab Philippo Rege in feudum traditus, iuramenti religione ab vtroque interpoſita. Contra pacta Gallus retroagitur & armis eum inuadit, ſibique ſubiicit. Anglus ad Pontificem queſtum per Legatos abit, de violato iuramento, & fide fracta. Innocentius Prælatis Galliarum omnibus iniungit vt Regem ſuum ad iuramenti cuſtodiam inducerent; ſi nollet regnum interdicto onerarent, & Regem anathemate. Ne vero quiſquam vſurpatam in Reges Pontificis iuriſdictionem cauſſaretur, oſtendit inſigni epiſtola id ſibi ex officio paſtorali præſtandum incumbere, quod vtique circa vitia, & ſacroſancti iuramenti violationem corrigendam ſeſe exſerat. Duorum Valentiniani, & Theodoſii Imperatorum teſtimonio confirmans, qui vltro ſe Epiſcopis & ſedi Apoſtolicæ de peccatis corripiendos ſubiicere. *Vide C. Nouit. de Iudiciis.*

XIV. Alia Innoc. Pont. geſta. *lib. 1. Trinil. R. E. p. 15. & 16.*

Ab Andrea Hungariæ Rege neptem in thori ſociam poſtulabat Iconii Sultanus. Andreas cum facultate Pontificis id fieri cupiens illo inconſulto nihil egit. Id ſpectatum, vt perfidiæ characterem eraderet, & orthodoxum Chriſtianiſmum acceptans fidelium filiorum numerum cumularet. Dein petit Colomanum filium ab Halicienſibus in Regem mille petitum votis, ab Strigonienſi Archiepiſcopo inungi. Item cruceſignatos prælatos quoſdam Romam non euocari, ne Hieroſolymitanam expeditionem, detrectent; ablatamq; ingentem pecuniæ vim apud ciuem ab coniuge demortua in vſum liberorum per Colocenſem Archiepiſcopum, queritur, rogatque vt Apoſtolica commonitione præeunte, reſtituat theſaurum. Si in tempore præſtare id negligat, non indignari Innoc. velit vbi ex annuis eius prouentibus Rex ſibi fecerit ſatis. Porro filium non Strigonienſis ſed Cracouienſis regio diademate incinxit, forſan honoris intuitu, quod cum Odrouanſio regni Poloniæ Cancellario Salomeam Leſci albi Polonorum Principis ſororem, ſponſam adduxerat. Aut quia Strigonienſi Archiepiſcopo cum reliquis illius Regni Prælatis contendentibus, ipſe velut ſequeſter litem pro tempore ſuſtinuit aut diremit.

Hoc anno Imperatrix Conſtantia, ex humanis abiit, Panormi, in Eccleſia Cathedrali, iuxta Henricum maritum Imperatorem ſepulta. Inſcriptum fuit illi epitaphium iſto verſu. XV. Mors & Epitaphium Conſtantiæ Imperatricis.

Cæſaris Henrici latet hic Conſtantia coniux
Vndeno luſtro, hac platea rugoſa ſacerdos
Facta dedit partum Fredericum Auguſta ſecundum,
Pro meritis ſacrata tenet ſic oſſa Panormus.

Vixit annos LX. obiit anno M.CC.IV. Rugoſam Sacerdotem appellabant: eo quod quinquagenariam, ex Monaſterio in quo educabatur inter Veſtales, non profeſſam quidem, ſed maturam Henricus eduxiſſet, & duxiſſet. Cæterum cum illa ſubdubitaret, ne plurimi partum quem effundebat, ſuppoſititium exiſtimarent, ab Henrico Imperatore obtinuerat, & vt in circo publico tentorium erigeretur, & coram fœminis principibus parturiret, ſcilicet vt illæ teſtes eſſent, legitimam prolem eſſe Fredericum, quem illa ex Henrico ſuſcepiſſet, atq; genuiſſet. Illo tamen tempore vix potuit, etiam à grauioris ſortis hominibus obtineri, vt crederent, Fredericum legitimam prolem eſſe Conſtantiæ.

IESV CHRISTI
Annus 1205.

INNOCENTII PAPÆ III. An. 8. — BALDVINI IMP. Annus 2.

I. Balduinus Imp. capitur, Dandulus Venetus obiit. Henricus fit Imperator. *Sabell. l. 6. Ennead. 9. l. 5. Ep. 40. 41. 42. 43.*

INauſpicatum Imperium Balduino & fatale fuit miſerabili ad Hadrianopolin cæde ſublato. Premebat vrbem obſidione, & ab Ioanne Myſiæ Præfecto in prælium euocatur, qui incautius excurrentem Cæſarem ex inſidiis circumuenit, capitque ad 14. Ap. Et cum anno ſolido & quatuor menſib. in vinculis habuiſſet, tyrannus ei manus pedeſque amputari iuſſit, reliquo corpore in vallem proiecto, vbi ad 3. diem velut Martyr in ſanguine ſuo volutatus exanimatur. Hericus Balduini frater hac crudeli cæde perculſus rem totã, vti acciderat Innoc. aperit. Is Caloioanni Bulgarorum Regi ſcribit, tum vt Balduinum ab rebellibus interceptum liberaret, tum concordibus vt cum Henrico armis Imperium Orientale Latinis porro aſſereret. Et ne ſubducere ſeſe Ioannes videretur Trimonitanum Archiepiſcopum monet, mandatque vt perſuaderet Regi ſuo, poſtulatis Innocentii locũ dare. Balduini carceres, luctuoſa Danduli Venetorum Ducis excepit mors, Byzantii, in atrio Baſilicæ S. Sophiæ humatus ſurrogatur Petrus Zanni dux Venetus. Ab confœderatis Henricus Frater Gallis Venetiſque Imperator ſalutatur. *Epiſt. 17. & ſeq.*

II. Theodorus Laſcaris Anticæſar. *Epiſt. 19.*

Miſerat Benedictum tit. S. Suſannæ presbyterum Card. vt conſilio operaque pariter Balduino aſſiſteret. At illo capto, nil actum, cum omnia peſſum ire viderentur, quæ iſthic loci Chriſtianis accreuerant. Latinique omnes ſuam ſuorumque ſtragem ab Græcis metuerent. Innocentius igitur exercitui Latinorum ſeuere præcipit ne ab ſtatiuis ſuis ad Cõſtantinopolim recedant, ſed ſeſe viros aduerſus perduelles præbeant. Dein vt, quoad eius fieri poſſet. Græcos ad obedientiam ſedis Apoſt. reuocarent. Coniurati quippe vt Latinos exſcinderent Nicæam conuolauerant, ibidemque Theodorum Laſcarim Cæſarem proclamarant. Michael VI. quoque Patriarcha ab hoc aliiſque Regibus conſtituitur vt Mauroceni auctoritas euileſceret, Michael VI. Anti-Patriarcha. Quare pallium ei mittit Innocentius, ſub protectionem ſedis Apoſt. accipit, priuilegia Patriarchalia eidem aſſerit, *Epiſt. 5. & ſeq.* crucem vbiuis locorum anteferri illi voluit, excepto, cũ Pontifici ſummo adeſſet, Clericos & Regulares ab grauioribus cenſuris abſolueret, Dominicis feſtiſque diebus, ſi neceſſitas vrgeret, ordinib. ſacris initiaret, poſſeſſiones fructuſque annuos oppignoraret, infeudaret, appellationes ad ſe ſubditorum audiret, &c. poteſtatem fecit, modo appellationibus ſedi Apoſt. propriis nihil derogarent, & Gradenſis Patriarchæ eiuſque ſuffraganeorum Clericos Patriarchæ Latini priuilegia.

qui cum exercitu Cruceſignatorum Conſtantinopolim transierant libere detineret, ſaluo ſemper vſufructu beneficiorum, quæ alibi locorum percipere conſueuerant.

III. Aliæ Innoc. res geſtæ. Ep. 4. Ep. 22. 23.

Benedicto Legato idem inculcat, vt Gallicanis Clericis & Venetis illas adminiſtrandas Eccleſias permitteret, quæ in diuiſione ſortito eiſdem obtigiſſent, vti pactum vtrimque fuerat. Scripſit quoque Innocent. Remenſi, Rhotomagenſi, Bituricenſi, Senonenſi, Lugdunenſi, Viennenſi, Burdegalenſi & Turonenſi Archiepiſcopis Galliarum, & ſuffraganeis omnibus, vt Clericos ſuos ad Orientale Imperium, terramque Sanctam vindicandam ab Græcis barbariſq; hortarentur. Viros vitæ integros, doctrinæque ex Clero ſecernerent, qui ore, manu, exemplo orthodoxã prædicarent fidem, firmarentque vnitatem Orientalis Eccleſiæ cum Romana. Pariſienſis Academiæ doctores ſtudioſoſq; Conſtantinopolin inuitauit ſepulta ibidem ſtudia eruere, & in totum Orientem diffeire. Vnde tantus horum eo confluxit numerus, dimiſſorialibus carentium vt Maurocenum vehementer angerent, quid tandem ageret. Innocentius reſpondet palam, niſi de eorum canonica ordinatione conſtet per idonea argumenta nec in ſuis ordinibus eos ſuſcipiat, nec ad altiores promoueat.

cap. Inter quatuor. Cleric. de peregrinant.

IV. Abſentia Canonicorum ſi grauat Eccleſiam in præſentiam mutari non poteſt.

Totus erat Innocentius pro Eccleſia Conſtantinopolitana, ita tamen ne aliis Eccleſiis cum manifeſto præiudicio officeret. Indulſerat vt fructibus beneficiorum abſentes Clerici gauderent, quod coarctans indultum, ſtatuit, ni vel Canonici ex abſentia Clericorum, vel fructuum perceptione grauarentur. Petiit tamen ab Philippo Rege Galliarum, & canonicis Sueſſionenſibus ne indigne ferrẽt abſentiam Archiepiſcopi, ſui cruceſignati, (quod quererentur eo abſente, ab graſſante hæreticorum lue venenari ſubditos) Orientem terramque Sanctam, eius opera indigere cumprimis. Cæterum poſtulatis Mauroceni Patriarchæ non fecit ſatis, omnes Eccleſias illius Imperii ſibi ſubiicere conantis, tum Cyprios ad obedientiam Romanæ Eccleſiæ reuocantis, tum quod hoc præiudiciale foret quibuſdam Eccleſiis, tum quod Cyprii ante eius aſſumptionem fuiſſent exempti.

Epiſt. 23.

Cap. inter quatuor de Maiorit. & Obed.

V. l. 7. Epiſt. 222. & l. 8. Ep. 31. & ſeq.

In locum Siffridi Cardinalis Legati Apoſtolici in Syria ad Patriarchatum Hieroſolymitanum electi, & id muneris recuſantis ſurrogatus eſt Epiſcopus Vercellenſis. A quo id vnum petiit Innocentius, ne reſiſteret. Quare pallium ei mittit omnibuſque Archiepiſcopis Epiſcopis, Abbatibus Prælatis, Prioribus & Chriſtianis ſiue indigenis, ſiue exteris impoſuit, vt eum Legati Apoſt. dignitate præditũ noſſent, illique congruenter honorarent. Cruceſignatos quoſcumque ab anathemate poſſet euinculare. Clericos, qui cum eodem transfretaſſent, tali priuilegio vt ad triennium præbendarum ſuarum fructib. gauderent, donauit. Diſceſſum Petri tit S. Marcelli presbyteri Cardinalis Hieroſolyma Conſtantinopolim ægerrime tulit. Quare vt redeat tum redarguendo, tum hortando, ſignificat, vt cum Patriarcha Antiocheno res Chriſtianorum iam in præſentiſſimum diſcrimen adductas & pene peſſundatas erigat, transferatque in melius. Hungariæ Optimates & Principes, Rege in Syriam abeunte officii ſui admonuit, interdixitque ne clancularias turbas aut apertas in regni ſtatum machinari vellent ipſi, aut aliis indulgere. Aquileienſi Patriarchæ vt Philippi Sueuiæ Ducis dominia, ni ab Siffrido Moguntinenſi Archiepiſcopo diuexando manum abſtineret, interdicto ſupponeret, præcepit.

Epiſt. 39. & 40.

Epiſt. 11.

Ep. 37. & 38.

VI. Colonienſ. Archiepiſc. excommunicatur. Chron. Hirſaugienſe Annal. Colon. Et poſtmodum pruatur ſurrogato Brunone Comite de Seien.

Colonienſis Archiepiſcopus Adolphus, cum deſerto Ottone Philippi factionem ſuaſore Iuliacenſi Comite ſequeretur, quantumuis illum Aquiſgrani regio diademate coronaſſet ab Canonicis leuitatis illius apud Innocentiũ accuſatus per Archiepiſcopos Siffridum Moguntinum & Cameracenſem in baſilica S. Petri coram clero omniq; populo excommunicatus denunciatur, vti quoque ex eorum mandato in omnibus Eccleſiis tam parochialib. quã cænobiticis eiuſmodi proclamatur. Iudices Canonicus maioris Eccleſiæ cum duobus vrbis paſtorib. ſtatuuntur, & ni intra ſeſquimenſem obtemperet, purgatumque ſeſe Romam adeat officio & dignitate deiectum iri certo ſciat. Illo pertinaciter propoſito inhærente, cenſuraſq; Apoſtolicas proculcante ad 13. Kal. Iulias Pontificii commiſſarii auctoritate Apoſtolica coram Rege Ottone, clero populoq; ex maiore Eccleſia per definitiuam ſententiã Electorali & Archiepiſcopali dignitate exuerunt, & Canonicis vt alium ſurrogarent imperarunt. Surrogatus autem eſt Bruno Comes de Seien Præpoſitus & Archidiaconus Bonnenſis.

VII. Miracula de Imagine Crucifixi. Ceſ. l. 9. c. 19. & 20.

Diſcordiis Philippum inter & Ottonem graſſantibus Oppidum S. Goaris in diſtrictu Treuerenſi, oppugnabat Wernerus de Bouland nobilis, opum diues, armorum potens. Obſeſſi crucifixi imaginem ligneam opponunt baliſtariis. Quam quidam baliſtariorum nefarie ſagitta in brachio tranſuerberat, vnde ſanguis extemplo copioſiſſimus profluebat. Guernus attonitus Cruceſignari. Abbas Ottenburgenſis fama miraculi excitus, rem totam explorat, Iudæique teſtimonio caſu præſentis, ipſoque telo, vulnere ſanguineque contemplatis plenius docetur. Otto prope Wirtzburgum Philippo occurrens in ſuis etiam numerauit ſatellitem, qui Crucifixi imaginem, Eccleſiam ingreſſus, deſpoliare tentat, & cum lineam veſtem, qua cooperta erat attingere non poſſet, Lancea adoritur imagineinque paſſim conuulnerat. Vnde ſanguis vbertim profluxit. *Cæſarius.*

l. 7. Epiſt. 126. & 22.

VIII. Studium Innoc. in profligandis hæreticis. l. 8. ep. 31. & ſeq.

In Galliis Iudæi, Albigenſibus adhærentes religionem Chriſtianam mire venenabant Innocent. Philippo Regi præcipit, vt Iudæos compeſcat, & in hæreticos validiores copias immittat. Petrus Rex Aragonius in eoſdem militem educit, & occupatas extortaſque terras ſui iuris facere iubetur ab Pontifice. Archiepiſcopi Prælatique vt in profligandis reducendiſque hæreticis ei aſſiſtant monentur. Caſtrum Scure occupatum ab Aragonio in feudum ſub certo Sedis Apoſt. cenſu per Legatum Regi defertur.

Epiſt 15. & 21. c. ſi aduerſus, tit. de hæreticis.

l. 8. ep 26.

Sardinia ſedi Apoſt. ſubiecta. l. 7. Ep. 224. & ſi aliequin, tit. de excom.

Italiam Patareni hæretici, aliique maculabant. Viterbienſes & Epiſcopus ab Innocent. eoſdem eiicere iubentur & Orthodoxos ſubſtituere. Aduocati & ſcriniarii ne conſilium, fauorem, auxilium præbeant nec in litibus patrocinentur ſub perpetua infamiæ nota interdicitur. In Sardinia Marchio Calaritanus Piſano Archiepiſcopo Legato Apoſtolico iurauerat ſeu dolo malo, ſeu incuria in ſuum commodum, cum inſula in ſpiritualibus & temporalibus tota eſſet Apoſt. ſedis. Quare iubetur Legatus illũ iuramenti religione exſoluere. Anconam & Marchiam in obedientia erga Pontifice ſucceſcentes, per Cencium tit. S. Laurentii in Lucina Card. reuocantur, refractarii cenſuris coercentur. Placentini odio Cleri Epiſcopum eiecerãt, Inn. eos diris deuouet, & ab Mediolanenſi & Rauennate Archiepiſcopis & Suffraganeis tales proclamantur, bonaque publicantur. Vetat eſſe abſolutos ab excommunicatione, ſi litteras abſolutionis oſtentent, quas vel per ignorantiam, negligentiam, aut nimiam occupationem vel ſurreptionem apud ſedem Apoſtolicam impetrarunt.

IX. Bulgarorũ Rex gratias agit Innoc. Pont. l. 7. ep. 230. & ſeq.

Caloioannes Bulgarorum Rex anno ſuperiore per Legatum creatus nunc gratias agit Innoc. filium ſuum Romam ad Latinas litteras ediſcendas cum alio puero deſtinat, petitque ne Cruceſignati ad Conſtantinopolin ſuum regnum infeſtent. Accepta itidem refert Pontifici, quod mitram, pallium & Archiepiſcopalis poteſtatis plenitudinem Trimonitano Primati Bulgariæ contuliſſet.

X. Leo Rex Armenus bona templariis ablata cenſuras metuẽs reſtituit. Cromer. l. 7.

Monitus ſeuere, & reprehenſus cenſurarum metu Leo Rex Armenus, ne plura bona Tẽplariis extorqueret, nec amplius inimicitias cum Tripolitano Comite ſuper Antiocheno Principatu foueret, vtrumq; præſtitit. Nã Templariis extorta reſtituit, & cum Comite iuſtis conditionibus pactus eſt. Quare res Syriacæ ex capite iſthoc afflictæ, refloruerunt. Leſcus etiam Polonorum Princeps Romanum ducem Vuladimirienſem ad Zauichoſtum acie caſtris exuit cæditque ad 13. Kal. Iul. ipſo die Geruaſii & Protaſii, quibus ille aram in Baſilica Cracouienſi ſtatuit. Ab Epiſcopo Ruſſorũ ſe ſiummq; exercitum benedici petit, negat ille, quod iniuſtũ bellum Chriſtianus Chriſtiano faceret. Minatur mortẽ ab reditu. non rediturum, prophetiæ & ſanctitatis opinione clarus Epiſcopus prędicit. Meinardus Epiſcopus Liuonũ & Albertus ſucceſſor Cleri, quod

Sabell. Enn. 9. l. 6.

Digitized by Google

XI. Origo Ordinis Crucigerorum & antiquitas.

ille fidem ibi propagaſſet. hic ordinem militarem, inſtituiſſet ad exſcindendos & Barbaros cõuertendos. Aſſerunt aliqui fuiſſe ordinem Crucigerorum ab Cleto S. Petri diſcipulo erectum, cui Angelus Domini crucem cælitus exhibuit, qua Romipetarum religionis cauſſa venientium hoſpites ſignarentur, & hoſpitali domui illos comiter recipiendo præſiderent, in monumentum Dominicæ Paſſionis. Auxit Cyriacus Hieroſolymitanus ab Iuliano Apoſtata trucidatus illum ordinẽ & illuſtrauit, confirmarunt Alexander III. & Innocentius III. Horum traduces in Liuoniam cum regularibus monachis & Canonicis euocatos Alberto agente, ne neophytos inſolente habitu perterrefacerent, omnes ſub vnum corpus habitumq; vnum, honeſtum tamen redegit Innocentius & Liuonienſi Epiſcopo perſcripſit. Eremitarum ordinem nunc tandem, vt aliqui volunt, ab Innocentio approbatum ab Auguſtino nomen accepiſſe inſignis hiſtoricus Naucleras teſtatur, tametſi ſecus conditor annalium ſentiat.

cap. Dum [illegible] de vita & [illegible]

XII. Eremitarum ordo [illegible]. *Niceta [illegible] Gibbon.*

Nicetas Acominatus Choniata, qui nobili apud Græcos genere natus, iudiciorum Ephorus & Cæſarum cubicularius ante vrbem captam fuerat hiſtoriam rerum memorabilium, quæ per LXXX. fere annos in Conſtantinopolitano Imperio contigerunt, ab anno Chriſti M. C XVII. in quo deſinit Zonaras ad hoc vſq; tempus deſcripſit. Hunc Nicephorus Gregoras excipit, in ſua hiſtoria parum ęquus Latinis, quos iniuriis, & græcanicis ſarcaſmis impetit frequenter. Si quis vero noſſe cupiat, quam infelices domi militiæq; ſint, qui bona Eccleſiarum iniuſto titulo cõquirunt inſidentq;, videat apud Iperium Abbatem Bertinianum exemplum funeſtę & exemplaris propagationis Comitum Giſnenſium, quorum radix Siffridus vir fortis, Dacus Giſnas inuaſerat & monaſterio San. Bertini eripuerat, quomodo ibi caſtrum extruxerit, & in eodem caſtro vitã laqueo ſibimetipſi intercluſerit. rel quique ex ſanguine in hunc annum vſque perſonali dedecore pene omnes notati fuerint. *Iperius & Miræus.*

XIII. Bonorum Eccl. vſurpatores puniti. *Iperius.*

Huius anni & ſubſequentium Imperii Orientalis cataſtrophe non caruit apud antiquitatem præſagiis.

XIV. Carmen Fatidicum ſeu Sibyllinum de Imperio Orientis explicatum.

Prodierat tunc in lucem fatidicum carmen, quod non piget referre; vel quia apud quoſdam pro Sibyllino receptum eſt; aut quod ad Henricum cuius mentio facta eſt pertinet. Ita habet exordiens à Magno Conſtantino.

Æneadum gloria Byzantium deducetur: eruntq; Danai in robore delicato vſq; ad Leonem ſexaginta pedum, donec catulos eius vrſus deuoret: hunc Aquila deſpecta vrſum diſſipet; Aquilam hircus obumbret, pullum voret Aquila, ſietque portentum in Adrianis aquis congregatio: caco duce hircum abigent: Byzantium prophanabunt: hircus non balabit amplius, nec gallus cantabit, vſq; dum ſexaginta trespedes, & pollices nouem diſcurrant. Aliqui has vmbras interpretabantur hunc in modum. Romanum Imperium (quod Conſtantino Magno accidit) Byzantiũ transferetur, eritque pacatum vſque ad Emanuelis Imperatoris tempora, qui vixit annos LX. Huius liberis peremptis Andronicus Imperium ad ſe trahet; quem Auctor carminis, vrſum appellat. Iſaacus ab Emmanuele prognatus, deſpectus antea, Andronicum obtruncabit. Alexius, Iſaacum fratrem Græcanico ritu barbarum, inſidiis exceptum priuabit luminibus, priuatumque in vincula coniiciet. Victus eſt etiam ab eo Alexius Iſaaci filius, qui ruptis vinculis ad Venetos profugit. Tum Veneta arma Gallicis iuncta, Dandulo Duce, quem Emmanuelis fraus viſu orbauit, in Græciam tranſibunt. Byzantio capto, Græcis Imperium auferetur, tum neque Imperator Græcus, neque Antiſtes, quorum hunc Gallum, illum hircum Vaticinium appellat, annos tres & ſexaginta & menſes nouem non erunt in Græcia.

Hæc omnia fatidicum illud carmen prædicebat; in quo nihil ſane fuit, cui non ſuus reſponderit effectus; imperio prius ad Balduinum, deinde ad Henricum fratrem, Patriarchali autem officio ad Thomam Maurocenum delato.

XV. *h Epiſt. 2.* Emendat Clerum Vintonienſem & clericos Angliæ.

In Anglia Ioannes Rex impedimento erat, ne Canonici Wintonienſes Epiſcopum ſibi eligerent.[h] Committebat Innocentius Archiepiſcopo Cantuarienſi, & Elienſi atque Londinenſi Epiſcopis, vt Regem ab incepto dehortarentur, alias in renitentem cenſuras Eccleſiæ diſtringerent. Eundem[i] quoque Londonienſem & Wigornienſem Epiſcopos monebat, vt ſi quid contra ſacros Canones vel iura priuilegiaque aut conſuetudines vſu receptas, in Eccleſia Wintonienſi poſt mortem defuncti Epiſcopi introductum eſſet, totum id auctoritate commiſſa abrogarent. Permiſit Ioannes ſuffragatoribus ius eligendi Pontificem. Cum ſtatim atque conſecratus eſt, Innocentius iniunxit, vt in Eccleſiis atque monaſteriis ſibi ſubiectis ea emendaret, quæ digna forent correctione. Item vt à menſa Epiſcopali alienata bona recuperaret. Archidiaconos & Decanos ad ſuſcipiendos ſacros ordines, ſub pœna priuationis beneficiorum compelleret, ad reſidentiam quam vocant perſonalem, beneficia obtinentes ſub pœnis & cenſuris conſtringeret, clericos vſurarios, adulteros & fornicarios caſtigaret. Sacerdotum filios à poſſeſſione beneficiorum Eccleſiaſticorum excluderet, inconuenientia in collationibus iuris patronatus remoueret: aliaque opportune ex diſciplina Eccleſiaſtica ſiue reſecaret, ſiue ſtatueret. Eidem Wintonienſi Epiſcopo Innocentius Pontifex officium Collectoris impoſuit, atque vniuerſis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Archidiaconis & Decanis in Anglia præcepit, vt denarium San. Petri ſine mora contribuerent, eidemque Epiſcopo numerarent. Cæterum ne illi aliquod impedimentum à quoquam obiiceretur, indulſit ne à quoquam, præterquam à Romano Pontifice pro tempore, idem Petrus Wintonienſis Epiſcopus anathemate poſſet illigari.

i epiſt. 47. & ſeq.

IESV CHRISTI Annus 1206.

INNOCENTII PAPÆ III. Annus 9. — HENRICI IMP. Annus 1.

I. Turbæ in Oriente. *Nicetas.*

MVlticipitem ab Regibus Orientem vti diximus, neceſſe fuit turbari. Occiſo ab Miſorum Rege Balduino ſuffectus ab Gallis Venetiſque erat Henricus frater, qui Thraciam tenebat. Theodorus Laſcaris Aſiam minorem, Alexius Comnenus Colchidem, Michael Cõnenus ex Anglorum familia Veterem Epirum. Michael VI. Antoriatus Antipatriarcha ſchiſma propugnabat. Clerum Latinum Thomas Maurocenus ſtulto iuramento inuertebat, cum, nonniſi Venetos ſubiectis ſibi Eccleſiis præficere addixiſſet, vbi Patriarchio præfici illum quandoque contigiſſet. Super quo queſti Pontifici aliarum nationum Clerici, quod in partem curarum vocati, ab beneficiis Eccleſiaſticis excluderentur, mandat Innocentius Pontifex tit. S. Marcelli & Suſannæ presbyteris Cardinalibus Legatis vt iſtam confuſionem Cleri tollerent, & pares Venetis in adeundis beneficiis aliarum gentium Latinarum Clericos facerent, Patriarcham Maurocenum iuramenti ſtolida religionę exſoluerent. Seuere quoque Maurocenum idem commonuit, vt diuiſionem bonorũ, poſſeſſionumque in Oriente acquirendarum cum Imperatore factam & ab Apoſtolica ſede cõfirmatam obſeruaret, vnde ad mentis ſuæ ſententiam declarandam diuerſos Clericos in diuerſis Eccleſiis præter Venetos, collocauit. probauitque illam concordiam inter Patriarcham & Clerum ex vna & Henricum Imperatorem, Barones milites & populum ex altera parte amicabiliter tentatam, profectamque feliciter, dummodo circa poſſeſſiones & prouentus eiuſmodi nullum præiudicium generetur. Inſtrumentum compoſitionis reciprocæ inter Patriarcham & Clerum, Imperatorem & populum validiſſime confectum ſic incipit: *In nomine Domini & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti Amen. Anno Domini 1206. menſe Martio indictione nona Conſtantinopoli, inter D. Benedictum tituli S. Suſannæ presbyterum Card. Apoſtolicæ ſedis Legatum, & D. Thomam Maurocenum Sanctæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Patriarcham ex vna parte, & D. Henricum Imp. & Barones & milites ex altera parte in acquiſitis & acquirendis intra & extra Imperium Romanum,*

C. ad decret. de Inſtitutione & l. 9. Ep. 85 Item ep. 102 & 101. & 103. & 104 & ep. 106.

II. Inſtrumentum concordiæ inter Laicos & Eccleſiaſticos.

nani,&c. Nam obligat ſeſe Imperator de conſil o conſenſuque Principum omnium Baronum, militum & populi, vt extra muros Byzantinos Eccleſiæ quintam decimarum omnium poſſeſſionum, ciuitatum, caſtrorum, caſalium, camporum, vinearum, nemorum, ſyluarum, pratorum, pomœriorum, hortorum, ſa inarum, paſſagiorum, teloneorum terræ & maris, piſcariarum in mari & aqua dulci, & omnium poſſeſſionum, licet præſenti concordiæ formæ in ſolidum non inſertarum habeant. Intra muros vero accipiant de quibuſdam duntaxat vrbis regionibus, non vero omnibus. Nihil de bonis Eccleſiæ contributis, tametſi ea feudare, vel donare, vel alienare voluit Imperator decerpatur, quin quintam decimarum ſemper ſaluam Eccleſiis aſſerat. &c. De terris vero acquirendis, habebit Eccleſia ante decimam partem, quam in quenquam diuidantur. Hæc bona fide Imperator cum ſuis exequantur. Conſtantinopoli apud S. Sophiam ad d. xv. Kalen. Aprileis. *Hanc* inquit Innocentius *paginam præceptionis noſtræ nullus ſtudeat infringere.* Datum Ferentini Nonis Auguſti ann. nono.

III. Dubia Maurocenii Patriarchæ diſſoluit Innoc. Papa.

In dubiis Thomas Patriarcha cum quid amplecteretur neſciret, quæ obrepere in noua adminiſtratione neceſſe erat, ad Apoſtolicæ ſedis oraculum adire. Dolebat ille, tot donationes Eccleſiarum & beneficiorum factas aliis & præſertim Hieroſolymitanæ Eccleſiæ per Petrum tit. S. Marcelli presbyterum Card. ſe præſente & inconſulto. Reſpondet non debere à capite Eccleſiæ committi, *vt iniuriarum inde actio exoriatur, à quibus iura, tanquam à fonte ad cæteros deriuantur.* Voluiſſe Legatum terræ Sanctæ cuius iam felicitas, graſſante Paganorum tyrannide multum inclinauerat, reparationi impenſius conſulere. etſi in modo nonnihil impegerit, tamen quia Apoſtolica auctoritas interuenit, illaque ſubnixus Legatus beneficia contulerit, nequaquam irritari debent. Dein dicit Patriarchā irrequiſito Legato & præſente maiores Eccleſias complantaſſe, vt Eccleſiam S. Sophiæ & alias, non ergo indigne ferat in minoribus id à Legato factitatum. Et forſan ſunt pleræque Eccleſiæ, quæ vel nunquam Patriarchæ ſubfuerunt, vel ſi ſubfuerint priuſquā Patriarchales inſulas capeſſeret Maurocenus exemptionis priuilegio gaudebāt, vt v.g. Cypria. De Romanis Epiſcopis rebellibus Patriarchæ id ſtatuit vt primo, ſecundo, tertio citentur, & ſi in contumacia perdurarint cenſuras in illos contorqueat. Si nec eo modo emolliri queant, Legatus noſter Epiſcopali dignitate ſummoueat. Perinde cum fraudulenter abſentibus agatur. Patriarchæ, Legato abeunte, plena illius canonicæ punitionis poteſtatem, tanquā delegato ſedis Apoſt. tranſcribens. Vnionem tenuium Epiſcopatuū, quorū ibi plurimi certo modo faciendam per Legatum præfinit. Illo abſente, Patriarcha vt delegatus Apoſtolicus idem præſtet. Eccleſiis, in quibus ſolum Græci degunt præficiantur Græci, in quibus cum Latinis permixti, ibi Latini præferantur. vt Epiſcopos ordinatos & ordinādos baculis, mitris, annulo, ſandaliis inſignire valeat, diſpenſetque, indulget Patriarchę vt Clericos non ſine litteris Ordinariorum ſuper ordinibus acceptis admittat. Græcos in ſacrificiorum ritibus euſq; toleret, ſi audire illum recuſent, quoad ſuper iſtis Apoſtolica ſedes ſtatuat. Deſertores Clericos ſuarū Eccleſiarum, ſi redire nolint priuet, dummodo impediti non ſint. Monaſteria in Canonicorū collegia mutanda nō ſunt, quoad ab Latinis in officio poterunt cōtineri, quod ſi nequeant, commutentur, & ſi regulares defecerint, ſeculares Clerici ſurrogentur. Subditi Iuriſdictionis illius non permittantur ad ſedem Apoſtolicam appellare, niſi ſummam decem Marcarum mutua litigantium poſtulata exceſſerint. Patriarchæ incumbat, minores lites decidere. Veneti Conſtantinopolitani decimas Eccleſiæ perſoluant, neque illo priuilegio gaudeant, quo Venetiis, vt in morte decimenţ ea, quæ in vita acquiſiuerunt. &c. Hæc fere ſumma dubiorum, quæ iuxta canonicas ſanctiones ventilata, Innocentius egregie diluit.

Varia Inno. Pont. ſtatuta circa ſtatum Eccleſiarum Orient.

Ep. 105. cap. ſiue quatuor de Clericis non reſid. & de ſam. reiiq.

IV. Aſſa terræ Sanctæ.

Conciliati hoc anno Rex Cypri & Henricus Comes Dominus regni Hieroſolymitani, inueterato odio diuiſi, ob non diſtributas prouincias, quas hoc anno amice partiti ſunt. Et cum firmari partitionem ſuā ab ſede Apoſtolica petiuiſſent, Innocentius Patriarchæ Hieroſolymitano eam functionē tranſcripſit. Quem quoq; cum Antiocheno litigantem, ob Tyri Archiepiſcopatum, cuius nā foret Romam ad cauſſam dicendam intra triennium euocauit. Antiochenus ſingulis quadrienniis Romam ex more itabat, tum vt viſitaret limina Apoſtolorum, tum vt ſuæ villicationis rationem redderet, impedito Antiocheno hoc anno clementiſſime iter illud remiſit. In Hungaria fratrē Reginæ electum Colocenſem Archiepiſcopum cōfirmauit. circa matrimonium Comitis Palatini & vxoris eius diſpenſauit. Prælatos Eccleſiaſticos Hungaros & Principes ſeculares ad fidelitatis iuramentum Regi faciendū præcepto ſcripto induxit. Waldemarus Danorū Slauorumq; Epiſcopus ab Rege incarceratus. Innoc Regi cenſuras intētat: ille obſequitur quod & ipſe cum ſuis maiorib. cumulatiſſimis ab ſede Apoſtolica beneficiis fuiſſent ornati. Tēplariis bona reddi iuſſit, quæ in Hiſpaniis Rex Caſtellæ illis eripuerat, alias gladium cenſuratum expectaret. & ni cū Rege Legionenſi ob caſtra quædam conueniſſet, Compoſtellanus & Toletanus Archiepiſcopi, item Conimbricenſis & Tiraſonenſis Epiſcopi arbitri refractarium anathemate percellerent, auctoritate Apoſtolica armati. Londinenſi Epiſcopo infideles adeundi & conuertendi zelo ardens, id indulſit. vti & Epiſcopos conſecrandi.

Ep. 76.

Ep. 83.

Ep. 88. & ſeq. Hungaria.

Dania.

Hiſpania.

18 ep. 60 & 64. Anglia.

V. Obſeruatio neſ ieiuniorum præſcit Innoc. ... conſilium ... de obſeruat. ieiun.

Braccarenſis Archiepiſcopus de obſeruatione ieiuniorum Pontificem hoc anno conſuluerat. Reſcripſit illi Innocentius, his ipſis verbis: *Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod omnium Apoſtolorum vigiliæ ſunt in obſeruatione ieiunij celebrandæ, præter vigilias Apoſtolorum Philippi & Iacobi, & B. Ioannis Euangeliſtæ, quoniam ipſorum ſolemnitas infra ſolemnitatem Paſchalem, illius autem infra Natalem Domini agitur. Sanctorum quoq; vigiliæ, quorum feſtiuitates oportet ſecunda feria celebrari, in præcedenti ſunt Sabbato ieiunandæ. De feſtiuitate vero B. Bartholomæi Apoſtoli, de cuius celebratione dubietas oritur apud quoſdam; reſpondemus, quod in hoc conſuetudinem tuæ regionis obſerues. Cum autem quæſieris, quæ ſit illis pœnitentia iniungenda, qui diebus Quadrageſimalibus, quo tempore tanta famis inedia ingruebat, quod magna pars populi propter inopiam annonæ periret, carnes comedere ſunt coacti: reſpondemus, quod in tali articulo illos non credimus puniendos: preces tamen Domino pro illis, & cum illis effundas, ne ipſis aliquatenus imputetur, quia bonarum mentium eſt ibi timere culpam, vbi culpa minime reperitur. Item de illis, qui propter debilitatem in Sabbato carnes ſumunt, quod in partibus tuis nullatenus fieri conſueuit, cum hoc ab aliis moleſte feratur, & oriatur inde illis occaſio detrahendi: reſpondemus, quod ſuper hoc conſuetudinem tuæ regionis facias obſeruari: ſic tamen, quod debilibus & infirmis propter hoc periculum non emergat. Præterea de illis, qui in Quadrageſima, vel in aliis ieiuniis ſolemnibus infirmantur, & petunt ſibi eſum carnium indulgeri: reſpondemus, quod cum non ſubiaceat legi neceſſitas, deſiderium infirmorum cum vrgens neceſſitas exigit ſupportare potes & debes, vt maius in eis periculum euitetur.* Legatus quoque Apoſtolicus Regem Angliæ ab Eccleſiaſticorum perſecutione, cēſuris coercere iuſſus eſt. Cunctantibus in Archiepiſcopo deligendo Cantuarienſib. Canonicis terminum præfixit, quo prouiſionem Archiepiſcopi, num bona vel mala videretur in Vrbe S. Sanctitati proponerent. alias inuitis illis alium ſedi imponeret. Miraculum in Londinenſi Epiſcopio hoc anno accidit. Thurcillus quidam Tiſtudæ villam in Eſſepia incolebat, dum ſanus thorum veſperi aſcēdit duabus noctibus diebuſq; omnium ſenſuū officio deſtitutus in ecſtaſi manet Euigilans, ſibiq; redditus, tā culte, homo cæteroquin illiteratus, de gehennæ purgantiſq; animarum ignis pœnis, tamq; copioſe diſſeruit, vt ſtuporē auditoribus incuteret, lacrymas impœnitentibus excuteret. *M.S. Vatic.* In Poloniam Inno. Abbatem de Lakere cū ſociis vt in Liuonia & Pruſſia Euangeliū prædicaret, mittit. Idem pro Saracenis facit in Sicilia. Super repudio Ottocari regis inquiri iubet, & vt Saltzburgenſis Archiepiſcopus Romam cum ad tuendum ſe euocet, imperat, termino certo præſtituto, cur coniugem reiecisſet. Placentinos contumaces titulo ciuitatis priuat, ſedem Epiſcopalē alio transfert, bona publicat, & excommunicatos in om-

Polonia Ep. 117. Ep. 111. Sicilia Bohemia. Ep. 84. Italia. Ep. 113. & ſeq. Ep. 71. & ſeq.

Ep. 88. 93. 120. & 121.

nibus vrbibus denunciat. Eodem modo officii Florentinos & Fauentinos hæreticorũ receptatores per cenſuras admonuit, & reduxit. Vercellenſes, Alexandrinos, Ferrarienſes, Radicophanios, Spoletanos aliosque, ſubditos ſedis Apoſt. eſſe, edocuit, auſuſq; Patrimonio S. Petri præiudiciales repreſſit, Piſanos per ſuum Archiepiſcopũ & Florentinum Epiſcopum ſeuere redarguit, quod iura & poſſeſſ. Rom. Eccl. in Sardinia inuaderẽt, & ne in poſſeſſ. bon. S. Petri Calaritanum Marchionem feudatarium ſedis Apoſt. turbarent, vetat. Calaritanum Archiepiſcopum ab functione & dignitate liberari cupientem, inſigni Epiſtola inſtruit, ipſum fugere curam paſtoralem non poſſe, ſine ſuo conſenſu, allatis cauſſis quare quis tali queat abire officio, quas in ipſo non inueniret.

Ep. 88. & habetur cap. pridem de Renunciat.

VI. *Chron. Hirſaugienſe.*

Deliquio ſolis ad 2. Kalen. Martii hora diei 10. exiſtente caput hominis ab multis viſum eſſe putabatur. Vbaldeſca virgo Hetruſca prope Piſam humilibus orta parentibus ſanctitate & miraculis claruit quindecennis. Ab Angelo ſæpius illi apparente Piſas monetur ire, vt in Xenodochio S. Ioannis ægris famularetur. Queſta ſibi dotem non eſſe, indotatam recipiendam ab Abbatiſſa promiſit Angelus; quod & factum. Aquam in vinum conuertit, & diem horamque præcipitis fati 10. annorum prædixit. Guilielmus Comes Bleſenſis Archiepiſ. Bremenſis miſſus Legatus in Germaniam pro turbis Imperii componendis Wormatienſem Epiſcopum, intruſum ſedi Moguntinæ in totum ſubmouit, & Siffridum electum cõfirmauit. Quare Legatione laudabiliter perfunctus totius Galliæ à latere factus Legatus, iurium Eccleſiaſticorum bonorumque defenſor inuictus ex humanis abiit.

De S. Vbeldeſca & eius miraculis.

VII. *Belli inter Genuenſes & Venetos radix.*

Genuenſium Reſp. terra mariq; potens Venetam potentiam exoſa, quam capta inſeſſaq; Candia ſeu Creta amplificarant, in Venetos arma mouet, Cretamque ſubigit. Veneti non diu hanc violentiam tulere, inſulamque hoc anno impigre adorti Genuenſib. extorſerunt. Hinc nouo bello inter geminas Reſp. initium factum, quo vtraque acerrimis animis & ſtudiis exarſit. *Nicetas Sabell.*

Flandria orbitatem ſuam gemuit tam inmani cæde Balduino Comite Cæſareque trucidato; nihilominus Ioanna filia primogenita Bald. cum maſcula proles nulla supereſſet, ſuccedente nonnihil eluctata eſt, præſertim vbi illa matrimonium cum Ferdinando Portugaliæ Regis filio contraxit, & in regiam familiam gradum fecit. *Iperius.*

Iperij Chron. hoc anno.

IESV CHRISTI
Annus 1207.

INNOCENTII PAPÆ III. Annus 10. — HENRICI IMP. Annus 2.

I. *Inter Philippum & Ottonem ſtatuta.*

a Vrſperg. in Chronico Inn. in Ep ſuper negotio Imp. Re. 79. & ſeqq. vſq. ad 82.

AB dubio euentu belli [a] Ottonem inter & Philippum in Germania, etiam Principum Imperii animi fluctuabant, illi penes quem victoria, adhæſuri. Treuerenſis Archiep. aduerſus mandatum Apoſtolicum, Philippũ ſequebatur. Anathemate percuſſum iubet dieb. feſtis & dominicis proclamari Inno. quoad, pertinax Philippi ſtudium abiiciat. Fama eius quam Philippus forſan vulgauerat, Innocentiũ concordiæ faciendæ cauſſa per Camaldulenſem Priorem Philippum Romam euocaſſe & velle illi coronam Imperii imponere. Quare ad Ottonem & Archiepiſcopum Saltzburgenſem ſcripſit id ſibi prorſus incognitum eſſe, & ab veritate alienum. Dein vero Lombardiæ Prælatis, & ſecularibus Principibus præſcripſit, vt ab Ottone nequaquam abirent. Ab Alemanniæ Principibus tã Eccleſiaſticis, quam politicis fidelitatem erga Ottonem continuandam exegit. Reges Angliæ, Daniæ, Bohemiæ, conſtantiæ admonuit. Archiepiſcopos, Epiſcopos, Germaniæ vt Paderbomenſem, Hildeſemenſem & alios ad Ottonem totos transferre ſtuduit, & ab excommunicato Philippo reuocare.

Ep. 86. & ſeqq.

Tot forſan Philippus Pontificis diris vulneratus, ad mẽtem rediit, miſſo ad Innocentium Legato vid. Patriarcha Aquileienſi recens electo. Petebat ille illi inueteratæ diſcordiæ tandem finem fieri in Imperio. Pontifex mirifice recreatus iſthac Legatione paci faciendę inprimis ſtuduit, miſſoq; Hugone Oſtienſi Epiſcopo, & Leone tit. S. Crucis presbytero Cardinali in Germaniam totius pacificationis tractandę firmandęque ſummam inter duos Reges commiſit. Qui omnia voluntati Pontificiæ congruenter, perfecerunt. [b] Mutua Philippum & Ottonem affinitate (huic illius primogenita filia deſponſata) deuinxerunt, & annuas inducias vtrique acceptandas præfixerunt. [c] Conditionibus iſtiuſmodi propoſitis apud Northuſium. 1. Agnoſceret ſe ab Pontifice toties diris deuotum, Philippus, pareretq; Pontifici, & dein Legati ſolemni Eccl. ritu eundem abſoluerent. 2. Brunonem Archiep. Colonienſem inueteratum dimitteret. 3. Inuito ſibi Regalia ab Wormatienſi Epiſ. intruſo data fateretur, intruſuſq; totum ius ſuũ ſpiritale arrogatum ad manus Legatorum deponeret. 4. Siffridum Moguntinum per Procuratorem ſacris operari ſineret. 5. Collectas ingentes contra Ottonem copias exauctoraret. 6. Bis collocuti coram Legatis, quod ægre factum, pacem ſuaſere: at incaſſum, nullo euentu: 7. tandẽ ad inducias tranſierunt, quas pacti ſunt annuas, & in tab. accurate relatas Pont oblaturi retro in Italiã reuertuntur.

b Epiſt. 142. M. S. Vaticanum. c Ep. 143. 144. & ſeq. vſque ad 50.

II. *Conditiones pacis.*

III. *d Crom l. 7. Epiſt. 132. & 133. & plerum ſeqq. Rex Poloniæ deponitur & Epiſc. Poſnanien excõmunicatur.*

[d] In Polonia Vladiſlaus Laſconogus, cum Ottone filio ab regni Optimatibus Principatu ſubmouentur. Optimã eius adminiſtrationem initio humanitate, iuſtitia, clemẽtiaque oſtenderat vt omnium ſtudia ſibi ac voluntates cõciliaret. At non diu ſtetit in ſplendida fortuna virtutum illa ſeries, quin non continuo, conſiliis Epiſcopi Poſnanienſis adulteraretur. Cuius ille ſacrilego ſuaſu Eccleſias bonaque eorundem, & Eccleſiaſticos ipſoſmet, expilare, prophanare, rapere incarcerare. Porro cũ nollet Põtificis monitis paternis locum dare, ab communione fideliũ eſt dimembratus cum filio, Gneſnenſi tamen Archiep. vt ſi redire cogitaret, nequaquã abſolutionis antidotum negaret impoſuit. Suaſorem tam abominandi facinoris Epiſcopũ eodem anathemate percuſſit, Archiepiſcopũ monens & ſuffraganeos eius vt ab eius cõmunione abſtinerent, & ſacris interdicto notatis abſcederent (vtpote qui atrocem Eccl. cleriq; perſecutorem induiſſet) omneſque ſacrilegos temerario auſu clericos bonaq; eorum violantes intentatis cenſuris reprimerent. Pro tuenda Eccleſiaſtica libertate omnes Poloniæ totius, Gneſnenſi Archiep. Prælati aſſiſterent, & ſi eius intuitu impenſas faceret, ęſq; alienũ contraheret, etiam illo mortuo ex Eccleſiæ illius bonis dilueretur, præcepit. Principibus vero ne decimas ſolui prohiberent, Eccleſiis, ne ad Canonũ præſcriptũ electiones factas, impedirent, ne bona vacantiũ Eccleſiarum occuparent. [e] Archiepiſ. Gneſnenſi & ſuffraganeis, ne præbendas Canonicales filiis Sacerdotũ aut Canonicorũ in eadẽ Eccleſia conferrent, ne ſpurius patri impudico aſſiſtat, vbi caſtiſſ. & vnigenitus Dei filius æterno Patri victimaretur. Ne ludos theatrales in Eccleſiis exhiberi paterentur, nec Clerici eiuſmodi laruis aut mimica hiſtrioni ordinẽ ſuũ, ſanctumq; locum polluere præſumerent, mandauit per literas, & decretalibus etiã inſertum eſt. [f] Eidem Primati vt crucis anteferendę priuilegio gauderet, indulſit; & vt cenſum B. Petri ab Canonicis & omnibus Chriſti fidelib. exigeret, Romamque mitteret, præcepit. [g] Otto filius Vladislai, ſiue nepos, Magdeburgum ſeceſſerat, Innocentius vt vacantem præpoſituram Magdeburgenſem Archiepiſcopo, Decano, & Capitulo Metropolitano in Ottonem transferrent, iuſſit.

IV. *Varia Inn. ſtatuta & ordinationes in Polonia.*

e Cap. Cum decorem, Epiſt. 135.

f Epiſt. 136. & 131.

g Epiſt. 132. Præpoſitura Magdeburgenſis Ottoni Polono Pontificis iuſſu confertur.

V. *De S. Iuliano Epiſcopo Burgen. & eius miraculis.*

S. Iulianus Epiſ. Burgen. hoc anno migrauit in cœlum. Matri prægnanti viſum ſe album catulum vtero geſtare & patere igneas flammas ore iaculantem. Nomen Iuliani, ab viro mitra baculoque inſtructo & apparente ad fontem ſacrum datum eſt. Studiis & pietati examuſſim ſe tradidit, muneri Epiſcopali concionando, vectigalia ſua in pauperes partiendo, viduas, pupillos & alias miſerabiles perſonas adiutando ſeſe adæquauit. In fame iumenta frumento onuſta in domum eius nullo aurigãte diuinitus ingreſſa, pauperibus largas eleemoſynas fecerunt. Iulius III. ſan-

ctorum catalogo inſcripſit, & feſtiuitate annua Sanctum per diploma Apoſtolicum ornauit. *Tho. Trigillus in theſauro concionum.*

VI. Apparitio miraculoſa B. Virginis. *Sur. in vita S. Lutgardis, ex Thoma Cantipr.*

Albigenſibus in B. Virginem per Galliam Narbonenſem tali viſioni ipſamet eorum impietatem detexit S. Lutgardi ſeſe vultu lugubri obſcuroque preſentat, preter morem, quam ſolebat oculis lætis facieque renidenti. Attonita Lutgardis rogat, vnde ſquallor liuorque, gratia fugiẽte? Et illa. Ab hæreticorum, & pſeudochriſtianorum illuuie filius meus rurſus conſpuitur, & crucifigitur. Cuius tu impietatis remedium facies ſeptenni ieiunio, quoad iratus filius mundo concilietur. Quæ extemplo morem gerens pane & cereuiſia victitauit vſque ad Concilium Lateranenſe. Illud mirum, cum iuſſa eſſet ab Superioribus pulmentum ſumere, ne quidem ad fabæ vnius quantitatem poſſet deglubere. Albigenſes autem comite Toloſano Raymundo quarto auctore & anteſignano tantis ſeſe ſceleribus impiabant.

VII. Scelera & impietates Raymundi comit. Toloſ. Albig. patroni.

Quippe quos aduerſus S. Sedis Apoſtolicæ decreta & orthodoxorum Principum voluntatem præfracte defendendos & conſectandos in peſtilentibus dogmatis ſuſceperat. Refert impietates eius Petrus monachus Senarienſis, ſcriptor hiſtoriæ Albigenſium oculatus teſtis.

VIII *Pet. monach. in hiſt. Alb. c. 8.*

A primis annis hæreticos amauit, recepitque & apud ſe peregrino cultu ne agnoſcerentur detinuit, vt inter illorum manus moreretur, quod per manuum impoſitionem iſtorum nebulonum ſe ſaluandum ſacrilege crederet in articulo mortis, & nouum Teſtamentum damnato veteri acceptaret. Huius enim Deum auctorem malum dicebant, & proditorem homicidamq; tum propter ſpoliationem Ægyptiorum, tum propter mundi diluuium, & Ægyptiorum ſubmerſionem in mari rubro, Moſen, Ioſue & Danielem anteambulones mali Dei. Filios ſuos eis in diſciplinam tradendos promiſit; & militem ab ipſo ſæpius inuitatum ad Albigenſem luem, centum marcis argenti tandem ſibi adiunxit. Accerſito ad ſe viro quodam nec veniente, dixit diabolum hunc mundum aſpectabilem condidiſſe. Per morionem ſacris operantem Sacerdotem deluſit, & cum palam ſe ſacerdos verteret dicendo, *Dominus vobiſcum*, eius iuſſu idem ſcurra ille, ſcelerate fecit. Maluit eſſe ſimilis Albigenſi cuidam manibus, edibuſque truncato, & pauperi in iſta ſecta, quam eſſe Rex orthodoxus aut Imperator. Polygamiam in matrimonii contemptum amplexus eſt, quatuor ſuperinductis coniugibus, quarum adhuc tres, vna mortua, erant ſuperſtites. Hugonem Fabri, peſtilentiſſimum Albigenſem aluum ſecundum Eccleſiæ altare exonerantem, & pallia eiuſdem abſtergentẽ, item dicentem, Sacerdotem in Miſſæ ſacrificio Chriſti corpus ſumentem diabolum deglutire, admonitus, noluit punire. Tantę porro libidinis vt ſorore germana in orthodoxæ religionis odium fuerit abuſus, vti & concubinis patris ſui, & pręſertim ea quam Pater primo cognouerat. Nil mirum ergo ſi tantorum patrator ſcelerum, auctoribus Albigenſibus ſe filium perditionis & inimicum crucis exhibuerit. *Hæc Petrus & alia.*

IX Obitus Didaci Oxomenſis Epiſcopi [illegible] Petri de nouo Caſtro [illegible].

Innocentius ad eum conuertendum impenſe incumbens præter orthodoxos verbi Dei præcones etiam 12. Abbates ordinis Ciſtercienſis eodem miſit, & cum illis D. Dominicum Guzmannum & Oxomenſem Epiſcopum, qui in ipſo prædicationis ardore ex humanis abiit, in Oxomenſis ſuburbii Eccleſia tumulatus, adpoſito hoc epitaphio.

Hic iacet Didacus Azebes Epiſcopus Oxomenſis. Obijt æra
M. CC. XLV.

cui ſi triginta octo abſtuleris annos, inuenies illum hoc anno defunctum. Tot enim annis æra eſt Natali Domini poſterior. Petrum monachum de nouo Caſtro Legatum Apoſtolicum, conſtantiam comiti ſuadentem, leuitatemque iteratis recidiuis ſeuere auctoritate Apoſtolica caſtigantem per ſicarium quendam tranſuerberari iuſſit. Qui exemplo Chriſti & Protomartyris Stephani pro percuſſoribus Deum eſt deprecatus, inquiens, accepto infra coſtas lethali vulnere: *Indulgeat tibi Deus, frater, ego tibi indulgeo*, & paulo poſt miſſis ad Deum precibus ardentiſſimis ad cœlos euolauit. *Idem Petr. in hiſt. c. 9.*

X. Legati Romam mittuntur. Toloſanus comes excommunicatur. *Pet. monach. in hiſt. Alb. c. 9.*

Rebus itaque Albigenſium, & huiuſce comitis improbitate in peius ruentibus Prælati prouinciæ Romam Legatos mittunt Fulconem Toloſanum & Nauarræum Conſeranum Epiſcopos, vt pro paſtorali ſollicitudine fidei apud Toloſates, illorumque confines pereunti auxiliarem manum porrigeret. Comes Raymundus ſibi diffidẽs duos pariter ad Innocentium deſtinat Archiepiſcopum Aquenſem & Raymundum Rabeſtenium olim Epiſcopum Toloſanum, at ob vitia & impietatem ſede ordineque deiectum, tum vt de Abbatis vnius Legati Apoſtolici ſeueritate quererentur, tum vt Legatum de latere ad ſe mittendum impetrarent, quem dolo malo veterator Comes circumuentum, muneribus aut aliis impoſturis ſibi acclinare ſtatuerat. At Innocentius Petri monachi cæde, Legatorumq; Apoſtolicorum iniuriis ab comite irrogatis fuſe cognitis rurſum anathematis illum ſententia percuſſit, per Archiepiſcopos & ſuffraganeos talem denũciauit, ſubditos ſacramento fidelitatis exemit, & terras eius aliis orthodoxis occupandas tradidit. Arnaldum Abbatem Ciſtercienſem & Nauarræum Epiſcopum Conſeranum forſitan Petri martyrio perculſos animauit, tum ad fortiter reſiſtendum nefario comiti, tum ad copias cruceſignatorum conuocandas, qui comitem cum ſuis ſequacibus ferro flammaq; exſcinderet. Vti ex Innocentii litteris ad Galliæ Principes, Comites, Barones & populum datis hoc anno etiam cognoſcitur.

Albigenſes ad ſuæ perfidiæ incrementum alimenta egentibus, præſertim nobilibus, ſuppeditabant, qui filias ſuas illis alendas peruertendaſque ob inopiam tradiderunt. In quarum gratiam D. Dominicus monaſterium ad Prullianum erigit, vbi ſub regulæ rigore concordes viuerent, & labore manuum ſanctiſſime victitarent. *Theodoricus in vita S. Dominici libr. 1. cap. 6.* In eos, qui effracto Conſtantinopoli ſacrario ſanctæ Sophiæ Iconem B. M. Virginis ab S. Luca depictam abſtulerant, cum Apoſtolicum fulmen Patriarcha vibraſſet, Innocentius confirmauit, Raptores Veneti ereptam reſtituunt. *Epiſt. 137.* Fauentiæ in Æmilia, permiſſu Abbatis humatus hæreticus præcepto Innocentii exhumatur. *Epiſt. 112.*

XI. Otto fit gener Philippi. *Vrſperg. in Philippo. Nauclerus.*

Eodem anno *ſi Vrſpergenſem ſequimur* non induciæ annuæ, vt anni initio diximus, ſed plena pax tandem in Germania Ottonem inter & Philippum coaluit. Ottoni hic Beatricem filiam dat vxorem, ea lege vt Philippo mortuo regnum ad Ottonem plene deuolueretur. Alteram vero filiam vt ſuperiori Legatione promiſerat nepoti Pontificis ex fratre vxorem dat, cautumque vt ſic ad Romanam Eccleſiam Spoletanus ducatus, Romania & Marchia Anconitana ſine vllo impedimento cum aliis pertinentiis redirent. Henricus Imperator orientis Laſcari pacem petenti æquis conditionibus non denegauit. vt Villarduinus & Nicetas referunt hoc anno hiſtoriam ſuam terminantes. Dauid Comnenus & Alexius fratres grauib. bellis Theodorum Laſcarim exercent. *Gibbonius.*

ANNVS CHRISTI 1208.

INNOCENTII PAPÆ III. Annus 11. HENRICI IMP. OR. Annus 3.

I. Philippus Sueuus æmulus Ottonis occiditur. *a Vrſperg. in Chron.*

PHilippus Sueuus cum varia fortuna ad decennium Regnum Romanorum in Germania tenuiſſet, immaniter ab [a] Ottone Palatino in Witilisbach eſt interfectus, x. Kalend. Iulii Babinbergæ, quod filiam ſuam ſibi petenti negarat ob patratum homicidium in aula Bauara Brabantiæ ducis filio deſponſaſſet. Nec cædem impune tulit percuſſor. Nam non procul Ratisbona à Mareſcallo Philippi ducis Henrico de Kallidin eſt trucidatus. Vlciſci enim Domini ſui mortem deliberatum fuit. Solemniter vero tumulatum Philippum ibidem inde Fridericus ſecundus Spiram in Maiorum ſuorum ſepulchra intulit, & in com-

penſam tanti beneficii de conſilio Epiſcopi Spirenſis Hērici ab Sarphinberg & Aulæ Imp. Cancellarii Eccleſiam in Crilingen cum pertinentiis ſuis regaliter cathedrali Baſilicæ donauit. Poſſent huius ingloriæ necis Philippi diuerſæ cauſæ produci, hanc potiorem præ cæteris tamen aſſignat Vrſpergenſis, quod diuerſas Eccleſias, quas inter & Cathedrales in ſtipendia militum oppignoraſſet, quibuſdamque nobilibus pari onere grauatam Vrſpergenſem Eccleſiam tranſcripſiſſet, quam 100. marcis argenti refuſis Præpoſitus poſtmodum redemit.

II. Ottoni ſoli Imperium Innoc. ſtabilit. b lib. 3. ſuper negot. Imp. ep. 15. & ſeqq. c Ep. 152.

Innocentius cognita Philippi cæde nihil antiquius habuit, quam Ottonem in plenam Imperii poſſeſſionem transferre, omneſque Germaniæ Imperiiq; Eccleſiaſticos [b] Prælatos, exin vero ſeculares Reges ac Principes exhortari, vt Ottonem ad Imperium eueherent, nec alium eligi paterentur. Plerique Romanorum ab Ottone alieniores turbas in vrbe ciebant, miriſq; cladibus Innocentium Romamq; vexabant. Quare tum pericula damnaq; quæ propter illum exhauſerit, tum cōſtantiam affectumq; in eundem ſuum luculente delineat, admonetque gratitudinis, ne Fridericus II. qui Imperium iam ſpe deuorauerat cæſo Philippo, occultis artibus, paratiſque fauoribus diadema præriperet. [d] Otto lectis litteris officia Papæ exoſculatus, Imperium ſibi delatum præ cæteris Sedi Apoſtolicæ acceptum retulit, cum Patriarcha Aquileienſi, à quo totus auerſus erat, iuſtis pactis conuenit, illaque confirmari petiit & quantocyus coronationem ſuam ſolemnem cum diſpenſatione matrimonii ſe inter & primogenitam Philippi maturandas enixe rogauit.

III. Noui Legati Roma ad puniēdum Raymundū mittuntur: Crux prędicatur contra Albigenſes. e Æmil. in Philippo, & in hiſt. Albigenſ.

[e] In Galliis Legatus Apoſtolicus, cum 12. Abbatibus & Dominico Guſmanno varia & multiplici diſceptatione Albigenſes inuaſerunt, conuiceruntque, nec tamen illos aut Comitem Raymundum ab communione ſacrorum fideliumque iam tum per ſententiam diuulſum, Eccleſiæ fideique auitæ reddere potuerunt. Legati Comitis Romæ eius poſtulata fieri vrgebant. Non abnuit Pontifex ei ob pacem Eccleſiarum gratificari. Et inprimis Legatum de Latere Milonem mittit cum Theodoſio Canonico Iamnenſi, ea lege ne Arnaldi abbatis aduerſus comitem producta fulmina irritaret, neque ſe vt principalem Legatum, ſed illius duntaxat inſtrumentum exluberet. Querebatur apud Pontificem de ſeueritate & iniuriis illius Abbatis comes; at fraudulenter, quod tanti viri in redarguendo intrepidum pectus & libertatem ſuſtinere non poſſet. Milo ſcientiarum morumque incorrupta ſanctitate florens ſatis prudenter commiſſo fungebatur munere, de omnibus comitis Raymundi impoſturis techniſque abundanter inſtructus. Quare Concilio Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & Prælatorum plurimorum Galliæ conuocato apud Montelium, comitem anathemate ferit, pręſertim ob cædem Petri monachi. Poſtea regem Philippum in villa noua territorii Senonenſis adit, eique in præſentia illuſtrium perſonarum Odonis Burgundiæ ducis comitum Niuernenſium, S. Pauli, & optimatum regni literas Innocentii prælegit, quibus bellum aduerſus Albigenſes ducēdum per regem vrget, aut per Ludouicum regis primogenitum. Rex prouinciam detrectauit, iuſtis de cauſſis, tū quod Otto Imperator & Angliæ rex concordibus armis ſeſe inuaderent, tum quod exercitus ſuos ni ſuccumbere vellet, diſparare nequiret. Id vel maxime probaturum ſi ad expiandum Narbonenſem diſtrictum Baronum ſe Gallicorum Procerumq; arma conuertant. Interim crucem palam per Gallias prædicauit aduerſus hæreticos Innoc. omneſq; cruce ſignatos (vel pectori vel humeris affigentes de more, vti teſſeram, aut Militiæ ſacræ euidens argumentum) quam ſiue per ſe, ſiue per ſubſtitutos, aut pecuniaria ſubſidiia profitentes, plenam ſcelerum expiationem diuinitus expectarent, quod pro fide, pro Eccleſia, ipſoq; Deo arma glorioſa capeſſerent.

IV. Comes Toloſanus reſipiſcit, abſoluitur, & abſolutionis modus deſcribitur. f Pet. in hiſt. Albig. c. 9. Tho. Cantip. l. 2. c. 3. §. 9.

[f] His ita fieri per Gallias cœptis iuſto timore Toloſanus Comes abripitur, ne huiuſmodi faba in ſuum caput exitiumque cudatur. Quare ſeſe inaudita cauſſa damnari mendaciter ſparſit, Milo Legatus non timidus, illam Valentiam, olim iuxta Ptolomæum Galliæ Narbonenſis Coloniam euocat ad cauſſam dicendam. Dicit cauſſam, conuincitur, & ne velut anguilla vaferrimus homo & leuiſſimus elaberetur, aſſecurationem præſtare iubetur. Præſtat ille, ſeptemque arces ſuas in prouincia Legato tradit; Magiſtratus vrbium Auenionis, Nemauſi, & Villæ S. Ægidii, iuramentum edere iubentur, ſi violet pacta Raymundus, ne fidelitatem deinceps redhibere teneantur. Deniq; Comitatus Viniſenſis ad Eccleſiæ Romanæ dominium poſtliminio reducatur. Spondet comes ſe omnia pręſtiturum, queriturque Legatum Milonem Arnaldo Abbate Ciſtercienſi intractabiliorem. Arcēs nomine Romanæ Eccleſiæ, occupat Theodoſius illico. Milo in villam S. Ægidii ad comitis reconciliationem proficiſcitur. Ad rei ſpectaculum plus quam viginti Archiepiſcopi Epiſcopique coiuerant. Ducitur ad portas Eccleſiæ S. Ægidii, iuratq; ſuper corpore Domini ſacratiſſimo & ſanctorum reliquiis, quas oſtentabant Prælati ſe omnibus ſinguliſque Eccleſiæ mandatis deinceps paritur um. Dein nudo ſtolam collo inicit Legatus atq; in Eccleſiam trahit inter atroces flagellorum ictus abſolutum pronuncians. Quibus adeo fuit deſcriptus vt redire via per quam intrauerat, nequiret. Et flagellatione ad ſepulchrum B. Petri martyris, quem inſidioſe interimi iuſſerat repetita, ſatisfactionem ſuam canonicam perfecit. Cuius corpus etiam tum inuiolatum inuentum eſt, ſuauiſſimam odorum fragrantiam ſpirans. Cruceſignatorum grandis exercitus in Toloſanam prouinciam itabat, qui euaſtare ditionem ſuam militari libertate potuiſſet. Quem vt ab ſubditis ſuis auerteret in ſacram militiam cooptari, & cruceſignari petiuit. Conſenſit Legatus ſignauitque, quem tamen noſſent omnes dolo malo illam aſſumere, nec aduerſus illos quicquam hoſtile deſignaturum, quorū eſſet defenſor acerrimus. Legati Lugdunum abiere ad Cruceſignatos contra Albigenſes in Narbonenſem prouinciam deducendos, quos plenaria Indulgentia propoſita ſub ſigno Cruciatæ militiæ coegerat. *Pet. in hiſt. Albig. & Tho. Cantipr.*

V. Interamna Eccleſiæ reſtituitur.

Innocentius quoque Conradum quartogenitum Friderici I. Imperatoris eo quod Ducatum Spoletanum & Interamnam vi Eccl. Rom extorſiſſet, ſibiq; ob filiam comitis Papinii Caſtelli vnicam coniugatam, Aleruzā nomine, vendicaſſet, ad reſtitutionem extimulat. Ius ſanguinis & hæreditatis obtrudere Conradus; tabulas teſtamenti, quibus Interamna Eccl. Ro. donata fuiſſet, Inno. exhibere, & quibus filia priuata fortiter vrgere. Inobſequentem Conradum anathemate percutit, percuſſus Eccleſiæ reſtituit Interamnam. Non multo poſt Innoc. Theobalducio Caſtello in feudum illam dedit & Ro. Eccl. Camerarium vicariumque creauit.

VI. Mira Sanctitas S. Bonæ virginis Piſanæ. g Ex codice MS. Eccl. Piſana.

[g] Octauo Kal. Maii moritur ſancta Bona virgo Piſana. Septenni Chriſtus apparet (vt fertur) ſolam cubare, carnem teneram cilicio ambire, ire Hieroſolymam, S. Iacobi corpus adire in Gallæcia imperat. Imperata exequitur bona. Oranti in templo ſepulchri Dominici ter manus imponit, & cum 40. diebus & 40. noctibus eodem in deſerto quo Seruator ieiunaſſet, aureo illam annulo ſubarrauit. A Saracenis capta è Palæſtina domum repetens febri æſtuauit, & ſemper ægra decies ſepulchrum D. Iacobi inuiſit, ſecreta cordium & futura edixit, morbidos perplures ſigno crucis curauit. Ab obitu quoque permultis miraculis coruſcauit.

VII Oſtenditur exemptio ord. Ciſter. h Caſ. l. 7. c. 6.

Quadrageſimam [h] reddituum partem in vſum belli ſacri impoſuerat Eccleſiaſticis & religioſis Innocen. Ciſtercienſes, ne priuilegia prędeceſſorum antiquarent obſequi Domino Apoſtolico recuſarunt, quib. ſeſe exemptos docuere. Pōtifex exacerbatus bona eorū ſecularib. Principibus tradēda minabatur. Abbates cōuentione facta, auxiliū ab ſanctiſſima Deipara ordinis Deiparę cōceptis precibus petiuere. Quæ Reinero religioſo à Confeſſionib Pontificis, per viſionē apparens ſeuere cōminata fuit, vt in ordinem cuius illa eſſet aduocata aggrauare deſineret, quam breuiſſime vita, ordineq; deiectū iri. Paruit ille referente viro optimo Reinero, & priuilegiis amplioribus non modo bullis ſua manu, verum etiam omnium Cardd. ſubſcriptis exornauit, & Prædeceſſorum confirmauit. *Cæſarius.*

Bellis

VIII.

Bellis Philippum inter Ottonemque graſſantibus variis multum ſacrilegiis deformatam orthodoxam Eccleſiam teſtatur *Conradus presbyter.* Victor magnus dux Rhetiæ Curienſis monaſterium S. Galli inflammare & incinerare cogitarat. Apparens ei S. Gallus prohibuit, monachi ſeſe propugnant armis & precibus. Equo ſacrilegus deiicitur, ſauciuſque graui lapſu, manum abſtinet. S. Fidis Eccleſiam Conradus de Schennenſtein violauerat, annona & ſacris ſuppellectilibus exinde raptis. Sacrilegium vltio diuina excepit. Eius ſignifer alæ quam ductitabat traiicitur, Conſortes aut cæcitate, aut ſuſpendio, aut gladio feriuntur. Adoleſcens vnus ex complicibus baltheum militarem in Eccleſia videt, rapit, ipſaque nocte Pentecoſtes in lecto exanimis inuenitur. Ipſe Contrad' in peruigilio feſti eiuſdem ſaxi ictu enitatur. *Hæc ille, quorum pleraque oculis ſuis inſpexit.*

IX. Tranſlatio capitis S. Panthaleonis Coloniam.

Sanctia Petri Arragoniæ Regis mater menſe Nouembri Xixenæ deceſſit, quod ipſa monaſterium virginum ſub D. Ioannis Hieroſolymitani militum diſciplina extruxerat, vt in eo rerum humanarum tædio, vitæq; melioris ſtudio veſtem mutaret. *Miræus. Mariana lib. 11.* Caput S. Panthaleonis Nicomedienſis Martyris Coloniam hoc anno allatum tradit in martyrologio ſuo *Caniſ. 12. kal. Martii.*

IESV CHRISTI
Annus 1209.

INNOCENTII PAPÆ III. Annus 12.	OTTONIS IMP. OCC. Annus 1. HENRICI IMP. OR. Annus 4.

I. Albigenſes armis Cruceſignatorum & Montifortii Comitis excinduntur.

ALbigenſes [a] ſuis vitiis indurati, nihil miraculorum gloria D. Dominici, neque doctrinæ veritate, neque vitæ ſanctitate, aut precum ardore moti reſipiſcere cogitarunt, quin immo ſuam pertinaciam armis defendere præſumpſerunt. Simon comes Montfortius peſtilenti hominum fæci ab Innocentio opponitur, penes quem ſumma belli ſacri Cruceſignatorum eſſet. Vir animo, manu, rerúque gerendarum prudentia & inprimis religione præclarus. Ad Biterras primù copias ducit, caſtraq; metatur, per fecialem vrbanis ſignificans ſi hæreſeos conuictos ſibi tradant, euaſtationis ſecuros fore; ſin minus ipſi orthodoxi ab infectis ſeſe exeundo ſecernerent. Neutrum præſtiterunt, vrbs capta, cædibus ſæuitum, Albigentium 17000. cecidere, Carcoſſonenſis ciuitas recepta Rogerius Albigenſium Princeps viuus captus, & cuſtodiæ tradit', cæteri ciues cum veſtimentis dimiſſi. Caſtrum Mineruæ laborioſe expugnatum, in quo 180. fuere, qui potius viui concremari q̃ reſipiſcere deliberato maluerunt. Comes Toloſanus anteſignanus, cautior an melior Eccleſiam audiuit, ſeceſſitque canonicis pœnis mulctatus, vti diximus.

Otto Imperator priuſquam Italiam exercitu attigiſſet, Priuilegia Romanæ Eccleſiæ per Wolferum Patriarchã Aquileienſem miſſa confirmat [b] Bulla aurea, quæ cum egregie in ea aſſerantur libuit totam inſerere, vt vtriuſque poteſtatis videant diſcrimen, hoſtes Eccleſiæ & Apoſtolicæ Sedis.

II. Otto Rex Priuilegia Ro. Pont. Bulla aurea confirmat.

In nomine [c] ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Otto quartus, diuina fauente clementia Romanorum Rex & ſemper Auguſtus. Recognoſcentes ab eo noſtræ promotionis donum miſericorditer proceſſiſſe, à quo eſt omne datum optimum & omne donum perfectum, ipſum eiuſque Vicarium, & ſponſam eius ſanctam Eccleſiam diſpoſuimus & decreuimus magnifice honorare: vt qui nobis in præſenti temporale contulit Regnum, in futuro quoque tribuat ſempiternum. Proinde vobis Reuerendiſſime Pater & Domine ſummæ Pontifex Innocenti, quem pro multis beneficiis nobis impenſis ſinceriſſimo veneramur affectu, veſtriſque Catholicis ſucceſſoribus & Eccleſiæ Romanæ omnem obedientiam, honorificentiam & reuerentiam ſemper humili corde ac deuoto ſpiritu impendemus, quam prædeceſſores noſtri Reges & Imperatores Catholicis veſtris anteceſſoribus impendiſſe noſcuntur: nihil ex his volentes diminui, ſed magis augeri ſc. vt noſtra deuotio clarius eniteſcat. Illum igitur abolere volentes abuſum, quem interdum quidã prædeceſſorum noſtrum exercuiſſe dicuntur in electionib. Prælatorum, concedimus & ſancimus, vt electiones Prælatorum libere & canonice fiant: quatenus ille præficiatur Eccleſiæ viduatæ, quem totum Capitulum, vel maior & ſenior pars ipſius duxerit eligendũ: dummodo nihil ei obſtet, de canonicis inſtitutis. Appellationes autẽ in negotiis & cauſis Eccleſiaſticis ad Sedem Apoſtolicã libere fiant, earumque proſecutionem ſiue proceſſum nullus impedire præſumat. Illum quoque dimittimus & tollimus abuſum, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam Eccleſiarum vacantiũ noſtri conſueuerunt anteceſſores committere pro motu propriæ voluntatis. Omnia vero ſpiritualia vobis & aliis Eccleſiarum Prælatis relinquimus libere diſponenda, vt quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo recta diſtributione reddantur. Super eradicando autẽ hæreticæ prauitatis errore auxilium dabimus & operã efficacem. Poſſeſſiones etiam quas Eccleſia Romana recuperauit, ab anteceſſoribus noſtris, ſeu quibuslibet aliis ante detentas, liberas & quietas ſibi dimittimus, & ipſam ad eas retinendas bona fide promittimus adiuuare, quas vero nondum recuperauit, ad eas recuperandas pro viribus erimus adiutores, & quæcumque ad manus noſtras deuenient ſine difficultate ei reſtituere ſatagemus. Ad has pertinet tota terra quæ eſt à Radiſocano vſque ad Speranum. Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, Terra Comitiſſæ Mathildis, Comitatus Bretenorii, Exarchatus Rauennæ, Pentapolis cum aliis adiacentib. terris expreſſis in multis priuilegiis, Imperatorum & Regum a tẽpore Ludouici, vt eas habeat Ro. Eccleſia in perpetuum cum omni iuriſdictione diſtrictu & honore ſuo. Verumtamen cum ad recipiendam coronam Imperii, vel pro neceſſitatib. Eccleſiæ ab Apoſtolica Sede vocati venerimus, de mandato Summi Pontificis recipiemus procurationes ſine fodrum ab illis. Adiutores etiam erimus ad retinendam & defendendum Romanæ Eccleſiæ Regnum Siciliæ, ac cetera iura quæ ad eam pertinere noſcuntur, tamquam deuotus filius & Catholicus Princeps, vt autem hæc omnia memorato ſanctiſſimo Patri noſtro Domino Innocentio ſacro ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Summo Pontifici, eiuſque ſucceſſoribus per nos & noſtros ſucceſſores Romanos Imperatores & Reges obſeruentur firmaque & inconuulſa ſemper permaneant, præſens exinde priuilegium conſcriptum maieſtatis noſtræ aurea bulla iuſſimus communiri. Ego Conradus Spirenſis Epiſcopus Domini Sifridi Moguntini Archiepiſcopi, & totius Germaniæ Archicancellarii Regalis Aulæ Cancellarius recognoui. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnat. M. CC. IX. indictione XII. regnante Domino Ottone quarto Romanorum Rege glorioſo anno Regni eius XI. Dat apud Spiram XI. Kalend. April.

III. Altera Bulla Ottonis.

Hactenus bulla aurea Ottonis Auguſti, non diſſimilis alteri, [a] quam eidem Eccleſiæ Romanæ ipſo itineris procinctu dedit, confirmans omnia dominia Apoſtolicæ Sedis, ac promittens eidem Innocentio, conſilio, opera, & armis præſto fore, prout neceſſitas exegiſſet. Fere eiuſdem tenoris, & tertiam bullam, quam vocant, ex caſtris apud Montem malum metatis, Quarto Non. Octob. dedit: in qua omnia iuramenta per ſe vel per Procuratores ſuos Sedi Apoſtolicæ antea præſtita, vna cum priuilegiis immunitatibus, & ſecuritatibus eidem Summo Pontifici, omnibuſq; ſucceſſoribus ipſius, atque S. R. E. Cardinalibus & populo Romano approbauit.

IV. Teſtamentum Comitiſſæ Mathildis, qua Ro. Eccl. ſuorũ bonorum hæredem ſcripſit.

Porro terræ Mathildis cum perfrequens in Annalibus mentio fiat, id inprimis ſciendum eſt fuiſſe illam Godefredi dein Azonis huc Actii Eſtenſium Principum vxorem. Prioris cognatus Gregor. VII. fuit, cui contra Cadolum Antipapam fideliter adhæſit, ſcriptoq; numeroſo milite Robertum Guiſcardum Calabriæ & Apuliæ ducem cum Saxonibus Clementem intrudere conantib. fugauit, caſtriſq; exuit. Henrici abſolutionem ab cenſuris quam poſita purpura, nudiſq; pedib. genuflex' accepit, apud Greg. VII procurauit comite Sabaudiæ Adelao, & Cluniacenſi Abbate adiuuantibus Geſta eius pro fide & Apoſtolicæ Sedis defenſione & augmẽto Conſtantini & Caroli Magnorum donatiua exæquarunt, dum bonorum ſuorum ampliſſimorum hæredem ſcripſit Romanã Eccleſiam hiſce tabulis. *Ego Matilda Dei gratia Comitiſſa, pro remedio animæ meæ, & parentũ meorũ, dedi & obtuli Eccleſiæ S. Petri, per interuentũ Domini Gregor. Pap. VII. omnia bona mea iure proprietario,*

tam ea quæ tunc habueram, quam ea quæ in antea acquiſitura eram, ſiue iure ſucceſsionis, ſiue alio quocunque iure ad me pertinentia, omnia Romanæ Eccleſiæ dedi, & tradidi. Ea quam Matildis Romanæ Eccleſiæ reliquit hæreditas, B. Petri patrimonium à pleriſq; dicitur, cum Matildis gloria ſempiterna: Obiit Matildis anno Domini M.C.XV. Hæc alibi locupletius de Matilde: nunc ad alia transeamus.

V. Iter in Italiam Ottonis IV. & coronatio. *Sigon. lib. 16. de regno Italia.*

Cum autem Innocentius ad coronationem Ottonem euocaſſet, properauit ex Germania Romam aduolare & Auguſtam, Lacum Benacum, Alpeſque obiens in Auguſto Veronam & Mediolanum profectus eſt. Et ab Huperto Archiepiſcopo in baſilica S. Ambroſii corona ferrea ex more Italici regni monumento & indice redimitur, confirmatiſq; Mediolanenſium priuilegiis, nouiſq; additis Viterbium ad Pontific. Innoc. venit. A quo Romam deduct⁹ caſtris ad vrbem metatis, 5. Idus Octob. in Baſilica S. Petri aureo Auguſtorum diademate eſt coronatus, mox in Tuſciam abiit, vbi Ildebrandinum Tuſciæ comitem Palatinū variis priuilegiis & immunitatib. donauit, præſertim circa Maſſam vrbem & eius pertinentias, quæ ibidem habere poteſt, aut habuit Imperium Romanum. Cui & altero priuilegio totam terram, quæ quondam fuiſſet comitis Raynerii & Bartholomæi, vt Petilianum, cum pertinētiis Sotam, Vicotiam, Salam, Iſolam, Farneſem, Catiglionem, Petrelam, Maranum, Catellarſum, cum pertinentiis ſuis. *Priora data apud S. Miniatem anno regni 11. Imperii 1. Poſterius anno regni 12. Imp. 2. in Comitatu Tudertino.* *Lib. 3. priuil. pag. 84. & ſeqq.*

VI. Ingratitudo Ottonis Imp. erga Innoc. PP. & Ro. Eccl. *Epiſt. 188 & 89. Vrſperg. in Chron.*

Ingratiſſimus accepta corona Imperii in Innocentium III. fuit Otto, & contra iuramentum & pacta. Faliſcos & Flaminiam Eccleſiæ Romanæ ademit & in Apulia ciuitates Regno Siciliæ annexas hoſtiliter inſedit. Reſcripſit Innocentius acerrimas literas & ingratitudinis hominem redarguit, & rupti fœderis, vrbeſq; Sicilię vt feudatarium Fridericum Romanæ Eccleſiæ ad patrimoniū S. Petri pertinentes obtinere. Quare abſtineret ab huiuſmodi attentatis, ni vellet fulmine anathematis feriri. Non paruit ille, quoad totam pene terram Mathildis occupaſſet, vnde iuſtiſſimam in ſe Innocentii irā ꝓuocauit. Homo maiori animo & cupiditate, inquit Æmilius, q̄ conſilio & religione.

VII. Punitio diuina quorundam nobiliū ſacrilegorū. *Caſ. li. 7. c. 7.*

Narrat hoc anno lamentabilem quorundam nobilium interitum Cæſarius, qui Adelheydis de Molsberg piam donationem poſſeſſionum ſuarum, ad nouum monaſterium Ordinis Ciſtercienſis erigendum, quod locus Mariæ dicitur, & ſub Abbate Henrico Heiſterbacenſi ad faſtigiū eduxerat compleratq;, turbabant. Iure ſanguinis & congregationis ſibi ea deberi bona clamitabant. Iudicem ſeſe Deus eiuſque mater ſanctiſſima, Ordinis aduocata vindicemq; ſeueriſſimum contra ſacrilegos præbuerunt.

VIII. Crucesignatorum 50000. contra Albigenſes armantur. *Hiſt. Albig. c. 15. 16. & ſeq. Caſ. dial. 10. cap. 47. & dial. 5 ca. 21. Vinc. l. 39. c. 103. & ſeqq. Æmil. in Philippo.*

Incredibile pene quod de crucesignatorum numero historic⁹ Albigenſiū cōmemorat Ducib. Petro Archiepiſcopo Senonēſi, Epiſcopis Eduēſi, Claramontēſi, Niuernēſi Duce itē Burgundię Odone, Comitib. Oderio Niuernenſi, Barrenſi ſupra Sequanā, S. Pauli Montisfortis, Guiſeardo de bello ioco, Guilielmo de Roches, Seneſchallo Andium, Gualtherio de Luinach, Guidone de Leuis, Lāberto de Thurero cum magna multitudine nobilium & potentium Franciæ & Hiſpaniæ, ita vt quinquies centena millia numerarentur. Quos inter & Comes Toloſanus erat, & comes Montisfortius Simon belli dux, hoc Pſalte regii verſu ex Pſa. 90. caſu per chorum Eccleſiæ Rupis fortis dum tranſiret, & aperiret inuento: *Quoniam Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis, In manib. portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Quem oraculi loco acceptum, memorabilibus victoriis geſtiſque inuictus heros contra peſtilentiſſimos Albigenſes, verificauit, vbiq; hoſtibus fortior. *Petrus monachus Sernarii in hiſt. Albig. qui varias Albigenſium improbitates cum Cæſario Biterris & alibi deſignatas è Vincentio recenſet, quas ſuperius 1199. numerauimus.* Id adiiciam, nimirum ab Comite Rupefortio Albigenſi atrociſſimo, martyrii laurea abbatem Elnenſem cum conuerſo donatum, & 36. vulnerib⁹ cōfoſſum fuiſſe Honorifice martyres Carcaſſonam illati ab Montisfortio & tumulati ſunt. S. Dominico interim præclaros prædicationis fructus non ſine graui contumeliarum grandine, proferente. Pax tandē inter Reges, Nauarræum, Arragoniū & Caſtellanum compoſita eſt, Multorum votis optata, *atteſtante Mariana.* *Theod. l. 1. c. 7.* *Mariana lib. 11. c. 22.*

IX. Obitus Hermanni Thuringiæ Lātgrauii. *Siffrid. presbyt. Miſnenſ. in Chron. Nauc. hoc anno.*

Hoc anno vita abiit Hermannus Lantgrauius Thuringiæ, Ludouici filius & in Iſenaco ſepultus monialium Ciſtercienſium cœnobio quatuor filiis relictis, Ludouico, Henrico, Conrado & Hermanno. Ludouicus Patri ſuccedens vxorem duxit S. Eliſabetham Andreæ Regis Hungariæ filiam, Henricus cognomento Rex Romanorū poſtea factus eſt, quem Eccleſiaſticorum Regem per ludibrium vocitabant æmuli. Conradus Teutonici ordinis militibus aſſociatus illi cum plena Magiſtri poteſtate præſedit. Hermannus ætatis anno 15. raptus apud patrem ſepultus eſt.

X. Almericus hæreticus Pariſienſis.

Vti Albigenſium lues Galliam Narbonenſem vel maxime venenabat, ſic Pariſienſis vrbs ab nefario quodam Theologiæ doctore Almerico turbabatur, hæreſin nouā illi infelici prorſus affinem ſeminante, cum quinq; aliis eiuſdem impietatis conſortibus. Quorum cum in Concilio Lateranenſi errores ſint recenſendi, hic loci eoſdem pertexere erit ſuperuacaneū. *de quibus Cæſarius lib. 5. c. 22.* Num vero ordo S. Franciſci ſit hoc anno inſtitutus incertum apud auctores. Genebrardus in Innocentio III. aſſerit hoc anno, vt & D. Dominici anno 1201. & hic ab Honorio III. anno 1216. confirmatus; ille vero 2 annis ante mortem D. Franciſci ab Honorio itidem III. anno 1223. *Variæ de inſtit. ord. SS. Franciſci & Dominici opiniones.*

IESV CHRISTI Annus 1210.

INNOCENTII PAPÆ III. Annus 13.

OTTONIS IMP. OCC. Annus 2.

HENRICI IMP. OR. Annus 5.

I. Ottonis Imperium abrogatur: aſſeritur regnum Frid. regi. *a Libr. 3 de negot. Rom. Imp. Naucler., Ciacconus, Onuphrius, Vrſpergenſis in Chronico.*

OTtone in Sedem [a] Apoſtolicam, adeo iniurio, rebellique, velut pacti fœderis, & conuentorum mutuorum ſe inter & Innocentium factorum, per ſummam cōtumaciam immemori, nihil penſi magis habuit Pont. eundem admonere datæ fidei, & exemplis prædeceſſorū Frid. I. Henrici & Philippi filiorum eius docere, non impune illam impotentiam tuliſſe, quando vel Eccleſiaſticam ſibi poteſtatē arrogabant, vel Sedi Apoſtolicæ, à qua ad Imperium fuiſſent exaltati, rebellabant. Perinde cum Ottone, ſupremū Numē acturum, ni reſipiſceret, & iura Eccleſiæ, Diuiq; Petri patrimonium intacta relinqueret, & Fridericum Siciliæ regem in quieta feudorum ab Pontifice acceptorū poſſeſſione manu teneret, non vero euerteret. Regē Franciæ iniuſto bello nequaquam ob ſui auunculi Ioannis regis Angliæ inueterata in eundem odia laceſſeret. Se alioquin licet inuitum, ad cenſuras Eccleſiæ proceſſurū. Qua paterna admonitione tantum abeſt, vt ab infauſtis conatibus recederet, quin magis exulceratus, diuina humanaque conſilia cōtemneret. Quare Inn. illi Imperium auctoritate Apoſt. abrogat, & Principibus alium eligendi poteſtatē facit Qui cum potius Pontificis reuerentia, quā Ottonis meritis (cuius ipſi ingenium nouerant) Cæſaream in eo purpuram agnoſcerent, continuo in Fridericum Sicilię Regem maturo conſilio animos reflexerunt. Quare ad 13. menſis Decem. Fridericus ſepdecennis Francofordię Romanorū rex ſalutatur & eligitur. Legato ergo in Italiā miſſo Anſelmo de Iſthingen in mandatis dederunt Electores, tum vt ab Pont. confirmationem huius electionis impetraret, tum vt Fridericum quantocy⁹ in Germaniam euocaret. Vtrum præſtitum, tametſi Regina Frederici iter in Germaniam miris artibus diſſuadere niteretur, ne genti illi ſe committens vitæ & fortunarum diſcrimen adiret.

II. Henricus Imp. orien. corrigetur. *Epiſt. 26. & ſeq. & 32. vſque ad 37.*

Orientis Imp. Henricus Eccleſiam eiuſq; iura violabat, magnanimus Pont. grauiter illum perſtrinxit, ꝙ iniuſtiſſimum edictum, ne quiſquā bonorum immobilium hæredem Eccl inſtitueret, publicaſſet. Quare antiquari legem illam, & Barones ſuos coerceri iuſſit, ne tam nefando ſe ſacrile-

crilegio contaminarent. In quem finem diuerſæ ad Archiepiſcopos Græciæ & Epiſcopos ſcriptę literæ tm̃ effecerũt, præſertim vbi anathematis diſtringẽdi minæ acceſſerãt, vt Imperator Barones, Principeſque ſeculares ab inuaſione bonorũ Eccleſiaſticorũ ſibi téperarent, & Innocẽtio morẽ gererent. Confirmauit etiã pacta Inn. quæ cum Patriarcha & Eccleſiaſticis ratione bonorum Eccleſiæ illi ſtatuiſſent.

III. nitas Ecclesiarum reintegratur. ib 3. ep 3. ep 1. & 9. p. 7. & 10. [illegible] piſt. 30.

Vnitatem etiam Eccleſiarum impenſe curauit. Diſſidebat Archiepiſc. Corinthi ab Sed. Apoſt. quare ſchiſma deſereret, vel dignitate deiecto alium ſurrogarent, Termipolenſi & Sidonienſi Epiſcopis præſcripſit. Latinis Græciſq; per factiones diuiſis, illos duntaxat probarent Archiepiſcopi & Epiſcopi, qui in obedientia Apoſt. Sedis perſiſterent. Patriarcha quoq; nõ ſolos Venetos, ſed alios quoque Latinos beneficiis Eccleſiaſticis ornaret, commiſſario ad hoc Decano templi Blanchernarum conſtituto. Controuerſiam quoq; inter Templarios & Teutonicos excitatam ne Theutonici pallio albo illis proprio vterentur, tradidit Hieroſolymitano Patriarchæ dirimendam.

IV. [illegible] Innocent. Epiſt. 19.

Philippus rex iterato vxorem legitimam repudiauerat, Ottocarus quoq; rex Bohemiæ illam litteris conſolatur. Ottocarum Romam ad cauſam dicendam euocat. Viduæ Richardi Angliæ regis relictæ Ioannes rex incõmodabat, vrbes bonaq; eius crudeliter occupando. Quare interdicto iniuſte occupata omnia ſupponit, per Rott. ſem & Sarisberienſem Epiſcopos, vt eo modo ad mentem Ioannes reuocari poſſet. Bona Epiſcopi Portugalenſis inuadentem regem Luſitanum cenſuris emendat, vti & Fridericum Siciliæ poſſeſſiones Cathanenſis Epiſcopi ſibi vendicantẽ. Poloniæ Principes plures de Principatu contendentes apte compoſuit, & Pruſſiam neophytã iuriſdictioni Gneſnenſis Archiepiſcopi vti proxime ſubmiſit. Formulam Albigentib in Gallia, reductis receptionis & iuramenti certam tranſmiſit 18. kal. Iulii ad Prælatos Regni. Comiti Toloſano ſeuere ne Albigenſes reciperet interdixit. Comitibus Liceſtriæ & Montefortio vt de vnaquaq; terra, quam hæreticis extorſiſſent centum trium denariorum exigerent, Romamq; citra fraudẽ mitterent præcepit. Item vt primogenito Regis Caſtellæ contra Mauros Hiſpaniã irruentes auxiliarentur fideles, cunctabundis & refractariis per cenſuras compulſis, iuſſit prælatis omnibus.

Epiſt. 20. Epiſt. 3. Epiſt. 24. Epiſt. 30. Ep. 21. & 24. Epiſt. 40. & ſeq. Epiſt. 40.

V. Portenta [illegible] Albig.

Toloſæ in Eccleſia B. Mariæ, dum Montfortius victricib armis, & S. Dominicus efficaci prædicatione Albigẽſes edomarent, ad quindecim dies viſæ velut argenteæ cruces, & inſtar coruſci fulminis candicãtes. Sacerdos quidam precib. impetrat, vt mereatur etiam videre quod paſſim ab omnibus ſpectabatur. Quare videt in medio aere omnes & vnam maiorem cæteris templum egredientes vſq; ad portam vrbis vbi virum venerabilem gladium aduerſus vrbem ſtringentem videt, cui illæ cruces ſuppetias ferebant, vti coram Toloſano taſſus eſt, vtiq; reciduã Comitis Toloſani ſignificans, qui quod nollet conuentus ſtare, nec Pontificis mandatis facere ſatis, nec Albigenſes excindere, ait exilio mulctæ ab communione ſacrorum fideliumq; eſt ſeparatus Simon Montifortius nihilominus in Toloſam ſalutem ſollicitius excubabat, colloquioque Legatorum Apoſtolicorum Narbone habito ſuper reductione eius cum Foxenſi comite etiam Albigenſium nefario receptatore patronoque ſic omnia in fauorẽ gratiamq; vtriuſque concepta finitaq;, vt cauſſam querimoniæ nullam poſſent obtrudere. At Toloſinus poſtridie non expectato decreto tacitus diſceſſit, quarundã auium, quas Ofcines Romani vocitabant inauſpicato volatu territus. Ex more homo impius talium auium volatu, cantu ſuperſtitioſiſſimus regebatur. *Petrusmon.*

Comes Toloſanus recidiuam paſſus iterũ excommunicatur.

VI. B. Virgo ſui cultorẽ truncatum ſanat & redintegrat.

Contigit hoc anno miraculum, quod ab Raymundo de Penn fortí Ord. Prædicatorum refertur anno 1271. die 18. Auguſti, filium vnicum matris ſuæ Brigantium ſoluendi voti cauſſa peregrinari voluiſſe ad beatam virginem, vbi illa miraculis coruſcabat. Matrẽ vero iter inhibuiſſe propter pericula, quæ filio timebat. Filius nihilominus propoſitum proſequi definiuerat. Quare mater illum patrocinio B. Virginis commendabat, vt omni diſcrimini vitæ & fortunarum filium ſubduceret. Abit ille, & vt timebat mater, capitur, exoculatur ab hoſtibus, manibuſq; truncatur, atque ita ad locum deſtinatum mutilus adrepit. Audito nati ſui infortunio mater aduolat B. Virginem obteſtatur, vt truncatum redintegret cui fuiſſet traditus. Extemplo viſum recipit, ad inſtar falconis, & manus ſenſim protuberare viſę, ad temperatam magnitudinem excreuere, B. Virgine miraculoſe filium curante. *Hæc Raymundus. vide Dagogum lib. 2. hiſt. Arrag. Prædic.*

VII. *Olaus in hiſt. Goth. & Sued. lib. 19 c. 1.*

Suenchenus Sueciæ rex bis in ſubditos arma iniuſto titulo conuertit & tandem in acie occiditur. Qui dicunt ordinem Eccleſiaſticum ab eo exemptũ, errant craſſe. Quippe cum non ſit ſecularis exemptio poteſtatis ſed Eccleſiaſticæ, & ſolius Pont. talia priuilegia clero religioniburque conferre. *Olaus.* Succedit occiſo Ericus Canuti regis filius in regna Sueciæ & Gothæ, in omnib. præclariſſimũ Epiſcopum Valeriũ ſequens, quib duobus luminibus mirifice illa patria fuit colluſtrata vt benigniorem Deum ſe nunquam ſenſiſſe dictitarent. *Idem c. 12.*

Hoc anno ordinem ſancti Franciſci inſtitutum teſtatur Onuphrius, conſentit in Innocentio tertio Genebrardus, vti iidem, D. Dominici 1201. neſcio quibus anteſignanis inſtitutum aſſerunt.

VIII.

Robertus Normannus Abbas mõtis Naualis Sigeberti Gemblacenſis Chronicon excipiens res ſuo æuo geſtas ad hunc vſque annum eſt proſecutus, hic finem ſuæ appẽdicis faciens Cui Synchronus Helinandus monachus, frigidi montis in diœceſi Bellouacenſi Chronologiam ſuam hucuſque deduxit.

IESV CHRISTI
Annus 1211.

INNOCENTII PAPÆ III. Annus 14. — HENRICI IMP. OR. Annus 6.

I. [illegible] Frid. ob [illegible] a Lib. 14. ep. [illegible] Epiſt. 56. & ſeq.

MVltis ſalubriter ab Innocentio [a] in Sardinia, Hiſpania contra Mauros, in Gallia contra Toloſanum & Philippum regem, in Polonia, in Syria pro Templariis contra regem Armeniæ, Conſtantinopoli mortuo Mauroceno, in Sicilia per Legatum Gregoriũ Cardinalem ſtatutis, iuramentũ fidelitatis ab Friderico factum Sedi Apoſtolicæ, accepit: *Per Deum & ſancta eius Euangelia.* Dein gemina diplomata Romanæ Eccleſiæ dat, quib. cenſum feudorum annuum cõplectitur, fidemq; ſpondet inuiolabilẽ, quandoquidem ipſe magis ſuis prædeceſſoribus obligatus eſſet Romanæ Eccleſiæ, ꝙ in eius tutela hacten⁹ fuiſſet. Dat. *menſe Febr. indictione 5. Regni 14.* Denique nullum cupit ſolemniter intronizari Epiſcopum, ni prius ab Sede Apoſtolica fuerit confirmatus. Quibus ſic depoſitis in Sicilia Fridericus nihil cunctandum ratus in Alemanniam contendit, & Romæ ſalutato Innocentio per Italiam Alpeſq; decurrens in Rhetiam Curienſem peruenit, & ab Epiſcopo Curienſi, Abbate S. Galli, & Henrico de Sacco nobili Conſtantiam perducitur.

Abit in Germaniam.

II. Otto excommunicatur [illegible] b *Coronica Hirſaugien.*

Otto Imperator interea feliciter Apuliam, Calabriam, [b] & Neapolitanum regnum ſui facit, coactus tamen retro in Germaniam aduolare, ob Fridericũ Siciliæ regem, quẽ ibidem opprimere, immo exſcindere geſtiebat. Quare Siffrido Archiepiſcopo vt eum cœtu fidelium motũ proclamaret, per totam Germaniam iuſſit, qui imperterritus voluntatẽ Pontificis exequebatur. Vnde fautores Ottonis, vt Palatinus, dux Brabantiæ & alii totam eius diœceſin ferro flammaq; deuaſtarunt, loca ſacra prophanaq; ſpoliarũt, munitis ciuitatibus abſtinentes. *Vrſperg Naucl.*

III. Excommunicatio [illegible] Angliæ regis c *Æmil.* [illegible] *Polyd. Vir.* [illegible]

Ioannes [c] Angliæ Rex multorũ criminũ reus conſtituitur, ob quæ à Pontifice fideliũ cõmunione ſummot⁹ eſt, & toti Galliæ ſacris publice interdictũ. Nam cũ ſex annis cũ Philippo bellũ duxiſſet, nec ſtipendiis ſoluẽdis ſufficeret, Eccleſias expilare, vectigalia Prælatorũ, Religioſorum, & Clericorũ ipſe exigere, Sãctiſſimos Põtifices, ſacrorũq; antiſtites paſſim proſcribere, omnia mandata Sedis Apoſtolicæ ille deſpicatui habere, adeo vt eum Neroni vel Maxentio exæquet. *Polidorus Virgilii.*

IV. Mauri in Hiſpania, & Albigenſes in Italia vincuntur. d *Æmil. in Philippo. Mariana lib. 11.ca.23.24. & 25.*

In Mauros infideles, & Albigenſes hæreticos acriter ab Chriſtianis dimicatum. Contra illos Caſtellę,[d] Arragoniæ. Legionis, Nauarræ reges ſeſe armarunt, viceruntque non ita tamen, quin adhuc reliquię eorum in Betica ſubſederint, ad noſtra vſque tempora quas eradicare nequiuerunt. Contra hos duce Montfortio feliciter Crueeſignati pugnauere. Varia oppida capta, ex quibus pleriq; maleferiati capite plexi, pleriq; igni traditi, pleriqueſaxis obruti, quos inter & nobiles fœminæ recenſitæ. Cadurci aduentante duce deditionem fecerunt ſuadente Epiſcopo.

V. Crucеſignati Germani, Belgæ, &c. eunt in Gallias. e *Iac. de Vitr. in S. Mar OEgn. lib. 2. c. 7. Vinc. Bell. l. 30. c. 2. Caſ. dial. 5. c. 2. & dial 10. c. 33. Pet. Mon. in hiſt. Albig.*

Ex Germania,[e] Belgio, Galliis, Hiſpaniis ingens cruceſignatorum numerus confluxit. Primi illorum Lutpoldus Dux Auſtriæ, Adolphus Comes de monte, Wilhelmus Comes Iuliacenſis, Comes Antiſiodorenſis, Epiſcopi Pariſienſis, Lexouienſis, & Bellocaſſienſis. Nomine Sedis Apoſtolicæ præerat Arnaldus Abbas Ciſtercienſis cũ plena poteſtate Legati. Venit & Comes Toloſanus, ſed contumaciæ tenaciſſimo animo. Toloſanum Epiſcopum ſuum idcirco oderat, quod ille comite præſente ſacris operari nollet, vti & omnes presbyteri, omnibus orthodoxis eius aduentum fugiẽtibus. Quare cum hortatu Epiſcopi vrbe nonnihil excedere rogaretur, in furorem verſus atroces cum Epiſcopo inimicitias ſemper exercuit, qui Apoſtolico pectore tyranni minis intrepidus obuiauit. At vero Simone Leuarum oppidum obſidione premente, ingens multitudo Cruceſignatorum inermium Carcaſſone ad eum in caſtra proficiſcitur. Bernardus Rogerii filius in inſidiis milite diſpoſito inermes omnes orthodoxos interimit, & ipſemet ſacerdotis elapſi raſo capiti bipennẽ impingit, luce ſuper loco martyrii identidem noctu perſiſtẽte ſanctitatis indice. Quorum martyrii palmam etiam ſancta Maria de OEgnies virgo Leodicenſis præuidit vaſta terrarum ab iiſdem diſiuncta intercapedine, miro ad ſacrã militiam ſeſe aggregãdi deſiderio æſtuans, ſi modo martyrii palmam adipiſci poſſet.

VI. Miracula.

Mirum illud in obſidione Lauacicanà accidit, machinæ, quã mœnia protuebãt, oppugnator crucem impoſuerat, cuius brachium alterum cum frangeretur, id riſu ſannisque Albigenſis obſeſſus excipiebat, cum ecce tibi & ipſum oppidum, Deo iniuriam vindicante, ſacro Inuẽtioni ſanctæ Crucis die eſt expugnatum, vbi refert Petrus Conditor hiſtoriæ Albigenſium, Epiſcopos & Clerum cantu Eccleſiſtico & ſpalmodiis pangendis plus terroris hoſtibus incuſſiſſe, quam ipſi milites, fracto muro deiectiſque loricis oppidanos percellerent. Almericus Leuauri defenſor, dominus Montis Regalis reſti ſuſpenſus eſt, ſoror eius Leuauri domina vidua, in puteum præcipitata ſaxeo imbre obruitur. Pallium cruceſignati militis oppidani interceperant, pallium Vulcano traditum integrum exuritur crucis ſignatura ſola ad ſtuporem remanente. Vallis pulchra capta præter innumeros Albigenſes reſipiſcentes etiam quadringẽtos ſuorum obſtinatiſſimos ignibus concremari iuſſit. *Caſ. lib. 5. c. 21.* In Carco capto ſexaginta combuſti, Toloſani Præpoſitus & Canonici iuſſi vrbe excedere, ſacram Euchariſtiam deferentes ſecum nudipedes egrediuntur. Monteferratum obſidente Montifortio deditionem fecit comes Balduinus frater Toloſani, impar viribus & Eccleſiæ conciliatus laudatiſſimæ ſuæ conuerſionis initia ornauit, tum hæreſin ſynceriſſime eiurando, tum orthodoxos fortiſſime defendendo, & præſertim peregrinos.

Caſ. l. 5. c. 21.

VII. Miracula D. Dominici.

D. Dominicus in meſſe tam fertili mira patrabat. Librũ myſteriis fidei orthodoxæ conſignatum tertio ab igne illæſum recepit, libros item demerſos incorruptos; quadraginta peregrinos aquis abſorptos vitæ reddidit, Sathanam in forma horribili matronis ſeductis ſpectandum prębuit. Inſuper linguæ alterius intelligentiam ignaro per preces impetrauit, vti ſanctus Baſilius, ſancto Ephræm eremicolæ linguæ Græcæ cognitionem oratione obtinuit, vt ad ſolidum triduum de rebus diuinis diſſerentem audire poſſet. Clauſis ianuis cum conuerſo Ciſtercienſi intra Eccleſiam peruenit. *Theodor. in vita eius.*

VIII. Fructus cultus B. Virg. primus. *Caſ. l. 7. c. 24.*

Clerici furore Albigẽſium adeo ſæuiente, de more terras hæreticorum peruadebant, & videntes templum deſolatum, quod Sabbathum eſſet ſacris operari die Dominã ſtatuunt. Sacris itaq; vaſis præparatis, ſacriſque paramentis vnus indutus ſacrificium pene Numini litarat, cum ecce irruentes Albigenſes hominem corripiunt, linguam radicitus exſecant. Quam beatiſſima virgo de nocte eidem digito ori impoſito reſtituit, voce in ſalutationem angelicam reſoluta gratiarum actiones dominæ ſoſpitatrici dependit. *Cæſarius.* His attexitur ex Trithemio cuiuſdam Adulberti villici mors, & reſuſcitatio, viri recti, Deumq; timentis in Mannendal prope Creutzennacum, quomodo viſis pœnis purgatorii infernique, ac cœleſtibus gaudiis ſpectatis pro cuiuſuis ordinis, dignitatis & ſtatus hominibus ſeptennem pœnitentiam aſcetarum more perfecerit. *Chron. Spanheim.*

Chron. Spanheim.

IX. Fructus cultus B. Virginis ſecundus. *Caſ. lib. 7. c. 19.*

Gualtherus de Birbach nobilis vir, ducis Henrici Louanienſis conſanguineus, Regibus principibuſq; chariſſimus ad haſtiludium properabat. Votiuum tamen ſacrum ſibi præcini de Domina iuſſit, ſocios vt eidem intereſſent exhortans. Quibus, vt fit, eius deuotionem deſpicatui habentibus, & pernicibus equis eo aduolantibus, ſubit multo poſt Waltherus D. Virginis cultor ardentiſſimus. Redeuntes ab Torneamento rogat quis palmaris ſit, ſecundo, tertioq; ei reſpondent. Waltherum de Birbach. Quare ſtupefactus, dein ad patrocinium Virginis ſe referens, illius benignitate id factũ cognouit. *Cæſarius.* Boloniæ quoque ad Oceanum meritis B. Mariæ Virginis matris plurima diuinitus patrantur miracula, & magno populi cõcurſu honoratur. *Iperius.* Rainaldus à domino Martino à domino ſuo Philippo rege, qui Idam Bolonienſem Comitiſſam ipſi dederat vxorem ditione ſua pulſus, & comitibus ſuis priuatus, primum ad Ottonem Eximperatorem, dein ad Ioannem Angliæ regem auunculum ſuum profugit, eoſque ad bellum Francis inferendum exciuit.

Iperius & Chron. And.

X. Marcantius in Ioanna.

Ioanna filia vnica Balduini I. Imperatoris Orientis hoc anno nubit Fernando Sanctii 2. Portugalliæ Regis eodem defuncti filio, intercedente inprimis Mathilde Philippi Flandriæ comitis vidua; Regnum vero Patris loco capeſſit Alfonſus natu maximus & huius nominis ſecundus. *Lege Marchantii Flandriam in Ioanna.*

IESV CHRISTI
Annus 1212.

INNOCENTII PAPÆ III. Annus 15. HENRICI IMPER. Annus 7.

I. Bellum in Albigenſes cõtinuatur. a *Flaminius in Vita S. Dominici.*

CRuceſignati Simone Montifortio[a] Comite Stratego atrox cum Albigenſibus bellum ducebant, Toloſano comite illis clam hacten⁹, at palam nunc auxilia ſubmittente, & Arragonum Rege validis copiis aſſiſtẽte, Dominicus rogatus, quando tandem finis miſeriarum adeſſet, præſagiit prophetæ in morem, Non adeo breui illum adfore, priuſquam ſanguinario cruentoque prœlio paratetur ab cruceſignatis victoria, & Regum vnus occumbetet. Quem non Gallum, ſed alium natione prædixit; & veritatem vaticinii ſequens annus exhibuit.

II. Crucis triumphus 200000. Sarac. cæſa. b *Lib. 15. ep. Innoc. epiſt. 114. & ſeq. Mariana lib. 11. loc. cit. Maldonatus. Alfonſi Caſtellæ Regis litera.*

Miramolinus Maurus rex Maroci & Carthaginis cũ innumerabili Saracenorum multitudine in Hiſpanias traiecerat, bellum Chriſtianis Regibus illaturus. At fœderati reges cum Alfonſo & cruceſignatis eualuerunt aduerſus barbaros, illorumque innumeris copiis diſſipatis fugatiſque ad ducenta Maurorum millia occiderunt. Rem miraculo tribuunt Hiſpani, & quia crux glorioſa in acie viſa ab omnibus triumphus Crucis dies hac victoria ſignatus & ſacer dicitur, cuius cornibus hoſti intẽtatis vicerunt. Scribit elegantiſſime totam pugnam Maldonatus victoriamque, quanquam Mariana ſuperiori anno inſerat. Certe ab illo tempore res Maurorum ſemper in peius in Hiſpania prolapſæ ſunt.

III. Angliæ rex exſoluitur Anathemate.

Ioannes Angliæ rex, idemque dominus Hiberniæ, dux Normanniæ & Aquitaniæ, comes Andegauenſis cum ab anathemate exſolui cuperet, in Angliam Innocẽtius Pan-

nglia & … Sedi … poſt vectigales.

duiphum, tunc Subdiaconum tit. SS. duodecim Apoſtolorum presbyterum Cardinalem miſit, qui ſupplici Regi faceret ſatis. Erat enim ex diffidentia rerum ſuarum in illas actus anguſtias. Fecit imperata Pontificis, & poſtulata Regis Pandulphus, non ante tamen, quam diadema capite detractum Legato traderet, & poſt quintum diem reciperet, reuocaret Epiſcopos patria extorres, Angliam, Hiberniamque Romanæ Eccleſiæ vectigales conſtitueret, eaſq; beneficiario iure ab Innocentio tertio ſuſciperet. Huius rei extant publicæ tabulæ, & archetypa in mole Adriani Romæ monumenta quorum exemplaria Ciacconius in hiſtoria Pontificum & Cardinalium recitat, in quibus regni donatio, Regis iuramentum, reſtitutio beneficiario iure, obligatio & prima ſolutio regis continentur. Ex Anglia auri marcas 700. ex Hibernia 400. in annuum cenſum ſoluturus.

IV. *Ioannis Angliæ regis indoles & vita qualis. MS. Vatica. … de … Anglie.*

De Ioannis turbulento ingenio, & immanibus aduerſus fidem, religionem, Iuſtitiam patratis facinoribus multi multa fideliter retulerunt, quaſi hæc ſecula nec ſuperiora iſthoc Rege crudeliorem, improbiorem impiumque magis tyrannum, in homines cœliteſq; magis iniuriũ blaſphemumq; non nouerunt, qui ruptis Chriſtianæ vitæ legibus, & limitibus Religionis orthodoxæ violatis ſeipſum, multaque animarum millia in præſentiſſimum ſalutis diſcrimen impudenter adduxit. A parricidio exorſus regnũ, occiſo Gaufredi ſenioris fratris filio Arthuro & ſorore eius perpetuæ damnata cuſtodiæ, omnium ſibi Principum ſubditorumque inuidiam indignationemque conflauit: Inprimis Philippi Galliæ Regis, qui ea propter illum omnibus tranſmarinis dominiis ampliſſimis præclaro exemplo deſtituit. Item Innocentii Pontificis, quod Stephanũ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem ab Pontifice electũ & confirmatum Archiepiſcopum Cantuarienſem nollet admittere, Nordouicenſem Epiſcopum ſuæ farinæ hominem intrudere moliretur. Vnde Eccleſia illa, cæteræque omnes bonis ſuis ſpoliatæ, Epiſcopi proſcripti, diuinaque officia eliminata. Legum diuinarum humanarumque ſanctitas paſſim proculcata. Quare ab fidelium cœtu per ſententiam identidem ſeiugatus, ab Principibus neglectus, ab Deo in reprobum ſenſum datus mille miſeriis obſidebatur. Ex quibus cum eluctari nequiret, hoc ſui contemptu & humilitate meruit conciliari Eccleſiæ, dummodo pro illatis damnis clero ſatiſdaret. Quod coram Pandulpho præſtitit, & coram Nicolao Tuſculano Epiſcopo poſt alteram Legato Apoſtolico pactis renouatis, iterauit. *M.S. Vatic.*

V. *Petrus Aragonum Rex repudiat coniugem Mariam. Bernardinus Gomeſius in vita Iacobi regis lib. 1.*

Petrus Aragonum Rex, vt multis aliis vitiis, ſic inprimis libidine diffluebat, & caſtiſſimæ ſuæ coniugi Mariæ Principis VVilhelmi Mompellerii filiæ repudii libellum dedit. Quæ lepido dolo maritum circumueniens viduæ cuiuſdam illicitis amoribus irretitum, (quam ſibi tradendam noctu ex ſubornatis cum coniuge, eiuſque agente pactis omnino crediderat) clã in tenebris caſtiſſime thorum conſcendit, concipitque Iacobum Aragonum Regẽ, luciq; dat. Quo facto, tantum abeſt vt puriore coniugem amore complecteretur, vt etiam repudium eius confeſtim perfecerit. Vnde illa Romã profecta, tam diu ibidem degere deliberate ſtatuerat, quoad cauſſam vtriuſque Deus iuſtus Iudex decideret. Innocentius Papa condemnarat Petrum Aragonem, filium Iacobum Comes Montfortius in ſuam clientelam ſuſceperat, quem pater ſordide & illiberaliter educandum ſuis commiſerat, vt ſpem regni certiſſimam ab conſanguineo Simone regaliter aleretur. At in propoſito obſtinatior Petrus tandem anno inſequenti in acie pro Comite Toloſano & Albigenſibus dimicans, Deo vindice, inglorius occubuit. *Sic Gomeſ.*

VI. *Summariũ geſtorum Innocentii. 1 Epiſt. 71. & ſeq. 3. Epiſt. 16. & 108. 4. Epiſt. 11. 5. Epiſt. 14.*

Eodem anno in Oriente Templarios & Teutonicos in Saracenos armat ſuis auxiliis. 2. captiuos liberari imperat. 3. Conuerſionem Gentilium & Pruthenorum in Septentrione Archiepiſc. Gneſnenſi & Ciſtercienſibus committit. 4. Patarenos & alios hæreticos Mediolanum inficientes expelli imperat ſub pœna anathematis & amiſſione ſuæ iuriſdictionis in Lombardiæ Epiſcopos. 5. VValdemarum inuaſorem Bremenſis Archiepiſcopatus aſſiſtẽte duce Saxoniæ, excludentem electum Oſnaburg. Epiſ. vicinis Epiſcopis anathemate feriendum Dominicis feſtiſq; diebus præſcribit. 6. Regem Philippum Galliæ ob læſos Antiſſidor. & Aurelianenſem Epiſcopos ab corpore myſtico præciderat, præciſus Rex veniam petit & obtinet. 7. Ab vrbibus, Albigenſibus extortis cenſum Romanæ Eccleſię debitum per Petrum Marcum Romanæ Eccleſiæ Subdiaconũ Cardinalem exigit: reliqui ſuum mitterent. Comes Montfortius cum Leuceſtriæ comite mille marcas argenti Sedi Apoſtolicæ ſpontanee, vt alii Romam deſtinarunt. 8. Pupillos cognatos defuncti Patriarchæ Antiocheni, aduerſus ſucceſſorem defendit, & negata præſtari iiſdem nõ vero detineri, Patriarchæ præſcribit. 9. Eccleſiam variis factionibus in Oriente turpatam, ab omnibus ſordibus emaculat. 10. Bochardum adminiſtratorem Flandriæ ab Auguſto Balduino relictum Subdiaconum, filiam Margaretham iuniorem contra leges miris artibus ducentem, tandem poſt fulmina miſſa in Concilio Lateranenſi in ordinem redegit, & clericali ſtatui, vnde per ſimulationẽ diſceſſerat, conſtantiſſime Innocentius, aggregauit. 11. Ottonis aſſeclas in Germania, Liguria, Neapolitano regno monuit, ſeuere, ne diris deuotũ hominẽ ſequerentur, & Moguntino & Magdeburgenſi Archiepiſcopis præcepit, ne infeſtari illos ſinerent, qui ab Ottone deſciuiſſent. *6. Epiſt. 15. & … 7. Epiſt. 11. & ſeq. 8 Epiſt. 114. 9. … 10. … Ferrd. lib. 1*

Azo Eſtenſis Marchio hoc anno obiit, filiis Azone 2. & Aldobrandino relictis.

VII. *Prandhea … Caro!. Sigon lib. 10. de re gno Italiæ.*

Gaufredum Nordouicenſem Archidiaconum ærario præfectum, libertatem Eccleſiaſticam aſſerentem, nec regi excommunicato communicare volẽtem, Ioannes Rex carcere, plumbeæ veſtis iniectũ & pondere, ac fame crudeliter enecuit. *MS. Vatic.* Cremonenſes beneficio ſuorum Patronorum ſanctorum martyrum Petri & Marcellini victoriam de Mediolanenſibus retulerunt, cum velut duo iuuenes albis equis, cum veſtitu candido inſidentes aciem Mediolanenſium perturbarunt. *Sic Sigonius.* Abbate Bonæ Vallis crucem prædicante in Eccleſia caſtri ſancti Marcelli, ingens crux in aere apparuit quæ verſus Toloſam peregre videbatur ab populo ante fores templi, ob Anguſtias loci conſiſtente. Ab abbate ipſo ordinis Ciſtercienſis ipſemet Petrus monachus audiuit. *Hiſt. Albig. c. 84.* Circa tria vel maxime ardua diſtinebatur Innocentius, videlicet vt Ottonem omnino deponeret, vt cruceſignatos in terram ſanctam numeroſos tranſmitteret, vt concilium generale ad conuellendas multiplices hæreſes cogeret. Quæ non ſine grauiſſimis difficultatibus ad faſtigium perduxit. *Vrſpergenſ.* *Crux in aere.*

IESV CHRISTI
Annus 1213.

INNOCENTII PAPÆ III. Annus 16. HENRICI IMP. Annus 8.

I. *Friderici pria legiã datum Eccleſiæ iuramentum & coronatio Regia. a Lib. 1 priu Rom. Tert.*

Fridericus toto conatu Imperium ab Innocentio & Germaniæ Principibus inuitatus, ambiens, nihil ad animos Electorum ſibi acclinandos tentabat. a Innocentium Romæ agens liberali indole conciliarat; Principes vero regiarum virtutum quibuſdam velut præludiis, maieſtatis Cæſareæ præſagiis occuparat, quorum conſilio poſtulatis Pontificiis ſe totum ſubmiſit, & tale diploma Romanæ Eccleſiæ tranſmiſit vnde priuilegia ſua confirmet, quibus hactenus gaui ſuiſſet. v.g quod nõn ipſe ſed capitula cotumq; maior & ſanior pars Prælatos Eccleſiarum canonice eligerẽt, ꝙ poſſeſſiones Pont. non turbaret, ſed defenderet, & præſertim Siciliam & attinentia feuda conſeruaret pro virili infidelitate Ro. Eccl. cogitaret, vt cum educatus eſſet, & quaſi ab vtero materno pientus in tutelam eius eſſet protectus & promotus tum ad Siciliæ regnum, tum Romanorum, &c. ſubſcripſerunt Ægræ vbi datum diploma Eccleſiaſtici & ſeculares Principes IV. Id. Iulii. Ante tamen in capella Caſtri Ægræ iuramentum fidelitatis ſolemne Eccleſiæ Rom. præſtiterat. *die eodem*

Indict. Quibus peractis extemplo Aquiſgranum accurrit, & ibidem de more diadema regni Romanorum accepit, quod Principes 3. Decembris ann. 1211. vnanimi conſenſu, p voluntate defuncti parentis Henrici Imp. ei detulerāt.

II. Cenſuræ Innocentii in diuerſos.

Si vnquam alias certe hoc anno Innocētius [b] Eccleſiaſticæ poteſtatis mucronem euibrauit. 1. Regi Cypri intrudenti inhabilem Epiſcopum Nicoſiæ, & Canonicis metu Regis id tolerantibus, illum inflixit. 2. Ducem Brabantiæ, Hildeſienſem Epiſcopum & Ligures Ottoni excōmunicato adhærentes cenſuris compeſcuit, & q. Brabantus Leodicenſis Epiſcopi bona vi incurſaret, & Ligures Alexandrini cenſum Romanæ Eccleſiæ, depēdere nollent, hæreticumq; ſibi Rectorem ſtatuiſſent ad ingrata remedia capeſſenda compulſus Honorius. 3. Archiepiſcopū Conſentinum in Calabria, criminis læſæ maieſtatis & ſimoniæ accuſatum ab officio ſuſpendit. 4. Auxitano Epiſcopo reo canonicam purgationem impoſuit, ſi nollet, dignitatem ponere cogeretur, aliumque Commiſſarii ſurrogarent. 5. Teruiſinus Epiſcopus cauſſam Romæ diceret, accuſatus 6. Iuramenti abuſum in Galliis graſſantem Archiepiſcopo Rhemenſi cenſuris corrigēdum, præſcripſit. 7. Regem Portugalliæ excommunicatum & pœnitentem & regnum interdicto ſubiectum ob iniurias ſororib. impactas nō ante exſoluit, quam obedientiam Sedi Apoſtolicæ præſtandam ſancte promiſiſſet. 8. Piſanum Epiſcopū ius in Marchionem Calarētanum ſibi indebite vendicantem cēſuris per Florentinum Epiſcopum intentatis deterruit. 9. Regem Arragonum ob repudium lectiſſimæ reginę Mariæ cenſuris impetiit, ni repudiatam reciperet, & ſoluendi annui cenſus ex priuilegio ab Vrbano II. Regibus Aragoniæ dato meminiſſet.

b 1. Lib. 15. ep. 123. & ſeq. 2. Lib. 16. ep. 150. 151. 152. 3. Epiſt. 163. 4. Epiſt. 137. 5. Epiſt. 136. 6. Epiſt. 135. 7. Epiſt. 150. 8. Epiſt. 165. 9. Ep. 126. & 127. & ep. 156.

III. Victoria Crucesignatorum de Albigenſibus, & occaſus Aragonii in acie.

Aragonium [c] hoc anno grauiores calamitates, immo mors ipſa Eccleſiæ Romanæ rebellem excepit. Comitem enim Toloſanum in clientelam ſuam vt conſanguineum & beneficiarium recipiens illum conſilio auxilioque cum Foxenſi, conuenarum aliiſque comitibus eius feudatariis fideliter iuuit & clam Albigenſium in ſe defenſionem ſuſcepit, occulta in Romanam Eccleſiam indignatione ferociens quod ob repudium coniugis ab fidelium ſacrorumque fuiſſet cōmunione ſummotus. Petebat ab Legatis terras Toloſano reſtitui, quas armata manu crucesignati occupaſſent, aliiſq; eius beneficiariis. Renuerunt Legati id facere, Legatoſq; ex ſuis vrbem mittentes Innocentii mētem ſuper Aragonii poſtulatis ſunt ſciſcitati; Aragonius nihil proficiens, hoſtem ſe declarat, & copiis ſuis Toloſatiū exercitui centum millium coniunctis Crucesignatos ad internecionem deſignat. Innocentius, & Comes Mōtfortius omnib. conciliandi hominis conditionibus in vnum collatis, incaſſum laborarunt. Quare Montfortius Crucesignatos ſub ſigna vocat, Epiſcopi crucem gerētes, & ſanctus Dominicus preces congeminant, equitatus octingentorū equitum duntaxat, educitur. Murellium oppidū quod Muretum alii vocant ad quod metati caſtra Aragonii & Toloſates conſederant, oppugnatur ab Albigenſib. quod noctu Montfortius cum decem milliū exercitu exiguo ingreſſus ſummo mane ſacrificio Miſſæ cum ſuis audito, benedictione Epiſcopali ab Toloſano Epiſcopo omnibus data, & peccatorum indulgentia propoſita gladiū ab altari ſuſtulit, obtulitque Deo bella eiuſdem pugnaturus. Equitatu itaque in tres turmas diuiſio in campū procedit peditatu in acie ad vrbem conſiſtente. Aragonius & Toloſanus non impigri in hoſtem eunt explicato triplici cornu. In ſecundo Aragonius dimicabat. Duæ turmæ irruentes aciem turbabant, certamen atrox & cruentum vtrimque miſcetur. Montfortius cum tertia turma ſuperueniens quaquauerſum ſtrages edit, & Aragonius ab ſecunda turma acerrime laceſſitus, conuulſuſque tandem fortiſſime pugnans, occiditur, regno filio quadrienni Alfonſo relicto, reliqui in fugam vertuntur & mucrone partim infidi fluminis vorticibus hauriuntur, vt viginti millia interfectorum numerarentur; è crucesignatis vix vnus aut alter obſcuri deſiderati. Et Comes ad exanimem & ſanguinantem Regem accurrens, equo deſilit; ſortem miſeratur, velut Dauid Saulem lachrymis obortis mœrens proſequitur iacentem, cum regio paludamento armiſque regiis exutum re, eriſſet. Ad extremum victoriam diuinitus partam Comes agnoſcens nudis pedibus Eccleſiam ingreditur, Deoque tantorum beneficiorum ergo gratias perſoluit, equo armiſque quibus in prælio vſus in pauperes diſtributis. *Petr. mon. Ciſtr. &c.*

c Petr. Mon. in hiſt. Alb. à cap. 121. ad 129. Ep. 145 & ſeq. & 149. & ſeq. Æmil. in Philippo 2. Mariana lib. 12. c. 1. 2. 3.

IV. Origo Roſarii, eiuſq; vſus, & quamobrē talis.

Hanc victoriam Scriptores vitæ ſancti Dominici roſario tribuunt. S. enim Dominicus B. Virginem queſtum adit, quamobrem tantis laboribus & prædicatione Verbi tam zeloſa pauci adeo Albigenſium reſipiſcerent. Reſpōdit, id myſteriorum meditatione, quæ vulgo gaudioſa, doloroſa, & glorioſa vocantur, & ad quindecim decades recitatione iterata ſalutationis angelicæ, perfectum iri, vnde coronæ & roſaria frequentari cœpta ab crucesignatis miraculoſe B. Mariæ Virginis vituperatores Albigenſes fuderunt. Vidit in acie Alanus Britannus, ex vulneribus ſaucius B. V. Mariam 150. in hoſtes ſe circumcingentes lapides iactare, eoſque humi affligere. Alter eques Antonius in vexillo roſarium elaboratum gerens ad hoſtes perterrefaciendos, ſuos animandos iis præiuit & cœlitus demitti ignitorum globorum grandinē in hoſtiles copias, alias telis confige, ſibi periclitanti Legionem adeſſe ignotam & propugnare vidit. Quæ miracula ſancto Roſarii inſtituto apud eoſdem patrata quærant Parthenii. Fuit autem inter errores hæreticorum ſpurciſſimorū & ille vt voce impuriſſima, innocentiſſimam Virginem meretricem Dei appellarent, eiuſque virginitatem probroſe traducerēt. Huic errori impudentiſſimo Virginis illibatæ cultum in Roſario vir Dei oppoſuit, quo hæreſin eorum extirpari, vitam emendari, orthodoxæ fidei veritatem reuocari, & Deiparæ reuerentia poſtliminio reſtitui ipſamet Virgo Dominico in viſione apparens, multis demonſtrarat. Quare eius iuſſu ſanctus ardentiſſimum Roſarii præconem egit, ſuiq; ordinis ſectatores ad idem præſtandū ex ordinatione Virginei fundatoris ſui & ſanctiſſimæ matris obligauit, tanto cum fructu vt innumerabiles hæreſibus eiuratis, virtutum regiam viam tenerent, vide virtute Roſarii impœnitētem hæreticum & à quindecennio incōfeſſum, turpitudinem vitiorum ſtatuſque ſui buſonum viperarumque ſpecie vidiſſe, & retractaſſe vitam noxiam. Alios victorias ab hoſte indubias virtute roſarii reportare, dæmones eiicere, &c. Audiant hæc nouatores, & intelligant, & cum orthodoxis totos ſeſe cultui B. Mariæ virginis deuoueant.

Scriptores vitæ S. Dominici. Ioan. Martinus Valen. 1. p. c. 5. Iordanus, Conſtantinus Humbertus, Theodoricus, &c. Flamminius.

V. Varia geſta Innocentii.

Epiſcopus Ecilienſis in Liuonia multos Gentilium cōuertebat, cum ſacris militibus Scribebat omnibus Chriſti fidelibus, vt eiſdem laborantibus auxilia miniſtrarent. 2. In orientem Pelagium Epiſcopum Albanenſem, qui res Patriarchæ Conſtantinopolitani curaret, miſit. vnionem vtriuſque Eccleſiæ promoueret. in terræ ſanctæ ſubſidium Hungariæ regem, ducemque Venetum inuitaret. 3. Pax optatiſſima inter Galliæ & Angliæ reges coaluit, Epiſcopi clericiq; reſtituti, quæ literis tabuliſq; publicis conſignata auctoritate Apoſtolica roborata ſunt. 4. Anconitanos coercēdos Marchioni Eſtenſi tradidit, & cenſum exegit. 5. in Sicilia Panormitanæ Eccleſiæ antiſtitem præfecit. 6. Concilium generale indicere cogitauit, datis ad oēs tam Eccleſiaſticos quam ſæculares principes litteris, quibus neceſſitatem Concilii generalis exponeret. Nam quod morum Chriſtianorum integritas defeciſſet, quod hæreſum venenum longe lateque inualeſceret, quod terra ſancta ab Saracenis vix recuperabilis inſideretur, Hieroſolyma capta, & paucis diſcordibus Chriſtianis Aconem, & in Syriæ anguſtias redactis, ſuo iure id exigebant: *Exemplar vide in Conditore Annalium, argumentis ſane ac rationibus efficaciſſimis inſtructum.* Conſolans interim Hieroſolymitanum & Alexandrinū Patriarchas præ cæteris afflictiſſimos & pro grege Dominico miſerrime ab lupis Saracenicis dilacerato ſollicitiſſimos, breui diuinitus ab barbarorū inſultib. liberandos. Biennio aūt ante celebrationē Concilium indixit.

Epiſt. 60. & ſeq. 2 Epiſt. 118. & ſeq. & ep. 128. & 150 & 124. 3 Epiſt. 154. ſeq. 4. Ep. 158 & 164. 5. Epiſt. 154. 6. Epiſt. 140.

Concilium generale conuocatur

Vrſpergen. Chron.

VI. Hoſtiæ ſacra miraculo conuerſi Iudæi.

Iudæi plerique miraculo hoſtiæ conſecratæ conuerſi, quum famula Iſaaci Hebræi ex Chriſtiana Iudæa facta, domum ſudario inuolutam in heri gratiam & myſteriorum deſpicientiam blaſphema detulerat in Paſchate. Quam acceptam, duabus pyxidibus vna vacua, altera 7. pecuniariis libris

riis libris

riis libris Pariſ. repleta productis, dum limen quis pulſat caſu in pecuniariam pyxidem proiectat & rediens omnẽ pecuniam reperit in hoſtias commutatam. Attonitus huiuſmodi miraculo Iudaiſmum cum ſuis eiurat, Romam abit, & ab Innocentio Senonenſi Archiepiſcopo commẽdatur. Ros melleus cadens cœlitus circa Ioan. Baptiſtæ, ab multis guſtari lambique meruit. Cremonenſes & Papienſes vincunt ipſos Mediolanenſes Ottonis ſequaces contra Innocentii mandatum quod aduerſus illos in Pentecoſtali feſto non vererentur præliari, cuius dilationem ob feſti reuerentiam Cremonenſes petiuiſſent. Papienſes obſeſſi obſidentes excurſione facta fugarunt fuderuntq; Puniti ob hæreſes varias, quarum ſeſe patronos gerebant.

ſerd. in Inne. Innoc. li.19. 5.

VII. S. Stephanus & Maria de OEgnies. *ar. 7 Sept.*

Ad ſuperos hoc anno die 7. Septembr. ſanctitatis & religionis alis S. Stephanus ex Carthuſiano Epiſcop⁹ Dienſis in Gallia Tranſalpina euolauit, miraculis in vita obituque clarus. Inter virgines quoque exemplar ſingulare totius perfectionis B. Maria de OEgnies, hoc anno vitam cũ meliore commutauit, abſtinentia, ieiuniis, vigiliis, humicubiis, prophetico ſpiritu, & ſanitatum ac viſionum gratia ad Chriſtiani orbis miraculum prædita. Ætatis anno 36. in agone S. Petrum Apoſtolum & frequentes Angelorum phalangas cõſpexit, & glorioſum Halleluia decantãs, quieuit in Domino.

VIII. *Cynthius de Ferrarienſ. & Arreſiano principibus.*

Aldobrandinus Atteſtinus Princeps deuictis acie Celanis comitibus, diris deuotis ab Pontifice ob occupatũ tyrannice Picenum, ab iiſdem veneno per ſubornatum Sicarium perimitur qui colore familiaritatis aulicum mẽtiens, cum Piceni Marchio iure fiduciario ab Innocentio fuiſſet inſtitutus.

IX. Alcantaræ militum initium.

Alcantara ab fœderatis Hiſpaniarum Regibus & Mauris eripitur ad Tagi ripam, quæ Calatrauæ militibus dono ceſſit. Hoc Alcantaræ militibus initium fuit. Cucullum & rubrã faſciam qua longo tempore diſtingui cõſueuerunt Benedicto XIII. qui ſe Pontificem dixit cõſentiente, cruce viridi anno 1411. mutarunt, cũ Calatrauę milites, quibus olim ſubditi fuerunt, nunc vix contributi rubræ crucis figura in candida veſte vtantur. *Marian. l. 11. c. 25.*

IESV CHRISTI
Annus 1214.

INNOCENTII PAPÆ III. Annus 17. — HENRICI IMPER. Annus 9.

I. Iacobus Petri filius fit Rex Aragonum. *a Hier. Gomes l. 2. vit. Iacobi.*

ARagones amiſſo Rege ſuo morte ingloria, non parum angebantur ob filium ab comite Montfortio in tutelam familiamque educationis ergo, patre conſentiente, ſuſceptum. Quare miſſi Optimatum regni duo, qui Innocentium, matremq; Romæ degentem de morte Petri regis infeliciſſima, de regni orbitate, de filio Iacobo quadrienni in regnũ remittendo docerent. In Senatũ purpuratorũ admiſſi, Legationem explicarunt, id reſponſi ferentes ab Innoc. quod exoptarant Petro cum Beneuentano Diacono Card. ſerio cõmiſit, puerum Iacobũ comitis Montfortii manib. ſubducere, & regno reducere. Qui cõmiſſione ſententia peracta Regem cum renunciarunt, ſolennique ritu, atque cæremoniis muniuit. *Gomeſ*

II. [illegible] Innocen[illegible] *l. 16. ep. 157.* [illegible] *de Trajamp*

Hungari quidam in Archiepiſcopum Colocenſem & eius clericos iniurii, tum illum, tum clericos damnis multis verberibuſq; mulctantes Innocentius voluit vibrato anathemate per Strigõ. Archiepiſcopũ emendari.[c] Quinqueecleſienſem Epiſcopum inceſtus cum nepte apud regem delatum, examinandum tradidit Cenadienſi Epiſcopo & Abbati Deciquorum, vbi intellexiſſet à viris fide dignis tali illum culpa vacare, Regem forſan malignis delationibus occupatum, probatæ conuerſationis teſtimonio non ita moueri. Quare caute & prudenter rei ſtatum indagarent.[d] Perinde cum Biſontino Archiepiſcopo proceſſit multorum criminum accuſato.[e] Vindicat etiam Patriarcham Conſtantinopolitanum ab Henrico Imperatore, ei inferiorem locum ſiniſtrorſum ad pedes in Eccleſia aſſignante, cũ in ſacris parem locum cum Impp. more maiorũ obtinuerint. Imperator monit⁹ inſolentia ſuam mitigauit.

d Epiſt. 155. *e e [illegible] Barsionticiss ad [illegible] ibid.*

III. Balduinus frater Comit. Toloſani ſuſpenditur ab fratre. *f Hiſt. Albig. c. 1. 2. & ſeq.*

Legatus Petrus diaconus Cardinalis in Galliis collapſam morũ Eccleſiaſticorum integritatem reſtituit apud cuiuſuis ordinis & dignitatis homines, & clerum reformat. Montfortius hanc legandi redintegratione vſus, & Concilii Montiſpeſſulani auctoritate fretus, in Agranenſi, Lemouicenſi, Cadarcenſi & Petracorienſi prouinciis multa munita caſtra recipit. Toloſanus comes fratri Balduino ex Albigenſi facto orthodoxo, & fideliſſimo auitę religionis propugnatori inſidias & mortem ſtruit. Captũ feria 2. poſt 40. ex infelicis nucis arbore intercluſis faucibus, Cain immaniſſimus, abominabili exemplo ſuſpẽdit. Et nihilominus, quæ Eccleſiæ benignitas, rebus per Albigenſes in ea turbulentiſſimis, ob maius bonum, cum tyrannus ſupplex relaxationem humilitatis & obedientiæ promiſſis coloratam petiuiſſet & fideiuſſionem caſtrorũ traditione præſtitiſſet, vſque ad indicti Concilii tempus accepit. Toloſates quoque exſolutionem cenſurarum humiliter ambientes, eadem poteſtate liberauit, 26. obſidibus, & iuramentis acceptis, ne recidiuam hæreticæ contagionis iterarent. *Hiſt. Albig.*

Comes Toloſanus, & Toloſani ciues anathemate eximuntur.

IV. VVilhelmus Rex Scotiæ moritur. *Hect. Boeth. lib. 13 hiſt. Scotor.*

In Scotia Wilhelmus Rex ſeptuaginta quatuor annorum diem clauſit extremum Sterlingi, vir gubernãdi prudentia, vitæque ſanctitate clariſſimus, vtpote qui in viuis miracula patrabat. Succeſſit filius Alexander, à præclaris ſanctionibus regnum auſpicatus, incorruptos iudices vrbi cuilibet, & regno dedit, qui virtutis opinione celebres eſſent. & Legatos Romam ad obedientiam Sedi Apoſtolicæ conteſtandam protinus miſit.

V. S Dominicus venit ad comitem Montifortium. *Hiſt. Albig. c. 157. Hu vixit in Cimo.* Alfonſus rex Caſtellæ moritur. *Marian. lib. 12. c. 1.*

S. Dominicus cum aliquot Legatis & cruceſignatis Biterras & Montempeſſulanum veniens, adeo ſeſe in familiaritatẽ Simonis Comitis inſinuit, vt nuptias filii ſui Aymerici cum filia Delphini Viennenſis benedictione ſua cœleſtique optauerit, poſtulaueritque cumulari. Filiam itẽ Amiciam baptiſmo tingi, quæ poſtmodum religionẽ profeſſa Pariſiis apud S. Antonium pientiſſime vitam trãſmiſit. Alfonſus Caſtellæ Rex hoc ipſo anno, qui eſt æra 1252. obiit prid. Non. Octob. cum annos 57. vixiſſet, regnaſſet vero annos 53. ſucceſſit Henricus Alphonſi filius primogenitus. Eius filia Blanca connubio iuncta eſt, Ludouico Regis Frãciæ Philippi Auguſti filio: altera data eſt regi Legionẽſi, tertia Arragonio: quarta Dionyſio regi Luſitaniæ.

VI. Otto Imp. ab Philippo Gallorum rege vincitur. *Æmilius in Philippo.*

Otto Imperator pro recuperando Imperio extrema quæque experiri & vno prælio decernere de ſumma rerũ cogitat. Collecto itaque florentiſſimo 150000. capitum peditatu & numeroſiſſimo equitatu ſcripto ad Tornacũ in ſtatiuis hæret. Adhærebant illi Anglus Flandriæ comes, Reginaldus Boloniæ Comes, Salebrienſis & alii. Philippus Gallus apud Bouinas caſtra metatus ſub Fraxino dormitabat, Expergefacto dixerunt ſui, aut pugnam aut fugam capeſſendas. Ille extemplo ædem D. Petro ſacram ingrediens Numinis aſſiſtentiam exorat, egrediensque ore pectoreque animoſis exclamat. Tam facile Deo ſaluare in paucis quam in multis, feliciter, ſocii, pugnabimus aduerſus hoſtem iudicio ſacræ Eccleſiæ damnatum. Acie vtrimque inſtructa ad 27. Iulii infeſtis armis concurritur, & victoria penes Philippum ſtetit. Salebrienſis capitur cum triginta ordinum ductoribus, item Flandrię comes & Reginaldus Boloniæ, qui ſibi in prædam Galliæ aſſignarat regnum, quod carceribus permutauit Peronum abductus. Flander Lutetiam, alii alio traducti. Otto fugam init relecta Aquila. Ludouicus filius Regis Galliarum arcem Monœci obſidione liberauit, ex Pictonibus item Ioannẽ Anglum in totũ expulit. Hinc aliqui Pontificio legato cõmeante vltro citroq; pacem vel potius quinquennes inducias inter Gallum & Anglum factas tradunt. Parta diuinitus victoria, vti Philippus ipſemet fatebatur, liberalis in Eccleſiam & Sacerdotes fuit, Diuæ Virgini prope Siluanectum victrici templum ex fundamentis poſuit. Proceres eius queritabantur ſuper profuſione iſta & donatiuis, quod iura regia bonaque imminutũ iret. Reſpondit ſe nõ poſſe aliter, cum tot tantaque Dei in ſe ſint beneficia, vt Sacerdotibus templiſque nihil denegare iure poſſit ex iis re-

bus, quas diuina potius, quam humana ope integras florê teque ac victrices haberet.

VII. Frideric. II. vrbes rebelles Imperii capit.

Fridericus Romanorum Rex hac infelici Ottonis fortuna non incongrue vſus vrbes Imperii rebelles occupat, & ad veniam petendam Ottonem in extremis anguſtiis conſtitutum impellit. Nec deeſt eidem Innocentius, qui principes Ottonis ſtudioſos anathemate ferit, & inter illos Theodoricum Archiepiſcopum Colonienſem, vti ex Hirſaugienſi Chronico colligere poſſumus, & Annal. Colon. ſic enim habent.

VIII. Excommunicatur Theodoricus Colonienſis Archiepiſcopus, quod Ottoni excommunicato adhæreret, & deponitur.

Theodoricus Archiepiſcopus Colonienſis cõtra mandatum Summi Pontificis depoſito Imperatori Ottoni adhæſit, arcemque trans Bonnam dictam Godesberg, ædificauit: vti etiam Conradus de Dieffholtz Epiſcopus Mindenſis caſtrum Reinenberg hoc eodem anno extruxit ea intentione, vt ambo ſecuriores eſſe poſſent, ab certamine duorum iſtorum Regum, quum Epiſcopus Monaſterienſis, hoc ipſo anno captus fuiſſet, & nihilominus anno 1214. ex præfatis cauſis, atq; ex mandato Summi Pontificis per Archiepiſcopum Moguntinẽſem Syfridum, Archiepiſcopus Colonienſis Theodoricus, cum Colonienſibus, ciuibus excommunicatus fuit; & per Eccleſias promulgata excommunicatione Archiepiſcopus depoſitus. Cum vero excommunicatio iſthæc annum integrum, & quinq; mẽſes duraſſet, ex præcepto Pontificis Theodoricus Archiepiſc. Treuirenſis, vna cum Duce Brabantiæ Coloniam ſe contulerunt, eoq; ciues adduxere, vt ipſi ſeſe regi Friderico ſubmiſerint. Deinde eos ab excommunicatione abſoluit, & 4. Auguſti, anno 1215. in Baſilica D. Petri ſummum ſacrum celebrauit; quo die Fridericus Rex ad ciuitatem appulit, atq; à ciuibus honorifice exceptus fuit. Nauclerus aũt in locum depoſiti Archiepiſcopi omniũ ſuffragio ſuffectum dicit Engelbertum comitem de Berg Adolphi fratrem, qui idem Adolphus paulo ante, videlicet in vigilia S. Iacobi eiuſdem anni Werd obſidione cinxerat, ceperat, captiuumque Epiſcopum Monaſterienſem Ottonem à captiuitate liberauerat. *Tritbem. in Chron. Hirſaug. Annal. Colon. & antiq. monum.*

IESV CHRISTI
Annus 1215.

INNOCENTII PAPÆ III. Annus 18. — HENRICI IMP. OR. Annus 9.10.

I. Celebratio Concilii Lateranenſis a Vrſperg.

CONcilium hoc anno celebratum [a] Romæ in Lateranenſi Baſilica omnium fere quæ vnquam extitere excellentiſſimum, præſidente ipſomet Domno Apoſtolico. Patriarcharum, duo Conſtantinopolitanus & Hieroſolymitanus affuere, Antiocheno ab ægritudine decumbente, Alexandrino propter Ægyptiorum latrocinia periculaq; non audente, in oratoribus tamen ſuis & Legatis viris ſanctis ſuam functionem ſuſtinentibus, Epiſcoporum 402. numerabantur, Archiepiſcoporum 70. Abbatum Priorũque 800. Oratores Friderici Regis Romanorum, & Henrici Imperatoris Orientis. Denique Legati Regum omnium, Principumq; Catholicorum Regis Hieroſolymorum, Franciæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Bohemiæ, Daniæ, Cypri, &c. Innocentius duas bene longas at diſertiſſimas orationes præmiſit, quibus neceſſitates Eccleſię complexus oẽs Prælatos & Principes officii ſui commonefecit, tum in fidei ſymbolo ſtabiliendo, tum in damnandis hæreticis & ſchiſmaticis ad vnionem Eccleſiaſticam reducendis, tum in Saracenis è terra ſancta profligandis, tum in Eccleſiaſtica diſciplina reformanda.

Et primum quidem ex concordi Patrum conſenſu perplures de fide Catholica articulos definiuit de Sacramentis baptiſmi, pœnitentiæ & Euchariſtię, vbi & vocabulum Tranſſubſtantiationis approbatum eſt. Hæreticus tractatus quoque Ioachimi Abbatis aduerſus Magiſtrum ſententiarum ſcriptus, non Trinitatem ſed quaternitatẽm in Deo ex ſcriptis Magiſtri ſtatuentis, damnatur, vt & errores fanatici Almerici, quos libet his annumerare.

a Tractol. in Almerico. Almerici dogmata à Concilio damnãtur.

Fuit [a] Almericus natione Gallus, patria Carnotenſis, Lutetię Pariſiorum impietatis Doctor. Inter væſanos mẽtis eius errores recenſentur præcipui qui ſequuntur.

1. *Dicebat Corpus Chriſti non non aliter eſſe in pane altaris, quam in alio pane, & in qualibet alia re, tranſſubſtantiationem denegans.*

2. *Deum ſic locutum fuiſſe in Ouidio, ſicut in Auguſtino.*

3. *Negabat præterea reſurrectionem corporum, paradiſum ſimiliter & infernum, ſed qui in ſe Dei cogitationem haberet, illum habere quoque in ſe paradiſum. Qui contra peccatum mortale haberet, eumdem infernum habere ſe, non aliter quam dentem putridum in ore.*

4. *Altaria Sanctis dicata & imagines thurificare, ſanctorumque inuocationes, idololatriam eſſe aſſerebat.*

5. *Non ſolum cum Armenis Adam & Euam numquam carnali copula iungendos ſi in ſtatu illo in quo Deus illos condidit permanſiſſent; verum etiam ſexuum differentiam nullam, ſed hominum multiplicationem æque atque Angelorum futuram affirmabat; contra illud quod in Geneſi ſcribitur: Creauit Dominus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam; ad imaginem Dei creauit illum, maſculum & fœminam creauit illos.*

6. *Aſſerebat rurſus Deum non videri in ſe, ſed in creaturis, ſicut lumen in aere.*

7. *Item illud quod alias eſt peccatum mortale, factum in charitate, non eſſe peccatum, impunitatem peccatorum promittens.*

8. *Affirmabat deniq; ideas quæ ſunt in mente diuina, & creare & creari poſſe: cum contra, teſte Auguſtino, in mente diuina, nil niſi æternum & incommutabile ſit.*

9. *Somniabat quoque mentem contemplatiui vel beati perdere ſuum eſſe in proprio genere, & redire in illud eſſe ideale, quod habuit in mente diuina.*

10. *Docebat deinde, omnes creaturas in fine in Deum redire, & in ipſum conuerti, vt ſint vnum indiuiduum cum ipſo. Vnde per conſequentiam, in reſurrectione duplicem fore ſexum negabat.*

Hæc & plura alia inſana cum inſaniret, multoſque ſequacium errore ſuo imbueret, ab Epiſcoporum & Theologorum Pariſienſium concilio conuictus, ex mærore animi interiit. Multi eius complices Senatuſconſulto damnati, & coram vniuerſo populo exauthorati, deinde flammis exuſti, eorumque cineres per ſterquilinium diſperſi ſunt. Tradunt autem, quod cum illi ad ſupplicium ducerentur, tanta oborta ſit aeris inclementia & intemperies, vt nemo dubitaret, quin ab eis aer fuiſſet concitatus, à quibus tantus terror morientibus fuerat perſuaſus. Nam dicuntur tunc tam obſtinata mente fuiſſe, vt non ſolum ad interrogata nullum darent reſponſum, ſed nec in eis in ipſo mortis articulo vllum pœnitentiæ aut ſanæ mentis & reſipiſcẽtiæ perpendi potuiſſe indicium. Almaricus à Generali Cõcilio Laterani ea potiſſimum de cauſa celebrato; hæreſeos damnatus & anathemati ſubiectus, poſtea iuſſu Philippi Gallorum Regis exhumatus, exuſtuſque eſt.

Græcorum ſuperbiam faſtum in Oriente, in altaribus, quibus Latini ſacrificaſſent ſacrificare præ odio renuentium, ni præmiſſa ablutione, repreſſit, vti & illam ſacrilegam petulantiam quod ab Latinis baptizatos infantes rebaptizare præſumerent. Dignitatem præeminentiæ ſic inter quatuor Patriarchas Orientis definiit vt primum locũ Conſtantinopolitanus, ſecundum Alexandrinus tertium Antiochenus, quartum Hieroſolymitanus ſortirẽtur. Poſt de diſſidiis Principum tollendis actum, & præclari articuli de Reformatione Cleri concepti, quem ad continentiæ ſobrietatiſque leges, pene fluxiore vita peſſundatas, reuocauit. Synodus deniq; Montiſpeſſulana prouincialis 18. Epiſcoporũ ab Legato Apoſtolico in cauſſa Raymundi comitis & Albigenſium celebrata, confirmata eſt ab Concilio generali, vbi Albigenſiũ hæreſis damnata, & Comiti Mõtifortio in præmium memorabiliũ operũ comitatus Toloſanus donatus eſt. Qui illico ſe beneficiarium Philippi Regis profeſſus, ei ſe iuramento fidelitatis obſtrinxit, & oſculo vtrimq; delibato. Biterras reuerſus ab ſubditis idẽ iuramentũ exegit. Eandem etiam Ludouicus Princeps do-

nationem Comiti Simoni factam Comitatus Toloſani & Albienſis prouinciæ approbauit. Hæc de Concilio, quod extat. 4. tomo Conciliorum. Huic Concilio ſumma cum laude interfuit Rodericus Ximenius Archiepiſcopus Toloſanus, cuius extant de rebus Hiſpaniæ & Arabum gente hiſtoriæ non omnino inelegãtes. *Mariana*. Celebris Chronographus Conradus Liechtenauius Abbas creatur in Vrſperga ordinis Præmonſtratenſis, quod ſitum eſt Auguſtam inter & Vlmam, vti ſe teſtatur in Chronico.

Genebrar. in 1. Cor. lib. 1. Conc. c. 3. 2. p. 2.

Mirum illud eſt exercitum puerorum hoc anno, incertum quib. auctoribus, inſtructum fuiſſe, qui infelici zelo crucib. ſeſe ſignauere ad viginti millia, quaſi per eiuſmodi militem liberare terram ſanctam ab barbaris ſtatuiſſet Deus. Vbi vero ad mare penetrarunt plerique demerſi, plerique venditi Saracenis *Naucler*.

Nauclerus gener. 41.

Raymundus Comes in Hiſpaniis agens intellecto Montifortium ſuarum terrarum habenas tractandas ſuſcipiſſe, muros vrbium deiici, expleri foſſas, ſtipendium ab omnibus etiam Albigenſibus contra eoſdem extorqueri imperaſſe, exinde progrediens ad ſuos pernicioſiſſime aduolauit, manuq; Saracenorum valida armatus ſuorũ multos ſub ſigna cogit, & in ciuitates ſuas receptus quoſcunque Pontifices & Sacerdotes ab Simone reſtitutos reperit, eoſdem maiore impietate expulit. Innocentius Philippum Regem & Simonem comitem ad debellandũ relapſum Toloſanum exſtimulat & hæreticos exſcindendos.

Æmil. in Philippo.

II. S. Dominicus ordinis ſui confirmationem petit ab Innocentio. *Flaminius in vita Domin.* Origo quatuor Ordinum Mendicantium.

Opportune ſanctus Dominicus Lateranenſis Concilii celebratione vſus, illius inprimis ſatagere propoſuit, quo pacto confirmationem ſui inſtituti ordiniſque noui impetraret. Fulconi igitur Toloſano Epiſcopo adhæſit, eiuſque auctoritate gratiaque nixus perfectum iri ſperabat, præſertim vbi adeo ſtrenue in Albigenſibus confutandis illo teſte operam poſuiſſet. Fuit durior Innocentius, tum quod Albigenſium, Almerici, Abbatis Ioachimi inſaniæ ab factioſis quibuſdam acceptatæ graſſarẽtur, tum etiam quod plerique viri boni aliqualem ſocietatem iniiſſent, eandemque confirmationem ambirent, vti S. Franciſcus cum ſociis vndecim ordinum Minorum, & quidam ex monte Carmelo Carmelitarum, denique à D. Auguſtino alii Auguſtinianorum nomen præferentes. Probare nimirũ num à Deo ſpiritus Dominici eſſet Pontifex prudenter voluit. Didicit vero Deo ſecundum quietem magiſtro, quod Lateranenſem Baſilicam lapſabundam Dominicus cum ſociis ſuſtentaret Ex quo ſtudioſior Dominici ſociorumque eſſe cœpit, hortatuſque vt ad ſuos rediret Toloſam, paruit pergeretque porro adeo prædicationi inſiſtere. Itaq; Toloſam rediit & ſedecim congregatis Fratrum Prædicatorum nomen indidit ex inſcriptione quam litteris ad Dominicum ſocioſque datis Innocentius præfixerat. Vidit etiam Profeſſor quidam celebratiſſimus, Flaminio narrante, cum pulpito ante docendum dormitabundus incubaret, ſeptem ſtellas dono datas, quas eſſe S. Dominicũ cum ſociis expergefactus notauit, tam luminoſas vt totum terrarum orbem colluſtrarent. S. Franciſcus eundem obicẽ ſibi poni perſenſit ab Innocentio, præſertim cum quibuſdam Cardinalibus, eius ſociorumq; rigoroſa paupertas ſupra humanas vires eſſe putarentur, quod Franciſcus nuptiis Regis cum paupercula Virgine dotanda vtriq; ab ſponſo eluſit. Miraculis rem experti, cũ egentes & extrema fame conflictatos illum & contribules diuinitus per hominem ignotum & extemplo euaneſcentem pauit. Vnde votum factum, nullam tam pertinacem inediam fore, quam non amore nudiſſimæ paupertatis amplecti vellent. Illo Pſalmographi oraculo inprimis nixi. Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet. *Surius*.

Sur. 4. Octob.

III. Hæretici varii combuſti. *Coron. Hirſaug.*

Hoc eodem anno ignis ſæuiit inprimis per Germaniã, Franciam, Italiam in aliquot occultos hæreticos. 80. Argentinæ combuſti, quos indicio ferri candentis F. Conradus Marpurgenſis Ord. Præd. Apoſt. Inquiſitor flammis addicebat. Rei ſi vſti, non rei ſi illæſi. Toloſæ prædicante Dominico quidam igni tradebantur, ex iis vnum ſibi ſeruari iuſſit Dominicus. Dicens ei dimiſſo: *Fili mi, ſcio quod adhuc licet tarde bonus homo eris & ſanctus.* Factus poſtmodũ ordinis Prædd. quem ad finem vitæ etiam conſtantiſſime tenuit. Ex ordinatione Innocentii III. primus inquiſitor hæreticæ prauitatis factus eſt Apoſtolicæ Sedis auctoritate ſubnixus. Vnde quos reſipiſcentes inueniſſet abſolueret, quos obſtinatos damnaret, vti Theodoricus narrat. Quare formula in reconciliandis hæreticis vtebatur certiſſima, variis grauioris pœnitentiæ operibus inſtructa, quam in remedium animæ pœnitens vſurpabat.

Vexillum crucifixi imagine illuſtratum ſemper aduerſus Albigenſes gerebat Montfortius, cuius haſtile hoſtiũ miſſilibus perforabatur ſæpiſſime, illæſo inter nimbos ſagittarum manente labaro. Hoc obarmatus D. Dominicus in media acie inermis conſtitit, nec vulnerari potuit, tametſi telis hoſtilibus inſtar niuium peteretur.

Sumpſit etiam hoc anno initium ordo ſancti Pauli in Hungaria auctore Euſebio Strigonienſi primum Baptholomæo Quinqueeccleſienſi Epiſcopo, dein anno milleſimo ducenteſimo octuageſimo tertio, Paulo Veſprinenſi Epiſcopo: poſt vero anno milleſimo trecenteſimo octauo Gentile Montflorio Cardinale & apud Hungaros Apoſtolico Legato probantibus. Idem porro Legat⁹ ipſis Regulam ſancti Auguſtini præſcripſit; demũ Ioannes vigeſimus ſecundus totum vitæ inſtitutum confirmauit, & Nicolaus quintus rotundã ſancti Stephani Baſilicam in mõte Cœlio iiſdem attribuit: ad quod monaſterium hodie nõ niſi Hungari fere admittuntur. *Moreſus Onuphrius.*

Moreſus Iorig. mon. Miraus.

Peſtis in Hannonia & Tungris ope beatæ Virginis Mariæ ab iis omnibus depulſa, qui peregrinationem ex voto ad ædiculam beatæ Matri ſacram nuncupaſſent. Seruati in ipſo oppido pene omnes, qui impenſius B. V. M. auxilium implorauſſent. *Carol. Stengel in Alex.*

IESV CHRISTI
Annus 1216.

INNOCENTII PAPÆ III. Annus 19. — HENRICI IMP. OR. Annus 11.

HOc anno inexorabile fatum, vt vates ait, de multorum magnatum capitibus cenſuit, multamque lamentationem luctuoſam exciuit. Proceres Angliæ ab Ioanne Rege deſciuerant, quod alienata ab Eccleſiis bona reddere Sacerdotibus niteretur, tam ea quæ per tyrannidem in illam vſque horam obtinuerat, quam quæ pretio æſtimata, valore definito penſare per iuſiurandum ſpopõderat. Itaque Ludouicum Principem aduocarunt, regnũque odio Ioannis detulerũt. Venit Ludoicus tametſi Philippus Pater induciis pactis ſe prohiberi diceret, & Londinum cepit, aliaſque ſubditorum vrbes, vnde Rex paſſim ſalutabatur. Ioannes ſeu mœrore animi, ſiue ſera Numinis vindicta morbo corripitur, & 19. Octobris fatis conceſſit. Henricus eius filius animos Optimatum ſibi conciliarat, vt magis ipſi quam Ludoico adhæreret, qui violato iureiurando Ludoico dato, leuiuſculi, & magna pecuniæ vi data, ad Henricum tertium decennem mutata mente vertebãtur. Belliſtitium Anglum inter Gallumque multorum annorum excepit.

I. Ioannes Angliæ rex moritur. *Æmil. in Philippo. Polyd. Matth. Paris. Tillius.*

Wilhelmum Scotiæ Regem hoc anno defunctum alii tenent, nos ſuperiore anno poſuimus. In Hiſpaniis Henricus Rex Caſtellæ caſu interiit, & in eius locum ex Berengaria ſorore nepos ſucceſſit, Ferdinandus III. filius Regis Legionenſis, Sanctus dictus, qui regna Caſtellæ & Legionis coniunxit. Henricus Græcorum Auguſtus Balduini frater hoc anno ad plures iuit ſuffecto eius genero Petro Altiſſiodorenſium comite ab Theodoro Laſcari per fraudem paulo poſt trucidato. *Æmil. Niceph. Greg.*

Roderic. Mariana l. 12. c. 6. & 7.

II. Innoc. III moritur.

Romanum quoque Pontificem Innocentium Tertiũ immatura morte die decimaſexta Iulii defunctum, Catholica Eccleſia luxit. Diſceſſerat ab vrbe vt Piſanos cum Genuenſibus maritimis, & Ciſalpinos inter ſe terreſtribus præliis decertantes in concordiam redigeret. Peruſium æſtiuis menſibus delatus, morboque correptus fatis

Digitized by Google

Summariū operum Innocent.

conceſſit, ibidem in Cathedrali ſancti Laurentii ſepultus, dignus plane qui propter vitæ innocentiam, & Pontificatus integerrimam adminiſtrationem, inter ſanctos Pontifices referatur. Duas domos hoſpitales in vrbe, alteram ad captiuos redimendos, alteram ad ægrotos, egenteſque ſiue domeſticos ſiue peregrinos recipiēdos recreandoſque ædificauit ditauitq; : Apſidem Baſilicæ S. Petri, & locum ſepulturæ illius exornauit: Eccleſiis omnibus vrbanis calices argenteos & alia ornamenta donauit: Baſilicam Lateranenſem donariis & redditibus locupletauit: labem ſimoniacam & venalitatem exterminauit: Vrbem annona laborantem frumento ex Sicilia comparato ſubleuauit: pauperibus publice & priuatim calamitoſis, pluſquā octo millibus eleemoſynas miniſtrauit: mendicorum 12. ſingulis diebus ſabbati pedes lauit. Iuſſa & immunitates Eccleſiæ, à potentia Imperatorum Regum & Principum vindicauit: Ne magna capita impune peccarent, authoritatem Pontificiam adhibuit: Francorum, Angliæ, Portugaliæ, Cypri, Siciliæque Reges, tum deinde Orientis & Occidentis Imperatores publice redarguit: hæreticos, ſchiſmaticos, & alios errones ad vnitatem fidei, Eccleſiæ, & veritatis qua verbo, qua ferro reducere conatus eſt: Cōſtantinopolitanam Eccleſiam Romanæ ſedi feliciter vniuit: in ſubſidium Terræ Sanctæ maxima ſubſidia virorum, armorum & pecuniarum miſit: Eccleſias totius Orbis Sāctis inſtitutionibus informauit: ac tandem Sanctorum collegio ſeſe factis aſſeruit: cum Pontificatum geſſiſſet annos XVIII. menſes VI. dies IX.

Anonym. in compilat. Cronologica.

Illud diuini Iudicii argumentum ingens. Peregrinabatur quidam Abbas Ciſtercienſis, & dum laſſus in prato quodam meridiaretur, hanc viſionem conſpexit prope Peruſium. Vidit in Prato ſedentem in ſolio ſublimi Dominum choris Angelorum ſeptum ad orientem. Ab occidente vidit hominem nudum currentem celerrime ad Iudicem, clamanteq; *Miſerere mihi miſero miſericordiſſime Deus.* Veſtigia currentis Draco magnus premebat, deglutire præeuntem volens clamansque *Iuſte iudica, iuſtiſſime Iudex.* Quo dicto euigilans Abbas, finem iudicii non accepit. Peruſium veniens compulſationes æramentorum luctumq; mærentium audit voceſque. Heu Papa Innocentius defunctus eſt.

Matt. VVeſt. in Flor. Hiſtor.

Imago ſaluatoris quam Veronicę nominant mortis Innocentii præſaga infauſto omine fuit. Proceſſione ſolemni Romæ habita, in qua illa populo de more oſtentaretur ipſe Pontifex loco ordinario reuerenter depoſuit, & mane inuenta eſt inuerſa, fronte deorſum, barba ſurſum diſpoſitis. Stupefactus oſtenſo iſto Innocentius collectam in honorem D. Veronicæ religioſe compoſuit. *Matth. Pariſius.*

III. Innoc III. ſuccedit Honorius III.

Iuſtus Innocentio perſolutis, decem & nouem præſentes Cardinales rebus Aſiaticis & Italicis periclitantibus quantocyus ſuccurrere cupientes, ad XV. Kal. Auguſt. in Comitiū deſcenderunt, & Sancti Spiritus implorata gratia, Pontificatum Centio Cardinali detulerunt. Fuit is patria Romanus, patre Haymerico, gente Sabella natus, à teneris annis monaſterio Lateranenſi oblatus, & in eo Canonicorū regularium inſtitutum profeſſus, atq; propter eruditionem pietatemq; primū à Cæleſtino III. inter Diaconos, deinde ab Innocētio III. Pontifex Max. inter presbyteros Cardinales relatus. Nono Kalend. Auguſti inſignia Pontificatus & nomē Honorii Tertii aſſumpſit, Romamque reuertens publica omnium gratulatione ſalutatus, primum ad fidei dogmata ab hæreticis vindicanda, animum adiecit.

Epiſt. 149.

S. Dominicus totus erat in obtinenda ordinis ſui confirmatione. Quare rediens in vrbem Honorium adit, vt ſuis poſtulatis reſpondeat. Fecit Pontifex, duobus datis diplomatis, cum ſua, & Cardinalium omnium præſentiū ſubſcriptione. Hoc primario fine iiſdem propoſito, vt aduerſus Albigēſes ad excidium vſq; inuicti Eccleſiæ Athletę dimicarent & vti veri Prædicatores euangelizarent. Initio facto Toloſæ vbi primarii Albigenſium coryphæi degebant.

Teſtatur Flaminius in vita Patriarchæ Dominici, cum hanc viſionem in ſolatium inſtituti ſui & ordinis in Baſilica D. Petri accepiſſe. Vidit Dei filium ab Patris dextera ſurgentem, iraque exundantem trina iacula ſeu lanceas vibrare in genus humanum tribus capitalibus vitiis obnoxium voluiſſe, & Matrem Dei, duobus ei famulis ſuis oſtenſis Dominico ac Franciſco viæ filialis procellam tranquillaſſe. Illis quippe Mundum reuocatum iri ſperabat. Quamobrem altero die obuium Franciſcum complexus, antea nunquam viſum exclamat. *Stemus ſimul & nemo aduerſariorum præualebit.* memorabile Patriarchæ oraculum, poſteris in primis conſectandum. Alias ibidem oranti Principes Apoſtolorum Petrus & Paulus apparentes ille baculum, hic librum apertum porrigebant, addendo. *Vade & prædica, hoc enim tibi miniſterium à Deo demandatum eſt.* Et ecce tibi duos ſuæ familiæ fratres anteeuntes videt, diuerſis mundi gentibus Euangelium prædicare. Omni namque armatura fortium accincti, Eccleſiam erudītiſſimi milites defendendam ſuſceperunt.

Flamin. in vita Domin.

Vſperg. in Chron.

Hieronymus Platus religioſorum magiſter excellentiſſimus ex Bonauentura refert, S Franciſcum ad ſuſtinendā baſilicām Lateranenſem, perinde ac Dominicum, ruituram accuriſſe Innocentio 3. ſecundum quietem ſpectatore. Dimiſſas ad regulam condendam eſt, hoc oſtento. Inedia affligebantur eius commilitones ſecum, nec alimentū ſuppetebat, quam paucularum micarum, quas per digitos deciduas in hoſtiam compingere iubebatur, quam ſuis fratrib. porrigens à pleriſq; reiici, ab aliis acceptari vidit. Illos lepra deformarat, hos non læſerat. Micæ conſilia Euangelica notabant, hoſtia regulam, lepra malitiam. Mōtem igitur ad inſtar Moſis conſcendens regulam condidit quadragintadiali ieiunio adhibito. Quibuſdam fratrib. illum adeuntibus regulæq; ſeueritatem nimiam incuſantibus illa vox cælitus inſonuit. *Franciſce nihil tuum in hac regula, tota mea eſt, eamque totam ſeruari volo ad litteram. Ego noui quid hominis vires ferant, quidve ego auxilii ei atque opis collaturus ſim.*

Platus de bono ſtat. religioſi lib. 1. c. 35. ex S. Bonauentura.

IV. Peregrinus Hieroſolymitanus præ nimio amore mortuus. *Thomas Cantiprat. lib. 1 c. 25.*

Plurimis, quod tanto numero Crucesſignati in Palæſtinam irent, eodem voti ſoluendi cauſſā concurrentibus, & vnus fuit ex oppido Dinantheo Leodienſis Diœceſis omnia loca veſtigiis Redemptoris calcata ſacrataque obiens, tandem ad Caluariæ montem pertigit, ſeſeque ſingulari deuotionis affectu & lacrymis loca in quibus natus, conuerſatuſque, in quibus, doctrinam ſparſerat, & ad aſſerendam deitatem miracula patrarat proſecutum fuiſſe dixit; hunc vero paſſionis locum æquo animo tolerare non poſſe, vbi tam atrocia pro genere humano ſupplicia exhauſiſſet. Et amoris ictu diuini ſaucius, animam poſuit. *Thomas &c.*

Alii ad locum Aſcenſionis dominicæ acceſſiſſe & dixiſſe tradunt. In omnibus te locis quæſiui, miſericordiſſime Domine, nec inueni. Hic quoque te inuenire non poſſum, vbi metam tuæ conuerſationis ſtatuiſti cæloſque inuaſiſti. Quare pro immenſa tua Clementia, hic & meæ peregrinationis finem ſtatue, & cęlo inſere. Nec mora ruptis vitalibus cordis venis anima ad Deum iuit.

V. Vltio blaſphemi viatorij diuinitus facta. *Cæſarius lib. 2. c. 7.*

Hæc diuinæ miſericordiæ indicia manifeſta extitere, hoc vindictæ in blaſphemum impœnitentem horribili exemplum. Prædicantibus contra Saracenos crucem Magiſtris Ioanne Xantenſi, Scholaſtico, & Oliuerio Colonienſi ſignatus & molitor qui ſignaturam illam in Traiectenſi diſtrictu quinque marcis redemit & Spiritui Sancto mentitus dixit ſe plus dare non poſſe.

Inſuper exprobrauit aliis leuitatem, iſtam profectionē cum vitæ & fortunarum diſpendio trans mare meditantibus, ſe pari mercede, impari impenſa parem mercedem relaturum.

At Diabolus hominem ab grauibus blaſphemiis ſpumantem duobus nigris inſidens ad Tartara viuum decipit, & reſtitutum poſt triduum, iam deſperatum & impœnitentem, nequidquam vxore ac Parocho diuinum miſericordiam inclamantib. & corpore exſolutum æternis ſuppliciis horrendum, immergit. *Cæſarius.*

Hoc quod ſequitur, ob pœnitentiæ ſalutaris pharmacum, melius. Fæmina illicito nefandoq; ſui filii amore de-

mentata

lib. 2 cap. 11. Caſ.

mentata, ex eo conceptam prolem luci dederat. Sceleris immani tortura lacerata identidem ab Sathana verſuram fauciũ metuebat. Innocẽtio, Romam iens, ſupplicat, ſupplicantem audit, pænitentem abſoluit, ſic tamen vt illo amictu ſe palam ſiſteret, quo ad filium acceſſiſſet. Quæ rubore depoſito maluit confundi & in camiſia, lacrymis vberrimis tincta accurrit; iubeturq; dimiſſo peccato atque exigua ſatisfactione facta, abire. Cardinalis quidam ſuper ſatisfactione iſthac murmurãs, vtpote longe incæſtui impari, à Diabolo corripitur (cum ſyncerilſimam pænitentiã inceſtuoſa fœmina exſoluiſſet,) & nõ niſi oratione præſentium liberatur. Ab maledicentia Principis populi, Chriſtique Vicarii quemlibet abſterrens. *Idem qui ſupra.*

VI. De translatione Imaginis S. Veronicæ.

Anteambulum & mortis Pontificiæ præſagium prodigium multam ſuppeditaret materiam de cultu illo religioſiſſimo imaginis illius ſanctiſſimę diuerſorum Pontificum & Impp. dicendi, ni conditor annalium adeo enucleate ab anno 705. in hæc vſq; tempora illum delineaſſet; tamen ne S.D.N. Pauli Papæ V. elogia prætereantur, quæ exinde copioſiſſima emanarunt, libuit eius verbis pietatem religioſiſſimi Pontificis percenſere, ſub quo cum lancea Domini & capite D. Andreæ tranſlata eſt.

VII. Quæ tempore Pauli V. circa Veronicæ imaginem patrata ſint.

Paulus V. Pontif. Maxim. feliciter ſuperſtes, eandem Veronicam, in nouam D. Petri Baſilicam iuſſit transferri, quę ordine & tempore infra ſcripto translata eſt.

Die 21 Anno Domini M. DC. VI. feria tertia maioris hebdomadæ, hora noctis tertia.

Abſoluto opere ſuggeſti, in nouo templo S. Petri, pretioſis politiſq; marmoribus, ornato ad dexteram paraſtatam maioris altaris eiuſdem Principis Apoſtolorum, ſub maximo tholo, vnde populo celeberrima S. Saluatoris noſtri imago, quæ Veronicæ dicitur, atq; lancea qua latus ei' patuit, publice oſtendantur, Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus D.D. Euangeliſta Pallottus Cardinalis Conſentinus dictæ Baſilicæ Archipresbyter, nolens Chriſtianum populum his diebus ad has reliquias inuiſendas in maxima multitudine, confluentem ſpirituali carere ſolatio, accelerato opere & ad finem perducto, ſtatuit dicta feria tertia Sanctæ hebdomadis reliquias præfatas, ac S. Andreæ Apoſtoli caput, ex Archiuo Baſilicæ in dictum ſuggeſtum & locum transferre. Igitur die Lunę 20. Martii M.DC.VI. idem Illuſtriſſimus Cardinalis poſt celebratam Miſſam in Sacrario, benedixit capſam cypreſſinam ſericis pannis veſtitam pro recondendis ipſis reliquiis. Deinde ſe contulit ad locum & ſuggeſtum prefatum, ſimiliterq; benedixit, & aqua benedicta aſperſit. Die vero ſequenti 21. Martii, feria tertia eiuſdem Sanctæ hebdomadis M.DC.VI. deiecta macerie, & aperto oſtio cubiculi Archiui, hora noctis ſecunda, accerſitus fuit Illuſtriſſimus Card. Archipresbyter, qui vna cum aulicis ſuis, Canonicis infra ſcriptis, à Reuerendiſſimis Dominis Metello Bichio Senenſ. Soanæ Epiſcopo, nunc S.R.E. Cardinali Archipiſcopo Senenſ. F. Angelo Roccha Epiſcopo Tagaſten. Sacrarii Apoſtolici Præfecto, aliiſque nobilibus, ex ſuo Archipresbyterali palatio ſito in atrio dictæ Baſilicæ ſe contulit ad Archiuum prædictum, ibidemque præſentibus ſupra nominatis Reuerendiſſimis Epiſcopis, atque canonicis eiuſdem Baſilicæ, ſcilicet RR. DD. Paulo Bizono, Pomponio de Magiſtris, Franciſco, Aloyſio Cittadino, Alexandro Scotto, Tiberio Ricciardello, Antonio Maria Aldobrandino, Comite Octauio Eſtenſe, Taxono Præceptore Hoſpitalis S. Spir. in Saxia, Ioanne Baptiſta Bandino, Germanico Fidele, & Paride Pallotto: Cardin. indutus ſuo quotidiano habitu, accepit ſtolam, & dixit Orationem, *Auſer à nobis*, &c. deinde fuit aperta capſa ferrea tribus clauibus: & poſtea dixit alius orationes pro vultu Sancto & lancea, vt in libro: & pro capite S. Andreæ, *Maieſtatem* &c. Inde RR. DD. Canonici, ſcil. Paulus Bizonus accepit vultum Sanctum, Pomponius de Magiſtris lanceam, & Comes Octauius Eſtenſ. caput S. Andreæ Apoſtoli, induti ſtolis ſupra roccheltum & ſuperpellicium: & quilibet ipſorum comitatus à duobus canonicis, deſcenderũt ex Archiuo, ſub vmbellam: prius caput S. Andreæ, deinde lancea, poſtea ſudarium, & præcedente Cruce cum duobus candelabris, quam ſequebantur muſici cantantes Motetum: *O bone Ieſu*; incedebant Clerici beneficiati, poſtea Beneficiati, deinde Canonici, omnes accenſos cereos geſtantes, tum duo alia candelabra, & thuribulum vnum thurificans ſanctas reliquias: inde reliquiæ ſub vmbella modo ſupraſcripto. Poſt vmbellam Illuſtriſſimus D. Cardinalis Archipresbyter, & dicti Reuerendiſſimi Epiſcopi, cum multitudine populi copioſa. Hi omnes proceſſionaliter incedentes, intrarunt baſilicam veterem, & per nauem S. Andreæ, in Templum nouum. Vt autem venerunt ad primam portam æneam, ad ciborium ducentem, ingreſſi ſunt tantum, Illuſtriſſimus Cardinalis Archipresbyter, Canonici cum reliquiis, Magiſter Ceremoniarum, Manſionarius, & ego Notarius infraſcriptus, & nullus alius. Tum canonici oſtenderunt populo vt moris eſt, S. Andreæ caput, lanceam & S. ſudarium, quibus oſtenſis, aptauerunt eaſdem reliquias in ſua feneſtra, & loco ad hoc fabrefacto, Illuſtriſſimus Cardinalis ter illic incenſum obtulit, & orationes præſcriptas dixit, feneſtram clauſit, deſcenditque ſcalam cochlidem, & portam æneam concluſit. Claues autem omnes dedit R. D. Paulo Bizono maiori Sacriſtæ, præter vnam, quam ex antiquo more penes ſe retinet ſummus Pontifex. His peractis, in nomine Domini receſſerunt. Super quibus &c. Actum in memorato Archiuo, & in dicta Baſilica reſpectiue, ſub anno, menſe, & die quibus ſupra; præſentibus in archiuo præfato & translatione huiuſmodi Illuſtribus admodum ac Reuerend. DD. Metello Bicchio Senenſ. Soanæ Epiſcopo, F. Angelo Roccha Camerte Auguſtiniano ſacri Palatii Apoſtolici Sacrarii Præfecto, necnon Excellentiſſimis Dominis Friderico Cæſio Duce Aquæ Spartæ, Ioanne Angelo ab Altaemps, Duce Gallefii, & R. D. Andrea Nannio Cortonenſ. Clerico Beneficiato. In ciborio autem Templi Noui, RR. DD. Andrea Amico de Mantorio Clerico Beneficiato ac Ceremoniarum Magiſtro, & Nicolao Spadaccio, & Domino Balthaſare Fauella Romanis Manſionariis dictæ Baſilicæ teſtibus, &c. rogatis.

Porro anno Domini M. DC. XII. in Vigilia Sanctæ Andreæ Apostoli, caput eiuſdem Sancti fuit repoſitum in ciborio ſeu ſuggeſtu facto in proxima magna paraſtata, ad læuam maioris Altaris ſub maxima teſtitudine, quod Ego Iacobus Grimaldus Notarius Publicus de præmiſſis rogatus in fidem manu propria ſubſcripſi & ſignaui.

VIII. Quomodo Romam Sudarium D. Veronicæ venerit, & quæ per id miracula facta.

Ita eſt, Ego Iacobus Grimaldus manu propria.

Quod vero Veronicam attinet, vetus habet traditio, quia ea fuit religioſa fœmina Hieroſolymitana, quæ eo tempore, quo Chriſtus Saluator noſter ad patibulum ducebatur, lineum capitis ſui velum ei ad faciem tergendam cruore ex ſacro capite ſpinis coronato defluente porrexit: cui diuini vultus illius imago diuinitus impreſſa remanſit. Iſtud porro velum, ſacro Redemptoris vultu inſigne, Romam detuliſſe, eoque Tiberium Auguſtum difficili morbo laborantem ſanaſſe, & poſtea illud ad S. Clementis Papæ manus perueniſſe, & apud ſucceſſores Clementis, in maximo honore: à Conſtantino vero Imperatore, in Baſilica D. Petri collocatum, in veneratione apud fideles ſemper fuiſſe conſtans fama eſt: *Methodio, Sigiberto, Mariano Scoto, Conſtantino Porphyrogenito in oratione apud Lippomanum Tomo 6. Iacobo Philippo Bergomate, Polydoro Virgilio, Mutio Iuſtinopolitano, Petro Galleſio. Daniele Mollonio, Viguerio, Chriſtiano Adriaconio, Matthæo Spenbergem, & præſertim Eccleſia Ambroſiana, in officio Diuino, in lectionibus*, vt fertur, *à D. Ambroſio ſcriptis aſſeuerante.*

Hoc tempore floruerunt Stephan' tituli Sancti Adriani & Decius tituli Sancti Apollonii in monte Auentino Vrſini Cardinales Romani, quemadmodum affirmat *Iacobus Correllus, in eo quem ſcripſit de Cardinalibus libro.*

IESV CHRISTI
Annus 1217.

HONORII III. Annus 1. — PETRI IMP. Orientis 1.

I.
Lib. 1. Epiſt. Honor. III. p 1. & 15. & 19.

Æmilius in Philippo.

Anno 1.16. Kal. Febr.

17. kal. Februarii. 11. Kal. Maii.

Cromer li. 7. & ann. 1. Honorii III. 3. Idus Febr.

2. Kal. Febr. & 7. Id Febr. Id. Aprilis. Non. Martii.

15 Kalend. Febr.

Ibidem.

HOnorius III. Vt inſulas tiaramque ſumpſerat, vigil in Eccleſiam regendam incubuit. I. Fridericum Regem Romanorum de ſua aſſumptione certiorauit & Siciliam reſtitui voluit, ne imperialis iuris eſſe putaretur, quæ Eccleſiaſtici fuiſſet ſemper: recuſauitque filium eius Henricum Regem ſalutare ob præiudicium: ſed Legato ſuo totam regendam illam diſponendamque transdidit 2. In Baſilica S. Laurentii extrà muros Romanos Petrum Comitem Atiſiodorenſem, Franci Regis conſanguineum & Iolantem eius coniugem Auguſtam ſalutauit Orientis & coronauit cum Iolante coniuge, & ne coronationem illam indigne ferret Manuel Patriarcha, vtpote cui deberetur litteris ſignificat. 3. Henricum decennem Angliæ Regem, & pupillum, Legatis in Angliam miſſis & regnũ ipſum in clientelam admittit, ſubditos ad obedientiam extimulat, Scotię Regem Patronum pupilli conſtituit, qui illum opprimere potuiſſet, & Lodoicũ Galliæ Regis primogenitum ab inchoato in Anglum bellum reuocat, iure ſuo apud Apoſtolicam non armis ſed rationibus depoſito, quæſitoque, quod ad Angliæ regnum ſe habere iudicaret. 4. Pacta conuenta duos inter Vladislaos Ottonis filiũ Ephœbum, & Laſeonogum ſeu Sputatorem tutorem illius Ducem Caliſſiæ cum per ſuos ille Baliſſiam quoque arcem occupaſſet & ſubditi ſeſe dediſſent, auctoritate Apoſtolica confirmauit, & Archiepiſcopo Gneſnenſi in cõtumacem cenſurarum ſtricturam commiſit. 5. Vt diſcordiam inter Danum Regem VValdemarum & Fridericum II. Regem meliori concordia permutatum, & conſenſu Principum Imperii pariter approbauit. 6. Iacobum Aragonium, ab turbatore Philippo quoad Dominium Mõtiſpeſſulani metu cenſurarum aſſeruit. 7. Crucesignatorum copias in Orientem impetratis Venetorum nauibus tranſmiſit. Regem Noruegiæ regnumque in protectionem ſedis Apoſtolicæ ob cruceſignatos in Syriam deſtinatos accepit. 8. Nepotem Ottocari Regis prætextu aſſumptæ Cracis caſtra oppidaque eius inuadentem & inſidentem ad accuſationem Regis per Pragenſem & Olomacenſem Epiſcopos emendari gladii ſpiritalis diſtrictu iuſſit. 9. Sardiniæ Piſanos infeſtatores explicata veritate Dominii ab incæpto dehortatur per Legatum. 10. Mediolanenſes & Placentinos, itemque Vrbem ipſam, illos anathemate, hanc interdicto percuſſit, quod Cremonenſium multos cæpiſſent, incarceraſſent, ciuitatem Cremonenſem euaſtaſſent. 11. Religionem Carmelitarum regulam B. Alberti Patriarchæ amplexam, confirmat. D. Mater in noctis ſilentio Honorium multa luce colluſtrata acceſſerat, dicens. *Non eſt aduerſandum iis his, dum iubeo; nec diſſimulandum dum promoueo.* Oſtenſis duobus Palatinis religionis illius impatientibus, grauiter punitis. Intellexit Honorius, diplóma dedit, & ordinem approbauit. Claret ex ordine illo B. Simon, miræ ſanctitatis, & prophetes.

11. Taleny-dorus lib. 1. Antiq. Carmelit.

Falcaſius in Anglia Princeps villam S. Albani depeculatus, diuinitus per S. Albanum Martyrem punitur.

Matth. Pariſ. Weſtmonaſterienſis in Flor. Hiſt. an. 127.

Quare ad pænitentiam reuocatus Eccleſiam Albani nudus pedes & corpore inueſti petit, & ab Abbate & religioſis monaſtica diſciplina cæſim verberatur, multis cum lacrymis veniam exorans. Matthæus &c.

Liber ſordini. Pruſsia.

Milites Teutonici ordinis primam aduerſus idololatriam expeditionem Pruſſiam ſuſceperunt, & domitos armorum vi Pruſſos paulatim ad ſalutarem Chriſti doctrinam adduxerunt, vti quoque Matthæi Oliſiponenſis Epiſcopi virtute induſtriaque in Luſitania caſtrum cui *Alcaſari Salis* nomen eſt, cum magna Maurorum ſtrage captum fuit. Templarii, hoſpitalariique multum in eo bello iuuerunt; ſed præcipua laus claſſi ex Anglia, Belgio, Galliaque reliqua appulſæ in ea littora debetur, eorum qui Innocentii III. Papæ opera, quaſi ſigno in Lateranenſi Concilio à Patribus dato ad bellum ſacrum inſtaurandum emenſo Oceano & mediterraneo mari in Syriam nauigabant. *Mariana.*

II.
Paupertatis amor SS. Dominici & Franciſci Bonauentura in vita eius.

SS. Dominicus Franciſcuſque ordines inchoatos propagabant. Ille ad opus literis Honorii; hic vero CHRISTI apparentis monitis accenduntur. Dolebat rigore regularum Franciſcus multos redire ad vomitum, Chriſtus ſe Rectorem illius familiæ eſſe & ſuperiorem dicit, & ſi vnus abeat tres ſuffecturum, & nunquam licet tres duntaxat eſſent familiam illam deſerturum. Alias 5. millia fratrum confluxerant nec erant alimenta, & ſanctus ſeſe iſtis pſalmi verbis ſolabatur, Iacta cogitatum tuum in Dominum & ipſe te enutriet. Continuo ex vicinis pagis homines iumentaque edulia ſupellectiliaque copioſe detulerunt. D. Dominicum vacuæ menſæ cum fratribus accubantem Duo iuuenes ſpecioſiſſimi, niueis panibus pauerunt, Paupertatem Franciſcus ſuam Dominam, maximumque theſaurum appellitabat.

Flamin. in vita.

Ad eam ordini in perpetuum impetrandam orationem frequentat, extaſique ſurſum aliquot cupitis ſuſtollitur.

Duo fratrum eius peregrinantes totum diem inedia confecerant. Quidam ſub veſperum panes duos eis porrexit, hanc pænam inflictam ideo conteſtans, quod verſiculum pſalmi non memoraſſent. Ita & alii ex D. Dominici familia miraculoſe paſti ſunt, vbi prius Angelus peregrini habitu ſpectabilis diffidentiæ eos arguiſſet.

IESV CHRISTI
Annus 1218.

HONORII III. Annus 2. — PETRI IMP. Orientis 2.

I.
Epiſt. 739.

CHriſtiani paſſim infeliciter pugnabant armis, orationis præſidia Honorius amplectitur, & ſupplicationib. publicis indictis à Lateranenſi Baſilica, vſque ad S. Mariæ maioris nudis pedibus, & prælatis in Proceſſione SS. Petri & Pauli Apoſtolorum capitibus ipſemet Pontifex cum vniuerſo populo itabat. Petrus Orientis Imp. coronatus ab Honorio domum rediit.

Æmilius in Philippo Onuph. Blondus.

Dyrrachium inuaſerat Theodorus Laſcaris AntiCæſar, extorquere hoſti tendebat Petrus. Quare obſidione cingit arctiſſima. Græcus fide Græca ſpecieque colloquii & ineundæ pacis Petrum ad ſe euocat.

Paret ille, accubat cum tyranno, fucantur verba, menſque in dolos abit. Abſumptis epulis ſublatiſque comprehenditur, vincitur & miſerabili cæde perimitur.

Cuius loco Ioanna vxor eius imperat. Andreas Rex Hungariæ vbi ſe Iordanis aquis perluiſſet quaſi voti nuncupati religione ſeſe iſthoc modo exemiſſet, & iam ſpes foret, præclari quidquam aduerſus Saracenos agendi Legato Pontificis Columna Card. inprimis Andream hortãte, Ptolomaidem copias Cruceſignatorum reduxit, retroque abiit. Magiſtri trium Ordinum militarium ſibi non deſunt cum Ioanne Brenno Hieroſolymorum Rege, caſtrumque Cæſaream inter & Caiapham promontorium occupant, muniuntque, quod diu caſtrum peregrinorum dictum fuit, terra marique illis per quam vtile.

II.
Cadit obſidens Toloſam Comes Montifortius.
Vinc. Bellou. li. 30. c. 75. Hiſtor. Albi. cap. 145. anno 2. Idib. Ianuar.

Cecidit hoc anno inuictus heros, & bellator fortiſſimus Simon Montifortius 25. Iunii poſt nonum obſidionis menſem, qua Toloſam vrbem Albigenſium omnium ſentinam preſſerat, magno Orthodoxorum mærore ictu ſaxi ex mœnibus deiecti frontem lethaliter percuſſus. Cuius occaſum in Spiritu S. Dominicus præuiderat. Ab Aymerico filio præſente obſidio ſoluta eſt, corpuſque demortui, rite Chriſtiana parentatione peracta, Carcaſſonæ ſepultum eſt. Finit hic hiſtoria Albigenſium Auctore Petro monacho Sarnienſi Ord. Ciſtercien-

ſis. Hinc Honorius ſcribit Legato ſuo tituli San. Martini presbytero Cardinali vt pacem inter Henricum Angliæ & Ludouicum Galliæ Principes impetraret. Philippo Regi laborantibus Cruceſignatis aduerſus Albigenſes & pugnantibus, ſubſidium impetrat. Iacobo Aragonum Regi ne perduellibus Toloſanis aſſiſtat; immo ne faueat, recepter aut receptatores toleret; interdicit; ab terris Apoſtolicæ ſedi acquiſitis ibidem manum abſtineat. Legatus inducias ad Paſchæ feſtum imperat; quæ vtroque Principe conſentiente ab Honorio confirmantur, vti & ad concordiam Hiſpaniæ Reges, eodem hortatore, vnanimiter aduerſus Barbaros & Saracenos pugnaturi compelluntur per Alſonſum Legionenſem. Pacta Regum ſuo decreto Honorius roborat. Ottocarum ab Andrea Pragenſi Epiſcopo apud Honorium Romæ accuſatum, propter immunitatem Eccleſiaſticam & libertatem violatas, Clericos violente habitos, iura Eccleſiarum proculcata, arguit, illique *per litteras* purganti Romam tranſmitti Procuratores ad cauſſam dicendam imperat. In protectionem quoque ſedis Apoſtolicæ hos ſequentes recepit. Ladislaum Poloniæ ducem & Eccleſiam Caliſſienſem; Alphonſum Portugalliæ Regem ſedis Apoſtolicæ Cenſuarium; Teraſiam Sancii Portugalliæ Regis filiam. Iſabellam viduam Ioannis Angliæ, & Berengariam quondam Reginam Angliæ: quam quoque ab iniuriis Henrici Angli vindicat, per Cenſuras ab Legato Gualla Card. infligendas. Artifices muſiui operis peritos, vt D. Pauli Baſilicam exornarent ab Duce Venetorum petiit. D. Guilielmum Bituricenſem Epiſcopum Diuorum numero inſeruit. In die Cænę Domini hæc Epiſcopis facienda præſcripſit, vt illo die anniuerſario Chriſma conficerent, pænitentes Publicanos Eccleſiæ reconciliarent, pedes pauperum abluerent, ablutis eleemoſynas erogarent.

2 Kal Febr.

In Cod. Columnenſ. Biblioth. Vaticana.

10. Kal. Iang.
3. Non. Nou.
3 Id Ian.
11 Kal Febr.
2 Id. April.
Ep. 864.
Ep 255.
Ep. 769.

III. Bononiam Prædicatores veniunt. *Carol. Sigon. l. 2.*

S. Dominicus Bononiam ordinis ſui Coloniam deducit, miſſis eo tribus fratribus, Ioanne Bertrando, Chriſtiano, quis Reginaldus quoque acceſſit, & mira ibidem præſtitit. Denique ipſe Sanct. Dominicus cum Petro Veronenſi, poſtmodum Martyre, & Ioanne Vicentino eodem commeantes morum corruptelam ſuſtulerunt, & opera miſericordiæ tam ſpiritualia quam corporalia exercuerunt mirabili exemplo. vti eſt illud quod totam Ciuitatem ad proceſſionem nudis pedibus faciendam pertraxerit Ioannes. Illud portentoſum Campanulam in Cænobio Amorenſi ſonantem ſponte ſua, vbi quiſpiam Fratrum moriturus erat, omnes ad pænitentiam ſuſcipiendam excitaſſe.

Anton. Senenſis in Chronico Ord Prædd.

IV. S. Franciſci Socii, Sanctitate Clari. *Petr. Rodolp. Thoſſinian. Hiſto. Franc. l. 1.*

Ex D. Franciſci familia floret B. Bernardus à Quinta valle ex primis eius ſodalibus. Qui vbi ad lautam D. Franciſcum vocaſſet cænam, eodemque ſecum cubili cubitare vellet, obſeruauit illum ſomnum ſimulantem intempeſta nocte ad preces ſurgere, illiſque recitatis verbis: DEVS MEVS ET OMNIA, mirifice exardeſcere. Quare contemptis ſeculo, ac deliciis petit D. Franciſci contribulibus accenſeri. Reſpuit ille, ni diuina voluntas id iuberet.

Quam ter codicem Euangeliorum reſerando exploratum eunt, & prima vice occurrunt illa. *Si vis perfectus eſſe vade vende &c.* Altera illa. Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neq; 2. tunicas habeatis. Tertia denique. *Qui vult venire poſt me &c.* Exinde ſanctitatis magnæ fuit. Par illi B Petrus Caſtaneus Aſſiſias. Item B. Moricus qui in fronte B. Franciſci ſignum Tau ab Angelo impreſſum meruit videre. Petr. Rodolph. &c.

V. S. Franchæ obitus. *Cæſar. l. 9. c. 14.*

7. Kalend. Maii obiit Sanct Francha Placentiæ in Æmilia Abbatiſſa ex nobili Vidalta familia miraculis coruſca. vt habent acta eius in Annal. Placent. Eccleſiæ. Cæſarius refert conſecratam hoſtiam ex manu Sacerdotis cadentem in laterem pauimenti, ſui ſpeciem lapidi cedenti impreſſiſſe quam deraſam reliquiis Sacerdos adpoſuit. Effuſus ſanguis quoque DOMINICVS niueum corporale rubricauit, nec elui potuit, quoad clauſtralis Virgo dubioſa crederet. Nam vt illa miraculum conſpexit ad priſtinum candorem corporale rediit.

VI. Rigoroſi iuſtitia exemplum. *Idem ib. 18.*

Terribile exemplum iuſti Iudicis, aut ſcelerum vindicis, perſonam non acceptantis idem refert Erkenbldi de Burban viri nobilis grauiter decumbentis in ſororis filium.

Audierat clamores fœminæ in proximo conclaui, vbi nepos violare pudicitiam eius attentarat. Quærit quid iſtud & à quo? Reſpondere metuunt miniſtri, ille minis veritatem competit. Comperta iubet impudicum occidi, aut laqueo mulctari. Redeunt & mandatum expleſſe ſeſe denunciant.

Interea diebus aliquot elapſis adoleſcens auunculi iram ſubſediſſe ratus, deductis conclauis valuis introſpicit.

Æger videns nepotem blande primum alloqui illum, & aduocare vultu ad blandimenta compoſito. Ille ſecurus accedit, aſſidetque. Auunculus altera collum eius amplexans, & cultellum ſtringens altera, iuueni fauces præcidit, adeo crudeli cæde omnibus horrorem incutiens.

Ad extrema venienti Sacerdos viaticum patricidii patrati cauſſa negat. Is iuſtitiam non iram obtendens tenerrime abs ſe nepotem amatum aſſeruit. Si ergo mihi corpus Dominicum præbere recuſas, Deo corpus meum animamque reſigno. Et hoſtia conſecrata ex ciborio, Myſta abeunte, os ingreſſa videbatur. atque ecce quem tu mihi negaſti, ille met ſeſe mihi non negauit. Iure merito illud Sapientis ſibi vendicans. *Diligite iuſtitiam qui iudicatis terram.* Cæſarius.

VII. Obitus Ottonis V. glorius. *Sigon. l. 16 Regno Ita.*

Otto quartus Eximperator Bruſvvigæ in Saxonia indecori morte moritur, ab omnibus deſertus, ab Friderico multis præliis confectus.

VIII. De morte Ottonis & pænitentia ac ſalutione præclara.

Quod mortem Ottonis attinet. Is V. Cal. Maii nulla re geſta inſigni, & propria erga Eccleſiam impietate infamis vita ceſſit. De huius morte atque pœnitentia, quod apud neminem veterem comperi. Sic Albertus Cranzius, homo Germanus ſcriptum reliquit: *Otto Imperator, cum magnis diu laboribus per annos pene viginti in Regno & Imperio laboraſſet, nihil adeo ſenſit infortunatum, quam Eccleſiæ rebellionē. Vnde factum eſt, vt nunquam poſtea fœlix ſucceſſibus eſſet. Cum autem morbo laboraret, qui vitam illi abſtulit, nimium facti pœnitens, & ineffabili contritione compunctus, in arce Hartesburg manſitabat, & à Siſrido Hildiſemenſi Epiſcopo abſolutus in pace quieuit, quam abſolutionem Honorius Papa confirmauit. Tanta autem fuiſſe fertur morituri pœnitudo, vt coquinariis ſuis præciperet collum ſuum calcaneo premere, & viliſſimam Dei creaturam omnino ſe reputare.*

Thom. l. 33.

Quomodo vero ab purgantis ignis cruciatibus liberatus fuerit recenſet Thomas Cantipratenſis, opera nimirum ſuæ materteræ, quæ ſeueriſſimas ab Ottone apparente in vindicias animæ ſuæ præſcriptas pænas & ſatisfactiones variis in locis & cænobiis effectui dedit. Cum anno mortem eius præeunte, multam annonam famis tempore in diuerſa monaſteria diſtribuiſſet, dorſum ſuum in ipſa ægritudine Sacerdotib. verberandum flagellandumque in dies ſingulos præbuiſſet. vt Hildeſienſis Epiſcopus Conradus palam aſſereret, illam contritionis intentionem omnem in altera vita ſuſtinendam pænam exhaurire. *Thom. Cantip.*

IX. *Mercede 1218 orta.*

Barcinone, Regibus in mutua fœdera coeuntibus, in Hiſpania noua piorum hominum inſtituitur ſodalitas, nomine *B. Mariæ de Mercede.* Multi terra marique Chriſtiani homines capti à Mauris, & in ſeruitutem abacti, vitæ acerbitate, à fide Chriſto data mouebantur.

Magnum id Chriſtiani nominis probrum erat: hominum itaque ſocietas inſtituta, qui corrogatis vndique eleemoſynis captiuos redimerent. Iacobus I. Aragoniæ Rex primus illius ordinis auctor fuiſſe creditur: poſt eum Petrus Nolaſcus, natione Gallus, ducem ſecuturis ſe præbuit, naſcentemque familiam optimis legibus temperauit. Regia inſignia, cruce rubro Clypeo impoſita, ad veſtem candidam & cucullum toti familiæ diſtinctionis gratia ſunt attributa. Ipſe Nolaſcus in baſilica San. Crucis coram Rege, & proceribus de manu Beat. Raimun-

di Premiſlauſii, qui tunc Regi à confeſſionibus erat, ſolemni ceremonia ſuſcepit. *Mariana.*

X. Damiata obſidetur. *Iperius in Chronic.*

Bellum in Ægyptum translatum & pro Damiatæ expugnatione concordibus animis ab Ioanne Brenno Rege Hieroſolymorum, Ducibus Auſtriæ, Bauariæque, item ab Templariis Hoſpitalariis & Teuthonicis militibus, Pelagio quoque Cardinale & Epiſcopo Albanenſi Apoſtolicæ ſedis Legato tractatum. Erat Damiata Vrbs nobilis ad Nili fluminis oſtia ſita, natura & arte munitiſſima. Tradunt aliqui D. Franciſcum iſtis quoque copiis Crucesignatorum interfuiſſe, quod tamen de nouis copiis anno inſequente ex toto orbe pene Chriſtiano confluentibus accipe. Viderat Chriſtianos arma expedire, & aduerſus Saracenum pedem proferre. Ille vetuit fieri, diuino prophetiæ Spiritu afflatus, quippe qui infeliciter pugnaturos Chriſtianos præuideret. Vaticinium deſpicatui habitum, fuga Chriſtianorum probauit. *Iperius.*

IESV CHRISTI
Annus 1219.

HONORII PAPÆ III. Annus 3.	VACAT ORIENTIS & Occident. Imperium.

I. Frider. II priuilegia ſedi Apoſt. confirmat. *liber Epiſt. an. 3. pag. 57. 58 59 96. 112. 114.*

FRidericus II. Ottone defuncto id vnum curare, qui diadema Imperii more maiorum ab Honorio acciperet. Quæ ad Ægram anno 1213. datis diplomatis priuilegia ſedis Apoſtolicæ confirmarat, eadem Hagenoæ agens iterato data Romam per aulæ ſuæ Protonotarium tranſmittit, purgatque ſe apud Pontificem, de falſo obiecto crimine quaſi non bona fide cum Romana Eccleſia ageret, terras iuris Eccleſiaſtici alienando, electioneſque Eccleſiarum vſurpando. Honorius rebus in Oriente & Palæſtina deſluentibus cum ad ſacram militiam ſuſcipiendam, & ad obſeſſores Damiatæ adiuuandos exhortatur, miſſa encyclica Epiſtola ad omnes Chriſtiani orbis Eccleſiaſticos & ſeculares Principes vehementiſſima qua innumeram Crucesignatorum multitudinem euocauit. Ex illis Germani reliquis & numero & virtute, præſertim Treueri, & religioſiſſimi fidei Orthodoxæ defenſores Agrippinenſes mei, eminuerunt. Turris lateritia expugnata ad vrbem, vbi Perſidos Ægypti Arabumque gazæ interceptæ de pacis conditionibus paciſci vult Sultanus Ægyptius cum crucesignatis. Sultanus quoque Coradinus Syriæ & Damaſci per Oratores Damaſcenos pacem offert, omnia ſe reſtituturum promittens, quæ in Palæſtina Syria Phœnice Crucesignatis ſui Prædeceſſores extorſiſſent. Nihil actum Pelagio Cardinale cum Barbaris & Mahumetanis ineundam pacem reſpuente. Ducibus belli in eam propenſiſſimis. Interea Nilus inſueto anni tempore Eteſiis ſpirantibus, alueum egreſſus Crucesignatos in aquis exponit, qui occaſionem rei bene gerendæ perdiderunt. Agrippinenſes & Monaſterienſes tribus miraculoſis crucibus in aere conſpectis accedentibus Prædd. concionibus, quæ ab imagine CHRISTI crucifixi rutilabant, diuinitus ad illud bellum progreſſi ſunt.

II. Crucesignatus in Albigenſes & Saracenos animat Hon. Pont. *an. 3. Epiſt. 21. & 3.*

Hoc anno, certiore calculo, victoria illa celebris fœderatorum Hiſpaniæ Regum & Crucesignatorum ad Alcazar caſtrum de quatuor Maurorum Regibus reportata eſt. vbi duo Reges Saraceni cæſi, Deo pro Crucesignatis prodigiis oſtenſis prœliante. Almericus vel Aymericus vel Albertus Montifortii herois bellicoſiſſimi, religioſiſſimique filius ex aſſe hæres etiam virtutum cum Ludouico Principe fortiter depugnat, Toloſam tamen non occupat. Quoſcunque vero contra perduelles Albigenſes ferro decernentes, vel expenſas facientes propoſita peccatorum indulgentia donat Henricus, vt & ſacram militiam in Saracenos amplectentes. Ottocari cauſſam diu ventilatam Romæ cum ſuo Pragenſi Epiſcopo, Andreæ Epiſcopo Ratiſponenſi componendam tradit. Waldemari Dani zelum in conterminis Gentilibus ſubiugandis ex mandato ſuo, indulto proſequitur gratioſiſſimo vt occupatas terras ſuo regno coniungeret. Vincentius Calaubeus Cracouienſis Epiſcopus, ſeſe abdicat Epiſcopatu, ſucceſſor Iuo Odrouanſius Poloniæ regni Cancellarius Romam adit, vbi S. Dominico familiaris eſſe cœpit, qui in vrbe terrarum Domina, etiam ſuum inſtitutum plantare deliberarat.

§. 12. Octob. ex Laterano.

III. Vita S. Dominici in vrbe Script. vitæ S. Dominici.

Et quia S. Dominici hic mentio, nunquam ſatis laudati incidit, libet eius vitæ breuiarium vno verbo inſerere, auidioribus eiuſdem cognoſcendæ ad fontes remiſſis. In ſeipſum cenſor acerrimus, Vna tunica indutus & cilicio, ſub quo ad nudam carnem ferream catenam geſtare. Carnes nec æger quidem guſtare. Solo pane aquaque ſexta feria & ſolemnibus peruigiliis victitare. Ieiunium ab exaltationis S. Crucis feſto ad Paſcha proferre. Singulis noctibus ter dorſum ſuum catena ferrea atrociter deſcribere. Laſſatum corpus ad quietem humo deponere aut crate viminea aut altaris ſaxea crepidine. Inter orandum ardore operis tribus aut duobus aut cubito miraculoſe eleuari. Sedem primam Romæ ad S. Sexti fixit & quidquid à tempore reſiduum concionibus fere ac confeſſionibus tranſmiſit. Fabrum Ferrarium vitæ reddidit. In Poloniam & Bohemiam rogatus ab Cracouienſi & Pragenſi Epiſcopos ſui ordinis alumnos mittit, qui idiomatis gentis gnari, melioribus barbaros moribus exornarent, infideles conuerterent. Itaque ex illorum aulicis aliquot ſelectos, ordiniſque ſacri cupidos veſte religioſa induit, & in Poloniam deſtinat. Quos inter & D. Dominica vitæ ſanctitate & miraculorum gloria pars Hyacinthus Odrouanſius, Frater eius Ceslaus & duo alii. Clemens VIII. Sanctorum cœtui palam primum inſcripſit. Reginaldum Iuris Pontificii profeſſorem cum Epiſcopo Aurelianenſi Romam venientem ſuis adnumerat. Diſcipulos in diuerſas Chriſtiani orbis prouincias partitur. Pudicitiam ſuam ab ſcorto ſanctiſſime defendit. Adulterum miro modo ad emendatiorem vitam traducit. Petrum Cæſaraugustanum virũ Principem miraculoſe oſtenſis illi ſuorum ſcelerum multitudine & enormitate, roſarii inprimis dicti, manibuſque delati efficacia. Paria his miracula per totam Italiam ab alumnis ſuis patrata leguntur, præſertim vbi ad corruptelam morum, hæreſumque peſtilentiam extirpandas incumbebant. quib. haud diſſimilia apud Cæſarium inuenies. Dial. lib. 8. c. 7. & alibi.

IV. Reliquiæ D. Ioannis Baptiſtæ inuentæ. *M. Vatin. 1813. de Geſta Carmelitarum.*

Reliquiæ S. Ioannis Baptiſtæ præcurſoris Domini inuentæ, qui Athanaſio de Claro monte Patriarchæ Alexandrino apparuit, eo modo, quo pingitur ab Orthodoxis, cũ imagine glorioſæ Virginis Mariæ capite Prophetæ Ieremiæ, brachio S. Catharinæ Virginis & Martyris, & tibia S. Gregorii Cappadocis Martyris. Erat autem Præcurſoris brachium & tibia. Quæ omnia per F. Angelum Carmelitam in Italiam tranſmitti ad Fridericum Claromontanum fratrem ſuum imperat. qui eas cum Honorio Pontifice religioſe habiturus eſſet.

V. *Cæſar. l. 7. c. 30.*

B. Virgo captiuum adoleſcentem ſui ſingularem obſeruatorem ex vinculis liberat, quæ illi in beneficii memoriam B. Virginis altari Heiſterbaci affixit. Alius, Sacerdos ille, per recitationem antiphonæ, *Salue Regina*, ab præſentiſſimo fulminum crebreſcentium incurſu fuit ereptus.

VI. S. Franciſci ordo propagatur ſcript. vit. & eius Honor. *Ep. 148.*

D. Franciſcus primordia inſtituti ſui miro fœtu multiplicat, & vbi mortuum filiolum ab mortuis reuocaſſet, adeo ſoboleſcere cœpit, vt quinque millia fratrum in generali comitio Ordinis numerari potuerint. Sanctorum numero inſcribendos Conuenarum & Lincolnienſes, præmiſſo commiſſariorum ad hoc opus deſignatorum examine, tandem proſequitur. In Polonia mortuus eſt Henricus Archiepiſcopus Gneſnenſis qui Legati perpetui munus ab ſede Apoſtolica illi Præſuli in perpetuum impetrauit, plenus operibus bonis, præſertim iurium Eccleſiaſticorum recuperationi totus deditus. Cui Cracouienſis

Digitized by Google

uienſis Epiſcopus nihil de cura Eccleſiarum remiſit. *Crom. libr.* 7.

ANNVS CHRISTI 1220.

HONORII III. Annus 4.

FRIDERICI II. Imp. Ann. 1.
ROBERTI IMP. Annus 1.

I. Coronatur Romæ Fridericus II. Damiata fame ac lue & obſidione damita capitur. *An. 4. Ep. Honorij III. 572. & Vrſperg. Æmilius in Philippo Onuph. Nauel.*

FRridericus hoc anno ab Honorio per Abbatem Fuldenſem coronationem impetrat, his pactis interuenientibus, vt omnes conſtitutiones & conſuetudines & donationes pro libertate ac tranquillitate Eccleſiæ eiuſque poſſeſſionum integritate, ab Friderico eiuſque prædeceſſoribus datas factaſque diplomate nouo roboraret. Crucem ſignatis Damiatam obſidentibus quantocyus ſubueniret, copiaſque in continentem Ægypti exponeret. Coronatur autem 22. Nouembris ab Epiſcopo Hoſtienſi, ab Honorio ad id muneris delegato poſtea Gregor. IX. Damiata nihilominus ab Crucelignatis capta, cum 70. millia hominum fame ac peſtilentia in illa fuiſſent enecti, tribus mil ibus puberum duntaxat inter viuos relictis. Arma in cædem aptauerant noſtri; at lues hoſtem depaſta locum iuſtæ iræ ſubtraxerat. Ipſis nonis Nouembris cum amplius anno ſolido ad mœnia eius pertinacem obſidionem toleraſſent expugnata nullo reſiſtente. Ex qua ingentem prædam auri, argenti, gemmarum, margaritarũ, precioſæ veſtis ac ſupellectilis egerunt. Pelagius Card Legatus primariam Moſchæam Mahumetanorum in Eccleſiam conſecrauit. Honorius vrbem Brenno Regi, prædam Crucelignatis diuidendam aſſignauit: immo & regnum Armeniæ Brenno dedit.

II. Summariũ Geſtorum Honorii. *Ep 643. & 403 662. 641 & 463. 21. & 581.*

Raynerium Honorius hoc anno Patriarcham Antiochenum ex S.R.E. Procancellario, Archiepiſcopum Mediolanenſem, Lincolnienſem & Narnienſem Epiſcopos inunxit. 2. Eccleſias aliquot Viterbii propriis manibus conſecrauit. 3. Alexandriam Liguriæ vrbem in protectionem ſedis Apoſtolicæ accepit, ne cuiquam, quam Pontifici ſubiaceret. 4. vti & Boruſſos conuerſos ſibi ab gentilibus Boruſſis metuentes ab iniuriis vindicauit. 5. Waldemarum Daniæ Regem metu cenſurarum ab violandis ſacris militibus Crucelignatis in Liuonas infideleis pugnãtibus coercuit. 6. Almericum Montfortium Vrbium aliquot in Toloſatibus Dominum conſtituit. 7. Benedictionem Apoſtolicam Regi Seruiæ & Diocliæ tranſmiſit regnorumque confirmationem. 8. Praſſi ab Henrico Maſſouiæ aliiſque Poloniæ Principibus atque Epiſcopis domiti Epiſcopum primum auctoritate Honorii accipiunt.

III. *Annal. Cænob. Fauent. Annal. Viterb. Steph. Salanachus de reb. geſt. Præd. Flam. in vita S. Dominici.*

Dominicus Bononiæ prima ordinis comitia celebrabat, ordinem Prædicatorum in Æmilia miraculis propagabat. Ad matutinas pergens noctu à duobus Angelis venuſtiſſimis ſtipabatur Fauentiæ. Viterbii à Cardinali Capoccio cænobium illis erectum eſt, B. M. Virginis ope vnicæ Ordinis aduocatæ in illum finem ei apparentis. Solibus duobus ſimiles duo Fratres Prædicatores in viſione clauſtrum Ciſtercienſium ingredientes Obſinæ in Diœceſi Lemouicenſi à Priore conſpiciuntur. Multi Fratrum ordinis vtriuſque in Hiſpanias & Mauritaniam hortatore Honorio ad conuerſionem Saracenorum mittuntur. Nã & ipſe Franciſcus ad Sultanum Babylonium & Ægyptios quoque conuertendos iam in Syriam nauigauerat. vnde Marochi quinque Franciſcani martyrii lauream ſunt cõſecuti. Sixtus IV. vt ſanctos coli ſanxit. Miramalino Rege illam lanienam odio orthodoxæ religionis inſtituente. Quanto ille tranſitus martyrum felicior, tanto Canonici illius Pariſienſis infelicior apud Cæſarium, qui ob vitę delicias æternis ignibus eſt mancipatus, tametſi confeſſionem rite quidem peregiſſet, non tamen contritionem veram, propoſitumque vitæ emendatioris ſuſceperat, vt po-

Surius 4. Decemb.

Cæſar. l. 2. c. 15.

te ficta laruataque pænitentiæ ſpecie ſeipſum palpans, atque præcipitans.

IV. S. Angelus presbyter Carmelita martyrio coronatur *Rom. Martyr. Aug. 5. Ma. & Euſeb. in vita, M. S. Vatic. num. 3113.*

Ordo Carmelitarum ſub regula Alberti Patriarchæ Hieroſolymitani eſſloreſcens excellentiſſimum propagatorem habuit S. Angelum Palæſtinum, Iudæis at conuerſis miraculo parentibus prognatum. Hic Panormi in Sicilia ab hæreticis ob defenſionem catholicæ fidei eſt trucidatus. totis 8. dieb. quibus inſepultus iacuit, quamplurimi, ſurdi, cæci, paralytici, leproſi morbidiq; contactu eius ſanati ſunt, &c. Is quoque D. Franciſcum ſtigmatis compungendum diuinitus prophetico ſpiritu prædixit, vti Mantuanus inſigni carmine expreſſit. Bononiæ concionibus ſuis perplures lucrifecit, tametſi eſſet vir facie illiberali, breui ſtatura, obſoleto amiculo corpus ſuum contectum, vbi etiam Antonium Vlyſſiponenſem, poſtmodum Patauinum dictum, miraculis clarum ordini acquiſiuit, & ſtudio Theologico virum ſcientiſſimum præſtituit.

Carol. Sigon. l. 2. de Epiſcop. Bononienſ.

V. Robertus ne Imper. Orient. *Chron. Hirſaug.*

Robertus Petri Imperatoris filius Conſtantinopolin venit, & Imperator ſalutatur, cum Ioanna mater & vidua nondum biennio Imperio præſediſſet. Fridericus II. in Apulia & finitimis territoriis nidificantes Saracenos inſigni prælio ſubegit, ſuperſtites vectigales fecit. In Hungaria Archiepiſcopus Strigonienſis xv. millia Comanorum infidelium ſacro baptiſmatis fonte abluit, poſteaquam Prædicatores Minoreſque verbum Euangelicum ibidem late ſparſiſſent.

VI. Columna ad quam cæſus Chriſtus Romã translata.

Illud huius anni factum memorabiliſſimum Ioannem Columnam Cardinalem, ad immortale Columnenſium decus, vbi, ab Honorio Claſſi Præfectus & Legatus, Mahometiſtas acie aliquoties fudiſſet, & ad Damiatam, ſeu Peluſium vt validas oppugnator, occupandum feliciter animi, corporiſque fortitudinem contuliſſet, captus ſemel atque iterum ab Saracenis & liberatus columnam inde Romam tranſtulit, ad quam Seruator pro reparanda ſalute humani generis flagris laceratus fuit in Pilati Præſidis prætorio, quam in templo S. Praxedis ſupra Suburram ad exquilias hodie veneramur. *Paulus Iouius in Elog. Colum.*

VII. Caroli Ducis Oſtrogothiæ martyrium

Floruit hoc anno Carolus Dux Oſtrogothiæ, gente Folchungus, tanto fidei feruore accenſus, vt nullis precibus reuocari potuerit à bello, quod Cruciferi cum Lithuanis Idololatris Eſtonibus ac Ruſſis ſuſceperant. Felicem quippe beatumque ſe fore exiſtimabat, ſi pro Chriſti honore incertas tranſitoriæ vitæ reliquias erogare poſſet. Nec ſecus euenit. Nam ingenti numero Barbarorum ſua manu proſtrato, admiranda fortitudinis opera edidit, donec inuictum cum ſanguine Spiritum martyr profunderet, cunctis Chriſtianis, qui funeſtæ pugnæ ſupererant, ob eius incomparabilem fortitudinem & fata præmatura collachrymantibus. Birgerus Dux licet viuum propter potentiam iniquius ferret, mortuum nihilominus planxit ſumptuoſiſſimiſque exequiis proſequendum curauit. Obiit vero anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo. *Ioann. Mag. l. 19. Hiſtor. Gothor. c. 18. & reliqui ſcriptores rerum Suetic.* Recenſente Ioann. Vaſtouio Sigiſmundi III. Polon. Reg. Bibiioth. Præfect.

VII. Item Caroli Lincopenſium Epiſcopi.

Huic non inferior alter Carolus, Ducis Birgeri frater Germanus, Sextus in ordine Lincopenſium Epiſcopus; cultus diuini ſtudioſiſſimus, pauperumq; inſignis defenſor. Nec contentus propriarum ouium ſalute, alias inſuper Chriſti ouili adducendas ſibi omni qua potuit cura ac ſtudio, putauit. Quamobrem Carolo Duci ac patruo, aliiſque Regni Sueciæ Epiſcopis glorioſum Sanctorum Martyrium amantibus triumphum, animarumque æternam ſitientibus ſalutem, ſociatus, eodem cum Carolo certamine, loco ac die ab Ethnicis interfectus, illuſtrem martyrii coronam eſt conſecutus. *Deco Chron. Epiſc. Lincopen. & reliqui ſcriptores rerum Sueticar.* Recenſente eodem Vaſtouio.

IESV CHRISTI
Annus 1221.

HONORII PAPÆ III. Annus 5. | FRIDERICI II. Annus 2. ROBERTI Annus 2.

I. Damiata ab Saracenis recepta. *Æmil. l. 6. in fine Naucle-rus.*

IN quantum animos Damiata capta fidelium erexerat, vt in ſpem venirent Ægypti Syriæque totius occupandæ; in tantum iam nunc deperdita eadem & iniquis conditionibus rurſum Barbaro Babyloniorum Sulthano reddita, Honorij Chriſtianorumq; conceptam fiduciam deiecit. Culpam ſcriptores pene vniuerſi, belli ſacri Pelagio Cardinali Legato non immerenter impingunt, qui Cruceſignatos ad proſequendum bellum & in Cairum Memphimque transferendum (interiora Ægypti iſthæc habebantur) malo cōſilio compulerat, cenſurarum metu, quas refragantibus infligendas interminatus fuerat. Vnde ab Sulthano Babylonio tum commeatu intercluſi, tum marginalibus aquagiis Nili perforatis, aduſque genua inundati fame inediaque 70. Cruceſignatorum millia, vexabantur, adeo vt neceſſario viarum anguſtiis ſimul infeſſis deſperarent, & nuſquam niſi horrendæ imago mortis ab Chriſtianis ſpectaretur.

a Æmilius lib. 6. in fine. Vrſp. Naucl. Blondus.

[a] Quare Sultanus ſortem miſeratus Cruceſignatorum, cum Damiatam recepiſſet ex pacto, & octennes inducias firmaſſet, per mare recedentes nauibus inſtructis, per terram fidis comitibus iuuit, immo & tantam annonæ copiā præbuit, quaſi in media Barbarie, nonniſi Chriſtiana charitas reperiretur, dato filio obſide, vt periculi redderet ſecuros; qui in Palæſtinam, exinde vero in patriam quiſque ſuam conuaſatis omnibus nauigarunt.

II. Henricus fil. Frid. fit Rex Siciliæ. b 5. Epiſt. an. 5 Epiſt. 486.

Henricus III. intellecto, fœdam illam Damiatæ amiſſionem, turpem fugam, pactaque imbellia Chriſtianorum cum Sulthano Babylonio, viro ſane mitiſſimo, [b] Fridericum, vt deſperatis Syriæ rebus ſuccurreret, iure merito ſeuere monuit, qui ex cauſſa cauſſam nectens tergiuerſabatur. Præterea Henricum filium Friderici Regem Siciliæ, quo ſeſe eiuſque iuribus Pater abdicauerat, conſtituit. Et ne ſuſpectus illi Imperator videretur, iuramentum ſedi Apoſtolicæ Hagenoæ præſtitum, innouauit, ablata reſtituit, in hæreticos acerrime ſanxit, Eccleſiaſticam libertatem auxit. ne ad ſecularem Iudicem Clerici raptarentur, dato diplomate, prohibuit. Nihilominus inter vtrumque ab maleuolis inuidiſque diſcordiarum ſemina ſparſa ſunt, quaſi dominia terraſque ſedis Apoſtolicæ Comitiis Imperialibus Capuæ habitis ſibi arrogare vellet, aliaque vetita attentare. Quare data ad Honorium Epiſtola conſtantem erga Eccleſiam Romanam voluntatem ſuam patefecit, *Apud Thranum. &c.* [c]

c die 3. menſe Martij indict. 9.

III. *Laterani 2. Non. Decembris & 16. Kal. Decembris.*

Fœderatis Hiſpaniarum Regibus multa cum Myramelino intercedebant diſſidia Sulthano Marochi, quibus componendis Iudæos Legatos adhibebant, qui iudaica indole multa in Chriſtianorum perniciem comminiſcebantur. Hortatur Iacobum & alios Reges abſiſtere, & diuerſis præcipit Epiſcopis gladio contumaces ſpiritali ferire. Eundem Iſabellæ viduæ Angliæ Regis intentat, quod illa dominandi auida, Henricum filium pupillum, Romanæ Eccleſiæ clientem, cruceſignatum ad inſtar Athaliæ perſequeretur magnis copiis, & iuramentum fidelitatis ab ſubditis exigeret. Reges ſeptentrionales, ſub quibus res Eccleſiaſtica grauiter laborabat, miſſo Cardinale Gregorio Creſc. titulo S. Theodori Diacono, Legato officii admonuit, vt Poloniæ, Daniæ, Sueciæ, Bohemiæ & Waldemari Dani infeſtatores metum anathematis ab iniuriis vindicaret.

IV. Martyres Franciſcani in Mauritania.

S. Dominicum & Franciſcum vt prædicatores in Mauritaniam deſtinent ad Gentilium conuerſionem exſtimulat, & miſſi ex Minorum ordine 7. fratres primitias Martyrii retulerunt. De quibus ex Surio 13. Octobris, ita Baronius. *Apud Septam in Mauritania Tingitana paſſio 7. Sanctorum Martyrum ordinis Fratrum Minorum, Danielis, Samuelis, Angeli, Domini, Leonis, Nicolai, Hugolini, qui ob Euangelij prædicationem & Mahumetanæ ſectæ confutationem à Saracenis contumelias, vincula & flagella perpeſſi, demum capitibus abſciſſis martyrij palmam adepti ſunt.* Dominicani vero apud Toloſates ob Albigenſium hæreſin recrudeſcentem Pontificis monitu ſacram militiam aduerſus hæreticos, quæ de pænitentia dicitur, prædicant. vbi amore Orthodoxæ fidei innumera pene Orthodoxorum multitudo confluxit.

Ep. 504. Surius & Baron. 13 Octobr. in Martyrolog. Antoninus 3. p. tit. 24 c. 7. §. 1. Chron. Franciſcum.

V. Magiſter Sacri Palatii primum inſtitutus.

Videns vero Dominicus multa ab Clericis, & Palatinis Summi Pontificis illicita perpetrari intra parietes Sacri Palatii, in quo puritatis duntaxat radiis locus erat, auctor Honorio III. fuit vt Magiſtrum Sacri Palatii inſtitueret, qui prælectione Epiſtolarum D. Pauli aliorumque ſacrorum codicum explanatione, ab inhoneſtis nugis Clericos, qui à ſeruitiis Papæ & Cardinalis eſſent, coerceret. Quod officium deinceps penes Prædicatores manſit. Fructu abundantiſſimo illius Magiſterii permotus, confluentibus vndique permultis auditoribus, & tempus nugis tribui ſolitum in ſcripturarum interpretationem eſt commutatum. Catharinam famoſiſſimam meretricem Romanam concionibus ſuis, ad reſipiſcentiam deduxit, vt & Chriſtum in forma iuuenis, & quinque vulnera lucis pleniſſima dignaretur videre, & roſarii virtute, quod prædicabat, eo Catharina aſcenderet, vt ſummum perfectionis apicem ſanctiſſima vita contingeret. Quo & puellam alteram quinque menſes mortuam, & ab Diabolo decollatam vitæ reſtituit, ſignificantem mire Cælitibus & ſanctiſſimæ Matri illam Roſarii recitationem perplacere. vitam Sanct. Dominici breuiter ſic Annalium conditor complectitur, quam *Theodoricus* libris octo, *M. Antonius Flaminius*, & *R. D. Franciſcus Diacetius Epiſcopus Feſulanus* inſignibus commentariis illuſtrarunt, quod hoc anno ex hac vita migraſſe omnes conſtanter aſſerant.

d Baron. 4. Auguſti Martyrol. Surius tom. 4. 5. Antoninus 3 p. tit. 23 c. 1. 2. 3. 4. & ſeqq. Ioannes Gerſonius de vita Iordani Ord. Prædicatorum. Marcus Anton. Flaminius R. D. Franciſcus Diacetius Feſulanus Epiſcopus. Theodoricus octo libris &c.

[d] De quo ſic Baronius: Bononiæ San. Dominicus Confeſſor, fundator Ordinis Fratrum Prædicatorum vir ſanctitate & doctrina clariſſimus, qui virginitatem perpetuo illibatam ſeruauit, & ob ſingularem meritorum gratiam tres mortuos ſuſcitauit, cumque prædicatione ſua hæreſes compreſſiſſet, & plurimos ad religioſam ac piam vitam traduxiſſet, octauo Idus menſis huius in pace quieuit; eius tamen feſtiuitas ex conſtitutione Pauli Papæ IV. hac die celebratur, ob feſtum Beat. Mariæ Virginis ad niues, quod in die obitus eius feſtiue obitur. Anno ætatis ſuæ 51. feria ſexta hora ſexta. Fuit vero ex nobili Guſmannorum gente, Calarogæ in agro Vp menſi natus, pari propemodum inter Vxamam & Arandam interuallo.

VI. Theodoricus in vita S. Dominici.

Miſerat paulo ante mortem Fratres Prædicatores in Angliam, Scotiam, & Scandinauiam, Groentlandiam & Hungariam, in qua circa duos fratres Prædicatores tale miraculum dicitur contigiſſe. Venerant ad pagum quendam vbi diuina peragebantur, & Miſſæ ſacrificium omnes audirent, quo peracto ad ſua ſinguli remeare, & fores templi æditüus occludere.

Subſtitere ambo in atrio, nemine eleemoſynam aut hoſpitium præbente. Piſcator ſortem eorum dolens, cum præ inopia nihil poſſet apponere, atq; ideo accerſere quidē eos non auſus, tandem famelicos ſecum duxit, & vxorcula pacata quod eos à nemine vidiſſet ad prandium inuitati, marſupium excuſſit, in quo fortuito duos nummos inuenit, quibus neceſſaria comparauit, eoſque abunde pauit. Vnde hoc mercedis à Deo tulit, vt duo illi nummi nunquam ex crumena deficerent, nam ſemel expoſitis mox alii ſuccedebant. Ideoque diues opum factus ſtatui ſuo conuenienter vixit.

VII. Impoſtor vulnera Chriſti in corpore ſuo mentiens.

In Concilio [e] Oxonienſi Prouinciali ab Stephano Cantuarienſi Epiſcopo celebrato, præter ſalubria pro Eccleſiarum reformatione, & monaſticæ diſciplinæ, etiam cōprehenſus impoſtor quidam, ſtigmata Crucifixi Domini noſtri in corpore ſuo præſtigioſe mentiens, cum alio Hermaphro-

e Matth. Weſtmonaſter. Hiſtor. Tom. 4. Conciliorum.

maphrodito eiuſdem impoſturæ conſcio conuictus Eccleſiæ iudicio eſt punitus, & ignibus abſumptus, de quibus Conditor annalium etiam ſequenti anno, in Concilio Oxenienſi.

Translatio hoc anno facta corporum S. Oſvvaldi Regis & Idabergæ Virginis Pipini quondam Regis filiæ, in monaſterio S. Winnoci in Anglia, & in Germania corporum SS. Viti & Modeſti, magna populi frequentia extarunt, vbi miraculis claruerant, Iuuaniam ſunt aucta. *Metropolitan. Saltzburg.*

VIII. Vnde dicti Siciliæ Reges ſint Hieroſolymorum.

Illud coronidis loco non omittendum, vnde Reges Siciliæ titulum Regis Hieroſolymitani acceperunt. Amiſſæ turpiter Damiatæ, & Laboranti terræ Sanctæ, quærebat remedium Honorius, non ſuppetebat aliud, quam filiam Brenni Hieroſolymitani Regis vnigenitam ex conſilio Magiſtrorum ordinum militarium poſt quadriennium Friderico Imperatori deſponſare, Iſabellam nomine. Quo facto titulum & ſuum fecit: Brennus vero ſiue mœrore, ſeu metu in Europam traiecit, ibidemque Regem Franciæ Philippum adiit, quem excepit honorificentiſſime Philippus, pariterque abeuntem Compoſtellam voti gratia eſt proſecutus, vbi ille Berengariam Ferdinandi Caſtellæ Regis ſororem duxit vxorem, atque ita in Franciam rediit. *Iperius in Chronico & Miræus.*

IESV CHRISTI
Annus 1222.

HONORII PAPÆ III. Annus 6. FRIDERICI II. Annus 3. ROBERTI Annus 3.

I. Cypri Regina cum filio & Frider. II. violatores iurium Eccl. reprimuntur.

PElagius Cardinalis ſedis Apoſtolicæ in Oriente Legatus, ex Ægypto in Cyprum venit, vbi pro Eccleſiis, quibus decimarum ius adimere, & bonorum immobilium poſſeſſionem Iſabella Regina Cypri cum filio Henrico & Principibus, conabantur, vt quod cum diuino humanoque iure pugnaret, ſententiam tulit, & in Concilio excommunicationis inferendæ metu ab iſthac præſumptuoſa audacia deterruit. Auditis ante vtriuſq; partis quęſtionibus. Aderat quoq; cum Legato FR. Guerinus Montauitus Vrſinus Templariorum Magiſter, inſignis ad Damiatam bellator.

Nauclerus.

Fridericus II. quoque ſpreta iuriſiurandi religione, quod Innocentio primum, mox Honorio præſtiterat, vexatis terris Pontificiis Archiepiſcopos, Epiſcopos, Prælatos pro libitu & inſtituebat, & deiiciebat, electiones liberas ſibi vſurpabat, ab Eccleſiis collectas exigebat, pædagia & vectigalia Clericis imponebat, & Eccleſiarum priuilegia violabat.

f Extat inter Epiſt. Honorij an. 6.

Indoluit ſuper vafritie & petulantia Honorius, quaſi aui ſui Friderici I. impietatis toties damnati, ingenium moreſque induere cogitaret, hominemque, cenſuras intentans, quod non poſſet nec deberet in aſſerendo Eccleſiarum iure conniuere, nonnihil mitigauit, obiecto quod Eccleſiæ Romanæ innutritus eſſet, & ab eadem ad omnes honores eleuatus.[f] Quare ſcripſit in Siciliam, ſuiſque officialibus mandauit, vt Clericos eo iure vti, frui permitterent, quo ſub Gulielmo ſecundo Siciliæ Rege fuiſſent, & ipſe quoque iuramento roboraſſet. Dein Honorius hac occaſione oblata eundem ad promiſſi ſui ſolutionem pręſtandam hortabatur, quod quamprimum diademate ornatus fuiſſet deplorato Hieroſolymorum regno ſeſe ſuccurſurum ſancte recepiſſet.

II. Auaritia Epiſcoporum caſtigatur. g Inter Ep. an. 6 131.

In Luſitania[g] Epiſcopus Vlyſſiponenſis, & ab eius exemplo reliqui Prælati, tertiam partem bonorum morituris Laicis extorquebant pro Eccleſia, vel certe bonam portionem, & ni facerent, Sacramentorum adminiſtrationem & ſepulturam negabant. Auaritiam inſignem & execrabilem, per FF. Prædicatores & Minores, & Priores militiæ S. IACOBI gladio ſpirituali HONORIVS egregie præcidit.

III. Comes Toloſanus Senior apoplexia moritur: vlt. Numinis vindicta.

Galliæ & Germaniæ res turbatas ab diuerſis ſectis per Conradum Bauariæ Ducis Henrici filium Epiſcopum Portuenſem Cardinalem, olim monachum & Abbatem Ciſtercienſem curandas ſuſcepit. In illa Raymundus Comes Toloſanus Albigenſium vnicus defenſor iuſta Numinis vindicta, apoplexia percuſſus miſerabiliter interiit menſe Auguſto, eiuſque nefariæ ſectæ ſocius Comes Fuxenſis, Rogerus menſe Iulio; cum tam multiplici recidiua omnibus Eccleſiaſticis pœnis mulctatus. Subrogatus eſt filius parente peior & Orthodoxis infeſtior, in quem Philippum Auguſtum vrgebat Honorius, queritantem ſibi commeatus & ſtipendia caſtrenſia ad arduum bellum ducendum deeſſe. Hinc vigeſimam partem redditunm in terræ Sanctæ auxilia exactam per totam Galliam eidem aſſignauit, & Cruceſignatis pares indulgentias contra Albigenſeis pugnaturis contribuit, quas in terra Sancta aduerſus Saracenos pugnantes Cruceſignati obtinerent. Omnes Prælatos & Principes ad ſtirpitus reſcindendos Albigenſes extimulans. *Dat. Lateran. 2. Idus Maij.*

Conradi Card. Bauariæ Ducis filius vita & ſanctitas. Caſar. 3. dial. c. 13. Thom. Cant. l. 1. c. 9. §. 2.

Eadem de cauſa Conradus Henrici Bauariæ Ducis filius miſſus Legatus in Galliam & Germaniam, de cuius ſanctitate hæc memoriæ conſignata reperimus, vt quod infra Canonem Miſſæ ab aliis viſus ſit adhuc nouitius coronam auream capite geſtare. In cura paſtorali conſtitutus viſi ſunt de nocte digiti eius inſtar candelarum reſplendere, quibus in conſecratione vtebatur. Pariſiis degens cum in Germaniam pergeret, inuenit ibidem Prædicatores, orans Deum, vt ad quid ordo ille veniſſet, diuinitus poſſet cognoſcere, aperienſque librum in hæc verba incidit. *Laudare, Benedicere, & prædicare.* Vnde inuſitato Ordinis amore inflammatus, ſe eorum fratrem ſemper futurum, neq; vllis aduerſis receſſurum, ſpondet. Parochum Colonienſem conquerentem coram illo in Synodo quod FF. Prædicatores falcem mitterent in alienam meſſem, officio priuauit.

Rogato prius quot animas ſibi creditas numeraret, & reſpondiſſet 9. millia. Imprudens in hoc Sacerdos ille, quod Prædicatores gratis curæ paſtoralis moleſtias laboreſque ex charitate deuorantes inuidię ſtimulis motus repelleret. Legatus Gallias ob excidium Albigenſium percurrit, Hiſpaniam cum Germania ob ſubſidia terræ Sanctæ. Eius vberiorem vitæ commentarium qui petit, adeat [h] *Cæſarium & Melanum.*

IV. h Cæſar. in vita S. Engel. apud Surium to. 6. ... nemb. Aſſe... l. 3. ... S. Brig. ... 10. Iany.

Ordo Prædicatorum exin magna incrementa ſumpſit. Inprimis diuinitus orationes, quibus in ſacrificio Miſſæ vterentur acceperunt per fratrem quendam Ciſtercienſem in monaſterio S. Galgani prope Senas, quas etiam Pontifex approbauit, & ſic ſe habent.

ORATIO.

Corda Famulorum tuorum, Domine illumina Sancti Spiritus gratia, & ignitum eis eloquium dona: & qui tuum prædicant verbum, largiere virtutis augmentum. Per Dominum.

SECRETA.

Famulis tuis Domine verbum tribue gratioſum, & munera oblata ſanctificans, corda eorum in ſalutari tuo, quæſumus, viſita. Per Dominum.

POST COMMVNIONEM.

Conſerua Domine famulos tuos vnigeniti tui corpore & ſanguine ſuſcepto: & tuum nunciantibus verbum, largitatem tribue gratiarum. Per eundem Dominum.

i Theodoricus in vita Dominici. Bernardus

[i] Cumanos cum Duce Bembrocho mille baptizant, quem Andreas Hungariæ Rex ex fonte ſuſcepit. Fratrum complures perſecutione Tartarorum martyrio affe-

cti,

Guido in Chronico. Leander li. 3. de viris Illuſt. Ord. Prædicat.

Matthæus Pariſius anno ſeq. 1221.

Anton. 3. p. Hiſtor. tit. 19.

cti, quorum ſanguine irrigati anno 1241. plene ad fidem conuerſi ſunt. Inter martyres emicuit prędicatione F. Paulus Hungarus. In Boſnæ, Dalmatiæ & Croatiæ regnis hæreſin Albigenſium late inualeſcentem extirparunt, & per vniuerſum Illyricum, vbi Antipapam ſibi in finibus Bulgarorum profligatiſſimi mortalium, *referente Matthæo Paris*, tumultuarie conſtituerant, cuius vicariam poteſtatem Bartholomæus Carcaſſonenſis vſurpabat, in quem Antichriſtum præclare inuectus eſt Conradus Portuenſis Epiſcopus Legatus. Scribit *Antoninus* etiam Comitem Toloſanum iuniorem cum Albigenſibus reſipuiſſe & obedientiam ſedi Apoſtolicæ ſpopondiſſe, iuramentumq; eidem præſtitiſſe; at recidiuam, miſeri, frequentiſſime, repetiuerunt.

V. Circa D. Franciſcum miracula. *k S. Bonauentura in vita S. Franciſci.*

k S. Franciſcus miraculorum gloria illuſtris hoc anno raris virtutum argumentis emicat. Concionantem videt F. Pacificus duobus ignitis gladiis circundari, & frontem alias ſigno *Tau* conſcribi. In Eccleſia S Damiani oranti flagrantiſſime vox de Cruce inſonuit tertio. *Franciſce vade & repara domum meam, quæ vt cernis tota deſtruitur.* Alias Sacerdos Aſſiſſius ab rigore ordinis Franciſcani abhorrebat, cui Draco ambiens vrbem Aſſiſſium in viſione præſentatur, qui totum illum diſtrictum euaſtaret. Dein San. Franciſcum videt, ex cuius ore crux aurea profluens, brachia ſua in extrema terræ porrigebat, & apex cælum tangebat. Draco tanto fulgore verberatus vrbem deſeruit. Vnde ſuam vocationem ad ordinem iſtum diuinitus præmonſtrari intelligens, tandem in eo, habitu monaſtico aſſumpto, vitam ſanctiſſimam duxit. Alias curru igneo velut alter Elias ſuſpenſus aere in medio perfectionis iter præiuit ſuis. Aretium veniens inuenit illud inteſtinis odiis diſtractum, & dæmones in aere circumquaque tripudiantes.

Quare F. Syluestrum ſimplicitatis raræ ad illos abigendos miſit, qui, vt dixerat (*In nomine Dei Omnipotentis & ſerui eius Franciſci, hinc procul diſcedite*) abiere dęmones, ad pacem ciues coiere.

VI. Illuſtres viri Ord. Prædd.

Ex Prædicatorum ordine Reginaldus ex Decano Aurelianenſi Dominicanus floret, doctrina & ſanctitate, item Rolandus, Monetus, Petrus Guarinus in amplectendo ordine cunctabundus illo pſalmi in Eccleſia audito, accelerauit. *Quamdiu ponam conſilia in anima mea.* Gualla quoque Brixienſis, Raon qui S. Dominicum vidit aurea inſignitum corona extra muros Bononienſes duobus viris ſtipatum venerandis via progredi elegantiſſima. His alii ſuccenturiantur, vt Vincentius, cui concionanti Angeli aſtitere. Frater Germanus S Dominici Humbertus poſtmodum Ordinis Magiſter & alii. Quos inter familiam ducit Iordanes Saxo alter à Dominico Ordinis Prædd. Generalis Magiſter, & duo lumina fratrum S. Hiacynthus Odrouanſius & Ceslaus. Quorum admiranda [l] *Cromerus* egregie deſcribit.

l Crom. l. 7. Hiſt. Polon.

VII Defuncti illuſtres hoc anno Conſtantia Imperatrix. *m Surius in Chron. Æmil. l. 6.*

m Conſtantia Ferdinandi IV. Caſtellæ Regis filia, vxor Friderici II. & Imperatrix obiit Cataniæ in Sicilia, in cuius locum poſt triennium Iolen Regis Brenni Hieroſolymorum filiam ſuperinduxit. Panormi vero cum hoc epitaphio ſepelitur.

Hoc eſt corpus Conſtantiæ III. Rom. Imperatricis ſemper Auguſtæ & Reginæ Siciliæ vxoris D. Imperatoris Friderici & Siciliæ Regis, & filiæ Regis Aragonum. Obijt autem anno Incarnationis M. CC. XXII. 23. Iunij X. Indict. in Ciuitate Cataniæ.

n Gregor. l. 2. Niceph. Call. 3.

n Theodorus Laſcaris quoque AntiCæſar quem excepit Ioannes Ducas, Robertum Imperatorem etiam domeſtici tunc oppugnabant, quos anathemate ferit Honorius, eique aſſiſtentes indulgentiis Terræ Sanctæ propugnatoribus propriis liberaliter donat.

o Olaus l. 19. c. 14. p Syluan. Raz. de SS. Hetruriæ.

o Item in Suecia Ioannes Rex cognomento Iuuenis & Pius. Cui ſucceſſit Ericus Balbus, p Sancta quoque Verediana ordinem Vallis Vmbroſæ profeſſa apud Caſtrum Florentinum aſcetica vita & miraculis clariſſima.

VIII. Terræ motus Coloniæ, in Cypro Italia, &c.

Eodem quoque anno, tertio Idus Ianuarii, mane hora prima diei, Coloniæ, & circa, terra tremuit, & multa ædificia ſubuertit. In Cypro etiam Inſula, duæ Ciuitates, eodē anno, ex terræ motu, multis extinctis hominibus corruerunt in Italia, & præſertim in Lombardia, homines deſertis ciuitatibus, in tentoriis habitarunt. Ipſa die Natiuitatis Dominicæ, & duabus hebdomadibus ſequent. ſemel ac iterum diebus ſingulis terræmotus, ædificia & Eccleſias fortiſſimas euertit, ac homines cum Sacerdotibus oppreſſit: Brixiam fere totam cum populo ſubuertit, rupes à montibus auulſit, caſtra deiecit, ac multa millia hominum occidit Romæ, terra ſanguine mixta pluere viſa eſt. *Chron. Hirſaugien.*

IX. Varia anni huius prodigia.

Hic demum annus variis Prodigiis inſignis fuit. Stella crinita viſa: Luna defectionem memorabilem paſſa: inaudita aquarum inundatione, pecora, tecta, arboreſque conſumptæ: terra non ſolum ingenti motu contremuit, ſed altiſſimo quoque mugitu concuſſa perſonuit. quo factum eſt, vt montium iuga nutauerint: domus ac templa multa corruerint, campanæ nullius hominis impulſu crepuerint flumina curſus ſuos naturales retorſerint, atque ad ipſos vnde manabant fontes recurrerint: multi homines vbiq; fœda ædium ruina colliſi ſint, præcipue Bononiæ præter cætera ædificia, ipſa D. Petri Baſilica magna ex parte procubuit. Brixiæ autem, cum vrbs vno permota impetu ruere videretur, amplius duo hominum millia ipſis parietinis attrita ſunt.

Hæc in ipſis Domini Natalitiis, diuinis perfectis officiis, euenerunt. *Sigon. de Regno Italiæ lib. 7.*

X.

Secundum pleroſque Frider. II. Imp. hoc anno Henricum filium decennem regni conſortem facit. & ab Engelberto Colonienſi Archiepiſcopo coronandum curat. *Diuæus & Ciacconius.*

XI. Coloniæ Vbiorum extruitur monaſteriū Prædicator.

Natum hoc anno D. Thomam Aquinatem Theologorum Scholaſticorum Principem vult *Gibbonus.*

Eodem anno, Coloniæ Vbiorum, Fratribus Prædicatoribus cœnobium extructum eſt, ex hac cauſa, quam *Cæſar. Dial. l. 9. c. 56.* referebat iſtis verbis.

Coloniæ in Eccleſia S. Andreæ Canonicus quidam extitit, Ordine Sacerdos, arte medicus, Petrus nomine. Cum die quadam ex eius canonicis infirmus eo præſente eſſet communicaturus, & ei Sacerdos diceret: Credis hoc eſſe verum Corpus Domini, quod natum eſt ex Virgine, & pro te paſſum in Cruce? Illeque reſponderet; Credo: præfatus Petrus vtrorumque verba notans, expauit. Poſtea ſolus conueniens Euerhardum Scholaſticum Eccleſiæ, qui & ipſe communioni intererat, ait: Interrogauit Sacerdos infirmum illum bene? Et reſpondit ille: Etiam bene, inquit & qui aliter credit, hæreticus eſt. Tunc Petrus eiulans, pectusque tundens, exclamauit dicens: Væ mihi miſero Sacerdoti, quomodo hactenus Miſſas celebraui? Nam vſque ad hanc horam, putabam ſpeciem panis & vini, poſt conſecrationem tantum eſſe Sacramentum, id eſt, ſignum & repræſentationem Dominici Corporis & Sanguinis. Ad huius itaque deletionem ignorantiæ, quæ nimis erat craſſa, in honore B. Mariæ Magdalenæ, in Stolgirgaſſen, & Capellam, & hoſpitale, in quibus nunc habitant Prædicatores, ædificauit.

IESV CHRISTI
Annus 1223.

HONORII PAPÆ III. Annus 7.

FRIDERICI II. Annus 4. ROBERTI ANnus 4.

I. Turbæ in Italia. *a Inter Ep. Honorij III. anno 7.*

ITalia hoc anno turbarum fertilis, Honorium ad fulmina prouocauit. a Bertoldus illa Dux Spoletanus merebatur, eo quod Cardinalem S. Mariæ in Coſmedin Raynerium Capocium iniuriis multis notauerat, & Marchiam Anconitanam, Ducatum Spoletanum, Fulgineos, Lucerinos, Eugubinos, ſui iuris facere pertentarat.

Fridericus II. quia conſanguineus. Honorio ſupplicat, & vt eæ terræ, dato diplomate, in patrimonio D. Petri, vti hactenus ſemper, permaneant, ſanxit. Eo facto placuit Honorio Cæſar, quod vero Electiones Epiſcoporum

temere

temere violaret, diſplicuit, ideoque caſtigatus manum ab ſacris abſtinere iubetur.

II. Supplicatio inſtituta ab Honorio PP. b *Epiſt. 203. Lateran. 3. Id. April.*

Ineuntis anni auſpicia Dominica 1. ab Epiphania exemplari ſupplicatione conſecrat, prælata Crucifixi Imagine Honorius, publicitus omnibus [b] indictâ, in Baſilicâ S. Spiritus. Intereſſent illi Summus Pontifex cum cœtu Cardinalium & Prælatorum & in mille pauperes eleemoſynam partirentur, vt totius anni decurſu in proſperis & aduerſis propitium Numen experirentur. In Palæſtinâ eualeſcebant Saraceni, quod noſſent diſſidia inter Fridericum & Honorium nonnulla intercidiſſe Ideo Honorius Imperatorem iureiurando, Reges Galliæ, Angliæ, Hiſpaniæ, Hungariæ, Sueciæ, Scotiæ, Daniæ, Norvegiæ, Nauarræ, Boemiæ, ceteroſque Europæ Principes crebris precibus ſtimuliſque ad auxilia ferenda vrgebat.

Impediebant diſſidia Gallum, quæ cum Anglo Henrico miſcebat, iis componendis Conradum Portuenſem Epiſcopum Card. præfecit & maximis indulgentijs ad bellum ſacrum omnes inuitauit.

III. Mors Regis Galliarum Philippi Augusti.

Porro Philippus Galliarum Rex hoc anno fatis conceſſit Meduntæ pridie Idus Iulij, anno regni 45. ætatis 59. Ab alijs Auguſtus, ab alijs Adeodatus nominatus. Eius vitam accurate ſcripſit *Rigordus*, natione Gothofrancus, profeſſione medicus ad Ludouicum VIII. trigeſimum ſextum annum agentem, cognomento Leonem, eius filium & ſucceſſorem coronatum Rhemis cum Blanca coniuge per Guilelmum Remorum Archiepiſcopum præſente Brenno Rege Hieroſolymorum: Habuit autem Philippus præter Ludoicum filios Philippum Comitem Bolonienſem, Robertum Arteſiæ Comitem, Alfonſum Comitem Pictauienſem, & Carolum Comitem Andegauenſem, quorum comitatuum duos poſteriores Angliæ Regi extorſerat. Aſtiterant morienti Brennus Rex Hieroſolymitanus, cui ſimul & duobus Templariorum & Hoſpitaliorum Magiſtris ſexagena millia aureorum ad ſacri belli neceſſitates legauit, præſertim quod in Albigenſes Honorius ſuſcitauerat. Succeſſit Patri in Regnum Ludouicus cognomine Sanctus: atque die 1. Dominica Aduentus, Rhemis ab Epiſcopo Sueſſionenſi ſolemni ceremonia inunctus eſt. Annum duodecimum ætatis agebat tunc Ludouicus, cuius tutelam cum Rex deceſſor Blanchæ vxori ſupremis tabulis mandaſſet, illa omnem operam in eo collocauit, vt à ſanctiſſimis viris Prædicatorum & Minorum ordinis diſceret pie Numen colere, & boni ac iuſti ſtudium amplecti.

Æmil. li. 7. Moritur Ludouicus, ſuccedit Ludouicus Sanctus. *Papyr. lib. 3.*

In Anglia priuilegia dantur Sacerdotibus. *Polydor. hiſt. lib. 16.*

In Anglia hoc anno iubente Henrico Rege Concilium Principum habitum eſt: in quo de Regis pariter ac Principum ſententia, non parua nec pauca priuilegia Ordini ſacerdotali irrogata ſunt. Ottho quoque Cardinalis Diui Nicolai in carcere Tulliano, vir ſumma integritate & doctrina, miſſus ab Honorio Pontifice Romano ad Henricum Regem ſacerdotum Conuentum celebrauit: in quo complurima ad reformationem, correctionemque ſacerdotalis dignitatis conſtituit. Decimas quoque ſacerdotiorum, quas pro bello contra Saracenos gerendo petierat, non difficile impetrauit.

Summarium Geſtorum huius anni Honorij. *Inter Epiſt. anno 10.*

Eodem anno Honorius III. 1. Regi Scotiæ, vt quandam viduam Regno eiectam reuocaret, ſeuere præcepit: 2. Henricum Sueciæ Regem in tutelam Romanæ Eccleſiæ ſuſcepit: 3. Waldemaro Regi Daniæ, vt Comitem Zwaricenſem ab ergaſtulo liberaret, & in ſuccurſum Terræ ſanctæ ire permitteret, iniunxit: 4. Duci Venetorum, niſi iconam Epiſcopo Bethleemi reſtitueret excommunicationis ſententiam oſtentauit: 5. Sanctum Laurentium Archiepiſcopum Dublinenſem, & S. Wilhelmum Archiepiſcopum Eboracenſem Diuis aſcripſit: 6. Contra offenſores & violatores S. R. E. Cardinalium Conſtitutionem, in corpus iuris relatam, promulgauit: 7. Pro electione Patriarchæ Antiocheni plurimum laborauit: contra hæreticos ſanctionem ſalubertimam conſtituit: 8. Regi Anglorum, vt hæreticos extirpare curaret, diligentius mandauit: 9. Archiepiſcopo Toletano, vt & Epiſcopos creare, & Prædicatores in Africam ad Miramolinum mittere poſſet, facultatem conceſſit: 10. Fratribus ordinis Prædicatorum & Minorum in regno Marochitarum, authoritate ſedis Apoſtolicæ laborantibus, indulſit, vt nonnulla ordinis ſtatuta, quæ conuerſioni Gentilium impedimento eſſent, non obſeruarent, ſcilicet, vt barbam & comam nutrirent, habitum religionis ne deferrent, carnes & lacticinia eſitarent: & reliqua intermitterent, quæ ex puris ſtatutis offendiculum Euangelio præſtarent. Eiſdem ampliſſimam poteſtatem fecit in tota Africa docendi, baptizandi, exomologeſes excipiendi: à cenſuris, etiam ſedi Apoſtolicæ reſeruatis, abſoluendi: contra hæreticos ſi qui emergerent ſententiam excommunicationis decernendi: omniaque & ſingula agendi, per quæ EVANGELIVM vel propagaretur apud infideles, vel à perfidis defendi poſſet.

IV. Iacobus Creſcentius Romanus fit Prædicator. c *Dlugloſſus Hiſtor.*

[c] Iacobus Creſcentius Romanus cum Patruum Cardinalem Gregorium Creſcentium in Poloniam cum poteſtate Legati miſſum ab Honorio ſequeretur, ibidem inſtitutum S. Dominici laudatiſſimo zelo amplexus eſt in Monaſterio S. Trinitatis Cracouiæ, quo illum S. Hyacinthus Odrouenſius primum donauit. In quod ordo ille per Hyacinthum ab Iuone Epiſcopo, conſentiente Leſco Albo Principe eſt introductus Quamobrem vero Pontifex Gregorium Creſcentium & Legatum miſerit, fuit, quod ille Boreales prouinciæ regnaque ac territoria atrocibus odijs diſſiderent, & morum corruptelis diffluerent.

Vixit vero in ordine Iacobus Creſcentius religioſiſſime & vitam clauſit.

V. Ordo Mercenariorum inſtitutus. d *Chron. or. S. Mariæ Redempt. C. ptiuorum.*

Rectius illi ſentiunt, qui hoc anno [d] ordinem S. Mariæ pro redemptione Captiuorum inſtitutum tradunt. Mauri, gens impia, Hiſpanias euaſtabat, & quos Chriſtianorum ferro flammiſque exſcindere nequibat, eos in ſeruitutem abducebat. Iacobus Rex Arragonius gentis impiæ neruis inciſis & ſubactis captos liberauit, feliciter bello hoſtes confecit, duo millia Baſilicarum partim extruxit, partim emendauit, vt ibidem vexillum crucis calcatum ſurrigeret.

Ideo Sanctiſſima Mater medio die ſolari luce circumflua Regi apparuit, illum collaudans, non modo in debellandis Mauris ſe fortem præbentem, verum etiam in redimendis captiuis, miſericordia ſingulari, zeloſiſſime laborantem. Ideoque Rex ſe Patronum ordinis & defenſorem extemplo tulit, & porro futurum ſancte vouit. Cuius viſionis & Petrus Nolaſcus, vir opibus & clientelis potentiſſimus apud Gallos particeps fuit, ac proinde omnes facultates ſuas ad redimendos captiuos conuertit. Cuius tanta fuit in captiuos charitas, vt etiam in formula votorum id adijci curauerit. In Saracenorum poteſtate in pignus (ſi neceſſe fuerit ad redemptionem Chriſti fidelium) detentus manebo. Barcinonæ coram Rege Iacobo 10. Auguſti ipſo D. Laurentij S. Raymundus Ord. Prædd. regulam compoſitam illis ex commiſſione Apoſtolica, & habitum album, cum inſignibus Regum Arragoniæ dedit. Petrum Nolaſcum primum ordinis Generalem inſtituit. Ordinem vero Gregorius IX. vndecimo à fundatione anno, probauit. *Natalis Gauer, Mercenarius lib de Ordine Mercenariorum* ſcripto anno 1568.

VI. Summarium quorumdam memorabilium.

Honorius III. ex *Onuphrij* ſententia hoc anno inſtitutum S. Franciſci confirmat dato diplomate 3. Kalend. Decembris, Henricus Rex Romanorum Friderici Imperat. filius Agnetem Leopoldi Ducis Auſtriæ filiam ducit vxorem, *Vrſperg.* Hermannus Saltza ordinis Teutonicorum Magiſter, primus Sacræ militiæ ſigna in Pruſſiam victor inuehit *Liber ordinis.* Ioannes Brennus Hieroſolymorum Rex ad viſitandum B Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi & Martyris ſepulchrum tranſmittit in Angliam, & metuens ſibi ab Anglis, reuertitur. *Andreſe Chronicon.* Alfonſus cognomento Craſſus, Luſitaniæ Rex moritur Conimbricæ, relictis filijs Sanctio regni hærede, Alfonſo & Ferdinando. *Mariana lib. 12. ca. 9.* Ioannes Ducas Imperator vicit hoc anno Alexium & Iſacium Principes, & rerum in Aſia cum Regis titulo potitur. *Niceph. Greg. lib. 2.*

VII. *Peſtis per German. Vngar. Gallias.*

VII. Hoc anno peſtilentia pecorum permaxima, ab Vngaria in totam Germaniam & Galliam permaſit, & toto triennio durauit, & ex ea tertia pars pecorum interijt: *Chron. Hirſaug.*

VIII. *Henricus Comes Veringenſis Epiſcopus Argentinenſ. moritur. exemplar Epiſcopor.*

VIII. Eodem anno, ad diem 11. Martij mortuus eſt Henricus Comes Veringenſis Epiſcopus Argentinenſis. Eam ille dignitatem ante vnum & viginti annos adeptus, nihilominus optimis literis inuigilauit, atque nullo Vicario conſtituto, ipſe omnia munia Epiſcopalia abſoluit.

Hinc factum, vt centum quatuordecim Sacerdotes, trecentos octuaginta ſex Diaconos & inferioris Ordinis, vno die ſolemniter inaugurarit. Hos etiam ipſemet examinauit, atque ſuo exemplo ad pietatem & doctrinam adhortatus eſt. Vt autem literæ commodius in ſua diœceſi docerentur, ipſos Dominicanos in vrbem ſuſcepit, atque eis habitationem conceſſit.

Cum autem multi hæreticorum eo tempore verbo Diuino contraria docerent, ipſos erroris conuicit, atque officij admonuit. Verum cum pertinaces eſſent, octuaginta vno die comburi iuſſit. Magna gloria, cum Eccleſiæ ſuæ viginti & vno annis præfuiſſet, pie mortuus, in Cathedrali ſepulturam accepit. *Anon.*

IESV CHRISTI
ANNVS 1224.

HONORII PAPÆ III. Annus 8.

FRIDERICI II. Imp. An. 5.
ROBERTI IMP. Orient. An. 5.

I. *Robertus Imp. Orientis exoſus redditur.* a *Criſpinianus in Roberto Niceph. Greg. lib. 2.*

I. IMperator Orientis [a] Robertus Latinorum pariter ac Græcorum odium ſibi conflauit. Illorum quod filiam nobilis matronæ Proceri Burgundo deſponſam ſibi illicite aſciſceret, qui iuſta indignitate facti exacerbatus, in palatium virginis effractis foribus irrumpit, eamque denaſauit, matrem noui matrimonij conciliatricem mari merſit. Nihil ad hæc hiſcente Roberto, Horum, quod Alexium Iſaaciumque ſuis copijs adiutaſſet, in Ioannem Ducan pugnantibus, quos acri prælio Ducas fudiſſet. Cui petitis per [b] literas ab Ludoico Rege Galliarum ſubſidijs de ſecuritate HONORIVS prouidere nitebatur.

b *Ep. 249. anno 8.*

II. *Fridericus II. ducit filiam Brenni.* c *Inter ep. an. 8.*

II. [c] Fridericum quoque Imperatator. cum Iole Ioannis Brenni Regis Hieroſolymorum filia in quarto conſanguinitatis gradu contrahentem, per diſpenſationem reddit idoneum, nuptijſque in Vrbe celebratis, Apuliaque petitâ Saracenos ibidem acie fundit fugatque, nihilominus in trudendis pſeudo Epiſcopis, violandiſque Eccleſiarum iuribus ac priuilegijs pertinaciter ſatis hærens.

III. d *Papyrius Maſſonus in Ludouico Leone. Æmilius lib. 7. Mattham Pariſ. hoc anno.*

III. [d] Henricus Angliæ Rex Normanniam repetit, Francus illam negat, magnis interim odijs certatum. Sauaricus Malleonenſis magnæ nobilitatis vir, qui pro Anglo exercitum in Aquitania duxerat, victus eſt, fuſo exercitu à Rege Franco, & exutus Niorto, Rupella, & fano S. Ioannis Angelici, qui proditionis apud Anglos inſimulatus ad Francum tranſijt. Hinc Crucesignati impediti in Saracenos & hæreticos puguare.

e *Anno 8. 10. Kalend. Maij, 2. Kal. April. 10. Kal. Martii.*

[e] Quare, monet ternis literis Ludouicum Honorius, vt vel inducias cum Anglo paciſceretur, & Contado Cardinali ſedis Apoſtolicæ Legato controuerſiam decidendam committeret.

IV. *17. kal. Febr. 2. Id. Ian.*

IV. Sanctius Regis Alfonſi filius primogenitus ſucceſſor eandem immanitatem in Bracarenſem Epiſcopum, quam Pater, exercebat, illum ſalutaribus monitis ad reconciliationem hortabatur Papa. Ferdinandum vero Regem Legionis quod epiſcopum Vlyſſiponenſem aduerſus Sanctium & alios iniurioſos tueretur laudabat. Occiſores vero Aulæ Præfecti Epiſcopi Vlyſſiponenſis, ne à quoquam receptarentur Sanctiæ & Teraſiæ REGNIS interdicebat.

V. f *Surita lib. 1.*

V. [f] Ioannes Brennus Rex Hieroſolymorum viſitato Compoſtellano D. Iacobi ſepulchro & Berengaria ſorore Ferdinandi Regis ductâ, ex eâ Martham filiam ſuſcepit, quæ poſterioribus annis Balduino II. IMPERATORI ORIENTIS nupſit.

VI. Croiorum familiæ in Francia initium factum per Marcum filium Andreæ, tertiogeniti Regis Hungari Andreæ II. Erant ei quatuor liberi. Primus Bela, quem Pater, quod ſe inconſulto, ad matrimonium conuolaſſet, exilio mulctauit. Cuius cauſam apud Patrem mitigandam, Præmiſlao Ottocaro Bohemiæ Regi commiſit Honorius. Secundus erat Colomannus: tertius Andreas, quarta Eliſabetha, Lantgrauio Thuringiæ in thori ſociam data, quæ virgo, vxor, vidua, ſanctitatis gloria in Eccleſia coruſcauit eximia.

VII. *S. Franciſc. ſtigmat. D. Ieſu conſignatur.* g *Anno 8. Ep. 261.*

VII. [g] S. Franciſci regulam & inſtitutum, datis ad eum literis, Honorius auctoritate Apoſtolica probauit, firmauitque, veriore ſententia inde deducta. Quo & Seraphicus Patriarcha ſacratiſſimis Crucifixi Ieſu ſtigmatis meruit in monte Aluernæ per Seraph. Angelum, peculiari præ ſanctis omnibus priuilegio, conſignari, in feſto Exaltationis S. Crucis, cum ibidem ad honorem S. Michaelis Quadrageſimam ieiunare fuiſſet exorſus. Exin tametſi acribus doloribus ob excreſcentes ex pedibus vrgeretur, ac ſanguinaret, nihilominus vectura vſus per vicos vrbeſque Crucis gloriam prædicauit, & ad eius baiulationem animauit omnes. Cumque exhauſto dolorum acrimonia corpuſculo exſuccus & ſemianimes artus humo collideret, ſic exclamabat. *O Gratias tibi ago Domine Deus pro hiſce cruciatibus, teque ex animo precor, vt centuplum, ſi placet, addas. Nam mihi tua voluntas ſummum gaudium eſt, ſummumque ſolatium. Annal. Franciſc. S. Bonauentura & alij.*

VIII. *Henricus Angliæ Rex ſapiens.* h *an. 12. Kal. Decẽbr. & 2. Id. Martij.*

VIII. Eodem [h] anno Henricum Angliæ Regem publice ab Ludouico victum, priuatim odijs coniuratorum Procerum, & Reginæ Matris exercitum Honorius defendendum ſuſcepit. Quod licet ætate etiamnum eſſet præmatura, admiranda tamen gubernandi prudentia annos anteuerteret, illi de tam raris gubernandi donis medullitus Pontifex gratulatur. Hæreticos vero velut ſerpillum aut cancer ſe diffundentes pro hoſtibus habendos acerrima in eos ſancita conſtitutione, idem HONORIVS promulgat.

IX. i *Chronic. Monſ.*

IX. Comes [i] Montfortius ſecundo genitus, (fratre iam demortuo) quidquid in Prouincia Agninenſi, Albienſi, Toloſana, & Narbonenſi acceperat, Regi Franciæ permiſit, quod ægerrime prouincias illas ob rebellionum frequentiam aduerſus inuaſores tueri poſſet, cui id honoris in compenſam ab Rege datur, vt MAGISTER equitum perpetuus audiret. Abu Zacharias vero Tunetis Rex à Marochi REGNI IMPERIO ſe ſenſim cæpit ſubducere.

X. Moriuntur hoc anno Benedictus Aretinus Franciſcanus ab Antiochenæ prouinciæ adminiſtratione reuertens, & digitum S. Danielis Lipſanis Aretinis ex oriente delatum addens. Item confeſſor alius S. Gualtherius Laudenſis. Is Laude à parentibus ſterilibus precibus à Deo impetratus, ijſque defunctis poſt rem familiarem pauperibus larga manu diſtributam apud Placentiam ægrotis in Xenodochio humillime miniſtrauit. Deinde euoluto biennio in patriam ſe recipiens in noſocomio S. Bartholomæi extra vrbem idem miniſterium præſtitit: aliudque Xenodochium cum Sacello prope Laudem, in via, quæ Mediolanum ducit, extruxit: quod poſtea ab Henrico Septara Mediolanenſi Archiepiſcopo auctum, prius Miſericordiæ, deinde S. Gualterij dictum eſt. Ijſque miſericordiæ operibus ſanctitatem & aſcetica vita promeritus. Iacobi Vitriaci Aconenſis Epiſcopi & Cardinalis hiſtoria Orientalis hic finit, vti exſtat edita. Vtinam vero quis tertium eius librum erudere ſicubi poſſet, bono publico, quem de rebus Orientis & Occidentis ab ipſo conſcriptum fuiſſe teſtatur Caniſius. Prædicatores Angliam primum ingrediuntur.

Iacobi Vitriaci hiſt. Orientalis definit Caniſius tom. 6. antiquarum Lect.

IESV CHRISTI
Annus 1225.

HONORII PAPÆ III. Annus 9. — FRIDERICI II. Annus 6. — ROBERTI Annus 6.

I. Honorij varia geſta. a *Ep. ex 9.*

RES [a] Chriſtianorum in Oriente peſſum ibat, Eccleſiaſtica libertas proculcabatur, vtrumque ab Friderico malum, qui ſolido biennio belli ſacri apparatum inſtituerat; at non ibat. Nam iuris aliquid in Eccleſias & electiones Prælatorum ab Pontifice captabat. Per Legatos anguſtiatus Honorius, inquirit, quid fieri ſaluo iure cuiuſcunque fieri poſſit & indulget. [b] Ideoque Henricus Rex Francofordiæ conuentum Principum agitat, quo negotia regni, & Crucesignatos ad eliberandam terram ſanctam procurat. In Gallijs Romanus Cardinalis Legatus Crucesignatos in Albigenſes colligit, & inprimis Regem Ludouicum, qui pactis cum Anglo pacis conditionibus armiſque poſitis Auennionem reſiſtentem cum innumeris copijs cepit, mœnia deiecit, expleuit, trecentos domos complanauit. Toloſanus Comes vaſerrimus pabula in munitiora oppida comportauit, agroſque & prata ferocia aratro inuertit. Hinc peſte & fame conflictari milites, nec Toloſam omnibus fere occupatis obſidere auſus. [c] Ferdinandum quoque Sanctij Luſitaniæ Regis filium, Ioannę Balduini primi Imperatoris filiæ maritum, Flandriæ Comitem ab Philippo Patre captum, ſub certis conditionibus poſt duodecennes carceres & quinquimeſtres relaxari facit Honorius.

b *Naucl. Generat. 41. Bern. Guido in Chron.*

c *An. Fland. lib. 8. Æmil. lib. 7.*

II. *H. Cal. Nou. 15. Ave titulo Epiſt. 161. Epiſt. 119. & ep. 144. Epiſt. 385.*

Eodem anno Sanctium Portugalliæ Regem contra Saracenos dimicantem, in Sedis Apoſtolicæ protectionem ſuſcepit. 2. Hoſpitalarijs in Hiſpania, vt Alfonſo à Mauris in Caſtro Albuquercij obſeſſo ſuccurrerent, præcepit. 3. Hieroſolymitano Patriarchæ, vt in alienis Eccleſijs pallium circumgeſtaret, indulſit. 4. Legatum Epiſcopum ad prædicandum Gentilibus in Liuoniam deſtinauit, atque Epiſcopos creandi poteſtatem commiſit. 5. Fr. Dominiço Priori FF. Prædicatorum & Fr. Martino in Marocio Africæ authoritate Apoſtolica prædicantibus, adhortatione ſua calcar addidit, eoſque multis priuilegijs, & præſertim cõtra hæreticos, ſi qui emergerent puritatemque Euangelij contaminare vellent, exornauit. 6 Legatos Henrici Regis Cypri audiuit, atque ad eorum petitionem eundem Regem puerum Magiſtro Hoſpitalariorum cõmendauit. 7. Comitem Tripolitanum bona militum S. Ioannis Hieroſolymitani vſurpantem anathemate percuſſit, eiſque contra eum arma ſumendi poteſtatem fecit.

Boſſ. lib. 9. de molit. Melit.

To. 4. Conc.

Concilium Colonienſe.

Eodem etiam anno Quarto Idus Decembris, Conradus Epiſcopus Cardinalis Portuenſis & Apoſtolicæ Sedis ad inclytam Alemaniæ nationem Legatus, in Concilio Coloniæ habito multa pro reformatione Chriſtiani Cleri conſtituit, & morum corruptelam reformauit: perque omnem Germaniam Archiepiſcopis, Epiſcopis, Archidiaconis, & archipresbyteris præcepit, vt eas Conſtitutiones in Concilijs annis ſingulis celebrandis promulgarent, atque obſeruari procurarent.

III. Martyrium S. Engelberti Archiepiſcopi Colonienſis, & percuſſoris ſupplicium. d *Chron. Spanheim.*

Hoc anno Sanctus [d] Engelbertus Archiepiſcopus Colonienſis immanitatem & inſatiabilem auaritiæ ſitim Friderici Comitis Iſenburgici, qua Eccleſias & præſertim Eſſendienſem cum virginibus Deo deuotis agitabat, iuſſu Honorij & Friderici ſecundi Imperatoris vindicare cogitans ab Sicario Comite miſerabiliter trucidatur, exciſo cerebro, & corpore vulneribus diſſecto. Vnde ab Conrado Portuenſi Legato diris deuotus poſt anni circulum interceptus eſt, & extra muros Colonjenſes rotæ impoſitus ab Henrico ſucceſſore ſancti Engelberti. Inſigni inter diuaricationes & oſſifragia contritione & lachrymarum profuſione illuſtris. Mater aſſiſtens fatebatur ſe vtero concluſum natum ab coruis dilacerari præuidiſſe. *Chron. Sphan.*

IV. Fridericus in hæreticos ſanctiones præclaras condit.

Fridericus ſecundus, vti præſignificarat, in Germaniã deſcendens, Pataũij inſignem conſtitutionem aduerſus hæreticos edidit, cuius Innocentius quartus, & Bonifacius octauus in ſua decretali meminerunt. Præter hanc & alteram adiecit, quibus naturam & mores hæreticorum effigiat, vigeſima ſecunda Februarij. Addidit etiam pœnas receptoribus & Complicibus irrogandas. Et denique in Capitulis his Conſtitutionibus ſubiectis, nominatim omnes eiuſmodi fugiendas peſtes recenſet. Quibus Principibus orthodoxis præclare præiuit.

V. Balduinus fictus ſuſpenditur. *Æmilius l. 7. Lipſius lib. 2. Exemp. Pol c. 5. Marcant. in Ioanna.*

Bernardus Rainſus [e] Rhemenſis ex Campania oriundus, qui ſe reducem eſſe Balduinum primum Conſtãtinopolitanum Imperatorem finxerat vulgaratq; ante annos aliquot ab Bulgaris captum, à Ioanne Flandorum Comitiſſæ filiæ Balduini primi miniſtris captus Inſulis Flandrorum, in qua vrbe Imperialem coronam geſtarat reſte ſuſpenditur; *fama ancipiti; iurene an iniuria*, inquit Æmilius, qui rem probe deſcribit initio fere libri ſeptimi.

VI. Sancti. f *Michael Pius lib. 1. de viris illuſtr. ord. P P.*

Mortuus etiam hoc anno [f] beatus Ioannes Salernitanus, Ordinis Prædicatorum apud Florentinos Conditor, illuc ab Diuo Dominico miſſus Floretque in eodem Frater Martinus ex Fano Iouis iudex Bononienſium æquiſſimus, ante religionis ingreſſum.

Monum. Eccleſ. Nucer. & M. S.

Sanctus Raynaldus quoque Epiſcopus Nucerinus, Vidri Comitis Alemanni ſtirpe prognatus, mira ſanctitatis fama in omni ætatis gradu clarus ad coronam cæleſtem euolauit. Illi coæuus quoque Bonuiſius Placentinus, rudis literarum quidem, at diuinitus eruditus, cuius Fratribus Placentiæ egentibus Angeli panem & ficus præbuere. *Idem Michael.*

VII. Miſcellanea. *Greg. lib. 1.*

In Alpibus hoc eodem anno tantus terræ motus ortus fuit, vt quina hominum millia, ruinis domuum referantur eliſa. Theodorus Angelus Michaelis Angeli frater Theſſalonicam ſubegit, immo & regium nomen ſibi aſſciuit, καὶ χρῆται βασιλικῷ, vt *Gregoras* ait. Guillelmus Pariſienſis auctor libri cui titulus Rethorica diuina ſuis cõcionibus cõplures mulierculas turpi corporis quæſtu viuentes, lupanaribus extraxit: iiſq; domum nouam, quam Filiarum vocant, Lutetiæ excitauit, biennio poſt creatus Epiſcopus.

Sigefridus ſecundus Archiepiſcopus Moguntinus moritur, & Erfordię ſepelitur. Succedit Sigefridus tertius, qui initio Pontificatus ſui celebre concilium indixit. Sic *Trithem: & Serar.*

VIII. Frid. coram Legatis Apoſtolicis promiſſa redintegrat.

Hoc anno in Apuliam profecto Friderico, ex Patrum purpuratorum conſilio, ſummus Pontifex Cardinales duos, Pelagium Epiſcopum Albanenſem, & Guallã presbyterum tituli ſancti Martini ad vetera cum eo confirmãda ſacramenta Legatos miſit. Qui cum ad ſanctum Germanum veniſſent, ipſum pridie Idus Iulias præſentibus omnibus ſuis ex Germania Principibus promiſſa redintegrare iuſſerunt Ille vero ſacris Euangelijs manu tactis iurauit, ſe intra biennium menſe Auguſto in Orientem ſine vlla recuſatione properaturum: centum milites ibi ſuo ſtipendio pro ſubſidio per duos annos habiturum: centum millia auri vnciarum expenſurum: centum chelendras & quinquaginta triremes vltra marę ducturum: ac duobus millibus militum Crucesignatis ad traiectionem elargiturum; in animam ſuam iurare iubens, ſe hæc ſingula completurum: & ſponte conſentiens, in ſe & regnum ſuum ſententiam ferri, ſi qua horum conditione temere deceſſiſſet. Hoc facto, Cardinales in conſpectu Principum, ac populi circumſtantis, anathema in eum auctoritate Apoſtolica protulerunt, ſi officio defuiſſet. *Sigonius de regno Italiæ, lib.* 17.

IESV CHRISTI
Annus 1226.

HONORII PAPÆ III. Annus 10. — FRIDERICI II. Annus 7. — ROBERTI Annus 7.

I. Fridericus II. excommunicatur.

HOnorius tandem poſt longanimem impietatum Friderici tolerantiam, & toties repetitam iuriſiurandi violationem, illum ſententia excommunicationis percel-

Ezelinus tyrannus, & Tancredus eius complices.

lit. Ille continuo in furias actus Lombardiæ ciuitates fœderatas Sedi Apoſtolicæ per Ezelinum Tyrannum Patauinum inuadit, omniaque inuertit in Italia, vſus nefarijs Tancredi totius improbitatis auctoris conſilijs. Inſuper mandatum Prælatis omnibus vt illum in die Cœnæ Domini more Maiorũ, vt præſectum ab Eccleſia membrum propalarent. Gelbergam Danorum regis filiam, Philippi Auguſti vxorem legitimam viduam in protectionem Sedis Apoſtolicæ accipit. Ludouico Leone Rege Eccleſias earumque bona ac poſſeſſiones multum violante. Nec impune, quippe qui præmatura morte ſcilicet, contagioſa peſte extincto regnum ſuum Ludouico Sancto filio duodenni tranſcripſit, ſeptimo Idus Nouembris in Diui Dionyſij tumulatus pompa regia.

II.
VVormatienſes cenſuris ad pacem reuocantur. Naucl. Generat. 41.

Henricus Vangionũ Antiſtes inſigni zelo ſeditionem ſuorum ciuium & inobedientiam repreſſit, interdicto vrbe ſuppoſita Nec ſic acquieſcentibus, Clerum vrbe iuſſit excedere, relictis parochis ob morientes, ſepulturam Eccleſiaſticam negare, ad communionem Clericorum neminem admittere, vnde ad mentem rediere, ô Wormatienſes, quam iam nunc, pro dolor, ab priſca obedientia, religioneque receſſiſtis orthodoxa?

III.
Spectaculorum leuium infelix euentus. a Pet. Marcell. in hiſt. Veneta.

[a] Taruiſini longa inertia otioque languidi, ſpectaculis delitias venabantur. Caſtellum in media vrbe erigunt, pellibus murorum vice ambiunt, virginibus defendendum tradunt. Adſtant Veneti & Patauini. Nobilibus adoleſcentibus oppugnandi copia facta, pomis, piris, nucibus, affinibuſque miſſilibus. Veneti primi impetunt, vident Patauini & inuident. Præueniunt, vexillum Venetum ſancti Marci diſtringunt. Choragi & hiſtriones, ni aduertiſſent, Laniena facta fuiſſet, capti rei, punitique. Patriarcha Aquileienſi arbitrante *Petr. Marcel &c.*

IV.
b Miſcellanea Gregorij libri ordinis.

[b] Theodorus Angelus ab Bulgarorum Rege victus prælio regia dignitate & oculis priuatur, Boruſſia militibus Teutonicis per Conradum Maſſouiæ ducem vigeſimo nono Maij donatur. Auctoribus *Ciacconio Martino Cromero, & Onuphrio.* Honorius inſtitutum Carmelitarum ab Helia Propheta in monte Carmelo frequentatum (quatto miliari à Ptolomaide ſeu Arone celebri vrbe ſitus eſt) approbat, quod ſucceſſor Gregorius nonus confirmauit. Franciſcani intrant Angliam. Rhythmorum vſus primum ex Italia in Gallias illatus increbuit, auctores illorũ mire ornãte Saluaro Malleonenſi, Petriarcha tradit ab Suridis primum ad Italos perueniſſe. *Ita docte Miræus.*

Hocanno Portio ſanctæ Crucis in Anglia in monaſterio Bramhamcenſi miracula patrat, cæcis viſum, ægris ſanitatem, &c. tribuens *M. S. Vatic.* Comes Sariſburienſis inſignem à beata Virgine mercedem tulit, quod cereum in eius honorem perpetim accendendum conſecraſſet, illo die quo militari zona & dignitate fuiſſet donatus, in tempeſtate ſæuiſſima maris apparente ad malum nauis ſpecioſa virgine cum cereo, illamque ſedãte. *M. S Vat.* Venetijs FF. PP. ex oratorio ſancti Danielis ad ſanctorum Ioannis & Pauli cœnobium non ſine prodigio transferuntur.

Flor. lib. 2. vitæ Coſt. Eius lib. 14. 55.

V.
Obitus Seraphici Patriarchæ Franciſci. Bonau. Vincent. lib. 31 c. 100. & aly.

Hocanno Phœnix ille religioſorum, ſanctus Franciſcus & ſpeculum perfectionis abſolutiſſimum in humanis eſſe deſijt Aſſiſij quarto Octobris, ætatis anno quadrageſimoquinto, ab inchoata religione octodecim circiter, & triumphantem Eccleſiam victor introijt, ad ſanctam Mariam de Portiuncula, quo deferri petiuerat. vt vbi gratiæ igniculos primos ac conuerſionis ſuæ admirabilis accepiſſet, ibidem faſtidioſæ vitæ ſpiritum innocentiſſimus Pater, poneret. Nudus cum nudo hoſte in nuda humo agonem viriliter auſpicans, multiſq; de paupertate, patientia, fide inuiolabili erga Sanctã, Romanã, Eccleſiã ſeruandis coram filiolis ſuis diſſertans, mortem præſtolatur. Paſſionis dein explicationem à Ioanne Euangeliſta factam ſibi prælegi iuſſit, & denique ſpiritu latiſcente, & inter emortuas voculas iam fugiente, hiſce finijt, conſolatione pleniſſimis. [c] *Me expectant iuſti, donec retribuas mihi,* cœcos, claudos, ſurdos, ægros ſanitatum gratia copioſe animans. Eius ſi quis auream epiſtolam de reuerentia erga ſacroſanctam Euchariſtiam ſeruanda admirabili amore flagrantem legere cupiat, omnibus ſui ordinis ſacerdotibus cuiuſcunque ordinis inſcriptam adeat.

c Pſal. 141. Toſſinian li. 2. hiſt. Franc.

IESV CHRISTI Annus 1227.

GREGORII PAPÆ IX. Annus 1.

FRIDERICI II. Imp. Annus 8.
ROBERTI IMP. orientis Annus 8.

I.
Moritur Honorius III. ſuccedit Gregorius IX. Aug. Floren. hiſt. Camal. lib. 2 c. 33.

Die decima octaua menſis Martij Honorius tertius, poſtquam decem annis, menſibus ſeptem, dies tredecim Eccleſiã laudatiſſime rexiſſet, moritur eligiturq; altero die vnanimi Patrũ conſenſu Hugolinus illi Senatui ab Innocentio tertio patruo inſertus ex Comitibus Signiæ Anagninus. Cardinalis adhuc ſenſit ſibi prædictũ ab Leonardo Eremita in eremo Euualdulenſi, illum Papam futurum, quod in conſecratione Euchariſtiæ columbam ſuper illũ requieſcere vidit. Ab electione encyclicã miſit ad Imperatores, & Chriſtiani Orbis Principes ſuæ aſſumptionis, vti late refert [a] *Sigonius,* & Crucesignatos in Palæſtinam euocat. Fœderatas Italiæ vrbes, & Fridericum conciliat quarum potentiam Fridericus metuebat, præſertim cum Fauentini quendam Alemanniæ Principem Cæſarem Fridericum eſſe putantes interfeciſſent, quod furorem Friderici metumque cumulabat.

a De regno Ital. l. 7.

II.
Claſſicum belli ſacri in Germania. b Ioan. Vilend l. 6. c. 15. Ep. an. 1. 16. Kal. Decibr.

[b] Conuentu Principum Aquiſgrani indicto per Henricum Regem, omnes orthodoxi Principes coiuere, adeo vt ingens multitudo crucem ſuſciperet, quos inter Ludouicus Haſſiæ Lantgrauius ſanctæ Eliſabethæ maritus, qui Hydrunti in Apulia veneno, dum in Syriam cum Friderico traijcere cogitat, extinguitur. Omnes vero illi auſpicijs Friderici in Syriam deducendi erant, qui pleriſq; comitibus iccirco iter illud perſuaſit, vt tanto rapacius eorũ terras poſſet inuadere, & Eccleſiarũ libertates peſſundare, ſęuitia atq; immanitate, in ea, quæ Sedis erant Apoſtolicæ præeunte. Quare cenſura Eccleſiæ illum ferire Gregorius comminatur, ſi cõtumax eſſe pergat. Simulabat ſe in feſto aſſumptionis cum illis ire velle, & cum velificarentur, triduo mari vectus vela in Apuliam retrouertit, quẽ 40000. Crucesignatorum ſecuta ſunt, cũ ex ſola Anglia 60000. crucem accepiſſent, & indubitatã ipſi Gregorio reliquiſq; Eccleſiæ Principibus ſpem feciſſent, eſſe illos tanto cum exercitu regnum Hieroſolymorum recepturos. Hinc poſt minas anathematis, ipſummet in Fridericum iacit, quod rei bene gerendæ occaſionem manifeſtam ipſe Cæſar interuertiſſet, cauſabatur morbum, ſed fucate ac ſubdole. Vnde illius prætextu grauiſſime Romanos Pontifices redarguit, & crudelitatis accuſauit, officium ſuum nihilominus agente Gregorio & in contumacem decernente.

III.
Summar. Geſtorum Gregorij. c Polydor. l. 16. Lateran. 8. Id Iuny 7. Kal. Iuny: & Idib Decembris.

[c] In Gallijs Gregorius Henricum Regem acie cæſum ab Ludouico Sancto cum ſuis ducibus, vnit, & in ſolutionem Crucesignatorum contra Albigenſes decimas aſſignat per Romanum Cardinalem Legatum. 2. Sanctium II. metu cenſurarum ab immanitate reuocat. 3. In Italia Epiſcopos & Archiepiſcopos remiſſiores, & diœceſis Patauinæ, Veronẽſis & Teruiſinæ ſanctimoniales ad ſtrictius viuendi genus traducit. 4. In Hungaria Syrmianos Græcorũ rituum obſeruantiſſimos per ſororem Reginæ & Archiepiſcopum Strigonienſem cũ Ro. Eccl. vnit, itẽ Cumanos baptizandi poteſtatem docendiq; facit. 5. Teutonici vt in Pruſſiã arma vertant, rogãtur ab Conrado duce Maſſouiæ, cuius potior portio eidẽ à Principe aſſignatur. 6. Henricum Angliæ Regem conſolatur Papa, non eſſe illi præiudiciale, quod etiam in protectionem Sedis Ludouicum Sanctũ, eiuſq; regnum accepiſſet. 7. Poſt defunctum Stephanum Cantuarienſem Archiepiſcopum, alium, reiecto illo ab Canonicis electo, ad Regis & Procerũ petitionem inſtituit. 8. Regem Aragonum illo donat priuilegio, ne, ab alio quam Papa aut eius Legato excommunicaretur. 9. Roberto Cæſari de ſumma rerum periclitanti, pecuniam exigendi ab Eccleſia & Eccleſiaſticis copiam dedit, vt Manuel Patriarcha ſanxerat. 10. Concilium Prouinciale Epiſcoporum in Anglia celebratur.

Chron. lib. 7.
6. Kal. Iunij: & 14. Kal. Iunij.
Anno 15. Id. Aprilem.
Viri Sancti.

VI. d Comes de Lippia ex viduo cum filiis ſit Epiſcopus. Ann. Ep. Vltraiect.

d Floret hoc anno mirabili ſanctitate, & conuerſione puella Hebræa ſeptennis Rachel, quam B. Virgo Catharinam in apparitione voluit vocari. Dein Bernardus de Lippia comes qui relicto ſæculo primum Abbas, dein Epiſcopus Lealhenſis factus duos filios legitimo thoro natos, alterum Epiſcopum Vltraiectinum, alterum Bremenſem Archiepiſcopum vidit, quo tempore S. Odulphus presbyter & prædicator & S. Plechelmus claruere. Ex ordine vero Prædicatorũ ſeptem martyrio affecti, capita præſciſſa ad Conuentum retulerunt. Bononiæ F. Robaldus: illoque Superiores Albertus Magnus, & Petrus Veronenſis floruerunt. Hic tandem martyrio quoq; illuſtratus; ille vero ſtupidus ingenium doctrinamq; cœlitus accepit à B. Virgine, quæ paulo ante obitum rurſum perditurus eſſet, vti accidit.

V. Dilemma impium Lantgrauij Haſſiæ: & prudentis Medici eiuſdem diluto. e Cæſarius de Conuerſ. lib. 1. c. 27.

e Lantgrauius Haſſiæ Ludouicus Clericorum oppreſſor, atheus totus nolebat ab ſceleribus recedere. Ægrotat, vocatur medicus. Qui prudentiæ inſignis memor eius profligati ſimi dilemmatis (*ſi ſum prædeſtinatus nulla peccata me excludent cœlo. Si non ſum, nulla bona opera includent*) idem de ſua medicina aſſeruit. Notans ſe captum, reſipuit, ſed non ſyncere, nam *Cæſarius* illum in pœnis inferni ab alijs viſum affirmat. Floret etiam Lucas Tudenſis Roderici Ximenij Archiepiſcopi Toletani æqualis.

ANNVS CHRISTI 1228.

GREGORII PAPÆ IX. Annus 2. ROBERTI IMP. OR. Annus 9.

I. S. Franciſcus Sanctis aſcribitur Guelfi & Gibelini. a Sigonius l. 16. de regno Italiæ.

GRegorius ſanctum Franciſcum Peruſij ſanctorum catalogo meritiſſimum aſcripſit. Fridericum ſecundũ communione diuina humanaq; iura violantem, ſubmouet, & plerisq; Imperium, pleriſque vero Eccleſiam conſectantibus, factionem geminam Guelforum & Gibellinorum in a Italiam inuexerunt.

II. Raymundus Comes Toloſanus redit, & abſoluitur. b Compend. hiſt. Albi.

b Raymundus Toloſæ Comes ab Imberto Bellirocenſi Ludouici Regis non Legato armis vexatus, eas tandem pacis conditiones accepit, quas Romanus ſancti Angeli Cardinalis & Rex præſcripſerunt. Pactionis illius capita exſtant publice: Præcipua hæc erant; vt Raymundus omni ſtudio ſectam Albigenſium vel curaret exſcindi, vel ipſe exſcinderet: vt filiam Ioannam alteri fratrum regiorum nuptui traderet, quam duxit Alfonſus. Et ſi prolem nullam ſuſcitarent, Toloſæ comitatus ad Galliæ regem deuolueretur. Denique vt Theologis quatuor, iureconſultis duobus, ſex Artium liberalium Profeſſoribus, Grammaticis duobus annua Toloſæ ſtipendia ſolueret, vt iuuentutem Toloſanam hæreſeos illuuie fœdatam, & in ſentina vitiorum aurium tenus demerſam, meliori vitæ redderent. Hæc Lutetiæ pactus menſe Aprili ad aram ſummam, in linea tantum tunica à Legato Pontificio anathematis religione exſoluitur, & Toloſam redit. Alia ſunt quæ ritus inſignes contineant, quorum vſus ex more maiorum in eiuſmodi abſolutione retinetur.

Æmilius l. 7. Papyrius Maſſonus in Ludouico Sancto Mirami.

III. Chriſtus apparet vulneratus prodigioſe. Carol. Sigon. Frider. in Syriam nauigat.

His ſtabilitis nobilem Ludouicus ſanctus Conſtitutionem aduerſus hæreticos ſanxit, cui Raymundus ipſe ſubſcripſit, aliamque reciproce ipſemet Raymundus ampliſſimam ex nomine ſuo omnibus ſuis ſubditis anno Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo tertio Kalendis Martij præſcripſit, quæ cordialem eius conuerſationem luculente detegit. Vt ſcilicet hæretici capiantur, vt eorum domus diruantur, bona ac hæreditates confiſcentur, &c. Digna certe quę omnium manibus terantur. Hoc quippe Raymundi edicto, & Blanchæ Matris Ludouici Sancti vigili cura ſecta Albigenſium breui extincta eſt. Hæc in Gallijs feliciter.

Fridericus excommunicatus perfidiæ toties repetitæ paſſim reus agitur, quod ipſius nefandis ſceleribus prouocatus Deus forſan tot cladibus Palæſtinam obrueret.

Ideo in Palæſtinam nauiganti Chriſtus claro die apparebat, cæteris claſſiarijs omnibus idem ſpectantibus plagas vulneraque crudelia oſtentabat, quibus illum forſan Friderici impietates conficerent, vel quaſi cruce ſignatos cum Imperatore ad miſericordiam exciret, quod ab Barbaris & Saracenis adeo inhumaniter in terra ſua configeretur; totque animæ precioſo ſuo cruore reſperſæ redemptæque miſerabili ſpectaculo, peſſum irent. Porro ſperabat illa nauigatione Fridericus poſſe ſeſe obliterare & eluere ſuam perfidiam, infenſoque Procerum animos tranquillare.

At vulpes pilos mutat non pellem. Ideoque Gregorius Legatos in Sueciam, Germaniam, Gallias, Angliam aliaſque orbis Chriſtiani prouincias regnaque ablegat, qui ſubſidia contra perduellem Tyrannum inde exportent.

IV. Iole Auguſta moritur.

Moritur Iole Imperatrix filia Ioannis Brenni, cum hoc anno quoque Conradum, non ſine veneni ſuſpicione, quam peſſime tractatam calcibus, pugnis, turpiter contudit carceribus pœdoreque exhauſit. Quod Lantgrauio Ludouico etiam ſcribitur præbuiſſe, quippe à morte Thuringi omnia eius ſuppellectilia etiam reclamante ſancta Eliſabetha rapuit, ſibique vendicauit.

V. Ann. Fland. l. 4.

Ex Annalibus Flandriæ refertur M. Philippum Cancellarium Pariſ. & M. Arnoldum poſtmodum Epiſcopum Ambianenſem contradixiſſe decreto facto Pariſijs in capitulo Fratrum Dominicanorum ſuper pluralitate beneficiorum, ne niſi vnum teneri oportere, nec poſſe cum animæ ſalute. Quare Guilielmo Epiſcopo Pariſienſi ille apparuit damnatus, tum quod pluralitatem illam probaſſet, tum de redditibus ſuis nihil pauperibus erogaſſet, & libidinoſe vixiſſet. Notum & illud diploma Regum Bohemiæ Ottocari & Wenceslai, quo ſanxerunt Reges Bohemiæ futuros, nonniſi ab Archiepiſcopo Moguntino eſſe inungendos.

Chron. Spanheim.

Toſſan. l. 2.

Alter ab D. Franciſco generalis beatus Ioannes Parens inaudierat ſubulcum poſt paſtionem porcorum, eos in ſpelæum aliquod coegiſſe, reliquis ingredientibus, vnus nec clamore, nec fuſtigationibus cogi potuit, doctus erat carmina quædam dicere ſi tale quid accideret. Itaque infert indignabunde, ſeu mauis iocoſe. *Intret iſte porcus in antrum, vt iudices cauſarum intrent in infernum*, & continuo introijt. Quo expenſo ille Minorum habitum ſumpſit.

IESV CHRISTI Annus 1229.

GREGORII PAPÆ IX. Annus 3. BALDVINI IMP. Annus 5.

I. Æmil. li. 7. Sabell. Blondus. Balduinus II. fit Imp. Orientis. Ioannes Brennus Cæſar creatur.

RObertus Imperator Orientis hoc anno moritur, relicto filio & hærede Balduino ſecundo. Cui Ioannis Laſcaris affinitatem ambienti, Proceres Latinam virginem ducendam ſanxerunt; quod auus Petrus ſuo exemplo docuiſſet, quam Græca fides eſſet execranda, qui amicitiæ ad ſe inuitatum Imperatorem crudeliter occidiſſet. Itaque filiam Ioannis Brenni ducit Martham nomine ex Berengaria natam, ſororem Ioles Auguſtæ ex parte Patris, & Brennum, quod ipſe minorennis eſſet, Orientis Cæſarem, ex Italia euocatum creat, quod ille Trapezuntino Aſiaticoq; tyrannis Imperij tualibus domi militiæque ſeſe poſſet opponere. Venit Brennus, Imperium adminiſtrat, puerum Regem ad Principes Europæos pro ſubſidijs, ad Gregorium nonum pro coronatione mittit, qui eo pacto terras ſuas in Francia Flandriaque recepit.

II. Fridericus in Syria cum Sulthano paciſcitur, Regemque ſe coronat Hieroſolymorum.

Fridericus in Syria ſine cæde & ſanguine, quod Saracenice loqui noſſet, nihil memorabile gerens turpes pacis conditiones cum Sulthano pactus eſt, & Chriſtiano nomini iniurioſas. Factiſque decem annorum inducijs, recepit Hieroſolymam, Nazareth, Ioppen, Paſchatis Feſtum, vel vt habet *Trithemius*, Dominicam *Lætare Ieruſalem*, celebrauit, Imperator Hieroſolymis more regio coronatus incedens. Cum enim nemo illi diadema vt excommunicato vellet imponere, ipſemet illud ex altari rapit,

verticique aptat, enſeque regio ſeipſum accingit, ſicque in Apuliam poſt ſeptem menſes in Syria actos rediјt.

III. *Iacobus Aragonius Baleares capit. Bern Gomeſ. lib. 6. Mariana lib. 12 c. 14. Greg ep. 9. 5. Kal. Maij Luc. Marian. derеb. Hiſp. ann. 10.*

Legati Pontificij cum Rege Aragonum tractarunt, de diſſuendo inter Iacobum & Reginam coniugio, hac non magnopere reclamante, filioque Alfonſo patre ſic ſanciente, in ſpem Regni certiſſimam educando. Baleares bello petit inſulas, filiumque Saracem Regis captum Iacobum ex fonte vocat, ſacriſque Chriſtianis initiat, vbi in prælio aduerſus Barbaros viſus eſt & ſanctus Gregorius præliari, quem ſuum vt Patronum religioſe colerent; iiſque præſertim, qui purpuream crucem eius inſigne in pectore portauiſſent. Iacobus quoque à Gregorio nono coronari petiјt. Fortunatus dictus paſſim, magnitudine rerum geſtarum & felicitate ad miraculum illuſtris.

IV.

Franciſcani hoc anno Belgium ingrediuntur, à quibus prodigioſum paupertatis amorem puer quinquennis Achas nomine hauſit, moritur Fulcoq; Epiſcopus Pariſienſis ex mendico ſanctitate magnus. Itē Adamus Epiſcopus Morinorum Epiſcopatu ſe abdicat, & monachum in Clarualle iam grandæuus profitetur. *Annal Fland lib.* 8.

5. Kal. Iunij.

Hic quoque Chronicon ſuum Abbas Vrſpergenſis terminat.

V. *Summarium geſtorum Greg IX hoc anno. Epiſt 46.*

His ipſis diebus Gregorius 1. Pariſijs agens, Sanciæ Reginæ Caſtellæ caſtra quædam à patre, marito, & Egea nutrice relicta confirmauit: eam in protectionem beati Petri ſuſcepit, vtque in locis interdictis ſacris intereſſe poſſet, ex formula ſolita conceſſit.

2. Contra reliquias Albigenſium & reliquorum hæreticorum in Gallijs deliteſcentium, cenſuras Eccleſiaſticas die cœnæ Dominicæ promulgauit, & primos fidei inquiſitores D. Dominici inſtitutum profeſſos, contra eos in Gallia deſtinauit.

2. Non. Iun.

3. Petri infantis Portugalliæ promptitudinem erga Sedem Apoſtolicam commendauit, & vt quamprimum cum militibus ſuis in auxilium Eccleſiæ contra Fridericum properaret, inuitauit.

Epiſt. 13.

4. Iudæo cuidam recens ad fidem conuerſo, vt filium quadriennem poſſet in fide Chriſtiana inſtituere aſſignauit, neve à matre in Iudaica perſidia perſeuerante inficeretur, ab illius cura eum ſeparauit.

Epiſt. 19 & ſeq.

5. Turpiſſima Friderici in Syria facta omnibus Principibus diuulgauit, vtque omnes Eccleſiæ ab eo oppreſſæ ſubuenirent, ſubſidia poſtulauit.

Bern Corp. 2.

6. Gaufridum de Caſtillione tituli ſancti Merci presbyterum Cardinalem Legatum, & Fratrem Guallam Ordinis Prædicatorum inquiſitorem Mediolanum ad extirpandos hæreticos miſit. Hi porro coram Epiſcopo comitijs S. P. Q. Mediolanenſ. indictis duodecim viros, quorum terni & terni cum duobus Fratribus Prædicatoribus, & totidem Minoribus ad quatuor portas vrbanas ſubſellijs collocatis hæreticos inquirerent, atque iudicarent, elegerunt, plurimaque contra hæreticos decreuerunt.

IESV CHRISTI ANNVS 1230.

GREGORII PAPÆ IX. Annus 4.

FRIDERICI II. REconcil. Annus 1.

BALDVINI II. Annus 2.

I. *Frideric. II. Eccleſiæ reconcil. atur. a Nancierus Gener 41. l. 2 Greg. 26 Ind. item ep. 166. & 131.*

FRidericus II. ſiue [a] cenſuris Eccleſiæ, ſiue armis, & alienationibus grauiter percuſſus, ad ſpeciem exſolutionem ab anathemate captauit Meſſanenſi Epiſcopo & Teutonicorum Magiſtro Legatis miſſis ad Gregorium. Non abnuit Gregorius turbis Imperij, Eccleſiæ componendis totus incubens. Quare Anagniá veniens ad pedes Pontificis procumbens, abſoluitur, & menſæ pontificiæ abſolutus accubat, depenſis Romanæ Eccleſiæ ob damna maxima illata 120. millibus vnciarū auri, alijsq; pactis præſtitis, quæ iuriſiurandi religionē identidem firmauerat. Itaque nihil antiquius tunc habuit Gregorius, quam illum præſentem & poſtmodum per [b] literas abſentem commonere, vt rebus Syriæ cogendis Crucesignatis, neruoque belli ſuppeditando, iuxta condicta, opitularetur: boniſque Eccleſiaſticis & Ordinum militarium inuadendis & detinendis abſtineret. Illudebat iſtis artibus Fridericus, Italiam veteribus factionibus Guelforum & Gibellinorum reuocatis replebat, anathematis euinculatione, velut pallio vulpinum pectus obnubens. Quorum Principum bona ambibat, & Prælatorum eos colore piæ ſignaturæ crucis in Syriam adigebat, & abſentum facultates inexplebilis expilabat, iura omnia diuina humanaque atheus miſcebat, præſertim quod Eccleſiæ aduerſum ſe fideliter iuxta ac fortiter adhæſiſſent.

b Epiſt 97. 100 110. 114.

II. *Alfonſi regis victoria de Mauris ope D. Iacobi. b Roderic. Tolet. Vergil Mar. lib. 11 c. 15.*

Alfonſus [b] Rex Legionis ſuis & filij Ferdinandi Regis Caſtellæ copijs auctus caſtra Cecilia expugnat, muniтіſſimum Mauricij Imperij propugnaculum. Mox Emeritam vrbem capit, poſtquam memorabili victoria numeroſum Abenhuti Regis exercitum fudiſſet. Opinio fuit ſanctum Iacobum Apoſtolum pro Regibus Chriſtianis aduerſus Saracenos decertaſſe. Interea Alfonſus moritur, Ferdinandus filius paternam hæreditatem adit, ſicque vtrumque regnum in vnum coaluit Imperium in Ferdinando Caſtellano, nec vnquam poſtea diuiſum.

III. *Edicta Friderici in hæreticos. c Trithem. Chron Hirſaug. Naucl Geneb & Lipſ. ep Treuir. hiſt.*

Hæretici quoque quantumuis vbique exſcinderentur, tamen velut Hydræ capita repullulabant. Gregorius Fridericum ad eorum excidium hortabatur. Erant voce [c] Waldenſium & Albigenſium hæreſes vel maxime, quæ in ſanctiſſima Sacramenta Euchariſtiæ, Pœnitentiæ, & Extremæ vnctionis ſæuiebant, & in Imagines ac preces pro mortuis. In quos ab Eccleſia damnatos grauiter etiam Fridericus Imperator edixit.

IV. *d Hect. Boet. lib. 13. hiſt. Scot.*

Adami Cathaneſij Epiſcopi cædem, [d] à popularibus decimas dependere nolentibus factam, Epiſcopo illas exigente grauiter Deus per Alexandrum Regem Scotiæ puniuit, occiſis quadringentis eiuſdem auctoribus cum filijs puberibus. Impuberes euirari iuſſit & teſticulos in vnum aceruum coniectari, vnde teſticulorum mōs poſtmodum nominatus, quod indignum Rex iudicaret, tales ſicarios propagari. Plagis illum virgiſque domi ſuæ fœde ceciderant, & in culina crudeliter concremarant. Comes Catheneſius conſcius horum paulo poſt à ſuis famulis ſauciatus grauiter, & in grabato ſuo depoſitus, pari pœna concrematus eſt.

V. *Illuſtres prædicatores. e Plat. l. 3. de bono Relig. ex Annal. Prad. Balth. Sorio. Franc. Diag. lib. 2. hiſt. Prad. c. 43. Annal. Prad.*

Vocationum diuinarum diuerſæ illecebræ in his ſequentibus raro exemplo apparent. [e] Albertus Comes Falchemburgicus fit Prędicator, Crucifixi Domini exemplo de cruce non deſcendentis egregie ſuam conſtantiam aduerſus parentes cognatoſque aſſerens, & Theobaldum comitem dehortatorem eodem pertractans. Eiuſdem inſtituti quoque fuit Frater Michael Bennazarus in Maiorica inſula à Iacobo Aragonum capta iſtud inſtitutum amplexus, Maurus gente, ſanctiſſimus vita. Item floret ex eodem ordine beatus Ægidius Rodericus Valladarius genere nobiliſſimus, & opum amplitudine inter Luſitanos primus, qui Canonicus perditiſſimus & curioſiſſimus medicinæ, tandem profligatiſſimam vitam in ſanctiſſimam commutauit pactis cum dæmone initis, reſciſſis, cui par ætate & profeſſione Nicolaus Iuuenatius Apulius, & Frater Bertrandus à Gariga indiuidus ſancti Dominici Comes moritur, dono lachrymarum celebris, quas pro peccatorum ſuorum expiatione ſe fundere dictitabat, quorum omnium vocationes, vitæ, miracula admiranda. Ex Franciſcanis ſanctus Ægidius ſancti Franciſci ſocius emicat, charitate & miſericordia inprimis conſpicuus, vnde ad paupertatis Euangelicæ apicem euolauit. Et F. Leo quoque vnus de familiaribus ſanctiſſimi Franciſci ipſius æmulator ardens.

VI. *Solemnitas SS. Corporis cœpit Leodij. f Sorat in*

Hoc anno [f] ſolemnitati ſanctiſſimi Sacramenti inſtituendæ datur Leodij initium, per virginem quandam Iulianam leproſis officia charitatis impendentem, quam

Reue-

Tripartito ſuæ & Tre- [illegible] Treer S. Iacobi Leodienſis & alis.

Reuelationibus diuerſis illuſtratam noluit officium ſuper illa per Clericum rudiorem cōſcribere, & Ioanni de Trecis Archidiacono Leodienſi offerre, qui poſtmodum anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo Pontifex factus eandem inſtituit ſolemniſſimè. Cui ex diuinæ Prouidentiæ diſpoſitione aliæ duæ virgines ſanctitate claræ Iſabella & Eua acceſſere. Quarum illa Hoio veniens cum Iuliana in eodem vixit cōtubernio: hæc vero ſolitariam aſceticamque vitam amplexa, in Leodienſi S. Martini eccleſia inculpate ad mortem vſque durauit. Videtur enim voluiſſe diuina Bonitas vt ab hiſce tribus virginibus adoratio ſanctiſſimi Sacramenti doceretur ardentior, vti olim à tribus mulieribus glorioſiſſimi myſterij Reſurrectionis Dominicæ Apoſtoli fideleſque teſtimonium irrefragabile accepiſſent. *Seranus & Dueſtemius.*

VII. Diuerſorum Sanctorum obitus.

Diuerſi quoque ſanctitate clari hoc anno in Domino obdormiuerunt, vti inprimis eſt beatus Villanius Epiſcopus Eugubinus in Vmbria, qui fontem mirabili modo ex ſaxo ad Carbonam vicum excitauit. Vixit in Epiſcopatu annos vigintiquinque. Beata Helena virgo Patauina, Diui Franciſci ordinem profeſſa, quæ poſt mortem inuiolata Dei beneficio à putredine permanſit, puritatē animi ipſa mortua integritate conteſtans. Denique in agri Senenſis caſtro Celſino Diœceſis Volaterranæ in Hetruria parochus quidam pro populi iuſtitiæque defenſione crucem manu tenens argenteam, & in limine eccleſiæ conſiſtens ab factioſo Gibellino, in pectore ſica transuerberatur. Vnde ad facti indignitatem poſteris demonſtrandam eadem crux argentea oſtio templi ligneo cum lineamentis omnibus fuit impreſſa. Quo in loco ſanctæ Crucis templum fuit extructum.

VIII. Inundatio in Friſia par fere diluuio. g *Caſſ. 7. c. 4.*

In Friſia g hoc anno tanta maris eluuio extitit, ruptis aggeribus, vt non modo Albis & Viſurgis alueum ſuum ignorarent, ſed multa quoque millia hominum intractabilibus maris fluctibus haurirentur, ipſique potentiores inexpectata inundatione in medijs delitijs raperentur. Fluxit vero hoc malum ex ebrioſi pugilis in ſanctiſſimam Euchariſtiam iniuria, quam ipſe cum pyxide, vino obrutus ex manibus eius, cum ad infirmam coniugem deferretur excuſſit, omneſque hoſtias conſecratas per pauimentum ſacrilege diſperſit. Vnde in viſione ipſa ſanctiſſima mater queſta fuit illam maris intemperiem & ſtragem hominū ex ſola filij ſui irreuerentia accidiſſe. Quare ædificato in honorem corporis Dominici templo ab religioſa matrona votiue promiſſo, illa plaga ſæuire deſijt.

IX. Summarium geſtorum Gregorii hoc ann. h 4. *Non. April.*

Eodem anno Gregorius Pontifex 1. Iacobo Aragonū Regi pollicitus eſt eccleſiam Cathedralem in Inſula Maiorica recens à Mauris per eum recepta erigere, & epiſcopum præficere: ſi modo is dotem neceſſariam eccleſiæ aſſignaret. 2. Sancto Ludouico Galliarum Regi ſignificauit, ſed ei quaſdam gratias in præiudicium tertij non poſſe concedere, neque etiam poſſe cum filio Comitis Marchiæ diſpenſare, in his ex quibus grauior perturbationis cōfuſio inter eum & Angliæ Regem ſequeretur, i 3. Eundem Sanctum monuit, vt Simonem Comitem Montiſfortis ad reſtituendum caſtrum Bellicani Archiepiſcopo Arelatenſi compelleret. Nam is Comes in feudum receperat, & iuramento fidelitatis dato, mille marcas pro emendis poſſeſſionibus ad vſum Archiepiſcopalis menſæ, & centum marcas cenſus annui numerare promiſerat, & nec mille expenderat, neque per totos tres annos cenſum exſoluerat, ea de re apud ſedem Apoſtolicam conquerenti Archiepiſcopo, k 4. Diuortij inter Aragoniæ Regem & Reginam decretum cōfirmauit. 5. vt ſancti Franciſci corpus transferretur, indulgentias conceſſit. 6. Lucanos Carfagnanam eccleſiæ Romanæ patrimonium inuadentes anathemate damnauit. 7. Fratribus Ord. Minorum dubia quædam regulæ explicauit. 8. pro eccleſiaſtica libertate in Vngaria multa ſanxit. 9. contra cohabitatores fœminarum, & ſimoniacos clericos pœnas grauiſſimas promulgauit. 10. Hæreticos in Italia peſtifero errore plurimos ſeducentes, miſſis inquiſitoribus ex Ord. D. Dominici, eradicare conatus eſt. 11. Inquiſitionem vitæ & miraculorum S. Virgilij Saltzburgenſis Archiepiſcopi nonnullis commiſit. 12. Priori S. Matthæi Ordin. Prædic. Rothomagenſis, viſitationem & reformationem ſancti Audoeni Ordin. ſancti Benedicti iniunxit. 13. Ordinem beatæ Mariæ redemptionis captiuorum confirmauit, aliaque plura egit.

i 3. *Id. Mart.* — k *epiſt.* 44. 4. *epiſt.* 24. 5. *epiſt.* 11. 6. *epiſt.* 30. 7. *epiſt.* 73. 8. *epiſt.* 124. 9. *epiſt.* 89. 10. *epiſt.* 115. 11. *epiſt.* 12.

IESV CHRISTI
Annus 1231.

GREGORII PAPÆ IX. Annus 5. — FRIDERICI II. RECONciliat. Annus 1. — BALDVINI II. Annus 3.

I. Obitus S. Eliſabeth. a *Sifridus, Trithemius in Chronico, Bonfinius decad. 2. l. 7.*

SAncta Eliſabetha a filia Andreæ Regis Hungarorum Ludouico Thuringiæ & Haſſiæ Lantgrauio nupta 19. Nouemb. obijt, Marpurgi ſepulta. Hæc matrona & pia & calamitoſa fuit, quippe quæ matrem ſuam gladij ſupplicio perdiderit: maritum ſuum Hydrunti in Apulia in Syriam nauigaturum, externo ſolo & cœlo: filium ſuum veneno domi, ipſamet ab Henrico fratre mariti poſſeſſionibus omnibus iniurioſe expulſa. Quæ tamen omnia admirabili patientia ſuperauit, ſanctæ Heduigis, cuius ex ſorore neptis erat exemplis edocta. Filia eius Sophia Henrico Duci Brabantiæ nupſit, filius vero Hermannus cum vxorem duxiſſet poſt celebratas nuptias à malefica quadam veneno peremptus ſine liberis deceſſit. Omnibus ergo bonis in pauperum vſus erogatis, & in xenodochia ædificanda impenſis, præſertim Marpurgenſi & ancillaribus officijs deuote præſtitis, morbo correpta fuit; dicentemque Chriſtum in ſomnis audiuit: *Veni dilecta mea Elizabetha, & præpara tibi tabernacula ſubl.* A Gregorio IX. quarto poſt mortem anno, plurimis miraculis coruſca Sanctorum albo inſeritur.

II. Antonii de Padua obitus. b *Platus l. 2. c. 6. Sur. 13. Iun. Antonin. p. 3. tit. 24. c. 1. Chron. Franciſc. tom. 1. l. 5.*

Eodem anno ille S. b Antonius de Padua Thaumaturgus, Ordinis Minorum ex hac vita migrauit, Luſitanus Vlyſſiponenſis, cuius vita miraculis & prædicatione illuſtris fuit. Sequenti anno à Gregorio IX. ſanctorum catalogo inſertus; cui elegantiſſimum hymnum ſcripſit Reuerendiſſimus Antonius Querengus, elegantiſſimi vir ingenij. De quo illud inprimis memorabile narratur quod ferocientem Ezelinum tyrannum acerrima concione ad congruam pœnitentiam perduxerit, & funebrem concionem ſuper vſurarij morte habēs cor in theſauris eius palpitare prodigioſe oſtenderit: illorum Euangelicorum verborum fidem aſtruens: *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.*

III. S. Antonius de Padua Olyſſipone innocentem patrem à morte liberat.

Illud quoque non minore admiratione dignum eſt, quod Antonius patrauit. Cum duo ciues Vlyſſipone (viro Dei Patauij commorante) odio capitali ſe mutuo proſequentes, necem alter alteri machinaretur, vnus alterius filium per ſummam crudelitatem (clam tamen) iugulauit, eumque noctu in horto parentum S. Antonij ſepeliuit. Mane corpus inuentum, incerto cædis patratore à iudice viſitatur, ac Martinus (id erat nomen patri viri Dei) cum tota familia in vincula conijcitur: quaſi cædis reus. Cuius rei per ſpiritum factus certior Antonius, eadem nocte Vlyſſiponem in Luſitaniam diuinitus delatus, mane iudicem adijt, cadauerque pueri interempti afferri petijt: quo allato, in Dei nomine, vt ediceret, ſi Martinus aliquiſve ex eius familia ſe interfeciſſet, omnibus audientibus imperauit, ſtatimque (res admiranda) puer corpore ſe erigens illos cædis conſcios non eſſe teſtatus eſt. Eo miraculo pater cum ſuis liber dimiſſus, Antonius vero Angelico miniſterio Patauium reſtitutus eſt.

IV. Summarium geſtorum Gregorii P. IX huius anni. c *Nauel. gen. 2. ex Blondo & Platina.*

Hoc anno Gregorius nonus dum Peruſium abiret, motuum ciuilium componendorum cauſa, c Romanis coniurationis anſam dedit, vt excuſſo Coſs. Magiſtratu Senatores nunc vnum, vetere more, nunc duos annuè eligerent, qui tum ius populo dicerent, tum vrbis cuſtodiæ præſiderent. Quare exercitu collecto, cum coniurationis principe Hannibaldo in Viterbienſes mouerunt, qui-

Digitized by Google

bus pro maleuolente ingenio Fridericus II. ſuppetias tulit. Nocendi namque occaſionem, & ſe de Gregorio vlciſcendi arripuit. Gregorius excommunicatis factionis auctoribus tum Ludouicum ſanctum, tum confœderatas ciuitates Lombardiæ aduerſus illos excitat. Nihilominus Fridericus cum Ezelino tyranno etiam hæretico diuina humanaque iura miſcuit fœdauitque, eccleſias ſpoliauit, Clericos & Sacerdotes afflixit, bona eorum diripuit, ſubditos tyrannice tractauit. 2. Ciuium Patauinorum conſtantiam in fidelitate erga Sedem Apoſtolicam laudauit. 3. Reges Galliæ & Angliæ ad deponenda arma, & in Saracenos & Albigenſes conuertenda, inducijs inter ſeſe ſtabiliendis hortatus eſt. 4. Studia Academiæ Pariſienſis priuilegijs à Philippo Auguſto auo illi conceſſis, confirmatis, egregie promouit. 5. Inſigni epiſtola ad Germanum Patriarcham Conſtantinopolitanum data vere aurea, vnionem vtriuſque eccleſiæ, Latinæ cum Græca inſtituendam acerrime euicit, primatumque eccleſiæ Romanæ irrefragabiliter aſtruxit Reate ſeptimo Kalendas Auguſti. 6. Ordinem Mercenariorum Monachorum anno milleſimo ducenteſimo decimo octauo inſtitutos eorumque viuendi rationem dato diplomate approbauit Peruſij decimoſexto Kal. Febr.

7. Epiſt. 16. — 7. Conſtantiam Boemiæ Reginam in protectionem Sedis Apoſtolicæ ſuſcepit, bonaque omnia dotis nomine à Rege illi relicta confirmauit.

8. Epiſt. 161. & 165. — 8. Taraſiæ Reginæ, ac Sanciæ & Blanciæ Sororum, cum Sancio Portugalliæ Rege compoſitionem poſt varia diſcordiarum diſcrimina & pericula bellorum factam, approbauit, eaſdemque in tutelam D. Petri aſcripſit.

9. Reate 13. Calen. Aug. — 9. Anglorum Regi, ne proceres & magnates extra Regnum ad iudicium tradi per quaſcumque litteras poſſent indulſit.

10. Epiſt. 131. — 10. Rectores Eccleſiarum Anglicarum ad reſidentiam ſtricto iure coegit.

11. Epiſt. 147. — 11. Abuſus quarundam Portugalliæ Eccleſiarum reſcidit & reformauit.

12. Epiſt. 6. — 12. Controuerſiam de præcedentia Cleri definiuit, vtque primum locum presbyteri, ſecundum Diaconi, tertium Hypodiaconi obtinerent conſtituit.

13. Epiſt. 189 — 13. Ne quis Eccleſiam ſibi commiſſam debitis aggrauaret, ordinauit.

14. Epiſt. 111. — 14. Soldanum Babyloniæ, vt Anconitanos captiuos eliberaret, admonuit.

15. Epiſt. 99. — 15. Regem Ruthenorum more Græcorum viuentem, vt ad vnitatem eccleſiæ Catholicæ reuerteretur, hortatus eſt.

16. Epiſt. 184 — 16. Iacobo Cardinali Epiſcopo Præneſtino, Apoſtolicæ Sedis in Hungariam Legato, inquiſitionem in vitam & miracula S. Lucæ Strigonienſis Archiepiſcopi commiſit.

17. Epiſt. 184 — 17. Priuilegium ſancti Stephani Regis Vngariæ, Monaſterio ſancti Martini in Monte datum, confirmauit.

VI. … Maij. — 18. Regem Hungariæ Andream, vt bona & caſtra militibus Teutonicis, per eum olim anno Domini milleſimo ducenteſimo duodecimo, Regni vero eius anno octauo donata, & per Apoſtolicam ſedem confirmata, nunc vero per eumdem Regem erepta illis reſtitueret, præcepit.

V. Seruitarum ordinis ortus Florent. d Plato de bono ſtatu relig. lib. 2. Ex Chron. Seruit. — Hoc anno quoque Florentiæ cœpit ordo [d] Seruorum beatæ Mariæ, per ſeptem viros nobiles & locupletes, non ſine cœleſti monitu in vicino monte inchoatus, ipſa Aſſumptionis beatæ Virginis ſolennitate. Quibus beata Virgo apparuit ingenti Angelorum exercitu ſtipata, pullam tunicam vna manu, altera librum tenens, veſtem illis eiuſmodi & regulam Diui Auguſtini ſeruādam aſſignans. Vt copioſe proſequitur Archangelus Gianius Florentinus, in eo quem de initijs huius Ordinis ſcripſit, libello. In tantum a communi ſententia diuerſus, quod in Annunciatione Dominicæ Incarnationis inſtitutum Ordinem aſſeueret. Quem inſuper diuerſi Pontifices, diuerſis priuilegijs ornarunt, & diplomatis confirmarunt; præſertim vero Gregorius Papa decimus tertius, in ea, quam religioſiſſimo huic Seruitarum ordini dedit epiſtolam, data vigeſimo Aprilis Romæ Anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octauo, Pontificatus eius anno ſexto.

VI. Ferdinandus Legionenſis & Iacobus Aragonum reges Mauros debellant. Mar. l. 12. c. 13. — In Aragonia Crucis prædicatio contra Mauros euulgatur, quam Iacobus Aragonum Rex, & Sanctius Nauarræ, multique Proceres ac Duces acceptantes à mediterraneis ac montoſis locis ad mare digreſſi, adeo Mauros attriuerunt, vt vel eos tota Hiſpania extorres egerint, vel vectigales reddiderint.

Ferdinandus quoque Caſtellanus inſigniter Mauros edomuit, feliciterque fines regnorum produxit, id voti in acie Numini ſemper offerens: *Tu Domine, qui ſcis corda & renes hominum, noſti, quia non meam, ſed tuam gloriam requiro, non tam caducorum Regnorum, quam fidei Catholicæ Chriſtianæque Religionis augmentum deſidero.* Hoc in ſuis Maioribus culpans, quod potius terrenum Principatum augere, quam fidem proferre cogitaſſent, namque Hiſpalim, Cordubam, Vandaliam & Bœticam à Mauris recepit. Regemque Granatenſem ipſe tributarium fecit.

VII. Diſſidia inter Richardum Cantuarienſem & Humbertum comitem definit Gregorius PP. e Pol. l. 16. — Litem inter [e] Richardum Cantuarienſem Antiſtitem & Humbertum Comitem Cantiæ in Anglia coortam pro Richardo contra Comitem definiuit Gregorius Papa. Nam Comes arcem Tumbrigienſem cum pago ac nonnullis poſſeſſionibus, quæ tot annis Cantuarienſis diœceſis fuerant citra controuerſiam, temere occuparat; Gregorij tamen ſententia, quod Richardus Antiſtes Romam veniens, in itinere obijſſet, eſt irritata, eodemque in Regno Henricus Stanfordius vir ingentis ſanctitatis Roffenſi eccleſiæ datus epiſcopus, palam pro concione & cōfidenter aſſeruit Richardū Regem, Stephanum Cantuarienſem Epiſcopum cum vno Sacerdote, qui Stephano erat à ſacris, vno eodemq; nuper die ab expiantibus pœnis, quibus poſt mortem peccata eluuntur liberatos in cœlum emigraſſe. M. S. Vatican.

VIII. Hæretici graſſantes in Germania diuerſis pœnis ſubiciuntur. — In Germania cum occulti paſſim hæretici diuerſis in prouincijs, Vrbibus, villiſque graſſarentur, & pleroſque incautos in ſuam ſectam pertraherent, à Magiſtratibus comprehenſi in præſentia Cleri & populi conuincuntur, & in conuictos ſceleris, ex præſcripto canonum animaduertitur. In Quadrageſima ab eſu carnium abſtinebant & annualem cenſum Mediolanum, vbi diuerſarum hæreſum primatus verſabatur, tranſmittebant.

Conſtantinopoli partem brachij Diui Antonij Brugas Lambertus Antiſtes eccleſiæ beatæ Mariæ Brugenſis adduxit, cum quoque ante annos tredecim Andreas Rex Hungariæ ex Syria prothomartyris Stephani, Margaretæque virginis capita, dextraſque Apoſtolorum Thomæ & Bartholomæi, atque vnam ex hydrijs, in qua aquam in vinum CHRISTVS in Cana Galilææ conuerterat, retuliſſet.

ANNVS CHRISTI 1232.

FRIDERICI II. IMP. Annus 3.
GREGORII PAPÆ IX. Annus 6. BALDVINI II. IMP. OR. Annus 4.

I. Pax inter Fridericum & fœderatas Lombardiæ vrbes compoſita. a Inter epiſt. Greg. an. 6. ep. 19 158. 219. — HOc anno pax inter [a] Fridericum ſecundum, & Confœderatas Lombardiæ ciuitates, Patauij, præſentibus ac decernentibus Iacobo Præneſtino Epiſcopo, & Ottone tituli ſancti Nicolai in Carcere Tulliano Diacono, Cardinalibus Legatis, coaluit: cuius conditiones Gregorius confirmauit. Factum id in palatio Epiſcopali die Iouis, decimatertia Maij, Indictione quinta, cum præter Fridericum præſentem & Legatos Frater Iordanus Prior, & beatus Ioannes Vincentius ordinis Prædicatorum adeſſent, huius enim melliflua facundia & integerrima ſanctitas Gregorio notiſſimæ, mirabili efficacia hominum animos, ad vitæ deterioris mutationem, & ſaniora conſilia

ſilia capeſſenda impellebant. Qui multos ægrotos viſitans, ligno Crucis ſanctitati reſtituit: decem homines à morte ad vitam reuocauit. Aliquando oranti, omnibus conſpicientibus, Crux in fronte ſemel, ſemel autem ſuper caput eius apparuit: apparuit etiam ſydus fulgentiſſimum ſuper eum, & aliquando Angelus ad aurem ei loqui viſus eſt.

II. Gregorius Chriſtianis in Syria ſubuenire contra Saracenos ſatagit. b Epiſt. 30. dat. Spoleti, 4. Id. Iul. c Epiſt. 184. dat. Anag. 3. Non. Dec. & inter epiſt. Greg. 261.

Gregorius quoque liberandorum in Syria Chriſtianorum ſatagens, [b] Patriarcham Hieroſolymitanorum, & Templariorum, Hoſpitalariorum, & Teutonicorum militum magiſtros Romam euocat, vt coram de ſubſidijs congrue oppreſſis ibidem præſtandis deliberarent. [c] Fridericum militum Templariorum bona occupantem, vt reſtitutionem faceret, ſeuere admonuit; qui nihilominus occulte Saracenis fauere dicebatur. Cui id argumento eſt, quod in maximum Orthodoxorum opprobrium Eccleſiam quandam ad monaſterium ſancti Laurentij apud Auerſam pleno iure ſpectantem ab Saracenis deijci, lapideſque ac tigna ad ſua ædificia erigenda Nuceriam transferri permiſiſſet. Correxit errorem Fridericus, & aureum diploma pro eccleſiaſtica libertate diuulgauit. Ludouicus quoque ſanctus monitus à Gregorio vt in Gallijs renaſcentes hæreticos in officio contineret, & comiti Toloſano contra iuſiurandũ Albigenſibus conſueſcenti, quod in Comitio Pariſienſi ediderat, eiuſmodi Conſiliarios daret, qui eum in bonis moribus ac fide inſtruerent & à familiaritate Albigenſium contagioſa auocarent. Hos enim ille nunquam à ſuo latere dimiſerat, quorum vnus Gerardus nomine Seneſcallus Veromandienſis Petrum Cancellarium Pariſienſem in choro ſuæ Eccleſiæ coram tremendo Sacramento orantem inuaſerat, lacerarat, & pene ſuffocarat.

Epiſcopus Vicenſis ſuſpectus hæreſis.

In Aragonia Epiſcopus Vicenſis de hæreſi ſuſpectus erat. Itaque Fratri Petro Caderitæ ordinis Prædicatorum officio inquiſitionis commiſſo illum examinari iubet, iniungitque Iacobo Regi caueret ne quicquam illi impedimenti aut iniuriæ in hac prouincia ſuſtinẽda obijceretur. Et cum eadem hæreſeos labe Tarraconenſis prouincia inficeretur, Gregorius Archiepiſcopo Tarraconenſi, & ſuffraganeis eius inquiſitores hæreticæ prauitatis ex ord. Prædd. inſtituendos dato diplomate præſcribit. Quorum exemplum plerique Epiſcopi ſecuti plurimos ex eodem ordine diuerſis in locis inquiſitores ſecreuerunt, quos inter ſanctus Raymundus Peniafortius Barcinonenſis, certa abiurationis abs ſe formula hæreticis præſcripta, enituit.

III. Sanctius Portugalliæ rex feliciter pugnat cõtra Saracenos. Epiſt. 117.

Sanctius Portugalliæ Rex non inferior Iacobo Ferdinandoque Regibus feliciſſime aduerſus Saracenos pugnat, ab Gregorio, à cenſurarum diſtrictione, quam diu ſancto bello deſtineretur, exemptus. Deinde Angliæ & Hungariæ Regibus, Henrico & Andreæ, vt donationes, quas in coronationis ſolemnitate contra iuſiurandum feciſſent quamplurimas, bonaque regia exhauſiſſent, inſuper & iureiurando; non repetituros ſe, obligaſſent, reciperent tuto, nec vllum anathema exinde timerent, exceptis ijs bonis, quæ Eccleſijs & locis pijs & Eccleſiaſticis contuliſſent. Soldanus Babylonius Friderico Imperatori tentorium mirabile quinque millium florenorum æſtimatum dono dedit; in quo imagines Solis & Lunæ artificioſæ motæ, curſum ſuum certis & debitis ſpatijs peragebant, horaſque diei ac noctis citra errorem indicabant. Eclipſis Anglica ſpiſſæ noctis tenebris par clara meridie Angliæ incubuit. Exin fulgure turres, templaque cœlitus tacta, grandine obruta omnia, fame & peſte laboratum.

Cũtin. Hirſaug.

Polyd. li. 16.

Fidei præcones in Ruſſiam, Voliniam, Podoliam & conterminos Cumanos, Ponto Euxino imminentes, item ad Rutenos Schiſmaticos, aliaſque Gentes idololatricas Gregorius deſtinat. Quos inter Hyacinthus Odrouantius & alij Fratres Prædicator, familiam duxerunt. Et quia apud Rutenos feliciter erraticos reuocaſſent, recens conuerſis Epiſcopum petentibus dedit, reliquis omnibus adiectis, quæ ad inſtitutionem Epiſcopi pertinerent. Literis Interamnæ datis. Præterea Duces Poloniæ Chriſtianos, inter ſe ciuilibus armis committentes, in Saracenos Rutenoſque illorum & ſociorum arma iubet conuertere, ipſos in pacis fœdera coire, alias gladium ſpiritualem expectarent. Erant autem Duces illis Maſcouiæ & Vratislauiæ, ob Boleslai Pudici pueri remiſſiorem tutelam, vna cum matre per Conradum Ducem doloſe raptum, neci-que immaniter deſignatum.

a Cal. Maij an. 6.

Cromer. li.

IESV CHRISTI
Annus 1233.

GREGORII PAPÆ IX. Annus 7.

FRIDERICI II. Imp. Annus 4. BALDVINI II. IMP. orientis Annus 5.

I. Legatos Conſtantinopolim pro vnione vtriuſque eccleſiæ mittit Gregorius.

CVm anno ſuperiore Gregorius Papa Legatos ſeu Apocryſarios in vrbem Conſtantinopolitanam mittendos recepiſſet, miſit hoc anno Hugonem & Petrum ex Prædicatorum, Aymonem vero & Rudolphum ex Minorum ordine, viros virtute & religione, morum honeſtate & Scripturarum cognitione eminentes, qui literas eius ad Germanum ſecundum Patriarcham Conſtantinopolitanum deferrẽt, quibus de vnitate eccleſiæ, de duplici gladio eiuſdem, deque vſu ſpirituali ac temporali vtriuſque luculenter diſſerebat. Illi vt in orientem venerũt, Germanum Patriarcham conuenientes, viuis & irrefragabilibus ſanctorum Patrum, tam Græcorum quam Latinorum rationibus, id quod caput quoque erat negotij Spiritum ſanctum à Patre & Filio procedere, demonſtrarunt. eamq; fidei definitionem vniuerſo Orienti reliquerunt; vt ex M.S. Vaticano videre eſt, & illorum Legatorum ſubſcriptiones abunde docent.

II. S. Hyacinthus in Ruſſia euangelizat. a Vita S. Hyacinthi.

Perinde in Ruſſia indefeſſum, conuertendorum Gentilium & ſchiſmaticorum Cõmiſſarium ſe præbuit [a] ſanctus Hyacinthus, & Colonias Religionis Prædicatorum in Ruſſiam & Haliciam deducens, per ſeipſum ſuoſque Fratres innumeros Scytharum, Cumanorum & Moſcorum cõuertit, tanto zelo & ſanctitate, vt Boriſthenes fluuius ab eo cruce ſignatus, eius ſe pedibus & ſociorum calcabilem, ad inſtar Iordanis, præbuerit. Quam eius fidei apud inhoſpitas gentes propagationem plerique Fratrum, fuſo ſanguine rigarunt & ſignarunt.

III. Martyres Prædd. in Scythia. Leander de vir. illuſtr. Ord. Præd.

Beatus Berengarius Cracouienſis Epiſcopus deſignatus, lancea dextrum latus, pro Chriſti fide, apud Gentiles confoſſus Beatus Bernardus Archiepiſcopus Haliciæ ſerra diſſectus; & in ignem coniectus, exuſtuſque eſt à Scythis. Beatus Adrianus Magiſter vna cum ſex & viginti fratribus, ab ijſdem Chriſtiani nominis hoſtibus, palis infixi, martyrium tolerarũt. Boſinæ triginta & duo fratres, Polonico qui & Sclauonico perſimilis eſt idiomate cõcionantes, in flumine ab inimicis crucis Chriſti hæreticis ſubmerſi, paſſionem deguſtarunt Ad eorum gloriam oſtendendã, quolibet anno & die paſſionis eorum trigintaduo luminaria cœlitus demiſſa radiare conſueuerant, in loco vbi fuerant demerſi. Ad Boriſthenem fluuium beatus Albertus & beatus Dominicus à Tartaris occiſi, alij in captiuitatem abducti. Ibidem alio die nonaginta fratres, alij gladio, alij ſagittis, alij lanceis interfecti, alij ignibus propter fidem concremati, ad regnum cœlorum tranſierunt.

Annal. Prædic. Translatio corporis S. Dominici.

Quam etiã hoc anno Indictione ſexta, Pontificatus Gregorij noni ſeptimo, nono Kalend. Iunij, feria tertia Pentecoſtes, ſancti Dominici trãſlatio excepit. A fœlici tranſitu eius tranſactis vndecim annis, menſibus nouem, diebus decẽ & ſeptem. A cõfirmatione vero ordinis eius elapſis ſexdecim annis, menſibus quinque, duobus diebus: Magiſterij autem ordinis beati Iordanis vndecimo anno expleto, & duodecimo inchoante, in quartodecimo Generali ordinis Capitulo. Cæterum tantæ rei geſtæ vt memoria firmior eſſet, & in poſteros ſempiternis monumentis ꝓpagaretur, Magiſter Iordanus, qui pſens interfuit, totã ſacræ Tranſlationis hiſtoriam, datis publicis & patẽtibus

circula-

circularibus literis ad omnia cœnobia Ordinis, accuratiſſime expoſuit. Datæ ſunt eæ literæ mox vt apparet à Canonizatione ſancti Dominici, quæ facta eſt menſe Iulio anni ſequentis.

IV. Fridericus cum filio Henrico Guelfos & Gibellinos reſuſcitat.

Tametſi anno ſuperiore pax inter Fridericum & vrbes fœderatas coiuiſſet, nihilominus per literas à Friderico Gregorius petijt, tum vt iniurias fœderatarum vrbium remitteret, tum vt Henricum filium miſcendæ Italiæ cupidum, & Pontificiæ auctoritatis extenuandæ, ad pactorum obſeruationem induceret. Ille enim cum Friderico ſimultas Italiæ, Guelforum & Gibellinorum factiones auorum memoria, ſub Rogerio Siciliæ Rege & Conrado tertio Auguſto excitatas reducere nitebatur. Porro cum Senenſes & Florentini inter ſe de monte Politiano Florentinis fœderato, bello decernerent, & Senenſes illum muris diſcinxiſſent & occupaſſent, Florentini quadraginta tria caſtra Senenſibus extorſerunt, & ſanguine fœdauerunt. Quare ad illos componendos Ioannem Vincentium Bononiæ tunc agentem emittit, vt in Hetruriam ad diſſidia illa ſedanda maturaret, quem Bononienſes incredibili miraculorum & doctrinæ eius deſiderio æſtuantes, dimittere recuſarunt, qui tamen coacti cenſuris concordiæ ineundæ cauſa inter nominatos obtemperarunt. Cuius ſancti admiranda geſta apud Sigonium accurate conſcripta legere poteris. Huic non impar in hæreticis confutandis fuit Fr. Petrus Veronenſis, poſtmodum martyr, & hæreticæ prauitatis inquiſitor. Cui F. Gerardus Rangonus ordinis Minorum fortiſſimus hæreticorum malleus paribus geſtis ſeſe æquauit. In Germania namque hæreſes pullulabant Condormientium, qui præ nimio amore noui Euangelij, viros & fœminas, iuuenes & virgines, vno loco concludentes promiſcuis congreſſibus, & peccatis enormibus execrabiliſſime, nulla ſexus aut ætatis ratione habita committebant, noſtrorum vtique Anabaptiſtarum probroſi parentes, quos extirpãdos, Archiepiſcopo Moguntino, Epiſcopo Hildesheimenſi, & Conrado Ordinis Prædicatorum Teutoniæ Prouinciali commiſit. Sane Gregorius grauiſſimas pœnas in eos conſtituit, & Fridericus Imperator multa ſupplicia in eoſdem ſanxit, vt vel ſaltem metu ſeueritatis eccleſiaſticæ & ciuilis ab impudentia deterrerentur. In Gallijs Albigenſes virus adhuc ſpargebant. Apud Vmbros ijdem ſæuiebant. Mediolani vero dominabantur.

Sigon lib. 17. de reg. Ital. & Tho. Cantipr. li. 2. c. 1.

Hæretici Condormientes orti in Germania.

Ep. 179. dat. Later 3. Idus Iun.
Ep. 311 Anag. 12 Cal. Nou ep. 146. Anag. 2. Cal. Nou. ep. 186. & 188. & 4?? inter ep Greg. ep. 214.
Ep. 4. Lat. 3. Cal. Maij

V. Boſnæ Dux conuerſus. Sancti ex Dominicanis.

Boſnæ Dux per Prædicatores conuertitur, hæreſique eiurata fidem orthodoxam amplectitur. Gregorius & Fridericus Saracenos Nucerinos alioſque in Apulia conuertunt, vti ſanctus Hyacinthus Pruthenos cum Teutonicis militibus Euangelij luce colluſtrant. Ex Prædicatoribus florent in ordine Tancredus Friderici Imperatoris Palatinus à beata Virgine in viſione apparente hiſce verbis ordini aggregatus: *Ad meam familiam cito accede*; quem æmulatus Frater Conradus Germanus Ieſum ſibi apparentem Magdeburgi in agone, & digito viam in cœlum oſtendentem videre meruit. Ex Ordine Minorum ſanctus Guido à Diuo Franciſco Ordini inſertus, in vita & poſt miraculis coruſcus. Eius Officium eccleſiaſticum iuſſu Greg. XIII. conceſſuque legitur. *Chron. Minor.*

VI Summariũ geſtorum huius anni Gregor. IX.
1. Epiſt. 441. Lat. 4. Non. Ian.
2. Epiſt. 432. & 433. Ibid. & die eod.
3. Ep 545. & 107.

Egit præter hæc & alia authoritate Pontificia non indigna Gregorius. 1. Sancto Ludouico Regi Galliarum, vt Margaritam filiam Comitis Prouinciæ ſibi quarto conſanguinitatis gradu propinquam, in matrimonium collocaret, indulſit. 2. Eidẽ & Blanchæ matri Reginæ, ne quiſpiam, excepto Romano Pontifice, capellas Regias interdicto eccleſiaſtico ſupponere poſſet, conceſſit. 3. Inter eundem & Henricum Angliæ Regem, vt pacem componerent, authoritatem ſuam interpoſuit, induciaſque fieri voluit, vt Epiſcopi vltro citroque intercurrerent, quo cõcordiam inter eoſdem ſtabilirent, cui rei perficiendæ, Archiepiſcopum Senonenſem, & epiſcopos Pariſienſem, Vintonienſem, Oxonienſem, Sarisberienſemque cum plenaria poteſtate deſtinauit: qui vtrumque regem ad pacem hortarentur, & quicquid ſiue ſperarent, ſiue effeciſſent, Sedi Apoſtolicæ nunciarent. Scripſit ea de re Anglo quidem ſecundo Idus Februarij Laterani: Sancto Ludouico autem ſecundo Idus Maij: Prælatis vero vtriuſque Regni ſecundo Idus Februarij. Cæterum cum Reginæ Cypriæ ſuper natalibus ipſius controuerſia coram eccleſiaſticis iudicibus ventilata, necdum plene cognita eſſet. 4. Obſecrauit Ludouicum Gregorius ne lite pendente eam conſilio vel auxilio contra Comitem Campaniæ colligatorem adiuuaret: ſed interim ſententiam diffinitiuã expectare iuberet. 5. Henrico Anglorum Regi, vt iuſtitiarium Regni è vinculis liberaret, rationeſque adminiſtratæ dignitatis paratum reddere audiret, atque ad gratiam regiam admitteret, admonuit: eidemque recens electum Cantuarienſem eiuſque eccleſiam commendauit. 6. Ad preces Ferdinandi Caſtellæ & Legionis Regis, vt F. Thomas Apoſtolicus Cubicularius, Magiſtrum militiæ S. Iacob. vſurpatorem caſtri Toraf, ad Sedem Apoſtolicam pertinentis, à cenſuris eccleſiaſticis abſolueret, conceſſit. 7. Petro infanti Portugaliæ & Regi Maioricarum, vt Clerici Sæculares ad prædicandum Dei verbum, vel adminiſtranda ſacramenta in inſulam Maioricam tranſeuntes, quamdiu ibi eccleſijs ſubſeruirent, poſſent plene gaudere fructibus eccleſiarum ſuarum, ac ſi in ijſdem reſiderent; diſtributionibus duntaxat quotidianis exceptis, ad totos tres annos permiſit. 8. Archidiacono Bononienſi, Priori ſanctæ Mariæ de Reno, & F. Palmerio Canonico de Cõpagniola, vt in vitam & miracula D. Dominici Prædicatorum Conditoris inquirerent, commiſit. 9 Sanctum Virgilium Salzburgenſem Archiepiſcopum in album eccleſiæ ſcripſit. 10. Quibuſdam, vt in res geſtas & miracula Dionyſij Epiſcopi veſtigarent, poteſtatem fecit. 11. Miramolino in Africa, Chriſti fideles, atque fidem Chriſtianam commendauit. 12. Ne Iudæi Chriſtianis cohabitarent, conſtitutionem ſanxit. 13. Ne filij hæreticorum, in bona paterna, vel materna ſuccederent conſtituit. 14. Epiſcopatum Pomezanenſem in Pruſſia erexit. 15. Fridericum Imperatorem ad ſubueniendum Terræ ſanctæ hortatus eſt.

4. Epiſt. 44. dat. Lat. 16. Cal Maij.
5. Epiſt. 319. Anag. 6. Cal. Nou. & ep. 412.
6. Epiſt. 509. Lat. 4. Cal. Febr.
7. Epiſt. 183. Lat. 5. Idus Ian.
8. Ep. 240. Lat. 3 Id. Iul.
9. Epiſt. 192.
10. Ep. 193.
11. Epiſt. 135.
12. Ep. 210.
13. Ep. 188. Leand. lib. 5.

VII.

Hoc anno Ferdinandus Comes Flandriæ in Syria monachus factus moritur. Henricus ſextus Friderici filius Auguſtæ Vindelicorum Comitio ad 4. Id. Aprilis celebrato, ſe in poteſtate Pontificis Romani futurum iuramẽto coram Principibus eccleſiaſticis & ſecularibus præſtito ſpopondit. Hyems frigidiſſima in Lombardia, item in Alpibus & Germania. Peſtis, famis, morborumque ineunte vere fœcunda, quam quoque portentoſa Eclipſis ſolis excepit, hominumq; cædes, ſcelera, factiones, fraudes, diſcordia Chriſtianorum ſecuta. Gregorius Papa nonus Canones in quinque libros decretalium redactos in ſcholis prælegi publiceque proponi iuſſit, at anno ſequenti verius.

ANNVS CHRISTI 1234.

GREGORII PAPÆ IX. Annus 8.

FRIDERICI II. IMP. Annus 5.
BALDVINI II. IMP. OR. Annus 6.

I. S. Dominicus inter ſanctos aſſcribitur à Gregorio.
a Epiſt. 142. Flam. in vit. Dominici.

TErtio Idus Iulij Gregorius fama miraculorum ſancti Dominici Prædicatorij Ordinis fundatoris excitatus, inquiſitione de more præmiſſa, cœlitum albo illum adnumerauit. Cuius vt plenam fidem faceret inſignes[a] literas ad tanti Patriarchæ immortalem gloriam omnibus eccleſiarum Prælatis dedit Reate 3. Idus Iulias. Nec canonizatione, vt vocant, impleta ſanctitatem ſuam inteſtatam reliquit. Nam contactu reliquiarum eius, & iterata inuocatione, ægri inutiles corporis artus reſtitutos ſenſerunt, vitamque peruerſam in meliorem tranſtulerunt.

Eadem opera Gregorius id vnice curauit vt Terram ſanctam priſtinæ ſanitati reſtitueret, Concilio ad eum finem Romæ coacto, vbi cum Friderico Imperatore, &

Archiepiſcopis Epiſcopiſq; Patriarchæ dempto Alexandrino adſuere, decretumque generali expeditione in Palæſtina extrema omnia toleranda. Summæ rerum ex parte Pontificis Theodoricum Archiepiſcopum Rauennatem præfectum iuſſit debito honore proſequerentur, illique more gererent ex ſententia Concilij omnibus [b] perſcripſit. Idem & Fridericus præſtitit, & indulgentijs Pontificijs, qui mouerentur, tranſmitti ad ſe voluit, execrationemque Concilij Lateranenſis in eos qui ad Saracenos ferrum efferrent, datis literis Theodorico Archiepiſcopo innouauit. Reate 6. Idus Nouembr. Indictione ſeptima. [c] Denique literis ad Angliæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Germaniæ Reges, Duceſque datis tam ſeculares quam eccleſiaſticos Imperatorem in terram ſanctam euntem illis ſerio conſectandum propoſuit Gregorius.

b *Scalett 6. Aug.*

c *ep. 304. 8. Id. Nou. & ep. 175. Teruſ. Kal. Decemb.*

II. Reliquiæ Albigenſium in Gallijs reprimuntur.

d *Epiſt. 64. L. 6. Non. Maij.*

In [d] Gallijs cum Albigenſes nondum fuiſſent exciſi, id ſancto Ludouico in mandatis dedit, & Henrico Anglorum Regibus, vt exempla maiorum intuentes, coacto milite, Albigenſes ſtirpitus, non vero ſe mutuo miſere conficerent, diuerſis Archiepiſcopis Prælatiſque regni & Fratrib. Prædicatoribus, animorum Regiorum reciprocam concordiam commiſit, Caſtrum Toraſ in feudum Ferdinando Regi Caſtellæ petenti dedit Gregorius, & annuum cenſum exinde Sedi Apoſtolicæ pendendum ſcriptis literis confirmauit. Ferdinandus id præſtiturum ſe, dato diplomate ſpopondit 4. Octobr. æra milleſima ducenteſima ſeptuageſima ſecunda.

III. Agnes ſoror Boemiæ Regis fit Franciſcana.

e *Epiſt. 2. 8. & Dubrau. lib. 16. Epiſt. 52. & ſeqq. Epiſt. 281. Peruſii 1. Kal. Nou.*

In Boemia [e] Agnes ſoror Wenceſlai Ottocari filij cum Cunegunde coniuge regio more hoc anno coronati latifundium ampliſſimum pro monaſterio & xenodochio extruendis à fratre accepit, quod cum ipſa Agnete reliquiſque virginibus in protectionem Sedis Apoſtolicæ Gregorius accepit & vbi coniugium Friderici Cæſaris eam ambientis reſpuiſſet, vita & miraculis cum D. Clara certans & ipſa Franciſcana corpore & ſpiritu ſancta euaſit. Quales & illi duo coniuges ſereniſſimi euaſere Colomannus Rex Haliciæ Andreæ Hungari Regis filius & Salonita virgo coniunx virginis Regis. Sancti Hyacinthi prædicatione ad edendum votum perpetuæ continentiæ leniter adducti. Cumanos quoque à Bela Hungariæ Rege Andreæ filio recens conuerſus, priuilegijs ornari voluit Gregorius & cathedram Epiſcopalem ædificari redditibuſque diuitari. Walachos quoque Græcorum ritibus adhærentes in vſu Sacramentorum admitti prohibuit, quoad ipſi Antiſtitem Latinum acciperent. Denique Belæ Regi ſacramentum inculcat, quo ſe tempore inaugurationis coram Legato Sedis Apoſtolicæ obſtrinxerat; vt populos ſuo regimini ſubiectos tum ad obedientiam eius compelleret, tum Græcis ritibus poſitis, illi obſecundarent Epiſcopo, quem Rom. Pontifex Apoſtolica illis auctoritate præfixiſſet.

IV. Iuramenti violatio & hæreticorum allocutio quam abominabilis Orthodoxis.

f *Epiſt. 127.*

Del. g Ciacon in Greg. IX.

extat ep. in prænc. decret. & epiſt. 218.

Tanti iuriſiurandi religio apud Gregorium fuit, vt Scotorum Reges ad iuramentum Anglo Regi præſtandum compelleret, & Scotiæ regem vi Sacramenti teneri definiret, negligentes & refractarios cenſuris alligari iuberet. Tanti quoq; fuit apud Maiores cum hæretico loqui, vt in canonem ideo inciderit Accurſius ciuis Florentinus, quod in Gallijs agens, verba paucula cum hæreticis miſcuiſſet, ideoque etiam à Fratre Raymundo Penaforțio Sedis Apoſtolicæ Pœnitentiario ex mandato Pontificis abſolui debuerit. Hic ille [g] Raymundus, qui Iuris diuini humanique ſcientiſſimus, decreta Summorum Pontificum in vnum corpus ad communem omnium vtilitatem feliciſſime redegit, & Decretalium librum, tanquam certiſſimam regulam in decernendis controuerſijs Eccleſiæ ſemper adhibuerit, & etiamnum adhibeat, ex quo vt diximus, Gregorij iuſſu, omnibus Legum Canonumque diſcendorum auidis in ſcholis prælegi & explicari acceperint. Huius vitam, natales, educationem & admiranda opera, qui cognoſcere geſtit Apotheoſin illius per Clementem VIII. factam & Annal. Conditorem legat.

V. h 21. Aug. apud Sur.

Ludouicus ſanctus hoc anno ducta coniuge Margarita Comitis Prouinciæ filia Regni Franciæ plenam adminiſtrationem ſuſcepit, & vitam ab omni peccati mortalis contagione expertiſſimam duxit. Eius ſanctitati mater Blancha congratulans, non raro illi fertur dixiſſe: Equidem malim, chariſſime fili, te extinctum cernere, quam lethali alicui peccato obnoxium. Quæ matris verba adeo tenaciter pij iuuenis menti inhærebant, vt omnes peccandi occaſiones cane peius & angue vitabundus odiſſet. Erat itaque apud omnes propter vitę innocentiam in maxima opinione ſanctitatis. Corporis domitor egregius, ſextis quibuslibet ferijs, in ieiunijs & lachrymis precibuſque, Chriſti pro nobis in Crucem acti memoriam recolebat. Sacro vero Quadrageſimali & aduentus tempore, omni penitus non modo piſcium, ſed & fructuum eſu ſibi interdicto, vitam ſanctiſſime tranſigebat. Multo tempore intimam geſtabat cilicinam; quam cum præcepto Confeſſarij propter nimiam corporis exhauſti imbecillitatem deponere cogeretur, libens diebus ſingulis, quadraginta ſolidos Pariſienſes clanculum in pauperes erogabat. Quolibet Sabbatho, aliquot pauperum ſuis ipſe manibus in loco ſecretiſſimo pedes abluebat, lotos tergebat, terſos exoſculabatur. Crebro etiam centum viginti pauperibus, qui eius beneficio quotidianam in aula annonam percipiebant, atque certis quibuſdam diebus & ſolemnibus vigilijs, ducentis pauperibus ipſe ieiunus cibos miniſtrabat. Præterea quotidie tres confecta ætate inopes menſæ ſuæ conuiuas habebat, eiuſque cibos ipſe apponebat. Ex ea vere pauperum conſuetudine & familiaritate, præcipuam animi voluptatem hauriebat: præclare ſecum illud Chriſti reputans: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Nec ijs tamen beneficijs in pauperes contentus, decreuit ipſe ſanctæ paupertatis formam ſuſcipere, & ſeptem annorum ſpatio peregrini inſtar loca ſancta viſitare. Ad matrimonium contrahendum, non niſi ſumma Matris & totius Regni Procerum voluntate acceſſit. Tantum enim maternis præceptis deferebat, vt plerique maleuolentes exinde occaſionem habuerint, illum nota abiecti animi inurere. Cæterum tantæ obedientiæ, & reliquarum virtutum ei auctores fuere Fratres Prædicatores & Minores, quorum educationi Blancha Ludouicum commiſerat.

Ludouici S. nuptiæ cum Margareta comitis Prouinciæ filia & vitæ ſanctitas.

Item eodem anno Gregorius 1. Inquiſitionem vitæ & miraculorum ſanctæ Helizabethæ quibuſdam Prælatis iniunxit. 2. Contra hæreticos plurimas ſanctiones conſtituit. 3. Fratribus ſanctæ Helenæ diœceſis Caſtellanæ, & Monialibus Cæſaraugustanis Regulam viuendi præſcripſit. 4. Religionem ſanctæ Mariæ ſub titulo redemptionis captiuorum à Iacobo Rege Aragonum & Diuo Raymundo Ordinis Prædicatorum recens inſtitutam, priuilegijs roborauit & auxit. 5. Neophytos Pruthenos in tutelam Sedis Apoſtolicæ recepit: vtque militibus Theutonicis in rebus ad fidem ſpectantibus obtemperarent, præcepit. 6. Regem Galliarum, vt Iudæos iuxta legem ſuam viuere permitterent Chriſtiani, admonuit. 7. Ne poſſeſſiones & prædia Eccleſiæ Romanæ alienarentur, conſtituit. 8. Senatorem & Conſiliarios Romanos, quod apud Montem altum turrim quamdam ædificare præſumpſiſſent, à cœtu piorum ſegregauit. 9. Ab Henrico Rege Angliæ, pro libertatibus Eccleſiarum priuilegium accepit. 10. Militibus Theutonicorum in Pruſſia fidem Chriſtianam propagantibus priuilegia multa conceſſit, eoſque Conrado Maſſouiæ Duci commendauit, & in clientelam Diui Petri aſſcripſit. 11. Etiam Cruceſignatos militiæ IESV CHRISTI, ad ſtrenue pugnandum contra hæreticos animauit, eamque operam in extirpandis hæreticis non fruſtra nauauit.

... rū ... orum ... anni ... *Ep. 41 & 107.*

Epiſt. 232.

Epiſt. 21.

7 *Epiſt. 54.* 8. *Epiſt. 107.*

Epiſt. 451. 10. *Ep. 288. & 229.*

11. *Epiſt. 185.*

[b] Erat Florentiæ non paruus numerus illorum, qui Deum non eſſe creatorem viſibilium aſſerebat. Hos Diuus Petrus Veronenſis magnus ſanctæ fidei propugnator, modis quibus poterat, inſequebatur, exagitabat, ac delere ſtudebat. In illos igitur, auctoritate Gregorij Pontificis, Chriſti fidelium multitudinem concitauit, & nobili Rubeorum familiæ, cui præcipue negotium hoc d-

Cruceſignati militiæ Chriſti Ieſu aduerſus Florentiæ pugnant & vincunt.

b *Flamin. in vita S. Petri M. Ord. Præd.*

manda-

mandatum fuit, vexillum Cruce inſignitum dedit: quod præclarum certamen ituri Chriſtiani ſequerentur. Collecta itaque ingenti multitudine armatorum, itum aduerſus hæreticos eſt, & orto acri certamine citra Arnum, in loco, qui puteus aquæ dicebatur, vltra fluuium illos profligarunt, & in platea ſanctæ Felicitatis proſtrauerunt, reliquos autem ex vrbe fugauerunt. A recenti victoria Diuus Petrus collegium militiæ Ieſu Chriſti apud Florentinos inſtituit, & ſacroſanctum illud vexillum ei pro magno munere reliquit: quod hactenus Florentiæ ſeruatur, & in feſtiuitate eiuſdem Diui oſtentatur. Ibidem Florentiæ, cum in foro, quod vetus appellant, Diuus Petrus in magna frequentia populi concionaretur, & Sathanas forma equi nigerrimi & ferociſſimi aſſumpta, curſu concitatiſſimo in forum irrumpens, terrore populis incuſſo, concionem perturbare, & fructum animarum impedire voluiſſet: ille fraudem maligni agnouit, atque vnico ſigno Crucis oppoſito malignantem effugauit. Extat in eodem foro pictura, quæ miraculum: alibi autem in columna eminet Diui ſtatua, quæ victoriam de hæreticis atteſtatur.

VII. Iudæi tyrannidis in Chriſtianos pœnas luunt. [i] *Polyd. hiſt. lib 16.* [k] *Index Inquiſitor. ord. Prædd. Th. Cantipr. l. 1. c. 22. Ann. Fland. lib. 28.* [l] *Bern. Cor. p. 2.* Cruceſignatorum victoria de hæreticis Stadingenſibus & Albigenſibus [m] *Ioan. Molan. l. de Natal. SS. Belg.*

Norduici in Anglia Iudæi raptum Chriſtianum puerum ad Paſchale feſtum in opprobrium Religionis noſtræ Cruci affigere deſtinarant, capti conuictique, meritas pœnas tulerunt. [i] Diuerſos Inquiſitores hæreticæ prauitatis inſtituit Gregorius apud Inſubres, Toloſanos & Placentinos. Hi vero ſuum expulerunt. Item ſanctus [k] Fulco Gandauenſis, quod Crucem prædicare contra hæreticos noluerit, viginti quinque annorum morbo punitur, cùm Canonicus eſſet Inſulenſis. Item apud [l] Cremonam in monaſterio ſancti Gabrielis, lapis glacialis ex aere decidit ſignum Crucis & imaginem Chriſti expreſſam habens, cui deſuper inſcriptum aureis literis ad longum, I. N. R. I. Quo liquefacto oculos monachi cæcutientis aſperſi viſum receperunt. [m] Stadingenſes quoque hæretici, in Archiepiſcopatu Bremenſi, cum libertatem eccleſiaſticam conculcarent, neque in quoslibet tyrannidem exercere vererentur, imo & ſacroſanctam Eucharistiam horribilius, quam loqui fas eſt, tractarent, ne malum illud longius ſerperet, infinitamque ſimplicium multitudinem in foueam ſuæ perfidiæ præcipites agerent, Gregorius aduerſus eos Henricum Ducem Brabantiæ & Florentium Hollandiæ Comitem ad arma ſuſcipienda induxit. His autem ſanctæ Crucis virtute breui confectis contra Albigenſes hæreticos in Germania nihilo meliora committentes, viriliter ſe accinxerunt, adeo, vt qui eorum manibus non perierint, fugæ præſidium poſtulantes, ſeipſos in Wiſſurgum præcipitarint.

VIII. Vindicta diuina in auaros.

Hoc eodem anno Oxonienſem diœceſin diriſſima fames & peſtis afflixit, ita vt menſe Iunio adueniente, tenuiores qui vix vitalem ſpiritum præ famis magnitudine ducebant, fruges licet immaturas ad eam ſedandam excutere cogerentur, quod indigue ferentes ruſtici illorum agrorum coloni, cum in miſeros anathema à ſacerdote extorſiſſent à Deo ob auaritiam caſtigati ſunt: exorta enim tremenda tempeſtas & tonitru, omnem illius pagi ſegetem diffregere. Parem quoque vindictam in ſimili delicto expertus eſt Walthetus Graids Archiepiſcopus Eboracenſis, qui in ſumma annonæ caritate, cum ingentes frumentorum corraſiſſet cumulos, non ante quicquam pauperibus erogare voluit, quam ingentibus in frumento ſerpentibus viſis, & teterrimo odore inde exorto Vulcano committere idem cogeretur.

IESV CHRISTI
Annus 1235.

GREGORII PAPÆ IX. Annus 9.

FRIDERICI II. IMP. Annus 6.
BALDVINI II. IMP. Orient. An. 7.

I. Gregorius Longobardos aliosq. hæreticos decreto expellit, & in quiſitores conſtituit. [a] *Chron. Hirſaug. Flamm. in vit. Domin. Director. Inquiſit.*

HÆreſis [a] Longobardorum, cum Italiam annis aliquot infeſtaſſet propudioſo Nicolaitæ ſectæ ſcelere infamis, à Gregorio damnatur. Omnibus & ſingulis, ô ſcelus! matres, vxores, filij, filiæ communes erant, qui vt ſupra meminimus cenſum annuum Mediolanum tunc hæreſum ſentinam errorumque mittebant, quorum quiſque probroſos ſuos ſocios Mediolani quærens circumeundo vicos domoſque ex certis illos ſignis deſuper pendentibus cognoſcebant. Hæreſin quoque Manichæorum blaſphemijs plenam: Deum viſibilium omnium Creatorem non eſſe egerebant. Contigit illac iter habere beatū Petrum Veronenſem Ordinis Prædd. duoſque ruſticos, vnum in nomine Dei Chriſtianum, alterum in nomine diaboli Albigenſem ſemen terræ mandantes, audire, & indignatus hæc dixit: Qui Dei nomine ſemen terræ credidit, fructus vberes, qui vero diaboli nomine, nullos vel certe exiguos eſt relaturus. Cui Albigenſis; ſi ita eſt, Orthodoxus ero. Rem euentus pro beato Petro probauit, huncque impium, eccleſiæ pium reddidit, vnde Gregorius nonus hæreticos Mediolanenſes inſigni Conſtitutione perſequendos & excindendos ſancit; quorum omnium nominatim in ipſa Conſtitutione meminit, neque Fratribus Prædicatoribus oportuniores illo eccleſiæ æuo ad hæreticos illos extirpandos Sedes Apoſtolica inuenit; vti ex Conſtitutione ad Prouincialem Lombardiæ data, apparet. Ex quibus etiam Inquiſitores in partibus Toloſanis ſagaciſſimos pro Orthodoxæ fidei defenſione ſecreuit, quos Raymundus Comes probroſis afficiens iniurijs, vrbe proſcripſit, qui ſeminudi, cruce prælata, ſymbolum Apoſtolicum recitantes, & antiphonam *Salue Regina* cantantes, vrbe egreſſi ſunt. In regno Aragoniæ quoque, ſanctum inquiſitionis officium Prædicatoribus tranſſcripſit, quidque de captis hæreticis agendum ſit, & quomodo, ex decem alijſque pluribus conſultationibus Archiepiſcopo Guilelmo F. Raymundus tractatu ſuo explicauit.

II. Cruceſignati ſeditioſi in Syria coercentur. [b] *Iacob. Pop. in Chron. ... lit. S. ... Epiſt. ... Viterb. 7. Cal. Ian.*

In Palæſtina [b] Cruceſignati ciuilibus inter ſe turbis diſtracti per Gregorium in officio continentur, præſertim vbi tres militares Ordines inter ſe & cum Friderico Imperatore adunaſſet, Regemque Cypri Henricum ab militibus Teutonicis illum vexantibus pace vel ſaltem inducijs interpoſitis nonnihil vindicaſſet. Italiam quoq; intutam Mediolanenſium potentia per Legatos pacauit, & Conſtantinopolim à Bulgarorum Rege obſeſſam, vrbem & Imperium ſpe deuorante, (quippe qui Ioannem Brennum arcta obſidione cum Vatacio in vrbe premebat) aduocatis Chriſtianorum Regum & Principum auxilijs fortiter liberauit, & ipſemet 400. equites ad ſoluendam obſidionem Conſtantinopolim miſit.

III. Iſabella Henrici Angliæ Regis ſoror nubit Friderico Imp. [c] *Polydor. l. 16. Hiſt. Ioan. Velan. lib. 6.*

Iſabella [c] Henrici Regis Angliæ ſoror hoc anno Friderico Imp. in matrimonium data eſt, quo & mirabile ſpectaculum Barcinone ab Comite Raymundo in præfecto fideliſſimo exhibitum, Velanius enim refert Compoſtellanum peregrinum virtutibus clarum, ad eius aulam confidentem ob virtutes adeo illi carum fuiſſe, vt ipſius conſilijs publice priuatimq; vteretur. Quare gratus peregrinus Comitem ſuum ditat, pecuniam fiſco infert, apud omnes in pretio comitem conſtituit. At ſola inuidia inferior ab æmulis adeo comiti redditus exoſus, vt nudus ab aula cum baculo, pera, vti venerat, extorris ageretur. En vitreæ gratiæ Principum exemplum. [d] Miecislaus quoq; Cuiauiæ in Polonia Princeps ob immiſericordiam à muribus, quocunq; pergeret infeſtatus abſumitur, eo quod pauperes ſtipem rogātes muribus immaniter cōparaſſet.

[d] *Cromer. lib. 8.*

Melior Henricus Barbatus, qui pauperes eccleſiaſque rara liberalitate donauit.

IV. Vitæ FF. Prædd. e Ioan. Tilt. f Illuſt. Germ. Aurea. &c.

Obierunt hoc anno ex Ordine Prædd. Bononiæ B. Monetus, Pariſijs B. Laurent. Anglus, & B. Didicus Lombardus ex primis D. Dominici cooperarijs. e Item Ioanna vnica Raymūdi Toloſatium Comitis filia nubit Alphonſo Pictonum Duci. Item Hungari Auſtriam inuadunt, & Ducē cum omni nobilitate opprimunt. f Fridericus Imp. ſecundum Gibbonum Henricum filium ad ſe vocatum coniecit in vincula, vbi quoque extinctus eſt. Floret hoc tempore Acurſius totius Iuris ciuilis commentator primus & adhuc vltimus.

V. Summariū Geſtorum huius anni Gregorij. 1. Ep. 181. Peruſ. 5. Id. Aug. 2. Epiſt. 116. Peruſ. 2 Cal. Sept. & 156. Reate Id. Iul. 3. Ep. 14. Peruſ. Id. Apr. 4. Ep. 148. Viterb. 8. Cal. Feb. 5. Epiſt. 108. Peruſ. 17. Cal. Feb. 6. Ep. 28. Peruſ. 12. Cal. Mart. 7. Ep. 10. Peruſ. 7. Id. Iun. 8. Ep. 91. 9. Ep. 113. Peruſ. 6. Cal. Iun. 10. Ep. 184. 11. Ep. 160. 12. Ep. 169. 13. Epiſt. 50. 14. Epiſt. 62. Peruſ. 15. Cal. Iun. & ep. 63. & 76. 15. Ep. 401. Viterb. 4. Non. Mart. 16. Epiſt. 13.

Eodem anno Gregor. Pontifex 1. Iolem Andreæ Regis Hungariæ filiam, Regi Aragonum deſponſam, in protectionem S. Petri recepit, & illa, & marito rege poſtulante, dotis nomine quædam bona ſibi aſſignata confirmauit. 2. Belæ Regi Hungariæ, & Theobaldo Regi Nauarræ & Comiti Campaniæ, ne à quoque præterquam à Sede Apoſtolica à cœtu Fidelium ſeparari, toto eo tempore quo piam militiam vel contra Saracenos in terra ſancta, vel contra Bulgaros in Oriente militarent, poſſent, indulſit. 3. Regibus Galliarum & Nauarræ, vniuerſis Principib. Franciæ, Comitibus Montisfortis, & Comitiſſæ Flandriæ, præcepit, ne Cruceſignatos in adiutorium Terræ ſanctæ proficiſcentes, toto triennio Creditores exactionibus debitorum diuexarent in eorum dominijs. 4. Colomano Galiciæ & Slauorum Regi, vt pacta inter eum & milites Templi in Hungaria & Slauonia, ex parte reſtitutionis quorundā bonorum eiſdem Templarijs ſtabilita ſeruaret, præcepit quod ſi recuſaret, vt per cenſuras eccleſiaſticas eum compellerent, Varadienſi Abbati & Præpoſito Quinque Eccleſienſi, poteſtatem fecit. 5. Inter Comitem Cornubiæ & Pictauiæ fratrem Regis Angli ex vna, & Iſabellam Glouerniæ ducis relictam ex altera, matrimonium in gradu prohibito contractum diſpenſauit. 6. & quia Alfonſum Iacobi Aragonum Regis filium, ex Eleonora filia Ferdinandi Regis Caſtellæ, ꝓpter matrimonium in gradu prohibito cōtractum, & authoritate Apoſtolica ante aliquot annos ſolutum, aliqui in periculum ſucceſſionis adducere volebāt, quod is ex matrimonio inconceſſo natus eſſet. 6. Greg. Pontifex authoritate Sedis Apoſtolicæ eundem Alfonſum legitimum eſſe ideo declarauit, adeoque poſſe in regnum paternum ſuccedere pronunciauit, quod eo tempore natus Iacobo fuiſſet, quo bona fide credebatur ab omnibus illud matrimonium legitimum fuiſſe. 7. Gregorius Beatrici Reginæ Caſtellæ, Legionis & Toleti, admiranda vitæ D. Eliſabethæ perſcripſit, eamq; ad imitationem illius hortatus eſt. 8. D. Eliſabetham Sanctorum Catalogo adſcripſit. 9. Concordiam inter Henricum Sileſiæ & Vladiſlaum Poloniæ Duces, Fulcone Archiepiſcopo Gneſnenſ. & Paulo Poſnanienſi Epiſcopo authoribus anno ſuperiore, 1234 die SS. Mauritij & ſociorum factam, confirmauit. 10. Regem Galliarum vt quædam ſtatuta contra eccleſiaſticam libertatem reuocaret, ſeuerius admonuit. 11. Epiſcopo Portugallenſ. terminum viſitandi limina SS. Apoſtolorum à biennio in triennium prorogauit. 12. Super diuiſione atq; vnione epiſcopatuum Rauallenſis & Vitoniæ multa ſaluberrima conſtituit. 13. Decano Rothomagenſ. & Fr. Alexandro de Noiolhim Ord. Prædicatorum, vt quoſdam Monachos diſcolos ex S. Andorni Monaſterio Rothomagenſi eijcerent alioſque religioſos in locum eorundem introducerent, commiſit. 14. Beato Fr. Iordano Magiſtro Generali Ord. Prædicatorum, vt Fratres militiæ Ieſu Chriſti Parmæ congregatos ſalutaribus inſtitueret diſciplinis iniunxit: eiſdemque Fratribus militiæ, præcepta viuendi præſcripſit. 15. Epiſcopo Regienſi, Prouinciali Lombardiæ & Fr. Iacobo de Caſtro Alquadro Ord. Prædicatorum, vt eccleſiæ Mantuanæ viduatæ Epiſcopum præficerent, poteſtatem dedit 16. Romanos quoſdam Ciues libertatis gentilitiæ ſatis auidos in ordinem redegit, & ne in poſterum quicquam nouare auderent, ex communi omnium conſenſu plurima capitula pro ſalute publica conſtituit, deque ijs Imperatorem certiorem fecit.

IESV CHRISTI
Annus 1236.

FRIDERICI IMP. An. 7.
GREGORII PAPÆ IX. Ann. 10.
BALDVINI II. IMP. OR. Ann. 8.

I. Sanctitas Hermanni Contracti, eiuſdemq; obitus. a Sur. 24. Maij. & 13. Febr. b Leand. de vir. illuſtrib. Ord. Prædd.

IN a Steinfeldenſi monaſterio mortuus eſt hoc anno Hermannus Contractus Canonicus Præmonſtratenſis, Colonienſibus parentibus Catholicis natus, ſancta ſimplicitate eximius, quem mox B. Iordanes prope Ptolemaidem Hieroſolymam nauigans, naufragio aquis hauſtus ex mundi iſtius mari ad æternæ felicitatis portum ſecutus eſt, poſtquam toti Ordini Prædd. totis annis quatuordecim, maxima cum laude præſediſſet, & pluſquam mille adoleſcentes habitu ordinis propria manu donaſſet. b Excepit hunc quoque B. Vlricus Friſacenſis, prædicatione S. Hyacinthi Odrouanſij ad Ordinem protractus, quem & pfeſſione & pietate æmulatus B. Arnoldus Treuirenſis, Beatum Iordanem inter Apoſtolos elatū ad cœlos aſpexit, cumque ſcire cuperet, num cœlitum numero eſſet aſcribendus, Chriſtum, librum ei in viſione exhibentem, quo nomen ſuum deſcriptum vidit, ſpectare meruit.

II. Regis Tunetani nepos captus ad Chriſtū conuertitur. c Epiſt. 122. 254. Reate 10. Cal. Sept. Ep. 111. 118. 142. 102. 109. d Polyd. lib. Hiſt.

Hoc anno c Regis Tunetani in Africa nepos, per FF. Prædd. ad Chriſtianam fidem conuerſus, Romam properans, vt à Summo Pontifice baptiſmate tingeretur, fideique myſteria plene hauriret à Siculis quos præternauigabat, pyraticam exercentibus, captus, ſpoliatus & cuſtodiæ traditus eſt. Vnde metu cenſurarum Friderico Imperatori vt Siculos ab ea barbarie auocaret, commendauit. Comes Britanniæ auxiliares copias Cruceſignatorum pro Ioanne Brenno Curatore Imperij à Bulgaris obſeſſo adducit, & tamen ab eodem Ioanne iniurijs vulneratus fuit, à quibus illum Gregorius auctoritate Apoſtolica eripuit, & Clerum Orientalem morum corruptelis deformem ad melioris vitæ tramitem reuocauit. Præterea diſpenſat in gradu conſanguinitatis cum fratribus ſancti Ludouici & filiabus Brabantiæ & Toloſæ Comitum. Vnde tandem Toloſanus, cuius cor ſyncera tactum fuit pœnitentia ad Eccleſiam plene redijt, opera imprimis Fratris Raymundi Peniafortij Barcinonenſis Ordinis Prædicatorum, & Gregorij nomi Pœnitentiarij. Ottonem quoque Cardinalem in Angliam mittit, vt Reges Angliæ & Scotiæ in mutuam pacem fœderaque demitteret. d Sunt quoque ibidem in aere præcipue, variæ hominum formæ viſæ acie inſtructa dimicantes: at portentum hoc immenſi imbres excepere, expleuerunt aquæ omnia, & multa hominum millia ſuffocauerunt. Cardinalis Columna bellum quod Florentini cum Senenſibus & Piſanis geſſerant, compoſuit, imprimis opera Ioan. Vincentij Prædicatoris accedente.

e Chron. Hirſaug. f Annal. Fland. lib. 8. g Blondus, Auentinus, Nauclerus & Franc. Hiſt.

Lepidum eſt illud: Theobaldum Epiſcopum Faliſci montis Volſinienſis armis ad ſubiectionem compellere volentem, cum equitatu ſuo intercipiunt, & præſectis caudis quorū imbellium magno cum opprobrio ad ſuos remittunt. e Iudæi quoque pueros Chriſtianorum quoſdam in Molendino clam occiderunt, quorum corpora Regi Friderico Hagenoæ oblata Iudæos ad ignes damnatos, vita exuerunt. Quod facinus plenius in Fragmento Hiſtorico Anonymi auctoris refertur. f Quo anno & apud Flandros & Attrebates Sodomitæ multi combuſti ſunt. g Nobiliſſimum pignus hoc anno ſcilicet lancea Domini Venetis à Balduino II. data eſt, & à Ludouico Sancto redempta in ciuitatem Pariſienſem delata, propterea quod Veneti Bulgaros ab vrbe Conſtantinopolitana depuliſſent.

III. Tranſlatio S. Eliſabeth viduæ in Marpurg. celebratur.

Eodem anno, in die Calend. Maij, S. Elizabeth, vidua, in Marpug. per Archiepiſcopos Moguntinum & Treuerenſem, & Epiſcopum Hildesheimenſem Commiſſarios

Apoſtolicos, de tumba ſubterranea, eleuata eſt in præſentia Friderici Imperatoris, & multorum Principum, Epiſcoporum, Abbatum, Comitum, Prælatorum, nobilium & ignobilium; quorum omnium numerus ad duodecies centena millia fuerat æſtimatus. Ibi facta ſunt coram omni populo infinita miracula ad ſancti eius nominis inuocationem. Imperator primum lapidem de Sarcophago leuauit, & productam ex theſauris ſuis coronam auream, ſacro capiti ſanctæ viduæ reuerenter impoſuit. Corpus illius in tumba aurea repoſitum eſt, ſtatum atq; à Gregorio IX. Pontifice ſanctis adnumerata eſſet. *Chron. Hirſaug.*

IV. Frid. turbat Ital. prohibente Greg. & Filium Regem Romanor. in carcere mori coegit.

Hoc anno in Lombardia, noui ex veteribus inter Fridericum Imperatorem, & ciuitates cōfœderatas tumultus:[b] res turbante Ezelino Comite Romano. Quibus componendis, cum Imperator in Gregorij Pontificis arbitrium inclinaſſet, is vero tum Magiſtrum Theutonicorum militum, tum Procuratores ciuitatum Fœderatarum, ad dies feſtiuos Natiuitatis Dominicæ, ad quos Imperator negotium tranſactam eſſe volebat, Romam euocaſſet: & Magiſter quidem Theutonicorum in vrbe pro die deſignato comparuiſſet, hi vero neglexiſſent: Imperator Fridericus Magiſtrum à ſe miſſum reuocauit, in Italiam cum exercitu deſcēdit, ac Vicentiam ſeſe dedentem cœpit. Interim Nuncij Lombardiæ Ciuitatum inopinato Imperatoris aduentu exciti, Romam aduolarunt, auxilia à Gregorio poſtulantes. Is porro [c] Friderico ſcribens poſtulauit, vt Magiſtrum militum Theutonicorū in vrbem ad tractandam pacem remitteret, neq; ex tam leui cauſa Italiam miſceret, & negotium Terræ ſanctæ, omnibus Principibus Chriſtianis iam commendatum, impediret. [d] Dedit ea de re litteras ſecundo tum ipſi Imperatori, vt pacis conſilia ne ſperneret: tum Magiſtro militum, vt venire properaret: tum Archiepiſcopis Moguntino & Treuerenſi, tum Epiſcopo Ratiſponenſi Imperialis aulæ cancellario, & Epiſcopo Ildeſemenſi, vt Fridericum ab armis in Lombardos auerterent. Ceſſit nonnihil Fridericus Gregorio admonenti, cumq; Romam ire diſponeret, vt in itinere obuias ſibi aduerſarias ciuitates ſubijceret, Cremonam diuertit, ſeditionemque inter confœderatas vrbes artificio excitauit. Cremona, Bergomum, Parma, Vicentia, Regiū Lepidi & Mutina pro ipſo dimicabant. Inter confœderatos numerabantur, Mediolanenſes, Brixienſes, Mantua, Bononia, Fauentia, Patauium, Taruiſium, Marchio Ateſtinus, Comes S. Bonifacij, atque Verona, quæ poſtmodum ſuaſu Ezelini ad Imperatorem tranſiuit. [e] Fama erat quaſi Mediolanenſ. Henricum Friderici filium, iampridē Romanorum Regem à patre renunciatum & inauguratum, ſed à patre propter grauiſſimas iniurias animo alienatum, in adiutorium vocaſſent, & illi diadema Imperij promiſiſſent, quem tamen Fridericus pater præoccupauit, & catenis oneratum in Apuliam miſit, inque carcere teterrimo inedia & pædore mori coegit.

b *At S. Vat. de reb. Ezelini.*
c *Epiſt. 1. Viterb. 18. Kal. April. &*
d *epiſt. 103. dat Interamnæ 4. Id. Iun.*
e *Chron. Boſian.*

IESV CHRISTI

Annus 1237.

GREGORII PAPÆ IX. Annus 11.

FRIDERICI II. Imp. Ann. 8.
BALDVINI IMP. Orient. An. 9.

I. Fridericus Ital. & Lombardiæ fœderatas vrbes turbat.

VTrumque [a] Imperium grauiſſimæ calamitates diſtraxere. Lombardiam Fridericus & per ſe & per Tyrannum Ezelinum miſerabiliter turbabat, tametſi aduerſus illum ſedecim Prætores fœderatæ Vrbes creauiſſent. Grauiſſime hac iniuria irritatus quod Mediolanenſes Elephantem ſuum Cremonem tranſmiſſum intercepiſſent, ideoque Mediolanenſes ex improuiſo adortus partim cæpit, partim fugauit. Qui acerbitate facti commoti, bellum aperto marte committendum obtulerunt. Itaque admoto Mediolano exercitu Fridericus in ſummum eos diſcrimen adduxit. Quare Gregorius ſibi cum admonendum duxit, & à tam cruento bello per Legatos deterruit. Eo fine, ne Cruceſignatos Conſtantinopolim ituros impediret: Legatique plenariam poteſtatem controuerſias audiendi & dirimendi haberent. Si quid enim Cruceſignatis diſcriminis eueniret, id ſuo damno Imperator eluendum ſibi eſſe ſciret, nec iuramenti ſe religione, niſi eiſdem copijs iungeretur, exſolueret.

a *M. S. Vat. vita Ezelini Chron. Boſ.*
Ep. 88. Vit. 10. Kal. Iun. & 254. Later. 9. Non.

II. Oriens à Blanchis & Bulgaris turbatur.

Ioannes [b] Vſanes Bulgarorum & Vatacius ſeu Ducas Reges à Venetis ab obſidione Byzantina depulſi erant (quamobrem, vti diximus, Balduinus, Venetis lanceam Domini dederat) Quibus in patriam nauigantibus, maiore terra marique exercitu comparato, grauiorem Conſtantinopoli obſidionem intentabant. Gregorius pro cōſeruando Imperio, Balduino in Gallijs per id temporis hærenti pericul. enuntiat, admonetque vt pacis ineundæ cauſa, quidquid iuris in Regnum Bulgariæ, ſiue ex æquo, ſiue ex iniquo prætenderet, id ſedi Apoſtolicæ tranſſcriberet: putabat enim eo modo Aſanis animum ferocem mitigatum iri.

b *Petr. Marcell. in Iacobo Tepulo. ep. 374. Later. 6. Kal. Febr. Ep. 96. Vit. 12. Kal. Iun. Ep. 97. ib. & ep. 371. Lateran. 6. Kal. Febr. & ep. 448. ibid. 4. Id. Mart. & ep. 110. Viterb. 2. Kal. Iun.*

III. Innumeræ copiæ Cruceſign. ad liberandū Orientem. Timet eas Frid. ſecundus.

Quod ſi nec ſic contumaciam Bulgarus deponeret, velle ſe & poſſe Hungariæ Regem Belam ad illud bellum illa eſca impellere, ſi iura Balduini Bulgarica in prœmium militiæ illi oſtentaſſet. Perinde Vatacio ſcripſit, vt ſi nollet ab oppugnanda Vrbe deſiſtere, cenſuris illum coercendum, vel innumeris Cruceſignatorum copijs eſſe domandum. Ex quibus ſolus Comes Britanniæ 2000. equitum & decem millia peditum ductitaret, quos omne in ſubſidium Regni Conſtantinopolitani venturos ipſe exciuiſſet.

Tot tantiſque [c] Cruceſignatorum copijs cum obicem Frideric. poneret, timens ſubiectis per quas tranſituræ erant Prouincijs, ſeuere illi Pontifex interdixit, ne reliquias Latini nominis in Oriente interire ſineret, nec Eccleſiam nouellam Græcam in prædam ſchiſmaticis daret. Retenta enim Conſtantinopoli facilius poſſe terreſtri itinere Hieroſolymam ab Latinis adiri iuuarique. Dein cum innumeri pene eſſent Cruceſignati, ſingulis indixit ordinem ductoribus Gregorius, vt tertiam partem militum domum remitterent, V. G. Comes Prouinciæ ex decem millibus retineret ſex: Item Balduinus Auguſtus in Gallijs ſubſiſteret, alijque Principes nimiam potentiam præſcinderent. S. Ludouico, Duci Burgund. Comitibus Niuernenſ. Montfort. & Vindocinenſi, Flandriæ, Bononiæ &c. Archiepiſcopis omnibus & Epiſcop. Galliarum iniunxit, ne quenquam Cruceſignatorum, dummodo in iſta militia perſiſterent, à quoquam ſinerent infeſtari, Legataque pia Oleronius Ord. Prædd. pro exercitu colligeret & Comiti Britanniæ aſſignaret.

c *ep. 447. Later. 4. Id. Mart. & ep. 413 ib. 4 Kalen. Martii.*

IV. Maſſilia deficit à Comite Prouinciæ ad Toloſanū, & Sicarius Angli Regis ſupplicio afficitur.

Per id temporis [d] Maſſilia à Comite Prouinciæ ad Toloſanum qui ante eam armis infeſtauerat, deſciuit. Quare Gregorius monuit S. Ludouic. Regem, Matrem, aliosque Comites vt rem componerent. Cum vero multi ex illis excommunicati eſſent, S. Ludouicus ijs communicare ſcrupuloſe metuebat. Eximit ſcrupulum Gregorius, nullius criminis illum futurum reum, ſi excommunicatis miſceretur; modo de ſcelere non participaret. Simili labore Galliæ & Angliæ Regem per Legatum in mutuam pacem coaleſcere voluit, vt concordibus animis Aſiaticum bellum poſſent ducere; ideoque omnibus Sacerdotibus in eius ſubſidium decimas Sacerdotiorum omnium dependere iuſſit. Interea [e] Anglus Sicarius Regi mortem inſidioſe ſtruit, in conclaue ſub noctis ſilentio clam penetrans, & ad Regium thorum contendens, leua manu ſtragulum remouet, & dextera ferro armata; frequentibus ictibus puluinum perfodit. Accidit forte fortuna Regem cubiculum mutaſſe, illumque Deo dirigente incaſſum laboraſſe. Detegit cubicularia Reginæ latronem, qui comprehenditur, & graui ſupplicio meritoque tollitur.

d *ep. 101. Viterb. 13. Kal. Iun. & 254. ibid.*
e *Polyd. hiſt. li. 16. ep. 49 Viterb. ibid. Maij ep. 249 ib. 12. Kal. Octob. & Later. 2. Non. Decemb. & 381. ib. 5. Kal. Febr.*

V. Canonici Regum conſiliarij.

Indulſit Gregorius Regi Caſtellano, vt in illis terris, quas Mahometanis eripuiſſet, ius præſentandi Epiſcopos, vna duntaxat vice haberet. Deinde excuſauit factum

ſuum,

ſuum, quare ad Regis petitionem nollet Regni Cancellarium Epiſcopum Oxomenſem ad Legionēſem eccleſiam transferri. Denique Regi Daniæ ex qualibet Cathedrali Regni ſui eccleſia copiam fecit accipiendi Canonicum vnum, qui illi eſſet à conſilijs, & fructus eccleſiarum, exceptis quotidianis diſtributionibus, perciperet.

VI. Summatim geſtorum Gregorianus anni. h Epiſt. 11. Gregor. 4. Ad. Mag. Epiſt. 446. Lat. 4. Non. Mart. i pag. 2. k pag. 93. l pag. 225. m pag. 19. n pag. 19. o pag. 77. p pag. 121. q pag 70 & 71. r pag 61.

Hoc quoq; anno Gregorius h Prouinciali Lombardiæ Ordinis Prædicatorum, facultatem viſitandi & reformandi Monaſteria Ciſtercienſis Ordinis, in Lombardia, Æmilia & Marchia Teruiſina vniuerſa commiſit. Vniuerſis Fratribus Prædicatoribus & Minoribus in Prouincijs vltramarinis in conuerſione Paganorum occupatis, priuilegia Crucesſignatorum conceſſit 1. Inquiſitionem vitæ & miraculorum Beati Beneuenti, 2. & B. Ioannis de Monte mirabili fieri præcepit. 3. Feſtum S. Eduardi Regis Angliæ celebrari. 4. & S. Franciſcum in maiore veneratione haberi mandauit. 5. vt Patriarcha Aquileienſis nouum Epiſcopatum erigeret, permiſit. 6. ne Sacerdotes Prouinciæ Nidroſienſis matrimonia contraherent, inhibuit. 7. vt Clerus Inſulæ Corſicæ ad eccleſiaſticam diſciplinam reuocaretur ordinauit. 8. Super ritu conficiendæ Euchariſtiæ, & Sclauorum bäptiſmate Patriarchæ Hieroſolymitano multa præſcripſit. 9. Examen vitæ atque miraculorum B. Hildegardis Abbatiſſæ, aliquibus commiſit, aliaq; innumerabilia ex re eccleſiarum plurimarum magna cum laude geſſit.

VII. Sancti aliquot Ord. Præd.

Floret in ordine D. Dominici B. Volandus, patria Argentinenſis, gente Germanus, qui nonniſi lac ex vbere, & ſanguinem è latere Domini ſitiebat, Crucis amātiſſimus, quam poſt mortem in pectore teſtatam reliquit, in quo crux colore cæruleo cæteris conſumptis videbatur. Non impar illi Lanfranchinus Ianuenſis, qui pia meditatione ſe Chriſtum vulneraſſe exclamabat peccatis ſuis, illi par B. Robaldus Mediolanenſis, qui animam Lanfranchini in vlnis B. Virginis vidit ſole ſplēdidiorem; denique B. Frugerius Pennenſis in operibus mortificationis acceratiſſimus, qui nullius mortalis culpæ conſcium, apud Greg. IX. S. Dominicum fuiſſe, velut illi à confeſſionibus teſtabatur.

VIII. Miſcellanea. f Lib. 8. De rebus Lubecen. in Polon. Sclauorum lib. 7. 9.

Ordinem equitum Chriſti in Liuonia inſtitutum tradit f *Cromerus*. Geſtabant autem enſis rubri ſignum cum cruce, pallio inſutum. Balduinus quoq; Imperator Conſtantinopolitanus, præter lanceam Domini, etiam Venetis ſertum ſpineum Chriſti ſeu coronam oppignorauit, quam tamen *Annales Francici* tradunt S. Ludouico Regi datam, decus & ornamentum etiamnum, Sacelli Regij Pariſienſis. Viuit hoc tempore celeberrimus Hebræorum Rabbi Abraham Eſra. Ruptæ hoc anno induciæ in Palæſtina Chriſtianorum cum Barbaris. Ioanna Conſtantinopolitana, Flandriæ Comitiſſa, ſobolis procreandæ cupida, nubit Thomæ, Sabaudiæ Comitis fratri.

Meyerus.

Hactenus à capta Conſtantinopoli per Francos, vnita Latinis Græca eccleſia; nunc iterum Germano II. Patriarcha Conſtantinopolitano, diſceſſionem aliquam molitur, poſt Michaelem, de quo ad annum 1206. numerantur Patriarchæ Theodorus 3. Maximus 2. Manuel, & Germanus 2. Circa hunc annum fundata ſcribitur academia Viennenſis in Auſtria, alij aliter.

IESV CHRISTI
Annus 1238.

GREGORII Papæ IX. Ann. 12. | FRIDERICI II. IMP. II. An. 9. BALDVINI II. IMP. Orient. Ann. 10.

I. Imperatores Fridericus & Ezelinus in eccleſiam. a M. S. Vatic. & de Ezelino, &c.

TAndem tandem a occultata Friderici II. aliquamdiu vomica, prodigioſam ſaniem egeſſit in ſedem Apoſtolicam, in eccleſias earumq; iura & poſſeſſiones, in Prælatos & quicquid, ſiue in Lombardia, Sicilia, Sardinia, Italia, iuriſdictionis haberent, violauit. Conabatur Gregorius Fridericum & Ezelinum tyrannum Patauinum ad ſanioꝛa reuocare, ſed Æthiopem lauabat, cum ſolis Ezelini nefarijs conſilijs velut furijs Cæſar ageretur. Hinc ipſum Gregorium trucidare attentauit; Epiſcopos & Legatos vel occidit, vel incarcerauit. Miſit ad eum Legatos Gregorius, ſed ſurdo fabulam cecinerunt: tametſi omnes illi cenſuras minarentur.

Cuſpin. In ... Friderici ... Ezelino ... Non. Iun.

II. Veneti & Genuenſes confœderantur. b Rlanduc lib. 7 in epiſtola Gregorij.

Venetos b cum Genuenſibus diuturno bello diſſidentes, ad pacis fœdera ob metum Friderici, deduxit, nouem annis continuatim duraturam: tum vt facilius contumacem retunderet iunctis armis; tum vt Italiæ populos fortiores redderet. Nihilominus in hiſce turbis Fridericus Crucesſignatis per ſuas Prouincias euntibus, litteras Salui Conductus & ſecuri tranſitus, aurea bulla Indictione xi. ad diem ſeptimum Decembris apud Cremonam tranſmiſit. Balduinus enim Imperator cum illis erat, iam Comes Namorcenſis, item Theobaldus Nauarræ Rex, & Comites Buenſis, Britanniæ, Monfortius, Richardus frater Regis Angliæ, & alij. Eundem ſaluum conductum ab Colomanno Rege petijt Gregorius, accepitque, Regibuſque alijs ſcripſit, vt proficiſcentes illos annona iuuarent, eiuſque ſubſidia etiam imperata triceſima parte fructuum ſacerdotibus, exigerent Prædicatores, & ...que indulgentias Crucesſignatis datas in Orientem euntibus prædicarent. In qua expeditione illud triſte accidit, quod Ioann. Brennius Hieroſolymitanus Rex, & Imperij eius curator ex humanis abiret, qui in agone habitum Franciſcanorum aſſumpſit. Dicitur enim illi S. Franciſcum interrogandum appatuiſſe, illique habitum ſuum obtuliſſe, ille que vocato Confeſſario habitum induit, & paulo poſt febre correptus hora vndecima in vineam veniens etiam denarium diurnum accepit.

III. [illegible] 1 ... 242 ... 101 & 41 & 163.

Eodem anno Greg. Papa 1. Iacobo Card. Epiſc. Prænestino Legato conceſſit, eaque de re Ludouico Galliarum Regi ſignificauit, vt Comitem Toloſanum toties periurum, anathemate exſolueret, ſi modo is pœnitentiæ & deuotionis ſigna oſtenderet, & eccl. atque damnum paſſis ſatisfaceret, atque in ſubſidium Imperij Conſtantinopolitani & Palæſtinæ deſignato tempore trajceret. 2. Robertum Comitem Attrebat. Lud. Regis fratrem, Ducem & temp. Venetorum, Richard. Comitem Cornubiæ, & Iolātem Reginam Aragoniæ, in protectionem ſedis Apoſt. recepit, vtq; à nemine, excepto Rom. Pont. cenſuris eccl. ... indulſit. 3. Reginæ Nauarræ, vt cum honeſto ... monaſteria quædam ſanctimonialium Campaniæ bis in anno ingredi, oſſet, permiſit. 4. Conrad. Ducem Maſouiæ & alios Pol. Principes ne eccleſiaſt. libertatem violarent, neve clerum exactionibus & ... prægrauarent, comminatione excommunicationis ab Archiep. Gueſnenſi ferendæ deterruit. 5. Duci Pomeraniæ, vt filiam Regis Daniæ quarto gradu conſanguinitatis propinquam in vxorem duceret, conceſſit. 6. Matrimonium inter Simonem Comitem Monſ. & Eleonoram Regis Angliæ ſororem, Comitis Gloceſtriæ Guill. relictam, ratum eſſe iuſſit. 7. Colomanum Ducem Sclau. ad extirpandos ex regno Boſniæ hæreticos & ſchiſmaticos hortatus eſt. 8. Prouincial. Poloniæ & Priori Pragenſi Ord. Præd. vt monaſterium virginum, S Franc. inſtitutum Pragæ profeſſarum viſitarent, reformarentq; cōmiſit. 9. Priori Herbipol. Ord. Præd. vna cum duobus Abbatibus Ciſtercienſis Ordinis, vt in vitam & miracula B. Brunonis Epiſc. Herbipol. inquirerent iniunxit. 10. Priori & Fratribus Ord. Præd. Diœceſ. Quinque Eccleſienſis, vt in ædificatione Cathedralis eccleſiæ Boſnenſis, & in propagatione atque defenſione Fidei Cath. eccl. epiſc. Boſnenſi aſſiſterēt præcepit. 11. Cenſum ex Regno Sardiniæ, iure optimo eccleſ. debitum, à Iudice Calaritano poſtulauit. 12. ne Clerici vxorati priuilegijs & immunitatibus eccleſiaſticis fruerentur, conſtituit, aliaque complura in vtilitatem eccleſiarum expediuit. 12. Altare maius in eccleſia S. Sabinæ conſecrauit, eiuſque rei memoriam marmori inſcripſit. 13. Henric. Barbatus Dux Sileſiæ moritur 19. Martij Croſnæ. Sanctæ Hedwigis, D. Elizabethæ Landgrauiæ amitæ, maritus. *Cromer. li. 8. Michouius.* Succedit Henricus Pius.

1 epiſt 108. 4 ep. 4. 1 ep. 242. 6 ep. 81. 7 ep. 155. 8 ep. 51. 9. ep. 52. 10. ep. 157. 11. ep. 191. 12. ep. 291.

Digitized by Google

IV. Terribile exemplum de pluralitate beneficiorum & mala vita Clericorũ.

Pluralitas beneficiorum in Philippo Cancellario Pariſienſi diuinitus punita, adeo vt inter cæteras damnationis ſuæ cauſas, hanc tulerit, ipſo poſt mortem Guilielmo Pariſienſi epiſcopo apparẽte, & Epiſcopus præſignata fronte Crucis ſigno: Ecquis eſſet, quidve vellet, inquiſiuit. Cancellarium Philippum æternis pœnis inferni damnatum ſe eſſe reſpondit: treſq; cauſas damnationis per ordinem explicauit. *Prima*, quia excreſcentes annuos fructus pauperibus non diſpenſaſſet. *Altera*, quia contra ſententiam plurimorum, de pluralitate beneficiorum quaſi ea licite poſſideri poſſent, opinionẽ temere aſſeruiſſet, & in hoc mortalis culpæ noxam admiſiſſet. *Tertia*, quod in abominando luxuriæ cœno, in ſcandalum multorum, multo tempore iacuiſſet, neq; vnquã emaculari ab hac ſorditie voluiſſet. Hæc dicens vmbra ab oculis epiſcopi euanuit. *Thomas Cantiprat. lib.1. cap.19.*

V. S. Rainoldi Martyrium monachum profeſſus Colon. in S. Panthaleone.

Hoc anno ad cœleſtem patriam emigrauit S. Rainoldus. Hic præclariſſimo ſtemmate natus, propter Chriſti amorem animæq; ſuæ ſalutem poſtpoſitis omnibus bonis huius mundi, monaſticam vitam Coloniæ, in monaſterio D. Panthaleonis, ſanctiſſime profeſſus eſt, cumq; iam in eodem Dominum in toto corde quæſiuiſſet, maximis ab eo gratijs eſt exornatus. Eius ſanctitatem cum aliqui impij exoſam habuiſſent, illum interfecerunt, & vt facinus celaretur in puteum præcipitarunt. Verum crebris miraculis diuinitus factis, inde extractus, & Tremonenſibus pro Sancto tutelari datus eſt. *Annal. Epiſc. Colonienſ.*

VI. Miſcellanea. Rex Iacobus Aragonum Regnum Valentinis extorquet.

Iacobus Aragoniæ Rex externis copijs auctus hoc eodem anno Valentinum regnum aggreditur, iam captis Balearibus & victo hoſte 28. Sept. Valentiam capit. *Chron. Montfort. Marian. lib.12.* Natus quoque Henrico Regi Angliæ Edouardus ex Eleonora coniuge, quem fonte ſacro Otto Cardinalis tinxit. In eius natali ſtella apparuit immẽſæ magnitudinis, quæ ante ſolis ortum modo per dies aliquot veloci curſu per aerem tota ignea ferebatur, modo poſt ſe fumum relinquebat, vtique præſaga amplitudinis Edouardi patris, & vilitatis Edouardi filij fumo ſignatæ, Eclypſis item 3. Iulij inſolentiſſima mundo incubuit, futuræ calamitatis à Friderico Secundo infligendæ eccleſiæ prænuncia. Toleti quoque, cum Iudæus rupem villæ proximam, quæ vineæ imminebat, ſcindere pararet, vt amplificaret vineam, & ſolis radios admitteret, ſciſſa cuneis rupe, reperit concauitatem cameratam pleniſſimam, inque ea librum ilignis folijs inſcriptum, ad lõgitudinem Pſalterij, vbi tribus linguis, Hebraica, Græca, & Latina legebatur de triplici mundo, ab Adam: Initio tertij naſciturus eſſet Dei filius, & quod tempore Ferdinandi Regis Caſtellæ, ſub lucem venturus eſſet liber. Iudæus comperta tãta vetuſtate, mox cum omni domo ſua eſt baptizatus. *Paralipom. Vrſpergenſ.* Moritur quoque hoc anno Agatopoli in Gallijs B. Leodatus Ord. Præd. qui certam de ſalute ſua fiduciam cum B. Virgine colloquens, accepit.

IESV CHRISTI
Annus 1239.

GREGORII PAPÆ IX. Ann. 13. — BALDVINI II. IMP. Orient. An. 11.

I. Greg. Frid. excommunicat. a. Alb. Krãz. Saxon. lib.8. & Metrop. l. 7. M. S. Vatican. de geſtis Ezelini.

Gregorio [a] Montelongo Protonotario Apoſtolico ad Fridericum miſſo, orat Gregorius vti Chriſtiani principis pectus induat, & ab incendendis diripiendiſq; confœderatorum vrbibus abſtineat, Mediolanenſes non inquietet, qui ſe eius poteſtati permiſerant, cæteroquin ſe gladium ſpiritualem diſtringere debere: Ille vero exercitum ad vrbem mouere feſtinat. Quare certa præfixa formula illum excommunicat, & Imperij regnorumque iura abdicit. Deinde illius formulæ exemplar omnibus totius Orbis Chriſtiani Principibus, tam ſecularibus, quam eccleſiaſticis, qua ſententiam in Fridericum latam cõplexus erat, tranſmittit. Hiſce auditis Fridericus cum Patauij eſſet, nonnihil animo conſternatus fuit, quod Romæ, ſeſe ipſo cœnæ Dominicæ die in Baſilica Vaticana anathemate damnatum intellexiſſet. Itaq; Petrus de Vineis Cancellarium, hominem facundum acceſſens verba ad populum facere ſe corã ornatu Cæſareo in ſolio conſidente, & ſuam innocentiam varijs rationibus conteſtari coegit: Qui paraſitari apprime doctus, Orationem per modum panegyrici inſtituerat. Nec vero tantum iſthac oratione contentus, etiam ſcripto indignitatem facti Gregoriani per orbẽ vulgauit, quo cum miras in ſedem Apoſt. blaſphemias cõplecteretur, ipſe Gregorius encyclicam verè auream condidit, qua iuſtitiam ſententiæ ſuæ omnibus Chriſtiani orbis Principibus luculente detexit, & Friderici intolerandam in Rom. eccl. tyrannidem viuis coloribus adumbrauit Digniſſima vtiq; quæ ab Friderici imperitis, ollaribuſque patronis legatur. His præterea nefaria eius facinora attexuit, vt Regum Principumque animos ab illo alienaret, iuſteque gladium ſpiritualem exertum eſſe cognoſcerent. Cæterum ille in contumacia obfirmatus Italiæ vrbes occupat, Guelphos & Gibellinos fatales Italiæ redanimat. Cruceſignatos aduerſum ſe ab Gregorio concitatos, captos diuerſis in locis crucibus ſanguinolẽtis deſcribit, & immaniter cõuulnerat. Sacerdotum raſos vertices mucrone ſæuiore in crucis modum diffindit. Sacerdotes, Epiſcopos, Prælatos & tres Cardinales in vincula conijcit, lento carceris ſqualore, ſituque pleroſque morti tradit, confodit, cremat Sardiniam per Entium filium, Siciliam per Præfectos, Lombardiam per Ezelinum, Apuliam, Calabriã, Inſubriam cædibus & vaſtitate ipſemet permiſcet. Gregor. ſupplicatione indicta nudipes incedit, capitaque SS. Apoſtolorum Petri & Pauli ipſemet in proceſſione defert. Et cum pro concione flens lachrymanſque Friderici impietates proclamaſſet, omnium Romanorum ſibi acclinauit animos, & in Fridericum commouit. Qui non contentus enormibus ſuis flagitijs Saracenorum ſacrilegijs eccleſiam in ſacris ciuilibuſque negotijs defœdauit, & has inſuper iniurias in Pontificem metro ſparſit. Supplicatio nudis pedibus Gregorii & Romanorum contra Frid. II. Coſpean. in Frid. 2.

Roma diu titubans, longis erroribus acta
Corruet, & mundi deſinet eſſe caput.

Cui Pontifex ita reſcripſit.

Niteris incaſſum nauem ſubmergere Petri,
Fluctuat, aſt numquam deſinet eſſe ratis.

Non potuit ferre Fridericus modeſtam Pontificis reſponſionem. Quamobrem non minus ſtupide quam ſtolide luſit:

Fata volunt, ſtellæq; docent, auiumq; volatus
Quod Fridericus ego, malleus orbis ero.

Repoſuit Gregorius Pontifex, id quod fuit ex vero:

Fata volunt, ſcriptura docet, peccata loquuntur,
Quod tibi vita breuis, pœna perennis erit.

Polyhiſtor Gibbonus ſic neruoſe ſuccinctèq; omnia complectitur de Friderico & Gregorio, quemlibet loquentem audire.

Teſtantur hiſtoriæ omnes, hoc tandẽ anno interPontificem & Imperatorem Fridericum, publicatum toto orbe diſſidium, literis, & vario vtriuſq; Diplomate. Obſtringitur anathemate Fridericus, Imperioq; priuatur. Italia diſſenſionib. exardeſcit. Dux Bauariæ, Auſtriæq;, Rex Hungariæ, & Bohemiæ, inſurgunt in Fridericũ, vi geritur res, & ſcriptorum fides in tãto animorum motu vacillat. Petrus de Vineis Friderici Cancellarius, in ſuis Epiſtolis Dominõ impenſe fauet, quem ſequitur Matthæus Anglus, æquiores ſunt erga Pontificem, Blondus, Plat. Sabell. & S. Ant. Fatetur Matthæus, Frid. Apologiam, ſeu Epiſtolam, Orbi ſuſpectã fuiſſe, obtrudũt aduerſarij multa, q̃ geſſit, p eccleſia: ab eccleſia tamẽ Romana à paruulo certe educatus, tot cladibus ex quo eam perſequitur fractus, & totus voluptatibus, in quib. occubuit, deditus, non poteſt non haberi. *Infelix, vtcunque ferant ea fata nepotes.* hæc ille.

II. Vſus in eccleſia, Salue Regina, & pulſus Aue Maria triplicis.

Interim Gregor. pietati augendæ ſtudet, & antiphonam Salue Regina, ab Hermanno Contracto inſignis eruditionis ſanctitatiſque viro compoſitam cantari contra Fridericum in eccleſijs & triplici campani æris ſonitu B. M. Virginem aduerſus Tyrannum ſalutari orarique mane, meridie & veſperi, auctoritate Apoſtolica præcepit.

Quam

Quam melliſluam Antiphonam eruditiſſimus Bzouius 40. concionibus illuſtrauit.

III. Crucesignati infelices in Syria, at bene Cæſari Orienteis. *Chron. Boſſ. lib. 9. Mariana lib. 12. Platina in Greg. 9.*

In Palæſtina omnia infauſta, nihil Reginaldo Bauaro Friderici Præfecto contra Saracenos mouente, tametſi numeroſiſſimi eſſent Crucesignati & ſolus Richardus Cornubiæ Comes & Angliæ inſula quadraginta millia hominum in Syriam duceret. Sed claſſis diſiecta tempeſtate fuit, & claſſiarij multi cum milite nauibuſque abſorpti auaro mari. Conſtantinopoli melius actum cum Bulgaro, Vatacioque Regibus metu Crucesignatorum arma ponentibus, vt Balduinus ſcripſerat, quem ob merita cum Richardo Anglo in protectionem S. Petri accipit.

VII. Dux Poloniæ virginitatem cum vxore ſeruat. *Cromerus l. 8* Bulla Canonizat. *SS. Hyacinthus & diſcipuli. Plat. l. 3. c. 13*

B. Boleslaus Poloniæ Princeps cum Cunegunde filia Bolæ Regis Hungariæ ſanctiſſima deſponſatur. Numini vterque coniugum, admirando poſteris exemplo ſeſe voto virginitatis deſponſant. S. Hyacinthus mortuum ſuſcitat aquis hauſtum, aliaque Sanctitatis monimenta erigit, Diſcipulos eadem inſigniter adornans: nimirum B. Hilgerum Comitis filium, B. Conradum trium mortuorum ſuſcitatorem. B. Gualtherum. B. Ægidium Ottonem & Chriſtinum. In Minorum ordine velut ſidus fulgentiſſimum ſanctitate & miraculis enituit quoque S. Adulphus Alſatiæ Comes maximis apud Henricum honoribus perfunctus.

Summariũ quoddam Geſtorum huius anni Gregorii. 1. epiſt. 111. 2. epiſt. 160. 3. epiſt. 112. 4. ep. 93. 5. ep. 155. & 177. 6. ep. 152. 7. ep. 176. 8. ep. 17. 9. ep. 175. 10. ep. 236. 11. ep. 14. 12. ep. 80. 13. ep. 109. 14. ep. 160. 15. ep. 256.

Interim etiam alia plurima pro eccleſia tranſegit, & inter hæc 1. Principi Achaiæ, vt Teutonicis militib. ex Hoſpitali Andreuillæ exluſus; illud F F. S. Ioannis Hieroſolymitani reſtitueret, præcepit. 2. Daciæ Regi, vt ſex Clerici in diuinis myſterijs ei deſeruientes, duo quę vocant compatibilia beneficia retinerent, indulſit. 3. Erico eius filio, vt Iuttam Saxoniæ Ducis filiam quarto gradu ſibi propinquam duceret, conceſſit. 4. Gubernatores Regni Nauarræ, toto tempore quo Theobaldus Rex piam militiam militaret, in protectionem Romanæ Eccleſiæ ſuſcepit, neue quis eos anathemate percuteret præcepit. 5. Ferdinãdo Alphonſi Regis Portugalliæ filio, qui cum Alphonſo filio Regis Caſtellæ & Legionenſ. contra Mauros depugnabat, indulgentias Crucesignatorum dedit, vtque Saracenis erepta, eiſdem, exceptis lignis, armis & ferro vendere poſſet, poteſtatem fecit. 6. Rogerium nepotem Regis Angliæ naturalem, vt ſacros ordines non obſtante natalium defectu ſuſciperet, diſpenſauit. 7. Colomannũ Ducem Slauoniæ ad extirpandos hæreticos & ſchiſmaticos hortatus eſt. 8. priori Friſacenſi Ordinis Prædicatorum, vt cauſam inter Bauariæ Ducem ab epiſcopo Friſingenſ. excommunicatum cognoſceret commiſit. 9. Prouinciali Hungariæ vt Fratres ſui Ordinis Prædicatorum ad prædicandum Schiſmaticis & Hæreticis Boſnenſibus mitteret, mandauit. 10. Prouinciali Galliarum eiuſdem Ordinis, vt votum à Crucesignatis Terræ ſanctæ, in ſubſidium Imperij Conſtantinopolitani commutaret, permiſit. 11. Inquiſitionem vitæ & miraculorum B. Ambroſij Ordinis Minorum aliquibus commiſit. 12. Cancellario Pariſienſi, vt ſtatuta à Remẽſi Archiepiſcopo & Suffraganeis ipſius in Prouinciali Concilio contra libertatem eccleſiaſticam facta reuocaret, & abrogaret, p̃cepit. 13. Auximanam Ciuitatem epiſcopatu priuauit. 14. Albenſem eccleſiam in Hungaria, quod maximam reuerentiam ſacroſanctæ Euchariſtiæ cum ad infirmos defertur, populi eius exhiberent, laudauit. 15. Contra hæreticos, præſertim Italiæ quamplurima ſalubertima edixit, atq; inquiſitoribus hæreticæ prauitatis nonnulla præſcripſit. 16. Fridericum Ferdinandi Regis Caſtellæ filium, & Guillelmum S. Facundi Abbatem eiuſdem Regis nuncium publice audiuit. Dolebat Ferdinandus Prouinciam Friderici Imperatoris, quem Gregorius Anathemate damnauerat, ſimulque operam ſuam Gregorio offerebat, ſi qua ratione contumacem inflectere; atque ad obedientiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ adducere poſſet. Dedit in eam rem literas Pontifici, Quarto die Decembris.

V. Miſcellanea.

Conradus Maſſouiæ Dux rara crudelitate Cancellarium ſuum Plocenſem Canonicum Sacerdotem ob inanem ſuſpicionem, quæſtionibus ſubiectum in rotam egit. Tyrannum nemo metu pœnæ, excepto Gneſnenſi Archiepiſcopo diris ab innocentem ſanguinem fuſum deuouit.

Quam malum ſuſpicio in Principe. *Cromer. l. ... M. S. Vat.*

In Anglia Nicolaus Fernamius Abbas imitabili modeſtia Epiſcopatum declinat. Horribilis Eclypſis in Anglia 3. Non. Iulij & Europæ parte, diem in intempeſtam noctem commutans, bonis operibus viam apud homines ſtrauit. Omnium quæ vnquam viſæ obſcuriſſima. Matrona Sueuica nobilis, venuſtiſſima cum eam multi ambirent, amore caſtitatis deformitatem à Deo petijt, & obtinuit, lepraque percutitur. Confeſſarius eius, in mariti id opprobrium vergere animaduertens vt ſanitatem formamque ablatas repeteret ſuaſit. Fecit, recepitque, & poſt obitum mariti, cum filia religionem ingreſſa eſt.

Sigon. li. 18 de reg. Ital. Marian. l. *Thom. Cantip. l. 2. c. 3*

Florent circa hos annos Saxo Grammaticus, & Petrus Cantor Pariſienſis, ex Trithem. Item Iacobus Vitriacus Cardinalis, & Michael Choniates, ex Cocc. in Cat. Script. notat anno 1220. Guillelmus Aruernenſis, Epiſcopus Pariſienſis, Cocc. conſignat anno 1230. Alexander Alenſis, Franciſcanus, præceptor S. Bonauenturæ, S. Thomæ, & Scoti. Trithem. & Cocc, anno 1240. Albertus Magnus, Dominicanus, Epiſcopus Ratiſp. præceptor S. Thomæ. Trithem. Vincentius Burgundiæ, dictus Bellouacenſis, Dominicanus. Trithem. Hugo Cardinalis Dominicanus, ibidem. Ioannes Rupellanus. Cocc. 1249. Matthæus Pariſius, Cocc. 1250. Humbertus, quintus Generalis Dominicanorum. Trithem. Cocc. 1253. Guillelmus Monachus S. Dionyſij, in Francia Hiſtoricus. Monaſterium Franciſcanorum Witebergæ fundatur ab Helena coniuge Alberti Ducis Saxoniæ, vt eſſet locus ſepulturæ Ducum Saxoniæ. *Brotuſ.* Hinc ad mutationem religionis Witebergæ 280. religioſus inquam, quam irreligioſus Apoſtata & laſciuæ Veneris ſtipendiarius ab vmbilico non ab ratione protruſiſſet.

Nicolaus Lyranus ex Iudæo factus Chriſtianus, poſt Sodalis Ordinis Minorum, Hebraicæ linguæ peritiſſimus, qui Biblia ſacra vniuerſa commentarijs illuſtrauit Lutetiæ moritur.

Fuit is patria, non Brabantus, vt quidem exiſtimant, ſed Normannus, Gallus; vt ex epitaphio quodam conſtat, in quo ſic inter alia legitur:

Lira, breuis vicus, Normanna in gente celebris,
Prima mihi vitæ ianua ſorsq; fuit.

IESV CHRISTI
Annus 1240.

GREGORII PAPÆ Annus 14. BALDVINI II. IMP. Orient. Annus 12.

I. Indicitur Generale Concil. Lateranenſ. à Gregorio *a Coæteneo Bzouio. Platina & act epiſt. 99. Gregorii.*

DVm his * FRIDERICI facinoribus Romana ſedes obruitur GREGORIVS concilium generale in proximam anni venientis Paſchalem ſolennitatem indicit.

Literaſque indictionis Concilij geminas dedit; priores quidem quinto Idibus Augſti, poſteriores ipſis Id. Octob. ex Laterano. Pontif. Anno 14. Deinde in diuerſas Prouincias peculiares Legatos deſtinat, qui quantũ poſſint numerum Prælatorum ad Concilium euocarent. Illi vero compendij itinerum cauſa ab Genuenſibus triremes conduxerant, nauesque actuarias, quibus Legatos Pontificios Prælatoſque citius ad Romanam vrbem per mare Tyberimque ſubuectos poſſent exponere. Eo intellecto Fridericus Entium filium notum quem Sardiniæ Regem proculcata ſedis Apoſt. Iuriſdictione creauerat, cum Piſanorum claſſe 40. triremium ſub Comite Hugolino Legatis & Prælatis oppoſuit, qui nauali pugna cum Legatis commiſſa per ignauiam Obriaci Genuenſium Talaſſiarchi omnes triremes in ſuam poteſtatem redegit: captoſq;

Legatos omnes quorum tres Cardinales erant, qui ex Italia erant vinculis carceribuſque concluſit, multoſque eorum ſitu pædoreque captiuitatis occidit. Dimiſſi Pontifices Galli & Angli. Captos vero cum poſt biennium multis muneribus acceptis dimitteret, ab vno Cardinale Epiſcopo Prænestino rogauit, vt ſui rationem haberet, & in amicitia perſeueraret, ſic à Cardinale audiuiſſe: *Libentiſſime fecero, ſi tu tantum in eccleſiæ obedientia perſtiteris, & pacem Italiæ, Sedi Apoſtolicæ iura, Pontifici ſupremo reuerentiam præſtiteris, ſin ſecus, ego nihil mutabo, teque diris omnibus deuouebo.* Denique Crucesignatos in Palæſtinam ſubmittit, Duce Rege Nauarræo, qui feliciter in Saracenos pugnauit, illoque nonnihil abſente cum pugnandi poteſtatem Saracenis facerent, grauiſſime cæſi ſunt, quod Gregorio omnibuſque Principibus non paruum horrorem incuſſit.

II. Miracula circa veritatem Euchariſtiæ. *Marian. lib. 13. c. 1. Ludouic. Granat. lib. 2. de Christiana religione præſtantia.*

Mira hoc anno circa Sanctiſs. Euchariſt. veritatem miracula contigerunt. Ad Chium arcem ſex hoſtiæ conſecratæ, & in corporali relictæ ſanguinantes inuentæ ſunt; quas Chriſtiani arcis præſidiarij Maurorum oppugnatione præpediti ſumere non poterant. Quo pio eorum deſiderio ſumendæ SS. hoſtiæ deſiderio hoc effecerunt, vt aliquot millia Maurorum ipſi mille tantum ceciderint. Quas miraculoſas hoſtias Darocæ depoſuerũt, ideo quod ſortibus miſſis in vrnam, Daroca vrbs tertio extraheretur: quæ in hanc vſque horam ſanguine rubentes & integræ atque ſi conſecratæ eſſent recenter ibidem, conſeruantur.

III. Miſcellanea. *Faſt. 111.* Salmanticenſis academia.

Hoc anno Germanus Sacerdos imperitus infantem non aqua ſimplici ſed cereuiſia baptizans à Gregorio docetur. Academia Hiſpaniæ ab Alphonſo Rege Palentiæ ante conſtitutam transfertur Salmanticam. Item Ferdinandi Regis filia Berengaria virginitatem Deo Olgis in religione vouet. Obijt quoque Hermannus de Salza Ord. Teutonici Magiſter bellicoſiſſimus, 30. annis præſidens, in Apulia die 24. Iulij. Germanus II. Patriarcha Conſtantinopolitanus moritur, cui ſucceſſit Methodius II. & illo poſt trimeſtre mortuo Manuel II. In Syluanectenſi quoq; Prouinciali Cõcilio Prouinciæ Rhemenſis Iacobus Cardinalis Legatus Pont. petens vigeſimam eccleſiaſticorum reddituum, contra Fridericum pro Pontifice, illam obtinet. S. Odo Carthuſianus Sanctorum albo inſcriptus hoc tempore floret. Veneti Mediolanenſes, Bononienſes & alij confœderati armatique anno præcedente in Fridericum nunc varia loca occupant; Veneti Apuliam; Mediolanenſes Ferrariam, cui præficitur nomine eccleſiæ Azo, Princeps Eſtenſis familiæ, quæ ad noſtra vſque tempora in honore fuit. *Blondus, Platina, Sabellicus.* Tartaricis Tanaim & Mæotidem paludem regionem occupant, atque è Moſcouia digreſſi mire Poloniam vexant. Lipſiæ cœnobium S. Pauli erigitur, & conſecratur. Auſtriæ Dux Fridericus deficit ad Fridericum Eximperatorem. *Auentinus.*

Blond. Platin. Sabellicus. Marian. lib. 13. Genebrardus. Vaſæus.

IESV CHRISTI
Annus 1241.

GREGORII PAPÆ IX. Ann. 15. — BALDVINI II. IMP. Orient. An. 13.

I. Tartari pleno agmine in Europam effunduntur. *Cramer l. 8. Niceph. Gregor. Hiſt. Rom. lib. 2. Dubrau. lib. 8. Bohem. l. 16. & Bonif. decad. 2. l. 1.*

HOc anno præcipue Tartari ſæuierunt, & late ſtrages cædibus incendijſque per Poloniam Hungariamque dederunt. Ducibus funeſtiſſimis & immaniſſimis Batto & Peta, Vratislauiam precibus aduerſus eos tuetur diuinitus S. Ceslaus Odrouantius Prædicator, D. Hyacinthi frater, cum machinis mœnia eius verberarent; S. Hyacinthus quoque mira aduerſus Barbaros coercendos in precibus præſidia quæſiuit, quibus ſanguinolentas Barbarorum frameas mitigauit. Cui Sanctiſſima mater oranti omnia poſtulata præſtitit; qui autem mores Tartarorum ſeu Scytharum ſint, apud accuratos æui noſtri Geographos perueſtiga. In Betam Hungariam euaſtantem iuit armatus Bela Rex Hungarus, cui centum millia Tartarorum habenti, par eſſe non potuit, ſed fœde Principes cæſi fere omnes, & exercitus miſeranda laniena dilaceratus, tanta ſanguinis effuſione, vt per duorum dierum iter ipſa ſtrata corpora & cruore imbuti campi viderentur, quaſi pecorum greges longe lateque cadauera diſperſa. In quo prælio Secretarius Regis cæſus apud ſe ſigillum Regium detinebat, quod aſtute acceptum litteris adulterinis Hungarice ſcriptis impreſſerunt, nunciantes ne Hungari Tartaros timerent, Quibus vrbes & ſubditi credentes, immaniter ſunt contrucidati.

Cædes Hungarorum vincente Tartaro.

II. *Ep. 19. Lateran. 16. Kal. Iul. an. 15. & ep. 108. Bonfin. dec. 2. lib. 8. Boſ. lib. 9.*

Quantumuis enormia ab Tartaris iuſta Dei vltione paſſus ſit Bela Rex, grauiora tamen à cognato ſuo Duce Auſtriæ Friderico, qui Regem in anguſtijs conſtitutum omni pecunia, vaſis aureis vel argenteis, & tribus Comitatibus Auſtriæ finitimis ſub ſpecie hoſpitalitatis victum recipiens emunxit. Porro hæ miſeriæ & Belam Regem adegerunt, vt auxilia à Crucesignatis per Gregorium ſibi ſubmitti peteret. Quæ difficulter impetrare potuit, tum quod ipſe Pontifex à Friderico iniurioſe vexaretur, tum quod Crucesignati in Palæſtina cæſi, auxilia exhauſiſſent, tametſi decennes inducias turpiſſimis cõditionibus cum Sultano Ægypto paciſcerentur.

III. Miſcellanea. *Platus lib. 2. c. 27.*

Regem Noruegiæ Henricum Nothum legitimis filijs emortuis diadema ex manu Pontificis petentem nonnihil ſuſtinuit Gregorius, miſſis exploratoribus num ſubditi Regni illum vellent admittere, & ipſe defectum natalium virtute poſſet penſare. Ioanna Regis Nauarræ filia, monaſticem Pariſijs cum Iſabella Francorum Regis filia S. Ludouici ſorore profitetur, claretque miraculis. In Burgundia mons à monte dehiſcens, Valleſq; coarctans, multa agricolarum millia abſorbuit. S. Guilielmus in minore Britannia Epiſcopus Briocenſis & Confeſſor vt in rebus geſtis eius multis recenſet *Surius tom.* 4. Quem in SS. numerum retulit Innocent. IV. cuius extant ea de re litteræ Apoſtolicæ. Datæ an. II. Pontif. ſui. S. Petrus Prælatum animarum curam negligentem in viſione grauiſſime redarguit, vt ille perculſus minis Apoſtolicis religionem Ciſtercienſem, mundo relicto curaq; Paſtorali depoſita, amplecteretur. Tartari vincunt Turcas in Cappadocia, eamq; valide occupant. In Hungaria Strigonia, in Polonia Cracouia euerſis. Fridericus in bello Italico inopia argenti laborans, ex corio parari iuſſit numiſmata, vt in milites ſtipendium illi ſuppeteret.

Surius 29. Iul. tom. 4.

Thom. Cantipr. lib. 1. c. 20

IV. Mors Gregor. IX.

Moritur hoc anno ſiue mœrore animi, ſiue aduerſorũ pondere vtcunque preſſus Gregorius IX. Romæ 11. Kal. Septembris. cui 30. à parentalibus die Gaufridum Caſtilionum Mediolanenſem Cardinalem Sabinum ſuffecerunt. At, Pontificatus Cæleſtino IV. ita enim ſe nominauit, nonniſi dierum fuit octodecim.

Ex Prædicatoribus florent B. Iulianus & S. Petrus Veronenſis, ambo in viuis clari miraculis. In ordine Minorum vero floret B. Gerhardus, cui ſoror in rigidiſſima hyeme ceraſa ex arbore naturalia ad recreandum infirmũ carpſit, corpuſque ſuum multis annis poſt mortem incorruptum exhibuit.

IESV CHRISTI
Annus 1242.

SEDIS VACANTIS Annus 1. — BALDVINI II. Imp. Or. 14.

I. Vacat ſedes Apoſtolica. *Platina & reliqui ex Bernardo Dominicano.*

VAcat hoc anno ſedes Apoſtolica, propterea quod Barbarica illam tyrannide opprimeret Fridericus, nec tres Cardinales in vinculis detinens relaxaret; nec terras Apoſtolicæ ſedi extortas redderet. Indignum enim iudicabat Purpuratorum Senatus in iſto negotio arduo ex aliquorum tantum & non omnium Cardinalium ſuffragijs decernere.

II.

Tartari omnia vaſtant late per Poloniam & limitaneos

Prælium infelix Henrici ducis Poloniæ contra Tartaros in quo & ipſe Dux cecidit. *Crom. lib. 8. Æneas Sylu. Miechouius Cureus Platina.*

Principatus ipſamque Sileſiam. Cognito eorum aduentu Henricus cognomento Pius, obuiam eis progreſſus fuit, procurato à Sacerdotibus ſacris myſterijs exercitu, eo quidem animo, vt aut vinceret, aut fortiter pro aris atque focis, & pro populo ſuo dimicans occumberet: non modo non deterrente, ſed etiam atque etiam hortante matre Hedvvigi, quæ futuri præſcia, tamen diuinæ voluntati repugnare nefas eſſe ducebat. Quinque autem agminibus exercitus eius conſtabat. In primo erant Cruceſignati ex varijs gentibus, Summi Pontificis authoritate & cohortatione poſt cladem ſuperioris anni collecti, cum quibus ordinati erant foſſores ex metallis Goltibergenſibus, cui agmini præerat Boleslaus Dipoldi Marchionis Morauiæ filius. In ſecundo erant maiores Poloni & Cracouienſes nonnulli, quos ducebat Hulislaus Vulodimiri Palatini Cracouienſis frater. In tertio erat Miecislaus Dux Ratiborienſis & Oppolienſis cum copijs ſuis. Quartum tenebat Pompo Magiſter Pruſſiæ cum ſuis Crucigeris. In extremo erat ipſe Henricus cum flore militiæ Sileſiæ & Polonicæ, & Mercenarijs externis. Totidem agmina Tartari fecerunt. His igitur Henricus ſeſe opponens, exercitu triginta millibus militum inſtructo, cum iiſdem acerrimo prælio congreſſus eſt, fortiterque depugnans, glorioſâ morte die 9. Aprilis, vid. die Martis poſt Dominicam quam in Albis vocant, in campo Wolſtat prope Lignicium occubuit. Cadaueri Principis Tartari caput amputarunt, illudque haſtæ infixum circumtulerunt. Lignicium vrbs incenſa eſt, ſed arx valida eſt munita præſidio. A quo cum Tartari deditionem poſtulaſſent, reſponſum eſt, pro vno Principe necato ſeſe habere plures Dominos adoleſcentes, quos non eſſent deſerturi. In hoc prælio præter Henricum, Boleslaus Henrici Amitinus, Pompo Magiſter cum fortiſſimis quibuſque ſuorum, alijque complurimi viri militares perierunt, tantaque ſtrages Chriſtianorum edita eſſe dicitur, vt cum Tartari poſt victoriam, ſingulis cadaueribus ſingulas auriculas præcidiſſent, nouem ingentes ſaccos expleuerint. Corpus Henrici ab vxore Anna filia Ottocari Regis Boemiæ, ex ſexto digito ſiniſtri pedis agnitum, & Vratislauiæ in templo S. Iacobi humatum eſt. Cæterum Heduigis mater, quæ monaſterij Trebnicienſis munitioni diffiſa, Croſnam vna cum grege Monacharum & Anna nuru ſub aduentum barbarorum ſeſe receperat, nihil nuncio cladis & interfecti filij commota eſt, quin monachas & nurum lamentantes comiter conſolata, minime deiecto vultu gratias egit Deo, quod eius munere talem filium peperiſſet, cuius ipſa viuentis pietatis ſummam in ſe experta eſſet, quiq; ad extremum pro religione & populo ſuo vitam alacer proieciſſet. Fertur autem, cum Henricus exercitum Legnicia contra Tartaros educeret, ſaxum grande è culmine templi Virgini Chriſti matri dicati ante pedes eius decidiſſe, ita vt parum abfuerit, quin eum extingueret: quæ res infauſti ominis vulgo iudicata eſt. Ferunt etiã, quod Tartaris victoria ſtetit ex permiſſione diuina ab arte maga. Erat in extremo illorum agmine, inter alia ſigna vexillũ inſigne, cuius pictura X. literę figuram prę ſe ferebat: in cuſpide vero imago erat tetra nigraque capitis humani barbati. Id igitur vexillum cum ſignifer vehementius quateret, fumum atq; nebulam denſiſſimam & fœdiſſimam exhalabat. Ea nebula nõ modo aſpectum barbarorum Chriſtianis militibus adimebat, verum etiam odore teterrimo eos enecabat, totumq; adeo exercitum nouitate rei ſtupefactum perturbauit. Incantationibus id quibuſdã Tartari effecerant, quibus iuxta ac ariolationibus atq; diuinationibus cæteris cum alias, tum in bello plurimũ vtuntur; ex humanis etiã extis de futuris euentibus ſoliti coniectare. Tunc vero barbari, vbi Chriſtianos trepidare à ſpectaculo ſenſiſſent, cohortati ſeſe mutuo, impreſſioneq; facta, tantã cædem, quanta fuit, ediderunt. Qua peracta, Ratiborienſem orã repetita excurſione vaſtarunt, Morauiã peruaſerunt, & Venceslao Rege in Boemia deliteſcente, amplius vno menſe, vſque ad Auſtriæ & Boemię fines crudeliter omnia diuexantes, in Vngariam ſuperatis montibus atq; ſyluis peruenerunt, ſuiſque coniuncti maiori clade illud Regnum deformarunt.

III. Hæreſis VValdenſium per Concilium damnatur.

In regno Arragoniæ hoc anno Waldenſes virus hæreticum diſperſere, quibus concilium Tarraconenſe Prouinciale oppoſitum eſt, in quo præſcripta fuit formula illos inquirendi, puniendi, & recipiendi ad Catholicam Eccleſiam redeuntes, & ſalutares eius pœnitentias iniungendi. Huic Concilio à Magiſtro Generali Ord. Præd. ſubmiſſus Raymundus à Peniafortius ſedis Apoſt. Pœnitentiarius, rogatu Epiſcoporum. Huius ſi copiam cupis, fontes adi.

IV. Diuerſi martyres, ab Toloſano Comite toties recidiuo, interfecti.

Hoc an. Kal. Iunij in nocte Aſcenſionis Dom. Auinione in Diœceſi Toloſana multi orthodoxorum martyrio affecti ſunt per Raymundum Toloſanum Comitem toties recidiuum, nimirum Arnaldus è monte Peſſulano Iuris Pontificij ſcientiſſ. & hæreticorũ Cenſor à Gregorio 9. inſtitutus; item duo Patres Minoritæ, Stephanus & Raymundus Carbonerij, & Prior de Cluſa Auionetti, Raymundus Canonicus & ſcriptor ſedis Toloſanæ Archidiaconus Leſacenſis, Petrus Arnaldus à Libellis Cenſori nominato, Bernardus Clericus Archidiaconi, duoque clerici viatores Fortunerius & Ademarus, qui pro Chriſti fide & obedientia Eccl. Rom. à ſatellitibus Hæreticorum cæſi ſunt, cãtantes in voce exultationis *Te Deum Laudamus.* Quod per viſum cognouit martyrium Iacobus Rex Arragonum, & quidam fratres ex Ord. Prædd. Item deuota matrona Chriſtum ex latere ſanguinem ſtillare per apparitionem vidit, eoque loci martyrum corpora ex Crucifixi mandato ſepeliri voluit. Pontius Hiſpanus, Ord. Prædd. cenſor quoque veneno extinguitur ab hæreticis apud Vrgellum Cataloniæ vrbem. Præterea ab eodem Toloſano ſex Fratres Prędicatores decollati ſunt, qui capita vti Dionyſius Areopagita proprijs manibus à loco ſupplicij longius detulerunt.

V. Miſcellanea.

Victus hoc anno Anglorum exercitus apud Sanctones & Rex ipſe in Angliam turpiter repulſus. Rodericus Archiepiſcopus Toletanus Chronicon ſuum Hiſpanicum hic abſoluit Anno 26 Ferdinandi Regis. In Thuringia & Haſſia, Hermanno filio S. Elizabethæ ſublato, regnat Henricus patruus, qui ſeptimus & vltimus fuit Lantgrauius ex Francorum proſapia Regali. Hic Fridericum quod male de religione ſentiret apud Pontificem accuſauit, & ipſe ab Electoribus Imperij Rex Romanorum deſignatur iuxta Herbipolim, vt poſtmodum dicemus.

IESV CHRISTI ANNVS 1243.

INNOCENTII PAPÆ IV. An. 1. — BALDVINI II. Imp. Orient. 15.

I. Eligitur Innoc. IV. in Pontificem.

a Anagnia Ep. 1.

Cardinales tres in vinculis detenti, ſiue Balduini Imperatoris, ſiue Ludouici Sancti aliorumque Principum Chriſtianorum precibus flexus, à Friderico dimittuntur. Quibus Anagniæ congregatis id propoſitum vt Pontificem eligerent, electuſque eſt 4. Iunij concordibus votis Sinebaldus Cardinalis, Patria Genuenſis gente Fliſca, ex Comitibus Lauaniæ. Qui a encyclica ad omnes Principes Imperij Regeſque data, inprimis Fridericum ſalutauit, à quo, tametſi ſibi familiariſſimo ob animi magnitudinem Fridericus timeret, primo electionis eius nuncio accepto dicens, *Bonum ſuum amicum Cardinalem Sinibaldum Pontificem factum, in acerrimum ſuum hoſtem permutatum iri,* cui inprimis curæ fuit tribus ad Fridericum Cardinalibus miſſis, articulos b pacis illi deferre, & ad pacis fœdera eundem traducere. At Fridericus nimia procraſtinatione rem differebat, Pontificemque ad ſe euocans, vincula carcereſque doloſe intentabat. Comis vultu, animo infidus, per ſe & Ezelinum & Entium Sardiniæ Regem fœdiſſima quæque in Eccleſiam patrans.

b Ep. 84. Antonin. 3. parte tit. 19. c. 5.

II. Mors S. Heduigis Duciſſ. Poloniæ. *Sur. 15. Oct.*

Moritur hoc anno 15. Octob. S. Heduigis Ducißa Poloniæ, Henrici Barbati Sileſiæ Ducis coniunx, & Henrici Pij in prælia contra Tartaros occubentis mater, innocentiæ, ſanctitatis, & manſuetudinis exemplar, & Regionis Sileſiæ decus ſingulare. Filia vero fuit Principis Bertholdi Marchion. Morauiæ Comitis Tyrol. &c.

Matrem habuit Agnetem non minori generis dignitate illuſtrem. Fratres illi fuere quatuor; tres ſorores: quarum vna Philip. Regi Franc. nupſit, altera Andreæ Hungariæ Regi, cui peperit laudatiſſimam illam & nunc in cœlis glorioſ. Elizabeth Turing. Landgrauiam. Tertia ſoror Abbatiſſa fuit virginum Ord. S. Benedicti, in monaſterio Lutzingenſi Franconiæ. Vnus fratrum eius Bertholdus Aquileienſis Patriarcha fuit, alter Ekebertus Babergenſis Epiſcopus: duo reliqui Otto & Henricus militiæ dediti patri in principatu ſucceſſerunt.

In agone conſtitutæ, SS. Magdalena, Catherina, Tecla, Vrſula, aliæque nonnullæ multa luce conſpicuæ illi apparuerunt, in quarum comitatu ſanctiſſima eius anima, mortalitatis vinculis ſoluta, ad Chriſtum migrauit. Septimus dies Octobr. Id. numerabatur, quo cœleſtibus aſcripta eſt.[a] Corpus eius, quod croceum, dum vixit, propter rationem victus duram ac tenuem, aſſiduaque ieiunia fuerat, poſt mortem inſolito ſplendore coruſcauit, Deo teſtimonium perhibente pietati & ſanctimoniæ illius. Tertio demum & viceſimo anno poſt, à Clem. 4. Pontif. Maxim. in numerum Sanctorum, examinato bene ac diligenter negotio, relata eſt.

a Cramerus lib. 1.

III. Miſcellanea. Marian. lib. 3. cap. 1.

Ferdinandus Caſtellanus Giennam à Granatenſium Rege Mauro ex fœdere recepit, ſolemni ſupplicatione portas ingreſſus, templum iuſſit expiari, nouumque ibidem Epiſcopum conſtitui. Ad Nuſſiam oppidum trecenti & plures Comites & Nobiles, prohibente Fr. Bernardo Ord. D. Dominici præcone inſigni, haſtiludio duelloque perierunt, viſique in aere ſunt coruí crocitando eos circumuolitare. Præter occiſos plurimi ſpectatorum in veſaniam & morbos incurabiles incidere. S. Bonauentura Seraphicus Doctor Eccleſiæ, religionem S. Franciſci hoc anno ingreditur, & ſeptimo anno poſt Magiſtrum ſententiarum prælegit Pariſijs.

IV. Quædam Summarium Geſtorum Innoc. IV. huius anni. 1 Epiſt. 4. 2 Epiſt. 31. 3 Epiſt. 350. 4 Epiſt. 17. 5 Epiſt. 154. Anton. 3. Id Chron. 6 Epiſt. 179.

Hoc eodem anno inter tot turbines, 1. Epiſc. Parmenſ. cuius Eccleſiæ ſe alumnum fuiſſe fatebatur, Innoc. ab adminiſtratione Sacrorum ſuſpendit, eo quod bona Eccl. illius per ſummam prodigalitatem & luxum dilapidaret. 2. pro reparatione mœnium Hieroſolymitanæ vrbis collectam impoſuit, & ad ſubueniendum Terræ S. omnes Principes inuitauit. 3. Contra hæreticos Italiam infeſtantes quamplurimos Inquiſitores inſtituit, multaque ſaluberrima conſtituit. 4. Baſilicæ Principis Apoſtolorum in vrbe Archipresbyterum Cardinalem præfecit. 5. Philip. Regis Caſtellæ filio in Clerum aſcito, vt duos perſonatus ſeu duo beneficia. Eccl. obtineret, indulſit. 6. ne aliquid pro Eccleſiaſt. ſepultura exigeretur, inhibuit, aliaque multa pro pace & commodis Eccleſiarum egit. 7. Eodem anno Innoc. Pontif. Prouincialem Poloniæ Fratreſque eius curæ ſubiectos Ord. Præd. pro officio paſtorali, ad Ruthenorum & aliarum nationum barbararum conuerſionem procurandam hortatus eſt: multaque priuilegia, gratias, exemptiones, immunitates & indulgentias proficiſcentibus inter gentes vel ad ſchiſmaticos conceſſit, datis ad Prouincialem literis Laterani 11. Kal. Aprilis, quarum initium eſt: *Patri luminum.*

nuit. Quem rite pœnitentem S. Ludouico Regi impenſius commendauit.

II. Summatium aliquot Geſtorum Innoc. IV. huius anni. 1. Epiſt. 10. 2. Ep. 637. 3 Epiſt. 638. 4 Epiſt. 372.

Hoc ipſo anno, 1. Innocentius Colomanno in Bulgaria imperanti, vt ſchiſmaticos ad vnitatem Eccleſiæ Romanæ, miſſis ad eos doctrina & pietate illuſtribus viris reduceret, iniunxit. 2. Inter Regem Angliæ & Comitem Prouinciæ concordiam iuramento firmatam approbauit. 3. Reginæ Angliæ ab Henrico Rege marito dotem aſſignatam, ad vtriuſque petitionem confirmauit. 4. Priori Pariſienſi ordinis Prædicatorum, vt Comitem Flandriæ à Gregorio Montelongo ſedis Apoſtolicę Legato, propterea quod cum Entio contra Lombardos militauerat, anathemate damnatum, ab excommunicatione abſolueret, poteſtatem fecit 5. Fr. Rolādo Cremonenſi Ordinis Prædicatorum, vt contra Ezelinum de Romano contemptorem clauium Eccleſiæ & Italiæ turbatorum inquiſitionem inſtitueret, illumque in loco aliquo vicino & ſecuro coram populi multitudine vocaret, argueret, caſtigaret, & damnaret, præcepit. 6. Regi Galliarum S. Ludouico, vt Capellæ illius quam pro conſeruatione ſpineæ coronæ Dominicæ magnificentiſſimo ſumptu ædificauerat, Capellanos pro tempore nullus incommodare, aut inquietare poſſit, indulſit. 7. Archiepiſcopo Pruſſiæ, vt ante ſe Crucem deferri faciat, conceſſit. 8. Fratres aliquos Ordinis Minorum, ad Principem Tartarorum deſtinauit. 9. Iudæos in regno Galliarum, ne libros Thalmud, & reliquos in probrum Chriſtianæ religionis vulgarent, datis literis illuſtri Regi Franciæ, repreſſit. 10. Fratres Prædicatores ad Iacobitas, Neſtorianos, Gregorianos, Armenos, Græcos, Maronitas, Moſolinos, aliaſque infidelium nationes ad Euangelium prædicandum deſtinat. *Krantz. Metrop. lib.* 8. 11. Fr. Adolphum Holſaciæ Comitem Ord. Minorum factum cum diſpenſatione ſedis Apoſt. ſacris initiari permittit. 12. Friderico in vrbe Caſtellana ex condicto non comparente, & quaſuis pacis rationes reſpuente aliud ſibi conſilium ineundum duxit, vt nimirum generale Concilium Lugduni in Gallijs conuocaret.

5. Epiſt. 516. 6. Epiſt. 716. 7 Epiſt. 416. 9. Epiſt. 681.

III. Miſcellanea. Carol. Sigon. de Epiſcop. Bononienſ.

Dux Saxoniæ Ludolphum Epiſcopum Raceburgenſem, ſanctitate & virtutibus clarum, martyrio coronat. Octauianus Bononienſis Epiſcopus fit Cardinalis. Ioanna Conſtantinopolitana Balduini. I. filia, nulla ſobole relicta moritur, & Marquettæ in cęnobio virginum Ciſtercienſium, à ſe pariter ædificato ſepelitur. Succedit Margarita ſoror cum Gulielmo filio natu maximo. Vincentius Bellouacenſis in Gallia Epiſcopus Ord. Præd. Philippi Valeſij Galliæ Regis beneficentia adiutus, ſcripſit ſpecula, Hiſtoriale, Naturale, Morale, aliaque, hiſtoriamque ſuam huius anni geſtis, clauſit. Item moritur Iacobus Vitriacus, primum Epiſcopus in Syria Aconenſis, poſt Cardinalis, Romæ in peruigilio SS. Apoſt. Philippi & Iacobi. Iunior vitam religioſam amplexus erat Ogniaci, quod eſt Canonicorum Regularium S. Auguſtini monaſterium in Brabantia ad Sabim fluuium, inter Niuellam & Namurcum oppida, cuius S. tutelaris eſt Nicolaus; cius vitam hiſtoriæ Orientali & Occidentali præfixam inuenies.

IESV CHRISTI

Annus 1244.

INNOCENTII PAPÆ IV. Ann. 2. — BALDVINI II. IMP. Orient. An. 16.

I. Balduinus Regem Theſſalonicenſ. creat. Ep. 617. Epiſt. 101. Annal. 1. Kal. Iun.

BAlduinus II. Imp. Orientis, Feudum Achaiæ ſolenni ritu Gulielmo Veronenſi & Helenę eius coniugi donat in Palatio Blanchernarum Kalend. Martij, & Regem Theſſalonicenſem creat. Innocentius vtriuſque rogatu inueſtituram, vt vocant, confirmat, datis literis hoc anno. Comitem quoque Raymundum toties recidiuum, & à duobus Fratribus Prædicatoribus hæreticæ prauitatis inquiſitoribus anathemate perculſus Romam veniens & Pontificis pedibus aduolutus reconciliari petijt, & obtinuit.

IESV CHRISTI

Annus 1245.

INNOCENTII PAPÆ IV. An. 3. — BALDVINI II. Imp. Orient. 17.

I. Pontifex Lugdunum venit, & Concilium indicit.

INnocentius IV. cum Concilium generale Lugduni celebrare decreuiſſet, Lugdunum adueſto Rhodano venit, & à S. Ludouico magna cum veneratione excipitur. Nihil impenſius tum ille curare, quam, vt ad ſe Fridericum pacis componendæ cauſa acceſſeret, & contra Fridericus nihil aliud facere, quam rebellionem & contumaciam oſtentare.

Quare omnibus Eccleſiæ tam Græcæ, quam Latinæ Prælatis, tam Orientis quam Occidentis Principibus, literas

teras Indictionis Oecumenici Concilij ad proximam D. Ioan Baptiſtæ ſolennitatem futuri in ciuitate Lugdunenſi per nuncios transmittit. Datæ autem erant eæ literæ 3. *Non. Ianuarij, Pontificatus anno* 2. nondum expleto. Deinde duodecim Cardinales, quos Friderici tyrannidi opponat ex diuerſis nationibus ſecernit & creat, quibus rubeum pileum geſtandum dedit, quo ſignificare voluit, Cardinalibus etiam ſanguinem vitamque, pro Chriſto & libertate Eccleſiaſtica, prompte effundendam.

Tom. 4. Concil.

II. Fridericus conuentū principum Veronæ indicit, & per epiſtolam ſe purgat.

Fridericus non ignarus Concilium illud aduerſus ſe conuocari, accuratiſſimam epiſtolam, qua innocentiam ſuam mundo demonſtraret, ad totius Chriſtiani Orbis Patres & Principes ſcripſit, à Petro Vinea Iureconſulto & Cancellario ſuo conceptam, poſtquam Paſcha Capuæ celebraſſet, Viterbienſem agrum ſecundo populatus fuiſſet, & Veronæ conuentum Principum indixiſſet.

III. Excommunicatus Fridericus. *Ioan. Villan. lib. 5. Hiſt. c. 18. & 16. & lib. 6. c. 15. & ſeq. Vinc. Belluacen. lib. 30. c. 129. & 138. Matt. Parſ. Hiſt. in Henric. III. cap. ad Apoſtolicam, de ſentent. excom. in 6. Bell. lib. 1. de Concil.*

Verum non ob aliam cauſam hæc fecit, quam vt Pontificem ad colloquium poſſet euocare; euocatum incarcerare; incarceratum ad iniquiſſimas pacis conditiones, per catenas & vincula adigere. Animaduerſo dolo Innocentius, ne quidquam culpæ, quo ad locum & citationem Fridericus obtruderet, Transalpinam Galliam delegit. Fridericus nihil per ſe, omnia vero per Legatos agere; quorum Princeps erat Petrus Vinea Campanus, cum Tadæo nec Pontifici in extera prouincia Concilium celebranti quoque credere.

Hinc ad diem deſignatum Concilio Lugdunenſi coacto, ante omnia Friderico toties anathemate percuſſo Imperium abrogat, in templo maximo Lugduni conuenerunt multi Cardinales, Epiſcopi 140. Abbates perplures, & inter cæteros viros clariſſimos, interfuit Imperator Conſtantinopolitanus. Cauſæ autem Concilij indicti hæ ponuntur 1. Immanitas Friderici Imp. & rebellio aduerſus Rom. Eccleſ. deſignata. 2. Saracenorum tyrannis, quam in Palæſtina exercebant. 3. Item Græcorum perfidia exidium Latinorum Conſtantinopoli meditantium. 4. ob Tartaros miſerabiliter crudelitate Poloniam, Vngariam, aliaſque Prouincias Boreales exhaurientes Quod ſi quis Concilij huius acta videre cupit, Fontes adeat.

IV. Fridericus poſt ſententiam ſæuit. Parmam obſidet. Victoriam vrbem condit.

His auditis, & ſententia anathematis promulgata, in furorem Fridericus egit, & inprimis Eccleſiæ authoritate peſſundata ſacris operari Sacerdotes imprudenter iuſſit, recuſantes morte mulctauit, aut vinculis. Eccleſiæ Rom. terras occupauit, vrbes, ſubditos, à Rom. Eccleſ. fidelitate auertit, & vno verbo nihil non egit quo clauium Eccleſiæ authoritatem in contemptum adducere, & fidei titulum aboleret. Pro cuius aſſertione Innocentius crucis ſignum aduerſus prædicari voluit, & ſacrum bellum indixit. Interea Fridericus ingenti exercitu fere collecto, cum Ezelino tyranno aliiſque Principibus Parmam obſidione cingit, & in ſtatiuis, quod Parmam validiore obſidione premeret & exſcinderet, Victoriam condidit, ad quam ex totius Orbis Prouincijs diuerſiſſimi mortalium negotiandi cauſa confluxerunt, vt iſtam Imperatoriam magnificentiam, quam in illam vrbem effudiſſet, Imperator prodigioſo ſumptu & inutili ſpectarent.

Æmil. l. 7.

Habebat autem exercitum Fridericus facile ſexaginta millium. Hæc autem breuiter ſic Æmilius. Sub tempus vero illud, quo Parmam obſidebat Fridericus à Sultano ſocio & amico, acceptis elephantis, varioque ferarum genere, ſpectacula edebat antiquitati comparanda: quin etiam Triumphum, ſed ante victoriam: nam dum Victoriam ſuam condidit, vrbem nouam: quam Parmæ euertendæ ſubſtituendam alio loco decreuit, Victoriatoſque cudit, repentina eruptione Parmenſium caſtris exuitur, fugaturque, euerſa Victoria vrbe, priuſquam conſiſteret.

V. Sanctius effæminatus regno deijcitur à Fratre Alphonſo. *Ep. 119. Lugd. 13. Kal. April.*

Sanctius Rex Luſitaniæ Alphonſi Regis filius effœminatus occaſionem Fratri dedit regno illum exuendi. Quare Alfonſus videns Procerum animos ſibi acclinari, conſulto Pontifice tentat propoſitum & perficit.

Sanctius Regni adminiſtrandi ſpe omnino depulſus, Toleti inglorius omnino conſenuit. Deinde magnæ molis fuit, Flectium Præfectum Sanctij in ſuam ſententiam pertrahere, qui mortem ante exorbere paratus fuit, quam ſe arcem ſuam Alphonſo dederet. Vbi vero intellexit illum mortuum, Alphonſo vrbem arcemque dedidit. In quo hoc notatu dignum, non prius regnum adijſſe Alphonſum, quam Eccleſiaſticas leges & diſciplinam reuocari vidiſſet Innocentius.

VI. Summarium quorundam Geſtorum huius anni Innoc. *1 epiſt. 215. Lugd. Calen. Febr. Cromer. lib. 8.*

Eodem anno pariter antequam Concilium celebraretur, Innocentius nonnulla alia egit. 1. Suentopalcum Pomeraniæ Ducem ante octo annos anathemate damnatum, quod Eccleſiæ claues contemneret, neque ad Eccleſiam redire curaret, & Chriſtianos Cruceſignatos, contra Pruthenos Paganos depugnantes male tractaret, redarguit, vtque negotium fidei in Pruſſia promoueret, & Eccleſiæ recociliaretur, admonuit. Per hæc enim tempora Pruſſi, Germanis & Polonis omnibus Chriſtianis, qui vel negociabantur apud ipſos, vel etiam domicilia in Pruſſia fixerant, conſtituta die certa trucidatis, munitionibuſq; omnibus præter Balgam & Elbingam, interfectis vbique præfectis & præſidijs, in ſuam poteſtatem redactis, belli ducatum contra Cruciferos detulerant, atque is confeſtim obſeſſis terreſtribus iuxta ac fluuialibus itineribus, omnes quicumque Crucigericarum eſſent partium, ſiue in Pruſſiam proficiſcerentur, ſiue inde fugerent excipiebat & necabat: coactiſque celeriter Pruſſorum, atque Pomeranorum ſuorum copijs, Culmenſem tractum omnem ferro & igni vaſtauerat: vbi ad quatuor millia hominum partim occiderat, partim in captiuitatem abduxerat. Nec integrum quicquam in eo tractu, præter Toruniam, Culmam, ſiue Chelmnum & Razinum arces, quibus potiri non potuit, reliquerat. Neque eum authoritas Guilelmi Epiſcopi Mutinenſis (qui poſtea fuit Sabinenſis) Legati Apoſtolici ab incepto deterruit. Qui quidem Legatus Pruſſiam à Crucigeris eorumque adiutoribus Cruceſignatis ad illud tempus ſubactam, atque etiam ſubigendam etiam dum, mandato & authoritate Innocentij Pontificis tribus diœceſibus, nempe Varmienſi, Sambienſi, & Pomeſanienſi tunc diſtinxit: Culmenſi in ſuo ſtatu relicta: eamq; diſtinctionem poſtea Innocentius ipſe confirmauit. Theodoricus autem Crucigerorum Magiſter, collectis copijs, & accito Caſimiro Cuiauiæ & Lenciciæ Duce, Zartauiciam Suentopalci in Pomerania arcem, nocte quadam, quæ eſt ante tertium Nonas Decembris, cum viginti quatuor armatis, admotis ſcalis, & cuſtodibus partim interfectis, partim captis intercepit, theſaurum, in quo Diuæ Barbaræ (illiuſne Antiochenæ, cuius celebre eſt nomen apud Chriſtianos, an alterius cuiuſpiam incertum eſt) corpus erat, aſportauit, arcem accito & impoſito præſidio ſuo muniuit, atque Suentopalcum in auxilia ſuorum aduolantem vicit, fugauit, & ad pacem petendum coegit à benedictione Summi Pontificis, quam eius nomine Guilelmus Legatus imprecatus erat. Porro Innocentius Pontifex alia etiam hoc anno egit. 2. Venceslao filio Regis Boemiæ, vt neptem Ducis Auſtrię ſibi in quarto gradu propinquam in matrimonium aſſumeret propter tollendas inter Regem atque Ducem diſcordias, conceſſit. 3. Regi Scotiæ, & Reginæ, atque filio eorum Alexandro, Iudicibuſque eorum, ne communicantes excommunicatis, ſcilicet nō in crimine, excommunicatione ab Iudicibus Eccleſiaſticis percellerentur, indulſit. 4. Regi Daniæ cōtra Paganos, qui in finibus ſui Regni neophitos armis violabant, profecturo, quādiu in ea expeditione militaret, tertiam partem Decimarum, Regni & prouinciæ Londonenſis, quę quidem ædificis Eccleſiaſticis deſignata fuerat (nam prima pars Epiſcopo, altera rectoribus & parochis locorum impendebatur) liberaliter conceſſit. 5. Conuentionem inter Robertum Comitem, & Abbatem Monaſterij S. Vedaſti Attrebatenſis, ſuper collatione medietatis telonei eidem Comiti & ſucceſſoribus illius ab Abbate conceſſa, confirmauit. 6. Nicolaum Cardinalem Sabinenſem in Pruſſiam Legatum miſit, eiuſq; Capellano F. Henrico Ordinis Prędicatorum, vt venientibus ad eius Conciones in terris Culmenſi & Pruſſię Chriſtianis, & omnibus qui milites Cruceſignatos contra Paganos pugnan-

2. epiſt. 2. Lugd. 6. Id. Decembr.

3. epiſt. 3.425 Lugd. 3. Non. May.

4. epiſt. 345. Lugd. 6. Non. Mart.

5. epiſt. 595. Lugd. Non. Iun.

6 epiſt. 306. Lugd. Cal. Febr.

pugnantes, in extruendis munitionibus & cuſtodiendo reficiendoque exercitu Chriſtiano operam ſuam præſtarent, indulgentiam viginti dierum poſſet concedere, indulſit. 7. Chriſtianos in Ruſſia, vt relicto ritu Græcorum ad vnitatem Eccleſiæ Romanæ redirent hortatus eſt. 8. Monialibus S. Damiani regulam viuendi præſcriptam approbauit. 9. Vniuerſitatem & ſtudium in Valentina ciuitate confirmauit, multiſque priuilegijs ornauit. 10. Magiſtro Generali & Prouincialibus Ordinis Prædicatorum, Inquiſitores & Commiſſarios in cauſis fidei inſtituendi & remouendi poteſtatem fecit, dato diplomate.

7. epiſt. 476. 8. epiſt. 390. 9 ep. 7 & 1.

VII. Miſcellanea.

Quatuor Ord. Præd. religioſos & duos familiæ Franciſcanæ miſit ad Imperatorem Tartarorum Innocent. quorum propoſitum erat, paganos ad Chriſtum conuertere. Quod irrito conatu factum non eſt. Nam Chamum Tartarorum Imperatorem tertio ab hinc anno fidem ſuſcepiſſe notum eſt ex vita S. Ludouici. Otto Primus Dux Bauariæ & Comes Palatinus à Friderico velut contemptor Eccleſiaſticæ poteſtatis ſeductus in peruigilio S. Andreæ, morte ſubitaneà extinguitur. S. Dithmarus Mindenſis Epiſcopus eius ſanctitatis fuit, vt in die Paraſceues miniſter eius aquam ad portum hauriens, eam in vinum inuenerit commutatam. Res Chriſtianorum in Palæſtina prorſus inclinatæ. Nam Gualtherus Brennus frater Ioannis Brenni Regis Hieroſolymorum aduerſus Saracenos fortiter pugnans tandem cæditur, & cum Guerino Magiſtro militum Hieroſolymitanorum capitur. In Gallijs ordines mendicantium mira ab inuidis Clericis patiuntur, ſed B. Virgine monente & apparente per Innocentij IV. fauorem tutelamque ab hoſtibus vindicantur. S. Ludouicus Prouinciæ Comite defuncto, Carolum fratrem eo miſit, Beatricem natu minimam eius filiam in matrimonio habentem, quem Prouinciales Comitem ſalutarunt, & Rex duos Comitatus Andegauorum & Cenomannorum illi attribuit, Arteſiæ vero comitatu, minimum natu fratrem Robertum donauit. Dux Auſtriæ Fridericus nomine, cum contra Hungaros aciem dirigeret, ſuæ perfidiæ in Belam Regem pœnas dedit, à ſuis atrociſſime interemptus. Rodericus Toletanus Archiepiſcopus Hiſtoricus Hiſpaniæ hoc anno obijt.

Chron. Hirſaug. Krantz. Metropol. lib. 8. Boſius lib. 9

VIII. Indulgentiam 40 dierum dat Innoc. IV. ijs qui ipſo Conſecrationis die Eccleſiam Metropolit. frequentarint Coloniæ.

Sub idem tempus Innocent. IV Summus Pontifex, ijs omnibus, qui Eccleſiam Metropolitanam Coloniæ, in qua trium Magorum corpora pie reuerenterque aſſertiantur, ipſo die conſecrationis trium Regum Baſilicæ ſolemni, deuote viſitauerint, miſericorditer indulgentias ſuorum peccatorum largitus eſt, vt ſequenti diplomate exhibetur.

Innocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei vniuerſis Chriſti fidelibus, has literas inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. *Si populus Iſraeliticus, qui ſub legis vmbra viuebat, frequenter accedens oraturus ad locum, quem elegit Dominus, vt ibi poneret nomen ſuum, vota & donaria plurima offerebat, tanto fortius populus Chriſtianus, cui apparuit benignitas & humanitas Saluatoris, tenetur Eccleſias, in quibus Chriſtus, ad abolendam noſtrorum criminum corruptelam immortaliter & incorruptibiliter, viuus quotidie immolatur, congruis honeribus frequētare, ac ibidem offerre munera, cum animi puritate, quanto certiora ſunt experimenta rerum, quam ænigmata figurarum. Cum igitur in Colonienſi Eccleſia maxime Sanctorum reliquiæ ſub veneranda cuſtodia requieſcant, vniuerſitatem Veſtram rogamus, monemus, & hortamur in Domino in remiſſionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus ad eandem Eccleſiam cum deuotione & reuerentia debita, in puritate animi accedatis. Nos enim cupientes, vt eadem Eccleſia congruis honoribus frequentetur, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui Eccleſiam ipſam in die conſecrationis eiuſdem venerabiliter viſitant annuatim, de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, eius authoritate confiſi 40. dies de iniuncta ſibi pœnitentia miſericorditer annis ſingulis relaxamus.* Datum Lugduni 3. Kal. Auguſti Pontificatus noſtri anno 3.

Annal. Colon. Veſtphal. & Arch. Colon. Metrop.

IESV CHRISTI
Annus 1246.

INNOCENTII PAPÆ IV. Ann. 4. | HENRICI IMP. Occid. Ann. 1. | BALDVINI II. IMP. Orient. Ann. 18.

I. Moritur S. Lutgardis, & SS. Martyr. ...

HOc anno in Brabantia extremum diem clauſit S. [a] Lutgardis virgo, ſanctitate & miraculis clariſſima, rerum mundanarum & opum contemptrix vel maxima. Cui ex ordine ſuccenturiatur Petrus Conſaluus; item Bernardus & Guilielmus eiuſdem ordinis contribules. Quibus alij duo accedunt Ordinis eiuſdem quorum vnus illis Prophetæ verbis conuerſus fuit: *Subtus te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Nec minus in vita clarus fuit Richardus Epiſcop. Ciceſtrenſis in Anglia, qui propter admirabilia patrata opera vere Thaumaturgus dici potuit, hoc anno animam Deo reddens. *Surius 3. April.* De quo Martyr. Rom. In Anglia S. Richardi Epiſc. Ciceſtrenſis ſanctitate & miraculorum gloria conſpicui.

II. Summarium Geſtorum Innocent. hoc anno

Saladinum Ægyptum impenſius Friderico fauentem Innoc. IV. à Friderico prorſus alienat, [a] vti ipſemet Saladinus ſcriptis ad Innocentium literis conteſtatur. Fridericus in obſidione Parmenſi rara crudelitatis exempla in hoſtibus ſtatuit & domeſticis. Petrum à Vinea Capuanum Cancellarium è medio ſuſtulit, nam lance ærea candenti oculis obiecta illum excæcauit, dein in Apuliam miſſum teterrimo carcere, fame & pædore ac ſquallore fœtidiſſimo cōfecit; alij ferunt illum fauces Petro laqueo intercluſiſſe; alij vero calamitate ſua victum Petrum caput parieti alliſiſſe, crebrumque excuſſiſſe, pœnas vtique petulantis & blaſphemæ linguæ dependens, quam ore calamoque in Pontifices diſtrinxerat. Item Fratribus Prædicatoribus comminatorias literas ſcripſit; quod Cruceſignatos aduerſum ſe concionibus ſuſcitaret. Iacobus Rex Arragoniæ anathemate hoc anno percuſſus ab Innocentio, quod fidem coniugalem promiſſam Teraſiæ non ſeruaſſet. Quam rem cum ſoli Gerundenſi Epiſcopo ſibi à confeſſionibus aperuiſſet, ſuſpicatus illum rem totam detexiſſe, Epiſcopo in Concilium Principum aduocato, linguā ipſemet ex faucibus ſtirpitus reuulſit: terribili omnium confeſſariorum exemplo. Marochitanis, Tunetanis & Ruſſis, & Tartaris fidei præcones ex Prædicatorum & Minorum ordine ſubmittit. Comitatum Prouinciæ propter Beatricem iuniorem filiam accipit Carolus frater Ludouici, vt diximus, Comitatus duos, neglectis Rege Angliæ Henrico, Richardo Henrici fratre, qui ſeniores natu duxerant. Moritur Raymundus Comes Toloſanus toties relapſus & toties abſolutus. In cuius vitam inquiri iuſſit Innoc. num Eccleſiaſtica ſepultura & Sanctorum communione dignus cenſendus eſſet. Ferdinandum Regem Caſtellæ, filium ſuum Philippum puerum Epiſcopatui Oxomenſi intrudere molientem, illegitimæ ætatis prætextu repreſſit. Conradum Maſſouiæ in Polonia Ducem à vexatione Boleslai Pudici Poloniæ Principis non abſtinentem anathemate percuſſit. Suentopelcum Pomeranæ Ducem Pruſſis paganis communicantem, ideoque cenſuris percuſſum per Legatum ſupplicem abſolui iuſſit. Collectas quoque in regno Poloniæ pro Conſtantinopolitano Imperio à Saracenis defendendo comportari iuſſit. Albertus quoque Canonicus Bremenſis hoc anno in Epiſcopum Rheginēſem electus eſt, magnæ prudentię & pietatis, & Cruceſignatorū pro ſede Apoſtolica collector. Beata Humiliana Florentina ex illuſtri Circulorum familia ſanctitate famoſiſſima, inter D. Franciſci Veſtales hoc anno vitam hanc miſeram cum immortali permutat.

Mariana lib. 13 c. 8. ep. 246 247. & 250. Marian lib. 13. cap. 1. Ep. 445. Krantz lib. 7. c. 12. Tuſſianus Hiſt. Fran.

III. Henricus Thuringus Rex ex eod. Friderici ...

Henricus Turingię Lantgrauius à Septemuiris electoribus anno 44. Deſignatus Rex Rom. non ſine peculiari laude Imperium capeſſit apud Herbipolim, eo fine vt impotentes Friderici ſæuitias, vir ſeuere magnanimus compeſceret.

Naucler. gener. 42. Ep. 4. 5. 6. 10. Kalend. Maij Lugd. Siffridus.

peſceret. Vtinam tam inſignem ſpem de tanto Principe fata non incidiſſent, iamdudum Eccleſia de Friderici impotentia triumphaſſet. Nam Conradum filium ingentibus copijs inſtructum, è regno deijcere molientem, acerrimo prælio ad Francofurtum ſtrauit. Hinc Innocentius ad fidelitatem ipſi præſtandam omnes Germaniæ Principes hortatur.

IV. Innocentius PP. IV. indulgentiam 40. dierum concedit iis, qui Eccleſiam trium Magorum ipſo feſto eorundem viſitant.

Hoc anno Decretalibus adiecit Pontifex apparatum, quo Canoniſtæ paſſim vtuntur, edidítque opuſculum, quod Hoſtienſis in Summa Authenticas nominauit.

Eodem anno Innoc. cum Colonienſium cultum erga trium Sanctiſſ. Regum corpora increſcere intellexiſſet, & peregrinorum concurſu multiplici frequentari, eorundẽ deuotionem datis 40. dierum indulgentijs acuendam & promouendam ſtatuit. Ita habet diploma eius ad eoſdem tranſmiſſum.

Innocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Venerabili Fratri Archiepiſcopo, & dilectis filijs Capitulo Colonienſi S. & Apoſtolicam benedictionem.

Licet is de cuius munere vt ſibi à fidelibus ſuis digne ac laudabiliter ſeruiatur, de abundantia pietatis ſuæ, quæ merita ſupplicum excedit, & vota bene ſeruientibus, multo maiora retribuat, quam valeant promereri; nihilominus tamen deſid. rantes reddere Domino populum acceptabilem, fideles Chriſti ad complacendum ei quaſi quibuſdam illectiuis muneribus indulgentijs ſcilicet & remiſſionibus inuitamus, vt exinde reddantur diuinæ gratiæ aptiores. Cupientes igitur vt Eccleſia Veſtra, in qua Trium SS. Magorum corpora coruſcantia multis miraculis ſub veneranda cuſtodia conſeruantur, congruis honoribus frequentetur omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui Eccleſiam ipſam in feſtiuitate ipſorum Sanctorum venerabiliter viſitauerint, annuatim de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, eius auctoritate confiſi 40. dies de iniuncta ſibi pœnitentia annis ſingulis miſericorditer relaxamus. Datum Lugduni 6. Kal April. Pontificatus noſtri ann. 4. *Annal Kleinſorg & ex Archiuio Baſilicæ D. Petri Metropolitana porrexit Editor Conciliorum accuratiſſimus D. Seuerinus Binius Can Metropolit. Presb. & SS. Theol. Doctor.*

Et quia ſuperiore Tomo Conditor Annalium Bzouius de Reinoldo Colonienſi Archiepiſcopo, eiúſque in Deum & Cælites pietate contracte admodum diſſeruiſſet, forſan quod minus enucleate eam depictam reperiſſet, libet vnam Epiſtolarum eius ad Colonienſes datam Annalibus his inſerere, vnde velut ex vngue Leonem, peculiarem viri ſanctitatem colligere poteris. quam vir eruditiſſimus D. Iacobus Hutterus Canon. Presb. Metropol. & SS. Theol. Doctor mihi petenti communicauit, ex Archiuo eiuſdem Baſilicæ.

V. Reinoldus Archiep. Colonienſis portat SS. trium Magorum item SS. martyr. Naboris & Felicis mitti Coloniam expugnato Mediolano.

Reinoldus Dei gratia Sacræ Colonienſis Eccleſiæ electus & Italiæ Archi Cancellarius, dilectiſſimis in Chriſto filijs & amicis. Maioris Eccleſiæ Colonienſis Præpoſito, Philippo Decano, cunctiſque prioribus & vniuerſo Clero omnibuſque in beneficiatis, & miniſterialibus B. Petri ac S. Colonienſis Eccleſię vniuerſis quoque Burgenſibus almæ Vrbis Colonienſis ſalutem & affectuoſum obſequium cum intimæ dilectionis plenitudine. *Inſinuamus dilectiſſimæ Veſtræ Vniuerſitati, quod ardentiſſimi noſtri deſiderij felix iam per Dei gratiam adepti ſumus initium. Benigna enim anima noſtri Sereniſſimi Imperatoris accepta licentia cum gratia ac dilectionis eius plenitudine ab ipſo gaudenter dimiſſi, & egregiis ac tantis donis, quorum nulla in terrenis eſſe poteſt æſtimatio, excellenter ſumus honorati. Inter cætera enim liberalitatis ſuæ beneficia, quæ in nos affluentiſſime contulit, tria nobis munera donauit pretioſiſſima, videlicet corpora inſignia beatiſſimorum Trium Magorum ac Regum, qui primitiæ gentium in typum ac præſagium futuræ ex Gentibus Eccleſiæ, iacenti adhuc* CHRISTO *in præſepi munera pretioſa obtulerunt, quorum videlicet nobiliſſima corpora, omnique veneratione digniſſima Mediolani in Eccleſia B. Euſtorgij Confeſſoris atque Pontificis ſolemniter ac religioſe fuere recondita. Inſuper etiam Deo præduce ad vos perferimus corpora SS. martyrum Naboris & Felicis, vt ineſtimabili & incomparabili hoc theſauro, ſuper aurum omnemque lapidem pretioſum diligendo, Sanctiſſima Eccleſia, ciuitaſque Colonienſis, feliciſſime ditetur ac perpetualiter decoretur. Nos ſiquidem, quia ſuſpecta nobis eſt via per inimicos veſtros ac noſtros, iter noſtrum per Burgundiam ac Gallias, vſque ad vos diſpoſuimus, præſentemque nuntium à Vercellenſi ciuitate 2. Idus Iunij præmiſimus. Eo die verſus Taurinum & verſus Alpes Montiſcinſij, cum prædictis ſanctiſſimis ac venerabilibus reliquiis celerrime procedentes. Ideoque ſynceriſſimam veſtram dilectionem intime rogamus & commonemus in Domino, quatenus ad condignam tantorum munerum ſuſceptionem, eâ quâ noſtis & quâ de vobis confidimus, deuotione ac ſolemnitate præparemini: Dominum Deum quoque affectuoſiſſime pro nobis ſine intermiſſione deprecemini, vt vnà cum ipſis ad honorem ac gloriam nominis ſui, & ad perpetuam omnium veſtrum ac totius patriæ ſalutem ſaluos, incolumes & illæſos nos vobis dignetur remittere.* Huc uſque Reinoldus. Vide autem Krantzium lib. 6. Metropol. cap. 24. & lib. 6. cap. 24. & alios. *Matenesius.*

IESV CHRISTI
Annus 1247.

INNOCENTII PAPÆ IV. Ann. 5.

HENRICI IMP. Occid. Ann. 2.

BALDVINI II. IMP. Orient. Ann. 19.

TVrpiſſime Fridericus hoc anno pertinaci Parmenſium obſidione fractus fugatur & ex improuiſo caſtris exuitur poſtquam biennalem obſidionem vrbs ipſa tolerasſet; Summa rerum Entio Sardiniæ Regi concredita eſt, ipſe in Apuliam abijt, & voluptatibus diſſoluitur. Omnia Imperij negotia à Manfredo notho & Conrado filijs reguntur. I. Fridericus ſoluit obſidionem Parmenſem Ioc. Wimph. lib. 1.

Henricus Rex Roman. apud Vlmam ſagitta percuſſus moritur, & in Iſenaco monialium Ciſtercienſium cœnobio ſepelitur; cum paulo ante Legatis ad ſedem Apoſtolicam miſſis obedientiam filialem Innocentio IV. detuliſſet. Fertur ſagittam illam veneno illitam fuiſſe, de quo hoc Siffridus ſcripſit in ipſo defuncto Principes Thuringiæ, Caroli Magni Imperat. proſapia oriundos, defeciſſe; atque Henricum Miſniæ Marchionem ſibi Turingiam & Saxoniæ Palatinatum vſurpaſſe, ideoque graue bellum inter ipſum & Sophiam Brabantiæ Duciſſam excitatum fuiſſe. II. Henricus Rex Rom. ad Vlmam ſagitta perit.

Vide quæ ſupra anno 1240. diximus. Cui Guilielmus 20. annorum adoleſcens Comes Hollandiæ agente Petro Capocio tituli S. Gregorij ad Velum aureum Diacono Cardinale, Principum Germanorum ſuffragijs ſucceſſit.

In Gallijs Rex Ludouicus præter ſanctitatem omni mundana felicitate affluens, decumbit morbo periculoſo, vocéſque vſu amiſſo, hanc primam edidit, velle ſe Cruce ſignari, ſi modo Diuinæ miſericordiæ illum morbo ſubducere placuiſſet. Voto Regis ſanitate recepta ſatisfactum, & non modo ex Gallia, ſed ex Friſia, Zelandia, Hollandia per Fratres Prædicatores magnus Cruceſignatorum numerus eſt coactus. III. Rex Galliæ Lud. Crucem ſumit. epiſt. 919. Lugd. 10. Kal. Iul. &c. IV. Miſcellanea.

Cruceſignati in Pruſſia dum excurſione Paganorum terras vaſtant & prædis onuſti redeunt, in inſidias à Barbaris præparatas incidentes, & hoſtibus ſeſe dedentes ob iniquitatem loci & Barbarorum multitudinem ad vnum omnes cæſi ſunt, quos iam fractos Germani Principes auxiliares recrearunt. Moritur hoc anno veriore calculo Sanctius huius nominis II. Rex Luſitaniæ, anno Regni 20. eius frater Alfonſus, Comes Bononienſis, Regni adminiſtratorem ſe conſtituit annis 22. *Vaſæus Mariana lib. 13 cap. 4.*

Eodem Anno Innocentius Pontifex 1. in Gallijs Atrebatenſi Eccleſiæ & Catalaunenſi Epiſcopos præfecit, eamque rem Regi Galliæ, atque Roberto Comiti, ſignificauit. 2. Priori Biſuntino Ordinis Prædicatorum, vt in Lotharingiâ & Burgundiam ad extirpandos hæreticos, V. Summarium Geſtorum huius an. Innoc. l. ep. 311. 1. Non. Octobr. & ep. 180. 12. Calend. Mar. 2. ep. 370. 6. Cal. Decemb.

clam

clam pullulantes Inquiſitores viros idoneos deſtinaret, præcepit. 3. In Hungariæ Regem Belam, ad perſequendos hæreticos in prouincia Boſnenſi graſſantes, laudatione pietatis illius animauit; vtque Ioannem Ducam cognomento Vatacium Imperatorem Græcorum, ad vnitatem Eccleſiæ amplectendam propenſum, miſſis ad eum viris doctiſſimis induceret, hortatus eſt: Inſuper vt arma in Fridericum Ex-Imperatorem Auſtriæ Ducatui infeſtum, aſſumeret, ſerio præcepit, auxiliaque in ſubſidium Terræ ſanctæ comparata, ſi opus foret in perfidum ſubmittere promiſit. 4. Cæterum cum Archiepiſcopus Colocenſis, maximas expenſas in eradicandis atque conuertendis Boſnenſibus hæreticis ſe feciſſe aſſereret, ac propterea in Epiſcopum Boſnenſem ius Metropolitani prætenderet, Innocentius Epiſcopo Iaurienſi, & Priori Albano Ordinis Prædicatorum, vt eam rem certo certius inquirerent, & Sedis Apoſtolicæ authoritate Eccleſiam Epiſcopumque Boſnenſem Colocenſi ſubijcerent commiſit. 5. Regi Noruegiæ vigeſimam partem fructuum Eccleſiaſticorum, Daniæ autem tertiam portionem decimarum, in Terræ ſanctæ ſubſidium conceſſit, vtque eas in Regno Daniæ Archiepiſcopus Londonenſis colligeret, atque Regi numeraret, iniunxit. 6. Fratri Ioanni Vicentino Ordinis Prædicator. vt in Lombardia hæreticis ſeſe conſtanter opponeret, præcepit, eidemque facultatem, eos qui errore eiurato ad Eccleſiam redire voluiſſent abſoluendi, & indulgentias his qui concionibus illius intereſſent conferendi conceſſit; neue quiſpiam eiuſdem Ordinis Superiorum Prouincialis vel Magiſter Generalis eum in officio Inquiſitionis impedire, aut ab eo amouere poſſet, prohibuit. 7. Berengariæ filiæ Ferdinandi Regis Caſtellæ, Moniali S. Mariæ Monaſterij Regalis Ord. Ciſtercienſis, vt Abbatiſſa & Priorîſſa conſentientibus Confeſſorem, qui eam Pontificia authoritate ab omnibus peccatis abſolueret, & illi rigorem diſciplinæ Monaſticæ nonnihil temperaret, eligere poſſet, permiſit, eamque ad participationem omnium bonorum & meritorum totius Eccleſiæ admiſit. 8 Inquiſitionem vitæ & miraculorum Auguſtini Nidroſienſis, & Brunonis Herbipolenſis Epiſcoporum quibuſdam iniunxit. 9. Sanctum Guillelmum Ebroicenſem Epiſcopum Catalogo Diuorum inſcripſit. 10. Contra eos qui in Sicilia Fratres Ordin. Prædicatorum vel inquietos redderent, vel damnis aut iniurijs afficerent, cenſuras interminatus eſt. 11. Epiſcopo Parisienſi, vt contra literarum ſedis Apoſtolicæ falſarios animaduerteret, mandauit. 12. In ſubſidium Imperij Conſtantinopolitani, exactiones pecuniarias Eccleſijs indixit, à ſolutione tamen decimarum Monaſteria Græci ritus, vſque ad tempus Concilij Generalis exemit, & ſuperiorem Conſtitutionem aliquantum temperauit. 13. Ne etiamſi alter coniugum hæreticus fuerit matrimonium ſeparetur, niſi qui remanſit in fide, thori ſeparationem poſtulet, interdixit. 14. Metropolitanorum quoque iuriſdictionem, & ſuffraganeorum leges Conſtitutione, quæ incipit; *Romana Eccleſia*; eſtque in librum Decretalium relata, ex occaſione Rhemenſis Archiepiſcopi, circumſcripſit. 15. Inſuper ne hæreticis ſepeliendis loca ſacra concedantur, Conſtitutione perpetua ſanxit illo ſolemni dicto adductus; Non conuenit in locis ſacris fidelium, tumulari corpora excommunicatorum: vt quibus viuis Eccleſia non communicauit, non communicet & mortuis.

3. ep. 57. 1. Calend. Febr. & 38. & 39.
4. ep. 155. 7. Cal. Sept.
5. ep. 389. 13. Cal. Decemb. & e. 177. 4. Non. Nouemb.
6. ep. 119. Id. Iun.
7. ep. 479. 11. Calend. April.
8. ep. 155 & 364.
9. ep. 533.
10. ep. 536.
11. ep. 165. 12. ep. 102 & 178. & 606.
13. ep. 505.
14. ep. 491.
15. ep. 939.

IESV CHRISTI ANNVS 1248.

INNOCENTII PAPÆ IV. Annus 6.
GVIL. ROM. REG. elect. Annus 1.
BALDVINI II. IMP. Orientis Annus 20.

I. AQuiſgrani hoc anno in Regem Rom. inunctus & inauguratus eſt ab Archiepiſcop. Colonienſi Conrado Kalendar. Nouembr. Guilielmus Comes Hollandiæ Florentij Comitis filius apud villam Wornich, à quibuſdam Principibus contra Fridericum Imperatorem & Conradum eius filium, in Præſentia Petri Capotij ad velum aureum Diaconi Cardinalis Apoſtol. Sedis Legati. Vltima die menſis Octobr. regiam ciuitatem Aquiſgranum cum magna Procerum multitudine intrauit, & ſequenti die, id eſt, in feſto omnium SS. per duos Epiſcopos, Mindenſem & Monaſterienſem, Archiepiſcopo Colonienſi in templo ad benedictionem oblatus eſt. Venientem duo alij Epiſcopi, Traiectenſis & Leodienſis, in modum Diaconi Dalmatica induerunt. Indutum Archiepiſcopus Conradus, cum magna ſolemnitate in Regem Romanorum vnxit & coronauit. Conſecratione peracta, idem Archiepiſcopus eum in ſede Caroli Magni locauit, dicens: *Super thronum ſedis glorioſæ ſedeas, & iudicium & iuſtitiam in terra facias.*

Guilielmus Comes Hollandiæ inungitur Aquiſgrani Rex Rom. item eius inunctionis.

Chriſtianus Archiepiſcopus Moguntinus, cum oleo ſanctificato dexteram eius foris inunxit dicens: *Conſecrare te dignetur Omnipotens Deus in Regem Rom. qui Dauid per manum Samuelis Prophetæ inungi iuſsit ſuper populum Hebræorum.*

Arnoldus Archiepiſcopus Treuerorum, manus ſuper caput eius impoſuit, dicens: *Deſcendat in te ſpiritus ſapientiæ, intelligentiæ, ſcientiæ, pietatis, fortitudinis, & conſilij, repleatque ſpiritu timoris Domini.*

Ludouicus Comes Palatinus Rheni Archidapifer Regni, globum aureum in manus illi dedit, dicens: *Accipe globum ſphæricum, vt omnes terræ nationes Romano Imperio ſubijcias, & Auguſtus glorioſus appellari valeas.*

Marchio Brandeburgenſis, Camerarius Regis, annulum in manum tradidit, dicens: *Accipe ſignaculum Monarchiæ, vt Rom. Imp in ſuo vigore conſerues, & inuicta virtute ab omni Barbarorum incurſione defendas.*

Dux Saxoniæ Regis enſifer, gladium ei dedit, dicens: *Accipe ſceptrum Regium, vt rebelles ſeuera correptione potenter affligas, omneſque beneuolos in tranquilla pace gubernes.*

Rex autem Boemiæ Pincerna Imperij, de conſenſu Archiepiſcopi Colonienſis, coronam argenteam capiti Regis impoſuit, dicens: *Accipe diadema ſplendidum, vt ſis virtuoſis actibus adeo coruſcus in terris, quatenus merearis coronam æternæ felicitatis habere in cælis, Amen.*

His peractis, omnes inferiorum partium Principes & nobiles obedientiam ei præſtiterunt, præter quoſdam Caſtellanos Friderico adhuc fideles. *Chronicon Hirſaugienſe.*

Poſt octo dies epulando peractos, Proceres Imperij conſtituerunt, vt ipſi à conſilijs eſſent, eius patruus Epiſcopus Vltraiectenſis, & Henricus auunculus Brabantiæ Dux, atque Lubbertus Abbas Engmondenſis eius Vicecancellarius. Deinde profectus Leodium cum Henrico Epiſcopo, eius fratri Otthoni eius nominis tertio Geldrorum Comiti pignoris loco Nouiomagum Batauorum quondam Regiam vrbem, & quicquid Nouiomagorum iuſſis parebat, occupandum conceſſit, vſque dum illi perſolueret viginti & vnum millia marcarum argenti.

Inde digreſſus Coloniâ Agrippinam ab Alberto Magno, ſolemni exceptus fuit epulo, ipſo die Epiphaniæ, in Cœnobio Prædicatorum. Hic ramos aliquot fælicium arborum in hypocauſto tepenti aqua fouerat, vt iam inciperent floreſcere, quos cum in triclinio poſuiſſet, atque auiculæ canoræ ibidem volarent, ignari id factum naturali vi caloris humidi & calidi Hollandi Albertum quaſi mirabilium rerum fictorem ſuſpiciebant. Dedit ei tunc Albertus libellum precationum, quas dietim nocturnis & diurnis horis recitaret. Ad huius petitionem Guillelmus religioni Prædicatorum Vltraiecti Monaſterium extruxit. Metelliburgum quoque Præmonſtratenſes ad occupandum cœnobium paucorum maleferiatorum Canonicorum Regularium tranſmiſit, illorumque Monaſterium in Noſocomium conuertit.

II. Coloniæ Agrippinæ excipitur Guilielmus conuiuio, ab Alberto Magno, qui hyemem in æſtatem vertit.

S. Ludouicus in Palæſtinam ex voto traiecturus cum vxore, Roberto & Carolo fratribus, eorumque coniugibus & Ottone Cardinale Legato Romano Maſſiliam petijt, 8. Kalendar. Septembr. inde cum claſſe ſoluens. Ad 11.

III. S. Ludouicus in Palæſtinam nauigat e Maſſilia S. Ludouicus.

Kalend. Octob. Cyprum tenuit, quem Luſinianus Cypri Rex honorifice excepit, exceptumque Tartarorum Princeps antea idololatra, Chriſtianus factus conuenit, ipſius omniumque Principum incredibili gaudio ſuſceptus. Cui plurimi Saracenorum adhærentes Mahometiſmum eiurarunt, Chriſtoque nomen dederunt. In diœceſi quoque Colonienſi tres cruces in aere viſæ, ſexta feria ante Pentecoſten. Item in Hollandiæ oppido Enchuſen alia Crucis forma cærulei coloris iuxta ſolem apparuit, & in diœceſi Traiectenſi in Dotikum S. Bonifacii martyrio ſacrũ, Crux viſa eſt. Quibus deuoti Colonienſes excitati, impenſis in vnum collatis trecentas naues ad bellum inſtructiſſimas ſubmiſerunt.

Surius in vita S. Ludouici, 25. Aug.

IV. Miſcellanea. *Rubeus l. 6. Hiſt. Rauenn.*

Innocentius hoc anno pleraſque vrbes à Friderico alienatas per Octauianum Vbaldinum Card. Legatum recuperat, & maiorem Flaminiæ partem ditioni Pontificiæ adiungit. Mortuo Toletano Archiepiſcopo Roderico Pontifex ſubſtituit Ægidium Hiſpanum tituli SS. Coſmæ & Damiani Diaconum Cardinalem. Erat Rodericus profectus ad Concilium Lugdunenſe, & in reditu morbo correptus è vita exceſſerat. Miſit hoc anno S. Ludouicus Rex nonnullas reliquias ad Archiepiſcopum Toletanum, quas illi Balduinus in regnum Conſtantinopolitanum reſtitutus dederat, ſpinam ſc. de corona ſpinea Domini, itẽ quid de lacte glorioſæ Virginis, de tunica purpurea Domini, de pannis infantilibus. Eodem anno Conradus II. à Reyſenberg Epiſcopus Hildesheimenſis moritur, ſedis Apoſtolicæ ſemper ſtudioſiſſimus. Ottocarus fit Rex Boemiæ. Mundauus rex Lituaniæ Curetibus auxilium ferens cum ſuis à Cruciferis Teutonicis vincitur & fugatur. Hiſpalis in Hiſpaniæ Bætica poſt decem & ſex menſium obſidionẽ per Ferdinandum Caſtellę Regem Mauris adimitur, poſtquam eam Mauri quingentis quadraginta quatuor annis tenuiſſent.

Funccius.

V. Carmelitarum regulã confirmat Innoc.

Eodem anno Innocentius Pontifex, Rynaldi & Petri Carmelitarum precibus permotus, regulam vniuerſo eorum Ordini ab Alberto Patriarcha præſcriptam F. Hugoni tit. S. Sabinæ Presbytero Card. Ord. Præd. & Guillelmo Anteradenſi Epiſc. corrigendam dedit, atque per eos correctam, mitigatam, declaratamque, authoritate Apoſtolica approbauit. Lugduni anno Pont. Quinto. Kal. Sept. *Paleonydor. l. 3. antiq. Carmelit.*

VI. Summum Templum Coloniæ ædificari captum eſt.

Hoc eodem anno Conradus Archiepiſcopus Colonienſis Metropolitanæ Eccleſiæ, quæ etiamnum imperfecta eſt, fundamenta iecit, & memorię gratia manu propria primum lapidem poſuit. Cuius nonniſi chorus admirabili opere perfectus omnium in ſe oculos conuertit, oſtenditque mole & columnarum vaſtitate, ſi perfecta fuiſſet, Baſilica, nihil magnificentius in toto terrarum orbe, ſupra pyramidum & Mauſolei miracula, reperiri potuiſſe. Illud non omittendum, quod cum ad illius dedicationem ipſe Archiepiſcopus Electores omnes Epiſcopos, Abbates, Prælatos, vniuerſamque populi multitudinem euocaſſet, tantum in aere dæmonum eiulatum ad horrorem præſentium exauditum eſſe, vt facile ſibi Trium Magorũ cultum diſplicere inuiti faterentur. Idem Archiepiſcopus etiam Eccleſiam Diui Clementis Coloniæ, quæ ante annos plurimos à ſancto Cuniberto Archiepiſcopo ibidem ædificata fuerat, iam quaſi corruentem egregie renouauit, tamque eleganti fabrica extulit, vt inter omnes Collegiatas facile primatum elegantia teneat. Cuius ego inter Canonicos ab eruditione & pietate celebres, aliquod mẽbrum, licet indignum exiſto. Deus omnibus id mentis inſerat, vt decorem domus ſuæ ad exemplum pientiſſimi conditoris & amplificatoris diligant. Hæc Eccleſia deinceps à fundatore ſuo ſancto Cuniberto nuncupata fuit, eiuſque feſtum Hermannus quartus Archiepiſcopus Colonienſis anno milleſimo quadringenteſimo octuageſimo quarto ſolemniter celebrandum & ſanctificandum inſtituit. *Ex Annal. Kleinſorg. Mateneſius. Trithemius. Chron. Hirſaug. Spanheim. Annal. Colon. Epiſcop.*

Item Collegiata ac Parochialis Eccleſia S. Cuniberti.

VII. Hollingerus Oſtrogothiæ Ducis

Hoc anno Hollingerus Folckonis Oſtrogothiæ Ducis filius, cum ciuili bello Regnum arderet, & in diuerſum pro Rege nouo traherentur ſtudia, Magnatum nonnullorum, quorum ille militiam caſu magis quam propoſito ſequebatur, in crimen perduellionis cum iiſdem ab Erico iam confirmato, apud Sueones à Rege vocatus, capite plexus fuit. Verum Rex nobiliſſimi viri caſum dolens, honeſtiſſima ſepultura in monaſterio monialium Schogh Ordinis Ciſtercienſis, prope Vpſaliam decorandum præcepit, vbi crebra ad ſepulchrum eius miracula, vitę ac mortis eius innocentiam liquido conteſtantur. *Ioan. Magn. lib. 19. Hiſt. Goth. c. 14. & in ſua Metropol. libr. 3. cæterique Scriptores Rer. Suet.*

filius de[illegible] capite plectitur

VIII Thomas Aboenſis Epiſcopus [illegible] martyrio coronatur

Eodem hoc anno Erico vndecimo Sueonum Gothorumque Rege de Taueſtiis Regni, fideique Chriſtianæ hoſtibus triumphante, legemque victis præſcribente, vt Idolorum ſuperſtitione abiecta, Chriſti fidem acceptarent, Thomas Epiſcopus Aboenſis, nouellæ fidei plantationi veluti vas electionis præfectus, non minori perfecit cura ac labore, vt armis ſubiectus populus Deo, quam Regi Regnoque exiſteret fidelis; & quam verbo exemploque veri paſtoris inſtillabat fidem, ſanguine demum proprio per martyrium fuſo, conſignauit, ab infidelibus immaniter trucidatus. *Idem qui ſupra in ſua Metropol. lib. 3. & lib. 19. Hiſt. Goth c. 15.* Nonnulli euaſiſſe cum furorem Barbarorum ſcribunt, atque in Sothlandia vitam cum morte commutaſſe.

IESV CHRISTI
Annus 1249.

INNOCENTII PAPÆ IV. Annus 7.	GVILIEL. RO. REG. electi, Annus 2. BALDVINI II. IMP. Orient. An. 21.

I. Damiatam occupat Ludouicus. *Æmil. & [illegible] Hiſt.*

REx Ludouicus ſoluens poſt Pentecoſten ex Cypro, Ægyptum primum inuadit, & Damiatam abſente Sultano deſtitutam defenſoribus capit. Inde menſe Decẽbri contra Cairum ab eodem itum eſt. Eodem etiam pergit Henricus Angliæ Rex, non contemnenda militũ manu præmiſſa, cui in Palæſtina exiſtenti particulam quandã ſanguinis Chriſti magnus Hoſpitalariorum Magiſter, ſiue vt aliqui volunt Patriarcha, dono dedit: quam monachis Weſtmonaſterienſibus aſſeruandam commiſit.

Polyd. l. 16

II. Guilielmus Rex priuilegia Eccleſiaſtica confirmat

Kalendis Martii hoc anno Guilielmus Romanorum Rex electus primo adhuc anno regni ſui ex Ingelheim ſcripſit, & bulla aurea ſignauit priuilegium, quo Innocentio Pontifici Romano atque Eccleſiæ iura ex Sacramento coram Legatis dicto confirmauit. Friderico interim in Germania hærente, & Circumcellionum hæreſim pullulantem permittente, quam Fratres Prædicatores Minoreſque egregie confutarunt. Nam Pontificem dicebant hæreticum, Epiſcopos & Prælatos Simoniacos, &c. Exin in Siciliam Fridericus traiiciens, crudelitate inenarrabili in Siculos præſertim Eccleſiaſticos, more ſuo immaniter deſæuiit.

Krantz. l. 8 Metrop.

III Vita & ſanctitas S. Edmundi Cantuarienſis Epiſc. [illegible] *Anton. 3. tit. 19. c. 11*

Hoc anno ſanctus Edmundus Cantuarienſis Epiſcopus nono poſt mortem anno, Sanctorum numero inſertus eſt, vti Antoninus refert, in omni ætatis gradu Thaumaturgus. Floret eodem tempore Frater Ioannes Waldehuſenius Saxo, ex Epiſcopo Boſnenſi Generalis Magiſter Ordinis Prædicatorum Capellanus & Pœnitentiarius Summi Pontificis, qui libertate Apoſtolica acerrime Fridericũ Cæſarem impietatum ſuarum redarguit. Cui non impar Frater Henricus Colonienſis, qui ſancto Ludouico author fuit, vt Talmud Iudaicum exureret, & aduerſus hæreticos in Galliis Belgioque & Saracenos in Syria arma ſuſciperet. Quibus ſanctum Contardum ex Ateſtinorum Principum illuſtriſſima familia natum, adiunge, cuius feſtiuitas Pauli Quinti Pont. Max. iuſſu in tota Diœceſi Placentina feſtiue colitur. *Ex vit. M. S.*

IV. S. Ioannis Boni vita & obitus.

Beatus Ioannes Bonus Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini vita ſanctiſſimus, & miraculis clariſſimus hoc an-

no moritur, Sanctorumq; catalogo inſcribitur, poſtquam ab Innocentio Epiſcopus Mutinenſis in mandatis accepiſſet, in vitam eius & mores miraculaque inquirere.

Antonin. 3. p. tit. 24. c. 13.

V. Miſcellanea.

In Anglia infans anni dimidii tantum euaſit, vt proceritate adoleſcentem ſeptendecim annorum æquaret. Ferebatur à matre dæmone ſuccuba natus, paulo poſt eo nato extincta. Apud Vertam contra nanus fuit, annorum octodecim non niſi tres pedes longus, *MS Vatic.*

Rex Scotiæ Alexander ſecundus obit, ſuccedit Alexander tertius puer nouem annorum, cui poſtea connubio iuncta eſt Margarita filia Regis Angliæ. Hic Rex Hebrides Inſulas data pecunia redemit. In Ægypto felicitas Ludouici retroacta eſt; nam ex tribus fratribus quos ſecum duxerat, Robertus in acie cecidit, Alphonſus & Carolus cum Rege capti ſunt, & ingenti ære redempti.

VI. Miraculum Erdfordianum circa venerationem & cultum SS Euchariſtiæ.

Eodem hoc anno Erdfurti in Germania mirabile quoddam accidit, cuius anniuerſaria etiamnum hodie memoria illic eſt. Ipſa rerum capita è Germanico, quod ibidem Anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo editum, ſchedio libet perſtringere. Fures duo, noctu, è ſancti Martini Templo hierothecam, in qua conſecratæ hoſtiæ nouem, furati ſunt, ipſo beatæ Virginis Aſſumptæ pridiano. Et argentum illi quidem acceperunt, Sacroſancta vero Dominici Corporis fruſtula, cum ſacro, quo inuoluta erant, linteolo, in olidam quandam lacunam abiecerunt. Quinto autem vertente menſe contigit, ſacrilegorum illorum alterum Iſenaci extrema conflictari ægritudine, qui ſcelerum pœnitentia tactus, cui de illis confiteretur, bonum è Franciſcanorum Ordine Sacerdotem vocauit. Is Erdfurti nunquam fuerat. Sed re illa comperta illuc venit, & Confeſſionis arcano ſeruato, primores è ciuibus ire ſecum, remque maximam quærere obſecrauit. Annus iam erat milleſimus ducenteſimus quinquageſimus, Ianuarii dies decimuſtertius, poſt Epiphaniam octauus, tunc temporis Dominicus. Aquæ, pro anni tempore congelarant omnes: illa tamen haudquaquam lacunæ Pars, in qua Domini corpus. Et iuratus poſtea pius quidam dixit diaconus, ſe perpetuum illic noctu lumen crebrius vidiſſe. Hic igitur Euchariſtiam illi quos quæſiuiſſe dicebam, inuenerunt, & quidem in linteolo integro & ſicco. Re tanta cognita, Chriſtianus Archiepiſcopus Moguntinus, qui in vrbe fors tunc erat, Clerum, populumque totum, ſolemni cum proceſſione illuc duxit, auguſtiſſimum Domini corpus ſuſtulit, & in Beat. Virgin. templo venerabunde collocauit. *Serar. rer. Mogunt. libr. 5.*

IESV CHRISTI Annus 1250.

INNOCENTII PAPÆ IV. Annus 8.	GVIL. ROM. REG. elect. An. 3. BALDVINI II. IMP. Orient. An. 22.

I. Ludouicus S. hoc anno capitur à Sultano & redimitur. *Clichtoueus ſer. de S. Ludouico.* [a] *Æmil. in Ludouico.*

LVdouicus [a] Sanctus hoc anno, vti Æmilius in Ludouico nono recenſet, ab Saracenis captus cum duobus fratribus, vti diximus, ingenti pecuniæ vi data redimitur, nihilque aliud ibidem egit, quam vt pietatis opera in captiuos exerceret, ſolido quinquennio quo in Palæſtina permanſit. Emicat autem ex omnibus eius operibus ædis beatæ Mariæ virginis viſitatio, in qua D. Mater Dei filium concepit.

Aderat Gabrielis Archangeli nuncio, Deoque à Virgine concepto ſacer ac ſolemnis dies. Itaq; pius Rex (vt eum loci ſanctitas, ac ſua pietas admonebat) pridie pane duntaxat, & frigida ieiunat, cilicio quidem ad carnem indutus. Feſto autem die rem diuinam ſolemni cæremonia, regioque apparatu celebrari iubet. Sub ſacrificio in auguſtiſſima Deiparæ cella, ſacroſanctam Euchariſtiam ſumit, magna lachrymarum vi, ingentiq; religione perfuſus. Ratum vtrique Chriſtianæ pietatis, in Rege præſertim, ad poſteros documentum: ex quo etiam coniectari licet maximo in honore, vel hac tempeſtate fuiſſe ſanctiſſimæ Virginis Domum, quam hodie apud Lauretum Piceni ciuitatem Orbis melior complectitur.

Hæc accurate Gordonus & breuiter Franci traiecto Nilo, inſignem contra Saracenos referunt victoriam vnam atque alteram, ipſo Rege Ludouico palmam referente: ſed mox peſtis totum exercitum inuadens, poteſtatem hoſti fecit, noſtros ad quas volebant pacis côditiones impellendi. Itaque reddita hoſtibus Damiata eſt. Rex, qui captiuus tenebatur, ſoluta pacta pecunia, liber dimiſſus: firmatæ in Palæſtina induciæ in decennium: eo Rex ſe contulit ciuitates munit, Sydonem, Cæſaream, & Ioppen, hæretque ibi per quinquennium.

II. Ezelini crudelitates. [b] *Epiſt. 104. cap 32. Nou. Ang.* *Sabell. l. 8. c. 1.*

Innocentius quoque intelligens, [b] Henricum Regem in honorem ſanguinis Dominici, cuius guttas aliquot Hieroſolyma detulerat, templum auguſtiſſimum apud Weſtmonaſterienſes Regia magnificentia moliri, pietatem illius litteris commendauit, & [c] Eleonoræ filiæ Regis Caſtellæ, vt in quarto gradu ſibi conſanguineo iungeretur indulſit. Ezelinum Patauinum tyrannum, Phalaridem crudelitate ſuperantem ad pœnitentiam omnibus modis reuocare ſtuduit, tametſi caſtraſſet pueros, vitiaſſet virgines, matronis vbera ademiſſet, prægnantium vteros exſecuiſſet, partus exſectos in ignem conieciſſet, & bis ſena Patauinorum millia, qui ſecum militauerant, audita Patauii defectione ad vnum interfeciſſet. Regi quoque Ruthenorum vt Slauonice Miſſam celebraret datis litteris permiſit, cum ipſe aſtrueret ſe peculiaribus litteris etiamnum apud ſe ſeruatis tali lingua celebrandi ritumque Ruthenos à D. Hieronymo accepiſſe.

III. Prædicatorum illuſt. obitus. [d] *Mariana l. 13. c. 13.*

Moriuntur hoc anno ex Ordine Prædicatorum Ferdinandus Diaz Caſtellanus, vir ſi quis alius in Hiſpaniis doctiſſimus, atque innocentia vitæ præſtantiſſimus. Albertus quoque Comes Falkenbergius & Hugo [d] Cardinalis, quem ex ordine Prædicatorum ad pileum rubrum primû Innocentius IV. Lugduni euocauit, qui primus quoque Concordantias Bibliorum, incredibili pæne labore excogitauit, & 500. ope fratrum adiutus, perfecit. Item Vincentius Bellouacenſis Hiſtoricus inſignis, & in omni litteratura verſatiſſimus.

IV. Friderici II. Exauctoratio à filio Mansfredo Suffocatio. *Panuil. Mat. Spirel. de Imperat.* *Sanderus in viſib. monarch. l. 7.* *Nauclero, Trith. Antonin. Vincent. Platin. Sabell. & aly.*

Res Friderici excommunicati partim conciderunt, partim omnino prolapſæ ſunt; nam Ezelinus tyrannus à Venetis Patauio exutus fuit, & in acie cæſus. Entius Spurius filius Friderici commiſſo cum Bononienſibus prælio vincitur, in vincula conicitur, & in carcere mori cogitur.

Vnde & Fridericum ipſum mærore paulo poſt obiiſſe pleriq; tradunt: imo verius hoc eſt, ipſum Fridericum in feſto S. Luciæ à Manſfredo Spurio, quem ex nobili concubina ſuſceperat, compreſſo ore ac ſpiritu per vim Tarẽti eſſe ſuffocatum; iuſto Dei iudicio, vt qui matrem ſuam Romanam Eccleſiam tam miſerabiliter tractauerat, ab filio Spurio pari pœna tractaretur. Antequam moreretur teſtamentum condidit, & Conradum filium Hieroſolymitani regni conſortem aſcitum Imperii hæredem & Siciliæ regni, omniumque quæ inuaſerat inſtituit. Huic Entium, Entio Manfredum filios naturales ſubſtituit.

Manfredum Conradi abſentis procuratorem atq; gubernatorem Italicis ditionibus, & Siciliæ precipue Regno præfecit, & Tarentino principatu, & vrbe atque honore Sancti Angeli donauit. Friderico nepoti, Henrici Regis Germaniæ filio, Aragoniæ Regis conſobrini, Ducatus Auſtriæ & Styriæ, quos à Conrado patruo teneret, attribuit. Arelatenſe præterea regnum condonauit Henrico; quamquam Manfredus non iuſto quoq; connubio genitus, neq; contentus in ſpe ſucceſſionis tanti Regni, à patre ſe fuiſſe euocatũ, Conrado viuente, Siciliæ Regnum, Brutios, Calabros, Apulos, Samnium atque Campaniam omnem interuertiſſet, atque ad ſe tranſtuliſſet. Itaque Fridericus teſtamento côdito extinctus eſt. Fuit ille fax quædam funeſta, non Germaniæ modo patriæ, ſed & Italiæ communis parentis & totius Eccleſiæ. Iſtius enim ſæculi malorum pernicies, eo opifice atque machinatore, cũ Eccleſia-

cleſiaſtici Ordinis & Sedis Apoſtolicæ calamitate coniuncta fuit.

V. Miſcellanea. e Dubrau. l. 16. f Hector. Hiſt. Scot. l. 13.

Wenceslaus e Boemiæ Rex ad ſtuporem liberalis & pene prodigus fuit; quamobrē à filio in ordinem redigendum Proceres ſuaſerant, ſed victus filius Præmislaus, Patris clementia vitam ſeruauit. f Alexander tertius Scotorū Rex omnibus Regni Prælatis conuocatis, & ſupplicationibus habitis, oſſa Margaritæ atauiæ ſuæ in Diuos relatæ terra effoſſa argenteæ capſæ gemmatæque impoſuit. Wilhelmus Rex Rom. ab Aquiſgranenſib. Friderici filio Conrado fauentibus, portis excluſus fuit, illo Traiecti ſubſiſtente, & Cruceſignatis Aquiſgranum, ſed incaſſum oppugnantibus. Quare conuentu ibidem indicto in fidem electi Regis omnes ſubditi iurare coguntur. Floret quoq; Gerhardus Epiſcopus Werdenſis in Germania, & in Hiſpaniis B. Dominicus Innocens Cæſaraugustanus, martyrio coronatur, referente *Hieron. Blanca in Comment. rer. Arrag.* Tartari transgreſſi Tigrim fluuium hoc anno in Perſidem veniſſe narrantur.

VI. Pœna duorum filiorū atrociſſima ob inhonoratos parentes.

Hoc anno apud Caſtrum Virgiacum Ducis Burgundiæ in diœceſi Eduenſi inſigni vindicta de duobus ſumpta Deus docuit quo honore parentes habendi ſint. Vnus eorum bonorum maternorum decoctor, matrem ad tantam iracundiam prouocauit, vt illi imprecata fuerit vt malo gladio confoderetur, atque in feretro exanimis domum reportaretur. Alter vero parentem correctorem cum manu dextera percuſſiſſet, imprecationem patris talem audiuit, vt ei manus amputaretur, & in patibulo ipſe ſuſpenderetur. Factum breui. Duo illi iuuenes, diris à parentibus deuoti, cum poſtero die in taberna aliqua genio indulſiſſent, ex temulentia cœperunt litigare, & mutuo ſeſe percutere. Hic cui pater imprecatus eſt, gladio exerto, alterum occidit, cumque patrato ſcelere in ſyluam proximam effugeret, & ſe à perſequentibus ſtrenue defenderet, manum inprimis gladio abſciſſam amiſit, deinde iam receptus, & patibulo affixus, meritas violati patris pœnas dedit. *Annal. Belg.*

IESV CHRISTI
Annus 1251.

INNOCENTII PAPÆ IV. Annus 9. — GVIL. ROM. REG. elect. An. 4. — BALDVINI II. IMP. Orient. An. 23.

I. Hæredes Friderici inter ſe certant. g Emil. in Ludou. IX. Innocent. in Annal. Naucler. Generat. 2. ep. 39. & ep. 38. 302.

A Conrado filio Friderici & Mansfredo Spurio de regnis hæreditariis certatur, & repreſſo Mansfredo Rex ab eodem doloſe ſalutatur, Neapolimque obſidet, & muris diſcingit, quod Conditor Annalium bene in annum ſequentem refert. In Germaniam veniens Conradus, atrociſſimas in Deum cœliteſque iniurias geminauit, dum templa eiuſque theſauros, præſertim Ratisbonæ, pari cum parente, auaritiæ ſiti exæſtuans, expilat, vnde Innocentius Gulielmum Regem hortatur ſolicite in Imperii reſtitutionem incumbere, & Cruceſignatos cogere, qui horrenda Conradi facinora patrata vlciſcatur (quos ex mandato Pontificis Gulielmus Eika eiuſdem Regis Capellanus Ordinis Prædicator coegit. Paruit Guilielmus, & adeo mali patris filium nequiorem in anguſtias redegit, vt fuga ſibi conſuleret, ne potentiam ſuam ſuſtinere poſſet.

II. Rex Daniæ occiditur à fratre, & S. Petrus Veron. Præd. ab hæreticis Manichæis. Krantz. Dania l. 7. ep. 125.

Hoc anno Erico quoque Rege Daniæ ab Abele fratre per fraudem interempto Innocentium impulit, vt Cardinalem Guidonem in Daniam Legatum mitteret, qui Regnum interdicto ſupponeret, & Abelem fratricidii nefandiſſimi redargutum ſalutaris pœnitentiæ medicina curaret. Sanctiſſimus quoque Petrus Veronenſis Prædicator, malleus hæreticorum validiſſimus à Manichæis in Lombardia interficitur, & martyribus annumeratur. Inter Diuos, dato certo diplomate canonizationis, Innocentius quartus illum retulit.

III. Rex Aragonum regna male in filios partitur. Ep. Inn. 46. Lugd. 4. Non. Maij. Papa ſeptēnio victi in Galliis. Rub. l. 6.

Regem Aragonum Iacobum inique inter filios regna partientem ab propoſito retrahere Innocent. conabatur, & diſſidia inter Belam Hungariæ Regem & Stephanum filium orta, componere, cuius diſſidii illa fuit radix, quod Cumanarum conſuetudine Rex delectatus filium ſuum negligeret. Aliis quoque per diuerſas orbis Chriſtiani prouincias laudabiliter inſtitutis, tandem ipſe Innocentius cum ſeptennio Lugduni in Galliis ſubſtitiſſet, in Italiam ſex Cardinalibus comitatus regreditur, & Peruſii ſubſiſtit.

IV. Miſcellanea. Blond. Sigon. Sab. 8.

Natum quoque hoc anno magnum diſſidium inter Vniuerſitatem Pariſienſem & Dominicanos, qui ſuis priuilegiis freti, ſe Academiæ legibus ſubiicere renuebant. Florentini mortuo Friderico ſe Guelphos pulſis Gibellinis profitentur, & formam Reipublicæ inſtituunt, viciniſque locis occupatis, illis iura diſtribuunt. Sodalitatem Fratrum de Pœnitentia apud Maſſiliam hoc anno inſtitutam tradit *Vignierius*. In Suetia à ſubditis filius præ patre Rex Suetiæ ſalutatur. *Olao* referente *libr. 19. cap. 14.* Chriſtianus quoq; Archiepiſcopus Moguntinus amore quietioris vitæ ſeſe Epiſcopatu abdicat: identidem à Guilielmo Rege Romanorum ad ducendum bellum inuitatur; cui hoc memorabile dixit, *Epiſcopum debere concionari, non belligerari*, hocque CHRISTVM innuiſſe Petro, cum diceret; *Reconde gladium tuum in vaginam*, quamquam alii referant per Hugonem Cardinalem in Teutoniam miſſum Epiſcopatu illum priuatum fuiſſe, & Gerardum ſuffectum. *Siffridus*, *Serrarius*. Scripſit hic Antiſtes librum pro Sedis Apoſtolicæ aſſerenda auctoritate, defenditque exauctorationem Henrici V. Imperatoris legitime factam fuiſſe.

IESV CHRISTI
Annus 1252.

INNOCENTII PAPÆ IV. Annus 10. — GVILIEL. RO. REG. electi, Annus 5. — BALDVINI II. IMP. Orient. An. 24.

I. Comitium Regis & Principum Germaniæ Fracofurti. Blond. dec. 2. lib. 2.

Expugnato Aquiſgrano Guilelmus Rex hoc anno veriore calculo inunctus, Principum conuentum Francofurti indicit; vbi Conradus Friderici filius diris deuotus hoſtis Eccleſiæ pronunciatur, omnibuſque Ducatibus dominiiſq; quæ in Germania habebat exuitur. Quomodo vero Neapolim interceperit, & omni impietatis genere, cædibus, ſtupris, libidinationibus contaminauerit, apud *Iuuenatium in Annalibus*, legere poteris. vtpote qui vrbem data fide accepta, fidē infidiſſimus violaret Cumq; Innoc. ſuæ clementiæ & benignitati quicquid in Neapolim iuris haberet permitti peteret, riſit Legatum, dixitque contumelioſe ſibi rem cum raſis eſſe verticibus.

II. In hæreticos ſanctiones edit Innocentius. Peruſ. 3. Kal. Iul. & Brix. 5. Kal. Oct.

Hæreticis hoc anno ſe fortiſſime oppoſuit Innocentius. Nam Prædicatores hæreticæ prauitatis inquiſitores per vniuerſam Lombardiam, Marchiam Teruiſinam, Romaniolam dimittens, Conſtitutiones Friderici ſecundi in hæreticos ſcriptas vulgataſque prædicare omnibus Officialibus & inculcare ſub pœnis cenſuriſque præuaricatoribus intentandis præcepit, ſcriptis litteris *Peruſii*; deinde ipſemet nobiliſſimam Conſtitutionem quinto Kalend. Maii, & alteram ſecundo Idus Maii ad omnes Præfectos Rectoreſque Communitatum obſeruandas inuiolabiliter direxit. Quibus inſuper adiecit; Prædicatoribus poteſtate facta, vt Cenſuris Refractarios & labe hæretica infectos reducerent, & pœnitentes quantocyus abſoluerent. Alteram quoque in eoſdem eius ſanctionem Priori Prouinciali Ord. Prædd. in Lombardia tranſmiſit.

III.

Ezelinus tyrannus ſi vnquam alias hoc anno adeo Nar-

Ezelini tyrannis. *Chron. Paduan. l. 1.*

chiam deformauit, giganteis ſuis ſceleribus, vt iure merito dixeris:

Luctus vbiq; pauor, & plurima mortis imago:

nam reſidere ſub Ezelini tyrannide intolerabile erat, effugere vero propemodum impoſſibile.

IV. Obitus illuſtrium Ferdinandi Blanchæ, Claræ, &c. *Marian. l. 13. c. 9.*

Præclara orbis Chriſtiani lumina hoc anno in viuis eſſe deſierunt, & inprimis Hiſpali FERDINANDVS Rex Caſtellæ & Legionis tanta morum integritate, vt ſancti nomen meruerit. Petentibus amicis, quale ſepulchrum & ſtatuam erigi iuberet, reſpondit regie, Immaculata, vt potui, vita & geſta ſint mihi ſepulchrum & ſtatua. Succeſſit filius Alfonſus decimus, Sapiens dictus, & eruditiſſimus Aſtrologus. Hunc excepit Blancha Sancti Ludouici mater, Ludouico adhuc in Syria ſubſiſtente, quæ admirabili prudentia & ſanctitate Galliæ regnum adminiſtrauit. Sancta Clara quoque D. Franciſci paupertatem Aſſiſii profeſſa, & auſpicata, virginum gemma religioſarum mortalitatẽ poſuit duodecimo Auguſti; cui felicem obitum inuidens ſancta Agnes ſoror idem ſanctimonialium inſtitutum amplexa, paulo poſt ad palmam cœleſtem eſt ſororem ſecuta. Sancta Iutta virgo, ſanctæ Elizabethæ pediſſequa, ante & poſt mortem miraculoſis operibus clara, terras reliquit.

Toſinian. hiſt. Seraph. relig. l. 1. *Chron. Hirſ.*

V. Miſcellanea. *Naucler. Generat. 2.* *Anton 3. p.* Prodigia. *Annal. Colmarien.* *Meyſ. l. 1. Ann. Gall.*

Floret hoc tempore Conradus Thuringiæ Lantgrauius Ordinem militum Teutonicorum ingreſſus. Cui cum ſuſciperetur in benedictione Spiritus Sanctus in igne ſuper caput apparuit, tanta gratia donatus, vt occulta peccata mortalia hominum cognoſceret. Floret in ordine Minorum quoque Alexander Hales, id ſolemne habens, quod nihil petenti quicquam in honorem Beatæ Virginis negare vellet. In Germania viſi tres ſoles. Iudæi in Wiſenburg Chriſtianum puerum occiderunt. Mulier in Ratſamhauſen vno partu quatuor pueros enixa eſt. Per id temporis quoque grande bellum inter Hollandos & Flandros exarſit occaſione Ioannis Auennenſis, quem Guilielmus Imperator Namurcenſi & Aloſtano Comitatibus; Vaſienſi item dominio, aliiſque donarat & inueſtiuerat, quæ olim Flandriæ Comites beneficio Imperii poſſidebant, item quod Margarita Flandriæ Comitiſſa, clientelam Guilielmo Imperatori profeſſa non eſſet, vt actum Francofurti ſexto Id. Iulii, Indict. 10. Regni Guilielmi 4.

IESV CHRISTI Annus 1253.

INNOCENTII PAPÆ IV. Annus 11.	GVIL. ROM. REG. elect. An. 6. BALDVINI II. IMP. Orient. An. 25.

I. *a Fazellus, Blondus, Nauclerus, & Iuuenanus.* Conradus Friderici filius Fr. Henricum duodẽnem occidi imperat, & ipſe veneno perit, relicto trienni filio Cõradino.

IN Italia, a Conradus Friderici filius ſacro ſpiculo ab Innocentio Pontifice percuſſus, cenſuras Eccleſiaſticas nequicquam penſi ducens, ad reliqua Regni Neapolitani diripienda atque depopulanda, poſt Comitium die vigeſimaquarta Februarii apud Melfim celebratum properauit: & Henricum duodecim annorum fratrem ex Sicilia accitum, vt cum theſauris puero à Friderico relictis, vna quoque & regno Siciliæ potiretur, Ioanni Mauro Capitaneo occidendum dedit: atque non multo poſt diebus Aprilis exercitu admoto, Calabriæ, Apuliæ Capitanatæ, & Principatus Tarentini multis ciuitatibus in poſſeſſionem acceptis occubuit, veneno in clyſtere à medico infuſo extinctus. Moriturus Conradinum filium triennem, quem ex Margarita Ducis Auſtriæ Leopoldi filia ſuſceperat, hæredem regnique ſucceſſorem reliquit, tutoribus illi Bauaris Proceribus, quos ſecum ipſe Neapolim duxerat, ei aſſignatis. Fuit Conradus Friderico Patri, inclementia, ambitione & malignitate perquam aſſimilis, Eccleſias in equorum ſtabula commutans, ſed elegantia & morum facilitate, quam ille artificio quodam præſeferebat; carens, vt prudentia illum vel potius Patris aſtutia deſtituiſſe videatur. Mortui cadauer fortuito incendio ſemiuſtum indicium dedit, animam eius ignibus perpetuis deputatam eſſe. Aliquis ei ſepulchrale epitaphium inſcripſit his verſibus:

Funere Conradus caruit, tumuloq; rebelli:
Vtraq; namq; negat munera relligio.
Atq; oſſa illius medijs dum ſeruat in vndis
Trinacris, ignis edax intumulata cremat.
Diſcite vos Reges Diuos non temnere, punit
Vos Natura Dei ſæpe miniſtra reos.

Conrado extincto, cum ciuitates Regni Neapolitani ab eodem euerſæ, ſibi à tutoribus Conradini metuerent, & Imperium Germanorum perquã exoſum haberent, Manfredo non illibenter parebant: maxime quod is acerrimo ingenio, apud Pontificios Innocentii partes ſe agere, apud Conradinianos autem pueri tutelam ſe ſuſcepiſſe mentiretur. Cumque ingentis eſſet ſpiritus, & nonniſi ad Regnum aſpiraret, teſtamentum à Conrado factum inprimis ſuppreſſit, conſciis quibuſque veneno ſublatis: & populos ad Conradini pueri nepotis ſui in Alemannia agentis fidem ſolicitauit: eius tamẽ extinguendi deſiderio inflammatus, veneno infecta nonnulla ei in Germaniam munuſcula miſit, quæ ſi nihil efficerent, in Italiam ad capeſſenda regna inuitauit: vt illic vi aperta, ſeu dolo malo infantem imbellem opprimeret, atque Regnum vtrumque ad ſe transferret. Nam eos qui partium pueri fuerant, dubios vacillanteſque videbat, atque in rebellionem, ſi qua ſe offerret occaſio, pendentes.

II. In Ezel. anathema vibratur. *Rob. Laſſ. l. 6.*

Ezelinus quoque Romam ab Innocentio ad cauſam dicendam euocatus non comparens in die Cœnæ Domini, more maiorum excommunicatur, & excommunicationis formulam Rauennatium Archiepiſcopo Philippo eiuſque ſuffraganeis, diuulgandam committit. Interim hæreticorum non immemor eoſdem banno ſuppoſuit, eorumque bona publicauit, qui ab Inquiſitoribus tales declarati fuiſſent. Ad Cyprum inſulam tranſgreſſus, nonnullas Græcorum & Latinorum controuerſias per Ottonem Cardinalem Tuſculanum compoſuit, & diſſidentes vtrorumque ritus; dato diplomate conciliauit.

III. Henricus Angliæ rex Eccleſiis libertatem reddit.

Henricus quoque Angliæ Rex antea Eccleſiæ iniurius, immunitates, prærogatiuas, conſuetudines, libertates Eccleſiaſticas egregio exemplo reſtituit, reduxitque ritu tali. Bonifacius Archiepiſcopus Cantuarienſis, aliique Epiſcopi in aula Weſtmonaſterienſi Pontificiis veſtimentis ornati, candelaſque accenſas manibus geſtantes, *anathemate & diris Eccleſiaſticis eos execrati ſunt, qui eaſdem leges deinceps violarent.* Extinctas deinde candelas in terram proiecere, campaniſque magno clangore ſonantibus acclamauere: *ſic pereant & extinguantur, qui hoc noſtrum decretum perfide violarint.* Rex vero per fidem, qua homo homini, & Chriſtianus Deo, & qua ſe regno cum Principatum iniret aſtrinxerat, religioſe promiſit; *ſe decretum illud integrum, inconcuſſum, & illibatum conſeruaturum.* In eodem Principum conſeſſu dictum eſt anathema, Innocentii Pont. Max. auctoritate innouatum, *in eos qui liberas Prælatorum electiones in Anglia violarent, aut ſe illis quoquomodo immiſcerent.* Matth. Pariſ. Hiſt. Angl.

IV. Illuſtrium obitus. *Anton tit. 14. c. 9.*

Hoc anno vita defunctus ex ord. Præd. Ioan. Teutonicus General. Magiſter, ex pœnitentiario Summi Pontificis & Capellano factus Prouincialis Hungariæ, dein Boſnenſis Epiſcopus, poſt denique Magiſter Generalis. *Leand. de viris illuſtr. lib. 1.* Ex ordine Minorum florent Frater Ratisbonenſis, impudicitiæ, ſingularis verbi præconio expugnator. In Brabantia Frater Petrus & apud Clarummontem Frater Philippus, qui animam fœneratoris à ſe toties commoniti, ad inferni ſupplicia deferri vidit, item Frater Guilielmus Tudertinus trium mortuorum reſuſcitator. In Hetruria in oppido ſancti Geminiani Sancta Fina virgo vitam poſuit, tantæ ſanctitatis, vt à ſancto Gregorio Magno Papa ſibi apparente impendentem mor-

tem

tem prænouerit. Ad ſepulchrum mirabilium operum patratricem ſeſe mundo exhibet.

V. Miſcellanea

Sanctus Stanislaus Cracouienſis Epiſcopus ab Innocentio quarto cœlitum numero apponitur Aſſiſii decimo quinto Kalendas Octobr. poſtquam à morte ſanctiſſimi martyris & reuera Poloniæ patroni anni centum ſeptuaginta quinque fluxiſſent. Senenſes & Tarentini cum Florentinis fœdus iciunt, & Confœderati Volaterranos ſibi ſubiugant. Hoc anno Genebrardo in Innocentio quarto & Tilleto referentibus, Collegium Sorbonicum Pariſis à Roberto Sorbonio fundatur. Theſſaliam & Ætoliam tenebat nunc Michael, ex familia Michaelis Angeli notus. hunc, & filium Nicephorum Ducas Imperator Græcus, admiſit, inito fœdere, ad Deſpotatum honorem.

VI. Admirandũ fidei coniugalis exemplum.

Hoc eodem anno, Blanca Seardeonica, Italica matrona, firmo fundatoque erga maritum amore, in exemplar conſtantiæ, ad ſtuporem apparuit. Captum Baſſianum erat, in agro Patauino municipium, ab Actiolino immanis ſæuitiæ tyranno: atque ibi dum fortiter repugnat maritus Blancæ, interficitur: ipſa etiam in armis virilibus marito iuncta, & ſimul pugnans, capitur. Adducta igitur ad tyrannum, & armis exuta, formoſiſſima mulier apparuit: & accenſus libidine potius quam amore, potiri ſtatim voluit. Illa abnegabat, precibus minis & terroribus immobilis: donec ad vim tyrannus ſe parat, quod intelligens, aſtu ad feneſtram ſe ſubducit, & præcipitem ex ea iecit. Non tamen vel ſic obiit, ad aliud facinus ſuperuixit: quod fuit tale. Cum enim ſanguine fœdata & ſemianimis, ſublata Actiolini iuſſu eſſet, & in lecto repoſita, curataque: poſt dies aliquot iterum tentata recuſauit, & eundem animum vitæ potius quam pudicitiæ perdendæ, ſibi eſſe teſtata eſt. Ab irato itaque conſtringi ligarique iuſſa, violata, non contaminata eſt (quid enim poſſet illa caſtitas) ſed tamen dedecori huicupereſſe noluit: & fortius quam aliqua Lucretia, cum ad mariti ſepulchrum iſſet, alleuato & ſuffulto lapide, ſuper fœtidum cadauer ſe proiiciens, atque id amplexa: *Teneo te*, inquit, *mi anime. Quis tyrannus vltra auellet? Maneo: Accipe fidam tuam Blancam, corpore & funere nunc iunctam.* Dixitque, & fulcrum reuellens, caput ſibi contriuit, & ſpiritum tenuem & exiturientem emiſit. *Lipſius in Monitis.*

IESV CHRISTI Annus 1254.

INNOCENTII PAPÆ IV. Annus 12.	GVILIEL. RO. REG. electi, Annus 7.
	BALDVINI II. IMP. Orient. An. 26.

I. Manfredus ab Innocentio in gratiam recipitur *Æmil. in Ludou. IX.*

MAnfredus Regni Siculi à patre procurator inſtitutus. Conrado veneno extincto haud difficile Siciliam ſibi ſubiecit, vt qua armis pertingere non poſſet id dolo perageret. Pontifex ad feudum Siculum Henricum Angliæ Regem euocat, vt is iuniori filio Edmundo regnum certis conditionibus interuenientibus traderet. Manfredus videns ſe nihil potentia ſua poſſe efficere, ad innatas fingendi artes gradum fecit, & ſe in omnibus Sedi Apoſtolicæ ſubmiſit, quodque petiuit ab Innocentio accepit.

II. Summariũ geſtorum Innoc. IV. hoc anno. 1. Ep. 212. & 20. 2 Ep. 140. 2. 2. Cal. Iul.

Præter hæc autem alia complurima curauit. 1. Guillelmum Regem Romanorum miſſo ad eum Legato à Latere, vt Regnum Siculum, & hæreditaria alia bona Eccleſiæ tueretur, ſeque ad Imperii diadema ſuſcipiendum diſponeret, hortatus eſt. 2. Mariæ Ottonis Imperatoris relictæ, Ducis Brabantiæ Materteræ, vt de bonis, quæ in Hollandia & Zelandia poſſederat, permiſſu Guillelmi Romanorum Regis teſtari poſſet, dummodo primi anni fructus in exſoluendo ære alieno eſſent atque computarentur, ad eiuſdem Regis Romanorum & relictæ Ottonis poſtulationem, conceſſit, 3. Periclitantibus in Oriente omnibus Latinis vnaque ſimul cum Imperatore Balduino quaſi in extremum diſcrimen adductis ſubuenire cupiens, piam Crucis militiam in eorum ſubſidium indixit: vtq; ea, quæ pii in illud bellum erogarent, Patriarcha Conſtantinopolitanus colligeret, illi ipſi præcepit: eidemque vt omnes, qui ferrum & ligna & alia iure interdicta, ad Saracenos detuliſſent, eaque propter anathemate percuſſi eſſent, exſolueret, indulſit. 4. Fratres Prædicatorum ad propagandam fidem Chriſtianam ad Saladinum Thraciæ miſit, eoſdemque illi ipſi Principi, & Prælatis Georgiæ, vt eos benigne haberent, & veritatem Orthodoxam amplecterentur, commendauit. 5. Nuncium ad Reges Boemiæ & Hungariæ, inter ſe dimicantes, vt eos ad concordiam impelleret, deſtinauit, eoſque ad pacem mutuam reducere conatus eſt. 6. Proficiſcentibus quibuſcumque Religioſis ad Saracenorum & Paganorum conuerſionem, ingentia Priuilegia conceſſit, 7. Fratribus Eremitanis in Tuſcia diſperſis, & habitum, quem inducerentur & ſancti Auguſtini Regulam, quam profiterentur aſſignauit, eorumque religionem inſtar aliarum approbauit. 8. Pro libertate Eccleſiaſtica in Galliarum, & Angliæ Regni prouinciis multa ſanxit, & quamplurima redarguit. 9. Legatum in Alemannia pro negotiis Imperii & Eccleſiæ miſit, eundemque vt Moguntinum Epiſcopum diris deuotum, abſoluere, & ad Regem Boemorum inaugurandum dignum facere poſſet, commiſit. 10. Epiſcopo Nurembergenſi vt in Lithuaniæ Prouincia, Cathedralis Eccleſiæ ſedem, in gratiam Mendegonis Regis recens conuerſi deſignaret, iniunxit. 11. Legatum in Lombardiam, pro conciliandis diſſociatis ciuitatibus, proque iuribus & bonis Eccleſiæ tuendis & adminiſtrandis, delegauit. 12. Ezelini Tyranni bona Alberico eius Fratri aſſignauit. 13. Regi Danorum Abeli vt ab Eccleſiis opprimendis abſtineret, præcepit: Inquiſitionemque vitæ & miraculorum beati Nicolai filii Canuti Regis Daniæ aliquibus permiſit. 14. Regem Nauarræorum Theobaldum, multis priuilegiis & beneficiis Eccleſiaſticis ornauit, vtque in quarto gradu aliquam propinquam in matrimonium deſumeret, diſpenſauit. 15. Ad Regem Portugalliæ, Nuncium Fr. Velaſcum Ordin. Min. Apoſtolicum Pœnitentiarium, quo cum de rebus ſecretis, quæ litteris credi non poterant, conferret, dimiſit. 16. Regem Aragonum in tutelam Sedis Apoſtolicæ recepit: vtque eum ab iniuriis Eccleſiaſticorum quorumcumque, Archiepiſcopus Narbonenſis & Epiſcopus Barcinonenſis vindicarent, iis ipſis mandauit. 17. In gratiam Caſtellæ & Legionum regis, Clericis exercitum eius contra Mauros ſequentibus, vt in quinque annos proximos fructus beneficiorum ſuorum reciperent, condonauit. 18. Alphonſo Pictauiæ & Prouinciæ Comiti, priuilegia Crucelignatis aliis ſiue imminuta, ſiue abrogata confirmauit. 19. Salomeæ Leſci Albi, Sandomiriæ, & Cracouiæ Ducis filiæ, Ordinis ſancti Damiani Veſtali, vt à Boleslao duce fratre bona quædam in vſum conceſſa, tantiſper donec ille viueret, retinere poſſet, conceſſit, eamque tutelæ Epiſcopi Cracouienſis commendauit. 20. Archiepiſcopo Viennenſi, vt ex ſua Prouincia Iudæos expelleret, indixit.

3. Ep. 10. & 4. & 12.
4 Ep. 20. 29.
5. Epiſt. 570.
5 Epiſt. 1.
7 Ep. 11. & 448.
10. Ep. 170
11. Epiſt. 114
12. Ep. 514
13 Ep. 121 & 70.
14 Ep. 401. & 505. Naug. 1. Cal. Octob.
15 Ep. 31.
16 ep. 217.
17. ep. 640.
18. ep. 10 Anag. Cal. Iul.
19 Epiſt. 11.

III. Mors Innocentii. *Æmil. vbi ſup.*

Priuſquam Innocentius vitam Neapoli, (quam propter Manfredum adierat, illam ad Sed. Apoſtol. reductam) relinqueret, duas Decretales ad Prouincialem Ordinis Prædicatorum in Lombardia dedit Aſſiſio 2. Kal. Iul. quibus vt fidem Catholicã prædicarent Inquiſitores, vt Crucesignatos hæreticorum perſecutores reciperent, & plenariam indulgentiam à Sede Apoſtolica datam vulgarent, &c. iniunxit. Et paulo poſt ad ſeptimum Idus Decembris ætate & ærumnis fractus cum Eccleſiam ſanctitate & doctrina ornaſſet, debitum humanæ naturæ perſoluit, ſepultus Neapoli in Baſilica D. Laurentii cum hoc cenotaphio verſu rudi ſcripto, Anno Domini milleſimo treceteſimo decimoquinto.

IIII. Sepultura & epitaphiũ Innoc. IV.

Hic ſuperis dignus, requieſcit Papa benignus,
Lætus de Fliſco, ſepultus tempore priſco.
Vir ſacer & rectus, ſancto velamine tectus,

Anton. Summont. in hiſt. Neap. p. 2.

Vt iam collapſo mundo temeraria paſſo
Sancta miniſtrari, vrbs poſſet rectificari.
Conſilium fecit, veteraq; iura refecit.
Hæreſis illiſa tunc extitit, atq; reciſa
Mœnia direxit, rite ſibi credita rexit:
Strauit inimicum Chriſti colubrum Fridericum.
Ianua de nato, gaude ſic glorificato
Laudibus immenſis vrbs tu quoq; Parthenopenſis
Pulchra decora ſatis dedit hic tibi plurima gratis,
Hoc titulauit ita Vmbertus Metropolita.

Primus inter Pont. Card. purpureo galero donauit.

Annibal Capuanus Archiepiſcopus noſtro tempore hoc ei elogium elegantius inſcribendum, inſculpendumque curauit. Innocentio quarto Pontifici Maximo, de omni Chriſtiana Republica optime merito. Qui natali ſancti Ioannis Baptiſtæ Anno milleſimo, ducenteſimo quadrageſimo tertio Pontifex renunciatus, die Apoſtolorum Principi ſacra coronatus: cũ purpureo primus Pileo Cardinales exornaſſet, Neapolim à Contrado euerſam S. P. reſtituendam curaſſet, innumeriſque aliis præclare, & prope diuine geſtis, Pontificatum ſuum quam maxime illuſtrem reddidiſſet, Anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo quarto deceſſit.

Annibal de Capua Archiepiſcopus Neapolitanus in ſanctiſſimi viri memoriam aboletum vetuſtate epigramma R.

IV. Electio Alexandri.

Iuſtis Innocentio quarto perſolutis, quatuordecim Cardinales Neapoli ſacrum conclaue ingreſſi, decimoquinto poſt Innocentii mortem die Raynaldum ex Comitibus Signiæ, ex Oſtienſi & Veliterno Epiſcopo Cardinali, Summum Pontificem elegerunt, & Alexandri nomine ſalutatum, ipſo die Natalis Domini inaugurarunt. Manfredus dolo malo vſus exercitum Pontificium in hyberna diuiſum adoritur hoſtiliter, nihil mali expectantem, & cædit; imo etiam gloriatur datis ad ſuos Barones litteris, ſe inſignem victoriam de Papali milite retuliſſe.

Iuuenat. in Annal.

V. Illuſtres SS. huius anni. *Cromer. l. 9.*

Fide Punica Mendocus primus Lithuanorum Rex aduerſus Orthodoxos vtitur, nam Chriſtianis ſacris ſuſceptis, ficte ea exercuit, & paulo poſt occultum vlcus detegens, animum infeſtiſſimum in Chriſtianos euomuit, ac triginta armatorum millibus collectis, Maſſouiam cum Crucigerorum ditione per ſummam immanitatem vaſtauit, incendit, euertit. Multo melior beatus Vitus Ordinis Prædicatorum primus Lithuanorum Epiſcopus viuens & mortuus miraculis clarus, quem ad cœlum ſecutus eſt beatus Vigoroſus Gallus Ordinis eiuſdem, vt & beatus Catinus Mediolanenſis, qui ſanctum Petrum Martyrem, pretio corruptus iugulauerat, & poſt facinus Ordinem ingreſſus, vir raræ ſanctitatis euaſerat. Illos pari paſſu contigit Frat. Helias quintus Ordinis Diui Franciſci Generalis, quem Diuus Franciſcus damnandum præuiderat, & ille preces ſanctas efflagitans, hanc ſententiam mutari petiit, cum vitam mutare ipſe decreuiſſet, rem euentus probauit. Sancta virgo Roſa Viterbii habitum Franciſcanum induta, inter vepreta ſarculi ſpinaſque, mira ſanctitate emicuit. Ioannes Auenienſis Flandriæ Comes ex mœrore animi hoc anno defunctus eſt, cum in matrem iniurioſus fuiſſet, & Guilielmus Rex Romanorum ſocer eius impii facinoris adiutor apud Fuſones fuiſſet extinctus. *Annal. Germ.*

Leand. l. 5. Anton. p. 3. t. 24. c. 9.

Ex vita Viterb.

VI. Miſcellanea.

Cometes per aliquot menſes viſus, quem ventus excepit, ſyluas, caſas, domos, arbores euertens. Ex equa in agro Veronenſi monſtrum natum quadrupes, capite humano, quod terribili eius boatu ruſticus quidam occidit, & in iudicium tractus abſoluitur; Guilielmo Regi Romanorum in comitatum Hollandiæ Florentius filius ſucceſſit. Henricus Brabantiæ Dux concordiam Flandros inter & Hollandos conatur efficere. Theodorus Iunior Ducas Græcorum in Oriente fit Imperator. Mons Regius vrbs Pruſſiæ extruitur.

Dinant.

VII. Ordo Carthuſienſ. oritur, & eius carniũ ſibi perpetuum renunciat, ratione cuiuſdam Pariſienſis doctoris accuſati, iudicati, damnati. *Tilem. l. 2. c. 12. & l. 1. c. 34.*

Hoc anno Carthuſienſium Ordo in perpetuum eſui carnium renunciauit. Ortum habuit is Ordo à mirando quodam contingente. Cum enim mortuus eſſet Pariſienſis quidam Iuriſperitus, homo doctiſſimus, & vere etiam hominum opinione optimus, atque in frequenti corona, quæ ad eius exequias conuenerat, ternis deinceps diebus, primum ſe accuſatum, deinde iudicatum, tertiò etiam damnatum pronunciaſſet. Bruno ipſe quoque inſignis in eadem Academia Doctor, territus, & ad ſuos diſcipulos conuerſus: Quis ergo, inquit, poteſt ſaluus fieri, niſi fugiat mundum? Itaque cum ſex ſociis in Gratianopolitana eremo, quam fugiendo mundo aptiſſimam iudicauerat, conſedit, quorum quidem conſilium Deo gratum eſſe, Vgoni eius diœceſis Epiſcopo, demonſtratum eſt, qui per quietem videre viſus eſt, Dei maieſtatem in eremum illam deſcendere, ſeque ei dignum palatium extruere: deinde ſeptem etiam ſtellas mirifici ſplendoris in coronæ modum paulatim à terra ſeſe attollere, aliis longe diſſimiles, ſpecie, ſitu & motu. Memoriæ proditum eſt, eam familiam, cum adhuc recens & tenera eſſet, in Gratianopolitana diœceſi vbi nata eſt & alita, cum multa, vt fit, inſtigante dæmone, aduerſus illud inſtitutum vbique iactarentur, abſente præſertim Brunone fundatore, quem Vrbani ſecundi Imperium Romæ retinebat, puſillum illum gregem magna tempeſtate iactatum eſt. Itaque cum ex vna parte vitæ auſteritas, loci horror & vaſtitas, ipſamet inſuper paucitas moleſta & odioſa, ex altera interior Dei ſpiritus, ſtellæ duces, Iuris illius conſulti Pariſienſis tam diris exitus, alternantes in eorum animis cogitationes efficerent, aiunt, conſtitiſſe inter eos virum quendam ſenio venerabilem, caluo capite, capillo criſpo, qui Omnipotentis Dei nomine polliceretur, Sacratiſſimam Dei Matrem ipſos in loco illo deſerto ſemper conſeruaturam, eiſque Aduocatam & cuſtodem futuram, ſi in eius honorem horarias preces quotidie perſoluerent. Quibus dictis cum euanuiſſet, remanſit tamen in omnium mentib. noua lux quædam ſpei gaudiique ingentis: nihilque addubitantes, quin Senex ille eſſet Apoſtolus Petrus, ſtatim Cõmuni conſenſu illam Dei, & fidelium omnium parentem ſibi Patronam delegerunt, quæ quidem quam fideliter promiſſa præſtiterit, etiam nullo monente res ipſa declarat. Nam ab illo tempore ita ſemper ſolitudinem illam tenuerunt, vt etiam magnopere illuſtrarint, ipſique & numero & nomine magnopere aucti, ad eam perfectionem euaſerint, vt etiam hoc anno carnium eſu æternum ſibi interdixerint.

IESV CHRISTI
Annus 1255.

ALEXANDRI PAPÆ IV. Annus 1.	BALDVINI II. IMP. Orient. An. 27.

I. Manfredus regnum Siciliæ occupat. *Iuuenat. in Annal. Æmil in Ludou. IX.*

MAnfredus fraudulenter Siciliæ Regnum & Italiæ dominia inuadit & occupat, confiicto per errorem falſorum more Conradinum regem puerum in Germania obiiſſe, percuſſores quoq; ſubmittens, qui eundẽ in Germania veneno tollerẽt. Alexander nihil habuit antiquius, quã Angliciæ Regis filio Edmundo regnum Siciliæ Rom. Eccleſiæ beneficiarium in feudum deferre; hac cõditione vt ligium, homagium & iuramentum fidelitatis Alexand. IV. & Apoſt. Sedi præſtaret. Manfredus Pontificis potentiam veritus, affinitates potentiorum exambit, nimirum Regis Arragoniæ, & Ducæ rerum in Oriente potientis: nã Petro filio Arragoniæ Regis Iacobi Conſtantiam filiam in matrimonium offert cum 12. auri myriadibus dotis nomine, Sororem Ioanni Ducæ collocat, quam tamen Marceſinæ pellicis amorib. irretitus in poſtremis habuit, illamque Imperatoriis inſignibus Annæ paribus exornauit.

II. *l. 6. de rel. dom. c. relig. Toſſinian. Hiſt. Franciſc. l. 2.*

Hoc anno Alexander IV. Eremitis D. Auguſtini certum habitum præſcribit, vti ex ſanctione eius apparet, quam religioſis eius ordinis dedit in partibus Lombardię. Mendocus Rex Lituanorũ ſuperiori anno victor ab Crucigeris cæſus eſt, & victoria memorabilis penes hos ſtetit. Ne vero à Barbaris rurſum cæderentur duo illis propugnacula oppoſuerunt, videl. ſuperiori anno Regiũ montẽ & Brunsbergã hoc anno, præſidiiſq; muniuerũt. Pari opera Epiſco-

Cromer. l. 9.

pus Vratiſlauienſis pacem dat apud Sileſios Duces & fratres exulantem reſtituit, Legato Pontificis conditiones approbante.

III. Summariũ huius anni. Eodem anno Alexander Pontifex, Cathedralem Eccleſiam, quam in inſula Chímenti, in monaſterio Regularium iubente Innocentio III. Pontifice, Eberardus Archiepiſcop⁹ erexerat, confirmauit, Neapoli Nono Calen. Ianuarii, 2. Archiepiſcopo Liuoniæ, Eſtoniæ & Pruſſiæ, cũ hactenus nullam certam Metropolitanam obtineret, ſedem Rigæ aſſignauit: 14. Cal. Febr. 3. Locum Aquilæ in Brutiis in Epiſcopatum erexit, ac Furconenſem ſedem ad Eccleſiam SS. Maximi & Gregorii Aquilani propter fidelitatem eius populi tranſtulit. Sed id poſt biennium, ſc. anno 1257. datis literis Lateran. 10. Calend. Mart.

IV. Miſcellanea. Monach. Paduan. Chron lib. 2. Hoc anno B. Arnaldus Abbas S. Iuſtinæ in carceribus defunctus eſt, ante annos octo & tres menſes ab Ezelino tyranno captus, in quo tyranno Phalarides, Caligulæ, Nerones reuixerunt. Iudæi in Anglia octennem puerum crudeliſſime compunctum, occiderunt, & Copinus Iudæus captus, faſſus eſt in ſingulos annos Iudæos taliſe infanticidio impiare. Ludouicus Sanctus ex Syria in Gallias nauigat, non ſine præſentiſſimo naufragii periculo, nam nauis dorſo immanis ſcopuli iniecta, hæſit. Rege Deum pro ſalute orante & exorãte. *Æmil. in Ludou. 9.* Bonifacius Sabaudiæ Comes Taurini in carcere moritur, vxore nondum ducta. Guilielmi Imperatoris mortem Annalium conditor, in hunc annum reiicit. Nos ſuperiori poſuimus.

IESV CHRISTI
Annus 1256.

ALEX. PAP. IV. ANN. 2.
Balduini II. Imp. Or. ann. 28.

I. Tres Chriſtiani Principes ad Imperium deſignantur. *Mariana. lib. 13. c. 10. Epiſt. 333. Alex.* TRiceps monſtrum Riccæ apud Samnites natum, tres competitores Imperii portendebat: Conradinum Friderici nepotem, Richardum Regis Angliæ fratrem, Cornubiæ Comitem, & Alphonſum X. Sapientem dictũ, Regem Caſtellæ. Alexander ad Sigefridum Epiſcopum Moguntinum litteras dat, quibus illum ab eligendo Conradino efficaciſſimis rationibus dehortatur. Alphonſum apud exteras nationes eruditionis famæ celebrem, facundum, toga militiaque clarum, pleriq; Germaniæ Proceres in Imperii comitiis ad diadema euocabant. Colonienſis & Moguntinus & Palatinus Richardum Cornubiæ Comitem deſignabant, Alexandro interim votis adeo variantibus ſuſpenſo.

II. Manfredus Rex Siciliæ. Manfredus perpetuo aggere iam ſe palam Regem Siciliæ iure belli vendicat, quemquid in refractariũ & perduellem Alexander decerneret. *Iouenat. in Annal.* Ezelinus atrociſſimus ex [illegible] impuberes debacchatus eſt. Legatus Pontificius cum Crucesignatis occurrit eumque [illegible] exuit, at ſuperueniens Ezelinus, Crucigeros occidit, & [illegible] in eos deſæuit. *Marian. lib. 3. c. 11.* Alphonſus Portugalliæ Rex adulterio & diuortio polluitur, & regnũ diuturno interdicto ſubiicitur, tametſi Mathildis veteris coniugium repetens, omnibus modis conaretur hominẽ libidinibus coercere. At in conſpectum eius admiſſa non eſt: quare acerbiſſimas literas dedit, quibus ille non magis quam caucaſus mouebatur. Sacramentum coniugii politicorum inſano iudicio metiens, etiam hoc paci politicæ poſtponendum. Hoc vitium Alphonſi; cæteroquin miti ingenio iuris æquitatiſque amantiſſimus erat.

III. Miſcellanea. *Auguſt. Nebienſ. Annal. Genuenſ. lib. 3.* Genuam hoc anno miraculoſe allata ſunt corpora ex Catalonia SS Fructuoſi, Augurii, Eulogii, & vna cum corporib⁹ SS. Iuſtini, Procopii, Martialis, Pantaleonis, & Georgii in monaſterio eorum collata. Inquiſitor Ord. Prædicat. Fr. Anſelmus anathemate Philippum Turrianum Genuenſium Præfectum percutit, quod Conſtitutiones ab Sede Apoſt. & Maieſtate Imperatoria in Hæreticos euulgatas præuaricaretur, & clam illis fauere, quaſi hæreſis ſuſpectus, conuinceretur. Alexander Fr. S. Mariæ in Saxia de vrbe, ſub protectionem B. Petri & Sedis Apoſtolicæ accepit. Patriarcham Gradenſem quoq; ad exemplar prædeceſſorum inſtituit, eumq; Archiep. Iadertino eiusq; ſuffraganeis præſtituit. Abbati Sublacenſi & eius ſucceſſorib. vſum anuli, mitræ, tunicæ Dalmaticæ, chyrothecarum, & ſandaleorum, necnon benedicẽdi pallas altaris, conferẽdi minores, ordines benedictionẽ ſolenẽ in miſſæ ſacrificio, & veſpertinis precibus impartiendi poteſtatem conceſſit. *Regiſtr. Alex. hoc anno* Tartari Meſopotamiam ſibi ſubiiciũt capiuntq; Baldac ciuitatem, aliquibus dictam olim Babylonem, occiſo Saracenorum Sultano. *Leo lib. 3. Hiſt. Africanæ.* Moritur hoc anno Fridericus Luſignanus, primus Cypri Rex, anno regni 33. *Hiſt Cypri.* Petrus poſt Bonifacium Comes Sabaudiæ *Taurinates domat, qui Paradino referẽte* vt diutius obſidionẽ tolerarẽt, occulte commeatum in vrbem nouo inuento per vrinatores ſubter aquas inuexerunt. *Paradin. cap. 18. Hiſt. Sabaudiæ.*

IESV CHRISTI
Annus 1257.

ALEXAND. PAP. IV. ANN. 3.
Balduini II. Imp. Or. an. 29.

I. *Marian. lib. 13. c. 10. ex bulla Vrbani IV.* Richard. & Alphonſ. Reg. Rom. eliguntur. FRancofordiæ Electores Imperii congregati, votis variantibus, duos Reges Romanorum delegerunt, Archiepiſcopus Colonienſis ſuo & Moguntini nomine, & Comes Palatinus Richardum, Treuirenſis & Dux Saxoniæ Alphonſum Caſtellæ Regem. Prid. Kal. April. Fortunatior Richardus, quod acceptis literis continuo in Germaniam aduolauerit, & primam Imperii coronam Aquiſgrani ex manu Colonienſis Epiſcopi acceperit. Vnde diuturna vtriq; diſſidiorum cauſa fuit. Alphonſo domeſticis ſuorum ſeditionibus acriter vexato.

II. Manfredus Italiæ ducatus occupat. *Iouenat. decad. 2. lib. 7. Tharcl. lib. 8.* Manfredus Rex Siciliæ ſalutatus, etſi anathemate percuſſus, Hetruriam, Lombardiam, & Trãſpadanam mirabilibus artibus & felicitate rara ſibi adiicit. Brixiam quoque Ezelinus tyrannus cæſis ad internecionem Crucesignatis ſui iuris facit. Inuenerunt ordines Dominicanus & Franciſcanus ſuos hoſtes, Matiſconenſem Canonicum, & amentia illi parem Gyraldum Doctorem Pariſienſem, qui non modo e cculis & pro roſtris, ſed ſcriptis operibus eos inceſſebant. In aduerſum iuere vtriusque ordinis anteſignani SS. Thomas & Bonauentura, quos inſuper ſummus Eccleſiæ Hierarcha inſecutus, inſigni Decreto velut inexpugnabili vallo emuniit; hæreticosq; pari fulmine diuerberauit; qui in Lombardia & Marchia Ianuenſi nidulabantur, 2. Non. Martii & Lateran. Pontificat. anno 3.

III. *1 epiſt. 125.* Summariũ geſtorum huius anni Alexandri IV. Eodem anno Alexander Pontifex 1. Poſtulationes & capitula ad Sedem Apoſtolicã tempore Innocentii Quarti Pontificis à Calo Ioanne Græcorum per Cyzicenum, & Sardicenſem Archiepiſcopos, & Angelum Comitem atque Theophylactum magnum interpretem, in negotio vnionis orientalis & occidentalis Eccleſiæ miſſi recognouit, examinauit, confirmauit, omneſq; orientales ad vnitatem hortatus eſt. 2. Theobaldum Regem & Margaritam Reginam Nauarræorum multis priuilegiis ornauit. 3. Vniuerſis & ſingulis Fratribus Ordinis Prædicatorum in terra ſanctum Verbum Dei prædicantibus indulgentias & priuilegia Crucesignatorum largitus eſt. 4. Epiſcopo Vratiſlauienſi Priori Culmenſ. Ordinis Predicatorum, & Fratri Bartholomæo Ordinis Minorum prædicatoribus Crucis CHRISTI in Polonia contra paganos circumuicinos, vt quoſdam eorum ad fidem venire cupientes reciperent, & domino Caſimiri Lanſiciæ & Cuiauiæ Ducis adiungerent, [illegible] 5. Contra Ezelinum tyrannum diras & anathemata iterauit. 6. Centum à Iudice Calaritano pro Regno Sardiniæ exegit. 7. Indulgentias proficiſcentibus in ſuccurſum Liuoniæ & Pruſſiæ, impertiuit. 8. Pro libertate Eccleſiaſtica aſſerenda, & pro ſimoniæ vitio extirpando in Galliis multa tulit. *2. ep. 47. Lat. [illegible] & epiſt. 219. [illegible] 3. ep. 21. Lat. 3. Non Iun. 4. ep. 150. Anag. Id. 5. epiſt. 7. [illegible] 7. ep. 147. 8 ep. 168.*

I. Miſcellanea. Alexander IV. tyrannide Manfredi & Ezelini pene fractus, Henricum atque Edmundum Reges Angliæ ad Re-

gna Siciliæ & Neapolis acceptanda iterato euocat, Viterbii.2. Idus Decembris. In Polonia S. Hyacinthus Prædicator, Septentrionis Laudatiſſimus Apoſtolus,& mirabilium patrator operum in religionis propagatione,felici fine vitam claudit,& à felicis recordationis Clemente VIII. anno milleſimo quingenteſimo octauo, inter ſanctos refertur 15.Kalend. Maii: omnibus ad apotheſin requiſitis, examuſſim examinatis,ſeruatisque,cui aliquot ex eodem ordine Sancti virtutib⁹ & miraculis clari ſuccenturiari poſſunt, quos in fontibus hauri. Ex Albigenſibus quidam geneathliaci diuinatores hæc inferiora à ſtellis pendere docebant.

MS. Vaticanum.

Richardi in regem Roman.electi Edmundus filius,aliquot ſanguinis Dominici guttas in Angliam detulit, egregiò cœnobio in colle ſylueſtri ad tanti pignoris reuerentiam extructo. Dum inter ſe regno Romanorum certant Electores, S. Ludouicus optimis legibus regnum ſuum ornabat, pacis & iuſtitiæ inter ſuos ſtudioſiſſimus. Michael Palæologus apud Imperatorem Laſcarim in honore preſſus inuidorum calumniis ad Turcas deficit,reuocatus tamen *ἀμνηςία* ſeu obliuione præteritorum, in Coneſtabili dignitate conſtituitur. Virgo Iuliana pro Chriſto peregrina, Foſſis, quod oppidum eſt Prouinciæ Leodienſis,hoc anno in Domino obdormiuit,tertio poſt obitum die ad Vilarienſe Ciſtercienſium in Brabantia cœnobium,translata,& ſacra inter corpora honorifice condita, vita eius propter reuelationem inſtitutionis feſti venerabilis Sacramenti & theophoriæ celeberrima, duobus libris comprehenſa in cœnobio Rubeæ Vallis apud Bruxellas & Leodii extat, Miræus.

Polyd.lib.16 Hiſt. Anglic.

Niceph. Greg. lib.3.

Euangelium Regni,nec ædificatorum,&c quæ poteris in fontibus videre.

III. *Miſcellanea.* *Cran lib.8.*

In Sileſia Boleslaus caluus bonis ſuis exhauſtus vetitis artibus opes quæſiuit,& Sacrilegiis: nam cum Vratislauienſium epiſcopum ſpoliaſſet, cepiſſetq; ,anathemate percuſſus eſt. Pictones exteri gratiam Regis Angli vt cognati illius in aula ambiuere & accepere, non id tulerunt indigenæ,quib indignum videbatur, internis aptis exteros ad munia aduocare. Quare illis excluſis rerum propriarū ſatagebant. Id lepidum. Duos Anglos ſacerdotes, tenui vnū, alterum opima viuere prębenda. Diuitem egere,tenuiorem abundare, cum opulentior etiā Reginæ eſſet à capella, miratus ſocium tenuem adeo abundare. Reſpondit, gregi commiſſo,diligenter,caſte & integre ſeruio, Deuſq; benedicit:tu oues negligis,& copia inopem facit. Floret ex Prædicatoribus Fr. Ferdinandus,cuius defuncti facies ingenti lumine corruſcauit. Ex ordine Diui Franciſci,florent Accurſius infirmorum ſtudioſiſſimus, Simō ſimplex, aliiſq; referente Antonino. Beatus Bonaiuncta Magiſter, generalis ordinis Seruorum eundem in diuerſas Prouincias diſtribuens, nihil in tanta mole rerum de ieiuniis, vigiliis, orationibus,flagellis, cilicio exercendis remittens. Electioni regis Rom. hoc anno Alphonſus Caſtellæ Rex renunciat. Bene ceſſit Michaeli Comneno Palęologo,qui defuncto Theodoro Laſcare, Græcorum dicto Imperatore,in morbo habitum religioſum, pio exemplo, ad remedium animæ,aſſumente, relicti filii Ioannis Duce Sexennis tutelam accepit, inſigni prælio Theſſaliæ Deſpotham vincit. Vnde primus Michaeli ad Imperium gradus. Tartari hoc anno occupatam Perſidem vſq; ad annum milleſimum trecenteſimum quinquageſimum tenuerunt.

Polydo.Hiſt. Angl.lib.16

MS Vatic. Antonin 3.p tit.24.c.9. §.5.& 6.

Chron. Ord. Seruorum.

IESV CHRISTI
Annus 1258.

ALEX. PAP. IV. ANN. 4.
Balduini 11.Imp.Or.ann.30.

I. Ezelinus decreſcit, acreſcit Manfredus *Platina in Alexand. Fazelius li.8. Petrus Marcellus in Raynerio. Æmil. in Lud. IX.*

EZELINVM impotentius tyrannum agentem dum Legatum Apoſtolicum aliosque confœderatarum vrbiū Proceres in vinculis tenentem videret late dominari,eius potentiam per Legatos alios imminuendam ſuſcepit,ſi nimirum cum diuerſis Rebuspublicis & vrbib⁹ fœdera iniret. Quantum ille minuebatur,tantundem in Sicilia Manfredus excreſcebat, omnes ſibi contrarios, vel morte vel vinculis mulctatos è medio tollens. Nec in his eius vitia ſubſtitere. Inuſitata enim aſtutia in Orientem pedem tulit, armatisq; Saracenis in Crucelignatos ſuorum aduerſariorum vires extenuauit; imo ſuſcitatis inter Venetos & Genuenſes diſcordiis adlaborauit, vt vires Latinorum in Oriente omnino elangueſcerent. Tantum potuit vnius hominis perfidia in Eccleſiam malum dare.

II. Priuilegia præconib. fidei apud Paganos dantur ab Alexan. IV. *Anagn.5.Id. Iul. Pontificatus an.4.*

Tametſi Occidentem & orientem inuerteret Manfredus,ſollicitiorem reddidit Alexandrum fidei propagandę, vt ſingularibus priuilegiis donaret ordinem vtrumq; Dominicanorum & Franciſcanorum,qui Saracenos, Gręcos, Bulgaros,Cumanos, Æthiopas, Syros, Alaros, Gazaros, Gothos, Ruthenos, Iacobitas, Nubianos, Neſtorianos, Georgianos,Indos, Armenos, Moſcelinos, Tartaros, Hūgaros, Turcas,ad orthodoxam religionem traducerent,& velut Sedis Apoſtolicæ commiſſarii tot animarum millia Eccleſiæ reſtituerent. Nec his contentus, vtrumq; ordinē donare priuilegiis, id vnice curauit, vt quam poſſet maximam facultatem fidei Inquiſitoribus daret, eoſq; ornaret indulgentiis,qui hiſce conſilium, auxilium, fauorē in cauſa fidei & inquiſitionis præſtarent. Vide Decretum, quod dedit Anagniæ 17. Kal.Octob. Diſciplina Eccleſiaſtica in Italia ob belli furias elangueſcente etiam ſe Sathanæ prodromus effudit Ioannes Parmenſis, qui concionibus, diſputationibus, librisq; editis titulo ÆTERNI EVANGELII, horrendas blaſphemias euomuit,vt v.g. doctrinam Abbatis Ioachim excellere doctrinam Chriſti; imo & Nouum & Vetus Teſtamentum, & Euangelium Chriſti non eſſe

IESV CHRISTI
Annus 1259.

ALEXAND. PAP. IV. ANN. 5.
Balduini 11. Imp. Or. vlt.

I. Ezelinus tyrannus enecatur. *Naucl. generat.43 Iouius. in Annal. MS. veter. vita Ezel. & Sabellicus. Monach. Paduan. Chron lib.2 Paul. Iouius elog. lib.2.*

TAndem hoc anno Ezelinus tyrañus in acie à Cruceſignatis & Cardinale cæſus & vulneratus, Deo impium vlciſcente ex humanis abiit, cuius ſi quis lineamenta moreſque videre cupiat, *Pauli Iouii* elogia videat; cuius, cum in vita oblitus eſſet Dei in morte Deus obliuiſcebatur ipſius. Alio nomine ille, Ezelinus, Actiolinus, dicebatur. In quo nihil laudabile fuit, præterquam virtutis bellicæ gloria,cætera barbarus. Apparet id ex hoc eius imagini ſubiecto diſticho:

Sylla, Nero, Caius, Marius, Mezentius: his tu
Azeline, ipſo & ſæuior es Phalari.

Eadem opera Albericum tyrannum Taruiſinum fratrem eius cum vxore filiis & filiabus totaq; familia Octauianus Cardinalis Legatus Sacram militiam & Cruciſignaturam profeſſus,ad internecionem vſq; confecit, clamantib. omnibus: *Moriatur deteſtabilis tyrannus, ac viuus cū vxore & liberis concremetur & tota eius progenies extirpetur.*

I. Michael Palæologus Orientis Imperium occupat. *Niceph. Greg. lib 3. Aemil. Naucler. Platin. Boſius. Sabellic.*

Annus hic quoq; fatalis Latinis in Oriente fuit. Nam Michael Palæologus tutor pupilli Ioannis Ducæ, qui & Laſcaris & Vatacius vocabatur, periurus factus, puerum Ducam exoculauit, ſuſtulitque, viamq; ad Imperium planam aperuit,& Gulielmum Villam Achaiæ Principem ex Syria reuerſum repente adortum, prælio vincit, capitque, nec dimiſit, niſi Epidaurum Achaiæ oppidum ſibi dederet, quo facto mirabili celeritate & prudentia militari Conſtantinopoli incubuit, eamque Balduino & Patriarcha Iuſtiniano Latinis fugientibus, ſui iuris facit. Quibus tutum non erat ibidem conſiſtere, cum Veneta claſſis abeſſet, bello Liguſtico aduerſus Genuenſes occupata. De toto negotio ſic Annales Flandrici lib 9.

Veneti & Genuenſes cauſa ſunt cur imperium orien Latini perdiderint

In Græcia deploratis prope Balduini Auguſti reb⁹, ſurrexit Michael Palæologus vir opibus potēs, armisque impiger. Hic poſtquam Guilelmū Villam, origine Gallum, Achaiæ Principem, redeuntem ex Syria cepiſſet, compe-

gıſſet-

giſſetq; in vincula ac Epidaurum nobiliſſimam Achaię vrbem ſpoliaſſet, auctor græcis extitit, vt in veterem ſe vindicarent libertatem. Eum Conſtantinopolitani, occupato foris Balduino in maritimo inſtruendo bello, patefactis portis in vrbem introduxerũt, Auguſtumq; conſalutauerunt. Idem apud Hadrianopolim necatis per dolũ Theodori Principis quorum gerebat tutelam liberis, imperium arripuit. Balduinus Auguſtus, Iuſtinianuſque Patriarcha, cum cætera nobilitate latina, in Italiam ſe receperunt. Tenuerant Græcorum Imperium Flandrici generis Auguſti. Balduinus & Henric. Fratres, Iole horum ſoror. Robert, filius Ioles, Balduin. filius Roberti: Cuius Balduini filiam Caterinam Carolus Andegauenſ. D. Regis frater, ſpe recuperandi imperii priore defuncta coniuge in matrimonium duxit. Hæc in Græcia accepta clades, per Venetorũ Genuenſiumq; inteſtina diſſidia, qui eodẽ anno de imperio Ptolemaidis, quod vnum Chriſtianis in Syria reſtabat emporium, inuicem digladiantes, Latinis in Græcia nullã tulere opem: cauſaq; iidem fuere, vt & in Syria res pderentur.

Ferdin. Caſtel cent. 1 ep. Leand. lib. 5. Rubeus lib. 6. & alii.

Moriuntur celebres ex Ordin. Præd. Petrus Fernander Hiſpanus virginitatis illibato lilio fragrãtiſſimus, & Conſaluus Amarantha Luſitanus. Item B Laurent. Mendeſius Luſitan. ab Angelo cæleſti reliquias ex Mauritania dono accipiens, & Fr. Ludolphus Fauentinus D. Dominici diſcipulus, & Rolandus Cremonenſis virgo & Doctor. Conradus quoque Teutonicus.

III. Summariũ geſtorum Alexandri IV. hoc ann. epiſt. 32. Anagn. 8. Id. Maii. 2 ep. 1. 7. Anagn. 8. Id. Maii. 3. ep. 57. Anagn. 15. Calend. Iun & ep 51. idem nono Feb 4. ep. 55. Anagniæ 3. Id. Februarii. 5. ep. 191. Anagn. 2. Id. Oct.

In Occidente, præter alia, Alexander Pont. 1. Regis Nauarreni, aſſumptionem, per eleuationem ex more fieri ſolitam laudauit, appellauit, approbauit vtiq; Rex ad eũ modum ſiue in clypeo, ſiue in humeris eleuatus, nomen Regium illico obtineret, inunctionẽ vero atq; coronationẽ in opportunum tempus differret, & interim regnum illud adminiſtraret, diſpoſuit. 2. Vniuerſitatem ſeu ſtudiũ generale à rege Nauarro Theobaldo II. in oppido Tutelenſi, Tiraſonenſi, diœceſis erectum confirmauit, atq; priuilegiis ornauit. 3. Guillelmo eiuſdem Regis Fr. Canonico & ſuffragium in cathedralib. Eccleſiis, in quib. ſiue perſonatum, ſiue beneficium obtinebat, poteſtatẽ ferendi, & vltra redditꝰ annuos beneficiorũ, quadraginta marcas ſterlingorũ titulo honeſto poſſidendi facultatẽ conceſſit. 4. Conuentionẽ inter Regem Aragonũ, eiuſq; nobiles ac populos ex parte monetę cudendę factã, in perpetuũ cõfirmauit. 5. Regem Hungariæ Belam, ne iniquiſſimis conditionib cum Tartaris paciſceretur, cohibuit. Hi enim victoriis continuatis inſolentes, inter reliqua poſcebant, vt vel filia Principis eorũ Stephano Belæ filio, vel filia Belæ, filio Principis eorũ, in matrimonio collocaretur, deinde vt Stephanus Belæ filius vna cũ quarta parte exercitus Hungarici, ad exterminandos reliquos Chriſtianos Tartarorũ copias præcederet. Tertio, vt nonniſi quintam partem bonorum ex Chriſtianis acquiſitorum Hungariæ milites reciperent, neque vnquam amplius ex manubiis depoſcerent. Ita ad eum modum à tributo & inuaſione immunes forent. 6. Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis plenariam, ſociis vero & adiutoribus aliam indulgentiam, ſi modo in negotio fidei laborarent, atque ex animo conſilium, auxilium vel fauorem præſtarent, conceſſit, aliaque plura egit & decreuit.

6. Anagn. 17. Cal. Oct.

IV. Miſcellanea.

Albertus Magn. nobili Bolſtaſteſſium familia apud Sueuos natꝰ, inſtituti Prædicatorum creatur Epiſcopus Ratisbonenſ. Lambertus Waterloſius canonicus Regular. S. Auberti in vrbe Cameracenſi, ſcripſit Hiſtoriam Epiſcoporum eius vrbis, hoc tempore florens. Tartari in Syriam effuſi eandem ſubiugant. Arſenius Conſtantinopoli à Mich. Palæologo armis occupata, Patriarchatu ſeſe abdicat, & mox recipit; cui poſt aliquot tempus Germanus III. ſubrogatur.

IESV CHRISTI
Annus 1260.

ALEXAND. PAP. IV. ANN. 6.
Michael. Palæolog. Imp.
Or. an. I.

I. Manfredus Alexandri pacem reſpuit. *Inuerat. in Annal.*

ALexander Pontifex rebus Eccleſiæ vtcunq; peſſumdatis, non aliud egit, quam Manfredum ad ſaniora reducere; at vero remiſſis Legatis Manfredus, reſpondit, ſe nolle terras Eccleſiæ reddere, & plures Saracenos velle in Siciliam inducere, Victoria enim cæſi exercitus Pontificii elatior per Iordanum Ducem ſuarum copiarum, noluit acquieſcere.

II. Martyres Poloniæ. *Mechou. lib. 11 c. 44. Cromer l. 9. Raymund. Lullus damnatur. Bernard Lutz. in Catal. Hæret. & Prateol. lib. 15 c. 2.*

In Polonia magnus numerus Martyrum per Scythas cælo inſertus eſt, qui regiones Septẽtrionales multis ſtragibus, flammis, cædibusque euaſtabant, ex quibus tam Laici, quam etiam Prædicatores fuerunt. Alexander quoque Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis Ord. Præd. in Lombard. & Marchia Ianuenſi poteſtatem fecit, contra quoſcumque hæreticos rigide procedendi, & imperauit. Eodemque anno grauiſſimos errores & blaſphemias Raymundi Lulii egregie condemnauit, omneſque libellos, & præſertim de dæmonum inuocatione proſcripſit. Nicolaum Nothum Regis Norvegiæ filium ad omnes dignitates, prælationes, & principatus ſæculares habilitat.

III. Albertus Mag. epiſcopus fit Ratisbon. *Alex ep. 7.*

Epiſcopatum Ratiſbonenſem ex voto & concilio S. R. E. Cardinalium defert Fratri Alberto cognomẽto Magno, SS. Thom apud Colonienſes in frequentiſſimo auditorio Profeſſori. Anagniæ ipſis Nonis Ianuarii. Quem ipſe Generalis Humbertꝰ, multis rationib. ab iſto propoſito auocare conatur. At immobilis Albertus infulas capeſſit.

IV. *Ioan Vill. lib. 6 c. 57.* S. Lud. videre renuit Christum ſub ſpecie panis infantẽ referentem

Per id temporis, Sacerdote quodam Pariſiis in ſacello aulæ Regiæ ſacris operante, dum is ſacroſanctam hoſtiam eleuaſſet, viſa ea pleriſque, in ſpeciem ſpecioſiſſimi infantis, conuerſa fuiſſe. Obſecrarunt Sacerdotem, vt tantiſper illam eleuatam teneret, donec S. Rex Ludouicus adueniret. Cæterum ille nouitate rei audita, recuſauit videre miraculum. Eant, inquit, & ſcrutentur illi, qui non credunt tantæ rei Sacramento, ego vero in corde meo, continue & aſpicio, & ſuſpicio, Deum verum & hominem ſub ſpeciebus ſacramentalibus reconditum.

V. *Epiſt. 23* [illegible] ria a. 1. [illegible] dolentiam ab Alex. IV. ſu[illegible] morte primogeniti.

Mœrebat hoc anno Ludouicus à morte Primogeniti ſui Ludouici. Quamobrem habuit Alexander condolere illi, atque grauiſſimis literis mœrorem diſcutere. Datis Anagniæ III. Calend. Martii. Quamquam autem dolore ex tot funeribus fere obrueretur, non tamen officii oblitus eſt Ludouicus.

VI. *[illegible] lib. 7 c. 3 [illegible]* Egregiæ conſtitutiones S. Lud. Ad curam ſtrumatum S. Lud. præter tactum etiam crucis Signum adiecit.

Per hæc enim tempora, multa in Regni vtilitatem inſtituit, dignitates & officia noluit eſſe venalia; blaſphemis, & in vanum per nomen Dei iurantibus: cauterium in frõte iuſſit: lupanaria prohibuit: vetuit magiſtratibus in toto iuriſdictionis ſuæ tractu, aut fundos emere, aut liberis ſacerdotia procurare, aut eos nuptui collocare: hiſtriones aula exegit: multa cœnobia & valetudinaria partim condidit, partim inſtaurauit & ditauit: beneficia Eccleſiaſtica conferre noluit, ſed ius illud collatoribus ordinariis iuxta antiquos Eccleſiæ Canones, reſtituit: cumque ſe nollet collationibus Sacerdotiorum immiſcere, illud ſolemne dixit: *Sufficit mihi coram Deo de temporalibus mihi creditis, non etiam ſpiritualibus rationem reddere.* Cum autem ei inſtituẽdi paſtores ab Alexandro Pontifice poteſtas facta fuiſſet, ad idque diploma Orator Roma rediens attuliſſet: *Quod mea,* inquit, *Romæ negotia ſtrenue obieris, laudo: quod mihi à Pontifice munus hoc retuleris, non probo Intelligo enim, quanto cum periculo meæ animæ & Regni, id ſuſciperem*, ac protinus diploma in ignem proiecit. Ad Cheradum (ſic Græci ſtrumas, glandularum quarumdam induratarum genus vocant) curationem, Crucis ſignum primus adhibuit: cum deceſſores Reges ſolo tactu vterentur.

VII. *Plantus li. 3. c. 17.*

Hoc anno, mirum quiddam euenit cuidam ex Ordine

Franciſcanorum: qui cum ordinem & domum deſeruiſſet, ſequuti ſunt eum fratres duo charitate adacti, vt reditum perſuaderent. Quorum conſilia dum is obſtinatiſſime reiicit, atrum canem miſero illi imminentem viderũt, eoque ſpectaculo territi exclamare cæperunt, vt à tam informi beſtia caueret: is vero eo magis inſaniens, habitum exuit, procul abiecit, in fugam ſe dedit. Ecce autem, paucis confectis paſſibus, monſtrum illud, quod hactenus dum habitum geſtaret, nocere non potuerat, poteſtate tum accepta, in eum inſiliuit, & ad terram detractum ſtrangulauit, tam ſubito, vt fratres illi accurrentes, mortuum iam repererint.

...ta apoſtatus ab ordine S. Franciſ.

VIII. Sanct. Ord. Præd. *Michael Pius Bonon. de viris illuſt. Ord. Præd.*

Ex Ordine Prædicatorum hoc anno moritur Dominicus Muchnoz Segobienſ. & alius Valerican, ambo Thaumaturgi. Bernardus his proximus Tranſuerſanus Inquiſitor & Martyr, ad cuius ſepulturam, inter alios qui valetudinem deploratam recuperarunt, duodecim cæcis lumen redditum eſt. Huic ſe adiungit Guibel. Cauailonius, iuuenem ſui temporis modeſtiſſimus, caſtiſſimus, obediens, humilis, & cunctis virtutib. ornatus. Moritur cum infirmorũ Præfectus diceret, illum breui tẽpore ad cælos iturum, tanta vocis ſuauitate cantare cæpit illos verſiculos: *Gloria, laus & honor tibi ſit, Rex Chriſte Redemptor*, vt cunctos fratres aſtantes in fletus cõmouerit; cumq; illi aliquis eorum particulam ligni S. Crucis obtuliſſet, ille maiori ſpiritus deuotione: *O crux ſpes vnica*, recinens, animam exhalauit. Præſtat iſtis dignitate B. Bartholomæus Epiſcop Vicentinus, hæreticorũ expugnator acerrimus, & Innoc. IV. Pont. Max. in Syriam ad S. Ludouicũ Nuncius, quo cũ tanta ei neceſſitudo interceſſit, vt is non alteri, quã Barthol. ſi quas noxas contraxiſſet, in confeſſione explicaret. Ab eo pignus obtinuit, ſpinam ex corona Dom. q̃ poſtea magna populi frequentia Vicentiã intulit, ibidemq; ſui Ord. cænobio collocauit. Iungit ſe iſtis B. Cõradus Sueuus Lingonas, virginitatis laude commendatiſſ. Magna deuotione in D. Virg. ferebatur, ita vt ab ea meruerit diem & horam mortis ſuæ præſcire.

IX. Miſcellanea.

Hoc anno vniuerſa Italia, præcipue vero Hetruria, & Amilia, atque Lombardia, bellis ciuilibus vexabatur, cum ad ſupplicationes confugiendum ſibi ducerent itali; Vnde Otto Cardinalis diuinando dixit: *Victi victores vincent nec vnquam vincentur*, ad Guelphos Florentinos alludens, qui à Gebellinis cæſi fuiſſent. Quam deuotionem & flagellationem copioſiſſime *Carolus Sigonius*, in diuerſis populis, factã proſequitur. Ottomannus I. Rex Turcarũ patre Ertugula natus eſt, flagellũ Græcanicæ perfidiæ futurus, qua toties Rom. Eccl. notallent. *Leonclauius in Hiſt. Muſulmanna Turcica*, quẽ deinceps in rebus Turcicis ſequemur. Moritur quoq; B. Iutta Pruthena, ex antiqua & illuſtri familia Sangerhauſen in Pruſſia nata, à primis incunabulis ſanctitatis ſuæ prænuncia. Diſſolutiſſimi quoq; adoleſcentis cõuerſio in Anglia in Cantabrigienſi academia accidit, qui cultui B. Virginis inprimis deditus, cætera peſſimus, illius apparitione vitã in melius tranſtulit. Floret quoq; B. Bertholdus Ratisbonenſis Franciſcanus, ad cuius conciones, *Auentinus refert*, ſexaginta ampli millia hominũ cõfluxiſſe.

Chrõ. Eccleſiã Cæſar. Segob. 7.

X. Exemplum punitæ libidinis in adoleſcẽte.

Ex tempeſtate adoleſcens quidam Friburgi in Miſnia, vt ſuis potiretur amoribus à Mago in locum ædium deſertũ deducitur, cui cum ſpectrum puellæ illius, quam amabat imagine, per malefici incantationes ſe obtuliſſet, amator ille perditus, manũ ei porrigens, à malo dæmone parietib. alliſus, miſerabilem in modum necat eſt. Cadauer quoq; illius tanto impetu in Magum Satanas proiecit, vt ſemianimis longo tempore iacuerit. Hoc horrendum punitæ exemplum libidinis, ad deterrendos ſtultos adoleſcentes, referebat Siffridus presbyter, qui Alberti I. Imper. temporibus vixit. *Annal. Germ. & Siffridus in Epitom. lib. 8.*

Prodigioſa Conſulis Colon. Grynii fortitudo.

Coloniæ quoque in Germania hoc anno prodigioſæ fortitudinis Herman Gryn cõſul Colonienſis vixit. Non indignum eſt, quod narretur id, quod ei per id temporis acciderat. Nonnullæ ſimultates inter Syfridum Epiſcopũ atq; ciuitatem interceſſerant, & Hermannus pro iuribus ciuitatis animoſum decertabat. Id cum quidam Canonicorum deprehendiſſent magno odio in eum exarſerunt. Erant duo inter illos, qui ferum leonem Epiſcopi nomine alebant & domi ſuæ conſeruabant. Illi ſeſe amicos Conſulis ſimulantes incautum virum ad conuiuium inuitarũt: cum autem ille comparuiſſet, atque nihil huiuſmodi cogitaſſet ſtatim eum ad famelicum leonem introduxerunt, atque clauſo oſtio ibidem reliquerunt, mox etiam gratulabundi ad aliquos ſuorum profecti, quid feciſſent aperuerunt. Verum Hermanus ſuum periculum intelligens ſubito pallium ſiniſtra manu circumuoluens accurrẽtem leonem excepit, atq; pallio ori eius immiſſo dextra crudelem feram confecit, atq; ad eum modum illæſus euaſit, ſtatim autem ſenatu ciuitatis conuocato immanitatẽ ac rem totam aperuit. Ibi ſenatores indignitate rei commoti Canonicos illos duos ad ſe vocarunt; atq; culpam confitentes, iuxta Cathedralem Eccleſiam ad trabem laqueis ſuſpenderunt. Hoc ex *Chron. German.* quorum fides admodum dubia. At in commentario Cratepolii, qui de Archiepiſcopis Colonienſibus eſt hoc modo legitur pari errore.

Sub Henrico Epiſcopo fuit Coloniæ quidam inſignis ciuis Euerhardus Gryn quem duo Canonici Summi templi ad conuiuium inuitarũt. Accedit vir doli prorſus ignarus, & deducitur in cubiculum, vbi erat famelicus leo. Accurrit ſtatim, vt hominem deuoret; ille vt videt periculum in mora, arrepto pugione, & circumuoluto ad brachium pallio aggreditur leonem & interfecit. Cum porro inimicitiæ inter ciues & Archiepiſcopum exercerentur, cogitauerant in gratiam Principis conſulem hunc è medio auferre, curauit ille ambos interfeci. &c. At nonniſi maleuolorum calumniis aperta relatio & diſcordiarum velut ſeminarium Senatum inter Principes ab pacis turbatoribus ſparſum.

Cenſura hiſtoriæ Matenſyna.

Ego vero illius ſententiæ ſum ſicarios Conſulis homines flagitioſos fuiſſe, qui forſan priuatis odiis in eius felicitatem ferebantur, nequaquam aũt ex Clero. Quandoquidem Schaffnaburgenſis refert arreptum quendam de turba ſuper portam vrbis ad ignominiam ſuſpenſum fuiſſe, magis furori populari ſatisfacientes, quam quod crimen vllum inuenirent in eo ſuſpendio dignum. At vt doctiſſimus Broelmannus & reuera Polyſyſtor refert, in ætatis calculo multum diſcedit, vtpote qui annum 1073. id factum eſſe Coloniæ ſcribat. Et tametſi Munſter lib. 3. Germaniæ & ex eodem Panthaleon id habeat, aliique, in hoc fundamento tamen laborant, quod ex chronico vernaculo illud deſumpſerint, flammis his Coloniæ ex S.C. publicis damnato. Fuerunt nulli hæretici atque in modum religionis noſtræ & clericorum talia commenti ſunt. Neque etiam quod ex porta ſupplicii loco argumentum ſumptũ eſt, ſubſiſtere poteſt; quaſi altum ibidem Eccleſiaſtici acti eſſent, cum irrefragabiliter Broelmannus euincat centum & amplius annis portam illam clericorum ante facinoris admiſſi enormitatem vocatam fuiſſe, quod etiamnum hodie continuatur, alias in ſuis horæ ſubceſiuis ab gentilium vſu, eam portam veneris Papæ dictam ex aliorum refert ſententia. Vt vt eſt, hoc immortalitati conſecratum in veritate manet, illum velut alterum Sampſonem, aut illũ in fabulis Herculem confeciſſe raro fortitudinis exemplo Leonem in eius necem ab ſceleſtis fame vexatum, quod rei geſtæ in monumentum lapides antiqui picturæq; peruetuſtæ, & pugio aſſeruatus in Curia indubitate aſtruere.

Quamquam illa verior hiſtoria ſit de Friderico Aldenburgenſi Comite Hunonis Comitis Vnigenito, Henrici quarti ſententia ad beſtias damnati, quod Imperatoris edictis nõ paruiſſet, ſenio annisq; grauis Comes cum Leone famelico committitur, cum filius Fridericus, cui melior vires ſanguis dabat, inſigni pietate pro patre ſpectãte Cæſare Henrico IV. arenam ingreditur, aſtuq; ingenioſo Leonem eludens capulo tenus enſem in belluæ viſceribus recondit. Quippe ruſticum ſtramine extisq; bouinis expletum effinxerant, in quem inſiliens Leo voracitati deditur, ſinque vulnerandi conficiendique poteſtatem Friderico dedit. Immortalitatem vtique tali pietate pariter ac fortitudine promeritus, patrem eximit morte, ſe ignauiæ, priſtinæque exulem fortunæ reddit.

Hamelmannus in Annal. p. 1. cap. 11 Comit. Aldenb. Annal. Reſſad. Henr. IV. alterius &c.

IESV

IESV CHRISTI
Annus 1261.

ALEXAND. PAP. IV. ANN. 7.
Michael. Palæolog. Imp.
Or. an. 2.

I. Capta Florentia à Gibellinis ſeu Manfredianis.
a Sabellicus. Platina. Ciacconius.

PAulus Iouius refert [a] hoc anno Florent. vrbem quoque florentiſſimam captam eſſe à Manfredi Regis Siciliæ exercitu, eaque expugnata Abbatem Vallis vmbroſę occiſum, & Florentinos Senenſeſque in verba Manfredi iurare compulſos. Vbi illæ duæ factiones, Guelpha nimirum & Gibellina atrocibus odiis & ciuilib. inter ſe dimicarunt. Hæc vrbis inuaſio & expugnatio, mire Alexandrum Pontificem affecit adeo quidem, vt mortem eius præcipitauerit, nam 8. Kal. Iunii Pontificatus anno 7. Pont. Opt. & Orthodoxæ fidei cuſtos ac defenſor acerrimus diem clauſit. Librum Guilielmi *de S. Amore* contra Mendicantium ordines in plena curia exuſſit; qui paupertatem & religioſam mendicitatem in Pauperib. de Lugduno ab Eccleſia damnatas non eſſe per pauperes & Mendicantes reuocandas impie diuulgarat, & 4 menſibus ante mortem Inquiſitoribus fidei Decretum ſuper Hæreticis tranſmiſit, vt ſerio in eos compliceſque eorum inquireret.

II. Vrbanus IV. eligitur.
b Ciacconius in Vrbano IV. Plat. Æmil. Genebrar.

Alexandro mortuo veteris dignitatis ambitioſi Romani Senatorem Vrbis ſeu Prætorem, quod ſe ſolutum imperio Pontificis aſſereret Romæ crearunt, quo poſtmodũ deiecto per ipſoſmet Cardinales Viterbii ad [b] 4. Kalend. Septemb. eligunt Vrbanum IV. dictum Iacobum Pantaleonem, Patriarcham Hieroſolymitanum. Qui cum in Tricaſſibus loco humili eſſet natus patre ſutore veteramentario & Iuris prudentiæ ac Theologiæ ſcientiis cum primis excultus, cum aua morum nitela primum Tricaſſinus Canonicus, dein Laudunenſis Archidiaconus, & poſt Verdunenſis Epiſcopus, atque Alexandri IV. in Pomerania, Pruſſia, Liuonia, vniuerſaque Germania legatus ac tãdem Hieroſolymitanus Patriarcha per omnes virtutum gradus ad ſummum Pontificatum Catholicæ Eccleſiæ emerſit. [c] Itaq; primum data ad S. Ludouicum & Rhemenſem Archiepiſcopum & ſuffraganeos eius encylica, alioſque Eccleſia Principes, eos Aſſumptionis ſuæ commonefecit. Patriarcham Hieroſolymitanũ ſibi ſubſtituit & reddit is Eccleſiæ Ptolemaidos illi aſſignauit, quoad vſq; Hieroſolyma à Saracenis extorqueretur. [d] Italiam quoq; componere curæ fuit, in qua Manfredus Tyrannus Hetruriam pene totam iam acquiſiuerat, & miſſis exercitib. præſertim Saracenis patrimonium B. Petri expilari ſibiq; ſubiugare propoſuerat; Præerant illis Guido Nouellus & alii, qui flocci pendentes anathema, omnia ſtupris, incendiis cædibusq; commiſcebant. Quare ab S. Ludouico & Iac. Aragonio Regib. auxilia Crucesignatorũ aduerſus Manfredi tyrannidem efflagitat, & hunc ab execrabili Manfredi toties diris deuoti affinitate dehortatur. [e] In Hiſpaniis vt aduerſus duos Reges Mauros Aragonii beneficiarios, rebellantes, & Africana Marocchi Regis auxilia aduocantes irent, Iacobus, aliique Regis Chriſtiani monuit, quorum odia ciuilia vt efferunt, id Alfonſus Caſtellę Rex multa oppida arceſque perdiderit ab Saracenis euerſa.

c Ep. Viterb. Non. Iun.
d Blond. decad. 2. lib. 8.
Marian. lib. 5. c. 15.

III. Miſcellanea.
f Gregor. li. 3.
g Æmilius. Polydor. lib. 6.
h Carol. Sig. lib. 3 de Epiſc. Bonon.

Ex ordine Prædd. B. Bernardus Cantius Toloſanus, & B. Romeus Liuianus Catalanus emicant, diemque claudunt. [f] Exercitus Michaelis Palæolog. Imperatoris Orientis à Theſſaliæ deſpota profligatur; at vero inter hos pace conſtituta firmataque connubio Palæologus impie Ducã pupillum, cuius & Imperii à Theodoro patre curator fide bona inſtitutus erat, exoculat. [g] Anglia inteſtinis odiis laborabat: Dum enim Henricus leges in quas iurauerat, & proceres interiurando adegerat, antiquare niteretur, arma ſuorum in ſe conuertit. Res tamen à Franco Rege compoſita anno 1263. [h] Ordo nouus militum Sanctæ Mariæ, coniugati enim erant, Bononiæ ab Octauiano Vbaldino Epiſcopo admittitur, & quia domi ſuæ manebant FF. Gaudentes vocati ſunt. B. Bonfilius vnus ex ſeptem conditorum ordinis ſeruorum non ſine miraculorũ gloria obit.

IV. Inſigne mortificationis exemplum in Comite Holſatiæ.
Kranzius.

Kranzius ſcribit hoc anno, mortuum eſſe Adolphum Comitem Holſatiæ, de quo rem miram refert: Adolphus Comes Holſatiæ, inquit, ingreſſus eſt ordinem Minorum Hamburgi die ſancti Hippolyti & poſtea erexit monaſterium ſui Ordinis in Oppido Kyl, vbi cum operarii non haberent opus per æſtum inter laborandum reficerentur, lac oſtiatim emendicauit; cumque aliquando filios ſuos Iohannem & Gerhardum inter quos Holſatiam diuiſerat, obuius habuiſſet, ſublimes in equis more Comitum vectos, paſſus eſt humanitus aliquid, vt rubore cæperit perfundi. Sed mox robur mentis aduocans, cum adhuc in cõſpectu eſſent filii, hydriam lacte plenam & leuatam ſuper caput euertit, & ſeſe totum à vertice lacte perfundẽs dixit: Infelix erubuiſti Chriſti pauperiem, baiulare lac in manibus, nunc vel in capite oſtende quid portaueris.

IESV CHRISTI
Annus 1262.

VRBANI PAP. IV. ANN. 1.
Mich. Palæolog. Imp. Orient.
ann. 3.

I. Manfredus excommunicatur.
a Innocent. in Annal. Blondus & Ciacconius. Plat.

MAnfredum crudeliora indies & atrociora in Eccleſiam eiuſque clauium contemptum audentem add. 7. Aprilis, quo die feſtus quoque dies Cænæ Dominicæ celebrabatur, anathemate percutit, ni de illatis damnis ac vaſtitatib. deſignatis ſatisdaret. Crucis militiam aduerſus illum prædicat, ad quam cum multa millia conuolarent, variiq; confluerent principes Tyranni exercitus cæſus eſt, & vſurpatis Italiæ dominiis exutus. Nihilominus non deſtitit Vrbanus eundẽ Romam ad cauſam dicendam euocare & pænitentiæ ſinus aperire, ſi quo modo barbarum doloſumq; pectus exueret. Alphonſi quoq; Regis Oratorem Rodericum audiuit Regi ſuo Imperii Romani confirmationem poſtulantem. Cuius poſtulatis nõ ſatisfecit, quod in præiudicium Richardi Angli nihil meditaretur, [b] eadẽque opera Præmiſlaum Ottocarum Bohemiæ Regem ab adiuuando & ſuccollando Conradino in diſſenſione Electorum Imperio inhiante datis minacib. litteris cohibuit, ac deniq; hæreticos factionib. Manfredi & Conradini inſolentium eualeſcentes inſigni cõſtitutione ordinata a [c] FF. Prædicatores per Lombardiam & Marchiam Ianuenſem, hæreticæ prauitatis inquiſitores, retudit. Quos inſuper hoc priuilegio exornauit, ne à quoquam anathemate, ſuſpenſione aut interdicto notari poſſent, etſi notarentur penes Priorem facultas notatos exſoluendi eſſet 2. *Non. Aug. apud Mont. Flaſc.*

b Ep. 91. Viterbii. Kalend. Nouemb.
c 11. Kal. April. a Viterbii.

II. Miſcellanea.
Carol. Sig. de Epiſc. Bonon. Annery in Epiſc. Aug.

In cælum abeunt hoc anno B. F. Ferdinandus Vlyſſiponenſis ex inſtituto D. Dominici, & B. Pontius Hiſpanus, qui Cataloniæ à Gregorio IX datus Cenſor fidei, ab hæreticis zelum eius non ferentibus veneno extinctus eſt. Bononienſis agri inuſitata ſiccitate vrebantur, nullaque pluuia deſluebat. Octauianus Vbaldinus Epiſc. ſupplicationem indicit, qua peracta ingenti cum populi totius pietate copioſi imbres deciderunt. Sybuthum Auguſtanum Epiſcopum, Hartmannus vltimus Comitum Kiburgenſium excepit, egregiæ liberalitatis, vtpote qui exhauſtum prædeceſſorum profuſione Epiſcopatum paternis bonis ampliſſime dotauit. Prodigia variis oſtenſa prouinciis, cælum flammas iacere & circumquaque exardeſcere, bellorum venientium præſaga extitere. Tartaris hoc anno adhuc imperat Mango-Kan, quem Eſu-Kan ſecutus eſt. Illud mirum Regem Alfonſum, Sapientem dictum, Cæſareæ coronæ candidatum ad hoc tempus Sacrorum bibliorum volumen cum commẽtariis prolixiſſimus quater decies perlegiſſe. In Germania Magus quidam in Kreutzenach famulum decollauit, & poſt dimidiæ horæ ſpatium corpori illud reſtituit; in aere cum canibus venatum ibat, Armatum hominem currus fœno & lignis onuſtos deuoraſſe præſtigioſe videbatur.

Chronic. Spanheim.

IESV

IESV CHRISTI Annus 1263.

VRBANI PAP. IV. ANN. 2. Mich. Palæolog. Imp. Orient. ann. 4.

I. Richardus Rex coronatur Aquiſgrani. *Surita lib. 2. & Vrban. ep. 212. apud vrbem vet. 6. Kal. Apr.*

RIchardus Anglus Cornubiæ Comes Aquiſgrani à Conrado Colonienſi Archiepiſcopo coronatur & inungitur, nequidquam Archiepiſcopo Treuirēſi Saxoniç Duce & Boemiæ Rege, Alphonſum Caſtellæ Regem eligentibus. Quare ne ſchiſma in Imperio oriretur, vtrunq; Regem ad concordiam reducere nititur Vrbanus, & inſigni Breui edito ſtatum Romani Imperii & electionē Regis Romani exquiſite deſcribit, rogans illos hortansq; vt ſe iudicio Sedis Apoſtol. ſubmittant, vtpote ad cuius Pontificem diſpoſitio Imperii iure merito pertineret, reuocatis primis Electorum incunabulis, & iure eligendi Cæſarem ad Ottonem III. & Gregorium V. non vero Gregorium decimum, & Fridericum II. poſt cuius mortem Auentinus erronee inſtitutos eſſe aſſeuerat, vt hoc diploma dedit Richardo, cuius ipſe partes ſequebatur, perinde ſimile dedit Alphonſo & vtrique Regium nomen, titulumque ferendi poteſtatem ex Cardinalium decreto dedit. *Ep. 213. & 220.*

II. Regnum Siciliæ Carolo S. Ludouici fratre offertur. *Boſius lib. 10. ep. 250. Æmil.*

Cum vero maleuolorum calumniis Richardum Regem ab obedientia Sedis Apoſtol. alieniorem redditum intellexiſſet, ſcripſit ei vrbe veteri 7. Calend. Septemb. nē detractoribus fidem haberet, ſe in eius præiudiciū omnino nihil moliri. Vrbem veterē Eccleſiæ Romanæ fideliſſimam, variis ædificiis, tum publicis, tum priuatis exornat; interim Alphonſo in Hiſpaniis, Richardo in Anglia, Conradino in Germania, turbas miſcentibus; item Henrici Regis viribus in Anglia omnino extinctis, miſſis Legatis occurrit ſuccurritque Edmundus Henrici Regis Angliæ filius ad poſſeſſionē Siculi regni acceptandam non properaret, Carolo illud Sancti Ludouici Regis Galliarum fratri, Comiti Prouinciæ & Toloſæ offert, qui iſthac ætate armis & conſilio potens, pro Eccleſiæ defenſione Manfredum tyrannum Siciliæ & Neapolis regnis exueret. Verum ſub hoc Pontifice res exitum optatum non eſt ſortita.

III. Palæologus vnionem Græcæ & Lat. Eccleſiæ petit. *Niceph. Gregor. li. 4. & 5.*

In Oriente Turcæ inualeſcunt, & pene totum Orientem euaſtant, Chriſtianis ſchiſmatis fœditate laborantibus, & ciuilib. diſſidiis: nam Græci hoſtes habebant Bulgaros, & Cumanos, Veneti ipſos Græcos, & Genuenſes Venetos. Item Conſtantin⁹ Techus Bulgariæ Rex Iohannis Duçe à Michaele excæcati ſororem habens, validas copias in illum educit acieque congreſſus in Thracia vincit. Turcæ ipſos etiam Romanus, & imbelles prædiſcordiis inteſtinis fundunt & in Paphlagoniam & Pamphiliam victricibus armis irruunt. Hinc anguſtiatus Palæologus vbi Andronicum filium conſortem Imperii renuntiaſſet, ad Apoſtolicam Sedem ſupplex confugit, & vnionem vtriuſque Eccleſiæ ab Vrbano luculenter demonſtratam poſtulauit: præſertim cum Bechus Cartiophylax vir excellenti ingenio, alias Latinæ Eccleſiæ infenſiſſim⁹, reſipuiſſet, & Latinæ ſeſe Eccleſiæ adunaſſet. Extat apud *Conditorem Annalium*, reciproca Palæologi & filialis epiſtola, qua clariſſime Rom. Eccleſiam matrem ſuam agnoſcit.

IV. Miſcellanea. *Cromer. li. 9.*

Sanctus Ludouicus blaſphemos, ferro lingua perforata punit. Rutheni recidiui ad fidem ab Vrbano IV. per fratres Prædic. miſſos reducuntur; poſtquam inſigni Tartaros alioſque Eccleſiæ hoſtes reportata victoria Boleſlaus Pudic⁹ domuiſſet, qui Gentium paganarum reliquias, velut Princeps optimus CHRISTO lucrifecit. Eadem conſilia Vrbanus ad Mauros in Hiſpaniis conterendos adiecit, & apud Iacobum Regem Aragonum ad conuertendos Iudæos; quibus ſolenne miris blaſphemiis crucifixum Dominum onerare. At conſtitutione Iacobi Aragonii data Barcinone, cohibiti. Manfredus Dux & Hubertus Bellauicinus excommunicantur, & huius ſingulare exemplum videre eſt apud *Conditorem Annalium*. Mediolanenſibus rejectis duobus à populo electis dat benemeritum Ottonem Vicecomitem Delii Canonicum, Archiepiſcopū Mediolanenſem; tametſi infeſtis armis Martinus Tunianus ob fratrem neglectum ſe de Pontifice vlciſceretur. Non tamē impune, quem dicimus octauus dies Decembris abſtulit. *Rub. Hiſt. Rauen. lib. 6.* In Anglia Rege Henrico à rebellibus victo & capto, rurſum victores Principes ab Eduardo filio vincuntur, & Simon Comes Montfortius cum aliis coniuratorum Anteſignanis, ab eodem occiditur, Rex Henricus pater liberatur, & patruus, multaq; millia rebellium contrucidantur. *Polyd. lib. 18.* Crux inuenta in Scotia, per ſomnum monacho oſtenſa, miraculis coruſcauit, quam Rex Alexander monachis ſanctæ Trinitatis attribuit. *Hector Hiſt. Scot. lib. 13.* Albertus Magnus Prædicator, Epiſcopatu Ratisbonenſi abdicato, iterum Theologiam profitetur, quando clariſſimum Eccleſiæ lumen S. Thomam Aquinatem Coloniæ habuit auditorem, paulo poſt Pariſiis Doctoratus honore cum S. Bonauentura Franciſcano decoratum, ea docens ſcribensque quibus iure optimo Angelici Doctoris nomen conſequeretur.

V. Summariū geſtorum huius anni Vrbani IV. *1 Ep. 156. ap. Vrb. vet 2. Non Iul. 2. ep. 176. & 177. ibid. 12. Cal. Ian.*

Eodem anno Vrban. Papa I. Philippo Regis Galliarum S. Ludouici primogenito, ne quibuſdam promiſſis in iuuentute factis, & præſertim ea quam, vt ſub tutela matris, moriente prius patre, aduſque annum ætatis trigeſimum, ſtipulatione confirmauerat, teneretur, quod id ex Regni vtilitate fore videret, indulſit.

2. Mariæ Reginæ Hungariæ, quædam caſtra & bona à Bela Rege marito dotis nomine, annuente Stephano Rege Hungariæ donata, confirmauit: eundemque Stephanū, vt nonnullas poſſeſſiones matri Reginæ, & Agneti Duci Galiciæ ereptas reſtitueret, admonuit. Quod ſi contemneret, Veſprimienſ. Epiſc. committebat, vt cenſuram Eccleſiaſt. in contumacem Stephanum diſtringeret.

3. Ordinem Eremitarum S. Auguſtin. quem in Etruria & Piceno vigentem, Innocent. IV. Papa, Fratris Lanfranci Setaræ nobilis Mediolanenſ. Prioris Generalis rogatu, aliquot Eremitarum collegiis additis, vt Guillelmitarum, Fr. Ioannis Boni, Britinenſ. Thabalium, pœnitētiç Ieſu Chriſti amplificauerat, & anno ſalutis 1256. 5. Idus April. confirmauerat, iterum approbauit, & priuilegiis ornauit. *3. Ciacon.*

4. Baiulo regni Cypri, vt Archiepiſcopo Nicoſienſ. in exceſſibus Cleri Latini & Græci corrigendis caſtigandiſque tum aſſiſteret, tum auxilium præſtaret iniunxit. *4. epiſt. 164.*

5. Proceribus eiuſdem regni Cyprii. ne vel Genuenſib. contra Venetos pugnantibus vel Michaeli Palçologo homini vaferrimo, per diſcordias Latinorum, eorundem vires labefactare conanti adiungerent præcepit, eaq; de cauſa Legatum ad Cyprios deſtinauit. *5 epiſt. 27. & 17.*

6. Ianuenſ. primos, quod ſe monente arma contra Venetos deponere noluiſſent, & mandata Sedis Apoſtol. ne Michaeli Palæologo ſuppetias ferrent, contempſiſſent, anathemate perculit, ciuitatique eorum ſacris interdixit. *6. Epiſt. 15.*

7. Regi Gallorum calamitates terræ ſanctæ expoſuit, eumque ad ſubueniendum periclitantibus inuitauit, ſacramq; collectam vniuerſo eius regno impoſuit: vt autem eo libentius CHRISTI fideles contribuerent, ampliſſimas indulgentias, id quicquid eſt auxilii eo nomine corrogātibus impertiuit. *7. Epiſt. 65.*

8. Senēſibus ad obedientiam Romani Pontificis redire volentibus pacta & conditiones præſcripſit. *8. Epiſt. 47.*

9. Gibellinorum Florentinorum plurimos à Montfredo ad Eccl. reduces, ab anathematis vinculo exſoluit. *9. Epiſt. 71.*

10. Ad Crucis militiam, pro recuperatione terræ S. vt prædicatores populum inuitarent, conſtituit. *10. Epiſt. 72.*

11. Archiepiſc. Strigonienſi & Colonenſi, ne Cumanos non baptizatos ad ſacrum lauacrum compellerēt, ſed eos è finibus Hungariæ eiici curarent: eos vero qui ſemel baptiſmatis aqua tincti fuiſſent, & ad vomitum rediiſſent, vt ad obſeruationem fidei ſuſceptæ cogerent, neue alios contagione apoſtatarum inficiі tolerarent, præcepit. *11. Epiſt. 117.*

12. Inſulam Marthanam, ab Ioanne Caſtello vici regulo vrbis præfecto, quam is duodecim annis occupauerat, recuperauit.

IESV CHRISTI Annus 1264.

VRBANI PAP. IV. ANN. 3. Mich. Palæolog. Imp. Orient. ann. 5.

I. Orientalem eccleſ. cum occidentali unit Vrbanus.

INchoatam ſuperiore anno vtriusq; Eccleſiæ vnionem Vrbanus IV. miſſis ad Apocryſiarios ſuos, tam Prædicatores, quam Franciſcanos duobus Epiſcopis, videlicet Gerardo de Prada, & Reinerio de Seruis, feliciter perficit, datis literis Palæologo Regi apud vrbem vet. 10. Kal. Iunii. Pari ardore quoq; ſolenniſſimam feſtiuitatē ſanctiſſ. Corporis Chriſti ad feriam 5. poſt Octauas Pentecoſtes; inſtituit. Præter *Platinam*, *Onuphrium & Ciacconium*, conſule *Molanum in natalibus SS. Belgii*, & eruditiſſimum *Serrarium in Litaneutico*; & eodem in ſtadio luctatorem validiſſimū Gretſerum, & quæ ad ann. 30. ſæculi huius, & 57. de virgine Iuliana diximus. Conſtitutio Vrbani IV. ſic incipit: *Tranſiturus*, &c. Officium S. Thomas Angelicus Doctor pro ea feſtiuitate melliſluum ſane, melliſluus ſcripſit. Germaniam factionibus duorum Regum diuiſam componere nititur duobus Regibus Richardo & Alphonſo Romā ad ſententiam audiendam Sedis Apoſt. euocatis. Angliæ Regem & Proceres mandato Legati Apoſtolici acquieſcentes S. Ludouico Regi componendos tranſmiſit, vt ex litteris Vrbani ad Ludouicum datis apparet: Vrbes Manfredo adhærentes, & fœderatas diſſociat.

Onuphrius. Feſtum Corporis Chriſti inſtituitur. *Clement. tit. 16. de reliq.* 55.

II. In Aragonia ciuiles motus cōpoliti. *Cromerus lib. 9. Mariana lib. 13. c. 15*

In Aragonia ciuilibus motibus ſeceſſiones factæ, pars Regem Iacobum, pars filium Sanctium cum Proceribus ſequentes, Sanctorum patrociniis vocatis ab tumultuantibus ad concordiam proceſſum. Ruſſi hoc anno precibus S. Boleslai & Kunegundis coniugū à Polonis cæſi SS. Geruaſius & Protaſius Martyres, in acie pro Chriſtianis viſi ſunt, quanquam D. Kunegundi aſtitiſſe, & futurum belli euentum prædixiſſe, alii referant. Nam dies natalis eorum tum in Eccleſia celebrabatur. Obiit quoque Salomea Halicienſis Regina, Boleslai Pudici ſoror, & miraculis in ſudatione olei infirmos curantis, celebris. Florent in Eccleſia & familia Dominicanorū S. Thomas, & B Fr. Ambroſius Sanſedonius, Senis Hetruriæ natus eiſdem cum D. Thoma tempore, anno, & nocte; nimirū ad annum Milleſimum duceteſimum vigeſimum, 16. Aprilis, quo & B. Iacobus eiuſdem commilitii tempore lucem vidit. Viſæ ſunt illis naſcentibus tres Lunæ, habitum Prædicatorum; & hoſce viros repræſentantes.

Leander li. 5.

Monach. Paduan. Chron. lib. 3.

Moritur quoq; hoc anno Azo Aſtenſis Marchio, Princeps laudatiſſimus, gemina Beatrice ſtipatus veſtalib. virginibus, quarum altera erat ſoror, altera filia.

Notata hoc anno ab Aſtronomis noua ſtella pulchra & & magna in ortu ſolis prope Lunam; quæ magno impetu progreſſa à Luna verſus Orientem ad medietatem hemiſpærii, relinquens poſt ſe comam albam, tandem euanuit. Sultanus Ægypti ſolutus metu Tartarorum in Syria, nūc Palæſtinam infeſtare cœpit, & neceſſitatem Vrbano IV. nouæ expeditionis in Palæſtinam ſuſcipiendæ, iniecit.

III. Summariū geſtorum Vrbani hoc anno. *1. ep. 104. ibid. 15. Cal. Septemb. 2. ep. 111. ib. 5 Cal. Febr. & epiſt. 112. 4. Non. Feb.*

Eodem anno Vrbanus Pontifex, 1. Reginæ Franciæ, Alphonſo Comiti Pictauiæ, eiuſque vxori, vt Prædicatorum aliquis, coram eis diuino concionatoris munere defungens, certas indulgentias elargiri poſſet, indulſit.

2. Belæ Regi Hungariæ, vt cum Tartaris vinculum affinitatis non contraheret, ſed ab eorum conſortio velut deteſtabili abhorreret: vtq; cum Stephano Rege Hungariæ, primogenito ſuo, pacem conſeruaret, grauioribus verbis præcepit, inque eandem rem Archiepiſcopis, Epiſcopis & Prælatis Hungariæ ſcripſit, qui à profana affinitate Belam dehortarentur, & concordiam inter patrem & filium ſtabilirent.

3. epiſt. 178.

3. Belæ Duci Slauoniæ, Nitriam & Poſoniam à Bela patre Rege Hungariæ in poſſeſſionem datas, confirmauit.

4. epiſt. 190. apud Vrbem vet. Id. Iul.

4. Agneti relictæ Ducis Haliciæ ac Maſouiæ, filiæ Regis Hungariæ, ac filiis eiuſdem Agnetis Michaeli & Belæ, omnia bona quæ Ladislao duci eius marito Bela ſocer cōceſſerat, in Hungaria approbauit.

5. Henrico Regi Daniæ & matri ipſius, aduerſus quos Archiepiſcopus Londenſis & Epiſcopus Roſchildenſis publicas exercebant inimicitias, ne iis gliſcentibus, vel anathemate, vel interdicto ſubiici poſſent, conceſſit. *5. ep. 24. ib. 4. Non. Ian.*

6. Prouinciali Hungariæ Ordinis Prædicatorum, vt Epiſcopos & Prȩlatos ad pacem inter Belam patrem, & Stephanum filium, Reges Hungariæ conſeruandam induceret, admonuit. *6. 17. Cal. Auguſt.*

7. Amelienſi Eccleſiæ, Fr. Bartholomæum Beneuentanum: Tranenſi Fratrem Iacobum Lectorem in Vrbe veteri: Alatrinæ Fratrem Creſcentium de Cauis, Gabulenſi Fratrem Gualtherum Calabrum Ordinis Prædicatorum aliis autem alios Epiſcopos præfecit. *7. epiſt. 111. & 210. & 11.*

8. Ne clerici ad forum ſeculare vllo vnquam traherentur, conſtituit. *8. epiſt. 227.*

9. Pacem inter ciues Romanos, reſtituit: Romanæ vrbis ſtatum reformauit: æs alienum quod Romana Eccleſia propter defenſionem iurium ac bonorum ſuorum cōtraxerat, Florentinis & Senenſibus diſſoluit: terras ac iura Eccleſiæ à Raynaldo Rubeo occupatas, Trebarum, Ferentini, Chelæ, & Vallis Petri, Caſtrum Marcham à Petro Vico, inſulam Marchanam à Iacobo Bicquo, inſulam Vrbanam, quæ Bezantina ſolebat dici ab eodem, Caſtrum Valētarium à Pandulpho Viterbienſi, terram Arnulphorum à Spoletanis recuperauit: Theutonicos milites ex patrimonio S. Petri Sutrinorū & Pandulphi Comitis Anguillariæ ope profligauit: Petrum de Vico & Perciuallum Manfredianos repreſſit: Regem Angliæ cum Procerib. pacificauit: Eccleſiam S. Vrbani Trecis erexit: Baſilicam Lateranenſem reſtaurauit: Caſtrum Proculi, Aquam pendētem, Arſi, Mirādam, ac Bledam à Præfecto vrbis Petro Eccleſiæ relictam, & à Petro Vico, iniuſte detentam, iure ſibi deberi probauit. *9. Theoder. Vrieus in Vita Vrbani.*

10. Archiepiſcopo Nidrocenſi in Noruegiæ regno, reliquis autem Archiepiſcopis & Epiſcopis in aliis Regnis & prouinciis prædicationem Crucis pro recuperatione terræ ſanctæ, piasque collectas impoſuit. *10. epiſt. 10.*

11. Legatum in Sardiniam & Corſicam pro conſeruandis indidem iuribus & cēnſu Eccleſiæ deſtinauit, eique vt etiam circa primam horam noctis, ſi alias per occupationes grauiſſimas non liceret, Sacrificium Miſſæ poſſet coram ſe celebrari iubere, indulſit. *11. epiſt. 10.*

12. Epiſcopo Atrebatēſi, vt in vniuerſitatem villæ Sancti Richerii, quæ reliquias quaſdam præſumpſerat fingere, & religionem Chriſtianam deriſui exponere nihil penſi duxerat, adnimaduerteret, præcepit *12. epiſt. 66.*

13. Thomæ Lentino ex Ordine Diui Dominici Patriarchæ Hieroſolimitano, vt deferentes prohibita Saracenis anathemate percelleret: vtque vnà cum ſuis ſuffraganeis feſtiuitatem Corporis Chriſti celebraret, atque pacem inter Crucesignatos nec non reliquos Chriſtianorum in Syria procuraret, commiſit. *13. epiſt. 120. 121. & 122.*

14. Temerariam Capituli Rhemenſis contra quoſdam Cardinales ſententiam abrogauit, temeritatemq; illorum qui promulgauerant, caſtigauit. *14. epiſt. 14.*

15. Auxumanis dignitatem Epiſcopalem reſtituit: & alia quam plura in vtilitatem totius Eccleſiæ conſtituit. *15. epiſt. 31.*

Tandem ætate & morbis confectus, ab Vrbe veteri Peruſium delatus in Eccleſia S. Petri deuote ſuſceptis Eccleſiæ Sacramentis, VI. Nonas Octob. diem clauſit extremum, verus Paſtor Vrbis & Orbis. Corpus illius Peruſii in Eccleſia Cathedrali S. Laurentii ſepultum eſt. Eius obitum portendere viſus eſt Cometes, qui die Dominico VI. Calend. Auguſti, in 11 gradu Leonis apparuit, & tum in Italia, tum in Galliis, tum apud Ptolemaidem, multos aſpectu ſuo perterruit. *Vrbani IV. obitus.*

IESV CHRISTI
Annus 1265.

CLEMENT. PAP. IV. ANN. 1.
Mich. Palæolog. Imp. Orient. ann. 6.

I. Electio Clementis IV. *Ex ep. 1. Clement. IV. ann. 1. ... in Lud. 9. Concessione in Clem. 4. &c.*

Regn. Sicil. & Neap. datur Carolo S. Lud. fratri.

AD trimeſtre vacante ſede, tandem omnium ſuffragiis Guido Falcodius Narbonenſ. Gallus, Epiſcopus Sabinenſis, in Anglia per id temporis ſedis Apoſtol. Legatus, Peruſii Nonis Februarii, abſens ad Pontificatum euectus eſt, ob ſanctitatem doctrináque tali faſtigio decoratus; nullus ſuorum conſanguineorum promotor, quos intra modeſtæ vitæ orbitam pro ratione ſtatus & ſanguinis continuit, & tenui dote filias donauit. (Fuerat enim coniugatus priusquam ſacris initiaretur.) Peruſium Mendicantis habitum indutus ſcribitur veniſſe, ſiue vt inſidias Manfredianas & Gibellinorum effugeret, ſiue etiam vt ſanctitatem vitæ viliore veſtitu oſtenderet. Miſſa vero ad omnes ſuæ aſſumptionis encyclica, Carolo Andegauenſium Duci S. Ludouici fratri Siciliæ & Neapolis Regna infeudat, certis conditionibus, quarum 25. *Ioannes Antonius Summontius Neapolitanus*, rerum Neapolitanarum ſcriptor recenſet, illique per Bartholomæum Simonem tituli S. Ceciliæ Cardin. Legatum & Pignatellum Archiepiſc. Amalphitanum in Gallias miſſos, proponit. Quas omnes Carolus hortatu S. Ludouici fratris acceptat, & in verba Pontificis iurat. Quare 30. triremibus Maſſilia cum vxore ſoluens Romam peruenit in profeſto Pentecoſtes, & à Purpuratis Patribus Clementis 10. Papæ Legatis Rex Siciliæ & Neapolis in æde Lateranenſi cum coniuge renunciatur, Senatorque vrbis Romanæ ad diem SS. Apoſtolorum Petri & Pauli creatur, & Coronationem ipſius ad feſtum Epiphaniæ per 5. Cardinales faciendam anni ſequentis iuſtis de cauſis Clemens reiecerat.

Interim pugnæ auidiſſimus Carolus, Manfredum eiusque copias inuadere captabat. At Pontifex conſiderata militum Caroli paucitate, ab incepto Carolum dehortatur, quo ad iuſtum exercitum ex Galliis accepiſſet, qui circa vltimos dies Septembr. Philippo Montfortio Duce alpibus ſuperatis, Parmam, & tandem per Æmiliam & Marchiam Anconitanam ſubactis omnibus viarum impedimentis, ab Vberto Pellauicino & Manfredo Tarrentino (qui 9000 Saracenorum, & aliquot turmas Germanorum & Gibellinorum inter anguſtias itinerum obiecerat) diſpoſitis, ad finem Decemb. Romam aduenit. In quas vero furias Manfredus hac coronatione actus fuerit, & quas Pontifici contumeliarum minarumque plenas literas dederit, cuiuis examinandum relinquo, cui nihil antiquius fuit, quam illius impotentiam & imprudentiam clypeo manſuetudinis diſſipare, vtpote qui ſciret Carolum breui omnes eas iniurias Eccleſiæ & Rom. Pontificibus irrogatas vlturum. Cæterum cum pecuniæ Carolo in belli Siculi ſubſidium numeratæ à Clement. IV. non ſufficerent, decimam omnibus Eccleſiis per Gallias impoſuit, Regemque S. Ludouicum vt eam exigi pateretur, obſecrauit, quo piam Crucis militiam, contra Manfredum prædicatam, Carolus commodius proſequi poſſet & conficere.

Epiſt. 14. ... epiſt. 43. ... Cal. Aug.

II. Miſcellanea. *Mariana. li. 13. c. 2. & 3.*

Res Caſtellanæ in Hiſpania, bono ſatis loco nunc erant, nam ab anno 1240. Murciæ Regnum in fidem acceptum erat ſub Ferdinando; qui anno 1243. Granatæ inſuper Regem in amicitiam receperat, ex pacto, vt Granatæ vectigalia æquis partibus inter duos Reges diuiderentur: deinde ſub annum 1248. Hiſpali potitus eſt Ferdinandus: ſucceſſerunt Alfonſi initia, & res geſtæ euétuum varietate illuſtres, ab anno, vt aliqui notant, 1252. demum circa annum 1253. Mauricum bellum renouatum eſt (Morinorum in Africa nouo conſtituto Imperio,) dum Murciæ & Granatæ Reges, Alfonſi Beneficiarii rebellát, Maurorumque ingentem exercitum in Hiſpaniam aduocant. Alfonſum hoc anno inſignem reportaſſe victoriam, *habent Montifort. & aliorum Francorum Chronica* : Sane certatum acriter eſt ſupra biennium: tandem tamen Murciæ & Granatæ Reges, ad priora Caſtellani iura redire, durioribus pacis conditionibus coacti ſunt. Moriuntur hoc anno B. Ægidius Poncellanus, item B. Albertus Sabaudius, & B. Gualtherus iunior, Ord. Præd. inſignes columnæ Floret. quoque Herthinodus Gothus, Ord. Auguſt. qui id à Deo petiit, vt ſibi liceret Chriſtum Ieſum qualis in cruce cum penderet, fuiſſet, videre; quo obtento, tanto amore eius exarſit, vt anima præ compaſſionis magnitudine vulnerata putaretur: deinde quam gloriam B. Virgo in Aſſumptione ſua in cælum ſenſiſſet, ſibi experiri liceret, eoque cælitus ſenſu dato, prioris poſtulati compaſſionem, & lachrymas temperauit. Alexander Rex Scotiæ Eccleſias vexans & Epiſcopum S. Andreæ ob excommunicationem illatam exilio mulctans, tandem reſipuit, damnaq; data reparauit. Dantes Algerius Poeta Florentinus, naſcitur Florentiæ. Odofredus Beneuentanus I. C. qui Commentarios ad Cod. & Pand. ſcripſit, & præterea de Formulis Actionum, de Ordine Iudiciorum, & de Arte Notariatus ſcripta edidit, moritur Bononiæ 3. Decemb.

Chron. Fratrum. *Mariana lib. 13. c. 13. Leand. lib. ...* *Inſeph. Papb. epiſc. Signin. in chron. Fr. Leander. Heli Hiſt. Scot. lib. 13.*

III. Summarium Geſtorum Clementis IV. hoc anno. *1. ep. 91. ... Id. Iun.*

Eodem anno Clemens Pontifex. 1. Guidonem tituli Sancti Laurentii in Lucina Cardinalem Legatum ad Reges Daniæ & Succiæ, & ad Prouincias Bremenſem, Magdeburgenſem, Saltzburgenſem, & Gneſnēſem miſit qui ſuppetias Crucigeris contra Lituanos, & Liuones Paganos impetraret.

2. ep. ... Cal. Mar.

2. Theobaldi Regis Nauarræ: Fratri Henrico vt in quarto gradu aliquam ſibi propinquam, exceptis filiabus Simonis Montfortii, poſſet copulare, indulſit.

3. ep. 1. ... Cal. Mar. ... Aſſiſi. Non. Sep.

3. Iacobo Aragonum Regi, vt in eliberando Veronenſi electo à Manfredi Partiariis intercepto, & in carceribus Manfredi hucuſque detento operam ſuam interponeret, impoſuit, & poſtquam is Berengario Vicenſi Archidiacono poſtulatis illius feciſſet ſatis, grates ei exhibuit.

4. ep. 118. & 119. Peruſ. ... Cal. Octob.

4. Petrum primogenitum & Iacobum eius Fratrem, filios Regis Aragonum, ad perſequendos Saracenos Hiſpaniæ, & ad dilatandam fidem CHRISTI hortatus eſt.

5. ep. 14. ... Sep. & ep. 40. ... Mart.

5. Eduardum primogenitum Regis Angliæ, & Sanctū Ludouicum Regem Galliarum, ad ferenda auxilia Regi Anglo, & ad reprimendas Eccleſiaſticorum & totius Regni Angliæ oppreſſiones admonuit, ſubſidiaque opportuna voluiſſe ſubmittere in ſe recepit.

6. epiſt. 18.

6. Dignitatem Epiſcopalem Fulginatenſi ciuitati reſe ſtituit.

7. ep. 13. 8. ep. 221.

7. Legatum in Regnum Siciliæ deſtinauit. 8. Collationem Eccleſiarum, Perſonatuum dignitatum, & beneficiorum in Regno Siciliæ vacantium ſibi & Sedi Apoſtolicæ reſeruauit.

9. epiſt. 60.

9. Eccleſiæ Roſſanenſi in Calabria Archiepiſcopum Græcum præfecit, conſuetudinemque illius Eccleſiæ, in eo præficiendo immutare detrectauit. 10. Inquiſitoribus Ordinis Prædicatorum ac Minorum, ne in cauſis fidei à ſuis ſuperioribus impediri poſſent ſpeciali priuilegio conceſſit: iiſdemque vt Poteſtates, Rectores Conſules, Capitaneos. Antianos, & Communitates ad exequéda negotia fidei per cēſuras Eccleſiaſticas valeant compellere, cōmiſit: nec non priuilegia ac conſtitutiones Friderici Secūdi olim Imperatoris contra hæreticos ab aliis prædeceſſoribus ſuis approbata confirmauit. 11. Inſuper etiā ſuperioribus Ordinis Minorum, & Prædicatorum Inquiſitores in Italiæ q̄ plurimis ciuitatib. inſtituédi poteſtatē fecit.

10. Dec. ... Inquiſit. ... & Peruſ. ... Cal. Feb. & 2. Cal. Nou. *11. Peruſ. ... Cal. Octob.*

IESV CHRISTI
Annus 1266.

CLEMENT. PAP. IV. ANN. 2.
Michael. Palæolog. Imp. Or. an. 7.

I. Coronatio Caroli

HOc anno ad feſtum Epiphaniæ Carolus Andegauenſis à Clemente Pontifice in Regē Siciliæ & Neapolis

renun-

festo Epiphaniæ.

renunciatus, coram quinque Cardinalibus, priuſquam coronaretur, iuramentum octo capitib. diſtinctum Sedi Apoſt. Romanæq; Eccleſiæ præſtat. Quo peracto cum coniuge eadem ſolemnitate coronatur, inungitur & conſecratur, præſente Henrico Regis Caſtellæ Alphonſi fratre, quem Senatorem vrbi Clemens præfecerat. Qui veteratorie doloſeq; cum Clemente, ob Alfonſum fratrem & ſeipſum neglectos in feudo Siciliæ & Imperii diademate, egit, & pro Alfonſo Conradini Manfrediq; amicitiam ambit, belliique ſocium ſeſe eiſdem contra Pontificem adiungit. Quem tamen Pontifex Sardiniæ & Corſicæ Regem etiam patrimonia D. Petri inſtituere voluit, vt ab inuaſoribus Piſanis, ea vindicaret.

II. Victoria Caroli de Manfredo.

Legati Manfredi Tarentini ad Carolum miſſi, pacem petunt, qua à Carolo Rege negata in arma vtrimq; ruunt, & Carolus Manfredum Friderici II. Imper. filium, prid. Kalend. Martias, prælio ad Beneuentum commiſſo, interemit, & regnum vtrumque occupauit. Mandatum eſt autem, vt quadraginta mille aureos nouus Rex penderet quotannis Rom. Eccleſiæ, atque ab Imperii nomine abſtineret, aliaque quæ apud *Conditorem Annal.* legere poteris epitaphium eius eſt tale:

Ricardanus in Florentin. hiſt.

Hic iaceo Caroli Manfredus Marte ſubactus,
Cæſaris hæredi non fuit vrbe locus.
Sum patris ex odiis auſus confligere Petro
Mars dedit hic mortem, mors mihi cuncta tulit.

Idem Carolus miſſo in Tuſciam equitatu, Florentiam aliasque ciuitates, Gibellinis pulſis, Guelfis reſtituit. Opportune tunc plurimi Florentinorum Guelphæ factionis, in auxilia Carolo aduenere, ſtrenuam operam in bello cõtra Manfredum polliciti. Hos cum Pontifex Carolo commendatos eſſe iuſſiſſet, inſigni in armis & vexillis præferendo, tum ornauit, tum diſcreuit, quod fuit Aquilæ rubentis imago, cæruleum Draconem ſubiectum vnguibus prementis.

Arma familiæ Burgeſiorum.

Tale eſt familię Burgeſiorum quam feliciter ſuperſtes, SS. D. N. Paulus Quintus Pontifex maximus innocentia vitæ, clementia, benignitate, facilitate iuxta ac felicitate adminiſtrandæ Eccleſiæ, cura publicæ quietis ac pacis, & aliis virtutibus ſummo Antiſtite digniſſimis exornat, æternum de Eccleſia vniuerſa, vrbe, & orbe meritus Chriſtiano. Sed hæc, dies diei eructabit & perennitati declarabit ſeu conſecrabit.

Carolus Neapolim ingreſſus, Rodolpho Cardinali Epiſcopo Albanenſi & Archiepiſcopo Conſentino præſentibus, Sacramentum à ciuibus præſtitum recipit, ſtatim ciuitates ordinauit, titulum Regis Neapolitani ſibi adſcripſit, Neapolim Metropolim Regni Siciliæ renunciauit, Guelfæ factionis captiuos libertate donauit; Carolum filium Principem Salernitanum, & Vicarium Regni Neapolitani creauit; nobilitatem Neapolitanam populo permixtam diuiſit. Id enim Ferrarius Iuriſperitus, interroganti. *Quibus artibus imperaret:* Conſilium ſatis acutum, & ex re politica dedit: *Diuide, & regnabis.* Rebus ad eum modũ diſpoſitis Pontifici Clementi omnia perſcripſit, vtq; is ſibi ſatisfactum eſſe, literis publicis denunciaret, impetrauit. Is enim dato diplomate Viterbii Idibus Maii, Carolum Siciliæ Regem, omnes conditiones Sedi Apoſtolicæ ſpõſas expleſſe, abunde teſtatus eſt. Ne vero cuiquam in dubium, dies perſoluendi cenſus veniret, feſtiuitatem Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum ſolutioni deſignatum eſſe, Conſtitutione peculiari ſignificauit.

epiſt. 6.

ep. 14. Viter. 10. Cal. Sept.

III. *Thom. Thazel lib. 8. de rebus Sicul.* Quinam auctores victoriæ Carolinæ fuerint potiſſimum.

Authores habeo, qui Caroli victoriæ magnopere profuiſſe aſſerant, Ioannem cognomẽto Ratam Caſertæ Comitem, qui cum violatam ſibi à Manfredo vxorem cognouiſſet, eſſetque eius copiarum Dux conſtitutus, iniuriam domeſticam vlturus, cum Carolo clam conuenerat, eique intra Regni Neapolitani fines viam patefecerat.

IV. Miſcellanea.

Iacobum Aragonium retinendorum Maurorum in regno Valentino cupidum monuit, ne eiuſmodi in Regno iſto inter Chriſtanos pateretur. Sed qua poſſet celeritate eos ab iſta cohabitatione, arceret, ingentium periculorum intuitu, quæ tales Barbari Chriſtianis inferre ſolent. Præterea cum idem Rex Iattudanum Iudæum quæſturæ ſuæ præfeciſſet, ne Iudæorum fraudibus & tam ipſe quam ſubditi circumuenirentur, cauit. Iacobus vero morem Sedi Apoſt. gerens, in Mauros mouet, eoſque vincit; ac vexillo eiſdem extorto, ad Sedem Apoſt. ad Sepulchrum D. Petri è tholo ſuſpendendum mittit. Regi Angliæ bellis exhauſto domeſticis vt decimam ex omnibus fructibus Eccleſiaſticis colligere poſſet, per Legatum indulſit, quod ille Concilio Prouinciali coacto egregie præſtitit. Regem Ludouicum ad ſubſidium Terræ Sanctæ ferendum inuitat, vt Ptolemaidem ab Soldano Ægyptio fortiter obſeſſam liberaret. In Hungaria quoque Belam Regem patrem, & Stephanum filium Regem diris inter ſe odiis diſſidentes, in Inſulæ B. V. Mariæ die 9. Martii, ad pacem traductos, confirmatione aliiſque priuilegiis donauit. In humanis eſſe deſinit, hoc anno Actius quintus Princeps Ateſtinus, à Frideric. II. Imperatore poſtquam Sedem Apoſt. oppugnare cæpit, cui erat gratiſſimus, deficiens Summo Pontifici fideliſſime adhæſit. Item floret Epiſcopus Patauienſis Petrus, ex Parocho Viennenſi illi Eccleſiæ Prælatus. Michaelem Palæologum cum Manfredo eoque cæſo cum Eccleſiæ hoſtibus conſpirantem, ac Balduinum ex angulo Græciæ expellere conantem, per litteras rogat, nam ad vnitatem Eccleſiæ redire ſincere cogitet.

Surita lib. 2. ep. 213. ep. 274. Viterb. Id. Nouemb. ep. 90. 12. Kalend. Iul.

Gerard. de ... Lo... 204. Viterb. 16. Cal. Iulii

IESV CHRISTI
Annus 1267.

CLEMENT. IV. ANN. 3.
Michael. Palæolog. Imp.
Or. an. 8.

I. Mors quorundam SS. *Surius 11. Ianuar.*

OBIIT hoc anno B. Pariſius Bononienſis centum & Sexdecim annos natus, monachus ordinis Camaldulenſis, vitæ Sanctitate clariſſimus, quem excepit B. Pinamuntius primus Prior cænobii Bergomenſis. Quibus martyres adnumerare libet, milites nimirum Hieroſolymitanos, qui à Saracenis in obſidione Aſſur capti, crudeliter ſunt trucidati, & Pontificem ad accelerandam Cruceſignatorum auxilia, impulerunt. Item S. Syluestrũ Abbatem Fabriani in Piceno, triſti, emortui & à vermibus conſumpti adoleſcentis ſpectaculo ad religionem conuerſus; hoc ſibi ingerens: *En ego ſum quod hic fuit, & breui ero quod hic eſt.* Clemens VIII. In SS. numerum illum retulit.

Antonin. part. 3. tit. 15. c. 23.

II. Palæologus in formulam fidei iurat.

Palæologus non tam vnitatis Eccleſiaſticæ deſiderio, quam neceſſitate coactus, formulam fidei à Clement IV. ſcriptam & tranſmiſſam, acceptat, & coram Sedis Apoſt. apocryſiariis, vna cum Patriarcha, Epiſcopis, clero & populo, publice ex more priſco profitetur, & vt Concilium generale ſeu Oecumenicum Lugduni in Galliis inſtituendum, adire velit, exquirit. Imprimis prohibens, ne ſuper præſcripta puriſſima, certiſſima, & ſodiliſſima orthodoxæ fidei veritate, ac formula quæſtiones moueat.

III. Genuenſium res concidit. *Petr. Marcell. in Hiſt. Venet.*

Genuenſium fortuna & opes hoc anno pene corruerunt; nam prælio nauali apud Drapanum commiſſo, viginti triremes illorum captæ, reliquæ combuſtæ, ac depreſſæ ſunt. 2000. & 500. Genuenſium capti, 1200. cæſi, occaſionem præbuerunt Palæologo, vt illorum familiaritate ſpreta, cum Venetis quinquennes inducias paciſceretur, vnionem cum Eccleſia Romana ſimulate ſuſceptam prætenderet.

IV. Henrici Alfonſi fratris impietates in Eccleſ. & excommunicatio.

Henricus frater Alfonſi Regis Caſtellæ, atroci odio in Pontificem & Eccleſiam flagrans, hoc anno, ſimulatum pectus aperuit, dum Senatoriam in vrbe dignitatem à Clemente IV. acceptam, in exitium Eccleſiæ matris ſuæ gereret: Nam Conradinum ex Germania euocauit, qui Italiam cum Gibellinis & factioſis Henrici aliorumque Procerum militibus, miſerabiliter eua-

Viterb. ep. 6. 2. Non. Iun. & ep. 374. 17. Cal. Octob. & ep. 76. 15. Cal. Oct. & ep. 399. 17. Cal. Decemb. & ep. 405. 6. Cal. Decemb. & ep. 435. 19. Cal. Iun. &c.

ſtauit,& Siciliæ regnum ad extrema diduxit; tantum vt Carolum opprimeret,& ſuo numeroſiſſimo exercitu, vrbem Romanam caperet. Occurrebant tyranno & obſiſtebant duo Romani Sanguinis Principes Cardinales, Ioannes Caietanus Vrſinus, titul. S. Nicolai in carcere Tulliano, & Iacobus Sabellus, titul. S. Mariæ in Calmedin, Romanæ Maieſtatis, & dignitatis Apoſt. defenſores acerrimi. Porro cum impietatum modum non faceret Henricus, in die cœnæ Domini excõmunicatum Clemens IV. promulgat, ad cauſam dicendam euocat; poſtquam in percuſſores Syluanenſis Epiſcopi, in Tuſcia atrociſſime occiſi, ſententiam excommunicationis vibraſſet.

V. Rodol. Habſpurgenſis comes, Rex Rom. eligitur.

Hoc anno Rodolphus Habſpurgenſis Comes, veriore calculo in Regem Romanorum, Conradino in Italiam digreſſo eligitur. Docent id litteræ Clementis IV. Hoc anno datæ; quibus præiudiciale ipſi non eſſe Siciliam Carolo Andegauenſi cum dignitate Senatoria Romanæ vrbis datas eſſe, ſignificat. Cum Electores Imperii Ottocaro Boemiæ Regi Imperium detuliſſent, contempſit eos Ottocarus, exiſtimans maioris dignitatis eſſe Regem Boemiæ, quam Regem Romanorum aut Imperatorem ſalutari.

VI. *Lipſius in monit.* Rudolphi pietas imperium meruit ergà ſanctiſſimã eucharistiã.

Meruit ſane pietas Rudolphi, quam adhuc priuatus oſtenderat. Dignum eſt facinus quod in exemplum narretur. Venatum forte, vt nobilitas ſolet, cum paucis in equo exiuerat. Pluuius dies erat, & viæ fractæ & ſordentes, ecce occurrit ſacerdos, venerabilem & myſticam hoſtiam, extremum ſolatium, ægro laturus: & occurrit pedes. Is aſpectus pium pectus perculit: nec ſine indignatiuncula aliqua equo deſiliit: &, *Me vehi, te qui ſeruatorem meum portas, pedibus incedere? Indecorum, vel impium ſit, conſcende, & equum hunc cape.* Iuſſio non preces erant, paruit ille, & iſte capite reuelato, humilis ſequutus eſt, ad ipſas ædes ægri deduxit, ab iis eodem habitu reduxit. Iam domi & apud ſe ſacerdos erat, qui officio attonitus, & mente à Deo mota, bene abeunti dixit, & ſimul imperiũ ipſi poſteriſq; prædixit. Iſtud pietatis ſtudium multiplex in modica adhuc fortuna, nec niſi Comes Habſpurgenſis Rudolphus permiſit, propter quod illi ſequẽtem magnitudinem vaticinia & diuinæ voces adſcripſerunt. Magna item clementia & prudẽtia qua pollebat, illum ad Imperium euexit. Vnius & alterius exempla ad exemplum dabo. Illius iſtud fuit.

Item clementia eius & prudentia.

Cum ſubmoueri à ſatellitio ſuo tenuiores quoſdam videret, ad ſe affectantes, nõ ſine ſtomacho edixit: *Per Deum* (ipſa eius verba ſunt) *ſinite homines ad me venire. Non enim ideo ad imperium vocatus ſum, vt in arcula includar.* Prudentiæ iſtud dedit. Agebat Noribergæ, & rebus Imperii ac publicis intendebat, cum ad priuatas eum vertit leuiter mercator quiſpiã, ius & vindictam petẽs in hoſpitem ſiue diuerſitorem ibi notum, à quo grandi pecunia fraudatum ſe aiebat. Nam bona fide depoſuiſſe apud eum in ſacculo *ducentas argenti ſe libras*, marcas appellant: quas ille impudenter abnegabat, iniurioſe retinebat. Imperator de fide dictorũ rogauit, ille affirmauit, ſed ſua fide, nec aliis (vt ſolet fere in depoſito) argumentis. Igitur Imperator re perpenſa, aſtũ adhibendum cenſuit, & veſtigiis verũ indagandum. Quæſiuit ab homine ille ſacculus ſiue vidulus cuiuſmodi eſſet: Deſcripſit formam: nec aliud Cæſar, quam ſecedere eum in proximum cubiculũ, & preſtolari iuſſit. Habebat in animo euocare hoſpitem; ſed fortuna commodius inſtituit, & vltro ad eum miſit. Nam venerunt primarii vrbis ciues vt ſolet, gratulatum Principi & ſalutatũ; inter quos iſte infidus hoſpes. Norat adeo iam ante Cæſar, & vt comitas eius erat, benigne & per facetias appellauit: *Heus tu, ſcitum illic pileum habes. Mihi dona & permutemus.* Ille arriſit, pileum libens dimiſit, & honori hoc factum duxit. Cæſar ſeceſſit paululum, quaſi publicum negotium euocaret, & fidum ac notum eius oppidi ciuem, cum ipſo pileo illo, ad vxorem hoſpitis miſit cum mandatis *Heus cum matrona, maritus iubet vt ſacculum illum talem ad eum mittas, opus habet, & ecce teſſeram fidei meæ hunc eius pileum.* Mulier agnouit pileũ, & ſacculum deſcripſerat: itaque nihil ambigens aſcendit, tradidit, quaſi ad maritum deferendum. At ille recta ad Cæſarem qui vidulum vocato denique tunc mercatori oſtendit, & Hic ne eſt? & agnoſcis? affirmauit, & exultauit: tum & hoſpitem Cæſar adhibuit, & *Hic*, inquit, *de te queritur, & perfidiam accuſat, quid ais, & refellis?* Audacter ille, *mẽtiri eum dicere, aut dementire, nihil ſibi rei cum eo eſſe aut fuiſſe.* Deniq; Imperator ſacculum protulit, ad cuius aſpectum ille confunditur, & animo & lingua labitur. Quid multa: Mercator pecuniam, hoſpes infamiam recepit, atq; etiam damnũ. Nam grandi alia pecunia Cæſar eum mulctauit. At Rudolphus omnium ore & ſenſu laudem, & decantatum in Germania ſatis hoc factum fuit.

VII. Summariũ geſtorum Clementis IV. Huius anni 1. *Viterb. ep. 139. 13. Cal. Feb. 2. epiſt. 141. 13 Cal. Feb.*

Sed ad Clementem Pontificem redeo, qui hoc anno 1. Boemiæ Regi Ottocaro, vt ſi terram Lituaniæ, cui olim Mindanus cum titulo regio præfuerat, è manibus Paganorum, eripere poſſet, iterum aliquem in Solium eius regni eueheret, authoritate Apoſtolica conceſſit.

2. Eundem Boemiæ Regem vt ad conuertendos vel etiam expellendos infideles Guthlandiæ, Gethueſiæ, & reliquarum circumuicinarum Prouinciarum, animoſe conſurgeret: & ſi opportunum videret aliquam Metropolitanam vel Cathedralem inter illas gentes erigere, ſedi Apolicæ ſignificaret, commiſit.

3. Ioſi illi, veſaniam & proteruiam Conradi contra Deum, Eccleſiam, & ipſam æquitatem arma aſſumentis demonſtrauit. *3. epiſt. 448. 3 Cal. Mart.*

4. Eiuſdem illum, vt Patriarcham Aquileienſem temere à Comite Goritiæ captum in libertatem vindicaret, iniunxit. *4. ep. 381. 2. Cal. Octob.*

5. Vt contra eundem Goritiæ Comitem, & contra Epiſcopum Feltienſem, qui Patriarcham Aquileienſem in vincula coniecerant, inquiſitio fieret præcepit. *5. ep. 384. Id. Oct.*

6. Iacobum Aragoniæ Regem, qui Teraſia reiecta, Berengariam propinquitatis gradu coniunctam ſuperinduxerat, & interim expeditionem in Palæſtinam inſtruebat, ne ſe inceſtu & adulterio inquinaret, neue irato Deo, tã ſanctũ opus, ſine præuia pœnitẽtia & ſatisfactione ſuſciperet admonuit, ac niſi Berengariã relinqueret, anathemate ille ſe velle damnare pronunciauit. Cæterum, cum & ipſe quoque Regnum Sardiniæ & Corſiæ exambiret, ac eius cauſa Oratores ad ſedem Apoſtolicam deſtinaſſet. *6. ep. 308. 17 Cal. Feb.*

7. Eidem & Iacobo filio, ad vtrumque miſſis, Maioricenſi & Vicenſi Capellini, ſignificauit, ne quicquam ſperarent. Cum ſibi in animo ſediſſet illa Regna, neque Henrico Caſtulonenſi, neque Henrico Andegauenſi poſtulantibus concedere velle. *7. ep. 354. 13. Cal. Aug.*

8. Henrico Regi Angliæ, vt Gilberto Comiti Glouerniæ Principi factionis non alia ratione impunitatem promitterent, ſponderetque, quam ſi is arma deponeret, & benignitatem regiam imploraret, præſcripſit. *8. ep. 338. 3. Id. Iul.*

9. Alphonſum Caſtellæ Regem, vt potius victorias ex victoriis, à Maurico quod ſuſceperat, & feliciter contra Granatenſes Mauros geſſerat, bello acquirat, quam Regni Romanorum diadema contra diuinæ voluntatis effata exambiat, hortatus eſt. *9. ep. 317. 10. Cal. Nou.*

10. Regi Galliarum S. Ludouico in ſubſidium Terræ ſanctæ, cum copioſiſſimo exercitu, & cum trib⁹ filiis trãſfretare paranti, decimam omnium fructuum in vniuerſo Regno Franciæ, deinde in Diœceſib. Leodienſ. Tullenſ. Virdunenſ. Metenſ. & in aliis locis extra Regnum Franciæ, Diœceſis Rhemenſ. deinde omnes redemptiones votorũ, quibus Cruceſignati, vel ſanctæ militiæ deuoti, exſolui cupiebant, eoque nomine pecuniaria auxilia numerabant, eodem conceſſit, ipſumque cum filiis & Cruceſignatis in protectionẽ ſedis Apoſtolicæ ſuſcepit. *10. ep. 33. & 34. & 35. 3. Non. Mart. & ep. 36. 11. Cal. Iun.*

11 Cum vero quanto maiora poſſet adiutoria conquirere cogitaret, Alphonſum Pictauiæ Comitem, pollicitis auxiliis ad eandem ſacrã militiam inuitauit: decimas tamen regni Franciæ ei denegauit. *11. ep. 334. 4. Id. Iun. & ep. 373. 17 Cal. Octob.*

12. Cum autem Edouardus Regis Angliæ primogenitus nihil magis quam libertatẽ Palæſtinæ cogitaret, monuit Pontifex Ludouicum, ne illum ad eam expeditionem pelliceret, tum quod Anglia ſumptib. non ſufficeret, quæ propter bella ciuilia pecuniis exhauſta eſſet: tum quia nõdum plene ſtabilita pace, intutum videretur, patrem Regem ſenio confectum, difficultatibus exponere, atque in *12. ep. 411. 10. Cal. Feb.*

mediis æſtibus inopem conſilii ac virium relinquere.

13. Cum etiam non ita pridem à Senatoribus vrbanis, præſertim vero hoc anno, ab Henrico Caſtulonenſi quã plurima indigna pertuliſſet, annuente Carolo Siciliæ Rege hanc conſtitutionem, & alia quam plurima pro conſeruatione vrbis, Eccleſiæ atq; Regni Siciliæ ſanxit.

VIII. Miſcellanea. *Biond. dec. 2. lib. 8. Maſſæus.*

Conradinus ad decem millia Germanorum innumera pene Gibellinorum multitudine adiuncta, adeo Mareſchalli (erat is Præfectus militiæ Caroli Regis) in Hetruria vires diſtraxit, vt commiſſo cum eo prælio inſigni victoria potiretur, occiſo ipſo Duce aliquot Guelſorum millibus: & ni per Henricum Senatorem vrbis in vlteriorem Italiam fuiſſet euocatus, Aretium vrbem cæpiſſet, totamque ſibi Hetruriam ſubiugaſſet, videbat enim Siculorum & Neapolitanorum animos ſibi inclinari. Clemens tamẽ in cœna Domini, & in dedicatione Baſilicæ S. Petri, contumacem Conradinum ſpirituali gladio ferit, & totius rei cauſam, ordinemq; Regi Carolo præſcribit. Mediolanũ interdicto ſuppoſitum, per Ottonem Archiepiſcopum liberat. In Brabantia floret Thomas Cantipratanus, & Viennẽſe Concilium celebrat Guido Cardinalis. Henricus Henrici III. Brabantiæ Ducis filius, Diuionem in Burgũdiam ſecedit, ibidemq; Monaſticem profeſſus, in Canonicorum Regularium cœnobio vitam finit, Cui ad Imperium inepto, ſecundo genitus Ioannes, præſente Richardo Cornubiæ Comite titulari Imperatore & matre ſucceſſit. Vixit hoc tempore Semeca dictus Teutonicus, qui primus in Decretum Gloſſas edidiſſe fertur. Philippo filio S. Ludouici naſcitur philippus Pulcher. S. Hedvvigis Poloniæ & Sileſiæ duciſſa à Clemente Sanctorum albo inſeritur, S. Elizabethæ matertera. *Tritem.*

IESV CHRISTI Annus 1268.

CLEMENT. PAP. IV. ANN. 4. Michael. Palæolog. Imp. Or. an. 9.

I. Conradini victoria de Gallis.

CVM Conradinus eſſet excommunicatus à Clemente IV. petulantiorem animum à cenſura accepit, adeo vt quidem ſub ſignis conſpici à Clemente voluerit. & Eccleſiæ ſedique Apoſtolicæ extrema intentarit. Conſpicatus Pont. Viterbium prætereuntes, ſeque in armis oſtentantes Duces, ſeu cõiectura animi, quod iuuenes Duces in veteranum Regem impetu improuide ferrentur: ſeu diuinitus: *Hæ*, inquit, *optimæ victimæ ad aras aguntur.* Conradini numeroſum exercitum auxerunt Gibellini, ex variis locis confluentes: imo & Henrici *Regis Alfonſi frater* anno præcedente receptus à Pontifice, cum ſequutus eſt: ad Fucinum lacum ventum, & loco pugnæ deſignato, cum tribus horis pugnatum eſſet, Carolus ex inſidiis hoſtem adortus, ſolutis iam ordinibus, pro victore ſe gerentem clariſſimam tulit victoriam, Conradino ex fuga retracto: qui anno ſequenti ſupplicio affectus Neapoli eſt, cum Friderico cognato Auſtriæ Duce, ſicque extincta eſt Sueuorum & Barbaroſſæ familia. Siculis qui hoſtili animo videbantur, grauius imperatum: valida præſidia in arces vrbeſque miſſa. Hoc anno, quo Conradinus Sueuus occubuit, deceſſit & Clemens Papa 29. Nouemb. raræ virtutis & ſingularis exempli Pontifex, cum in aliis, tum maxime in affectu erga cognatos & affines temperando. Vacauit, vt aiunt, Sedes fere triennio: adeo non conueniebat inter Cardinales de futuro ſucceſſore. Antiochia etiam hoc anno capta à Soltano Ægypti & euerſa.

Conradinus victus à Carolo & captus. *Æmil. & alii*

Vacat ſedes Pontificia triennio.

II. Clem. IV. non fuit cauſa necis Conradini. *Summar. in Carolo.*

Germani obiiciunt Conradinum hortatu Clementis IV, interfectum fuiſſe, conſulens enim Clementẽ IV. quid de captiuis ſibi factitandum eſſet, Carolus hoc reſponſi tuliſſe ferunt; *Vita Conradini mors Caroli, mors Conradini vita Caroli.* At non Clementis, ſed eorum fuit, qui publicatis Conradini bonis locupletati, ea reddere ni tolleretur è medio, metuebant. Deinde quod Clemens iam ante fatis conceſſiſſet, priuſquam ſecuri Conradinus cum Auſtriaco feriretur. Nam Pontifex 29. Nouembris omnium luctu vel maximo Viterbii defunctus eſt; vir ſi quis vnquam alius, doctrina, pietate, religione, humanitate, modeſtia, & charitate erga proximos, & maxime pauperes cumulate ornatus totum vitæ tempus ieiuniis, orationibus, vigiliis, aliiſque pietatis operibus ex inſtituto Fratrum Ord. Præd. quos impenſius diligebat, obſeruabatq;, tranſegit. Nihil vnquam aut fecit, aut agreſſus eſt citra Cardinalium conſilium, Spiritu Prophetico, teſte S. Catharina Senenſi, illuſtris. Duobus Theologorum anteſignanis vtebatur familiarius, videlicet S. Bonauentura & D. Thoma, & hoc ſolemne apopthegmate identidem vſus, *Deum velle vt ſua in pias cauſas diſtribuerentur, neq; illum eſſe dignum Petri ſucceſſore, qui plus cognationi quam pietati & Chriſto tribueret.* Cæterum fuit, vt ex Hiſtoriarum monumentis liquet, crudelitatis fama terribilis Carolus, nam Siculos immoderate rexit, & multam lanienam eorum cumulauit. Cui in faciem Petrus Aragonũ Rex aliquando dixit; *Tu Nerone Neronior, & Saracenis crudelior.* Cõſtat poſt decollatũ Conradinum & Fridericum caput Friderici extremum calorẽ expirantem, nomen Beatiſſ. Virginis ſemel & ſecundo diſerte pronuntiaſſe.

III. Miſcellanea. *Leander lib. 2.*

Centum & viginti millia Chriſtianorum innocentum cæſi ſunt Antiochiæ ab Saladino Bondocudar, & corona martyrii donati ſunt, quos inter virgines veſtales emicuere, quæ ne ab Saracenis violarentur, ſe mutilarunt, præſectiſq; naribus deformarunt. S. Ludouicus pragmaticam ſanctionem promulgauit, vt Eccleſiæ Cathedrales, & aliæ liberas electiones haberent, item ſacerdotia nulla conferre voluit, ſed ius illud reſtituit, integrumque eſſe pronuntiauit, ordinariis talium beneficiorũ collatorib. iuxta antiquorum Canonũ præſcriptum, Diploma Roma allatum, quo talis poteſtas continebatur conicecit in ignem, ſibi ſatis eſſe & de temporalib ſibi à DEO creditis rationem reddere. Rex Daniæ cum regno interdicto ſubiicitur per Legatum Cardinalem Guidonem. Saltantes in ponte venerabili Sacramẽto tranſeunti, cum nullum honorem detuliſſent, ponte ſubſidente, ducenti perierunt. Locuſtæ in agro Toletano omnia ſata depaſcentes, aeremq; inficientes D. Auguſtino patrono vrbis inuocato, depulſæ ſunt. Quippe qui locuſtarum agmina abigere, emortuas colligere, & in Tagum prætefluentem demergere, viſus eſt. In Hollandia bellum Ruſticum ad delendos Nobiles à Quadratis excitatum eſt. ſed ſcuticis & fuſtibus confectis ſeditioſis, bellum eſſe deſiit. Ex ouo prodiit anſer duplici collo, quatuor pedibus & alis, dorſo vno, vt videretur anſer vnus alium deferens, ſed non diu vixit. Petrus Sabaudiæ Comes naturæ concedit, poſtquã fratrem ſuum Philippum Roma euocaſſet, & Principatus Allobrogici hæredem inſtituiſſet. Cui quidem, Antonini Pii Imperatoris (qui moriturus Fortunam auream in Principis cubiculo poni aſſeruariq; ſolitam, ad M. Antonium Philoſophũ ſucceſſorem, tanquam futuri Imperii inſigne trãsferri iuſſit,) exemplo D. Mauritii annulum, quo à monaſterii illius in Veragris ſiti, cum populum illum Sallaſioſq; fratris ſui imperio ſubiiceret, Abbate fuerat donatus, hactenus apud ſe aſſeruatum, futuri imperii teſſeram, ſymbolumque tradi imperauit. Idque ea lege, vt ſacrum iſtum annulum ipſe geſtaret, & ſucceſſori ſuo geſtandũ, quamdiu viueret, relinqueret: qui, & quotquot poſt eum in Sabaudia eſſent imperaturi, eadem illa conditione vterentur, ſic vt futuris deinceps Allobrogum Principibus inueſtitura: (ita cum vulgo mihi loqui liceat) in poſterum ſeruiret loco. Sic & olim Magnus Alexander, cum ſub vitæ exitu interrogatus, cui regnum relinqueret, ei, qui optimus eſſet, reſpondiſſet, circumferens oculos ex aſſidentium amicorum turba, Perdiccam delegit, eique detractum digito annulum, tanquam optimo, & qui ſibi ſuccederet digniſſimo tradidit.

Guagnin. lib. 7. Chron. Frat. & Genebr. Albert. Krantz. lib. 1. Wandal. c. 7. Idem lib. 8. Metrop. c. 3. Hieron. Roman centur. & Chron. Auguſtiniæ. Prodigium. Chron. Hirſaug. Mira.

IESV CHRISTI
Annus 1269.

INTERPONTIFICII ANNO 1. Michael. Palæolog. Imp. Or. ann.10.

I. Interpontificium triennale. *Marian. lib. 13. c.18. Æmil. Polydor. Chron. Montfort.*

CLemente rebus humanis exempto Romani Patres, 27.menſium ſpatio neminem delegerunt, an diſcordia, an vero fato id factũ fuerit incertũ. Syria certe iam nũc animam agebat, & Chriſtianorum ignauia & morbo, imperium illud in fumos fere abiit. Hinc armati Franci, Angli, & Arragonii, aggrediuntur bellum ſacrum. Anglus cũ ſuis peruenit in Syriam. Carolus Siciliæ Rex fratri S. Ludouico perſuaſit, vt ſolueret in Africam; firmius regnum ſuum fore ſperans, opibus Africanis euerſis.

Interea Margarita mater Conradini Neapolim venit, multo auro onuſta, redemptura filium ſi adhuc ſuperuiueret, ſed occiſum inuenit, locumq; à cædis loco nonnihil remotum templo à ſe dotato ornauit; cui iam ante Neapolitani Coriarii hoc epitaphium poſuerant.

II. Epitaphiũ Conradini

Oſſibus & memoriæ.

Conradini de Stouffen, vltimi ex ſua progenie Sueuiæ Ducis. Conradi Rom. Regis Fr. & Frideri II. Imperatoris nepotis: qui cũ Siciliæ, & Apuliæ Regna exercitu valido vti hæreditaria vindicare propoſuit, à Carolo Andegauio I. huius nominis Rege Franco Ceperani in Agro Palento victus, & debellatus extitit. denique captus, cum Friderico de Asburgh. vltimo ex linea Auſtriæ Duce, itineris ac eiuſdem fortunæ ſocio hic cum aliis (proh ſcelus) à victore Rege ſecuri percuſſus eſt. Pium Neapol. Coriariorum collegium, humanarum miſeriarum memor, loco in ædiculam redacto, illorum memoriam ab interitu conſecrauit.

Vbi etiam miraculoſe B. Virginis imago colitur, ab aleatore, ſecundum faciem pugione vulnerata. Ex quo vulnere ſanguis fluxit, & fugientem in vltionem ſacrilegii Florentiæ comprehendentes, capitali ſupplicio ſuſtulerunt. Eadem quoque B. Virgo pari miraculo illuſtris apud Lucenſes honoratur.

III. Miſcellanea.

Obit hoc anno B. Pontius Sant. Ægidianus Prædicatorum Prouincialis Toloſ. & apud Inſubres caſtrum Mozanigum hæreticis refertum, ex decreto Inquiſitoris Mediolanenſ. Ord. Præd. dirutum, ſoloq; æquatu eſt, ſumpto de hæreticis ex lege ſupplicio. In Anglia Gualtherus Sarisburienſis Epiſcopus, intemperantiam Osberti militis, duas moniales virgines conſtuprantis, exemplari pœnitẽtia punit. Florentiæ in Hetruria hoc anno diem clauſit extremum B. Mannettus, Religioni Seruorum à Clemente IV. prælatus vir admirandæ ſanctitatis, miraculis in vita, & poſt mortem clariſſimus. Huic ſanctitate & miraculis non impar ex eodem ordine B. Ami Deus, qui quinquennio ante Mannettum obiit. Reliquiæ etiam plurimorum SS. Martyrum Patauii in templo D. Iuſtinę martyris puteo reconditæ. monitu B. M. Virg. per deuotam matronam & ſanctam detectæ ſunt.

MS. Vatic. Ex Chron. Seruorum.

Iacob. Cauacc. lib. 3. Hiſt. Cœnob. D. Iuſtin. Patau.

IV. Piſani Pyratæ in Vrſinos ab Carolo Sicil. Rege reprimuntur.

Hoc eodem anno cum Piſani S. Rom. Eccleſ. rebelles, pyraticam exercentes, quamplurimos Guelfarum partiũ, variis incommodis affeciſſent, & in his Bartholdi Vrſini Romani naues, in quibus victualia è terris illius percepta in vrbem vehebantur, diripuiſſent, Carolus Rex Siciliæ, ac Rom. Imperii in Etruria per ſanctam Roman Eccleſiam Vicarius Generalis inſtitutus, datis ad vniuerſos Regni Siciliæ officiales literis, repreſſalia, durante inter Eccleſiã & Piſanos bello, in Piſanos eoſdem Bertholdo Vrſino cõceſſit. Neapoli XII. Nouembr. *Ex monumentis Familiæ Vrſinæ.*

Marian. lib. 13. c. 18.

Arragonius ex itinere rediit in Cataloniam, Michael Theſſaliæ Deſpota obiit hoc anno, ſuccedit filius natu maximus Nicephorus.

Gregoras.

IESV CHRISTI
Annus 1270.

INTERPONTIFICII ANNO 2. Michael. Palæolog. Imp. Orient. ann. 11.

I. Ludouic. Carthaginem obſidet, ibidemque moritur. *Marian. lib. 13. c. 19. Aemil. & Guagnin. in S. Lud.*

KAlendis Martii Edouardus Angliæ Regis filius Aſiam iam claſſe tenuerat, cum pene ab Aſſaſſino barbaro Sicario fuiſſet interfectus. S. Ludouicus conſilio fratris Caroli Siciliæ Regis in Africam tranſportatus, Carthaginem, non antiquam illam Tyriorum Coloniam; ſed in eius ruinis reſtitutam vrbem, aut non procul ſitam, obſidione premit, quæ debellatis in acie Barbaris, deditionẽ fecit. Inde Rex ad Tunetum vrbem regiam caſtra mouet: & dum de conditionibus deditionis agitur, exorta in caſtris Francorum grauis peſtilentia, ipſum etiam Regem è medio ſuſtulit, 8. Kalend. Septemb. adfuit opportune Carolus Siculus, & Anglica claſſis è Syria quæ res, Barbaros compulit ad pacis conditiones, & tributum penſitandum annuum. Poſt noſtrorum reditum in Siciliam, obiit in inſula Theobaldus Nauarræ Rex, Campaniæ Comes; cui ſucceſſit Henricus frater, dictus Craſſus. De Ludouici morte ſic *Conditor Annal.*

Æmil. Chron. Montfort Guil. de Nangu. Annal. Franciæ.

II. Mors S. Ludouici, virtutes, Sanctitas, miracula.

Ludouicus ipſe ventris profluuio laborans, poſtquam ad ſe vocatum Philippum filium ſalutari doctrina admonuiſſet, ſacris Chriſtianis, multa religione ac pietate perceptis, cinericio ſtrato decumbens, ſeptem & quinquaginta annos natus, animam efflauit. Eius tam religioſi Principis plurima opera, miraculis comprobata leguntur & creduntur. Omni Quadrageſima, & per ſolemnem Chriſti aduẽtum; & dieb. quatuor ab ſuſcepta Euchariſtia, vxoris conſuetudine abſtinuit. Peccatorũ confeſſionem omni ſexta feria Sacerdoti faciebat. Erat illi flagellũ, quinq; catenulis ferreis confectum, ꝙ in eburnea pyxide ferebat: quo poſt factam cõfeſſionem, à Sacerdote, detectis ſcapulis flagellebatur, cilicium frequentius tulit; eo cum admonẽte confeſſore abſtineret, nihilominus & cingulo cilicino ad nudam carnem ſtringebatur, & dietim quadraginta ſolidos pauperibus erogabat. Per omnem vitam ſingulari charitate pauperes curauit: ita vt plurimos dietim reficeret, atque illis pedes ablueret. Neq; horrori ſibi fuerat, exulceratos leproſos ad colloquium admittere, eoſq; exoſculari. In extrema ægritudine laborans, ſæpius iſtam orationẽ orauit: *Fac nos Domine proſpera mũdi deſpicere, & nulla eius aduerſa formidare.* Pro populo quoq; ſuo poſtulabat, dicens: *Eſto Domine plebi tuæ ſacrificator & cuſtos.* Et cum extremã ſibi horã imminere cerneret, in cœlum ſuſpiciens, & illum verſiculum Pſalmi; *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctũ tuum, & confitebor nomini tuo Domine:* pronuncians, ſanctã animã efflauit, rebus geſtis magnus, ſanctitate magnus.

III. Reliquiarum obſeruantiſſimus, S. Ludouicus.

Fuit Ludouicus inter alia ſanctarum reliquiarum obſeruantiſſimus: adeo vt immenſo labore & maximis impendiis, ſacroſanctã Domini Ieſu coronã ſpineam, magnam S. Crucis portionem, ferrumq; lanceæ qua Chriſti latus cõfoſſum fuit, à Balduino ſecũdo Conſtantinopolitano impetrauit, eaq; omnia cum multis aliis ſanctorũ reliquiis, in Regio Sacello, Pariſiis elegantiſſime extructo, repoſuerit. In regni adminiſtratione ſingularem prudentiã & auctoritatem adhibuit: prorſus vt omnes regni Proceres ſincere & ex animo (ꝙ rarum eſſe ſolet) illum diligerẽt, & nõ mediocriter venerentur. Cauſis Pauperum quas formidabat, non magnę curæ præfectis ſuis eſſe, ꝗ optime proſpiceret, bis hebdomadib. ſingulis, publico in loco reſidens, eorum omnes querelas Rex benigne audiebat, controuerſiaſque cum iuſtitia ac miſericordia expendens, quam celerrime decernebat. Poſt obitum miraculis multis illuſtris à Bonifacio VIII. in ſanctorũ Catalogum aſcriptus eſt, teſtamentum filio primogenito relictum nobiliſſimum ex archæo Caroli V. Imperatoris apud *Conditorem Annalium lege.*

IV. Miſcellanea.

Alfonſus Rex Arragonum aſperis moribus & nimia ſæueritate exoſum ſe reddidit vel maxime apud ſubditos, litteris potius quam ciuilibus regendi artibus inſtructus.

Quare

Quare Iacobus Arragonum Rex opportune monuit amari à ſubditis potius, quam timeri ſtuderet; ideoq; ciuilibus diſcordiis mire exercitus ad ſatietatem vſque. Quales Italia & Gallia quoque turbas ab nouis hæreticis Manichæis ſuſtinuit, qui cum Waldenſium hæreſibus Manichæiſmũ mordicus propugnabant, diuina humanaq; impudenter miſcentes, quos inſigniter D. Thomas & Bonauent. confecerunt, & ille ſuper menſa S. Ludouici Gallorũ Regis dũ excidium Manichæorum meditatur, in extaſim abreptus, manu in pugnum collecta, menſam ferit, clamans alta voce; *Concluſum eſt contra Manichæos.* In Arragonia hæreticis eoſdẽ ipſi Prædicatores inſigniter exarmarunt, & extinxerunt. Ex ord. Præd. florent F. Gulielmus Anicienſis Gallus, F. Bonaſpendius Peruſinus; itẽ Thomaſellus Peruſinus, & contemporaneus iſtorum B. Iacobus Caſertanus, Thomę Aquinatis non tantũ diſcipulus, ſed & virtutũ æmulator: quippe qui videre meruerit Angelicum Doctorem Neapoli in Sacello S. Nicolai, duobus cubitis à terra in oratione eleuatum, hanc crucifixi imaginis vocem audire, ſic ad illum loquenti: *Bene ſcripſiſti de me Thoma, quam ergo recipies pro tanto labore mercedẽ?* Hos inſecuta B. Helena Virgo. Ord. quæ ſtigmata Domini Ieſu ipſomet Chriſto imprimẽte in manib. & dextero latere recepit, & B Margarit. Beia quarto & Maria Hungariæ Regib. procreata, quæ biennis infans caſum Friderici Auſtrię Ducis, & paterni exercitus internecionẽ prædixit, virginitatis ad miraculũ amãtiſſima.

IV. Prodigia

In Polonia in diœceſi Cracouienſi Virboslai Comitis vxor triginta ſex pueros viuos vno partu edidit 20. die mẽſis Febr. Item 6. Decembr. ad noctis crepuſculum nouus ſplendor in figuram crucis efformatus regionem totam illuminauit. Intra octauam Natalis Chriſti natus eſt vitulus duobus capitibus caninis & dentibus, & ſeptem pedibus vitulinis, maius caput antrorſum loco conſueto erat minus retrorſum ad caudã. In Sileſia triduo ſanguine pluit. Armatorum acies in aere inter ſe concurrerunt, bellorum internorum & externorum omnium præſaga.

Cromer l. 20.

V.

Tradit Buchelzerus S. Ludouicum Regem, collegium Sorbonicum Pariſiis erexiſſe, quanquam nos hoc in annum præſentem non retulerimus, ſed 1253. vide Miræum. Sic in Chronico loquentem.

VI.

Ex omnibus ſcientiarum profeſſoribus Theologos magno Ludouicus in pretio habuit, atque in his plurimum coluit Robertum, cognomento Sorbonem à quo Sorbonici Theologi nomen accepere. Collegium enim, teſte Nangiaco, Lutetię primus inſtituit, vnde perpetua ſucceſſione excellentes Theologi prodiere. Nangiacus porro in vita Ludouici narrat, cũ prædeceſſores Reges in tangendis ſtrumoſis ſigno crucis vſi nõ eſſent, illũ primo vti cœpiſſe. Strumæ autem, Græcis Cherades ſunt glandulæ induratæ. Hanc vim Regibus Galliæ à Deo datã, vt tactu ſtrumas curent, longo vſu cõpertũ eſt; ad eoſq; ex vltimis Hiſpanię, Italiæ, Germanię, Belgiiq; finibus ſtrumoſi hodieq; adcurrunt. S. Marculfi Abbatis precib. ac meritis tantũ eos poſſe cõſtans eſt opinio. Itaq; ad eius exemplũ, in agro Laudunenſi ſitum, Reges quamprimum vncti ſunt, proficiſci ſolent. Vixit autem S. Marculfus apud Baiacaſſes, in Normãnia, Clotarii II. & Sigeberti temporibus; vt ex eius vita Gallice edita mihi conſtat. *Maſſonus & Mariana.* Sic tradunt Reges Angliæ olim annulos quoſdam benedixiſſe, vtiles neruorum contractioni & ſpaſmo, ac morbo comitiali; eoſdem quoque contactu ſtrumoſos curare ſolitos. Quod vtrumque ipſis à Deo conceſſum, S Edouardi Regis Angliæ meritis, ſcribit Polydorus Virgil. hiſt Anglicanæ lib. 8. De his plura qui volet, Martinum Delicum, Diſquiſitionum magicarum l. 1. ca. 3. quæſt. 4. legat. Redeo ad S. Ludouicum; cuius quidem res geſtas litteris mandauit Ioannes Ionuillæ dominus, omnium laborum ac periculorum eius, annos duos & viginti, ſocius. Cæterum Margarita, S Ludouici Regis vidua, & Raymundi Prouinciæ Comitis filia, totam ſe Deo conſecrauit, & ſuburbanum Lutetiæ cœnobium virginum Franciſcanarum excitauit; mariti ſui exemplo, qui Vallis Scholarium, Trinitatiorum ſeu Maturinorum, Guilielmitarum & Carmelitarum Pariſiis monaſteria ædificanda curarat. *Genebrardus.*

IESV CHRISTI
Annus 1271.

INTERPONTIFICII ANNO 3. Michael. Palæol. Imper. Or. An. 12.

I. S. Ludouico Philip. III ſuccedit.

HOc anno Philippus III. Galliæ Rex, patre S. Ludouico in Africa defuncto, inde domum reuerſus, Regiũ inſigne Remis ſumpſit, menſe Auguſto. Id ſolenne iam inde à temporibus Clodouei I. Chriſtiani, quem S. Remigius Remorum Epiſcopus baptizatum Sacerdotali vnguento liniit. *Gregorius Turonenſis* eum ſacro Chriſmate delibutum refert. Hũc morem Gallię Reges religioſe hodieque ſeruant, vt vocati ad regnum ſacro vnguento Remis perungantur. Stephan. V. Hungariæ Rex XIX. Belæ IV. filius, annos fere duos præfuit. Vicit Othacarum Boemiæ Regem Budam cepit, & Bulgaros imperata facere coegit.

Faverins.

II. Eligitur Greg. X. *Guil. de Nangio. Chron. Montfort. Platina. Onuph. Genebrard. Æmilius.*

Poſt triennale fere Interpontificium, abſens eligitur Theobaldus, genere Placentinus, Eburonum Archidiaconus Greg. X. dictus, vir Sanctus & integer, & magnus ad arma ſacra reſumenda, Eccleſiaſtes, primo Septembris Viterbii, quo electo Reges ex Syria diſceſſerunt poſtquam inducias cum Saracenis ipſi Crucesignati, peſtilentia laborantes pepigiſſent. Carolus Siculus Nuceriam obſidet & deditione capit, Saracænorum & rebellium fere omnia ſentina. Item regnum orientis idẽ ambit, propterea quod filium ſuum Balduini Orient II. Imperatoris filiæ deſponſaſſet, aſſignato illi pro dote Imperio Orientis armis virtuteque bellica recuperando, prę ſertim cum adhuc extremam fortunam Balduinus II. in Sangulo Græciæ aduerſus Palæologum experiretur. Palæologus prudens, Siculos, Saracenos & Venetos ad Carolũm bello inuadendum ſuſcitauit, concordiamq; veteris & nouæ Romæ, & Eccleſiarum vtriuſque à Greg. X. recens electo petit, eo fine vt Caroli à ſe potentiam auerteret.

Niceph. Greg. l. 5.

III. Miſcellanea.

Florent hoc anno Gulielmus Durandus Epiſcopus Mimatẽſis, à ſpeculo Iuris quod ſcripſit, ſpeculator dictus, auctor Rationalis Diuinorum vt ſupra diximus. Item B. Euerardus Epiſcopus Conſtantienſis, qui forma gregis fuit, eique coæuus Nicolaus Comes Holſtenſis. Bellum inter Rudolphum Comitem Habſpurgenſem, & Epiſcopum Baſilienſem his temporibus magnis animis geſtum eſt, Rudolpho Baſileam obſidente teſte *Nicol. Vignerio in Chronico Burgundicorum.*

Alb. Krãtz. Saxo l. 10. c. 19. Anonym. in Epiſc. Conſtantienſ.

IV. Filius Richardi Regis Romanorum electi Henricus à Comite Montfortio crudeliter ſub ... trucidatur.

Magnum per eoſdem dies, Viterbii facinus, ex inopinato caſu accidit: Venerat ad Theobaldum ex Palæſtina reducem, Henricus adoleſcens, Richardi Regis Romanorum electi, Cornubiæ olim Comitis tunc defuncti filius: multa paterni olim Regni negotia, apud ſedem Apoſtolicam tractaturus. Dumque nouum creari Pontificem anxius expectaret. Guido Comes Montfortius & ipſe adoleſcens, cum Philippo Francorum Rege eodem ſe contulerat: Forte ad Baſilicam D. Laurentii, Henricus rei diuinæ audiendæ ingreſſus fuerat: cuius ignarus Guido, & ipſe paulo poſt acceſſerat: Sacrã tunc hoſtiã eleuabat ſacerdos, cum Montfortius Henricum liberali & prorſus regia facie iuuenem conſpicatus & Richardi filium eſſe doctus, in æde ſacrarum maxima, proque ara maxima, aliquot confoſſum vulneribus interfecit, viaque ſibi ferro facta, præparatum ad valuas templi equum aſcendit, abiitque ad ſocerum, Rubrum, Comitem Anguillarium, Hetruriæ Præfectum. Cauſa cædis fuit, quod Richardus Simeonem Comitem Montisfortis patrem Guidonis per dolum interimi ſiue iuſſiſſet, ſiue adeo toleraſſet. Cædes Henrici apud omnes & inprimis apud Anglos conflauit ingentem inuidiæ flammam Carolo Regi, quod non perſequeretur cædem factam ab eo, cui ipſe Vicarius Imperii & Hetruriam prouinciam procurandã dediſſet, & nobiliſſimas nuptias cõciliaſſet. Frater Henrici Edouardus; cor occiſi balſamo imbutum in Angliam retulit, & pyxidi aureæ inditũ in faſtigio columnæ, ad Pontẽ Londinẽſem erectæ collocauit, vt memoria eius occidionis ante oculos Anglorum verſa-

Digitized by Google

retur, quæ eos ad vindictam ſumendam in momenta excitaret.

IESV CHRISTI Annus 1272.

GREGOR. PAPÆ X. ANN. I. MICH. Palæol.Imp.Or.An.13.

I. Greg. X. coronatio Romæ a Ptolomæus Lucenſis b Ep.117 Viterb. Non. Mart Beſſinz l. 10. Platina in Greg. X.

ANte coronationem Gregorius X. Fratri Gaufredo de Belloloco Ord. Præd. Regis S. Ludouici confeſſario in mandatis dedit Viterbii, vt omnem rationem viuendi ſecretiorem litteris exaratam, ſuoque ſigillo ſignatam Romam tranſmitteret: exin Romam abiens in Baſilica Principis Apoſtolà Cardinale Vrſino, ritu ſolenni inungitur & coronatur, & encyclica data aſſumptionis ſuæ ad omnes Reges & Principes Chriſtianos, totus in ſacram militiam pro liberanda Palæſtina incumbit, hoc pro concione themate vſus: *Si oblitus fuero tui Ieruſalem, obliuioni detur dextera mea, adhæreat lingua faucibus meis, ſi non meminero tui*: quo & Regem Philippum pertraxit, ſuiſque impendiis 500. equites, & pedites perplures inſtructiſſimos eodem ablegauit. Venetis ne Saracænis interdictas legibus merces diuenderent, imperauit, & Oecumenicum Concilium ob calamitates Eccleſiæ diuerſis in Prouinciis, tam Occidentalibus, quam Orientalibus ortas firmataſque, indixit: quas tum Saracæni, tum hæretici, tum ſchiſmatici excitabant. Denique Apocryſiarios in Orientem deſtinauit ex Ordine Minorum, qui vnionem vtriuſque Eccleſiæ, maturarent & perficerent. At conatib. Gregorii magnum obicem reliquiæ Conradini Italiæ turbatores poſuerunt.

II. Veneti & Genuenſes pacem ineunt. Platina in Greg. X.

Philippus Venetos & Genuenſes ex mandato Gregorii diſſidentes inter ſe componit. Cum ad Cruceſignatos in Syria relictos conſolatoriam direxiſſet, quibus certiſſima auxilia breui affore pollicebatur, pacta inter Ottocarum Boemiæ & Stephanum Hungariæ Reges inita, anno ſuperiore Sedis Apoſt. auctoritate confirmauit.

III. Moritur Henricus Angliæ Rex, ſuccedit Edouardus. Polyd. l. 16. Virtutes Henrici Angliæ Regis.

Hoc anno 10. Calend. Decemb. Rex Angliæ Ludouicus mortuus eſt, & apud Weſtmonaſterienſes ſepultus. Succeſſit Edouardus Walliæ Princeps primogenitus. Inter ſua vitia, non caruit Henricus tertius Angliæ Rex quibuſdam egregiis dotibus. Templum ille Weſtmonaſterienſe amplo ſumptu de nouo magnifice ædificauit: & nobile Oxonii pauperum hoſpitium, quod in Magdalenſe poſtea Collegium conuerſum eſt. Ædes etiam Londini non procul à veteri templo extruxit, in quas Iudæi reciperentur, qui ſua ſuperſtitione repudiata Chriſto ſe addicebant. Cœnobia alia & inprimis Diui Albani magnis donariis ornauit. Publicis ſacris atque ſacrificiis, tribuſque quotidie Miſſis licet prolixioribus propter cantum in illis adhibitum diligenter interfuit, præter alias priuatim & ſubmiſſa voce celebratas. Cumque aliquando Ludouicus Franciæ Rex diceret, debere eum potius concionibus frequentius audiendis, animum aureſque applicare: imo, inquit ille, ego multo magis malim frequentiori amici mei conſpectu frui, quam aliorum de illo orationem audire, quantumuis prolixe atq; ampliſſime ornatiſſimis verbis eum laudarint. Obiit eo die quo S. Edmundus Cantuarienſis Pontiniaci. *MS. Vatic.*

Anton. part. 3. tit. 24. c. 7. §. 13.

Ex Diar. Eccl. Cracou. prim part. fol. 42.

Excepit hunc B. Chriſtophorus Ordin. Minorum, prope centenarius, quem ex Parocho in Flaminia ipſe D. Franciſcus ante annos 55. habitu religionis induerat. Hunc B. Facius virtutibus & miraculis clariſſimus eſt ſecutus. Vti & tres vterini fratres Cracouiæ in Polonia ipſo die cœnæ Domini Sacroſancta Euchariſtia refecti, ante aram maximam proſtrati, ſimul hoc anno expirarunt, quos temerario iudicio impios iudicantes, ſepultura aſini humarunt. Qui tertio Priori apparentes, ſe cœleſtes ſedes tenere irrefragabiliter docuerunt, qui exhumatos in ſacellum trium Regum intulit, & debitis cum ceremoniis reuerenterque depoſuit. Item Fr. Hannibaldus Romanus Prædicatorii Ord. Cardinalibus ab Vrbano IV. adſcriptus, cui D. Thomas Commentaria in 4. Libros Sententiarum dicauit.

Mich. Pio de viri illuſt. Ord. Præd. l. 1.

IV. Obitus Henrici Regis Sardiniæ, Filii Frid. II. Captiui Bononiæ.

Hoc anno, pridie Idus Maii, Henricus Rex Sardiniæ, Friderici Imperatoris filius, humanis rebus conceſſit, Bononiæ poſtquam XXII. annos in cuſtodia fuiſſet. Funus Magnificentiæ Regiæ cõgruens, Bononienſium commune ſuis ſumptibus apparuit: Quippe veſte & capitio ſcarlateo pellibus variis ſuffulto cum aurea corona gemmis pretioſis intexta induerunt, & ſceptrum aureum tenentē, & duobus ſtragulis, vno ſcarlateo, altero holoſerico tectum, ac pretioſis odorib. imbutum condierunt, ac ſummo honore elatum in æde S. Dominici ſepulturæ mandarunt. *Sigon. l. 20. de Regno Ital.*

Neglectus reliquiarū diuinitus punitus.

Hac tempeſtate, Deus ſeuere vltus eſt irreuerentiam quorundam, qua reliquias S. Fridolini affecerant. Conditæ illæ fuerunt, apud Sacconienſes, oppido ad Rhenum præterfluentem ſito. Eas non pari honore habebant oppidani, qui tum prædas è pauperibus innocentiſſimis agebant, tum comeſſationibus & libidinatione ſeſe contaminabant. Itaque fortuito incendio Deus totum oppidum deleuit: cum prius S. Fridolinus indignationem ſuā, duobus ante annis, pulſationibus quas multoties in ea arca, in qua eius reliquiæ conditæ fuerant, faciebat, oſtendiſſet, vtque cladem imminentem effugerent monuiſſet, *Annal. Colmarienſ.*

IESV CHRISTI Annus 1273.

GREGOR. PAPÆ X. ANN. 2. Michael. Palæol. Imper. Or. Ann. 14.

I. Vnio Orientalis perficitur. Ep. 13. Lugd. 12 Calend. Septem. Leonard. Aretin. hiſt. Florent. Ioan. Villan. l. 6.

APocryſiarii Gregor. X. ad Palæologum in Orientem miſſi, vnionem Orientalis Eccleſiæ cum Occidentali fœliciſſime perſuadent, & ſecum vndecim Proceres ad Pontificis pedes, & ad Concilium Lugduni indictum cū maxima omnium lætitia perducunt, quo Greg. X. per Carolum Regem ſecundo miſſa ad Principes Chriſtianos encyclica, primo Florentiam vſque 18. Iunii deduxit, vbi ſubſiſtens amænitate vrbis illectus Pontifex, Guelfos & Gibellinos conciliare, ibidem re cum Carolo communicata, nititur inſigni oratione. At Florentini iuſtiſſimas cauſas produxerunt, quamobrem illa pacificatio Florentinis non conueniret. Sed Pontifice in ſententia permanēte, pacem conciliauit, & grauiſſimas in pacis pactorumq; præuaricatores pœnas ſtatuit. De Rudolpho Rege Rom. electo, & hoc anno Aquiſgrani coronato, libet *Conditorem Annalium* audire:

II. Rudolphus coronatur Rex Aquiſgrani præteritis Alfonſo Caſtellæ, & Ottocaro Bohemiæ Regibus. Nauclerus generat. 43. & Mariana l. 13. c. 22.

In Germania necdum omnia quieta, Rudolpho Habſpurgenſi nondum rerum Imperii potiente. Itaque Gregorius Pontifex miſſo Legato præcepit Electoribus Eccleſiaſticis quidem ſub pœna priuationis officii, ſecularibus vero Principibus ſub pœna excommunicationis, vt omni cunctatione poſtpoſita, Aduocatum Eccleſiæ, & Imper. Rom. deſignarent. Quod ſi negligerent, ipſe auctoritate Pontificia præficeret, atque inſignia Imperii cui adhibuiſſet, tribueret. Ea adhortatione Pontificis permoti Principes VII. viri, Francofordiam die dicta conuenere. Adfuere ab Alfonſo Hiſpano Nuncii, muneribus quæ inter ſeptemviros diſpergerent onuſti. Miſerat & Ottocarus Boemus Epiſcopum Seccouienſ. & Magiſtrum Ordinis Theutonicorum, cum duobus adiunctis Proceribus Alfonſi Legatorum interceſſione nihil effectum eſt, priori beneuolentia qua Alfonſum complexi erant, publica inuidia mutata. Ottocari præfractam ſuperbiam contempſerāt, quod is à Colonienſi delatum ſibi Romanorum Regnum præ Boemiæ Principatu reſpuiſſet. Tribus poſtea diebus in deliberatione tranſactis, feſtinatis eorum ſuffragiis Rudol-

Digitized by Google

phus Habſpurgenſis Comes, ad Imperium vocatus eſt, exiguo quidem cenſu, anguſtoque principatu, cæterum generis nobilitatem ad veteres Francorum Reges referens, & virtutum ornamentis clariſſimus. Sunt qui Alberti præcipue Magni Ratiſponenſis Epiſcopi, Dominicani & Philoſophi inſignis (qui Rudolphi quondam Confeſſor extiterat, & hominis induſtriam pietatemque nouerat, & apud Moguntinum Treuerenſemque ſumma opinione ſanctitatis fuerat) auſpicio ac conſilio in electionem veniſſe ſcribant: cum ingens vis pecuniæ, quam duo vel tres Reges Colonienſi ac Palatino Electoribus pependiſſent, incaſſum numerata fuiſſet, vt appareat, Habſpurgenſem, non ſolum minoris loci Comitem, verumetiam rebus attenuatis, & qui Bohemo Regi, ac poſtea Argentoratenſi conductus ſeruierat, Diuini numinis ope aſcendiſſe ad id faſtigii. Quod poſtmodum ſiue miraculo, ſiue prodigio, cœlitus oſtenſum eſſe aiunt. Quo enim tempore Rudolphus, diadema, & reliqua Imperii antecedanea inſignia, Aquiſgrani, in templo ſibi oblata aſſumebat, Crux aureo lumine refulgens, ſuper Baſilicam è cœlo delapſa fuiſſe, memoratur, à rerum Germaniæ ſcriptoribus. Cæterum, cum vii. viri, Alfonſum Caſtellæ ac Legionis Regem præteriiſſent, ſiue adeo contempſiſſent, is iniuriæ vel maximæ loco accipiens id quod acciderat, Nuncios ad ſedem Apoſtolicam præmiſerat, qui Rudolphi electionem vitioſam eſſe exponerent, ſimulque inſinuarent, non debere Pontificem eorum dictis moueri, qui eius auribus inſidiantes, alienam gratiam captarent. Aimarius ex Dominicano Ordine, qui poſtmodum Abulenſis Epiſcopus fuit, & Ferdinandus Zamora Canonicus Abulenſis, Regii ſcrinii præfectus, Legationem obiere, Alphonſumque, quaſi is Friderici & Henrici fratrum germanorum calamitatem miſeratus, vindicare cuperet, innocentem huius conatus oſtendere, ſimulque flagitauere Gregorium, medium vt ſe gereret, atque rationum ſacroſanctæ quam gerebat perſonæ meminiſſet: Vrbani & Clementis exemplo, qui inter Alphonſum ac Richardum exæquato honore, ne alterutri præiudicaret, Regis appellatione vtrumq; exornarant.

[illegible] Anſtraca Comment. l. 1.

Crantz. in Saxon.

III. *Æmilius lib. 7.* Quare Rudolphus non iuerit in Italiam.

Fabella de Leone hæreticum figmentum Cuſpinia.

Ea Legatione nihil perfectum eſt, cum tam diuturnæ moræ tædium cæpiſſet. Principes Germani, qui Rudolphum Cæſarem elegerunt, expreſſerant, vt intra annum in Italiam diadematis cauſa ſe profecturum profiteretur. Verumtamen ille totis quibus imperauit annis, ſemper nouas occupationes publice cauſſatus, nunquam Italiam ingredi voluit. Ab amicis interim rogatus, quamobrem ab Italia deterreretur, non diſſimulanter reſpondit: quod Cæſarum in Italiam veſtigia, læta magnifica, plenaque bonæ ſpei videret: ex Italia vero refetentia, & foras verſa, triſtia, miſera, luctuoſa. Aliquis maleferiatus Germanorum hiſtoricus in odium Pontificum, Leonis Æſopei fabellam iſthuc attexuit: cum tamen illorum populi ſibi ipſis imputare deberent, eam quam non ſemel ab Italis pertulerunt cladem, quod ſpiritus tumentes attuliſſet, quodque temulenti inſolenteſque, in fortunas, capita, pudoremque eorum ſimul ac honorem ſeſe impudenter habuiſſent. Vel enim vna Creſcentii Ducis extincti vxor, olim à Germano violata in exemplum ſuffecerit, ad rapacitatem crudelitatemq; ſuperbiam, libidinem, ac reliquas à cœlo illo peſtes toto antro exhalantes, demonſtrandas: à quibus Germanum nomen, intra orbitam pacis ac puritatis obliquis hyrquis viſum.

IV. Alphonſi Caſtellæ Technæ, ab Greg. detectæ.

Epiſt. 22. 1. Nou. Non.

Sed ad Alfonſum Caſtulonenſem reuertamur. Nihil aliud is quærebat, quam vt Pontifici aliquo adhuc modo imponeret. Sciebat Gregorium maximo deſiderio recuperandæ Terræ ſanctæ, atque vnionis orientalium Eccleſiarum teneri. Quamobrem vt illum in Hiſpanias pertraheret, finxit ſe habere aliqua ſecretiora, quæ alteri quam illi non committenda eſſe cenſeret proinde congreſſum Pontificis poſtulabat. Apud Camberiacum tunc Gregorius diuerterat, cum eas ab Alphonſo litteras accepiſſet. Verumtamen cautus & perſpicax cum intelligeret quo Alphonſus technas dirigeret, reſcripſit, poſtulauitque ab Alphonſo, vt ea omnia ſecretiora, vel litteris, vel alicui ex intimis fideliſſimo, committeret, vt ipſe tandem, quid facto opus foret, decerneret. Iſtud autem ea conditione Gregorius Pontifex Regi Alfonſo præſcripſerat, ſi nimirum Concilio Lugduni indicto intereſſe non poſſet. Non poterat. Soluto enim Abulenſi Conuentu, quo Maurici belli perſequendi conſilia & auxilia quæſiturus aduenerat, ſiue à labore itineris, ſiue ab animi tædio tentatus, morbo haud leui decubuit, Concilioque intereſſe non potuit.

Omnia diuinitus oſtenſa Felicis Imperii Rudolphi.

Quo die Rudolphus Rex inſignia regni ſuſcepit, ſpatio vnius horæ apparuit nubes candida, in modum Crucis formata, quæ poſtea in ruborem ſanguineum mutata eſt. Iſtud cum Principes Rudolpho retuliſſent, dixit ille: ſi Dominus vitam proſperitatemque mihi conceſſerit, tranſmarinas partes adibo, & pro peccatis meis maximis Domino Ieſu Chriſto ſanguinem meum conſecrabo. *Annal. Colmarienſ.*

V. Crucem pro ſceptro auſpicato capit Rudolphus inter coronationem.

Inter Rudolphi coronationem, cum Principes Germaniæ Sacramento fidelitatis ſe obligari deberent, neq; ſceptrum adeſſet, quod manu contingerent, Rudolphus arrepta Cruce, ad eos dixit: *Ecce ſignum in quo nos & totus mundus redemptus eſt: & hoc ſigno vtamur loco ſceptri*: i. ſe deoſculata imagine Crucis aſſixi, omnes Proceres tam ſpirituales quam temporales adeo commouit, vt ſceptro non expectato, in ſignum Crucis manibus poſitis, ei iuramentum homagium præſtiterint. *Steronis Annalibus.*

Miſcellanea. *Dubrauius l. 17. Prateol. l. 9.*

Hoc anno apud Rodenburgium in Belgis, miracula in honorem Deiparæ virginis edi cæpta. *Annal Flandr l. 9.*

Flagellantium hæreticorum originem dedit Italia, & inde per Gallias Germaniaſque vagata, plurimas vrbes depopulata eſt, per plures vtriuſq; ſexus homines orco dedit nunc extincta nonnihil. At circa annum Domini 1315. recrudeſcens ſub Imperio Ludouici Bauari, late ſæuiit. Cæterum hoc anno ex Saxonia in Boemiam irrepſit. Ambulabant inſtar lupecorum vmbilico tenus nudi, lora manibus geſtantes, quibus tergà deſcribebant, februari ſeſe ſeu purgari & ſanguinis baptiſmo perlui hoc modo iactitantes. Peſſimorum hominum fuit colluuies, quorum alios igni, alios aqua Ottocarus ſuſtulit, plures proſcripſit.

Comites Montfortii pœnitentia. *ep. 21. Lugd. 3. Kal. Dec.*

Percuſſor Regii iuuenis Henrici Richardi filii, Regis Romanorum electi Guido Comes Montfortius, inſigni pœnitentia cædem eluit, & ſceleris Adminiſtros eiuſdem noxæ reos eodem traduxit. Funem itaq; collo imponens, nudus pedes inueſtiſq; vnica ſubucula & femoralibus cinctus, ad inſtar reorum ad pedes Pontificis Florentiæ ſeſe abiicit, miſericordiam clementiamq; impenſe requirens. Quem ob immanitatem ſceleris carcere mulctat cum ſociis aliquamdiu arctiore Gregorius, donec certi quid Regibus in Concilium aſcitis de reo ſupplici ſtatueret. Interim Edouardum monens Regem Angliæ, vt coronationẽ ſuam ante vel poſt Concilium inſtitueret, ne ab acceſſu Concilii Epiſcopi Anglicani illa pompa prohiberentur. Auaritiæ illud exemplum ſacrilegii & impiæ mentis in Dionyſio Rege Luſitaniæ, qui bonorum Eccleſiaſticorum cupidus, varios Epiſcopatus Eccleſiaſque ſuis poſſeſſionibus exuerat. Alfonſus filius patrem ſequebatur, quos cenſuris in officio continuit. Vti ab eodem morbo Philippum Regem Galliarum liberauit. Venetiis Laurentio Tepolo Duci, ſuccedit Iacobus Contarenus.

Auaritiæ exemplum in Luſitano Rege.

IESV CHRISTI
Annus 1274.

GREG. PAPÆ X. ANN. 3. RVDOLPH.
Regis Roman. Electi I. Mich. Palæol.
Imp. An. 15.

I. *Numerus Patrum ad Concilium Oecum. Lugd. [illegible] Genebr. Onuphr. Bellarminus.*

AD Concilium Calend. Maii conuenerunt Lugd. 500. circiter Epiſcopi, Abbates 60. aliique Prælati innumeri, vt mille Patrum numerum excederent. Legati Rodulph. I. Regis Romanorum adfuere obedientiam Romanæ Eccleſiæ more maiorũ ſpondentis, & ablata reſtituen-

tis.

tis.Michaelis Palæologi Apocryſiarii,cũ patriarcha Conſtantinopolitano,& aliquot Proceribus Eccleſiæ Orientalis fere 40.Itẽ Balduin.II.Imp.Orientis Imperio exutus, Legatiq; Regum, Principum, & Tartarorum.Item Iacobus quoque Rex Arragoniæ, primumque Græci ſchiſma eiurarunt, fidei profeſſionem adiunxerunt, errores Græcorum veteres damnarunt, & capita exhibita probarunt de proceſſione Spiritus S.& Primatu Rom.Eccl. *Greg. l.5. initio.Onuphrius,Nangiacus,Blondus.*

II. Breuis hiſtoria Concilii Lugdun.

Cæterum non abs re fuerit, hiſtoriam eius Concilii in ſummam redactam exponere,vt eius cauſę ac progreſſus, vna ſerie cognoſcantur.Ita res ſe habet.

Michael Palæologus Conſtantinopolitana vrbe capta, [a] Balduino Imp. qui poſtremus ex Latinis Conſtantinopoli regnauit, expulſo, Græciæ adeptus eſt principatum: Quare magnum erat periculum,ne Græci omnes,ad priſtinos redirent errores. Nam Michaele Patriarcha Conſtantinopolitano, & Leone Acridano Epiſcopo auctoribus Conſtantino Monomacho imperante, [b] Græci à Ro. Eccl.obedientia omnino defecerant:ac Latinorum ritum Miſſæ ſacrificium in azymo peragendi, ſabbati ieiunium, ac pleraſq; alias Romanæ Eccleſiæ conſuetudines condẽnare auſi erant.Negabant præterea Spir.S.à filio procedere,ac Latinos anathematis vinculo deuinctos eſſe affirmabant,propterea quod particulã illam (*Filioq;*) Conſtantin. ſymbolo addidiſſent. Hos errores multo [a] ante Photius Rom.Eccl.hoſtis acerrimus promulgauerat,quem poſteriores Græci ſecuti ſunt. Non defuerunt Rom. Pontifices officio ſuo ac muneri,vt eos ad veritatis tramitem reducerent. Præſtitit inprimis hoc [b] Leo Nonus, qui Legatis ac litteris Michaelem Conſtantinop. & Leonem Acridanũ, vt reſipiſcerent admonuit. Atque id facere recuſantes, à Pontificiis Legatis anathemate perculſi ſunt. Idem effecere,qui Leonem ſecuti ſunt Rom.Pontifices. Tandem [c] Balduini opera,qui primus ex Latinis Conſtantinop. Imperator fuit,Græci ad Rom.Eccl.obedientiã reuerterunt: ſed Latinis paulatim ex Græcia pulſis paulatim quoque Græci ad vetus ſchiſma redierunt. Cum autem poſt duorum annorum Apoſt.ſedis.Inter Pontificium,[d] Gregorius X. qui in exercitu Chriſtianorum aduerſus Saracenos in Syria commorabatur Pontifex eſſet electus,protinus Legatos ad Michaelem Palæologum deſtinauit, vt eum ad Catholicam fidem reduceret. Sciens præterea Gregorius in magno diſcrimine res Chriſtianorum in Syria verſari: prædeceſſorum Pontificum veſtigiis inhærens, Generale Conciliũ conuocauit, in quo de ſubſidio Chriſtianis mittendo, in Syria degentibus ageretur. Rem etiam arduam iudicauit,ac dignam de qua in Concilio ageretur:de Græcis nimirum ad Catholicæ & Rom. Eccl. fidem communionemq; traducendi. Acceſſit & tertia cauſa,quę priores Pontifices fere ad indicenda Concilia permouerat:vt ſcilicet Chriſtianorum mores ad priſtinam Eccleſiaſt.diſciplinam informarentur, & modus aliquis præſcriberetur, ad celerem Rom.Pontificis electionem faciendam.Multa enim mala ex longa Rom.Ecc.vacatione accidere ſolebant: ſcripſerat igitur omnibus Epiſcopis,biennio ante Concilii celebrationem,vt ad diem deſignatam Cõcilio Lugduni conuenirent.Scripſerat & Regib.atque Principibus,vt ipſi quoque Oratores ad Synodum mitterent. Viros præterea,& ſanctitate, & doctrina præſtantiſſimos euocauit. In his fuere S. Thomas Aquinas: qui dum ad Concilium proficiſceretur, ex hac vita ad Dominum emigrauit:ac S. Bonauent. quem Lugduni Pontifex Cardinalem Epiſcopum Albanenſ. creauit. Conuenerunt igitur ad indictum diem Lugduni præter Conſtantinopol. & Antiochenum Patriarcham, Epiſcopi quingenti; Abbates & [e] inferiores Prælati permulti. Adfuit quoque Iacobus Arragoniæ Rex, aliorum vero Regum ac Principum Oratores complures.Prima ſeſſio celebrata fuit ſeptima die Maii, [f] anno D. 1274.in qua Gregorius Pontif.tres illas cauſas, cur Concilium conuocaſſet,expoſuit. In ſecunda ſeſſione,Pontifex, Cardin. & Epiſcopi decimas omnium Eccleſiaſt. redditũum pro ſubſidio belli Hieroſolymitani, collaturos ſe eſſe promiſerunt.Poſt tertiam ſeſſionem,ad Concilium Imperat.Græcorum Legati aduenerunt, atque honorificentiſſime à ſummo Pontifice, & à Synodo vniuerſa excepti ſunt,& in ſolemni Miſſa,quam Pontifex celebrauit, ſymbolum eſt cum additione illa (*Filioque*) ter Græce decantatum.In quarta ſeſſione,lectis Imperat. & Græcorum Epiſcoporum litteris, in quibus Catholicam fidem profitebantur,& Rom.Eccl.Primatum agnoſcebant, eorum Legati ſummo Pontifici obedientiam exhibuerunt, & magna cum Pontificis, ac totius Concilii lætitia eandem fidem profeſſi ſunt.

a Niceph. Gregor. ul.4. Georg. Pachymeres l.5. Ioan.Villan. l.6.c.72.
b Humbert. in libro contra Græcos.
a in epiſt. encyclica ad Patriarch. Orientu.
b epiſt.1. & 6.& Leo Oſtienſ Chron. Caſſin l.2.ca.89.
c Vincent. Bellaacen. l.29.c.65.
d Martin. Polonus Ioan. Villan. l.7.c.40.& 44. Guilielm. Nangis in Philip. Rege. Georg. Pachym.l.5.hiſt.
S.Thomas & Bonauẽt. ad Conciliũ euocati.
e Matth. Weſtmonaſter. hoc ann. Ioan.Villan. l.9.c.118.
f Martin. Polon.& Acta Concily.

Addunt Græci ſcriptores, [g] Georgius Pachymeres, & Nicephorus Gregoras, Græcos ad communionem Rom. Eccl.admiſſos fuiſſe cum tribus conditionibus.Prima fuit vt à Græcis,ſummi Romani Pontificis,in ſacris Miſſarum myſteriis,mentio fieret.Secunda,vt Græcis omnibus liceret ad Sedem Apoſtolicam appellare. Tertia, vt ſummo Romano Pontifici Principatus in omnibus deferatur.Acceſſerunt etiam Tartarorum Oratores ad Concilium pro pace cum Chriſtianis ineunda: ex quibus vnus Chriſtianam fidem amplexus, à Petro Epiſcopo Oſtienſi baptizatus eſt.Interim S.Bonauentura ſummo cum Pontificis, ac Patrum omnium dolore, ab humana ad cœleſtem vitam profectus eſt.Demũ cohortatus eſt Gregorius Epiſcopos vniuerſos ad ſancte pieque viuendum & ad gregibus ſibi commiſſis inuigilandum:cum ex malorum Paſtorum moribus reliqui omnes Chriſtiani, à maiorum diſciplina degenerantes,in grauiora vitia prolabi ſoliti ſint.In hoc concilio decreuit Pontifex,Græcis etiam ipſis cõſentientibus, Spiritus S.vt à Patre,ita à Filio, tanquam ab vno principio æternaliter procedere. Cæterum hæc eſt breuis nota eorum omnium, quæ in eodem Concilio generali acta fuere,ab eo qui omnibus interfuit,atque omnia aſpexit,actis Concilii præſcripta.

g lib.5.hiſt.

III. *Concordia inter Daniæ Regem & Prælatos facta. Ep. 91. Lugdun. 2. Id. Nouemb.*

Eodem anno cum decimas ad ſexennium vbique & in regno Daniæ pro terræ ſanctæ ſubſidio per Prælatos colligi Gregorius ex definitione Concilii, Rex Henricus cum coniuge adeo id indigne tulerunt, vt Archiepiſcopum aliosque prælatos regno extorres egerint & bona eorum occuparint Archiepiſcopus recta ad Pontificem quæſtum abiit,qui ſeruata Eccleſiaſtica libertate intacta Regem flexit,Prælatos Eccleſiis reſtituit.

IV. *Obitus S. Thomæ Aquinatis & S.Bonauenturæ Doctorum Eccleſiæ.*

S.Thomas Aquinas Landulfo Comite Aquinate in regno Neapolitano natus,& à primis annis Dominicanę familiæ inſtitutum amplexus Scholaſticorum Theologorũ Princeps ac doctor Angelicus à Gregorio X. ad Conciliũ Lugdunenſe Neapoli vbi docebat vocatus, in itinere in morbum incidit, atque in monaſterio foſſæ nouæ Ciſtercienſis Ordinis piiſſime moritur quinquagenario maior Ioan. 21.ipſum Diuis accenſuit. Quieſcit Toloſæ in Gallia apud Domini. anos S.Bonauent.in Balneo regio natus ex VII. ordinis Minorum præfecto Generali Cardinalis Albanenſis creatus in Concilio Lugdunenſi Oecumenico eidemque præſidens ibidem in Domino obdormit anno ætatis 53.in Diuos à Sixto IV.anno 1482 relatus.

V. *Miſcellanea. Blondus. Leander. Platina. Arna. Fran. De Nangu. Æmil Hiſt. Hiſp.Lib.6. Decretal.*

Bononienſes poſt imminutam diſſidiis potentiam ſubdunt ſe vltro Roman. Pontifici. Ioanna filia vnica Henrici Regis Nauarræ & Campaniæ Comitis (quæ poſtquã Philippo Pulchro nupſit) data eſt à matre in fidem Philippi III.nunc Franciæ Regis,à quo Nauarræ datus eſt. Prorex Euſtathius Bellomarchius.Gregorius Pontifex ad Tartaros mittit Aſchelinum cum aliis tribus ſodalib. ex D.Dominici,ordine Euangelii prædicandi cauſſa. *Vincent.Belluacenſ.* Cardinales in Concilio Lugdunenſi ne quidquam fraudis electioni Pontificis ſubeſſet,arcto concłaui ſub ſeueriore cuſtodia ex eiuſdem decreto continentur, donec Pontificem adeant.

In Anglia hoc ann.poſt terræ motum, quo multa ædificia corruerunt, ſanguine in Vuallia pluit: quaſi prodigium exitiale illi genti, cuius ſanguine breui tempore poſt,ea regio paſſim maduit,ſub Leolino Griffinigio, qui nouas ſeditiones in Anglia fecit,& Francos ſibi ſocios adiunxit. In Germania prope Lauffenburgum oppidum in finibus Heluetiorum ad Rhenum fluuium ſitum, natus

eſt infans manibus ac pedibus anſerinis, capite horrendo. *Anonym.*

Ex ... Prædicatorum ad cœlos euolauit Beatus Humb... Burgundus, nouem Annis ordini illi cum generali poteſtate Præfectus. Poſt abdicatos Generalatum & Patriarchatum Hieroſolymitanum XI. annos in admirabili ſanctitate priuatus exegit. Iſtis auditis verbis præcentoris in choro ad conuerſionem pellectus: *Heu mihi Domine quia peccaui nimis in vita mea, quid faciam miſer? vbi fugiam, niſi ad te Deus meus?* Certiore calculo *Gualtherius* ponit hoc anno ordinem venerabilium Patrum Cæleſtinorum à S. Petro de Morono ſub regula S. Benedicti inſtitutum, & à Greg. X. confirmatum. Eo quidem nomine appellatus, quod huius fundator poſt 20. an. Papa creatur, & Cœleſtinus V. dicatur. Poloni quarto à Cracouio milliari duros ſalis lapides effodere cœperunt, præcipuas Regni opes. Edouardus Anglorum Rex annos 24. imp. Rodolphus Imperator ex Mathilde filia Ludouici Palatini, ſuſcepit filium Rodolphum, à quo Palatinorum, ad Rhenum, genus ad hunc vſque diem propagatur, *Beutherus Bucholzerus.*

IESV CHRISTI Annus 1275.

GREGOR. PAP. X. ANN. 4. RVDOLPH. Reg. Rom. an. 2. Michel. Palæol. Imper. or. 16.

I. Græcorum Proceres recedunt Conſtantinopolim. *Niceph. Gregoras l. 5. Marian. l. 3. c. vlt.*

DImiſſo Concilio Græciæ Proceres re ex voto confecta reuertuntur ac Gregorius Pôtifex in Italiam properat, his tamen legatos ſuos adiungit, vt perfectam concordiam efficerent, quæ ſperabatur. Veruntamen leuitate vulgi, Patriarchæ proteruia ac impietate Andronici, ſacra omnia fœdera religionis violata ſunt, imo maxima pars hominum aſperis veluti in Scena palliis induti vbique etiã extra ditionem Imperatoris alii aliis nominibus aſcitis vagati ſunt, plerique & decipientes & decepti.

II. Greg. Imperatoriam ſpem quem conuenit Alfonſus. *Mariana ſupra.*

Alphonſus Caſtellæ Rex non ſatis ſibi conſtans, & dignitatem Imperialem recuperare intendens, Belcairi (prouinciæ Phocenſis oppidum eſt in Rhodani ripa ſitum) Pontificem redeuntem opperitur ac adit; coram quo & Patribus qui eum erant ſecuti, ſuper hac re orationem habuit. At Gregorius, comis natura, & à multo vſu edoctus, poſt linguæ officium adiecit complexum & oſculum ita vt hominem ſedaret ac ab eo conatu auocaret. Reuerſus tamen Alfonſus in Hiſpaniam ab Imperii nomine & inſignibus nonniſi iuſſus abſtinuit. Conceſſa quoque fuit ipſi decimarum tertia, quæ in templorum fabrica conſumitur, in defenſionem ſui & Terræ Sanctæ contra Mauros. Cæterum hæc largitio Alfonſorum ſuffecit, ſed popoſcit decimationem integram, quam ex permiſſu Concilii Lugdun. nactus eſt.

III. Variæ Gregorii emendatæ quæſitæ ... Portugalliæ.

Belcairi Pontifex cum eſſet Portugalliæ, Regi Dionyſio diem dixit: Is enim nec vectigal olim à prædeceſſoribus ſuis Eccleſiæ Rom. aſſignatum pendere, nec immunitatem Eccleſiaſticam ſeruare illæſam. Correptus, vel admonitus potius & rogatus, tantum abeſt vt reſipiſceret, aut quicquam mutaret, vt etiam perſonas eiectas reuocare, neq; ablata Eccleſiæ reſtituere voluerit. Cumq; multoties fruſtra adhibuiſſet monita Gregorii, nouas ſanctiones pro Eccleſiaſtica libertate ſcripſit, eaſq; ad obſeruandum illi ſub anathemate miſit, & quidem Gregorius iſta Alfonſo in Galliis præſente.

IV. Obitus S. Raymundi ord. Præd. ... à Clemente VIII. canonizatus.

Antequam Alfonſus in Gallias profectus fuiſſet, vna cum Iacobo Arragonum Rege, ſocero ſuo, funus D. Raymundi cohoneſtauit: qui 8. Idus Ianuar. vitam hanc, in qua horrores ſæculi horrebat cum cœleſti gloria commutauit. In Bulla canonizationis eius narrat Clemens VIII. (quam innumerabilia miracula tum in vita, tum poſt vitam per vſum pulueris, qui ſine decremento ex eius ſepulchro exportatur, exhibita, induxerunt, vt 5. Kalen. Maii. An. 1601. Sanctum illum Diuorum Catalogo adſcriberet) adeo grauiter eum tuliſſe, quod Archiepiſcopatus Tarraconenſis ſibi à Gre. IX. delatus fuiſſet, vt febri corriperetur. Iordani Magiſtro generali, qui Ann. 1236. ex vita exceſſit ſubrogatus: quam primum affectam ætatem & valetudinem incuſans, ei officio renunciauit, ac priſtinæ quieti (cui erat audiſſimus) vitæque priuatæ, ac proinde ſibi ſe reddidit: nec tamen ſibi ſoli natum putabat: nam in procuranda Hebræorum & Saracenorũ ſalute magnopere ſudauit, Neophytos nõ ſegnius, donec ex toto formaretur in eis Chriſtus, imbuens. A Iacobo Arragoniæ Rege, cui ad Maiorem Inſulam ex balearibus proficiſcenti ſe adiunxerat, diſcedere cupiens, eo quod animum eius à veſano amore cuiuſdam fœminæ auertere nequiret, nautam habere non potuit, quod conſilio & iuſſu Regis fieri coniiciens, (qui capitali edicto prohibuerat, ne eum traiicerent) *Regem quidem mortalem iſta ſtatuiſſe*, ait, *ſed Regem æternum aliter prouiſurum.* Itaque per quaſdam rupes & prærupta ſaxa aliquantiſper progreſſus, in mare deſcendit, ac ſocium allocutus: *videbis*, ait, *quemadmodum Deus optimam nauim prouidebit.* Mox relicta inſula, ac ſigno crucis ſe muniens, mari ſe cõmiſit, omnibuſque circum littora inſolitum nauigandi genus exhibuit. Expanſo ſiquidem ſuper aquis pallio, reductiſque eius oris inſtar veli ad baculum, quo tanquam malo vteretur, ac leui proſperoque inſtante vento, sex horis 160. milliaria confecit.

Per id temporis Saraceni nobiliſſimas Hiſpaniæ ciuitates, quas vna inhabitabant, infeſtarunt. Item duo memoranda pietatis exempla contigerunt: vnũ in Hiſpania Sancii Regis filii: alterum in Sabaudia, comitis erga Deum. V. Sanctius ſuccedit Alphonſo Regi, excluſis Ferdinandi liberis. *Æmil. in Philip. 3.* Sanctius filius Alfonſi Regis iunior, iniuria, ne morte quidem patris exſpectata, Regnum inuaſit. Sed pater impietate minoris filii irritatus, memor quoque quod nepotibus ſuis, filiis Ferdinandi filii ſui grandioris, cu Blancha S. Ludouici filia hac lege nupſerat: vt ſi ante obitum patris moreretur, ſuperſtite etiam minore fratre, ſoboles tamen Alfonſo auo poſtea ſuccederet; id apud ſubditos effecit, vt nefario ſcelere ſe deuinctos cenſerent, ſi diris à patre deuoto filio obedirent: ac iam arma in eum caperent. Tum Sanctius ſupplex ad genua ſenis procubuit, iuſtum ſi videretur in ſe ſuppliciũ expoſcens, quid tum pater? paternus iudicet animus. Pietas Philippi Sabaudi Comitis. Comes autẽ Sabaudiæ Philippus, cũ mortem ſibi imminere præuidiſſet denunciauit per præconẽ in Sabaudia Burgundiaque (cui præerat) publice iuſſit, ſi mortalium vllum, cuiuſcunq; is Ordinis aut conditionis eſſet, læſiſſet, aut debito inſcius fraudaſſet, is ad ſe venire ne grauaretur: curaturum, omnibus quam cumulatiſſime vti ſatisfieret. Supellectilem omnem, eamque pretioſiſſimam, & regia haud inferiorem iis qui in egeſtate eſſent; Altæcombanæ autem Abbatiæ (in qua maioribus ſuis vti iungeretur, ſepulturæ locum ſibi delegerat) veſtis Eccleſiaſticæ varii generis ornatuſque, cuius ingens erat modus plurimum legauit, annuoſque monaſterii illius prouentus vectigaliaq; longe fecit auctiora. Defunctum fratris Thomæ filii, Thomas, Amadeus & Ludouicus, egregie tum concordes, & proximorum certaminibus inconcuſſi, omnibus qui triſte funus comitabantur mærentibus, mærentes ipſi extulere, digni profecto, tali patruo, taliq; ſtirpe adoleſcentes. *Lambert. Vanderburchius in hiſt. Sabaudiæ.*

Fere hoc an. duo portenta in regno Polo. extitere. Puer dentatus, eodem quo natus eſt die, diſtincte & articulate locutus eſt, donec religioni Chriſtianæ initiatus, & dentes & ſermonis vſum amiſit. Alius vero ſemeſtris Tartaros aduenturos, & Polonorum capita præciſuros eſſe prædixit, quod poſt duodecimum annum impletum eſt.

Columbariæ in Germania, hoc an. quidam iuuenis, eo quod virginem quandam vi deſtoraſſet, viuus ſepultus eſt: cum etiam anno inſequente quendam monetarium in aheno excoxerint. *Annal. Colmarienſ.*

Eodem an. die XIII. April. Nouesii in Germania, obiit religioſus P. F. Nicolaus Minorita, ſanctimonia inſigni conſpicuus, multiſque & infinitis miraculis clarus. *Annal. Archiep. Colon.*

Ipſo

Digitized by Google

VI. Obitus Mathildis Holland. Comitiſſæ 365. filios vno partu enixæ.

Ipſo iſto ann. obiit Mathildis, filia Florentii Comitis Hollandiæ, ea quæ vnico partu filios peperit n. 365. qui omnes ab Othone Epiſ. Traiectenſi ſacro lauacro, in pelui ſimul iacentes abluti, obierunt. *Annal. German.*

VII. Miſcellanea.

Obiit Bela IV. Vngariæ Rex 3. Maii, regnat filius eius Stephanus huius nominis V. bello clarus: Hoc anno bellum decretum Imperatorium in Ottocarum Bohemiæ Regem, iura Imperii vſurpantem tradunt aliqui. *Naucler. Trithem. Auent.*

IESV CHRISTI Annus 1276.

INNOCENTII V. PAPÆ 1. RVDOLPHI Reg. Rom. 3. Michael. Palæol. Imper. Orient. 17.

I. Gregor. X. Aretii moritur, clarus miraculis.

ARetium Etruriæ Ciuitatem cum Greg. Papa ingreſſus fuiſſet, morbo graui correptus è vita migrauit 3. Id. Ianuarii. Vir certe in omni vita clarus, prudentia rerum gerendarum, fortitudine animi, qua pecunias & res humiles contemnebat, humanitate, clementia, benignitate in pauperes Chriſti, & eos potiſſimum, qui ad gremium Sedis Apoſt. confugiebant. Recuperationem terræ ſanctæ, & inimicorum Crucis Chriſti exterminium præcipue cogitabat, ad eamque vnam rem Chriſtianos omnes poſitis inter ſe contentionibus intendere debere exiſtimabat. In Eccleſia Cathedrali S. Donati ſepultus, multis miraculis poſt mortem editis ſanctitatẽ ſuam illuſtrauit. *In C. MS. Biblioth. Vat.* n. 3457. ſignato, eorum aliqua deſcripta ſunt ſepulto Gregorio Cardinales ex lege pridem à Gregorio lata, Innocentium eius nominis V. (Petrus ante vocabatur) ex inſtituto Prædicatorum, prius tamen ad Cardineã dignitatem euectum, die S. Agnetis in ſummum Sacerdotem promouerunt. Sacro diademate ex ritu priſco coronatus animum ad pacem Italiæ conciliandã adiecit. *Ptolomæus Lucenſ. in Innoc. V.* Quãobrem duos Cardinales Legatos in Etruriam inprimis deſtinauit, qui Lucanos & Piſanos diſcordes ad concordiam reuocarunt. Ipſe quoq; Florentinorum Legatos benigne audiuit, cumq; Gibellinos eiectos in vrbem reducere reſpondiſſet, ab excommunicatione exſoluit, atq; ciuitati ſacra reſtituit: Michaelem etiam Palæologum Imperatorem fidei in Concilio Lugdunenſi datæ admonuit. Venetos quoq; & Genuenſes rurſum inter ſe altercantes, in officio & pace continuiſſet, niſi improuiſa morte ſublatus fuiſſet. Poſt quintum enim menſem & aliquot dies, magno damno Eccleſiæ defunctus eſt: in Baſilica Lateranenſi ſepultus.

HADRIANI V. PAPÆ ANNVS I.

II. Eligitur Hadrianus V. & paucis diebus viuit.

AD diem XII. Iulii Patres congregati, Hadriano V. poſt Innocentium, munus Pontificium detulerunt. Erat Hadrianus, patria Genuenſis, familia Fliſca ſiue Lauania, Ottobonus antea tituli S. Hadriani Cardinalis Diaconus, aliquot diebus tantum ſub hoc glorioſo miſeriæ genere (veram enim miſeriam hanc dignitatem arbitror iis, qui eam ſeque ab omni contagio præcipitioque præſeruare decreuerunt; reliquis enim quanto leuior videtur, tanto funeſtior ſtatus eſt) ſuſpiria duxit; nam ad XV. Kal. Sept. ex humanis diſceſſit, cum inter Rudolphum Regem Romanorum & Carolum Regem Siciliæ diſſidia recens exorta componeret.

IOANN. PAP. XXI. ANN. I.

III. Eligitur Ioan. 21. Caſtellanus.

IVſtis perſolutis Hadriano, ad XV. diem Sept. Ioannem 21. profeſſione Medicum Vlyſſipone in Hiſpania, natum cui Petrus Hiſpanus antea nomen erat, Logicis cognitũ, reſpexerunt Cardinales. Extat de re medica liber eius qui theſaurus pauperum inſcribitur. Qui Pontificatu ſuſcepto pontem Michaeli Palæologo, vt per eum ad vnionem Eccleſiæ rediret, ex lignis viuis conſtruxit, miſſis ſiquidem Legatis id effecit, vt Michael cum Andronico filio (Ioſepho Patriarcha in ordinem redacto) profeſſionem fidei Romanæ, tum Primatum Rom. Pontificis, datis litteris & Apocryſiariis ad eum teſtarentur. Litteræ ita ſe habent.

IV. z. l. Priuil. Rom. Eccleſ. Formula profeſſionis fidei coram legatis facta ab Palæologo & filio Andronico.

Sanctiſſimo & Beatiſſimo Primo & Summo Pontifici Apoſtolicæ ſedis & vniuerſali Papæ ac communi Patri omnium Chriſtianorum, & Reuerendiſſimo Patri Imperii mei Dn. Greg. Michael in Chriſto Deo fidelis Imperator & moderator Romæorum Ducas Angelus Dominus Palæologus Epiſcopalis filius.

Magnæ ſanctitatis veſtræ conuenientem honorem & reuerentiam, cum ſyncera & pura affectione ac orationum poſtulatione.

Qui miſſi ſunt à magnitudine veſtra ad Imperium noſtrum Nuncii Deo placentes Ord. Minorum, videlicet F. Hieronym. de Eſculo, Fr. Raymundus Berengarius, Fr. Bonagratia de S. Ioanne in Perſeceto, & Fr. Bonauentura de Muzelo, & obtulerunt litteras veſtræ magnæ ſanctitatis, in quibus cum aliis, & de profeſſione fidei quam docet & prædicat & confitetur ſancta Eccleſia Romana continebatur, & oportebat in his magnam reſponſionem nos conuenienter facere: ecce hoc facit Imperium noſtrum, ſubſequitur profeſſio, poſt quam hęc ſubſequebatur iuramenti formula:

Formula iuramenti qua profeſſio confirmata fuit.

Ego Michael in Chriſto Deo fidelis Imperator & moderator Romanorum Ducas Angelus Comnenus Palæologus omne ſchiſma prorſus abiuro, & ſupraſcriptam fidei veritatem prout plene lecta eſt & fideliter expoſita, veram, S. Catholicam & Orthodox. fidem eſſe cognoſco eam accepto, & corde & ore profiteor, ipſamque prout eam veraciter tenet, fideliter docet, & prædicat Sacroſancta Romana Eccleſia me inuiolabiliter ſeruaturum, nec ab ea vllo vnquam tempore receſſurum, vel quoquomodo duraturum, vel diſceptaturũ promitto. Primatũ quoq; ipſius ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ prout in præmiſſa ſerie continetur, ad ipſius Eccleſiæ obedientiam, ſpontaneus veniens fateor, recognoſco, accepto ac ſponte ſuſcipio: & omnia præmiſſa tam circa fidei veritatem, quã circa eiuſdem Eccleſiæ Primatum & ipſorum recognitionem, acceptationem, ſuſceptionem, obſeruantiam ac perſeuerantiam ſeruaturum, præſtito in animam meam corporaliter iuramento, & promitto & confirmo, prædictũ iuramentum prædicti Logothetæ noſtri approbo & ratifico. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

Hæc autem omnia ſupraſcripta facit Imperium noſtrum ac Sanctiſſimum & Beatiſſimum Summum Pontificem & Venerabilem Patrem noſtri Imperij vniuerſalem Papã Dominum Ioannẽ Vigeſimum Primũ, & per ipſum ad omnes ſucceſſores ſuos, roborans ipſa per propriæ manus Dei gratia Imperialẽ ſubſcriptionem ſuã & per ſigillum potentiæ ſuæ Menſis Aprilis Quinta Ind. Sexto milleno, ſeptimo centeno, octuageſimo quinto anno. Actum eſt hoc in vrbe noſtra Conſtantinopolitana in ſacro noſtro palatio Blachernarum.

Erat quod ad hanc ſubmiſſionem Palæologum perurgeret, nimirum quod Carolus Regis Hieroſolymitani titulum pecuniis obtinuiſſet: iſq; ob hanc cauſam, & ob oppreſſos à Conſtantinopolitanis Genuenſes, qui eius auxilium implorarant, infeſtus eſſe Palæologo inceperat, ac Orientalis Imperii capeſſendi deſiderio teneretur. Alia cauſa fuit Turcarum metus: nam Turci in inſigni conflictu cũ victores euaſiſſent, ſecuri & prohibente nemine, omnes Prouincias Orientis vſq; ad Sargarium percurrebant, deuaſtantes: Cuius mali pertæſus Michael & præcipue Andronicus (qui datis ad Ioannem per eoſdem miſſos literis, poſtquam, quæ pater profeſſus fuiſſet, aperte à ſede Apoſtolica auxilia implorabat) omnia quæ Ioannes deſiderauerat abunde promiſere. *Gregorius de progreſſu Imperij Turcici.*

V. Mors Iacobi Arragonii Marian. l. 17.

Iacobus Arragoniæ Rex, ex mœrore ob inſignem cladẽ à Mauris illatam, cõcepto, Valentiæ 27. Iulii mortuus eſt. Succeſſit filius Petrus huius nominis II. alter filius dictus Iacobus Maioricam accepit. Eius ſtudio ad duo millia tẽplorum extructa dicuntur. Militię laude cum quouis veterum comparabatur: nam trigeſies cum Mauris ſigna cõtulit, ſecundo ſemper euentu. 63. annos regnauit: vna tantũ

Digitized by Google

Crantzius in Vandalia. Duplex miraculum. Annal. Colmaria.

libidinis licentia deformatus. Henricus Daniæ Princeps à Saracenis capitur, & 26. annis in ſeruitute permanſit. Colmariæ ex dormitorio Fratrũ Præd. viſa ſunt lumina quam plurima per modum pugnantium diſcurrentia exire. Obſtergi quædam Monialis ſine potu vndecima annis perſeuerauit. In Polonia quidam miles qui viuendo oblitus erat Dei, moriendo oblitus eſt ſui: nam in morbum cum incidiſſet, Fratres Prædicatores cum ad pœnitudinem multifariẹ exhortabantur: quibus *Serius*, inquit, *me ad pœnitentiam impellitis, ſerius confeſſionem* iudicato & iam damnato ſuadetis. Auditæ ſunt illico percuſſiones horrendæ, vt atrociſſima flagellationum ictuumque verbera, inter quæ ille infelix, infeliciter exſpirauit.

VI. *Annal. Polon. Miſcellanea.*

Ex decreto Imperatorio Rudolphus I. ingenti exercitu Auſtriam, Styriam, Carinthiam aliaq; loca ab Ottocaro Bohemiæ Rege nullo iure occupata aggreditur, ſibique ſubijcit. Siffridus, & inprimis Viennam Stephanus Vngariẹ Rex Budam recepit & Bulgaros impoſito annuo vectigali, reprimit. Bonfinius. Puer ſeximeſtris reditum Tartarorum prædicit in Poloniam. *Mart. Cramerus.*

IESV CHRISTI
Annus 1277.

IOAN. PAP. XXI. AN. I. RVDOLPHI Reg. Rom. an. 4. Mich. Palæol. Imp. Orient. an. 18.

I. Mors Ioan. XXI. cui ſuccedit Nicolaus III. Ioan. 21. Summatium geſtorum. *ep. 3. & 163. ep. 13. 14. 15 ep. 91. ep. 166. & 177.*

PRæſenti anno Ioannes cum 8. menſibus & aliquot diebus ſediſſet, concluſus ruina Viterbij opprimitur. Poſt ſex menſium Interpontificium in feſto S. Catharinæ Io. Caietanus Vrſinus, probitate vitæ & magnitudine animi clariſſimus, ſummus Pontifex, ſub Nicolai III. nomine ſalutatur. Ioannes ante obitum 1. Legatos in Galliam & Hiſpanias deſtinauit ad conciliandos Reges Philippũ & Alfonſum. 2. Apocryſiarios ad Magnum Cham Tartarorum, qui fideles in fide confirmarent, deuios autem reuocarent miſit. 3. Nuncios ad Regem Hungariæ pro ſedandis domeſticis tumultibus ire iuſſit. 4. Regem Galliarum, à nimia extorſione decimarum cohibuit. Nicolaus III. ſuſcepto onere, vt nullus deinceps præter ex Regia nobilitate in vrbe eſſet conſtituit, vitam impudicam Ladislai Hungariæ Regis, Cumanarum amoribus impliciti (vnde & Chuno cognominatus eſt) emendare, grauiſſima diſſidia inter Ottocarum Bohemiæ Regem & Rudolphum Imperatorem, cui Chunus adhærebat ter quaterue redintegratas componere. Luxurias item & crudelitates Galllorum in Sicilia, propter quẹ Siculi operam à ſede Apoſt. popoſcerunt, compeſcere opus habuit. Ottocarus Vienna capta, & Imperatoris copias veritus, tandem ei ſe ſubdit, ac cũ in tẽtorio Auguſtali (quod ad id extẽſum erat vt eius honori conſuleretur) ſolemne ſacramentũ præſtaret, ecce tentorium ex improuiſo, (de induſtria tamen) in partes ſolutum decidit: callidaque ruina Ottocarum ad Rudolphi genua ſupplicem, vtrique exercitui ſpectatum exhibuit: quod noui belli & necis Ottocari ſequenti anno occaſionem dedit.

II. Siculorum querelæ ſuper Gal. ad Sum. Pontif.

Legationis Siculorum ad Pontificem initium iſtud fuit: *Miſerere mei fili Dauid, filia mea male à dæmonio vexatur.* Hoc finito ſtatim ſub ordine enormes libidines, rapinas, exactiones, exilia, publicationes bonorum, aliaſque à Francis illatas iniurias expoſuerunt atque Carolum admoneri petierunt, quod præſtitum anno ſequenti.

III. Primogenitus Philippi Ludouicus veneno tollitur.

Brochius cubicularius Regis Franciæ, quod ſecreta Hiſpanis detegere ſoleret: item quod mors Ludouici filiorum Regis maximi (adeoque in Ludouici Eburonici ex Maria, quæ cum ſuſpicione veneni erat, in eum retorta eſſe in patibulum redactus eſt. Super morte autem hac filij ſui Rex, Petrum Baiocenſium antiſtitem cum alio ſibi adiuncto ad veridicam anum in Niuella Brabantiæ degentem miſit, hoc exitu, vt ad Regem cum redijſſet Pontifex ſibi nihil latere renunciaret, ſed ea effari ſibi per religionem non licere (ſolus autem ſine ſocio præter intentum Regis anum conuenerat) quod ſacra confeſſione vt Sacerdos omnia audiſſet: Cui Rex, *non ad myſteria*, inquit, *ſed vt miniſtrum te miſi, & nuncium.*

IV. Inſigne & rarum fratris violati in fratrem clementiæ exemplum.

Hoc eodem anno Valdemarus Rex Suetiæ, partim propria, partim vxoris inuidia incitatus contra Magnum Sudermanniæ Ducem fratrem ſuum arma mouit: at infeliciter. Nam Rex prius ante prælium (ecce iuſta Dei diſpenſatio) familiarius quam honeſtius cum Iutha ſorore vxoris ſuæ, quæ id temporis ex Dania, in Sueciam cum magnifico apparatu & Regia pompa aduenerat, ſeipſum enormi ſcelere contaminauit, thorumque vxoris inceſtuoſe violauit. Quare amiſſo exercitu in poteſtatem Magni fratris ex fuga retractus venit. Magnus autem quid? magnum ſeſe factis atque clementia monſtrauit: ſupplici enim reſpondit: Scio quia fratres ſumus, agam tecum ad quæ ducit humanitas, vt omnes cognoſcant me maximis beneficijs maximas iniurias compenſare.

Olaus Hiſt. lib. 9.

V. Pagani Bergomenſ. & Petri Caderitæ Ord. Præd. martyrium.

Eodem tempore Paganum Bergomenſem Ord. Præd. Sacræ Fidei Inquiſitorem Sicarij confoderunt, & cum eo duos laicos à libellis officij, dum Petrus Caderita eiuſdem officij in Arragonia eandem fortunam haberet.

Circa idem tempus Sanctia Iacobi Arragonum Regis filia, in pauperes & ægritudine confectos ſumme hoſpitalis vita functa eſt. Guilielmus Comes Iuliacenſis Aquiſgrani interficitur. *Morau.*

Surita lib. 2.

Miraculum mundi turris Argentinenſis in feſto S. Vrbani inchoata.

Turris Eccleſiæ Cathedralis Argentinenſis iure merito mundi miraculis poteſt accenſeri ob altitudinem, firmitatem, & quadrilateram ad apicem vſque arcuum feneſtralium interpoſitu, aperturam, vtpote quæ etiam ab 40. milliaribus Italicis de plano conſpici queat à viatore. Hæc ædificari cœpta eſt. An. præſenti, & poſtmodum Anno 1305. Vigeſimo octauo ſcilicet anno ad faſtigium deducta perfectaque ſunt. De hac turri multis ſcribit *Aeneas Syluius* in Opuſculo de Germanis. Mirabile opus, quod caput inter nubila cõdere videtur. Baſilica vero adeo nobilis auguſtaque eſt, vt licet interea quinquies tum tempeſtate aeris, tum incuria hominum exuſta fuerit, maiori tamen indies ſumptu, precioſiore apparatu ſit inſtaurata. Sub ipſa turri & ſupra ianuam, quam Sertorum vocant legitur hæc epigraphe.

ANNO DOM. 1277. DIE B. VRBANI HOC GLORIOSVM OPVS inchoauit Magiſter Ervvinus de Steymbach.

IN ſuperiore parte turris, vbi eſt initium galeæ & faſtigij turris, quam Ioan. Hiltz Colonienſis, (qui Architectonicem accurate addidicerat) feliciter ad ingeniorum Colonienſium non vulgarem laudem conſummauit: legis hæc Chriſtianiſſima ἀξιώματα per circulum turris lapidibus ab eodem inuiſa.

Ad Orientem.

Christvs Glorificat, Christvs Cvnctis Donat.

Ad Occidentem.

Christvs Rex Trivmphat, Christvs Semper Regnat.

Ad Septentrionem.

Christvs Coronat, Christvs Et Svperat

Ad Meridiem.

Christvs Et Imperat, Christvs Nos Renovat.

De eadem hac turri Ortelius in ſuo Theatro ſic ſcribit. Præter multa, inquit, commendanda quæ ſunt in vrbe Argenti-

nenſi elegantiſſima eſt ſummi templi turris, cuius altitudo tanta eſt, vt ea non ſolum cæteras totius Germaniæ, ſed niſi fallor, totius Europæ ſuperet. Pedum eſt, vt Munſterus ſcriptum reliquit 574. Viennenſes in Auſtria ſuam, templo D. Stephani impoſitam putant præſtare cæteris celſitudine: ſed ea (vt Cuſpinianus tradit) tantum eſt pedum 480. Turris D. Pauli Londinenſis in Anglia, à terra pedes 534. in altitudinem aſcendit: referente Wilhelmo Campeno Antuerpiam D. Virginis 466. pedes habet. An vero pedes architectonici harum vrbium menſura æquales ſint, nec ne, inueſtigent harum rerum curioſi.

Moræus Paralip. Vrſperg.

IESV CHRISTI
Annus 1278.

NICOL. PAPÆ III. ANN. I. RVdolph. Reg. Rom. Ann. 5. Mich. Palæol. Imperat. Orient. An. 19.

I. Contra tyrannidem Carol. facit Cardinales Romanos & cognatos.

ZElum iuuandæ Eccleſiæ, vindicandæque tum Eccleſiaſticæ, tum Romanæ, tum Italicæ libertatis, ſtatim atque aſſumptus eſt Nicolaus oſtendit.

Cum enim Carolum Regem Siciliæ, omnibus Interpontificis anni ſuperioris nihil aliud conantem meminiſſet, quam vt Pontificiam authoritatem ad Gallos transferret, ſuique iuris Pontificibus creatis, Italiam, atque inprimis Eccleſiam Romanam poſſet opprimere ille non tam (vt iniquiores imponunt) ſanguinis, quam libertatis publicę, vt res eſt, amore: cum non alios quam Romanos, ac inprimis ſibi ſanguine coniunctos haberet, quos tyrannidi Caroli, pro Eccl. Romana & Italica libertate, adeo confidenter opponeret, Viterbienſi ciuitati toties Rom. Pontificibus rebelli, atque per Interpontificiorum tempus omnia miſcenti, Viſum Vrſinum, Æmiliæ, Bertholdum Vrſinum militaribus copijs, eundem Vrſum Vrſinum tit. Mareſchalli præfecit: & ad 10. Id. Maij Septem rerum gerendarum magna dexteritate viros, quorum tres ipſi conſanguinei erant Cardinalatu donauit, quorum auxilio deſideratæ Eccleſiarum Orientalium cum Rom. vnioni incumbere poſſet. Nuncios enim Michaelis ad Ioannem interea mortuum miſſos, de omnibus edocuit, & ad Michaelem cum ſuis, cum miſſis tum literis reuerti fecit. Literarum initium hoc erat.

II. Vnionem Orientalium cum Eccl. Rom. curat.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI CLARISSIMO in Chriſto filio Michaeli Palæologo, Græcorum Imperatori Illuſtri Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ep. 114.

Sicut ex literarum tuæ Magnitudinis Sedi Apoſtolicæ nouiſſime directarũ grata lectione collegimus. Ad petitionem autem per eos coram felicis recordationis Gregorio & Innocentio V. Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris propoſitum, & nouiſſime in noſtra, & FF. noſtrorum præſentia repetitam, credimus per ſpeciales literas eiuſdem prædeceſſoris Innocentij, plene, prout ſuaſit facti qualitas ſuiſſe reſponſum: quam quia nulla poſtmodum nouitas immutauit, nec nos reſponſionem putauimus innouandam. Dat. Viterbij Nonis Octob. anno 1.

Nicolao autem iterum Michael reſcribens hoc anno mẽſe Sept. Eandem quam ſupra fidei formulam, & Rom. Eccleſiæ Primatum cum filio ſuo Andronico, profeſſione noua cõfirmat, literis quoq; Impp. Ioannes Patriarcha ſuas adiũxit, in quibus præcipue anathemate damnat eos, qui dicebant Rom. Pontificem nõ eſſe Chriſti Vicarium.

III. Palæologus

Hanc conſiderationem nequicquam curans Carolus, cum Philippo Balduini filio ingentem claſſem contra Michaelem: (qualem ſimiliter ille contra Latinos comparauit) inſtituit.

occaſione fauoris ſummi Pontificis prudenter vtitur.

Non deerãt ex Siculis qui Palæologum contra Carolum animarẽt, inter quos Ioannes à Prochyta vir nobilis. *Non dubia ſunt inquit, Francorum conſilia de iſto Imperio decipiendo copiæ ſemper nouæ ex Gallia in Italiam tranſcendunt: claſſis apparatur: pacem totam domi foriſq; colunt: hoc vnũ bellum illis in animo eſt: huc omnibus viribus, omni conatu incumbunt. De re Græca actum eſt, ſi domi ſedenſque expectas hoſtem, qui ferox viribus, & memor ſuperiorũ de Græcis victoriarum ferri non poterit.*

Palæologus autem vir magni & animi & conſilij non tam acri admonitore, quam fideli, callido, impigro & qui Francos peſſime odiſſet, miniſtro indiguerat, cuiuſmodi omni ex parte Ioannem eum eſſe teſtimonio exulum Siculorum Appulorumq;, qui quamplurimi etiam in Græciam merant cognoſceret: eum velut cœlo ad ſe miſſum cupide excepit delegitq; miniſtrum. Mentiuntur qui rem cum Nicolao Pontifice communicaſſe ferunt, cum vxori Caroli & filio eius ſcripſit, vt illa maritum, hic patrem amoribus & precibus permouerent, ad eliberandos Siculos oppreſſos & cũ Palæologo pacem firmarent. Verum hoc eſt, quod Pontifex cum videret regnum Siciliæ ſub tyrannide miniſtrorum illius gemere, ipſum quoque Carolum non vſquequaque æquum eſſe tum Romanæ vrbi cui cum dignitate ſenatoris, tum Etruriæ, cui titulo Vicarij Imperij præerat, adeoq; potuiſſet in eum deiurantem anathema diſtringere, feudique iure exuere ſatis habuit literis eum admonere, vt ad recuperandam Æmiliam & reliqua iuris Eccleſiaſtici bona ab iniquis poſſeſſoribus occupata animum applicaret, quo ipſi nihil fuit facilius. Neq; eſt quod Cenſores tetrici Nicolaum tantæ iniuriæ reum faciãt, & in barathrum diſturbent, quod dilectum ipſis tantopere Carolũ Prętura Etruriæ inuitum, vt aiunt, & inuide exuerit. Nam prætetquam quod ipſe Carolus tam Senatoriam in vrbe dignitatem quam Vicariã in Etruria poteſtatem ſponte & ex pacto depoſuerit vt literæ Nicolao Pontif. anno pręſenti 24. Maij Indict. 6. datæ teſtantur, Rudolphus ſtatim atq; in Regem fuit euectus de Imperij Vicaria poteſtate controuerſiam Carolo mouit, ita vt apud Gregorium & tres vno anno ſucceſſores Pontifices: & Cardinales per interpontificium 6. menſium, & nunc tandem apud Nicolaum literis & nuntijs continuis maieſtatem Imperatoriam imminui quereretur imo armatus in Italiam irrumpere tẽtaret. Accedit præterquam quod Vicarij poteſtas hæc non niſi ad arbitrium futuri Imperatoris illi decreta permiſſa fuerit, quod ratio aliam adminiſtrationem poſtulabat: nam præter ſuperius dicta tantum ſibi Carolus in Italia vſurpabat, vt etiam Conclauis ſacratioris cuſtodiam ſibi vendicaret, & mente ſua eligi Pontif. vellet.

IV. Calumniæ in Nicolaum IV. refelluntur: de abdicatis ab Imperio Senatoria dignitate, & Prætura Hetruriæ.

Hæretici fruſtra Nicolaum PP. cauillant. Ep. 26. & 10. Viterb. 4. Non. Aug.

Hoc eodem anno Rudolphus per Godefredum Legatum in ampliſſimo Romanæ aulæ ſeu Conſiſtorij conſeſſu omnia à Cancellario Imperij geſta & extorta reuocauit, in eam rem vniuerſis iuramento à Cancellario extorto ſeductis ita quidem vt literis Viterbij hoc anno Indictione 6. aperte declarauerit ex geſtis eius Cãcellarij nullum ſibi aut ſucceſſoribus Imperij Romani ius aut iuriſdictionem deceſſiſſe in Aemilia Vmbria, Etruria &c.

V. Vtramque Rudolphus quoque per Legatum aſſerit. *Ep. data in caſtris apud Duc. Nor. Sept. Ind. 6. ann. 1278. Regni 5.*

Hęc in Italia dum agerentur in Germania atrox bellum Ottocarus cum Rudolpho habuit, in quo Ottocarus cæſus occubuit. In Gallijs quoque & Hiſpanijs arma infeſta inter Alfonſum filiumq; eius ſanctum, quem nunc nepotibus ſuis ex Ferdinando & Blancka in regno prætulerat: & Philippum Galliæ Regem. Pontifex deciſionem controuerſiæ ſibi committi voluit, cuius arbitrio cum Philippus rem totam committeret. Alfonſus contumax perſtitit, qui inſuper in Archiepiſcopum Compoſtellanum multum iniurius fuit, nec militibus Hieroſolymitanis & S. Iacobi multum æquum ſe præſtitit cum decimas in Concilio Lugdun. quibus impoſitis ab illis exemptus extorqueret cur Pontifex eum pręmonere habuit ne Dei & S. Iacobi vindictam in ſe prouocaret.

VI. Ottocarus Bohemus in prælio aduerſus Rudolphũ cadit. *Nauler. generat. 41. volum. 3.*

Edouardus Angliæ Rex iure fiduciario, quo regnum illud Eccleſiæ Romanæ obſtrictum erat mira arte (ſed de-

Edouardus Anglus à iure fiduciario ad Rom. Eccleſ. Angliã liberare nititur. *M.S. Bibl. Vatic. num. 3386.*

luſa ab arte Nicolai) eliberare conatus eſt. Multas quoque leges tam Eccleſiaſticis quam politicis rebus vtiles tulit. Ad quem Ioannes Cantuarienſis Archiepiſcopus ne leges ederet, quæ ſummorum Pontificum, quæ Oecumenicorum Conciliorum, quæ SS. Patrum decreta euerterent. Magno autem & ſingulari quodam pietatis cultuſque affectu Edouardus in B. Virginem Mariam honorandam propendebat: nempe ſingulis Sabbathis auſterum & rigidum in ſolo pane & aqua ieiunandi morem, in honorem ipſius obſeruabat.

VI. B. Sitæ Etruſcæ Virginis Sanctitas, & obitus. *Caſar Franciſcus Sd Sanctis Lucana Vrbe.*

Hoc anno cœlitibus adiuncta eſt B. Sita Virgo Etruſca anno 1218. nata, cum 60. annis vitam in omni ſanctarum virtutum exercitio iam duxiſſet, Defunctæ cadauer fragrantiſſimum odorem exhalauit incorruptumque poſt annos 326. ſcilicet 1581. repertum eſt, & multis miraculis enotuit. Quindecim cæcos illuminatos & 12. energumenos eliberatos meritis illius memorat *Hugolinus Parmenſis* Nicolaus quoque Papa hoc anno pro catechizandis Iudæis præclaram conſtitutionem ſcripſit ad quendam ex familia Prędicatorum 2. In diſcordia inter Veſprimienſem Epiſcopum & Præpoſitum Tranſiluanienſem cum Strigonienſis Archiepiſcopus nihil effeciſſet Præpoſitum ad dicendam cauſam in vrbem euocauit 3. Vt Veronẽſes, qui Conradum receperant & ideo à Clemente anathemate percuſſi, anathemate ſoluerentur ſupplicibus indulſit 4. Ne Conrado Veneſtæ inſigni hæretico, eiuſque nepotibus impune eſſet quod Paganum inquiſitorem & duos eius Notarios occidiſſent, eos anathemate percuſſit.

VII. Miſcellanea. *Rudolphi I. poſteritas.*

Filius Wenceslaus Secundus Othocari in regno Bohemiæ ſuccedit. Huic Rudolphus Imper. filiam ſuam Gutham ſiue Iuttam tradidit vxorem: alteram vero filiam Caroli, Caroli Regis Siciliꝑ filio, tertiam Duci Bauariꝑ, quartam Duci Saxoniæ dedit. Sororem vero Wenceslai Regis iunxit Rudolpho filio ſuo iuniori, quem & Auſtriæ Ducem conſtituit. Is Pragę obijt, ibidem in cathedrali baſilica ſepultus, relicto filio Ioanne, qui apud auunculum ſuum Wenceslaum Bohemiæ Regem manſit. Albertus autem Rudolphi Imperat. filius ſenior, fratri ſuo Ioanni in Ducatu Auſtriæ ſucceſſit, & ex coniuge Mathilde, Ducis Carinthiæ Comitiſque Tyrolenſis ſorore multos vtriuſque ſexus liberos ſuſtulit. Primogenitus eius Rudolphus duxit filiam Regis Franciæ, quæ primo in puerperio moriens Viennæ Auſtriæ ſepulta eſt. *Siffridus Nicolaus*, vt refert *Gordonus ex Aemilio*, ob turbas propter Senatoriam vrbis dignitatẽ & Præturam Hetruriæ inter regium ſanguinem excitatus, edixit, vt nullus deinceps Prætor eſſet Vrbanus, (Senatorem Romani vocabant) ex regia nobilitate ortus: & ne pluſquam annua foret Prætura. Erat nunc Carolus Siciliæ Rex: & idem Imperij Vicarius, Hetruſlis dans iura & Magiſtratus: ei nomen Vicarij abrogauit Nicolaus: cui nimis magnas, hac tempeſtate, Franciæ viſas opes, affirmat *Aemilius*. In Flandria obit hoc anno eſt octuagenaria Margarita, Guido filius Principatum adit. *Marcantius in Margarita.*

IESV CHRISTI
Annus 1279.

NICOLAI PAPÆ III AN. II. RVDOLphi Reg. Rom. an. 6. Michaelis Palæologi Imp. Orient. an. 20.

I. Carolum & Hugonem Cypri Regem pacare nititur Nicol. II. *M.S. Vatic. num 3383.*

INter Carolum Siciliæ Regem & Hugonem Luſignanum Regem Cypri bellum parabatur vtroque ſui iuris faciente regnum Hieroſolymitanum. Et cum etiam inter Philippum & Alphonſum Galliæ & Hiſpaniæ Reges per miſſos nihil certi ſtatui poſſet vtrimque vtriuſque Regibus cenſuras Eccleſiaſticas Nicolaus niſi arma deponeret, comminatus eſt.

II. Ringa Beſlai Ducis vxor cum Lolenta ſorore Franciſcanam religionem amplectuntur.

Ex Hungariæ Regno Philippus Firmanus Romanæ Sedis Legatus reuertebatur, cum Ladislaus Rex ab illo diris deuotus ad ſaniorem mentem reuerſus eſſet. In Polonia Boleslaus Caſtus Dux Cracouienſis religioſus Princeps Sancte obijt, & mox vxor eius Ringa cum ſorore Lolenta, quæ poſt mortem Boleſlai mariti Caliſſienſis Ducis ad eam ſe contulerat, in vſus egenorum cunctis diſtributis inſtituto D. Franciſci ſe addixerunt. Succedit adoptiuus filius Leſtrus niger, qui regnum tenuit 10. annis.

III. B. Palmerij, Aldobrandini & Ottonis Ducis Brunſuicenſis obitus. *Mich Baron. lib. 1 Leand. lib. 3.*

Eodem anno in Cælos abijt B. Palmerius Eugubinus Ord. Præd. admiranda Sanctitate & Charitate. Eodem tetendit Aldobrandinus ex Ordine Prædicatorum vrbis Veteris Epiſcop. Naturæ quoque debitum ſoluit Otto Dux Brunſuicenſis, Epiſcopus Hildesheimenſis in Concilio Lugdun. à Gregorio X. conſecratus.

IV. De Turcici Imperij fundatoribus. *Lipſius in monitis & Turcicis Annalibus Leuncl.*

Eadem hac tempeſtate viuebat Oſmanes Vrchanes & Muranes Turcici Imperij fundatores, de quibus tamen fertur, quod veſcebantur adhibitis Taliſmanis (ita Sacerdotes ſuos appellabant) quorum admonitionibus inter conuiuandum aures præbebant.

Ertucales Oſmanis pater ſomnio viſo (vidit autem de die) venit ad Edebulem virum inter ipſos ſapientem dicens: *ſomniaui vir venerabilis (verba ſunt Turcicorũ Annalium) ſplendorem Lunæ è ſinu tuo prodire, cumque deinde in meum ſinum peruenire. Eo cum delatus eſſet, ex meo vmbilico enaſci arborem, quæ regiones varias, montes & valles inumbraret. Ad ipſas autem radices arboris, aquas emanaſſe, quibus vineæ & horti rigarentur: atque ibi ſomnium me ſomnuſque deſeruit* Edebales autem audita, aliquamdiu ſecum reputans, effatus eſt. *Naſcetur tibi filius, vir bone, cui nomen erit Oſmanes. Is multa bella geret, victoriam & famam pariet, ac poſteri tui Principes Regeſque terrarũ erunt. Mea autem filia Oſmani nubet: atque is ſplendor eſt, qui è ſinu meo prodiuit, & in tuo coiuit: ex vtroque arbor. Lipſius ſupra.*

V. Rudolph. I. priuileg. Sed. Ap. data aurea bulla confirmat extat in caſtris S. Angeli. Diploma inſuper Principum Imperij ſuper ijſdem.

Ad 18. Calendas Martias Indictione VII. Rudolphus Rex Rom. Viennæ conuentum Principum celebrauit in quo omnia priuilegia Romanæ Eccleſię omnium Principum conſenſu datis ad eam literis aurea bulla cõfirmauit.

Porro Principum Imperij diploma hoc eſt, quod ad ſuffundendam Centuriatorum impudentiam inſerere adlibuit, his ipſorum ipſiſſimis verbis. Ita habet:

Nos principes Imperij vniuerſis præſentem paginam inſpecturis. *Complectens ab olim ſibi Romana mater Eccleſia quadam quaſi Germana charitate Germaniam, illam eo terreno dignitatis nomine decorauit, quod eſt ſuper omne nomen temporaliter tantum præſidentium ſuper terram, plantans in ea Principes tanquam arbores praelectas, & rigans illas gratia ſingulari, illud eis dedit incrementum mirandæ potentiæ, vt ipſius Eccleſ. auctoritate ſuffulſi, velut germen electum per ipſorum electionem, illum qui frana Romani teneret Imper. germinaret.*

VI. Inuentum corpus B. Mar. Mag. per Carol. Princip. Salernitanam poſtea Regem Sicil.

Hoc anno 9. Aprilis Carolus Salernitanus corpus B. Mariæ Magdalenæ ſollicite reperit apertis (verba ſunt Richardi Cluniacenſis) tumulis à latere Oratorij (quod erat in villa ad S. Maximum nuncupata) hinc & inde effoſſa humo; non in tumulo de alabaſtro, ſed in marmoreo, ita vt ex eius lingua adhuc tunc capiti & gutturi adhærẽti radix quædam prominebat in longum, ſicut à præſentibus audiuit (qui ſupra) hæc ſcribo, & in tumulo erat Chartellus continens teſtimonium huius theſauri, quem Chartellum vidit & legit F. Abraham Brouius.

IESV CHRISTI
Annus 1280.

NICOLAI PAPÆ III. ANNO III. RVdolphi Regis Rom. an. 7. Michaelis Palæologi Imp. Orient. an. 21.

I. Nicolaus PP. componit controuerſiam inter Carolũ & Margaritam. a *Epiſt.*

IAm dignitatem Senatoriam & Vicariam poteſtatem Carolus ſpõte depoſuerat. Sed nunc de comitatu Prouinciæ & Falcaquerij periclitatur, dum Margarita Ludouici relicta ius ad illas obtenderet. Verum Nicolaus Pontifex arbitrio partium arbiter factus ita compoſuit, vt [a] Carolus vtramq; Prouinciam iure beneficiario retineret, ac inſuper apud Rudolphum (qui partes Margaritæ tu-

Matth. Card. & Benedict. ... *Obitus Nicolai Pp. & conſtitutiones.*

tandas ſuſceperat) effecit, vt filiam ſuam Carolo Principi Salernitano in matrimonium daret, quibus nihil obſtantibus ingratum tamen Carolum patrem expertus eſt Pontifex Nicolaus, qui ad 18. Cal. Sept. in Caſtro Suriani vita functus eſt. Ad Pontificatum diuina ordinatione aſcenderat ex Vaticinio D. Franciſci, cum à Matheo patre eius (cui intime iunctus erat) ad prandium inuitatus puerum Nicolaum amplecteretur. Inter alia præclara eius geſta, quæ omitto non infimo loco habenda eſt Conſtitutio illa pro amplificatione cultus diuini in Baſilica Vaticana, quam integra hora nemo legendo ſat ſcio abſolueret: Incipit autē *Ciuitatē & Sanctam Hieruſalem nouā deſcendentem de cœlo &c.*

II. Alberti Magni obitus & funus. b *Mich. Bonon. lib. 1.* c *Leander de viris illuſtribus lib. 3. ...*

Eodem anno duo ex familia Prædicatorum cœlum petierunt B.[b] Robertus Saxo, qui Friderici II. Imp. aula relicta triplici catena ferrea in ſingulas noctes ſeſe flagellabat & B.[c] Albertus Magnus, eximius pacis & concordiæ amator, B. Virginis ſtudioſiſſimus & ſcientiarum humanarum diuinarumque peritiſſimus. Adeſant eius funeri præter omnium Collegiorum Canonicos Archiepiſcopus Colonienſis Suffridus & nemo non, qui adeſſe poterat. Quo etiam anno multi Hebræorum apud Maioricum opera Inghetij Genuenſium mercatores, perfidia eiurata Chriſtianæ religioni ſe addixerunt.

IESV CHRISTI Annus 1281.

MARTINI PAPÆ IV. ANN. I. RVDOLphi Regis Rom. an. 8. Michaelis Palæologi Imp. Orient. an. 22.

I. Richardus in electione Pontificis diſcordias excitat. a *Sabellius Ænneade 9. lib. 7. & Ciaconio Martino ex Platina.* Martinus Pp. IV. creatur.

NIcolao vita functo[a] continuo noua diſcordia laboratum eſt, dum Viterbienſes Richardi cuiuſdam ex Hannibalū familia (qui conclaui titulo cuſtodis præerat) impulſu conclaue irruperant & duobus Card. Vrſinę gentis (quam Richardus ille oderat) vincula iniecerant. Quo facto reliqui Patres 8 Kal. Martij Gallum quendam haud ignobilem, Pontificem Martini nomine ſalutarunt. Erat is rerum gerendarum experientia inſignis adeo vt non imprudenter Carolum Regem in Phaliſſis (vbi cum electus eſſet, hærebat, quod tunc à ſeditione vrbs laboraret) per benigne ſuſceperit. Legato quoq; miſſo ad Ioannem Vrſinum, qui iuſto ſatis exercitu comparato, in Viterbienſes mouerat, & omnes factionum principes ac imprimis Richardum pacem compoſuit Richardus vt à cenſura exſolueretur, laqueum collo impoſitum gerens ad pedes Legati & Cardinalium, quos offenderat, ſupplex fuit. Ad eum modum & Viterbienſes primores.

II. Veſperæ Siculæ. b *Leonardus Aretin. in Florent.*

Hoc anno Siculi[b] Gallorum præſidiariorum inſolentiam, luxum, faſtumque pertæſi, conſpirantes decretum faciunt, vt certo die, cum primū ſignum ærea campana ad veſpertinas preces daretur, Gallos vniuerſos promiſcue interficerent, nullo ſexus, ætatis vel ordinis diſcrimine habito Illuxit itaq; vltimus & funeſtiſſimus Gallis in Sicilia dies 30. Martij, quo ad vnum omnes per totā Inſulam à ciuibus cuiuſcunque ordinis tanta crudelitate trucidati ſunt, vt etiam grauidæ euiſcerarentur, eorumq; fœtus execti, ne quid Gallicæ ſtirpis in Sicilia ſupereſſet, ſaxis illiderentur, duarumq; horarum ſpacio octo millia Gallorum ea clade perempta ſcribantur. Inde dictæ ſunt Veſperæ Siculæ. Chro. Gall. Aemil. lib. 7. Pleriq; referunt hunc euentum ad an. ſup. ſed ea ratione 30. Martij non quadrat ad feſtum Paſchatis quo iſta accidiſſe annotatū eſt. *Matenenſis.*

III. Carolus exercitum mouet aduerſus Siculos. c *Marian.*

Taliſigitur nuncio Carolus, qui tum in Hetruria ſedebat, in ordinē ſacris Antiſtitibus redigendis intentus, primum perturbatus, dein mœrore in iram verſo, ex Gallia claſſem euocat ardentium militum necis commilitonum vlciſcendæ. Sed Siculi Petrum Aragoniæ Regem ad ſuppetias ipſis ferendas & Michaelem Palæologum incitauerant. Petrus itaq; Panormum copioſa claſſe appulit, quę nauibus Caroli Regis in Sicilia aduerſus Palæologum paratis, aucta fuit. Panormum ingreſſus ab Epiſcopo Ceſalenſi alijſq; Rex conſalutatur.[c] Carolus hoſtibus impar ad Pontificem Martinum & Philippum Galliarum Regem confugit. Pontifex nihili faciens, quod Siculi pro excuſatione ſui adferrent eos diris deuouit & præcipue Ioannem Prochytum & Petrum Regem execratus.

lib. 14. c. 6. Aemil. in Philipp. 3.

IV. Carolus infeliciter pugnat aduerſus Palæologum. d *Niceph. Gregoras lib. 5. Rom. lib. 5.*

Pugna quoque à Carolo contra[d] Michaelem Palæologum ſatis infeliciter ſucceſſit, dum Græci Latinos dolis circumuenirent, multos ex inſidijs cæderent mercatum, qui illos ſequebatur impedirent, & velitationibus ex tumulis eos qui aquabantur occiderent. Mouit ea res Martinum Pontificem, vt Palæologum quoque anathemate perceuteret pręcipue tamen hoc fecit quod intellexiſſet eum Gręca fide cum Romana ſede egiſſe nefarioque ſchiſmate ſe & omnes orientales præcidiſſe.

V. Leſci Poloniæ Principis de barbaris victoria.

Hoc ipſo anno Leſcus anno cognomento Niger Polonorum Princeps de Iazygibus & Lituanis inſignem victoriam ope D. Michaelis Archangeli (à quo ſponſa ipſi in ſomnis fuit victoria) adeptus eſt. In Germania floruit S. Irmgardis Comitis Zutphaniæ filia, quæ tertio Romam profecta inde caput S. Sylueſtri Coloniam (vbi ad ſummā Ædem habitauit) tranſtulit, ac tandem plena bonis operibus, multiſque poſſeſſionibus Eccleſiæ relictis, quieuit in Domino. *Annal. Archiepiſc. Colonien.*

IESV CHRISTI Annus 1282.

MARTINI PAPÆ IV. ANN. II. RVDOLphi Reg. Rom. ann. 9. Michaelis Palæologi Imp. Orient. ann. 23.

I. Petrus Aragonius Carolum ad Neomachiam prouocat. a *Aemil. in Philip. 3.*

PEtrus[a] Aragonius ætate grauis Carolum iam ſenem ad ſingulare certamen prouocauit ita vt Sicilia ſalua victorem Regem haberet neue euerteretur & cædi tot hominum parceretur. Sed Pontifex Carolo non permiſit, & conuentiones factas reſcidit.

II. Nuptiæ inter Iſabellam & Luſitaniæ Regem. b *Marian. lib. 14.*

Inter Iſabellam Aragonij Regis filiam (quæ inter Cælites numeratur) & Dionyſium Luſitaniæ Regem nuptiæ celebratæ ſunt menſe Aug. Item[b] Rudolphus Rex Rom. in Comitijs Alberto filio Auſtrię Archiducatum iure beneficiario contulit. Hac ratione ad Habſpurgenſes Comites Auſtria deuenit. Rudolphū etiam filium Ducem Sueciæ conſtituit. Quendam qui præſtigijs ſuis ſe multis Cæſarem eſſe perſuadebat, Nuſſiæ deprehenſum igne concremauit.

III. Simultas inter Alfonſum patrē & Sanctium filium. c *Idem qui ſupra c. 14.*

Sanctium inter filium &[c] Alfonſum patrem aperta ſimultas eſt orta dum Alfonſo ægre eſſet ſuam ætatem cōtemptui multis eſſe, cum pleroſq; conſideraret Sanctio aperte fauere, atque ita vindictam Dei in ſe expertus eſt, quod innocentes nepotes Ferdinandi filios ſucceſſione exegiſſet. Nam ipſe iam magnus natu à filio Sanctio regno eijcitur, dum Mauricum bellum ſimulans, id ipſi tentaret. Cum autem factione partium bellum inteſtinum gereretur Hiſpalenſes ſoli commiſeratione moti ſenem receperant. Hiſpali ergo ad 6. Idus Nouembris impiam parricidam execratus eſt Sanctium hac formula.

Surita lib. 2.

Vt de vultu Dei iudicium noſtrum procedat, nos Alphonſus Dei gratia Caſtellæ, Legionis, Toleti, Sibiliæ, Cordubæ, Martiæ, Gienij, atque Algarbij Rex per præſens ſcriptum, ad notitiam præſentium & memoriam futurorum facimus omnibus manifeſtum: quod Sanctius filius noſter maior nobis graues, & multiplices iniurias nequiter irrogauit. Nam tractauit & fecit coniurationem contra nos, & contra noſtrum dominium.

Vt poſt plurima.

Igitur cū prædictus Sanctius præmiſſas graues iniurias, & multas alias, quas longum eſſet ſcribere vel referre, timore diuino poſtpoſito, ac paterna reuerentia penitus abiecta, nobis irreuerenter intulit ipſum paterna maledictione digniſſimum, à Deo reprobatū, & ab hominibus merito reprobādum maledicimus: & ſit deinceps maledictioni diuinæ, & humanæ ſubiectus: & eundem nobis rebellem, inobedientem, & contumacem tāquam ingratum, immo ingratiſſimū filium, ſic degenerem, exhæredamus: & omni iure ſucceſſionis, quod ei cōpetebat in Regnis noſtris, dominiis ac terris, honoribus & dignitatibus vel quibuſcumque rebus alijs, ad nos quoq;

modo

modo ſpectantibus ipſum priuamus, & vt nec ipſe, nec aliquis pro eo, vel deſcendens ab eo impoſterum, in aliquo nobis ſuccedere poſſit, ſententialiter condemnamus.

Hanc ſententiam, in præſentia teſtium plurimorum publicauit Alfonſus 8. Nouembr. anni huius. Ad 16. Kalend. Aprilis obijt B. Torellus Eremita Vallis Vmbroſæ.

IESV CHRISTI
Annus 1283.

MARTINI PAPÆ IV. ANNO III. RVdolphi Reg. Rom. anno 10. Michaelis Palæolog. Imper. Orient. ann. 24.

I. Martinus ſp duellū inter Petrū & Carolū Reges impedire ſatagit. Æmilan. l. 3.

CVm duellationem inter Reges Martinus datis ad Edouardum Angliæ Regem (in cuius ditione locus certamini deſtinatus erat,) literis dirimeret, Legatis Siculis vt à Petro ad Romanam Gubernationem redirent perſuadere conatus verum actum vtrobique egit. Ipſis ſiquidem Calend Iun. die ſtatuta Carolus Rex cum ala centenaria adfuit Burdegalæ quo Angli, Hiſpani, Galli, Germani, Græci item non pauci confluebant, ſed ingentem expectationem fruſtratio (nullo Petro comparente) excepit ſunt qui excuſent Regem Aragoniæ, quod Francos iuſto tum exercitu appropinquare cognouiſſet.

II. Carolus filius capitur, & pater moritur. Summont. l. 3.

Rogerius Auriæ Præfectus claſſis Arragonenſis & exul Apulus ad certamen elicuit Carolum Claudum Principem Salernitanum, cumque multum dehortante Legato Martini Pontificis congredi auſum cœpit. Pater ætate graui laboribus, luctu, morbo correptus, ad 7. diem Ianuarij anni ſequentis diſceſſit. Mortuus apparuit B. Andreæ Anagnino Ord. Minorum & nonniſi orationibus ipſius à pœnis purgatorij ſe fore liberum affirmauit. Carolus autem Claudus, cum omni humana ſpe deſtitutus (*verba ſunt Sylueſtri Prierii ex Chronico quodam manuſcripto*) indubitatam mortem præſtolaretur, firma ſpe de meritis B. Mariæ Magdalenæ (quæ in terra ei ſubiecta, degerat) concepta ei ſe commendauit, quæ etiam in vigilia feſtiuitatis ſuæ ei aſtitit & ſpondētem, ſe facturum quod peteret è cuſtodia eduxit. Petijt autem vt inquireret corpus eius & digno honore ſubleuaret, & inſuper conuentui Prædicatorum in loco in quo deceſſit, redditus pro centum fratribus aſſignaret.

Ptolemaus Lucenſis Chron.

III. Martinus matrimonium inter Edouardū Anglum & Petrum Aragonum vtpote illegitimam ratificare noluit. Surita l. 2.

Inter hæc Petrus Arragoniæ vt ſibi maiora auxilia contra Gallos compararet, fœdus per connubium filij ſui Alphonſi cum Leonora filia Edouardi Regis Angliæ inijt, quod matrimonium vtpote illegitimum Pontifex ratificare noluit.

IV. Michael Palæologus moritur. Niceph. Gregor. rat. l. 5.

Eodem anno Michael Palæologus prope Lyſimachiam, cum Scytharum ibi exercitum inſpiceret morbo cordis correptus, ac mortuus eſt: idque, vt putatur in fide Catholicam præterquam quod in fine vitæ ſe ipſum grauiter accuſauit Andronicus, qua pietate in patrem alias æſtuabat, vix cum plebeia ſepultura dignatus eſt: quo etiam ritus Græcanicos poſt obitum Patris varijs edictis reformante Satanas maximam confuſionem in Orientali Eccleſia tunc excitauit. Atramyrij duo factioſi Schiſmatici, quorum alter Ioſepho, in cuius locum Ioa. Becus Orthodoxus ſuffectus erat, & quem iam Andronicus Ioanne claui diſcedente, reuocauerat: alter Arſenio olim mortuo innitens, rixabantur. Poſt multas rixas ſtatutum eſt, vt ignis vtrorumque opiniones duobus libris contentas probaret. Ignis multum illis orantibus vtrumq; librum complexus in cineres redegit. Quo facto cū Ioannes Becus in medium prodijſſet, veritas viciſſet mendacium, niſi Georgius Cyprius Pſeudopatriarcha (nam Ioſephus ceſſit) & Muzalo *ſacræ ſcripturæ ſententiis pro veritate Catholica à Ioanne adductis illuſiſſent*, ſuperuenientibus clamoribus obrutus & præiudicio grauatus exulare debuiſſet. Ex Turcis maxime ſe Ottomanica familia erigit.

Leonclaus.

IESV CHRISTI
Annus 1284.

MARTINI PAPÆ IV. ANNO 4. Rudolphi Reg. Rom. ann. 11.

I. Legatio bonorum Dæmoni facta per auarum vnde incendium. M.S. Vatic. n. 5516.

IN Anglia apud pagum Biuelium cum quidam periculoſe ægrotans, à ſacerdote vt ſuprema ſua deponeret admoneretur, voluntatem ſuam de modicis quibuſdam ægre explicauit, *cætera*, inquiens, *dæmoni lego*. Ad cum modum iſto defuncto domum eius mox ignis aſſumpſit, cum pluribus alijs ex vtroq; latere vici, quin ex vehemētiori vento vicinū flumen trāſgreſſus duos pagos exuſſit.

II. Henrici Probi Ducis VVratislau impetus in Ep. & Clerum. Crom. l. 10.

Per id temporis Henricus Wratislaus Dux à Thoma Epiſcopo & vniuerſo Clero magnam ſummam pecuniæ præter ius expoſtulauit, quæ cum non daretur, omnia Epiſcopi & Cleri bona inuaſit, & decimas omnes vſurpauit. Ac cum propter hoc à Sainca nomine Martini IV. Pontificis excommunicaretur, & Wratislauienſi ciuitati ſacris interdiceretur, Epiſcopum & ſacerdotes omnes (exceptis Franciſcanis, qui pluris facientes emolumenta ſua quam Decretum Pontificis, ſacris operabantur) exclauit & eiecit Regno, nec non nobiles quoſdam ex iis qui eum reprehendebant trucidabat.

III. Trium Regum occaſus, Hugonis Cypri, Philippi Gal., & Petri Arragonum. Item bellum ſacrum contra Petrum Arragonēſ. Boſius l. 13. Æmil. in Phil. Marian. l. 14. cap. 9.

Ad 16. Martij Hugo Luſignanus Rex Cyprius defunctus eſt, quem ſecuti ſunt duo alij Reges, Philippus Galliarum, & Petrus Arragonum: ille quidem in reditu ab expeditione Arragonica Menſe Octobri poſt inſignem in hoc ſacro bello (ita appellat Pontifex) victoriam. Rex vero Arragonum Petrus cum Francis Ruſcinonenſem comitatum, Gerunda aliaque oppida inuadentibus inſidias ſtrueret, à Rudolpho Gallicorum equitum Magiſtro contro petitus, ex vulnere obijt, anathemati innodatus Fuit autem Petrus animo ingens, corpore immodicus, facie decora, liberalitate & eloquentia peregregius. Cæterum ad Francorum diſceſſum omnia quæ bello cœperant, ad Alphonſum Regem Arragoniæ Petri hæredem rediere.

IV. Miſcellanea. Anton. 3. p. tit. 24.

Per id temporis florebat in D. Franciſci inſtituto Fr. Rogerius de Prouincia Phocæenſi, qui adeo diligenter ſenſus cuſtodiebat, vt nec aliquam ex conſanguineis aſpicere vellet. Tangador Tartarus Perſarum Rex qui ad Mahometam deſciuit, Tartarorum in Oriente Dux, acie occiditur a Duce Argon, qui Imperio potitus, egregie fauit Chriſtianis & templa reſtituit, *Hactenus*. Græci in vnione facta deiecto Orthodoxo Patriarcha ſuccedunt inquieti.

IESV CHRISTI
Annus 1285.

HONORII PAPÆ IV. ANNO I. RVdolphi Reg. Rom. anno 12.

I. Moritur Martinus IV. Iacob. Sabellus ſubſtituitur & Honorius IV. dicitur &c. Platina Ciacon. Ptolemæus Papyrius Ioannes & reliqui.

AD 5. Kalend. April. Martinus Papa ſancto fine ex hac vita exceſſit Peruſij, vbi apud D. Laurentij ipſi ſepulto legitime ipſis Kalendis ſucceſſit Iacobus Sabellus Cardinus, dictus Honorius IV. cuius frater Pandulphus ſenatoriam dignitatem laudabiliſſime adminiſtrabat.

II. Conatur Iacobum Petri filium Sicilia eijcere Pont. Phareſ. l. 9. Marian. l. 14. c. 10.

Honorius electus nihil non egit vt Iacobum Petri occiſi filium Sicilia eijcere, Regnumque & libertatem Carolo ſiue adhuc captiuo, ſiue iam per B. Mariam liberato (nam incertum eſt quando ſit è carcere liberatus) reſtituere poſſet. Cæterum Alphonſus Rex Arragonum cum Iacobo fratre ſuo nequicquam Pontificem curabant. Idem Honorius Philippo Pulchro Galliarum Regi priuilegia quamplurima Regibus conferri ſolita indulſit. Nauarræ Rex ductus ob ductam Ioannam Nauarræ Regis vnicam. Is namque à prima adoleſcentia Ægidium Romanum Theologum inſignem obſeruarat, authorque ei fuerat vt de Regimine Principum monumenta quæ extant

Oratio Ægidij Romani columnæ de regim. ne.

conſcriberet, ac dignam tanto Principe orationem haberet, ita exorſus: *E templis, & quaſi è colloquio Dei Optimi Max. venientes ac continuo abs te indulgentiſſime Rex dicere iuſſi, non minore religione apud te verba faciemus quam quanta modo pro te ante aras vota ſuſcepimus.*

III. Summarium geſtorum Honorij. 1. ep. 110. Romæ apud S. Sabinum Cal. Nouem. 2. ep. 62. Palumbariæ 3. Non. Iul. & ep. 59. Tibur. 15. Cal. Aug. 3. ep. 192. Tibur. 5. Id. Iul. 4. ep. 241. & 242 apud S. Sabinum 5. Id. Decemb. 5. ep. 220. apud S. Sabinum 15 Cal. Iun. 6. ep. 236.

Eodem anno Honorius, 1. Huguicionem Caſtellionem, in Daciam & Sueciam Exactorem decimarum pro ſubſidio Terræ Sanctæ miſit. 2. Regem Scotiæ vt collectas ex decimis pecunias, mercatoribus quibuſdam, qui Cameræ Apoſtolicæ eas remitterent, iuberet numerare, admonuit: eumdemque vt miniſtros ſuos à vexatione Roſſenſis & Morauenſis Eccleſiarũ prohiberet hortatus eſt. 3. In Regno Poloniæ & Ducatu Sileſiæ, Ioannẽ Muſchatam Archidiaconum Laniciciens. Collectorem denarij S. Petri eſſe iuſſit, eundemque Ducibus omnibus & Principibus commendatum fecit. 4. Regi Noruegiæ, ne prohiberet decimas collectas ex regno exportare, aut aureos vel agenteos nummos Clericis diuendere interdiceret, ſeuerius præcepit. 5. Archiepiſcopo Conſano, & Prouinciali Lombardiæ, vt contra Marchionem Montisferati, qui rumore incerto ferebatur Epiſcopum Terdonenſem occidiſſe inquirerent: & ſi inculpabilem eum reperiſſent, vt ei purgationem canonicam indicerent, ad cautelam abſoluerent, atque pœnitentiam ſalutarem imponerent, commiſit. 6. In cauſa cuiuſdam mulieris in hæreſin prolapſæ Epiſcopo Parmenſi reſcripſit.

IV. Miſcellanea.

Moritur Carolus Rex Siciliæ Fogræ 6. die Ianuarij ſuccedit Carolus Claudus. Item Ioannes Delphinus Viennẽſis fato ceſſit, ſuperſtite ſolum Ioanna filia. Ioanna Nauarræa Pulchri Regis vxor regiũ Pariſijs, Gymnaſiũ erigit, & profeſſores Regios inprimis coluit vnde immortalem gloriã Heroina merita eſt. Bohemiæ Rex, dicitur, hoc anno imperij Elector, creatus. Palliũ Album Honorius IV. Carmelitis geſtandum dedit, cum ante Clamydes virgulatas ſeu verſicolores deferrent. *Platina Trithem. Miræus.*

V. Duo hæreſiarchæ Geraldus & Dulcinus, eorumque infanda dogmata. *Emeric. 2. p. direct. Inquiſit. q. 12.*

Duo inſignes apoſtatæ, Geraldus Segarellus Parmenſis & Dulcinus Nouarienſis per id temporis, non tantum Parmam, verum & multas alias Italiæ in Inſubria ciuitates, falſis dogmatibus infecerãt. Quod enim Apoſtolorũ vitam & mores ſe dicerent imitari, breui quamplurimis ſeductis ſectam fecerant, quam Orthodoxi Pſeudo Apoſtolorum appellabant. Hi Chriſti Apoſtolos ſe vocabant: ſub nullius obedientia viuebant, ſed tantum ſeſe ſubiectos ſoli Deo aſſerebant: publice mendicabant: tunica alba longa, ac deſuper pallij albi inſtar, mantello ad collum eleuato induebantur: ſuper tunica non corrigia de corio, ſed funiculo adſtringebantur: crines longos nutriebant: caput non operiebant, ſed nudato vertice, & nudipedes incedebant, quandoque ſoleis ſubductis vtebantur, per vrbes & vicos diſcurrebant: pœnitentiam per pagos & plateas prædicabant: virus hęreſum variarum diſſeminabant: in plateis publicis menſa eis parata, quæcunque apponerentur ſine diſcrimine manducabant. Atque ita vagi per varia loca diſcurrentes ſuam colluuiem ordinem Apoſtolorum vocabant. Hæreſes autem præcipuæ eorum hæ ſunt.

1 *Authoritas Eccleſiæ Romanæ primitus à Chriſto ei collata iam ob malitiam Platonum ceſſauit: adeoque Rom. Eccleſia modo eſt meretrix illa de qua Ioannes in Apoc.*

2 *Poteſtas omnis ſpiritualis à Chriſto Petro collata, iam ad illos qui dicuntur Apoſtolici eſt tranſlata.*

3 *Hi Apoſtolici ſunt in illa perfectione in qua fuerunt primi Apoſtoli Chriſti, & ideo null. hominum, tenentur obedire: quia habent perfectiſſimam regulam ab ipſo Chriſto Domino: adeoque plane liberam.*

4 *Quilibet cuiuſcunque ſtatus aut ordinis licite poteſt ad eorum tranſire inſtitutum, etiam coniuges, inuita altera parte. Illi enim ſoli poſſunt dirimere matrimonium.*

5 *Nemo de ipſorum ſtatu poteſt ſine peccato mortali alium vitæ ſtatum amplecti, aut vllius hominis ſe ſubijcere obedientiæ. Nam hoc eſt de perfectione deſcendere.*

6 *Nemo impoſterũ ſaluabitur niſi qui fuerit de ipſorum ſorte.*

7 *Omnes prælati Eccleſiæ Romanæ à tempore Syluestri ſunt ſeductores: excepto Fr. Petro de Morone qui fuit Papa Cæleſtinus V.*

8 *Omnes ordines tum ſacri tum religioſi ſunt ad fidei Catholicæ detrimentum.*

9 *Quilibet homo, & qualibet mulier nudi ſimul poſſunt licite ſimul iacere ſine omni peccato, in vno & eodem lecto: & licite tangere mutuo vnus alterum in omni parte ſui, & oſculari ſe inuicem ſine omni peccato, & quod coniungere ventrem ſuum cum ventre mulieris ad nutum, ſi quis ſtimuletur carnaliter, vt eſſet tentatio, non eſt peccatum.*

10 *Eccleſia cõſecrata non plus valeat ad orandum Deum quam ſtabulum equorum vel porcorum.*

11 *Quod pro nulla cauſa, nec in aliquo caſu debet iurare homo niſi pro articulis fidei, vel præceptis Dei: & omnia alia poteſt celare. Et quantumcunq; iuret dicere veritatem coram Prælatis ſeu Inquiſitoribus, nõ tenetur reſpondere de aliquo alio, nec reuelare doctrinã ſuã, ſiue errores ſuos: nec tenetur defendere verbo ſeu voce, ſed ſemper corde tenere. Si tamen cogatur iurare metu mortis, in eo caſu debet iurare verbo ſeu voce ſolũ, ſed ſemper corde tenere. Et quod in nullo caſu tenetur reſpondere veritatem, niſi de his quæ verbaliter continẽtur in articulis fidei ſeu præceptis: & ſi de alijs requiratur, licet ei ſine peccato mortali mentiri, & veritatẽ ſuæ ſectæ negare ore, dũmodo teneat eã in corde, ad hoc vt euadat poteſtatem Inquiſitorum: ſed debet reſpondere inficiando, vel negãdo, ſeu palliando, quocunq; modo tergiuerſando, colorando, ſeu palliando, quomodocunq; poſſit pertranſire. Si tamen non poſſent aliter mortẽ euadere: tunc in tali caſu, aperte debent profiteri, & defendere in omnib. & per omnia prædictã doctrinam ſuã & mori in ea patienter & conſtanter: & nullatenus aliquos de ſocijs ſuis, vel credentib. reuelare.*

Acceperunt autem hi Pſeudoapoſtoli hos errores ſuos à pauperibus de Lugduno ſeu Waldenſibus: de quibus ſupra circa annum Domini 1160. Honorius vero pontifex tum hos tum alios Apoſtolicorum errores damnauit anno ſequenti edicto publico dato.

VI. Valdemarus frater Regis Suecorum in priuatorum ordinem redigitur.

Hoc anno Principum conuentu in Suecia habito Valdemarus Magni Regis frater, ex Senatusconſulto cuſtodiæ datus eſt. Multa ille contra fratrem Magnum olim conatus eſt, propter quæ meruerat grauiora quam tulerit. Tãdem Erico Daniæ Rege intercedente apud Magnum, ea conditione in gratiam receptus fuit, vt de cætero ex ſolo patrimonio ſuo viuens, vitam ageret priuatam & tranquillam: voluiſſet profecto Magnus totius regni gubernacula eius adminiſtrationi reſtituiſſe, ſed obſtabat publica totius patriæ vtilitas, obſtabant etiam regni Senatores, qui exiſtimabant inane omne beneficium, quod in hominem inconſtantis, & perditæ mentis conferretur.

Grandes muſcæ Gallos in Hiſpania occidunt.

Eadem tempeſtate dum Carolus Gallorum Rex cum exercitu Hiſpaniam inuadens, cum Petro Arragonum Rege bello decertaret, grandium muſcarum agmen varij coloris, Gallos impetens, aculeis non ſecus ac gladijs occidebant. Quod factum creditur patrocinio SS. Martyrum Felicis & Narciſci, quorum corpora Gerundæ in Hiſpania aſſeruantur. *Vide L. Marium Siculum l. 2. de regib. Hiſp. & Hier. Blancum in comment. rerum Arag.*

Per id temporis in Anglia Oxonienſis Academiæ ſtudioſus noctu ſubito à dæmone correptus, legentibus ſocijs Euangelium S. Ioannis, liberatur.

VII. Obitus B. Philippi confeſſoris ordinis ſeruorum ſanctitas miracula & Apotheoſis.

Vndecimo Cal. Sept. huius anni, migrauit ad Chriſtum B. Philippus Confeſſor Ord. Seruorũ. Is Florentiæ ex nobili Benitiorum familia ortus, Lutetię Pariſiorũ medicinę adoleſcens operã dedit. In patriam reuerſus, cum Eccleſiam Seruorum (quæ D. Annunciatæ nominatur) ob ſingularem erga Deiparã Virginẽ deuotionem frequentius viſitaret, qua die ea verba ex actibus Apoſtolorũ, *Philippe, accede, & adiunge te ad currũ iſtum*, legebantur, raptus in extaſim, currũ aureum, quẽ ouis & leo trahebant, & in eo ſanctiſſimam Dei Matrẽ comitantibus Angelis inſidentem, nigraq; ſibi indumẽta porrigentem vidit. Sequenti nocte, ab eadem Dei Genitrice ſeruos ſuos adire iubetur. Quamobrem ſummo mane conſurgens, Bonfilium vnũ ex ſeptem Ordinis fundatoribus illius cœnobij Priorem adijt, orauitq; vt inter Cõuerſos reciperetur. Receptus, vitã aliquandiu ſolitariã in Monte Senario duxit: vbi ſpelunca in quã pœnitentiæ cauſa ingredi, & vim lacrymarũ profundere ſolitus fuerat, nomen ipſius retinens, & aquã emittẽs, adhuc oſtenditur. Factus ſacerdos, paulo poſt in capitulo

tulo

tulo Florentię celebrato prior generalis quinto loco licet inuitus, electus, tantæ extitit humilitatis ſeu modeſtiæ vt non niſi poſt ſeptē annos quos generalis eſſet, à ſuis ſit agnitus. Plura viuens mortuuſq; fecit miracula. Vnum ſolū referam: Nimirum apud Camillianum agri Senenſis vicum ac curiam pergens, cum nudo cuidam leproſo eleemoſynam petenti propriam veſtem conceſſiſſet, ille ea indutus, ſtatim à lepra mundatus eſt. Eo miraculo peruulgato, cum Viterbij Cardinales Clemente Quarto Pontifice Maximo vita functo de ſucceſſore eligendo deliberarent, nonnullis Philippum proponentibus, ille re cognita inde ex ingenti humilitate recedens, apud montem Tuniatum delituit: vbi balneis, quæ vſque in hodiernum diem S. Philippi cognominantur, virtutem morbos ſanandi impetrauit Leo X. Pontif. Max. cognita viri ſanctitate, cum illum, grauiſſimis curis impeditus, non potuiſſet in SS. numerum referre, Fratribus ſui Ordinis, vt de illo officium duplex ad X. Calend. Septembr. recitarent, conceſſit. Paulus V. Pontif. Max. examinatam à 4. Cardinalibus Philippi vitam, in lectiones à Philippo Fererio Generali Ord. Seruorum reductam, Apoſtolico diplomate approbauit: Magnus Hetruriæ Dux, officium Eccleſiaſticum in Tuſcia celebrandum à ſede Apoſtolica poſtulauit. *Ex vita ſcripta à F. Archangelo Ianio Florentino.*

IESV CHRISTI
Annus 1286.
HONORII PAPÆ IV. ANNO 2. RVdolphi Reg. Rom. anno 13.

I. Honorius Pp. Iacobū & Alphonſum Aragonum Regis filios excōmunicat. *Ep. 18. & 34. & 40.*

HOc anno Pontifex Honorius Iacobum & Alphonſum Petri Aragonum occiſi filios anathemate percuſſit, quod Iacobus Regnum Siciliæ occupaſſet iniuſte, & Alphonſus Carolum deſignatum Siciliæ regem, contra ius faſque in vinculis retineret, nihil cenſuratum religionem veriti.

II. Rudolphus Rom. Rex inaugurationem differt. *a Ep. 6. Tib. [illegible] Ian. ep. 54. Romæ apud S. Sabin. 2. Calen.*

Rudolphus [a] Rex Rom. quamuis vehemens deſideriū ſuſcipiendi diadematis imperialis è manibus Pontificis eidem per literas declaraſſet, ita rationem tamen ſuo more procraſtinabat, & diem inaugurationi à Pontifice præſtitutum differri poſtulabat, & impetrauit.

III. Honorius contra Ladislaum Hungariæ Regem excommunicatum auxilia Principum implorat. *ep. 264. Ro. 4. id. Mar.*

Hoc item anno Honorius Pōtifex Archiepiſcopo Strigonienſi iniunxit, vt Ladislaum Chunum Hungariæ Regem ad prauum ingenium reuerſum, primum quidem officij regij & coniugalis admoneret: dein etiam, ſi opus eſſet, cenſuris eccleſiaſticis premeret. Quod vt efficaciam obtineret, ipſe Honorius Pont. Rudolpho Romanorum, & Venceslao Boemiæ Regibus, tum Poloniæ, Auſtriæ, & Sclauoniæ Ducibus, nec non & Marchionibus ac Proceribus Regni Hungariæ iniunxit, vt Archiepiſcopo, auxilia contra Ladislaum periurum, adulterum, & à religione Chriſtiana abhorrentem, miniſtrarent.

IV. *Crom. l. 10.* Tartari Poloniam euaſtant & 21. millia innuptarum puellarum inter captiuos recenſent.

Hoc anno Tartari fame domeſtica ſtimulati, per Ruſſos, & cum Ruſſis primum in Lublinenſem oram & in Maſſouiam delati, locuſtarum in modum eas regiones, cædibus, & incendijs nuſquam abſtinentes, depopulati ſunt. Inde porro diuertentes Sendomirienſem tractum, & nonnullam partem Siradienſis, eadem crudelitate peruagati, fruſtra tentata Sendomiriæ expugnatione, Lyſſecenſis Monaſterij, quod S. Crucis dicitur, direptione abſtinuerunt, ſiue ſuaſu Ruſſorum auerſi, ſiue quod fama eſt, fulminibus & tonitruis deterriti. Ab eo loco Numinis benignitate ſeruato, ad Cracouiam pridie Natalis Chriſti populabundi peruenerunt. In cuius oppugnatione cum nonnullos fortes viros amiſiſſent, & Leſcum Ducem cum vxore & Primoribus in Vngariam profugiſſe didiciſſent, maiore licentia & furore in Pagos & oppida vſque ad Carpathum montem debacchati, Sandecenſe tamen monaſterium, pauore, vt creditum eſt, diuinitus immiſſo non attigerunt, quanquam aberat tum inde Sancta Chunegundis. Tandem ſatiati cædibus atque præda barbari, in Ruſſiam reuerterunt. Tantam autem hominum prædam tunc abegiſſe dicuntur è Polonia, vt cum eam apud Wladiminam recognoſcerent, & inter ſe partirentur, vnum & viginti millia innuptarum puellarum cenſa eſſe dicantur. Ne Ruſſi quidem, quamuis ſocij & tributarij, prorſus expertes malorum à barbaris tunc fuere. Nam Tartari exceſſuri è Ruſſia, vt eſt malitioſum genus hominum, & incantationum atque veneficiorum gnarum, aquas omnes infecerunt, exectis captiuorum cæſorum cordibus, & præſentiſſimo veneno imbutis, & verubus ſubter aquas defixis. Vnde plurimi mortales poſtea ex aquæ venenatæ vſu immedicabilibus morbis correpti, miſerabiliter occiſi ſunt, cum ſerius mali cauſa animaduerſa eſſet.

V. *[illegible]*

Philippo Sabaudiæ Comiti ſeptimo ſucceſſit Amadeus IV. Philippus enim ſine liberis, ex tribus nepotibus hunc Amadeum Sabaudiæ Comitem eſſe voluit: cuius fratrem natu maximum, qui Thomas dicebatur non Sabaudiæ, ſed Taurinatium Comitem ex teſtamentis dixit. *Paradin. c. 43. Chron. Sabaud. 1.* An. MCCLXXXVI. Hoc fere tempore regnum Italiæ ſeu Longobardiæ defecit: quod quidem à Longobardis inſtitutum, Franci per Carolum Magnum Imper. exceperant, ac demum ad Germanos translatum, Itali aſſiduis, à Gregorij VII. Pont. & Henrici III. Imperatoris æuo, armorum contentionibus fatigarant. Defecit inquam regnum Italiæ, Bononienſibus, Florentinis, Genuenſibus & Lucenſibus, à Rudolpho Imp. libertatem redimentibus. Blondus, Platina, Sabellicus, eoſque ſecuti Trithemius & Crantzius, tradunt Lucenſes duodecim millia aureorum. Florentinos vero ſex millia Rudolpho numeraſſe. Nec diſplicuit, inquit Platina, hæc venditio Honorio Papæ, licet indigna tanto Principe videretur, quod ea ratione eccleſiaſtica ditio futura ſecurior videbatur, cum non amplius Imperatorem videret liberas ciuitates vexare. Triennio vero poſt Obiro Marchio Ateſtinus Mutinam & Regium ſibi, Rudolpho itidem permittente, ſubiecit. De his omnibus lege Caroli Sigonij hiſtoriam de regno Italiæ. quæ hic deſinit.

VI. Obitus F. Don Garſiæ & Alexandri Regis Scotiæ. *Boëtius l. 10.*

In Hiſpanijs apud Licianos moritur hoc anno Fr. Don Garſias Martinezius ordinis S. Ioannis Hieroſolymitani, vir ſanctus & miraculis clarus.

In Scotia minus felici fato ceſſit Rex Alexander, equo delapſus ac ceruice fracta: Cuius mors, pridie quam contingeret, prædicta fertur à quodam Thoma Leirmontio inſigni ariolo, obſcure tamen, ſub nomine ſc. tempeſtatis, quæ poſtridie concuſſura erat totam Scotiam, inter Baliolum & Bruſcum de regno certatur, regij ſanguinis vterque. Exin ſex Proreges ordinatim iura dant Scotiæ.

VII. Obitus B. Ambroſii Ord. Præd. *[illegible] Ioan. Mar. 14.*

Senis in Tuſcia, hoc anno, ad XIII. Cal. April. obijt B. Ambroſius Sanſedonius Ord. Præd. ſanctitate, prædicatione & miraculis clarus: quem hoc noſtro tēpore, Rom. Eccleſ. ſanctorum Martyrologio Clemens VIII. Pontif. Max. adſcribi iuſſit: Mortis autem eius talis extitit cauſa. Cum quadrageſimali tempore quadam die acrius contra fœneratores inflammatus inueheretur, rupta ſemel & iterum pectoris vena, & ſanguine copioſo exuberante, dicendi primum, ac paulo poſt etiam viuendi finem fecit. Viſa eſt eius anima à varijs in varia forma in cœlum euolare.

VIII. Henric. in Brabantia Ord. Præd. & Conrad. Halberſtadienſ. eruditione clarent. *Trithem. in Catalogo ſcript. Eccleſ.*

Floruit per hæc tempora Henricus, in Brabantia natus, linguarum peritia & Philoſophiæ ac Theologiæ ſcientia nobilis. Ad inſtantiam D. Thomæ Aquinatis omnes fere Ariſtotelis libros latinos fecit. Item hac tempeſtate vixit in eodem prædicatorum ordine Conradus Halberſtadienſis: qui faciliorem excogitauit methodum iuuenibus ad eruditionis culmen euadendi, quam vſque ad ſua tempora vſi erant.

Digitized by Google

IESV CHRISTI
Annus 1287.

HONORII PAPÆ IV. ANNO 3. RVDOLphi Reg. Rom. anno 14.

I. Carolus Claudus Princeps Salernitanus contra voluntatē Pontificis è custodia dimittitur. a *Vg. vill. l. 7. c. 4. &c. ... S. Anton. 4. Nic. Martin ep. 46.*

HOc anno Carolus Claudus Princeps Salernitanus Aragoniæ cuſtodiæ pertæſus, interueniente per legatos a Edouardo Rege Ang.) inſcio Pontifice Alphonſo Rege conuenit vt è cuſtodia dimitteretur, ſub his conditionibus ſcilicet vt viginti millia pondo auri penderet, pontifici perſuaderet, Aragonenſibus ius Siciliæ adiudicare eoſque in communionem recipere: Carolum quoq; Valeſium comitem induceret, vt cederet iure regni Aragonenſis quod Martinus Pontifex ei attribuerat: Ac pro his intra triennium præſtancis duos ſuos filios ac 40. nobiles obſides daret. Sed Honorius Papa vbi hæc reſciuit, b Carolum Claudum redarguit & pacta reſcidit. Ipſi autem Carolo captiuo, vt quamdiu in Aragoniæ regno interdicto detineretur, priuatim ſacrum audiret, permiſit.

II. Honorius inter Phil. Gall. & Sanctium [illegible] Reges fœdus ſancit.

Item hoc anno Honorius inter Philippum Galliæ & Sanctium Caſtellæ Reges per legatum Ioannem Golethum Cardinalem bellum impediuit: fœdus quoq; ſanxit inter eundem Sanctum & duos nepotes eius Alphonſum & Ferdinãdum quos ille certa in cuſtodia ad tædium detinuerat. Fœderis tamen huius conditiones minus placuere Blancæ puerorum matri; adeo vt etiam in Luſitaniam abiens noua belli ſubſidia aduerſus Sanctium quæſierit: ſed parum profecit.

III. *Naucler. generat. 43.* Quarta pars Redituum cleri exigitur pro Rudolpho.

In Germania adhuc hærebat Iohannes Buccamatius Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus Honorij IV. Legatus. Is Herbipoli, præſente Rudolpho Romanorum Rege Concilium aduocauit. Inter reliqua propoſita, quartam partem omnium redituum, in quatuor annos futuos Rudolpho Regi poſtulauit. Multis ergo Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Prælatis trementibus, ſolus Probus Tubingenſ. Ordin. Minor. Epiſcopus Tullenſis, ſuper baptiſterium recens ædificatum aſcendit, & omnium nomine ad iudicium ſedis Apoſtol. prouocauit, conſtantiæque ſacerdotalis præmium tulit, vt gradu moueretur, & in ordinem redigeretur. Factum, paulo ante mortem Honorij, Quadrageſimalis ieiunij intermedijs diebus.

IV. Moritur Honorius Pontifex. 1. ep. 170. 2. ep. 43. Matthæus Florentin. claret. *Cancron. &c. Sabell. ...*

Namque Honorius ad III. Non April. deſijt eſſe in humanis: vir in omni vita probatiſſimus, Chriſtianæ religionis cultor egregius, doctorum & ſcientiarum amator & cultor. Eius tempore inter alios doctos floruit Matthæus Florentinus, medicæ artis ſcientiſſimus, ſed vſque ad nauſeam auarus. Publice eam facultatem Bononiæ hoc ſeculo docuit, tanta cum omnium admiratione, vt Galenus alter eſſe videretur. Nullus vnquam carius ſuam operam locauit: nullius principis curationem recepit, niſi grandem mercedem pactus. Aliquando ab Honorio Pont. vocatus, non ante accedere voluit, quam tres libræ auri in ſingulos dies ei ſtatuerentur. Cæterum Pontifex id temporis diligenter curatus, centum auri libras ei libens dedit.

V. Vacat ſedes menſes 10.

Ex Honorij morte Apoſt. ſedes decem menſes vacauit. Conuenerat ſupremus Antiſtitum ordo in Auentinum, nouum Pont. creaturus. Cumque plures ex eo ordine, noxijs Auſtri flatibus (quibus ea præcipue Auentini collis pars expoſita eſt quæ teſtaceo imminet campo) afflicti ſubito in morbum incidiſſent creationem ſummi pontificis differre coacti ſunt.

VI. Obitus S. Thomæ Epiſc. & Confeſſoris. *Rom. Martyrolog.*

Eodem anno contigit obitus S. Thomæ Ep. & Confeſſ. Herfordiæ in Anglia ſexto nonas Octob. Cuius ſanctitatem require apud Surium 2. Octob.

VII. Martyrium S. Werneri à Iudæis crudeliter circa Pascha occiſi.

In Germania ab impijs Iudæis crudeliſſime necatus eſt hoc anno Wernerus adoleſcentulus ſimplex & innocentiſſimus è pago Wammenthali qui à Baccaraco vnius diei itinere abeſt ſtirpe ruſtica ſed pijſſima ſane matre natus. Inde ob vitrici crudelitatem cedens venit Treuericam Veſaliam, vbi à perfidis Iudæis ſæpe ad laborem vocatus promptum ſe in eorum obſequio exhibuit. Adueniente interim Paſchali ſolemnitate, die cœnæ Domini refectus Euchariſtiæ Sacramento iterum ad mutantes ſe Iudæos iuit. Sed illi altero die ipſa ſc. ſacra pareſceue, puerum apprehenſum primo (immiſſo in os eius plumbeo globo) omni clamãdi facultate priuarunt. Deinde ad columnam erectis ſurſum pedibus ligatum, miris modis torſerunt vt corpus dominicum pridie ab illo ſumptum è ſtomacho prouocarent. Quod cum fruſtra diu tentaſſent flagris & cultris ex omnib. corporis venis ac membris integro triduo manantem ſanguinem eduxerunt. Tandem à Iudæis interfectus eſt, atque vt facinus nefarium ſilentio tegeretur, nocte intempeſta corpus clam per muros tractum, ad naues Moguntiam ituras delatum eſt. Sed Omnipotens Deus, conatibus corũ eluſis, nauem tota nocte errabundam, ne vno quidem milliari ab vrbe recedere permiſit. Ort[o] inde ſole, timore & tremore correpti, anxia inter ſe conſilia captabant, quomodo martyris corpus abſconderent. Neque enim ratio in aquas illud demergendi occurrebat. Tandem cõſpexerunt prope Baccaracum, cryptam ſpinis & vepribus obſitam, vbi nunc cernitur Wilhelmitarum cœnobium Windoſdesbachium. Eo igitur cum corpore properantes, in eam cryptam illud proiecerunt. Sed Chriſtus, quamquam id diu latere paſſus eſt. Immenſus enim fulgor cœlitus in locum illum delapſus facinus prodidit. Corpore inuento adductum eſt Bauarum ad locum Iudicij. Dein honorifice in ſacello S. Cuniberti humatum multis illuſtratur miraculis. *Sur. 19. Ap.*

VIII. *Krantz. in Vandal. l. 7.* Item à Iudæis in die Paraſceues Pragæ Chriſtianus crucifixus.

In Boemia quoq; Iudæi eadem tempeſtate, vrbe Praga, monſtrorum ſemper propagatrice, die ſacra Paraſceues, foribus clauſis, Chriſtianum quendam hominem, Iudæo ob inopiam ſeruientem crucifixerunt, in contumeliam Chriſtianorum, adimpletis in eo omnibus, quæ olim in Chriſtum admiſerant. Iſtud poſtquam Chriſtianorum populus comperiſſet, iuſta indignatione armis correptis ſæuijt in perfidos: duaſque baſilicas in honorem noui martyris extruxit, quod ſcirent in cauſa Chriſti ab hoſtibus perfidis crucifixum fuiſſe.

IX. Obitus S. Neræ Ord. Præd.

Per eoſdem dies, Senis apud Etruſcos, deſiderata eſt inter viuos, Beata Nera Ptolomei; Tertij Ordinis D. Dominici ſanctimonialis. A concione B. Ambroſij Sanſedonij, in qua Spiritum ſanctum columbæ ſpecie illi aſſidentem aſpexit, in amore cœleſtium longe ardentius inflammata, ad perfectionem maiorem gradum fecit, perpetua virginitate ante imaginem Cruci affixi, Chriſto deuota. Neſciebant parentes: & matrimonio coniungere conabantur. Reluctantem, in terram ſubterraneam cameram carceris loco coniecerunt, dataque ei ad cuſtodiam petulantiore quadam ancilla, fame, ſiti, pædore, iniurijſque varijs afflixerunt. Tandem à matre inuenta in colloquio cum Angelo & oratione extatica, Ancilla item calumniatrice & magiam ei intentante per diabolum obſeſſa, facultatem ordinem ingrediendi obtinuit, vbi & viuens & defuncta miraculis claruit.

X. Acta Concilii Prouincialis Mediolanen.

Hoc anno auctoritate ſummi Pontificis Mediolani Otto Archiep. concilium prouinciale collige[n]s multa ſaluberrima tum conſtituit tum etiam antiquitus conſtituta confirmauit inter cætera.

1 Aucupium & venationem vniuerſo clero, lata excommunicationis ſententia interdixit.

2 Alienãdi bona quæcunq; ſiue mobilia ſiue immobilia eccleſiaſtici iuris fuerint, poteſtatem omnibus abſtulit, neue quis aut vendere, aut oppignorare, aut titulo donationis ea alicui concedere auderet, ſub anathematis & nullitatis cenſura prohibuit.

XI. B. Hermannus Saxo. Franciſcan. mortuus claret miraculis.

Mulufinij in Germania obijt hoc anno B. Hermannus Saxo inſtituti Franciſcani qui multos mortuos ad vitam reuocauit & alia plurima pro ſalute hominum patrauit. Item alter Hermannus ſanctitate & miraculis non inferior Fulginæ ſepultus. Ex cuius ſepultura guttatim aqua dimanat cum tamen in lapide nulla appareat ſciſſura. Ad eius monumentum S. Bonauentura contractus delatus ſanitatem recuperauit.

Hoc item anno contigit obitus B. Bogumili, ex Archiepiſcopo

Digitized by Google

piſcopo Gneſnenſi in Polonia Eremitæ Camaldulen. Hic cum inter canonicos Gneſnenſes adhuc decanum ageret, horis omnibus diebus Dominicis & feſtiuis in Metropolitanæ choro abſolutis, ad pagum Dobrouo, quintadecima leuca diſtante, per miraculum transferebatur, vt populo ſacra expectanti, rem diuinam faceret, & verbum ſalutis annunciaret. Eo adueniens, cum Eccleſia, in inſula Vartæ fluminis emineret, neque populos accedere præſumeret, aliquoties ſiccis plantis omnibus præiuit, populumque eodem plane modo traduxit, & aquas poſſe ab illis calcari exemplo ſuo edocuit: tranſactoque ſacrificio iiſdem veſtigijs omnes reduxit. Indidem piſces è fluuio ſola iuſſione per miraculum euocauit, populoque famelico miniſtrauit. Quo officio pietatis exſoluto, Gneſnam hora prandij, iiſdem plane diebus, per miraculum illi reuerti non difficile fuit.

IESV CHRISTI Annus 1288.

NICOLAI PAPÆ IV. ANno 1. Rudolphi Reg. Rom. ann. 15.

I. Nicolaus IV. eligitur.

ELapſis ab Honorij obitu fere vndecim menſibus. Fr. Hieronym. natione Picentinus patria Aſculanus ex Præneſtino Epiſcopo Cardinale in feſto cathedræ S. Petri eandem cathedram creatus pontifex aſcēdit, dictus deinceps Nicolaus quartus. Is vt erat vir non niſi virtutum ſtudioſus, illico Petrum Columnam (cuius vxor antea ſponte monaſticen illam delegerat) & cum eo Neapoleonem Vrſinū inter ſe diuturna ſimultate diſſidentes, ſola vtriuſque probitatis ratione habita, Cardinales creauit. Statimque omnianimi contentione in hoc incubuit *vt diuturnas componeret de Regno Neapoli & Siciliæ contentiones, Carolumq; ſecundum Tarentinum Principem, in cuſtodia Alphonſi Regis Arragonij hactenus detentum, liberaret. Itaq; cum adhuc Romæ eſſet, Idib. Martij Internuncios cum mandatis* pro hac re miſit ad Alphonſ. viros grauiſſimos Qui profecti Alphonſ. ad 3 Id. Sept. Iaccæ conuenerunt, dicmq; ei prout in mandatis habebant apud Apoſtolicam ſedem dixerunt, vt rationem redderet, cur Regno Arragoniæ, Carolo Valeſio Regi legitime renunciato cedere recuſaret: cur vna cum Iacobo fratre Regnū Siciliæ vſurparet, perturbaret: & Carolum Principem Salernitanum dimittere contemneret. Audiuit Internuncios Alphōſus, epiſtolamq; porrectam legit, & ſe obſequentem fore mandatis oſtendit, ſi modo illi tutum eſſet, Romanum Pontificem accedere.

ep. 1. Later. 7 Kal. Maij.

II. Quib. conditionibus Carolus ex Alfonſi cuſtodia liberatus fuerit cum conſenſu Nicolai IV. *a ep. 68. ap. S. Mariam Maior. 7. Cal. Dec. a. 1. b ep. 56. Reat. 7. Cal. Iun. an. 1. & ep. 9. Reat. Idib. Mart.*

Quamobrem Nicolaus [a] tum ipſe conceſſit, tum Iacobo Maioricarum, Carolo Valeſio Regi Arragonum, & Philippo Galliarum Regibus author fuit, vt literas quas vocant ſalui conductus, venienti Alphonſo, vel aliquos Procuratores mittendi, atq; ab eo Internuncijs miſſis ad ſedem Apoſt. cōcederent, libereq, venire & tranſire permitterent. Interim tamen Nicolaus non intermiſit curare, ſi qua ratione poſſet Carolum è captiuitate liberare. Huic rei cum idoneos exiſtimaret Galliarum & Angliæ reges, per quos tandem effectum eſt: vt Carolus dimitteretur his legibus.1. Carol. Valeſius, annuente ſede Apoſt. iuri à Martino IV. Pontif. in Regnum Arragoniæ acquiſito, renunciaret. 2. Philip. Rex Galliarum arma contra Alphonſ. deponeret. 3. Carolus Princeps Salernitanus die 3. poſtquam dimiſſus eſſet, ad colloquium Regis Philippi veniens, inducias in tres annos inter illum & Philippum conciliaret. 4. Alphonſus rationem ſedi Apoſtol. redderet occupatæ à Iacobo fratre Rege Siciliæ. 5. Carol. Princeps Salernitanus, quinquaginta millia nummum, triginta quidem millia aureorum vel argenteorum in præſens numeraret, per viginti autem in futurum perſoluendis, cautionem iuratoriam & fideiuſſoriam exhiberet, atque Edouard. Rex Angliæ, pro eo fideiuberet. 6. Tres filios maiores natu, & quadraginta primogenitos Procerum Prouinciæ Burgenſis obſides ab Alfonſo electos Carolus Princeps daret. 7. Inducias inter Eccleſ. Rom. ac Philippum regem Gallorum ex vna, & Iacobum Siciliæ occupatorem, vſque ad decurſum vnius anni, à feſto S. Michaelis, videl. vſque ad aliud feſtum S. Michaelis, procuraret. 8. Edouardus Rex Angliæ, pro Carolo fidem præſtaret. 9. Si pactis conuentis Carolus nō ſtaret, & vel Eccleſia Romana, vel Philippus Rex Galliæ, vel Carolus Valeſius Iacobo aut Alphonſo bellum indiceret, Carolus Princeps Salernitanus intra tres annos, ad cuſtodiam ex qua dimittebatur, reuerteretur: quod ſi reuerti neglexiſſet, à iure Prouinciæ Phocæenſis excideret, & obſides amitteret, eorumq; Alphonſus omnimodam poteſtatem haberet, ſalua incolumitate vitæ, & integritate membrorum eorundem. His conditionibus dimiſſus fuit Carolus diebus Nouemb cum interim Nicolaus Pont. eo tempore, quo de liberando agebatur, in omnem euentum arma parari contra Alphonſum iuſſiſſet.

III. Ludibrium fortunæ in Vgolino Florentino Guelforum Principe. *Æmil. l. 8.*

Circa id tempus in Hetruria triſte ſpectaculum contigit. Vgolinus Guelfarum partium Princeps rebus proſpere contra aduerſarios geſtis felix & ſibi & omnibus videbatur patriæ ſc. dominus, authoritate, diuitijs, vxore, liberis ſtipatus pro voto. In natalis ſui cæna ipſe felicitatem ſuam miratus quendam familiarium Marcum nomine interrogare eſt auſus, quid ſibi tandem deeſſe videretur. Ille *ſola, inquit, ira Numinis procul diu abeſſe à tam ſecundis rebus non po eſt.* Verax vates namque Guelforum viribus conſeneſcentibus, Gibellini armis correptis ædes eius circumſiſtunt, oppugnant: vnum è filijs, vnumq; nepotum, vim arcere conatos, occidunt, ipſum & duos præterea filios, tres nepotes comprehenſos, in turrim incluſere obſeratis foribus, clauibuſque in Arnum propinquum flumen deiectis. Ibi fame in oculis, in gremio ſuo chariſſima pignora parens moriens morientia vidit. Vociferanti, expoſcentique vt ſupplicijs humanis exigendis inimici cōtenti eſſent, ſacroſanctæ confeſſionis ſanctique viatici poteſtas facta non eſt.

IV. Induciæ pacificendæ bellum Iacobi in regno Neapolit. abrumpunt. *Pharel. l. 9.*

Eodem tempore Iacobus Rex, Beluederum Calabriæ oppidum (quod à Rogerio Sanguinetto Carolo Regi defendebatur) aggreſſus acriter oppugnabat. Oppidani ſiti ac fame pene deſperabundi ductu Rogerij magnam lapidum vim machinis in Iacobi Caſtra torquebant. His lapidibus Iacobus Rogerij duos filios, quos obſides pro patre habebat palo alligatos oppoſuit. Sed Rogerij fidem Carolo datam filiorum amori prætulit. Ac nihilo ſegnius lapidibus excuſſis, tacti filij è vertice pali deciderunt. Horum altero extincto alterum illæſum fortuna vel Deus potius illæſum ſeruauit. Paulo quoque poſt oppidanis iam ad extremam ſitim redactis de potu quoque conſultum eſt. Nam repente ingens imbrium copia delapſa, ac tempeſtate in mari exorta, aquas ciuibus ſufficientes, Iacobo autem nimias exhibuit: Quare loco cedere coactus Caietam nauigauit. Quam dum oppugnaret Nuncij Alphonſi regis Arag. & regis Angliæ (nam hi ſimul cum Legato & internuncijs Apoſtolicæ ſedis conuenerant) eo aduenientes concordiam perſuaſerunt. Atq; ita Iacobus in Siciliam nauigauit.

V. Bellum inter Patriarcham Aquilegienſem & Venetos. *Petr. Marcell. in Dandulo.*

Patriarchæ quoque Aquilegienſi nouum bellum cum Venetis exortum, Quibus aliquot Hiſtriæ ciuitates ſibi armis vendicantibus cum ſe patriarcha oppoſuiſſet, viribus impar plurium adhuc inſuper locorum iacturam fecit. Quare de his apud ſedem Apoſtolicam conqueſtus eſt. Tum Nicolaus Ducem Senatumque Venetorum ſeuerius admonuit, reſtitutionem imperauit, & ſi quid iuris prætenderent, apud ſe iudicem agerent, indixit.

ep. 115. Reat. 4. Cal. Sept.

In Germania Rudolphus Rex Rom. quendam Mohitem Rotemburgium Hebreum in carcerem traxerat. Pro quo liberando Iudæorum primores apud Nicolaum Papam inſtiterunt. Monuit itaq; Rudolphum Nicolaus, vt ſi is nihil contra fidem Orthodoxam deliquiſſet, nec vſpiam in Regiam maieſtatem commiſiſſet, illum eliberaret. Forte Rudolphum commouerat iuſtus zelus, ſi is aliquorum Chriſtianorum fidei conſtantiam pertentaret. Per eos enim dies recutitorum contagio in pluri-

Ricoll. Inquiſit. p. 2. q. 44.

mos

mos peruaſerat, ſectamque Iudaizantium, & reiudaizantium ex promiſcua confluge fecerat: Contra quos idem Nicolaus Papa hoc anno vniuerſis inquiſitoribus conſtitutionem præſcripſit vt cum illis quaſi cum hæreticis eorumq; fautoribus ex vigore procederent.

VI. Monet Regem Galliæ ne libertati eccleſ. opprimat. *ep. 139. Regat. 5. Non. Sept. ep. 106. Reat. 8. Cal. Aug.*

Eodem anno quia Rhemenſes Scabini & exactores vectigalium collectas & portoria clero impoſuerant: Nicolaus Pontifex Philippum Regem Galliæ libertatis eccleſiæ admonuit. Grandimontenſes quoq; religioſos diſſolutiores factos, miſſis viris grauiſſimis corrigi ac ad debitam regularum obſeruantiam compelli fecit.

Contra Ladislaum quoque Regem Hungariæ per Honorij Pont. monitiones nequicquam emendatum Nicolaus quoq; Regi Bohemiæ alijſque principibus ſcripſit vt Archiepiſcopo Strigonienſi ſeculari brachio adeſſent. Plures item verbi diuini prædicatores ad humanos reliquoſq; in Oriente gentiles miſit.

VII. Sanctius Caſtellæ Rex conuentum Princip. celebrat, ſed non ſine ſanguine. *Marian. l. 14. c. 12.*

Sanctius Rex Caſtellæ conuentum principum celebrans mandabat arces quaſdam, quæ in Ioannis fratris & Lupi Soceri tunc ibi præſentium, poteſtate erant, continuo ſibi reſtitui. Ibi ſubito iræ impatiens. Lupus diſtricto gladio, inuolutaque ſiniſtra ſago, addita etiam verborum contumelia tyrannum, perfidum, impium, cæteraque quæ furor dabat; inclamans in regem irruit interfecturus. Sed in veſtigio, aſtantium concurſu, dextra primo truncata confoſſus ipſe eſt: Ioannes autem captiuus in vincula coniectus eſt. Hoc denique anno mare Friſiam, Hollandiam, Zelandiam & Flandriæ partem prodigioſe inundauit.

IESV CHRISTI Annus 1289.

NICOLAI PAPÆ IV. ANno 2. Rudolphi Reg. Rom. ann. 16.

I. Res Chriſtianorum in Syria perſum eunt. Ptolemais, Sidon, Berytus &c. capiuntur ab Sultano. *Rubeus in vita Nic. IV.*

HOc anno obſidente Sultano Ptolemaida exercitu equitum ſexaginta millium, peditum ante centum, ſexaginta: ac quotidie in Syria contra Chriſtianos præualente, Nicolaus Chriſtianos principes ſategit in concordiam reuocare vt iunctis armis afflictis Syriæ rebus ſuccurrerent. Itaque vndique expeditionem per concionatores inſonare fecit indulgentias largiſſimas dedit, decimationem bonorum eccleſiaſticorum in triennium omnibus eccleſijs impoſuit. Excommunicationi inſuper ſubiecit omnes quibuſcunque mercibus Sultano aut eius terræ ſubuenirent. Ipſe pontifex Nicolaus tum proprijs tum fidelium maxime Flaminiorum ſumptibus copioſum militem comparauit. Erat quidem opus feſtinatione maxima. Siquidem ad 14. Calend. Maias, cæſis Chriſtianorum 60. millibus, & inter hos Magiſtro Templariorum ſtrenuo milite, Sultanus violenter Ptolemaide potitus eſt. Fugientibus multis nauigio in Cyprum, etiam ciuitatis Antiſtes nauem conſcendit in quam cum plurimi Chriſtiani metu inſtantis mortis cateruatim irruerent vt ſimul fuga ſaluarentur, oneri cedens nauis ſubmerſa eſt pereuntibus omnibus qui intrauerant excepto vno, qui Chriſti crucifixi imaginem præferebat. Dabat Sultanus dexteras ijs qui ad templa confugerant. Sed cum milites eius libidine incitati ibidem fœminarum pudicitia abuterentur, ferro nefas prohibentes Chriſtiani omnes occubuere. Virgines inſtitutum D. Claræ profeſſæ vt à caſtis ſuis corporibus Saracenorum libidinem arcerent, mutuis vulneribus ferro ſibi naſos præſciderunt. Hoſtes viſo ſpectaculo omnes ad vnam trucidarunt. Sultanus, vt ne quid inultum aut intactum foret, igne quatuor vrbis locis iniecto, cum etiam ferrum diſtrinxiſſet, pene totam abſumpſit, omneſque deleuit. Sidone paulo poſt & Beryto captis, direptiſque Syria fere omnis, pulſis inde Chriſtianis, in Sultani ditionem venit. His ſucceſſibus Sultanus elatus in Cyprum quoque expeditionem cogitabat. Quibus permotus Nicolaus Pontifex expeditionem in ſequentem annum futuram indixit & ſtrenue apud omnes Chriſtianos principes vrſit.

II. Rudolph. diadema petit ab Nicolao.

Hoc item anno Rudolphus Rex Rom. miſſis ad Pontificem nuncijs imperialis diadematis iam ſerium declarabat affectum. Remiſit ad eum Nicolaus Beneuenutum Epiſcopum Eugubinum qui cum illo de die & modo inaugurationis tranſigeret.

Interim Io. Dux Brabantiæ, Henricus de Iuliaco & Adolphus de monte Colonienſem Archiepiſcopum in vincula coniectum, miſere vexabant terramque eius diripiebant.

Cauſam vide apud *Lipſium in Louan.* Cum autem varijs Apoſtolicæ ſedis literis vt ab iniuria abſtinerent non obtemperarent; Nicolaus Rudolphum regem in eos commouit.

Inter tumultus bellicos dum in Italia hæreſes diuerſæ pullularent Nicolaus anathemate & inquiſitionis vigore in eos etiam aduertit.

III. Controuerſiæ inter Clerum & Regem Dion. Luſit. finem accipiunt.

Eodem anno Nicolaus feliciter compoſuit veteres cōtrouerſias inter clerum & Regem Luſitanorum. Cauſa enim per Legatos audita & deprehenſo Rege quod in plurimis libertatem eccleſiaſticam impie & tyrannice lædebat, Nicolaus ſeueriorem pœnam Regi intendebat. Quare ſubmiſſior factus paci locum dedit.

IV. Florent. à Gibellinis purgat Carolus Princeps & Liliis Francicis donat. *Æmil. l. 8.*

Hoc anno Carolus Princeps Salernitanus nuper è carcere emiſſus, Florentiam veniens Guelfis ſeu Pontificijs ſe adiunxit in quorum manu Florentinorū erat tota Reſp. eiectis inde Gibellinis, qui ſimiliter Aretinorum potiti Reſpublica bellum aduerſæ parti mouerunt.

Sed Carolus Florentinis Mericum Narbonenſem ſtrenuum militem cum 100. electis Francicis militibus præficiens victores eos in prælio effecit. Ab eo tempore liliorum inſigne Francicum, ſub quo pugnauerunt; apud Florentinos in ſtemmata acceſſit. Inde Carolus Neapolim ad Nicolaum Pont. ſe contulit, cui cum in publico purpuratorum conſeſſu ligium homagium feciſſet Regno Siciliæ & Neapolis ſolenni ritu inauguratus fiduciario ſedis Apoſtolicæ iure frui cœpit.

V. Aragonij à Francis prælio victi.

Hinc offenſi Aragonij in apertam contra Pontificem & Carolum hoſtilitatem ſe erexere, & è Sicilia in Italiæ continentem traijcientes Cantenzanum occupauere præſidioque firmauere. Pro quo recuperando dum Franci Duce Comite Roberto Atrebatenſi prodirent prælio certatum eſt. Vicere Franci, fugato Iacobo & Roger. Auria, qui nunquam ante mari vinci didicerat.

Deinde Carolus quietis quam belli cupidior recepto ſolum Cantenzano biennales inducias cum Iacobo inijt, confirmatis iterum pactis in dimiſſione Caroli initis. Atque ita Iacobus in Siciliam remeauit; fremente interim Roberto Atrebate cupiditate pugnæ, ſed incitare Carolum non potuit.

Nicolaus vero Pontifex nihilominus Alphonſum & Iacobum reliquoſque qui regnum Siciliæ vltra Pharum occupabant excommunicationi denuo ſubiecit & regnis eorum ſacris interdixit.

VI. Andr. Venetus Hungarorum Rex ſalutatur.

Hoc anno tandem Ladislao Chuno Rege Vngarorum ab ipſis Comanis, quorum profana delectabatur conſuetudine, interfecto, Andreas Venetus ex parte matris, Andreæ ſecundi Regis Hungarorum nepos à regni proceribus Rex ſalutatus eſt. Carolus vero iam Siciliæ Rex filium ſuum natu maiorem Carolum Martellum ex Maria Stephani Regis Hungariæ filia natum tanquam propinquiorem hæredem Regem Hungariæ creauit.

Margarita mater illius relicta Caroli Regis Siciliæ Regina, voto ſe aſtrinxerat, cum Rege marito ituram ad ſubſidia Terræ ſanctæ ferenda. Cumque per mortem Caroli primi ſatisfacere voto non poſſet, eius diſpenſationem à Nicolao Pontifice impetrabat. Impetrauit ea conditione, vt ex mille quingentis libris Turonenſium nummorum, quos promiſerat in ſtipendia militum mille numeraret.

Carolo autem eius filio Regi Siciliæ, cum multa alia priuilegia conceſſit, tum & iſtud indulſit, vt ſanctorum

reli-

reliquias in palatij ſui loco aliquo decenti, cultus & venerationis gratia retineret.

VII. Vindicta diuina in quendam diem Dominicum prophanantem.

Per id temporis mulier quędam in diœceſi Eboracenſi quendam ſibi in maritum vendicabat, & iam parata corã Archiepiſcopo iurare ſubito mortua concidit. Fuit item in pago Daltonio prope Reichmundiam Ioannes quidam Strameius qui dum ſuo more die feſto (diuinis neglectis) paſcua, ſyluas, gregeſque viſitaret in agmen dæmonum incidit ſacrum quendam conuentum & eccleſiaſticas cæremonias peragentium. Quorum vnus qui aquam benedictam in alios ſpargere videbatur, cum ad hunc Ioannẽ peruenisset quaſi lapidea quadam pluuia ita eum oppreſſit vt totus obrigeſceret. Et vix inuocatione nominis Chriſti euaſit quo minus à dæmonibus abriperetur.

IESV CHRISTI Annus 1290.

NICOLAI PAPÆ IV. ANNO 3. Rudolphi Roman. Regis ann. 17.

I. Miraculum pro veritate SS Euchariſtiæ.

HOc anno Pariſijs cum Iudæus quidam fœnerator à Chriſtiana muliere ob fœnoris remiſſionem, ſacram hoſtiam accepiſſet eam in feruentis aquæ ollam iniecit, & nil inde læſam gladio aliquot ictibus confodit. Vnde cum copioſus ſanguis effluens totam ollam ſanguineo colore imbuiſſet & ipſa hoſtia ex olla eleuata alium locum occupaſſet, perculſus Iudæus facinus ſuum prodidit. Quare ipſe quidem exuſtus eſt in rei autem memoriam magnificum templum extructum.

II. Nicol. Pp. ordinem pœnitentiũ diplomate confirmat.

Nicolaus Papa hoc anno diplomate dato confirmauit ordinem pœnitentium tertium à ſancto Franciſco inſtitutum, qui à multis in dubium vocabatur, hæreticos Fraticellos poſtmodum damnatos inueniens.

Reuerſus vrbem veterem Nicolaus IV. primum ipſe ſuis manib. lapidem poſuit, quod eius permiſſu iam ædificabatur & impendijs in memoriam celeberrimi illius miraculi quod 26. annis ante in SS. Euchar. ſacramento Vulſinijs acciderat.

III. Nouum bellum exortum de regno Siciliæ.

Interim Iacobus inuaſor Siciliæ 40. triremium claſſe in Calabriam traiecit, & locis quibuſdam occupatis iterũ à Nicolao IV. excommunicatur. Carolus quoq; Rex Siciliæ fœdere cum Carolo Valeſio qui ad regnum Aragoniæ aſpirabat inito, metu perculit Aragonios. Quare ad arbitrium Pontificis pacem promittunt. Põtifex legatos mittit qui in præſentia omnium Principum cauſam cognoſcerent & pacem ſtabilirent.

IV. Nic. Pp. rebus in Oriente pene collapſis ſubuenire ſatagit.

In Oriente, præcipue ob diſcordias militum ſacratioris militiæ, Templariorum, Theutonicorum, & Hoſpitalis (quorum ordinum ſinguli Magiſtri Hieroſolymorum vrbis dominium ſibi vendicabãt) res Chriſtianorum indies in peius recidebant. Auaritia quoque multorum in Europa ſacræ pecuniæ ex decimatione collectæ in propria commoda conuerſæ: ita vt Nicolaus pro voto ſuo ſuccurrere laborantibus non poſſet.

Rudolphus Rex Roman. Regnum Hungariæ filio ſuo Alberto à Pontifice conferri poſtulat, vt Andream Venetum multis ſceleribus id regnum ſibi ſtabilientem armis poſſet inuadere. Negat Nicolaus Rudolpho regnum. Sed inſuper hortatur vt pro Carolo Martello legitimo hærede regnum ab Andrea vendicet.

Conſtantinopoli Gregorius Patriarcha ſchiſmaticus dum in Becum Patriarcham Catholicum, quem ſede deturbatum in exilium egerat, nimijs calumnijs & manifeſte falſis dicterijs inuehitur, à clero toto deſertus & contemptus monachus fieri cogitur, ac paulo poſt moritur.

Succeſſit illi quidam Athanaſius Eremicola, indoctus quidem at ſapiens diuinarum. Hic omnes Epiſcop. Conſtantinopoli in otio reſidẽtes ad ſuas ſedes ſtatim abegit, neque ex præſcripto Conciliorum bis in anno ad Patriarcham, communicaturi cum eo conſilia accedere cupientes admiſit: ſed vrbis ingreſſum prohibuit; vt ouium ſuarum continuam curam gererent.

In Dania Rex Pribiſlaus, cum in Clypeo imaginem D. Deiparentis Mariæ ſculptam contra hoſtes in prælio præferret, feliciter hoc anno vincebat. V.

Quo etiam tempore Belgium habuit Principes Ioannem, Guillelmum & alios nonnullos, Deo & religioni maxime addictos. Nulli magis ſacra coluerunt, auxerunt, vel ornarunt. Scribebant ſe, & ſuperbiebant in hoc titulo, *Aduocatos aut defenſores eccleſiarum, ac cœnobiorum*. Reipſa etiam iſtud oſtendebant, multa ab ijs monaſteria inſtituta, vel aucta: templa aut ſacell'a inſtructa, donaria paſſim oblata. *Vide Lipſ. in Louan.*

Eodem anno Magnus Rex Suecorum, vere magnus ex humanis exceſſit: Ingentia ſunt quæ de illo referuntur, facta pietatis. Plura monaſteria & eccleſias fundauit, ſacerdotiaq; & prouentus eccleſiaſticos plures inſtituit, quam omnes reliqui ſuccedentes Reges. VI.

VII Miſcellanea.

Dandulo duci Veneto ætta functo ſuccedit Gradenigus, Contar Sabellicus, Tartarorum Princeps Ragaitus occiditur à ſuis; & poſt eum Baydo Chriſtianus: ſucceſſit Caſan. qui ſe Chriſtianum quoque accepto Principatu pfitetur *Hauton.* Gregorio Cyprio Patriarchæ Conſtant. Athanaſius Monachus ſuccenturiatur. *Greg. lib. 5.* Erguthules Othomani Pater I. Turcarum Regis obijt. *Leoncl. in Pand. turc.* Comitia Erphordiæ agitat. Rudolphus Imp. cuius vrbis auxilio deuaſtauit, 60. arces Thuringiæ, quarum rudera hodie conſpiciuntur *Siffrid. Bucholcerus.* Incidit in hunc annum obitus Clementis prioris Gen. ordinis S. Auguſtini Eremitani apud vrbem veterem qui multis miraculis claruit.

IESV CHRISTI Annus 1291.

NICOLAI PAPÆ IV. AN. 4. RVdolphi Rom. Regis an. 18.

HOc anno in Anglia Londini celebratum eſt Concilium cuius decreto primum omnes Iudæi in perpetuum ex Anglia eiecti ſunt: Deinde cum Rex Concilio proponeret, de lege firmanda, ne quis monachorum collegijs prædia daret, neue liceret eccleſiaſticis vllas emere poſſeſſiones, ſuperuenit Concilio Legatus Apoſtolicus qui cum Iohanne Beccatano Archiepiſcop. Canthuar. regem redarguit & libertatem eccleſiaſticam reſtituere coegit. I. Londinienſe in Anglia Conc.

Scotorum plurimi, Alexandro rege triſti fato iam dudum ſine hærede ſublato, ab Edouardo Anglo regem ſibi dari poſtulabant. Quod ille facturum ſe recipiebat ſi regnum Scotia ſibi ſubmitteretur: idque etiam per authoritatem Pontificis fieri cupiebat. Sed Nicolaus IV. negauit, nolens fiduciarios Romanæ Eccl. alteri regi ſubmitti. Interim dum Edouardus cenſui eccleſiaſtico inhians, vane promitteret auxilium pro terra ſancta; Pontifex petitionibus eius non annuit, ſed centum millia quas vocabãt marcharum ſterlingorum, ex decimatione fructuum eccleſiaſticorum, & reliquam ex pijs legatis atque votorũ redemptionibus collectam pecuniam illi in vſum ſacri belli, tantummodo conceſſit: idque ea conditione, ſi is ipſe in Palæſtinam exercitum duceret. II. Edouard. Anglus Scotiæ cenſum Rom. eccl. debitum, ſibi dari petit, ſed reſiſtit Nicol.

Apud Philippum Francum frigide omnia procedebant, nec perinde ob priuatas diſſenſiones, Legatorum orationi auſcultabatur. Edouardus nonniſi pecunias per pollicitationes emungere conabatur. Rudolphus Senio atq; ægritudine confectus, Pontificijs mandatis ſtudioſius prę cæteris incumbere viſus, dum Spiram ad Comitia indicta properaret, in itine. e è vita deceſſit: nec quicquam auxilij afferre potuit, rebus iam plane deſperatis.

Pontifex Nicolaus nihilo ſegnior factus etiam in Scythiam ad Tartarorum Imperatorẽ Oratores miſit, vt eum contra Sultanum Ægyptium incitaret. Tartari cum cum III.

ante

rem fratrem Siciliæ regem ſcripſerat. Sed Fridericus à Iacobo vt Vicarius in Sicilia ad regni gubernacula relictus Alphonſi codicillis, fretus regios animos ſumpſit & Iacobo ſe oppoſuit.

Inde forte maternis precibus flexus Iacobus, vel etiam minis & diris Pontificiis fractus, vel conſpiratione in ſe vnum tot Regum perculſus, an etiam ſua ſponte inclinatus, Iohan. Procytam illum famoſum Romam Legatum miſit, qui ſuo nomine Pontificem Nicolaum obteſtaretur, vt ſe Eccleſiæ reconciliaret, & interdicto Eccleſiaſt. Prouincias & Regna exſolueret.

Interim diſſidentibus fratribus, vt rebus Siciliæ contra Gallos conſuleretur Blaſeus Alagon hactenus Princeps Siculorum expeditionum ſtrenuus vtriuſque partis proceribus ac militibus præficitur. Is hoc anno cum Montaltum obſidione liberaſſet Guidonem Primerarū Caroli regis copiarum ductorem prælio deuicit. Sed à Pontifice excōmunicatione percuſſus paulo poſt etiā apud Iacobū Aragonium rei pecuniariæ furto ablatæ reus peractus eſt.

IX. Rudolphi Reg. Rom. obitus modeſtia & laudes. In Germania Comes Tyrolenſis Epiſcopum Tridentinum iniuriis oppreſſerat & Pontificem eum ad ſe vt cauſam diceret euocantem contempſerat. Scripſit ergo Nicolaus Rudolpho Regi vt in hominem aduerteret. Rudolphus in Principum Comitio rem tractare cogitans, Spiram illud indixit, quo cum pergeret in via pridie Calend. Octob. in quodam oppido agri Spirenſis 15. Iulii diem clauſit extremum in Mauſoleum Regum Cathedralis Spirenſis Eccleſiæ corpus illatum, cum vixiſſet 73. annos menſes 5. & regnaſſet annis 18. Tantus Germanicæ fortitudinis æſtimator, vt cum 4. bellatorum eius Gentis millibus cujuis hoſti licet bellicoſiſſimo ſe non vereretur opponere vel ferre decerneret. Modeſtiæ ac pietatis famam poſt ſe relinquens. Vulgari militum habitu pene ſemper vſus eſt. Facilitatis morum eius hoc eſto indicium. Cum quodam tempore duo celebres Oratores coram ipſo perorarent, alter cana barba, ſed capillo nigro; alter capillitio albo & barba nigra, *non prius*, inquit, *vos expediam quam rationem diuerſitatis barbæ & capillorum dixeritis.* Poſtridie primus, *Ego*, inquit, *frequentiore potatione barbam abluendo eam dealbaui, de capillis nihil ſolicitus.* Alter ait: *Capilli mecum in cunis nati iam ſenectute caneſcunt, barba 20. annis iunior caneſcendi tempus nondum attigit.* Placuit Principi vtriuſque reſponſum, & petitionibus eorum annuit. Huic accenſe Ioannem Alexii nepotem, Lalorum Imper.

X. Per id temporis Iacobus, Regis Maioricarum Iacobi primogenitus, cum ei regnum hæreditate deberetur, cœleſte præferens regnum, inſtitutum D. Franciſc. complexus eſt, in eoque ſancte vixit, multumque in proximis, & verbo & exemplo profecit. *Platus lib. 2. ex Annal. Franciſc.*

In agro Conſtantienſi ante aliquot menſes, mulier humano capite Leonem peperit. *Anonym.*

XI. Pœna periurii. Hoc anno Hadſtadii in Germania, inuenta fuit manus integra, in modum iurantis, reliquo corpore putrefacto, & cum eam ſecundario ſepelire voluiſſent, guttæ ſanguinis ex ea emanauerunt, ideoque illam ſecundo ſepelire noluerunt: vt ſcilicet proſtaret exemplar vindictæ diuinæ in periuros. *Annal. Colmarienſ.*

XII. Miſcellanea. Notant Anglici Annales hoc anno habitū Londinenſe Concilium: ſtatutum vt Iudæi pellerentur ex Anglia: & vt monachorum collegiis non darentur prædia, ſine Regis permiſſu. *Polyd. lib. 17. Annal. Angl. Genebrard.*

Pariſiis duo Collegia inſtituta. Choleticum à Ioanne Choleto Picardo Cardinali, & alterum Cardinalium, à Ioanne Monacho Picardo Cardinali. Eho. bellum ſacrum hoc anno finiit, 196. annis acerrimiſque animis & multo ſanguine in barbaros geſtum.

IESV CHRISTI

Annus 1292.

NICOLAI PAPÆ IV. ANN. 5. Adolphi Rom. Regis ann. 1.

I. HOc anno Pontifex Nicolaus pridie nonas Aprilis magno ſui deſiderio magnaque ſanctitatis opinione relictis migrauit ad ſuperos. Eius adhuc egregia monumenta & rerum geſtarum elogia viuunt in Baſilica D. Mariæ Maioris Romæ vbi ſepultus eſt. Mors Nic. IV. Antonin.

Paulo ante eius obitum in Germania Adolph. Naſſouiæ Comes octauo Idus Ianuar. ad Regnum Romanorum electus eſt fauore & aſtu Gerardi Moguntini Archiepiſcopi, qui cæteros electores ſecum in Adolphum conſpirare fecit, dum ſingulis eorum ſecreto ſignificaret periculum eſſe, ne ab aliis is eligeretur, à quo nouerat ſingulos maxime abhorrere. II. Adolphus Naſſouius in Regem Rom. per Mogunt. eligitur. Naucler & Aſpin.

Cardinales Peruſium conuenientes vt nouum Pontificem eligerent, diſcordiis diſſidentes, & hoc & ſequenti anno Eccleſiam viduatam multum ab æmulis vndique affligi permiſerunt. Rogerius Auria pro Friderico & Siculis ad Crotonem vetuſtam Bruttiorum vrbem, Guilielmum Eſtendardum Caroli Regis Siciliæ copiarum Præfectum aggreſſus ſuperauit, nihili pendens cenſuras Eccleſiaſticas. III. Ob diſſidia, vacat ſedes Pontificia, maximo cū damno.

In Aragonia quoq; & Italia paſſim Hæreſes volitabant. Ita vt Iacobus Rex Aragoniæ data lege, inquiſitionis vigorem per totam ſuæ ditionis terram, ſeuere obſeruari & promoueri ab omnibus iuſtitiæ miniſtris decreuerit.

Obiit hoc anno ſancta Chunegundis Virgo, vxor Boleſlai pudici principis Poloniæ. Hæc poſt viri obitum diſtributis in pios & pauperum vſus facultatibus in Sandecenſi monaſterio plus duodecim annis duram agit vitam, ante & poſt mortem miraculis celebris. IV. Obitus S. Chuneg. virginis, vxoris Boleſlai Pudici. *Chomer. lib. 10.*

Contigit item eodem anno obitus B. Alberti è monte Deprano Carmelitæ de cuius vita & ſanctis moribus. *Vide Sur. 7. Aug.*

Similiter ad perennem vitam migrauit Ioannes Beccanus Cantuar. Archiepiſcopus ex ordine Franciſcanorum ad eam dignitatem aſſumptus quam perpetua æquitate contra Reges & Principes ſtrenue tutatus eſt.

Per id temporis defuncto Ioanne ſecundo Hollandiæ Comiti, ſucceſſit ei filius Guilielmus cognomēto bonus. Huius ærarii præfectus Duuenuordius dum ab æmulis apud Comitem accuſatus eſſet, rationum poſtulatus fuit. Paruit dicto, & ad conſtitutum diem reuertens, amictus rara veſte, faſcem clauium manu geſtans, cum, quid ſibi iſtud vellet, à Principe rogatus eſſet, reſpondit: *Reddam rationem nouo more. Hanc arcem extruxi. Tua, ait, ô Princeps eſt: & hæc clauis ei inſeruit; capite igitur. Illam quoque ædificaui, & hanc cape clauem ergo. Tantum hic, tantum illic argenti eſt: omne tuum eſt. Hæc itaque mea ratio eſt: quando aliter ob aures tuas ab æmulis occluſas, dari non licet. Cum hoc amictu primum ad te acceſſi: cum hoc eodem, à te diſcedo*: vale, his auditis Proceres erubuere, conſcii iniquæ accuſationis, at optimus Princeps iuſſit, vti præfectus erat ærarii, maneret perpetuus. V. Præfectus ærarii Holland. Comit. capitoſus & ſincerus. *Meyer. in Chronog.*

Porro de hoc Guilielmo hoc iuſtitiæ extat præclarum exemplum. Fuerat apud eum ab agricola quodam delatus prætor ærarius Dordracenus quod noctu vaccam ei ſurripuiſſet ſubſtituta alia ſimili quidem in colore non tamen in valore. Comes Prætorem ad ſe accerſitum, confeſtim iubet agricolæ ſuam vaccam reſtituere, vel potius numerare pro ea aureos centum: quod Prætor in ſe recepit, omnino facturum. Tum Comes: *Quanquam vero ruſtico ſatisfeceris, ait, nequaquam tamen mihi ſatisfeciſti, cui iuſtitiæ munus commiſſum.* Dixit, & arreptum Prætorem, facta exomologeſi delictorum, decollari, atque Dordracum ad ſepeliendum deportari iuſſit.

Hoc eodem anno natum eſt ſecundum bellum Anglicanum, inter Francum Regem, & Anglum Edouardum. Francorum Hiſtorici in Anglos, Angli in Francos culpam reiiciunt. Dicebatur claſſis Anglica egiſſe prædas, ex ora Normanniæ, dictus dies Anglo Regi, vt Franciæ paret Beneficiarius, cauſam vexatæ Frāciæ & maieſtatis diceret, non adfuit. Philippus Rex Burdegalam occupat. Obiit nunc Otho Epiſcopus & Princeps Mediolanenſis, 8. Auguſti, relinquens Theobaldum fratrem in principatu ſucceſſorem, eandem dignitatem temere runt poſteri, annis 195. VI. Miſcellan. Æmil. Iouius.

IESV CHRISTI
Annus 1293.

INTERPONTIFICII
ann. 2. Adolphi Reg. Rom.
ann. 2.

I. Andron. F. Conſtãt. Porphyrogenit. in vinc. conijcit, vt Turcæ exaleſcant.

HOc anno in Oriente Andronicus Imperator contra fratrem ſuum Conſtātinum Porphyrogenitum maleuolorum ſuggeſtionib. in ſuſpicionem adductus, quaſi is imperium occupare moliretur cum incautum apud Nymphæum Lydiæ cum recens ducta vxore commorantem, cum magna manu inuadens comprehendit vna cum Michaele Strategopolo; Atque hos quocunque pergeret vinctos circumduxit veritus ne matris Theodoræ opera Porphyrogenitus elaberetur. Interim his duobus (qui virtute ſua ſingulari Turcas à Romanis finibus facile arcebant) ita ſemotis hoſtes iam nullo prohibente Mēandrum fluuium magna multitudine tranſgreſſi omnia depopulari cœperunt.

II. Conradi Ducis Sileſiæ crudelitas in nepotem Henri. *Cromer. lib. 10.*

In Sileſia Conradus Dux Glogouienſis crudelius deſæuit in nepotem ſuum Henricum Legnicienſium ducem. Donis enim induxit Luticum quendam Henrici intimum, vt illum captum ac ligatum citato per equum curſu ad Conradum perduceret, qui eum vinctum in anguſtū vas ferreum incluſit duobus tantum foraminibus apertum, quorum altero cibum Henricus admitteret, altero alui excrementa egereret. Ita ſex menſibus aſſeruatus nec ſtare, nec ſedere præualens, pene computruit, vermibus è ſcapulis ac femoribus ſcaturientibus. Quare tandem numeratis Conrado 30000. marcarum, datiſque ſeptem territoriis, dimiſſus eſt. Henricus tamen lento morbo tertio inde anno extinctus eſt.

III. Horrenda crudelitas Philippi Pulchri in filiam Comitis Flandriæ & ipſum Comitem.

Philippus Pulcher Rex Galliæ cum intellexiſſet Guidonem Dampetræ Comitem Flandriæ, filiam ſuam Philippam (quam Philippus Pulcher è fonte ſuſceperat) Eduardo Angliæ Regi deſpondiſſe, ille ex odio in Edouardum puellam ad ſe vocat, venientem carceri mancipat, 20. eius pediſſequas ſtrangulatas proiici iuſſit in Sequanā, 30. viros claros eam comitatos ſuſpendio interimi. Dein mouit in Flandros cum quibus cum tandem biennales inducias pepigiſſet reuerſus eſt. Tum Guido, hortatu Caroli Valeſii Philippi fratris, ad regem ſe contulit cum duobus filiis & 52. terræ ſuæ nobilioribus, pacem petiturus. Sed Pulcher omnes comprehenſos integro octennio carcerali pœdore crudeliter afflixit, & Flandriam Iacobo Comiti ſancti Pauli dedit. Sed Flandri inde Francis ſe opponentes feliciter aliquoties de iis triumpharunt atque Regem ad ſoluendos captiuos coegerunt. Reſtitutus Guido non niſi ſex menſes ſuperuixit, afflictus etiam ex alia cauſa. Aliam quippe eius filiam Beatricem duxerat Florentinus V. Comes Hollandiæ XVI. qui coniugalem fidem non ſatis ſeruabat.

Erat inter nobiles Hollandos Gerardus Velſius. Hunc vt vexaret Florentius cogebat vt ſcortum ſuum ſibi matrimonio copularet, Recuſandi ait: *Velis nolis meum tamen ſcortum habebis vxorem.* Deinde cum Gerardus aliam ſibi copulaſſet vxorem, captata occaſione Florentinus ad eam ingreſſus inuitam oppreſſit. Gerardus cum Socero Florentium in Comitiis Cameracenſib. coram Legatis Edouardi Angli Ducis Brabantiæ ac Comitis Flandriæ tanti ſceleris accuſarunt. Decretum eſt ibi vt Florentius captus in Angliam mitteretur. In venatione ergo ex improuiſo cum inuaderetur, & à ſuis defenderetur occiſus eſt. Ob quod factum Hollandiæ Proceres ſæuiſſima totam accuſatorum Florentii progeniem extinxere. Gerardum autem Velſium apud Leidam vaſi ferreis clauis ſtipato incluſum per vias prouoluerunt.

IV. Fidei exemplum in Alfonſo Gusmanno.

Hoc anno fidelitatis illuſtre exemplum dedit Alphonſus Pereſius Guſmannus in Hiſpania Bœtica. Hic cum Regi Caſtellæ Sancto Tariſſam ciuitatem à Mauris captā ſe defenſurum recepiſſet, partim quidem ſuis etiam ſumptibus: cincta eſt ab hoſtibus ciuitas, Alphonſi filius vnicus captus, pro mœnibus oſtenditur mox iugulandus niſi dedatur ciuitas. Alphonſus è muro proiecto proprio gladio; Et inquit: *ſi alium non habetis enſem, hoc meo etiam centum meos iugulate filios potius quam vt me à fide deflectatis.* Hoc dicto abiit ad prandium. Interim exortus ingens clamor ciuium ad mœnia eum retraxit. Quærenti quid rerum, reſponderunt filium eius interfectum à Barbaris. Tum ille: *Hoccine erat* inquit: *credebam vrbem ab hoſtibus capi.* Dixit & regreſſus prandium perfecit. Hoſtes explorata tanta herois virtute deſperantes de victoria abierunt. *Lipſ. in Monit. & Mon. lib. 14. c. 16.*

V. Edouard. Angliæ Rex Principes ſibi contra Francos deuincit.

Hoc anno Edouardus Angliæ Rex Germanum Cæſarem ſibi deuinxit: iungit ille ſocietatem armorum in Francos. Anglo inſuper adfuit Guido Flandriæ Comes. Humberto Delphino Viennenſi vitam Monaſticam profeſſo, ſuccedunt filii. Huic Humberto bellum aliquandiu fuit cum Amadeo IV. Sabaudico. *Parad. c. 44.* dum inter Scotiæ Proreges non conuenit de Rege conſtituendo, arbitriū defertur Eduouardo Angliæ Regi, qui Baliolum nominat Regem prius tamen tacite ſibi deuinctum. *Hector Boet. Leſleus in Baliolo.*

VI. *Marian. lib.* Iac. Arag. Rex de Iſabella ſponſa dimittēda cogitat.

Hoc anno Caſtellæ & Aragoniæ Reges Lugrunium conuenientes, colloquium habuere, vbi ille ſocer, hunc generum liberius habens animum eius ab Iſabella ſponſa alienauit. Ac deinceps Iacobus de ea dimittenda cogitauit prætenſo propinquitatis impedimento à Pontificibus nondum diſpenſato. Egit deinde clam Iacobus cum Carolo Neapolitano de reſtituenda ei Sicilia, ac ducenda eius filia Blanca.

IESV CHRISTI
Annus 1294.

COLESTINI PAPÆ V.
an. 1. Adolphi Reg. Rom.
ann. 3.

I. Mors Ioh. Duacii, nati in ne Scoti ſubtiliſ doctoris.

HOc anno volens nolens ex hac vita migrauit Ioannes Duacius Scotus, ſubtilis quidem ordinis Fratrum Minorum doctor, ſed adeo tenebroſius, vt σκότος & paſſim diceretur, & cum omnia in dubium vocaret, mors eius in dubium quoque vocata eſt. Apoplexia enim correptus exanimem putantes, nimis feſtinato funere ad ſepulchrū in choro ſui ordinis deferunt, qui dein morbi violētia ceſſante ad ſe reuerſus pulſato fruſtra ſepulchro & miſerabili mugitu edito, eliſoque tandem capite, periit Coloniæ cui aliquis Poetarum, &c.

Quod nulli vnquam hominum accidit, viator,
Hic Scotus iaceo ſemel ſepultus,
Et bis mortuus; omnibus Sophiſtis
Argutus magis, atque captioſus.

Latomus addidit aliud.

Quæcunque humani fuerant, iuriſque ſacrati
In dubium veniunt cuncta, vocante Scoto.
Quid? quod & in dubium illius ſit vita vocata
Morte illum ſimili ludificante ſtropha.
Quum non ante virum vita iugularit adempta,
Quam viuus tumulo conditus ille foret.

II. Eligitur Cœleſt. V. & ſe Pont. abdicat.

Hoc tandem anno Nonis Iulii Cœleſtinus V. antea Petrus Muronus dictus patria Eſernio Samnitum oppido, natus poſt multos annos in vaſta ſolitudine prope Sulmonem ſumma pietate exactos Pontifex creatur Peruſii, à 12. tantum Cardinalibus, ibi præſentibus cum ipſe nunquā Cardinalis fuiſſet, & ex eremo 5. Non. Iulii ad ſummum faſtigium euocatur. Cæterum cum ſediſſet menſes 5. & dies 7. & onus humeris ſuis impar candide agnoſceret, Pontificatu ſe abdicauit.

II. Formula abdicationis à Pont. Cœleſt. V. *Concentus in Cæleſt. V.*

Itaque ad diem 13. menſis Decemb. in publico Patrum conſeſſu, abdicationem ſuam his verbis impreſſit.

Ego Cœleſtinus Papa V. motus ex legitimis cauſis: id eſt, cauſa humilitatis, & melioris vitæ, & conſcientiæ illæſæ, debilitate corporis defectu ſcientiæ, & malignitate populi & infirmitate perſonæ, & vt præterit. conſolationis vita poſſim reparare quietem, ſponte,

at li-

ac libere, cedo Papatui, & expreſſe renuncio loco, & dignitati, oneri & honori, dans plenam & liberam facultatem ex nunc ſacro cœtui Cardinalium, eligendi & prouidendi duntaxat canonice, vniuerſali eccleſ. de Paſtore. Hæc dixit, & mitram Pontificiam, capite depoſuit, mox annulum, pallium, ſtolam, & cætera Pontificij inſignia reiecit, habitumque eremitæ, quem primo induebatur, reaſſumpſit, adque eum modum Pontificatu abdicató, omnes in ſtuporem coniecit, & in Eremum Muronis ſeceſſit: vir ſanctus, & dignior naſcente, quam conſeneſcente Chriſtiana pietate: nemo tam cupide accepit ſummum decus, quam Cœleſt. depoſuit: neque vllus tam celeriter ad ſummum illud in terris faſtigium properauit, quam Petrus ad ſolitudinem, & prioris vitæ delitias reuerſus eſt, poſtquam menſibus quinque & ſeptem diebus Eccleſiæ præfuiſſet.

IV.

Poteſtate eligendi Cardinalibus facta, omnium eorum, & præcipue Matth. Vrſini & Iacobi Columnæ ſuffragijs in priuilegio Natiuitatis Dominicæ, in Caſtro nouo Neapolitanæ ciuitati contiguo die Veneris, electus eſt Bonifacius VIII. Benedictus antea vocatus, natione Hernicus, patria Anagninus, illuſtri Caietano ſtemmate, patre Lintfredo, ex nepte Alexandri Quarti Pontificis Maximi pronepos natus. Fuit Benedictus, doctrina & experientia rerum, inter alios huius temporis Cardinales, præſtantiſſimus, magni animi, relator magnus & iurium Eccl. conſeruator: & qui propter inſignem eruditionem, & in negotijs Eccleſijs efficiendis ſummam ſolertiam, Patrum collegio ſe inſeruiſſet. Proinde nō tam per ambitus gradum, aut artes eo ſenatu indignas, ſed per virtutis, & præcipue ardentiſſimi rerum Eccleſiæ tuendarum, iuxta ac amplificandarum ſtudij vehementiorem cultum, ad Pontificij ſupremum culmen aſcendit, & ſacramento eccleſiæ Catholicæ ſe aſtrinxit.

Obijt autem An. Milleſ. Ducent. nonageſimo nono, à Clemente V. ann. 1313. in Diuos relatus. Poſtmodum 24. eiuſdem mēſis Decemb. electus eſt Cardinalis Caietanus Anagninus, qui 17. Kalend. Febr. coronatur.

Quæ vero in conſecratione & coronatione acciderint, duobus libris metrice complexus eſt *Iacobus S. Georgij ad velum aureum Diacon. Cardinalis*, quæ pro Innocentio & gloria Bonifacij prolixe inſerit *Conditor Annalium*, defenditque acerrime, nequaquam malis artibus in amouendó Cæleſtino vſum fuiſſe Bonifacium: vtpote quem conſtaret amore ſolitudinis vitæque Monaſticæ tam operoſa mole Pontificatus ſeſe abdicaſſe.

V. Vrſini florentes.

Vidit hic annus ex nobiliſſima Vrſinum familia lumina & perdidit; obijt enim Latinus Cardinalis Vrſinus, in illam familiam ex Frangipana domo aſcitus, propter matrem quam habuit Vrſinam, & deinceps Vrſinorum nomen & inſignia pro ſe tuliſſe. Item Matth. Vrſi frater, & Ioan. Caietani filius, Prior Diaconorum Cardinalium, titulo S. Mariæ in Porticu. Denique in Præd. Ordin. vixit Romanus Vrſinus frater, ipſi D. Thomæ, vita inculpata doctrinaque familiariſſimus.

Ciaccon. in Vrban. IV.

VI. Trāsfertur domus B. Virg. in Picenum. *Lauretan. hiſt. l. 1. c. 6.*

Hoc anno *Horatio Turſellino teſte*, ex Dalmatia Auguſtiſſ. domus B. Virgin. Angelorum miniſterio in agrum Picenum, qui Lauretæ viduæ erat, è regione Dalmatiæ ſitum interfluente Adriatico ſinu, tranſportata eſt, in ſyluaceiuſdem matronæ Lauretæ Recinetenſis ſubſiſtens, & miraculis frequentibus veritatem rei indubitate conteſtans.

VII. Miſcellanea. *Chron. Franc. Guil. de Nangis.*

Anglica claſſis cum Normanniæ oram legendo nullum operæ pretium feciſſet, Rupellam obſeſſam cœpit, & eadem vi Baionam expugnauit, minime auſa Burdegalam aggredi, quam Præfectus equitum Francus propugnabat. His temporibus floruit Ptolomæus Lucenſis, hiſtoriæ Pontificiæ ſcriptor, qui ad Cæleſtini Pp. coronationem, cui ipſe interfuit, ducenta hominum millia confluxiſſe teſtatur.

Annal. Fland.

Iohannes I. Brabantiæ Dux, Bari in Lotharingia in haſtiludio à Petro Beffremontio lætaliter vulneratus in brachio die 3. Maij moritur, corpus Bruxellam delatum apud Franciſcanos conditur, cuius tumulum noſtra ætate Caluiniani violarunt.

Ioſeph. Tamph.

Succeſſit Iohann. II. eius filius. Sanctus Nicolaus Tolentinas in oppido S. Angeli apud Picenos natus Ord. Eremit. S. Auguſtini ingreditur ab Eugenio IV. Pontifice Maximo inter ſanctos ann. 1446. relatus. Hoc anno duæ Philomelæ 6. Idus Februar. in maximo gelu cantarunt, in templo Harlebecano apud Belgas. *Ann. Flan.*

IESV CHRISTI
Annus 1295.

BONIFACII PAPÆ VIII. ANNO 1.
Adolphi Reg. Roman. ann. 4.

I. Bonifac. ſe purgat a maleuolorum calumnijs.

Bonifacium calumnijs grauiſſime impetitum, propter renunciationem Pontificatus Cæleſtini, Purpurati Patres ex Senatuſconſulto impulerunt, vt ſui defenſiuam Epiſtolam ad ora maleuolorum obturanda ederet. Edidit Decretalibus inſertam decretoriam & declaratoriam ſanctionem, qua tum iuſtiſſimam Cæleſtini ceſſionem oſtendit, tum vero ſuam innocentiam tuetur. Idem in encyclica ſcribens, quam ad Reges & Principes, tam ſeculares, quam Eccleſiaſticos ſuæ aſſumptionis cauſa dedit.

II. Inter reges Carol. Sicul. & Arag. pacem per Legatos facit.

Pacem Bonifacius in Chriſtianum orbem primum inducit atq; a Sicilia orditur, & inter Reges Carolum cunctatorem & Arragonium fœdus icit, certis pactis. Deinde 1. Iacobo Arragonio, vt Regnum Maioricarum Iacobo patruo reſtitueret præcepit. 2. Matrimonium inter Iſabellam Sanctij filiam, & Iacobum irritauit, & poteſtatem Blancam copulandi fecit. 3. Conſtantiam Reginam matrem Iacobum, Fridericum, & Petrum filios, atque vniuerſos tum Siculos, tum Catalanos & Aragonios proceres & populos fautores, conſultores, adiutores anathemate exoluit, & Regna atque Prouincias interdicto liberauit, conditionem tamen reincidentiæ, ſi & ipſi in crimina reinciderent, appoſuit. 4. Regnum Aragoniæ à Carolo Valeſio in poteſtatem ſedis Apoſtolicæ datum, Iacobo Aragonio conceſsit, ſiue adeo reſtituit die 11. Calend. Iul. Indiction. 8. anno 1295. 5. Iacobo ijdem, vt nonniſi poſt abſolutionem, & matrimonium cum Blancha contractum, Siciliam eccleſiç reſtitueret indulſit: proque Carolo Rege Siciliæ ad exoluendam dotem, in tres annos fideiuſſit. 6. Atque vniuerſis populis Siciliæ, pacta conuenta ſignificauit, inque ſedem Apoſtolicam & ſe atque ſucceſſores ſuos, vt duodecim millia librarum Turonenſium Iacobo, atque hęredibus illius, poſtquam is Inſulam Siciliæ Romanæ Eccleſiæ reſtituiſſet; numeraret, recepit. 7. Mortuo Carolo Martello Rege Hungariæ, & Caroli Regis Siciliæ cis & vltra Pharum vicario, Landulphum Bracacium tit. S. Angeli diaconum Cardinalem, quem Nonis Aprilis Lateran. agens, Legatum in Siciliam miſerat, & vna cum eo Philippum Caroli filium, Principem Tarentinum, vicarios ſeu Balinos quos vocabāt, ꝑ Rom. Eccl. in Regno Siciliæ conſtituit: Iſtudque 8. Officij ac dignitatis, paulo poſt, Mariæ Reginæ Siciliæ conceſſit. 9. Berengarium Villeromum Archidiaconum Vigellitanū, tractationum pacis conſcium, ad Iacobum Regem, internuncium deſtinauit, vtque eum ad pacta fœdera ſtabilienda, neque ipſa præſtanda adduceret, iniunxit. 10. Ad Catharinam Imperatricem Conſtantinopolitanā, Ancienſem Epiſcopum, & Abbatem ſancti Germani Pariſienſis Nuncios, qui eam ad matrimonium cum Friderico contrahendum inuitarent, miſit, vtq; illa huius rei gratia Romam ſe conferret, inuitauit. Interim etiam Bonifacius Guillelmum Ferrarium titul. S. Clementis Cardinalem Legatum in Aragoniam deſtinauit, qui vna cum Carolo Cunctatore Blancham Iacobo Regi deduceret, ſanctumque illud coniugium eſſe iuberet.

Attamen Siculi Carolo Gallisque parere recuſarunt, quos tamen Bonifacius cenſuris in officio continere, pœniſque ciuilibus conatur. *ep. 156. & 157.*

III.

Per id temporis, cum apud Douerum Franci cum

Anglis depugnarent, in eo tumultu, monachus quidam nomine Thomas, vir longe innocentiſſimus fuit interfectus, per quem deinceps vt martyrem Deo acceptiſſimũ, crebra miracula edita aſſeuerant. Ita rem narrabat auctor rerum Anglicarum. Eſt in Diœceſi Cantinenſi extremum omnium ad orientem Doueriæ oppidum, inſigni portu & arce atque Cœnobio Benedictinorum celebre, quod Galli ardente bello ſpoliarunt, & vaſtarunt. Monachis alijs vt ſaluti ſuæ conſulerent alijs alio diffugientibus, ſolus Thomas vir pius & infracto ad mortem animo, ne pedem quidem vllis perſuaſionibus à Monaſterio mouere voluit. Hunc igitur Galli magnis minis terroribusque vrgebant, vt theſaurum ornamentaque Eccleſiæ proderet, qui cum adeo illis non acquieuiſſet, vt etiam ſeueris præterea eos verbis propter ſacrilegos eorum auſus caſtigaret, ab illis vehementi ira inflammatis iugulatus eſt, Nonis Auguſt. Hunc Deus varijs & inſignibus poſt obitum miraculis nobilitauit. Robertus autem Archiepiſcopus Cantuarienſis cum nihil aliud poſſet, anathemate depopulatores illos publice percuſſit. *M.S. Vatic. de Rebus Anglic. num.* 5586.

IV. Pax Anglo & Franco à Bonifacio ſuadetur. *Polyd. li. 17 Hiſt. Angl.*

Cum annus hic aliquot prælia inter Anglos & Francos in Aquitania habuiſſet, itemque Rionis aliorumque oppidorum expugnationes, vario marte circa Garumnã fluuium potiſſimum vidiſſet, Bonifacius Edouardum Philippumque Reges conciliare nititur, cum non deſiſteret Edouardus, ærarium ſuum Eccleſiaſticorum prouentibus implere, ac proinde à quodam Anglo proditore, prope Rionem, à Philippo Rege dimiſſo, pene fuiſſet confoſſus. Qui poſtmodum apud Edouardum accuſatus proditionis in publico patibulo gula fracta pœnas dedit. Exinde vero Edouardus ad pacem inclinauit, quod conſcientię remorſu vexaretur ob violatam legem Bonifacij, quam pro Clericorum bonorumque eorum immunitate tuliſſet.

6. Decret l. 3. tit. 23. de immunit. eccleſiarum.

V. Semen odiorum inter Bonif. & Philip. Reg. Galliæ. Primum.

Porro in Gallijs, iſtud fere initium grauiſſimi odij, quo poſtea Philippus Rex in Bonifacium exarſit. Eſt in Francia, Apamea, olim Abbati S. Antonini eiuſque Cœnobio iure pleno addicta. Ea cum propter reditus opulentos, raptorum ſacrilegijs expoſita eſſet, Clemens IV. Pontifex eam Ludouico Regi tuendam commiſit, nonnullamque portionem redituum exinde attribuit, nomine tutelæ, ſeu ſtipendij in tutelam. Nihil tamen iuris Abbati aut Cœnobio detractum, aut Regibus Galliæ datum eſſe voluit Clemens in Apameam, quam nonniſi ad certum tempus, & ad ſedis Apoſtolicæ beneplacitum in cuſtodiam committebat. Ludouico in cœlos migrante, Philippus Apameam tuendam ſuſcepit, morienſque Philippo Pulchro filio Regi reliquit. Hic porro Rogerium Fuxi Comitem à multo tempore Abbatis & Monaſterij ex profeſſo hoſtem, non modo ab iniurijs non reuocauit, ſed ad eas Abbati & Monaſterio inferendas literis Regijs armauit: quibus ille fretus, Apameam ingreſſus, iuramentum fidelitatis à miniſtris & ſubiectis Abbatis & Monaſterij extorſit, adeoque Apameam iuris ſui fecit, in graue præiudicium Abbatis, & eccleſiaſticæ libertatis. Non potuit, neque debuit, nec voluit diſſimulare Bonifacius, ſed grauioribus litteris ad Philippum datis eum officij admonuit, præcepitque vt Comitem compeſceret, omniaque in integrum Abbati ac Monaſterij reſtitui iuberet: Comitem quoque acriter perſtrinxit, anathemateque minatus eſt, ſi non excederet Apameam, ſique ablata non reſtitueret, neque iniuriarum nomine ſatiſdaret. Laudunenſ. quoque Eccleſiam Cathedralem Adminiſtri Regij per id temporis violarant. Namque quoſdam ex ea vi extraxerant, & multis vulneribus affectos, ſemiuiuos in via reliquerant. Ex his Clericus quidam plagis multis confoſſus, occubuit. Offendit ea res vehementer Bonifac. libertatis Eccleſiaſticæ aſſertorem. Quamobrem datis literis & Regem acrius reprehendit, & Decano Laudunenſi poteſtatem in violatores inquirendi, fecit, Philippoque Regi, vt in vindicandis malefactoribus operam ſuam præſtaret, iniunxit.

ep. 161. & 182. Anag. 15. Cal. Iul.

ep. 355. Ana. 3. Cal. Sept.

Alterum Semen.

Erat & iſtud, quod Philippum incitaret. Milites Hieroſolymitani in tuendo Regno Cypri dies noctesque excubantes, multas impenſas faciebant. Eas porro cum ex Syria Palæſtinaque colligere nõ poſſent, ex Gallijs, quemadmodum & ex Germania, Gallia, Anglia, Luſitania, Sicilia, & Italia, depoſcebant. Non multum grata fuit Regi Philippo, vt & cæteris Principibus ea pecuniarum ex Regnis eorum collectura. Quamobrem, cùm & exactionem interdicerent, & ipſi bona eorum militum inuaderent, fructuſque illorum per nefas vſurparent, Bonifacius tum Romanorum, Angliæ, tum Portugaliæ, Siciliæ Reges, tum etiam Philippum hortatus eſt, vt ſibi à bonis Eccleſiaſticis temperaret, neue eas pecunias ſacris militibus tranſmitti prohiberet. Non potuit hæc omnia non ægre ferre Philippus, ſed alte in pectus odium demiſit, quod poſt aliquot annos, magna cum ignominia ſua in Chriſtum memini euomuit.

Ep. 489. Anag. 12. Cal. Aug.

VI. Adolphus obedientiã offert eccl. Rom. *Ep. 171. Anagn. 5. Kal. Iul.*

Adolphus Rex Bonifacio ſummo Pontifici per Legatos Præpoſitum Wormatienſem & Gerlacum Iſenburgenſem obedientiam fidelitatemq; obtulit in pleno Purpuratorum Patrum conſeſſu. Bonifacius viciſſim propenſiſſimam animi ſui ſediſque Apoſt. voluntatem erga illum aperuit. Cumq; Veneti à Genuenſibus victi ſe Sedi Apoſt. ſubmitterent, Genuenſes contumaciter detrectarunt: vnde poteſtatem Venetijs fecit, quocumque modo poſſent, ijs reſiſterent, nec pœnas in fœdere contentas metuerẽt: In his Venetorum, & Genuenſium vellicationibus, maxima fortitudo militaris Andreæ Danduli Venetæ claſſis Præfecti, à quibuſdam laudatur, qui ne captiuus Genuam perduceretur, triremi capite grauiter impacto, vitam cum morte commutauit. Per Vrſinum quoque Cardinalem Vrbeuetanos excommunicat, quod bona eccleſiæ erepta reddere nollent: Interdicto quoque ſupponit, & Sacramenta nonniſi in cauſa neceſſitatis adminiſtrari permiſit per quatuor Sacerdotes. Daniæ quoque Rex eodem modo in Archiepiſcop. Londinenſem eiuſque bona ſæuijt, ad quem Pontifex Archiep. Carcaſſonenſem miſit, vt captiuum dimitteret, & Romam ire parantem non impediret.

Ep. 358. & 359. Anagn. 10. Cal. Sept.

VII. Miſcellanea.

Præmislaus Rex Poloniæ eligitur & inungitur, & antiquo ritu ab epiſcopis coronatur, qui à 215. annis erat intermiſſus, vti ann. 1079. videre eſt. *Hiſtoriæ Polonicæ* hunc primum legitimum Regem faciunt à morte S. Stanislai. Nec diuturnum illi Imperium fuit, nam cum Eccleſia diem Cinerum celebraret, à percuſſoribus Ottone Longo Marchione electore, cum Ottone altero, & Iohanne Conradi fratris filijs: primo circumdatus, dein obrutus telis fortis viri opera patrans ſemianimis concidit, quem cum aſportare non poſſent, pugionibus immaniter confoſſum reliquerunt. Cauſa cædis quod Lucardem coniugem à pediſſequis iugulatam, ſecundum iuſtitiæ leges non vindicaſſet. Andronicus ope Beatæ Virgin. à coniuratis liberatur, nam cum Pincernam exercitui ſuo præfeciſſet, & ille feliciter quædam geſſiſſet, elatior factus, Cretenſium ſuaſu, Andronico ſeſe opponit. Quos Protoueſtiarites Libadarius muneribus pecunijſque datis corrupit, & dum pugnant in Andronici militem, vinctum Pincernam Libadario tradunt, qui omni humanitate depoſita ſtatim hominem exoculat.

Cromerus lib. 10.

Gregoras hiſt. Rom. l. 6. Andronicus ope B. Virg. ſeruatus.

Obit hoc anno Otto vice Comes Archiepiſcop. Mediolanenſ. 84. Annorum. Transfertur quoque corpus S. Danielis Martyris Patauinorum Apoſtolus in Eccleſiam Cathedralem Patauinam. Quod cæcus anno ſalutis 1064. quidam ex Hetruria oſtenſo loco miraculoſe inuenit, illeque illuminatus eſt. Cruces in Syndone duorum Rabbinorum & Iudæorum viſæ impreſſæque, religionis Orthodoxæ capeſſendæ eos admonuerunt. *Alfonſ. libr. 3. Fortalit. Fidei* ad hunc fere annum referenda eſt Heluetiorum nouiſſima origo, quando aſperi & montani homines, nunc primum probata inter eos regiminis forma populari, & paruis initijs alicuius nominis apud Imperatorem eſſe cœperunt. Obit quoque Sanctius IV. Caſtellæ Rex, relicto filio Ferdinando puero IX. annorum ſub tutela matris.

Bern. Corius Hiſt. Mediol. part. 2.

Bern. Scardeon. li. 2. claſſ. 2. de antiq. Patau.

Stumphius in Chron. Helu. Marian. l. 14. c. 16. & li. 15. c. 1.

Menſe

VIII. Tranſlatio ædis Lauretanæ tertia.

Menſe Iulio huius anni ædes Lauretana locum apud Picenos mutauit, in quorum agrum ex Dalmatia erat tranſuecta, ob duorum fratrum auaritiam, quorum communi agro ſubſederat: Situm eius apud *Horatium Turſellinum*, & accuratam topographiam elegantiſſimo ſtylo ſcriptam loco citato legere poteris.

IESV CHRISTI
Annus 1296.

BONIFACII PAPÆ VIII. ANNO 2. Adolphi Reg. Rom. Ann. 5.

I. Obitus S. Petri de Morono Cæleſtini Quinti vitæ eius & miraculorum ... *Martyrol. Rom. 19. May & Surius eod. die.*

QVartodecimo Calend. Iunij, commemorat eccleſia, ex Martyrologio Romano obitum Sancti Petri de Morono, ; qui ex anachoreta ſummus Pontifex creatus, dictus eſt Cæleſtinus Quintus: ſed Pontificatu ſe abdicans, & in ſolitudine religioſam vitam agens, virtutibus & miraculis clarus migrauit ad Dominum, hoc anno. Petrus Aliacus Cardinalis Cameracenſis eius vitam ex fide ſcripſit, Surius recenſuit, Lipelloius contraxit: Brouius allegauit.

Cæterum corpus exanime debito cum honore ac celebritate, à Bonifacio Pontifice in ædem S. Antonij de Ferentio translatum, ad maius altare ſepultum eſt: cum ei quoq; ritu ſolenni tamquam pro Pontifice vna cum Cardinalium, & totius Cleri cætu, Bonifacius Pontifex Romæ parentaſſet, propter frequentem miraculorum operationem, anno ab eius obitu XI. Clemens eius nominis Quintus, Sanctorum Confeſſorum catalogo eum annumerauit, eiuſque annuam feſtiuitatem die XIV. Calend. Iunij inſtituit, qua poſt vitæ huius ærumnas, in Chriſti pace feliciſſime quieuit.

II. Apologia pro Bonifacio in cuſtodia Detinente S. Petrum.

Propter eandem miraculorum claritatem, cum innumerabiles cum iniuria affectum fuiſſe dicerent, adeoque Bonifacij Pontificatum in dubium reuocarent, multi etiam inſuper lædorijs aſpergerēt Ægidius Columna Ord. Eremitarum Sancti Auguſtini profeſſor, vir propter ſanctitatem, & doctrinam apud vniuerſos Reges & Principes, magnæ auctoritatis; pro Bonifacio apologiam doctiſſimam titulo, *De renunciatione Papæ, lib. 1.* ſcripſit, clariſſimeque oſtendit Bonifacium verum & legitimum Romanæ Eccleſiæ Pontificem eſſe: nulla iniuria Cæleſtinum affeciſſe: neceſſitateque Eccleſiæ vniuerſalis adductum, non vero peruerſo animo impulſum, ea in Cæleſtinum admiſiſſe, quæ admiſit. Ptolomeus Lucenſis, qui per id temporis vixit, & proceſſioni celebri coram Cæleſtino Neapoli factæ interfuit, ſcriptum reliquit, quia Bonifacius eundem Cæleſtinum tenuit, inque cuſtodia non quidem libera, honeſta tamen habuit, præcauendo ſcandalo Romanæ Eccleſiæ, quia, vt apud aliquos muſſitabatur, accidere potuiſſet: & ſic poterat ſchiſma in Eccleſia generari.

In Chronico Romanorum Pontificum.

Summont. li. 3. ep. 29. 30. & 37.

Tametſi Pontifex Siciliæ Regnum Carolo vendicare niteretur, nihilominus Siculi contra mandatum Pontificis, Fridericum Arragonium Regem renunciant, Panormi ritu ſolenni ab Archiepiſcopo Panormitano Regio diademate coronatum. Coronatus continuo exercitum in Carolum educit, Calabriæ oppidum obſidentem, Bonifacius litteris illum ab incepto dehortatum, & per Fr. Petrum Dominicani inſtituti Theologum reuocat. Atille victorijs frequentibus inſolētior factus, potentiam Iacobi fratris non timuit, quem in illum armabat Bonifacius. Quibus inter ſe colludentibus, Philippo Galliæ Regi ſcribit, vt ſibi fratrem ſuum Carolum Valeſij & Alanconij Comitem tranſmitteret, quem vtriuſque Arragonij armis opponeret.

III. Adolpho imperium Electores abrogant. *Siffredus. ... Naſſouium.*

Adolphum quoq; Naſſouium, pacis publicæ impatientem, monet, ne per vitia illa viam ad præcipitium ſternat. Dum enim Wenceslaus II. Boemiæ Rex ſolenni pompa Pragæ à Gerlaco Archiepiſcopo Moguntino vngeretur & coronaretur, Principes Electores ibidē congregati Adolphum Naſſouium, quod Eccleſias vaſtaſſet, Virgines ſtupraſſet, ſtipendia à Rege Angliæ accepiſſet, aliaſque ob cauſas Imperio indignum iudicarunt, & Albertum Auſtriæ Archiducem communibus ſuffragijs Regem Rom. dixerunt.

IV. Summarium geſtorum Bonifacii. *1. ep. 324. 4. mag. 10. Cal. Aug. 1. ep. 110. Latera. 3. Cal. Ian. 3. ep. 31. ... 4. ep. 452. Anag. 6. Id. Septemb. 5. Decret. Inquiſit. p. 2.*

Inter hæc etiam Bonifacius 1. Carolo Regi Siciliæ, vt gratia amplificandi cultus diuini, & prouentuum eccleſiæ ſancti Nicolai Barenſ. poſſent quaſdam Capellas & alias Eccleſias eidem vnire conceſſit. 2. Ludouicum Caroli Regis Siciliæ filium, Fratrem Ordinis Minorum, eccleſiæ Toloſanæ Epiſcopum præfecit. 3. Duci Venetorum vt ad tractandam cum Genuenſibus cōcordiam Oratores Romam mitteret, iniunxit. 4. Priori Ordinis Prædicatorum, & Guardiano Ordinis Minorum, vt Gaietanos ciues ob participationem cum Siculis anathemate adſtrictos abſoluerent, poteſtatem fecit. 5. Contra hæreticos leges olim à Friderico latas, in hunc modum lata Conſtitutione confirmauit.

V. Gallus & Anglus bellum atrox repetunt, ne quidquam pacificante Bonif.

Edouardus Anglus à Philippo Gallo ereptas vrbes & dominia repetebat, neque ſibi ſufficiens erat. Itaque affinitate cum Gallis Proceribus & Flandriæ Comite contracta, Philippi animum potentiæ Anglicæ metuentem, in ſe ſuſcitauit. Guido Comes Flandriæ, cuius potentia etiam ſuſpecta Philippo erat, cum coniuge ad Regem ſpecie fidelitatis acceſſitur. Adueniens capitur, carceribus clauditur. Mouet in illum Anglus, , ſed cæditur.

Æmil. Guilel. de Nangis Annal. Franc. Nauclet. Annal. Fland. li. 10. Rubeus li. 6. Extrauag. commun. tit. 20. de ſent. excommun.

Primo in Aquitania, vbi copias Anglus expoſuerat: dein non infelicius in Flandria: vbi Dux Robertus Atrebas Inſulam metu recepit, & iterum collatis ſignis hoſtem Anglum fudit. Brugæ quoque & Furnæ ſe Franci Regis fidei permiſere. Bonifacius Pontifex pacem ſuadet, conditiones proponit, miſſis ad Philippum Legatis & literis, quibus in ignem coniectis odium in Pontificem Philippus demonſtrauit: qui nihilominus res Eccleſiæ in Æmilia & Bononia, per mulctas, cenſuraſque egregie curauit: & in diſſolutos clericos, eorumque fautores & receptatores anathema ſtringit.

VI. Miſcellanea. *Pandulphus Tilius & alii.*

Sanctitate B. Sacræ ædis Lauretanæ vulgata, innumeri peregrinantes eo confluxerunt vt refert *Turſellinus hiſt. lib. 1. cap. 15.* Fridericus Iacobi Arragoniæ frater hoc anno totam Siciliam occupat. Iacobus offert auxilia Francis aduerſus fratrem, an bona fide incertum, vt diximus In Scotia Baliolus fidem male datam Edouardo Regi Anglo reſcindit. Fœdus renouat cum Francis: Bruſſeo tranſeunte ad Anglum. Hinc Anglicum in Scotos redintegratur bellum, in quo victus captuſque dolo eſt Baleolus, & Striuelingenſe, Edinburgenſe, & Dunbarteum caſtra ſunt expugnata; In Polonia occiſo Rege Præmiſlao 23. Aprilis ſucceſſor datur Vladislaus.

Leslaus in Baleolo. Hector hiſt. Scot. lib. 13.

IESV CHRISTI
Annus 1297.

BONIFACII PAPÆ VIII. ANno 3. Adolphi Reg. Rom. ann. 6.

I. *Ro. Martyr. & Sur. 19. Aug. Antonin. 3. parte tit. 24. c. 14. Chron. Franciſcan. part. 2. lib. 6.* Obitus S. Ludouici Siciliæ Regis filii Franciſcani.

S. Ludouicus Caroli Claudi Siciliæ Regis filius Franciſcanus, & Epiſcopus Toloſanus factus, hoc anno in cœlos euolauit. Ioannes Papa vigeſimus ſecundus eum inter Sanctos retulit, qua de re extant litteræ Apoſtolicæ, quibus eius res geſtæ recoluntur. Eius corpus Maſſiliam tranſlatum in eccleſia Fratrum Minorum honorifice conditum eſt, miraculis in vita & morte coruſcauit.

II. Miſcellanea. *Cod. Colum. Vatican. num. 3535.*

Eodem anno Bonifacius Pontifex Sacram Apoſtolorum, Euangeliſtarum atque Doctorum Eccleſiæ memoriam in Eccleſia eſſe voluit, præclara ſuper ea edita Conſtitutione, quæ ponitur *lib. 3. tit. 22. de reliq. & venerat. SS.* Deinde Iacobum Arragonicum Regem Sardiniæ & Corſicæ Regem renunciat: ita tamen ne plus apud eum fraterna pietas quam Pontificia maieſtas valeret. Duo Cardi-

nale e familia Columnarum quod Philippo Regi aduerſus Pontificem adhæſiſſent dus decomentur: tum etiam quod Cæleſtinum V. Pontificatu ſeſe abdicantem aduerſus Bonifacium maleuole fouiſſent & defendiſſent. Qui exules, mitis calumnijs apud exteras nationes Bonifacium notarunt. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ quoque Cardinalibus, purpureas veſtes aſſignat, & eorum dignitatem mirabiliter auxit, quos Innocentius IV. iam ante rubeo galero donaſſet. S. Ludouicum Francorum Regem miraculorum eius fama in luctus, Sanctorum numero inſerit. Pro immunitate eccleſiaſtica acriter laborauit, & præſertim Cardinalium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ illamque vniuerſis Clericis liberaliter dedit, quam iure diuino humanoq; obtinere poſſent.

III. Floret Ægidius Romanus nobili Columnarum ſtirpe natus Philippo Pulchro Gallorum Regi chariſſimus, quo iubente libros de *Regimine Principum* ſcripſit. à Bonifacio Archiepiſcopus Bituricenſis, & Aquitaniæ Primas creatus, ſingulari in dignitate illa modeſtia; a quo & Theobaldus Veronenſis inſtituti Fratrum S. Auguſtini Antiſtes datus eſt Veronenſibus, rara in pauperes & peregrinos liberalitate; cumque 90. annum attigiſſet, lenta febri extinctus eſt, die 19. Nouemb. anno 1331. Item eiuſdem inſtituti Vitus Pannonius Auguſtinianus, mortuus inſtar Eliſæi mortuum ſuſcitans. In Suetia quoque floret Petrus Epiſcopus Aroſienſis, qui totam Careliam baptizauit. At in præmium à Turgillo Regni Suecorum Adminiſtratore, exilio mulctatur, & in Noruegia moritur. Item Roſſus Auria, qui corpus S. Anaſtaſiæ Martyris ab Andronico Imperatore acceperat in militiæ mercedem, & Genuam intulit. Itẽ in Hetturia B. Margareta corpore quæſtuoſa floret, quæ ex Domini interfecti & à catella ſibi oſtenſo cadauere lignis obtecto adeo perculſa fuit, vt vitã rigidiſſimam & ſanctiſſimam damnatis carnis illecebris duceret, in Ordine Minorum, creberrimis miraculis coruſca. Quibus adde hoc tempore viuentes Nicolaum de Lyra, Iacobum Piccolomineum, Iacobum de Voragine, Paulum Venetum & alios eruditos.

IV. Summariũ geſtorum huius anni Bonifacii.

Eodem anno Bonifacius Pont. 1. Philippum Gallorum regem ne Clerum opprimere vellet, aut opprimi ab alijs ſineret admonuit. 2. Eidemque vt voluntarie à clericis oblata quæcumque, ſiue munera, ſiue mutui titulo cognominata, acciperet indulſit: quod ipſum Wenceslao Regi Boemiæ, in ſumptus pompæ coronationis poſcenti conceſſit. 3. Ipſi illi Philippo regi dimidiam portionem piæ legatorum, in vſus belli contra Anglos attribuit. 4. Neue Comitis Burgundiæ filia alteri eius quam primogenito filio in matrimonium collocari poſſet, præſcripſit. 5. Hugucionem Spoletanum Ord. Præd. Eccleſiæ Senogalienſ. ad XV. Cal. April. apud S. Petr. 6. Guillelmum Ochunnem eiuſdem inſtituti Eccleſiæ Dublinenſi ad XVI. Cal. Iul. apud vrbem veterem. 7. Et ibid ad XV. Calend. Aug. Facium Donoraticum ex eadem religione Eccleſ. Sagonienſi, Epiſcopos præfecit. 8. Indidemque apud vrbem veterem ad VII. Id. Iul. vniuerſis Inquiſitoribus ex Ord. Præd. & Minor. inſtitutis vel in poſterum inſtituendis, vt contra Columnenſes, tanquam ſchiſmaticos & ſchiſmaticorum fautores, nec non contra complices, fautores, receptatores, cõſilium vel auxilium eis dantes procederent, atque pro concionibus publicis, diras contra eos Sedis Apoſt. promulgatas, diuulgarent, præcepit.

IESV CHRISTI
Annus 1298.

BONIFACII PAPÆ VIII. ANNO 4.
Adolphi Reg. Rom. an. 7. & vltimus.

I. Frid. Arag. Siciliæ Rex vincitur, prælio nauali.

IAcobus Arragonius 50. triremium claſſe è portu Barcinonenſi ſoluens Romam venit, & vt Rex Corſicæ Sardiniæq; ſalutatus ab Pontifice, vexillum conſecratum de manu eius cum præfectura totius exercitus in Fridericum fratrem ducendi, ſuſcepit. Robertus Dux Calabriæ Caroli Regis Primogenitus 140. & Rogerius Auria decem triremes habuit. Commiſſum itaque nauale prælium, captis ante in Sicilia non ignobilibus oppidis aliquot, ventum. Cæſus Fridericus captaque nauis regia, at ille Iacobi fratris ſiue ignauia ſiue indulgentia euaſit. Bonifacius Regi Carolo cenſum annuum remiſit quidem, attamen nihil de ſuprema in Siciliæ regnũ poteſtate detrahi paſſus eſt, quando citatis ad Romana ſubſellia bonorum iniuſtis inuaſoribus, (vti Thomas erat S. Seuerini Comes, & ipſe Carolus Rex, quorum hic Manfredum Maletam duabus baronijs, ille vero Prochydas Piſthonis comitatu exuerat) illos per ſententiam ad reſtitutionem adurgeret.

II. Iudæi ſacram hoſtiam cõtundunt, comburuntque.

In Francia Orientali, quæ Germaniæ nobiliſſimus Ducatus eſt, Iudæi ſacram hoſtiam ablatam piſtillo in mortario contuderunt, & ecce ibi miraculoſe ſanguinauit. Iudæi comprehenſi, conuictique de patrato execrabili ſacrilegio, gladio igneq; tam in Francia, quam Norbergæ, (contermina illa vrbs Imperialis eſt, & in Spiritualibus Reuerendiſſimo Bambergenſi Epiſcopo ſubiecta, verum iam nunc hæreſi Lutherana deformata,) pœnas dederunt. Faxit Deus vt quemadmodum Orientalis Francia Reuerendiſſ. Iulium Echterum Epiſcopum Wirceburgenſem, 44. annis ad miraculum ſumma cum virtute felicitateque præſidentem in impijs Lutheranorum dogmatis eiurandis audiuit, & vti ſuum Epiſcopum Ducemque Illuſtriſſimum ſecuta eſt, perinde Norberga omni quoq; immortalitate digniſſimum Principem, ſeculique noſtri lumen optatiſſimum audiat paterne monentem, & non immorigera rebellique mente in Orthodoxa Romana religione capeſſenda & poſtliminio reſtituenda ſequatur. Inueniet ſane Reſp. Norbergenſis, illum iter virtutum heroicarũ, omniumq; ſcientiarum pene incomparabili in viro Principe theſauro, citra omnem faſtum ſignare, nec tam verbis quam exemplis efficaciſſimis docere, quomodo priſcã illam veritatem fidei, Sacramentorumque reuocare debeant, & Auguſtanæ confeſſionis fanatica commenta & leuiſſima vitæ integritate Romanaque Catholica & Orthodoxa atque inconcuſſa dogmatum conſtantia permutare. Affatim eruditiſſimus Futnerus eius Confeſſionis nugas in graueolente caſeo expreſſit.

III. Pax inter Angliam & Galliam init.

Adolphus Anglo Regi adhæſus Philippi Pulchri fines euaſtabat, reprimit illum Bonifacius, & viciſſim perplura damna dat illi Philippus. Quos ad pacis fœdera Bonifacius exhortatur, aſſentit Gallus, Anglus abſente Adolpho nil audet. Nam inter vtrumque conuenerat, ne alter ſine altero pacem ſineret. Scripſit Bonif. Philippo & Edouardo Regibus, vt vtrimque ablata, tantiſper in manus Arnaldi Toloſani Epiſc. deponerent, donec ſedes Apoſt. quid cuique deberetur, cognoſceret, atque decerneret, & interim pacis ſtabiliendæ cauſa Edouardus pater, Margaritam Philippi ſororem, Edouardus vero primogenitus, Iſabellam eiuſdem Philipp. filiam, in matrimonium acciperent: non obſtante conſanguinitatis gradu, quo alter alteri propinquus tertio vel quarto gradu fuerat, quo in re Bonif. auctoritate Apoſtolica diſpenſabat: & cum bono, matrimonium inter Edouardum primogenitum, & Comitis Flandriæ Guidonis filiam, irritabat. Ne vero Edouardus vel Adolphi abſentiam, vel Procerum Belgij diſſenſum opponeret, ſignificauit Bonif. hos quidem lubenti animo in pacis conditiones conſenſiſſe, nihilq; magis quam inter Reges concordiam optare. Adolphum autem abſentem, promptum eſſe confirmare, quicquid Orat. Angli nomine Regio apud ſedem Apoſt. ſtatuiſſent aut conceſſiſſent. Ea propter pro Adolpho Bonif. fidem ſuam interponens, ſpopondit, grata ea omnia illi fore, quæ iungendæ amicitiæ in pacta veniſſent Romæ apud S. Petrum, 2. Cal. Iul. eam pro pace Regum curam ſuſceptam Bonifacius curabat. Cæterum cum per occaſionem tumultus bellici, Philippus Gallorum Rex, Vintonienſi Epiſcopo plurimas pecunias intercepetat, atque multas poſſeſſiones in Aquitania occupauerat, vt ex integro illi reſtituerent, Philippum admonuit.

Boni-

IV. Bonifacius Reatę agens tantum terræ motum perſenſit, omneſque pene per Europam prouinciæ quantum vix ſecula viderunt, ſex menſium ſpatio durantem, vt ſubtile tentorium ipſe Pontifex in capaciſſimo prato erigere coactus fuerit, ne crebeṙrima tectorum conuulſione ac lapſu obrueretur, vtpote qui ex templo Reatino inter manus Cardinalium exanimis pene fuiſſet elatus. Excepit terribilis Cometes. Quibus diſſipatis diuerſos Cardinales creat. Cumque in illa temporum regnorumque viciſſitudine miſerabili, variæ vrbes prouinciæque interdicto fuiſſent ſuppoſitæ ſiue à iure ſiue ab homine prolato, modum accuratum præſcripſit in peculiari conſtitutione, quomodo in eo ſeſe homines gerere debeant, ne diuinis officijs fraudentur, & in religionis cultu velut tabeſcant. Sudarium Chriſti Domini Romæ præſentibus Iacobo Aragonum & Carolo Siciliæ Regibus ſolemni pompa ex templo S. Spiritus ad SS. Apoſtolorum Baſilicam tranſtulit, & certis diebus oſtendi ſanxit.

V. Chronologi hoc anno Adolpho abrogatum ponunt imperium & arrogatum Alberto, at conditor Annalium ſequenti. In Italia ſanguinem pluit, exiccatis, arboribus, herbiſque areſcentibus, Genuenſes Venetis victis Friderico Siculo & rebellibus in odium Pontificis iunguntur, Cretamque claſſe ſua eis extorquent. *Palmerius.* Caſſanus Tartarorum in Aſia Princeps victo Ægypti Sultano Syriam totam nomine Chriſtiano recepit, & vrbem Hieroſolymam. *Hayton. & alij.* Fratres ſeu Fraticelli, tertium ordinem Franciſcanorum mentientes hæreſeos ab Eccleſia damnantur. Ob coniugium Eduardi Regis Angli cum Margarita ſorore Regis Philippi Pulchri initum, Aquitaniæ Ciuitates Anglo ſunt reſtitutæ. Vallaſeus Dux clarus Scotorum inclinatas res Scoticas attritis Anglorum legionibus erexit. *Hector. Leſleus & alij.*

VI. Summarium geſtorum huius anni. Eodem anno Bonifacius Pontifex, 1. Legatos Sembath Armeniorum Regis, auxilia contra Saracenos poſtulantes, audiuit, eoſdemque Regibus Galliarum & Anglorum commendatos fecit. Reatæ 3. Non. Octob. 2. contra Meynardum olim Ducem Carinthiæ anathema innouauit, & Comitatum Tyrolenſi ſacris interdixit, quod Epiſcopum Trident. iniurijs affeciſſet. 3. Sententiam contra Regem Daniæ pro Archiepiſc. Lūdenſi dixit, eundemque Sueciæ Primatem conſtituit. 4. Legatum ad Regnum Daniæ pro concilianda inter Regem & Archiepiſcopum pace deſtinauit, atq; nonnulla ſtatuta olim in Concilio Lundenſi edita confirmauit. 5. Conſtitutionem contra fœneratores, vt è Regnis & vrbibus ejiciantur, promulgauit. 6. Nuncijs Apoſtolicæ ſedis, vt anathemate eos, qui ad ſedem Apoſtolicam prohiberent venire, percellerent, poteſtatem fecit. 7. Menſe Septembri, apud Reatem reſidens, Columnenſium aliquot, ad pedes ſuos proſtratos ſupplicesque anathemate exoluit, Tibur relegauit, & Præneſte vrbem in pœnam violatæ maieſtatis diruì præcepit. 8. Sextum Pontificij iuris Codicem, à tribus doctiſſimis viris compilatum, quibuſdam decretis nouis à ſe additis, euulgauit. 9. Solo æquata Præneſte aliam arcem ex oppoſito extrui præcepit, quam poſteritas rupem Pontificiam nominauit: eaque re metum Columnenſibus iniecit, vt in Tibure fugientes, ſolum & patriam Italiam reliquerint, & partim in Gallias, partim in alias Orbis plagas commigrarint.

IESV CHRISTI
Annus 1299.

BONIFACII PAPÆ VIII. AN. 5. ADOLphi Regis Roman. an. 8.

I. FAtalis hic annus Adolpho Naſſouio fuit. Nam Moguntię collectis denuo electoribus ob cauſas memoratas Imperio deijcitur, & Albertus Auſtriacus in Regem eligitur. Congreſſi in Campis Wangionum Wormatiam inter Spiramque cæſus Adolphus vita ſimul cum imperio exuitur poſt ſex horarum prælium diu ancipiti euentu geſtum. Albertus in Adolphum aduerſo ſole pugnantem mucrone ſecundum oculum tranſuerberat, exin in iugulum demerſo gladio lethiſere comminuerat. Filius Adolphi cum 60. Comitibus capti, multi æſtu Solis & puluere ſuffocati, plures fuga lapſi Cadauer in vallis Roſarum monaſterio adufque tempora Henrici Lucenburgenſis conditum eſt, qui exhumatum Cadauer Regum Mauſoleis Spirenſis Baſilicæ Cathedralis inferri regio apparatu iuſſit. A cuius fide & religione, Deus bone, in quantum iam nunc inclyta Naſſouiorum domus receſſit.

II. Coniurati omnes in Adolphum pugnantes miſerabili morte perijſſe narrantur. Nam Albertus poſt decem annos à Ioanne Duce fratris filio enſe perimitur. Comes de Hohenlohe, & Comes de Ochſenſtein pari morte ſublati. Moguntinus apoplexia tactus extemplo expirauit. Comas geminis pontis in flumo hauſtus, Epiſc. Argentinenſes ab ruſtico gladio transfoſſus, Comes de Liningen in phrenefim incidit. Cæteri percuſſores infelici ſtrage demeſſi. Ne vero à quoquam Electio Alberti iniretur occiſo Adolpho Francofurti conuentum indixere Septemuiri ibidemque concordibus omnium ſuffragijs Imperium eidem detulere, die Auguſti progreſſique Aquiſgranum 24. eiuſdem menſis ex more priſco coronarunt. Cuius confirmationem cum Bonifacius perficere detrectaret, fœdere cum Philippo Gallo icto Albertus in Lotharingia, & Arelatenſe regnū, quod à morte Friderici Franci tenebant, omnino deinceps Francici iuris futurum, conceſſit.

III. Edouardus in Scotos acerbior ex amiſſione ſuorum anno ſuperiore & Vallaſei victoria ob multam Optimatum regno ſeſe abdicantium. Hoc anno numeroſiore milite ſcripto vniuerſam Scotiam ſibi ſubijcit, eitiſtatque, incaſſum ipſis Scotis de illius immanitate tyrannideque apud Bonifacium quærentibus, illo contra mandatum Sedis Apoſtolicæ pertinaciter victoriam proſequente.

IV. Iacobum Arragonium nulla re memorabili geſta poſt pugnam naualem cum fratre Friderico habitam in Arragoniam redeuntem, in eundem ſecundo armat Bonifacius, qui claſſe comparata oras Siciliæ circumquaque abradit, ne Sedi Apoſtolicæ regnum Caroloque acquirat cum nomine illius facilè minitæ Sardiniæ Corſicæque regna in feudum ab eadem accepiſſet. Fraterni amoris, quam Pontificiæ auctoritatis ſtudioſior. Quare nulla re tentata, nulla facta, cum primum Siciliæ ſeſe circumnauigando oſtendiſſet, in Aragoniam abijt. Siue quod ſtipendia ex pacto ei non numerarentur: ſiue quod Gallis, Fredericum fuga elapſum memorantibus, tutius viſum, Iacobum eiuſque auxilia dimittere, quam eo ſocio in prælijs vti, ſiue quod eum Carolus offendiſſet, qui eo non conſulto, tum bellica ſubſidia, tum pacis conſilia tractaret.

V. Diris quoque etc. in Caroli Siciliæ Regis vindictam minatur Bonifacius, quod Philippum filium cum claſſe in Siciliam miſiſſet, & imperatos milites ſcientiæ tam valido in mari populo Fredericum Regem ſuum reuocauit, & Gallico nomini infenſiſſimo, apprimè Cōgreſſi enim Siculi cum claſſe Roberti eius abſentis eam deſeruerunt & fugerunt, Philippuſque triremes fortiore animo reſiſtentes præſente duce impetentes non modo illas depreſſerunt verum etiam ipſum Philippum captum in Panormitanum carcerem abduxerūt & Fridericus veniens triumphator Sicilia Gallos exegit, & in Calabriam expoſito exercitu, eam ſibi vectigalē fecit. Maximo probro Gallici nominis & damno Eccleſiæ Carolus didicit, *Præcipitis conſilij comitem eſſe pœnitentiam.*

VI. Caſſanus Tartarorum Rex ſeu Imp. anno ſuperiore totam Syriam Sultano Ægyptio eripiens, hoc anno Chriſtianis ſacris imbuitur. cumque conſortem thori quæreret, Armeni Regis filiam venuſtiſſimam forma moribuſque & fide illi offerunt. Contrahunt, atque ex pacto illi Armenę religionis exercitium liberum donat Tartarus. Illa mater turpiſſimæ prolis facta, adeo animum Caſſani viri alias deformiſſimi, cætera prudentiſſimi offendit, vt illam cum Prole igni adiudicaret velut adulteram. Rogat Armena Tartarum vt prolem baptiſmo, ſe confeſſione ante ſinat expiari, quam moreretur. Probat id barbarus, &

continuo tam ſpecioſa à fonte proles facta eſt, vt tum matrem morti ſubtraxerit, tum Chriſtianis Caſſianum accenſuerit. Vnde Bonifacius fidei præcones eidem ſubmiſit, & catecheſin ab Ægidio Romano Columnio ſcriptam, addiſcendam Tartaris Orientalibus & Saracenis ac Mahumetanis & paganis præſcripſit.

VI. *Eccleſiaſticorum iura tempestas ſtatuit Bonifac.*

ep. 45. Lateran. 3. Non. Feb. ep. 131 ibid. 5. Kal. May.

Platina Blondus vbi ſupra. lib 3. ... de Cinere ... lib. 3 ... de Cinere

Præterea Philippo Regi cenſuras intentat, ſi Guidonem Caſtilioneum Comitem S. Pauli, monaſterij S. Bertæ Morinenſis diœceſis & Ord. D. Benedicti rapientem; Item Fiſcales Regios prætextu Regalium bona Rhemenſis Eccleſiæ intolerandis exactionibus opprimentes & alienantes puniret, & Eccleſia Rhemenſi reſtitui curaret. In die Cinerum Porchetus Minorita ad Epiſcopatum Genuenſem aſſumptus ipſemet confirmationem petijt à Pontifice, cui, vt fabuloſe narratur hiſce cum circumſtantijs cinerem appoſuit Bonifacius; Nimirum ſyncipur eius obtinens dixit: *Memento quia Gibellinus es, & cum Gibellinis in cinerem reuerteris.* Quæ à grauitate Bonifacij aliena ſunt. Aſſignant tamen cauſam, quod Columnenſes Cardinales à Bonifacio excommunicatos, & Cardinalatu deſtitutos, ille receptaſſe & fouiſſe diceretur. Epiſcopos ad Eccleſias ſibi concreditas non reſidentes peculiari edita conſtitutione adhoc auctoritate Apoſtolica obligauit. Canonicis & Clericis præbendatis vt quotidianas diſtributiones deſeruirent, iniunxit alia edita conſtitutione, ni infirmitas, aut iuſta vel rationabilis corporis neceſſitas, aut euidens Eccleſiæ vtilitas excuſaret.

VII. Guido Fland. Comes à Gallo contra fidem in carcerem detrahitur cum 2. Filijs. *Franciſc. Baudimont. in Annal.*

Aemilius Marcant in Guidonem.

Hoc anno tandem, Rex Angliæ Edouardus, & ſi Flandriæ Comitis partes omni pacto tuendas ſuſceperat, tamen conſertiorem in dies militum copiam è Francia adduci vidẽs, hortatu Bonifacij Pontificis pace cum Philippo Galliarum Rege inita Angliam repetijt. Quare Guido admodum conſternatus pacis conditiones vltro ambire cœpit, eiuſque conceſſis Pariſios ad veniam erratorum deprecandam, Caroli Regis fratris monitione venit. Vbi ne minima quidem conuentionum parte à Philippo obſeruata, contra datæ fidei ſacramẽtum in carceres, cum duobus natis Roberto & Guillelmo, maximo probro Gallici candoris, detruſus eſt, necquicquam curante Philippo Bonifacij Pontificis monitiones, ne in ſupplices, inſonteſque ſæuiret. Interim Carolus Valeſij Comes, doctiſſimo polyluſtore Gordono recenſente, Flandriam cum exercitu petijt, atque vt tota Flandria Francis pareret effecit.

VIII. Iuſtitiæ exemplum in Andronico Imp. de Bal. Comite Flandriæ. *Lipſ. in monitis lib. 2. cap. 9.*

Ipſo iſto anno Conſtantinop. imperabat Andronicus Comnenus, vel ſolius adminiſtratione iuſtitię commendans. Is nullo diſcrimine, nobiles aut nouos: tenues, diuites, ſuos, aut alienos, ſolitus culpæ damnare conuictos. In his Theodorum quendam è ſuis charum quem agticolæ detulerant, diuertiſſe apud ſe cum ſeruitijs, nec in diſceſſu quicquam ſoluiſſe. Res erat (vt hodie) non nimis noua aut inſolens Palatinis. Tamen Imperator hominem ſtatim corripi, fuſti duodecies in publico cædi iuſſit, tum agricolis damnum largiter rependi. Scripſit idem ad Præſides & Magiſtratus his ipſis verbis. Aut iniurias, aut vitam relinquite: Nam vos iniuſte agere & viuere, ne Deo gratum, nec mihi eius miniſtro ferendum eſt. Non impar Andronico fuit Balduinus Septimus Flandriæ Comes.

Balduinus 7. Fland. Comes idem.

Petrum enim vnum nobilem, & Orſcampi Toparcham, ob duos boues pauperculæ viduæ reclamanti abductos, re ad eum delata, ſubito corripi iuſſit, & atroci morte puniri. Forte lebes aquæ feruentis in medio Burgenſi foro erat, monetario puniendo deſtinatus. In hunc ſine mora hominem cõijci præcepit, ſic vt erat, ocreatum, veſtitum, gladio accinctum. Quid ais? ſic calide, & annon temere? Nihil. Nam inquiſitio præceſſerat, & culpæ conuictus per aliam cauſam euocatus, pœnas ſic luit. Ille idem vndecim equeſtris loci viros, quod tres mercatores per viã bonis, & dein vita exuiſſent, vocatos in Palatium damnauit. Statimque ſe coram laqueis iniectis, deſtitui ſuper tabulam annexos ad trabem iuſſit: ac manu tum ſua tabulam ſubduxit, ac penſiles fecit ſuffocauitq;. Rem laudo, modum improbo, ac potuit debuitque manibus hoc alienis.

IX. *Miſc. Kan. Surius in vita.*

Floret inter Auguſtinianos S. Nicolaus Tolentinas iſto Euangelico pronunciato ad religionem vocatus, concionante Auguſtiniano. *Nolite diligere mundum neque ea, quæ in mundo ſunt.* Mirabilium in ordine operum patrator. Et S. Amatus Confeſſor, ac Saludecij in Æmilia Patronus. In Francia Orientali Iudæi à Cuſtode Eccleſiæ Retingenſis emptam ſacram hoſtiam compunxit, punitus cum conſortibus. Puella Iudæa quoque amore religionis Chriſtianæ ex turri ſe dans præcipitem illæſa manſit, nolentibus cæteris Iudæis illam dimittere, & baptiſmo tincta eſt. In Polonia Vladiſlaus à ſuis regno priuatur, & ad Wenceslaum Bohemiæ Regem transferunt. Templarij hoc anno parata claſſe Athenas capiunt, quam deinde vrbem egregie munitam retinuit quidem Florentinus vſque ad captam à Turcis Conſtantinopolin. Vallaſcus poſt abdicatum regni Scotiæ regimen dolo Montheti captus, & Edoardo Regi traditus diris cruciatibus & vltimo ſupplicio afficitur, & Scotiæ gubernator Cumenus fit. Carolum Robertum Caroli II. Siciliæ Regis nepotem efflagitantibus Hungariæ Proceribus Hungariæ Regem fere hoc tempore Bonifacius deſignat. Guilelmus de Nangis Monaſterij Dionyſcani tertio à Lutetia lapide Monachus annales ſuos aduſque annum 300. perduxit. Appendicem alius ex eodem monaſterio Monachus attexuit. Moræus. Turci occupatam Aſiam minorem in 7. illam Satrapias partiuntur. Ex his vnus, Ottomanes nomine, cui ſortito Bythinia obtigerat, reliquas ſibi magna ex parte ſubiecit, & hoc Chriſti anno vel ſequenti, (variant quippe Chronologi) Ottomannici Imperij fundamenta iecit, quod ipſe 18. annis magna cum prudentia & felicitate adminiſtrauit. Nicephorus Gregoras infidus Latinis Romanæ hiſtoriæ ſcriptor huius tempore vixit.

Siffrid. Epitom. lib. 2. Cromer lib. 13. Sabell. Leonel.

Blond. Caſtinian. Sabel. Greg. lib. 7. hiſt. Rom.

Dum conditor Annalium hunc annum & hoc ſeculum finiret ad Sedem Apoſtolicam vt omnium Eccleſiarum matrem & dominam ſupplices Rutheni Iaponeſque, Regum ſanguis, nomine Regis Voxij Legati venere Pauli Papæ V. pedibus acclines, illud Iſaiæ verificantes de Eccleſia dictum oraculum. *Et ambulabant gentes in lumine tuo & Reges in ſplendore ortus.* Faxit Deus, medullitus id voueo, vt ſuam Hierarchiam S. D. N. tam præclaris gemmis diutiſſime expoliat.

Digitized by Google

BREVIARIVM SÆCVLI XIII.

PONTIFICVM, PATRVM & Doctorum, Dogmatum, Conciliorum, Hæreticorum, Imperatorum, Regum Romanorum.

Pontifices.

Innocentius III. Anagninus, filius Traſimundi. Sedit annos 18. menſes 6. dies 9.

Honorius III. Romanus. Sedit annos 10. menſes 8.

Gregorius IX. Anagninus. Sedit annos 14. menſes 4. dies 3.

Cœleſtinus IV. Mediolanenſ. Sedit dies 17.

Innocentius IV. Genuenſ. Sedit annos 11. menſes 5. dies 14.

Alexander IV. Anagninus. Sedit annos 6. menſes 5. dies totidem.

Vrbanus IV. Treccenſ. Gallus. Sedit annos 3. menſem 1. dies 4.

Clemens IV. Narbonen. Gallus. Sedit annos 3. menſes 9. dies 25.

Gregorius X. Placentinus. Sedit annos 4. menſes 4. dies 10.

Innocentius V. Tarantaſienſ. Gallus. Sedit menſes 5. dies 20.

Hadrianus V. Genuenſ. Sedit mẽſem 1. dies 9.

Ioannes XXI. Luſitanus. Sedit meſes 8. dies 5.

Nicolaus III. Romanus. Sedit annos 2. menſes 8. dies 22.

Martinus IV. Gallus Senonienſ. Sedit annos 4. menſ. 1. dies 7.

Honorius IV. Romanus. Sedit annos 2. dies 2.

Nicolaus IV. Auſculanus. Sedit an. 4. menſ. 1. dies 14.

Cœleſtinus V. Samnis. Sedit menſes 5. dies 7.

Bonifacius VIII. Anagninus. Sedit toto tempore annis 8. menſ. 9. dies 19.

Patres & doctores, Eorumque Dogmata, Nouatoribus contraria.

1. *Miſſæ ritus, & verba, quæ antea*, docet Innocentius 3. libris de myſterijs Miſſæ. Durandus Mimatenſis in Rationali Diuinorum officiorum. D. Thomas Aquinas opuſc. 66. de expoſitione Miſſæ, & 3. parte, q. 83. Cabaſilas Græcus libro de diuino altaris ſacrificio. Samonas Gazenſis contra Achmed. Saracenum. Simeon Theſſalonicenſis libro de ſeptem Sacramentis.

2. *Gratia Dei, fides, iuſtificatio.* Cabaſilas in expoſitione liturg. cap. 29. Innocent. in Pſal. pœnitent. Thomas Aquin. 1. 2. q. 109. & in 1. Apocal. Omnes Scholaſtici cum Magiſtro ſentent. in 2. diſt. 27.

3. *Euchariſtiæ veritas, ſacrificium tranſubſtantiatio, adoratio.* Cabaſilas in expoſ. liturg. multis capitibus Innocent. lib. de myſteriis Miſſæ. Thom. Aquin. libro de Sacramento altaris c. 29. & in officio Sacramenti, & cum eo Bonauentura cum Scholaſticis in 4. ſent. & ipſe 3. part. q. 74. Guilielm. Pariſienſ. lib. de Sacramento. Alexander 4. q. 36. 37. & ſeq. Ægidius Romanus paſſim S. Samonas diſputatione contra Achmed. Saracenum.

4. *Baptiſmi effectus, neceſſitas, aliena fides, ceremoniæ* Thom. Aquin. 3. part. q. 66. & ſeq. & in ſumma contra Gent. lib. 4. Scholaſtici in 4. ſent. diſt. multis D. Samonas Gazenſ. diſput. ſuperiore. Guillel. Pariſienſ. de baptiſmo & eius partibus libr. de ritu baptizandi. Albertus Magnus variis locis. Hugo Cardinalis & Lyranus in varia Bibliorum capita. Durand. de diuinis officiis. Bonauentura & Aegidius paſſim.

5. *Pœnitentia, & eius partes tres.* Thomas Aquin. opuſc. de art. fidei c. 14. & 3. p. q. 84. & ſeq. Doctores huius ſæculi in 4. ſent. diſtinct. multis. Bonauentura in dictis de pœnitentia. Innocent. in 1. & 3. Pſal. pœnit. Guilelm. Pariſienſ. de ſacram. pœnit. Cabaſilas cap. 29. Concil. Lateranenſ. cap. 21.

6. *Claues Eccleſiæ, abſolutio.* Thom. Aquin. opuſc. de forma abſolutionis, & 3. p. q. 84. Scholaſt. in 4. ſent. Cabaſilas c. 29. Durandus de Diuinis officiis. Bonauentura, Aegidius, Hugo, Albertus Magnus, paſſim.

7. *Confirmatio, & reliqua alia Sacramenta, & eorum vſus.* Thom. 3. p. quæſt. multis & in opuſc. de artic. Fidei Scholaſt. in 4. ſent. Simon. Theſſalonicenſ. lib. de 7. Sacram. Eccleſ. Cabaſilas cap. 29. Durandus de diuinis officiis. Hugo, Lyra, Albertus, Aegidius, Bonauentura, paſſim.

8. *Primatus Apoſtolicæ Sedis.* Fridericus & Otto Imp. in epiſt. Michael & Andronicus Impp. Orientis in epiſtolis Græci in Concil. Lateranenſ. & Lugdunenſ. Plures nationes barbarorum apud Vincentium in ſpeculo lib. 31. cap. 39. Thomas Aquin. lib. 4. cont. Gent. c. 76. & 2. 2. quæſt. 39. 2. 1. Lateranenſ. Concil. c. 5. Omnes Patres & Doctores Scholaſtici.

9. *Eccleſiæ & traditionum auctoritas.* Thom. Aquin. 3. p. q. 25. a. 3. ad 4. Scholaſtici omnes. Hugo, Lyranus, in varia Bibliorum loca.

10. *Liberum arbitrium, & bona opera*, Thomas in ſumma de verit. materia 24. q. 1. & 1. p. q. 83. art. 1. & Scholaſtici in 2. ſent. diſt. 3. & omnes Patres paſſim in ſuis lucubrationibus.

11. *Sanctorum preces, inuocatio, reliquiæ, imagines, feſta.* Pſellus ad Andronicum Imp. Cabaſilas in expoſit. Liturg 33. 34. 48. 49. 50. Thomas Aquin. in opuſc. contra errores Græcorum & 2. q. 83. Innoc. ſer. 1. de dedicat templi. Doctores huius ſæculi in ſermonibus & tractatibus variis.

12. *Preces pro defunctis, Purgatorium.* Pſellus ad Andronic. Imp. c. de exitu animarum, & c. de benefactis pro iis qui è vita deceſſerunt. Cabaſilas c. 33. 42. quod inſcribitur, de iis qui dormierunt, an ſanctificentur à menſa. c. 44. 45. quod præfert hunc titulum. Quod iis qui dormierunt perfectior ſit ſanctificatio. 42. Thom. Aquin. 3. q. 82. art. 6. & in ſumma contra Gentil. libr. 4. cap. 91.

Bona-

Bon aucnt. in 7. parte Breuiloq. c. 2. Innocent. in 3. Pſalm. pœnit. Doctores in 4. ſent. diſt. 21. Expoſitores bibliorum variis in locis.

13 *Sola fides excluſa*. D. Thom. 2. 2. q. 65. a. 4. Omnes fere Doctores Scholaſtici, & Commentatores bibliorum paſſim.

14. *Cœlibatus*. D. Thom. 2. 2. q. 186. a. 4. Expoſitores Bibliorum paſſim. Conciliorum canones contra corruptelas ſæculi iſtius.

15. *Abſtinentia à cibis*. S. Thom. 2. 2. q. 147. a. 3. Scholaſt. in ſent. & omnes Patres paſſim.

16. *Miracula*. Paſſim à Sanctis huius ſæculi, Dominico, Hyacintho, Franciſco, Antonio, & aliis innumerabilibus publice acta.

CONCILIA.

Præter Prouincialia plurima variis in locis congregata.
Lateranenſe ſub Innocentio III. anno 1215.
Lugdunenſe 1. ſub Innocentio IV. anno 1245.
Lugdunenſe 2. ſub Gregorio X. anno 1274.

HAERETICI.

Albigẽſes, Patareni, Arnaldiſtæ, Pauperes de Lugduno, Recentes Manichæi, Reiudaizantes, Iudaizantes, & alii complures, qui Doctores Catholicos exercuerunt.

IMPERATORES ROMANORVM.

ORIENTIS.

Alexius III. Angelus Imper. annos 8. menſ. dies 10.
Alexius IV. Imp. menſes 6. dies 8.
Alexius V. Ducas Imp. menſ. 11. dies 16.
Balduinus I. Imp. menſ. 11.
Henricus frater Balduini Imper. annos plus minus 10.
Petrus gener Henrici Imp. annos plus minus 5.
Robertus Petri fr. Imp. annos plus minus 7.
Balduinus Iunior poſt mortem patris Imper. ann. 13.
Ioannes Bryrennus cum Balduino Imp. ann. 20.
Michael Palæologus Imper. Conſtantinopolit. ann. 24.
Andronicus iunior Palæologus Imp. ann. plus min. 43.

OCCIDENTIS.

Otto IV. regnauit & imperauit ann. 20. m. 2.
Fridericus II. regnauit & imperauit partim in ſchiſmate, partim in obediẽtia Eccleſiæ an. 4.

REGES ROMANORVM.

Otto IV. regnauit annos 10. m. 7.
Fridericus II. regnauit an. 9. m. 11. dies 9.
Henricus VI. regnauit cum patre Friderico annos 12.
Conradus Rex à patre appellatus, reg. an. 19.
Henricus VII. regnauit annum plus minus vnum.
Guillelmus regnauit annos 9.
Richardus Anglus, regnauit annos 6.
Alphonſus Caſtellanus, regn. ann. 11. menſ. 6. dies 12.
Rudolphus Auſtriacus, regna. ann. 17. menſ. 11. dies 19.
Adolph. Naſſouius, regn. ann. 7. menſ. 6. & dies aliquot.

Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Quia confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius, & veritas Domini manet in æternum.

Digitized by Google

J.VIII.19.

Laboratorio
Restauro
Pandimiglio
ROMA

1969